



J·GAUDY

THESAURI
THEOLOGICO-PHILOLOGICI
PARS SECUNDA

Continens

DISSERTATIONES
AD ILLUSTRIORA
NOVI TESTAMENTI
LOCA.



R.mo Haxtaleso 120

THESAURUS THEOLOGICO-PHILOLOGICUS,

SIVE

SYLLOGE DISSERTATIONUM ELEGANTIORUM

AD SELECTIORA ET ILLUSTRIORA

NOVI TESTAMENTI LOCA;

A THEOLOGIS PROTESTANTIBUS

In Germania ſeparatim diverſis Temporibus conſcriptarum.
Secundum Ordinem Novi Teſtamenti Librorum digeſta.

Cum Additamento Diſſertationum & Indicibus Neceſſariis ad Vet. & Nov. Teſtamentum.



AMSTELÆDAMI

Excudunt HENRICUS & Vidua THEOD. BOOM, JOANNES & ÆGIDIUS JANSSONII à WAESBERGE, GERHARDUS BORSTIUS, JOANNES WOLTERS;

Et Ultrajecti GUILIELMUS van de WATER, & GUILIELMUS BROEDELET. MD CCII.

PRÆFATIO
AD
CANDIDUM,
ET
PHILOLOGIÆ S. STUDIOSUM
LECTOREM.



On multis, candide Lector, in limine secundæ hujus Diss. Theologico-Philologicarum partis detinere te & demorari, erat animus. Quæ enim præfanda habebam, hæc fere erant. Lectorem scire gestientem, unde domo fuerint, quando & ubi vixerint, quæque munera vel in Ecclesia, vel in Rep. sustinuerint, quorum ex laboribus hæc Collectanea concinnata sunt, Viri, ablegassem ad illa, horum quæ mentionem faciunt, monumenta; scilicet ad Doctiss. & Diligentiss: Henningi Witte Diarium Biographicum, quo in libro Eruditorum Virorum, qui jam inde ab ineunte hoc seculo usque ad annum ejus XC. scriptis inclaruere, jamque ad plures abiere, dies & annos natales, obitusque tempora una cum Indice Scriptorum memoriæ prodidit: Et ad Orationes Funebres in Defunctorum honorem habitas. Quod enim ad illos attinet, qui adhuc in vivis sunt, publica satis illos fama literato Orbi commendat.

Quod Dissertationes quædam ad Judaicas Antiquitates spectantes in Auctario hujus Operis comparent, præter opinionem quidem nostram factum id est: Minor enim erat, qui in Indice Typis ante vulgato reperiebatur, Dissertationum numerus præ modo, quem huic Tomo II. ut alter ad alterum proportionem quandam & comparationem haberet, præfiniverant Typographi: itaque Addenda ocyus requirebantur, ne operæ Typographicæ magna temporis & sumtuum jactura interquiescerent. Quum autem hæ Dissertationes in Typographorum manibus essent, neque alicunde defectus hic citius suppleri posset, huic Operi ab illis sunt subjunctæ. Quarum quædam licet de Antiquitatibus Judaicis agant, faciunt quoque ad certa S. Scr. Loca, ut inscriptio præfert, illustranda.

Defendissem Collectanea hæc nostra edendi consilium exemplo V. V. C. C. qui non superiori tantum, sed & nostro seculo, & cum maxime nostra ætate cum in Sacris, tum in Profanis nobis hanc viam præivere; qui variorum, multorumque Scripta disjuncta ante conjungendo ab interitu non tantum vindicarunt, sed & horum studiorum commodo, compendioque consuluerunt.

Denique nostri ordinis hominibus, Theologos inquam, ad hoc tam egregium, & ad S. Scr. intelligentiam necessarium Philologiæ S. studium calcar addidissem. Quæ nunc tantum breviter notasse & delibasse sufficiat.

Quod brevitatis servandæ consilium ex parte migrare cogor, ab Eruditis quibusdam Gallis, quibus libitum fuit consilium in hisce edendis nostrum improbare, & virgula censoria quædam ex mea Præfatione, quam nomine Editorum conceperam & conscripseram, notare, nos & nostra ab inhumanis, illiberalibus, omnique candore defectis illorum animadversionibus vindicandi necessitate quadam mihi imposita.

Prodiit enim nuper admodum in Gallia, Gallicéque conscriptus, primus, quem jam alter, & tertius excepit novarum Erudit: Ephemeridum Tomus, in Batavis recusus, qui inscribitur *Memoires pour l'Histoire de Siences & de*

 Beaux

Beaux Arts, &c. in quo à pag. 50. uſque ad 64. Edit. Bat. reperire eſt acerrimam & à pluribus concinnatam in hanc Syllogen, eique adjunctam Præfationem, Criſin; abſque ullo ordine, quod turbatum affectibus animum arguit, & cum perpetua fere meorum verborum, & ſententiarum detorſione.

Superſedere forte hoc reſponſo potuiſſem, cum harum rerum gnari peritique, & extra partes conſtituti percipere facile queant, animadverſiones illas parvi eſſe ducendas, neque labefactare poſſe, quæ præfaturus mihi ſumſi probanda: Attamen cum alter hic Tomus jam jamque edendus, Lectorque Philologus paucis monendus & compellandus eſſet, induci me paſſus ſum, ut has meas vindicias Eruditis & Candidis Lectoribus arbitrandas darem. Præterea muniendi mihi erant rudiores & incauti, ne hac ratione, Adverſarii quam tenent, iis imponeretur. Proinde id operam dabo, ut imprudentiæ, non ſervatæ urbanitatis, ἀντορησίας, & ignorantiæ, cujus me Cenſores paſſim tantum non reum, ut quidem autumant, agunt, culpam à me amoliar.

Bene autem comparatum eſt, quod nemo hactenus, quod equidem ſciam, præter hos Pontiff: Gallos repertus ſit, qui conatus noſtros culpaverit.

Ut autem via & ratione mea in hiſce vindicandis procedat oratio, primo in diſquiſitionem vocabo, quæ Cenſores & Vitilitigatores noſtri adverſus ipſam Syllogen adferunt, expenſurus deinde, quæ ſpeciatim contra Præfationem, quam concoquere nequeunt, diſputant.

Laudant Cenſores Typographorum Batavorum in libris raris, jam inde ab aliquo tempore excuſis, conſilium, in quibus Biblia Critica recenſent. Utrum autem hoc ſupplementum eodem applauſu ſit recipiendum, addubitant. De eo in futurum nihil polliceri poſſumus: quippe,

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli.

Certum tamen eſt, in Patria noſtra & alibi Operis hujus Exemplaria magno numero divendi, avideque diripi. Si res eſſet arbitrii Cenſorum, volarent forte Collectanea hæc rapidis ludibria flammis. Ut enim in odium & invidiam hominum hunc laborem adducant, omnem, quod ajunt, lapidem, omnes machinas movent.

Cur autem adeo contemtim de Syſtemate hoc ſentiant, ipſi haud dubie ejus cauſam produnt: nempe quod in eo nullus Pontificiorum Scriptis detur locus. Quod ſi à nobis factum fuiſſet, non tam iniquum & corruptum de hoc Opere, totaque ejus ratione feciſſent judicium. Quod autem nulla adjunxerimus Pontiff: Scripta, penuria quidem ejus generis Scriptorum factum id eſt, quæ nobis enim erant nota, ea modo Bibliis Criticis Tom: VIII. & IX. ſunt ſubjuncta. Si Cenſoribus hujuſmodi Scriptorum copia eſt, Syſtema illorum conficiant, neque publico amplius invideant; nos quidem ſi quid bonæ frugis inerit, ambabus, quod ajunt, ulnis amplectemur. Auctor Ephemeridum notat in quibuſdam Diſſ: ſtyli Barbariem & Duritiem. Notaveram id jam in Præfatione mea, & de eo monueram Lectorem, Doctiſſ: Bohlii Diſſertationes laborare plerumque aſpera & horrida dictione, quæ tamen facile compenſetur utilitate ex iis percipienda ad concinnandum Lexicon Biblicum. Id vitii in pleriſque Diſs. notant Cenſores non nominato Bohlio, quaſi aliorum etiam Diſſ. eodem vitio laborarent: Quod tamen dici nequit: Non ſcripſerunt Barbarè Strauchii, Friſchmuthi, Carpſovii, Schmidii, Haſii, aliique Doctiſſ:, quorum curæ hanc noſtram Syllogen exornant, Viri. Mirare autem mecum Lector, Pontificios in Proteſtantium Scriptis notare & carpere auſos ſtyli Duritiem & Barbariem. Oblitine ſunt an vero ignorant Cenſores, quot Scripta Barbara, ſcholaſticis diſtinctionibus, triciſque, & vocibus non intellectis referta ex ſinu Eccleſiæ Romanæ prodierint? Adeant, ſi velint, facetam Friſchlini, Priſcianus Vapulans quæ inſcribitur, Comœdiam, in qua feſtivus ille Scriptor hos illis floſculos liberali manu reddet. Meminiſſe etiam debebant noſtri Ariſtarchi, nobis non fuiſſe propoſitum, elegantiarum, floſculorumque Linguæ Latinæ concinnare corpus, ſed opuſculorum, quæ illuſtriorum S. Scr. locorum explanationem continerent, Syſtema. Quis autem à Theologo requirat emendatæ dictionis ornatum & nitorem: quem abunde ſuas, puto, expleſſe partes, ſi ſenſa

animi

animi dilucidè & perſpicuè prodiderit: Qui ſi cogitata mentis, & res bene perceptas puro venuſtoque, & ad rerum dignitatem exeunte, dicendi genere inſuper conveſtiverit & exornaverit, omne punctum, ut cum Horatio loquar, feret; certe majori delectatione Eruditos, & harum elegantiarum ſtudioſos homines ad legendum alliciet.

Dicunt, nos hæc Collectanea eo publicaſſe animo, ut Linguam Hebr: addiſcendi neceſſitatem demonſtraremus: Non hoc ſpectavi ſolum. Diſſertationes hæ mihi videbantur eſſe proprii & germani Philologiæ S. quæ non tantum Hebr: Linguæ, ſed & aliorum adjumentorum cognitione conſtat, fœtus. Hinc mihi anſa data, ad illud ſtudium noſtri Ordinis, & Loci hominibus, id eſt, Theologis commendandum.

Id quod non pugnat, ut noſtri Cenſores putant cum Reformatorum Principio, aut ſententia, ſtatuentium, nemini veræ Dei gloriæ, & propriæ ſalutis ſtudioſo in negotio Fidei, aut Religionis ſtandum eſſe auctoritate hominum, ut ob eorum auctoritatem ſententiam quam, ut fidei caput, aut dogma arripiat, ſed anquirendum hic eſſe ſedulò, & judicandum cuique eſſe de Scripturæ ſenſu, ut ſciat, quid, & cui credat. Quod tamen non excludit ſacri miniſterii, quod vocant uſum, ſive operam Doctorum, qui quo paratiores, & inſtructiores ſunt ab idoneis ad alios informandos, erudiendoſque ſubſidiis, eo magis idonei evadere poſſunt illorum auditores ad S. Scr. intelligendum, quibus ſalva ſemper manet, quid ſit de ſententia Chriſti, ejuſque Spiritus ſenſu, judicandi libertas.

Haud obſcurè nobis vitio vertunt, quod laudibus modum excedentibus Philologorum Lutheranorum gratiam, & favorem aucupemur. Nullis præter meritum Laudibus Viros illos Clariſſ: cumulavi: Condignæ illæ, congruenteſque ſunt illis, illorumque in Remp. Lit. meritis. Hanc gratiam illis referri certe par eſt. Quod neque nunc muto, alienus quam qui maxime à ſordido adulationis vitio.

Ponunt nos Proteſtantium Eccleſiam
In cœlum efferre Laudibus ſupra totam

Eccleſiam Antiquam: male id efficiunt, effinguntque ex meis dictis. Non prætuli Eccleſiæ Apoſtolicæ, quam de induſtria exemi, ſequentium temporum Eccleſiæ multis partibus præſtantem; neque etiam in omnibus Eccleſiæ, quæ excepit Apoſtolicam: Felices ſolum & beatos nos deputo, bona modo norimus noſtra, qui illa tempeſtate vivamus, qua unicuique promta parataque ſunt, quæ ad explicationem S. Scr. intelligentiam requiruntur, adjumenta & ſubſidia, quorum quibuſdam Eccleſia aliquot ſeculis fuit deſtituta.

Pudeat autem bonarum Artium & Diſciplinarum magiſtros, aut ſtudioſos, amplificationi intelligentiæ Linguarum Hebr. & Gr. harumque affinium adjumentorum attribuere defectum ſimplicitatis, quam vocant, & probitatis. Qui ſi ab his fontibus profluxit, nonne potius deterrebuntur homines à bonis Artibus imbibendis, quam ad eaſdem addiſcendas inlicientur. Nihil minus verum:

—— *Ingenuas didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Reſpondeant autem nobis harum rerum contemtores, ad quos fontes referant illos perditiſſimos mores, illam Sardanapalo, & Epicuri de grege porco, quam Chriſtiano digniorem vitam, cum craſſa harum rerum ignorantia paſſim Orbem Chriſtianum occuparet: De quo luctuoſo & miſerrimo tempore non modo noſtrorum aliquot, ſed & Pontificiorum Scriptorum extant querelæ. Aliunde, aliunde quam ab his illibatis fontibus vitæ tam perditæ & profligatæ cauſæ ſunt arceſſendæ.

Auctor Ephemeridum nobis adſignat, quod ſtatuamus, nullos Patrum, exceptis Origine, Epiphanio, Hieronymo, fuiſſe idoneos, qui S. Scr. intelligerent,

rent, quippe Linguæ Hebr. cognitione defectos. Non dixi plane impares fuisse huic indagationi: Etiamsi enim illos præcipuum adjumentum defecerit, alia in promtu erant: Erant versiones quamplurimæ, nempe illa Lxx Interpretum quam vocant, è qua pleræque omnes versiones istius temporis erant concinnatæ; Itala Vetus, & sic dicta Vulgata, ut taceam, quas Origines Tetraplis, Hexaplis & Octaplis suis inseruit; quæ Patribus post Hieronymianum seculum usui esse potuerunt & fuerunt. Quod tamen non impedit, quo minus præcipuo adjumento fuerint derelicti: Nam quod ad versionem Lxx Interpretum attinet, quæ ex omnibus aliis Græcis versionibus, quarum fragmenta quædam à Viris Doctiss. collecta tantum superant, maximè integra ad nos pervenit; licet ex ea Apostoli multa in sua Scripta transtulerint, etiam ubi aliqua differentia inter fontes Hebr. & illam versionem videbatur intercedere, adfirmare tamen nullus dubito, illam non potuisse supplere tam salutaris utilisque subsidii amotionem; nam ut taceam infinita hujus versionis vitia & παροράματα, à multis Viris Doctiss jam ante nos notata, ea intelligi passim nequit nisi ab iis; qui aliquâ Linguæ Hebr. cognitione sunt tincti, & investigare possunt Hebraismos in ea latentes, quod multis comprobare possem, nisi brevitati litare constitutum esset. Etiamsi enim quis ex optimis Scriptoribus Græcis accuratam & solidam Linguæ Gr. cognitionem sibi comparaverit, offendet interdum loca, in quorum sensum penetrare non poterit absque ullo Linguæ Hebraicæ subsidio, licet omnes omnino Scriptores Græcos in consilium sibi adhibuerit. Sollemne enim his Interpretibus est, novum & alium, quam quem ex genio Linguæ, & vulgari apud Græcos Scriptores usu videntur præferre, in Græcas voces & dictiones inducere sensum, quod iis notum satis, qui valent Græca cum Hebraicis conferre. Cujus collationis usum & fructum insigni specimine probat in voce ἑτοιμασία ad locum Paulinum Ep. ad Eph. VI. 15. Doctiss. & Eloquentiss. Steph. Gaussenus, S. S. Th. olim in Acad. Salmur. Professor in Elegantissima de studii Theol. ratione Dissertatione pag. Edit. Ultraj. 31. Hanc demum regulam, & normam, ad quam Versionis illius interpretatio dirigi debeat, statuens: *Is autem*, inquit, *Græcis Interpretibus*, nostros designans, *constantissimus mos est, ut cum vox Hebræa plura & diversa significat, in illius locum vocem Græcam substituant, quam etiam præter Græci sermonis usum ad omnes illius vocis significatus indifferenter extendant.* Huc accedit, quod Hebr. & Græcè doctus contendendo translata Græcè cum fontibus Hebr. amplius in verum S. Scr. sensum sit penetraturus. Quod autem statuam Patres post Originem & Hieronymum passim Hebr. Linguæ fuisse ignaros, ejus sententiæ, si Auctores desiderem, habeo bene multos, Viros Doctiss. Ne omnes advocem: Cl. Petr. Cunæum lib. 1. c. 18. de Rep. Hebr. *Inter Græcos, omnesque Latinos, qui Vet. Ecclesiam rexere, unus*, inquit, *Origenes cum Hieronymo Hebr. scivit, & ferme nimium dixi, cæteri ne elementa quidem didicerant.* Huic tanti Viri judicio subscribere non dubitat Cl. J. Chr. Wagenseilius in Prol. sui Operis, quod Tela Ignita Satanæ inscribitur, pag. 51. Licet judicium illud paulo licentius latum esse arbitretur.

Exprobrant nobis Censores, quod Allegorias, quibus Patrum Scripta referta sunt, rejiciamus. Non improbo absolutè, sed tantum *crebras* & *non loco quæsitas.* Cæteroquin libenter in S. Scr. agnosco Allegorias, illasque non exiguam Sapientiæ Veterum partem constituisse lubens fateor. Quin imo certum est, Servatorem Mysteria Regni cœlorum ἀλληγορικῶς proposuisse secundùm vaticinationem Psalmi LXXVIII. 2. Et esse permulta in V. T. ἀλληγορούμενα in Ep. ad Gal. IV. evidenti exemplo Apostolus comprobat. Sed nostri Censores continuò ad consuetum sibi artificium confugiunt, quod est, cum exceptione, & κατά τι dicta pro ἁπλῶς & absolutè dictis accipere. Originem, Homilias ejus indicans, scatere dixi crebris ex Platonicorum Sectæ instituto Allegoriis. Non ego primus id notavi; animadverterunt ante me alii: Cl. Beza in Dedicatione, sive Præfatione Psalmorum Paraphrasi præmissa, reprehendit & exagitat in istius temporis Scriptoribus *perpetuum consectandarum Allegoriarum studium, quo non Psalmi*

mi duntaxat, sed omnes etiam Veteris Test. libri miserrime sint contaminati, cui malo quidem dicit Hieronymum voluisse mederi, sed malam consuetudinem vicisse remedium. Doctiss. Abr. Schultetus in Medulla Patrum Part. I. pag. mihi 158. de Homiliis Origenis testatur, *laborare* eas communi vitio, quod Allegoricis interpretationibus sint obscuratæ. Adde Doctiss. Meelfuhrerum in Corona Centum Patrum pag. 42. ubi Adamantio nostro inter alia adscribit *immodicum Allegoriarum studium.* Fuisse autem Originem Ammonii Platonici Discipulum ex monumentis Ecclesiasticis constat. Et Platonicis in more fuisse mysteria præter necessitatem comminisci & confingere, notarunt etiam ante nos alii. Ex his ergo aliisque fontibus, quos enumerare nihil attinet Doctissimus ille Patrum *crebris & non loco quæsitis Allegoriis* abutitur. In quo consentientem mihi habeo Doctiss. & Diligentiss. Virum, G. Cave in Hist. Lit. Seculo Novatiano pag. 54. testantem, *Porphyrium recte in eo notasse Allegoriarum aucupium*; quod inde derivat, *quod Origenes non Platonicorum modo, sed & Pythagoricorum, Stoicorumque Scripta quotidie in manibus haberet.* Ex Pontiff. in eadem sententia est P. Rich. Simon cap. 9. lib. III. Hist. Crit. V. T.

Ægrè ferunt, me illa sub N. T. tempora designare ut luctuosa & inauspicata quæ post longa molimina Anti-Christum produxerunt, quibus temporibus præcipuè Artium, quæ ab humanitate appellantur, atque adeo Linguarum amotio sit attribuenda. Id nostri Censores hominis esse putant, renunciantis omnibus Urbanitatis & Candoris Legibus, imo communi sensui: Quasi ἄτοπον, & absurdum esset, hoc modo loqui in Operis Critici vestibulo. Ego autem me hoc non præter propositum, sed in loco dixisse arbitror. Linguarum, Rituum, & Antiquitatum cognitionem has nobis peperisse Dissertationes existimabam. Hac occasione breviter, & ἐν παρόδῳ demonstravi, quibus viis, & gradibus Linguarum præcipue Hebr. aliorumque subsidiorum scientia non ita diu ab Apostolorum temporibus refrixerit, & deminuta sit, usque dum tenebræ plusquam Cimmeriæ & Ægytiacæ totum, qua pateret, Christianum Orbem, obscurarent, donec Deus superiori seculo excitavit Viros Eruditos, vitæque integritate præstantes, qui hæc studia postliminio in lucem revocarunt, & excoluerunt. Non ego hoc primus statui, censuerunt id ante me ex Protestantibus multi. Ne plures ad testimonium citem; ex Reformatis Cl. Beza ponens, seculis aliquot Ecclesiæ Reformationem antegressis defecisse Linguarum, Eruditorum quas vocant, cognitionem & studium, cum hac prolixa grati animi testificatione Deo ante exhibita superioris seculi felicitatem prædicat in Præfatione Psalmorum Paraphrasi, cujus supra memini, præmissâ. *Immensum est*, inquit, *igitur illud Dei O. M. beneficium, nostris temporibus in Ecclesiam Dei collatum, quod restituta sit Hebr. sermonis cognitio & studium, & quasi cœlitus rursum in Ecclesiam effusum trium Linguarum donum, ex quibus fontibus hauriri Sacra, & puri rivuli in omnes Regiones diduci possunt: Itaque excusari nullo modo potest eorum intolerabilis pervicacia*, an pertinacia? *Qui vitandæ novitatis specie tantum bonum usque adeo aspernantur, ut aliis etiam ejus usum interdicant.* Illustris Scaliger in Præfatione Pompejo Festo præmissa ad Cl. Monlucium: *Ad hanc ætatem nostram & fertilissimum omnium bonarum artium seculum te voco. Considera quæso ante hos centum plus minus annos à Gothicis usque temporibus, in tanta vastitate literarum, & omnis humanitatis, & politioris cultus neglectu, quam malè cum mortalium genere agebatur: quos vel hoc nomine infelices censere debemus, quod ipsi infelices se esse ignorabant.*

Non negant plane nostri Censores, inscitiam & barbariem quam vocant, intermedio tempore aliquandiu in Occidente invaluisse; eam autem irruptionibus Barbarorum, puta, Gothorum, Vandalorum, Longobardorum, Hunnorum, Alanorum, &c. acceptam referunt. Non inficior multum ad ingruentem Barbariem contulisse Barbararum Gentium irruptiones: non sola tamen hæc, & præcipua istius mali causa est; sed illarum literarum contemtus, neglectio, imo interdictio.

Dixeram jam inde à seculo Hieronymiano usque ad XIV. vix extitisse aliquos, qui Hebraice callerent præter Nicolaum Lyranum, & Paulum Burgensem. Ut ἀντιρρησίας,

& falsi me convincant, ad Caroli M. tempora se referunt, qui nihil reliqui fecerit, quod pertineret ad instaurandas exsuscitandasque in tota Europa jacentes scientias, & Disciplinas; confugiendo ad Græcos, Syros & Judæos; eo consilio, ut Ecclesiis Occidentalibus procuraret Biblia Latina quam purissima; inde factum fuisse, ut complura Exemplaria ex hujus Principis mandato correcta sint; in quam curam magnum studium, multamque operam contulissent postea, teste Luca Brugensi, sub Sancto Ludovico, quem vocant, Dominicani, qui aliud exemplar emendatum confecissent, quod hodieque asservaretur in magno istius Ordinis, quem vocant, qui Parisiis est, conventu.

Carolum M. non tantum fuisse Principem Belli ac Rei militaris peritum, sed & bonarum artium studiosum, res est incorruptis, certissimisque monumentis testatissima: Hunc ad finem instituisse diversas Academias & Collegia. Hic tamen tanti Principis conatus non erat aptus natus reprimere & retardare perrumpentem omnia Barbariei, & inscitiæ torrentem. Primo enim non potuit generosus ille Princeps in hanc curam serio incumbere nisi confectis ante gravissimis, quæ ipsum fere ad vitæ finem detinuerunt, bellis. Præterea ex istius temporis attributionibus satis superque constat, non illos tulisse Viros, qui superiorum temporum jacturam possent resarcire. In præcipuis enim, quos Laudatissimus ille Princeps circa se habuit, quorumque operâ multum usus est, fuere Petrus Pisanus, cui in Grammaticis; Albinus Alcuinus Anglus, Vir, ut illa tempora ferebant, undecunque Doctiss. cui in cæteris Disciplinis ipse Princeps operam dedit; & Paulus Diaconus Longobardus, is qui Lectiones ex Patrum Scriptis cuilibet Festo convenientes collegit, & Sext. Pompejum, quo utiliorem, magno Scaligero judice, Lingua Latina Scriptorem non habet, mutilum & depravatum reliquit: quem idem ille Cl. Vir confidentissimum suo merito & ineptissimum vocat. Qui Viri licet pro temporum illorum ratione judicarentur doctissimi, nunc vix in mediocriter doctis censerentur. Certè ab iis adjumentis erant imparati, quæ nos in germano S. Scr. interprete requirimus. Quin ipse Carolus M. de penuria vere Eruditorum sua ætate questus est, testante de eo Monacho Sangallensi: *Gloriosissimus Carolus per totum regnum suum studia literarum florere conspiciens, sed ad maturitatem Patrum non pervenire condolens, & plusquam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: O utinam haberem duodecim tales Clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos, ut fuerunt Hieronymus & Augustinus.* Cui respondisset Alcuinus. *Creator cœli & terræ similes illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim.*

Ex eo quod Theodulphus dicatur curasse describi correctorum Bibliorum exemplar in usum Gislæ Caroli M. sororis, nostri Dialectici pro acumine suo efficiunt effinguntque, seculum Carolinum nobis reduxisse illud Hieronymianum, quo etiam fæminæ & virgines aptæ natæ erant S. Scr. in Linguis Originalibus legere, & intelligere. De Bibliis à Dominicanis D. Ludovici, quem vocant, tempore correctis, quorum exemplar adhuc servaretur Parisiis, ut nobis hactenus invisis & latentibus nihil habeo dicere. Quamvis non negem, multos optimæ notæ Libros Mss. delituisse & etiamnum reperiri in Monasteriis & Cœnobiis; sed id nobis non probat, homines iis esse multum usos.

Judicet autem ex his Candidus Lector, utri merito audaciæ & ἀνιστορησίας convinci queant, egone qui posui, intermedio, quod præfinivi, tempore invaluisse magnum bonarum Artium defectum, imo deliquium, an vero Censores nostri, contra omnium Historiarum fidem affirmantes, & contendentes viguisse illo tempore, præcipue seculo Carolino omnium Artium & Disciplinarum, quas inter Hebr. Linguæ cognitio, studium. Nam vel ex ipsis Adversariorum dictis efficitur, ante Caroli M. tempora refrixisse omnium bonarum Artium & Discipl. studium, quas sua ætate instaurasse illum Principem ponunt. Quod ut non concederent, satis id argueretur impurissimo illo, qui ante Principis istius ætatem etiam locum habuit, sermonis Latini, id est Barbarismis, Solœcismis, & Novitatibus referto stylo. Documento possunt esse formulæ, quas Marculphus Monachus Gallus seculo VII. collegit: quem Scriptorem ex Bibliotheca Regia notis suis illustratum edidit Clar. J. C. Hierony-

ronymus Bignonius Parif. 1613. Ex quibus formulis luce meridiana clarius liquet, Linguam etiam Latinam ea tempestate multum à pristina puritate demutasse & degenerasse. Exemplum istiusmodi elegantiarum desideras, Lector; in promptu est specimen literarum commendatitiarum ad Episcopum, quarum hæc fere vulgò forma erat: *Reminiscentes vestram affectuosam beatitudinis charitatem, qua tunc ob retributionem æternam nostræ extremitatis personulam in intimis visceribus, ac si unicæ dilectionis vinculo amplectabimini sedulè. Qua fiducia provocatus hos apices vilitatis nostræ fidenter ad Dignationem Vestram per gerulos præsentes destinare præsumsi, per quos Vestræ Almitati, si præsumtio non offendit, salutationum munia, ut decet, non arroganter, sed humiliter destinare præsumo, quos ut commendentur in omnibus recipere digneris, quæsumus oportune.* Si autem ita comparatum fuit cum Lingua Lat. quæ familiarior & notior hominibus semper in Occidente fuit, quam Lingua Hebr. quantam hujus & aliarum eruditarum linguarum oportet fuisse ignorationem. De quo si mihi non credunt, at credant Cl Bignonio, Doctissimo Marculphi Interpreti, qui tale judicium de istorum temporum hominibus ferre non dubitavit. *Mores illorum temporum*, inquit, *etiam sermonis inculta rusticitas penitus ostendit; seculo sane infelicissimo vixit Marculphus, quo omnes disciplinæ & literæ penitus obrutæ & sepultæ erant, adeo quidem, ut qui melioris doctrinæ quid attigissent, novæ alicujus, & pravæ opinionis Auctores, aut ut Magi & malefici damnarentur.* Hanc Barbariem, omnisque cultioris Literaturæ neglectum licet profligare pro virili instituerit optimus ille Princeps, exterminare tamen non potuit ex Europa, aut in eam revocare fugitivas ab aliquo tempore, quæ ab humanitate appellantur, literas. Quantum enim Laudatissimi Principis conatus hic ad id profecerit, sequentia proxime tempora documento fuere. Seculum X. quis adeo rerum ignarus, qui nesciat fuisse infelix, barbarum & ferreum. Si quis autem forte scire aveat, quis illa tempestate harum Literarum si ullus esse potuit, fuerit Status, adeat Diligentis. & Doctis. J. Henr. Hottingerum in Hist. Eccles. ad Seculum X. Phil. Mornæum in Myst. Iniq. Cl. Heideggerum in Hist. Pap. & G. Cave in Hist. Liter. ad idem seculum, quod obscurum vocat, cujusque conspectum quasi in tabella exhibet pag. 400. ubi inter alia adducit notissima illa Doctis. Card. Baronii & Genebrardi Chronologi de illis temporibus testimonia, quæ huc referre operæ erit pretium, si forte Critici nostri domesticis testibus induci possent, ut manifestæ veritati victas darent manus. Fatetur queriturque Card. Baronius ad annum DCCCC. Num. 1. *Novum inchoatur seculum, quod sui asperitate, & boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum.* Neque generatim tantum istius seculi infelicitatem deplorat Doctis. Cardinalis, sed & non dissimulat fœdissimam, ut ipse vocat, quæ Ecclesiam Romanam deformaverat, faciem ad annum DCCCCXII. Num. 14. Genebrardus ad ingressum istius seculi in eandem sententiam hæc scribit pag. 552. *Infelix dicitur hoc seculum, exhaustum hominibus ingenio & doctrina claris, sive etiam Claris Principibus & Pontificibus, in quo fere nihil dignum memoria posteritatis gestum sit; unde ferunt tunc repertum fuisse quoddam monstrum, capite canino, cæteris membris humanis, quod statum illius temporis mirifice referret. Et paulo post: Hoc quidem infelix, quod per annos fere 150. circiter 50. Pontifices à Johanne scilicet VIII. qui Nicolao & Hadriano II. S. S. Pontiff. successit ad Leonem IX. usque, qui primus a Deo vocatus velut alter Aaron antiquam Pontificum integritatem è cœlo in Sedem Apostolicam revocavit, à virtute Majorum prorsus defecerint, Apotactici, Apostaticive potius, quam Apostolici:* Quo elogio etiam Card. Baronius usus est ad annum DCCCCVIII. S. 4. Non defuere tamen in illis Ecclesiæ tenebris sui veritati testes, ut videre est in Catalogo Testium veritatis, apud Phil. Mornæum & Heideggerum in Hist. Pap. &c. Barbariem hanc inveteratam secula aliquot sequentia adeo exuere non potuerunt, *ut exorientibus etiam melioribus* studiis ea ultro instauraretur, insequentibusque seculis per omnes fere libros, veluti lolium tritico adnasceretur. *Caroli enim M. genere extincto, quod undecimo à Christo seculo fuit, omnis prope eruditio ab Orbe est* pro-

profligata, totisque annis quadringentis, ut ait in Præfatione ad libros de Vitiis Sermonis & Glossematis Latino-Barbaris Cl. Joh. Gerh. Vossius, *delituit crudeli multata exilio*. Quod testimonium tanti atque talis Viri sane gravissimum etiam profert Cl. Vir Joh. Fechtius in Dissertatione eruditissima Vitæ Reuchlini, à Cl. V. Joh. Henr. Majo descriptæ, præmissa: Cui Viro etiam testimonia aliquot supra allata debeo. Quæ Dissertatio dignissima est, quæ legatur, quippe plura ad hanc sententiam pertinentia complectens. Propositum enim inibi Viro Doctiss. fuit, breviter ex incorruptis Historiarum monumentis demonstrare, & planum facere, à quo tempore bonarum Literarum, Artiumque studia, quæ primis Ecclesiæ viguere temporibus, recedere paulatim, & ad interitum tandem vergere visa sint, usque dum lætissima & exoptatissima illa, quibus harum Literarum studia erigere caput, & instaurari cœperunt, illuxerint tempora. Qui autem Barbariei, istis temporibus in Linguas etiam Latinam & Græcam illatæ specimina nosse gestit, consulat Clariss. Viros Gulielm. du Fresne, D. de Cange, in Glossariis ad mediæ & infimæ Latinitatis, & ad mediæ & infimæ Græcitatis, ut vocat Scriptores, & Joh. Mabillonium in utilissimo, rarissimoque de Re Diplomatica Opere.

Quod autem producunt Raymundum Martinum Ord. Prædicat. Virum, præclari Operis, Pugio fidei quod inscribitur, Auctorem, qui Seculo XIII. vixisset, quoque Eruditiorem in Lingua Hebr. & Literatura Judaica hactenus in suis neminem, si Censorum nostrorum judicio standum erit, nacti fuissent Protestantes, ex eo minimè efficitur, falsam esse, quam ante posui, sententiam. Dixeram enim vix quemquam extitisse illis temporibus præter Nic. Lyranum & Paullum Burgensem, qui post Originem & Hieronymum Hebraicè sciret. Quibus verbis negare nolui, potuisse interim aliquos, quod me fugeret, extitisse hujus Linguæ peritos. Cumque hoc dicebam, spectabam præcipue S. Scr. Interpretes, quorum ante erat facta mentio, in quibus vulgò Raymundus ille non habetur; & licet in iis reponeretur, una tamen non facit ver hirundo; & ut fuerint præter eum aliqui harum Literarum cognitione parum tincti, tamen

—— —— *Rari nantes in gurgite vasto.*

Et ante me id scripsit Cl. J. Henr. Majus in Præfatione ad Lectorem, Vitæ Reuchlini præmissa. Postquam enim ex Veteribus aliquot indicasset, qui his literis imbuti præclaram in S. Scr. translatione & interpretatione operam Ecclesiæ navassent, in quibus suo merito reponit Hieronymum, tandem concludit: *A quarto inde seculo usque ad XIV. ne ullum quidem extitisse vel leviter his literis imbutum, nisi forte excipiamus Nic. Lyranum, & Paullum Burgensem.* Ut arguerem penuriam adjumentorum, quæ requiruntur ad pleniorem S. Scr. intelligentiam, in quibus est Hebr. Linguæ notitia, ex Melchiore Adami adduxeram exemplum ejus tempore Conr. Pellicani, qui proprio Marte, magnaque difficultate, cum alii Præceptores ipsum deficerent, Linguam Hebr. didicit. Hac occasione illum nuncuparam Communem in Germania istius Linguæ Præceptorem; non quasi solus fuerit, sed quod in primis istius temporis Viris sit habendus, quorum institutione multi in hac Lingua Eruditi evasere, quales Communes Præceptores latissimo sensu nominare solemus. Id tamen nostri ita accipiunt, quasi ego omnes alios excluserim. Non tam ignarus sum Historiæ illorum temporum, ut nesciam circa illa tempora viguisse Viros Doctos, qui in eodem curriculo sunt versati, ut Seb. Munsterus, aliique, quos nominare nihil attinet. Quod autem Munsterum Pellicano præferunt, de nihilo est, cum etiam ille huic in illa Lingua addiscenda operam dederit, qui cum ipso candidè, testante hoc Melchiore Adami, Hebraica sua communicavit.

Utroque pollice probant, quæ dixi in Reuchlini Laudem, quem suo merito Lumen, & Ornamentum Germaniæ sua tempestate unicum nuncupaveram. Hinc iterum affingunt mihi nostri Dialectici, statuere me, hunc Virum sua publicasse post mutationem Religionis superiori seculo factam. Quod tamen inde effici nequit. Felicitatem tantummodo hujus seculi, comparatione ejus cum superioribus aliquot seculis instituta, prædico; quippe cum, quomodo nunc est, cum tanto pericu-

riculo conjuncta non sit harum Literarum professio & propugnatio, ut usu quondam venit Capnioni. Si autem alterutri parti, aut nostræ Protestantium, aut illi Pontificiorum esset vindicandus, noster esset, & à nostris partibus staret.

Æqualem Reuchlino faciunt Joh. Picum, Comitem Mirandulanum, quem Italis suis idem in hac Lingua præstitisse contendunt, quod Germanis suis præstitit Capnio. Illustr. illum Comitem in multis disciplinis fuisse versatum, non nego: utrum autem in hac Literatura magnos progressus fecerit, valde equidem dubito: dum enim in omnes disciplinas & scientias voluit incumbere, in nulla earum perfectus, aut summus evasit; præterquam quod moriens vix annum XXXII. absolverit. Unde Doctiss. Card. Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiast. tale judicium de illo tulit: *Nihil magis ipsi defuisse, quam maturitatem.*

Adferunt denique testimonium Abbatis Trithemii de Doctore quodam Hispano, admodum juvene, qui Lutetiam venerit anno MCCCCXLIV. Theologisque istius Academiæ fuerit admirationi propter vastam suam & tam prodigiosam eruditionem, quippe qui etiam Linguas Hebr. Græc. Lat. Arab. & Chaldaicam perfectè legerit, scripserit, & intellexerit, ita ut quisque illorum ipsum Magum fuisse crediderit. Ridiculum profectò est, hoc exemplum adducere ad confirmandum, seculis aliquot, Reformationem præcedentibus, viguisse humanitatis & Literarum, atque adeo etiam Linguæ Hebraicæ, studia. Ut enim de isto nimis amplo testimonio nihil dicam, ipsi suo se gladio satis jugulant, cum hunc Doctorem ob istarum Linguarum scientiam Theologis Parisiensibus cum Trithemio Magiæ fuisse suspectum dicunt. Si enim hæc Lingua ut & aliæ Eruditorum Linguæ fuissent passim notæ, & excultæ, tam celebris Academiæ, jam inde ab aliquot seculis modo institutæ, Theologi hanc ejus Viri eruditionem Magiæ acceptam non retulissent, cum ille juvenis per commercium cum Judæis in Hispania potuerit hanc Linguam addiscere, quod magis juventutis, quam senectutis opus.

Cardinalis Ximenii in divulgandis Bibliis Complutensibus curam & studium, uti & August. Justiniani Nebiensis Episcopi labores non ignoro. Fuerunt illorum Virorum conatus egregii, quos insequentibus temporibus exceperunt Opera aliorum magis elaborata. Neque etiam nego circa illa tempora & post Reformationem Pontificios Doctores extitisse, qui æmulatione quadam, aut alia qua re adducti hanc Linguam excoluerint. Id agitur tantum, ut ostendatur, à quo tempore hoc studium refrixerit, & defecerit, & quam diu harum literarum ignorantia Orbem Christianum occupaverit: usque dum pristinis & superioribus tenebris depulsis, & discussis nova scientiæ & cognitionis Lux exorta est; quod literarum bonum, sive commodum præcipuè superiori seculo cum multis Viris Doctiss. adsigno; licet inficias ire nolim, diluculum quoddam, quasdamque scintillulas plenum istum diem antecessisse, ut solet Deus sapientissimus exiguis initiis proludere maximis suis operibus. Hoc luculentissimum Dei T. O. M. munus ac donum, quo Ecclesiam suam superiori, & hoc seculo beavit, Protestantes grati agnoscimus, eique ut Πατρὶ τῶν φώτων acceptum referimus. Nostrum erit, omni ope, & opera eniti & contendere, ut ex hoc beneficio Divino plures in nos & alios fructus redundent. Hujus studii colendi necessitatem Theologis nostris, ne vetus de eorum ignorantiâ querela iteretur, in mea Præfatione approbare & persuadere rationibus undique conquisitis conatus saltem sum. Idque facio & feci convenienter sententiæ & principio Protestantium, eorumque perpetuæ agendi rationi, & veteri instituto, pro virili in eo elaborantium, (inertes, & desidiosos excipio) ut harum Literarum studium, & scientia, magis ac magis amplificaretur, longeque ac latè per omnes Regiones diffunderetur: Id quod vi veritatis adducti Censores nostri ultro nobis ex parte dant & concedunt, fatentes, Protestantes certo modo excitasse & instaurasse in Europa abjectum diu, neglectumque Sanctarum Linguarum studium. Quod autem nostri Censores harum Literarum studium adeo despiciunt, & fere pro nihilo habent, congruenter quidem faciunt, (paucis, Hebraisantes quos appellant, exceptis) Majorum suorum instituto, id unum studentium, ut has renatas Literas extinguerent, funditusque delerent; testante id & docente satis superque superiorum temporum

porum Hiſtoria. Teſtimoniorum multitudine, ne longius faciam, ſuperſedeo. Solum modo amando Criticos noſtros ad feſtivam illam Eraſmi ad Th. Morum de ridicula ſua cum Nic. Egmondano Theologo Lovanienſi, concertatione, in qua non puduit Egmondanum Literas humaniores appellare *malas*, Epiſtolam; &. ad illam Th. Mori ad Martinum Dorpium de aliquot ſui temporis Theologaſtrorum ineptiis, qui Dialectices non veræ contorta & aculeata Sophiſmata, id eſt Eruditionem falſam, veræ & interiori Eruditioni, quæ etiam Criticam Sacram, & Linguarum ſtudium complectitur, præferre non dubitabant.

Hæc fere ſunt, quæ reſponſi loco Cenſoribus reponenda duxi, qui id unum egerunt, ut attributionibus quibuſdam, nihil ad rem facientibus, inhærentes, & contortis concluſionibus verba mea paſſim aliter, ac voluerim accipi, interpretantes, Lectori fucum facere conati ſunt; præteritis rationibus, quibus neceſſitatem ſtudii Philologiæ Sacræ Theologis approbare & demonſtrare inſtitui. Ex hoc ſpecimine diſcere poteſt Lector, quid ſit de horum hominum ingenio & inſtituto; quos qui penitus noſſe geſtit, legat, ſi velit, obſervationes in caput VIII. primæ horum Excerptorum, ſive harum Ephemeridum Partis, ubi actum erat de Cl. Viri J. Clerici Harmonia Euangelica, quas exhibet Editio Batava capite ejus Partis XXIII. In quibus Cl. ille Vir, ſive quiſquis ejus nomine vindicias iſtas ſcripſit, illos adeo depexos, exornatoſque dedit, ut, dum vivent, illius meminerint.

Quæ notarunt & reprehenderunt noſtri Cenſores in quibuſdam hujus Sylloges Diſſertationibus, ad ea reſpondere non libet, neque ulla lege teneor: Has ego partes relinquo Philologis Germanis, qui ſuum præceptorumque ſuorum decus & nomen ſatis ſuperque ab atrociſſimis Cenſorum injuriis tueri & vindicare queunt. Ex iſtis autem animadverſionibus, ut hoc verbo addam, liquidò conſtat, hos Cenſores ſtudio Rabbinico, & Literaturæ Judaicæ eſſe maximè infenſos, quippe quam inſectari, & exagitare captata quavis occaſione non ceſſant. Sed diſtinguere & ſeparare debebant in hac Literatura Viri Docti, quæ diſtinguenda ſeparandaque ſunt, nempè Fabulas nugaſque Judaicas,. gerris Germanis & Siculis inſulſiores, quas juxta cum illis rejicio, & Obſervationes Grammaticas, explanationeſque S. Scr. literales, quæ in indagando ejus ſenſu Interpretibus magno ſunt uſui, ut Explicationes Rabbi Bechai in Legem, aliorumque Judæorum Commentarii; Fatente etiam P. Richardo Simone in Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. cap. VII. *Aliquot Doctiſſimorum Rabbinorum Commentarios multum prodeſſe poſſe.* Tantum eſt. Vale, Candide Lector, & his fruere.

GODEFR. MENTHEN.

THE-

SYLLABUS DISSERTATIONUM,

Quæ in hoc ſecundo Volumine continentur.

IN NOVUM TESTAMENTUM.

IN MATTHÆUM.

IN MARCUM.

IN LUCAM.

IN JOHANNEM.

IN ACTA APOSTOLORUM.

Sequuntur Dissert. annexæ secundùm suas paginas recensitæ.

THE-

THESAURUS DISSERTATIONUM THEOLOGICO-PHILOLOGICARUM IN NOVUM TESTAMENTUM.

JOH. OLEARII DISSERTATIO De Stylo Novi Testamenti.

PROOEMIUM.

§. I.



Quamvis *Divinæ literæ* eam habere deberent apud omnes Homines Autoritatem, ut nihil in iis aspernari præsumerent, cum, *Johanne Chrysostomo* monente, Homil. X. in Genes. οὐδέν ἐστι τῶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ ἁπλῶς καὶ εἰκῇ κείμενον, ἀλλὰ καὶ τὸ τυχὸν ῥῆμα πολὺν ἔχει ἐναποκείμενον τὸν θησαυρὸν, hoc est, *Nihil insit Divinis literis temere & absque causa positum: etiam* verbum, *quod fortuitum videri posset, magnum thesaurum in se latentem contineat*: Nunquam tamen profana defuerunt ingenia, quibus sanctissimæ Scripturæ, ob nudum ac simplicem, quem præ se ferunt, *stylum*, quam maxime sorduerunt.

§. II. Nam ut *Lactantius Firmianus* L. V. divin. Instit. c. 1. ait: *Hæc imprimis causa est, cur apud sapientes & doctos & principes hujus seculi Scriptura S. fide careat, quod Prophetæ* simplici ac communi sermone ut ad populum, *sint locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire vel legere, nisi expolitum ac disertum volunt, nec quicquam inhærere animis ipsorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Illa vero, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimantur; Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent.*

§. III. Ipse *Augustinus* (*in quem opulentus ille juxta ac benignus* D E I *Spiritus dotes suas omnes largius effudit, quam in ullum alium ex antiquitate Doctorem*, censente Erasmo Roterodamo in præfat. operum ejus) dum adhuc extra Christianismum in errore Manichæorum versaretur, satis tenuiter de *stylo & sermone sanctarum scripturarum sentiebat*. Nam ut propria ejus confessio habet l. 3. conf. cap. 5. *Non sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Timor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus.*

§. IV. Taceo nunc illos è Gentilitate homines, qui, dum Ethnicismus adhuc in Romano stabat Imperio (*ceu multis locis referunt Origenes, Eusebius, Hieronymus, Chrysostomus & alii Doctores antiquissimi*) Libros Novi Testamenti velut βαρβαρίζοντας, σολοικίζοντας, ἁλιευτικὰς coram vulgo traducebant, & *sacros scriptores contemnendos putabant, non, quia non habebant, sed quia non ostentabant, quam nimis isti diligebant eloquentiam*, verba sunt *Augustini*, Christiani jam facti, L. 4. de Doctr. Christ. cap. 7. cum in cap. præcedente 6. longe rectius & augustius quam antea, de *Scripturæ stylo* tulisset judicium.

§. V. De Recentioribus βιβλιομάστιξι lectu digna profert *Philippus Mornæus* Libro de veritate Relig. Christ. cap. 26. *Eorum quæ dixi*, ajens, *nolim alios testes, quam ipsos* D E I *contemtores qui, quæ nunquam legere vacavit, plerumque aspernantur, quia forte Grammaticulus aliquis, qui toto vitæ tempore Ciceronis voculas aucupatus fuerit, nec tamen norit, quæ singulis, aut quæ sibi ipsi oratio conveniat, ea, quorum neque pondus neque pretium intelligat, temere vituperaverit. Et ab eo hominum genere prodiit, præsertim apud Italos, Scripturarum nostrarum contemtus, qui extra scholam nihil apte dicere potuissent, vix etiam de rebus trivialibus loqui, in schola censuram suam in sacros libros arroganter exercebant.* Duo deinde exempla adducit idem *Mornæus*: unum *Politiani*, qui præ Scripturarum lectione disquisiverit potius *Vergilius an Virgilius, primus an preimus legendum? aut carmen aliquod Græcum in laudem Cupidinis ac præposteræ Veneris composuerit*: Alterum est *Domitiani Calderini*, in Priapæis Virgilii exponendis, omnem vitam transigentis.

§. VI. Ergo vel ideo majoris curæ nobis esse debebat *altior orationis Biblicæ æstimatio*, quo proniores sumus in Sacrarum Literarum vilipendium, si, ut *Mornæus* loquitur, *earum neque pondus, neque pretium intelligamus*, aptiores autem ad eas apprehendendas, si *styli sacri genium ac indolem* probe cognitam habeamus. Nam ut recte *Flacius* in Præfat. Tract. 5. pag. 11. Clav. script. pronunciat: *Non solum vindicabit hæc styli sacri meditatio sacram scripturam à contemtu istorum eruditorum, aut potius Epicuræorum, qui solos Cicerones, Demosthenes, Homeros ac Marones mirantur, putantque Scripturam ruditer ac inepte conscriptam esse; sed etiam illa hoc modo accuratius examinata, multo Lectori fiet magis perspicua. Nempe enim tum demum cernet, quo consilio unumquodque positum sit, & quam vim habeat. Hæc etiam consideratio & examinatio integram analysin aut resolutionem hujus sermonis suppeditabit, ut Lector liquidissime cernat, qua ratione ac modo sit facta totius hujus corporis synthesis aut compositio.*

§. VII. Et hæc ipsa causa est, cur in præsenti, missis aliis, quæ fortasse in vulgus gratiora erant, & magis plausibilia futura, edisserere debeam: *Quali Charactere dicendi sive idiomate, sanctissima Novi Fœderis oracula, & Historiæ, à Divino Spiritu mortalibus traditæ sint?*

§. VIII. Cum autem hoc argumentum inter Eruditos, hujus ævi cumprimis, passim agitatum sit, aliique aliter de eo commentati fuerint, nos πάντα δοκιμάζοντες καὶ τὸ καλὸν κατέχοντες,

χοντες, 1 Thess. 5:21. totam hanc *Dissertationis nostræ* compagem in *tres Sectiones* dividemus: unam *Exegeticam*, alteram *Didacticam*, tertiam *Polemicam*. *Exegetica* succincte & κτ̀ πόδα enarrabit *peculiares ac præcipuos idiotismos Linguæ sanctæ* in capp. 14, 15, 16, 17, 18, 19. Evangelii Lucæ obvios. Nam omnes ac singulas totius S. codicis loquendi formas haut facile aliquis simul exprimere valebit, in his autem *sex Lucæ capitibus* meam præprimis industriam exerceri voluerunt *ii, quos mihi sequendos semper æquum putavi*. *His* ita fundamenti loco positis, *Didactica Sectio* breves aphorismos ac theses superstruere, inque iis veram sententiam de *stylo N. T.* proponere allaborabit. *Polemica* denique in refutandis sententiis partim impiis, partim frivolis occupata erit. Faxit autem summus GLOSSARCHA, DEUS ac DOMINUS noster JESUS CHRISTUS, ut hæc omnia peragantur FELICITER!

SECTIO EXEGETICA.

Succincte & κατὰ πόδα enarrans peculiares ac præcipuos Idiotismos Linguæ S. in capp. 14, 15, 16, 17, 18, 19. Evangelii Lucæ obvios.

MEMBRUM. I.

Continens exegesin Cap. XIV.

SUMMARIA.

Voculæ καὶ *novus usus* §. 1. *Verborum* καὶ ἐγένετο *in historiarum initiis frequentatio*, §. 2. *phrasis* ἐν τῷ ἐλθεῖν ἀυτὸν *minus Hebræa*, §. 3. Φαγεῖν ἄρτον *pro prandere seu cœnare ex Hebr. idiomate*. §. 4. *In verbis*: ἦσαν παρατηρύμενοι, *nullus Syriasmus*, §. 5. ἰδὲ *Hebræorum* הנה *redolens*, §. 6. Ἀποκριθεὶς εἶπε, *forma loquendi* παρέλκυσα, §. 7. *vocis* παραβολῆς *novus usus*, §. 8. *Idiotismus Hebræus in verbo* ἄρχεσθαι *cum actionis verbo constructo*, §. 9. Μὴ *comparative positum*, §. 10. *Græcismus in phrasi* ἔχυσιν ἀνταποδῦναι, §. 11. Ἀνάςασις τῶν δικαίων *locutio non nisi ex sacris explicanda*, §. 12. Φαγεῖν ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τῦ θεῦ, *pro vita æterna frui*, *locutio Rabbinis frequentata*, §. 13. Ἀπὸ μιᾶς, *an idem quod Syrorum* מחדא? §. 14. ἔχειν ἀνάγκην, ἐρωτᾷν τινὰ, ἔχειν τινὰ παρῃτημένον, *Latinismi*, §. 15. Μισεῖν *pro posthabere ex Hebr. idiomate*, §. 16. *Similiter* ἡ ψυχὴ *pro seipso*, §. 17. ψυφίζειν *vox Græca selectior*, §. 18. τὸ ὅτι *sæpius* παρέλκον *in N. T.* §. 19. *Verbum selectum* συμβαλεῖν, §. 20. ἐν *pro per*, *an ex Hebraismo?* §. 21. βάλλυσι *pro* βάλλεται *impersonaliter*, *Hebræorum more*, §. 22.

§. I.

(Vs. 1. Καὶ ἐγένετο.)

VOcula κ̀ hic non tam copulat quam inchoat sermonem ad exemplum præfixi ו, apud Hebræos, de quo *Buxtorffius* l. 2. Thes. Gram. c. 21. ait: *videri pleonasmum hujus literæ esse in initiis Librorum, capitum & quarumlibet omnino sententiarum, ubi non copulet, sed inchoet sermonem ex usu & proprietate linguæ.* Unde R. David Kimchi in libro Radicum ו istud vocat תחלת הדברים *principium verborum.* Idem animadvertit *Augustinus*, quamvis linguæ Hebraicæ parum peritus ad Ps. 4. *Hoc locutionis genus*, inquiens, *familiare est illi linguæ, qua Prophetæ loquuti sunt.* Et paulo post, in caussam ejus inquirens, ait: *Quæ junctura conjunctionis, cum sententia non præcesserit, cui sequens connectatur, mirabiliter fortassis insinuat; prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fit in corde, esse conjunctam.* Similiter usurpatum invenies τὸ κ̀, Luc. 1:23, 59. 2:46. 9:18. ubi non secus ac h. l. vocem ἐγένετο junctam sibi habet. Item Act. 2:17. ubi τὸ ἔςαι sequitur. Sic & Luc. 2:21, 22, 25, 33, 36. Joh. 2: 1. Taceo, quod hoc ipso capite XIV. multoties novum hunc usum habere videatur, utpote vs. 2, 3, 4, 5, 6, 18, 19, 20, 21, 22, 23. & locis infinitis aliis.

§. II.

(Ibid. κ̀ ἐγένετο.)

Græce doctissimus *Camerarius* ad Luc. c. 2:46. πλεονάζει, ait, τὸ ἐγένετο *phrasi Hebraica*. Quod enim Hebræis in Historiarum initiis est vox ויהי *& fuit*, vel &, *factum est*, id Evangelistis, ubi aliquid narrandum habent, *illud* κ̀ ἐγένετο. Plura exempla occurrunt infra c. 17:11. κ̀ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτὸν, vs. 14. κ̀ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτὺς, c. 19:15. κ̀ ἐγένετο ἐν τῷ ἐπανελθεῖν αὐτὸν, vs. 29. κ̀ ἐγένετο ὡς ἤγισεν. Paulo ἑλληνικώτερον est *illud* ἐγένετο ἢ, c. 16:22. ἐγένετο ἢ ἀποθανεῖν τ̀ πτωχὸν, c. 18:35. ἐγένετο ἢ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν, quantum ad voculam ἢ attinet. Solent quippe Græci in connectendis periodis voculam ἢ frequentare.

§. III.

(Ibid. Ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν.)

Est hæc loquendi forma Lucæ præ cæteris Evangelistis (tantum enim semel apud Matth. c. 27:12. & Marc. c. 2:15. legitur) frequentata, & fere in omnibus capitibus obvia, vide infra c. 17: 11, 14. 18: 35. 19: 15. Putant nonnulli fieri hoc more Hebræorum pro Gerundiis infinitivos usurpantium cum literis בכלם præfixis. Vid. *Glassium* Phil. S. l. 3. tr. can. 39. p. 631. & *Vorstium* Comment. de Hebraism. N. T. P. II. p. 631. Sed rectius alii purum hic Græcismum agnoscunt, qui nec profanis insolens est. Qua de re consulantur Grammatici, imprimis *Golius* Synt. m. 2. p. m. 292. *Posselius* Synt. de Gerund. Reg. 3. p. m. 69. *Rhenius* Synt. de Gerund. R. CLIII. p. 283. it. de Præpos. pag. 455. n. 20. Hic illud porro notandum, ἐν pro μ̀ poni h. m. ἐν τῷ ἐλθεῖν (pro μετὰ τὸ ἐλθεῖν) αὐτὸν *postquam* venisset. Sic Marc. 13:24. ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις *post* illas dies. Confer Luc. 9: 36. 11:73. Vide G. *Pasorem* Gramm. Gr. N. T. p. 465. Dicit *Piscator* apud M. *Polum* Synops. Critic. Vol. IV. p. 1034. ad h. l. τ̀ ἐν pro μ̀ Heterosin esse Hebraicam: Sic enim apud Hebræos *Beth-bachlam* interdum usurpari pro *Caph-bachlam*.

§. IV.

(Ibid. φαγεῖν ἄρτον.)

Phrasis hæc totum *prandium* aut *cœnam*, atque adeo commestionem variorum esculentorum notat, idque prorsus ad exemplum Hebræi אכל לחם Genes. 43: 24. 1 Sam. 20:23. Prov. 23: 6. Quod Hebræorum idioma in Græco φαγεῖν ἄρτον etiam hic agnoscit *Camerarius*. In N. T. similes locutiones occurrunt Matth. 15:2. Marc. 3:20. 7:2. Joh. 6: 23. 18: 18. De vs. 15. hujus capitis, ubi eadem phrasis iterum legitur, seorsim infra.

§. V.

(Ibid. ἦσαν παρατηρύμενοι αὐτόν.)

Pro παρετηρῦντο, *observabant*; quod genus loquendi *actum continuum* significat. Sic infra c. 15: 1. ἦσαν ἐγγίζοντες, pro ἤγγιζον *appropinquabant*, c. 19: 47. ἦν διδάσκων pro ἐδίδασκε *docebat*. Vide insuper Marc. 1: 14. Luc. 4: 38. 5: 1, 9. 11: 14. 23: 8, 15, 55. *Syriasmum* heic latere vult *Prücknerus* Vindic. Bibl. Part. 4. p. 456. 460. allegans eum in finem *B. Chemnitium* l. 1. Harm. Evangel. c. 11. Sed scias, hoc merum Atticismum sapere, si verbum activum aut passivum Græci per verbi illius participium & verbum aliquod substantivum circumloquantur. Vide *Rhenium in Synt.* Reg. 82. p. 113.

§. VI.

(Vs. 2. κ̀ ἰδὲ Ἄνθρωπός τις.)

Adhibent vocem ἰδὲ Scriptores N. T. vicibus fere innumeris. Adhibent & alii ex Profanis, verum non ita frequenter. Apud hunc Nostrum occurrit *decies* ad minimum in his sex ejus capitibus, alibique frequentissime. Unde redolere videtur Hebræorum הנה tritissimum.

§. VII.

(Vs. 3. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτὺς εἶπε.)

Est & hæc loquendi forma, qua verbo ἀποκρίνεσθαι verbum λέγειν aut εἰπεῖν jungitur, Scriptoribus sacris valde solennis, qui vel utrumque verbum modo indicativo ponunt (quæ forma in Evangelio Johannis vel tricies reperitur) vel alterutrum in Participium transformant, uti h. l. ἀποκριθεὶς, (Idem recurrit infra vs. 5. cap. 15: 29. 17: 17, 20, 37. 19: 40.) alibi λέγων, ut Marc. 3: 33. Facta videtur ad normam Hebræorum, qui memoraturi, quid aliquis responderit, simul uti solent verbo

ענה

ענה & אמר vid. Gen. 13:10, 14. 18:27. 28:37. Exod. 4:1. Deut. 21:6. Adde quod *novo* hic loquendi genere dicatur ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, cum tamen nulla præcesserit quæstio. Sane οἱ ἔξω Græci ita non loqui amant. *Xenophon* varia itidem Socratis cum discipulis suis colloquia exponens, verbo εἰπεῖν aut λέγειν semper utitur. Apud *Homerum* equidem in versiculo, τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, verba bina ἀμείβεσθαι & προσφάναι sunt pro uno; & in Oratione prosa sæpe reperias ὑπολαβὼν εἶπε & ὑπολαβὼν ἔφη, dubito tamen, an hæc cum nostro ἀποκριθεὶς εἶπε comparari debeant; Cum unum ex his sit poëticum, alterum de *interrogante* non minus ac de respondente adhiberi soleat. Obiter nota juxta *Phrynichum*, illud ἀποκριθῆναι, non *respondendi*, sed *separandi* significationem habere (ὅτι, inquit, τὸ διαχωρισθῆναι σημαίνει) si v. τὸ *respondere* Græce exprimere velis, oportere dici ἀποκρίνασθαι.

§. VIII.

(Vs. 7. Ἔλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους Παραβολήν.)

Cum ἡ Παραβολὴ propria sit *comparatio* vel *similitudo*, novum hic significatum induit, quando Salvatoris *institutio* de πρωτοκλισίᾳ vitanda, nomine Παραβολῆς insignitur. *Rei* nempe *convivalis exemplo* ostendit, quid in omni vita, neque coram hominibus tantum, sed & coram Deo, nobis sit faciendum: unde & generale infertur pronunciatum vs. 11. quod repetitum infra est cap. 18:14. Minus ergo hic dicitur, plus significatur, quod est παραβολῆς in sensu horum Librorum, quem eadem vox habet Matth. 15:15. Luc. 4:23. Factum autem hoc ab Evangelistis procul dubio ad imitationem vocis Hebreæ משל quæ non tantum *similitudinem* & *parabolam*, sed *quodvis scite graviterque dictum* (*proverbium*, *sententiam*) significat.

§. IX.

(Vs. 9. Καὶ τότε ἄρξῃ τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν.)

Verbum incipiendi ἄρχεσθαι cum verbo activo κατέχειν *occupare*, *obtinere*, constructum ipsam, occupandi s. obtinendi actionem *Hebræorum idiotismo* (vid. Genes. 9:20. Num. 25:1.) exprimit. Sensus igitur est; ἄρξῃ κατέχειν *incipies occupare*, id est *occupabis*. Sic infra vers. 18. ἤρξαντο παραιτεῖσθαι, id est, *se excusarunt*. vs. 19. ἄρξωνται ἐμπαίζειν αὐτῷ, i. e. *illudant ipsi* cap. 15:14. ἤρξατο ὑστερεῖσθαι, id est, *eguit*, vs. 24. ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι, id est, *lætati sunt*. cap. 19:37. ἤρξαντο αἰνεῖν. id est, *laudarunt*. vers. 45. ἤρξατο ἐκβάλλειν, id est, *ejicit*.

§. X.

(Vs. 12:13. Μὴ φώνει τοὺς φίλους σου. Ἀλλ᾽ ὅταν ποιῇς δοχὴν κάλει πτωχούς.)

Negativum adverbium μὴ pro comparativa particula ponitur, hoc sensu: *Potius pauperes voca, quam amicos tuos.* Huic gemina occurrunt, Matth. 5:39. Joh. 5:45. 6:27. 1 Cor. 1:17. præeunte sic codice Hebræo Gen. 45:8. Exod. 16:8. Psal. 34:2. Prov. 8:10. Jer. 7:22. Joël. 2:13. vide G. *Pasorem* in Gram. Gr. Sacr. de Synt. Adverb. Reg. 36. pag. 431. 432. & præprimis *Glassium* Phil. S. L. 3. tr. 5. can. 22. p. 488. seqq.

§. XI.

(Vs. 14. Ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναί σοι.)

Ex more Græcorum eleganter verbum ἔχω loco δύναμαι additur infinitivo ἀνταποδοῦναι, ut sensus sit: *Non possunt rependere tibi.* Non secus ac in illo Demosthenis! Πολλοὶ τοῖς ἐγκαλοῦσιν, ὧν οὐκ ἔχουσι λέγειν βελτίω, *i. Multi ea accusant, quibus non possunt dicere meliora.* Plura hujus Idiotismi exempla suggeret *Rhenius* in Synt. Reg. 145. p. 269.

§. XII.

(Ibid. Ἀνταποδοθήσεταί σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων.)

Est hæc locutio soli Scripturæ propria, nec ejus explicatio aliunde petenda. Signat enim mysterium fidei ex sola revelatione divina innotescens, quod est *Resurrectio piorum ad vitam*, quæ Joh. 5:29. ἀνάστασις τῆς ζωῆς dicitur, ac oppositam habet ἀνάστασιν κρίσεως, ibid. Uti vero *Ambulatio*, *cœnatio*, non actionem semper, sed locum, ubi ambulatur, cœnatur; Sic *resurrectio*, hic & alibi, non resurgendi actionem declarat, sed *eum vitæ statum, qui futurus est, cum resurrexerint.* Quæ est *Castalionis* ad h. l. observatio. *Grotius* hac locutione Christum allusisse putat ad illud Psal. 1:5. οὐκ ἀναστήσονται ἐν βουλῇ δικαίων, ubi *Symmachus* ἐν συνελεύσει δικαίων: Alii ἐν συλλόγῳ, aut συναγωγῇ.

§. XIII.

(Vs. 15. Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.)

Sententia crebra apud Rabbinos τὰ ἀόρατα imagine τῶν ὁρατῶν depingentes, ab Esræ temporibus, ut *Grotio* credibile est, veniens, qua per metaphoram ex Hebræorum idiotismo notatur iste, *qui particeps erit gaudiorum vitæ æternæ, ac fruetur omnibus deliciis cœlestibus.* Confer Luc. 22:30.

§. XIV.

(Ibid. Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες.)

Nicolaus Fullerus l. 1. Miscell. sacr. c. 1. in ἀπὸ μιᾶς subauditi vult ὥρας ex more Syrorum, qui dicunt: מן חדא *ab una*, subintellecto שעא *hora*, ut sensus sit: ἀπὸ μιᾶς, *ab una hora*, i. e. eodem tempore, seu *primo momento* i. e. *confestim, illico.* Sed *Fullero* obstat primo Syrus Lucæ contextus, ubi non habetur illa vox מן חדא. Deinde vix commodam ejus vocis significationem reperire h. l. quis poterit. Nam quæ duæ nobis modo memoratæ sunt, huc non quadrant, ut *Grotius* ostendit in *notis*. Accedit, quod nulla nos necessitas cogat, ut subaudiamus ὥρας, cum & vox γνώμης aut βουλῆς, vel certe ψυχῆς s. καρδίας ellipsin hanc bene supplere possit, ut sensus sit: *Animum omnibus fuisse similem, ac omnes compacto rem egisse, quasi in velabro Olearii*, ceu Comicus ait, parem omnibus, etiam qui inter se non convenerant, animum descripturus. Imo si vel maxime τὸ ὥρας, quod contendit *Fullerus*, ad ἀπὸ μιᾶς intelligatur, non tamen id magis Syriacum, quam Græcum erit. Nil enim frequentius Græcis, quam ad adjectiva, commoda subaudire substantiva. Vide Cl. *Eric. Ostermannum* Diss. 1. Posit. Philolog. N. T. §. 25, 26, 27, 28. ubi simul respondet ad instantias *Fulleri*, quæ leguntur l. 4. Miscell. c. 1. Cæterum commode hic subintelligere possumus, aut vocem γνώμης, cum cognatis, ut paulo ante innuimus: aut αἰτίας, quæ vox inclusa esse videtur verbo παραιτεῖσθαι, ut sensus sit: *Inceperunt ex una causa excusare* i. e. ex una eademque aversatione: aut etiam, φωνῆς, *uno ore* scil. *recusante*, utut singuli suas excusationes attulerint.

§. XV.

(Ibid. Ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.)

Multi hic Latinismi conglomerantur: ἔχω ἀνάγκην, *habeo necessitatem*: ἐρωτῶ σε, *rogo te*: ἔχε με παρῃτημένον, *habeo me excusatam.* Ἀνάγκην ἔχειν, reperias etiam infra, c. 23:17. 1 Cor. 7:37. Ebr. 7:27. Judæ vs. 3. De verbo ἐρωτάω & varia ejus constructione apud Evangelistas, vide sis *H. Stephanum* Tom. 1. Thes. pag. 1904. Recurrit in eodem sensu infra cap. 16:27. ἐρωτῶ οὖν σε πάτερ & vs. 32. cap. hujus, cum accusativo rei, πρεσβείαν ἀποστείλας, ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην *h. e. legatione missa, rogat ea, quæ ad pacem spectant.* Illud ἔχε με παρῃτημένον torsit etiam Syrum, ut reddiderit: *permitte mihi, ut excusatus sim*, uti *Tremellius* reddidit apud Barthol. Meyerum Phil. S. P. 2. c. 6. p. 299.

§. XVI.

(Vs. 16. Καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα.)

Τὸ μισεῖν h. l. idem est ac *posthabere*, *non curare*. Patet hoc ex loco παραλλήλῳ Matth. 10:37. ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, (super me, plus quam me,) οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Ubi τὸ μισεῖν hujus loci explicatur per ὑπὲρ ἐμὲ φιλεῖν, *supra me diligere*. Sensum hunc recepit ad exemplum Hebræi שנא præter *odium*, sæpe nudam *posthabitionem*, aut *postpositionem* notantis. Vid. Gen. 29:30, 31. ubi *Lea exosa* (i. e. posthabita Raheli & minus amata) *fuisse dicitur Jacobo.* Recurrit in eodem sensu infra, c. 16:13. ἢ γὰρ τὸν ἕνα (κύριον) μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει, quod non est intelligendum de *affectu*, sed *effectu*, postponet enim tantum alterum alteri. Habetur etiam Matth. 6:24. Joh. 12:25. Rom. 9:13. Quamvis de postremo loco nonnulli dubitent, ob radicem שנא quæ legitur loco parallelo, Malach. cap. 1:2. & *odium* notat *cum iracundia conjunctum*, uti Prov. 22:14. Unde locum hunc exponunt non tam de *postpositione Esavi*, quam de *odio* ejus quoad *temporalia*, & per *Esavum* posteros illius, puta *Idumæos* intelligunt, quorum devastatio nota est. Ita *Theol. Hackspanius* P. 3. Not. Philolog. p. 331.

§. XVII.

(Ibid. Ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν.)

Sensus est: *Etiam semetipsum.* Solent enim frequenter admodum Scriptores sacri τὴν ψυχὴν animam ponere pro *toto homine*, seu *semetipso*, ad exemplum Hebræi נפש Genes. 46: 18, 28. Lev. 2:1. Jer. 51:14. cum quo ψυχή; vulgari *anima*

signi-

significatu, congruere solet. Sic infra Cap. 17:33. in verbis: ὡς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, i. e. *Qui studuerit semetipsum servare.* Id quod ostendit verbum in fine additum ζωογονήσει (αὐτὴν) *vivificabit* (se) de quo Membr. IV. pluribus. Vide insuper Act. 2:41. 3:23. 7:14. Rom. 2:9. 1 Petr. 3:20. Apoc. 16:3. Cæterum non negaverim, unum alterumve ex Poëtis Græcis [quod Genus Scriptorum sæpe voces transfert ad alia significanda, & hujusmodi utitur tropis, quorum extra poësin nullus est usus] *ad affectus teneriores exprimendos*, quandoque τὴν ψυχὴν *animam* pro *toto homine* posuisse. Ita v. g. *Euripides* Poëta Tragicus in *Helen.* v. 52. scripsit: ψυχαὶ ἢ πολλαὶ (i. e. ἄνθρωποι πολλοὶ, Synecdochice) δι' ἐμ' ἐπὶ σκαμανδρίοις ῥοαῖσιν ἔθανον. Vide *Seb. Pfochenium Diatr. de L. Gr. purit. in N. T.* §. 95. p. 32. it. §. 34. p. 11. An vero Græcorum hoc idiomati adscribendum sit, valde dubito. Nulli sane vel Historici vel Philosophi apud Veteres Græcos, vocem ψυχὴ pro *toto homine*, *familiariter eo modo*, quo Nostri usurparunt. Ad locum ex *Polybii* Lib. XVI. à *Casaubono* in *Not.* ad Act. 2:43. productum, solide respondit *Joh. Vorstius* in *Hebr.* N. T. cap. 4. pag. 117.

§. XVIII.

(Vs. 28. οὐχὶ πρῶτον καθίσας ψηφίζει τὴν δαπάνην.)

Valde selecta hic utitur voce Lucas. Est enim ψηφίζειν τὴν δαπάνην, *rationes subducere sumtuum*, quod λογίζεσθαι dixere elegantiores Græci, ψηφίζειν autem, quod olim ψήφοις, i. *calculis sive lapillis* rationes explicarentur. Unde & de *summa definitione*, verbo θέσθαι (*ponere*) sunt usi, observante *Joach. Camerario* in *Notat. figur. Serm. ad Luc.* c. 14. p. 188. In Apoc. Johannis cap. 13:18. legimus ψηφίζειν τὸν ἀριθμόν.

§. XIX.

(Vs. 30. ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος.)

In stylo N. T. infinita exempla τοῦ ὅτι παρέλκοντος occurrunt, quod, quia Latinus interpres non observavit, sæpe ὅτι illud per conjunctionem *quod* expressit, quam tamen in ejusmodi loquendi generibus Latinus sermo fere respuit. *H. Stephanus* in eo quem de Attica dialecto scripsit *tractatu*, ex Græco idiomate hunc pleonasmum τοῦ ὅτι deducit. Contra *Barth. Mayerus* Philologiæ S. part. 2. c. 2. p. 177. non Græcam sed Chaldæo-Syram in N. Test. ipsi tribuit originem. Nam *illud* ὅτι *respondere* ait *conjunctioni inseparabili expletivæ* ד *cujus usus apud Chaldæo-Syros sit frequentissimus, non secus ac apud Rabbinos* τοῦ ש Sed cum eodem modo *istam particulam* frequentasse deprehendamus optimos quosque Græcæ Linguæ Scriptores, velut plurima hujus rei exempla è *Thucydide*, *Xenophonte*, *Demosthene*, *Plutarcho* congesserunt *Guil. Budæus* in comm. Græc. Ling. & *H. Stephanus* l. c. vix huic *Mayeri* sententiæ pollicem premere possumus.

§. XX.

(Vs. 31. πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον.)

Significantissimum iterum verbum συμβαλεῖν. Notat vulgo *quoscunque congressus, gerendarum contrahendarumque rerum causa*: Homero, *conflictus in præliis*. Hinc συμβολὴ est *prælium*, *in quo aliqui committuntur*, vide *Camerarium* ad h. l. Hic additur εἰς πόλεμον (συμβαλεῖν) *ad committendum prælium*, vel, *ut congrediatur bello*, vel, *ut confligat prælio*.

§. XXI.

(Vs. 34. Τὸ ἅλας ἐν τίνι ἀρτυθήσεται.)

Vocula ἐν sæpe redundat in Dativis *instrumenti*, *personæ* &c. Matth. 3:11. βαπτίζω ἐν ὕδατι baptizato *aqua*. Cap. 10: vs. 32. ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ, quisquis confitebitur *me*. Exempla plura suggeret *G. Pasor*, *Gramm. S. Syntax. Præp.* p. 471. Eadem non raro ponitur in significatione *per*, Hebræor. 1: 1. ὁ θεὸς λαλήσας ἐν τοῖς προφήταις, Deus loquutus *per Prophetas*. Ibid. ἐν υἱῷ *per Filium*. Confer Galat. 1:16. 3:5. Sic & h. l. ἐν τινι ἀρτυθήσεται, quo condietur, vel, *per quod* condietur. Qui ex Hebraismo geminum hoc loquendi genus deducunt, Græcorum ἐν, respondere volunt præfixo ב quod apud Hebræos sæpe παρέλκει, vide *Buxtorffium Lib. II. Thes. Gramm. cap.* 12. sæpius pro *per* poni solet, ut Numer. 12:2. Psal. 18:30. Prov. 24:3. Sciendum tamen neutrum, Græcis etiam Scriptoribus, prorsus insolens esse, apud quos itidem præpositio ἐν, interdum vacat, vide *Joh. Rhenium Syntax. Præpos.* p. 455, 456. Quæ à *Pfochenio* l. c. Sect. XLVII. p. 23. proferuntur exempla, πρὸς τὸ προκείμενον haud quidquam faciunt, aliquando pro διὰ ponitur, vide sis *Er. Smidium in Notis ad Hebr.* l. 1. *pag.* 1292. Quæ *Pfochenius* iterum l. c. Sect. 63. suggerit, ad id, quo de agitur, evincendum parum valent, ut ostendit *Tom. Gatakerus dissert. de Stylo N. Test. cap.* 18. p. 187. Sed forte, perpauca illa exempla, non nisi extra ordinem, ut sic dicam, & raro, nec sine figura aut anomalia, usurpata profanis Autoribus Græcis nondum Hebraismi formam nostræ locutioni detrahere quis dicat. Vide *Tom. Gatakerum* l. c. *Joh. Vorstium ad Hebr. N. T. Part. I.* p. 213. 214. 217. & *P. II.* 223.

§. XXII.

(Vs. 35. ἔξω βάλλουσιν αὐτό.)

Verbum activum tertiæ pluralis βάλλουσιν *ejiciunt*, passivi βάλλεται *ejicitur* significationem hic assumit ad imitationem Hebræorum, vide *Glassium* Phil. S. Lib. 3. Tract. 3. can. 23. p. 301, 302. Solent quidem & Græci sic loqui, ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι, ὡς λέγουσιν, ὡς μεμυθολόγησαν, pro ἀπαγγέλλεται, λέγεται, μεμυθολόγηται: Sic & Latini, *ferunt*, *perhibent*, pro *fertur*, *perhibetur*. Sed recte Sebastianus *Castilio* not. ad cap. 5. Matthæi. *Quod apud Latinos* [vel Græcos] *fit cum paucis verbis* [narrandi ut plurimum] *id fit apud Hebræos* [& qui hos sequuntur N. Test. scriptores] *in quibuslibet verbis, quæ cum activa sint, explicari debent per passivum aut impersonale, aut aliquid addendum.*

MEMBRUM II.

Continens Exegesin Cap. XV.

SUMMARIUM.

Emphasis verbi προσδέχεται, §. 1. Ἁμαρτωλὸς *pro insigni peccatore, stylo scripturæ, ib.* τῆς μετανοίας οὐ χρείαν ἔχοντες *qui?* §. 2. *Verbum* σαροῦν *non nisi Euangelistis usurpatum*, §. 5. τὸ ἐπιβάλλον μέρος, *elegans locutio*, §. 4. *Energia vocis* ἄσωτος *ex Aristotele, & Gellio*, §. 5. Ἔρχεσθαι εἰς σεαυτὸν, *ad se redire*, §. 6. Ἁμαρτάνειν εἰς τὸν οὐρανὸν *phrasis Chaldæa*, §. 7. Ἁμαρτάνειν ἐνώπιόν τινος *Hebræa*, §. 8. Σπλάγχνα & σπλαγχνίζεσθαι *in Sacris quid?* §. 9. Νεκρὸς *pro homine peccatis dedito, ex idiotismo L. S.* §. 10.

§. I.

(Vs. 2. Ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται.)

(1) Magna est verbi προσδέχεσθαι vis & ἐνέργεια, quippe quod non, *simpliciter*, sed *cum expectatione ac desiderio suscipere* denotat, non secus ac Lucæ 2:38. πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν, i. e. omnibus redemtionem *expectantibus*.

(2) Ἁμαρτωλοὶ vero sunt ejusmodi homines, *qui egregiam sedulamque peccatis dant operam, in quos non ignorantiæ aut infirmitatis peccatum cadit, sed qui destinato consilio & ex proæresi de peccato in peccatum dilabuntur*, idque ex peculiari quadam & Euangelistis valde usitata loquendi ratione, vide Lucam cap. 5:30. 6:33. 7:37. 39. 18:13. 19:7. &c. Factum hoc forte ad imitationem Hebræorum, quibus insignes peccatores audiunt רשעים & רעים *mali*, *qui ex malitia quasi conflati sunt*, vide Genes. 13:13. Hos alias Scriptura אנשים חטאים *homines peccatores*, veluti κατ' ἐξοχὴν tales vocare solet, Num. cap. 32:14. 1. Reg. 1:21. Amos. 9:10.

§. II.

(Vs. 7. οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι τῆς μετανοίας.)

Non loquitur hic Salvator directe & simpliciter de ullis, quibus realiter non est opus pœnitentia, sed juxta communem Gentis opinionem de *perfecte justis.* Nam ut *Jo. Lightfootus Hor. Hebr. ad h. l.* pag. 837. & seqq. plurimis è *Talmude* locis confirmat, Judæi omnes Bonos & tandem Salvandos distinguebant in צדיקים *Justos tantum*, & צדיקים גמורים *Justos perfecte.* Sub *priori* classe collocabant eos, qui vitæ pravæ atque non religiosæ ad tempus dediti, tandem se ad pœnitentiam & pietatem receperant. Sub *posteriori* illos, qui à via recta nunquam declinarant. Talis sibi & forsan aliis videbatur ille qui ait: πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην ἐν νεότητός μου, Matth. 19:20. Communi huic Judæorum distinctioni quasi adversatur Christus dicens: λέγω ὑμῖν.

§. III.

(Vs. 8. καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν.)

Verbum σαροῦν vel σαροῦσθαι vix alibi, quam apud Euangelistas in usu. Bis adhuc legitur in N. T. Matth. 12:44. Luc. 11:25.

pro

pro quo Græci usurpant κορεῖν καὶ περικορεῖν. Sic enim *Phrynichus* & *Thomas Magister* apud *Joh. Crojum Sacr. Observat. part. I.* cap. 34. pag. 268. κόρημα χρὴ λέγειν; ἐ σάρον; ἢ κορεῖν ἢ περικορεῖν; ἐχὶ σαρῶν.

§. IV.

(Vs. 12. Δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς ἐσίας.)

Latine sic efferas: *Des mihi partem sive portionem Bonorum competentem*, vel *mihi contingentem*, *ad me attinentem*, *quæ ad me redit*. Quæ sane locutio elegantissima nec Græcorum Primiceriis ignoratur. Sic enim *Herodotus* Μέλπομ, ἀπολαχόντες τῶν κτημάτων τὸ ἐπιβάλλον, id est, *suam quisque partem de bonis sortitus*. *Demosthenes* περὶ στεφ. τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ἡμᾶς μέρος μετειληφέναι νομίζω τὴν πόλιν, i. e. *Existimo Rempublicam partem quæ ipsi obtigerat participasse*. *Aristoteles* lib. 3. Polit. καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μέρος ἑκάστῳ τοῦ ζῆν καλῶς, id est, *Pro ea parte quæ ad unumquemque spectat*; *ut commodius vivat*. Similes ῥήσεις ex L. 1. & 2. Polit. profert *Camerarius* ad h. l. Jurisconsulti reddunt, *Ratam meam partem*. Cicero, *quod me contingit*. Οὐσία vero Latinis *bona* sunt *& res familiares*, *& facultates*, quæ mox etiam βίος nomine veniunt, juxta illud *Hesiodi*, 2. 304. χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

§. V.

(Vs. 13. Καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν ἐσίαν αὐτῦ ζῶν ἀσώτως.)

Valde proprie voce ἀσώτως utitur Lucas, pro *perdite*, vel *nequiter*. Nam ἄσωτος dicitur ὁ μὴ σώζων, ἀλλὰ διασκορπίζων τὴν ἑαυτῦ ἐσίαν, id est, *qui non servat*, *sed dissipat*, aut dilapidat *substantiam suam*. Homo *perditus*, qui per se suaque opera perit luxu & ganeæ studio perditus. Sic fere Philosophus l. 4. Nicom. cap. I. βέλεται γὰρ ἄσωτος εἶναι, ὁ ἕν τι κακὸν ἔχων, τὸ φθείρειν τὴν ἐσίαν· ἄσωτος γὰρ ὁ δι' αὐτὸν ἀπολλύμενος· δοκεῖ δ' ἀπώλειά τις αὐτῦ εἶναι, καὶ ἡ τῆς ἐσίας φθορά, ὡς τοῦ ζῆν διὰ τέτων ὄντος, i. e. *Debet prodigus esse is*, *qui uno tantum vitio sit præditus*, *ut scil. fortunas suas consumat. Prodigus enim est*, *qui per seipsum perit. Illa enim sui ipsius perditio videtur esse bonorum dissipatio*: *utpote cum ea sint*, *ex quibus vitam traducamus*. Similiter ἄσωτον *Gellius* L. VII. N. A. cap. 11. *nequam* hominem, *nullius rei*, *neque frugis bonæ vocat*. *Nequam* enim proprie non *libidinosum* aut *flagitiosum*, ut nunc vulgo solet, sed *inutilem*, ἀχρεῖον ἢ ἄχρηστον Veteribus significabat. Vide *Varronem* L. IX. de L. L. *Caprum extra Lib. de Orthogr.* & *Festum*. Hinc & *Cicero Tusc.* 3. *nequitiam* dixit *contrarium vitium frugalitati*, & interdictum Prætoris (commemorante *Grotio* ad h. l.) sic erat conceptum: *Quando tu bona patria avitaque*, *nequitia tua perdis*.

§. VI.

(Vs. 17. εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθών.)

Ἔρχεσθαι εἰς ἑαυτὸν elegans loquendi genus apud alios Scriptores Græcos haut temere obvium, non dissimile huic Latinorum, *ad se redire*, quod æque ac Græcum illud de eo dicitur, *qui ad bonam mentem redit*, *qui se & facta sua considerat*, *atque sua exteriore divagatione veluti domum redit*, it. qui ab ebrietate, gravique somno velut expergiscens, sui compos redditur. Nam & sic *Filius prodigus* hactenus tanquam mente captus fuerat, nec priorem nec præsentem statum suum intellexerat.

§. VII.

(Vs. 18. 21. πάτερ ἥμαρτον εἰς τὸν ἐρανόν.)

Ex oppositione subjuncta in verbis, καὶ ἐνώπιόν σε satis intelligitur nomine τοῦ ἐρανοῦ DEUM hic indigitari. Similis locutio legitur Matth. 21: 25. Luc. 20: 4. *Baptismus Joannis unde erat? ἐξ ἐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων*; Nec ulla phrasis Evangelistis frequentior hac: ἡ βασιλεία τῶν ἐρανῶν. At illa nil aliud innuitur quam *Regnum DEI*, confer loca parallela Matth. 11: vers. 11. Luc. 7: 28. Quod enim hic est βασιλεία τοῦ θεοῦ, illud ibi est βασιλεία τῶν ἐρανῶν. Quod si observasset *Augustinus*, facile respondere potuisset Manichæis asserentibus; nuspiam in V. Test. ostendi posse promissionem Regni cœlorum. Vide *Hackspan*. Not. ad Matth. 21: 25. Ortum suum phrasis ista habet à Chaldæo idiomate, ceu patet ex Dan. 4: 23. די שלטן שמיא *Quod cœli dominentur.* Nec infrequens Chaldaismus hic apud Rabbinos, triplici nomine alias DEUM vocare solitos (1.) שמים *Cœlum*, (2.) שם *Nomen*, (3.) מקום *Locum*. Vide *Hackspan*. l. c. Est autem in voce τοῦ ἐρανοῦ sic usurpata, Metonymia vel subjecti, vel continentis pro contento, ut *cœlum* significet *eam potestatem*, *quæ in cœlo maxime relucet*, aut *quæ cœlos habitat*.

§. VIII.

(Ibid. καὶ ἐνώπιόν σε.)

Videtur & hæc phrasis ἁμαρτάνειν ἐνώπιόν τινος formata juxta Hebræam illam חטא לפני פלוני *peccare coram aliquo*. Pro quo alias Græci dicere fere solent, ἁμαρτάνειν εἰς τινα; περί τινα, πρός τινα. Sic Lucas paulo ante; ἥμαρτον εἰς τὸν ἐρανὸν & infra cap. 17: 3. ἐὰν ἁμάρτῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σε, *Beza* illud ἐνώπιόν σε exponit *te teste*. Lucas Brugensis, *te judice*, *te recte judicante*. Alioquin longe abfuit à Patre iste Filius.

§. IX.

(Vs. 20. εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτῦ & ἐσπλαγχνίσθη.)

Communi lingua τὰ σπλάγχνα sunt *viscera*. In N. Test. novam significationem induunt, & ad exemplum Hebræi רחמים (à rad. רחם *intra viscera introclusit*, queis summum amoris affectum Deus indidit) etiam *misericordiam*, *viscera misericordiæ*, *commiserationes ex intimis visceribus proficiscentes*, signant, Luc. 1: 78. 2 Cor. 6: 12. Philipp. 1: vers. 8. Philem. 7. 7. 12. 20. Ab hoc nomine deinde sacri Scriptores formarunt verbum Σπλαγχνίζομαι, quod uti רחם est *intimo commiserationis affectu complector*, *quo sc.* רחם *uterus fœtum concipere*, *complecti*, *fovere*, *alere*, *tueri*, *& conservare solet*. Vide Conr. Kircherum in Conc. Græc. V. T. p. 1666. De utraque voce ita differit Græce doctissimus *H. Stephanus* in Thesauro suo: *Apud Sacros Scriptores σπλάγχνα Hebræorum imitatione dicuntur omnes teneri & materni affectus*. Et paulo post; *verbum σπλαγχνίζομαι in Sacris literis usitatum*, *& more Hebræorum usurpatum*, *pro*, *misericordia commoveor*.

§. X.

(Vs. 24. 32. ὅτι ὁ υἱός με νεκρὸς ἦν.)

Loci paralleli sunt, Matth. 8: 22. ἄφες τὸς νεκρὸς θάψαι τὸς ἑαυτῶν νεκρὸς, 1 Tim. 5: 6. *vidua delitiis dedita*, ζῶσα τέθνηκε. Peculiari nempe Linguæ S. idiotismo improbi homines *Mortui* vocantur, & revera DEO non viventes, *mortui* sunt *in peccatis suis*, Eph. 2: 5. Coloss. 2: 13. Idem subinde Hebræi inculcant. Nam & his *Impius* habetur pro *mortuo*, postquam autem pœnitentiam egit, *vivus* censetur. Loca Talmudica reperies apud *Hackspanium Not.* ad h. l. pag. 334. Filius ergo perditus *mortuus* erat *in peccatis*, ubi resipuit & ad se rediit, ἀνέζησε *revixit*. Unde credentes vivere dicuntur etiam in morte, Joh. 11: 25, 26.

MEMBRUM III.

Continens Exegesin Cap. XVI.

SUMMARIUM.

Ο'βάτος *vox Hebræa*, §. 1. *Sic &* ὁ κόρος, §. 2. Οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, *posterius substantivum loco adjectivi*, *per Hebraismum*, §. 3 υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τέτε, καὶ υἱοὶ τοῦ φωτὸς *quinam?* §. 4. εἰς τὴν γενεὰν ἑαυτῶν; *an exponendum*: *in rebus suis agendis?* §. 5. Μαμωνᾶς *nomen Syriacum*, *&* Μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας, *pro divitiis injuste partis*, §. 6. Δέξωνται ἡμᾶς *impersonaliter explicandum*, §. 7. Μαμωνᾶς ἄδικος, *an pro divitiis fallacibus?* §. 8. *Verborum* μισεῖν *&* ἀγαπᾶν *nova oppositio*, §. 9. *Emphasis verbi* ἐκμυκτηρίζειν, §. 10. Δικαιοῦντες ἑαυτὸς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, *quinam phrasi Scripturæ?* §. 11. *Energia vocis* βδέλυγμα, §. 12. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, *quid notet Evangelistis?* §. 13. Ἰῶτα *non periturum Rabbinis frequentatum*: *item* Κεραία *pro minutissimo puncto*. §. 14. *Verbi* πεσεῖν *novus usus*, *Ibid.* Λάζαρος *nomen Syriacum*, §. 15. *vocis* Ἄγγελος *sacer usus*, §. 16. *Synecdoche vocis* αὐτὸς, *Ibid.* Κόλπος τοῦ Ἀβραάμ, *pro vita æterna*, *phrasi Scripturæ propria*, §. 17. Ἐν τοῖς κόλποις, *pro* ἐν τῷ κόλπῳ, *Enallage numeri Hebraica*; §. 18. ἐπάρας τὸς ὀφθαλμὸς ὁρᾷ, *phrasis* πλεονάζεσα *ex Hebraismo*, §. 19.

§. I.

(Vs. 6. ἑκατὸν βάτυς ἐλαίυ.)

Ὁ Βάτ☉ Hebraica mensura, nomen habens ab Hebræo בר quod antiquitus בד legebant per ∴ teste Hieronymo ad cap. 5. Jesaiæ, & Theodoreto in libr. Regum apud *Drusium.* Illud βαδ vel βεθ alii interpretati sunt βάτον, alii βάδον, ὁ ἢ βάδ☉, ait Josephus lib. IIX. cap. 2. Antiquit. Histor. δυνάται χωρῆσαι ξέςας ἑβδομήκοντα καὶ δύο, *Badus mensura liquidorum est circiter LXXII. sextarios continens.* Syrus hic מתרין *mathren*, i. e. μετρητὰς vertit, Vulgatus, *Cados*; Non male, si, docente G. Agricola apud Bezam ad h. l. & *Batus*, & *Metretes* & *Cadus* eadem mensura est respondens amphoræ Atticæ. Alias Hebr. כד (unde *Cadus*) magis *hydriam* vel *situlam* sonat. Lex vetus, κάδ☉ *situla.* Drusius pro *mensura* non meminit se legisse.

§. II.

(Vs. 7. ἑκατὸν κόρυς σίτυ.)

Est etiam ὁ κόρ☉ Hebraicæ mensuræ species. Nomen mutuatur ab Hebræo כר, pro quo Græci interpretes & ipse Josephus dicunt, κόρ☉. *Corus* autem juxta eundem Josephum Lib. XV. cap. 12. Antiq. Hist. δυνάται μεδίμνυς Ἀττικὺς δέκα, id est, *tantum valet, quantum X. medimni* Attici. Estque *aridorum mensura.* Illum Josephi locum Agricola depravatum esse censet, numeri nota; vel in eo, quod pro Ἀττικοὶ scribendum sit Ἰταλικοί. Approbat hanc observationem Beza. Drusio κόρ☉ idem quod *Homer*, continetque Ova 430. Ephas 10. hoc est, Modios 30. Qua de re plura videantur apud *Camerarium*, *Drusium*, *Gualtherium* atque Alios.

§. III.

(Vs. 8. ἐπήνεσεν ὁ κύρι☉ τὸ οἰκονόμον τῆς ἀδικίας.)

Substantivum ἀδικίας non cohæret cum illo ἐπήνεσεν *laudavit*, (quamvis in facto iniquo non potuit Dominus non probare *solertiam* Dispensatoris) sed alteri substantivo οἰκονόμ☉ additur loco adjectivi ἄδικ☉ (ut recte interpretatur Syrus) cum insigni emphasi & energia, ex consuetudine Hebræorum, de qua prolixe *Glass.* Phil. S. l. 3. tr. 1. can. à pag. 29. 40. Sic vers. 9. dicitur, ἐκ τῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, cap. 19: vers. 6. κριτὴς τῆς ἀδικίας, Jac. 3: 6. κόσμ☉ τῆς ἀδικίας, Act. 1: vers. 18. 2 Petr. 3: 13, 15. μισθὸς τῆς ἀδικίας. Ac nihil frequentius est per totum Codicem Sacrum, quam ut Substantiva pro Adjectivis hoc modo usurpentur. Pauca illa exempla, quæ *Pfochenius* Diatr. Sect. 42. ex Profanis etiam Scriptoribus, sed meris Poëtis, Hesiodo, Euripide, Anacreonte, proferre studet, neutiquam probant, cum vulgari Græca lingua genus hoc loquendi convenire. Dicitur autem Villicus iste οἰκονόμ☉ τῆς ἀδικίας, quod bona Domini sui *injuste* ad se rapuerat. Magis hoc textui congruit, quam si cum aliis οἰκονόμ☉ τῆς ἀδικίας reddatur *Dispensator falsitatis* i. e. *opum falsarum.* Quamvis enim LXX. *dolum* & *fallaciam* ἀδικίαν dixerint, Job. 27: 24. Hos. 12: 7. Amos. 8: 5. ea tamen notio huc non quadrat.

§. IV.

(Ibid. ὅτι οἱ υἱοὶ τῦ αἰῶν☉ τύτυ φρονιμώτεροι ὑπὲρ τὺς υἱὺς τῦ φωτός.)

Υἱοὶ τῦ φωτὸς non alii sunt quam πεφωτισμένοι καὶ φωτισθέντες *illuminati*, vel *illustrati*; h. e. *Regeniti*, qui luce Spiritus S. perfusi res cœlestes curant, ac destinati sunt à Deo ad fruendum luce illa cœlesti, Joh. 12: 36. 1 Thess. 5: 5. Ephes. 5: 8. Legitur &, τέκνα φωτὸς, Ephes. 5: 8. His opponuntur υἱοὶ τῦ αἰῶν☉ τύτυ, h. e. *homines præsentis vitæ studiosi*, *huic seculo dediti*, *qui nihil aliud curant*, *quam vitæ hujus commoda* (qualis hic Oeconomus erat) Σαρκικοὶ sive carnales *Apostolo* dicti, & πνευματικοῖς contradistincti, 1 Cor. 3: 1, 3, 4. Paulo laxiorem notionem habet eadem locutio Luc. 20: vers. 34. *quoslibet homines hunc mundum incolentes* denotans, quibus vs. 35. οἱ καταξιωθέντες τῦ αἰῶν☉ ἐκείνυ τυχεῖν καὶ τῆς ἀναςάσε☉ τῆς ἐκ νεκρῶν opponuntur. Recte vero Eruditi hanc ῥῆσιν & id genus alias in Hebraismis numerandas esse censent. Apud Hebræos enim nomen בן *filius*, in regiminis statu positum, & cum *nomine qualitatis* constructum πλεονάζει fere, vel Synecdochice pro *homine* in genere ponitur, ita ut *qualitatis* illud nomen, per conveniens adjectivum exponatur. Exempla vide apud *Glass.* Phil. S. l. 3. tr. 1. can. 36. pag. 131. seqq. *Joh. Vorstium Part. II. de Hebr. N. T.* c. 24. à pag. 45. ad pag. 85. Taceo quod magnam hæ locutiones habeant convenientiam cum prioribus §. III.

§. V.

(Ibid. εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.)

Hugo Grotius exponit: *in rebus suis agendis*, per Hebraismum illum quo *Generationes* idem sunt quod *Actiones*: Gen. 6: 9. *Noa vir justus & perfectus fuit* בדרתיו *in generationibus*, id est, *in actionibus suis.* Cap. 37: 2. *Istæ* תלדות *generationes*, h. e. res gestæ, casus, & eventus Jacobi. Sed non opus est hic Hebraismum fingere. Verba enim εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, pro ἐν τῇ γενεᾷ τῇ ἑαυτῶν, per insignem ἐναλλαξιν præpositionum εἰς & ἐν, posita, commode exponi possunt, *in genere suo*, h. e. *in hominibus suæ ætatis sive seculi*, μετωνυμικῶς. Non secus ac *illud* Genes. 6: 9. *Noa Vir justus & perfectus fuit*, בדרתיו *in generationibus suis*, i. e. *collatus ad impiam hominum colluviem*, *qui illa ætate vixerunt*, exponente sic Walthero in Harm. Biblica p. 86. Ita fere usus est nomine γένε☉ *Hesiodus*, quum dixit χρύσεον γέν☉ & ἀργύρεον, & χάλκεον, ac σιδήρεον. Similiter *Menander* in his versibus:

Ἄνθρωπ☉ ἐὰν ᾖ χρηςὸς, εὐγενὴς, σφόδρα
Γενναῖ☉, ὐδὲν ὄφελ☉ ἐν τῷ νῦν γένει.

Vir sis probus, sis strenuus, sis nobilis:
Nil nil juvabunt ista in hoc te seculo.

Similiter Virgilius: *Parce pio generi.* Et, *Quod genus hoc hominum?*

§. VI.

(Vs. 9. ἐκ τῦ Μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας.)

(1.) Μαμωνᾶς vel Μαμωνᾶ ממונא vox origine Syriaca, *cujuscunque generis divitias*, pecuniam & lucrum, denotat. Hesychius certe μαμωνᾶ θησαυρὸν interpretatur. Deduci videtur ab אמן *firmitudine* sive *potentia*, prout & Latinis opes dicuntur *facultates*, & *copiæ*, quia pecuniæ obediunt omnia. Sed & Numen, quod pecuniæ præesse Veteres crediderunt, appellatum fuit *Mammon*, teste *Tertulliano*, quod Græcis *Pluto*, Ægyptiis *Serapis* dicitur. Confer *Waserum* de antiquis nummis & mensuris Hebr. *Drusium* ad voces Hebraic. N. T. & *Buxtorffium* in Lex. Chald. & Syr. In hoc capite vox illa ter reperitur, vs. 9, 11, 13. & semel apud Matthæum c. 6: 24. ubi per duplex μμ scribitur μαμμωνᾶ. Videtur μαμωνᾶ declinari posse ἑτέρως, si infra vs. 11. post τὸ ἀληθινὸν repeti ἀπὸ τῦ κοινῦ debet μαμωνᾶ, uti antithesis hoc fere postulat.

(2.) Ipsa phrasis μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας vs. 11. exponitur μαμωνᾶς ἄδικ☉, idque per Hebraismum §. III. notatum. Cur autem opes vocentur *injustæ*, in eo Interpretes non conveniunt. Quibus absonum est, Christum hortari Auditores, ad dandam eleemosynam ex *injuste adquisitis* opibus, μαμωνᾶν τῆς ἀδικίας interpretantur *Opes hujus mundi* (cœlestibus comparatas) *vanas*, *fallaces*, *adulterinas*, *transitorias*, tum quod δίκαι☉ in SS. sæpe idem valeat, quod ἀληθὴς (vid. Gen. 24: vs. 49. Es. 38: 19.) & contra ἄδικ☉ idem quod δόλι☉, *dolosus*, ex collat. Mal. 2: 6. cum 1 Petr. 2: 22. tum quod vs. 11. ἄδικον opponatur τῷ ἀληθινῷ, vid. *Lud. de Dieu animadv.* ad h. l. Sed hæc non impediunt, quo minus μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας præcise intelligatur de *divitiis*, aut *opibus male partis*, genitivo *acquirendi modum* notante, sicuti panis *injustitiæ*, Proverb. 4: 17. *falsitatis*, cap. 20: 17. *mendaciorum.* c. 23: 3. is dicitur, qui est *injuste adquisitus.*

(3.) Sic primo quadrat appositissime *applicatio parabolæ cum parabola*: Iste Oeconomus comparavit sibi amicos ex opibus male partis, ita & vos comparate vobis amicos ex opibus vestris inique partis. Favet porro *vulgatissima Phrasiologia*, ממון רשקר, non modo in *Targum* Esai. cap. 33: 15. [observante *Barth. Mayero Phil. S.* P. II. *theor.* 4. pag. 160.] Sed & 1 Sam. 8: 3. Prov. 15: 27. Ezech. 22: 27. obvia, qua Christus cum vulgo locutus, Græcum illud μαμωνᾶς τῆς ἀδικίας expressit. Hanc Targumistæ seipsos interpretantes reddunt, *Mammon violentiæ*, Ezech. 22: 13. *impietatis*, Hab. 2: 9. *rapinæ*, Esai. 33: 15. Denique hoc *circumstantia textus* requirit. Siquidem inter Discipulos Christi non erat modo *Matthæus* publicanus, in catalogum XII. Apostolorum relatus; sed πάντες οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ, *quamplurimi Publicani* & *Peccatores*, cap. 15: 1. (è quo Christus sermonem suum in hoc loco continuat.) Pro his apologia contra Scribas & Pharisæos finita, jam cap. 16: 1. ad ipsos peculiariter (ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τὺς μαθητὰς αὐτῦ) orationem convertit & sub parabola de *Oeconomo injusto*, coram avaris & injustis Pharisæis opportune monet, ut si quid *injuste partum* possideant, ante sui conversionem, *honeste restituant* & pie distribuant, ut fecit *Zacheus* Luc. 19. Nam de *Restitutione* magis hic sermo est, quam de *Eleemosyna.* Vide *Jo. Lightfootum* Hor. Hebr. *ad h. l.* p. 843. seqq.

§. VII.

(Ibid. Ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνταί ὑμᾶς.)

Illud δέξωνταί ὑμᾶς simplicissime ex Hebraismo exponitur *illo*, quo tertiæ personæ verborum impersonaliter sumuntur (vide supra Membr. I. §. 22.) hoc sensu: *futurum est*, *ut recipiamini* (scil. à Deo per fidem in Christum) *in æterna tabernacula*. Sic Luc. 12:20. ad Divitem dicitur; *hac nocte* ἀπαιτῦσι *repetent*, h. e. repetetur anima tua sc. à Deo, qui solus animam quam dedit, repetere potest. Et supra vs. 4. Oeconomus ait: ἵνα δέξωνταί με, pro, *ut recipiar*, sc. à Debitoribus *Domini mei*. Vide insuper Luc. 18:15. 23:29. Matth. 7:16. 9:17.

§. VIII.

(Vs. 11. εἰ ἐν τῷ ἀδίκῳ Μαμωνᾷ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει.)

(1.) Uti supra §. IV. voce ἀδικίας, τῷ μαμωνᾷ juncta, respectus habebatur ad Dispensatorem, qui bona Domini sui fraudulenter & injuste interverterat; ita h. l. quidam volunt nomen ἄδικος ipsas divitias hujus mundi respicere, quæ cœlestibus comparatæ *injustæ*, h. e. *fallaces & transitoriæ*, *ob inconstantiam suam* vocentur, ex Idiotismo Linguarum, Hebraicæ, Syriacæ, & Arabicæ, quo una eademque notione *justitia & veritas*, pariterque *mendacium & iniquitas* denotetur. Huic ἀδίκῳ Μαμωνᾷ, seu *fallacibus divitiis*, opponi ajunt hoc ipso commate; τὸ ἀληθινὸν h. e. *permanens*, *stabile*, ac *perpetuum bonum*.

(2.) Sed & hic vulgarem notionem τῦ ἀδίκυ pro *iniquo* sive *injusto* retinere licet. Nam & in opibus male partis aliquem πιστὸν esse posse, exemplo *Zachæi* patet Luc. 19. qui licet non fidelis fuisset *in injuste corradendo*, fidelis tamen maxime fuit *in pie distribuendo*. Vide *Lightf.* l. c. p. 847.

(3.) Τὸ ἀληθινὸν *injusto* hic oppositum, commode vertas, *sincerum*, *integrum*, & *incorruptum*, quale quid est *Veritas & Gratia Euangelica*, cum qua, veluti præstantissimo thesauro, confertur hic Mamona, ceu minimi pretii thesaurus, & qui sæpe illicitis mediis quæri soleat, ita ut *illo* indignus declaretur, qui in *hoc* dispensando fidus non fuerit.

§. IX.

(Vs. 13. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει.)

Non solum τὸ μισεῖν imitatione Hebræi שנא h. l. idem est ac *postponere*, *minus curare*, de quo supra Membr. I. §. 16. Sed & τὸ ἀγαπᾶν ad normam verbi אהב (de quo vide Deuter. 21: vs. 15.) *præferre*, *anteponere*, *plus diligere* significat. Suntque voces istæ sic fere ἰσοδυναμοῦντες his, quæ mox sequuntur; τὸ ἀγαπᾶν quidem τὸ ἀντέχεσθαι, τὸ μισεῖν vero τῷ καταφρονεῖν, ἀντέχεσθαι est actio ipsius ἀγάπης, καταφρονεῖν autem ipsius μίσυς. Neque tamen ideo repetitionem aliquam φορτικὴν hic admittimus, uti *Casaubonus* sentit Not. ad h. l. id enim valde solenne est S. Scriptoribus, unam & eandem sententiam, duabus, imo & pluribus diversis vocibus aut phrasibus exprimere. Vide infra cap. 19:32.34.43. Quantum ad præsentem locum attinet, si *unus* accipitur pro primo, *alter* pro secundo, sensus facilis est: Aut *unum* i. e. primum v. g. *Petrum* odio habebit, & *alterum* i. e. secundum, v. g. *Johannem* diliget; aut primum (*Petrum*) amplectetur i. e. diliget, & secundum (*Johannem*) contemnet, i. e. odio habebit. Et sic unus servus *amorem & odium* inter utrumque Dominum reciprocabit, idque *amplectendo* unum, *contemnendo* alterum demonstraturus.

§. X.

(Vs. 14. καὶ ἐξεμυκτήριζον αὐτόν.)

Ἐμφατικώτατον verbum, τὸ ἐκμυκτηρίζειν cujus significatio præpositione ἐξ aucta *insignem derisionem* importat, *adhibito quodam gestu narium*. Est enim μυκτὴρ proprie *naris*, figurate Græcis *insignis irrisor*. Sic apud Laërtium à *Timone* Phliasiorum Poëta Socrates vocatur Μυκτὴρ ῥητορόμυκτος. *Et Martialis* non nasutum, sed *Nasum* quendam vocat; *Nasutus sis usque licet*, *sis denique nasus*. Hinc Latini, *naso suspendere*, & *suspendere naso adunco* dixerunt. Ἐκμυκτηρίζειν habetur & Luc. 23:35. Verbo μυκτηρίζεσθαι utitur Paulus Gal. 6:7.

§. XI.

(Vs. 15. Ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων.)

Δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ii dicuntur, *qui sibimet ipsis laudem justitiæ tribuunt*, *seque justos pronunciant*, *& magno molimine ceremoniarum*, *quas admiratur populus*, *quibus & Deum promereri se posse somniant*, *justi videri volunt*. Quomodo τὸ δικαιοῦν fere idem est, ac ὁμολογεῖν, δοξολογεῖν. In quo significatu legitur etiam Luc. 7:35. 10:29. Fitque hoc more Hebræorum, quibus verba activa sæpe non tam *actum*, quam ejusdem *notificationem* denotant. Vide Glass. Phil. S. L. 3. Tr. 3. c. 15. p. 266. seqq. Deinde & phrasis ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων est Hebraica, idem significans; ac, *cum hypocrisi*, *simulate*, *fucate* uti contra in phrasi altera, εἶναι δίκαιον ἐνώπιον τῦ Θεῦ, Luc. 1:6. *illud* ἐνώπιον τῦ Θεῦ, idem est, ac *sine hypocrisi*, *sincere*. Ita Genes. 17:1. Deus ad Abraham dicit: Ambula לפני *coram me*, h. e. noli more hypocritarum extrinsecus pro pio haberi, & tamen in corde me impiis tuis factis negare. Conf. Deut. 6:25. Rom. 2:13.

§. XII.

(Ibid. τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν βδέλυγμα ἐνώπιον τῦ Θεῦ.)

Abstractum βδέλυγμα pro concreto βδελυκτὸν insigni cum emphasi & energia ponitur. Exempla gemina tum V. tum N. T. vide sic apud *Glassium* Phil. S. l. 3. Tr. 3. c. 7. p. 26, 27. In versione LXX. vitali τὸ βδέλυγμα *Idolum* significat. Sic Esai. cap. 2:20. אלילי כספו *idola argentea sua*. LXX. reddiderunt τὰ βδελύγματα αὐτῦ τὰ ἀργυρᾶ. Quod magnam iterum loco præsenti emphasi conciliat, quasi *fastus & superbia*, vel etiam quæ *hominum opinione* (ἐν ἀνθρώποις) sunt *eximia*, *splendida*, *& in excelso posita* (quale erat vitæ Pharisaicæ institutum magnam præferens sanctimoniæ speciem) res magis abominabiles existant, ἐνώπιον τῦ Θεῦ, i. e. *judicio & sententia* Dei, quam ipsa idola.

§. XIII.

(Vs. 16. ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τῦ Θεῦ εὐαγγελίζεται.)

Ἡ βασιλεία τῦ Θεῦ, & ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν sunt ἰσοδυναμοῦντα (vide supra Membr. II. §. VI.) in historia Euangelica & tantum non ubivis obvia. Peculiari Linguæ S. modo interdum signant *Regnum Gloriæ*, seu beatissimum illum statum post resurrectionem, cum Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor. cap. 15:28. Vide supra Luc. 14:15. & infra cap. 18:16, 17, 24, 25. Interdum *Regnum Gratiæ*, h. e. Ecclesiam, quam Deus in hac vita sibi colligit, & gratiose gubernat, ut infra cap. 17:20, 21. 19:11. Hic [ut & Luc. 18:29. & alibi] sumi videtur metonymice pro *Euangelio*, quo docemur, per quem nos regat DEUS in Ecclesia sive Regno Gratiæ. *Illi* enim hic opponuntur ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, qui usque ad Johannem, venturum Messiam prænunciarunt. *Illud* (ἀπὸ τότε) ab eo tempore [εὐαγγελίζεται] annunciantur. *Hujus* gratia persecutiones patimur, *vel* contra illud unusquisque (scil. hostium) insurgit, *vel* (si mavis) *illud* infinita hominum multitudo amplectitur. Omnes enim hos sensus admittit phrasis, πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, uti mox ostendemus. Plura de istis locutionibus invenies apud B. *Gerhardum* Tom. V. LL. CC. L. de Ecclesia cap. III. §. 19.

§. XIV.

(Ibid. καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.)

Verba hæc intelligi possunt, vel (1) de *acceptione Euangelii*, h. s. *Quivis* (præter vos Israëlitas) *vi irrumpit in hoc regnum*, βιαζόμενος ἁρπάζει, ut ex Matth. 11:12. liquet, ubi βιάζεται *passive* sumtum, mox *active* h. m. exponitur: ἡ βασιλεία τῶν ὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασαὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. Quasi dicat: *Patet hoc regnum omnibus*, *sed improbo labore*, *magno nisu adeundum*, *vera fide amplectendum Euangelium*. Quæ est usitatior atque receptior loci explicatio, innixa loco parallelo Matth. 11:12. Vel (2) de *persecutione Euangelii passiva*. Sic Arabs vertens: *Et unusquisque injuriam vel vim facit sibi ipsi* (i. e. vim patitur tum à se tum ab aliis) *propter illud* i. e. ob Regnum Dei vel in gratiam ejus. Ubi εἰς αὐτὴν positum est pro δι' αὐτὴν, sicut εἰς τῦτο *hujus rei gratia*, Marc. 1:38. 1 Tim. 4:10. & apud *Herodotum* in vita Homeri, *Mentor* ἥκεν ἐς δικαιοσύνην τε καὶ φιλοξενίην, *propter justitiam & hospitalitatem*. Vide sis *Lud. de Dieu Animadv.* ad h. l. Vel (3) de *persecutione ejus activa*. Ita *Joh. Lightfootus Hor. Hebr.* ad h. l. p. 847. interpretatur, urgens continuatam & connexam orationem Salvatoris, à com. 15. & commatis à commate dependentiam, quæ breviter ita se habet: *Vos me deridetis & doctrinam meam*, *vs.* 14. *nec mirum*, *nam*, *cum Lex & Prophetæ fuerint*, *usque ad Johannem*, *pariter cum iis egistis*, *vs.* 15. *& nunc exurgit & intrat regnum cœlorum*, πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, i. e. *unusquisque contra illud agit*, *per contradictionem*, *irrisionem &c. vers.* 6. *Quamvis autem vos totam legem vacuam reddidistis*, *ne unus tamen illius apex concidere potest. vs.* 17. Sic satis ingeniose versiculos, qui laxi & luxati pendere, & minime inter se cohærere primo aspectu videbantur, planos, perspicuos, atque optime inter se cohærentes reddidit doctissimus ille *Anglus*.

§. XV. Vs. 35.

§. XV.

(Vf. 35. εὐκοπώτερον δέ ἐςι τ̀ ὐρανὸν ϗ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τȣ̃ νόμȣ μίαν κεραίαν πεσεῖν.)

(1.) Dicto hoc Proverbiali Christus *æternam legis moralis durationem* designare voluit, *æque impossibile esse* innuens, *ullum apicem legis perire*, *atque impossibile est* (si non Dei potentiam, sed naturæ ordinem respicias) *cœlum & terram interire.* Nota hic παρέρχεϑ, ut 2 Petr. 3: 10. pro *interire* poni. Simile loquendi genus est in *illo* adagio, Matth. 19: 24. & Luc. 18: 25. εὐκοπώτερόν ἐςι κάμηλον, κτλ. Nec alias, comparatio cum iis, quæ aut impossibilia sunt, aut videntur, in S. Literis infrequens est, ut Esai. 54: 10. Luc. 19: 40. Gal. cap. 1: 8. Sed & profanis usitata, ut cum Poëta ait: *Desinet esse prius contrarius ignibus humor.* Item *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi.*

(2.) Matthæus cap. 5: 18. sententiam Lucæ ita expressit; Ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ ὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ, Ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία ȣ̓ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, ἕως ἂν πάντα γένηϑ. Ubi, quod de Ἰῶτα dicitur, receptum est inter *Rabbinos*, *legis autoritatem & constantem observantiam* hac locutione defendentes, idque lepide exemplo Regis Salomonis explicantes, ut hoc annotavit ex ילקות ad libros Regum art. 195. p. 31. col. 1. *Theodorus Hackspanius* in Tract. de usu librorum Rabbinicorum Sect. 2. p. 425, 426. qui Tract. accessit libro Nizachon R. Lipmanni. Vide insuper *Joh. Lightfootum Hor. Hebr. ad Matth. c. 5: 18. p. 257.* Apparet hinc adagium illud, de medio usu sumtum *ex scribendi ratione*, *quæ tum vigebat*, originem duxisse. Nam ut ι Græcis, ita י Hebræis, literarum omnium minima est.

(3.) Uti vero per Ἰῶτα intelligitur *Jod ex literis minima*, ita per κεραίαν *minutissimum punctum*, sive *ex vocalibus*, quale est *cholem*, *chirek*, sive *accentibus*, quale est *Rebia.* Vide *Chemnitium in Harm. Euang.* ad h. l.

(4) Huic tamen Expositioni obstare videtur vis & usus vocis κεραίας, quæ Græcis non significat *notam integram*, vel *characterem distinctum*, sed *partem tantum alterius*, *eamque prominentem*, *& exstantem aliis.* In Glossis Veteribus, κεραία, γράμματος ἄκρον, *apex*, *literæ fastigium.* In Hesychio, κεραία, ἀρχὴ γράμματος, *apex*, *initium literæ.* Apud Plutarchum, Epicurus, περὶ συλλαβῶν ϗ κεραιῶν, de *Syllabis & literarum particulis*, contendit. Hebræis κεραία est עוקץ *cauliculus fructus cujusvis*, vel קוץ *spinarum aculei*, quorum figuram referunt κεραίαι. Sunt ergo qui per κεραίαν hic intelligere malunt, *eminentias & summa fastigia*, *queis literæ inter se distinguuntur*: *Cornicula quæ in capite elementorum Hebræorum sunt conspicua*, sicut apices literæ ר & ד differunt. Vide *Grotium ad Matth. cap. 5: 18. Hammondum ap. M. Polum Synops. Crit. p. 131.*

(5.) Porro, quia κεραία etiam de *linea*, duobus utrinque cornibus & extremitatibus constante (ap. Hesychium Gr. interpret. ad Psal. 13: 6.) ac de *antenna in navi* lineam imitante (apud Homerum) dicitur; Alii κεραίαν hic *Lineam* sive *Lineolam* verti malunt, præsertim, cum & Syrus adhibuerit vocem סרטא, à סרט *signavit*, sive *lineas duxit*, in Chald. ad 1. Sam. 21: 13. & Literæ omnes apud Hebræos Linearum ductus (v. g. ב tribus lineis) absolvantur, adeoque Christi verba hoc innuere dicunt: *Nec integram literam*, *etsi minimam*, *nec partem ejus*, *adeoque nihil prorsus legis interiturum.* Vide *Ludov. de Dieu annot. ad h. l.*

(6.) Verum quid juxta has duas expositiones attinebat peculiariter ductus vel apices literarum designare, jam designato, literarum gratia, τῷ Ἰῶτα, cum pereuntibus ductibus vel apicibus & partibus literarum, ipsæ literæ actutum immutentur, adeoque jam non amplius sint eædem literæ, sed perierint, intereuntibus talibus κεραίαις. Etsi ergo vox κεραίας apud Exoticos pro integra nota non sumatur, quia *totum* tamen sine dubio *corpus Legis Divinæ respicitur*, ad quod non minus *vocales*, quam *consonæ* spectant; illa Interpretatio, qua *nec minimam literam Jod*, *neque punctum vocale minimum de Lege interire posse* dicimus, ceu linguæ originali convenientior præferenda veniet. Sic in Italica veteri, nova Deodati & Gallica versione, nec non à Piscatore, de *punctis vocalibus*, κεραίας vox accipitur. Vide *Dn. Calovium Annot. Anti-Grot. N. T. ad h. l.*

(7) Quicquid tandem sit, è collatione comm. 19. cap. 5. Matth. satis apparet, Salvatoris mentem hanc esse: *Nihil in lege rejiculum*, *aut irritum fore*, *nullum præceptum etiam minimum esse*, *quod non complementum sit sortiturum.* Estque argumentum ἀπὸ τȣ̃ μᾶλλον, h. s. Ne Ἰῶτα quidem vel κεραία de Lege peribit. Ergo, multo minus aliquod præceptum vel aliqua pars legis, utut minutissima abolebitur. Vide *Glassium Phil. S. L. 1. Tr. 1. p. 28. Spanhemium Dub. Euang. p. 700. Lightfootum Hor. Hebr. ad Matth. cap. 5. p. 258. seqq.*

(8) Verbum denique πεσεῖν novam hic vim habere videtur & idem esse, ac Τὸ *non fieri*, *non præstari*, *quod præditum aut præceptum est.* Omnia nempe debent fieri, quæ prædicta & præcepta sunt; ita enim nullum vaticinium, nullum mandatum, nullum Jota, nec ullus apex legis πέσῃ, παρέλθῃ, *cadet*, *præteribit*, h. e. *non fiet*, *non præstabitur.* Eundem significatum obtinet Hebræum נפל Jos. 23: 14. 1. Sam. 3: 19. 2. Reg. 10: 10. Esth. 6: 10.

§. XVI.

(Vf. 26. Πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι Λάζαρος.)

Λάζαρος nomen Hebræo-Syrum ex לא *non* & עזר *Auxiliator*, unde fit לעזר *quem plane omne auxilium deficit*, *quem ne ipsa quidem salus servare potest*, ἀβοήϑητος *omni ope destitutus.* *Drusius* putat Hebraice scribendum מלעזר, adeo ut *Lazarus & Eleazarus* idem valeant. Quod non de nihilo. Nam לעזר *Lazar*, ab Hierosolymitanis, tempore Christi, contracta pronunciatione usurpatum pro אלעזר *Eleazar*, pluribus exemplis ad Joh. 11: 1. ostendit *Joh. Lightfootus Hor. Hebr. p. 1067.*

§. XVII.

(Vf. 22. ϗ ἀπενεχϑῆναι αὐτὸν ὑπὸ τ̃ Ἀγγέλων.)

(1) Hebræi *Spiritus inter Deum & Homines interpositos*, modo אלהים Psalm. 8: 4. 97: 7. 138: 1. modo מלאכים Genes. cap. 24: 40. 32: 1. Dan. 3: 28. appellant, quorum illud Græce Θεȣ̀ς, istud Ἀγγέλȣς notat. Atque inde eas appellationes, ut multa ab Hebræis alia, sumsisse videtur *Pythagoras*; ceu erudite ostendit *Grotius in not. ad Matth.* cap. 1: 20. LXX. vero Interpretes cum Scriptoribus N. T. non libenter eos vocarunt Θεȣ̀ς, quod illud nomen passim apud omnes Gentes in unius summi Dei injuriam usurparetur. Mansit ergo apud eos nomen Ἀγγέλων Hebræorum מלאכים respondens.

(2) In Relativo αὐτὸν præstantior hominis pars *anima* nomen *totius* sibi vendicat per synecdochen. Ita passim Græci quoque & Latini Poëtæ animos corporibus solutos, *Hominum* nominibus appellant. Et ad Iliados initium *Eustathius* notat vocem αὐτȣ̀ς modo *animam* tantum significare, modo *corpus* tantum, modo *totum Hominem.* Vide *Grotium* ad h. l.

§. XVIII.

(Ibid. εἰς τ̀ κόλπον τȣ̃ Ἀβραάμ.)

(1) Cum Abraham Pater sit omnium credentium Rom. cap. 4: 17, 18. Galat. 3: 7. pius ac credens *Lazarus* ab Angelis translatus dicitur post mortem εἰς κόλπον τȣ̃ Ἀβραάμ, h. e. *in locum quietis ac salutis*, sive in *eum statum*, in quo particeps factus est omnis gratiæ Divinæ Abrahamo Patri promissæ. Sumtaque Phrasis est, vel à *parentibus liberos charissimos* solatii causa in sinum recipientibus, Esai. 66: 13. in quo etiam suaviter interdum quiescunt ac dormiunt, vel à *more accumbentium mensæ*, *apud Judæos*, ubi qui in Principis sinu recumbebat, *dilectissimus* vel *honoratissimus* habebatur, vid. Johann. 13: 23. Ita Regnum cœlorum Christus ipse *convivio* comparat in quo cum Abrahamo primum locum occupante, cæteri recumbunt, Matth. 8: 2. Sic Filius Dei esse dicitur in *sinu Patris*, Joh. 1: 19.

(2) Neque tamen Christus hanc phrasiologiam primus cuderat, sed loquebatur cum nota & vulgari Dialecto Gentis, occurritque hæc forma loquendi apud Talmudicos in *Kiddushin* fol. 72. & citatur locus à *Juchasin* fol. 75. 2. *Quo die mortuus est Rabbi*, *Rabb Adah bar Ahavah dixit*, *hodie sedet in sinu Abrahæ.* Sub triplici nempe phrasiologia disponebant Scholæ Judaicæ animas Justorum post mortem, *in horto Edenis* vel Paradiso, *sub throno Gloriæ*, *& in sinu Abrahami.* Id quod erudite docet *Joh. Lightfootus Hor. Hebr. ad* h. l. p. 850. seqq. quem omnino vide.

§. XIX.

(Vf. 23. καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτȣ̃.)

Ponitur pluralis ἐν τοῖς κόλποις, pro singulari ἐν τῷ κόλπῳ, ex more Hebræorum, qui cum *unum pluribus* opponitur (sicuti h. l. κόλπος τȣ̃ Ἀβραὰμ *sinus Abrahæ*, τοῖς βασάνοις *crucialibus*, in quibus erat dives epulo, *unum illud* in plurali numero efferre solent. Sic infra cap. 17: 26. ἐν ταῖς ἡμέραις τȣ̃ υἱȣ̃ ἀνθρώπȣ, ponitur pro singulari, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τȣ̃ υἱȣ̃ ἀνθρώπȣ, i. e. *in judicio extremo*, ex vers. 24. propter oppositionem ad ἡμέρας τȣ̃ Νῶε, ut inter has & illas utrobique sit evidentior oppositio.

§. XX.

(Vſ. 23. ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὁρᾷ τὸν Ἀβραάμ.)

Eſt quidem phraſis ἐπᾶραι τοὺς ὀφθαλμοὺς Scriptoribus Græcis haud ignota, non tamen ita παρέλκόντως cum verbis ὁρᾶν, ἰδεῖν, θεάσασθαι (vide inſuper Matth. 17: 8. Joh. 4: 35. 6: 5.) uſurpata. Sapit enim ſic phraſin Hebraicam, Geneſ. 13: 10. 22: 4. Dan. 10: 5. ubi Lot, Abraham, Daniel, *levaſſe dicuntur oculos ſuos & vidiſſe.* Paulo Ἑλληνικώτερον eſt illud Luc. 18: 13. *Publicanus ſtans è longinquo*, οὐκ ἤθελε οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι. Nec enim hic phraſis illa verbis ἰδεῖν, θεάσασθαι, aut id genus aliis præmittitur, neque per pleonaſmum quendam uſurpatur, ſed ita, ut ab oratione abeſſe nequeat. Senſus enim eſt, *publicanum præ pudore ac pœnitentia oculos ad cœlum levare non potuiſſe.*

MEMBRUM. IV.

Continens Exegeſin Cap. XVII.

SUMMARIUM.

Σκάνδαλα & σκανδαλίζειν in Sacris quid? §. 1. *Phraſis* ἀνένδεκτόν ἐστι. *Ibid.* Ἀδελφὸς *pro quovis alio ex Hebraiſmo*, §. 2. ὡς κόκκος σινάπεως *phraſis Hebr.* §. 3. *Vocula* ὅταν *pro* εἰ *poſita*, §. 4. διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας *quomodo explicandum?* §. 5. Ἦραν φωνὴν λέγοντες, *phraſis* πλεονάζουσα, §. 6. Αὐτὸς *demonſtrativum pro relativo* ὃς §. 7. Εὑρίσκεσθαι *pro eſſe* vel *apparere*, §. 8. *Vocis* πίστεως *ſacer uſus*, §. 9. Ἡμέρα *pro tempore*, *Idiotiſmus Hebræus*, §. 10. ἡμέρα τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου, *quid ſtylo ſcripturæ*, §. 11. υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *cur Chriſtus vocetur?* §. 12. ἀποκαλύπτεται *præſens pro futuro*, *ſine Hebraiſmo*, §. 13. Δῶμα *pro tecto ex more Palæſtinæ*, §. 14. ζωογονεῖν *verbum affirmans pro contrario negante*, §. 15.

§. I.

(Vſ. 1. Ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα.)

(1.) PEr τὰ σκάνδαλα ſtylo Scripturæ *quævis malæ actiones* intelliguntur, *quibus alii ad ſimiles invitantur.* Σκανδαλίζειν autem (vide verſ. 2.) ille dicitur, *qui actione quadam per ſe mala, occaſionem præbet alteri male itidem agendi.* Hinc *ſcandala venire* idem eſt, *ac perpetrari malas actiones, quibus alii offendantur.* Qui metaphorici harum vocum ſenſus, uti crebro viſuntur in Sacris, ita tantum abeſt, ut in vulgari L. Græca obtineant, ut vox σκάνδαλον vix proprio ſuo ſignificatu, quo dicitur, vel *πρόσκομμα ac offendiculum, ſeu corpus, ad quod incedens aliquis impingit* vel παγὶς *Laqueus*, vel σκῶλον, *lignum acuminatum deſinens in cuſpidem*, apud Prophanos appareat. Recte H. Stephanus in Theſauro Gr. L. *Profanorum autem Scriptorum nemo* (quod quidem ſciam) *uſus eſt vel hoc verbo* σκανδαλίζω, *vel nomine* σκάνδαλον, *atque adeo S. Scripturæ peculiaria videntur.* Novos autem hos uſus recepit ad exemplum Hebræi מכשול non tantum *phyſicam* ſed & *moralem* ſignificationem habentis, Ezech. 14: 3, 4. & alibi paſſim.

(2.) Phraſin ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν recte exponas: *Fieri* vel *contingere non poteſt, ut non eveniant.* Item, *Fieri aliter non ſolet, quam ut* σκάνδαλα *adveniant.* Nam ἐνδέχεσθαι de iis uſurpatur, *quæ poſſunt & ſolent evenire*, ut Luc. 13: 33. οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ, i. e. *non convenit*, &c. Matthæus cap. 18: 7. dixit: ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, i. e. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*, neceſſitate non *phyſica*, non *abſoluta*, ſed *conditionis*, & *conſequentiæ*, præſuppoſita ſc. hominum malitia congenita, & calliditate & malignitate Diaboli.

§. II.

(Vſ. 3. Ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου.)

Nomen ἀδελφὸς ad imitationem Hebræi אח Levit. 19: 17. 26: 37. Pſalm. 50: 20. Joël. 2: 8. h. l. deſignat etiam *vicinum*, *ſocium*, *domeſticum*, *genere propinquum*, *imo quemvis alium.* Cujus rei exempla vide ſis Matth. 5: 22, 23, 24. 7: 3, 4. 18: 15, 21, 35. Luc. 4: 41, 42, 43. Rom. 4: 10, 13, 15. 1 Cor. 8: 13.

§. III.

(Vſ. 6. εἰ εἴχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως.)

Phraſiologia Hebræis uſitatiſſima ὡς κόκκος σινάπεως. Profertur aliquando כזרע חרדל *ſicut ſemen ſinapis*, aliquando כגרגיר חרדל *ſicut granum ſinapis*, aliquando כטיפה ברדל חרדל *ſicut gutta ſinapis. Joh. Lightfootus* Hor. Hebr. ad Luc. c. 17. pag. 860. Eſt autem *Fides ſicut granum ſinapis*, vel minimum fidei, vel tantæ vehementiæ fides, tam incendens nos ad charitatem Dei ac proximi, quam incendit corpus ſinapis devorata.

§. IV.

(Vſ. 10. ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα.)

Vulgo particula ὅταν *rem poſſibilem* denotat, *quæ eventum conjunctum habet.* Hic *pure conditionalis eſt*, ac reſpondet præfixo ב apud Hebræos, quod ante vel poſt præteritum, cum infinitivo per *cum*, Pſal. 51: 1. ſequente vel præcedente futuro, per *ſi*, 2 Reg. 5: 18. exponi debet. Hinc talis ſenſus h. l. emergit; *Etiamſi omnia feceritis, dicite ſervi inutiles ſumus.* Poſcit hanc explicationem τοῦ ὅταν *fidei analogia*, cum nemo perfecte legem divinam implere poſſit, vide 1 Reg. 8: verſ. 46. Eccleſ. 7: verſ. 20. *Paulum* per totam Epiſtolam ad Romanos. Fruſtra ergo Pontificii ex h. l. *poſſibilem legis impletionem* probare contendunt.

§. V.

(Verſ. 11. Καὶ αὐτὸς διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.)

Phraſes διὰ μέσου, ἀνὰ μέσον, ἐν μέσῳ inſtar Hebræarum vocum תוך & קרב, vel nihil adjiciunt nomini, cui adjunguntur, vel non præciſe ipſum *medium*, ſed id omne ſignificant, *quod rei prope eſt*, Matth. 10: 16. ἐν μέσῳ λύκων, *inter lupos.* cap. 13: 25. ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *inter triticum.* Joh. 8: 59. διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν tranſiens *per ipſos.* Sic & h. l. διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας commode exponas, *per confinia Samariæ & Galileæ*, i. e. *per locum inter Samariam & Galilæam* (intellige eam Orientalis Galilææ partem, quæ Samariæ conterminaeſt) *medium*, *Samaria ad dextram*, *Galilæa ad ſiniſtram relictis.* Quo quidem ſignificatu, ἀνὰ μέσον occurrit frequentiſſime apud Græcos. An vero διὰ μέσου talem admittat, *Joh. Lightfootus Hor. Hebr. ad h. l. p.* 861. dubitat. Nobis ſufficit & Syrum & Arabem διὰ μέσου accepiſſe pro μεταξὺ *inter*, adeoque vertiſſe: *inter Samaritanos & Galilæam*, quod inter iſtos limites, & quaſi ad marginem utriuſque regionis per aliquod juſtum ſpatium Chriſtus perrexit. Vide *Ludov. de Dieu Animad.* ad h. l. Similis fere locutio habetur & infra verſ. 21. ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. Ubi vox ἐντὸς reſpondet iterum בתוך בקרב *in medio*, בלב *in corde*, בחיק *in ſinu*, & ſenſus eſt: *Vos Phariſæi ſcire debebatis, quod non procul à vobis, imo circa vos & apud vos ſit illud Regnum Dei, quod intra Gentem veſtram in ipſo populo Judaico incipit vires ſuas exſerere, nobis non obſervantibus.*

§. VI.

(Vſ. 13. Καὶ αὐτοὶ ἦραν φωνὴν, λέγοντες.)

Similis hæc locutio illi, quæ ſupra cap. 16: 23. ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὁρᾷ. vide Membr. III. §. 19. Quamvis enim phraſis nuda ἐπᾶραι τὴν φωνὴν haud raro etiam legatur apud priſcos Græcos. (Ita enim ipſe *Demoſthenes* ἐν τῷ περὶ στεφ. ſcripſit de quodam Regulo, oratore inepto, obitum filii ſui ſtulte lugente, ἐπάρας τὴν φωνὴν καὶ γεγηθώς, καὶ λαρυγγίζων. Confer *Plinii Sec.* Ep. VII. libr. IV.) In Hiſtoria tamen Sacra fere παρέλκόντως habetur, præmiſſis verbis εἰπεῖν, λέγειν, ἀποφθέγγεσθαι, vide Lucam cap. 11: 27. Actor. 2: 14. 22: 22. Atque hoc ipſum illud eſt, quod linguam Hebræam ſapere videtur, uti patet ex Judic. 9: 7. ubi fontes Hebræos κατὰ πόδα ſic expreſſit Verſio LXX. viralis Græca: καὶ ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ καὶ ἔκλαυσε καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Vide inſuper Ruth. 1: 9, 14. 1 Sam. 30: vſ. 4. 2 Sam. 13: 36. Plura de hac phraſi invenies apud *Joh. Vorſtium* P. II. de *Hebr. N. T.* p. 132. 266, 267.

§. VII.

(Vſ. 16. Καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης.)

Eſt hic Enallage *demonſtrativi* αὐτὸς, præcedente copula καὶ, pro *relativo* ὃς. Sic infra cap. 19: 2. καὶ αὐτὸς ἦν ἀρχιτελώνης pro ὃς ἦν. Et paulo poſt, καὶ οὗτος ἦν πλούσιος pro ὃς ἦν. Abſque copula legitur Act. 8: 26. αὕτη ἐστὶν ἔρημος, &c. c. 10: 36. οὗτός ἐστι πάντων κύριος. Alias hæc pronominum Enallage valde ſolennis eſt *Hebræis*, v. g. Pſal. 9: 16. 104: 8. 142: 4. Eſ. 43: 21. Vide *Glaſſium Phil. S.* l. 3. tr. 2. c. 14: p. 200.

§. VIII.

(Vſ. 18. Οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν.

Οὐχ εὑρέθησαν *Non eſt compertum illos rediiſſe.* Vel, *Non ſunt reperti, ſive inventi, qui redierint,* i. e. Non fuerunt, non apparuerunt reverſi. Ευρίσκεσθαι enim, ut apud Hebræos נמצא ponitur vel pro *eſſe*, ut Exod. 35: 23. Mal. 2: 6. Hebr. cap. 11: 5. vel pro *apparere*, ut Proverb. 10: 13. Rom. 7: 10. Phil. 2: 8.

§. IX.

(Vſ. 19. ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.)

Τὸ τῆς πίστεως ὄνομα priſcis Græcis pro *fidelitate* plerumque, rarius pro *fiducia* adhibetur. Amplius quippiam apud S. Scriptores deſignat. Hinc formulæ illæ, quibus nil frequentius; ἡ πίστις εἰς τὸν κύριον, εἰς χριστὸν, ἐν χριστῷ, πρὸς τὸν Θεὸν, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι: tum, πιστεύειν εἴς τινα (quod in Johannis Euangelio ſolo tricies ſexies reperitur) εἰς τὸ ὄνομά τινος, τῷ ὀνόματι, ἐπί τινι, ἔν τινι, fruſtra in Græcorum priſcis monumentis quæruntur. De quibus & ἰσοδυνάμοις phraſibus, ἐλπίζειν εἴς τινα, ἔν τινι, ἐπί τινι, ἐπί τινα late differentem vide ſis *Joh. Vorſtium* P. II. de Hebr. N. T. à p. 230. ad p. 241.

§. X.

(Vſ. 22. ἐλεύσονται ἡμέραι, ὅτε ἐπιθυμήσητε.)

Vox ἡμέρα ſæpiſſime uſurpatur ab Euangeliſtis, ubi juxta vulgarem Græciſmum poneretur χρόνος aut καιρός· ita h. l. ἐλεύσονται ἡμέραι, pro ἐλεύσεται καιρός, & verſ. 26. ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Νῶε, *tempore Noachi*, vſ. 18. ἐν ταῖς ἡμέραις Λώτ, i. e. *tempore Lot*, vſ. 31. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ h. e. *tempore illo.* Sic infra cap. 19: 43. ἥξουσιν ἡμέραι, i. e. *veniet tempus.* Huc ſpectant & illæ locutiones: Luc. 2: 1. ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, vſ. 6. ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν, pro quo magis Græce dicitur, Lucæ 1: 57. ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν. Confer com. 21. & 22. cap. 2. Quæ omnia Hebræorum idioma ſapere videntur. Vid. Gen. 25: 24. 29: 21. 2 Reg. cap. 15: 18. 37. Eſr. 4. 7. & locos infinitos alios. Totius phraſeos ἐλεύσονται ἡμέραι exempla habes Jerem. 30: 3. & 31: 27. Non q. eſt ibi verbum fut. temporis. (Dicitur enim באים הימים LXX. ἔρχονται ἡμέραι,) Illud tamen Participium בא etiam fut. tempus deſignare ſolet, ut cum dicitur הבא עולם *mundus futurus.* Fit quidem apud Græcos etiam, ut ἡμέρα quandoque *pro tempore* ponatur, (exempla è *Sophocle*, *Ariſtotele*, *& Heſiodo*; vide ſis apud *Pſochenium Diatr.* Sect. 51.) hoc tamen non promiſcue fit, & ubivis, aut *in narrationibus*, vel *hiſtoriæ deſcriptione*, locum habet. Nunquam enim ſcriberent Græci, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ Νῶε, ſed vel, ἐπὶ τοῦ Νῶε, vel κατὰ τὸν τοῦ Νῶε καιρόν. Vide omnino *Th. Gatakerum Diſſert. de ſtylo N. T.* cap. XXV. nec non *Joh. Vorſtium de Hebr. N. T.* P. I. p. 106. ſeqq.

§. XI.

(Vſ. 24. οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.)

(1) In Hiſtoria Euangelica non raro Salvator noſter υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου dicitur, vide verſ. 22. 26. 30. hujus capitis, & infra Cap. 18: 8. 31. 19: 10. Eſtque modus loquendi Hebræis uſitatiſſimus, quo בן אדם *filius hominis* pro *homine*, ponitur, ita ut vox בן *filius* plane redundet. Vide Ezechielem per totam Prophetiam. It. Geneſ. 11: 5. 1 Reg. 8: 39. Eccleſ. 3: 10. Nec minus hoc in cognatis linguis Chaldæa, Syra & Arabica frequens eſſe docet *Joh. Vorſtius* l. c. P. I. p. 333. Chriſtus autem ſe quaſi peculiariter *Filium hominis* appellavit, ut prædicaret ſuam *humanitatem*, quod factus ſit ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, *perinde ac quiſque è vulgo hominum*, Phil. 2: 7.

(2) Cæterum, an & apud Græcos ῥῆσις illa (υἱοὶ ἀνθρώπων pro ἄνθρωποι) occurrat, merito quis dubitet. Solent equidem Græci vocem παῖδες per pleonaſmum addere atque præmittere, tum Nominibus *Artificum*, ut παῖδες ἰατρῶν, μουσικῶν, ῥητόρων, pro ἰατροὶ, μουσικοὶ, ῥήτορες, tum Nominibus *Gentilibus*, ut παῖδες Ῥωμαίων, pro Ῥωμαῖοι, apud *Athenæum* Lib. 14. παῖδες Αἰγυπτίων, *Ægyptii*, ap. *Julianum* Epiſt. I. παῖδες Δηλίων, *Delii*, apud *Ælianum* Lib. IV. *Var. Hiſt.* c. 28. Quandoque item ipſam vocem υἷες ſic uſurpari legas apud Poëtas, ut υἷες Ἀχαιῶν pro Ἀχαιοὶ, apud *Homer.* Il. α. v. 162. υἷες Ἰταλῶν *Itali*, apud *Dionyſ. Periegeten*: Nondum tamen obſervatum eſt, ſic & loqui ſolere Scriptores illos, *de mortalibus generatim ſumtis ſimpliciter conſideratis*, & vocem υἱὸς promiſcue addere ac promittere *quibuſvis* Nominibus, adeoque dicere υἱοὶ ἀνθρώπων pro ἄνθρωποι. Sane à voce ad vocem, à formula ſpeciali ad ſpecialem argumentatio iſthic nulla eſt. Obiter nota *Plutarchum* τὸ υἷες Ἀχαιῶν (cui plane geminum eſt illud *Dionyſii* υἷες Ἰταλῶν) inter *Homeri* σχήματα recenſere, h. e. inter *modos loquendi à communi conſuetudine recedentes.* Notanda hæc contra *Sebaſt. Pſochenium Diatr. Sect. LV.* Confer *Thom. Gatakerum Diſſert. de ſtylo N. T. p. 165. Ioh. Vorſtium de Hebr. N. T. c.* 13. p. 332. ſeqq.

§. XII.

(Ibid. ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ.)

Peculiari Linguæ S. idiotiſmo *hic* & alibi *Judicium à Chriſto ferendum*, *in populum Iudaicum perfidum*, *rebellem*, *nequiſſimum*, & quod per illud ſignatum fuit, *judicium extremum*, quo *Dominus* ille unicuique retribuet ſecundum facta ſua, dicitur ἡμέρα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἡμέρα τοῦ κυρίου ἡμῶν, ἡμέρα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. Vide verſ. 26. 30. hujus capitis, Act. 2: 20. Rom. 2: 16. 1. Cor. 1: 8. 5: 5. 1. Theſſ. 5: 2. Paulo aliter per Antanaclaſin ea appellatio ſumitur v. 22. hujus capitis in verbis: ὅτε ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου pro *diebus* ſcilicet *converſationis Chriſti in his terris.* *Diem ſuum* etiam vocat Chriſtum *adventum ſuum in carnem*, *expleto tempore factum*, Joh. 8: 56.

§. XIII.

(Vſ. 30. ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται.)

Sub hac formula loquendi exprimitur *adventus Chriſti*, in vindicta & poteſtate ſua, ad *judicium* ſive *particulare*, quo jam olim perdidit gentem incredulam, nequiſſimamque Judæorum, ſive *univerſale*, quo in extremo die omnes impios æternæ damnationi adjudicabit. Cum nempe tam diu delituiſſet Chriſtus ſub *velo humilitatis*, prorupit tandem ultor, & gentem iſtam perſecutricem excidit, ſicut olim omnes impios male perdet. Præſens ἀποκαλύπτεται, pro futuro ἀποκαλυφθήσεται, quæ Enallage Sanctis Scriptoribus eſt perquam familiaris, ſine omni Hebraiſmo. Vide *Eraſm. Schmidium* ad Matth. cap. 3: 10. *Sebaſt. Pſochenium*, Diatr. S. 31. Fit illud hic non ſine emphaſi, ut indicetur, *certiſſime*, imo *breviſſime futurum*, ut Filius hominis reveletur, non prophetica prædictione, nec Euangelii prædicatione, (quod jam factum) ſed *ipſe ſeſe in illa glorioſiſſima ſua Majeſtate conſpiciendum exhibens.* Sic *Paulus* dixit, Rom. 1: 18. ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ ἀπ᾽ οὐρανοῦ.

§. XIV.

(Vſ. 31. ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος.)

Morem Architecturæ in Palæſtina uſitatæ verbis iſtis, ἐπὶ τοῦ δώματος, reſpici, certum eſt. Cum enim alias δῶμα Græcis idem ſit quod οἶκος, Euangeliſtæ hac voce nunquam aliter utuntur quam pro Hebræo גג, quo στέγος *tectum domus* deſignent, & ab *ipſa domo* diſtinguant. Vide præter hunc locum Matth. 10: 27. 24: 17. Marc. 13: 15. Luc. 5: 19. 12: 3. Actor. 10: 9. Cæterum *Proverbialis* hæc locutio *certiſſimum exitium* ſignificat, & quod, *præciſa omni mora*, *celerrime ſit effugiendum.*

§. XV.

(Vſ. 33. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολέσῃ αὐτὴν, ζωογονήσει αὐτήν.)

Verbum ζωογονέω reſpondet h. l. Hebræorum חיה non tantum *vivificandi*, ſed & *vitam conſervandi*, vel *non interficiendi* notionem habendi Gen. 6: 19. Exod. 1: 18. Pſ. 22: 20. Act. 7: 10. Solent enim verba *affirmantia* Hebræis ſæpe idem valere quod contraria *negantia.* Sic Job. 2: 2. Deus ad Satanam: *Animam ejus* שמר *cuſtodi*, h. e. *noli vitæ ejus ſtruere inſidias*, vel *ne interficias eum.* Ipſum Canonem cum exemplis aliis ſuppeditat *Glaſſius* Phil. S. L. 3. Tr. 3. can. 19. p. 295.

MEMBRUM V.

Continens Exegeſin, Cap. XVIII.

SUMMARIUM.

Πάντοτε *idem ac ſæpe vel frequenter*, §. 1. ἐκκακεῖν *ſegneſcere. Ib.* εἰς τέλος *aſſidue*, *per Græciſmum*, §. 2. *verbi* ὑπωπιάζειν *emphaſis*, §. 3. καὶ *adverſative poſitum cum verbo* μακροθυμεῖν, §. 4. *Interrogativum* ἆρα *vim minuentem habens*, §. 5. Φαρισαῖος *quale nomen?* §. 6. πρὸς ἑαυτὸν, *idem ac ſeorſim*, §. 7. Σάββατον *pro tota ſeptimana*, *phraſi Scripturæ*, §. 8. ἱλάσθητι *quid importet?* §. 9. *Verbi* δικαιοῦσθαι *ſacer uſus*, §. 10. ἢ *negative poſitum*, §. 11. *Verbi* Φυλάσσεσθαι *nova ſignificatio*, §. 12. Κάμηλος *per foramen acus ingrediens*, *Rabbinicum adagium*, §. 13. Αἰὼν *pro mundo*,

mundo, *noviter*, §. 14. Ναζωραῖος *cur Christus vocetur?* §. 15.

§. I.

(Vſ. 1. Πρὸς τὸ δεῖν, πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκακεῖν.)

(1) Vocula πάντοτε *tempus continuum* denotans, ad exemplum Hebræi תמיד *jugiter*, Exod. 27:20. 28:30. 1 Reg. 10:8. cum reſtrictione & intercapedine quadam temporis, accipiendum, h. ſ. πάντοτε *aſſidue*, *quam ſæpiſſime*, *frequenter*, *omni tempore oportuno*, *perſeveranter*, *non obſtante tædio*, *metu*, *tentatione*, *conſtanter*, *ſtatis precationum temporibus nunquam prætermiſſis*, eſſe orandum, *uſque* inſtandum, donec exaudiamur.

(2) Opponitur enim *intermiſſioni ex tædio & deſperatione*, ut ex ſequenti ἀντιθέσει conſpicitur, καὶ μὴ ἐκκακεῖν, & non *ſegneſcere* vel *elangueſcere*, & quaſi ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικᾶσθαι *à malo vinci*, ſeu *malis ſuccumbere*. Κακὸς enim proprie dicitur de *ſegni & meticuloſo*, *qui pedem refert in certamine*, & κακοὺς Græci, nonnunquam vertunt *inertes & ignavos*. Sic & ἐκκακεῖν *negligentiam denotat* aut *ignaviam* 2 Cor. 4:1. Galat. 6:9. quin & *deſpondere animum præ metu* ſignificat, 2 Cor. 4:16. Eph. 3:13. Non ergo *fatiſcendum* (μὴ ἐκκακεῖν) in precibus, ſed orandum ἀδιαλείπτως, 1. Theſſal. 5:17.

§. II.

(Vſ. 5. ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη.)

Male vertunt nonnulli εἰς τέλος per *tandem*. Rectius ii, qui exponunt per *ſemper* vel *aſſidue*, h. ſ. *ne identitem & indeſinenter veniendo*, *meque interpellando*, *pergat mihi eſſe moleſta*, idque non tam ex Hebræo לנצח i. e. *perpetuo* Pſalm. 13:1. 49:20. 79:5. 103:9. quam ex communi Græcorum uſu, qui valde frequentant phraſes has ἰσοδυναμοῦντας, εἰς παντὸς χρόνον, εἰς τέλος, διὰ τέλους. Notabilis locus eſt apud *Ioh. Chryſoſtomum* Hom. XLIII. ad Pop. Antioch. οὐδέποτε εἰς τέλος ὁ θεὸς ἐγκαταλιμπάνει τοὺς αὐτῷ προσεχόντας, i. e. *Nunquam accidit*, *ut DEUS* perpetuo (εἰς τέλος) *deſerat hos*, *qui ad ipſum accedunt*. Unde non erat, quod *Sebaſtiano Pfochenio* phraſin hanc ſatis Græcam aſſerenti Diatr. Sect. 108. refragaretur *Thomas Gatakerus* Diſſert. de Stylo N. T. cap. 40. pag. 250. prout recte judicat *Ioh. Vorſtius* Part. II. de Hebr. N. T. p. 292.

§. III.

(Ibid. ὑπωπιάζῃ με.)

Vox apud Græcos ſignificantiſſima proprie de *pugilibus* uſurpata, *qui pugnis & cæſtibus antagoniſtæ faciem ita tundunt*, *& cædunt ut livida reddatur*. Unde, quæ Latinis *ſugillata*, Græcis ὑπώπια dicuntur, *partes nempe ſub oculis*, *percuſſionibus contuſæ & lividæ*. Apoſtolo 1 Cor. 9:17. ὑπωπιάζειν idem eſt ac *domare*, & quaſi *validis ictibus reluctantem ſubjicere*. Hic tranſlate quaſi *verberationem interpellationis inſolentioris* indicat, & commode redditur per τὸ *obtundere*, quod Latinis eſt *ad faſtidium aliquid repetere*. Terentius: *Ne me obtundas de hac re ſæpius*, i. e. *Ne ſis moleſtus auribus meis commemorando*. In qua catachreſtica verbi ὑπωπιάζειν metaphora, *Latiniſmum* eſſe non male judicat *Grotius*, quales multi apud *Lucam*.

§. IV.

(Vſ. 7. καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς.)

(1) Vocula καὶ adverſative poſita pro *quantumvis* non ſecus ac Hebræorum ו. 2. Sam. 9:11. Zach. 12:8. de quo *Glaſſius* Phil. S. l. 4. Tr. 1. Obſ. 7. p. 688. Idem uſus particulæ καὶ habetur Act. 7:5. Hebr. 3:9.

(2) In participio Ὁ μακροθυμῶν *dilationis* ſignificatio eſt, quæ ut debitori prodeſt, ita gravis ei, qui vim patitur. Senſus igitur totius commatis: *Deus autem*, *annon vindicabit Electos ſuos clamantes ad ipſum die ac nocte*, *etiamſi differat animadverſionem*, *quæ tamen acceleratura eſt*, ceu patet ex comm. ſeq. 8. ὅτι ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει. Idem loquendi genus in eadem re uſurpat *Siracides* cap. 35:21, 22. καὶ ὁ κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ κραταιὸς, *non faciet moram*, *nec tardus erit erga illos*, *pœnam ſc. eorum differens*.

§. V.

(Vſ. 8. ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς.)

Interrogativum ἆρα non habet h. l. vim *negantem* ſed *minuentem*, non ſecus ac Hebræorum interrogationes, 1. Sam. cap. 2:15. *ſi quis peccaverit in Dominum*, *quis orabit pro eo?* h. e. nemo facile eſt oraturus. Confer 1. Sam. 12:23. Sic Eſ. cap. 53:1. *Quis credit auditui noſtro?* h. e. pauci ſunt qui credunt. Similiter & h. l. Chriſtus vult dicere; *Rara erit avis in terris vera & Chriſtiana fides*, ſive *pauciſſimi erunt vere credentes*. Fruſtra igitur Photiniani ex hoc loco colligunt, *fieri poſſe*, *ut tota pereat militans Eccleſia*.

§. VI.

(Vſ. 11. ὁ Φαρισαῖος.)

Φαρισαῖος nomen Hebræum, in plural. פרושים Græcam terminationem & פ initiale aſpiratum habens, *eum* ſignificat, qui ἀποκεχωρισμένος *abſciſſus* vel κεχωρισμένος *ſeparatus & ſegregatus* מדרכי עולם *à communi vitæ conſuetudine*, *vitam religioſiorem colit*, *à radice* פרש *ſeparavit*. Cum enim hoc genus Hominum *religionem* tam ſuperciliofam induiſſet, ut vulgo dicerent, *Procul apage*, *ego te ſanctior*, juxta vaticinium *Eſaiæ* 65:5. & in eo ſummam *ſanctimoniam* ponerent, *à vulgo tanquam profano ſe retrahere*, neceſſarium certe fuit, ſub norma & regula auſteriori ſe ſubdere, & circumſcribere, ut præter ſuperbiam ac nimium ſibi arrogantem iſtam *ſeparationem*, nomen famamque *religioſorum* in rebus aliis retinerent. Sic ex Hebræis ſentiunt illi omnes, quibus aliquis inter Eruditos locus. Vide *Hottingerum* Theſ. Phil. lib. 1. c. 1. Sect. 5. pag. 26. & *Joh. Lightfootum* Hor. Hebr. ad Matth. cap. 3:7. pag. 229. ſeqq. Cæteras conjecturas circa etymologiam hujus vocis erudite examinat *Joh. Camero* in Myrothec. Euangel. ad Matth. cap. 3:7. Huic adde *Scaligerum* Elench. Trih. cap. 6. *Buxtorfium* Lex. Talmudico, atque alios plures, qui *Phariſæorum* originem, ſectas, mores ac inſtituta tradiderunt.

§. VII.

(Ibid. σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, ταῦτα προσηύχετο.)

Verba, πρὸς ἑαυτὸν, cohærent potius cum participio σταθεὶς quam verbo προσηύχετο, ut ſenſus ſit: *Phariſæus ille ſtabat apud ſe*, h. e. *loco ſuo*, *præcipuo ſc. aliquo*, *ubi conſpiceretur*, *procul à Publicano*, *ad intimum templi ſeptum adyto proximum*, *illo in Gentium atrio relicto*. Sic infra de Publicano vſ. 13. μακρόθεν ἑστὼς, *longe* à Phariſæo *ſtans*. Sunt, qui illud πρὸς ἑαυτὸν reſpondere dicunt Hebræo לבד quod LXX. Zachar. 12:12, 13. decies reddiderunt, καθ' ἑαυτὸν *ſeorſim ſolus*. Id quod *Phariſæorum* nomini egregie convenit, ex Gentilium & Profanorum contactu impuritatem ſibi metuentium. Syrus ita circumloquitur. *Stans inter ſe & animam ſuam*, i. e. *totus in ſe ipſum verſus*, *ſibi ipſi tantum intentus*, *& nihil niſi ſe ipſum ſpectans*, ut ita πρὸς ἑαυτὸν uſurpetur pro παρ' ἑαυτῷ, ἐν ἑαυτῷ, *apud vel intra ſe ipſum*. Vide Marc. 9: vſ. 10. 33. 10:26.

§. VIII.

(Vſ. 12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου.)

(1) Σάββατον non uti *Lactantius* putavit L. 7. Inſtit. div. c. 14. lingua Hebræorum à numero ſeptenario (שבע, *ſeptem*) nomen accepit, ſed à radice שבת *quievit*. Oppido ergo falſus fuit *Plutarchus* in aſſignando hujus vocis etymo L. IV. *Symp. cap. ult.* ita ſcribens: οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. Σάββους γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τοὺς Βάκχους καλοῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ θεῷ, κτλ. i. e. *Opinor etiam Sabbatorum ferias non plane à* Baccho *eſſe alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi* Bacchos *appellent*, *eamque edant vocem*, *dum orgia* Bacchi *celebrant*, &c. Et paulo poſt: καὶ οὐκ ἀπὸ τρόπου τις ἂν φαίη, τοῦτο μὴ πεποιῆσθαι πρός τινα σέβησιν, ἢ κατοχὴ τοὺς βακχεύοντας, i. e. *aliquis forte dixerit factum eſſe ob* aſebeſim, i. e. *impietatem*, *qua tenentur bacchantes*. Quam ſuam deinde ſententiam variis argumentis à Judæorum ceremoniis ac ritibus deſumtis, demonſtrare inſtituit, ſed fruſtra. Nihil enim, ut Sacræ nos docent Literæ, *Sabbato* cum Bacchi *Sabbis* commune.

(2) Sub notione vero *ſeptimæ diei*, Græcis pariter ac Latinis Scriptoribus nota vox illa fuit, qui non tantum dixerunt σάββατον *Sabbatum* ἑνικῶς; ſed & πληθυντικῶς *Sabbata* σάββατα, quod non raro etiam contingit in N. T. Præter *Plutarchi* locum modo adductum vide *Suetonium* in Auguſto c. 72. *Juſtinum* l. 36. *Juvenalem* Sat. VI. *Perſium*, *Petronium* &c. *Hic* & alibi Marc. 16:2. 9. Joh. 20:19. in numero tam plurali quam ſingulari *omnes ſeptem dies*, ſeu *totam ſeptimanam* ſignificat, quæ à *Sabbato* incipiens, & in *Sabbatum* deſinens à *præcipuo* die hic vocatur σάββατον. Vide Matth. 28:1. *Sabbatis* enim jejunaſſe Judæos verum, ſi *Sabbatum* pro *hebdomade* accipiamus; ſin, ut ſolet, de *ſeptimo die hebdomatis*, intelligamus, falſum omnino eſt. Et tamen *Romani*, qui norant crebra ab iis uſurpari jejunia, cum præcipua caſtimonia Sabbatum ab iiſdem celebrari viderent, ignari morum ejus Gentis, iſtud ſibi temere perſuaſerunt, ſicuti videre eſt ex locis *Suetonii & Juſtini* jam citatis.

§. IX.

(Vſ. 13. ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.)

Peculiari Linguæ S. idiotiſmo verbo ἱλάσθητι ſimul includitur *cauſa meritoria propitiationis*, quæ eſt *Filius Dei mortem cruentam pro nobis paſſus, & à DEO nobis conſtitutus in* ἱλαστήριον, i. e. *Propitiatorium*, Rom. 3: 25. Joh. 2: 2. 4: 10. Hebr. 2: 17. Ipſa hæc vox ἱλάσθητι pro qua ἵλαθι habent Poëtæ exſtat Pſ. 25: 11. & Dan. 9: 19. apud LXX. qui alias Hebræum סלח vertunt ἵλεων εἶναι, Num. 14: 20. ἱλασθῆναι, 2 Reg. 24: 4. ἐξιλατεύειν, Pſ. 103: 3.

§. X.

(Vſ. 14. Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος.)

Quod verbum δικαιοῦσθαι *juſtificari*, hic & alibi, ubi de *juſtificatione hominis peccatoris coram DEO ſermo eſt*, reſpondeat Hebræo צדק & in ſignificatu *forenſi* idem ſit ac *juſtum pronunciari ſive abſolvi à peccatis*, etiam in vulgus notum. De eo vero dubitatur, an hic ſacer uſus vocis δικαιοῦσθαι à *communi Lingua Græca* deſcendat. Nobis placet ſententia *B. Chemnitii*, qui Loco de juſtif. c. 4. p. m. 626. monet, *obſervandam eſſe differentiam* inter vocis hujus apud S. Scriptores & Profanos *uſum etiam forenſem.* Quamvis enim apud Græcos *ſimpliciter* verbum *forenſe* ſit; *Non tamen*, inquit, *omnino congruit ad phraſin Scripturæ, quæ juſtificare, pro juſtum pronunciare, uſurpat fere ſemper de Perſonis: Græci vero de ipſis Cauſis vel Negotiis uſurpant. Hebræis item juſtificare ſignificat, eum, qui abſolutus eſt, defendere. Græcis vero uſurpatur in alteram partem pro condemnare, vel condemnatum punire, id quod in Scriptura non fit.* Uno verbo: Profani τὸ δικαιοῦν in ſenſu forenſi & de *Rebus*, & de *Perſonis* adhibent; de *Rebus*, pro *æquum cenſere*; De *Perſonis* pro *condemnare, punire*; Scriptura vero in ſenſu forenſi hanc vocem tantummodo de *Perſonis* adhibet pro *juſtum declarare, vel à peccatis abſolvere.* Quæ ſignificatio perpetua eſt in LL. Scripturæ, ubi *de Deo juſtificante impium coram tribunali ſuo* agitur. Conſule *Concordantias* tum Græcas, tum Hebræas.

§. XI.

(Ibid. ἢ ἐκεῖνος.)

Sunt, qui locum hunc varie depravatum eſſe velint. Nec dubitat *Grotius*, quin Lucas ſcripſerit παρ' ἐκεῖνον quod & Codices multi hanc lectionem retinuerint, & Latini vetuſtiores ita legerint. Addit Luc. 13: 2, 4. Peccatores παρὰ πάντας dici, *qui cæteris ſunt flagitioſiores.* Sed hæc tanti non ſunt, ut à communi & plerisque Codicibus uſitata lectione nos avertere debeant, in qua pro negativo οὐκ poſitum eſt comparativum ἢ ſubintellecto μᾶλλον, hoc ſenſu: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam* (magis) *quam ille*, id eſt, *Publicanus deſcendit juſtificatus, Phariſæus plane non.* Factum hoc eſſe videtur ex more loquendi Hebræo, (quamvis nec Græcis nec Latinis hoc prorſus ignotum eſſe putem) quo *comparatio per negationem*, & vice verſa *negatio per comparationem exprimi ſolet*, Gen. 38: 26. 1 Sam. 24: 18. Pſ. 118: 8. Hoſ. 6: 6. Job. 35: 2. *Sixtinus Amama* Gramm. Hebr. L. 2. pag. 199. hunc locum exponere mavult *ſine Ellipſi* τοῦ μᾶλλον, non ſecus ac Veteres expoſuerunt illud *Homeri*:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

i. e. οὐκ ἀπολέσθαι. Sed recte B. *Glaſſius* Phil. S. L. 3. tr. 5. can. 21. pag. 485. *particulam* μᾶλλον, quæ ſæpe non tam comparationis, quam correctionis, vel oppoſitionis nota eſt, *hunc idiotiſmum cumprimis efficere*, putat. Vide 1 Cor. 7: 9. Joh. 3: 19. 1 Petr. 3: 17.

§. XII.

(Vſ. 21. ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην.)

Loca παράλληλα, ubi verbum φυλάττειν ad exemplum Hebræi שמר idem eſt ac *opere ſive facto exequi mandata*, leguntur, Matth. 19: 20. Marc. 10: 20. Act. 21: 24. Rom. 2: 26. 8: 4. Gal. 6: 13. 1 Timoth. 5: 21. Hanc phraſin Græcis etiam familiarem eſſe, ut probet *Pfochenius* Sect. 60. duos verſiculos *Heſiodi* producit, unus eſt x. 489. Ἔργ. ἐν θυμῷ δ' εὖ πάντα φυλάσσεο. Alter v. 559. ibidem Ταῦτα φυλασσόμενος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτόν. Sed prius exemplum plane ἀπροσδιόνυσον; poſterius utut noſtris geminum videatur, cum tamen unicum, idque Poëticum ſit, *familiarem Græcis phraſin hanc eſſe*, probare nequit. Taceo, hunc & ſequentes duos verſus in *Heſiodo* pro ſubdititiis expungendos eſſe, jam olim cenſuiſſe *Plutarchum*, nec illos agnoviſſe *Moſchopulum.* Vide *Joh. Georg. Grævii Lect. Heſiod.* c. 14. p. 71. v. 561.

§. XIII.

(Vſ. 25. εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.)

(1) Totidem verbis idem Effatum legitur, Marc. 10: 25. item, Matth. 19: 24. niſi quod hic pro τρυμαλιᾶς (à τρύω *perforo*, unde ἡ τρύμη *foramen*) appareat τρυπήματος, à τρυπάω *terebro.* Ubique ſenſus eſt, *tam hoc quam illud fieri nequaquam poſſe.* Simile loquendi genus ſupra c. 16: 17. fuit illud: *facilius eſt cœlum & terram perire &c.*

(2) Ipſa Phraſis, κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς (τρυπήματος) ῥαφίδος εἰσελθεῖν, pro adagio Hebraico habenda, quo ἀδύνατόν τι, res item *inuſitatiſſima difficillimaque* innuitur. Frequentatur apud Talmudiſtas de *Elephante.* Loca Talmudica ſuggerunt *Angelus Caninius de LL. N. T. Hebr. c. 9. p. 33. Joh. Lightfootus Hor. Hebr. ad Matth. c. 19: 24. pag. 403. Joh. Vorſtius Diatrib. de Adag. Nov. Teſt. c. 3. p. 14. ſeqq.* Chriſtus autem *Elephantis* loco ſubſtituit *Camelum*, tanquam animantis genus in Syria vulgo notius, ut alibi *oculum* pro *dentibus*, Matth. 7: 3. obſervante *Druſio in proverb.* Alii colligunt inde, proverbium æque de *Camelo* ac de *Elephante* uſurpatum apud Hebræos fuiſſe; quamvis in ipſis Codicibus Hebraicis, ejus exempla nondum ſint obſervata. Vide *Joh. Vorſtium. l. c. p. 11.*

(3) Qui Dominum ad ipſum illud adagium Hebræum de Elephante alluſiſſe negant, adeoque vocem κάμηλον de *fune nautico*, ſive *rudente* exponere malunt, ad *analogiam* majorem inter *rudentem* & *filum*, quod per foramen acus induci ſolet: ad *Syri & Arabis* verſionem: ad *Theophylacti, Euthymii & Phavorini* expoſitionem: ad autoritatem *Suidæ & Scholiaſtis Ariſtophanis*, qui vocem (κάμιλος) per ι ſcribentes ita ſumunt: ad ſimile denique *proverbium* Talmudicum (*Gravis eſt exitus animæ ex corpore, ut rudentis per foramen anguſtum*) provocat. Vide ſis *Caſtalionem*, ac præprimis *Bochartum Hieroz. Part. I. L. 2. c. 3. p. 91.*

(4) Sed omnes has rationes minime obſtare priori ſententiæ, erudite oſtendit *Joh. Vorſtius Diatr. de Adag.* c. 3. p. 15. 16, 17. Idem Muhammedem quoque in *Alcorano* ad Proverbium Hebræum, quo Dominus hic uſus eſt alluſiſſe, nec *Rudentem*, ſed *Camelum* nominare voluiſſe, contra laudatum *Bochartum* ſolide evincit. p. 18.

§. XIV.

(Vſ. 30. Καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.)

In antiquis Hebræorum monumentis duo invicem ſecula ſibi opponuntur עולם הזה *ſeculum hoc*, & עולם הבא *ſeculum futurum*, vid. *Hackſp.* ad Lucam c. 20: 36. Idem obſervare licet apud N. T. Scriptores, *mundum* præſentem & futurum (quorum *ille* dicitur ὁ αἰὼν οὗτος, ὁ νῦν αἰών, *hic*, αἰὼν ὁ ἐρχόμενος, αἰὼν ὁ μέλλων, ὁ αἰὼν ἐκεῖνος) ſæpe ſibi invicem opponentes, vide præter hunc locum, Matth. 12: 32. Marc. 10: 30. Luc. 20: 35. Epheſ. 1: 21. 2: 7. 1 Tim. 6: 17. 2 Tim. 4: 10. Cœpit autem vox αἰών, præter *illas vulgares notiones*, in Libris N. T. ſignificare *mundum* ſive *præſentem*, ſive *futurum*, ad imitationem Hebræi עולם non tantum *æternitatem*, ſed etiam *mundum* deſignantis. Confer Eccl. 3: 11. Sic & Deus à Rabbinis dicitur מלך מר העולם *Rex Dominus mundi*, vide *Joh. Vorſtium* P. 1. de Hebr. c. 2. p. 38. ſeqq. Vulgo hæc vox αἰών [quaſi αἰὲν ὤν] ſignificat *æternitatem*, item *vitam hominis, tempus humanæ vitæ.* Hinc αἰῶνα λιπεῖν *vitam relinquere*, ἡδὺν αἰῶνα διάγειν, *jucundam vitam vivere*, τὸν αἰῶνα τελευτᾶν *vitam finire.*

§. XV.

(Vſ. 37. Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται.)

Nomen Ναζωραῖος ab oppido *Nazareth* deductum non unam ſcriptionem habet: Nam apud LXX. Ναζαραῖος vel Ναζηραῖος, apud *Joſephum & Scriptores Chriſtianos Græcos* Ναζιραῖος, in Novo autem Fœdere modo Ναζαρηνός, Marc. 1: 14. 14: 67. modo Ναζαραῖος, Matth. 26: 71. 18: 7. modo Ναζωραῖος Joh. 18: 5. 19: 19. ſcribitur. Confer Matth. 2: 23. ubi reſpicere videtur Evangeliſta loca illa, quibus Chriſtus dicitur נצר, Eſ. 11: 1. 9: 21. qua voce per στενίζειν, h. e. *ænigma minus ſeu anguſtius*, locum educationis Chriſti *Nazareth* prænotatum fuiſſe, ait *Franciſcus Junius* apud *Glaſſ.* Rhet. S. tr. 1. c. 22. p. 513. Adde quod in Veteri Fœdere ii, qui ſupra communia legis præſcripta, ex peculiari quadam ſanctimonia Deo ſemet ipſos dedicarent, נזירים *Naſiræi* vocarentur; Id autem in Chriſto *eminenter* impletum, ut qui non vini abſtinentiæ, aliusve id genus ceremoniis, ſed morti cruentæ ultro ſe devoverit. Confer Joh. 7: 19. Vide *Spanhemium* Dub. Evang. P. 2. p. 632. *Franc. Junium* in parall. p. 39. ubi de vocis homonymia, ambigua ſcriptione, & vera Etymologia ἀκριβῶς agit.

MEM-

MEMBRUM VI.

Continens Exegesin Cap. XIX.

SUMMARIUM.

Ζακχαῖος nomen Hebræo-Syrum, §. 1. *Præpositionis ἀπὸ non vulgaris usus*, §. 2. *Verbum συκοφαντεῖν*, §. 3. *Προσθεὶς, qualis locutio?* §. 4. *Verbum selectum πραγματεύεσθαι*, §. 5. *τὸ εἰπεῖν in jubendi significatu*, §. 6. *Ἐργάζεσθαι καὶ ποιεῖν, pro negotiari & adquirere*, §. 7. *Σουδάριον Latina vox*, §. 8. *Pleonasmus pronominis ἀπ' αὐτοῦ*, §. 9. *Τέκνα Ἱερουσαλὴμ, pro incolis urbis*, §. 10. *Ἐδαφίζειν ad terram prosternere*, *Ibid.* *Λίθον ἐπὶ λίθῳ οὐκ ἀφεῖναι proverbialiter dictum*, §. 11. *Καιρὸς τῆς ἐπισκοπῆς de beneficiis*, §. 12. *ἐκκρέμασθαί τινος de Autoribus* §. 13.

§. I.

(Vs. 2. Ἀνὴρ ὀνόματι καλούμενος Ζακχαῖος.)

Ζακχαῖος vocabulum *Hebræo-Syrum* Græcam terminationem habens. Radix Syra est זכא *mundavit, justificavit*, Hebræa זכה & זכך *purus fuit*; Ζακχαῖος igitur respondens Syriaco זכי & Hebræo זך idem est, ac *innocens, insons, ἀναίτιος, ἀνυπαίτιος*. Nomine *Zaccai* fuit etiam pariter quidam numerosæ familiæ, Ezr. 2: 9. nec non R. *Zaccai* pater *Rabban Jochananis*; qui num idem cum *Zacchæo Publicano*, cui sane σύγχρονος fuit, erudite disquirit *Jo. Lightfoot.* ad h. l. pag. 870.

§. II.

(Vs. 3. οὐκ ἠδύνατο ἀπὸ τοῦ ὄχλου.)

Præpositio ἀπὸ Hebræorum מ respondet, ac idem est quod *præ, propter, ob*, ut sensus sit: *Non potuit videre propter turbam*, vel, *præ turba*. Similem significatum obtinet מ, Deut. 7: 9. ἀπὸ Matth. 18: 7. οὐαὶ τῷ κόσμῳ, ἀπὸ τῶν σκανδάλων, id est, propter *scandala* Joh. 21: 6. οὐκ αὐτὸ ἑλκύσαι ἴσχυον ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων, i. e. præ *multitudine piscium*.

§. III.

(Vs. 8. καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα.)

Notum Συκοφάντας Athenis dictos, qui indicabant eos, qui *ficus* ex Attica exportassent. Vetitum enim erat olim, σῦκα ἐξάγειν ἐκ τῆς Ἀττικῆς τοῦ φυτοῦ κατ' ἀρχὰς θαυμαζομένου. Usus deinde obtinuit, ut generatim quilibet συκοφαντεῖν diceretur, qui *calumniosas criminationes comminiscebatur*, aut *falsa crimina deferebat*. Ut ergo συκοφαντεῖν alias est *falso deferre, & crimen data opera impingere, quo nonnihil emolumenti extorqueatur à reo*; Ita optime ad usum Græciæ, *Publicanis* convenit, *qui quod alterius, vel alienum erat, dolosis artibus suum facere, & per calumnias fraudulenter ad se rapere didicerant*. Promtum sane his ipsis hoc συκοφαντεῖν fuisse, patet ex *Sanhedrim* f. 252. *Cum Rex imponit tributum exigendum à Judæis, ab unoquoque secundum opes suas, hi publicani, quorum est æstimare uniuscujusque opes, nonnullis favent, & censum eorum mitigant, alios vero onerant, plusquam æquum.* Quem locum suppeditat nobis *Jo. Lightfoot.* Hor. Hebr. ad h. l. pag. 871. Loquitur autem de *publicanis majoribus*, cujus ordinis fuisse *Zacchæum* nostrum, titulus Ἀρχιτελώνου suadere videtur. Jungitur hoc συκοφαντεῖν alteri cognato διασείειν apud Lucam, cap. 3: 14. Μηδένα διασείσητε, neminem (concutite) i. e. *terrore injecto, pecuniam aut simile quid alicui exprimite*, μηδὲ συκοφαντήσετε, i. e. neque *dolo*, aut certe *occulte surripite*, ut sic διασείειν ad *vim manifestam*, συκοφαντεῖν ad *rapinas fraudulentasque injurias* referatur. Sicuti *Hebræi* distinguunt Hebr. גזל & עשק quorum illud ad *vim*, hoc ad *fraudem* pertinet. Utrumque *militibus* nimium quam familiare.

§. IV.

(Vs. 11. προσθεὶς εἶπε παραβολήν.)

Hebræis solenne est, *verbum finitum, loco infiniti, alteri verbo finito subjungere.* Sic Gen. 9: 20. *Et cepit, & plantavit* vineam, pro cepit plantare vineam. Deut. 2: 31. *Incipe possede*, pro incipe possidere. Hos. 1: 6. *Addam miserebor*, h. e. addam [pergam] misereri. Talia cum vertenda essent Græcis Interpretibus, usi sunt & ipsi vel duobus verbis finitis, Dan. 10: 18. καὶ προσέθετο καὶ ἥψατό μου, vel participio loco verbi prioris, Genes. 38: 5. προσθεῖσα ἔτι ἔτεκεν υἱὸν ἕτερον, Job. 29: 1. προσθεὶς Ἰὼβ εἶπε. Et ita prorsus S. Lucas h. l. προσθεὶς εἶπε, *addens dixit*, pro προσέθετο καὶ εἶπε, *addidit & dixit*, hoc est, *addidit* (perrexit) *dicere*.

§. V.

(Vs. 13. Πραγματεύσασθε ἕως ἔρχομαι.)

Prorsus ad Græcorum usum, verbum πραγματεύεσθαι hic est *negotiis quæstuosis καὶ χρηματιστικοῖς occupari, in aliqua re ad lucrum negociari, pecuniam collocare*, uti loquuntur Juris Autores. Ἐργάζεσθαι ἐν αὐτοῖς, Matthæus dixit, cap. 25: vs. 16. Cum accusativo *jungit Basilius* in Proverb. ἔμποροί ἐσμεν διὰ τῆς ἐργασίας τῶν ἐντολῶν, τὴν κτῆσιν ἑαυτοῖς τῶν ἐπουρανίων πραγματευόμενοι. Alias idem est ac *philosophari & commentari*, hoc est, *animo occupari circa indagationem veritatis & recti*. Plato Lib. IV. de Rep. Ἵνα μηκέτι πραγματευώμεθα περὶ σωφροσύνης *ne inquiramus & commentemur*. In genere significat, *res & negocia regere*, Xenoph. l. 2. Κύρουπαιδ. πολλάκις γὰρ ὅλην τὴν νύκτα ἄυπνος πραγματεύῃ, i. e. *Totam noctem insomnis re gerenda occuparis*. Consule Thes. G. L. *H. Stephani* & cumprimis *Guil. Budæi* comment. L. Gr. pag. 422, 423.

§. VI.

(Vs. 5. καὶ εἶπε φωνηθῆναι αὐτῷ τοὺς δούλους.)

Τὸ εἰπεῖν in *jubendi* seu *imperandi* sensu, hic & Matth. 4: 3. positum esse videtur, more Hebræorum, qui אמר & דבר familiariter ita usurpant, inque ea re LXX. Interpretes sequaces habent, haut raro Hebræorum צוה verbo εἰπεῖν exprimentes, Exod. 35: vers. 1. Levit. 9: vers. 6. Sed tamen & Græcis in eo significatu haut ignotum est. Exempla ex *Euripide* vide sis apud *Pfochenium*, Sect. 79. è *Thucydide*, *Luciano*, *Epicteto* apud *Gatakerum* Dissert. de stylo N. Test. cap. 28. pag. 226. *Atticorum* peculiare hoc esse contendit *Henr. Stephanus* in Tract. de Dialectis.

§. VII.

(Vs. 16, 18. ἡ μνᾶ σου {προσειργάσατο / ἐποίησε} {δέκα / πέντε} μνᾶς.)

(1.) Τὸ ἐργάζεσθαι & τὸ ποιεῖν hic non *operari* sive *rem producere*, sed *rem productam acquirere* sive *negotiari*, significant. Suntque annotante *Ludovico de Dieu* ad Joh. 6: 27. pag. 432. ipsissimum Hebræorum עשה, quod idem interdum valet ac קנה, i. e. *acquisivit*, Genes. 31: 1. ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν πεποίηκε (עשה) πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην. Deut. 8: 17. ἡ κράτος τῆς χειρός μου ἐποίησέ μοι τὴν δύναμιν τὴν μεγάλην ταύτην. Bene tamen idem *Dieu* observat, phrasin hanc & cæteris Linguis esse notam. *Rem facere*, inquiens, *h. e. colligere opes, acquirere, lucrari, in omnibus linguis dicitur.*

(2.) Græcis sane eleganter vocatur *pecunia* ἐργαζομένη vel ἐνεργὸς, *quæ negotiationi impenditur*, & contra ἀργὸς, id est, *ociosa, quæ domi asservatur*. Similiter ἐργάζεσθαι τὴν θάλασσαν apud *Plutarchum* dicitur, *qui ex mari quæstum facit*, annotante *Beza* ad h. l. Sic ἐργάζεσθαι χρήματα est κερδαίνειν καὶ προσοδεύεσθαι, καὶ πάσῃ τέχνῃ καρποῦσθαι. Quin & aliquando ἐργάζεσθαι idem quod φιλοκερδεῖν, h. e. *sordidis lucris indulgere*, & αἰσχροκερδῶς ἔχειν. Vide *Budæum* L. G. p. 371, 372.

(3.) Obiter nota, *minam*, μνᾶν, apud Græcos idem esse quod *Libram & Pondo*, apud Romanos: Hæc vero *centum drachmas* continebat, h. e. circiter centum denarios Romanos. Mina igitur X. aureos coronatos valuit, ut *Budæus* & alii docent. Apud Hebræos juxta *Buxtorffium* in R. מנה *mina sacra* antiqua, L. siclos sacros continebat. *Schindlerus* ex 1 Reg. 20. & 2 Paral. 9. colligit *minam sacram* esse *centum siclos auri*. Plura vide apud *Barth. Meyerum* Ph. S. P. I. p. 283, 284.

§. VIII.

(Vs. 20. ἣν εἶχον ἀποκειμένην ἐν σουδαρίῳ.)

Latini *sudarium* usurpant pro *linteo*, *quo sudor faciei detergitur & nares purgantur*. A *Latinis* vox ista transiit non modo ad *Græcos*, ut docet nos Pollux, sed & in *Syriacum & Judaicum Idioma*, sensu nonnihil producto extra originem, ut סודר vel סודרא *linteum quodvis* significet. In qua laxiori notione vocem hanc *Latinam* non solum Lucas hic, & Act. 19: 11, 12. sed & Johannes cap. 11: 44. 20: 7. usurpant. Hoc sane in loco probabile est, *minam istam*, veluti non exiguam pecuniæ summam (vide præced. §. VII. n. 3.) in purissimo quodam linteo fuisse asservatam à servo infideli & nimium timido, quo forsan respicit Syrus, qui σουδάριον reddit סודרא id est, *Sindonem*, uti res preciosas, *preciosis* ejusmodi *linteis* involvere

atque

atque ita asservare solemus. Verba sunt *Barthol. Mayeri* Ph. S. P. I. cap. VI. pag. 28. qui alias vocabulum hoc in stylo Nov. Test. & Rabbinico, *origine Latinum* esse pernegat. Omnia tamen ejus argumenta, quæ pro hac sententia tuenda profert à pag. 283. ad 294. *unica distinctione*, inter vocis usum *laxiorem* apud Syros & Hebræos atque *strictiorem*, apud Latinos *observata*, facile dissolvi possunt.

§. IX.

(Vs. 26. Ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.)

Recte monet doctissimus *Camerarius* pronomen (ἀπ') αὐτοῦ *consuetudine Hebraici sermonis* hic πλεονάζειν. Quamvis enim Græci etiam *Herodotus*, *Thucydides*, *Pausanias*, & è Recentioribus *Agathias*, nonnunquam sic loquantur: Inque Latinis, *Plauto*, *Cicerone*, *Sallustio*, *&* *Apulejo* cumprimis, multa huic gemina occurrant, *proprie tamen dialecti Hebræorum* ille pleonasmus esse videtur, unde in linguam *Græcam* deinceps dimanavit. Hinc & *Casaubonus*, vir Græce doctissimus, ad *Apuleji* locum hunc: (*Calumniam Magiæ, quæ facilius infamatur quam probatur*, eam *solam delegit sibi ad accusandum*) proprie Dialecti Hebræorum pleonasmum illum esse agnoscit. Redundat vero *pronomen* hoc *demonstrativum* in N. T. vel post *Relativum*, ut 1 Petr. 2:24. οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε, *cujus* vibice *illius* sanati estis. Sic Exod. 4:24. Baculus, *quo* facies *illo* miracula; vel post *Nomen Substantivum*, uti h. l. & Matth. 21:41. κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτοὺς, *malos* male perdet *eos*. Sic Gen. 13:5. Omnem *terram* tibi dabo *eam*. Vide insuper è V. T. Gen. 11: vers. 1. Exod. 25:29. 2 Sam. 6:2. Esr. 5:12. Psal. 1:4. & è Nov. Test. Marc. 7:25. Joh. 1:27. Actor. 15:17. Apoc. 7:2, 9. Præter hosce *pronominis demonstrativi pleonasmos*, in N. T. multos adhuc alios demonstrare licet, sed qui in *Hebraismis* numerandi non videntur, de quibus, ut & prioribus *Jo. Vorstius* P. II. de Heb. N. T. cap. 27. à p. 117. ad p. 132.

§. X.

(Vs. 44. καὶ ἐδαφιοῦσί σε καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοί.)

(1.) *Habitatores & incolæ Hierosolymorum* dicuntur hic τέκνα Ἱερουσαλὴμ, *filii Hierusalem*, ex Hebraismo Scripturis usitatissimo, quo, si nomini בן *filius*, nomen *locis*, *urbis*, *populi*, addatur, per *civem*, *incolam*, *alumnum*, facienda declaratio est, Esr. 2:1. Psalm. 149:2. Eccles. 2:7. Es. 11:14. Jerem. 2:16. Ezech. 16:26. Vide *Glassium* Phil. S. c. 3. Tr. 1. can. 36. pag. 474. Similes ῥήσεις in N. T. comparent, Matth. 23:37. Luc. 13:34. Gal. 4:25.

(2.) Verbum ἐδαφιοῦσι nonnulli vertunt: *Solo æquabunt.* Solo æquare est *sic destruere ut ad soli planitiem redigas.* Id de *urbe* sive ejus muris & ædificiis recte dicitur, de *habitatoribus* autem non item. Rectius Vulgatus: *Et ad terram prosternent te, & filios tuos.* Id utrique convenit. *Urbs* prosternitur cum muri & ædificia diruuntur: *Filii urbis* prosternuntur: vel solo alliduntur. Sic apud LXX. ἐδαφίζειν *est ad terram prosternere & solo allidere*, Psal. 137:8. Es. 3: vs. 25. Os. 10: vers. 14. Nah. 3:10. Vide *Ludov. de Dieu Animad. ad h. l.*

§. XI.

(Ibid. οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ.)

Mos loquendi Proverbialis & Hyperbolicus, quo *summa vastatio* intelligitur. Erat id quidem verum & de *Urbe*, quæ & ipsa ut *Josephus* Lib. VII. Antiq. cap. 18. loquitur πρόρριζος ἐκ βάθρων ἀνήρπασται, *radicitus ex ipsis fundamentis eruta est*, paucis turribus exceptis, in monumentum victoriæ, & muri parte, quæ valli vice esset Romano militi.

§. XII.

(Ibid. οὐκ ἔγνως τὸν καιρὸν τῆς ἐπισκοπῆς σου.)

Ἐπισκοπὴ vox media est, modo ad *pœnas*, modo ad *beneficia* pertinens ut Gen. 50:24, 25. Exod. 3:16. 13:19. Hic ὁ καιρὸς τῆς ἐπισκοπῆς est tempus *oblatæ salutis*, *clementiæ*, (ad verbum,) *respectus*, quo Deus benigne & misericorditer respexit. Alibi ἐπισκοπὴ ἐκδίκησις, *animadversio.*

§. XIII.

(Vs. 48. ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων.)

Eleganter hoc loquendi genus adhibetur de *Auditoribus Christi & Divina Ejus docendi ratione, & dicendi suavitate captis.* Ita *Eunapius de Ædesio*, ἐξεκρέματο τῶν λόγων, καὶ τῆς ἀκροάσεως οὐκ ἀνεπίμπλατο. Metaphora à *ferro & magnete*, juxta illud *Themistii*, Τελωνίου παραφανέντος εὐθὺς ἐξεκρέμαντο ὥσπερ τῆς λίθου τὰ σιδήρια, *Pendere* etiam Latinis dicuntur, qui summa cum attentione audiunt. Vide *Pricæum in Annot. ad h. l.* qui plura tum è *Luciano*, tum è *Juvenale*, *Virgilio*, *Ovidio*, *Seneca*, *Plinio*, *Augustino* item, atque *Hieronymo* exempla suggeret. Idem monet post ἀκούων supplendum αὐτὸν, & similem ellipsin esse Luc. 22:31. ubi subaudiendum ὑμᾶς post verbum σινιάσαι. Sed quid si dicamus, intermedium αὐτοῦ & ad *prius* & ad *posterius* simul referri posse.

SECTIO DIDACTICA.

Brevibus Aphorismis veram de stylo N. T. doctrinam proponens.

APHORISMUS PRÆLIMINARIS.

CUm stylus N. T. alicubi sit pure Græcus; alibi, imo tantum non ubique Hebræo-Biblicus; sæpe Idioticus, nec raro Ὑποθέσει Evangelicæ accommodatus, atque adeo, si tota ejus facies, totumque orationis corpus spectatur, SINGULARISSIMUS appareat, nec facile unam simplicem formam sive ideam sibi imponi patiatur; haut ἀμεθόδως procedemus, si totam hanc Sectionem Didacticam in quatuor membra dispescamus, quorum *primum* de Novi Testamenti Græcismis, *alterum* de Hebraismis Biblicis, *tertium* de Idiotica loquendi forma, *quartum* de Sacra dictionis Idea materiæ Evangelicæ accommodata, ὡς διὰ βραχέων, agat.

MEMBRUM I.

De Græcismis Novi Testamenti,

APHOR. I.

In Lingua N. T. Originali Græcis Literis omnes voces conceptæ sunt.

§. 1. NIhil in Scripturis Novi Fœderis haberi, quod non *Græcis* Literis per Amanuenses suos Sanctus Dei Spiritus expresserit, norunt omnes, qui in ejus lectione se exercuerunt.

§. 2. Ratio, cur *Illi* non *Hebraice*, non *Syriace*, aut *Chaldaice*, sed *Græce* scripserint, in eo sita est: Cum tempore Christi & Apostolorum periisset *usus vulgaris Linguæ Hebrææ*; (id quod duobus argumentis evincit *Joh. Lightfootus*, Hor. Hebr. ad Matth. 1:23.) Gentisque maledictæ, ac justo Dei judicio mox rejiciendæ atque in æternam damnationem execrandæ Lingua sive *vernacula Syra*, sive affinis *Chaldaica*, Sacro usui non satis esset accommodata, (qui enim congruum fuisset, *Evangelium* scribere eorum Lingua, qui præ omnibus terrarum orbis incolis *Evangelium maxime* spernerent & oppugnarent?) sane nulla alia reperiri potuit Lingua? quæ magis congrueret Novi Fœderis Libris conscribendis, præter *linguam Græcam*, idque duas potissimum ob causas, *Communitatem* puta, atque *Dignitatem*.

§. 3. Dico (*a*) ob *Communitatem*, quia nulla lingua eo tempore, quo Ecclesiæ pomœria per totum terrarum orbem dilatanda erant, & Evangelium in gratiam non modo *Judæorum*, sed & multarum aliarum *Nationum* literis consignari debebat, magis nota inter Gentes, & familiaris, *ipsa Græca* fuit, utpote quæ per victorias *Alexandi M.* & imperium *Græcorum* in plurimis locis *plantata*, apud omnes fere Orientales in usu, & quasi vernacula fuit. Hinc & *Græca ubivis legi*, *Latinam autem linguam suis finibus exiguis contineri*, Cicero temporibus Messiæ vicinissimus in Oratione pro Archia fatetur. Quid quod ipsi *Judæi* Græcam Linguam in Judæa pro *vernacula* qu. habuerint, ac in *recitandis phylacteriis* alicubi usurparint, quæ præ omnibus aliis rebus *Hebraice* recitanda in Judæa merito opineris, uti ex *utroque Talmud* erudite probat *Joh. Lightfootus Hor. Hebr. ad Matth.* 1:23. pag. 192.

§. 4. Dico (*b*) ob *Dignitatem*, quia non solum *tota Gentilium Philosophia* hac lingua potissimum conscripta erat, sed & *Græcæ Scholæ* atque *Literæ* cæteris palmam facile præriperent. Quæ *dignitas* etiam tum ex encomiis huic Linguæ ab ipsis Judæis attributis, tum exinde patet, quod, ut *Megillah*, fol. 9. 2. *Rabban Simeon ben Gamaliel dicit*, *etiam de Libris*

Libris S. non permiserunt Sapientes, ut scriberentur in alia Lingua quam Græca &c. Unde probatur illud Rabban Simeonis? Ex eo, quod dicit Scriptura, persuadebit Deus Japheto, atque habitabit in tentoriis Semi: Verba Japheti erunt in tentoriis Semi. Et paulo post: *Persuadebit Deus Japheto,* i. e. *Decor Japheti erit in tentoriis Semi.* Ubi Glossa: *Decor Japheti est Lingua Græca, pulcherrima ex iis Linguis, quæ sunt filiorum Japheti.* Locum hunc elegantissimum è *Talmude* suggerit modo laudatus *Lightfootus* l. c. pag. 191.

§. 5. Cum ergo per prædicationem Evangelii *Gentes* cum *Judæis* ad fidem essent vocandæ, summa cum congruitate scriptum est Novum Fœdus *Lingua Gentilitia*, eaque inter Gentilitias ipsis *Judæis* fatentibus, *nobilissima.* Confer *Benedictum Ariam Montanum* in Præfat. Bibl. *Glassium* Phil. S. l. 1. tr. 4. S. 2. c. 1. p. 230. *Calovium* Crit. Sacr. tr. 2. Mem. 5. p. 439. *Wittakerum* de Scriptura S. q. 2.

§. 6. Prædictas ob rationes, Evangelium quoque suum *Græce* scripsit *Matthæus* ad credentes Judæos *Græcæ Linguæ* non ignaros: Si modo *lingua vulgo nota* atque *intellecta*, nec *lingua ingrata Gentis ingratæ Syriacæ*, eum & alios Novi Fœderis Amanuenses scripsisse arbitremur. Idem de Lingua Originali *Epistola ad Hebræos* statuendum, & alterius *ad Romanos* scriptæ, quamvis in illa Ecclesia *Judæi*, ad quos *Syriace*, in hac *Romani*, ad quos scripsisse *Latine* videri posset consonantius.

§. 7. Quod autem *Pfochenius* in speciali Diatr. de Ling. Gr. N. T. purit. Sect. 6. ait: Deum voluisse doctrinam Evangelii longe suavissimam & jucundissimam *Lingua Græca* propagari, eo quod Lingua hæc *suavitatis* atque *jucunditatis*, *emphaseos*, *fœcunditatis*, *necessitatis* &c. intuitu, omnibus reliquis Linguis sit anteferenda, nec ulli Linguæ nisi soli Hebrææ, *antiquitate* cedat, in eo mirum fallit atque fallitur, veluti prolixe ac erudite hoc ostendit *Thomas Gatakerus* in Dissert. de stylo N. T. cap. 2, 3, 4. à p. 5. ad 51. quem si lubet vide.

APHOR. II.

Nec minus ipse N. T. contextus magna ex parte pure Græcus est, ac sæpe tali dictione gaudet, cujus nec Scriptores Græcos nitidissimos puderet.

§. 1. SUb Græcismis N. T. comprehendo simul *Kœnismos*, hoc est, *formulas loquendi illas, quas purissimi & probatissimi Græci cum aliis linguis communes habent.* Quamvis enim voces, arbitrariæ cum sint, flexione atque sono discrepent, sæpe tamen phrases, quia naturales sunt, apud diversas & ἑτερογλώττους Gentes eædem inveniuntur, sicut in *Gallica* lingua multos *Græcismos* reperiri utriusque sermonis periti pridem annotarunt. Vide *Joach. Perionium* in Libello de *Linguæ Gallicæ cum Græca cognatione* Parisiis 1555. edito it. *Henr. Stephanum* in Gallico libro, cui titulus est: *De la conformité du Langage François, avec le Grec.* ejusdem *Jonismos Gallicos* seu *Jonicos Gallicismos* ex *Herodoto* collectos. Nec minus in *Hebraica & Græca*, non pauca similia loquendi genera deprehendi, etiam à Doctis observatum. Conf. *Sebast. Pfochenium* Diatrib. de Ling. Græc. puritate in N. T. *Erasm. Schmidium* in animadvers. ad N. T. *Joh. Ericum Ostermannum* in triga Posit. Philolog.

§. 2. Sed, quod probe notandum, sunt hi *Kœnismi* Græcæ Linguæ non unius generis. Alii quippe *revera* tales, alii saltem *apparenter.* *Illis* Lingua Græca utitur ordinarie & consueto more suo. *His* extra ordinem, ut sic dicam, & raro, nec sine figura aut ἀνωμαλίᾳ. *Illi* minus recte in Hebraismorum vel aliarum linguarum orientalium; *Hi* male in Græcismorum regionem collocantur. Utriusque generis exempla habuimus supra in Sect. Exegetica. *Illorum* quidem M. I. §. 14. III. §. 5. m. IV §. 11. m. V. §. 2. 4. m. VI. §. 6. *Horum* autem m. I. §. 6, 7, 17, 21. m. III. §. 3, 4, 7. m. IV. §. 4, 8, 9. m. V. §. 10, 11, 12. m. VI. §. 9.

§. 3. Sic ut & aliis nonnullis exemplis res clarior evadat, in voce σπέρμα *Semen*, pro *prole, filio, filia*, ut & *nepotibus*, in N. T. (Matth. 22: 24, 25. Marc. 12: 19, 20, 21, 22. Luc. 1: 55. 20: 28. Joh. 7: 42. Act. 7: 6. Rom. 9: 7, 29. Gal. 3: 16, 19, 29. 2 Tim. 2: 8. Hebr. 2: 16. &c.) ad imitationem Hebræi זרע in V. T. (Gen. 3: 15. 4: 24. 9: 9. 15: 3. 19: 32. 2 Reg. 4: 8. 8: 12. &c. ut taceam nunc loca numero infinita alia) posita, *Kœnismus* saltim *apparens* est, in Græcismorum classem haudquaquam reponendus. Tametsi enim apud Tragicum unum aut alterum, *Euripidem* v. g. & *Æschylum* (Exempla congessit *Pfochenius* l. c. Sect. 109. p. 88.) hac notione vox ita usurpata deprehendatur, non tamen ex eo constabit, Græcis æque ac Hebræis metonymiam illam usitatum esse. Apud *Hebræos* sane in omne genus *scriptionis* tam *historicæ & didacticæ*, quam *poëticæ & dramaticæ*, figura ista sese ingessit: apud *Græcos* autem in *proso* sermone (qui est Linguæ cujusque maxime familiaris atque usitatus) nuspiam apparet. Quod ergo *S. Paulus* 2 Cor. 11: 22. dicit, se esse σπέρμα Ἀβραάμ, id non fecit, quod *Græca Lingua*, qua *Scriptores* utebantur, id ita ferret, sed fecit exemplo *Hebræorum.* Ita *Judæi*, Joh. 8: 33. innuere volentes, se esse τέκνα vel potius ἐκγόνους τοῦ Ἀβραάμ, dicunt σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμέν. Apud *Græcos* autem, qui dicere vult, se esse *filium* aut ex *posteris alicujus*, non temere dixerit esse σπέρμα αὐτοῦ. Verba sunt *Joh. Vorstii* P. I. de Hebr. N. T. cap. 3. pag. 83. Vide insuper *Thom. Gatakerum* Diss. de stylo N. Testamenti c. 11. pag. 116.

§. 4. Contra *Kœnismus vere talis* in voce ἀκοή, quam *H. Grotius* ad Joh. c. 12: 38. Hellenistis *famam & rumorem* significare scribit. Siquidem ἀκοή apud optimos quoque Scriptores Græcos *famam* significat, ut recte *Pfochenius* Diatr. 44: p. 21. ex *Platone Tucydide* ac *Suida* ostendit. Sed & formulæ istæ, ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ, Matth. 4: 24. ἐξῆλθεν ἡ φήμη, Matth. 9: 26. ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ, Luc. 4: 37. &c. quas inter, meros Hebraismos ponit *Thom. Gatakerus* Dissert. suæ de Stylo N. T. c. 14. *veri Kœnismi* sunt. Nam & Græci *rumorem vulgari* significaturi, τὴν φήμην διαθέειν, προέχεσθαι, διατρέχειν dicunt. Exempla è *Plutarcho & Herodiano* suggerit *Joh. Vorstius* de Hebr. N. T. P. I. cap. 3. pag. 66.

§. 5. *Ita*, nimirum, *sæpe ignorantia Græcismi mater est Hebraismi: Sæpe dominascuntur, quæ externis imputantur. Beza aliquoties Hebraismum esse jubet, positum præsens participium pro verbo, sed frustra.* (vide supra Sect. Exeg. m. IV. §. 12.) *Concretum pro abstracto Græcis æque ac Hebræis frequens. Figura ἓν διὰ δυοῖν, in omnibus fere linguis invenitur.* Verba sunt *Joh. Conradi Danhaueri* Hermen. S. art. 8. p. 175. sqq. ubi multo plura *verorum Kœnismorum* exempla profert, quem proinde vide.

APHOR. III.

Atque hæc nitidior Novi Testamenti dictio conspicitur: (1.) In selectis & valde significantibus vocabulis.

§. 1. EXempli loco possunt esse illa, quorum supra exegesin dedimus, Mem. I. §. 18. 20. m. II. §. 1. 5. m. III. §. 10. m. IV. §. 1. m. V. §. 1, 3, 4. m. VI. §. 3, 5, 6, 7, 10. His aliunde addas sequentia, sive *Nomina*, sive *Verba* ἐμφατικώτερα.

§. 2. Nomina sunt vel *Substantiva*: (a) 2 Cor. 5: 6. ἐν ἀκαταστασίαις *in exiliis.* ὅταν μὴ ἔχῃς, ποῦ στῇς ἐλαυνόμενος ἐκ τόπου εἰς τόπον exponente sic *Theophylacto.* (b) Rom. 8: 19. ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως *vehemens, anxia, & attenta expectatio, qualis est eorum, qui stant capite arrecto, & intentis oculis, cum aliquem opperiuntur è longinquo venturum* (c) 1 Pet. 3: 2. ἐπερώτημα vocabulum juris, *stipulationem* significans, cujus forma in eo posita, ut *stipulantis interrogatio* præcedat, & *promittentis congrua responsio* sequatur. Sic olim in Baptismo Episcopus interrogabat, ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ, respondebat baptisandus, ἀποτάσσομαι, idem interrogatus, συντάσσῃ τῷ Χριστῷ. respondebat, συντάσσομαι. (d) Eph. 6: 11. μεθοδεία, *obambulatio insidiosa, qua quis prædæ circulando callide insidiatur.* it. *Via fallendi astuta.* Vel *Adjectiva* (α) 1 Pet. 2: 11. πάροικοι, *advenæ, qui sedem habent extra patriam;* παρεπίδημοι, *peregrini*, qui extra patriam peregrinantur. (β) Matth. 26: 38. περίλυπος, *supra modum tristis*, ex adverbio intendendi περὶ *admodum, excellenter, abundanter, valde, nimis.* Er. Smidius Not. ad N. T. p. 351. (γ) Matth. 22: 4. Σιτιστὰ *animalia* dicuntur, *quæ accurate aluntur, ut pinguescant, & magis sint idonea ad suavitatem ciborum, id quod sagina fieri solet.* (δ) Matth. 13: 21. πρόσκαιρος, *qui ad tempus bonus est*, quousque καίριον *& opportunum* ei videtur, καιρὸς enim *opportunitas temporis* seu *tempus opportunum.* Vel *Participialia*: (a) 1 Cor. 12: 2. ἀπαγόμενοι, *qui abripiebamini*, impetu sc. Satanæ suos Idololatras

turbinis

turbinis instar auferentis. Quod Græci Patres in specie de *furore Divinatorum Gentilium intelligunt*, qui non sedato animo vaticinabantur, sed furore perciti. (b) 1 Pet. 2: 24. ἀπογενόμενοι, *Desiti, Extincti, Mortui, Otiosi ac infrugiferi facti, non secus atque mortui naturaliter non agunt, vel operantur*, (c) Luc. 11: 14. ἐνόντα, *ea quæ præ manibus habemus*, τὰ ὑπάρχοντα. (d) Marc. 1: 38. ἐχόμενα, *quæ cohærent, & continuantur, ut vicinitas intelligi possit.*

§. 3. *Verborum* exempla sunt: (a) Μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι; Nolebat ipsam, *probro afficere, quasi exemplum in ea præbendo aliis*, Matth. 1: 19. (b) Ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας; *Quare dubitas? cur animus tuus affectibus nunc huc nunc illuc impellitur, ut non maneat in una sententia*, Matth. 14: 31. (c) Μὴ μετεωρίζεσθε, *Nolite animum habere ancipiti & sollicita dubitatione suspensum, quo res evasura sit, sicuti, quæ in sublimi suspensa sunt, facili momento huc illuc impelluntur*, Luc. 12: 29. (d) Ἀναφανέντες τὴν Κύπρον, *Cum detexissemus Cyprum.* Ita nauta significat locum aliquem prius latentem in conspectum venisse, Act. 21: 3. (e) Καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *Corrumpentes verbum Dei, more cauponum vinum aqua suffusa perdentium.* 2 Cor. 2: 17. (f) Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν χριστῷ, *ut in Christo tanquam capite recolligeret omnia* Eph. 1: 10. (g) Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, *Nemo vos debito brabeo fraudet*, Col. 2: 18. (h) Πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων, *Athletico quodam robore varias afflictiones sustinuistis*, Hebr. 10: 32. Plura hujusmodi Selectarum vocum exempla ut congerantur, necessum non est, cum earum sylvulas jam dederint *H. Stephanus* in Præfat. Edit. Novi Testamenti in 16. præfixa, *Danhauerus* Herm. S. art. 12. pag. 214, 215. *Dilherrus* Disp. Philol. de usu lectionis Scriptorum Secularium in Sacra Literatura.

APHOR. IV.

(2.) *In Phrasibus ac Loquendi Formulis elegantioribus.*

§. 1. Loquendi formulas N. T. selectas in tribus nunc classibus exhibeo. *Prima* diversi generis phrases promiscue complectitur, ut sunt, (a) τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας, Luc. 15: 12. Vide supra p. 16. (b) προσεργάζεσθαι (ποιεῖν) δέκα (πέντε) μνᾶς, Luc. 19: 10, 18. vid. p. 53. Sic (c) διαπρίεσθαι ταῖς καρδίαις, καὶ βρύχειν τοὺς ὀδόντας, *findi cordibus & stridere dentibus*, Act. 7: 54. (d) καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ (subaudi vel χρόνῳ vel λόγῳ) *sive brevi sive longo tempore* aut *sermone*, Act. 26: 29. (e) Κρατεῖν προθέσεως, *voto potiri*, Act. 27: 13. (f) Ὀφειλομένη εὔνοια, *Debitum conjugale*, 1 Cor. 7: 3 (g) ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, *infima, extrema paupertas*, 2 Cor. 8: 2. (h) Ὡς ἔπος εἰπεῖν *ut ita loquar*, Hebr. 7: 9. (i) Ὄρθρου βαθέως, *profundo diluculo*, Luc. 24: 1. & quæ sunt hujus generis infinita alia, quorum *emphasin* hic uberius explicare nimis operosum esset. Consulantur interea *Philologi* ac *Critici* Sacri in Synopsi à *Matthæo Polo* edita Londini anno 1674.

§. 2. *Altera* eas locutiones sistit, queis ex παρομοιώσει insignis quædam venustas accedit, quales sunt: (a) Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι ἢ συγκρῖναι ἑαυτοὺς, *Non enim audemus in numerum illum nos inferre, aut cum illis conferre*, 2 Cor. 10: 12. (b) Μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν, *ne sapiat supra quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem*, Rom. 12: 3. (c) Ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι, *dum premimur difficultatibus, sed non opprimimur*, 2 Cor. 4: 8. (d) Διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι, *persecutionem patimur, sed in ea non deserimur.* ibid. vs. 9. (e) Μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι, *nihil agentes, sed curiose satagentes*, 2 Thess. 3: 11. (f) Εἴ τις αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει, *si quis in captivitatem abit, in captivitatem abit*, Apoc. 13: 10. Quas omnes fere explicatas dedit *H. Stephanus* in elegantissima illa *Præfatione* N. T. à se edito in 16. præfixa.

§. 3. *Tertia* παροιμίας seu *adagiales* sermones Græcis elegantioribus haut ignotos sistit. Talis est (a) Luc. 19: 44. οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ. vide supra (b) Matth. 11: vs. 7. Κάλαμος ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενος *Arundo vento agitata.* Idem fere apud *Lucianum* in *Hermotimo* legitur: Κάλαμος ἐπ' ὄχθη παραποταμίᾳ πεφυκὼς καὶ πρὸς πᾶν τὸ πνέον σαλευόμενος. (c) ibid. vs. 8. Ἄνθρωπος ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένος, *Homo mollibus vestibus amictus* (Huc pertinent κομψὴ illa χλανὶς καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι *Demostheni* ab æmulis probro dati apud *Gellium* N. A. L. 1. c. 5. (d) ibid. vs. 17. ηὐλήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε, *Tibia cecinimus vobis & non saltastis, Lamentati sumus vobis & non planxistis.* Simile illud *Piscatoris* in Apologo, quem *Cyrus* Jonum atque Æolum Legatis sero nimis pacem petentibus recitabat, apud *Herodotum* in *Clio*: παύεσθέ μοι ὀρχεόμενοι, ἐπεὶ οὐκ ἐμέο αὐλέοντος ἠθέλετε ἐκβαίνειν ὀρχεόμενοι. (e) Matth. 15: 14. Τυφλοὶ τυφλῶν ὁδηγοί, *Cæci cæcorum duces.* Quod ex trito illo petitum: μήτε τυφλὸν ὁδηγὸν, μήτε ἀνόητον σύμβουλον, de quo vide sis *Erasmum Chil. Cent.* 3. (f) Cap. 23: 24. διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. Notum illud *Luciani* in *Encom. Muscæ*, ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν, (g) Luc. 6: 44. οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι σῦκα, οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν, *Neque enim è spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant uvam.* Similiter *Theognis* in Gnomol. vers. 537. οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος. Alia hujus generis plura exhibent *Andreas Schottus* in eleganti Opere *Adagiorum Nov. Testam. & Joh. Vorstius* in Dissertatione *de Adagiis Nov. Testam.*

APHOR. V.

(3.) *In eleganti & minime vulgari particularum usu.*

Exempla è Sectionis Exegeticæ pete Membro V. §. 2, 4, 5, 7. M. VI. §. 9. His adde sequentia pauca: (a) *præpositio* κατὰ *distributive sumitur*: καθ' ἡμέραν, *singulis diebus*, Luc. 16: 19. 19: 47. (b) *Alibi periphrasi nominum inservit*: οἱ κατὰ πόλιν, i. e. *civitatum incolæ*, Luc. 8: 4. Ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον, i. e. *exposuit statum Pauli*, Act. 25: 14. (c) Τὴν ἀρχὴν, *accusativus nominis adverbiascens vim asseverandi habet*: τὴν ἀρχὴν, ὅ τι λαλῶ ὑμῖν, *omnino, prorsus* (sum id) *quod & loquor vobis*, Joh. 8: 25. (d) περὶ *pro quod attinet*; περὶ δὲ ὧν ἐγράψατέ μοι, i. e. *Quantum ad ea attinet, de quibus ad me scripsistis*, 1 Cor. 7: 1. (e) *Vocula* καὶ *stomachantis est*; καὶ σὺ κάθη κρίνων με κατὰ νόμον, i. e. *Et tu* (cum indignatione) *sedes judicans me*, Act. 23: 3. (f) *Alibi pro* ἀλλὰ *ponitur reddique potest*; *& tamen*: ἐν τῷ κόσμῳ ἦν καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω, i. e. *Et tamen (sed) mundus non agnovit ipsum*, Joh. 1: 10. (g) Δὴ pro *igitur*; Δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν, i. e. *Celebrate* igitur *Deum*, 1 Cor. 6: 20. (h) εἶτα *pro Itane, vel Itane vero?* εἶτα τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας εἴχομεν παιδευτάς; i. e. *Itane* carnis quidem nostræ Patres habuimus castigatores? Plura vide sis *ap. H. Stephanum* Præfatione supra laudata.

APHOR. VI.

(4.) *In Constructionibus concinnioribus.*

Rem testatam certamque facere possemus infinitis exemplis, sed aliquot saltim ex iis capitibus hic, proferemus, quorum supra Exegesin dedimus. (a) *Infinitivus cum articulo Dativi casus mediante præpositione* ἐν *& sequente accusativo pronominis constituit periphrasin ablativorum consequentiam signantium.* Vide supra Sect. 1. M. I. §. 3. (b) περίφρασις *adhibetur verbi activi per participium & verbum substantivum.* v. Sect. 1. M. I. §. 5. (c) *Verbum* ἔχω *pro* δύναμαι *asciscit infinitivum.* vide Sect. 1. M. I. §. 11. (d) *Infinitivus cum verbis motum ad locum significantibus ponitur pro Gerundio in Dum* τελικῶς. v. g. Luc. 14: 17. ἀπέστειλε τὸν δοῦλον εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις, misit servum *ad dicendum* i. e. ut diceret vocatis. Cap. 18: 11. ἀνέβησαν προσεύξασθαι, ascenderunt *ad orandum*, id est, ut orarent. vide insuper Cap. 14: 19, 31. 15: 15. 17: 31. 18: 40. 19: 7, 11, 12. (e) *Articulus sine suo casu præpositioni suum casum habenti præfigitur, subintellecto aliquo commodo substantivo.* v. g. Luc. 14: 28. εἰ ἔχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν, i. e. ea, quæ ad perficiendam illam requiruntur. vs. 32. ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην, i. e. ea, quæ ad pacem spectant. (f) *infinitivus nomini junctus vim habet Gerundii in Dum*, Luc. 14: 35. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, i. e. aures audiendi. (g) *Relativum Attice convenit casu cum antecedente substantivo, nulla ratione habita verbi sequentis*, ut Luc. 15: 16. ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. i. e. de siliquis *quas* edebant porci. c. 19: 37. περὶ πασῶν, ὧν εἶδον δυνάμεων.

i. e.

i.e. de omnibus *quas* viderunt virtutibus. (h) *Verbo eventum ſignanti infinitivus ſubjicitur cum accuſativo, per* ut *reſolvendus*, v.g. Luc. 16:22. ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν, καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τῶν Ἀγγέλων i.e. Fiebat autem, *ut* moreretur mendicus & aſportaretur ab Angelis (i) *Articulus præpoſitus adverbio, nominis vim ipſi induit*, Luc. 17:31. μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω, i.e. ad poſt ſe relicta. (k) *Infinitivus cum articulo & præpoſitione conſtructus, reſolvitur per quod, quia*, ut Luc. 18:1. πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, i.e. quod oporteret ſemper orare. vſ. 5. διὰ τὸ παρέχειν μοι κόπον, i.e. quia mihi moleſtiam faceſſit. c. 19:11. διὰ τὸ ἐγγὺς αὐτὸν εἶναι Ἱερουσαλὴμ, καὶ δοκεῖν αὐτοὺς, i.e. Quod eſſet prope Jeruſalem, & quod putarent illi. (l) *Subſtantivum adjectivo non reſpondet caſu, ſed eleganter ponitur in genitivo plurali*, Luc. 18:11. οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, i.e. ut reliqui homines. (m) *Duæ negationes fortius negant*, Luc. 18:13. οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπᾶραι. i.e. Non poterat vel oculos in cœlum attollere. (n) *Verbum* μέλλω *conſtruitur cum infinitivo, & per futurum exponitur*, Luc. 19:4. ἤμελλε διέρχεσθαι, i.e. Erat tranſiturus, verſ. 11. ὅτι μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι: i.e. Quod appariturum ſit regnum DEI. *Cæteras conſtructiones N.T. concinniores*, qui accurato ſtudio pernoſcere ſtudet, legat ſpecialem Grammaticam *Georg. Paſoris* Novo Teſtamento illuſtrando deſtinatam, quam *D. Matthias Paſor* Filius, S. Theol. Profeſſor, Groningæ anno 1655. in publicum emiſit. Idem conferat *Poſſelii* atque *Rhenii* Syntaxes.

APHOR. VII.

(5) *In Figuris ſive Grammaticis ſive Rhetoricis.*

§. 1. FIguræ *Grammaticæ* Capitum ſuperius illuſtratorum ſunt (a) *Enallage: Nominativi pro vocativo*, Luc. 18:13. ὁ Θεὸς pro ὦ Θεέ. *Præſentis pro futuro*, Luc. 17:30. ἀποκαλύπτεται, pro ἀποκαλύψεται. *Præpoſitionis*, Luc. 16:8. εἰς τὴν γενεὰν, pro ἐν τῇ γενεᾷ, (b) *Ellipſis: Particulæ* μᾶλλον, Luc. 15:7. οὕτω χαρὰ ἔσαι, ſc. μᾶλλον; cap. 17:2. λυσιτελεῖ αὐτῷ, ſc. μᾶλλον. *Subſtantivi* Luc. 14:18. ἀπὸ μιᾶς ſc. γνώμης, vel ὥρας. *Adjectivi*, Luc. 18: verſ. 4. ἐπὶ χρόνον, ſubaudi πολύν. (c) *Pleonaſmus repetitionis ejuſdem quo ad ſenſum*, Luc. 18:34 καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

§. 2. *Rhetoricarum* quinque vel in fine unius cap. 19. apud Lucam occurrunt. Nimirum (a) *Proſopopœia*, verſ. 40. οἱ λίθοι κεκράξονται. (b) *Apoſiopeſis*, verſ. 42. ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ. (c) *Diatypoſis* vſ. 42, 43. καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν, καὶ ἐδαφιοῦσί σε καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοὶ, καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ. (d) *Epanalepſis* vſ. 46. ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς. (e) *Metaphora*, vſ. 48. ὁ λαὸς ἅπας ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούων. Elegantiſſimarum *Paronomaſiarum* exempla vide ſis apud *Paulum* Rom. 12:3. 2 Cor. 4:8. 2 Theſſ. 3:2. Confer *Glaſſium* Phil. S. lib. IV. Tr. 2. nec non Lib. V. per totum, & *H. Stephanum* in Præfat. ſuperius laudata.

APHOR. VIII.

(6) *In Dialectorum varietate.*

§. 1. DIalecti N.T. ex *Græca* Lingua ortæ (nam ἑβραΐζουσαν membro ſequenti II. reſervamus) ſunt numero quatuor, *Attica, Jonica, Dorica, & Æolica*, quibus alii addunt *Bœoticam*, *& Poëticam*.

§. 2. *Attica*, ut reliquas *elegantia & varietate* ſic *uſu & frequentia* infinitis paſſibus antecellens, per ſingula N.T. capita & verſus egregie & luculenter eſt diffuſa. *Joniſmi*, præter ſolennem *apoſtrophi* neglectum, quo cum Attica expreſſione, in contextu S. uſus non uſque adeo eſt multiplex. *Dorica* Dialectus vel Attica vel Jonica multo rarior. *Æolicæ* ac *Bœoticæ* dialecti, ſi non tam multa, ut in *Græca* V.T. *verſione*, aliqua tamen in S. Novi Fœderis contextu veſtigia apparent. Quod & *Poëticæ* ἀνωμαλίας in eo extent exempla, mirari nemo poteſt, qui noverit, *Poëtas Græcos* in N. Teſt. allegatos eſſe, ipſumque *Xenophontem* ſæpe phraſes intermiſcuiſſe Poëticas.

§. 3. *Cauſa*, cum omnium harum *Dialectorum* veſtigia in N.T. apparent, fuiſſe videtur *prædicatio Evangelii* per univerſum terrarum orbem, non modo *Judæis*, qui legebant *Græcam V.T. verſionem*, ſed & reliquis *Populis* varietate *Dialectorum* differentibus facta.

§. 4. Quot vero & quæ Dialecti cujuſvis *ſpecies* ſint, operoſa methodo docuit *Caſpar Wyſſius* in *Dialectologia Sacra* Tiguri anno 1650. edita in octavo cui glaciem in hac doctrina fregiſſe videtur *Georgius Paſor* (*Vir de Græca Lingua N. Teſt.* variis ac eruditis ſcriptis immortaliter meritus) *in Idea Græcarum N.T. Dialectorum*, Franequeræ primum anno 1637. prodeunte. Quibus jungi meretur *Johannes Leusdenius*, in cujus *Philologo Hebræo-Græco* Ultrajecti 1670. excuſo tota Diſſertatio XI. *de Dialectis N.T. in genere & in ſpecie* agit à pag. 83. ad pag. 91.

MEMBRUM II.

De Hebraiſmis Biblicis N.T.

APHOR. I.

In ſtylo N.T. regnat idiotiſmus Hebræo-Biblicus.

§. 1. ID quod Viri Doctiſſimi, qui, quid, *Græciſmus & Hebraiſmus* eſſet, optime intellexerunt, paſſim inculcant. Ita enim *Laur. Fabricius* Profeſſor olim Wittebergenſis in Præfatione Syriaco *Crineſii* Gymnaſio præfixa: *In N.T. non fluit pure Græciſmus, ſed permiſcetur Græca Lingua liquore* Sermonis Hebræi. *Ea enim eſt indoles rerum Sacrarum, ut proprietas* primæ linguæ *non ſolum ſe diffundat per veterem Scripturam, ſed etiam ſeſe inſinuet in Græciſmum N.T.* Nec aliter *Jacob Martini*, in præfat. N.T. Syr. *Licet phraſis N.T. originaliter Græca dici poſſit, non tamen pure fluit, ſed liquore* Hebræi & Syri *Sermonis permiſta eſt. Quare licet Lector N.T. in Græcis Literis dexterrime ſit inſtitutus, Linguarum tamen* Hebrææ *& Syræ ignarus, in Græca illius Lectione infeliciſſime verſabitur.* Quibus plane ſuccinit *Barthol. Meyerus* P. I. Phil. S. pag. 382. *Sancti Dei homines Græca quidem lingua utebantur, talem tamen adhibebant Dialectum, quæ plurimis Hebraiſmis ſcatebat.* Quæ tantorum Virorum ſententia adeo non videtur rejicienda ut potius *Philologiæ S. & graviori Theologiæ* valde conſentanea exiſtimari poſſit.

§. 2. Nam *primo* certum eſt; Deum in Vet. ac N. Teſtamento *vere admirandam minimeque fortuitam loquendi cum hominibus ſervaſſe conſonantiam.* Licet enim ponatur; S. Dei Spiritum non commutaſſe omnem linguæ rationem, quam in Scriptore Miniſtro repererat (quod vel ſolus ſcriptionis Character ſubinnuit, *qui ut fiſtulæ in organo muſico; ita in calamis Divinorum Virorum variat:* qua ſimilitudine elegantiſſima *Danhauerus* utitur, Harm. S. art. 14. p. 255. item Hodoſ. Chriſt. Phænom. 1. pag. 58.) nullo tamen modo credibile eſt, dictionis familiaris uſurpationem Scriptori in tantum fuiſſe relictam ut à Deo inſpirante non dirigeretur, & ad inſtitutum divinum veluti inſtrumentum temperaretur; atque adeo tunc nata fuerit Scriptorum N.T. tum *inter ſe*, ratione *communis Characteris*, tum *ad idioma V.T. conformitas*, ut cum verba eſſent alterius linguæ utpote *Græcæ*, *ratio* loquendi ſæpe *Hebræo-Biblica* animadverteretur.

§. 3. *Deinde* Uſus ipſe & Experientia locupletiſſimum præbent teſtimonium; neque facilius, neque gravius ad ipſum N.T. nucleum haud raro perveniri, quam *ea reſolvendi interpretandique ratione, quæ V.T. ſtylo, Novi Fœderis voces ac phraſes metitur, expendit, evolvit.* Cujus rei ſupra in Sect. *Exeget.* ſpecimina dedimus plurima.

§. 4. Huc *denique* accedit; quod non pauca N.T. loca in nullam omnino linguam tam facile, & quaſi de verbo ad verbum transferri poſſint, ſicut in *Hebræam V.T.* adeo quidem, ut, cum duplex alias interpreti labor oriatur, quomodo nimirum, & *mentem Scriptoris quem interpretatur* exprimat, & *linguam qua interpretatur*, non violet aut negligat, hic poſteriori illa ſolicitudine vix opus videatur, *Hebræo idiomate* ſponte & ſtatim cum *ſtylo N.T.* conſpirante. Id quod cumprimis in *allegationibus ex LXXvirali V.T. verſione factis* uſu venit. Quod nec ipſe B. *Er. Smidius* diffiteri poteſt, quem vide in *Notis*, ad Matth. 4:4. 21:42. Marc. 12:11. Actor. 15:17. Nimirum LXX. Interpretum verſioni addicti *N.T. Scriptores*, ejus non ſolum *voces*, ſed & *integras locutiones*, tanquam Judæis, quibuſcum verſabantur, receptas atque familiares, tam in *ſermone*, quam in *ſcriptis* frequentabant. Qualis autem illa *verſio*, talis etiam *Stylus N.T. Græca* quidem verba audis, ſed quæ non raro, ut ſic loquar, *Hebraizant.*

APHOR. II.

In hac ſtyli Græci cum Hebræo idiomate V. T. congruentia non unam Providentiæ Divinæ cauſam rimari, imo admirari licet.

§. 1. ET *primo* quidem Harmoniam hanc diſpenſaſſe Providentia Dei videtur ob *Certitudinem fidei & Autoritatem Scripturæ* N. T. Uti enim, quoad *res ipſas*, Sancti Dei Homines, tempore Novi Fœderis, ὀδὲν ἐκτὸς ἔλεγον, ὧντε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι, καὶ Μωσῆς, i. e. *haut quicquam dixerunt extra ea, quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt*, Actor. 26: 22. Confer 1 Petr. 1: 10, 11, 12. idque ad conciliandam doctrinæ ſuæ fidem ac autoritatem; ſic &, *in ſtyli & ſermonis qualitate, ad Hebræum V. T. ſermonem, inflectere ſuam dictionem*, inſtinctu Spiritus S. ob eandem cauſam debuerunt.

§. 2. *Deinde* multum hæc convenientia Styli utriuſque Fœderis fecit *ad Gravitatem Facilitatemque informandi.* Cum enim tot V. T. *oracula* repetita eſſent in Novo, tot *loca* harmonice explicata, tot alluſione notata, & quidem ita, ut non *rerum* magis quam *dictionis* extaret, tum hic, tum in cætero contextu *convenientia*; *Nec Domeſtici* (Judæi) *potuerunt aſpernari novitatem*, *nec Peregrini* (Gentiles) *ſuſpectare diverſitatem*, *nec Curioſi deſiderare conformitatem*, *nec Simplices deſiderare obſcuritatem.* Verba ſunt *Bœcleri* in Diſſert. de Lingua N. T. originali, §. 8.

§. 3. *Denique ad arcanum conjungendæ cum Judæis Gentilitatis Myſterium*, illa *Harmonia* in utroque Inſtrumento referri poteſt. Nam ut *Chriſtus utraque* (τὰ ἀμφότερα) *fecerat unum*, & *intergerini parietis ſeptum* (τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ) *ſolverat*, *utroſque* (Judæos ac Gentiles) *in uno corpore reconcilians Deo per crucem*, *peremptis inimicitiis per eam*, *ita*, *ut Gentiles non jam amplius hoſpites eſſent & advenæ*, *ſed concives Sanctorum ac domeſtici Dei*, Eph. 2: 14. 16. ita & cum prædicandum eſſet hoc Euangelium inter *Gentes & Judæos*, N. T. Scripturis *Græcis* ſermonis *Hebræi* liquore perfuſis, ἀμφότερα hæc *idiomata* quaſi in *unum* conflare, *nec ſibi amplius peregrina*, *ſed domeſtica eſſe* voluit.

APHOR. III.

Ipſa vero Dictio N. T. Hebræo-Biblica conſpicitur (1.) In vocibus origine Hebraicis & partim Græcam terminationem accipientibus, partim ſuam retinentibus.

§. 1. PRioris generis ſunt, quæ per omnes caſus formari, & ut ipſa vocabula Græca uſurpari poſſunt. Exempla vide ſupra in Sect. Exeg. M. III. §. 1, 2. M. V. §. 6. 8. 15. His gemina ſunt: ὁ Μεσσίας משיח à משח *unxit*, Joh. 1: 41. 4: 25. ὁ Σατανᾶς שמן à שמן *adverſari*, Matth. 4: 10. Actor. 26: 18. &c. Σάτον in ſtatu conſtr. סאת unde Syrum סאתא (nomen *menſuræ aridorum*, reſpondens *ſeſquimodio.* Heſychio σιτικὸν μέτρον) Matth. 13: 33. ἡ Σίκερα, Luc. 1: 13. ex rad. שכר *inebriavit*, *Theophylactus*, notante *Camerario*, exponit πᾶν μέθην ποιεῖν δυνάμενον. Huc referunt etiam nonnulli Nomina propria *virorum*: ὁ Μωσῆς משה à משה *extraxit*, Luc. 16: 29. ὁ Ἰησοῦς יהושע ab הושיע *ſervavit*, paſſim, ὁ Σολομῶν שלמה à שלם *pacem coluit*, Luc. 12: 27. &c. *Regionum*: ἡ Σαμάρεια, שמרון à שמר *cuſtodivit*: ἡ Γαλιλαία גליל *limes* Luc. 17: 11. *Urbium*: τὰ Ἱεροσόλυμα ירושלם Luc. 19: 28. τὰ Σόδομα סדם à *planicie agraria*, Luc. 17: 29.

§. 2. *Poſterioris* generis ἄκλιτα ſunt v. g. Ἀλληλούϊα הללו־יה i. e. *αἰνεῖτε τὸν κύριον*, Apocal. 19: 1. 3. 4. 6. Ἀμὴν אמן *veritas*, *ἀλήθεια*, paſſim. Βελίαλ בליעל *nequam*, *ex* בלי *ſine*, *non*, & יעל *profuit*, 2 Cor. 6: 15. πάσχα פסח à פסח *tranſiliit*, Luc. 2: 41. Joh. 2: 23. Hebr. 11: 28. Σαβαὼθ צבאות *exercituum* à צבא *militavit*, Roman. 9: 29. Ἀβαδδὼν, אבדון *vaſtatio*, ab אבד *perdidit*, Apocal. 9: 11. Sic è Nominibus propriis *virorum*; Ἀβραὰμ, ex אב & רם *Pater excelſus*, Luc. 16: 22, 23, 24. Λὼτ לוט à לוט *occultare*, *tegere*, Νῶε נח à נוח *requieſcere*, Luc. 17. 27, 28, 29. Ἐμμανουὴλ, עמנואל, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς, Matth. 1: 21. 23. *Regionum*: Μαδιὰμ, מדין à דין *judicare*, Act. 7: 29. *Urbium*: Ἱεριχῶ, יריחו à ירח *Luna* q. d. σεληνόπολις Lüneburg Luc. 19: 1. 11. Βηθλεὲμ, בית־לחם *domus panis*, Matth. 2: 1. Plura vide ſis apud *Druſium* ad voces N. T. Hebraicas, *Gualtperium* in Sylloge vocum Exotic. N. T. *Paſorem* in Lexico, *Angelum Caninium* in Locis N. T. Hebraicis, *Cheitomæum* atque alios.

§. 3. Simile quid videre licet in Stylo Græco *profanorum* Scriptorum, res peregrinas & exterarum Nationum Græcis Literis conſignantium. Ita *Herodotum* multas *Perſicas & Ægyptiacas* voces; *Dionyſium Halicarnaſſeum*, *Polybium*, *Dionem*, *Plutarchum*, *Appianum Alexandrinum*, *Herodianum*, quamplurima nomina *Romana*; ipſum *Joſephum*, non pauca *Hebraica* & *Syriaca* vocabula, vel Græca civitate donaſſe, & Græcam quandam κλίσιν iiſdem dediſſe, vel Græcis ſaltem Literis ſcripſiſſe, & ſic totam eorum peregrinam formam expreſſiſſe deprehendimus.

APHOR. IV.

(2) In vocibus Græcis, non Græcum, ſed Hebræum ſignificatum vel uſum, ex vocis parallelæ ἀναλογίᾳ, habentibus.

§. 1. FIeri hæc ſignificationum *Innovatio* ſolet ab his, qui ſcripta alicujus linguæ in aliam transferenda ſuſcipiunt; In ea enim *interpretatione*, *quæ verbum ex verbo ſolet transferre*, ſemper *phraſis ipſa* illius ſermonis, qui vertendus ſumitur, in alio Sermone repræſentatur, ſola *verba* commutantur, *Hebraica* v. g. *Græcis*, queis *nova* accommodatur *ſignificatio.* Cum igitur N. T. Scriptores ad Hebræum V. T. ſermonem ſuam dictionem inflectentes, non ſolum ipſi *textum Hebræo-Biblicum* in Græcum Sermonem alicubi transferant, ſed & *LXX. Interpretes* non raro ſequantur; Hinc nihil uſitatius ipſis, *quam ut Græcis vocabulis vulgari ſuo ſignificatu* cum *Hebræis jam congruentibus*, *cæteras quoque ſignificationes*, *ex ubertate* ὁμωνυμίας *linguæ Hebr. tribuant*; id quod non ſolum in *nominibus*, ſed & *verbis*, imo *particulis* nonnullis animadvertere licet. Exempla habuimus ſupra in Sect. Exegetica, *Nominum*; M. I. §. 8. 17. M. II. §. 1. 7. M. III. §. 8. 17. M. IV. §. 1. 2. 10. 14. M. V. §. 14. *Verborum*: M. I. §. 16. M. III. §. 9. 15. n. 8. M. IV. §. 1. 8. 13. M. V. §. 10. 12. *Particularum*: M. I. §. 1. 6. 10. M. IV. §. 4. M. V. §. 1. 5. 11. M. VI. §. 2.

§. 2. His aliunde pauca ſequentia adde (a) *Nomina*: Βίβλος ad exemplum parallelæ vocis ספר pro *Catalogo*, *Recenſione*, *Enumeratione.* Matth. 1: 1. Ξύλον uti עץ pro *arbore*, Apoc. 22: 2. Ῥῆμα, uti דבר pro *re* ſive *negotio*, Luc. 1: 37. Σπέρμα, uti זרע pro *poſteris*, 2 Cor. 11: 22. & paſſim Κέρας, uti קרן pro *eminenti & illuſtri perſona in familia*, Luc. 1: 69. Σὰρξ, uti בשר pro *toto Homine*, Matth. 24: 22. Actor. 2: 17. it. pro *Natura corrupta*, Rom. 8: 1. 6. 7. 1 Cor. 15: 50. &c. (b) *Verba*: Ἀποκρίνεσθαι uti ענה de *eo*, *qui ſermonem inchoat.* Vide ex locis infinitis Marc. 11: 14. Ἐξομολογεῖσθαι uti הודה pro *laudare*, *celebrare*, Matth. 11: 25. Περιπατεῖν & πορεύεσθαι, uti ילך & הלך pro *vivere*, Act. 21: 12. Judæ verſ. 6: 18. 2 Petr. 3: 3. πορεύεσθαι item pro *augmentum capere* ſive *in bono* ſive *in malo*, Act. 9: 31. conf. 2 Reg. 3: 1. Dari hic verum Hebraiſmum nec *Smidius* diffitetur in Not. ad N. T. p. 841. Ἀνίστασθαι קום pro *exoriri*, *exiſtere*, Act. 7: 18. 20: 30. Καλεῖσθαι uti קרא pro εἶναι *eſſe*, Matth. 5: 9. 19. Luc. 1: 32. (c) *Particulas*: Εἰς, uti præfixum ב pro *per*, 1 Cor. 10: 2. Πρὸς, uti Hebræum על pro διὰ *propter*, Matth. 19: 8. Δωρεὰν uti חנם pro *fruſtra*, Galat. 2: 21. Πέραν uti עבר pro παρὰ i. e. *juxta*, *circa*, *ad*, Matth. 4: 15. Johan. 1: 28. 10: 40. Vide de his omnibus *Joh. Vorſtium in Comment. de Hebraiſm.* N. T. P. I. & II.

§. 3. Huc pertinent & *illa* vocabula Græca, queis S. Scriptores *novas ſignificationes* tribuerunt, quod *ad originem* alluderent *alicujus Hebrææ vocis*, quam voce Græca reddere vellent, v. g. Ξηρὰ vulgo *aridam*, in N. Teſt. Matth. 23: 15. Hebr. 11: 20. *terram* ſignificat, reſpectu habito ad Hebræum יבשה Geneſ. 1: 9. Jon. 1: 9. à radice יבש *aruit.* Vide *Joh. Vorſtium* P. I. de Hebr. N. T. cap. II. p. 20, 21. Sic & *Ludov. Capello* in Spicil. vox Ἐξουσία vulgo *poteſtatem* notans, 1 Cor. 11: vſ. 10. novam ſignificationem *veli fœminei* recepiſſe videtur, quod Hebræa vox כדיר *peplum* itidem, ſeu *pallium muliebre* ſignificans, orta ſit à themate כדר quæ Hebræis idem valeat ac κυριεύειν *dominari*, ἐξουσιάζειν *poteſtatem in aliquem exercere.* Eadem Vir ille doctiſſimus ſuſpicatur de voce τετραχηλισμένα *nota*, *cognita*, Hebr. 4: 13. à τραχηλίζω, nova & incognita Græcis ſignificatione pro *notum facio*: quod עורף Hebræis τράχηλον ſignificet, & ab ea voce Arabes verbum ערף deduxerunt, quod *ſcire*, *noſſe*, illis atque Rabbinis ſonet. Quas ejus conjecturas in medio nos relinquimus. Nomen autem Σαπρὸς, quod vulgo *putridum*, in N. T. non raro *malum* ac *inutile* ſignificat, in harum vocum cenſum referendum non eſſe, contra *Druſium & Ludov. de Dieu*, erudite oſtendit *Vorſtius l. c.*

APHOR. V.

(3) *In vocabulis novè formatis, nec solum vim Hebræarum vocum, sed & ipsam faciem exhibentibus.*

§. 1. NImirum & in hoc Genere *translationis*, *quo verbum verbo redditur*, sæpe sic verba convertuntur, ut non solum *vim* eorum imitetur Interpres in iis, quæ reponit, sed & *ipsam faciem* per *nove formata* repræsentet. Id quod familiare fuit Bibliorum LXX. *Interpretibus* & aliis qui in eodem labore desudarunt. Unde *Philo* l. 1. de vita Mosis scribit: *Eos in vertenda Scriptura excogitasse* συντρέχοντα τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα, *quibus* ἐμφατικῶς *vim Hebræarum vocum exprimerent adeoque formam ipsarum pæne redderent.* Et paulo post, *translationem illam*, comparat, *ei versionis generi*, *quo Dialecticæ aut Physicæ vel Geometricæ præceptiones de alia in aliam linguam transferendæ sint*, *in quibus nihil addi*, *nihil demi*, *nihil mutari*, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἰδέαν, καὶ τὸν τύπον αὐτῶν διαφυλάττεσθαι *oporteat.* Uti olim ab iis factitatum, qui libros Philosophorum Græcos, Latine tentarunt reddere. Sic *qualitatem & quantitatem*, Antiquiores procuderunt ex ποσότης & ποιότης.

§. 2. Pari ratione Scriptores N. Fœderis LXX. Interpretes secuti, multa *nove facta vocabula*, ad exprimendam propius *potestatem* ac *vim* vocis Hebraicæ Scriptis suis admiscuerunt. Qualia sunt: (a) verbum Σπλαγχνίζομαι, faciem repræsentans τȣ̃ רחם *ex intimis visceribus dilexit*, quasi à רחם *uterus.* Psal. 18:2. 103:13. &c. vide supra Sect. I. M. II. §. 9. (b) Χαριτόω Luc. 1:28. Ephes. 1:6. uti חנן *gratiosus fuit*, Exod. 32: vers. 19. Num. 6:15. Daniel. 4:24. (c) Ἀγαλλιάομαι Matth. cap. 5:12. uti גיל *exultavit*, 1. Paralip. 16:31. Psalm. 9:15. 34:10. & alibi. (d) Ἀναθεματίζω Marc. 14:71. Actor. 23: vs. 12. 14. 21. uti חרם in Hiph. החרים *anathematizavit*, *internecioni devovit*, Num. 18:14. 21:1, 2, 3. & alia plura, quæ de verbo ad verbum expressa, ita *faciem* referunt appellationis Hebraicæ, ut si quis χρονίζειν (quod est *morari*) Latine redderet, *temporare*, παραδειγματίζειν (quod est *exempla in aliquem edere*) *exemplare*, συγχρονεῖν quod est *eodem tempore vivere*, *contemporare.* Vide *Salmasium* Comment. de L. Hell. p. 113. seqq. ad 120.

APHOR. VI.

(4) *In Formulis ac phraseologiis ad formam Hebræarum expressis.*

§. 1. EAdem hic ratio militat, quæ paulo ante Aphor. 4, 5. *Exempla* vero cum non unius generis sint, ne confusaneo modo in recensendis iis procedamus, videbimus, an secundum *certas classes*, si non omnia, certe pleraque digerere valeamus. Præivere nobis hac in parte *Caspar Wyssius* Dialectol. Sacra à p. 295. ad 324. & *Wyssio* hic longe accuratior *Johannes Vorstius* Comm. de Hebraismis N. Test. In *primam* igitur classem colloco; *Phrases cæteris quoque Græcis Scriptoribus non ignotas*, *alio tamen sensu in codicibus Sacris N. T. usurpatas.* Vide supra M. I. §. 4. M. III. 11. Sic (a) Αἷμα ἐκχέειν pro *interficere*, *vel è medio tollere*, Matth. 23:35. Actor. 22: vs. 20. Rom. 3:15. Apoc. 16:6. conf. Gen. 9:6. Ezech. 18:10. Alias si *sanguinem vase quodam contentum in terram quis effundat*, poterit is ex genio Linguæ Græcæ dici αἷμα ἐκχέειν *sanguinem effundere.* (b) Ἀκȣ́ειν φωνὴν τινὸς pro *obtemperare*, *obedire alicui*, Joh. 18:37. conf. Genes. 3:17. Neque hæc phrasis Græcis est insolens, siquidem simpliciter τὸ *audire* ea significetur, vide Joh. 5:37. (c) Κλάσαι τὸν ἄρτον pro *distribuere panem*, Marc. 8:19. conf. Esai. 58:7. Quæ phrasis iterum, si nihil amplius significet, quam *panis in plures particulas comminutionem quæ manibus fiat*, Græcis minime ignota aut insolens. (d) Ἀνοίγειν στόμα αὐτȣ̃, pro *libere loqui*, 2. Cor. 6:11. conf. Prov. 31:5. ἀνοίγειν στόμα τινὸς, pro *facultatem loquendi alicui reddere*, Luc. 1:64. conf. Num. 22: vs. 23. Si simplici sensu usurpetur hæc locutio, quis & illam Scriptoribus Græcis vulgaribus usitatam esse dicat?

§. 2. In alteram; *Phrases iterum Græcis vulgaribus notas*, *sed non sic* παρελκόντως, vide supra M. I. §. 7. M. III. §. 20. M. IV. §. 6. Sic ἀνοίγειν τὸ στόμα pleonastice adjicitur τῷ διδάσκειν, Matth. 5:2. τῷ εὐαγγελίζεσθαι, Act. 8:35. τῷ εἰπεῖν, Act. 10: vs. 35. confer Job. 33:2. Dan. 10:16. Similiter phrasis ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα præmittitur aliis verbis per se sufficientibus, Matth. 8:3. 26:51. Marc. 1:41. Luc. 5:13. conf. Gen. 8:9. 2 Reg. 6:7.

§. 3. In tertiam; *Phrases apud cæteros Scriptores Græcos plane non repertas.* Vide supra M. II. §. 8. M. IV. §. 10. Quales etiam sunt: (a) Εἰσέρχεσθαι καὶ ἐξέρχεσθαι pro *fungi officio* & quidem laborioso, Joh. 10:9. Act. 1:21. Confer Numer. 27: vs. 17. Deut. 31:2. 1. Reg. 3:7. Jer. 37:4. (b) Ἐξέρχεσθαι ἐξ ὀσφύος τινὸς pro *generari* vel *nasci ab aliquo*, Hebræor. 7:5. Confer Genes. 35:2. 1 Reg. 8:19. Huic consonat phrasis, ἐν τῇ ὀσφύϊ τινὸς εἶναι, *nondum natum esse*, Hebr. 7:10. (c) Θάνατον θεωρεῖν, ἰδεῖν, pro *mori*, Luc. 2:26. Joh. 8:51. conf. Psal. 89:48. (d) Ζητεῖν ψυχὴν τινὸς pro *insidiose alicui mortem machinari*, Matth. 2:30. Rom. 11:3. Confer 1 Samuel. cap. 23:17. Psal. 40:15. Prov. 29:10. (e) Στηρίζειν πρόσωπον αὐτȣ̃, pro *constituere*, *inducere animum*, Luc. 11:51. Confer 2 Reg. 12:17. Ezech. 14:8.

§. 4. In quartam; *Locutiones illas quæ partem sui priorem vocabulum* ὑιὸς *vel* τέκνον *habent*, quod significat (a) *Re aliqua præditum vel affectum.* Exempla vide supra M. III. §. 4. (b) *Præmio vel pœna dignum*, aut *alterutri horum destinatum*, sicut ὑιὸς εἰρήνης, *salute* vel *præmio dignus*, Luc. 10:6. ὑιὸς γεέννης, *Inferno dignus*, Matth. 23:15. ὑιὸς τῆς ἀπωλείας, *interitui destinatus*, Johan. 17:12. τέκνα τῆς ὀργῆς, *ira digni*, Eph. 2:3. τέκνα κατάρας, *maledictione digni*, 2. Petr. 2:14. Conf. 1 Reg. 2:26. 1. Sam. 19:29. Deuter. 25:2. (c) *Incolam*, *quique in loco aliquo est ac versatur.* Exempla vide supra M. VI. §. 10. (d) *Nihilo plus quam sola vox* ἄνθρωπος, *cui additur.* Exemplum est supra M. IV. §. 11.

§. 5. In quintam; *Formulas pro Græcorum adverbiis usurpatas.* Exempla vide supra M. III. §. 11. His adde: (a) Ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, pro *quotidie*, 2. Cor. 4:16. Conf. Psal. 67:19. Eph. 3:4. (b) Οὐκ εἰς τὸν αἰῶνα, pro ȣ̓δέποτε, *nunquam*, Joh. cap. 10:28. 13:8. 1 Cor. 8:13. Conf. Prov. 10:30. Psal. 55: vs. 23. (c) Ἐκ τȣ̃ αἰῶνος οὐκ ἠκȣ́σθη, pro *nunquam*, Joh. 9: vs. 32. Conf. Es. 64:4. (d) Ἕως θανάτȣ, pro *valde*, Matth. cap. 26:38. Conf. Jon. 4:57. (e) Στόμα πρὸς στόμα, Πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, pro *coram*, 1 Cor. 13:12. 2 Joh. 12. Confer Genes. 32:30. Exod. 33:11. Num. 12:8. Judic. 6:23.

§. 6. In sextam: *Novas rerum appellationes*, *non structura modo vocum*, *sed & alia ratione ab appellationibus rerum vulgaribus discrepantes*, v. g. (a) Στρατιὰ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, pro *multitudine stellarum*, Act. 12:42. Conf. Genes. 2:1. 2 Par. c. 33:5. item, pro *multitudine Angelorum* Luc. 2:13. Confer Nehem. 9:6. 1 Reg. 22:29. (b) Πέρατα τῆς γῆς vel τῆς οἰκȣμένης, pro *longinquis*, & *procul remotis Terris*, Matth. cap. 12:42. Rom. 10:28. conf. Psal. 61:2. 66:8. 68:9. (c) Ἕως ἐσχάτȣ τῆς γῆς Act. 1:8. (d) Ἀπ' ἄκρων ȣ̓ρανῶν, ὡς ἄκρων αὐτῶν, Matth. 24:31. item ἀπ' ἄκρȣ γῆς ἕως ἄκρȣ ȣ̓ρανȣ̃, Marc. 13:27. pro *toto terrarum orbe.* Conf. Deut. 4:32. 13:7. 28:64. (e) Καρπὸς τῆς κοιλίας pro *fætu*, Luc. 1:42. Confer Psal. 132:11. καρπὸς ὀσφύος pro *posteris*, Act. 2:30. confer Genes. 35:2. καρπὸς χειλέων, pro *sermone* vel *oratione*, Heb. cap. 13:15. Conf. Prov. 12:14. 18:20. (f) Γέννημα τῆς ἀμπέλȣ, pro *vino*, Matth. 26:29. Conf. Hos. 2:12. Joel. 1:7.

§. 7. In septimam: *Modos formandi enunciationes universales* tum *Affirmativas*, quæ fiunt, vel *adjectione verborum*: ἀπὸ μικρȣ̃ ἕως μεγάλȣ *ad vocem* πάντες, Act. 8:10. Hebr. 8: vs. 11. Conf. Genes. 19:11. 1. Sam. 5:9. vel *geminatione vocabulorum*, v. g. εἰς γενεὰν καὶ γενεὰν, h. e. in *omnem ætatem*, in *omne tempus*, Luc. 1:50. ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ *singulis diebus.* Vide paulo ante §. 5. Conf. Num. 4:12. Deut. 14:22. Esth. cap. 9:21. Esai. 3:1. tum *Negativas*, casu vel *recto*: v. g. εἷς ȣ̓, *unus*| *non*, pro ȣ̓δεὶς, *nullus*, Matth. 10:29. Luc. 12:26. ἓν ἐξ αὐτῶν ȣ̓ πεσεῖται. Conf. Ps. 34:21. 106:21. Esa. 34:16. Sic Roman. 3:12. οὐκ ἔστιν ἕως ἑνὸς, Non est faciens bonum, *non est usque ad unum*, i. e. *nullus.* Conf. Exod. 14:28. Ps. 14:3. Item Luc. 1:37. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα i. e. *nihil impossibile Deo.* Similes negandi formulas vide Matth. 24:22. Act. 11:8. Rom. 3:20. 1 Cor. 1:29. Eph. 4: vs. 29. 1. Joh. 2:20. 3:15. 2 Petr. 1:20. vel *obliquo*: ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῷ λόγον, *Ipse vero nullum verbum respondit ei*, Matth. 15:23. conf. 1 Reg. 18:21. ȣ̓δέποτε ἔφαγον πᾶν κοινὸν, i. e. *nullum immundum edi*, Act. 10:14. conf. 11:37. Ps. 49:28.

APHOR. VII.

(5) *In constructionibus Hebræum idioma redolentibus.*

§. 1. ID quod paucis iterum exemplis ad certos *canones* redactis testatum faciemus. Canon. I. *Adjectivum neutrum*, *quo Hebræi destituuntur*, *per fæmininum effertur.* Exemplum est, Matth. 21:42. παρὰ κυρίȣ ἐγένετο, αὕτη, καὶ ἔστι θαυμα-

θαυμαςὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Voces ἄυτη, ἢ θαυμαςὴ, positæ in fœminino genere, cum neutra τῦτο & θαυμαςὸν requirebantur, conf. Pſ. 118: 23. it. Pſ. 27: 4. *Hebraiſmum* hic eſſe ultro concedit ipſe *Er. Smidius* Not. ad N. T. p. 304.

§. 2. Canon II. *Nomen idem eodem numero & caſu repetitur*, vel *ad diſtributionem indicandam*, Marc. 6: 7. ἀποστέλλειν δύο δύο h. e. *binos*, ſeu *ſingula paria*. Cap. 6: 39. ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια, h. e. *diſtributis convivantium cœtibus*. vſ. 40. ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαὶ, h. e. *areolatim per ſingulas areolas*. Conf. Exod. 8: 14. 2 Reg. 3: 26. Joël. 3: 14. vel *ad univerſalitatem inſinuandam*. Exempla vide paulo ante Aph. 6. §. 7.

§. 3. Can. 3. *Inter duo ſubſtantiva in ſtatu regiminis poſita, loco adjectivi eſt vel poſterius, quod regitur*. Exempla vide ſupra M. III. §. 3, 6. horumque ſimilia plurima ſtudioſe congeſſit *Caſpar Wyſſius*, Dialectol. S. à p. 299. ad 305. vel *prius quod regit*: 1 Cor. 1: 21. ἡ μωρία κηρύγματ@ pro κήρυγμα μωρὸν, *prædicatio ſtulta*. 1 Tim. 4: 17. ἡ τῦ πλέτυ ἀδηλότης, pro πλῦτ@ ἄδηλ@ *incertæ divitiæ*. Conf. Gen. 23: 6. Lev. 6: 12. 1 Sam. 17: 40. Eſ. 22: 7.

§. 4. Can. 4. *Vox* Θεὸς *in caſu genitivo vel dativo Nomini juncta ſuperlativum gradum ſignificat*: Act. 7: 20. Μωσῆς ἦν ἀστεῖ@ τῷ Θεῷ, i. e. *venuſtiſſimus*. Apoc. 15: 2. ἔχοντας κιθάρας τῦ Θεῦ, i. e. *pulcherrimas*. (Hebraiſmum hic facile concedit *Smidius*, ſine omni tamen Solœcophania, *not.* ad h. l. p. 1460.) 2 Cor. 10: 4. ὅπλα τ̃ στρατείας ἡμῶν δυνατὰ τῷ Θεῷ, i. e. *validiſſima*. conf. Gen. 30: 8. Pſ. 36: 5. 80: 11. Jer. 11: 31. Jon. 3: 1. Cant. 8: 6.

§. 5. Can. 5. *Nominativus vel accuſativus in oratione ponitur abſolute, ut vim integri membri in ſententia abſolvat, ac de illo certum quid poſtea prædicetur*: Apoc. 3: 12. ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στύλον, id eſt, *Ad vincentem quod attinet*, pro τ̃ νικῶντα ποιήσω. vſ. 21. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ, pro τῷ νικῶντι δώσω. Vide inſuper Matth. 12: 36. 21: 42. Act. 7: 40. 10: 36. conf. Pſal. 11: 4. 18: 31. 104: 17. Eccl. 2: 14. Hoſ. 12: 7. Nah. 1: 3.

§. 6. Can. 6. *Nomina cum verbis conſtruuntur alia ratione quam vulgo ſolent*. Exempla vide ſupra M. II. §. 8. His adde; (a) προσκυνεῖν τινι pro τινα; Matth. 2: 11. conf. Gen. 24: 26. (b) Προσκυνεῖν ἐνώπιόν τιν@, Luc. 4: 7. conf. 2. Par. 25: 14. (c) Εἶναι ἐν ὀφθαλμοῖς τιν@ pro εἶναι τινι, *eſſe, videri, exiſtimari alicui*, Matth. 21: 42. conf. Pſ. 118: 24. Zach. 8: 6. (d) Ἀκολυθεῖν ὀπίσω τινὸς pro τινὶ, Matth. 10: 38. conf. Gen. 14: 15. 31: 23. (e) Διδάσκειν ἔν τινι pro τινα, Apoc. 2: 14. conf. 2. Par. 17: 9. (f) Εἶναι εἴς τι pro εἶναί τι, Matth. 19: 5. 1 Cor. 6. ult. conf. Gen. 2: 24.

§. 7. Can. 7. *Verbis ejuſdem originis participia aut nomina addita reperiuntur ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam*. (a) *Participia*: Hebr. 6: 14. εὐλογῶν εὐλογήσω σε, ἢ πληθύνων πληθυνῶ σε, i. e. *Benedicens benedicam, & multiplicans multiplicabo*. Hebr. 10: 37. ὁ ἐρχόμεν@ ἥξει *veniens veniet*: (b) *Nomina*. Luc. 18: 15. ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, *deſiderio deſideravi*. Act. 4: 17. ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, *interminatione, interminemur*, Jac. 5: 17. προσευχῇ προσηύξατο *precatione precatus eſt*. Confer Gen. 22: 17. Eſ. 6: 9. Ezech. 33: 27. Hab. 2: 4.

§. 8. Can. 8. *Verba inchoativa conſtruuntur cum verbis infinitivis & ſunt completive intelligenda*. Cujus rei exempla vide ſupra M. I. §. 9. His & aliæ forte non paucæ Hebræum idioma redolentes *conſtructiones* è N. T. addi poſſent: verum cum hoc non unius diſſertatiunculæ, ſed totius operis argumentum ſit, merito in jam allatis acquieſcimus, B. L. ad Grammaticam Sacr. *Glaſſii* interea, & *Joh. Vorſtii* præprimis Commentarium de Hebr. N. T. remittentes.

APHOR. VIII.

(6.) *In Figuris Grammaticis.*

§. 1. HIc omnium primo ſe offert *Enallage*. (a) *Concreti ſubſtantivi pro abſtracto*: Hebr. 2: 16. σπέρματ@ Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, ſemen Abrahæ, h. e. *humanam naturam* ex ſtirpe Abraham aſſumſit. 2 Pet. 2: 14. Oculos habens plenos μοιχαλίδ@, *adulteræ*, h. e. *adulterii*. Conf. Pſ. 119: 176. Dan. 9: 24. (b) *Abſtracti pro concreto*. Exemplum vide ſupra Sect. 1. M. III. §. 12. Sic Rom. 2: 26. Gentes vocantur ἀκροβυστία *præputium*, h. e. *præputiati*, Rom. 3: 30. Judæi περιτομὴ, *Circumciſio*, h. e. *circumciſi*, vide inſuper 2 Cor. 5: 21. Eph. 5: 8. Conf. Gen. 46. 44. Pſal. 5: 10. 35: 6. Hagg. 2: 8. (c) *Numeri pluralis pro ſingulari*. Exemplum vide ſupra Sect. Ex. M. III. §. 19. Hebr. 1: 2. οἱ αἰῶνες pro *mundo*, Matth. 12: 1. τὰ σάββατα, pro *Sabbatum*. Loca V. T. quam plurima vide ſis apud *Glaſſium* Phil. S. lib. 3. Tr. 1. can. 24. p. 88, 89. (d) *Caſus Dativi pro accuſativo* Luc. 1: 55. πρὸς τὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ ἢ τῷ σπέρματι αὐτῦ. Vide inſuper Apoc. 1: 5. 3: 12. 18: 13. conf. 1 Sam. 17: 34. Neh. 9: 19. Hujuſmodi ἀντίπτωσιν σολοικοφανῆ aliquando etiam invenies apud Græcos Scriptores, è quibus exempla ſuggerunt. *Guil. Budæus* Comment. L. Gr. p. 1536. ſeqq. & *Jac. Gretſerus* Lib. 2. Inſtit. Ling. Gr. edit. Octav. p. 160. (e) *Pronominis demonſtrativi pro relativo*. Vide ſupra Sect. 1. M. IV. §. 7. (f) *Pronominis tertiæ Perſonæ pro ſecunda*: Matth. 23: vſ. 37. Luc. 13: 34. Ἱερυσαλὴμ λιθοβολῦσα ἀποσταλμένυς πρὸς αὐτὴν, pro σὲ *te*. Sic Eſ. 47: 8. *Audi hoc voluptuaria deſidens ſecure, quæ dicis* in corde illius, pro *in corde tuo*. (g) *Pronominis relativi maſculini pro fœminino vel neutro*: Matth. 28: 19. πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτὺς, pro αὐτὰ Col. 2: 19. τὴν κεφαλὴν ἐξ ὗ, pro ἐξ ἧς. Vide inſuper, Actor. 15: 17. Joh. 15: 26. Rom. 2: 26. conf. Gen. 1: 15. Exod. 11: 6. 22: 26. Deut. 7: 26. (h) *Verbi activi pro paſſivo*. Exempla vide ſupra Sect. 1. M. I. §. 22. M. III. §. 7. (i) *Verbi finiti cum conjunctione copulativa* ἢ, *pro infinito*. Exempla itidem vide ſupra Sect. 1. M. VI. §. 4.

§. 2. Deinde *Pleonaſmus* (a) *Nominum aliis nominibus additorum in ſtatu regiminis*, qualia ſunt: (1) Υἱός. Exempla vide ſupra Sect. 1. M. IV. §. 9. (2) Πρόσωπον Luc. 21: 35. ἐπὶ πρόσωπον πάσης τ̃ γῆς, pro ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, conf. Gen. 1: 2 (3) Στόμα, Luc. 21: 24. πεσῦνται στόματι μαχαίρας h. e. *gladio* peribunt, confer Deut. 13: 16. (4) Ὄνομα, Matth. 1: 2. Luc. 1: 13. καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῦ, h. e. *ipſum*, 1 Cor. 1: 21. τοῖς ἐπικαλυμένοις τὸ ὄνομα κυρίυ, pro τ̃ κύριον. Joh. 1: 12. 2: 23. Πιςεύειν εἰς ὄνομα χριςῦ, pro εἰς χριςὸν. Luc. 21: 12. ἕνεκεν τῦ ὀνόματός μυ, pro ἕνεκεν ἐμῦ. Confer Geneſ. 16: 13. 17: 19: 19: 37. 41: 51. (b) *Nominum præpoſitionibus ſubditorum*, ut ſunt (1) Πρόσωπον, cum ἀπὸ, Act. 5: 41. ἀπὸ προσώπυ τῦ συνεδρίυ *à ſynedrio*. Apocal. 12: 14. ἀπὸ προσώπυ τῦ ὄφι@ *à ſerpente*. Conf. 1. Par. 11: 13. cum πρὸ Act. 13: 24. πρὸ προσώπυ εἰσόδυ, *ante ingreſſum*, Luc. 1: 76. πρὸ προσώπυ κυρίυ, *ante Dominum*, confer Gen. 34: 7. (2) Χεὶρ cum διὰ, Act. 5: 12. διὰ χειρῶν αὐτῦ, per *ipſum*, Marc. 6: 12. διὰ τ̃ χειρῶν τ̃ ἀποστόλων, per *Apoſtolos*, cum ἐν, Act. 7: 35. ἐν χειρὶ ἀγγέλυ, per *Angelum*, Gal. 3: 29. ἐν χειρὶ μεσίτυ per *Mediatorem*, confer Exod. 9: 35. 2 Reg. 8: 35. 17: 13. (3) Μέσον cum διὰ, ἐκ, ἐν, ἀνὰ. vide ſupra Sect. 1. M. IV. §. 5. (4) Λόγ@ cum παρεκτὸς Matth. 5: 32. παρεκτὸς λόγυ πορνείας, *extra adulterium*, conf. Gen. 20: 11, 18. 1 Reg. 15: 5. (c) *Pronominis demonſtrativi poſt relativum*. Exempla vide ſupra M. VI. §. 9. (d) *Verbi* ἐγένετο, *præmiſſa vocula* ἢ. Exempla vide ſupra Sect. 1. M. I. §. 2.

§. 3. Tertio *Ellipſis*: (a) *Pronominis indefiniti* τινές. Matth. 23: 34. ἢ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε, ἢ ἐξ αὐτῶν μαστιγώσετε. Ubi ad voces ἐξ αὐτῶν ſubaudiendum ſine dubio, τινὰς *aliquos*. Luc. 11: 49. ἐξ αὐτῶν ἀποκτενῦσι ſubaudi τινάς. Vide inſuper Luc. 21: 16. Apoc. 2: 10. Conf. 2 Reg. 10: 23. Videte ne hic ſit vobiſcum *de Servis Jehovæ* ſc. *Unus aliquis* Item Dan. 8: 10. Mal. 1: 9. (b) *Præpoſitionis* ὑπὸ, *Matth.* 25: 34. οἱ εὐλογημένοι τ̃ πατρός μυ, pro ὑπὸ τῦ πατρός μυ. Luc. 8: 28. γεννητοὶ γυναικῶν pro ὑπὸ γυναικῶν. Joh. 6: 45. διδακτοὶ τῦ Θεῦ pro ὑπὸ Θεῦ. Sic *Pſ.* 22: 7. *Contemtus Populi*, h. e. *à populo*. *Eſ.* 53: 4. *Percuſſus Dei* h. e. *à Deo*. Prætereo nunc multa alia *Figurarum* Hebræum idioma redolentium exempla. De quibus nonnulla *Glaſſius*; Ph. S. l. 4. Tr. 2. tradidit.

MEMBRUM III.

De Idiotica loquendi forma N. T.

APHOR. I.

Stylus N. T. alicubi ſimplici, vulgari, & idiotico dicendi Charactere gaudet.

§. 1. UT *Simplicitatis* Genius ante omnia rectius innoteſcat, neque judicandi methodus ex negligentiore vocis æſtimatione vitium capiat, aut, cum ex S. Patribus nonnulli εὐτελῆ ἢ ἰδιωτικὰ ῥήματα nominant, ſtatim *vilitas* aut *gracilitas*, aut *tenuitas* quædam intelligatur, ſciendum; *Simplicem* ac *Idioticum* dici N. T. ſtylum, non, quod ſit rudis

rudis & rusticus, ineptus & barbarus; sed quod res grandes & præclaras *verbis ad captum Legentium attemperatis, propriis, & in vulgus notis* describat, ut etiam *rudes* ac *plebeji* Homines, qui tempore conscripti N. T. vixerunt, certam de Mysteriis fidei sententiam inde haurire potuerint. Nam, ut ipse *Philosophus* περὶ Ποιητικῆς cap. 2. *Stylum Idioticum* describit, Ille fere ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ac *verbis usu communi tritis* constat. Ideo *humilis* est, sed *clarus & ab omnibus intellectus.*

§. 2. Quæ sane *Simplicitas* tantum abest, ut deprimat stylum sacrum, ut vel maximis *Eloquentiæ* speciminibus æquet, ac de *conspicua sinceritate, nativa minimeque affectata vi, admirabili* denique, & quam nulla artis lenocinia attingunt, *competentia* testetur. Id quod non uno indicio, è profanorum Autorum χειρὸς petito, illustrari posset, si instituti ratio permitteret. Legantur interea, quæ *Dionysius Halicarnassensis* περὶ τῆς Δημοσθ. δεινότ. de *simplicitate Characteris Lysiaci* tradidit. Unde patebit; τὰ κοινὰ καὶ ἐν μέσῳ κείμενα ὀνόματα, τὴν τε σύνθεσιν τὴν ἰδιώτην μιμουμένην, inter *eloquentiæ* opera poni, nec minoris operis ingeniique esse, ad *simplicitatis Lysiacæ* imitationem conformare stylum, quam *Demosthenis grandi eloquentiæ* æquare.

§. 3. Alias illa ipsa *simplicitas* styli N. T. non caret miraculo, quippe quam DEUS Ter Opt. Max. cum *tanta majestate sapientiaque* conjunxit, ut & summa *ingenii* subtilitas, & maxima *doctrinæ* copia, Spiritus S. lumine perfusa, satis superque, quod discat, quod expendat, quod miretur, hic invenire possit. Verba sunt *Bœcleri* Differt. de Ling. Nov. T. Origin. §. 21.

APHOR. II.

Idioticam hanc N. T. formam sua Dignitate munitam, vel ipsi Sacri Scriptores testatam faciunt.

§. 1. Sunt hi duo illa Ecclesiæ Apostolicæ Columina, *Paulus & Petrus*, qui non uno hoc nobis testimonio persuadere possunt. Nam *Paulus* 2 Cor. 11: 6. expresse vocat semetipsum ἰδιώτην τῷ λόγῳ (*En styli simplicitatem!*) ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει (*En dignitatem seu Majestatem!*) Sic 1 Cor. 1: 17. à Christo se missum ait ad Evangelium prædicandum, οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, non *cum peritia dicendi*, seu, ut *Erasmus* exprimit, *cum erudito Sermone.* Et 1 Cor. 2: 1. se ad Corinthios venisse dicit, οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου, *non cum sublimitate sermonis*, & comm. 4. ac 13. Sermonem suum ac prædicationem suam negat fuisse ἐν πειθοῖς (διδακτοῖς) ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, *in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis*, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως (διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου) Imo 1 Cor. 1: 21. prædicationem suam vocat μωρίαν τοῦ κηρύγματος, *stultam prædicationem*, non solum ob *Res* à ratione longe remotas, sed & *Verba* simplicia atque idiotica. *Petrus* vero 2 Epist. 1: 16. de se ac cæteris Scriptoribus Sacris pronunciat, quod non σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες, hoc est, *arte Rhetorica factas fabulas secuti*, notam fecerint Hominibus Domini nostri Jesu Christi potentiam.

§. 2. Taceo nunc Veteres Ecclesiæ *Patres*, sive *Græcos*, sive *Latinos*, quorum fere nullus est, quin *Idiotas sermone* Apostolos agnoverit, ac λόγους eorum ἰδιωτικούς. Ipsa Testimonia ab aliis affatim collecta sunt. Nos indice digito loca, ubi leguntur, pauca hic monstrabimus. E *Græcis* quidem sunt *Origenes* L. 4. contra Celsum, apud Glassium Phil. S. l. I. Tr. 3. Sect. 2. p. 198. & L. IV. περὶ ἀρχῶν c. 1. Ep. V. apud Calovium Syst. Theol. P. I. p. 572. *Isidorus* Pelusiota l. 2. Ep. V. ap. Salmas. comment. de L. Hellenist. p. 260. E Latinis; *Arnobius* l. 1. adversus Gentes, ap. Dannhauer. Herm. S. p. 159. *Lactantius* l. 3. Divin. Instit. c. 30. l. 5. c. 1. de vero cultu, c. 21. apud Calovium l. c. *Ambrosius* Epist. 64. apud Calovium l. c. p. 571. *Hieronymus* Apol. adversus Jovinianum, & Epistola ad Pammachium apud Calovium l. c. *Augustinus* l. 2. de doctrina Christiana c. 30. ap. Danhauer. l. c. p. 159. *Idem* & L. 4. de Doctr. Christian. c. 6. seqq. apud Flacium Clav. Script. part. II. & l. 1. de Trinit. c. XII. apud Glassinm l. c. p. 199. *Rupertus Abbas Tuiciensis* l. 7. de operibus SS. apud Calovium l. c.

APHOR. III.

Causæ plebeji sermonis in N. T. sunt (1) *Scribentis Autoritas* (2) *Veritas rerum ibi contentarum* (3) *Legentium conditio.*

§. 1. Causas illas uberius explicarunt *Flacius* P. II. Clavis Scr. tr. 5. & ex eo *Gerhardus* Exeg. T. I. LL. CC. de Script. S. C. XII. §. 307. atque *Glassius* l. 1. Phil. S. Tr. 3. Sect. 2. pag. 199, 200. Quamvis enim alias de stylo totius Scripturæ sint prolatæ, ad libros tamen N. T. merito hic applicantur. Pulchre ac rotunde has conjunxit *Philippus Mornæus* lib. de verit. Relig. Christ. c. 26. *Ausim ego profiteri*, inquiens, *nec apud omnes apte dicendi scribendive peritos tueri verear: Scripturas nostras scriptas fuisse uti conveniebat, & DEO ut Scriptori, & Argumento, de quo scribitur, & iis, quibus illæ scriptæ sunt, nullumque alium stylum tam aptum, nedum aptiorem à quoquam eligi potuisse. DEO, inquam, quia vere Princeps is noster est. Principes autem suasoria ratio non decet. Argumentum, quia Sacro-Sanctum, venerandum, grave, quæ autem ejusmodi, fuco & pigmentis non indigent. Lectoribus denique, quia promiscua illorum multitudo est, ab omnibus vero intelligi oportuit, quæ omnium credere & observare interfuit.*

§. 2. Ultimam rationem à *Lectorum conditione* pendentem tradidit etiam *Isidorus* Pelusiota lib. II. Epist. 5. Ἀλλ' ἐπειδὴ, inquiens, ἀνθρώποις ἐνομοθέτει ἀσθενέσι τυγχάνουσι, καὶ ἀνθρωπίνων δεομένοις λόγων, ἰδιωτικαῖς λέξεσιν ἐκέρασε τὰ θεῖα μαθήματα. *Quia vero hominibus naturæ infirmæ & imbecillis, verbisque humanis indigentibus leges ferebat, idioticis locutionibus cœlestem temperavit doctrinam*, οὕτω γὰρ ῥᾳδίως τὰ ὑπὲρ αὐτοὺς νοῆσαι ἠδύναντο; *sic enim facile consequi poterant, quæ captum ipsorum superabant.* Huc pertinet observatio Flacii Tr. V. part. 2. Clavis, p. 514. *Apostoli, cum sua scripserint, non solum eruditis, sicut plerique omnes alii Scriptores, sed communi plebeculæ: ad captum necessario se accommodare coacti sunt, & quum jam tum Græcus sermo in declinatione fuerit, usi sunt interdum vocibus ac phrasibus aliquibus, ut tunc commune vulgus, non ut veteres illi eruditiores Scriptores, florente Græca lingua.*

§. 3. Adhuc aliam causam, ab *effectu* petitam suggerit *Origenes* L. 4. περὶ ἀρχῶν l. c. *Si enim*, ait, *vel arte Rhetorica vel Philosophica calliditate conscripti libri nostri ad credendum illicerent homines, sine dubio fides nostra putaretur in verborum arte consistere, atque in sapientia humana, & non in virtute Dei.* Eandem causam subinnuit *Paulus* 1 Cor. 1: 17. 2: 4, 5. 4: 20. *Petrus*, 2 Epist. 1: 16.

APHOR. IV.

Ipsa vero Dictio N. T. idiotica conspicitur (1.) *In illorum vocabulorum usu, quorum pleraque vetustissima, & à Macedonum Lingua in sermonem Græcum sunt accersita.*

§. 1. Nam ut bene *Salmasius* Comment: de Ling. Hellen. p. 112. tradidit: *Tota fere lingua Hellenica, quam Macedones totius Græciæ & Asiæ Domitores communem omnium Græcorum fecerant, quaque vulgus Græciæ, tempore Scriptorum N. Fœderis, promiscue utebatur, idiotica fuit, si cum politiorum & elegantiorum lingua, qualem Atticam habebant, conferretur.* Cujus idiotici sermonis, in vocibus quam plurimis, vestigia non rara extant in *Menandro*, qui sub Macedonibus vixit, ut & aliis *novæ Comœdiæ* Græcis Autoribus, quos propterea graviter incusant *Phrynichus & Thomas magister*, mere Attica & elegantia consectantes. Taceo nunc illos, qui plebejo stylo & idiotico res ac vitas privatorum scripserunt, qualis apud profanos, *Diogenes Laërtius*, qui vitas Philosophorum literis mandavit & refertus est *idioticismis* tam in singulis vocibus, quam in phrasibus; apud Ecclesiasticos, *Epiphanius*, multique alii similis farinæ, quos se legisse memorat *Photius* in Bibliotheca sua.

§. 2. Et sane *nullum* ferme est eorum Nominum, quæ tanquam nimis *abjecta & protrita* loquelæ, ab antiquis Criticis, dum purum ab impuro, & doctum ab indocto & idiotico sermone segregant, sunt recensita & nota censoria compuncta, quorum pleraque in V. ac N. Test. extant, quin apud *aliquem* etiam Veterum Autorum reperiatur. Quod si quædam non alibi inveniantur, præterquam in *S. Literis*, causa in eo est, *quod*

non omnes habemus Autores, qui Græce scripserunt. Vix millesima pars restat eorum, qui aliquid commentati sunt. Si omnes extarent, nulla vox tam μονήρης, in Nova & Vetere pagina reperitur, quin χρῆσις ejus ex aliquo Autore, qui periit, confirmari posset, uti recte censet *Salmasius* Comm. de Hellen. p. 107.

§. 3. Cæterum in N. T. hoc Ἰδιωτικὸν & χυδαῖον dicendi genus è *lingua Macedonum* proveniens in vocibus tum *singulis*, tum *conjunctis*, sese exserit. Ex quibus pauca, exempli gratia, subjicio. (a) *Nomina*: (1) Βασίλισσα, *Regina* pro βασίλεια aut βασιλὶς, Matth. 12:42. Actor. 8:27. (2) Βουνὸς, *tumulus*, vel *collis terreus*, pro λόφος, ἢ χῶνος, Luc. 3: vs. 5. 23:30. (3) Γενέσια, *dies natalitius*, pro γενέθλιω vel γενέθλιος ἡμέρα. Matth. 14:6. Marc. 6:21. (4) Γλωσσόκομον, *marsupium*, pro γλωσσοκομεῖον, Joh. 12:6. 13:29. (5) Γογγυσμὸς, *murmuratio*, pro τονθορυσμὸς, Joh. 7:12. Phil. 2:14. (6) Εὐσχήμων, *Dives & Honoratus*, Marc. 15:43. Hanc vocem *Phrynichus* ait, Idiotas ponere ἐπὶ τοῦ πλουσίου, καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος, pro *Divite, & eo qui in honore constitutus est.* Antiquos vero, ἐπὶ τοῦ καλοῦ καὶ συμμέτρου, *de honesto ac moderato.* (7) Κοράσιον *puella*, pro κορίδιον, Matth. 9:24. (8) Κράββατος *Lectulus*, pro σκίμπους, Marc. 2:4, 9, 11. (9) Νοσσία *pulli*, pro νεοσσία, Matth. 23:37. (10) Παραθήκη, *Depositum*, pro παρακαταθήκη, 2 Tim. 1: vers. 12. (11) Παρεμβολὴ, *Exercitus*, *Castra* pro στρατόπεδον, Actor. 21:34, 37. 23:10, 16, 32. (12) Πεποίθησις, *Confidentia & Securitas*, pro θάρσος, 2 Cor. 8:22. (13) Πτῶμα, absolute, *Cadaver*, pro πτῶμα νεκροῦ, Matth. 24:28. (14) Ῥάπισμα *de eo, cui os plana & aperta manu perciditur*, Marc. 14:65. Athenienses pro eo dicere soliti, ἐπὶ κόρρης πατάξαι. (15) Ῥαφὶς *acus*, pro βελόνη, Luc. 18:25.

§. 4. (b) *Verba*: (1) Ἀναπεσεῖν pro *recumbere ad cibum sumendum*, Marc. 6:40. Luc. 22:14. cum vere Ἀττικίζοντες id sumere soleant pro *mente concidere*, & *animum despondere.* (2) Ἀποκεφαλίζειν, *caput abscindere*, pro καρατομεῖν, Matth. 16:10. Luc. 9:9. (3) Ἀποτάσσεσθαί τινι, *valedicere, & salutare, dum quis proficiscitur ab aliquo*, pro ἀσπάζεσθαί τινα, Act. 18:18. (4) Ἐνωτίζεσθαι, *audire*, pro ἀκούειν, Act. 2:14. (5) Ἐξυπνίζειν *è somno excitare*, pro ἀφυπνίζειν, Joh. 11:11. (6) Εὐχαριστεῖν *gratias agere*, pro χάριν εἰδέναι, Luc. 17:16. (7) Καμμύειν *connivere*, pro καταμύειν, Matth. 13: vs. 15. 28:27. (8) Κατηχηθῆναι pro *instrui & imbui rei alicujus auditione*, Luc. 1:4. Actor. 18:25. (9) Ὀρθρίζειν; *mane surgere*, pro ὀρθρεύεσθαι, Luc. 21:15. (10) Περπερεύεσθαι, *insolenter ac stolide efferri animo*, 1 Cor. 13:4. (11) Σαροῦν, pro κορεῖν, de quo vide supra Sect. I. M. II. §. 3. (12) Στρηνιᾷν, καταστρηνιάζειν, *lascivire, in deliciis ac luxu vivere*, pro τρυφᾷν, 1 Tim. 5:11. Apoc. 18:7, 9.

§. 5. (c) *Particulæ*: Ἔκπαλαι, Ἀπόπαλαι, pro ἐκ vel ἀπὸ παλαιοῦ 2 Petr. 2:3. 3:5. (d) *Voces conjunctæ*: (1) Ἀνέῳγέ μοι θύρα pro ἀνέῳκται, *aperta est janua*, 1 Cor. 16:9. (2) Μὲν οὖνγε, *Autem ego*, pro *Ego autem*, Luc. 11:18. Rom. 9:20. 10:18. (3) Ἐσχάτως ἔχειν, *in extremis esse*, pro λοίσθια πνεῦσαν Marc. 5:23. (4) Σαπρὸν δένδρον, & σαπρὸς καρπὸς opponuntur καλῷ δένδρῳ & καλῷ καρπῷ, *Mala* vel *turpis* arbor, *pulchræ & bonæ* arbori, Matth. 7:17, 18. Luc. 6:43. Sane ideo, quia vulgus tam σαπρὸν usurpabat de re *turpi* & *mala*. Sileo nunc quamplurima hujus generis alia, quæ in N. T. libris passim sunt obvia, & à *Phrynicho* ac *Thoma Magistro*, ut *idiotica*, nota censoria sunt compuncta. Vide *Salmasium* l. c. à p. 96. ad 113. *Crojum* observat. in N. T. p. I. c. 34. p. 267, 268, 269. *Camerarium* in not. ad 1 Cor. 13.

APHOR. V.

(II.) *In Glottosynchysi, qua multa N. T. aspersa sunt ex aliis linguis peregrina tum vocabula tum idiomata.*

§. 1. FLuxit illa γλωττοσύγχυσις non sine singulari DEI Providentia in stylum N. T. originalem, *partim* ex Lingua tum Judæis *vernacula partim* ex Græco Macedonum idiomate. *Lingua Judæis* tempore N. T. *vernacula* (uti hanc rem fuse ac erudite persequitur *Barthol. Mayerus* P. I. Ph. S. c. 6. P. II. c. 2. Confer *Joh. Lightfootum* Hor. Hebr. ad Matth. c. 1:23. & quæ supra M. I. aph. 1. n. 2. disseruimus) quam ipse Christus divinis suis labiis honoravit, & Autores sacri, Spiritus S. Amanuenses, stylo suo, fuit *Hierosolymitana*, quæ certe non pure Hebræa, sed uti alias fieri solet in vulgari sermone, variis γλώτταις, ab Exterorum sive Imperio sive Commercio temperata: *Cum enim sub Imperio Seleucidarum, post Alexandri M. obitum, bello exitiabili ac funesto, tota affligeretur Judæa, ac omnis simul Judæorum Religio periclitaretur, non tantum Lingua S. in usu vulgari plane desiit, sed & Chaldæa lingua, quæ familiaris Ipsi fuerat, inde à soluta captivitate Babylonica, in Syrum quoddam idioma, variis Hellenismis conspersum, demigravit, quod postea sub Herode M. peregrinis Romanorum moribus in Judæam introductis, multa simul ex Latina lingua attraxit.* Vide præter *B. Meyerum*, Phil. S. P. p. 42, 47, 48. *Nic. Fullerum* L. VI. Misc. Sacr. cap. 9.

§. 2. Atque inde orta est nova Aramææ Linguæ Dialectus, nempe *Hierosolymitana*, quæ nec Hebræa, nec pure Chaldæa vel Syra, sed Lingua omnino è variis *mixta*, quod apparet ex collatione *Linguæ Chaldæo-Babylonicæ puræ*, qua *Daniel & Esra* utuntur, ac *Chaldæo-Targumicæ impuræ*, qua præsertim *Jonathan* ac *Targum Hierosolymitanum* in paraphrasi Legis seu Pentateuchi utuntur. Nam verosimile est, ob συγχρονισμὸν harum Paraphrasium, *idem* plane *idioma Linguæ* fuisse apud Judæos tum temporis, quo Soter noster Dei filius in carne manifestatus est, idque quodammodo ex *sententiis* nonnullis colligi potest, quæ à Christo usurpatæ sunt, ac in fragmentis *Targum Hierosolymitani* etiamnum hodie conspiciuntur. Hanc ergo Dialectum *Syro-Chaldæam* ubi Spiritus S. per Evangelistas & Apostolos in stylum N. Fœderis Græcum quasi transplantare voluit non mirum, quod is tot *peregrinis* scateat vocabulis, phraseologiis, ac integris sententiis.

§. 3. Sed & è *Græca Lingua* Judæis Doctoribus ac φιλέλλησιν eo ævo perquam familiari, multa hujus commatis in stylum N. Test. derivata fuisse, nemo temere ibit inficias. Nam ut rectissime *Salmasius* censet comment. de Hellenist. p. 263. *Linguæ Græcæ, eo tempore, quo Novum editum est Testamentum, totidem fere idiomata*, i. e. *idiotarum differentes* λαλιαὶ *fuerunt, quot Populi vel Civitates vel Insulæ in Asia. Græci quidem sermonis* γνησιώτατος *per ea tempora* χαρακτὴρ *fuit, quod plurimas quà voces quà phrases ex Latio admixtas haberet, ob Romanorum universalem Dominationem. Cæterum quod attinet ad cujusque Nationis peculiarem dialectum, cujus proprietas in vocibus singulis cernitur, unicuique populo vel civitati sua fuit alia quam vicinorum.* Sic *Græcorum in Syria consistentium aliud extitit idioma. Nam & præter Romanas voces ac phrases etiam non paucas à Syris mutuatas acceperat. Aliud in Caria erat. Nam Strabo notat, Carum sermonem temperatum fuisse Græcis & Barbaris vocibus. Aliud Cilicum: Hinc* πέρπερον *&* περπερεύεσθαι *ab eorum Dialecto mutuatum esse Paulum Veteres notarunt. Nullus denique in Græcia populus aut urbs fuit, quin innumeras voces habuerit peculiares, non alibi usitatas.*

§. 4. Idem *Salmasius* ea de re p. 121. ita disserit: *Ex quo Græcismus in Syria per Macedonas propagatus est, Iudæi, quia à teneris utramque linguam addiscebant, vernaculam Syriacam, & Græcam, alteram altera miscebant, & phrases Syriacas verbis Græcis in loquendo enunciabant, & verba Græca ad formam Hebraicorum plerumque fingebant, quod & hodie facere Iudæos Germanos, compertum est. Nusquam puro Germanico sermone utuntur, sed passim voces Hebraicas immiscent, ut vicissim Germanicas inserunt Hebraicis inter scribendum. Nec secus de Italis Iudæis & Lusitanis. Nihil etiam causæ est, cur cogitemus aliud fuisse in Iudæis Græcis, quales erant tunc non solum in media Græcia nati, sed & in Syria Palæstina, quæ illo tempore propter diuturnum Macedonum imperium tota græcissabat.* Δίγλωττοι *tum fuere Syri, Græce, & Syriace loquebantur. Sub Romanis porro cœpere esse* τρίγλωττοι, *& Romanam duabus* illis *prædictis adjunxere linguam. Sic nullam* (ex tribus Syra, Græca & Latina) *puram usurpabant, sed omnes mixtas.*

APHOR. VI.

Sunt igitur in stylo N. T. præter Hebraismos supra recensitos, (1) *Chaldæo-Syriasmi.*

§. 1. SI Lingua *Syriaca* multa vocabula habuit, & phrases ex *Græco* mutuatas, & etiam nunc *Libri* ea Lingua scripti non pauca præferunt *Græcanica*: ipsæ insuper *vocales* quibus utuntur, ex *Græcis* quinque vocalibus effigiatæ & expressæ sunt: Quid mirum, si *Græcismus* vicissim in Syria per Macedonas propagatus, multas & *voces & Phrases Syriacas* attraxerit. Ex quo deinde, ut & Lingua Syriaca Judæis tum vernacula, *Chaldæo-Syriasmi* non pauci in *Græcum* N. Test. *idioma* dimanarunt. Elucent hi sane, non modo ex *singulis vocibus*, sed & ex *integris phrasibus* atque *sententiis*, quarum non paucæ in *Targumin* seu Paraphrasibus *Onkelosi*, *Jonathanis Ben Uzielis*, ac *Hierosolymitana* cumprimis, Chaldæo-Syro stylo

ſtylo ac filo contextis, etiamnum hodie occurrunt: Ut dubitare quis poſſit, an Autor iſtarum paraphraſium ex *ſcriptis Evangelicis*, an vero Chriſtus & Apoſtoli ex *vulgari loquendi modo* iſta hauſerint, ac ſuo ſermoni inſeruerint.

§. 2. Exempla *ſingularum* Vocum vide ſupra Sect. 1. M. III. §. 6. 16. M. VI. §. 1. His aliunde adde ſequentia: (a) Ἀββᾶ *Syr.* אבא ὁ πατὴρ *Pater*, Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. (b) Ἀκελδαμὰ, חקל דמא τᾶτέςι, χωρίον αἵματ☉, *ager ſanguinis*, Act. 1: 19. (c) Ἀρμαγεδδὼν Apoc. 16: 16. vulgo in cenſum Syriacorum nominum referunt, quamvis docere nequeant, ex quibus Syris ſit compoſitum. Vide *Barthol. Meyerum*, P. 2. Phil. S. cap. 2. pag. 156, 157. (d) Βαρνάβας בר נביא ὅ ἐςιν υἱὸς παρακλήσεως *filius conſolationis*, Act. 4: 36. (e) Βηθεσδὰ בית־חסדא nomen piſcinæ *domum benignitatis* ſignans, Joh. 5: 2. (f) Βοανεργὲς, בנירגשי ὅ ἐςιν υἱοὶ βροντῆς, *filii fragoris*, Marc. 3: 17. (g) Γολγοθᾶ גגולתא ὅς ἐςι λεγόμενΘ κρανίȣ τόπΘ, *calvariæ locus*, Matth. 27: 33. (h) Ἐλωὶ, ἐλωὶ, λαμμᾶ σαβαχθανὶ, אלחי למה שבקתני ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον, ὁ Θεός μȣ, ὁ Θεός μȣ, εἰς τί με ἐγκατέλιπες, Marc. 15: 34. (i) Ἐφφαθὰ, אחפתח ὅ ἐςι διανοίχθητι, *aperitor*, Marc. 7: 34. (k) Κεφᾶς, כאפא ὃ ἑρμηνεύεται πέτρΘ, *Petra*, lapis, Joh. 1: 43. (l) Κορβᾶν, κορβανᾶν, קורבנא ὅ ἐςι δῶρον, *munus*, *oblatio*, Marc. 7: 11. (m) Μαρὰν ἀθὰ מרן אתה, Dominus noſter venit, 1 Cor. 16: 22. (n) Ῥακὰ רקא i. e. interprete *Heſychio & Hieronymo* L. 2. cont. Pelag. κενὸς *vacuus*, *vanus & absque cerebro* (o) Ῥαββὶ, רבי ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον, Διδάσκαλε, Joh. 1: 39. (p) Ταλιθὰ κȣ̃μι, מליתא קומי ὅ ἐςι, κοράσιον ἔγειραι, *puella*, *ſurge*. (q) Ὡσαννὰ, אושענא, *ſerva quæſo*, Matth. 21: 9. Quorum omnium uberiorem explicationem dederunt *Glaſſius* Phil. Sacr. l. 1. Tr. 4. S. 2. p. 236. *G. Paſor* in analyſi voc. Syriac. *Barthol. Meyerus* P. 2. Phil. S. c. 2.

§. 3. *Phraſium* exempla ſunt, *Sect. Exeg.* M. II. §. 7. M. III. §. 6. His adde (a) Ἀφιέναι τὰ ὀφειλήματα, שבק לחובין *remittere debita*, Matth. 6. 12. pro *condonare delicta*. Confer *Targum Onkeli & Ionathanis*, Gen. 50: 16. Quod ergo *peccata* vocantur *debita*, & *peccatores*, *debitores*, idioma eſt, *Syro-Chaldæum*. Vide *Targum Hieroſol. & Onckeli*, Gen. 4: 13. (b) Δέχεσθαι καὶ λαμβάνειν, *ſuſcipere*, pro *audire*, *obedire*, *imis ſenſibus reponere alicujus ſermonem*, *credere alicujus verbis*, Matth. 10: 40, 41. Confer *Onckelum* Gen. 3: 17. *Ionathanem* Gen. 21: 12. *Utrumque* Deut. 18: 15. Exo. 3: 18. Job. 13: 16. ubi verbum קבל reſpondens Hebræo שמע idem ac *audire* vel *obedire* ſignificat. Idem ergo eſt *recipere Apoſtolos*, *Chriſtum*, *Prophetam*, *Iuſtum*, ac *recipere verba Apoſtolorum &c.* vel *credere ſermoni ipſorum*, *ac auſcultare iis*, ita ut præcipue *vera fides* hac phraſi indigitetur, ſenſibus imis ſermonem Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum reponens, quæ deinde ſeſe exerit beneficentia & hoſpitalitate erga præcones Evangelii. Qui ſenſus evidens eſt ex loco parallelo Luc. 10: 16. (c) Ἐξέρχεσθαι *egredi* pro *ejici* in phraſi: καὶ ἔξω ȣ̓ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι, *foras non* ejicietur *amplius*, i. e. *æternæ* & *nulli mutationi obnoxia beabitur gloria*, Apoc. 3: 19. Confer Syrum interpretem, Matth. 8: 12. Ubi pro ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότΘ, Syrus habet נפקון h. e. *exibunt*, ἐξελεύσονται, *in tenebras*. *Nam Syris* נפק non modo *exire*, ſed & *proferre*, *ejicere*, *ejici* ſignificat. Hinc elegans ille Syriaſmus נפק רוחא *proferens ſpiritum* i. e. *apologia utens*: nam Reis ſpiritus fere intercluditur. Vide verſionem Syriacam Luc. 12: 11. (d) Ἔργον ἀγαθὸν, ἔργον καλὸν, Bonum opus γενικῶς pro *virtute totam* Renatorum *obedientiam* complectente, Eph. 2: 10. Tit. 2: 14. 3: 1. εἰδικῶς pro *beneficentia & liberalitate in pauperes*, Act. 9: 36. 1 Tim. 5: 10. Confer *Ionathanem* Gen. 4: 8. Ubi Abel affirmat mundum gubernari טבין עובדין כפירי *juxta meritum Bonorum Operum*. Idem Jonathan Gen. 6. de Noah dicit quod fuerit שלים בעובדין טבין *perfectus in bonis operibus*. (e) Καιρὸς ἀναψύξεως, Actor. 3: 20. reſpondens phraſi יום נחמתא, *dies conſolationis* pro *feliciſſimo tempore*, item pro *die reſurrectionis*. Ita cum Joh. c. 11: 24. ait: *Surget* ἐν τῇ ἀναςάσει, Syrus Paraphraſtes habet: מא בנוח h. e. *in conſolatione*. Confer *Ionathanem Ben-Uzielem* ad Oſ. 6: 3. (f) Διανοίγεσθαι *Aperiri* pro *facultatem audiendi recipere*, Marc. 7: 34. Ἐφφαθὰ, ὅ ἐςι διανοίχθητι, quod vſ. 35. mox ita declaratur, καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτȣ̃ αἱ ἀκοαί. *Ibi* ipſe Homo, *hic* Hominis aures *aperiri* dicuntur. Nimirum Syro-Chaldæi ipſum Hominem qui recte audit פקח *apertum* vocant. *Buxtorffius* in Lexico Talmud. ad Rad. פקח ex Jevamoth producit hæc verba: *Duo fratres*, *quorum unus* פקח *apertus* i. e. audiens, *alter ſurdus*. Similiter *Chaldæi*, eum qui oculorum uſum habet, vocant פתיחא *apertum*: & ſi quis cœcus oculorum aciem recipiat, Syriace dicitur אפתחא i. e. *aperiri*, uti ex *Vaiikra rabba* c. 18. ornate oſtendit *Angelus Caninius* in ſuo de Loc. Hebr. Novi Teſtamenti Libello ad Marc. 7: 34.

§. 4. Imprimis autem B. Apoſtolus *Johannes* characterem *Targumitum* in gratiam Judæorum, quorum manibus *Targumin* tum ferebantur, ſtylo ſuo exprimere voluit, quod vel ex phraſi illa Targumica מימרא דיי *verbum Domini* patet, qua Johannem uſum eſſe conſtat, dum Filium Dei paſſim λόγον vocat. Ut nunc alia plura taceam, v. g. celebrem illam diſtinctionem *Mortis ac reſurrectionis*, in *primam* & *ſecundam*, Apoc. 20: 6, 14. periphraſin *veri ac æterni Dei*, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενΘ, Apoc. 4: 8. explicationem appellationis βασίλειον ἱεράτευμα 1 Petr. 2: 9. pro βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς apud Joh. Apoc. 1: 6. ad imitationem Targum Hieroſolymit. Ex. 19: 6. &c. de quibus omnibus conſule *Bartol. Meyerum* Phil. S. P. 11. c. 2. ap. 165. ad 200. ubi ſimul fontes oſtendit *in Targumin*, unde hæ locutiones *Syro-Chaldææ* fluxerint, imo *Sententias integras* N. T. ex *Paraphraſibus* illis depromtas adducit, qualis eſt Luc. 6: 38. Nobis extremis digitis ea omnia hic attigiſſe ſufficiat.

APHOR. VII.

(2) *Rabbiniſmi.*

§. 1. **R***Abbiniſmos* in libris N. T. reperiri, jam pridem cenſuerunt Clariſſimi Viri (Joh. Buxtorffius *Gram. Chaldæo-Syra* p. 402. Ludovicus Capellus *in præfat. Spicilegii*. Johannes Coch. *in præfat. ad titulos duos Talmudicos Sanhedrim & Maccoth*. Theod. Hackſpan. *de uſu librorum Rabbinicorum in Theologia Sect.* 2. Johannes Ligtfoot *in præfat. ad Horas Hebr. & Talmud. in Matthæum*,) qui hinc inde phraſin N. T. juvant, adductis Autoribus *Talmudicis*, ac lucem non contemnendam ex monumentis illorum antiquioribus educunt, qua multa N. Fœderis loca illuſtrant, declarant, explicant, in quibus tum *Chriſtus*, tum ejus *Apoſtoli*, ad mores, placita, dogmata, uſum, conſuetudinem, ſententias, proverbia, parabolas, gnomas Veterum ſui temporis Judæorum reſpexerunt. *Nam etſi Talmud* (verba ſunt *Buxtorffii* l. c.) *opus ſit aliquot centenis annis poſt Chriſtum in unum corpus concluſum*, *tamen materia ipſa partim ante Chriſtum*, *partim tempore Chriſti & paulo poſt*, *in celebribus Babyloniæ ſcholis*, *Sola*, *Nahardea*, *& Pombeditæ fuit diſputata & in libros deſcripta.* Certe ſi quis locos in Hebræum conatur transferre, experietur ipſe, in multis *Talmudica*, quam Biblica propiora eſſe, teſte *Cochio* l. c.

§. 2. Conſpiciuntur autem illi N. T. *Rabbiniſmi* (a) *In vocibus ſingulis*: v. g. (1) Πλήττεσθαι, Apoc. 8: 12. vox Græca, ſed ejus ſignificatio *Rabbinica*, pro ἐκλείπειν ſive *deficere*, non ſecus ac verbum הכה *percutere*, *cædere*, *verberare*, apud *Rabbinos* ſæpe *de Solis & Lunæ defectione* uſurpatur. Loca ex Scriptis Rabbinicis pro hac ſignificatione adducta, vide apud *Ioh. Crojum* obſervat. in N. T. p. 1. c. 34. p. 266, 267. (2) Διαλλάσσεσθαι vel καταλλάσσειν dicitur qui *alteri ita reconciliatur*, *ut in ejus gratiam reſtituatur*, Matth. 5: 24. 1 Cor. 7: 11. 2 Cor. 5: 19. Cujus ſignificationis, utut exemplum è *Sophocle* poſt Stephanum, Grotius alleget, fontem tamen *Ioh. Coch.* Præf. ad duos tit. Talmud. *Sanhedrin* & *Maccoth*, mavult oſtendere in ea Lingua, quæ naſcente Evangelio obtinuit inter Judæos, ubi verbum רצה cui æquipollent Græca illa, utrumque deſignat, & *facere*, *amare*, & *facere amari*, ſive *placare & in gratiam reſtituere*. Exemplum profert ex antiquo ſuper *Exodum* Commentario, quem *Schemos Rabbah* vulgo nuncupant, *paraſch.* XLIII. fol. 151. col. 4. (3) Γεννᾶν Matth. 1: 12. Σαλαθιὴλ ἢ ἐγέννησε τ̃ Ζοροβάβελ, de *generatione* non *Naturali* ſed *Legali* exponi debet. Conſtat enim ex 1 Par. 3: 17. 18: 19. *Jechoniam* q. genuiſſe *Salathielem*, *Malchiram*, *Pedajah*, & alios; *Pedajæ* vero filium demum fuiſſe *Zorobabelem*, non *Salathielis*. Valde itaque probabile eſt, *Salathiele* abſque liberis extincto, *Pedajam* fratrem poſt obitum ejus, pro jure Leviratus, ducta *Salathielis*, uxore, ſemen ei ſuſcitaſſe, & ſic *Zorobabelem* ex illo genitum, cenſeri filium & qſ. ab eo generatum, non vero *Pedajæ*, *Salathielis*, etſi ab hoc proprie genitus fuerit. Simili improprietate verbum ילד cui reſpondet γεννᾶν, legi in *Talmud Maſſechet Sanhedrin* cap. 2. ad locum 2 Sam. 21: 8. obſervavit *Theod. Hackſpanius* de uſu Script. Judaic. in Expl. Libr. N. T. p. 424.

§. 3. (b) *In formulis ac phraſeologiis*: Exempla vide ſupra Sect. Exeg. M. II. §. 7. M. III. 18. M. IV. 3. (1) Ἔρχεσθαι εἰς τ̃ κόσμον. Johan. 1: 9. 6: 14. 11: 27. pro *generari naſci*.

Phraſis

Phrasis formata ad Hebræam בוא לעולם *venire in mundum.* Vide loca quæ *Drusius* ad cap. 1. Johannis ex libro *Musar*, & aliis citavit. (2) Γεύσασθαι θανάτου, Matth. 16:28. Marc. 9:1. Luc. 9:27. Hebr. 2:9. pro *mori*, uti טעם מות id est, *gustare mortem.* Exemplum ejus observavit *Buxtorffius* in Lexico Talmudico ad radicem טעם *ex Bereschit Rabba.* (3) Σὰρξ καὶ αἷμα, *&* αἷμα καὶ σάρξ, Matth. 16:17. Gal. 1:16. Eph. 6:12. pro *homine* sive *natura humana.* Formula, quam Judæorum Magistris familiarem esse docet *Drusius* annot. in N. T. part. altera (4) Οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, Matth. 12:32. Marc. 3:29. pro *Nunquam.* Phrasis respondens Hebrææ לא בעולם הזה ולא בעולם הבא ex libro *Chasidin* apud *Theod. Hackspan.* de usu Scriptorum Judaicorum in expositione librorum N. T. (5) Εἰς ὄνομα προφήτου, Matth. 10:41. pro Græcorum adverbio ᾗ, *qua, quatenus*, ex imitatione Judæorum, qui in talibus exprimendis utuntur voce לשם. Exempla è codice *Sanhedrin & Pircke Avoth*, producit *Buxtorffius* in Lexico Talmudico, ad vocem שם. (6) Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς Matth. 6:9. Notissimum hoc apud Judæos *Dei epitheton*, atque usitatissimum. Vide *Ioh. Lightfootum* Hor. Hebr. ad h. l. pag. 299. (7) Ὀφθαλμὸς πονηρὸς Matth. 5:23. ex usitatissima *Gentis* Phrasiologia. Nam *Oculus bonus* Judæis idem est ac *animus benignus*; atque *Oculus malus*, idem ac *animus avarus.* Vide *Lightfoot.* l. c. p. 305. (8) Καλὸν τῷ αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη, Matth. 26:24. נוח לו שלא נברם, Locutio Talmudicis usitatissima *peccati atrocitatem* denotans. Loca è *Talmud* suggerit *Hackspanius* l. c. p. 443.

§. 4. (c) *In Sententiis, Proverbiis, & Parabolis.* Exempla dedimus supra Sect. Exeg. M. I. §. 13. M. III. §. 15. M. V. §. 13. His adde; Matth. 5:28. *Quicunque aspicit mulierem &c.* c. 7. 2. *Qua mensura mensurabitis, &c.* vs. 12. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines.* Luc. 14:11. *Qui se ipsum exaltat &c.* c. 15:7. *Majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore &c.* 1 Tim. 5:6. *Vidua delitiis dedita,* ζῶσα τέθνηκε *vivens mortua.* Act. 14:21. *Per multas tribulationes oportet intrare &c.* Quomodo in *his* atque hujus notæ aliis à Christo & Apostolis *allusum* fuerit ad *ea*, quæ postea in *Talmud* sunt relata, & publici tunc erant juris & usus triti, erudite ostendit *Hackspan.* loco ante citato. Confer insuper *Buxtorffium, Drusium, Ludov. Capellum*, atque alios. (d) *In Moribus, Dogmatibus & consuetudinibus*, Vide supra Sect. Ex. M. II. §. 2. M. III. §. 18. M. IV. §. 14. M. V. §. 7, 8, 14. M. VI. §. 1, 7, 8, 11. Plura hujus generis exempla suggeret *Johannes Lightfootus* in Hor. Hebr. & Talmudic. ad quatuor Evangelistas, ut & *Theod. Hackspan.* l. c. ad Matth. 11:30. & Act. 10. de *jugo suavi & importabili*, Matth. 27:34, 48. de *Christo* nunc *potum recusante*, nunc rursum *petente.* Luc. 1:19. de *Angelo*, qui est ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, *in conspectu Dei*, promtissimus imperata exequi.

APHOR. VIII.

(3) *Persismi.*

§. 1. NImirum & *Persicæ voces* nonnullæ libris N. T. insertæ sunt, quod *lingua Judæis* tum temporis *vernacula* iis haut careret, quippe ex Chaldæa susceptis, in quam sub *Monarchia Persarum* è lingua Persica fluxerant. *Ipse Aben Esra* in cap. 5. Cohelet non diffitetur, *Talmudicam* Linguam constare vocabulis Medicis, *Persicis*, Idumæis & Ismaëliticis seu Arabicis. Idem in Lingua fieri *Hierosolymitana* videre est ex *Targum Hierosolymitano* & *Jonathanis Ben-Uzielis* Paraphrasi, observante *B. Meyero*, P. II. Ph. S. p. 76.

§. 2. Sed & ipsa Græca lingua vetus, non pauca à *Persis* acceperat, atque adeo has γλώττας in linguam N. T. originalem transfundere potuit. Apud *Herodotum* sane, circa res Persicas cumprimis occupato, magnam harum messem metere licet. Sic & *Dosiadas* in *Ara*, præter multa ex antiquitate Græca, & ex aliis dialectis arcessita vocabula, non veritus est *Persicas* voces inserere, ut ταγχρὸν pro *auro*, οὔτε ταγχροῦ πλίνθοις, οὐδ' Ἀλύβης παγέντα βώλοις.

§. 3. Talis *Persismus* N. T. est v. g. in voce (a) Μάγος Matth. 2:1, 7, 16. 13:6, 8. Quos enim Græci σοφοὺς ἢ φιλοσόφους vocabant, à Persis *Magi* dicebantur. Sic (b) Γάζα Act. 8:27. vox origine *Persica* Suidas θησαυρὸν, alii πλοῦτον interpretantur. Et composita vox γαζοφυλάκιον Marc. 12:41, 43. Luc. 21:1. Verbum item (c) Ἀγγαρεύειν Matth. 5:41. 26:32. Marc. 15:21. vocabulum est *Persicum.* *Persis* enim οἱ ἄγγαροι dicebantur *Regis Nuncii* seu *Tabellarii*, *certis stationibus dispositi, quorum alter alteri traderet mandata, ut ita celerius perferrentur.* Vox autem (d) Μεγιστᾶνες Marc. 6:21. Apoc. 6:15. 18:23. de *Proceribus & Magnatibus* videtur sumpta à *Macedonibus* & in usum apud Græcos introducta. Non enim habet *analogiam* nec *terminationem* Græcam. Nec *exemplum* suppetit vocabuli sic Græce formati. *Persico prorsus modo & sono terminatum est.* Apud *Jeremiam* in versione Græca reperitur. *Menander*, qui in deliciis fuit Demetrio & aliis Macedonicis Regibus, ea usus fuerat. Post eum *Antiochus* Sophista, teste *Phrynicho*, qui valide eam damnat, utpote nulli veterum usitatam. Ἡμεῖς δὲ, inquit, οὐ μεγιστᾶνας, ἑπόμενοι τοῖς ἀρχαίοις ἀνδράσιν ἀλλὰ μέγα δυναμένους λέγομεν, uti erudite ad hanc vocem commentatus est *Salmasius* Com. de Hellen. pag. 110. Denique (e) Παράδεισος Luc. 23:43. 2 Cor. 12:4. Apoc. 2:7. vox est, ut Pollux vere dicit, *Persica*, quanquam & Hebræi usurpant, Eccl. 2:5. Neh. 2:8. Sed Græci usu hanc suam fecerunt. Apud *Xenophontem hortum* significat, & *agrum conseptum* ac *diligenter consitum, vivarium.* LXX. Interpretes Hebræum גן ita vertunt tum alibi, tum in κοσμογονίας historia, unde factum, ut jure quodam præcipuo παράδεισος vocetur *beatus ille hortus in quo Adamum Deus collocarat.* Vide *Grotium* ad Luc. 23. Cæteras, si quæ forte sunt, voces *Persicas* vide apud *Ottonem Gualperium*, in Sylloge vocum omnium Exoticarum N. T. Mentionem insuper *Persismorum* N. T. fecere *Danhauerus* Herm. S. art. 8. pag. 181. ut & *Calovius* Crit. S. Tr. II. M. V. p. 452. *B. Meyerus* l. c. p. 76.

APHOR. IX.

(4) *Latinismi.*

§. 1. QUomodo in stylum Novi Test. hi pervenerint, ex dictis Aph. 4. §. 1. & 3. proclive est colligere. Suntque vel in vocibus *singulis vel conjunctis.* Vocum *singulare* exemplum habuimus supra Sect. 1. M. VI. §. 8. His adde sequentia: Ἀσσάριον *Assarius*, forma diminutiva à Latina voce *as, assis*, Matth. 10:19. Δηνάριον *Denarius à decem*, Matth. 18:28. Ἰοῦστος *Justus* Act. 1:23. Κεντυρίων *Centurio*, qui *centum* peditibus præest. Marc. 15:39, 43, 44. Κῆνσος, *Census*, h. e. æstimatio bonorum, secundum quam tributa pendebantur. Matth. 17:25. Κοδράντης *Quadrans*, seu *quarta* pars assis h. e. unciæ tres, Matth. 5:26. Κολώνια *Colonia à colendo*, Gr. ἀποικία, Act. 16:12. Κουστωδία *Custodia, à Curo*, vel potius ex *con & adsto*, ut *custos* sit qs. *coastes*, συμπαραστάτης, Matth. 27:65, 66. Λεγεὼν *Legio*, *à Legendo* s. *deligendo* Ausschuß/ Matth. 26:53. Λέντιον *linteum* pro *Lineum*, ex nomine *linum*, Joh. 13:4. Μάκελλον *macellum à mactando*, Gr. ὀψοπωλεῖον, 1 Cor. 10:15. Μεμβράνα *membrana*, propr. pellis exterior quæ *membra* tegit, metonym. charta *pergamena*, 2 Tim. 4:13. Μίλιον *miliare, à mille*, Suidas Μίλιον μέτρον γῆς, Matth. 5:31. Ξέστης *sextarius*, quia sit *sexta* pars congii, Marc. 7:4, 8. Πραιτώριον *prætorium à prætor*, qs. *præitor*, idque, quia primis temporibus & juri, & exercitui præfuerit, Matth. 27:27. Σημικίνθιον ἢ σιμικίνθιον, *Semicinctium*, quod & *succinctiorum*, aut *subligaculum* dicitur. Græce περίζωμα, Act. 19:12. Σικάριος *Sicarius à Sica*, qs. *seca, à secando*, vel ut aliis placet, à *siccando*, Act. 21:38. Σπεκουλάτωρ *Speculator, spiculo*, quod gestabat, Gr. δορυφόρος Marc. 6:27. Ταβέρνη *taberna* per Syncop. pro *tabulerna, à tabula*, quod ex *tabulis* olim fiebant tabernæ, Gr. ἐργαστήριον, Act. 18:15. Τίτλος *Titulus à tutando*, qs. *tutulus*, si Varronem audimus & Festum; rectius à τιτὸς quod ex τίω, unde & τιμὴ, Joh. 19:19. Φόρον *Forum à ferendo*, quia tum res venales in forum negociantium, tum controversiæ in forum judiciarium *deferantur*, Act. 28:15. Φραγέλλιον *Flagellum &* Φραγελλοῦν *Flagellare à flagro*, quod juxta Varronem est à venti *flatu*, rectius à φλέγω inserto ρ, Joh. 2, 15. Matth. 27:26. Marc. 15:15. Vide de his omnibus *Glassium* Phil. S. l. 1. Tr. 4. S. 2. can. 5. p. 303. *Meyerum* Part. 1. Phil. S. c. 2. à p. 251. ad 272. *Danhauerum*, Herm. S. art. 8. p. 179. *Dilherrum* de usu literaturæ profanæ in literatura S. ad Act. 19:12. *Gattakerum* de stylo N. T. pag. 53. 54. *Scultetum* Exercit. Evangel. p. 2. c. 16.

§. 2. Referunt nonnulli huc etiam *vocabula origine Græca, sed usu Latina*, qualia sunt: Ἄγκυρα, *Anchora*, ex ἀγκύλου *adunco*, & ῥέω *fluo*, Act. 27:30. Ἄρωμα *Aroma*, ex ἄρι intens part. & ὄζω *oleo*, Marc. 16:1. Ἀρχιτέκτων *Architectus*, ex ἀρχὸς *princeps*, & τέκτων *faber*, 1 Cor. 3. 10. Ἀσπὶς *Aspis*, Serpentis genus, ex α ἐπιτατικῷ & σπίζω i. e. *extendo*, quia forma sit oblonga Rom. 3:13. Αὐστηρὸς *Austerus* παρὰ τὸ

αὔειν ab exsiccando, Luc. 19: verſ. 21. Γάγγραινα *Gangræna*, à γραίνω depaſcor, 2 Tim. 2: 17. Διάδημα *Diadema*, à διαδέω revincio, redimio, Apoc. 12: 3. Κλίβανος *Clibanus*, Dor pro κρίβανος juxta Euſtathium, qſ. κριθῆς βαῦνος, i. e. *hordei fornax*, Matth. 6: 30. 12: 28. Κλίμα *Clima* à κλίνω, 2 Cor. 11: 10. Gal. 1: 21. Κραιπάλη, *Crapula*, παρὰ τὸ κάρα πάλλειν, qſ. *dolor caput vibrans*, Luc. 21: 34. Λίτρα vox à Siculis qui *obolum* dixere λίτραν. Hinc *Romanis Libra*, quia *oboli* ſ. *aſſes* libriles converſo T. in B. Joh. 12: 13. 19: 39. Μάρμαρον *marmor* à μαρμαίρω *reſplendeo*, Apoc. 18: 12. Μόδιος *modius*, non à *modus*, ſed plane Græcum eſt, quod pro menſuræ genere *Dinarchus* Orator in Demoſthenem uſurpat. Græcos vero à Latinis accepiſſe jam tum ea ætate quis credat? Matth. 5: 15. Ῥέδη *Rheda*, à ῥέω *fluo*, ob celerem motum, quo ferri ſolet, Apoc. 18: 13. Ῥομφαία *Romphæa*, παρὰ τὸ ῥέπω, vel quod magis placet, à ῥέμβομαι h. e. *circum ago*, *in gyrum agito*. Quod facere ſolent *romphæa* pugnantes, Apoc. 1: 16. Σάλος *Salum*, ab ἅλς, ἁλὸς, Luc. 21: 25. Σκάφη *ſcapha*, navigioli genus, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, quod eſt *excavare*, Actor. 27: 16. Σπεῖρα, *Spira*, Cohors, Globus militaris, παρὰ τὸ σπείρειν, Marc. 15: 16. Στάδιος *Stadium*, ἀπὸ τῆς στάσεως, Luc. 24: 13. Στατὴρ *Stater*, argenteus nummus valens quatuor Drachmas, ab ἵσταμαι quod interdum eſt, *appendo*, *libro*, *pondero*, Matth. 17: 26. Στολὴ *Stola*, Latinis *muliebris veſtis*, Græcis etiam *Virilis*, à στέλλω, quod inter alia ſignificat ἐνδύειν, περιβάλλειν, Marc. 12: 38. Τάλαντον, *Talentum*, à ταλάω, h. e. *ſuſtineo*, *ſuffero*. Nam prima ſua ſignificatione non *pondus* notat, quod lanci imponitur, ſed *libram*, ipſam qua pondera appenduntur, Matth. 18: 24. Τρίβολος *tribulus*, ſpina, ſentes qſ. habens τρεῖς βολὰς *tres cuſpides*, Matth. 7: 16. Φαιλόνη *Pænula* ſ. *penula*, Veſtis ſpiſſa frigori & imbribus arcendis apta. A Lacedæmoniis & Doribus vocem cum re accepiſſe dicuntur Tarentini & magnæ Græciæ Incolæ, à quibus deinde pervenit ad Romanos, 2 Tim. 4: 3. De his atque aliis hujus farinæ vocabulis in N. T. paſſim obviis, vide G. *Paſorem* in pecul. Lex. Huic omnino junge *Gerh. Joh. Voſſii* Etymologicon Ling. Lat.

§. 3. Vocum *Conjunctarum*, ſeu *phraſium Latiniſantium*. Exempla vide ſupra Sect. Exeg. *M. I.* §. 15. *M. II.* §. 6. *M. V.* §. 3. His adde: (a) Συμβούλιον λαβεῖν, *conſilium capere*, Matth. 12: 14. 27: 7. 28: 12. (b) Ἐργασίαν δοῦναι, *operam dare*, Luc. 12: 18. (H. Stephanus de infidis Gr. L. Magiſtris p. 17.) (c) Ποιῆσαι χρόνον, *facere tempus*, *commorari*, Act. 15: 33. (Vide *Caſaub.* Not. ad h. l.) (d) Ἱκανὸν λαβεῖν, *ſatis accipere*, Act. 17: 9. phraſis juridica, cui reſpondet, ἱκανὸν ποιῆσαι, *ſatis dare*, Marc. 15: 15. (Vide *Grotium* ad h. l.) (e) Ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις, h. e. *requiritur*, 1 Cor. 4: 2. (f) Τοῦτο μοὶ καρπὸς ἔργου, h. e. *operæ pretium*, Philip. 1: 12. (g) Ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι, *juſſit duci*, Act. 12: 29. (h) Αἰτία pro *conditione* Matth. 19: 10. Εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς (vide *Caſaub.* ad h. l) (i) Ποτήριον ψυχροῦ, *poculum frigidæ*, Matth. 10: 42. (k) Ὕδωρ ἁλλόμενον *aqua ſaliens*, Joh. 4: 14. (l) Ἐν τούτῳ κρέμαται, *in hoc*, vel, *ab hoc pendet*, Matth. 22: 40. (*Caſaub.* in Not. ad h. l.) (m) Τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψῃ, *Quid ad nos? Tu videris*, Matth. 27: 4. Magis hic Græco-Latinus aut Latino-Græcus ſermo, quam Græcus, præſertim ad illud ὄψῃ quod attinet (H. Steph. de Infid. Gr. L. Mag. p. 127.) Confer. *Danhauerum*, *Meyerum*, l. c. quibus adde *Salmaſium* Comment. de Ling. Hell. p. 140, 141.

MEMBRUM IV.

De Sacra Dictionis Idea N. T.

APHOR. I.

In N. T. reperitur inſuper ſacra quædam Dictionis forma materiæ Evangelicæ accommodata.

§. 1. QUamvis alias forma totius corporis Biblici Sacra dici poſſit, nobis tamen hic *ſpecialiter* ſic appellare lubet *eam N. T. Dictionem*, *quæ ex ipſa diviniſſimarum rerum*, *humaniſque nec mentibus comprehenſarum*, *nec linguis pronunciatarum* (ita enim omnino de Evangelio & S. Scripturis, reſpectu Humanorum operum ſcriptorumque loquendum) *indole*, *ſponte ſua proficiſcitur*.

§. 2. Cauſa igitur *novi* hujus Characteris in Lingua N. Teſt. originali eſt ἡ φιλοσοφία εὐαγγελικὴ *circa ſumma ſalutis noſtræ myſteria occupata*. Hæc enim, quia ſunt ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, *peculiari quodam loquendi genere*, quod melioris diſtinctionis gratia *ſacrum* dicimus, Spiritus S. per ſuos præcones enunciare quandoque voluit. Id Ariſtoteles appellare ſolet ὀνοματοθετεῖν, ſi nimirum *vocabula jam ante uſurpata* ad *novas res* deſignandas transferantur: Si vero hac fini *nova vocabula* juxta *analogiam* Linguæ fingantur, idem Philoſophus dicere amat ὀνοματοποιεῖν.

§. 3. Hinc eſt quod *Alii* dicunt: *duplicem* eſſe loquendi conſuetudinem, quem Spiritus S. in verbis Scripturæ obſervet, *unam* vulgarem *alteram* peculiarem. *Vulgaris* circa communem loquendi uſum ſtylumque verſatur, cum Divinæ res & myſteria incomprehenſibilia ita fuerunt ſtylo N. T. enunciata; ut rudes etiam & ruſtici homines certam de illis ſententiam haurire, & ex iis ad ſalutem æternam informari potuerint: Siquidem ut *Auguſtinus* L. 1. de Trin. c. 12. ait, *Nullo Locutionis genere loquitur Scriptura*, *quod in conſuetudine hominum non inveniatur*; *quia utique hominibus loquitur*. Et hoc eſt quod Græci Patres ſæpius dixerunt, Spiritum S. in S. Literis συγκαταβαίνειν ἡμῖν & ad noſtrum captum ſeſe attemperare. De qua *Vulgari* ſive *Idiotica* loquendi conſuetudine nos paulo ante M. III. egimus. *Peculiaris* iterum eſt vel *Dictionis*, vel *Locutionis*. *Illa* in idiotiſmis linguarum Originalium, Hebrææ & Græcæ ſpectatur, de quibus M. I. & II. *Hæc* in phraſibus ad fidei myſteria aptatis; de quibus hoc Membr. IV. ſuggerit hanc diviſionem *Glaſſius* Phil. S. L. 1. Tr. 5. S. 2. p. 188, 199.

§. 4. Huc pertinet, quod Paulus 1 Cor. 2: 13. ait; ſe de myſteriis divinis loqui οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ᾽ ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. Et mox, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνειν, *Spiritualibus Spiritualia comparare*, h. e. ad res ſpirituales exprimendas, *verba* quoque *ſpiritualia* adhibere, qualia ſcil. ἡ ἀνθρωπίνη Σοφία, quam Evangelicæ opponit, haudquaquam noverit.

APHOR. II.

Ad hanc penitius dijudicandum opus eſt rerum Divinarum diligentiore meditatione, ac intellectu.

§. 1. CUm Sacer ille orationis Biblicæ Genius ex rerum μυστηριωδῶν indole, ac natura quaſi effloreſcat, fieri ſane aliter non poteſt, quam ut harum *Intellectu* deſtitutus, etiamſi profanis literis ſit doctiſſimus, in eo capiendo fruſtra ſe fatiget, adeoque aliam quercum excutere jubendus ſit. Id quod communi omnium etiam profanorum ſtudiorum tractatione evinci poteſt. Nemo certe *Eloquentiam* Scriptoris accurate penetrabit, niſi qui & *Sapientiam* penetravit. Sicut è diverſo, ut *Sapientia* & profunditas argumenti penetretur, exigendum ad vim argumenti eſt pondus *Dictionis*. Mutua enim hæc ſunt, & ἀδιαιρέτως ἀλλήλα, uti loqui amat *Bæclerus* Diſſert. ſæpius laudata §. 22.

APHOR. III.

Ipſa vero Sacra N. T. Dictio in vocibus ac phraſibus ſignificationem, ut ſic loquar, Eccleſiaſticam habentibus, conſpicitur.

§. 1. REm ut exemplis teſtatam faciamus, præter ea, quæ ſupra habuimus *Sect. Exeget.* M. I. §. 12. III. §. 13. 17. IV. 9. 12. 13. V. 9. 10. pauca ſequentia hic annectimus. (a) *In myſterio Trinitatis*, verbum ἐκπορεύεσθαι *procedere* uſurpatur Joh. 15: 26. Eccleſiaſtico ſenſu de *æterna Proceſſione Spir. S. à Patre & Filio*, quo non occurrit in profano Scriptore alio. Neque enim res nomine iſto notata, cognita ipſis erat. (b) *In myſterio Exinanitionis & Exaltationis Filii DEI*: Ἐξέρχεσθαι παρὰ τοῦ πατρὸς, *Exire à Patre eſt humiliari*, *pati & mori*: Πάλιν ἀφιέναι τὸν κόσμον, καὶ πορεύεσθαι πρὸς τὸν Πατέρα, *Viciſſim relinquere mundum & abire ad Patrem eſt depoſita ſervi forma in priſtinum* τὸ εἶναι Θεῷ ἴσα *exaltari*, ap. Joh. 17: 28. Καθίσαι ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ, *Sedere ad dextram Dei eſt ubique præſenter dextra Dei uti ad regimen orbis*, *tutelam Eccleſiæ*, *profligationem hoſtium*, Marc. 16: 29. (c) *In myſterio Converſionis*, *Juſtificationis*, ac *Renovationis noſtræ* ἄνωθεν γεννᾶν eſt *ad vitam gratiæ ſeu ſpiritualem renaſci*, Joh. 3: 3. Ζωοποιεῖσθαι σὺν τῷ Χριστῷ eſt *accipere vires ſupernaturales credendi in Chriſtum*, *per quas ſpiritualiter vivere incipias*, Eph. 2: 5. Col. 2: 10. Δικαιωθῆναι eſt *per juſtitiam Chriſti imputatam juſtum eſſe*, Rom. 4: 2.

§. 2. Huc pertinent omnes illæ loquendi formulæ, quas *Glaſſius* Ph. S. lib. 1. Tr. 4. Sect. 4. de ſtylo Pauli Apoſtoli p. 244. in unum congeſſit: *Connaſci*, *conſepeliri cum Chriſto*, *concrucifigi*, *convivere*, *conformari*, *conregnare*, & *conglorificari*, re-

resurgere cum Christo, baptizari in ejus mortem, crucifigere corpus peccati, resurgere in novam vitam, veterem hominem corrumpi, eundem exuere, & novum induere, mortificari & vivificari, Lex membrorum, lex in membris, lex spiritus, secundum carnem aut *spiritum vivere, servire mente,* aut *spiritu, peccato vel legi DEI, animalis homo, sensus carnis, venditum esse sub peccatum, peccatum regnare, condelectari lege Dei, corpus peccati.*

§. 3. Sic voces, ἐπίσκοπος Act. 20: 29. Phil. 1: 1. Tit. 1: 7. & πρεσβύτερος Actor. 14: 23. 15: 2, 4, 6, 22. 20: 17. 1 Tim. 5: 17. Jac. 5: 14. translatæ sunt ad significandos *tales Homines*, qui *certo cuidam cœtui doctrinam cœlestem, cultumque divinum instillabant.* Similiter vox ἐκκλησία passim in Actis & Epistolis ad *talem hominum cœtum* significandum inflexa est, *qui rectum Divino Nomini cultum præstat.* Nec aliter vox μυστήριον novam significationem in N. T. Libris recepit. Et quæ his sunt similes, in aliis fidei nostræ capitibus, voces ac phraseologiæ, non nisi ex ipsis Scripturis explicandæ, de quibus vide *Nostrates* in Locis Theologicis passim.

SECTIO POLEMICA.

In Refellendis Sententiis partim impiis, partim frivolis, occupata.

Declaratio Tituli παρασκευαστική.

§. 1. TRes celebriores hodie circa *stylum* N. Test. agitantur controversiæ. *Una* cum iis, qui ob formulas ac voces ex Oriente simul & occidente petitas, adeoque respectu linguæ Græcæ peregrinas, ut & constructiones quasdam (ceu ipsis videntur) minus congruas, *Barbarismis & Solœcismis* eum scatere pertendunt. *Altera* cum istis, qui ut φορτικὸν hoc ἀκουσμα devitent, *mere Græcum esse, nec aliarum linguarum, Hebrææ cumprimis, liquore permisceri,* ajunt. *Tertia* cum his, qui non contenti, stylum N. T. à cætera Græcitate tota esse separatissimum, plane *novam linguæ speciem, invitis & inassuetis seculi auribus obtrudere, ac novum linguæ Hellenisticæ nomen ipsi imponere satagunt.*

§. 2. *Prior* sententia, in quantum divinis Scriptoribus ignorantiam, vitium aut ruditatem impingit; *irreverentiæ* cujusdam erga Sacras Literas, & *impietatis* notam habet. *Posteriores* duæ, quamvis *priori*, ob styli sacri à barbarismis & solœcismis vindicationem, *innocentiores* appareant, quia tamen *altera* in defectu, *altera* in excessu munus hoc exsequitur, *illaque* in rem manifesta dubitare, *hæc* de re nihili, imo de voce vitilitigare gestiat, *frivolæ* potius, quam solidæ frugis esse videntur.

§. 3. Nobis, licet nec Temporis nec Chartæ spatium tantum relictum sit, quo *plenius* has controversias & *pressius* hac vice tractare queamus, *tangendæ* tamen vel ideo nunc erunt, quia cum iis, quæ supra diximus, aliquo modo cohærent, ac inde sponte quasi sua nascuntur.

MEMBRUM I.

An stylus N. T. Barbarismis & Solœcismis sit refertus?

SUMMARIUM.

Autores affirmantes §. 1. *Negantes* §. 2. *Observanda quædam circa terminos quæstionis* §. 3. *Barbarismus, Solœcismus, Nomina vitii* §. 4. *Puritas Grammatica Barb. & Soloec. opposita* §. 5. *Stylo N. T. quomodo illa sit asserenda* §. 6, 7. *Stylus N. T. singularissimus* §. 8. *Singulæ ejus voces ac phrases à Spiritu S.* §. 9. *Probatur hoc dictis Scripturæ, ibid. Illustratur ex Glassio* §. 10. *Patrum suffragiis confirmatur* §. 11. *Duplex styli Sacri respectus* §. 12, 13. *Citatur pro hac sententia Laur. Fabritius* §. 14. *Argumentum pro parte Negante* §. 15. *Falsa Hypothesis Adversæ Partis* §. 16, 17. *Ejus Refutatio* §. 18. *Primum argumentum pro Barbarismis* §. 19, 20. *Responsio ad illud* §. 21. *Alterum pro Solœcismis* §. 22. *Ad idem responsio* §. 23. *Examen trium Locorum N. T. solœcismos præ se ferentium* §. 24, 25, 26. *Paulus & SS. Patres pro solœcismis N. Test. adducti* §. 27. *Responsio ad Autoritatem Pauli* §. 28. *Ad Patrum* §. 29, 30. *Objectio ab Innocentia ajentis sententiæ* §. 31. *Ejusdem refutatio* §. 32.

§. 1. PArtem *Quæstionis Affirmativam* tuentur *Erasmus* in c. 10. Act. & è Calvin. *Beza*, qui, dum invectivam scribit in Erasmum, Annot. ad Act. 10. 46. p. 450. cum definitionem Solœcismi à S. Scriptoribus declinat, *nomen* tamen imprudenter relinquit. *Solœcismos*, inquit, *etiam aliquos non diffiteor.* Et mox: *Apostoli aliquando cum vulgo solœcissandum putarunt.* Hinc Luc. 22: 20. in verbis institutionis τὸ ἐκχυνόμενον, citra solœcismum, ad τῷ αἵματι referri negat. Cui suffragatur *Piscator* in h. l. & *Vorstius* P. II. Anti-pist. S. 4. *Goclenius* L. 5. probl. Gramm. q. 25. p. 260. Quibus adde *Salmasium* passim in *Comment. de Lingua Hellenistica*, nec minus in *Funere ac Ossilegio*, & *Joh. Crojum in Observat.* ad N. T. c. 34. p. 261. seqq.

§. 2. *Negativam* amplectuntur *Nostrates* fere omnes, ex quibus præprimis vide *Glassium* in præfat. ad Rhetor. S. *Himmelium* in præfat. Comment. Method. in D. Pauli Epist. ad Galatas, *Danhauerum* Herm. S. art. 8. p. 160. it. Hodosoph. Phænom. I. p. 41. *Calovium* System. Theol. Tom. 1. c. 4. q. 5. §. 15. seqq. Quibus adde *Dilherrum* Dissert. de vitiis linguarum præcipuis, atque *Bæclerum* in pecul. Dissert. de Lingua N. T. originali.

§. 3. Nos ut eo felicius à parte *Negantium* stare queamus, nonnulla ex parte tum *Subjecti*, tum *Prædicati* quæstionis, præmonenda esse ducimus.

§. 4. Ex parte *Prædicati*, quantum ad verum, proprium, usitatum & quasi civilem significatum *Barbarismi & Solœcismi* attinet; utique *vitii, ignorantiæ, ruditatis*, non *artis* aut *rationis* nomina esse; tam Veterum quam Recentiorum constantissima asseveratione traditur. *Stoici* apud *Diogenem* Lib. 7. & ex eodem *Suidas*, Barbarismum definiunt, quod sit: ἐκ τῆς κακιῶν λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδαιμονούντων (εὐδοκιμούντων) Ἑλλήνων, h. e. *Ex Vitiis dictio præter consuetudinem felicium* (probatorum) *Græcorum. Solœcismus* autem eidem *Suidæ* dicitur, ὁ λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος, id est, *Oratio incongruenter constructa.* Donato: *Vitium in contextu partium orationis contra regulam artis factam.* Utrumque elegantissima connectit *Augustinus* L. 2. de Doctr. Christ. c. 13.

§. 5. *Barbarismis* ac *Solœcismis* opponitur *Puritas*, ut ita dicam, *Grammatica*, quæ voces & constructionem respicit coaptatam, juxta consuetudinem Autorum, qui nobis priores non sine autoritate aliqua locuti fuere. Quæ *puritas* toto cœlo differt, non modo à *Divina*, qui verbo Dei peculiaris est, *Virtute & Efficacia*, de qua Theologi in Loco de *Scriptura* ex professo agunt, sed & à *Facundia & ratione persuadendi Rhetorica*, quæ tropos & figuras attendit, quarum usus est in movendis affectibus & percellendis Auditorum animis.

§. 6. Quando ergo *Barbarismi* ac *Solœcismi* textui N. T. originali à Nonnullis tribuuntur, tunc sane à sermone Apostolorum non *Tropos ac Figuras* removent ad animos hominum flectendos accommodatas: Nam harum intuitu *Chrysostomus* L. 4. de Sacerdotio scribit: *Paulum* magnam adhibuisse *Eloquentiam.* Et *Hieronymus* Epist. 51. advers. errores Joh. Hierosolym. cap. 4. *Paulum Eloquentiæ Christianæ* flumen vocat. Multo minus *Divinam Virtutem* Verbo Dei V. tum N. T. propriam denegant. Hujus enim respectu *Chrysostomus* iterum l. c. *Facultatem Paulo* tribuit *orationis facultate multo præstantiorem ac longe potentiorem. Hieronymus* autem in Apol. adv. *Jovianum* scribit: *Paulum Apostolum, quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua.* Et quis negaverit, sermonem *Barbarismis & Solœcismis* refertum, virtute ac ope Spiritus S. æque efficaciter penetrare, & hominum animos flectere posse, ac vel politissima *Demosthenis* Oratio? Sed *puritatem Grammaticam* in externis vocibus earumque coaptatione consistentem impugnant: Quam alii vicissim, textui S. N. T. dum à *Barbarismis & Solœcismis* eum liberum esse pronunciant, nobiscum asserere non dubitabunt: Modo observetur, hic non *illam* attendi *Puritatem Grammaticam*, quæ voces, earumque constructionem ad *scripta mere Græcorum*, v. g. *Demosthenis, Isocratis, Homeri* & aliorum examinat, sed *eam*, quæ ad Regulas tum *Græcæ*, tum *cæterarum*, præsertim *Orientalium linguarum* quadrat. (vide paulo post §. 12.) Quis enim *Spiritum* S. datorem *Linguarum*, qui στόμα καὶ σοφίαν largitus fuit Apostolis,

ad

ad *mere Græcos Scriptores profanos* fibimet etiam quoad ftylum diffimiles, tanquam ad *normam* alligavit? Sufficit in *ftylo N. T.* ubi alienior eft à *profano*, verba ea lege fibi coaptata effe, qua coaptaverunt *Prophetæ V. T.* vel alii *Linguarum orientalium periti* homines, qui priores Apoftolis non fine autoritate locuti fuerunt.

§. 7. Nempe *de Puritate Linguæ, poft fpeciem Linguæ*, ut ita dicam, *conftitutam*, demum judicandum. Unde diverfiffimæ quæftiones funt, *de Puritate Græcæ Linguæ, & de Puritate Linguæ N. T.* Præclare *Bœclerus* Differt. de Lingua N. T. Orig. §. 25. *Quid movit viros doctos, ut Linguam N. Teftamenti, alio quàm Græcæ nomine dicerent? ἰδίωμα Vet. Teftamenti nimirum quod in Novo inveniebant. Hinc differentiam, ut Philofophi vocant, fpecificam fumunt.* Atqui ἰδίωμα V. Teft. utique purum eft. *Quidni ergo pura fit Lingua N. T. quæ illud ἰδίωμα retinet?*

§. 8. Ex parte *Subjecti*. (1) Certum nobis eft. *Stylum N. T. fingulariffimum effe exemplum ftyli, fingularique DEI confilio ad fingulares ufus deftinatum, ubi ipfa effectus Novitas & ἰδιοπρέπεια videtur cautiorem, & profundiorem κρίσιν poftulare.*

§. 9. (2) Certum etiam cuivis cordatiori Chriftiano effe debet; *Spiritum S. in Sanctiffimo infpirationis opere, non tantum fenfus & fententiam, fed & ipfas Voces, Phrafes & conftructiones ftyli Sacri, Sanctis DEI Viris infpiraffe, aut faltem linguam & verba, quæ exempli gratia in Scriptore Miniftro invenit, direxiffe, & ad Corpus totius contextus difpenfaffe.* Nos, *inquit*, Apoftolus 1 Cor. 2: 12. non Spiritum hujus Mundi accepimus, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα, τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, ut fciamus, quæ ex DEO, nobis donata funt, *quæ & loquimur non in doctis Humanæ fapientiæ verbis*, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου h. e. *Talibus, quæ & qualia docet, infpirat, fuggerit Spiritus S.* Sic de Apoftolis Act. 2: 4. dicitur, *quod locuti fint & prædicarint Magnalia DEI*, καθὼς πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι, *prout Spiritus S. dabat illis eloqui.* Quid? quod 2 Tim. 3: 16. Πᾶσα γραφὴ, *omnis* Scriptura, non folum quoad fententias, fed *& verba fingula, & verborum ordinem, ac totam difpofitionem*, Θεόπνευστος, h. e. *à DEO, tanquam per femet ipfum loquente, aut fcribente*, effe dicatur, ut recte colligit è verbis Apoftoli *Guil. Eftius* in Com. ad h. l.

§. 10. De quo *immediato Infpirationis opere* eruditiffime ac vere Theologice præ cæteris differuit *B. Glaffius* in Epift. Dedicat. Rhet. S. ut & Difp. 1. in A. C. & ejus Apol. Θ 12. Ipfa verba, quia lectu digna funt, non pigrabor hic adfcribere: *Spiritus S.* ait, *Mentem, Linguam, & Stylum Scriptorum S. ita ἀμέσως direxit, ut curfum in oratione, myfteria Sacro-Sancta exprimente, rectum, purum, & tantæ fapientiæ decentem, ubique fervarent. Sanctos quippe & canonicos Scriptores ad fcribendum impulit non modo vulgari, quo alia fcripta bona & utilia, vi Facultatis animæ intelligentis generali DEI influxu fuftentatæ & gubernatæ, à perfonis irregenitis exarantur; vel fpeciali gratia adjutorio, fi fcribentes regeniti fint & credentes:* Sed *modo affiftentiæ κινήσεως, motionis & infpirationis fpecialiffimo, intellectu nimirum eorum fupernaturali quadam & extraordinaria Luce illuftrando, ut veritatem & certitudinem rerum fcribendarum exactiffime tenuerint, & abfque omni erroris imperfectione lapfusque periculo cœleftis Sapientia Talia*, Talibus Verbis, *tali modo, & tempore, ut Deus voluit, literis confignarint.*

§. 11. Taceo nunc fuffragia Veterum Ecclefiæ Patrum, *Cypriani, Athanafii, Theodoreti, Chryfoftomi, Auguftini, Bedæ*: ut & aliorum Ecclefiæ Doctorum, è Noftris, *B. Hopfneri* cumprimis Difp. contra Meyerum 8. c. 1. Aph. 3. §. 12. è Reformatis, *Mufculi, Eduardi, Kelleri, Voëtii*; ex Pontificiis, *Salmeronis, Serarii, Cofteri*, quæ magno numero fuppeditat *Dn. D. Calovius* Syft. Theol. P. 1. c. 4. q. 5. §. 13.

§. 12. (3) Probe diftinguendus effe videtur *duplex*, qui hic occurrit, *Refpectus*. Aut enim, ftylus N. T. ab *homine Gentili & irregenito* confertur cum *mere Græco profanorum loquendi modo*, aut à *Chriftiano in Schola Spiritus S. probe enutrito*, cum *Hebræo-Biblica & Chaldæo-Syra Dialecto* comparatur, ad quarum indolem certis de caufis ftylum N. T. Spiritus S. inflectere voluit. Non *prior*, fed *pofterior* refpectus in hac controverfia attendi debet. Nam fi *priorem* attenderis, non diffitemur, accidere poffe, ut *homo Gentilis*, nondum informatus, hunc inflectendi modum ftyli Sacri ad Linguam Hebræam & Syro-Chaldæam à Spiritu S. proficifci; in collatione *ad mere Græcum* profanorum, *Demofthenis, Ifocratis* &c. palam dicat: *Barbarifmis & Solœcifmis ftylum N. T. fcatere totum.*

§. 13. Nec forte blafphemia in Spiritum S. committetur, fi *mere Græcis, profanis, Gentilibus, textus N. T. vitiis refertus dicatur.* Uti enim blafpemus non fuit Apoftolus 1 Cor. 11: 14. *fapientiam Dei*, ajens, μωρίαν effe ψυχικῷ ἀνθρώπῳ, ita nihil injuriæ dixerit, fi quis generale hoc per fpecialius explicet, dicendo: *illam fapientiam DEI, prout fimul ex genere dicendi æftimatur*, σολοικισμὸν, βαρβαρισμὸν, five μωρίαν effe ψυχικῷ ἀνθρώπῳ. Ita *Ifidorus Pelufiota* L. 4. Ep. 28. de Græcis Gentilibus refert: ἐξουτελίζουσι *floccipendunt, vel pro nihilo habendam ajunt Scripturam divinam, tanquam fc. Barbaris vocibus conftantem.* Confer Epift. 97. Et *Theodoretus* in Proleg. Lib. de curand. Græc. affect. *Paganos Apoftolorum ruditatem accufaffe*, Barbaros ipfos, & fermones *eorum*, ἁλιευτικοὺς σολοικισμοὺς i. e. *pifcatorios folœcifmos vocaffe*, teftatur. Similiter *Arnobius* L. 1. adv. Gent. *Barbarifmis & Solœcifmis obfitæ funt, inquit* (Paganus) *res veftræ, & vitiorum deformitate pollutæ.*

§. 14. Duplicem hunc refpectum probe obfervavit *Laurentius Fabricius Profeffor olim Witeberg.* in præfatione Syriaco *Crinefii* Gymnafio præfixa: *Multis in locis*, inquiens, *N. T. Græcifmus* pure Græcis *eft Barbarifmus, propter Phrafin Græcis ignotam*: Ecclefiæ *vero non eft Barbarifmus, agnofcit enim Ea fermonem primævum* (& huic cognatum Chaldæo-Syrum) *eumque in Scripturam V. T. manare deprehendit*, quæ veriffima verba fuo approbant calculo *Himmelius* l. c. & *Glaffius* l. c. & Lib. 1. Phil. S. Tr. 4. Sect. 2. c. 2.

§. 15. His ita *tam* ex parte *Subjecti*, quam *Prædicati* præfuppofitis, pro fententia *Negante* tale argumentum nectimus: *Qui ftylus, fingulariffimum præbet ftyli exemplum, eftque fingulari DEI Confilio ad fingulares ufus deftinatus, ab ipfo Spiritu S. quoad fingulas Voces, Phrafes, ac Conftructiones infpiratus, & ad indolem Hebræo-Biblicæ & Chaldæo-Syræ dialecti inflexus; Illi ab Homine pio & Chriftiano Solœcifmi ac Barbarifmi, quatenus vitii, ruditatis, ac ignorantiæ nomina funt, jure tribui nequeunt.* Atqui *Stylus N. T.* talis eft. Ergo *Major* fua luce radiat, cum nihil vel de *Solœcifmis*, vel de *Barbarifmis in ftylum* N. T. jactari poffit, quod non fimul redundet in *ipfum Spiritum S.* cui hoc loquendi fcribendique Genus placuit, *Græca lingua*, qualis apud *Profanos* confpicitur, non adhibita aut neglecta. *Minor* autem ex antecedentibus innotefcit.

§. 16. Sed ut eo magis huic *Argumento* fua conftet veritas, nunc porro in Adverfæ Partis *Hypothefes & Argumenta* paucis inquirendum.

§. 17. Πρῶτον ψεῦδος pleror umque eft, quod putent *Verba Scripturæ & linguam five fermonem Apoftolorum non fuiffe à Spiritu S.* Sic enim ipfo *Beza* obfervante, *in margine annotatus eft quæftionis ftatus apud Erafmum* l. c. §. 1. & Verba fequentia id fatis produnt: *Quum*, inquit, *ea quæ fiunt virtute divina, perfectiora funt iis, quæ fiunt naturæ ordine vel hominum induftria, qui fit, ut Apoftolorum fermo non folum impolitus fit & inconditus, verum etiam imperfectus, perturbatus, aliquoties plane folœciffans? Placebat Spiritui S. fermonis fimplicitas, fed iis carens incommodis, quæ folent Auditorum intelligentiam impedire.* Hinc paulo ante negaverat; *Linguarum donum in Apoftolis fuiffe perpetuum.* Gemina his tradit *Salmafius* de Hellen. p. 144, 251, 252, 253.

§. 18. Sed eft *Hypothefis* ifta (1) ἀντίγραφος, quippe cujus contrarium jam fupra §. 9, 10, 11. folidis Scripturæ fundamentis, à nobis evictum eft. (2) Ἀθεόλογος imo ἄθεος, quippe, *quæ, fi femel invecta fuerit in Ecclefiam Dei* (uti recte monet *Beza* not. ad Act. 10.) *actum eft de Scripturæ Autoritate ac proinde de totius Religionis Chriftianæ incolumitate.* (3) Ἄχρηστος καὶ ἀνωφελὴς fuis Autoribus. Nam five dicas (ait *Bœclerus* Diff. fupra laudata in append. §. 13.) *Modum fcribendi feu producendi fcripturas tantum effe à Spiritu S. non item verba Scripturæ & linguam ipfam*, nihil efficies. Probandum enim tibi erit: *Spiritus S. providentiam ab hoc Scripturæ toti orbi prodendæ negotio in tantum abfuiffe, ut pateretur defectum Scriptoris fieri defectum operis, in quo nihil erat Scriptoris miniftri, fed dictantis Magiftri, ad cujus autoritatem in folidum omnia referuntur.* Sive dicas: *Spiritum S. habuiffe graves caufas admittendi in Scriptoribus S. Barbarifmos, Solœcifmos: Rurfum nihil agis.* Nam illud fumitur, non probatur. Habuiffe Spiritum S. graves caufas, *fimplicitatem nativam & gravem, præ ornatu & magnificentia eloquentiæ adhibendi, id vero & credo & fcio:* Habuiffe autem graves caufas τοῦ βαρβαρίζειν καὶ σολοικίζειν, h. e. *quod eadem facilitate & meliori jure poffum rejicere, quam afferitur.*

§. 19. Quo fundamento fubruto facile quoque cadunt cæteræ, quas ftruunt machinæ.

§. 20. Nam *primo* ajunt: *ftylus N. T. multis gaudet Hebraifmis*,

braismis, Chaldaismis, Syriasmis, Latinismis. Ergo, Græcæ orationi intermixti totidem sunt Barbarismi.

§. 21. Dico ad hoc (1) Si *Barbarum est* in N. T. quicquid respectu *linguæ Græcæ peregrinum*, etiam purissimi Scriptores Græci Latinique *Barbarismis* repleti erunt, cum tamen omnino multæ sint causæ, ob quas ejusmodi *peregrina* ab Eruditis Autoribus sine ulla *Barbarie* usurpantur. (2) Sit licet Barbarum in *Græca lingua* quod Exoticum est, non tamen Barbarum erit in *lingua Biblica*, cujus totam conformitatem cum stylo peregrino si perpendit *Christianus*, simul approbat gravissimam illam rationem, *qua peregrinum domestico juri sociari cepit in dictione, ne quid usquam peregrinum maneret in doctrina.* Qua de re jam supra monuimus Sect. Didactic. M.II. Aph.II. §. 3. p. 71. M.III. Aph. 3. p. 85.

§. 22. *Deinde* pro *Solœcismis* ita arguunt: *Minus congrue construuntur multa in N. T. Sæpe in orationis textura Idiotas imitantur Apostoli.*

§. 23. At *Neutrum* probat *illud*, quod probare debet. Nam (1) non omne quod *idioticum*, statim *solœcum.* Norunt *Idiotæ* quoque *congrue* loqui. (2) *Solœcismus* non est, qui à *sciente & bona* cum *ratione* ponitur juxta illud *Senecæ*: Epist. XCV. *Grammaticus non erubescit solœcismum, si sciens, erubescit, si nesciens faciat.* Cum quo consentit *S. Augustinus* Lib. IV. de C. D. cap. 16. Et ante hos duos, *Philosophus* L. VI. Eth. Nic. cap. 5. *scripsit*: καὶ ἐν μὲν τέχνῃ ὁ ἑκὼν ἁμαρτάνων αἱρετώτερος, *qui voluntate in arte titubarit atque offenderit, ei est anteferendus, qui invitus.* Hinc & à magnis Autoribus Græcis hujusmodi σολοικοφανῆ ex *docta quadam incuria* non raro sunt admissa, quorum Exempla ex *Aristotele, Demosthene, Isocrate* collegerunt *Budæus* in Comment. Gr. L. p. 1537. *Gretserus* Inst. Ling. Græc. L. II. edit. 8æ. p. 160. Talia vero, si recte & proprie loquendum, non Solœcismis sed *Figuris*, cum *Fabio*, Doctissimi quique annumerant. Nimirum secum ipsi pugnant, qui pro asserendis Solœcismis talia afferunt, quibus potius ostenditur, non esse *vere Solœcismos*, quos pro talibus venditant, sed esse *consilium scribentis, & artem, & Schemata*, ab *errore, lapsu, ruditate*, toto cœlo distantia. Inprimis vero (3) repetenda hic distinctio *styli S.* cum respectu *ad mere profanum, & ad linguam Hebræo-Biblicam aut Syro-Chaldæam* considerati. Nam si *posterior* respectus attendatur, absit à *Christiano*, ut Solœcismis eum scatere dicat. Malo hæc verbis *B. Glassii*, quæ leguntur in Epistola Dedicat. Rhet. S. præfixa, quam meis declarare: *Solœcismus juxta Augustinum*, ait, *nihil aliud est, quam cum verba non ea lege coaptantur, qua coaptaverunt, qui priores nobis non sine autoritate aliqua locuti sunt. Quæ si applicentur ad stylum N. T. liquido patebit; cum in illo verba ea lege sibi coaptata sint, qua coaptaverunt Prophetæ, qui priores Apostolis fuerunt, & non sine autoritate aliqua, sed inspiratione divina locuti sunt*, (Horum enim loquendi modum Scriptores N. T. imitantur) *Sanctæ illi Literaturæ ob hanc causam Solœcismos haudquaquam tribui debere.* Alii (4) distinguunt inter *vitium* ἁπλῶς & ἐν λόγῳ συγκρίσεως, *item* inter *vitium* vel *omnibus*, vel *alicui* tale; Quantumvis enim *merè-Græcis*, (è quorum Scriptis tanquam norma literaturæ Græcæ, *Solœcismorum & Barbarismorum* definitiones à Grammaticis sunt exstructæ) verba & constructiones *ignotæ* pro vitiis habeantur, non tamen omnibus, v. g. *Ecclesiæ civibus.* Vide *Hier. Kromeyerum* Polym. Theol. P. II. cap. 2. 107. Sunt etiam (5) qui docent vitium dici dupliciter: *materialiter & formaliter. Illud* vocant, quod à *regula* deflectit, nullo ad *efficientem* habito respectu, an sc. originem suam traxerit ex *habitu vitioso*, an secus, adeoque hominem ipsum imperfectionis arguit & vitiosum denominat. *Hoc* autem, quod non modo à *regula* discrepat, sed & *vitiosum agentis habitum* includit. Jam si ad præsens negocium fiat applicatio, *phrases & constructiones istas mere Græcis ignotas*, vitium quidem *materialiter*, non tamen *formaliter* spectatum nominari, & hac ratione nullam Autori culpam impingere posse, ajunt. Vide *Dn. Joh. Musæi* Disquis. phil. de Stylo N. T. An. 1641. Jenæ habitam Sect. III. art. 2. §. 42.

§. 24. Sed videamus nonnulla *Exempla*, quæ pro asserendis *solœcismis* N. T. afferunt. Dixi jam supra §. I. quod *Beza*, τὸ ἐκχυνόμενον Luc. 22: 20. *citra solœcismum, ad* τὸ αἵματι *referri neget.* At vero potest hoc per ellipsin à Solœcismo liberari, q. d. ἐν τῷ αἵματι (ὅ ἐστι) ἐκχυνόμενον. Vide *Ludov. à Dieu* ad Luc. p. 374. Quid? quod τὸ ἐκχυνόμενον rectius ad τὸ ποτήριον refertur. De *poculo* enim, velut de *toto complexo, ex re terrena & cœlesti constante* Christus pronunciat: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν, ἐκχυνόμενον ratione scil. *contenti nobilioris*, Sanguinis Christi, vide Kromayerum *nostrum in Theol. Positiv. Polem. art. 17. Antithes. 16. n. 15. p. 962.*

§. 25. Sic ajunt: *Solœcismum redolere, quæ* Apoc. 21: 12, 13. *habentur*: ἔχουσαν πυλῶνας δώδεκα, ἀπ' ἀνατολῆς πυλῶνες τρεῖς &c. & quidem ad ἔχουσαν πυλῶνας, sequitur πυλῶνες, *recto casu, non obliquo, quem* τὸ ἔχουσαν *requirere videbatur.* Verum si suppleatur in mente τὸ ἦσαν *erant*, à solœcismo Sacer contextus vacabit.

§. 26. Ita Solœcismum ponunt in verbis Apoc. 1: 4. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Ad hoc Heinsius: *Causæ nihil*, inquit, *cur hic quisquam se fatiget*; ἀπὸ θεοῦ ὁ ὢν h. e. ἀπὸ θεοῦ λεγομένου יהוה, *singula enim tanquam propria expressit nomina. Nomen ergo* ἦν, ut ante ὢν, ὁ ἦν est ὁ λεγόμενος ἦν. Taceo nunc cætera loca, v. g. Actor. 15: vs. 12. 23. 21: 16. 1. Cor. 10: 26. 1 Petr. 2: 6, 7. 3: 1. &c. De quibus omnibus jam pridem *Eruditi* ostenderunt, non esse *vere Solœcismos* qui pro talibus ibi venditantur. Vide *Cl. Ostermannum in Posit. Philol. Græcum N. T. contextum concernentibus* §. 7, 8, 9, 10, 11, 12.

§. 27. Rationibus hactenus discussis addunt etiam *Autoritatem* (1) *Pauli*, qui se ἰδιώτην τῷ λόγῳ *imperitum sermone* vocat, 1. Cor. 12: 6. (2) *Patrum*, qui Apostolos ἰδιώτας, ἀγροίκους, ἀμαθεῖς, ἀγραμμάτους, *sermone imperitos, rusticos, illiteratos* appellant, ac eorum dictionem ἀγροικιζομένην, σολοικίζουσαν, βαρβαρίζουσαν, *Agrestem, Solœcam, Barbaram* vocare solent. (3) *Hieronymi* cumprimis, Linguarum, Græcæ & Hebrææ peritissimi, qui in *Epist. ad Algas.* qu. 10. ait: *Paulum reconditos sensus in alienas aures puro non posse Sermone transferre.* Ibid. in fine. *imperitiam artis Grammaticæ* Apostolo tribuit. Idem Comment. in Epist. ad Ephes. L. 2. c. 3. non diffitetur, *Apostolum in artis Grammaticæ vitia incurrisse*, quin & *Solœcismos* in eo se annotasse dicit.

§. 28. At vero quod *Paulinum istud* attinet; valebit hoc equidem ad sermonem *simplicem, vulgarem, communem & idioticum* convincendum, ad *solœcismos* tamen & *barbarismos* minime. Vide supra Sect. II. M. III. Aph. II. §. 1. p. 54. Confer insuper de hoc *Pauli* loco B. *Gerhardum* Exeg. de Script. Cap. XII. §. 307. nec non *Flacium* p. II. Clav. tr. 5. fol. 512.

§. 29. De *Patribus* vero norunt Eruditi, quod *plerique* (sicut ex ipsa locorum consideratione & collatione innotescit) loquantur *ex hypothesi calumniosa Gentilium Sophistarum.* (Vide paulo ante §. XIII.) quos redarguere in hac quæstione non semper opus aut commodum erat: *Alii* simplicitatem Sacræ Eloquentiæ profanorum Sapientum Pompæ ac Lenociniis opponant: *Alii* denique à styli indole ad *ipsam rerum Majestatem* provocent, eaque occasione, argumento vindicatum cupiant, quicquid stylo splendoris detrahere videantur.

§. 30. Quod si tamen *Alii* in hoc ipso argumento aliquid humani patiantur, aut ex eruditionis suæ fiducia in periculosas assertiones provehantur (quod *Hieronymum* cumprimis fecisse Viri magni jam dudum observarunt, quippe cujus Autoritas *Erasmum*, ut eadem de stylo Apostolico judicia ferret, decepit) eos judices declinare hic Controvertentes suo quodam jure possunt. Vide *Bœclerum* in Append. Dissertat. sæpius laud. §. 11. nec non de *Hieronymo Bezam* not. ad Act. cap. 10: 46.

§. 31. Pro *innocentia* tandem *ajentis* sententiæ, urgeri posset: *Eos qui ex modernis Scriptoribus barbarismos & solœcismos Scripturæ N. T. tribuunt, agnoscere Spiritus S. perfectionem, & extra dubium ponere, quod potuisset loqui modo elegantiori, si voluisset, adeoque à Gentilium impietate longissime abesse.* Verum uti hoc lubenter credimus, ita hi (judice *Bœclero* in Append. laud. Dissert. §. 4, 5.) possent tot omnis ævi exemplis admoniti *cautius* in hac quæstione agere, neque sinisteriora in se judicia aliorum ipsi provocare, cum profecto quæ Solœcismos ac Barbarismos tribuit N. Test. sententia nec *solidæ eruditionis gravitate* subnixa sit, nec *utilitatis ac ædificationis quicquam* habeat.

§. 31. Dicis: *Vocibus Barbarismi & Solœcismi, quæ meræ sunt* τεχνεργήματα *Grammatica, nec illam in Spiritum S. redundantem imperfectionem importare videntur, hoc obtineri, ut Linguæ Græcæ, (quæ perinde, ut aliæ Linguæ, Dei donum est) suus maneat nitor & discentibus constet, quæ locutio vere Græcanicæ elegantiæ redoleat indolem, & quæ præter eam sit aliunde assumta, & à Græcismo genuino aliena.* Respondeo, (1) ad eundem *scopum* longe rectius nos pervenire posse, si quas N. T. *peregrinas* in Lingua Græca, aut *voces* aut *constructiones* adhibeat, simpliciter ad *illas linguas* referamus, unde sapientissimo consilio in *stylum* N. T. sunt derivatæ, v. gr. *Hebraismos ad Hebræam, Syro-Chaldaismos* ad *Syro-Chaldæam* &c. (2) Si recte & proprie quis loqui velit, non Solœcismis aut Barbarismis (quæ, juxta *proprium & usitatum* significatum, *vitii, ignorantiæ, ruditatis*, nomina sunt. Vide supra §. 4.) Sed *Figuris*

Figuris ista cum *Fabio* annumerabit: aut si *solœcismi* vel *barbarismi* vox in talibus retinetur, *impropria* incipit esse significatio; dum nomen quidem adest idem, descriptio autem rei mutatur. Vide paulo ante §. 23. n. 2. 5. Taceo nunc (3) *Juventutis* atque *Discentium aures* à congenita cavillandi curiositate ad eruditam sapiendi simplicitatem traducendas esse, in eo cumprimis *argumento*, ubi omnis eruditio profanitas videri potest, nisi piæ cujusdam reverentiæ cautione adgubernetur. Vide *Bœclerum* l. c. §. 8, 9, 10.

MEMBRUM. II.

An textus N. T. mere Græcus sit, nec alienior à stylo Profano?

SUMMARIUM.

Autores affirmantes §. 1. *Negantes* §. 2. *Status controversiæ recte formatus* §. 3. *Argumentum pro sententia negante* §. 4. *Examen hypothesium & argumentorum adversæ partis* §. 5. Πρῶτον ψεῦδος *Eorum* §. 6. *Ejus refutatio* §. 7. *Palmarium argumentum partis adversæ* §. 8. *Responsio ad illud* §. 9, 10, 11. *Alterum argumentum* §. 12. *Ad idem responsio* §. 13.

§. 1. Affirmativam quæstionis magno molimine propugnavit hoc seculo *Sebastianus Pfochenius*, *Diatribe sua de Linguæ Græcæ N. T. puritate*, in qua Hebraismis, quæ vulgo finguntur, quamplurimis larva detrahi dicitur. Cui, ex pio textum N. T. à Solœcismis & Barbarismis vindicandi studio, suffragati fuerunt Duumviri Clarissimi νυῦ ἐν ἁγίοις, *Alter* Annotatis in N. T. passim, *Alter* in positionibus Philologicis Græcum N. T. contextum concernentibus.

§. 2. *Negant* eam ex Theologis: *B. Glassius* Phil. S. lib. I. Tr. 4. S. 2. *B. Danhauerus* Hodosoph. Phænom. I. p. 41. Herm. S. art. X. pag. 175. *Dn. D. Calovius* Critic. S. Tract. 2. M. 5. §. 118. pag. 452. seqq. *Barthol. Meyerus* in Phil. S. Parte utraque &c. è Philologis: *Erasmus Præf. in Epist. ad Rom. Scaliger*, *Casaubonus*, *Heinsius*, *Hackspanius*, atque *Camerarius* Noster) passim in not. observ. & exercit. suis ad N. T. Similiter *Laurentius Fabricius* Prof. olim Wittebergensis in præfat. Gymnasio Syriaco Crinesii præfixa, *Georg. Pasor* in Idea Græc. N. T. Dialectorum, *H. Bœclerus* in Dissertat. de lingua N. T. Originali, *Joh. Vorstius* in Dissertationibus Sacris, & Comm. de Hebraism. N. T. *Caspar Wyssius* in Dialectologia Sacra, imprimis autem *Thomas Gatakerus* Dissert. de stylo N. T. contra *Pfochenium*, aliique innumeri plures.

§. 3. Nos, qui à parte *Negantium* stamus, ante omnia statum controversiæ recte formandum esse dicimus. Non quæritur (I.) *An textus N. T. nullibi vere Græcus sit?* Talem enim *multis in locis* esse supra Sect. Didact. M. I. ostendimus. Nec (II.) *An sub Græcismis N. T. nulli sint Kœnismi*, h. e. *phrases ac formulæ cum linguis Orientalibus*, *Hebræa cumprimis*, *communes?* Nam & hujusmodi *kœnismos* admisimus non paucos, Sect. Exeget. passim, & collectim Sect. Didact. M. I. Aph. II. §. 1, 2, 3, 4, 5. (III.) *An cæteræ voces ac phrases quæ Hebraismum sapere nobis videntur, è perreptatis Scriptorum profanorum monumentis sparsim erui possint?* Si enim ita procedere volumus, eadem facilitate poterimus *Pfochenio* & ejus *Asseclis*, omnes Hebraismos V. T. in Græca aliisque linguis ostendere, neque tamen cuiquam licebit inferre; propterea idioma V. T. Hebraicum, idem esse cum Græco. Sane contingere aliquando solet, ut quædam *pluribus Linguis* communia sint, quæ tamen idcirco propria *primævæ & vernaculæ Linguæ* esse non desinunt. Notum enim ex Philosophia, dari *Propriorum Communicationem*, aliaque esse *absolute*, alia *comparate* propria. Quis nescit proprium unius licet non sit alterius proprium, alteri tamen *secundario* convenire posse? *Græcismi* Latinis & Græcis Scriptoribus communes sunt: numquid ideo Græcis *Græcismi* esse desinunt? Similiter cum *Hebraismis* N. T. res se habet. *Hebraismi* illi sunt & manent, etsi aliæ linguæ iis *ἀνάλογον* quid habeant vel agnoscant. Sed (IV.) *An tota dictionis indoles faciesque styli, totumque orationis corpus cum ea Græcitate conveniat, quæ in Profanis Scriptoribus occurrit?* Nam ex hoc solo principio de stylo N. T. nobis judicandum est.

§. 4. Statu controversiæ sic rite constituto, pro parte *Negante* ita colligimus: *Quodcunque orationis genus alicubi mere Græcum, alibi, imo tantum non ubique Hebræo-Biblicum, sæpe Idioticum, nec raro materiæ Evangelicæ accommodatum est; Illud quoad indolem geniumque loquendi & contextus, cum ea Græcitate, quæ in profanis Scriptoribus occurrit, non convenit.* Atqui, *talem ex N. T. Dictionem* supra per totam *Sectionem Didacticam* late probatum dedimus, ac tantisper obtinemus, donec *idem Dictionis Character* alibi nobis ostendatur, id quod nunquam præstabitur. Nam ad hanc formam nemo scripsit, nisi qui ex Sacris loquendi consuetudinem mutuatus est.

§. 5. Sed ut ab adversæ Partis Autoribus clarius & amplius nos vindicemus, nunc porro in ipsarum *Hypotheses & Argumenta* paucis inquirendum.

§. 6. Πρῶτον ψεῦδος horum Autorum est, *quod eos, qui Hebraismis N. T. favent, eo ipso quod negant, mere Græcum esse stylum N. T. impuritatis adeoque convitii notam Divinis literis inurere credant, nec aliter ab objectis Barbarismis ac Solœcismis contextum Sacrum liberari posse sibi persuadeant, quam si purissime, h. e. non aliarum linguarum, Hebrææ cumprimis liquore perfusum fluere, contendant.*

§. 7. Sed quam falsa hæc sit eorum *Hypothesis*, & quam bene textus N. Test. originalis, salvis intertextis *Hebraismis & Chaldæo-Syriasmis*, &c. ab hujusmodi vitiis immunis reddi queat, ex præcedenti Membro I. nec non ex Sect. Didact. M. II. satis superque constat.

§. 8. *Palmarium Argumentum*, quo textum N. T. mere Græcum esse probant, in eo consistit; *Quod Græci Autores profani iisdem phrasibus ac verbis locuti sint, quibus N. Test. Scriptores.* Hoc ut confirmatum daret Pfochenius, *centum* ni fallor, *voculas & formulas, quæ pro Hebraismis & Syriasmis habentur, è Græcis Scriptoribus produxit.*

§. 9. Sed Argumentum hoc *primo* abludit à vero quæstionis statu, cum non ex *una aut altera vocula & phrasi*, sed *ex tota dictionis forma*, ut antea monuimus, de idiomate sit judicandum. Etsi enim *phrases Biblicis similes* in pura etiam Græcitate occurrant, tamen hæ nondum *corpus orationis & totum styli genium* repræsentant *profanæ Græcitatis.* Potest ex Latinissimis vocabulis efformari oratio, cujus tamen idioma non Latinum sit. Ac *nullus* fere Græcismus est, quem non in Latinis etiam Autoribus reperias, nec tamen inter Græcitatem & Latinitatem nulla differentia. Vide *Vechnerum in Hellenolexia sua.*

§. 10. *Deinde* non attendunt hi Autores, quando sic ex una atque altera simili phrasi vel formula argumentantur: *Longe diversam esse utendi rationem; Cum locutione eadem* Hæc *lingua utitur ordinarie & consueto more suo*; Illa *extra ordinem & raro, nec sine figura aut ἀνωμαλία.* Nam (ut erudite monet *Bœclerus* Dissert. de lingua N. Test. §. 28.) *ibi* domestica est, jureque communitatis gaudet formula; *hic* adventitia aut certe nova, sive quæsita; *ibi* de idiomate aliquid testari potest, *hic* de quodam idiomatis accidente; *ibi* ad corpus, *hic* ad cultum corporis pertinet. Quod & circa diversos unius linguæ characteres observare licet. Sic in *Herodoto*, *Polybio & Xenophonte*, imo ipso *Demosthene* ac *Isocrate* multa reperias, quibus *Thucydides* est usus, nemo tamen facile dixerit, stylum *Thucydidis*, qui *tum* ratione *vocum*, peculiari Lexico quodam interpretandus, *tum* ratione *contextus* ac *formæ* à cæteris omnibus diversus apparet, eundem esse cum stylo *Herodoti*, *Polybii*, & cæterorum. Ergo si non licet, tali ratiocinandi formula uti de *diversis in unius linguæ idiomate Characteribus*, quanto minus licebit in *linguæ Biblicæ* ac *Profanæ idiomate* comparando vel potius confundendo.

§. 11. Adde quod *Græci*, qui eadem phrasi scripserunt, è Matricula linguarum, *Hebræa* potius id mutuati videri debeant, quam ut conferri cum illa queant. *Hebraismi* proinde *meo judicio formulæ loquendi censendæ sunt, non quæ in sola extant Lingua Hebræa, indeque derivatis Libris, sed quæ ex ea originem ducunt, etsi aliæ etiam postea Dialecti, suas easdem faciant usu.* Verba sunt, *Joh. Henr. Hottingeri* in Lit. ad *Joh. Vorstium* scriptis d. 9. Feb. Anno 1662. Vide *Danhauerum* Hodosoph. Phœn. I. pag. 4.

§. 12. Quid *denique* de *Animadversionibus variis dicamus*, quæ circa *comparationem istam similium vocum Phrasiumque* regeri à quovis facile possent? Factum hoc à nobis supra Sect. Exeget. passim. Circa *Pfocheniana* vero *Exempla* singula, non una *Thomæ Gatakeri* censura extat Dissert. de stylo N. T. quas nos, compendii causa, ad hæc fere generalia capita reducimus. Nam (1) *Vix centesima Hebraismorum pars illa est, quam Pfochenius attingit, longe plura, in*

quibus Phraseologia prorsus variat, & quæ multo magis Hebraismum testantur, caute omisit. In his vero quæ attulit, sunt (2) *Nonnulla quæ minus evidentem exhibent Hebraismum, imo, de quibus dubium est, an ab ullo unquam pro Hebraismis habita fuerint.* Sunt etiam (3) *Non pauca, quæ priscis in usu fuisse haud probat, sed vel Autores inferioris ævi arcessit, vel si priscos advocet, minus eos assequitur.* Pleraque tandem (4) *Ex Poëtarum solummodo, Tragicorum præcipue scriptis, it comprobatum, cum tamen linguarum idiotismi ex Poëtarum formulis haud firme satis statuminentur.*

§. 13. *Alterum*, quod nostræ sententiæ objiciunt, *Argumentum*, nihil ad rhombum. *Si*, ajunt, *textus N.T. liquore Hebræi sermonis & aliarum linguarum orientalium permistus fluit, à nullo Græcorum intelligi potuit, nisi prius Linguam Hebræam digustasset. Sed hoc repugnat tum Scripturæ S. πολυκοινότητι, tum experientiæ, quæ docet, à Græcis Hebrææ Linguæ prorsus ignaris, Apostolorum & Euangelistarum scripta omnino fuisse intellecta.*

§. 14. Hic ante omnia Linguam Græcam *antiquam* Platonis, Demosthenis, Isocratis, &c. cujus *usus vulgaris* ætate Christi & Apostolorum perierat, quæque pro *Eruditorum duntaxat Lingua* habebatur, distinguas à sermone Græco *tum temporis usitato*, & à puritate prisca ob diuturnam cum aliis Nationibus (*Hebræis, Syris*, ac *Romanis*) conversationem, parumper recedente; quæ sane Lingua ita *mixta* ab imperitis & plebeiis hominibus tunc longe melius intelligi potuit, quam *purissima & elegantissima* Lingua Græca: quove stylo, si *Hebraismos Biblicos*, *Sacram dictionis ideam*, atque *alia nonnulla* excipias, & *Idioticam loquendi formam* N. T. de qua supra Sect. Did. Membr. III. respicias, fere locuti sunt & scripserunt Apostoli, sicut hodie reviviscentes iidem, & ad *Græcos modernos* Græce scribentes, procul dubio non uterentur stylo Græco vel *antiquo*, vel in N. T. recepto, sed stylo *Græcis illis* usitato.

§. 15. Jam dico (a) à *Græcis qua talibus*, *Græcique sermonis purioris duntaxat gnaris*, Scripta N.T. haudquaquam potuisse intelligi, ob admixta sc. *vocabula* varia *Latina*, *Hebraica*, *Syriaca*, & *loquendi Genera* alia ex prædictis Linguis huc derivata, quæ Græcis qua talibus non sunt intelligibilia. Nec sequitur: *Paulus* potuit *Græcos*, *Poëtas & oratores* intelligere, earumque *formalia verba* recitare, ut *Arati* Act. 17:28. *Menandri* 1 Cor. 15:33. *Epimenidis* Tit. 1:12. Ergo vicissim Græci antiqui qua tales, *Aratus*, *Menander*, *Epimenides*, si ex inferis redirent, Paulum intelligere possent. Nam *Paulus*, ut eruditus potuit discere *antiquam* Linguam Græcam veteribus Græcis usitatam, quod Græci illi reviviscentes circa Linguam *Græcam* Pauli cæterorumque Apostolorum, præsupponuntur non fecisse. Ita ex *hodiernis Græcis* pauci quidam Eruditi intelligunt Scripta tum *antiquorum Græcorum*, tum etiam *Apostolorum*; inde tamen hautquaquam sequitur, illos *antiquos* Græcos & Viros *Apostolicos*, si reviviscerent, *modernorum Græcorum Linguam* intelligere posse, quæ tractu temporis excogitata, & multis novis vocibus aucta, de quibus ne hilum vel *veteris* vel *sequioris* ætatis *Græci* sciverunt. Id quod abunde patet ex N.T. *Græco*, *Ordinum Generalium Belgii decreto & sumptibus*, *in gratiam modernorum Græcorum*, *per columnas edito*, adeo ut ab *una* parte conspiciatur Lingua Græca *Originalis*, ab *altera* Lingua Græca *hodierna*, quam nemo, in scriptis veterum Græcorum, & Nov. Test. utut sit versatissimus, plene intelliget.

§. 16. Dico (b) à *Græcis Lingua Græca tum temporis recepta utentibus*, textum N. Test. liquore *Hebræi* sermonis & *aliarum* linguarum orientalium permistum bene intelligi potuisse. Neque hoc mirum. Nam *Græci* eo tempore versabantur cum *Hebræis*, *Syris*, *Romanis*, aliisque, à quibus varia vocabula & modos loquendi mutuati sunt: Et *tali* propemodum *stylo Græco*, ipsos etiam Apostolos, una cum aliis Judæis (vide supra Sect. Didact. m. I. Aph. I. §. 3. & 4. pag. 58.) usos fuisse, paulo ante diximus.

§. 17. Deinde ponamus; *à Græcis qua talibus & Hebrææ Linguæ prorsus ignaris textum N. T. fuisse intellectum*, quis tamen inde, *mere Græcum* illum esse colligeret? Num tu, si *Cicero* in vitam reversus Doctorum *Scholasticorum* scripta ex antecedentibus & consequentibus forte assequeretur, ea proinde *Romana Latinitate* constare diceres? Num carmina *Horatii*, *Virgilii*, multis Hellenismis respersa nemo Romanorum intellexit, nisi Græcam linguam ad unguem calluerit? Quid si ergo distinguamus inter intellectum *simplicem*, & qui *cum erudita κρίσει conjunctus est*. Verborum sane *literalem sensum & obvios conceptus* in stylo Biblico, *Græcorum qua talium* quivis intelligere poterat haud dubie, quia, cum *Character* *Hebræus* esset, *Græce* tamen enunciabatur: Non vero sicut omnes intelligere potuerunt τὰ λεγόμενα, ita omnes æstimare valuerunt τὸν τῆς λέξεως χαρακτῆρα. Huc suo modo accommodari possunt illa *Ciceronis*, quæ leguntur apud Danhauerum *Hod. Phæn.* 1. *p.* 42. nec non *Bœclerum l. c.* §. 34. *Intelligit quidem populus quid dicatur, intelligit valide, perspicue, jucunde hæc dici, sed quid efficiat illam vim, illam perspicuitatem & cætera, quid sit, quid moveat, quid delectet*, i. e. *ipsam indolem, geniumque orationis penitiorem prorsus ignorat. Quoniam alterum natura est, qua vulgus loquitur, alterum artis, qua vulgus caret.*

MEMBRUM III.

An Stylo N. T. nomen Hellenisticæ linguæ conveniat?

SUMMARIUM.

Autores Affirmantes, §. 1. *Negantes*, §. 2. *Nostra sententia breviter exposita*, §. 3. *Dictioni N. T. peculiare nomen haud denegandum*, §. 4. *Aliæ ab aliis ipsi impositæ appellationes*, *ibid.* *Circa nomen Hellenisticæ duo consideranda*, §. 5. *Certo respectu admittitur nomen illud*, *ibid.* §. 6. *Certo rejicitur*, §. 7. *Causæ hujus rejectionis*, *ibid.* *Frustraneum Hellenisticariorum ad loca Scripturæ refugium*, §. 8. *Judæi τῆς διασπορᾶς quinam*, §. 9. *Hellenistæ quinam apud Lucam in Actis*, §. 10. *Crojus pro vera de His sententia laudatus*, §. 11. *Sententiæ nostræ brevis repetitio*, §. 12. *Totius dissertationis conclusio*, §. 13.

§. 1. JOsephus *Scaliger*, ut ingeniosus fuit artifex, sic *aptissime phrasin N.T. Hellenisticam vocari posse*, primus Autor extitit, *animadvers. in proleg. Hieronymi.* Insecuti mox *Alii* non pauci, qui ambabus, quod ajunt, manibus acutum hoc Scaligerianum εὕρημα fuerunt amplexi, dum omnes *stylum N. T.* ob *diversitatem* ab aliorum Græcæ eloquentiæ Antistitum loquendi forma, ob intertextos ubique *Hebraismos*, ob *voces μονήρεις* subinde *occurrentes*, *novo aliquo nomine* dignum esse judicabant. Vide cumprimis *Drusium* de tribus Sectis p. 89. *Sixtinum Amamam* Antibarb. Bibl. pag. 14. *Petr. Cunæum* de Republ. Hebr. pag. 294. 302. & alios plures. Tandem Criticorum Princeps *Heinsius* non contentus cum *Scaligero* Hellenisticam appellasse illam loquendi formam, quæ in N. T. libris occurrit, novam insimul *Hellenistarum Gentem*, & quæ huic Genti propria sit, *Hellenisticam* procudere *Dialectum* studuit, *qua in Asia & Oriente celebris Hebraica Græcis admisceret, tantumque à Græca illa communi polita differret, quantum hodierna Italica distat ab antiqua Latina.* Qua de re videri possunt *Exercitationes ejus ad Nonni in Johannem Metaphrasin*, cum *Exercit. Sacris in N. T. ac Præfatione in illas. Hellenistarum* quoque Gentem notam facere conatus est *Johannes Coccejus Præf. in Tractatus Talmud. Sanhedrim & Maccoth.* Eorumque subsidium sæpe invocavit *H. Grotius* in Not. ad N. T. passim, nec non *Dialecti* aliquando meminit *Joh. Seldenus in libro de Successs. ad leges Hebr. in Bona Defunct. cap. IV.*

§. 2. Sed *Heinsio* se totis viribus opposuit *CL. Salmasius*, ac omne illud negotium ab ovo arcessens operosius demonstravit, inanem eorum fuisse conatum, quibus Autoribus novus ille abortus *linguæ Hellenisticæ* in lucem prodierit. Vide *præfationem ejus ad librum de modo usurarum*, item *Comm. de lingua Hellenistica*, *Funus* insuper & *Ossilegium Linguæ Hellenisticæ.* Salmasium secutus *Joannes Crojus Observat. in N. T. c.* 30. *seqq.* & ex parte *Matthæus Cotterius Exercit. de Hellenistis & L. Hellenist.*

§. 3. Nos omissa longiori disceptatione breviter & cum venia aliter sentientium sententiam nostram fere hunc in modum proponimus.

§. 4. Primo lubenter admittimus: *Eam dictionem ac phrasin quæ ex universa Græcitate, quoad indolem & genuinum idioma totius contextus, nihil habet simile, peculiari nomine & à cæteris diverso, bene insigniri posse*: Atque hanc ob causam veniam mereri, qui stylum N. T. vel ab indole & ingenio suo, quod pleraque verbis quidem *Græcis*, sed nimia

Hebraismi

Hebraismi & Chaldæo-Syriasmi tinctura conspicuis exprimat, *Idioma Hebræo-Græcum* (vide *Sixtinum Amam. in Antibarb. Bibl.* p. m. 224.) *Hebraizans*, & *Syro-Chaldaizans*, item *Græcismum Biblicum*, nominandum esse putant; vel quia diversitate Autorum, *stylum Apostolicum*, *stylum Evangelistarum & Apostolorum*, *Phrasin Spiritus S.* &c. appellare malunt.

§. 5. Quod vero *porro* nomen *Hellenisticæ* concernit, duo cumprimis circa *illud* attendi possunt. *Aut* enim linguæ Hellenisticæ Fautores nihil aliud in animo habent, quam ut hoc nomine *signantius expressiusque styli Biblici Græci formam atque characterem nobis commendent*: *Aut novam plane linguæ speciem à peculiari Gente pendentem* subintroducere satagunt.

§. 6. Qui *prius* attendunt (sicuti certe in Scriptis suis plurimi hoc inculcarunt) illi propter solam nominis novitatem, qua, *eruditam intelligendi ac observandi diligentiam apud omnes excitare volunt*, odio aut reprehensione vel ideo digni non videntur, *quia nisi in tractatione subtilium studiorum, innocentia propositi & utilitas scopi attendatur, lata multis contentionibus porta aperietur.* Uti sapienter monet *Bœclerus* loco sæpius citato §. 43.

§. 7. Sed qui *posterius* moliuntur; *Ens plane novum in rerum naturam inferunt*, quia (1) nulla *Gens* fuit, nullus *Populus*, cui soli *hæc* Hebraica Græcis admiscens *Dialectus* vernacula fuerit & usitata (2) Nullus *Locus* certus, nulla *Regio*, in qua ista viguerit (3) Nullus *Veterum* Hellenisticæ meminit. (4) Nulli *Hellenistæ Hebræi*, à quibus *Hellenistica* hæc *lingua* denominari potuerit. (5) Nec LXX. *Interpretes*, nec *alii Bibliorum translatores*, nec *Apostoli* Hellenistæ fuerunt. Uti hæc omnia prolixe deducit *Salmasius* locis supra laudatis, videcumprimis *Comment. de Ling. Hellen.* p. 24. 162. 175. 189.

§. 8. Loca vero Scripturæ, quæ de *Judæis* τῆς διασπορᾶς *in Epistolis Petri & Jacobi*, nec non de *Hellenistis in Actis Apostolorum*, cap. 6: 1. 9: 29. 11: 26. leguntur, perperam ad suos *Hellenistas* applicant Hellenisticarii.

§. 9. Nam quod *Judæos* τῆς διασπορᾶς attinet, differebant *Hi* à *Judæis Palæstinis* in eo, quod extra Patrios Lares vitam agerent, & secundum leges Principum, in quorum ditione sedem fixerant, regerentur, & quisque *linguam loci*, cujus erat incola, addisceret, eamque loqueretur. *Hellenistæ* vero sic dicti, qui *Hellenismum* h. e. *Ethnicorum impietatem* (uti hoc Nomine *illa* venit *Gregorio Nysseno*, *Chrysostomo*, *Epiphanio & Eusebio* apud *Joh. Crojum* observat. in N. T. c. 30. p. 227; 228.) aliquandiu professi, eum tandem deseruerant, & ad veram divini Numinis cognitionem fuerant adducti. Uno verbo: *Hellenistæ* Lucæ fuere *Proselyti cujuscunque Nationis*, *qui, ut separarentur & distinguerentur à germanis Judæis, & à Græcis Ethnicis, eo nomine appellabantur.* Hi ubicunque terrarum viverent, *novam dicendi rationem* non invenerant, neque *peculiari quadam* utebantur *Dialecto*, sed *iisdem vocibus*, *iisdem verbis*, *eadem loquendi ratione*, qua ipsorum cives, utebantur.

§. 10. Pulchre de utrisque (& *Hellenistis* Lucæ & *Judæis* τῆς διασπορᾶς) hoc illustrat *Joh. Crojus* l. c. cap. 31. pag. 241. *Hellenistæ*, inquiens, *Alexandrini Græci loquebantur, eodem prorsus modo, quo ipsi Alexandrini. Hellenistæ Antiocheni, Corinthii, Ephesii, Philippenses, Collossenses, Athenienses, eodem utebantur sermone, quo Græci ipsi, qui easdem incolebant Urbes: In Media, Perside & Chaldæa, à temporibus Salmanassaris & Nabucodonosoris multi fuere Judæi, linguæ suæ tandem obliti. Inter illos etiam aliqui tandem Proselyti. Hi, ut & reliqui Judæi, Medice, Persice & Chaldaice loquebantur. Plures ante Christi seculum & post ejus tempora, erant Judæi Romæ, Proselyti quoque nonnulli* inter illos, *Latine hi omnes loquebantur.*

§. 11. Cum igitur lingua *Hellenistica*, eo sensu, quo *Hellenisticarii* volunt, mera fabula sit, quæ veram Doctorum sententiam sub nomine hoc latentem suspectam faciat, merito eam suis Autoribus relinquimus, *Nomen Hellenisticæ* in tantum admittentes, in quantum nihil aliud quam *Characterem differentiæ*, ut vocant, *specificæ in stylo sacro subinnuere debet.* Quamvis enim in hac appellatione multa adhuc desiderari posse videantur, propter vocabuli tamen incommodum quoddam, rem totam rejiciendam esse non arbitramur. Vide *Bœclerum* l. c. §. 5.

§. 12. Sed uti tamen in *his* quam in *cæteris* meliora doceri à Doctioribus prompto & grato animo cupimus, ita, vel *Superiorum voluntati* in hac conscribenda *Dissertatione* satisfactum esse, nobis sufficit. Cæterum Deum Ter. Opt. Max. precamur, velit Linguarum istarum, quibus Sanctæ literæ *originaliter* exaratæ sunt, *Hebrææ* nim. & *Græcæ* studia, usque ad finem seculi sarta tectaque esse, in Nominis sui Gloriam & Ecclesiæ emolumentum, per & propter Supremum *Glossarcham*, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, Amen!

AD
LECTOREM BENEVOLUM.

CUm in *præcedenti* Dissertatione Philologico-Theologica, Autor *non semel provocet ad Viri Illustris, Dn.* JO. HENR. BOECLERI *Dissertationem* de Lingua N. T. Originali *exercitii publici Academici causa Argentorati mens. Januar.* 1642. *propositam: eaque ob eruditionis elegantiam, & exemplarium primæ editionis raritatem, ab Eruditis in maximo (ut omnia hujus Viri, precio habeatur; ideo pagellarum istarum Emtoribus haut ingratum fore credidit sumtus impendens Bibliopola, si typis denuo exscriberetur tam illustre Viri in re literaria consummatissimi monumentum, & in gratam* Illius *memoriam, usumque* Studiosæ Juventutis *incomparabilem hic una legeretur.*

JOH. HENR. BOECLERI
DISSERTATIO
De Lingua Novi Testamenti Originali

Qua status quæstionum primariarum delineatur, & ab alienis & impertinentibus vindicatur.

I.



Uali charactere dicendi sive idiomate sanctissima Novi Testamenti oracula & historiæ à Divino Spiritu mortalibus traditæ sint, non inutili disquisitione, inter doctos, præsertim recentioris ævi, agitatum est: dummodo omnis contendendi & altercandi intemperantia absit, quæ viros eruditionem & gravitatem asseverantes parum videtur decere.

§. 2. Etenim quid in meditandis Divinissimis Scripturis possit altior orationis Biblicæ æstimatio, nec, ut ostendamus, opus est, & ex iis, quæ dicentur, quodammodo poterit colligi: sed requirit hoc negotium non minus pietatis, ut arbitrot, quam eruditionis, multumque dissidet à cordato Christianæ mentis judicio, contentiosa critici acuminis curiositas.

§. 3. Itaque nobis constitutum est, hac vice, breviter & ὡς τύπῳ (nam uberiorem explicationem aliis temporibus reservamus) delineare viam, quæ in hac quæstione nec ab eruditione ac modestia sit aliena, & ad pios Sanctioris literaturæ usus directo itinere ducat.

§. 4. Fuerunt autem & adhuc sunt inter doctos, qui cum attentius considerassent dictionem ac stylum N.T. judicarunt: *esse quidem Græcis verbis omnia concepta, sed indolem & genuinum idioma totius contextus Orientalibus linguis, adeoque matri Orientalium Hebrææ potius quam Græcæ congruere.* Hinc ut excitarent eruditam intelligendi ac observandi diligentiam apud omnes, aliqui peculiari nomine *Hellenisticam*, aliqui *Ebræo-Græcam* vocavere.

§. 5. De quibus appellationibus non tam splendide equidem sentimus, ut nihil in iis desiderari posse credamus: sed nec tam morosa κρίσει eas vellicamus, ut cum de re & sensu, quem prædiximus, constet, propter vocabuli quoddam incommodum, totum negotium repudiare aspernarique fas & jus existimemus: non immemores, multas & magnas res in omni doctrinæ genere rotundioribus quam verioribus titulis, & minus quam optabile erat congruentibus vocabulis (cum præcise omnia signare, ne possibile quidem sit) expediri.

§. 6. Ad rem ipsam, & doctorum de ea sententiam quod attinet, adeo non videtur rejicienda, ut potius Philologiæ Sacræ & graviori Theologiæ valde consentanea existimari possit. Primo enim negari non potest: *DEUM ter Opt. Max. admirabilem (minimeque forti itam) loquendi cum hominibus, in utroque S. voluntatis suæ & religionis instrumento, servasse consonantiam, congruentiamque. Unde factum est, ut cum verba essent alterius linguæ in N. Test. ratio loquendi eadem animadverteretur:* aut, si clarius dicendum est, *ut character V. Test. non quasi interpretatione libera expressus, sed retentis formulis totaque indole repræsentatus* agnosci posset.

§. 7. Cujus providentiæ causas licet caute & parce deceat investigare, egregie tamen existimandi sunt philosophari, qui ad *certitudinem fidei, gravitatem, facilitatemque informandi, tum ad arcanum conjungendæ cum Iudæis gentilitatis mysterium,* illam harmoniam referunt. Quæris, *cur tot V. Test. oracula repetita in N. T. tot loca harmonice explanata, tot allusione notata; & quidem ita, ut non rerum magis, quam dictionis extaret tum hic, tum in cetero contextu, convenientia?* Responderi potest: ne domestici (*Iudæi*) possent aspernari novitatem; aut peregrini (*Gentiles*) suspectare diversitatem: aut curiosi desiderare conformitatem; aut simplices allegare obscuritatem.

§. 8. *Secundo*: usus ipse & experientia locupletissimum præbent testimonium, *neque facilius, neque gravius ad ipsum V. Test. nucleum perveniri, quam ea resolvendi interpretandique ratione, quæ V. T. stylo Novi fœderis libros metitur, expendit, evolvit.* Ut proinde dubitandum non sit, optimam esse dictionis æstimationem, quæ toti argumento rebusque accommodatissima deprehenditur; cum præsertim ex altera parte, nisi hoc adhibeatur judicium, non videatur exhauriri posse ἀποθέσεως εὐαγγελικῆς profunditas.

§. 9. Namque *Tertio*, *ex ipsa divinissimarum rerum humanisque nec mentibus comprehensarum nec linguis pronunciatarum* (ita enim omnino de Euangelio, & S. Scripturis, respectu humanorum operum scriptorumque loquendum est) *indole novus quidam orationis character sua sponte exhibetur*: atque ut Philosophia εὐαγγελικὴ N. T. cum nullo monumento, præterquam cum Vet. Testamenti sapientia conferri potest; ita dictio, quæ rerum genium mira exprimendi arte gravitateque sequitur, non alia, quam ejus Styli comparatione designabitur, quo talia *primum*, & quidem *cum respectu ad N. T. secuturum*, adeoque *cum tacita exempli conformitate* Divinus Spiritus consignavit.

§. 10. Hæc & similia pie, ut arbitror, utiliterque non cogitari modo & disseri, sed in scrutandis exponendisque S. literis adhiberi queunt. Quanquam, ut à severis censoribus clarius & amplius nos vindicemus (*Quarto loco*) jure nostro tenemus, urgemusque istam ὑπόθεσιν: *Quodcunque orationis genus ex universa Græcitate*, (quantum ejus ad nos pervenit) *nihil habet simile, quoad indolem geniumque loquendi, & contextus; illam εὐλόγως peculiari nomine & à ceteris diverso, insignire licet.*

§. 11. Atqui talem esse N. T. dictionem tantisper obtinemus, donec idem dictionis character nobis alibi ostendatur; id quod nunquam præstabitur. Nam ad hanc formam nemo scripsit, nisi qui ex Sacris consuetudinem loquendi mutuatus est. Sicut alibi forte fusius demonstrabitur.

§. 12. Inquis: *Detur sane peculiare nomen, sed ita ut Græca maneat, non Hellenistica aut Ebræo-Græca.* Annotabuntur paulo post compluria, quæ responsionis vicem in parte subire, in parte evidentiam explicare poterunt. Interim breviter observamus & reponimus: (1) *Per neutram appellationem tolli omnem Græcitatem: sed tantum eam quæ in Græcis Scriptoribus, Græcæque nationis usu reperiatur: cum qua nimirum, sine periculo confusionis & ἀπαιδευσίας, dictio Nov. Testam. comparari nequeat.* Nam de cetero & *Hellenisticæ & Ebræo-Græcæ* vocabulum communicat aliquid cum Græcitate, licet usitatam ejus indolem non agnoscat.

§. 13. (2) Quantum seorsim attinet ad has appellationes, sive potius ad sententiam doctorum, quæ in iis latet, niti eam tali fundamento sciendum est. *Quæcunque lingua, Græcis licet verbis constans, majorem tamen cum Hebræo idiomate Veteris Test. convenientiam habet, quam cum omni cetera Græcitate: illi character differentiæ, quam vocant, specificæ merito cum mentione respectu illius Hebraismi imponitur.*

§. 14. At-

§. 14. Atqui hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, dicent alii. Nam assumtum prorsus negatur; & probari nequit. Ego, cum probationis abunde jam in mundo esse, egregii doctorum virorum labores testentur, & vero non tam meditationis eruditæ ἀκρίβειαν attendant, quam suis quibusdam rationibus glorientur, qui huic adsertioni contradicunt, satis habebo, nunc ostendisse, quam diligenter aliud aut nihil agant pleraque, quæ magno conatu & fervore non necessario, à non nullis ad invidiam ejus disputantur.

§. 15. Quid mihi videatur in hac quæstione vero proximum, sub finem hujus dissertatiunculæ prometur. Nunc tamen ea removere animus est, quæ cum aliena sint à re proposita, non explicant sed involvunt disputationem, adeoque disceptationem in altercationem convertunt. Qua in parte brevitati & moderationi vel ideo studebimus, quia cujusquam disputationes κατὰ πόδα sequi nec instituto nec otio meo commodum est. Cum præsertim intricentur sæpius argumenta, quam explicentur: cum ad personas dirigitur disquisitio, quæ rerum esse debet.

§. 16. Ac primo omnium quidem, satis mirari non possum quod existimare quisquam potuit, eam doctorum de stylo N. T. sententiam, de qua prædiximus, ad humilitatem & contemtum styli sacri pertinere; *Quasi nimirum simplex ille stilus, ubi nullæ sunt verborum ampullæ, istos censores offenderet. Haud novum est*, inquit nonnemo, *stilum Spir. S. tanquam humilem à filiis hujus seculi fastidiri.*

§. 17. Atqui certissimum est, *adeo nihil tale quenquam eorum qui Hellenisticam linguam tuentur, sensisse aut sentire, ut potius hæc ipsa sententia è diametro opposita sit iis, qui stylum N. T. vellicare, & humilius de eo, quam decebat, judicare ausi sunt*, cum quorum opinione nihil unquam nobis negotii fuit, nihil erit. *Ex professo*, inquam *ad Majestatem dictionis Sacræ N. T. pertinet hæc sententia, cui contemtus styli Sacri & fastidium tribuitur.*

§. 18. Quin imo, sicut de stylo V. T. prorsus accedo gravissimæ eruditionis viro *Guilielmo Budæo*, & aliis, *qui incomparabilem majestatem orationis iis libris tribuunt: ita N. T. characterem, tum ob alias causas, tum ob hanc ipsam cum idiomate V. T. participationem, singulari quadam dignitate gravitateque eminere judico: quæ ipso argumento suo fœcunda, & prægnans nihil habeat in Scriptis, & operibus hominum simile.*

§. 19. Nam quod ad *simplicitatem* scribendi attinet, quam DEUS omnibus patere voluit: plerique ne vocabulum quidem simplicitatis recte capiunt in hoc argumento. Sane non *gracilitatis, tenuitatis, humilitatis* nota indigitatur, à doctis & sanctis viris, cum simplicitatem S. stili commendant, sed *conspicua sinceritas, nativa minimeque affectata vis, admirabilis denique*, & quam ulla artis lenocinia attingunt, *competentia* intelligitur: quæ nec caret nec superbit suis ornamentis.

§. 20. Quam ὑπόθεσιν ut minus periti talium amplius æstiment, qualicunque eos indicio, è profanorum Auctorum κρίσει petito admonebo. *Julii Cæsaris dictio*, nec Tulliano flumine exundat; nec Liviana ubertate exsplendescit, nec Sallustiana severitate emicat, nec, in morem Taciti, novitate magnifica auctoritatem quærit: Sed *simplicitate quadam sua* censeri amat; tantum tamen abest, ut propter ea ullo ex prædictis minor dicendus sit Cæsar orationis laude, ut pro comperto habeam, non minoris operis ingeniique esse, ad ejus imitationem conformare stylum, quam æquare Livium, & ceteros, quos nominavimus. Addantur omnino quæ *Dionysius de simplicitate characteris Lysiaci* tradit, quam maximis eloquentiæ speciminibus æquat, multosque, imitandi conatu potius quam successu id expertos esse tradit. Ita nimirum patebit inter eloquentiæ opera poni, τὰ κοινὰ καὶ ἐν μέσῳ κείμενα ὀνόματα, item τὴν σύνθεσιν τὴν ἰδιώτην μεμιμημένην· quæque plura ibi à doctissimæ observationis magistro annotantur. Id quod, citra aliam & ulteriorem accommodationem ad stilum Biblicum, ideo annotavi, ut *Simplicitatis character* geniusque ante omnia rectius innotesceret: neque judicandi methodus, ex negligentiore vocis æstimatione, vitium captet: aut cum ex S. Patribus nonnulli, ἁπλῆ καὶ ἰδιωτικὰ ῥήματα nominant, statim vilitas quædam intelligeretur.

§. 21. Alias illa ipsa *Simplicitas N. T. non caret miraculo*, nec parum auget venerationem ejus majestatis, quam commendamus. Sane noluit Deus Ter. Opt. Max. à simpliciorum intellectione abesse dictionem N. T. ideoque quadam facilitate, ad captum eorum admovit: sed illam facilitatem cum tanta dignitate sapientiaque conjunxit, ut & summa ingenii subtilitas & maxima doctrinæ copia satis superque quod discat, quod expendat, quod miretur, hic invenire queat, & si pietatis devotionisque auspicio progrediatur invenire soleat.

§. 22. Non mirum est si hæc *Politianus* aliquis, profanis literis doctissimus, non capit. Nam ad judicandum penitius dictionem Biblicam, opus est rerum Biblicarum diligentiore meditatione intellectuque: quo destitutus aliam quercum excutere jubendus est. Quam assertionem si quis inopinabilem existimat, & παράδοξον, rursum convincitur communi omnium etiam profanorum studiorum tractatione. Quis mihi eloquentiam Scriptoris accurate penetrabit (nam vulgi consuetudinem hic non attendimus) nisi qui & sapientiam penetravit? Sicut ex diverso, ut sapientia & profunditas argumenti penetretur, exigendum ad vim argumenti est pondus dictionis. Mutua enim hæc sunt, & ἀδιαιρέτως ὑπάλληλα. Suggerendum hoc erat iis, qui de Hebræo V. T. idiomate, tam secure & fastidiose pronunciant, profanæque Græcitati in tantum posthabent, ut facile judicari possit, cujus scholæ subsellia triverint.

§. 23. Jam quod ad *puritatem* linguæ attinet, duobus modis plerosque impingere video: *primo* dum eos qui Hellenisticæ linguæ favent, eo ipso: quod negant mere Græcam esse, *impuritatis* adeoque convitii notam N. Testamento inurere credunt: *deinde* quod alienissimum *de puritate linguæ* judicium ferunt. Quæ, immane quantum, saniori philologiæ repugnant.

§. 24. Quid enim? De *puritate linguæ utique judicandum est post speciem linguæ*, ut ita dicam, *constitutam.* Nonne igitur diversissimæ quæstiones sunt, de *puritate Græcæ linguæ*, & de *puritate Hellenisticæ?* quis *Hellenisticam linguam* i. e. *N. Testamenti, puram esse negavit?* Nam illam quorundam sententiam, quæ in hoc stylo multa desideravit, serio aversamur.

§. 25. Frustra hic objicias: *Si è Græca & Hebræa coaluit, quomodo pura est?* Præterquam enim quod crasse philosopharetur, qui ea quæ ex pluribus in certam & determinatam speciem coaluere, propterea statim impura vocaverit; etiam illud nemo recte & accurate ita diceret: *è Græca & Hebræa coaluisse.* Quare libenter fassi sumus, vocem *Ebræo Græcæ linguæ* non usquequaque idoneam rei exprimendæ. Ecce: quid movit viros doctos, ut linguam N. T. alio, quam Græcæ, nomine dicerent? ἰδίωμα Veteris Testamenti nimirum quod in novo inveniebant. Hinc differentiam, ut philosophi vocant, specificam sumunt *atqui ἰδίωμα V. T. utique purum est.* Quidni ergo pura sit lingua N. T. quæ illud ἰδίωμα retinet? Quam triviale fuerit, hic de materia literarum & syllabarum & vocum argutari? ex quibus ἰδίωμα non judicatur: sicut mox subjiciemus.

§. 26. Itaque nihil opus erat, ut quisquam hic laborem sumeret *congerendi voculas & formulas è Græcis Scriptoribus ad asserendam linguæ Græcæ N. T. puritatem adversus Hellenistici idiomatis fautores.* Partim enim cum larvis luctatur, qui ita disputat (nam ista opinio, pro qua hactenus aliquid diximus, nullam impuritatem N. T. tribuit) partim non probat illud alterum, quod intendit, scilicet: *linguam N. Test. non esse aliam, quam communem Græcam.*

§. 27. Non est quæstio: *an phrases & verba, quæ in N. Test. occurrunt, è perreptatis Scriptorum profanorum monumentis possint erui?* Sed: *an tota dictionis indoles, faciesque styli, totumque orationis corpus conveniat cum ea Græcitate, quæ in profanis Scriptoribus occurrit?* Nam ex hoc principio judicandum est de idiomate. Quod si illud alterum sequeremur, *potero tibi eadem facilitate omnes Hebraismos* (loquor enim ex tua hypothesi) *in Græca aliisque linguis ostendere*, neque tamen cuiquam licebit inferre, *propterea idioma Hebraicum idem esse cum Græco.*

§. 28. Sed & illud non debuit negligi: *longe diversam esse utendi rationem, cum locutione eadem* hæc *lingua utitur ordinarie & consueto more suo*: illa *extra ordinem, ut sic dicam, & raro, nec sine figura aut ἀνωμαλίᾳ.* Nam *ibi* domestica est jureque communitatis gaudet formula: *hic* adventitia, aut certe nova sive quæsita: *ibi* de idiomate aliquid testari potest: *hic* de quodam idiomatis accidente sive περὶ τὸ πάθος τινός: *ibi* ad corpus, *hic* ad cultum corporis pertinet. Quid respondeat ad hæc nonnemo, malo lectione ipsius libelli, quam mea commemoratione aut discussione, qua non opus esse videtur, cognosci.

§. 29. Consideratu dignum est: *quid in una eademque lingua circa diversos loquendi characteres soleat accidere.* Constat inter doctos, *Tacitum singulari prorsus stylo* usum esse: ita, ut, tum ratione vocum, peculiari Lexico quodammodo interpretandus sit, & ratione contextus formæque à ceteris

omnibus diversus æstimari debeat. Interim ex his ipsis quæ *Tacito* propria & videntur & sunt, aliqua ad ejus similitudinem usurpata reperies in *Sallustio*, in *Pliniis*, in *Seneca*, in ipso *Cicerone* ac *Livio*. Verum quia *hi* rarius, & cum accommodatione ad suum characterem ista adhibent; *ille* autem perpetua consuetudine & in ipsa indole cursuque sui sermonis: nemo hactenus inventus est, qui posset dicere, stylum *Taciti* eundem esse cum stylo *Sallustii* & ceterorum. Ergo si non licet tali ratiocinandi formula uti de diversis in unius linguæ idiomate characteribus (qui & ipsi à Rhetoricis aliquando specialiter ἰδιώματα dicuntur) quanto minus licebit in *diversarum linguarum* idiomate comparando dicam an confundendo? Utique, quamdiu pars altera diversitatem linguæ Hellenisticæ & Græcæ urserit (etiamsi decisio totius rei in dubio manserit) tamdiu infirma erit collectio illa, cujus supra mentionem fecimus.

§. 30. Ne dicam de multis animadversionibus, quæ circa comparationem istam similium vocum phrasiumque regeri à quovis, qui curam eam sibi sumserit, facile possent. Interim omnino, non ex una aut altera vocula aut phrasi, sed ex stylo totaque forma dictionis, ut antea diximus, de idiomate judicari debet: longeque est aliud quærere, *an hoc vocabulum sit Græcum, Latinum, &c. Et an ipsum idioma sit Latinum Græcumque.* Equidem ex Latinissimis (ut ita loquar) vocabulis, potest efformari oratio, cujus idioma non sit Latinum.

§. 31. Hæc & talia si quis probe observet sole meridiano clarius apparebit, abludere à vero quæstionis statu, quæ in contrarium differuntur. Ita quod de *Gentilium intellectu* disputatur, à vere philosophantibus utique non aliter accipi debuit, quam ex mente Auctorum: qua neglecta captaverit occasionem contradicendi, non invenerit, quisquis verba huc & operam admolitur.

§. 32. Dixerunt aliqui: *stylum N. T. ita comparatum esse, ut non nisi à perito styli V. T. adeoque nec ab Homero aliove Græco posset intelligi.* Quis hic dubitare potest, de quo intellectu sermo sit? Nimirum, *an verborum literalem sensum & nudos obviosque conceptus, Græcorum quisquis posset intelligere*, nunquam quærebatur. Sed ipsa indoles quæstionis, quæ de idiomate linguæ formata est, monstrabat id disputari: *an Græcus aliquis, qua talis, idioma N. T. erudito intellectu, ex principiis ad arbitrandum linguæ alicujus idioma pertinentibus, possit beneficio solius communis Græcæ linguæ intelligere & accurate cognoscere?* Utique ad eruditos & ad artem pertinent omnes etiam quæstionis circumstantiæ: adeoque ea artis eruditionisque principia hic præsupponuntur, sine quibus de conditione genioque linguæ nequit judicium ferri.

§. 33. Quid itaque ad rhombum, si quis objiciat: *Atqui Paulus e. g. debuit intelligi ab omnibus Græcis, ad quos missus & locutus est, & omnino intelligebatur?* Quam multa hic occurrunt quæ prorsus aliena sunt? Sane si omnes, qui intellexere quid Paulus diceret scriberetve, de dictionis & scriptionis charactere potuerunt judicare: frustra vel in hac vel in alia lingua institutioni & doctrinæ aliquid tribuimus, supplebitque sola natura Theologi & interpretis δύναμιν.

§. 34. Cum tamen, si per omnia exempla eamus, plurimum ista differant. Vel illud mihi attende, quod non semel *Cicero* inter notas optimi oratoris ponit: *Si, non sapientibus tantum & peritis, sed populo etiam & multitudini placeat, si populus eum cum voluptate & admiratione audiat.* Obsecro unde & qua de causa? an quia populus artem perorandi, & orationem exornandi intelligat, possitque de cultu instructuque oratorio sententiam ferre? Nequaquam; sed ut ipse diligenter explicat: *intelligit quidem populus quid dicatur* (nam ad hanc formam oratio bona conformari debet) *intelligit valide, perspicue, jucunde hæc dici; sed quid efficiat illam vim, illam perspicuitatem, & cetera, quid sit quod moveat, quod delectet, id est ipsam indolem geniumque orationis oratoriæ penitiorem prorsus ignorat.* Quoniam *alterum naturæ est, quam vulgus sequitur; alterum artis, qua vulgus caret.* Quod iterum magnus talium rerum judex & magister observat.

§. 35. Quod si Paulus esset locutus lingua citra omnem controversiam Græca, charactere tamen Græcismi ad novitatem quandam, e. g. sicut in Thucydidis stylo videmus, instructo conformatoque: an propterea quilibet, qui eum audivit & intellexit, potuit de isto charactere, judicium ferre? Imo si Apostolorum quispiam usus esset charactere e. g. Lysiaco, id est omnium facillimo & verbis ἰδιωτικοῖς, simplicissimaque verborum compositione constante: an, sicut omnes intelligere potuissent, τὰ λεγόμενα ita omnes potuissent æstimare τὸν τῆς λέξεως χαρακτῆρα? Nullo modo. Nam de generibus dicendi & idiomatibus recte judicare, paucis inter eruditos contigit. Quomodo igitur grande istud αἴτημα consistit: Qui Pauli sermonem intellexit, etiam sermonis characterem cognitum habuit? cum ne in communi quidem Græca aliave lingua tale argumentum procedat.

§. 36. Ponit *Pfochenius in diatriba de Græcæ linguæ N. T. puritate* hanc hypothesin: *Carmina Horatii, Virgilii &c. singulis fere paginis varios Hellenismos habent; sed tamen multi Romani, Græcarum literarum prorsus ignari poëmata illa ad unguem calluerunt.* Cur? haud dubie, quia cum Græcismi essent, Latine tamen enunciabantur. Applicemus hæc ad nostram quæstionem: *Ergo etiam Græci intelligere stylum Apostolorum potuere, quia etiamsi character Hebræus esset potius, tamen Græce enunciabatur.*

§. 37. Hactenus ex hypothesi & adhibito distinctionis paulo ante expositæ temperamento loquimur. Nam si illud *Pfochenianum, ad unguem calluisse*, ad intellectum cum erudita κρίσει conjunctum referatur, videat ipse, quid respondeat viris doctis, qui magno consensu tradidere: *ad accuratam carminum Latinitatisque notitiam requiri, ut sciatur, quid ex Græco aut aliunde sit transsumtum consuetudine, expressum imitatione, arte deflexum*: & quæ talia plura nemo ignoravit sine jactura Latinæ eruditionis.

§. 38. Quod autem porro infert: *Latina carmina, etiamsi multos habeant Hellenismos, tamen propterea non dici Latinistica* (qua voce absque omni fundamento applicationis ad vocem Hellenisticæ adeoque incassum hic utitur) *aut Græco-Latina, Latino-Græca*: ejus rei satis clara est ratio, sed à nostro instituto penitus diversa.

§. 39. Repetimus inprimis, quod jam ante innuimus: *defensionem vocabuli, Hellenisticæ linguæ, à nobis non suscipi, sed tantum sententiam quorundam doctorum circa rem ipsam à frustraneis aliorum & irritis objectionibus vindicari.* Inter quas etiam hæc ipsa videtur esse. Quis enim non videt, *illos Græcismos plerosque in linguam Latinam universim & communiter translatos jureque civitatis Latinæ donatos esse?* At de Hebraismo V. T. in communem linguam Græcam translato, nemo cogitabit, nedum affirmabit. Sed & illud supra ostendimus: *Hellenisticæ linguæ fautoribus, non esse sermonem de Hebraismis quibusdam in N. T. occurrentibus* (sicut modo sermo erat de Græcismis in Latino usurpatis) *sed de idiomate toto indoleque dictionis: eam sc. Hebrææ V. Testamenti, quam Græcæ communi potius congruere statuunt.* Jam vero nemo erit, opinor, qui Horatii aut Virgilii stylum potius Græco quam Latino idiomati convenire autumet.

§. 40. Quod porro adfertur; *potius Apostolorum stylum in N. T. & in V. Septuaginta interpretum appellari debere*: partim admonitione nulla indigebat, partim quæstionis scopum non attingit. Sane *stylum N. T.* (ita enim plenius vocatur, nec sine nota differentiæ, quoad ceteram Græcitatem sicut *stylus Vet. T.* à cetero Hebraismo distinctius indigitatur) item *stylum Euangelistarum & Apostolorum*; ut & LXX. *Interpretum*, à multis jam seculis viri docti absque ullo monitore dixere: sed, qui Hellenisticum aut Ebræo-Græcum voluere, sicut prædictam appellationem nec impugnant nec tollunt, ita differentiam ex ingenio linguæ, non è diversitate Auctorum quæsivere. An enim sufficit, si dicas; *hic est character Thucydideus*; nisi intelligatur interior ratio & τὸ χαρακτηριστικὸν dictionis ipsius, ob quod Thucydidea, & ab aliis diversa existimatur?

§. 41. Restat non leve, ut videtur, præjudicium, quo Hellenistici idiomatis patroni premi existimantur: *antiquitatis & tot doctissimorum in Veteri Græca Latinaque Ecclesia Theologorum silentium circa hanc quæstionem.* Verum hic respondeti dupliciter potest. *Primo* quidem, *multos inter Patres, Hebrææ linguæ ac literaturæ expertes fuisse, adeoque de conformitate styli N. T. cum V. judicare non potuisse*, satis constat. *Deinde, licet de novo nomine imponendo linguæ N. Test. non disputaverint, tamen multa è scriptis multorum vel judicia vel vestigia notari possunt, quibus sententia de Hellenistico idiomate, fulciri & explicari amplius queat.* Cujus rei declarationem non subterfugimus, si occasio & tempus tulerit.

§. 42. Hactenus ita egimus: ut sententiam eorum, qui Hellenisticam linguam aut Ebræo Græcam statuunt in N. T. ejusque sententiæ institutum, rationes, scopum, quantum assequi ex ipsorum scriptis potuimus, exponeremus: quæque aliena ei vel affinguntur, vel extra quæstionis limites objiciuntur, repelleremus. Videtur enim minime ferendus in republica literaria ille mos, quo doctorum Virorum sententiæ quæcunque alienis interpretationibus onerantur, aut adjectionibus è præjudicio alterius fluentibus interpolantur, aut censuris

suris intempestivis immoderatisque vexantur. Unde non potest non augeri triste & fatale literis malum, contentionis studium.

§. 43. Quod si mihi nunc breviter sit judicandum, quid sentirem de re tota ipse: ante omnia precabor veniam libertatis, cum neminis injuria conjunctæ; deinde simpliciter & perspicue in sequentes assertiones negotium conferam. I. *Extra dubium mihi videri, stylum N. Testamenti à cetera Græcitate tota humanorum operum diversum esse.* II. Si quæras, qua ratione potissimum? *Dicam κατὰ τὸν χαρακτῆρα τῆς λέξεως, qui ad idioma V. Test. (quod citra controversiam singulare est, & exemplo caret) proxime accedit.* Nam de singulis verbis & formulis non esse hic sermonem, supra ostensum est. Argumenti loco amplius considerandum hic proponimus: *quod Novum Testamentum in nullam omnino linguam, tam facile & quasi de verbo ad verbum transferri potest sicut in Hebræam: adeo quidem, ut cum duplex alias interpreti labor oriatur, quomodo nimirum & mentem Scriptoris, quem interpretatur, exprimat; & linguam, qua interpretatur, non violet aut negligat; hic posteriori illa solicitudine vix opus videatur, Hebræo idiomate sponte & statim cum Stylo Novi Testamenti conspirante.* III. *Porro, licet ponatur, Deum ter Opt. Max. cum sanctis hominibus suis inspiraret prodenda orbi oracula & monumenta, non commutasse omnem linguæ rationem, quam in Scriptore Ministro repererat* (atque hinc nata fuerit quædam in communi charactere Scriptionis differentia) *tamen nullo modo credibile videtur, ejus dictionis, quæ Scriptori erat familiaris, usurpationem in tantum ipsi relictam, ut à Deo inspirante etiam ἐν ἤθει λέξεως non dirigeretur & ad institutum divinum, velut instrumentum temperaretur.* Atque hinc nata fuerit Scriptorum N. T. tum inter se ratione communis characteris, tum ad idioma V. T. conformitas: quam pro luculento divino providentiæ pignore amplecti licet, ni fallor. IV. *Quæ omnia licet sint magni momenti, adeoque minime negligenda, tamen fortasse nulla necessitas cogit, plane novam linguæ speciem invitis & inassuetis seculi auribus obtrudere*; melius forte capturis, si *Græcismum Biblicum* aut aliud tale nomen audirent. V. *Quoniam autem, qui Hellenisticam aut Ebræo-Græcam linguam tuentur, nihil aliud quam ea quæ diximus in animo videntur habere, certe in Scriptis suis plurimum inculcavere & illustravere, id Philologiæ Sacræ principium: propter solam nominis novitatem, quo signantius expressiusque styli Biblici Græci formam volebant commendare, odio aut reprehensione vel ideo digni non videntur, quia nisi in tractatione subtilium studiorum, innocentia propositi & utilitas scopi attendatur, lata multis contentionibus porta aperietur.* Quinimo prodierunt ex ea sententia hactenus ea Philologiæ Sacræ subsidia, *quæ favore & laudi dignissima moderate sentientibus videri possint.*

§. 44. Sed hæc amplius expendenda doctioribus relinquimus: à quibus promto & grato animo tam hic quam alibi meliore doceri cupimus. Nobis suffecit ex occasione ad restaurandum apud studiosam juventutem Philologiæ utilioris amorem pauca quædam altiori meditatione indigentia delibare: cum præsertim speremus, *Exc. & perquam Reverendum Dn. D. Dorschæum SS. Theol. Prof. &c.* curas suas in articulum, de *Scriptura Sacra* (ubi de hac etiam quæstione accurate & graviter agi scimus) prima quaque occasione publicaturum esse.

APPENDIX.

Quid statuendum de solœcismis & Barbarismis, qui Novo Testamento à nonnullis tribuuntur?

I. NOn est nobis consilium, plenius hanc quæstionem & expressius hac vice tractare: sed tangenda vel ideo fuit, quia cum superioribus aliquo modo cohæret; non quidem, sicut nonnullos video existimasse, quod illi, qui de Hellenistica aut Ebræo-Græca lingua pronunciant, etiam hujus opinionis, quæ barbarismos & solœcismos N. T. tribuit, auctores & assertores haberi debeant (potest enim ex eorum scriptis contrarium cuivis innotescere) sed quod videri possit, sponte sequi: *stylus N. T. utitur vocibus & formulis ex Oriente petitis, adeoque resp. Græca linguæ peregrinis; Ergo barbarismus in ipsa peregrinitate idiomatis residet &c.*

2. Quæ ratio argumentandi etiamsi in communem aliarum linguarum κρίσιν sine ulla exceptione valeret (quod nemo τῶν ἀκριβῶς φιλολογούντων affirmabit) non posset in stylo N. T. adversus Hellenistas militare, qui de singularissimo, ut sic dicam, exemplo styli, singularique Dei consilio ad singulares usus destinato sentiunt, ubi ipsa effectus novitas & ἰδιοπρέπεια videtur cautiorem & profundiorem κρίσιν postulare. Quanquam & alia sunt, quæ hic responderi possent, si instituti ratio nos pateretur eam disputationem ingredi.

3. Igitur omissa longiori disceptatione (nisi quod è superioribus quædam in hanc quæstionem penetrant) breviter & cum venia aliter sentientium, nostram sententiam proponimus in hanc formulam. *Primo omnium,* libenter credimus, *quosdam doctorum virorum, cum in eam loquendi formulam occasione quadam aut ratione speciali inciderunt, ut stylum N. T. habere barbarismos ac solœcismos dicerent, mitiora & meliora sensisse, quam alii existimarunt, qui impietatis & cujusdam erga divinas scripturas irreverentiæ propterea eos accusarunt.*

4. II. Verum, ni fallor, potuerunt tot omnis ævi exemplis admoneri, ut cautius in hac quæstione agerent, neque sinisteriora in se judicia aliorum ipsi provocarent.

5. III. Neque enim profecto *vel solidæ eruditionis gravitate subnixa est, vel utilitatis ac ædificationis quidquam habet,* quæ solœcismos ac barbarismos tribuit N. T. sententia.

6. IV. Si enim huc decurritur, ut dicamus, *barbarum aliquando vocari quicquid non est Græcæ consuetudinis:* non opus habebat sane doctorum quisquam, ut arbitror, tantæ contentionis molimine istud doceri; sed nec eorum causam hoc juvare potest, qui barbarismis solœcismos conjungunt in quæstione: *An N. T. barbarismis & solœcismis scateat?* An enim ut Barbarum, ita statim solœcum erit, quod non est Græcum? Solœcismum aliquando pro barbarismo dici scio: sed hic discernuntur ipsa quæstionis propositæ formula, quanquam in probationibus postea valde ἀκαταλλήλως agitur, dum & separantur pro lubitu & confunduntur, id quod omnino monendum erat.

7. V. Plerique non satis aperte & diserte hic agunt. Si enim propter quædam vocabula non Græca, barbarismi tribuuntur N. T. eadem opera omnes, etiam purissimos Scriptores Græcos Latinosque barbarismis repleveris. Cum tamen omnino multæ sint causæ, ob quas ista ab eruditis Autoribus sine ulla barbarismi nota usurpantur. Quod rectius in & sub exemplis ostenditur disputaturque. Illud obiter addo: *valde εὐλόγως & optimis rationibus defendi, quæ N. T. peregrina adhibet vocabula.* Sicut, si de tota conformitate cum stylo peregrino sermo est, utique omnium Grammaticorum supercilium spernere potest gravissima illa ratio, qua peregrinum domestico juri sociari cœpit in dictione, ne quid usquam peregrinum maneret in doctrina, qua de re jam ante innuimus.

8. VI. Jam de solœcismis, etiamsi ad nauseam usque ingeminetur illud Senecæ; *Grammaticum non erubescere solœcismum, si sciens; erubescere, si nesciens faciat:* non video quid tandem aliud inde eliciatur, quam quod res ipsa & doctæ antiquitatis judicia ultro clamant, nimirum solœcismum non esse, qui à sciente & bona cum ratione ponitur; esse, qui per ignorantiam aut minus probabilem causam, citra artis rationisque convenientiam ponitur. Itaque ergo, si jam recte & proprie loquendum est, non solœcismis, sed figuris ista annumerant cum *Fabio* doctissimi quique: aut si *solœcismi* vox in talibus retinetur, *impropria* incipit esse significatio; dum nomen quidem adest idem, descriptio autem rei mutatur. Nimirum secum ipsi pugnant, qui pro asserendis *solœcismis* talia afferunt: quibus potius ostenditur, *non esse vere solœcismos, quos pro talibus venditant.*

9. VII. Nam, quantum ad *verum, proprium, usitatum, & quasi civilem significatum* attinet *Barbarismi & Solœcismi,* utique *vitii, ignorantiæ, ruditatis,* non artis aut rationis nomina esse, tam veterum quam recentiorum contestatissima asseveratione traditur. *Prima barbarismi & solœcismi* FOEDITAS *absit*; inquit *Fabius*, cum præceptionem super ista re auspicatur. Idem qui tam constanter postea ut de peccatis, de vitiis loquitur, quam diligenter consilium scribentis, & artem & schemata ab errore, lapsu, ruditate distinguit. Etiam *Suidæ* descriptio κακιῶν cumprimis mentionem infert, ne de ceteris nunc dicamus.

10. VIII. Quo respectu non mirum est, si Vir serius aliquis miretur, quo consilio, *in proponendis quæstionibus*, ubi perspicuitas & significandi, ut ita dicam, civilitas ante omnia attendi debet & requiri potest; & apud *juventutis aures*, quæ à congenita cavillandi curiositate ad eruditam sapiendi simplicitatem traducendæ sunt; *& in ea materia argumentoque*, ubi omnis eruditio profanitas videri potest, nisi pie cujusdam re-

reverentiæ cautione adgubernaretur; & *post gravissimorum virorum rectiora ac simpliciora, ipsoque usu rei Theologicæ approbata judicia* (possum enim citra invidiam ita loqui, spero) & *in nullum vel eruditionis vel πράξεως Theologicæ* usum commodumque (nam quæ finguntur hic, non capere me, prorsus fateor) cuiquam pertendere lubido sit: *Novum Testamentum solœcismis & barbarismis scatere.*

11. IX. Advocatur tamen in subsidium, *Patrum Auctoritas*, & præsertim *Hieronymi*; de quo ante ceteros dicendum est. Equidem ejus viri eruditionem & eloquentiam pridem didici venerari: sed audeo dicere, *non legisse Hieronymum, qui non animadvertit, eum fiducia eruditionis sæpius in periculosas assertiones provehi: atque in hoc ipso argumento, passum Doctissimum Patrem aliquid humani esse, non primus ego, sed cum magnis viris, imo cum ratione ipsa fidenter existimo.* Igitur hunc judicem declinare controvertentes suo quodam jure possunt. Decepit tanti viri auctoritas *Erasmum*, ut ea de stylo Apostolico judicia ferret: sed opposuerunt se ejus opinationi mascule & juste eximii Theologi: sicut notius est, quam ut hic ostendi debeat. Clariora fient hæc omnia, si singula exempla, de quibus secius libuit judicare summis istis Viris, attendantur: ad quæ non deerit solida & idonea responsio.

12. X. Reliqui Patres plerique loquuntur partim ex hypothesi calumniosa gentilium sophistarum, quos redarguere in hac quæstione non semper opus aut commodum erat: *partim* eloquentiæ biblicæ simplicitatem (à qua ad vitia barbarismi & solœcismi nemo argumentari debet) profanorum sapientum pompæ, ἐπίδειξιν, arti, lenociniis opponunt: *partim* à styli indole, in qua multa profani desiderabant, ad ipsam rerum divinissimarum majestatem provocant, eaque occasione, εἰς τὸ δουλεύειν τῇ ὑποθέσει argumento vindicatum adauctumque cupiunt, quicquid stylo splendoris detrahere videntur. Hæc & similia in ipsa locorum consideratione & collatione facile se prodent attento lectori: cum alioqui nihil facilius sit, quam ex flumine eloquentiæ Theologorum priscorum, rivulos, non quo porrigi debebant, derivare, sed quo temere emissi prorumperent, præcipitare aut confundere. Ingenue, simpliciter, caute hic versandum est: alias tenebris & labyrinthis omnia plena erunt, & quidvis ex quovis colligetur.

13. XI. De concursu operationis Sp. S. ad Scripturas θεοπνεύστους multa extra quæstionem hic disputantur. Nam sive dicas, *modum scribendi seu producendi scripturas tantum esse à Sp. S. non item verba scripturæ & linguam ipsam*; nihil efficies: probandum enim tibi erit, *Spiritum Sanctum in sanctissimo inspirationis opere linguam & verba, quæ exempli gratia in scriptore ministro invenit, non direxisse & ad corpus totius contextus dispensasse*: probandum erit, *Sp. Sancti providentiam ab hoc scripturæ toti orbi prodendæ negotio in tantum abfuisse, ut pateretur defectum scriptoris* (quanquam is quoque satis præfidenter fingitur) *fieri defectum operis, in quo nihil erat scriptoris ministri sed dictantis magistri*, ad cujus auctoritatem in solidum omnia referuntur. Sive dicas, *Sp. S. habuisse graves caussas admittendi in scriptoribus barbarismos & solœcismos*: item *non minus potuisse eum efficacem esse in rudi sermone, quam in docto*: rursum nihil agis. Nam illud *prius* sumitur, non probatur. Habuisse Sp. S. graves caussas, *simplicitatem nativam & gravem, præ ornatu & magnificentia eloquentiæ adhibendi, id vero & credo & scio*: habuisse autem graves caussas τοῦ βαρβαρίζειν ἢ σολοικίζειν hoc est quod eadem facilitate & meliori jure possum rejicere, quam asseritur, nisi quis credat Apostolos non potuisse aliter intelligi ab hominibus, quam si solœcismos & barbarismos idiotarum (de quibus ipsis tamen adeo nondum hic constat, ut forte alios facilius solœcismos, quam illos, de quibus disputas, inventurus sis) imitarentur. Ut taceam frustra disputari, quid potuerit fieri, ubi quæritur determinatio judicii in eo quod factum est. Atque hoc ipsum etiam ad *alterius* hypotheseos refutationem sufficere potest.

14. XII. Tollenda est etiam cavillandi occasio ex *Eloquentiæ* elogio. Hæc *sive* cum tribuitur Apostolis à Patribus, fateor mihi hactenus non liquere, quomodo conveniant ista: eloquentem esse, & tamen βαρβαρίζειν ἢ σολοικίζειν (nam ob Rhetorica quædam schemata eloquentem dici, qui interim Grammaticæ imperitus sit, novum, ut arbitror, & inauditum esset) sive cum denegatur Apostolis, sermo est de profanæ eloquentiæ apparatu, aut de disciplina artis oratoriæ, quatenus ab humana inventione & informatione dependet, cui opponitur hic sacræ eloquentiæ simplicitas & divinæ inspirationis gratia, quæ defectum humanæ disciplinæ supplet. Sane quomodo Paulinum istud, cum se ἰδιώτην τῷ λόγῳ vocat, explicari debeat, nec, in tanta studii Theologici luce, curiositate indiget, nec ad solœcismos & barbarismos evincendos unquam valebit. Vide supra *quæst. præced.* 20.

15. Atque hæc brevissime hic designanda putavi: citra omne partium studium; quod in omni studiorum genere Viris gravibus improbatum, vel ideo hic locum non debet invenire, quia remota contradicendi cupiditate & cavillandi pruritu, retenta autem loquendi scribendique simplicitate, & tanquam publico disciplinæ sapore, nihil erit de quo pugnent, qui in tantum desidere volunt videri. Valde autem optandum foret, eam ab unoquoque, in tractandis literis & modestiam & prudentiam adhiberi, quæ gliscentem seculi intemperantiam & fatalia literatorum jurgia, aut sufflaminet mansuetioris philosophiæ exemplo, aut coarguat, præsertim in iis rebus, quæ ad sanctissima divini verbi oracula pertinent: ubi non simpliciter peccat, qui non simpliciter, id est sobrie & reverenter philosophatur.

CHRIST. STALII

DISSERTATIO

De Philosophismis Novi Testamenti.

L. B.

SUa semper doctoribus Philosophis singularum artium fuisse vocabula, quæ & quasi privata *appellitabant veteres, ad nostra usque tempora, quadam velut traditione magnam partem haud male propagata, quæque à* publicis, *hoc est, vulgo æque fere notis dictionibus distinguebant: neminem credimus ignorare, cui Scholarum unquam & Academiarum salutare vestibula collibuit. Qua in re, tradendis melius literis inventa, Græcis prima, quantum ex hodienum superantibus scriptis judicare licet, sine dubio debetur gloria, quam secuto tempore Latinorum antiquiorum pariter ac recentiorum Scholæ, (an bene malevé, jam tacebimus) æmulatæ sunt. Ut vero ab ipsis ferme philosophiæ saltem theoreticæ incunabulis, quædam disciplinis omnibus communia vocabula fingebantur, in dialecticis & metaphysicis lectionibus nunc frequentata, quorum sensus idem per tot disputantium sectas utcunque olim servatus est: sic nonnulla usu* quasi publica *facta in vulgi etiam notitiam alicubi venere, sive quod essent captu facilia & nimis generalia, sive etiam quod à docentibus è communi consuetudine ad explicanda sua noëmata translata, plerosque ad intelligendam novam accommodationem invitarent. Quid mirum ergo est, si præter philosophos, scriptores quoque alii, oratores, poëtæ, historici, non modo cum altercarentur aut luderent, sed & cum in oratione perpetua versarentur serio, locuti sunt ita, ut à philosophis mutuo quid acceperint, ex solis iis declarari solide à literatis debeant? Rhetoras veterum, ne dicatur de grammaticis, ideo accensere illis scriptoribus hic abstinemus, non modo quod quibusdam dubium est, utrum hi illis, an illi his magis debeant in horosophiæ negotio, sed & quod hos ipsos in suo genere philosophantes agnoscere merito possumus; quippe qui* Philosophismorum *titulo voces primas in œconomia didactica necessarias hic complectimur. Cum itaque ejusmodi locutiones organicæ, ceu flores quidam, late adeo dispergantur, ex ipso novo testamento manibus grammaticis cursim tractato, exempla nonnulla sine ulla alienæ messis invasione collecta, & aliquibus observationibus excursibusque varie ac sobrie illustrata, Philosophorum Christianorum examini humiliter, quod Deus bene vertat, summittimus.*

§. I.



CUm Novi Testamenti *Philosophismos* nove quantum constat, dicimus, incertum an veniam inscriptionis hic petere vel exponendo sensui vacare, viamque adeo hæsitaturis præstruere oporteat; cum ut Hebraismos alii, Chaldaismos, Persismos, Latinismos, Rabbinismos, eas loquendi rationes vocant, quæ ab Hebræis, Chaldæis, Persis, Latinis, Rabbinisve acceptæ sunt: sic nostro nos titulo dictiones natura & genere philosophicas, frequentius saltem pressiusve adhibitas à philosophis, easque generales intelligimus.

II. Nulli ergo nobis nunc curæ sunt philosophicæ argumentandi rationes, quarum quædam vestigia in eo ipso sunt volumine, aut quarumcunque utriusque Philosophiæ disciplinarum termini; nec etiam loci illi biblici, quorum occasione scholastici magistri vocibus quibusdam inflexionem vel formam philosophicam seu bene seu absone dederunt. Probabile enim fit, denominationem *potentiæ obedientialis ex Matth.* 8:27. & *ubi repletivi ex Ephes.* 1: 23. 4: 10. *Jer.* 23:24. arcessi debere, ut de *Theologia comprehensiva Phil.* 3:12. & de *suitate* taceamus, qua Christus Filius Patris Filius ἴδιος est *Rom.* 8: 32. ea fere occasione dici solita, qua à suo hærede *suitatem* JCtus quidam effinxit. E ridicularii illius manduci Johannis Caramuelis Episcopi Viglevanensis *nova Metaphysica dialecto*, aliqua libris divinis mire accommodata specimina excerpta sunt in Actis Eruditorum Lipsiensibus A. 1683. *pag.* 533. 534.

III. Neque tandem quicquam nobis rei est cum voculis technicis, quæ præter catholicum usum analyticum, supplendis textuum sacrorum ellipsibus aut emphasibus explicandis sunt sigillatim idoneæ; ut, quod Paulo χαίρω, οὐχ ὅτι &c. 2 *Cor.* 7:9. inquiente, ἁπλῶς aut ἀπολελυμμένως, vel *Rom.* 11:6. τὸ *nihil tertium* subauditur. Nam plurium exemplorum conquisitione propria levavit nos unius versionis Montensis inspectio, quæ locum 1 *Thess.* 5:9. ita reddidit Gallice, hoc est, in lingua philosophismorum patientissima: *Dieu ne nous à pas choisis pour estre* des objets *de sa colere*; ipso hactenus approbante ejus censore, Teliero Jesuita Parisiense *in observ. pag.* 56. si nomen hujus verum nuper nobis prodidit Prior Bollevillanus vel rectius famosus Richardus Simon *in responso Hollandis quibusdam opposito. c.* 15. Vide, si placet, in Janseniana illa versione plura hujus notæ *Matth.* 1:21. *Luc.* 4:23. *Rom.* 3:27. 9:9. 14:1. *Gal.* 4:30. *Ebr.* 2:11, 14. 5:5. 7:23. 13:21.

§. IV. Sed in præsentia earum unice dictionum organicarum sylvulam quandam comparare suscepimus, quæ intra ipsos Novi Testamenti fontes habentur; ita tamen ut Philosophismos eos *in manifestos & occultos* qualitercunque distribuere, salvo adhuc nostro proposito liceat. Nam & qui latent, iis in sedibus, quibus latent, revera sunt. Quid per manifestos intelligamus, explicatu haud opus est: occultos autem hic nominamus illos, qui in derivato quodam nomine vel verbo composito delitescentes, solicitius excutiendi sunt, ut videre infra §. 8. 10, 20. licebit. Illis primum primariumque locum tribuere lex jubet naturæ: hos illorum interserere catalogo, cum facto justo indicio confusionis metum injicere queant nullum, sintque paucissimi, quid vetat? Utrisque vero philosophismis permiste recensendis, grammatica potius, quam alphabetum vel recepta librorum sacrorum series ordinem datura quomodocunque est, nisi quod interdum unius notionis occasione, vicinam quandam aliam commodæ brevitatis causa complectemur.

§. V. Ut itaque à neutro genere ordiamur articuli protactici τὸ hunc è docentibus Philosophi sæpissime materialiter, ut loquuntur grammatici, seu ὁρικῶς per casus omnes usurpant, ut nemo non novit, qui vel Porphyrii isagogen orga-

numque Aristotelicum inspexerit. Quin & in morali materia Hierocles, Philosophi cognomen in ipsa prætura Alexandrina adeptus, cum explicare vellet monitum Pythagoræ σέβε ὅρκον, incipit τὸ δὴ σέβε ὅρκον: nec non Epictetus *c.* 5. *Enchiridii*, πρόχειρον ἔσω τὸ διότι ὐδὲν πρὸς σε *c.* 31. τί λέγεις τὸ ἀθέσθαι; His contendimus inductionem Pauli longe nobilissimam *Rom.* 13: 9. τὸ ὐ μοιχεύσεις, ὐ φονεύσεις, ὐ κλέψεις, ὐ ψευδομαρτυρήσεις, ὐκ ἐπιθυμήσεις, καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολή, ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιῦται, ἐν ΤΩ ἀγαπήσεις τ̃ πλησίον σε. Simili ratione τὸ σήμερον *Ebr.* 3: 13. accipitur: quippe quod Apostolus præposito signo didactico lectorem ad illud ipsum σήμερον *vs.* 7. ex vetere testamento allatum revocat. E magno doctiorum Patrum numero unius Chrysostomi loca quædam exegetica allegabimus: τὸ ἐν χριςῷ Ἰησῦ τῦτο ἐςίν. ὅρα, πῶς πολλαχῶς τὸ ἐν ἀντὶ ΤΟΥ διὰ ὐ ἐςι. ὐκ ἄρα ἔλαττον τῦτο ΤΟΥ διά. *homil.* 2. *in* 1 *Cor.* τὸ διὰ τῦτο μὴ νομίσεις ἐλαττώσεως εἶναι. τὸ γὰρ, ὅπε πέλε, πνεῖ, τῦτο ἐςι κατασκευαςικόν. *homil.* 29. τὸ ἐφρυρέμεθα *ad Gal.* 3: 23. Etsi vero vim hujus articuli pronominibus bene exprimere Latini solent; quo hæc spectant Tulliana: *ubi est* illud *semel? ipsum illud peccare, quoquo te verteris, unum est. quod est isthuc* vestrum *probabile?* nam & Hesychius ΤΟ ἀντὶ ΤΟΥ τῦτο poni affirmat, ipsiusque Pauli pleonasmus *Rom.* 13: 9. ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ, ἐν ΤΩ ἀγαπήσεις confirmare istam observationem videtur: Linacer tamen Donati notam super illud Terentii *egone dicam?* affert ita commentantis, ΤΟ *ego emphasin habet. Quæ ratio*, pergit Linacer characteris Aristotelici in docendo æmulus, *si in multis servaretur, non parum claritati conferret. l.* 6. *de emend. p.* 474. Enimvero sæpe Philosophi ipsi isthuc suum τὸ omittunt, ut cum quid prædicari dicunt *in quid* vel *quale*, hoc est, in τὸ ἐρώτημα quid vel quale est? vel Porphyriana potius constructione, ἐν τῷ τί ἢ ποῖον ἐςι, quam Damascenus *c.* 5, 9, 17, 18, 19, 20, 22, 23, 25, 27. sequitur.

§. VI. Hunc in censum an referri quoque possit locus *Ebr.* 2: 8. ἐν ΤΩ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ πάντα, ὐδὲν ἀφῆκεν αὐτῷ ἀνυπότακτον, haud equidem in magno ponamus discrimine. Quia enim ex universali propositione affirmante *vs.* 6, 7. è *Ps.* 8: 7. allata, Paulus quasi negantem ἰσοδυναμίας beneficio deducere aggreditur, sensus alius non est, quam iste: ἐν τῷ λέγειν, ἢ λέγεσθαι (nam sic & *Ebr.* 3: 15. 8: 13. plene legitur) ἢ λέξαι, πάντα ὑπέταξας. Qualem fere textum & *Rom.* 13: 9. qui ter repeti meretur, & in jambis Euripidis, Æscylum ceu tautologum insectantis, apud Gellium *N. A.* 13: 13. observavimus:

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἴσχυλος,
Ἥκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ, καὶ κατέρχομαι.
Ἥκω δ' ταυτόν ἐςι ΤΩ κατέρχομαι.

Tantum vero abest, ut trahere huc audeamus locum *Phil.* 2: 6. nisi quis Paulum isthoc suo τὸ εἶναι ἴσα θεῷ ad aliud Scripturæ dictum respicere probaverit, ut potius vulgarem hic agnoscamus Græcismum, quo, verbi causa, τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν, & ἀνθρώπων ἄρχειν apud Xenophontem *Cyropædiæ initio* unum idemque sunt. Si quæ tamen exempla certiora præterea desiderentur, maluerimus τὸ ἐκ μέρυς ex 1 Cor. 13: 10. quatenus refertur *ad vers.* 9. & τὸ ἀνέβη ex *Ephes.* 4: 8. sistere.

§. VII. Nondum omnia de binis hisce literulis diximus, utpote quæ in illo Pauli pronunciato: Christus est è patribus, τὸ κατὰ σάρκα *Rom.* 9: 5. ejusmodi serviunt restrictioni, quam alibi in sacris præter *Rom.* 1: 15. facile non reperias. In Petrina equidem homilia *Actor.* 2: 30. ipsa hæc formula pariter legitur, nec incongrue Paulinæ dialecto comparabitur; quod & à viris doctissimis dudum factum est: hoc modo interest, quod confutari ad oculum rigidissimus disputator non possit, qui τὸ ad ἀναςήσειν, regente verbo ὀμνύειν retulerit. Pasorem *Rom.* 1: 3. quoque τὸ κατὰ σάρκα in apographo quodam legisse oportet, ut liquet inspecto ejus Lexico: quod unum sequi si tutum foret, exemplum profecto accederet omni exceptione superius. Præter hunc enim alios ita legere, nobis non constat. In primo equidem loco *Rom.* 9: 5. vim syncategorematis exprimere conatus est Arias Montanus superstitiosus in multis metaphrastes, *quod secundum carnem*, id est, quantum ad carnem, quod ad carnem attinet: Gisbertus Voëtius vero, qui *de explicatione & prædicatione formularum restrictivarum in Theologia* Dissertationes conscripsit duas, secundæ *selectarum disputationum* parti *à p.* 362. usque ad *p.* 402. insertas, ut congestis tot tricis scholasticis vix aliquot Scripturæ phrasium προσδιοριςικῶν meminit, sic de nostro loco tam insigni plane conticere sustinuit. Neque nos, quod fatemur ingenue, à tantis hic instructi sumus opibus, quantas harum rerum cupidus exposceret, haudquaquam tamen dubitantes, quin aliis multæ lectionis viris eæ suppetant, quandoquidem hic articuli usus, Græci idiomatis naturæ in aliis exemplis τὸ κατ' ἐμὲ, τὸ ὅσον ἐπ' ἐμοί, τὸ κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, non repugnat, & per τόδε vel τῦτο, aut surrogato articulo hypotactico, ὅ, ὅτι commode explicari potest. *Quod in me fuerit*, dicere ipsi Latini non abhorrent, quorum quidem autoritatem spectasse Ariam Montanum, vel pro eo prætendi posse dubitamus. Hoc autem dum censemus, nondum Hortensii, qui Augustini vixit tempore, Petri Bembi, Nosoponi personati, Johannis Petri Maffeji, Sebastiani Castalionis aliorumque ejus generis aristarchorum similes haberi volumus, qui partim divina Ciceroniane scribi expetierunt, partim quod ea Ciceroniane versa non essent, habuerunt despicatui.

§. VIII. In nominibus deinde enarrandis auspicabimur ab αἴτιος ex *Ebr.* 5: 9. ubi Christus Jesus legitur esse αἴτιος σωτηρίας αἰωνίυ, *caussa* æternæ salutis, seu, ut philosophismis alio typorum genere distinctis vertit in N. T. Erasmus Schmidius, caussa *efficiens & exhibens*; cui Carolus Rapinus Gallus *in epistolæ hujus paraphrasi, exemplarem, finalem & materialem sive objectivam caussam* (utrum commode, an minus, nostra non magni refert) addidit. Caussam efficientem, Græcis τὸ πιῦν ἢ τὸ ποιητικὸν ἢ τὸ δραςήριον αἴτιον vel sine adjunctione τὸ αἴτιον appellatam, dicere, quam non renuant Latini, supersedemus probare; ut potius doctissimum virum Oxoniensem episcopum Johannem Fell nuperrime fato functum, in interpretanda Athenagoræ apologia, αἴτιον ποιητικὸν καὶ δραςήριον *caussa efficientis*, quam *principii activi* notione cum Suffrido Petri efferre merito maluisse putemus. Cæterum quatenus ἡ αἰτία firmam statuendi aut concludendi rationem significat, non occulte modo & involute nomen id habetur in verbo προῃτιασάμεθα *Rom.* 3: 9. quod vulgatus interpres *caussati* vel *præcaussati* sumus (longe purius Erasmus Roterodamus, Osiander, Gerhardus, *ante causis redditis ostendimus*) reddidisse advertitur, sed manifeste etiam & evolute *Ebr.* 2: 11.

§. IX. Ἀναλογίαν *Rom.* 12: 6. quam in genere Cicero primus *proportionem* reddidit, & Quintilianus *id, quod dubium est, ad aliquid simile, de quo non quæritur, referre*, in rem præsentem commode definit, *ut incerta certis probet lib.* 1. *Instit. cap.* 9. Philosophiæ subsidio non minus ac τὸ ἀναλογίζεσθαι *Hebr.* 12: 3. explicari omnino debere, quicquid sit de variis exegetarum sententiis, nequaquam ibit inficias, qui vel unius Danhaueri *hermeneuticam sacram à pag.* 366. *usque ad pag.* 380. perlegerit. Neque quisquam mirabitur, vocem hanc ex mathesi in organon cum tempore fuisse transsumtam, cui *terminorum, medii, extremorum, componendi, dividendi, colligendi, circuli apodictici, figurarum, numero differentium, adæquati, directi* &c. vera denominatio unquam innotuit. At ut infra §. 17. redibit nonnihil de nostri exempli ἀναλογίᾳ cognatis dictionibus denuo commentandi occasio, ita vel solam commendatam à Paulo κατάληψιν τ̃ πλάτυς καὶ μήκυς καὶ βάθυς καὶ ὕψυς *Ephes.* 3: 18. claro esse indicio, quam tum frequens, vel in populo docendo, stylus mathematicus fuerit, commonuisse semel sufficiat.

§. X. ΑΝΤΙΘΕΣΕΙΣ τ̃ ψευδωνύμυ γνώσεως, *oppositiones* falsi nominis scientiæ 1 *Tim.* 6: 20. occurrentes quod attinet, illi magis interpretes novum nobis philosophismum suppeditant, qui aut scepticas contradicentium objectiones, πρὸς ἃς ὐδὲ ἀποκρίνεσθαι χρὴ cum Theophylacto, aut ipsorum hæreticorum Cadmeas inter se pugnas cum Grotio intelligunt, quam qui vel Gnosticorum duo adversa sibi numina, vel Simonianam veteris & N. Testamenti antithesin notari tradunt. Quod si cui è prioribus sententiis alterutra videtur probabilior, (directa enim hujus ipsius veritatis cura aliam cathedram desiderat) non manifestius modo exemplum ipsum, sed & *thesin* simul seu *positionem* in antithesi comprehendi sensu dialectico, promtius confessurus est; quo & in ipsis D. Lutheri Germanicis Bibliis clare legitur, **sie verstehen nicht was sie sagen / oder was sie setzen /** 1 *Tim.* 1: 7. Neque multum fallemur, si & è C. Nepotis, Hellenismis plenissimi historici, præfatione, omissis jam aliis testimoniis, illud: *apud nos humilia ponuntur*, huc advocarimus. Subnectere autem aliquid de ἀντέπω, ἀντιλέγω, ἀντίκειμαι, ἀναντίρρητος, ἀπολογία, aliisque vocabulis thesi vel antithesi sensu respondentibus, nihil nunc necesse est.

§. XI. Hinc provehimur ad locos *Ephes.* 1: 19. 3: 7. quibus δύναμιν & ἐνέργειαν invicem sic differre B. Johannes Musæus arbitratur, ut illa notio actum quendam primum, effectricem nem-

nempe potentiam, hæc actum secundum, hoc est, stylo vulgari, efficaciam denotet. *in Introd. p. 559.* Nihil vero nobis cum Hieronymo Zanchio est, quem ut reprehendere nolumus, quod ἰσχὺν κράτος καὶ ἐνέργειαν *Ephes.* 1: 19. ad analogiam distinctionis philosophicæ inter δύναμιν φυσικὴν, ἕξιν & ἐνέργειαν explicare conatus est, sic ab affectatæ subtilitatis crimine, quod nonnulli objiciunt, liberandum aliis relinquimus. Etsi quoque sunt interpretes, qui *Ephes.* 4: 16. ἐνέργειαν per vim intus agentem seu δύναμιν ἐνεργουμένην, eodem permanente dicti ipsius usu, explicant; quemadmodum complures Theologi in articulo de majestate humani Christi naturæ in operibus divinis, ἐνέργειαν operandi facultatem faciunt: vir tamen ille laudatissimus Musæus, nisi plane fallimur, ad tenendam hic significationem superiorem eamque tritiorem proclivior videri voluit. *part.* 1. *Tr. de Ecclesia p.* 78. 107. Galeno sane auctore *l.* 2. *de crasibus cap.* 5. ἕτερον μέν ἐστι τὸ κατ᾽ ἐνέργειαν, ἕτερον δὲ τὸ κατὰ δύναμιν, & Suidæ ἡ ἐνέργεια definitur ἡ τελειότης τῆς δυνάμεως. Huc accedit Chrysostomus *ad* 1 *Cor.* 15: 26. scite pronuncians, mortem nunc quidem τῇ δυνάμει, τῇ ἐνεργείᾳ autem illa demum vita ineunte iri abolitum: ac poterat eandem distinguendi rationem celeber hic exegeta adhibere *ad Gal.* 4: 1. cujus sensus subauditis istis scholæ Latinæ nominibus absolvitur, *quamdiu hæres est parvulus, nihil* actu secundo *differt à servo, etsi est* actu primo *dominus.* E. Christianis, qui Damasceno *l.* 2. *O. F. cap.* 23. *&* *l.* 3. *c.* 15. *Isag. c.* 8. *l. de forma hominis ad imaginem Dei facta p.* 490, 491. *dial. de Manichæorum hæresi p.* 535. plus hic & plenius prodesse queat, nos quidem novimus neminem. Illud Athenagoræ philosophi Atheniensis *in apologia*, ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ΕΝ ΙΔΕΑ ΚΑΙ ΕΝΕΡΓΕΙΑ, Suffridus Petri reddidit *in forma & actu*, Oxoniensis *in idea & efficacia*: quam in rem jungi merentur spectabilis hodie Decani L. A. Rechenbergii nostri notæ exquisitissimæ *p.* 80.

§. XII. Sed quoniam δυνάμεως vox ab oratoribus etiam recepta, facultates omnes ambitu suo complectitur, merito commeminimus loci 1 *Cor.* 14: 11. ἐὰν μὴ εἰδῶ ΤΗΝ ΔΥΝΑΜΙΝ ΤΗΣ ΦΩΝΗΣ, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος. *si nesciero* vim vocis, *ero ei, qui loquitur, barbarus.* Græco convenientius, nec minus probato vocabulo vim *potestatem* dixeris, κατὰ συνθήκην ex instituto ac impositione significantem. Quæ cum scitur à docentibus servaturque, λόγον constituit εὔσημον *vs.* 9. sermonem *significantem* (nam signa rerum voces sunt, ante quas rerum species in mente existere oportuit,) cui φωνὴν ἄσημον καὶ συγκεχυμένην præter Damascenum *c.* 5. *dialect.* opponit Diodorus Siculus *l.* 1. *Biblioth. f.* 8. *edit. Rhodom.* qui & *sequente libro f.* 39. utramque notionem pariter conjungit: γράμμασι χρῶνται insularii Taprobanenses κατὰ μὲν ΤΗΝ ΔΥΝΑΜΙΝ ΤΩΝ ΣΗΜΑΙΝΟΝΤΩΝ. Hinc Plato dialectum universim definisse nonnullis creditur σημεῖόν τι κοινὸν ἑρμηνευτικόν, & Aristotelis liber περὶ ἑρμηνείας, grammaticæ philosophicæ titulum dudum consecutus, doctrina ejusmodi *signorum* nititur; ut adeo neminem facile exempla desideraturum credamus. Audiamus tamen philosophari Chrysostomum *super vs.* 9. οὔτε τέχνη φανεῖται, μὴ ὑποκειμένης ὕλης, οὔτε ὕλη μορφοῦται, μὴ ἐπιτεθειμένου τοῦ εἴδους. τίθει τοίνυν τὴν μὲν φωνὴν ὡς ὑποκείμενον, τὴν δὲ σαφήνειαν ὡς εἶδος, οὗ μὴ παρόντος οὐδὲν ὄφελος τοῦ ὑποκειμένου. quod ita vertit Gentianus Hervetus: *neque ars apparebit, nisi sit subjecta materia: neque informatur materia, nisi imposita sit forma. Pone ergo formam quidem* (*vocem* legendum est) *tanquam subjectum, claritatem autem tanquam formam, quæ si non adsit, subjecti nullus est usus.*

§. XIII. Commode nunc sequitur ἕξις *Ebr.* 5: 14. id est, *habitus*, ut bene reddunt, sua quisque lingua, Arias Montanus, Erasmus Schmidius, Maresius, Montenses: quandoquidem ut Clemens Alexandrinus τὴν θεοπρέπειαν definit ἕξιν τὸ πρέπον τῷ θεῷ σώζουσαν *l.* 7. *Strom.* ita Cicero ipse virtutem *animi habitum l.* 2. *de invent.* nuncupat, Cicero, inquam, qui Græcos philosophos ore Latino primus loqui decore multorum judicio docuit. Ac ut noologicam insuper hanc esse notionem demonstremus, Platoni veritas ἕξις est ἐν καταφάσει καὶ ἀποφάσει, cujus loco Apostolus isthic dicit πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ: Siracides *vs* 3. *prologi* habet ἱκανὴν ἕξιν περιποιησάμενος: & Diodorus Siculus de Græcis μεγάλην ἕξιν εἰς τὴν ἀστρολογίαν περιποιοῦνται, de Ægyptiis & Æthiopibus, ἐκτικῶς ἕκαστα ἀναγινώσκουσι, *l.* 2. *&* 3. *f.* 115. *&* 145. Quin reliqua contextus sacri *Ebr.* 5: 14. verba suaviter τῇ ἕξει respondent. Nam quod τελείων is habitus est, hinc Theophylactus hunc in locum describit τὴν τελειότητα καὶ παγιότητα, generatimque philosophi habitum à *dispositione*, seu, ut ait Cicero, progressione distinctum δυσμετακίνητον, δυσμετάβλητον καὶ χρονιώτερόν τι circumscribunt. Γυμνασιῶν mentio, quæ à Paulo injicitur, eleganter convenit cum illo Aristotelis, διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως *Rhet. I.* 1. 3. & Andronici Rhodii, ἡ ἐνέργεια τὴν ἐλλείπουσαν ἕξιν ἀναπληροῖ τῆς ἐνεργείας. *paraphr. pag.* 475. ἡ ἕξις καὶ τὸ ἀντικείμενον ἀπὸ τῆς δυνάμεως εἰς τὸ ἐνεργεῖν προάγουσι τὴν ἐνέργειαν *p.* 465. nec alia de causa B. Lutherum credimus, vulgatæ editionis exemplo, habitum interpretatum esse die Gewonheit. Antecedentia textus nostri, quæ de pædia loquuntur seu institutione, & consequentia tandem illustrare egregie potest antecessor ille, qui Institutionum juris Græcam dedit paraphrasin, Theophilus: *ne teneriores adhuc adolescentium aures per difficiliores has traditiones offendamus in ipsis Institutionibus, operæ pretium esse duximus, hæc prius tractare separatim, ut subtiliorem postea & exactiorem doctrinam* ἐκπαιδευθέντες λοιπὸν, καὶ ἐν ἕξει γενόμενοι *accipiant l.* 2. *T.* 20. §. 3. nisi mavis audire nostrum Chrysostomum, qui sequentia notavit *ad Gal.* 3: 24. ὅταν ὁ νέος ἐν ἕξει γένηται, ἀφίσταται λοιπὸν ὁ παιδαγωγός *f.* 1006.

§ XIV. Unum difficultatem quandam habere nonnullis videtur, quod allato ad Ebræos loco perfecti Christiani legantur διὰ τὴν ἕξιν habere τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα: at nihil obstat, quo minus & τὰ αἰσθητήρια ex noologia, quam vocant aliqui, explicemus analogice de intelligendi & dicendi facultate. Nam præter textus alios *Luc.* 9: 45. *& Phil.* 1: 9. in ipsius Platonis, quo alioqui nemo diligentius à νοητοῖς separavit τὰ αἰσθητὰ, definitionibus, αἴσθησις est ψυχῆς φορὰ, νοῦ κίνησις. unde Latini etiam *sensus*, *sensoria*, *sentire* ad animum, Græcorum imitatione, passim referre amant: ut Vulgata Biblia taceamus, quæ τὸ ἀνόητοι *Galat.* 3: *vers.* 1. vertunt *insensati.*

§. XV. Ὑπόστασις demum, sive *substantiam* sive *personam* significet, in metaphysica utique, lexico hodie philosophico, sedem habet, & *Ebr.* 1: 3. legitur, adeoque alterutro isto sensu ἔγγραφος à nobis etiam pronunciari potest. Nam quem sensum & eum germanum certo credere pia mens debeat, persuadere ex analogia fidei, venerandi Theologorum ordinis est, cui quoque soli castigandum permittimus profanum istum Aristobulum, qui Dissertatione quadam *de incertitudine metaphysicæ*, dialogis familiaribus superiore anno Amstelodami Gallice scriptis, pessimo consilio inserta, manifesto offendiculo ipsam simul sententiam Pauli perstringere ausus est. *p.* 295, 343, 344. Ipsis enim Socinianis delicatior collocutor iste, quem è Remonstrantium numero Ebrææque linguæ doctorem esse fama fert, observabitur, Racoviano nempe Novi Testamenti interprete, & Jeremia Felbingero, quibus vocabula Wesen / Unterstand / Unterständigkeit usurpata ibi sunt absque fastidio. Duo autem ad nostras curas jure pertinere videntur. Unum est, quod si ὑπόστασις *Ebr.* 1: *vers.* 3. *personam* notat à *substantia vel essentia* distinctam, istud non tam etymi efficaciæ tribuendum est, quam usui, & ut Suidas perspicue hactenus loquitur, τῇ ἐκκλησιαστικῇ καὶ ἀποστολικῇ παραδόσει. Unde nullum inter οὐσίαν & ὑπόστασιν discrimen intercedere κατὰ τὴν θύραθεν σοφίαν, Theodoretus agnoscit *dialogo* 1. *adv. hæreticos*, qui ἄτρεπτος inscribitur, cui cum fructu Damascenum *cap.* 29, 30, 39, 42, 43, 44, 45. *Dialect.* junxeris. Nec nisi Grammaticæ autoritas Augustinum forsan movit, ut *lib.* 5. *cap.* 8. *de Trin.* Latinam suam phraseologian Græcæ antetulerit. Confer, si lubet, Petavium *T.* 2. *Dogm. l.* 4. *cap.* 9. & Suicerum *T.* 2. *thesauri Eccl. f.* 1395. *sq.* 1495. *sq.* tametsi Nazianzenus causam in Latinæ linguæ στενότητα καὶ ὀνομάτων πενίαν *orat.* 21. rejiciat. Alterum, quod veluti corollarium quoddam observamus, est: quod non raro falli eos accidat, qui philosophismos scriptorum intellecturi ad solam etymologiam respiciunt; ut jam à Luthero *disput. quod in Christo duæ naturæ sint*, *a.* 1543. *habita* §. 17, 18, 19. animadversum, & exemplis non paucis ostendi posset. Nisi præterea novum *hypostaseos* significatum, eumque à Mathematicis, ut apparet, transsumtum, quo Græci τοῖς κατ᾽ ἔμφασιν τὰ καθ᾽ ὑπόστασιν, hoc est, vera apparentibus opponunt, referre licet. Nam sic lucis nonnihil accedit, præter 2 *Cor.* 9: 4. 11: 17. loco *Ebr.* 11: 1. quod jam in lexicis observatum est, cuique textui jam olim scholion hoc adjectum reperimus: ἐπειδὴ τὰ ἐν ἐλπίσιν ἀνυπόστατά ἐστιν, ὡς τέως μὴ παρόντα, ἡ πίστις οὐσία τις αὐτῶν, καὶ ὑπόστασις γίνεται. Aliter paulo Chrysostomus *ad Ebr.* 3: 14. τί ἐστιν, ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως; τὴν πίστιν, δι᾽ ἧς ὑπέστημεν, καὶ γεγενήμεθα καὶ συνουσιώθημεν. An Macarius M. *Petri Possini thesauro ascetico pag.* 140. Jesum τὴν ἐνυπόστατόν τε καὶ ὄντως ἀλήθειαν superiore sensu appellet, inquirant alii: hic temperare nobis ægre possumus, quin τὸ ὑποστατικῶς φιλῶσαι Polybii historici gravissimi subjungamus,

quod

quod est aliis *affirmate*, Suidæ ὑπομονητικῶς & καρτερικῶς dicere.

§. XVI. At cum jam à nominibus alio transeundum sit, quæri adhuc posset, num in sacris quoque libris *abstracta* extent philosophica, vel ad philosophicæ exemplum licentiæ formata? Suidas sane *voce* ΥΠΟΣΤΑΣΙΣ nomen θεότης ἢ θειότης *Rom.* 1:20. cum ἀγγελιότης seu, ut rectius legitur, ἀγγελότης & ἀνθρωπότης, hoc est, interprete Æmilio Porto, *cum angelitate & humanitate* comparare videtur. quo multum confert nobis D. Augustinus: *divinitatem vel ut sic dixerim, Deitatem; nam & hoc verbo jam nostros Latinos non piget, ut è Græco expressius transferant id, quod illi* θεότητα *appellant l.* 7. *C. D. cap.* 1. nec non Gennadius Scholarius *in homologia:* ἡ ἀνθρωπότης ἡ θεότης. Plutarcho quidem in commentarii de *virtute morali* initio χαριεντότης, ἐσθλότης, μεγαλότης, καλότης, Chrysippea nempe abstracta, παρὰ τὸ χαρίεντα, τὸ ἐσθλὸν, τὸ μέγαν, τὸ καλὸν deducta, styli pœnas dedere; quæ quo forent speciosiores, Guilielmus Xylander *à gratioso gratiositatem, à bono bonitudinem, à magno magnitatem, ab honesto honestitudinem* reddidit: sed & à Plutarchi scopo is aberraverit, & nimia scepticorum mollitie laborare censendus fuerit, qui hinc μεγαλειότητα, vocem in sacris non inusitatam, ceu impuram, despexerit. Neque vel tantillum ideo pudet nos πρᾳότητος, (nam & hanc ibi sæpiuscule legimus) quod Aristoteles isti nomini ex sola analogia dedisse autoritatem videtur, σχεδὸν, inquiens de extremis mansuetudini oppositis, ἀνωνύμων ὄντων αὐτῶν, τὸ μέσον πρᾶον λέγοντες, τὴν μεσότητα ΠΡΑΟΤΗΤΑ καλέσωμεν *l.* 2. *Nicom. cap.* 7. *conf. l.* 4. *cap.* 11. quam in fingendis asciscendisve vocibus modestiam non satis, ut debebat, expressit, quin & plane utrobique prætermisit Andronicus Rhodius *in sua paraphrasi.* Ea ratione, ut in orbitam redeamus, plura facile hujus notæ vocabula abstracta, è Novo Testamento conquiri possent, præsertim si neutra adjectivorum pro substantivis nominibus positorum connumeres.

§. XVII. Nos inpræsentia ad verba, ferente sic nostro ordine, progredi malumus, in iisque primum veram emphasin evolvere τοῦ λογίζεσθαι, vel revolvere potius. Quis enim philologorum ignorat, verbum hoc *Rom.* 3:28. *Hebr.* 11:19. *coll.* 2 *Cor.* 10:5. alibique satis obvium, ex usu Arithmetico, quicquid est de ipso etymo, à dialecticis ascitum; quorum fontium indicia non contemnenda in sacris etiam *Phil.* 4:8, 15. *Luc.* 16:2. apparent? Idem judicandum de compositis συλλογίζεσθαι, quod verbum Latinis dedit suum *colligere* & διαλογίζεσθαι. Argutari, per nos licet, dicatur Grotio judice, qui *Luc.* 20:5. Pharisæos συλλογίσασθαι πρὸς ἑαυτοὺς legi, non λογίσασθαι, ideo putaverit, quoniam dilemma ἢ τὸ διοσῶς λαμβανόμενον φρόνημα in mente hi convolverint; nam & simplex ἐλογίζοντο *Marc.* 11:31. in eadem habetur historia: nobis tamen solicita originum indagatio vitio hic à nullo æquo lectore verti facile potest. Illa vero concludendi instrumenta διότι, διὰ τοῦτο, διὸ καὶ, δῆλον ὅτι, δηλονότι, ἐξ ἀνάγκης καὶ, nec non alia vocabula noologica διακρίνειν, συγκρίνειν, διαλέγεσθαι, διανόημα, ἀποδεῖξαι, συζητεῖν & quæ sunt reliqua, jam in vulgus nota sunt. Sic παραλογίζεσθαι est subdola supputatione maleque subducta ratione fallere (ut ex illo Luciani constat, ἀποκερδαίνειν παραλογιζόμενον τὰ προθυμία) & deinde inani, quo recte sentientes sensurive turbantur, uti ratiocinio; etsi hoc ipsum nomen Latini ad numerorum tractationem proprie referunt. Πάθη τῶν ῥητόρων παραλογίζεται τὴν δικαστῶν γνώμην, Sextus Empiricus inquit *l.* 2. *adv. Mathem. f.* 78. Et vero Scriptura duabus vicibus in paralogismum invehitur, unum quasi practicum *Jac.* 1:22. alterum quasi theoreticum *Coloss.* 2:4, 8. ad quem quidem locum ultimum Chrysostomus parum habet, quod huc pertineat, *in explicatione* tamen *epistolæ ad Galatas sub initium* de pseudoapostolis censet: οὐ λέγοντες τὰς αἰτίας παρελογίζοντο τοὺς ἀφελεστέρους: contra *homil.* 83. *in Matth.* verbum institutionis SS. cœnæ ἀπαραλόγιστον vocat signantissime, λογισμοῦ καὶ ὄψεως κυριώτερον.

§. XVIII. *Luc.* 10:30. occurrit locutio, quam suspendere hic in trutina ideo operæ pretium est, quod è dialecto dialectica omnium optime illustranda, nec cuilibet forsan lectori obviam est. Qui enim ibi, quæsumus, est ὑπολαβὼν εἶπεν, quam: *assumpsit* Jesus quæstionem legisperiti, & *suscipiens vices respondendi* (Lucæ Brugensis & Francisci Vatabli supplementa sunt) dixit parabolam; quo pacto disputans assumit opponentis argumentum vel disceptationem accidit. Respici autem hoc participio ὑπολαβὼν ad docendi genus parabolicum, quod assumtivis, ut scholæ hodiernæ vocant, syllogismis affine est, nemo facile consenserit. Vulgatus interpres reddidit: *suscipiens dixit*; neque, credimus, incommode. Nam & apud Virgilium poëtam tersissimum Anchises Æneæ F. voto ita fari fingitur *VI. Æneid. v.* 718.

Suscipit Anchises atque ordine singula pandit.

Beza, Piscator, Drusius, *excipiens sermonem ejus* habent, Livianam dictionem. Nam in illo ejusdem vatis, *excipit Ascanius*, quod nonnemo *ex Æneidos IX.* 258. absolutam significationem probaturus affert, *excipere* magis est *sermonem interrumpere vel interpellare.* Erasmo Schmidio alicubi placuit *subsumens*, Græcæ compositionis intuitu: quod vocabulum vulgo frequentatur hodie, cum propositio syllogismi minor recitatur ab argumentantibus, minor, inquam, quam προσλαμβανόμενον & πρόσληψιν veteres sat multi dixere, unde oritur illatio seu conclusio. Nam etsi major propositio *lemma* interdum vel *sumptio* propter excellentiam dicitur: ambas tamen præmissas lemmatum titulo Aristoteles passim dignatus est. Quid? quod testimonia reperias, quibus minor sola *assumtionis* aut *assumti* nomine à majore dirimitur. Præter Quintiliani locum *l.* 5. *c. ult.* Hieronymus doctissimus ille pater *ad Paulin. Jobus*, inquit, *omnes dialecticæ leges propositione* (majore), *assumtione* (minore), *conclusione* determinat: & ad Paulum Urbanum: *Apostolus sæpe proponit, assumit, confirmat atque concludit; quæ propria artis dialecticæ sunt.* Sane in syllogismo illo hypothetico, aut, si cum Apulejo Platonico verbum è verbo volumus, substitutivo *Gal.* 3:18. quo remoto consequente, omissa tamen ipsa conclusione, tacite removetur antecedens, particula δὲ non secus ac *autem* quandoque apud Latinos, manifeste servit epanalepsi consequentis, logica qualitate ea, quam prius habuerat, exuendi. Ut νυνὶ δὲ, νυνὶ δὲ *jam vero* Joh. 15:24. Rom. 3. vers. 21. 1 Cor. 12:18, 20. 15:20. aliasque simpliciores assumtiones didacticas, beneficio conjunctionis ἀλλὰ *atqui*, (quam in syllogistica connexione prodesse, allato formæ quantumvis Galenicæ ratiocinio Theodorus Gaza probat *in Grammat.*) multoties susceptas, nunc prætereamus.

§. XIX. Verum ut eo, quo dilapsi sumus, revertamur, peropportune incidit non Platonis modo, Xenophontis, Plutarchi, aliorumque profanorum scriptorum hinc inde ita loquentium auctoritas, sed illud etiam sacrosanctum systema disputatorium liber Job, quo LXX. Interpretes τοῦ ἀντιλαμβανομένου assumtioni, exceptioni, retorsioni, τὸ ὑπολαβὼν λέγει vel vicies, initio plerumque capitum, præfixerunt. Ut autem bona eorum sententia est, qui hoc in usu verbi metaphoram inveniunt: sic hoc ipsum à Philosophorum re quasi publica adeo non alienum est, quæ jam aliis affectis tropo vocibus, *generi, speciei, materiæ, formæ, accidenti, influxui, restrictioni, abstractioni, intensioni, conjugatis, in suo genere*, & quis numerum inire cogitet? propriam quasi civitatem largita est. Neque aliud de acceptione verbi nostri noologica, quæ itidem in sacris occurrit, sentire liceat. Si enim κατάληψις à rebus, quæ manu prehenderentur, Zenoni dicta est, teste Tullio *l.* 1. *quæst. Acad.* cur de ejusdem originis notionibus dubitemus, quæ dici non potest, quam abundent in Stoa maxime, quarum indiculus quidam *ex Idea philosophiæ Epictetica* uno abhinc lustro à præside disputationis hujus delineata, contexi posset. Sed ad portum sensim respicere jubet orituri metus tædii.

§. XX. In particulis itaque, quarum exempla adhuc subnectenda sunt, τὸ ὄντως occultum τοῦ ὄντος *entis* philosophismum (ut tractatione multa molliamus novum nomen) utcunque præbeat. *Enter* scholastici ac glossarii quidam more suo transtulere. Quin & si, quod sensere Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Theophylactus, Damascenus, Suidas, Camerarius, Beza, Castalio, H. Hopfnerus, Pasor multique alii, ἐπιούσιον *Matth.* 6:11. componitur ab ἐπὶ & οὐσία, nomine παρὰ τὸ εἶναι dicto, teste Damasceno *cap.* 39. *dialect.* poteramus superioribus paragraphis latentem istam vocem organicam eruere. Etsi vero sententia hæc apertæ inscitiæ convicta nondum fuit, ut persuasum aliquibus est: potius tamen faciemus in adverbio affirmandi proposito ὄντως periculum. Nempe quoniam vera vel falsa propositio per copulam EST vel NON EST effertur aut efferri apta est, hinc τὸ ὂν καὶ τὸ οὐκ ὂν Græcis compluribus, gentilibus & Christianis non *ens* modo fuit hodiernæ considerationis metaphysicæ, sed, quod vel lexicographi dudum adverterunt, logicæ, ut hoc falsum, illud verum quoddam pronunciatum denotaret. Græcissare ergo non frustra videbuntur multi scholastici etiam inscii, cum suo non-ente complexe sumto, ente per se, hoc est, vera per se propositione, aliisque suis flosculis.

§. XXI. Ner-

§. XXI. Nervose valde τὸ ὄντως per φύσει *Gal.* 4: 8. exprimitur, ubi idola jam alibi à Paulo *nihil seu non-entia* appellata, vocantur οἱ μὴ φύσει ὄντες θεοὶ, quod est, οἱ μὴ ὄντως ἢ ἀληθῶς ὄντες θεοὶ, *nuncupative*, *non etiam substantive* dii, quæ sunt S. Bernhardi adverbia. Quo quoque sensu concilii Ephesini patres anathematismo tertio, duarum in Christo naturarum unionem φυσικὴν vocasse intelligendi sunt, ut ipsi Cyrillo Alexandrino &, aliis hypostatica ea unio, ὀυσιώδης, hoc est, verissima &, explicante Damasceno *l.* 3. *O. F. c.* 3. κατ' ἀλήθειαν καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν facta, appellata fuit; ne de homine Christo, Dei Filio *naturali*, memoremus multa. Horum haud dubie exemplo factum est, ut ad occidentales quosdam scriptores ejusmodi locutiones transierint. Fatemur quidem, philosophos aliosque autores, cum de φυσικῇ ἀκολουθίᾳ in demonstrationibus, de Deo φύσει existente, φύσει æterno & quæ reliqua ejus attributa sunt, de cujusque rei natura, constitutione, forma vel substantia loquuntur, amplius quid ac dictum fuit, innuere; quomodo quidam ὑπόστασιν Christianismi intelligunt *Ebr.* 3: *vers.* 14. neque tamen exempla desunt, è quibus nostrum quasi adverbium φύσει explicata hactenus acceptione adhibitum innotescere queat.

§. XXII. Supra §. VII. formularum restringentium meminimus obiter: nunc eæ hic suum sibi locum tribui expetunt. Primo quidem ὡς 2 *Cor.* 3: 5. singulare anadiploseos logicæ, voculis *ut sic* vulgo exprimi solitæ, specimen exhibet, quod B. Philippi Zeisoldi raram industriam *in Logica Sacra* adhibitam subterfugere potuisse miramur: *non sufficientes sumus cogitare aliquid* ἀφ' ἑαυτῶν ὡς ἐξ ἑαυτῶν *a nobis*, *quasi ex nobis.* Non obesse multum isti, ut Chrysostomus appellat, διορθώσει credimus, quod non utrinque ἐξ ἑαυτῶν, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, sed ἀφ' ab initio, ἐξ in altero membro, augendæ emphaseos gratia, legitur. Ejusdem reapse generis repetitio, alterius tamen elocutionis, locique *Matth.* 10: 41, 42. extat. Deinde ὅτι, quod *Joh.* 5: 27. legitur, partim διορισικῶς pro καθότι sumi, post nostrum librum concordiæ *pag.* 776. agnoscit adductis aliis testibus B. Gerhardus *part.* 1. *confess. cathol. l.* 2. *spec. art.* 2. *c.* 1. *p.* 269, 283, 286. Ad locum vero 1 *Joh.* 3: 9. quo ὅτι bis *quatenus* connotat, unus itidem Scherzerus *in collegio antisociniano*, immortalitate dignissimo opere, *pag.* 283, 341, 796. omnium instar sit. Neque eo quis felicius veram Christi Domini mentem *Luc.* 16: 8. expresserit, qui laudem iniquo œconomo ibi tributam eatenus intelligit, ὅτι φρονίμως ἐποίησε, *quatenus prudenter fecerat*, inique neutiquam. Eadem ratione particulam *quod* Latinis in usu fuisse, dubitantem docebit Linacer *l.* 2. *de emend. pag.* 98. & Buchneri thesaurus à Cl. Christophoro Cellario nuperrime revisus. Porro ἐφ' ὅσον *Rom.* 11: 13. vel ut quædam legunt apographa, ἐφόσον, sive μέρος subaudiatur sive χρόνον, κατὰ σάρκα *Rom.* 1: 3. 4: 1. 9: 3, 5. 1 *Cor.* 1: 26. 10: 18. similesque loquendi rationes cum præpositione κατὰ constructæ, nec non ἐκ μέρους, ἀπὸ μέρους 1 *Cor.* 13: 9. 2 *Cor.* 1: 15. 2: 5. indicari duntaxat, non demonstrari copiose volunt; quorsum etiam pertinet μέρος τι 1 *Cor.* 12: 18. ubi κατὰ omittitur, loco κατὰ μέρος τι *secundum quid.* Cui formulæ vicinissima est illa comparans 2 *Cor.* 3: 10. ad Latinos deinceps & Germanos propagata, ἐν τούτῳ τῷ μέρει, hoc est, commentante Chrysostomo, κατὰ τὸν συγκρίσεως λόγον, κατὰ σύγκρισιν, τῷ τῆς συγκρίσεως λόγῳ, & 2 *Cor.* 9: 3. Καθ' ὅσον ἢ καθόσον, cui Chrysostomi, Piscatoris, Sebastiani Schmidii judicio respondet κατὰ τοσοῦτον *Ebr.* 7: 19, 22. 1: 4. *in quantum*, *in tantum* (quas interpretationes promptius tueri confidimus, quam quis Ariæ Montani *ad quantum Rom.* 11: 13.) formulæ sunt encomiasticæ & ætiologicæ. Ἐφ' ᾧ *Rom.* 5: 12. quod attinet, ut ipsissimam literam *in quo* deferamus, nulla nos adigit necessitas.

§. XXIII. Nihilo tamen secius rapit nos in peculiarem sui contemplationem, tum Paulina propositio 1 *Cor.* 12: 27. cujus vera mens è cognita diversitate sensus collectivi & distributivi peti debet: *vos* collectim & sylleptice sumpti *estis corpus Christi*, *membra vero* ἐκ μέρους, particulatim, distributim & diæretice partem ecclesiæ constituentia, ut plura adhuc ejus generis delibare licet è B. Musæi *Tr. de ecclesia part.* 1. *pag.* 69. tum τὸ κατὰ ἄνθρωπον λέγω *Rom.* 3: 5. cum paraphrasi Theodoreti, οὐκ ἐγὼ ταῦτα λέγω, ἀλλὰ τοὺς τῶν ἄλλων τεθεικα λογισμοὺς, & Theophylacti animadversione, ἀντίθεσιν εἰσάγει τοιαύτην, ὡς τινῶν λεγόντων-αὕτη μὲν ἡ ἀντίθεσις. λύει δὲ αὐτὴν πανσόφως καὶ ἀντιστρόφως. Quotque etiam recentiorum verba Pauli proxima μιμητικῶς & vitandæ blasphemiæ suspicionis causa, adscripta censent, hunc *ad hominem*, non ex sua ipsius mente argumentatum fuisse indicant; ut hic adeo locus iterum quendam, quicunque is tandem fuerit, spiret philosophismum. Dabunt autem æqui censores nobis veniam, quod exemplorum aliorum luce destituti, aliena orare auxilia, assensionemque hactenus suspendere malumus, tametsi nihil absurdi illa secum ferat sententia; aut susque deque habenda sit. Chrysippi Stoici locutio apud Plutarchum *in commentario repugnantiarum Stoicarum T.* 2. *Opp. f.* 1041. qua τὰ κατὰ τὸν ἄνθρωπον καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, τοῖς ὑπὲρ τὸν ἄνθρωπον ἢ ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, rebus homine ejusque captu superioribus opponuntur, huc nequicquam pertinet. Hodie quid communi usu sit argumentum κατ' ἄνθρωπον *ad hominem*, obliquæ nempe *inductionis* species, quam Cicero 1. *de invent. ratiocinationi* directæ opponit, quaque adversarii animum in adversarium nobis sumimus, notius nihil est: sed ea quidem ratio sola neminem in conjiciendo turbaverit, qui quid *sorites*, *disparatum*, *inductio*, multæque notiones aliæ olim, quid nostra valeant tempore, probe norunt. Quid? quod & in hac ipsa phrasi nostra superiore nondum sæculo idem, qui hodie utplurimum obtinet, sensus solus definitus est, ut è Rodolphi Agricolæ philosophi elegantissimi *inventione dialectica l.* 2. *c.* 15. *edit. Matthæi Phrissemii* colligi potest.

§. XXIV. Vix eluctari limitationum Biblicarum catalogo posse videbimur, quippe quod his accenseri adhuc debet effatum illud, *nihil cibi esse immundum* δι' ἑαυτοῦ *per se* Rom. 14: 14. A vulgata, quæ se omisso reddidit *per ipsum*, nihil, quod mirum forte putaveris, Arias Montanus discessit: sed causa conjicimus est, quod hic in Græco suo codice legit δι' αὐτοῦ, cum S. Chrysostomo, qui ad hunc locum τὸ δι' αὐτοῦ per τῇ φύσει, alii κατὰ τὴν φύσιν, κυρίως, καθ' ἑαυτὸ, ἐν αὐτῷ, κατ' οὐσίαν, ἐκ φύσεως, παρὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, eo, quem ad finem §. XXI. indicavimus, φύσεως sensu explicant. Sed, quod magis miremur, Theophylactus suo hic præter solitum deserto Chrysostomo nobiscum legit, si editionis Londinensis niti fide integrum est, δι' ἑαυτοῦ, τουτέστι, τῇ ἑαυτοῦ φύσει. quam usitatæ & Latinis Philosophis ejusmodi adjunctiones fuerint *per se ipsum*, *suapte natura*, *natura*, *ex se*, Severino Boëthio *sui substantia*, sequioribus aliis *naturaliter*, nec non versus allati capitis vigesimi partem πάντα καθαρὰ, qua *per se* dissimulatur, illustrare, tanta in luce veremur.

§. XXV. Quidsi præterea textum *Luc.* 16: 8. *filii hujus seculi prudentiores filiis lucis sunt* εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, loco *in generatione sua*, verbo philosophis tritiore verteremus, *in suo genere?* Non certe gavisi nihil sumus, cum jam pro vero receptam opinionem Lucæ Brugensis, Bezæ, Castalionis, Piscatoris, Erasmi Schmidii & Salomonis Glassii suffragiis daretur colligere; quicquid de Hebraismo est, quem alii hic inveniunt. Observavimus insuper in ipso *oratore* Ciceronis: *quid est*, *quo præscriptum aliquod aut formulam exprimas*, *cum* in suo *quodque* genere *præstet*, *& genera plura sint?* etsi & istud porro notandum, Græcos in hujus vicem formulæ conduplicationem interdum sufficere, ut: cum Hierocles supra laudatus Pythagoræ carmina aurea, vocari aurea judicat διὰ τὸ, ὡς ἐν ἔπεσιν, ἄριστα εἶναι; οὕτω γὰρ καὶ χρυσοῦν γένος λεγομεν τὸ ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις γένεσιν ἄριστον, *quod*, interprete Johanne Curterio, *in suo genere optima sint*; *sic enim & aureum sæculum dicimus*, *quod in hominum ætatibus fuit optimum p.* 7.

§. XXVI. Tandem siquis *Rom.* 9: 25. Dei decretum propheticum legerit, καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου, Hebraismum quidem ex *Hos.* 2: 23. rursus adduxerit optime; quo pacto בְּלֹא־כֹחַ *Thren.* 1: 6. מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *Psal.* 43: 1. LXX. interpretes transtulerunt ἐν οὐκ ἰσχύι *in non robore*, ἐξ ἔθνους οὐχ ὁσίου *de gente non-sancta*: nec tamen figuræ *hyphen*, quam ex hujus generis usu ampliore salutare philosophicam possis, commeminisse obfuerit, quandoquidem ibi etiam duæ voces, una categorematica, altera syncategorematica per virgulam maccaph ὑφ' ἓν coalescunt. Ut autem non omne hyphen, sic nec ideo dictiones cunctas vinculo maccaph unitas, philosophismos ausimus dicere. Nihilosecius ab ista construendi ratione, quæ ad Aristotelis ὄνομα ἢ ῥῆμα ἀόριστον pertinet, cujusque jam exempla dedimus, titulus iste vix abjudicari potest. *Iste* non dolendi *status non vocatur voluptas.* *Si* non dolere *voluptas sit summa*, non esse *in voluptate dolor sit maximus*, de Epicuri disciplina apud Tullium *lib.* 1. *de fin.* disseritur similiter. confer *Rom.* 4: 17. & adhibito discrimine *Ebr.* 11: 3. Dantur adhuc apud philosophos vocum compositiones aliæ, neque diffitemur, sabbatum δευτερόπρωτον *Luc.* 6: *vers.* 1. quod ipse Erasmus Roterodamus *secundo primum* transtulit, ad se nos primum con-

convertisse paululum. Ac profecto si Johannis Cloppenburgii sententia vera est, πρῶτον anni Ecclesiastici, δεύτερον civilis anni intuitu, distincte dici illud Sabbatum, parum abest forma nominis à *neutro passivis*, *motibus* Scholasticorum *secundoprimis*, *Dissertatione Philologico-Theologica*, ut dicere multi solent. Ast & cum res ipsa sit impeditissima, & exempla probatorum auctorum, quod scimus, desint, neque etiam eo dilabi instituerimus, tacere, quam fluctuari equidem malumus. Plura docebit dies.

§. XXVII. Atque hoc est, Lectores faventissimi, sacrum qualecumque anthologion Grammaticæ Philosophicæ, & libamentum breve, quod an philosophicum jure merito nuncupari queat, æstimare vestrum est. Equidem contra forsan primo adspectu niti existimabuntur viri illustres & pie eruditi non pauci, quorum judicia aliquot, cum reipsa belle nobiscum conveniant, ad verbum exscribere veremur, ne vel videamur ab iis dissentire, quos observamus ex debito, vel tanta nomina levioribus controversiis immiscuisse putemur. Sunt qui ipsum Paulum, qui τὴν ἔξω σοφίαν πολὺς philosophismos tantum non omnes nobis præbuit, usum iis ullibi fuisse negant. Verum enimvero veram illorum sententiam, è summo tractationum scopo, hoc est, ex suo ipsorum interpretari judicio condecet. Sunt, qui, cum de prima ac perpetua Patriarcharum docendæ religionis methodo agerent; quæ simplicissima cum fuerit, humillima ac clarissima, & ab Apostolis, non Philosophorum scholæ, sed universo hominum generi loquentibus, pariter acceptata: in Paulo utique & aliis divinitus afflatis scriptoribus methodum philosophicam seu scholasticam reperire minime potuere, cujus tenebras secuto tempore partim hostium versutia, partim otiosa ac simplicitatis tædio capta ingenia, totve è philosophis & gentilibus rhetoribus Christiani facti, Ecclesiis in Oriente pariter atque occidente, una cum variis καινοφωνίαις κενοφωνίαις τε, sensim obtruserunt. Quam parce contra, sine ulla tamen μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, sparsi sint in Novo Testamento philosophismi, iique Scripturæ finem salvum una cum luce sua simplice relinquentes, vel ex his, quos attulimus, (etsi omnes non attulimus, quos theorematis nostri latitudo admisisset) apparere cordatis confidimus. Vocabula enim, utcunque res habeat cum interspersis scholiis, memoravimus media & ejus generis, quæ linguæ Græcæ aptitudo, *quæ ratio, quæ consuetudo vel sine libris technicis & Græcorum methodo afferebant sponte.* Ac adeo, ceu par est, cum summis illis atque doctissimis viris omnino negamus ipsi, scriptores sacros, toties in διδακτοὺς ἢ πλαστοὺς ἢ κενοὺς λόγους τῆς σοφίας ἀνθρωπίνης καὶ τῶν πεφυσιωμένων, λογομαχίας τε invectos, philosophorum linguam affectasse; qua hos equidem hodie Malebranchius, oratorii Parisiensis pater, in asceticis suis opusculis facit loquentes. *Erubescere* cum Augustino *in spec. peccat. cap. 6.* jubemus ipsi *elatione occæcatum, cui plus placet ars Aristotelis, quam scientia de Apostolis, quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, cui nullus sermo sapit, nisi fuerit Grammatice conceptus & dialectice imaginatus.* Si quas linguæ dialecticæ voces didacticas divini hi doctores usurparunt communiter, causa fuit, quod sive ad captum essent accommodatæ, sive quod late paterent, & usus, res his in rebus tunc multo valentissima, eas, tempore Græcis literis benignissimo, juris quasi publici fecisset; eas, inquam, cujus farraginis nonnullæ in Hesychii & Suidæ lexicis, alio certe fine conscriptis, sparsæ sunt. Ut vero nec ista lexica aut alii libri non philosophici, quorum testimonia quædam data opera hactenus commiscuimus: ita nec sacri Christianorum libri, dictionum ejusmodi, natura, sensu vel frequentiore saltem usu philosophicarum ideo habere temperamenta desinunt.

§. XXVIII. Quæ autem Græcorum secta Paulo collegisque suis vocabula ea transsumenda dederit, inquirere velle eo ipso vanum forsan foret nomine, quo & vulgata quasi traditione & communia fuisse affirmavimus. Olim quidem pagani, dicente Augustino *l. 2. de doctr. Christ. cap. 28. Platonis lectores & dilectores ausi sunt dicere, omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse*: verba vero significantiora eum ejusque discipulos indidem hausisse, neminem ideo statuisse meminimus, quod in libris Platonicis Stoicisque consentiens interdum Scripturæ phraseologia est. Forsan ejusmodi vocabula ad Aristotelem velut ad fontem suum referentur: verum ut huic admirandi ingenii viro suam omnino ac peculiarem dialectum alicubi fuisse agnoscimus, ita si diligenter circumferamus oculos, ac præcipue ejus philosophiæ fata, recentissime à Renato Rapino Jesuita Gallo *in comparationibus magnorum ex antiquitate virorum* post Johannem Launoium & Johannem Gerhardum Vossium repetita, ad scriptorum Novi Testamenti tempora comparemus, næ magnus is plerisque & sibi ipse Apollo futurus est, qui sibi aliisque persuaserit. Haudquaquam hanc principatus gloriam Aristoteli tum invidebimus, philosopho nunquam à nostris, hæreticis scilicet, indigne habito aut formidato, quæ Romanæ familiæ Theologorum criminatio est, sed iniquissima; quando eorum quidam fassi ipsi sunt, ut illo ad enervandam masculam illam ac succiplenam philosophiam, ad sanctissimæ disciplinæ opprobrium, commendandaque inconditarum vocum & rancidorum erotematum vepreta, scholasticorum tetrica turba abusa sit.

§. XXIX. Neque tamen cum barbaris istis spermologis universos doctores Ecclesiæ, si cætera sint paria, confundimus, qui aliis adhuc philosophismis præter eos, quos è sacris numeravimus hactenus, nullaque ideo barbarie laborare sumimus, in Theologia tradenda & defendenda indulserunt; ut sentiunt fanatici, morosi quidam Philologi, omnesque ii, qui logicam Ecclesiæ finibus proscribi volunt. Hac de causa sæpius Chrysostomum in arenam produximus, cujus passim in exegeticis ascita Philosophemata Græca, Libanium Sophistam Atticis mellificiis assuetissimum, ab illius amore honoreque revocare nequiverunt. Ac proinde misere falluntur omnes, quibus voces philosophicæ & barbaræ uno plane eodemque loco sunt ac numero; non minus ac ii, quibus Biblia quæcunque Latina idcirco movent nauseam, quod non Ciceroniana sunt. Cur vero ea in re Latinis longe feliciores Græci fuerint, quibus præterea plura semper licuerunt; quibusque velut gradibus thronum ascenderit Theologia Scholastica, exponere nostrum jam non est: si cui vero de constituendis scholæ vocum finibus scire quid collibuerit, hunc ad L. A. Rechenbergii supra laudati Dissertationem *de loquendi eruditorum licentia*, ejus bona cum venia remittimus.

§. XXX. Restat, ut respondeamus iis, quibus forte vana ac inutilis opera nostra videbitur. Etsi enim libenter suum cuique de nobis permittimus calculum, ac fatemur prompti, publica luce dignas cogitationes elaborari ab aliis rectius: liceat tamen verbo monere, quam satis bene cum studiorum nostrorum fine Theologico specimen hoc Academicum quamvis Grammaticum cohæreat. Commode quippe responsum illud incidit, quod filio Isaaco Casaubono, cum notas in Diogenem Laërtium, primum ingenii sui fœtum publicasset, parens vir Ecclesiasticus dedisse legitur: *mi fili, laudo tuum studium, verum hoc scito, rem gratiorem mihi facturum, si vel unum dictum Sacræ Scripturæ difficultatibus aliquibus obstructum explicueris, quam si mille profanorum scriptorum loca depravata correxeris.* Credimus utique, luxuriantibus homulorum ingeniis parum oblectari Deum, qui potius lege sua sacrosancta parvulos ad vitam sapientes decrevit efficere: sed eundem illum Patrem sapientissimum *magnifice adeo Scripturas modificasse*, ut oratores, quod delectet, philosophi, quod intellectum exerceat, Grammatici, quod observetur, in iis abunde inveniant, inficias ire quis audeat? Satis ergo habemus, si Philologiæ Sacræ, nulla sui parte infructuosæ, sobrie admovisse manus existimabimur; quam ut Patronus literarum OPT. MAX. una cum cæteris studiis humanioribus, & maxime cœlestis verbi sui thesauro inæstimabili, ad usque finem mundi, contra quosvis insultus, salvam in simplice veritate perstare jubeat, comprecamur.

M. JOH.

M. JOH. ERN. GERHARDI
DISSERTATIO I.
AD
N. T. SYRIACUM.

Q. D. B. V.



Nnus nunc est ipse quartus, quod Variantes N. T. Syriaci Lectiones ex antiquissimo Syriaco IV. Evangelistarum Cod. MS. in instructissima Bibliotheca Academica Altdorffina, ceu insigne κειμήλιον suo qui adservatur merito, collegi. Illas sepositas hactenus cum jam rursum perlustrare, & quibus in locis laudatus ille Codex editis libris melior sit deteriorve, observare, induxerim animum; observationes etiam illas, sive Exercitationes, suasu & auctoritate magnorum aliquot ac eruditissimorum virorum, quibus vel quidquam denegare, summum duco mihi nefas, publ. συμφιλολογούντων በሕሎ፡ጰምለክ፡ censuræ submittere, non operam me lusurum vel, ut Arabum habet proverbium, صر دسا قي حديد بارد i. *ferrum frigidum me percussurum* confido, si quæstiones quasdam præliminares præmisero memor scitissimæ Rabbinorum gnomæ, quæ בפ״א R. Jacobo adscribitur, & à Rambam de præparatione ad vitam æternam explicatur, הַתְקֵן עַצְמְךָ בִּפְרוֹזְדוֹר שֶׁתִּכָּנֵס לַטְּרַקְלִין׃ id est, *præparate in vestibulo, ut intrare possis in triclinium.* Esto igitur

QUÆSTIO I.

Cujus ævi sit Paraphrasis N. T. Syra.

MArcum Evangelistam, D. Petri Discipulum & sectatorem, *non modo suum Evangelium*: (quod *Bellarminus* primitus *Latine* scriptum tradit, & *Baronius* A. C. 45. n. 41. rationibus quibusdam *ad idem adfirmandum*, *obstrictum se* fatetur, aliis Pontificiis contra adfirmantibus, *extra controversiam pene esse*, *idem illud Græca lingua fuisse scriptum*, & hanc *constantissimam apud omnes veteres auctores fuisse opinionem.*) *sed & cæteros omnes N. T. libros lingua patria* h. e. *Galilæa Syrave transtulisse*, Syros ex avita traditione credere, ex *Guilielmo Postello*, litteris hoc ei significante, monet docetque nos *Guido Fabritius Boderianus*, Præfat. ad N. T. Syr. Non vero inclutus ille & πολυγλωττότατος Jurisconsultus *Joh. Albertus Widmanstadius*, quod per insignem memoriæ lapsum illi tribuit acerrimus Jesuita, *Adamus Contzen* quæst. 5. procem. super Comm. in 4. Evang. pag. 9. Hæc utut sese habeant, prout ex *Postelli* relatione tradit *Fabritius*, nescio sane, an inde statim sequatur, illam Paraphrasin Syram, quæ hodie doctorum teritur manibus, à Syris *D. Marco* Evangelistæ adscribi, quod haut obscure adserunt, ac confidenter scribunt (ex hac unica, quod puto, *Postelli* relatione) viri auctoritate & doctrina gravissimi. *Postellus* siquidem, quantum ex verbis ejus, à *Fabricio* adductis colligere ac perspicere licet, non expresse refert, Syros hanc, quam nunc possidemus, paraphrasin Syriacam *Marco* Evang. adtribuere, sed nude adserit: *Syros ex avorum traditione adfirmare*, *Marcum tum suum Evangelium*, *tum cæteros omnes N. T. libros lingua patria h. e. Galilæa Syrave transtulisse.* Firmat me in opinione isthac *Vergerius*, qui lib. 3. contra Card. *Hosium* commemorat, *quod quæsierit Mosen Meridinæum*, *quemnam putaret scripsisse lingua Syra Novum Testamentum*, (id nim. quod arte typographica in Europa hoc & seculo superiori miris modis multiplicatum est, ad quod & *Moses* ille *Meridinæus*, ex Mesopotamia Sacerdos, Romam Legatus s. orator fuit missus, ut nim. Testamenti Syri volumen, prelo excusorio multiplicatum in Syriam transportaret) *ipsum vero respondisse*, *auctorem se ignorare.* Ignorasset, puto, nullus, si avita illa Syrorum traditio, de illa, quæ jam in eruditorum manibus est, *Widmanstadii* cura primitus in Europa typis excusa, N. T. paraphrasi ageret. Certe qui Syriaca verba, quæ etiamnum in textu Græco authentico leguntur, cum illo contulerit sermone, quo Syra N. T. paraphrasis constat, fateri cogetur, non exiguam inter hunc illaque esse diversitatem. Alia itaque Dialectus quamvis utraque Syra, fuit tempestate Christi, in his terris visibiliter degentis & Apostolorum; alia tempore illo, quo Syra hæc N. T. paraphrasis fuit adornata, prout egregie hoc ostendit egregius Philologus *Barthol. Meyerus*, cui addi potest *Cornel. à Lapide* præf. ad Comment. in epist. ad Ebr. Miratio hinc subit, esse, qui vel *ab Evangelistis*, *vel Apostolis Apostolicisve viris* (intelligendo nim. per *viros Apostolicos* Apostolorum discipulos, qui immediate eos audivere. Si enim per *viros Apostolicos* illos Ecclesiæ Doctores volunt intellectos, qui seculis aliquot ab Apostolorum tempestate remotis floruere, calculum nostrum libentes nos illorum adjicimus sententiæ) *versionem hanc profectam esse*, autument. Quos, si nullæ rationes aliæ, quæ sane suppetunt haut contemnendæ, vel hæc unica ab illa sententia dimovere propemodum deberet. Nec possumus nos satis etiam mirari, qui *D. Marcus*, quod Syros adserere, supra ex *Postello* percepimus, omnes N. T. libros, atque adeo Johannis etiam Evangelium, patria hoc est, Syra lingua transferre potuerit, cum, teste *Hieronymo* & *Eusebio*, *Marcus VIII. Neronis anno ex humanis fuerit sublatus*, (recte hic quoque *Baronius Dorotheum Tyrium* arguit erroris, *sub Trajano D. Marcum martyrium subiisse*, scribentem) *Johannes* vero ὁ τοῦ Χριστοῦ ἀγαπητὸς, jam senex, occasione enatarum *Cerinthi* & *Ebionis* hæresium, post reditum ab exilio, Evangelium suum rogantibus Asiæ Episcopis, *Coccejo Nerva* Imperii habenas moderante, & sic triginta prope annis post *Marci* obitum, scripserit: sicuti testantur gravissimi auctores, *Athanasius*, *Hieronymus*, *Epiphanius*, alii, quos merito sequuntur plerique Chronologi recentiores & S. S. Interpp. vid. *Helvicus* Theatr. Hist. *Alstedius*, *Baronius*, A. C. 99. n. 2. Bonfrerius adpend. ad cap. VII. præloq. in S. S. Nec tanti apud nos h. l. est auctoritas Arabis N. T. Interpretis, 30. *annis post adscensionem Christi Johannem Evangelium suum scripsisse*, adserentis. Sed de re hac alibi pluribus. Dum vero nos Syriacam N. T. Paraphrasin ab Evangelistarum, Apostolorum, Apostolicorumque virorum ævo removemus, nolumus inde aliquis concludat, ac si nimis illam habeamus recentem, atque adeo illorum, licet Auctorum gravissimorum sententiæ adstipulemur, qui ex *Vulgata versione ortum eam habere*, putant. Id quidem non existimamus, aliudque nobis persuadent quamplurima dictæ paraphraseos Syriacæ loca, ubi Græcum ea textum secuta, à Vulgato facit divortium, econtra quoque ubi

Vul-

Vulgatus textui Græco insistit, illa ab hoc paullo est alienior. quemadmodum hoc jampridem à magno *Casaubono* & CL. nostro *Dilherro* observatum, ex iis etiam, quæ posthac à nobis in Exercitationibus hisce proferentur, evadet clarissimum. Nos proinde, sicuti Paraphrasin hanc s. interpretationem N. T. Syram nec Græco textui, quo fere collimare videtur insignis Sc. S. Commentator Pontificius, *Franc. Lucas Brugensis* (à quo dum *Jacobus Bonfrerius* præloq. in Script. S. p. 70. discedit, & recte quidem, minus recte colligit; *Verisimilius est*, inquiens, *hanc Editionem* (V. S.) *tempore Apostolorum posteriorem esse, cujus auctor incertus sit, ejusque auctoritatem inferiorem esse auctoritate Latinæ nostræ editionis, vel etiam Græci textus.* Hæc nim. ultima est absurdæ Jesuitarum quamplurium sententiæ, qua vulgatam versionem authenticam esse tuentur, analysis, ut majoris eandem auctoritatis esse tradant, tradere certe cogantur, quam textum Græcum, à Scriptoribus θεοπνεύστοις καὶ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένοις, Ipsorum pontificiorum testimonio, si tamen Euang. Matthæi, Marci, itemque Epistolam ad Romanos exceperis, quæ scripta, quorundam saltim sententia, alia lingua primitus ab Auctoribus sacris traduntur concepta, profectum, æquiparamus; nec ad Antiochenam Ecclesiam primum nascentem, quod *Bonavent. Corn. Bertramus* præfat. in Comp. Ling. Ebr. & Aram. cum eoque *Alstedius* lib. 2. præcogn. cap. 113. non obscure facere videntur, referimus, multo minus authenticam pronunciamus: ita quoque adfirmare nondum audemus, ex vulgata, tot errorum convicta, Syram hanc versionem esse enatam. Id vero haut veremur cum *Tremellio* adserere, quod majori ex parte è Græco illa archetypo fidelissime sit expressa: nec diffiteri etiam possumus, solidissimis nos Viri solide docti, *Johannes Rainoldi* Angli rationibus adductos, ferme putare, Syram N. T. versionem tertio vel quarto jam tum seculo extitisse. Et licet tituli anniversariarum Lectionum in dies Dominicos & festos, aliaque, quæ cum Romanensibus Ritibus novitatem quandam redolent, diversum alicui videantur suadere, nobis tamen antiquitati ejus hæc talia nihil demere, exinde est persuasum, quod ipso Guidone, cui alias non parum hac in re Pontificii tribuunt, fatente, *interjectis nonnullis seculis à Patriarchis Alexandrinis capita istis sectionibus fuerint distincta, titulique*, quibus mire sibi R. E. Pontificuli placent, & in dicta nunc paraphrasi leguntur, additi. Si etiam, quod expresse habet Jesuita *Gretserus*, *S. Antonii & sociorum ejus memoria posterioribus demum temporibus ad religiosum cultum, quo Christiani Sanctos venerabantur, fuit adjecta*, quid obstat, quo minus idem de aliis, Pontificiam quæ redolent idololatriam, quis possit adfirmare? Accedit, quorundam sententia, quod Clarissimus *Fr. Junius* Animadv. in *Bellarm.* controv. p. 449. testatur, *in vetustissimis exemplaribus ne apicem quidem istarum rerum comparere, in recentioribus quoque multis adscriptas esse additiones istas ad finem librorum, idque aliena manu.* Sed cum laudatus Junius non addat, ubi vetustissima illa exemplaria habeantur, (quod enim magnus quidam vir scribit; *annotare Junium, in Heidelbergensi bibliotheca tale esse antiquissimum exemplar, in quo adnotationes de festis manu recentiore in margine sint adscriptæ*, fateor in Junii Operibus invenire me id non potuisse) id quod non immerito urget Jesuita *Gretserus*; Codex insuper Altdorffinus, cujus antiquitatem ipsa ejus inspectio prodit, proindeque à Cons. *D. Fetzero*, qui Damasci à Patre *Michaele Damascino Maronita* illum emtum Bibliothecæ Altdorffinæ legavit, merito suo antiqua Syr. ling. & littera exaratus Codex inscriptus, illas Capitum distinctiones ac titulos manu æque antiqua, qua textus ipse scriptus, rubro colore eidem insertos vel additos agnoscat, nolim ego temere hic *Junio*, salva tamen tanti viri auctoritate, adhibere fidem. De *Vergerii* vero adsertione, quando *à Mose Merid. audivisse* se testatur, *Widmanstadium præter Euangelium Syriaca lingua scriptum, habuisse aliquot folia etiam Syriace, sed quæ ipse Moses fateretur, non fuisse multorum annorum. Et in illis fuisse Indicem, qualem Papistæ solent adfigere editionibus N. Test., quodnam fragmentum legi debeat in die dedicationis Templi &c.* judicent alii, annon odio personæ partiumque studio à *Vergerio* hæc prolata. Nos, quibus veritas unice est cordi, quique jampridem, οὐδὲν ἄπιστον πρακτέον ἢ νικῶν ἕνεκεν è *Luciano* didicimus, *Placentiam* prætervecti, *Veronam* recta tendentes dicimus, ex his *Mosis Meridinai* verbis, si modo illius sunt, quæ ipsi tribuit Vergerius, colligi non posse firmiter, capitum sectiones titulosque textui quoque non fuisse insertos, cum antiqua scriptura, qua tum in editione Viennensi, tum Boderiana in Op. Regio tituli hi exhibentur, illorum vetustatem non obscure arguere videatur. Nec quicquam inde, nostra quidem sententia, Pontificiorum ritibus, contra vel præter Scripturam S. quod alibi à nostratibus Theologis ostenditur, & ab hac Cathedra alienum, excogitatis accedit roboris vel præsidii. Concedamus enim, Ecclesiam Syram aliquot post adscensionem Domini seculis, plus enim tituli hi, N. T. Syro inserti non probant, determinasse certa ac statuta ad jejunia tempora, festos quosdam dies memoriæ Christi & sanctorum destinasse, quosdam etiam templorum dedicationi consecrasse &c. an igitur inde licet concludere, ergo ab Apostolis Apostolicisve viris ritus hi, & quidem sub absoluta quadam necessitate, quique sine salutis jactura ignorari, vel intermitti nequeant, in Ecclesiam sunt invecti & introducti? Nequaquam! Arbitramur vero titulos istos, post adornatam jam versionem Syriacam à Patribus Alexandrinis, εὐταξίας καὶ εὐσχημοσύνης ἕνεκα, ritus quosdam, libere servandos indicantes, fuisse additos. Quæ sententia nec Syræ versionis antiquitati quicquam derogat, nec Pontificiorum traditiones multum quoque roborat. Sed hæc omnia, quæcunque pro difficili hac quæstione solvenda libere à nobis allata, libero etiam aliorum judicio ac censuræ merito lubenterque submittimus. Pergimus ad

QUÆSTIONEM II.

Quis Syram hanc N. T. paraphrasin primus in Latinam transtulerit Linguam.

Laudem hanc habeant Jureconsulti, per eos quod Orientalium Linguarum studium in Germaniam nostram, imo universam pene Europam si non introductum, mire tamen auctum. Manet enim ac manebit, quamdiu lingg. Orientalium vigor, *Johanni Reuchlino* (qui Græco nomine *Capnio* dictus) *Phorcensi Suevo* J. U. D. & *Maximiliani* Imperatoris ac *Eberhardi* I. Ducis Wurtenbergensis Consiliario, totiusque Suæviæ Triumviro, gloria maxima, *primus quod Christianorum*, teste Clarissimo *Buxtorfio*, post *Hieronymi* tempora fuerit, qui Ebraicum studium inter Christianos illustrarunt ac propagarunt. *Theseus Ambrosius* ex *Albonesii* Comitibus, J. U. D. *Papiensis*, tantos in Syriaca Lingua, cujus præcepta ab ipsis Syris *Acurio Josepho* Sacerdote, & *Mose Monacho* Diacono, itemque *Elia Hypodiacono* hauserat, fecerat progressus, ut Syri quoque ejus ingenium & acrem præsentemque in eo labore animum vehementer admirarentur. Quid vero in aliis Linguis Orientalibus idem præstiterit, luculenter docet *Introductio* ejusdem *in Linguam Chaldæam, Syriacam, Armeniacam ac decem alias Linguas, charactere differentes.* Quid nostra etiamnum ætate JCti in Linguarum Orientalium salute promovenda præstiterint & præstent, non opus esse arbitror oratione prolixa. Loquuntur id nimis erudita *Grotii*, *Salmasii*, *Heinsii*, *Mornæi*, *Seldeni*, *Cunæi* &c., omnium Ictorum gravissimorum ac Philologorum excellentissimorum scripta. Ut taceam incomparabiles viros Ictos, D. D. HEINRICUM GUNTHERUM PLATNERUM & JOHANNEM CAMMANNUM, aliosque, quos Lingg. Orientalium non solum Mæcenates egregios, sed & iisdem insigniter imbutos novimus. nunc vero, ut *Plinius* meus alicubi loquitur, partim *modestia eorum*; partim gravissima Reipubl. negotia subtrahunt eosdem famæ. Quorum tamen Imagines tum demum sequaces lambent hederæ, quorumque memoria tum demum vivet florebitque, atque adeo *latius in memoria hominum & sermone versabitur, quando ab oculis illi hominum recesserint*, ut idem nitidissimus scriptor habet. Sed ad *Theseum* revertendum. Hujus piis precibus ac obtestatione apud *Johannem Albertum Widmanstadium*, Ictum & *Ferdinandi* in Austria Orientali Cancellarium, nec non propria quoque laudibus digni immortalibus *Widmanstadii* cupiditate & industria summa primum in Germania, adeoque tota Europa Syriaca N. T. paraphrasis adspexit lucem, typis quidem admodum minutis, ast sat elegantibus. Pollicitus quoque est laudatus πολυγλωσσότατος Ictus *Jacobo Jonæ*, summæ etiam in ἀνατολικῆς γλωσσογνωσίας eruditionis viro, Icto, & prædicti *Ferdinandi* Vice-Cancellario, laudatæ hujus paraphraseos translationem in characteres Ebraicos, quam exhibuisset quoque, nisi maxima tanti viri negotia prohibuissent illud, & mors tandem, ceu dirus nimis Tribunus interveniens omnia consilia ac cogitata intervertisset. Nec Christianus tamen orbis, per duodecim licet annos integros translatione hac & versione in Linguam Latinam caruerit, carere eadem debuit prorsus. Inventi enim sunt Viri Linguæ Syriacæ peritissimi, qui opus hoc

hoc forti animo ac constanti sunt adgressi, lucique etiam dedere. Sicuti vero *hominum natura laudis semper avida est ac gloriæ*; ita quoque tum Pontificios, tum Calvinianos nonnullos, *suæ quod religionis homo primum Latinam Syræ paraphraseos versionem adornarit*, inter se videmus decertasse. Omnium quidem prima lucem adspexit *versio Tremellii*, quippe quæ A. Æ. Dionys. clↃ Ↄ LXIX. typis *Henrici Stephani* prodiit, una cum transpositione litterarum Syriacarum in characteres Ebræos, anno MD. LXV. ut scribit ipse, à *Tremellio* adornata. Tribus post hanc annis, nim. N. C. M. D. LXXI. luci iterum *Latinam* N. T. Syriaci versionem, occasione *Operis Regii* commisit *Guido Fabritius Boderianus è Falesia Normanus*, qui in Præf. ad Lectorem meminit, *quod in studio hoc incredibilibus exantlatis laboribus, adeo ut bis in morbum summo cum vitæ discrimine inciderit, octodecim mensium spatio, anno nim.* MDLXVII. Novi Testam. Syr. in sermonem Latinum versionem absolverit. Manere potuisset sua cuique, quam promeruerant ambo, laus & industriæ sacræ gloria, nisi *Gilbertus Genebrardus* Theologus Parisiensis, divinarum Ebraicarumque litterarum Professor regius, *Tremellio* non solum laudem translationis N. T. S. Latinæ suffurari, sed plagii etiam commissi, quasi versionem *Guidonis Fabritii* surripuisset, proque sua venditasset, accusare fuisset ausus. Hoc enim merito dolenter ferentes quidam Calviniani, inprimis eruditissimus *Rainoldus*, *Tremellium* adficto hoc, ut videtur, crimine liberare, *Fabritiumque* idem illud plagium, *Tremellii* versionem nimis sequendo, & tanquam suam edendo, perpetrasse, probare fuere conati. *Boderianis fratribus Tremellium versione sua præluxisse*, scribit quoque *Fr. Junius* animadv. in *Bellarm.* controv. l. 2. Cap. 4. n. 5. quod verum esse, non levis alicui potest esse indicina, quod *Gretserus*, sat alias in Junio refellendo sedulus, nihil ad illud regessit. Magis equidem crediderim, *Fabritium* potius *Tremellium*, quam hunc illum fuisse secutum, cum *Fabritii* versio anno MDLXXI. Tremellii vero MDLXIX. & sic tribus annis ante illam lucem adspexerit. *Variis* etiam hoc ipsum *conjecturis probari posse*, scribit *Rainoldus* prælect. de libris Apocryphis CXVI. pag. 1464. unicam tn. saltim cit. loco adducit. Dicit *in editione illa* (sc. N. T. Syriaci versione Latina, quæ Operi Regio inserta) *reddi* שאול (scribendum puto שיול) Syriace enim est (ܫܝܘܠ) *sepulcrum*, *ubi ipsi* (Pontificii) *contendunt*, *reddendum esse infernum. Usque adeo*, *ut Pererius dicat*, *impie & absurde in Regiis Bibliis* שאול *redditum esse Sepulcrum.* Locus quem Rainoldus indigitat, est 1 Pet. 3: 19. in aliis enim locis vocem ܫܝܘܠ non ita reddidit Fabritius, ut ipse mirer, cur hoc loco ita transtulerit. An vero ex hoc unico loco conjectura sumi possit, Tremelli versionem nimis esse sequutum Fabritium, in ipso disputationis actu dispiciemus. Reliquas quod adtinet paraphraseos Syriacæ versiones Latinas, illas vel *Guidonis* esse, vel *Tremellii*, auctores consentiunt fere omnes: nisi quod *Antonius Possevinus* è S. J. Adparatus Sacri Tom. 2. p. 452. in voce TESTAMENTI, Syriacæ paraphraseos versionem Latinam tum *Ariæ Montano*, tum *Christophoro Plantino*, typographo Regio adscribere, plane videatur. Dicit enim, *N. T. Syriacam editionem Aria Montano Interprete à Christophoro Plantino Latine redditam prodiisse.* Quod ipsum si de illa versione, quæ Operi Regio adjuncta intelligit, videat, annon contradicat illis, quæ Tom. 1. Adp. S. p. 695. in voce Guido habet. Nescioque ego, an *Possevinus* adsertione hac magis in *Ariam Montanum* itemque *Plantinum* sit benignus, quam in *Guidonem* injurius. Puto tamen, quæ *Jacobus Tirinus Antverpianus* è S. J. in Indice Auctorum, Commentariis Biblicis adnexo, de Bibliis Tigurinis dicit, *non esse ea Stephani*, *quod nisi typographus ille fuerit*, multo melius, certe æque bene ac pari jure de hac socienni sui ex parte sententia posse dici. Laude vero omnino digna prædicti *Tirini* adversus *Tremellium* benignitas, quæ & in Possevino Adp. S. Tom. 2. p. 502. adparet: tribuunt enim *Tremellio*, quod N. T. è Syro in Latinum transtulerit. Quæ ingenua *Tirini* ac *Possevini* Jesuitarum, quod genus hominum omnia alias magna & egregia facta sibi tribuit, confessio, adversus *Genebrardi* calumniam probe à Calvinianis debet notari. Licet enim non in totum adprobemus Arabum illud in Fabulis Locmanni: ان هو يبركي الانسان بشهادة العين بيته به cum sciamus & hanc eorundem elegantissimam gnomam: لا تنظر الي من قال بل انظر الي ما قال به *ne respice ad eum, qui dixit: sed respice ad id, quod dixit.* Nescimus tamen, qui testimonium veritati ab hoste quoque datum maxime gratum sit & acceptum. Sed satis!

ܠܡܫܒܚܘܬܐ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ
ܕܩܘܕܫܐ ܐܡܝܢ ܠܥܠܡܝܢ ܀

DISSERTATIO II.

በስመ፡እግዚአብሔር፡ዘገብረ፡
ሰማያ፡ወምድረ፡

QUÆSTIO III.

Cujus antiquitatis sit Cod. MS. Syrus IV. Evangel. Acad. Altdorffinæ?

Egimus Exercitationis superioris quæstione I. de Paraphraseos Syræ antiquitate, consideratæ *materialiter* sive *in genere*, placet jam nunc de eadem *in specie*, sive prout *formaliter*, uti quidam loquuntur, sumitur, nonnulla subnectere, h. e. de unius alteriusque, *Altdorffini* inprimis, Codicis vetustate instituere sermonem. Hanc vero antequam provinciam adgrediamur, non grave nobis erit, illa, quæ ad calcem Cod. MS. Altd. leguntur cum Lectore φιλολόγῳ communicare. Sunt vero, nisi quid oculos, cum hasce V. L. colligerem, fugit vel fefellit, isthæc: ܐܝܬ ܕܒܟܠܗ ܐܘܢܓܠܝܘܢ* ܦܣܩܐ ܘܡܐܬܝܢ ܘܐܪܒܥܝܢ ܦܘܪܫܢܐ ܡܐܬܝܢ ܘܡܐܬܝܢ ܘܦܬܓܡܐ ܟܠܗܘܢ ܪ̈ܒܘ ܘܬܠܬܝܢ ܘܫܬܡܐܐ ܘܐܫܬܝܢ ܘܬܠܬܐ ܀ Quis non Masoretharum studio simile quid, licet exiguum, (neque enim Masora hic opus, quod rectissime nuper à Præceptore nostro meritissimo, CLmo Dn. *Hackspanio præf. in Lucubr. Franckenth.* dictum, cum versio sit, non textus authenticus, quæ gloria soli textui Græco in N. T. competit, à quo secundum ipsos quoque Pontificios nonnullos, nec *Matthæus Græcus* excipiendus, in adductis verbis deprehendit? Videmus ܕܡܢܝܢܐ (qua tamen voce, nisi corrupte à me illa descripta, nescio quid hic indicetur) numerum; observamus ܕܩܪܝܢܐ s. *anniversariarum lectionum* syllabum; deprehendimus diligentem ܒܚܘܫܒܢܐ computationem. Dissimulare tamen possumus nequaquam, in Lectionum numero adsignando, Codicem nostrum à *Viennensi* itemque *Regio* discrepare, cum hi CCXLVII. numerent, ille vero saltim CCXXXIV. & sic XIII. pauciores. Caussam hujus (verbo utor Lucretii) differitatis indagent alii & forte etiam inposterum nobis dabitur ان شا الله ansa hac de re disserendi. Notamus vero impræsentiarum, sicuti etiam cuilibet Codd. inter se conferenti, evadet manifestum, quod in Lectionum inscriptione s. adsignatione, vel titulis, non quoad verba solum, sed res quoque Codices diffideant. Lucæ 4. Capite, commate 14. editio Regia ac Viennensis talem habent L. notam ܓܙܘܪܬܗ ܕܡܪܢ (cogimur adhibere formam characterum recentiorum ob defectum typorum figuræ antiquæ, quod inposterum quoque notatum volumus) *Circumcisio Domini nostri sc. Christi.* at Cod. noster hanc refert: ܕܨܦܪܐ ܕܪܝܫ ܫܢܬܐ ܘܕܘܟܪܢܐ ܕܐܠܝܐ ܘܕܐܠܝܫܥ ܢܒܝܐ ܀ *aurora seu matutinis horis principii anni* h. e. *anni novi*, *& memoriæ Eliæ ac Elisæi Prophetarum.* Ejusdem capitis commati 31. & seqq. hæc in Cod. præmissa: ܕܪܡܫܗ ܕܥܪܘܒܬܐ ܕܚܡܫܐ ܕܨܘܡܐ *crepusculo Parasceves quinti jejunii.* at Viennensis Regiusque Codd. hujusmodi agnoscunt h. l. tit. ܕܪܡܫܐ ܕܥܪܘܒܬܐ ܕܫܒܬܐ ܀ ܕܗ ܀ ܕܨܘܡܐ ܀ *ad vesperas feria sexta hebdomadis sextæ jejunI*: ut reddit *Fabritius*, vel potius: *vespera parasceves hebdomada quinti jejunii.* Cap. 6. apud eundem scriptorem θεόπνευστον commate 36. in

36. in editis codicibus hic tit. conspicitur: [illegible]
[illegible] *i. ad vesperam quarta feria* (f. Septimana) *præcedente jejunium, ac de patribus.* sed in Cod. MS. talis: [illegible]
[illegible]
Interdum aliæ saltim voces adduntur, vel omittuntur, sic cit. Cap. 5. 12. in Cod. MS. omissa est dictio [illegible] *& martyrum.* Quandoque nova in MS., præmisso titulo f. Lectionis signo; indicatur Lectio, quo loco in Codd. editis Lectio præcedens continuatur. Exemplum est vers. 27. Cap. 5. Evangelistæ hactenus commemorati, ubi in Cod. MS. titulus novus præmissus [illegible] *Dominica IV. post Resurrectionis* sc. festum. E quibus quodammodo liquet, quod non usque adeo certa sit Lectionum norma, quodque Syri non solum ab Ecclesia Romana, sicuti hoc à præclarissimo, nec unquam sine intima mentis veneratione nominando Theologo, Dn. D. *Walthero Off. Bib.* p. 299. notatum, sed à se invicem quoque in ritibus nonnullis discrepent. Quod nos, memores pulcerrimæ Arabum gnomæ: سن دينسا هو محمي الحديد i. *acue, dum calet ferrum*: monere hoc loco voluimus. Adjungemus jam nunc, quæ supra adductis, in Cod. MS. adnexa, littera vero, prout in MS. quoque habentur, recentiori: [illegible]

[illegible]

In quibus recte intelligendis hoc præcipue notari volumus, quod Syri non ab anno Nativitatis Christi, ut nos, sed à *Regno Alexandri* sive *Seleuci*, qui mortuo Alexandro Syria potitus, anno M. C. juxta calculum accuratiss. chronologi *Christ. Helvici*, MMMDCXXXVIII. unde & Græca in libris Hasmanæorum secundum laudatum chronologum orditur æra, h. e. trecentis & amplius annis ante C. N. computum instituant, sicuti id ipsum quoque tradit *Guido Fabr.* præf. ad N. Test. Descriptus igitur fuit Codex, quo de hactenus actum, & deinceps agetur, (vel, quod nos ferme existimamus, exque allatis verbis colligi posse videtur, illius potius Complementum, quod incipit à comm. 48. Cap. 11. Johannis) *anno* Alexandrino, testimonio adductorum hactenus verborum, *millesimo quingentesimo*, h. e. Christiano circiter, *millesimo centesimo septuagesimo tertio*, atque adeo eodem, quo ille quem *Guilielmus Postellus* ex Oriente adtulit, quoque *Guido Fabritius* in Operis Bibl. Reg. Hisp. editione usum se fuisse testatur, Codex exaratus. Ast non de toto Cod. Syr. id quod dixi, adfirmare audeo: sed de illius tantum complemento, quod recentiori exaratum scriptura, cum prior majorque Codicis pars antiqua sit scriptus littera, atque à posteriori sicuti charactere, ita quoque materia h. e. scriptionis subjecto sive charta discrepet. Prior enim, ut hoc κατὰ πάροδον addam, MS. sæpius laudati pars pergameno f. membrana, posterior vero papyro Turcica, cujus conficiendæ rationem tradit *M. Joh. Fabritius Dantisc. Spec. Arab.* pag. 43. constat. Et sane nimis manifestum est, diverso memoratum Cod. quoad priorem posterioremque partem, scriptum esse tempore. Nec dubitatio quoque me habet, priorem Cod. partem antiqua exaratam littera, aliquot annos, si non secula ante quam posteriorem, fuisse conscriptam. Nec annus tantum, (nisi quis *h. l. rotundum numerum f. majorem saltim poni* συνεκδοχικῶς *pro determinato*, *cujus* alias Synecdoches in S. quoque litteris exempla dari, docet *Dn. Glassius* Rhet. S. p. 465. dicere velit) sed mensis quoque ac dies, quo Cod. allegatus f. illius quod malim, complementum exaratum, adductis verbis insinuatur. In quibus etiam ὡς ἐν παραδρομῇ notari volumus, excusationem submissionemque illius, qui descripsit, nec non, si quid in apicibus erratum veniæ petitionem, itemque, quod Papismum redolere alicui videri possit, intercessionis pro patrum istorumque, subsidiarias qui præbuere manus, salute sollicitationem. Quod Æthiopes quoque facere, ex illis, quæ CL. *Lud. de Dieu* adpend. ad Evang. Matth. pag. 548. adducit, quodammodo elucescit. Cum vero, ut hactenus probatum, Codex laudatus MS. sive illius saltim complementum anno Christiano circiter 1173. sit exaratum, inque eodem tituli seu Lectionum anniversariarum notæ eandem, quam ipse textus, præ se ferant scripturæ antiquitatem, negari sane potest neutiquam, ad minimum quarto cum dimidio abhinc seculo ritus illos in Ecclesia Syra fuisse receptos. Num vero originem eorundem Ecclesiæ Romanæ, seu traditionibus avitis, seu quod quidam defendere satagunt, Apostolis, Apostolicisve viris, adscribere debeamus, res profecto perquam difficilis est ac controversa? Si à Syris Maronitis, qui à Syriæ vico *Maronia*, cujus *Hieronymus* Tom. 1. p. 89. meminit, quod *Mayero* Philol. S. prodr. pag. 417. arridet, vel à S. *Marone Abbate*, ac *hæretico*, ut ipsi contendunt, notante Annalium Ecclesiasticorum Parente ad A. C. 1182. n. 4. adstipulante *Wilhelmo Tyrio* ac *Henrico Buntingio* Itin. part. 1. pag. 98. (legitur quidem in *Buntingio* von dem Keyser *Maronæ*, sed crassum nimis est erratum typographicum, à nemine tamen, quod sciam, hactenus observatum, legendumque von dem Ketzer *Marone*) non vero à Syro-Chaldaicis dictionibus מרן אתא, ut quidam teste *Mayero*, volunt, ita nominati, Codicem hunc & quidem integrum profectum esse, probari posset, nec in antiquioribus Codd. Lectionum notæ invenirentur, quorum tamen nullum temere ego adfirmare velim, non vana forsan de titulorum hujusmodi, Ecclesiasticos cumque Romana Ecclesia convenientes, qui spectant ritus, natalibus, è *Tyrii Archi-Episcopi* de Syris Maronitis relatione, sumi posset conjectura. Meminit vero hic, *Maronitas, postquam per quingentos pene annos cujusdam Maronis hæresiarchæ errorem fuissent sequuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab Ecclesia fidelium sequestrati, ad Patriarcham Antiochenum, Haimericum accessisse, & abjurato errore (quod nimirum in Christo una tantum sit ac fuerit ab initio, & voluntas & operatio) ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ fuisse reversos, fidem orthodoxam recipientes, paratos Romanæ Ecclesiæ traditiones cum omni veneratione amplecti & observare.* Contigisse vero hoc circa A. C. 1182. arbitratur *Baronius* d. a. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Quibus etiam quæstionem hanc obsignabimus, si adjecerimus prius, Codicem Syrum N. Test. MS. duplo nostro Cod. antiquiorum, ante nongentos circiter annos exaratum, *Heidelbergensem* bibliothecam celeberrimam, cujus è ruderibus *Vaticana* Romæ non modice aucta dicitur, possedisse, sicuti testatur *Rutgherus Spey Bopardianus*, qui si adnotasset quoque num, & quo charactere tituli in Cod. laudato haberentur, facile sane esset, de *Junii* sententia, supra quæstione II. indicata, ferre judicium.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

Qua Lingua, & quo loco Matthæus Euangelium suum scripserit prædicaritque?

QUamvis ultro largiar, *frustra illos esse, qui idioma, locum, annum immote è paraphrasibus colligunt, quibus Euangelica historia conscripta à singulis sive Euangelistis, sive paraphrastis*, ut erudite recteque judicat Dominus ac Præceptor meus nunquam sine egregio encomio nominandus, Cl. *Hackspanius*, ab instituto tamen meo, quo singula, quæ in Cod. MS. A. sæpius laudato memorabilia, studiosiore mentis oculo perlustro acperpendo, non plane alienum puto futurum, si quid istius paraphrastes seu alius quisquam, qui paraphrasin hanc descripsit, de *S. Matthæi* Euangelio censeat, breviter adnotavero. Est vero in MS. A. Titulus Euangelii Matthæi cum exordio generali talis: [illegible] i. e. *in spe DEI omnipotentis incipimus, quod scribemus Euangelium Sacrosanctum, prædicationis Matthæi Apostoli.* Pro hoc in Viennensi *Widmanstadii* editione, quam fideliter h. l. descripsit *G. Fabritius*, legitur: [illegible] (manifestum hic in Opere Reg. erratum typogr. legitur enim ibi: [illegible]) (iterum hic in opere Reg. error typogr. mendose enim scriptum [illegible]) i. e. *in virtute Domini nostri ac DEI nostri Jesu Christi, incipimus scribere librum Euangelii SSancti, primum Euangelium, Matthæi præconium* sive *prædicationis Matthæi.* Et eatenus quidem Cod. MS. cum editis Codd. hic consentit, quod nec locum, nec tempus, nec scriptionis idioma Euang. Matthæi in limine innuit. contra ac fecit *Arabs* editionis *Erpenianæ* (quæ enim Arabica Euang. versio Romæ è typogr. Medicéa prodiit, ea nec in limine nec fine, ubi, vel quando, aut qua lingua Matthæi Euang. sit scriptum, indicat) quam secutus est *Joh. Fab. Dantisc.* spec. Arab. p. 105. Vir, nomine quidem parvus, judicio vero magnus, *Samuel Petitus* V. L. lib. 1. cap. 12. ita *Matthæi* titulum supplet: אונגליון קדישא כרוזותא דמתי שליחא דאכרז עבראית בארעא דפלסטיני: at fine necessitate. quid enim opus, Codd. Syr. in titulo h. l. supplere, cum in fine Euangel. S. Matthæi satis illi indicent, quod Vir iste Clariss. indagavit. & his quidem verbis noster: [illegible] *Finit scriptio Euangelii Matthæi Apostoli, quod locutus est (protulit) Ebraicè in Palæstina, precatio ejus nobiscum, Amen.* Codd. vero excusi, quos alii Viri docti sequuntur, hunc in modum: [illegible] *finis Euangelii sancti prædicationis Matthæi, quod prædicavit Ebraice in regione Palæstinæ.* Discrepantiam, licet exiguam, videt quilibet. Nos tria saltim in Cod. nostro MS. A. observamus: 1. notanter ab eodem tum hic, tum in calce Euangelii S. Johannis, adhiberi nomen, utrobique in Codd. editis omissum, ܫܠܝܚܐ i. e. *Apostoli*, quo epitheto Matthæus ac Johannes à reliquis Euangelistis Marco & Luca differunt. Ac de Matthæo quidem abunde ex Euangelica historia constat, quod in sanctum illud individuorum Salvatoris comitum collegium à Christo è telonii taberna fuerit adscitus, & una cum reliquis Apostolis ad prædicandum Euangelium in universum terrarum orbem emissus. Idemque indicant prolegomena Arabic. in IV. Euangelistas à Kirstenio luci data, hisce verbis: [illegible] quæ ita Latine reddimus: *quem* (de Matthæo fuit sermo) *post tributum* (sc. collectum s. postquam publicanus fuerat) *fecit* (Christus) *Discipulum ac Apostolum.* Sicuti vero Codex noster discrimen hic indicare voluisse videtur, inter Matthæum Johannemque ac reliquos duos Euangelistas, dum illos ܫܠܝܚܐ, titulo ornat, ita econtra differentiam, quam *Sam. Petito* l. alleg. *Syrus* in recepta hactenus lectione, in dictionibus כרוזותא *prædicatio* & סברתא *Euangelizatio* statuere censetur, negligit. Expresse enim in fine Euangelii S. Marci ac principio Lucæ de dicta Euangelistarum biga כרוזותא nomen prædicat. quid quod Cod. noster verbum quoque ܐܟܪܙ de Marco in Euangelii illius fine adhibeat, ut alibi ζωῇ ȣ Θεȣ̃ παλάμῃ ostendam. Alterum, quod in Codice nostro observandum duco, est, quod pro verbo ܟܪܙ seu ܐܟܪܙ i. e. *prædicavit, promulgavit*, κηρύσσω adhibeat verbum generale ܡܠܠ *locutus, sermocinatus est*, (*protulit*, ut quidam volunt) quod ipsum etiam verbum in Codd. editis in fine Marci, principio Lucæ ac Johannis; nostro vero in fine omnium reperitur, ac modo per ܣܒܪ *nunciavit, prædicavit, euangelizavit*, modo per ܐܟܪܙ *prædicavit, annunciavit*, restringitur, ut alibi pluribus dicetur. Quid, si quis diceret, Codicem nostrum propterea h. l. pro ܐܟܪܙ adhibuisse verbum ܡܠܠ, ut indicet, Matthæum quidem in Palæstina Euangelium suum protulisse h. e. concepisse, at loco alio, nim. in India seu Æthiopia prædicasse. Innuere certe etiam hoc videntur Arabes in *Prolegom. Matthæi* apud *Kirstenium* l. c. nec latere quoque omnino potest Historiæ Ecclesiasticæ peritum, non eodem semper Euangelistas loco, quo in primum Euang. prædicaverant, litteris consignasse, sicuti eleganter hoc ostendit *Sam. Petitus* l. c. pag. 48. Notari denique potest, resectio sive omissio in Codice nostro nominis ܐܬܪܐ ante ܕܦܠܣܛܝܢܐ, forte superfluum à descriptore habiti. nisi quis in eam descendere velit sententiam, Scriptorem Syrum indicare voluisse non totam Palæstinæ regionem, sed regionis dictæ metropolin, *Philistim* secundum quosdam, teste *Kirstenio* adpellatam, & sic specialius locum, ubi S. Matth. Euangelium suum scripserit vel conceperit, ostendere. quod etiam in cæterarum Euangelistarum seu prædicationis seu Scriptionis loco indicando à Paraphraste Syro sive paraphraseos descriptoribus factum videmus. Addunt tamen & agnoscunt omissam hanc in Cod. nostro dictionem ܐܬܪܐ non tantum reliqui Codd. Syri, editionis *Viennensis sive Widmanstadii, Tremellii, Cothenæ* ac *Antverpianæ*, quas sequitur etiam *Lud. de Dieu*, sed & Arabicus N. Test. Interpres, qui Leydæ è typogr. Erpeniana prodiit. Addere hic aliquid possemus de Euangelii S. Matthæi idiomate, quo primum ab eodem conceptum, quod Syri Codd. quibus hac in parte & noster adstipulatur Cod. nec non Arabs N. Test. Interpres apud *Erpenium* ὁμοψήφως Ebræum statuunt; tum etiam scriptionis tempore, quod Syrus N. T. paraphrastes silentii involvit sipario, Arabes vero apud *Kirstenium*, nec non *Erpenium* solicite addidere, nisi ab aliis hæc jampridem inprimis *Lud. de Dieu* ac *Kirstenio* essent pertractata. Non possumus tamen, quin digito saltim adtingamus, quem locum Interpretes, Syrus & Arabs intelligant, *Kirstenius* in vitis Euangelistarum ex Arabico manuscripto probare conatur, Matthæum Euangelium suum scribere tantum cœpisse *in Philistæis* sive *Palæstina*, Syriæ provincia, *Arabiæ* contermina: complevisse vero illud in [illegible] (quam tamen dictionem dubitanter, quamvis si *Joh. Fabritii* interpretamento standum, sine causa, per *Indiam* reddit) *Ebræa*, vel *Ebraice*, ut reddit *Fabrit.* Spec. Arab. pag. 106. Et hanc quidem interpretationem dictio [illegible] nequaquam aversatur. neque enim adeo ratum est in L. Arab., *nomen Accusativi casus adverbiascere*, ut habet *Fabritius* l. c. cui adjunge *Erpenium* Gr. Arab. lib. IV. c. 2. qui aliquot Exempla recenset. Addimus nos, idem vocabulum in hac Adverbii significatione legi Johan. 5: 2. 19: 13. 17. & 20. Atque hanc quidem expositionem facile admittit titulus Matthæi Arab. editionis *Erpenianæ*, nescimus, an similiter prolegomena Arabica apud *Kirstenium*, quod omnino à *Fabritio*, *Kirstenii* expositionem reprehendente, suamque adprobante, demonstrandum esse censemus. Sed hæc pro instituti nostri ratione hic sufficiant.

[illegible]

DISSER-

DISSERTATIO III.

I. N. J.

NOn parum ad Syriacæ N. Test. paraphraseos ſeu verſionis commendationem facit laudemque, quod à magno Philologo juxta ac Theologo, *Dn. D. Salom. Glaſſio* ad Lydium illum lapidem (etſi loco poſtremo) refertur, quo in lectione textus N. T. Græci diverſa diſcerni queat, utra lectio præferenda alteri; quænam ſit rejicienda, quænam vero retinenda? Quoniam autem & in hac verſione lectionis ſeſe offert varietas, quæſtio emergit: quæ lectio hic recipienda ſit, quæ repudianda? (non vero nobis ſermo de tali caſu, ubi utraque, quod haud raro contingit, ſtare poteſt:) Ad quod ζήτημα reſponderi poſſe arbitramur, illam ſervandam eſſe lectionem, cui requiſita priora, quæ in lectione textus Græci diverſa exhibuit obſervanda laudatus Vir ſummus, adſtipulantur; ut nimirum illa probetur lectio, quæ cum Græca illa conſentit, quam corroborant exemplarium antiquorum ac probatorum fides, Doctorum veterum allegatio & interpretatio, Scripturæ inſuper conformitas, cuique fidei analogia non repugnat. Addimus, quæ nec Grammaticæ Syræ reclamat, ſed regulis illius proxime accedit. Hæc & nos requiſita in Lectionum varietate, quam Codex MS. IV. Euangeliſtarum Syrus, quo de binis hactenus Exercitationibus egimus, nobis exhibet, dijudicanda (ubi ſcil. utraque lectio commode locum habere nequit) ſumus poſthac obſervaturi: Qui conatus noſtri ut vergant in ſtudiorum noſtrorum emolumentum, nominiſque ſui divini gloriam, faxit altiſſimus.

POSITIO PRIMA.

Pleonaſmus pronominis apud Syros.

SYros frequenter admodum uti Pronomine ſuffixo ܗܝ πλεοναστικῶς, illis, qui vel unam Grammaticam legerunt, vel paucas in N. T. Syriaco pagellas percurrere, notiſſimum eſt. Statim in limine Matthæi, præter loca à CLL. Viris *Dieu* & *Dilherro* collecta, exhibetur nobis egregium dicti pleonaſmi exemplum: ter enim in primo primi Capitis commate redundat in noſtro Codice, conſentientibus reliquis Codd. pronomen ܗܝ. Factum hinc arbitror, ut Codex noſter aliquando ſuffixum hoc adhibeat, ubi reliqui Codd. non agnoſcunt, uti in allegati Euangeliſtæ Cap. 12:4. ubi pro ܡܠܟܘܬܐ noſter habet ܡܠܟܘܬܗ. Sic Cap. 13:43. & Lucæ 7:28. pro במלכותא in noſtro legitur במלכותה Luc. 1:68. pro אלהא noſter legit אלהה Joh. 3:5. למלכותה pro למלכותא. C. 8:34. עבתה pro עבתא. Similiter idem omittat, cum in cæteris Codd. legatur, ut Luc. 12:7. ܡܢܝܢ pro ܡܢܝܢܗ Cap. 22:11. למרא pro למרה Joh. cap. 4:39. it. Cap. 10:35. מלתא pro מלתה. Inſeparabile quoque ſuffixum ܠܗ aliquando abundare, notavit *Dieu.* Non igitur mirum, ſi noſter Codex idem aliquando inſerat, ubi reliqui Codd. non agnoſcunt, & econtra omittat, ubi idem in cæteris legitur: quemadmodum ſuo loco oſtendetur.

POSITIO SECUNDA.

Kametz *Ebræum Syri per* Dſekopho *exprimunt. diſſenſus à Druſio.* Mattan *unde derivetur. an recte noſter* pathach *Ebr. per* dſekopho *reddat.*

REcte notat Ebraicarum litterarum decus æternum *Joh. Druſius*, Comment. poſter. ad voces N. T. *Bonerges* Syriæ quandam dialectum dicere pro *Banerges*, cum *a* in *o* facile migret. Confirmat hanc *Druſi* hypotheſin noſter Codex, qui nomina propria Ebræa אַבְרָהָם, אָרָם, עַמִּינָדָב (calculum hic noſtrum adjicere non poſſumus laudato Philologo, *Mim* kuſchoi oneranti) יִצְחָק ſub finem expreſſe per dſekopho punctat: nec diſſentit ex editis Codd. hic ullus. Cur vero noſter Ebræorum *pathach* ſequente Dagheſch (ita enim nomen Matthan. 2. Reg. 11:18. legitur) in proprio nomine *Matthan* verſ. 15. Cap. 1. Matth. per dſekopho referat, dubium alicui videri poſſit, maxime cum idem alia nomina Ebræa, quæ ſimiliter apud Ebr. per *pathach*, ſequente dagheſch forti ſcribuntur, non per *dſekopho*, ſed per *ptocho* efferat, uti ex nomine מַתִּיתָא aliiſque liquet. Probabile nobis omnino eſt, noſtrum non pro derivato à נתן, ſed ex alia quadam radice nomen hoc habuiſſe, qua de cauſſa nec *Kuſchoi* litteræ ܢ poſt ܡ impoſuit, quod tamen dubio procul feciſſet, ſi ex defectiva radice, ex ſua ſententia ortum traheret. Vid. *Lud. de Dieu* Gr. Harm. p. 31. n. 4. ubi tamen hæremus, utrum ei adſenſum præbere debeamus, quando ad exempla illa, in quibus littera excluſa per *Kuſchoi* apud Syros indicatur, refert quoque vocem גפתא i. e. *vitis*, inque eadem *Tau Kuſchoi* adficit, ad indicandum ſc. defectum tertiæ radicalis *Nun.* an potius in *Crineſii* eundum ſententiam, ſtatuentis נ in ת hic verſum eſſe (ſunt enim hæ litteræ ἐυμετάβολοι.) Certe noſter Codex, qui alias ſat diligens *in Kuſchoi* impreſſione, ubi litteræ defectus eodem indicatur, idem in hac voce ſupra *Tau* negligit Matth. 26:29. Marc. 14:25. (vſ. 18. Cap. 22. Lucæ, ubi & dictio hæc occurrit, in Cod. noſtro deſideratur) Joh. 15:1. 4. & 5. Sed in viam! Idem cum noſtro codice ſenſiſſe h. e. pro nomine non ex נתן orto, habuiſſe videntur, qui Græce per Μάθαν ſcripſere, quam tamen ſcriptionem improbat *Druſius* comm. prior. ad voces N. T. p. 111. Alias ſimile nomen Luc. 3:31. tum in noſtro tum cæteris Codd. Syris ita legitur punctatum. Recipi igitur poſſet Codicis noſtri punctatio nominis מתן, ſi in fine ſaltim pro *ptocho* adhibitum fuiſſet *dſekopho.*

POSITIO TERTIA.

De ſcriptione nominis Pharetz.

QUid Scriptorem noſtri Codicis permoverit, ut nomen ܦܪܨ vſ. 3. Cap. 1. Matth. in prima Syllaba per vocalem ſecundam ſeu *revozo* punctaret, cum in editis alias per *ptocho* legatur, ambigi poteſt. Ebraice ſane extra pauſam פֶּרֶץ invenitur, non פָּרֶץ. Num igitur Ebræos potius Codd. quam Græcos noſter in nominis hujus ſcriptione voluit ſequi? ita quidem credi poſſet, niſi ipſe quoque Luc. 3:33. primam nominis hujus Syllabam *ptocho* inſigniviſſet. Utramque igitur lectionem tam per primam, quam ſecundam vocalem admitti poſſe, per hanc quidem juxta Codd. Ebræos, per illam vero ſecundum Græcos, noſter forſan exiſtimavit, quod & nos largimur.

POSITIO QUARTA.

Græcos adhibere μ in fine Nominum Propriorum loco Ebr. Nun.

GRæcos tum V. T. Interpretes tum N. T. Scriptores, quando nomina propria Ebraica in ן finita, exprimere volunt, loco litteræ *Nun* in fine μ aliquando uti, notum eſt. Placet, id impræſentiarum oſtendere exemplo nominis חֶצְרוֹן, quod Græci reddunt per ἐσρώμ, pro quo ſcribendum fuiſſet ἐσρών. Retinent tamen N. T. Interpretes *Syrus* & *Arabs* h. l. litteram *Nun.* adſtipulaturque hic Codd. excuſis noſtrum MS.

POSITIO QUINTA.

Syriaca N. T. verſio unde orta. videri omnino tranſlatam eſſe è Græco exemplari. ſolvitur objectio. à Contzenio *diſceſſio.*

E Græco quodam eoque bene vetuſto Codice, non vero ex corruptiſſima verſione Latina, quæ *vulgata* dici conſuevit, Syriacam N. T. paraphraſin eſſe adornatam, nobis prorſus cum Viris non infimi ſubſellii habemus perſuaſum. Unde vero factum ſit, quod interdum cum textu Græco hæc conſentire haut videatur, dicetur alibi. De unico ſaltim jam nunc diſſeremus loco, nim. Cap. 1. Matth. commate 6. Semel tantum ibi nomen *Regis* poſt *Davidem* legitur in Codicibus Syriacis, à quibus nec noſter h. l. diſſentit. Agnoſcunt tamen bis illud in uno hoc verſiculo tum Græci, tum Latini Cod. quos quidem vel ipſi inſpicere potuimus, vel ex aliorum Doctorum Virorum collatione diligentiſſima cognitos habemus, omnes, cum quibus & *Arabs* facit. Dicendumne igitur, Syrum paraphraſten uſum fuiſſe Codice Græco, quo in epitheton hoc ſemel fuerit deſideratum, an vero credendum potius, ipſum laudatum epitheton ceu minus neceſſarium uno loco omiſiſſe, & ex præcedentibus lectori repetendum reliquiſſe. Nolumus hic aliquid certo adſeverare, ſed aliis judicium malumus relinquere. Id tamen adfirmare nulli dubitamus, non ſat firmiter ex prædicta verſionis Syræ ac textus Græci hodierni diſcre-

discrepantia colligi posse, Syriacam Paraphrasin originem suam immediate non debere exemplari Græco, quoniam nullum amplius extet, (quantum nobis quidem constat) quod vocem βασιλεὺς h. l. non bis agnoscat, cum interire exemplar illud potuerit, imo ex alia caussa modo allata, epitheton hoc Scriptor omittere. Præterimus, quod sic nec è Latino quoque Codice Syriaca versio videatur translata, cum Latina quoque exemplaria constanter epitheton dictum repetant. Quemadmodum igitur ex hoc & similibus exemplis Syriacam versionem è Græco aliquo codice immediate non adornatam esse, firme concludi posse haut arbitramur, ita nec indicium nobis est, (sicuti *Adamo Contzenio* Jesuitæ) è Græco in Syriacum sermonem Evangelia esse versa, quia in Syriaca paraphrasi adhibetur nomen אונגליון (ita scribendum, non vero ארבנליון, ut mendose in *Contzenio* legitur,) quod est è Græco εὐαγγέλιον.

POSITIO SEXTA.

Drusii *conjectura de nomine* רות, *cur per Syncopen* ע *scribatur, recensetur, confirmaturque: Movetur scrupulus contra* Drusii *opinionem.*

NOn vana forsan *Joh. Drusii* conjectura, existimantis nomen רות *Ruth* per Syncopen ע scribi pro רְעוּת idemque sonare, quod *amica s. socia.* Confirmat sententiam hanc simili dictæ figuræ exemplo, nam & בֵּל pro בַּעַל dicitur; tum Syri, quem merito suo vetustissimum vocat interpretem, auctoritate. Nos duo addimus, 1. concedentes pro בעל Ebræo, Chaldæos בְּעֵל, & excidente ע, contracte בֵּל dicere: adstipulaturque *Drusio* φιλολογώτατος Jureconsultus *Joh. Seldenus* in *de Diis Syr. Synt. 2. C. I.* qui etiam notat, Phœnices aliosque adjacentes, sub quibus & Moabitas comprehendi, negari vix potest, cum expresse DEUS illorum *Baal Peor* memoretur, *Ebraice loquutos,* בַּעַל *cum Ain retinere.* observat quoque hoc ipsum *Servius* & cum eo augustissimus Hipponensium Episcopus, quos allegat Criticorum nostræ tempestatis Princeps *Thomas Reinesius* in de *L. Punica* tractatu accuratissimo cap. 6. Cum itaque Phœnices ac Moabitas ע ex nominibus Ebraicis non excludere, quod Chaldæi faciunt, vel ex hoc ipso, quod pro sua *Drusius* sententia adducit, exemplo sit liquidum, scrupulus alicui injici videtur, qui ex nomine רות elisa sit illa littera. sive enim Ebraice, sive ad dialectum Moabiticam scribere nomen illud velim, ע utique retinendum, nec eliminandum, cum nec Ebræos nec Moabitas isthoc facere, ex allato nominis בעל exemplo constet. Neque etiam regeri hic posse videtur, ע in nomine *Ruth* propterea eliminari, quia Scheva præcedat, idem vero in voce בַּעַל non evenire: responderi enim potest Phœnices seu Sidonios (annon & Moabitas) non solum בַּעַל dixisse, sed & בְּעַל, ut laudatus CL. Philologus l. c. notat. quid quod idem in Plauti Pœnulo Punica illa v. 57. per *Bel-Samen* &c. legat. videatur tr. all. cap. 12. Alterum, quod ad *Drusii* sententiam adjicere visum fuit, est consensus Interpretis Arabis, qui similiter nomini *Ruth* litteram *Ain* inserit: imo & lit. *Eliph*, ac illam quidem ad mentem *Drusii* convenientissime; hanc vero qua de caussa, fateor me nescire, nisi ideo forsan, ut indicina sit, ר *Re* per fatha legendum esse. Absente namque *Eliph*, *Re* tam *Dsamma*, quam *fatha*, imo & *Kesra* adfici potest. *Dsamma* si ei imponeretur, credi posset, Arabem respicere ad nomen Ebræum *Ruth*, non quatenus ex רֵעָה i. e. *amica*, sed quat. ex רֹעָה i. e. *pastrix* deducitur. De Græcis mirum non est, ipsos adspirationem hanc, utpote ab eorum lingua alienam, hic neglexisse, cum & alibi passim idem fecerint. Sic Matth. 1: 2. pro Ἰαακώβ legitur Ἰακώβ. ita & secundum *Drusium* 2 Cor. 6: 15. pro βελίααλ legitur βελίαλ. conf. eund. comm. pr. p. 36. & 44.

SOLI DEO SIT GLORIA!

DISSERTATIO IV.

JUVA JESU!

אל תהי לשון ארמית קלה בעיניך שמצינו בתורה ובנביאים ובכתובים שהקבה חולק לו כבד:

JUsto hoc encomio, multorum Theologorum sententia, Chaldaicæ nobis Linguæ studium commendat *R. Samuel Ben Nachman* in Expos. Gen. majori. Eandem si quis laudem Syriacæ linguæ tribuat, dubito num à Veritatis semita discessisse dici possit. Distinguunt Christiani Dd. N. Fœderis libros in *Historiales*, *Doctrinales* & *Propheticum*. Inter has partes nulla est, in qua non Syriacæ inveniantur dictiones. Evolvimus libros Historiales? occurrunt Ἀββᾶ Marc. 14: 36. ἐφφαθὰ ib. c. 7: 34. κορβανᾶν Matth. 27: 6. Ῥακὰ ibid. c. 5: 22. imo integræ phrases ἠλὶ ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανὶ Matth. 27: 47. ταλιθὰ κοῦμι Marc. 5: 41. Doctrinales, quos vocant inquirimus libros? en notissima Anathematis formula Μαρὰν ἀθὰ, qua Paulus utitur 1 Cor. 16: 22. Nec Apocalypsis, quam Prophetici libri titulo non immerito insigniunt Juris divini Consulti, è Virorum Clarissimorum mente vocibus carere debuit prorsus Aramæis s. Syro-Chaldaicis. Adferunt huc nomen Angeli Abyssi, qui ἑβραϊστὶ (qua voce non semper stricte *Ebraicam*, sed etiam *Syriacam* indigitari Linguam alibi è *Drusio*, *Dieu*, *Dilherro* probabimus) Ἀβαδδὼν dictus Apoc. 9: 11. Sic cap. 16: 16. Ἀρμαγεδδὼν è Syriacis dictionibus compositum, quibusdam videtur. Neque hoc mirum videri potest, qui noverit, Salvatorem nostrum in diebus carnis Syriace locutum esse, ac linguam Aramæam s. Syro-Chaldaicam Evangelistis atque Apostolis fuisse vernaculam. Non itaque operam nos ludere existimamus, si paucas horas studio linguæ prædictæ dederimus, & cœptas in Nov. Test. Paraphrasin Syriacam Exercitationes continuaverimus. Esto igitur Disputationis IV.

POSITIO I.

Vocalium olim officium sustinuisse apud Ebræos ac Syros, quiescentes litteras א ו *&* י *Clarissimi Philologi statuunt. Quæ inde in Codd. variatio. à* Drusio *fit discessus. Græci suas terminationes in fine nominum propriorum peregrinorum addiderunt.*

LItteras Ebræorum quiescentes אוי Vocales quondam, hodierna cum Vocalium figura abesset, repræsentasse, censent multi iique excellentissimi Viri Philologi: (à qua tamen sententia cum plerique nostratium Theologorum divortium faciant, nolumus jam nunc controversiam istam nostram facere: neque etiam nostrarum est virium, litem hanc inter tantos Viros dirimere.) Eandem in Syriaca Lingua gessisse provinciam litteras quiescentes ܐ, ܘ & ܝ, sed additis punctis solitariis, arbitratur vir in rebus his indagandis sui nominis *Lud. de Dieu.* Caussam hanc esse nos putamus, cur in Codice nostro memoratæ litteræ toties omittantur, ubi tamen editis in Codicibus additæ, & in vicem inserantur, ubi reliqui non exhibent. Exempli jam loco nobis sit vox ܫܠܡܘܢ vs. 6. cap. 1. Matth. quæ in Codd. luci datis legitur cum *Judh*, post ܠ inserto, quod indicio esset Lectori, Lomadh per vocalem secundam s. tertiam esse efferendum. Omittit vero noster tum commate allegato, tum alibi in hoc nomine, si unicum excipias locum, Matth. 6: 29. ubi quidem *Tremellius* & *Editio Viennensis* (cum qua & *Cothena* hic facit) habent ܫܠܝܡܘܢ, reliqui tamen Codd. quibus adstipulatur noster, legunt שלימון. Et hæc de littera quiescente *Jud* jam nunc heic loci sufficiant, *Joh. Drusius*, quo nemo pene diligentius feliciusque propria nomina in S. literis obvia exposuit, reprehendit, qui prædictum nomen *Salomon* Latine scribunt, addita sc. in fine littera *n*, mavultque Græce scribi Σαλόμω non Σαλομὼν, adjicit denique *in Ebræis nominibus Ebraicam esse sequendam consuetudinem*, *non Græcam aut Latinam.* Nos etsi ἀμφοῖν largiamur, Ebraicum nomen non agnoscere sub finem litteram *Nun*, an tamen firma inde sequela: ergo nec Latine nec Græce per *n* efferendum, merito ambigimus. Novimus enim, quamlibet linguam suos habere idiotismos, Græcam cumprimis nominibus peregrinis sæpe suas addere terminationes ν, ας, ης & ος, ceu ex nominibus Βαβυλὼν, Βαρραββᾶς, Κηφᾶς, Ἰωάννης &c. liquet, vel etiam ultimam nominis peregrini sive Barbari litteram in σ mutare, ut βελίας è בליעל.

POSITIO II.

De scriptione nominis Aminadhabh *apud Græcos & Syros.* Drusii *adsertio ventilatur. Similitudo litterarum β & μ in Codd. MSS. Gr.*

NOmen Ἀμιναδὰϐ noster punctat ita ܥܰܡܺܝܢܳܕܳܒ, & recte quidem: omittit quoque rectissime *Kuschoi* supra *Mim*, utpote quod illius non capax. Nescimus igitur, quo fundamento, cujusque Codicis Syri auctoritate suffultus *Joh. Drusius* scribere haut vereatur; *Syros Aminadab legere*, duplici sc. M s. Mim per daghesch forte geminato. Nullus sane, quos quidem nobis videre contigit Codd. Syr. *Mim* vel geminatum in hac dictione exhibet, vel Kuschoi oneratum: & licet Mim Kuschoi gravatum esset, quod fieri tamen haut potest, cum solæ litteræ Beghadhcephath id sustineant, quod verissime Doctissimus Belga in Gr. Harm. adserit, illud ipsum tamen ob hoc non geminaretur, Kuschoi quippe tali potestate destituitur. Videatur laudatus Auctor l. c. nec non Reverendissimus Dn. D. *Wellerus*, Patronus noster magnus Spicileg. Quæst. Syr. olim hic luci expos. I. quæst. 5. Sed mittamus *Drusium*, & quid de scriptione dicti nominis prout in Eclogis MS. Ecclesiæ Græcæ, quæ in illustri Senatus Noribergensis Bibliotheca adservantur, legitur sentiamus, occasione hac paucis aperiemus. Bis ibi scriptum deprehendimus Ἀμιναδάμ, μ sc. pro β sub finem posito. Hanc licet scriptionem adprobemus neutiquam, utpote à qua dissentiunt omnes, quantum nobis quidem è variantibus Lectionibus, quas viri docti luci dedere, constat, Codd. Græci; dissentit Interpres *Syrus* ut modo vidimus; dissentit *Arabs*, qui pariter in fine *Be*, præcedente *Eliph*, adhibet; dissentiunt Codd. Lat.; dissentit denique textus *Ebræus* Num. 7: 12. Cap. 10: 14. (ubi viri hujus fit mentio) confirmat tamen scriptio hæc *Drusii*, viri diligentissimi sententiam, aliquoties memorantis, in Græcos quosdam Codd. ex antiqua characterum τῶν μ & β similitudine mendum irrepsisse. Vide illum ad Voces N. Test. Comm. Pr. p. 27. & 35. Manavit quoque conformitas prædicta litterarum μ & β in excusos libros, quemadmodum in antiquo *Callimachi* Codice id mihi aliquando ostendit Excell. Vir, Dn. *Joh. Ericus Ostermannus*, Græcarum Litt. in alma hac Witteb. Prof. P. Dn. ac Promotor meus observandus.

POSITIO III.

An utraque scriptio Σολομὼν *ac* Σολομῶν *ferri possit? male in Eclogis Græcis scriptum* Μανασῆ.

PRo Σολομὼν vs. 7. & Σολομῶντα vs. 6. in iisdem, quarum modo facta mentio, Ecl. Gr. legitur Σολομῶν & Σολομῶνα. quæritur, an scriptio hæc ferenda? Videtur sane, quod non: cum nullus, quantum indagare valuimus, Cod. Græc. ita h. l. habeat. Attamen confirmare videtur quodammodo memoratam scriptionem 1. locus apud Lucam πεϱὶ ἐξαποςολ. cap. 7: 47. ubi Codd. Græci, quos vidimus, ὁμοθυμαδὸν agnoscunt Σολομῶν. 2. Loca in laudato MS. alia, sc. Matth. 6: vs. 29. & Joh. 10: 23. in quibus similiter scriptum videmus. 3. nomen βαϐυλὼν, quod in Casu secundo sonat βαϐυλῶνος, ceu ex hoc adparet capite. Nescio, num pariter excusari queat, quando in iisdem Eclogis vs. 10. habetur Μανασῆ & Μανασῆς, unico σ in medio, dum alii Codd. recte habent Μανασσῆ & Μανασσῆς, σ in medio geminato. Scribitur enim Ebraice מְנַשֶּׁה impresso daghesch forti litteræ ש, quod Græci fideliter in littera hac solent referre. Quid? quod sæpissime τὸ σ litteræ ש respondens sæpe geminent, licet in scriptura Ebræa ש non adfectum sit daghesch, sicuti è Νασσων, Ἰεσσαὶ, Μεσσίας &c. manifestissimum.

POSITIO IV.

Olaph sæpe litteræ Judh præmittitur, cujus vocalem suscipit. Drusius *deseritur. Syriacus sermo Christo vernaculus, sed distinctus ab illo, quo N. T. paraphrasis concepta.*

DIssentit in scriptione nominis ܐܠܝܐ Codex noster ab editis, dum literas ܐ & ܠ transponit h. e. *Olaph* ante *Tau* exhibet. quæstio inde emergit, utra scriptio alteri præferenda? Utraque forsan minus mala. Communis, quia *Olaph* litteræ *Judh* sæpissime serviliter præmitti solet, illiusque vocalem recipit, quod & aliæ serviles faciunt litteræ, quando Judh antecedunt, (id quod apud Ebræos quoque aliquando usu venire, non uno exemplo accurate ostendit Excell. Dn. *Sennertus* Lingg. Orient. in nostra Leucor. Doctor celeberr. Dn. ac Patronus meus singularis intimeque colendus *Gram. Trost. revis.* pag. 14.) uti ex nominibus ܐܝܫܘܥ, ܐܝܗܘܕܐ aliisque patet. Sane nomen ܐܝܠ (ex quo præsens vocabulum compositum) tam nude scriptum, quam in compositione cum aliis, *Olaph* fere semper exhibet; quam scriptionem quidem adeo Codex noster Syrus adprobat, ut etiam in nomine ܐܝܣܪܐܝܠ (ita in Codd. excusis legitur) *Olaph* τῷ *Judh* postremo præmittat Luc. 1: 54. 68. & ult. Matth. 27: 9. quomodo etiam in Psalterio Syro, ab *Erpenio* luce donato scriptum invenitur, ut mirer, qui h. l. sine *Olaph* τῷ *Judh* præmisso, Cod. noster adductum nomen repræsentet. Adprobat tamen alias idem vulgatam scriptionem per איסריל, uti Matth. 8: 10. 9: 33. 10: 6. & 23. Nostri vero Codicis scriptio exinde bona judicari posse videtur, tum quod, ut modo ostensum, similia, ubi *Olaph* ante *Judh* in compositione vocis ܐܝܠ cum alia dictione, omissum, reperiuntur exempla, tum quoniam *Olaph* quiescens medio vocis ceu indicina ℥ *Ptocho* sæpe conspicitur insertum. Sicuti vero dictio ܐܝܠ in compositione tam defective h. e. sine *Olaph* ante *Judh* invenitur, quam cum eo: ita certe nullum tum in nostro Codice, tum in editis invenire potuimus exemplum, ubi *Judh* omissum. Ut hinc nondum calculum nostrum *Drusii*, Philologi alias acutissimi, conjecturæ adjicere audeamus, qua ipse, nullo tamen, quantum cernere datum fuit, adstipulante Codice Syro, in Paraphrasi Syra Matth. 27: 46. ac Marc. 15. legendum autumat, litteris transpositis, אלי pro איל. Adprobare, ut diximus, conjecturam hanc etiamnum dubitamus, quin potius persuadebimus nobis, Syrum Interpretem locis modo adductis pronomen primæ personæ per ellipsin, ipsi non raram omisisse, quam talem statuere scriptionem, qua vox hæc tam in compositione, quam extra illam in libris Syris non invenitur. Sed si Christus Syriace, quali alias ipsum sermone fuisse usum constat, in illo acerbissimæ mortis angore clamavit, & quidem ex *Drusii* sententia ܐܠܝ cum suffixo, dubium emergit, an suffixum *Judh* primæ personæ in sing. antiquitus s. tempore illo fuerit mobile per *Chevozo*, (alias enim non tantam vox hæc cum nomine *Eliæ*, quem Christum vocare quidam Judæorum autumabant, habuisset cognationem nec forsan Matthæus per ἠλὶ reddidisset) quod tamen hodie Syris quiescens esse h. e. sine vocali in singulari adhærere, idemque jam tum in paraphrasi Syra observatum fuisse, statuunt Viri Doctissimi. Ita sane videtur, & luculenter perquam *Barth. Mayerus* in Prodr. Philol. Sacræ probat, *aliam fuisse Dialectum Syram, quam Servator in diebus carnis sanctissimis suis labiis consecravit, nim. Hierosolymitanam*; aliam *Antiochenam, qua Syra N. Test. paraphrasis, quam hodie possidemus, adornata & conscripta.* Juxta illam suffixum primæ personæ fuisse pronunciatum, liquere arbitramur è textu Græco authentico, & sic recte quoque conjicit *J. Drusius* Christum dixisse: *Eli, Eli*, quod ab *Eliæ* nomine propius abest; juxta hanc vero, nimirum Antiochenam, suffixum hoc, ut & alia quædam (quemadmodum etiam terminationes quasdam personarum verbi,) efferri, cum Viris Linguæ hujus amussim peritis, imo nativitate Syris, negamus.

SOLI DEO GLORIA.

DISSERTATIO V.

POSITIO I.

Suffixum primæ personæ in qua Linguæ Syriacæ Dialecto quiescens sit, in qua mobile? Discessus fit à Dieu.

DIximus circa superioris Exercitationis IV. finem, & Cl. Mayeri testimonio comprobavimus, aliam fuisse Linguæ Syræ Dialectum, qua Christus & Apostoli usi fuere, aliam, qua N. Test. paraphrasis Syra adornata conspicitur. Ex hoc quoque

quoque fundamento solvi etiam forte poterit quæstio; cur Marcus cap. 5: 41. Syrum ܩܘܡܝ reddat per κȣ̃μι, exprimens scil. terminationem 2. perſ. Fœm. S. Imp. *Judh*, quod hodierni tamen Syri in dicto casu penitus quiescere h. e. neque *Judh*, neque vocalem aliquam, per quam adhæreat, pronunciari statuunt. Distinguendum nimirum inter dialectum Hierosolymitanam & Antiochenam. Frustra igitur est magnus omnino in his litteris Vir, maximorumque in easdem meritorum *Lud. de Dieu*, quando exemplum hoc sub verbis quiescentibus excipit, cum tamen in Syriaca paraphrasi (& de hujus idiomate ei sermo est, non de Hierosolymitano,) Mim ܡ Judh præcedens, chevozo careat, ut suo ostendetur loco. Pari quoque modo, ex eodemque principio ratio reddi potest, quare Matth. 26: 46. & Marc. 14: 34. verbum Aramæum à Christo prolatum Scriptores divini exprimant per σαβακθανὶ, (ita juxta *Drusium* potius legendum, quam σαβαχθανὶ,) suffixo sc. mobili reddito, quod tamen in Syriaca N. T. versione perpetuo quiescere solet.

POSITIO II.

De Scriptione Syra nominis Babel.

Dictum etiam Disputationis superioris Pos. I. ex sententia *L. de Dieu*, litteras quiescentes antiquitus Vocales apud Syros indicasse absentes. Addidimus id ipsum videri nobis causam, cur illæ sæpe in uno Codice additæ, omissæ in altero. Exemplum rei hujus iterum nobis exhibetur in dictione ܒܒܝܠ & quæ inde enata ܒܒܝܠܝܐ ambæ hæ voces in nostro conspiciuntur Codice, ut exhibuimus, at editi *Judh* sæpe elidunt ante *Lomadh*, ceu otiosum, ac tantum Vocalem sub *Beth* indicans. Retinuit interim noster addita licet Vocali.

POSITIO III.

Mathan *quomodo Syriace scribendum? Patach per quam Vocalem Syri exprimant, per quam item* Kametz.

Pro ܡܬܢ Codex MS. habet ܡܬܢ, per geminum *Dsekopho*. Quæ lectio jam melior, recepta hactenus in Codd. luci datis, an vero ea, quam sistit noster? Nulli nos ambigimus, Vulgatam hoc loco quoad primam Syllabam præferendam esse; idque duabus de causis 1. quia *pathach*, quod in Scriptura Ebræa in V. T. nomen hoc possidet in syllaba prima, Syri non per Vocalem quartam, sed primam sive *ptocho* exprimere alias consuevere, ceu ex collatione nominum propriorum in Vet. Test. Ebr. & N. T. Verſ. Syra videre est. 2. Quoniam in similibus dictionibus, & quæ ab ead. qua præsens, deduci videntur radice, *ptocho* in prima syllaba habetur, nostro Codice haud reclamante in מַתִּיתְיָה מַתַּי &c. Quoad Vocalem vero in ultima, nim. *dsekopho*, putamus nos, nostri Codicis lectionem receptæ hactenus (*Guido* tamen *Fabritius* in Op. Reg. bis מַתָּן exhibet, utut in Syr. *ptocho* sub ultima etiam relinquat) meliorem esse, cum apud Ebræos nomen hoc *kametz* sub ultima possideat; quod Syri fere per *Dsekopho* repræsentant communiter. Sed si aliquis diceret, etiam in syllaba prima *dsekopho* memorata in voce locum habere, cum à ܬ, quod apud Ebræos daghesch forti adfectum, *kuschoi* in Cod. nostro (in aliis excusis talia puncta minus diligenter exhibentur) sit exclusum, & ob id *dsekopho* pro *ptocho* adhibitum: illi reponi potest, quod etiam aliis in dictionibus daghesch forte Ebræorum apud Syros per *kuschoi* non exprimatur, & tamen nihilominus antecedens *ptocho* maneat. An tamen Codicis nostri scriptor huc forsan respexerit, nos non disputamus.

POSITIO IV.

An Jehojakim in Genealogia Christi præteritus à Matthæo? quomodo Tesseradecades complenda?

Anxie à Scripturæ S. Interpretibus disquiritur, nec id immerito, cur Jechonias à Josia genitus v. 11. dicatur, cum tamen non à Josia, sed ab ejus filio Eljakim, cujus nomen à Necho Ægypti Rege in Jehojakim mutatum fuit 2 Paral. 36: 4. natales suos immediate proximeque trahat vſ. 8. ac 1 Paral. 3: vſ. 16. In proclivi quidem esset, dubium hoc solvere, si dicatur, Evangelistam nostrum non de immediata loqui generatione ac parente proximo, sed de genitore remoto h. e. avo (quemadmodum & avos *patres* aliquando dici, alias in Scriptura sacra non insolens, vide Dn. D. Glaſſ. Rh. S. pag. 447. Spanh. Dub. Ev. Part. 1. pag. 19. & 20.) ipsi hoc loco sermonem esse: nisi obstare adhuc videretur, quod sic *tesseradecades* à Matth. vſ. 17. indicatæ non essent integræ. Has igitur ut compleant quidam, Hieronymum Comm. ad h. l. & Epiphanium lib. I. contr. hær. 8. sequentes, librariorum hic sphalma agnoscunt, dicentes; librarios Ebraicarum litterarum ignaros, Jojakim & Jechoniam ob nominum convenientiam confudisse, unumque è duobus fecisse, quorum alterum redundare existimarent, uti habet Dn. D. Calixtus. Firmant horum sententiam vetusti quidam Codd. quorum fidem faciunt Stapulensis ac Bucerus, qui ita locum suppleverunt: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακεὶμ: Ἰακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. Sed utut non inviti largiamur, Scriptores Græcos non semper accuratam habuisse scriptionis rationem in exprimendis nominibus Ebræis, concedamus etiam, h. l. magnam esse in scriptione nominum Ἰωακὶμ (ita in LXX. verſ. legitur, vel uti Robertus Stephanus ex Vet. Codd. in N. T. exhibet Ἰωακείμ) & Ἰωχὼ (ita nonnulli Ἰεχονίαν Steph. legunt, alii Ἰεχονίαν; LXXII. Ἰεχωνίαν) vicinitatem, imprimis si quis veterem consideret Græcorum scribendi modum, quo in μ quoque ac ν plane convenire videntur, ut saltim per connexionem à latere dextro μ à ν discerni queat: dubitamus tamen, an propterea recepta hactenus, ac tot antiquissimorum Codd. Græcorum lectio corruptionis exinde arguenda sit. Et sane vetustissimam hanc esse lectionem, quæ nomen Ἰακεὶμ non agnoscit, probamus etiam ex constanti & unanimi Codd. Syriacorum, quibus & noster antiquitate venerandus egregie adstipulatur, consensu, qui ne χρῦ quidem de Jojakim admittunt. Syriacam vero N. Fœderis paraphrasin antiquissimam esse, nemo puto negabit, imo ipsorum Apostolorum attingere illam tempora, non parvi nominis Viri statuunt. Taceam Versionem Arabicam, quæ nec suo caret apud æquos rerum judices æstimio. Taceam Versionem Æthiopicam, quæ Romæ 1548. prodiit. Taceam Codd. Latinos, de quorum nullo, quantum nobis quidem constat, quisquam Auctorum memoriæ prodidit, quod illam Stephani ac Stapulensis lectionem adprobet. Taceam etiam Eclogas illas Græcas, quarum sæpius hactenus facta mentio, sive Liturgiam Græcorum (de qua B. Saubertus, qui ante aliquot annos benivole istud κειμήλιον mecum communicabat, in Histor. Bibl. Reip. Norib. pag. 89. commemorat, quod Majorum judicio tempore Apostolorum proximo scripta fuerit. Unde autem jam *Tesseradecades* complendæ? non immerito aliquis quærat. Jamdudum de hoc cogitarunt BB. Patres, Chrysostomus sive auctor potius operis imperf. in Matth. qui Chrysostomo insertus, & Augustinus lib. II. de Conſ. Evang. cap. IV. investigare tamen conciliationem non potuere aliam, quam ut dicerent, *Jechonian s. Jojachin bis esse numerandum, semel ante transmigrationem* Babylonicam, uti Regem; *ac rursum etiam post eandem, ut privatum.* Jojakimum vero Jechoniæ patrem propterea hic prætermitti censent iidem, *quod non ordinatione divina, sed Regis Ægyptiaci potentia Rex fuerit* constitutus. Dici etiam posset, propter abominationes ejus (2 Paral. 36: vſ. 9.) Matthæum illius præteriisse memoriam, quemadmodum nonnullorum sententia Ochoziam etiam, Joam atque Amaziam ob impietatem illorum non nominasse, Evangelista creditur vſ. 9. nisi obstaret, quod Jechonias quoque malum fecerit in oculis Domini 2 Paral. 36: 8. ac tn. ab Evangelista nominetur. *Theophylactus* nonnullorum meminit, qui existimarunt, ipsam transmigrationem Babylonicam pro generatione s. persona una esse habendam: φασὶ τινὲς, scribit, ὅτι καὶ τὴν μετοικεσίαν ὡς προσώπȣ τάξιν ἔχȣσαν ἔθηκεν. Alii ut numerum compleant, ipsum Davidem bis numerandum esse arbitrantur, in fine tesseradecadis primæ, tanquam personam privatam, in secundæ autem, initio tanquam personam publicam & Regem. alii aliter. Novam nodi solutionem suppeditare conatus est eximius Philologus *Lud. de Dieu* Adpend. ad Cap. I. Matth. eamque *à Thysio* accepisse se, quæ summa hujus viri fuit modestia, fatetur. Vult autem illa, *Jechonian ad secundam tesseradecadem referendum esse, tertiamque à Salathiele ordiri. quæ ut compleatur, accensendam B. Virginem, ut peculiarem generationem, eo, quod Virgo peperit, atque hanc ob causam subjici vſ. 16.* ἐξ ἧς ἐγεννήθη ὁ ΙΗΣΟΥΣ, *ut ei hic generationem penultimam, & ex ea Christo ultimam*

ultimam tribuendam esse sciamus: alibi autem mulieres pro stirpe non censeri, quia viri ex quibus conceperunt, progeniem faciant. Sed etenim nec hic *Spanhemio* desunt dubia, quæ contra ingeniosam hanc, ut ipse non immerito vocat, solutionem moveat. Quæ cum recensere pagellarum harum angustia prohibeat, remittimus harum rerum cupidum ad *Spanh.* Dub. Evang. Part. I. pag. 85. Ipse vero tandem *Spanhemius* concludit dicendo, *duos distinctos Jechonias à Matthæo commemorari, unum filium Josiæ,* (qui alias Eljakim 2 Paral. 36: 4. & secundum impositionem Regis Ægypti Jehojakim vocatus fuit ibid.) *alterum Patrem Salathielis prioris Jechoniæ filium: ac reddidisse vel Matthæum duo nomina Ebræa adfinia Jehojachim & Jehojakim euphoniæ causa per unum idemque nomen Græcum Jechoniæ.* Ita ut *priori loco sc. vs.* 11. *intelligatur Jehojakim, altero v.* nim. vs. 12. *Jehojachin* vel Jehojachin esse nomen commune Patri & Filio, quod *Ambrosio* visum. Quæ sententia, licet nec ipsa suis careat difficultatibus, quas tamen maximam partem auferre prolixe conatus est laudatus *Spanhem.* Dub. Evang. Part. 1. p. 40. & seqq. reliquis tamen quodammodo præferenda videtur. Amplexus est hanc ante *Spanhemium Gomarus, Francisc. Lucas* itemque alii. Id v. inprimis ambiguos nos habet, unde probari possit, nomen hoc Ἰεχονίας competere Patri & Filio, cum, quod recte scribit *Fr. Lucas,* Pater sc. Jehojakim nusquam in Script. præter hoc Matthæi loco, atque de hoc jam maxime controvertitur, isto veniat nomine. licet interim nulli repugnemus, multos in Sc. S. esse binomines. Videtur sane nobis, non scriptorum vitio & temporum longitudine apud Græcos Latinosque confusum esse nomen Jechoniæ & Jojakim, quod Hieronymus putavit: sed ipsum Evangelistam discrimen non accurate in scriptione nominum propriorum Ebr. observare voluisse, quod & in aliis fecit, nobis non improbabile est: ut hinc non opus sit, cur *Fr. Lucas* demiretur, *Syriace* iisdem utrumque litteris expressum, (ita & noster Codex exhibet,) perinde ut Græce Jouchanio. sequutus est enim Syrus, & quidem rectissime, sicuti quoque Arabs itemque Æthiops, authenticum textum Græcum, quem non scriptorum vitio vel temporum injuria corruptum, duo isthæc diversa nomina haut distinguere, ipsa vetustissima paraphr. Syra innuere nobis videtur quodammodo. Sed de his satis.

POSITIO V.

Adami Contzen *Jesuitæ varii errores in Scriptione vocum Syriacarum detecti.*

ID nunc agamus, ut quoniam non parum superbit Jesuita *Adamus Contzen* in collatione Paraphraseos Syriacæ, utpote, *quæ semper,* ut ei quidem videtur, *lucis aliquid ac roboris ad sua firmanda, adversariorum* (per quos si Lutheranos quoque intelligit, merito de adserto ejus dubitamus, inposterum sæpe contrarium probaturi) *debilitanda suppeditet,* ostendamus, quod in leviculis ac Grammaticalibus thraso hic turpiter sese interdum prostituat, graviora ac ad ipsas reales controversias Theologicas spectantia, à Cathedra quippe hac aliena forsan, Theologis relinquentes. Adnotare jam nolumus errores, quos typothetæ fortassis adscribere quis potest, E. G. quod in nomine דיתיקא p. 1. a. Jodh priori & p. 11. in דינרא itidem litteræ Jodh daghesch imprimit, forte sc. quo tamen Syri quoad hanc litteram prorsus carent. item quod p. 8. a. post בר lineola makkaph inserta, quæ tamen hic nullum habet locum. Similiter, quod ibid. רֶקָא reddat *Reka,* nec non quod p. ead. pro מתתרגם exhibeat מחתרגם aliaque pene innumera. Inquirere saltim nunc allubescit, cur ממונא ib. itemque עמן in medio gemino *M.* Latine exprimat, cum tamen unicum saltim Syra vox in medio agnoscat, quippe quæ Dagesch forte Ebr. fugit. Cur idem גגולתא (ita enim scribendum, non גגולתא, sicut in *Contzenio* conspicitur) Latinis litteris reddit: *Gogoletha?* secundum veram enim punctationem sic legendum *Goghulto.* Miror sane, cujus Codicis Syri fidem & punctationem Jesuita fuerit hic secutus. Idem pag. 11. lib. 11. à f. nomen דינרא (ita scribendum sine daghesch in Jodh, uti *Contzenius* male exhibet) Latine sistit *Denario* pro *Dinoro.* ib. קנטרינא *Kentureno* pro קנטרונא *Kentruno,* ib. פרטורין *Preturin* pro פרטורין *Pretorin,* ut alii Codd. habent, vel ut noster פרטוריון p. 12. כאפא *Cepha* pro *Cipho,* contra omnium, quotquot videre, vel ex aliorum Doctissimorum Virorum collatione habere potuimus, Codd. Syriacorum, nostri cumprimis accuratissimi, punctationem scriptionemque. Mire igitur punctatum Codicem Syrum necesse est Jesuitam habuisse, aut quod malim credere, negligentius paullo editos inspexit, quod tamen facere debuisset, *utpote semper aliquid roboris* (ita vane jactat) *ad sua firmanda suppeditantem Paraphrasin.* Sane nisi firmiora errorum suorum ille habeat præsidia vel aptioribus contra nostra dogmata utatur armis, victoriam ab hoc hoste nemo non Syriacæ Linguæ vel leviter peritus spondere sibi potest.

POSITIO V.

Error aliquis in Eclogis MS. Græcis indicatus. Codicis MS. Syri lectio probata. Discessus à Guidone F. *Suffixum* 3. *Pers. F. quomodo apud Syros adhærescat?*

DUbio longe vitiosa fuit lectio, quando vs. 19. pro δίκαιος (quod epitheton de Josepho θεοτόκου desponsato marito adhibet Scriptor divinus) in MS. Eclogis Græcis aliquoties laudatis, primitus lectum fuit διὸς: correcta etiam rursus hinc à studioso ac perito aliquo lectore, recteque in δίκαιος mutata. Sed cur non idem limam quoque adhibuit verbo ἠβουλήθη, quod eodem versu corrupte scriptum pro ἐβουλήθη, ceu alii quoque Codd. habent, Grammatica etiam postulat. Ast hoc leve est: illud observatu forsan magis dignum, quemadmodum etiam à Cl. *Hacksp.* notatum, quod eod. vers. in M.S. nostro Syro pro ܢܫܪܝܗ legatur ܢܫܪܝܗ. Quamvis enim vocalis sub ܪ quodammodo oblitterata sit, patet tamen ex eodem MS. nostro, & quidem ex Matth. 19: 7. ubi sat clare & expresse vocalis secunda s. revozo τῷ ܪ subjecta conspicitur, vocalem hanc h. l. à Scriptore fuisse quoque adhibitam. Putat etiam laudatus *Dn. Hackspanius* præf. ad Luc. *Frankt. Bertrami* præcedens verbum ܘܢܦܚܡܝܗ non ita legendum ac punctandum esse, sed ܘܢܦܚܡܝܗ (ita quoque recte legit *Guido Fabr.,* à quo tamen in eo divortium facere cogimur, quando tum hic, tum Marc. 4. 30. ac Luc. 13: 18. & 20. *Kametz* sive vocalem Syrorum quartam sub *Jodh* locat, cum quiescens hoc prædictis in locis sit. Qua de causa etiam & noster Codex, licet alias voces integre & accurate punctarit, Judh tali in casu vocali casum reliquit. Contra quam est in edit. Trostii, & quidem consentiente nostro Codice. Apud Lucam etiam cap. 13. vs. 18. & 20. & Marcum c. 4, 30. Codicem nostrum *CLmi Dieu* conjecturam ac dubitationem confirmare, ostendit similiter *Hacksp* l. c. & alibi à nobis diducetur. Merito igitur suspectam judicat memoratus *Dieu in* Gr. Harm. receptam hactenus adductarum dictionum punctationem, qua ܗ Suffixum 3. pers. S. F. verbis quiesc. tertia rad. in Fut. ἀνομάλως per chevozo adhæret, cum tamen analogia, revozo requirat. Maneat igitur, jubente analogia adprobanteque nostro ut antiquissimo, ita & accuratissimo Codice, regula Universalis, quod suff. 3. pers. Fœm. adhærescat verbis quiesc. ult. rad. in Fut. per revozo. Id quod ad regulam 103. Harm. Schick. notari etiam potest.

POSITIO VII.

Codicis Syri diligentia in additione Kuschoi & Ruchoch qn. & quo in casu hoc illudve addendum?

DIci certe de Codicis nostri Scriptore non immerito potest, quod ut Ebræorum phrasis habet, רב עיות munere suo fuerit functus. ita sane sæpe minuta observat, ut diligentiam ejus non satis mirere. Cum *Kuschoi* litteris *Beghadhcephath* post quiescentes imprimi vel imponi nequeat apud Syros, ille adeo studiose iisdem in propriis nominibus (cujus rei ex nostri Evang. cap. 1. exhibent exemplum אֲבִיוּד שְׁלַאתִיל עוּבִיד לִיהוּדָא &c. in quibus semper post quiescentes litteras subsequentibus litteris *Beghadcephath ruchoch* rubro subscripsit colore) addidit *ruchoch,* ne forsan Lector hæsitandi vel levissimam haberet ansam. E contra vero ubi littera mobilis cum scheva quiescente easdem antecedit, *Kuschoi* illas adfecit, ceu ex nomine זורבביל vers. 12. liquet, in quo propter scheva quiescens sub ר litteræ ב priori *Kuschoi* minio superscripsit. Ubi tamen probe notandum, competere quoque *ruchoch* (quod τῷ *Raphe* Ebræorum respondere, alibi ostensum) litteris *Beghadhcephath* post litteram mobilem

scheva quiescente adfectam, qn. sc. vox è Græca lingua huc traducta, inque eadem littera adspiratam requirit pronunciationem: Sic cap. 2. nostri Evangelistæ comm. 22. in voce ארכלאוס itemque Luc. 3: versf. 19. in טטררכא litteræ כ, non obstante, quod scheva præcedat quiescens, ruchoch subscripsit, cum Græcorum χ h. l. mollem postulet sonum, quem כ *Kuschoi* oneratum non exhibet. Minus sive felices sive curiosi hac in re Syris Græci, qui differentiam hanc inter כ Ebr. daghesch leni adfectum vel eodem cassum, sicuti etiam in cæteris litteris *Begh.* adeo ἀκριβῶς observare non potuerunt, imo fortasse & noluisse aliqn. videntur. id quod innumeris ostendi posset exemplis, si hoc nunc ageremus. Videri interim potest *Drusius* notis ad Alph. Ebr. Vetus, it. in Præter. ac notis ad N. T. passim.

POSITIO VIII.

An littera Judh chevozo *adfecta tm. ad Olaph illud rejiciat, an vero etiam ad illam litteram, quæ* Olaph *antecedit? Syri carent scheva composito, item simplicis figura.*

Litteræ *Judh chevozo* adfectæ non raro *Olaph* serviliter præmitti, docet *Dieu*, & attigimus nos Pos. IV. Facit hoc ipsum, ut, cum alias *chevozo* sub *Judh* ad literam aliam schevatam præcedentem rejici soleat, abjecto sub illa scheva, littera ista tali in casu scheva suum aliquando retineat. Testem hic laudo nostrum Codicem, qui vs. 5. nomen לאישי ita punctat ܠܐܝܫܝ, ita ut *chevozo* sit sub *Olaph*, non sub *Judh*, quam punctationem *Boderianus* etiam in Regiis Bibliis recte exhibet: licet in eo adsensum illi præbere non possimus, quod scheva in translatione Ebræa expresserit. hujus enim simplicis sc. cum figura, sicuti composito prorsus careant Syri, ita nec per Ebræorum scheva, etiam in scriptura Ebræa, reddendum esse, statuunt viri Syriace amussim docti. Diximus supra, ALIQUANDO schevatam litteram ante Judh, cujus vocalem ܐ servile recipit, retinere suum scheva: non semper enim hoc evenire perspicimus, imprimis in medio dictionis hinc Luc. 3: vers. 37. noster Codex sistit ܡܗܠܠܐܝܠ, quomodo etiam non male punctat ibid. *Guido.* Quid vero de *Trostii* & *Crinesii* punctatione, quæ diversa à nostra, sentiendum sit, infra disquiremus.

POSITIO IX.

Codex MS. Syrus correctus. Græci minus curiosi in scriptione nominum Ebræorum. Cur tres Reges in Genealog. Christi omissi?

Miramur corrigendumque putamus Cod. nostrum, qn. vs. 8. pro לעזיא exhibet לזיא, omissa littera ע. Obstant enim reliqui Codd. Syri, obstat textus Ebræus, obstat quoque Æthiops, imo ipse noster v. seq. in eodem nomine ע agnoscit. Patet vero ex nomine hoc, quam non fuerint curiosi Græci tum ἑβδομήκοντα, tum Novi Fœderis Scriptores in reddendis nominibus propriis Ebræis dum litteram h. l. vocis Ebrææ essentialem, sc. ע omittunt, quam Syncopen *Syrus* etiam ac *Arabs* itemque *Æthiops* sunt imitati. Hoc vero majoris videtur hic momenti res esse, inquirere, cur Evangelista tres h. l. Reges, qui 1 Paralip. 3: vs. 11. ac 12. recensentur, & ad genealogiam omnino pertinent, nim. *Achaziam*, *Joasum* ac *Amaziam* præterierit. Quidam *librariorum* seu *descriptorum* id factum putant *negligentia*, qui à Joram lectione ad Oziam prolapsi, cum in Græca scriptione inter ὀζίαν & ὀχοζίαν similitudo non exigua intercedat, imo si unica saltim è posteriori nomine sumatur syllaba prorsus conveniant. Sed cum omnes prope Codd. Græci, quibus Liturgiam illam MS. antiquissimam jure adnumeramus, constanter illos tres Reges omittant, *Syrus* quoque vetustissimus Interpres, nulla vero quoad hoc in Codd. dissensus, itemque *Arabs* & *Æthiops* receptam lectionem Græcam sequantur, nec Latini quoque reclament Codices, *Hieronymi* etiam jam tum tempore tres isti Reges in textu Græco fuerint desiderati, periculosum omnino ducimus, tantam, tam antiquam ac universalem prope Codicum corruptionem statuere. Accedit & hoc, quod si tres hi inserantur Reges, tesseradecas altera numerum suum excederet, ac Evangelistæ vers. 17. scopum everteret, qui fuit, per tres tesseradecades generationem Christi ab Abrahamo usque deducere. Nonnulli igitur *studio* (illos enim, qui *ex oblivione ab Evangelista id factum* putant, vel *Evangelistam nominum similitudine deceptum tale quid perpetrasse*, nullo modo audiendos putamus) ipsum Evangelistam tres illos Reges omisisse censent, tum quia propositum ipsi fuit non excedere tesseradecadem in singulis trium Ordinum, quos constituit, tum quia *Ochozias*, *Joas* ac *Amasias* proxime geniti fuerant ex semine *Achabi* & *Jezabelis*, quorum posteritatem penitus delendam minatus erat Jehova 1 Reg. 21: 21. quia igitur *Joramus* ducendo Athaliam, filiam Achabi 2 Reg. 8: 18, 27. unde & filius Achabi dicitur vers. 16. & 25. male dictionem familiæ Achabi in se ac posteros in tertiam usque generationem derivavit, ipse quoque vs. 18. ac filius Ochozias 2 Paral. 22: 3. nepos ejus Joas 2 Par. 24: 21. pronepos Amazias 2 Paral. 26: 26. non impii solum fuere, sed & veræ quoque religionis ac Prophetarum persecutores, sicuti de Joas & Amazia satis constat: inde haut mirum nonnulli putant, quod eos Evangelista in Messiæ Genealogia non posuerit, qui de Messia doctrinam omni studio è subditorum animis eripere ac delere fuere conati. *Tantam igitur fuisse domus Achabi pœnam*, nim. *in tertiam ac quartam generationem*, *quanta fuerit benedictio Jehu propter domus Achabi delectionem*, quidam inde colligunt. Et *conformiter omnino mandato divino*, *quo condemnati tanquam qui nunquam aut regnassent*, *aut vixissent*, *habendi videbantur Evangelistam hic fecisse*, scribit *Fr. Lucas.* Placuit sane Evangelistæ tres Reges domesticos Regiique sanguinis propter eorum impietatem omittere, ac contra tres peccatrices fœminas easque alienigenas, sed in Messiam credentes, in sanctæ nativitatis ordinem collocare ac evehere. Illorum, qui *Salomonis lineam in Ochozia*, *sine liberis moriente*, *defecisse* arbitrantur, sententiam, prolixe refutant Magnus *Chemnitius* Harm. Evang. Part. 1. cap. 3. pag. 103. *Fr. Lucas Brugensis* ad vs. 8. cap. 1. Matth. *Frid. Spanhem.* Dub. Evangel. Part. 1. pag. 97. & seqq. qui etiam satis prolixe de allato dubio disserit, Dubb. E. P. 1. pag. 20. & seqq. Sufficiat vero nobis, hæc talia saltim recensuisse, cum nec ad scopum nostrum colliment, & à Cathedra etiam hac, sicuti & nonnulla, de quibus Pos. IV. sint aliena.

POSITIO X.

De Scriptione Syra nominis Rechabaam.

Cum scopus harum Exercitationum ac materia quasi sit, Codd. excusos Syros cum nostro MS. conferre, & sicubi in lectione sese offerat interdum discrepantia, inquirere, quænam alteri præferenda, veniam speramus impetrabimus, quod in leviculis etiam officium nostrum haut deseramus, versu 7. Codex noster nomen רחבעם cum præf. ל ita punctatum monstrat: ܠܪܚܒܥܡ ponendo *ptocho* supra ܒ, cum Codd. cæteri *revozo* eidem subscribant. Sane non mala Codicis nostri punctatio: firmat enim eam scriptio Ebræa V. T. quo in nomen laudatum sic invenimus רְחַבְעָם nec juvat vulgatam punctationem Scriptio Græca, in qua ῥοβοάμ est (eximium in hac voce exemplum perspicimus, Græcos *scheva* Ebræorum per *o* breve expressisse, videantur de hac re etiam Cl. Philologi *Drusius*, *Dilherrus*, *Lud. de Dieu*) omissa littera adsperata *cheth* in medio, quæ cum in nominibus propriis inseratur, ut apud Syros omnino fieri potest, recipere sane debet illam vocalem, quam alias in scriptura Ebræa possidet (nisi *scheva compositum* hic adsit, tali enim in casu scheva simplex adsumit, vel hujus loco sub *Olaph*, *Revozo*, ut alibi ostenditur) & hac quidem in dictione *a* breve, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Minime vero etiam adprobanda vel præferenda *Crinesii* punctatio, quæ in Lexico talis sistitur: רְחַבְעָם, ita ut ע quiescat in ptocho sub ב, quæ lectio nec Ebrææ accedit, nec ullum ex editis Codicibus, quorum notitiam copiamve impetrare potuimus, habet consentientem, utut non abnuamus, ע aliquando apud Syros pro *ptocho scheva* simplex obtinere, quod in scriptione Ebræa omitti solet, ceu ex nomine יַעֲקֹב manifestum. Verum id nihil hic pro *Crinesio.*

SOLI DEO GLORIA!

M. JOH. ERNESTI GERHARDI
Π Ε Ν Τ Α Σ
POSITIONUM
Ex
Lingua Ebræa, Chaldæa, Syra, Arabica & Æthiopica.

POSITIO I.

Regula Hieronymi de voce עולם *expensa, quando æternitatem illa notet, & quando tempus saltim diuturnum.*



Holem prope literas indagheschabiles scribi sine Vau, tritus est Grammaticorum canon: sed quod veritati non semper ille litet, jampridem ab aliis ostensum. Placet impræsentiarum idipsum demonstrare exemplo dictionis עולם, quam nonnunquam sine Vau scribi, aliquando etiam cum eodem, in propatulo est, adeo quidem, ut ex diversa hac Scriptione *D. Hieronymus* Comm. ad Cap. 1. ad Galat. colligere voluerit, quando prædicta vox *æternitatem* notet, & quando *breve temporis spacium. Si* scilicet *cum Vau scribatur, æternitatem notare; si verò sine eo, quinquagesimum annum, quem Jubilæum Judæi vocant, Hieronymi* sententia est. Negari sane poterit neutiquam, quod עולם interdum æternitatem, interdum tempus finitum indigitet, & confirmationi sententiæ ac regulæ Hieronymianæ inserviunt loca, Genes. 21: 33. Psal. 9: 8. 33: 11. 102: 13. Es. 40: 28. ubi cum sustentaculo invenitur ac etiam æternitatem notat: sed inveniuntur exempla, ubi cum Vau tempus saltem longinquum, & sine eo æternitatem significat, adduciturque à Dn. *D. Glassio* Orat. de Ling. Ebr. necess. pro prioris asserti confirmatione Deut. 15: 17. pro posterioris Exod. 3: 15. Sed excipiat aliquis cum *Floravantio* lib. 1. de Trin. Cap. 3. *discrimen hoc*, quod ex Hieronymo allatum, *in exemplaribus correctioribus, quibus Hieronymus usus fuerit, perpetuum fuisse.* Sed opponimus sententiæ huic 1. constantem Codd. Ebræorum lectionem, quos omnes minus correctos, quis quæso, fontium puritatem agnoscens velit asserere? at vero hi omnes loco Exod. 3: 15. à D. D. *Glassio* allegato, vocem עלם de Deo adhibitam ac veram æternitatem denotantem defective exhibent. Adjungimus insuper adducto loco alia loca sc. Exod. 15: 18. ac Deut. 32: 40. ubi similiter de vera æternitate sermo est, & tamen Cholem fulcro suo in omnibus Codd. hodie destituitur. Urgemus 2. Masoram utramque, quam non immerito cum Judæis סיג לתורה aliquis dixerit. Illa autem non solum ad prædicta loca (magna quidem ad primum saltim locum, at parva ad omnia tria) observat, cholem fulcro suo carere, sed insuper, (quæ summa est ac prope stupenda Judæorum in libello isto diligentia ac circa puritatem verbi divini conservandam zelus ardentissimus) ostendit, quoties in tota lege aliisque divini fœderis tabulis vox לעלם defective, h. e. sine sustentaculo Vau & cholem reperiatur. Quamvis autem ad *sedecim* saltim loca suum יו חס׳ de prædicta sc. voce addiderint Masorethæ, in Masora sc. parva, nimirum Genes. 3: 22. Exod. 3: 15. Cap. 15: 18. cap. 21: 6. (ubi insuper in Masora parva hæc adduntur כל אורי׳ חס׳ יבימ׳ב׳, quibus indicatur, quod in tota Lege præterquam in duobus tantum locis, sc. Exod. 19: 9. ubi itidem hoc notarunt Masorethæ nota margin. ב׳ מ׳ל כתו׳ ac Deuter. cap. 23: 6. quemadmodum hoc ipsum ostendit nota Masor. ibidem ב׳ חס׳, defective h. est sine fulcro ו in לעלם cholem inveniatur) Exod. 31: 17. Cap. 32: 13. (hoc quidem in loco *Buxt.* in Conc. minus recte cum fulcro exhibet) Lev. 25: 46. Deuter. 5: 29. cap. 32: 40. 1. Reg. 1: 31. cap. 2: 33. cap. 9: 5. cap. 10: 9. Job. 7: 16. Psal. 75: 10. 92: 9. patet tamen ex illa ipsa nota, octodecim debere esse loca. Inde recte quoque *Buxt.* numerum complet, addendo Genes. 6: 3. ac Ps. 45: 18. quibus in locis itidem defective invenimus in Codd. Ebraicis, præterquam in Bibl. *Ariæ M.* quæ ultimo loco cum ו exhibent. Putamus tamen *Buxtorffii* aliorumque lectionem hic præferendam *Ariæ M.* Sic עלם Eccl. 3: 11. & עלמו Eccl. 12: 6. semel saltim (Masora id suo ב׳ חס׳ indicante) defective inveniuntur, quemadmodum לעלמים ter, sc. Psal. 145: 3. Eccl. cap. 1: 10. & Daniel. 9: 24. prout nos docent hoc nota sua ג׳ חס׳ בלישׁ׳ i. e. *ter deficiens in hac* (plur. numeri) *forma*, quam ad duo priora loca ipsi addiderunt. Remanet igitur in reliquis locis ac formis tempore Masoretharum h. e. antiquissimo in Codd. Ebraicis, annon correctis? lectum fuisse cholem cum ו. An autem ubique etiam æternitatem notat? nolumus jam adducere locum Es. 54: 17. ubi עדמים *Kimchi* בפש exponit: העולם הזה והעולם הבא (quid per עולם הבא intelligant Judæi, erudite ostendunt Philologi, in illorum scriptis non peregrini, *Buxt.* Lex. Rabb. voce עולם & *Hacksp.* ad Lipmanni Nizachon cap. 2. p. 354.) quibus idem *Kimchi* subjungit וכן צור עולמים (Esai. 26: 4.) nec urgebimus etiam עולמים Psal. 61: 5. quod de ימים ארוכים intelligit idem *Kimchi*. Placet vero sententiæ illi, quod לעולם cum sustent. *æternitatem* denotet, opponere Genes. 17: 8. ubi Deus promittit, se *Israelitis daturum terram Canaan* לאחזת עולם ubi ad tempus saltim Messiæ adventus respectum haberi, probat Dn. D. *Glass.* ex Genes. 49: 10. & experientia etiam comminationem divinam Deut. 28: 64. comprobavit. Addimus alia loca sc. 2 Sam. cap. 12: 10. & 1. Par. 15: 2. ubi עד־עולם de tempore vitæ saltim exponit *Kimchi* בפש. Annon vero & מעולם Jerem. 5: 15. tempus finitum notat? annon etiam hoc ipsum c. 2: 20. recte id. exponit per מזמן רב. Sane quod ap. eund. Proph. c. 25: 9. עולם futurum prænunciatur, statim vs. seq. 11. ad septuaginta restringitur annos, prout observat *Glassius.* Sed regerat aliquis ulterius, Hieronymum non de *absoluta æternitate* loqui, sed de tempore admodum longo, vel nobis incognito, idque sufficere ad distinctionem *temporis Jubilæi*, cui terminus definitus, *annus* sc. *quinquagesimus.* Sed, ut ut *Hieronymi* verba plerique Auctores aliter exponant, adhuc obstat Hieronymi sententiæ Deut. 15: 17. ubi integre עולם reperitur, ac tamen de *Jubilæo* saltim *tempore* sermonem esse, nemo non ex aliis Scripturæ locis colligit. Sane *Kimchi* etiam Exod. 21: 6. legit integre ועבדו לעולם ubi similiter de Jubilæo saltim tempore sermonem esse, Dn. D. *Glassius*, qui itidem integre exhibet, notat, imo etiam רל, cit. *Kimchio*, ita exponit כל הימים עד היובל: Sed cum expresse ad h. l. Masorethæ addiderint כל אורי׳ הס׳ בלב׳, alludentes eo ad loca, Exod. 19: 9. & Deut. 23: 6. ut supra vidimus, nolumus, nec possumus etiam locum istum *Hieronymo* opponere. Addimus autem ἐκ περισσοῦ 1 Sam. 1: 22.

ubi עד־עולם de certo ac finito saltim tempore sumendum esse, in propatulo est, atque ita etiam רדק ad illum locum accipit, dum dicit: ונתתיו לי״י כל ימי חייו qui insuper subjungit de *Levitarum seculo* עולם h. l. accipi. והוא עולם של לוי שם חמשים שנה ומשבא לבית יי עד יום מותו המשים שהה ac clarissime etiam de *quinquagesimo anno* (quod etiam Magnus B. *Chemnitius* facit) explicat רש״י quando ad h. l. commentatur: עולם של לוים חמשים שנה שני׳ (וידי ח כה) ומבן חמשים שנה יושב מצ א העגרה nec abludit רלבג, cujus hæc ad h. l. observatio: עולם שהוא יובל אמרו זל שכבר ישב שם המשים שנה כע למו של יובל ולזה אמלו שכר ימיו &c. Stat igitur nostra adsertio, quod non solùm עלם defective sive sine ו veram & absolutam interdum notet æternitatem, verum etiam, quod לעולם מעולם & עולם de finito tempore adhibeantur: contra ac sensit *Hieronymus*, Pater alias ut sanctissimus, ita quoad has litteras omnibus Patribus (excepto forsan *Origine*) præferendus; quem tamen dormitasse etiam in his nonnunquam, deceptum à Judæis, Patrum scita sine delectu sequutis, adfirmare etiam non dubitat CL. *Hackspan.* disp. de nomine יהוה 1. th. 6. Sed instas: unde igitur cognosci potest, quando prædicta vox עולם, itemque לעולם & מעולם æternitatem notet, & quando non? Respondemus, ex *Hieronymi* data regula haberi id non posse, quam n. non firmum è vocis hujus scriptione diversa petatur argumentum, ex dictis liquet; ex integra igitur phrasi ac contextu, quo sensu adhibeatur, cognosci posse putamus. Ita phrasis illa, מקדם מימי עולם Mich. 5:2. quia nuspiam in S. Codice duntaxat tempus longinquum post mundum creatum indicat, sed potius absolutam æternitatem ante mundi creationem, ut tradit B. *Gerhardus* Coll. Isagog. Luc. 4. c. 2. §. 16. inde recte ex illa à nostris Theologis contra Photin. concluditur vera Messiæ secundum divinam naturam æternitas, & sic etiam divinitas. Sed cum hæc talia ad superiorem pertineant cathedram, quapropter merito etiam eò remittimus, quemadmodum etiam illa omnia, si quæ forsan hactenus allata, ad istam spectantia.

POSITIO II.

Rejicitur etymologia nominis Evæ *è Lingua Chaldaica, adduciturque vera è Lingua Ebræa & confirmatur.*

MAgni quidem facimus Linguam Chaldæam, quippe quam DEUS ipse tanti fecit, ut *in Lege, Prophetis ac Hagiographis* illius indicia haut obscura conspici voluerit: non tamen arridere nobis potest studium eorum, qui illorum etiam nominum origines è Chaldaica arcessunt Lingua, ubi tamen melius, certe, æque bene in Ebræo horto radix hujus surculi investigari potest. Referenda huc etymologia nominis חַוָּה *Evæ*, quod בעל הטורים (de quo scripto non falsum בכ״הפ tulit judicium Cl. *Schick*) à חוה i. e. *locutus fuit*, derivat, ita n. ad Gen. 3. commentatur ויקרא את שמה חוה על שם שמחוה (בק) numerus expressus (עשרה) (רב) והיו שאמרו קבין שיחה ירדו לעולם תשעה נטלו נשים: i. e. *Et vocavit nomen ejus Chavva, quia (multum* videlicet) *loquitur. Et hoc est quod dicunt* (sc. *Magistri nostri in Talmudh* ס׳ נשים מ׳ קדושין f. 49.) *decem cabi* (mensuræ frumentariæ genus) *garrulitatis descenderunt in mundum, novem acceperunt* (sustulerunt) *mulieres.* Sed obstat ipsa Scriptura S. quæ aliam nominis hujus nobis etymologiam expressis ostendit verbis C. 3. vs. 20. *quod scilicet Adam uxorem suam* חַוָּה *vocaverit, quoniam ipsa mater* esset כָּל־חָי *omnis viventis.* Lutherus ad genus humanum adplicare videtur, reddit enim: Darumb daß sie eine Mutter ist aller Lebendigen/ clarissime vero *Onkelos* דְכָל־בְּנֵי אֱנָשָׁא *omnium filiorum hominum.* Eodem sensu *R. A. Ezra* כל חי מבני אדם itemque ר״שי ad h. l. Et hanc limitationem in *Arabe* etiam cernere est, qui ita habet: ושמי אדם אשם זרגתה ... חוה לאן כאנת אם & *vocavit Adam nomen uxoris suæ Eva, quia ipsa mater fuit omnis VIVENTIS LOQUENTIS* seu *RATIONALIS.* Respexerunt etiam forsan huc LXXII. Cur autem י in ו sit permutatum, (Radix enim est חיה i. e. *vixit*, in Piel, *in vita conservavit*, vid. Ps. 22:30.) hanc reddunt nonnulli causam, ne cum חַיָּה quod *bestiam* notat, nomen *Evæ* confundatur. Voluit hoc ipsum Sapiens רא״ע quando ad hunc locum ita commentatur לא קרא ביוד כי מה הפרש יש בין שמה ובין שם החיות præmisit idem paullo ante הויו והיוד מתחלפים.

POSITIO III.

Syrus multas N. T. ellipticas locutiones supplevit.

MUltas dari in S. Codice Novi Instrumenti phrases ellipticas, nemo facile, puto, iverit inficias. Plurimas studiose collegit ac feliciter exposuit Philologiæ Sacræ destina ac seculi hujus ornamentum *Dn. D. Glassius* in Gramm. Sacra passim. Non parum nos capimus delectationis, quando multas eodem, quo laudatus Philologus & Theologus clarissimus supplevit modo etiam ab Interpretibus antiquis *Syro* & *Arabe* videmus suppletas. Unde colligere in propatulo est, quam egregie sibi constet veritas. Nos misso impræsentiarum *Arabe*, pauca adducemus exempla, quæ in paraphrasi Syra obvia. Constat ex Apostolorum historia, Ephesios Dianam summa devotione coluisse, qua de causa cum scriba quidam excitatam turbam flexanimis verbis compescere vellet, in hæc erupit verba: *Quis nescit Ephesiorum urbem adituam esse magnæ Deæ Dianæ* καὶ τοῦ Διοπετοῦς; Quæ postrema verba sine ellipsi accepit *Vulgatus*, reddit enim: *Jovisque prolis.* Ast rectius doctiores Interpretes ellipticam hic agnoscunt locutionem, ac subintelligunt ἀγάλματος vocem. Egregie sane horum sententiam adprobant vetustissimi Interpp. *Syrus* & *Arabs.* Nos hoc loco, quam eleganter ac perspicue *Syrus* reddiderit, videbimus: ita autem habet: ܘܕܨܠܡܗ ܕܢܚܬ ܡܢ ܫܡܝܐ & *simulacri ejus* (sc. Dianæ) *quod de cœlo descendit.* Persuadebant enim Dianæ Sacerdotes credulo populo, Idolum illud è cœlo fuisse delapsum. Quis nescit Matth. 1:6. ἐλλειπτικῶς dictum ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, ac subintelligendum γυναικὸς itemque γεγονυίας quomodo per posterius supplevit *Arabs*, per prius *Syrus.* Sic idem nominis ܒܪ additione complevit ellipticas locutiones Matth. 4:21. Marc. 2:14. Luc. 3:24. & sequentibus Joh. 13:2. c. 21, 2. & 15. Act. 7:16. Nec tamen dissimulare possumus, eundem Interpretem haut raro ellipticam locutionem fuisse sequutum, uti Marc. 15:47. c. 16, 1. Joh. 19:25. aliquando etiam aliter complevisse, ac factum à laudato *Dn. D. Glassio*, aliisque Interpretibus. Sic Luc. 6:16. post Ἰούδαν Ἰακώβου, *Dn. D. Glassius*, *Beza*, *Conzenius*, *Estius*, *Fr. Lucas.*, *Barrhadas*, &c. subintelligunt nomen *Fratris*, at *Syrus* una cum *Arabe* supplet per additionem nominis *Filii.* Idem ab iisdem factum, Act. 1:13. Sed cum pagellæ ratio plura addere prohibeat, his sumus contenti.

POSITIO IV.

Ellipticas locutiones Arabs *in N. T. supplevit interdum, & quomodo?*

QUod de *Syro* N. T. Interprete Pos. præcedente dictum, quod non raro ellipticas in Novi fœderis tabulis occurrentes locutiones suppleat, id ipsum de *Arabe* thesi hac adserere placet. Exempla quis desiderat? evolvat Matth. 4:21. Marc. 2:14. Luc. 3:24. & seqq. Joh. 21:15. &c. ubi ellipticas locutiones per insertam dictionem ابن complevit. Quemadmodum vero *Syrus* non raro ellipsin secutus est, ita quoque idem ab *Arabe* factum esse perspicimus. Ne tamen aliquis inde colligat, quasi *Arabs* semper *Syrum* fuerit secutus (quemadmodum sunt, qui Arabicam N. T. versionem è Syra adornatam esse putant, cum quibus jam nil disputabimus,) en locum Marc. 15:47. & c. 16:1. ubi *Syrus* ἐλλειπτικῶς etiam loquitur, ast *Arabs* ob additionem nominis أم nihil tale hic sibi tribui concedit. E contra *Syrus.* Joh. 6:71. c. 13, 2. & 26. tollit ellipsin, quando inserit ܒܪ, quam tamen *Arabs* prorsus imitatur. Diximus etiam, quod Syrus interdum aliter compleat ellipses, quam factum à *Dn. D. Glassio* aliisque Interpp. Idem de *Arabe* adserere nos jubet Joh. 19:25. ubi ἐλλειπτικῶς dici Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ, ac subintelligendum esse γυνὴ, suadent *Dn. D. Glassius*, *Estius*, *Barrhadas*, *Pasor*, itemque Beza: quamvis hic tam per *uxoris* quam *filiæ* nomen ellipsin hanc expleri posse existimet, quod etiam *Camerarius* facit, hac tamen distinctione, ut ille magis ad prius inclinet. Nec obstat illius sententiæ, quod *Dieu* contra eam adferre videtur. *Arabs* tamen per additionem dictionis ابنة i. e. *filia* complet. Qui complendi modus etiam jam dudum *D. Hieronymo* non displicuit. Sic ubi Luc. 6:16. ellipticum sermonem Ἰούδαν Ἰακώβου *Glassius* ac *Beza* complent, subintelligendo ἀδελφὸν, *Arabs* juxta cum *Syro* amplectuntur nomen

men *filii.* Idem quoque factum videmus Act. 1. 13. ubi similiter *Glassius* & *Beza* fratris nomen volunt subintelligendum ex Judæ vs. 1. quo in loco dum *Pasor* in voce *Juda* asserit, *Judam vocari filium Jacobi*, quis videt manifestum memoriæ lapsum? Luc. 3: 23. ellipsin Ἰωσὴφ τοῦ ἠλὶ *Dn. D. Glassius* supplet, subintelligendo γαμβροῦ, id est, *generi, cum genealogia Mariæ contexatur, non Josephi.* Ast *Syrus*, cum quo & Arabs hic facit, *filii* nomine complet. Quod etiam *B. Lutherus* in vers. Germ. fecit. Nec tamen existimandum, quasi generi voce h. l. non possit etiam suppleri, quod *Beza* putabat, maxime quando Latine aut Germanice exprimere & complere volumus. Et licet *Syrus*, itemque *Arabs filii* vocem adhibuerint, exinde tamen colligi non potest, quod *filii* vocem stricte acceptam voluerint, cum Orientales *filii* voce etiam pro *nepotibus* & *generis* utantur, quemadmodum *Patris* pro *Avo* & majoribus, de qua re, quod ad Ebr. videri possunt *Dn. D. Glassius* Rhet. S. p. 447. *B. Gerhard.* Comm. in Gen. p. 682. 480, 558, 299. *Spanh.* dub. Evang. Part. 1. p. 19. & 20. Ut non opus sit cum nonnullis è Pp. Græcis statuere, *quasi Josephus duos Patres habuerit, alterum verum ac naturalem, nim. Jacobum, & ad hunc respexisse Matthæum, alterum autem* νομικὸν sc. *Eli*, de quo Luc. c. 1. *cujus post obitum uxorem relictam Jacobus illius,* ὁμομήτριος *duxerit, & Josephum genuerit.*

POSITIO V.

Æthiopicæ Linguæ utilitatem, facilitatemque commendat.

Linguam hanc elegantissimam, qui vilipendunt, vel aversantur, quod difficilis forsan sit, nec quicquam omnino utilitatis illius cultori ceu laboris præmium reddat, næ ille minus æquus rerum æstimator nobis videtur atque censor. Ac facilitas quidem linguæ hujus tanta est, ut sponsionem facere non vereamur, si quis Ebræa Lingua imbutus, circiter mensis spacium illi impenderit, eo usque sit progressurus, ut proprio Marte, adhibito tamen Lexico (quale dedit nobis *Jacobus Wemmers* una cum Institutionibus Grammaticis ejusdem Linguæ, Romæ 1638.) Æthiopica scripta interpretari utcunque ac intelligere possit. Neque enim talem in omnibus Linguis Orientalibus quispiam requiret notitiam, ut sine Lexici subsidio intelligere vel loqui, omnis qui illarum tenetur amore, illas debeat. Sufficit n. nobis, quibus ipsa Orientis Regna adire denegatum, si antiquas, quæ in linguis his extant, S. Scripturæ versiones evolvere, & quomodo Orientales Ecclesiæ hunc vel illum Scripturæ divinæ locum intellexerint, inde perspicere possimus. Nec versionibus Latinis semper hic fidendum, quippe quas non raro Papales ad suum adornarunt genium. Nolumus jam memorare, quod Vetus Testamentum, si *Helvico* fides habenda, in *Ægyptiacam, Indicam, Armeniacam, Persicam, Arabicam, Æthiopicam* &c. antiquitus sit transfusum Linguam, quæ tn. versiones temporum injuria fere periere, ut nihil nobis de illis prope restet, nisi desiderium, & quod aliquando extiterint, notitia. Urgere tamen aliquis non incommode forsan posset, quod etiamnum præter *Arabicam* & *Syriacam* Psalterii ac Novi fœderis paraphrasin, exstet quoque *Æthiopica.* Et Psalterii quidem Interpretatio Coloniæ edita superiori seculo per *Johannem Potken.* Novi autem Testamenti versio edita Romæ 1548. cura *Petri Æthiopis* Monachi. De quarum versionum licet antiquitate nihil jam certi adfirmare audeamus, ex antiquo tamen Codice MS. illas desumptas esse, haut improbabiliter statui potest. Nec præterire debemus, quod nonnulli tradunt, Christianam religionem inter primos suscepisse Æthiopes, transferente illam in amplissimum illud regnum Eunucho quodam, Thesaurario Candaces Æthiopum Reginæ, qui à Philippo Apostolo baptizatus & in fide de Christo informatus, prout Act. 8. prolixe legere est. Confirmasse postea in recepta fide Christiana Æthiopes ac latius Religionem propagasse *Matthæum* Apostolum & Evangelistam, nonnulli tradunt. Latissime in Asia cum Æthiopico Regno Religionem Christianam sese extendisse, putat Cl. *Crinesius* Disc. de Conf. Lingg. c. 8. indicio esse cruces Æthiopicas, quæ in Giapan, Sinan & alibi visuntur. Thomæ etiam templum in Regione Maabarsitum, nil nisi Æthiopicum habere, cruces, structuram multaque alia, imo ipsum nomen, quod non Indicum nec Persicum, sed Æthiopicum, nim. *Chawaria* h. e. *Apostolus*, tradit prædictus *Crinesius.* Adhibent sane Æthiopes vocem ሐዋርያ፡ quam *Scaliger* etiam per *Apostolum* exponit, in de Emend. Temp. p. 338. Sequuntur *Scaligerum* alii, & inter hos quoque *Crinesius*: sed quod pace tantorum virorum dicamus, potius videtur *liberum, ex nobili familia ortum* notare. Est n. à Nomine nudo ሐዋሪ፡ *nobilis libera ac vaga familia*, quæ longe lateque sese extendit & quasi vagatur, sic Ps. 22: 30. በሐዋሪትክሙ፡ *in familiis vestris*, ἐν ταῖς διασποραῖς. Radix est ሐዋረ፡ contracte ሖረ፡ *abiit, libere vagatus est*, & hinc est allegatum nomen ሐዋሪ፡ & ab hoc ሐዋርያ፡ à quo descendit nomen patronymicum ሐዋርያዊ፡ *ortus ex vaga seu nobili familia.* Talis certe est Æthiopum Rex, qui communi nomine ንጉሥ፡ ሐዋርያዊ፡ salutatur; Est enim Monarcha & à Davide usque (persuasum enim sibi habent Æthiopes, Æthiopiæ Reginam, qua de Sacræ Historiæ commemorant, quod ænigmatibus Salomonem tentare, ex Saba ad illum fuerit profecta, ex Salomone concepisse filium nomine *Menimelech*, prout *Reatinus* tradit in Recens. Reg. Æth:) familiam suam recenset. Sed de hac re alibi. Addamus saltim hoc, ex prædictis colligi quodammodo posse Æthiopes cum tam promte Christianam religionem susceperint, verbi divini eatenus quoque habuisse curam, ut in suam transfuderint libros sacros Linguam.

SOLI DEO GLORIA.

M. JAC.

M. JAC. THOMASII
QUATUOR INSIGNIA EVANGELISTARUM.

GRATIA SALVATORIS!

§ I.



EGregia ſane, nec ſine exacta & accurrata rei ponderatione prætermittenda viſio illa eſt quatuor animalium, (a) Hominis (b) nempe, Leonis, Bovis, (c) & Aquilæ, quæ Ezechielis (d) primum, deinde in Apocalypſi (e) quoque Johannis fuit uſurpata oculis.

§. 2. Num hæc animalia in utroque Scripturæ Sacræ loco idem ſignificent, non eſt noſtrum expedire, ſed merito decidendum hoc negotium relinquimus Cathedræ Thelogorum.

§. 3. Controverſiæ huic & illam adjungimus examinandam, quænam ſit veriſſima hujus viſionis ſignificatio & explicatio. (f)

§. 4. Sunt vero valde variæ illius expoſitiones & tot fere reperiuntur, quot Commentatores, qui vel ſacram Ezechielis Prophetiam, vel venerandam Johannis Apocalypſin Scholiis illuſtrarunt, vel alias in Materiam hanc inciderunt, adeo, ut operoſum nimis videatur negotium, omnes, in quas viſio iſta tracta eſt, allegorias commemorare. (g)

§. 5. Tanta quoque difficultate pollere viſio hæc viſa fuit veteribus, ut antiquiſſimi Ebræorum in libro quodam apud eos authentico expreſſe expoſitionem ejusdem eſſe ſecretiſſimam determinarint. (h)

§. 6. Nos omiſſis & relictis aliis illam tantum curatius paulo inpræſentiarum conſiderabimus ſententiam, quæ quatuor Evangeliſtis quatuor illa animalia applicat, & illorum ea Inſignia eſſe, eleganter ſtatuit.

§. 7. Et ita quidem hunc laborem ſuſcipiemus, ut non falcem in alienam immittentes meſſem, verbi divini & Scripturæ Sacræ Secreta interpretemur, ſed hiſtoriam tantum accommodationis hujus recitemus.

§. 8. Fuit autem hæc de quatuor Evangeliſtis expoſitio fere totius Eccleſiæ Primitivæ communis. *Qui enim ante nos*, inquit Auguſtinus (i) *Scripturarum Sacrarum myſteria tractaverunt, plerique in his animalibus quatuor Evangeliſtas intellexerunt.*

§. 9. Enimvero ſunt quatuor Evangeliſtæ *Sanctæ quædam quaſi Domini quadrigæ*, ut alicubi eos idem vocat Auguſtinus (k) quibus per orbem tanquam curru triumphali vectus ſubegit populos, & odorem cognitionis ſuæ ſparſit.

§. 10. Cæterum in iſto conſenſu eſt nihilominus haut parum diſcordiæ, cum ſigillatim quæritur, quodnam animal

(a) *Quatuor Animalia, propter alas forſan, quidam Eruditorum quatuor Cherubim appellant.* Τεσσάρων χερουβὶμ *mentio apud Athanaſium fit, citante Pelargo Q qu. in Matth. p. 13. Cherubim bis binis vultibus vocat Tertullianus poëm. p. 95. Cherubim quadriformia Irenæus L. 3. adverſ. Hæreſ. c. 11. fol. 186. fin. Cherubinos Ezechielis Cornelius Cornelii à Lapide Comm. in quat. Evangel. Proœm. p. 10. D. a.* (b) *Sunt qui Angelum vocant. Nimirum omnia iſta quatuor animalia ſunt alata. Minime autem homo opponendus Angelo, uti quidem cenſet Nobiliſſimus Barthius 61. Adverſ. fol. 554. diſcrepareque ſtatuit vulgarem Picturam, quæ Matthæo Angelum appingit ab illa, quæ pro Angelo ipſi dat Hominem. Homo enim Alatus Angelus.* (c) *Bovem Ezechielis, vitulum Johannes vocat in Apocalypſi juxta vulgatam.* (d) *Ezech. 1: verſ. 10.* (e) *Apocalypſ. 4: verſ. 7.* (f) *Interim, ſi placet, poterit evolvi Fridlib. Obſerv. in Apoc. p. 358. qu. 28. Oſiander in Bibliis ad Ezech. & Apocal. Tremellius & Junius Schol. in Ezech. p. 170. qui duo de quatuor proprietatibus explicant Angelorum, qui adeo definiri inde poſſint hoc modo: Spiritus eſſe intelligentes ut homo, potentes ut leo, miniſtratorios ut bos, & celeres ut aquila. Adde Prucknerum in Vindiciis ad utrumque locum: ut & Gamalielem noſtrum Venerandiſſimum Dominum D. Cromajerum Commentar. in Apocal. p. 103. & 105.* (g) *Sufficiant interea pauculæ quædam ſententiæ, quas hic præterire noluimus. Raph. Eglin. de Helia Artiſt. Cap. 2. ad quatuor Eccleſiæ tempora accommodat. Juſtinus Martyr. qu. 44. Tom. 3. oper. fol. 84. ad Nebucadnezarem, cujus ungues creverunt ſicut Aquilæ, & capilli ut jubæ Leonis, qui ad inſtar vituli herbam depaſtus eſt, & cor hominis datum eſt ei. Archangelus de Burgonovo in Cabbaliſt. p. 768. ad quatuor Elementa applicat; ſicuti Chaſſanæus in Tract. de Gloria Mundi Part. 33. Conſol. 3. p. 152. Evangeliſtas ad quatuor Elementa applicat, uti videre eſt ap. eund. Alii ad quatuor præcipuas virtutes Apoſtolis & aliis Evangelii prædicatoribus conceſſas. Vide* Frey Biblisch Thierbuch *pag. 143. Quidam Mundi ætatem quatuor annorum millibus definiverunt, ob quatuor animalia Ezechielis. Vide Gaſſendum Tom. 1. fol. 177. Adhuc aliter Proclianitæ apud Philaſtrum pag. 46. adde Petrejum de hæret. pag. 186. Prateolum pag. 702. R. Elieſer per animalia quatuor Principes ſuperiores præpoſitos quatuor Regnis, videlicet Principem Monarchiæ Babylonicæ, Perſicæ, Græcæ & Romanæ intelligit, ut facies Leonina deſignaverit Babel, juxta Jer. 4: 7. aſcendit Leo de Cubili ſuo. Facies humana Reges Mediæ & Perſiæ, quia illi clementer & humaniter tractaverint Iſraelitas ſibi ſubditos, qui illis Facultatem dederint revertendi in Patriam, exſtruendi templum &c. Facies Taurina Alexandrum Macedonem, qui Cornu feriit alios Reges. Facies Aquilina Imperium Romanum, quia omnes Imperatores Romani in ſuis vexillis Imaginem Aquilæ gerunt. Vid. Guilielm. Henr. Vorſtius animadv. in Pirke ſeu capitulo R. Elieſer pag. 154. edit. Lugd. 1644. & Antonin. Part. 1. ſum. Tit. 6. §. 19. varias etiam allegorias habet Stegmannus Chriſtognos. pag. 894. adde & Nicolaum de Lyra expoſit. in Ezech. & Lit. Q Q.*

(h) *Antiquiſſimi Ebræorum inquit Nicol. de Lyra, addit. 1. in c. 1. Ezechiel. Sive Thalmudici, in quodam libro authentico apud eos, qui dicitur Haguiga, expreſſe determinant, quod intelligentia hujus viſionis Ezechielis debet eſſe ſecretiſſima, ſic, quod non licebat alieno eam ſcienti alios de ipſa docere, niſi tantum unum, & hoc in magno ſecreto non exprimendo totam intelligentiam &c.* (i) *Tractatu 36. Joh. Tom. 9. oper. fol. 279.* (k) *L. 1. de Conſenſ. Evangel. c. 7. Tom. 4. oper. fol. 375. ubi & capite 2. fol. 372. rationem reddit quandam numeri quaternarii his verbis: & bene quatuor, quoniam ſunt quatuor partes orbis terræ. Circa hoc tamen aliam rationem ſuppeditat Origenes ap. Gerhard. Tom. 1. Harm. quat. Evang. cap. 8. à Paradiſi fluminibus deſumtam. Præterea quadrigam etiam vocat Hieronymus Tom. 5. fol. 177.*

cui Evangelistæ comparandum sit? Qua quidem in re tres numerare possumus sententias. Sed eas antequam videamus, præmonenda quædam sunt de duplici ordine tum animalium Biblicorum, tum Evangelistarum.

§. 11. Etenim animalium duplex ordo conspiciendus; alius apud Ezechielem; alius apud Johannem reperitur in Apocalypsi (l). Apud Ezechielem, Homo primum, Leo secundum, Bos tertium, quartum Aquila obtinet locum. Aliter Apocalypsis, Leoni primam, Bovi secundam, Homini tertiam, Aquilæ ultimam attribuit sedem.

§. 12. Nec minus ipsorum Evangelistarum, quorum insignia statuuntur, ordo diversus est, alter scribendi nempe, alter cognoscendi, ut distinguit Augustinus (m). Scribendi talis: Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes: Cognoscendi autem iste est: Johannes, Matthæus, Marcus, Lucas.

§. 13. Scribendi ordo ad tempus refertur, quo quisque instinctu Numinis Supremi in emolumentum & cremementum omnium quot Sol unquam videbit, scripsisse Evangelium existimatur: Cognoscendi ad tempus, quo quisque divina vocatione ad Sacro-Sanctum prædicandi fuit assumptus.

§. 14. Ordinem scribendi posuimus talem, qualis in Codicibus Biblicis receptus hodie, & communiter apud Auctores servatur & observatur, quando nomina Evangelistarum recensent (n), nisi quod interdum Marco præpositum Lucam (o) reperire liceat. Quod nescio an inde factum sit dicendum, quia non satis cognitum sit atque perspectum, uter alterum scribendo anteverterit (p). Nam, si qui præterea alium adhuc ordinem sequuntur, ut Victorinus alicubi (q), & Ambrosius (r) de iis ita fecerint, alia ratio reddi potest: simulque ostendi, eos non voluisse ordini præjudicare recepto (s).

§. 15. In cognoscendi Evangelii ordine certum est, præcedere debere Johannem & Matthæum, fuerunt enim Apostoli: sequi Marcum & Lucam, sive discipulos eos faciamus Apostolorum sive duos ex septuaginta (t).

§. 16. Certitudine quoque non caret sua Matthæo anteponendum esse hoc in ordine Johannem. Fuit enim prior vocatus ad Apostolatum Johannes (u). An autem in hoc vocationis ordine Lucas quoque Marco anteponi debeat, an secus exploratum non habemus. In re incerta interim dedimus eis locos eos, quos consensu publico in ordine scribendi eos obtinere, cernere licet.

§. 17. Nunc observari velim, tametsi duplex Evangelistarum, uti ostensum est hactenus, constitui potest ordo, discendi unus, alter scribendi, vetustis tamen Patribus placuisse solum eum sequi ordinem, qui fuit scribendi.

§. 18. His ita præmissis ipsa sententiarum divortia inspiciamus. Tres eas esse jam dictum est ante: PRIMA IRENÆI fuit; AUGUSTINI ALTERA, TERTIA HIERONYMI.

§. 19. Ab Hieronymo, quoniam hujus expositio plebi etiam nostræ notissima est, incipere hic libet. Is Matthæo hominem, Marco Leonem, Lucæ Bovem, Johanni Aquilam adjungit (w).

§. 20. Irenæus autem ita disserit, ut circa Matthæum quidem & Lucam nulla ipsi intercedat cum Hieronymo dissensio, Marci tamen & Johannis animalia permutet, illique Aquilam, huic Leonem Insigne constituat (x).

§. 21. Alia

(l) *Cur alius, causam reddere vult Glossa ordinaria ad c. 5. Apocalyps. quam citabimus infra. §. 27. lit. i.* (m) *L. I. de consens. Evangel. Cap. II. Tom. IV. Operum fol. 372. B. C. quatuor Evangelistæ —— hoc ordine scripsisse perhibentur, primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Johannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. Conf. Aurel. Epit. Annal. Baron. pag. 37.* (n) *Hoc videlicet ordine (MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS, JOHANNES) leguntur apud Augustinum Tom. IV. fol. 374. D. Hieronymum Tom. V. fol. 177. E. Tom. IX. fol. 5. & Catalog. Scriptor. Ecclesiastic. fol. 6. edit. Miræi. Athanasium apud Pelarg. Qq. in Matthæum pag. 13.* (o) *Id pluribus ostendetur infra ad §. 38. lit. m.* (p) *Hoc ordine, (MATTHÆUS, LUCAS, MARCUS, JOHANNES) leguntur apud Hieron. Tom. III. fol. 16. & in ipso Catalog. fol. 5.* (q) *Comment. in Apocal. ubi sic ordinat, MARCUS, MATTHÆUS, LUCAS, JOHANNES. Sed Marcum ideo videtur præposuisse, quia in loco Apocalypseos prima Leonis mentio, quem Marci Symbolum & Insigne facit. Non autem in animo fuisse Victorino, ut receptum ordinem mutaret, inde colligas: quia & mox Matthæum Lucæ anteponit, contra quam factum oportebat, si Apocalyptica Symbola sequi constanter voluisset.* (r) *Tom. V. fol. 5. quo in loco sic ordinat: JOHANNES, MATTHÆUS, MARCUS, LUCAS. Putes quidem voluisse eum hic sequi ordinem cognoscendi Evangelii: Apostolum itaque statim Apostolo junxisse & Johannem præposuisse, qui primus esset vocatus (vide mox lit. u.) sed magis opinor inserviisse eum præcedentibus, ubi tres fecerat sapientiæ partes Naturalem, Moralem, Rationalem. Hic enim ordo est, ad quem mox & Evangelistas revocat, ultimum locum Lucæ reservans, quod eum vellet in omnibus Sapientiæ partibus præstitisse. Verba ejus Tom. IV. Oper. fol. 5. Præfat. in Lucam hæc sunt: Est enim vere sapientia Naturalis in Libro Evangelii, qui scribitur secundum Johannem. —— Quis autem moralius secundum Hominem singula persecutus, quam Sanctus Matthæus, qui edidit nobis præcepta vivendi? quid rationabilius illo admirabili copulatu, quam quod Sanctus Marcus statim in principio locandum putavit: Ecce mitto Angelum meum. —— At vero Sanctus Lucas —— plura nobis gestorum Domini miracula revelavit, ita tamen, ut omnes sapientiæ virtutes Evangelii istius complecteretur Historia. Quid enim præcellentius ad Sapientiam Naturalem, quam quod Spiritum Sanctum Creatorem etiam Dominicæ Incarnationis extitisse reservavit? —— docet Moralia in eodem Libro, docet etiam Rationabilia. Certe quod turbare consuetum ordinem noluerit ex fol. 6. Tom. V. apud Eum conjicias, ubi eum ipsum consuetum ordinem observat, licet tacitis Evangelistarum nominibus.*

(s) *Haurire hoc quivis potest ex Lit. Antecedentibus. q. r. de Utroque.* (t) *Tria hac occasione quæri possunt (1.) num fuerint discipuli Apostolorum? Nam Theophylactus (teste Fabricio. pag. 5. in Poët. Christian.) Utrumque ex LXX. fuisse memorat. Sed pro priore sententia major est Auctorum copia, quos mox citabimus. Favet etiam ex sacris illud Lucæ c. 1. vs. 2. provocantis ad traditionem eorum sibi factam, qui ab initio ipsi viderint, & ministri fuerint sermonis Christi. (2.) Cujus Discipulus quisque fuerit? Hieronymus Proœm. in Matth. Tom. IX. Oper. fol. 5. Marcum vocat interpretem Apostoli Petri, Lucam Discipulum Apostoli Pauli. Confer Fabric. d. l. Et huc forte trahas etiam Augustini verba L. I. de Consens. Evangel. cap. 1. Tom. IV. Oper. f. 371. sic eos σεβιφαίζοντας: qui primos Apostolos sequebantur: Primi enim Apostoli Petrus & Paulus. Verum magis est, ut nihil definiri hic ab Augustino dicamus, sed in genere tantum innui, fuisse eos Apostolorum ipsos antecedentium, & ita primorum, discipulos. Generalis quoque aperte locutio est in illis, quæ apud Augustinum paulo antecedunt, item sequuntur cap. 2. lit. C. Quærendum etiam an consuetum sit Augustino Petrum & Paulum primos Apostolorum vocare. Cæterum an præcise Pauli tanquam solius fuerit discipulus Lucas dubitantem vide Barthium. L. XII. Adversar. cap. XII. f. 533. ex loco modo adducto Luc. 1. vs. 2. quem Hieronymus (sed quasi de sententia aliorum) allegat fol. 5. in Catal. script. Eccles. (3.) Cur voluerit Deus non à meris Apostolis scribi Evangelia? Respondet Augustinus, ubi modo fol. 371. D. ne putaretur, inquit, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annuncient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an qui ex illis fideliter comperta crediderunt.* (u) *Johannes enim vocatus Matth. 4: 21, 22. ac Matthæus demum c. 9: vs. 9.* (w) *Hieronymus Tom. III. Oper. f. 16. L. I. adversus Jovianum Tom. V. f. 77. Comm. in cap. 1. Ezech. Tom. IX. f. 5. Proœm. in Matth.* (x) *Irenæus L. 3. advers. hæres. cap. 11. f. m. 187. Evangelia his (sc. animalibus) consonantia, in quibus insidet Dominus JESUS. Aliud enim illam, quæ est à Patre, principalem & efficabilem & gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM &c. Joh. 1. Id vero quod est secundum Lucam quoniam quidem Sacerdotalis characteris est Zacharia Sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari. Matthæus vero eam quæ est secundum Hominem generationem ejus enarrat: LIBER, dicens, GENERATIONIS JESU CHRISTI &c. Humanæ formæ igitur hoc Evangelium: Propter hoc per totum Evangelium humiliter sentiens, & mitis Homo separatus est. Marcus vero à Prophetico Spiritu ex alto adveniente, hominibus initium fecit: INITIUM, dicens, EVANGELII, QUEMADMODUM SCRIPTUM EST IN ESAIA PROPHETA, volatilem pennatum imaginem Evangelii monstrans, propter hoc & compendiosam, & præcurrentem annunciationem fecit.*

§. 21. Alia Augustini mens. Hic illud mutat, quod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignet (y) circa Lucam autem & Johannem consentiat cum Hieronymo.

§. 22. Patet hinc circa Lucam omnibus convenire (z) circa Marcum autem discrepantiam esse quam maximam (aa) circa Johannem & Matthæum mediocrem. (bb)

§. 23. Hoc ipsum cur fiat facile licet colligere. Non enim unus idemque Sanctæ huic Patrum Trigæ fons est, ex quo promanarunt sententiæ ipsorum diversæ; sed Hieronymus Animalia Ezechielis, Irenæus vero & Augustinus Apocalypsin respexerunt; quod verba ipsorum satis abunde comprobabunt.

§. 24. Porro soli Hieronymo non ordo tantum ipsorum Evangelistarum favet, sed & Principia Evangeliorum: Irenæo Principia quidem Evangeliorum, non item ordo: Augustino certa quadam ratione, (si nempe præsupponas, Lucam priorem scripsisse Marco) magis ordo quam Evangeliorum principia. (cc)

Tabula prior juxta ordinem Ezechielis.

Animalia juxta Ezechielem.	Comparatio I. Hieronymi.	II. Augustini.	III. Irenæi.
HOMO.	Matthæus.	Marcus.	Matthæus.
LEO.	Marcus.	Matthæus.	Johannes.
BOS.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
AQUILA.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

Tabula posterior juxta ordinem Apocalypseos.

Animalia juxta Apocalypsin.	Comparatio I. Hieronymi.	II. Augustini.	III. Irenæi.
LEO.	Marcus.	Matthæus.	Johannes.
BOS.	Lucas.	Lucas.	Lucas.
HOMO.	Marcus.	Marcus.	Matthæus.
AQUILA.	Johannes.	Johannes.	Marcus.

§. 25. Primum Hieronymum accedamus, quippe qui, pro sententia sua confirmanda, rationes habet non paucas, nec, ut in hoc genere, leves aut futiles. (dd)

§. 26. Hic solus (ee) exacte aptat ordinem Evangelistarum ordini animalium (ff) Matthæo enim, qui primus scripsit Evangelistarum, & tanquam Dux vexillum sequentibus prætulit primum animal Ezechielis dat; nempe Hominem, & sic deinceps.

§. 27. Atque hoc respondendum est Lyræ, hanc Interpretationem refellere conanti, quia facies hominis non primo sed tertio loco ponatur in Apocalypsi. (gg) Dicemus enim non ad ordinem Apocalypseos, sed Ezechielis respexisse, qui sic comparaverunt. (hh) Nam quod Lyræ est à Ribera (ii) repositum frivolum dixerim.

§. 28. Favent etiam Hieronymo Principia Evangeliorum (kk) Nam ut ejusdem verbis rem assequamur (ll) *Prima Hominis facies Matthæum signat, qui quasi de Homine exorsus est scribere* (mm) *Liber generationis IESU CHRISTI filii David, filii Abraham. Secunda Marcum, in qua vox Leonis in Eremo rugientis auditur:* (nn) *vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite Semitas ejus. Tertia Vituli, quæ Evangelistam Lucam à Zacharia Sacerdote* (oo) *sumsisse initium præfigurat. Quarta Iohannem Evangelistam, qui assumtis pennis Aquilæ & ad altiora festinans de Verbo Dei disputat.* (pp)

§. 29. Aliam rationem nescio è quibus suppeditat Ambrosius, (qq) ductam à quatuor Christi prædicatis, quem ut Hominem natum Matthæus, ut Leonem fortem Marcus, ut Vitulum immolatum Lucas, ut Aquilam resurgentem Johannes præter cæteros descripserit.

§. 30. Verba B. Patris præfatione in Lucam (rr) cum prius hunc Evangelistam cæteris contulisset (ss) hæc sunt: *Plerique hinc putant ipsum Dominum nostrum in quatuor Evangelii Libris quatuor formis Animalium figurari, quod idem Homo, idem Leo, idem Vitulus, idem Aquila Homo quia natus ex Maria est: Leo quia fortior:* (tt) *Vitulus quia Hostia: Aquila quia resurrectio est. Atqui ita in Libris singulis forma. Animalium figuratur, ut uniuscujusque Libri series propositorum videatur Animalium, aut naturæ, aut virtuti, aut gratiæ, aut miraculo convenire. Quæ licet omnia in omnibus sint, tamen plenitudo quædam in singulis virtutum est singularum.* (uu) *Ortum Hominis Alius,* (ww) *descripsit uberius: Mores quoque Hominis* (xx) *præceptis*

H 2

(y) *Vide August. Tom. 4. Oper. fol. 374. L. 1. de consensu Evangel. c. 6. & Tom. 9. fol. 278, 279. Tract. 36. in Johannem.* (z) *Omnes enim illi bovem assignant. Quod ipsum ut promtius animo recurrat, cogita Lucas boves, qui sunt Elephanti, de quibus vid. Plin. L. 6. citante Camerar. Cent. 1. horar. subcis. c. 25. p. m. 132. adde Cæl. Rhodig. L. 13. Lect. Antiq. c. 18.* (aa) *Marco enim Hieronymus tribuit Leonem, Augustinus Hominem, Irenæus Aquilam.* (bb) *Iohanni enim Hieronymus & Augustinus tribuunt Aquilam, solus Irenæus Leonem. Rursus Hieronymus & Irenæus Matthæo tribuunt Hominem, solus Augustinus Leonem.* (cc) *Planius & clarius hoc fiet, si in Tabula quadam ocularis fides illud demonstret, hoc, vel simili modo quoad ordinem nempe:* (dd) *Hieronymo autem dum subscribimus, hoc volumus: si ad Evangelistas trahenda hæc visio, magis placet Hieronymi mens, quam reliquorum.* (ee) *Ad oculum hoc patet è tabula prima lit. c. delineata. Possis tamen hinc etiam Augustini accommodationem adjuvare, si dicas, Lucam priorem Marco scripsisse, qua de re lit. p. Sic enim quadrabit ea ad ordinem Apocalypseos, ut patet ex Tab. 2.* (ff) *putes etiam, hunc ipsum fuisse hujus comparationis vel Causam vel saltem occasionem.* (gg) *De Lyra hæc refert Pareus in Apocalyps. pag. 193.* (hh) *V. Athanasium, ap. Pelarg. quæst. in Matth. p. 13.*

(ii) *Ribera vulgatam opinionem defendens, argumento Lyræ, de non servato ordine respondet, quod communis Expositio (quæ disponit Evangelistas) servet ordinem scriptionis; Iohannes ordinem rerum, quo sint manifestata, quia Iohannes prius cœperit clamare in deserto (unde Leonem, h. e. Marci insigne anteposuerit Apocalypsis, inchoat autem Marcus Evangelium suum à Concione Iohannis & dicto Esaiæ de voce clamante) quam Christus inciperet prædicare. Pareus ad Apocalyps. pag. 194. qui recte addit: Sed hoc est abuti Lectoribus. Sane enim valde circumducta est hæc responsio, vixque per longissimas ambages efficit, ut intelligi queat; tantum abest ut sit negotio præsenti accommodata. Videtur Riberæ, cum ita scriberet, in memoria fuisse commentum glossæ ordinariæ ad Apocalyps. c. 5. volenti causam reddere, cur Ezechiel Hominem, Apocalypsis Leonem, primo loco ponat? (observa obiter, tacite præsupponi utrobique rem signatam esse tandem.) Verba autem Glossæ hæc sunt: Ezechiel quicquid futurum erat prævidit, prius Hominem posuit, post Leonem, quia Christus (deesse videtur hic in Nativitate Homo, vel quid tale) in prædicatione Leo fuit, post vitulus, quia sacrificatus fuit, tandem Aquila, quia adscendit in cœlos. Johannes Impleta videns Leonem præponit, quasi fundamentum totius fidei. (Fides enim ex auditu, auditio ex prædicatione.)* (kk) *Ad initialia verba singulorum Evangelistarum provocat Victorinus, Hieronymus, Glossa ad Ezechielem, Mantuanus, Anonymus Poëta ap. Henr. Rantzovium, Selneccerus, atque adeo hanc causam plerique de hac sententia expresse allegant. §. nostro 41. lit. x. citandi.* (ll) *Proœmio in Matthæum. Tom. 9. Oper. f. 5.* (mm) *Matthæi 1:1.* (nn) *Marc. 1:1.* (oo) *Luc. 1:5. Fuit in diebus Herodis Regis Iudæ Sacerdos quidam nomine Zacharias.* (pp) *Iohannis 1:1. In Principio erat Verbum &c.* (qq) *Cum quo conferendus Petrus Rigensis apud Barth. fol 554. Adversar.* (rr) *Tomo 5. Oper. f. 6. Confer. & Tom. 1. fol. 101.* (ss) *Qua de re supra §. 14. lit. r.* (tt) *Cur non Fortis, ut infra Fortis è Forti, nisi placet τὸ fortior retinere, propter locum Marc. 1:7. de quo postea. lit. z.* (uu) *Hoc vult dicere: Licet omnes Evangelistæ Nativitatem, Fortitudinem, Passionem, Resurrectionem Christi prædicent, peculiariter tamen de nativitate concionari præ cæteris Matthæum: de Fortitudine Marcum, & sic in reliquis.* (ww) *Matthæus.* (xx) *Duas ob causas vult Matthæo hominem tribuere; primo quia Christi Nativitatem humanam copiosius quam cæteri descripsit: deinde quia præstitit in Sapientia morali seu humana. De hoc posteriore locus ejus clarus paulo ante præcesserat: Et bene accidit, ut quoniam Evangelii Librum secundum Matthæum diximus esse moralem (textus Ambrosii descriptus supra, §14. lit. R.) opinio hujuscemodi non prætermitteretur. Mores n. proprii dicuntur humani.*

ceptis uberioribus erudivit: Alius (yy) *à potentiæ cœpit expressione divinæ, quod ex Rege Rex, Fortis è Forti,* (zz) *Verus ex Vero, vivida mortem virtute contemserit. Tertius* (a) *Sacrificium Sacerdotale præmisit & ipsam vituli immolationem stilo quodam pleniore diffudit.* (b) *Quartus* (c) *copiosius cæteris divinæ miracula resurrectionis expressit.* (d)

§. 31. Cujuscunque vero est hunc in modum effigiata Expositio, minus ea se probat, ut applausum mereatur & consensum.

§. 32. Nam primo confundit animalium allegorias duas, illam videlicet de Euangelistis cum altera de Christo (e) hoc est illam de quatuor subjectis unius prædicati eum altera de quatuor dicatis unius Subjecti (f) minus nervose permutat.

§. 33. Deinde non satis scitum est, quod miscet ejusdem allegoriæ de Euangelistis probandæ, modos duos, unum petitum ab eo, quod Euangelistarum quisque poneret ab initio Euangelii, alterum ab eo, quod uberius cæteris persequeretur. (g)

§. 34. Quod si tamen retinenda utcunque sit & amplectenda hæc expositio, universa illa ad universos accommodari melius Euangelistas, quam singula ad singulos videntur. (h)

§. 35. Hactenus de Comparatione Hieronymi. Progrediendum ad Augustinum, qui illud saltim ex præcedenti mutat, quod Matthæo Leonem, Marco Hominem assignat.

§. 36. Quanquam autem pro ea minor stat copia suffragiorum, (i) non tamen omnino eam rejiciendam esse autumo, quippe & illa suis innixa Rationibus.

§. 37. Primam in hanc descendendi sententiam, qui hanc viam instíterunt, causam, videntur habuisse ordinem animalium in Apocalypsi. Nec enim frustra esse dixerim, quod Augustinus hic Apocalypseos mentionem injicit, non item Ezechielis. (k) Atque ut Hieronymi expositio Ezechielem præ oculis habuit, (l) ita hæc Apocalypsin. Quo factum, ut primum animal Apocalypticum Leonem primo Euangelistarum dederit Matthæo.

§. 38. Nec plane sedulum attentumque rei Ponderatorem hinc abducit, quod in Marco mox & Luca hunc ordinem violatum esse quispiam objiciat. Videtur enim conjecturis quibusdam (m) ostendi posse de Marco & Luca dubitasse Veteres, utrum crederent scripsisse priorem?

§. 39. Telam semel hunc in modum inchoatam, ingeniose continuavit Augustinus, & in hunc sensum fidem fecit allegoriæ. Intentio Matthæi fuit, Christum ut Regem, Lucæ ut Sacerdotem nobis commendare. (n) Recte ergo Leonem assignabimus Matthæo (o) Vitulum Lucæ, (p) Marco

(yy) *Marcus.* (zz) *Hoc est illud, quod paulo ante lit. t. diximus, videri nempe respexisse eum ad Marci 1: 7. Venit fortior me post me.* (a) *Lucas.* (b) *Hoc vult dicere, Vitulum Lucæ deberi propter duas caussas, primo quia inchoaverit Euangelium suum à narratione de Zacharia Sacerdote: Deinde quia passionem seu Immolationem Christi copiosius narraverit quam cæteri Euangelistæ. Hoc insinuant etiam verba apud Ambrosium antecedentia hæc: Et bene convenit vitulo hic Euangelii Liber, quia à Sacerdotibus inchoavit, & consummavit in Vitulo, qui omnium peccata suscipiens pro totius mundi vita est immolatus. Sacerdotalis enim & ille Vitulus.* (c) *Johannes.* (d) *Hoc vult: Johanni merito assignari aquilam, quia copiosius scripsit de Resurrectione Christi, qua seipsum ut Aquilam demonstravit Christus.* (e) *Solent enim illa quatuor animalia etiam de quatuor Christi prædicatis exponi, idque bifariam,* (1.) *vel enim quatuor illa prædicata faciunt α. Nativitatem. β. Passionem. γ. Resurrectionem. δ. Ascensionem. Rotunde Glossa ordinaria ad Ezechielis c. 1. Ipse quoque Christus —— natus est ut Homo, passus ut Vitulus, resurrexit ut Leo, adscendit ut Aquila. Et in Cap. 5. Apocalyps. Christus qui natus est, passus, resurgens, adscendens. Sic & Arndius part. 2.* Wahren Christenth. *cap. 6. p. 108. qui vocat* die vier Hohen Ampts-Wercke Christi. (2.) *Vel pro Resurrectione substituunt prædicationem, & secundo loco ponunt passioni præmittentes, credo, ut ordo animalium Ezechielis observetur, quem illa prior expositio, quæ alias in se spectata elegantior apparet circa vitulum & Leonem invertit. Atque sic Leo ad prædicationem Christi, quæ & ipsa Passionem ejus Vitulo designatam antecessit, refertur, perinde ut allegoria de Euangelistis Leonem quærit in prædicatione Johannis. Pro hac interpretatione facit Locus Glossæ in Apocalyps. citatus §. 27. lit. i. Videtur & alludere quodammodo Victorinus pag. 45. in Apocal. satis alioquin obscurus, dum sic scribit: Dominus noster Jesus Christus feret (forte legendum ferebat) easdem imagines in tempore adventus sui ad nos. Et cum prædicatus est tanquam Leo & Catulus Leonis: propter salutem hominis Homo factus est ad mortem devincendum & universos liberandos, quod seipsum obtulit Hostiam Patri pro nobis, Vitulus dictus est. Et quoniam mortem devicit & adscendit in Cœlos (putes eum hic aquilam facere Symbolum non modo adscendentis Christi, sed etiam cum Ambrosio resurgentis, ob verba: Mortem devicit) & protegens suam plebem Aquila volans nominatus est.* (f) *Hoc enim pacto duæ illæ allegoriæ videntur distingui inter se posse.*

Una de Euangelistis:

HOMO	*Matthæus,*	}	*est Euangelista.*
LEO,	*Marcus,*		
BOS,	*Lucas,*		
AQUILA,	*Johannes,*		

Habes hic quatuor subjecta unius prædicati.

Altera de Christo:

CHRISTUS	{	*natus est ut HOMO*
		passus ut BOS,
		resurrexit ut LEO,
		ascendit ut AQUILA.

Habes quatuor prædicata unius subjecti.

(g) *Marco enim Leo datur ab exordio Euangelii, Johanni Aquila ob copiosam de Resurrectione narrationem. Matthæo & Lucæ sua insignia ob utramque causam.*

(h) *Et huc tendit forsan* Busch *p. 89.* Hertz-und-Haus-Kyrch / *his verbis:* Des Menschen Angesicht ist die Geburth: des Kalbes das Leyden Christi. — Der Löwe die Aufferstehung: Der Adler die Himmelfarth; Wie denn denen Vier Evangelisten diese zugefüget werden / daß Sie davon schreiben. (i) *Ante Augustinum fuisse aliquos, qui sic exponerent, hæc verba Augustini declarant: Tom. IV. fol. 374. D. Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Euangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi, qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Luca, Aquilam in Johanne intellexerunt. Qui autem hi fuerint, quærendum esset? Post Augustinum Beda quoque in hanc sententiam citatur à Paréo pag. 193. ad Apocalyps.* (k) *Locum vide §. præcedent. lit. i.* (l) *Qua de re supra §. 23.* (m) *Harum Conjecturarum* (1.) *peti potest ab eo, quod in Catalogis Euangelistarum Lucas interdum anteponitur Marco, salvo cæteris suo loco. Vide supra §. 14. lit. P.* (2.) *inde, quod ipsa quoque prior expositio, quatenus pro illustratione assumit illa, quatuor Christi opera, de quibus supra §. 32. lit. e. concinnior evadit, si Christum patientem resurgenti, hoc est, Bovem Leoni, Lucam Marco, anteponas, ut probabile sit, ita fecisse Veteres quosdam. Nam minus speciosa est & duriuscula illa Leonis ad prædicationem Relatio.* (3.) *inde, quia ipse Augustinus in expositione sua, tametsi ab initio anteposuerat Marcum Luca, postponit tamen postea, uti mox ex §. sequent. manifestum fiet.* (n) *De utroque junctim Augustinus ita Tom. IV. fol. 373. C. Cum ergo Matthæus circa Regis, Lucas circa Sacerdotis personam gereret intentionem. Ad Matthæum quod attinet, voluisse eum Regiam inprimis dignitatem Christi celebrare, his argumentis docet Augustinus:* (1.) *quia in Genealogia Christi per Salomonem Regem descendat cæteros etiam Reges ex ordine prosecutus f. 373. A.* (2.) *quia narrat magos venisse ab Oriente, ad Christum Regem quærendum, fol. 375. A.* (3.) *quia refert, quemadmodum ipse Rex Herodes Regem Christum formidaverit Infantem. Similiter quod Lucæ major cura fuerit Sacerdoti Christi, sic suadet:* (1.) *quia in Genealogia Christi adscenderit ad Davidem, per eos, qui Reges non fuerint, usque ad Nathanem, qui & ipse Rex non fuit fol. 373. A.* (2.) *quia solus Lucas manifeste commemoret Mariam cognatam fuisse Elisabeth, quæ uxor erat Zachariæ, Sacerdotis, ibid. C.* (3.) *quod à Sacerdote Zacharia incipiat sermo narrantis f. 375. A.* (4.) *quod Sacramenta primi Sacerdotii in Infante Christo impleta revelet. ib.* (o) *Quoniam videtur Leo Rex esse quodammodo bestiarum propter potentiam & terribilem fortitudinem. Augustin. Tom. IX. Oper. fol. 279. A. Unde & in Apocalypsi cum ipsa tribu Regia Leo commemoratus est, ubi dictum: vicit Leo de tribu Juda Tom. IV. f. 374. 375.* (p) *Quia magna victima Vitulus erat, in sacrificiis Sacerdotum. Augustin. Tom. IX. f. 279. A.*

Marco autem hominem, quia neque stirpem Regiam; neque Sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit (q), sed tantum ab Homine Christo exorsus est (r); Tandem Johanni Aquilam, quia ut reliqui Christum ut Hominem (s), ita hic magis ut Deum (t) prædicavit.

§. 40. Restat jam Tertia adhuc Expositio, Irenæi, quem tamen Gallasius (u) non animadvertit diversam fovere ab Hieronymo. Ille vero eandem cum Augustino respexit Apocalypsin & Argumenta à Principiis Evangeliorum deduxit, ut ex loco supra adducto (w) patere cuivis potest, adeo ut plane videatur supervacaneum prolixioribus verborum ambagibus illi inhærere.

§. 41. Hoc scire præstat; Hieronymi Expositionem maximum ubique adeptam esse applausum (x) ut communis merito appellari posset. Etiam Pictores vulgo cum sua cuivis Evangelistarum appingunt Insignia, eum unice sequuntur & observant.

§. 42. Accedit, quod Veneti quoque, cum Patronum & Deum quasi Tutelarem (si stylo Romano loquendum sibi elegissent Marcum, augustissimumque in honorem ejus summum & devotissimam Venerationem ædificassent templum (y) simul cum ipso & Leonem adoptarunt.

§. 43. Præter hæc ridicula res contigit, Incidens aliquis in locum Augustini, & Irenæum ignorans, ad quem tamen ille locus Augustini respicit, novam Glossam peperit.

§. 44. Verba Augustini, ut quidem vulgo edita habentur, hæc sunt (z): *Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse, illi qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Luca, Aquilam in Johanne intellexerunt* (aa), *quam illi, qui Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Bovem Lucæ, Leonem Johanni tribuerunt* (bb). *De principiis enim Librorum quandam Conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda.*

§. 45. Ut res magis sit perspicua, coronidis loco etiam huc transscribemus Fabulam cum ἐπιμυθίῳ, h. e. carmen cum Interpretatione & insertis nostris observatiunculis, quæ tum alia moneant, tum quidem in locis Scriptorculus iste Augustini vel Ambrosii inventis abusus sit. Unde simul hoc patebit, utcunque antiquus ille sit Nugator (cc) post Augustinum tamen & Ambrosium certo scripsisse, quanquam hoc alioquin & stylus prodit.

§. 46. Ipsum Epigramma de quatuor Evangelistis hoc est:

MATTHÆUS instituit virtutum (dd) *tramite Mores.*
Et bene vivendi justo dedit ordine leges (ee).
MARCUS amat Terras inter Cœlumque volare,
Et vehemens Aquilæ stricto secat omnia lapsu.
LUCAS uberius describit prælia CHRISTI
Jure Sacer Vitulus qui mœnia fatur avita (ff).
JOHANNES fremit ore Leo similis rugienti
Intonat (gg) *æternæ pandens mysteria vitæ.*

§. 47. Interpretatio Sermone proso concepta hæc est: *Matthæus, quia plus moralis fuit* (hh) *quam cæteri Evangelistæ, idcirco per animal rationale, i. e. hominem designatur. Marcus dicitur volare inter Cœlum & terram, quia enim Nativitatem Verbi, in qua terram nostræ Carnis Deitas assumsit, sicut Matthæus & Lucas non descripsit, quasi terram non tetigit. Et quia de Divinitate pauca dixit, nec cœlum sicut Johannes penetravit* (ii). *Aquilæ vero propter velocitatem narrationis comparatur, quia breviloquus est in omnibus* (kk). *Lucas figuram vituli tenet, qui in bello mactari solet, quia latius describit, quæ in Templo & circa Templum gessit Dominus, & plura loquitur de Passione Domini* (ll). *Johannes per Leonem exprimitur, quod quasi rugitum Leonis* (mm) *edidit dicens: In Principio erat Verbum.*

§. 48. Hæc expositio, uti tota pene coacta est, ita invenit Amasios. Repertus est postea potius, qui versus illos diffingeret in sensum Comparationis Hieronymi. Sed cum mutatis tantum Johannis & Marci personis reliqua retenta cuperet verba,

(q) *Ipsius Augustini hæc verba sunt Tom. IV. fol. 575. A.* (r) *Iterum Augustini verba Tomo IX. f. 279. b.* (s) *Secundum Hominem quippe Christus & Rex & Sacerdos effectus est Augustinus f. 373. C. Tom. IV. De Marco jam dictum.* (t) *Egregios hac de re locos invenies apud Augustinum.* (1.) *Unus est Tom. IV. Oper. f. 375. b. Lib. I. de consens. Evangel. Hæc autem Animalia tria, inquit, sive Leo, sive Homo, sive Vitulus in terra gradiuntur: unde isti tres Evangelistæ in his maxime occupati sunt: quæ Christus in carne operatus, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At vero Johannes super nubila infirmitatis humanæ, velut aquila volat, & Lucem incommutabilis Veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. Similem locum vide apud Radulffum Ardentem. I. pag. 78.* (2.) *Alter ibidem præcedente cap. 5. f. 374. B. C.* (3.) *Tertius Tractat. 36. in Johannem. Tom. IX. Oper. fol. 275. D.* (4.) *Quartus ibid. f. 279. B. Et Chrysostomus Proœm. in Johannem dicit, Johannem per Evangelium docuisse Angelos secreta verbi incarnati, quæ prius ignorabant, adeoque fuisse eum Doctorem Cherubinorum & Seraphinorum. Adde hic Encomium Pauli Aringhi Tom. II. lib. 5. cap. 3. pag. 451. Romæ subterraneæ sic scribentis: Aquila dignissimum illum ac Lynceum in Arcanarum rerum ac Mysteriorum sublimitate Speculatorem Johannem Evangelistam sublimi velocium pennarum Symbolo portendit. Quem & Dionysius Areopagita in Epist. ad Iohann. citante Cornel. à Lapide Comment. in quat. Evangel. Proœm. pag. 10. vocat Solem Evangelii, cujusque Evangelium nuncupat memoriam & renovationem Theologiæ illius, quam ipse recumbens in pectore Christi ex eo hausit, & Evangelio quasi Solis radio posteris intuendam reliquit.* (u) *Not. ad eum Locum. fol. 386.* (w) *Supra §. 20. lit. X.* (x) *Favent illi Athanasius apud Pelarg. Qq. in Matth. Ambros. Tom. V. fol. 6. qui tamen Interpretatione adjuvandus est, quam dedimus §. 30. Not. Victorinus Comment. in Apocalyps. pag. 44. & 45, Glossa ordinaria ad cap. 1. Ezechiel. Sedulius lib. 1. Oper. Paschal. pag. 535. sub fi edit. Fabric. Anonymus Poëta vetus ap. Fabric. pag. 50. ad Sedul. & cæteros Poët. Christian. Alius Poëta Anonymus apud Rantzovium. Calend. pag. 139. Baptista Mantuanus apud Eund. Ibid. Selnecc. part. 1. Post. pag. 244. Petrus Rigensis ap. Barth. f. 455. Advers. Corn. à Lapide l. c. Eilhard. Lubin. in Monotessar. Disp. 1. §. 2. & alii.* (y) *Sabellicus in Histor. Veneta Dec. 3. L. 6. Est Divi Marci ædes, quam ab initio auream, quia pene tota, purissimo fulget auro, appellavimus, intus extraque circa imum marmoreis tabulis compacta. Adde Petrum Bembum. Hist. Venet. L. 8. pag. 208. Postremum est, ut Deos omnes orem, teque inprimis Marce Urbis hujus Parens & Conservator, Cujus templum inauratum atque augustum ante Curiam Majores nostri antiquitus ædificaverunt &c.* (z) *Lib. 1. de Conf. Evangel. cap. 6. Tom. IV. fol. 374. Horum verborum priorem partem dedimus supra §. 36. 1.*

(aa) *Hæc illa est etiam Augustino ipsi probata & paulo ante à nobis excussa expositio.* (bb) *Hæc illa tertia est Irenæi.* (cc) *Existit Epigramma illud, ut profitetur Barthius L. XI. Adv. cap. 23. fol. 553. in veteribus Membranis Juvenci; ipse vocat antiquissima carmina, veterem & cariosum annotatorem, f. 554.* (dd) *Rectius consuletur metro si scribamus: Virtutum instituit Matthæus, ut emendavit Anonymus Fabricii, quem mox dabimus.* (ee) *Traductum hoc ex Ambrosio, cujus locum dedimus supra §. 14. lit. r.* (ff) *Anonymus Fabricii: quia juxta mœnia fertur. Neutrum capio: fortasse uterque jacet in mendo. Placet tamen & arridet quam maxime Celeberrimi Philologi, Reinesii, ad excellentissimum Dn. Præsidem professa sententia: dum ita corrigit: quia munia fatur Abia. Putat autem respici ad Luc. 1: vers. 5. quo Zachariam è classe, præfectura, partitione seu statione (una ex illis viginti quatuor) Abia fuisse legimus. Illud autem fatur ad Lucam referendum.* (gg) *Anonymus Fabricii: insonat.* (hh) *Hoc ex Ambrosio esse jam dictum est.* (ii) *Sunt hæc satis violenta. Alludunt autem partim ad id, in quo Augustinus quoque Marcum Matthæo & Lucæ genealogia Christi descriptoribus dissimilem facit, ut notavimus §. 39. partim ad id, quod passim reperitur, Iohannem Christi Divinitatem maxime celebrasse. Sed secundum hæc, si Marcus Aquila est, nec tamen Cœlum Iohannes tetigit, Iohanni debebat aliquod assignari animal, ipsius Aquilæ volatum transscendens. Tale vero nuspiam comparet.* (kk) *Augustino hoc debetur, qui observavit, Marcum esse breviatorem Matthæi. Verba ejus hæc sunt, L. I. consens. Evangel. cap. 2. Tom. IV. fol. 372. D. Marcus eum (Matthæum) subsecutus tanquam pedissequus & Breviator ejus videtur. Et hinc etiam intelligas cur strictum lapsum Poëta hic dederit Marco in versibus, ob brevitatem puta.* (ll) *Haustum ex Ambrosio, cujus verba descripsimus supra.* (mm) *Transtulit rugitum Iohannis Baptistæ, de quo supra §. 28. ex Hieronymo ad rugitum Iohannis Evangelistæ.*

verba, factum est, ut sensus ipse alicubi non parum vacillet. Servavit hos versus Georgius Fabricius (nn) eosque in antiquo Codice reperisse se testatur.

§. 49. Versus hi sunt cum superioribus in plerisque concinnentes:

Virtutum instituit MATTHÆUS tramite mores,
Et bene vivendi justo dedit ordine Leges.
Infremit ore pio MARCUS similisque Leoni (oo)
Insonat æternæ pandens mysteria Vitæ.
LUCAS uberius describit prælia CHRISTI
Iure Sacer Vitulus, quia juxta mœnia fertur.
Terras inter amat cœlumque volare (pp) *IOHANNES,*
Et vehemens aquilæ (qq) *stricto secat omnia lapsu.*

§. 50. Sed manum de Tabula! (rr) Sufficere hæc poterunt cupido Lectori quoad Historicam de Insignibus hisce sacris cognitionem: Curatam qui cupit decisionem, aut Locorum Interpretationem Theologorum (ss) summe Reverenda adire potest Pulpita. Nos ILLI, cujus Gratia freti incepimus, finem Dissertationi imponentes dicimus & tribuimus merito

GLORIAM SALVATORI.

(nn) *Pag. 50. ad Poët. Christian.* (oo) *Immo Leoni similis faciendus erat non Marcus, sed Iohannes Baptista apud Marcum.* (pp) *Immo cœlum ipsum volatu transscendere: Vide sup. §. 33. lit. t. Nam cur Barthianus Anonymus Marcum doceret inter cœlum & terram volare, aliam id causam habuit, quæ hic apud Iohannem minime valet. Sed Parodus iste non videtur percepisse sensum horum verborum. Credidit forte lapsu quodam memoriæ factum fuisse, Marco Aquila daretur, Iohanni Leo, ut cætera satis esse sana. Lapsum illum memoriæ corrigere voluit, cætera, quia non habuit suspecte omisit.* (qq) *Barthianus: Aquila. Stricto autem esse brevi monitum fuit. Atqui ne hoc quidem quadrat in Iohannem, qui non fuit ut Marcus breviator alterius Evangelistæ.*

(rr) *Erasm. in adag.* (ss) *Confer Theologos supra §. 3. lit. f. citatos.*

M. CHR. CHEMNITII
DISSERTATIO
De Nomine Jesu, ad Matth. I: vs. 21.

⁘ ܒܫܡ ܡܪܝܐ ⁘

PROOEMIUM.

IN hoc nomine, JESUS, *omnia nobis parata sunt, & instar thesauri conclusa. Sis igitur mihi* JESUS *in vita præsente, sis mihi* JESUS *in morte, sis mihi* JESUS *in extremo judicio, sis mihi* JESUS *in æterna vita!* JESUS nomen illud est, quod aureis literis deprehendebatur inscriptum cordi *Ignatii*, Episcopi Antiocheni, jussu Trajani ad bestias condemnati. Constituimus ergo de tanti nominis origine, nonnulla, placidæ submittere ventilationi; maxime sub has Calendas, anni auspices, ut eas appellat Symmachus; ubi die religiosissimo nominis hujus memoria recurrit. Adsit DEUS divina sua gratia, & cœpto operi ex alto benedicat clementissime!

THESIS I.

MIssus itaque ad Josephum Angelus *Matth.* 1:21. καλέσεις, inquit, τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. Αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, i.e. *Vocabis nomen ejus IESUM. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis ipsorum.* In quibus verbis continetur dulcissimum Salvatoris nostri nomen, JESUS, quod dicit Angelus ei imponendum esse propterea, quod αὐτὸς σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, i. e. *Ipse salvabit populum suum à peccatis ipsorum.* Quem locum omnes fere Doctores hactenus sic intellexerunt, quod nomen JESUS idem valeat, quod SALVATOR; veniatque à themate Ebraico יָשַׁע, *salvavit, servavit.* Propterea quod ipsemet Angelus nominis Etymologiam illis sequentibus verbis; *Ipse enim salvabit populum suum à peccatis suis*, declaret.

II. Sed *Andreas Osiander* in annotationibus ad suam Harmoniam Evangelicam, impressam Basileæ, An. 1561. eidem in fine annexis, & quidem in libri I. caput 6. cum eadem Angeli verba recitasset: hanc Etymologiam plane rejicit. *Ex quibus verbis, inquiens, vulgus illorum, qui Ebræam linguam utcunque degustaverunt, hoc intelligendum esse putant, quod Christus, quia populum suum salvum facturus erat, etiam nomen, quod Salvatorem significaret, habere debuerit, cujusmodi* יְהוֹשֻׁעַ *nomen Ducis populi Israelitici, famuli atque successoris Mosis esse putant, quem cum in sacris Græcorum libris, eodem, quo Christum, nomine censeri vident, nempe* Ἰησοῦν, *consequi putant, Christum vicissim eodem, quo illum apud Ebræos nomine fuisse vocatum, nempe* יְהוֹשֻׁעַ. *Verum quo minus huic eorum opinioni accedam atque subscribam, certe quam plurimas, & (ut mihi quidem videtur) gravissimas habeo causas.*

III. Ipse igitur plane nova sententia contendit, nomen JESUS non esse ex radice יָשַׁע, *salvavit, servavit*: sed ex nomine Tetragrammato יְהֹוָה, quod ipsum cum fuerit antea *ineffabile*, inserta ab Angelo litera ש, redditum sit *effabile*; factumque inde יְהֹשֻׁוָה, & consequenter per contractionem, Latinæque terminationis aditionem, JESUS. Sic enim postea habet: *Hoc igitur sanctissimum & ineffabile nomen Dei* יהוה *assumtione unius literæ* ש *fit effabile, sonatque* יְהֹשֻׁוָה, *quemadmodum absconditus & incomprehensibilis Deus, assumto homine cœpit nobis esse cognoscibilis, vocatus hoc eodem nomine* יְהֹשֻׁוָה, *quod quidem esse verum ac proprium Christi, Domini nostri nomen, iisdem argumentis, quibus ego persuasus sum, aliis quoque persuadere conabor.* Conveniunt cum hac sententia illi, de quibus *Benedictus Iustinianus comment. in cap. 2 Phil. vs. 9.* dicit, quod putent hoc nomen idem prorsus esse cum nomine Tetragrammato יהוה Jehovah. Quos inter *Burgensem* refert, *Ianzenium & Mendozam.* Et est addendus etiam *Iacob Faber Stapulensis*: *In nomine Ihesu, scri-*

scribens, *aspiratio postponenda est, quia in nomine tetragrammato jod præcedit he, non autem he jod.* Videatur *Gerhardus* loc. 4. Exeg. cap. 1. pag. 1115.

IV. Argumenta Osiandri sunt I. quod in vetustissimis Ebræorum monumentis Ἰησῦς sive JESUS scribatur יֵשׁוּ. At sane non potest hæc abbreviatio esse ex יְהוֹשֻׁעַ vel יְהוֹשׁוּעַ, unde ipsis Jesus, sed ex יֶהֶשׁוּה *Jeheschuh.* Verba ejus sunt: *Principio satis constat, Christum Dominum nostrum, in veteribus Hebræorum monumentis, quæ quidem aliquid auctoritatis obtinent, nusquam unquam* יהושע, *sed semper & ubique* יֵשׁוּ *vocatum esse. Nec video si* יהושע *illi nomen fuisset, quamobrem Judæi illud ita mutare, ac tam prodigiose mutilare voluissent, ut pro* יהושע *dicerent atque scriberent* יֵשׁוּ, *præsertim cum litera* ע *sine grandi flagitio non possit ex ulla dictione rejici. Igitur, quod in omnibus Judæorum libris, tam constanter non* יהושע *sed* יֵשׁוּ *scriptum cernimus, quis jam non videat, idem esse omnino, quod* יֶהֶשׁוּה, *nisi quod* ה *aspiratio utrobique detracta est?*

V. II. Inquit, dicere Matthæum, Salvatorem nostrum ideo vocatum JESUM, ut satisfieret Prophetiæ de puero vocando *Emmanuel*: quare oportere nomen JESU significare DEUM, sicut & *Emmanuel.* Verba sunt: *Matthæus Christum Dominum nostrum non ideo tantum JESUM vocatum esse scribit, quod populum suum à peccatis liberaturus esset: verum etiam ut impleretur, quod dictum fuerat à Domino, per Prophetam dicentem: Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, id est, nobiscum Deus. Jam vero te quæso, per Deum immortalem, lector, quis est verborum tam inscius, rerumque tam imperitus, ut sibi persuaderi sinat: Si quis vocetur* יהושע, *id perinde esse, ac si vocetur* עמנואל. Rursus: *Ergo cum Angelus Christum ideo JESUM nominari jusserit, ut vaticinium illud, vocabunt nomen ejus Emmanuel, impleatur: dubitari à nemine poterit, quin de nomine* יֶהֶשׁוּה *locutus sit, nisi si quis vaticinium illud nondum impletum esse velit admittere, quod tamen sine grandi impietate fieri non potest.*

VI. III. Quia יהושע non significet active *Salvatorem*: sed passive *Salvandum.* Inquit enim: *Si linguæ proprietatem penitus introspicias, non tam Salvatorem, quam Salvandum, hoc est, salutis indigum significat.*

VII. IV. Quia à Luca *cap.* 1: 21. describatur plane ut res nova & mira, quod nomen JESUS, priusquam nasceretur, ab Angelo sit *vocatum* sive *pronunciatum.* Atqui nomen *Jehosua*, unde velint esse JESUS, tunc tam fuisse vulgatum, ut si à Psittaco fuisset decantatum, mirum non fuisset. Quid ergo novi, si tam vulgatum Christo impositum fuit nomen? Verba ejus sunt: *Quin etiam Lucas Euangelii sui capite secundo, tanquam rem novam & admiratione dignam refert: non quod nomen, quo Christus appellandus esset, ab angelo* præscriptum *fuisset, ut plerique omnes putant: sed quod nomen JESU ab eodem, antequam ille in utero conciperetur,* vocatum *seu* pronunciatum *esset. Atqui si* Christus יְהוֹשֻׁעַ *fuit appellatus, nihil istis verbis otiosius. Quid enim mirum, si Angelus hoc nomen* יְהוֹשֻׁעַ *vocarit aut pronunciarit, quum tam fuerit illo seculo vulgare, ut ne à Psittaco quidem pronunciatum, quenquam in admirationem rapere debuisset.* Et iterum: *Quare Lucas recte & apposite, cum infanti circumciso nomen* יֶהֶשׁוּה *à parentibus impositum esse narraret, admirabundus adjecit, quod* vocatum *seu* pronunciatum *fuit (hoc enim proprie* κληθὲν *significat) priusquam ille in utero conceptus esset.*

VIII. V. Quia ad *Philipp.* 2: 9. dicatur, quod DEUS donaverit JESU nomen, quod sit supra omne nomen. Jam יְהוֹשֻׁעַ non est nomen supra omne nomen, sed יהוה: E. nec illud Christo in circumcisione datum, intelligi potest: sed necessario intelligendum erit Tetragrammaton, quod solum nomen est supra omnia nomina. *Superest enim,* inquit, *Paulli testimonium ad Philippenses imprimis evidens & locuples.* Quod cum recitasset, subjicit: *Tale nomen, quodnam aliud esse potest, quam verum, proprium & ineffabile nomen illud unius veri, summi & æterni Dei. Quare, Christiane lector,* concludit tandem, *noli dubitare, quin hoc sacratissimum & excellentissimum nomen* Jeheschuh *ex ineffabili nomine Dei* יהוה, *effabile factum; sit verum & proprium Domini nostri IESU CHRISTI nomen, quod est supra omne nomen, in cujus honorem omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, vel cum gratiarum actione pro beneficiis, vel cum justitiæ confessione, in pœnis, flecti oporteat.* Ita *Andreas Osiander!*

IX. Ad quæ, priusquam videamus, quid sit respondendum, pauca quædam præmittimus. Supponit itaque *primo* Osiander, nomen יהוה fuisse olim ἀνεκφώνητον seu *ineffabile.* Sed ista res est etiamnum valde dubia. Nam ita *Isidorus lib.* 7. *Orig. Iod, He, Vau, He, ineffabile illud & gloriosum Dei nomen efficiunt. Dicitur autem* ineffabile, *non, quia dici non potest: sed quia finiri sensu & intellectu humano nullatenus potest, & quia de illo nihil digne dici potest.* Hinc quidam dicunt; ἀνεκφώνητον appellari, quod sit peculiaris religio id reticere & silere. Sicuti *Buxtorffius* in Lexico in voce יהוה testatur: plebi sub pœna mortis ejus pronunciationem vetitam fuisse. Procul dubio, ne crebra pronunciatione vilesceret. *Iohannes* quoque *Camero* in explicatione vs. 20. *c.* 18. *Matthæi* scribit: Credere Judæos illum, de quo *Levit.* 24: 11. & 16. dicatur: *Tum exsecrans filius ille Israëlitidis nomen illud Dei blasphemavit*; expressisse הַשֵּׁם, id est, nomen Jehovah, & propterea lapidibus obrutum fuisse. Et *Rabbi Abba Saul* in libro *Sanhedrin, cap. Halek* ait: *Qui pronunciat ipsum nomen quatuor literarum, ut literæ ipsæ sonant, non habet partem in futuro seculo.* Quemadmodum videre est apud *Becmannum* in hac voce. Quo referendum est, quod scribit *Johannes Drusius lib.* 10. Præterit. ad *cap.* 19. Apocal. *Quod hodie contendunt legendum esse* Jehova, *mera imperitia est: utinam non esset* blasphemia. *Nam* hova *pernicies, unde* Jehova *perniciosus.* Et paulo post: *Quin eo labor, ut existimem* salva conscientia *neminem pium Deique metuentem eo uti posse: quoniam* impium *ac* blasphemum *quid sonat, ut si quis Deum* perniciosum *vocet. Nam* Hova *pernicies. Alii* autem volunt ἀνεκφώνητον dici, quia non habeat propria puncta, sed tantum mutuatitia. A quibus recedunt *ultimo*, qui non ἁπλῶς contendunt ita dici, sed κατά τι, respectu scilicet Græcorum, quibus hoc nomen vere sit ἀνεκφώνητον, cum neque Jod habeant, neque He, neque Vau.

X. Adparet itaque, Andream Osiandrum, tale quid supponere & præmonere, quod etiamnum dubium sit & controversum. Constat enim, quid inter *Drusium & Fullerum* fuerit de nomine hoc jam olim disceptatum. Quod igitur scribit: *Antea quam, quid mihi de vero ac proprio Christi nomine videatur, aperiam: pauca præfari libet, quæ studiosum lectorem attente percipere ac memori mente retinere velim: nisi enim hæc ipsa fideliter memoriæ mandaverit, illa, quæ sequentur, intelligere vix poterit*: libenter toleraremus, nisi ea, quæ præfaretur & supponeret, dubia adhuc valde essent, & maxime controversa. Quod enim dicit: *Et sicut Deum nemo vidit unquam, ita hoc proprium nomen ejus*, sine additamento, *nemini mortalium est effabile*: idipsum à plurimis ipsi negatur. Cum igitur præsuppositum hoc sit dubium, nec evidentibus argumentis comprobatum, dubia etiam fuerit sententia, quæ hoc potissimum innitatur. Quemadmodum autem nostræ parti nihil timendum esse arbitramur, sive hoc præsuppositum verum sit, sive falsum; cum Gallica nive frigidior sit ista consequentia: *Nomen* יהוה *olim fuit ineffabile.* E. *inserta ab Angelo litera* ש *factum est effabile, & inde exstructum nomen Salvatoris, JESUS*: Sic quoque de eo jam non disputabimus. Sed hoc est, ad quod venimus; *argumenta Osiandri, an tantæ sint efficaciæ, ut usitatam sententiam de origine nominis JESUS, evertant & expugnent? Osiandri autem firma ratione demonstrent?* Cum enim iis se persuasum esse, & aliis quoque persuadere conaturum, tanquam caussis gravissimis, nobis *thes.* 2. prædixerit: opera sumetur non inutilis, si in hoc inquisiverimus.

XI. *Deinde*: Quidam nomen Græcum Ἰησῦς deducunt ex יְהוֹשׁוּעַ sive יְהוֹשֻׁעַ, cui nomen hoc dicunt respondere. Ita *Flacius* part. 2. Clav. tract. 6. pag. 361. §. *Septima.* Quidam vero & Græcum Ἰησῦς, & Latinum JESUS deducunt, non ex יְהוֹשׁוּעַ vel יְהוֹשֻׁעַ: sed ex יֵשׁוּעַ, quod & legitur in V. Test. *Esr.* 3: 2. & habetur quoque in Euangelio Ebraico Matthæi, quod vulgo habetur, *cap.* 1. estque ut arbitramur, verum & proprium JESU nomen, ut statuit quoque *Estius* comment. in vers. 1. cap. 1. Romanorum. Nusquam enim in toto Syriaco Testamento nomen Salvatoris nostri scribitur per ܝܗܘܫܘܥ, יְהוֹשׁוּעַ, *Jehoschua*, sed semper ܝܫܘܥ יֵשׁוּעַ, *Jeschuah*; sive *Jeschu*; cum Syri non habeant *Patbah furtivum.* Unde & *Martinius* in voce JESUS: *Non dubito*, inquit, יֵשׁוּעַ *proprium Domini nostri nomen fuisse, ut patet ex titulo crucis*: הוּא יֵשׁוּעַ מֶלֶךְ הַיְּהוּדִים, i. e. *Hic est Jeschua, Rex Judæorum.* Quem titulum Romæ in templo sanctæ crucis asservari testatur *Pagninus*, in expositione nominum Ebraicorum: qui & ipse contendit ex eodem fundamento, scribendum esse nomen *Jesu*, per *Jeschua*, non *Jehoschua.* Estque hæc posterior sententia *Johannis Drusii lib.* 2. præterit. in *cap.* 1. *Marci*, & aliorum.

XII. Quam-

XII. Quamvis autem idem *cit. loco* scribat: *Sed peccatur in hoc nomine aliter. Nam* Josua *cum* Jesua *confundunt, unde* Jesu *&* Jesus. *Siquidem à* Josua *esset* Josuas, *quod plenius efferunt* Jehosua: tamen sunt summæ eruditionis viri, qui hoc posthabito, nihilominus dicunt, hoc nomen *Jeschua* contractum esse ex *Jehoschua*: quos inter est *Mercerus*, *Justinianus* & alii. Favet hisce nominum istorum permutatio. Nam idem filius Nun, qui plerunque dicitur *Jehoschua*, appellatur quasi contracte ישׁוּעַ *Neh.* 8: 17. Et nomen Syriacum *Ieschu* bis etiam ponitur pro *Iosua*, *Act.* 7: 45. & Ebræorum 4: 8. quin & pro *Iesu Iusto*, Coloss. 4: 11. Et LXX. Interpretes nomen יְהוֹשֻׁעַ semper expresserunt per suum Ἰησȣ̃ς. Sunt ergo nomina illa inter sese quasi permutabilia, & quantum ad rem, nihil erit discriminis inter duas illas voces, cum ambæ veniant à radice יָשַׁע, & significent σωτῆρα.

XIII. Quod si igitur ii, quorum sententiam prius adduximus, hoc nomen Ἰησȣ̃ς deduxerint immediate à nomine יְהוֹשֻׁעַ, ut facit *loc. cit. Flacius*: nemini dubium esto, quin primo *Osiandri* argumento satis urgeantur & stringantur. Merito enim cum Osiandro admireris tam subitam Metamorphosin, & tam *manifestam*, ut ipse loquitur, & *prodigiosam nominis corruptionem!* quomodo nempe ex יְהוֹשֻׁעַ factum sit יֵשׁוּ: Sed si deduxerint ex nomine filii Nun contracto; atque ita nobiscum & cum Drusio ex יֵשׁוּעַ, facile *gladium* aliquem invenerint, qui nodo isti sit solvendo. Nam inquit loc. citat. Justinianus: *An facilius dicendum est, duci à nomine Iesuach, quod sæpe legitur, idemque est cum Iehosuach, sed contractius, breviusque prolatum.*

XIV. His jam præmissis, videamus quid ad argumenta Osiandri sit respondendum? Ad I. igitur ii, qui Ἰησȣ̃ς deducunt immediate ex יְהוֹשֻׁעַ vel יְהוֹשֻׁעַ, dicunt, *non dari ejusmodi vetera Ebraica monumenta*, in quibus scribatur defective יֵשׁוּ, eo quod Thalmud vix 300. vel 400. annis post Christum natum sit confectum. Et si vel maxime darentur: tamen sanctissimum nomen *Iesu* ita à Judæis fuisse corruptum, contumeliæ causa. Ita *Flac. part.* 2. *Clav. tract.* 6. *Diatribe peculiari contra Osiandrum.* Sed defectivam istam scriptionem, confirmat quoque *Irenæus*, antiquissimus Pater, *lib.* 2. adversus *hæreses* cap. 41. pag. 194. *JESUS*, inquiens, *nomen secundum propriam Ebræorum linguam, literarum est duarum & dimidiæ, sicut periti eorum dicunt, significans Dominum eum, qui continet cœlum & terram.* Qui locus, cum iis quæ ibi sequuntur, ita quidem est obscurus, ut de eo scribat *Benedictus Iustinianus super Phil.* 2: 9. *Quod de Jesu nomine scribit Irenæus, plane est ejusmodi, ut meam quidem tenuitatem prorsus effugiat*: tamen hanc defectivam scriptionem satis indicat & contestatur. Vocat enim literam Jod dimidiam, quoniam, ut loquuntur Masorethæ, לא ארך ולא זעיר, i. e. *neque longa, neque brevis est.* Cætera autem verba, quod dicit, *significans Dominum eum, qui continet cœlum & terram*, innuunt, singulas literas singulas repræsentare dictiones, hoc modo: יְהוָה שָׁמַיִם וְהָאָרֶץ, *Iehovah*, sive *Adonai*; *Dominus, cœli & terræ.* Videantur *Scultetus exercit. Euangelic.* lib. 1. c. 52. Drusius, *Amama*, & alii.

XV. Fuisse autem contumeliæ causa nomen istud sic corruptum, pariter non facile ab omnibus admittitur. Quamvis enim istius rei mentionem faciat etiam *Elias* in *Tisbi*, loco mox citando; tamen idem & alteram rationem, quæ probabilior est, subjungit. Ut propterea *Drusius* lib. 2. præterit. dicat: *Qui putant hoc maligne ab iis fieri, ne Christum honorifice appellent, falluntur.* Docet quidem *Paulus Fagius in cap.* 33. Exodi, Judæos non pronunciare nomen Jesu, propter præceptum *Exod.* 23: 13. *ne recordentur nominis alienorum Deorum*; & si forte casu illud pronunciaverint, seipsos mulctare, colaphum sibi impingendo, & per horribilem Apocopen dicere יֵשׁוּ subintelligentes, יִמַּח שְׁמוֹ, *deleatur nomen ejus*: Sed illud nihil aliud probat, quam Judæos nomen Salvatoris nostri non pronunciare: sed potius pessime explicare, inquientes: יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹנוֹ, *deleatur nomen & memoria ejus.* Facile enim, nisi ע ex indole linguæ esset in fine elisum; adderent in sua perversa & blasphema explicatione: *deleatur nomen & memoria ejus æternum*, intelligentes per ע forte vocem עֹלָם, vel aliam. Nos vero, si explicanda fuerit hæc dictio per *Notaricon*, ut vocant, sive quandam Cabbalam, assumimus illam, quam habet Rabbi *Haccados*, & dicimus, יֵשׁוּ valere יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ *veniet Silo, & illi*: quæ verba habentur in vaticinio Jacobi, *Genes.* 49: 10. Qua ratione honorificentissima erit Salvatori nostro, hæc Apocope.

XVI. Quicquid autem sit; nos respondemus cum *Drusio*, id fieri ex antiqua consuetudine, quam Thalmudici familiarem sibi fecerint. Elidebant enim ultimam, dicentes, הוֹשֵׁ, *Hose*, pro הוֹשֵׁעַ *Hosea*, sive *Hosee.* Et sic etiam יֵשׁוּ, pro יֵשׁוּעַ *Iesu*, pro *Iesua.* Id quod difficultati pronunciationis adscribit *Elias* in *Tisbi* his verbis: *Quia Iudæi non credunt, quod ipse sit servator, idcirco nolunt ipsum vocare* יֵשׁוּעַ, *sed tollunt* ע. *Est etiam dicendum, quod vox* ע *difficilis sit prolatu gentibus, ob id non proferunt in lingua sua* ישוע, Jesuus, *sed* יֵשׁוּ Jesu, *vel* יוש Jesus. *Atque hinc est, quod Judæi pronunciant* ישו בלי עין, i. e. Jeschu *absque Aijn.* Nam ut *Aben Esra* ad *Exod.* 3. scribit: *Duæ literæ,* ע *&* ח *difficillimæ sunt pronunciatu, ut nemo illas facile pronunciarit, nisi qui à primis statim annis earum pronunciationi se assueverit, sicuti præputiati.* Tollitur itaque ob difficultatem pronunciationis, usitata Apocope litera ע, & dicitur יֵשׁוּ pro יֵשׁוּעַ, non aliter ac eadem litera, eliditur in קֶטִי *succisus*, pro קְטִיעַ, & aliis. Quod ergo dixit *Osiander thes.* 4. *literam* ע *non posse sine grandi flagitio ex ulla dictione rejici*; & quod dixit rursus: ע *ex ulla dictione Ebraica exturbari & exscindi, est prorsus inauditum*: cras forte credet Arcas, hodie nihili! Videatur interim *Martinius cit. loc. Drusius* in Alphabeto veteri, & *Justinianus.*

XVII. Ad II. loco cit. *Flacius* reponit duo: *primo*, nequaquam dicere Matthæum, ideo eum sic vocatum, ut satisfieret nomini *Emmanuel*: Sed, totum hoc ideo factum, ut impleatur Prophetia Esaiæ. Quid est illud totum, nempe totus sermo Angeli. Quod affirmat, Mariam esse virginem, concepisse ex Spiritu Sancto, parituram Servatorem mundi. Id ut confirmetur, affertur Prophetia de puero Emmanuele, ex virgine nascituro. *Deinde*, revera esse DEUM cum aliquo, significat ei esse adjutorem & servatorem: ut recte dici possit: Iste puer erit servator à peccatis, idem esse, quod iste puer erit DEUS nobiscum. Hoc modo *Flacius.*

XVIII. Atque non est dubium, quin hoc sit id, quod urgeat Osiander. Clare *Es.* 7: 14. prædictum est: *Et vocabit nomen ejus Immanuel.* Necessarium ergo esse, ut hoc nomen Christo fuerit impositum. Cum vero nuspiam in N. T. Christus ita legatur appellatus, aut concedendum esse, hanc Prophetiam de puero vocando Immanuel, nondum impletam esse, quod dicere sit impium & Euangelistæ contrarium, aut impletam fuisse per nomen יְהֹשֻׁעַ, quod si à nomine יהוה ductum esse concedatur, nomini Immanuel optime respondeat; cum æque significet Deum, ut illud. Quo facit, quod Christianis objiciunt Judæi, dictum illud *Es.* 7: 14. non posse accipi de Christo; cum ibi dicatur, puerum nasciturum, vocatum iri Immanuel: Salvator autem noster nunquam dicatur ita appellatus. Omnino ergo necesse esse, hanc prædictionem in appellatione & nomine Christi fuisse adimpletam. Sed huic rectissime id, quod posteriore loco respondet Flacius, opponitur. *Vocari* enim hic non idem est, quod proprio nomine appellari, sed idem est, quod *esse*. Ut olim responderunt *Justinus* q. ad Orthod. 131. *Tertullianus* adversus Judæos & l. 3. contra Marcionem, *Lactantius* lib. 4. de vera sapientia c. 12. *Chrysost.* lib. de incarn. cap. 2. Supponitur igitur, locum accipi debere de nomine proprio, cum sit accipiendus de *re*, nomine *significata*. Recte idem *Flacius* in Glossis sive notis ad hunc locum: *Jesus est Emmanuel, quia & verus Deus in terris agens fuit, & Deum nobis propitium ac præsentem, nosque inhabitantem effecit, & in eo tota plenitudo divinitatis habitavit. Nomen* enim aliquando alicui imponi tale dicitur, cum indicatur esse rem ipsam, quæ nominis Etymologia, vel significatione comprehenditur. Ut docet idem *Flacius* part. 2. Clavis tract. 3. p. 134. & ex eo alii. Hinc membr. IV. *cit. loc. Justinianus*: *Sæpe nomen poni pro re nomine significata, tam certum est, quam putidum probare.* Conferatur *Es.* 9: 6. *Es.* 1: 26. & loca alia. Nec igitur opus est, nomen JESUS, ratione Etymologiæ, significare DEUM; neque asserere; alias Prophetiam nondum impletam fuisse. Impleta enim fuit *re*, nominis Etymologia *significata*: etsi non ipsius *nominis* Immanuel, in circumcisione, *impositione.* Videri potest *Maldonatus* in vs. 21. cap. 1. Matthæi.

XIX. Quid igitur opus est sesquipedalibus illis Osiandri verbis? *Te quæso, per Deum immortalem lector, quis est verborum tam inscius, rerumque tam imperitus, ut sibi persuaderi sinat: Si quis vocetur* יְהוֹשֻׁעַ, *id perinde esse ac si vocetur* עִמָּנוּאֵל? Si enim argumentatur: *nomen* יֵשׁוּעַ, vel ex aliorum sententia יְהוֹשֻׁעַ *non significat ex nominis origine Deum: E. non est nomen Christi proprium*, negamus majorem. Vel si ita: *Hoc nomen non est idem quod Immanuel. E. non est Christi nomen*, negamus cum *Flacio th.* 17. Minorem, vel rursus ut in præcedente, Majorem. Ut taceamus, ne quidem nomen יְהֹשֻׁעַ; si vel maxime esse nomen Salvatoris concederetur: idem signifi-

ſignificare, quod nomen *Immanuël*; cum hoc ſignificet θεὸς μεθ' ὑμῶν, *Deus nobiſcum*: iſtud non item. Ut ita nec hoc argumento aliquid obtineat Oſiander.

XX. Ad III. argumentum *priores* reſpondent, illa duo nomina יְהוֹשֻׁעַ vel יְהוֹשֻׁעַ, quoad terminationem quidem eſſe ſimilia participiis paſſivis, non autem quoad ſignificationem. Eſſe enim nomina, non vero participia & habere ſignificationem activam. *Idem judicium* eſto de nomine יֵשׁוּעַ. Nolumus enim hic diutius morari, cum argumentum hoc tantum injiciat in diſcurſu Oſiander, nec valde urgeat.

XXI. Ad IV. *Flacius* reſpondet. Sonum quidem nominis non fuiſſe rem novam; ſed notiſſimam. Novum autem ac mirum fuiſſe, jam illum naſciturum, cui ſummo jure id nomen conveniat, ac reipſa, etiam Angeli teſtimonio, id eſt, qui revera eſſet Servator à peccatis futurus, qualis nemo antea usquam in Orbe exſtiterat, nec poſtea erat futurus. Illi fuerunt tales *nomine*, non vero *re*. Chriſto autem ſoli hoc nomen competit reipſa & κατ' ἐξοχὴν. Videantur ſimilia apud *Gerhardum* in Exegeſi p. 1127. Erat igitur mirum, nomen hoc antequam Chriſtus naſceretur, fuiſſe præſcriptum: Erat mirum, quod ille naſciturus jam eſſet, cui re ipſiſſima hoc nomen competeret: non autem quod Angelus, nomen antea *ineffabile*, pronunciaverit, & reddiderit *effabile*. Quod enim urget, vocabulum κληθὲν, proprie eſſe, *pronunciatum* ſeu, pace Grammaticorum, *effatum*: id nihil eſt. Uſitata enim & maxime propria ſignificatio verbi καλέομαι, eſt *vocor* ſive *nominor*. Nihil aliud ergo dicit *Lucas*, quam quod nomen JESUS, κληθὲν, *nominatum*, *appellatum* & *præſcriptum* fuerit, tanquam nomen, ipſi in circumciſione imponendum, antequam in utero ſit conceptus.

XXII. Ad V. & ultimum reſpondemus, in loco Paullino per ὄνομα non intelligi appellationem, aut nomen Proprium Chriſto in circumciſione impoſitum: ſed vel Dominium & Majeſtatem vel potentiam, aut aliud quid. Videantur *Lucas Oſiander*, *Eſtius* & *Juſtinianus*, *Flacius* & alii in illum locum. Labaſcit igitur præcipuum Oſiandri argumentum, neque videre poſſumus, quomodo ejusdem nova Etymologia, eruditum quempiam adeo movere poſſit.

XXIII. Non multum autem recedit ab Oſiandro *Sebaſtianus Caſtalio*, ad *c.* 1. *Matth.* Annotationibus. Qui ſibi publice quaſi gratulatur, quod tandem compererit, ſicut JESUS Chriſtus verus DEUS, & verus homo ſit: ita etiam nomen ejus JESUS ex DEI & hominis nomine eſſe conflatum. Quod dicit, ſe didiciſſe ex *Exod. c.* 15, 4. ubi dicitur: יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה, i. e. *Jehovah vir belli.* Ubi illi, *vir bellicoſus* dici videtur, quoniam de Chriſto ſermo ſit, qui *vir* futurus erat. Eſt igitur illi nomen JESUS compoſitum ex יְהוָה, & nomine אִישׁ, ita ut שׁ ex nomine אִישׁ interponatur nomini יְהוָה: literæ autem duæ א & י abjiciantur, quippe, quæ, cum ſerviles ſint, modo addi, modo adimi queant. Ut ita יְהשׁוּה, JESUS, ſit idem quod *Jehovah vir*, ſive *homo*, (nam hominem eſſe ſignificat אִישׁ) ut intelligamus, JESUM eſſe non *Jehovam* (nam hoc de ejus Patre dicitur) ſed *Jehovam-hominem.* Ita *Sebaſtianus Caſtalio.* Cujus ſententiæ patrocinatur *Juſtinus Martyr* Apologetico primo: Ἰησοῦς, inquiens, καὶ ἀνθρώπου καὶ σωτῆρος σημασίαν ἔχει, h. e. *JESUS & hominis & Servatoris ſignificationem habet.*

XXIV. Sed reſpondemus Caſtalioni. 1. Inuſitatum eſſe in compoſitione vocum, ut altera vox componens ponatur in medio alterius; & tantum unicam literam ingredi componendam. Sic *Immanuël*, eſt ex עִמָּנוּ *nobiſcum*, & אֵל *DEUS.* Non certe nomen poſterius ponitur in medio prioris: neque tantum unica litera eam ingreditur: ſed aliter ſe res habet. Si igitur indoles & ratio componendarum vocum obſervetur, cadet ſententia Caſtalionis. Si autem aliquis eam tantum habuerit pro alluſione, & non pro vera Etymologia; litem ei movebimus nullam. Eſt enim Chriſtus revera DEUS & homo. 2. Ad locum *Exod.* 15: 4. reſpondemus: ibi per voculam אִישׁ nequaquam reſpici ad humanam Chriſti naturam: ſed eſſe Ebraiſmum; eſtque *vir belli*, idem quod *magnus bellator*, *Judic.* 7: 14. vel Jehovah eſt *bellicoſiſſimus*, ut reddidit *Tremellius.* 3. *Juſtinum* quod concernit, *verus* ille eſt in eo, quod Ἰησοῦς notet Servatorem ſive Σωτῆρα, *falſus* in altero, quod hominem. Licet enim אִישׁ, *IS*, Ebræis ſignificet ἄνδρα: tamen non ſequitur, inde dictum Ἰησοῦν, quaſi ἄνθρωπον. Ἰησοῦς enim non eſt ab Ebræo אִישׁ: ſed à radice, ſeu themate יָשַׁע, ut ſuperius oſtenſum. Potius igitur hæc eſt alluſio tantum; quam vera dulciſſimi nominis JESUS Etymologia.

XXV. Abiremus hinc, niſi videnda etiam eſſet eorum ſententia, qui vocis & nominis hujus Græcam originem eſſe autumarunt. Ita autem Patres quamplurimi: qui voluerunt, τὸ Ἰησοῦν dictum eſſe à verbo Græco ἰάομαι, ſano, quaſi ſanans. Nam ita *Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſ.* 10. Ἰησοῦς ἐστι, κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ δὲ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν, ἰώμενος, h. e. *JESUS ſecundum Ebræos quidem eſt* Servator, *ſecundum Græcam vero linguam*, ſanans. Nempe hoc vult dicere: Græcum Ἰησοῦς quoad Etymologiam Ebræam eſt à יָשַׁע; notatque Servatorem: quoad Etymologiam autem Græcam eſt ab ἰάω, ſive ἰάομαι; notatque ſanantem. Ut ita Ἰησοῦς ſive JESUS dicatur ἀπὸ τοῦ ἰάσασθαι, quod Jonice eſt ἰήσασθαι, à *ſanando.*

XXVI. Hanc venerandorum Patrum Etymologiam & derivationem, ſi pro vera origine & deductione habetur, eam merito repudiamus. Scimus enim quod origo hujus nominis non ſit quærenda apud Græcos, ſed apud Ebræos; eſſeque nominum propriorum Etyma in ſuis linguis quærenda, non in alienis, ut dudum docuit *Glaſſius* in Grammatica ſacra, de nominibus propriis. Sed ſi tantum pro alluſione habetur, ſine moleſtia eam poſſumus tolerare. Mos enim fuit hic veterum, ſive curioſitas, ut in vocibus peregrinis, quarum non ignorarent etymum, ſatagerent aliquid invenire, quod earum ſignificationi accommodarent. Sic in dictionibus Ebraicis etyma Græca aut etiam Latina Patres ſunt commenti; non quod veram originem ſemper ignorarent, aut à Linguarum gnaris non audiverint; ſed ex mera illa, quam diximus curioſitate. Sic dixerunt πάσχα eſſe à Græco verbo πάσχω, patior, ut alluderent ad tempus paſſionis, quod ſequitur Paſcha. Et *Ambroſius lib.* 2. de Abel & Cain: *In Levitis*, inquit, *agni præceſſit myſterium, verum venturum Leviten, qui proprii corporis paſſione, tolleret peccatum mundi. Levites ſignificatur* ſuſceptus pro me, *vel ipſe mihi* levis: Etymum prius ex lingua Ebræa, à radice לָוָה, *mutuo dedit*, *adhæſit*; poſterius ex lingua Latina, afferens; quoniam *levavit* nos onere peccati, & ita nobis factus eſt *levis.* Sic *Anaſtaſius quoque Sinaita* monachus, homo Græcus, quem ne credamus ignoraſſe, unde eſſet βάπτισμα; ſcripſit, βάπτισμα dici quaſi βάπταισμα, in quo βάπτεται τὸ πταῖσμα, abjicitur ſeu cadit peccatum; propterea quod in ſacro baptiſmatis lavacro abluamur à peccatis. Videatur *Caſaubonus exercit.* 13. Anno 31. n. 26.

XXVII. Quod ſi admittitur, facile erit multa excuſare. Quale eſt & illud, quod veteres dicebant, *Diabolum* eſſe à δύω, duo, & Latino, *bolus*: quod hominem *duobus* devoraret *bolis*; altero quidem deglutiens animam, altero vero corpus. Modo caveatur, ne talia pro veris originibus, & fundamentis habeantur. Sicut quandoque fieri, nemo ignorat. Quod enim *Optatus Milevitanus Epiſcopus*, *lib.* 2. contra Donatiſtas, Syriacum Cephas, à Græco κεφαλὴ deduxit: *Apoſtolorum*, inquiens, *caput Petrus*: *unde & Cephas appellatus eſt*: id tanquam ſolidum aſſumit *Baronius*, Anno 31. n. 26. Quo tamen multo verior eſt *Benedictus Juſtinianus*, qui loc. antea theſ. 3. cit. & de hac Patrum, circa nomen JESUS; & de illa *Optati*, Etymologia dicit: *Sed utut ſit, qui ita ſentiunt, nihil præter vocum analogiam & ſignificationem ſecuti ſunt, non aliter atque illi, qui* Cepham, *Syriacam vocem, pro Græca* κεφαλὴν *accipiunt.* Relinquantur ergo talia ſuo loco, neque ut ſolida, aut vera fundamenta aliis obtrudantur. Atque hæc ſunt, quæ in præſenti de ſacratiſſimo nomine JESUS voluimus afferre. Velit DEUS, ut hujus nominis memoriam nulla unquam apud nos deleat oblivio!

COROLLARIUM.

GRæci breviate ſcribebant literis majuſculis ΙΗΣ: idem poſtea, ſervatis characteribus Græcis, fecerunt Latini. Hinc factum, ut in hodiernum usque diem Latini literis revera Græcis, quas imperiti Romanas putant, idem nomen pingant hoc modo, IHΣ. Quod moneo non ut ſcriptura mutetur, ſed ut ejus origo noſcatur. Verba ſunt *Eſtii comm.* in cap. 1. Rom. 5: 1.

M. BALTH. STOLBERGII

DISSERTATIO

De Magis ad Matth. II: 1.

Σὺν Θεῷ παλάμᾳ.



Agorum nomen studiaque ἐξ ἀρχῆς honesta & dignatione plena fuisse plerique omnes persuasissimum habent, adducti cum Patrum quorundam, tum aliorum Autorum luculentis testimoniis, qui magnifice de iis loquuntur & sentiunt. *Philo* Magiam * σεμνὴν καὶ περιμάχητον dicit; Magos vero, οἱ τὰ τῆς φύσεως ἔργα διερευνώμενοι, πρὸς ἐπίγνωσιν ἀληθείας καθ' ἡσυχίαν ταῖς θείαις ἀρεταῖς τρανωτέραις ἐμφάσεσιν ἱεροφαντοῦνται. Sane quod Magi naturalium rerum indagationi intenti, motus, ortus siderum, anni tempestates &c. observabant, labem nullam contraxerunt; modo ne æque superstitiosi semper & feralium artium periti, impios idololatricosque cultus, [quod plurima indicia produnt] exercuerint. Postmodum vero idem Nomen in odium invidiamque aperte abiisse, apud omnes in confesso est. De quo in præsenti, cum ejus ap. Euangelistam mentio fiat, paucula commentaturi sumus. Ut autem feliciter institutum cedat, JESUM NOSTRUM cum Magis suppliciter adoramus.

* *Lib.* ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος.

VERBA EVANGELISTÆ.

Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ Μάγοι ἀπὸ Ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα.

§. 1. MAgiam Persiæ suos debere natales, constans Veterum sententia est. Unde frustra esse oportet, quotquot illius imperiti, vocis etymon vel *è Latina Lingua à magnitudine scientiæ*; vel *ex Græco* μέγας aut μάσσω sive μάττω cum Autore Etymologici; vel *ex Ebraico* מעון aut מכשף, qua voce in Euangelio Ebraico Munsteri exponuntur Magi; vel à מגש, quod *Rabb. est innuere*; deducere satagunt. Quas opiniones recensitas & discussas vid. ap. *Martin. in Lexic. Phil. Cheitom. in Græco-Barb. N. T. p.* 88. *seqq. Valkenier. quæst. Philologico-Theolog. ad h. l. aliosque passim.*

§. 2. *Salmasius* Magos dictos vult à Zoroastre, cui cognomentum מג *Mog* fuerit. Unde Magus factum. Ex eodem *Mog* Græci fecerunt Μῶχον quendam Sophum Iliacis temporibus antiquiorem, *cit. Cl. Hottinger. Histor. Creat. c.* 4. *quæst.* 63. *p.* 132. Alius apud eundem *Hotting.* scribit, vocem esse Persarum, qui aliquando à Scythis Germanica habent vocabula. Mögen *Germanicis est posse: Magus potens intellectu. Mohammet Al-Firauzabadius Arabs apud Eduard. Pocokium Professor. Oxoniens. in specim. Histor. Arab.* origine Persicum è duabus vocibus conflatum statuit, videlicet *Mije gush*, quod hominem curtis auribus denotat, cum talis fuerit primus sectæ Pater. Sed hanc etymologiam in Magicæ sectæ ludibrium excogitatam censet *Dn. Ursinus exerc.* 1. *de Zoroastr. §.* 8. *p.* 51. *Is enim Ebræorum, & qui eos secuti sunt, Arabum mos fuit, ut fictis venuste nominum etymis, quos deridendos suis proponebant, traducerent.*

§. 3. Rectius *Hesychius*, Μάγους οἱ Πέρσαι οὕτω λέγουσι. Clarissime *Porphyr. lib.* 4. περὶ ἀποχῆς: Παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται. τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον αὐτῶν διάλεκτον ὁ Μάγος. Apud Persas illi, qui in rerum divinarum scientia versantur, appellantur Magi. Hoc enim patria ipsorum lingua sonat vox Magus. Idem tradunt *Plato*, *Xenophon*, *Strabo*, *Laërtius*, *Plinius*, *Marcellinus*, *Philo &c. Conf. Martin. in Lexic. & Casaub. exercit.* 2. *ad Annal. Baron. Montacut. part. I. orig. Eccles. p.* 167.

§. 4. *Suidas* Magos φιλοσόφους καὶ φιλοθέους dicit, h. e. Viros, qui sacrorum curam agebant, & operam dabant Philosophiæ. Apud *Hesych.* exponitur Magus, θεόλογος, θεοσεβής, ἱερεύς. Ita & *Apulejus Apologet.* 1. Persarum lingua Magus est, qui nostra Sacerdos. *Appian. lib.* 2. *de bell. civil.* comparat Brachmanibus: *Phil. l. cit.* Græcorum Philosophis, Indorum Gymnosophistis, & Ebræorum Essæis. *Laërt. lib.* 1. Chaldæis & Druidibus Gallorum. *Clem. Alexandr. libr.* 1. *ςρ.* Αἰγυπτίων προφήταις.

§. 5. *Herodotus* in prima Musa, Magos inter Mediæ populos recenset. ἔστι δὲ Μήδων τοσάδε γένεα. Βουσαὶ, Παρητακηνοὶ, Στρούχατες, Ἀριζαντοὶ, Βούδιοι, Μάγοι. Ita quoque *Strabo l.* 16. & *Celsus ap. Origen. in fin. lib.* 6. Sed alii rectius hosce Persicorum Magorum traducem fuisse ex *Marcellino* colligunt, qui *lib.* 23. de Persicis Magis, eorumque origine atque progressu ita scribit: *Hujus originis apud Veteres numerus erat exiguus; ejusque misteriis Persicæ potestates in rebus faciendis divinis solenniter utebantur. Verum aucti paulatim in amplitudinem gentis solidæ concesserunt & nomen: villasque habitantes nulla murorum firmitudine communitas, & legibus suis uti permissi, religionis respectu sunt honorati.* Sane *Plin. Histor. Nat. l.* 30. *c.* 1. inter autores convenire asserit, Magiam in Perside à Zoroastre ortam. Et per ætatem *Xanthi*, qui Cyro σύγχρονος Lydiaca scripsit, Magos Persis fuisse peculiares, & ab iis ad alias vicinas gentes commeasse, probat *Montacutius pag.* 192. Horum propago & illi in Cappadocia fuere, quorum *Strabo lib.* 15. meminit: *In Cappadocia*, refert *magna est magorum multitudo, qui Pyræthi dicuntur: multa item Persicorum Divum fana. Vid. Selden. de Diis Syris Syntagm.* 2. *cap.* 8. *p.* 317.

§. 6. *Suidas* in voce Astronomiæ narrat, Magiam & Astronomiam à Magusæis cœpisse. At Magusæi iidem sunt, qui Persæ, ceu ipse innuit his verbis: οἱ γὰρ τὸν Πέρσαι Μαγὼγ ἀπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζονται. καὶ Μαγουσαῖοι αὐτοί. *Bardesanes origine Syrus in lib. contra fiat, apud Euseb. l.* 6. *de præpar.* tradit, Magusæos vocari illos Persarum, qui nefanda matrum connubia frequentabant; de quibus infra. *Sive igitur à gente* [sunt verba Montacutii pag. 169.] *sive à professione & linguæ proprietate derivetur Magus, & nomen & nominis ὑποκείμενον Persicum plane fuit, & à Persis ad alias nationes peragravit.* Proinde hoc nomen temporis successu *generalius* acceptum, & ad aliarum gentium Orientalium sapientes traductum est. Testatur hoc *Plin. lib.* 25. *cap.* 2. qui Arabibus, Ægyptiis, Æthiopibus: *Lucianus*, qui in *Longævis*, Parthis, Bactrianis, Chorasmiis, Areis, Sacis, Medis, multisque aliis barbaris nationibus æque ac Persis suos Magos aperte tribuit. Addimus his Versionem Græcam Danielis, quæ Chaldæorum אשפים non minus Magos appellitat, qui *purificationes perficiebant, ignem curabant, siderumque scientiam callebant*, uti *Scholion* ibi habet. *Confer Cheitom. pag.* 89.

§. 7. Specialius nunc exponendum est de *institutis, moribus & doctrina Magorum.* Erant illi apud Persas religionum Antistites, Ceremoniarum propolæ sacrarum, [ut Montacutius ait] curam rerum & locorum sanctorum suscipiebant: & in particulari, quasi quidam æditui sepulcro Cyri, quem & vivum & mortuum tanquam Deum aliquem tutelarem colebant Persæ, præerant custodiendo, uti idem

refert.

refert. pag. 173. Sacrificiorum præterea præsides erant: res divinas, & illarum rationes populo enarrabant: de substantia & generatione Deorum disserebant. De quibus *Diog. Laert. l. alleg.* & ex eo *Polydor. Vergil.* de *invent. rer. lib. I. cap.* 23. p. 90.

§. 8. Deinde & Regibus à consiliis erant Magi, iis adstabant tanquam rerum interpretes & ὑφηγηταὶ divinarum. Quod de Indorum quoque *Gymnosophistis Strabo* prodidit. Et *Druidas* apud *Celtas & Gallos* eodem habitos honore & ordine fuisse, è *Dione Prusæo & Diodoro Siculo* colligimus; sine quorum consilio nihil fas erat regibus facere, ut ipsi potius regnarent, Reges tantum administri essent eorum, quæ jussissent. Magorum informationi tradebantur Regum pueri, nec quisquam Persarum Rex esse poterat, qui non ante Magorum disciplinam & scientiam perceperat, *Cic. lib.* 1. *de divinat.* Eligebantur autem quatuor præcipui viri Pædagogi, videl. *Sapientissimus, Justissimus, Temperantissimus, Fortissimus. Primus* tradit Magiam seu divinum cultum, & βασιλικὰ, de regis officio & omnibus ad gubernationem necessariis. *Secundus* ad veritatem in omni vita adhortatur. *Tertius* ne cupiditatibus serviat, monet. *Quartus* impavidum ac imperterritum reddit; ceu hæc à *Platon.* in *Alcibiad.* memorantur.

§. 9. Mortuorum cadavera, πρὶν ἂν ὑπ' ὀρνίθων, ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ, priusquam canibus & alitibus esca facta erant, non humabant. Quod *Herodotus in Clio* se certissime compertum habere asserit. Cineres & ignem perpetuo ardentem Deum suum præcipuum, ut Romæ *Vestales*, custodiebant. Cæterum signa & statuas reprehendebant, referente *Herodoto in Clio, & Strabone lib.* 15. *Geogr.* Atque eorum cumprimis, qui mares esse Deos & fœminas dicunt, errores improbabant. Homines quoque revicturos & immortales futuros credidisse, *testis est Laërtius.* Inter festa celeberrimum fuit *Vitiorum Interitus*, in quo omne genus fera animantia & venenata interficere, summæ pietatis argumentum fuit. *Sacæa* quoque (*Strabo lib. XI.* σάκαια & σακαίων, ἑορτὴ scribit: *Athenæus lib.* 14. σακέων ἑορτὴν vocat) *die XVI. Augusti* agitabantur, in quibus aliquem è capitis reis regia purpura decoratum in solium sublime collocabant, & *per festi dies genio ac libidine indulgere, ac cum pellicibus regis consuescere patiebantur*, post nudatum flagrisque cæsum in crucem agebant. Meminit hujus festi & *Ctesias in Persicis*, annotante *Athen. Dipnosoph.* loc. cit. Plura de eo *vid. apud Selden. de Diis Syr. Syntagm.* 2. *cap.* 13. *pag.* 343. *& Dn. Ursin. Anal. sacr. vol.* 1. *append. p.* 426.

§. 10. Olim in *sectas* sive *familias* dividebantur Magi, quarum tres retulit *Porphyrius in lib.* 4. περὶ ἀποχ. Primi maxime laudandi ab animatorum cæde & esca abstinebant. De his *Laertius* intelligi potest, cum ait: *His erat vestis candida, lectus humus, esca, olus, caseus panisque cibarius.* Secundi de cicuribus modo & mansuetis comedebant. At Tertii neque de more communi omnia attingunt indiscriminatim. Græca ita sonant: οὐδ' οἱ τρίτοι ὁμοίως τοῖς πολλοῖς ἐφάπτονται πάντων.

§. 11. Cæterum justum fuisse *Matri ac filiæ misceri*, memorat *Laertius & Strabo*, καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. *Tatianus* refert, id κάλλιστον ἐπιτήδευμα apud Persas fuisse. Unde *Catullus carm.* 91. canit:

> *Nascatur* Magus *ex Gelli matrisque nefando*
> *Conjugio, & discat Persicum haruspicium.*
> *Nam* Magus *ex matre & gnato gignatur oportet,*
> *Si vera est Persarum impia relligio.*

Agathias quidem hoc scelus tanquam novum refert, & quod heri vel pridie demum inventum; sed refellitur ab Antiquioribus, *Strabone, Ctesia in Persicis*, quem *Tertullianus* citat; qui vir ante Macedonicum Imperium in aula Persica diversatus & medicinam faciens, veritatem non potuit ignorare. Pariter *Xanthus* apud *Clem. Alexand.* narrat *Magos matribus, filiabus, & sororibus misceri*, καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι θεμιτὸν; κοινάς τ' εἶναι τὰς γυναῖκας, οὐ βίᾳ καὶ λάθρᾳ, ἀλλὰ συναινούντων ἀμφοτέρων, ὅτ' ἂν θέλῃ γῆμαι ἕτερος τὴν ἑτέρου. Nimirum & uxores fuere communes, non vi quadam aut clanculum, sed mutuo consensu, si cui libuisset.

§. 12. *Doctrinam & Opiniones* quod attinet, fundamentum Magicæ religionis fuisse venerationem *Lucis*, & fugam *Tenebrarum*, ex *Abul Feda* docet *Pocokius.* Lucem illi Deum primum, & ut loquuntur, *Radiman antiquum* statuunt nomine *Vazdan. Tenebras* vero esse Deum creatum è tenebris ortum, cui nomen *Abraman.* Ita esse rerum Autores Deum & Diabolum: & hanc fuisse olim religionem Persarum usque ad tempora *Zoroastris*, quem *Zaradustum* vocant, & sub *Gushtasfo* i. e. *Hydaspe* floruisse affirmant. Cum ergo in adstruendis duobus rerum principiis, *Luce & Tenebris*, convenirent omnes; in partes scindebantur, aliique principia ista coæva, alii alterum altero posterius statuebant. Plures aliosque Deos, quos vel cum Græcis habebant Persæ communes, Jovem *Belum & Arbelum*, Herculem *Sandem*, Venerem *Anaitida*, & Dianam *Nannæam*; vel proprios & barbaros Deos, *Oromasden, Mithram, Mesoromasden, Omanum &c.* recenset *Dn. Ursin. l. c. & exerc. de Zoroast. §.* 6. *p.* 37.

§. 13. Quod attinet *Theologiam Zoroastris*, (ὃν πεντακισχιλίοις ἔτεσι τῶν Τρωϊκῶν γεγονέναι πρεσβύτερον ἱστοροῦσιν, *ut Plutarch. habet*) vel cum *Eudoxo* sex millibus annorum ante Platonis mortem, [*ceu Plinius narrat lib.* 30. *cap.* 1.] vixisse produnt; eam pluribus exponit *Plutarch. de Isid. & Osirid.* è quo & nos quædam trademus; ideo potissimum, quia Zoroaster, quem Persæ צרדושת *Zardust*, *amicum ignis* vocant, *teste Hotting. Histor. Orient. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 364. Magiæ si non primus *Autor*, tamen *interpolator* fuisse à plerisque creditur. *Conf. Plin. l. cit. alios. Suidas*: Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι, ὧν ἦρχε ζωροάστρης. Duos autem statuebat Deos, *Adversarios* quasi & *oppositos*, ἀντιτέχνους; quorum alter *bonorum*, alter *malorum* sator & autor esset. Ille proprie vocabatur θεὸς & *Oromazes*; hic vero δαίμων & *Arimanius*, illum *Luci*, hunc *Tenebris & Ignorantiæ* ajebat similem: *Medium* autem *Mithram* appellabat. Sacra utrique fiebant, *Bono* Deo, εὐκταῖα καὶ χαριστήρια, *Malo* vero ἀποτρόπαια καὶ σκυθρωπὰ offerebantur. Graminis quandam speciem, Ὄμωμι καλούμενον, in mortario contusam, invocatis *Dite & Tenebris*, & lupi jugulati sanguine mixtam, in obscurum, ἀνήλιον, τόπον abjiciebant. Etenim alias quidem *herbas* Bono Deo, alias Dæmoni tribuebant; sicut & *animalia* aliqua, ceu sunt *canes, aves*, aliaque terrestria consecrabant *Oromazæ*, *aquatica* vero *Arimanio.* Ille Bonus ex pura luce ortus, sex alios produxit Deos, Εὔνοιαν, Ἀλήθειαν, Εὐνομίαν, Σοφίαν, Πλοῦτον & τῶν ἐπὶ τοῖς καλοῖς ἡδέων Δημιουργόν. Malus vicissim numero totidem, & ἀντιτέχνους fecit. Tum vero *Oromazes* cœlum astris ornavit, horumque φύλακα καὶ προόπτην fecit *Syrium.* Quin & alios viginti quatuor à se productos Deos ovo inclusit: quod perforarunt alii totidem ab *Arimanio* generati, unde mala bonis passim commista & intersusa sunt. Denique in fatis esse docet, tempus affore, quo bello, peste & fame humano generi ab *Arimanio* adductis, ipse tandem è medio tollatur. *Hæc apud Plutarchum.*

§. 14. De Magorum insuper imposturis & μαγγανεύμασι *Clem. Alexandrin. in Protrept.* memorat, quod jactare soliti fuerint, Dæmonas sibi assistere tanquam servos ac mancipia, quos ἐπῳδαῖς incantamentis cogerent; non quidem plane invitos. Ideo necessitatem illam coactivam, πειθανάγκην dixerunt. Neque hic *Persarum Magos* licet excipere, quorum ritus & mores impios sacrilegosque sua ætate copiosius descripsit *Lucianus in Menippo.*

§. 15. Tandem ad nostros *Magos* properandum est, & primo disquirendum, *num isti fuerint Malefici*, maxime quia in N. Testam. nomen illud, ut & μαγεία ac μαγεύειν in malam partem usurpatur? quo de *Lightfoot. in Hor. Rabbin. & Talmud. in Euang. Matth. p.* 25. Multi negant ideo, quia Magorum nomen & studia primitus honestissima fuerunt, & hodiernum vocabulum illud μέσον est. Tum vero Persiæ Magi, Politici, Sacerdotes, Philosophi, Astrologi erant, hocque à Magis Ægyptiis, qui Incantatores, discernuntur.

§. 16. Sunt tamen alii, qui Magorum *originem, nativitatem, de Diis opinionem, festa sacrificia, miracula aliaque* ex Historiarum monumentis accuratius perpendentes, asserunt, *quod jam inde à prima origine, & ab incunabulis quasi suis, semper id fuerint, quod etiamnum dicuntur, feralium artium periti*, ἐπαοιδοὶ *Incantatores.* Unde, quantum ad superstitionem artesque vetitas, parum discriminis *Ægyptiorum inter & Persarum Magos* deprehendi ajunt, *Strabo* qui *Augusti Cæsaris* tempore floruit, de *Persarum Magis* sic scribit: Παρὰ Πέρσαις οἱ Μάγοι καὶ Νεκυομάντεις, καὶ Λεκανομάντεις, καὶ Ὑδρομάντεις. Demus autem in illa fæce & sentina hominum nequissimorum semper extitisse nonnullos, qui ultra licita & naturam haud ascenderint: unde probabitur illos, de quibus nunc disserimus, de numero optimorum fuisse? *Philosophis* titulus id haudquaquam evincit: nam & ipsi *Dæmonum* operabantur sacris. *Tertullianus in Apologetic. Sciunt Dæmones*, inquit, *Socrate vel ipso ad Dæmonis arbitrium expectante.* Sed de hac senten-

ſententia malumus audire judicium accuratiſſimum *B. Chemnitii* cap. 10. pag. 106. *qui*, ait, *quantum ad rem ipſam attinet*, *ſententia non pugnat*, *cum myſterio vocationis gentium*, *ſi tales primitias puer Ieſus ex gentibus vocarit*, *ut oſtenderet ſe veniſſe in mundum peccatores etiam maximos ſalvos facere.* 1 Tim. 1: vſ. 15. Pro eadem *Patrum* plurimi citantur, *Origenes*, *Baſilius*, *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Hilarius*, *Tertullianus*, *Theodoretus*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus* ait: ἵνα ἡ δόξα τοῦ θεοῦ πλέον ἐκλάμψῃ, μαρτυρούντων τῶν Μάγων τῶν μάλιστα τοῖς δαίμοσιν ὑποκειμένων καὶ θεοῦ ἐχθρῶν. Conf. *Montacut.* qui hanc controverſiam prolixius perſequitur.

§. 17. Proxime diſputatur, *An Magi hi Reges fuerint?* Caſaub. exercit. 2. *Quum nihil*, ait, *de eo ſcriptura dicat*, *nihil certi Patribus conſtiterit*, *fueritque olim liberum cujusque ea de re arbitrium ſentiendi*, *ut vellet*; *non eſt toleranda eorum tyrannis in Eccleſia*, *qui aliter opinantes ferre non poſſunt.* Quæ verba *Montacutius* concoquere non potuit. Ideo pag. 202. ſubjicit: *Nec minus toleranda eorum* αὐθάδεια, *qui æque minus ferre poſſunt ſentientes in Eccleſia*, *quod fuerint Reges. Nam quod me attinet*, *fuiſſe arbitror.* Verum cum *Reges* fuiſſe affirmat, non vult intellectos *Perſarum Monarchas*, quod & *Baron. Cornel. à Lap. ac Barradius* faciunt; ſed quales *Civitatum* vel *Regionum Toparchæ.* Et nos cum *B. Chemnitio* dicimus, eos non fuiſſe *obſcuros* aut *abjectos* homines; ſed *præſtantes & illuſtres.* Cauſam cur exiſtimet Reges fuiſſe, *Montacutius* affert piam fidelium traditionem, & Patrum quorundam autoritatem. Tum quædam loca Scripturæ S. in ſubſidium advocat *Eſai.* 49: *vſ.* 7. *cap.* 61: *verſ.* 3. *Pſalm.* 72. Quia vero negant *Theologi* ibi ſermonem eſſe de Magis, *cum de vocatione gentium*, *quæ ex omnibus mundi partibus Chriſto acceſſuræ erant*, *agatur*, nos merito id præſupponimus, & firmiter tenemus. Deinde & Veteres Interpretes Magos haud vocarunt Reges, niſi quod *Theophylactus* ex *Chryſoſtomo* ſemel ita loquatur, teſte B. *Chemnit.*

§. 18. Cæterum Magi apud Autores à Perſarum Regibus ſatis diſtinguuntur, *Præceptores Regum ac Pædagogi fuerunt*; *non reges*, *eorumque fuit futuros Reges*, *quomodo regnandum eſſet*, *docere*, *non autem regnare*, ſcribit Boxhorn. Hiſtor. Univerſ. p. 59. *Evangeliſta* nullam plane regii nominis mentionem facit, quod prætermittendum non erat, cum glorioſum maxime ſit à peregrinis regibus in ipſis cunis adorari. Probabilius quoque à privatis iter longinquum, quam à regibus ſuſceptum habetur. Accedit, quod adventus deſcriptio ſimplex ſit & abſque apparatu, παρεγένοντο habet Matthæus. Olim *Regina Sabæ* magno ſtipata exercitu בחיל כבד מאד ad Salomonem tendebat, & auri plurimum זהב רב־מאד afferebat. Tantum autem abeſt, ut regio more fuerint excepti, ut ſatis pro imperio cum ipſis egerit *Herodes*: Ite, interrogate, renunciate &c. de quo vid. *Walæus in Comment. ad h. l.*

§. 19. De *numero & Nominibus* vix quidquam è ſacris literis conſtat. Alii quatuordecim, alii quindecim fuiſſe autumant. Ex *Bahlul Lexicographo Syriaco Whelocus* refert, fuiſſe duodecim, Principes nominatiſſimos, & notiſſimos viros, quos exercitus copioſus mille virorum comitabatur, apud *Hotting. diſſert.* 3. *de Tranſlat. Biblior. in Lingg. Vernac. pag.* 224. Antiqua & communis traditio eſt, fuiſſe *tres*, eaque à tribus donorum generibus deſumta videtur. Rationem reddit *Hilarius Arelatenſis*: In eo, quod tria offerunt, Trinitas intelligitur. In eo, quod Tres Uni, & ſinguli ſingula (quod vero probabiliter ſaltim præſumitur, offerunt, in Trinitate Unitas declaratur. *Beda* vult myſtice ſignificari tres mundi partes, *Aſiam*, *Europam*, *Africam*; vel *tres filios Noë*, unde humani generis ſeminarium. Sed numerus incertus eſt. Nugatur *Zachar. Chryſopolit.* in Nominibus Regum, quos Hebraice appellatos tradit, *Apellius*, *Amerus*, *Damaſcus*: Græce, *Magalah*, *Galgalah*, *Baracni.* Vulgo nominantur, *Gaſper*, *Melchior*, *Balthaſar.* Hinc illud *Periapton*: Gaſper fert myrrham &c. Alia plurima, ea quæ Perſica *Whelocus* ex *Bahlul* apud *Hotting.* l. c. profert. Cæteræ nugæ & ridicula Papiſtarum commenta de *habitu*, *adventu*, *miraculis*, corporum Conſtantinopolin primum, dehinc Mediolanum, & tandem Coloniam *tranſportatione*, hinc inde apud Autores legi poſſunt.

§. 20. Præterea conſideranda venit *Patria*, unde Magi acceſſerint. Id certum, & extra controverſiam poſitum eſt, veniſſe ab Oriente. Evangeliſta dicit ἀπὸ ἀνατολῶν. Oriens duplex, *altera ſimpliciter reſpectu Solis*, *altera reſpectu Urbis ſanctæ*, ut *Ezech.* 11: 23. *Zach.* 14: 4. Oriens ſolis & urbis conjungitur. Vid. *Heinſ. in Exercit. ad h. l.* qui hic Orientem non Solis, ſed Judææ intelligit. Et *Montacutius* ait, à partibus mundi illis veniſſe, quæ erant Judææ ad Orientem ſitæ. Illo vero reſpectu, quem locum, quam in particulari regionem intendat Hiſtoricus ſanctus, multum diuque quæſitum eſt. Multæ gentes viciniores & remotiores fuerunt Judæis ab Oriente. Sicuti nec uno in loco Magi fuiſſe commemorantur.

§. 21. Communis & probabilis ſententia eſt, veniſſe eos ex Perſide; pro qua *Chryſoſtomum & Baſilium* citat *Caſaubonus.* Alii adducunt *Theophylactum*, *Nicephorum*, *Cyrillum*, *Iſidorum*, *Juvencum*, alios. *Hotting. diſſert. de Tranſl. Bibl.* l. cit. obſervat vulgatam Perſarum & Syrorum Traditionem eſſe, quod Perſæ fuerint. *Maronitæ* vel generaliter vocant מגושא פרס *Magos Perſiæ*; vel ſpecialiter מן פרס תלתא מלכא *De Perſia tres Reges.* Ex *Meſopotamia* adducit cum Abulenſi *Barradius.* Ex *Chaldæa* cum nonnullis *Haymo. Cardinalis Baron.* ex *Arabia* adveniſſe autumat. Ex Patribus allegat *Juſtinum*, qui ἐλθόντων, ait, πρὸς αὐτὸν τῶν ἀπ᾽ Ἀῤῥαβίας μάγων. Ubi vero pro *Arabia* Interpres Latinus *Aſſyriam* poſuit, teſte *Montacutio*, citat & *Tertullianum*, *Epiphanium*, & auctorem de operibus Chriſti Cardinalibus. Suffragatur iiſdem & *Hugo Grotius.* Verum huic ſententiæ cumprimis obſtare videtur Evangeliſtæ narratio, qui ab Oriente acceſſiſſe Magos docet. Arabia Judææ potius auſtralis eſt. Dona quoque oblata, quæ ceu propria ſoli Arabiæ tribuuntur, parum juvant opinionem.

§. 22. *Montacutius* non dubitat, quin enarratæ hactenus ſententiæ queant conciliari; imo verum eſſe cenſet, ſive de *Arabia*, ſive *Meſopotamia*, ſive *Perſia* ſive *Chaldæa* veniſſe dicantur, quia Arabiæ nomen πολύσημον Syriam & Aſſyriam complectebatur. Nec abnuere videtur P. *Bertius Tab. Geogr. lib.* 4. *pag.* 569. qui appellationes Syrorum, Aſſyriorum, Arianorum & Armeniorum adfines fuiſſe ex *Strabonis lib.* 1. obſervat, à quibuſdam etiam Arabas Syros vocari notat. Atque ſic Patres ſub notione Arabiæ *Perſicas*, *Medicas & Syriacas* regiones comprehendiſſe affirmat *Montacutius*: & veriſſimum arbitratur Magos veniſſe de Perſia, veniſſe etiam de Arabia, ſumta ea in lata & ambigua ſignificatione. Quæ vero conciliatio, quod ipſe fatetur, alios non juvat, qui Arabiæ vocabulum ſtrictius ſumunt, pro ea parte, quæ *Felix* vocatur.

§. 23. Reſtat nunc, ut de tempore *Adventus Magorum* agamus. Trita opinio eſt, Magos die decima tertia poſt nativitatem puerum adoraſſe. Cujus vero opinionis nulla alia ratio eſt, quam Traditio illa incerta & inconſtans de die ſexto Januarii, referente *B. Chemnit.* cap. 10. pag. 103. Huic ſententiæ potiſſimum opponunt nimiam loci, unde venerunt, abſentiam. Ubi contra nihil ἀλλόκοτον, aut à probabilitate alienum ſubeſſe cenſet *Caſaubonus*: divivum Magis adfuiſſe auxilium, & *Dromedariis* commode uti potuiſſe. Quod ipſum nec *Montacutius* pag. 151. inficiatur, ex Hiſtoriis probans, iſta ratione exiguo temporis ſpacio maxima itinera confecta. Alias vero ſibi fingit remoras, *ſtuporem*, συζήτησιν *& diſquiſitionem de ſtella nova*, *viſu*, *nitore*, *loco*, *motu admiranda.* Cæterum mox ipſe Magos de hoc myſterio *cælitus*, *& divina quadam revelatione edoctos aſſerit.* Quæ ſi admittantur, putaverim omnem συζήτησιν auferri & tolli. Inſtat: *Si plures in illud iter condixerunt*, *atque iidem illi de diverſis locis* (quod multis placuit) *advenerunt*, *adhuc multo diuturniore mora opus fuit. Erat enim cauſa cognoſcenda*, *conſultatio adhibenda*, *conſenſus firmandus*, *res præparandæ*, *comportandæ*, *comites ordinandi &c.* Verum ipſe de antecedentis veritate dubitat.

§. 24. *Euſebius in Chronicis* Magorum adventum retulit in annum à Nativitate *ſecundum.* Eandem ſententiam tuetur *Epiphanius*, *& Autor* operis imperfecti in *Matthæum*, qui Magos ab extremo Orientis adveniſſe tradit, nim. de *Calecutana* regione. Sed hæc Traditio, ſicuti & alia, quæ ibi recenſentur ſuſpectæ fidei & Apocryphæ autoritatis ſunt. Argumentum pro probando biennio eruitur è verbis Matthæi, cum de Herode ſcribit, interfeciſſe eum πάντας τοὺς παῖδας ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Reſpond. cum *B. Chemnit.* Verba iſta non præciſe hoc probare. Neque etiam probari poteſt, ſtatim poſt Magorum diſceſſum perpetratum infanticidium. Denique ita reſolvi poteſt textus, ut verbis *infra bimatum* adduntur iſta, *juxta tempus à Magis perquiſitum.* Senſus erit, occiſos eſſe infantes infra bimatum ad illam uſque ætatem, quam ex Magis collegerat.

Cum

Cum enim fieri potuisset; ut illa Magorum supputatio præcise & per omnia momenta non cohæreret, sed vel deficeret vel abundaret in aliquo, cautionis gratia aliquid adjecit, & bimulos interfici jussit.

§. 25. *Montacutius* pag. 147, 154. ut sarta tecta maneat Traditio & consuetudo Ecclesiæ; ab omni retro antiquitate observata de die sexto Januarii; *statuit Magos adiisse Bethlehemum & infantem adorasse ad diem sextum Januar.* non vero infra XIII. vel XII. dies à Nativitate; *sed post annum elapsum & XII. dies*, hoc est anno secundo jam incarnati Domini currente. Obstat vero *Montacutio* S. Lucas, qui reversam dicit Mariam cum nato in Galilæam in Civitatem Nazareth. Et tamen à Magis inveniebantur Bethlehemi.

§. 26. Proinde *probabilis & commoda* videtur ratio ordinis (sunt verba Chemnitii) *si historia de Magis ponatur facta non longe ante tempus Purificationis. Ita enim ordo Historiarum optime cohærebit, quod interea dum Herodes reditum Magorum expectat, puer in templo Domino sistitur: cumque fama de testificatione Simonis & Hannæ non urbem tantum, sed totam Iudæam pervagaretur, inde intellexit Herodes se delusum.* Ita sentit *Pareus in Comm.* ad h. l. & *Spanhem.* apud *Walæum Comm.* in h. l. ac *Beza ad Luc.* c. 2. Magi, ait, venerunt Bethlehemum sub finem dierum τ̃ λοχείων Mariæ in lege præscriptorum. Probatur id primum ex Phrasi Evangelistæ, qui dicit Magos advenisse τ̃ Ιησ̃ γεννηθέντ@, *Iesu paulo ante nato*; non γεγεννημένε. Atque ipsi Magi quærunt, πȣ̃ ἐςιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς i. e. ἀρτιγενής. Sicuti de Mose Hebr. 11: 12. legitur, quod γεννηθεὶς statim ac natus erat, ἐκρύβη. Quam observationem *B. Chemnitii*, *Casauboni*, *Spanhemii &c.* frustra traducit *Montacutius*, eamque *syllabarum carnificinam*, *in rebus sacris & momenti magni satis importunam*, *imo improbam & sacrilegam*, nominare haud veretur. Deinde idem ex loco adstruitur, ubi Magi convenerunt Messiam, nim. Bethlehemi, adeoque intra dies τ̃ λοχείων, quibus cogebatur se continere post partum secundum legem. Accedit, quod tempore adventus Magorum nuntius de nativitate regis Judæorum à Magis allatus, tanquam inauditum quiddam Herodis & Hierosolymitanorum aures feriit & turbavit. *Conf. & Kesler Histor. Epiphan.* cap. 3. qu. 8. pag. 25.

TANTUM.

M. DAN. RHODEN

DISSERTATIO

De primis Salvatoris veneratoribus Magis ad Matth. II: 1.

Θεȣ̃ Συνεργȣ̃ντος.

§. I.



MAGOS fuisse hos, qui cum munerum oblatione Jesulum natum Judæorum Regem adorarunt, expresse refert Matthæus. Ita enim scribit: *cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis* Ἰδȣ̀ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν *ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam.* Historiæ suæ Evangelicæ cap. 2. vers. 1. Qui vero & quales fuerint, cum de eo Evangelista siluerit, non una omnium mens est, in id igitur si inquiramus, operam nos non perdituros, confidimus. Investigantes autem idipsum in duplici Magos deprehendimus differentia, aliis in bonam, in malam aliis sic nominatis partem. Scilicet illi primo hoc nomine veniebant, qui rerum cœlestium & naturalium cognitionem habere putabantur, quales præsertim Persia aluit primis eorum parentibus Zamolxide (quem postea sit imitatus Abbaris Hyperboreus) & Zoroastre, non quem vulgaris recipit opinio, sed Oromasi filio, juxta Cœlium lib. 9. Lect. Antiq. c. 23. consentientibus cum eo Plinio lib. 30. Nat. Hist. cap. 1. Diog. Laert. lib. 1. de Vit. Philosoph. & aliis. Atque hi honesta significatione hoc nomen gerebant, uti & scientia ipsa magia in pretio & honore habita, quam etiam acquirendi causa Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem non minus periculosa quam magna itinera, terra marique iniisse accepimus à Plinio l. c. Deinde hi quoque non tamen sine infamia Magi appellabantur, qui incantationibus studebant & nefariis diaboli artibus erant dediti, quo respectu Plinius dicto loco magiam fraudulentissimam artium vocat, quam Philo Judæus adulterationem prioris illius honestæ, & κακοτεχνίαν nominat, lib. de Spec. Leg. quales inprimis in Ægypto fuisse historia prodit.

§. II. Quorum classi nostri sint annumerandi Magi, autores discrepant. Etenim nonnulli ex veteribus maleficos eos & infames censuerunt. Fuit in ea sententia Justinus Philosophus & Martyr. Sec. 2. post N. C. nam ita scribit: *Magi, quos prædatum fuerat dæmonium illud ad omnes malas actiones excitatos, cum advenientes Christum adoraverint, apparet ipsos ab ea potestate defecisse, quæ illos prædata fuerat*, in Dialog. cum Tryph. Jud. Adstipulatur eidem Hieronymus Stridonensis sub finem Sec. 4. in Comment. ad cap. 19. Esaiæ his verbis: *Magi de oriente docti à dæmonibus, vel juxta prophetiam Balaam, intelligentes natum filium DEI, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerunt Bethlehem.* Et ita Theodoretus, Haymo Halberstatensis & alii. Verum licet *hæc sententia*, sunt verba D. Chemnitii Harm. Evang. c. 10. *quantum ad rem ipsam attinet, non pugnet cum mysterio vocationis gentium, si tales primas primitias puer Jesus ex gentibus vocarit: ut ostenderet se venisse in mundum, peccatores etiam maximos salvos facere*; nos tamen illorum potius subscribimus opinioni, qui eos significatu honorifico magos fuisse statuunt, quæ sententia non modo est omnium, quos de hac materia videre licuit, recentiorum, sed & à Veteris Ecclesiæ Doctoribus approbatur. Ita reperitur ea in libri de Cardinalibus Christi operibus Cypriano Episcopo & Martyri Sec. 3. adscripti Serm. 3. de Epiphan. Stell. & Mag. siquidem eos vocat *viros siderum inspectionibus assuetos, qui arte Mathematica vim discursumque noverant planetarum &c.* Quin Hieronymus ipse, quem ante pro sententia priore adduximus, neque ab hac alienus esse videtur, dum in Dan. cap. 2. commentatus est hunc in modum: *Videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt, magi qui de signis philosophantur, malefici qui sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum —— consuetudo autem & sermo communis magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, quod sint Philosophi Chal-*

daorum —— *unde & in nativitate Domini Salvatoris, ipsi primum ortum ejus intellexerunt, venientes in sanctam Bethlehem adoraverunt puerum, stella eis desuper ostendente.* Et sic alii plures.

§. III. Probabiliorem hanc sententiam quodammodo reddit ipse textus authenticus, utpote in quo Evangelista eos Græca voce Μάγυς nominat; quo quidem nomine non ab effectu eosdem describit, ut dicantur μάγοι id est *illusores*, ex eo scilicet, quod Herodem illuserunt, quia ad eum non redierunt, ceu & Matthæus vers. 16. dicit: *Videns Herodes quod illusus esset à magis*, prout de hoc agnomine nonnullorum esse conjecturam Jacobus de Voragine memorat Histor. Longobar. seu Aur. Legend. f. 14. sed potius eorundem conditionem & vitæ genus exprimere voluit, quinam in se fuerint hi novi hospites. Jam vero non inanis est observatio, magos pro præstigiatoribus & maleficis sumptos, à Græcis potius γόητας dici, quam μάγυς, sicut etiam ipsa magia infamis, apud eosdem non tam μαγείας, quam γοητείας nomine venit. Ita etiam inter alios advertit laudatus Cœlius, qui postquam duo magiæ fastigia constituerat, alterum infame, alterum, quod nonnisi naturalis philosophiæ sit apex, ita in hanc rem scribit: *Priorem illam non magnopere magiam, sed goëtiam vocant Græci, incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis concinnatam, quam honestiore vocabulo etiam theurgiam nuncupare audent: sed discerniculo tamen quodam ut illicitis artibus deditos, cujusmodi excogitasse Zabulus memoratur, alteros intelligi damnabiles velint, quos & maleficos appellant vulgo. Horum enim esse goëtiam proprie dicunt, de qua concinnantur libri, quos improbatæ lectionis appellat Jureconsultus Ulpianus, protinusque esse corrumpendos statuit* —— *Laudabiles vero alteros, quibus theurgiam deputant, quamvis utrique ritibus sint dæmonum fallacibus obstricti, sub angelorum nominibus* —— *Quæ vero proprie magia nuncupatur perfecta creditur & summa scientiæ potestas, quando Persarum lingua est magus, non fere alius quam divinorum interpres & cultor. Goëtiam omnia placita legum exterminant, execranturque. Magiam festo plausu sapientissimus quisque excipit, veneratur & colit, ut quæ altior sit sanctiorque philosophia, ex qua præsignis profluat literarum claritas.* cit. cap. 23. Lib. 9. Cum itaque hi nostri non γόητες, sed μάγοι ab Evangelista sint vocati, probabiliter colligitur, honesta significatione eos sic appellatos esse. Et esto non universalis hæc sit distinctio, cum & Elymas ille, qui malitiosus incantator fuit, itidem μάγ⊕ à Luca nominetur, Act. cap. 13. vs. 6, 8. quemadmodum & profanos autores Græcos hoc nomen interdum veneficis tribuisse, ex illis notum; nihilominus tamen in nostro Evangelistæ loco bonam obtinere significationem confirmatur tum inde, quod Syrus quoque & Arabs Novi Testamenti interpretes hic vocabulum Magi retinuerint, quod in loco Actorum omittentes per *virum* sive *hominem quendam præstigiatorem* descripserunt, quibus Æthiops accedens hos nostros vocat *homines excellentes*, Elymam vero Actor. 13. *hominem incantatorem*: tum hinc, quod vocentur magi *ab oriente*, quo ipso *significatur discrimen, nimirum non fuisse tales magos, sicut in Ægypto fuerunt, quorum professio capitalis fuit in lege Mosi: sed quales Oriens, hoc est Persia habet magos*, qui nempe boni & honesti sunt habiti, juxta animadversionem Chemnitii in h. l.

§. IV. Cum hæc ita sint, facile patet falsos esse illos, qui hos Jesuli adoratores Reges fuisse tradunt, si enim Magi fuerunt, qui dicuntur Reges? equidem tales magos in magna apud Reges fuisse autoritate, officialium, consiliariorum & præceptorum munere functos, accepimus, ut & Cicero, neminem apud Persas regio potitum esse fastigio, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit, in 1. de Divin. lib. num. 91. prodat, in Reges vero magos electos, regioque eos superbiisse titulo vix meminimus: imo cum post obitum Cambysis magi Smerdin sive Mergiden Cambysis fratrem mentirentur, atque sic imperium affectarent, occidebantur, ut habet Justinus lib. 1. cap. 9. Herodotus lib. 3. ante med. Sulpitius Severus lib. 2. Hist. Sacr. cap. 13. & alii. Et licet concedatur aliquando magos Reges fuisse, his quoque nostris eundem honorem esse tribuendum non sequitur. Quæ enim consequentia? ante nostra tempora magi principatum & honorem obtinuerunt, ut Strabo scribit, lib. 1. Geograph. qui tempore Augusti & Salvatoris floruit, ergo & tum, quando Christus natus & à magis adoratus, Reges fuerunt; si ante tempora Salvatoris, non illico etiam ejusdem temporibus. Et certe, si regiæ fuissent dignitatis, Evangelista id non subticuisset, siquidem hinc non exiguus honor nativitati Domini accedere poterat. Neque nititur sententia contraria ulla firma ratione; potissima, quam adducunt, est petita ex Psal. 72. vs. 10. ubi Psaltes inquit: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent* (Messiæ) de his magis hæc verba intelligenda esse putantes. Verum quod ea de amplitudine regni Christi sub N. Test. ad quod & Reges in magna copia sint accessuri, loquantur, unanimis est Doctorum consensus, quod vero hi primi salutatores eis indigitati fuerint, altum apud omnes fere est silentium, fatente id ipso Lorino in citata Psalmi verba. Nec aliud intendit Esaias, quando dicit: *Reges venient ad splendorem tuum* cap. 60. vers. 3. Infirmius vero, & vere ficulneum Barradius confert auxilium, dum opinionem hanc confirmare satagit inde, quod picturis ea sit recepta, quippe quæ ut Reges nobis nostros magos sistit, Concord. Evang. lib. 9. cap. 8. Si enim rei veritatem ex imaginibus elicere vellemus, sæpius falsum pro vero aliis esset obtrudendum. Ita Moysen pictura vere cornutum nobis proponit, quem non nisi metaphorice talem, nempe radios splendoris instar cornuum habentem Spiritus Sanctus describit Exod. 34: vers. 29. Et merito ridet famosus ille scientiarum irrisor Henricus Cornelius Agrippa, quod, quum fratres Augustiniani cum Canonicis regularibus, coram Romano pontifice de B. Augustini habitu, videlicet nigramne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset, pertinaciter litigarent, atque ex scripturis, quod ad hanc litem dirimendam faceret, nihil compertum haberetur; Romanis judicibus visum fuerit, rem omnem ad pictores & statuarios delegare, ut quod illi ex picturis & statuis adsererent, sententiæ haberet vigorem: additque, se, si ex pictis imaginibus certitudo quædam hauriri possit, monachalis cucullæ originem, à cacodæmone derivare posse, siquidem dum eam aliquando indefatigata diligentia investigaret, nec quicquam inde ex Scripturis invenire potuerit, tandem ad pictores se contulerit, atque in istis fratrum procestriis ac porticibus, ubi utriusque Testamenti Historiæ utplurimum depictæ cernuntur, rem perquisiverit. Cumque in toto V. T. nullum ex Patriarchis neque ex Sacerdotibus neque Prophetis, neque Levitis invenerit cucullatum; Novum Testamentum aggressus, repererit & Apostolos, & Pharisæos, & Herodem, & Pilatum, pluresque alios, nullam autem conspexerit cucullam, donec repetens singula in fronte historiæ sese obtulerit cucullatus diabolus, ille scilicet, qui erat Christum tentans in deserto, concluditque hinc, diabolum primum fuisse cucullæ autorem. in Declam. Invect. de Incert. & Vanit. Scient. cap. 25.

§. V. Sicut jam hæc de Magorum regia conditione opinio prorsus incerta, ita majori incertitudine, ne dicam falsitate alii eorundem numerum constituunt, & nomina exprimunt, ut & de hoc quicquam proferre censeamus omnino supervacaneum. Nobilior & melior quæstio movebitur de Loco & termino à quo Hierosolymam sint profecti? Evangelista in genere Orientem vocat, scribit enim, *ecce magi ab Oriente venerunt*, in respectu scilicet ad urbem Hierusalem & Judæam. Cum vero non una regio sit, quæ hunc situm ad terram Judææ habere videtur, quænam ea fuerit, non convenit inter Doctores. Pro Arabia militant ex veteribus Justinus Martyr, Cyprianus, Epiphanius, & alii, ex recentioribus Baronius, Cornelius à Lapide, Hugo Grotius, & qui sunt reliqui. Robur sententiæ suæ conciliare conantur iterum ex Ps. 72: 10. quod ibidem dicatur, Reges Tharsis & Insularum munera esse oblaturos, Reges Arabum & Saba dona adducturos; item quod Esaias cap. 60. vers. 6. vaticinatus sit, Sabæos, Madiam & Epha (qui omnes Arabes fuerunt) cum muneribus ad Messiam venturos, quod ipsum vaticinium Ecclesia quoque sic intelligere videatur, cum id ipsum assidue recitet in officio Ecclesiastico Epiphaniæ. Verum jam ante diximus, Doctores optimos, non de his solum magis hæc verba interpretari, sed de omnibus in universum gentibus ad Ecclesiam Christi convertendis, uti & Psalmista Æthiopum, omniumque Regum terræ meminit. Propheta quoque universe loquitur, omnes de Saba venturos asserens, qui igitur ad hos magos respexerit, quorum tantum tres, aut non multo plures ab iisdem autoribus numerantur? non obstante quod ea verba in Epiphaniæ Festo prælegantur? cum id propterea fieri Theologi doceant, quod eo die insigne beneficium vocationis gentium pie recolatur, quarum omnium primitiæ nostri fuerint magi.

§. VI. Obtendunt porro, situm Arabiæ cum eo ab Evangelista descripto exacte convenire, siquidem Judæa versus Orien-

Orientem, ex quo magi nostri educuntur, habet Arabiam, uti Tacitus scribit: *Terra finesque qua ad Orientem vergunt* (Judæi) *Arabia terminantur*, Lib. V. Hist. cap. VI. Ast possemus quidem reponere id quod illi ad hanc rationem pro Persia allatam respondere solent, scilicet non solam Arabiam ad Orientem Judææ esse, sed fortius nervum hujus argumenti incidemus. Non quidem diffitemur tam ex veteribus quam etiam recentioribus Geographis nonnullos Arabiæ in respectu Judææ Orientalem assignare plagam; scimus vero alios versus Meridiem eam collocare, quos tamen omnes non vere sibi contradicere opinamur, cum alia atque alia Arabia sit intelligenda. Etenim notum est ex Geographia, Arabiam constitui triplicem, unam Desertam, Petræam alteram, & tertiam quæ vocatur Felix, nunc Ayamam: harum omnium autem non unus est situs ad Judæam, sed in Orientem tendit Deserta, in Meridiem Petræa, ut proinde, quando Tacitus & eum secuti alii autores Palæstinam ad Orientem Arabia terminari asserunt, Desertam intelligi debere censeamus. Confirmat hanc conjecturam Lexicon Geographicum Philippi Ferrarii Alexandrini & Michaëlis Antonii Baudrand Parisini, quod in Tom. II. pag. 27. de finibus Judææ ita scribit: *Palæstina, la Terre Sainte, pars Asiæ, quæ antiquissime terra Chanaan dicta fuit, uti postea Judæa ab exteris —— terminatur à Septentrione Syria, ab Occidenti Mari mediterraneo, ab Oriente Arabia Deserta, & à Meridie Arabia Petræa.* Philippus Cluverius quoque, *Palæstina*, inquit, *clauditur à Septentrione Phœnice, ab ortu Cœlesyria* (huic vero Arabia Deserta est itidem Orientalis) *à Meridie Arabia Petræa, ab occasu ejusdem Arabiæ parte & mari Syriaco*, Lib. V. Introd. Geog. c. XXV. Neque contrarius est vetustissimus ille Geographorum Ptolomæus quando Lib. V. Geog. cap. XVI. Tab. IV. Asiæ, terminos Palæstinæ sequenti modo describit: *Palæstina Syriæ, quæ & Judæa vocatur, terminatur à Septentrionibus Syria juxta lineam expositam, ab Oriente vero atque Meridie Arabia Petræa secundum lineam, quæ ab Orientali est termino ad Syriam usque ad finem Ægypti.* Atque sic & alii Petræam Arabiam ad meridiem Palæstinæ ponunt. Si hoc vero multo magis eidem meridionalis erit Arabia Felix, quippe quæ Petræam itidem à *meridie* claudit, siquidem hic juga montium eam à Felice disterminant, ut omnes Geographi & mappæ docere possunt. Quod si jam interrogemus contradicentes ex quanam Arabia Magi venerint, ex Felici respondent, munerum oblatorum qualitate id indicante, quæ non Desertæ neque Petrææ, sed Felicis Arabiæ fructus sunt: addit Cornelius à Lapide in cap. 2. Matth. ex ea Arabia Magos accessisse, ex qua eorum typus Regina Saba cum similibus muneribus venit ad Salomonem Christi antitypum 1. (3.) Reg. cap. 10: vers. 1. Quis igitur hinc non videt μέγα λίαν errare eosdem dum sibi persuadent coincidere situm Arabiæ cum regione magorum, hanc enim versus Orientem Judææ Evangelista & ipsi cum eo collocant; Arabiam Felicem vero non ad Orientem, sed ad Meridiem sitam esse jam ostendimus (nihil morantes exceptionem Francisci Lucæ Brugensis Orientem ei assignantis in h. l.) confirmati inprimis firmissimo fundamento, testimonio Salvatoris Reginam illam Saba non Orienti, sed austro, sed Meridiei assignantis, apud Matth. cap. 12: vers. 42. Nam si ex quo regno Arabiæ Regina illa Saba ad Salomonem profecta est, ex eodem magi quoque venerunt, juxta propriam Jesuitæ confessionem, impossibile est eos ex Oriente accessisse, quia hoc regnum fuit in Meridie non in Oriente, cum Salvator eam non Euri, sed Austri Reginam l. c. vocet; at vero non aliunde quam ex Oriente magos iter suum suscepisse & expressa litera textus docet, nec ipsi contradicere audent, ex Arabia itaque eos venisse prorsus impossibile.

§. VII. Excipiunt ad hoc, dicentes, Reginam illam quæ Salomonis sapientiam auditura Hierosolymam adiit, non ex Arabia Felici oriundam esse, sed ex Æthiopia, quæ Judææ est meridionalis, & propterea etiam à Domino Austri Reginam appellari; quia enim juxta originalem textum 1 Reg. 10: vers. 1. vocatur simplici verbo Regina Saba, hæc vero Saba duplex est, una civitas Arabiæ Felicis, altera in Æthiopia, non in illa, sed in hac eam regnasse inter alia probant tum hinc, quod Salvator dicat Reginam venisse à finibus terræ & propter id non ex Arabia, quæ Judææ vicina est, sed ex Æthiopia, quæ longissime ab ea distat; tum inde, quod constans & continua traditio sit apud Æthiopes sive Abissinos, hanc Reginam ex sua Saba nempe Æthiopiæ Salomonem visitasse, ex eoque concepisse filium, à quo adhuc omnes etiam in hodiernum usque diem Imperatores originem suam ducant, ceu quoque Cornel. à Lapide refert in cit. loc. Lib. I. Reg. Verum enim vero si Regina hæc ex Æthiopia est, & non ex Arabia, quomodo argumentum pro sua sententia, magos scilicet Arabes fuisse ab hac Regina ut typo eorundem sumunt? Quæ enim consequentia? hæc Regina accessit Salomonem ex Æthiopia, ergo magi venerunt ex Arabia. Respondet quidem Jesuita; quod, licet dicatur venisse ex Æthiopia, ea tamen Æthiopia non fuerit Abissina, sed pars Arabiæ, siquidem venerat ex Æthiopia Orientali non Occidentali, ut ait S. Anselmus Lib. de Imag. Mund. cap. XIX. in Matth. cap. 2. Ast si non ex Abissina, sed ex parte Arabiæ, quomodo Abissini de Regina gloriari possunt? omnino in Abissina eam collocandam necesse, Saba Æthiopiæ enim in superiori seu interiori Æthiopia fuit, quam postea Cambyses sororis suæ nomine vocavit Meroen, teste Josepho lib. II. Antiq. cap. X. quæ hodie appellatur Guegerre Insula. Hæc vero Æthiopia Abissinorum est, cum eorum regnum provinciam Barnagasso, in qua dicta Meroe est, contineat. Si hoc (imo si ut alii volunt ex Cassuma Tigrai Regia itidem ad Abissinam pertinente regina se ad iter moverit) adhuc tamen male constitueretur typus magorum, quippe quos ex Felici Arabia educunt, quæ nullo modo est Æthiopia neque Occidentalis neque Orientalis, sed distinctum ab ea regnum. Dicemus quod res est, est utique alia Saba in Arabia, alia in Æthiopia, quarum altera ab altera in textu Hebræo per literas ש *Schin* & ס *Samech* distinguitur, siquidem una vocatur שבא *Schaba*, altera סבא *Saba*, quæ conjunctim reperiuntur nominatæ Psalm. 72: vers. 10. Jam vero hæc est universalis regula, quando Saba per ש *Schin* scribitur, denotatur civitas Arabiæ Felicis, quando per ס *Samech* metropolis Æthiopiæ indigitatur, quam tradit Hieronymus in Tradit. in Gen. licet alii contrarium statuant. Si ita est, iterum clarissime evincitur, Reginam ex Arabia Felici, & non ex Æthiopia advenisse, siquidem in textu Hebræo Saba per ש *Schin* non per ס *Samech* scribitur; ut & Cornelius à Lapide, quamvis sententiæ contrariæ favere videatur, tamen pro nostra sic scribat: *Verum alii probabiliter censent, illam* (Reginam) *venisse ex Saba, quæ est in Arabia Felici, ubi sunt Homeritæ, in ea enim abundant aromata & aurum æque ac cameli* Comm. in Matth. 22. Regerunt quidem ad hæc nonnulli errorem esse Rabbinorum, qui posuerunt punctum in dextro cornu, quod in sinistro notandum erat, atque ita fecerint ש *Schin* loco ש *Sin* æquipollentis τῷ ס *Samech*. Id vero figmentum est, quod qua facilitate excogitatum, eadem quoque rejicitur, alias namque in omni Scripturæ loco ubi Saba reperitur eundem errorem fingere liceret, ut proinde sole meridiano clarius sit, non fuisse Arabiam patriam magorum, utpote quos Matthæus ex Oriente accersit, qui idem Evangelista dictam Arabiam in plaga australi constituit. Quod argumenta in contrarium fabricata attinet, ad eorum primum, quo Regina dicitur venisse à finibus terræ, respondetur, hanc phrasin velle, eam è longinquo accessisse, hanc autem distantiam non esse denegandam Arabiæ, unde modo nominatus Jesuita in cit. loc. ita commentatur: *Rursum dicitur hæc venisse à finibus terræ, tum quia Arabia Sabæa distat à Jerusalem 606. leucis gallicis, teste Adrichomio in Descript. Terræ Sanctæ in Manasse; tum quia ipsa est extrema regio terræ ad mare Indicum sive Arabicum, ibi enim finitur terra & incipit mare; hinc sæpe in scriptura vocatur terra longinqua ut Jer. 6. Esaiæ 43. & alibi.* H. l. Alterum quoque à traditione Abissinorum multo minus quicquam obtinere potest & æque certa hæc traditio atque illa, quæ ex vetustissimis Calecutii annalibus adducitur, Regem nempe Calecutii fuisse unum è magis ut scribit Navar. Tract. de orat. cap. XXI. item Osorius Lib. I. de gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ & alii. Sicuti jam hæc à multis falsa habetur, ita & illam Abissinorum fabulosam esse pluribus diduxit Johannes de Pineda Lib. V. de Rebus Salom. cap. XIV. Nullius igitur roboris est hoc argumentum à situ Arabiæ, quod autores contrarii putabant fortissimum.

§. VIII. Nec majorem vim tertium habet, quod à donariis seu munerum qualitate afferunt. Munera, inquiunt, & donaria Regi novo oblata arguunt, Arabes fuisse magos, non vero Persas vel Chaldæos, quia thus & myrrha unice propria aromata sunt Arabiæ Felicis, & nuspiam alibi reperiuntur, uti Plinius scribit: *thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ* Lib. XII. Nat. Hist. cap. XIV. *Solis est thurea virga Sabæis*, inquit Virgil. Lib. II. Georg. vers. 117. Et Lib. I. vers. 57. *India mittit ebur molles sua thura Sabæi.* Item Pomponius Mela: *Arabia cinnami & thuris aliorumque odorum maxime ferax*, quod & alii testantur. Respondemus, Aurum quod itidem obtulerunt, non sola habet Arabia, sed & Persia, sed & India, sed & Æthiopia, sed & alia regna, quod nemo negare potest. De Æthiopia quoque thuriferam eam & aromaticam esse Autores illi produnt, qui

Re-

Reginam Saba in Æthiopia regnasse defendunt, ut est apud Cornelium à Lapide in X. cap. Lib. I. Reg. Johannes Dubravius etiam thus & myrrham in Moravia reperiri & quidem non ex arbore desudante legi, sed è solo terræ erui Lib. IV. Hist. Bohem. affirmat. Sed esto, sint aromata hæc unius Felicis Arabiæ fructus, quid inde num propterea hi magi necessario sunt Arabes? nonne & in alia Regna vehi poterant? quid obstiterit, quo minus Magis ubicunque fuerint etiam in longe dissito ab Arabia regno, beneficio navigationis & mercaturæ potuerint asportari, quemadmodum nec nobis ea desunt. Male ergo concluditur magi thus & myrrham obtulerunt, & hæc unice in Arabia reperiuntur, ergo magi fuerunt Arabes, nam poterant aliunde ea comparare. Instant quidem, bene adhuc sequi, quia magi veniebant Regem novum adoraturi, Orientis vero populi Reges suos venerabantur fructibus non aliunde terrarum petitis, sed indigenis, ut cujus nationis essent intelligeretur. Reponimus, si hi magi propter hunc tantum finem dicta munera attulerunt, ut eorum patria, ex qua oriundi dignosceretur, cur primum & præstantissimum donum, aurum scilicet addiderunt, quod non in sola Arabia, sed in variis regnis inveniri, in confesso est; ita ex hujus oblatione & Persas & Æthiopes, aut alius nationis fuisse, ominari potuissent. Alia potius subest causa horum donorum à Spiritu DEI Magis inspirata (ut omittamus conjecturam Bernhardi censentis, auro eos subvenisse virginis paupertati, myrrham vero ad consolidanda infantilia Christi membra, thus & stabuli & animalium fœtorem abigendum dedisse) quibus non sui, sed Jesuli, quem hac submissione colebant, notitiam aliis afferrent, non solum eum esse hominem, sed & DEUM. Quod donaria secum habuerint, id quidem fecerunt ex more Orientalibus populis recepto, qui Regem vel Principem non adibant nisi cum munere, uti & de Parthis Seneca refert, eorum Reges neminem salutare posse sine munere Epist. XVII. Quod vero præcise has tres species, nempe aurum, & thus, & myrrham dederint, & non alias, id plus in recessu habere videtur, nempe ut auro eundem Regem, thure DEUM, myrrha hominem esse indicarent, uti Ecclesiæ Doctores docent unanimi consensu, illum quidem quia aurum subditi Regibus pendunt, istum, quia DEO thus adolemus, hunc, quia degustaturus erat mortem, nam Judæi cum myrrha mortuos sepeliunt, ut corpus maneat incorruptum. *Per ea, quæ obtulerunt, munera, ostenderunt quid erat, qui adorabatur. Myrrha quidem quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur, aurum vero, quoniam Rex, cujus regni non erat finis, thus vero, quoniam DEUS, qui & notus in Judæa factus, & manifestatus eis, qui non quærebant eum*, scribit Irenæus Episcopus & Martyr Sec. II. Lib. III. cap. X. Hilarius Pictavorum Episcopus Sect. IV. *Oblatio munerum*, inquit, *intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro Regem, in thure DEUM, in myrrha hominem confitendo.* Comment. in Matth. can. I. Gregorius Nyssenus quoque Basilii Magni frater & Sec. IV. Episcopus, quando sanctam nativitatem Christi explicat, sic fatur: *Illi tanquam DEO offerunt thus, ac regiam dignitatem auro colunt, atque excipiunt, eamque quæ circa passionem certa ratione disposita est ordinationem atque administrationem prophetica quadam gratia per myrrham designant atque significant.* Et ita alii plures, ex quibus adhuc Chrysostomi verba addere non pigtamur, quæ Homil. II. ex variis in Matthæum locis habentur sequentia: *Magi —— in oblatis muneribus Christum & DEUM & Regem & Hominem confitentur. Nam in auro regni potestas, in thure DEI honor, in myrrha corporalis sepultura monstratur, & idcirco aurum ut Regi, thus ut DEO, myrrham ut Homini obtulerunt.* Quod si ita est, qui ex muneribus magorum Arabiam eorum patriam fuisse, inferri potest?

§. IX. Ex his itaque manifestum est, Arabiam nullo modo esse locum illum, ex quo magi ad cunas Christi properarunt. Præterimus alias de eo opiniones, dicimusque maxime probabilem videri illam, quæ Persiam eis tribuit (in cujus metropoli Susa Academiam magorum fuisse aliunde notum) quippe quæ non tantum cum descriptione Evangelistæ exacte congruit, siquidem Persia omnium confessione ad Orientem Judææ sita, hanc consuetudinem ad hæc obtinuit, quod Reges sui adorarentur, & propter opulentiam quoque thesauros, quos aperirent, magis concedere poterat; sed & rei ipsi maxime conveniens apparet. Etenim consulentes autores probatos, magos in bona significatione acceptos non nisi in Persia ab optimis reperimus collocatos. Cicero postquam in Gallia Druides divinationibus indulgere dixerat, in Persis augurari & divinare Magos scribit, Lib. I. de Divinat. num. 90. Et Diogenes Laërtius, Aristotelem initia Philosophiæ a Barbaris derivasse dicit ideo, quia apud Persas magi, apud Babylonios & Assyrios Chaldæi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Celtas sive Gallos Druides & qui Semnithei appellantur, ejus rei fuerunt autores, in procem. Quibus gemina habet Strabo Lib. XVI. Geograph. Pariter Suidas magos tantum Persis annumerat, prout & ipsi Persæ vocantur Magog & Magusæi, quibus adstipulantur alii, ut proinde quamvis & in aliis regnis fuerint sapientes & Astrologiæ periti, illi tamen non *magorum* nomine appellentur, sed illud tantum his, qui in Persia florebant, fuerit tributum. Quod enim locum Plinii concernit, qui & in aliis regionibus magos ponit scribens, quod Pythagoras & Democritus de Herbarum effectu volumina composuerint, *ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique magis* in Lib. XXV. N. H. cap. II. assentimur D. D. Calixto in Dissert. de Magis pag. 11. & Gerhardo Notis in Matth. cap. II. in eo mendum esse asserentibus. *Quis enim*, sunt verba Calixti, *qui Latine loquatur, dixerit, peragrare magos? perinde ac si dicam: herbarum cognitionem indeptus peragratis Germaniæ, Galliæ, Italiæque Medicis. Equidem substituere velim vocem agris aut plagis, donec commodiorem vel felicior conjectura, vel emendatior codex suppeditet.* H. I. Sunt præterea in eadem sententia Basilius M. Archiepisc. Cæsariens. Sect. IV. qui ἔθνος περσικὸν *gentem Persicam* magos fuisse dicit, de Nativ. Christ. Chrysostomus qui Homil. VI. & VII. in Matth. semper eosdem Persas vocat. Cyrillus Alex. Episcopus Sect. V. Lib. IV. in Esaiam, Theophilactus & alii. Objicit Cornelius à Lapide nimiam loci distantiam, *Persia enim*, inquit, *trecentis leucis distat à Judæa, quod iter tredecim diebus ægre conficere potuissent magi. Verum est dromedariis, qui quotidie 40. leucas decurrunt, potuisse absolute hoc iter tot diebus à cursoribus peragi: verum Reges deliciis rhedisque suis assueti, non sunt cursores, nec solent, imo non possunt ita continuo decurrere.* Comm. in Matth. cap. II. Sed vero si hæc objectio quicquam valet, quomodo ipse Jesuita eos ex Arabia educere potest, quæ juxta computationem Adrichomii ab ipso in cap. XII. Matth. approbatam, distat à Jerusalem sexcentis sex leucis, facilius & citius 300. quam 600. absolvi poterant. Si igitur putat hanc distantiam 606. leucarum nihil officere suæ sententiæ, multo minus distantia 300. leucarum obstabit nostræ. Ast falsa est persuasio, eos fuisse Reges ut supra ostendimus, nullum quoque fundamentum habet opinio de tempore adventus, quæ decimum tertium à Nativitate Domini diem constituit. Epiphanius quidem Episcopus Cypri Sect. IV. opinatur, secundo demum post N. C. anno magos Hierosolymam appulisse, ita enim hanc historiam ordinat: *Natus*, Jesus Christus, *est in Bethlehem, circumcisus in spelunca, oblatus in Hierusalem, in ulnas acceptus à Simeone: & testimonium accepit ab Anna, filia Phanuelis, prophetissa, delatus est in Nazareth: venit sequenti anno, ut conspiceretur coram Domino in Hierusalem, versatus est in Bethlehem propter cognationem, gestatus à matre: delatus est rursus in Nazareth, & juxta secundum anni circuitum in Hierosolyma & Bethlehem venit, similiter à propria matre gestatus. In Bethlehem vero in domum descendit cum propria matre, & Joseph jam sene, & cum Maria degente. & illic secundo nativitatis suæ anno conspectus ac visitatus est à Magis, à quibus adoratus est, & dona accepit.* Hæres. XX. contra Herodianos. quem sequuntur & alii. Sed non videtur hæc sententia probabilis, neque ipsi Evangelicæ narrationi conformis, dicit enim Evangelista, quod magi venerint Hierosolymam, τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος *nato Jesu*, ubi participium ἀόριστον commodius de recens nato explicatur, quam de eo, qui per longum tempus jam editus est, uti & usurpatur Hebr. 11:23. quemadmodum & interrogatio magorum, *ubi est Rex ille Iudæorum*, qui natus est, potius de Rege noviter nato, quam ante aliquot annos orto videtur intelligenda. Ut taceamus particulam *Ecce* ab Evangelista additam rei novæ subitaneæ magis notam esse, quam jam diu factæ, uti Chrysostomus advertit & cum eo Chemnitius Harm. Evang. cap. X. Nos ante purificationis tempus adventum magorum fuisse asserimus, in die decimo tertio præcise factum, negamus. Verum de his ut & aliis quibusdam forte imposterum: hac vice

TANTUM.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
HARMONIA
ad Michææ V: vſ. 1. & Matth. II: vſ. 6.

§. 1.

De vaticiniorum, quæ apud Eſaiam & Jeremiam occurrunt, harmonia & conſenſu non minus eleganter quam vere locutus Don Iſaacus Abarbenel, præfat. in librum משמיע ישועה hæc ſcripta reliquit: אין סתירה ביניהם בעצם הדבר כי כלם נתנו מרועה אחד והם אחים ולא יתפרדו מבטן אחד יפאו והם תאומים: *Non ſibi contradicunt, quod ipſam rei ſubſtantiam attinet, quia omnes dati ſunt à paſtore uno* (Eccleſ. 12: 11.) *ſunt fratres, neque ſeparantur. Ex uno utero ſunt egreſſi, quippe gemelli.* Quibus verbis emphatice docet, quamobrem inter utrumque ſcriptorem nulla ſit ἀντίφασις, nempe quod uni paſtori originem ſuam ferant acceptam non illi quidem, ſummo Romano, & Dei, quem vocant, vicario, cujus *ſententia & explicatione ſcripturæ, adjuncto præſertim conſilio ſapientum, quos ſecum habet, acquieſcendum, neque ulterius inquirendum ſit*, ut ex Eccleſ. 12: 11. docet *Bellarminus*, lib. III. de V. D. cap. 4. ſed Deo ipſi vero, & ut *R. Aben-Eſra* recte commentatur, הבורא *creatori.* Cujus unius, tanquam cauſæ principalis, afflatu, motu & directione cum ita ſcripſerint Prophetæ, ut nihil aſſererent, quod non eſſet ex vero, congruo & decoro, eò ipſo ſatis cautum eſt, ne inter eos ullum ſit diſſidium, quod autoritatem illorum librorum labefactare, vel falſitatis notam eis adſpergere valeat.

§. 2. Hoc ipſum ut de עשרים וארבע, vel *viginti & quatuor* libris, qui V. T. σύςημα conſtituunt, verificari, magno conſenſu Judæi largiuntur; ita quo minus nos Chriſtiani idem de omnibus libris, qui Canonicæ V. & N. Teſt. Scripturæ compagem & ſtructuram conficiunt, aſſeramus, nihil cauſæ videmus. Licet enim inter illos quandoque pugna eſſe appareat, & tunc maxime, cum vaticinium in theſi de Meſſia agens, in hypotheſi ab Evangeliſtis vel Apoſtolis ad Jeſum Nazarenum applicatur, prima fronte aliud diverſum & contrarium, ſonare verba videantur: accuratius tamen ubi illud perpenditur, ſcopus ſcriptorum melius ponderatur, & in vocum, quibus Spiritus Sanctus uſus eſt, ſignificationem veram & genuinam rectius inquiritur, בעצם הדבר *in ſubſtantia rei*, ut *R. Abarbenel* loquitur, adeo nullum eſt diſſidium, ut duorum Cherubinorum ſeipſos aſpectantium, & propitiatorium unum idemque amplectentium typum exactiſſime impletum eſſe, ne dubitandum quidem ſit amplius.

§. 3. Exempli loco in medium afferre nobis decretum eſt, oraculum Mich. 5: 1. quod in textu authentico Ebræo ſic ſonat: וְאַתָּה בֵּית־לֶחֶם אֶפְרָתָה צָעִיר לִהְיוֹת בְּאַלְפֵי יְהוּדָה מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם׃ Quæ verba Vetus Latinus interpres ita vertit: *Tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, Matth. cap. 2: 6. Scribas Herodi ſciſcitanti, ubi Meſſias eſſet naſciturus, hunc in modum reſpondiſſe refert: καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Ubi iterum Vulgatus: *Et tu Bethlehem Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Iſraël.*

§. 4. His Ebraicis Græciſque verbis ita inter ſe collatis, diſcrepantiæ ſequentes notæ obſervantur. 1. Quod oppidum Matthæus Bethlehem Juda vocat, id Propheta Bethlehem Ephrata appellaverat. 2. Non modo Evangeliſta τὸ צעיר vocem poſitivi gradus in ſuperlativum commutat, ſed etiam ex affirmativa enuntiatione negativam format, ſenſu longe alio, ut quibuſdam videtur, quam præ ſe verba ferunt Prophetæ. 3. באלפי יהודה tranſtulit Matthæus, ἐν ἡγεμόσιν, perinde ac ſi legiſſet in ſuo codice באלופי. 4. Adjecit conjunctionem γάρ. 5. Omiſit particulam לי. 6. Addidit, ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Et denique verba ומוצאותיו מקדם מימי עולם: *& egreſſus ejus ab initio, à diebus ſeculi*, penitus omiſit. Quæ vel ſola Herodem à patrando nefario infanticidii crimine abſtrahere potuiſſent, ſi nempe, cujuſmodi dux futurus ſit, percipere illi licuiſſet. Ad hæc omnia ordine reſponſuri, & quam irrito conatu ad probandam ἑτεροφωνίαν Judæi apud *Dn. D. Mullerum*, Judaiſm. p. 413. aliique, qui diſſidium ſacrorum ſcriptorum volunt, hunc locum afferant, oſtenſuri, haud abs re facturos nos autumamus, ſi allatis variis interpretum ſententiis, in ſenſum verum & genuinum ſingulorum verborum inquiramus.

CAPUT I.

N. T. Scriptores vaticinia non αὐτολεξεὶ *citare*, S. Hieronymo *obſervatum.* R. Aben-Eſræ *de gemino nomine oppidi ſententia. Vera ratio ex* Abarbenele *allata. Cur appelletur* γῆ. Servius *laudatus. An ex terminatione genus hic cognoſcendum ſit, ceu vult* Sanctius. Ὁ δεῖνα *textum Ebræum temere corruptionis arguens notatur.* Thomas, Anſelmus, Canus, Iunius *mutationem textus ſcribis attribuunt. Cur aliis aliter videatur.* Oſiander τὸ צעיר *per parum explicat. Item* Forſterus, Lutherus, Arias Montanus, Schindlerus, Sculterus Schmidius. *Cur hæc ſententia* Angelo Caninio, Corn. Ianſenio, Ioanni Maldonato, Chryſtophoro Caſtrio, Franciſco Riberæ *non probetur.* B. Hackſpanius *laudatus. Alia explicatio* Ioannis Druſii, Alberti, Iſidori Brixienſis, Ianſenii, Ludovici Vivis *commendata à* Dieu, Grotio *&* B. Calixto, Tarnovio. *Cur* Bellarminus *eidem valedixerit. Alia Cardinalis expoſitio* Chryſoſtomo, Theophylacto, Lyrano, Eſtio, Sanctio, Capello *recepta.* Kimchii *&* Abarbenelis *interpretamenta Matthæo minime refragantur. Oſiandrinam explicationem* Dieu *&* Hackſpanius *tuentur. An* Bellarmini *ratio ſit idonea, quæ Druſianam explicationem rejiciendam convincat.* Edoardi Pocokii, *novam eamque plauſibilem explicationem Ebrææ vocis in apricum producentis encomium.* R. Tanchum *vocem* צעיר *contrarias ſignificationes habere, probat gemino dicto ſcripturæ, Chaldæi interpretis, & Gloſſarii Ebræo-Arabici autoritate.* אלף *an ducem notet, ut* Corn. à Lap. *aſſerit. Verbum* להיות באלפי יהודה *quomodo explicandum aliter quam Sanctio viſum, vertendum. Pricæus laudatus.*

§. 1.

Antequam vero in rem, quod dicitur, præſentem veniamus, in genere monendum duximus, id quod jam olim *S. Hieronymus*, comm. in cap. 5. Amos inculcavit, *Apoſtolos & Apo-*

& Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de V. T. non verba conſiderare ſed ſenſum, nec eadem ſermonum calcare veſtigia, dummodo à ſententia non recedant. Atque huc omnino referendum eſt, quod à Michæa Bethlehem Ephrata vocatum oppidum à Matthæo Bethlehem Juda appellatur, utrobique enim unus idemque notatur locus. Cauſam geminati nominis in textu Ebræo *R. Aben Eſra* aſſignat uſui Scripturæ. Sic enim ſcribit: חבר שני שמות אפרתה שהיא בית לחם במו ולא עשו חסד עם בית ירובעל גדעון *Conjungit duo nomina, Ephrata, quæ eſt Bethlehem, quemadmodum* (Judic. 8:35.) *& non fecerunt miſericordiam cum domo Jerubaal Gideon.* Præſtat dicere, nomen Ephrata, (quod ſive à ſingulari fertilitate, unde tertia litera fœminina geminata, ſive à conditore 1 Paral. 4: 4. accepit) diſcriminis cauſa hic eſſe additum, כי בית לחם אחרת היתה בארץ ישראל *quia in terra Iſraëlis ejusdem nominis oppidum ſitum erat*, ut cum *Kimchio R. Abarbenel* notat, nempe in tribu Zabulon, Joſ. 23:15. Uti igitur Propheta teſte, ipſomet *Abarbenele*, oppidum compellare voluit מנחלת יהודה *ex hæreditate tribus Judæ*: ita Matthæus non tam τὸ ῥυτὸν quam διάνοιαν reſpiciens illud vocavit voce ἰȣ́δα, tanquam ſuo tempore notiore vocabulo. Quod vero illud appellatur γῆ à Matthæo, id fit per Synechdochen, qua terræ portio venit nomine ipſius terræ, ut idem Evangeliſta cap. 10:15. loquitur. Atque hoc loquendi genus profanis quoque Scriptoribus non eſſe inuſitatum, ex illo 11. Æneidos conſtat,

—— *qua concidit Ilia tellus.*

ubi *Servius* quoque annotavit: *pro Urbs Ilia.*

§. 2. Illud quoque hic merito quæritur, cur Propheta in compellando oppido, maſculino genere ſit uſus, cum tamen urbium nomina generis fœminini eſſe, in vulgus notum ſit? *Sanctius*, ut Vulgatum, qui τὸ צעיר *parvulum* reddiderat, tueatur, docet, fieri hoc loco, quod apud Latinos alias ſolet obtinere, nempe ut inſularum urbiumque nomina non tam ob ſignificationem, quam terminationem, generis maſculini ſint. Adducit in hanc rem illud Ovidii, lib. 2. Metamorphoſ.

Et Mytilinei tentantur littora Lesbi.

Item Virg. lib. 1. Georg.

Pontus & Oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Cæterum nullo ex ſacris allato exemplo aſſerto fidem facit, quin ſuppetunt exempla, quæ ob ſignificationem generis fœminini ſunt, ut שׁוֹמְרוֹן ,בָּבֶל ,יְרִיחוֹ. Pagninum, ad cujus lib. 2. cap. 14. provocat, aliquid afferre, quod Jeſuitam juvet, necdum vidimus. Quid, ſi dicatur, id ideo fieri, quod maſculinum ſubintelligatur, ceu alias id contingere in ſcriptura, *Kimchi* in Michlol docet: סמך הכתוב על המבין בהיות הדבר ההוא הנופל נזכר בענין או מובן ממנו: *Scriptura nititur intelligente, cum res illa occulte cadens vel commemoretur in textu, vel ex eo intelligatur. Caſtrius* vicum, vel ſimile quid ſubintelligendum docet. Ad אלפי יהודה, cum quibus Bethlehem comparatur, Prophetam reſpicere, veriſimilius videtur.

§. 3. Illa Grammatica quæſtio, ceu eam vocat *B. Chemnitius*, Harmon. Evangel. cap. 10. altioris eſt indaginis, quomodo Matthæus pro verbis Ebræis צער להיות dixerit, ȣ̓δαμῶς ἐλαχίςη εἶ. Sane torſit hic ſcrupulus multa præclara ingenia, ut in alia omnia hic abierint. Doctiſſimus quidam Vir, cujus epiſtolam Criticæ ſuæ ſacræ appendicem eſſe voluit Profeſſor Salmurienſis celeberrimus, *Ludovicus Capellus*, cum nulla interpretum expoſitio ſatis ipſi faceret, de mendo textum Ebræum ſuſpectum habens, peculiari & ne fando quidem audita ratione conciliationem eſt molitus. Sic enim fol. 447. loquitur: *Quis*, inquit, *neget*, ὀλιγοςὸν εἶναι *&* μηδαμῶς ἐλαχίςην εἶναι *eſſe propoſitiones oppoſitas? Ego ſane exiſtimo, Apoſtolos poſthabitis Græcorum verſionibus & Rabbinorum judiciis, intimos ſcripturæ ſenſus ſemper ſcrutatos eſſe, adeoque hic Matthæum ſine punctis ita legiſſe* צעיר לו הית *minima non es. Quæ verba ex punctatorum Maſoretharum & unius literæ vau tranſpoſitione ita hodie perperam leguntur*, צעיר להיות *minima ad exiſtendum. Literam, inquam*, ו *particulæ* לו *adimentes, & ſequenti verbo mediam inſerentes.* לו *enim non raro ponitur pro* לא, *ut* 1 *Sam.* 2:16. *&* 20:2. *idque Syrorum more, qui pro* לא *ſcribunt* לי, הית *autem ſimplici Jod interdum legitur, ut Pagninus annotat in* הית. *Ita* 2 *Sam.* 15:33. *item* 10:11. *Sicut autem hic ſenſus omnino cum Matthæo convenit, ita punctatio illa Rabbinorum non ſolum eidem adverſatur, ſed etiam ſeipſam ſua abſurditate evertit, quæ ita habet: Tu autem Bethlehem minima ad exiſtendum es.*

§. 4. Neque ſatis erat hanc ſententiam ſemel attuliſſe, fol. enim 494. iterum, tanquam non contemnendam, ipſam in medium affert. *Nonnunquam*, inquit, *Apoſtoli ſive divino numine, ſive puriore aliquo codice freti, ita teſtimonia è Prophetis proferunt, ut ſimul quoque vitia emendent, quæ tamen ipſorum auctoritate damnata non potuerunt adhuc ex ipſo codice eliminari. Ut Mich.* 5:2. *Ebraice & Græce ita hodie legitur*, καὶ σὴ βηθλεὲμ ἔφραθα ὀλιγοςὸς εἶ τȣ̃ εἶναι ἐν χιλιάσιν ἰȣ́δα. *ſenſu & incongruo & falſo, quem Matthæus ita reſtituit* καὶ σὺ βηθλεὲμ, γῆ Ἰȣ́δα ȣ̓δαμῶς ἐλαχίςη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰȣ́δα. *Ex quo conjicio, verba Ebræa, quæ hodie ita leguntur* צעיר להיות *olim ita ſcripta fuiſſe*, צעיר לו הית *id eſt*, ἐλαχίςη οὐκ εἶ. *Quæ verba poſtea vitio ſcribæ ita diſtorta fuerint, tranſpoſita ſc. litera* ו *in medium verbum* היות, *quod omnino hic non, quadrat* לו *autem, id eſt non, non tantum Syriacum eſt, ſed etiam Ebræum. Ita* 2 *Samuel.* 2:16. *&* 20:2.

§. 5. Hanc nuperam & novitiam ſcriptores ſacros conciliandi rationem, quam non parum coactam eſſe, ipſe fatetur *Capellus* l. cit. facinus eſſe hominis deſperati, & ad omnem audaciam projecti, aſſeverare nulli dubitamus. Si enim res plena eſt periculi & aleæ, conjecturæ ſuæ confidere in tractandis autoribus, nempe profanis, ut *A. Turnebus* lib. 1. cap. 5. Adverſariorum loquitur: quanto timidiores nos eſſe conveniet, ne temere textum Ebræum ſcripturæ de mendo habeamus ſuſpectum, eumque noſtro arbitrio emendare conemur, qui conſentientibus omnibus, quotquot extant, exemplaribus, unam lectionem conſtantiſſime exhibet, eamque per tot fidos religioſosque cuſtodes non ſine Dei ſingulari providentia ad nos tranſlatam. Num vero, hac licentia admiſſa, Photinianos alioſque, ut ſuis commentis fidem faciant, itidem pro libitu textum non luxaturos, & violentis conjectationibus torturos eſſe, putabimus? Quam commoda ſic Judæis naſcetur occaſio cavillandi, quaſi N. T. autoritatem aliter tueri nequeamus, quam ad ejusmodi κρησφύγετα confugiendo, & textui Ebræo, quem illi incredibili ſtudio à majoribus cuſtoditum, integrum illibatumque acceperunt, ſtigma falſitatis & corruptionis inurendo?

§. 6. Procul itaque ire juſſa tum effreni innovandi libidine, ſalvaque manente Ebræi textus autoritate, neque, quod vir ille doctus aſſerebat, ſua abſurditate ſe evertente, aliorum minus violenta interpretamenta & conciliationes videamus. Nonnulli ſic facili negotio nodum ſolutum iri, ſibi perſuadent, ſi dicatur, mutationem hanc non ab Evangeliſta ortam eſſe, ſed à Scribis ſermocinantibus. Atque ita *Thomam* in Matthæum; *Anſelmum*, *Canum* lib. 2. de Locis cap. 14. ſentire, teſtatur *Caſp. Sanctius*. Quibus accenſendus omnino eſt *Fr. Junius*, parallel. ſacr. p. 16. Secundum hos igitur Matthæus hiſtoricum agens non tam probat, quid alii, Scribæ nempe, dixerint, quam illorum dicta fideliter commemorat tantum, eum in modum, quo Jephte aſſertum, trecentos annos Iſraëlem terram poſſediſſe, nude recenſet autor libri Judicum, cap. 11:26.

§. 7. Cæterum, cum Scribæ à Chriſto nunquam ſint reprehenſi ob verborum ignorantiam, ſed rerum; & ipſi cum legis Moſaicæ, tum Propheticorum oraculorum gnari, & de re tanti momenti interrogati, ipſum reſponſum non perfunctorie adornarint, illorum lapſu & culpa hanc mutationem factam eſſe, alii negant, & malunt ἐναντιοφανὲς tollere, dicendo, τὸ צעיר per *parum*, transferendum eſſe. Atque ita primus *Oſiander*, teſte *Ludovico de Dieu* vertit, annot. in lib. 1. Harm. Evang. cap. 10. *Joannes* quoque *Forſterus*, Lex. Ebr. pag. 708. ſimiliter textum reddit: *Et tu Bethlehem*, inquiens, *Ephrata, parum eſt, ut ſis in millibus Juda. Ex te enim mihi exibit dominator in Iſraël.* Es iſt zu gering / daß du ſeyeſt unter den Tauſenden in Juda. *Id quod Matthæus, aut interpres ipſius, expreſſit per negativam. Nequaquam minima es. B. Lutherus* Tom. 4. Jenenſ. fol. 558 hanc explicationem probat. *Quod*, inquiens, *ad Grammaticam attinet, non diſplicet, quod verbum* צעיר *exponitur adverbialiter pro parum, ut conveniat hæc ſententia cum Evangeliſta, qui dicit, neutiquam es minima inter principes Juda. Erit autem ſic reddendus textus: parum eſt, ut ſis inter millenos Juda. Benedictus Arias Montanus*, n. 17. de communibus & familiaribus Ebraicæ linguæ idiotiſmis, quos Bibliis interlineatibus inſeruit, itidem τὸ צעיר adverbii naturam admittere docet

docet, sensum vero ait esse: *non de nihilo est, te esse in millibus Juda*, confer *Abrahamum Scultetum* Exercit. Evang. lib. 1. cap. 5. *Erasm. Schmid.* annot. in h. l. *Valent. Schindlerum* rad. צער.

§. 8. *B. Lutherus* illam quoque explicationem, qua τὸ צעיר pro adjectivo habetur & *parvum est*, notat, non ineptam esse censet, l. cit. Improbant tamen eam magni nominis viri, ea de causa, quod Masculinum צעיר, & fœm. צעירה nunquam in sacris significent *parum*, sed semper *parvulum*, vel ætate vel dignitate. Maxime vero eidem se opponit *Angelus Caninius*, *C. Jansenius*, *Joh. Maldonatus*, *Christophorus Castrius*, *Francisc. Ribera* aliique qui hanc quoque ob rationem eam opinionem damnant, quod scriptura illud *parum est*, longe aliter efferre consueverit, nempe vel per מְעַט, ut Gen. 30: 15. vel נָקֵל Esai. 49: 6. vel, quod Cl. *Hackspanius* observavit, verbo קטן, 2 Sam. 7: 19. confer ejusdem Miscellan. Sacra, lib. 1. cap. 2.

§. 9. Non desunt, qui pronuntiatione textum juvandum, & subaudita litera He, interrogationis nota, explicandum adjectivum צעיר censeant, ut ὁμοφωνίαν ostendant. Quos inter est *Joh. Drusius.* Parte altera enim, annotat. in Novi Testamenti *Nihil*, inquit, *omnino difficultatis est, si Prophetam legas cum interrogatione: parvula ne es? quæ ibi desideratur, ut sæpe alias. Exempla vel unus Jobus suppeditare potest plurima: Uno nos contenti erimus. Id habetur Job. 40: 20. trahes Leviathan hamo.* Atque ita *Albertum*, *Isidorum Brixiensem*, & *Jansenium* textum exponere, testatur *Casp. Sanctius*, qui etiam librum Gothicum in Bibliotheca Toletana servari ait, in quo legatur: *Et tu Bethlehem Ephrata nunquid parvula es?* Hanc interpretationem, quam ante *Drusium Ludovicus Vives* in cap. 30. lib. 19. de C. D. in medium adduxerat, & post eum *Ribera* probaverat, *Ludovico de Dieu* acuta, *H. Grotio* expeditissima, *B. Calixto* non inepta & inconcinna videtur. Arridet quoque ea felicissimo Scripturæ interpreti, *Johani Tarnovio*, comment. in cap. 5. Mich.

§. 10. Cæterum *Robertus Bellarminus*, licet & ipse lib. 2. cap. 12. de V. D. eadem explicatione usus sit, recognitione tamen libris Controversiarum præmissa, palinodiam canens, negat eam solidam esse, eo quod neque in textu Ebræo, neque Chaldæo, neque Græco, nec Latino interrogationis signum appareat. Unde aliter textum explicandum ratus, Matthæum non tam verba Michææ referre, quam exponere voluisse, docet, *Quamvis*, inquiens, *Michæas dixerit, Bethlehem parvulum fuisse in millibus Iuda, id esse, tam exiguam quoad numerum domorum, ut vix digna esset, quæ in millibus oppidorum tribus Iuda numeraretur: tamen ipse idem satis indicavit, eandem Bethlehem privilegio nativitatis Christi fuisse maximam, & dignam numerari inter principales urbes Iudæ, cum addidit: ex te egredietur, qui regat populum meum.* Concludit tandem Cardinalis. *Itaque non negavit Matthæus, quod Michæas expresse posuerat, sed expressit, quod ille obscure significaverat. Nulla enim discordia est inter Prophetam & Evangelistam, cum ille Bethlehemum minimam dixerit propter exiguum numerum domorum, & iste non minimam propter maximam gloriam nativitatis Christi.*

§. 11. Sane hac explicandi ratione, quæ probatur *Chrysostomo*, *Theophylacto*, *Lyrano*, *Estio*, *Sanctio*, *Ludovico Capello*, *Keslero*, aliisque compluribus, ob diversum hunc respectum, quo idem oppidum parvum & magnum dicitur, exspirat omnis contradictio, nec ulla amplius inter scriptores sacros remanet discordia. Eo minus vero Judæis illa displicere debet, quo propius ab Evangelistæ mente abest explicatio Judaica. *R. D. Kimchi* sic commentatur: אף על פי שהיית צעיר באלפי יהודה ממך יצא לו שופט להיות מושל בישראל וזה מלך המשיח ופי׳ לחיות להיותך נמנע בערי יהודה צעיר אתה כנגדם: *Licet in millibus Iuda sis parvus*, (tamen) *egredietur ex te judex, qui imperium in Israëlem habeat, nempe Rex Messias. Verbum* להיות *explicandum est: cum inter Urbes Iudæ referri nequeas, illarum respectu parva es.* Gemina hisce docet *R. Abarbenel*: עם היות העיר הזה קטן ביישובה ועמה כפי דרך שאר ערי יהודה עם כל זה ממך יצא לי מי שהיה מושל בישראל והוא מלך המשיח: *Etsi oppidum hoc ambitu suo sit exiguum, & incolæ ipsius præ reliquarum urbium civibus nihil habeant peculiare: nihilominus ex te mihi egredietur, qui Israëli dominetur, atque ille est Rex Messias.*

§. 12. Si interpretibus Judæorum licuit, subintellecta particula adversativa *tamen*, adserere, verborum Propheticorum hunc esse sensum: angustum murorum ambitum, civiumque paucitatem minime fore obstaculo, quominus ex Bethlehemo oriatur Messias, dux nempe omnes alios reges longo post se intervallo relicturus; quidni Evangelistæ παραφραστικῶς verba Michææ recensenti, &, quod alias è verbis Michææ sequitur & colligi oportet, exprimenti, licuerit negare, id oppidum minimum esse intuitu tanti ducis inibi nasciturі? Qui nullo præjudicio occupatus utriusque verba confert, ei fatendum est, & Matthæum ita loqui potuisse, & sic nullam inter eos esse discordiam. Michæas enim sic respicit externam formam, quæ exiguo murorum circuitu civiumque paucitate æstimatur, quam etiam Chaldæus interpres Jonathan respexisse videtur, dum sic transtulit: כזער הויתא לאתמנאה באלפיא דבית יהודה *fere fuisti, ut computareris inter millia Judæ.* Matthæus vero singularem prærogativam spectat, quam oppidum ex Messiæ nativitate sit nacturum.

§. 13. Atque ita vox צעיר masculini generis nullam parit difficultatem, ejusque significatio recepta, *parvus* admittitur ab interpretibus. At si pro neutro habeas, illico autores, quos recensuimus, simile ex sacris exemplum poscent, quo idem significet, ac *parvum est*. Cæterum, quando quidem Ebræi neutro genere destituti promiscue nunc masculino, nunc fœminino uti solent, v. gr. Genes. 2: 17. 1 Reg. 12: 10. Mich. 3: 9. satis id esse existimatur pro hujus interpretationis veritate, neque necessarium, ut ipsum hoc exemplum sæpius occurrat, aut de persona præcise usurpetur. Sane post *Schindlerum*, *Ludovicus de Dieu*, cum append. ad Matth. tum animadvers. in Mich. 5. ei patrocinatur, negatque *B. Hackspanius*, immotis rationibus illam explodi posse, disp. peculiari, annis abhinc sedecim Altorphi habita. Sed nec *Bellarmini* ratio sufficiens est, quæ *Drusii* explicationem penitus rejiciendam esse comprobet. Esto nullum interpretem, He interrogativum hic subintellexisse, (quanquam in Opere Anglicano Syrus cum interrogatione transtulisse putetur) num ideo à nemine debet subaudiri?

§. 14. Etsi quæ hactenus ab acerrimis & intelligentissimis Interpretibus de sensu vocis צעיר disputata sunt, ejusmodi esse censeamus, ut à Judæorum cavillis, quibus malæ fidei crimen Evangelistæ intentare conantur, opponi queant: facere tamen non possumus, quin adhuc aliam, eamque ad retundendam Judæorum objectionem, non minus aptam explicationem adducamus. Illam à Judæo ipso primum allatam, eruditis postmodum perpendendam suggessit Cl. Oxoniensis Academiæ Professor, *Eduardus Pocockius*, qui uti ob egregiam illam, quam in Orientalibus literis navavit operam, omni laude major est: ita *Notis Miscell.* quas *Portæ Mosis* subjecit, reapse demonstravit, verissime dictum quondam esse ab *Erasmo*: *in diatribis literariis nihil periculi est, si quis quid novi afferat, quod non indignum sit studiis: imo in hoc institutæ sunt Scholæ, ut semper aliquid compertius offeratur.*

§. 15. Nempe in Philologicis, nondum eo deventum est, ut post *Scaligerum*, *Drusium*, *Casaub. Amamam* aliosque nobis nihil nisi otium sit relictum, & omnia tam aperta & plana habeantur, ut aliorum explicationibus contenti, omnem vocum ulteriorem scrutationem supervacaneam judicemus. Multarum vocum significata ope Arabicæ, Syriacæ & Æthiopicæ linguæ illustrantur, de quibus antea doctissimi dubitabant. Quid mirum igitur est, si & vocis צעיר quædam haud in vulgus fuerit nota significatio, eaque talis, qua, præ reliquis allatis explicationibus scriptores commodissime conciliari queant. Scire hic licet, in sacro codice reperiri vocabula, quæ oppositas habeant significationes. sic derivata à קדש *sanctum* & à sanctitate remotum, *scortum*, denotant. Deut. 23: 17. Verbum ברך *benedicere* & *maledicere* significat, Job. 1: 2. & cap. 2, 9. Nomini נפש & *notio animæ* & *cadaveris* competit, Hagg. 2: 13. חסד & *pietatem* notat & *impietatem*, Lev. 20: 17.

§. 16. Etsi vero τὸ צעיר ex censu illarum vocum esse, Interpres Ebræorum præstantissimi, quorum commentarios Biblia cum Veneta, tum Basileensia exhibent, nec asseruerunt, neque aliquid monuerunt; unde nec Christianorum Lexicographis, *Forstero*, *Avenario*, *Schindlero*, *Buxtorfio* quicquam de gemino eoque opposito sensu suboluit: Rabbi *Tanchum* tamen, doctissimus Ebræus, postquam dixisset, interpretes vulgo Prophetam ita explicare, quasi per contemptum istius regionis vel familiæ verba prolata fuissent; hunc locum sibi explicandum videri ait per ريس لها حكما *primaria, princeps.* Quo asserto quid magis idoneum afferri potuisset ad conciliandos scriptores θεοπνεύστους? Ne vero nuda conjectura, sine scripturæ suffragio id statuere videretur,

duo quoque loca in medium adducuntur, ex quibus patescat, præter significationem illam, qua *parvum* notat, aliam eidem voci competere, quæ idem significet ac *magnum*.

§. 17. Prior legitur Jerem. 48: 4. *Contrita est Moab, annunciate clamorem ejus* צְעִירֶיהָ. *parvuli ejus*, ut vertit Latinus & *B. Lutherus*, Man höret ihr Junge schreyen. *R. Abarbenel* commentar. ad h. l. הם הבנים הקטנים שהלכו בשבי *Illi sunt parvuli, qui in captivitatem sunt abducti.* At *R. David Kimchi*: אפשר שכנה הכתוב הגדולים בלשון ועיריה דרך גנאי: *fieri potest, ut scriptura magnates vocarit nomine* צעיריה *contemptus causa.* Qui haud dubie probe perspexit, non satis commode de parvulis intelligi. unde ignominiæ causa proceres ita vocari censuit, cum altera significatio ipsum lateret. Chaldæus vero simpliciter vertit: שלטוניהון *domini illorum.*

§. 18. Alter extat Zach. 13: 7. *percute pastorem, & dispergentur oves, & convertam manum meam* עַל־הַצֹּעֲרִים. Vulgatus *ad parvulos.* *Lutherus* zu den Kleinen. *Rabbi Abarbenel*, הממעטים עמי, *attenuantes populum meum.* *S. Salomo* על השולטנים הצעירים *principes minores.* *Syrus* ܥܠ ܙܥܘܪ̈ܐ *contra superiores.* Et *Arabs* على الرعاة *contra pastores.* LXX. ἐπὶ τοὺς ποιμένας, vel ut *R. Tanchum* loquitur: עלי אלגלא ואלרוסא *super illustres & principes*: non *parvulos*, ut vulgo intelligi solet. quæ etiam confirmantur Glossario Ebraico-Arabico, ubi inter significata vocis צער itidem refertur סלטאן *dominator, princeps.* Et cum apud Arabes vox جلل *magnum* significet & *parvum*, ceu ex *Alfiruzabadii*, Lexicographi Orientalis *Oceano* probat *Pocokius*, l. cit. quod mirum, apud Ebræos itidem vocem צעיר significationes habuisse contrarias.

§. 19. Oppido igitur probabile est, vocem צעיר ex censu vocum ἐναντιοσήμων esse, adeoque & *parvum* & *magnum* significare. Quod vero hujus posterioris acceptionis exempla rarius in sacris occurrunt, illud haud dubie in causa est, quod lingua Ebraica, antiqua nempe illa & pura, quæ olim ante captivitatem Babylonicam apud Ebræos in usu fuit, in tam angustos hodie limites est redacta, ut extra illud, quod in sacro codice possidemus, nihil ejus supersit. Unde hoc fatum alias etiam voces mansit, ut illarum, utpote semel occurrentium, significatio ex linguis affinibus illustrationem poscat.

§. 20. Hæc cum ita se habeant, & ipsomet Judæo teste, צעיר oppositas complectatur significationes, quam bene Evangelistæ cum Michæa conveniat, constabit, cum ostenderimus, nec ibi Matthæum esse hallucinatum, cum verba באלפי יהודה vertit ἐν ἡγεμόσιν. *Corn. à Lap.* comment. ad Matth. 2. τὸ אלף & *principem* & *mille* notare ait. Sed asserto nullam facit fidem. Non אלף, sed אלוף significat ducem. Quam vocem Matthæum in suo codice legisse, nonnulli hariolantur. At enim cum neque LXX, neque Chald. aliam agnoverint lectionem, quam quæ hodie in textu Ebræo extat, sensum potius quam verba respexisse Matthæum, apparet.

§. 21. Id quoque ex Ebræo textu liquido apparet, infinitivum להיות non significare *existentiam*, cujus ratione Bethlehem vocetur צעיר, uti apud *B. Hackspan.* lib. 1. Miscell. cap. 1. nonnemo sibi persuasit, sed construi illum cum verbis באלפי יהודה. Quæ quo modo explicanda sint, disputant interpretes. Quidam τὸ באלפי accipiunt pro *multis*, ut Apoc. 20: 7. Job. 9: 1. & cum ב præfixum idem quandoque denotet, ac *inter*, Ps. 35: 16. 68: 19. censent Bethlehemum inter *multas* צעיר vocari à Propheta. Licet vero *Casp. Sanctius* quoque hunc verborum sensum esse doceat, inter mille civitates, id est, *quamplurimas* Bethlehemum non posse numerari, sed, instar vici cujusdam tantum esse, aut vilis oppiduli, quominus tamen tam generaliter τὸ אלפי accipiamus, obstare videtur usus ejus in scriptura, quippe quæ, ubi cum יהודה construitur, inde finitum numerum minime significat. Aperte id constat ex 1 Sam. 23: 23. ubi Saul ita minitabundus infit: *Quod si in terram se abstruserit* (David), *perscrutabor eum* בְּכֹל אַלְפֵי יְהוּדָה *in cunctis millibus Juda.* Ubi *R. Abarbenel* recte commentatur: אכרית כל שרי אלפים אשר ביהודה שתהיה ידם עמי לחפש אחריו ולתפשו ושיתפשו אותו כל שרי האלף באנשי אלפו: *Cogam Chiliarchas in Juda, ut me juvent in eo persequendo & deprehendendo, & ita singuli in Chiliarchæ inter sua Chiliados viros eum quærant.* Nempe populus jam inde à tempore Mosis divisus erat in Chiliadas, ut ex Exod. 18: 22. constat. Conf. 1 Sam. 10: 19. Jud. 6: 15. Cum itaque quælibet Chilias suum ducem habuerit, liquido patet, citra sensus diversitatem alterutra voce Matthæum uti potuisse, adeoque perinde esse, sive Chiliados, sive Ducis faceret mentionem. Quin ab Evangelistæ scopo non alienum erat, nominasse ἡγεμόνας, quippe quibus omnibus Messias longe esset futurus superior.

§. 22. Supposita jam significatione, qua צעיר *magnum* vel *illustrem* notat, sensus verborum erit hujusmodi: *Et tu Bethlehem major vel illustrior es, quam ut inter millia Juda referaris. Ex te enim* (sic nec particula αἰτιολογικὴ à Matthæo frustra est posita) *exibit dux, non vulgaris, sed Messias, ab æterno existens.* Nempe quod tanto duci, & θεανθρώπῳ incunabula esset præbiturum oppidum, cæterorum loco ac numero habendum, negatur. Qua explicatione num alia cum Matthæo magis conveniat, eruditorum esto judicium. Sane sic peculiaris prærogativa, quam Propheta oppido tribuit, omnino explicatur. Atque huc referendum, quod verbis καὶ σὺ, illud, quod in re, de qua agitur, præ aliis eximium notari, observat *Pricæus*, allato loco Luc. 1: 76.

CAPUT II.

P. Galatini παρερμηνεία *particulæ* לי *notata.* Thomas *laudatus.* *Significatio* τοῦ לי *ostenditur exemplis à* R. Bechai *adductis.* Castrii *opinio super eadem voce expenditur.* *Cur illa apud Matthæum omissa.* τὸ ποιμαίνειν dominium *notare*, Bellarminus *perperam colligit.* *Verbi* משל *significatio ostensa.* τὸ ποιμαίνειν *proprie est pastorum.* *Improprie* Deo, Regibus & Doctoribus *tributum.* *Neutro modo involvit dominium.* *Quid tunc proxime significet, fuse ostenditur.* *B. D.* Calixtus *laudatus.* ποιμανεῖ *per epexegesin à Matthæo additum, modum regiminis Messiæ notat.* Theophylactus *laudatus, utrum Latinus interpres per* regere *emphasin* τοῦ ποιμαίνειν *expresserit, ut cum* Maldonato *vult* Pricæus. *Actor.* 20: 28. *non quadrare regendi significationem, ex contextu probatur, &* 1 *Pet.* 5: 2. *Syri interp.* ἔκθεσις. Pricæus *ignorat, ex Orientis usu* ποιμαίνειν *præter* regendi, *profanis scriptoribus notam significationem, aliam habere.* Nonnus *laudatus.* Bellarminus *notatus.* *Verba* ומוצאותיו מקדם מימי עולם: *cur omissa à Matthæo.* Sanctii *opinio.* *Alia sententia priore probabilior in medium allata.*

§. 1.

HActenus vidimus, nihil in Matthæo occurrere, quod menti Prophetæ adversetur. Consequens est, ut ex reliquis quoque, quæ Matthæus vel omisit vel addidit, nullum argumentum contra harmoniam scriptorum necti posse, demonstremus. Quod attinet illam à Matthæo omissam particulam לי *mihi*, non desunt, qui peculiarem eidem significationem tribuant. *Petrus* enim *Galatinus*, lib. 4. de A. C. V. cap. 13. sic scribit: *cum dixit ex te, ejus humanitatem demonstravit. Cum vero ait: mihi, ipsius divinitatem innuit. Mihi enim*, inquit, *idem est, ac si diceret, is homo, qui ex te egredietur mihi, hoc est, divinitati meæ uniri dignus est.* Nempe hoc est, librum de arcanis inscribere, quæ nisi *Galatinus* in lucem protulisset, nemini mortalium innotuissent. Equidem ut arcanum hoc sit, catholicæ tamen veritatis nomen haud meretur, utpote nullo fundamento nixum, nulli erudito unquam probatum. Quam verendum, ne Judæi sibilo hoc commentum excepturi sint, non sine Christiani nominis dedecore, *cum enim quis ad probandam fidem Christianam inducit rationes non cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus*, ut loquitur *Thomas Aquinas*, part. 1. q. 32. art. 1. In promptu ipsis sunt loca plurima, ubi particula לי occurrit, & tale quid significari nemo dixerit. *R. Bechai*, comment. in תורה fol. 162. col. 3. sic scribit: מצינו שלשה עשר דברים מיוחדים להק"בה ואלו הן הכסף והזהב והכרובים וישראל והבכורות והמזבח והתרומה ושמן המשחה ואהל מועד ומלכות בית דויד והקרבנות וארץ ישראל והזקנים הכסף והזהב דכתיב לי הכסף לי הזהב הכהנים דכתיב לקדש אותם לכהן לי

לי הלוים דכתיב והיו לי הלוים ישראל כי לי בני ישראל עבדים בכורות כי לי כל בכור מזבח אדמה תעשו לי תרומה ויקחו לי תרומה שמן המשחה יהיה זה לי אהל מועד ועשו לי מקדש קרבנות להקריב לי מלכות בית דוד כי ראיתי בבניו לי מלך ארץ ישראל כי לי הארץ הזקנים אספה לי: *Tredecim res Deum benedictum sibi vendicare deprehendimus, argentum & aurum, Cherubim, Levitas, Israëlem, primitias, altare, therumam, oleum unctionis, tabernaculum, regnum Davidis, sacrificia, terram Israëlis & Seniores. Argentum & aurum, quia dictum est* (Hagg. 2: 8.) *meum est argentum & meum est aurum. Sacerdotes, quia scriptum est* (Exod. 29: 1.) *ad sanctificandum eos, ut sacerdotio mihi fungantur. Levitas, quia scriptum est,* (Numer. 3: 12.) *Et Levitæ mei erunt. Israëlem, quia dictum est,* (Levit. 25: 55.) *quia filii Israëlis mihi servi. Primogenitum, quia* (Num. 3: 13.) *omnis primogenitus mihi. Altare* (Exod. 20: 24.) *altare terræ facies mihi. Oblationem,* (Exod. 30: 31.) *Oleum unctionis sanctitatis erit mihi. Tabernaculum,* (Exod. 25: 8.) *& facient mihi sanctuarium. Sacrificia* (Num. 28: 2.) *ad sacrificandum mihi. Regnum domus Davidis* (1 Sam. 16: vs. 1.) *quia vidi in filiis ejus mihi regem. Terram Israëlis, quia* (Levit. 25. 23.) *mihi terra. Seniores* (Num. 11: 16.) *congrega mihi seniores.*

§. 2. Ex allatis exemplis usus particulæ לי constat, quippe quæ nunc pro ratione contextus pronomen possessivum est, nunc demonstrativum, & verbo additum voluntatem imperiumque dicentis innuit. Quin exempla reperias, ubi per pleonasmum additur, *Numer.* 22: 34. Unde elucescit, quam audax *Galatini* sit assertio, qua mysterium incarnationis illa innui perhibet. Sed nec *Christoph. Castrius*, calculum meretur; *ex te mihi egredietur, idem est, ac in meam totiusque populi utilitatem & bonum, ut illud angeli, Luc.* 2. Sane ut nemo Christianorum infitias ibit, Messiam ob nostram salutem in hunc mundum missum esse, ita, an quisquam alius id ex particula לי sequi dixerit, quod Castrius, haud scio. Rectius sane dicitur, Deum indicare ea voluisse, sua voluntate consilioque ducem illum nasciturum esse. Et quandoquidem apud Matthæum, Deus Pater locutus minime introducitur, uti apud Michæam, quid mirum, si mutata persona loquente, de loco nativitatis Messiæ sciscitanti Herodi, omissa hac particula, responderint legisperiti.

§. 3. Ut vero ad reliqua progrediamur, verba Ebraica, ממך יצא לי להיות מושל בישראל Matthæus Græce sic reddidit, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. In aprico est, non totidem verbis & κατὰ λέξιν, sed διανοίᾳ verba Michææ vers. 2. reddidisse Evangelistam, significaturum, cujusmodi regimen Messiæ sit futurum, nempe non durum, sed lene & mite, adeoque prorsus tale, quale vocabulo ποιμαίνειν in sacris, ubi de Rege vel principe sermo est, designari solet. Quod cum ab iis, qui præjudicio occupatum afferunt animum, non attenditur, fit, ut longe aliud inde colligant, quam usitata vocis significatio admittit. Exempli loco sistam *Robertum Bellarminum*, qui lib. I. de Rom. Pontif. cap. 15. probaturus verbis, *pasce oves meas*, Johan. cap. 21. Petro datam esse summam potestatem, & Ecclesiæ constitutum præsidem, verbis Michææ abutitur. Verba ejus, quædam adscribere haud gravabor. *Nobis*, inquit, *difficile non est, ex hac ipsa voce* pasce *demonstrare summam potestatem illi attribui, cui dicitur: pasce oves meas*, & cum multis de verbo *pasce* disseruisset, tandem subjicit. *Deinde hoc idem efficacius demonstrari potest ex eo verbo, quod Iohannes in Evangelio posuit. Scripsit enim* ποίμαινε, *id est pasce regendo & præsidendo. Nam & Homerus lib. 2. Iliad. frequenter vocat Regem Agamemnonem* ποιμένα λαῶν, *id est pastorem populorum. Et in Scriptura ubi legimus Matth. cap. 2. ex te mihi exiet dux, qui regat populum meum Israël. In Græco est:* ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου, τὸν Ἰσραήλ. *Et notandum in Ebræo apud Michæam cap. 5. unde Matthæus accepit, non esse verbum* רעה, *quod pascere significat, sed verbum* משל, *quod est dominari.*

§. 4. Ex quibus verbis id discimus, Bellarminum arbitratum esse, verbum משל ab Evangelista verti per ποιμαίνειν, tanquam per ἰσοδυναμικόν, adeoque inde colligere, *dominium* aliquod significari. Cæterum ut nihil magis decet mercatorem, quam ut æstimationem mercium & pretium nummorum, ne decipiatur, recte intelligat; ita vocum ac linguarum ἰσοδυναμίας nosse, ne diversas notiones misceat, aut alteram pro altera supponat, proprium esse debet interpretis & disputatoris. Operæ igitur pretium nos facturos arbitramur, si utriusque vocis Ebrææ significationem & τοῦ ποιμαίνειν usum accuratius ostenderimus. Verbum משל, ut R. *D. Kimchi* in libro Radicum docet, significationem habet הממשלה ושולטנות *dominii & imperii*, tum justi & lenis, Judic. 8: 22. tum illius, quod justo durius est & prorsus iniquum, quale est hostium, Psal. 106: 41. Judic. 14: vs. 4. At verbum רעה, cui לשון מרעה *significatio pascendi* competit, nullum includit dominium; sed, ut ποιμαίνειν secundum autorem Etymologici magni est ἐν τῇ πόᾳ μένειν, *in herba virente manere*: ita רעה *proprie* est pastorum, qui ut Greg. Nazianzenus loquitur, τῶν χωρίων ἐπισκέπτονται τὰ ἔνυδρα καὶ ἐπίνομα, *loca diligenter inquirunt irrigua & compascua*, qui gregem ovium eo ducunt, eique de necessariis magno cum affectu prospiciunt. Quod cum non ignoraret Syrus interpres, Luc. 17: vers. 7. participium ποιμαίνοντα redidit ܕܪܥܐ ܥܢܐ *pascentem oves*. ܥܢܐ vero ex Ebræa voce צאן derivatur, quæ notat teste Kimchio הבהמה הדקה *pecus minutum*, cujusmodi sunt oves. In quibus pascendis quandoquidem, ut Greg. Naz. orat. I. loquitur: ὁ ποιμὴν ὀλίγα μὲν τῇ βακτηρίᾳ· τὰ πολλὰ δὲ τῇ σύριγγι, *pastor non multum pedo utitur, fistula vero plurimum*: adeoque ovium, utpote omnium animantium mitissimarum præfectura est lenissima, & affectus pastoris in eas cumprimis solet esse insignis: inde factum est, ut *metaphorice* aliis quoque tribuatur, nempe *Deo*, *Regi*, vel *Magistratui*, & *Doctoribus*, ad denotandam sedulitatem, curam & affectum, quem erga alios exerunt.

§. 5. Ne frustra hoc dixisse videamur, loca quædam Scripturæ & ipsorum quoque Judæorum interpretamenta in medium afferemus. Gen. 48: 15. Jacobus Dei erga se benignitatem commendaturus, *Deus*, inquit, *qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsens tempus.* Ubi Rabbi *Abarbenel* commentatur: שזנני ופרנסני והשלי' כל חפצי *qui me aluit & educavit; omnemque meam voluntatem implevit.* Similiter Psal. 23: 1. David Deum pastoris nomine insignit, non sane ob illud summum, quod in omnes creaturas habet, imperium, sed ob illam divinam providentiam, qua se quoque custodiri, & variis beneficiis affici credidit. Unde *Kimchi* ad l. cit. המשיל עצמו לשה והאל רועה אותו ואמר ה' רועי וכיון רועה אותי לא אחסר דבר: *Comparavit seipsum cum ove, Deum vero cum pastore, qui eum pascat, & ait: Dominus pastor meus, & quia me pascit, nihil deficiet.* Et paulo post: הרועה הטוב נוהג את צאנו ורועה אותו במקום דשא ושם יטה אהלו וירעם בבקר ובנטות היום ובעת הצהרים ירביצם בצל אהלו וכשרוצה להשקיתם ינהלם על מי מנוחות כלו' מים שילכו לאט ולא נחל פן שוטף ישטפו אותם המים בבואם לשתות ישובב ינוח כמו הרועה הטוב שלא ייגע הצאן ולא ידחפם אלא ינהלם לאיטם׃ ינחני במעגלי צדק כמו הרועה הטוב שלא ינהג צאנו בהרים ולא מעבירם מהר אל הר ומהר אל גבעה אלא במעגלי צדק: *Bonus pastor gregem suum pascit & ducit in locum herbis plenum. Ibi tentorium figit suum, mane & gregem pascit & die declinante jam ad occasum, meridie vero in umbra tentorii sui recumbere facit. Potaturus eum, non ad torrentem ducit, sed placido cursu labentes aquas, ne undis absorbeantur. Verbi* ישובב *sensus est, ducet me sicut pastor bonus, qui pecus non solet defatigare & impellere, sed sensim illud ducit. Ducit me in semitis justitiæ, sicut bonus pastor, qui pecus suum non in montes ducit, & de uno colle in alterum traducit montem & inde in vallem, sed via justa.* Omnia sane, quæ memorat Psaltes, eo tendunt, ut Dei curam pleno ore deprædicet, quæ Esai. 40: 11. iis actibus describitur, quibus pastoris non mercenarii illius quidem, sed cujus grex proprius est, affectus tenerrimus demonstratur, ceu Rabbi *Abarbenel* ad l. cit. monet. Adde Ezech. 34: 12.

§. 6. Ubi Regibus tribuitur, itidem id fit *improprie*, & ratione singularis curæ, quam pietate conspicui adhibere solent. Unde cum 2 Sam. 5: 2. Dominus ad Davidem dixisset: *pasces populum meum*, explicationis gratia addit: *& eris* לנגיד על ישראל *dux Israëlis.* Ezech. 34: 2. Reges neglecti officii accusaturus omnes illos actus recenset, quos sui nominis mensuram implens pastor exercet. *R. Abarbenel* hunc in modum scribit: הנמשל בכל זה הוא שמלכים היו לוקחים ממונם של ישראל וגוזלי' אותם ולא היו רועים ומנהיגים אותם כראוי כי לא היו מיסרים הרשעים והפריצי' משהם מזיקים את העם ולא היו מצילים העניים והאביונים שהם כנחלות וכנשברות כצאן והנדחים ואובדים שהם עובדי ע"ז ומגלי עריות ושופכי דמים לא היו משיבים אותם אל הדרך: *Tota ratio similitudinis consistit in hoc, quod Reges opes Israëlitarum auferrent & prædarentur, neque eos pascerent & ducerent ut par erat. Impios enim & latrones, qui populo nocebant, non castigabant, pauperes & egenos, qui erant quasi hæreditas, non eripiebant, confractum in pecude, dispersos & pereuntes, nempe idolalatras, incestuosos & homicidas in viam rectam non reducebant.* Ex quibus liquet,

 me-

metaphoricam significationem ipsum Judæum agnovisse, curam nempe populi, quam Rex adhibere tenetur.

§. 7. Tribuitur idem verbum *Doctoribus*, cum homines rudes informant. Sic Jerem. 3: 15. pastores pollicetur Deus, qui pascant דעה והשכיל *scientia & intellectu.* Prov. 10:21. *labia justi* ירעו רבים *pascent multos*, ubi *Aben-Esra* per ילמדו רבים *docebunt multos* explicat. Unde patet Ebræum רעה & Græcum ποιμαίνειν in sacris proprie non notare *regere*, sed *pascere*: pro ratione vero subjecti, cui tribuitur improprie, *curam*, *affectum*, *sedulitatem*, significare; & modum pascendi ex cujusque officii propria ratione desumendum esse, nec habitudinem metaphoræ illius dominium proxime significare, sed connotare tantum, ceu B. D. *Calixtus* monet Concord. Evangel. lib. VII. cap. 6. Fallitur itaque Bellarminus maximopere, dum sibi persuasit, Evangelistam τὸ משל per ποιμαίνειν reddidisse. Sane uti ex lectione Vet. Testamenti deprehendimus, LXX. nunquam τὸ משל per ποιμαίνειν reddiderunt, sed promiscue per ἄρχειν, δεσπόζειν, κυριεύειν, δυναστεύειν, κρατεῖν, ἐξουσιάζειν: adeoque neque hic quicquam causæ videmus, quamobrem Matthæum sic vertisse, dicamus. Participium מושל per ἡγούμενον reddidit Evangelista, verbum vero ποιμανεῖ per epexegesin addidit, petitum, ut Junius putat, ex Ezech. 34: vs. 23. aut simili loco. At è longinquo arcessere nihil opus est. Ex Mich. 5: vs. 3. וְרָעָה בְּעֹז יְהוָה & *pascet in robore Domini* Matthæus regendi modum declaraturus deprompsit, suavem nempe & pastoralem, quem etiam Theophylactus notavit his verbis: ποιμανεῖ εἶπεν, ἀλλ' οὐ τυραννήσει, ἢ καταφάγεται, οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι βασιλεῖς οὐ ποιμένες, ἀλλὰ λύκοι, ὁ δὲ Χριστὸς ποιμήν.

§. 8. Vulgatus simpliciter per *regere* reddidit, quem *Maldonatus* ideo excusandum censet, quod cum voce ἡγούμενος magis cohæreat. Et *Ioh. Pricæus* non dubitavit *Bezæ* dicam scribere his verbis. *Beza: pascet populum meum, melius vulgatus (ut & Actor. 20: vers. 28. reges populum meum. Iliad. α.*

Ποίμενα λαῶν.

Scholiastes βασιλέα ὄχλων. *In Glossario* ποιμαίνω, ἐπιανθρώπων, *rego.* Melius Vulgatum transtulisse minime concesserimus. Etsi enim eum Matth. 2. sensum verbi reddidisse largiamur, emphasin tamen directionis Messiæ, quem juxta cum Propheta Evangelista pascendi verbo intendit, sic minime expressit. Quod vero Pricæus Actor. 20. itidem Vulgatum melius per *regere* vertisse ait, id ex nimio Vulgatam defendendi studio, & linguæ Hellenisticæ ignorantia proficiscitur. Etsi enim dederimus Pricæo ποιμαίνειν, tunc *regendi* significationem habere, cum de Rege sermo est, &, ut Xenophontis verba habent, παραπλήσια εἶναι ἔργα νομέως ἀγαθοῦ, καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, *affinia esse, opera boni pastoris & regis boni*: tamen cum de Doctoribus Ecclesia usurpatur ποιμαίνειν, regendi significationem minime habet, utpote quorum non est κατακυριεύειν Matth. 20: 25. sed διδάσκειν, & ita, ne quid detrimenti capiat Ecclesia, curare. Locus sane ex Actis allatus huic versioni haud obscure repugnat. Ait enim ibi Paulus, τοὺς Πρεσβυτέρους à Spiritu Sancto esse constitutos ἐπισκόπους, qui attendant, non ὄχλῳ vel λαῷ, sed ποιμνίῳ, & ut Syrus recte reddidit, ܠܡܪܥܝܬܐ *gregi*, quippe cui insidiaturi sint λύκοι βαρεῖς, *lupi graves.* Quæ continuata metaphora satis abunde docet, quid verbo ποιμαίνειν significare voluerit, nempe providam curam in munere Apostolico, & pastorali similem. Tantum vero abest, ut hic *regimen* aut *dominium* verbo ποιμαίνειν significetur, ut illud potius doctoribus aliis, & sibi ipsi Petrus 1 Epist. 5: 2. &c. denegarit. Jubentur ibi *pascere* πρεσβύτεροι, μὴ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, hoc est, ut Syrus recte transtulit: ܠܐ ܐܝܟ ܡܪ̈ܘܬܐ ܕܡܪܥܝܬܐ *non tanquam domini gregis*, sed qui alium, eumque ἀρχιποίμενα agnoscant, vs. 4.

§. 9. Sic itaque habendum: quia *pascere* omnimodam curam includit, sacri Scriptores ad significandum illud studium in Ecclesiastico munere adhibuerunt, quo divinis oraculis cœtus exercetur, & scripturæ lectione, auditione, meditatione occupatus, à luporum irruptionibus fit immunis. Unde male factum à Pricæo, quod is Glossario & profanis Scriptoribus nixus ποιμαίνειν tantum per *regere* reddidit, quod ex usu Orientis aliam significationem habet, nempe *docendi*; de qua Christum locutum esse Johannis 21. agnovit Nonnus, dum verba: *pasce oves meas* sic reddidit:

Ἄρνας ἐμοὺς ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων.

Qui uti summam potestatem agnovit nullam, quæ sit Petro collata, ita Petrum ipsum verba Christi aliter intellexisse, quam *Bellarminus* censuit, clare patescit ex 1 Epist. 5: vers. 2. ubi se συμπρεσβύτερον vocat, nunquam ita locuturum, si præ aliis dignitatem accepisset, & jurisdictionem in reliquos Apostolos.

§. 10. Quod denique verba Ebraica attinet ומוצאותיו מקדם מימי עולם quæ penitus omisit Evangelista, *Sanctius* Judæorum Sapientes hanc particulam vaticinii, vel quod Herodes rerum Ebraicarum imperitus non posset capere, vel quia ipsi non intelligerent, truncasse censet. Sed illud probabilius videtur, quandoquidem de loco duntaxat nativitatis erat quæstio, ea, quæ ad illum magnopere non requirebantur, sed personæ descriptionem continebant, fuisse omissa. Herodem vero ab infanticidio revocari potuisse, illis verbis, nemo facile crediderit, nisi qui ignoret, eum tanto imperandi desiderio flagrasse, ut etiam ad ea patranda fuerit instigatus, quæ eum hominis naturam plane exuisse arguebant, nedum, ut verbis illis auditis, nihil sibi quicquam ab illo nascituro Rege periculi timendum esse, sibi fuerit persuasurus.

CONR.

CONR. SAM. SCHURZFLEISCHII

ΙΟΑΝΝΗΣ ERMAΖΩΝ

ad Matth. III: 1. 4.

Q. D. B. V.

I.



Oannes, quo nemo post homines natos major repertus est, à munere divinitus imposito, *baptistæ* nomen tulit, auctorque emendationis vitæ, & Christi præcursor, in Judææ solitudine docuit, ac palam & publice sacra promulgavit. *Vid. Chrysostomus homil. X. in Matthæum.*

II. Quam laudem ei nemo eripiet, dubiamque reddet, nisi divino codici, testi omni exceptione majori renitatur. Nam sponte sua non venit, sed à DEO edoctus missusque est, ut auctoritate divini muneris fidem dictis afferret. Quamobrem vocatus est *Angelus*, cujus appellationis interpres Cyrillus Alexandrinus, sequentia scribit. οὐκοῦν ἄγγελος ὁ μακάριος βαπτιστὴς Ἰωάννης διὰ τὸ τοῦ δεσπότου κατωνόμασται φωνῆς, οὐκ αὐτὸς κατὰ φύσιν ἄγγελος ὤν, ἀλλ' ὡς εἰς τὸ ἀγγέλλειν ἀπεσταλμένος, καὶ, τὴν ὁδὸν κυρίου ἑτοιμάσατε, βοᾶν. *Commentar. in Joannem, qui extat tom. IV. operum ejus.* Scite loquitur, & partes officiumque Joannis apte describit, nec locus mendo inquinatus est, si in clausula periodi justa, ut par est, interpunctio servatur.

III. Non laboro de institutis veterum divinæ veritatis expertium, qui solitariam vitæ rationem commendarunt, nec tamen mihi temperare possum, quin affirmem, eam multis & solertibus ingeniis placuisse, & sapientum studiis comprobatam, ac subinde expetitam esse, adeo ut non paucos recordari possim, qui à turba & strepitu ad otium solitudinemque se conferrent.

IV. Auctor est Jamblichus, Pythagoram Samium sacris deditum, locum sibi designasse, in quo solus esset, & seorsim versaretur. Ἔνθα ἐμόναζε τὰ πολλὰ ὁ πυθαγόρας κατὰ τὸ ἱερόν. *Cap. III.* de vita Pythagoræ. Scripsit ἐμόναζε, solus erat, solus plerunque in templo agebat. Minus Latine Joannes Arcerius, *ut plurimum*, interpretatur.

V. Non pauci ad loca ab hominibus deserta se receperunt, & persæpe à congressu consuetudineque hominum abhorruerunt, ut quanto remotiores à convictu degerent, tanto contentius animo vacarent. Quo vitæ genere usus est Democritus Pythagoræorum admirator, de quo tradidit Diogenes Laertius, eum sæpe in loco ab hominibus deserto habitasse: ἐρημάζων ἐνίοτε, *sæpe in solitudine degens, in deserto habitans.* Plus sane inest in verbo ἐρημάζειν, quam μονάζειν, nec probatur mihi vulgaris interpretatio, *sæpe solitarius vivens.*

VI. Nihil nunc addam de Numa Pompilio, qui post decessum conjugis relicta urbe in lucos abiit, atque in solitudine sacris operatus est, ut mentem animumque ad DEI cultum magis revocaret. Testis est hujus Numæ moris Plutarchus, qui verbis evidentibus confirmat, quæ in literas relata extant. Ὁ δὲ Νουμᾶς ἐκλιπὼν τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς, ἀγραυλεῖν τὰ πολλὰ, καὶ πλανᾶσθαι μόνος ἤθελεν, ἐν ἄλσεσι θεῶν, καὶ λειμῶσιν ἱεροῖς, καὶ τόποις ἐρήμοις ποιούμενος τὴν δίαιταν. *In Numa.* Indicat Chæronensis scriptor, Numam & solum fuisse, & in solitudine egisse: priori commate μονάζοντα, altero ἐρημάζοντα designat. Etenim πλανᾶσθαι μόνον, est τοῦ ζῶντος βίον μονώτην, ut loquitur Aristoteles Eth. Nicomach. *lib. I. cap.* 7. Sic & idem μονώτην vocat hominem solitarium, *lib. eodem cap.* 8. Plutarchus autem ista dictione removet quidem consuetudinem hominum, sed non continuo τόπον ἔρημον notat. Multum sane inter utrumque interest, nec eandem significationem habet μόνον εἶναι, quam recipit ἔρημον εἶναι. Recte Arrianus apud Epictetum. οὐ γὰρ ὁ μόνος ὤν, εὐθὺς καὶ ἔρημος. *Conf. lib. III. cap.* 13. *& lib. I. cap.* 12. Tum vero Numa ἐν τόποις ἐρήμοις ἐποιήσε τὴν δίαιταν: quibus verbis affirmat solitudinem, & negat sodalitatem; Hanc enim expressisset verbis, ἐποιήσε συνδίαιτον ἑταιρίδα, ut loquitur *Antoninus Liberalis metamorph. XXX.* Hic cuivis integrum est existimare, vocabulum ἐρήμου esse interdum κοινόν. Multis ante Plutarchum seculis Isocrates *in Æginetico* ἔρημον οἶκον dixit, orbam domum, & ideo, quod sine liberis est, solitudine sua ruentem.

VII. Quod institutum eo spectabat, ut vitam procul seculi negotiis agerent, & in studiis atque exercitationibus animi omne tempus collocarent. Hoc vitæ genus non ab se alienum duxit Samius, quasi id esset ἄνευ μαλακίας φιλοσοφεῖν, ut loquitur scriptor ἀττικώτατος. Nam is singularem & solitariam vitam elegit, κατὰ γῆς οἰκίσκον ποιήσας, de quo *vid. Hermippus apud Laertium in Pythagora lib. VIII.* Nec enim modo animos, sed etiam aures clausas integri atque incorrupti homines habuerunt, fugientes vanarum futiliumque rerum, quæ mentes inquinare possent. Illud præterire non debeo, quod verbis, *occludendi, seu obturandi aures*, silentium apud veteres injungatur. Quomodo in Orphicis legisse memini, θύρας ἐπίθεσθε, qua significanti, nec inscita tralatione, aures indicantur. Cujus sequendæ exemplum habuerunt scriptores idonei & graves, profani juxta & sacri, atque inter istos elegans castigatusque scriptor in libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. Id vero aliter Aristides extulit, πύλας ἐπιθέσθαι, & quod Orpheus, vel quisquis antiquus auctor est, astricta numeris oratione, rhetor ille prosa appellavit, neque Orphici carminis lectionem interpolavit, *in or. Platonica secunda pro Quatuorviris.*

VIII. Ex his perspiciamus, veteres, quotquot sapientiæ se tradiderunt, credidisse hanc vitam emendatis vitæ doctrinæque rationibus maxime utilem, in qua nullum ambitionis ac levitatis vestigium cerneretur. Quare μονήρης βίος erat φιλόσοφος βίος, cujus expressam imaginem reliquit Pythagoras, quando domo subtus terram facta contentus, ab hominum conspectu & consuetudine refugiebat, neminemque adeo in societatem atque contubernium recipiebat.

IX. Ab hoc vitæ genere non abhorruerunt plerique sancti & perreligiosi homines, quibus in eo positum erat consilium, ut liberati molestiis & perturbationibus vacui, res divinas meditarentur. Sed non defuerunt, qui dignitate sua alienum ducerent, illi maxime, qui virtutes in actione sitas spectabant, & amore tractandæ reipublicæ capiebantur. Hinc reprehensos legas τοὺς ἐν γωνίᾳ καθημένους, ut in proverbii consuetudinem abierit formula, γωνίας ἄξιος ἄνθρωπος, quasi homo inutilis & ineptus. Quorum excusationi proficere posset sententia Aristotelis, perpulchre affirmantis. δοκεῖ τε ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι. Cujusmodi homines alibi dicuntur ἄσχολοι εἶναι, sive ἀσχολεῖσθαι. Sed ejus sensus alio pertinet, nec ἄσχολοι sunt ἀπράγμονες, ut virtutibus in agendo positis nuncium remittant. *V. Aristoteles Ethicor. lib. X. cap.* 7. A quibus multum discrepant οἱ ἐν γωνίᾳ ψιθυρίζοντες, in quos invehuntur *Aristides in Panathanaico, Themistius in orat. III. Arrianus apud Epictetum lib. III. cap.* 13. De aliis taceo libens.

X. Verum sancti homines spe melioris vitæ se consolati, ad res divinas ita se compararunt, & pietatis studio ducti, ab hominum societate se disjunxerunt. Chrysostomus reprehensionis securus toto biennio in speluncam secessit, & in meditatione tempus illud transegit. In hanc sententiam epitomastes vitæ Chrysostomi tradit: καὶ ἀναχωρήσας ἐν ἑνὶ σπηλαίῳ μόνος ἔμεινεν ἔτη δύο. Basilius M. & Gregorius hoc tale institutum meliori fortunæ, & ampliori, ad quem aspirare poterant, honori prætulerunt. Τὸν μονήρη βίον προέκριναν. *Socrates hist. eccles. lib. IV. cap.* 26. Diu ante hunc Clemens Alexandrinus scripsit. καὶ τῷ ὄντι ἀνὴρ οὐκ ἐν τῷ μονήρη ἐπαναιρεῖσθαι δείκνυται βίον.

Stroma-

Stromatum libro VII. Exponunt vulgo, vitam *monasticam*, ſed imo notione propria, & generatim ſignificante, *vitam ſolitariam*, exponere debuiſſent.

XI. Longe aberant veteres ab honoris ſtudio, & ſola pietate omnem laudem aſſequi ſe putabant, atque hi ut ſancto & ſingulari vitæ genere ſe diſtinguebant ab aliis, ſic vocabulo etiam peculiari *aſcetæ* dicebantur. Apud Græcos autem ἀσκηταὶ, pugiles & palæſtritæ audiunt, auctoribus *Platone de Republica III. Iſocrate in parœneſi*, quæ ei vulgo tribuitur, & certe perantiqui eſt ſcriptoris. Plutarcho eſt ἀνὴρ ἀσκητὴς, vir ad virtutem ſe exercens, *in Lycurgo: conf. Heſychius, & Etymologus in h. v.* Sed quia hoc genus exercendi acre & vehemens erat, transferri cœpit ad contentionem induſtriæ cujuſdam inſignioris indicandam, maxime eam, quæ in rebus divinioribus collocatur. Omnes ergo, quotquot animis ab omni moleſtia ſolutis, ſive in ſapientiæ, ſive in religionis ſtudia unice incumbebant, hi in ſuo quiſque genere & ordine appellati ſunt *aſcetici*, inprimis autem, qui majore animorum impetu ad auſterius vitæ Chriſtianæ inſtitutum rapiebantur. In hanc ſententiam Clemens Alexandrinus nominat κυριακὴν ἄσκησιν, id eſt, τὴν τοῦ κυρίου διδασκαλίαν, ſive religionis diſciplinam à Chriſto traditam. *Stromatum IV.* Quam qui ſequuntur & probant, perpetuaque attentionis lege ſervant, ii propius à perfectione abeſſe, & accurate literis ſacris eruditi videntur. Socrates de Silvano: ἀκριβῶς δὲ χριστιανίζειν ἑαυτὸν διδάξας, καὶ τὸν ἀσκητικὸν βίον ἀσκῶν, *hiſt. eccl. lib. VII. cap. 37.* Ἀσκητικὸς βίος eſt quaſi ἀθλητικὸς, ac deſignat τῷ ἀκριβεῖ βίῳ ἑαυτὸν ἐκδοῦναι. Hi ἀσκοῦντες ἑαυτοὺς πρὸς θεοσέβειαν, non modo caſtas atque in Deo defixas mentes, ſed etiam manus oculoſque abſtinentes habuerunt: quam Chryſoſtomi ἄσκησιν laudatam eſſe accepimus, etſi non defuerunt, qui eam reprehenderent, οἱ δὲ Ἰωάννου ἄσκησιν μεμφόμενοι, ut ſcribit Palladius in vita Chryſoſtomi. Nempe mali, & vitiorum laqueis implicati homines cum libidinem continere non poſſent, tum abſtinentiam in vitio poſuerunt, obliti ſententiæ, quæ extat *in paraphraſi enchiridii Epicteti.* ἐγκράτειαν τῶν σωματικῶν εἰς δύναμιν ἀσκητέον. De hac virtute apte eleganterque agit & docet *Ariſtoteles Ethic. lib. VII. cap. 1, 2. ſeqq.* Non recte quidam in Baſilio ἐγκράτειαν Latine reddit *jejunium*, quod Græcis νηστεία nominatur. Sed vero & Baſilius M. præcepta tradit, & eandem virtutem laude afficit, ac τὸ σῶμα συντρίβοντας caſtigat, quippe qui crapula ſe obruant, atque hac intemperantia corpus conficiant ac perdant. Neque eo ſecius vituperat ἐρηθείαν, & ſimul virtutes vitæ felicis effectrices multum ſerioque commendat. *Vid. Baſilii Aſcetica operum tom. II.* Tantum noto mendum, quod paſſim exhibent libri editi, in quibus hoc vocabulum προπαροξύτονον occurrit. Omnes enim, & ipſi etiam tyrones norunt, nomina, quæ eo modo deſinunt, atque à verbis in έω deducuntur, *paroxytona* fieri oportere, ut *Technici* loquuntur. Sic plerique, nec ſine errore θεοσέβειαν efferunt, cujus tamen par ratio eſt, atque nominum ἀλήθεια, εὐσέβεια, ἐγκράτεια, ſed hæc cognita habent Γραμματικῶν παῖδες.

XII. Nec ſolum Græci, & ſuperſtitione imbutæ gentes, ſed etiam Hebræi ſuos *aſcetas* habuerunt. Quod, opinor, nemo in dubium vocare auſit, niſi Eſſæos extitiſſe negaverit, de quibus tamen luculentiſſime teſtantur idonei ſcriptores. Joſephus affirmat, eorum mores auſtero vitæ genere, & cultu gravi mollitieque experti deſcriptos, certiſque notis etiam ab aliis ſectis diſtinctos, ad diſciplinam Pythagoræ inſtituti ſimilitudine acceſſiſſe, *antiq. Jud. lib. XIII. cap. 8. lib. XV. c. 13. & de bello Jud. lib. II. cap. 7.* γένος δὲ τοῦτ᾽ ἐστι διαίτῃ χρώμενον τῇ παρ᾽ Ἕλλησιν ὑπὸ Πυθαγόρου καταδεδειγμένῃ. Reliqua adſcribere non vacat, nec operæ pretium puto. Suffragatur Philo Judæus, & refert, Eſſæos, quos vulgo *Eſſenos* nominant, ſumma animi religione Deum colere, animoſque componere ad ſanctimoniam, & habitare vicatim, ac fugere urbes, atque à connubio & victimis cædendis abſtinere, *in opuſculo ab auctore inſcripto, quod liber ſit, quiſquis virtuti ſtudet.* Porphyrius apprime conſentit. Οἱ ἐσσαῖοι ἰουδαῖοι μὲν τὸ γένος: φιλάλληλοι δὲ καὶ τῶν ἄλλων πλέον. οὗτοι τὰς μὲν ἡδονὰς, ὡς κακίαν ἀποστρέφονται, & quæ ibi ſequuntur. Matrimonium non turpe ducebant, neque damnabant, ſed ipſi non inibant, rebuſque omnibus tanquam communibus utebantur. περὶ ἀποχῆς, quam perperam & imperite de abſtinentia interpretantur *lib. IV. Conf. Suidas in h. v.*

XIII. Nullus tamen horum, quos protuli, ſcriptorum dixit uſpiam ἐρημάζοντας, ut non opus ſit, cur hujus rei cauſa labor ſuſcipiatur. Equidem nullas urbes incoluiſſe, ex Philone recordor, ſed vicatim Eſſæos habitaſſe conſtat, quia κωμηδὸν οἰκοῦντες deſcribuntur. Nam κώμη ſemper pagum, ſeu vicum denotat, & κωμήτης opponitur τῷ πολίτῃ, ut paganus civi, ſeu muncipi: κωμηδὸν idem ſonat, quod vicatim, ſive per pagos. Hic conſtans uſus eſt ſcriptorum Græcorum, etſi non inficiari poſſum, vocabulum πόλεως interdum laxe etiam pro pago ſumi, *apud Herodotum lib. VII.* imo & apud Ptolomæum & Stephanum ἐθνικογράφον. In quo diſcrepant Eſſæi ab inſtituto Pythagoræ μονάζοντος, etſi hoc neque perpetuum, neque ab ejus diſcipulis omnibus uſu probatum fuit.

XIV. Quare ut à diverticulo in viam redeam, Joannes, à quo exorſus ſum, vitæ hujus, quam aſcetæ ab ſeculo, atque rebus caducis ſejunctam agunt, occaſionem præbuit ac proluſit. Vixit enim verſatuſque eſt in loco non valde culto, nec frequenti, ab omnibus tamen hominibus non deſerto: perinde ut Geographi in deſcriptionibus locorum eo vocabulo, non protinus ſignificatione ἀοικήτου & ἀπανθρώπου utuntur. Strabo ſcriptor ſcitus & purus Arabiam ἐρήμην nominat, *Geogr. XVI.* quæ tamen non prorſus fuit hominibus vacua, etſi paſſim montoſa & ſterilis appellatur. *V. Plinius lib. VI. c. 28. H. N.* Nomina enim ſæpe ab origine ſua recedunt, neque ea ſolum, ſed inprimis uſu æſtimantur. Hoc modo LXX. dicunt, Joabum θαφθέντα ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ 1. *Reg.* 2:34. & 2. *Reg.* 3:8. *collat. Joſuæ* 15:21. ὁδὸν ἔρημον Ἐδώμ. Nec tamen Idumæa ita fuit inculta, ut non habitaretur, quod, præter alios, ſcriptor belli ſacri Guilielmus Tyrius confirmat, *hiſt. lib. XX. cap. 19.* Non me præterit, diligentem auctorem Suidam interpretari *eremum*, *terram ab incolis deſertam.* Sed non ea mente, ut prorſus habitari neget. Nam primariam, non univerſam hujus vocis ſignificationem ſpectat. Verba Suidæ explicant Suidam. Ἔρημος κυρίως, ἡ μονωθεῖσα τῶν ἐνοικούντων γῆ. Minime aſſentior interpretibus, Hebraicæ linguæ ſubſidia ad hanc rem comparantibus, quos Græcæ literaturæ imperitia in hunc errorem induxit. Etenim Græci veteres & claſſici, χώρας ὀρεινὰς καὶ λυπρὰς, ſane οἰκητὰς, & revera οἰκισθείσας, haud raro ita extulerunt. Similis & maxime geminus eſt locus *Lucæ* 1:39. ubi τὴν ὀρεινὴν dixit, quam Matthæus τὴν ἔρημον nominavit. *Caſaubonus in exercitat. XIII. contra Baronium.* Non continuo locus, qui hominum inops, minuſve cultus eſt, hominum & habitatorum plane expers haberi debet.

XV. Sed tractus ille, in quo Joannes docuit & concionatus eſt, in regione montana cis Jordanem ſitus, nomine *Quarentanæ* celebratur, & Judææ proprie dictæ finibus continetur. *V. Chriſtianus Adrichomius in theatro terræ ſanctæ.* Reperiuntur, qui locum iſtum, ubi Joannes commoratus, munereque functus eſt, remotiorem fuiſſe exiſtiment, & majori, quam par eſt, ſpatio à Jordane disjungant. *Carolus Maria Veil in Matth.* 3. Non quidem eſt, cur negemus, Joannem quoque in alias veniſſe urbes, propterea quod diverſis in locis partes ſuas peregit, hominesque ad ſe ventitantes excepit, ac DEI notitia imbutos, ſacro fonte tinxit. Hoc liquet auctoritate hiſtoriæ divinioris, *Iohann.* 1:28. *Iohann.* 3: *vſ.* 23. Ibi Bethabara trans Jordanem, hic Ænon cis Jordanem ſita memoratur. *V. Euſebius in Onomaſtico urbium & locorum.* Utraque autem ab *eremo*, in qua Joannes doctrinam ſuam exorſus eſt, diſtabat. Enimvero ſatis notum exploratumque eſt, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quod apud Joannem legitur, idem eſſe, quod ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην κεῖσθαι. Non ſinit linguæ hujus ratio, nec uſus, ut pro conſuetudine Hebræorum vox iſta πέραν de citeriori ripa ſumatur. Repugnat ſignificatio, quam res ipſa declarat, ſi reputo trajectum, qui apud *Bethabaram* fuit. Quare cum hic Joannes ageret, & peccato inquinatos ablueret, non potuit effuſa multitudo, quin Jordanem tranſiret. Hoc argumento patres conſtanter ac recte Bethabaram legunt & retinent, ſigillatim *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Epiphanius*, *Euthymius*, atque horum ſuffragator *Theophylactus.* In diverſa, mirum, abit Caſaubonus, *in notis ad Joann.* 1:28. Tanto minus ſenſu & ſignificatione congruunt dictiones ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, & πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quarum altera extat *Matth.* 3:13. ſpectatque ad Joannem, cum citra flumen conſiſteret, altera occurrit *Joann.* 1:28. 10:40. & locum ulteriorem, in quem deinde Joannes egreſſus eſt, notat; altera motum ad Jordanem, altera tranſitum Jordanis deſignat. Quæ monuiſſe ſatis habeo, nec vim nominis περιχώρου exquiro, quæ per ſe patet, ſatiſque explicata eſt, ſi de circumjacente ora, & ipſa adeo quoque trans Jordanem ſita intelligatur. *V. Hugo Grotius in h. l.*

XVI. De victu & cultu Joannis omnes libri commentationum pleni ſunt, quibus excutiendis operam in præſenti non ſumam, nec niſi ſumma quædam capita, quæ propoſitum exigit, attingam. Clemens Alexandrinus, raræ & reconditæ eruditionis *presbyter* affirmat, Joannem & ſimplici

vitæ

vitæ & vestitus genere simplicem, ac à fraudibus fallaciisque alienam vitæ componendæ rationem significare voluisse. Is vero aliquoties Joannis meminit, & digno eum elogio ornavit. Ἰωάννης δὲ ὑπερτείνας τὴν ἐγκράτειαν, ἀκρίδας καὶ μέλι ἤσθιεν ἄγριον. *Pædagogi libro II.* Quibus verbis non inficiatur & removet semina, baccas & olera, perinde ac si Joannes tantum locustas, & mel agreste comedisset; sed comparatione cum Matthæo instituta, pluris facit Joannis abstinentiam, non vero prohibet, quin Joannes vel aliquando saltem comederit olera, baccas, & radices. Postea Clemens eodem libro scribit. καὶ μέλι ἤσθιεν καὶ ἀκρίδας, γλυκεῖαν καὶ πνευματικὴν τροφήν. Inest ergo in melle vis nutriendi, & copia spirituum, sed per se non admodum nutrit, & magis attenuat, & victui *ascetarum* apprime conducit. Audiamus senem Coum, qui mellis ingenium apte & accurate declarat, τὸ μέλι, ξὺν μὲν ἑτέροις ἐσθιόμενον, καὶ τρέφει, καὶ εὔχροιαν παρέχει. Αὐτὸ δὲ ἐφ' ἑαυτῷ λεπτύνει μᾶλλον ἢ κομίζει. *LXIV. de affectionibus.* Quare πνευματικὴν τροφὴν interpretari licet, λεπτὴν δίαιταν, quæ sancto *asceta* conveniebat. Id nemini puto non esse manifestum, si perfrugalis Pythagoræ victus ante oculos ponatur, qui carne abstinebat, & melle contentus erat, ut mente liberiori uteretur. Ratio à Clemente subjecta est, quod ita consuleret corpori, ut simul caveret animo, quippe quem affligeret, si crassiorem sumeret cibum, unde subvecta mole vaporum, qui cerebrum peterent, gravari se lædique sciret. Elegans appositumque vocabulum instituto adhibet, quo *turbulentum*, *limosum*, *fæculentum* aliquid denotatur. Hoc Græcis est θολῶδες, quod cum evidenti sanitatis pernicie conjunctum est, quum caput, imo totum corpus, velut superinjecto pondere, oneratur, βάρος ἐπιγίνεται, ut Medici appellant. Hoc modo, atque hoc victus genere vitium contrahitur, ut ratio impedita, & tenebris obscurata atque oppressa videatur. Quales cibos non admisit Pythagoras, sed aversatus est, ut insigni abstinentia sectam suam nobilitaret. Hinc oritur rudis ista prægravisque moles, qua prosternitur animus, ut neque officium faciat, nec regere seipsum possit: ἡ ἀναθυμίασις, θολωδεστέρα οὖσα, ἐπισκοτεῖ τῇ ψυχῇ. Cum vero ista docet Clemens, tum innuit, animam sui non compotem, cujusmodi est ἐπισκοτουμένη ψυχὴ, quippe in caligine tenebrisque jacens: quasi dicere voluisset, γνώμην ἀνὰ σκότος κυλινδουμένην νωθρὰν γίνεσθαι, mentem in tenebras depressam devolutamque non constare sibi, sed velut gravi profundoque somno contracto, prorsus torpere: quod medici sic usurpare solent, & eodem nomine languorem ac veternum designant. Νωθρεπιθέτης auctori physiognomonicorum est cunctator: νωθρότης torpor, item veternus. Hippocrates *in Coacæ prænotionibus.* ἐν φρενίτιδι νωθρότης, κακόν. *Conf. glossarium vetus, & Hesychius in h. v.* Nempe hoc est, mentem νωθρὰν γίνεσθαι.

XVII. Ceterum Joannes vicit abstinentia Pythagoram, neque hujus imitandi consilium iniit, sed Eliam referre debuit, in quo magnum ejus divini muneris, quod gerebat, momentum erat. Pythagoras, fateor, persæpe solo melle aut pane contentus, summæ frugalitatis laudem sibi paravit, sed vino non semper abstinuit, & sub vesperam aliquantum bibit, ut vires paulo debilitatas recrearet. *V. Diogenes Laertius in Pythagora.* Ille etiam cibos emptos, etsi non delicatos & parabiles, mensæ suæ adhibuit: Joannes sola DEI providentia nixus, sine tecto, sine lecto, sine mensa cibis, quos fortuna obtulit, vescebatur: locustis & melle sylvestri famem, aqua sitim depellebat: vinum, *siceram*, liquores generosos, quos seu necessitas, seu luxuria excogitavit, ne valetudinis quidem causa bibebat, nec Pythagora modo, sed etiam Elia, sed omnibus divinitus afflatis vatibus major erat. Quamobrem scribit Chrysostomus. Ἐκεῖνος (Ἠλίας) ἐν πόλεσι, καὶ ἐν οἰκίαις ἐτρέφετο. οὗτος δὲ (Ἰωάννης) δι' ὅλου τὴν ἔρημον ᾤκησεν ἐκ σπαργάνων αὐτῶν. Et paulo post de Joanne loqui pertendens. οὔτε γῆν ἤροσεν, οὔτε αὔλακα ἔτεμεν, οὐκ ἐν ἱδρῶτι τοῦ προσώπου τὸν ἄρτον ἔφαγεν, ἀλλ' ἦν ἐσχεδιασμένη αὐτῷ ἡ τράπεζα, καὶ εὐκολωτέρα τῆς τραπέζης ἡ περιβολή, καὶ ἀπραγμονεστέρα τῆς περιβολῆς ἡ οἴκησις. οὔτε γὰρ στέγης, οὔτε κλίνης, οὔτε τραπέζης, οὔτε ἄλλου τινὸς τούτων ἐδεήθη, ἀλλὰ ἀγγελικόν τινα βίον ἐν τῇ σαρκὶ ταύτῃ ἐπεδείκνυτο. *Homil. X. in Matthæum.* Exinde intelligitur, quamobrem *Angelus* appellatus fuerit; cujus rei causa eò minus obscura est, quod à trito & communi vitæ genere recessit, ac summa animi & muneris sanctitate eluxit. Theophylactus ait: ἄγγελος ἐκλήθη, καὶ διὰ τὴν ἀγγελικὴν ζωὴν, καὶ ἄϋλον σχεδὸν, καὶ διότι ἤγγειλε καὶ ἐκήρυξε τὸν Χριστόν. * *Comment. in cap. 11. Matthæi.* Dicit, ἄϋλον, non ἁπλῶς, sed συγκριτικῶς ob tenuem subtilemque cibum, quo tenerum Joannis corpusculum alebatur. Hac loquendi comparatione non edisse, nec bibisse dicitur, *Matth.* 11: 18. Non edisse, scilicet panem, non bibisse, puta vinum, quod ex *Luc.* 7: 33. commode intelligi, & apte suppleri potest. Bene ac eleganter Hipponensis Præsul. *Joannis escam & potum novimus; non enim dictum est, quod omnino non biberet, sed quod vinum & siceram non biberet: bibebat ergo aquam; cibus autem ejus non omnino nullus erat, sed locustæ & mel sylvestre. Unde ergo dictus est non manducans, neque bibens, nisi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ille non utebatur: hoc ergo Dominus nisi uteretur, non in ejus comparatione manducans bibensque diceretur. Contra Faustum l. XVI. c.* 30. Joannem τὸν συνθρωπὸν imitatus est Jacobus Justus, de quo scriptum reliquit Egesippus, eum & à vino, & à carnibus abstinuisse. Οἶνον καὶ σίκερα οὐκ ἔπιεν, οὐδὲ ἔμψυχον ἔφαγε. *Apud Eusebium H. E. lib. II. cap.* 23. De industria tricari videntur, qui mel, quod cibum Joanni præbuit, insuave & amarum fuisse affirmant. Pro qua sententia niti & stare voluit Isidorus Pelusiota *lib. I. ep.* 132. A quo non dissidet Euthymius, uterque forsan deceptus auctoritate veterum, *Diodori Siculi, lib. V.* τὸ μέλι τὸ γινόμενον ἐν αὐτῇ (νήσῳ) παντελῶς γίνεται πικρόν. *Dioscoridis lib. II. cap.* 10. Τὸ ἐν Σαρδωνίᾳ γινόμενον μέλι, πικρὸν διὰ τὴν τοῦ ἀψινθίου νομήν. Alter in Cyrno, sive Corsica, alter in Sardinia mel existere amarum scribit. De Corsica etiam confirmat Plinius, buxo amaritudinem juxta cum Diodoro vindicans, *H. N. lib. XVI. cap.* 16. A quo in reddenda amaritudinis causa dissentit Maro, & taxo eam vim acceptam fert, in *Ecloga IX.* Cicutæ Ovidius adscribit, *Am. lib. I. eleg.* 12. Sed nemo horum de Palæstina, ne per somnium quidem, cogitavit, inter cujus divitias mel dulce omnium consensu numeratur. Multa hujus rei testimonia in promptu sunt, quæ brevitatis causa prætermitto. Fuit demum mel agreste, μέλι ἄγριον, ab apibus sylvestribus confectum, ὑπὸ ἀγρίων μελισσῶν γεωργούμενον, ut loquitur *Theophylactus.* Dicuntur ἄγριαι μέλισσαι, τοῖς σίμβλοις μὴ ἐναποκλεισμέναι, quæ in arboribus, montibus, sylvis reperiuntur. Omnium ceteroquin apum natura est una & eadem, ut pronunciat *Theophilus paraphrastes:* Ἡ τῶν μελισσῶν φύσις ἐστὶν ἀγρία. Quam rem rationibus & exemplis illustrare supersedeo, nec mihi nunc sumo, ut evincam, locustas in cibo fuisse gratas, quod cum plerique non inani studio complexi sunt, tum nationum gentiumque exemplis confirmare possum. *Eo summatim vid. Plinius. H. N. lib. VI.* 30. *lib. VII.* 2. *XI.* 29. Inter recentiores *Bochartus Hierozoic. lib. IV. c.* 7.

* *Theophylactus suspicione erroris liberatur, in quo plerique olim versati sunt, qui putarunt, Joannem verum, & materiæ molisque expertem fuisse Angelum, prout ex Origene, & Cyrillo Alexandrino intelligi satis potest.*

M. BALTH. STOLBERGII
DISSERTATIO
De amictu & victu Johannis Baptistæ ad Matth. III: 4.

Σὺν θεῷ πάλαμα.



Uo in loco, quem ex Evangelista notavimus, produntur de Johanne Baptista: Unum de ejus *Amictu*, alterum de *Victu*. Utrobique gemina observanda veniunt. Ibi quidem *Indumentum & Cingulum*; hic vero *Locusta & Mel sylvestre.* De singulis peculiari sectione, ducente Deo, agemus.

SECTIO I.
DE
INDUMENTI MATERIA.

§. I.

NOn incommodum fore existimamus, si prius de *loco*, ubi degit *Baptista*, quædam monuerimus, quam de *Indumenti materia* agamus. Etenim non in Templo Hierosolymitano officium exequebatur, sed in deserto, ἐν τῇ ἐρήμῳ cap. 3. vs. 1. ἔρημος proprie est Adjectivum, ut desertus; sed substantive usurpatur, fœminino genere, subaudiendo γῆ sive χώρα, h. e. *Terra deserta, desertum.* Plene *ap. Luc. in Cauc.* ἐρήμη καὶ ἀπάνθρωπος γῆ, *& Xenoph. pæd. 3.* ἔρημος χώρα καὶ ἀργός.

§. 2. *Duplici notione* per S. Literas usurpari vocem Deserti observavit *Montacut. Tom. 1. Eccles. Orig. part. 2. pag. 358.* Vel enim *proprie sumitur, & in sua nativa significatione:* vel *sensu relativo & modificato*, h. e. non *simpliciter*, sed *secundum quid. Proprie* desertum est terra desolata, hominibus nec habitata, nec habitationi apta; sed prorsus infrugifera, arenis & sabulis referta, ariditate, siccitate, sterilitate infamis, ubi ferarum lustra, & dracones, serpentes, presteres &c. stabulantur; veluti prolixius describitur ab *Esai. c. 34: 12. seqq.* in quale forsan Christus subductus *Matt. 4: 1.* quando μετὰ θηρίων versabatur, teste *Marco cap. 1: 13. Secundum quid* desertum dicitur locus, qui respectu aliorum, & ad campestrem comparatus amœnitatem, saltuosus quidem & asper est, minusque cultus, aliquot tamen urbibus & pagis habitatus.

§. 3. In hac posteriori significatione Desertum Baptistæ incolatu & ἀναστροφῇ nobilitatum cum plerisque accipimus. *Conf. B. Chemnit. Harmon. Christoph. Pelarg. quæst. in Matth.* ad h. l. *Pareus ad* h. l. *alii.* Non igitur plane inhabitabilis terra intelligenda, sed aspera, saltuosa, quæ *Spanhemio & Montacutio* est ὀρεινή *Luc. cap. 1: 39.* in qua & urbs & domus Zachariæ, adeoque patria Johannis. Etenim in Judæa nullum proprie dictum desertum reperitur, sed hujus sex oppida *Jos. 15: vers. 51.* numerantur. Minus etiam credibile est, Johannem pœnitentiam prædicasse, & adhibuisse Baptismum in loco, ubi saltim feræ degebant, & rupes, caudices ac saxa eminebant. Neque est, quod dicatur eo confluxisse turbam hominum, quia, antequam ejus fiat mentio, jam legitur prædicasse Johannes in deserto.

§. 4. Improbatur nostra sententia à *Pontificiis*, *Baronio, Maldonato &c.* qui Eremum hanc *omnimodam solitudinem* fuisse contendunt. Scilicet ut *Monastici ordinis* principium ad Johannem referant, ejusque exemplo disciplinam suam tueantur. Sed frustra. Rectius facerent, si ab Essenorum Judæorum Ascetarum exemplo stultæ & hypocriticæ vitæ originem ducerent. *Nihil similius quam Judæus Essenus, & Monachus Christianus*, scribit *Boxhorn.* qui utrinque comparatione instituta assertioni fidem facit luculentam ex *Porphyrii de Abstinent. lib. 4. in Histor. Univers. pag. 78. seqq.* Nec abnuit ipse *Polydorus Vergilius*, qui, cum aliorum opiniones recensuisset de Elia & Johanne monastici instituti autoribus primis, hæc subjungit verba: *Ego vero, quando in re ambigua cuique liberum est conjectare, crediderim institutum monastica vitæ ab Essæis sive Essenis*, ita appellat Plinius, quorum secta apud Judæos admodum celebris habita est, *ad posteros manasse, quoniam illi fere per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex præscripto legis agere solent.* Quod deinceps prolixius probat de *Invent. rer. lib. 7. cap. 1. p. m. 556. seqq.* Sed nos hæc ad alios remittimus, quorum de his agere est.

§. 5. Ad rem ipsam porro accedimus, *vestimenti materiam* consideraturi, qua de Evangelista hæc refert: εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, *habebat vestimentum suum è pilis Cameli.* Τὸ ἔνδυμα est *vestimentum in genere, indumentum*, quicquid enim quocunque modo, quacunque parte ἐνδύεται induitur, voce ea exprimi & contineri potest. De materia ἐνδύματος primo controversiam esse notat *B. Franzius*, quia *Camelus* vel κάμηλος Græcum ambiguum vocabulum, modo significat *animal*, modo *funem nauticum*, qui fit ex lino crasso, *Histor. animal. part. 1. cap. 5. p. m. 60.* Aliqui enim existimarunt materiam vestis fuisse pilos Cameli: aliqui statuerunt tunicam Baptistæ fuisse contextam ex lino crasso, uti est nostra cannabis, quod ideo Monachi Johannæi imitari studuerunt.

§. 6. Verum enimvero, si textum Græcum accuratius inspiciamus, omne dubium statim solvitur. Aliud est κάμηλος per (η) scriptum, quomodo ἀχθοφόρον ζῶον seu *Camelum brutum quadrupes stridens notat*: aliud vero κάμιλος per jota, quo τὸ παχὺ σχοινίον autoribus *Suida & Scholiaste Aristophanis* significatur, ᾧ χρῶνται ναῦται πρὸς τὸ ῥίπτειν τὰς ἀγκύρας, ut *Theophylactus* loquitur ad *Matth. 19: vers. 24. rudens* seu *funis nauticus*, quo nautæ ad jaciendas anchoras utuntur. Imo si verum fateri velimus, & vox κάμιλος, & illius significatio ficta est, nec ulla scriptoris idonei autoritate confirmata reperitur, teste *Beza ad Matth. 19: vers. 24.* Qui locus ansam dedit huic opinioni, & novam vocis scriptionem ac significationem peperit; quod funis cum acu plus analogiæ haberet, quam camelus. Ideo & alii, cum putarent absurde dictum de Camelo

lo transeunte per foramen acus, finxerunt Hierosolymis portam quandam fuisse, cui nomen *Acus*, adeo humili structura, ut per eam Camelus ingredi non posset, nisi exoneratus, ut observavit *Erasm. schol. ad Epist. Hieron. ad Salvin.* & ex eo *Martinius in Lexic.* qui putat & *Suidam* ac *Scholiasten Aristoph.* accepisse illam significationem καμίλυ ab interpretibus, qui locum Evangelii sic exponebant.

§. 7. Rejicimus hic *Pictorum morem*, qui Johannem camelinæ cuti involutum, ceu Satyrum quendam exprimere consueverunt. Nam quod *pilis cameli*, non *pelle* constiterit Baptistæ vestimentum, Evangelistæ diserte tradunt. Metaphrastes *Syrus* singularem καμήλυ *Marc.* 1: *vers.* 6. mutavit in pluralem: *Ipse autem Johannes indutus erat vestimento pili Camelorum.* Secutus eundem *Beza* est; sed à *Ludovico de Dieu* improbatur, ut minus prudenter factum. *Neque enim hic*, ait, *pili multorum Camelorum intelliguntur, qui ab eorum velleribus avulsi, deinde rursum contexti fuerint. Sed unius Cameli pilosa pellis intelligitur, quam corpori suo circumjecit, & pelliceo cingulo firmavit.* Verum nihil facit singularis ad probandam pellem, cum & Enallage numeri frequens sit, & τρίχες καμήλυ idem dici possint ac τρίχες καμήλειαι pili camelini, pura & usitata loquendi ratione.

§. 8. Ex verbis Christi *Matth.* 11. colligi potest, quæ vestis Johanni fuerit, *aliena à mollitie, deliciis & splendore aulico.* Non sordida, sed simplex tantum, vilis, rudis & accommoda loco, ubi docebat, εὔπορος quoque, ἐν τῇ ὀρεινῇ, ubi Camelorum multitudo. Non tamen dixerim eodem plane modo contextam fuisse vestem Baptistæ, quo *andulatæ* hodie, quæ Schamlot nostris vel Kamelot appellantur, uti *Schindlero* in *Lexic. Chytræo* ad h. l. aliisque visum est. De panno isto ita *Cornel. Kilian.* in *Etymol. Teuton. Ling.* Kamelot/ *Vestis undulata, cymatilis, capripilia. Vulgo* Camelotum, Chiambelotum, Cambellotum, Zambellot, *voce* Gallis, Italis, Hispanis *aliisque communis, quod scilicet è Camelorum, præcipue Caspiorum, ut scribit* Ælianus, *& caprarum villis & pilis contexatur.*

SECTIO II.

DE

CINGULO.

§. 1.

CIngulum tam *muliebre* quam *virile* gestamen apud Ebræos erat, quo intra pectus lumbos præcingerent, & vires ejusdem unirent ac confirmarent. Pro *ornamento* quoque corporis habebatur, quod bene cinctum pulcrius & speciosius apparet. Hinc apud *Homerum* ἔυζωνος mulierum epitheton est, quod εὐκόσμητος interpretatur *Eustath. ad* ἰλ. α. & 1. Et Judaica gens ad luxum maxime abutebatur *baltheis*; quam ob rem gravissime apud *Prophetas* reprehensa legitur. Johannes relicta aliis *aurearum, byssinarum, linearum* Zonarum pompa, aptavit sibi ζώνην δερματίνην s. *coriaceam*, ut lumbos cingeret, quod & consuetudo gentis, & togarum fluxarum ratio exigebat. Vilis & parabilis cinctus erat, geminus illi, quo Elias olim usus, qui אזור עור אזור במתניו *cingulo pelliceo accinctus fuisse lumbos suos* dicitur 2 Reg. 1: 8.

§. 2. Variarum rerum *symbola* atque *argumenta* habebant *Zonæ, præparationis, promptitudinis, strenuitatis & fortitudinis.* Ita *militum* erat περιζώννυσθαι τὰς ὀσφύας & *accingi* sæpe pro *armari* reperitur. Apud *Homerum* ζώνη notat ὅλην πολεμικὴν ὅπλησιν universam armaturam bellicam ἰλιαδ. β. vers. 479. exponente *Eustathio. Idem* ad ἰλ. ι. notavit, vocem ἔυζωνον à *Poëtis* post *Homerum* ceu proprium epitheton tribui viatoribus, qui bene expediti, præter leve indumentum sola constringebantur Zona. Eosdem & μονοζώνους ac διοζώνους appellatos fuisse refert. *Israelitas* cum ad fugam se pararent *lumbis præcinctos* ac recalceatos & cum baculis Paschale convivium celebrasse ex *cap.* 12: 11. *Exod.* cognoscimus. Etiam qui *ministrabant*, cingi consueverunt. Hinc *alte cinctos atrienses* dixit *Phædrus. Homer.* ὀδ. ξ. ὣς εἰπὼν, ζωστῆρι θοῶς συνέεργε χιτῶνα, quod *Eustath.* σπουδῆς δηλωτικὸν diligentiæ argumentum dicit. *Servius ad Æneid.* VIII. Præcinctos strenuos dicimus. Contra laxius *cinctus* aut *discinctus* pro *molli, delicato, effœminato* atque *ignavo* habebatur. Ovid. l. 1. Amor. eleg. 9. *Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus.* Conf. Taubman. ad Plaut. Bacchid. act. 3. sc. 3.

§. 3. Denique *pudoris* ac *Virginitatis signum* erat Zona, apud *Latinos, Græcos & Ebræos.* Vetustis enim temporibus puellæ, quandiu virgines erant, *fasciam virginalem* gestabant, quam vir prima nocte in Deæ Virginalis honorem, & ominis gratia sponsæ accubans solvebat, ut & ipse felix esset in liberis suscipiendis. Spectat huc *Homeri* versus *odyss.* λ. λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, solvit autem virginalem Zonam. Et *Catulli*: Quod Zonam solvit diu ligatam. *Scaliger*, Zonam solvere Latinis dicitur, quæ traditur viro: Græcis quæ primum parit. Plura vide ap. *Fessel. l. c. & lib.* 2. *cap.* 24. *pag.* 164. Veteres *viatores, milites, alii*, aureos & argenteos nummos in Zonis ferebant, quod apparet è *Matth.* 10: *vers.* 9. *Marc.* 6: *vers.* 8. *C. Grachus* ap. Gellium: *Zonas quas plenas argento extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Eundem vocis usum apud *Horatium, Juris Autores, Suetonium, Spartianum, Limbridium* alii annotarunt. Vid. *Dilherr. Tom.* 1. *disp. philol. pag.* 200.

§. 4. Ceterum communissima Scripturæ phrasis est, accingi *circa vel supra lumbos*, ut frustra quidam, *Tostato* teste, opinati fuerint, Johannem Zonam illam habuisse circa carnem nullo intermedio, quia dicit Evangelista circa lumbos. Cui sententiæ *Abulensis* quoque accedit apud *Montacutium l. cit.* quando ait; *Magis videtur convenire literæ, quod esset juxta carnem quam super vestes.*

SECTIO III.

DE

LOCUSTIS.

§. 1.

CUm vocabulum hoc ambiguum sit & πολύσημα, necesse est, ut de diversa ejus significatione primum agamus. Legitur de *Locusta* apud *Ecclesiast.* cap. 12: 6. in allegorica senectutis descriptione: *Florebit amygdalus, & impinguabitur locusta.* In Ebræo est החגב. Rationum allegorias exponunt *Glass. Philol.* sac. lib. 5. pag. 488. & *Philipp.* qui videri possunt ap. *Dn. D. Geier. in comment. ad h. l.* Deinde *Spirituales Locustæ* è fumo prodeuntes in *Apocalypsi Johann.* cap. 9. describuntur, quarum rex est *Abaddon* s. ἀπολλύων vers. 3: 7. & 11. Sunt & in *avena*, quæ *Græce* ἀκρίδες, *Plinio* Locustæ dicuntur *l.* 22. *Histor. Nat. c.* 25. prout illum locum *Hermolaus* restituit, cum antea *Lobas* pro *Locustas* legeretur. De ἀκριδίοις ita *Dioscorid. lib.* 2. *cap.* 87. Avena genicula quædam habet; folio & stipula triticum imitatur, & in cacuminibus dependentes parvulas veluti locustas [ὥσπερ ἀκρίδια δίκωλα] gerit, in quibus semen continetur.

§. 2. Præterea *Locusta* nomen proprium est perditissimæ veneficæ, quæ è *Galliis* ad *Neronem Imperatorem* accersita, habitaque charissima, ipsum veneficia edocuit. Meminere ejus *Tacitus Annal. lib.* 12. *cap.* 66. *lib.* 13. *cap.* 15. *Sueton. in Neron. cap.* 33. Cum objurgaretur, quod *Britannico* lentum nimis venenum parasset, tantæ violentiæ aliud coxit, ut cœnans cum Nerone ad primum gustum, & inter bibendum Britannicus conciderit & exspirarit. Aliæ vicissim *Locustæ* traduntur *Aquatiles*, aliæ *Terrestres*. Illæ sunt *cancri marini*, Meer Krebse/ magni adeo & validi, ut hominem chelis suis comprehensum submergere queant, teste *B. Franzio Histor. anim. tr.* 3. *cap.* 7. *p. m.* 688. Agit de his *Plin. lib.* 32. *cap.* 11. & *lib.* 9. *cap.* 36. Ad quem locum *Massarius*: Locusta marina est è crustatorum genere maxima, quæ κάραβος Græce dicitur, astaco similis, pedibus utroque ex latere quinis, ultimis annumeratis, qui in forcipem exeunt denticulatum; cujus pars anterior, quam caput appellant, tota spinulis horret &c.

§. 3. Atque sic hunc locum interpretatur de cancris *Stigelius in Hypomnem.* quam sententiam quoque sequitur

Philip-

Philippus-Franciscus de Fogerolles Consiliar. & Medicus in Gallia Regius in praefat. super dissert. Porphyr. περὶ ἀποχῆς, ubi recitaverat duas sententias de plantis & Locustis insecto, *Ego*, subjicit, *in abstrusam prioribus seculis interpretationem me confero, quae duabus praecedentibus rationum robore non paucis anteponenda videtur.* Mox cum de austeritate vitae Johannis, quod pane & vino abstinuerit, quaedam inseruisset: *Credibile est*, ait, *in locum vini saluberrimas Jordanis aquas, in locum panis cancrorum fluviatilium parenchymata suffecisse. Proinde ἀκρὶς locustam significat: locusta autem species est cancri, sicut καρὶς, & per metathesin ἀκρὶς.* Ubi vero sunt ista rationum pondera? ne unicam quidem affert. Ait, *credibile est.* Sed nobis secus videtur, cum tales cancri non reperiantur in ripa *Jordanis*; sed in *mari*. Cumque cancrorum usus in lege ceremoniali prohibitus esset, verisimile haud est, ut *Franz.* scribit *l. c. p.* 816. Johannem eos comedisse, qui legis illius adhuc studiosus erat. Deinde vero minime pro ἀκρίδες καρίδες licet reponere. Adde, quod ἀκρίδες apud probatos Autores nunquam significent cancros.

§. 4. Caeterum quod *Locustae* apud *Latinos* inter μαλακόστρακα recenseantur, manifestum est, & jam ex supra dictis constare potest: at eam ambiguitatem *Graeca* vox ἀκρὶς nunquam admisit. Nisi quis huc trahere vellet, quae *Aristoteles lib.* 9. *Histor. animal.* prodit, πολλοὶ ἤ καὶ τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν &c. *Multi quoque Locustam viderunt, quando cum serpentibus pugnat, apprehendere colla serpentum.* Verum *Plinius* eadem de *Locusta Insecto* recitat lib. XI. c. 29.

§. 5. Asserimus igitur ἀκρίδας, quibus *praecursor Christi* vescebatur, fuisse *locustas*, *Insectum*, describente Hadr. Jun. in Nomenclat. *infirmis pennis alatum, ac proinde altius non evolans, sic dictum ab uredine locorum, quae attingit.* Graece ἀκρὶς, παρὰ τὰς ἄκρας τ̃ ἀσταχύων καὶ τ̃ φυτῶν νομεύεσθαι, *quod summitates herbarum & frugum ambedat & perdat.* Animal noxium est & frugibus infestissimum. *Deorum iras* Plin. nominat l. c. *Immensas tractus permeant, diraque messes contegunt urbe, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, & fores quoque tectorum.* Quantopere *Italia*, *Lemnus*, *Cyrenaica regio*, *Syria* à Locustis infestatae fuerint, ibidem prolixius memorat idem *Plinius*. De *calamitate*, quam Ann. Ch. 1542. *Germaniae*, *Italiae*, *Poloniae* intulerint *Locustae*, consulatur *Matthiol.* ad Dioscor. lib. 2. cap. 46. Plura habentur ap. *B. Franz. tr.* 4. *cap.* 10. *p.* 810. *Clenard. Epist. festiv.* apud Heins. in exercit. ad loc. Matthaei praesent. *adduct.* Germanis *Locustae & Cicadae* sunt **Hewschrecken**. **Hew** est resectum gramen, foenum. **Schricken** subsilire, quod in foeno saltitent. Unde in *Saxonia* alicubi **Springperdeken** vocantur, teste *Martinio in Lex.*

§. 6. Quod vero *edules* fuerint aliquae *locustae* non solum in Judaea, & aliis regionibus Orientis; sed & in Graecia atque opposita Asia, probarunt jamdudum eruditi viri multis Veterum scriptorum testimoniis. Adeo ut *Casaubonus* affirmet, non magis licere de eo dubitare, quam de quavis alia re certissime nota, in *Exerc. XIII.* Neque negat *Fogerolles*, imo inficiantes *Naturalis Historiae pariter & sacrae parum cautos pronunciat.* Iisdem vesci solitos fuisse *Afros*, qui *Leptin* incolunt, autor est *Dioscor. lib.* 2. *cap.* 46. Idem de *Parthis* tradit *Plin.* lib. XI. cap. 29. de *Indis* lib. VII. cap. 2. Quin & *Cicadas* locustis affine animalculum in cibum receptas, testantur *Aelian. Hist. An. lib.* 12. *cap.* 6. *Athen.* δειπν. *lib.* 4. *Plin. lib. XI. cap.* 26. Sed & *Casaubonus* cit. l. observat, apud Graecos Poëtas *Aristophanem & Nicophonem* antiquissimum non ἀκρίδας modo inter viles pullatae plebeculae cibos poni, verum etiam στέρφος, *vilissimum insecti genus*, & ut volunt Grammatici, *formicis* affine. Idem asserunt *Patres*, *Clem. Alexandrinus*, *Origenes*, *Hieronymus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Theophylactus*, qui vid. ap. *Montacut.* l. c. p. 381, 382.

§. 7. Caeterum & peculiaris *natio Aethiopum Struthophagis* contermina, quae tantum locustis vivit, à *Plinio* commemoratur lib. VII. cap. 30. & *Strabone* lib. XVI. qui modum quoque conficiendi ibid. prodit. Eadem *Diodor. Sicul.* narrat lib. 3. qui populos istos ἀκριδοφάγους appellat, sicuti & *Agatharchides*, qui ἀκρίδα diserte ζῶον s. animal vocat. Neque dici potest, quod cibus iste immundus fuerit, & gentilibus proprius: quia clare *Levit.* cap. 11:22. in escam conceduntur *locustae*, *bruchi &c.* A Rabb. 8. numerantur Locustarum species, quae mundae sunt 1. Chagab. 2. Rabbanit. 3. Chargol. 4. Uzercaja. 5. Arbeh, vulgo Locusta. 6. Avis vinearum. 7. Solham. 8. Juhanna Jerosolymitana. Vid. Hottinger. de Jur. Ebr. leg. 151. p. 207. Tandem ut Veterum autoritates omittamus, nostris quoque temporibus locustas in cibum usurpari ab iis, qui Arabiae & Africae solitudines incolunt, testis est *Barrius Lusitanus* ap. Pelargum *quaest. in Matth. cap.* 3. *p.* 44. Quod à *Clenardo*, quem supra laudavimus, pariter confirmatur. *Bellum*, ait, *strenue cum iis gerunt rustici; & plaustra plena locustis advehunt* Fesam. *Nam hos hostes hic vulgo comedunt.* Nolumus autem judicium hic fieri è nostris locustis, animalculis noxiis & venenosis. *Multa locustarum genera* sunt, diversa quantitate & structura praedita. P. *Kirsten. in Not. ad Arab. Euangel. Matth.* affirmat, se ex Praeceptoris sui Arabici ore audivisse, quod saepe circa Jordanem locustas comederit, quae mediocris magnitudinis instar avium nostrarum montanarum essent, quas sylvestres vocamus. Majores autem in Indiis reperiri. Apud *Africanos*, *Syros*, *Persas* in cibum recipi illas, quae carent alis, & *Asiraci atque Onisci* à Dioscoride, à Plinio *Attelabi* nominantur, meminit *Scaliger Exercit.* 192.

§. 8. *Perottus* indignum existimat tanto viro, quo non surrexit major, vesci locustis. Quare cum ἄκρεες notent vertices montium, ἀκρίδας interpretatur *summitates herbarum vel olerum*, quibus melle confectis Johannes usus sit in cibo. Est haec *Isidori Pelusiotae* sententia, *lib.* 1. *Epistol.* 132. viri alioquin, *Casaubono* judice, docti, & proxima Palaestinae incolentis, ut proinde mirum sit, ipsum in diversa hic abiisse. *Illae ἀκρίδες*, ait, *quibus vescebatur Johannes, non sunt animalia scarabaeis similia, ut imperite quidam existimant, absit:* ἀλλ᾽ ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτανῶν, *summitates herbarum vel plantarum.* At in Epist. V. ejusdem libri ubi eadem habentur verba, pro φυτανῶν legitur φύλλων foliorum. *Paulinus* de Baptista sic canit:

> *Praebebant facilem victum sylvestria mella,*
> *Pomaque, & incultis enatae cautibus herbae.*

§. 9. Sed Johannes austeritate vitae, commendandaque omnibus poenitentia quam maxime insignis, durum quoque & ingratum durae & rigidae convenientem vitae cibum sectabatur. Vesci locustis adeo inaudita & execrabilis res haud erat. Neque in eo austeritas ponenda, quod locustas esitaret: sed potius, quod *nulli in Judaea eo modo viverent, saltim illo non alio cibo uterentur*, uti *Montacut.* habet. Quod ipsam Euangelistae vocem attinet, in ista significatione non reperitur, nisi quod apud *Dioscorid.* supra notavimus, quaedam in avena esse quae ἀκρίδια appellantur. Diversissimae res Graecis sunt ἀκρίδες, ἄκρεες, ἀκρέμονες vel ἀκρόδρυα, neque haec in illius locum licet substituere. Olim inter alimenta eorum, qui rigidissimi jejuniorum observatores erant, ἀκρόδρυα habebantur. Ultimum circa jejunia gradum *Epiphan.* lib. 3. facit eorum, qui etiam ἀπὸ ἀκροδρύων καὶ ἐψημάτων *à jusculis olerum & fructibus* abstinebant. Hinc deceptum fuisse *Isidorum* autumat *Casaubonus*, ut confunderet ἀκρίδες & ἀκρόδρυα, contra omnium Graecorum autoritatem. Sed & *Baronius* hic fallitur, qui *Isidori* recitata opinione, subjicit: *Constat Graecam dictionem ἀκρίδες & Locustam insecti genus, infirmas habens alas ad volandum, & summitates herbarum significare.*

§. 10. *Borchardus* in sua terrae sanctae descriptione ait, se reperisse in Monasteriis Palaestinae juxta Jordanem victum Monachis ministratum de quibusdam herbis, quas vulgo Locustas illi appellabant: addidisse autem monachos, hisce cibis Baptistam olim victitasse. Somnium hoc est ignavorum & rudium monachorum, qui de cibis suis ipsi viderint; at quod Johannis illiusmodi fuerit, absque dubio falsi sunt.

§. 11. Alii hunc locum de *piris vel malis sylvestribus* exponunt, & pro ἀκρίδες legunt ἀχράδες. Sententiam hanc *Cujacii* JCTI fuisse refert *Dn. D. Friedlieb. in observat. ad h. l.* Ἀχρὰς est *pirus sylvestris* apud *Dioscorid.* Ipsum postea *fructum* arboris significat ap. *Aristot. Histor. Ann.* lib. 8. c. 6. qui ἀχράσι sues saginari prodidit. At corruptionem hanc *Codd.* non admittunt, qui omnes summo consensu legunt ἀκρίδες.

§. 12. *Ebionitae* in suo Euangelio reponebant ἐγκρὶς. Locum de Johanne adducit *Epiphanius*, & ex ipso *Heinsius*: καὶ τὸ βρῶμα αὐτῷ μέλι ἄγριον, ὃ ἡ γεῦσις ἦν ὃ μάννα, ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ, h. e. *Et cibus ejus erat mel agreste, cujus sapor similis Mannae, tanquam ἐγκρὶς in oleo.* Sed quid ἐγκρὶς? *Martin. in Lexic. Libum quod in oleo coquitur, & melle addito fit dulce; simila mellita, laganum frixum cum oleo & melle. Hesychio* est γλυκὺς ἐξ ἐλαίου ὑδαρές. Hanc corruptam lectionem emendare, sed infeliciter conatus est *Heinsius* ex *Suida* h. m. ἐγκρὶς, γλύκασμα ἐξ ἐλαίου ὑδαρές.

Nondum

Nondum patet, quomodo ex aqua & oleo hujusmodi πεμμάτιον coqui queat. Igitur ἐν ἐλαίῳ rescribendum erat pro ἐξ ἐλαίας, quod nos *Athenæus* docet, lib. 14. ἐγκρίδες, πεμμάτιον ἑψόμενον ἐν ἐλαίῳ, καὶ μετὰ τοῦτο μελιτούμενον. *Heinsium* vero à suis *Hellenistis*, quos hic confert, & ab iis Ebionitarum lectionem desumptam conjicit, deceptum fuisse autumat *Crojus Observat. in N. F.* cap. 35. pag. 272. Nam ipsi huic sententiæ favere videntur, quando *Num.* 11: *vers.* 8. scribunt, καὶ ἦν ἡ ἡδονὴ αὐτοῦ, ὡς γεῦμα ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου, *& illius dulcedo erat, tanquam gustus lagani ex oleo.* Rectius tamen iidem Exod. 16: vers. 31. ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι. Ὑδαρὲς igitur bellarium istud dicitur, non quod aqua subigeretur, cum panes aqua subigantur, neque tamen ὑδαρεῖς dici possunt: *sed quod paulo esset liquidius cæteris bellariis*, apud *Crojum* loc. cit. De hac Ebionitarum mutatione quid statuendum verbis *Epiphanii* dicemus: ἵνα δῆθεν μεταστρέψωσι τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς ψεῦδος, scilicet ut converterent in mendacium veritatis sermonem, pro ἀκρίδες reposuere ἐγκρίδες.

SECTIO IV.

De Melle sylvestri.

§. 1. Sicut ἡ ἔρημος, in qua Johannes degebat, ipsi *Locustas*, præbuit, sic & *mel* dedit, & quidem ἄγριον Syr. דבשא דברא *mel deserti.* In diversas & hic abeunt Autores sententias. *Beda Mel*, ait, *sylvestre folia sunt mira dulcedinis; quod doctrina Johannis miram suavitatem ostendit.* Atque in l. de loc. sanctis: *In deserto sunt arbores folia lata habentes & rotunda lactei coloris & melliti saporis, quæ natura fragilia confricantur & eduntur. Hocque esse mel sylvestre dicitur.* Sequitur hunc *Rabban.* Alii humorem ex cannis sacchariferis apud *Aquinat.* in *Caten.* intelligunt. Sed hujus rei nulla testimonia & rationes afferri possunt.

§. 2. *Suidas* putat fuisse *rorem cœlestem*, quem *Manna* dicunt. At diversissima sunt ἄγριον μέλι & *Manna*, sive illud intelligatur, quo Israëlitæ olim per 40. annos nutriti; sive quod hodie in officinis ob similitudinem ita vocari meruit. In priorem sententiam propendere videtur *Fogerolles* l. c. ut non minus Baptistæ Deus in penuria deserti opitulatus fuerit, ac olim Mosi. Sed frustra miracula finguntur. In Palæstina summa abundantia & mellis copia fuit, adeo ut de arboribus in terram deflueret 1 *Sam.* 14: *vers.* 27. Hinc plerique locum hunc interpretantur de *melle in sylvis ab arboribus in terram destillante.* Notum quoque est, quod sæpe in scriptura repetitur de terra fluente melle & lacte: in qua vel *è cavernis ac fissuris rupium* emanabant mella *Psal.* 81: *vers.* 17. Nihil eo hodieque communius in vastissimis Sarmatiæ Regionibus, *Polonia, Lituania, Moscovia,* aliis.

§. 3. Quod hodie in officinis *Manna* vocatur, Ros Syriacus est, & in *Libano* monte colligitur, *Martio* saltim & *Aprili*; non saturat, nec gignit bonum sanguinem; sed medicamentis miscetur. *Martin. in Lex. Keckerm.* tres mannæ species recenset, *Syriacam, Germanicam & Calabricam*; simile quid in Polonia quoque colligi observat *syst. phys. l.* 6. *c.* 10. Est & aliud *rusticorum manna*, sed vitium potius roris, Mehldaw/ noxium frugibus.

§. 4. Cum igitur perspicua sint verba textus, opus haud est, ut longe ipsorum arcessamus intellectum. *Proprie* accipimus *mel*, quod ἄγριον dicitur Evangelistæ, tum quia *repertum* ἐν ἀγρῷ, tum quia γεωργούμενον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων, ut habet *Theophylactus*, contradistinctum illi, quod apes cultæ dabant, & ars & cura ex parte. Spontaneus erat hic cibus, obvius, inemptus æque ac locustæ; natus, non paratus, frequens ἐν τῇ ὀρεινῇ. *Montacutius* arbitratur mel illud ἄγριον etiam posse vocari ob *qualitatem*, *quod ab omni voluptate & dulcedine abhorrens, injucundum fuerit amaritudine.* Quæ *Isidori* sententia quoque est, fuisse illud ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον πικρότατον καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον, acerbissimum & omni gustui inimicum. Aliis tamen minus probatur, & ipse *Montacut.* deinde rejicit.

§. 5. Equidem *mel amarum* reperiri testatur *Diodor. Sic. Strabo*, circa Phasin Colchidis flumen πικρίζειν τὸ πλέον scribit. Non vero causa ea est, *quod in agro reperiatur, vel ab apibus sylvestribus stipetur & colligatur.* Hæ enim, quæ & *Rustica*, opere atque labore eximiæ ac præstantes à *Plin.* perhibentur *lib.* 11. *cap.* 18. Mellis differentia non est petenda ex apibus (quanquam & hæ distinguantur) *sed ex pabulo.* Nam quod in *Sardonia* mel amarum reperitur, fit διὰ τὴν ἀψινθίου νομὴν *propter absinthium*, ut habet Dioscor. lib. 2. cap. 102. Hic nolo omittere, quæ *Plin. loc. alleg. cap.* 16. narrat: *Tertium genus mellis minime probatum*, sylvestre, *quod* Ericæum *vocant. Convehitur post primos autumni imbres, cum erice sola floret in sylvis, ob id arenoso simile. Humilis en. erica flos arena, quam imber cadens excitat, conspergitur.*

TANTUM.



M. JOH. ADAM KÖNIG
DISSERTATIO
De ritu portandi calceos, ad Matth. III: 11.

בש״ש:

PRÆFAMEN.



Uffragante veritate dixit Daphnis apud Theocritum Idyll. VI. v. 19.

Πολλάκις, ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Nihil enim tam turpe, tamque deforme est, quod amatorem non reperiat; nullum tam nefarium, tamque fœdum scelus est, sectatore suo quod careat. Contra vero nihil tam pulchrum & præclarum esse videmus, quod osorem & arrosorem non habeat. Exemplo nobis esse potest studium Philologicum præ cæteris nobilissimum, jucundissimum, utilissimum. Hoc certe non pauci, etiam eorum, qui ad Sacram Theologiam animos appulere suos, ut cognitu scituque minus necessarium, neque utile repudiant, damnant. At aliquando summo cum damno stultitiam suam deplorabunt, ingeminabuntque infelicem illam cantilenam:

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

Quomodo enim Concionator Textum authenticum consulere, eumque rite recteque intelligere potest, nisi Linguarum, aliarumque Scientiarum peritia polleat? *Altero quasi oculo*, dicit Vir haud incelebris, *caret Doctus, in Philologia peregrinus & hospes, altero pedum abscisso choreas agit, qui Linguarum ignarus ad altissima Sapientum templa contendit.* Quare neglectis aliorum judiciis Philologiæ operam navandam esse putamus. Multi quidem hoc nostro seculo studia, in acumine quæ versantur, per se tantum non irrita & inutilia, cordatisque displicentia, tractant callide, nobis tamen palato est Philologia, variæ & elegantis, & festivæ eruditionis Magistra. Quapropter etiam exercitii gratia Thema Philologicum ex Matthæi cap. 3: vers. 11. de Ritu portandi calceos elaborare voluimus. Quod ut nobis prospere, fauste feliciterque eveniat, seriis Deum imploramus precibus. Sit itaque bono cum Deo.

SECTIO I.

§. I.

ANte vero quam ad rem ipsam, ad ritum scilicet jam dictum nos convertimus, operæ pretium nobis videtur primum verba Johannis Baptistæ, aliquid ponderis in se quæ habent, una cum versionibus examinare. Cum enim in quavis re necessarium sit, ut verborum rationem ante omnia investigemus, ne iis ignoratis res ipsæ ignorentur, & sæpenumero, judicante Magistro subtilitatis Exerc. I. sect. 1. provehimur ex iis in rei perceptionem. Occasio autem verborum hæc est: Johannes Baptista de se suoque officio loquens, demisse, uti jus, uti fas est, sentit dicitque, se prorsus indignum esse, qui cum Messia comparari possit, imo indignum esse, qui Messiæ, tanto Domino, calceos exuat, exutosque portando asservet i. e. (ut postea audituri sumus) qui in omnium minima & sordidissima re vilissimus ejus servus sit. Matthæus Evangelista verba ejus ita expressit:

ὃ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι.

Quæ Syrus ita vertit:

ܗܘ ܕܠܐ ܫܘܐ ܐܢܐ ܡܣܐܢܘܗܝ
ܠܡܫܩܠ.

Beza:

Quo non sum dignus, qui soleas portem.

B. Lutherus:

Dem ich auch nicht gnugsam bin seine Schue zutragen.

§. 2. In Græco vero Textu primo sese offert vocabulum Ἱκανὸς, id quod natales debet verbo ἱκάνω, Teste Eustathio ad Homer. ἰλ. α. ἱκάνω idem ac ἵκω, ex quo formatum esse idem docet doctissimus Interpres loc. cit. Qui porro ad ἰλ. γ. ejus derivationis exponit rationem. Ἱκανὸς γὰρ, ὁ ἐπὶ πᾶν ἀπαραποδίστως ἱκάνων, qui ad omnia sine impedimentis venit. Vel uti Hieronymus Wolffius ad vitam Isocratis, *quod pertineat ad destinatum finem.* Ad significationes autem hujus vocis quod attinet, observandum est, varias id tam apud sacros; quam apud profanos Autores admittere, (α) enim significat ἄξιος ut Joh. 1:27. Matth. 8:8. Marc. 1:7. Luc. 3: vers. 16. 1 Cor. 15:9. (β) Idoneus, sufficiens denotat, quia digni habentur illi, qui sunt rei agendæ sufficientes: Ideo enim sufficiens, idoneus, par, tüchtig/ exponitur 2 Cor. 2:16. πρὸς ταῦτα τίς ἱκανὸς, *quia adhac idoneus?* B. Lutherus reddidit: Wer ist hierzu tüchtig? Et in hac notione quoque reperitur 2 Cor. 3:5. 2 Tim. 2:2. Sic usus est Xenophon, dicit enim, ἱκανὸς διδάσκειν, satis instructus ad docendum. Et Hell. 5. idem Autor: ἱκανὸς, inquit, ἦν τοὺς βουλομένους κωλύειν εἰρήνην ποιεῖσθαι, ἱκανὸς ἦ οἷς ἠπίστω εἴρξας φυλάττειν, & Isocrates: ἱκανὸς κριτὴς, idoneus Judex. (γ) quoniam ad sufficientiam requiritur copia, significat multus, admodum multus, satis multus ut Marc. 10:46. Luc. 7:11. 8:32. 23:9. Act. 5:37. 9:23. &c. Sic legitur etiam apud Plutarchum in Lycurgo ἱκανοὶ τοὺς κακοὺς ἀπερύκειν *satis multi ad arcendos malos.* Contingit vero quandoque, quod obiter noto, ut subjectæ materiæ ratione τὸ multus, vel ad modum multus non possit retineri, hinc aliud Adjectivum materiæ conveniens aptumque in ejus locum substituendum, e. g. Actor. 22: 6. ἐγένετο ἐκ τοῦ οὐρανοῦ περιαστράψαι φῶς ἱκανὸν περὶ ἐμὲ, Lux magna, lux valde clara, & hoc observari debet in aliis quoque locis, ut Matth. 4:16. Luc. 8: 27. & alibi passim. Simili modo exponendum est apud profanos Autores, ut apud Thucyd. ἱκανὴ ὁδὸς, longa via, & apud Antiphontem Atheniensium Oratorem: ἱκανὸν μέρος, *magna portio*; De quibus passim Lexiographi. (δ) Nonnunquam adverbialiter ponitur pro diu, vel jamdiu, ut Actor. 14:3. 20:11. 27:9. & apud jam laudatum Antiphontem ἐξ ἱκανοῦ χρόνου, jam è *multo tempore, longo, jamdiu.* Hic vero loci significat ἄξιος confer Hugonem Grotium in h. l. & Matthiæ Poli Synopsin Criticorum Volum. IV. Col. 78. ut & Walæum in comment. Lib. Hist. N. T. ad h. l. Erasmus quidem, Lucas Brugensis, Versio Tigurina & Ariæ Montani, Syriaca, exponunt, idoneus, sufficiens, ad minus recte faciunt; siquidem sermo redditur valde ambiguus, cum autem ambiguitas in omni re studiose dili-

diligenterque vitanda sit atque fugienda, maluimus explicare dignius. Non enim agitur hic de viribus portandi calceos, quæ Johannes & quivis alius facillimo negotio portare potuisset, atque ita satis idoneus fuisset, sed de dignitate personæ Johannis respectu personæ Messiæ, ut optime observat Beza. Hinc elegantissime, uti solet, vertit B. Lutherus: **Dem ich nicht gnugsam bin /** non quoad vires corporis, **es hätte ja** Johannes **noch können ein paar Schue tragen /** sed quoad dignitatem, **Er hat sich zu weinig / und also nicht gnugsam geachtet.** Confer B. Schmidium in notis N. T. ad h. l. p. 57.

§. 3. Post sequitur vocabulum ὑποδήματα, quod descendit à perfecto Passivo verbi ὑποδέω *subligo*, hoc vero ab ὑπὸ & δέω *ligo, vincio*. τὸ ὑπόδημα vero significat (α) omne id, quod ὑποδεῖται, seu subligatur cuicunque rei. (β) In specie denotat id, quod pedibus, ne inter eundum lædantur, subligatur. Cujusmodi fuere soleæ Veterum, quibus plantæ pedum obtegebantur, de quibus in sequentibus percipiemus, & hujus generis soleis in quibusdam Poloniæ & Hungariæ partibus homines rustici, & quibus res angusta domi, uti solent, hodieque apud nos pauperum sanguine, ut sic loquar, natos talibus incedere soleis videmus. Quod vero Johannes Baptista ejusmodi soleas intelligat, infra probabiliter asseremus. Nonnulli Philologorum, ut Erasmus, Flacius Illyricus, Tremellius, Pontanus, Castellio, Syrus & Budæus apud Basilium in Epist. ad Gregor. Nazianz. reddunt ὑποδήματα, *calceamenta*, Versio Arabica, *corrigias calceamentorum.* Homerus Poëtarum Princeps, πέδιλα appellat Odyss. α. 96. παρὰ τὸ ἐν δέδῳ ἰλεῖν, quod in plano terræ eant aut versentur. Plane sicut Latini soleæ, quod in solo eant. Et nos hodie cum illis utimur talibus ὑποδήμασι, (liceat nunc ita nominare) quæ à calcis prominentia simul retinaculum quasi habent: indeque Latinis calcei, verius à calcibus, quam à calcando vocantur, eoque à sandaliis differunt, quod sandalia (**Pantoffeln** παντωφελῆ, ad omnes casus commoda, **die man nicht lange mit Mühe darff anzwingen /** quod sæpe fit in calceis, **sondern** pro necessitate **bald hinein fahren kan**) à calce non sustineantur: calcei autem ab ea retineantur. Hodie tamen tam calcei proprie dicti, quam sandalia ὑποδημάτων nomine καταχρηστικῶς & ἀναλογικῶς, ut fit in multis aliis, indigitari possunt, licet non amplius vinculis subter pedes, subnecti necesse habeant. Hac de re lege Matthiam Poli, B. Schmidium l. c. Lucam Brugensem & alios.

§. 4. Verba hæc bono ordine excipit βαστάσαι, à βαστάζω, quod proprie, testantibus Grammaticis, significat, porro ut bajuli onera portantes. Et in hoc ipso significatu occurrit Luc. 14: 27. & sic quoque invenitur in Epigramm. Arist. de Mundo, βαστάζειν γέροντας ἐπὶ τῶν ὤμων, *humeris senes gestare* & alibi passim. Deinde significationem habet sepeliendi, ut apud Sophoclem in Ajace; κακλῶ φάτιν τεύκρῳ φέροντα ὥς με βαστάσῃ, alia significata brevitatis studio prætereo. Confer Pasorem in N. Test. in h. v. Hic loci simpliciter significat φέρειν ferre, gestare: Versio Pagnini, Piscatoris, Erasmi, Tremellii, exponunt simpliciter etiam, *Portem*, Grotius, *qui calceorum ejus curam geram, eos mundem, reponam, mutem, reddam pro Domini (modo induentis, modo exuentis) lubitu, eoque foras prodeunte, portem, si illos ponere aliquando loci Sacri causa aut alios aliis mutare velit.* Beza, βαστάσαι, inquit, *hic non est onus portare, sed vel (α) tollere sive amovere, idem quod alibi est* αἴρειν *tollere; atque ita idem est, quod* λῦσαι Marc. 1: 7. Luc. 3: 26. Actor. 13: 25. Joh. 1: vers. 27. *Vel (β) ferre calceos, quod in itineribus fieri solebat; eratque* hoc munus discipulorum, qui apud Ebræos Prophetæ vel Magistro suo necessaria ministeria obibant. Vid. Exod. 24: vers. 13. 1 Reg. 19: 21. Idem sentiunt Lightfoot. in horis, Munsterus, Camerarius, Gatakerus in notis manuscriptis not. 378. Lucas Brugensis & alii, qui nobiscum faciunt. Imprimis autem hic observandum venit, phrasin βαστάζειν ὑποδήματα idem valere, quod λῦσαι τὰ ὑποδήματα; Licet enim diversa sint verba, sententia tamen eadem est. Qui solvebant calceos, iidem & portabant, iidem auferebant solutos atque exutos, & curabant. Notatur vero in Novo Fœdere his phrasibus humillimum & abjectissimum famulitium, quasi Johannes Baptista diceret, **Ich bin viel zu wenig darzu / daß ich Ihm die Schue außziehen / oder dieselben Ihm zutragen / oder von Ihm nehmen und an gebührenden Ort setzen solte.** Sicuti calceum aut pedem super alios extendere est dominium super eos habere, sive magnam præeminentiam præ illis obtinere, uti Psalm. 60: 10. reperimus. *Extendo*, inquit Psaltes, *calceum meum super Edom* i.e. Edom mihi subjecta est, & ad humillima servitia redacta. Ita illæ Phrases τὰ ὑποδήματα βαστάσαι & λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, vel τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι Synechdochice in N. T. vilissimum ministerium important. Quo spectant formulæ loquendi Comicis usitatæ: Ut illud Terentii in Heaut. *Accurrunt servi soccos detrahunt.* Et illud Plauti in Truc. *date jam soleas.* Et ad hunc morem respicit Tibull. dum ait:

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Ex hoc ministerio pueros appellat Plautus *Sandaliogerulos*, ancillas vero *Sandaliogerulas.* Est autem mens Johannis Baptistæ hæc: Plane *indignus sum, qui Christo, Salvatori, Terrarum Domino, infimum maximeque servile ministerium præbeam.* Uno verbo: *Indignus sum, qui Christi discipulus sim.* Plura hac de re scire qui avet, adeat præter supra laudatos Autores, Flacium in Clave Script. S. pag. 943. Col. 60. Glassium in Philolog. Sacra pag. m. 1213. Excellentissimi Dn. Stolbergeri P. P. Græcarum literarum in hac Alma Leucorea longe celeberrimi, lectiones publicas ad h. l. Bakii explicat. Evang. Domin. ad Dom. IV. Adv. & alios apud citatos Autores. Jam sequitur

SECTIO II.

§. 1. Verborum expositione præmissa accedimus ad rem, ad ritum scilicet portandi calceos. Non autem animus nobis est commentaria scribere de calceis Græcorum & Romanorum. Otium in hoc negotio nobis fecere alii, Turnebus L. XXVIII. Advers. cap. XXI. Just. Lipsius Elect. L. I. cap. XIII. & Rosin. in Antiq. Rom. L. V. cap. XXXVI. p. 593. & seqq. Ne tamen illorum morem plane neglexisse videamur, pauca de eo delibabimus. Fuerunt autem apud Romani Græcique nominis Gentes duo genera calceamentorum, *Calceus & Solea*: Calceus totum pedem texit, solea plantam tantum: pars enim superior habenis devincta fuit. Sed Calceorum & Solearum multa genera. Cæterum calceus adstrinxit magis pedem, quam solea: unde illud Pauli Æmilii, de quo Plutarch. *Nonne hic calceus pulcher est? at nescis, qua ex parte pedem meum torqueat.* Hunc proprium togæ tormentum Tertullian. in Lib. de Pallio vocat. Idem Autor est, calceos quosdam mulleolos, quosdam puros fuisse: *impuro*, inquit, *cruri purum aut mulleolum induit calceum*: ut per mulleolos lunulatos, per puros, eos, qui ex puro corio sive lunulis facti erant, qui perones appellabantur, intellexisse videatur. Lunulati calcei Senatorum & nobilitate præstantium virorum erant, quos Isiodorus Romulum reperisse ait, assuta luna. Luna vero non sideris in eis formam, sed notam centenarii numeri significavit, quod initio Patricii centum fuerint. Plutarch. Quæst. Rom. quæst. 79. quærens, *cur, qui nobilitate generis aliis præstare videantur, lunulas in calceis gestarint?* multas ejus moris rationes affert, quas quisque evolvere potest in Rosini Antiq. Rom. pag. 593. Unde calceos mutare dicuntur, qui ad altiorem dignitatis gradum ascendunt. Initio nascentis Reipublicæ non servi modo, sed Senatores etiam ipsi nudis incedebant pedibus. Plurimi existimant ἀνυποδησίαν illam paupertatis indicium non leve fuisse, & provocant ad Testimonium Martiani Capellæ Lib. 6. de nuptiis, qui illud unice affirmat; sed reperimus in Antiquitatum monumentis, quod clari Imperatores, magnique Duces non ob paupertatem, verum ut patientis animi, tolerantiæque bellicæ argumenta suis militibus præberent, talibus usi fuerint, ut Phocion teste Plutarch. in vita ejus: Scipio, ut refert Tacit. Lib. 2. Annal. Omittimus jam Nudipedalia festum fuisse apud Gentiles, Græcos nempe Romanos & Barbaros, in quo nudis pedibus oportebat omnes incedere.

§. 2. Distinguebantur autem etiam calcei apud has gentes cultu, pretio, coloreque. Erant & calcei Sacri, quibus Sacerdotes, rem divinam facturi, utebantur, & hi de pecudibus sua sponte mortuis non fiebant. Matronarum calcei Sicyonii dicti sunt. Imperatorum calcei fuerunt purpurei & gemmati, mulierum albi, tenues ac altiores; Meretricum rubri; Militum clavis crebris & acutis inferius præditi, quibus in terram defixis starent in vestigio eodem immoti, atque ad fugam inepti &c. quomodo nonnulli parati fuerint, ut è corio bubulo, crudo, alii ex aluta coccinea seu versicolore, alii ex pelle hædina, subere, ære, ligno, arborum corticibus, papyro rebusque aliis latius egit præter Autores antea citatos Clariss. Hildebrandus, Philologus satis celebris, in Antiq. Rom. p. m. 46. & seqq. Sed hæc, uti diximus, paulo fusius persequi in præsenti non est nostri instituti, Ebræorum hac vice

vice lustraturi calceos, de horum enim more Johannem loqui omnes nobiscum existimant Philologi.

§. 3. Quod autem aliqua re muniverint Judæi pedes, dubium nullum esse debet. Prolixus in hoc argumento est Sopranes in Dav. digress. cap. VI. fol. 377, 378, 380. Nec momenta rei desunt. Soleas poscebant & Solis ardor intensissimus, & soli indoles, terra scilicet arenosa, æstu solis nimiopere fervefacta. Elegantissimis verbis vehementum illum Solis ardorem in arenis desertorum descripsit Curt. de Reb. gest. Alex. M. L. IV. cap. VII. p. m. 138. Præterea multa loca ex Sacro Bibliorum codice proferre possumus, quibus id evincere cupimus, ut ex Exod. 3: 5. c. 12: 11. Ruth. cap. 4: 7. quo de loco vide sis Excell. Dn. L. Clodii, Inclyti ordinis Philosophici h. l. quondam Adjuncti, Disputationem, cui Titulum præfixit: *Ritum excalceandi in contractibus olim usitatum.* Sed, num Ebræorum calceamenta soleæ solum fuerint, quibus plantarum calces tantum infimæ tegerentur, cæteris prope nudis, & quæ teretibus vinctæ essent habenis (ut soleas alicubi describit Agellius) an vero totum operuerint pedem, id equidem è Sacris Textibus vix opinor irrefragabiliter probari posse; imo ut apud nos Germanos, etiam pro Civitatum Regionumque discrimine, aliæ calceorum formæ sunt Viris, aliæ Fœminis præsertim Virginibus, aliæ personis honoratis, aliæ colonis &c. Ita haud dubie similis etiam in Populo Dei diversitas deprehensa fuit quoad ipsa hæc pedum involucra. Probabile tamen admodum putamus soleas inter Judæos in frequentiori usu fuisse. Soleæ enim hujusmodi à Græcis vocantur ὑποδήματα & Sandalia. Hinc Esaias cap. 3: 5. exuere jubetur ὑποδήματα juxta LXX. Interpretum versionem; induere vero Apostoli Marc. 6: 9. σανδάλια jubentur. Judæos autem se tibiatim calceasse, ita ut caligam in crure ambiret lorum seu corrigia, asserit Heins. in Aristarcho cap. III. f. 744. Sed nullis id argumentis confirmat. Etiam Vulgatus Latinus Actor. 12: 8. σανδάλια Petri vocat caligas. De quibus Eruditi disputant, asseruntque, caligam non tibiarum seu crurum, sed pedum fuisse tegumentum. Altius muniebant pedem caligæ, ita ut tibias tangerent suis corrigiis. Corrigia vero calceamentorum h. e. ligulæ aliquoties calceum circumibant, ut Schindlerus observat in voce סָבוּת.

§. 4. Quæritur autem nunc, an calceatus in terris his incesserit Salvator, an discalceatus? Prius arridet inter cæteros Chrysost. & August. quorum vestigia legit Sopranes loc. cit. qui calceatum incessisse Christum dubitari non debere ait, utut non constet plane de tegumenti genere. Nec nobis aliud videtur. Certe τὰ ὑποδήματα βαστάσαι vel λῦσαι nonnihil probat, quicquid etiam magnus ille Aristarchus, Batavus, Sanctissimis Patribus fol. 744. obstrepet. Excalceatum Christum volunt, Abulensis, Dion. Carthusianus, Bonaventura, Lyranus. Risui sese exponit Costerus, quando statuit Christum fuisse calceatum, sed ita, ut ima pedis, etsi non summa, solea protegeret, corrigiis adstricta ad similitudinem Cappucinorum (Er hätte ein paar Cappuziener Holtz-Schue getragen) ne γρῦ enim de hoc extat in sacris literis. De Calvinianis in præsenti nil dicam, cum ad aliud forum spectet vid. Bakium loc. citat. pag. 100. Discipulos Christi quod attinet, nec hi simpliciter nudipedes fuerunt, etiam cum iter faciebant: non obstante interdicto ipsis inculcato de non induendis ὑποδήμασι. Distinguit inter calceos & Sandalia Lightfootus in horis Heb. ad Matth. 10. Calceos non Sandalia discipulis à Christo prohibita ait: Scilicet de properando itinere non expediebant calcei è corio molliori, in usum delicatiorem aptati, magis ex usu erant Sandalia, quippe è duriori conformata corio. Fuisse autem duplex apud Judæos calceamenti genus in usu è Jos. 9: 5. aliqui asserere conantur. Equidem, ut non inficias iverim, etiam in populo Dei, sicut inter alias gentes, fuisse quandam in calceamentis diversitatem, quod placuisse video Reverendiss. Dn. D. Geiero de Luctu Ebræor.; Sed non apparet, quo modo id è Josuæ loco citato possit demonstrari. Nam quod LXX. primo ὑποδήματα, deinde σανδάλια vertunt, cum in Ebræo unius fiat mentio, nihil juvat hanc sententiam. Nec placet admodum conciliatio Matthæi & Marci, quam Lightfootus instituit. Non prohibentur apud Matthæum ὑποδήματα, sed duo ὑποδήματα prohibentur. Scilicet ἀπὸ κοινοῦ, ut loquuntur Grammatici, ex præcedenti repeti debet vocabulum δύο. Calceamenta aptabant sibi illi potissimum, qui prodituri erant in publicum, vel iter erant facturi, in terra præcipue arenosa, ubi nudo vix licuit pede incedere. Adeoque Ebræis ἀνυποδησία extra certum religionis, aliumve casum in usu haud fuit, cum versarentur in publico: quid autem domi factum, non attinet disquirere; novimus ex nobis ipsis, calceos præcipue sumi, cum proceden-dum nobis extra domum, cum domi vel crepidis utamur, vel incedamus forte nudipedes.

§. 5. Paupertatis, egestatis & servitutis indicium fuerunt calcei vel laceri, vel nulli, uti ex Esai. 20: 2. & 4. 2 Paralipp. cap. 28: 15. Luc. 15: 22. satis superque constat. Luxum circa calceamenta, invaluisse apud Judæos quoque non exiguum colligitur ex Esai. 3: 16. Ubi de mulieribus dicitur, quod in pedibus תְּעַכַּסְנָה monilia circumposuerint tinnitum facientia; siquidem עֶכֶס, exponente Kimchio, est ornamentum tinniens seu strepitum edens, h. e. crepitaculorum, quæ in eo sunt, strepitu resonans. Pluribus hanc rem prosequitur sæpe laudatus Geierus in aureo illo libro de Luctu Ebræorum pagin. 291. & seqq. adde quoque Pagnini Lexicon in voce עֶכֶס.

§. 6. Et hæc in genere de calceis Judæorum. Nunc ad calceorum detractionem, quæ proprior Scopo nostro, est deveniendum. Discalceatio autem fiebat (α) Ad firmandos contractus apud Judæos ut abunde patet ex Ruth. cap. 4: 7. & 8. *Erat mos antiquitus inter propinquos, ut quando alius alii suo jure cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum & dabat proximo, hoc erat testimonium cessionis in Israël.* Plura vide in citata Clodii Disput. (β) Detrahebantur calceamenta in pœnam & opprobrium Leviro ob viduam fratris defuncti neglectam seu cum nollet fratri semen suscitare Deuter. 25: 9. vid. Seldenum de Uxor. Ebræor. 1: 1. cap. 14. pag. 96. (γ) Exuebant etiam calceos in loco sancto nudos requirente adstantium pedes, consule Exod. 3: 5. & Jos. 5: 15. petitum inde, quod hodieque præ Synagogæ foribus Judæi ferrum habent muro impactum, quo singuli calceos suos, si lutum contraxerint, repurgare debent vel crepidas, si eas gestent inquinatas, omnino exuunt referente Buxtorf. in Syn. Judic. 5. pag. 147. Imo Sacerdotes stante templo non nisi nudipedes versari poterant in eodem; unde quoque peculiare habebant conclave, in quo hyberno præsertim tempore, calefieri poterant citius, pavimento nimirum calefacto, inambulantes. Quorsum etiam pertinet, quod de Berenice tradit Josephus Lib. 11. Bell. Judaic. cap. XV. his verbis: His, qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur mos est orare per XXX. dies, antequam immolent hostias; abstinere quoque vino & capillos radere, quem morem Berenice Regina illis exercens diebus γυμνόπους τε nudipes ante Tribunal stetit deprecans Florum. Similia his invenimus etiam inter gentes, teste Tertull. apolog. cap. XL. (δ) ob mœrorem vel in luctu calceos ponebant Judæi. Eliciunt hoc interpretes ex Ezechiel. cap. 24: 23. Ubi contra morem jubetur in funere Uxoris cuncta lætitiæ signa retinere: Luctum non facies, corona tua circumligata sit Tibi & calceamenta erunt in pedibus tuis. Hinc Flacius L. 1. P. 1. Col. 5. fol. 838. *in funebri luctu soliti sunt non uti coriaceis calceamentis diebus XXX. nudis pedibus efferre & comitari funus; flebantque & lamentabantur suam miseriam deplorantes & mortuum celebrantes clara voce* &c. Vides hinc cur David exul incedat יָחֵף. sine calceis 2 Sam. 15: 30. Itemque Achab metu perculsus ac pœnitens, ex mente Chaldæi paraphrastæ, qui 1 Reg. 21: 27. Ebræum אַט reddit יָחֵף discalceatus, quo cum facit etiam Josephus l. VIII. Antiq. c. VII. γυμνὸς τοῖς ποσὶ διῆγεν, haud dubie ad morem hunc mœrentium respectu habito; Id quod etiam B. Chemniz. non improbatur P. 4. Exam. Conc. Trid. cap. 1. fol. 92. quem vide, (ε) Ponebant quoque calceos Judæi in solenni illa atque annua criminum deploratione in expiationis festo. (η) Inter cœnandum, quo dicitur in commessione agni Paschalis Exod. 12. quod debeant comedentes esse calceati. Hinc colligitur, inquit B. Dorsch. in Diss. de Agno Paschali pag. 403. morem fuisse exuere ad cœnam calceamenta, cum sigillatim præcipiatur calceorum indumentum. Quia enim Veteres non sedebant, sed discumbebant ad convivia, ne statim strata inquinarent, & exuere calceos & lavare pedes solebant, qui mos hodieque apud Turcas & populos nonnullos orientales obtinet. Opulentiores itaque & nobiliores famulos suos habuere, qui solverent calceamentorum ligulas, eaque servarent. Jam disquiri solet, ad quemnam ex ritibus ac consuetudinibus prædictis pertineat locus præsens de quo nunc agimus. Sunt enim, qui Sacerdotum morem respici volunt, cum nudis incedentes pedibus sacrificarent, orarent in Templo. Sunt, qui ad communem consuetudinem Johannis Baptistæ dictum referre malunt. Qui enim paulo opulentiores nobilioresque sunt, habent suos ministros ac famulos, qui calceamentorum ligulas solvunt, eaque asservant & purgant, & quocunque alio modo curant. Quæ sententia nobis etiam visa est convenientissima. Cum enim, ut supra diximus Johannes Bapt. de se verba faceret, modesteque sentiret, ne abjectissimus quidem

Salvato-

Salvatoris famulus voluit videri, qui calceos solveret, solutosque portaret. Plura de hac re in medium proferre prohibent leges, quare remitto B. L. ad Sopran. sæpe citatum fol. 378. & seqq. ad Luth. comment. in Genes. c. 14: 23. Ad Delrium T. 1. Adag. 173. pag. 185. ad Magnif. Dn. D. Quenstedt Th. P. P. in hac alma Leucorea celeberrima, celeberrimi Patroni & Præceptoris nostri plurimum honorandi collegium, Synopsin Antiquit. Judaic. quod inscripsit. Confer Magnif. Dn. D. Joach. Hildebrand. in Rituali orantium p. 135. & Excell. Dn. D. Pfeiff. Exerc. Philol. in Coron. pos. 3. aliosque.

T. Θ. Δ.

AUG. VARENII
DISSERTATIO
De Columba super capite Christi visa ad Matth. III: 16.

בסימנא טבא



SAnctificatio, sine qua nemo τελσμέγιςον visurus est Deum, quamque impense sectandam ipsemet ἁγιασμȣ̃ ἐργοδιώκτης Sanctissimus urget Spiritus Heb. cap. 12: 14.; idipsum est negotium, cui instanti inprimis tempore omnes nostræ curæ, omnes cogitationes πρόφρονι θυμῷ pie devovenda veniunt. Placuit ergo & nobis talem tempori accommodare materiam, Philologico sc. Theologicam, quæ & Signum nobis exhibeat, היונה COLUMBAM in Jordane visam, & ipsum quoque signatum; Sanctum videlicet Spiritum. Cum vero hæc ipsa sancta non minus ac ardua nimium excresceret materia: allubuit tribus eam distinctius proponere diatribis; ita quidem, ut prima ان شاء الله hanc saltem vice ἀκροθίγως ϗ ὡς ἐν τύπῳ ipsum sibi elaborandum sumat Symbolum sive signum COLUMBAM; Secunda אם השם יעזר signatum per hoc Signum; sacro sanctum adorandi Spiritus Numen: Tertia ceu colophonem huic materiæ impositura, de signati effectu (ἐν σχέσεως λόγῳ ac certo respectu) Regenerationis per Spiritum Sanctum ceu pullis columbarum, לפי עניות דעתי, nonnihil commentetur.

Quod vero ut felicius procedat negotium: Adesto Sancte Spiritus, paraclesin tuam expectantibus illabere cœlitus! igne tuo tenebricosæ rationi lucem infunde, suscita animum nostrum, ut dignus sit divinæ tuæ flammæ concipiendæ fomes; Sequemur lubentissime, qua faces tuæ fulgidissimæ viam nobis monstraverint; sanctissimum tuum ignem devotis cordibus reverenter suscepturi.

בסערא דשמיא

CUm imminentem præcedens Lucifer Solem Baptista, argenteas Jordanis aquas, tenebrisque circumfusam Judæam luce nova illustraret, proprioremque optatissimi Solis nunciaret adventum; en ipse clarissimus Vitæ Sol, ἀνατολὴ ἐξ ὕψȣς, in quo salus recumbebat totius orbis, è Nazareth, ubi eatenus veluti sub undis delituerat, nitidissimum caput paululum effert, Jordanem venit, ibidemque fulgidissimis splendere incipit radiis. Ecqui enim splendidiores esse possunt radii iis; quæ ibi conspiciuntur, miraculis? Mergitur undis Æternum Patris Verbum, ut gurgitum tractus cunctorumque fontium venas suo corpore in salutaris lavacri sacramentum dedicet, *ut sua purificatione undas purificaret*, ceu eximie loquitur D. Nazianzenus *orat.* 34. Obserati hactenus cœli fores panduntur, non quod ipsi cœlestes diffinderentur orbes, sed quod in aëre atque nubibus hujusmodi appareret hiatus, quemadmodum in vulgaribus fieri assolet fulgetris, ut ipsum aperiri cœlum ac findi videatur, Statius *lib.* 1. *Thebaid. Abrupta tremiscunt Fulgura, & attritus subita face rumpitur aër* (conf. Suarez. 3. *p.* q. 39. *art.* 5. & Aristot. *in Meteoris.*) COLUMBA admirando volatu in verticem Christi cœlitus delabitur: Vox admirabilis μεγάλη ὡς σάλπιγγος *Apocal.* 1: 10. insonat: ȣ̃τός ἐςιν ὁ ὑιός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα! qua ipsa manifeste alluditur ad locum insignem Esai. 42: 1. הן עברי אתמך בו בחירי רצתה נפשי: *Ecce servus meus! innitar ei: Electus meus*, (in quo) *bene complacitum est animæ meæ*; ita nimirum, ut amor meus ab ipso & propter ipsum in alios etiam diffundatur, utpote, per quem mihi *placere* poterunt alii, & ego aliis *placari*. Quid sibi ista COLUMBÆ voluerit apparitio, *an*, *cur* & *quomodo* adorandum Sancti Spiritus demonstrarit Numen, varie quidem abs variis non infimi subsellii Viris disquiritur: ut probabilior constaret ratio, cum juxta tritum illud Ebræorum: מתוך הויכוח יתברר האמת *Disputando & disceptando eliciatur veritas*, præsentem lubuit suscipere Dissertationem. Ab ipso autem capite, & quod ait Aristophanes, ἀπὸ τῶν βαλβίδων rem hancce orsuri, ipsa authentici Textus verba, prout in Matth. cap. 3: 16. extant, cum nonnullis Versionibus huc apponere, nec incongruum nec abs re fore arbitramur.

Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησȣ̃ς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τȣ̃ ὕδατος καὶ ἰδȣ̀ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ ȣ̓ρανοὶ, ϗ εἶδε τὸ πνεῦμα τȣ̃ θεȣ̃ καταβαῖνον ὡσεὶ περιςερὰν, ϗ ἐρχόμενον ἐπ᾽ αὐτὸν.

Versio Syriaca ex Opere Anglicano πολυγλώττῳ.

ܘܟܕ ܥܡܕ ܝܫܘܥ ܡܚܕܐ ܣܠܩ
ܡܢ ܡܝܐ: ܘܐܬܦܬܚܘ ܠܗ ܫܡܝܐ
ܘܚܙܐ ܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ ܕܢܚܬܐ ܐܝܟ ܝܘܢܐ
ܘܐܬܬ ܥܠܘܗܝ ܀

Versio Arabica ex editione Leidensi Erpenii.

فلما اعتمد يسوع صعد للوقت من
الماء فانفتح له السموات وري روح
الله نازلا كمثل حمامة وجايا
عليه ❊

Nonnus vertit: *Testimonium dixit, quod vidisset descendentem ex æthereis finibus Spiritum DEI, aliarum prudenti plausu & vibratione delatum, ad expressam imitationem COLUMBÆ, donec super ipsum venit & ibi manebat.*

§. 1. Priusquam, quæ de ipsa Columbæ apparitione Sacræ historiæ Scriptor tradidit, explanemus; non inutilis erit operæ, Autorum adducere sententias de loco Jordanis restricto, ubi scilicet istud contigerit baptismi Servatoris prodigium: Neque enim idem ac constans omnium de hoc est judicium. *Adrichomius in suo Terræ Sanctæ Theatro* locum in Tribu Benjamin non procul à mari mortuo signat: *Hic*, inquit, *Christus baptizatus est; qui locus ruinoso ædificio nunc insignis est; atque ibidem peregrini in memoriam baptismi Filii DEI sese abluere solent, cum oratione ad DEUM; ut pro sua ille misericordia, & Christi meritis peccatorum sordes abluat* &c. Quem Æthiopibus haut insitatum quoque morem egregie describit Magnus Scaliger *lib. 7. de emendat. temp. tit. de computo Æthiopum*; *Quotannis*, inquiens, *die epiphaniorum omnes in piscinas sese immergunt, memoriam baptismi Christi eo facto se instaurare dicentes.* Cl. Bochardus *part. 1. phaleg. cap. 7. §. 30.* opinatur baptismi locum distare duabus Gallorum leucis Jerichunte: *Ex Jericho*, ait, *duabus leucis extat capella D. Baptistæ dicata, ubi creditur Salvator fuisse baptizatus* &c. Eodem loco ipse fatetur, nonnullos fuisse arbitratos Dominum baptizatum esse juxta Salim; sed Ecclesiæ solennitatem opinioni repugnare.

§. 2. Venerabilis Beda *l. de locis sanctis cap. 14.* locum baptismi hunc in modum describit: *In loco, in quo Dominus est baptizatus, crux lignea est usque ad collum alta; quæ aliquoties aqua transcendente absconditur. A quo loco ripa ulterior i. e. Orientalis jactu fundæ est; Superior vero ripa, in supercilio monticuli grande monasterium gestat, B. Joh. Baptistæ Ecclesia clarum; de quo per pontem arcubus suffultum solent ascendere ad illam crucem ac orare. In extrema fluminis parte quadrata Ecclesia quatuor lapideis cancris superposita est, coctili creta desuper tecta, ubi vestimenta Domini, cum baptizaretur, servata esse dicuntur &c.* D. Gregorius Turonensis clarius delineaturus dictum baptismatis locum, *in l. de gloria Martyrum cap 17.* ita commentatur; *Habetur in Jordane locus, in quo Dominus baptizatus est. In uno enim reflexu aqua ipsa revolvitur, in qua nunc leprosi mundantur: cum enim advenierint, sæpius lavantur flumine, donec ab infirmitate purgentur &c. Ipse quoque Jordanes ab eo loco, in quinto milliari mari commixtus mortuo nomen amittit.* Buntingius *in Itinerario N. Test. p. 9.* Christum baptismate donatum abs Johanne arbitratur Bethabaræ haut procul à Jordane, eo quidem loco, ubi Josua sicco pede una cum populo Israelitico transierit Jos. 4. & 5. Quas κρείττονος κόμματος Virorum sententias adduxisse sufficiat; De Bethabara, cum præsentis non sit instituti, conferat φιλομαθὴς Lector celebratissimi nominis philologos, Ludovicum de Dieu, Scultetum, Capellum, Walæum, egregie de eodem commentantes.

§. 3. Succedit jam ipsum princeps instituti κελνόμενον de præsentia scil. adorandi Sancti Spiritus, canæ apparentis specie columbæ, circa quod expediendum sequentes præcipue occurrunt quæstiones: Cur nimirum sub tali & non alio signo apparere voluerit Sanctus Spiritus? Quomodo id factum fuerit? Cur nunc columbina, pentecostali vero tempore ignea se stiterit specie? tum denique quid iste columbæ in verticem Messiæ significarit volatus? Equidem spatiosior aperitur disserendi campus, quem nos brevioribus tamen lineis dimetiemur.

§. 4. De COLUMBIS (ut hæc אגב אורחה ὡς ἐν παρόδῳ tangamus), multa memoratu digna referuntur ab historicis. Naturalis scriptores scientiæ firmiter autumant, cum nihil iis sit fœcundius, nihil tamen & iis esse castius, nihil simplicius. *Prima columbis nota pudicitia*, inquit Plinius, *& neutri nota adulteria.* Conjugii fidem non violant, communemque servant domum; nisi cœlebs aut vidua nidum non relinquit. Ælianus refert, si impudico forte amore captum hoc animal alienam persequatur Venerem, ipsum circumsederi ab aliis, ac marem quidem à maribus dilacerari, feminam à feminis disperdi.

§. 5. In authenticis divini verbi Tabulis Columba appellatur יוֹנָה à verbo ינה quod est opprimere, populari, deprædari, vel quod sata populetur, vel quod prædæ infensissimorum accipitrum sit obnoxia. Chaldaice dicitur יוֹנָא Syriace ܝܘܢܐ, Arabice حمامة LXX. vertunt περιστερά, vel à valido ac laborioso volatu, πέτεσθαι στεῤῥῶς, quasi πετεστερά; quæ etiam causa, cur Israelitæ assimilentur columbis. (V. Berach. 49. Jalkut. Psal. 55:7. quare כיונה dicat Psaltes?) omnes scilicet aves, cum defatigatæ sunt, in petra vel arbore aliqua subterfugium præbente residere solent, ac ita capiuntur; columba vero indefesso ferme victa volatu, unam alam claudit, altera vero volitat, sicque capi nulla arte potest: vel ab amoris effectu, περισσῶς ἐρᾶν quasi περισσερά, cum sit avis θερμοτάτη κατὰ συνουσίαν & frequentius in anno fœtus excludat, quam altæ aves. Amor subolis utrique est æqualis. Intrat sæpiuscule femina ad pullos, cui parturienti solatia & ministeria offeruntur sedulo à mare: Hinc Silius *l. 4.*

Dilectas Veneri, notasque ab amore *Diones.*

§. 6. Rabbi Azarias in מאר עינים 89. 2. scribit ex Diodoro Siculo de Semiramide, quod aves cœlorum, cum circa Syriæ stagnum infans exposita esset, cibum ei attulerint, (Conf. Theatr. Zwingeri *pag.* 1431. & 1441.) præsertim vero pulli columbarum, & hac de causa symbolum ejus fuisse COLUMBAM, quod Assyriorum Babyloniorumque perpetuo deinceps manserit insigne. Quæ fons istius nonnullorum erroris causa, quod cum Semiramidi tribueretur COLUMBA, veræ aut inscii aut negligentes rationis, Semiramidis nomen Syris sive Babyloniis columbam montanam denotare voluerint; Ita enim Hesychius:

Σεμίραμις, περιστερὰ ὀρειὸς ἑλληνιστί,

cujus tamen interpretationem ceu incertis imo plane falsis suffultam talis merito rejicit Magnus Scaliger in Eusebianis. Quæ nostram vindicant sententiam Scripturæ loca Jerem. 25: 38. & cap. 46. vers. 16. male à nonnullis pervertuntur, Τὸ היונה ideo vertentibus *columbam*, quasi de Babyloniis sub Numinis eorundem vocabulo, ut non insolens Scripturæ mos est, ibi ageretur. Quæ de Semiramide ad hanc Deam spectantia effutiuntur apud C. Jul. Hyginum polyhistora *poetic. astronomiæ lib. 11. fab. 197.* Athenagoram *in Apologia* Phurnutum *de Natura Deorum*, Ovidium *Metamorphos. lib. IV.* (Tzetzem: *Chiliad. 9. cap. 275.* præter historiarum sarcinatores libenter præterimus,) nulla ulteriori indigent discussione; cum jamdudum inanes istæ paleæ excussæ sint à Clarissimo Philologo Seldeno eleganti *libello de Dis Syris pagin. 174.* Lilius Gregorius Gyraldus excipit quidem *Historiæ deorum Syntagm. 1. pagin. 99.* columbas Assirios coluisse: sed si ab ovo, quod dicitur, res sive altius aliquanto repetatur, facili negotio hoc ipsum destruitur ἀντίπιπλον. Legem Semiramis tulerat Assiriis, ut se ceu Deam sub columba colerent, nulla habita sive veri Numinis sive gentilium Deorum ratione; probe autem variis affecta cladibus, variis divexata adversitatibus, ab isthac insania destitit, mortalem se magno cum resipiscentis animi prolubio agnoscens, uti egregie suffragatur Lucianus *pagin. 918. de statua Semiramidis.*

§. 7. In eximio fuisse antiquitus COLUMBAS pretio, inque summo pene honore, testis est historia; conf. Luciani Deam Syriam, Diodorum Siculum, præcipue Aristotelem *lib. 5. histor. animal. cap. 13.* & Plinium *l. 10. cap. 37.* Varronem *lib. 3. de re rustica cap. 7.* & Sigonium *lib. 14. regn. Ital.* Sacras autem imprimis Veneri fuisse vel ii norunt qui nondum ære lavantur: Eam curru fuisse vectam columbis tracto *in Sexto* refert Apulejus; Ejusdem quomodo ministræ fuerint habitæ, illa optime declarat historia, de columbis circa Erycem Siciliæ montem volitantibus, diebus quidem, quas incolæ Ἀναγωγάς & καταγώγια nominabant apud Athenæum *lib. IX.* cujus & *XI. lib.* consulendus de Columbis ad Jovem ambrosiam ferre solitis, ob quam fabulam reprehenditur Homerus à Dionysio περὶ ὕψους uti nugax nimis. Eam scribit Homerus odyss. μ. & πελείας τρήρωνας vocat, quas memorat columbas. At plerique Veterum non tam columbas, quam pelejadas sive plejadas 7. intelligi volunt, uti multis iisque vetustis exemplis Alexandro Regi monstravit olim Chiron Amphipolites, quæ fusius φιλομαθεῖ Lectori recensebit celebris Scriptor Eustathius. Architas quoque Tarentinus egregium aliquod populo exhibiturus Mathematicæ scientiæ specimen, *columbam* præparabat ligneam, ponderibus atque aura intus inclusa ita libratam, ut aerem semel sortita continuo volatu per ipsum inane ageretur, perpetuo agenda, nisi solidum aliquod corpus offendisset. Videatur Sabellicus *lib. 10. cap. 8.* & A. Gellius.

§. 8. Ut prolixam nunc injiciamus mentionem columbarum Internunciarum, quæ uti antiquitus Romanis, inprimis Decio

Decio Bruto in obsidione Mutinensi, cujus exemplum refert Plinius *l.* 10. *c.* 24. & ex illo Ravisius; Ita adhuc quam maxime familiares sunt Orientalibus: ceu & jam tum olim fuisse præcipue Syris ac Palæstinis è Tibullo *lib.* 1. *eleg.* 7. colligere licebit ita vaticinantis:

Quid referam? ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta COLUMBA Syro.

conferantur modo, quæ de geminis COLUMBIS Fatidicis è Syria Dodonam evolantibus, quæ *Palæstinæ* sunt appellatæ, memoriæ prodidit Lilius Gregorius Gyraldus *Hist. Deorum Synt.* 6. *p.* 291. & Joh. Guilielmus Stuckius in *Palæstinorum Sidoniorum &c. Historia.* Ælianus *l.* 9. *de varia historia*: Taurosthenem, scribit, columbam à suis pullis madidis adhuc & involucribus abstractam secum deportasse: cumque vicisset, purpura amictam eam remisisse: eamque summa cum festinatione ad pullos properantem ex Pisa eodem die in Æginam advolasse. Samaritani in suo Chronico, (ut nobis autor est Magnus Scaliger *ad Manilii l.* 5.) Josuæ Duci administram tribuunt columbam: sed divinitus, ut ipsi ajunt, non autem humanis mysteriis edoctam. Hac quoque de causa impostor celebris Mahometh COLUMBAM condocefecit & assuefecit, ut ad suam advolaret aurem, ponendo in aure grana, quæ colligeret & comederet COLUMBA, hac ratione occæcato populo callide persuadens familiarem sibi Sanctum Spiritum, suam suggerere legem, suum dictare Alcoranum, imo secretissima Dei revelare consilia. Idem effecit, ut COLUMBA schedam ad se afferret, in qua aureis literis scriptum erat: *Quicunque taurum domuerit, Rex esto!* Ipse autem taurum, quem antea nutriverat, facile edomans ab insipida plebe Rex salutatur, uti referunt Autores vitæ Mahometis. Ex Glossa Talmudica Joh. Drusius *observ.* 13. *c.* 24. *Samaritanus*, inquit, *circumcidit* לשם דמות יונה i. e. *in Nomine imaginis columbam referentis, quam inventam in vertice montis Garizim certo quodam ritu colunt.* COLVMBAS quod attinet internuncias, erudiebantur illæ moscho rostris illitæ, (sunt enim moschi appetentissimæ) ut ad missa comitatiores redirent; sicut in obsidione Mutinensi olim, & citeriori ævo, COLVMBÆ testes erunt; memorant enim & nostri ævi homines, COLVMBAS in obsidione Leidensi Anno 1574. obsessis civibus vicem tabellariorum ad Delphenses præstitisse, ad cujus rei memoriam exuvias COLVMBÆ in curia diu referunt asservatas. Dietericus *Antiquitatum Biblicarum part.* 3. *p.* 55. Cl. Constant. l'Empereur in בבא קמא f. de *Legibus Ebræorum forensibus lib. singulari pag.* 183. In ipso quoque Jure Judaico, inter illos, qui testium vices sustinere nequeunt, referuntur מפריחי יונין qui columbas assuescunt ad volatum, utpote quoniam לא מתעסקים בישובו של עולם *non incumbunt rebus, quæ ad firmitudinem seculi*, i. e. quæ bonum publicum seu vitæ humanæ commodum spectant. Gemara Babylonia; Qui *columbas*, inquit, *volare faciebant, fuere qui* הרגוזין אותן זה על זה להלחם *excitant eas ad certamen mutuum.* Consulatur Cl. Seldenus *de Ritibus ac consuetud. vet. Ebræorum*, celeberr. Scalig. *annot. lib.* 5. *ad illa Manilii verba*: *Volucres ad jussa paratas*: Cl. Casaubonus *in Athen. l.* 9. *c.* 11. Xenophon *l.* 1. *expeditionis Cyri*, & Frontinus *l.* 3. *c.* 13. prolixius de Columbis Internunciis disserentes. Celebris præterea in Misna Talmud. & alibi mentio יוני הורדסיות de quibus, quales COLVMBÆ fuerint, à Commentatoribus inquisitum. Raschi (quem פרשנדתא f. *Interpretem Legis* secundum excellentiam vocant Rabbini) exposuit שדרכן לגדל עם בני אדם f. *per columbas domesticas, quæ educari solent cum hominibus.* At rectius Rambam & Bartenora dictas COLVMBAS הרדסיאות statuunt על שם הורודוס *à nomine Herodis*, quibus adstipulatur in Gemara *R. Chira*, ubi & memoratur, quod *edoctæ fuerint acclamare Herodi* קירי קירי h. e. Κύριε Κύριε, *Domine Domine*: addunt fabellam: unam illarum aliquando pro קירי קירי exclamavisse כירי קירי *Dominus est servus*, & hac de causa, fuisse jugulatam. Sane *ab Herode adductas COLUMBAS, easdemque peculiariter educatas & edoctas, quæ ab Herode denominatæ sunt* הורדוסיית *Herodianæ*, nec *Baal Aruch* tacuit, ut hallucinatus vehementer in expositione Herodianorum illorum, quorum mentio *Matth.* 22: 16. Drusius fuerit, & tum sibi, tum aliis Clarissimis Viris, quibus, ut tales περιπολεγίας transcriberent, inque suis super N. T. commentariis commendarent, imposuerit, scilicet pro יוֹנִים (quomodo legendum erat) vel pro יְוָנִים legens יְוָנִי vel יְוָנִי, ex COLVMBIS Herodis ingenti transsubstantiatione fecit *Græcos*, quales fuerint illi Herodiani, qui tum honori Herodis peculiari solennitate natali, ipsaque religione falsa militaverint, tum inter Fidei dogmata posuerint: HERODEM esse illum MESSIAM. Quod totum interpretamentum ex prava Textus Talmudici non punctati lectione ortum sic abit in fumos. Nihil ibi de Hominibus gente & Lingua Græcis: sed de COLVMBIS *Herodianis*, nihil de יְוָנִים: sed de יוֹנִים.

§. 9. Sed ne ἐκ τῶν ἐλαιῶν φέρεσθαι videamur, in viam revertamur, à qua longiuscule præter opinionem aberravimus, ostensuri: *An & cur Sanctissimus Spiritus sub tali simplicis COLUMBÆ, & non alio apparere voluerit signaculo?* Certum & ἀναμφισβητήτως receptum ipsum apparitionis assertum neminem inficias iturum confidimus, cum ipsis sacris Scriptoribus testibus, omni frivola Socinianorum exceptione longe majoribus, clarius sit,

Quam Solis radii esse olim, cum sudum est, solent.

idque in tam manifesta luce positum ulterius probare satagenti merito objiceretur illud è Talm. חולין fol. 60. שרגא בטיהרא מאי אהני *Lucerna in meridie quid prodest?* De causis autem talis quidem apparitionis non omnes convenire tam patres quam Theologos extra controversiæ aleam est. Potior pars elegantes admodum in medium profert rationes: Apparere videlicet voluisse venerandum ἁγίου πνεύματος Numen, ut sua χαρίσματα donaque septemplicia eo melius demonstrandi ansam haberet, cum conspicuum eorundem COLVMBA exhibeat emblema; noti enim sunt de COLVMBIS versiculi:

Est sine felle, gemit, rostro non lædit, & ungues
Possidet innocuos, granaque pura legit.
Gaudet aquis, quæritque greges, celerique volatu
Tuta petit, fœtus educat alterius:
Masculus ipse fovet fœtus, ac incubat ovis,
Conjugii servant fœdera casta simul.

§. 10. COLVMBA quidem ceu trepidum animal rapaces infensi accipitris ungues effugitura, fluentis lubenter assidet: Regeniti quoque *dono Sapientiæ* à Sancto Spiritu concesso מקור מים חיים *vivarum* amant *fontem aquarum*, Sacram Scripturam, ista ceu tutissimo clypeo obliquatos & flexuosos Dæmonis incursus nullo negotio declinantes. Meliora quoque tritici COLVMBA seligit grana, spretis inanibus paleis: quo ipso secundum Sancti Spiritus *donum*, *Scientiæ* sc. præfigurat, quo renati sanas, quibus pascantur, eligunt sententias. Nec rostro selecta lacerat grana: subinnuitura tertium *Intellectus donum*, quo Sacrificati bonas, quibus sua jam sunt professi nomina, sententias non hæretico more pervertunt. Selectis alienos etiam pullos nutrit, qui à proprio forte aberravere περιστεροτροφείῳ: quo ipso respicit ad quartum *consilii donum*, quo tenentur ἡγιασμένοι à Christi avios grege, doctrina & exemplo ab ulteriori præmunire ac præmonere errore. Simplex præterea est & à malitia fellis alienum, mite ac mansuetum hoc animal: Christiani quoque divino *pietatis dono* obstricti destituuntur ira, ab omni animi perturbatione, furoreque tetrice infecta. Sic, verba sunt D. Augustini *tractatu* 6. *in Johannem*, *oportebat demonstrari Spiritum Sanctum venientem super Dominum*; *ut intelligat unusquisque, si habeat Spiritum S. simplicem se esse debere sicut COLVMBAM*; *habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula COLVMBARVM &c.* Id. *Tract.* 7. *in epist. Joh.* 1. *Fel*, ait, *COLUMBA non habet &c. Christianus quoque felle odii careat, si quos punire debet, amanter & columbino corde puniat.* Monuit & ipse humani generis Salvator *Matth.* 10: 16. γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. *Estote prudentes ut serpentes, & simplices prout COLVMBÆ*: Dissidentium sc. à se animantium inesse nobis voluit naturam; ita tamen ut serpentinam prudentiam *columbina* temperaret simplicitas, & simplicitatem *columbæ* serpentina instrueret prudentia, fieretque & simplex sapientia, & sapiens simplicitas. Simplicitatem quoque columbæ & prudentiam serpentis ideo commendat Servator, ut in malitia simus simplices, in bono vero operæ prudentes. Nec prudentia serpentis sit sine simplicitate columbæ, nec simplicitas columbæ sine prudentia serpentis: quatenus columbæ simplicitatem astutia serpentis, ut mala caveat, sollicitet, & prudentiam serpentis simplicitas columbæ, ut bona faciat, temperet. Erasm. *in suo Ecclesiaste l.* 2. *p.* 105. *Annon*, inquit, *videmus in quorundam oculis ac fronte quasi relucere Spiritum S. placidum ac fuci nescium? Agnoscas in illis jam nunc meditari vim Numinis, quod in resurrectione perficiendum est, ut Spiritus potentior corpus ipsum quodammodo in se transformet. Quemadmodum è diverso*,

qui

qui prorsus abjecto timore Dei semet ad omnem impietatem, omneque scelerum genus dediderunt, ipsa corporis specie diabolum videntur exprimere. Timidum hoc Animatum in abditis petræ cavernis nidum explicat: Justi *dono fortitudinis* à Sancto Spiritu corroborati, in vulneribus cruciati Salvatoris, in transverberato sanctissimo Christi latere refugium omnemque spem firmam collocant, uti *Cant.* 2: *vs.* 14. Sponsa Christi nuncupatur: יונתי בחגוי הסלע בסתר המדרגה *Columba mea in scissuris petræ, in abscondito gradus.* Novit nimirum, quod מגדל־עוז שם יהוה בו ירוץ צדיק ונשגב *Turris fortitudinis Nomen Domini: in ipsam curret justus, & exaltabitur.* Familiaris est ultimo *columbæ* vice cantus assiduus gemitus: pertinet id ad *donum Timoris*, quo pii lapsi ceu Ephraim *Hos.* 7. *vers.* 11. כיונה פותה אין לב *veluti COLUMBA seducta absque corde*, delectantur tristitia spirituali & flebili pro peccatis gemitu: ὡς λυπέμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες 2 *Corint.* 6: *vers.* 10. *Quasi tristes, semper autem gaudentes.*

§. 11. Convenienter quoque COLUMBAM ceu caritatis cultricem elegisse Sanctum Spiritum, qui Amor ac caritas ipse appellatur, alii existimant non minoris nominis Autores: Tali quippe electo symbolo ceu extento indice indigitaturus erat communem baptismi effectum, conjunctionem sc. Ecclesiasticæ unitatis. Cum enim COLUMBA simplex sit animal, nullo felle amarum, nullis morsibus sævum, nulla unguium laceratione violentum, humana hospitia diligit, unius domus consortium novit, cum generant, simul filios edunt, cum commeant, volatibus invicem cohærent, communi conversatione vitam suam degunt, pudico oris osculo concordiam pacis agnoscunt, legem circa omnia unanimitatis implent. Et ista in Ecclesia erat noscenda simplicitas, hæc obtinenda caritas, ut fraternitatis dilectio columbas imitaretur. Ἡ ἀγάπη, hortatur Apostolus *Rom.* 12: *vers.* 10. ἀνυπόκριτος. Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. *Dilectio sit sine simulatione: Charitatem fraternitatis invicem diligite.* Fideles, inquit D. Bernardus, dum uno Christi desiderio se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam se in caritate conjungunt, ex multis membris unum efficiunt corpus, in quo omnes in simplicitate unitatis viventes una COLUMBA existunt: unde Sponsus *in Cant.* loquitur *cap.* 6: 8. אחת היא יונתי תמתי *Una ipsa columba mea, perfecta mea.*

§. 12. Hunc respexisse videtur Psaltes *Psalm.* 86: *vers.* 14. ita ingeminans: אם־תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ: *Si accubueritis inter tripodes, pennæ columbæ tectæ in argento & alæ ejus in flavo auri.* Cum enim Ecclesia sit κλῆρος & sors DEI, ut Petrus loquitur 1 *Epist. cap.* 5. anima per baptismi fores in eandem intromissa & recepta secure poterit acquiescere: sulque deque habito adversariorum insultu, antiquissimique cavillatoris convitio; Uti enim lana sordidissimis squaloribus inquinatur, antequam purpuræ fulgor eam induat: Ita Ecclesia, variis pressa quidem, penitus tamen non oppressa malis, tandem victrix extollit caput. Divina illustrata gratia similis fit per fidem caritate rutilantem, columbæ innocentissimæ, felle carenti ac pulcherrimæ, cujus pennæ candore candidum argentum, alæ vero pallore aurum imitantur. Quo ipso respectum omnino vir divinus habuit ad imputatam splendentis Christi justitiæ & meriti vestem, qua induti sunt fideles in similitudine coloris istius formosissimi, qui in collis columbarum cernitur. Hunc מראה נאוה decorum Sponsæ suæ aspectum gratioso dignatus oculo cœlestis Sponsus suavi ad se accersit eandem voce, suavi, imo dulcissimo post se trahit alloquio: קומי יפתי לכי יונתי *Surge formosa mea! veni Columba mea!* COLUMBA nimirum est Ecclesia, gemitu vocalis, non cantu: Est ea *Cant.* 2: *vers.* 2. כשושנה בין החוחים *Sicut lilium inter spinas*, totus orbis persequitur eam, ut columbam accipitres, castra tamen metatur, tentoria erigit, defendit se prout potest, & si ulterius pugnare nequeat, alas habet columbinas, prout David loquitur *Psalm.* 68. celerrimas ob divinam tutelaris Numinis assistentiam *Psal.* 55. unam rubram ob pretiosum sanguinem Christi cui adhæret; alteram candidam, ob innocentiam, quam satis probavit Christo Soli justitiæ, qui ipse *Cant.* 5: *vers.* 10. dicitur צח ואדום *candidus & rubicundus.* Apprime huc collimat egregius B. Dn. Tarnovii (Avi mei vel in ipsis mihi cineribus venerandi) locus *Comment. in Jonam pag.* 13. *Ex sensu nominis Jonæ i.e. columbæ, tropologico monemur, decere omnem Christianum, (unde tota Ecclesia Christique sponsa in Cant. Canticorum sæpe columba dicitur cap.* 4: 1. 5: 2. *&* 6: 8. *&c.) inprimis vero verbi divini præconem, ut non nimium studeat hodiernæ politicæ, sed det operam, ut sit simplex sicut columba. Matth.* 10: 16. *abscondens se in foraminibus veræ petræ, h.e. vulneribus Jesu Christi, Cant.* 2: 14. *& exemplo columbæ à Noacho olim emissæ, vespertino hujus mundi tempore ipse à consolatore datus, olivæ, cum qua potest recte conferri Evangelii & pacis doctrina, folium afflictis in Ecclesiæ arca afferat. Gent* 8: *vers.* 1. *Luc.* 10: *vers.* 34. *& semper columbam ad Jordanem in baptismo Christi apparentem, h.e. Spiritum S. respiciat, Matth.* 3: 16. *Quod si tum à malis opprimatur, sciat, id esse omnium piorum* κειμήλιον, *ut conformes fiant filio Dei in cruce, Rom.* 8: 28, 29. *Actor.* 14: 22. 2 *Tim.* 3: *vers.* 12. *Sirac.* 2: 1.

§. 13. Est ergo Ecclesiæ ceu redemtæ Christi Sponsæ splendor omnis intus: כל־כבודה פנימה *Tota inclyta est intrinsecus Psalm.* 45: 13. Depingitur *Cantic.* 1: *vers.* 15. הנך יפה עיניך יונים *Ecce tu pulchra! oculi tui columbarum*: quo scilicet subinnuere cœlestis voluit Neonymphus, Sponsam suam non erectis in sublimia palpebris, non elatis aut per hirta supercilia refugis incedere oculis; sed simplicissimæ instar volucris contentam esse humili demissoque oculorum lumine, contentam esse humili simplicitate ac simplici humilitate, vulneribus crucifixi Amoris sui libentissime immorari, suum de cruce pendulum Salvatorem oculo intueri columbino. Aut certe qua in schemate avis hujus Sanctissimus apparuit Spiritus, spiritualis magis quam simplex in ea intuitus, columbæ nomine commendatur: *Appellantur* enim *oculi columbarum*, Theodoreto in Cantica interprete, *oculi spirituales, quia columba Sanctum Spiritum demonstrat*; Sunt autem oculi spirituales, qui omnia spiritualiter cernunt, mundum velut speculum Dei intuentur, rebus sensui jucundis minime se decipi concedentes, sed in iis tanquam in speculo reconditas intelligibiles pulchritudines contemplantur. Etenim prout COLUMBA simplici omnia intuetur oculo; in conspectu vero nullo trahitur rapacitatis vel desiderii studio, sed libero fertur per aëra volatu ad suum περιστερεῶνα: Haut aliter fideles animæ mundanæ felicitatis gazophylacium aspiciunt quidem, at pio ac irretorto oculo, è temporariis & caducis rebus ad æternas mentem attollunt, cujus spiritualibus oculis ad suum aspirant anhelantque cœleste habitaculum, כיונים אל־ארבתיהם *sicut columbæ ad sua columbaria*, uti non inconcinne loquitur Isaias *cap.* 60: 8.

§. 14. Poteramus jam hoc filum rationum apparitionis Sancti Spiritus sub tali symbolo abrumpere: sed ne alibi iterum τειχολογεῖν cogamur, quæ supersunt adhuc, breviter attexemus. Qualis igitur ipse etiam sit Spiritus, COLUMBA suis aliquatenus delineat proprietatibus. Cum illa mundi generis sit volucris, mundo inprimis gaudet περιστερεῶνι, ægerrime latura, si negligentius fortean sordes expurgentur: Eximium certe Spiritus Sancti signaculum, summam ejus puritatem graphice adumbrans! Ἅγιον γὰρ πνεῦμα, divina exclamat Sapientia *cap.* 1: *vers.* 4. εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται, οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι καταχρέῳ ἁμαρτίας. *Non introibit Sanctus Spiritus in animam maleficam, neque habitabit in corpore subdito peccato*: Quemadmodum columba, ubi fœtor est, non sustinet manere: haut secus sanctissimum ac purissimum Spiritus Sacri Numen, ubi fœtidum regnantis est peccati stercus, recedit: cui namque proprium est peccata repellere, illi & proprium est peccata odisse; nec in uno domicilio morabuntur pariter tanta munditia, tantaque immundities. Euthymius *in Matth.* 1. *COLUMBA*, ait, *bono gaudet odore &c. Sic & Spiritus Sanctus suavi virtutum odore summopere delectatur.* Simplicitatem amat COLUMBA: Non minus Spiritus Sanctus, Spiritus malignus duplicitatem amat & fallaciam, 2 *Cor.* 11: *vers.* 3. Felle carere dicitur COLUMBA; & ipse sacer Spiritus omni caret felle, copioso, uti loquuntur Patres, redundat devotionis melle. Mite, mansuetum, nostraque gaudens familiaritate est animatum COLUMBA: Spiritus Sanctus ceu summæ mansuetudinis Spiritus, suavi nos allicit tractu, suaviter nobiscum agit, corda nostra sanctificans, stabileque (ô summam ac immensam misericordiam!) in iis sibi figit habitaculum. Origenes, *Descendit*, dicit, *Sanctus Spiritus super Salvatorem in specie columbæ, avis mansuetæ, innocentis & simplicis* &c. Fœcundum est Columbarum genus; Spiritus Sanctus operosus & fœcundus est in cordibus piorum, quæ fructibus justitiæ replet. *Phil.* 1: 11. Eximia est columbarum in pullos pietas, non suos tantum, sed & alienos; Sanctus Spiritus omnes colligere vult sub ala gratiæ; omnes fovere. Cave cum Pharisæis resistas! *Actor.* 7: 51. In eodem COLUMBA loco nidificat, è quo pulli sublati, prioris mansuetissime oblita injuriæ: Spiritus Sanctus non statim cedit, ubi refractari homines ductum

ductum ejus innocentissimum aspernantur: semper instat, sedulo urget, tacito excitat conscientiæ verbere, monet per verbi ministerium, manus ad populum contradicentem expandit, *Es.* 65: 2. suspicionem oblivionis Domini tollit *Es.* 49: 15. Alites in expiationem destinatæ par erant turturum sive pullorum columbinorum, quod totum igni cremabatur εἰς ὀσμὴν εὐωδίας Domino, *Levit.* 1: 17. contra fas tamen intra sanctum Templi locum id sacrificium emere deinceps soliti sunt Judæi: (unde & gloriosissimus Servator incomparabili ardentissimoque correptus Zelo, sacris procul abesse jubebat porticibus, *Matth.* 21: 12. πωλοῦντας τὰς περιστεράς. De COLUMBIS enim ad sacrificium adhibendis intelligi verba dubium esse poterit nemini, cui Antiquitates Judaicæ sunt notæ: deque ista emtione in loco sacro docte disseruit Cl. Const. l'Empereur *in Cod. Middoth. c.* 2. *sect.* 3. *pag.* 49. *&* 50. & Maimonides *de Instrumentis sanctis c.* 7. cui consentit liber Schekalim *c.* 5. *sect.* 1.) Et nostrum sive gratiarum sacrificium sive devotarum precum קטרת suffimentum, DEO acceptum esse nequit, nisi naturam referat columbinam; nisi ἄσπιλος & sancta sit oblatio, non poterit amabile tueri nomen ריח ניחח ליהוה *odoris quietis Domini.* Hæc autem Spiritus fructus sunt, *Gal.* 5: 19. qui indicant nos à COLUMBA Sancto Spiritu gratiose gubernari. COLUMBA pullos in scissuris petræ: Spiritus Sanctus fideles in cruento transfixi Servatoris latere ceu firmissima tutelari Sede clementissime reponit. Continuum denique COLUMBA pro cantu ingeminat Gemitum: Spiritus Sanctus, ut divini Spiritus Apostolus *Rom.* 8: *vers.* 26. eximie plane loquitur, ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Neque tamen in semetipso apud semetipsum gemit: omnis quippe humani affectus expers, sed in nobis gemit, dum gemere nos facit. Nec minimi adeo momenti res est, quod doceat nos gemere infirmitatis nostræ misertum σπλαγχνιζόμενον istud Spiritus Sancti Numen; insinuat enim nobis inque labilem memoriam revocat, quod miseri in hac עמק עכור *perturbationis valle*, uti ex merito appellat propheta, peregrinemur, docens in veram ac quietiorem suspirare patriam, quo quidem amabili desiderio flebiliter כיונים הגה נהגה *Tanquam COLUMBÆ gemendo gemimus*, *Es.* 59: 1. cum afflictissimo inque Deum pietate notissimo Davide exoptantes è *Psal.* 55: 7. מי־יתן־לי אבר כיונה אעופה ואשכנה *Quis dabit mihi pennam sicut columba? volabo & inhabitabo.* Neque enim divina tum procul abest dextra, piam animam variis substratam afflictionibus, variis implicitam incommodis, מנהגה כקול יונים *lamentantem juxta vocem COLUMBARUM. Nah.* 2: 8. speratamque quietem non invenientem sentiens, extenta ad se recipit dextra, ut in suo sic placide conquiescat amabili ac venerabili sinu; non secus ac olim Noë columbam exploratum missam, cum circa diluvii aquis fluctuantem volitaret arcam, nullumque extra eam, ubi tuto figeret pedem, locum invenire quiret, aperta iterum fenestra in Arcam admittebat. Redibat ex Arca emissa à Noëmo columba לעת ערב *ingruente vespere*, olivæ conspicua termite: Redibat, ne occupantis forte cujuspiam infausto cederet aucupio; quamdiu enim COLUMBÆ sua repetunt columbaria, abs nemine infestari ulla aucupis arte de jure queunt, quod illustratur lege *Naturalem* §. *cervos* & seq. *In his autem* ff. de *acquirendo rerum dominio*, ubi hujusmodi animalia semper occupantium non fieri docetur: eo enim casu occupans furti merito tenetur: *In his animalibus quæ consuetudine abire & redire solent, talis Regula comprobata est, ut eousque nostra esse intelligantur, donec revertendi animum habeant: quod si desierint revertendi animum habere, desinant nostra esse, & fiant occupantium*, Conf. CL. l'Empereur *libro eleganti*, *de Legibus Ebræorum forensibus ex Ebræorum Pandectis Cod.* 1. *cap.* 7. §. 7. Nec ullum licet avidissimum ante abjuratum resipiscendi animum in hominibus tentare potest callidissimus Dæmon consilium, quo abs sanctissimo cœlorum tramite seducat, suisque insidiatricibus implicet tendiculis; Reditum quippe dum semper meditatur lapsa ex infirmitate humana fidelis anima, ad Ecclesiam, à qua se cessisse semet longius agnoscit, ceu suum columbarium, regredi desiderat. Neque tum pœnitentiam etiam seram clementissima Sancti Spiritus benignitas aspernatur. Humanissime potius invitat, imo divinitus sufflaminat toties repetita seria ac suavissima שובי allectione *Cant.* 6: 12. שובי שובי השולמית שובי שובי ונחזה־בך *Revertere, Revertere Sulamith! Revertere, Revertere, intuebimur Te*; gratioso scilicet misericordis clementiæ oculo. Nam cum in cruce penderet JESUS, lugubrem nostri causa subiens mortem latroni peccata sua lamentanti consortium cœlestis regni statim pollicebatur; protinus ac lubentissime SanctusSpiritus ad resipiscentem revertitur, referens pacem cum placato DEO, testimoniumque perhibens nostro Spiritui, quod regeniti ac justificati simus DEI filii.

§. 15. Non pauci venerandorum patrum firmiter istam tueri videntur rationem, quod Spiritus Sanctus dum columbino se exhibuerit Schemate, antiquæ memores esse voluerit spectatores historiæ Noachi; Nec adeo incongrue: Sane omnis (ut dicitur) rudens erat ruptus, omnis spei anchora prorsus evulsa, universum enim orbem commune merserat naufragium: ecce pacificum istud ac mansuetum apparet animal, COLUMBA, finem illius tetricæ tempestatis subinnuitura, ore ramum portat olivæ, pacis universitati restituendæ signum. Dispulsas cœlo nubes, redditum Solem, communemque adeo orbis tranquillitatem nunciabat: Hic penes Jordanem Sacer Spiritus placatum refert DEUM: Ferebat illa oleæ termitem; Et hæc præsens Sanctissima COLUMBA suos secum fert fructus, pacis scilicet & gaudii *Gal* 5: 22. summæ bonitatis divinæque misericordiæ diu desideratum defert oleum: Illa pacem: hæc pacem & dona maxima presso retulit orbi. Illa optatum diluvii finem: Hæc exoptatissimum Mundi Restauratorem, qui est finis Legis, ostendit. Illa non alibi nisi in Arca quiescebat: Et hæc nonnisi in Ecclesia. Quamvis equidem ubique sit DEI Spiritus respectu essentiæ, *repletive* nimirum, quod Deitatis est proprium, quæ infinita est, tamen proprie loquendo non habitat extra Ecclesiam, uti & olim כביר יהוה *Gloria Dei* nonnisi super arcam fœderis quiescebat. Atque ut septima quaque die COLUMBA veniebat ad Noachum: Ita & hodie ἅγιον πνεῦμα speciali super nos descendit modo unaquaque die septima, quæ olim erat Sabbathi dies, hodie Dominica, qui etiam erat dies, cum Christus flavit in Apostolos *Joh.* 20: 22. cumque Spiritus S. descendit in fideles *Act.* 2: 1. & cum Johannes correptus Spiritu vidit visiones DEI. *Apoc.* 1: 10. Et sic gratiose nos visitaturum nobisque cohabitaturum *Es.* 59: 21. una cum Patre & Sancto Spiritu amabiliter pollicitus est gloriosissimus noster Salvator. *Joh.* 14: 17. *&* 20. Arca aquis diluvii invecta viri justi Noëmi familiam conservabat illæsam: Ecclesia quoque per baptismi salutare lavacrum regenitos ceu firmissimum propugnaculum contra insultus maligni Spiritus fortiter defendit: Typus quippe Baptismi in illo universali cataclysmo præcessit; Concinne D. Ambrosius *de iis qui initiat. myst. cap.* 3. *in med. Vides*, ait, *aquam? vides lignum? columbam aspicis & dubitas de mysterio? Aqua est ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum: Sepelitur illic omne vitium: Lignum est, in quo suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. COLUMBA est, in cujus specie descendit Spiritus Sanctus, sicut didicisti in N. T. qui Tibi pacem animæ tranquillitatemque mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit, & non revertitur, si in Te quoque JUSTI custodia & forma servetur.* V. eundem *l.* 2. *de Sacram. c.* 1. *to.* 4. *p.* 432.

§. 16. Denique quod quandam meretur observationem, Diabolus ut Evæ appareret, serpentem induit; Spiritus vero S. elegit COLUMBAM; ut qualis sit Diabolus, qualis etiam Sacer Spiritus, ὀφθαλμοφανερῶς inde elucescat. Diabolus sc. ὁ ὄφις ἀρχαῖος *Apoc.* 12: *vers.* 9. callidissimus imo sævissimus est serpens: Spiritus Sanctus COLUMBA mitissima ac simplicissima, omni caret felle, omnique redundat melle. Sumsisset quidem placidi alicujus animalis effigiem tartareus hostis, modo Divina permisisset Majestas. D. August. *l.* 11. *de Gen. ad lit. Non debemus*, inquit, *opinari, quod Serpentem Diabolus elegerit: sed cum esset in illo decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est &c.* Cur autem permissus sit per serpentem decipere docet Hugo Victorin. *Diabolus*, dicens, *in aliena forma venire permissus est, sed tali, in qua ejus malitia prorsus non celaretur. Ut in propria forma non veniret, sua voluntate factum est; ut autem aliam formam, nisi talem, quæ malitiæ suæ conveniret, habere non posset, divina ordinatione dispositum est, &c.* Par scilic. erat, ut inter instrumentum ejusque motorem quædam esset proportio. Motor erat versipellis Satanas peccati veneno plenus; Instrumentum quoque Serpens fuit callidus & venenatus. *Fortassis*, ait Hugo loc. cit. *si permissus fuisset Diabolus, in forma COLUMBÆ venire maluisset. Hoc vero vas Spiritus Sanctus sibi reservarat: quia profecto dignum non erat, ut Spiritus malignus illam formam homini faceret odiosam, in qua postmodum idem Spiritus Sanctus apparere debebat &c.* Uti vero Serpens divinæ Imaginis in primordio fuit *prædo*: Ita COLUMBA præsenti tempore cœlestis pacis gratissimus est *præco*.

§. 17. Præ-

§. 17. Præterea non ferox Aquila, sed mitis COLVMBA vertici Messiæ insidet, ejus mitissimum ingenium declaratura; Erat nimirum ille elogio Johanneo, ὁ Ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου; nil ergo & melius conveniebat Agno quam COLVMBA. Quod enim in terrestribus Agnus: id ipsum in volatilibus est COLVMBA. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas: Nocere cuiquam nesciunt, lædere non noverunt. Venerat ille Agnus vere innocens, (prout idipsum innuit nomen Jesu Græce Ἰησοῦ literis per anagramma transpositis σὺ ἡ οἶς *Tu es ovis*:) vere piacularis victima, immaculata à Mose figurata, portans ceu hostia humeris suis impositum abs cœlesti patre immensum humani generis delictum, portando expians, expiando auferens efficiensque ut remitteretur. *Unus pro omnibus occiditur*, ait Cyrillus, *ut omne genus hominum Deo patri lucrifaciat.* Venerat, ut obseratas per peccatum cœli fores peccato Dæmoneque superato tam arduum militiæ genus fortiter aggressus Victor panderet. Hanc tot expetitam & expectatam seculis victoriam summa Salvatoris mansuetudine reportatam non vi, non armis, mite ac mansuetum animal COLVMBA demonstrat: Hæc quanta sint, curatius meditari docens, inque statera cordis nostri appendere, ut totus nobis devoto pariter ac grato figatur in corde, qui totus pro nobis fixus est in cruce.

§. 18. Nec contemnenda subest ratio, cur præsenti tempore venerandum Ἁγίου πνεύματος Nomen columbina se stiterit specie: neque enim jam tum veniebat per Zelum sanctissimum peccata punitурus; sed adhuc per maximam ac humanissimam mansuetudinem toleraturus, modo gratiam Filii DEI pœnitentia & fide ambiant lapsi ex infirmitate homines; quum totius mundi noxam ille tanquam DEI AGNVS bajulet auferatque. Tribuerat quoque jam tum Esaias *c.* 42: 3. Christo, quod קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה *calamum quassatum non esset confracturus, nec limum fumigans penitus extincturus.* Propter hanc Christi mansuetudinem, qua blande & comiter peccatores in spem salutis vocavit, & quotidie invitat Spiritus Sanctus super eum descendit in specie COLVMBÆ. Atque in hoc symbolo illustre suavissimæ consolationis pignus nobis exhibitum est, ne metuamus ad Christum accedere, qui non formidabili Spiritus potentia: sed amabili & placida gratia indutus nobis occurrit. Decima autem post ascensum Christi die, quam Judæi pentecosten vocant, hic idem Sacer Spiritus vehementi cum sonitu & fragore descendebat in ædes, quas sectatores Christi tunc religionis causa incolebant. In ignea videlicet effigie tum super simplices apparebat homines, ut efficax & vehemens Apostolorum prædicatio per linguas ignitas δεικτικῶς demonstraretur, eosque ad punienda in se peccata spiritualis fervor accenderet, quæ per summam hactenus clementiam vindicare misericors DEI pepercerat Numen. Prædixerat vero Salvator, *Joh.* 16: 8. Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας. Adveniens ergo נשמת שדי תבינם πνοὴ τοῦ παντοκράτορος ἡ διδάσκουσα αὐτοὺς duodecim è discipulis Christi legatos seligebat, selectos septemplicibus divinitus instruebat donis, ut circuitis civitatibus passim docerent, adesse regnum cœleste, valedicendum vitiis, renunciandum amori tenebrarum, redeundum in gratiam cum DEO, credendum promissis divinis de vita per filium ejus donanda unigenitum, quærendos in cœlis thesauros, mundum hunc ejusque vanitates contemnendum, ne semet inani felicitatis mundanæ umbra fallerent: Frustra enim alias esse omnes hominis vires in beatitudine acquirenda, nisi baptizatus illuminatusque Sancto Spiritu per Filium DEI veniam peccatorum impetret, eaque fide salutem in ipso solo æternam requirat.

§. 19. Explicuimus hactenus, qua fieri potuit brevitate, rationes, cur tale electum fuerit abs Sancto Spiritu apparitionis medium; subnascitur porro alia sublimis non minus ac ardua quæstio: *Quomodo id fuerit factum?* num COLUMBA præsto fuerit vera, num species saltem Columbæ? cui ultimo κειμένῳ membro favere videtur particula similitudinis ὡσεὶ Ebraismum redolens. Super hoc ipso autem quæsito לא כל אצבעות החכמים שוות *Non omnes Sapientum digiti sunt æquales*, prout eleganter loqui amant Ebræi. Etenim in diversas abeunt sententias tam Patres, quam alii non minoris nominis Theologi; quodque Rabbinis familiari dicitur proverbio: חן מקח על לוקחו *Sua cuique merx pulcerrima.*

§. 20. D. Chrysostomus; *Spiritus*, ait, *Sanctus non assumsit naturam COLUMBÆ; idcirco Evangelista, non in natura sed in specie columbæ dixit. Nec unquam omnino postea, sed tunc certe solum in hac visus est figura &c.* D. Bernhardus *Tom.* 3. *operum suorum p.* 73. *In specie*, dicit, *COLUMBÆ Spiritus Sanctus apparuit.* Idem arbitratur D. Ambrosius *l.* 1. *de Sacramentis c.* 5. *Non COLUMBA*, inquiens, *descendit, sed quasi COLUMBA.* Item: *Spiritus Sanctus in specie COLUMBÆ non in veritate Columbæ descendit de cœlo.* Huc quoque respexisse videtur, qui sub Constantino gloriosæ recordationis Imperatore celebris vixit vates Juvencus *lib.* 10. *carm.* eleganter admodum ac graphice hanc Apparitionem Sancti Spiritus depingens:

Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra
Corporeamque gerens speciem descendit ab alto,
Spiritus, aëream simulans ex nube COLUMBAM.

In eandem inclinat sententiam Magnus Chemnitius *Harm. Evang. p.* 249. specie COLVMBÆ Sanctum super Christum descendisse Spiritum asserens. D. Calixtus *concord. Evang. l.* 2. *c.* 2. *p.* 82. Corpus opinatur fuisse ad figuram COLVMBÆ efformatum, sicut cum angeli in specie sive forma humana apparent, ubi nullus de novo creatur homo, sed corpus humano simile effigietur, quod tamdiu sustentetur ac conservetur, quamdiu ejus usus est: uti enim D. Thomas, *Non oportet*, ait, *ut duret, nisi quamdiu peragit suum officium.* Justinus aperte exprimit COLVMBÆ speciem, cum dicit: ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς πνεύματος. Cornel. Jansenius *in Tetrateucho p.* 27. *Potius*, inquit, *videtur significari corporalis similitudo COLUMBÆ, quantum ad figuram ac descensum, ut communiter Autores sentiunt, quam veram COLUMBAM; Non adhibita tantummodo fuit ad significandum. Nec erat illa COLUMBA Spiritus S.* (Dan. Tossani verba sunt in *comment. super h. l.*) *aut Spiritus realiter in columba; sed accedebat tale signum sive species aliqua corporea, ut loquitur Lucas, ad confirmandum quod invisibiliter erat in Christo.* Ac huic quidem sententiæ suum quoque adjiciunt calculum D. Augustinus *epist.* 102. Theophylactus *ad l. Luc.* 3. *p.* 86. Euthymius, Lyranus, Abulensis *q.* 84. & 85. Suarez 3. *part. q.* 39. *art.* 7. Cornel. à Lapide *comm. in Matth. p.* 94. Origenes, Cajetanus, Schmidius *in notis & animadv. ad h. l.* aliique recentiores, quos Grotius in *suis super l. h. annotationibus* sequitur.

§. 21. Ἀντιδιηρημένως vero huic citatorum Autorum asserto opponunt οἱ ἐξ ἐναντίας veram ac viventem fuisse columbam; non autem speciem. Tertullianus *lib. de carne Christi: Spiritus*, ait, *tam vere erat COLUMBA, quam Spiritus, nec interfecerat substantiam propriam assumta aliena &c.* Cui consentiunt Hieronymus, Anselmus veram censentes adfuisse COLVMBAM; & ex iis D. Thomas 3. *part. q.* 39. *art.* 7. Salmeron & alii.

§. 22. In tanto Autorum Cl. conflictu licet nostræ non sit opis palæmona aliquem interponere; non caret tamen magna probabilitate illorum sententia, qui statuunt *columbinam* tantum fuisse speciem, & sic sumendam similitudinis particulam ὡσεὶ, quam diserte omnes Evangelicæ historiæ Scriptores inculcant. Diximus autem superius redolere illam Ebraismum: Ebræi scilicet exprimunt eam per servilem literam כ, quæ duplicis apud illos est notionis: כלאמתה uti appellat R. Kimchi, s. ἀληθινόν, ipsam indubitatam notat veritatem; e. g. Nehem. 7: 2. fidelitatem præfecti Autor descripturus, eum esse dicit כאישאמת Sic & Joh. 1. *vidimus gloriam ejus*, δόξαν ὡς μονογενοῦς, ubi μονογενοῦς sive unigenitum non dubitanter: sed affirmanter vocat כ השיעור sive deminutionis ἀποῤῥητικὸν s. στοχαστικὸν aut uti alias quibusdam appellatur הדמות s. speciei, qualis est, quæ sensibus offerunt, forma, conformitas, modus, similitudo, repræsentatio, sic ὡσεὶ περιστερὰν h. l. *Marc.* 1: 10. *Luc.* 3: 22. *Joh.* 1: 32. & *Matth.* 9: 36. ἐῤῥιμμένοι ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα. *Matth.* 28: 4. ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροί. λευκὸν ὡσεὶ χιών. &c. conf. Schmidium *cit. not. in* N. T. *p.* 60. *in med.* Syrus Interpres expressit per ܐܝܟ *Sicut, Tanquam*; Arabs per كمثل, *Sicuti, secundum similitudinem*, V. Cl. Golium in *Lexico Arabico p.* 2191. *in med.*

§. 23. Insignem certe Cl. Hackspanius in *Not. Philol. part.* 2. *p. m.* 874. tuetur canonem: *In visione censetur non adesse ipsa res, sed ejus species, ea tamen lege, ut veritati subjecti, quæ per speciem exhibetur, inde nihil decedat.* Nec Spiritus Sanctus in sua Spirituali apparuit substantia; quippe cum sit ἀόρατος, corporalibus spectatorum oculis usurpari neutiquam potuisset; *Nunquam*, (D. Augustini effatum est *c.* 3. *de Trinit. & unit.*) *illa incomprehensibilis incommutabilisque Divinitas, quæ est Trinitas, DEUS ab oculis carnalibus videri potest, nisi per subjectam, uti dictum est, creaturam.* καταβῆναι quoque descen-

descendere Sanctus non diei quiret Spiritus: immobilis enim est ac immutabilis; nisi ἐμμέσως & per ἰδιοποίησιν in signo simplicissimæ COLUMBÆ descendisse statuatur: Etenim qui essentiæ suæ infinitate nullibi exclusus universum terrarum orbem replet, is assumtæ COLUMBÆ speciem sibi *formaliter* (ut D. Lutherus erudite nominat) uniens, descendere recte scribitur, cum illa COLUMBÆ species descendit, quæ patefactionis hujus manifestæ Sanctissimi Spiritus erat organum sive medium. Descendentis motum dum ex aëre paulatim defertur COLUMBA, voce רחף Ebræos, (unde & in historia creationis Spiritus Dei dicitur מרחפת על־פני המים) verbo autem ἐπιφέρεσθαι Hellenistas denotare scribit Cl. Heinsius *pag.* 322. Mansionem ejus super Salvatorem, Ebræorum verbo שכן, Chaldæorum שרא, Hellenistarum variis exprimi phrasibus, quales sunt Ἐγένετο ἐπ' ἐμὲ χεὶρ κυρίου *Ezech.* 1: *vs.* 2. ἦλθεν ἐπ' ἐμὲ πνεῦμα *cap.* 2: *vers.* 2. ἐπέπεσεν ἐπ' ἐμὲ πνεῦμα κυρίου. *cap.* 11: *vers.* 5. Volatu significari influxum divinum jam tum est notatum, R. Bechai ad cap. 9. Dan. In Christo acquievit Spiritus, nemini posthac majori dandus, imo nec cuiquam nisi per Christum.

§. 24. Leviculum vero ac κάπνου σκιᾶ non redimendum est, quod veretur Spanhemius absurdum: Brutum ad momentum Sancto uniri Spiritui; unde enim ἀνάγκης βέλος ἔστο? Essentialis quidem, hypostatica ac personalis non fuit unio; interim tamen παραστατικὴ, qua Spiritus Sanctus σχηματοποιούμενος, uti concinne effert Epiphanius, sibi certo appropriavit modo hoc Columbinum corpus, idque ipsum gubernavit, prout ἀκτιστοσυμπλαστουργοσύνθρονος Θεοῦ Damasceni voce, Filius DEI in V. T. patribus apparuit in corpore humano. Apposite huc collimat decumanus quidem, egregius tamen Augustini locus *de cognitione veræ vitæ cap.* 18. *Sancti Spiritus substantiæ non in* COLUMBAM, *vel ignem est transmutata, sicut nec verbi in carnem est transformata: sed Spiritus Sanctus* COLUMBÆ *corpus condidit, in quo se ad horam super corpus sibi inseparabiliter unitum, ad testimonium hominibus visibilem præbuit; ipse vero invisibilis in essentia patris & verbi inseparabiliter mansit, animas quoque discipulorum interius possidens, foris speciem ignis vel luminis oculis hominum pro signo exhibuit, & tamen à substantia patris & filii non recessit; profecto insinuans quod Pater & Filius per eum peccata consumunt, & in eorum amorem hominum corda, per ipsum accendunt, & quod impios per eum judicabunt; justos vero lumine vitæ in ipso glorificabunt.* Nec immerito reverentiæ limites excedens Spanhemii assertum retundere poterit Faustus Socinus multo honorabilius de hoc sentiens mysterio, (cum alias Sancti Spiritus persona, tanquam *Signi* hujus *Signati*, hoc è loco probanda ipsi non minus ac aliis Socinianis Volkelio, Ostorodo, &c. sit sudes in oculis & ἀσυναῖον κακόν) *Verisimile est*, inquit, *in Tract. de* DEO, *Christo & Spiritu Sancto pag.* 109. *istam corpoream speciem sive formam, in qua Spiritus Sanctus in Christum descendit, non vulgarem fuisse; in qua nihil divini necessario conspiceretur, qualis est forma* COLUMBÆ, *sed plane singularem & miraculi plenam.* Cumque secundum Ebræos *in* שמות רבא *Sect.* 46. כמאה עדים הודאת בעל דין *Confessio Adversarii sit instar mille testium*; plura probationum documenta acquirere superfluum arbitramur; cetera, quæ ad retundenda Socianorum argumenta de persona Spiritus Sancti facere possent, in subsecuturam, si Divina faverit gratia, differentes ac rejicientes Dissertationem.

§. 25. Species ergo veræ fuerit COLUMBÆ; quod ipsum alii simili aliquo illustrius reddunt effatum: Quem in modum ille ignis, in quo idem Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit, effigies ignis fuit, non ignis verus elementaris (uti ex illorum mente Magnus loquitur Chemnitius *Harm. Evang.*) Ita vero propius accedit COLUMBAM non veram fuisse, sed effigiem COLUMBÆ. Igneam autem adfuisse effigiem docet Lucas illis verbis *Actor.* 2: 3. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός; *Apparuerunt ipsis dispertitæ linguæ tanquam ignis*; neque ignis dicit simpliciter: Quod si enim vere igneæ fuissent linguæ, universæ conflagraturæ fuissent ædes, nisi ad miraculum quis confugiat.

§. 26. Quod vero ad hanc COLUMBÆ attinet speciem: cum DEUS non laudat hominum oculos meris φάσμασι & inanibus spectris, corporeum quid fuisse cum celeberrimi nominis Theologis, Hunnio, Dorscheo, Walæo in *comment. ad h. l.* Tossano, *Symbola*, inquiente, *divina non sunt inania*; aliisque statuimus: Εἶδος *quidem interdum*, uti Walæus loquitur, *contradistinguitur rei veritati, interdum eam includit*; unde & Lucas σωματικὸν εἶδος corpoream nominat speciem; quod omnium rectissime Syrus expressit Interpretum: ܒܕܡܘܬ ܓܘܫܡܐ ܕܝܘܢܐ *In similitudine corporea* COLUMBÆ; nec minus Arabs: بشكل جسد حمامة Quod autem ad Propheticas spectat visiones, eas quidem, quibus Deum vidit Daniel & Esaias in forma humana, probabile est, eas interna potius illuminatione & aspectu mentis constitisse, quam ut externo oculorum visui credamus objecta fuisse inania phantasmata; (quod tamen ceu latius patens quæsitum hic substringimus, ne in ἐπροζητήσεως delabamur syrtes) Hæc præsens autem penes Jordanem patefactio, quia externis objecta fuit oculis, verosimile haut quicquam est, DEUM Baptistæ aliorumque qui aderant, oculos perstringere voluisse nudo & inani phantasmate. Et licet certo affirmari nequeat, naturalem aliquam talem fuisse COLUMBAM, quales nostræ, corporeum tamen quid fuisse, quod sua quidem constiterit materia, plane rejicere maxime dubitamus.

§. 27. Sed ne importune philosophemur, & cœlestia indecore contrectemus, malim cum πρωτοβάθροις in Theologorum subselliis acquiescere, omni curiosa ac scrupulosa inquisitione remota, unde vel venerit, vel ubi remanserit ista COLUMBA? Cum enim propius hoc accedat κεκλεισμένον ad limites mysterii, cujus altitudo longe transcendit rudem nostræ dictionis tenuitatem; certi quicquam determinare vix ac ne vix quidem permittit. Religioso ergo potius silentio Sanctum veneremur Flamen; Etenim uti ipsum mundi opificem silendo recte enunciamus: Ita plurima Sacræ Scripturæ abdita, humanis sensibus maxime remota, nec cogitatione comprehensa, nec voce edita. Qua ratione in hoc ipso Apparitionis Spiritus Sancti miraculo non pauca sacris silentii siparriis sunt obducta, quæ tacitam magis venerationem, quam curiosam retectionem merentur. Quod si vero alicui strictius hoc pressuro miraculum, scrupulosius huic inhærere allubesceret quæsito: illi Æternum ac Incomprehensibile Spiritus Sancti Numen verius ac majori jure oggeret, quod Ægyptii, referente Plutarcho, Isidis inscripserant Templo:

Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν, καὶ ἐσόμενον καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον
οὐδεὶς τῶ θνητὸς ἀπεκάλυψεν.

Ego sum omne illud, quod fuit, quod est, quodque futurum:
& peplum meum nullus mortalium detexit.

Cui non absona sunt D. Tertulliani verba: *Eadem haut incongrue ratione interceptum est, qua & editum fuerat. Si vidisses cum de nihilo proferebatur* COLUMBA, *scisses, cum in nihilum subducebatur. Si non fuit initium visibile, nec finis.* Neque *enim omnium operum* DEI *ratio inveniri vel reddi potest*, non immerito infit B. Chemnitius *Harm. Evang. pag.* 249.

§. 28. Attamen nec hoc sicco erit prætereundum pede, quin potius velut auctarium huic capiti constituendum: Quid *significet memoratus* COLUMBÆ *volatus*; *an Christum tunc unxerit Sanctus Spiritus?* Nonnulli Patrum suis id indicasse verbis videntur: D. Athanasius *Orat.* 2. *contra Arrianos*: *Unctus*, ait, *est Dominus oleo lætitiæ &c. cum in carne constitutus baptizabatur in Jordane, ac Spiritus in eum descenderet &c.* D. Hilarius *lib.* 11. *de Trinitate*: *Spiritu* DEI, inquit, *& virtute unctus est Christus tum, cum ascendente eo de Jordane vox Dei patris est audita: Filius meus hic est &c.* D. Hieronymus *Jes.* 61. *Christi*, dicit, *unctio illo expleta tempore, quando baptizatus est in Jordane; & Spiritus Sanctus in specie* COLUMBÆ *descendit super eum &c.* Optatus Milevitanus *lib.* 4. *contra Parmenianum*: *Apertum est cœlum* DEO *patre ungente; spirituale oleum statim in imagine* COLUMBÆ *descendit, & insedit capiti ejus & perfudit eum.*

§. 29. Poteramus plures recensere ὁμοψήφους huic Patrum asserto; at sufficiant hæc קליל מן כתיר *pauca è multis*; neque enim nunc lubet Magnorum alias Virorum humana accuratius intueri errata. Nam quod pace summorum alias Virorum, ὧν κλέος ὑψιποτᾶται & חוץ ממעלת כבוד תורתם *Salvo* (uti loquuntur Rabbini) *honore eruditionis ipsorum*, reponere nonnisi ex vero liceat; aberrasse istorum opinionem paululum hac in parte ab analogia consensus Theologici, nemo nisi cui quidvis credere compertum est, inficiabitur. Stabilis siquidem ac ἀναντίῤῥητος omnium Theologorum est sententia, Christum in ipso Incarnationis momento Spiritus Sancti oleo, summa scilicet ac perfectissima gratia, summisque Spiritus Sancti charismatibus esse perfusum. Præsens hic Actus ceu solennis fuit declaratio, quo id, quod jam ante Christus possederat, publicitus innotesceret, eoque COLUMBÆ Signo

Signo Autoritas Christi & ejus magisterii clarius propalaretur non Johanni tantum, sed & reliquis, qui aderant, spectatoribus, ut sic omnibus constaret, hunc Prophetam audiendum esse, qui divina autoritate cœlitus sit missus & confirmatus. Neque enim tunc proprie unxit Sanctissimus Spiritus Messiam: sed declaravit, unctum abs se Regem, quem cœna efferataque Judæorum gens præstolabatur. Ac eo quoque digitum intendit pulcherrimus. Isaienus locus *cap.* 61:1. ריח ארני יהוה עלי יעז משה יהוה אותי לבשר ענוים שלחני לחבש לנשברי־לך *Spiritus Domini super me: ea propter unxit Dominus me ad Evangelizandum afflictis, ad fascia obigandum contritos corde* &c.

§. 30. Descendit igitur Ἅγιον πνεῦμα, in veritatem Christi effigie COLUMBINA, tum ratione *baptizati JESU*, extenti quodammodo digiti vice solenne perhibendo testimonium, divinam vocem è σχιζομένοις cœlis resonantem ipsum gloriosissime denotare: admirabilemque illius gratiam, unctionem & venerandam Messiæ dignitatem declarando; Tum ratione *baptizantis* Johannis, admonendo, nihil in ipso Christo carnale, nihil terrenum esse quærendum, sed Divinum hominem prodire, in quo regnet perfectissima Spiritus Sancti virtus. Omnino enim Johannes sive quoad personam de facie, sive quoad officium, quantum satis erat, Christum penitius perspectum haut habebat; Quamprimum autem adventantem aspicit, Deus inspiratione quadam arcana animum ejus movit, ut hunc esse Messiam, quemque ἐν πνεύματι βαπτίζοντα prædixerat, certo statuat, ceu hæc omnia ipse disertis fatetur verbis *Joh.* 1:13. Κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτὸν ἀλλ᾽ ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν. Ἐφ᾽ ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ᾽ αὐτὸν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ. Haud aliter ac Samuel occulto Dei noscebat judicio, minimum filiorum Isai Davidem ungendum esse ac constituendum Israelis Regem: ac uti Sauli prius sibi nunquam viso, Regiam unctionem sciebat destinatam. Inchoatam ergo Baptistæ notitiam subsequente nihilominus COLUMBINO descendentis sensimque de demittentis Spiritus Sancti schemate exactius confirmaturus erat DEUS, ut sic ipse Christus Patris voce & Spiritus S. descensu φανερωθῇ τῷ Ἰσραήλ. *Joh.* 1:13. Tunc denique ratione *baptizandorum*, dum COLUMBA præsentem in baptismo Spiritum Sanctum adumbrat in baptizatum veluti devolare, cœlestique illum gratia induere. Philo ex Ebræorum disciplina per COLUMBAM significari, ait, sapientiam, non illam φιλέρημον, (qualis erat Baptistæ,) sed eam, quæ sit ἡμέρος καὶ τιθασὸς καὶ ἀγελαῖος. *Signum erat*, inquit Beda, *conferendæ nobis in baptismo gratiæ spiritualis: Quibus in peccatorum remissionem ex aqua & Spiritu regeneratis, amplior ejusdem Spiritus gratia per impositionem manus Episcopi solet cœlitus dari* &c. Theophylactus *in Luc.* 3. *pag.* 86. *Descendit*, dicit, *Spiritus in Jesum, ut ex hoc discamus, quod & in nos, cum baptizamur, Sanctus descendat Spiritus* &c. *Ut disceres*, ait D. Chrysostomus *homil.* 12. *in Matth. quoniam super Te quoque, cum sacro dilueris fonte, Sanctus Spiritus veniat &c. Ut per descensum* COLUMBÆ, elegans Hieronymi est effatum, *Spiritus S. adventus in baptismo fidelium significaretur. Descendit*, (Janssenii sunt verba in Tetrateucho) *Spiritus S. sicut* COLUMBA, *non quod Christum tunc tantum inhabitare ceperit, qui eo semper plenus fuit: sed ut eo symbolo præsentia Spiritus S. in Christo & in baptismo fidelium significaretur; Per* COLUMBAM *autem ad exprimendas proprietates* COLUMBINAS *ipsius Spiritus Sancti, quas in Christo & baptizatis operatur.*

§. 31. Illustre vero ex hoc Augustissimo Baptismi Servatoris Actu elucet argumentum patefactionis adorandæ Trinitatis, dum personæ Deitatis distincta quadam ratione ὀφθαλμοφανερῶς se manifestant. Astat quippe ad Jordanem in sanctissima carne seu humanitate sua Filius: Spiritus Sanctus maxima Baptismi beneficia tanquam arrhabone inter DEUM & nos obsignaturus COLUMBÆ descendit specie; Pater tanquam verbi genitor sonat in magnificentissima voce cœlitus delata: Hic est Filius meus, in quo mihi complacitum est. Utrumque symbolum alterius significationem apprime juvat: Vox quidem, indicando quid sibi vellet COLUMBA; COLUMBA vero ad quem spectaret vox: unum oculis, alterum auribus, ut Filius DEI auditu conspectuque monstraretur, quia fide dignissimus, qui audivit & vidit. Pater est, qui docet & instruit, Filius, qui arcana Dei nobis revelat & aperit, Spiritus Sanctus, qui nos replet & imbuit. A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu S. accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus S. conjungit & unit. A Patre nobis datur Æternitas, à Filio imaginis ejus conformitas, à Spiritu S. integritas & libertas. In Patre ἐσμὲν sumus, in Filio ζῶμεν vivimus, in Spiritu S. κινούμεθα movemur & proficimus *Actor.* 17:28. Pater dat τὰ πάντα, Filius ζωὴν, Spiritus S. πνοὴν *vers.* 25. Hæc ergo nobis celebranda sunt mysteria, quibus innuitur, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti credentes esse baptizandos, ipsum autem Sanctum Spiritum quam maxime esse occupatum circa hoc lavacrum Regenerationis, unde sit illud λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ Ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου *Tit.* 3:5.

§. 32. Ceterum ne terminum calcis ignoret, aut spacio transmeet præsens hæc Dissertatio, paucis hisce ac singulis, qua licuit brevitate expeditis, colophonem huic Disquisitioni imponimus. Sufficiat ἀκρώνυχα ἴχνια tantum per summa fixisse Argumenti capita, doctioribusque ac peritioribus ulterius de his cogitandi aliquam subministrasse ansam. Reliqua, quæ circa præsens institutum proponi merebantur, cum prima huc contingere nequeat navigatio, δεύτερον πλοῦν adhibituri sequentibus reservabimus Diatribis. Quod enim non invenusto alias Rabbinis dicitur diverbio: הירעה הזאת קטנה מהכול אותם והמצע קצר מהשתרע: *Cortina præsens minor est, quam ut comprehendat ea, & stratum nimis exiguum potius, quam ut redundet.* In meliorem ergo differenda sunt ista commoditatis articulum, ubi feliciores conatibus nostris successus Divina Numinis indulserit clementia.

ברוך עלאה על מתן חילה אל הא אגרהא

M. VAL.

M. VAL. GREISSING

SAL ΜΩΡΑΝΘΕΙΣ

ad Matth. V: 13.

ΘΕΟC! ΘΕΟC!

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Salis Etymologia. An à saliendo vel salo? Ab ἅλς *Sal, Sale, Sal & mare. Spiritus asper in S. mutatur. Scaptesula an Scaptensula? Dialectus Laconica. Digamma Æolicum.* Ἅλες *Sales. Convictus. Nihil utilius Sale & Sole. Sal* θεοφιλὴς *Platoni:* θεῖος *Aristoteli. Omne excellens divinum. Etiam Subulci & Agricolæ apud Homerum atque Theocritum. Laconicum,* θεῖος ἀνὴρ. *Salis virtutes. Quare divinus? Sententiæ diversæ. Laudatur Plutarchus, Vossius, Grotius. Sal pro Sapientia. Sal gentium Græcia. Athenarum laus. Cleanthis & Varronis dictum: Suillo pecori anima pro sale data. Sacrificia sale condita æque apud gentes atque Israëlitas. R. Salomonis ratio ridicula. R. Maimonidis laus. Mola salsa.* ὀλοχύται *quid? Eustathius. Salis Religio in vulgaribus conviviis. Arnobii dictum. Sacerdotum Ægyptiorum abstinentia à sale. Rationes diversæ. Sal confert ad generationem Ægyptiorum numina. Odium maris & Typhonis, ideoque Salis. Odii Symbolum piscis. Sal Symbolum fœderis, pacis, amicitiæ. Pythagoræ Symbolum exponitur. Salis eversio in mensa mali ominis. Germanorum consuetudo in excipiendis hospitibus & peregrinis.*

§. 1.



Salem dici à saliendo, quod in igne exiliat, putasse quosdam, docet nos Isidorus Originum Lib. 16: 2. *Fugit enim ignem, cum sit aqueus, & naturam aquæ sequatur, quia ignis & aqua inter se inimica sunt*, ut recte legitur in Catholico; quæ corrupta sunt apud Isidorum. Alii malunt, à *Salo* ac *Sole* vocari Salem, *quia in aquis maris sponte gignitur, spuma in extremis littoribus vel scopulis derelicta & sole decocta.* Sed verius ac proxime à Græco ἅλς derivatur, quod ex ἅλιος factum κατὰ συγκοπὴν quia ἐκ θαλαττίου ὕδατος συμπήγνυται, *ex aqua marina concrescit*, testante Eustath. ad Hom. Ὀδ. ε. pag. 1542, 30. Hinc *Sale* secund. terminationem priscam: quemadmodum apud Terentium Eunucho Act. 3. Sc. 2. legit Muretus: *Qui habet Sale, quod in te est.* Itaque potius, quam *Sal* dicere jubet Charisius. Quod & Ennius observavit in quarto decimo Annali apud Agellium Lib. 2. cap. 26.

Cæruleum spumat Sale confecta rate pulsum. Sale pro mari posuit, ut in illo Maronis Æn. 1.

——— ——— ——— ——— *in altum*
Vela dabunt læti, & spumas salis ære ruebant.

Nam & Græcis utrumque significat ἅλς, Sal & mare, sed Genere Grammatico distinguuntur significationes, altera masculino, altera fœminino.

§. 2. In more positum est Latinis, asperum Græcorum Spiritum mutare in S. ideo ex ὑπὸ fit Sub, ex ὑπὲρ Super, ὁλκὸς sulcus, ἕρπω serpo, ἕρπυλλον serpyllum, ὕλη Sylva, indeque σκαπτὴ ὕλη Scaptesula, pro quo apud Lucretium Lib. 6. legitur vulgo Scaptensula. Confirmat hoc Priscianus &, ut probet cognationem inter S & H, de Boœtis addit, in quibusdam dictionibus pro S. scripsisse H, Muha pro Musa. De Laconibus geminum observatum est aliis. Hi enim pro μοῦσα μῶα, pro ἐκλιποῦσα ἐκλιπῶα, κλεοῦσα κλεῶα scribunt, sicut videre licet apud Aristophanem Lysistrata, in qua aliquot ῥήσεις ex Laconica Dialecto proferuntur. Hanc caussam putabat Celeberrimus Salmasius P. II. Commentar. de Lingu. Hellenist. cap. 2. pag. 388. cur in antiquis monumentis Digamma eadem figura pingatur, qua S. Latinum. Nam vicem ejus vimque sæpe exhibebat. Ideo Sεκατὸν, pro quo Attici Ηεκατὸν, Aeoles Fεκατὸν, Lacones γεκατὸν centum. Idem notat in Alphabeto Coptico sive Ægyptiaco, quod totum ex Græco qua figuras qua appellationes expressum asserit, hoc Digamma vocari So. Quod Ungaris Salem notat. Pro quo Poloni Sol, Itali Sale. Galli Sel, Bohemi Sul, Saxones Salt à salitum & Solt, unde Belgis Sout. Cantab. est gaza, an à gaza, quod ingens sit thesaurus? Est enim Sal melius auro. Turcis Tus, quod posset referri ad θύω, quod ad sacrificia omnia adhiberetur: aut ad טוש miscere, quod esculentis misceatur. Hæbræis est מֶלַח Walachis Caën Saire, Zingaris Spranghart quasi saliens durus Vid. Mart. Lex. Phil. Maxime autem affine est Græco Wallicum Hallen, ut annotavit Harmatus in Lexic. Etymol. Linguæ Græcæ.

§. 3. Cæterum ex ἅλς est ἅλας sensu eodem. In Plurali ἅλες Sales, *Sermonis lepos & urbanitas.* Rationem reddit Plutarchus in quinto Symposiacon Probl. 10: *Sal enim fere reliquorum opsoniorum ac condimentorum opsonium & condimentum est, quibus suavitatem conciliat. Unde Gratiarum nomen salibus in nonnullis impositum, eo quod sales cibi necessitatem in suavitatem convertant.* Eadem Plinius habet Lib. 31. Natur. Histor. cap. 7. & Quintil. lib. 6. Instit. cap. 4. de risu. Atque hinc *insulsa Oratio*, quæ nihil habet leporis, & *insulsus homo* moribus inelegantibus. Contra *salsum dicterium*, quod acrimonia quadam mordeat. Et sales vocant festiviter & argute dicta, non sine illecebra quadam mordacitatis, ut hæc exponit Erasmus Chiliad. 2. Adag. Cent. 3. p. 443. Ἅλες *convictus, & pro communione ac sodalitatis necessitudine* apud Æschinem de falsa legatione, & Lucianum T. 3. in Lucio s. Asino, aliis. De nomine satis. Ad rem progredimur.

§. 4. Vetus Sententia est, *totis corporibus nihil esse utilius Sale & Sole*, cujus ideo Plinius meminit l. cit. cap. 9. & cap. 7. præcedente necessarium adeo elementum vocat ut sine eo degere nequeat humana vita. Multus est utroque loco in percensendis usibus ac medicinis. Et fuit olim, qui Salis laudem scripsit, quem ἄνδρα σοφὸν vocat, illiusque Librum legisse fatetur Plato in Cratylo. Ipse

Ipſe profecto haud vulgari elogio ornavit Salem, cum vocat σῶμα θεοφιλὲς, *Diis charum corpus* in Timæo. Cui adſtipulatur Homerus ἰλ. 1. verſ. 214. πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο *Inſperſit a. Sale Sacro*, ut reddit Interpres. θεῖος *divinus.* Quare ſic appellarit, diſquiri ſolet. Omne excellens quocunque in genere θεῖον Græcis, vel δῖον, divinum, maxime Homero & Poëtis. Sic enim propter *fortitudinem* Achilles, propter *prudentiam* Ulyſſes, propter *formæ præſtantiam* Alexander & Clytœmneſtra, propter *magnitudinem & profunditatem* Mare atque Charybdis, ut auctor eſt Euſtath. ad ἰλ. α. p. 21. Imo Eumæus Subulcus δῖος appellatur Ὀδ. ξ. *verſ.* 48. δι' εὔνοιαν, ut notat idem l. c. propter *benevolentiam* erga Ulyſſem reducem. Etiam Theocritus ἀγρώτην agricolam δῖον dixit εἰδυλλ. 25. vſ. 51. quod Portus vertit Inclytus. Etenim ut ait Ariſtoteles Lib. 7. Ethic. c. 1. ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ δι' ἀρετῆς ὑπερβολήν, *ex hominibus Dei efficiuntur propter excellentiam præſtantiamque virtutis.* Quo loco etiam Laconum mori tranſcribit, quod Divinum θεῖον appellarint, *quemcunque maxime admirarentur & ſuſpicerent*, θεῖος ἀνὴρ φασι, *divinus hic eſt Vir.* A Græcis didicere Latini: quos nunc omittimus.

§. 5. Duo ſunt in Sale, quibus maxime præſtat & excellit. Alterum, quod *omnia reddit ſapida*: alterum, *quod putredinem arceat.* Ad condiendum inprimis neceſſarius eſt, cum nullus cibus tam ſuavis & jucundus ſit, ut ſine ſale guſtatus delectet, aut ſi delectat, id diu præſtare multumque poſſit. Et hanc divinitatis cauſam haud poſtremam ducebat Plutarchus lib. 5. Sympoſ. quæſt. 10. Etenim ab hominibus ea quæ vulgata ſunt, ſuisque per totum humanum genus pervadunt uſibus, quam maxime Divinitatis titulo dignantur, ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκθειάζουσιν, ut aquam, ut lucem, ut anni tempeſtates. Atque ad utilitatem quod attinet, nulli horum cedit Sal, qui alimento in corpus recipiendo præſidium eſt, efficitque ut cum appetitu ſit nutrimenti concinnitas. Aliis vero & illud in Sale quam maxime divinum viſum eſt, quod à corporibus vita deſtitutis putrefactionem ac tabem arcet, neque ſinit prorſus interire, diu morti velut reſiſtens, animæque, quoad licet, vice fungens. Anima divinius nihil. Hujus ut eſt officium animantia tueri, continereque, neque ſinere compaginem delabi: Sic Sal animæ exemplo cohibet corporum harmoniam ad tabem tendentium, & membrorum inter ſe amicitiam conſervat. Nec diſplicet Plutarcho, loco laudato. Quod ipſum maxime etiam probat Doctiſſimus Voſſius Lib. 6. de Phyſiolog. Chriſt. & Theolog. gentili p. 253. Nec aliter Hugo Grotius Comment. ad Matth. 5: 13. qui illud Varronis refert, *Suillo pecori animam pro Sale datam, ne putiſceret.* Id quod ex Cleanthe deſumtum, cujus hæc erant verba: τὰς ὗς ἀνθ' ἁλῶν ἔχειν τὴν ψυχήν, ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. Hinc Sapientia Sal dici cœpit. Eodemque reſpexiſſe Paulum exiſtimat, cum *ſermonem noſtrum ita blandum vult eſſe, ut tamen ſale condiatur*, Col. 4: 6. Ad id vero loquendi genus, quo fideles apud Matthæum dicuntur *Sal terræ*, proxime accedere, ſcribit idem Grotius, Livianum illud, quo Græcia *Sal gentium* nominatur. Quippe Græcia artium diſciplinarumque ſtudiis celeberrima plurimas gentes *Sale Sapientiæ* perfricuit. De Athenis ſcribit Iſocrates Panegyrica Oratione pag. 99. Edit. Wolff. in 8. Urbem eam cæteris hominibus tum Sapientia, tum eloquentia tantum antecellere, ut ejus diſcipuli ſint aliorum præceptores: idque per hanc conſecutam eſſe Græciam, *ut nomen Græcorum non jam nationis & gentis, ſed rationis ac mentis argumentum videatur, & hi potius dicantur Græci, qui doctrinæ ejusdem participes ſunt, quam qui in eadem Græcia nati.* Inde eſt, quod Diodorus Siculus πάντων ἀνθρώπων κοινὸν παιδευτήριον nominet Athenas, *omnium hominum communem Scholam.*

§. 6. Id cumprimis notatu dignum eſt, multumque facit ad divinitatis opinionem, quod Deus olim omnia ſacrificia & omnes oblationes Sale condiri juſſerit, idque mandato ter repetito Lev. 2: 13. *Quicquid obtuleris Sacrificii, Sale condies, nec auferes Sal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres Sal.* Cujus rei cauſſas dum inveſtigant Rabbinorum nonnulli, non falſa tantum, ſed & ridicula afferunt. Ne ægre ſcilicet ferrent terreſtres aquæ per interjectum firmamentum à cœleſtibus diviſæ, promiſſum ipſis à Deo fingit R. Salomo, fore, ut ad ſacra aliquando adhibeantur, quando Sal ex aquis concretus ſacrificiis fuerit admixtus. Maimonides, qui ſolus alioquin inter Judæos Salem habere videtur, in hoc Sale parum ſapit, dum Salis uſum in Sacrificiis præcepiſſe ſcribit, quod Idololatræ nullo ſint uſuri. Quod falſum eſſe è veterum monumentis abunde liquet; Plinius ipſe loc. alleg. potiſſimum Salis auctoritatem inde arceſſit: *Maxima autem*, inquit, *Salis auctoritas è Sacris veterum intelligitur, apud quos nulla ſacra ſine mola ſalſa conficiebantur.* Sic enim vocabant far toſtum Sale conſperſum, quod eo molito hoſtia aſpergeretur. Tales erant apud Græcos οὐλοχύται, h. e. ut interpretatur Euſtathius ad Hom. ἰλ. α. κριθαὶ μετὰ ἁλῶν, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς πρὸ τῆς ἱερουργίας, hordea ſalibus mixta, quæ altaribus imponebantur ante ſacrificium. Potius per κακοζηλίαν à Dæmone Dei Simia, ad impios idololatricosque cultus traductum eſt id, quod Deus ſacrum eſſe volebat, ut alia id genus plurima.

§. 7. Non ſolum in ſacrificiis, ſed extra ſacra quoque, non nulla Salis religio habebatur. Omnia namque convivia Sale inſtruebantur, & profana cenſebatur menſa, cui ſalinum non eſſet appoſitum. Arnobius Lib. 2. *Sacras facitis menſas Salinorum appoſitu & ſimulacris Deorum.* Horum etiam cauſſa patellam ac Salinum habebant, ad primitias cum Sale offerendas: qua de re ex Livio, Valerio, Plinio Lipſius lib. 1. Saturnal. cap. 2. Ex quo more rationem deducunt Interpretes, quare Deus omnia ſacrificia Sale condiri voluerit: quod nullum convivium abſque Sale agitari ſoleat, ideoque nec decuerit ſacrificia ceu Dei convivia, ſine eo apparari, ut Bonfrer. ad Levit. 2. lib. 3. Alii ſignificari volunt Symbolice, quod omne ſacrificium & Sale Sapientiæ ac prudentiæ, & Sale integritatis, incorruptionis & innocentiæ condiri debeat, ſicuti Spanhem. P. 3. Dub. 91. pag. 458.

§. 8. Cum itaque tantus fuerit & honor & auctoritas Salis, mirari ſubit, quare Ægyptiorum ſacerdotes ab eo in univerſum abſtinuerint, adeo ut pane quoque inſulſo veſcerentur, ceu prodidit Plutarchus loco ſupra allegato. Qui vero hoc factum ait ob caſtimoniæ ſtudium. Habet enim Sal vim gignendi, & ſeminalem vigorem expergefacit acuitque. Lotichius Commentar. ad Petron. l. 3. C. 1. p. 338. religionis cauſſa abſtinuiſſe autumat, quod ejus uſus eſſet in ſacrificiis. Fuit hic mos Ægyptiorum, gentis maxime ſuperſtitioſæ, ut abſtinerent ab earum rerum eſu, quas colebant. Ideo nec cepas edebant aut allium, aliave hortenſia numina. Unde Juvenalis Satyr. 15. Porrum & cepe nefas violare ac frangere morſu. Cicero Lib. 5. Tuſcul. Quæſt. *Ægyptiorum mentes imbutæ pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius ſubierint, quam Ibin aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut Crocodilum violent.* Neutrum tamen voluit eruditiſſimus Voſſius, qui hac de re egit Lib. 2. c. 75. de origine & progreſſu Idololatr. p. 697. Ut enim Ægyptii in maximo honore habebant Nilum: ita contra Typhonem ſ. mare nullis dignabantur ſacrificiis; quin odio proſequebantur omnia maritima, neque cum illis commercium habere volebant, quæ vel in mari gignerentur alerenturve, aut id inhabitarent. Scilicet Typhonem Oſiridi atque Oro, quæ ipſi admodum colebant numina, inimiciſſimum credebant, Salemque ejus vocabant ſpumam, ideoque menſis inferre religio erat. Plura in hanc ſententiam legi poſſunt apud Pierium Hieroglyph. Lib. 31. C. 7. 9. p. 368. ſeqq. Verum ut Salem averſarentur Ægyptii, qui ex aqua marina coquebatur, non tamen ideo Salis uſus nullus apud ipſos. Etenim haud minus ac aliæ gentes Salem adhibuerunt in ſacrificiis, eumque propter abominationem maris, ex Hammonis fonte petebant, ciſtulis è palma contextis impoſitum, quem ideo, quod ex fonte, purum arbitrabantur. Ut neſciam adeo, an ratio iſta cæteris ſit præferenda. In Scriptura Hieroglyphica odium per figuram piſcis ſignabant, ſed tanquam incolæ maris, elementi ſibi maxime inviſi.

§. 9. Cæterum antiquitus Sal non in ſacrificiis ſolum, verum etiam in communi hominum conſuetudine ac victu, *fœderis, amicitiæ ac pacis Symbolum erat.* Unde Eſræ 4: 14. ſcriptum legimus: *Nos ergo memores Salis, quod in palatio comedimus.* Eoque alludit Aeſchynes Oratione ſupra laudata his verbis: Τὰς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας, καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν περὶ πλείστου δεῖ φησι ποιεῖσθαι, hoc eſt: *Etenim Civitates Sales, publicamque menſam ait ſe plurimi facere.* Notum quoque Pythagoræ ſymbolum, τὸν ἅλα παρατίθεσθαι, *Salem apponito*, quo juſtitiæ & æquitatis admoneri nos ſtatuit Eraſmus Chiliad. 1 Cent. 1. p. 21. Sed Stuckius, *amicitiam atque hoſpitalitatem* hic præcipi rectius monet l. c. p. 106. Etenim hoſpitibus olim Sal ante cibos alios apponebatur, ut teſtis eſt Euſtath. ad ἰλ. α. p. 132, 133. eratque ſymbolum τῆς κατὰ φιλίαν ἑνώσεως, unionis per amicitiam. Nam ſicuti Sal ex multis aquis liquidis & fuſilibus in unum corpus ſolidum coaleſcit: Sic etiam, qui ex diverſis locis longe à ſe invicem diſſitis in unum hoſpitium conveniunt, non loco ſolum, verum etiam affectu amico uniun-

uniuntur atque copulantur. Propterea Salis in mensa eversio atque effusio mali infaustique ominis loco haberi solet, quasi evertatur una distrahaturque pax & amicitia, cujus ille symbolum statuitur: Vt vero apud alias gentes Sal primo omnium hospitibus apponi consuevit: ita Germani convivantes hospiti sive peregrino advenienti poculum vini aut cerevisiæ primo porrigere solent, ex quo si bibere ille recuset, inhumanus & incivilis habetur. Sed & moris est, ut hospiti, qui nunquam antea in ædes alicujus intravit, à patrefamilias poculum satis amplum proponatur, quod illi est exhauriendum, & **Willkommen** Germanis nominatur, i. e. salutatorium poculum, quo novus hospes excipitur, & quasi hospitalis amicitia cum illo contrahitur.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Μωρανθῆναι quid? Versio vulgata Erasmi, Bezæ, Schmidii, Ariæ Montani, L. Vallæ, B. Lutheri. Evanescere. Μωρὸς ab Hesychio & Suida exponitur. Hesychius emendatur. תפל *& μωρὸς idem significant. B. Chemnitii & Hug. Grotii Sententia. Μωρὸς an Hellenisticum? quæ ratio harum vocum.* תפל *&* תפלה *Hellenistis ἄρτος, ἐπισκοπὴ, ἀνόμημα, ἀφροσύνη. Μωρὸς de personis & re. Utra significatio sit prior & nativa. Spanhemii & Piscatoris sententiæ. Μωρὸς & fatuus de Sapore. Testimonia Dioscoridis & Martialis. Fauces fame fatuæ, Apulejus. Sal quomodo μωραίνεται. Sal steriles reddat agros an fertiles? Heinsii opinio. Lucæ dictum Cap. 14: 35. exponitur. Sal sterilitatis nota. Sale conspergebantur urbes captæ & eversæ. Sal feraces præstat agros. Lemnius, Jonstinus, Bodinus laudantur. Conciliatio dictorum. Terra pro hominibus. Non est Hebræis proprium. Sal terræ qui dicantur à Matthæo, quo sensu? Hilarii & Eusebii Emisseni verba citantur. Concluditur.*

§. 1. DE virtutibus Salis usibusque præcipuis, cum alias, tum in communi præsertim vita hominum convictuque, actum jam est, quantum satis. De ejus corruptione mox dicemus. Vt enim incolumis integerque Sal mirabilem habet utilitatem, ita corruptus vitiatusque adeo omnem vim amittit, ut ne cum cæteris quidem rebus in sterquilinium projici tuto possit. Quæ singula rectius perspicientur ex enodatione eorum, quæ apud Matth. 5: 13. & Luc. 14: 34. exstant. Verba hæc sunt: Ἐὰν ᾖ τὸ ἅλας μωρανθῇ. Vulgatus: Quod si Sal evanuerit. Erasmus, Beza, Schmidius: *Si Sal infatuatus fuerit.* Arias Montanus in genere neutro: *Si Sal infatuatum sit.* Neutrum probatum satis Laurentio Vallæ, *qui Græce* ait *est infatuatus fuerit μωρανθῇ: ego dixissem* desipuerit. *Nam evanescere est in modum fumi deficientem consumi, & in nihilum reverti.* Collat. Nov. Testament. ad h. l. B. Lutherus, **Wo nun das Saltz thumb wird.**

§. 2. A μωρὸς, Attice μῶρος, est μωραίνω, μωραίνομαι. Μωρὸς apud Hesychium exponitur ἄφρων, μάταιος, *amens, vanus.* Suidas μωρὸς ὁ ἄνες. Μωραίνει Hesych. ἀφραίνει, παρακόπτει, μαίνεται. Sed legendum παρακόπτει, ut recte monuit doctissimus Guietus. *Amens est, delirat, insanit.* Apud Euripidem est μωρολογεῖν, *stulta loqui*, & apud Apostolum 1. Cor. 1: 20. μωρὸν ποιεῖν *stultum reddere.* Vnde μωραίνεσθαι passivum, *stultum, amentem fieri, ad stultitiam redigi.* Hinc ad Salem transfertur. Sed Metaphora hæc peregrina est B. Chemnitio Harmon. Cap. 51. p. 429. fatuum Sal vocare seu stultum, nisi ita mitigetur, *quod Sal aliquando pro sapientia ponatur.* Quare se recipit ad Hebræam Linguam, indeque hujus appellationis rationem petit. תָּפֵל Ebræis significat *fatuum, stultum*: idem quoque usurpatur pro *insipido, insulso, incondito.* Job. 6: 6. Matthæus igitur Græco verbo significante fatuitatem, voluit exprimere etiam id, quod insulsum est. Sicut Hebræis idem verbum utrumque significat. Eadem sententia Hugoni Grotio ad Matth. 5: 13. placuit. Quod Græci dicunt ἄναλον, id Ebræis dicitur תָּפֵל, ut Job. 6: 6. eademque vox τὸ μωρὸν significat. Job. 24: 12. Jerem. 23: 13. Thren. cap. 2: 14. Hebræam itaque vocem, quam proxime potuit, expressit Græcus Interpres.

§. 3. Itaque μωρὸς hoc sensu est Hellenisticum vocabulum. Cum enim Græcis μωρὸς sit stultus, fatuus, qua in significatione ipsi respondet Hebræum תפל, quod præterea & insulsum designat & ἄναλον; Græcorum μωρὸς in Hellenistica extenditur, indeque fit, ut ipsum & alteram Hebrææ vocis significationem accipiat, itaque cum ista ex asse congruat. Ubi notandum tum maxime valere argumentum hoc, atque concludere recte, cum vocabulum Græcum ab Interpretibus Hellenistis aliquo in loco adhibitum est ad Hebræum in altera illa significatione (qua ipsi alias & apud Græcos non respondet) exprimendum. Scilicet inde potissimum probatur, μωρὸς significare insulsum & ἄναλον, quia vocabulum hoc ab Hellenistis Veteris Testamenti translatoribus tum fuit adhibitum, cum vertendum erat תפל, ibi ubi non significat stultum vel dementem, sed insulsum vel insipidum. Quod vero factum esse, non potest ostendi. Etenim verba Jobi 6: 6. Hellenistæ vertunt: εἰ βρωθήσεται ἄρτος ἄνευ ἁλός. Quod in Hebræo Textu תפל, id Græce versum ἄρτος panis. Itaque non μωρὸς in lingua Hellenist. valet תפל insulsum, insipidum; sed ἄρτος, quod Græcis est *Panis.* Nec cætera loca, quæ Grotius laudat, quicquam faciunt pro hac sententia. Job. 24: vs. 12. τῷ תִּפְלָה, quod à תפל, respondet ἐπισκοπὴ *Inspectio.* Jerem. 23: 13. ἀνόμημα *iniquitas*: & Thren. 2: 14. ubi תפל ἀφροσύνη *amentia.* Nunquam & nusquam illa Hebræa exponuntur per μωρὸς: quod hac ratione neque dici potest Hellenisticum; si constare debeat, quod semel constitutum est, Linguæ Hellenisticæ fundamentum.

§. 4. Imo his præsidiis nihil nunc opus est. Fatemur omnino nomen μωρὸς de personis dici inprimis ac potissimum, & designare hominem stolidum ac fatuum. Verum nec illud prætereundum, quod idem vocabulum aliquando transferatur ad res, sicuti hoc fit etiam apud Latinos in voce *fatuus*, cum quo congruit Græcum μωρὸς. Non meis hoc declaro verbis, sed utar eam in rem Spanhemio, qui P. III. Dub. 91. pag. 461. scribit: *Transfertur tamen etiam quandoque ad res & μωρὸν notat id, quod insipidum, vel cujus gustus insipidus. Sit ex Dioscoride observatum, radices quasdam ab illo vocari μωρὰς, insipidi quasi saporis: eadem loquendi forma à Martiali betæ vocantur fatuæ. Fatuus enim proprie* פתי, *obtusi pectoris homo, qui facile seduci, cui facile omnia persuaderi possunt, vel qui inepta fatur. Sic cibi fatui Vallæ, qui non sapiunt. Non mirum itaque idem ad Salem transferri. Unde & μῶρος arbor Dioscoridi μωρὰ διὰ τὸ ἄπονον τῆς γεύσεως: etsi per antiphrasin aliam ob caussam sapientissima arborum vocetur à Plinio Histor. Nat. Lib. 16. Cap. 25. eo quod novissima urbanarum germinet, nec nisi exacto frigore. Sic composita συκόμωρος & συκομωρέα quasi fatua & insipida ficus, etsi aliis ita vocari videatur velut media inter ficum & morum.* Hæc Spanhem. l. d. Dioscoridis verba, quorum hic fit mentio, leguntur apud ipsum Lib. 4. quibus sapori tribuitur τὸ μωρὸν, ῥίζας γευσαμένῳ μωρὰς, radices gustanti stultas, i. e. gustu fatuas vel insipidas radices. Perottus: *A fando, inquit, fatuus derivatur, hoc est, simplex, insulsus, & quasi fari nesciens. Quapropter & cibos insulsos atque insipidos fatuos dicimus.* Hinc Martialis:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ
O quam sæpe petet vina piperque coquus!

Apulejus, *Fauces fame fatuas* appellat. Nec abnuit B. Chemnitius loc. all. *Sicut enim insulsum*, scribit, *in cibo transfertur ad hominem: ita vicissim fatuum in homine transfertur ad cibum.* Postea Martialem subjicit, & συκομωρέαν quasi insipidam ficum dici autumat.

§. 5. Eadem ratio est vocabuli Hebræi תפל. Primo illud de rebus insulsis atque inconditis; postea de actibus personarum usurpatur. Sic ἀμβλὺς obtusus proprie de rebus inanimatis, quarum acies obtusa, transfertur tamen ad hebetudinem animi & oculorum. Imo si sectari malim Piscatorem, invertenda sententia, dicendumque, μωρὸς primo ac proprie usurpari de sapore, à quo deinde transfertur ad animum. *Hanc*, inquit Piscator ad Matth. 5: 13. (nempe insipidum esse) *judico nativam ac genuinam esse verbi Græci significationem, licet minus sit usitata, quam altera illa metaphorica: qua verbum istud significat infatuari seu fatuum reddi, sicut nomen μωρὸς plerumque fructum significat ex eo, quod fatuus sit, insipidus & insuavis iis, quibuscum ei negotium est.* Hæc Piscator. E quibus omnibus liquet verbum μωραίνεσθαι de Sale commode posse usurpari, quando calorem & acrimoniam suam amittit, nec acore suo, nec sapore, sive

rebus conſervandis, ſive condiendis inſervire poteſt. Neque hic uſus cenſeri debet vel novus vel peregrinus. Marcus hoc ipſum voluit, cum ἄναλον dixit fieri Salem, quod Matthæo & Lucæ eſt μωρανθῆναι. Pergit Matthæus: ἐν τίνι ἁλισθήσεται; *quo ſalietur? quanam re?* Womit? Plerique ſupplent pronomen αὐτὸ è verbis Marc. 9. verſ. ult. Ἐν τίνι αὐτὸ ſc. ἅλας ἀρτύσετε; quonam eum condietis? Utrumque vere dictum de Sale ἀνάλῳ. Cum enim reliquorum ſit condimentum, ubi ipſe fuerit corruptus, nec alia ſalire ac condire poteſt, nec aliunde ſuam acrimoniam ac calorem deperditum recuperare. Huic ſententiæ illud affine viſum eſt Piſcatori l. c. *Si lux, quæ in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Si ipſum Sal fuerit inſulſum; quanto magis res cæteræ, natura Salis expertes? quo fit, ut nihil cæterarum rerum ſit, quo ipſum Sal poſſit condiri.

§. 6. Expendendum porro, quidnam de Sale hoc ἀνάλῳ pronuncient Euangeliſtæ. Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστι, Lucas ait: *Neque ad terram, neque ad ſterquilinium utilis eſt: foras ipſum abjiciunt.* Matthæus: *Ad nihil valet amplius, niſi ut abjiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Lucæ verba ad agriculturam aut lætamen terræ vulgo referuntur. Sed Heinſius quandam in ipſis difficultatem animadvertit. *Primo enim, quomodo inutilis ad terram Sal dicetur, cum corruptus eſt aut vitiatus, qui ne quidem integer conducit, ſed ſterilitatem infert: eoque magis, quo integrior minuſque vitiatus? Deinde, cum οὔτε εἰς κοπρίαν dixit, ſi hoc voluit, quod dixi, bis dixiſſe idem videtur. Siquidem quæ εἰς κοπρίαν ſive ſterquilinium conjiciuntur, lætamini ſervantur.* Exerc. Sacr. Lib. 3. Cap. 13. pag. 178. Sal ſterilitatis notam ac maledictionis divinæ Symbolum eſſe è Deuter. 29: 23. colligit Spanhemius l. c. p. 456. cum Deus interminatur populo ſuo, totum ſolum ejus futurum Sulphur & Sal & combuſtionem, ut non ſeratur, nec germinet, nec aſcendat in eo herba ulla. Eo refert etiam Pſal. 107: 34. Job. 39: 9. Jerem. 17: 6. Ezech. cap. 47: 11. Zephan. 2: 9. Nec ſalſago ſterilitatis ſolum nota, ſed & cauſſa, quando illa nimia, quippe quæ calore & acrimonia ſua adurit & exugit pinguedinem omnem, adeoque coagulum ad generationem neceſſarium abſumendo ſterilitatem locis inducit. Propterea loca olim maledicta & exoſa, quibus perpetua ſterilitas indicebatur, ſolebant Sale conſeri, ſemine nempe plane infrugifero, & quo ſignificaretur ſimilis quoque ſoli infœcunditas. Exemplum habemus Judic. 9: 45. de Sichemo expugnata per Abimelecum. Idem accidit Mediolano Anno Chriſti 1162, quam cum occupaſſet Fridericus Barbaroſſa facta præda mœnia civitatis ſolo adæquavit, & per circuitum duci juſſit aratrum, atque Sal in perpetuam damnationem ſeminari.

§. 7. Contra docent alii, etiam agros conſperſione Salis feraces reddi, ſicuti obeſæ mulieres moderato illius in condimentis uſu fœcundæ evadunt, uti ex Lemnio de occult. L. 2. Cap. 36. Jonſtonus tradit in admirand. foſſ. Cap. 4. pag. 144. In Sale pinguitudinem eſſe, Plinius auctor eſt Cap. 7. Lib. 31. atque experientia probat, loca mari vicina pleraque eſſe fertiliſſima. De quibus Bodinus Theatr. Nat. lib. 3. pagin. 290. *Quid plantarum feracius, quam maritima loca? Abundant enim myrtorum, arundinum, juncorum, algarum etiam maxima copia, quæ in ipſis vadis ſalſiſſimis radices uberrimas jaciunt. Et cum nihil ſalſius ſit urina, & ſtercore pecoris, nihil tamen ad plantarum fœcunditatem accommodatius eſſe poteſt: & ubi oves urinam, quam habent ſalſiſſimam, effuderint, illic fruges ac vites uberrime luxuriant: & liquor ſtercoris aqua ſuperfuſi, unde Sal nitrum concreſcit, magnam agris fœcunditatem affert.* Non tamen dubitandum, quin nimia Salis copia, præſertim ſi ariditas accedat, noxia etiam ſit frugibus, terramque ſterilem efficiat. Ut facile jam ſit differentes de Sale opiniones conciliare. Cæterum quo modo difficultatem tollat Heinſius, conſiderandum adhuc eſt. Terram ait apud Hebræos poni pro hominibus: quemadmodum cum David percuſſiſſe terram dicitur 1. Samuel. 27: 9. Sal itaque inſipidus, nulli hominum uſui accommodatus eſt, adeo ut ne in ſterquilinium quidem ſit utilis.

§. 8. Bis idem dici in Scripturis, quid mirum, cum res ſit frequentiſſima. Terram autem pro hominibus poni tropus eſt communis Hebræis aliiſque gentibus. Atque ita capienda ſunt verba Matthæi, *Vos eſtis Sal terræ*: quæ à multis reſtringuntur ad Apoſtolos, quibus contradicit Hugo Grotius, eaque pertinere contendit ad omnes, qui Chriſti doctrinam ſectabantur: quemadmodum præcedentes μακαρισμοὶ communes ſunt omnibus. Neque refragatur ſumme Rev. atque Magnif. Dn. D. Calovius, Theol. de Eccleſia orthodoxa longe meritiſſimus, Patronus nobis ſancte devenerandus, in Annotat. Anti-Grot. Illi enim omnes, qui à Chriſto veram ac ſalutarem doctrinam perceperunt, non exemplum vivendi ab hominibus aliis petere, ſed aliis exemplo eſſe debent. Salis autem præcipua vis eſt putredinem arcere, & corpora pura atque incorrupta conſervare. Idem eſt officium illorum, qui veræ ſapientiæ præcepta hauſerunt, aliorum nempe ſordes expurgare, & à vitiorum corruptione liberare, atque *per virtutem doctrinæ quaſi ſalientes æternitati corpora ſervare*, ut loquitur Hilarius Comment. in Matth. p. 257. atque Euſebius Emiſſenus, vel quiſquis auctor eſt Homiliarum: *Vos, inquit, eſtis hominum condimentum, veſtro exemplo inſtrui, veſtra ſapientia doceri, veſtra humanitate & patientia componi cæteri debent.* Quod ſi hic Sal corrumpatur redditurque inſipidus, nullum relinquetur mundo huic per ſe inſulſo atque inſipido condimentum. Et ipſe etiam Sal ea ratione vitiatus omne precium, omnemque uſum perdit, jacturamque patitur irreparabilem, cum condimenti illius non detur aliud condimentum; imo ſupplicio gravi Sal iſte reddatur obnoxius, quod per abjectionem & conculcationem Scriptura declarat. Tantum! Cætera, quia ob reverentiam legum paginæ amplius extendendæ non ſunt, publico reſervabimus diſcurſui.

T. Θ. Δ.



BALTH.

BALTH. STOLBERGII
DISSERTATIO
De Angariis Veterum, ad Matth. V: 41. & XXVII: 32.

Σὺν τῷ Θεῷ παλάμᾳ!



Quemadmodum homines suam habent infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilem ætatem ac senectutem: ita Linguæ & dialecti, per varios ætatum gradus ac numeros productæ, sua habent incrementa, sua decrementa, variasque mutationes patiuntur. Etenim vocabula vetera sensim exolescunt & intereunt, vicissim alia & nova inolescunt; quibus subinde in locum priscorum ac desitorum succedentibus, tota tandem lingua mutatur. Experta hoc abunde est Lingua Græca, quæ, qualis initio fuit, haud diu permansit. Immo per tot seculorum cursus ac flexus paulatim variata, atque omni ex parte sic tandem deformata est, ut hodie plane censeatur barbara, ac vix agnoscatur amplius; cum non minus longe distet ab antiqua Græca, atque Italica hodierna à vetere Romana. Quod nunc magnopere mirandum haud est, cum constet, vocabula multa, quibus tempore Solonis usi sunt Attici, vix olim intellecta esse à vulgo, cum Lysias adhuc viveret, qui propterea oratione nona contra Theomnestum, eadem è diversis Solonis legibus excerpta explicavit. Inprimis autem Linguæ miscentur & confunduntur per diversarum gentium commercia atque imperia. Vix enim fieri potest, ut cum mercium variarum permutatione inter differentes nationes instituta, non & nomina simul permutentur, invehanturque peregrina, & exportentur nostra. Tum imperia, quæ latissime patent, & populos ἑτερογλώσσους complectuntur, per communem subditorum consuetudinem, familiaresque congressus, ansam præbent miscendi differentium idiomatum voces. Præterea victores ac victi, cum in unam coalescunt gentem, aliique aliis dicunt jura, præscribunt leges, tributa & vectigalia exigunt, cum his rebus vocabula suæ gentis propria alteri nationi impertiunt, ac vicissim accipiunt. Quæ omnia usu venerunt Græcis, qui commercia sua longe lateque produxerunt, nec eodem semper usi sunt imperio. Primum igitur vocabula acceperunt à Persis, quorum potentia plurimas Græcarum civitates invaserat. Deinde à Syris, quibus ipsi dominabantur, mortuo Alexandro. Postremo à Romanis, quibus paruerunt. Reliqua, quæ contigerunt seculis sequioribus, tangere nolo. Quoniam itaque hæc Lingua jam Apostolorum atque Evangelistarum ætate, tot passa est mutationes, tot peregrina vocabula ab aliis populis accepit; quid mirum, eadem porro in Novi Fœderis stylum Græcum esse ab autoribus ejus traducta? cum neque profani Scriptores, quibus elegantia sermonis ac venustas inprimis curæ fuit, omnino abstinuerint ab hujusmodi vocibus, quæ iis seculis, quibus ipsi maxime floruerunt, in communem Græce loquentium usum erant adscita. Immo, quod doctissimo etiam Budæo observatum est, viri disertissimi, cum multa ex vulgi consuetudine in sua monumenta transferrent, existimabant, se tunc ἐμφατικώτερον φράζειν ἢ ἴδιον. Ex horum numero est verbum ἀγγαρεύειν, quo usi sunt duo Evangelistæ Matthæus & Marcus, & qui his multo antiquior est, Menander Atheniensis Poëta, novæ Comœdiæ princeps. Quod cum elegantem comprehendat doctrinam de Veterum cursoribus publicis, dignum mihi visum est, in quo meam qualemcunque industriam occuparem. Interim si in re difficili ac prisca minus satisfecero Lectoris expectationi, veniam ille dabit ætati, nec vel temeritatis vel arrogantiæ damnabit pium hunc conatum, quem Parentum optimorum jussa suasionesque Præceptorum excitarunt, promovitque debitum obsequium. Bene Vegetius; *Omnes artes, omniaque opera quotidiano usu & jugi exercitatione proficiunt. Quod si in parvis verum est; quanto magis decet in maximis custodiri.* Ego Deum optimum maximum supplex veneror & quæso, ut propitius sit his meis laboribus, faveatque porro studiis, atque ea clementer provehat ad exitus optatos.

CAPUT I.

Angarus vocabulum barbarum. An ex אגר, *ideoque* ἀγγαρεύειν *scribendum? Hesychii laus. Exercitationes quid? Heinsii modestia. Vulgata Evangelistarum scriptura defenditur. Lectio varia apud Chrysost. Syntaxis à Justino mutata. Arabicum* [illegible] Agara *quid? Angarorum velocitas. Est nomen Persicum. Testimonia Hesychii, Suidæ, Eustathii, & Herodoti. Hesychius emendatur. Græci à Persis accepere vocabula. Causa exponitur. Becmannus & Beza refutantur. Angaria, Parangaria, Angariari à Latinis scriptoribus usurpantur. Non sunt ab Ango. Etiam Judæorum Magistris frequens nomen est* אנגריא. *Unde* אנגרבטים, *& fortasse* אנגרוטינא. Ἄγγαρος *num idem ac* ἡ κάμαξ; *Erasmi Schmidii sententia. Scribendum* Ἄγγατος. *Dicæarchus emendatur. Astandæ qui? Suidas & Ælius Dionysius laudantur. Neque Græcum neque Chaldaicum; sed Persicum vocabulum. Varie scribitur. Darius Codomannus ex Astanda rex.* Ἁμάρτημα μνημονικὸν *Fr. Guieti. Omnes Persico imperio subjecti servi: etiam regum fratres. Sola uxor excepta. Quod Plutarcho indignum visum est. Darius ultimus an è regia familia? Diodorus Siculus neque cum aliis consentit, neque ipse sibi constat. Bisthanes Ochi filius superfuit. Laudatur Arrianus. Darium lictorem fecit Cœlius Rhodiginus.*

§. I. Quandoquidem mihi animus est, commemorare quædam de Veterum Angariis, à vocabuli notione & origine initium merito facio. Hoc peregrinum, & ut Græci amant loqui, βάρβαρον esse, nemo, opinor, ambigit: quæri interim disceptarique solet inter eruditos de Lingua, in qua primum sit natum. Clar. Vir Daniel Heinsius (α) è Chaldaico ac Syriaco אגר, quod est conducere sive μισθοῦν derivari posse censet. Nam quod Hebræis שכר, id Magistris est אגר, qui & pro שכיר mercenarius dicunt אגיר. His ita constitutis, non adeo improbabile judicat, ab Evangelista nostro (β) scriptum esse

(α) *Exercit. sacrar. Lib. 1. c. ult.* (β) *Matth. 27:32.*

esse ἠγάρδευσαν; pro quo nunc legimus ἠγγάρδευσαν. Huic conjecturæ favet Hesychii lexicon, in quo simplici gamma Ἄγαρος, Ἀγαρροὶ, Ἀγαρρεύει, Ἀγαρρεία, Ἀγαρρεύεται, exaratum visitur. Verum ut propterea Sacrorum Codicum scriptura corrigatur, nemo paulo prudentior concedet. Est quidem Scriptor ille Vir vere πολυμαθέστατος & undecunque doctissimus; cujus Lexicon antiquæ eruditionis penu recte appellat Eruditissimus Meursius (γ). Verum, quod dolendum utique est, ex omnibus, quorum ad nos pervenerunt literarum monumenta, nullum extat, quod à vetustate pejus sit acceptum turpiusque depravatum. Quod Heinsium minime latet. Qui, *nec illud se velle*, ait, *ut in contextu sacro quicquam immutetur, sed ut, quid dici possit, obiter sic exponatur. Scribit enim Exercitationes.* Quo nomine cur usus sit, idemque Commentariis suis præscripserit, ipse declaravit (δ). *Exercitationes itidem inscripsimus: vel quod in rimanda veritate occupamur; vel quod nihil temere affirmamus; & interdum ne hoc quidem: vel quod eruditis hanc cognitionem ac judicium deferimus, quos tam multa scire nobis constat, quam nos ignorare semper profitemur.* Hæc verba insignem maximeque laudandam in Viro doctissimo moderationem atque modestiam præ se ferunt. Quando tamen, inquit, se obiter exponere velle id, quod dici possit, eaque, quæ dicuntur ab ipso, haud raro falsa sunt, equidem scire velim, quo jure putet ista dici posse, præsertim in divinis scripturis interpretandis? quæ & sobrie, & attente optimaque fide tractari debent. Cum enim omnia Matthæi exemplaria consentiant, neque ullum diversæ lectionis indicium etiam apud Veteres observetur, non potest dici, aliter olim scriptum esse, nisi contendas, omnes simul codices hoc in loco esse corruptos ac depravatos. Quod Heinsius asseverare minime ausus est. Immo dum Marcum (ε) confert, ejus autoritate commotus, nihil hic immutandum pronunciat. Præterea neque Syrus interpres noverat אגר & ἀγγαρεύειν valere idem, qui & hic & apud Marcum in sua versione posuit verbum [illegible] sive שחר, quod & Rabbini interdum usi sunt, cum Angariæ onus describunt. Atque ut idem parum differat sono ab Hebræo שכר, quod idem designat ac אגר: significatione tamen longe distat. Cæterum cum asserimus, nullum diversæ lectionis indicium apud Veteres reperiri, unice ac singulariter de voce ἀγγαρεύειν, ejusque scriptione per geminatum gamma loquimur. Nam, quod & Cl. Johanni Sauberto observatum est (ζ) apud Chrysostomum (η) pro iis verbis, quæ in nostris codicibus excusa sunt: ὅστις σε ἀγγαρεύσει, hæc leguntur: ἐάν τις σε ἀγγαρεύσῃ. Adhæc Justinus Martyr (θ) præter alia Syntaxin verbi mutavit, & pro casu quarto substituit tertium, cum scribit: Παντὶ δὲ ἀγγαρεύοντί σοι μίλιον, ἀκολούθησον δύο. Animadvertit hanc mutationem Fr. Sylburgius (ι), meritoque lectionem Matthæi præfert, qui iterum cap. XXVII. ut & Marcus l. c. cum Accusativo construxit.

§. II. Celeberrimus Bochartus (κ) Angari nomen ab Arabico [illegible] *Agara* formatum esse conjicit, unde & עגור Hebræum, quod Gruem denotat, deducit. Est namque [illegible] ad lares suos postliminio reverti, vel auffugere; quod gruum est maxime proprium. Illas enim amore patriæ, in Scythiam & Thraciam, unde ortæ sunt, quotannis redire constat, pluribusque docetur ab Æliano (λ). Angari porro cum gruibus certare credebantur celeritate cursus. Ita Xenophon: Φασί τινες θᾶττον τῶν γεράνων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύτειν. *Quidam hoc iter gruum volatu celerius confici referunt.* De Angarorum cursu hic agi, infra docebitur.

§. III. Nos vocem plane Persicam esse arbitramur. Inde enim rerum nomina petuntur, unde res ipsæ suos accepere natales. Habemus consentientes Veteres. Hesychius, *in quo non Græciæ totius modo, sed ex parte & Orientis eruditio conclusa jacet*, ut Heinsius affirmat (μ), quemque doctissimum Græcorum Criticum Casaubonus vocat; Ἄγγαρος, scribit, ἐργάτης, ὑπηρέτης, ἀχθοφόρος. Ἡ λέξις δὲ περσική. σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους. *Angarus, operarius, minister, bajulus: dictio vero Persica est. Significat etiam regios tabellarios per successionem*, id est, quorum alter alteri succedebat. Paulo ante legimus, Ἀγαρροὶ, οἱ ἐκ διαγωγῆς τι πράττοντες, *qui oblectamenti causa aliquid faciunt.* Nullum dubium nobis restat, quin pro διαγογῆς ex altero loco restituendum sit nomen διαδοχῆς, qui aliquid per successionem faciunt, dum huic succedit alter, ut regis tabellarii mandata tradebant alter in alterius manus. Suidas. Ἄγγαρος, οὕτως ἐκάλουν οἱ Πέρσαι τοὺς βασιλέων Ἀγγέλους. *Sic Persæ regum nuntios vocabant.* Mox idem, cum ἀγγάρους & ἀσάνδας eosdem fuisse docet, subjicit: τὰ δὲ ὀνόματα περσικά. Eustathius (ν), postquam pluscula peregrina vocabula recensuit, prodiditque scriptores Græcos, qui eis usi sunt, hæc porro addit: παρὰ τῷ αὐτῷ δὲ ποιητῇ ἐν Ἀγαμέμνονι, καὶ οἱ Ἄγγαροι κεῖνται, λέξις δὲ φανερῶς Περσική. *Apud eundem Poëtam* (Æschylum) *in Agamemnone etiam Angari ponuntur. Dictio manifesto Persica.* Quæ ad Æschyli locum spectant, infra exequemur uberius. Ipse Herodotus in hoc argumento instar omnium, & qui primo loco nominari debebat (ξ), adstipulatur, τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι ἀγγαρήϊον, *Hanc equorum cursitationem Persæ appellant* Ἀγγαρήϊον. Alios, præsertim Juniores, omitto.

§. IV. Scilicet inter Græcos & Persas ab omni fere ævo frequentata sunt commercia, quæ causa est, quare multa vocabula Persica in sermonem Græcum, & Græca in Persicum sunt traducta ac recepta. Horum numerus postmodum auctus est sub Macedonum imperio, qui cum utrique genti dominarentur, plures è Perside in Græciam, & vicissim è Græcia in Persidem voces invexerunt. Vide, quas collegerunt & exposuerunt Athenæus (ο), Eustathius (π), Salmasius (ϱ), & Vossius (σ). Inprimis de hoc argumento prolixe egit Excellentissimus DN. PRÆSES, Patronus ac Præceptor meus dexterrimus, & ob magna in me merita & benevolentiam singularem omni observantia ætatem devenerandus, scholis privatis de arte interpretandi eo loco, quo modum tradidit eruendi vocum significationes. Verum ideo minime largiar, à Græcis ad Persas transiisse hoc nomen, quod non admodum displicuit Christiano Becmanno (τ). *Nempe*, ait, οἱ ἄγγαροι *pro* ἄγγελοι. *Nam L & R in omnibus Linguis sæpe invicem commutantur.* Cur enim Græci suæ Linguæ vocabula nativa, integra & incorrupta repudient, malintque eadem sic usurpare, uti à Persis aliisve gentibus sunt mutilata ac depravata? Nec satis causæ est, cur Beza id, quod Persicum esse fatetur, ab Hebræo נגש deducat (υ). Non omnia aliarum Linguarum vocabula ab Hebræis, nec omnia sunt derivata: multa dantur primitiva & simplicia, quæ aliis dant originem, ipsa nullam ex aliis agnoscunt.

§. V. Hæc vox in Persia nata per Græciam porro transiit in Latium. Nam & Vegetius de re militari usurpavit *Angarias*, & Jure-Consultus Arcadius (φ), quique his multo vetustior P. Nigidius (χ). Verbum *angariari* extat apud Ulpianum (ψ). Etiam aliis in jure locis cum Angarias tum Parangarias reperimus. De qua re inter alios consulatur Cœlius Rhodiginus (ω). Qui vero propterea existimant, voces istas è Latio suam traxisse originem, ludere mihi videntur, etiamsi serio rem agant. Hartmannus Hartmanni ab Eppingen (α) derivat ab Ango, *quod idem est quod constringo, quia constringunt,* [Angariæ ad onera, quæ sordida ipsi appellantur] *& de jure civili deferuntur tantum humilioribus personis, non autem majoribus.* Etiam Judæi nomen Angariæ receperunt, estque Magistris usitatissima phrasis עשה אנגריא sequente servili litera ב, facere Angariam בו, cum illo, בתלמידי חכמים cum discipulis Sapientum. De quo inferius plura. Hinc אנגרבטים ἀγγαρευτὴς in ספר ערוך, & אנגרוטינא, quæ vox in glossa Libri רבות, dicta מתנות כהונה (β), exponitur מין מס הוא. Angerotina est species tributi. In Jalkuth scribitur אנגרוטונא (γ).

§. VI. Præterea observat B. Schmidius noster (δ), vitis pedamentum sive lignum, quo fulcitur [κάμαξ dicitur Homero (ε) & He-

(γ) *Miscellan. Lacon. Lib. 1. cap. 13. pag. 61. & Lib. III. cap. 8. pag. 230.* (δ) *Aristarch. sacr. prolegom. pag. 681.* (ε) *Cap. 15:21.* (ζ) *Append. var. lection. Evangel. Matth. pag. 269.* (η) *Homil. XVIII. in Matth. pag. 185. edit. Commelin.* (θ) *Apolog. II. pro Christian. pag. 49.* (ι) *In Indice Græc. in Justin.* (κ) *Part. II. Hierozo. Lib. I. c. XI. col. 80.* (λ) *De animal. nat. Lib. III. cap. 13.* (μ) *Aristarch. sacr. cap. 1. pag. 704.*

(ν) *Ad Homer. ὀδ. τ. vers. 28. pag. 1854.* (ξ) *Urania sive Lib. 8. Sect. 98. pag. 494.* (ο) *Lib. III. cap. 34.* (π) *L. c.* (ϱ) *Comment. de Ling. Hellen. pag. 384. 394.* (σ) *De vitiis sermon. Lib. I. cap. 5. pag. 22. seq.* (τ) *De orig. Ling. Lat. pag. 183.* (υ) *Comment. ad Matth. 5.* (φ) *Digestis de vacationibus.* (χ) *Apud Gellium. Noct. Atticar. Lib. XIX. cap. 14.* (ψ) *Digestis de privilegiis Veteranorum.* (ω) *Antiquar. lect. Lib. XVIII. cap. 8. p. 976.* (α) *Practic. Observ. Lib. II. cap. II. Miscellan. Observ. 8. p. 503.* (β) *Section. 64. libri* בראשית, (γ) *Fol. 33. edit. Cracov.* (δ) *Comment. ad Matth. 5.* (ε) *ἰλιάδ. σ. vers. 563.*

& Hesiodo (ζ) nominari ἄγγαρον; ducta metaphora à cursoribus, quorum ut alter alteri tradit mandata, ita hic fulcrum unum alteri vitem crescentem, & arborem quasi ascendentem per gradus transmittit. Unde hoc hauserit, mihi non constat. Apud Eustathium (η) cum κάμακα explicat, non ἄγγαρος scribitur, sed ἄγγαλος. Adscribam verba doctissimi interpretis: ὅτι δὲ καὶ ἄγγαλος ἐκαλεῖτο ἡ χάμαξ, δηλοῖ ὁ εἰπών, Ἄγγαλος, τὸ εἰς ἀναδενδράδα ξύλον, i. e. κάμακα à *barbaris vocari* Angaton, *ille indicat, qui dixit*: Ἄγγαλος &c. Hæc verba leguntur in Hesychii Lexico, quem designare videtur. Nisi inde petita sint ab Eustathio, unde sua collegit Hesychius. Dicæarchus (θ), cum de Creta agit, regionem quandam ejus Insulæ ἀγγαραίων nominat, sed Meursius ἀπτεραίων rescribendum esse monuit (ι).

§. VII. Angari alio nomine dicti sunt Astandæ. Suidas: Ἄγγαροι, οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ Ἀστάνδαι. Eadem repetit inverso ordine in voce Ἀστάνδαι, qui ipso interprete sunt οἱ ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι. οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ἄγγαροι, & subjicit: τὰ δὲ ὀνόματα περσικά. Etiam Ælius Dionysius (κ) eosdem facit Angaros & Astandas, idque apud Persas. Postquam enim, quid Angari essent, declaraverat, addit: οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ἀστάνδαι περσικῶς. Hesychius ab his abit, tribuitque dialecto Tarentinorum, qui erant Dorici generis, ut non ineptum adeo sit dicere, id esse compositum ex ἀστερητικῷ seu privativo, & verbo στῆναι, Dorice στᾶναι, quod non stet, sed ambulet, quemadmodum Cl. Schrevelius censuit (λ). Quod si scribatur ἀσκανδής, ut apud Hesychium reperimus, vel Ἀσγάνδης, quemadmodum Plutarchus (μ) exaravit, convenire videtur cum Chaldaico אזגד vel עזגד, qvod legatum, nuncium, tabellarium designat, & in Targum fere semper pro Hebræo מלאך usurpatur, ut notat R. Elias Levita (ν). Nam Hesychius etiam ἀστάνδην vocat ἄγγελον.

§. VIII. Quod vocis scriptionem attinet, neuter sibi constat, neque Hesychius neque Plutarchus: nam & vulgatam scripturam ἀστάνδης, uterque usurpavit. Hæc tamen varietas Plutarchi interpretes Cruserium atque Xylandrum dubios incertosque reddidit, ut vix haberent, quod conjicerent (ξ). Tandem placuit nomen ἀσκάντης, quod lecticam aut grabbatum significat, testibus Hesychio & Suida in Lexicis, itemque Eustathio (ο). Usurpavit illud Aristophanes (π), & Lucianus (ρ). Ut sic innuatur, Darium fuisse aliquando unum è regiis Cubiculariis, ἕνα τῶν κατευνασῶν. *Verum hæc* μελετήματα *sunt*, ceu loquitur Nicolaus Blancardus (σ), *& instabiles cogitationes, quibus nulla subest veritas. Ex ipso Plutarcho, & scriptis libris legendum* ἀστάνδης. Libro primo de fortuna Alexandr. eum cum fortuna quasi disceptantem his verbis fingit: Δαρεῖος ἦν σὸν ἔργον, ὃν ἐκ δούλου καὶ ἀστάνδου βασιλέως, κύριον Περσῶν ἐποίησας. *Tuum opus Darius est, quem ex servo & Astanda Regis, Dominum Persarum fecisti.* Iterum libro secundo de eodem sic fatur: καὶ στολὴν ἐνδυσάμενος ἀστάνδου, περιέθετο τὴν βασιλικὴν καὶ ὀρθοπαγῆ κίταριν, *exuta Astandæ stola regiam erectamque tiaram sibi circumposuit* (τ). Ut proinde existimem, memoria lapsum esse Virum Clarissimum Fr. Guietum, cum scribit, ultimum Persarum Regem Darium hoc nomine fuisse appellatum. Litera Γ pro Τ, facile potuit irrepere, detracta alteri parti lineola. Sic ἰσγέον reperias scriptum apud eundem Hesychium (υ) pro ἰστέον, ΙΣΤΕΟΝ.

§. IX. Neque obstat, quod Diodorus Siculus prodidit (φ) Darium hunc ex regia fuisse stirpe, Arsanis filium, nepotem Ostanis, qui Artaxerxis Regis frater. Etenim præcipui in regno Persiæ Ministri, quacunque essent vel dignitate, vel potestate præditi, satrapæ provinciarumqne præsides & gubernatores, etiam Regis fratres, Magni regis servi dicebantur. De Cyro Artaxerxis regis fratre sic scribit Xenophon (χ), Παρὰ μὲν Κύρου δοῦλος ὢν οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς βασιλέα, παρὰ δὲ βασιλέως πολλοὶ πρὸς Κῦρον ἀπῆλθον. *A Syro, quamvis servus esset, nemo ad Regem deficiebat, à Rege vero multi ad Cyrum transierunt.* Sola Regis uxor excipiebatur, quod quasi indignum visum est Plutarcho, qui Lib. πρὸς ἡγεμόν. ἀπαίδ. καὶ ὅγε, ait, Περσῶν βασιλεὺς πάντας ἡγεῖτο δούλους, πλὴν τῆς αὐτοῦ γυναικός, ἧς μάλιστα δεσπότης ὤφελεν εἶναι. *Atque adeo Persarum rex omnes pro servis habuit, excepta sua uxore, cujus maxime debuit esse Dominus.* Quin ex eo, quod Darius fuit Astanda, conficere alii volunt, hoc munus apud Persas fuisse præclarum & honorabile. In his est Barnabas Brissonius (ψ) & Keckermannus (ω). Verum qui Alexandri verba diligentius examinaverit, animadvertet, ista officii commemoratione, prioris vitæ & conditionis vilitatem & contemtum exprobrari Codomanno. Neque cum Diodoro consentiunt alii. Strabo (α) enim tradit regium Darii Hystaspis sanguinem desiisse in Narse, quem cum Bagoas interfecisset, Darium hunc regem constituit, οὐκ ὄντα τοῦ γένους τῶν βασιλέων. Et Alexander apud Curtium (β) milites sic alloquitur: Ne Darius quidem hæreditarium Persarum accepit imperium: sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus. Idem sensisse videtur Justinus (γ). Nec Diodorus ipse sibi constat. Ἐρήμου δ᾽ ὄντος τοῦ βασιλέως οἴκου, καὶ μηδενὸς ὄντος τοῦ κατὰ γένος διαδεξομένου τὴν ἀρχὴν, προχειρισάμενος (ὁ Βαγώας) ἕνα τῶν φίλων Δαρεῖον ὄνομα, τούτῳ συγκατεσκεύασε τὴν βασιλείαν. Οὗτος δὲ ἦν υἱὸς μὲν Ἀρσάνου τοῦ Ὀστάνου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλεύσαντος, i. e. *Cum orba esset Regis domus, neque restaret quisquam regiæ stirpis, qui succederet in imperium, delecto cuidam amico, cui nomen Darius, regnum comparavit* [Bagoas]. *Hic vero filius erat Arsanis, Ostanis nepos, qui frater fuit Artaxerxis Persarum Regis.* Hæc non cohærent. Superfuit Codomannus, fratris Artaxerxis nepos, & tamen regia domus fuit orba, καὶ μηδεὶς ἦν ὁ κατὰ γένος διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν. Omittam sexum fœmininum, Ochi conjugem & tres filias virgines, quas Damasci Præfectus hosti objecit, ut à Curtio traditum (δ). Adhæc uxorem Hystaspis, Ochi neptem, apud eundem (ε), inter convivales ludos ostensam, & denique Parysatin, ejusdem Regis filiam, ab Alexandro Susis matrimonio junctam, auctore Arriano (ζ). Sed præterire nolo Bisthanem, Artaxerxis filium, qui se Alexandri fidei permisit, fugamque Darii ex Ecbatanis illi nunciavit. Audi Arrianum (η): ὡς δὲ ἀπεῖχεν Ἐκβατάνων, ὅσον τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν, ἐνταῦθα ἀπήντα αὐτῷ Βισθάνης ὁ Ὤχου παῖς, τοῦ πρὸ Δαρείου βασιλεύσαντος Περσῶν, καὶ οὗτος ἀπήγγειλεν, ὅτι Δαρεῖος ἐς πέμπτην ἡμέραν εἴη πεφευγώς. *Quumque ab Ecbatanis trium dierum itinere abesset, Bisthanem Ochi filium, qui ante Darium in Perside regnarat, obvium habuit. Is Alexandro nunciavit, quintum jam diem esse, ex quo Darius fugisset.* Ergo non omnis regius sanguis deletus est, remansitque Bisthanes, cui tanquam legitimo hæredi regnum debebatur. Sed hoc à Bagoa repulso, in Cyri sedem Codomannus est admissus. Quid porro in mentem venerit Cœlio Rhodigino, ut scriberet (θ), Darium ab Alexandro victum, lictorio primum munere functum esse, conjicere non possum. *Lictores*, inquit Festus, *dicuntur, quod fasces virgarum ligatos ferunt. Hi parentes Magistratibus, delinquentibus pœnis ingerunt.* Ideo M. Tullius pro Rabirio: *Lictor, colliga manus.* Et in Verrem: *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, Lictor Sextius.* An tales Astandæ? Sed hæc mittimus, quæ nulli non notissima sunt.

(ζ) *Scuto Hercul. vers. 298.* (η) *Ad laudatum Homeri locum p. 1163.* (θ) *In vita Græciæ.* (ι) *Comment. posthumo de Creta p. 20.* (κ) *Apud Eustath. l. c.* (λ) *In Lexico.* (μ) *In Alexandro. pag. 674. C.* (ν) *In* מתורגמן *pag. 3. col. 1.* (ξ) *Annotat. ad Plutarch. loc. p. 48.* (ο) *Ad ὀδ. ψ. p. 1944. 18.* (π) ἐν νεφέλαις *p. 164. ubi vid. Scholia.* (ρ) *T. II. in Lexiphan. p. 506.* (σ) *Animadvers. in Arrian. L. II. de expedit. Alexand. p. 101.* (τ) *Pag. 340.* (υ) *P. 471.* (φ) *Lib. XVII.* (χ) *Lib. I.* ἀναβάσ. *pag. 212.*

(ψ) *L. c. pag. 148.* (ω) *T. II. System. Philos. pag. 1446.* (α) *Lib. XV. Geograph. fin.* (β) *Lib. VI. c. 3.* (γ) *Lib. X. pag. 564.* (δ) *Lib. III. c. 13.* (ε) *Lib. VI. c. 2.* (ζ) *L. VII.* Ἀναβάσ. *pag. 447.* (η) *Lib. III. p. 206.* (θ) *Lect. Antiq. L. XXI. cap. 38. pag. 1208.*

CAPUT II.

Ἡμεροδρόμοι *Græcorum. Suidæ descriptio obscurior. Philippides an Phidippides apud Nepotem? De persona ipsa dissentiunt autores. Pleræque Græciæ civitates suos habuerunt* ἡμεροδρόμους. *Livius vertit Speculatores. Quid* δρομοκήρυκες. Ἡμεροδρόμων *&* ἡμεροσκόπων *differentia. Laudatur Æneas Tacticus vetustissimus & Polyænus. In* ἡμεροσκόποις *cur requisita pedum pernicitas?* Ἡμεροδρόμοι *in rebus Persicis iidem qui Astandæ. Autor libri de mundo an Aristoteles? Bootii & Elmenhorstii sententiæ contrariæ.* Ἡμεροδρόμων *& Angarorum discrimen.*

§. I. UT Persæ suos habebant Angaros vel Astandas, sic Græci ἡμεροδρόμους: qua voce utitur Hesychius in interpretatione nominis Ἀστάνδης. Idem alio loco (α) Solem hoc nomine signari

(α) *P. 423.*

ſignari nos docet, & quidem ἀπαγγελικῶς, ut ſcribit. Aſſentit Suidas. Deinde certi generis curſores ſic vocabantur. In his deſcribendis paulo obſcurior eſt Suidas: Λέγονται καὶ οἱ ταῖς βασιλικαῖς διατάξεσι ταχύτατα διακονούμενοι, νέοι δ' εἰσὶν ἐφήβων ὀλίγον πρεσβύτεροι, —— τόξων καὶ βελῶν καὶ ἀκοντίων καὶ πυροβόλων λίθων ἐπιφερόμενοι πλέον οὐδέν. Ταῦτα γὰρ αὐτοῖς πρὸς τὴν ὁδοιπορίαν γίνεται χρήσιμα. Quæ Portus vertit: *Sic etiam vocantur, qui celerrime regia mandata faciunt. Sunt autem juvenes ephebis paulo majores, —— qui nihil aliud ferunt ſecum, quam arcus & ſagittas, & jacula & lapides ignem ejaculantes. Hæc enim ad iter ipſis ſunt utilia.*

§. II. Clarius hac de re Nepos, cum ſcribit in vita Miltiadis de Athenienſibus: *Philippidem curſorem ejus generis, qui Hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miſerunt, ut nunciaret, quam celeri opus eſſet auxilio.* Herodotus (β) rem eandem verbis narrat ſequentibus: Ἀποπέμπουσι ἐς Σπάρτην κήρυκα Φειδιππίδην, Ἀθηναῖον μὲν ἄνδρα, ἄλλως τε ἡμεροδρόμον τε καὶ τοῦτο μελετῶντα. Phidippidem nominat, qui Cornelio Philippides. De qua Scripturæ varietate plura reperire eſt apud illius Commentatores. Addo Lucianum ab aliis non obſervatum, qui Nepotis ſcripturam exhibet (γ), cum ait, Philippidem ἡμεροδρομήσαντα ex Marathone curſu itinere peracto, Athenas victoriam annunciaſſe, & ad Magiſtratus, quo loco conſederant, atque anxii de eventu pugnæ cogitabant, dixiſſe: *χαίρετε, νικῶμεν, Salvete, vincimus*; & cum hoc dicto mox expiraſſe. Qua in re pleriſque aliis contradicit. Quemadmodum & Heraclides Ponticus ſingularis eſt, qui victoriam illam à Therſippo Eroenſi primum nunciatam prodidit, ut eſt apud Plutarchum (δ). Cæteri Euclea nominant, ut idem memorat: οἱ δὲ πλεῖστοι λέγουσιν Εὐκλέα, δραμόντα σὺν τοῖς ὅπλοις θερμὸν ἀπὸ τῆς μάχης, καὶ ταῖς θύραις ἐμπεσόντα τῶν πρώτων, τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, χαίρετε καὶ χαίρομεν. εἶτα εὐθὺς ἐκπνεῦσαι, *Plerique ferunt Euclea cum armis à pugna adhuc calentem, in fores principum incidiſſe, idque unum fatum:* Salvete, ſalvi ſumus: *illico exſpiraſſe.*

§. III. Unde liquet, ἡμεροδρόμους eſſe nuncios celerrimos, *qui curſu ingens uno die iter emetiebantur*, ut Livius declarat (ε). Quemadmodum Philippides noſter biduo cucurrit mille centum & ſexaginta ſtadia, ab Athenis Lacedæmonem, ut Plinius autor eſt (ζ). Alii legunt mille ducenta & quadraginta; quem numerum Solinus expreſſit (η). Ab utroque abit Suidas (θ), qui mille & quingenta ſtadia numerat, eaque διὰ μιᾶς νυκτὸς καὶ ἡμέρας, una nocte & die confecta eſſe docet. Solini numerus placuit Juſto Lipſio (ι). Ea ſunt Romana milliaria centum quinquaginta ſeptem & ſemis: Leucæ circiter quadraginta. Quæ res nec magna nec miranda eſt, ſi cum cæteris curſorum exemplis conferatur, quæ Plin. & Solinus locis laudatis recenſuerunt. Adde ejuſdem Plinii Librum ſecundum cap. 73, & Plutarchum in Ariſtide (κ), itemque Curtium (λ). De Argivis memorat Herodotus (μ), eos miſiſſe in Atticam κήρυκα τῶν ἡμεροδρόμων ἀνευρόντες τὸν ἄριστον, *præconem, quem optimum è diurnis curſoribus inveniſſent.* Ac videtur una quælibet Græciæ civitas tales habuiſſe curſores. De Rege Lacedæmoniorum Agide refert Diodorus Siculus (ν), πέμψαι τινὰς κρῆτας ἡμεροδρόμους, δι' ὧν καταταχήσας τὸν Ἐπαμινώνδαν, τοῖς ἀπολελειμμένοις ἐν τῇ Σπάρτῃ ἐδήλωσε, *miſiſſe quoſdam Cretenſes* ἡμεροδρόμους, *per quos antevertens Epaminondam, relictis in Sparta ſignificabat.* Nominabantur & δρομοκήρυκες, ut ex Æſchine annotat Harpocration. Idcirco Heſychius δρομοκήρυκα exponit ἡμεροδρόμον, τὸν ἐπὶ σπουδῆς πεμπόμενον τὰς ἐπικηρυκείας ποιήσασθαι, *qui celeriter mittatur ad pacem faciendam vel fœdera.* Suidas vocat ἀγγελιαφόρους nuncios, itaque Dionem uſurpare ait. Addimus Polyænum (ξ), τοῖς δρομοκήρυξι προσέταξε κηρύττειν, ὡς ἥκοιεν οἱ πολέμιοι διαρπασόμενοι τὸ χάρακα, *juſſit nunciare, quod veniant hoſtes ad diſcerpendum aggerem.*

§. IV. Livius ut bene iſta norit, tamen *Speculatores* vertit: *Reſpondiſſet*, ſcribit, *ni ſpeculator* [Hemerodromos Græci vocant; ingens die uno curſu emetientes ſpacium] *contemplatus regium agmen è ſpecula quadam, progreſſus nocte media Athenas perveniſſet.* Hunc ſecuti alii ἡμεροδρόμους eoſdem faciunt cum ἡμεροσκόποις. Quod nullo veterum exemplo confirmari poteſt. Hemerodromi erant curſores Principum ac civitatum, quibus utebantur pro nunciis ac tabellariis: ἡμεροσκόποι excubias agebant, & in ſublimibus locis poſiti ſpeculabantur atque obſervabant, indeque ſignum dabant rei viſæ, vel fumo, vel agitatione veſtis, vel tuba, vel alio ſimili modo, de quo convenerat inter mittentes & miſſos. Hac de re conſulendi ſunt Æneas in Tactico Comment. & Polyænus in ſtrategematis. Equidem non nego, eveniſſe aliquando, ut ἡμεροσκόπος evaderet ἡμεροδρόμος, cum per ſigna non poſſet indicare, quæ volebat ac debebat; ſed neceſſe eſſet, ut ipſe nuncium deferret. Sic quos Græci reliquerant in montibus Eubœæ, cum ipſi interim navibus ſuis ab Arteniſio Chalcidem profecti eſſent, atque horrenda tempeſtas oborta Perſarum naves multo plurimas deſtruxiſſet, οἱ ἡμεροσκόποι ἀπὸ τῶν ἄκρων τῶν Εὐβοϊκῶν καταδραμόντες, δευτέρῃ ἡμέρῃ, ἀπ' ἧς ὁ χειμὼν πρῶτον ἐγένετο, ἐσήμαινον πάντα τὰ γενόμενα περὶ τὴν ναυηγίην, *Ipſi Speculatores ab Euboicis verticibus decurrentes, indicarunt omnia, quæ contigerant.* Videantur plura apud Herodotum (ο). Propterea Æneas (π) in Hemeroſcopis pedum pernicitatem exigit, ut ſi qua inciderent, quæ ſignis declarari nequeant, celeriter ipſi accurrere poſſint, & quoad ejus fieri queat, ex longinquo etiam intervallo nuntium deferant. Hæc de Græcorum moribus.

§. V. Cum porro in Perſicis negotiis ἡμεροδρόμων fit mentio, non alios puto intelligendos eſſe, quam qui ab iſta gente vocabulo domeſtico nominantur Angari. Heſychius cum ἀστάνδην exponit, eum ἡμεροδρόμον dicit. Et Ariſtoteles, vel quiſquis autor eſt Libelli de mundo [Ariſtoteli falſo adſcribi exiſtimat Arnoldus Bootius (ρ), multique alii viri docti cum ipſo ſentiunt: à quibus tamen diſſentit Geverhardus Elmenhorſtius (σ) autoritate motus Johannis Philoponi Grammatici, qui adducto loco ex hoc libello, Philoſophi nomen præſcripſit] cum Regis Perſarum majeſtatem, & tantum non divinitatem copioſe atque abundanter deſcribit, varioſque miniſtrorum ordines prolixe recenſet, nullos quidem Angaros ſive Aſtandas in his commemorat, verum ἡμεροδρόμους nominat, jungitque σκοποὺς, ἀγγελιαφόρους, φύλακας καὶ φρυκτωριῶν ἐπόπτας, *curſores, ſpeculatores, tabellarios, excubiatores & ſpecularium ſignificationum obſervatores.* (τ) Alias haud parvum inter utroſque diſcrimen licet obſervare. Etenim Græcorum ἡμεροδρόμοι curſores erant pedites; Angari Perſarum utebantur equis: quod conſultum magis, cum ſic omnia citius expediri ac nunciari valeant. Habebant præterea ſtationes certas, per quas decurrerent, & in illis diſpoſiti equi alebantur ad hunc curſum. An vero etiam Græci & Romani veteres hoc genus uſurparint, deinde diſpiciemus.

(β) *Erato ſ. Lib. VI. ſect. 105. p. 368.* (γ) *Tom. III. Dialog. pro eo, quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerat.* (δ) *Lib. bellone an pace clariores fuerint Athenienſes.* (ε) *Lib. 31. cap. 24.* (ζ) *Nat. hiſt. LVII. c. 20.* (η) *Cap. 6.* (θ) *In* Φιλιππίδης. (ι) *Cent. III. ad Italos & Hiſp. ep. 59. ad Nicol. Micaultium.* (κ) *P. 331.* (λ) *L. VIII. c. 2. n. 36.* (μ) *Calliop. ſ. L. IX. ſect. 12. p. 517.* (ν) *Lib. XV.* (ξ) *L. V. in Eudocimo.*

(ο) *Conf. Polymn. ſ. Lib. VII. ſ. 182. pag. 444. & Sect. 192. p. 448.* (π) *Loc. cit. c. 6.* (ρ) *Animadv. Sac. l. 2. c. 5. pag. 166.* (σ) *Emend. ad Apulejum de mund. pag. 69.* (τ) *Cap. 6.*

CAPUT III.

Perſarum Regum ſtudium cognoſcendi omnia, quæ ubique in Imperio agerentur. Imperii amplitudo. Alites interdum nuncii: columbæ inprimis & cornices. Cornix Marrhis Ægypti regis ſepulcri honore affecta. Cœlii Rhodigini mos in autoribus diſſimulandis. Perſæ de ſpeculis nunciabant vel clamore vel ſublato igne. Πυρσοὶ *&* Φρυκτοὶ *quid?* πυρσεύειν. *Vocabula Græca in hac materia uſitata diſtinguuntur & explicantur à Suida.* Παραφρυκτωρεύεσθαι. Φρυκτώρια, πυρσουεῖδές. Πυρσεία *quando inventa, & à quibus. Initio fuit ſimplicior. Aucta magis ac perfecta ab Ænea, & potiſſimum Polybio.* Φρυκτοὶ πολέμιοι καὶ φίλιοι Πυρσεία κατὰ διαδοχὴν *Perſis uſitata. Certior nunciandi ſignificandique ratio per curſores & tabellarios. Angari quomodo primum conſtituti, ex Xenophonte docetur. Herodoti autoritas additur. Quid ex* διαδοχῆς. *Freinshemii error.* Λαμπαδοφορία. Ἄγγαρον πῦρ *apud Æſchylum. Vulgata lectio rejicitur. Trojam eſſe captam an per faces Mycenas uſque potuerit nunciari? Angarorum* σταθμοί. *Diſtinguuntur à Paraſangis. Quomodo imperium Perſicum in ſtathmos & Paraſangas diviſum. Quinque para-*

paransangæ Stathmum conficiunt. Non una eademque ratio stathmorum. Neque singuli in singulos dies computati ab Herodoto. Angarorum potestas utendi cujusvis equis, navibus &c. obviis.

§. I. Ut repente ac subito, quid rerum ageretur in imperio subjectisque provinciis, & vel eo ipso die, quo unumquodque gerebatur, indicari nunciarique posset, diligentissimam operam navarunt Persarum Monarchæ: idque merito, propter regni amplitudinem maximam. Scilicet terrarum, quas illinc sinus Persicus, hinc Hellespontus claudit, Domini, innumeris prope nationibus, & quæ variis ac differentibus linguis & dialectis uterentur, longe lateque imperarunt. Huic autem muneri nullas præficiebant alites, quemadmodum Plinius (α) de Cecinna Volaterrano tradidit, eum hirundines in urbem attulisse, quas *victoriæ nuncias mitteret*, amicis. Laudat idem Fabium Pictorem, qui in Annalibus refert, *cum obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se cum Epistola allatam, ut lino ad pedem ejus alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet.* Ac prodidit Cœlius Rhodiginus (β) è scriptore Græco, cujus locum integrum Græcis verbis repetiit, nomen vero tacuit, fuisse quendam Ægypti regem, qui cornici daret literas, quacunque ille vellet, perferendas. Scilicet, ut recte observat Eruditissimus Vossius (γ), hoc actum Rhodigino passim, ut dissimulatis scriptoribus, unde sua hausisset, non alius, quam ipse testis laudaretur. Quem morem summis aliquando Viris perfamiliarem ibi reprehendit. Cæterum evolvendus est Ælianus (δ), qui nos docet, Marrhem Ægypti regem habuisse Cornicem valde mansuetam & cicurem, quæ postquam audisset, quo perferenda esset epistola, mox quo volatus dirigendus, quænam regio transeunda, & ubi terrarum requiescendum esset, cognoverit, eoque regis literas ocyus quam quivis nuncius perferre solita sit. Ob hanc gratissimam operam mortua sepulcri & cippi honore à rege affecta est. De columbis multa habet doctissimus Bochartus (ε), itemque Justus Lipsius (ζ). Et quidni celerrime hæ animantes currant ac nuncient per liquidas, & ubique pervias cœli oras volantes?

§. II. Nec Persis tamen defuit, qua ratione quam velocissime & nunciarent, quid esset opus, & cognoscerent. Duo potissimum genera reperio. Nunc enim vigiles in speculis collocatos habebant, qui vel clamore, vel sublato igne alter alteri, secundus tertio &c. significabant, si quid accidisset: nunc certis locis ac stationibus dispositos alebant equites, quorum alter alteri mandata in manus traderet. In utroque instituto magnam observare licet convenientiam & similitudinem, ut declarato uno, ratio alterius facillime intelligatur. Omnia namque fiebant κατὰ διαδοχὴν, & unum accipiebatur ab altero, quod idem tertio transmittebat, & sic deinceps. De clamore succedaneo instruit nos Diodorus Siculus (η), qui in rebus Eumenis tradidit, cum ille milites & arma expediret, quosdam Persarum, qui XXX. dierum spacio abessent, eodem illo die hoc cognovisse. Audiamus ipsum: Τῆς γὰρ Περσίδος οὔσης αὐλωνοειδοῦς, καὶ σκοπὰς ἐχούσης ὑψηλὰς καὶ πυκνὰς, ἐπὶ τούτων ἐφειστήκεισαν οἱ μέγιστον φθεγγόμενοι τῶν ἐγχωρίων. Διῃρημένων γὰρ τῶν τόπων εἰς ἀκοῆς φωνὴν, οἱ παραλαμβάνοντες τὸ παραγγελθὲν ὁμοίως ἑτέροις παρεδίδοσαν εἶτ᾽ ἐκεῖνοι πάλιν ἄλλοις, ἕως εἰς τὸ τέρμα τῆς σατραπείας τὸ δοθὲν παρεδόθη. *Persis pleraque montana est & vallibus interrupta, in montibus opportunis speculæ sunt, in quibus consistunt homines maxime vocales: Speculæ autem ita divisæ, quantum vox ab una ad alteram venire & excipi potest. Re igitur nuncianda, unus inclamat proximo, ille alteri, & sic deinceps per omnes Satrapias, ad extrema regni.* Adstipulatur Cleomedes, qui de contemplatione orbium cœlestium tradit, Persarum regem, quum arma Græciæ intulisset, ita disposuisse homines à Susis per stationes Athenas usque, ut quæ à se in Græcia gererentur, significari Persis, voce per stationarios excepta, possent.

§. III. Sed ignium sublatorum usus videtur fuisse frequentior, cujus ideo apud veteres passim fit mentio, per quem & celerius, & in remotiora loca signa dare licebat. Hos speculares ignes Græci appellant πυρσούς. Hesychius, πυρσὸς λαμπὰς, ἢ τὰ διὰ πυρὸς σημεῖα, *Lampas, vel signum, quod igne datur.* Item φρυκτοὺς, sæpe apud Æschylum in Agamemnone (θ), qui & φῶς φρυκτοῦ (ι). Unde αἴρειν φρυκτοὺς attollere faces apud Æneam (κ), quod faciebant πυρσευταί. Nam πυρσεύειν est πῦρ ἐξάπτειν, faces accendere & attollere. Polybius (λ) de Philippo Macedonum rege: Παρήγγειλε διασαφεῖν αὐτῷ πάντα τὰ γινόμενα διὰ τῶν πυρσῶν, *Jussit sibi omnia, quæ gererentur, per succensas sublatasque faces significare.* Vocabula, quæ in hac materia usurpari consueverunt, inprimis & diligenter distinguit Suidas (μ), cujus verba nunc inseremus, cum faciant ad illustrationem antiquorum scriptorum: καὶ φρυκτωρία μέν ἐστιν, αὐτὴ ἡ διὰ δεικνύειν ἐνέργεια, πυρσὸς δὲ καὶ φρυκτὸς, καὶ φρυκτωρούμενον αὐτὸ τὸ δεικνύμενον· ὁ δὲ δεικνὺς καὶ ἐνεργῶν φρυκτωρός· τὸ δὲ ῥῆμα φρυκτωρεῖ, ἐξ οὗ ἡ μετοχὴ φρυκτωρῶν. *Et φρυκτωρία quidem est ipse per faces accensas ac in altum sublatas demonstrandi actus: πυρσὸς vero & φρυκτὸς & φρυκτωρούμενον est ipsa fax accensa, qua rem aliquam eminus alicui nocte præcipue monstramus & significamus: qui vero sic aliquid aliquibus ostendit & operatur, φρυκτωρὸς appellatur. Verbum vero hinc derivatum est φρυκτωρεῖν, unde participium φρυκτωρῶν.* Hæc ille. Quibus addendum è voce φρυκτὸς, eos dici παραφρυκτωρευομένους, qui perfide agunt circa hos ignes, & quid apud suos actum esset, tali tessera hostibus significarent. Cujus exemplum habemus apud Lysiam (ν): Τούτων εἷς μὲν ὁ πρεσβύτερος ἐν Σικελίᾳ παραφρυκτωρευόμενος τοῖς πολεμίοις, ληφθεὶς ὑπὸ Λαμάχου ἐτυμπανίσθη. *Horum unus, qui maximus natu erat, in Sicilia, quod cum hostibus conspiraverat, ipsisque ignibus accensis, indicium fecerat, à Lamacho captus, & exquisitis suppliciis interfectus est*, uti vertit Jodocus Vander-Heidius. Speculæ ipsæ φρυκτώρια, ut videre est apud Herodianum (ξ), & πυρσώδεις, secundum Arnoldum Bootium (ο) sed aliter exponit Suidas in Lexico.

§. IV. Hoc institutum non à Persis primum profectum est; sed quemadmodum ex Æschyli Agamemnone apparet, jam belli Trojani temporibus fuit usurpatum. Aut si minus placet Poëta, Plinium (π) advocamus testem, qui *Ordinem*, inquit, *exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias Palamedes invenit, Trojano bello; specularem significationem, eodem Sinon.* Verum antiqua illa consuetudo simplicior fuisse videtur, & cujus usus ex propinquo duntaxat valuit, cum vel hostium irruptio significanda, vel vicinorum auxilium implorandum esset. Eustathius (ρ) ἔθος τοῖς ἀρχαίοις, τοὺς πολεμουμένους τῇ μὲν ἡμέρᾳ καπνὸν ἀπὸ τῶν τειχῶν διεγείρειν τῇ δὲ νυκτὶ φλόγα, τὴν ἀπὸ τῶν πελοίκων βοήθειαν καὶ συμμαχίαν ἐπικαλουμένους. *Mos erat apud Veteres, ut qui bello appetebantur, interdiu quidem fumum, noctu autem flammam excitarent è mœniis, sicque vicinorum opem & auxilium advocarent.* Plenius describit Suidas: Φρυκτοί· λαμπάδες τινὲς ἀπὸ ξύλων γινόμεναι, ἃς τινας βαστάζοντες ἄνωθεν τῶν τειχῶν, ἐσήμαινον τοῖς πλησιοχώροις, ἢ τοῖς συμμάχοις, ὅταν τινὰς ἑώρων πολεμίους ἐπιόντας, ὡς ὅτι δεῖ προφυλάξασθαι. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῶν πολεμίων τοῦτο ἐποίουν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ φίλων, ὅταν ἑώρων βοήθειαν ἐρχομένην, ἐσήμαινον πάλιν διὰ τῶν φρυκτῶν, ὡς οὐ δεῖ θορυβεῖσθαι. Καὶ ὅτε μὲν φίλους ἐδήλουν ἐβάσταζον τοὺς φρυκτοὺς ἠρεμοῦντας, ὅταν δὲ πολεμίους, ἐκίνουν. *Faces quædam ex lignis confectæ, quas gestantes supra muros, significabant vicinis aut sociis, quum aliquos hostes videbant adventantes, quibus suos admonebant, oportere præcavere. Non solum autem hoc faciebant in hostibus, sed etiam in amicis, cum auxilium venire videbant. Nam per faces accensas contra significabant, non esse tumultuandum. Quum autem amicos significabant, faces quietas gestabant: cum hostes, eas agitabant.* Quæ omnia ac singula prope verbis iisdem leguntur apud Scholiastem Thucydidis (σ). Qui porro ad librum tertium, discrimen inter φρυκτοὺς πολεμίους καὶ φιλίους clarius exposuit: οἱ φίλιοι φρυκτοὶ ἀνετείνοντο, καιόμενοι μὲν ἰσάμενοι δέ. οἱ δὲ πολέμιοι, καιόμενοι μὲν καὶ αὐτοὶ, σειόμενοι δὲ ἀπὸ τῶν ἀνατεινόντων. *Faces amicæ tollebantur ardentes, sed immotæ, hostiles vero & ipsæ quoque ardentes, agitabantur ab iis, qui eas tollebant.* Quoniam itaque solo ostensionis modo internoscebantur, doli & strategematum materiam haud raro in iis invenerunt duces bellici, & dum has pro illis attolli curabant, hostibus fraudem atque periculum struxerunt. Exempla videre licet apud Dionem (τ) & Polyænum (υ).

O §. V. Ex

(α) *Nat. Hist. Lib. X. cap.* 24. (β) *Antiq. Lect. L. XXV. cap.* 28. (γ) *Lib. III. de orig. & progress. Idolol. c.* 84. *p.* 1184. (δ) *De anim. Lib. VI. cap.* 7. (ε) *Hierozo P. II. pag.* 15, 16. (ζ) *Epist. cit. & Saturnal. II. cap.* 5. (η) *Biblioth. Lib. XIX. pag.* 680. *edit. H. Steph.*

(θ) *Vers.* 30. & 290. (ι) *Vers.* 300. (κ) *l. c. cap.* 7. (λ) *Lib. X. pag.* 855. (μ) *In voce* πυρσεύει. (ν) *Orat. XII. cont. Agoratum pag.* 216. (ξ) *Lib. IV. c.* 2. *num.* 15. (ο) *l. c. num.* 8. *p.* 164. (π) *Lib. VII. cap.* 56. (ρ) *Ad Hom.* Ἰλ. ρ. (σ) *Ad Lib. II. prop. fin. pag.* 42. (τ) *l.* 42. (υ) *l.* 2. & 3.

§. V. Ex iis itaque locis, quæ remotiora erant ab urbe vel castris, nulla ignibus signa dari poterant, nisi alii aliis in locis collocati essent speculatores, qui sublata in altum signa exciperent, atque vicissim ad alios aliosque transmitterent. Hos Æneas vocat διαδεκτῆρας ἄλλες ἐπ' ἄλλοις τόποις τ̃ αἰρομένων σημείων. Tales descripsit nobis Æschylus (φ), ex quo mox plura afferemus. Talis quoque fuit Persarum πυρσεία, de qua agit autor Libri de mundo (χ): Τὴν σύμπασαν ἀρχὴν τ̃ Ἀσίας --- διειλήφεισαν --- ἡμεροδρόμοι τε καὶ σκοποὶ, καὶ ἀγγελιαφόροι καὶ φύλακες, φρυκτωρῶντε ἐπόπῆρες. Τοσῦτ☉ ἦ ὁ κόσμος, καὶ μάλιστα τ̃ φρυκτωριῶν κτ̃ διαδοχὴν πυρσευσῶν ἀλλήλοις, ἐκ περάτων τ̃ ἀρχῆς μέχρι Σέσων καὶ Ἐκβατάνων, ὥστε τ̃ βασιλέα γιγνώσκειν αὐθήμερον πάντα τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ καινεργέμενα. *Per totum Asiæ imperium, —— dispositi erant — cursores, speculatores, Tabellarii, Excubiatores ac specularium significationum observatores. Tantus autem ordo erat, præcipue specularum, quæ inde ab extremis Imperii finibus ad usque Susa & Ecbatana, ignes altera alteri tollebant, ut Rex quæcunque in Asia novabantur, eo ipso die cognosceret.*

§. VI. Verum & hoc πυρσείας genus, quod κτ̃ διαδοχὴν, simplex adhuc fuit atque impeditum, nec qui eo utebantur, magnam inde ceperunt utilitatem. Scilicet res tota paucis quibusdam signis, de quibus convenerat, peragebatur, cum contra infinita accidere possent, quæ per faces significare non licebat. Etenim hostes adventare, vel in propinquo esse, constitutis in id signis de communi consensu, facile erat indicare: At civium quosdam mutare fidem aut prodere, vel cædem in urbe esse factam, vel aliud quid hujusce modi, qualia solent multa sæpe contingere, quæ præcepisse animo cuncta prius nemo queat mortalium, nota fieri per accensas faces haud poterant. Nam earum rerum, quæ provideri non poterant, nulla constituta erant signa. Huic incommodo mederi conatus est Æneas, autore Polybio, qui vero parum ab isto præstitum esse, aperte monet. Ipse etiam Æneas (ψ) se plura perscripsisse profitetur in libro de rei bellicæ apparatibus, ὡς δεῖ τῦτο γίνεσθαι, καὶ ὡς αἴρειν τὰς φρυκτάς. Inprimis autem Polybius (ω) id operam dedit, ut πυρσείαν veterum augeret ac perficeret, utque alia etiam, quæ subito acciderant, & de quibus inter dantem signum & observantem, nondum convenerat, sublatis facibus nuntiari possent. Quicquid tamen affert, id obscurum adhuc & difficile videtur: Quod illustrare melius studuit Eruditissimus Casaubonus (α).

§. VII. Quare ea nuntiandi significandique ratio, quæ per Tabellarios & Cursores perficitur, omnium videtur commodissima & certissima: Præsertim illa, quæ Persis fuit usitata, & per Angaros peragebatur. De qua Xenophon (β) in Institutione Cyri: καταμάθομεν ἦ αὐτῦ καὶ ἄλλο μηχάνημα πρὸς τὸ μέγεθ☉ τῆς ἀρχῆς, ἐξ ὗ ταχέως ᾐσθάνετο καὶ τὰ πάμπολυ ἀπέχοντα, ὅπως ἔχοι. Σκεψάμεν☉ γὸ πόσην ἂν ὁδὸν ἵππ☉ κατανύτοι τ̃ ἡμέρας ἐλαυνόμεν☉, ὥστε διαρκεῖν, ἐποιήσατο ἱππῶνας τοσῦτο διαλείποντας, καὶ ἵππους ἐν αὐτοῖς κατέστησε, καὶ τὰς ἐπιμελησομένους τύτων, καὶ ἄνδρα ἐφ' ἑκάστῳ τῶν τόπων ἔταξε τὸν ἐπιτήδειον παραδέχεσθαι τὰ φερόμενα γράμματα, καὶ παραδιδόναι, καὶ παραλαμβάνειν τὰς ἀπειρηκότας ἵππους, καὶ ἄλλες πέμπειν νεαλεῖς. Ἔστι δ' ὅτε ὐδὲ τὰς νύκτας φασὶν ἵστασθαι ταύτην τ̃ πορείαν, ἀλλὰ τῷ ἡμερινῷ ἀγγέλῳ τὸν νυκτερινὸν διαδέχεσθαι· τύτων ἦ ὕτως γιγνομένων, φασί τινες θᾶττον τῶν γεράνων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύτειν. Εἰ ἦ τῦτο ψεύδονται, ἀλλ' ὅτι γε τ̃ ἀνθρωπίνων πεζῇ πορειῶν αὕτη ταχίστη, τῦτο εὔδηλον. *Etiam aliud quiddam excogitasse (Cyrum) cognovimus, quod ad magnitudinem imperii pertinet, de quo celeriter intelligebat, qui etiam illorum, quæ permultum distabant, status esset. Quum enim considerasset, quantum itineris equus conficere sic per diem posset, ut ne deficeret: stabula parabat, quæ tantundem distarent, & in his equos constituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Disposuit & quolibet loco quendam, qui & ad recipiendum literas allatas idoneus esset, & ad tradendum eas quique defatigatos equos acciperet, recentesque submitteret. Atque hoc iter interdum ne noctu quidem cessare dicitur, sed nuncio diurno succedere nocturnum. Quæ quum ita fiunt, sunt qui dicant, hujusmodi iter gruum volatu celerius confici. Quod si vere non dicunt, saltem hoc manifestum est, omnium inter homines pedestrium itinerum hoc velocissimum esse.* Hæc Xenophon. Cui jungendus est Herodotus (γ), qui, quod Cyrus primum invenit δράμημα, à Xerxe usurpatum refert, cum in patriam nunciari vellet cladem illam gravissimam, quam in navali pugna ad Salaminem acceperat. Ταῦτά τε ἅμα Ξέρξης ἐποίεε, καὶ ἔπεμπε ἐς Πέρσας ἀγγελέοντα τὴν παρεῦσάν σφι συμφορήν. Τύτων ἦ τῶν ἀγγέλων ἐστὶ ὐδὲν ὅ, τι θᾶσσον παραγίνεται θνητὸν ἐόν. Οὕτω τοῖσι Πέρσῃσι ἐξεύρηται τῦτο. Λέγυσι γὸ ὡς ὅσων ἂν ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδὸς, τοσῦτοι ἵπποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι κατὰ ἡμερησίην ὁδὸν ἑκάστην τεταγμένοι, τὰς ὔτε νιφετὸς, ὐκ ὄμβρ☉, ὐ καῦμα, ὐ νὺξ ἔεργει, μὴ ὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑωυτῷ δρόμον τὴν ταχίστην. Ὁ μὲν δὴ πρῶτ☉ δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ ἦ δεύτερ☉ τῷ τρίτῳ· τὸ ἦ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη, τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέυσι· Τῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέυσι Πέρσαι Ἀγγαρήϊον. *Xerxes & hæc fecit, & simul in Persidem misit, qui præsentem cladem nunciarent. His nunciis nihil pernicius transcurrit in rebus humanis: quod negocium hunc in modum à Persis est excogitatum. Quot ex diebus tota via constat, totidem equos ac viros ferunt esse distinctos ad singulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque æstus, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant. Quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, & ita deinceps illa mandata in alium atque alium pertranseunt, quemadmodum apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre cursores perseverant. Hanc equorum cursitationem Persæ* Angareum *appellant.* Hæc Herodotus.

§. VIII. Jam satis apparet, quare Angari dicantur regis tabellarii ἐκ διαδοχῆς apud Ælium Dionysium, Hesychium & Suidam; quæ verba male vertit doctissimus Freinshemius (δ) in verbis quidem Suidæ, *sibi jure hæreditario succedentes*: in verbis Ælii Dionysii, *Tabellarios hæreditarios.* Non hic talis successio, quæ ad hæredes pertineat; idque intelligimus clare ex Herodoto, qui cum Græcorum λαμπαδηφορίη confert. Hanc innuit Philosophus, cum λαμπάδα vocat ἐν διαδοχῆς. (ε) Ut currentes facem ardentem gestabant, quam defatigatus proximo in manum dabat, is item defessus alii, ac deinceps alius alii successive tradebant invicem: ita Angari literas & mandata alter alteri, secundus tertio, & deinceps tradebant. Vide de λαμπαδηφορίᾳ Platonem (ζ) & Pausaniam (η), è Junioribus Rhodiginum (θ) & Erasmum (ι).

§. IX. Pariter & φρυκτωρίαι magnam habuerunt convenientiam & cognationem cum Angariis. Nam & πυρσεῖαι fiebant κατὰ διαδοχὴν, ut supra notatum ex autore libri de mundo, & πυρσευταὶ Æneæ vocantur διαδεκτῆρες ἄλλοι ἐπ' ἄλλοις τόποις τ̃ αἰρομένων σημείων. Idcirco Æschylus (κ) cum de Agamemnonis facibus sive πυρσείᾳ agit, λαμπαδηφόρων νόμυς memorat:

> Τοιοί δ' ἔτυμοι λαμπαδηφόρων νόμοι,
> Ἄλλ☉ παρ' ἄλλυ διαδοχαῖς πληρέμεν☉.
>
> *Tales veræ tædigerorum leges,*
> *Aliæ ab aliis per vices impletæ.*

Imo ipsum ignem τῶν πυρσῶν ἄγγαρον nominavit (λ), quo, cum nocte præcedente capta esset Troja, idem sequente die significabatur Clytæmnestræ, à Troja Mycenas usque. Nempe ut Poeta fingit, faces in monte Ida accensæ videbantur in Hermæo Lemni promontorio, unde porro signum igne datum cognoscebatur in montis Atho cacumine, in quo novæ lampades accensæ jubar suum Macistum porrigebant, indeque ulterius per varia loca succensi ignes exiguo temporis spacio nuncium Mycenas detulerunt. Neque hoc ex eo videtur esse genere, quod fieri non potest. *Quod si fabulosæ sint faces ista Agamemnonia, quas Æschylus memorat Clytæmnestræ fuisse nuncias Trojæ captæ, à Troja Mycenas usque, saltem certum est, veras esse potuisse*, scribit Isaacius Vossius in Pompon. Melam (μ). Enimvero in expressis Æschyli codicibus exaratum est, ἀπ' ἀγγέλυ πυρὸς, ab igne nuntio. Ad quem locum Guilielmus Canterus notis in Poetam, *Rectius*, ait, ἀγγάρυ πυρὸς *Suidas legit.* Vide ipsum in voce ἄγγαροι, ubi Poetæ verba in hunc modum refert:

> Φρυκτὸς ἦ φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρυ πυρὸς
> Ἔπεμπε. —— —— —— —— ——

Quæ

(φ) *Agamemn.* (χ) *L. c.* (ψ) *L. c.* (ω) *Lib. X. p. 855.* (α) *Epistol. ad Virum præstantiss. Johannem Witten, Lubecensem, Ducis Meclenburg. quondam Consiliarium intimum, quam Elmenhorstius animadvers. ad Apulej. de mund. p. 93. inseruit.* (β) *Lib. VIII. p. 183.* (γ) *Uran. sive Lib. VII. sect. 98. pag. 494.*

(δ) *Comment. in Curt. Lib. III. c. 3.* (ε) *Lib. V. Auscult. Phys. cap. 4. context. 40.* (ζ) *Lib. I. de republ. haud procul initio.* (η) *In Atticis.* (θ) *Lib. XI. c. 27.* (ι) *Chiliad. I. cent. 2. adag. 38.* (κ) *Vers. 320.* (λ) *Vers. 290.* (μ) *Lib. I. cap. 2. pag. 119.*

Quæ Latine vertit Thomas Stanleus:

Lampas vero lampadem angariantis ignis
Misit. —— —— —— ——

Dubius est Æmilius Portus, (ν) neque nos docet, utram lectionem præferendam censeat. Placet vero Suidas, cui adstipulantur Etymologici magni autor, & Eustathius loco superius allegato. Utriusque verba afferam. Ille quidem ait: Αἰσχύλος οὖν ἐν Ἀγαμέμνονι τὸ ἐκ διαδοχῆς πυρσὸν, ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς ἔφη. Hic: παρὰ τῷ αὐτῷ τῷ ποιητῇ ἐν Ἀγαμέμνονι καὶ οἱ ἄγγαροι κεῖνται, λέξις φανερῶς περσική. Pro eadem lectione pugnat B. noster Schmidius (ξ) alteramque pro scholio habet prioris, quæ sæpissime in textum recipiuntur.

§. X. Cæterum quemadmodum in φρυκτωρίαις per totum imperium ordinatæ dispositæque speculæ erant, ut quoties occasio ferret, signum ab una ad aliam ignibus datum, ab hac porro ad tertiam, & sic deinceps perpetua serie ad ipsam usque regiam perferretur: sic Angari quoque certis locorum intervallis dispositi constitutique erant, quorum alter alteri, secundus tertio, ac sic deinceps mandata traderet. Hujusmodi stationes vel mansiones, ubi Angari peracto sui cursus penso quiescebant, ἄγγαρα genere neutro à Persis, σταθμοὶ à Græcis dicuntur. Ab his aliæ ac diversæ sunt Parasangæ; quam vocem Fr. Junius in elogio Linguæ Hebrææ ex Parasangara factam esse conjectabat; nempe quia hoc vocabulo significetur spacium triginta stadiorum, quantum Parash-Angarus h. e. equestris tabellio, ab Angaria h. e. tabellionum stathmo sive mansione una ad alteram, decurrebat, sicuti Vossius declarat (ο). Hæ Parasangæ minores erant σταθμοῖς, à quibus passim distinguuntur. Lucianus (π) Τὸ δὲ καὶ περὶ τοὺς τόπους αὐτοὺς ψεύδεσθαι, οὐ παρασάγγας μόνον, ἀλλὰ καὶ σταθμοὺς ὅλους, τίνι τῶν καλῶν ἔοικεν. *At vero circa ipsorum quoque locorum descriptionem mentiri, idque non solum parasangas aliquot, sed & totas mansiones, illud quæso cui honesto aut pulcro comparabimus.* Rationem ac modum, quo Persicum imperium in stathmos & parasangas fuit divisum, exponit Herodotus, cum Cleomenes Aristagoram interrogaret, quot dierum ab Ionico mari ad Regem (nempe magnum seu Persarum) esset iter (ρ). Sic namque præfatur Historicus: ἔχει γὰρ ἀμφὶ τῇ ὁδῷ ταύτῃ ὧδε· σταθμοί τε πανταχῇ εἰσι βασιλήιοι καὶ καταλύσιες κάλλισται. *Quod enim attinet hoc iter, res ita se habet: Ubique sunt regii stathmi, ac diversoria pulcherrima.* Post singulatim recenset, quot per Lydiam & Phrygiam, per Cappadociam, Ciliciam, Armeniam &c. usque ad urbem Susa: ac semper Stathmos à Parasangis distinguit, sic ut unus stathmus fere quinque complectatur Parasangas. Nam per Ciliciam numerat tres stathmos, parasangas quindecim & dimidiatum. Aliquando tamen quatuor Parasangæ stathmum unum ferme complent. Parasangæ ibidem tribuit tringinta stadia Herodotus; sed alii alia mensura determinant, ut monet Plinius (σ) & Strabo (τ). Meminit & Arrianus stathmorum (υ), cum scribit, Sochum ab angustiis, quæ Assyriam aperiunt, distare ἐς δύο μάλιστα σταθμούς. Ac de Ptolomæo refert, eum quatuor dierum spacio peragrasse cum exercitu σταθμοὺς δέκα (φ) *mansiones decem.* Sed hinc nihil certi confici potest, quanto intervallo distincti fuerint Angarorum stathmi, & quem illi in itinere modum servarint. Neque etiam Herodotus loco antea citato unum stathmum in singulos dies distribuit. A Sardibus ad Susa numerat Parasangas quadringentas & quinquaginta, stathmos centum & undecim, è quibus dierum nonaginta iter conficit, dum singulis diebus centum & quinquaginta stadia attribuit. Verum Angari celerrime currebant, nec intermittebant iter suum noctu. Potuit Ptolomæus etiam cum exercitu decem mansiones quatuor dierum spacio peragrare. Fortasse nec idem modus omni tempore servatus est. Nam initio, ut dilucide planeque loquuntur Herodotus & Xenophon, quantum spacii uno die equus posset conficere, sic ut labori non succumberet, in tali isto intervallo constituta sunt equilia, inque iis equi & equorum curatores. Refert autem Agathias, libro secundo, Persas itinera sua divisisse in Parasangas, & ideo Tabelliones & bajulos, ut quosque parasangas attigissent, quiescere, & onera sua aliis ulterius euntibus per vices transferenda committere. Præterea hi regii cursores potestaten habuerunt cujusvis equis aut navibus utendi ut suis, imo & homines adigendi ad cursum. Eadem hoc tempore Turcarum cursores gaudent, ut multis proditum est. Verum hæc licentia, cum pariat audaciam, atque abusui pateat, sitque gravis civibus & odiosa, propterea & res & nomen in invidiam offensionemque incurrerunt. De quo deinde dicemus.

(ν) *In Lexico Ionico.* (ξ) *Comment. ad Matth. 5.* (ο) *de vit. Sermon. l. 1. c. 5.* (π) *Tom. 3. quomodo Historia scribenda sit p. 366.* (ρ) *Terpsich. s. Lib. 5. s. 52. pag. 302.* (σ) *Lib. 6. c. 20.* (τ) *Lib. 11. p. 604.* (υ) *Lib. 2. de expedit. Alex. p. 93.* (φ) *Lib. 3. p. 234.*

CAPUT IV.

Autor Engarici cursus Cyrus. Pro Xerxe militat Vossius. Tullii & Josephi Scaligeri judicia de Xenophontis κύρου παιδείᾳ. *Iis respondet Brissonius. Angarorum consuetudo mansit Persarum imperio ad Græcos translato. Manavit ad alias gentes. Per Demetrium liberata hoc onere Judæa. Maccabaicarum rerum scriptor cum Josepho confertur. An Græci in suis provinciis hoc genus usurparint? Quomodo Augustus publicum ordinarit cursum? Quid ante ipsum Legati tentarint? Usus vehiculorum. Palladius Theodosii cursor. Procopius laudatur. Justinianus Imperator multa in majorum instituto circa publicum cursum mutavit. Magni Chami cursores equites & pedites. Horum mansiones &* σταθμοὶ *per universum imperium in cultis incultisque locis. Quis equos eorumque custodes alat? Postæ apud Germanos, Gallos, Italos &c. Unde dictæ? Harum & Angarorum discrimen. Non idem apud omnes omni tempore observatum est. Ludovicus XI. Galliarum Rex rerum nuncios per horas disposuit.*

§. I. HUnc publicum Angarorum cursum à Cyro primum institutum esse, disertis verbis docuit Xenophon, agnovitque doctissimus Vossius (α). *Sed in hoc*, ait, *fide dignior Herodotus, qui in Urania Xerxi adscribit.* Equidem haud obscurum esse puto, quare Herodoti fidem Xenophontis assertione potiorem judicet Vir celeberrimus. Jam olim Tullius ad Q. Fratrem perscripsit: *Cyrus ille à Xenophonte non ad Historiæ fidem scriptus est, sed ad effigiem justi imperii.* Et Josephus Scal. in proleg. præclari operis de emendat. temp. nec dicere veretur, in universa Cyropædia veri nihil esse, præter nuda nomina & mentionem duorum triumve eventuum, ut Babylonis captæ & Crœsi victi. Verum his respondet Barnabas Brissonius, qui sæpius ex his libris argumenta petit: *Non est, quod quis in dubium vocet hoc obtentu, quod eos libros Cicero non ad Historiæ fidem, sed ad effigiem justi imperii scriptos censuerit. Nam quod ad Persicos ritus & mores attinet, nihil à vero alienum se comminisci ipsemet profitetur, adserens non semel, suis etiamnum temporibus servata ea, quæ à Cyro instituta prædicat. Oculati autem testis, & qui tot Persici imperii regiones peragrasset, quis est, qui fidem elevare ausit* (β). Accedit, quod nusquam affirmet Herodotus, à Xerxe hunc morem fuisse institutum. Et in illo præsertim libro, quem laudat Vir doctissimus, nihil hujus animadvertere licet: ubi sic prædicat hunc cursum, tanquam à Persis jamdudum inventum atque usurpatum. Immo Freinshemius (γ) contendit, Herodotum idem affirmasse cum Xenophonte.

II. Mansit hæc Angarorum consuetudo deinde etiam apud Persas, atque ab his ad alias porro gentes derivata est. Artaxerxes cum Estherem in matrimonium ducere vellet, διέπεμψε τοὺς ἀγγάρους λεγομένους εἰς πᾶν ἔθνος, ἑορτάζειν αὐτοῖς τοὺς γάμους παραγγέλλων. *Misit, quos angaros vocant, per omnes gentes, nuptiale festum eis indicens*, ut est apud Josephum (δ). Idem nos docet Angariæ usum, postquam imperium ad Græcos translatum est, ab his fuisse in Asia retentum. Inter alia namque beneficia & privilegia, quibus populum Judaicum ornare studebat Demetrius Rex Syriæ, hæc tandem leguntur in Epistola ejus ad Jonatham: καὶ Ἰουδαίων δὲ τοὺς αἰχμαλωτισθέντας καὶ δουλεύοντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ, ἀφίημι ἐλευθέρους.

(α) *Lib. 3. de vit. serm. c. 36. p. 573.* (β) *l. c. p. 82.* (γ) *Comm. ad Curt. l. 3. c. 3. n. 3.* (δ) *antiquit. Judaic. Lib. 11. c. 6. p. 333.*

κελεύω δὲ μηδὲ ἀγγαρεύεσθαι τὰ Ἰουδαίων ὑποζύγια, *Eos quoque, qui in bello capti servitutem in nostra ditione serviunt, in pristinam libertatem restituo, ac ne jumenta quidem ad angarias adigi permitto* (ε). Ubi ipsum verbum ἀγγαρεύεσθαι exhibetur. Rerum Maccabaicarum scriptor, cum ejusdem regis ad Judæorum gentem epistolam refert, (ζ) non videtur satis declarasse ultima verba, quæ de angariæ immunitate agunt: καὶ πᾶσαν, scribit, ψυχὴν Ἰουδαίων τὴν αἰχμαλωτισθεῖσαν ἀπὸ γῆς Ἰούδα εἰς πᾶσαν βασιλείαν μου, ἀφίημι ἐλευθέραν δωρεάν· καὶ πάντες ἀφιέτωσαν τοὺς φόρους καὶ κτηνῶν αὐτῶν. *Et omnes à tributis solvantur etiam pecorum suorum.* Scribendum ἀφιέσθωσαν. Angarias Josephi vocat hic scriptor φόρους improprie. Nisi tributum dicere voluit, quia plerumque pecunia redimi tale onus solebat, quemadmodum scribit H. Grotius (η).

§. III. Num vero Græci in suis provinciis hoc genus usurparint, firmiter se nescire scribit Lipsius (θ). In Livio tamen legimus, *T. Sempronium Gracchum longe tunc acerrimum juvenem ad id delectum, per dispositos equos prope incredibili celeritate, ab Amphissa* (Locrorum Ozolorum urbe) *Pellam tertio die pervenisse* (ι). De Romanis veteribus idem pariter ambigit. Verum tamen de L. Vibullio Rufo scribit Cæsar (κ): *Eum continuato & nocte & die itinere, atque mutatis ad celeritatem jumentis, ad Pompejum contendisse.* Iterumque prodit, (λ) *suam victoriam à nunciis per dispositos equites Messanam fuisse allatam.* Quæ bene noverat Lipsius, atque ideo largitur, rem fuisse in usu, an publico sumtu aut cura, incertum existimat. Cæterum Imperatores Romani non imitati tantum sunt hoc Persarum institutum, sed & auxerunt atque amplificarunt. Augustus, *quo celerius ac sub manum nunciari cognoscique possit, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit*, referente Suetonio (μ). Et hujus vehiculationis originem plerique ab Augusto repetunt, quam tamen Vir doctissimus Ezechiel Spanhemius paulo altius arcessit, nimirum à Legatis, qui cum repente olim aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, qua iter faciendum erat, exigebant (ν). Fecit hoc primus L. Posthumius Consul Anno U. C. DLXXXI. in Campaniam iturus ad agrum publicum à privato terminandum: fecerunt idem alii post ipsum. Nam ut Livius observat (ξ), *Prænestinorum* (quibus Posthumius præter morem jumenta imperaverat) *silentium jus, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum indies talis generis imperiorum.* Accesserunt deinde & equi, qui commodiores ad hunc usum singulares, quam juncti rhedis. De Tiberio Cæsare refert Valerius Maximus (ο), quod Alpes Rhenumque transgressus die ac nocte, mutato subinde equo, ducentis millibus passuum, per modo devictam Barbariam, Antagabio duce solo comite contentus, evasit. Plinius tamen (π) tribus id factum vehiculis, i. e. ter mutatis equis, memorat. Id quod proximo Augusti instituto magis firmatur. Quanquam certum est de equis etiam singularibus. De Palladio Theodosii Imperatoris cursore, prodidit Socrates (ρ), eum tridui spacio ab urbe Constantinopoli ad fines Persarum equitasse, totidemque diebus iterum rediisse. De quo jactatum postea est, *eum sua celeritate effecisse, ut Imperium Romanum per se latissimum nunc videretur angustissimum.* Atque hi cursores non solum ideo habebantur, ut hostium molitiones aliasve seditiones nunciarent, sed etiam ut annua vectigalia portarent. Quod ut velocissime fieret, in via, quam diurno itinere expeditus viator conficit, octo circiter stabula, alicubi pauciora, ad minimum quinque constituta fuerunt. Extat hac de re insignis locus apud Procopium (σ), quem ex vulgari interpretatione hic inserere non incommodum visum est. *Priores*, inquit, *Romani Principes, ut quam celerrime ex nunciis cognoscerent, quæ qualibet in provincia hostes molirentur, quæ in singulis municipiis seu seditione, sive improviso quocunque casu accidissent, quæve præfecti ac reliqui Prætores per Romanam ditionem agitarent; utque annua vectigalia comportanda citra moram in tuto essent; publicum citumque cursum passim ita constituerunt. In via, quam diurno itinere expeditus viator conficit, octona ferme stabula, alicubi pauciora, infra quinque nusquam fuerunt. In singulis stabulis equi dispositi ferme quadraginta; & ad equorum numerum stabularii. Ergo quorum negotium hoc est, ii equis quam exercitatissimis aliis aliunde succedentibus feruntur, cursuque diurno decem nonnunquam dierum viam evadunt, ad ea, quæ dixi, peragenda.* Hæc ille. Qui mox reprehendit Justinianum, quod cursum istum partim sustulit, partim stabulorum numerum imminuit, sicut factum in Ægypto & Oriente reliquo, excepta in Persidem via: partim asinos pro equis substituit.

§. IV. Neque dubium nobis est, cursus publici rationem Tartaris usitatam, ad hos è vicina Persia manasse. Habet enim magnus Cham suos nuntios, equites & pedites, habet σταθμοὺς & mansiones plurimas per universum imperium distributas, in quas cursores divertunt, & equi in illis aluntur plurimi. Atque hi nuncii præsertim pedites omnia agunt ἐκ διαδοχῆς, plane ut Persarum Angari. Regias namque literas è suis domiciliis egressi perferunt ad proximum diversorium, in quibus parati alii expectant, acceptisque literis, è vestigio illas ad sequentem deportant mansionem: sicque literæ per varias transeuntes manus, sine ulla impediente mora ad locum illum transmittuntur, quo pervenire debuerunt. Et ut eo citius excipiantur isti cursores, cingula gestant tintinnabulis referta, quo ipsorum adventus è longinquo possit audiri. Equites per singulos σταθμοὺς, dimissis fessis ac languentibus, equos recipiunt recentes & valentes, itaque suum continuant perpetuantque cursum. Etiam in incultis horridisque regni locis, ubi nulla alioquin hominum domicilia, constituta tamen sunt hujusmodi diversoria, inque iis Imperatoris sumtibus aluntur equi, quibus in cæteris mansionibus pabulum, ut & victus custodibus eorum, ministratur à vicinis civitatibus & colonis, sicuti autor est M. Paulus Venetus (τ)

§. V. Cum Angaris conveniunt, quæ Italis hodie, Gallis, Hispanis & Germanis vocantur *Postæ*. Ita Goclenius (υ), Vossius (φ), aliique plures statuunt. A ponendo sic dicuntur, *quod equi, quibus in itinere conficiendo utimur, in certis locis sint positi, i. e. positi & collocati*, quemadmodum interpretatur Æmilius Portus (χ). Nempe qua forma Maro ait 1. Æneid. *Manet alta mente repostum.* Qui & alibi *epulas, terras, gentes* nominat *repostas*. Equi sic dispositi appellantur *Cavalli disposta* ab Italis. Interim aliquid discriminis observavit doctissimus Vossius (ψ) inter ἀγγάρους, & quos Galli hodie *Postas* vocant. *Hodie*, inquit, *principum vel rerumpubl. stipendiis conducuntur, qui locis destinatis equos habeant ad cursum paratos. At sicuti hoc tempore apud Turcas, ita olim apud Persas, regii cursores habuere potestatem, cujusvis equis aut navibus utendi ut suis, imo & homines adigendi ad cursum.* Idem ante ipsum notavit Fr. Junius (ω) & Theodorus Beza (α). Etsi vero certum est, si prima cursus publici principia perquiramus, eum à suprema in republica potestate fuisse institutum atque ordinatum: tamen si curam spectemus, & sumtus, quibus ille conservatus ac sustentatus est, non eadem semper & apud omnes fuit consuetudo. Apud Romanos varias deprehendimus mutationes: nunc privatorum nitebatur impensis & curis, qui equis paleas & pabula præstare, stabulaque eorum extruere & restituere, & ipsos etiam equos emere tenebantur. Mox ad fiscum ejus sustentatio translata est, vel aliquæ duntaxat provinciæ onere isto sublevatæ sunt. Hujus exemplum suppeditat Nervæ nummus, qui duos exhibet mulos pascentes cum inscriptione verborum, *Vehiculatione Italiæ remissa*; quem videre est apud Goltzium & Levin. Hulsium in numismatis Imp. Rom. ac novissime apud Ezechielem Spanhemium (β). Etiam apud Tartarorum Chamum partim sumtibus regiis, partim civium impensis aluntur equi & equites. Neque vel ex Xenophonte vel Herodoto apparet, tantam initio Persicorum nunciorum fuisse licentiam, quantam usus postea, vel Angarorum audacia & arrogantia, ut fere semper fieri solet, qui Regis vel Principis negotia suæ libidini prætendere possunt, successu temporis invexit. Quanquam alias invenire possumus differentias, si omnia diligentius exquirere animus sit; præsertim quod spacium attinet & intervallum, quod emensi Angari subsistebant, aliisque succedentibus tradebant negotia. Cyrus, quantum spacii uno die equus poterat conficere, in tali isto interval-

(ε) *Lib. XIII. capit. 5. pagin. 385.* (ζ) *Lib. I. capit. 10. comm. 33.* (η) *Ad dict. loc.* (θ) *Epist. cit.* (ι) *Libr. XXXVII. capit. 7.* (κ) *Lib. III. de Bell. Civil. capit. XI.* (λ) *Ibid. cap. 101.* (μ) *In vit. Augusti c. 49.* (ν) *Dissertat. IX. de præstant. & usu numism. antiq. p. 801.* (ξ) *Lib. 42. princip.* (ο) *Lib. V. c. 5.* (π) *Lib. VII. c. 20.* (ρ) *Hist. Eccles. Lib. VII. c. 19.* (σ) *In* Ἀνεκδότ. *p. 166. edit. Helmest.*

(τ) *De rebus Orient. lib. II. c. 23.* (υ) *Lat. Ling. observat. pag. 408.* (φ) *Lib. III. de vit. sermon. cap. 36. p. 572.* (χ) *Lex. Ion. voc.* ἀγγαρήιον. (ψ) *Loc. cit.* (ω) *Not. ad Matth. 5:41.* (α) *Annot. ad Matth. 5:41.* (β) *Loco superius citato.*

intervallo equiti primum constituit, inque iis equos & eorum curatores. Sed hodie multis in locis diversa ratio est, cum fere per horas disponantur nuncii. Et hæc mutatio commoda est, maximoque cursui apta: cujus in Gallia autor celebratur Rex Ludovicus XI, dum Carolo Audace cæso Artesiæ ac reliquo Belgio imminebat. Postmodum & Persæ, referente Agathia, suos tabelliones ac bajulos mutaverunt singulis parasangis; quo vocabulo spacium triginta stadiorum significatur, tantaque erat distantia unius Angarorum mansionis ab altera. Sed hæc nunc omittimus.

CAPUT V.

Angarorum in republica utilitas. Potestas. Diplomata. Cursus publicus quando fiscalis factus? Angariæ militares. Vocabula cum re odiosa facta. Ἀγγαρεία *quævis servitus. Etiam apud Latinos & Judæorum Magistros. Jarchi ab Elia Isacides vocatur. Abrahamus Patriarcha & Rex Asa angariam fecerunt. Judæi externorum regum imperia aversabantur. Judæ Gaulanitæ hæresis satis antiqua videtur. Tria injuriarum genera à Christo proponuntur apud Matthæum. Patrum in citandis scripturæ scriptis mos. Versio vulgata reprehenditur. Angariandi verbum tuentur Beza & Vossius. Versio Syriaca.* שחר *etiam Arabs & Persa usurparunt. Magistri frequenter de Angariis adhibent.* שחוור *præfectus tributis exigendis. Num ad Persarum Angarias verba Christi sint referenda? Negat Schefferus. De Angariis militum Romanorum exponit Salmasius. Manopera, Carropera quid? Stoici Philosophi dogma cum præcepto Christi confertur. Arriani Dissertationes laudantur. Schegkii versio corrigitur. Amplius requirit Christus, quam Stoica secta.* Ἀγγαρεύειν *hic laxius capiendum. Onera quævis à Magistratibus imposita subitis Angariæ. Judæi à Præsidibus Romanis graviter afflicti. Gessii Flori injuriis commoti tandem desciverunt. Sensus dicti à B. Chemtitio, & Magnif. Dn. Zieglero suppeditatus collaudatur, sicque concluditur.*

§. I. Hujusmodi institutum ad Imperii securitatem maxime pertinebat, quo brevissimo temporis spacio de omnibus negotiis certiores fiebant Reges ac Principes, ideoque & consiliis providere mature, obviamque ire malo, & quam celerrime succurrere, mederique rebus turbatis & afflictis poterant. Tum præterea in aliis usum habuit haud vulgarem, ut eo citius expediretur, quicquid maxime interesset Reipublicæ: præsertim apud Romanos, ubi in cursu non solum tabellarii, sed & milites aliique, onera item & sarcinæ, aut commeatus transferebantur. Verum potestas, quæ data erat Angaris, dum suo fungebantur munere, in Imperio subjectos, his gravis admodum & molesta videbatur. Scilicet si opus esset, in servitium & usum cujusvis sumebant jumenta, equos, currus, naves: ipsos interdum homines ad currendum secum, vel portandum onera & sarcinas cogebant. Nam & Augustus instituerat, ut vehicula ista præberentur à privatis, quos ad id compellerent magistratus municipales. Accipiebant autem tabellarii diplomata sive tesseras quasdam Imperatoris sigillo munitas, ut Budæus exponit: vel absente illo, ejus qui proximam ab eo tenebat potestatem; ut inde constaret, eos esse tales, quibus vehicula præstanda. Plinius: *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ deberes quam maturissime scire: quæ ex causa festinationem tabellarii, quem ad Te cum epistolis misit, diplomate adjuvi* (α). Adde Plutarchum (β) & Taciti Interpretes, Rhenanum, Ferrettum, Vertranium Maurum & Pichenam (γ), ut & B. Buchnerum (δ). Et hoc quidem factum usque ad Hadrianum, de quo Spartianus: *Statim cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere gravarentur.* Iterumque de Severo idem scribit: *Cum Severus vellet se commendare hominibus, vehicularium munus à privatis ad fiscum traduxit.*

(α) *Lib. X. epist.* 14. (β) *In Galba.* (γ) *Ad Hist. Lib. II. cap.* 56. (δ) *Not. ad Plinii locum citatum.*

§. II. Præcipue autem vexabantur subditi ἐν καιρῷ στρατοπέδου, ut Græci Juris-Consulti loquuntur, tempore expeditionis, cum exercitus per vias militares transibant. Tum jus erat militibus capiendi ex municipiis & villis viæ militari proximis animalia ac jumenta ad vehendas sarcinas suas. Imo homines hoc onus non solum in animalibus suis, sed in proprio etiam corpore & persona interdum præstare cogebantur. Atque hi dicebantur ἀγγαρεύεσθαι, id est, angariari, qui hoc patiebantur: qui autem adigebant ad hoc servitium, ἀγγαρεύειν. Propterea cum res ipsa invisa reddita est, tum nomina & vocabula quandam molestæ operæ odiosique servitii significationem acceperunt. Hesychio & Suidæ ἄγγαρος vocatur, ἐργάτης, ὑπηρέτης & ἀχθοφόρος, *operarius, minister & bajulus.* Legitur & ἄγαρος apud eundem Hesychium, atque exponitur σκευοφόρος φορτηγὸς, *qui onera portat vel vasa, aut quamlibet supellectilem.* Unde ἄγγαροι ἡμίονοι, angari Muli apud Libanium, & equi Angari apud Aretam; de quibus conferatur Cl. Schefferus (ε). His accedit Eustathius, qui, postquam ex Ælio Dionysio docuerat, angaros esse γραμματοφόρους ἐκ διαδοχῆς, addit: Τίθεται δέ φασιν ἡ λέξις καὶ ἐπὶ φορτηγῶν, καὶ ὅλως ἐπὶ ἀναισθήτων, καὶ ἀνδραποδωδῶν, ὅθεν καὶ ἀγγαροφορεῖν, τὸ φορτία φέρειν, ἄλλως τε καὶ ἐκ διαδοχῆς, καὶ ἀγγαρεύεσθαι, τὸ εἰς φορτηγίαν καὶ τοιαύτην τινὰ ὑπηρεσίαν ἄγεσθαι. *Ajunt vero hanc dictionem de bajulis usurpari, atque uno verbo de stupidis ac mancipiis, unde est verbum* ἀγγαροφορεῖν, *portare onera præsertim permutatione quadam & successione, &* ἀγγαρεύεσθαι *ad hujusmodi ministerium ac servitutem adigi.* Ἀγγαρεία quodvis servitium, vel opera, quæ ab invito præstatur. Itaque apud Hesychium simpliciter dicitur δουλεία. Suidas uberius declarat, vocatque δημοσίαν καὶ ἀναγκαίαν δουλείαν, ἀνάγκην ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γινομένην ὑπηρεσίαν, *publicam ac necessariam,* ac per vim extortam *servitutem, necessitatem invitam,* quam homines inviti subeunt, vel quæ invitis imponitur, *ministerium, quod per vim* alicui ab aliquo *præstatur,* quum quis invitus, & per vim alteri servire, suamque operam navare cogitur, interprete Porto. Nec aliter Latini. Vossius (ζ) aliique Angariam, [quæ & Engaria alicubi scribitur] *coactionem* exponunt, *quando quis alteri necessitatem imponit rei exequendæ.* Sic Fulbertus Carnotensis (η). Nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis Angariam. Et alio loco (θ), *Nostris,* ait, *hominibus novam angariam induxit.* Quibus verbis evidenter satis constare engariam vel angariam significare onus rei alicujus conficiendæ, affirmat Cl. Schefferus (ι). Et in Calvini Schardiique Lexicis Juridicis inter alia legimus, angarias appellari operas publicas ob negotium obortum, cui celeriter providendum est, impositas. Alias Angariæ significationes, quas apud Jureconsultos observare licet, tum & recentiores Græcos; pariterque discrimen inter Angarias & parangarias, cum nihil ista faciant ad nostrum propositum, consulto mittimus. Conferantur interim Lexica citata, quique ibi laudantur alii scriptores, tum Cl. Schefferus (κ), Salmasius (λ) ac Pancirollus (μ).

§. III. Etiam Judæorum Magistris tum vox אנגריא, tum servilis coactique ministerii notio notissima est, ac passim ea legitur in ipsorum monumentis. Nunc enim describitur per עבודה באונס, quod fecit R. Cohen de Lara (ν) אנגריא העבודה באונס ושלו מדעת וגם הטלת מס ועול כבד: i. e. Angaria *est servitus coacta & invita, etiam acceptio tributi, & jugum grave.* Interdum vocatur :עבודת שר העיר *Servitus Politarchæ* à R. Salomone (ξ), quem vulgo nominant Jarchi. Verum R. Elias Orientalis illius interpres, Isacidem appellat mox in ipsa operis inscriptione, fortassis à nomine Patris, qui Isaacus Trecensis Gallus, ut prodidit R. Abraham Zacuth (ο), & R. David Gantz (π). Aliquando dicitur עבודת המלך. Sic iterum Raschi: או שנעשית אנגריא שניטלות לעבודת המלך *Aut si angariatus fuerit,* h. e. *si abripuerint eum ad servitutem regiam* (ρ). R. Moses Maimonides עבודת המלכות sensu eodem nuncupavit (σ). Unde phrasis formata, עשה אנגריא, facere

Anga-

(ε) *De re vehiculari Lib. II. c. 29. p.* 335. (ζ) *De vit. serm. Lib. III. c. XV. p.* 438. (η) *Epist.* 150. (θ) *Ep.* 14. (ι) *l. cit. p.* 334. (κ) *l. c. c.* 28. & 29. (λ) *De fænor. Trapezit.* 275, 276. (μ) *Thesaur. var. lect. Lib. III. c.* 31. *p.* 502. (ν) *In* כתר כהונה *fol.* 12. *col.* 2. *lin.* 56. (ξ) *Cod.* יומא *fol.* 2. (ο) *In* יוחסין *f.* 131. *col.* 4. *in fin.* (π) *In* צמח דוד *p.* 134. *edit. Vorstian.* (ρ) *Gloss. in cod.* בבא מציא *fol.* 78. *c.* 1. (σ) *In* פירוש משניות *super Cod.* בבא מציא *fol.* 128. *cap.* 2.

Angariam sive Α'γγαρεύειν, aut anguriare, unde in Digestis legimus Angariari passivum. Quod si credimus R. Eliezero (τ), etiam Abrahamus עשה אנגריא בתלמידי חכמים *Angariavit sapientum discipulos*, [ideoque & ipse punitus est, & posteri ejus in Ægypto ducentis ac decem annis afflicti sunt] cum vernas suos armasset, eduxissetque adversus reges, qui Lothum captivum tenebant (υ). Sic Rex Asa, cum omnes convocasset Judæos, ut lapides & ligna comportarent, quibus extrueretur Geba & Mitspa (φ), ἀγγαρεύσας, ideoque podagra castigatus fuisse perhibetur (χ). Plura hujusmodi exempla observata sunt à Doctissimo Buxtorfio (ψ), Lightfooto (ω), Wagenseilio (α), R. David Kimchio (β) atque aliis, quæ repetere nolumus, cum præsto nobis sint alia à Viris doctis prætermita. Quæ ex Sotha annotavit Lightfootus de rege Asa, eadem legere est apud R. Abrahamum, filium Juda: א"ר ז"ל שעשה אנגריא בתלמידי חכמים וזהו אין נקי מפני זה נענש וחלה את רגליו לפי שהעביד בעבודה זו ת"ח: *Dicunt Rabbini nostri B. M. quia fecit angariam secundum illud, nemo erat insons, propterea punitus est* [*Asa*], *& ægrotavit pedibus, eo quod ad serviles operas hasce abusus sit discipulis sapientum.* Et in Talmude Hierosolymitano (γ) אמר ר' יוסי בי ר' בון כל מי שהוא תוכף סמיכה לשחיטה אין פיסול נוגע באותו קרבן וכל מי שהוא תוכף לנטילת ידים ברכה אין השטן מקטרג באותו סעודה וכל מי שהוא תוכף גאולה לתפילה אין השטן מקטרג באותו היום אמר ר' זעירה אנא תכפית גאולה לתפילה ואיתצדית באנגריא מובלא הדס לפלטין: *Dixit R. Joses filius R. Bon, Quicunque statim connectit manuum impositionem mactationi, ejus oblationem nihil tangit profani. Et quicunque statim annectit lotioni manuum benedictionem, satan non eum accusat in istius prandio. Et quicunque statim conjungit redemptionem*; i. e. precationem in ordine septimam agentem de redemtione, quæ ita habet apud Maimonidem (δ) ראה בענינו וריבה ריבינו ודן דינינו ומהר לגאלנו כי אל מלך גואל חזק בא"י גאל ישראל: *cum precatione, cum Satan non accusat tota ista die. Dicit ei R. Seira, ego statim conjunxi redemptionem cum precatione, & tamen angaria affectus sum, nempe coactus sum ad adducendum myrtos in Palatium regium.* Quæ ultima verba ita מפרש R. Samuel Japhe Germanus (ε): אנא תכפית אני סמכתי גאולה לתפלה ונתפשתי באותו יום באנגריא של מלך להוליך הדס לפלטין של מלך: *Ego statim conjunxi redemtionem cum precatione, & tamen eo ipso die apprehensus sum ad præstandam angariam regis, nempe ad adducendum myrtos in palatium regium.*

§. IV. Judæi itaque, qui summo semper amore libertatis flagrabant, & omne externorum regum imperium aversabantur, ut sensum aliasque pensiones recusabant, sic Angariæ molestiam ægerrime ferebant. Scilicet, ut Josephus autor est (ζ), Judæ Galilæi sectatores, consentientes in cæteris cum Pharisæis, persuasissimum habebant, solum Deum Dominum habendum ac principem, iidemque facilius vel exquisitissima pœnarum genera una cum cognatis suis ac charissimis perpeti volebant, quam mortalem aliquem appellare Dominum. Neque hæc sententia nova mihi videtur, quin credam, Maccabaicis temporibus jam valuisse. Imo Jeremiæ ætate eadem horum hominum fuit opinio, qui in Chaldaica obsidione deditionem tam præfracte recusabant, cum quorum pertinacia certandum habuit Propheta (η). Quod bene intellexit Demetrius Rex, qui, ut ab Alexandri æmuli sui amicitia averteret hanc gentem, sibique eam benevolam redderet, jungeretque fœdere, imprimis pollicitus est, se eam restituturum in pristinam libertatem, neque permittere velle, ut cujusquam jumentum adigeretur ad angarias. De quo supra. Propterea Salvator noster, postquam duo proposuisset injuriarum genera, quorum prius in corpus committitur, alterum est contra jus dominii, mox addit tertium, quod est contra libertatem, quam Judæi maximo studio ac conatu sibi asserebant. Ita namque ait: καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσῃ μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. De lectione Justini ac Chrysostomi ante monitum. Ista varietas neminem turbare debet, cum satis constet, quæ sit Patrum consuetudo in repetendis citandisque Scripturæ Sacræ dictis & sententiis. Sæpe addunt aliquid, nonnunquam demunt; haud raro etiam mutant cum voces integras, tum earundem sive casus, sive tempora, modos, numeros, personas &c. ut inserviant proposito, accommodentque ad illos, ad quos scribunt, vel loquuntur. Imo cum homines sint, repetantque dicta ac describant sæpe non inspectis codicibus, est ubi memoria lapsi, eandem quidem sententiam retulerunt, verba tamen aliquantum diversa usurparunt.

§. V. Ad propositum revertar. Erasmus & Flacius vertunt; *qui te adegerit.* Castalio, *te cogere velit.* Interpres vetus: *Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.* Vel ut quidam codices, docente Laurentio Valla (ϑ), habent, *alios duos*; ut subaudiri possint *passus.* Quæ vero cum Græco non satis congruunt. Qui enim angariatus milliare unum, vadit & alia duo, scilicet milliaria, is tria conficit: qui vadit duo angariatus unum, is tantum duo conficit; quod verba Græca volunt, & Erasmus (ι) observavit. Hinc tamen Augustinus occasionem nactus est philosophandi de ternario numero, ut idem monuit. Cæterum *Angariandi* verbum, quod ne in Vulgato quidem probare potuit Erasmus (κ), retinuerunt Pagninus, Tremellius, Ariæmontanus, Piscator & Beza, qui postremus rationem insuper reddidit, cur adhibere maluerit: tum quod Latinum nullum haberet, quod satis vim illius exprimeret, tum quod neque Ulpianus Jurisconsultus id repudiasset (λ). Et hoc ipso nomine Doctiss. Vossius Vulgatum excusat, quodque nullam meritus sit reprehensionem, contendit (μ). Syrus habet: ܘܡܢ ܕܫܚܪ ܠܟ. Tremellius & Trostius, *adigit Te.* Non male usus est verbo ܫܚܪ, שחר, quod à Magistris de Angaria adhibetur, uti nos docet Raschi (ν): שחרית לשון ארמי וכן נקראת אנגריא של מלך שהוור: *Vox* שחרית *est linguæ Aramææ, & sic vocatur angaria regis, unde* שחוור. Et in Talmude legimus (ξ) חזית דמשחרי לך פרסאי: *Vidisti, quod angarient te Persæ.* Ad quem locum scribit idem: עושין בך עבודת המלך (ο) *Præstant per te officia regia*, i. e. adigunt te ad serviles & gratuitas operas regi præstandas. Nam & Angaria, ut patet è præcedentibus, Magistris describitur per עבודת המלך. Ab eodem derivatur שחוור, legiturque in בבא בתרא (π) h. m. לשחוור הוה ממטי ליה ולחמריה: *Tradebat eum & asinum ejus* שחוור. In Glossa ab eodem sæpius laudato Jarchio exponitur per *præfectum*, qui, secundum Abarbenelem, *tributis exigendis* præpositus fuit, quemadmodum nos docet Clar. Buxtorfius (ϱ). Sed autor libri Aruch (σ) diserte refert citata verba ad Angariam, cum scribit: פירוש היה מוסרו לעבודת המלך כגון אנגריא: *Tradebat eum ad serviles operas regias, per modum angariæ.* Per Chaldæam porro & Syriam שחר ad Arabes Persasque transiit, eodemque usi sunt ambo Interpp. in dicti nostri explicatione. Et cum ista quidem Arabum vox est, per *Angariavit, sine mercede ad opus adegit, ad operas serviles regi præstandas*, exponitur à Celeberr. Golio (τ), qui autorem ejus notionis prodidit Arabem Gieuharis appellatum. A quo etiam docemur, nomen Arabicum ex verbo deductum سخرة designare eum, qui vi adigitur ad opus & angariatur. Pariter & vocem Persicam سخر cum Edmundus Castellus, tum Jacobus Golius (υ) Angariare vertunt, traduntque porro nomen سخره significare per *angariam captum adhibitumque sine mercede pecuniæ jumentum, ubi quis Regis causa iter facit: Equum vel navem, quæ publicis sumtibus sequi castra jubentur: it. cum Legatus aliunde advenit, huic equi regii, vel alii adducuntur, quibus vehatur; item equum veredum.* Ex quibus intelligimus, illos Interpretes bene expressisse Græcum ἀγγαρεύειν.

§. VI. Interim non probantur doctissimo Scheffero (φ), qui verba Christi ad Persarum Angarias referunt, quod à Beza factum, Hugone Grotio, & Piscatore ad h. l. Ipse vero existimat, novum designari hic onus ab Augusto impositum. *Respicitur*, inquit, *ad onus præstandarum angariarum, quod iis temporibus pertinebat ad privatos. Nec enim fiscalis factus cursus angariarum ante Adrianum, sed restitutus ab Augusto per privatos expediebatur. Eratque onus illud in Judæa non exiguum, cum præter alia, tum quia noviter inventum ab Augusto, ut Suetonius nos docet, ipsa novitate sua*

(τ) *Cod.* נדרים *fol.* 32. 1. (υ) *Genes.* 14: 14. (φ) 1 *Reg.* 15: 22. (χ) סוטא *fol.* 10. 1. (ψ) *Lex. Talm. fol.* 131. *seq.* (ω) *Hor. Talm. in* 4. *Evang. pag.* 285. (α) *In Sotha. p.* 184. (β) *Ad* 1 *Reg.* 15: *vers.* 22. (γ) *Tract. fol.* 2. *col.* 4. *edit. Cracov.* (δ) *In* יד חזקה *T. I. tract.* ברכות התפלה וסידורן *f.* 73. 1. *edit. Venet.* (ε) *In* ספר יפה מראה *pag.* 6. *col.* 2. *in marg. Edit. Venet.* (ζ) *Antiq. lib. XVIII. cap.* 1. & 2. (η) *Cap. XXXVII. & seqq.*

(ϑ) *Collat. N. T. ad h. l.* (ι) *Annotat. ad h. l.* (κ) *Ad Matth.* 27: 32. (λ) *Ad Matth.* 5. (μ) *l. c. p.* 572. (ν) *In Bibl. Venet. l.* 1. *f.* 168. *c.* 2. (ξ) *Od.* ברכות *f.* 56. 1. (ο) *In Glossa.* (π) *fol.* 47. 1. (ϱ) *L. T. f.* 47. (σ) *fol.* 154. *cap.* 2. (τ) *Lex. Arabico pag.* 1153. (υ) *Diction. Persic. pag.* 333. (φ) *l. cit. pag.* 339.

sua molestiam creabat. Ad eadem tempora hoc dictum retulit Cl. Salmasius l. c. speciatim ad milites, qui expeditionis tempore, dum exercitus procedebant, angariare solebant. Et quoniam homines angariabantur vel in proprio corpore & persona, vel in suis animalibus, quæ præstare cogebantur ad angariam; verba Christi de priori genere intelligit. Quemadmodum apud eundem Evangelistam de Simone Cyrenæo legimus cap. 27: 32. quem milites, qui Christum ducebant, ad bajulandum ejus crucem adegerunt. Hæc personalis angaria dicta est infimo Latinitatis & barbaro ævo *Manopera*: quæ ad vehicula præstabatur, *Carropera.* De quibus consulendus Vossius in Glossematis Latino-Barbaris (χ), & Carolus Du fresne Gloss. ad scriptor. med. & infim. Latinit. T. I. col. 858. & T. II. col. 390. Nec ipse admodum repugnaverim, cum præsertim Judæi diu ante hæc tempora omiserint Persis tale ministerium præstare; eoque tulerint acerbius oneris pristini jamque obliterati molestiam, restitutam nuper ac renovatam per Romanos. Urget & illud Schefferus, quod *consuetudo Persarum non ad sarcinas spectaret, sed literas & nuncios, contra quam receptum fuit à Romanis.*

§. VII. Dispiciendum itaque porro de sensu verborum Christi. *Ergo isthoc voluit Salvator noster, locutus de eo, quod frequenter tum fiebat. Si tibi onus angariæ ad milliare unum imponitur, ne cum impatientia & querelis id sustineas, eique, qui te ad præstationem hanc compellit, contraque libertatem tuam facere videtur, obloquare, ac refractarium te præsta: potius adde milliare unum, & cum per unum milliare solummodo deberes deducere, duc eum etiam per alterum.* Hæc eruditissimus Schefferus. Sic non erit alienum ab hoc CHRISTI præcepto Epicteri Stoicæ sectæ Philosophi dogma, qui apud Arrianum (ψ) sic præcipit: Ἂν δὲ ἀγγαρεία ᾖ, καὶ στρατιώτης ἐπιλάβηται, ἄφες, μὴ ἀντίτεινε, μηδὲ γόγγυζε. Male Jacobus Schegkius, ut sæpe, vertit: *Si abducaris in servitutem, & capiaris ab hoste, mitte, ne pugna, ne ejules.* Melius Hieronymus Wolfius: *Si vis allata fuerit, & miles arripuerit, omitte, ne renitere, ne murmura.* Eodem modo legit uterque ἐπιλάβηται. At Salmasius addit, ζῶον σοῦ, idque cum præcedentia tum sequentia suadent. Sequitur: εἰ δὲ μή, πληγὰς λαβὼν, οὐδὲν ἧττον ἀπολεῖς καὶ τὸ ὀνάριον. Sententia minime obscura. Si sit angaria, & miles apprehendat animal tuum, mitte illud, nec renitere, nec murmura: sin minus [si secus feceris, si volens non dimiseris] etiam verberibus acceptis, asellum amittes. Verbo ἐπιλαβέσθαι usus quoque est Lucas (ω), ἐπιλαβόμενοι Σίμωνός τινος κυρηναίου, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν &c. Pro quo Matthæus breviter ἠγγάρευσαν, ἵνα ἄρῃ. Similiter & Marcus (α). Verum hæc Stoica sententia, si expendatur diligentius, ne comparanda quidem est cum Christi præcepto. Scilicet jubebat Epictetus, ut, quod necesse erat vel invitum facere vel coactum, hoc volens, hilaris, lubensque faceret. Amplius requirit Salvator, jubetque eum, cui necessitas & angaria incumbit per miliare unum, non hoc tantum facere, sed vult quoque, ut præter illud unum milliare, ad quod angariatus est, adjiciat & alterum. Proinde ait Chrysostomus (ϐ): τὸ γὰρ ἀγγαρεῦσαι τοῦτό ἐστι, τὸ ἀδίκως ἑλκῦσαι καὶ ἄνευ λόγου τινὸς, καὶ ἐπηρεάζοντα. Ἀλλ' ὅμως καὶ πρὸς τοῦτο ἔσο παρεσκευασμένος, ὥστε πλεῖον παθεῖν, ἢ ἐκεῖνος βούλεται ποιῆσαι. Ἀγγαρεύειν *est inique aliquem trahere, & absque ulla omnino ratione, opprimendo scilicet atque lædendo. Sed tamen ad hoc quoque ita debes esse paratus, ut amplius pati velis, quam ille optat inferre.*

§. VIII. Ut quidem hæc recte se habeant, non tamen puto, tam arcte hic capiendum esse verbum ἀγγαρέυειν, ut ea duntaxat servitia designentur, quæ ad publicum cursum ab Augusto institutum pertinebant. Quæ supra à nobis copiose tradita sunt, clare indicant, Angariæ nomen latius manare, ac denotare quamlibet servitutem, quamlibet operam, quæ ab invitis vel coactis præstatur. Exemplum habemus in Simone Cyrenæo, quem nulla publicæ necessitatis causa, neque ἐν καιρῷ στρατοπέδου apprehensum coëgerunt portare crucem JESU. Rei namque vehementer exosæ nomen etiam ad privatas vexationes productum, ut notat Grotius ad h. l. Propterea vero nullæ quærendæ erant Angariæ privatim usurpatæ, quæ ex antiquis Scriptoribus discere se nequivisse scribit Schefferus l. c. Inprimis usurpari consuevit de iis operis aliisque oneribus, quæ à Principe vel Majestate aut quolibet domino superiori imponuntur subditis, variisque modis expediuntur. Magistri ideo vocant עבודת המלך & המלכות. Quin & illud declaratum satis, quam ægre tulerint Judæi externorum principum imperia, cujusmodi tum fuit Romanorum, quorum præsides hanc gentem pessime afflixerunt, perpetuisque injuriis ac rapinis pessundederunt. Et ut erat populus iste obsequii impatiens, atque vindictæ cupiditate acerrima flagrabat; sic ultionem meditabatur assidue, atque animum in omnes occasiones habebat intentissimum. Nullum enim in hac natione malum excogitari potest, cui Judæ Gaulanitæ dogma, de non agnoscenda potestate à lege divina extranea, causam non dederit, donec irritati gravissimis Gessii Flori injuriis, deficere plane & contra Romanos arma sumere non dubitarunt. Idcirco Salvator optimus, cum prævideret Ecclesiæ calamitates, quæ non privatorum duntaxat contumeliis atque injuriis, sed Magistratuum quoque iniquis oneribus ac servitutibus oneranda vexandaque erat, discipulos & auditores suos mature voluit commonefacere, atque ad patientiam & tolerantiam erudire, ne quando sentiant se injuste premi à Magistratibus, seditiones concitent, capiantque arma ad depellendam injuriam: sed ut malint majora etiam perpeti, oneraque duriora subire, si non liceat ea legitime declinare, sicque νικῆσαι καὶ ὑπερβῆναι τὴν ἄδικον ἐπιθυμίαν, ut D. Chrysostomus loquitur ad h. l. *Sensus igitur manifestus, sub hoc exemplo comprehendi omnia injusta onera, quæ à magistratibus & eorum ministris imponuntur*, quæ verba sunt B. Chemnitii (γ). Adstipulatur Jure Consultus Excellentissimus, Patronus perpetua mihi observantia colendus, DN. CASPAR ZIEGLERUS (δ): *Agit hic*, inquit, *Salvator de oneribus à Magistratu impositis. Et hic sensus est: Si magistratus iniquus tibi fuerit in imponendis oneribus, duplum potius præstare debes, quam seditiose ei repugnes.*

Cum quo finimus, & sicubi in argumento, præsertim amplissimo, aberravimus, veniam à B. LECTORE officiose petimus, & bene speramus.

Δόξα μόνῳ Θεῷ.

(χ) *L. 3. c. 3.* (ψ) *L. 3. differt. c. 26.* (ω) *c. 23. vs. 26.* (α) *cap. 15. vs. 21.* (ϐ) *ad h. l. Homil. 18. p. 186.*

(γ) *Harmon. Evangel. cap. 51. p. 579.* (δ) *Notis ad H. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. 6. 2. p. 90.*

BALTH.

BALTH. STOLBERGII
DISSERTATIO
De ΒΑΤΤΟΛΟΓΙΑ precum ad Matth. VI: 7.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Battus nomen proprium Poëtæ, Regis Cyrenes. Battus rusticanus. Versus Ovidii, de iis judicium. Battus appellativum. Unde? an ab Hebræo בטא. *Vossius & Heinsius laudantur. Battus Rex dictus, Aristoteles. Herodotus declaratur.* βατταρίζειν. *Græci binomines. Vulgus è re facete nomina imponit. Damasippus* Ἑρμαῖον. *Irus, Arnæus. Alcyone, Marpissa. Eustathius memoria lapsus. Nomina à Parentum vel Majorum factis. Battologia Rhetorum. A. Steuchus refutatur. Versio Syriaca. Tremellium refellit Fullerus. Ipse rejicitur.*

§. 1.



Battologiam precum, quali profanis usurpata Gentibus, Christus Discipulis suis interdixit, Matth. 6: 7. expositurі, merito ordimur à Vocabuli origine, quam ubi cognoverimus primum, deinde rem ipsam facilius percipiemus. Quin illud è nominibus Battus & λόγος componatur, equidem dubium esse haud puto; sed non perinde liquet, quæ prioris vocis ratio sit. Proprium nomen plerique censent, quod ab antiquis præsertim Poetis, nec uno loco memoratur. Suidas Βάττος, ὄνομα κύριον. Βαττολογία, ἡ πολυλογία, ἀπὸ Βάττου τινὸς, μακροὺς καὶ πολυστίχους ὕμνους ποιήσαντος, ταυτολογίας ἔχοντας. i. e. *Battus nomen proprium.* Battologia, *multiloquentia, à Batto quodam, qui longos & multis versibus constantes Hymnos faciebat, in quibus eadem subinde dicebantur.* Battus itaque Poëta fuerit, qui in suis Poëmatis eadem verba inepte & fastidiose repetebat. Assentitur Erasmus, Chil. II. adag. Cent. I. adag. 92. & L. Cœlius Rhodiginus, antiq. lect. lib. XIII. cap. 1. p. 658. *Fuit & Poëta*, inquit, *ineptior, qui dum simulacra & statuas versibus ac hymnis celebraret, mensum excedebat legitimum, eandemque sæpiuscule cantilenam recinebat.* Et paulo post, *Hinc & in Matthæi Euangelio, uti arbitror capite sexto,* μὴ βαττολογήσητε. i. e. *orantes ne sitis multiloqui.* Idem porro & aliorum meminit, qui Batti appellati sunt. Ac perinde incerti pendent interpretes, aliique ab aliis βαττολογίας vitium derivant. Vid. Dan. Tossan. Comm. ad h. l. & Christophorum Pelargum quæst. & Respons. in Matth. cap. 6. alios.

§. 2. Inprimis celebris est Battus, Polymnesti, ex Phronima Etearchi Cretensium Regis filia, filius ἰσχνόφωνος καὶ τραυλός. i. e. *voce exili præditus & balbus.* Postmodum Cyrenæorum Rex factus est, Oraculo Delphico monitus, quod initio haud intelligebat. Scilicet ut Linguæ & vocis vitio remedium inveniret, Delphos profectus, Oraculum consuluit. Cum vero Pythia respondisset:

> Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες. Ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων
> Ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα,
>
> *Batte venis vocis causa: dux te jubet ire*
> *Lanigeram in Libyen habitatum Phœbus Apollo.*

Ille existimans aliena sibi responderi, nec factu possibilia, siquidem non Regnum quæreret, sed loquelæ consultum cuperet. Ὦ ἄναξ, ait, ἐγὼ μὲν ἦλθον παρὰ σὲ χρησόμενος περὶ τῆς φωνῆς· σὺ δέ μοι ἄλλα ἀδύνατα χρᾷς, κελεύων Λιβύην ἀποικίζειν. Τέῳ δυνάμει; κοίῃ χειρί; *O Rex ego ad te veni gratia consulendi de voce: tu de aliis mihi respondes, quæ nequeunt fieri, jubens coloniam in Lybiam ducere. Quibus copiis? quave manu?*

§. 3. Attamen idem respondebat Pythia, etiam post septem novemque annos denuo consulta. Itaque cum pareret tandem, & in Lybiæ desertis viso Leone territus, metu adigente altum clamaret, omne linguæ vitium correctum est. De quo Herodotus plura libr. IV. Pausan. in Phoc. & Pindarus Pythag. ᾠδ. IV. ibique Scholiastes Græcus & B. Schmidius. Qui Comment. ad Matth. cap. 6. negat ab hoc Batto deduci posse βαττολογίαν, probatque duplici argumento, ἰσχνοφωνίαν & τραυλότητα non quadrare ad hunc locum. Primo enim ad preces ad Deum fundendas nihil facit vocis robur & debilitas, quum Deus etiam suspiria cordis tacita audiat. Deinde nihil offendit Deum orantium balbuties, sive puerilis illa emendabilis; sive congenita adultorum quorundam non emendabilis, quippe qui ex ore infantium (νηπίων, qui nondum fari aut εἰπεῖν possunt) sibi laudem perficit. Tertio non ἰσχνοφωνία precum reprehenditur, sed πολυλογία. *Hæc B. Schmidius.* Ipse itaque veriorem judicat illorum sententiam, qui ab alio Batto, homine loquace & nugaciter garrulo, adeoque ociosis verborum repetitionibus & ingeminationibus molesto, τὸ βαττολογεῖν derivant.

§. 4. Hujus meminit Ovidius Metamorph. lib. II. fab. 14. Mercurius Apollini boves Admeti pascenti in Pyliæ agris avertit, & in sylva occuluit, & Batto ruricolæ, qui id viderat, ne furtum proderet, vaccam dono dedit. Ille accepto dono, proximum lapidem citius, quam se aliquid indicaturum affirmabat. Veruntamen Pastori diffisus Mercurius, eumque probaturus, mox mutata figura redit, simulatque se amissos boves quærere, ac Batto duplex præmium, si indicaret, pollicetur. Cui

> *— Senior postquam est merces geminata, sub illis*
> *Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis.*

Risit quidem Mercurius, sed cum quadam indignatione, otiosam ingeminationem imitatus,

> —— —— —— *Me mihi perfide prodis?*
> *Me mihi prodis? ait.* ——

Quare βαττολογεῖν, est more hujus Batti *loqui verbis otiosis, & otiose repetitis, oratione prolixa molestum esse.* Sicuti explanat Doctissimus Schmidius l. c.

§. 5. Nihil horum placet celeberrimo Vossio, qui Instit. Orator. lib. V. pag. 280. scribit: *Originem vocis à Batto quodam deducunt, qui Poeticas audiunt Fabulas.* Etiam Cœlius laudato loco, tantum abest, ut βαττολογίας vitium inesse versibus Ovidii concedat, ut iis potius elegantiam tribuat, atque

atque Venustatem. Nam ex Demetrio περὶ ἑρμηνείας, quem Phalereum censet Rhodiginus, constat, ἐκ τῆς ἀναδιπλώσεως gratiam quandam & suavitatem Orationi conciliari. Ut in illo Homeri ἰλ. υ. v. 371.

Τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Huic ego adversum eo, etsi manibus igni sit similis,
Etsi igni manibus similis sit, robori autem ardenti ferro.

Et apud Sappho, cum primum à sponsa dictum esset, Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λοιποῦσα οἴχη, *Virginitas, Virginitas, quo me linquis abiens?* Mox eadem figura respondetur: οὐκ ἔτι ἥξω πρὸς σε, οὐκ ἔτι ἥξω. *Non amplius veniam ad te; Non amplius veniam.* Ἀναδίπλωσιν & hoc schema dixit Demetrius, sed ἐπίζευξιν mavult Vossius, qui has diversas facit species. l. c. pag. 293, 294.

§. 6. Ut quidem hæc ita se habeant, non tamen huc videntur mihi pertinere ea, quæ ex Ovidio de Batto attulimus. Certe in Mercurii verbis μίμησις quædam est, qui Batto βαττολογοῦντι simili vocum repetitione respondet. Quod placuit celeberrimo Vossio. Nam & ipse βαττολογίαν derivat à βάττος, non qua proprium, sed qua appellativum est, idemque valet ac τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, ut exponit Doctissimus Grammaticus Hesychius. Cl. Salmasius eum proprie Battum dici statuit, *qui non potest plane eloqui, quod vult, uti sunt qui dicuntur* Μογιλάλοι. *Sæpe enim unam syllabam multis vicibus iterant, priusquam unam vocem queant integrare*, de fœn. Trapezit. pag. 796. Est vero κατ' ὀνοματοποιΐαν factum à *ba*, vel *bat*, quæ syllaba crebro infantibus in ore. Inde est βάω, βάζω, βαβάζω, *dicere, loqui, inarticulate loqui*. Inde est βάβαξ, ὁ φλυαρός, λάλος *garrulus, nugator*, stulta & immodica blaterans. Atque ideo Cicadæ ab Eleis, à Ponticis ranæ vocantur βάβακοι. Quid si etiam Hebræum בטא / בָּטָא inconsiderate pronunciare, temere effutire, deblaterare, formatum dicamus à ba, vel bat? Aut cum Doctissimo Heinsio, Battus ab Hebræo deducamus? lib. I. Exercit. sacr. cap. 4. pag. 30. Prius nos præferimus. A βάω, βάζω, & βαβάζω, etiam est βαβάκτης, κεκράκτης, uti exponit Hesychius, & βάβαλον κεκράγασιν, quo Lacones utebantur, teste eodem. Ideo qui impeditæ erant Linguæ, qui balbutiebant, qui multa & inania deblaterabant, qui eadem sæpius cum fastidio repetebant, & inculcabant, dicebantur Batti.

§. 7. Sane Battus Cyrenaici Regni Conditor Aristoteles vocabatur, ut est apud Pindarum πυθ. ε. ἐπῳ. γ. quem Batti nomine appellavit Pythia, cum ab ipsa remedium blæsæ Linguæ quæreret. Equidem me non latet Herodoti judicium, qui eum Battum cognominatum existimat, postquam in Lybiam abiit, cum propter Oraculum apud Delphos ipsi redditum, tum propter honorem, quem nactus postmodum est. Battum enim Libyes Regem appellant. Quare cum Pythia sciret, eum aliquando in Libya regnaturum, Regis titulo primo ornavit Aristotelem, eoque, quem adepturus olim erat honorem, prænunciavit. Atque ideo Hesychius βάττος, τύραννος, Λίβυες. Movit Herodoti autoritas B. Schmidium prolegom. ad IV. ᾠδ. Pyth. Pind. p. 132. ut eam impositi nominis causam primam crederet.

§. 8. Verum ista non historia est, sed historici conjectura. Verius enim è vitio homini isti natum esse cognomen, etiam censuit Rhodiginus. Et Scholiastes Pindari, postquam Herodoti sententiam recensuit, mox addit, οἱ δὲ, ὅτι ἰσχνόφωνος ἦν, καὶ περὶ τῆς φωνῆς πυνθανόμενος, ἡ Πυθία Βάττον προσηγόρευσεν, ἐπεὶ καὶ τὸ ἐπέχεσθαι τὴν γλῶτταν, βατταρίζειν φαμέν. id est, *Alii vero, quod gracilem & hæsitantem haberet vocem, & hujus causa Deum consuleret, ipsum Pythia Battum appellavit, quandoquidem qui impeditæ linguæ sunt, βατταρίζειν dicuntur.* Hesychio βατταρίζειν est φθέγγεσθαι, τραυλίζειν. De origine vocis ita scribit: Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ κατὰ μίμησιν τῆς φωνῆς πεποιῆσθαι. *Mihi vero videtur ad imitationem soni facta esse.* Scilicet ut βάττος à βα, vel βατ, ita βατταρίζειν. Non solum hæsitantiam linguæ significat, sed ei etiam opponitur, qui facunde atque expedite loquitur, ac verba bene connectit ac continuat, apud Lucianum tom. III. in Jove Tragœdo, cui βατταρίζει Timocles Philosophus Stoicus, cum multa inepte garrit, ac nullo servato ordine, confundit omnia ac miscet. Unde βατταρισμὸς Nugæ, φλυαρίαι Hesychio.

§. 9. Nec alia fuit causa, cur idem Battus κόκκυξ, id est, cuculus diceretur, testibus iisdem Scholiis, quam quod incommode loqueretur. Et quid opus est pluribus? Ipsi Theræi, ac Cyrenæi, sicuti Herodotus prodidit, fatebantur, Battum uti ἰσχνόφωνον καὶ τραυλὸς primum natus, sic statim nomine isto fuisse appellatum. Nec obstat quod antea monuimus, ipsi Aristotelis nomen initio fuisse impositum. Multi olim, etiam inter Græcos erant binomines. Et aliquando Vulgus è re nomina facere imponebat. Quomodo Horatianus Damasippus, quod nihil præter lucrum totos dies jactaret, ἕρμαιον vulgo dictus est; quod *Mercuriale* interpretatur Flaccus Sermon. l. II. sat. 3. Quomodo Parasitus olim, qui dies totos jus in culinis liguriret, ζωμὸς jus sive jusculum, Plautinus scortum dictus est. Cujusmodi nomina interdum deridiculo agyrtis, magis, impostoribus ac scurris, interdum aliis imponebantur ab admiratoribus, sicuti erudite observat Cl. Heinsius Exercit. Sacr. lib. V. cap. 8. pag. 292, 293.

§. 10. Bene conveniunt Herodoti verba, χρόνου δὲ περιιόντος, ἐξεγένετο οἱ παῖς ἰσχνόφωνος καὶ τραυλὸς, τῷ οὔνομα ἐτέθη Βάττος, ὡς Θηραῖοί τε, καὶ Κυρηναῖοι λέγουσι. Non ait à Parentibus impositum nomen. De Mendico Iro scribit Homerus ὀδυσ. σ. vers. 5, 6.

Ἀρναῖος δ' ὄνομ' ἔσκε· τὸ γὰρ θέτο πότνια μήτηρ
Ἐκ γενετῆς· Ἶρον δὲ νέοι κίκλησκον ἅπαντες.

Arnæus autem nomine erat, hoc enim imposuit veneranda mater
Ex nativitate: Irum autem juvenes vocabant omnes.

Huc pertinent, quæ Eustathius ad Odyss. θ. vers. 540. pag. 1610. 8. observat. Ἄλλο μὲν ὄνομα ἐκάλουν τινὰ οἱ γονεῖς, ἄλλο δὲ οἱ πολῖται, ἢ οἱ πέριξ. ὡς καὶ ἡ ἐν Ἰλιάδι γυνὴ δηλοῖ, ἣν οἱ τεκόντες μὲν Ἀλκυόνην ἐκάλουν, Κλεοπάτραν δὲ οἱ λοιποί. *Alio quidem nomine aliquem vocabant parentes, alio autem cives & vicini. Quemadmodum illa etiam fœmina in Iliade hoc clarum facit, quam parentes Alcyonem nominabant, reliqui Cleopatram.* De Alcyone ἰλ. ι. vers. 557. agit Poëta, quæ non Cleopatra, sed Marpissa aliis dicebatur, eratque Mater Cleopatræ. Quemadmodum accuratius expendenti laudatum locum patebit. Et profecto memoria defecit interpretem doctissimum, qui ad Ἰλιάδ. ζ. pag. 650. 36. recte scripsit, non Cleopatram sed Marpissam appellatam fuisse Alcyonem, διὰ τὸ τὴν μητέρα αὐτῆς ποτε πολλὰ πενθῆσαι δίκην Ἀλκυόνος. *Propterea quod Mater ipsius olim plurimum luxisset Alcyonis casum.* Interdum enim liberis à parentum vel Majorum factis imponebantur nomina, sicuti Avus Autolycus Ulyssem ὀδυσσέα nominavit, quod ipse propter furta apud omnes invisus exosusque esset, ab ὀδύσσασθαι, quod est ὀργισθῆναι. teste eodem l. c. Et Hectoris Filius cum Σκαμάνδριος, tum Ἀστυάναξ vocabatur: non quod ipse ἄστεος ἄναξ, sed quia pater οἶος ἔρυτο Ἴλιον, *solus tuebatur Ilium*, docente Poëta ἰλ. ζ. v. 403. Inprimis vero nomina quæ vulgus aliquando imponit, magnam habent vim, ac sæpe contingit, ut ex illo potius, quam ex primo & proprio dignoscantur homines. Atque hæc de nominum impositione ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 11. Revertar ad propositum. Βατταρίζειν & βαττολογεῖν, ratione originis & primæ impositionis, balbutiem significant, præsertim eam, quæ infantibus communis est. Deinde garrulitatem notat, quando & multa blateramus, ac sine delectu & ordine, quicquid in buccam venit, garrimus, eademque sæpius inepte, & magno cum fastidio repetimus & inculcamus. Βαττολογία hujusmodi vitium, & apud Rhetores ἐξεργασίας excessus, cum immodice & sine causa utimur συνωνυμίᾳ, aut ἐξεργασίᾳ. Quale ipsis sacris literis non dubitavit tribuere Augustinus Steuchus apud Munsterum in præfat. Bibliorum, cum ait, *sermonem Hebræum sæpe uti* Ταυτολογίᾳ, *& frequentius eadem inculcare, absque ulla necessitate*, asseritque propterea interpretem Vulgatum Latinum egisse prudenter, *cum quæ semel inculcata fuerant, non repetivit*, ut facit Hebraismus. Bene vero fecit, quod Hebraicum nominavit sermonem. Constat enim inter eruditos, singulas linguas suos habere idiotismos, qui ibi ubi nati quasi sunt, orationi vim & majestatem quasi conciliant, quam amittunt, cum ad aliarum dialectorum formam recuduntur. De Pleonasmis Græcorum, scribit doctissimus Wolfius, annot. in Isocratis Evagoram. pag. 558. *Cum de Græcis verbis loquentes,* παρέλκειν, i. e. *abundare ea dicimus, plerumque intelligendum est,* οὐχ ἁπλῶς, ἀλλά κατά τι, h. e. *apud Græcos ea non supervacanea esse, in quorum lingua suam habent* ele-

elegantiam, sed Latine exprimi non necesse esse. Idem ante observaverat, de sermone Elliptico & defectivo. Quæ si expendisset Steuchus, haud opinor ταυτολογίας labem adspersisset S. Scripturæ. Forsitan hac arte etiam usus est, ad commendandam Vulgatæ versionis authoritatem, quam hac ratione fonti Hebræo haut obscure prætulit. Utique permulta sunt in S. Literis exempla tum συνωνυμίας, tum ἐξεργασίας: plerumque tamen posterius est ἐξηγητικὸν prioris, vel habet aliam emphasin. In eo etiam falluntur interpretes, cum Schemata ista Linguæ Hebrææ ceu propria transscribunt. Contrarium probavit ex Homero Hesiodo, Sophocle, Aristophane. Platone & Plutarcho Græcis, Virgilio, Gellio, Apulejo Latinis. Clariss. Pricæus Comment. ad Actor. 13:11. & Pfochenius è Platone atque Euripide: ad quæ tacuit Batakerus. Possemus nos ex Aristotele, Demosthene, Luciano plura addere, si opus esset.

§. 12. Verum videndum nunc est, quomodo interpretes exposuerint hoc loco verbum βαττολογεῖν. Vulgat. *Nolite multum loqui.* Erasmus *Ne sitis multiloqui.* B. Lutherus **Wenn ihr betet / solt ihr nicht plappern:** quem ideo commendat Piscator, ac bene expressisse verbum Græcum ait. Ipse vertit, *Ne eadem blaterate.* Ex quo Latino factum videtur Germanicum, **plappern** / i. e. inania garrire. Eodem modo Beza, Castalio, *Ne garrite.* Arias Montanus, *Ne inania loquamini.* H. Stephanus, *Ne loquaces sitis.* Metaphrastes Syrus ܠܐ ܬܗܘܘܢ ܡܦܩܩܝܢ De vocis origine & usu non satis convenit inter eruditos. Tremellius, *Ne estote multiloqui.* Adstipulatur Ægidius Gutbierius, & Guido Fabricius Boderianus, in interlineari Parisiis edita. Idem vero in Bibliis regiis, *Ne estote mussitantes.* Haud dubie respexit ad Chaldæum verbum אתפפק, quod est claudi, obturari. Prius placet Ludovico de Dieu ad h. l. Ad verbum, ait Tremellius, valere, *Ne sitis proferentes*, à פק vel נפק deducta voce, quæ significat idem quod Hebraicum יצא exivit. Rejicit hæc Fullerus lib. 11. Miscell. Sacr. cap. 16. Multum enim differunt πολυλογεῖν καὶ λέγειν. Hebræis omnis locutio מוצא פה *Oris prolatio*, & Chaldæis אפקות מימרא *prolatio sermonis.* Itaque sensus esset: *Ne proferatis ulla verba inter orandum*, quod absurdum. Ipse deducit ab Hebræo פכה, *manare, diffluere, effluere.* Unde פך phiala, & Græcum φακὸς vas olearium & aquarium. Ex פכה ait, alterum significatione par, nempe פכך, ex analogia linguæ formari posse, unde verso כ in ק derivetur Syrum, פקק, itaque מפקקין apud Matthæum idem omnino valebit, quod מפכים apud Ezech. 47:2. proprie quidem ἀναβλύζοντες, *scaturientes*, metaphorice autem *sermone redundantes, ac superfluentes.* Operosa hæc sunt, at minus solida, ac magnam præ se ferunt cum fingendi, tum conjiciendi ac divinandi licentiam, qualia sunt multa viri alias doctissimi & diligentissimi. Lud. de Dieu Baptistam Ferrarium laudat, qui ܦܩܩ explicat, *effutivit, garrivit* ܦܩܩܐ *garrulus, verbosus*, ܦܩܩܘܬܐ *Verbositas, garrulitas.* Placuit tamen hæc conjectura Eruditissimo Casaubono, sed paulo aliter eam declarat, ut cum per angustum phialæ collum aqua manat, & strepitum edit, quod propriè Latinis Bilbere vel bilbire. Ad eum strepitum exprimendum factam putat vocem apud Hebræos Bakbuk, apud Græcos βομβύλιον. Exercit. XIV. contra Baron. Sect. 8. Et hæc de vocabulo.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Publici conventus non prohibentur. Synagogæ precibus inter alia destinatæ. Nomen illud generalem habet notionem. Theophylacti dictum. Domitianus in secreto muscas captabat. Εὔχωμαι *&* προσεύχομαι *nihil differunt. Futurum pro Imperativo an Hebraismus? Lex Solonis. Gentes profanæ* πολυλόγοι. *Hebraismus Cornelii à Lap. rejicitur. Athenienses Cicadæ. Battologia duo complectitur. Num in re & materia precum sit quærenda? Chrysostomi & Greg. Nysseni interpretatio.* Λεπτολογία *Epiphanii. Preces Gentilium quales. Monachorum in Ecclesia Romana. Precum* δευτέρωσις. *Siracides exponitur. Battologia precum quæ. An Judæi* βαττολόγοι? *Hellenistica Heinsii.*

§. I.

Duo sunt, quæ in precibus vitare jubet JESUS, *Ostentationem Pharisaicam, &* βαττολογίαν *profanam.* Pharisæi, quos Hypocritarum nomine ob pietatem non veram & sinceram, sed simulatam, commate quinto notat, in Synagogis, compitis & triviis orabant, eo duntaxat fini, ut ab hominibus conspicerentur, itaque sibi nomen & famam sanctitatis ac religionis compararent. Publici quidem conventus ad colendum Deum, precesque fundendas, nusquam prohibentur. Erantque Synagogæ prælertim, non solum recitationi Legis & expositioni, sed precibus etiam atque obsecrationibus destinatæ. Proinde non abs re fuerit, diligentius inquirere, quales hoc in loco Synagogæ intelligantur. Est enim nomen illud generale, cujus notio late manat, & quamvis designat congregationem tam apud profanos scriptores, quam antiqui fœderis interpretes, & qui hodie appellari solent Hellenistæ. Unde παιζόντων ludentium Jerem. 31: vers. 4. πονηρευομένων, improbe & nequiter agentium. Psalm. 22: vers. 17. ἁμαρτωλῶν peccatorum, Syr. 16: 7. ἀνόμων improborum, cap. 21: 10. cœtus & congressus. Atque ita Christi verba explicat Erasmus Not. ad h. l. *Synagoga*, inquit, *significat conventicula, quæ fieri solent in plateis ac foro seu triviis.* Nec Grotius ad comma 2. capitis hujus permittit, ut ad Proseuchas restringantur Synagogæ, cum propter sequentia, tum quia nunc etiam Judæi liberalitatem suam maxime ostentant in exequiis mortuorum. Quo sensu recte transferatur in circulis. Idem Seldeno placuit de Jur. N. & Gent. lib. IV. cap. 9. pag. 541. & B. Schmidio ad h. l. Alios omitto.

§. 2. Optime interim Theophylactus: οὐ γὰρ βλάπτει ὁ τόπος ἀλλ' ὁ τρόπος καὶ σκοπός. *Non*, ait, *locus nocet, sed modus & scopus.* In quam sententiam plura leguntur apud D. Chrysostomum homil. XIX. Τί οὖν; ἐν ἐκκλησίᾳ φησὶν, οὐ δεῖ προσεύχεσθαι; Καὶ σφόδρα μὲν, ἀλλὰ μετὰ γνώμης τοιαύτης. Πανταχοῦ γὰρ ὁ θεὸς τὸν σκοπὸν ζητεῖ τῶν γινομένων, ἐπεὶ κἂν εἰς τὸ ταμιεῖον εἰσέλθῃς, καὶ ἀποκλείσας πρὸς ἐπίδειξιν αὐτὸ ἐργάσῃ, οὐδέν σοι τῶν θυρῶν ὄφελος. *Quid ergo? In Ecclesia*, ait, *non esse orandum? Imo maxime; sed eo, quem dixi animo ac proposito. Ubique enim Deus eorum, quæ fiunt, scopum & intentionem quærit. Alioquin, etsi ipsum cubiculum ingressus fueris, idque occluseris, idemque feceris ad ostentationem tuam nihil tibi proderunt clausa ostia.* Scilicet ut in occulto melior nequitiæ aliisque nugis locus; ita oratio vana ibi esse potest & fucata. Quemadmodum inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarium sumere solebat Domitianus, nec quicquam amplius quam muscas captare, ac stylo præacuto configere: ut propterea cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare, non absurde responsum sit à Vibio Crispo, *Ne musca quidem.* Suetonius in ejus Vita. Antea dixerat Chrysostomus, *Qui se Deum adorare simulantes mortalium oculis ingeruntur, non orantium, sed ridiculorum hominum schema induere. Quisquis enim ad preces & supplicationes se præparat, omnibus relictis, illum intuetur unum, qui donandi ejus, quod petitur, habet potestatem. Si vero isto relicto, per diversa errabundus vageris, & ubique oculos, mentemque circumferas, vacuis abibis manibus, hoc enim ipse voluisti.* Hæc ille.

§. 3. Εὔχομαι & προσεύχομαι, sive de votis, sive precibus sermo sit, nihil differunt, neque hoc plus illo significat, uti Piscatori videbatur. Qui & Hebraicam modi enallagen, in futuro indicativi pro imperativo, οὐκ ἔσῃ *Ne sis*, invenisse se putat. * Quod itidem Beza h. l. & multis aliis inculcavit; sed frustra. Usurpata eadem est Græcorum vetustissimis Homero, Æschylo, Sophocli, Aristophani, aliis. Cum vero Hypocritæ illi publicas in circulis ac compitis preces dicuntur φιλεῖν, non sola consuetudo, sed ardor animi & studium ac cupiditas indicatur, qua flagrabant spectari ab hominibus: à quibus etiam mercedem suam, inanem nempe gloriam, quam venabantur, acceperunt, nec est, quod præterea expectent. Hoc sensu integram Phrasin usurpat Plutarchus in Solone p. 90. fine: qui legem tulerat, ne ad parentes alendos adstringerentur è meretricibus prognati. *Qui enim nuptiarum decus prætent, profitetur se non liberorum gratia, sed voluptatis asciscere mulierem, habetque mercedem suam* τὸν τε μισθὸν ἀπέχει.

§. 4. Quem-

§. 4. Quemadmodum vero eam, quam vetabat Jesus, in orando ostentationem, Pharisæorum moribus & ritibus declaravit; ita βαττολογίαν Gentium profanarum exemplo ostendit & illustrat. Quare cum propriam ejus rationem atque indolem nosse desideramus, ante omnia circumspiciendum inquirendumque nobis est, quem illi in orando modum, quem morem observaverint. Πολυλόγους fuisse, non sinit nos dubitare ipsum Christi testimonium. Putabant enim fore, ut ἐν τῇ πολυλογίᾳ exaudiantur. Ἐν pro διὰ *propter*, more dici Hebræo scribit Cornelius à Lapide ad h. l. Idem videbatur Piscatori. Grotius πολυλογίας ἕνεκα. De Hebraismo tacet. Nec desunt hujus notionis exempla apud autores profanos, Sophoclem, Appianum, Lucianum. Πολυλογίαν & πολύνοιαν opponit Plato de legibus l. 1. cum contendit inter se Athenienses, Cretenses & Spartanos. Τὴν πόλιν ait Atheniensis, ἅπαντες ἡμῶν, Ἕλληνες ὑπολαμβάνουσιν, ὡς φιλολόγος τέ ἐστι καὶ πολυλόγος· Λακεδαίμονα δὲ καὶ Κρήτην τὴν μὲν βραχυλόγον, τὴν δὲ πολύνοιαν μᾶλλον ἢ πολυλογίαν ἀσκοῦσαν. *Civitatem nostram Græci omnes & verborum studiosam judicant & verbosam: Lacedæmonem vero atque Cretam, alteram breviloquam, alteram intelligentiæ magis, quam verbis studentem.*

§. 5. Nota satis ac celebrata Atheniensium loquacitas, quos cum ob alias causas, tum ob garrulitatem maxime Τέττιγας i. e. *Cicadas* appellatos fuisse, opinatur Guilielmus Baillius de accent. Græcorum. Cur iidem τεττιγοφόροι, vid. Hesych. in lex. & Suidam, Thucydidem lib. 1. haud procul initio, Aristophanem in Nubibus, & ibi Scholiast. Clement. Alexandrin. lib. 11. Pædag. è Junioribus Budæum Comment. L. Græc. pag. 667. Natal. Comit. lib. IV. Mythol. c. 10. L. Cœlium Rhodigin. lect. antiq. lib. XII. cap. 6. Scaligerum in Cirim. pag. 56. Et ne nesciremus, quid esset πολυλογία, idem hospes Atheniensis exponit, περὶ σμικροῦ πολλὰ λέγειν, μέθης πέρι σμικροῦ πράγματος, παμμήκη λόγον ἀνακαθαίρεσθαι, *de re exigua multa dicere.*

§. 6. Sed an idem plane βαττολογία & πολυλογία merito quæritur? præsertim, quia prius per posterius explicatur. Ideo Calvinus, *Utitur*, ait, *duobus verbis, sed eodem sensu. Nam βαττολογία supervacanea est & putida repetitio.* Πολυλογία *autem inanis garrulitas.* Harm. Evangelist. pag. 86. Verum hæc non videntur eundem prorsus sensum habere. Eruditissimus Casaubonus duo in βαττολογίᾳ vitia observat: *repetitionem eorundem verborum odiosam, inanem ac vanam; item multiloquium*, contra Baron. Exercit. l. c. Huic vitio, quia minus erant obnoxii Judæi, ut qui potius docerent, preces concisas esse debere; Ideo Christus exemplum, vitandi moris, ab exteris gentibus petiit, quibus id erat perquam familiare, docente Grotio ad h. l. Nec tamen idem credit, vetari aliquandiu continuare orationem, quod fecit Christus & Apostoli; neque id, quod solicite expetimus, repetere aliquoties: quod itidem Christum fecisse videmus. Quare incertum relinquitur, utrum in re potius & materia precum, quam in verborum copia & multitudine quærenda veniat βαττολογία gentium.

§. 7. Chrysostomus homil. XIX. in Matth. fine, φλυαρίαν exponit, qua tunc utimur, cum ea petimus à Deo, τὰ μὴ προσήκοντα, δυναστείας, καὶ δόξας, καὶ τὸ ἐχθρῶν περιγενέσθαι, καὶ χρημάτων περιουσίας, καὶ ἁπλῶς, τὰ μηδὲν ἡμῖν διαφέροντα. *Quæ sunt aliena, ut imperium, gloriam, ut inimicos vincamus, ac multis opibus affluamus, & summatim ea, quæ nihil nobis profutura sunt.* Hujusmodi precationum exempla passim obvia sunt, præsertim apud Satyricos, qui ipsi iniqua & vana Romanorum vota rident & exagitant. Et Socrates apud Platonem magna providentia opus esse judicat, ne quis se ipsum fallat, dum magna petit mala, credens se bona petere. Alcibiad. II. principio. Quod deinceps pluribus persequitur, & Poëtæ prudentiam in primis laudat, qui sic precatur Jovem:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.

Jupiter Rex, optima quidem & optantibus & non optantibus
Tribue nobis, mala autem petentibus etiam recusa.

§. 8. Pariter Gregorius Nyssenus hanc Battologiam ad ambitiosa hominum vota refert. Potissimum vero animi elationem & fastum, ejusque vanas atque amplas spes, & maximarum atque ingentium rerum expectationem, & imaginationem damnari putat; dum pro arbitrio felicitates sibi fingunt, thesauros, & nuptias & regna, magnasque ipsorum appellationibus cognominatas civitates sibi proponentes, in eo se versari in mente sua imaginantur, quodcunque cogitationum vanitas eis suggesserit. Nam βαττολογίαν penitus ad animum trahit, ejusque studia ac desideria. Ideo φλυαρίαν τοῦ νοῦ exponit. Proprie namque λόγον vocari asserit sermonem cordatum & prudentem, & qui utilitatem sibi propositam habeat; Orationem autem, quæ per inanem voluptatem cupiditatibus variis quasi superfunditur, non λόγον existimat, sed βαττολογίαν, i. e. τοῦ νοῦ φλυαρίαν. *In explicat. Orat. Domini.* Verum nullo jure verba & oratio excluduntur. Epiphanius quem Heinsius laudat ad h. l. διὰ λεπτολογίας προσεύχεσθαι dixit. Quod fit cum multis idem, neque necessario effertur. Cujus ex ipso affert exemplum; Καὶ διὰ λεπτολογίας εὕρομεν. Σή ἐστιν ἡ δύναμις, σὸν τὸ κράτος, σή ἐστιν ἡ τιμή, σή ἐστιν ἡ δόξα, σή ἐστιν ἡ εὐλογία, σή ἐστιν ἡ ἰσχύς, σή ἐστιν ἡ δύναμις.

§. 9. Hoc inprimis observabant profanæ Gentes, quæ cum in summa rerum divinarum ignorantia nescirent, quem Deorum aut Dearum, quos numero multos venerabantur, potissimum rogare deberent, vel omnes in auxilium vocabant, vel plurimos & præcipuos, atque hac ratione preces suas mirum quantum extendebant. Tum vero opinabantur, Deos suos delectari elogiis, ac proinde innumera laudis attributa ac titulos congerebant, quibus demulcerent numina sua, ipsorumque impetrarent gratiam ac favorem. Et cum incerti sæpe hærerent ac dubii, utrum Deus vel Dea numen illud esset, nec scirent quod nomen, quive honor placeret maxime, ne quidquam hic peccarent, omni cavebant studio ac cura. Itaque cum precarentur e. g. *Jupiter omnipotens*, seu quo alio nomine appellari, volueris addebant: & si sexus esset dubius, *sive Deus etiam es, sive Dea.* Præterea præsentis mali aut periculi & metus, cujus avertendi causa numina sua adorabant, magnitudinem & gravitatem exaggerabant vehementer, easdem sententias, vel iisdem verbis, vel quibusdam aliis ac diversis, sæpissime repetentes. Quippe persuasi erant, se posse oratione prolixa & verborum copia quasi agmine facto, expugnare Deos ac flectere, ut largirentur illi quicquid petierant. Unde illud in Comœdia:

Ohe jam desine Deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam: nisi illos tuo ex ingenio judicas,
Ut nil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

Quod hic de gratiarum actione dicitur, idem in precibus consuevit fieri. Ostendunt hoc preces Thebanarum Virginum à versu 78. ad versum 188. precantium, ut Dii hostilem à mœnibus exercitum arcerent, apud Æschylum in septem contra Thebas. Plura videantur in hanc sententiam apud Casaubonum l. c. & Dilherr. Dispp. acad. Tom. 1. p. 190. seqq. Maxime huc pertinent Orphei hymni, & aliorum.

§. 10. Quapropter Chrysostomus l. c. cum prius explicasset de rebus non utilibus à Deo petitis, addit: Præterea vero videtur mihi longas orationes vetare, Μακρὰς δὲ οὐχὶ τῷ χρόνῳ, ἀλλὰ τῷ πλήθει καὶ μήκει τῶν λεγομένων. *Longas vero dico, non tempore, sed multitudine, & prolixitate verborum. Perseverare quippe oportet, quæ sunt utilia poscentes.* Hæc ille. Atque sic plerique alii interpretes, cum Deo verba annumeramus, quasi ille preces ex prolixitate potius & labore externi istius operis, quam ex intimo animi affectu metiatur. Quod fieri videmus in Papatu, à vulgo monastico & iis etiam, qui pro religiosissimis ibi habentur. Plane enim preces suas ex multitudine & copia æstimant, quas ideo magna superstitione, ad certum numerum adstringunt, & ut hunc compleant, mira & incondita linguæ celeritate verba profundunt. Tum vero vel non intelligunt ea, quæ orantes demurmurant, vel non attendunt animum, quem directum alio, & alia omnia cogitantem, circumferunt, cum lingua interim & labia deblaterant plurima, iteratasque magno numero preces absolvunt. Conf. Casaubonus l. c. & Jacob. Capell. pro Casaub. Lib. II. c. 11. p. 54. Hospin. de Monach. orig. lib. VI. c. 11. p. 237. b. Dilher. l. c. p. 193.

§. 11. Et hanc inter precandum incuriam atque oscitantiam, qua fit, ut ea, quæ temere nec æstimata satis, nec considerata effudimus, cogamur denuo repetere atque emendare, præcipue hic à Domino prohiberi ac damnari, censuit B. Franzius de Interpret. Script. Orac. 140. p. 902, 903. in quam sententiam adducit verba Syracidis, è cap. VII. 15. μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν τῇ προσευχῇ σου, & cum Christi præcepto confert. Neque nos diffitemur cum βαττολογίαις & πολυλογίαις precum conjunctam esse ἀλογιστίαν & animi aversionem, quam dictorum redintegratione corrigere studemus. Sed eam hic inprimis vel potissimum notari, haud apparet. Neque Siracides hu-

hujusmodi iterationem designavit, cujus mentem bene expressit B. Lutherus. Wenn du betest/ mache nicht viel Wort. Noli sæpe idem dicere. Præcedit, μὴ ἀδολέχει in cœtu Seniorum, ne multa dicas, futilia & inepta. Hesychius ἀδολεσχεῖν, φλυαρεῖν, μακρολογεῖν. Qui verbosas instituit Orationes, eademque dicta sine necessitate sæpius inculcat ac repetit, & in hujus molesti ac fastidiosi operis labore meritum collocat, & spem, ille βαττολογίαν, gentibus profanis usitatam, sed à Christo vetitam committit. Oratio quæ nihil, nisi quod opus est, complectitur, etiamsi prolixa sit, non potest dici πολυλόγος. Scite Philemon,

Τὸν μὴ λέγοντα τῶ δεόντων μηδὲ ἕν,
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
Τὸν δ' εὖ λέγοντα, μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον.

Dicentem nihil eorum, quæ decet.
Prolixum puta, etiamsi duas dixerit Syllabas;
Bene vero dicentem, ne putes prolixum esse,
Neque si admodum dixerit multa, & multo tempore.

§. 12. Quod vero asserebat Grotius βαττολογίας vitio Judæos minus fuisse obnoxios, & Dominum propterea Gentium mores in exemplum attulisse, nondum plane liquet. Johannes Lightfoot, non *eadem*, ait, *repetiisse Judæos verbis iisdem, uti Ethnici: at idem protulisse variatis phrasibus.* Addit autem æque peccari potuisse in Synonymia ac in Battologia, maxime si eadem in utraque adsit vafrities & hypocrisis. De qua ut dubitemus admodum, non permittit axioma, Judæis etiam frequentatum, sed à Christo damnatum in gentibus, כל המרבה בתפלה נענה *Omnis multiplicans orationem auditur.* Hierosol. Taanith. f. 67. Alii tamen aliis rectius de oratione sentiunt ac docent. Josephus Albo Judæus Hispanus, tria in precatione, quæ Deo placeat, requirit, *Brevitatem, Consensum oris cum corde, & humilitatem sive dejectionem*, S. 4. c. 23. Lib. de articulis seu fundamentis fidei. Conf. Drusium Præt. L. 1. ad h. l. Buxtorf. Florileg. Hebr. Tit. Precatio. Cæterum ut Græca Lingua scrupulum evellat Heinsio ad Matth. cap. 6. commentanti, quem ipsi injecit Hellenistica, bona fœmina, sed à Cl. Salmasio funerata dudum & combusta, monemus vocem λέσχη, & quæ ab hac derivantur apud Græcos scriptores esse μέσην, ac præter φλυαρίας, notare intimos sermones, meditationes, & familiaria colloquia, qualia in amicorum congressibus institui solent. Propterea non mirandum adeo est, Hellenistas, quos nominat ac fingit Heinsius, ibi adhibere Græcum ἀδολεσχεῖν, ubi Hebræi posuerunt שיח. Atque ita finimus.

Τῷ Θεῷ ἡ δόξα.

M. JOH. PHIL. PFEIFFER

DISSERTATIO

De voce Ἐπιούσιος ad Matth. VII: 11. & Luc. XI: 3.

I. N. J.

§. I.



Uartæ petitionis verba, in Oratione Dominica sic sonant, ap. Matth. cap. 6. vs. 11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, δὸς ἡμῖν σήμερον. *Panem nostrum* τὸν ἐπιούσιον, *da nobis hodie.* Pariter & apud Lucam, cap. 11: 3. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, δίδε ἡμῖν καθ' ἡμέραν. *Panem nostrum,* τὸν ἐπιούσιον *da nobis quotidie.* Ubi, quid sit panis, ὁ ἐπιούσιος, non eodem modo ab omnibus exponitur. Vocabulum enim ἐπιούσιος vel ἐπιούσιον, apud nullum, sive profanum, sive ecclesiasticum Scriptorem occurrit: præter Interpretes sacros, & Lexicographos, Interpretibus hac parte pares. Ab analogia tamen & norma vocum Græcanici sermonis non recedit. Dicitur enim ἐπιούσιος, eadem ratione, qua ὑπερούσιος, ἐνούσιος, vel ὑπεξούσιος. Nec obstat, quod præpositionis ἐπὶ ultima vocalis (jota nimirum), ante vocalem seu diphthongum compositæ vocis in ἐπιούσιος, per apostrophum ablata non sit, quemadmodum in ἐπουράνιος, *cœlestis*, ἐποίνιος, *vinosus*, ἐπόρκιον, *perjurium*, ἐπέκεινα, *ulterius*, & aliis hujusmodi factum esse deprehenditur. Non enim semper, & in omnibus, hoc æque attenditur: sed sæpe ultima vocalis vocis prioris, ante sequentem vocalem vel diphthongum, in compositione retinetur. Qua ratione dicitur περιούσιος, *peculiaris*, ἐπαγαπητὸς, *perquam charus*, ἐπαλὴς, *jucundus*, ἐπιείκεια, *æquitas*, ἐπιείκελος, *æqualis*, ἐπίουρος, *inspector*, ἐπίουρος, *custos*, & si quæ sunt alia hujusmodi sortis. At vero, quænam sit formationis ac denominationis ratio in voce ἐπιούσιος, de eo similiter non una omnium autorum, sed diversæ sententiæ deperhenduntur.

§. II. Sunt, qui per panem ἐπιούσιον, intelligunt *crastinum*, seu *futurum.* Quemadmodum, hoc vocabulum transtulit Arabicus Interpres, cujus hæc est versio: *Panem nostrum crastinum da nobis hodie.* Hieronymus autem Comment. in Matth. 6. h. l. ita scribit: *In Evangelio quod appellatur, secundum Hebræos, reperi* מחר Machar, *quod dicitur* crastinum, *ut sit sensus: Panem nostrum crastinum id est futurum, da nobis hodie.* Quo & illa pertinet lectio, quæ in Evangelio Hebræo, à Munstero edito habetur: לחמנו תמידי lechmanu damithi, *panem nostrum jugem & continuum*, da nobis. Scilicet videntur illi, qui crastinum reddunt, τὸ ἐπιούσιον denominare ex ἐπιοῦσα, fœminino Participii, ab ἐπιέναι, quod Hesych. Suidæ & Varino significat ἐπελθεῖν *advenire, supervenire, succedere.* Unde ἐπιοῦσα apud eundem Hesychium & Varinum, est ἐπερχομένη, *superveniens, succedens,* seu *futura:* Subintellecto autem vocabulo ἡμέρα, *crastina*, vel *crastinus dies*, prout Jul. Pollux ostendit L. 1. Onom. c. 7. n. 6. his verbis: φαίης δ' ἂν τῇ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, ἢ τῇ παρελθούσῃ ——ἡ δὲ ἐπιοῦσα ἡμέρα καλεῖται αὔριον, ἢ ὑστεραία, καὶ προσιοῦσα. h. e. *Dicere porro licet, sequenti die, & die præterita.——sequens vero dies* (ἐπιοῦσα), *vocatur crastinus, posterior & futurus.* Similiter Ambros. lib. 5. de Sacrament. c. 4. scribit: *Græci dicunt* τὴν ἐπιοῦσαν, ἡμέραν *advenientem diem* h. e. crastinum, venturum. Et hoc sensu etiam, vox hæc accipitur in Scripturis. Et interdum quidem cum suo substantivo: v. c. Act. 7: 26. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ, h. e. *sequente autem die*, crastino scilicet. Sicut & cap. 23: Act. vers. 11. dicitur: Τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτί. *sequente autem nocte.* Interdum sine suo substantivo ἐλλειπτικῶς, solum dicitur ἐπιοῦσα, *sequens seu crastinus.* Ut, Act. 16: 11. Cap. item 20: 15, 21: 18. Et Prov. 27: 1. ubi legitur: Μὴ καυχῶ τὰ εἰς αὔριον, οὐ γὰρ οἶδας, τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα, *Ne glorieris ob futura in* crastinum. *Non enim nosti, quid pariet* superventura. Quo in loco τὸ αὔριον *crastinus*, & ἡ ἐπιοῦσα *superventura*, eleganter invicem permutan-

mutantur. Actor. autem 20:15. pro eodem dicitur ἐρχομένη, ventura, sequens seu crastina dies. Verum, quod hanc vocabuli ἐπιούσιος deductionem attinet, ea firmo non innititur talo. A Participiis enim fœminini generis, in lingua Græca, non formantur adjectiva nomina. Id quod attendentes alii, τὸ ἐπιούσιον, à masculino Participii, ejusdem verbi ἐπιέναι, deductum volunt: ut hoc vocabulum eodem modo dicatur, ex ἐπιὼν *superveniens*, *crastinus*, *futurus*, quo ex ἐθέλων *volens*, ἐθελούσιος *voluntarius*, ex ἑκὼν (quod est ab εἴκω *cedo*), ἑκούσιος *spontaneus*. Addunt insuper eadem ratione ab ἀχερὼν, qui Poëtis fluvius est Inferorum, dici ἀχερούσιον *infernalem*, à πυγὼν *cubitus*, πυγούσιον *cubitalem*, à πηλὼν *limus*, πηλούσιον, quo nomine venit Alexandriæ quoddam oppidum, à paludibus ibi existentibus ita nuncupatum, *Pelusium* quasi *limosum* seu paludosum. Hoc autem sensu panem peti, putant advenientem, seu futurum ac adventurum Christum intelligentes, qui ad extremum judicium adventurus sit. Ast, priorem hi quidem sententiam corrigunt; veritatem & ipsi tamen non attingunt. Primo enim committunt illi, fallaciam petitionis τοῦ ἐν ἀρχῇ, h. e. *ejus, quod est in principio quæsitum*. Quæritur enim adhuc, an τὸ οὔσιος in ἐπιούσιος, formatum sit ex terminatione masculini Participii: & non potius ex terminatione alterius alicujus nominis primitivi? Deinde, committunt etiam fallaciam figuræ dictionis, dum existimant, quia ἑκούσιος dicatur ab ἑκὼν, ἐθελούσιος, ab ἐθέλων, & si quæ alia fuere, idcirco ἐπιούσιος quoque dici ab ἐπιών. Quorum tamen longe diversam esse rationem, facile potest ostendi. Cum enim hæc, quæ ab istis afferuntur nomina, vel à masc. Participii, vel ab aliis primitivis ultimæ διαθέσεως in ων exeuntibus, naturam sortiantur denominativorum: Multa alia sunt vocabula, quæ, cum fiunt denominativa, à substantivis primæ διαθέσεως in ια desinentibus formantur. Ut ex ἀθανασία, *immortalitas*, fit ἀθανάσιος *immortalis*, quod etiam Episcopi istius Alexandrini nomen est: ex αἰτία *culpa*, *crimen*, ἐπαίτιος *culpandus*, *criminosus*: ex ἡσυχία *quies*, ἡσύχιος *quietus*: ex ὀψία *vespera*, ὄψιος *serus*, unde ὀψιαίτερος, ὀψιαίτατος: ex παροινία *debacchatio*, *contumelia* (quæ scilicet oritur ex debacchatione), παροίνιος, *contumeliosus* ex temulentia: ex φρατρία *sodalitas*, φράτριος *sodalitius*, & quæ sunt hujusmodi alia. Illa ex ων formantur in οσιος, & sic adsciscunt σιος; dissoluto prius ω, in duas breves οο; iisque contractis more solito in ου: Hæc vero tantum fiunt, α terminali mutato in ος. Ad quem modum etiam ex οὐσία formari ἐπιούσιος nemo negabit, qui novit, quod περιούσιος quoque ὑπερούσιος, & ὑπεξούσιος, non aliunde formata sint, quam à vocabulo οὐσία; quippe à quo plenitudinem & perfectionem habent suæ significationis. Cui accedit, quod reliqui Interpretes omnes qui vocem ἐπιούσιος explicare unquam sunt conati, suas interpretationes ad illam ejus significationem attemperaverint, qua ex οὐσία formatum esse hoc vocabulum luculenter possit cognosci.

III. Vetus Latinus, τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον reddidit: *Panem quotidianum*. Sicut notat Ambrosius, in L. V. de Sacr. c. IV. ubi & illam, eorum expositionum, qui crastinum verterunt, & hanc Latini, qui quotidianum transtulit, interpretationem conciliat, ita scribens: *Latinus hunc panem*, quotidianum *dixit, quem Græci dicunt* venientem. *Quia Græci dicunt* τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν *advenientem diem. Ergo quod Latinus dixit, & quod Græcus, utrumque utile videtur. Græcus utrumque uno sermone significavit* (crastinum scil. dicendo, hodiernum includens diem): *Latinus, quotidianum dixit.* Similiter autem & voc. h. Æthiopicus Interpres transtulit, cujus hæc est versio: *Panem nostrum cujusque diei nostri, da nobis hodie.* Ubi sane cujusque diei panis, nihil aliud sonare videtur, quam, quotidianus panis. Adhæc, Suidas & Varinus in Lexicis observant, τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, inter alia significare quoque καθημερινὸν, hoc est, *quotidianum*. Per quotidianum autem panem, plerique intelligunt victum alendis ac sustentandis nobis in hac vita necessarium, ac sufficientem. Seu, omnia ea, quæ ad necessariam corporis alimoniam & sustentationem requiruntur, quæ Paulus in 1. Tim. 6: 8. vocat διατροφὰς καὶ σκεπάσματα *alimenta & tegumenta*, victum scil. & amictum. Jacobus Epistola sua cap. 2: 15. ea appellat τὰ ὑπάρχοντα *possessiones*, vel bona, quæ quis quantulacunque possidet, & ἐφήμερον τροφὴν *quotidianum victum*. Agur vero Prov. 30: 8. δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη. *Duo*, inquit, *peto à te* (DEUS), *ne tollas à me gratiam antequam moriar ego. Inanem sermonem & mendacem longe à me fac. Divitias autem & paupertatem ne mihi dederis.* Σύνταξον δέ μοι τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη. *Constitue autem mihi necessaria & sufficientia.* Cui similia dixisse videtur Ecclesiastes cap. 5: 17. φαγεῖν καὶ πιεῖν καὶ ἰδεῖν, ἀγαθωσύνην ἐν παντὶ μόχθῳ. *Comedere & bibere* (quantum scilicet satis), *& videre bonitatem in omni labore.* Vel τὸ quotidianus dicitur, veluti diei conveniens, quod alias dicitur diurnum, seu diarium. Quod Dan. 1: 5. his verbis exprimitur: Διέταξεν αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς τὸ τῆς ἡμέρας καθημέραν. *Et constituit eis Rex quotidianum victum quotidie.* Ebraice sic sonat: *Dedit eis Rex* דבר יום ביומו dabar jom bejomu *rem diei* h. e. *victum diurnum*, *in die suo* i. e. quotidie & singulis diebus. Quib. paria reperiuntur Jer. 52. vs. ult. ubi de Joachim Rege Judæ sic legitur: Καὶ ἡ σύνταξις αὐτοῦ ἐδίδοτο διὰ παντὸς παρὰ τοῦ βασιλέως Βαβυλῶνος ἐξ ἡμέρας εἰς ἡμέραν ἕως ἡμέρας ἧς ἀπέθανεν. *Et constitutus cibus ei dabatur semper à Rege Babylonis de die in diem, ad eum usque diem quo mortuus est*, H. Ibi. Vel etiam per quotidianum panem potest intelligi vulgaris ac consuetus cibus, deliciis ac superfluis carens. Quo sensu etiam apud Plin. Lib. IX. cap. XXXV. dicitur: *Cœna quotidiana.* Apud Ciceronem item Orat. pro Roscio Amerino, *victus quotidianus.* Et huc etiam collimat Syrus, cujus translatio sic sonat: *Da nobis panem indigentiæ nostræ*, vel, ut ex voce Syriaca *Dhasunkonam*, à verbo *Sanak* evincere vult Th. Beza Gloss. in Matth. h. l. ap. Tremell. & Jun. *Panem sufficientiæ nostræ.* Item Persicus Interpres, cujus hæc est versio: *Panem nobis da, qui diei necessarius est.* Sic & Immanuel Tremellius ac Franciscus Junius reddiderunt Matth. 6: 11. *Da nobis panem necessitatis nostræ, hodie.* Lucæ vero 11: 3. *da nobis panem, quo opus habemus quotidie.* Tendit etiam huc versio Sebast. Castalionis, quæ est hæc: *Victum nostrum alimentarium, da nobis hodie.* Ex quibus apparet quod Interpretes hi, respexerint ad significationem vocis ἐπιούσιος, quatenus ex οὐσία formata est. οὐσία enim inter alia, & ὑπάρχοντα significat, h. e. *bona*, *opes*, & *possessiones* quemadmodum docet Varinus in Lexico, his verbis: οὐσία, πλοῦτος, ὕπαρξις---βίος, κτῆσις. Et Jul. Poll. L. VI. Onomast. cap. XLVIII. ἐρεῖς δὲ inquit, οὐσία, κλῆρος, κτῆσις, περιουσία, πλοῦτος, βίος, χρήματα, εὐχρηματία, πολυχρηματία, εὐκτημοσύνη, πολυκτημοσύνη, κτήματα, ἐπικάρπια, τὰ ὑπάρχοντα, τὰ ὄντα. i. e. *Dices*, insuper, *substantia*, *sors*, *possessio*, *res*, *divitiæ*, *victus*, *opes*, *opulentia*, *copia*, *bonorum possessio*, *multorum possessio*, *possessiones fructiferæ*, *bona*, *existentia.* Et hoc sensu etiam vocabulum οὐσίας occurrit Luc. 15: 12, 13. de filio prodigo, Patri suo dicente: Δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. *Da mihi portionem substantiæ* h. e. bonorum meorum, ad victum & amictum meum pertinentium, *quæ ad me redit.*--- Καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, *& ibi dissipavit substantiam suam* h. e. bona & facultates suas. Quo referenda quoque esse videtur illa translatio, qua nonnulli ἄρτον τὸν ἐπιούσιον verterunt, per περιούσιον, quod manifeste est ex οὐσία, quatenus *bona*, *opes*, *facultates* & *possessiones* significat. Nam, ut jam citatus Jul. Poll. observavit, idem est aliquando περιουσία quod οὐσία, prænotato sensu, μερὶς *conveniens portio*, vel *sors* hæreditatis. Qua ratione ab Ecclesiaste 5: 17. μερὶς *sors* s. *portio* hominis dicebatur, *comedere & bibere & exultare in omni labore.* Inde vero περιούσιος est *peculiaris*, & περιούσιον *peculiare*, quod quis tanquam bonum proprium possidet, quod respondet Ebræo סגלה segula *peculium*, quod verbum LXX. frequentissime περιούσιον transtulisse, testatur Hieron. Com. in Matth. 6. h. l. Sic legitur Exod. 19: 15. Ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος. *Eritis mihi populus peculiaris.* Deuter. 7: 6. Προείλετό σε λαὸν γενέσθαι αὐτῷ περιούσιον. *Et te elegit* (DEUS tuus), *ut esses ei populus peculiaris.* Similiter c. 14: 2. Καί σε ἐξελέξατο κύριος ὁ θεός σου, λαὸν γενέσθαι αὐτῷ περιούσιον. *Et te elegit Dominus DEUS tuus, ut sis tu ei populus peculiaris.* Et cap. 26: 18. Εἵλετό σε σήμερον γενέσθαι σεαυτῷ λαὸν περιούσιον. *Elegit te hodie, ut sis tu ei populus peculiaris.* Eodem autem sensu & Apostolus hac voce usus est, in Epist. ad Tit. 2: 14. inquiens: ἵνα καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον. *Ut purificaret sibi populum peculiarem.* Unde & περιουσιασμὸς, *peculium*, *possessio.* Psal. 134: 4. Ὅτι τὸν Ἰακὼβ ἐξελέξατο ἑαυτῷ ὁ κύριος, Ἰσραὴλ εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ. *Quia Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.* Ubi quod dicitur περιουσιασμὸς, Joh. 1: 11. τὰ ἴδια i. e. *propria* vocantur. Quoniam autem ea quæ eligere nobis licet, propria & peculiaria nobis sunt l. fiunt, hinc propria & peculiaria, reciproce *selecta* quoque appellari possunt. Et hinc Symmachus quod in Ebr. סגלה *Segulah*, sonat *peculium* s. *peculiare*, ἐξαίρετον *selectum*, seu, ut Hieron. iterum Comm. in Matth. 6. h. l. scribit, *præcipuum* vel *egregium*, transtulit. Qua ratione *panis* ὁ ἐπιούσιος esset *egregius* & *præcipuus.* Sed quamvis hæ versiones, non abludant à scopo quartæ petitionis, nondum tamen per omnia expressa videtur per τὸ quotidianum, & quæ huc transferri possunt interpretationes, indoles & natura hujus vocis ἐπιούσιος

si non

si non secundum sensum, sed κατὰ λέξιν h. e. *secundum* ipsam *nominis notionem* examinetur. Quid enim est vel in ἐπὶ, vel in οὐσία, quod vel *diem*, vel *quotidianum* exprimat? Τὸ περιούσιος autem, & ἐξαίρετος, à καθημερινὸς & ἐπιούσιος esse diversa tum ex notione, tum vero ex usitatis utriusque significatibus, quibus pollent, amplius latere non potest. Accedit quod etiam aliqua tautologia imputanda foret Scripturæ verbis, si ἐπιούσιος idem esset atque καθημερινὸς seu *quotidianus*, per quotidianum autem omnis sufficientia corporalis intelligatur. Primo namque ἄρτος vocabulum omnia hæc sub se complectitur. Unde etiam dicitur ἀπὸ τοῦ αἴρειν καὶ κουφίζειν τὴν δύναμιν. i. e. *ab erigendo & sublevando potentiam*, seu vires hominis, ut est ap. autorem Etymologici magni. Et sic etiam in Scripturis & alibi apud profanos autores hoc vocabulum occurrit, quemadmodum notum est. Τὸ quotidianus autem, jam in τῷ σήμερον *hodie*, vel ut planius apud Lucam habetur, per τὸ καθημέραν h. e. *singulis diebus* comprehenditur. Tautologiam autem Scripturæ quis imputandam putet?

§. IV. Hieronymus, Comment. in C. 6. Matth. h. l. τὸ ἐπιούσιος, quod Vetus Latinus reddiderat quotidianum, *supersubstantialem* venit, ὑπερούσιον, h. e. *qui super omnes substantias sit & universas superet creaturas.* Quo sensu vox hæc tum alibi usurpatur, tum apud Dionys. L. de Divin. Nominib. cap. 11. §. 6. fol. 847. Quo in loco sic de DEO loquitur: Ἵνα ἀκριβῶς ὁ πάντων αἴτιος ἐπέκεινα ᾖ πάντων καὶ τὸ ὑπερούσιον καὶ ὑπερφυὲς παντὶ ὑπερέχει τὸ καθ' ὁποίαν τινά ποτε οὐσίαν καὶ φύσιν. h. e. *Ut qui est causa omnium perfecte, sit super omnia, & qui substantiam & naturam exsuperat, ex omni parte & in universum omnibus cujuscunque substantiæ & naturæ sint, antecellat.* Atque sic etiam Maximus in Schol. ad Dionys. de Divin. Nomin. c. 11. §. 11. f. 519. ad illa: ἓν ἐστι ὡσαύτως ὑπερουσίως. *Sic etiam supra substantiam existit unus,* DEUS scil. ἐστὶ γὰρ, inquit, ὑπερούσιος, καὶ ἡμῖν ἀνέφικτος, *est enim superessentialis & nobis incomprehensus.* Unde vicissim apparet Hieronymum respexisse ad illam hujus vocis formationem, secundum quam, ex vocabulo οὐσία est deductum τὸ ἐπιούσιον: Ast, non quatenus facultates & possessiones significat, sed quatenus essentiam & substantiam notat. Qua significatione non tantum apud profanos, sed apud sacros quoque Scriptores valere, plus quam manifestum est. Non tamen & ipse Hieronymus acu rem videtur tetigisse. Unde enim ipsi constat, quod ἐπὶ in composita voce ἐπιούσιος, ejusdem sit significationis cum ὑπὲρ, in ὑπερούσιος? Nec necesse est, ut statuatur, τὸ ἐπὶ in compositione semper augere significationem simplicis. Plura enim sunt vocabula ex ἐπὶ composita, in quibus præpositio non immutat significationem simplicis. Cujusmodi sunt, ἐπουράνιος *cœlestis*, ἐπίτιμιος *venerabilis*, ἐπινίκιος *victoriosus*, ἐπίουρος *custos*, ἐπιμέλεια *cura, diligentia*, ἐπινόημα *cogitatio*, & alia hujusmodi. Quibus similia sunt apud Latinos, *Inalpinus* quod idem est atque *Alpinus*; *humerale* item ac *superhumerale*, & sic quæ sunt alia. Rectius itaque videtur hoc vocabulum ἐπιούσιος, exponi apud Lexicographos de eo, quod *substantiæ* h. e. naturæ atque essentiæ hominis maxime est congruum & sufficiens. Sic Suidas; ἐπιούσιος inquit, ἄρτος, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων i. e. ἐπιούσ. *panis is est, qui naturæ nostræ conveniens est.* Similiter & autor Etymologici M. scribit: ἐπιούσιος ἄρτος, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων. Varinus autem: ἐπιούσιος ἄρτος, ὁ τῇ ἑκάστῃ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων. i. e. ἐπιούσ. *panis est, qui cuique substantiæ nostræ est conveniens.* Atque ad hunc quidem modum interpretatus est hoc vocabulum Theophyl. in c. 7. Matth. h. l. scribens: ἐπιούσιον τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐτάρκη φησιν. i. e. *Panem dicit* (Salvator) *qui substantiæ vel essentiæ ac constitutioni nostræ sufficit.* Ante hunc vero, eandem etymologiam & interpretationem vocis ἐπιούσιος produxit Basilius M. in Asceticis, in quibus ita loquitur: τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, τουτ' ἔστι τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, h. e. *qui ad quotidianam vitæ sustentationem, substantiæ nostræ conducit.* Quæ verba etiam reperiuntur apud Nicetam, in Catena. Sed hi omnes rursus autores notationem hujus vocabuli, ad eam vocis οὐσίας significationem referunt, qua ut antea essentiam vel substantiam vel naturam significabat. Qua ratione etiam hoc ipsum vocabulum οὐσίας, vitam quoque hominis denotare potest.

§. V. Jam autem duplex est essentia ac vita hominis, una quidem animalis, qua vivitur secundum corpus: altera spiritualis, qua vivitur secundum animam rationalem, seu spiritum cui in Scripturis opponitur *caro*, Joh. 3: 6. Quæritur igitur, cui vitæ vel essentiæ sustentandæ hic petatur panis conveniens ac sufficiens? Veteres igitur aliquando corporalia postulari putant quarta Orationis Dominicæ petitione, & panem vitæ hominis animali sustentandæ convenientem ac sufficientem peti existimant, ad sensum nimirum literalem attendentes. Quorum meminit Hieronymus in C. 6. Matth. h. l. sic scribens: *Alii simpliciter putant* (*secundum Apostoli sermonem* 1 Tim. 6. *dicentis*: Habentes victum & vestitum his contenti simus), *de præsenti tantum cibo sanctos curam agere. Unde & in posterioribus sit præceptum* (Matth. 6: 34.) Nolite cogitare de crastino. H. I. Sic interpretatus est quartæ petitionis verba S. Greg. Nyss. Orat. V. de Orat. Dom. f. 745. ubi inter alia sic loquitur: Διὰ τοῦτο ζητεῖν προσετάχθη μόνον τὸ πρὸς τὴν συντήρησιν ἐξαρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας: Τὸν ἄρτον δὸς τῷ θεῷ λέγοντες —— h. e. *Idcirco quærere tenemur id quod satis sit, ad naturam corporis conservandam: Panem da, ad* DEUM *dicentes. Non luxum, non delicias neque divitias, non floridas vestes purpureas, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non vasa argentea, non agri copiam ac latitudinem, non imperium exercituum, non bellorum & gentium præfecturas, non equorum greges, non boum armenta, reliquorumque pecorum magnam multitudinem: non mancipiorum copiam, non claritudinem atque splendorem in foro, non columnas, non statuas, non pannos sericos; non musica acroamanta, neque quicquam tale per quæ anima à divina & potiori cura abstrahitur, sed panem.* Pariter & Johannes Chrysostomus Homilia X. quæ est c. in 6. Matth. h. l. *Quid est*, ait, *panem nostrum* ἐπιούσιον? *Quoniam enim dixerat: Fiat Voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Id autem loquebatur hominibus, carnis fragilitate circumdatis ac necessitate naturæ interim subjectis: nec eandem habentibus impassibilitatem qua Angeli perfruuntur. Præcepta quidem* DEI *à nobis fieri jubet, ut etiam ab illis dicit impleri. Condescendit etiam naturæ fragilitati, ac si diceret: Conversationis quidem diligentiam eandem à vobis efflagito, non tamen impassibilitatem exquiro. Neque enim concedit illud fragilitas ipsa naturæ qua necessario certe cibo indiget sustentari. Tu vero considera, quemadmodum etiam carnalibus rebus plurimum spiritale satietur. Non enim propter divitias & delicias, non ob pretiosæ vestis ornatum, neque pro alio quopiam hujusmodi, sed pro parte tantum jussit orationem fundere & pro pane quotidiano: Ut ne pro crastino die simus solliciti. Et idcirco subjunxit: Panem nostrum quotidianum. Neque hoc tantum fuit verbo contentus, sed adhuc aliud addidit, dicens: Da nobis hodie, ut nequaquam illos ulterioris diei cura contereret. Cujus enim diei spatium visurum esse, te nescis, quam ob causam, illius sollicitudine torquearis? Hoc etiam in sequentibus prolixius imperavit, dicens: Nolite solliciti esse in crastinum. Volens enim nos undique accinctos esse, & quibusdam velut pennis fidei instructos semper ad cœlestia subvolare, nec amplius indulgere naturæ, quam à nobis ipse necessitatis usus exposcit.* Quibus adstipulatur Anonymus ille, in Caten. Gr. Pp. Nicetæ. Matth. 6. *Ideo quærere jussi sumus quod ad conservationem corporalis substantiæ sufficiat* τὸ πρὸς τήρησιν ἐξαρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας, *non delicias, sed alimentum, quod deficit corpori restaurans, mortemque ex fama prohibens, non mensas opiparas, & in voluptates effusas, neque quæcunque corpus insultare animo efficiunt, sed panem, & hunc non in multorum annorum numerum, sed hodie nobis sufficientem.* Porro Augustinus Locution. de Gen. in c. 39. Gen. verba illa: Præter panem, quem ipse edebat. *Per panem utique*, inquit, *intelligi voluit ad victum ejus pertinentia. Unde pro quotidiano victu, panis solus positus intelligitur in oratione Dominica.* Pariter Euthymius Comment. in Matth. 6. h. l. *Sciens quidem naturam angelicam nequaquam cibo indigere, humanam vero hujus esse indigentem, jussit quod naturæ necessarium est peti. Panem autem nostrum dixit, hoc est propter nos formatum. Supersubstantialem vero appellavit, quia ad corporis substantiam, vitam ac constitutionem conveniens est. Vel juxta Chrysostomum*, ἐπιούσιον *dixit, id est, quotidianum. Addit etiam, Hodie: à cura nos abducens insequentis temporis. Vult enim fidelis panem tantum petere, & hunc tantum hodiernum: nec angi de insequenti die, quam neque sciamus, an etiam in ipso vivemus. Superfluum est itaque solicitum esse de die, ad cujus spacium utrum pertingemus ignoramus. Hæc quoque in sequentibus jubet pluribus verbis, dicens inter cætera: Ne solliciti sitis in crastinum. Ita nempe expediti erimus, pauca naturæ necessitati concedendo: reliqua vero ad operationem spiritualem tribuendo.* Aliquando spiritualem hic animæ panem vel cibum postulari dicunt, sensum attendentes mysticum. Et per panem quidem quotidianum, Euthymius, cit. loco, *animæ* intelligit, *illuminationem cœlestem, & divinam cognitionem.*

Hugo

Hugo de S. Victore L. II. Eruditionis de specialibus Missarum observationibus, cap. XXXIX. Panem quotidianum esse dicit, affectus ex dulcedine DEI, & saporem quendam suavissimum quo anima in oratione interdum reficiatur. Ejus verba hæc sunt: *Quarta petitio est*, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Panis quo quotidie indigemus, ne in hac via peregrinationis nostræ deficiamus; spiritualis est animæ cibus, affectus videlicet ex dulcedine DEI, & sapor quidam suavissimus, quo anima in oratione interdum reficitur. De hoc pane dicitur* (Psal. 33: 9.): Gustate & videte quam suavis est Dominus. *Hoc manna verus Israel per desertum hujus seculi interius pascitur, donec terram promissionis ingressus, de ipsa suavitatis DEI facie satietur.* Beda intelligit inter alia, etiam divina præcepta, quæ quotidie meditari oportet & operari, Com. in cap. 6. Matth. Bernhardus gratiam devotionis. Sic enim in die Nativ. Domini de Fontib. Salvat. Serm. I. ante fin. f. 58. sermocinatur: *Et labores abstinentiæ, devotionis gratia necesse est impinguare —— Unde & in Oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus.* Dionysius Carthusianus Artic. XIII. Enarrat. in cap. 6. Matth. inter alia, hic intelligit panem *vitæ & intellectus, panem animæ, panem gratiæ & obedientiæ*, de quo ipse dicat Salvator Joh. 4: 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Interdum etiam verbum DEI, hic peti statuunt Ecclesiæ Doctores. Quod & ipsum panis appellatione donari potest ex Matth. 4: 4. ubi dicit Salvator: *Non de solo pane vivet homo, sed omni verbo quod egreditur per os DEI.* Et Esai. 38: 16. dicitur, quod vita spiritus in DEI verbo consistat. Augustinus igitur Tract. de Orat. Dom. qui habetur sub Serm. XLVIII. de Diversis, parte VI. scribit: *Cibus noster est quotidianus in hac terra, sermo DEI qui semper erogatur Ecclesiis.* Et Gregor. M. T. II. fol. 444. in quartum Psalmum Pœnitent. *Panis*, inquit, *noster, verbum DEI est. Hinc namque per semetipsum Veritas ait*: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore DEI. H. I. Interdum per Panem ἐπιούσιον seu quotidianum, Christum intelligunt, quem accipimus in S. Eucharistia. Qui & ipse de seipso sic loquitur Johann. 6: 48. seq.: *Ego sum panis ille vitæ*, Patres vestri comederunt Manna in deserto & mortui sunt. *Hic est panis ille de cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis & non moriatur. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Interdum utrumque panem intelligunt & spiritualem, qui Christus sit, & corporalem qui corpori sustentando sit idoneus. Sec. III. floruit Tertullianus Carthaginensis Presbyter, Is libro de Orat. ubi Orat. dominicam exponit, ita loquitur: *Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit? ut post cœlestia, id est, post Dei nomen, Dei voluntatem, & DEI regnum terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret? Nam & dixerat Dominus*: Quærite prius regnum, & tunc vobis etiam hæc adjicientur. *Quanquam panem* nostrum quotidianum da nobis hodie, *spiritualiter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis.* Ego sum, *inquit*, panis vitæ. *Et paulo supra*: Panis est sermo DEI vivi, qui descendit de cœlo. *Tum quia & corpus ejus in pane censetur*: Hoc est corpus meum. *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem à corpore ejus.* Eodem Seculo med. Cyprianus, L. de Orat. Dom. circa med. verba quartæ petitionis explicans, sic inter alia scribit: *Hunc autem panem præcedente oratione postulamus & dicimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod potest & spiritualiter & simpliciter intelligi. —— Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus à sanctificatione ejus & corpore non recedamus. Potest vero & sic intelligi, ut qui seculo renunciavimus, & divitias ejus & pompas fide gratiæ spiritualis abjecimus, cibum nobis tantum petamus & victum, quando instruat Dominus & dicat*: *Qui non renunciat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus discipulus esse. Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundum magistri sui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso interim Domino præscribente & dicente*: Nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua. Seculo IV. Hilarius Pictav. Can. V. in Matth. expositionem Cypriani & Tertulliani suam facit, dicendo: *De orationis autem sacramento* (loquitur autem de Orat. dominica), *necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctæ memoriæ nos liberavit. Quanquam & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit, sed subsequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus autoritatem.* Eodem Sec. Cyrill. Hierosl. Catech. Mystag. V. itidem verba quartæ petitionis exponens: *Panis hic*, inquit, ἐπιούσιος, *communis non est. Panis vero iste sanctus supersubstantialis* ἐπιούσιος *dicitur, eo quod substantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem descendit & in secessum emittitur, sed per te totum ad corporis & animæ utilitatem distribuitur.* Eodem Sec. Ambrosius Lib. 5. de Sacrament. cap. 4. scribit: *Quare in oratione Dominica quæ postea sequitur* (petitio), *ait*: *Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed* ἐπιούσιον *h. e. supersubstantialem. Nam iste panis est, qui vadit in corpus: sed ille, panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Hieronymus, qui floruit circa f. Sec. IV. Comment. in cap. 6. Matth. *Quando ergo*, ait, *petimus ut peculiarem vel præcipuum nobis DEUS tribuat panem, illum petimus, qui dicit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit.* H. I. Idem rursus (Hieron.) Lib. 1. Comm. in Epist. ad Tit. c. 2. v. penult: *Unde & illud, quod in Evangelio secund. Latinos interpretes scriptum est*: Panem nostrum quotidian. da nobis hodie: *melius in Græco habetur*, panem nostrum ἐπιούσιον, id est, *præcipuum, egregium peculiarem, cum videlicet, qui de cœlo descendens ait*: Ego sum panis, qui de cœlo descendi. *Absit quippe, ut nos qui crastinum cogitare prohibemur, de pane isto, qui post paululum concoquendus & abjiciendus est in secessum, in prece dominica rogari jubeamur.* Nec alium panem, quam ipsum Christum, intelligi voluit eodem Seculo, Johan. Chrysost. Hom. de Orat. Dom. fol. 715. edit. Basil. 1558. T. V. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: *Magnus iste panis, qui replet mentem & non ventrem: Iste panis totum mundum replet, & integer manet. De ipso comedimus, inde vivimus, inde pascimur, inde nutrimur —— & tamen quotidie illum quærimus, ne deficiat fides nostra, ne vires animæ nostræ in arcta & angusta via non defatigata perveniant ad Patrem. Ergo Domine pasce nos quotidie pane cœlesti, verbo tuo sancto, quod carnem fieri voluisti, ut habitaret in nobis.* Idem Chrysostomus in Caten. Græcor. Pp. in Matth. Balth. Corderi & Petri Possin. *Vult Deus nos nequaquam de die crastina sollicitos esse, neque animum & attentionem nostram ex rerum divinarum cogitatione ac cura revulsam in istas futuri provisiones dividere. Quare & panem petere nos docet, qui ad necessitatem urgentem sustentandi corporis sufficiat solum, & ad præsentem duntaxat diei hujus usum satis sit. Licet & alium intelligere, immaculatum nimir. corpus Salvatoris nostri Christi, cui ut sine peccato, & non ad judicium ac condemnationem nostram participare nobis contingat, oramus.* Augustinus Sec. V. Soliloqu. cap. 23. eundem panem Christum intelligens, ad DEUM ita loquitur: *Aperi aures tuas clamoribus lachrymarum pupillorum tuorum qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum, in cujus fortitudine ambulemus die ac nocte, usque quo perveniamus ad montem sanctum tuum Oreb.* S. Maximus (Taurinensis utique Episcopus) in Caten. Gr. Pp. Nicetæ: *Panis est* ἐπιούσιος *supersubstantialis, quod dicit Verbum*: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, & dans vitam mundo, *quotidianum, id est præsentem deitatis vitam nobis dari postulamus, ut mortem peccati vincat alimentum panis vitæ, & cognitionis, cujus participem fieri primum hominem divini mandati transgressio non permisit. —— Ad intelligendum vero spiritualem hunc esse panem, duxit me Dominus, præcipiens nimirum diserte discipulis, de sensibili alimento nullum omnino instituere sermonem. Dixit enim*: Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis aut bibatis: *Quomodo igitur in oratione rogare docet, de quibus non inquirere mandavit? Sin autem non quotidianum panem, qui sustentare præsentem vitam nostram solet, per orationem sine cura postulemus ostendamusque, philosophice ad Christi exemplum, nos meditationem mortis, facere vitam, mente naturam prævertentes, ac priusquam mortem sciamus, omnem rerum corporearum curam ab anima abscindamus. Solis igitur iis, quæ adsunt contenti simus, non tamen illis ad præsentis vitæ facientibus voluptatem, at vivendi causa comedere videamur, non vivere comedendi causa arguamur. Siquidem illud rationalis, hoc irrationalis naturæ proprium est.* Seculo eodem Johannes Cassianus Collat. IX. *Panem*, inquit, *nostrum* ἐπιούσιον id est, supersubstantialem *da nobis hodie: quod alius Evangelista dixit* quotidianum (L. n. XI. in Latino Cod.) *illud nobilitatis ac substantiæ ejus significat qualitatem, quæ scil. super omnes substantias sit, utique omnes creaturas sublimitas magnificentiæ ejus, ac sanctificationis excedat.*

Et

Et hanc quidem sententiam ita tuetur Cassianus, ut decernat, eos graviter offendere Deum, qui tam in hac, quam in cæteris orat. dom. petitionibus aliquid corporeum ac temporale à Deo flagitent. Sic enim mox superioribus subjicit: *Videtis ergo, qualis nobis ab ipso, qui per illam orandus est, judici orationis sit forma proposita: in qua nulla corporeæ seu temporalis vitæ mentio continetur. Nihil enim caducum vult à se, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ ac munificentiæ maximas irrogabit injurias, quisquis hic sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare, offensam potius, quam propitiationem judicis sui, vilitate orationis incurret.* Eodem vicissim Seculo, Petrus Chrysologus Archiepiscopus Ravennas, Serm. 67. in Orat. Dom. verba hæc, Panem nostrum —— ita disserit: *Qui patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui rerum nos fecit hæredes, qui nos nomine sublimavit, qui nos suo & honore donavit & regno, ipse nos ut panem quotidianum postulemus, addixit. In regno DEI inter munera divina, quid quærit paupertas humana? tam bonus quam pius, tam largus pater, panem filiis non nisi postulatus indulget? Et ubi est illud.* Nolite solliciti esse quid manducetis aut quid bibatis, aut quid vestiamini. *Hoc petere jubet, quod prohibet cogitare, quatenus cælestis pater cælestem panem, cælestes filii ut postulemus, hortatur. Ipse dixit*: Ego sum panis qui de cœlo descendi. *Ipse est panis, qui satus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus, sepulchris in Ecclesia conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Serm. 78. in eandem Orat. Dom. eadem verba: *Post cæleste*, ait, *regnum, panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum, & in diem vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare, ut per hoc ad perpetuum diem & ipsam Christi perveniamus ad mensam ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem totasque satietates capiamus.* Rursus idem Serm. LXX. in eandem Orat. Dom. *Post regnum cæleste, terrenum panem petere non jubemur prohibente ipso, cum dicit*: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis. *Sed quia ipse est panis, qui de cœlo descendit, petimus & precamur ut ipsum panem, quo quotidie i. e. jugiter sumus in æternitate victuri, hodie i. e. in præsenti vita de convivio altaris sancti ad virtutem corporis mentisque capiamus.* Porro Serm. 72. in eadem, ita loquitur: *Post paternitatem DEI, post divini nominis sanctitatem, post cœli regnum, quotidianum panem jubemur exposcere. Christus oblivioni non subjacet, Christus mandatis suis contraria non demandat. Ipse dixit*: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis aut quid bibatis. *Sed quia ipse est panis qui de cœlo descendit, qui legis & gratiæ mola aptatus est in farinam, qui crucis confectus est passione, qui magnæ pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersionis levis levamentum sustulit de sepulchro, qui ut divinitatis suæ calore coqueretur ipse clibanum decoxit inferni, qui ad cælestem, cibum quotidianum Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum; qui edentes se perpetuam pascit & enutrit ad vitam. Hunc panem quotidie nobis dari petimus, donec illo die perpetuo perfruamur.* Denique Serm. 72. in eandem Orat. Dom. *Sicuti*, ait, *in Psalmo* (LXVII.) *Benedictus Dominus de die quotidie, ita hic, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidianum jugem dicimus, jugis panis ille est, qui de cœlo descendit: Perfectio ergo beatitudinis est hodie, h. e. in præsenti illius panis, illius panis, jam cibo vivere, cujus perpetuitate, quod est quotidie, saginabimur in futurum.* Initio Sec. VII. Gregorius M. in Psalm. 4. Pœnitent. huc procul dubio collimans, ita sermocinatur: *Sequatur ergo oblivionem commemoratio, & esuriem refectio comitetur: ut panem illum qui de cœlo descendit, manducantes, & pœnam evadamus mortis perpetuæ, & vitæ participemus æternæ, sicut Dominus ait in Evangelio*: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Sec. VIII. Germanus Confessor, ex Cizicensi Episcopo Patriarcha Constantinopolitanus, in rerum Ecclesiasticarum Theoria, Tom. VI. Bibl. Pp. f. 134. ubi exponit Orationem Dominicam: *Panis*, inquit, *quotidianus est Christus, qui est, ante fuit, & manet in secula: qui se voluntario præbet edendum & sine consumptione permanet semper, ut det vitam mundo, quem per baptismum acceptum petimus, ut semper accipiamus, habeamus & comedamus. Petimus naturæ nostræ convenientem, ut nos eo simus contenti, ut ne pauperes facti & fame tabescentes ad blasphemias convertamur, aut supra modum abundantes efferamur, & à te projiciamur. Panem si quæras, aurum nec cumules. Si tibi deest & privaris, id admonet te, ut quæras. Quotidianum panem accipere postulamus, quia homines omnes ex duobus naturis coalescunt, animo inquam & corpore, propterea utrique congruum panem petimus. Nam panis quidem corporis hic panis est, quo vescimur, panis vero animi sermo DEI. Aperi fili os tuum, & frequentius DEI sis memor, quam respires.* Huic coætaneus Beda, in cap. 6. Matth. h. l. ita loquitur: *Panis quotidianus, aut pro omnibus hujus vitæ necessitatibus dictus est, aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus.* Item in Johan. cap. 6. verba illa: Ego sum, panis vivus: *Ideo panis, quia vita & ideo vita: & ideo vita, quia de cœlo descendit dicente ipso*: Ego sum via, veritas & vita (Johan. 14.) *Ille est panis supersubstantialis, qui ut nobis detur, quotidie deprecari jubemur. Cum Dominus noster J. C. panem se dicebat de cœlo descendisse.* Circa fin. ejusdem Sec. Albinus Flaccus, L. de Div. Offic. cap. 40. quo agit de celebratione Missæ & ejus significatione, hæc habet: *Pan Græce, Latine totum, vel omne: & ab eo quod est Pan derivatur Panis. Et ideo per panem intelligere possumus omnia necessaria tam in cibo quam in potu & vestimento, omnique subsidio corporali. Panis quotidianus dicitur, quod quotidie nobis est necessarius.* Panem nostrum quotidianum, id est, *omnia, quæ nobis sunt necessaria tam ad victum quam ad vestimentum*, tribue nobis hodie, id est, *omni tempore vitæ nostræ. Vel aliter, panem hic possumus intelligere; corpus & sanguinem Domini, de quo ipse dicit alibi*: Nisi quis manducaverit, *& reliqua. Precamur namque ut det nobis carnem & sanguinem suum ad sumendum, ut per illud quod visibiliter sumimus, istud quod non videmus in nobis suscipere possimus, id est, DEUM omnipotentem juxta quod ipse dicit*: Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, ipse in me manet, & ego in eo. —— *Dicamus aliter*: Panem nostrum quotidianum, *per Panem possumus accipere divina eloquia, scientiam legis & Prophetarum, Psalmorum & Evangelium.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, id est, *in omni tempore vitæ nostræ refice nos doctrina S. Scripturarum; quod sicut corporeo cibo reficitur corpus, sic spirituali cibo reficitur anima ad amorem & agnitionem ejus.* Sec. IX. Florus Magister in Exposit. Missæ Tom. VI. Bibl. M. Pp. fol. 239. panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Qua petitione*, inquit, *nostram sufficientiam quotidiani victus petimus nomine panis totum significantes: quoniam panis Græce, Latine dicitur totum sacramentum fidelium, quod in hoc quoque tempore necessarium est. Non tamen ad hujus temporis, sed ad illam æternam felicitatem assequendam. Nam panis vitæ Christus est, quem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie sumimus, intercedente aliquo gravi delicto à corpore Christi separemur, ipso dicente*: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit, si quis ex hoc pane ederit, vivet in æternum. *Sicut ergo manifestum est, eos vivere, qui corpus ejus vere ac digne accipiunt: Ita contra timendum est ne dum qui separantur à Christi corpore, perpetua pereant morte, criminante Christo*: Nisi comederitis carnem filii hominis; & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Et ideo* panem nostrum id est, *Christum quotidie nobis dari petimus, ut qui in eo manemus & vivimus à sanctificatione ejus & corpore non recedamus, sine quo vivere in æternum non valemus.* Eodem Sec. IX. Walafridus Strabo Augiæ Abbas, L. de Rebus Ecclesiast. c. 20. Tom. I. Auctarii Bibl. Pp. f. 678. *Itaque*, ait, *in oratione Dominica* panem nostrum i. e. *Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, à sanctificatione & corpore ejus non recedamus.* Item, Autor Glossæ Ordinar. qui creditur fuisse Strabo Fuldensis in Matth. 6. Panem) *Esuries justitiæ ut ad saturitatem pertingat, fulcitur spiritu fortitudinis. Ideo oramus panem nostrum quotid. da nobis: sine quo fame moreremur. Panis, corpus Christi est, vel, verbum DEI: vel, ipse Deus, quo quotidie egemus: vel, qui est super omnes substantias. Hic est panis vivus qui de cœlo descendit cujus naturæ sublimitas super omnes substantias est.* Sec. XI. labente, floruit Theophylactus Archiepiscop. Bulgarorum. Is Comm. in c. 6. Matth. h. l. ita scribit. *Corpus autem Christi, panis est substantialis, cujus esse participes citra condemnationem precamur.* Ejus coætaneus fuit Anshelmus, cujus hæc sunt verba Enarrat. in Matth. c. 6. h. l. *Panis iste est DEUS, qui pascit Angelos. Et sicut panis, qui à matre comeditur, in lac in matre convertitur, ut puer illo fruatur: sic DEUS quo fruuntur Angeli sicuti est, nobis versus est in lac, ut eo possemus frui.*

Assumpsit

Assumpsit enim visibilem formam, ut doceret homines, & sic saltem eum agnosceremus. Comedimus ergo eum semper in sacramento altaris, in Scripturis & in verbo prædicationis & in omnibus modis, quibus modis nobis revelatur. Fruimur etiam illo pane, quando pane terreno vescimur, ut eo fortius sustentati, serviamus. Panem istum (Matthæus) *vocat supersubstantialem, quia super omnes substantias est*: & quotidianum *eum vocat Lucas quia eum quotidie aliquo supra dictorum modorum comedimus.* Hodie *vocat præsens tempus. Per istum panem esurimus, & sitimus justitiam futuram.* Sec. XIII. vixit Honorius Augustodunensis, is in Lib. quem inscripsit Gemmam Animæ, cap. 109. exponens verba hæc Orationis Dominicæ, sic loquitur: *Panem quotidianum hodie dat, qui in hoc exilio suo corpore nos recreat.* Sec. XIV. post init. viguit Nicolaus Lyranus, ex Judæo factus Christianus, & in ordinem Minorum adscitus, is Comment. in Matth. 6. hæc annotavit: *Dicitur autem supersubstantialis* (panis Christus), *quia transcendit vitam corporalem, vel, quia dat vitam æternam. Johan. 6.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Siquis manducaverit ex hoc pane vivet —— *Et petendo hoc sacramentum, petimus omnia alia, quæ ordinantur ad spiritum.* —— *Lucas vero vocat eum panem* quotidianum *quia quotidie eum sumimus.* —— *ad vitam autem corporalem necessario requiritur sufficientia victus, & hoc petitur cum dicitur*: Panem nostrum &c. *Et in hoc intelliguntur peti omnia vitæ necessaria.* Denique Sec. XV. med. Dionys. Carthusianus Artic. XIII. Enarrat. in cap. 6. Matth. inter alia scribit: Panem nostrum quotidianum] i. e. *Christum vere superessentialem & tibi consubstantialem, qui ait*: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi h. e. *panem sacramentalem* —— *vel supersubstantialem, i. e. præcipuum, secundum Hieronymum* —— *vel certe, ut dictum est panem Eucharistiæ quem Dionysius supersubstantialem appellat. Lucas dixit*: Panem nostrum quotidianum da nobis i. e. *quo indigemus quotidie, scilicet sufficientiam alimenti* —— Hæc illi.

§. VI. Jam autem, si quæratur: uter sensus, prior ne de pane naturali qui est literalis; an vero alter sensus de pane spirituali, qui mysticus est, sit melior aut utilior; respondendum est, quod uterque bonus sit, & utilis. Unde & Cyprianus scribit de Orat. Dom. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; *quod potest & spiritualiter & simpliciter intelligi, quia & uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem.* Pater autem huc respiciens Beda, in cap. 11. Luc. *Panis vero*, ait, *quotidianus, ideo dictus est, quia hic est necessarius quantus animæ carnique tribuendus est: sive spiritualiter, sive corporaliter, sive utroque intelligatur modo.* Quando autem quæritur: quisnam inter omnes sensus, tam literales, quam mysticos, quartæ petitionis scopo sit accommodatissimus; dicendum, quod ille sit, quo per panem ἐπιούσιον seu *quotidianum* intelligitur panis Eucharisticus, hoc est, ipse Christus. Hunc enim sensum plurimi, imo fere omnes inter Veteres urgent. Et hic reliquis verbis Orationis Dominicæ est accommodatissimus. Petimus enim, ut detur nobis panis *noster*: ac vero, panis naturalis non noster tantum est, sed communis etiam nobis cum Paganis, Judæis & Hæreticis. Unde Cyprianus cit. loc. *Panis*, inquit, *vitæ Christus est: & panis hic omnium non est, sed* noster *est, & quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium & credentium Pater est, sic & Panem* nostrum *vocamus, quia Christus noster* (*qui corpus ejus contigimus*) *panis est.* Autor Glossæ Ordinar. in Matth. cap. 6. h. l. nostrum): *Quia Christus noster est factus, & DEUS pater cum Christo omnia nobis donavit* (Roman. cap. 8). *Ideo oramus, ut quod nostrum est per donum, quotidie detur per effectum.* Et sane, si quod res est, dicendum sit, in alium nullum panem præter Christum, quem in Eucharistia accipimus, omnes vocis ἐπιούσιος interpretationes magis quadrant. Hic enim est panis ille, DEI populo, h. e. Christianis *peculiaris, proprius* ac *sufficiens* quod indicabat Manna, Exod. 16: 15. 18. ad quod ipse Salvator nos reducit, Johann. 6: 31, 32, 33. Christus, panis est semper *crastinus* h. e. continuus ac æternus, quem *juge sacrificium* denotabat in Vet. Test. Exod. 19: 16. 42. Panis *quotidianus*, adumbratus Numer. 4: 7. Panis *præcipuus*, non nisi sanctis porrigendus, illibatis & impollutis, 1. Samuel. 21: 24. *Eximius* h. e. selectus (unde *eximiæ hostiæ* vocabantur, quæ è grege erant selectæ), κεχωρισμένος *segregatus*, ex epist. ad Ebræor. 7: 26. *Supersubstantialis*, qui omnes substantias superat & omnibus creaturis est excellentior, ad Ebræor. 1: 4. cap. it. rursus 7: 26. Ad quæ reduci etiam quadantenus possunt illa Hieronymi, ex Lib. I. Comment. in Epist. ad Tit. cap. 2. vers. penult. *Nec multum differt inter* ἐπιούσιον *&* περιούσιον: *præpositio enim tantummodo est mutata non verbum. Quidam* ἐπιούσιον *existimant in Orat. Dominica panem dictum, quod super omnes* οὐσίας *sit: hoc est, super universas substantias. Quod si accipitur, non multum ab eo sensu differt, quem exposuimus. Quicquid enim egregium est, & præcipuum extra omnia est, & super omnia.* Et hoc porro ex eo quoque confirmatur, quod in Græco bis reperiatur articulus ὁ. Dicitur enim: τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον, illum *panem nostrum*, illum ἐπιούσιον seu *quotidianum.* —— Ubi articulus, certum quendam & peculiarem panem denotat, à communi pane distinctum. Qua vi pollere articulum præpositivum, alibi est ostensum.

§. VII. Dices: si panis Eucharistiæ hic intelligatur, quomodo petere possumus, ut ille nobis quotidie erogetur? Nam licet τὸ ἐπιούσιος proprie secundum etymologiam, non sit *quotidianus*, quotidie tamen petendum esse hunc panem ἐπιούσιον, ex reliquis istis verbis constat: Δὸς ἡμῖν σήμερον, i. e. *Da nobis hodie.* Quod Lucas sic expressit: Δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν, *Da nobis per singulos dies*, h. e. quotidie. Unde & Cyrillus Hierosol. Catechesi Mystag. V. scribit: *Hodie autem dicit*, (Salvator apud Matth.), *pro quotidie*, τὸ σήμερον ἀντὶ τοῦ καθ' ἡμέραν. *Sicut & Paulus*: Donec *inquit*, hodie cognominabimur. H. I. Numquid igitur Eucharistia quotidie potest accipi? Lyra in cap. 6. Matth. quotidie putat accipi Christum in Eucharistia, per ministros Ecclesiæ. *Lucas*, inquit, *vocat eum panem quotidianum, quia quotidie ipsum* (i. e. Christum) *sumimus per ministros Ecclesiæ, qui hoc sacramentum accipiunt pro se, & pro tota communitate.* Ubi Missam videtur confirmare solitariam, quæ tamen institutioni sacræ Cœnæ, & ipsi veteris Ecclesiæ praxi contrariatur. Adversatur item Apostoli verbis, in 1 Corinth. 10: 17. dicentis: *Quoniam unus panis, unum corpus* multi *sumus. Nam* omnes *ex eodem pane participamus.* Unde patet S. Eucharistiam esse communionem. Communio autem non est unius. Et hinc quoque Walafridus Strabo L. de rebus Ecclesiasticis, cap. 22. circa fin. illegitimam vocat hujusmodi Missam, quam solus sacerdos pro aliis celebrat: *Quamvis autem*, inquit, *cum soli sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis esse cooperatores, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exequitur: tamen fatendum est, illam esse legitimam Missam, cui intersunt sacerdos, respondens, offerens, atque communicans, sicut ipsa compositio precum, evidenti ratione demonstrat.* Et Canon. XLIII. Concilii Maguntiaci, anno salutis DCCCXIII. quinto Idus Junii, jussione Caroli M. Imperatoris coacti, sic sonat: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum; vel, Sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia: cum alius nemo cum eo sit?* Aliter igitur hic respondendum est. Et facile quidem id fiet, si attendatur, quid in veteri Ecclesia obtinuerit. Procul dubio enim Veteres τὸ *hodie* & *quotidie* de communione quotidiana fidelium, non Clericorum tantum sed etiam Laicorum, intellexerunt: postularique hac quarta petitione, ut Christus quotidie se nobis comedendum præbeat in Eucharistia, asseruerunt. Unde & in prisca Ecclesia quotidie communicasse fideles, & numero quidem eosdem, inde ab Apostolorum tempore, constat ex Actis Apostolicis, cap. 2: 42. 46. Et Cyprianus hinc de Orat. Dom. scribit: *Hunc panem* (Christum in Eucharistia) *dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. Ipso prædicante & monente*: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de pane meo, vivet in æternum. Cypriani verba repetit Augustinus quoque L. de dono perseverantiæ, qui est II. ad Prosp. & Hilar. cap. IV. Ex quibus manifestum est, quod in veteri Ecclesia, iidem numero Christiani, quotidie communicaverint. Et mansit hæc consuetudo usque ad Hieronymi ætatem, Romæ ac in Hispania, quemadmodum ipse testatur in Epistol. XXVIII. ad Lucinium, & in Apologia ad Pammach. pro libris adversus Jovinianum, cap. VI. Mediolani, idem ritus quotidie communicandi, perduravit ad Ambrosii usque tempora, prout colligere licet ex ultimo capite Lib. ejus IV. & V. de Sacram. In Africa autem usque ad Augustini ætatem viguit hæc consuetudo, sicuti apparet ex ejus Epistol. CXVIII. Factum est autem, ut diminuto fidei ardore, & refrigescente charitate, persecutionibus item pausantibus, mos hic paulatim cessaverit. Unde Gennadius Massiliensis, f. Sec. V. L. de dogmat. Ecclesiæ,

Ecclesiæ, cap. LIII. scribit: *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo nec vitupero.* Quasi consuetudo à quibusdam sui ævi fidelibus fuerit retenta, ab aliis non item. Citius tamen in Ecclesia Orientali, quam Occidentali quotidie communicandi consuetudinem exolevisse, patet ex istis Ambrosii, L. V. de Sacram. cap. IV. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt?* Quæ confirmat Augustinus quoque de verbis Domini secundum Lucam, Tom. X. Serm. 28. & de Serm. Domini in monte Lib. II. scribens: *Plurimi in Orientalibus partibus, non quotidie cœnæ Dominicæ communicant.* Chrysostomus autem Homil. XXI. ad Popul. Antich. & in Epist. ad Ephes. III. ad Ebr. item XVII. varias adfert observationes fidelium in communicando. Aliquos enim dicit, in solennitatibus, in Adventu & Quadragesima communicasse, alios in Pascha duntaxat, aut bis, aut ter in anno. Eremitas ex humilitate quadam semel quotannis, aut singulis bienniis memorat Eucharistiæ communionem percepisse. Igitur servato sensu, quo præcipue panis Eucharisticus sub pane ἐπιουσίῳ, seu quotidiano intelligitur, digna potius Eucharistiæ sumptio quotidie est postulanda, petendumque ut in tanta dignitate fidelium semper quisque reperiatur, quo cum fructu sacram accipere Eucharistiam ad minimum possit, si non actu eam accipiat: aut si accepit, ea sic fruatur, ut singulis diebus suam ipsam animam ita sustentet, ut ne graviter labatur. Sic enim semper dignus erit, quotidie accipere. Hinc & Alcuinus, Lib. de div. Offic. cap. XL. notanter præ aliis ita scribit: *Illud quod dicitur hodie, non possumus generaliter referre ad corpus & sanguinem Domini, quia sunt tales, qui non possunt quotidie communicare, aut aliqua discordia contra proximum commaculati, aut nocturnali coinquinati pollutione, homines sunt, non possunt esse semper parati. Econtra sunt tales, qui quotidie possunt communicare. Illis evenit, quod Deus dixit Zachæo:* Hodie in domo tua oportet me manere. *At ille suscepit eum gaudens in domum suam, quia illi tales cum gaudio debent corpus & sanguinem Domini sumere. Illi vero qui quotidie non possunt communicare, possunt dicere cum Centurione:* Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum *hodie: intrabis alia die. Sunt etiam tales, qui nolunt à sua iniquitate recedere, abstinent se à corpore & sanguine Domini causa humilitatis. Talibus prædicans beatus Augustinus dixit: Placet, fratres, mihi humilitas vestra, quod timetis accedere ad corpus & sanguinem Domini: sed melius esset, ut ab iniquitatibus vestris recederetis & mundi effecti per pœnitentiam, corpus & sanguinem Domini sumeretis. Quamdiu non acceditis, non mihi placet.* H. I. Cæteri autem inter Veteres, non tam communionem quotidianam, quam dignam Eucharistiæ sumptionem hic inculcant. Inter illos Ambrosius Lib. V. cit. de Sacram. c. IV. *Accipe*, ait, *quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Augustinus item Epist. allegata CXVIII. ad Januar. scribit: *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quæris, quare? quoniam*, inquit, *eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum sacramentum dignus accedat.* Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat & bibit. *Alius contra: imo, inquit, si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint authoritate antistitis, debet quisque ab altari removeri, ad agendam pœnitentiam & eadem authoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debeat agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterum, si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiano cibo Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, ut præcipue in Christi pace permaneat. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendit. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se altari proposuit Zachæus & ille Centurio, cum alter eorum* gaudens in domum suam suscepit Dominum: *alter dixit:* Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: *Ambo Salvatorem honorificantes diverso & quasi contrario modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo unicuique manna, secundum propriam voluntatem in ore sapiebat: sic in ore cujusque Christiani sacramentum illud quomodo sumatur æstimandum. Nam & ille honorando, non audet quotidie sumere: & ille honorando, non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indigne dicit acceptum ab eis, qui non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debita.* H. I. Similiter Rabanus Maurus Seculo IX. lib. I. de Instit. Clericor. cap. de Sacramento corp. & sang. Christi, quod est XXXI. Tom. I. Auctarii Bib. Pp. circa fin. fol. 563. *Dicunt aliqui*, ait, *nisi aliquo intercedente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam. Hunc enim panem quotidie dari nobis (jubente Domino) postulamus, dicentes:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione & devotione & humilitate suscipiunt, ne fidendo de justitia, superba præsumptione id faciant. Cæterum si talia sunt crimina, quæ quasi mortuum ab altari removeant, prius agenda pœnitentia est, ac sic inde salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat & bibit. Hoc enim indigne accipere est, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. Cæterum si tanta non sint peccata, ut excommunicandus quisquam judicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare, ne, dum quis prohibetur, à Christi corpore separetur. Manifestum enim est eos vivere, qui corpus ejus attingunt: unde timendum est, ne dum diu quis separatur à Christi corpore, alienus maneat à salute, ipso dicente:* Nisi comederitis carnem hominis, &c. Walafridus insuper Strabo Lib. de rebus Eccles. cap. XX. *Cum ergo*, inquit, *Hebræi carnales suas oblationes, quotidie ex jussione Domini celebrasse legantur, quare non Christiani hostias suas spirituales quotidie offerant, & in monimentum suæ salutis frequentent? —— ita Christianis & maxime Clericis, omnes dies in ferias deputentur: videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies, sacris occupemur officiis. Et quantum mentis vel corporis gravioris maculæ non obsistunt, panem & sanguinem Dominicum, quibus sine vivere non possumus, jugiter ambiamus, & desiderio illius tuitionis potius, quam præsumptione nostræ puritatis, sumamus, imitantes primitivæ Ecclesiæ studium salutare.* Beda autem hic unumquemque revocat, ad divina præcepta: & in cap. VI. Matth. h. l. sic disserit: *Panis quotidianus, aut pro omnibus hujus vitæ necessitatibus dictus est, aut pro sacramento corporis, quod quotidie accipimus. Et ne moveant quæstionem aliqui, qui non communicent quotidie sacramento Christi restat ut panem quotidianum intelligamus divina præcepta, quæ quotidie meditari oportet, & operari.*

§. VIII. Amplius dices: si quarta petitione orationis Dominicæ petitur panis Eucharisticus, vel etiam verbum Dei, aut aliud aliquod donum spirituale, quomodo servabitur distinctio, qua prioribus tribus petitionibus spiritualia à Deo peti dicuntur, hac quarta autem petitione, corporale aliquod donum; cujus distinctionis Tertullianus & alii inter Veteres jam supra quidem meminere: non tam aperte tamen quemadmodum Beda, cujus hæc sunt verba, in Luc. 11: 3. *Apud Evangelistam Matthæum septem petitiones continere Dominica videtur oratio. Quarum in tribus æterna poscuntur, in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod dicimus:* Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra, *quod non absurde quidam intellexerunt in spiritu & corpore: omnino sine fine retinenda sunt & hic inchoantur, quantumque proficimus, augentur in nobis: perfecta vero (quod in alia vita sperandum est) semper possidebuntur. Quod vero dicimus:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, *quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna, ubi nos semper speramus futuros, & nominis DEI sanctificatio & regnum ejus in nostro spiritu & corpore, perfecte, atque immortaliter permanebunt.* Quæ distinctio ideo magis observanda erit, quia oratio Dominica, regula est orandi, norma videlicet petendi, non tantum spiritualia, sed & corpolia, quorum utraque à Deo postulanda sunt. Matth. 7: 7, 11. Sed facilis est ad hoc, responsio. Discrimen enim faciendum est inter sensum literalem, & mysticum. Etenim si hic sensus literalis attendatur, divisio ista petitionum orationis Dominicæ, cujus mentio fiebat, citra difficultatem subsistet. Quamvis interim Veteres ita sensum proponant literalem, quartæ hujus petitionis orationis Dominicæ, ut semper tamen nos ad

ad spiritualia vel cœlestia simul ducant. Id quod non tantum ex plurimis jam supra adductis Ecclesiæ doctoribus cognoscitur, sed etiam, & imprimis quidem ex Chrysostomo in cap. Gen. XXX. Homil. LIV. ante fin. ubi ita loquitur: *Ne igitur ea, quæ sunt accessoria, quasi primaria pete. Ne invertamus ordinem, sed quæramus illa sicut præcepit, ut & hæc & illa habere liceat. Ea enim de causa, in precationis nostræ verbis, limites & regulas nobis Dominus præscripsit, quatenus petenda sunt temporalia, verba illa nos jubens dicere, quæ omni philosophia sunt referta*: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. *Diei alimentum, inquit. Id quod justus ille, tametsi nihil horum audierat, precatus est dicens* (Gen. 28:20.) Si dederit mihi Dominus panem ad comedendum, & vestem ad tegendum. *Indignum enim valde est, à tam liberali, & tam virtute præstanti hujusmodi petere, quæ in præsenti vita dissolvuntur, & magnam vicissitudinem & mutationem experiuntur. Id genus enim sunt humana omnia, sive divitias dixeris, sive potentiam, sive humanam gloriam. Sed petamus semper manentia, sufficientia, vicissitudinis nescia: & scientes Domini nostri bonitatem, nihil pendamus præsentia, sed omne nostrum studium in supercœlestium desiderium transferamus.* Cui adjungi possunt illa Bernhardi, Serm. VI. in Quadragesim. de Orat. Domin. c. f. f. 117. E. *Primum fieri petimus, quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat optamus; & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis ejus in nobis perfectionem, propter jucunditatem. Sed quia nec dum illa perfective gaudentes, non sine magno labore divinæ possumus obtemperare voluntati, opus est cibo, ne deficiamus: opus est inquam, pane quotidiano.* H. I. Notandum etiam, quod hic discrimen observandum sit, inter κήρυγμα & δόγμα. Sensus enim literalis, & illa divisio petitionum orationis Dominicæ, qua tribus prioribus spiritualia seu supra-cœlestia; hac quarta autem petitione, terrena seu corporalia peti statuebatur, rudibus magis convenit, & non exercitatis, nondum item initiatis, qui ad mysteria neutiquam admittebantur in veteri Ecclesia. Sensus autem mysticus de pane Eucharistico, iis competit, qui initiati, exercitatos habent sensus addignoscendum ea, quæ in mysterio dicuntur, quæque in sacramento sacræ Eucharistiæ continentur. Itaque cum simplicibus & nondum initiatis petitiones orationis Dominicæ proponuntur, magis conveniens est dici, quod quarta petitione petantur corporalia, seu terrena. Illis vero, qui jam norunt distinguere inter ea, quæ in mysterio, vel sine mysterio dicuntur, magis conducit, hanc quartam petitionem orationis Dominicæ exponi, de pane quodam spirituali, imprimis vero Eucharistico. Hinc cum Augustinus, ad nondum initiatos loquens, hanc quartam orationis Dominicæ petitionem interpretaretur, Serm. de orat. Domin. qui habetur XLVIII. de diversis, c. VI. admodum caute ita sermocinatur: *Iterum*, ait, *in isto pane quotidiano si intelligas quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati, bene rogamus & dicimus*: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: *ut sic vivamus, ne ab illo altari separemur.* Et Cyrillus Hierosolymitanus, non nisi in Catechesi illuminatorum, initiatis & intelligentibus, quartæ hujus petitionis sensum de pane Eucharistico, proponit. Nec obstat, quod oratio Dominica sit regula orandi, seu norma petendi, non tantum spiritualia, sed etiam corporalia. Non enim simpliciter dictum est, sensum mysticum de pane Eucharistico hic tantum obtinere: sed quod hic sensus magis conveniat exercitatis: & quod scopi ratione, qua omnia tandem ac præcipue quidem ad spiritualia sunt referenda, cæteris sit præferendus. Quod eo magis verum esse constat, quoniam Christus ipse verba, Matth. 7:7, 11. simpliciter prolata, Luc. 11:13. ad impetrationem spiritualis doni restringit, & quidem doni maxime spiritualis ac cœlestis, nimirum *Spiritus Sancti.* Matthæi item 6:33. docet, præcipuam curam oportere suos habere fideles *regni Dei*, adeoque rerum spiritualium ac cœlestium: qua ratione futurum etiam dicit, ut corporalia ac terrena, instar mantissæ eis sint adjicienda. Et hoc etiam illud ipsum est, quod supra plerique veteres Ecclesiæ doctores inculcarunt.

TANTUM.

BALTH. STOLBERGII

DISSERTATIO

De Voce ΕΠΙΟΥΣΙΟΣ ad Matth. VI: 11. & Luc. XI: vers. 3.

Σὺν Θεῷ παλάμα!



UT σοφία θεοῦ est μωρία ἀνθρώπῳ ψυχικῷ: ita & dicendi Character, quo cœlestem illam doctrinam consignaverunt sanctissimi Autores, pro sordido semper habitus ac sugillatus pessime fuit à Paganorum Criticis. Qui, ut inter cæteros *Isidorus Pelusiota* docet, Sacram ac Canonicam Scripturam ὡς βαρβαρόφωνον, καὶ ὀνοματοποιΐαις ξέναις συντεταγμένην, συνδεσμῶν δὲ ἀναγκαίων ἐκλείπουσαν, καὶ περιττῶν παρενθήκῃ τὸν νοῦν τῶν λεγομένων ἐκταράττουσαν, in scriptis notarunt; *quasi & barbaris constaret vocibus, peregrinis quoque ac novo more factis uteretur nominibus, tum & necessariis sermoni careret conjunctionibus, ac parenthesibus superfluis eorum, quæ dicuntur, perturbaret sensum.* Et hæc causa fuit, ceu iterum testantur Veteres, quod divinis Scripturis non facile crederetur; cum incomptæ viderentur Ethnicorum Sapientibus, qui nihil audire vel legere, nisi expolitum ac disertum voluerunt: nec vera, sed blanda quærebant. *Nam hæc imprimis causa*, scribit Lactantius in quinto de justitia, cap. I. *cur apud sapientes, & doctos, & principes hujus seculi, Scriptura sancta fide careat; quod Prophetæ communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire vel legere nisi expolitum & disertum volunt: nec quicquam inhærere animis illorum potest, nisi quod aures blandiori sono permulcet. Illa vero, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimant. Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est; nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent.* Mirum vero, quod inter Christianos etiam, cùm Veterum, tum recentiorum non pauci reperiantur, qui non minus in oratione, qua Evangelistæ atque Apostoli usi sunt, impolita pleraque, inconcinna, inculta asseruerunt. *Trivialem & sordidum sermonem* dicit Arnobius, quo conscriptæ Novi Fœderis tabulæ sunt, *Barbarismis & Solœcismis* obsitum. Nec alii plures è Patribus Græci Latinique hinc abeunt, qui, ut ἰδιώτας, ἀγροίκους, ἀμαθεῖς, ἀγραμμάτους, *sermone imperitos, rusticos, illiteratos sacros Scriptores* appellant, (qui tamen dicendo confutarunt τοὺς φιλοσόφους,

σόφους, σὺν ῥήτορας, σὺν δεινοὺς εἰπεῖν) ita eorundem dictionem ἀρχαϊζομένην, σολοικίζουσαν, βαρβαρίζουσαν καὶ ἰδιωτικὴν vocare solent. Quos adeo quidem non accusamus; sed cum B. Glassio censemus, quod hæc, ut alia quædam, per quandam αὔξησιν & κατάχρησιν ab ipsis prolata fuerint. Ast minus prudentes Recentiorum nonnulli fuerunt, qui illos secuti, divinis Novi Fœderis Scripturis non modo τὸ σολοικοφανές, τὸ δοκοῦν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ, μὴ μετέχον δὲ, velut Suidas exponit, *quod videtur quidem Solœcismi esse particeps, non tamen est*: verum etiam τὸ σολοικὸν tribuere, atque Apostolorum sermonem *impolitum, inconditum; imperfectum & perturbatum* temere pronunciare nulli dubitaverunt. Quanquam enim sacris Literis *simplicitatem quandam styli* non immerito asseramus, qua sine omni illa sermonis affectatione ac fuco, quo se gentilium Oratores & Poëtæ potissimum jactabant, summa & tremenda Dei mysteria aperte, & verbis ad captum legentium accommodatis, describuntur ac revelantur: non tamen ideo ornatum omnem atque elegantiam, sive in vocibus singulis, sive conjunctis, iisdem denegamus. Illos vero, qui etiamnum hoc affirmare audent, vel propterea miratur *H. Stephanus in erudita illa ac celebri Dissertatione de Stylo N. T.* quam Editioni suæ Anno 1576. præmiserat; quod non animadvertant, se vel ab ea refelli difficultate, quæ in exprimenda Latine vi quorundam vocabulorum, ac loquendi generum deprehenditur. Non enim pauci loci sunt, in quibus interpretandis non alia de causa valde laboratum, quam quod selecta & perquam significantia contineant vocabula. Id quod Clarissimus ille Vir multis exemplis eruditissime loc. alleg. demonstravit. Quibus nos haud immerito accensemus nomen ἐπιούσιος, à Matthæo pariter & Luca in Enarratione Orationis Dominicæ usurpatum, quod jamdudum torsit Interpretes doctissimos, ac multum ipsis negotii & difficultatis objecit. Etenim aliqui τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον quem ex mandato Christi petimus, verterunt Panem *crastinum*, aliqui *venturum*, aliqui *Sufficientem*. Nonnulli *Supersubstantialem*, aut *Superessentialem*; item *Consubstantialem*, vel etiam *Transsubstantialem*. Alii eundem reddiderunt *Substantiæ convenientem, necessarium*; quidam *alimentarium*: cæteri *quotidianum*. Quam vocis difficultatem cum accuratius expenderet Abrahamus Scultetus, *eam Grammaticorum pariter ac Theologorum carnificinam* non immerito appellavit. Sed ab illa utrosque se liberaturum tandem promittit; quam bene præstiterit, postmodum videbimus. Ob hanc certe ambiguitatem vocabuli, non parum etiam de sensu Petitionis cum Veterum, tum Recentiorum discrepant sententiæ. Sunt enim, qui panem illum de *ipso Christo* interpretantur, sive *corpore Christi*, quod in sacra Cœna accipimus. ut Tertull. de orat. cap. 6. Ambros. de Sacram. l. 5. c. 3. Hieronymus in Matth. c. 6. Cyrill. Alexandrin. l. 13. de adorat. Cyrill. Hierosol. orat. mystagog. 5. Damasc. l. 4. de orthod. fid. c. 16. Procopius ad Levit. Sed Athanasius *de Spiritu S.* accipit, T. I. de assumt. hum. Natura p. 607. Per *divina præcepta*, quæ quotidie oportet meditari atque operari, exponit Augustin. Tom. IV. de sermon. Domini in monte lib. 2. Proprie accepit Chrysostomus multis in locis *de pane, & omnibus aliis, quæ ad tolerandam & sustentandam hanc vitam necessaria sunt.* Cum ipso faciunt Gregorius Nyssenus, Basilius M. Theodoret. Theophylactus. Quanquam non desint, qui utramque expositionem de corporali & spirituali pane probabilem censeant. Sed de eo videant Theologi. Nos soliciti sumus de *vocis origine, ejusque genuina ac præcisa significatione.* Quo nostro discursu, non est ut orantis turbetur fides, cum certum sit ex Catechesi Ecclesiæ nostræ, peti in hac oratione necessariam corporibus nostris alimoniam, ut per eam conservemur, & ad munia nostra erga Deum & proximum obeunda simus idonei. Christum vero σωτῆρα ἡμῶν rogamus supplices, ut, quæ ipse nos docuit verba, eorundem quoque sensum genuinum ostendere clementer velit.

CAPUT I.

Ἄρτος *quid. Generaliter omnia quæ ad sustentationem corporis vitæque pertinent. Ostenditur è Gregor. Nysseno. Inter* βιωτικὰ *præcipua sunt Panis & Vinum.* μένος καὶ ἀλκή. *Stabilimenta ventri. Juppiter & Bacchus ab Arabibus culti. Strabo laudatur.* Ἄρτος *ab* ἀείρω *vel* αἴρω. *Eustathius & Etymologus adducuntur.* Πρόσαρμα, πρόσαρσις. *Alii ab* ἄρω. ἀρμαλιὰ *quid Theocrito. Recentiores Græci fermentato pane in Eucharistia utuntur. E Niceta, Michaele & Hieremia Patriarchis Constantinop. ostenditur. Ratio ex nomine* ἄρτος *petita refellitur. Theoretus citatus.*

§. 1. DUo in Themate nostro consideranda vocabula sunt, Ἄρτος nempe & ἐπιούσιος. De priori parum laborandum, cum manifestum sit, quid eo significetur, nimirum, *Panis*, qui *cibus solidus ex farina & aqua subacta pistus, igni coctus*; quo communiter alimur. Generaliter quemlibet etiam cibum, & quævis ad sustentandam vitam necessaria notat. Ἄρτον εἰπὼν, πᾶσαν τὴν σωματικὴν περιλαμβάνει χρείαν, ait Gregorius Nyssen. orat. quarta in Orat. Domin. *Panem cum dicit, omnia ad corpus necessaria complectitur.* Elegantia sunt, quæ idem loc. alleg. habet: Ζητεῖν προστεταγμένοι τὸ πρὸς τὴν συντήρησιν ἐξαρκοῦν τῆς σωματικῆς οὐσίας. Τὸν ἄρτον δὸς, τῷ θεῷ λέγοντες, οὐ τρυφὴν, οὐδὲ πλοῦτον, οὐκ εὐανθεῖς ἁλουργίδος, οὐ τὸν ἐκ χρυσίου κόσμον &c. *Quærere jubemur id, quod satis sit ad naturam corporis conservandam*, Panem da, *ad Deum dicentes, non luxum, non divitias, non floridas vestes purpureas, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non vasa argentea, non agri copiam ac latitudinem, non imperium exercituum, non bellorum & gentium præfecturas, non equorum greges, non boum armenta, reliquorumque pecorum magnam multitudinem, non mancipiorum copiam, non claritudinem atque splendorem in foro, non columnas, non statuas, non pannos sericos, non musica acroamata, neque quicquam tale, per quæ anima à divina & potiori cura abstrahitur*: Sed Panem. Præcipuum inter βιωτικὰ Panis est, quo contenti esse debemus, si desint alia. Ideo Syracides cap. 29: vs. 25. ἀρχὴ ζωῆς ἀνθρώπου ὕδωρ καὶ ἄρτος, Præcipuum humanæ vitæ præsidium est Aqua & Panis. Hæc sunt τὰ κυριώτατα πρὸς τὸ ζῆν. De Arabibus refert Strabo lib. XVI. δύο θεοὺς τιμᾶσθαι μόνους ὑπ' αὐτῶν, τόν τε Δία καὶ τὸν Διόνυσον τοὺς τὰ κυριώτατα πρὸς τὸ ζῆν παρέχοντας, duos tantum Deos ab illis coli, Jovem scilicet & Bacchum, qui eorum, quæ ad vitam pertinent, potissima largirentur, nempe Frumenta & Vina. Hæc sunt μένος καὶ ἀλκή, robur & fortitudo Ulyssi, apud Homerum ἰλιάδ. τ. v. 160. & stabilimenta ventri, Plauto Curcul. οὐ γὰρ οἷόν τε ζῆν, ait Aristot. ἄνευ τροφῆς, fieri non potest, ut vivatur sine alimento, in primo Polit. cap. 5.

§. 2. Ἄρτον ab αἴρω derivant Grammatici. Pro qua sententia Eustathius adducitur à Scapula. Verum ille ab ἀείρω deducit Commentario in lib. 6. ἰλιάδ. v. 264.

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μῆτερ.

Ne mihi vinum afferas mellitum veneranda mater.

Ἄειρε, scribit, ἀντὶ τοῦ πρόσφερε εἴρηται, ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἄρτος, καὶ τὰ προσάρματα, ἤγουν τροφαί. Ab hac tamen significatione nihil differt αἴρω, quod Etymologus pariter exponit per προσφέρω, id est, *affero, admoveo*: & hinc nomen ἄρτος derivat, qui καθ' ἑκάστην τῷ σώματι ἡμῶν προσφέρεται, *quotidie corpori nostro admovetur vel assumitur ab ipso.* Atque hinc factum existimat Etymologus, ut panis ἐπιούσιος seu quotidianus diceretur, *quia quotidie petitur in diem præsentem.* Alii etiam ob utilitatem sic appellatum credunt panem, cum τὸ προσφέρειν sit utile & conducibile esse. Quæ tamen significatio nihil pertinet ad verbum αἴρω. Unde est προσαίρω affero: item sumo. Galeno προσαίρεσθαι τροφὴν est cibum sumere. Hinc πρόσαρμα τροφὴ προσφερομένη, & πρόσαρσις τῶν γευμάτων, ἤγουν προσφορὰ exhibitio Hippocrati.

§. 3. Nonnullis ab ἄρω, quod est *apto, concinno*, deducere placet, quia panis cibus est corpori congruus, quique apte concinnat, & concinne conservat vires corporis. Quemadmodum ab eodem themate aliud formatum nomen ἁρμαλιὰ cibum designat, παρὰ τὸ ἁρμόζειν καὶ ἰσχυροποιεῖν τὰ μέλη, ut vult Hesychius, quia membra stabilit, & robustiora reddit: aut παρὰ τὸ αἴρειν τὰ σώματα, καὶ ὅτι δίκην ἅρματος φέρει τὰ σώματα, ceu Etymologo visum, quod erigat corpora; vel instar currus etiam eadem ferat. Nam & currum notat, qui cibum affert exercitui, quod Neandro observatum ad εἰδύλλ. XVI. Theocr. v. 35.

Πολλοὶ ἐν Ἀντιόχοιο δόμοις καὶ ἄνακτος Ἀλεύα
Ἁρμαλιὴν ἔμμηνον ἐμετρήσαντο πενέσται.

Ἁρμαλιὴν ἔμμηνον alimenta menstrua, uti Cicero, admensi sunt servi.

§. 4. Recentiores Græci nobiscum ab αἴρω derivant; sed qua idem est ac *attollere, elevare.* Cum enim usum fermentati sive

sive ἀζύμου panis in sancta Eucharistia vehementer urgeant, assertionem suam ex Etymologia etiam nominis stabilire conantur. Nec vero panem illi credunt, nisi fermentatum, siquidem ἄρτος dicatur ab αἴρω, attollo; farina autem per fermentum attollatur, atque elevetur. Quam rationem è Michaële Episcopo Constantinopolitano & Niceta allegat Bellarminus Tom. III. l. 4. de Eucharist. cap. 9. p. 172. Et quod eandem sententiam tenuerit superiori seculo Hieremias Patriarcha Constantinop. ipse non obscure innuit in Responso secundo ad Augustanam Confessionem p. 241. προσφέρομεν γὰρ οὐκ ἐν ἀζύμοις, ἀλλ' ἐν ἐνζύμοις· ὅ ἐστιν ἄρτος ἐν ἀληθείᾳ, offerimus porro non azymis, sed fermentato: quia hoc vere panis est. Sed æque de ἀζύμοις ac ἐνζύμοις nomen ἄρτος dicitur; quemadmodum Levit. 7:12. ἄρτους ἐνζύμους, & p. 13. ἄρτους ζυμίτας legimus. Ac si verum est, quod Bellarminus scribit, ipse Theodoretus Græcus in decimum caput Danielis inscitiæ arguit illos, qui panem ἄζυμον sic vocari posse negant. Deinde necessarium minime est, ut cum Græcis dicamus, ἄρτον sic appellari, *quia elevatur per fermentum*; & non potius cum Etymologo, διὰ τὸ αἴρειν καὶ κουφίζειν τὴν δύναμιν, quia *vires erigit, attollitque corpora nostra nutriendo & augendo*: qui effectus utrique pani communis est.

CAPUT II.

Ἐπιούσιος unde. Derivatio gemina. ἡ ἐπιοῦσα. Versio vetus ab Hieronymo correcta. Negat Maldonatus, & Supersubstantialem panem rejicit. Valla Superessentialem reponit. Panis Supersubstantialis quid. Exponitur à Bellarm. & Cornel. à Lap. Sed contra mentem Hieronymi. Panis Substantialis, Essentialis. Propositio ἐπὶ non neglecta à Patribus. Ostenditur è verbis Chrysostomi, Basilii, Gregor. Nysseni, Cyrilli Hierosolym. Theophylacti. Hieronymi sententia. Rejicitur. περιούσιος & ἐπιούσιος differunt. ὑπερούσιος, ὑπερουσιώδης. Hugo Grotius & Daniel Heinsius citantur. Heinsius à Salmasio reprehensus. Defenditur. Adsubstantialis. Hellenistæ. Hieronymus nec à Salmasio recte intellectus. Panis Transsubstantialis, Consubstantialis. Ex Ambrosio & Marco Victorino declaratur. Rejicitur. Panis Substantiæ conveniens, & naturæ nostræ conservandæ necessarius. Rationes adversæ partis. Ad eas respondetur. ἐπὶ in compositione non semper amittit Jota. Ostenditur exemplis plurimis. Autoritas Græcorum Patrum adducitur. Herodotus, Thucydides, Xenophon Homericis utuntur. Tacitus cum Virgilio loquitur. Caninius refutatur. Nazaræorum Evangelium non fuit authenticum. Sed nondum satisfactum. Aliud objicitur. ἐπουσιῶδες, Platonici. Porphyrii verba. Ad Patrum testimonia responsum. Athanasius & Damascenus ab aliis dissentiunt. Chrysostomus sibi non constat. Scultetus refutatur. περὶ ultimam aliquando amittit. È Pindaro & Aristophane probatur. Panis necessitatis vel sufficientiæ. ἐπεῖναι ex Gellio frustra exponitur. Vera significatio ostenditur.

§. 1. MAjor difficultas subest in altera voce ἐπιούσιος, cujus duplicem potissimum penes Interpretes derivationem deprehendimus. Aliqui *compositam* eam censent ex ἐπὶ & οὐσία, substantia, natura, essentia. Cæteri pro *verbali nomine* habent, & deducunt ab ἐπιέναι, cujus aoristus 2. particip. est ἐπιών, ἐπιοῦσα. Hoc fœmininum de postero etiam die, subintelligendo ἡμέρα, usurpatum legitur Actor. 16:11. 21:18. Ast utrobique non eodem modo exponitur. De priori sententia primo videbimus.

§. 2. Divus Hieronymus correcta Veteri Latina Versione, quæ τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον *panem quotidianum* reddiderat, reposuit Panem *Supersubstantialem*. Quod jure factum negat Maldonatus in 6. cap. Matthæi. Neque admittit idem, quod doctissimus Pater Vulgatam Versionem in eo voluerit corrigere. Reprehendit autem, tanquam minus cautos, qui nostro tempore in Vulgata Editione, pro Quotidiano Supersubstantialem posuerunt: quod corporis cibo, quem ipse à nobis peti eo in loco probat, minime conveniat. Et sic hodie in Matth. 6. legimus: *Panem nostrum* Supersubstantialem *da nobis hodie.* Attamen in Lucæ cap. 11. etiamnum τὸ Quotidianum retinetur. Quod si vero hic mutandum aliquid esset, Laurentius Valla pro Supersubstantiali reponeret *Superessentialem*, Annotat. ad Matth. Fortassis ideo, quia οὐσία essentiam notat. Verum vox hæc ambigua est, & tam substantiam, quæ accidentibus opponitur, quam essentiam atque naturam cujusvis rei significat. Ὁρισμὸς Aristoteli οὐσίας τις γνωρισμός ἐστι, *essentiæ atque naturæ quædam declaratio est.* Definitio, in secundo Analyt. poster. text. 2. Eidem vicissim οὐσία ἐστὶ (ἡ πρώτη δηλονότι) ἡ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστι, *quæ nec de subjecto ullo dicitur, nec in subjecto ullo inest.*

§. 3. Sed quid *Supersubstantialis*? Cornelius à Lapide existimat, Hieronymum voluisse fideliter exprimere vim Græci vocabuli, quod ipso Interprete, notat id, quod *supersubstantiam*, hoc est, *juxta vel ad substantiam pertinet*, *Substantiæ sustentandæ conveniens & necessarium.* Eadem plane ratione etiam Bellarminus exposuit Panem Supersubstantialem, de eo, qui substantiæ nostræ alendæ & conservandæ quotidie necessarius est, Tom. IV. l. 1. de Bonis operib. c. 6. p. 291. *Sicut Græci*, ait, ἐπιούσιον *legunt*, *& tamen non habita ratione præpositionis exponunt substantialem*: *cur non possumus & nos Latini legere Supersubstantialem*, *ut verbum verbo respondeat*, *& tamen non habita ratione præpositionis exponere Substantialem.* Et paulo ante: ἐπιούσιος *si sonum spectes*, *Supersubstantialem significat*: *tamen si rem subjectam consideres*, *pro eodem accipitur*, *pro quo substantialis seu essentialis: ut non tam ad excellentiam*, *quam ad necessitatem panis referenda esse videatur.*

§. 4. Verum nec ea Hieronymo mens fuit, quam ipsi Cornelius tribuit: nec Patres Græci, Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Theophylactus, quos Bellarminus laudat, insuper habita præpositione per Substantialem interpretati sunt τὸν ἐπιούσιον ἄρτον. Quin ipse Bellarminus præpositionem ἐπὶ negligere nec potest nec debet, si modo prædicto exponere velit. Pro iisdem haberi non possunt Panis *substantialis* sive *essentialis*, & qui alendæ conservandæque substantiæ necessarius est & conveniens. Hunc nemo Substantialem vel essentialem dixerit: Græci vero οὐσιώδη, non ἐπιούσιον. Τὸ οὐσιῶδες pars essentialis est: ἐπουσιῶδες, quod essentiæ accedit. Equidem nos minime fugit, quod præpositio ἐπὶ aliquando in compositis supervacua sit, & nihil addat ad significationem simplicis. Veluti ἐπουράνιος idem aliquando est ac simplex οὐράνιος; quod exemplum Castello allegat. Nondum tamen videmus, quomodo illi præpositionem possint rescindere, qui de pane interpretantur necessario, & qui substantiæ alendæ superveniat. Hæc omnino præpositionis illius vis est, ut significet id, quod accedit, vel ad rem pertinet atque spectat. Agnoscunt idem Patres à Bellarmino citat. Ecce Chrysostomum Homil. in Orat. Domin. Αἰτεῖν, scribit, ἐδίδαξεν ἄρτον ἐπιούσιον, τουτέστιν, ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα, καὶ συγκροτῆσαι ταύτην δυνάμενον. *Petere docuit* ἄρτον ἐπιούσιον, id est, *qui ad ipsam corporis essentiam transit*, *eamque conservare potest.* Basilius M. eadem habet in regulis brevioribus, interrogat. 252. Τὸν ἐπιούσιον ἄρτον, τουτέστι, τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, *Panem* ἐπιούσιον, *qui ad quotidianam vitæ conservationem substantiæ nostræ conducit.* Et Theophyl. in cap. 6. Matth. ἄρτον dicit ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐτάρκη, *qui substantiæ & constitutioni nostræ sufficit.* Et in cap. 11. Lucæ, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν καὶ συστάσει τῆς ζωῆς συμβαλλόμενος. οὐχ ὁ περιττὸς πάντως, ἀλλ' ὁ ἀναγκαῖος. Cyrillus etiam Hierosolymitanus, licet de mystico pane accipiat, præpositionem non neglexit, dum exponit τὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς κατατασσόμενον, *qui ad substantiam animæ ordinatur*: vel ut in aliis ejus scriptis legitur, ὁ ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς τρεπόμενος, *qui in substantiam animæ convertitur.*

§. 5. Quæ Hieronymi sententia fuerit, è Commentario in cap. 6. Matthæi luculenter patet. *Quod nos*, inquit, Supersubstantialem *expressimus*, *in Græco habetur* ἐπιούσιον. *Quod verbum LXX. Interpretes* περιούσιον *frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in Ebræo: & ubicunque illi* περιούσιον *expresserunt*, *nos invenimus* סְגֻלָּה, *quod Symmachus* ἐξαίρετον, id est, præcipuum, vel egregium *transtulit*, *licet in quodam loco* peculiare *interpretatus sit. Quando ergo petimus*, *ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem*,

 illum

illum petimus, qui dicit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit. Et paulo post: *Possumus* Supersubstantialem panem *& aliter intelligere*: qui super omnes substantias sit, & universas superet creaturas. E quibus oppido liquet, non id voluisse Hieronymum, quod Cornelius arbitratur. Bellarminus autem fatetur, quod de solo spirituali pene locum illum intellexerit: cui proinde sententia ejus parum videtur probabilis. Rejecit eandem Maldonatus & Leonhardus Lessius: nec nobis probari potest. Non ideo duntaxat, quod ἐπούσιον dicendum abjecto jota; verum etiam, quia multum differunt significatione τὸ περιούσιος & ἐπιούσιος, quæ pro iisdem habet Hieronymus. Quod si divinus Autor panem qui supra alias substantias ac creaturas sit, describere voluisset, ὑπερουσιώδης dicendum fuerat. Nam ἐπὶ in compositione eam vim non habet; quod Hugoni quoque Grotio ac Danieli Heinsio observatum. Cujus ἐπίκρισιν haud suo merito taxavit Cl. Salmasius. *Fallitur*, inquit, *non semel. Nam & περιούσιος extat apud illos, quos habet pro Hellenistis, & aliud omnino significat, quam* adsubstantialem. Περὶ *enim in compositione idem plerumque notat*, quod super vel supra. *Inde ergo περιούσιος, quod idem est ac* superabundans, præcipuum, eximium. *Ideo & ἐπιούσιον Hieronymus existimavit idem esse quod περιούσιον*, quod additur ad id, quod est, vel superadditur, quasi supersubstantiale, *de fœnor. Trapezit. l. 3. p.* 800.

§. 6. Ast Eruditissimus Vir, neque Hieronymi mentem recte proponit, nec Heinsium merito reprehendit. Ubi enim Hieronymus scripserat, τὸ περιούσιον idem esse ac ἐπιούσιον, hæc ille subjicit: *Quæ vox hodie, quod sciam, non extat apud Hellenistas; ac potius* Adsubstantialem *denotaret*. De commentitiis illis fictisque Hellenistis nihil repugno, qui Criticum sacrum non semel in errorem induxerunt. Manifestum vero cuivis legenti esse potest, quod hic quidem Celeberrimo Heinsio sermo minime sit de voce περιούσιος, sed ἐπιούσιος; quem negat hodie reperiri apud illos, quos ipse suo more Hellenistas appellat. Imo si legeretur, ab οὐσία quidem composita, magis denotaret *Absubstantiale*, quam quod peculiare ac eximium; vel alias etiam superat substantias, iisque præstantius est: quo sensu ab Hieronymo accipitur. Nam quod Salmasius asserit, Hieronymum existimasse τὸ ἐπιούσιον idem significare, ac quod additur ad id, quod est, vel superadditur quasi supersubstantiale: & præpositionem ἐπὶ habere hic eandem vim, quam in voce ἐπίμετρον habet, qua id designatur, quod supra mensuram auctarii loco προστίθεται ἢ προσάπτεται; clarissimis ejus verbis refragatur.

§. 7. Referimus huc Ambrosium, qui teste Casaubono Exercitat. 16. n. 39. p. 381. Τὸν ἐπιούσιον ἄρτον vertit *Transsubstantialem*, & tum suam, tum Vulgati versionem accommodat Eucharistiæ. Quomodo vero vocem illam intelligat, non exposuit nobis Casaubonus. Quod tamen aliter acceperit, quam Hieronymus, ex verbis ejus cognoscimus. *Non iste*, inquit, *panis est, qui vadit in corpus; sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Proinde præpositionem ἐπὶ non refert ad ἐξοχὴν substantiæ; sed quod Christus panis ille ζωοποιὸς animam nutriat atque conservet, veluti panis cibarius corpora sustentat atque corroborat. Aliam ex Mario Victorino allegat Maldonatus interpretationem. Ille τὸν ἐπιούσιον reddidit *Consubstantialem* Panem, hoc est, ejusdem substantiæ, ut inde τὸ ὁμοούσιον, de quo tantopere adversus Arianos disputabatur, confirmaret, lib. 3. adversus Arium. At quicquid sit de ea controversia, nihil ad ipsam confert τὸ ἐπιούσιον, neque eo modo transferri potest. Nam quod ἐπὶ & ὁμοῦ distinctissima sint, neminem latet.

§. 8. Hieronymi sententia licet à plerisque recentiorum Interpretum, rejiciatur, multi tamen sunt, qui eandem cum ipso vocabuli originem etiamnum agnoscunt; sed alium reddunt sensum. Nimirum panem ἐπιούσιον dicunt, qui *substantiæ nostræ conveniens, & ad tolerandam sustentandamque hanc vitam necessarius est*. Ita supra vocem exposuerunt Bellarmin. ac Cornel. à Lapide, §. 3. οὐσία est substantia, natura, essentia, id quod sumus: ἐπιούσιον, quod accedit substantiæ, eamque conservat, & præstat, ut continuari possit. Utrumque à Deo accipimus. Qui est οὐσιοποιὸς & substantiam dedit, ille etiam τὸ ἐπιούσιον, & quod illam superstitem reddit, largitur. Anima præstantior cibo, & corpus indumento nobilius. Qui dedit præstantius, ille nec minus præstans denegabit. Simplicissimus hic sensus est & optimus, nec ideo à quoquam potest improbari. Illud vero in contrarium à præstantissimis Philologorum Scaligero, Grotio, Salmasio, Angelo Caninio, aliisque urgetur, quod Grammaticæ leges compositionem illam non admittant, cum necessum sit, ut ultima vocalis præpositionis elidatur, indeque fiat ἐπούσιος, non ἐπιούσιος, nisi quis risum movere velit Linguæ Græcæ perito. Addit Caninius, quod, etiamsi detur ab οὐσία posse dici ἐπιούσιος, non tamen id permittat significatum Syriaci verbi, quo Christus usus est.

§. 9. Verum hæ rationes parvi æstimantur ab altera parte. Sunt enim, qui existimant, nomen ἐπιούσιος, cum alibi non legatur, non debere etiam ad communes Grammaticorum regulas examinari; quemadmodum quamplurima alia in Græca Lingua reperiuntur singularia, quæ ideo, quod similia non habent exempla, negari non debent, nec possunt. Cæteri tamen κρησφυγέτῳ illo uti nolunt, cum persuasum habeant, nihil esse hic contra analogiam commissum. Nam ἰῶτα præpositionis ἐπὶ ante initialem vocalem vel diphthongum alterius vocis componendæ, uti quidem sæpius abjicitur, tamen & servatur aliquando. Exempla haud desunt. Legimus in Homero ἐπιανδάνω, ἐπιειμένος, indutus, ἐπιέλπομαι, ἐπίηρα, ἐπιόσσομαι, ἐπίουρα, ἐπίουρος. Dicis hæc esse Poëtica: Poëtas non contrahere. Mox alia afferunt hujus formæ exempla optimis etiam πεζογράφων frequentata. Qualia sunt ἐπίορκος, ἐπιορκία, ἐπιορκεῖν, apud Isocratem, Demosthenem, Æschinem, alios. Nec contrarium apud idoneos autores observatur, nisi quod ex Canon. 26. Concil. Laodicen. ἐπορκίζειν, & 10. Concil. Antiochen. ἐπορκιστὴς afferatur. Quanquam sic ἐφορκίζειν dicendum, uti expressum quoque est in Can. 26. Concil. Laodicens. Vel mutatione unius literæ legendum ἐξορκίζειν, cum de Exorcismo ibi sermo sit. Ἐπιείκεια, ἐπιεικῶς, τὸ ἐπιεικὲς, notissima sunt. De quibus Aristot. in quinto de morib. cap. 14. Etiam ἐπιέσσασθαι γῆν è Xenoph. l. 6. παιδ. κύρ. adducitur. Non alia ratio est præpositionis ἐπὶ atque ἀμφὶ & ἀντὶ, quæ ultimam vocalem nunc amittunt, nunc servant; etiam extra poëma. Quod alteram compositionis partem concernit; ejus exempla apud Patres atque Philosophos plura occurrunt. Ἀνούσιος, ἐνούσιος, ἐπερούσιος, ὁμοούσιος. Quod nomen quarto seculo post natum Christum à Patribus Synodi Nicenæ sub Constantino Imperatore usurpatum, & Arrianis fuit oppositum. Μονοούσιος, ὑπερούσιος. Etiam verbum συνουσιόω ab οὐσία formatum est. συνουσιῶσθαι μουσικὴ τῇ ψυχῇ juxta Aphrodis. l. 1. probl. modulandi ratio animæ nostræ insita est. Accedit plurimorum Interpretum Autoritas; maxime vero Græcorum Patrum, quibus vocis illius proprietas non potuit non esse perspecta. Verba ipsa adduximus §. 4.

§. 10. Atque sic ostensum satis est, ultimam præpositionis ἐπὶ non absorberi semper in compositione; quod multi contendunt. Ut vero & nos, pace Magnorum Virorum, aperiamus tandem, quid hac in re statuamus ipsi: nondum omne sublatum censemus dubium. Concedimus non omnia esse Poëtica, quæ allata sunt exempla. Nec cum Clariss. Heinsio facimus, qui negat alicubi contra recentiorem Interpretem, probari posse λέξιν non esse poëticam, si ostendatur ea vel Herodotum, vel Thucydidem aut Xenophontem usum esse; si quidem Herodotus poëticas voces passim affectet, Thucydides etiam ac Xenophon, non raro Homerica usurpent: æque uti Tacitus cum Marone plerumque, quem deperiit, ac Poëtarum more, loqui consuevit. Bene monet Doctissimus Stephanus, ex Herodoto demum cognoscendum, quæ Jonica sint apud Homerum, & quæ Poëtica. Non enim à Poëtis Jones; sed ab his illi didicerunt. Et quæ in Thucydide, atque Xenophonte tolerari possunt, quidni in aliis etiam ferantur. Caninii quoque ratio, qui verbum obtendit Syriacum, quo Christum dicit usum esse, vana est ac nulla. Probari non potest, quod Nazaræorum Evangelium verba Christi authentica contineat, & inde Græcus textus fuerit expressus, sive à Johanne Evangelista, uti cum Theophylacto visum est Caninio: sive à Barnaba Apostolo, quod Theodoro Lectori & Nicephoro placuit: sive à Jacobo fratre Domini, ut mavult B. Athanasius in Synopsi Scripturæ. Hoc vero obstat vulgatæ sententiæ, quod neque Poëtæ, neque πεζογράφοι eo quidem sensu dixerint ἐπιούσιος. Quid enim necesse erat, in tam solenni precationis formula, novum fingere vocabulum, forma etiam parum usitata, cum suppeteret aliud, quo id, quod exprimendum erat, reddi commode potuit? Quod substantiæ accedit, Platonici ἐπουσιῶδες vocant, non ἐπιουσιῶδες. Porphyrius in Isagoge cap. 15. τὰ μὲν εἴδη προεπινοεῖται τῶν συμβεβηκότων, κἂν ἀχώριστα ᾖ (δεῖ γὰρ εἶναι τὸ ὑποκείμενον, ἵνα ἐκείνῳ τι συμβῇ) τὰ δὲ συμβεβηκότα ὑστερογενῆ πέφυκε, καὶ ἐπουσιώδη τὴν φύσιν ἔχει, *species prius concipiuntur, quam accidentia, licet sint inseparabilia (subjectum enim esse oportet, ut illi quidpiam accidat) accidentia vero posterius nascuntur, & habent naturam adventitiam*, quæ rei in essentialibus con-

constitutæ supervenit. Panis ergo, qui substantiæ accedit, eique alendæ ac conservandæ necessarius est, ἐπέσιος vel ἐπεσιώδης.

§. 11. Patrum testimoniis opponi alia possunt. Ab ἐπιέναι derivat B. Athanasius de assumta humana natura: χριστὸς ἐδίδαξεν ἡμᾶς ἐν τῇ εὐχῇ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι αἰτεῖν τὸν ἐπιέσιον ἄρτον, τετέστι, τὸν μέλλοντα, οὗ ἀπαρχὴν ἔχομεν ἐν τῇ νῦν ζωῇ τῆς σαρκὸς τῆ κυρίε μεταλαμβάνοντες. *Christus in oratione nos docuit in hoc seculo petere ἐπιέσιον ἄρτον, id est, futurum, cujus primitias habemus in hac vita, carnem Domini sumentes.* Eadem pene ad verbum Damascenus habet lib. 4. orthod. fid. cap. 14. οὗτος ὁ ἄρτος ἐστὶν ἡ ἀπαρχὴ τῆ μέλλοντος ἄρτε, ὅς ἐστι ἐπιέσιος. Τὸ γὰρ ἐπιέσιον δηλοῖ τὸν μέλλοντα, τετέστι, τὸν τῆ μέλλοντος αἰῶνος, *Hic panis est primitiæ futuri panis*, qui est ἐπιέσιος. Ἐπιέσιος *enim significat eum, qui venturus est*, id est, *futuri seculi.* Quanquam hic dubius sit & incertus. Mox enim alteram subjicit interpretationem, ἢ τὸν πρὸς συντήρησιν τῆς ἐσίας ἡμῶν λαμβανόμενον, aut qui *assumitur ad substantiæ nostræ conservationem.* Ita nec Chrysostomus sibi satis constat, qui Homil. XIX. in Matthæum, interpretatur ἐφήμερον ἄρτον, quotidianum, & in Johann. Homil. XLIII. ἄρτον καθημερινόν. Et alibi Homil. XXX. ἐφήμερον τροφὴν, Quo non obscure innuit, ab ἐπιέναι ducendum nomen esse, cum id, quod est quotidianum, perpetuam habeat successionem, ita ut hesternum hodierno subinde succedat.

§. 12. Usui quoque repugnat perpetuo illa sententia, qua ab ἐπεῖναι nomen ἐπιέσιος derivatum creditur. Miramur ergo Doctissimum Virum Abrahamum Scultetum, qui in secundo Exercitat. Euangelicar. cap. 32. ea ratione Theologos pariter ac Grammaticos à carnificina vocabuli illius liberare frustra conatur. Agnoscit Scultetus incommodum, quo premuntur illi, qui ab ἐπὶ & ἐσία ducunt; at quod possit evitari ea ratione, frustra sibi persuadet. Scilicet ut à περὶ & εἶναι est περιεῖναι, ac περιέσιος: ita ab ἐπὶ & εἶναι est ἐπέσιος. Verum nulla est hæc conclusio. Ab ἐπὶ & εἰμὶ sum, fit compositum ἔπειμι, ἐπεῖναι, non ἐπίειμι, ἐπιεῖναι. Ita nec apud Poëtas, nec περιχαρὴς legitur. Alia vero ratio est τῆς περὶ præpositionis. Hæc ex Grammaticorum observatione nec in compositione, nec per apostrophum ultimam abjicit; quod tamen perpetuum non est. Exempla utriusque contraria occurrunt apud Pindarum Olymp. 5. Pythag. γ. δ. Nem. ια. & Aristoph. Vesp. & Eccles. Haud melius argumentum est, quo probare contendit, ἄρτον ἐπιέσιον esse *panem necessitatis sive sufficientiæ*, veluti eundem reddiderunt Arabs atque Syrus interpretes. Hoc quomodo ex τῷ ἐπεῖναι confici possit, excutiendum nunc est. Gellium laudat, qui in primo Noctium Atticar. cap. 22. scribit, *Græcos* περιεῖναι *in utramque partem ponere; vel quod supervacaneum esset ac necessarium, vel quod abundans nimis & affluens & exsuperans.* Bene hæc conveniunt vocis usui. Nam ἐκ περιεσίας & τὸ ἀναγκαῖον distinguuntur. Item ἐκ περιεσίας & ἐκ περιόντος, quod superest & abundat: Galeno ἐξ ἐπιμέτρε. Hesychius περιέσιον, πολὺ, περισσόν. Ast quod inde colligit Scultetus, τὸ ἐπιέσιον, idem esse, quod satis est, & inter περιέσιον ac τὸ ἐλλιπὲς collocari medium, nulla ratione nititur. Ἐπεῖναι est inesse, imminere, post esse. Ἔπεστιν ἀγὼν ἢ κίνδυνος, periculum inest, Demosth. ἡ γραῦς ἔπεσ' ἀνωτάτω, crusta pultis superne existit. Aristoph. ἐπ' ᾧ πύλαι ἔπεισι, cui imminent portæ, Herod. Inde ἐπεσσόμενοι posteri, qui post futuri sunt. Theocr. εἰδ. ιϛ. vs. 11.

—— Ἐπεσσομένοις δὲ γλυκοίμεθα πᾶσιν ἀοιδαί.

Verum grata memor de nobis carmina dicat
Posteritas. —— —— ——

CAPUT III.

Ἐπιέσιος ab ἐπίεναι. ἡ ἐπιἔσα dies sequens, crastinus. Sententia Scaligeri, Grotii, Caninii. Panis Crastinus. Probatur ex Euangelio Nazaræorum. Hieronymi testimonium. Interpres Græcus Matthæi Johannes. Traditio Papiæ de Euangelio Matthæi Ebraico rejicitur. Sed Grotius defendit, & laudat Epiphanium. Epiphanius à Casaubono emendatus. Nazaræorum Codex corruptus. Ab Hæreticis Ebionæis & Cerinthianis usurpatus. Etymon nominis ἐπιέσιος in dubium vocatum. A fœmininis participiorum non formantur adjectiva nomina. Probatur contrarium per exempla. Sed hæc à masculinis oriuntur. Partim etiam sunt ἀλλότρια. Ab ἡ ἐπιἔσα, ἐπιεσαῖος, ut ab ἡ δευτέρα, ἡ τρίτη, δευτεραῖος, τριταῖος. Socini argumenta contraria recensentur. Prius rejicitur. Posterius admittitur. A Salmasio urgetur. Cura de crastino prohibita. Conciliatio Angeli Caninii. Grotii sententia. Ex Ebræis Græcas voces exponit. מחר. תמול. *LXX. Interpr. Græcus Matthæi textus non est ex Ebræo Nazaræorum expressus. Heinsius adducitur & contra Salmasium defenditur. Significatio crastini τῷ ἐπιεσίῳ non satis respondet. Salmasii Interpretatio. ἐπιέναι quid. ἐπιών. Panis futurus in extremo Judicii Die. Βαττολογία. Βάττος. Vossius citatur. βάβαξ. Battus Pastor, Poëta. πολυλογία. Nostra sententia. Panis adventitius, accessorius, superveniens. Non est primarium, quod petere debemus. Aliarum versionum cum nostra convenientia. Panis Continuus. Hellenistæ Heinsii. Quotidianus. ἐπιέναι succedere, sequi. Versio Græco-barbara. Vulgata. Lutheri Germanica. Defenditur contra Pontificios & Scultetum Reformatum. Quotidianum panem Bellarminus & alii cum Vulgato retinent. Ita à multis Patribus Græcis & Latinis exponitur. Syrus & Arabs Interpres conferuntur, ἡ ἐφήμερος τροφή. τὸ καθ' ἡμέραν. ἡ καθ' ἡμέραν τροφή. Ita de ordinario victu nostro profani loquuntur, Græci & Latini. Ταυτολογίαν objicit Scultetus. Aliorum responsiones afferuntur. καθημερινὸς, diarius, diurnus. Cœna quotidiana. Τὸ καθ' ἡμέραν. Lucæ locus cap. 19: 47. explicatur. Sententia Dieu. τὸ κατ' ἀρχάς. Nostra sententia exponitur.*

§. 1. AD illos jam progredimur, qui rejecto ἐσίας vocabulo, τὸ ἐπιέναι amplectuntur, & inde ambigui nominis sensum definire satagunt; cum de ἰῶτα ratio manifesta hic dari queat. Ab ἐπιέναι est participium ἐπιών, cujus fœmininum ἐπιἔσα substantive usurpatur de die postero vel crastino. Pollux l. 1. Onomast. c. 7. p. 19. ἡ ἐπιἔσα ἡμέρα καλεῖται αὔριον ἢ ὑστεραία. Herodot. Calliop. p. 530. ὡς ἅμα ἡμέρῃ τῇ ἐπιέσῃ συμβολῆς ἐσομένης, veluti sub lucis exortum prælium esset futurum.

§. 2. Ab hoc fœminino, quod posterum diem, absolute etiam positum significat, τὸ ἐπιέσιος derivat Scaliger, epistola 444. *ἐπιέσιος ἄρτος elegantissime formatum ἀπὸ τῆς ἐπιέσης ἡμέρας, non ut major pars Veterum & Recentiorum ἀπὸ τῆς ἐσίας, quod est ineptissimum. Tunc enim dicendum fuisset ἐπέσιον, non ἐπιέσιον.* Cum ipso facit Hugo Grotius, nec aliunde, si Grammaticas leges observare velis, deduci posse affirmat. Comment. ad 6. Matth. pag. 144. Eodem judice aliud etiam maximi ponderis argumentum accedit ab Hieronymi testimonio, qui *consultum à se scribit Ebræum Euangelii codicem, quo Nazareni*, hoc est, Christiani ἑβραΐζοντες *utebantur, atque ibi reperisse* מחר, *id autem est* crastinum. Ad Hieronymum provocat & Angelus Caninius disquisit. ad N. T. loc. obscur. p. 101. Et hæc ex Ebraico Euangelio suppeditat verba: לַחְמָן דְמָחָר הַב לָן יוֹמָנָא, Panem nostrum crastinum da nobis hodie. Quæ verba cum Græce reddere vellet Matthæi interpres, quem Johannem Euangelistam cum aliis facit, & nullum in Græcia suppeteret vocabulum, quod responderet Syriaco דמחר, novum fingere necesse habuit, nempe τὸ ἐπιέσιος.

§. 3. Argumentum, quod ex Ebræo Nazaræorum Euangelio petitur, exigui certe ponderis, si non & plane nullius est. Non equidem inficias imus, quod plurimi inter Veteres reperiantur, qui non tam rationum momentis persuasi, quam potissimum auctoritate Papiæ, primi traditionis hujus propagatoris, adducti, asseruerunt, Matthæi Euangelium initio Ebraice scriptum esse. Sed illa tamen, quæ à Patribus quibusdam nude tantum & probabiliter, ex incerta admodum traditione asseruntur, tanta esse non possunt, quæ mox persuadeant, Matthæum scripsisse Ebraice. Aliter censuerunt jamdudum celeberrimi Viri. Quod enim Nazaræorum Codicem attinet, quo alii etiam Hæreticorum, Ebionitæ & Cerinthiani,

ni, utebantur, cum *fabulis insititiis auctus, veris narrationibus truncatus, & miris modis corruptus esset*; inter Apocrypha recensitus semper fuit à Catholicis: qui Græcum unice ceu ἀρχέτυπον & originalem textum amplectebantur. Hæc quamvis Grotio ad Matth. l. pag. 7. sine idoneo teste dicta videantur, nullius tamen roboris sunt; quæ ipse in contrarium adducit. Nempe Epiphanium laudat, cujus de Nazareorum Euangelio hæc leguntur verba, hæref. 29. ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον ἑβραϊστί. *Habent autem Matthæi Euangelium plenissimum sive integerrimum.*

§. 4. Verum non ex vano suspicatur Eruditissimus Casaubonus, mendum subesse in verbis illis, & scribendum οὐ πληρέστατον, *non utique integerrimum*, dicendi genere non minus usitato, quam eleganti, Exercit. XVI. n. 175. pag. 486. Ita Herodot. Clio pag. 85. οὐ ὧν δὴ πεδίου τοῦ μεγάλου σὺν ἐλαχίστην μοίρην μετέχουσι οἱ Μασσαγέται, *hanc speciosam planitiem non ex minima parte possident Massagetæ.* Et Melpom. pag. 255. Pythagoram οὐ τὸν ἀσθενέστατον ἑλλήνων σοφιστὴν vocat, *non infirmissimum vel infimum inter Græcos Philosophum.* Et hujus suæ conjecturæ non minimam habuit causam Casaubonus. Ipse Epiphanius mox contrarium refert hæresi sequente 30. quæ est Ebionæorum: ἐν τῷ παρ' αὐτοῖς Ἐβιωναίοις εὐαγγελίῳ, κατὰ Ματθαῖον ὀνομαζομένῳ, οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ, ἑβραϊκὸν δὲ τοῦτο καλοῦσι. *In Euangelio secundum Matthæum dicto, quod extat apud Ebionæos, non utique toto neque plenissimo* (integro) *sed adulterato & truncato. Ebraicum ipsi nominant.* Quis autem credat, tantum virum eo loco appellasse illud Nazareorum Euangelium integerrimum, cum statim subjiciat ibidem, se nescire, an genealogias ab Abrahamo ex illo suo Euangelio sustulissent. Hieronymi testimonium pro Grotio nihil facit. Nusquam enim docuit, Ebræum Matthæi Euangelium (quod ipse sic exaratum credidit) esse illud ipsum, quo suo tempore utebantur Nazaræi; verum fatente ipsomet Grotio, in dubio reliquit. Conf. Summi Theolog. Dn. D. Calovii Critic. Sacr. part. I. pag. 439. Fr. Gomar. dissertat. pecul. ad Johann. Brunæum de Euangel. Matth. part. II. oper. Theol. p. 253.

§. 5. Cæterum vocabuli formatio non modo ipsa rejicitur, sed &, qui inde eruitur orationis sensus, à multis plane improbatur. Originem vocis ex ἐπιοῦσα ideo non admittunt, quia inusitatum à participiorum fœmininis formare nomina adjectiva. Hoc quam vere dicatur, paulo accuratius expendemus. *Nomina*, inquit Caninius, *quæ à participiis deducuntur, à fœminino fiunt*, ut οὐσία & οὐσιώδης ab οὖσα, *non ab ὢν, neque ὄν.* Verum οὐσία substantivum est; & hic de adjectivis controvertitur. οὐσιώδης ab οὐσία, non à participio derivari proxime potest. Interim alia quædam quamvis paucissima, ejus formæ nomina à participiis deducta suppetunt, quæ pro se allegare poterat Grotius. Adduci solent hæc potissimum, πεθελούσιος à πεθελών, ἐθελούσιος ab ἐθέλων, ἑκούσιος ab ἑκὼν & γερούσιος à γέρων. Idem omnia non probant. αὐτότερα sunt ἑκὼν & γέρων, quæ nomina, non participia. At illa his controversia est. Ab εἴκω aoristus 2. particip. si detur, est ἰκὼν, ut ab εἴδω, ἰδὼν, à λείπω, λιπὼν, à πείθω, πιθών. Aristoph. Plut. τὴν βουλὴν πιθὼν, qui curiæ persuasit, à senatu impetravit. Idem, τοὺς κυρίους πιθών. Hinc præter. med. πέποιθα, δέλοιπα, οἶδα, οἶκα. Accedit quod ἑκὼν & non ἐκὼν, cum spiritu aspero, non leni ubique legatur. Pariter & γέρων nomen est. Interim negari non potest, τὸ ἐθελούσιος ac πεθελούσιος descendisse à participiis.

§. 6. Fallitur proinde Scultetus, dum obtendit, nullum ejus deductionis vestigium inveniri apud auctores probatos. Hoc denique inquirendum, utrum à fœmininis magis, quam masculinis, nomina illa deriventur. Posterius magis placet. Ut ab ἐθέλων, ἐθέλοντος est dativus pluralis ἐθέλουσι, ita nihil impedit, quo minus inde ducatur ἐθελούσιος. Sic ab ἀχέρων est ἀχερούσιος, à πυγὼν, cubitus, est τὸ πυγούσιον cubitale, ulna, Ἀπηλὼν qui lamam & locum cœnosum denotat, oppidum Alexandriæ πηλούσιον, à solo lutoso ac paludoso, ut notat Strabo. Quæ nomina fœmininis etiam carent. Hac ratione ἄρτος ἐπιούσιος non est τῆς ἐπιούσης, sed ὁ ἐπιών, qui accedit, supervenit. Dicat aliquis, hæc minus petere Grotium, & ὁμοψήφους, quia τὸ ἐπιούσιος non à participio, sed nomine ἡ ἐπιοῦσα derivant. Esto sane. Nondum omnis sublata est difficultas: quin inde fortius sententiam licet impugnare ac convellere. Nam qui se Grammaticorum subjecerit legibus, ἐπιουσαῖος ab ἡ ἐπιοῦσα, non ἐπιούσιος, debet formare: veluti ab ἡ δευτέρα est δευτεραῖος. Xenophon lib. 5. παιδ. δευτεραῖοι γίνονται πρὸς τῷ Γωβρύου χωρίῳ, *postero die perveniunt ad Gobryæ oppidum.* Ab ἡ τρίτη est τριταῖος, à τετάρτη, τεταρταῖος. Sic πεμπταῖος, ἑκταῖος, ἑβδομαῖος, δεκαταῖος &c. Plutarch. in Fab. πεμπταῖος ἀπὸ τῆς νίκης ἐν Καπιτωλίῳ δειπνίσων, *quinto à victoria die in Capitolio cœnaturus.* πεμπταῖοι ἱκόμεσθα Αἴγυπτον, quinto die Ægyptum ivimus, Hom. ὀδ. ξ. vers. 257.

§. 7. Ineptus est Socinus, cum negat ex voce ἐπιοῦσα alteram ἐπιούσιος formari posse, ita ut eandem retineat significationem; quia ἡ ἐπιοῦσα non proprie, sed figurate sequentem diem significat, per defectum scilicet vocis ἡμέρα. *Neque enim similiter, ut, subaudita in ea altera illa voce, habetur ejus verus sensus, sic in ista, quæ ab ea derivata esset, si vox illa altera subaudiretur, haberetur is sensus, qui illi in hac interpretatione tribuitur.* Vid. explicat. cap. 6. Matth. p. 232, 233. Contrarium plus satis ostensum est. Ἡ δευτέρα, ἡ τρίτη non proprie, sed figurate, ut Socinus loqui amat, secundum, tertium significat diem, per defectum vocis ἡμέρα. Nonne conjugata sunt, Grammatica, Grammaticus, & Dialectica, Dialecticus? Utrumque vero præcise dicitur pro τέχνη γραμματική, διαλεκτική. Sed illud tamen notandum, quod etiam urgetur à Clariss. Salmasio. Etiamsi ἡ ἐπιοῦσα sive absolute, sive cum ἡμέρα conjunctum, de postero dicatur die, non tamen ab eo bene deduceretur ἐπιούσιος pro crastino. Nam ἐπιοῦσα non præcise est dies crastinus, sed futuram & venturam quamcunque rem denotat. Nam ἐπιοῦσα Hesychio est ἐπερχομένη, ut ἐπιών, ἐπερχόμενος. Etiam ἐπιοῦσα ἑορτὴ dicitur de die festo venturo, etiam si post plures dies sit adfuturus. Et hoc quoque observavit Socinus in altero argumento, quod interpretationi de crastino opponit, quod absurda futura sit petitio, siquidem ἡ ἐπιοῦσα *non omnem proxime sequentem diem, & sic eum, qui post præsentem, quo quis loquitur, sequuturus est: sed eum, qui vel secutus, vel secuturus sit post diem certum aliquem absentem, præteritum scilicet vel futurum.*

§. 8. Hæc quamvis sufficere poterant ad rejiciendam illam de crastino pane versionem: accedit tamen aliud, & gravius argumentum à concione Christi, in qua tam acriter contra diffidentiam & in crastinum solicitudinem invehitur. *Ne igitur*, inquit, *estote soliciti de crastino, nam crastinus dies solicitus erit de rebus suis. Sufficit diei sua vexatio.* Hæc omnino probant, panem illum ἐπιούσιον non esse panem crastini diei. Nam qui vetat nos cogitare de crastino, non juberet nos in ea comprecatione postulare repræsentari nobis hodie à Deo panem crastinum. Quid habebit dies crastinus, si panem ei destinatum comedamus hodie? Insuper nemo est è Veteribus Interpretibus omnium Linguarum, qui in versione sua expresserit illam crastini significationem. Mature animadvertit hanc difficultatem Angelus Caninius, unde Theologis expendendum relinquit, quid per crastinum panem debeat intelligi. Quanquam animum mox mutet, & suam sententiam non veretur ipsemet prodere. *Jusserat*, inquit, *Christus, ne quis de crastinis esset solicitus, cum cuique diei sufficiat malitia sua: tum quod ea cura animos maxime à pietatis cogitatione avocet atque abducat. Verum quoniam humana imbecillitas sibi semper timet, & deteriora auguratur, præcipit Christus ut patrem rogemus, qui nostræ infirmitati prospiciat, nobisque pridie præbeat, quantum sufficere possit postridie.* Num hæc satisfaciant, alii judicent.

§. 9. Etiam Grotium non poterant latere illa de solicitudine & cura in crastinum incommoda: qui proinde τῆς ἐπιοῦσα significationem extendit. Non quasi ille usus apud Græcos etiam sit: sed quia Ebræa vox מחר, cui Græca ἐπιούσιος respondere videtur, latius quandoque accipitur. Num hac ratione melius sibi consulat, paulisper dispiciendum est. *Sciendum*, inquit, *quod & ab Hieronymo est annotatum*, מחר *Ebræis non significare stricte diem proxime sequentem, sed quicquid futurum imminet*, ut Exod. 13: 14. ubi LXX. habent μετὰ ταῦτα. Exod. 19: 10. Jos. 4: 6. Proverb. 27. quibus locis servarunt LXX. vocem αὔριον. Quo sensu & αὔριον usurpat Lucas cap. 13: 33. *Sicut & exactum tempus Ebræis dicitur* תמול, *id est heri. Est ergo ἐπιοῦσα omne id spatium vitæ, quod nobis emetiendum restat, incognitum nobis, Deo cognitum. ἐπιούσιον id, quod ei spacio sufficit.*

§. 10. Mira profecto ratio eruendi vim Græci vocabuli ex Ebræo: quo labore omnino supersedere poterat Grotius. Nonne Græcarum vocum expositio à Græcis petenda, ut Ebræarum ab Ebræis? Quasi nescivisset Æschines, quid diceret, ubi scripsit, πρὸ τῆς ἐπιούσης πυλαίας, *ante subsequens concilium, quod intra Pylas habebatur.* Aut Plato, cum dixit τοῦ ἐπιόντος χρόνου: aliique passim. Adeo cum pluribus mortalium comparatum est, ut fastidientes domi nata atque obvia, sola peregrina & è longinquo advecta admirentur atque laudent. Quomodo tamen ex Ebræo atque LXX. Interpretum versione eam

eam Græci nominis vim probet, etiam obscurum est. Dicit Ebræum מחר non significare stricte diem proxime sequentem, sed quicquid futurum imminet. Hinc concludit ἡ ἐπιοῦσα idem significare. Jocularis plane argutatio. Nam LXX. τὸ מחר nunquam reddidere per ἐπιοῦσα: sed vel μετὰ ταῦτα, vel αὔριον, fatente ipsomet Grotio. Qua ergo ratione confici inde potest, ἐπιοῦσα idem esse ac מחר, cum hoc per illud nunquam expositum fuerit. Imo ne sic quidem infallibilis esset collectio. Difficile enim est perspicere, quo sensu quodque verbum Græcanicum ab Interpretibus positum sit, quia aliquando latet, quæ mens sit verborum Ebræorum, aut quam ipsi mentem habuerint, quidve secuti sint in iis interpretandis. Dum autem Grotius textum Matthæi Græcum ex Ebræo Nazaræorum expressum atque versum credit, in quo legitur מחר, oppido fallitur. Magis placent Cl. Heinsii verba: *Nazaræi, qui Matthæi Evangelium, quod secundum Ebræos Hieronymo dicitur, habebant, cum hanc necessitatem vertendi sibi impositam viderent, panem crastini,* sive ἄρτον τῆς ἐπιούσης *convertebant.* Hæc quidem perplexa & involuta videntur Celeberr. Salmasio: qui & prodigio simile dicit, quod Criticus sacer affirmat, Nazaræos ex necessitate sibi imposita vertendi, panem crastinum s. ἄρτον τῆς ἐπιούσης convertisse. Sed præter autoritates quorundam, nihil affert: quibus ab aliis satisfactum. Largiamur tamen Grotio, ut suo hic abundet sensu, non aliam certe petitionis sententiam, quam hanc, dare potest: *Panem, qui ad omne illud vitæ spacium, quod in posterum nobis emetiendum, da nobis hodie: vel secundum Lucam, quotidie.* Annon hoc modo tum diffidentia, tum aviditas, quam Christus abesse vult à nostris precibus, & ipse monet Grotius, etiam augebitur? *Vult Christus, nos Deo committere hanc curam,* ait Grotius, *ut quantum vitæ superest, tantum nobis suppeditet alimentorum. Neque ita tamen, ut poscamus id omne nobis repræsentari. Est enim valde illiberalis animi, non credere Deo nisi sub pignore.* Verum cum petimus, ut hodie nobis suppeditet Deus victum, qui omni ætati in posterum agendæ sufficiens sit: quid aliud volumus, quam ut omne id hodierno die repræsentetur & exhibeatur.

§. 11. Diximus ante vocem ἐπιούσιος, & cætera hujus formæ nomina, non tam à fœmininis, quam masculinis oriri. Id quod nobiscum affirmat Cl. Salmasius, cui ἄρτος ἐπιούσιος est τοῦ ἐπιόντος, non τῆς ἐπιούσης. Ἐπιούσιος, ait, *est ab* ἐπιών, *quod est ab* ἐπιέναι, *advenire vel supervenire,* ἐπιούσιος, *qui debet advenire, qui venturus est. Glossæ veteres:* ἐπιών, ὁ μέλλων χρόνος, *posterum tempus. Panis ergo* ἐπιούσιος, *est panis futurus.* Cum vero bene intelligat Christi invectivam contra diffidentiam atque in futurum solicitudinem, noluit de corporali pane exponere, sed de *Christo, qui olim in extremo die judicii venturus est, ut cum eo & in eo resurgamus, virtute ejus corporis, quod hic in Eucharistia sumimus.* Vid. Trapez. fœn. pag. 813. Dicit enim βαττολογίαν esse, nec decere hominem Christianum, petere à Deo panem ad vitæ sustentationem necessarium. Salmasium sequitur Clariss. Vir, Joh. Casp. Suicerus observat. sacrar. lib. sing. cap. 4. pag. 126. & c. 10. p. 247.

§. 12. Quin à βάττῳ βαττολογία, dubium vix ullum est. Battus & proprium, & appellativum nomen. Pastoris cujusdam Batti meminit Ovidius, lib. 2. Metamorph. fab. 14. qui in sermone eadem verba sæpe repetebat. Quam ejus garrulitatem venuste expressit Poëta, cum rogaretur à Mercurio, ut boves furto abactas ostenderet, sub quo pascerentur monte, his versibus:

——— ——— ——— Sub illis
Montibus, inquit, erant, & erant sub montibus illis.

Cui par pari referens Mercurius:

——— ——— Et me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait.

Hinc tamen βαττολογίαν deducere noluit Celeberr. Voss. Instit. Rhet. lib. V. c. 2. p. 280. sed à βάττος, quod est τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, ut docet Hesychius. Est enim βάττος κατ' ὀνοματοποιΐαν, à ba, vel bat, quæ syllaba crebro infantibus in ore, unde & βάβαξ ὁ φλύαρος, ut idem exponit Grammaticus. Commemoratur tamen & alius Battus, qui Cyrenas in Africa condidit. Hunc Herodot. Melpon. cap. 155. p. 274. παῖδα ἰσχνόφωνον καὶ τραυλὸν vocat. De quo plura videre licet ap. B. Schmid. Comment. ad Pind. Pyth. δ. Suidas Battum quendam nominat Poëtam μακροὺς καὶ πολυστίχους ὕμνους ποιήσαντα, ταυτολογίας ἔχοντας. Qui juxta Cœl. Rhodigin. lib. XIII. Antiquit. c. 1. p. 658. *dum simulacra & statuas versibus hymnisque celebrabat, mensum excedebat legitimum, eandemque sæpicule cantilenam recinebat.*

§. 13. Undecunque ducere libeat nomen, prolixam notabit orationem, in qua sæpe jam dicta repetuntur. Etsi enim Evangelista πολυλογίαν ponit velut prioris interpretamentum; vim tamen illius non plane exprimit. In βαττολογίᾳ duo vitia insunt, *repetitio eorundem verborum odiosa, inanis ac vana, & multiloquium. Quod si immodice,* scribit Vossius, *aut sine causa utamur* συνωνυμίᾳ *aut* ἐξεργασίᾳ, βαττολογία *nuncupatur.* Hoc perquam familiare erat gentibus profanis, quæ ideo se exauditum iri sperabant, quia longæ orationis tædio se fatigabant. Unde illud in Comœdia:

Ohe jam desine Deos uxor gratulando obtundere,
Tuam esse inventam gnatam. Nisi illos tuo ex ingenio
judicas,
Ut nil credas intelligere, nisi idem dictum est centies.

Centies idem dicere, est βαττολογεῖν: non ea rogare, quæ usui sunt, & ad victum amictumque pertinent. Conf. hac de re etiam Casaub. Exercit. XIV. n. 14. ad ann. 32.

§. 14. Redimus ad vocem ἐπιούσιος, quam ab ἐπιὼν deducit Salmasius; uti à παρών fit παρούσιος, ab ἐθέλων, ἐθελούσιος. Nec improbamus. Sic enim facile possunt expediri incommoda, à quibus cæteræ premuntur sententiæ. Habemus & inter Græcos consentientes. Athanasium ac Damascenum: quorum verba superius adducta sunt. In eo tamen dissentiunt, quod ipsi de spirituali, nos de corporali accipiamus pane. Et plane convenit nostræ sententiæ τοῦ ἐπιέναι significatio. Ἐπιέναι prorsus idem cum ἐπέρχεσθαι, *advenire, accedere, ex inopinato supervenire.* Ἐπιὼν & ἐπιούσιος *adveniens, adventitius, accessorius.* Hesychius ἔπεισιν, ἐπελεύσεται, ἐπέρχεται. ἐπιοῦσα, ἐπερχομένη. Homer. Ἰλ. α. v. 29. Hanc ego non dimittam, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισι, antequam ad ipsam senectus adveniat. Ἔπεισιν ἀντὶ τοῦ ἐπελεύσεται, præsens pro futuro, notante Eustathio. Ἔπεισί μοι γέλως, subit mihi risus. Est ergo ἄρτος ἐπιούσιος, *panis adventitius, accessorius, superveniens,* hoc est, uti Magnif. Dn. D. Calovius exponit, *qui spirituali nostræ necessitati velut adjicitur atque supervenit.* Tom. I. in August. Confess. p. 596. Cum enim in primis tribus petitionibus spiritualia bona, *nominis DEI sanctificationem, regni ejus adventum, & voluntatis impletionem* precemur, in quarto pro bonis etiam corporalibus, victu atque amictu DEUM rogamus: quæ tum nobis divinitus quoque adjicientur, ubi primum regnum DEI quæsierimus. Nam panis, & quicquid nobis alendis sustentandisque necessarium, non est primarium illud, quod petere debemus: sed adventitium quoddam, προσθετόν τι καὶ παρεμβλητικόν.

§. 15. Parum hinc abeunt, qui adventitium panem eo declarant sensu, quo & *Quotidianus* communiter dicitur, nempe, *qui omni imminente aut veniente tempore, die vel hora, est necessarius: quem non sufficit semel accepisse aut sumsisse; sed quem in hac vertentium temporum vicissitudine subinde & semper, sive quod diebus necesse est nobis advenire.* Hæc interpretatio placuit quoque Celeberr. Heinsio, cui τὸ ἐπιούσιον non tam *futurum* notat, quam *continuum* & singulis diebus definitum. *Quia dies diem ducit, & sequentes continuo* ἐπιόντες *dicuntur,* ἄρτον ἐπιούσιον, *forma* τοῦ ἐνιαύσιον, *quanquam alia formatione, dixerunt Hellenistæ.* Transeant, quæ de Hellenistis more suo jactat, quibus transcribit nomen istud, cum in rerum natura nunquam fuerint ipsi. Ἐπιέναι est quoque *sequi, succedere.* Unde ἐπιούσιος in vulgata versione apud Lucam *Quotidianus* redditur. Quod enim quotidianum est, perpetuam habet successionem, ita ut hesternum hodierno succedat. Nec aliter *Græco-barbara,* quam allegat Cl. Suicerus τὸ ψωμίμας τὸ καθημερινὸν, panem nostrum quotidianum. Alioquin, ut Crusius lib. VII. Turco-Græc. p. 514. adducit orationem Dominicam in Vulgari lingua, τὸ ἐπιούσιον plane neglectum est: Τὸ ψωμίμας δόσε ἡμᾶς σήμερον. ψωμὴ vel ψωμὶ hodiernis Græcis ὁ ἄρτος.

§. 16. Vulgatum secutus est Lutherus, cum in Vernacula reddidit, Unser täglich Brodt. Sed ideo Beatus Vir, cum à Pontificiis, tum Calvinianis impetitur: quasi vel originalem corruperit textum, aut vitiosam ταυτολογίαν, & pleonasmum vix tolerabilem, in tanta Aphorismorum brevitate & orationis compendio, admiserit. Veluti Abr. Scultetus ipsum incusat. De Pontificiis quibusdam refert B. Gerhardus Exeges. de Script. S. quod maluerint *cælestem & Supersubstantialem* cum Hieronymo. Ast quod vocabulum eam significationem non admittat, supra ostensum est. Accedit autoritas Vulgatæ Versionis, quæ cum authentica fuerit declarata in Concilio Tridentino, non potest nec debet à quoquam

Pontificio rejici. Accedunt alii è Romanensibus, qui Hieronymianam correctionem minime probant, & ἀλογίας arguunt, qui nostro tempore in Editione Vulgata pro quotidiano reposuerunt supersubstantialem. Negat etiam Maldonatus Hieronymum in eo voluisse Vulgatam corrigere. Bellarminus vero tum multos Codices antiquos laudat, qui non habent supersubstantialem: tum universam Ecclesiam Latinam in exemplum adducit, quæ in Dominica oratione, quam ex Matthæo sine dubitatione desumsit, semper oravit & orat: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

§. 17. Sed regerit Scultetus, *neminem tamen esse è priscis Græcorum, qui hanc τῷ ἐπιουσίῳ significationem agnoscat, ut notet* quotidianum. Ostendat vero nobis Scultetus aliquem è priscis, qui aliter exponat. Vocabulum hoc in nullo veterum, quod hactenus observatum, legitur: nisi apud Christianos, qui ad loca Euangelistarum respexerunt. Quod si igitur per veteres primitivæ Ecclesiæ Doctores intelligit, etiam fallitur. Gregorius Nyssenus vocat ἄρτον τῆς σημερινῆς χρείας, & τὸ ἐφήμερον. Quæ vero è Chrysostomo ac Basilio allata superius sunt, non repetimus. Hoc duntaxat addimus, quod Homil. LIV. in Genes. habet Chrysostomus. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς τῆς εὐχῆς ῥήμασιν ὅρους ἡμῖν καὶ κανόνας τιθεὶς, μέχρι τινὸς δεῖ τὴν περὶ τῶν βιωτικῶν αἴτησιν ποιεῖσθαι, τὰ ῥήματα ἐκεῖνα λέγειν ἡμᾶς ἐκέλευσε, τὰ πάσης φιλοσοφίας γέμοντα, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, ἀντὶ τοῦ τὴν ἡμέρας τροφήν. *Propterea etiam in verbis orationis terminos nobis & cancellos posuit, quatenus mundana sint petenda, dum nos, ista verba recitare jussit, omni Philosophia plena:* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *pro diei alimentum.* Qui è Latinis Patribus sic reddiderunt, videantur ap. B. Gerhard. annot. posth. in Matth. 6.

§. 18. In eundem quoque sensum conveniunt Syrus & Arabs interpres. Syrus habet ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ. Guido Fabricius vertit: *Panem indigentiæ nostræ.* Tremellius, Panem *necessitatis nostræ.* ܣܢܩ est *indigere, opus habere.* Matth. 3:14. Marc. 2:17. Quid aliud quotidianus panis, quam qui quot diebus necessarius, tanquam sine quo ordinarie vitam ac substantiam nostram alere & conservare non possumus? Agnoscit hoc Cl. Pasor, & fatetur Versionem receptam posse tollerari, si recte exponatur, nempe: Panis *substantiæ nostræ alendæ accommodatus quo quotidie egemus.* Arabs vertit panem *sufficientiæ nostræ.* Ut de Kirstenius existimat, petitionem illam in nostro idiomate commodius ita posse formari: **Unser gnüglich Brodt gieb uns täglich.** Abrahamus Scultetus ex Syro: **Unser nothdürfftig Brodt gieb uns heute.** Sed ea correctione non opus est. Idem orare jubet Sapiens Prov. 30:8. הַטְרִיפֵנִי לֶחֶם חֻקִּי ale me *cibo statuti vel demensi mei.* Vulgat. Tribue tantum victui meo necessaria. LXX. Σύνταξον ἐμοὶ τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη. Nec aliter Symmachus: Ἀπόταξόν μοι δίαιταν ἱκανὴν, constitue vel ordina mihi victum sufficientem. Veluti & Targum לחמא מסתי panem sufficientiæ meæ reddit.

§. 19. Quid aliud etiam Jacobo cap. 2:15.16. ἡ ἐφήμερος τροφὴ, καὶ τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, *quotidianus victus, & quæ sunt idonea corpori*, quam Matthæo ὁ ἐπιούσιος ἄρτος; Sæpissime ita loquuntur de ordinario victu nostro scriptores profani. Isocrat. laudat. Busiridis pag. 440. edit. Wolff. in 8. ἃ μὲν τὴν ἀσφάλειαν ἔχει ὁμοίαν τῇ τροφῇ τῇ καθ' ἡμέραν, *quæ æque tuto sumi possunt, ac victus quotidianus.* Et paulo post pag. 446. τῶν καθ' ἡμέραν ἐνδεεῖς καὶ πλανήτας: quos orat. ad Philipp. pag. 208. πλανωμένους διὰ τὴν ἔνδειαν τῶν καθ' ἡμέραν dixerat, *qui ob penuriam quotidiani victus oberrant.* Item in Panathen. pag. 528. ὡς ἐπιπόνως ἐργαζομένους μόλις ἔχειν τὰ καθ' ἡμέραν, *ut magno labore vix excolere possint, quantum ad vitam sustentandam sit necessarium*, interprete Wolfio. Etiam Thucydides, Plato, Alexis & Antiphanes meminerint τῆς καθ' ἡμέραν διαίτης, τῆς καθ' ἡμέραν ἀναγκαίας τροφῆς. Imo Cicero de orat. præbere *victum quotidianum* in Prytaneo dixit. Et iterum in Tuscul. *quotidiano cultu ac victu.*

§. 20. Unicum adhuc restat argumentum de ταυτολογίᾳ neutiquam toleranda in tam brevi orationis compendio. Nam si τὸ quotidianus retineatur, hæc inde versio conficitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie,* **Unser täglich Brodt gieb uns täglich.** Quam locutionem mox aures respuunt, ob otiosam & odiosam ejusdem vocabuli repetitionem. Ita Scultetus. Ad Matthæi quidem locum nihil pertinet hæc exceptio, nec urget Scultetus, sed è Luca suam ταυτολογίαν probare conatur, qui pro σήμερον reposuit τὸ καθ' ἡμέραν, subaudi ἑκάστην. Fr. Gomarus respondet, non esse hic otiosam repetitionem, quia vocabulum Græcum καθημερινὸς etiam notat *diurnum, diarium sive diei convenientem*: ad cujus imitationem vox Latina Quotidianus per κατάχρησιν initio fuit usurpata. Coacta hæc sunt, quæ ipse mox deserit, & aliam ex Beza affert solutionem. Panem dicit quotidianum, pro *vulgari* nunc accipi & *consueto*, ut à *deliciis & superfluis* distinguatur. Quemadmodum à Philologis *cœnam quotidianam* alicui apponere citatur è Plinio; & victus quotidianus pro vulgari, è Cicerone. Sed nec hæc satis placent. Denuo Bezam allegat, qui τὸ καθ' ἡμέραν exponit, *quantum in hunc diem opus est.* Nempe ut apud Quintilianum declam. 13. feræ ac volucres dicuntur præsentis modo cibi memores in diem vivere. Hinc Græcis καθημερόβιοι, qui Latine in diem viventes dicuntur, præsentibus contenti, nec in longum soliciti. Non ergo ἐλλείπει τὸ ἑκάστην, sed τὸ μέρος. Atque ut probet usitatam esse eo sensu hanc phrasin, Lucam adducit, qui cap. 20:47. Christum τὸ καθ' ἡμέραν in templo docuisse tradit, i. e. *per diem, seu die illo. Nam communis expositio non videtur cohærere sequentibus. Sequitur enim, sacerdotes quærebant eum perdere, nempe eo die.* Quæ Gomari verba sunt. Nulla sic ταυτολογία: *Da nobis panis quotidiani particulam, quanta hodie, vel in hunc diem sufficit.*

§. 21. Sed negat Cl. Dieu τὸ καθ' ἡμέραν idem notare, ac quando in hunc diem opus est. Exponit autem per Ebr. דבר יום ביומו, quod non idem est, ac יום יום quotidie: verum *quantum ad unumquemque diem pertinet.* Ergo sic vertendum censet: *Panem nostrum necessarium da nobis, demensum uniuscujusque diei, vel quantum quotidie opus est.* Quod si ἐπιούσιος reddatur quotidianus, denuo oritur ταυτολογία. Gomarum quod attinet, non potest ille ostendere, ubi τὸ καθ' ἡμέραν dicto sensu occurrat. Nam & apud Lucam quotidie significat, nec aliter acceperunt veteres interpretes. Conf. Matth. cap. 26:55. & Actor. 17:11. Ideo Grotius ac Heinsius Matthæum è Luca exponunt, ut σήμερον ibi positum sit pro eo, quod pleniore Ebraismo diceretur, σήμερον καὶ σήμερον. Quibus Syrus favet, qui כל יום. Et omnino aliud nihil apud Græcos per τὸ καθ' ἡμέραν significatur. Quod articulum concernit, usitatum Græcis est, non modo adverbiis, quando adverbialem significationem retinent: sed aliis etiam adverbialiter usurpatis articulos præponere. Demosth. ὀλυνθ. α. καὶ θεωρεῖ τὸν τρόπον, δι' ὃν μέγας γέγονεν, ἀσθενὴς ὢν τὸ κατ' ἀρχὰς Φίλιππος. Et spectat, quemadmodum magnus evaserit, infirmus cum esset initio Philippus. Ad quem locum Wolfius: Τὸ κατ' ἀρχὰς *adverbialiter capitur, pro* ἐν τῇ ἀρχῇ, πρῶτον. *Articulus* τὸ *elegantiæ causa ex supervacuo accedit. Quædam exemplaria uno verbo & accentu* τοκαταρχὰς: *id quod in multis accidit, ut vel* ὑφὲν, *vel* διαιρέτως *legantur.* Hinc etiam patet, quid de altera sententia statuendum sit. LXX. Interpretes laudantur à Dieu, qui vero nusquam Ebræa verba דבר יום ביומו, reddiderunt per τὸ καθ' ἡμέραν. Potest tamen & sic ταυτολογία evitari, si cum Pasore τὸ quotidianus explicemus de pane, quo singulis diebus ad substantiæ nostræ conservationem egemus. Petendum enim, ut panis, qui ordinarie singulis diebus necessarius nobis est ad alendam naturam, singulis etiam diebus clementissime à Deo nobis concedatur. Miserum esset, si quotidie egeremus pane ad tolerandam vitam, quem non & quotidie acciperemus. Tu vero, benignissime Pater, & nos rogamus:

Σάμερον ἐνδεέσιν βίοτον θνατοῖσι δὸς ἁμίν,
Κήπειτ' ἆμαρ ἐπ' ἆμαρ ἀεί. καὶ ἁμαρτάσιν ἁμαῖς
Σύγγνωθ', ᾗπερ βροτοὶ ἄλλοισιν ἀμοιβαδὶς ἄλλοι
Συγγνώμαν ἔχομες. —— —— —— ——

T. Θ. Δ.

M. BALTH.

M. BALTH. STOLBERGII
DISSERTATIO
De Sapientia à liberis justificata ad Matth. XI: 19.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

DUm verba JESU à Matthæo capite 11. commate 19. prodita, pleniore uberioreque interpretatione explicare aggredior, de tribus mihi agendum esse intelligo, *Quæ sit illa Sapientia, qui ejus Liberi, quaque δικαίωσις in Sapientiam à liberis exercita.* Principium à vocabulis ducamus, quæ rerum sunt notæ & indices.

§. 2. Sapientia Latinis, Græcis Σοφία dicitur, à σοφὸς Sapiens. Σοφὸς, si Platoni credimus, non est primitivum ac simplex nomen, sed ex σοῦς vocabulo Lacedæmonico, & ἁφὴ componitur. Ἀλλὰ μὲν ἥγε σοφία φορᾶς ἐφάπτεσθαι σημαίνει, σκοτωδέστερον δὲ τοῦτο καὶ ξενικώτερον. Ἀλλὰ δεῖ ἐκ τῶν ποιητῶν ἀναμιμνήσκεσθαι, ὅτι πολλαχοῦ λέγουσι περὶ ὅτου ἂν τύχωσι τῶν ἀρχομένων ταχὺ προϊέναι, ἐσύθη φασί. Λακωνικῷ δὲ ἀνδρὶ τῶν εὐδοκίμων καὶ ὄνομα ἦν Σοῦς. Τὴν γὰρ ταχεῖαν ὁρμὴν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῦτο καλοῦσι. Ταύτης οὖν τῆς φορᾶς ἐπαφὴν σημαίνει ἡ σοφία, ὡς φερομένων τῶν ὄντων. Σοφία. i. e. Sapientia *agitationis est tactus. Obscurius autem & alienius hoc à nobis. Verum animadvertendum est in poetis, quoties volunt adventantem aliquem & irruentem exprimere,* ἐσύθη, *i. e. erupit, prosiliit, dicere. Quin & illustri cuidam apud Lacedæmonios viro nomen erat* Σοῦς *i. e. præpes. Sic enim Lacedæmonii concitationis impetum indicant. Quasi itaque omnia perferantur, hujus ipsius agitationis, quæ eo, quod* σοῦς *dicitur, significatur,* ἐπαφὴν *i. e. tactum perceptionemque, sophia demonstrat.* Ita Socrates in Cratylo disserit. Placet ingenua confessio, quod obscura sit notatio ac peregrina, quales sunt pleræque aliæ istius dialogi interpretationes; imo vanæ & inanes, quædam joculares & ridiculæ. Si aliunde τοῦ σοφοῦ origo sit petenda, mallem eam in Phœnicia, quam Græcia quærere. Hebræum צפה cum sono & sensu Græci nominis mirifice congruit. צפה est contemplari, observare studio ac notare. Σοφία proprie tractat τὰ θεωρητὰ, & occupatur in perspicienda cognoscendaque rerum natura, vel ut Aristoteles loquitur Magn. Moral. primo cap. 34. περὶ τὰ μετ' ἀποδείξεως καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ὄντα, ea contemplatur, quæ demonstrantur, ac semper eodem habent modo. Apud Arabes صفا purum esse significat, quod nec ipsum alienum est à nostro argumento, cum sapientia purget mentes, quas error inquinat & ignorantia.

§. 3. Equidem vernaculæ Linguæ intempestivus amor, sapientes etiam cordatosque viros haud raro à vero rectoque abducit, quod Terent. Varroni Romanorum eruditissimo, & ut Fabius prædicat, Linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum ac Romanarum peritissimo, nec semel accidit. Tum curiositas ac περιεργία multos movet incitatque, ut, quæ vocabula peregrina esse non ignorant, eorum natales ac significationes è vulgari notiorique dialecto derivent. Quod de Patribus nonnullis observat doctissimus Casaubonus Exercit. XVI. sect. 11. Sæpe in Hebræis vocibus Græca vel Latina comminiscuntur etyma, non quod nescirent, ea Hebræa esse, sed quod ita placeret, & præsenti instituto id esset accommodatum. Neque ego putaverim Platonem serio statuisse, σοφίαν è σοῦς & ἁφὴ componi, cum agnoscat citato loco & fateatur, barbaros esse Græcis antiquiores, & hos ab illis accepisse multa nomina, doceatque Sapientem eum, qui rectam primorum nominum rationem ignorat, non posse sequentium cognoscere, quia hæc ex illis declaranda sunt. Eapropter illorum conatus, nec immerito, vituperat, qui quadam quasi vi etymologias cogunt, cum ait: οὐ τοίνυν δεῖ ταῦτα προσβιάζεσθαι, ἐπεὶ μὴ ἔχοι γ' ἄν τις εἰπεῖν περὶ αὐτῶν. Quibus verbis cum suam in linguis peregrinis, tum aliorum Græcorum ignorantiam haud obscure prodit.

§. 4. Cæterum ut ad propositum revertar, nomen σοφοῦ late manat, & non solum sapientem, sed prudentem, & cujusvis rei vel artis peritum, solertem sagacemque declarat. Hesychius, Σοφὸς, φρόνιμος, φιλότεχνος, καὶ ἐξευρετικὸς, καὶ ὁ τῶν θείων ἔμπειρος. Σοφία, πᾶσα τέχνη καὶ ἐπιστήμη. Proinde brutis tribuitur animalibus, quæ paulo creduntur callidiora, & habent acutiores sensus. Canis Oppiano σοφὸς, Xenophonti & Platoni σοφώτατος. His assentitur Ælianus, qui & ranarum Ægyptiarum σοφίαν commendat libr. I. variar. histor. cap. 3. & 4. Sed ranis derogat virtutem istam Plato in Theæteto, ubi sapientem describit, qui possit efficere, ut quæ vel sunt mala vel videntur, bona sint taliaque videantur. Etiam in libro Hebræo de natura animalium, quem mss. in Suecia legit doctissimus Bochartus, Rana dicitur חכם. Ut Laertius observat, nomen σοφίας triplici ratione usurpatur à Platone, ἰδιαίτατα μὲν ἀντὶ τῆς τῶν νοητῶν ἐπιστήμης, ἰδίᾳ δὲ ἀντὶ τῆς φιλοσοφίας, κοινῶς δὲ ἀντὶ τῆς ἐμπειρίας. Hac tertia notione frequentissime invenitur, præsertim in Theage, ubi σοφοὺς vocat τοὺς ἐπιστήμονας περὶ ὅτου ἂν ἐπιστήμονες ὦσι, qui scientiam habent, quæcunque illa sint, quæ noverint. Hujusmodi σοφίας multas recenset, ἡνιοχικὴν, κυβερνητικὴν, ἰατρικὴν, μουσικὴν, γυμναστικὴν, γεωργικὴν, τεκτονικήν. Hoc sensu τῇ σοφίᾳ opponit τὴν ἀμαθίαν, & σοφῷ ἰατρῷ τὸν ἀμαθῆ in Theage & Euthydemo. Quemadmodum Homerus ἰλ. ο. τέκτονι, qui erat ναυπηγὸς, σοφίαν tribuit. Ad quem locum Eustathius σοφίαν, inquit, ἁπλῶς τὴν τέχνην φησὶν ἔθει ἀρχαίῳ. Οἱ γὰρ παλαιοὶ σοφοὺς ἐκάλουν ἅπαντας τοὺς τεχνίτας, *Sapientiam simpliciter artem dicit ex more veteri. Veteres namque artifices omnes Sapientes vocabant.* Aliter paulo Aristoteles, qui non quemvis artificem, sed qui sit exquisitissimæ peritiæ, σοφὸν appellat, Eth. Nicom. lib. VI. cap. 7. Τὴν σοφίαν ἐν ταῖς τέχναις τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν, οἷον Φειδίαν λιθουργὸν σοφὸν, καὶ Πολύκλειτον ἀνδριαντοποιόν. Ἐνταῦθα μὲν οὖν οὐδὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν, ἢ ὅτι ἀρετὴ τέχνης ἐστί. Alios prætermitto. Nam & Hebræi suum חכם, & Latini Sapientem eadem significatione usurpant, quod eruditissimus Vir Thomas Gatakerus diatrib. contra Pfochenium probat. Quem eo insuper nomine confutat, quod verba Apostoli 1. Cor. 1: 17. ἐν σοφίᾳ λόγου, non ut Beza, *Peritia sermonis,* sed *sermone sapiente* expoluit. Verum deseritur Gatakerus à Johanne Vorstio, qui cum aliis Pfochenii interpretationem præfert, p. 1. Philolog. Sacr. cap. 10. quam nostra quoque assertione approbamus, nihil interim metuentes Hebraismum, quem in Pauli dictionem hac ratione induci contendit uterque. Extant hujus phraseos exempla apud optimos & antiquissimos scriptores plurima, licet vulgo animadversa non sint. Ex Euripide Pfochenius unum attulit, quod neque Gatakerus neque Vorstius adhuc culparunt. Id duntaxat obvertunt, esse exemplum Poetæ & Tragici, nec prosam tractantibus adeo frequens, cum apud Hebræos idem in oratione soluta frequentissime occurrat.

§. 5. Sunt hæc vulgaria, omnibus artibus ac disciplinis communia. Est ubi peculiaria, multoque augustiora & sublimiora de Sophia traduntur. Princeps ac decus Philosophorum Aristo-

Aristoteles σοφίαν vocat τὴν ἀκριβεστάτην τῶν ἐπιστημῶν, καὶ ἐπιστήμην καὶ νοῦν τῶν τιμιωτάτων τῇ φύσει, scientiarum accuratissimam, & scientiam atque intellectum rerum natura præstantissimarum, quæ sciat τὰ περιττὰ, καὶ θαυμαστὰ, καὶ χαλεπὰ, καὶ δαιμόνια, lib. VI. Ethic. Nicom. cap. 7. In quo loco interpres τὰ περιττὰ male vertit Supervacua. Istud namque vocabulum eximium atque excellens primo designat. Pluribus hujus sapientiæ cum dignitatem tum amplitudinem exequitur Metaphys. I. cap. 2. Cæterum Aristotelis præceptori divino Platoni, longe excelsior diviniorque visa est Sapientia, cum in fine Phœdri scribit, τὸ μὲν σοφὸν καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ Θεῷ μόνῳ πρέπειν; Sapientis cognomen soli Deo convenire, hominibus τὸ φιλόσοφον. Quam doctrinam à Pythagora accepit. Illud porro singulare prorsus, & sacris Ecclesiæ dogmatis maxime consentaneum videtur, quod idem in Philebo tradit, Sapientiam esse causam κοσμοῦσάν τε καὶ συντάττουσαν ἐνιαυτούς τε καὶ ὥρας καὶ μῆνας, quæ ordinet ac disponat annos, horas & menses. Hanc Sapientiam alio nomine Νοῦν, id est Mentem appellat, ac sua doctrina ait, antiquiorum Philosophorum sententiam juvari, qui universitati rerum τὸν νοῦν sive Mentem præficiebant. Anaxagoram intelligit Philosophum Clazomenium, ut apparet è Phædone: in cujus libello legerat, ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, mentem exornare omnia, omniumque causam esse. Vel quæ ipsa sunt Anaxagoræ verba, à Laërtio memorata: πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα Νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. *Omnia simul erant: deinde accessit mens, illaque in ordinem digessit.*

§. 6. Ob hanc doctrinam Anaxagoras in magna fuit admiratione, quippe ut sobrius ad antiquiores vana dicentes comparatus videbatur, ut est apud Aristotelem lib. I. Metaph. cap. 3. fin. Qui subjicit, αἴτιον δ' ἔχει πρότερον Ἑρμότιμος ὁ Κλαζομένιος εἰπεῖν, quemadmodum plerique Codices tum excusi, tum MSS. legunt. Hæc verba crucem fixerunt interpretibus. Vetus, *Attamen habet prius Hermotimus Clazomenius causam dicendi.* Bessario, *dicitur causam prius dixisse.* Perionius, *antea causam dixisse ferunt.* Omnes aliena afferunt cum à mente Philosophi, tum indole ac genio linguæ. Rectius Cardinalis Sirleti exemplar MSS. αἰτίαν δ' ἔχει, pro αἴτιον. Ita Lucianus, αἰτίαν ἔχει ψεύδεος, mendacii insimulatur. Sensus est, Hermotimo tribui, quod prius vel prior principium istud nominaverit. Hæc fama obscurior atque incertior fuit de Hermotimo, clarior de Anaxagora. Hoc enim vult, cum ait Philosophus, φανερῶς μὲν οὖν Ἀναξαγ. ἴσμεν ἁψάμενον τούτων τῶν λόγων. Quæ male iterum vertit Bessario: Istas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus. Nec melius Fonseca. Reddendum, *clare quidem novimus, Anaxagoram prius hac de re disputasse.* Ita namque Aristoteles usurpat verbum ἅπτεσθαι lib. I. Magnor. Moral. c. 1. ubi permutat ac promiscue utitur, περὶ τῆς ἀρετῆς εἰπεῖν, ἐρεῖν, ὑπὲρ ἀρετῆς φράζειν & ἅψασθαι τῶν ἀρετῶν, disserere ac disputare. Et τὸ φανερῶς ad ἴσμεν referendum. In eo dissentit Plato, quod Anaxagoras Mentem statuat τῶν πάντων αἴτιον, ille vero prolem eam faciat τῆς τῶν πάντων αἰτίας. Præterea in Epinomide λόγον nominat θειότατον, ὃς ἔταξε κόσμον ὁρατόν, qui mundum condidit conspicuum. Hæc illa sunt, quæ Plato olim de Sapientia ac λόγῳ docuit, quæ clarius uberiusque enarrata leguntur à sectatoribus Plotino, Proclo, aliis. Quod si sacras literas evolvimus, haud absimilia reperimus elogia Sapientiæ & λόγῳ tributa, ut opinari possit lector, eandem utrobique sententiam ac mentem declarari. Sed ut in verbis sit consensus quidam ac convenientia, in re profecto magna est differentia, ut alibi ostensum. Interim crediderim esse hæc antiquæ, & inter gentes obsoletæ traditionis quædam quasi simulacra vel vestigia, exigua perquam & obscura. Quare illis omissis scripturæ indolem & usum deinceps scrutabimur.

§. 7. Sapientia in sacrarum literarum monumentis varie commemoratur, interdum ejusmodi characteribus ac notis infigitur, ut nulli mortalium, sed soli Deo conveniat, alia tamen ratione, quam quæ est attributorum divinorum communis. Potissimum huc pertinent, quæ à Salomone traduntur in Parœmiarum codice capite primo, & imprimis cap. octavo, ubi ipsa suam originem divinam atque æternitatem copiosa gravibusque verbis ornata oratione declarat. Jehova, ait, קנני. LXX. ἔκτισέ με. Male. קנה idem ac Græcorum κτάομαι. Utrumque proprie notat acquirere, comparare. Causa acquisitionis & modus varius esse potest, nullus tamen primo ac per se vocabulis istis involvitur. Sic namque comparatum est cum vocum plurimis, Hebræis, Græcis aliarumque linguarum, ut communes quasdam ac generales, ex prima impositione acceperint notiones, quarum particulares determinatasque rationes non ex ipsis (quippe indifferentes sunt) exquirere licet; sed erui debent ex natura ac conditione rerum, de quibus vocabula in oratione usurpantur. Cum itaque alia per generationem, alia per creationem, nonnulla per emtionem, quædam aliis ex causis acquirantur, non tam considerandum est vocabulum, quam sunt examinandæ rerum designatarum proprietates. Ab Hephrone Chittæo agrum Abrahamus קנה, Gen. 50: 13. LXX. ἐκτήσατο: quo sensu Demosthenes adhibet orat. I. contra Stephanum. Clarius ac dilucidius Lucas Actor. 7: 16. ὠνήσατο emit. Et Seniores ipsi aliis in locis verbo Græco ἀγοράζειν transtulerunt, 2 Paralip. 39: 11. לקנות אבני, ἀγοράσαι λίθους, ad emendum lapides argentum dederunt artificibus. Cum porro Deus Gen. 14: 19. & 22. vocatur קנה שמים וארץ, recte LXX. κτίζειν usurpant. Aliud Heva significavit, cum in partu Caini filii dixit קניתי, Genes. 4: 1. & Sapientia Proverb. 8: 22. Jehova קנני in principio viæ suæ, ante opera sua, ante primordia terræ, cum nullæ essent abyssi, nulli fontes, montes &c. Hic utendum esse Gignendi verbo contendit celeberrimus Bochartus Geograph. sac. part. II. Ipsi LXX. τὸ קנה, sed loco alieno, & cum non oporteret, per γεννάω transtulerunt Zach. 13: vers. 5. Accedit aliud argumentum à voce חוללתי vers. 24. & 25. quæ partum designat, sive formationem ac nativitatem. Septuaginta Seniores γεννᾷ με. Aquila & Theodotion propius ad vocem passivam ὠδινήθην. Symmachus ἐμαιώθην. Ideo Jobus תולד & חוללת permutat cap. XXV. comm. 7. Posterius à LXX. redditur ἐπάγης, à πήγνυμι, compingo, coagmento, facio ut concrescat. Alii habent συνελήφθης conceptus es.

§. 8. Cæterum in eo sibi mirifice placet Christophorus Sandius, quod non solum LXX. pro קנני habent ἔκτισε, sed & Chaldæus Paraphrastes בראני, similiterque Syrus, Arabs & Vulgata antiqua, consentiuntque cum ea lectione Patrum Græcorum Latinorumque plurimi. Tandem etiam Philo Judæus cum his facit. Philonem parum curamus: nec miramur admodum Patres, cum satis constet, plerosque fuisse ignaros Linguæ Hebrææ, nec potuisse versionem Græcam, qua maxime utebantur, sicubi à vero deflecteret, emendare, ac cum fontibus conferre. Fuitque illa ignorantia Patribus gravis admodum & permolesta, quoties hoc dicto ceu palmari urgerentur ab adversariis. Legatur B. Athanasii Epistola de Synodi Nicenæ decretis Tom. oper. II. & Basilii M. lib. II. contra Apologet. Eunomii. Non tamen omnes involvit hæc ignoratio: quosdam reliquorum Græcorum interpretationes informarunt rectius. Aquila, Symmachus, Theodotion habent ἐκτήσατο, acquisivit, vel possedit. Ad hos provocat B. Basilius l. c. & laudat, quod Hebræarum vocum significationes melius assequantur. Idem factum ab Epiphanio hæres. 69. quæ est Ariomanitarum. Imo non contentus Aquilæ versione, majora audet, affertque verba Hebræa, & τὸ קנני ἀκριβέστερον, ut ipse putat, exponit ἐνόσσευσέ με, id est, instar pulli exclusit me. Νεοσσὸς & νοσσὸς nidus, νοσσεύω nidos construo, & in nidis genero. Hesychius, Νοσσεῦσαι, γεννῆσαι. Herodotus Clio pullos in nidis generatos νενεοσσευμένους dixit. Verum aliud קנן aliud קנה, quæ confudit Epiphanius. Vulgata antiqua non ex Hebræo fonte, sed versione Græca τῶν LXX. derivata est, emendata ut creditur ab Hieronymo, in qua hodie legimus Possedit. De Chaldæo observant alii, verbum ברא etiam de generatione ab ipso dici: quod idem accidit in Græco κτίζειν, quo hic usi sunt LXX. Etenim si notionem propriam atque usum antiquissimum ponderemus, apparebit, non illud speciatim designare creationem, sed generatim productionem quamvis, cujus causa vel modus tum ex addito nomine, tum ex rei, de qua agitur, natura explanari debet. Æschylus Supplicibus vers. 179. τὸν τῆς βοὸς παῖδ' αἱμάσας, τὸν αὐτός ποτ' ἔκτισεν γόνῳ, Vaccæ (Jus) filium ignominia afficiens, quem ipse (Juppiter) aliquando generavit. Ἔκτισε γόνῳ, i. e. ἐγέννησε. Sic κτίζειν εὐνίδας conjuges facere, πόλεις, νήσους, χώραν, ἀποικίαν, alia, quæ varie ac diverse explicantur.

§. 9. Hæc Sapientia non est Deus Pater, qui nusquam ita nominatur, docente Maxime Reverendo Dn. D. CALOVIO ad Luc. 11. sed Dei Filius Jesus Christus, de quo Apostolus 1 Cor. 1: vers. 24. apertius loquitur. Et ipse se Salvator optimus Sapientiam Dei appellat Luc. 11: 49. quod dictum conferri debet cum Matthæi verbis cap. 23: 34. Habet hæc Sapientia filios, quos compellat Proverb. 8: vs. 32. & hortatur ad discendam Sapientiam. Nescio vero in quod monstrum transformaverit hanc divinissimam Sapientiam Hæresiarcha Valentinus, quam ipse vocat Ἀχαμώθ & Ἐνθύμησιν. De qua multa Irenæus, Tertullianus, Epiphanius & Theo-

doretus

doretus prodiderunt mirum in modum involuta ac tortuosa. Turpis ac informis iste fœtus matrem nactus est Sophiam, Aeonum novissimam & ultimam, quæ more insolito sine maris ac conjugis Theleti complexu, sola molita est prolem, ideoque in Patris odium offensionemque incurrit, parumque abfuit, quin è Pleromate ejiceretur. Sed intercessit Horus, impetravitque, ut Sophia quidem suo restitueretur conjugio, Ἀχαμὼθ autem extra Pleroma relinqueretur. Hanc Ἀχαμὼθ significari volunt à Servatore nostro Matth. 11:19. & à B. Paulo 1 Cor. 2:6. Alia ejus nomina commemorat Epiphanius hæres. 31. quæ sunt, σωτὴρ, ὅρος, σαυρὸς, ὁροθέτης, μεταγωγεὺς καὶ Ἰησοῦς. De quibus plura dicere non est operæ precium, cum præstet perpetua oblivione impias nugas & affamias obruere, quam post tot seculorum decursum & silentium rei indignissime meminisse.

§. 10. Lamberti Danæi judicium, quod de Græcis æque ac Latinis patribus pronunciavit, Comment. ad B. Augustini de Hæresibus libellum, non possum omnino tacitum relinquere. Erroris arguit optimos Viros & inscitiæ, ac censet non Ἀχαμὼθ, sed Chacmot scribendum ex חכמה, חכמות. Nos errasse negamus; aut si error sit, non deficiunt exempla, neque scriptores ejusdem culpæ rei, quorum se tueri possunt autoritate. Quanquam hæc disceptatio nihil pertineat ad Ecclesiæ doctores, qui eo modo ac ratione Hæreticorum ineptias recitarunt, quæ ipsis placuit architectis & magistris. Principio constituendum mihi videtur de numero, qui est pluralis חָכְמוֹת, sapientiæ. Sic Salomo Parœm. l. 20. Sapientiæ clamat חָכְמוֹת, unde Valentinus suam formavit Ἀχαμώθ. Mercerus, Sapientiarum quæque, distributive explicat. Junius & Piscator κατ' ἐξοχὴν, summa sapientia. Ribera in Mich. 5:2. divina scilicet, quæ omnem in se continet sapientiam. Nam pluralis numerus per excellentiam singulari rei designandæ adhibetur, quæ in eo genere sit eximia. Alii Ellipsin subesse credunt, Sapientiæ, id est, sapientia sapientiarum. Res eodem recidit. Num vero eadem sit ratio nominis אלהים, uti visum doctissimo Gatakero, nunc non disceptabo. Contrarium ab aliis luculente demonstratum est. Revertor ad Ἀχαμώθ. Heth spiritus est, ideoque Græci interpretes pro Hebræo חגב, חגבה Esræ 2:45, 46. scribunt ἀγὰβ, ἀγαβὰ. Scheva nunc in O transit, nunc in A: vel ut aliis placet, in sonum vocalis sequentis, e. g. Solomo, Sodoma. Sub prima litera est scheva. Imo præcedentis sonum imitatur. Hinc Hebr. נַחְשׁוֹן ναασσὼν, גַּמְלִיאֵל, γαμαλιὴλ, נְתַנְאֵל, ναθαναὴλ. Sic חָכְמוֹת, ἀχαμὼθ.

§. 11. Qui Matthæi narrationem cum Lucæ historia conferunt, & è capitis VII. commate 29. & 30. parabolæ occasionem, indeque propositum ac scopum colligunt, hanc Sapientiam de Dei consilio interpretantur: etsi dissentiunt ac differunt in ejus consilii declaratione. Cornelius à Lapide diversos intelligit modos ac vias, quibus usus Deus est, cum ab improbitate avertere, & ad meliorem mentem ac frugem revocare vellet Judæos. *Nihil*, inquit, *saluti hominum conveniens intentatum reliquit. Ut enim haberent austeræ vitæ & pœnitentiæ exemplum, dedit eis Johannem: ne vero multi hac austeritate territi, virtutem & salutem desperarent, dedit communis vitæ ac virtutis exemplum in Christo.* In eandem sententiam discedit Hugo Grotius, refutatus à Maxime Reverendo Dn. D. Calovio. Alii Consilium Dei explicant de salute nostra, ejusque causis & mediis. Cum enim genus humanum perditum esset, & nulla pateret via salvationis; Deus ex immensa misericordia, quasi deliberatione, ut de re difficili, ardua, seria & maximi momenti, habita, certo consilio invenit, constituit, decrevit & ordinavit, quomodo vellet genus humanum servare. Et illud suum consilium ignotum & absconditum omni humanæ sapientiæ, per ministerium verbi patefecit, & singulis ita offert ac proponit. Nos in illius dicti, quod nunc tractamus, explicatione primam præferimus sententiam, qua Filius Dei intelligitur tanquam Sapientia Hypostatica. Nam ut erudite observat laudatissimus Dn. D. Calovius, *Instituitur hic ἀντίθεσις inter Pharisæos reprehendentes Christum Sapientiam Dei ab una, & omnes eos, qui justificant sive absolvunt celebrantque Christum, ac testimonium justitiæ ei perhibent, ut genuini ipsius filii ab altera parte*, Parascev. in refutat. Joh. Crellii memb. 2. p. 303. Ita Chrysostomus, cujus hæc verba memorantur in Catena Patrum: ἡ σοφία ἐδικαιώθη, τουτέστιν, ὁ υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ, ὅς ἡ σοφία ἐστὶ τοῦ πατρὸς ἐνυπόστατος. Similiter Origenes ibidem citatus.

§. 12. Hac ratione, quod infra dilucidius explicabitur, conjunctioni καὶ sensum assignamus non copulativum, sed adversativum, ceu sæpe fit, æque in profanis scriptis, ac sacrarum literarum monumentis. Et habemus confitentem Grotium, qui testem insuper laudat Theophrastum scriptorem ἀττικώτατον. Quibus ille non satisfacit, consulere possunt Aeschylum & Sophoclem Atticorum antiquissimos: sin minus placeant Poëtæ, desiderium leniet Plato Philosophus; imo quicquid superat Græcorum in quacunque sive dialecto sive charactere. Etenim ea particularum natura est, docente Apollonio dyscolo, quem summum Grammaticæ artis scriptorem judicat Priscianus, ut ipsarum significationes, ex illorum ratione, quæ vel præcedunt vel subsequuntur, potissimum eluceant; ita ut opus sit usu, nec minori judicio, quo considerata tota sententia, eruantur illæ, quæ unicuique in unoquoque loco, pro ratione dispositionis & consecutionis apprime conveniunt.

CAPUT II.

§. 1. Postquam ea explanavimus, quæ ad Sapientiam pertinebant, agendum porro est de Sapientiæ liberis, qui τέκνα vocantur ab Evangelista. Τέκνον à τίκτω, pario. Fœminis proprie tribuitur, ut maribus γεννάω. Verum quod multis aliis accidisse novimus, promiscuum deinde usum accepit utrumque. Τίκτω de utroque parente dixit Homerus ἰλ. χ. vers. 485. ὃν τέκομεν σύ τ' ἐγώ τε. Sic Andromache ad conjugem Hectorem. Adde ὀδ. ω. vers. 292. De Patribus idem vates passim, nec non Pindarus aliquot locis: de quo Scholiastes meminit ad hymnum IV. Pyth. ac Hesiodus. Ἡ τεκοῦσα Mater crebro apud Tragicos. ὁ τεκὼν Pater apud Lycophronem Cassandra, & Porphyrium in Isagoge. Contra ἡ γεννῶσα genitrix, ἀμφότεροι γεννῶντες ambo parentes, τὸ θῆλυ, τὰ θήλεα γεννᾷ frequentissime visuntur apud Aristotelem. Tum etiam Lucianus usus est, Polybius, alii. Metaphorice Plato Epist. III. βλάβην ἡδονὴ καὶ λύπην γεννᾷ. δυσμαθίαν καὶ λήθην καὶ ἀφροσύνην καὶ ὕβριν τίκτουσα ἐν τῇ ψυχῇ, *damnum affert voluptas & tristitiam, hebetudinem in animo & oblivionem, insipientiam & petulantiam pariens.* Hinc τέκνον fœtus, proles, & in plurali τέκνα liberi, sexus utriusque. Sophocles τέκνον vocat Electram, & Herodotus τὰ θήλεα τέκνα filias. Nec placent omnibus, qui τέκνα transferunt *filios*, Johann. 1:12. malunt *Liberos*, ne rude vulgus excludatur ab illa consolatione, quæ ibi ab Apostolo intenditur, licet sit fœminini sexus. Idem in aliis locis observare jubent. Verum hos securos esse vult Nicolaus Fullerus, cum omnes fideles filii sint, & quidem primogeniti; atque in Christo nec masculus censeatur nec fœmina. Quem vide contra Bezam disputantem de dicto Matth. III:9. Miscellan. sac. l. 2. c. 20.

§. 2. Non solum de hominibus, verum etiam brutis dicitur animantibus, terrestribus ac volatilibus, cum apud Poëtas, tum alios πεζογράφους. Leonibus, ursis, perdicibus & gallinis τέκνα tribuit Plutarchus, Aquilis Aristoteles, Vespis & Passeribus Homerus, simiis & gallinis Oppianus. Quin & θυγατέρας dixit Aristoteles de equino genere, & παῖδας Oppianus capreis adscribit, quemadmodum Simonides Halcyonem nominavit παιδοτρόφον. De qua re plura annotavit Thomas Gatakerus contra Pfochenium, & Clar. V. Conradus Rittershusius ad Oppiani Halieut. quandoquidem de rebus etiam inanimis leguntur haud raro παῖς & τέκνον. Flores ἔαρος τέκνα Chæremon, quos Aeschylus παμφόρου γαίας τέκνα nominat Persis vers. 620. & in Diris vers. 536. δυσσεβείας τέκος. Similiter Patris Matrisque vocabula usurpantur. De quibus laudati scriptores consulantur. Addimus Fratris sororisque nomina. Aeschylus in septem contra Thebas *Fumum ignis* κάσιν id est, *fratrem* appellat. Scholia priora, τὸ γὰρ πῦρ καὶ καπνὸς ἀδελφοί εἰσιν, ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης τικτόμενοι: posteriora, ὅτι καπνὸς ἕπεται τῷ πυρὶ φυσικῶς. Idem Agamemnone, *Pulverem luti fratrem*, ac Plato Epistol. VI. fin. σπουδῆς ἀδελφὴν παιδείαν, *doctrinam diligentiæ sororem* dixit.

§. 3. Cum de hominibus efferuntur vocabula τέκνον, παῖς & synonyma, varias exhibent notiones, pro ratione illorum nominum, cum quibus construuntur, declarandas. Sæpe junguntur cum alio substantivo in genitivo casu posito, ubi tota phrasis idem designat, ac substantivi alterius nomen adjectivum: υἱοὶ ἀπειθείας, iidem sunt, qui alias ἀπειθοῦντες & ἀπειθεῖς nuncupantur. Τέκνα κατάρας 2 Pet. 2:14. κατηραμένοι, κατάρατοι, maledicti, execrabiles. Est vero ubi υἱὸς exponitur per ἄξιος, dignus, ut cum dicitur υἱὸς γεέννης, ἀπωλείας, qui gehenna & pœnis infernalibus, qui exitio ac interitu dignus est. Sed nostri non est instituti, hoc loquendi genus, quod varium est, pertractare totum: plura qui desiderat, evolvat, Johannis Vorstii Philolog. sac. part. 2. cap. 24. Etiam quos

Cicero disciplinæ alicujus alumnos, Græci υἱὸς dicunt. De Pythagora in vita ejus refert Malchus, hoc est, Porphyrius, quod non solum viros, sed & fœminas instituit, & in his ibidem numeratur Theano; uti & Jamblicho in ejusdem Pythagoræ vita. Hanc Lucianus τῆς Πυθαγορείου Σοφίας θυγατέρα vocat, *Pythagoricæ sapientiæ filiam*. Et nostra Sapientia suæ disciplinæ habet alumnos, qui filii dicuntur Sapientiæ tum ratione doctrinæ illius, quam audiunt, tum ratione fidei, qua Christum recipiunt. Est enim liberorum obtemperare parentibus, horumque monitis & præceptis parere, quod qui faciunt, filiorum nomine inprimis digni judicantur. Itaque qui Christo morem gerunt, quique in ipsum credunt, ejus filii hic nominantur.

§. 4. Cæterum de pronomine αὐτῆς litem intendit Laurentius Valla, qui non *filiis suis*, sed *filiis ejus* vertit, ac refert ad versum præcedentem XVI. *Cui similem existimabo generationem istam?* ut nunc concludat de ista generatione, quod à filiis ejus sit justificata sapientia. Ut quidem aliquando ad remotiora referatur pronomen relativum, hic tamen nihil apparet, quod istum sensum ut necessarium requirat; eoque minus, quod δικαίωσις non sit damnantium sed absolventium. Præterea ambiguitas pronominis, quam urget nunc ac metuit Valla, nulla est, cum certum sit è Grammaticorum regulis, simplicia usurpari pro compositis, cum fit reflexio à possessione in possessorem. Quanquam, quod Revius observat, scribitur αὑτῆς, non αὐτῆς. Sed posterior lectio magis convenit cum indole linguæ. Patum etiam movet, quod D. Hieronymus hic, & D. Ambrosius in Lucæ cap. 7. notarunt, in quibusdam exemplaribus legi, *Ab operibus suis*; cum hodie in tanta optimorum codicum frequentia nulla in hoc dicto deprehendatur varietas. Potuit tamen facili lapsu pro τέκνων scribi ἔργων. Et sic exponitur Syrus apud Lud. de Dieu.

CAPUT III.

§. 1. RÉstat, ut de Δικαιώσει agamus, qua aliqui Sapientiam condemnari, alii absolvi eam existimant. Quid proprie designet verbum δικαιόω, maxime cum homo peccator ex gratia à Deo à peccatis absolvitur & justificatur, disputatum sæpe est à Pontificiis & Reformatarum Ecclesiarum doctoribus: nec quæsitum duntaxat de sacrorum scriptorum consuetudine, verum etiam profanorum dicta in controversiam vocata sunt. Ac eo quidem diligentius pervestigari debet hujus vocabuli notio, quo ipsum est illustrius, illiusque doctrinæ proprium, quæ in religione Christiana, nostræque salutis negotio præcipua censetur & summa. Cornelius a Lap. ad h. l. *Justificare duo significat, Justum facere, & justum declarare.* Scilicet verba in όω, derivata à nominibus adjectivis in ος, id efficere utplurimum significant, quod designatur nomine, λευκόω, λευκὸν, χαυνόω, χαῦνον, πικρόω, πικρὸν φαιδρόω, φαιδρὸν, efficio album, laxum, amarum, alacrem. Ergo δικαιόω est justum reddo: quod Pontificii de infusis virtutum qualitatibus, inditoque justitiæ habitu intelligunt. Nos vero negamus talem justitiæ infusionem usquam hoc verbo, etiam extra hoc doctrinæ caput designari. Nec licet Pontificiis pro arbitrio modum confingere, quem neque origo probat, nec usus demonstrat. Hæc namque duo illa remedia sunt, quibus utuntur Grammatici in eruendis propriis vocum notionibus. Ex utroque constat, verbum δικαιόω esse judiciale ac forense, notans absolutionem in judicio, pronunciationem, declarationem, admissionem alicujus tanquam justi. Vel ut plenius clariusque explicetur ejus vis, & quam late illa pateat, intelligatur distinctius, dicimus cum Dn. D. CALOVIO, *absolutionem sive declarationem justitiæ notari, sive ea sit judicialis in foro, sive extrajudicialis atque extra forum, sive de Deo, sive de Creaturis adhibeatur, sive vere, sive falso quis justus declaretur aut absolvatur.* Exegem. Aug. Confess. ad Artic. IV.

§. 2. Hanc sententiam non solum è perpetua scripturæ sacræ consuetudine, cujus contrarium, licet ad sudorem sanguinis allaboraverint Jesuitæ, ut B. Hutterus loquitur, nondum ostenderunt; verum etiam ex usu Græcorum profanorum probare conatur B. Chemnitius LL. Theolog. de Justific. c. 3. *In Græca*, ait, *communi lingua* δικαιοῦν *simpliciter est verbum forense, & duas habet significationes, I. significat aliquid justum censere seu pronunciare non privato judicio; sed sicut illi, qui cum imperio sunt, pronunciant. II. Significat supplicio afficere*, κολάζειν, *non sicut privati homines puniunt; sed cum causa dijudicata judicialiter aliquis punitur.* Subjicit: *Et ideo Apostoli hoc verbo usi sunt in Articulo Justificationis, cum Græcis in forensi significatione, in usu linguæ vulgaris notum esset: & quia 70.* τὸ δικαιοῦν *usurparunt pro Hebræo* הצדיק. Id quod indignum visum est Becano, qui, *Quid sentiant*, inquit, *profani autores de vocibus* (justificare &c.) *non magnopere refert. Malim ego ex sanctis patribus, quam ex Plauto vel Terentio discere sensum & interpretationem scripturarum. Hoc notent nostri Novatores*, tract. de justif. c. 2. qu. 5. n. 9. Neque Gatakero hic labor probari potuit qui, dum Pfochenium refellit, etiam Chemnitii sententiam examinat, contenditque *nihil à quoquam hactenus allatum comparere, unde vocis istius usus Apostolicus à veteri lingua Græca descendisse comprobetur.* Ad exempla è Plutarcho, Suida, Scholiaste Sophoclis allata, respondet, ea huc non pertinere. Nam illa δικαίωσις, de qua Suidas, neque ad hominem terminatur neque ad Deum; neque enim personam ullam sive reum, cujus utique res agitur, sed causam sive rem ipsam, de qua agitur, respicit. Uno verbo: Græci suum δικαιοῦν usurpant de re: scriptores sacri de persona. Quod tandem ipse B. Chemnitius observavit.

§. 3. Verum neque hoc perpetuum est, etsi Gatakerus opinetur, neminem adhuc docuisse contrarium. Aeschylus Agamemnone vers. 401. de persona usurpat, quæ instar æris attritu atque allisionibus probata, justa probaque pronunciatur & declaratur. Verba Poëtæ hæc sunt:

—— Πρέπει δ' φῶς	—— *Sed emicat lux,*
αἰνολαμπὲς σίνος,	*Grave-lucens noxa,*
κακοῦ δ' χαλκοῦ τρόπον,	*Et æris mali instar,*
τρίβῳ τε καὶ προσβολαῖς	*Attrituque & allisionibus*
μελαμπαγὴς πέλει	*Probatus vitiosus*
δικαιωθείς. ——	*Existit.* ——

Ita primum vertit Thomas Stanlejus. Difficilem reddit locum nomen μελαμπαγὴς, quo usus Poëta in septem contra Thebas versu 743. tribuitque sanguini, quem vocat αἷμα μελαμπαγές. Schol. τὸ μετὰ τὸ πεπηγέναι μελαινόμενον, *qui, postquam concrevit, nigrescit.* Verum quæ nunc ejus ratio sit, nusquam apparet. Nec male conjicit idem Vir doctissimus, scribendum μελαμπυγὴς, & interpretandum de Agamemnone, qui supra vers. 115. μελαναιέτῳ assimilatus, πυγάργῳ opponitur. Utrumque nomen legitur apud Aristotelem Histor. animal. l. 9: c. 32. cum sex aquilarum species recenset: sed Poëta suo more illum τὸν κελαινὸν *nigrum*, hunc τὸν ἐξόπιν ἀργίαν, *qui parte postica sit candidus*, nominat. Est autem μελαναίετος aquilarum κράτιστος, καὶ ἄφοβος καὶ μάχιμος, præstantissima, pugnacissima nec timida. Idcirco comparatur cum ea Agamemnon, & hic ob eandem causam μελαμπυγὴς appellatur. Hesychius, Μελάμπυγος ἀνδρεῖος, τοὺς γὰρ δασεῖς τὰς πυγὰς, ἀνδρείους ἐνόμιζον. Ac notum est proverbium, μὴ τῷ μελαμπύγῳ περιτύχοις, *ne in Melampygum incidas*: quod in lascivos & injuriosos homines quadrat. Est enim comminantis, ne quando incidant in eum, qui malefactorum pœnas de eis sumat. Et Aristophanes in Lysistrata Melampygum dixit quasi vindicem & ultorem: quod maxime convenit Agamemnoni Paridis injurias ulto. Scilicet Agamemnon versus Trojam profecturus, Clytæmnestræ pollicitus est, si urbem ceperit, se eodem die id significaturum accensa face. Eapropter ipsa speculatorem mercede conductum constituit, qui facem observaret. Et jam fere desperatum erat de victoria & reditu, cum subito accensa fax eluceret. Quod cum nunciatum esset Clytæmnestræ, senum cœtum accersit, è quibus constituitur Chorus, qui re audita pæana canunt. Hoc totius dramatis argumentum est & scopus. Sensus itaque verborum: *Quin apparet lux* (scil. facis) *grave-lucens noxa* (Trojanis.) *Et* (Agamemnon) *atras natas habens* (fortis & ultor) *instar mali æris, attritu & allisionibus* (per tam diuturni belli discrimina agnitus & probatus) δικαιωθεὶς πέλει *justificatus est*, rectus probusque inventus & declaratus absolutusque est.

§. 4. Verum hæc prima verbi significatio haud est. Alia ratio simplicium & primitivorum, alia compositorum & derivatorum. Quæ sit illorum vis ac potestas, solus docet usus, horum notiones etiam ex origine ac etymologia innotescunt. A δίκη δίκαιος, ab hoc δικαιόω. Δίκη proprie τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου κρίσις, juris & injuriæ dijudicatio, ut docet Aristoteles Ethicorum Lib. 5. cap. 6. Inde δικάζω judico, judex sum, δικαστὴς Judex, δίκαιος justus, τῇ δίκῃ τοῦ δικάζοντος κριθεὶς, qui talis judicis sententia est declaratus. Δικαιοῦν, δίκαιον, κρίνειν, νομίζειν, justum judicare, censere. Hesychius, Δικαζόμενον, δικαιοῦν, δικάζειν, & autor Etymologici ἐδικαιώθησαν, δίκαιοι ἐκρίθησαν, ἐνομίσθησαν. Est ergo ex prima impositione vocabulum forense ac judiciale. Id porro in pleris-

plerisque vocibus evenit, ut non maneant in sensu originis suæ, sed transferantur ad alia maxime συγγενῆ & cognata. Græci venerationem suam ostendebant manum ad os movendo, quod proprie est προσκυνεῖν. Nec aliud significat Latinum Adorare. Verum προσκυνεῖν usurpari deinde cœpit de quovis gestu reverentiam quandam testante. Neque judices soli, sed privati quoque quilibet, quid sit jus fasque, quid æquum, quid iniquum, & consulere & censere consueverunt; ac proinde haud minus de privato cujusvis judicio & opinatione, quam de judicis pro tribunali sedentis sententia adhibetur, ceu recte observavit Gatakerus. Sed quod ait, usum promiscuum fuisse priorem, à quo ad usum fori factus sit transitus, non placet nobis, neque convenit cum origine. Melius B. Chemnitius, à specie forensi ad genus fuisse hoc verbum translatum.

§. 5. Præterea τὸ δικαιοῦσθαι de personis dictum opponitur τῷ ἀδικεῖσθαι, & respicit τὸ δικαιοπραγοῦντα, sicuti alterum τὸ ἀδικοῦντα. Aristoteles l. c. cap. 9. ἀδύνατον γὰρ ἀδικεῖσθαι, μὴ ἀδικοῦντος, ἢ δικαιοῦσθαι, μὴ δικαιοπραγοῦντος, *Nam fieri non potest, ut quis injuriam accipiat, nisi sit, qui faciat, aut ut jus suum obtineat, nisi sit qui juste agat, justique judicis munere fungatur.* Tum è contrario *justam contra se vel alios ferre sententiam, vel damnare* designat apud Thucydidem Lib. III. item *punire, justas expetere pœnas*, apud eundem & Polybium. Nam & τὰ δίκαια pœnæ dicuntur atque ultio ab Æschylo Agamemn. versu 821. Ælianus lib. XIV. var. histor. cap. 7. παίεσθαι verberari & δικαιοῦσθαι conjungit. Suidas, δικαιοῦν δύο δηλοῖ, τό τε κολάζειν, καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν, *duo significat, punire, & justum censere.* Paulo post idem: δικαιοῦσιν, καταδικάζουσι. Hesychius, δικαιοῦν, μαστιγοῦν, νουθετεῖν. δικαιούμενον, κολαζόμενον, δικαιῶσαι, κολάσαι. Sæpe ita Herodotus. Hinc δικαίωμα Aristoteli lib. V. Eth. cap. 7. τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος, *correctio & emendatio injuste facti, seu injuriæ alteri illatæ.* Idem etiam est ac δικαιολογεῖν, jura sua allegare, ac se defendere. Unde δικαίωσις apud Lysiam orat. VIII. pro milite: ἔτι πλείονας καὶ νόμους καὶ ἄλλας δικαιώσεις παρέξομαι, cum autem eadem opera demonstrandum mihi existimem, liberum me esse ab omni culpa, plures adhuc leges producam, ad causæ meæ justitiam declarandam. Inprimis de causa dicitur vel re, quam æquam justamque censemus. Ita Herodotus locis plurimis, Lucianus, Plutarchus, alii. Cum Scipio Uticam oppugnabat, Siphax regulorum Numidiæ præstantissimus, qui pacis sequester videri voluit, ἐδικαίου, æquum censebat, Romanos abstinere bellum ab Africa, Carthaginienses ab Italia, ut est apud Appianum de bell. Pun. Unde porro simpliciter significat censere, judicare, vel commodum atque utile vel dignum censere, apud Herodotum, Thucydidem, alios.

§. 6. Cæterum quid sit δικαιοῦσθαι in nostro dicto, de eo dispiciendum nunc est. Castellio vertit, *Estque suis aliena sapientia.* Quod ipsum videtur perquam esse alienum à vocis usu, sed ille respicit dictum Pauli ad Rom. 6: 7. Qui mortuus est, δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, justificatus, id est, liberatus est à peccato. Putat enim causam efficientem significari per ὑπὸ, objectum vel subjectum per ἀπό. Neque sententia est incommoda, quæ inde eruitur, quod nempe Sapientia ex promissione patribus facta, quasi jure quodam obligata sit Judæis: sed cum ab his repudiaretur, absoluta liberataque est ab illo jure sive obligatione, debuitque prædicatio Evangelii transferri ad gentes. Vid. B. Lyserum in Harm. c. 55. Verum aliud est liberum fieri ab aliqua re, & esse alienum ab eadem. Neque congruunt dicta Matthæi & Pauli. Ibi personæ, hic res quædam vel status designatur. Et licet verbum Græcum in posteriori loco haud male reddatur per *liberari*, tamen cum liberandi modi diversi sint, satius fuerit, judice Celeberrimo Dn. D. Schmidio Colleg. Bibl. poster. p. 211. retinere verbum *Justificari*, vel vertere per *absolvi*: cum sic non possit ad alium, quam forensem modum revocari. Ἀπὸ sæpe quidem *distantiam* notat, *absentiam*, *remotionem vel separationem*; sunt tamen apud Pausaniam multa loca, in quibus ista præpositio construitur cum verbis passivis in significatione causæ efficientis. Neque mutandum quicquam cum doctissimo Sylburgio, qui observat, rectius scribi ὑπό. Apud alios alia exempla visuntur plurima, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Isocratem, Æschynem, Aristotelem, alios etiam juniores, Lucianum, Arrianum, & Ecclesiæ doctores Clementem Alexandr. Andream Cæsariensem, de quibus id ipsum annotavit Sylburgius in Indicibus. Addi potest Portus in Not. ad Xenoph.

§. 7. Alii in malam partem accipiunt de accusatione & reprehensione; quod placet B. Schmidio, cum vertit: *Præmature in judicium vocatur sapientia à filiis suis.* Idem exponit, hofemeistern / zu rechte legen. Hujus interpretationis meminit doctiss. Camerarius ad h. l. eamque his verbis declarat: *Sententia pronunciatur tanquam in judicio, de sapientia ab eis, qui illam ut pueri audire debebant.* Et huc refertur B. Lutheri versio Germanica, die Weißheit muß sich von ihren Kindern rechtfertigen lassen. Argumentum, quod pro ista expositione affert. B. Schmidius, è συνεπείᾳ textus petitum est, qui de perversitate hominum agit, cum nihil perversum magis ac præposterum sit, quam cum sapientia à suis judicatur discipulis. Sed non animadvertit idem, quod hac ratione vincant filii, ac juste accusent & damnent sapientiam. Nam δικαιοῦν est justo judicio damnare, justam sententiam contra aliquem ferre, justas pœnas exigere. Ideo Scholiastes Thucydidis eo loco, qui pro hac sententia adducitur, verbum δικαιώσεσθε explicat, δικαίως καθ' ὑμῶν ἀποδείξετε, ὅτι τυραννικῶς ἄρχετε, *juste sive jure contra vos statuetis sive demonstrabitis, quod tyrannice imperatis.* Præterea Lucas, cum eadem verba recitat, addit πάντων, ἀπὸ τέκνων αὐτῆς πάντων, cap. 7: 35. Absurdum utique fuerit existimare, à suis omnibus tam indigne habitam esse sapientiam, ut adversus eam sibi ipsi censuram arriperent universi. Quod Camerarium movebat, ut rejiceret hanc explicationem. Addi potest B. Tarnovius Exerc. Bibl. pag. 467. qui ab aliis observatum memorat, τὸ δικαιοῦσθαι nunquam in malam partem sumi. Quod latius declaratur à maxime Reverendo Dn. D. CALOVIO ad h. l.

§. 8. Eodem inclinare videtur Johannes Coch ad Sanhedrin & Maccoth cap. IV. p. 240. sed non declarat satis, quid velit, multumque laborat in illius mente illustranda Cl. Lud. de Dieu. Verba Tituli Talmudici hæc sunt: *Quicunque verbis vincit* (זוכי) *regem, in vivarium conjici dignus est.* Ad hæc notat: *Ad verbum*, Justificat, Glossa: *qui eum vincit, verbis ad silentium adigit & pudefacit. Estne hoc*, subjicit, *quod in Evangelio dicitur*: Sapientia justificata &c. Si justificare est vincere, & ad silentium adigere & pudefacere, justificari erit vinci, & Sapientia à filiis justificata, victa erit, superata & ad silentium ac pudorem redacta. Quod an de Sapientia nostra dici queat, videat Coccejus? Nec alium ipse Lud. de Dieu sensum inde poterat elicere. Putat tamen, eum vincere, non qui justificat, sed qui justificatur. Interim scrupulus adhuc urget Virum doctissimum, quod δικαιοῦσθαι in vincendi significatione alibi non inveniatur, nec respondeat τῷ זכה, sed τῷ צדק, quod nunquam vincere significat. Qua in sententia etiam fallitur de Dieu. Mich. 6: 11. הַאֶזְכֶּה בְּמֹאזְנֵי רֶשַׁע legimus, pro quo LXX. εἰ δικαιωθήσεται ἐν ζυγῷ ἄνομος; Verum de hoc argumento transigant ipsi. Non id statim significat verbum Græcum, quod & Hebræum designat, cui reddendo à senioribus Græcis est adhibitum. Si conferantur versio & contextus Hebræus, res evadet clarissima.

§. 9. Quare communior interpretatio retinenda est, qua δικαιοῦσθαι dicitur, qui justus, rectus, probus invenitur, agnoscitur, declaratur & celebratur. Ita B. Hieronymus: *Justificata est sapientia, id est, Dei dispensatio: vel Christus, qui Dei sapientia est, juste fecisse comprobatus est à filiis suis Apostolis.* Nec alia mens Origeni: ὁ Χριστὸς ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, ἐκ τῶν τέκνων αὐτῆς, τουτέστι τῶν πιστῶν, ἐδικαιώθη, ὡς σεσωσμένων ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς τῶν ἀπολλυμένων ἀπωλείας, ὡς πάντα εἰπὼν καὶ πράξας καὶ διδάξας, ἐκείνων μὴ δεξαμένων. *Christus Dei sapientia, & à filiis suis, h. e. fidelibus justificatus est, tanquam qui ab ipso servati sunt, & ab ipso pereuntium exitio, quod omnia & dixit & fecit & docuit, cum illi ista recipere nollent.* Assentit D. Chrysostomus, cum sapientiam Dei nullo jure incusari posse contendit, quæ nihil eorum neglexit vel omisit, quæcunque ad salutem valere poterant: Judæi vero repugnabant, suisque obstabant commodis. Et hæc vulgata verbi notio est, cujus ex Æschylo exemplum adduximus. In sacris inveniuntur plura, de Deo præsertim, qui δικαιωθῆναι dicitur ab hominibus, cum justitia, bonitas fidesque ejus patefit, agnoscitur & celebratur Rom. 3: 4. Psal. 51: 6. adde 1 Tim. 3: 16. Confirmat eandem Liberorum nomen, quo illi demum digni habentur, qui parent & obtemperant, non qui adversantur & obsistunt. Unde Basilius M. τέκνα τῆς Σοφίας ὁ Κύριος εἶπε τοὺς ἐν τῇ θεογνωσίᾳ μεμορφωμένους, *Liberos sapientiæ dixit, qui agnitionis Dei forma sunt figurati.* Tandem Lucas cit. loco corroborat hanc expositionem, qui scribit, Populum omnem ac Publicanos δικαιῶσαι τὸν Θεόν, cum baptizarentur à Johanne; Pharisæos contra ac legisperitos repudiasse Dei consilium, cum nollent baptizari. Ut hic opponuntur Populus & Pharisæi, & ille Deum justificabat, hi rejiciebant: sic in nostro dicto Pharisæi sapientiam vituperabant; quam filii ejus laudabant ac celebrabant. Conferri possunt, quæ à sæpius laudato Dn. D. CALOVIO contra Hugonem Grotium prolixius sunt explanata. Nos finimus, ac divinæ sapientiæ laudes tribuimus & gratias immortales.

M. JOH. AD. KÖNIG
DISSERTATIO
De Regina Austri ad Matth. XII: 42.

CAPUT PRIMUM.

§. I.


Uam Reginam JESUS CHRISTUS Salvator βασίλισσαν νότου, id est, *Austri* dixit atque appellavit Matth. 12:42. Luc. 11:31. ea in textu Hebraico 1 Reg. 10: 1, 2. Paralip. 9: 1. מַלְכַּת שְׁבָא *Regina Schebæ* audit, hoc est regionis cujusdam, cui à primo habitatore nomen *Scheba* adhæsit. Metonymia autem gemina hic reperitur, altera efficientis, Scheba pro posteris Schebæ: altera adjuncti, posteri Schebæ pro regione illa, quam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum collocabant, uti Piscator hoc explicat in Schol. ad loca jamjam laudata. Νότος vero ventum significat, τὸν ἀπὸ μεσημβρίας, ut Aristoteles, vel quisquis Autor est libri de Mundo Cap. 4. sentit, (qui spirat à meridie.) Latini Austrum vocant, sicuti satis superque testatur Gellius in Noct. Attic. Lib. 2. cap. 22. Græcis νοτὶς est humor, unde νότος, quoniam est *nebulosus atque humectus*, eodem Autore. Confer Plinium Natur. Hist. lib. 2. cap. 47. Vitruvium Lib. 8. cap. 2. Per metonymiam terras quoque subjectas notat, sive partem cœli terræve aut urbis etiam australem. Syrus, cui alias, & jure quidem, multum tribuitur, vertit ܡܠܟܬܐ ܕܬܝܡܢܐ *Regina meridiei*.

§. II. Nomen Reginæ nusquam exprimitur. Josephus L. 8. Antiquit. c. 2. *Nicaulen* volatam, asserit, quam commendat ut fœminam σοφίᾳ διαπεπονημένην, καὶ τἆλλα θαυμαστὴν id est, sapientia excultam, atque etiam in cæteris admirabilem. Abassini, qui eam sibi vendicant *Maquedam* vel *Makedam* appellitant; aliis *Nicolaa*, nonnullis *Belkis* dicitur. Josephi in nomine error manifestus est. Herodotum laudat maxime, qui *Nicaulen* in Ægypto regnasse scribat. At nihil hic Herodotus, alias non infimæ Classis Vir, scribit. Verba quæ respicit Josephus, leguntur Lib. 2. qui Euterpe: *Mulieri*, ait, *quæ regnavit* (in Ægypto) *fuit nomen idem*, *quod Reginæ Babylonicæ*, Nitocris Νίτωκρις. De Babylonica Nitocri egerat l. 1. hanc Ægyptiam Nicrotin hoc nomine appellant Africanus è Manethone, itemque Eusebius L. 1. Chronic. De Nicaule altum tenet uterque silentium. Etiam ex sacro Bibliorum Codice abunde liquet, Salomonis ætate viros, nequaquam autem fœminas regno præfuisse, in Ægypto, Pharaonem nempe, cujus filiam duxit Salomon, & Sesacum, utpote ad quem Salomone adhuc in vivis existente confugit Jeroboam. Conf. 1 Reg. 3: 1. 11: 40. Herodotus nullum tempus notat, quo regnaverit Nitocris, & quæ ipsi tribuit atque vendicat Josephus, quasi dicat post Reges 330. regnasse hanc fœminam, ibi non comparent. Contra vero ex Eusebio colligere est, Patriarcharum tempore imperasse hanc Reginam, multis ante Salomonem seculis. Confer quæ hac de Regina notat B. Glassius Gr. S. p. m. 852. & B. Gerh. in annot. ad Matth. c. 12. vs. 42. p. 654.

§. III. Id mihi longe maximam attulit admirationem, extitisse, qui plane negarent מלכת שבא fœminam fuisse. Ita enim in Bava bathra legitur, teste Eruditissimo Lightfooto ad Luc. 11: 31. *quicunque dixerit*, *quod* מלכת שבא *fuit fœmina*, *non est nisi errans*. Quid ergo est jure meritoque quæritur: Respondetur ibi מלכות דשבא *Regnum Schebæ*. An quia venisse dicitur cum exercitu numeroso splendidoque, credendum est, ipsum Regnum suis se sedibus movisse & extulisse Hierosolymam? Lepida profecto ingeniosaque interpretatio & Magistris illis ineptiarum dignissima. Recte Lightfootus subjicit: *Si quid ambiguitatis esset in voce* מלכת, *quæ quidem nulla est*, *& de qua nemo interpretum dubitavit*, *magnum oraculum veritatis nos docuit*, Reginam adiisse Salomonem, non Regnum. Sed hæc dimittimus. De eo major difficiliorque controversia est, unde scilicet venerit illa ipsa Regina, & quibus populis ac gentibus imperarit ac præfuerit.

§. IV. Hierosolymam si respicias, plures invenies regiones Austrum versus sitas, inque iis Arabiam præcipue, Ægyptum & Æthiopiam, quæ etiam hic loci in controversiam, quantum nobis quidem constat, veniunt. Auspicabor ab antiquissimis. LXX. Interpretes parum juvant, qui Hebræum in versione retinuerunt βασίλισσα Σαβά. Josephus qui tempore excidii Hierosolymitani & postea vixit, eam, quæ ad Salomonem venit, τῆς Αἰγυπτίων καὶ τῆς Αἰθιοπίας, Ægyptiorum & Æthiopum Reginam diserte nominat loc. ante cit. & Lib. 2. cap. 5. tradit, Æthiopicorum Regum sedem regiam fuisse Sebam, quam Cambyssus, Rex Persarum de sororis nomine Meroen appellavit. Hujus sententiam multi alii, tum antiquiores Ecclesiæ Doctores, tum juniores Scripturæ Sacræ interpretes amplexi sunt, quod legere est apud B. Waltherum in Harm. ad 1 Reg. 10: 1. p. 420. & apud Maxime Reverendum atque Excellentissimum Dn. D. Calovium, Patronum & Præceptorem æternum devenerandum in Bibliis Illustratis ad eundem locum.

§. V. Argumenta varia afferunt, eademque ex Textus circumstantiis pleraque eliciunt. Etenim Ægyptum & Æthiopiam ad meridiem fuisse positas, si Judæam respicies atque Hierosolymam, dubium est nullum. Et Æthiopia præsertim remotissima est ab Hierosolymis, ut proinde verum sit, quod Evangelistæ scribunt, venisse hanc Reginam ἐκ περάτων τῆς γῆς à finibus sive terminis terræ. Quæ verba sæpissime leguntur in sacris literis, cum terræ designantur longinquæ, sed procul remotæ, docente Vossio Part. II. Philolog. sac. p. 30. præterea Ægyptus & Æthiopia, auro abundare & thure & aromatis, qualia etiam dona afferebat Salomoni, perhibetur, & quod minime prætereundum, multis seculis fœminas imperio functas fuisse in Æthiopia assumto Candacis nomine, ut nos Strabo docet Lib. 16. & 17. & Plin. lib. 6. cap. 29. circa finem, sed & alias cum Regum Austri mentionem facit Sacer Bibliorum Codex Ægypti Reges intelligit, ut patet consulenti Danielem Cap. 11: 5. accedit tandem consensus Scriptorum rerum Lusitanicarum, qui Abassinis pervulgatam traditionem accesserunt, Reginam istam suæ fuisse gentis, quas in famam ejus quoque ingressos perhibet Grotius ad 1 Reg. 10: 1. cum venisse eam dicunt ad Salomonem eo animo, quo Thalestris ad Alexandrum. De Thalestri vide Curtium lib. 6. cap. 5. hoc scilicet tradunt, atque docent, Abassini, Salomonem non hospitio tantum, sed & thalamo excepisse Reginam, & ex illa suscepisse filium, cui nomen fuit MEILECH, à quo porro Abassinorum Reges prognati hodienum ab ipsis creduntur, ideo in titulis illi *cognovisse* vocant *stirpis Juda Filios Davidis & Salomonis*. Istud argumentum, quod B. Schmidius urget non omnes forte admittent ejusdem quamvis sententiæ patroni. Distinguit inter שבא & סבא. Hic Chusi filius per samech, ille Chusi nepos ex Regina per schin scribitur Gen. 10: 7, 8. סבא scba Arabiam suam fecit, scheba שבא Insulam Æthiopiæ, Nilo circumfluam, quam Meroen postea nominarunt. Unde talem ἀπόδειξιν conficit: *Ex earum terrarum*, *quæ ab Hierosolyma*

inaustra-

inaustrales, sola illa, quæ habuit olim nomen scheba venit Regina. Atqui sola Meroe Æthiopica ex terris respectu Hierosolymæ australibus, habuit nomen schebæ: Ergo &c.

CAPUT II.

§. I. Vidimus qui pro Æthiopia pugnant: jam & illos lustrabimus, qui ex Arabia venisse autumant, eorumque rationes in medium afferemus. Quod si numero nunc certare liceat, atque autoritate affirmantium, non hi prioribus cedent aut palmam tribuent, sive antiquitatem consideres, sive alia quæcunque. E veteribus Philostorgius scribit Sabæorum vel Homeritarum regionem *& magnam & felicem Arabicam*, à Græcis appellari, καθήκειν δὲ ἐπὶ τὸν ἐξώτατον ὠκεανὸν, ἧς μητρόπολις ἡ Σάβα, δι' ἧς καὶ ἡ βασιλὶς κατὰ τὸν Σολομῶντα παραγίνεται, i. e. *& attingere extimum Oceanum cujus metropolis sit Saba, per quam ad Salomonem Regina accesserit.* Non aliud indicat Theodoretus, licet verba primo intuitu contrariæ sententiæ favere videantur. Verum enimvero quæst. 22. in Num. *Saba* scribit, *gens est Æthiopica.* Euangelista enim dicit βασίλισσα αἰθιόπων ἀναστήσεται. Sed aliter Euangelista hoc loco, quem tractamus, in quo nulla adhuc varietas lectionis observata est. Nec Theodoretus Æthiopiam vere sic dictam intellexit. Ad Reg. 3. quæst. 33. satis abundeque declarat, quales ipse Æthiopas velit. *Eos autem* (addit) *ajunt ad mare Indicum esse sitos & Homeritos nominant. Sunt autem è regione Auxumitarum, mari inter hos & illos intermedio. Iis imperavit admirabilis illa mulier, cujus studium laudavit DOMINUS CHRISTUS.* Hæc ille.

§. II. Quales Æthiopes intelligat facillimo negotio capere quisque potest ex iis, quæ subjungimus. Homeritas dici ait. Homeritæ secundum Procopium Cæsariensem de bello Persico Lib. 1. habent è regione in opposito continente Æthiopes, qui vocantur Auxumitæ. Sic antea descripsit Theodoretus. Auxumitæ sunt Æthiopes, inter quos & Homeritos rubrum mare interjectum est. Plinius quidem, Ptolomæus & Arrianus distinguit Homeritos & Sabæos Arabas, sed Procopius, Gazensis & ante illum Philostorgius pro iisdem habent. Hujus verba, Lib. II. hæc sunt, Σάβα μὲν πάλαι, ἀπὸ τῆς Σάβα μητροπόλεως, νῦν δὲ ὁμηρίτας καλεῖσθαι. Scilicet Æthiopes ab aliquibus dividi solent, in Orientales, qui sunt Arabes, & Occidentales, qui sunt sub Ægypto. Ita celeberrimus Vossius Libr. 1. de Idololat. cap. 30. pagin. 226. utrosque vocatos esse Æthiopes cum ex Mose, tum ex Homero aliisque constare ait. Homerus ὀδ. α. vers. 23, 24. Æthiopes bifariam divisas scribit, τοὺς μὲν δυσομένου ὑπερίονος, τοὺς δ' ἀνιόντος, *alios quidem occidentis solis, alios orientis.* Ad quem locum, qui veterum Grammaticorum ingenia vehementer afflixit vexavitque, multa annotat Eustathius & Strabo Libr. 1. Geograph. Unde potest intelligi, quorsum pertineat Hieronymus, quem utraque pars pro sua solet sententia adducere, & qui Æthiopiam hic tuentur & qui Arabiam. Ad Esai. Cap. 60. *Madiam*, inquit, *& Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles Camelorum, omnisque provincia Saba nomine gaudet. Unde fuit & Saba Regina.* Atque Cyrillus ad eundem Prophetæ locum: *Saba regio est ultra terram Arabum, & prope mare rubrum, ex quo Saba Æthiopum Regina temporibus Salomonis accessit Hierosolymam.* Partes illas Arabiæ maritimas, quæ mare rubrum & Arabicum Indicumque attingunt, non Arabiæ nomine designant, sed vel Æthiopiam vocant, eo sensu, quo antea monuimus, vel trans Arabiam speciatim sic dictam. Sed hic loci controversia est non de Æthiopia Arabica vel Asiatica, verum de Africana, quæ sub Ægypto, & in qua Meroë. Alios non afferam sive veteres sive recentiores, quos videre est apud B. Waltherum l. c. præcipue apud Maxime Reverendum Dn. D. Calovium l. alleg., qui hanc ipsam sententiam pluribus asseruit, quamque amplexus est B. Lutherus in versione Germanica 1. Reg. 10. **Die Königin vom Reich Arabien.** De Arabia autem felice hic potissimum sermo est. Eandem interpretationem prolixe probat Clarissimus Bochartus Libr. II. Phaleg. cap. 26.

§. III. Rationes adducere multas possumus. Sabæi gens clarissima, cujus Metropolis Saba, vel Σαβαὶ aut Σάβω, aut Σάβας vel Σαβᾶς, prout talia peregrina vocabula à Græcis varie scribuntur atque efferuntur. Sabæos illos in Arabiam collocant plerique omnes Scriptores, ad mare rubrum & ad sinum Arabicum Agatharchides τὸ τῶν Σαβαίων γένος μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, *Sabæorum gens est omnium Arabicarum maxima.* Et Diodorus, πολυανθρωποτάτους τῶν Ἀραβικῶν ἐθνῶν vocat, *numerosissimos Arabicarum gentium.* Ad mare rubrum, ponit Dionysius Periegetes, Priscianus & alii. Hi Sabæi & originem & appellationem à שבא Hebræo, quod cum schin scriptum in Scriptura Sacra Æthiopica nusquam designat, uti affirmat Pineda Libr. V. de rebus Salom. Cap. XIV. §. 6. & ex ipso Salianus ad Ann. Mundi 3047. ap. B. Danhawerum Hermeneut. sac. pag. 379. à quibus partibus quoque stat Maxime Reverendus Dn. D. Calovius loc. cit. sed neque סבא; quod multi concedunt, Æthiopiæ notionem habere, largitur Bochartus Libr. IV. cap. 8. qui antea scripserat Cap. III. de Chusi filiis. *Horum maxima pars veterum cum in Africa sedes quæsiverunt, toto cœlo aberrarunt.* Nempe Chus de Æthiopia interpretati sunt, cum Hebræi, tum Christiani plerique omnes: quos loc. cit. cap. 2. refellit Bochartus argumentis quam plurimis.

§. IV. Sabæi abundabant balsamo, & casia, & myrrha, & thure, & cinnamomo aliisque aromatibus, auro item argento & gemmis, testibus Agatharchide, Strabone, Diodoro aliisque. De his Plinius Lib. XII. 17. *Non alia ligni genera in usu sunt, quam odorata. Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrhæ.* Thura Arabiæ propria, ut magno consensu docent Physici. Etiam Scriptura thuris proventum tribuit regioni שבא apud Esai. cap. 60: 6. Jerem. 6: 20. Balsamum in Judæa quidem nascebatur, sed Judæi, teste Josepho, eam huic reginæ acceptam ferebant. Est vero balsamum Arabica planta non Æthiopica. Illud prodidere Agatharchides, Antemidorus, Diodorus & Pausanias. Etiam cum Austri Regina appellatur à Salvatore nostro, optime id convenit Arabiæ, quæ pariter Judææ respectu australis est, habetque Saba Arabia ferme eandem longitudinem, quam habet urbs Hierosolyma & apud Hebræos Jeman vel Aljeman, quod augustum significat, sæpe vocatur regnum Saba. Nubiensis Clim. I. Part. 6. *Urbis Saba incolæ erant è gente Jeman.* Benjamin in Itinerario, *Saba, quæ & Aljeman.* Salmaticensis Libr. Zuchasin, *Saba est ex regno Jeman.*

§. 5. Cum porro hæc regina dicitur venisse ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, è finibus terræ, non id officit Arabiæ. Primo enim phrasis hæc nihil aliud notat, quam longissimam quandam distantiam deque ea potissimum regione dici potest, quæ ibi sita est, ubi videri queat terrarum terminus. Quod bene quadrat in Arabiam extremam cum ea, distet Hierosolymis 606. Leucis Gallicii teste Adrichomio. Estque hæc regio extrema & ultima ad mare Arabicum sive Indicum quo finiuntur ibi & clauduntur terræ continentes. Deinde Herodotus Libr. III. Πρὸς δ' αὖ μεσαμβρίης ἐσχάτη Ἀραβίη τῶν οἰκεομένων χωρέων ἐστί. Ἐν δὲ ταύτῃ λιβανωτός τε ἐστὶ καὶ μούνῃ χωρέων πασέων φυόμενος, &c. *ad meridiem ultima è regionibus, quæ habitabantur, Arabia est: in qua sola omnium nascuntur thus, &c.* Unde est, quod Pompejus apud Plutarchum in vita ejus *Syria perdomita tam impense optabat* διὰ τῆς Ἀραβίας ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν ἐλάσαι θάλασσαν, ὡς τῷ περιιόντι τὴν οἰκουμένην πανταχόθεν ὠκεανῷ προσμίξειε νικῶν, *per Arabiam ad mare Erythræum penetrare, ut victor perveniret ad oceanum, quo undiquaque terra cingitur.* Itaque commode extremis Arabiæ oris fines terræ tribui possunt, cum ista oceano alluantur.

§. VI. Quod tandem attinet fœminarum imperium neque illud ignotum fuit Arabibus atque Sabæis. Aben Ezra ad Dan. cap. 11: 6. de regno Ajeman, quod est Sabæorum, *hodieque* scribit, *mulier illis imperat.* Et Claud. in Eutrost. Lib. I.

—— Indis levibusque Sabæis
Imperat hic sexus, Reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Quod si fides habenda est Chaldæo Paraphrasti, etiam latronum Sabæorum, qui invaserant servos liberosque Jobi Cap. 1. vs. 15. Dux fuit fœmina. Ita enim ille loco laudato. *Et derepente irruit Lilith Regina Zmargad & Bartinum.* Tempore Valentiniani Imperatoris Saraceni, Reginam habebant Maiviam. At Saraceni sunt Arabes. Ammianus Lib. 23. *Scenitas Arabes quos Saracenos posteritas appellavit.* Qui distinguunt, utrosque tamen in Arabia collocant. Atque hanc ipsam de Arabia sententiam etiam nos præferimus, ideo potissimum, quod שבא in scripturis non aliam denotat regionem, quam Arabiam, quodque profani Scriptores non alios etiam Sabæos, qui apud ipsos celeberrimi sunt, & crebro commemorantur, agnoscunt, quam qui sint Arabes.

CAPUT III.

§. I. Videndum adhæc, quantum valeant argumenta, quibus uti solent, qui pro Æthiopia hoc loco pugnant. Haud postremum videtur, quod è Josepho eruunt, qui Lib. II. antiquit. capite 5. sic scribit de Æthiopibus à Mose ac Hebræis fusis prælio fugatisque, *ad ultimum compulsi in Saba Regiam ejus gentis, quam postea Cambyses Persarum Rex de sororis suæ nomine Meroën nominavit, obsidione sunt cincti.* Ergo habemus Sabam in Æthiopia Africana, eamque regiam sedem. Mirum quod nemo alius hujus urbis meminerit, nomine quidem Saba, præter Josephum, qui in hac præsertim historia de Regina Scheba peccavit multa. De nomine Reginæ, & Herodoto male in partes vocato, actum est supra. Jam de urbe Saba nonnihil monendum, dicendumque hanc ait à Cambyse nomen accepisse novum, appellatamque Meroën. Verum Meroë à Cambyse primum condita est: adeoque ante Cambysen Meroë plane fuit nulla, nulla proinde Saba Æthiopica. Illud testatur Diodorus Siculus L. 1. & Lucius Ampelius apud Bochartum l. cit. Etiam in eo abit Josephus à Diodoro, quod hic de Matris nomine, ille de sororis urbem nuncupatam censeat. Alterum quod præ cæteris urgeri potest, ab usu Scripturæ petitur, quæ Ægypti Reges appellat Reges Austri in Danielis vaticiniis. Atque hoc etiam Lightfootus ad Luc. 11: 31. obvertit. Ad Austrum Judææ tam Sabæorum Regnum, quam Æthiopia & Ægyptus sita est, ideoque & hæc, & ista, & illa, sic potest vocari. Et sane apud Hebræos, quibus de ante, Sabæa eo nomine insignitur. Sunt tamen & cætera consideranda, ut tandem aliquando pateat, quæ ex istis huc præprimis pertineant. De Prophetis ait Bochartus l. c. p. 152. *Aliter loquuntur Prophetæ, quibus solemne est, prædictiones suas verbis ænigmaticis involvere: aliter qui res gestas referunt, simplici stylo, quod hic faciebat Christus Salvator.* Scilicet existimat vir celeberrimus, Christum cum vulgo locutum esse, quod Sabæam *Regnum Aljeman sive Austri* nominabat: quo nomine apud Hebræos passim. Aliter quam Vulgus, Prophetæ loquuntur. Etsi enim & Æthiopia australis, nunquam tamen sic nominata legitur. Cæterum si cum Propheta etiam hic Ægyptum intelligas, obstabunt reliqua. Etsi enim Ægyptus Judææ proxima, cui non conveniant πέρατα τῆς γῆς, ultra quam regiones sunt amplissimæ, quæ nullo Oceano ambitur ac clauditur, ut ultima eo respectu dici possit.

§. II. Cætera quæ afferuntur pro Æthiopia, parum habent difficultatis. Quod situm attinet atque distantiam, non multum differunt Arabia & Æthiopia, & Herodotus iisdem de utraque verbis utitur. De illa quidem, uti supra notatum, ἐσχάτη Ἀραβίη, τῶν οἰκεομένων ἐστι. De hac paulo post, ἡ Αἰθιοπίη χώρη ἐσχάτη τῶν οἰκεομένων. Itaque per hoc, quod utraque commune habet nihil evinci potest. Imo melius convenit Arabiæ, ultimam vocari, quæ Oceano clauditur ac finitur. In proventu auri atque aromatum nemo est, qui Æthiopiam æquaverit Arabiæ: hæc enim quædam etiam propria habet ibi non reperta. Et si utraque æque iis abundaret, etiam hoc commune esset, neutramque juvaret argumentum: quemadmodum & illud, quod de fœminarum imperio peti consuevit. Quæ propria Arabiæ sunt, & huc pertinent, in præcedentibus sunt declarata. Abassinorum traditio, quam legere quivis potest in Confessione Zagazabo Episcopi Æthiopum in Confessione de fide & relig. Æthiop. apud Damianum a Goës multa procul dubio continet falsa & in Salomonem æque ac Reginam iniqua, quæ lectori cuivis facile patent.

§. III. Quæ contra nostram de Arabia expositionem excipiuntur, & pauca sunt, exiguique valoris ac ponderis. Negant initio nonnulli Arabiam Reginarum imperio unquam paruisse, eoque referunt Strabonis verba Libr. XVI. βασιλία δ' ἔχει κύριον τῶν κρίσεων καὶ τῶν ἄλλων (*habet vero Regem, qui sit Dominus judiciorum & aliarum rerum*) Agit de Meriaba Sabæorum urbe. Verum primo non satis quidem constat, Reginam hanc, de qua nunc agimus, regnasse sine marito. Nam eodem in loco verbis mox sequentibus idem scribit Strabo, non licuisse Regi apud Arabes Sabæos *in publicum prodire: qui contra peccaret, statim à populo abdicari, idque juxta vetus oraculum.* Idem testantur alii. Postea & illud negant, Arabiam habitam fuisse pro ultimo termino habitatæ terræ, neque Salomonis tempore neque Christi, sed quæ supra adducebantur, contrarium docent. Deinde concedamus omnino, habuere tamen & Arabes suas reginas, ut paulo ante satis superque probatum. Et Geographus Nubiensis Climat. 1. pag. 5. In *Marab. Arabiæ, quæ & Seba dicitur*, tradit regnasse fœminam tempore Salomonis nomine Belkis, quam Salomonis uxorem etiam nominat, apud Bochartum loc. cit. idem refert Pocockius in Notis ad Abul-Farajum. Plura quidem proferre hac de re in medium possemus, sed leges nobis præscriptæ filum abrumpere jubent.

תהלה למשיח צדקנו:

COROLLARIA.

I. Duplex hodie reperitur Græcarum literarum lectio & pronunciatio, quarum altera Græci hodienum usurpant: altera vero superiori seculo in Gallia & Belgio est inventa atque excogitata.

II. Illa admodum dulcis atque jucunda est: hæc autem, Ramæa quæ audit, perquam crassa est & κακοφωνίας plenissima, à linguæ suavitate, quam veteres commendant, longe alienissima.

III. Fuerunt quidem superiori seculo, qui hanc ipsam ut bonam, imo optimam, defendere ausi sunt, sed multi Eruditissimi Viri illo ipso tempore eam impugnarunt. Nostra quoque ætate fecit B. Schmidius in peculiari libello de Græcæ linguæ pronunciatione.

IV. Utilem tamen esse hanc novam pronunciationem ad docendum, ne diversa vocabula confundantur, ingenue fatemur.

V. Neque illud inficiamur, florente olim Græcia fuisse aliquod discrimen in sono & pronunciatione simplicium vocalium & compositarum sive diphthongorum, sed subtile admodum, quodque peregrini neque intelligerent facile atque animadverterent, multo minus imitari possent.

VI. Ab eo vero discrimine longe abest Ramæa pronunciatio, quam propterea pro veteri, vera, germana & genuina admittere haut possumus.

M. GEORG.

M. GEORG. FRID. MEINHARDI

CORBAN

SIVE

ΔΩΡΟΝ ΑΔΩΡΟΝ

ad Matth. XV: 5. & Marc. VII: 11.

PARS PRIMA.

בעזרת השם:



Rduum molior negotium, meisque forsan impar humeris, dum verba Matth. 15:5. & Marc. 7:11. à Spiritus S. Amanuensibus annotata, Diatribe Philologica expendenda suscipio; sive enim gravitatem argumenti considerem, sive in me ipsum descendam measque vires explorem, sive ad intricatas Virorum eruditorum disputationes variasque explicationes me convertam, dum verba sint vexatissima, & locus ille judicio Cl. Heinsii in Exercit. S. c. XI. p. 54. talis, in quo tot præclari illustresque viri tot tantisque modis se defatigarunt; *multa sane declinandæ & deserendæ provinciæ sese ingerunt argumenta, ne, quo veriora hac agnosco, eo majori vitio mihi vertatur, quod rem tot tantisque viris difficilem suscipere ausus fuerim. Verum enim vero cum labor præsens, minime ingenio cum talibus Viris certandi, aut, quod solent nonnulli, in optime meritos & eruditos viros debacchandi, ipsorumque sententias & rationes iniqua censura perstringendi causa, sed alium ob finem susceptus sit, veniam à B. Lectore mihi omnino promitto; dudum enim illud, quo quivis metiri se suo modulo ac pede jubetur, approbavi, & morem pessimum, quo immatura censura in Virorum summorum asserta à censoribus neque satis æquis neque idoneis sæpe exercetur, semper detestatus sum. Egregia sunt verba, quibus Criticorum suæ ætatis facile princeps, Thomas Reinesius, in literis ad Virum Celeberrimum, Dn. Joh. Frischmuthium, Patronum meum, & Præceptorem, dum Jenæ viverem, dexterrimum, omni observantia ob magna in me merita & benevolentiam singularem ætatem deveneranandum, scriptis, perversum hunc morem graviter perstrinxit:* Sæpissime, *inquiens*, mirari soleo, in scholis, quæ juventuti modestiam imprimis commendare debebant, exemploque ad eam ductrices esse, permitti licentiam virunculis feroculis καὶ σφαδάζουσιν ὡς πῶλοι εὐφορβίᾳ, ut de summorum virorum sententiis, quas vix intelligere didicerunt, sedeant judices & censeant audacius. Sed nimirum leoni mortuo barbam vellunt lepores. *Quibus ipsis laudatus Philologus hæc verba referens eleganter subjicit, horum non aliam esse conditionem, quam culicis illius, qui, memorante Locmanno in fabulis Arabicis p. 17. cum cornu tauri insideret quidem turgidus, sed quavis pluma levior, num ei oneri esset & se levari expeteret, sciscitatus, hoc responsi tulerit:*
يا هذا ما شعرت لمن نزلت ولا للذي لمن ضررت
O tu, non animadverti, in quem descenderis, neque scio, cui noceas. *Et tantundem illorum virtuti & famæ inde inferri damni, quantum molestiæ & oneris conciliet robustissimo tauro summæ levitatis animalculum, culex, ab Ipso judicatur optime. Hæc ipsa uti sunt certissima, ita tale contradicendi studium, quippe quo doctiorum virorum favor amittitur, à quovis Musarum filio & modestiæ cultore abesse debet longissime. Aliud sane operam præsentem mihi suasit: Cum enim abhinc ferme triennium in Dissert. I. de Nasiræis, in Academia Jenensi conscripta, peculiari διατριβῇ de Votis sacris, quæ ibi paucis, illustrationi Voti Nasiræatus inservientibus, attigeram, me acturum, cap. III. promiserim, promissum autem tale nondum solverim, hinc, ne penitus datæ fidei oblitus videar, partem debiti jam exhibere, & Votum cit. locis à Christo improbatum hac vice pro viribus expendere decrevi. Varias eruditorum observationes circa hæc loca deprehendet lector: de his si quid monebitur, veritatis amore & modeste id fiet. Forte cecidi ego; cecidit, qui præivit; cadet, qui nos sequetur. Sint lectores benivoli, sint judices æqui! Quod igitur DEUS felix & faustum esse jubeat, textus ipsius verba in medium afferam:*

Matth. 15: 5, 6. Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς· καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ· καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν.

Marc. 7: 11. *seqq.* Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί, Κορβᾶν, (ὅ ἐστι, δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς· καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲ ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τῇ παραδόσει ὑμῶν, ᾗ παρεδώκατε· καὶ παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε.

CAPUT I.

§. 1. UT circa hunc textum legitime expendendum, ejusdemque verum sensum eruendum rite versemur & ordine, ante omnia circa ipsarum vocum, quæ quidem talem exposcunt, evolutionem, & phrasin, quippe variis expositionibus subjectam, recte cognoscendam nostra versabitur opera; versiones quidem nonnullas, ut Syriacam, Arabicam, Æthiopicam, Persicam &c. adducendi, easque, utpote haud parum inter se discrepantes & à vero quandoque aberrantes, examinandi animus erat, sed præscripta chartarum angustia aliud jam suadet; illis igitur expeditis, ad rem ipsam nos sumus accincturi, & quæ perversa Judæorum traditio, ut legi divinæ contraria, damnata fuerit, quæque vestigia hodienum in monumentis eorum de hac appareant, consideraturi sumus.

§. 2. Τὸ Κορβᾶν igitur, quod apud D. Marcum exponitur per δῶρον, Ebræis est קרבן, quod, ceu *in Thes. L. S. Sant. Pagn.* pag. 2538. bene dicitur, *nomen generale est cujusvis doni vel donarii, quod offertur DEO*, & tam de pecoribus quam frugibus, aliisque rebus, ut habet *Forster. in Dict. Ebr.* pag. 745. usurpatur, hincque ut genus omnibus omnino competit oblationibus sacris & sacrificiis. Audiamus R. *Bechai* Comment. in Pentat. f. 126. cap. 3. דע כי כל מיני הקרבנות הם י"ג חמשה מהם באות מהקמח והן מנחת סולת מנחת מרחשת מחבת חלות רקיקין וכלן נקראין קרבן השמונה מהם הם בעלי חיים והם עולה חטאת אשם תודה שלמים בכור מעשר פסח: i. e. *Sciendum est, tredecim oblationum species fuisse: quinque illarum farina (purissima) constabant, e. g. oblatio similæ, oblatio in clibano l. sartagine l. craticula cocti & placenta tenuis; atque hæ omnes nomine CORBAN veniebant: Octo vero illarum erant animalium, e. g. holocaustum, oblatio pro peccato, oblatio pro delicto, confessionis sacrificium, pacificum, primitiæ, decimæ, Pascha.* Addamus R. *Abarben.* qui Comm. in leg. p. 226. c. 2. vocis קרבן generalem significatum clare satis etiam adstruit, cujus verba hæc sunt: יש קרבן שאינו זבח והוא קרבן העוף כי אין בו שחטה והמנחה

גם כן שנקראו קרבן ואינו ב״ח שיפול גה שם זבח הנה אם כן הקרבן יותר כולל מזבח כי הוא לאמר על כל דבר נשחט ונזבח שית קרב על המזבח ועל העוף ועל המנחה עם חיות שלא יפול כה שם זבח: *Est CORBAN, quod non involvit mactationem, nempe oblatio avis, nulla enim ibi est mactatio. Mincha quoque vocatur CORBAN, neque tamen illa rei viventis est, in quam cadat mactatio. Ecce cum ita sit, CORBAN adhuc generalius est nomen, quam Sebach, quia illud dicitur de omni re mactata & sacrificio altari imposito, etiam de ave & Mincha; licet illi non competat nomen Sebach.* Conferantur ejusdem verba in Comm. in Lev. שם זבח ושם קרבן אינם נרדפים כל זבח קרבן הוא ולא התהפך: *Nomen Sebach & CORBAN non sunt Synonyma: Omne enim Sebach est CORBAN, sed non vice versa.* Conf. *Hackspan.* in Not. ad Lev. c. 12. p. 421. *Saubert.* de Sacrific. p. 14. c. 1. Et hinc apparet, quod minime idem sint קרבן & מנחה, ceu vult quidam Jesuita, contra quem recte monet *Frid. Spanhemius* P. 111. D. E. p. 838. quod *haec vox generalior sit, adeoque accommodatior ad designandas oblationes quasvis*; quanquam enim vox מנחה *vi originis* significet omne munus vel donum, uti videre est ex 1 Sal. 72: 10. conf. Gen. 32: 13, 18. 43: 11. Judic. 3: 15. 1 Sam. 10: 27. descendit enim à Rad. apud Ebraeos obsoleta מנח. quae in Arabica lingua etiamnum est in usu, ex qua quam plurimas radices Ebraeae linguae feliciter restitui posse, dudum praeter alios exemplis luculentissime comprobavit tum *Smegma Orient.* tum *Lex. Harm. Hottingeri*, conf. *Anal.* ejus Diss. 3. p. 145. seq. *Pocokius in not. misc.* c. 3. p. 35. *Dickinson.* in Del. Ph. p. 76. D. *Pfeiff. Introd. in Orient.* p. 28. Jam in ea superest adhuc τὸ منح quod *dedit, donavit*, significat, unde מנחה, *donum*, ut ita מ non servile, ut multis placuit, sed radicale omnino sit, quod R. D. Kimchi, lib. Rad. ad τὸ מנח inusitatum hanc vocem referens, tandem agnoscit & scribit: דומה כי המ״ם שרשית, *videtur* מ *radicale esse*, & paulo post: המ״ם שרש, τὸ מ *radicem vocis* מנחה *ingreditur*: quem uberius hoc declarantem ibi vide; tamen *specialiter* oblationem, quae DEO offertur, & *arctius*, exque usu Scripturae & legis ceremonialis crebriori significatu, *munus dapale* sive *donum ex fructu terrae*, ex farre, oleo, thure & sale constans, notat; hoc autem quomodo olim parari consueverit, prolixe ostendit *Rambam* c. 13. *Hilk. Hakkorbanoth*; de dicto vero vocis significatu conf. *Mercerum* apud Pagn. pag. 1416. *Avenar.* p. 441. *Schindl.* pag. 1016. *Buxt.* 422. *Castell.* in R. מנח. Tom. II. Disp. *B. Dilherri* p. 202. *Saubert.* l. c. p. 19. *Gualtperii* Syllog. Voc. Exot. p. 211. *Fagium* c. 2. Lev. aliosque & his R. Salom. in Lev. c. 24: 9. etiam conformia scribit: כל דבר הבא מן תבואה בכלל מנחה הוא: *omne id, quod venit ex proventu frumenti, in genere Mincha dicitur.* Adde *Franz. de Sacrif.* Disp. 13. §. 19.

§. 3. Descendit vero קָרְבָּן à R. קָרַב, *appropinquavit*, Hiph. הִקְרִיב, *appropinquare fecit, obtulit*, quia, ut loquitur *Avenarius* in Dict. p. 711. Corban, oblatio s. sacrificium est, quod appropinquando offertur Domino, conf. *Scheraei* Lex. Psalteriale p. 847. sive, ut habet *Cheitomaeus* in Voc. Graeco-Barb. N. T. p. 80. quia *per sacrificia s. sacra munera DEO appropinquamus & grati reddimur*, quo vocis apud Arabes significatio pertinet, quibus à R. قرب, quae in Conj. V. significat *aditum affectavit, accessit ad DEUM, eum propitium sibi reddere studuit victima, DEO obtulit, illius propinquitatem gratiosam & affinitatem quasi affectavit & procuravit*, descendit τὸ قربان quod emphasin non aspernandam habet, & sacrificiorum rationem s. finem, propter quem suscepta fuere, eleganter exponit. Huic Arabico non adeo dissimile tum quoad literas tum quoad significationem videtur Graecum κάρπωμα, quod etiam oblationem, victimam s. hostiam significat, notante Scap. in Lex. p. 750. Syris CORBAN dicitur ܩܘܪܒܢܐ, quod vi vocis *oblationem* proprie i. e. quicquid ad DEUM ab hominibus accedit adeoque illi offertur, denotat, descendens à R. ܩܪܒ, *accessit, propinquus fuit.* Porro, ubi Christus Joh. 16: 2. discipulis suis praedixit, eam fore impietatem scelestorum hominum, ut, quisquis eos occiderit, existimaturus sit λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ, & Vulgatus λατρείαν reddit *obsequium*, Erasm. & Beza *cultum*, ibi Syrus laudatam vocem exprimit per τὸ ܩܘܪܒܢܐ, eodemque modo Arabem exprimere notat *Lud. de Dieu* in h. l. Jam uti in voce, λατρεία, Synecdoche generis pro specie subesse optime statuitur, cum λατρεύειν sit colere DEUM, s. id fiat per sacrificia s. per aliud quoddam, ita & cur τὸ ܩܘܪܒܢܐ h. l. sic non debeat vel possit accipi, non apparet; conferatur omnino Magnifici Dn. nostri Rectoris, Dn. nostri Stolbergii, Graecar literarum Professoris longe celeberrimi, Praeceptoris & Patroni nostri observanter devenerandi, Dissertatio de distinct. λατρείας, δουλείας & ὑπερδουλείας c. 1. §. 9, 10. hac de re pro more suo, hoc est, solidissime disserentis, & Cl. *Heinsius* in Aristar. S. pag. 931. Aethiopi Corban dicitur ቍርባን *oblatio, sacrificium aut donum quodvis, quod DEO offertur*; quod vulgo quoque notare panem & vinum benedictum in S. Coena, monet celeberrimus Dn. Ludolphus in Lex. Aeth. p. 159. conf. *Gualtper.* in Matth. c. 17. p. 176. l. c. à R. ቀረበ *appropinquavit*, & peculiariter *de accessu ad Synaxin accipi*, habetur apud *Castell.* in Lex. Hept. p. 3435. in Conj. IV. አቅረበ *propinquum reddidit, obtulit cibum vel sacrificium aut munus.*

§. 4. Hanc vocem LXX. Interpretes reddidere per τὸ δῶρον, sicut & apud Marcum κορβᾶν per τὸ δῶρον exponitur, quae significatio nec Josepho ignota fuit lib. IV. Antiq. Jud. c. 4. edit. Bas. Gr. p. 95. Lat. p. 88. Τοῦτο (loquitur de κορβᾶν) δῶρον σημαίνει κατὰ Ἑλλήνων γλῶτταν. Uti autem τὸ κορβᾶν, donum, quod DEO datur, proprie dicitur; ita & δῶρον his locis nostris de eo munere, quod DEO sacratur, accipiendum est. Hinc *Theophylact.* de h. l. agens pag. 62. Gr. Edit. Rom. & Lat. p. 25. ita explicat, δῶρόν ἐστι, τουτέστιν, ἀνατεθειμένον τῷ θεῷ ἐστιν, & videmus, quod nonnulli veterum, locum Matth. citantes, non δῶρον nude posuerint, sed δῶρον τῷ θεῷ, quod Camerarium quoque ex Epiphanio notare, observat *Schmid.* in l. c. conf. *Chrysost.* Hom. 52. in h. l. & *Grotius* hoc quoque notans, qui, non quodvis δῶρον hic significari, sed id, quod DEO sacratur, hic observat, & cap. V. 23. hanc vocem ita usurpari, cernimus. Sic Josephus etiam l. 1. adv. Apion. pag. 927. Gr. & p. 862. Lat. explicat τὸ κορβᾶν, & à reliquis muneribus homini dari solitis distinguit, munusque DEO dicatum interpretatur, quando ait: δηλοῖ δ᾽ ὡς ἂν εἴποι τις ἐκ τῆς Ἑβραίων μεθερμηνευόμενος διαλέκτου, δῶρον θεοῦ. Quod vero Chrysost. l. c. & Phavor. in Lex. asserunt, κορβᾶν non δωρεὰν ἢ προῖκα, *donum & munus*, sed κυρίως προσφορὰν dici, de eo in subseqq. quaedam dicentur. Nec laudato sensu ignotam & inusitatam Talmudicis fuisse hanc vocem δῶρον, patet inter alia ex *Sevachim* f. 7. 2. אמר רבא עולה דורון הוא *dicit Rabba, holocaustum est δῶρον.* Ubi Glossa illud exponit hunc in modum: *Holocaustum non adfertur ad expiandum pro facto aliquo: sed postquam poenitentia expiavit factum, venit holocaustum, ut cum favore homo recipiatur: sicut cum quis peccavit contra Regem & placavit eum per παράκλητον, & venit, ut imploret ejus favorem, affert* דורון, δῶρον. Sic in Pesachin fol. 118. 2. מצרים תביא דורון למשיח: *Aegyptus afferet δῶρον Messiae.* Quid τὸ δῶρον sive τὰ ἅγια δῶρα in Liturgiis antiquis & apud Patres, *praeter oblationes panis & vini ad sacram communionem in Ecclesia veteri offerri solitas*, significarint, illud hic exponere non est nostri instituti. Conf. Casaub. Exercit. Anti-Bar. XVI. pag. 507. seq. & Suicer. Observat. sacr. cap. 4. p. 116.

§. 5. Josephus porro lib. 4. Antiq. c. 4. eos, qui ex voto ad sacra ministeria se obligarant, CORBAN se appellasse scribit; nam praemissis ibi paucis, de voto & ritibus Nasiraeorum, subjungit nonnulla de illis, qui Corban dicti fuerint, deque pecunia istis, dimissionem à ministerio expetentibus, solvenda; hoc sensu cum nonnulli nostrum κορβᾶν exponendum putent, ideo nec hanc significationem hic praetermittendam putamus: verba Josephi p. 95. haec sunt: Ὅσοι ἂν αὑτοὺς καθιερῶσιν εὐχὴν πεποιημένοι, ναζαραῖοι καλοῦνται, κομῶντες, καὶ οἶνον οὐ προσφερόμενοι τούτων ὅταν τὰς τρίχας ἀφιερῶσιν, ἐπὶ θυσίᾳ τε δρῶσι τὰς κουρὰς νέμεσθαι πρὸς τοὺς ἱερέας. Καὶ οἱ Κορβᾶν αὑτοὺς ὀνομάσαντες τῷ θεῷ, δῶρον δὲ τοῦτο σημαίνει κατὰ Ἑλλήνων γλῶτταν, βουλόμενοι ἀφίεσθαι τῆς λιτουργίας, τοῖς ἱερεῦσι καταβάλλειν ἀργύριον, γυναῖκα μὲν τριάκοντα σίκλους, ἄνδρα δὲ πεντήκοντα. Ὅσοι δ᾽ ἂν ἐνδεέστεροι τῶν ὡρισμένων ἔχωσι χρημάτων, τοῖς ἱερεῦσιν ἐξεῖναι περὶ τούτων, ὡς βούλονται, δοκιμάσαι. Quod autem ex his Baron. Tom. I. ad ann. Christi LIII. n. 35. p. 543. eosdem esse Nasiraeos & illos, qui Κορβᾶν αὑτοὺς se nominasse hic dicuntur, colligit, in eo fallit & fallitur, ita scribens: *qui sic erant Nazaraei, voto obligati, nominabant se ipsos Corban h. e. DEI donum, ut Josephus* (loc. cit.) *affirmat, quod sic se ipsos DEO dicassent.* Quod quidem Nasiraei certa ratione se ipsos DEO consecrarint, extra dubium ponimus, ut hinc, eosdem certo modo Corban dici potuisse, non adeo negemus, de quibus illustria Philonis verba legimus *lib. de Victim.* p. 654. cui & lib. de Tem. p. 187. Nasiraeus ὁ τὴν μεγάλην εὐχὴν εὐξάμενος, & versioni τῶν ό ἡγιασμένος, ἅγιος θεῷ, ἡγιασμένος vocatur; attamen, quod Nasiraei & οἱ Κορβᾶν αὐτοὺς ὀνομάζοντες τῷ θεῷ hic iidem sint, nunquam ex verbis ipsius evincetur, ut Baronius verba ipsa aut non recte aspexisse,

aut

aut Nasiræorum ritus & leges ignorasse, merito videri queat. His, qui CORBAN se ipsos nominarunt, λειτουργία talis incumbebat, à qua si voluerint dimitti, pecunia numerata liberari potuisse dicuntur: sed talem Nasiræis incubuisse dici non potest: nam eos votum suum pro lubitu pecunia potuisse redimere, nec ex ipso S. Codice, nec ex Ebræorum monumentis, ostendere potuit Cardinalis; potius dies certos illis absolvendos & si quis immunditiem contraxerit, de novo eidem Nasiræatum fuisse inchoandum, certum est, uti in Dissert. III. de Nasiræis id prolixe deduximus. Conf. Seld. d. J. N. & G. pag. 838. & Lev. 27: 2, 3.

§. 6. Cumque magna voti ac Sacramenti cognatio sit, magna itidem vis illi formulæ fuerit, cui vocabulum hoc Κορβᾶν & interdum alia adhiberi solebant, ut obligatio, quæ rescindi nequiret, plerunque inde oriri crederetur, ideo etiam videtur τὸ Κορβᾶν in Tyriorum legibus pro Judæorum Sacramento sumi, quando laudatus Josephus contr. Ap. l. 1. p. 927. ex Theophrasto memorat, peregrinum omne jusjurandum lege apud Tyrios fuisse vetitum, inter quæ & κορβᾶν appellatum commemorat, quod apud solos Judæos inventum fuisse docet: Ἦν ἢ καὶ κατὰ πόλεις οὐκ ἄγνωστον ἡμῶν πάλαι τὸ ἔθνος, καὶ πολλὰ τῶν ἐθῶν εἰς τινας ἤδη διαπεφοιτήκει καὶ ζήλε παρ' ἐνίοις ἠξιῶτο. Δηλοῖ ἢ ὁ θεόφραστος ἐν τοῖς περὶ νόμων. Λέγει γὰρ, ὅτι κωλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικοὺς ὅρκους ὀμνύειν. ἐν οἷς μετά τινων ἄλλων καὶ τὸν καλούμενον ὅρκον Κορβᾶν καταριθμεῖ. Παρ' οὐδενὶ δ' ἂν οὗτος εὑρεθείη πλὴν μόνοις Ἰουδαίοις. Quod autem Cl. *Heinsius* in Exerc. S. c. XI. p. 54. ex h. l. dicit, Corban peculiare apud Tyrios fuisse juramentum, quod Judæis deberent illi, & *Cheitomæus* c. l. ex Theophrasto hoc notare Josephum asserit, id omnino contra ejus mentem esse, ejusdem verba clarissime docent, cum ille minime notet, hoc peculiare juramentum, quod Judæis debuerint, Tyrios habuisse, sed potius lege vetuisse, ne quisquam Tyrius peregrino uteretur juramento; jam & Corban inter peregrina, quippe quod solis Judæis peculiare dicitur, E. & Tyriis vetitum. Conf. *Drusium* ad voces N. T. p. 52. *Selden.* l. c. *Salmas.* de Fœn. Trapez. p. 222. D. *Schmid.* in Fasc. Disp. Th. Philol. p. 564.

§. 7. Etsi autem Κορβᾶν, ut dictum, proprie donum significet singulariter, collective tamen etiam usurpari pro ipso thesauro sacro, ex multorum donis collecto, patet ex Josepho l. 2. de B. J. c. 8. *Est*, inquiente, *apud eos Sacer thesaurus, quem Corban dicunt*: sed tali sensu frequentius dicebant Corbana sive Corbona. Sic *Forster.* l. c. p. 745. asserit, historiam Tripart. lib. 2. cap. 6. testari, *Corbonam patria Judæorum lingua dictum sacrum ærarium*, & apud *Suidam* legitur: κορβανᾶς (de varia scriptione vid. Drusius l. c. pag. 51.) παρὰ Ἰουδαίοις ὁ ἱερὸς θησαυρός. Talis vox à multis Matth. 27: 6. per arcam ipsam, Gazophylacium & locum, ubi reponebatur pecunia sacra, quæ offerebatur ad cultum DEI, exponitur, eumque in sensum Arabs & Syrus vocem acceperunt: dum ille h. m. في بيت القربان, hic ita reddit: ܒܝܬ ܩܘܪܒܢܐ, uterque: *in domum s. locum oblationis*, h. e. ut explicat *B. Glassius*, Phil. S. lib. III. Tr. 1. p. 481. *in γαζοφυλάκιον s. arcam muneribus DEO oblatis destinatam*, conf. lib. 1. Tr. IV. Sect. II. & *Reuchlin.* de voc. exposit. p. 374. B. Luth. reddidit: Gottes Kasten. Rabbini dicunt בית קרבנות, *domus sive locus oblationum*; nam τὸ בית, ita Arabis بيت & Syri ܒܝܬ, *in statu constructo positum pro quovis continente, vase, s. loco accipitur*, ut laudati Glassii c. l. canon habet, quo aliquid recipitur & asservatur, conf. *Schindleri Lex.* p. 183. *Pagnin.* pag. 264. *Rabbi Mard. Nathan* in Concord. Ebr. *Avenar.* in Dict. pag. 81. Sic ubi Marc. 12: 41. Luc. 21: 1. Græce habetur γαζοφυλάκιον, Syrus habet ܒܝܬ ܓܙܐ, *domus gazæ l. thesauri*; & nomine *Corban* Christi tempore ipsum m. donariorum locum significatum fuisse monet *Marc. Marin. in hac voce.* conf. *Castell.* Lex. cit. pag. 3436. & alios. Ludovicus de Dieu tamen κορβανᾶν non tam arcam l. cistam, in qua thesaurus sacer asservatus fuit, quam ipsum thesaurum significare, contendit, quem vid. in Comm. pag. 132. Fuere autem *Corbanæ* & *cistulæ Corbanicæ* apud Judæos variæ: istarum duæ quoad finem fuerunt constitutæ; erat nimirum *Corbona* לבדק הבית & *Corbona* דעבודת המקדש dicta. *Illa* in restaurationem & refectionem ædificii & structuræ templi & atriorum conferebatur; *hæc* ad paranda ea, quæ necessaria erant ad cultum divinum; cessit enim nummus inde petitus ad coëmendum sacrificium juge, & libamina, salem, lignum, thus, panes propositionis, vestes sacerdotum. De *cistulis Corbanicis* prolixe agit Maim. in Schek. cap. 2. qui in Templo tredecim arculas formatas instar tubarum i. e. angustiores superius, inferius dilatatas asserit, &, expositis iis, quæ in qualibet reposita fuerint, addit, unicuique inscriptum fuisse illud, cui destinatus fuit nummus in ea reconditus. Inque unam istarum arcularum minuta duo projecisse creditur vidua loc. cit. laudata à Salvatore. Et hinc quoque intelligi putant Lucam l. c. vers. 4. apud quem aliqui *injecisse dicuntur* εἰς δῶρα θεοῦ, i. e. εἰς κορβανᾶν s. ut *Syrus* h. l. exponit ܒܝܬ ܩܘܪܒܢܐ, ita & *Arabs*: *in locum oblationis, in Corban s. Corbonam.* Et hinc portam, quæ à latere atrii Israelis Aquilonarii fuerit, vocatam fuisse *portam Corban s. oblationis*, observant nonnulli.

§. 8. Sed hæc adducta de iis, quæ illustrationi vocum τοῦ Κορβᾶν & δῶρον inservire videbantur, in præsenti sufficiant, jam ad ipsum Textum nos convertimus, in quo orationem dupliciter ellipticam cum *B. Schmidio* in h. l. aliisque statuimus: Jam de priori ellipsi: quando dicitur: δῶρον sive κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, omissum esse in tali formula verbum substantivum, plurimi viderunt, sed ita, ut alii τὸ ἐστὶ alii ἔσω sive sit, alii ἔσεται l. ἔστω apponendum putent. Τὸ ἐστὶ vult *Theophylactus, Camerarius, Beza, Dieu, Heinsius, B. Schmidius*, aliique, qua tamen ratione aliis verbum substantivum non bene suppleri videtur, cum præsens Indicativi nec formaliter nec virtualiter in Ebraismo usurpetur, & licet in bonum sensum interpretari utcunque quis possit, q. d. per hoc verbum est jam jam Corban, nimis tamen durum id videatur; quod ex infra dicendis clarius fiet. Τὸ ἔσω sive *sit* placet *Grotio* in h. l. & de J. B. & P. l. 2. cap. 13. qui notat, vocem קרבן, quoties sola ponatur, includere vim verbi substantivi, hincque κορβᾶν valere κορβᾶν ἔσω i. e. *donum DEO dicatum esto l. sit.* Conf. *Masius* in Jos. cit. in MSS. in Biblioth. Acad. in h. l. *Capell.* Spic. pag. 162. *Salmas.* loc. cit. p. 220. & *Lightf.* p. 370. qui *potius donum sit, quam donum est*, reddendum putat, cum קונם & קרבן non היה כהקדש, *sicut sacratum est*, denotarint, sed יהא כהקדש, *sicut sacratum sit*, ut *Rambam in Bab. Beracoth* f. 51. 1. habet, & is, qui dixerit, קונם היין שאני טועם, non hoc sibi voluerit, *sicut sacratum est vinum, quod ego gustabo, sed sicut sacratum sit vinum, quodcunque ego gustavero* i. e. quod ad me attinet, sit omne vinum sacratum & non gustandum. Quamvis autem alii præsens subjunctivi sensui non incongruum esse admittant, talisque supplendi modus non rejiciatur, cum sic in aliis linguis vota concipi soleant; attamen proxime ad Ebraismum post κορβᾶν verbum substantivum in Fut. Indic. suppleri arbitrantur, cum Ebræi sua vota in propria lingua per Fut. Indic. exponant, ut sensus talis sit: *Corban erit, quicquid ex me tibi proderit*, & talem ellipsin *Piscator* in h. l. dicit usitatissimam. Hocque sensui saltem convenientius judicant, cum, quisquis tale votum emiserit, nihil DEO consecratum voluerit simpliciter, sed tantum ab usu ejus cohibere alterum, atque hinc rem sacram nullo tempore voluerit, nisi illo, quo futurum erat, ut alter vellet illa frui. De quo ipso infra, cum de re ipsa sumus acturi, pluribus tractabitur. In præsenti quoad phrasin hoc tantum monemus, quod, sive per esto & sit, sive per τὸ erit eandem exponas, rei ipsi nihil decessurum putemus, cum & illud rationi loquendi & vovendi per Futura & sensui ipsi jam allegato non inconveniens videatur.

§. 9. Nunc aliud, idque majoris momenti supplementum restat; licet enim formula ipsa ratione sensus perfecta sit & integra, nihilominus oratio Christi est defectiva & sententia pendet: *vos dicitis, si dixerit homo patri aut matri, Corban, (quod est donum) quodcunque ex me tibi profuerit*, ut Vulg. habet, talem igitur qua ratione nonnulli suppleant, paucis videbimus. Alii supplent his verbis: ἀναίτιος ἔσται, *insons erit*, ut *Beza, Schmidius, Capell.* l. c. pag. 152. & dicit Beza, se supponere id, quod exprimatur cap. 12: 5. & respondeat τῷ נקי Genes. 22: 8. Exod. 22: 19. cui opponatur ὀφείλει & ἔνοχός ἐστι, conf. *Walæum* in h. l. pag. 162. *Christus enim* (ut habet Beza & Dannh. Coll. Dec. pag. 468. cit.) *procul dubio ipsa Traditionis verba recitavit, in hujusmodi autem citandis testimoniis solent prætermitti, quæ sunt omnibus nota, ut contenti sunt JCTI, prima ipsa legum, quas vocant, verba proferre aut earum particulam, auditore vel lectore ad totas illas inspiciendas ablegato.* Scaliger in El. Trih. cap. IX. aliter hic procedit. Ita enim primum supplendam orationem filii adversus patrem censet: δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ περὶ σὲ τιμῆς καὶ ὑπηρεσίας ἐλεύθεροῖ, *donum quod à me profectum tibi profuit, omni erga te honore debito ac onere ac officio liberat me.* Deinde denuum peculiariter continuandam & supplendam itid. sententiam Pharisæorum dicit modo dicto, aut tali aliquo: ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, δῶρον. ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης μὲ περὶ σὲ τιμῆς ἐλεύθεροῖ καὶ

ὃ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ, ἀναίτιός ἐστιν *aut tale aliquid.* Et hanc interpretationem eſſe veram & omnes doctos, veteres & recentiores fugiiſſe ſubjicit. Verum, niſi eruditi ipſam originem uſumque hujus orationis potius, quam propria inventa ſibi reſpicienda credidiſſent, procul dubio dudum talia & alia afferre potuiſſent. Unde enim Scaliger iſtud ſuum ſupplementum: πάσης μὲ τιμῆς σὲ τιμῆς ἐλευθεροῖ κλ. habeat, niſi ex ſe ipſo, non apparet. Accedit hoc, quod non ipſi formulæ Phariſaicæ ita aliquid ſubjiciendum veniat; ſed ipſam orationem complexe ſumtam: *Vos autem dicitis, ſi dixerit homo &c. Et non honorabit &c.* Et apud Marcum: *non permittitis* &c. defectivam eſſe, & illud, quid de tali, qui hæc dixerit, ex mente Phariſæorum ſit habendum, ſupplendum ſtatuimus, *Nicol. de Lyra* in h. l. pag. 49. ſupplet: *licite & bene poteſt dicere, quod dictum eſt* &c. ſic *Hugo Cardin.* in IV. Euang. in h. l. *talis non transgreditur*, ſi quidem defectiva locutio admittatur. *B. Lutherus* ſupplet: *bene facit*, de quo ad *D. Schmidium* l. c. pag. 584. lectorem ablegamus, & tandem illorum ſententiam adducimus, quibus ſupplenda oratio videtur per τὸ δεδεμένος ἔσται *obligatus erit vel ſit*, quod Ebræi in ſuis votis exprimunt per אסור, quod ſignificat *obligatus*, *prohibitus eſt*, ne ſcilicet contra votum faciat, antequam ſolutum fuerit, ſic e. g. in Hilk. Ned. c. 1. §. 4. habet Miſna: האומר קרבן עולה מנחה חטאת תודה שלמים שאני אוכל לך אסור: *Si quis dixerit* (proximo ſuo) *Corban &c. erit, quicquid tecum comedero*, אסור *obligatus erit.* Item ibidem §. 4. האומר לחבירו קונם פי מדבר עמך ידי עושה עמך רגלי מהלכת עמך אסור׃ *ſi quis dixerit proximo ſuo, Konem erit os meum, ſi locutum fuerit tecum; manus mea, ubi laboraverit tecum; pes meus, ubi ambulaverit tecum*, אסור, *obligatus eſt.* Sic cit. cap. §. 1. האומר לחבירו מודרני ממך מופרשני ממך מרוחקני ממך שאני אכל לך שאני טועם לך אסור׃ *qui dicit ſocio ſuo, devotus ſum à te, ſeparatus ſum à te, elongatus ſum à te, item: quod ego nihil tibi cibi, nihil eſculenti* (præbiturus ſum) אסור, *is eſt obligatus.* Et talis vocis אסור, *obligatus erit*, penes Ebræos uſus eſt frequentiſſimus, quando votum aliquod obligare docent, ut hinc appareat, ſine omni verborum ſive obſcuratione ſ. incertitudine, modo ſtylus iſte Traditionum non ignotus fuerit, tale quid potuiſſe omitti, cum, quid in voto obligatorio ſequi deberet, vulgo notum fuerit. Cui expoſitioni etiam ipſe contextus favere videtur: nam adducto eo, ad quod homo ex verbis & mandato DEI obligatus ſit, nimirum ad honorandum parentes, ſubjungitur, ad quid hominem voluerint obligatum Phariſæi ex verbis & traditione humana, ſcil. ne, emiſſo voto, parentibus prodeſſet; quin ſi & ea, quæ ſubjungit Chriſtus: καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ, καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε, reſpiciantur probe, tale quid ſuadere illa omnino videntur.

§. 10. Non deſunt tamen, qui abſque ulla tali additione vel interjectione verba commatis reddi poſſe arbitrantur, inter quos etiam eſt Lightfootus, qui interpoſita particula, *tunc*, rem expedire conatur, & ita reddit: *Quicunque dixerit &c. tunc nequaquam honoret patrem ſuum aut matrem ſuam.* Lud. de Dieu, licet ſententiam in Comment. de ſupplemento vitando valde urgere noluerit, qua ſtante *plenum ſenſum habitura verba Chriſti* dixerat: *vos dicitis, quicunque &c. annon honoraverit patrem ſuum aut matrem ſuam* i. e. vos dicitis, annon is magno ſatis honore affecerit parentes, qui dixerit ipſis, munus ſe DEO obtuliſſe, unde & ipſi utilitatem capere poſſint? *non, inquit Chriſtus, hoc non eſt ſatis honorare patrem, ſed hoc eſt* ἀκυροῦν τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ; tamen in App. in Matth. pag. 527. adhuc nullum ſupplementum agnoſcere videtur, quando Æthiope laudato, & τῷ ف Arabis per mere retributivum & conſecutivum expoſito, totum verſum jam ſic vertit: *Vos autem dicitis, quicunque dixerit patri aut matri, Corban eſt, cujus utilitatem à me capere poſſes, non honorabit* (*vel ne honoraverit*) *patrem ſuum aut matrem ſuam i. e. non opus habet, ut honoret, ſive juvet.* Quod quoad hoc, quo verbis: καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ conſequens traditionis innui aſſeritur, admittimus; quo minus ſupplementum omitti queat, Marci locus obſtat. Huc referimus etiam Junium in Ann. ad Syr. Trem. *ſimpliciter hoc modo hæc verba explicanda* putantem; *quicunque dixerit patri aut matri, oblatio mea eſt id, unde utilitatem capias ex me, is etiam non eſt honoraturus præterea videlicet patrem ſuum &c. i. e. non tenetur nec habet neceſſe alio modo honorare parentes ſuos.* Sed quod hic ſimpliciter fieri credit, id coactum eſſe ab aliis judicatur: quærunt enim, ubi Græcorum καὶ præpoſitivum idem ſit atque *etiam*; poſtpoſitivum quidem iſtam ſignificationem habere non diffitentur. Deinde quid ſibi velit τὸ *etiam*, non apparere dicunt, cum nihil videatur adeſſe, quod includat, hinc ſuperfluum plane eſſe & nullius uſus. Intrudi etiam τὸ *præterea*, quod etſi apud Marcum habeatur, huc tamen poſt *etiam* non quadrare, addunt.

§. 11. Sicuti autem Lightfooti interpoſitum *tunc* durum eſt, & Junii *etiam*, uti aliorum τὸ *etiamſi nequaquam*, & *nequaquam etiam*, abſque admiſſo ſupplemento non quadrat; ita non videmus, quomodo Elliptica oratio poſſit negari, ſi Marci verba probe conſiderentur, de quibus ipſi Ludovic. de Dieu veritas hæc expreſſit: *Nolim tamen hanc interpretationem* (priorem) *valde urgere, quia Marc. 7: 11. negari nequit, quin abrupta & imperfecta ſit ſententia. Nam poſt* Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *nihil ſequitur, quod ſenſum complere poſſit.* Quæ ingenua confeſſio quoad ipſum nobis ſufficiat. Et quis orationem hanc complexam non videat eſſe defectivam: *Si dixerit homo patri aut matri, Corban, quod eſt donum, quocunque ex me juvari poſſis. Et non permittitis* &c. hic utique aliquid addendum, quod reſpondeat τῷ *quicunque dixerit* &c. ut intelligatur, quid de eo, qui formula iſta, contra parentes utitur, ſit habendum; & hoc viderunt utique plurimi. Scaligerum libenter audiremus, quid Marci verbis cum ſuo gemino ſupplemento facturus eſſet? num ita forſan habebit: ſi dixerit homo patri aut matri, Corban, quod eſt munus, quod ex me tibi proderit, *ab omni honore erga te me liberat, innocens erit?* at quis non videt, nimis durum fore proverbium, ubi duæ diverſiſſimæ orationis partes ita omittantur & duo *& cætera* proxime ponantur, quod ipſum hic adſtruit, qui ita: *quicunque dixerit patri aut matri, donum, quodcunque ex me tibi profuerit*, & cætera, *& non* (*tamen*) *honoraverit patrem ſuum & matrem*, & cætera. Conf. Cameron. in Myroth. Eu. pag. 19. Beza quidem primo intuitu in verbis §. 9. allatis videri poſſet conſentire huic Scaligeri opinioni; ſed iſta pro nobis faciunt, cum ille non formulam, qua filii ſic edocti utebantur, ſed ipſam traditionem & doctrinam Phariſæorum expleat & ſupplementum τὸ ἀναίτιος ἔσται huic, non illi addendum judicet. Junius ſane & hunc Marci locum in ſuam trahere ſententiam laborat, *Commode*, inquiens, *ſine ellipſi vel anantapodoto exponi poteſt h. m. Vos autem dicitis, ſi dixerit quiſpiam patri ſuo aut matri ſuæ, oblatione mea, qua eſt à me, juvaberis, & hunc amplius non ſinitis quicquam facere.* Sed ut de ipſa verſione verborum jam nihil dicamus, incommode ſane reliqua dicuntur: quis aut anantapodoton aut torturam textus non deprehendat? Si enim verba, *& hunc amplius non ſinitis* &c. cum verbis, *vos autem dicitis* (ut debet fieri) connexa fuerint, τὸ *ſi dixerit quiſpiam*, carebit ſua ἀποδόσει, ut quilibet videt; ſin connexueris τὸ *Et hunc amplius non ſinitis* &c. cum hiſce: *ſi dixerit quiſpiam*, ſenſus turbatus erit per particulam *Et*, nihil etiam h. m. prodeſſe τὸ *vos autem dicitis*, quilibet deprehendit.

§. 12. Sequentem vero ab aliis, pro duplici ſupplementum apponendi ratione, nexum verborum: καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ, adferri videmus. Si enim illud in *Subj.* poſitum fuerit, dicunt, fore continuationem verborum Chriſti, in qua interpretetur obligationem iſtam Phariſaicam oſtendatque conſequens abſurdum, hoc ſenſu: *Vos dicitis &c. obligatus ſit i. e. non honoret patrem aut matrem* vel quod idem ſit, *ac ſi diceretis, non honoret patrem aut matrem.* Sin in *Fut. Indic.* collocetur, iterum monent, Chriſtum verum traditionis ipſorum conſequens indicare, ut ſenſus ſit: *vos autem dicitis &c. obligatus erit, unde neceſſario fiet hoc, ut non honoret patrem ſuum aut matrem ſuam.* Et ſic Æthiops particulam καὶ, utpote eam hic non copulandi, ſed retribuendi vim habere arbitratus, omiſit, ita reddens: *Et vos dicitis, qui dicit Patri &c. non honorabit &c.* uti in *Bibl. Polygl.* habetur, quo ipſo, qui καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ melius verterit, ſe non vidiſſe ait Dieu, qui & verba Arabis فلــيس يكرم, debere verti monet: *non honorabit*, uti m. redduntur in *Bibl. Pol.* cum hic ف ſit mere retributivum ſ. conſequentis connexionem indicans. Sed quæris, qualis in Marco ſit cohærentia? optima; ſic enim habebit: *Vos autem dicitis, ſi dixerit homo patri aut matri, Corban, quod eſt munus, quicquid ex me tibi proderit, obligatus erit l. ſit, & non amplius permittitis quicquam facere patri aut matri.* Expoſitiones reliquas quidem adducturi & examinaturi eramus, ſed cum leges finem imperent, hic ſubſiſtimus & DEO agimus GRATIAS.

PARTIS

PARTIS POSTERIORIS

SECTIO PRIMA.

IN priori Dissertatione verba ipsa variæque eorum explicationes nos habuere solicitos. Jam rem ipsam expensuri, & traditionem, qua legem divinam de honorandis parentibus irritam reddidisse dicuntur Pharisæi, consideraturi sumus. Honos sane parentibus debitus ex ipsis legis naturæ principiis patet; *natura enim* talis *est magistra*, dicente & fatente *Valer. Maxim.* l. 5. c. 4. *quæ nullo vocis ministerio, nullo usu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infundit*, hincque gentes eis, utpote τοῖς αἰτίοις τοῦ εἶναι, ut Aristot. loquitur l. 9. Eth. c. 2. p. 368. honorem, amorem, subsidia & obsequia à liberis deberi agnoverunt. Tanti momenti dictus honor Antiphani ap. Stob. serm. 77. p. 454. visus est, ut hoc affirmarit: ὅστις ὁμόλογόν τι μὴ ποιεῖ πατρὶ, πάντων ἂν οὗτος καταφρόνησε τῶν θεῶν, *qui, quod fieri in patrem convenit, non facit, hic omnes Deos contemtui habet.* Notatu digna habet *Plutarch.* lib. περὶ φιλαδελφ. p. 852. ubi parentibus honorem secundum Deum primum maximumque & à natura, & à lege naturam conservante, attributum, eumque illi esse gratissimum cultum, cujus denegatio maximum impietatis sit indicium, censet & agnoscit, quem audire juvat: γονεῦσι τιμὴν μετὰ θεοὺς πρώτην καὶ μεγίστην ἥ τε φύσις, ὅ, τε τὴν φύσιν σώζων νόμος ἀπέδωκε. Καὶ οὐκ ἔστιν ὅτι μᾶλλον ἄνθρωποι κεχαρισμένον θεοῖς δρῶσιν, ἢ τοκεῦσιν αὐτῶν καὶ τροφεῦσι παλαιὰς ἐπὶ νέαις δανεισθείσας χάριτας εὐμενῶς καὶ προθύμως ἐκτίνοντες, οὐδ' αὖ πάλιν μείζων ἐπίδειξις ἀθέου γέγονε τῆς περὶ γονεῖς ὀλιγωρίας καὶ πλημμελείας. Διὸ τοὺς μὲν ἄλλους κακῶς ποιεῖν ἀπείρηται, μητρὶ δὲ αὐτοῦ καὶ πατρὶ τὸ μὴ παρέχειν ἑαυτοὺς δρῶντας ἀεὶ καὶ λέγοντας ἀφ' ὧν εὐφρανοῦνται, κἂν μὴ προσῇ τὸ λυποῦν, ἀνόσιον ἡγοῦνται καὶ ἄθεσμον. *Pittaci* & *Pythagoræ* merito celebrantur sententiæ, illius: αἰδοῦ γονέας hujus: τούς τε γονεῖς τιμᾶ. Instar omnium poterit esse verissimum *Platonis* assertum, quod l. 11. leg. ap. Stob. p. 455. habetur: Γονέων ἀμελεῖν, οὔτε θεὸς, οὔτ' ἄνθρωπος ξύμβουλος νοῦν ἔχων ποτὲ γένοιτ' ἂν οὐδεὶς οὐδενὶ, *Parentes negligere, nec DEUS nec homo mentis compos alicui unquam consulet.* Quantam autem turpitudinem contemtui parentum inesse, quantasque pœnas eorund. contemtores incurrere rati fuerint, abunde ex ipsorum scriptis patet. Quid clarius de hoc dici poterit, quam quæ in *Perictión. Pythagor.* apud laudatum autorem p. 457. habentur? Ubi *contemtus parentum peccati genus ejusmodi dicitur, quod in vivis simul atque defunctis divinitus damnatur, ab hominibus odio habetur, & sub terra in loco impiorum una cum reliquis improbis perpetuo punitur à justitia & infernalibus Diis, qui* τούτων ἐπίσκοποι ἐτάχθησαν τῶν πραγμάτων *sive his rebus inspiciendis destinati sunt.* —— *Majus*, additur, *inter homines peccatum admitti nequit, quam erga parentes impietas.* Ita postquam *Xenophon de dictis & factis Socrat.* l. 2. l. c. p. 465. monuerat, quod civitas aliam quidem non adeo curet ingratitudinem, nec in judicium compellat, sed despiciat, si quis beneficiis acceptis non reddat gratias, de contemtore parentum subjicitur, quod, qui parentes non observet, hunc in judicium compellat civitas ac reprobet, magistratibusque omnibus indignum existimet, tanquam ab illo non possint neque sacrificia pie sacrificari, nec aliud quicquam bene aut juste agi. Jam si hisce rationis dictamen talia suggessit, eorumque de honore parentibus debito pectora convicit, quid de Judæis dicendum erit, ad quos DEUS ipse πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus, cujusque voluntas iis in lege patefacta, exemplis comprobata & promissionibus splendidissimis demonstrata fuit? multis sane explicatu difficile hoc ipsum fuit visum, qua ratione violati, quin denegati honoris, parentibus ex mandato divino, beneficiorum multitudine, quin legis ipsius naturæ dictamine maxime debiti, à Christo Matth. 15. & Marc. 7. arguantur. Hinc uti in Priori Dissertatione circa ipsa verba & phrasin insignem eruditorum dissensum & difficultatem deprehendimus; ita jam rei ipsius consideratio improbatæque traditionis Pharisaicæ declaratio interpretes haud parum vexat. Huic dum pro viribus expendendæ operam navamus nostram, DEUS sua gratia nobis adsit! Esto igitur.

CAPUT II.

§. 1. OStenditur citatis locis, tum quid vi mandati divini parentibus à liberis debeatur, qualisque pœna vi comminationis transgressores maneat, tum quid Pharisæi traditionibus suis moliti fuerint: cum enim DEUS præcepisset, ut quilibet parentes honoret, minatusque fuisset transgressori mortem, ipsi è contrario dixerunt: *quicunque patri aut matri dixerit*: δῶρον s. κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, ille obligatus sit ad servandum votum: ut hinc talis parentibus honorem debitum non detulerit; illi vero propter traditionem impiam præceptum DEI irritum fecerint, nec, ut apud Marcum extat, quicquam iisdem facere permiserint. Ut autem rectius hic versemur, prius, quid per honorem demandatum intelligant, quam qua ratione idem ab ipsis violatus sit, videbimus. Uti autem honorem huncce præcipiens DEUS vocibus duabus np. כבד Ex. 20: 12. Deut. 5: 16. & ירא Lev. 19: 3. usus fuit, non quidem, ut aliqui hic opinantur, quasi timoris vocem usurpasset, quia à pueris facilius timor concipitur, quam honor exhibetur; tales enim non attendisse videntur, præceptum hoc non solum pueris, sed etiam adultis datum esse; sed ideo, quia tum honor tum timor & quidem qt. ex amore fluit, requiritur, & utrumque vinculo arctiori nexuque suaviori DEUS & natura conjunxit; de timore enim reverentiali hoc esse intelligendum patet; Ita de utroque, de כבוד & מורא respectu parentum solicite agunt recutiti; ut mirum videri queat, multisque visum fuerit, qua ratione tempore Christi è diametro hisce præceptis contraria in usu fuerint. In subjecto hujus præcepti declarando non erimus occupati, cum satis manifestum & à nostris clare expositum sit: de Prædicato autem ut videamus, nostrum postulat institutum, quo, quid de tali honore statuerint, appareat.

§. 2. *Philo Judæus* Lib. *de Decal.* p. 586. tanti fecit honorem parentum, ut inter eos, qui μεταβεβληκέναι δόξαιεν ἂν εἰς τὴν θηρίων φύσιν, *mutati videantur inferarum ingenium*, τὰ τῆς ἀγριότητος πρωτεῖα τοὺς γονέων ἀλογοῦντας, *contemtores parentum primas ejusmodi feritatis* ferre censeat, & de gravitate peccati talismodi notatu haud indigna subjiciat: Ἐν δυσὶν, scribens, οὖν δικαστηρίοις, ἃ δὴ μόνα ἐστὶ τῇ φύσει μὴ ἀγνοούμενα, ἴσωσαν ἑαλωκότες ἀσεβείας μὲν, ἐν τῷ θείῳ, διότι τοὺς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντας, καὶ κατὰ τοῦτο μιμησαμένους θεὸν, οὐ περιέπουσι· μισανθρωπίας δὲ, ἐν τῷ κατ' ἀνθρώπους. Τίνα γὰρ ἕτερον εὖ ποιήσουσιν οἱ τῶν συγγενεστάτων καὶ τὰς μεγίστας παρεσχημένων δωρεὰς ὀλιγωροῦντες, ὧν ἔνιαι δι' ὑπερβολὴν, οὐδ' ἀμοιβὰς ἐνδέχονται· πῶς γὰρ ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τοὺς σπείραντας, κλῆρον ἐξαίρετον τῆς φύσεως χαρισαμένης πρὸς παῖδας γονεῦσιν, εἰς ἀντίδοσιν ἐλθεῖν οὐ δυνάμενον· ὅθεν καὶ σφόδρα προσῆκεν ἀγανακτεῖν, εἰ μηδὲ πάντα μέλλοντες ἀντιχαρίζεσθαι μηδὲ τὰ κουφότατα ἐθελήσουσιν. Qui idem *Lib. de Special. leg.* p. 587. honorem DEI & parentum tam arcte connectit, ut adfirmet, ἀμήχανον εὐσεβεῖσθαι τὸν ἀόρατον ὑπὸ τῶν εἰς τοὺς ἐμφανεῖς καὶ ἐγγὺς ὄντας ἀσεβούντων, *non fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem* (genitorem) *qui erga hos conspicuos* (genitores) *sit impius.* Ut illud taceamus, quod inter ea præcepta, quæ נתפרסמו בכל אומות, *inter omnes gentes publicata sunt*, s. quæ jura sunt totius generis humani, honorem parentum recenseat *R. Aben Tybbon* in רוח חן, c. 3. & 6. hoc jam notare liceat, quod, ante Decalogum datum hoc de parentibus honorandis cum aliis aliquot Juris Noachidarum capitum numero Ebræos adjecisse, in Commentariis ipsorum adferatur; talium enim VII. præceptorum factam fuisse instaurationem in Mara, vetus ap. Ebræos est traditio. Sic, ut alia transeant, in *Gemara Babylon.* ad Tit. *Sanhedr.* cap. 7. f. 56. col. 2. hæc leguntur: י' מצות נצטוו ישראל במרה שבע שקיבלו עליהן בני נח והוסיפו עליהן דינין ושבת וכיבוד אב ואם דינין דכתיב שם שם לו חוק ומשפט שבת וכיבוד אב ואם דכתיב כאשר צוך י"י אלוהיך ואמר ר' יהודה כאשר צוך במרה: *Decem præcepta imperata fuerunt Israëlitis in Mara, quæ acceperunt Noachidæ, & addiderunt illis judicia & sabbatum & parentum honorem: Judicia, quia scriptum est* (Exod. 15: 25.) *posuit ibi statutum & judicium; sabbatum & honorem parentum, quia scriptum est* (Deut. 5: 16. honora patrem & matrem &c.) *sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: Et dixit R. Jehuda: sicut præcepit tibi, sc. in Mara. Add. Gemar. Babylon. ad Tit.* שבת c. 9. f. 87. c. 2. & inprimis *Tosiphta ad Gem. jam cit.* l. cit. Ita etiam in סדר עולם רבא, cujus autor creditur fuisse R. *Mose ben Chilpheta*, Præceptor R. Judæ sancti, postquam in Mara X. præcepta Israëlitis tradita fuisse dictum erat, additur,

ditur, quæ prioribus VII. adjecta fuerint: והוסיפו עליהן ישראל באותה שעה שבות ודינין וכיבד אב ואם *adjecerunt illis Sabbatum & Judicia & honorem parentum. R. Salom. Jarchi* Comment. in Exod. 15. in B. B. f. 76. cap. 2. dicit quidem, traditam fuisse במרה מקצת פרשיות תורה שיתעסקו בהם, *partem capitum in Mara, qua se exercerent*; sed tamen שבת ופרה אדומה ודינין, *de Sabbato, de vacca rufa, de judiciis*, eandem partem exponit, honorisque hic demum additi nullam mentionem facit, dictitante ipsi præter dubium conscientia, præceptum de honore parentum non tum demum traditum fuisse, quippe quod in Paradiso jam sancitum, imo naturæ ipsi impressum fuisse, certum est. Plura de Rabbinor. circa h. l. sententia vide apud *Polum* in Syn. Critic. in h. l. p. 385. B. *Walther.* in Harm. Bib. p. 207. seq. & in primis Magnif. Dn. D. *Calovium, Præceptorem, Patronum & Hospitem nostrum omni observantia æternum devenerandum*, in Annot. Anti-Grotianis in h. l.

§. 3. Jam quid per τὸ כבוד & מורא intelligendum, porro videbimus. Nomen *honoris* ea, quæ parentibus debentur, complecti, ap. omnes in confesso est: quamvis n. honoris vox stricte sumta, respiciat dignam æstimationem eminentiæ & prærogativæ parentum, rectumque de ipsorum persona & officio in intellectu judicium, externis etiam reverentiæ signis declaratum: comprehendit nihilominus h. l. amorem, observantiam, cultum, obedientiam, auxilium & opem in ipsorum necessitatibus sublevandis, quæ corde, ore & opere præstari debent: in *intellectu* enim hoc, quod dictum, præcedere debet judicium magniæstimativum: in *voluntate & adfectu* debet sequi propensio ad eos amandos & colendos: in *gestu* modestia, ubi *lingua reverens, gestus submissi, iique assurrectionis, obviam itionis, astationis, prioris sedis concessæ, primi sermonis dati* &c. requiruntur, ut B. *Dannhauer.* in Coll. Decal. p. 594. loquitur: in *factis* obsequium & servitium: in *occasionibus* quibusvis studium implendi officii. Eleganter Theolog. de Ecclesia Christi meritissimus, B. *Polyc. Lyserus* in Harm. Evang. p. 879. cap. 79. honorem hunc exponit: *Quid honoris vocabulo*, inquiens, *Deus intellectum velit, explicat h. l.* (Matth. 15.) *Christus, nimirum non tantum reverentiam illam, quæ in verbis & externo gestu consistit: sed etiam ut filii de parentibus, utpote à quibus vitæ principium accepissent, honorifice & præclare sentiant, ut ipsorum vitam, honorem, dignitatem omnibus viribus defendant, ut denique in periculis, in egestate, in senio, in adversa valetudine, quibuscunque possunt consiliis, opibus, consolationibus & remediis ipsis subveniant. Hoc subsidium Scriptura, Christo interprete, honoris nomine intelligit.* Honori enim huic parentibus debito h. l. opponitur τὸ *dicere illis: munus sit vel erit* &c. hoc est, ut dicamus quod res est, nihil dare, quippe per quod subsidium & alimenta denegabantur, id quod clare ex Marci verbis etiam discimus, ubi, *vel quicquam parentibus facere, non permissum* fuisse dicitur, ubi τὸ ποιεῖν est ἀγαθοποιεῖν. & facere aliquid patri suo & matri, est eos juvare & honorare, uti & τὸ τιμᾷν & vocem τιμὴν in aliis Scripturæ locis usurpatam legi, dudum observatum est, sicque τὸ τιμᾷν 1 Tim. 5:3, 17. *Hieronym.* in cap. 15. Matth. cum aliis exponit. Conf. B. *Chemn.* Loc. Theol. P. II. p. 66. *Gerhard.* Loc. de Lege Dei p. 231. *Brochm.* Tom. II. c. 10. Sect. I. p. 122. *Carpzov.* Isag. in Libb. Symb. p. 976. *Botsacc.* Moral. Gedan. p. 543. Dn. D. *Osiandr.* in Theol. Mor. P. II. c. I. p. 19. *Camer.* in Myr. Ev. p. 20. *Bezam* in not. min. p. 32. & major. p. 57. *Salmas.* de Fœn. Trapez. pag. 219. *Polum* in Syn. Crit. in N. T. p. 391. aliosque.

§. 4. Sic honorem hunc non tam in salutationibus, verbis & reverentia externa, quam in subsidiis parentibus subministrandis consistere, ipsi agnoverunt etiam gentiles. Τὸ τιμᾷν explicat Hierocles apud Walæum in Matth. 15. p. 161. per τὸ *subsidium ferre*, quando ait: γονέας τιμήσομεν ὑπερβαλλόντως, σώματος ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν αὐτοῖς ὑπέχοντες, ὅτι μάλιστα προθυμοτάτην, *Parentes eximie honorabimus, si & corporis ministerium & pecuniæ adminiculum ipsis præstemus quam promtissime.* Ita postquam apud Stobæum p. 457. ex Aristoxeni Pythagoricis sententiis adductum fuerat, quod filiorum debita sint ὀφειλήματα πρῶτα καὶ μέγιστα. χρεῶν πάντων πρεσβύτατα, affertur hoc monitum, quod quisque arbitrari debeat, omnia, quæ possideat, esse γεννησάντων καὶ θρεψαμένων, *eorum, qui genuerunt & educarunt*, ita, ut hæc omnia illis pro viribus ministrare paratus sit, primum quidem externa bona, deinde etiam corporis, postremo quæ ad animum pertineant, ratus, quod omnia, tanquam mutuo data, persolvat, proque curis & doloribus parentum reddat. Quæ autem & quanta officia ratione corporis & animi sint exhibenda, exponit *Hierocles* l. c. p. 461. & seq. Quod *corpus* attinet, hæc recensentur: Προνοησόμεθα τροφῆς αὐτῶν ἐλευθερίου, καὶ πρὸς τὴν ἀσθένειαν τοῦ γήρως ἡρμοσμένης. Ἔτι δὲ κοίτης καὶ ὕπνου, ἀλείμματός τε καὶ λουτροῦ καὶ ἐσθῆτος καὶ ἁπαξαπλῶς τῶν ἕνεκα τοῦ σώματος ἀναγκαίων· ὡς κατὰ μηδὲν τούτων ἐνδείας πότε πειραθεῖεν, μιμούμενοι τὴν αὐτῶν ἐκείνων περὶ τὴν ἡμετέραν ἀνατροφὴν, ὅτ' ἦμεν νεογνοὶ, κηδεμονίαν, κ.λ. Quoad *animum* hæc adducuntur observanda: Ταῖς δὲ ψυχαῖς αὐτῶν παραχετέον, πρώτων μὲν τὴν εὐθυμίαν, ἣ μάλιστα γένοιτ' ἂν ἐν τῷ συναναστρέφεσθαι νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν αὐτοῖς, εἰ μή τι κωλύοι, συμπεριπατοῦντας, συναλειφομένους, συνδιαιτωμένους.

§. 5. Jam postquam vidimus, quid per honorem parentum tum secundum Christianos, tum secundum gentiles intelligendum veniat, ordo postulat, ut cognoscamus, an Judæi idem sentiant, & quid per כבוד & מורא velint intellectum. De utroque paucis videbimus. De מורא sequentia tradunt, cit. Cl. *Hotting. in Jure Ebræor.* lege CCXIII. ליראו מהאבות כלומי שיתנהג האדם עם אמו ואביו הנהגה שאדם נוהג עם מי שירא ממנו שני איש אמו ואביו תראו ולשון ספרא איזהו מורא לא ישב במקומו ולא ידבר במקומו ולא יסתור את דבריו: *Timorem deberi parentibus i. e. conversandum homini cum patre & matre eo modo, quo quis solet cum illo, quem timet, quia dicitur, quisque matrem suam & patrem suum timeat. Siphra: qualis hic timor? non sedebit loco ejus, neque loquetur loco ejus, neque sententiæ ejus refragabitur.* Ex Maimonide aliisque *Seldenus* l. 7. c. 2. de J. N. & G. p. 792. præter allata honoris signa & hæc recenset: לא עומד במקומו ולא מכריע את דבריו ולא יקרא אותו בשמו לת בחייו לא במיתו אלא אומר אבא מרי: *non stet in loco ejus s. locum ei adsuetum stando occupet, verba ejus non refutet, nec eum nomine suo appellet s. superstitem s. mortuum, sed ad hunc modum loquatur, Abba, s. pater, Dominus meus. Conf. Gemar. Babyl. ad Tit. Kidduschin* f. 31. c. 2. & seq. ubi de jam dictis solicite disquiritur. Quæris forsan: עד היכן מוראת אב ואם *quousque se extendat reverentia parentum?* responsi loco accipis: שאפילו הכוהו וירקו בפניו לא יכלים אותם *etsi percusserint eum aut sputo faciem ejus texerint, non tamen ignominia afficiet eos.* Uti autem ex allatis reverentia adstruitur, ita in verbis Canone V. p. 398. ap. Hotting. contentis contemtus parentum tantum flagitium judicatur, ut contemtor qs. maledictus sit. Verba hæc sunt: אסור לבזותו כלל שלא על הקללה הקפידה תורה אלא אף על הבזיון והמבזה הרי הוא כארור שני ארור מקלה אביו ויש לבד להכות העושה זה ולענוש כפי הראוי: *Omnino parentes spernere non licet. Neque enim alia de causa tam est solicita lex de maledictione, quam propter contemtum: contemtor autem quasi maledictus est, quia dicitur, maledictus est, qui vilipendit patrem suum. Domui autem judicii incumbit flagris in eum animadvertere, eumque pro merito punire.*

§. 6. De כבוד prolixe etiam agunt recutiti, quod à R. כבד descendit, quæ in Kal significat *gravis fuit quantitate aut qualitate, magnitudine vel multitudine, pondere vel numero, divitiis, honore, gloria*, not. Schindl. p. 830. in Piel denotat *honorare*; illos enim, quos honoramus, non habemus viles aut leves, sed eorum autoritatis pondus suspicimus, sicuti verbum קלל, quod proprie levitatem sonat, ad abjectionem & contemtum refertur, vide *Pagn.* p. 1116. Est igitur כבד verbum significantissimum, excellentiam rei, cui tribuitur, egregie notans, quo nos primum omnium in parentibus agnoscere & revereri auctoritatem & dignitatem divinitus illis collatam legislator supremus voluit, ut hinc, præter ipsum honoris actum, hæc vox sine dubio etiam fundamentum ejusdem, *gravitatem* nim. contineat; uti enim metallis ex pondere pretium imponitur, ita à gravitate morali, quam Theol. Moralis tibi exponit, pretium suum accipit honor parentum. Conf. de vocis כבוד emphasi *B. Chemn.* l. c. p. 64. *B. Gerh.* l. c. p. 227. *B. Dannh.* l. c. p. 590. 602. seqq. *Dn. D. Osiandr.* l. c. p. 5. adde & *Rivet.* l. c. p. 172. & *Oleast. apud Polum* in Ex. 20. p. 407. Jam quid Ebræi per כבוד innui velint, videamus. Mentem suam ita exponunt illi: אי זהו כבוד מאכיל ומשקה מלביש ומכסה משל אב ואם אין ממון לאב ויש ממון לבן כופין לזון אביו ואמו כפי מה שהוא יכול: *Quis hic honor? ut cibum & potum parenti subministret filius, uti & vestitum, ex eo scil. quod patris est, s. ex bonis paternis, quibus si careret, cogendus erat filius, si ipsi bona essent, ut patrem & matrem aleret, in quantum posset.* Vid. Seld. l. c. Quin *Hiskuni* Ebræus, not. *Drus.* l. 1. Præt. p. 35. dicit: *Legimus, honora Deum de opibus tuis, & honora patrem & matrem: Deus honorandus, si habeas, parentes, s. habeas s. non, nam si nihil habes, debes mendicare ostiatim pro eis*; Quæ ipsa etiam præter alia multa ad honorem parentum spectantia haberi in *lib. Musar.* c. 5. annotat

laud.

laud. Autor. Idem in *Hieros. Kidduschin* f. 61. cit. Lightf. in Matth. l. c. asseritur: *Tenetur filius patrem nutrire, imo pro eo mendicare*, & vel in pistrino laborare filium debere, ut subveniat parentibus, Ebræos adfirmare dicit H. *Grotius* apud *Polum* l. c. Aristoteli, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ addatur, loc. cit. adeo verum & certum est, liberos debere parentes nutrire, ut, potius his quam sibi de victu prospicere debere eosdem, affirmet: verba ejus hæc sunt loco supra cit. δόξειε δ' ἂν τροφῆς μάλιστα γονεῦσι, δεῖν μάλιστα ἐπαρκεῖν, ὡς ὀφείλοντας καὶ τοῖς αἰτίοις τοῦ εἶναι, κάλλιον ἢ ἑαυτοῖς εἰς ταῦτ' ἐπαρκεῖν. καὶ τιμὴν δὲ καθάπερ θεοῖς. Breviter capita honoris parentum in *Tosaphta in Kidd.* c. 1. his verbis includuntur: בן מאכיל ומשקה מלביש ומכסה מוציא ומכניס ומרחץ פניו ידיו ורגליו: *filius tenetur ad cibandum patrem, ad potandum, vestiendum, tegendum, inducendum & educendum, & ad lavandum ejus faciem, manus & pedes.* Conf. *Hotting.* l. c. pag. 37. *Lightf.* l. c. & *Drusius* l. c. pag. 36. Plura talia hic ab ipsis præscripta afferre, pagellarum paucitas prohibet, tantum, quale hujus honoris fundamentum tradant, appositurι sumus: משרשי מצוה זו שראוי לו לאדם שיכיר ויגמול חסד למי שעשה עמו טובה ולא יהיה נבל ומתנכר וכפוי טובה שזו מדה רעה ומאוסה בתכלית לפני אלהים ואנשים ושיתן אל לבו כי האב והאם הם סבת היותו בעולם ועל כן באמת ראוי לו לעשות להם כל כבוד וכל תועלת שיוכל כי הם הביאום לעולם גם יגעו בו כמה יגיעות בקטנותו:, *Ratio hujus præcepti est, quod conveniat homini agnoscere & rependere beneficia ei, qui tot bona ei largitus est; neque sit stultus, alienum se simulans, aut ingratus, quæ indoles mala & perversissima est coram DEO & hominibus. Utque ad animum revocet, esse parentes, quibus debeat suam in mundo existentiam. Vere proinde dignos esse omni honore & utilitate afficiendos, quam exhibere iis possit, utpote à quibus & in hanc lucem editus fuit, & magno insuper labore atque molestia in infantia educatus.* Vid. Hott. l. c. p. 37. Et hæc satis apte dicuntur, fundamento à beneficiis petito; sunt enim parentes DEI optimi maximi parentis viva quædam simulacra & imagines, quorum opera vita nobis data est, quibus DEUS usus est, ut nos in hanc vitam educeret, à quibus adducimur ad DEI cultum, evehimur ad honores, studiis informamur, & ad probitatem erudimur, ut hinc *paternitas hæc* Hugoni de S. Vict. l. 1. de Sacram. c. VII. ap. Dannh. p. 602. dicatur *nobis esse Sacramentum & imago divinæ paternitatis, ut discat cor humanum in eo principio, quod videt, quid debeat illi principio, à quo est & quod non videt.*

CAPUT III.

§. 1. HÆc uti clara sunt & honorem parentibus, fundamento ejusdem adducto, omnino asserunt, ita sunt Viri inter eruditos non infima occupantes subsellia, qui ob talia hisque similia se non videre asserunt, quomodo filius se tali exceptione tueri, parentibus debitum honorem denegare, sicque eorundem sustentationem à sese adeo facili negotio devolvere potuerit. Prodeat Vir limatissimi ingenii, *Samuel Petitus*; hic sane Variar. Lect. libr. 1. cap. 14. interpretationes illas, quibus Corban de iis, quæ parentibus alendis impendi possent, accipitur, repugnare vult legibus πατροπαραδότοις Judæorum, *quoniam nulla*, ut ait, *se poterant exceptione tueri, quin alendi essent parentes. Cogebantur enim inviti. Hæc enim est regula Juris Judæorum*, כופין את הבן לזון את האב, *cogunt filium alere parentem.* Hinc è Josephi loco in Dissert. I. §. V. allato de obligatis ad sacra ministeria, *Corban* dictis, & ex illorum ita dictorum occupationibus & vacationibus traditionem de honore parentibus minuendo à Christo damnatam interpretari conatur, sicque verius putat, Corban ab Evangelistis dici eos, qui ex Levitic. 27. sacro se devovebant ministerio, quos, liceat obiter hoc tangere, cum Nasiræis Numeror. 6. descriptis, textus circumstantiis clare repugnantibus, nonnulli male confundunt. Verum laudato Viro in hoc assensum præbere, allatamque rationem à coactione ex Jure Judæorum petitam hic admittere dubitamus. Sane ad observationem Scenopegiorum, phylacteriorum aliorumque cogebatur itidem, qui præcepto esset inobsequens, quod tamen ita intelligendum, quando res ipsa ex voto præcedente non haberetur voventi illicita; tantum etenim tum abfuit, ut ille, qui voverat, coactus fuerit, ut potius eum ad id, quod voto promiserat, servandum pronunciarint obligatum, nec contra votum præstari ante solutionem quicquam permiserint. Et quid est, quod apud Marcum dicitur, Pharisæos tali voventi ultra non permittere quicquam facere parentibus, nisi quod arcto voti vinculo eum obstrictum voluerint, usque dum ejus nexu, interpretatione à Magistro facta, eximeretur; quæ Marci, ut & Matthæi, verba etiam evincunt, locum hic habere non potuisse, sive vacationes sive occupationes illas τῆς λειτουργίας, cur enim hac ratione obstrictum, ministerio saltem non occupatum, id parentibus honoris nomine non potuisse præstare dicamus, quod illi, traditione sua simplicem præcepti divini sensum perperam commutantes, quin ipsum præceptum ἀκυροῦντες, ob voti nexum non impune præstari permittebant. Fatetur quidem *Rivetus in Exod.* cap. 20. pag. 178. ingeniosam & acutam esse Petiti conjecturam, nisi incommodo hoc laboraret (1.) *quod solos Levitas perstringeret, qui sacro ministerio addicebantur. Et* (2.) *alio præterea, quod excusatio illa non fuisset plane rejicienda, nisi prætextus fuisset quæsitus malo animo.* Sed si dicendum, quod res est, rationes hæ non magni sunt momenti: ad 1. Rx. cur alii præter Levitas quoque non perstringerentur, hac stante interpretatione, haud apparet, qui, licet operas Levitis solis assignatas non executi fuerint, tamen ministerio templi & sacerdotum voto addicti & consecrati, &, ceu ex Josepho l. c. patuit, κορβᾶν appellati, alia utique ministeria v. g. portare aquas & ligna, sordes everrere, & alia Laicorum propria expedire potuerunt, conf. *Bonfrer. Tirinum* & *Polum* in Levit. cap. 27. distinctæ occupationes sunt distinguendæ, non confundendæ, nec quælibet solis Levitis adsignandæ. Ad 2. Rx. plane utique fuisset rejicienda liberorum illa frivola excusatio, licet prætextus dictus non adfuisset: quid enim obstitisset, quo minus, durante tali λειτουργίᾳ, omnem parentum honorem minime excludente, quicquam debiti officii exhibere licuerit? nemo enim dixerit, illos, qui sese Corban secundum Levitic. 27. nuncuparunt, eo ipso sibi facultatem parentibus succurrendi & benefaciendi ademisse omnem. Quid? tales soluta pecunia ex operibus sacris dimitti & parentibus quicquam facere potuisse, nemo negaverit.

§. 2. Scrupulum talem etiam injecerunt Juris Judaici regulæ Celeb. *Dilherro*, qui in Eclog. Sacr. p. 421. seqq. communiorem explicationem haud obscure approbaverat; sed in Disp. Acad. III. Tom. II. p. 41. seqq. adductis Josephi verbis pensitandum proponitur, an forte aliquando impii liberi hac exceptione, κορβᾶν ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, se parentum obsequio & ministerio subtraxerint, ut sensus sit: κορβᾶν *i. e. ego*, ὦ *parens, devovi me* τῇ λειτουργίᾳ τῶν ἱερέων, *itaque his me adesse oportet.* Ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς *i. e. si vero inde aliquid temporis forte potuero detrahere, tibi quoque adero & te juvabo.* Sed quid verbis opus est, ubi rerum testimonia adsunt? satis clare infra adducenda Pharisæorum de hoc traditionem & praxin demonstrabunt. Nec quoque ipsa textus verba eorumque distinctio legitima huic explicationi favent, nullum enim ponendum comma post ἐμοῦ, sed post δῶρον solummodo, uti interpretes celebres & editio Complutensis atque Plantiniana docent; nec Græce loquentium usus, nec illa, quæ mox sequuntur, sensum hunc admittunt, cum nihil omnino boni facere, nec operam suam promittere, si vel maxime vacaret à ministerio sacro, parentibus licuerit post tale emissum votum, quo omnem utilitatem, ex se à parentibus alias percipiendam, iisdem secundum Judæorum mentem reddiderint illicitam & tanquam sacram, ut ex versu subsequente tum apud Matth. tum Marc. patet. Nec est, cur præcepta & jura ipsorum de tali honore tantum nobis injiciant scrupulum: optandum utique fuisset, ut ipsorum theoria & praxis sibi invicem respondisset; sed quem esse credamus, qui ipsorum insignes & detestandas derogationes & perversiones ipsorum præceptorum divinorum ignoret: satis id edocet N. T. satis edocent ipsorum monumenta: qua ratione jura naturalia & divina v. g. libidinem prohibeant, probe in scriptis suis agnoverunt recutiti: attamen, notante *Coccejo in Exc. Gem. Sanh.* c. VII. p. 272. *si quis à concupiscentia sua fuerit victus, illum eo, ubi non agnoscatur, profectum libidini suæ satisfacere jubent.* Plura impia & blasphema asserta ex Talmude vide apud Dn. D. *Pfeiffer*. Dissert. de Talm. Jud. thesi 27. seqq. adducta.

§. 3. Hanc difficultatem alii evitaturi h. l. de quibusvis donis exponunt, arbitrati, filium non prorsus denegasse subsidia necessaria, sed suæ liberalitati id, quod præstiterit, adscripsisse, non vero debito, quasi ita dixerit: *Quicquid ex me tibi proderit, munus est, i. e. si aliqua re te juvero, beneficentiæ meæ acceptum refer, nam tanquam munus potius do, quam tanquam debitum obsequium.* Audiamus *Chrysostomum* Hom. LII. in Matth. p. 459. horum sententiam adducentem breviterque refutantem: Τινὲς δὲ καὶ ἑτέρως ἑρμηνεύουσι τὸ δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, τουτέστιν, οὐκ ὀφείλω σοι τιμὴν, ἀλλὰ χαρίζομαί σοι, ἂν ἄρα σε τιμήσω. Ἀλλ' οὐκ ἂν ὁ Χριστὸς τοιαύτης ἐμνημόνευσεν ὕβρεως. Καὶ ὁ Μάρκος δὲ σαφέστερον τοῦτο ποιεῖ λέγων· κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, ὅπερ οὐκ ἔστι δωρεὰ καὶ δόσις, ἀλλὰ προσφορὰ κυρίως λέγεται. Ex quibus

bus ultimis verbis, ut obiter notemus, apparet, quam bene nonnemo asserat, Chrysostomum prorsus negare, Corban significare donum s. munus; dum enim hic Corban κυρίως oblationem dici agnoscit, alias significationes alio modo huic voci convenientes non simpliciter excludit, alias Corban oblationem dici absolute affirmasset. Sed ad rem! Sententiam adductam non prolixa dignaturi sumus refutatione, cum ejus falsitatem non tantum ipsa verba textus ostendant, quippe qui commodi parentibus à filio factam denegationem; hi autem ejusdem collationem adstruant, de denominatione tantum dubii, donationis titulum officio male assignantes, dobiti nomen pessime excludentes; sed etiam ex hoc uno manifesta fiat illa, quod vox δῶρον h. l. & κορβᾶν non quodvis donum & sic quoque profanum, uti hujus sententiæ patroni falso supponunt, significet, sed de sanctis usurpetur, ceu in Diss. I. adductum est, & Scriptura abunde de קרבן testatur, ut hinc *Scaliger* in Proleg. de Emend. Temp. p. 40. *mediocriter peritos Ebraismi scire*, קרבן *esse donum sacrum*, asserat. Conf. *Capell.* Diatr. in h. l. p. 144. Sicque autores citatæ sententiæ vel non observasse, quod apud Marcum est, κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον, quippe unde discere licet, non quodvis donum hic significari, sed id, quod DEO sacratum; vel quid Corban denotet, non intellexisse videntur. Conf. *Adam Contzen* p. 301. & *Maldonat.* p. 314. & inprimis Celeberr. Dn. D. *Schmidium* in h. l. p. 555. §. 9.

§. 4. Uti autem hi allata vocis *Corban* significatione nodum solvere intenderunt, ita alius ex verbi, *dicere*, expositione peculiarem deducit nostri dicti sensum. Hic est *Sepulveda p. 130. Oper. Edit. Colon.* cui *dicere patri vel matri* est *maledicere iisdem*: cum enim Moses dixerit, *qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur*, hoc negasse Pharisæos contraque asseruisse arbitratur, si quis maledixerit iisdem, eum posse veniam consequi, si donum, intercedente sacerdote, obtulerit in templo. Sed audire juvat novum novæ sententiæ patronum: *Si dixerit quispiam patri* &c. *Si dixerit in patrem, quod est ex sermone Ebræo, maledixerit, conf. Ps.* 70. dixerunt mihi inimici, *i. e. maledixerunt. Ut hæc sit pars prior legis vs.* 10. *cit. & cum eadem idem: cujus partem posteriorem*, morte moriatur, *corruperunt Pharisæi, substituendo, Corban ex me* &c. i. e. quodcunque donum, me Sacerdote intercessore, in templo obtuleris, tibi proderit, ut veniam contemtus consequaris. *Ita ut Pharisæi avari, legis supplicio, munere sibi dato, satisfieri interpretati sint, & pravis filiis uberiorem contemnendi ansam dederint.* Hæc ille, ex suo cerebro quodlibet ex quolibet fingens: transeat illud, quod ponitur, dicere in aliquem, esse per Ebraismum maledicere; non enim hic legitur τὸ dicere in patrem, sed τὸ dicere patri; transeat, quod suum Ebraismum ex Ps. 70: 10. probare non vereatur; quis enim nescit, quod τὸ אמר usitate modo cum על, modo cum ל, modo cum אל ponatur, in significatu vel alloquendi vel de aliquo aliquid pronunciandi, &c. conf. *Schindl.* p. 93. seq. *Glass. in Phil. S. l.* 4. Tr. II. p. 868. nec particula לי in cit. l. *mihi*, sed *de me* vertenda; transeat quoque illud, quam jocularis argumentatio hæc sit: אמר לי est maledicere, E. etiam εἰπεῖν τινὶ, quam putas, Benevole Lector, in aliis locis subsumtionem futuram, qualemque conclusionem illatum iri credis? sed hoc tantum monemus, quod tali expositione totus contextus & συνέχεια ausu prorsus temerario solvatur, sensusque pervertatur; quod enim liberis in textu tanquam ad ipsos parentes dici solitum adsignatur: hic sacerdotibus tanquam ad ipsos liberos dictum adscribitur, cum tamen τὸ *dicere patri & matri* illi ipsi, qui hanc formulam adhibet, attribuatur; hic autem formula ad ipsum sacerdotem pro illo offerentem contra omne fundamentum, textum & praxin ipsorum refertur. Ut plura alia brevitatis gratia, textui manifesta repugnantia, taceamus.

§. 5. Sed nec illorum expositio calculum meretur, qui, referente *Maldonato* in h. l. exponunt τὸ *quicunque dixerit* per τὸ *quilibet dicere poterit, munus, quod ex me, tibi proderit, i. e. quod DEO offero, tibi etiam prodest quemadmodum si tibi darem.* Et si *Hugo* quoque in h. l. *Quicunque i. e. unusquisque, dixerit, i. e. dicere poterit.* Conf. Nicol. de Lyr. in h. l. p. 49. ut tali sensu τὸ ὃς ἂν εἴπῃ idem valeat, ac si scriptum esset, ἕκαστος ἂν εἴπῃ. Verum textui Græco hoc minime respondet, cum ibi non ἕκαστος, *unusquisque, quilibet*, sed ὃς ἂν habeatur, quod aliquid requirit sibi respondens, & τὸ ὃς ἂν pro ἕκαστος ἂν poni, absque suffragio Senatus Philologici dicatur, nec particula ἂν h. l. affirmativa sit sed potentialis. Quid multa? conferatur modo textus apud Marcum: ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος, & res erit clara, cum ibi oratio manifeste sit conditionalis, ne dicamus, quod h. m. τὸ ὠφεληθῇς ab antecedentibus haud bene divellatur, nec facile ullus hæc redditurus sit per τὸ *quilibet homo potest dicere.* Adde, quod ita plena & perfecta statuatur oratio, cum tamen, hanc defectivam esse, manifestum sit. Ex dictis facile fieri poterit Judicium, quid de his Versionibus antiquis sit sentiendum, e. g. de hac, quæ edita Dresdæ an. 1527. Ihr aber sprecht/ ein jeglicher soll sagen zu Vater oder Muter/ alles/ das ich Gott gebe/ das kompt dir auch zu nutz/ und soll nicht ehren Vater oder Muter. Item de hac, quæ in Bibliis Argentorati an. 1485. editis habetur, cui conformia habent Biblia Noribergensia an. 1483. impressa: Ir sprecht/ ein jegklicher/ der do spricht zu sein Vater oder zu seiner Muter/ was Gab ist aus mir/ die wirt dir nütz/ und er eret nit sein Vater und sein Muter.

§. 6. Nec locum habet interrogativa sententia, quam adducit *Dannhauer.* l. c. & Diss. de voto Jepht. §. 20. *Maldonat.* l. c. & *Menoch.* l. 3. de Rep. Ebr. c. 15. quæ hæc est: *Munus, quodcunque ex me, tibi proderit? minime, quin potius obesset, quia rebus sacris abuterere*, & ut Hugo addit: *non tibi prodesset, imo obesset, quia sacrilegus esses, si acciperes*; sive ut Ad. Contzen l. c. p. 301. mentem ipsorum exponit: *an æquum est, ut sacrificium DEO oblatum tibi alendo impendatur, tuque Deo anteponaris?* Sed cum interrogatio ista in nullis, quantum nobis constat, libris legatur, quin, ut alia taceamus, nec cum verbis textus Græci satis conveniat, dum verbum substantivum supplet ad verba: Ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, sicque textum male distinguat & conjungenda separet; conjungenda enim est particula ἐὰν potentialis cum verbo ὠφεληθῇς, hinc talem minime admittendam esse apparet. De reliquis expositionibus ut dicamus, chartarum angustia non permittit, poterit autem de illis judicium fieri tum ex iis, quæ dicta sunt, tum ex illis, quæ in Sect. II. dicenda supersunt.

PARTIS POSTERIORIS
SECTIO II.

Cum supra consideraverimus, quid de honore parentum cum aliis sentiant Ebræorum Doctores, & qua ratione majores ipsorum reprehensionem hic promeriti aliis videantur, superest, ut brevibus nostram de illorum traditione, sed salva dissentientium autoritate, sententiam exponamus. Esto igitur, eos, parentes negligendos esse, aperte non asseruisse, iis alimoniam directe non negasse, imo eam præscripsisse & præcepisse; tamen fatendum est, insignes ab istis adinventas fuisse derogationes impiasque traditiones, quibus, ut cætera præcepta enervarunt, ita vim sive effectum præcepti de honorandis parentibus, rationibus frivolis pro magistrali sapientia, verius stultitia, excogitatis, minuerunt, quin subverterunt, iisque in tam nefandas & detestandas consequentias prolapsi fuerunt, ut illis adducti ea ipsa, quæ verbis laudarant, re ipsa fecerint irrita. Erant enim hypocritæ, quo honoris titulo hic insigniuntur, quia, cum diligentissimi legis observatores videri vellent, legem tamen ipsam propter traditiones suas transgredi non verebantur.

CAPUT IV.

§. 1. Duas præcipue hujus præcepti derogationes apud ipsos deprehendimus: *una* est, qua patrem præ Rabbino, à quo legem ejusque Mischnam quis didicisset, vilipendendum docent. Quin ubi de captivis redimendis agunt, & qua ratione pro sexus, dignitatis, natalium & aliarum qualitatum discrimine alii præ aliis sint redimendi, exponunt, Magistrum patri in hoc præferendum tradunt, vide *Gemar. Babyl. ad Tit. Horajoth.* c. 3. f. 13. c. 1. & *Gem. Hieros. ad cit. tit.* c. 3. f. 48. c. 2. ubi hanc prærogativæ rationem adjiciunt: שאביו הביאו לחיי העולם הזה ורבי שלימדו חכמה הביאו לחיי העולם הבא: *quia pater ejus vitam ei dedit in hoc seculo; Magister vero, qui docet sapientiam, ducit eum in vitam seculi futuri*; de quo autem Magistro loquantur, exponunt ibi: ורבי שלימדו משנה לא רבי שלימדו מקרא *hoc de Magistro intelligendum est, qui docuit eum Mischnam seu Traditiones, non de eo, qui Scripturas tantum docuit. Altera* est illa ipsa, ob quam in præsenti loco reprehenduntur, & impietatis labe se commaculasse dicuntur. Namque illum, qui ad formulam sæpius dictam de rebus, quibus parentibus honor exhibendus erat, voverat, ita obstrictum esse voluerunt voto, ut non solum præcepto, parentum honorem exigente, observando solveretur, verum etiam, ut illud observare imposterum, voto nondum soluto, fas illi non esset, ut sic, quicquid ante votum parentibus ex præcepto præstandum fuerat, id voto

facto

facto tanquam DEO sacrum, hincque non attingendum, censeretur. Hujusmodi nexus votis hisce adscriptus non latuit *Philonem*, traditionum Majorum non nescium, ex quo apud *Euseb. in Præpar. Ev.* l. 8. c. 7. p. 358. hæc leguntur adducta: Τῶν ἑαυτοῦ κτημάτων ἕνα ἕκαστον κύριον εἶναι, μὴ Θεόν γε ἐπιφημίσαντα αὐτοῖς, μεθ' ὡς (alii ὅς legendum putant) τῷ θεῷ ταῦτα ἀνίησιν. Εἰ δὲ λόγῳ μόνον ὑποσχέσθαι προσπέσοι, ψαῦσαι καὶ θιγεῖν αὐτῶν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' εὐθὺς ἁπάντων ἀποκεκλεῖσθαι. Μή μοι τὰ τῶν θεῶν (alii τοῦ θεοῦ) ἁρπάζειν, μηδ' ἀποσυλᾶν ἑτέρων ἀναθημάτων· ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκείων, ὥσπερ ἔφην, προσπεσόν τι καὶ λαθὸν αὐτὸν ῥῆμα, ἐπαναθήσει. Εἰπόντα δὲ πάντων στέρεσθαι. μεταγινώσκοντι δὲ ἢ ἐπανορθουμένῳ τὰ λελεγμένα, καὶ τὴν ψυχὴν προσαφαιρεῖσθαι. Καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὧν κυριεύει, ὁ αὐτὸς λόγος. Et hanc obligationem videmus quoque in aliis, ubi, etiamsi quis ipsis à lege sacra præscriptis, velut phylacteriorum usu, scenopegiorum ritibus, &c. voto sibi interdixerat, illa tamen omnino omittenda voluere, pœna insuper verberum violationi voti adjecta, quod tamen in juramento non obtinuit; tale enim docent discrimen, quod, si quis jurasset, se phylacteriis non usurum aut scenopegia non observaturum, tunc irritum fuerit juramentum; si vero voto his renunciasset, tantum abfuit, ut irritum ipsis fuerit votum, ut etiam non impune violatum fuerit: discriminis ratio datur hæc, quod juramento ejusmodi utens seipsum quidem obstringat, ne id faciat, quod in præceptis accepit; id quod obligare ipsum nolunt; sed vovens ipsam rei ipsius, quæ in votum venit, naturam commutet, & ex re licita illicitam reddat, sive, ut *R. Levi* apud Hott. p. 44. loquitur, vovens sit כמכניס דבר המותר בנדר האסור: *tanquam qui rem licitam redigit intra septum prohibitum.* Huc pertinent quoque verba, quæ *in Cod. Nedarim Talmud.* c. 2. f. 15. c. habentur de voti & juramenti discrimine: וחומר בנדרים מבשבועות כיצד אמר קונם סוכה שאני עושה לולב שאני נוטל תפילין שאני מניח בנדרים אסור בשבועות מותר שאין נשבעין לעבור על המצות: *Contra* (aliud) *gravius est in votis, quam in juramentis. Quomodo? si quis dixerit, Konem esto mihi tabernaculum, quod fecero, ramus palmæ, quem gestavero, Thephillin, quos induero. In votis obligatus est; in juramentis vero liber est, quia non jurant, ut ipsi transgrediantur præcepta.* Sed quam bene hæc fieri dicantur, alii videant, ex iis, quæ ad votum legitime nuncupandum requiruntur, facile de his judicabis.

§. 2. Hisce ut major lux affulgeat, meliusque, qua ratione voventes usum alicujus rei illicitum fecerint, percipiatur, de votis, quantum ad præsentem materiam illustrandam conducet, nonnulla adducturi sumus: nam verba in textu nostro voti fuisse formulam, communior & verior sententia est, quam primum observatam fuisse à doctissimo *Masio* nonnulli scribunt, cujus verba in erudito Commentar. in Josuam c. 6. p. 112. hæc sunt: *Extat apud Doct. Ebræos hæc jurandi aut vovendi potius solennis formula,* קרבן כל מה דתהנא מני h. e. *anathema & res devota esto, quicquid illud sit, quo ego tibi prosim, aut quam tu utilitatem ex me capias. Quo voto cum quis apud aliquem usus est, quantavis necessitudine obligatum, atque adeo erga suum ipsius parentem, nefas esse statuunt Rabbini, illum ullo beneficii aut officii genere hunc juvare, ne quod DEO devovit videlicet, id humanis commodis serviat. Atque hæc ipsa est illa traditio, quam citat damnatque Christus apud Matthæum & Marcum, tanquam legi Mosis adversantem; à nostris interpretibus, formulæ illius ignaris, adhuc parum bene, ut mihi videtur, explicata, s. Græcis sive Latinis.* Hujus interpretatione adductum se fuisse scribit *Coccej.* ut inquireret, in Annot. ad Sanh. c. 7. cui tamen expositioni maxime iniquus est *Scaliger* loco Disp. I. cit. sed ut videtur, præter rationem solidam. Plurimi eidem favent eruditissimi. Sic *Rivetus* c. l. certum esse asserit, Dominum respexisse ad quoddam voti genus, quo ita se obstrinxerint, ut inde putarent, se jure denegare parentibus, quæ alioquin erant debita; id quod fatentur etiam alii, Linguar. Orient. & Talmud. excellentissimi Viri, quorum consensum adducere, pagellæ prohibent. Et sane res ipsa perpendenti non poterit esse dubia: quod enim alii de juramento hic monent, ad hoc dicimus, nos juramentum excludere nullum, nisi quod votum excludat & simplex sine voto sit; votum enim illud ab iisdem modo sine, modo sub juramento conceptum fuisse, quo tanto fortius se obstringerent, facile affirmanti concedere possumus.

§. 3. Duo autem נדרים sive votorum genera constituuntur apud *Maimon. in Hilk. Nedar.* c. 1. unum est נדר הקדש, *votum consecrationis s. rei sacræ*: alterum נדר איסור, *votum obligationis vel prohibitionis*: illud ibi dicitur esse, *quo quis se obligat ad oblationem, ad quam offerendam alias non tenebatur*; Et tali voto dominium & jus, quod obtinebant devoventes in pecuniam vel domum aut fundum, aliaque quæ ipsorum erant juris, ab ipsis in DEUM, cui talia consecrabant, transferebatur, ipsi autem jure in ea semetipsos spoliabant; hoc erat, quo aliquis interdicebatur usu rei alioqui ex se licitæ; quod ipsum triplici ratione factum esse deprehenditur, vel *primo*, ut quis usum rei suæ, eumque vel in genere vel in specie, vel cum vel absque conditione, vel ad totam vitam vel ad certum tempus dicto voto sibi interdixerit, v. g. se hoc illudve non comesturum, non induturum &c. de quo prolixe agit *R. Maim.* in Hilk. cit. vel *deinde*, ut quis usu rei non suæ, sed quæ alterius esset, sibi voto interdixerit, v. g. se nolle beneficium & utilitatem ab hoc vel illo sive homine uno s. cœtu integro accipere, nullaque re frui, quæ hujus vel illius sit: *vel tandem*, ut quis hoc voto usum rei suæ interdixerit alteri, h. e. voverit, se rem suam huic vel isti nolle commodare, se, quicquid ad victum & amictum pertinet, nolle ei subministrare, ut res ea tam sit imposterum ab usu, respectu voto exclusi, remota & excepta, quam est ipsum Corban, quod nemini fas erat attingere. Ita notat *Arias Montan.* apud *Ad. Contzen.* in Matth. p. c. *in Traditionum libro expresse positum esse, si quis jurarit, nolle parentibus auxilio esse, jurisjurandi religione teneri illum.* Sic *P. Burgensis* ap. Maldon. in h. l. *Judæorum traditionem fuisse docet, ut quisquis vellet, vel generaliter & absolute, vel specialiter respectu hujus vel illius, aut omnia aut quædam ex suis bonis devoveret, ita ut illi, cujus respectu devota essent, illis uti non liceret.*

§. 4. Uti Ebræorum scripta alias hunc usum præstare haud abs re dicuntur, ut Veterum constitutiones, placita & legum Mosaicarum rigidas & iniquas interpretationes, ob quas Domini nostri objurgationes crebriores sunt experti, nobis etiamnum ostendant, stuporis Judaici non obscurum argumentum. Sic enim ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensi & ex propriis atque concessis principiis convicti, impietatem, ex violatione & perversa legis divinæ interpretatione elucentem, negare non possunt; ita sacrilegi hujus dogmatis hic improbati non prorsus nulla in ipsorum monumentis habentur indicia, quæ dum producuntur, hoc in antecessum monemus, quod nos, phrasin hanc ex Traditionibus Ebræorum, quantum fieri potest, judicandam cum magni nominis Viris agnoscentes, non hoc velimus, quasi, nisi cum Judæorum traditionibus verba Domini conveniant, propterea veritas ejus periclitetur, quod absit; interim tamen non apparere fateamur, si, prout in ipsis Judæorum vetustissimis Traditionibus continetur, exponi illa possint, quid obstet, quo minus id faciamus, cum negari nequeat, Salvatorem aliquam Judæorum traditionem citasse, si non in formalibus, tamen in virtute verborum, & applicando verba Traditionis generalia ad casum specialem parentum; nam, uti recte Eusebius de præparatione Evang. lib. 7. c. 8. monet, δεῖ καὶ τὰ Ἑβραίων ἐκ τῶν παρὰ ἑβραίοις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἀλλοθέντοθεν ἀποδέχεσθαι. Traditionem Pharisæorum quandam & hinc exortam inter Judæos consuetudinem reprehendit Christus, illius ergo traditionis & consuetudinis ratio non pro lubitu fingenda, sed ex principiis ipsorum domesticis deducenda & petenda.

§. 5. Jam varias in Ebræorum monumentis formulas occurrere notandum, ubi proximus proximum, & nominatim maritus uxorem, uxor maritum, liberi parentes, parentes liberos, aliique alios ab utilitate percipienda voto excluserunt, eoque se obstrinxerunt, se commodo illius, qui erat מודר, non inservituros, quippe qui usu rei in voto adductæ, quæ istorum esset, à מדיר s. vovente esset interdictus. In ipso Talmude & quidem Tract. de Nedarim frequentissime & ad tædium hanc leges formulam, קונם שאני נהנה לך, apud Commentatores autem Talmudicos ejus loco hæc invenitur: קרבן שאני נהנה לך, e. g. *R. Sal. Jarchi* ad Misch. 1. c. 1. f. 2. c. 1. דאמר קרבן שאני אוכל לך או קרבן שאני נהנה לך: quam procul dubio non aliunde habent, quam à veteribus Magistris. Quid? nec ipsum Talmud formulis votorum per קרבן factorum destituitur, sic Tract. cit. f. 13. c. 1. hæc leguntur: האומר קרבן שאני אוכל לך: sic fol. 15. cap. 11. col. 1. קרבן לא אוכל לך הא קרבן שאוכל לך לא קרבן לא אוכל לך מותר: sic fol. 20. cap. 2. נדר בקרבן. Illud autem קונם, quod Mischnæ Talmudicæ tam frequenter adhibent, idem omnino valet, quod קרבן, *Corban*, cum sit כנוי לקרבן, ut habetur Tract. c. fol. 10. cap. 1. col. 1. האומר לחבירו קונם קונח קונס הרי אלו כינויין לקרבן *si quis dixerit proximo suo* קונם *&c. En hæc sunt cognomina* τοῦ κορβᾶν. Quod *Raschi* etiam fatetur c. l. conf. *Maim. in Tr. Ned.* cap. 1. hal. 2. & *R. Nissim* in Ned. cap. 1. קונם לשון הקדש הוא, *Konem vocabulum sacrationis esse* dicit, ut ita, sive קונם sive קרבן quis dixerit, idem dixerit, ejusdemque, uti significationis, ita efficaciæ votum fuerit, nam ut in *Gemar l. c.*

T 2 dicitur,

dicitur, כל כנויי נדרים כנדרים וידות נדרים כנדרים, quibus indicatur, cognomina votorum esse sicut ipsa vota, & votum oratione non plena sed mutila seu voce aliqua truncata conceptum tam obstringere, quam si conceptum fuisset vocibus formalibus קרבן vel אסור, hinc in cap. 1. *Cod. Talmud. Ned.* f. 10. c. 2. dicitur, si quis dixerit, esto mihi *sicut agnus* (jugis) *sicut pyra sive rogus* (qui in altari ardebat) *sicut ligna* (quæ in altari comburebantur) *sicut sacrificia igne absumta, sicut altare*, אע"פ שלא הזכיר קרבן הרי זה נדר בקרבן *ille, quamvis nullam fecerit mentionem* τοῦ κορβᾶν, *tamen vovit per* τὸ κορβᾶν. Plura hujus generis brevitatis gratia silentii sipario involvimus.

§. 6. Jam ut ipsorum consuetudo se invicem voto excludendi melius patescat, quædam, tum in genere proximum, tum in specie hunc, istum vel illum devovendi modum & rationem demonstrantia, prolaturi sumus. Proximum ab utilitate excludendi morem non ignoravit *Philo*, quando impietatem talium *lib. de Special. Legib.* p. 595. verbis graphicis describit: Εἰσὶ δ᾽ οἱ τὴν φύσιν ἄμικτοι καὶ ἀκοινώνητοι δι᾽ ὑπερβολὴν μισανθρωπίας γεγονότες, ἢ καὶ ὑπ᾽ ὀργῆς οἷα χαλεπῆς δεσποίνης ἐκβιασθέντες, ὅρκῳ τὴν ἀγριότητα πιστοῦνται τῶν ἠθῶν, οἵτινες οὐ φασὶν ὁμοτράπεζον ἢ ὁμορόφιον ἕξειν τὸν δεῖνα ἢ τὸν δεῖνα, ἢ πάλιν τῷ δεινὶ μὴ παρέξειν ὠφέλειάν τινα, ἢ παρ᾽ ἐκείνου τινὰ λήψεσθαι καὶ μέχρι τελευτῆς. Ἔστι δ᾽ ὅτε καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν τὸ ἀσύμφατον διαφυλάττουσιν, οὐδὲ νεκροῖς τοῖς σώμασιν ἐπιτρέποντες ἐν διαθήκαις τὰ νομιζόμενα παρασχεῖν. Ita inter Christianos olim sacramento quidem se obligasse dicuntur apud *Cl. Salmasium*, l. c. pag. 226. ne cum adversariis suis unquam reconciliarentur. Conf. Dilh. in Ecl. S. pag. 414. Jam talium flosculorum insignis in Rabbinorum scriptis occurrit copia. Præter illa, quæ supra Cap. 1. §. 9. adducta sunt, qua ratione scilicet quis voto semet excluserit à proximi sui commercio, quando ☞ ratione hujus devotum, ab ipso separatum & remotum professus est, & ceu species sacrificiorum ibi denominatas cibi, sicque aliarum rerum in vita communi occurrentium, communionem voluit esse illicitam, vid. *Cod. Nedar. Talm. c. 1. fol. 2. & 13. col. 1.* & *Maim.* in Hilk. Ned. fol. 17. §. 23. item, quomodo quis os suum, manus pedesque *Konem* dicendo communem sermonis, operæ & viæ usum voto voluit esse præclusum; jam nonnulla eaque paucissima allaturi sumus in medium, ut, quid exclusis voto parentibus licitum illicitumve fuerit relictum, eo melius cognoscatur; sub generalibus enim conclusis & assertis specialia, patrem aliosque respicientia, ab illis intelligi, & res ipsa & exempla non pauca testantur. Hanc in rem talia, voventem à proximi commercio excludentia iisque ex Talmude supra citatis conformia, leguntur apud *Maim. in Hilk. Nedar.* fol. 17. c. 2. §. 23. אבל אם אמר לחבירו מודר אני ממך שלא אוכל לך׳ או מופרש אני ממך שלא אוכל לך או מרוחק אני ממך שלא אוכל לך הרי זה אסור לאוכל ואם אכל כזית מכל נכסיו לוקה וגו׳: *si vero dixerit ad proximum suum, devotus sum à te, aut separatus sum à te, longinquus s. remotus sum à te, quod non comesturus sim tecum, huic prohibitum est comedere; si vero comederit instar olivæ ex omnibus facultatibus suis, vapulatione dignus censetur.* Sic fol. 13. in Cod. Talm. Ned. c. 1. cap. cit. hæc leguntur: האומר־הקרבן כקרבן קרבן שאוכל לך אסור לקרבן לא אוכל לך ר"מ אוסר: *si quis dixerit, ha-Korban, ke-Korban, Korban, quodcunque comedero tecum, obligatus est; si vero dixerit, Le-Korban, Rabbi Meir eum obligat.* Conf. cap. 2. fol. 15. cap. 2. Qua ratione Israëlita utilitatem ab Israëlitis aliisve populis expectandam sibi ipsi voto interdixerit, quaque ratione jam dictis vovens bona sua illicita reddiderit, hæc, quæ habentur in *Talmude* lib. c. cap. 3. fol. 31. col. 1. & 2. summatim edocere possunt: קונם שאני נהנה לבני נח מותר בישראל ואסור באומות: שאני נהנה לזרע אברהם אסור בישראל ומותר באומות העולם: שאני נהנה מישראל לוקח ביותר ומוכר בפחות שישראל נהנין לי לוקח בפחו׳ ומוכר ביותר אין שומעין לו שאני נהנה להן והן לי יהנה לאומות: קונם שאני נהנה לערלים מותר בערלי ישראל ואסור במולי אומות העולם שאני נהנה למולים אסו׳ בערלי ישראל ומותר במולי אומות העול׳ שאין הערלה קרויה אלא לשום גוים וגו׳: Quicunque dixerit, *esto mihi munus, quicquid commodi à filiis Israel percepturus sum, tunc liciti ipsi erunt Israelitæ, sed prohibiti gentiles.* Quicunque dixerit, esto mihi munus, *quicquid commodi percepturus sum à semine Abrahami, tunc prohibiti ipsi sunt Israelitæ, sed liciti gentiles.* Ita qui dixerit, munus esto, *quicquid commodi ab Israelitis percepturus sum, tum emat carius, vendatque minori pretio.* Qui dixerit, munus esto, *quicquid Israelitæ commodi percepturi sunt à me, ille emet minori pretio, atque vendat majori pretio; tum enim non consentient illi.* Qui dixerit, munus esto, *quicquid percepturus sum ab illis commodi aut illi à me, tum ille commodum percipere potest à gentilibus.* Qui dixerit, esto mihi munus, *quicquid commodi percepturus sum à præputiatis, tum liberi ipsi sunt præputiati Israelis, prohibiti autem circumcisi gentilium.* Qui dixerit, esto mihi munus, *quicquid commodi percepturus sum à circumcisis, tum prohibiti ipsi sunt præputiati Israelis, liciti vero circumcisi gentilium.* Quale autem discrimen inter מודר הנאה, *exclusum à commodo*, & מודר מאכל *exclusum à cibo* constituat Talmud, quidque licitum tali relictum fuerit, hæc in cap. IV. f. 32. c. 2. exponunt: *Nullum est discrimen inter voto exclusum à commodo, quod percipere quis possit ex socio suo, & inter voto exclusum ab eodem quoad cibum, nisi calcatio pedis, & vasa, in quibus nullum coquunt cibum animæ. Voto enim si quis exclusus quoad cibum à socio suo, non mutuat ei vannum aut cribrum aut molas aut furnum: mutuat tamen ei indusium, annulum, pallium & monilia. Quodvis etiam vas, in quo non coquunt cibum animæ. Si ibi loci, ubi pro mercede conducunt similia, prohibitum est.* Quæ autem illi, qui voto à commodi perceptione exclusus fuit, licita & prohibita Magistrorum solicitudo, quin vanitas ipsorum summa, reliquerit, ex sequentibus, cap. cit. fol. 41. c. 2. præscriptis, discere possumus: *Si quis voto exclusus fuerit, quod nullum commodum percepturus sit à proximo, tunc si introeat ad visitandum eum, stare debet; minime vero sedere concessum. Licet etiam ei sanare sanatione, quæ prosit vitæ ejus, non divitiis ejus. Lavabit item cum eo in labro magno, sed non in parvo; dormietque cum illo in lecto. R. Jehuda dicit, in diebus æstivis hoc licet, verum non in diebus hybernis, quandoquidem tum utilitatem* (calorem utique, quod contra votum esset, ô stultitia! ô vanitas!) *habere ab illo possit. Accumbat cum eo super eodem lecto, comedetque cum illo super eadem mensa; sed non ex eadem paropside. Comedere tamen cum illo potest ex eadem paropside* (post prægustationem) *restituenda. Non comedere potest cum ipso ex paropside magna, quæ est coram operatoribus, neque operari cum illo in* (eodem) *angulo: ita R. Meir. Sed Sapientes dicunt, operetur sed procul ab illo.* Et sic quoque neque commodare neque commodatum accipere, nil vendere, nil emere potuerunt invicem, qui ut מודר & מדיר se habebant, quod sequentia docent f. 42. cap. cit. c. 2. *Si quis voto exclusus est à commodo ex proximo percipiendo, tunc non commodabit ei, neque commodatum accipiet ab eo: non mutuabit ei, nec mutuabit ab eo, nihil vendet ei, nihilque emet ab eo.* Adeo stricte servanda hæc dictitarunt, ut, si vel ipsa necessitas voti impii violationem postularit, tamen potius alia, quam hanc præscripserint, v. g. si tales iter fecerint, nec exclusio fuerit, quod comedere possit, excludens alii, tertio cuidam, aliquid nomine doni dare jussus fuit, ut tunc exclusus comedere potuerit; sin non fuerit cum illis alius, (tertius) excludens super saxum aut super maceriam posuit, dixitque: *Ecce hæc publicata sunto omnibus, qui sumere voluerint. Et tunc accipere potest exclusus & comedere. Sed R. Jose prohibet.* Plura quidem hujus farinæ afferri possent, sed hæc allata consuetudinem ipsorum impiam & frivolam proximum voto excludendi, satis declaratura arbitramur.

§. 7. Videamus tandem, qua ratione ipsos natura & consanguinitate junctos tali voto à commodis excluserint. Patris à filio exclusi exemplum habemus in Cod. Talmud. c. V. fol. 48. c. 1. ubi generali asserto tale exemplum subjicitur: המודר הנאה מחברו ואין לו מה יאכל נותנו לאחי לשום מתנה והלה מות׳ בה מעשׁ׳ באחד בבית חורון שהיה אביו נדר הימנו הנאה והיה משיא את בנו ואמר לחברו חצר וסעודה נתונין הינן לפניך אלא כדי שיבא אבא ויאכל שמנו בסעודה: *si quis per votum à commodo ex proximo suo percipiendo exclusus fuerit, nec habuerit, quod comedat, tum ille,* (proximus) *dat aliquid* (cibi) *alicui alii nomine donationis, qua ratione iste* (exclusus) *solutus erit* (si comederit illud.) *Historia de aliquo* (filio) *in Beth-horon: à quo pater ejus exclusus erat per votum, ab utilitate percipienda. Tum ille desponsavit filium suum, dixitque proximo alicui suo: atrium & prandium data sibi sint dono; non tamen tibi uti liceat, nisi hac cum conditione, ut veniat pater meus & comedat nobiscum in prandio &c.* Sic varia occurrunt loca, ubi filia & patrem & reliquos propinquos voto à commodo exclusit. Ita præter hæc, quæ in Jad. Chas. P. III. in Hilk. Ned. c. 12. f. 32. §. 11. de propinquis habentur: נשבעה או נדרה שלא נהנה בה לא אבי בעלה ולא אחיו ושאר קרוביו אינו יוכל להפר: hæc in Commentario ibi notantur: קונם שאני עושה על פי אבא ועל פי אביך ע"פ אחי ועל פי אחיך אינו יכול להפר: si qua maritata dixerit, *Konem* sive Korban *sit s. erit, quicquid præparavero ori patris mei & ori patris tui, & ori fratris mei & ori fratris tui, tum ille* (maritus) *non poterit irritum reddere votum*, quæ ipsa iisdem verbis *in Cod. Ned. Talmud.* c. XI. f. 85. c. 1. habentur; vid. qq. f. 81. c. 2. Addantur, quæ eod. cap. f. 89. hanc in rem afferuntur, ubi uxor præter maritum patrem quoque excludens introducitur:

ducitur: Si qua dixerit; *Konem s. res sacrata erit, quicquid ego prodesse potero patri meo aut patri tuo: Item, si ego fecero quicquam pro ore tuo, aut si ego commodum ex te percepero; aut si ego quicquam paravero pro ore patris mei aut patris tui, tum poterit maritus votum irritum reddere*, ad quæ *Tosapht. in Ned.* c. XI. f. 106. conferre poteris. Verba Talmudica audiamus à *R. Nissim* explicata: קונם שאני עושה לפי אבא כקונם וגו׳: שאני עושה יהא לפי אבא כקונם וגו׳, quando dicitur: *Esto Konem, quod ego paravero pro ore patris mei, idem est, ac si dicatur: quodcunque paro, esto patri meo, velut sacra oblatio.* De his ita *R. Sal. Jarchi*: *Si qua ad formulam adductam voverit, non poterit irritum reddere maritus votum, cum non sit votum de rebus, in quibus est afflictio animæ, nec quæ inter illum & illam* (uxorem) *intercedant.* Prolixe in Comment. l. c. disputat de his, & postea variorum varias affert sententias *R. Ascher* f. 117. col. 2. quem, si libuerit, vide. In פירוש המשניות fol. 110. col. 2. verba Talmudica ita exponuntur: שכל מה שאעשה לא יאכל ממנו אבא מאומה ר״ל שלא יהנה בו וגו׳: *quicquid paravero, ex illo non comedet pater meus quicquam, i. e. exinde utilitatem nullam percipiet.* Nec solum liberis, sed & parentibus hæc impietas instillabatur, qua sub prætextu voti hi illos exhæredabant, illorumque erga hosce talio procurabatur; id quod ex Codice de damnis patet. Quod notat etiam *Selden.* l. c. p. 837. quod filius à patre interdictus bonis fuerit, in quæ alias ipse ex lege succedere debuisset, sicque exhæredationem adeo legitime esse factam, scribit, ut successionis jure omnino inde filius caderet, atque ad nepotes s. ad fratres bona, prætermisso filio ita voto damnato, transmitterentur, de quo ipso videantur citata apud ipsum loca.

§. 8. Morem illum maritorum uxoris alimenta sibi ipsis voto illicita reddendi non ignoravit *Philo*, qui apud *Euseb. de Præp. Euang.* l. VIII. p. 358. c. 7. inter alia hæc habet: Ἐὰν ἐπιφημίσῃ τροφὴν γυναικὸς ἀνὴρ, ἱερὰν εἶναι, τροφῆς ἀνέχειν. Ἐὰν πατὴρ υἱῷ, ἐὰν ἄρχων τῷ ὑπηκόῳ ταυτόν. *si vir uxoris suæ alimenta DEO sacra esse voluerit, alimentis ei suis abstinendum. Si de filio pater, si princeps de subditis simile quiddam statuerit, fixum idem habendum ac ratum.* Quod de uxoris alimentis voto exclusis Philo dixit, de eo plura suppeditant Ebræorum Codices: paucissima adducentur, ubi non solum alimenta, sed & ipsam uxorem, quantum in se fuit, illicitam reddidit & τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν eid. voto præmisso denegavit maritus. Apud *Majm.* l. c. f. 18. §. 30. c. 11. hæc leguntur verba: האומר לאשתו הרי את עלי כאמו או כאחותי או כערלה וגו׳: *Quic. dixerit uxori suæ: ecce! tu eris mihi sicut mater mea, sicut soror mea, sicut gentilis &c.* Conf. Mischnam prolixe ibi de hoc voto agentem, item *Cod. Nedar. Talm.* c. 2. f. 14. c. 1. & 2. hic expresse introducitur dicens uxori: קונם שאני משמשך, *esto Konem mihi, devoveo me, quod non habitaturus sim tecum* (ut maritus); sic fol. 20. קונם אשתי נהנית לי, *devoveo id omne, quo uxor utilis mihi esse possit*, quod repetitur cap. III. fol. 25. c. 2. Et fol. 28. & cap. VII. fol. 57. col. 1. tum alimenta tum vestimenta ab uxoris manu facta usque ad certum tempus maritus sibi reddit illicita; quæ & alia multa ejusmodi inepta votorum exempla mariti uxorem devoventis ad finem usque capitis ibi videri poterunt. Conf. cap. 8. f. 63. cap. 2. Ita & Generum, Sacerdotes & Levitas voto ejusmodi fuisse exclusos, loca nonnulla testantur, vid. cap. XI. fol. 88. cap. 1. & fol. 83. cap. 2.

§. 9. En tibi specimen aliquot exemplorum impiæ, ridiculæ & jocularis devotionis hominum illorum in votis ludentium: quorum plura adduci poterunt, sed hæc pauca si noveris, tunc, quæ consuetudo illorum hic fuerit improbata, non ignorabis. Hæc utique Pharisæorum fuit doctrina, quod, si quis illa voti seu potius execrationis formula etiam in ipsos parentes usus esset, non licuerit postmodum ex bonis suis etiam ipsis parentibus benefacere; sed talis ad servandum votum אסור s. obligatus fuerit. Id quod verba apud *Marcum*: καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲ ποιῆσαι τῷ πατρὶ κλ. & *Matthæum*: καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα κλ. ipsos traditionis impiæ fructus indicantia, evidenter docent, hoc tantum cum discrimine, quod hic futurus adhuc casus & eventus, & quid imposterum respectu voventis sequatur, significetur; ibi autem doceatur, quid de præsenti Pharisæi faciant, & in futurum continuari velint, dum à præsenti voti emissi momento & deinceps quicquam facere parentibus haud permittant; statuerunt enim, post emissum votum hoc ipsum filio esse illicitum, ne voti violati reus fieret, ut exempla adducta probant. Non autem hoc volumus, q. s. his verbis קונם sive קרבן שאני נהנה לך, δῶρον s. κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, indicetur & innuatur, eum, qui sic locutus est, sua in usus sacros dicasse aut (secundum Scribarum mentem) ad ea sacranda obligatum fuisse, sed talis formula voventem ab ista re solum obligando cohibuit, cui negandæ tali formula est usus, id est, ab eum suis facultatibus juvando, cui sic dixit. Aliis prodesse ex operibus suis potuit, isti non potuit. Conf. Dn. D. *Schmid.* l. c. pag. 581. Uti enim nullus dixerit, eum, qui sic locutus est ad alterum: *Konem erit os meum, si locutum fuerit tecum; manus mea, ubi laboraverit tecum, pes meus, ubi ambulaverit tecum*, quique אסור pronunciatur cap. 1. Cod. Ned. Talm. f. 13. talia in voto adducta consecrasse, sed hoc eum vovisse dicendum, quod neque cum ipso locuturus, neque operaturus, neque ambulaturus sit; & sicuti qui dixit: *Konem sit vinum, quod ego gustavero*, hoc dicere voluit: sit vinum, quod ego gusto, sicut vinum sacratum: קונם enim à *Ramb. in Babyl. Berach.* fol. 51. c. 1. explicatur, quod idem valeat ac כהקדש יהי עלי, *sit super me sicut res sacrata*, ac si ille dixisset, voveo, me non gustaturum vinum, & sic in reliquis exemplis: ita non dicendum, quod, qui dixerit קונם vel קרבן שאני נהנה לך, illud, quod nominarit, hac ratione consecrarit, sed quod ulla in re devoto benefacere tam sibi illicitum pronunciarit, quam sibi illicitum sit Corban attingere, cum res illa nominata hujus respectu, ut sacrata, quam in usum convertere non licuit, esse debuerit. Alias multa absurda emersura essent, & talia hunc vovisse dicendum foret, quæ in ejus potestate nulla ratione fuerunt, nec ullo modo consecrari potuerunt.

§. 10. Sed objicias, asserto nostro obstare hoc, quod talia vota, si desideratum fuerit, soluta ab iis fuerint. Sed R. largimur faciles, solutionem votorum ab ipsis fuisse usurpatam; id quod ex *Majm.* Tr. cit. abunde constat, & vel hoc unicum nobis jam sufficere potest, quod in ipso *Talmude* Tr. cit. cap. XI. fol. 64. c. 1. habetur, *quod aperiant sapientes filio viam*, s. nexu voti eum absolvant *in gratiam s. honorem parentum*, circa quæ tamen varie disputant Commentatores; Jam solverint licet votum, quid tum? quæ hæc erat impietas, docere, liberos voto tali in parentes concepto fuisse ligatos, neque licuisse iis benefacere, nisi prius voto à sapientibus soluto? quæ hæc malitia, liberis talia pronunciare illicita, quæ DEUS ipse agenda præcepit, & natura dictitat omnibus? Solverunt: Ergo ante obstrinxerunt: ad quæ? ad ea omnino, quæ legi divinæ & rectæ conscientiæ dictamini è diametro erant contraria. Impia erant talia vota, E. nulla constringendi & ad exequendum obligandi vis iis adsignanda; docendi potius erant homines, voventes ejusmodi votis, utpote impiis, nullo modo teneri, imo vero graviter peccare, si credant se iis teneri, gravius, si ex ejusmodi falsa opinione & conscientia errante beneficentiam erga parentes omitterent. Et hoc erat illud קרבן לא קרבן & δῶρον ἄδωρον hic improbatum, de quo dicta sufficiant. Nos pro concessis viribus DEO debitum & magis gratum devote offerimus

GRATIARUM ET LAUDUM CORBAN!

JOH. DEUTSCHMANN DISSERTATIO

De Petra Ecclesiæ ad Matth. XVI: 18.

PROOEMIUM.



Dignissimam omnique ævo memorandam sententiam D. Paulus tulit, facta, quæ sacro fidelium cœtui imminent, tristissima graphice depingens, ac circumspecta animi prudentia expectanda monens, dum inquit ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι Eph. 5:16. Cujus saluberrimi moniti memoriam nos recte diligenterque conservamus, hac potissimum tempestate, qua *Templa destruuntur, prostrata jacet pietas, silent Leges, mussitant Musæ, diræ execrationes singulis momentis audiuntur, pagi incenduntur, urbes & villæ exuruntur, arva ab agricolis inculta deseruntur, matrimonia violantur, virgines constuprantur, liberi orphani redduntur, nobilitas exscinditur, plebs expilatur, œconomia dissipatur, securitas nulla neque extra, neque intra mœnia reperitur!* Ut summus quondam Theologus suorum temporum calamitatem deplorat. Ingruunt certe prædicta à Christo tempora, quibus συνοχὴ ἐν ἀπορείᾳ καὶ ἀπόψυξις plurimorum corda tenet, maxime piorum, ita ut nisi Christus, rupes, sive petra illa salutis צוּר לְבָבִם fuisset, jamdudum periissent in afflictionibus suis. In hac petra dum confidunt, pro certo habent, portas inferorum adversus sese non prævalituras esse. In hac Petra securi cum Bernhardo serm. 61. in Cant. dixerunt: *Quid non boni in Petra? In Petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter Sto. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cedo, fundatus enim sum super Petram firmam.* Hanc Petram Ecclesiæ ex Matth. cap. 16. comm. 18. afflictis hisce temporibus in nostri informationem ac consolationem aliquanto penitius, adjuvante Domini Spiritu considerabimus; id quod Exegetica, Problematica atque Axiomatica, adeoque tribus Sectionibus, ne fiat ἀτάκτως, absolvemus. sit itaque

SECTIONIS I.

CAPUT I.

Tradens

Textum originalem cum versionibus præcipuis.

Fons Græcus.

Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

Versio Syriaca.

* ܐܦ ܐܢܐ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟ ܕܐܢܬ ܗܘ ܟܐܦܐ. ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ܐܒܢܝܗ ܠܥܕܬܝ. ܘܬܪܥܐ ܕܫܝܘܠ ܠܐ ܢܚܣܢܘܢܗ.

Etiam ego dico tibi, quod tu es Kipha; & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; & portæ inferni non prævalebunt adversum eam.

Versio Vulgata.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam.

Versio Erasmi.

At ego vicissim tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non valebunt adversus illam.

B. Lutheri.

Und ich sage dir auch: Du bist Petrus / und auff diesen Felsen wil ich bauen meine Gemeine / und die Pforten der Höllen sollen sie nicht überwältigen.

CAPUT II.

Instituens

Grammaticam vocabulorum ἀνάλυσιν cum Exegesi Textus.

Κἀγὼ] pro καὶ ἐγὼ, *& ego*; Locutio emphatica; Copulantur enim hac vocula duo facta, quæ aliquam inter se similitudinem habent, aut relationem. Potest ita exponi: Revelationi mysterii jam tibi à Patre revelati; quod ego sim illi ὁμοούσιος, ejusdem naturæ, ut tu es ejusdem cum tuo Patre naturæ: ego jam addam revelationem alterius mysterii, quod nondum nosti. Sicut illud Pater cœlestis revelavit, ita ego etiam dico tibi. Quidam è Patribus in hanc sententiam exposuerunt: Et tu confessus es, quod verum erat, & ego confessionem tuam præmio ingenti prosequar: *Conf. Casaubonus Exercit. ad Annal. Baronii pag. 339. a.*

Δὲ] *Vero*; Conjunctio discretiva, Latinus Interpres hanc particulam adversativam omisit, ut & vetus quidam Codex Græcus, itemque Syrus & Arabs; sed male. Quanquam enim hanc phrasin, [*& ego vero tibi dico*] Latinitas non admittat, facile tamen illi consuli poterat h. m. vertendo. *Sed & ego dico tibi*; Sed & illud præterea tibi dico, vel ut Erasmus: At ego vicissim, expressa utraque particula. Dominus enim hanc particulam adversativam non otiose addidit, sed ut in similitudine facti diversitas longe maxima notetur. Nam (sunt verba doctiss. Casaub. l. c. p. 339. b.) *Petri quidem Confessio, non ex ejus ingenio oriebatur, sed ex revelatione à Deo facta: at præmium illud maximum, quod Petro Christus se collaturum promittit, & tota Ecclesiæ ipsius structura ab ejus potestate pendet; ut qui sit vere, non precario Deus, sed Dominus ut potestatem habens loquitur, ædificabo, & dabo tibi:* De significatione *causali* particulæ δὲ, vid. Gerhard. Harm. Euang. c. 144. p. 68. a. 215. b. *copulativa*, c. 151. p. 309. b. *transitiva*, c. 193. p. 1889. b. Althof. Harm. Euang. p. 122. *illativa* Weller in epist. ad Rom. p. 227.

Σοὶ] *Tibi.* Pronomen hoc positu intendit significationem (*inquit Magnif. Dn. Scherzerus Theologus longe Celeberrimus, Disput. inaugur. ad Matth.* 11:21. *lit. B. 2. f. 2.*) ut in illo Matth. 23:13. seqq. *Væ VOBIS Pharisæis.* Num. 21:29. *Væ TIBI Moab.* Similis Emphasis in illo Job. 19:27. *Goëlem visurus sum* לִּי *MIHI*, ad quam simul Dagesch extraordinarium, exprimens cum affectu loquentis etiam signum

externum

externum accedit: Quod Coccejus triplici ratione exponit: Videbo *mihi* ad meam vitam, gaudium, gloriam perpetuam: vel videbo meum; vel denique videbo pro me i. e. à meis partibus stantem. Prior tamen ratio prægnantissima videtur. Ad nostrum locum, notanter inquit D. Scherzer l.c. *Agnoscimus etiam, non sine causa additum σοὶ Matth.* 16: 18. *Ego TIBI dico Tu es Petrus. Sed emphasis illa tantum Papæ Romano emphaseos, quantum Lucis meteora emphatica fœnerantur Soli. Hactenus ille. Adde locum Matth.* 21: 5. *Ecce Rex tuus venit TIBI*, hoc est, *tuo bono mansuetus*. Contra Apoc. 2: 16. ἔρχομαί σοι ταχὺ, *veniam adversus te*, hoc est, Tuo damno, *cito* pro ut diserte Christus Apoc. 3: 3. inquit ἥξω ἐπὶ σὲ &c.

Λέγω] *Dico*, LXX. hac voce Ebr. אָמַר expresserunt, quod de quavis notificatione vel professione accipi tuto potest; monente *Magnifico Dno. D. Gejero in Cohel. c.* 10: *vs.* 3. In N.T. verbum λέγω pro circumstantia Textus sua variat significata. Hinc sensum obtinet *modo jubendi, monendi*, ad imitationem Ebræi אָמַר Jon. 2: 11. Eph. 1: 10. 2: 15. Jos. 11: 9. Hoc sensu Paulus Rom. 12: 3. λέγω γὰρ, *edico, jubeo, moneo* enim per potestatem præcipiendi & consulendi omnibus meæ fidei & institutioni commissis. Conf. Actor. 15: 24. c. 21: 21. *docendo & jubendo dico* Matth. 23: 3. Rom. 12: 3. *modo appellandi sive nominandi* Phil. 3: 18. οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, quos ante hac sæpe præsens vobis appellavi Hebr. 9: vers. 2. Luc. 20: 37. *modo interrogandi* Marc. 14: vs. 14. Διδάσκαλος λέγει, Præceptor quærit; *modo respondendi* Joh. 1: 22. Matth. 9: 28. *modo censendi sive existimandi*, Actor. 10: 28. *modo cogitandi* Joh. 11: 31. ubi pro λέγοντες, exemplaria quædam δόξαντες legunt Matth. 3: 9. c. 9: vs. 21. *modo narrandi* Hebr. 7: 13. de quo enim narrantur hæc, quin & *consolandi* Joh. 16: 26. seu loquendi ad cor, ut habet locutio Ebraica satis recepta & Syriaca Joh. 11: 19. 1 Thess. 2: 11. *Conf. Lic. Olearius Exercit. ad Ep. Domin. p.* 56. 443. & 475. Observ. vero hoc loco; formulam λέγω ὅτι in N. T. significanter accipiendam esse. Hac enim Paulus uti solet, quoties aggreditur interpretationem vel illustrationem eorum, quæ dixerat. Vid. Rom. 15: 8. Gal. 5: 16. Eph. 5: 32. similes loquendi formulæ sunt: λέγω σοι, λέγω ὑμῖν, à Christo frequenter adhibitæ in Evangelica historia, quæ *observante Joh. Camerone in Myroth. Evang. in Matth.* 18: 19. *pag.* 87. vim habet vel *constitutivam*; v. g. Cum Christus Paralytico Marc. 2: 11. & Puellæ c. 5: 41. ait Σοὶ λέγω. ἔγειραι, dico tibi surge; vel *asseverativam*, v. g. Cum Christus Matth. 18: 19. Ecclesiæ promittit rem optimam & maxime necessariam, exauditionem scil. precum: λέγω, inquit, ὑμῖν, qs. d. Διαβεβαιοῦμαι ὑμῖν. Talem asseverationem cum autoritate conjunctum & hoc loco præsens habere videtur formula, κἀγὼ δέ σοι λέγω. *Sunt enim verba ἀξιωματικὰ (observante Philologo Clar. Casaubono scil. l. c. p.* 339. *a. fin.) ut Græci appellant, & plena Majestatis: quam videntur voluisse exprimere olim; qui verba Domini concinnarunt in formam ejusmodi: Amen, Amen dico tibi, quia tu es Petrus &c. ut habent Theodoretus & Augustinus sermone* 39. *de Sanctis.*

Ὅτι] Particula variarum significationum, quas scire pretium operæ est, judice *Magnif. Dno. D. Scherzero Disp. inaugur. cit. lit. c.* 2. *circa fin.* Sumitur (1) *Causaliter* αἰτιολογικῶς Joh. 3: 18. (2) *ratiocinative* συλλογιστικῶς ἢ συλλεκτικῶς sive collective, designatque causam cognoscendi, non essendi, causam consequentiæ, non consequentis Joh. 8: 44. Luc. 7: 47. Ergo dilexit multa 1 Tim. 1: 13. 1 Joh. 3: 14. ὅτι ea propter Joh. 16: 27. ad quem locum Toletus: Certum est particulam ὅτι aliquando non causam, sed consecutionem notare. Et sigillatim Albertus: Conjunctio *Quia* non est causalis, sed quandam signi dat rationem, & est sensus: hoc quod me amastis, signum est, quod Pater amat vos. (3) *Adversative* Luc. 23: vs. 40. ὅτι quamvis Joh. 8: 45. ὅτι quanquam, Actor. 1: 17. 1 Tim. 1: 13. quod per Ebraicum כִּי declarat *D. Gerhard. Harm. Evangel. cap.* 201. *p.* 1993. *a. atque Hacksp. Part. III. Not. Phil. p.* 192. *Althof. Harm. Evang. p.* 1043. (4) *reduplicative* 1 Joh. 3: 9. ὅτι quatenus, ita Joh. 5: 27. quod contra Orthodoxos negat Hacksp. Part. III. Not. Phil. p. 420. (5) *assertive* Luc. 4: 21. ὅτι sane, cap. 5: 26. c. 19: 42. Matth. 7: 23. ὅτι certe, ita Luc. 7: vs. 16. (6) *interrogative* Marc. 9: 11. & 28. ὅτι, cur, quare, quamobrem. *Beza & Dieu* lectionem putat esse mendosam. Verum ex ignorantia hujus particulæ, qui Herodoto, Aristophani & Æliano haud infrequens. Conf. Luc. 2: 49. (7) *Consecutive*, Matth. 13: 13. ὅτι βλέποντες, pro ἵνα βλέποντες. Conf. Marc. 4: vs. 12. Luc. 8: 10. (8) εἰδικῶς pro particula explicativa NEMPE, Matth. 26: 54. Quomodo igitur implebuntur scripturæ? ὅτι, nempe, sic oportere fieri. Conf. Rom. 9: 30. 1 Cor. 11: vs. 23. 2 Cor. 1: 14. & Luc. 19: 43. juxta Theophylactum. (9) *expletive & pleonastice* Luc. 24: 46. Marc. 14: 14. Joh. 4: 17. cap. 11: vers. 47, 50. 1 Joh. 3: 20. Particula ὅτι in his & aliis N. T. infinitis locis παρέλκει; quod quia Latinus Interpres non observavit, sæpe ὅτι illud per conjunctionem *Quod* expressit, quæ tamen interpretatio sensum turbat, Latinoque sermoni est incongrua. In contextu quippe sacro particula Causalis ὅτι post verba dicendi λέγω, εἶπω &c. ita passim pleonastice adhibetur, ut non significationis, sed ornamenti quidpiam orationi afferat, adeoque *superest sensui ex Græcorum idiotismo, ac proinde in versione est omittenda, ut confirmat D. Gerhard. Harm. Evangel. c.* 160. *p.* 665. *b. Barthol. Mayerus Philologiæ S. Part. II. cap.* 2. *pag.* 177. hanc γὰρ ὅτι crebram in N. T. παρέλκυσιν fluere dicit ex Chaldæo-Syro Idiomate, ubi sæpissime occurrat conjunctio inseparabilis expletiva ܕ Cui Græcum ὅτι, Rabbinicum שֶׁ respondeat; sed cum eodem modo istam particulam frequenter adhibuisse deprehendamus optimos quosque Græcæ Linguæ Scriptores, velut plurima hujus rei exempla *è Thucydide, Xenophonte, Demosthene, Plutarcho congesserunt Guilielmus Budæus in comment. Græc. Ling. & H. Stephanus* l. c. vix huic *Mayeri* sententiæ pollicem premere possumus. Hoc loco ὅτι particula expletiva est, ut versu mox præcedenti; *Beatus es Simon Barjona*, ὅτι *quia caro & sanguis &c. Conf. Osiand. Bibl. gloss. in h. l. p.* 69. b. Calovius *de Pers. Christi p.* 530. *Magnif. Dn. D.* Olearius *Manuali p.* 768. Scherzerus l. c. Walth. *Harm. Bibl. ad Luc.* 7. *p.* 936. & *ad* 1 *Tim.* 1. *p.* 1208. Franzius *de Interpret. Sacræ S. Orac.* 61. 541. D. Glassius *Philol. S. Lib. III. T. VII. p.* 820. *seq.* Lic. Olearius *Exercit. ad Epist. Domin. p.* 263. & *Disput. pro Licent. Lit. B. f.* 2. *circa fin.* Cl. Stolbergius *Tract. MSS. de Idiotismis Ling. Gr. cap. VIII. Reg.* 12. & 13. *itemque disput. de Responso Christi Joh. IIX. cap. III.* §. 3. *Circa fin.* & *seqq.*

Σὺ εἶ] *Tu es*; Syrus vertit ܐܢܬ ܗܘ *Attu*, quiescentibus literis ܢ & ܗ lineolis notatis, ܗܘ cum voce præcedente uno sono effertur & valet idem, quod verbum substantivum *sum, es, est*, de quo conf. *Dilherrus Eclog. Sacr. p.* 70.

Πέτρος] Appellative idem quod λίθος *Lapis*, quem tractare possumus, vid. 2 Macc. 1: 16. βάλλοντες πέτρους συνεκεραύνωσαν τὸν ἡγεμόνα, i. e. *jacientes lapides, qs. fulmina, obruebant ducem*: & 2 Macc. 4: 41. συναρπάσαντες οἱ μὲν πέτρους, i. e. *alii arripientes lapides.* Hoc loco vox πέτρος est nomen proprium Simonis, fratris Andreæ: loco cujus Syrus habet ܟܐܦܐ qua voce & nomen proprium & appellativum, iisdem consonis & vocalibus, exprimitur. Est autem Chaldæo Syriacum כֵּיף ܟܐܦܐ ܐܒܢܐ ... ab Ebræo כֵּפִים Jobi 30: 6. Jer. 4: 29. quod petras denotat, & ultimato deducitur à כָּפַף cavare, curvare, quæ inde desumta judicantur, ut & Græca κάμπτω, κυφὸς, κόφινος. Christus nomen istud in principio vocationis Joh. 1: 42, 43. Petro imposuit, ut Augustinus l. 2. de consens. Evang. c. 7. Beda & Abulensis statuunt; non demum in electione in Apostolum Marc. 3: 16. ut Euthymius contendit. Subest autem gemina facto huic ratio, cum quod inter tot insidias firma fide perseveranter Christo, salutis petræ adhæsit, ut vivus lapis Luc. 22: 11, 31, 32. tum quod ejus ministerio plures super Christum Petram ædificandi. 1 Petr. 2: 5. Arabs impertinenter hic vertit *Petrum* per *Petram.* Hac de appellatione plura *in Sect. II. Quæst.* 3. Conf. præterea Lic. Olear. *Exercit. ad Epist. Dom. p.* 343.

Καὶ] Multas itidem in scriptura habet significationes, perinde ut ו apud Ebræos. Est enim particula (1) *copulativa*, quæ significatio in N. Test. sæpius obvia. (2) *comparativa* Joh. 5: 17. 3. *Ratiocinativa & illativa*, Gal. 4: 7. καὶ igitur, Matth. 2: 4. c. 8. (3) Marc. 4: 7. 13. c. 9: 5. 10. 1 Joh. 4: 16. (4) *Particula* temporis καὶ tunc Matth. 9: 7. quomodo etiam apud Hebr. ו pro אָז *tunc* accipitur Jos. 4: 18. Matth. 6: 33. Marc. 2: 22. Luc. 5: 17. c. 4: 3. καὶ tum Actor. 9: 6. καὶ denique Marc. 12. & 15: 1. καὶ quando Marc. 15: 25. (5) *intensiva & emphatica*, latentem quandam vim afferens orationi & vehementem exprimens affectum Joh. 17: 25. 1 Petr. 2: 21. 1 Cor. 10: 9. καί τινες αὐτῶν Rom. 5: vs. 2. Matth. 12: 7. Phil. 4: 10. (6) *particula stomachantis* Act. 23: 3. καὶ σὺ & tu (cum indignatione) sedes judicans me (7) *Relativa*, pro ὃς Ephes. 5: 5. in Regno Christi καὶ θεοῦ, qui est Deus *Lic. Olearius Exercit. in Epist. Dom. p.* 176. putat esse idiotismum Ebraicum uti 2 Sam. 20: 2. Psal. 108: 27. Es. 39: 6. Verum etiam Plutarchus sic jam locutus est. Conf. Luc. 15: 15. Actor. 6: 6. (8) *Exegetica* Jacob. 1: 27. 2 Cor. 1: 3. Ephse. 1: 3. Phil. 4: 20. Col. 1: 3. 1 Thess. 1: 3. 2 Thess. 2: 16. Luc. 1: 17. 1 Cor. 10: 28. c. 2: 22. c. 15: 24. Gal. 1: 4. c. 4: 18. Col. 2: 2. Jac. 3: 9. (9) *Expletiva & abundans*, maxime ab initio Capitis, perinde ut ו apud Ebræos, unde quidam per Ebraismum explicarunt. Sed *Ælianus* in historia varia suos libros & capita sic incipit, sine vi

con-

connectendi. Vid. *Index in Hist. Æliani.* Conf. Joh. 8: 19. Rom. 8: 24. &c. Luc. 8: 1. Eph. 1: 2. 1 Petr. 1: 3. 1 Cor. 15: 24. (10) *Causalis* Luc. 1: 17. & 42. καὶ, quia, nam Matth. 1: vs. 24. cap. 4: 19. cap. 2: 29. cap. 12: 19. c. 28: 10. Joh. 3: 13. c. 7: 28. Actor. 26: 10. Rom. 1: 23. Ephes. 5: 23. Col. 3: 28. (11) *interrogativa.* Actor. 23: 3. καὶ σὺ, itane tu, (12) *distributiva vel disjunctiva* aut Act. 13: 27. c. 22: 17. Rom. 11: 33. c. 4: 15. Matth. 12: 37. c. 5: 19. (13) *concessiva*, etsi, etiamsi Luc. 18: 7. Joh. 14: 24, 39. Hebr. 3: 9. (14) *Adversativa* Matth. 1: 25. c. 2: 1, 17. c. 12: 26, 39, 43. c. 13: 22. c. 16: 4. c. 17: 12. c. 21: 30. καὶ sed, at, Joh. 1: 10. & 19. καὶ & tamen Joh. 5: 40. c. 8: 55. Act. 10: 28. Rom. 5: 16. 1 Thess. 2: 18. Phil. 4: 10. Luc. 18: 13. Marc. 1: 23. Hoc loco particula καὶ non su[m]itur relative, ut Pontificii volunt, quos refellit *B. Mesnerus Philos. Sobr. P. II. Sect. I. c. 4. quæst. 4.* sed *adversative* pro SED hoc sensu: *Tu es Petrus, sed super hanc petram &c. Hackspanius P. III. Not. Philol. p.* 100. aliique Ebraismum fingunt, quando particula καὶ adversative usurpatur: verum ipse *Grotius*, magnus Hebraismorum Patronus, fatetur, Theophrastum Ἀττικώτατον, uti vocat, sic sæpe usurpasse particulam καὶ. Conf. Glassius Phil. S. lib. 3. tr. 7. p. 587. (80) Flacius Clav. Script. D. Scherzerus *l. c. lit. D. 3. f. 2.* Lic. Oleatius *Disp. pro Licent. lit. Ef. Ult. & Exercit. in Epist. Dom. p.* 217. 248. 326. *circa fin.* B. Wellerus in *Rom. v.* 318. 353. 498. fin. seqq. Pasor *in Lex. Voce* καὶ, *p.* 362. *b.* Vorstius de Hebr. N. T. p. 223. fin. seqq. Cl. Stolbergius *Colleg. MSS. in Matth.* 16: 18. *Tract. MSS. de Idiotismis L. Gr. c. 8. Reg. 3.*

Ἐπὶ] Præpositio cum diversis casibus diversa significans, de qua conf. Pasor *in Lex. p. 270. seq. & Glassii Philol. S. lib. III. Tr. VI. p. 791. seq.* Hoc loco cum Dativo construitur, significatque super.

Ταύτῃ] ὗτος, pronomen demonstrativum compositum ex ὁ αὐτὸς, *hic*, αὐτὴ, ex ἡ αὐτὴ *hæc* τῦτο ex τὸ αὐτὸ, hoc: quamvis dicatur alio sensu ὁ αὐτὸς, *idem*, ἡ αὐτὴ *eadem*, τὸ αὐτὸ, *idem.* Vid. *Pasor in Lex. p. 96. a.* Hoc loco non σχετικῶς, seu relative, sed demonstrative sive δεικτικῶς & ἐμφατικῶς ponitur, ubi Germani particulam suam encliticam **Eben** adjungunt: **Eben auff diesen Felsen.** Conf. D. Maukisch. *Not. Philol. Theol. de notitia Dei naturali p.* 381. *& infra Sect. II. quæst. 4.* Syrus adhibet pronomen demonstrativum in fœm. gen. ܗܕܐ ex qua generis diversitate discrimen satis luculentum inter ܟܐܦܐ ܟܐܦܐ Proprium & Appellativum apparet.

Τῇ] Articulus præpositivus Pronomini ταύτῃ additus, juxta Regulam: *Nomina substantiva, cum pronomine* ὗτος *conjuncta, semper habent articulum, sive præponatur Pronomen, sive postponatur*, ut Matth. 4: 3. (ubi crisis *Cameronis*, ac si in his verbis non esset Græcismus, plane nulla est) Joh. 6: 88. Rom. 9: 17. 1 Cor. 15: 53. 2 Cor. 3: 10. *Conf. Cl. Stolberg. Tract. MSS. de Idiotis. Sect. 2. de Articulo in specie Reg. IV. Observ. 3. Pasor Lexico. p. 96. b.*

Πέτρᾳ] *Petra, rupes, saxum*, ingens & immotum, forte ab Ebr. בצר munivit, quomodo etiam בצר LXXII. vertunt πέτραν Job. 22: 24. Conf. *Beccmann de Origg. LL. pag. 851. fin. edit. noviss. & infra Sect. II. quæst. 3.*

Οἰκοδομήσω] Ædificabo pro quo Syrus habet ܐܒܢܝܗ̇ ad verbum: *ædificabo eam*, Fut. in Peal cum suffixo 3. personæ fœm. quod ex puncto cognoscitur & h. l. propter elegantiam sermonis abundare videtur. Rad. ܒܢܐ ab Ebr. בָּנָה ædificavit, cui h. l. respondet Græcum οἰκοδομέω, quod quamvis ab οἶκος *domus* deducatur, & proprie sit *ædificare*: usurpatur tamen in genere pro exstructione quavis, prout οἰνοχοεῖν ὕδωρ dici solet. Conf. de hujus vocis genuino usu *Wellerum in Epist. ad Rom. p.* 723. *Gejer. de amore Dei & proximi p.* 463. Tribuitur I. Hominibus (α) *Ecclesiastice*, *partim* Doctoribus, & idem est ac *docere* Rom. 15: 20. Matth. 21: 42. 1 Petr. 2: 7. Hoc sensu Paulus 1 Cor. 3: 9. & 10. vocat Corinthios ædificium: se architectum, qui fundamentum jecerit, alios superædificare, qui pergant primæ Corinthiorum institutioni aut Catechismo paulo pleniorem instructionem adjicere; *partim* auditoribus & piis Christianis, vel sese, vel alios ædificantibus, & tunc idem est, ac omnibus modis juvare, inprimis incremento pietatis ac Christianismi 1 Thess. 5: 11. ædificate i. e. instruite alter alterum, scil. verbis bonis & exemplis, ut explicat glossa ordinaria, conf. Actor. 9: 31. 1 Petr. 2: 5. Rom. 15: 2. 1 Cor. 8: 1. (β) *œconomice* de ædificatione domus Matth. 7: vs. 24, 26. sepulchri Matth. 23. Luc. 11: 47. templi Matth. 26: 61. c. 27: 40. Joh. 2. 20. Civitatis Luc. 4: 29. altaris Judic. 6: 28. turris Matth. 21: 33. de procreatione filiorum Gen. 16: 2. Deut. 15: 9. de benedictionis accumulatione Syr. 3: 11. II. Deo tribuitur, & tunc notat *Creare* Gen. 2: 22. *meliorare* Actor. 15: 16. Psal. 102: 17. ubi οἰκοδομεῖν in versione Græca *liberis ac re familiari ditare* Psal. 127: 1. LXX. iterum per οἰκοδομεῖν vertunt Exod. 1: 21. 2 Sam. 7: 11. fundare, confirmare s. stabilire Psalm. 89: 5. יִבְנֵיתִי LXX. καὶ οἰκοδομήσω *sedem tuam.* Et hoc sensu verbum οἰκοδομήσω à Christo hic usurpatur; *ædificabo*, inquit, *Ecclesiam meam* i. e. **Ich will sie fest gründen** Psal. 87. **Vermehren / beschirmen / ewiglich erhalten und herlich machen.** Apoc. 21. ceu hanc phrasin explicat Magnif. Dn. D. Olearius *manuali p. 1672. fin.* Infert beneficium Dei Spirituale universæ Ecclesiæ concedendum per ministerium Apostolorum & Doctorum Ecclesiæ, Evangelium de Christo annuntiantium Rom. 15: 20. 1 Cor. 3: 6, 10. 1 Pet. 2: 5. Adeoque futurum hic adhibetur ad monstrandam ædificationis continuationem & objecti amplitudinem. In V. T. angustis Judææ terminis Ecclesia continebatur, nunc novum Christus θεάνθρωπος fundamentum in universo orbe ponendum promittit. *Eleganter Casaubonus* l. c. pag. 354. a. Quid est ædificabo? sicut architecti lapides quærunt, inventos ad opus parant, cædendo, poliendo & aliis rationibus; deinde probe paratos cœmento conjungunt inter se ut ex omnibus recte compositis surgat opus ædificii. Sic Dominus noster ex innumero mortalium numero quosdam eligit, electos erudit, Fidemque illis infundit, totosque adeo immutat lavacro παλιγγενεσίας, ut novæ creaturæ dicantur Paulo 2 Cor. 5: 17. Gal. 6: 15. tum autem ita paratos & concinnatos vinculo Charitatis, participatione eorundem mysteriorum, communione ejusdem spei, velut cœmento quodam conjungit invicem, ut è pluribus extruantur Ecclesiæ singulæ, ex omnibus Ecclesia Catholica. Hactenus ille. Similitudinem vocis οἰκοδομεῖν bene quidem evolvens, sed male ad solos electos fidei infusionem & salutarem per Baptismum regenerationem transferens: quod dudum in Calvinianis refutarunt nostrates: Rectius igitur *D. Kunad. in loc. nostr.* §. 3. Christus nos sibi per verbum & sacramenta superædificat, ut nobis de sua virtute communicet & nos in ipso πεπετρωμένος Petræos l. saxosos reddat 1 Petr. 2: 5. primitus per Apostolos 1 Cor. 3: 10. Eph. 4: 11. hodie per Doctores Ecclesiæ, 1 Cor. 3: 7. Conf. præterea B. Wellerus *in Rom. p.* 723. seqq. Cl. Dilherrus *Eclog. Sacr. p.* 81. *&* 90. Flacius *Clav. Scripturæ P. l. cit.* 25. B. Waltherus **in Friedens-Predigt** *rc. ex Actor. 9: 31. p. 30. seqq.*

Μυ] Per Aphæresin pro ἐμῦ, Genitivus Pronominis 1. Personæ ἐγώ. Ponitur h. l. pro adjectivo juxta Reg. Cl. Stolbergii de Idiot. cap. III. Reg. 3. *Genitivi Pronominum Primitivorum, Mei, Tui, Nostri, Vestri usurpantur pro derivatis Possessivis & hac vicissim pro illis*; ut πατὴρ ὁ ἐμὸς & πατὴρ ἐμῦ, Pater meus. Et quamvis Pronomen μῦ affixa Hebræorum referat, tamen eleganter præponi solet, ut Matth. 8: 8. ἵνα μυ ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς *ut sub tectum meum ingrediaris.* Sic h. l. οἰκοδομήσω μυ τὴν ἐκκλησίαν, ædificabo *Ecclesiam meam.* Vocat autem Christus Ecclesiam *suam* primum ratione acquisitionis, proprio sanguine factæ Actor. 20: 28. deinde respectu institutæ novæ & Evangelicæ administrationis, qua lege Mosaica abrogata Joh. 1: 17. Judæis Gentes conjunxit, summæque amplitudinis Ecclesiam suam fecit, Joh. 10: 16. postremo etiam ob conciliatum novum à Christo nomen Actor. 11: 26. cum antea Mosis discipuli dicerentur Joh. 9: 28. Conf. Pasor Lex. p. 224. b.

Τὴν ἐκκλησίαν] *Ecclesiam*, quæ vox nisi fallor, hic primo in N. T. legitur, & natales suos Græcæ linguæ debet. Descendit enim à verbo ἐκκαλέω *evoco*: Inde vi vocis idem est quod *Cœtus* ministerio verbi & sacramentorum ex humana societate *convocatus.* Hebr. קָהָל pro quo LXX. habent ἐκκλησίαν Deut. 18: 16. Jos. 20: 35. Judic. 20: 2. & Hebr. קְהִלָּה vertunt, ἐκκλησιασὴν. Inde *Ecclesiastes*: Latinis concionator. A rebus forensibus acceptus hic terminus videtur, ut vel ex cap. 19. Actor. vs. 32. colligere licet. Quemadmodum enim præco in foro Atheniensi convocabat populum, sic voce præconum verbi homines è regno Satanæ ad audiendum & amplectendum verbum divinitus patefactum convocantur. Et ut τῇ βυλῇ (i. e. optimatibus) tribuebatur βυλευτήριον, populo vero ἐκκλησία: ita & Deus suam sibi Ecclesiam colligit, non tam ex optimatibus, quam ex abjecta plebecula, 1 Cor. 1: 26, 27. Hinc apparet, quod vox *Ecclesiæ* vel significatu *forensi* pro qualibet Concione sive sacra, sive profana, vel *biblico* pro cœtu vocatorum ad regnum Dei sumatur, idque vel pro Ecclesia tota Eph. 5: 23. vel sola militante, Actor. 8: 3. vel pro fidelibus unius provinciæ, regni aut urbis Apoc. 12: 5. Rom. 16: 5. vel denique pro presbyterio, qui senatus est Ecclesiasticus per Synecdochen integri Matth. 18: 17. qui 1 Tim. 4: 14. πρεσβυτέριον dicitur. Conf. D. Gerhard. LL. CC. Tom. V. de Eccles. §. 3. p. m. 218. a. B. Kromayer *Theol. Posit. Polem. p.* 994. B. König *Theol. Posit. Acroamat. p. 275. seq.* Magnif. Dn. D. Olearius *Indic. Balduin. p. m.*

p. m. 189. *a. Manuali pag.* 1611. Becman. *Origg. LL. pag.* 319. D. Dietericus *Institut. Catech. de Ecclesia p.* 454. Dilherr. *Eclog. Sacr. p.* 90. *seq. Lic.* Olearius *Exercit. ad Epist. Dom. p.* 467. Cl. Stolbergius *Colleg. MSS. in Matth.* 18: 17. D. Muller *Orat. Ecclesiast. p.* 33. *fin. seq.* Flacius P. I. *Clav. Scripturæ col.* 264. Hoc loco Salvator intelligit Ecclesiam Syntheticam stricte dictam, eamque universalem sive catholicam quocunque mundi tempore, quocunque terrarum loco, ex universo genere humano per verbum & Sacramenta ad hæreditatem sanctorum collectam atque colligendam, ut Eph. 1: 22. c. 5: 24, 27. 1 Tim. 3: 15. *Conf. B. Konig l. c. pag.* 275. §. 1003. & 1006. Syrus habet ܠܥܕܬܝ Ecclesiam meam, Nom. fœm. in forma Emphat. cum præfixa Accusativi nota ܠ & suffixo inseparabili primæ pers. ܝ. Nomen est ܥܕܬܐ *Ecclesia, cœtus, conventus*, à Rad. ܝܥܕ condixit, constituit, Hebr. עֵדָה à יעד certum tempus atque locum conveniendi constituit. Alii minus recte derivant ab עוד *testari*, quod in Ecclesia proponantur & discantur testimonia de loco, de ejus essentia & voluntate; Hinc אֹהֶל הָעֵדֻת *Tabernaculum testimonii* Num. 17: 7. dictum fuit. *Confer. Dilherr. Eclog. S. p.* 84. de quæst. Quæ κατ᾽ ἄνθρωπον adversus Jesuitas ex Syriaca hac voce urgeri possunt, videantur apud D. Gerhard. LL. CC. T. V. de Eccles. c. 1. §. 5. 219. a. An Ecclesia non tantum conventum designet, sed & locum conventus? consulendus l. c. Gerhardus, Meisnerus, Giesenius, Calovius, Spanhemius. *P. III. Dub. Evang. dub.* 77. *pag.* 361. *seqq.*

Καὶ πύλαι ᾅδου,] *Et portæ inferni.* πύλη proprie & primario portam urbis denotat, transfertur secundario ad regionis aditum, cælique portam. In integra phrasi Pasor in Lex. p. 580. atque hic extra necessitatem Hebraismum fingit inquiens: πύλαι ᾅδου *Portæ inferni, Hebraismus, h. e. regnum Diaboli, ad quod pertinent omnes Ecclesiæ adversarii, qui sunt semen antiqui serpentis.* Ipsa Phrasis tam est utrique Linguæ communis, quam ejus usus varius. Vide *Casaub. contra Baron. p.* 355. *b.* fin. sq. Melius portas inferni sine ulla mentione Hebraismi explicat Theologus consummatissimus Dn. D. Calovius *Exegem. Aug. Confess. Artic. VII. de Ecclesia c.* 3. *n.* 1. πύλαι ᾅδου designant, vel infernale robur, Judicium & tyrannidem, quia in portis olim facta sunt judicia Deut. 22: 15. (Conf. c. 16: 28. c. 25: 7. c. 28: 52. Ruth. 4: 11. Par. 20: 9.) Amos. 5: 12. Zach. 8: 16. & propugnacula collocata Genes. 22: 17. c. 24: 60. vel locum Diabolis plenum Matth. 11: 23. Luc. 10: 15. Apoc. 1: 18. c. 6: 8. c. 20: 14. Nam Diaboli jam dum in inferno reservantur 2 Pet. 2: 4. Jud. 5: 6. in judicio novissimo à priorum consortio totaliter sequestrandi, & in stagnum ignis præcipitandi Apoc. 20: 10, 14. Sic docet Apostolus, quod perpetuo militandum sit Ecclesiæ Christi in his terris non adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia &c. Eph. 6: 12, 13. confer eundem in *Socin. Proflig. p.* 883. Maldonatus portas proprie accipit & interpretatur de portis urbium, quas impii quidem habitant, sed pii obsident & oppugnant. Verum respondet Excell. Stolbergius *Colleg. MSS. in h. l.* Hac ratione dicti hujus sensus plane invertitur. "Verbum enim κατισχύειν non usurpatur de resistente & vim patiente, sed de oppugnante & vim inferente. Non promittit "Christus Ecclesiam de omnibus impiis esse triumphaturam "& eorum urbes expugnaturam, sed hostes Ecclesiæ de ipsa, "tanquam penitus à se devicta, nunquam fore triumphaturos. *Sociniani* equidem Hebraismum hic fingunt, & per portas inferorum non hujus, sed alterius vitæ statum intelligunt. Hos sequuntur *Remonstrantes* in Actis Synod. Dordrac. *Camero* & *Grauerus* noster. Verum Ebraismus hic nullus. Portæ inferorum h. l. non præcise, restrictive & in specie notant hæreses aut peccata, aut utrumque simul, sed in genere & indeterminate potestatem & machinationem Diaboli, ejusque ministrorum, hæreticorum scilicet & tyrannorum D. Althof. Harm. Evang. pag. 856. Conf. quoque Cl. Dilherrus Eclog. Sacr. p. 92. seq. Spilenberg. *Promptuar. Theol. in Matth. p.* 463. *circa fin.* seq. Flacius *Clav. Scripturæ P. I. col.* 939. 48. D. Dieter. *Anal. Evang. P. III. p.* 419. a. D. Glassius *Rhetor. S. Tract. I. c.* 12. *p.* 1328. Syrus vertit ܘܬܪܥܐ ܕܫܝܘܠ & *portæ inferni*, Nom. pl. masc. Emphat. cum præfixo O à singulari ܬܪܥܐ Hebr. שער (per μετάθεσιν literarum ר & ע & μεταβολὴν ש in ת) Thor Germ. Thür Lat. *Ostium, Porta.* Tota hæc phrasis legitur ap. Esaiam c. 38: 10. vadam בשערי שאול ἐν πύλαις ᾅδου, ut vertunt LXX. sed sensu plane alieno. Hiskias enim per *inferni portas* intelligit *sepulchrum*, sive locum mortuorum; quæ portæ Psal. 107: 18. vocantur שערי־מות πύλαι τοῦ θανάτου, juxta Vers. Gr. Conf. Psal. 9: 14. & Job. 38: 17. Salvator vero hoc loco *per portas inferni* Satanæ ejusque asseclarum consilia, potestatem & machinationes intelligit, quibus Ecclesiam oppugnant, premunt & loco suo movere allaborant. Conf. Cl. Casaub. *l. c. p.* 356. *a.* & Dilherr. *Eclog. S. p.* 85.

Ἅδου] ᾅδης, ου, ὁ, *infernus, tartarus*, per synæresin pro ἀΐδης, ου, ὁ, quorum illud in Prosa, hoc in ligata usurpatur oratione. Originem debet Adjectivo ἀΐδης, εος, ὁ, ἡ *obscurus* ex α στερητικῷ & verbo ἰδεῖν, videre, sic dictus, quod locus ille damnatorum, sit obscurissimus, ζοφερὸς καὶ ἀνήλιος, tenebricosus & (ut dixit Virg.) sine luce domus, quam sol luce sua nunquam collustret & Vossius l. 2. de Orig. Idolatr. cap. 60. Eleganter Magnif. Dominus *D. Geier.* Zeit und Ewigkeit P. II. p. 240. circa fin. Ἅδης kömpt her von α und ἰδεῖν und bedeutet ein solch Behältniß/ welches itzo niemand zu sehen bekömpt und in dessen Finsterniß auch nichts erfreuzichers gesehen werden kan; sintemahl es ist *tristis sine sole domus*, kein Liecht Gottes und des Lammes ist daselbst zu spüren: Es gibt daselbst Ketten der Finsterniß/ worin die abgefallene Engel verstossen und übergeben sind/ daß sie zum Gericht behalten werden. 2 Pet. 2: 4. Es ist daselbst ein danckel Finsterniß in Ewigkeit vs. 17. Finsterniß da heulen und zähnklappen anzutreffen Matth. 8: 12. c. 22: 13. c. 25: 30. Conf. qq. Francisci Hanengeschrey pag. 791. Est ibi Princeps tenebrarum Ephes. 2: 12. qui & nunc in filiis incredulitatis operatur vs. 2. Syrus interpres vocem ᾅδου exprimit per ܕܫܝܘܠ Nom. sing. M. cum præfixa nota Genitivi ܕ à rad. ܫܐܠ petiit. Respondet Ebr. שאול quæ vox non tantum *infernum*, sed & *sepulchrum* significat, perinde ut ᾅδης Græcorum. Confer. prolixe hac de re differentem Dilherrum Eclog. S. p. 94. seq. Dn. D. Geierum *Comment. in Proverb. pag.* 33. & *in Cohel pag.* 355. Dn. D. Quensted *Colleg. Bibl. MSS. in loca difficil. V. T. Loc. V. ex Gen.* 37: 35. Sixt. Amamam *Antibarb. Bibl. p.* 271. D. Lucium *in Apocal. p.* 444. *b.* Althoff. *Harm. Evang. p.* 1238. inpr. B. Gerhard. *LL. CC. T.* 9. *de inferno c.* 1. §. 3. *p. m.* 180. *b.*

οὐ] Non, adverbium *negandi*, interdum & *corrigendi*, ubi nihil negat, ut Joh. 7: 16. Doctrina mea non est mea, scilicet ut vos putatis, mea tantum, h. e. à me conficta, conf. Joh. 12: 44. c. 14: 24. *interrogandi* pro nonne, ut לא Ebr. pro הלא 1 Cor. 12: 15. an propterea non est ex corpore? Joh. 9: 8. Nonne hic est? Aliquando est *nota comparativi gradus* Matth. 9: 13. ἔλεον θέλω, καὶ οὐ, id est, μᾶλλον ἢ θυσίαν. Syrus negandi particulam οὐ vertit per ܠܐ Ebr. לא Chald. לא.

Κατισχύσουσιν] *prævalebunt, superabunt, evertent, vincent, opprimebunt viribus suis.* Ita loquuntur LXX. Græci, Jerem. 15: 18. ἵνα τί οἱ λυποῦντες με κατισχύουσί μου i. e. *ut quid illi qui me contristant, prævalent adversum me?* Sap. 7: 30. σοφίας οὐ κατισχύσει κακία, *sapientiam non superabit malitia*, Act. 19: 15. Verbum hoc compositum separatim legitur ἴσχυσε κατ᾽ αὐτῶν *superavit eos vel invaluit contra eos.* Conf. Dn. Dilherr. pag. 114. Maldonatus verbum κατισχύειν h. l. cum Ebr. יכל minus commode comparat. Respondet enim potius verbo אמץ. Nam ἰσχὺς est אמץ vide Casaub. l. c. p. 336. b. Syrus adhibet verbum ܢܚܣܢܘܢܗ (Chald. חסן) *prævaluit, potentior fuit*, in fut. Peal cum suffixo 3. Personæ (prævalebunt illi) Conf. Dn. D. Gejerus *in Dan. p.* 567. & Dilherr. *Eclog. S. p.* 86. Innuitur igitur hac locutione cum irrita Diaboli impugnatio, & turpis cum confusione recessio, tum fortissimum & inexpugnabile Ecclesiæ, Christo immote insistentis, robur, quo insidias ac oppugnationes Satanicas superat, in Christo mundum vincit, lætaque tandem perpetuos aget triumphos Psalm. 46: 5. de conservatione certissima.

Αὐτῆς] *Eam* scil Ecclesiam in Evangelio Matthæi Ebraico scriptum est עליך adversum, ut de Petro intelligatur, qui videtur esse exscriptoris error potius, quam Interpretis, observante Casaubono l. c. p. 356. contendit nihilominus Arminius, istud etiam ad Petrum referri posse. Sed Christus hic de Ecclesia, quatenus supra se ædificata manet, loquitur; atque similem dicit Ecclesiam urbi in Petra celeberrimæ, quæ alterius urbis viribus validissimis nulla ratione expugnari possit. Castrum igitur Ecclesiæ inexpugnabile innuitur.

CAPUT III.

Exhibens

Analysin Logicam.

POstquam Petrum ob confessionem beatum prædicasset Salvator, nunc vs. 18. à Petro, Ecclesiæ ministro, ad PETRAM, Ecclesiæ fundamentum, procedit, & aperit illi consilium suum de ædificanda & conservanda Ecclesia Christiana, quæ confessionem Petrinam perpetuo sit servatura. „ Hæc enim fuit Domino consuetudo (*sunt verba Casauboni l. c. pag.* 340. *b.*) ut spiritualis doctrinæ arcana patefacturus „ occasionem ac velut ansam sermonum suorum sumeret interdum ex aliqua rerum sensilium similitudine. Sic differens „ cum muliere Samaritana, quæ aquam haustura venerat, „ doctrinam suam appellat aquam, *qui biberit, inquit, ex* „ aqua *quam ego dabo ei, non sitiet in æternum Johan.* 4. Sic „ in 6. cap. ejusdem Euangelistæ, turbas panem desiderantes „ alendo corpori, ad rerum cœlestium cupiditatem revocans, „ doctrinam suam nominat panem. Simile quid etiam hoc „ loco licet observare. Nam quia Simoni jam ante Petri no- „ men imposuerat; sumit ex eo Dominus occasionem dicendi „ illi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram* &c. quasi diceret, „ Tibi quidem à Petra nomen est Petro inditum; sed ego ma- „ jora jam molior, & super illa ipsa Petra Ecclesiam meam „ paro ædificare. Duo autem sunt, quæ hac propositione de Petra Ecclesiæ involvit Dominus, *Ædificatio* nimirum, ejusque *conservatio.* Quæ omnia suis circumstantiis & causis egregie descripsit ac delineavit.

I. Circa ÆDIFICATIONEM observetur 1. SUBJECTUM sive architectus, qui *partim Primarius*, Christus ipse; *Ego ædificabo*, inquit h. l. Quo ipso structuræ illius ædificii, quod est Ecclesia, gloriam sibi uni vindicat & meritissime. Nam humana opera traducere aliquem ad fidem Christi, nedum integram aliquam Ecclesiam instituere, nemo hominum potest magis, quam mortuum jam fœtentem præstare redivivum. Verus igitur architectus hujus ædificii est unus Christus, qui creat, qui concinnat, qui connectit inter se lapides vivos, & dat illis surgere in magnam molem *Casaubon. l. c. p.* 334. *b. partim secundarius* Petrus scilicet; *Tu es Petrus*; itemque omnes Apostoli & eorum successores, Ministri scil. Ecclesiæ. Hi enim vocantur בנים Bauleute Psal. 118: 22. qui omnia juxta canonem Scripturæ Sacræ ædificant super lapidem Angularem & unicum fidei fundamentum Christum, perinde ut Paulus, qui se propterea sapientem Architectum vocat 1 Cor. 3: 10, 11. Præclare de hac Architectonica sacra B. Chemnitius *Part. I. Exam. Concil. Trident. pag.* 88. ubi de Canone Scripturæ S. agit, verba facit: *Ecclesia* inquiens, *est Domus Dei viventis, cujus ædificatio est ex Deo & architecti sunt ministri verbi. Ut autem structura illa ministerio verbi sive prædicatione doctrinæ recte inchoetur, justo ordine & debita ratione conficiatur & absolvatur, opus certo canone seu regula ad quam architecti opus suum exigant, ne ædificatio à justo ordine & debita ratione exorbitet. Et regula illa est doctrina Apostolorum Psal.* 19.

(2) PRÆDICATUM, quod est Ecclesiæ Ædificatio, ubi obs. (α) *Actus*, qui verbo οἰκοδομεῖν intimatur, quo partim Ecclesiæ collectio & convocatio, partim augmentatio & melioratio, partim fundatio, tutela & liberatio indicatur & significatur (β) *Objectum* Ædificationis est Ecclesia, cujus expendatur partim origo, scilic. cœtus ex omnibus hominibus convocatus; partim adjunctum sive signum discretivum, pronomine Possessivo μου (Ecclesiam MEAM) ostensum, quo ipso removetur Ecclesia Pharisaica, falsa & Diabolica, quæ Satanam, non Christum, Architectum agnoscit. (γ) *Fundamentum*, quod non Petrus, sed Petra, Petra salutis Deut. cap. 32: 15. Petra fortis Psal. 31: 3. Petra sublimis Psal. 61: 3. Petra aquæ viventis 1. Cor. 10: 4. hoc est Christus. Hinc h. l. non dicit *super te Petrum*; sed *super hanc Petram*, quam tu confessus es, nimirum super meipsum. Hanc restrictionem indicat Pronomen demonstrativum ταύτῃ, quod h. l. δεικτικῶς intelligi & retro ad ipsum Christum referri debet. Quo de infra *Sect. II. Quæst.* 4. plura.

II. Circa CONSERVATIONEM not. (1) *objectum*, sive *cœtus afflictus*, qui est non Petrus, sed Ecclesia, cœtus piorum, Pronomine αὐτῆς indigitatus (2) *Adjunctum*, *sive hostium conatus*; Portæ inferorum, i. e. Satanas cum suis asseclis, veram Christi Ecclesiam semper infestant, impugnant, consilia adversus eam captant, omnibus viribus laborant & unice in id incumbunt, ut Ecclesiam expugnent, perturbent & penitus evertant (3) *Effectus & finis irritus*, ἰσχύσουσι μὲν, ἀλλὰ μὴ κατισχύσουσιν αὐτῆς semper quidem Ecclesia impugnatur; Nunquam v. superatur; sed in æternum conservatur.

CAPUT IV.

Tradens

Oraculi hujus Paraphrasin.

QUemadmodum tu Petre dixisti & confessus es, quis ego sim, filius nempe Dei viventis: ita nunc ET EGO TIBI DICO ac confiteor, quis tu etiam sis, TU ES PETRUS, Ita te jam dudum in primo adventu, & recte quidem cognominavi Petrosum, eo quod vera fide & ex fide profecta confessione funderis super vera illa Petra, videlicet super me, ET SUPER HANC PETRAM, quam confessus, & in qua vera fide fundatus es, nimirum super meipsum, tanquam super immotum fundamentum & verum lapidem angularem 1 Corinth. 3: 11. Eph. 2: 20. ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ut omnes vere credentes, tanquam lapides vivi ad ædificium spirituale, super meipsum rupem veram, 1. Cor. 10: 4. ædificentur 1. Petr. 2: 5. ministerio verbi instituantur, legitimo Sacramentorum usu per veram vivamque fidem conversi renatique conserventur, adversus quoscunque dubitationum ac tentationum procellas immoti perstent perpetuoque defendantur. ET PORTÆ INFERORUM, h. e. omnis astutia & consilia (Ruth. 4: 1.) vis & potentia (Psal. 9: 14.) contra Christianos, ut mors, infernus, humana sapientia & potestas persecutorum Ecclesiæ ac Tyrannorum, Hæreticorum ac seductorum NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM. Impugnabunt quidem, ast non expugnabunt. Prement quidem, ast non oppriment. Ecclesia enim in perpetuum durabit. *Conf. Magnif. Dn. D. Olearii Manuale p.* 34. & 1622. *seq. B. Osiander*, qui per *petram*, confessionem Petri intelligit, ita ὡσ-φράζεις: *Places mihi plurimum, Petre, propter piam tuam Confessionem. Ego jamdudum Te Petrum cognominavi: ac ne nunc quidem ejus facti pœnitet. Jam enim confessionem talem de me edidisti, quæ est vera Petra & fundamentum Christianæ religionis: quod videlicet ego sim unigenitus Dei filius, Christus; mundi servator. Quisquis enim vera fide huic confessioni innixus fuerit, is certissime vitam æternam consequetur. Eam ob causam Euangelion meum (cujus tua confessio est Epitome) in universo mundo prædicari curabo: ut quisquis hanc piam tuam confessionem, sive Euangelium meum, fide apprehenderit, is veluti firmissimæ petræ superædificatus, adversus omnes Satanæ impetus conservetur ad vitam æternam.*

SECTIO II.

Exhibens

Quæstiones tum Philologicas, tum Theologicas.

QUÆSTIO I.

An Euangelium Matthæi quoad exemplar authenticum, vereque Canonicum ab autore Ebraice conscriptum sit?

POntificii affirmant, illudque & h. l. magnifaciunt *Bellarmin.* Lib. III. de V. D. c. 7. ab init. *Baronius* ad A. C. 34. n. 165. *Maldonatus* in Matth. 5. pag. 7. *Conzen.* in Matth. p. 8. Consentit *Hornejus* Part. 1. disp. Th. l. 2. sect. 4. th. 148. *Calixtus* Concordia Euangel. p. 1. Nostrates vero constanter negant, asserentes, Euangelium Matthæi quoad Exemplar authenticum non Ebraico, sed Græco idiomate exaratum esse.

PROBATIO.

ARg. I. *à Nominum Ebraicorum Explicatione*; Nulla lingua seipsam explicat. Jam vero Hebraica vocabula, quoties in Matthæo adducuntur, protinus per verba alia explicantur, ut c. l. 23. *Vocabunt nomen ejus Immanuel, quod est interpretatum nobiscum DEUS*; & c. 27: 46. *Eli Eli lama Sabachtani*; *h. e. DEUS mi, DEUS mi, ut quid dereliquisti me.* Agnoscit, admittitque hujus rationis vim Cardinalis Cajetanus (2) *ex Script. V. T. allegatione.* Si Matthæus Hebraice scripsisset,

nequaquam in citatione locorum V. T. versione Græca LXX. Interpret. (quæ sæpenumero recedit à fontibus) usus esset, e. g. Matth. 4: 10. *& ipsi soli servies*, ubi Exclusiva non habetur in fontibus, sed Interpp. LXX. virali (3) *ex providentiæ divinæ periclitatione*, quæ sane in dubium vocari posset, si codex Hebræus (qui hodie non amplius extat) tanquam authenticum Euangelistæ exemplar periisset (4) *ex styli Marci conformitate*: Marcus creditur Epitomator Matthæi. Jam vero inter stylum Matthæi & Marci nulla deprehenditur differentia, quin potius summus consensus. (5) *ex linguæ Græcæ communitate*, quæ tunc temporis per totum orientem diffusa erat; & *Hebrææ linguæ raritate*, quippe tempore N. T. in Palæstina vulgo obtinuit Syro Hierosolymitana universe, qua etiam Salvator & Discipuli sunt usi: *Vide quæst. seq.* (6) *ex fundamenti instabilitate.* Sententia illa de Codice Ebræo pendet ab autoritate *Papiæ*, qui non Johannis Euangelistæ, sed Johannis Presbyteri fuit auditor, quemadmodum ipse fatetur in procœmio Librorum suorum, citante *Eusebio*, *lib. 3. Hist. Eccl. cap. 39.* Antiquissimus sane est, sed judice Eusebio l. c. judicii exigui, qui multa fabulosa leviter credita posteris tradidit, multisque post se Ecclesiasticis viris occasionem errandi antiquitate sua præbuit (7) *ex sententiarum inæqualitate partim circa linguam*, quam Hieronymus putavit Ebraicam puram: Widmanstadius vero, Guido Fabricius & Bellarminus Syram sive Hierosolymitanam; *partim circa Interpretem*, quem Theophylactus comm. in Matth. Johannem, Nicephorus Barnabam; Athanasius synops. Scripturæ S. Tom. II. Oper. p. 134. Jacobum; Hieronymus incertum quendam fuisse autumant.

EXCIPIUNT.

Οἱ ἐξ ἐναντίας *Contra Rationem* (1) etiam in V. T. ejusmodi nominum expositiones occurrere v. g. Genes. 2: 24. c. 4: 2. c. 21: 6. Resp. Dist. inter nominum expositiones & Etymologiæ rationes. Non de posteriori, sed de priori nobis controversia. *Contra* (3) Patribus quondam Euangelium Matthæi Ebraicum visum, imo nostris etiam temporibus extare. Respondetur Euangelium Matthæi, quod Patribus quibusdam visum fertur, non fuit Euangelium Matthæi verum & Ebraice, sed Chaldaice conscriptum adeoque Pseudeuangelium, quo Nazaræi & Ebionitæ utebantur, testante *Epiphanio & Hieronymo*: Euangelium vero Matthæi Ebraicum nostra tempestate extans non est illud Matthæi, sed ab aliis citerioribus confectum, *à Munstero, Mercero, Quinquaboreo & Joanne Tilio* editum. Cujus levis authoritas ex linguæ Ebrææ ignorantia, additione ac detractione quadam satis deprehenditur: fatente ipso *Bellarmino l. 2. de V. D. c. 7.* Non multum egemus Euangelio Ebraico, quod Munsterus edidit, nec illo etiam, quod nuper edi curavit Joannes Tilius, in quo multa desunt, multa supervacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur, & DEUS novit, utrum id factum sit ad detrahendam fidem Græcæ & Latinæ editioni, astutia videlicet Judæorum, ex quorum promptuariis Euangelium illud prodiit. *Verus Matthæi textus Hebræus non extat. Is, quem edidit Munsterus, & alter quem Johannes Tilius excudi curavit, suppositititii censentur & Judæorum officinam redolent inquit Jesuita Bailius Catech. contr. tract. I. quæst.* 14. Conf. Autores pro nobis D. Waltherus *offic. Bibl. p.* 72. D. Kromayerus *Polymath. Theol. p.* 3. Casaubonus *Exercit. XV. Contra Baron. p.* 343. Dn. D. Calovius *Tom. 1. Syst. Theol. quæst. 31. p. 736. seqq. Critico S. edit. noviss. p.* 205. D. Hulsemannus *Animadvers. in Bellarm. Tom. I. Controv. p. 79. seq.* Dn. D. Quensted *Disp. inaug. de Authentia Textus Hebræi V. ac Græci N. T. observ. 2. p.* 430. Cl. Stolbergius *Colleg. in Matth. MSS. & quidem Prolegom. de lingua Euangelistarum originali*, Dn. D. Pfeifferus *Introduct. in orient. pag. 16. seq.*

QUÆSTIO II.

Quænam Lingua Salvatori nostro fuerit Vernacula?

PONtificii, sigillatim Bellarminus & Maldonatus hic etiam contendunt, Christum Syriace locutum fuisse, proindeque una voce ܟܐܦܐ ܟܐܦܐ & Petram & Petrum significasse. Adeoque ex Græco N. T. textu neminem hodie certum esse posse, num Christus Masc. ܗܘ ad vocem Petri, & fœmininum ܗܕܐ ad Petram retulerit. Resp. 1. κατ' ἄνθρωπον verbis *Bellarmini lib. I. de Eucharistia c. II. verba Syriaca rectius dici exposita ab eo, qui Matthæum Græce confecit.* At Græcus textus distinguit personam Petri à Petra. Consentit cum Græco Vulgata Latina, Pontificiis authentica. 2. τὸ πρᾶγμα Græcus N. T. textus etiam in Matthæo est authenticus, igitur oborta controversia, ad fontes est recurrendum, consentiente etiam Bellarmino. 3. Syriaca versio, quæ hodie prostat, accurate discernit inter ܗܘ ܟܐܦܐ ille Petrus & ܗܕܐ ܟܐܦܐ hæc petra. Nullum igitur Præsidium Pontificii à Syriaca vel lingua vel versione expectare possunt. Alioquin Linguam Salvatori vernaculam Syriacam fuisse, recentissima est sententia virorum Clarissimorum, *Widmanstadii, Masii, Crinesii, Trostii, Guid. Fabricii, Andr. Sennerti, Jacobi Martini, Franzii Leusdenii &c.* quam quidem *Barthol. Mayerus & Brianus Walthonus* impugnant, negantes, tempore Salvatoris Hierosolymis ac in vicinis locis Syriacam linguam in usu fuisse, & quidem his rationibus (1) quia voces, quæ in N. T. pro Syriacis venditentur, ex lingua Syriaca exponi non possint e. g. Matth. 27: 23. γολγαθᾶ Syr. ܓܓܘܠܬܐ Marc. 7: 24. Μαμμωνᾶ, Syr. ܡܐܡܘܢܐ Joh. 19: 13. (2) quod lingua Syriaca careat Dagesch forti, quod tamen in vocibus, quibus Christus & Apostoli usi e. g. Μαμμωνᾶ γαββαθὰ ραββὶ ἀββᾶ &c. deprehendatur (3) quod Targum & Talmud Hierosolymitana, diversa à Syriaca vel Maronitica Dialecto sint conscripta. Verum ad has rationes erudite respondet *Dn. D. Pfeifferus Introduct. in Orient. pag.* 23. & quidem ad (1) voces istas ex lingua Syriaca optime explicari posse, cum earum Themata illic extent omnia. Nec formam adeo discrepare, si modo obs. (α) Dsekopho Syrorum per Kametz Ebræorum efferendum esse (β) Scheva apud LXX. & autores N. T. nullum fixum habere sonum, sed sæpe ad sequentem vocalem se conformare (γ) Nomina propria raro suam retinere formam, cum in alias linguas transferuntur. Ita conciliari potest Gr. γολγοθᾶ cum Syr. Telito, Gr. γαββαθὰ cum Syr. Gephiphto. Ad (2) resp. autor laudatus, quanquam Syri careant Dagesch forti, geminari tamen literam nonnunquam Euphoniæ causa ut in σάῤῥα pro שרה Ad (3) Ex Talmud Hierosolymitano non adeo infallibiliter de lingua tempore Christi Hierosolymis vernacula judicari posse, cum A. C. 230. demum confectum sit. Targum autem esse recentioris ævi. Tandem addit: Tota controversia dirimi facile potest, si distinguatur inter Linguam Syriacam in debita latitudine sumptam & Dialectum Maroniticam, quæ hodie κατ' ἐξοχὴν Syriaca dicitur. Lingua Syriaca latius olim patuit & in diversas discreta est Dialectos, quas inter & Hierosolymitana fuit, ut ut ergo ea Dialectus, quam hodie Maronitæ excolunt, Salvatori vernacula non fuisset, exinde tamen negari nequit, locutum eum esse Syriace & linguam Syriacam sanctissimo ore suo consecrasse; cum sic à negatione speciei ad negationem generis male concluderetur: perinde ac si quis inferret Jonice scribentem, non scribere Græce, vel loquentem Saxonice, non loqui Germanice. Hactenus ille. *Conf. qq. M. Reiskii Disput. de Lingua Vernacula JESU CHRISTI Jenæ habita, B. Kromayerus Polymath. Theol. p. 133. Walth. Offic. Bibl. p. 293. seq. Hacksp. Sylloge pag.* 518.

QUÆSTIO III.

An Voces ὁ πέτρος & ἡ πέτρα differant?

REsp. *Cl. Casaubonus Exercit. 15. ad Annal. Baronii pag. 341. a.* observant Grammatici Græcorum, aliud esse πέτραν, aliud πέτρον: πέτραν esse rupem aut saxum ingens: πέτρον vero parvum lapidem, quales sunt, qui Græcis χερμάδιον & χερμάδια, quod manum impleant, dicuntur: ita Eustathius ad Homil. Iliad. V. adnotat πέτραν esse montem; πέτρον vel λίθον, τὸ τῆς πέτρας ἀποτμηθὲν; particulam è monte resectam. Hæc Grammatica observatio diversitatem inter has voces longe maximam aperte satis innuit & huic loco apprime convenit. Nam ut ait Augustinus in Matth. 16. serm. 13. & Tr. 124. in Johann. Ecclesia fundata est super Petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed Petrus à Petra; sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Vid. Ambros. sermon. 84. Non igitur idem est Petra & Petrus; Christus est rupes, Petrus est lapis ab illa rupe excisus. Christus est fortitudo ipsa & αὐτοδύναμις; Petrus est δυνατὸς, fortis quia accipit vires à Petra. Eleganter *Magnif. Dn. D. Olearius in Manuali* pag. 1622. **Es bleibet ein anders Christus der unbeweglich Felß / Petra, unser stärcke und hülff / und Petrus,** particula ex rupe excisa & inde denominata **der Felßinne Mann so von Ihm genennet worden.** Distincta sunt denominatus & denomi-

nominans; Petrus & Petra; fundator & fundatus; caput habens Ecclesiam suam, & servus plantans Ecclesiam alienam. Petra est Christus ratione meriti, quo fundatur, ratione verbi, quo ædificatur, ratione divinæ providentiæ singularis, qua regitur & defenditur Ecclesia, inquit *D. Kunad. disp. de Confessione Petri c.* 3. §. 2. Christus secundum Deitatem semper fuit Ecclesiæ caput & fundamentum; secundum humanitatem in illo exinanitionis statu usum gloriæ hujus universalem retraxerat Phil. 2: 9. nunc autem ad dextram majestatis div. constitutus actu secundo & incessante usu est Ecclesiæ suæ conjunctissimum, universale & solitarium caput, & principale fundamentum. Ut Petra constans est & sustentare Castrum potest, aptaque ut lapides inde exscindantur: Sic Christus in div. essentia immutabilis, sustentat Ecclesiam, possuntque ex eo Christiani, vivi lapides, exscindi 1 Petr. 2: 5. Excipit cum Bellarmino lib. 1. de Pontif. Rom. c. 10. *Maldonatus*; Petrum & Petram esse idem, atque Matthæum scripsisse Ebraice, aut Chaldæo-Syriace, in quibus linguis illa generis differentia non reperitur, uno enim eodemque nomine Petrus & Petra significatur. Resp. (1) falsum est, Matthæum alio, quam Græco scripsisse idiomate, quod in quæst. 1. à nobis evictum (2) etiam in Idiomate Syriaco est diversitas generis; Nam ܟܐܦܐ pro nomine proprio Petri est masculinum; at ܟܐܦܐ pro petra semper est fœmininum, ut intelligamus Christum esse τ̃ αὐτοφυῆ πέτραν, vel ut *Platonici* dicerent, τ̃ αὐτοπέτραν *ipsissimam*, inquam, *originem ejus fortitudinis & virtutis* quæ denotatur appellatione Cephæ. In terminatione nulla est diversitas, quia lingua hæc non flexibilis est ac Græca, & virorum nomina hujus formæ ab aliis substantivis derivata, effert ὁμωνύμως & παρωνύμως. *Arabs Interpres* h. l. ῥωμαΐζει, quando vertit. אנת אלצחרה Tu es Petra, nam alibi Petrus illi non ea voce nominatur, sed בטרע: De quo conf. Doctiss. Casaub. *l. c. p.* 234. *seq. &* 341. *b. seq. itemque p.* 350. *b. seqq.* D. Meisn. *Depuls. Excub. Papist. p.* 228. *&* 231. *fin. seqq. itemque Philos. Sobr. P. II. Sect. I. cap.* 2. *Quæst.* 4. Cl. Dilherrus *Eclog. S. p.* 71. *seq.* Becman. *de Origg. LL. p.* 852. Danhaw. *Idea boni Interpret. p.* 257. *Lic.* Olearius *Exercit. ad Epist. Domin. p.* 343. Excell. Dn. Stolbergius *Colleg. MSS. in h. l. Pasor in Etym. nominum propriorum, voce* κηφᾶς *pag.* 41. D. Dietericus *P. III. Anal. Evang. p.* 418. *& inprimis pag.* 423. *b.* B. Luth. *in glossa marg. ad h. l.* D. Kromayerus *Theol. Posit. Polem. pag.* 1036. *& Polymath Theol. pag.* 168. *fin. seq.* D. Glassius *Rhetor. S. Tract. II. c. II. p.* 1429. *seq.* D. Sebast. Schmidius *in tract. Petrus non Papa, cap.* 3. *pag.* 116. *seq.* Althoferus *Harm. Evang. p.* 844. *Hacksp. P. III. Not. Phil. pag.* 97. *seqq.*

QVÆSTIO IV.

An Ecclesia super Petrum fundata?

ITa πὺξ καὶ λὰξ decertant omnes Pontificii maximumque sententiæ suæ præsidium in voce ταύτῃ ponunt, asserentes, hoc pronomen *non demonstrative*, sed relative sumendum esse, perinde acsi dixisset Dominus: *Tu es Petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam*: Consentit Camero in Myrothecio Evangelico; Ostorodus instit. c. 42. Smalzius contra Franzium. Nos negativam probamus seqq. rationibus (1) Quia Petrus statim ab h. l. vocatur à Christo *Satan*: Quodsi itaque Christus ædificasset Ecclesiam suam super personam Petri, annon diceretur eam ædificasse super satanam? (2) quia Petrus ἀνὴρ ἁμαρτωλὸς Luc. 5: 8. ὀλιγόπιστος Matth. 14: 31. & *Abnegator* Domini sui erat, Matth. 26: quique etiam post acceptum Spiritum *suas imbecillitates* habuit. Gal. 2: 14. quomodo igitur tam imbecillis posset ædificium sustinere? (3) *Pronomen demonstrativum* non semper dependere à proxime antecedente, siquidem hoc Relativorum proprium; ostendere præsentem rem, licet illa in præcedentibus non sit posita, sed subintellecta. Aliud est pronomen relativum, aliud Particula demonstrativa, recte inquit Casaubonus exerc. XV. Ne dicamus de Jobi 1: 21. Psalm. 36: 13. Exemplum habemus Joh. 6: 49, 50. Ubi pronomen demonstrativum non Manna, sed ipsum Christum ostendit, velut explicat. vs. 51. *Ego sum panis vivus*, adeoque demonstrativum non ad antecedens, sed ad aliud refertur. Sic Act. 4: vs. 11. οὗτος, *ipse est lapis*, ipse scil. Christus, cujus mentio vs. 10. habetur. Sic cap. 7: 19, 38. cap. 9: 22. Nam in omnibus linguis pronomina demonstrativa elegantissime interdum accipiuntur de loquentis persona. Ita Comicus: *Tu si hic sis, aliter senties.* Hic ὃς ἀνήρ, *hic vir i. e. Ego, Conf.* Joh. 2: vs. 19. Verisimile est Christum, cum ibi vocem hanc τοῦτον pronunciavit, summet ipsius corpus indicasse vel palma pectus percutiendo vel alio gestu; Ita qq. hoc in loco, *super hanc Petram* i. e. super me Domino semetipsum denotante & vocem gestu adjuvante. Confer Joh. 2: 19. cap. 4: 14. Quod itidem observarant *Divi Patres, Basilius, Nazianzenus, Theodoretus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius* aliique quorum verba allegant D. Pelargus *Comm. in Matth. XVI. p. m.* 168. D. Bertram *in Matthæo enucleato p.* 460. Wittackerus *de Pontifice Rom. controv.* 4. *quæst.* 2. Audiatur ex multis *Venerabilis Beda in homiliis* inquiens: super hanc petram h. e. super DEUM Salvatorem, qui fideli suo cognitori, Amatori, confessori participium sui nominis donavit, ut videl. à Petra Petrus vocaretur supra quam ædificaretur Ecclesia; quia non nisi per fidem & dilectionem Christi ad sortem electorum & æternam pertingitur vitam Apostolo attestante 1 Cor. 3: 11. & ita Christus recte Basilio dicitur petra ἀσάλευτος. Hinc rectissime Keysersbergius, Doctor Pontificius, qui ante Lutherum circa annum Christi 1420. Argentorati docuit, in explicat. Evang. Fest. Petr. & Pauli, ubi Christum h. m. loquentem introducit du bist Petrus und auff diesen Felsen / von dem du itzt gesaget hast / das ist auff mich / da würde ich buwen meine samlung oder Kirchen. Et post pauca: Du bist Petrus, denselben Nahmen gebe ich Dir / ich aber bin Petra, das ist also viel gesaget alß ein Felß. Christus / was der Felß spricht S. Paulus, warlich ist Christus das Fundament und Felß / auff welchen Felßen sich leinet und stützet die gantze Christenheit / niemand mag ein ander Fundament legen / weder er geleget hat. Darumb auff diesen Felßen / sprach der Herr / er meinet sich selber / würde ich buwen meine Kirche etc. Esto tamen: Concedamus pronomen ταύτῃ positum esse loco relativi, sed quomodo relativum fœminini generis referetur ad antecedens diversi generis. Non enim HANC & PETRUS in genere conveniunt. (4) Patres qq. Pronomen ταύτῃ non ad proximam vocem *Petrus* retulerunt, sed ad Confessionem Petri versiculo præcedente comprehensam. Et hac ratione non Petrus solum, sed omnes qq. Prophetæ & Apostoli fundamentum sunt Ecclesiæ, asserente Paulo, *Non enim estis*, inquit, *hospites & incolæ, & Concives sanctorum, superexstructi super fundamento Apostolorum & Prophetarum, summo angulari lapide ipso Christo &c.* Ubi ponit pro fundamento Ecclesiæ *instrumentali* seu *ministeriali* Prophetas & Apostolos, non certe personas, sed doctrinam eorum, cujus summa hæc est, quod Jesus natus ex Maria virgine sit Christus filius DEI viventis. Unde & Apostoli dicuntur in Apocalypsi cap. 21: 14. *duodecim fundamenta muri Civitatis Jerusalem*, Fundamentum *reale & principale* solus Christus est. 1 Cor. 3: vs. 11. Ephes. 1: 22. c. 5: 23. 1 Petr. 2: 6. cum Jes. 28: 16. Confer Casaub. *l. c. p.* 344. *seqq.* D. Danhaw. *Hodosoph. S. p.* 742. *& Idea boni Interpp. p.* 167. Spilenberg. *in Matth. p.* 460. *seq.* Sixt. Amama *lib. III. Antibarb. Bibl. pag.* 429. Excell. Dn. Stolbergius *Colleg. MSS. in Matth.* Form. Christ. Concord. *pag.* 345. *& inprimis* B. Meisnerus *P. II. Philos. Sobr. sect. I. cap.* 4. *quæst.* 4. Flacius *P. I. Clav. pag.* 913. D. Glassius *Philol. S. lib. II. Tract. II. pag.* 516. *& pag.* 1178. *fin.* D. Schmidius *Tract. Petrus non Papa cap.* 3.

QUÆSTIO V.

An primatus Petri œcumenicus & consequenter Romani Pontificis Dominatus ex hoc loco evinci queat?

ID Pontificii uno ore omnes affirmant & pro Achille hunc locum jactant. Certe *Alvarez Thesaurum suum Christianæ religionis & speculum Romanorum Pontificum statim his verbis exorditur: Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut B. Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Conferatur Bellarminus lib. de Rom. Pontif. c. 10. & seqq. Verum fumos Pontificii vendunt. Nam (1) Petrum quidem *solum* alloquitur Dominus, sed non soli Petro promittit, quod patet *partim* ex generali promissione Clavium omnibus Apostolis facta, ut ex Matth. 18: 18. liquet, *partim* ex complemento promissionis omnibus Apostolis facto Joh. 20: 22. (2) *Petræ* vox non primatum sive jurisdictionem aut jurisdictioni quid simile infert, sed formaliter rei alicujus, cui tribuitur, firmitatem & constantiam, sustentationem ac durationem importat. Et sigillatim h. l. vox Petræ causaliter sumitur, designatque Christum, qui Ecclesiam fundat; non effective pro homine in Petra fundato, Christum animose confitente. *Petra* h. l. est

etiam

etiam fundamentum Ecclesiæ triumphantis (3.) *Verba* sunt *figurata ac metaphorica*, adeoque, nonnihil obscura, ut Pontificii inde nihil, nisi per remotissimam consequentiam valeant concludere. *Nota Theologorum regula, Symbolica (vel Metaphoricam) Theologiam non esse argumentativam* (4) Puerilis hallucinatio est Ipsius Canonici Juris distinct. 22. cap. 2. Optati & hunc secuti *Bellarmini ac Baronii*, qui Syr. ܟܐܦܐ ex Græca voce κεφαλῆς deducunt ad stabiliendam omnipotentiam Romanam, vid. Dilherr. *Eclog. S. p.* 80. Glass. *Philol. S. L.* 4. *T. III. obs.* 14. *p.* 984. *seq.* Casaub. *l. c.* 241. (5) Dominus solo cum Petro egit, non Monarchicum ejus Dominatum, quem habuerit ille in cæteros, stabiliendo, sed alias causas habuit, partim quia Petrus [monente Jansenio] tanquam os Apostolorum pro omnibus responderat: *partim* quia unitatem & societatem fidei in Mysterio quodam indicare voluit, de quo Casaub. *l. c. p.* 334. *b.* (6) Ædificatio super petram non est officiale aliquid, sed personale, solius Christi personam concernens. Quia hic habetur τὸ ἧ τὶ καὶ νῦν: qui sunt characteres individuæ singularitatis infallibiles. (7) Patres quando *Petrum principem & caput Apostolorum* nominarunt, ordinem & legitimum primatum, non dominationem monarchicam significarunt. Nihil igitur ex h. l. quod causam Monarchiæ Papalis adjuvet, afferri potest. Conf. Formul. Concordiæ Artic. Schmalcald. de potestate & primatu Papæ p. m. 344. seqq. B. Lutherus Tom. I. Jenens. de potestate Papæ. Casaub. *l. c. à pag.* 357. *usque* 388. B. Carpzovius *Isagg. lib. Symbol. p.* 914. B. Danhaw. *Idea boni Interpp. p.* 148. *& p.* 250. D. Meisnerus *Depuls. Excub. Papist. p.* 223. *seq. & p.* 237. Magnif. Dn. D. Olearius *in manuali p.* 1712. D. Glassius *Reth. S. Tr. I. Cap.* 8. *p.* 1179. D. Dietericus *Anal. Evang. P. III. p.* 361. *& præsertim p.* 420. *a. seqq. itemque Instit. Catech. de Ecclesia pag.* 460. *seq.* D. Wellerus *in Rom. pag.* 662. D. Seb. Schmidius *in Tract. Petrus non Papa c.* 3. *p.* 107. *seq.* M. Roser. *Resp.* auff 15. so genante hochwichtige Religions-Fragen *Quæst.* 8. §. 8. Hornius *Histor. Eccles. p.* 43. *Althoferus Harm. Evang. p.* 848.

JOH. PHIL. PFEIFFER

ET

JOH. SOMMERIN

DISSERTATIO

De Proverbio, facilius est, camelum &c. ad Matth. XIX: 24.

I. N. J.

§. I.



SAlvatoris hæc nostri verba sunt, apud Matthæum, cap. 19: 24. εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. Id est, *Facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.* Quæ reperiuntur etiam apud Marcum, cap. 10: 25. & Lucam, cap. 18: 25. ita tamen, ut loco vocabuli τρυπήματος, quod *foramen* significat, utrinque usurpetur vox τρυμαλιᾶς, quæ & ipsa ejusdem est significationis cum dictione τρυπήματος. Etenim ut Varinus Phavorinus docet, in Lexico, voc. τέρετρον, ἡ τρυμαλιὰ (sicut & τρύμη) est, ἡ ὀπὴ τῆς βελόνης, *foramen acus*, à τρύω quod est *tero, attero*, seu *pertero*. Βελόνη autem, seu *acus*, ut idem ostendit autor h. v. est, τὸ σιδήρεον δι' οὗ ῥάπτουσι τὰ ἐνδύματα. παρὰ τὸ βέλος, καὶ τὴν τούτου ὀξύτητα. ἢ παρὰ τὸ ὅλη βάλλεσθαι. *Instrumentum ex ferro, quo vestimenta consuunt. A voce* βέλος, *sagitta, & hujus acumine. Vel, quod tota trajiciatur.* Τὸ τρύπημα vero, dicitur à τρυπάομαι, quod est *perforor, pertundor*; quia acus suprema sui parte, perforata & pertusa, item pertrita est, ut setam seu filum transmittat. Similiter & ῥαφὶς nihil aliud est, quam βελόνη *acus*, diciturque sic ab usu, quem præbet hominibus scilicet παρὰ τοῦ ῥάπτειν, quod est *consuere & sarcire*. Hinc Suidas & Varinus: Ῥαφὶς, inquiunt, ἡ βελόνη, καὶ εἶδος ἰχθύος. Id est, ῥαφ. est *acus, & piscis genus*. Igitur nonnulli hæc verba Salvatoris nostri sic interpretantur, ut τὸ τρύπημα ῥαφίδος improprie accipiant, & dicant, fuisse Hierosolymis portam quandam, quæ *Foramen acus* diceretur, per quam Camelus, nisi deposito onere, & flexis genibus transire non posset: Intelligentes proinde, hic in sensu mystico Tropologico significari divites non posse transire per angustam portam, quæ ducit ad vitam (Matth. 7: 14.) nisi abjecto divitiarum onere. Verum hanc sententiam ceu fabulosam, & quæ nulla nitatur autoritate improbat Nicolaus de Lyra, è Judaismo conversus ad fidem Christianam, & in Ordinem Minorum assumptus, Seculo XIV. post Christum natum, Comment. in Matth. c. 19. h. l. inquiens. *Dicentibus, quod quædam porta erat in Hierusalem, quæ vocabatur porta acus, per quam non poterant Cameli transire, nisi prius deposito onere. Sic nec dives intrare regnum cœlorum, nisi deposita sarcina terrenorum. Sed, quia de hoc scriptura non habet autoritatem, ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Non enim invenitur scriptum in aliqua scriptura authentica, quod in Hierusalem fuerit aliqua porta sic nominata.* H. l. Videtur autem hæc irrepsisse expositio, ex cap. 60. Esai. vs. 6. & 11. ubi mysticos istos Camelos, quos Hieronymus interpretatur *divites*, dicit Propheta ingressuros per portas Hierusalem. Et Rupertus Tuitiensis Abbas, Seculo XII. eodem respiciens, lib. 2. Commentarii, cap. 9. in Ezechiel. cap. 11. verba ista: *Facilius est Camelum &c.* ita explanat, ut inter alia dicat: *Etenim latitudo decem cubitorum* (quorum fit mentio cap. 40. Ezechiel. vs. 11.) *decem legis præcepta sunt. Et cum unum eorum sit, Non concupisces, quomodo per hanc portam intrare posset, qui latitudine ejus*

tanto vastior est, quanto plures circum se aggravavit cupiditas.

§. II. Alii, τὸ τρύπημα ῥαφίδος *foramen acus*, proprie accipiunt, & κάμηλον *Camelum*, exponunt funem nauticum crassiorem, quo nautæ utuntur ad suspendendas & projiciendas anchoras. Ita Cyrillus loquitur apud Nicetam Episcopum Serrarum, in Catena Græcor. Pp. in Matth. 19:24. Κάμηλον ἐνταῦθά φησιν, οὐ τὸ ζῶον τὸ ἀχθοφόρον, ἀλλὰ τὸ παχὺ σχοινίον ἐν ᾧ δεσμεύουσι τὰς ἀγκύρας οἱ ναῦται, *Camelum hic dicit, non animal oneribus ferendis destinatum, sed crassum funem, cui anchoras alligant nautæ.* Theophylactus autem, Archiepiscopus Bulgarorum, Sec. XI. Commentar. in Matth. hæc verba: Τινὲς δέ, ait, κάμηλον οὐ τὸ ζῶον φασίν, ἀλλὰ τὸ παχὺ σχοινίον, ᾧ χρῶνται οἱ ναῦται πρὸς τὸ ῥίπτειν τὰς ἀγκύρας. *Nonnulli autem dicunt, Camelum non animal significare, sed crassum quendam funem, quo nautæ utuntur, ut projiciant anchoras.* Rursus in Marci 10:25. Κάμηλον δέ, inquit, νόει, ἢ αὐτὸ τὸ ζῶον, ἢ σχοινίον τινα παχεῖαν, ἣ τὰ μέγιστα τῶν πλοίων χρῶνται. *Per Camelum autem intellige vel animal, vel crassum funem, quo nautæ in maximis navigiis utuntur.* Porro & Euthymius Zigabenus Monachus, qui floruit Seculo XII. temporibus Alexii Conneni Imperatoris, ex interpretatione Joh. Hentenii Nechilinensis Hieronymiani, in Matth. h. l. scribit: *Quidam autem Camelum vocant, funem navis crassiorem.* Denique Varinus Phavorinus Camers, Nuceriæ in Campania Episcopus qui viguit initio Seculi XVI. sub Leone X. Pontif. Rom. in Lexico suo hac voce, ita scribit: Κάμηλος, τὸ ἀχθοφόρον ζῶον. κάμηλος καὶ τὸ παχὺ σχοινίον, ἐν ᾧ δεσμεύουσι τὰς ἀγκύρας οἱ ναῦται. ὡς τὸ ἐν εὐαγγελίῳ, κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν. Id est, *Camelus, animal sarcinis ferendis idoneum.. Et Camelus, funis* quoque *crassus* est, *cui anchoras alligant nautæ. Ut in Evangelio* dicitur, *Camelum* hujusmodi funem, *transire per foramen acus.* H. I.

§. III. Verum melior est illa sententia, qua per κάμηλον hoc loco *animal* intelligitur. Initio namque κάμηλος, in ea significatione, qua funem nauticum crassiorem significare dicitur, apud autores Græcos non reperitur: iis tantum exceptis, quibus sententia de fune nautico arridet; qui ipsi tamen hanc vocem à genuino suo significatu, ad suam ipsorum sententiam, præter usum atque indolem Græci sermonis distorsisse videntur. Nec valet autoritas Lexicographi, nisi extent Autorum loca, in quibus vox sic vel aliter, hoc vel illo sensu accipiatur. Quod hic ostendi non potest. Discrimen insuper esse, inter κάμηλον per η, & κάμιλον per ι, Suidas animadvertit in Lexico, quando scribit: κάμηλος τὸ ἀχθοφόρον ζῶον —— κάμιλος δέ, τὸ παχὺ σχοινίον. Id est, *Camelus, animal est onera-ferens —— Camilus vero crassus funis.* Habet autem hoc, ex Scholiaste Aristophanis, qui, cum Aristophanes in Vespis dixisset (p. 484. Edit. Lugd. in 12.) λαμίας δ᾽ ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου, *Lamiæ testiculos illotos, Cameli autem podicem*; ita commentatur, f. 349. lin. 1. Θερμόπρωκτος γὰρ ὁ κάμηλος καὶ λάγνος. Κάμιλος δὲ διὰ τοῦ ι, τὸ παχὺ σχοινίον. *Æstuantioris enim culi* (id est, fervidus) est *camelus, & lascivus.* Quod ex eo quoque recitat Varinus in Lex. H. V. idemque repetit Ludovic. Cœl. Rhodiginus, lib. 7. Lection. Antiquar. cap. 18. his verbis: *Fervidum præterea animal est* Camelus, *proindeque lascivum, ex quo in Vespis Aristophanes festivissime: Phocarum inquit, odorem habebant, Lamiæ vero testiculos illotos, Cameli autem podicem.* Et paulo post, ait: *Camelum usurpant quidam, literis nihil immutatis, genere tantum diverso, pro anchorario fune: Ut illud Evangelicum. Quanquam de animante intelligere maluit Hieronymus, Camelum facilius est per foramen acus intrare, quam divitem in regna cœlorum. Sed doctissimi Grammatici, & Aristophanis Interpres & Suidas quoque per I malunt Scribere, Camilos.* H. I. Deinde, apud Evangelistas in Exemplaribus Græcis reperitur κάμηλος, non κάμιλος: Et Interpretes omnes, Syrus, Arabicus, Æthiopicus, Persicus & Vulgatus, utuntur voce *Cameli*, qua non nisi animal quadrupes denotatur. Porro, veteres quoque Ecclesiæ Doctores, præter unum Cyrillum in Catena Græc. Pp. omnes, quorum scripta ad nos pervenerunt, verba Salvatoris simpliciter interpretati sunt de animali, non de fune nautico anchorario: Quamvis alios atque alios inde mysticos Sensus extraxerint. Origenes, qui floruit Seculo III. post Christum natum, Tractatu VIII. in Matth. 19. h. l. ex interpretatione Desiderii Erasmi Roterod. inter alia sic scribit: *Facilius est Camelum,* &c. *In qua parabola dives comparatur camelo, non solum propter immunditiem animalis, sicut docuit lex* (Lev. 11: 4.) *sed etiam propter totius corporis ejus tortuositatem. Regnum autem cælorum foramini acus assimilatur, ut demonstretur ex eo, quoniam satis arctus est, & supra modum contribulatus regni cœlestis introitus.* Et post alia: *Puto,* ait, *Gentium introitum in regnum cælorum faciliorem ostendere volens, quam Judæorum divitum, hanc similitudinem introduxit. In quibus autem Gentes dicebantur pauperes, in his Judæi divites erant.* Seculo IV. Hilarius Pictaviensis, Canone XIX. in Matth. h. l. de populo Judaico & Gentilibus loquens: *Est autem,* inquit: *huic populo crux & passio scandalum, & idcirco ipsi nihil salutis ex ea est. Sed gloriatur in lege, & cohæredes Gentes aspernatur, & transire in Evangelicam libertatem recusat: atque ideo difficile regnum cælorum introibit. Pauci enim eorum, & juxta multitudinem Gentium admodum rari erant credituri: ut difficile præduratam in lege voluntatem, ad prædicationem Evangelicæ humilitatis inflecterent. Sed facilius camelus, per foramen acus transibit. Non convenit camelo cum acus foramine: Neque in angustiis cavernæ exiguissimæ recipi poterit beluæ ingentis informitas. Sed in primordio libri sub vestitu Johannis, in camelo Gentes significari admonuimus. Pecus enim hoc verbis obedit, metu continetur, jejunii patiens est, & oneri suo quadam disciplinæ ratione succumbit: Cujus exemplo, Gentium immanitas ad obedientiam præceptorum cælestium emollitur. Hæc igitur angustissimum iter Regni cælestis introeunt. Acus scilicet, quæ est verbi novi prædicatio, per quam corporum vulnera assuuntur, & dissuta vestium retexuntur, & mors ipsa compungitur. Ergo hujus novæ prædicationis hoc est iter: in quod facilius informitas Gentium introibit, quam opulentia divitis, id est gloriantis in lege.* Eodem Seculo Ambrosius, Commentarii lib. 7. in cap. 18. Lucæ, vs. 25. ita loquitur: *Camelus ergo in typo populus Gentilis accipitur, quem leo ille* (1 Pet. 5: 8.) *quærens quem devoret, onustum thesauro, Propheticis agit affatibus in desertum. In tribulatione enim & angustia leo, & catulus leonis* (Esa. 30: 6.) *aspides & progenies aspidum volantium, ferebant in asinis & camelis divitias suas. Et bene camelus pro Gentili figuratus est populo, quia superstitionis deformitate degenerans, priusquam crederet populus Nationum, belluinæ speciem fœditatis, absurda vestigia, ora turpia præferebat. Facilius igitur iste peccator per viam intravit angustam, quæ est via Christi, qui proprii corporis passione mortis penetrans viam, velut acu redintegravit scissa quadam nostræ vestimenta naturæ, quam populus Judæorum dives in lege, egenus in fide, præruptus in furore, probrosus in crimine. Potest etiam moraliter de omni intelligi peccatore, & de arrogante divite. Nonne tibi videtur publicanus ille oneratus suorum conscientia delictorum, cum oculos ad Deum non auderet attollere, velut quidam camelus, in foramen acus confessionis suæ remediis facilius introire, quam Pharisæus ille arrogans in prece, jactans innocentiæ, præsumptor gloriæ, exprobrator misericordiæ, prædicator sui, criminator alieni, qui magis conveniret Dominum, quam rogaret? Si quis igitur horret camelum, horrescat eum, qui factis fœdior sit camelo.* Hieronymus, Comment. in Matth. h. l. *Si legamus,* inquit, *Esaiam, quomodo cameli Midian & Epha veniant Jerusalem cum donis atque muneribus, & qui prius curvi erant* (sermo autem ipsi est de Gentilibus), *& vitiorum pravitate distorti, ingrediuntur portas Jerusalem, videbimus quomodo & isti cameli quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum, & totius corporis pravitatem, intrare possint per angustam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam.* Item in Comment. in LXI. caput Esai. vs. 6. Inundatio camelorum operiet te, &c. sic scribit: *Denique sanctæ memoriæ mater tua* (alloquitur autem Eustochium, cui inscripserat hunc in Esaiam Commentarium) *Paula, fraterque Pammachius per foramen acus, hoc est, per arctam & angustam viam, quæ ducit ad vitam, transierunt ad regna cælorum; latam viam cum sarcinis relinquentes, quæ ducit ad Tartarum. Imo quicquid habebant, in Domini dona portabant, implentes illud, quod scriptum est* (Proverb. 13: 18.) *redemptio animæ viri propriæ divitiæ.* Et Epistola CL. quæ est ad Hedibiam, Quæst. I. exponens verba Salvatoris, dicit: *Hoc non tam difficile est, quam impossibile. Nunquam enim fieri potest, ut camelus transeat per foramen acus. Nunquam igitur dives intrare poterit regno cælorum. Sed camelus tortuosus & curvus est, & gravi sarcina prægravatur. —— Et nos ergo, quando pravas ingredimur semitas, & rectam Domini viam dimittimus, & oneramur mundi divitiis, sive pondere delictorum, regnum Dei ingredi non valemus. Quod si deponamus gravissimam sarcinam, & assumamus nobis pennas columbæ volabimus & requiescemus — Dorsum nostrum, quod prius informe erat, & gravi*

sarcina

sarcina premebatur, habet nitorem auri, quod interpretatur in sensu; & alas deargentatas, quæ intelliguntur eloquia Scripturarum, & regnum Dei intrare poterimus. Sub finem ejusdem Seculi IV. S. Johannes Chrysostomus, ex interpretat. Aniani, in cap. XIX. Matth. Homil. LXIV. ita hæc verba de camelo & acu cum antecedentibus connectit: *Quod autem primo difficile dixit* (Salvator), *id ipsum progrediens cameli atque acus comparatione valde impossibile ostendit. Facilius est enim, ait,* &c. Autor vero Operis imperfecti, apud Chrysost. in cap. XIX. Matth. Homil. XXXIII. ex interpret. D. Erasmi Rot. ita disserit: *Facilius est, camelum per foramen acus transire —— Quoniam facilius Gentes, quæ fuerant tortuosæ animo, intraturæ fuerant per angustum ostium regni cœlestis, quam Judæi in lege, in Prophetis cæterisque Patriarchis: In Scripturis divites, in templo, in Sacerdotibus, in Leviticis, in sacrificiis, cæterisque dispositionibus ad religionem pertinentibus —— Gentium autem animæ assimilatæ sunt tortuosis camelis, in quibus gibbus idolatriæ ipsorum erat: quoniam cognitio Dei, erectio est animarum.* Et post prolixam applicationem proprietatum cameli ad Gentes tandem & quid per acum intelligat, subjungit: *Acus* inquit, *est verbum Dei, quod est filius Dei ipse: cujus prima pars subtilis est, atque acuta: subtilis, secundum causam divinitatis ipsius: acuta autem secundum causam incarnationis ejus. Tota recta, & nullam habens deflexionem aut scrupulum. Per cujus vulnus passionis, Gentes jam ingressæ sunt vitam æternam: qui vulnera consuere solus potest: à quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim conscissa erat super Adam. Ipsa est acus, quæ spiritui consuit carnem, ulterius separare se non potentem. Hæc acus Judaicum populum junxit simul & Gentium. —— Hæc est acus, quæ diruptam amicitiam angelorum & hominum copulavit. Hæc est acus, quæ configit & pertransit, & vulnus non facit.* &c. Seculo V. floruit Augustinus Episcopus Hipponensis. Is libro II. Quæstion. Evangelicar. cap. XLVII. ait: *Sensus est, facilius Christum pati pro dilectoribus seculi, quam dilectores seculi ad Christum posse converti. Cameli autem nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. In quo enim manifestius intelligitur, quam in ipso, quod scriptum est* (Eccles. 3: 18.): *Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Per acum autem punctiones significat, per punctiones dolores in passione susceptos. Foramen ergo acus, dicit angustias passionis.* Sub initium Seculi VII. Gregorius M. lib. XXXV. Exposit. Moral. in 42. cap. Hiob. cap. XI. *Quid enim*, inquit, *nomine divitis, nisi quemlibet elatum: Quid cameli appellatione, nisi propriam condescensionem significat? Camelus enim per foramen acus transit, cum idem Redemptor noster, usque ad susceptionem mortis per angustias passionis intravit. Quæ passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus per foramen acus, quam dives regnum cœlorum ingreditur: quia nisi ipse prius infirmitatis nostræ onera suscipiens, per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem illius, superba nostra rigiditas inclinaret.* Seculo VIII. Beda, Presbyter Anglicanus, Lib. III. Exposit. super Matth. 19: 24. iisdem fere, quibus Augustinus usus erat, verbis, eandem sententiam proponit: *Altiori autem sensu, facilius est Christum pati pro dilectoribus seculi, quam dilectores seculi ad Christum posse converti. Cameli enim nomine se voluit intelligi, quia sponte humiliatus, infirmitatis nostræ onera sustulit.* Et in cap. X. Marci, lib. III. Expositionis: *Si facilius est camelum ingentibus membris enormem, angustum foramen acus penetrare, quam divitem intrare in regnum Dei, nullus ergo dives intrabit in regnum Dei.* —— Seculo IX. viguit Strabus Fuldensis, qui creditur fuisse autor Glossæ ordinariæ, is inter alia & his utitur verbis: *Facilius est Gentilem populum gibbo peccatorum deformem per angustam vitæ portam ingredi, quam Judæum de meritis suis gloriantem, & ad subeundum leve onus Christi se humiliare nolentem.* Conferatur idem in cap. 10. Marci, vers. 25. ac Luc. 18: 25. Et referantur quoque huc Theophylactus & Euthymius, quando ex propria loquuntur sententia. Sic enim Theophylactus in h. l. *Impossibile est multa habentem intrare, sicut & camelum impossibile per foramen acus transire. —— Nonnulli autem dicunt camelum non animal significare* &c. quibus expresse hic se animal intelligere profitetur, cum alii funem nauticum intelligere præsumant. Euthymius vero, in hunc ipsum locum Comment. in Matth. *Est autem*, inquit, *optimum exemplum. Nam sicut foramen acus, non est capax cameli, propter nimiam sui angustiam, & propter grandem illius molem ac tumorem. Ita quoque via quæ ducit ad vitam, non capit divitem propter sui angustiam; & propter hujus tumorem.* Reducendus huc item Rupertus Tuitiensis, jam num. I. citatus. Adstipulantur autem his & recentiores: Erasmus Roterodamus in cap. XIX. Matth. Joh. Brentius, in Lucæ XVIII. Homil. XXV. Drusius quoque, Grotius, Zegerus, Abraham Scultetus, Exercitat. Lib. II. cap. 81. qui videri possunt in Opere Critico N. T. & alii.

§. IV. Præterea, accipienda esse hæc verba de camelo animali, & acus foramine proprie dicto, constare potest etiam ex alia simili huic proverbiali locutione, quam Grotius immutata Cameli voce in Elephantem reperiri dicit apud R. Jacobum in Caphthor. Et Drusius lib. I. Observat. cap. XI. eandem ex Jure Hebræo notat, hoc modo: *Non est elephas, qui intret in foramen acus.* Videtur autem Salvator ideo in Elephantis locum posuisse Camelum, quod id genus animantis in Syria notius esset, & eadem res utroque & animali & proverbio designaretur. Sane notum est, quod inde à magnitudine & vasta corporis mole, qua Cameli cætera animalia præeunt, solo elephante excepto, ducta metaphora Salvator alibi Pharisæis suam ipsorum hypocrisin exprobraverit, quod mandata Dei posthaberent, hominum traditionibus, speciem sanctitatis præ se ferentes, dicendo Matth. 23: 24. οἱ δηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. *Duces cæci, qui percolatis culicem: Camelum autem deglutitis.* Fuisse autem hoc animal Syris perfamiliare, vel ex solo ostendi potest Varrone, qui lib. IV. de Ling. Lat. scribit: *Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit.* Nam & Syri, pariter ut Hebræi dicunt גמל *Gamal*, hoc animal nuncupantes. Scilicet hoc genus loquendi, quo hic utitur Salvator, hyperbolicum esse videtur, quod immensam continet exaggerationem; quale & illud est, de eo, qui *trabem* habeat *in oculo*, Luc. 6: 41. quale item continetur istis proverbiis, quibus uti solemus, significaturi rem difficilem esse, aut prorsus impossibilem. Utpote: *Facilius testudo leporem prævertit: Prius lupus ovem ducat uxorem: Citius locusta bovem pariet: Aquilam testudo vincet: Terra volat: Sursum flumina: Citius elephantem sub ala celes: Prius sine pennis volabis: Scarabeus citius faciet mel: Prius cœlum ruat: Mare facilius vitem tulerit: Citius mulieri verba desunt: Facilius ventos pasces*, & similia, quæ videri possunt suis locis. Quo referri etiam potest apologus Æsopi, de pleno muris ventre, per angustum foramen egredi non valente, quomodo verba hæc Salvatoris nostri illustravit Hieronymus Epistol. IX. ad Salvinam, de servanda viduitate, scribens: *Didicimus* (Epist. CL. ad Hedibiam) *quomodo camelus introire possit per foramen acus; quomodo animal tortuosum, deposito pondere sarcinarum, assumat sibi pennas columbæ, & requiescat in ramis arboris, quæ de sinapis semente succrevit. Legimus in Esaia, camelos Madiam & Epha, & Saba aurum & thus ad urbem Domini deportantes, in typo horum camelorum. Ismaelitæ negociatores stacten & thymiama & resinam, quæ nascitur in Galaad, & cutem vulneribus obducit, Ægyptiis deferunt; tantaque felicitatis sunt, ut emant & vendant Joseph, & mercimonium eorum mundi salus fit. Docet & Æsopi fabula, plenum muris ventrem, per angustum foramen egredi non valere.* Meminit fabulæ similis Horatius, lib. I. Epist. VII. ad Mecœnatem, vs. 29. & seqq. de vulpecula & mustela:

Forte, inquit, *per angustam tenuis vulpecula rimam*
Repserat in cameram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, si vis, ait, effugere isthinc:
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.

Nec obstat hic, quod hujusmodi adagiis aliquid absurdi inesse videatur: Hæc enim est ratio Hyperbolarum, ut ultra fidem aliquid vel augeant, vel minuant, sicut inter alios docet Isidorus quoque Hispalensis, lib. I. Origin. c. XXXVI. his verbis: *Hyperbole est excelsitas fidem excedens, ultra quam credendum est. Ut: sidera verberat unda, & Terram inter fluctus aperit. Hoc enim modo ultra fidem aliquid augetur: Nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quamvis verba, quibus indicatur, excedant, ut voluntas loquentis, non fallentis appareat. Quo tropo non solum augetur aliquid, sed & minuitur. Augetur, ut, velocior aura: Minuitur, ut, mollior pluma, durior saxo.* Esse autem in his Salvatoris nostri verbis hyperbolen, agnovit etiam Euthymius, in Matth. h. l. ubi dicit: *Fertur autem hic sermo per exaggerationem, ad avarorum terrorem.* H. I.

§. V. Amplius, & τὸ ἀδύνατον *impossibile*, de quo hic loquitur Christus, dicens: *Quæ impossibilia sunt apud homines,* *ea*

ea sunt possibilia apud Deum; magis explicatur per camelum animal, quam per rudentem, sive funem nauticum crassiorem. Nam magis impossibile est camelum transire per foramen acus, quam rudentem. Rudens quippe, si ad partium ejusdem dispositionem attendatur, tandem comminui ita potest, ut per foramen acus transeat, præsertim si sit paulo amplum, & acus grandior. Cameli autem, animalis partes, utpote crassiores, è carnis ossiumque substantia consistentes, solis pilis exceptis, nullæ idoneæ sunt, ut transmitti possint per foramen acus. Denique, divites in multis cum camelo possunt comparari, cum rudente non item. Initio namque, camelus est vastum animal: non ideo tantum, quod oneribus portandis sit natus, verum etiam quod ipse sit vasta corporis mole oneratus. Similiter & dives, est veluti animal vastum, quod molesto divitiarum oneri ferendo se subjicit, eoque gravatur. Unde B. Ambrosius, Serm. LX. ait: *Sicuti illum* (camelum) *parvum foramen non capit oneratum mole membrorum; ita & hunc* (divitem) *introitus sanctus non suscipit gravatum cumulo delictorum. Uterque habet propriam sarcinam suam. Ille oneratus est carnibus, iste peccatis: Et sicut ille inhabilis est angustissima acus caverna, ita & hic inconveniens est beatissimo Dei regno: nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem voluntas efficit pravum.* Deinde, quemadmodum supra dorsum omnium jumentorum non stat sarcina, nisi fortiter fuerit colligata ad ipsum jumentum: Supra camelum autem, etiam sine colligatione servatur. Ipse enim gibbus sarcinam tenet in se, aptusque est ad pondera bajulanda; sicut observavit etiam autor Operis imperf. apud Joh. Chrysost. Homil. XXXIII. Ita in cæteris peccatoribus quidem (qui jumentis assimilari possunt ex Psalmo 32:9.) non stat sarcina peccatorum, nisi magna violentia eam tenuerit in corde ipsorum alligans delectatio. In divitibus autem, omnium facillime hæret onus peccatorum, quia hæ (divitiæ) quasi gibbus infinita peccata in se retinent. Nam, ut incertus ille autor libri de Collatione divitiarum & virtutis loquitur apud Joh. Stobæum, Serm. XCI. *Homines natura quidem ad virtutem nati sunt, sed divitiæ illos ad se convertunt, infinita ad malitiam habentes pharmaca. Divitiæ falsa boni opinione proposita à verissimis abducunt, hominem cui inhærent, sapere non permittunt, sed rapiunt eum ad extrema, & à fortuitis temerariisque eventibus animos suspendunt. Audacissimæ simul ac timidissimæ sunt, superbientes tanquam de rebus maximis, & timentes tanquam imbecillibus. Inflatæ sunt arrogantia, curis humiles. Si rebus suis utuntur, luxuriosæ fiunt: si abstinent, miseræ* &c. Et Hierax, Ibidem: *Qua quæso*, inquit, *ratione possessio divitiarum quenquam ad justitiam aut alias virtutes perduxerit? Quæ enim deterioribus studiis inserviunt, optimis acquirendis contraria sunt. Pecuniæ vero ignaviam fovent, voluptates cient, ac insidias bifariam struunt, primum adversus divites invidorum opera: deinde adversus pauperes vi potentiorum. Quæ igitur alios ad moliendum insidias ipsis possidentibus instigant, & hortatu ad injustitiam roborant, quomodo ista quicquam ad justitiam conferrent?* Cum quibus consentiunt illa quoque Euripidis, apud eundem Stobæum; cit. Sermone XCI. quo continetur vituperium divitiarum:

Δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον
Σκαιοῖσιν εἶναι.

Res mala, sed innata divitibus est,
Improbe vivere.

Neque ab his aliena est eorum sententia, qui divitias apud Latinos à vitiis appellatas esse arbitrantur, ut Valerianus apud Vairum de Fascino, lib. III. c. ult. ubi scribit: *Valerianus ait, à vitiis divitiis nomen impositum.* Quod confirmat illa quoque παρήχησις, qua utuntur alii. Salvian. de Gubern. Dei, lib. 7. de Aquitanis loquens: *In omnibus quippe Galliis sicut divitiis primi fuere, sic vitiis.* Item lib. eod. inferius, *urbem* dicit *plenam divitiis, sed magis vitiis.* Eulogius porro Memorabil. lib. II. cap. XV. *Quidam pub. rei exceptor, præpotens vitiis & divitiis.* Sidonius, Apolin. lib. VIII. Epist. VII. dicit, *Sic vitiis, ut divitiis incubantes.* Denique Eucherius ad Valerianum: *Adeo quadam, inquit, societas pene est etiam nominis duabus rebus, vitiis & divitiis.* Hinc & Jacobus, Epist. cap. 2: vs. 6, 7. *Nonne*, ait, *divites per potentiam opprimunt vos: & ipsi trahunt vos ad judicia?* Et Syracides, cap. 13: 4. dicit: *Dives injuste agit, & fremit.* Cap. autem 31: 8, 9. ideo exclamat: *Beatus dives, qui inventus est sine macula —— Quis est hic, & laudabimus eum.* Porro, omnia animalia, quamvis libenter terram aspiciant prona existentia; semper tamen, quando volunt, possunt attollere collum suum ad cœlum: Camelus autem nunquam potest sursum tollere collum suum gibbo depressus, sed inter sursum & deorsum, caput ejus pendet in medio. Sic omnes alii peccatores libenter quidem se ad terram convertunt, quandocunque tamen volunt, possunt se convertere ad cœlestem justitiam: divites autem nunquam possunt se erigere in cœlum, cum deprimantur onere divitiarum. Id quod innuisse videtur Ecclesiastes cap. 10: 6. cum ait, *divites sedere deorsum*, quia scilicet multis curis ac molestiis implicati, ea quæ supra sunt sapere, & mentem in cœlum erigere nequeunt. Hinc & Salvator divitias *spinis* comparat, Luc. 8: 14. & Democrates apud Stob. Serm. allegato dicit: Αἱ μὲν ποδήρεις ἐσθῆτες, τὰ σώματα: αἱ δ' ὑπέρμετροι πλοῦσιαι, τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι. *Vestes talares corpora: opes autem immensæ animas impediunt.* Quod intelligens *Anacreon* quoque Lyricus, *quinque talentis à Polycrate donatus, cum per duas noctes sollicitus pro ipsis fuisset, reddidit ea, inquiens; non tanta esse, quanta ipsorum nunc cura laboraret*, ut est apud eundem Stobæum, Sermone eod. XCI. quo habetur vituperium divitiar. Quem imitatus est Sigismundus Imperator gloriosissimæ memoriæ, referente Ænea Sylvio, lib. IV. Comment. in res gestas Alphonsi. *Allata ipsi erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Cum autem advesperasset, eaque in thalamo regio recondita fuissent, in cubiculum veniens Imperator, dum cogitat, in quemnam usum pecuniam eam impendat & convertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubiculariis: Ite, inquit, ocyus Consiliarios Ducesque militum huc omnes accersite. Vocati proceres media nocte, timidi (timebant enim, ne quid adversi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confestim aperta arca inter eos, qui advenerant, pecunia distributa: Ite, inquit, ut secure & tranquille nobis dormire liceat. Nam, quod mihi somnum ademerat, vobiscum exit.* Præterea, constat quod omnia animalia æqualia habeant suis corporibus crura, ut quantum altitudinis habet corpus cujusque, tantum pene altitudinis habeant & pedes ipsorum, aut modice amplius. Præ omnibus autem animalibus multo altiores camelus habet pedes, quam ejus corpus existit: quemadmodum rursus animadvertit autor Operis imperfecti, apud Chrysostom. Homil. XXXIII. Ita boni quidem & justi semper se suo modulo metiuntur ac pede, cujus rei exemplo nobis sunt David & Paulus, quorum ille Psalmo 131: 1. *Domine*, inquit, *non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis.* Hic vero in 2. ad Corinth. 12: 6. *Parco*, ait, *ne quis me existimet super id, quod videt in me, vel quod audit ex me.* At divites sunt elati animi, & plus æquo de semetipsis sentiunt. Nam, ut Aristoteles lib. II. Rhetoricor. cap. XVI. notat: ὑβρισταὶ καὶ ὑπερήφανοι, πάσχοντές τι ὑπὸ τῆς κτήσεως πλούτου. ὥσπερ γὰρ ἔχοντες ἅπαντα τἀγαθὰ, οὕτω διάκεινται. *Contumeliosi sunt* divites *& arrogantes* (superbi), *perpetientes aliquid à possessione divitiarum. Quasi enim habeant omnia bona sic affecti sunt.* Et Seneca de Paupertate, inquit: *Divitiæ inflant animas, superbiam & arrogantiam pariunt, invidiam trahunt, & eo usque mentem abalienant, ut famæ pecuniæ nos etiam nocituræ delectet.* Item Plutarchus, apud Stob. cit. l. φύσει μὲν γὰρ δυσχαλίνωτον: προσλαβοῦσα δὲ καὶ πλούτου χορηγίαν ἀχαλίνωτον. *Suapte natura vix frenari potest cupiditas: quod si divitiarum quoque suppeditationem assumpserit, plane fit infrenis.* Denique, camelus solus inter cætera animantia poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia suscipiat. Unde etiam apud Græcos camelus dictus esse videtur ἀπὸ τοῦ κάμπτειν τὸν μηρὸν, *à curvando femur*, sicut docet autor Etymologici magni, in hac voce. Et Eventus Parius apud Artemidorum Daldianum, in Onirocritico lib. I. cap. V. inquit: *Quia animal* (camelus) *media femora curvat, utpote juxta crurum altitudinem concisum ac decurtatum. Unde etymon ejus Græcis κάμηλος quasi κάμμηρος* hoc est, *curvans femora.* Idem quoque patet ex Horo Apolline, qui lib. II. Hieroglyphic. cap. XCVII. ita scribit: Ἄνθρωπον ὀκνοῦντα τὴν διὰ τῶν ποδῶν κίνησιν ποιεῖσθαι βουλόμενοι σημειῶσαι, κάμηλον γράφουσιν. Ἐκείνη γὰρ μόνη τῶν ἄλλων ζώων τὸν μηρὸν κάμπτει, διὸ καὶ κάμμηρος λέγεται. *Hominem pedibus tardum volentes significare* (Ægyptii) *camelum pingunt. Hic enim solus inter cætera animantia crura flectit, quare & κάμμηρος dicitur.* Nec aliud innuere voluisse videtur Isidorus Hispalensis, lib. XII. Orig. cap. I. dicens: *Camelis causa nomen dedit, sive quod, quando onerantur, ut breviores & humiles fiant, accumbant, quia Græci χαμαὶ, humile & breve dicunt: Sive, quia curvus est dorso, καμὸν enim Græco verbo curvum signi-*

significat. Pariter & divites se humiliant, dum ad bona terrena procumbunt & in dorsum ea suscipiunt. Quo in respectu ὁ πλεονέκτης h. e. *avarus* (quales plerunque sunt divites, εἰδωλολάτρης *Idolorum cultor* appellatur ab Apostolo Ephes. 5: 5. Quæ verba considerans Joh. Chrysostomus, Comment. in Epist. ad Ephes. Serm. XVIII. avarum ita perstringit: *Simulas quidem Deo te servire, revera tamen duro & gravi avaritiæ jugo te ipsum subjecisti.* Item mox: *Quis est iste Mammonas? Avaritia est, & tu illam adoras. Non adoro inquis. Quare? Quod teipsum illi non accurvas? Jam multo illum amplius opere reipsa adoras. Nam ista potior est adoratio*: & cætera, quæ ibi prolixius habet. Humiles etiam reddunt divitiæ, curis. Nam, ut incertus ille autor libri, de collatione divitiarum & virtutis, apud Stobæum Serm. XCI. quæ est de vituperio divitiar. loquitur: ὑπερήφανος ἅμα ἐξ ἀλαζονείας: ταπεινὸς ἐκ φροντίδος. Id est: dives *inflatus est arrogantia simul, & humilis curis.* Sic & Plutarchus ibidem dicit: Ἐὰν γὰρ θέλωσι χρῆσθαι τῷ πλούτῳ, τῇ ἡδυπαθείᾳ διαφθείρονται: ἐάν τε τὸ πλοῦτον φυλάττειν, τῇ φροντίδι: ἐάν τε κτήσασθαι, τῇ ἐπιθυμίᾳ. *Si divites suis opibus frui velint, præ nimia voluptate corrumpuntur: sin custodire, curis: si vero acquirere, nimio desiderio pessum eunt.*

§. VI. Sed, numquid impossibile est divitem ingredi in regnum cælorum, sicut impossibile est camelum intrare per foramen acus; cum tamen constet multos divites fuisse compotes factos æternæ hæreditatis, ut Abraham, Hiob, David & alios? An Impossibile hic idem est, quod difficile? Notum quippe est, quod τὸ ἀδύνατον (sicut alia quoque στερητικὰ s. *privativa*), dupliciter dicatur. Quemadmodum Aristoteles quoque alibi observat, & lib. I. de Cœlo c. II. Uno quidem modo ἁπλῶς id, quod *simpliciter* fieri nequit: qua ratione ἀδύνατον esse dicitur in hac mortalitate, fieri immortalem, lib. 3. Ethicor. ad Nicomach. cap. 4. Simpliciter enim fieri nequit, ut quis, utpote generationi & corruptioni obnoxius, evadat per naturam immortalis. Sic in Scripturis quoque ἀδύνατον est, hominem denuo nasci, Joh. 3: 4. & simili sensu Apostolus scribit in Epist. ad Hebr. 6: 4. ἀδύνατον γὰρ. *Impossibile enim est eos qui semel illuminati —— & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quem locum ita exponit Sedulius, in Commentario: *Sicut enim impossibile est Christum iterum crucifigi: ita criminosi homines non possunt iterum baptizari. Non enim in hoc pœnitentiam excludit de peccatis, sed sicut secundum humanam nativitatem impossibile est homines iterum carnaliter nasci, ita secundum spiritualem regenerationem homines non possunt rebaptizari.* H. I. Altero modo ἀδύνατον dicitur κατά τι, quod *secundum quid* tantum impossibile est, hoc est, quod μὴ ῥᾳδίως, μηδὲ ταχὺς, ἢ καλῶς ut loquitur Aristoteles, citato loco, *difficulter, nec cito, nec bene* fieri potest. Quemadmodum ἀδύνατον *impossibile* dicitur, *enumerare stellas cœli*, Gen. 15: 5. Quod si enim supra, in sphæra stellarum essemus positi, nihil obstaret, quo minus eas enumerare possemus, cum earum numerus sit finitus; quandoquidem Deus omnia, ac proinde quoque stellas, disposuit in mensura & numero & pondere, Sapientiæ 11: 22. Sic inter alia etiam 2 Paralipomen. cap. 12: 3. dicitur: *Nec erat numerus vulgi, qui venerat cum eo* (Sesac, Rege Ægypti) *ex Ægypto*: non quod vulgus istud numerari prorsus non potuerit, sed quod difficulter potuerit. Similiter igitur & Christus videri potest hic innuisse difficultatem, juxta quam difficile sit divites ingredi in regnum cœlorum, non impossibilitatem omnimodam; simili hyperbolico dicendi genere, quo alias in Scripturis dicitur: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, vel pardus suas varietates, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Jerem. 13: 23. Non quod absolute hoc fuerit æque impossibile atque illa; sed hyperbolica locutione significatur, istud admodum esse difficile. Pariter Syracides ait, cap. 22: 18. *Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem*: Quo nihil aliud significatur, quam difficilimum esse, ferre hominis insipientiam. Sic ipse quoque Salvator noster in antecedentibus verbis, Matth. 19: 23. necnon Marci 10: 23. sicut & Lucæ 18: 24. δύσκολον *difficile*, sive admodum difficile hoc esse dicit, ut dives ingrediatur in regnum Dei. Δυσκόλως ait, ὅτι πλούσιος εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *Impossibile est, ut dives ingrediatur in regnum cœlorum*, vel potius: difficulter dives ingredietur in regn. cœlor. In quæ verba Hieronymus, inter alios, scribit Comment. in Matth. —— *Non dixit impossibile est divites intrare in regnum cœlorum, sed difficile est. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur.* Et Beda, dicit: Comm. in Matth. h. l. *Non ait, Impossibile est, sed difficile: quia maximi laboris est, in pecuniis confidentes aulam regni cœlestis intrare. Unde Salomon ait: Qui amat divitias, fructus non capiet ex eis.*

§. VII. Verum enim vero, non videtur hæc expositio hic locum reperire, sed omnino dicendum est, sumi hic τὸ ἀδύνατον, *impossibile*, in ista significatione, juxta quam omnem prorsus impossibilitatem in se continet, ac proinde quoque difficultatem excludit. Nam & Christus ipse hæc verba de difficultate, mox sequenti versu, tam apud Matthæum, quam apud Marcum & Lucam restringit ad impossibilitatem cameli atque acus comparatione. Et admirantibus, qui interrogaverant discipulis, quis ergo possit salvus fieri? respondit, apud homines hoc esse impossibile: adeo ut discipulorum suorum de impossibilitate interpretationem confirmarit. Hinc B. Hieronymus Commentar. in loc. cit. mox sequenti versiculo, de camelo & acu verba sua priora ita inflectit, ut dicat: *Hoc dicto ostenditur, non esse difficile, sed impossibile. Si enim quomodo camelus, non potest intrare per foramen acus: Sic dives intrare non potest in regna cœlorum, nullus divitum salvus erit.* Item Lib. I. adversus Pelagianos, hunc locum de camelo & divite tractans, scribit: *In hoc non quod fieri possit dictum est, sed impossibile impossibili comparatum. Quomodo enim camelus non potest transire per foramen acus: ita & dives non ingreditur in regnum cœlorum. Vel si poteris ostendere, quod dives ingrediatur regnum cœlorum, sequitur quod & camelus transeat per foramen acus.* Rursus L. I. adversus eosdem de hoc loco, ita loquitur: *Difficultas difficultati, imo impossibile impossibili tunc comparatur, quia nec camelus transire potest per foramen acus, nec divites pervenire in regna cœlorum.* Denique Epist. CL. ad Hedibiam Quæst. I. exponens hunc locum, dicit: *Hoc non tam difficile est, quam impossibile. Nunquam enim fieri potest, ut camelus transeat per foramen acus. Nunquam igitur dives poterit intrare in regna cœlorum.* Johannes Chrysostomus, in h. l. *Quod primo*, inquit, *difficile dixit, id ipsum progrediens cameli & acus comparatione valde impossibile ostendit. Itaque sic dictum est, facilius est camelum &c. quomodo dicere solemus de duobus sese odio capitali prosequentibus, facilius est ignem igni immiscere, quam hos inter se reconcilare, significare volentes, id omnino fieri non posse.* Theophylactus pariter Comment. in Matth. h. l. *Impossibile est*, ait, *multa habentem intrare, sicut & camelum impossibile est per foramen acus transire.* Rursus Comment. in cap. 10. Marci, vs. 25. τὸ γὰρ δύσκολον ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ἀδύνατον νόει. ἀδύνατον γάρ ἐστι πλούσιον ἄνθρωπον σωθῆναι. *Difficile autem hoc loco pro impossibili intellige. Impossibile enim divitem hominem salvari.* Et Euthymius, in Matth. h. l. *Cum rem dixisset difficilem, hanc subjunxit impossibilem. Nec simpliciter impossibilem: Sed & impossibili magis impossibilem. Impossibile siquidem est, camelum vivum transire per foramen acus. Hoc autem impossibilius est illud.* Sed & ipse Plato cognovit, impossibile prorsus esse, ut divites quidem felicitatis practicæ sint capaces. Sic enim Lib. 5. de LL. (ut apud Joh. Stobæum quoque est. Serm. 91. de vituper. divitiar.) scribit: Ἀγαθὸν γὰρ ὄντα διαφόρως, καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως, ἀδύνατον. Εὐδαίμονας μὲν ἅμα καὶ ἀγαθοὺς, ἀνάγκη γίνεσθαι. πλουσίους δ᾽ ἂν σφόδρα καὶ ἀγαθοὺς ἀδύνατον, οὕςγε δὴ πλουσίους οἱ πολλοὶ καταλέγουσιν. *Hominem vero insigniter bonum, divitem quoque præ cæteris esse, fieri non potest. Nam felices quidem ac bonos una fieri necesse est: Prædivites autem & bonos impossibile, ita ut vulgus divites appellat.* Et rursus ibidem: ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθὸς, ὡς οὐκ εἰσὶν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί. εἰ γὰρ μὴ ἀγαθοί, οὐδ᾽ εὐδαίμονες. ὁ γὰρ τοὺς πλουσίους, εὐδαίμονας ὀνομάζων λόγος αὐτός τε ἄθλιος, γυναικῶν καὶ παίδων ὢν λόγος: καὶ ἀνθρώπους τοὺς πειθομένους ἀπεργάζεται τοιούτους. *Recte à nobis dictum est, prædivites non esse bonos: quod si boni non sunt, ne felices quidem fuerint. Sermo autem, qui divites nominat felices, tum ipse miser est, ut qui à mulieribus & pueris effutiri soleat, tum homines ei fidem habentes miseros reddit.* Seneca hinc laudat illud Epicuri, Epistola XVII. *Multas parasse divitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio.* Conferatur idem, lib. d. Vita beata, ubi egregie in hanc materiam disserit. Equidem inserviunt divitiæ felicitati: sed felices non reddunt. Unde diserte docet Aristoteles, lib. I. Ethic. ad Nicom. cap. 3. quod S. B. non consistat in divitiis: χρήσιμον γὰρ inquit, (πλοῦτος) καὶ ἄλλου χάριν. *Illæ enim utiles sunt* duntaxat, *& alterius gratia* expetuntur. Et hinc nomen quoque sortitæ sunt apud Græcos, quod dicantur χρήματα, παρὰ τὴν χρῆσιν, ut loquitur Varinus, in V. κτήματα, vel, χρῆσθαι, ab utendo, quod iis uti oporteat homines tanquam instrumentis, ad felicitatem idoneis. Aristot.

Aristot. lib. I. Rhetor. c. 5. ὅλως δὲ τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. *Omnino divitem esse consistit in utendo magis, quam in possidendo.* Xenophon item in Epistola ad Lamproclem, quæ apud Stobæum, Sermone III. qui est de Temperantia, Xenophani adscribitur, etiam ex Socratis sententia divitias ex usu mensurandas esse statuit, his verbis: πρῶτον γὰρ ἂν δέξαιο Σωκράτους ὑπερφυὲς δίδαγμα, πλοῦτον μετρεῖν χρήσει. *Primum Socratis admirabilem doctrinam approbare debes, qui divitias ex usu metiri jubebat.* Quo faciunt illa quoque Johannis Chrysostomi, Serm. X. in Epist. ad Philippenses III. *Propterea namque pecuniæ* χρήματα *dictæ sunt, non ut spectandæ proponantur, tanquam apud aurifices, sed ut bonum quid in illis operemur.* Nec alio tendunt illa pariter ejusdem, Homil. 78. in cap. 24. Matthæi: quibus una & hæreditatum suarum disperditores objurgat: *Dispensator etiam tu es pecuniarum tuarum, non minus, quam qui Ecclesias gubernant. Quemadmodum igitur illi non habent potestatem ea quæ à nobis collata sunt pauperibus, temere dispergere, quamvis ad alimenta pauperum constituta sunt; pari tu quoque modo non debes temere tua consumere. Nam etsi paternam hæreditatem accepisti, tua quæ habes, sunt: Dei tamen sunt universa. Deinde, si tu diligenter quæ dedisti, vis dispensari, Deum autem non arbitraris majore acrimonia à nobis rationem dispensationis petiturum, sed laturum ut perperam cuncta disperdantur? Non est ita, non est. Ideo enim & apud te pecuniam esse passus est, ut alimenta pauperibus in opportunitate concedas. Quid est porro in opportunitate? Cum egeant, cum famescant. Sicut igitur, tu conservo ad dispensandum dedisti, sic Dominus tibi, ut opportune impendas. Cumque possit auferre, relinquit tamen, ut virtutis exercendæ habeas facultatem, utque altero alterius egente, ferventiore omnes inter se charitate vinciret.* Observari insuper & hoc meretur, quod hinc idem Chrysostomus communes esse doceat divitias, Homil. 10. in cap. 4. prioris ad Corinth. *Communia*, inquit, *sunt & tibi & conservo: quemadmodum Sol & aër, & terrena omnia. Sicut in corpore unumquodque membrum & universo corpori, & sibi ipsi ministrat: Sin autem sibi soli ministrare velit, etiam propriam operationem amittit. Itidem in pecuniis usu venit. Et ut manifestius quod dico ostendam, cibus corporis membris communiter distributus, si in unum membrum venerit, ab illo quoque alienus fit, cum digeri nequeat, neque præbeat nutrimentum: Si autem cum aliis communicaverit, & illius & omnium proprius erit. Sic & in pecuniis. Si tu solus his frueris, etiam tu eas amittes: non enim earum fructum accipies: Si cum aliis possederis, tunc longe magis tuæ erunt, tunc accipies utilitatem. —— Accipientis est, ut in alios conferat. Quemadmodum igitur ventris vitio fit, ut cibi in eo desideant, neque digerantur in membra, siquidem toto corpore corrumpuntur. Sic suo ipsorum vitio divites, quæ habent, sibi servant, quod & se & alios perdit.* Amplius & in cap. 4. Epistolæ prioris ad Corinthios, Homil. 13. bonitatem divitiarum ex usu deducit: *Nihil*, ait, *Deus, quod malum esse effecit, sed omnia valde bona. Itaque & opes bonæ, verum si suos non vicerint possessores, si proximos paupertate liberaverint. Non enim lux illa bona est, quæ non fugat tenebras, sed densat. Neque eas ego divitias appellarem, quæ paupertatem non pellunt, sed augent.* Unde nec obscurum esse potest, divitias esse ex earum rerum numero, quæ μέσα seu *media* appellantur, quibus scilicet uti & abuti possint homines, (quod Chrysostomus iterum inculcat, Homil. I. in I. ad Timoth. & ostenditur apud Stobæum Serm. XCII. toto.

§. VIII. Sic autem, si prorsus impossibile est, divitem ingredi in regnum cœlorum, quid dicendum erit de Abrahamo, Hiobo, Davide & aliis, quos tamen in regnum cœlorum ingressos esse nullus dubitat, licet prædivites? An dicendum, quod hi salvi facti sint, non qua divites, sed qua justi erant, & quatenus quidem divitiis recte utebantur? Sic enim B. Hieronymus Commentar. in h. l. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum*]: *Quomodo*, inquit, *Abraham, Isaac & Jacob divites intraverunt in regnum cœlorum, & in Evangelio Matthæus & Zacchæus divitiis derelictis Domini testimonio prædicantur? Sed considerandum, quod eo tempore, quo intraverunt, divites esse desierunt. Tam diu ergo non intrabunt, quam diu divites fuerint*, id est, quatenus tales. Similiter, & lib. I. advers. Pelagianos ait: *Nec mihi Abraham & cæteros, quos in V. T. divites legimus, exemplo proponas, qui divites ingressi sunt in regna cœlorum; Cum ipsis divitiis utentes ad bona opera, divites esse desierint: Interim cum non sibi sed aliis divites fuerint, dispensatores magis Dei quam divites appellandi sunt.* Cum quibus consentiunt illa Theophylacti, Comment. in h. l. *Quam diu dives & ipse quidem habet superflua, & alii non vel necessaria, non ingreditur in regnum. Postquam autem excussa sunt omnia, tunc non est dives, & postea intrabit.* Item illa ejusdem in Comment. in Marci 10. Ἀδύνατον οὖν ἄνθρωπον, ἐν ὅσῳ ἐστὶ πλούσιος, σωθῆναι. *Impossibile est hominem, quatenus dives est, salvari.* Ast huic explicationi metuendum est, ne eadem ratione dicatur, quod & pauper, non ingredi possit in regnum cœlorum. Sicut enim hominem non beant divitiæ, ita nec paupertas; & utraque tantum accidentia sunt felicitatis æternæ. Unde πτωχῶν, id est *pauperum*, non opibus & divitiis, sed τῷ πνεύματι, *spiritu* regnum esse dicitur, Matth. 5: 3. Conf. Jacobi Epist. c. 2: 5. Augustinus in Psal. 31. *pauper*, inquit, *Dei est animo, non in sacculo.* Et Aurel. Cassiodorus, super Psal. 71. *Pauperes*, ait, *Dei sunt, qui mundana superbia derelicta, humilitati sese per omnia tradiderunt. Nam, etsi pauper superbiat, non est Dei pauper, & si locuples humilitatem diligat, non est seculi dives. Voluntates enim talium sunt inspiciendæ, non nomina.* Quo pertinent illa Senecæ, Epistola II. super ista Epicuri: *Honesta res est læta paupertas*] *Illa vero non est paupertas, si læta est: cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.* Igitur dicendum est, Christum, facta hac comparatione divitis cum camelo, & ostensa omnimoda impossibilitate obtinendi regni cœlorum, plus indicare voluisse: Nempe divitem sibi ipsi relictum propriis suis viribus omnino non posse salvari, sed necesse esse, ut Deus ipse sua ipsum gratia juvet. Hoc enim est, quod statim Salvator edocet suos discipulos verbis sequentibus, versiculi 26. παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι. *Apud homines impossibile hoc est, sed apud Deum omnia possibilia sunt.* In quæ verba Origenes Tract. VIII. in Matth. 19. ita scribit: *Ostendit autem, quoniam ex se ipso impossibile est, camelum per foramen acus intrare, possibile autem quantum ad Deum. Sic & divitem, quantum ad ipsum pertinet, impossibile est intrare in regnum cœlorum, possibile autem quantum ad Deum, qui potens est ineffabili sua virtute, aut crassitudinem malorum mali hominis subtiliare, aut angustiam introitus facere ei capacem. —— Quomodo autem faciat hæc impossibilia Deus, ipse scit, & Christus ejus, & cui revelaverit Christus.* Hieronymus in Commentario: *Interrogantibus autem*, inquit, *discipulis & admirantibus austeritatem dicti, quis ergo salvus fiet; clementia sua severitatem sententiæ temperavit, dicens: quæ apud homines impossibilia, apud Deum possibilia sunt.* Augustinus autem dilucide eandem expositionem probat, lib. 2. Quæst. Evangelic. cap. 47. *Quod autem ait* (Salvator), *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, non ita accipiendum est, quod cupidi & superbi, qui nomine illius divitis significati sunt, in regnum cœlorum sint introituri cum suis cupiditatibus & superbia. Sed possibile est Deo, ut per verbum ejus, sicut & jam factum est, & etiam quotidie fieri videmus, à cupiditate temporalium ad charitatem æternorum, & à perniciosa superbia ad humilitatem saluberrimam convertantur.* Pariter & Beda, Comment. in Matth. cap. 19: 26. *Possibile est Deo, ut per verbum à cupiditate temporalium, ad amorem convertantur æternorum.* Atque sic divites Veteri pariter & N. T. celebrati in regnum cœlorum introiërunt, nempe per gratiam Dei, quam ipsis peculiariter indulserat.

§. IX. Sed dicat aliquis: Quin & pauper sibi ipsi relictus, nec à Deo adjutus, propriis viribus in regnum cœlorum intrare non potest. Igitur sciendum est, longe aliam esse rationem divitiarum, quam paupertatis, & quod divitiæ plus possint ad improbitatem contemptumque Dei, quam paupertas. Contra paupertas magis ducit ad virtutem rerumque cœlestium contemplationem, ac proinde etiam ad ipsum Deum. Id quod non solum Apostolus innuit in I. ad Timoth. 6: 9, 10. sed & ipsi sapientes inter Gentiles agnoverunt. Sic enim Thales apud Joh. Stobæum, Serm. 93. qui est de laude Paupertatis: *Paupertatem*, inquit, *Philosophiæ impedimento esse, & divitias promovere ad eam non recte dicitur. Quot enim putas propter abundantiam potius quam per inopiam prohiberi à literarum studio? Annon vides pauperrimos ut plurimum philosophari? Divites vero propter pecunias magnis occupationibus detineri? Quamobrem non inepte Theognis:*

Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ, κόρος ὤλεσεν ἄνδρας.

Multo sane plures viri sacietate, quam fame perierunt.

Ubi

Ubi autem demonstraveris aliquos, quibus propter inopiam philosophari non licuerit, ut propter divitias? Nonne vides, quod à paupertate ad temperantiam, à divitiis autem ad contraria cogantur homines? Nimirum etiam is, cui licet statim qualibet assequi, non amplius quicquam laborare vel inquirere solet, sed opera divitiarum utens ad suam malitiam nulla voluptate abstinet. Hoc etiam non vides, quod multis negociis occupati divites, studiis sapientiæ vacare nequeant: Pauper vero nihil habens quod agat, ad philosophiam se convertit. Plutarchus, apud eundem c. l. οὐδέποτε, ait, λιμὸς ἐγέννησε μοιχείαν· οὐδέποτε ἀπορεία χρημάτων, ἀσωτίαν· βραχεῖά τίς ἐστι σωφροσύνη τὸ πενιτεύειν. ὀλίγη τις εὐνομία, τὸ ἀπορεῖσθαι. *Nunquam fames produxit adulterium: Neque pecuniarum inopia luxuriam. Brevis quædam est temperantia paupertas; & compendiosa legum observatio penuria.* Et Arcesilaus hinc, Serm. allegato; apud Stobæum, paupertatem dicit quidem asperam esse, quemadmodum & Ithacam, sed bonam prolis nutricem, ut quæ assuefaciat frugalitati & abstinentiæ, & in universum sit γυμνάσιον ἀρετῶν ἔμπρακτον, *efficax virtutis Gymnasium.* Porro, & ex eo perspicere licet, quod divites minus sint idonei ad obtinendum regnum cœlorum, quam pauperes, quia à perfectione, qualis ad obtinenda regna cœli requiritur, longissime absunt; pauperes non item. Divites namque sibi ipsis relicti confidunt in suis divitiis, nec desiderio perfectionis uberioris ac superioris obtinendæ laborant. At pauperes cum nullam de opibus terrenis spem concipere queant, eo magis desiderio perfectionis, hoc est virtutis & cœlestium rerum adeptionis flagrant. Quod utique necessarium est illis, qui in regnum Dei intrare volunt, sicut dicitur Matth. 5: 6. *μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* In quo ipso hominem docet natura, quæ ab imperfectione semper tendit ad perfectionem: utpote *materia appetit formam, quemadmodum fœmina marem, & turpe pulcrum*, scilicet ut perfectionem suam, 1 Physicor. c. 9. t. 81. & *omnia appetunt bonum*, lib. 1. Ethicor. ad Nicomachum, c. l. init. videlicet in quo omnium perfectio consistit. Jam autem, quanto quisquam distat à perfectione: tanto difficilius eam assequitur. Igitur dives, cum longissime à sui perfectione sit remotus; imo cum eam ne desideret quidem, amore terrenorum detentus, remotissime etiam omnium à regno cœlorum, in cujus possessione consistit perfectio, abest. Pauper autem, cum jugi desiderio ad perfectionem tendat, omnium facillime eandem adipiscitur, præsertim cum tot impedimentis ab ea non retrahatur, quibus dives. Unde adeo sedulo jubet Apostolus admoneri divites, 1 Timoth. 6: 17. *μὴ ἠλπικέναι, ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ut ne spem ponant in divitiis incertis*, sed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copiose ad fruendum. Et David, valde sollicite, Psalmo 62: 11. dicit: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Salvianus autem Massiliensis, lib. 2. contra avaritiam: *Ergo*, inquit, *ut videmus, in rebus tantum necessariis est salus: In superfluis laqueus. In mediocritate Dei gratia, in divitiis Diaboli catena.* —— *Ergo si divitiæ interitum in se habent, evitemus opulentiam, ne in interitum corruamus. Ampla ac locuples facultas perditionem inferre dicitur. Refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio. At per hoc sive sexus, sive ætas, sive infirmitas, necessaria victui requirat, sufficientibus debet esse contenta; ut quicquid temporarium excedit usum, religiosum absumat officium.* Chrysostomus item in caput 2. Matthæi, Homilia IX. graviter ita scribit: *Quid igitur divitiis inhiamus, quandoquidem nos ipsæ in cœlum evehere non possunt? Responde quæso, si terrenus forte rex diceret, non posse divitum quenquam in ipsius fulgere regno, aut aliquo honore decorari: nunquid non certatim omnes abjicerent inhonoratas repulsasque divitias? Si igitur apud terrenum regem honorem nobis auferrent opes, continuo despicabiles fierent: rege vero cœlorum quotidie inclamante nobis, ac dicente, quia difficile sit nos cum divitiis divinæ illius habitationis intrare vestibulum, non impendemus omnia? Nunquid non libentissime carebimus universis, modo ut cœlorum regnum introire liceat audacter? Et qua tandem digni venia sumus, qui his nos omni studio circundamus, quæ nos excludunt ab aditu illuc ducente?* Denique Homilia LXVIII. ad populum Antiochenum: *Quousque* ait, *pecuniarum amore feremur? Non desisto adversus eas clamare: Hæ namque sunt omnium causæ. Quousque satietatem non capimus inexplebilis hujus cupiditatis? Quid habet aurum boni? In hoc consternatus sum. Fascinatio quædam est hujusmodi res, quod aurum & argentum à nobis tanti pendatur. Ergo nostrarum quidem animarum nulla nobis cura, irrationalium autem imaginum solicitudo. Unde surrepsit hæc orbi terrarum ægritudo? Quis eam exterminare poterit? Quæ hanc difficilem eliminare feram ratio? quæ perdere armatura? Hominum mentibus est inspersa cupiditas, & eorum qui in pietate constituti videntur. Evangelica revereamur præcepta, in Scriptura tantum verba sunt sita, in operibus vero nusquam inveniuntur.*

TANTUM.

Ἐπίμετρον. I. Non inconvenienter Act. 23: 8. vox ἀμφότερα de tribus adhibetur. II. Nec inconvenienter, etiam ex Alcorano, Azoara XVII. proverbii de Cameli animalis, per acus foramen transitu, veritas probatur.



M. DAN. WINZERN DISSERTATIO De Acclamatione votiva Hosanna, ad Matth. XXI: 9.

DE ETYMO HOSANNA!

ARGUMENTUM.

Acclamationum profanarum frequentia & usus, ex Pontano, Brissonio, *&* Hornio, §. 1. *Analogica earundem ratio cum sacris, & in specie* Hosanna, §. 2. *Hujus tum locus seu sedes apud Evangelistas, tum origo ex Psalmis*, §. 3. *Derivatio sive Etymologia ejus diversa indicata* §. 4. *non est* Græca, *ideoque & male scripta à* Clemente Alexandrino, *& in* Versione Moscovitica, §. 5. *Nec est* Syriaca, *contra τȣ̃ δεῖνα MSC.*; *valore ejus nullo ibidem existente, contra* Drusium, §. 6. *non obstante ejus in inscriptionibus Capitum & Psalmorum usu, facto charactere Estrangelo quali?* §. 7. *Nec* Arabica *est, contra* Kirstenium §. 8. *rejectum quatuor rationibus* §. 9. *Sed est* Ebræa, *ex verbo & dagheschata particula* §. 10. *aliter ac visum quoad posterius* Drusio *&* Cornelio à Lapide *ob id notatis* §. 11. *Unde Græcum Ὡσαννὰ: omissio* ע *aliis exemplis declarata* §. 12.

§. I.



Magni semper æstimatos fuisse applausus populares, acclamationesque in publico fieri solitas, observatis historicorum edocemur passim. Ut namque de talibus, quibus mortuorum illustrem testabantur memoriam, nihil hic afferam (a), votiva sane ora resonuere illico, ubi novi quippiam, reique publicæ pariter ac imperio salutare, maxime Imperatores, gesserant. Tum enim *erat aliquis*, scribit Pontanus, *B. A. lib. II. Synt. II. n. XXXIX. p. m.* 421. *qui formulam acclamationis conciperet veluti præcentor, reliqui voces ab eo acceptas reddebant. In actis adnotatum, quoties quidque fuisset repetitum. Dictum quinquies: Dictum vicies. Trebellius in Claudio, sexagies, octagies idem acclamatum. Quem acclamandi morem vetus Ecclesia usurpavit, populus in sacris conventibus, Patres in Synodis, referebantque per Notarios in acta Synodica, & in gesta Ecclesiastica, &c. Idem lib. 2. cap. 35. Denique sciendum, Imperatoribus acclamari solitum vel in consilio à senatu, vel à militibus in triumpho, vel à populo in theatro, vel à tota urbe, si novi quippiam & reip. atque imperio utile & salutare egissent.* Nec omittebantur eædem, cum bonum ominarentur aut precarentur; veluti, *Fidei Prætorianorum feliciter! Pietati Senatus feliciter! Victoriæ populi Romani feliciter! Fidei militum feliciter! Cohortibus Prætoris feliciter!* supple *eveniat!* Similiter, *Imperatori multos annos!* Τὸ εὐχαίρειν! utrobique subintellecto *apprecamur! Dii immortales Alexandro vitam!* adde ex cæteris notum *servent!* ceu similes hisce congesserunt tum alii, tum doctissime magno labore summus Consistorii Parisiensis Præses quondam, Brissonius, *de Form. Rom. L. II. p. m.* 186. quorsum lectorem deduco, ne aliena cum pulvisculo in agrum nostrum auferamus. Illud Brissonianis adjecero de Carolo Magno, qui in natalitiis Christi Imperator Romæ proclamatus fuit cum hac populi Romani & Germanorum voce: *Carolo Augusto à DEO coronato vita, salus & victoria!* apud Hornium *Hist. Nat. lib. VII. qui est Hist. Civ. p.* 335. *sq.* & Orb. Pol. *in Mem. Franc. p.* 379. *edit. Menckeniana.*

§. II. Atque hunc semiplenarum acclamationum syllabum præ reliquis de industria retulimus in capite nostrarum thesium, tum cumprimis, quod affectu respondeant illi à præeuntibus juxtim ac sequentibus decantato HOSANNA FILIO DAVID; tum & quod eam ipsam, quam exponendam sumsimus plebis Judaicæ εὐφημίαν, maximopere illustret collatio hujusmodi communis. Sed communis: non enim collationem aliquam ex analogia attributionis, nec consilii, nec imaginis; verum proportionis duntaxat, casualem, & similitudinis quærimus in sententiis profanorum auctorum, cum sanctarum linguarum phraseologia nonnunquam congruentibus: qualem præsentis materiæ & ante nos observavit interpretator maximus, B. Danhauerus, *Id. B. I. part. I. s. III. a. XI.* §. 94. *p. m.* 175. *sq.* itemque post in *Hermeneut. Sacr. s. II. a. I. p. m.* 371. *sq.*

§. III. SEDEM fausti devotique hujus voti si inquiras, est illa trium Evangelistarum propria: Matthæi nempe *cap.* 21: *vers.* 9. bis, & semel *vers.* 15. Marci *cap.* 11: *vers.* 9, 10. Johannis *cap.* 12: *vers.* 13. qui unanimi, eoque divino, consensu narrant, Salvatorem, postquam asello vectus Jerosolymam esset ad festum, lætissimis populi congratulationibus fuisse exceptum. ORIGO vero, unde fluxit acclamationis istius formalis recitatio, ΩΣΑΝΝΑ ΤΩ ΥΙΩ ΔΑΒΙΔ, constituitur *Psalmi* 118. *comma* 25. de desiderato Messiæ adventu manifeste tractans, ita quidem extra controversiam, ut & Thom. Carthwigtius *Harmon. Evang. h. l.* ex instituto laudet notitiam clamantis ac intonantis populi, qui jugi ac studiosa lectione vaticinia imbiberit, imbibitaque adeo scite applicare fuerit edoctus, ringentibus licet palliatis Pharisæorum Doctoribus, in ejusdem historiæ consignatione memoratis *Matthæo l. d.* itemque *Lucæ cap.* 19: *vers.* 39. Nos,

(a) *Istarum nonnullas, si lubet, legere licebit apud* Bellariorum Atticorum *scriptorem Jesuitam, Jac. Pontanum, lib. I. Synt. IV. n. LXXI. p. m.* 149.

Nos, missis aliis, pro sede hac derivata strictim argumentamur:

O causatum praeexistit intentionaliter in causa.
Acclamatio illa votiva ad Christum est causatum. Ergo
Intentionaliter praeextitit in Judaica plebe;

consequenterque illa, dum prophetiarum eventum eventus commonstrabat, fixe tenebat verba avi Messiani, spiritu prophetico dudum geminantis: אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא׃

§. IV. Princeps acclamationis nostrae pars HOSANNA diversis diverse est explicata. Generalem assequimur Interpretum sensum, qui in Israëliticae plebis votivam gratulationem describendam tanquam centrum ex omnibus lineis collineat; Verum de formali vocis significatu ubi agendum, crucem fixit locus hic Philologorum filiis, aliis ejus natales sensumve ex ipsa *Graecia*, ex *Syria* aliis, aliis ex *Arabia*, studio pari, impari ratione accersentibus.

§. V. Sane ut non insuetum primitivae Ecclesiae Doctoribus, Ebraearum vocum originem ex alienis *Graecorum* hausisse fontibus, ita quidem, mihi quantum legere datum est, qui vocabuli hujus nostri Etymologiam ex iisdem traxisse fuerit conatus, Patrum novi nullum, at novi tamen *Clementem Alexandrinum*, conjunctas istas voces הושע־נא Ebraeas agnoscendo, in explicatione saltem, per suam, hoc est Graecam linguam instituta, frigidam atque jejunam commisisse parhermeniam (b), dum *Paedagog. Christ. L. I. cap.* 5. de istis excepti Messiae solennitatibus sequentia reliquit: Ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν κυρίῳ, καὶ ἐκέκραγον, λέγοντες ὡς ἀννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, [nunc cape *Clementianam* illustrationem,] φῶς καὶ δόξα, καὶ αἶνος μεθ' ἱκετηρίας τῷ κυρίῳ. Et ne aliqualis duntaxat paraphraseos, sed indaginis omnino verae intuitu talia posuisse eundem arbitreris, adverte rationem quam idem Pater Graecus non reticet, Τοῦτο γὰρ, subjungens, ἐμφαίνει ἑρμηνευόμενον Ἑλλάδι φωνῇ τὸ ὡς ἀννά. Enimvero recte ἐμφαίνει, ast minus bene ἐστί. tantum siquidem abest, ut suis conjecturis in agro hic thesaurum invenerit *Clemens*, ut magna potius reliquerit vestigia ignorantiae linguarum originalium, iisdemque ne convenienter quidem scripserit, cum in ullo unquam codicum, vel Ebraeo הוש אנא aut הוש אנא, vel Graeco Ὡς ἀννὰ lectum fuisse persuaderi nequeamus. Unde judicium lectoris arbitri haud absimile expectabit *Versio Moscovitarum*, huc loci adjicienda, quippe quae mutato insuper Ω in O transtulit Ὀς ἀννά.

§. VI. Ὡσαννὰ scribunt constanter exemplaria una voce, quam porro aliquibus auctorum dubium nullum est, quin è *Syriaco Hoscha*, i. e. *serva*, *salva*, & *Na*, *nunc*, *quaeso*, derivetur. ita quippe nominatim vult A. F. ad O. Doctor non infimus, *C. B. Tract. MSC. de Vita Christi* §. 15. Sed vero aut ego hos & nihil plane intelligo, aut illi, quid Syriacum *Serva quaeso* sit, nunquam intellexerunt. Dubiam esse derivationem istam asserere nolo, cum ne mica quidem sapidae subsit veritatis; absurdum vero annon iidem loquantur, decernet eruditus lector, qui Syrorum libros, & inter hos saltem Novum Testamentum, evolverit. Illius etenim Metaphrastes, ad hanc partem ubi devenit, formali dictione hac utitur: ܐܘܫܥܢܐ ܠܒܪܗ ܕܕܘܝܕ. ܒܪܝܟ ܗܘ ܕܐܬܐ ܒܫܡܗ ܕܡܪܝܐ. ܐܘܫܥܢܐ ܒܡܪܘܡܐ܀ *Ouschano filio ipsius Davidis: benedictus ille qui venit in nomine ipsius Domini: Ouschano in altissimis!* Monstrent nunc ullum locum, quo seorsum partem hujus vocis unam ܐܘܫܥ & alteram ܢܐ in ficto illo sensu se legisse probent; monstrent ullam conjugationum Syriacarum, quae radicem ܝܫܥ per ܐܘܫܥ flectat loco ܐܘܫܥ vel ܐܫܥܐ, qualis formatio staret in tertia conjugatione activa Aphel, quando Ebraeorum ישע Syri retinuissent. Atque idem capiat responsi loco & Drusius, qui *Fragm. Vett. Interpp. Graec. in Psal.* 118: 26. *p.* 1014. non quidem natales voci huic tribuit Aramaeos, Aramaeorum interim lingua eandem voculam & dici אושענא & valere quoque tradit *Serva nos*. quanquam posteriores cogitationes, *in Praeteritis*, sapientiorem hujus asserti retractationem ipsi expresserint, prout ex eodem, simili praeterea cum nostro fere argumento, docet Ludov. de Dieu *Animadv. ad Matth.* 21: 9. *pag.* 89.

§. VII. Praeterea non diffiteor, [quod an movere opinionis hujus patronos valuerit, conjecturae quidem est difficilis, cum neminem eo usque penetrasse animadverterim, conjicio tamen;] istud ܐܘܫܥܢܐ in titulis & argumentis *sectionum* aut *capitum* quorundam Biblicorum fuisse adhibitum, qualis ἐπιγραφῆς luculentissima deprehendimus vestigia *Psalm.* 8. cui Syri praefixerunt:

ܢܒܝܘܬܐ ܕܢܫܒܚܘܢ ܝܠܘܕܐ ܘܗܕܝܘܛܐ ܘܛܠܝܐ ܒܐܘܫܥܢܐ ܠܡܪܝܐ܀ *Prophetia, quod laudabunt infantes, & imperiti, & pueri per HOSANNA Dominum.*

Similiter ipsa loca, quae legunt acclamationis nostrae historiam, utpote tum *caput* Matthaei 21; Marci 11; tum *Versus* 28. *sqq. cap.* 19. Lucae; *Versus* 12. *sqq. cap.* 12. Johannis, (c) dictione hac inscribuntur tanquam ܩܪܝܢܐ sive *lectiones* ܕܥܕܢܐ ܕܪܡܫܐ ܕܐܘܫܥܢܐ *Vespera* [quod in Marco est ܕܨܦܪܐ ܕܐܘܫܥܢܐ܀ *matutini temporis*; in duo-

(c) *In quibusdam videlicet editionibus, veluti* Operis Reg. Hispan. Tom. V; *charactere tamen non Syriaco, quem hic possumus, sed* Estrangelo *Philologis nuncupato. Hujus vero characteris, quis nimirum & qualis sit, expositionem suadet tum raritas materiae, tum plenior praesentis* §. *intellectus. Figurarum quidem expressionem negant nobis typi nostri; videndam autem exhibuere alii: primus, quod sciam, nobilissimus quondam Austriae Orientalis Cancellarius, Joh. Alb. Widmanstadius*, in Syriacae L. primis Elem. Viennae 1555. excusis; *post hunc Crinesius* in suo בבל *seu* Disc. de Confus. LL. pag. 27; *porro Lud. de Dieu* in Gramm. LL. Orient. *mox Gerhardus* in Harm. LL. Orient. pag. 4; *tum Walton.* Proleg. II. in Bibl. Polygl. p. 11. *Sed num diversus sit ille character solum quantitate à vulgari Syrorum, ut Ebraeorum litera majuscula à minoribus; an vero distinctus quoque, isque genuinus & proprius veterum Chaldaeorum? quaesitum fuit à curiosis. Prius ajunt citati Autores uno ore omnes, pars apponentes hunc characterem schematibus & tabulis Syriacis sub nomine* insuetatiorum, veterum ac majuscularum literarum; [*vid. Gerhardi* Harmon. Reg. 2. & 28. in Syriacis, *ubi ad notissimum Altdorffinorum codicem Syriacum provocat;*] *pars etiam cum nostris Syrorum elementis indiscriminatim confundentes adhibentesque in exemplis, quod Widmanstadius facit, concludens* lit. C. Constare ex Elementorum hujusmodi pictura existimo, Syriacos characteres scribendi celeritate ab Hebraicis Assyriis jam olim defluxisse. *Rationem ultimam si venaberis, quae eo sententiae ingenia haec deduxerit, est, Chaldaeorum intercidisse hodie literas, quae pervulgata audit hypothesis. Eam v. negat Cl. P. R. Bibliothecarius, Kircherus, in* Prodromo, Oedipo, & China Illustrata, *quae* Estrangelicae *dicuntur, easdem verissimas Chaldaeorum literas esse asseverans. Hoc confirmare satagit monumentis Chaldaicis, & aliis hic illicve erutis stelis stylo quidem ac idiomate Chaldaico, at ipsissimo hoc charactere insignitis. Damus* Kircherianis *hisce lapidibus nomen quoque nostrum, ob inolitam linguae Aethiopicae synonymiam, quae dicta fuit &* Chaldaica, *nullo certe alio fundamento, quam quod denominatio partis transiverit ad totum, h. e. quod toti Aethiopismo nomen dederit destinatus voluminibus saltem sacris describendis character* Estrangelo, Sanctus *in oppositione ad communem vocatus: At hic, tanquam forma denominans, nisi fuisset sine controversia Chaldaicus, denominatum Chaldaismi adeo constans qui genuisset? Refert enim* αὐτόπτης Elias Levita *in praefat. Masoreth Hammas.* se Romae degentem, tres viros Chaldaeos ex Pretejanis [*seu* Presbyteri Joannis, *quomodo Regem Abyssinorum cum vulgo vocat:*] provincia per Leonem X, P. R. accersitos compellasse, *addens*: והם היו יודעי ספר לשון כשדים לשונם ההמוני הוא לשון ערבי אבל הלשון המיוחד להם שבו נכתבו ספריהם וכל האונגלי"ון הנוצרים הוא להם בלשון הזה והוא לשון כשדים הנקרא גם ארמי או בבלי או אשורי או כלדאי סורסי או תרגום הרי שבע שמות נקראו לו׃ *h. e.* Et illi [*tres nempe Aethiopes*] fuere periti scripturae atque linguae Chaldaeorum. Lingua *quidem* ipsorum vulgaris erat lingua Arabum; verum lingua peculiaris *seu propria* ipsis *quoque erat*, qua in ea scripti fuere libri illorum, & totum Euangelium Nazaraeorum (*i. e.* Christianorum) erat ipsis in lingua ista, & haec lingua Chaldaeorum *erat*, vocata etiam Aramaea,

(b) *In eo adstipulamur nostro in Patrum paginis versatissimo B. Hulsemanno* Brev. cap. XVIII. th. XXVII; *adstipulamur Hottingero, quem peculiari* Dissertatione de Introduct. ad Lectionem PP., septima *nempe ejus* Analectorum Historico-Theolog., *uberius videbis, adstipulamur utrique, ubi vidimus geminam* Catenae PP. Graecae *cespitationem in eruendo etymo* יבב *apud Hotting.* Annal. cit. Diss. III. p. 148.

in duobus vero poſterioribus Euangeliſtis plane omittitur:] *dominicæ OSANNA*, h. e. *Palmarum*, veluti modo dictis locis, excepto Matthæano, interpretatus eſt *Guido Fabritius Boderianus*. Non, inquam, talia diffiteor; aſt num inde ſtringens aut probabilis ſaltem extrui queat ratio, ܐܘܫܥܢܐ origine Syriacum eſſe, id tum concedam, ubi non vapulem prona collectione ſimiliter inferens: ܥܡܐ in ead. inſcriptione uſurpatum eſt à Syris, E. non dubitandum quin Syriacum ſit origine (d). Quanto rectius proinde, cum aliis, in peregrinarum vel rarius occurrentium vocularum claſſem talia congesſerimus, Paſorem imitati & Gutbierium *in Spicilegiis* ſuorum, illius *Græci*, hujus *Syriaci Lexicorum*.

§. VIII. Ecce vero nunc tandem *Kirſtenium*, qui in *Arabia* exortam voculam hanc perſuadere diſcupit, dum ſic alicubi commentatus eſt (e): *'Ωσαννὰ ſive* اوصنا *proprie à radice* وصن *id eſt, ſternere, deſcendit. idemque eſt ac ſternamus nos. Et quid commodius huic actui & feſto tabernaculorum convenit, quam ramos ſeu frontes ſternere? Itaque non opus eſt, cum* NB. *integra & vera detur hujus vocis in hac lingua derivatio, conqueri, eam corruptam eſſe, aut more Chaldaico uſurpatam, cum Sebaſtiano Munſtero in hunc textum ſuum Hebræum, qui etiam illic dicit, neminem ſatis ante ſe hunc locum explicuiſſe. Cum tamen & ipſe* NB. *hanc veram ejus originem ignoraverit. Sed hic textus noſter adeo clarus eſt, ut plane nulla indigeat explicatione. recteque ex illo dicitur, cum Græco* 'Ωσαννὰ, *geminato Nun, locoque* و *poſito ω magno quaſi Auſanna, cum ex Hebræo Hoſaina* O *parvo & ſimplici Nun, in medioque Ain; ex Syriaco vero Auſaina poni debeat. contra veram hujus vocabuli vim & originem. Sed de his forte ſuo tempore plura.*

§. IX. Verum præſens obſervatio haud eſt tanti momenti, ut confirmationem ejus alibi expectemus. Deſerimus eundem plane in Arabia ſua, nonnulla, ex Arabibus eadem docti, obvertentes. Nempe etymi hujus momentum demonſtrandum omnino erat vel in *ſignificatione*, vel in *pronunciatione*. Atqui, ais, demonſtravit utrumque Kirſtenius. Ita eſt, ſed & in utroque invalide valde ſuffultus. Quoad enim (I) *pronunciationem*, ſi adeo licitum, quam non difficile foret ex اوصنا mutando او in Ω, tum geminando N pro Arabico ن cum (ّ) ſive dagheſchato, efformare Græcum 'Ωσαννὰ, ego ſane ex quovis citiſſime facerem quodvis. neque enim ita me falleret ſoni affinitas, quo minus *Catilinam*, diffamatum illum Romanæ Reip. turbatorem, deducerem ab Arabico participio قاتل *Katilon*, quod eſt *occidens*. Ergo (II) ad *ſignificationem* ipſam ubi acceſſeris, oſtendit & eam quidem Kirſtenius, *ſternamus nos*, ſed quam hic non quadret, manifeſtabimus alio *Philologemate de Senſu Hoſanna*. (III) Porro Conjugationem, ex cujus inflexione illud اوصنا ſumtum ſit, Daniel divinet, non ego. Iſtud ſaltim adjicio, verba præcedentis *vſ.* 8. ὁ ἢ πλεῖς@ ὄχλος ἔςρωσαν, Arabem non per radicem وصن, ſed per فرش tranſtuliſſe ita: وجمع كبير فرشوا *& turba magna ſtraverunt*. (IV) Quod tandem ſub finem verborum ſuorum de Ebræo *Hoſaina* cum *O parvo & ſimplici Nun* admiſcuit, in eo viri Cl. lapſum notamus hic obiter, copioſius quippe §. *ſeq. X. & XI.*

§. X. Nempe primum iſtud plebis effatum 'Ωσαννὰ, quod non origo, ſed interpretes duntaxat *Syrus & Arabs* illa, in quam vertebant, lingua expreſſerunt per אושענא atque אוסנא, conflatur ex pure Ebraico הוֹשִׁיעָה־נָּא, Imperativo ſcil. Hiphilico radicis in Kal nunc inuſitatæ ישע, trahente poſt ſe נא particulam, *interjectionis* nomine aliquibus de Grammatica cathedra inſignitam. Atque iſta quidem conjugatio Hiphil quanquam terminationem vocalium (ֵ) & (ִי) ſine diſcrimine admittat, Imperativus tamen ejus quoad caſum illum ita diſtincte ordinatus eſt in Pandectis ſacris, ut, ubi paragoge literæ ה auctus legitur, conſtanter (ִי) retineat, atque ſcribatur הוֹשִׁיעָה; ea vero omiſſa faciat הוֹשַׁע, cujus tamen loco reperias הוֹשַׁע *Pſalm.* 86: 2. *Jerem.* 31: 7; quaſi per craſin, tum in hoc ipſo, tum in ſimilis formæ exemplo alio, obſervatam Buxtorffio *Theſ. Gramm. L. I. cap. XXIV. p. m.* 200. (208.) Ulterius obſecrativum נָּא, per Macceph cohærens, euphonico Dageſch forti oneratum eſt, דחיק appellato Judæorum Magiſtris, nobis *Arctator*, quod præcedentem dictionem ad ſequentem raptu veluti trahat, & ad copulam vi cogat (f).

§. XI. Cæterum in Druſii *Fragmenta Vett. Interpp. Græc. in Pſalm.* 118: 27. *pag.* 1015. incidentem forte lectorem paucis hic inſtruemus. Eadem ſcilicet cum Kirſtenio, §. *antec. VIII.* memorato, huic inſederat ſimplicis *Nun* lectio, an legentis error? dum ita commentatur: *De Hoſanna me fugit, quod non effugit. Scribunt* Ωσαννὰ (ſic namque legendum pro Ωσαννὰ) *cum duplici N. Dubito an bene? Nam eſt compoſitio verbi non ex* אנא *ſive* אנא: (ſubolet & hic ſphalma, quod emendabis lecto alterutro אנה:) *ſed ex* הושע & נא, *niſi dicamus alterum N poſitum eſſe pro* ע, *quod mihi non videtur.* (Nec mihi.) *Potius inclino ut credam, patres hujus ſcripturæ in mente habuiſſe* אנה *obſecro: unde & Hieronymus putavit factum Hoſanna, quaſi* הושיענא *aut contractius* הושאנא. Quicquid hic fugiat Druſium, me omnino fugit quid in animo ipſi fuerit. Scribunt Ωσαννὰ (liceat Druſio Druſianorum verborum parodia reſpondere,) cum duplici *N.* nulli dubitamus quin optime. Nam eſt compoſitio verbi ex הושע & נא, niſi dicamus alterum *N* derivandum eſſe ex אנה *obſecro*, quod mihi non videtur, cum eo ne quidem opus ſit recurrere (g). Potius

Aramæa, aut Babilonica, aut Aſſyriaca, aut Chaldaica, Syriaca, aut Targum: En *enim hiſce* ſeptem nominibus appellant eam. *Vides conſtantiam ac ſynonymiam! Dedit protinus Kirchero nomen ſuum & Excell.* L. Aug. Pfeifferus, *cujus verba tecum, L. B. venia illius communicare & volui & debui ex literis ipſius ſeptennio hinc Wittenbergæ (ubi tunc Orientis divitias profitebatur) ad me Halam datis, cum de talibus ſciſcitarer amœnitatibus*: Favere Kirchero, *ſcribit*, aliquot rationes videntur. Cum enim ſermo Chaldæorum & Syrorum unus ſit, nec agnoſcat niſi Dialecti differentiam, veriſimile eſt utriuſque characterem non fuiſſe toto genere diverſum. Jam notum eſt, Syris Eſtrangelicas literas pro majuſculis, quas vocant, uſurpari. Deinde Habeſſeni, qui ſe Chaldæos vocant, uno ore teſtantur, Eſtrangelicas eſſe antiquas Chaldæas literas. Cur noſtra Æthiopica lingua Chaldæa à quibuſdam appellata fuerit, inquit Nobiliſſ. Ludolfus, nec Æthiops meus dicere poterat, nec ego conjicere poſſum. At id ob colonias ex Aſſyria in Æthiopiam traductas fieri, dudum indicarant Scaliger, Fullerus, Waſerus, aliive. Porro Alphabetum Chaldaicum antiquum, Eſtrangelo dictum, Romæ A. 1638. in 8. typis Congregationis de fide propaganda editum eſt. Nec Maronitæ Chaldaica, quod ſciam, alio quam hoc charactere exprimunt. Extat ita exarata Dottrina Christiana tradotta dalla lingua Italiana nella lingua Chaldæa da Giacono Begnamini, ibidem An. 1638. in 8. ne de aliis operibus Michaëlis Heſronitæ & Abrah. Ecchellenſis idiomate Chaldæo, at charactere Eſtrangelo editis dicamus. Quæ omnia Kircheri ſententiam ſatis probabilem reddunt. *Hæc ille digitum intendens in* Ludolfi, *Mecænatis & nomine & favore mihi ſummi*, Lexic. Æthiop. V. כלדוי col. 292. *Confer omnino de Aſſyriorum coloniis in Abyſſinam migrantibus Scaligeri ac ceterorum loca apud eundem Pfeifferum* Diſp. Synopt. II. qu. XII. *cum Hornii* Arca Noæ, in Hiſtoria Habaſena pag. mihi 356. *& oppone utrobique dicta paradoxo* Potkenii, *qui in* Pſalterio ſuo Æthiopico *linguam hanc veram Chaldaicam aſſerit, nec ulli ſecus ſentire permittit. Diplomate ſcilicet authentico! ſed transfoſſo dudum ſeculo ſuperiori per Munſterum* in Grammat. Chald. p. 13. edit. Baſil. 1527. (d) *Hocque obtinebitur ægrius, expenſa auctoritate, inſcriptionum illarum, Novi cumprimis T. Syriaci, de quibus mirum equidem videri poterat, nihil monuiſſe in præfationibus editores ſacrorum Bibliorum Hiſpanenſium,* Guidonem Fabritium *maxime; at monuere tamen alii, quorum ſcrinia uti nec locus, nec animus nobis eſt nunc operoſius contrectando excutere, ita Titulos iſtos ſupra exhibitos latuiſſe duntaxat nolo lectorem ſequioris ſeculi habendos eſſe indices, ſub fucato antiquitatis prætextu majorum demum noſtrorum memoria infartos à veſanis purpuræ Papalis adoratoribus, perſuaſis, ſe iſtis in jugi Miſſarum, Horarum, & ceterarum quiſquiliarum battologia non leviter juvatum iri. Vide autem Franc. Junium* Animadv. in Bell. Controv. p. 449; *atque ex ipſomet* Vergerio, *Pontificis quondam & Nuncio & jurato Epiſcopo, poſtremo tamen fidem noſtram profeſſo, Hottingerum* Anal. Hiſt. Theol. Diſſ. VII. pag. m. 330; *huncque quoad Pſalmorum* ἐπιγραφὰς *confer* in Theſ. Phil. L. I. c. I. S. III. p. m. 493. ſ. (e) Notis *nimirum, maximam partem Arabica tradentibus*, in Euangelium S. Matthæi cap. 21: 9. pag. 97.

(f) *Nolumus in præſens Grammaticis diſquiſitionibus altius immiſceri, illud tantummodo aſſerentes, ex eo conjunctionis vinculo eſſe qui argumentum deſumant, hoc Dagheſch non pro initiali, ſed mediano merito habendum; nominatim ita ſcribente Haſenreffero* in גלה נקדות *ſeu* Revelatore punctorum pag. 12.

(g). Potius verissime & credimus & videmus, patres pariter & auctores scripturæ hujus in mente habuisse נא non raphatum, sed daghescatum, ad quod genuine exprimendum quidni Græci elementi geminatio jure requirebatur? (h)

§. XII. Sacri itaque N. T. scriptores cum illud הושע־נא, pro quo הושיעה־נא dicendum fuerat, composite & unico vocabulo vellent efferre, literam ע eliserunt, ὡσαννὰ scribentes. quippe cum nullum haberet Græca lingua huic consonæ exacte respondens elementum, eapropter, ubi commode supprimi non poterat, Græci Interpretes Veteris, & auctores N. T. ejus potestatem modo consonanti, modo spiritui aut cuivis alii incluserunt, imo & neglexerunt; quod ultimum (hic maxime attendendum) nec plane novum reperies in Græca, nec inusitatum in ea lingua, cujus tum, cum Salvator visibilem regionis Judaicæ ageret incolam, vigebant dialecti, Chaldæa puto. *Ibi* quidem, quia simile factitatum in proprio nomine Σίμων & Σιμεὼν quoad originem expresso ex Ebræorum שִׁמְעוֹן; *Hic* vero, quia primo בֵּל, Babilonici idoli nomen, contractum est ex בְּעֵל *Dominum*, *Patronum* significante Chaldæis, perinde ac Ebræis בַּעַל, à quibus & suum illi transsumpserunt; quia secundo pro Ebraico, itemque dialecto Chaldæorum Babilonica dicto שְׁבַע *septem*, penes Talmudhistas & alios Targumico-Hierosolymitana dialecto usos legimus שַׁב neglecto per apocopam ע, uti syncopen & resecandi morem hunc tum probat aliis exemplis Buxtorffius *Gramm. Chald. Syr. Libr. III. qui de praxi est*, *pag. m.* 304. & ante eum Angelus Caninius exemplo nominis ישו ex usu gutturalium defective scripto pro ישוע *Disquisit. in Loc. N. Test. obscur. pag. m.* 19, 20. itemque Martinius *in Lexic. pag.* 1210. *seq.* tum vero cumprimis manifestant nomina numeralia, quæ ex compositione unitatis cum denario exsurgunt, ut in quibus duo nonnunquam ע supprimuntur, veluti cum pro אַרְבְּעָא עֲסַר & אַרְבַּע עַסְרֵי dicitur אַרְבֵּי סַר & אַרְבֵּי סְרֵי Tantum!

§. XIII. Tantum, inquam, propinamus ex ratione primarum linearum nostrarum, quas *de Etymo Hosanna* inscripsimus. Sitim proinde tuam, benevole lector, *de sensu hujus acclamationis* Judæorum ad Christum, Dissertatione alia, jam tum composita, propediem saturabimus, DEO interim pro concessis viribus pæana canentes, hæcque ventilanda adjicientes.

(g) *Imo, quod majori asseruero jure, nec possit. constans quippe Bibliorum, in iisque vel nostri versus* supra §. *III. conspicienda lectio, & hac edocti Forsterus atque Avenarius* in Lexicis, *situale docebunt vocum harum discrimen, quo uti* נא *præponi, ita* אנא *postponi sententiis prohibetur.* (h) *Hoc miror qui non viderit (lapsu, an de industria? parum curo,) Orientis linguas creberrime crepans Corn. à Lapide* ad Matth. cap. 21: 9. pag. 398. Dicendum, *ajens*, esset hoschana, sed vulgo dicitur hosanna, quia litera ע ain, quæ ultima est in hoscha, versa est in γ gamma, & γ in ν ny (i. e. in literam *n*) ob sequens ν in voce Na, uti fit apud Græcos per euphoniam. Ἄλογον! *Frustraneum!*

M. JOH. NIC. SCHULINI

DISSERTATIO

De Numismate census ad Matth. XXII: 19.

§. I.



Etsi quidem sæpius Servatori Optimo insidias struxerunt Pharisæi, atque inveteratum suum odium satis declararunt: nunquam tamen vel perniciosius consilium ceperunt, vel capitaliorem machinati fraudem sunt, quam cum fallaci illa de tributo dando Cæsari interrogatione perdendi eum, captantes occasionem, Herodianos mitterent, suosque discipulos, qui se simularent simplices, studiosos etiam antiquæ dignitatis conservandæ populi Judaici, nec non erga Christum optime affectos, quippe quem scirent veritatis & justitiæ teneri studio, docere vera & justa, secundum causæ merita pronunciare, non respicere conditiones personarum, eminentias, & auctoritatem, quibus multi deterrentur, ut veritatem profiteri libere non ausint.

§. II. Neque fieri posse aliter putabant, quin ex proposito dilemmate partem alteram eligeret, ut, sive his blanditiis delinitus, Christus, quem legis alias Divinæ observantissimum cognovissent, negaret, tributa Cæsari à Judæis esse pendenda, indignumque diceret, populum sanctissimum gentilibus servire; tanquam seditiosus civis & turbulentus ad Præsidem deferri posset; daturus brevi pœnas, quas Theudas atque Judas antea dedissent; Actor. 5: 36. Josephus Antiquit. Judaic. Lib. XVIII. Cap. I. idem Libr. II. de Bello Judaico Cap. VII. sive affirmaret, ut homo levis tempori potius assensus, quam ad veritatis normam locutus, non opinionem modo Messiæ tot tantisque miraculis partam uno amitteret momento, sed occulta etiam odia Populi, quæ jam tacitis discordiis seminabantur, tandem in caput ejus & vitam erumperent. Verum ille *ante* omnia ostensurus, sibi cognitam perspectamque esse illorum malitiam, supra modum sapienter: *quid me*, inquit, *tentatis hypocritæ!* ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ Κήνσου!

§. III. Νόμισμα, vocabulum origine est Græcum; Sic enim, *Aristoteles*: διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Hinc Majestatis criminibus accensetur nummos corrumpere. Confirmat id etiam alio loco, dum *L. V. Eth. Cap. VIII.* arbitratur, νόμισμα ex eo dici, quod valeat ἐξ ὑποθέσεως, ex hominum instituto ac conditione quadam; Secus se res habet cum voce Κήνσου, hanc enim posteriores Græcos à Romanis accepisse, dubium est nullum. Quare miramur Suidam originem illius quærere in lingua Græca; sic enim scribit: Κῆνσος, τὸ Νόμισμα ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ καίνω, τὸ κόπτω, κῆνσος. οὕτω τῇ ἐπιχωρίῳ γλώσσῃ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Κίνσος etiam pro eo dixere, ut ex eruditissimo Hesychio constat, in vocem κῆνσος, quod herbæ nomen esse existimat, & κίνσος, quod per ι. scribendum esse putat, tributumque significare. Similiter posteriores Græci usurpant κηνσεύειν, κήνσωρ, κηνσίτωρ.

§. IV. Effecta nempe juris belli sunt, ut, qui vicissent, iis quos armis superarunt, leges imponant, & quemadmodum velint, imperent. Victi enim non libertas solum in victoris arbitrio est posita, sed bona etiam tam publica, quam quæ sunt singulorum, ad ejus nutum voluntatemque vel retinentur, vel eripiuntur. Respexit eo *Annibal* in oratione ad milites, apud *Livium L. XXI.* quicquid, inquiens, Romani, tot triumphis partum congestumque possident, id omne nostrum cum ipsis Dominis futurum est. Experti hoc etiam sunt Judæi in acerbissimam servitutem jam à Babyloniis & Persis, tandem etiam à Græcis & Romanis abducti; quorum primus Pompejus M. libertatem illis ademit, tributumque imperavit. Eundem post victum in campis Pharsalicis Pompejum Cæsar Julius exegit, & percusso Julio, Augustus.

§. V. Tum

§. V. Tum enim acta est per Cyrenium, cum extraordinaria potestate missum, census descriptio Servatoris nostri nativitate adeo nobilitata, cujus & Lucas cap. 2. meminit, & ad quam prisci cœtus Christiani Doctores nominatim *Justinus Apol. 2. Tertullianus L. 4. contra Marcionem*, *Chrysostomus Homil. 8. in Matth.* adversus paganos disputantes, provocarunt toties. In antiquis autem Historicorum Romanorum monumentis non extare disertam descriptionis hujus memoriam, mirum non est: cum Livii & Dionis ejus temporis historia interciderit, Tacitus annales inchoet à Tiberio, Suetonius gestarum rerum ordinem negligat, & hincinde carpens plurima transiliat, neque tandem census exigendi ratio Romanis *Livio & Tacito Annal. L. 1. cap. XXXIII.* testibus, fuerit insolens. Id modo diligenter tenendum esse existimo, ne prior hæc descriptio cum posteriori confundatur, quæ facta quidem est ab eodem Quirinio, sed tanquam Præside ordinario, atque intra unius Archelai patrimonium & tetrarchiam stetit, gravissimisque motibus occasionem præbuit, quippe ad vexationem populi Judaici intendendam instituta; cum prior illa ex Augusti curiositate (ut multi arbitrantur) nata sine tumultu perageretur, & ad universum orbem Romanum pertineret.

§. VI. Christus itaque sibi cupiens ostendi census Numisma, vel ut Marcus 12: vers. 15. Lucas 20: 24. loquuntur Δηνάριον, ex eo ad propositam quæstionem responsurus erat, quod ipsis etiam, nisi quid monstri aluissent, non interrogantibus, ex eodem Numismate poterat esse manifestum. Nummus enim pretium habens ex edicto Cæsaris, ejusque nomen præferens & vultum testabatur, Cæsarem imperium in Judæa summum obtinere, idque ab ipsis Judæis nummo illo ordinarie utentibus, agnosci.

§. VII. Non quidem nescio, fuisse inter illos, homines præfractos & contumaces, qui iniquum rati gentem ad libertatem natam alienigenarum subesse imperio, cives subinde ad rerum novarum expectationem erigerent, τὴν ἀποτίμησιν οὐδὲν ἄλλο ἢ ἄντικρυς δουλείαν ἐπιφέρειν λέγοντες; Josephus Ἀρχαιολογίας L. XIIX. cap. 1. καὶ κακίζοντες τοὺς ἐπιχωρίους, εἰ φόρον Ῥωμαίοις τελεῖν ὑπομένουσι, καὶ μετὰ τὸν Θεὸν οἴσουσι θνητοὺς δεσπότας. Idem περὶ ἁλώσεως L. II. cap. VII. Cum quibus consensisse videntur, qui, cum Servator diceret, ἀλήθεια ἐλευθερώσει ἡμᾶς; responderunt: Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε. Πῶς σὺ λέγεις; Ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε. Joh. 8: 33. Sed audire debuissent *Agrippam Regem*, apud *Josephum* περὶ ἁλώσεως *L. II. cap. XVII.* populares, qui ob præposterum libertatis repetitæ studium *Zelotæ* dicti sunt, sic adhortantem: ἀλλὰ μὴν τό γε νῦν ἐλευθερίας ἐπιθυμεῖν ἄωρον, δέον ὑπὲρ τοῦ μηδὲ ἀποβαλεῖν αὐτὴν ἀγωνίζεσθαι πρότερον. Ἡ γὰρ πεῖρα τῆς δουλείας χαλεπὴ, καὶ περὶ τοῦ μηδὲ ἄρξασθαι ταύτης ὁ ἀγὼν δίκαιος. Ὁ δ᾽ ἅπαξ χειρωθεὶς, ἔπειτα ἀφιστάμενος αὐθάδης δοῦλός ἐστιν, οὐ φιλελεύθερος. *Et Josephum ipsum* Ἁλώσεως *L. VI. c. XI.* Εἰ γὰρ δὴ καὶ πολεμεῖν ὑπὲρ ἐλευθερίας καλὸν χρῆναι τὸ πρῶτον τὸ δ᾽ ἅπαξ ὑποπεσόντας, καὶ μακροῖς εἴξαντας χρόνοις, ἔπειτα ἀποσείεσθαι τὸ ζυγὸν, δυσθανατώντων οὐ φιλελευθέρων εἶναι. Id quoque Persarum Monarcha Cyrus olim Armenio Regi dixerat, qui rebellioni suæ obtendebat libertatis pridem amissæ desiderium. Facta namque semel deditione, præter obsequii gloriam, relictum nihil, tutiusque est, Principe etiam superbo imperante si non optimam, at aliquam habere Rempublicam, quam concitato tumultu & seditione civium nullam. Insigne est atque in omne ævum memorabile exemplum Jechoniæ Hierosolymitanorum Regis, qui Jeremiæ consilium secutus, se ac suos Nabuchodonosoro permisit, & decem hominum millia in durissimam servitutem tradidit: quod Deum id velle Propheta significasset *Jerem. 2. 1 Paralip. cap. ult. 4 Regum. c. 24.* Atque hoc factum quantopere acceptum Deo fuerit; & contra Sedekias qui remanserat, quam graviter Deum offenderit, declarat Jeremias capite 24. Et vaticinii eventus eo capite comprehensi satis comprobavit.

§. VIII. Postquam Christus igitur oblatum sibi denarium conspexisset, ex ipsorum verbis illos convicturus, quærit: cujusnam esset hæc imago atque inscriptio? & respondentibus; Cæsaris: Reddite ergo inquit, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Hic priusquam, qualis illa imago fuerit & inscriptio conor explicare, proponam breviter, qui fieri potuerit, ut nummis Cæsaris imagine insignitis uterentur Judæi, in tropæis tamen & signis in Judæam deportatis eandem forte conspectam maxime detestati? Sic enim *Josephus de Vitellio*, exercitum in expeditionem adversus Arabes educente, Ἀρχαιολογίας L. XIIX. C. VII. Ὡρμημένῳ δ᾽ αὐτῷ διὰ τῆς Ἰουδαίων ἄγειν τὴν στρατιὰν, ὑπαντιάσαντες ἄνδρες οἱ πρῶτοι παρῃτοῦντο διὰ τῆς χώρας ὁδόν. Οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον, περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας πολλὰς δ᾽ εἶναι σημαίας ἐπικειμένας. Et de Judææ Præside Pilato: Πεμφθεὶς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτος, νύκτωρ κεκαλυμμένας εἰς Ἱεροσόλυμα παρεισκομίζει τὰς Καίσαρος εἰκόνας, σημαῖαι καλοῦνται. Τοῦτο μεθ᾽ ἡμέραν μεγίστην ταραχὴν ἤγειρεν Ἰουδαίων. Οἵ τε καὶ ἐγγὺς πρὸς τὴν ὄψιν ἐξεπλάγησαν, ὡς πεπατημένων αὐτοῖς τῶν νόμων. Ὁρμήσαντες δὲ πρὸς τὸν Πιλᾶτον εἰς Καισάρειαν, ἱκέτευον ἐξενεγκεῖν Ἱεροσολύμων τὰς σημαίας, καὶ τηρεῖν αὐτοῖς τὰ πάτρια. Ἁλώσεως *Lib. II. Cap. VIII.* Quin cum aliquando Herodes in honorem Cæsaris theatrum Hierosolymis extruxisset, variis devictarum gentium tropæis exornatum, Hierosolymitanorum, tropæa esse humanas effigies armis contectas existimantium, maximus est factus motus, qui non prius potuit sedari, quam detractis armis, conspectisque stipitibus (quos hominum imagines esse suspicabantur) errorem suum deprehendissent. *Idem antiquit. Judai. L. XV. Cap. XI.*

§. IX. Veruntamen sciendum est, non tam imagines ipsas, quam cultum imaginum odio fuisse iis. Videntes enim non in Italia tantum, sed & Græcia, Ægypto, aliisque Imperii Romani provinciis & Julio & Augusto superstiti divinos honores deferri, fana erigi, consecrari statuas, atque ipsum adeo Herodem imagines ei & templa dedicare; prudenter metuebant, ne quid institutis patriis adversum fieret, harumque imaginum cultus ipsis aliquando omnibus obtruderetur. Quid quod Petronius, Syriæ Præses, summo cum studio urgeret, ut Cajo Cæsari, qui DEUS salutari volebat, statuæ in templo Hierosolymitano ponerentur. Imagines etiam, quæ apud signa militaria erant religiose cultas esse, testantur *Herodianus L. IV. c. 4. num. 12. p. 185.* ubi describit fugam Antonini εἰς τὸν νεὼν ἔνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τοῦ στρατοπέδου προσκυνεῖται. *Suetonius in Tiberio num. 49.* Militi post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil unquam largitus est, præterquam singula millia denariorum prætorianis, quod Sejano se non accommodassent: & quædam munera Syriacis legionibus, quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent. *Vegetius de re militari L. 2. c. 6.* Prima cohors reliquas & numero militum & dignitate præcedit: Hæc imagines Imperatorum, hoc est divina & præsentia signa veneratur. Quare Vitellio transitum negatum & imagines Tiberii Pilato Hierosolymas adferente, coitionem factam esse, non miramur. Imagines autem nummis Cæsarum incisas tam certum est, non fuisse consecratas, quam manifestum imaginibus signis militaribus impositis divinos habitos honores. Et hæc de imaginibus ad institutum nostrum pertinere videbantur; nunc quali Numisma Census imagine fuerit signatum atque inscriptione nobis est considerandum.

§. X. *Cæsar Baronius, Cardinalis*, Numisma Census, certum pecuniæ genus fuisse existimat, quo, & non alio tributum esset exsolvendum; ita enim verba ejus habent ad hunc locum: Moris fuit apud Romanos, ut numismata pro ratione tributi vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec uno semper modo eadem permanerent; sed Numismata tributorum à cæteris usualis pecuniæ nummis in eo differrent, quod istorum pretium semper idem esset; Numismata vero census vel tributi, cum tributi mutaretur qualitas eadem ad rationem tributi, recens formarentur. *Tom. I. Ann. Christ. XXXIV.* Affert pro sententia sua hæc *Lampridii de Alexandro*: Vectigalia publica ita contraxit, ut, qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant tertiam partem aurei præstarent. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt & tremisses: Dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non posset. Quos etiam formatos in moneta detinuit expectans, ut si vectigal contrahere potuisset, eos ederet. Certe inde colligi potest, vectigalis non modum solum lege fuisse definitum, sed etiam certum nummorum genus ad pendenda tributa cusum. Faciant aliquid Hesychius, qui per 1. scribit: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον, Census, genus numismatis, capitatio, & Moschopulus: qui putavit censum fuisse dictum pecuniæ genus, quod tributorum præstationi esset destinatum; & quia mox, ubi dixisset Dominus, ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου; ostenditur illi Denarius; in errorem est inductus, nummum, qui appellatur census, fuisse Denarium Romanum sive drachmam Græcam.

§. XI. Sed quicquid hi sentiant *Marquardo* tamen *Frehero*, *Isaaco Casaubono*, *Justo Lipsio* prorsus contrarium verum esse videtur. *Justus Lipsius*, postquam fere singula Lampridii verba examinasset, & genuinum eorundem sensum declarasset, tandem, quod si quis pertendit, inquit, nummos pro modo tributi ita cusos: Ubi igitur illi sunt? cur prægrandes aliqui non extant? Denique statim infinitos cusos oportuit ad pensiones

totius

totius orbis. Nihil est: & Hesychii, aut CHRISTI verba hoc modo volunt, ipsum illud, quod ex censu in tributum darent censum appellatum, atque adeo pecuniam sive grandis ea, sive pauca esset. *Tom. II. Oper. de Magnitud. Rom. Lib. II. cap. III. pag.* 594. *Isaacus Casaubonus* explosa Græcorum Grammaticorum sententia, conversus ad Baronium, sic concludit: Quod igitur Domino petenti sibi ostendi Numisma census exhibetur Denarius; non ita accipiendum, ut factum est à Baronio. Nam quum vario & multiplici genere nummorum Judæi tum uterentur; propriorum gentis suæ, vicinarum regionum, & Romanorum: nullum est dubium, quin tributum, quod Cæsari pendebatur, in pecunia Romana exigeretur, non Judaica, aut quavis alia. Dominus igitur Numisma Census appellat non certum genus numismatis, quo solo tributa solverentur: Sed pecuniam Romanam, quæ sola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. Denarius autem Christo ostenditur, velut in Exemplum pecuniæ Romanæ, & tam denarii, quam alii nummi dici poterant Numisma Census. Quare errat *Baronius* &, qui eum secutus est, *Lucas Brugensis*, dum ex hac historia colligunt, legitimum tributi modum, quod à subditis suis Cæsares exigebant, fuisse Denarium, vid. Exercit. XVI. ad Annal. Baronii pag. 400. *Freherus* denique affirmat, se in nullo quoscunque pervolvisset Historicorum, legisse, pro modo descriptionum certos etiam nummos fuisse cusos, & in redigenda ex tributis pecunia, Cæsarem non tam ad valorem & pondus, quam ad formam respexisse, vid. ejus Dissertatio de Numismate Census Heidelbergæ 1599. edit. Quorum nobis sententia ita probatur, ut nullam videamus idoneam rationem, qua moti, dissidentibus adhibeamus fidem.

§. XII. Nihilo quoque magis illis assentimur, qui Numisma Census dimidium fuisse siclum arbitrantur Cæsaris imagine percussum, vel ab ipsis Judæis, vel Romanis; id enim & Veterum caret testimoniis, & à moribus Ebræorum nimis alienum est. Quin potius persuasum nobis est, Numisma Census, non aliam, quam pecuniam Romanam fuisse auctoritate Cæsaris cusam ejusque imagine signatam: quæ quidem *Julii* aut *Augusti* æque ac *Tiberii* esse potuit, ut enim olim apud Ægyptios Pharaonis; ita apud Romanos Cæsaris nomen commune fuit, vid. Josephus L. IIX. Antiq. Judai. c. VI. pag. 268. Atque adeo non tam de Tiberio, quam de Cæsare, seu principe Romanorum quocunque quærebatur; quamvis, si temporis habenda ratio, Tiberii Numisma fuisse ostensum, vero sit similius.

§. XIII. Nos in prima statim hujus Dissertationis pagina duos exhibemus nummos, alterum Augusti, Tiberii alterum. *Tiberii*, vultu proprio notatum; *Augusti*, nota sideris *Capricorni*, quo natus est, percussum. *Suetonius in Augusto L. II. num. 94. pag.* 302. Displicet hoc *Emanueli Thesauro*, qui in Inscriptionibus suis pag. 49. *Francisco Hyacintho*, Sabaudiæ Duci recens nato felicitatem virtutesque Augusti ominatur, quod idem cum Augusto sidus natalitium sortitus esset, non *Capricornum* quidem, ut vulgaris & pervagata hactenus fuit opinio, sed ipsam Virginem *Astræam* Justitiæ Præsidem. Observans scilicet, ut *Panealbus*, in notis suis quas ad laudatas edidit inscriptiones, ostendit, eodem Suetonii Libro n. 5. pag. 148. Augustum in lucem editum esse *M. Tullio Cicerone & Antonio* COSS. IX. Kal. Octobris paulo ante solis exortum, Augusti *γένεσιν* ad calculum redegit, Virginemque Astræam in Horoscopo surgentem reperit: cum Capricorni sidus, adhuc in quinta domo delitescens, non nisi post horas sex, ab exortu Solis ascendere potuerit. Ut vero sententiam hanc confirmaret, provocavit ad auctoritatem *Manilii*, qui, cum Augusti Mathematicus, libros suos Astronomicos Augusto dedicasset, ut Principi blandiretur suo Capricornum horoscopantem conviciis insectatur: Virgini autem horoscopanti omnes Augusti dotes, virtutes, dignitatesque tribuit L. IV. Astronomic.

Erigone surgens, quæ rexit secula prisca
Justitia; atque eadem rursus labentia fugit:
Alta per imperium tribuit fastigia summum
Rectoremque dabit legum; jurisque sacrati,
Sancta pudicitiam Divorum templa colentem.

Hæc occasione nummi nostri Augustei.

§. XIV. Est autem mos signandi imaginibus monetam longe antiquissimus, &, ut videtur multis, ab ipso Abrahamo repetendus, vid. *Epiphanius* in Physiologo certe Jacobi ætate jam receptus; nam quod Genes. 33: vs. 19. legitur Jacob emisse partem agri *centum agnis*; id *S. Stephanus* Actor. 7: vers. 16. interpretatur emisse ipsum pretio argenti. Et profecto inde ab Alexandro Magno ad Gallienum usque ita floruit, ut vultus Principium aliasque res hodie nemo tam exquisite exprimere pingendo possit quam tum sculpendo, fuerunt expressi; Defecit autem inclinato jam imperio Heraclioque imperante in ruinis Reipublicæ plane jacuit. Hinc factum etiam ut plerique qui de re nummaria scripserunt, vel in *Justiniano*, vel in *Anastasio*, vel *Heraclio* finiant; nec ultra progrediantur; cum personas adeo illustres tam inhonesta atque illiberali facie fuisse, quali in nummis post Imperatorum horum tempora excusis conspiciuntur, fidem vix mereatur. Celeberrimus antiquitatis nummariæ interpres *Carolus Patinus*, Gallus sed Bononiæ Professor apud Italos, egregio suo de Numismatibus operi hunc imposuit finem: Quemadmodum *Heraclii* numismata series finiunt in Cimeliarchiis, sic finient opus nostrum. Illud ulterius poteramus extendere; Constantinopolitanorum enim Imperatorum monetæ nobis, non deerant, at illæ tam rudes sunt, tamque barbaræ, ut libenter abstinuerimus.

§. XV. Sed nimium digredimur, & adeo redimus ad Numisma nostrum; cujus nunc inscriptionem contemplari juvat. Fuit autem illa vel *Obversa* vel *aversa*. si Julius hoc Numisma feriendum curavit obversa inscriptio forte fuit CÆSAR IMPERATOR ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ; aut aliud quid. Si Augustus, CÆSAR AUGUSTUS, aut CÆSAR IMPERATOR juxta inscriptionum diversarum discrimen. Si Tiberius prodiret, talis forte qualem supra exhibemus: TI. CÆSAR AUGUSTI F. IMPERATOR, aut TI. CÆSAR, DIVI. AUG. F. AUGUSTUS. In aversis frequens fit mentio provinciarum in ditionem Romanorum redactarum; Ut in nummis Augusti: ARMENIA CAPTA, ÆGYPTO CAPTA, PARTHIS RECEPTIS. *Seldenus* ex *Adolpho Occone* nummum exhibet, cujus parti obversæ hæc sunt inscripta: ΚΑΙCΑΡ ΑΥΓΟΥCΤ; aversæ ΙΟΥΔΑΙΑC ΕΑΛΩΚΥΙΑC. Sane si hic nummus, Augusti ætati responderet (de quo tamen dubitat *Seldenus*) ac Christo à Pharisæorum discipulis ostensus esset, nihil foret apertius, quam quod ipso numismate Christo exhibito se à Romanis devictos testati, omnino illis esse danda; quæ tanquam victores à victis exigerent, confiterentur. Quid? quod nomina illa Tributum, Numisma Census, Denarius ita simul memorata, manifeste declarent, tum deditionem esse factam, tum solutionem ex victoris jussu imperatam, & à solventibus veluti admissam jure. Namque observandum, non Principem modo Romani orbis Cæsarem, Augustum, Imperatorem in superscriptione dici atque agnosci, sed etiam à Judæis ipsis sæpius sic appellari; dum toties ante præstito tributo palam professi essent & deditionem suam & Cæsaris in illos imperium: Hinc simulac nummi salvatori ostensi imaginem & inscriptionem Cæsaris esse faterentur, & nummus ejusmodi inscriptione atque imagine percussus, talis, ab iis esset agnitus, quali etiam tributum Cæsari solvere consuevissent, conscientia convicti, ac judicio veritatis coacti, non poterant non intelligere, quod, quæcunque Cæsari, ut Principi suo & Regi sic præstarent, omnino tanquam ei debita essent præstanda; ita, ut neque Jus Divinum, neque Ebræorum forense huic præstationi quicquam derogaret, inprimis, si, *quæ sunt Dei, Deo tribuerentur.*

SOLI DEO GLORIA!

M. JOH. CHRIST. ROSTEUSCHERI

DISSERTATIO

De ſepulchris calce notatis ad Matth. XXIII: 27.

בסערא רשמיא:

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

Antiquitatis accurata perveſtigatio ut ſua ſe amœnitate magnopere commendat: ita utilitatis fructum præbere haud proletarium merito cenſetur. Non deſcendemus jam ad Romanorum Græcorumque ſubſellia, quorum ritus & mores antiquitus receptos noviſſe utiliſſimum pariter jucundiſſimumque eſſe fatentur omnes; ſed intra Hebræorum inſtituta ſubſiſtemus, quorum diligentem cognitionem ſacrarum inprimis literarum ſtudio conſecratis non levidenſe afferre commodum dubio caret. Multa paſſim in Veteri Novoque Fœdere conſignata deprehendimus, quæ ſi quis nulla tinctus Hebraicarum antiquitatum ſcientia intelligere vel enarrare cupiat, merito, (*verba ſunt Cl. l'Empereur in Epiſt. dedic.* ὁδοιπορ. *R. M. Kimchi*) compellabitur Apollinis ad Hectorem verbis

Νῦν σὺ μὲν ὧδε θέεις ἀκίχητα διώκων.

Irritus omnis & fruſtraneus eſt eorum conatus, qui, quæ ex Hebræorum fontibus promanarunt, aliunde licet ingenioſe derivant; aut, quibus lucem unice fœnerantur relicta ad poſteritatis memoriam Hebræorum ſcripta, ex aliarum gentium monumentis felicius poſſe peti putant. In quorum cenſum merito referendus eſt Jeſuita Menochius, qui Hebræorum Rempublicam vivis coloribus depicturus ſtatim in fronte operis nihil ſe ex eorundem ſcriptis, ſed omnia è puris (*ut loquitur*,) Sanctorum Patrum fontibus & ab Eccleſia probatorum auctorum dictis & doctrinis hauſiſſe, *ſatis* ἀτόπως *profeſſus eſt. Alia ipſis Patribus, quorum tamen pauciſſimis in Ebræorum adyta penetrare contigit, mens fuit, inter quos Euſebius L. 7. Paraſc. Evang. c. 8. diſerte ſcribit:* δεῖ τὰ ἑβραίων ἐκ τῶν παρὰ ἑβραίοις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἀλλαχόθεν ἀποδέχεσθαι. *Quod egregium non infimi Eccleſiæ Doctoris monitum & nos impræſentiarum commendatum habebimus, quando de inſigni Hebræorum ritu* Sepulchra calce notandi *nonnulla (faxit* DEUS, *feliciter!) commentari conſtituimus.*

CAPUT PRIMUM.

§. 1.



DE τάφοις κεκονιαμένοις, quibus Salvator noſter Phariſæos & Scribas comparat Matth. c. 23. vſ. 27. nonnulla dicturi operæ eſſe pretium exiſtimamus à nominum evolutione ordiri, quoniam Plutarcho judice *L. de Iſid. & Oſir.* ἄριστα λέγεται παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, τὸ τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασι. Nomen τάφος quod à θάπτειν derivari eſt notiſſimum, proprie Sepulcrum redditur, in quo ſignificatu nihil frequentius apud Scriptores. Alias ambigua vox eſt & πολύσημος cum propter verbi, à quo originem ducit, multiplices uſus ac poteſtates, tum alias etiam cauſas. Geographis enim eo nomine venit inſula quædam in mari Jonio ſita. Unde ita *Phavorinus in Lex. Gr. p.* 1736. τάφος ἡ νῆσος μία τῶν ἐχινάδων νήσων ἔχει ὁμωνυμίαν πρὸς τὸ θάμβος, ὅτε καὶ αὐτὸ τάφος λέγεται. Celebrantur in ſcriptis veterum, qui eandem inhabitarunt λησταὶ τάφιοι, de quibus idem l. c. τοὺς ταφίους πρότερον τηλεβόας φασὶ καλεῖσθαι. (Conf. etiam Heſychius in Lex.) κληθῆναι δὲ αὐτοὺς ταφίους ἀπὸ τάφου τινὸς βασιλέως. Meminit eorundem quoque *Strabo Geogr. l.* 10. inſulam τάφον poſtea ταφιοῦσαν appellatam addens. Sed & urbem quandam Cephaleniæ τάφον eſſe dictam tradit *Stephanus Byzantius* περὶ πόλεων fol. 642. *Ed. nov.* cujus vero num præter eum & alii meminerint, non conſtare ſibi ſcribit in notis *Thomas de Pinedo.* Porro τάφος, quod è θάπος ἰωνικῇ ἐναλλαγῇ τοῦ στοιχείων factum docet Euſtathius ad Homeri Odyſſ. ω. idem eſt, quod ἔκπληξις, quam Ariſtoteles per ὑπερβάλλουσαν θαυμαστότητα definivit, quo de videatur Pricæus in Matth. illuſtr. p. 81. Ita Homerus Odyſſ. ω. τάφος δ' ἕλεν ἄνδρας ἕκαστον, qui & primitivo θάπτειν frequenter pro ἐκπλήττεσθαι uſus eſt. *Suidas* in Lex. p. 874. τάφος καὶ παρὰ τοῖς θύταις σημεῖον dici ſcribit. Nonnunquam περίδειπνον, quod juxta auctorem Etymologici, in genere eſt ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γινομένη ἑστίασις, non præciſe illud epulum, quod poſt ſepulturam celebrabatur, ut exiſtimat *Feſſelius in Adv. Sacr. L.* 1. *c.* 12. *p.* 69. appellatur τάφος, cujus exemplum iterum ſuppeditat Homerus qui Iliad. ψ. vſ. 29. deſcribens convivium ſepulchrale Patroclo nondum ſepulto agitatum ait: αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαίνυ, ad quem locum notanda ſunt verba Euſtathii, quæ cum huc apprime faciant & alias quoque τοῦ τάφου ſignificationes ſiſtant, placet integra ex ejuſdem in Hom. παρεκβολαῖς fol. 1285. tranſcribere: τάφος οὐ κατά τινας ὁ μετὰ τὸ ταφῆναί τινα περίδειπνος, ἀλλ' ἁπλῶς ὁ ἐπὶ νεκρῷ ἐπὶ γοῦν πατρόκλου μήπω ταφέντος τάφος τοιοῦτος νῦν γίνεται. Ὃς πρὸς ἑσπέραν γινόμενος νῦν καὶ δόρπος ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ λέγεται ὡς δηλοῖ τὸ δορπήσαμεν ἐνθάδε πάντες, καὶ δόρπον ἐφοπλίσαντο ἕκαστοι. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ δαῖτα ἐν τοῖς ἑξῆς ἐρεῖ. οὐχ ἁπλῶς μέν τοι ἀλλὰ συγγενῶν ὡς ἐπὶ νεκρῷ γινομένην, ὅς ἐς συγγενεῖς κατὰ μῦθον ἄπεισιν. Οἱ δὲ γλωσσογράφοι φασίν, ὅτι κύπριοι καὶ τὸν φόνον τάφον καλοῦσιν. ἕτεροι δὲ καὶ τὴν ταφὴν τάφον λέγεσθαι οἴονται. ὡς καὶ τὴν χολήν, χόλον. οἵτε τάφου μνῆμα ἤγουν ταφῆς μνημόσυνον. Ὃ δή φησιν ἐν τοῖς ἑξῆς ὁ ποιητής. Καὶ τὸν ἐπιτάφιον δὲ ἀγῶνα τάφον καλεῖσθαί φασιν. ὡς τό, ἐς τάφον ἦλθε πάντας ἐνίκα. Quæ totidem verbis repetit Phavorinus l. c. Nec omittendum, interdum vocem τάφος ad Os vel ventrem transferri ab auctoribus, quod *in Comm.*

de

de Fun. obſervavit *Meurſius.* Sed & vultures dictos olim τάφυς ἐμψύχυς conſtat ex *Hermogenis* libro περὶ ἰδέων cap. περὶ σεμνότητ☉ à quo non multum abit, quod à Luciano ἔμψυχόν τινα τάφον hominem vocari nihil agentem vitaque indignum adnotavit *Eraſmus in Chiliad.* Quæ vero tralatitiæ ſignificationes omnes à genuina illa & præſenti, quem expendimus, loco propria deſcendunt; quatenus ſcil. τάφ☉ denotat τόπον τὸ σῶμα τῦ τεθνηκότ☉ περιέχοντα, ut alibi ſcribit Phavorinus.

§. 2. Altera vox eſt ΚΟΝΙΑΩ, quæ æque ut nomen κονία, à quo deſcendit, varias apud ſcriptores antiquos agnoſcit σημασίας. Duæ tamen videntur præcipuæ. Nam & pulveris aſperſionem involvit & dealbationem quæ calce fieri conſuevit. Prior ſignificatio à præſenti negotio eſt aliena. Etſi enim pulveris aſperſio in funeribus, cum cadaver ἄθαπτον deprehenderetur, Romanis pariter ac Græcis antiquitus uſurpata fuerit tanta religione, ut qui inhumatum hominis mortui cadaver in via offendiſſet, nec injecto ter pulvere tralatitium illud humanitatis officium defuncto præſtitiſſet, piaculare facinus commiſiſſe crederetur; quod ex naufragi Archytæ oratione liquet apud *Flaccum Lib.* 1. *Od.* 28. & *Scholiaſt. Sophocl.* teſtimonio, quod *in notis ad Arbitr. p.* 308. allegat *Wowerius* & *Kirchman. de Fun. Rom. L.* 3. *c.* 21. *p.* 486. ea tamen ad præſentem locum nihil facit, cum nec hic de ἀτάφοις ſermo ſit, nec ulla iſtius ritus à Græcis Romaniſque frequentati veſtigia in Hebræorum gente unquam exſtiterint, quæ ſeculo adhuc integro moribusque incorruptis ſummo id ſtudio cavebat, ne quis inhumatus projiceretur, (quod contra *Samuelem Petitum* aſſerimus, qui *Lib.* 1. *Var. Lect. c.* 1. *p.* 25. apud Hebræos eorum dicit inſepulta projecta eſſe cadavera, in quos gravius ſævitum iri vellent Judices); aut ſi quis forte deprehenſus ἄθαπτ☉ eſſet, ſine ſepulchro relinqueretur. E tali enim contemptu hominis quondam ad imaginem divinam conditi in DEUM ipſum redundare injuriam aliquam judicabant Hebræi, quod ex Gemariſtarum in *Cod. Babylon. Beracot. fol.* יח *Col.* 1. *circ. fin. Ed. Amſt.* verbis addiſcitur, cum quibus conferenda, quæ de מת המצוה *ſ. mortuo præcepti* prolixe diſſerunt *Cod. Talmud. Naſir. cap.* 7. *fol.* מג & *ſeqq. Maimonides in Hilcot Evel. c.* 3. *Part.* 2. *fol.* תשנג *Ed. Ven. maj.* & *Tom.* 4. *fol.* רעו *Ed. Min. R. Abarbanel in Legem fol.* רנט *col.* 2. *Ed. Venet.* & de neceſſitate ſepulturæ in genere *R. Iſaac Arama in Akedat Jizchak port.* 22. *fol.* נו *col.* 1. *Ed. Venet.*

§. 3. Poſterior itaque attendenda hic venit ſignificatio, ſecundum quam τὸ κονιᾶν verbis *Phavorini* eſt τὸ διὰ πιτύνεως χρίειν τινὰ τοῖχον. Ita hanc vocem Interpretes, quos conſulere licuit, reddiderunt omnes *Chryſoſtomo* in h. l. τάφοι κεκονιαμένοι ſunt τάφοι κεχρισμένοι γύψῳ τε καὶ ἀσβέςῳ. Vide Cat. Patr. Symb. in Matth. pag. 309. Optime quoque Syrus ܕܕܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܩܒܪܐ ܡܟܠܫ̈ܐ *qui ſimiles eſtis ſepulchris calce obductis.* Significat enim ܟܠܫ *induxit tectorium calce*, deſcenditque inde nomen ܟܠܫܐ quod *Jacobus Elgais Autor Lex. Syro Arab. MS.* exponit per النورة *cæmentum* apud *Lud. de Dieu in Matth. p.* 103. Syriacæ verſioni ut النعل بالنعل *ſolea ſoleæ*, quod Arabes ajunt, reſpondet Arabica. Nam & Arabs eadem utitur voce vertens القبور المكلسة Æthiops, ut in ſimili vel, quod mavult *Pokok. in notis ad port. Moſ. p.* 82. & cum eo *Hottingerus in Præf. lib. de Cippis*, eadem parabola Luc. 11: 44. μνημεῖα ἄδηλα omnium optime tranſtulit per መቃብር፡ ዘኢይትዐወቅ፡ *Sepulchrum, quod non eſt ſignatum*: ita etiam hic ſatis appoſite reddidit: መቃብር፡ ግብሱስ፡ *Sepulchra gypſata, gypſo*, quod Plinio cognata calci res eſt, *obducta*. Eſt enim Æthiopicum ገብሰሰ፡ idem quod ለሰነ፡ *obduxit calce*, vel potius *gypſo*, quod nomen huic Æthiopum radici quadriliteræ GYBSASA natales ſuos debere videtur. Perantiquum enim & frequentem fuiſſe Æthiopibus uſum Gypſi docet *Herodotus*, qui *Lib.* 3. *Hiſtor. fol.* 108. *Ed. Gr.* inter alia de Æthiopibus refert: ἐπεὰν τὸν νεκρὸν ἰχνήσωσι γυψώσαντες ἅπαντα αὐτὸν, γραφῇ κοσμέυσι, ἐξομοιεῦντες τὸ εἶδ☉ ἐς τὸ δυνατόν. Autor Verſionis Hebrææ in Matth. habet קברות מולבנות ſecutus forte Vulgatam, quæ *Dealbandi* vocabulum adhibet. Melius vim vocis expreſſiſſet, ſi reddidiſſet קברות מסוידות *Sepulchra calce obducta* vel מצויינות בסיד *calce notata*, uti Hebræis in hoc negotio loqui familiare eſt.

CAPUT II.

§. 1. **E**Xpedita ὀνοματολογία ad rem ipſam provehimur, quæ cum tota ex Hebræorum monumentis petenda ſit, nihil ab inſtituto noſtro alieni commiſiſſuir ſumus, ſi ſubinde ad eorundem caſtra nos receperimus. Prius autem quam hunc campum ingrediamur, juvabit pauliſper ante carceres conſiſtere, & quæ in anteceſſum delibanda ſunt, paucis attingere. Tenendum itaque initio eſt, ſepulcra locumque omnem, ubi defuncti Hominis cadaver jacebat, apud Hebræos polluiſſe, idque ex inſtituto Legis divinæ, quam conſignatam literis exhibet Moſes Num. 19: 16. כל אשר יגע על פני השדה בחלל חרב או במת או בעצם אדם או בקבר יטמא שבעת ימים: Judæi alias pollutionem, quæ à mortuo proficiſcebatur, omnium, quas ullibi Lex divina commemorat, fuiſſe graviſſimam ſtatuunt. Ita diſertim magni inter ſuos nominis *Abarbanel in Levit. fol.* רנט *Col.* 2. *Ed. Ven.* טומאה חמורה על כל הטומאות טומאת אדם מת *Omnium pollutionum graviſſima eſt ea, quæ fit ob mortuum hominem.* E quo vero fonte eandem derivare debeant, non ſatis ſibimet ipſi conſtant. Modo laudatus *Abarbanel* l. c. ſcribit עקר הטומאה eſſe ערוב הנפש בגוף המת, *R. Bechai in Leg. fol.* קפו col. 2. *Ed. Crac.* eam proficiſci è virtute mortifera ſtatuit: אין טומאה ב"ח המתים אלא בסבה הכח הממית *R. Moſes Alſchech in Torath Moſcheh fol.* קצח. 2. & f. רלו 3. *Ed. Prag.* ad זוהמת הנחש *inquinamentum ſerpentis* reſpiciens ad locum *in Cod. Joma fol.* כח 2. *Ed. Amſt.* provocat, à quo ut mortem ipſam ita etiam immunditiem ex mortui hominis cadavere reſultantem oriri tradit. Alii hanc immunditiem רוחות הטומאה ſive *ſpiritibus immundis* attribuunt, è quorum numero *R. Tobias Levi* in Commentar. quem חן טוב vocat, fol. רנט 3. ſequentem in modum diſſerit: צר חטומאה באה מכח קליפות החיצונים וכמו שאמרו רבותינו ז"ל הני ברכי דרבנן דמשלהי מחופייא דידהו גם מאני דרבנן דבלו מחופייא דידהו שאינם יוכלים ליגע בגופם ומדבקים בלבושיהו ליהנות מהם והנה בעוד האדם חי לא יוכלו ליגע בו בגופו ממש מאיר הנשמה מכהה עיניהם-אבל אחר יציאת נשמתו רוצים להדבק בכלי שנשתמש בו קלש שנשאר בו קצת ניצוצי אור לכן באין לחול על גופו ומשם נמשכה טומאת מת לאדם המת: *Modus pollutionis provenit è viribus exterorum* קליפות (quo nomine Cabbaliſtas notare Spiritus impuros, & omnia quæ extra ſanctitatem ſunt, obſervat *Perilluſtris Auctor Kabbalæ denudatæ Part.* 1. *p.* 674.) *Uti D. n. l. m. ajunt: Unde ſunt genua Doctorum defeſſa? à fricatione illorum.* (Ita enim explicantur verba in Gloſſa ordinaria ad Gemaram, è qua hæc deprompta *Cod. Beracot fol.* ו. 1. *lin.* 10. באין המזיקים ויושבין אצלם ומתחככים בהם) *Unde etiam attritæ Doctorum veſtes?* (Vide itiner. Raſchi l. c.) *à fricatione eorundem. Cum enim non poſſint attingere corpora illorum, veſtimentis eorundem adhærent, ut voluptatem inde percipiant. Ecce, quamdiu homo vivit, nihil quicquam in corpore ejus poſſunt attingere perſtringente oculos eorum luce animæ* —— *A cujus diſceſſu gaudent adhærere inſtrumento quo ante* (anima) *uſu fuit ſanctiſſime, è cujus lumine remanſerunt ſcintillæ quædam, propter quas accedunt & in cadavere reſident. Ex quo deinde conſequitur illa pollutio ob hominem mortuum.* Horum dæmonum, qui in cæmeteriis adhærent ſepulchra frequentantibus eosque inquinant, mentio quoque fit in Gloſſa Raſchii, qui ad verba Gemaræ *Cod. Bava Batra fol.* ק. 2. *l.* 9. אין פוחתין למת משבעה מעמדות ומושבות *non diminuunt de ſeptem ſtationibus & ſeſſionibus pro mortuo*, inter alia ſcribit: בחוזרן מן הקבר הולכין מעט ויושבין לנחם האבלים ואיתי כתוב מפני שהשדים מתלוים עם החוזרים מבית הקברות לכך תיקנו מעמדות ומושבות כדי שבתוך כך יםלקו השדים מעליהן: *Cum reverterentur à ſepulchro* (quod hic ἐν παρόδῳ obſervamus adverſus nonneminem, qui in *Lex. Rabb. Philol. p.* 343. illas 7. ſtationes & ſeſſiones ab Hebræis in deductione funeris ad ſepulturam fieri ſolitas ſcribit) *proceſſerunt paululum & ſederunt ad conſolandum lugentem* —— *vidique ego ſcriptum, quod ob dæmones redeuntibus à ſepulchreto adhærentes ideo ordinaverint ſtationes & ſeſſiones, ut interea dæmones ab iis diſcederent.*

§. 2. Tanta vero immundities mortuorum cum eſſet, ut בוקעת ועולה יורדת ובוקעת ceu loqui amant Hebræi in *Cod. Oholot.* & alibi paſſim, ſepulchris ipſis vim polluendi adderet, præcavendum modis omnibus erat, ne facile vel ſacerdotes aut Naſitæi, qui mandato divino tenebantur ὅτε ἐπιβῆναι μνήματι, ὅτε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν (ut verbis utar *Theophraſti*, qui hæc inter argumenta δεισιδαιμονίας refert, *in Char. Eth. c.* 17. *p.* 48.) vel quotquot tandem inter Hebræos munditiei ſtudebant, propiore ad ſepulcra acceſſu contaminari poſſent.

Quem in finem haud diffitendum est plurimum contulisse sepulcrorum ab urbibus earumque terminis distantiam. Mos enim erat Hebræis antiquitus receptus extra civitatum pomœria condendi defunctorum ex privato hominum cætu cadavera; quod præter complura Scripturæ loca, è quibus idem haud obscure colligitur, aperte testantur *Mischnici Cod. Bava Batra cap.* 2. §. 8. *fol.* כה. 1. מרחיקין את הנבלות ואת הקברות ואת הבורסקי מן העיר נ׳ אמה: quibus succenturiatur *Maimonides in Jad Chasakah Hilc. Schemitah Vejobel c.* 13. *fol.* תנ. 1. *Part. II. Ed. Venet. maj. itemque in Hilc. Beth Habbechirah c.* 7. *fol.* תנר. 2. ubi videri quoque possunt, quæ Maimonidem reprehendens annotat *R. Abraham in Hassagot* f. animadversionibus ad eundem locum.

§. 3. Cum tamen omnibus hac ratione nondum esset cautum, sed viatores in itinere propiore ad sepulcra accessu præter spem ac voluntatem omnem offendi facile possent, eam præterea curam sibi incumbere existimabant Hebræi, ut positis super sepulchra signis certis ac indiciis eos etiam, qui extra urbes עוברים והולכים *ultro citroque commeabant*, de loci immunditie admonerent. Cujus moris collocandi in locis suspectis indicia à Romanis pariter ac Græcis servata vestigia deprehendimus, quorum illi arbores ferales piceam & cupressum locis funestis adponere sunt soliti, ne quis imprudentior domum istiusmodi rem divinam facturus introiret, & quasi attaminatus suscepta peragere non posset, ut loquitur *Servius ad lib.* 4. *Æneid.* Hi vero præter cupressum vas ingens aqua lustrali repletum, quod ἀρδάνιον dicitur *Suidæ Tom.* 1. *pag.* 416. Aristophani ὄστρακον (Vid. de utroque nomine Hesychium, & quæ ibi annotat Schrevelius, itemque Meursium de funere) quin & capillos de ipsius demortui capite resectos ædium funestarum foribus appendere consueverunt, ut ex Euripide aliisque annotarunt *Isaacus Casaub. in Comm. in Theophr. cap.* 15. *pag.* 288. & 299. *Kirch. de Fun. Rom. Libr.* 1. *pag.* 114. & *Dilherrus in Miscell. var. Philol.* θ. 2. Quæ, ceu complura alia, quæ circa mortuorum sepulcrorumque pollutionem decreverunt gentiles, ex Hebræorum institutis promanasse suspicamur. Illi enim signorum sepulchralium collocationem divinitus sibimet imperatam esse credebant, eandemque tanquam הלכה למשה מסיני *constitutionem Mosis è monte Sinai* sanctissime observabant. Qua de re illustris habetur locus in Gemara Babylonica *Codicis Moed Katon fol.* ה *col.* 1. quem cum dignum censuerit *Rabbi Jacob bar Schlomo*, qui inter Excerpta libri *En Jacob fol.* קנר *col.* 1. *Edit. Prag.* integer referretur, & nos eundem etsi paulo prolixiorem exhibebimus, ut eo rectius constet, quantopere laborent Hebræorum magistri, ut hanc consuetudinem à DEO sibimet esse injunctam è sacris literis demonstrent. In hunc vero sensum loquuntur ibidem Gemaristæ: א״ר שמעון בן פזי רמז לציין קברות מן התורה מניין ת״ל וראה עצם אדם ובנה אצלו ציון א״ל רבינא לרב אשי הא מקמי דליתי יחזקאל מאן אמר לטעמיך הא דאמר רב חסדא דבר זה מתורת משה רבינו לא למדנו מדברי יחזקאל בן בוזי למדנו כל בן נכר ערל לב וערל (עד שבא .E. J) בשר לא יבא אל מקדשי לשרתני מקמי דליתי יחזקאל מאן אמר אלא גמרא גמירי לה ואתא יחזקאל ואסמכא אקרא הכא נמי גמרא גמירי לה ואתא יחזקאל ואסמכא אקרא ר׳ אבהו אמר מהכא וטמא טמא יקרא טומאה קוראה לו ואומרה לו פרוש וכן אמר ר׳ עוזיאל בר בריה דר׳ עוזיאל (משמיה .E. J) אבה טומאה קוראה לו ואומרת לו פרוש והאי להכי הוא דאתא ההוי מיבעי ליה לכדתניא וטמא טמא יקרא צריך להודיע צערו לרבים ורבים מבקשין עליו רחמי׳ (וכן מי שאירע בו דבר צריך להודיע לרבי׳ ורבים וכו׳ (In En. Jac. add. א״כ לכתוב וטמא יקרא מאי וטמא טמא שמעת מינה תרתי אביי אמר מהכא ולפני עור לא תתן מכשול רב פפא אמר סלו סלו פנו דרך רב חיננא אמר הרימו מכשול מדרך עמי ר׳ יהושע בריה דרב אידי אמר והודעת להם את הדרך ילכו בה מר זוטרא אמר והזהרתם את בני ישראל מטומאתי רב אשי אמר ושמרתם את משמרתי עשו משמר׳ למשמרתי רבינא אמר ושם דרך אראנו בישע אלהים א״ר יהושע בן לוי כל השם אורחותיו זוכה ורואה בישועתו של הק״בה שנאמ׳ ושם דרך אל תיקרי ושם אלא ושם דרך אראנו בישע אלהים: *R. Simeon F. Phase dicebat: Signanda esse sepulchra indicat Scriptura. Unde id constat? Doctrinam hanc suppeditat Ezechiel cap.* 39: 15. *Et videns os hominis statuet juxta illud* ציון. *Rabbena ajebat ad Raf Ishaj: Hoc antequam adduceret Ezechiel, ecquis dixit? Argumento tibi sit, quod R. Chasda inquit: Res hæc est ex Lege Mosis. Doct. enim profecta, nec didicimus nos eam ab Ezechiele filio Busi. Docemur Ezech.* 44: 9. *nullus alienigena incircumcisus corde & carne ingredietur sanctuarium meum scil. ad ministrandum mihi. Prius quam illud proferret Ezechiel numquis idem dixit? Imo vero, doctrina hæc fuit perfecte tradita* (in monte Sinai, ut add. Glossa) *venit autem Ezechiel & applicavit eam ad Scripturam. Eadem & hic obtinet ratio. Doctrinam hanc jam perfecte traditam habuimus, quando Ezechiel accessit, eandemque applicavit ad Scripturam. Unde vero id probatur, inquit R. Abhu? Ex eo, quod dicitur Levit.* 13: 45. *Et immundus immundus clamabit. Immundities nimirum invocabat eum jubebatque recedere. Ita enim ait R. Usiel nepos R. Usielis nomine Rabba: Immundities acclamabat ei dicebatque Recede. Quod ita fiebat, cum ipse appropinquaret, tum oportebat dicere* (*leprosum*) *uti requirit traditio: Immundus, immundus, clamabit. Erat enim necesse, ut calamitatem suam notam faceret multis, quo multi pro eo apud DEUM intercederent.* (*Hinc quodcunque ei occurreret, oportebat ipsum notam facere &c.*) *Debebat tamen hoc pacto scribi: Et immundus clamabit; Quid sibi vult: Et immundus immundus? duo videlicet inde colliges. Abbai dicebat: Unde illud probatur amplius? Ex eo, quod dicitur Lev.* 19: 14. *Coram cæco non pones offendiculum* (quo ipso etiam doceri vult Glossographus, notandam esse immunditiem, ne eadem offendantur, quibus cum ablationibus res est). *Raf papa porro, ajebat scriptum est Es. c.* 57: 14. *Sternite, sternite viam, præparate semitam. R. Chenana afferebat* (*quod ibidem sequitur*) *Tollite offendicula è via populi mei. R. Josuah F. R. Iddi citabat dictum Exod.* 18: 20. *Monstrabis eis viam, qua incedent. Mar Sutra producebat: Levit.* 15: 31. *Et commonefacietis filios Israel de immunditie sua. R. Ishai provocabat ad Lev.* 18: 30. *Et custodietis custodiam meam. Ponite custodiam custodiæ meæ* (*Glossa* אוכלי תרומה ex Numer. 18: 8. *Conf. etiam R. Moses Alschech in Torath Moscheh fol.* קפו 1.) *Rabbena ajebat: Et disponenti viam ostendam salutare DEI. R. Josuah filius Levi reponebat: Quicunque vias suas probe disponit, is dignus æstimatur, qui videat salutem DEI, uti dicitur Psal.* 50: 23. ושם דרך *non lege* וְשָׂם *sed* וְשָׁם *Et disponenti viam monstrabo salutare DEI*; quæ postrema verba R. Josuæ citata quoque à *Maimonide cap.* 4. *Præfat. Commentario in Pirke Avot præmissæ*, quam Arabice perscriptam exhibet, *Pokok. in Port. Mos. pag.* 212. (ut hæc אנב אורחה moneamus) non σχετικῶς intelligenda sunt, ac si Judæi receptam contextus sacri lectionem mutare velint: sed συγχωρητικῶς, ut innuant, si ita legeretur, probationem vel allegoriam inde petitam fore magis concinnam, prout illud docet *Maimonides in More Nevuchim Part.* 3. *cap.* 43. *fol.* קסג. 1. *Edit. Sabion.* & ex eo *Hottingerus Thes. Philol. l.* 1. *c.* 2. *p. m.* 212. itemque *Hackspan. in not. ad Nizachon Lipm. cap.* 2. *n.* 52. *seq.*

§. 4. Qui palmarius est, & ex omnibus illis, quos hic cumulant Hebræi, præcipue ad præsens negotium facit locus, ex Ezech. cap. 39. petitus est, ubi homines deprehensuri os aliquod defuncti dicuntur juxta illud ציון collocaturi, quod vaticinatus Propheta est על העתיד לבא שיעשו ישראל ציונין על עצמות הפגרים המושלכין ורמז הוא שלא בא הכתוב אלא להזהיר וללמד שיהא אדי עושה ציון: quemadmodum ad citat. in Gemara dictum scribit Raschi. Nomen ציון unde descendat, indagare hic non abs re erit. Nonnulli illud ab inusitata Radice צין derivant, quod Lexicographi plerique & *R. Sal. B. Melech in M. J. f.* קכ *col.* 3. *cir. med.* faciunt. Grammaticorum inter Hebræos princeps (uti salutatur *Cl. Pokok. Not. ad Port. Mos. p.* 8.) *Abul Walid Marun Ebn Jannahi*, Davidi Kimchio, qui ejus vitula in plerisque arasse fertur, *R. Jona* dictus ex Arabica illud lingua deducit, in qua صوة significat *partem terræ altiorem durioremque cippum* item & *lapidem viæ indicem*, descenditque à Rad. صوى *exaruit*, cui sententiæ subscribit *Pokok. l. c. p.* 76. Nobis quoque non inconcinne Radix deperdita restitui posse videtur ex Æthiopico ጸወነ፡ *Protexit ac veluti munitionibus defendit*, cui affine est Arabum صون *custodivit*, quoniam in specialiori significatu ציון juxta *R. Tanchum ap. Pok. p.* 77. notat حاجز كالسور يبنا حول المقابر لئلا تطوطها عابر الطريق *Septum instar muri circa sepulchreta exstructum, ne ea conculcent, qui per viam transeunt.* Generali alias notione quodvis סימן (qua voce τὸ ציון explicat R. Nathan in Conc.) ita appellatur. In hoc sensu utuntur eodem Gemaristæ in *Cod. Erubhin fol.* נר. 2. *Edit. Amstel.* ubi sententiæ R. Chasdæ אין תורה נקנית אלא בסימנים probatio subjicitur ex Jerem. 31: 21. additurque עשו ציונים לתורה ומאי משמע דהאי ציון לישנא דסימן *Facite* ציונים *legi. Quem hic sensum habet τὸ Zyun? denotat signum.* In sacris literis specialius notat vel statuam Mercurialem in viis collocari solitam; vel signum aliquod sepulchrale. Prior significatus obtinet Jerem. cap. 31: vers. 21. quod ex contextu apparet & unanimi Rabbinorum consensu firmatur, Raschii, Radak, Tanchum l. c. & Aben Melech in Michl. J. qui omnes ציונים hoc loco dicunt esse

סימנים בדרכים להכיר הדרך De signo sepulchrali manifeste loquuntur locus Ezechielis laudatus, ad quem Raschi Zijun esse scribit סימן שיש כאן עצם של מת כדי שיפרשו ממנו הולכי דרכים itemque 2 Reg. 23: 17. ubi Rex Josia sepulchrum Prophetæ conspicatus quærit מה הציון הלז ad quem locum videri possunt *Ralbag & Aben Melech.* In eadem acceptione legitur ציון in *Mischna Talm. Cod. Niddah cap. 7. fol.* נו *col. 2.* נאמני' על ציון קברות: *Fidem merentur* (gentiles) *in signo sepulchrali*, & apud sequioris ætatis Rabbinos passim, ut plura in hanc rem cumulare testimonia nec artis ullius nec usus sit. Unicum tamen instar ἐπιμέτρου lubet admetiri locum ex libello de Cippis Hebr. in quo Autor ἀνώνυμος inter alia p. 58. l. 18. hæc habet: ערבה שם קבורת ר' חנינא בן דוסא ואשתו ע"ה ועליהם ציונים ואילן חרובין׃ quæ Vir Cl. qui hunc libellum Latinitate donavit, vertit: *Araba, ibi sepulchrum est R. Chaninæ fil. Dousæ & uxoris ejus p. m. quibus supra impositi fornices, qui tamen destructi sunt*; nos ultima paulo aliter: *quibus imposita sunt* (ציונים) *signa sepulchri cum arbore siliquarum.* Rationem mutatæ versionis satis, quod speramus, luculentam tam ex auctore ipso, quam è loco quodam Talmudico inter Excerpta *En Jacob fol.* קלח. *2. lin. 9.* relato requirenti dabimus.

§. 5. Jam quotuplicia hæc signa fuerint, quæ in cautelam immunditiei sepulchris ab Hebræis addi solebant, dispiciamus. Erant illa duum præcipue generum. Signabantur enim Sepulcra vel superexstructo cippo vel affusa calce. Cippos ac monumenta erigere sepulchralia, ut gentilibus antiquus mos fuit: ita & Israelitis passim receptus & vel ab ipso Jacobo ad eos derivatus fuit, qui Gen. 35: 20. super Rachelis sepulchrum מצבה *statuam* posuisse dicitur; qua de consulendus *R. Benjamin Tudelensis in Sepher Masoth p. 47. Ed. L'Emp. Adrichomius Theat. T. S. f. 19. n. 101. Cotovicus L. 2. itin. c. 10. p. 245. Schindlerus in Lex. Pent. pag. 1582. Magnif. Dn. D. Gejerus de Luct. Ebr. C. 6. §. 25. pag. 178. & Summe Reverendus Dn. D. Strauchius Patronus ac Præceptor meus æterno animi observantissimi cultu devenerandus, in pecul. Dissert. de Statua Rachelis Witteb. habita.* Rabbinis istiusmodi ציון dicitur נפש quæ vox uti alias πολύσημος est, (Conf. *Maimonides in More Nevuchim Part. 1. cap. 41. pag. 49. Ed. Buxt. Flacius in Clav. Script. Part. 1. voc. Anima. Capellus in Spicilegio ad N. Test. Glassius in Rhetor. Sacr. Tr. 1. cap. 5. pag. 1101. Dn. D. Gejer. in Cohel pag. 197. in Psalmos p. 47. 346. 398. 556. & passim. Sixtinus Amama in Antibarb. Biblico Lib. 3. pag. 707. Hackspan. Not. Phil. P. 2. pag. 68. 168. Schindl. Lex. pag. 1145. Edwardus Pokok. Not. ad P. M. cap. 2. pag. 19. Joh. Vorstius Philol. Sacr. P. 1. pag. 117. & seqq. Slevogt. disp. de L. Hell. §. 5. 12. Dn. Frischmuth in Dissert. de Messia in S. n. r. cap. 1. §. 1. & seqq.*) ita Talmudicis ad hunc quoque usum inservire cogitur in Cod. Schekalim *fol.* ג. *Ed. Amst.* מותר המתים למתים מותר מת ליורשיו ר' מאיר אומר מותר המת יהא מונח עד שיבא אליהו רבי נתן אומר מותר המת בונין לו נפש על קברו׃ *Reliquum mortuorum* (conferatur) *in mortuos. R. m. cedat hæredibus ejus. R. Meir ait R. m. seponatur usque dum venerit Elias R. Nathan inquit: Ex reliquo mortui exstruunt ipsi cippum super sepulchrum ejus.* Conf. *Cod. Oholot. fol. & Cod. Herubhin c. 4. fol.* נג *1. & Tosapht. itemque Raschi in Glossa ad Gemaram h. l.* Talis itaque Cippus & *Columella* (ut dicitur Ciceroni L. 2. de LL.) erigebatur ab Hebræis duplici fini. Debebat enim facere tum ad præcavendam pollutionem, quæ ad eos, qui sepulchra tangebant, promanabat, tum ad asservandam defuncti memoriam, quem vero finem improbasse videtur *R. Simeon ben Gamaliel*, cujus in *Gemara Hierosolymitana*, prout Talmudi Babylonico inserta est ad l. c. *Schekalim*, sequens recitatur dictum: אין עושין נפשות לצדיקים דבריהם הם זכרונם quod repetitur in *Breschit Rabba* Sect. 82. fol. צב. Ed. Amst. & apud *Maim. in Hilc. Ebel* cap. 4. v. 4. fol. רעה *Ed. Venet. min. Tom. 4.* (ubi etiam videndus *R. Isaac bar Scheschat* adductus *à R. Karro in Keseph Mischnah ad h. l.*) itemque *in En Jacob. fol.* קע *1. Ed. Prag.* Neque enim R. Simeoni animus fuit penitus improbare omnem cipporum structuram, sed quatenus hoc fini ponuntur, ut aliquod inde nomen & memoria defuncto exsurgat, prout hanc ejus mentem explanat *Rabbi Asarjas Parte 3. libri sui, quem Meor Enajim vocat, c. 60. fol.* קפג *Ed. Mantuan.* לא בא רשב"ג לגנות מעשה הציונים לצדיקים בהחלט כי אם רוקא בהיות לרבנו ההוא הטעם אשר נתן בו׳ היינו שמכוין לתת לו זכרון באותו הציון כאלו זולת זה מעצמו לא השאיר אחריו ברכה וזכר׳ כאשר ימצא ציון הלז ביד אבשלום כי אמר אין לי בן בעבור הזכיר שמי׳ אבל כשיכוון במצבה דבר מעיל באופן מה כמו שנזכר לא יהרהר רשב"ג או כל החכם אחריה׃ *Non voluit R. S. monumenta justis posita absolute vituperare, sed duntaxat eo sensu, quo verba ejus alioqui pulchra tradunt; videlicet, quando intenditur, ei (defuncto) statuere memoriam per illud monumentum, quasi absque eo nulla ei superesset benedictio & memoria: quale monumentum fuit manus Absolonis (2 Sam. 18: vers. 18.) dicebat enim: non est mihi filius, ut memoriam conservem nominis mei. Enim vero quando intenditur commodum aliquod ea ratione, ut dictum adversus id neque R. Simeon neque ullus Sapientum sinistri aliquid cogitavit.* Istud commodi in eo præcipue consistebat, quod & sacrorum ministri DEOQUE devoti Nazaræi & quicunque munditiei studebant, ejusmodi cippo moniti cavere sibi ab immunditie sepulchrali eo melius possent. Nam & hunc in finem sepulchris impositos esse cippos docet expresse *R. Tanchum ap. Pok. p. 77.* dum נפש exponens, scribit esse البناية التي تبني علي قبر من نوق كي يعلم انه قبر ويبعد عنه *Ædificium exstructum super sepulchrum, quo dignoscatur sepulchrum esse, atque ab eo longius recedatur.*

§. 6. Alterum (ut in rem præsentem veniamus) signum fiebat CALCE, qua notata antiquitus fuisse Sepulcra Hebræorum monumenta testantur. Insigne & prorsus luculentum ea de re testimonium exhibet *Mischnah Cod. Maasur Scheni cap. 5. §. 1. fol.* ע. *2.* cujus exscribendi labore, cum in not. ad P. M. pag. 81. idem recitet *Cl. Pokok. & Ligtf. in Hor. p. 432.* facile supersedere possemus, nisi illud ipsum repetitum & dilucidius explicatum deprehendissemus in *Gemara Babylon. Cod. Bavakama cap. 7. fol.* סט. *1.* è qua illud una cum inserta Gemaristarum commentatione adduxisse non pigebit: תנן כרם רבעי מציינין אותו בקוזות אדמה סימניה כי אדמה מה אדמה איכא הנאי מינה אף האי נמי כי מפרקה שרו לאיתהנויי מינה ושל ערלה בחרסית סימנ׳ כחרסית מה חרסית שאין הנאי מיניה אף האי דליכא ביה הנאי מיניה ושל קברות בסיד סימני דחיור כעצמות וממחה ושופך כי היכי דנחוור טפי׃ quæ ad mentem Talmudistarum ita reddimus. *Exstat traditio: Vineam anni quarti notabant glebis terræ. Signabant nimirum eam tanquam terram. Cur adhibuerunt terram? Uti ex ea commodum aliquod percipiebatur, (Gl. alio tempore inserendo, arando &c.) ita etiam ex hac vinea. Post factam enim redemptionem inceperunt eam in usus suos convertere. Præputiatam autem* (non testa sed) *argilla* (שעושין ממנה כלי חרס *è qua vasa testacea formant*, ut habet Glossat. ad Maas. S. l. c.) *signabant, cum responderet argillæ. Cur enim usurparunt argillam? Est illa nullius usus* (דכשזורעין בה אינה מוציאה *consita enim nihil producit* id. Gloss. ad M. S.) *ita etiam ex hac vinea nulla utilitas percipiebatur. (Loca) vero Sepulcrorum calce notabant; quoniam alba est instar ossium, & ideo humectabant eam & effundebant, ut eo magis albesceret.* Ex eodem fonte sine dubio promanavit *Glossa Raschii*, quæ cum ad confirmandum hunc ritum insigniter faciat, uti verbis *Mischnæ* מציינין את הקברות *Cod. Moed. Katon. cap. 1. fol.* ב subnexa est, hic apponetur: עושים סימנים על הקברות בסיד דחיור כעצמות כדי שלא ילכו אוכלי תרומה לשם׃ *Solebant sepulcra calce notare, quia alba est instar ossium, ne, qui ablationes comedebant, illuc accederent.* Addemus verba *Rambam*, quæ ad illustrandum similem locum Mischnæ *in Cod. Schekalim fol.* ב. *Ed. Amst.* profert, prout ea ex Arabica in Hebræam translata linguam à R. Josepho ben Isaac, ben Alphual habemus: מציינין על הקברות הוא שמבקרין אותן ואותן שהיו מוצאין שמיחה איתה המים ר"ל שנמחה הציון הבנוי על הקבר היו משימין בו סימן ומחדשין אותו כדי שיהא מקום הטומאה נכר וידוע ויפרשו ממנו חכהני׳ וכבר נתבאר לך שציון קברו הוא בסיד׃ *Signabant sepulcra hoc pacto, visitabant singula & quando inveniebant aliquod ab aqua dirutum, signo videlicet, quod super sepulchrum exstructum erat, abolito, tum signabant & denuo restaurabant illud, ut locus immunditiei notus manifestusque fieret & sacerdotes ab eodem recederent. Est autem illud jam pridem explanatum, quod signum sepulchrale Calce fieri consueverit.* Possent plura in hanc rem allegari testimonia; sed, cum & leges nostræ & chartarum angustia hic pedem figere jubeant, hæc tria sufficiant. Quæ suppetunt alia, in seqq. Capit. in quibus idem argumentum fusius persequemur, adducere licebit.

CAPUT III.

§. 1. JUbet jam instituti nostri ratio inceptam telam pertexere, & quæ levi hactenus brachio tetigimus, ex Hebræorum placitis fusius deducere. Familiare fuisse Hebræis Sepulcralia loca calce notare, sub calcem Capit. præcedentis annotavimus. Observandum autem ulterius est, dealbationi huic non fuisse obnoxia, quæ magnatum virorumque principum erant conditoria in rupibus plerumque & locis editioribus excisa, quæque splendido ornatu omnium oculos incurrebant;

bant; sed, quæ in subterraneis speluncis abdita latebant privatorum plerumque hominum sepulcra, neque primo intuitu cognosci ab omnibus & caveri facile poterant. Ad hujus generis sepulcra, ut & ad quævis loca, quæ ἐπιτάφιον ἡ ex cadavere hominis demortui fovere credebantur, spectasse istam designationem haud obscure colligitur ex Gemaristarum in Cod. *Moed. Katon. fol.* ה. 2. *Ed. Amst.* verbis: אין מציינין על הוודאות (הואיל דברור לכ"ע דאית ביה טומאה וודאית לא מטלטלי באותו מקום טהורות) אבל מציינין על הספיקות ואלו הן הספיקות סככות ופרעות ובית הפרס: *Non signabant (calce) quæ manifesta erant, (cum perspectissimum omnibus esset latere inibi immunditiem, & in confesso non deferri illuc locorum res mundas, Glossa) Signabant vero dubia. Hæc autem sunt dubia* סככות (quo nomine Talmudicis venit אילן המסיך על הארץ והוא סמוך לדרך בית הקברות: *Arbor super terram expansa, quæ juxta viam ad cœmeterium tendentem sita est*, uti Gemaristæ postmodum ipsi h. l. & ad *Mischnam Cod. Niddah fol.* נז *col.* 1. mentem suam declarant,) 2. פרעות (h. i. אבנים גדולות בולטות מהגדר והקבר תחתיהן *lapides grandiores è pariete prominentes, sub quibus sepulcrum latet*, quomodo vox hæc exponitur l. c. & in *Mischnah Cod. Oholot. cap.* 8. §. 2. *fol.* נד *col.* 2. itemque *in Perusch Millot Sarot punctatis Mischnajot subnexo*) & denique, 3. בית הפרס *locus expansionis* s. *ager immundus*, cujus frequens alias fit mentio in Talm. Codd. *Ketubhot fol.* כח. *Erubhin fol.* ל. *Pesachin fol.* צב. *Niddah fol.* לב. נז. & *Becorot fol.* כט. *Schabbat fol.* טו. *Chagigah fol.* ה. *Beracot f.* ב. & alibi passim. Priora duo simpliciter בעי ציון *requirebant signum* דמספקא אי איכא טומאה תחתיו אי לא *quandoquidem dubitandum erat utrum immundities sub illis esset an vero non, imo si vel maxime notum eam sub ramo aliquo arboris latitare, discrimen tamen erat inter ramos, nec constabat præcise locus immundus; quod dicendum quoque de lapidibus, qui junctim è pariete prominebant*, ut ad locum ex *Gemara M. K.* citatum scribit Auctor *Tosephot* fol. ה 2. & *R. Joseph Karro in Schylchan Aruch fol.* קפו. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ adnotamus per גדר הקבר *parietem sepulchri* nihil intelligi aliud, quam quod Hebræi דופק vocant & eadem ratione uti sepulchrum, cujus partem constituit, polluere asserunt in *Cod. Cholin fol.* קכו. 2. & *Oholot. cap.* 2. §. 4. *fol.* מו 1. ad quem locum videri possunt, quæ habet Maimonides Latina toga donata à *Buxtorf. Lex. Talm. pag.* 565. Inter Agros vero ex sepulcro immundos aliquod discrimen servabatur. Nam cum triplex Beth-Happeras genus constituant Hebræi, eoque nomine ipsis veniat שדה שנאבד בה קבר *Ager in quo deperditum est sepulchrum* שדה שנחרש בה קבר *ager, in quo aratum vel arando dispersum est sepulchrum* & denique שדה בוכין *ager plorantium* (de quo videndus *Maimonides Hilc. Tum. Met. cap.* 8. *fol.* תצג 1. *Tom.* 2. *Ed. Ven. Maj.* & *Auctor Tosephot ad Niddah fol.* נז 1.) è tribus istis primi præsertim ordinis Beth-Happeras calce signandum, & à reliqua terra, quæ munda nec ullo inquinata sepulcro erat, distinguendum fuisse asserunt. Ita Gemaristæ *l. c. Cod. M. K.* שדה שנחרש בה קבר לא בעיא ציון והא תניא מצא שדה מצויינת ואין ידוע מה טיבה יש בה אילנות בידוע שנחרש בה הקבר אין בה אילנות בידוע שאבד בה קבר אמר רב פפא כי תניא ההיא בשדה שאבד בה הקבר רציינוה: *Ager, in quo aratum est sepulcrum, nullum requirebat signum. Exstat quidem traditio: Inventus ager (calce) signatus, cum ignoratur cujus sit naturæ, si arbores in eo deprehendantur, constat in eo aratum esse sepulcrum; si nullæ in eo arbores, illic periisse sepulcrum in confesso est; sed dicit R. Papa, hanc traditionem pertinere ad agrum, in quo periit sepulcrum, quem (calce) notabant.* Addatur Glossa Raschii h. l. quæ & rationem hujus differentiæ adnexam habet.

§. 2. Cæterum cum pollutionis ex defuncti hominis cadavere oriundæ triplex daretur modus, & immundities ista contraheretur, במגע באהל ובמשא *attactu, in tentorio* & denique *portatione*, (quem vero postremum modum ἐξ ῥητῶν in Lege nullibi expressum per קל וחומר s. argumentationem à minori ad majus ex ea deducendam esse monent *Maimondes Hilc. Tum. Met.* §. 1. *cap.* 1. & *R. Bechai in Leg. f.* קפו 4. *Ed. Ven.*) ea tantum signo indigere judicabant Hebræi, quæ tentorii immunditie polluebant. Diserte hac de re *Maim. H. T. M. c.* 8. *v.* 9. *fol.* תצג 2. *Tom.* 2. *Ed. Ven. Maj.* & *Tom.* 3. *fol.* שכה 1. *Min.* המוצא קבר או מת או דבר שמטמא באהל מן המת חייב לציין עליו כדי שלא יהיה תלקה לאחרים: *Quicunque sepulcrum inveniebat aut mortuum, aut quicquid de mortuo per tentorium polluebat, tenebatur illud designare, ne aliis offendiculo cederet.* Quod cum è Talmudicis Pandectis ipse hauserit, placet locum integrum è *Gemara Babylonica*, quæ sæpius nobis alleganda erit, *Codicis Moed. Katon.* attexere, è quo distinctius, quid signari consueverit, patebit: ת"ר אין מציינין לא על כזית מן המת ולא עלעצם כשעורה ולא על דבר שאינו מטמא באהל אבל מציינין על השדרה ועל הגלגולת על רובכנין ועל רוב מנין המתיכות מן המת אינו מטמא באהל והא תניא אלו שמטמאין באהל כזית מן המת אמר רב פפא הכא בכזית מן המת מצומצם עסיקי דפוף סוף מיחסר חסר (בקרק' ולהכי אין מציינין) מוטב ישרפו עליו תרומה וקדשים לפי שעה (כשנקבר מחדש) ואל ישרפו עליו לעולם: *Tradunt D. n. Non faciebant (calce) notam super tanto demortuo, quantum est oliva, neque super osse, quod quantitate granum hordei æquabat, nec super ulla re, quæ in tentorio non polluebat; sed signabant super spina dorsi, super calvaria, super maxima parte structuræ (Gl. ossium grandiorum, qualia sunt ossa medullam continentia) itemque super majori numero ossium demortui. (Gl. licet non essent è grandioribus,* quæ omnia immunditie tentorii polluere asseritur in *Oholot. cap.* 2. §. 1. *Quodcunque ex cadavere defuncti olivæ magnitudinem referebat, non polluebat in tentorio. Exstat quidem traditio (in Ohol. l. c.) Hæc sunt, quæ in tentorio polluunt, tantum de mortuo quantum est oliva &c. Sed dicit R. Papa: Hic lis movetur de tanto mortui, quantum est Oliva, presse s. stricte tali, quod cum tandem prorsus exspiret (Gl. in terra, ideo non addunt signum) Melius est semel super illo oblationem & sanctitates comburere (Gl. quando scil. recens sepulchro est inditum) haud (necesse est, ut) semper comburantur* (quod alias fieri debebat, quoties ad locum sepulchralem calce notatum per imprudentiam delatæ essent oblationes sacræ, uti ad h. l. observat Glossator). Erant adhuc alia, quæ cum plane ut מת שלם *integrum hominis demortui cadaver* polluere crediderint Hebræi, quin aspersa calce notata fuerint, dubium nullum est, cum juxta Auctorem *Toseph. ad Cod. Niddah fol.* נז 1. *lin.* 13. לכל הפחות יש לציון בטומאת אהל: *quævis res minima, quando in tentorio polluebat, signum requireret.* Ita præter ea, quæ Gemara adducit, Codex Mischnicus Oholot l. c. recenset מלא תרווד רקב *plenum cochleare putredinis* h. e. pulveris è corpore putrefacto itemque רובע עצמות *quartam partem ossium* absque discrimine spectatorum, intelligens, prout illud in *Comment. ad h. l.* nec non in *Jad. Hilc. Tum. Met. fol.* 2. §. 9. *fol.* שיח 1. *Tom.* 4. *Ed. Ven. min.* exponit Rambam, רובע הקב *quartam partem Cabi*, quæ mensura alias peculiari nomine לוג dicitur, & à *R. Tanchum apud Pok. in not. P. M. pag.* 361. statuitur esse ما يع ولربع من اهم بالتقر يب *drachmarum circiter centum & quatuor.* Quæ omnia utut ab Ebræorum Jurisconsultis, quos in talibus juvit esse κυμινοπρίστας solicite pertractata deprehendantur, nolumus tamen nos ἀκανθολόγους agere, & istiusmodi minutiis persequendis diutius immorari memores sententiæ illius Rabbinicæ, quam R. Meir suggerit in *Chagigah fol.* טו. 2. *lin.* 33. רימון מצא תוכו אכל קליפתו זרק.

§. 3. Illud interim sicco adeo pede prætereundum non est, quæcunque de טומאת אהל *immunditie per tentorium* & signi sepulchralis necessitate prolixe disputant Hebræorum magistri, ab iisdem certis limitibus circumscribi & de Israelitarum tantum sepulcris intelligi. Gentilium enim cadavera uti non nisi attactu & portatione polluere asserunt: ita etiam sepulcra à pollutione tentorii & consequenter à designatione calce fieri solita excipiunt Hebræi. Luculenta sunt verba *Maimonidæ in Hilc. Ebel. cap.* 3. *fol.* רעו 2. *Tom.* 4. *Ed. Ven. Min.* & *Tom.* 2. *Edit. Maj.* תשנג. אין הגוים מטמאין באוהל לפיכך קברותיהם טהורים ומותר לכהן ליכנס לשם ולדרוך על קברותיהם ואינו אסור אלא שיגע בטומאה או שישאנה: *Gentiles non polluebant per tentorium, propterea etiam Sepulcra eorum judicabantur munda, licitumque erat sacerdoti illuc accedere, & super sepulcra ipsorum ingredi, nec prohibebatur, nisi ut ne immundum contingeret portaretve.* Neque recentiorum hoc esse placitum χθὲς ἢ πρώην excogitatum, sed & antiquioribus idem persuasum fuisse liquet ex *Sohar*, antiquissimo Hebræorum libro, in quo *fol.* נ. *col.* קצט *Ed. Lublin.* sequentia leguntur Cabbalistico stylo adornata. ת"ח מה בין ישראל לע"ע רישראל כד אשתכח בר נש מית הוא אסתאב לכל ביתא וגופא מסאבא וע"ע לא אסתאב לאחרא והוא לא מסאב כד איהו מית מ"ט ישראל בשעתא דאיהו מית כל קדושי דמאליה מתעברין מניה אתעבר מניה האי צולמא קדישא את:כר מניה רוחא קדישא כיון דקדושי דמאריה אתעברן מניה הא גופא מסאב' אבל ע"ע לאו הכי בחייו הוא מסאב בכל סטרי מסאבותא צולמא דיליה מסאבי רוחא דיליה מסאבא ובגין דמסאבין אליו שריין בגויה מסאבא הוא בכלא ואסור לקרבא בהדיה כיון דמית נפקן מיניה כל אלין מסאבן ואשתכח גופא בלא מסאבותא ולא מסאבא ואע"ג דגופא דילהון בין בחייהון בין במיתתהון מסאבא אבל בחייהון דכל מסאבין משתכחי גביהו מסאבין למאן דיקרב בהדייהו במיתתהון דהא נפקי כלהו מסאבא מניהו לא יכיל לסאבא לאחרא: *Accede & vide, quidnam intersit inter Israelitam & Idololatram. Israelita, cum quis mortuus deprehenditur, contaminatur in quavis domo, & corpus (defuncti scil. Israe-*

Israelita) polluit. At Idololatra non contaminatur alio, neque ipse, cum vita functus est, polluit. Quodnam hujus rei fundamentum est? Ab Israelita ea hora, qua fatis concessit, tolluntur omnes sanctitates luminis ejus, separatur ab eo imago sancta, secedit ab eo Spiritus S. Quando autem sanctitates luminis ejus ab eo sublatæ sunt, cadaver polluit. At Idololatra non item. Ipse in vita sua polluit, omnibus immunditiei lateribus, imago enim ejus polluit polluit, Spiritus ejus, &c, quandoquidem immundities in corpore ejus residet, polluit ipse in totum, vetitumque est appropinquare ad eum. Simulac autem vita excessit, secedit quoque ab eo omnis isthæc immundities, deprehenditurque cadaver expers immunditiei, neque contaminat. Etiamsi enim corpus eorum tam vitale quam mortuum polluat, quandoquidem tamen, cum adhuc in vivis sunt, omne immunditiei genus apud eos reperitur, contaminant eum, qui ad eos propius accedit, at mortui, quoniam quæ polluebant, ab eis omnia discesserunt, nequeunt inquinare alium. Conf. et. *Jalkut Chadasch fol.* קג. *col. 4. Ed. Amst.* Ratio, qua ex Scriptura colorem addere huic asserto suo nituntur, nullius est momenti. Eam exhibet in *Cod. Jevamot fol.* ס. 2. *c. f.* Rabbi Simeon ben Jochai, quem Judæi alias auctorem libri Sohar faciunt: היה ר' שמעון בן יוחאי אומר קברי נכרים אינם מטמאין באהל שנא' ואתן צאני צאן מרעיתי אדם אתם אתם קרויין אדם ואין הנכרים קרויין אדם: *Solebat R. S. b. J. dicere: Sepulchra extraneorum non polluunt in tentorio* (vel juxta explication. Raschii המאהיל עליהם *instar tentorii illa obumbrantem V. Rambam H. T. M. cap. 1. & 10.) Dicitur enim* (Ezech. 34: vers. 31.) *Vos grex meus, grex pascuæ meæ, Vos Homines estis. Vos (Adam) homines vocamini, Extranei non dicuntur (Adam) homines*, (jam autem circa immunditiem, quæ per tentorium contrahitur, ita statuit lex Num. 19: vers. 14. אדם כי ימות באהל). Videri etiam potest Cod. *Bava Mezia fol.* קיד. 2. ubi eadem ratio R. Simeoni adscripta recurrit. Nec dubitarunt eam repetere *Auctor Tosephot ad Bava-Batra fol.* נח. 1. *R. Maimonides in Præfat. Commentario in Seder Taboroth præmissa fol.* א. *col. 1. Ed. Amst.* (quanquam hic postea ἀσυστασίαν istius rationis animadvertens in Jad Chasakah, quem librum ætate provectior edidit, *Hilc. Tum. Met. cap. 1. fol.* תצא. 2. *Tom. 2. Ed. Ven.* paulo solidiori fundamento ex Num. 31: 19. deprompto sententiam suam superstruxerit) & *Rabbi Bechai in Leg. fol.* קפג. *3. c. f. Ed. Crac.* è quo cum in conciliandis Scripturæ locis occupetur, in quibus etiam τοῖς ἔξω nomen אדם aperte tribuitur, nonnulla lubet excerpere: אין מטמאין באהל אלא ישראל הקרוין אדם שנ' אדם אתם ואע"פ שמצינו גבא ומות ונפש אדם י"ו אלף כבר תרצו ביבמו' פרק הבא על יבמתו משום בהמה וכן נמי מה שכתוב רבוא אדם אשר לא ידע וגו' התם מפרש נמי משום בהמה כלומר שלא נקראו האומות בשום מקום אדם בלבד אלא אם כן יזכיר הכתוב בהמה ומה שכתוב אשר יעשה אותם האדם ודרשו רז"ל כהן לוי וישראל לא נאמר אלא האדם מלמד שאפילו גוי ועוסק בתורה הרי היא ככהן גדול כן דרשו בסנהדרין אך פירשו בזה כי הוא מיתור הה"א שבה לרבות אפילו גוי שהרי לא אמר אשר יעשה אותם אדם: *Non nisi Israelitæ polluunt in tentorio, quippe qui (Adam) hominum nomine veniunt, uti dicitur. l. c. Vos estis Adam. Nam licet etiam de Gentilibus reperiamus scriptum (Numer. 31: 40. 45.) Erant animarum (Adam) hominum sedecim millia, pridem tamen id dubii expeditum est in Jevamot cap. 6. l. c. id factum esse propter jumentum. Similiter quod annotatum legimus (Jon. 4: vers. 11.) Myrias Adam quæ non novit &c. ibidem explanatum etiam est, factum scil. esse propter jumentum; q. s. d. v. Nullibi locorum gentiles dicuntur (Adam) Homines separatim, sed si quando ita vocantur, Scriptura quoque jumenti mentionem facit. Quod autem scriptum reperitur* (Lev. 18: 5. Præcepta mea & statuta mea) *quæ faciet (Ha-adam) Homo, quodque ita exponunt Doctores n. l. m. Non dicitur* (quæ faciet) *Sacerdos aut Levita aut Israelita, sed (Haadam) Homo, quod docet etiam gentilem Legis divinæ studiosum Pontifice magno nihilo esse inferiorem, prout hæc interpretatio occurrit in Sanhedrin fol.* נט. 1. (imo & in Bava Kama fol. לח. 1. & Avodah Sarah fol. ג. 1.) *illud duntaxat ita declarant, quod ex superfluo He (Emphatico) proveniat, quod adest ad indicandam multitudinem, nimirum etiam gentilem* (si fecerit statuta divina, per ea victurum) *Neque enim dicitur quæ faciet Adam (sed Haadam)* Conf. & *Tosapht. ad l. c. Jevamot.*

CAPUT IV.

§. 1. PErlustratis ordine locis sepulcralibus, quæ calce notari antiquitus solebant, è re nostra fuerit & modum, quem in administrando hoc ritu tenuere veteres Hebræi, paucis expendere. Eum succincte descriptum exhibet *Mischnah Cod. Maasar Scheni cap. 1. §. 1. fol.* ע. 2. מציינין קברות בסיד וממחה ושופך *Signant sepulcra calce, quam aqua macerat & affundit.* Cum enim in designatione sepulcrorum præcipue curandum esset, ut calx immunditiei index sub terra delitescentis prætereuntium, qui moneri debebant, oculis se facile offerret, non solum, quæ melioris esset notæ & colore nitido & albicante præcipue emineret, (quali alias Judæi vastato jam templo in obducendis ædium parietibus uti prohibentur in *Talm. Babylon. Codd. Schabbat fol.* פ. 2. & *Bava Batr. fol.* ס. 2.) adhibenda, sed & aquis probe maceranda erat, ut eo magis albesceret, eoque citius nitore suo oculos עוברים והולכים subiret. Nam & hoc præcipue fini in signandis sepulchris calce intrita usos fuisse veteres, ex iis patet, quæ è *Babylon Gemara Cod. Bav. Batr.* sub finem cap. II. recensuimus. Aquis ita temperata calx super ipsum sepulcri locum postea diffundebatur. Ad quam effusionem digitum intendere videntur Gemaristæ in *Gemara Hierosolymitana Cod. Babyl. Schekalim* subnexa *fol.* ד. scribentes: מת יבנה לו נפש על קברו ויעשי לו זילף על גבי מיטתו *Defuncto cippus erigitur super sepulchrum ejus, & peragitur effusio super lecto ejus;* nisi forte & alium hic occultasse sensum & per זילוף largam lachrymarum effusionem intellexisse dicendi sunt, quam à propinquis משום יקרא דשכבא *in honorem defuncti* institui solitam tantopere commendat *Maimonides Hilc. Evel. cap. 12. §. 1.*

§. 2. Neque vero sufficiebat labori huic dextre peragendo opera perfunctoria, sed requirebatur accurata & ad amussim exacta diligentia. Summo enim studio omne illud spatium, quod in cavernis subterraneis occupabant sepulchra, in superficie terræ calce signandum erat. Idcirco, qui recte defungi hoc munere volebant, ut eo certiores fierent, quousque se immundities Sepulcri diffunderet, speluncam ipsimet ingressi cavorum, qui sepulcrorum erant receptacula (Conf. qui sepulcrorum apud Hebræos formam delinearunt *Casaub. Exercit. adv. Baron. pag. 578. Ligtfoot. Hor. pag. 171. Magnif. Dn. D. Gejer. de Luct. Ebr. cap. 6. §. 11. pag. 137. J. H. Otto Lex. Phil. Rabb. pag. 345. Saubertus in Palæstr. Theolog. pag. 214. aliique*) à se invicem distantiam & amplitudinem adhibita etiam norma curatius explorabant. Quod ne ex nostra mente nulla subnixi auctoritate videamur disserere, operæ pretium erit subjungere è Gemara Babylonica locum prolixiorem quidem & fabulis refertum, dignissimum tamen, cum graphice rem omnem depingat, qui totus adscribatur. Relatus inter *Excerpta R. Jacob* primum se nobis obtulit in *Beth Jacob fol.* פ. 3. *Ed. Crac.* sed placet eundem ex Talmude ipso *Cod. Bava Batra fol.* נח. 1. cum inserta, ubi opus fuerit Glossa Raschii, quæ concisius dicta dilucidius explicat, proponere: ר' בנאה הוה קא מציין מערתא כי מטא למערתא דאברהם אשכחי' לאליעזר עבד אברהם דקאי קמיה בבא אל מאי קאעביד אברהם א"ל גאני בכנפה דשרה וקא מעייני ליה ברישיה א"ל זיל אימא ליה בנאה קאי אבבא א"ל ליעול מידע ידיע דיצר בהאי עלמא ליכא עייל עיין ונפק כי מטא למערתא דאדם הראשון יצתה בת קול ואמר נסתכלת בדמות דיוקני בדיוקני עצמה אל תסתכל הא בעינא לציוני מערתא כמדת החצוני' כך מדת הפנימי' ולמ"ד שני בתים זולמעלה מזו כמד עליונה כך מדת התחתונה: *R. Bannaah (calce) signabat speluncas* (Glossa: *Quoniam enim vir erat summæ existimationis, ideo ei potestas data intrandi sepulcra justorum, quod alii non licebat, cum majores esse dicantur justi post obitum suum, quam cum adhuc in vivis essent. Ingressus itaque speluncas longitudinem earundem intus mensurabat, & post ex adverso foris tantundem spatii emensus* עשה ציון סיד *calce signum faciebat, ut immundities loci manifesta fieret, nec sancta illuc deferrentur.) Cum venisset ad speluncam Abrahami, invenit Eleasarem servum Abrahami ante ostium stantem* (Gloss. *occurrit enim traditio in Massechet* דרך ארץ זוטא [c. 1. c. f. fol. כ. 2. Ed. Amst. ubi tamen non 7. sed cum fœminis novem imo 10. recensentur] *Septem justos adhuc superesse nondum vita functos, & his etiam annumerari Eleasarem) ex quo cum quæreret quid ageret Abraham respondit ille: Cubat in ulnis* (*Gl. inter brachia*) *Saræ, quæ in caput ejus attente intuetur. Tum Bannaah ad servum: Ito, inquit, & dic illi: Bannaah stat ante fores. (Quod cum fecisset) dixit ei Abraham: Introeat, novit enim optime, non dari concupiscentiam pravam in hoc mundo. Intravit, vidit (Gl. capacitatem speluncæ) & exivit (Gl. signavitque postea extrinsecus locum calce). Cum autem contendisset ad speluncam Adami protoplasti, exivit Bat-Kol* (φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) *dicens vidisti imaginis meæ similitudinem* [Jacobum nempe in eadem spelunca cum Abrahamo quiescentem quem paulo post venustatem referre Adami nugantur] *ipsam imaginem meam*

meam non videbis. Oportet tamen me (regerebat Bannaah) signare speluncam. (Responsum tulit) uti se habet mensura exterioris (Gloss. *in qua tres Patriarchæ quiescunt*) *ita etiam interioris. Qui vero dicit ex duabus istis speluncis unam esse supra alteram* (de eo enim adhuc lis est inter Doctores Raf & Samuel *in Gemara Cod. Erubhin fol.* נג. 1. *lib.* 6.) *fert responsum: Quæ superioris eadem & inferioris mensura est,* (*Gl. sufficietque si superiorem calce notaveris.*

§. 3. Aliam autem rationem tenebant Hebræi, quando immunditiës בית הפרס s. agri, in quo deperditum erat sepulcrum, designanda erat. Neque enim tum toto agro diffundebatur calx, sed solum in extremitatibus termini, quibus signari ager solebat juxta illud, quod legitur in *Bava Batra fol.* נד. 1. שדה המסויימת במצריה *ager signatus in terminis suis* h. e. ut exponit Glossa שיש לה מצר בד׳ רוחותיה *terminos habens in quatuor plagis suis dispositos* calce incrustabantur. Id enim volunt verba *Maimonidæ Hilc. Tum M. c.* 8. *fol.* שכה. 2. מצא ארבעה מצרית מצויינין הן טהורין וכל השדה כולה טמאה *Cum quis inveniret quatuor agri terminos* (*calce*) *signatos, isti quidem mundi erant, sed totus ager in universum erat immundus.* Istud generatim in quavis designatione locorum sepulcralium observandum erat, ne præcise super locum immundum calx effunderetur. Rationem subministrat *Gemara Cod. Moed Kat.* loco sæpius allegato: אין מעמידין ציון במקום טומאי שלא להפסיד את הטהורות *Non ponebant signum* (*præcise*) *super locum immunditiei, ne res mundas perderet. Nam si quis* (addit Scholiastes) *immunditiem sub signo latentem non animadvertisset prius, quam ad signum devenisset, subito munda contaminata fuissent, quoniam sub signo delituisset præcise immunditiës. Idcirco constituebant quoque* ציון *signum juxta immunditiem paululum distans ab eadem* ומכאן בצידי יהי עודף מכאן) הטומאה *utrinque prominebat ad latera immunditiei*, ut eadem Gemaræ verba pulcre explicat *Maimon. H. T. M. c.* 8. §. 9.) *quo unusquisque ad istiusmodi signum tendens immunditiem adesse intelligeret, & tempestive recederet.* Sed nec illud negligendum erat, quod aliquoties in citata Gemara adducunt Hebræorum magistri: אין מרחיקין ציון ממקוי טומאה שלא להפסיד את ארץ ישראל *Non protendebant justo longius extra locum immunditiei signum, ne corrumperet terram Israelis*, quæ verba etiam Maimonides recitat loco allegato. Ut autem horum omnium eo major haberetur ratio, neque temere vel ex incogitantia, vel ignorantia aliquid prætermitteretur, præsente viro erudito rerumque intelligente dealbatio ista, præsertim, quæ publica auctoritate fiebat, institui solebat, quod ex eadem Gem. M. K. d. l. colligitur: רבו יהודה אימר עד שיהא שם זקן או תלמיד לפי שאין הכל בקיאן בדבר אמר אביי משע מינה צורבא מרבנן דאיכא במתא כל מילי דמתא עליה רמיא *R. Jehuda dicit:* (*Expectabant*, id enim vel simile quid in locutione Elliptica supplendum) *donec interesset senex aut discipulus* (*sapientis*). *Non enim omnes rem explorabant. Ad quod Abbai respondit: Quantum inde intelligo in virum acie ingenii pollentem, qui in civitate est, omne negotium civitatis devolvitur.*

§. 4. Incumbebat cæteroqui omnibus, quibus sepulcra tangere expresso mandato non erat prohibitum, id muneris, ut, quoties occurreret Sepulcrum, vel nunquam ante hæc notatum, vel temporis injuria aut casu aliquo signo vacuum, posito indicio illud, ne posthac cuiquam offendiculo esset, detegi curarent, quod ex Maimonidæ sententia cap. 3. §. 2. adducta patet. Præcipue tamen hanc curam suam faciebat Magistratus, qui quotannis שלוחי ב״ד *Legatis domus judicii* inter alios labores & hunc imponebat, ut sicubi in sepulcris calcis affusæ indicia obscuriora reddita, aut penitus deleta deprehenderent, eadem restaurarent, & affusa denuo calce omnibus patefacerent. Ita enim *Maimonides Hilc. Schevit. Jom. Tob. cap.* 7. §. 11. *fol.* קסו. 2. *Tom.* 2. *Edit. Ven. Maj.* יוצאים שלוחי ב״ד להפקיר את הכלאי׳ וכו׳ ומציינין על הקברות שמיחו גשמים את ציונם בדי שיפרשו מהן הכהנים *Prodibant Legati domus judicii ad visitanda Heterogenea &c.* (Conf. *Maimon. in Hilc. Kelaim cap.* 2. *seqq.*) *Et notabant sepulcra, quorum signa aqua pluvialis deleverat &c.* Fiebant autem hæc statis anni temporibus, mense plerumque Adar, quod planum est ex *Mischnah Cod. Schekalim cap.* 1. §. 1. in festo parvo, ut tradunt Mischnici Doctores in *Moed Katon cap.* 1. §. 1. *fol.* ב. 1. משקין בית השלחין במועד וכו׳ ומתקנין את המקולקלות במועד ומתקנין את קלקולי המים שברשות הרבים וחוטטין אותן ומתקנין את הדרכים ואת הרחובות ואת מקוות המים ועושין כל צורכי הרבים ומציינין את הקברות ויוצאין אף על הכלאים: *Irrigant agrum siticulosum in festo &c. reparant quoque destructa in festo, corrigunt aquas corruptas in plateis, & fodiendo inquirunt eas, reparant vias itemque plateas & receptacula aquarum, faciuntque omnia, quæ necessitatem publicam respiciunt, signant sepulcra atque etiam propter Heterogenea egrediuntur.* A quibus diversa non sunt, quæ prodit *Maimonides Hilc. Tum. M. c.* 8. §. 9. *fol.* הצג. *Tom.* 2. *Ed. Ven. Maj.* dealbationem hanc asserens institui solitam בחול של מועד *diebus festi profestis*, cum illi ipsi Hebræis nomine מועד absolute veniant teste eodem *Maimon. in Hilc. Schevit Jom. Tob. cap.* 6. §. 22. *fol.* קסג. 1. ימים שבין ראשון ושביעי של פסח וראשון ושמיני של חג הסכות והן בכולה ארבעה בתוך הפסח וחמשה בתוך החג הם הנקראין חולו של מועד ונקראין מועד: *Dies, qui sunt inter primum & septimum Festi Paschatis, itemque inter primum & octavum festi Tabernaculorum, qui in universum sunt quatuor intra festum Paschatis & quinque intra festum Tabernaculorum, vocantur dies festi profesti itemque Moed s. Festum absolute.* Hisce intermediis festi diebus etsi non quosvis aggredi labores licebat, qua de re conferri possunt præter *Rambam l. c. cap.* 7. §. 1. prolixius disserentes *Rabbenu Ascher & Auctor Pisike Tosephot ad Cod. Moed Kat.* nec non *R. Joseph Karro in Schylchan Aruch*, eos tamen permissum erat suscipere, qui ad publicam spectabant necessitatem, nec sine præsentissimo damno omitti poterant, prout illud ex magistrorum placitis in notatis ad *Cod. Moed Katon c.* 1. §. 1. *fol.* ב. 1. satis dilucide docet *Raschi:* איזו מלאכה אסורה בחולשל מועד ואיזו מותרת ומלאכה שיש בה הפסד אם אינו עושה כגון להשקי׳ בית השלחין התירו חכמים *In profesto festi quodnam opus vetitum, quodnam licitum erat? Laborem, cujus neglectus cum damno conjunctus erat, v. g. irrigationem agri siticulosi, indulserunt Sapientes.* Refert tamen *Maimonides* & id fuisse requisitum, ut opus, quod diebus istis profestis licebat suscipere, difficultate omni & molestia vacaret. Verba ejus sunt *H. Schev. J. T. cap.* 7. §. 2. *fol.* קסג. 2. כל מלאכה שאם לא יעשה אותה במועד יהיה שם הפסד הרבה עושין אותה ובלבד שלא יהיה בה טורח הרבה: Istius igitur generis laborem & sepulcrorum designationem fuisse statuunt Hebræi. *Auctor Tosephot ad M. K. l. c.* מציינין את הקברות דליכאטירחא *Notabant Sepulcra calce* (videlicet במ״ק de quo ibidem sermo est) *cum id nullius esset molestiæ.* Sed & publicæ necessitati diligenter observato hoc ritu consultum fuisse liquet ex *Gemara Hierosolymitana* in Babylonico Talmude *Codici Schekalim* subjuncta *fol.* ב. 4. אלו הן כל צורכי הרבים דנים דיני ממנות דיני נפשות וכו׳ מציינין עלהקברו׳ *Hæc omnia publicam necessitatem respiciunt, judicia instituere pecuniaria, criminalia &c. & sepulcra* (*calce*) *signare.*

§. 5. Erat enim è re omnium sepulcralem immunditiem, quam, quotquot contrahebant, polluti 7. diebus judicabantur, sub terra in occulto latitantem in apricum proferre, & apposito signo manifestam reddere, quo, qui sanctitati studere debebat, DEO sacer populus, à frequenti ad Sepulcra accessu & inde resultante immunditie cavere sibi eo melius posset. Præcipuum tamen commodum ex hac designatione redundabat in Nasiræos & Sacerdotes, quibus, ut ob interdictum divinum non licebat pollui mortuis exceptis sex propinquis, quibus Sacerdos pollui poterat vi Legis divinæ Levit. 21: 2. & מת המצוה s. *mortuo præcepti*, quo non Nazaræos solum & כהן הדיוט *Sacerdotem vulgarem*, sed ipsum Sacerdotem Magnum, cui alias ex Lege nunquam licebat immunditiem contrahere ex mortuis, ne quidem propinquis ob rationem adductam à *Rambam in More Nevuchim Part.* 3. *cap.* 47. *fol.* קסו. 2. *c. f. Edit. Savion.* contaminari potuisse Hebræorum est sententia, (de qua præter allegatos *cap.* 1. *huj. Diss.* §. 2. conf. *Tosiphta ad Cod. Niddah fol.* סא. & *R. Abrah. Menachem in Minchah Belulah fol.* קכר. 1. *Ed. Veron.*) ita neque permissum erat inquinari לכל טומאות הפורשות ממנו videlicet sepulcro ejusque operculo & lateribus aliisque rebus sepulcralibus, quas fusius recenset *Karro in Schylchan Aruch Part.* 2. *fol.* קפו. *Ed. Ven.* Inprimis cavere debebant sibi ab immunditie sepulcrali Sacerdotes, quando ad offerendam vel comedendam תרומה *oblationem* vel quod magis arridet *Coccejo in not. ad Cod. Sanhedr. pag.* 131. *Ablationem* accedere vellent, cum ad illam vere pertineret illa φυλακή, quam Alcorano inscribere solent Muhammedani referentibus *Golio in Gram. Arab. Erp. Præf. ad Sur.* 31. & 61. *p.* 182. *Hottingero in Orient. Hist. Lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 313. & *Biblioth. pag.* 156. *Schickardo in Jur. Reg. cap.* 2. *pag.* 51. & *Dn. D. Pfeiff. in Fascic. Diss.* 4. *pag.* 84. لا يمسه الا المطهرون *Non contingent eum nisi mundi.* Qui enim mundam oblationem immundus attingebat, incurrebat pœnam כרת *exterminii*, (qua de præter citatos ab *Ottone Lex. R. Phil. pag.* 122. consul. *R. Bechai in Legem fol.* קנא. 3. & *seqq. Edit. Cracov.*) seu, ut loquitur *Maimonides Hilc. Trumoth c.* 7. §. 1. *fol.* תלא. *Tom.* 2. *Ed. Ven. Maj.* חייב מיתה בידי שמים *reus erat mortis per manus*

DEI

DEI vel cælitus infligendæ, quam tamen, ut hæc ἐν παρόδῳ addam, à כרת מיתה alibi aperte distinguunt Hebræorum magistri in *Moed. Katon. fol.* כח. 1. itemque *R. Abarbanel in Nachalat Avot. c. 5. f.* מח. 1. *circ. med. Edit. Constantinop.* & *R. Joseph Chajon in* מילי דאבות *fol.* נב. 2. *Ed. Ven.* Nec Sacerdotes solum, sed & omnes eorundem domesticos בין זכרים בין נקבות ועבדיהם הכנענים quibus fas erat vesci oblationibus, (Vid. *Rambam l. c. cap. 6.* §. 1.) eo tempore, quo iisdem frui volebant, abstinere debuisse à morticiniis & sepulcris dubium nullum est, etsi alias à sepulcrali immunditie nullo mandato prohiberentur, quod docet iterum toties à nobis laudatus عالم بسنن اليهود *Juris Judaici peritissimus* (ut *auctori Hist. Medic.* audit apud *Pok. Præf. ad P. M.*) *Maimonides Hilc. Ebel. c. 3. f.* תשנר. 2. *Tom. 2. Ed. Ven.* In horum itaque gratiam loca sepulcralia calce notabantur, &, si quando hæc nota procedente tempore imbrium vehementia deleta esset, iterato calx affundenda erat, ne ex τάφοις κεκονιαμένοις fierent μνημεῖα ἄδηλα, quorum meminit Servator *Luc.* 11: 44. sive קברות תהום ut loqui amant Hebræi, *Sepulcra abyssi* i. e. *occulta*, quæ imprudentes polluebant, & causam præbuere fornicibus olim templo Hierosolymitano substructis. Ob hanc enim rationem, ne ex sepulchris occultis, quæ à multis retro temporibus illuc reposita mansisse metuebantur, immunditiem aliquam contraherent, qui in templo sacris aliquando operaturi essent, subterraneos fornices & porticus arcuatos, quibus templum impositum fuisse testatur quoque *Cod. Middot. p. 33. ex edit. L'Emp.* ædificatos esse refert *Auctor libelli de Cipp. Hebr. p. 22.* תחת בית המקדש כפות ועמודים בנין נורא מאד והוא בנין דוד המלך ע"ה שבנה יסודות בית המקדש ועשה אלו הבנינים תחת בית המקדש מפני טומאת קבר והתהום: h. e. è versione Cl. Hottingeri: *Infra domum sanctam sunt multi fornices, & columnæ magnifice valde Davidis nempe Regis p. m. structæ, qui ædificavit fundamenta domus sanctæ, fecitque has structuras sub æde sancta propter pollutionem sepulcri occultam.* Addatur *Schevet Jehudah fol.* מח. *Ed. Amst. in vers. vero Cl. Gentii p.* 539. Quibus plane gemina sunt, quæ in *Hilc. Parah Adumah c. 3. §. 1. fol.* שמו. 1. *Ed. Ven. Min.* tradit noster *Maimonides*, quotannis, cum vacca rufa à Sacerdote extra הר הבית s. montem Templi comburenda esset, sacerdotem ob eundem metum קבר התהום non incessisse via ordinaria, sed in suppedaneo eum in finem exstructo מהר הבית להר המשחה & arcubus suffulto, ita ut duobus arcubus unus esset impositus; imo in monte oliveti, locum שריפה וטבילה fornicibus fuisse suffultum, qualia etiam in Talmude Babylonico *Codd. Parah, Middot & cap.* טבול יום *h. e.* 12. *Cod. Sevachim* legi ad h. l. *Maimonidæ* observat *R. Joseph Karro in Keseph Mischneh.*

§. 6. Constitutum erat post explicatam satis ex Hebræorum institutis rationem τῶ τάφων κεκονιαμένων de mente ac sensu verborum Christi cupientis hac parabola à Sepulcris calce notatis petita notare mores personatos hominum צבועים *fucatorum*, uti dicuntur in *Talm. Cod. Sotah f.* כב. 2. (h. e. juxta Raschium in glossa שאין מראית כתולדותם אלא צבועי׳ מבחוץ ואין תוכן כברם *quorum externa forma non respondet naturæ eorum; sed picturati sunt exterius, interius autem non est sicut exterius*,) nonnulla, quoad quidem licuisset intra Philologiæ cancellos circumscriptis, disserere; sed, cum بلغ الدلو الي عقد الكرب *plena* (quod ajunt Arabes) jam sit *situla ad nodum imi funis*, ne ابعد من العنقاء *longius quam ubi gryps sit* progredi videamur, hic commentandi finem facimus.

בריך רחמנא דסייען מריש ועד כאן:

M. JOH. PHIL. PFEIFFER

ET

CHRIST. KLEM

DISSERTATIO

De signo filii hominis ad Matth. XXIV: 30.

I. N. J.

I.



Loquens Salvator noster de signis proxime s. immediate antecessuris secundum suum adventum ad judicium extremum, ait Matth. 24: 30. Καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ. *Et tunc apparebit signum, filii hominis in cœlo.* Ubi per particulas καὶ τότε, sermonem suum restringit ad antecedentia, in quibus dixerat, solem tunc temporis & lunam obscuratum iri, casurasque stellas de cœlo, & commotum iri δυνάμεις *virtutes cælorum*, vs. 29. Unde elucescit signum hoc filii hominis, proxime s. immediate esse appariturum ante adventum Domini ad judicium extremum, tum, cum sol & luna & astra fuerint obscurata. Nam & particula τότε (quod est adverbium temporis,) idem notat, quod alias particula εἶτα *commodum*, i. e. ipso eodemque tempore. Quo sensu à D. Joh. Chrysostomo accipi observavit Varinus in Lexico, voce τότε. Nec obstante, quod sol & luna & astra obscurabuntur, φανήσεται h. e. *apparebit*, ut conspiciatur hoc signum. Ubi verbum φαίνεσθαι, usurpatur de evidenti ostentatione ac demonstratione vel apparitione, qualis conspicitur in astris, aliisque lucem ferentibus sive ministrantibus. Est enim à φαίνειν, quod significat λάμπειν *lucere*. Hesychius in Lex. φαίνει, inquit, λάμπει φαντάζει. Et de lucernis aliisque lucem ferentibus ac ministrantibus, inter alia idem verbum accipi ostendit Suidas in Lexico dum ait: φαίνειν, δεικνύειν, φανεροποιεῖν. φαίνειν καὶ ἐπὶ λύχνων, καὶ ἐπὶ τοῦ δεικνύειν, καὶ ἐπὶ τοῦ συκοφαντεῖν. h. e. φαίνειν (significat) *indicare, manifestum facere. Dicitur & de lucernis sive lucem ferentibus, & pro ostendere, & pro calumniari.* Hoc sensu occurrit tum in libris Meteorologicorum Aristotelis, tum alibi, & in Scripturis, veluti Joh. 1: vs. 5. cum dicitur: Τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει. *Lux ista in tenebris lucet.* Et Apoc. 1: 16. Ὡς ὁ ἥλιος φαίνει. *Sicut sol lucet.* Similiter autem & τὸ φαίνομαι usurpatur Matth. 2: vs. 7. τοῦ φαινομένου ἀστέρος, *apparentis stellæ.* Hinc φάσις & φάσμα sive φαντασία h. e. *apparitio sive*-

siderum. Aristoteles lib. I. Meteorolog. cap. VI. init. de Martis stella: Διὰ γὰρ, inquit, τὸ μικρὸν ἐπαναβαίνειν, πολλὰς ἐκλείπει φάσεις, id est, *Quia enim modicum superascendit, raro apparet,* ὥστε διὰ χρόνου φαίνεσθαι πολλοῦ, *ita ut longis intervallis temporum appareat.* Quo sensu & φαντασίας vocabulo utitur, dum eodem cap. de cometa ait: Ἀλλὰ διὰ πολλοῦ χρόνου τὴν φαντασίαν αὐτοῦ εἶναι. *Sed quod apparitio ipsius sit post multum tempus.* Et σύμφασις, ibidem, est multarum stellarum unus emersus & conspectus. Similiter quoque τὰ φαινόμενα inde dicuntur ea, quæ oculorum sensu in cœlo observata sunt, I. Prior. Analyt. cap. XXX. ubi extat. Ληφθέντων γὰρ ἱκανῶς τῶν φαινομένων, οὕτως εὑρέθησαν αἱ ἀστρολογικαὶ ἀποδείξεις. *Quippe ibi astrorum ratio longa observatione comperta est* (cum φαινόμενα satis sint observata,) *tum inventæ sunt demonstrationes astrologicæ.* Et in I. Poster. cap. X. §. 30. de subalternatione scientiarum dicitur: Οἷον τὰ ὀπτικὰ πρὸς γεωμετρίαν, καὶ τὰ μηχανικὰ πρὸς στερεομετρίαν ἢ τὰ ἁρμονικὰ πρὸς ἀριθμητικὴν, ἢ τὰ φαινόμενα πρὸς ἀστρολογικήν. *Quomodo ea, circa quæ versatur Optica, ad Geometriam affecta sunt: & quæ tractat Fabrica, ad Stereometriam: & quæ docet Musica, ad Arithmeticam, & ipsa* φαινόμενα *ad Astrologiam.* In quem locum Philoponus commentatus φαινόμενα vocat, observationem apparentium in astris, quæ observantur à nautis. Ptolemæus autem lib. I. Almagesti cap. II. ad φαινόμενα provocat, quæ indubitato ita se habere comperta sunt, partim Priscorum observationibus, partim sua propria. Generaliter autem μὴ φαινόμενα *non apparentia* opponuntur τοῖς βλεπομένοις *visibilibus*, in Epist. ad Hebr. cap. 11: 3. Ex quibus innotescit, quod signum illud filii hominis sit appariturum summa claritate, qualem ullum astrorum habere potest. Et expresse Chrysostomus dicit visum iri, *sole fulgentius.*

II. Apparebit autem hoc signum, ἐν τῷ οὐρανῷ *in cœlo.* Ubi quidem determinate dici non potest, qua parte cœli illud futurum sit, nisi quod ita appariturum sit, ut ab omnibus conspici possit. Et probabile esse videtur, cœlum accipiendum hic esse, vel in prima significatione, vel in secunda. Notum quippe esse debet, quod vox cœli in Scripturis triplici significatione occurrat. Primo namque cœlum accipitur pro regione aëris, sive pro toto illo spatio, quod à circumferentia terræ protenditur usque ad sphæram Lunæ. Quo sensu dicitur Deuteron. 4: 11. *Mons ardebat,* ἕως τοῦ οὐρανοῦ, *usque ad cœlum.* Similiter 2. Samuel. 22: 14. extat: *Dominus tonabat,* ἐξ οὐρανοῦ *è cœlo.* Ita & Psalmo 77: 23. dicitur: Καὶ θύρας οὐρανοῦ ἀνέῳξε, *& januas cœli aperuit.* item Matth. 3: vs. 16. Marc. 1: 10. Luc. 3: 21. legitur, quod baptizato Servatori, & ex Jordane ascendenti *aperti* sint *cœli.* Eosdemque Stephanus moriturus ἀνεωγμένους h. e. *apertos* conspexit, Act. cap. 7: 56. Scilicet, quia sine dubio in supremo aëre apparuit hiatus quidam sensibilis. Neque enim necesse est, ut dicamus ipsam æthereorum cœlorum substantiam dissolutam fuisse ac disruptam: quandoquidem hujusmodi apertio sive divisio in aërea regione potuit vel repræsentari, vel reapse efformari. Ad hunc etiam modum dicuntur *cataractæ cœli* apertæ, Genes. 7: 11. Eodemque sensu è contrario, cœlum claudi dicitur, Deuteronom. 11: 17. & 1. Reg. 8: 35. In specie vero pro aëre infimo, vox οὐρανοῦ accipitur, ut alibi passim, ita & Matth. 6: 26. in quibus locis fit mentio τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ, i. e. *volatilium cœli.* Deinde vocabulum cœli vel cœlorum in Scripturis idem fere denotat, quod ipsam ætheream cœlorum substantiam, hoc est, corpus illud continuum, in quo sunt sol, luna, & astra reliqua: quod incipit à sphæra Lunæ, & pertingit usque ad primum mobile inclusive. Quo sensu vox cœli sumitur in istis verbis Genes. cap. 15: vers. 5. quibus Deus ad Abrahamum loquitur: Ἀνάβλεψον δὴ εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἀρίθμησον τοὺς ἀστέρας. *Respice in cœlum, & numera stellas.* Accipiendum quoque hoc significatu idem vocabulum esse videtur, Hiobi 26: vers. 11. *Columnæ cœli contremiscunt & pavent ad motum ejus.* Esai. quoque cap. 34: 4. dicitur: *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet.* Intelliguntur autem per militiam cœli, astra. Similiter vero tum alibi, tum vero præcipue cœli vox occurrit Deuteronom. cap. 28: vers. 62. Josuæ cap. 10: vs. 13. Hiob. cap. 9: vs. 9. & cap. 38: vers. 32. Syrac. cap. 43: vs. 1. nec non Matthæi cap. 24: vs. 29. Ubi postremo hoc loco mentio fit *virtutum cœlorum.* Tertio denique cœli voce in Scripturis venit illud, quod extra primum mobile est, h. e. sedes beatorum & ipsius Dei, de quo dicitur Psalm. 11: vs. 4. Κύριος ἐν ναῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, κύριος ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτοῦ. *Dominus in templo sancto suo, Dominus, in cœlo solium ejus.* Conf. Esai. cap. 46: 1. Sic Matth. 5: vers. 12. Ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Merces vestra multa in cœlis.* Atque hoc quidem cœlum intelligi etiam potest, per *tertium cœlum*, in quem se raptum esse testatur Apostolus 2 Corinth. 12: vers. 2. Ad eundem autem modum, & in Philosophia vocem cœli tres hujusmodi obtinere significationes Aristoteles docet, lib. I. de cœlo cap. IX. text. 96. in quo ait: *Uno modo cœlum dicimus substantiam extremæ universi circumlationis* ἐσχάτης τοῦ παντὸς περιφορᾶς, *aut corpus naturale, quod in extrema est circumlatione universi. Consuevimus enim maxime extremum & sursum* τὸ ἔσχατον καὶ ἄνω μάλιστα *vocare cœlum, in quo &* τὸ θεῖον πᾶν *divinum omne collocatum esse dicimus. Rursus autem alio modo corpus continuum extremæ circumlationi ipsius universi,* τὸ συνεχὲς σῶμα τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντὸς, *in qua luna & sol & quadam astrorum sunt. Etenim hæc* ἐν τῷ οὐρανῷ *in cœlo esse dicimus. Præterea aliter dicimus cœlum, contentum corpus ab extrema circumlatione*], τὸ περιεχόμενον σῶμα ὑπὸ τῆς ἐσχάτης περιφορᾶς. *Totum enim & universum* τὸ ὅλον καὶ πᾶν *consuevimus dicere cœlum.* Sub qua ultima significatione, etiam aerem comprehendi non obscure patet. Atque hinc quidem est, quod οὐρανὸς apud Græcos dicatur παρὰ τὸ ὁρῶ τὸ βλέπω, quod (cum sursum sit) ab omnibus possit conspici, vel παρὰ τοῦ οὐρῶ h. e. φυλάττω, quod omnia circumstet ac tueatur, prout notat auctor Etymologici magni h. v. Interea magis vero consentaneum esse videtur, appariturum esse signum filii hominis in aëre, voce cœli in prima ista nostra significatione accepta, sicut & Nicolaus de Lyra in Commentar. in hoc loco arbitratur, dum ita scribit: *In cœlo i. e. in aëre, qui aliquando vocatur cœlum, in Scriptura,* scilicet apparebit.

III. Sed operæ pretium erit, ut aliquanto penitius scrutemur, quodnam illud signum futurum sit, quod hoc in loco vocatur signum filii hominis. Sunt, qui dicunt, illud fore summam istam gloriam ac majestatem, quæ mox describitur, dum eodem vers. 30. cap. 24. Matth. dicitur: Ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potentia & gloria multa.* Hanc gloriam & potestatem inquiunt, testaturam esse, Christum, illum Dominum cœli & terræ (qui, quo tempore hæc dicebat, inter vulgares homines censebatur, ac nunc quoque in suis membris contemnitur) adventare, ut orbem terrarum judicet. Alii asserunt, fore illud signum tubam, quæ & ipsa σημεῖον h. e. *signum* dicatur, sicut etiam dicitur *signum dare*, id est, milites ad pugnam ineundam tuba convocare aut excitare; vel à pugna revocare, quorum illud dicitur *classicum*, hoc vero *receptui canere.* Ad confirmandam autem suam sententiam, adducunt locum illum Apostoli, περὶ ἐσχάτης σάλπιγγος *de postrema tuba* 1 Corinth. 15: 51, 52. Ne vero huic ipsorum opinioni obstet verbum φανήσεται *apparebit*, dicunt, quod & de tuba illud possit intelligi. Apparere enim tubam, tum cum tollitur, ac proinde quoque ostendi atque exhiberi eam dicunt, ab eo qui inflat. Sed nullam expositiones istæ merentur dignationem. Utraque enim est recentissima. Cum tamen auctores earundem observare debuissent illud Jeremiæ cap. 6: 16. *Hæc dixit Dominus, state super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.* Item, quod sapiens Salomo in Proverbiis inculcat, cap. 22: 28. *Veteres limites ne moveas.* Quod observavit Hieronymus, dum in Epistola 152. ad Minerium & Alexandrum ita loquitur: *Meum est propositum, antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.* Deinde, utraque harum expositionum est coacta & extorta è textu. Cui enim rite & attente intuenti non apparet, numerari hoc signum filii hominis tanquam ab aliis tum signis, tum circumstantiis in secundo Domini adventu futuris, omnino distinctum ac separatum? Porro utraque petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Probandum enim adhuc est, priori quidem, gloriam illam & potestatem, cum qua venturus esse dicitur filius hominis, esse illud ipsum signum filii hominis; posteriori vero, esse istud ultimam tubam, cujus meminit Apostolus cit. loc. & Christus ipse in vers. seq. 31. Præsertim cum adhuc incertum sit, quanam in significatione vox σημεῖον hoc loco sit accipienda; cum variæ ejusdem significationes passim in Scripturis & bonis auctoribus occurrant. Equidem non negamus, τὸ σημεῖον & σημαίνειν quandoque eandem habere posse etiam apud Græcos significationem, quam *signum* & significare apud Latinos, ut idem denotet atque tibia seu tuba inflata signum dare, quale quid imprimis fieri solet in bello. Sic enim Hesychius in Lexic. σημαίνειν, inquit, προστάττειν, ἄρχειν, δεικνύειν, δικάζειν, βουλεύεσθαι, σαλπίζειν.

Quo

Quo sensu apud Aristotelem, libr. de Mundo, cap. VI. dicitur: Ἐπειδὰν ἡ σάλπιγξ σημήνῃ τῷ στρατοπέδῳ &c. i. e. *simulatque classicum exaudiri in exercitu cœptum est*, vel, simul ac tuba signum dedit. Nec non apud Livium, lib. II. cap. XXIV. *Sensere vigiles, excitatus exercitus, signo dato concursum est ad arma.* Interim tamen adhuc quæritur, an hoc loco etiam idem vocabulum eodem sensu sit accipiendum? Etenim & aliæ ejusdem vocabuli significationes hic observari merentur. V. g. σημεῖον in genere quidem significat, autore Sexto Empirico, lib. II. de Philosophia: τὸ ἐνδεικτικὸν τοῦ ἀδήλου πράγματος, *id quod rem indicat non manifestam.* Vel, ut Suidas habet, ex Scepticorum sententia: Σημεῖον δι' οὗ τὰ ἄδηλα καταλαμβάνεται, *signum* est, *per quod ea, quæ sunt immanifesta, comprehenduntur.* Vel etiam, signum denotat, indicium ac notam alicujus rei sive præteritæ, sive futuræ, sive præsentis. Ita enim Varinus in Lexic. docet hac voce: Σημεῖόν ἐστι σύνθημα πρὸς ἀπταιστον γνῶσιν. Εἴρηται δὲ παρὰ τὸ σημαίνειν τὸ ἀγνοούμενον πρᾶγμα. Δεῖ δὲ τὸ σημεῖον παρεῖναι, καὶ κατὰ τὸ ἐνεστὼς θεωρεῖσθαι. Τὸ δὲ ὑπ' αὐτοῦ σημαινόμενον πρᾶγμα τοῖς τρισὶ πολλάκις συγκαταμερίζεται χρόνοις. Ἔστι γὰρ καὶ παρόντων σημεῖα, ὡς ὁ ἐξιὼν ἐκ τῆς οἰκίας καπνὸς, τοῦ ἔνδον καλουμένου πυρός. Ἔστι δὲ καὶ παρόντα μελλόντων, ὡς ἡ ὁρωμένη τῶν νεφῶν συνδρομὴ, τοῦ ἐσομένου ἐπὶ τῆς γῆς ὑετοῦ. Ἔστι δὲ καὶ παρόντα παρεληλυθότων, ὡς τὰ τῆς ἀνθρακιᾶς λείψανα τὸ κεκαῦσθαι ὑπ' αὐτῆς τὴν πυρκαϊάν. H. e. *Signum, est nota ad inoffensam seu infallibilem* (percipiendam) *notitiam. Diciturque inde, quod significat rem ignoratam. Oportet autem signum præsens esse, & secundum præsens quidem tempus spectari. Res autem quæ à signo indicatur, sæpe tribus dispescitur temporibus. Sunt enim & præsentia præsentium signa, veluti fumus è domo exiens, intus qui vocatur ignis. Et præsentia futurorum, quemadmodum concursus, qui videtur nubium* (signum est) *futuræ pluviæ super terram. Sunt vero etiam præsentia præteritorum* (signa) *veluti reliquiæ statuæ alicujus, quæ indicia sunt, quod sub ista concrematus fuerit rogus.* Confer. Aristoteles, Libr. II. Prior. cap. XXVII. E doctoribus autem Ecclesiæ Origenes lib. IV. Commentar. in cap. IV. Epistol. ad Roman. & Augustinus libr. II. de Doctrina Christiana, cap. I. Deinde, in specie σημεῖον idem quandoque est, quod τέρας h. e. *prodigium, portentum.* Hesychius in Lexic. σημεῖον, τέρας. Et Suidas similiter in Lexic. σήματα, inquit, σημεῖα, τέρατα, *signa, portenta, prodigia.* Quo sensu sumitur Marc. 8: 11. ubi dicitur: ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *quærentes ab ipso signum de cœlo.* Sic & Apocal. 12: 3. & alibi. Vel etiam significat miraculum, prout dicitur Matth. 12: 38. & cap. 24: 24. σημεῖα δώσουσι, *miracula edent*, & Johann. 2: 11. Τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων, *initium miraculorum.* Quamvis notandum sit hoc loco, quod Ammonius è probatis auctoribus in libr. de similitudine & differentia vocum discrimen ponat inter σημεῖον & τέρας. Sic enim ille: Τέρας, ait, σημείου διαφέρει. Τὸ μὲν γὰρ τέρας παρὰ φύσιν γίνεται. Τὸ δὲ σημεῖον παρὰ συνήθειαν. *Inter* τέρας *&* σημεῖον *est discrimen.* Τέρας *enim præter naturam fit*, σημεῖον *præter consuetudinem*, veluti apes in domo. Rursus σημεῖον interdum idem est, quod vexillum, cujus usus est in bello. Sic Julius Pollux lib. I. Onomast. c. X. n. 19. Ἐρεῖς δὲ, τὰ σημεῖα ἤρθη. *Dices porro, signa* i. e. vexilla *convulsa sunt.* Nec non Suidas in Lex. Σημεῖα τὰ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενα σίγνα. Σημεῖα *sic appellantur ea, quæ apud Romanos signa vocantur*, i. e. vexilla. Quo sensu apud Lucanum quoque lib. I. versu 6. extat:

—— *Infestisque obvia signis*
Signa: pares aquilas, ac pila minantia pilis.

Apud Plinium similiter hoc sensu legimus, lib. VII. cap. XV. *Signis collatis quinquagies dimicavit.* Sic & apud Livium lib. XXXIII. c. XXII. deprehenditur: *In eo prælio supra quadraginta millia hominum cæsa Valerius Antias scribit: Et quingenta septem signa militaria capta.* Atque hinc apud Græcos dicti sunt σημειοφόροι, *signiferi, vexilliferi*, apud Latinos vero etiam *antesignani*, qui in acie ante signa constituuntur. Reliquæ vocis hujus significationes alibi videri possunt. Has autem hoc loco ideo attulimus, ut ostenderemus, pari pacto, quo asseritur hoc in loco Matth. 24: 30. σημεῖον idem significare quod signum, quod militibus datur ad pugnam ineundam: dici posse, idem vocabulum significare eodem hoc loco vel indicium, vel miraculum, vel etiam vexillum triumphatorium. Quomodo tamen vicissim peteretur τὸ ἐν ἀρχῇ, nisi rationibus dignis idem adstrueretur. Accedit, quod τὸ φανήσεται *apparebit* verbum, præter suam naturam, nimis incommode torqueatur ad tubam canentem. Ea enim, de quibus φαίνεσθαι *apparere* usurpatur, proprie visus sensu percipiuntur; de tubæ autem sono dicitur, quod auribus percipiatur. Unde Varinus in Lexic. scribit φαίνεσθαι (σημαίνει,) δεῖξιν ἐνίοτε μὲν αἰσθητικὴν ἐν ἐγρηγόρσει. Ἐνίοτε δὲ νοερὰν, καὶ ἐν ὕπνῳ. H. e. verbum φαίνεσθαι *significat interdum quidem talem demonstrationem, sive ostentationem, quæ sensu percipitur in vigiliis: interdum talem, quæ est intelligibilis, quæ fit in somno.* Δεῖξις *ostentatio* vero non auditu, sed visu proprie est perceptibilis. Porro in Scripturis distincta sunt hæc duo, signum, inquam, filii hominis, & tuba postrema: & distincte de utroque extat, quod illud quidem sit apparitu-rum, hæc vero sonitura, & quidem sonitu magno. Sic enim Apostolus, 1 Thessalon. 4: 16. Ὅτι αὐτὸς, inquit, ὁ Κύριος ἐν κελεύσματι, ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου καὶ ἐν σάλπιγγι θεοῦ. *Ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet è cœlo.* Et Matth. 24: 31. dicitur: *Et mittet Angelos suos cum tuba vocis magnæ*, i. e. canora. Confer 1 Cor. cap. 15: 52. Igitur aliud erit signum illud filii hominis, aliud tuba postrema. At, nec facile in dubiis hujusmodi Scripturæ locis à proprio ac nativo literæ sensu recedendum est, nisi prægnantes id exigant rationes, quales hoc loco non occurrunt. Tutius item in talibus locis est silere, quam intentione Spiritus sancti nondum plene percepta aliquid novi asserere. Denique expresse hoc loco, illud signum dicitur esse τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *filii hominis*, i. e. incarnati, tanquam illud sit peculiare quoddam indicium, sive nota ac character incarnationis filii Dei, quæ inde ducta est ἀπὸ τῶν ἡμερῶν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *à diebus carnis suæ*, prout Apostolus vocat diem crucifixionis Christi, ad Hebræor. cap. 5: vers. 7. Quale quid de tuba ista postrema Archangeli, neutiquam affirmari posse videtur.

IV. Melior est assertio eorum, qui dicunt, quod tunc, quando sol & luna obscurabuntur & stellæ, & commovebuntur virtutes cœlorum, appariturum sit signum crucis Christi. Sic enim docent Veteres. Hippolytus Martyr Oratione de consummatione mundi, & Antichristo: *Orietur*, inquit, *ab Oriente ad Occidentem usque signum crucis superantis splendorem solis, denuncians adventum & apparitionem judicis, ut reddat cuique secundum opera sua.* Cyrillus, Catech. XV. Σημεῖον ἀληθὲς καὶ ἰδικὸν τοῦ Χριστοῦ ἐστιν ὁ σταυρός. Φωτεινὸν σταυροῦ σημεῖον προάγει τὸν βασιλέα δηλοῦν τὸν σταυρωθέντα πρότερον, ἵνα ἰδόντες οἱ πρότερον ἐκκεντήσαντες καὶ ἐπιβουλεύσαντες Ἰουδαῖοι, κόψωνται φυλαὶ κατὰ φυλάς. *Signum verum & proprium Christi est crux. Lucidum crucis signum præcedens regem, atque demonstrans eum, qui prius fuerat crucifixus, ut videntes qui antea illum pupugerunt & illi insidiati sunt Judæi: certent tribus cum tribubus.* Ephraim Syrus, aut quicunque auctor est Sermonum de Antichristo, qui Ephraimo tribuuntur: *Tunc*, ait, *veniet sicut fulgur de cœlo coruscans, sanctus, immaculatus, terribilis & gloriosus Deus noster & rex, sponsus immortalis in nubibus cum gloria incomparabili, præcurrentibus ante gloriam ejus Angelorum & Archangelorum legionibus: præferentibusque coram ipso signum crucis.* D. Johan. Chrysostomus, Homil. LV. in Matth. (de cruce loquens, & ejus signaculo:) *Noli*, ait, *verecundari, ne, quando in majestate sua veniet, Christus de te verecundetur. Tunc enim signum hoc, super radios solis coruscans ante Christum videbis.* Item Homil. de cruce & latrone in die Parasceves, dicit: *Crucem, solam non reliquit* (Dominus) *in terra, sed secum eam levavit ad cœlum. Sed ais, hoc unde demonstratur? & ideo audi, quod cum ipsa veniet, cum ipsa secundum gloriosam suam præsentiam faciet. Ideo gloriosam crucem nuncupavi. Sed videamus. Si cum cruce veniet: & hoc firma probatione monstrandum est. Si dixerint ecce in promptu est Christus, ecce in deserto est, nolite exire. De secundo ejus glorioso dicens adventu propter Pseudo-prophetas, propter Antichristum, ut nullus errore confusus eum Christum esse arbitretur, quia Christum ille præveniet: Et ne pastorem quærens, lupum incurras: Ideo pastoris adventus signa prædico, ut quæ prior ejus adventus clam & latenter ostensus est, ne & futurum talem arbitreris, signum tibi futurum monstravit: & ille ideo fuit latenter adventus, quia venit, quod perierat, quæsiturus. Secundus autem non ita est. Nam quemadmodum exit coruscatio ab Oriente, & videtur usque ad Occidentem, sic erit adventus filii hominis & subito ab omnibus videbitur, ut nullus interroget: utrum hic aut illic Christus est. Et sicut coruscatione flammante superfluum est, de coruscatione requirere: Sic post præsentiam requirere non necessum est, si venit Christus. Sed utrum cum cruce veniet; requiramus. Non enim hanc quæstionem aliquando oblivione prætereo. Et audi. Tunc, inquit, tunc, quando veniet, sol obscurabitur, & luna*

non

non dabit lumen ſuum. Tanta enim lux ipſius luminis præclareſcet, ut ejus radiis lumina clara vincantur. Tunc & ſtellæ cadent: & tunc ſignum videbitur filii hominis in cœlo. Vidiſti gloriam ſigni i. e. crucis. Solis lumen reddetur obſcurum, lunæ non dabitur gratia, ſed illud lumen radiabit & lucebit. Et ſicut imperatorem regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris portare conſueverunt: & his ejus declaratur adventus: ſic Domino de cœlo veniente Angelorum multitudine, Archangelorum cœtus illud ſignum portant humeris excelſis, & regalem nobis adventum nuntiant. His ſimilia habentur, Serm. in Paraſceve de cruce & latrone, qui Auguſtino tribuitur, & eſt XLIX. in Appendice de diverſis, alias CXXX. *Conſideraſti, quomodo & regni inſigne ſit crux. Quod ſi aliunde vis dicere hoc ipſum, non reliquit eum ſolum ſuper terram, ſed attraxit in cœlo. Unde hoc ipſum ſcire potes? quia pariter cum ipſo veniet in ſecundo & glorioſo ejus adventu, ut diſcas, quomodo vera & magnifica eſt crux. Unde & glorioſam eam dixit, in ea gloriante Apoſtolo* —— *Conſideraſti*, pergit, *quanta virtus ſit ſigni, h. e. crucis. Sol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, crux vero fulgebit, & obſcurabit luminaria cœli, delapſisque ſideribus ſola radiabit, ut diſcas, quoniam crux & luna lucidior, & ſole erit præclarior, quorum ſplendorem divini luminis illuſtrata fulgore ſuperabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in civitatem exercitus antecedit, præferens humeris ſigna atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armiſonæ annunciat regis introitum: Ita Domino deſcendente è cœlis præcedet exercitus Angelorum, qui ſignum illud i. e. triumphale vexillum ſublimibus humeris præferentes, divinum Regis cœleſtis ingreſſum, terreſtrium mentibus nunciabant.* Quibus conſentit Theophylactus quoque Bulgarorum Epiſcopus, Comm. in Matth. h. l. dum ita ſcribit: Ὁ σταυρὸς τότε ὀφθήσεται ἐν τῷ οὐρανῷ ὑπὲρ τὸν ἥλιον λάμπων, πρὸς ἔλεγχον τῶν Ἰουδαίων. Ὥσπερ γάρ τι δικαίωμα μέγιστον ἔχων τὸν σταυρὸν, ἔρχεται κατὰ τῶν Ἰουδαίων ὁ κύριος. Καθάπερ εἴ τις λίθῳ πληγεὶς ἐπεδείκνυτο τὸν λίθον. *Crux tunc apparebit in cœlo ſupra ſolem fulgens ad arguendos Judæos. Veniet enim Chriſtus contra Judæos habens crucem, ut magnam juſtificandi materiam & teſtimonium. Veluti ſi quis lapide percuſſus, oſtendat lapidem.* Et Euthymius Zigabonus, in eundem locum Matth. *Signum*, inquit, *ejus dicit crucem, quæ tunc longe clarius ſole fulgebit. Nam ille obſcurabitur, hic autem apparebit.* Pariter Eccleſia, in officio S. crucis canit: *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Denique Sibylla, lib. 6. Oraculorum de eodem ſigno crucis, ſic vaticinata eſt:

> Ὦ ξύλον ὦ μακάριστον, ἐφ' ὁ θεὸς ἐξετανύσθη
> Οὐχ' ἕξεις οὐχθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
> Ἡνίκα ἀστράψῃ, τὸ νέον Θεοῦ ἔμμα.

Quæ verba in verſus redacta, Latine ſic ſonant:

> *O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit,*
> *Nec te terra capit, ſed cœli tecta videbit,*
> *Cum renovata Dei facies ignita micabit.*

Idem cum prioribus ſentire videtur Hieronymus, in Comm. Matth. 24. h. l. dum ita ſcribit: *Signum hic aut crucis intelligemus* —— *aut vexillum victoriæ triumphantis*: Auctor item Gloſſæ interlinearis (qui creditur Strabus,) apud quem hæc habentur: *Parebit, vel ſignum crucis, vel vexillum victoriæ triumphantis.* Niſi quod horum expoſitio à primorum illa explicatione diſcrepet in eo, quia quod illi conjunctim de cruce & vexillo accepere, crucis ſignum alio nomine vexillum victoriæ appellantes, hi disjunctim vel de cruce, vel vexillo victoriæ triumphantis accipiunt. Quicquid tamen hujus rei ſit, certe omnes alluſiſſe videntur ad illam ſpeciem ſignorum bellicorum, quæ antiquitus, tam paganis, quam chriſtianis Imperatoribus uſu erat, dicebaturque *labarum.* Erat hoc vexillum labans quadratum haſtæ appenſum, auro intertextum, gemmisque intermicantibus ſplendidiſſimum. Geſtabatur autem ante Imperatorem, tantæque olim erat exiſtimationis, ut à militari turba adoraretur. Meminere ejusdem Tertullianus, in Apologetico, cap. 16. Ambroſius, Epiſt. 29. ad Theodoſ. Sozomenus, in Tripart. Hiſt. lib. 1. cap. 5. Euſebius, lib. 9. Hiſtor. Eccleſ. cap. 9. Paulus Diaconus, lib. 11. Prudentius, lib. 1. contra Symmachum, & alii.

V. Alii putant, una cum cruce apparitura eſſe inſtrumenta quoque dominicæ paſſionis, utpote clavos, lanceam, & reliqua. E recentioribus Thomas de Aquino, Opuſc. 2. c. 244. aſſerit, quod veniente Domino ad judicium *ſignum crucis & alia paſſionis indicia* demonſtrabuntur. Pariter Nicolaus de Lyra, Comment. in hæc verba: Parebit Signum &c.) *Id eſt*, inquit, *crux, clavi & lancea, quæ ſunt paſſionis Chriſti inſtrumenta.* Salmeron vero: *Credunt*, ait, *Doctores Eccleſiæ, cum cruce etiam columnam, flagella, ſpineam coronam, clavos, ſpongiam, lanceam, & reliqua paſſionis inſtrumenta* —— *apparitura in die judicii.* Sed hoc eadem facilitate refellitur qua adſtruitur. Incertum præterea eſt, quoniam nihil hujusmodi expreſſum legitur vel in Scripturis, vel in remotiori antiquitate. Rurſus auctor operis imperfecti apud Johannem Chryſoſtomum, Hom. L. quæ eſt in cap. 24. Matth. ita ſcribit, ut à ſententia ſuperiorum abeat: *Quidnam*, inquit, *putant crucem Chriſti oſtendendam eſſe in cœlo: verius autem eſt ipſum Chriſtum in corpore ſuo habentem teſtimonia paſſionis i. e. vulnera lanceæ & clavorum, ut impleatur illud quod dictum eſt*: & videbunt in quem compunxerunt (Joh. 19: 37. Zach. 12: 10.) *Denique in quo loco præſens Evangeliſta* (Matthæus) *ponit dicens*: apparebit ſignum filii hominis: *alii Evangeliſtæ hoc ſolum dixerunt.* Et videbunt filium hominis venientem, *videlicet oſtendentes ſignum Chriſti, eſſe ipſum corpus Chriſti, qui in ſigno corporis ſui cognoſcendus eſt, à quibus crucifixus eſt. Unde in Actibus ad Apoſtolos* (Actor. 1: 10.) *Angelus ſic dicit*: Hic Jeſus, qui receptus eſt à vobis, ſic veniet iterum, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum —— *Vides ergo, quia quaſi ſignum datur Apoſtolis corpus ejus; dicens, ſic veniet &c.* Quam ſententiam præter iſtam, quam paulo ante adduximus, etiam in Commentarium ſuum retulit Lyra his verbis: *Aliter* (exponitur) *ſignum, i. e. cicatrices, quæ apparebunt in corpore Chriſti.* Sed, ut pace tantorum Doctorum dixerimus, hanc expoſitionem rejicimus, utpote quæ à cæterorum Doctorum ſententia recedit. Nec licet argumentari ſic: Matthæus ſolus hanc circumſtantiam, de ſigno filii hominis apparituro in extremo judicio annotavit, cæteris Evangeliſtis tacentibus. Ergo hic ex cæteris explicandus eſt. Sed potius argumento inverſo: Quia cæteri omnes circumſtantias futuri judicii extremi exacte non perſtrinxere, idcirco ex Matthæo, qui ex profeſſo de iisdem agit, ſunt complendi. Nam unus Evangeliſtarum, alterum ſæpe ſupplet, quod in aprico poſitum eſt. Alias & ſic argumentari liceret (ut nunc aliorum mentionem non inſtituamus:) Solus v. g. Lucas, cap. 22. Hiſtor. Evangel. verſ. 44. meminit ſudoris Chriſti ſanguinei in paſſione profuſi, cæteri non item. Igitur hic explanandus erit è cæteris? Quod ſane faveret iis, qui jam olim iſta verba Lucæ, de ſanguineo Salvatoris noſtri ſudore expunxerunt, ita, ut veteres nonnulli de eo dubitarint. Inde enim Hilarius Pictav. Epiſc. lib. 10. de Trinitate notanter ſcribit: *Nec ſane ignorandum nobis eſt, & in Græcis & in Latinis codicibus compluribus, vel de adveniente Angelo, vel de ſudore Chriſti ſanguineo nihil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hæc in libris variis aut deſint, aut ſuperflua ſint, incertum hoc nobis relinquitur de diverſitate librorum.* Id quod etiam Hieronymus, in II. adverſus Pelagianos dialogo, indicare videtur, ſic inquiens: *In quibusdam codicibus tam Græcis quam Latinis, invenitur ſcribente Luca: apparuit ei Angelus de cœlo confortans eum: haud dubium, quin Dominum Salvatorem.* Expuncta autem eſſe iſta verba è nonnullis exemplaribus, aperte teſtatur Epiphanius in Anchorato, hæc ſcribens: *Flevit etiam Chriſtus, veluti in Evangelio ſecundum Lucam habetur in exemplaribus incorruptis. Et utitur eo teſtimonio S. Irenæus, in opere contra hæreſes adverſus eos, qui Chriſtum in apparentia apparuiſſe dicunt. Verum* (pergit,) *Orthodoxi quidam ſuſtulerunt verbum, timentes & non intelligentes ipſius finem, ac vim, & robur. Conſtitutus enim Chriſtus in anxietate ſudavit, & fuit ſudor ipſius velut guttæ ſanguinis, & conſpectus eſt Angelus confortans ipſum.* Citatur vero eadem hiſtoria à Dionyſio Areopagita, in lib. de cœleſti Hierachia, & approbatur, & præterea communi totius Eccleſiæ conſenſu in canonem ſacrorum voluminum recepta eſt: Eccleſiaſtica item ſanctione, ſub anathematis pœna cautum, ne quis ejus autoritatem contemnere audeat. Unde & inter alios eccleſiaſticos anathematiſmos, qui ab Athanaſio, in ſexto de Beatitudine filii Dei volumine enumerantur, hic quoque recenſetur: *Si quis negaverit, verum hominem, quem filius Dei aſſumpſit, ſanguinem ſudaſſe, anathema illi.* Videatur Sixtus Senenſis, Biblioth. ſanct. lib. 1. cap. 22. Sed nec opus eſt hujusmodi ſuppletione, ut dicatur, Matthæum hoc loco non plus dixiſſe, quam cæteros Evangeliſtas: Cum enim Matthæus primus inter Evangeliſtas, anno ſtatim octavo à Chriſti aſcenſione, ſuum

ſuum ſcripſerit Evangelium, teſte Euſebio, in Hiſtoria; & expreſſe hanc de ſigno filii hominis circumſtantiam aſſignarit, ſicut & totum actum judicii futuri extremi plenius ac planius deſcripſit, cæteris idem faciendi occaſionem præripuit. Præterea, loca illa, quæ ex Scripturis citat pro ſua ſententia Auctor ille Operis imperfecti, ita ſunt comparata, ut ſtantibus iis, nihilominus tamen aſſertio de crucis ſigno, olim apparituro, firmetur. Neque enim hoc ſignum tantum ac ſolum apparebit, ſed & juxta cum eo, veniet filius hominis ad judicandum. Atque adeo nulla eſt conſequentia: Chriſtus veniet & oſtendet ſigna, h. e. veſtigia paſſionis ſuæ, vel, ut dicitur Joh. 20: verſ. 25. τ̃ τύπον τ̃ ἤλων, *typum ſeu notam clavorum*, cum quibus aſcendit in cœlum. Ergo ſignum crucis non apparebit in cœlo? Vel, videbunt, in quem pupugerunt: Ergo non apparebit ſignum illud crucis? Quemadmodum nec ſequitur: Imperator ipſe veniet ad bellandum conculcandoſque hoſtes ſuos, à quibus peſſima quæque paſſus eſt, oſtendens item vulnera, quæ olim ipſi inflixerant. Ergo non apparebit, præmiſſo ante ſe labaro vel vexillo triumphantis victoriæ? Denique attendenda hic eſt vocis σημεῖον ſignificatio, quam hoc loco Matthæus & veteres Eccleſiæ doctores alii innuunt. Non enim ex iis ſolum, quæ ſupra allata ſunt, fere conſtat, quod σημεῖον in ea hic accipiatur ſignificatione, qua notat vexillum, ſive, quod diximus, in ſpecie labarum; ſed & ex eo, quod Matthæus hoc loco deſcribat totam pompam judicialem, quæ in extremo judicio conſpicietur, quando Dominus faciet cum inimicis ſuis juxta quod dictum eſt, in 1. ad Corinth. 15: verſ. 24, 25, 26, 27. Ad pompam autem illam, ſive proceſſionis actum, pertinet etiam ſigni iſtius, hoc eſt, crucis (veluti) geſtatio. Quemadmodum labari vel etiam trophæi geſtatio, præcipuam quandam circumſtantiam pompæ ducalis ſive imperatoriæ conficit. Unde Theophylactus, in h. l. Matth. 24. ſcribit: Σημεῖον ᾗ λέγει τ̃ ςαυρὸν ὥσπερ τι τρόπαιον ϗ παράσημον βασιλικόν. *Signum autem dicit* (Evangeliſta) *crucem, tanquam trophæum & inſigne regium.* Atque hoc etiam ſigni voce, indicaſſe videtur Eſaias, cap. 11: 12. his verbis: καὶ ἀρεῖ σημεῖον εἰς τὰ ἔθνη, καὶ συνάξει τοὺς ἀπολομένους Ἰσραήλ. *Et levabit ſignum* (vexillum) *in gentes, & congregabit eos, qui perierant ex Iſrael.* Quæ verba interpretatus eſt B. Hieronymus, in Comment. *Levabit ſignum crucis in univerſas nationes, & de ſynagogis Judæorum primum Iſrael populum congregabit.*

VI. Porro, ſignum filii hominis eſſe crucem, vel crucis ſignum, inde poteſt oſtendi, quia Chriſtus per hoc ſignum triumphavit de Satana, atque adeo de omnibus inimicis ſuis. Sicut & expreſſe dicitur, in Epiſtola ad Epheſ. 2: 16. *quod conciliaverit ambos* (i. e. quemadmodum Hieronymus exponit, Judæum & Gentem,) *Deo per crucem, interficiens inimicitias* ἐν αὐτῷ, *per eam*, vel, *in ipſa.* videlicet ςαυρῷ, id eſt, *cruce.* Idemque colligit Petrus Galatinus, lib. VI. contra Judæos, cap. XVII. more Cabaliſtarum, ex numeris *Sebaoth Sebaoth*, quod idem eſt, ac exercitus, militia, & ex numero appellationis crucis *haſſethi, vehaereb*: & oſtendit ex iisdem, quod victoria Satanæ & mundi, mortiſque haberi debeat per crucem. Nempe crux Hebraicis literis ita ponitur השתיוהערב quæ literæ multiplicatæ, reddunt 998, quibus ſimilem numerum reddunt literæ צבאות צבאות Sebaoth Sebaoth, qui computus ita inſtituitur:

Literæ	צ	90	Valor.	ה	5
	ב	2		ש	300
	א	1		ת	400
	ו	6		י	10
	ת	400		ו	6
	צ	90		ה	5
	ב	2		ע	70
	א	1		ר	200
	ו	6		ב	2
	ת	400.			
Summa		998.	Summa		998.

Ubi quidem in cruce duplex Sebaoth, i. e. duplex exercitus, duplex victoria oſtenditur, reparatique cœleſtes Angelici exercitus, & infernales devicti. Vel, ut legitur in expoſitione Symboli Apoſtolorum, quæ Rufino adſcribitur, & habetur inter opera Cypriani: *Sciendum eſt, quod crux iſta triumphus erat: triumphi enim inſigne eſt trophæum, trophæum autem devicti hoſtis indicium eſt. Quia ergo adveniens Chriſtus, ſicut Apoſtolus dicit, tria pariter ſibi regna ſubjecit, hoc enim indicat* (ad Philip. 2.) *ubi ait*: Quia in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, *& hæc omnia ſua morte vincebat; conveniens myſterio mors quæſita eſt, ut in aërem ſublimatus & aëreas ſubjugans poteſtates, victoriam de his ſupernis & cœleſtibus traderet: expenſas autem manus tota die* (*ſicut S. Propheta dicit*) *tenderet ad populum incredibilem, qui eſt in terra, ut incredulos conteſtaretur & invitaret credentes: ea vero parte, quæ ſub terram demergitur, inferna ſibi regna ſubjiceret.* H. I. Hinc eſt, quod dæmones & eorum coadjutores, viſo hoc ſigno, veluti regis labaro & trophæo, contremiſcant inque fugam vertantur, & quod omnia incantamenta atque adeo & morbi ad hoc ſignum evaneſcant. Quemadmodum enim viſo labaro vel trophæo regis, hoſtes terrentur ac fugiunt, præprimis ſi ſemel in eo victi fuerint: ita & dæmones & omnia, quæ ipſis adhærent trement, pavent & fugiunt ad conſpectum hujus ſigni regii. Scilicet non tam ipſum ſignum hoc, quam virtutem ejus, qui eo deſignatur, & capita illorum morte crucis ſuæ fregit, verentes. Quis enim negaret, fieri poſſe, ut res aliqua, quæ mediante ſigno aut indicatur, aut in memoriam revocatur alicui, talis ſit, ut expenſa ab illo, animum ejus moveat, eique aut dolorem aut metum & terrorem, vel alium aut ſimilem aut etiam contrarium affectum, pro conditione ſua inducat; ſi non proprie, ſaltem per accidens. Per ſe enim animum commovet res ſignificata animo comprehenſa. Quod vel exemplo conſtat cruentæ Cæſaris interfecti veſtis, quam Antonius, oratione in laudes Cæſaris ad populum habita, ceu ſignum necis arripiens, vulnerumque ac ictuum interfecti Cæſaris multitudinem oſtendens, ita concitabat populum, ut pars ejus clamaret, necandos eſſe parricidas, pars ex tabernis ſubſellia & menſas convulſas comportaret, ingentemque rogum extrueret, ac cadaver imponeret in medio multorum ſacrorum, inviolatorum & minime profanorum locorum, rogumque accenderet; cumque ignis jam effulſiſſet, alius aliunde accurreret, torrem ſemiuſtum arriperet, atque ita ad ædes percuſſorum diſcurrens incendium eis intentaret, teſte Plutarcho, in Bruto, cap. XXIX, XXX. Sic inter alios, Origenes, Homil. VI. in Exod. *Quid timent*, inquit, *dæmones? quid tremunt? Sine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt, in qua exuti ſunt principatus eorum & poteſtates. Timor ergo & tremor cadent ſuper eos, cum crucis ſignum in nobis viderint fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce, ſicut dicit*: Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem & contradicentem mihi. *Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet ſuper eos, niſi videant in te crucem Chriſti, niſi & tu poteris dicere*: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Lactantius, lib. IV. Inſtitut. cap. XXVII. *Nunc ſatis eſt*, ait, *hujus ſigni potentiam, quantum valeat, exponere: quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum ſciet, qui viderit, quatenus adjurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederint, fugiunt. Nam ſicut ipſe, cum inter homines ageret, univerſos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incurſibus furiatas in ſenſus priſtinos reponebat: ita nunc ſectatores ejus, eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt.* Athanaſius de Incarnat. Verbi Dei ſcribit, *Pelli omnem artem Magicam, omneque veneficium ſigno crucis*, ſi pie & in fide eo utamur. Rurſus in vita Antonii: *Crucifixum*, ait, *nominamus, & univerſi dæmones, quos vos ut Deos colitis, fugiunt, atque ex obſeſſis corporibus ad primum Dominicæ crucis ſignum fugantur.* Idem, aut quicunque auctor eſt, Quæſtionum ad Antiochum, quæſt. XV. *Chriſtus vicit dæmonem in cruce, ideo dæmones videntes crucem terrentur, fugiunt & evaneſcunt.* Item, quæſt. XL. interrogat, qui fiat, ut, Chriſtiani aſinos non venerentur, ut crucis ſignum; cum tamen & aſino Chriſtus inſederit; & reſpondet: *Non in aſino diabolum ac reliquos dæmones Chriſtus vicit, neque in aſino ſalutem nobis eſt operatus, ſed in cruce. Hinc fit, ut dæmones, cum aſinos vident, nec tremant, nec horreant: at crucem intuentes, perſæpe tremunt, horrentque, ſternuntur ac fugantur.* Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſ. XIII. *Hoc ſignum* (crucis) inquit: *Perſas ſervire fecit, hoc Scythas cicuravit, hoc Ægyptios à catis, & canibus, & variis erroribus ad Dei agnitionem adduxit, hoc ad hodiernum diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum, & incantationum avertit impoſturas.* Ephraim Syrus, Parænesi II. ad Monachos: *Crucem fronti impreſſam tenentes, ſpectaculum diabolo tremendum habebitis,*

bitis. Aurelius Prudentius Cathemer. VI. *Fac, cum vocante somno, Castum petis cubile, Frontem locumque cordis Crucis figura signet. Crux pellit omne crimen. Fugiunt crucem tenebræ, Tali dicata signo Mens fluctuare nescit —— O tortuose serpens —— Discede, Christus hic est. Hic Christus est, liquesce Signum, quod ipse nosti, Damnat tuam catervam.* Chrysostom. Homil. LV. in Matth. *Hoc signum & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia reclusit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos præcidit, quid mirum est, si pestifera venena atroces bestias, aliaque hujusmodi superavit?* Auctor Tractat. de rectitudine Cathol. conversat. apud Augustinum, Tom. IX. *Habete*, ait, *semper Christum in mente, signum ejus in fronte facite, scitote, quia multos adversarios habetis, qui cursum vestrum impedire festinant. Ideo omni loco, omni hora, crucis signo vos munite. Hoc enim solum timent, illud solum expavescunt. Hoc & vobis datum est scutum, ut possitis sagittas maligni ardentes extinguere. Porro magna res est signum Christi, & crux Christi; sed illi soli prodest, qui facit mandata Christi.* Conferantur hic etiam Alphonsus Ciacconius, lib. de cruce Christi, & ejus apparitionibus, Petrus Gregor. Tholosan. Commentar. in Lib. VI. Syntag. Artis mirabilis, c. XXXV, XXXVI, XXXVII. & Conrad. Rittershusius, lib. V. Sacrarum lectionum cap. XIV. Hinc etiam videtur esse, quod veteres aliquando, ex naturæ pariter operibus, & ex artefactis signum crucis commendent: Justinus Philosophus & Martyr, Apologia secunda: *Considerate*, inquit, *vobiscum res in orbe cunctas, an absque forma ista* (crucis) *administrare quidquam aut commercium aliquod habere homines queant. Mare certe quidem non scinditur, nisi trophæum hoc, quod antemna sive velum vocatur, in navi integrum maneat. Terra absque hoc non aratur. Fossores autem opus non faciunt, neque itidem manuarii artifices, nisi figuram hanc habentibus instrumentis. Præterea vero facies humana non alia re animalibus ratione carentibus magis differt, quam quod rigida erectaque sit, & extensionem manuum habeat, atque in vultu à fronte prominentem proferat nasum, qui dicitur, per quem respiratio est animanti; non aliud, quam crucis formam ostendentem. Et per Prophetam quoque ita est dictum.* Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus. Quibus consona apud alios quoque Patres deprehenduntur, imprimis apud Ambrosium, Serm. LII. in quo ita loquitur: *Grande crucis est sacramentum: & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse salvatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur —— Sed & bonus agricola, cum parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere non nisi per signum crucis id facere conatur. Dum enim atratro dentale subjicit, affigit aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur —— Cœlum quoque ipsum hujus signi figura dispositum est. Nam cum quatuor partibus, hoc est, Oriente & Occidente, Meridiano & Septentrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur. Ipsius etiam incessus hominis, cum manus levaverit, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu, passionem Domini fateamur.* Hæc ibi Ambros. Si tamen is Sermonis istius auctor est, & non potius Maximus, inter cujus Sermones & hic ipse circumfertur, qui est secundus de Passione Domini. Aliquando etiam hinc Veteres passim, adeo sollicite suos videntur Christianos adhortati, ut signum crucis frequenter & in omnibus actionibus ac motibus adhiberent, sibique illud imprimerent. Tertullianus, lib. de Corona milit. *Ad omnem*, ait, *progressum ac promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedelia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. IV. *Non pudeat*, inquit, *nos crucis Christi. Quod si aliquis id occultat, tu manifeste signa te cruce in fronte, ut dæmones signum regis videntes, trementes, procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in summa, in omni tuo negotio.* Et Catech. XIII. *Confiteor crucem, cum sciam resurrectionem. Si enim crucifixus non resurrexisset, sed sic remansisset, forte non confiterer eam crucis affixionem, verum occultarem cum meo magistro. Cum autem resurrectio crucem sit consecuta, non pudet me de ea disserere in omnibus.* Rursum ibidem: *Insitum est lignum vitæ in terra, ut maledicta terra, deinceps frui posset benedictione, ut liberentur & vivificentur mortui. Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis infigatur, & in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, in egressu, & ingressu, ante somnum, recumbendo, surgendo, eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos: cum à Deo sit hæc gratia, signum fidelium & timor dæmonum. Triumphavit enim in hoc signo de illis.* Et iterum: *Trophæum statuas fidem crucis adversus omnes contradicentes. Cum enim de Domino cruceque tibi quæstio erit contra infideles, prius statue manu tua signum, & obmutescet contradicens. Non pudeat crucem confiteri. Angeli enim gloriantur, dicentes* (Matth. 28: vers. 5.) Jesum quæritis crucifixum. Chrysostomus, Homil. LXXXVIII. in Matth. motibus quoque internis iracundiæ remedium crucis adhibendum esse, monet his verbis: *Si succendi cor tuum senseris, pectus continuo signaculo crucis signato.* Et Hieronymus, Epist. I. ad Heliodorum: *Intus*, inquit, *est hostis? expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus.* Augustinus autem propter hanc ipsam causam I. Confess. suarum cap. XI. gloriatur, quod statim natus à matre signo crucis, nec dum baptizatus munitus fuerit. *Signabar*, inquit, *jam signo crucis*, &c. Refert etiam Tractat. in Johann. qua ratione Catechumeni in hoc signo gloriati fuerint: *Si dixeris*, ait, *Catechumeno, credis in Christum? respondet, credo, & signat se cruce Christi: portat in fronte, & non erubescit de cruce Domini sui.* Item Serm. XVIII. de Verbis Domini, scribit: *Quia Dominus honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit crucem in hoc seculo, ut terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi, & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus etiam reges in fronte nunc portant.* Rursus, Serm. CXXXI. de Tempore: *Crucem illam, in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte.* Et in Psalmum XXXVI. Conc. II. dicit: *Crux finita est in pœna, manet in gloria: à locis suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum.* Similiter in Psalm. CXLI. *Video ego in frontibus regum crucem Christi. —— usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem.* Adhibitum etiam est in Ecclesia, procul dubio ab Apostolorum temporibus, hoc signum, non tantum in consecratione Eucharistiæ, sicuti constat ex Liturgiis Veterum; sed etiam in Baptismo, in quo eos, quos tingebant, signaculo crucis, adhibito chrismate, ex oleo & unguento præparato, per præcipuas corporis partes firmabant. Id quod maximam quidem partem primoribus tribus faciebant digitis combinatis, in honorem individuæ Trinitatis: aliquando tamen etiam duobus, ad convincendos Monophysitas, qui uno tantum ad stabiliendam suam hæresin, utebantur digito. Innocentius III. Papa libro II. Myster. Missæ, cap. XLV. *Est autem*, ait, *signum crucis tribus digitis exprimendum, quia sub invocatione Trinitatis imprimitur, de qua dicit Propheta* (Esai. 40.) Quis appendit tribus digitis molem terræ? *ita, quod à superiori descendat in inferius, & à dextra transeat ad sinistram: quia Christus de cœlo descendit in terram, & à Judæis transivit ad Gentes. Quidam tamen signum crucis à sinistra producant in dextram: quia de miseria transire debemus ad gloriam: sicut & Christus transivit de morte ad vitam, & de inferno ad paradisum, præsertim ut seipsos & alios, uno eodemque pariter modo consignent.* De duobus autem digitis contra Monophysitas adhibitis vid. Nicephorus Callistus, lib. XVIII. cap. LIII. Porro etiam hinc vetus militia Ecclesiastica, crucis signum pro proprio suo vexillo, semper habuisse legitur. Ritus enim fuit jam antiquissimis temporibus frequentatus, ut ministri Ecclesiæ, crucem tanquam proprium vexillum, in publicis & solennibus supplicationibus sequerentur. Ita Gazenses fideles Christianos, accepto venerandæ crucis signo, quod eos præcedebat, ad precationes quasdam egressos, jam ante mille & trecentos annos, constat ex Marco Gazensi, cujus mentio injicitur apud Metaphrastem, die XXVI. Febr. Justinianus item, gloriosæ memoriæ Imperator, Novell. CXXIII. cap. XXXII. gestationem crucis in publicis Litaniis approbat & admittit. Denique huc referendum est, quod cruces in templis & sanctis locis, passim jam antiquissimis etiam temporibus fuerint erectæ. E quibus constare arbitramur, quomodo aliquando in adventu Domini ad extremum judicium, hoc signum sit apparitutum, tanquam regis vexillum, ut, qui sub Rege Christo in

in his terris militaverunt, tum temporis ad eundem colligantur, quando Angeli ἐπισυνάξουσι, *cogent* seu congregabunt electos, Matth. 24: 31. Utque eodem hoc signo fideles quidem lætentur, infideles autem contremiscant & conturbentur.

VII. Sed idem præterea adstrui posse videtur, scilicet, ut aliquando hoc signum appareat, ex eo, quia cum eadem significatione, judicii alicujus Dei in malos, & gratiæ ac bonæ spei piis, crucis hoc signum in cœlo & alibi instar prodromi cujusdam, mortalibus sæpe apparuit. Videlicet in signum iræ, inter alia, apparuit in vestimentis Judæorum, & Gentilium ipsis administrantium, qui Juliani jussu templum Hierosolymitanum restaurare præsumebant, signaculum crucis ita evidens, ut etiam, qui diluere voluisset, nullo genere valeret. Quo inter alia iræ Dei documenta, Judæi atque Gentiles inaniter cœpta relinquere coacti sunt, prout referunt Socrates lib. 3. Hist. Eccles. cap. 17. Ruffinus lib. 1. cap. 39. Sozomenus, lib. 5. cap. 21. Nicephorus lib. 10. cap. 32. Sic quoque anno post C. N. MD. cruces de cœlo in hominum vestes cadere videbantur, atque inibi apparere, quas funestissimum illud bellum quarto post anno insecutum inter Rupertum filium Philippi Comitis Palatini Rheni, & Albertum Bavariæ Ducem (quorum illius vexilla in bello crucibus nigris, hujus vero crucibus rubeis fuerunt consignata) præsignasse, auctor est Fridericus Nauseas Blancicampianus, lib. 6. Mirabilium, cap. 21. Similiter in signum iræ comparuit & in luna, anno Domini DCCCVI. pridie Nonas Julias luna quartadecima, velut memoriæ prodit Meyerus, lib. 2. Annalium Flandriæ. Testaturque idem eodem libro, anno DCCCC. in quo erat bellum maximum inter Robertum Andegavensem Comitem, (qui nitebatur regnum Galliæ usurpare,) & Carolum Simplicem regni Regem, signum crucis apparuisse valde sanguinolentum, quod multorum animos consternavit. Quare & Wichfredus, Episcopus Morinorum, magnam instituit supplicationem in Audomari oppido ad placandam iram Dei, habita prius ad populum concione. In signum gratiæ Cyrillo, Hierosolymis res Ecclesiasticas gubernante, post Maximum, tempore Constantii, hora diei tertia, Pentecostes feriis ineuntibus, apparuit super lucem solis crux fulgida in cœlo, multo, magnoque fulgore densa & perspicua, quæ occupaverat cœli ferme quindecim stadia: Longitudo ejus à Calvariæ monte ad eum, qui dicitur Oliveti, pertingebat; quod ipse Cyrillus testis αὐτόπτης Constantio perscripsit, veluti constat ex ejus Epistola: & testatur idem Nicephorus, lib. 9. Hist. Eccles. cap. 32. Dicebatur autem à viris rerum ejus generis peritis, hanc visionem divina quadam prophetia in sanctis literis quoque præsignificatam fuisse. Quod cum ita accidisset, multos tum Gentiles, tum Judæos ad fidem Christianam deduxit, teste Sozomeno, lib. 4. cap. 4. Porro in signum gratiæ ac bonæ spei apparuit Constantino Magno Imperatori. Cum enim hic exercitum moveret contra Maxentium valde copiis illum excedentem, cunctabatur invocabatque Deum. Tum illi omnique exercitui in meridie ignea columna & lucis fulgor in aëre crucis formam referens apparuit, quæ stellis æqualibus in Latinarum literarum formam expressis, Constantino clare, IN HOC VINCE, ostendebat. Et nocte proxima Christus ei cum eodem illo signo apparuit, ac tale quiddam ei facere atque in bellis præferri jussit, fore enim ut per id vinceret omnes hostes. Igitur quam primum dies esset exorta, visioni isti obsequens, ex auro signum tale fieri curavit, quod asservatum est in aulico Imperatorioque instrumento, postquam eo duce vicit Maxentium & alios, quemadmodum testatur Nicephorus Callistus, lib. 7. Histor. Eccles. cap. 29. Qui & idem signum cap. eodem 29. mox describit, ac dicit, quod fuerit hasta longa, ex auro elaborata, cornu obliquum habens, in crucis formam compacta, in cujus summitate corona esset contrahens literam Græcam P. decussatam (χιαζομένην,) & primariis literis Christi nomen obscure referens. Ex obliquo autem cornu quod per hastam erat impactum, velum aureum sublime dependebat, in quo imago aurea pectore tenus pii Imperatoris liberorumque ejus erat expressa. Conf. ibidem lib. 8. cap. 3. Sozomenus item jam supra citatus, lib. 1. Hist. Tripart. c. 5. Jonas Aurelianensis Episcopus, lib. 2. de cult. imag. Eutropius, in Constant. M. Et Eusebius Pamphilus, lib. 1. de vita Constantini, cap. 22. nec non lib. 9. ibidem supra citato, cap. 9. ubi de Constantino loquens: *Exin*, ait, *signum, quod in cœlo sibi fuerat demonstratum, in militaria vexilla transformat, ac labarum, quod dicunt, in speciem Dominicæ crucis exaptat.* Similiter Suidas, in Lex. in voce σημεῖα scribit: Πάντων γε μὴν τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ τῶν σημείων εἴδωλα φερόντων, ὁ Κωνσταντῖνος σταυροῦ τύπον ἔφερεν. *Cum omnes Romani in signis*, id est, bellicis vexillis, *idola*, *Deorumque variorum varia simulacra ferrent, in iis Constantinus crucis figuram ferebat.* Et Prudentius, lib. 1. adversus Symmach. canit:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum. ——

Unde statuarius, qui in imagine Imperatoris posuit globum, cum cruce in ejus manu, symbolum dedit, devictum fuisse Orbem per crucem, veluti rursus testatur Nicephorus, in Dedicatione operis. Refert item lib. 7. Hist. Eccles. cap. 45. Constantinum M. ut memoria continua milites Christum colere assuefaceret, arma eorum signo crucis exornasse. Quod vicissim & Prudentius consignavit his verbis:

—— *Clypeorum insignia Christi*
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Pariter idem Imperator, in nummis suis imaginibusque omnibus signum crucis insculpi inscribique curavit, prout confirmat Nicephorus, loco proxime citato. Apparuit etiam hoc signum secunda vice in cœlo eidem Constantino, pugnanti adversus Byzantinos, quos vicit, postquam jussisset signum illud in acie præcedere, ut idem rursus commemorat Niceph. lib. 7. Hist. Eccles. cap. 47.

VIII. Ex his autem facile deduci possunt causæ, quare Veteres existimarint, Christum olim cum hoc signo crucis reversurum ad judicandum orbem terrarum. Quarum præcipue sunt duæ: Una est, quam jam supra fere tetigerat etiam auctor Operis imperfecti. Nempe, ut illi, qui Christum crucifixerunt, agnoscant dementiæ suæ cœcitatem, quod Dominum gloriæ crucifixerunt. Ita quoque B. Joh. Chrysostomus, Homil. de Cruce & latrone in die Parascev. scribit: *Sed cur cum cruce veniet, videamus: scilicet, ut hi, qui eum crucifixerunt, suæ sentiant dementiæ cœcitatem, & ideo impudentiæ eorum signum portatur, ideo Propheta* (Zach. 12: 10.) *ait:* Tunc lamentabuntur Tribus terræ, videntes accusatorem & cognoscentes peccatum. *Et quid mirum est*, (pergit ille,) *si crucem portans adveniet, quando & vulnera corporis ipsa demonstrantur.* Tunc enim, *inquit*, videbitur, in quem compunxerunt. *Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam commutare, & illi clavorum loca monstravit, & laterum vulnera declaravit, & dixit:* Mitte manum tuam & vide, quoniam spiritus carnem & ossa non habet. *Sic & tunc ostendet vulnera, crucemque demonstrabit, ut istum ostendat illum esse qui fuerat crucifixus.* Pariter Hieron. in Matth. h. l. *Ut videant*, ait (juxta Zachar. 12: 10. & Joh. 19: 37.) *Judæi, in quem compunxerunt.* Et Augustinus, Serm. de Cruce & latrone, qui est XLIX. in Appendice de Diversis, alias CXXX. *Quare*, inquit, *crux apparebit tunc, & quam ob causam in ejus prælatu Dominus adveniet? Ratio perspicua est, ut agnoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum Majestatis crucifixerunt. Per hoc enim signum impudens Judæorum redarguitur impietas. Et quomodo propter hoc ipsum habens crucem veniet, audi ipsum in Evangelio protestantem:* Quia tunc plangent omnes Tribus terræ, *videntes accusatorem suum* i. e. *ipsam crucem, & in ipso arguente cognoscent peccatum suum sero, & frustra fatebuntur impiam cœcitatem. Quid autem miraris, si crucem afferens veniet, ubi & ipsa vulnera ostendet?* Tunc videbunt, *inquit*, in quem compunxerunt. *Quemadmodum enim in Thoma fecit —— ita & —— tunc ostendet vulnera, & crucem manifestabit, quoniam ipse est, qui crucifixus est.* Cum quibus consentiunt præter alios, & Euthymius, auctor item Glossæ interlinearis, & Theophylactus, qui hoc ipsum supra simili illustrabat, desumpto ab eo, qui lapide percussus, ad vindicandam injuriam, lapidem ostendat. Altera causa hæc est, ut significetur, gloriam tum Christi, tum suorum dependere à cruce, juxta quod ipse Salvator ait, Luc. 24: 26. *Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Igitur, quo signo contemnebatur, eodem majestatis suæ jura aliquando ostendet. Hanc causam innuisse videtur Hilarius Pictaviensis, in Canone XXVIII. in XXV. Matth. ubi ita loquitur; *Post sermonem, quo se venturum in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum esse se admonet, ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent.*

IX. Denique sunt, qui dicunt, appariturum in extremo judicio, adventante Domino, signum crucis in singulis electorum frontibus. Quorum sententiam nobis depromit Glossæ inter-

interlinearis auctor, in Matth. h. l. *Parebit signum, i. e. Thau, impressum frontibus fidelium.* Quæ sententia procul dubio manavit ex illo, Apoc. 7:3. *Signemus servos Dei nostri, in frontibus eorum.* Itemque ex illo, Ezechiel. 9:4. ubi dicitur: *Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium.* LXX. Interpretes legunt: Δὸς τὸ σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν: *Da*, sive pone *signum* illud *super frontes virorum.* Pariter & Symmachus, & Aquila verterunt: *Signa signum sive notationem, vel pone signum.* Eosque secuti sunt veteres Patres, Theodoretus, Chrysostomus & Augustinus. Nec sine ratione. Nam Hebraica vocula תו *Thau* significare potest signum, à radice תוה *Thavah*, quod est *signare.* Est præterea Thau, nomen postremæ literæ Alphabeti Hebraici, quam intellexisse Prophetam putavit Theodotio. Ponit enim hic, ipsum nomen Thau invariatum, quasi in frontibus salvandorum non solum signum factum aliquod indicaverit Propheta, sed etiam quale signum impressum fuerit, declaraverit, scil. character literæ Thau. Qualis autem hæc sit nota, ostendunt Veterum testimonia. Sic enim B. Tertullianus, lib. 3. contra Marcionem: *Da*, inquit, *Thau in frontibus virorum, ipsa enim est litera Græcorum T. tau, T. nostra, aut species crucis, quam portendebat futuram esse in frontibus nostris apud veram & Catholicam Jerusalem.* Et lib. advers. Judæos scribit: *Ab ea clade Ezechielis nemo liberabitur, nisi passione Christi, quem respuitis, fuerit obsignatus.* Porro Origenes, Hom. VIII. in Diversis: *Illi tantum*, ait, *sospites reservantur, quos Thau litera i. e. crucis pictura signaverat.* Idem ulterius (apud Hieronymum Pradum. Explanat. in cap. 9. Ezechiel.) è sententia variorum inquit: LXX. *Interpretes induto pondere, inquiunt, imperatum esse à gloria Domini, ut signum poneret* (Angelus) *in frontibus ingemiscentium ac dolentium: Et Aquila & Theodotio* (legendum forte Aquila & Symmachus, prout explicavit Hieronymus) *ajunt: Notatio Dei supra frontes virorum &c. Cum vero interrogassemus Hebræos, an aliquid patrium haberent, quod nos docerent de Thau, ab eorum quodam accepimus, Thau postremum esse ex viginti & duobus Hebraicis elementis, atque ordine repræsentare eos, qui perfectam scientiam divinæ legis haberent, atque ex scientia sensum prævaricationum. Alius vero dicebat symbolum esse Thau eorum, qui legem servaverant: quoniam lex apud Hebræos* תורה *Thorah vocatur, cujus vocis prima litera est Thau. Ergo quoque signum est eorum, qui ex lege vixerunt. Tertius vero quidam eorum, qui in Salvatorem crediderunt, dicebat vetusta illa elementa similem habere Thau, literam Salvatoris characteri atque figuræ, & prædici signum quod in fronte inter Christianos efficitur cujusque operis initio, præsertim vero precationum sacrarumque lectionum.* Hieronymus insuper, Comm. in Ezech. cap. 9: 4. cit. ait: *Pro signo, quo LXX. Aquila & Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit Thau, quæ extrema est apud Hebræos viginti & duarum literarum, ut perfectam in viris gementibus & dolentibus scientiam demonstraret. Sive ut Hebræi autumant, quia lex apud eos appellatur* תורה *quæ hac in principio nominis sui litera subscribitur: illi hoc accepere signaculum, qui legis præcepta compleverant.* Addit vero mox: *Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis, habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Item plenius in Prologo librorum Regum scribit: *Certum est Esdram scribam, similque Doctorem, post captam Hierosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel alias literas reperisse, quibus nunc utimur; cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Et nomen tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis literis invenimus &c.* Extat quoque Siclus argenteus Hebræorum (qualem Arias Montanus apud se habuit,) in quo observantur literæ veteres Hebræorum, quarum Hieronymus mentionem injicit, Græcorum elementis haud absimiles. Igitur cum Græcorum T. manifestam habeat crucis imaginem, sequi videtur, eandem repræsentasse & antiquum Thau Hæbræorum. Isidorus præterea, lib. Allegoriar. c. 25. dicit: *T. litera in Ezechiele, signum crucis est & salutis.* Et vicissim lib. 1. Origin. cap. 3. *T. figuram demonstrans Dominicæ crucis. Unde & Hebraice signum interpretatur, de quo dictum est in Ezechiele Angelo:* Transi per mediam Jerusalem & signa Thau in fronte virorum gementium & lugentium. Denique & Severus, lib. 3. *Signum crucis*, inquit, *Propheta veluti in figura spectavit Angeli, quod telum erat ac sigillum custodiæ timentibus Dominum.* Confer. Augustinus Dialog. altercantis Ecclesf. & Synodi. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothec. Sanct. Patr. pag. 175. Sed & apud Ægyptios legimus, crucem habitam fuisse pro signo salutari, imo ipsius etiam vitæ æternæ. Ideo namque figuram hujusmodi Serapidis pectori insculpebant. Sic enim Rufinus, lib. 2. c. 29. *Signum hoc Dominicæ crucis, inter illas, quas dicunt* ἱερατικὰς, *i. e. sacerdotales literas, habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex iis, quæ apud illos sunt literarum elementis. Cujus literæ seu vocabuli hanc asserunt esse interpretationem, vita ventura.* Pariter & Socrates lib. 5. c. 17. *Porro*, inquit, *dum Serapidis templum destrueretur ac nudaretur, inventæ sunt in eo literæ lapidibus incisæ, quas hieroglyphicas appellant. Eæ literæ crucis formam referebant. Quas cum cernerent Gentiles simul & Christiani, suæ quisque religioni eas adaptabant. Nam Christiani signum esse dicentes salutaris Christi passionis, propriam religionis suæ notam, crucem scilicet esse censebant. Gentiles vero commune quiddam Christo & Serapide esse affirmabant: siquidem crucis effigies aliud apud Christianos, aliud apud Gentiles significabat. Dum hæc inter illos agitatur controversia, quidam ex Gentilium errore ad Christi fidem conversi, qui hujusmodi literarum notitiam habebant, notam hanc crucis forma depictam interpretantes, venturam vitam significare docuerunt.* Cum quibus conferatur Sozomenus quoque, l. 7. cap. 15. Et Suidas in voce σαυροί. Nec non Cœlius Rhodiginus, lib. 10. Lect. Antiq. cap. 8. Nec alia ratione T. vitam præfigurabat, quam qua litera ϑ. mortem. Nam apud Ethnicos, priscæ militiæ Notarii, cum nomina militum è bello redeuntium in Breviculis scripta recolebant, superstites notabant litera T. eos vero, qui desiderabantur, litera ϑ. Testibus Rufino Invectiva secunda in Hieronymum, Isidoro Hispal. l. 1. Origin. c. 24. & P. Diacono in libello de Notis literarum. Erat autem litera hæc ϑ. desumpta ex vocabulo ϑάνατος, quod mortem notat apud Græcos. Illa autem, T. initialis est verbi τηρέω, quod inter alia, Græcis significat *conservo.* Et hæc causa quoque est, quod ϑ. litera etiam in sepulcris poneretur. Adhibebatur insuper eadem litera, in judiciis. Judices enim ad eorum nomina, quos supplicio afficiebant, literam ϑ. apponebant. Quod scilicet prima esset in ϑανατόω, quod est *capitis damno*: pariter ut alias A. litera, nota fuit absolvendi, C. condemnandi, N. L. *non liquet*, quod eæ literæ in illis vocibus capitales essent. Unde Martialis, lib. 7. Epigr. 36. ad Castricum scribit:

> *Nosti mortiferum Quæstoris, Castrice, signum:*
> *Est operæ pretium discere Theta novum.*

Denique & in culpis ac mulctis litera ϑ. usurpabatur, ea procul dubio de causa, quod prima esset in voce ϑωή *mulcta*, ut ex opposito χ. nota fuit laudis, quod prima in voce χρήσιμον vel χρηστὸν, i. e. *bonum.* Etenim cum & ineptum vel versum vel sententiam notarent, ϑ. ei, velut mulctam apponere solebant. Hinc Persius, Satyra 4. vs. 13. canit:

> *Et potis es vitio nigrum præfigere Theta.*

Ausonius etiam, Epigrammate CXX. ad Eunum Pædagogum liguritorem:

> *Misello*, ait, *doctor & tibi sit obscœno,*
> *Tuumque nomen Theta sectilis signet.*

Ad extremum Sidonius Apollinaris:

> *Isti*, inquit, *qui valet exarationi*
> *Districtum, bonus, applicare Theta.*

TANTUM.

M. GODOFR. PREUSSII
ΔΙΧΟΤΟΜΙΑ
Servi nequam ad Matth. XXIV: 51.

Σὺν τῷ Θεῷ!

PRÆFATIUNCULA.

Est profecto Codex Novi Instrumenti Græcus Philologo idem, quod Oceanus illis, qui commercia tractant: Uterque semper jucunda rerum varietate & multitudine non molesta, thesauris denique raris & haud ubivis obviis sese commendat. Et ille quidem tanto magis, quanto certius constat, ipsum & esse divinum, & ab inexhausto fonte immensoque divinæ Sapientiæ Oceano promanasse. Itaque cum omnibus ad eum pateat aditus, certe nec Philologiæ alumnum quisquam abarcebit. Etsi vero versantibus nobis hunc Codicem difficile non fuit materiam commentandi conquirere, fuit tamen difficile unam præ ceteris eligere in tam nobili rerum copia. Commodum vero tandem visum fuit ipsis inhærere verbis Domini nostri iterum appariturі ad judicium, quibus in parabola magnum illud graveque supplicium, διχοτομίαν puta Servi nequam & immorigeri describit. Quæ meditatio ut feliciter cedat, piis à Sancto Numine precibus contendimus & exoramus auxilium!

§. I.



Erbis sane patheticis Dominus noster hoc διχοτομίας supplicium exponit in Codice Euangelii Matth. 24: 51. & loco, qui illi parallelus est, apud Luc. cap. 12: 46. Ubi occurrit Verbum διχοτομεῖν, cujus nomen est διχοτομία. Est autem διχοτομεῖν ex verbo adverbioque compositum verbum. Et δίχα quidem significat *dupliciter*, vel *bifariam*, *in duo membra*, cujus thema Grammaticis δὶς h. e. *bis* esse dicitur. Alterum compositionis membrum à τέμνειν est, quod notat *scindere*, *secare*: à cujus Præt. Med. τέτομα est τόμ☉ *pars*, *frustum*, *sectio libri*, *&c.* & inde διχοτομεῖν *in duas partes sive membra dividere*, *secare*, διχοτομία *in bina membra facta divisio.* Atque ab eo est, quod Lunæ secundæ seu crescentis seu decrescentis φάσιν appellent Astronomi διχότομον, atque Logicis sua commendetur διχοτομία in rerum divisionibus nominumque distinctionibus. Eamque speciatim de divisionibus magnitudinis Justinus Martyr adhibet *in Evers. dogm. Arist. ex libro* 3. τῆ φυσ. ἀκρ. *f. m.* 100.

§. II. Itaque clarum est, hanc propriam esse verbi significationem, quando notat *in duas partes secare*, tum sensu rhetorico, ut loquuntur, quia hunc omnes vel audita vel lecta voce statim concipimus, absque cogitatione fundamenti cujusdam tropi: tum sensu Grammatico, & præcipue quidem, quia prima est ac præcipua, quam hæc vox, ut Grammatici loquuntur, prima impositione accepit, ut adeo hæc nativa merito ac propria audiat; Eas autem significationes, quas in aliis subsequens usus, licet citra tropum & figuram, priori superinduxit, Grammatici non proprias, sed secundarias dicere solent.

§. III. Hanc vim vocis naturalem, nativam atque propriam confirmat Grammaticorum Græcorum facile doctissimus, Hesychius in Lexico, dum διχόθεν exponit per τὸ ἐκ δύο μερῶν, & διχοτομήματα per τμήματα. Consentit cum ipso haud multum inferior, Suidas, qui διχόθεν explicat ἀπὸ τῶ δύο μερῶν & διχοτομία φάλαγγ☉ ipsi est ἡ εἰς δύο ἴσα τομὴ, cujus partes vocentur κέρατα, alterum sinistrum sive κέρας, alterum dextrum s. κεφαλή. Nec saltem Grammaticorum observationibus, sed potissimum Auctorum exemplis res conficienda est. A Romanis, scribit Polybius Lib. X. ut nomen ipsorum terrori esset omnibus, quoties urbs fuit capta, non homines duntaxat occisos, ἀλλὰ καὶ τοὺς κύνας δεδιχοτομημένους, sed etiam canes bifariam dissectos, & reliquorum animantium membra abscissa esse.

§. IV. Perperam autem ii sentiunt, quibus διχοτομεῖν proprie & in vi sua nativa idem esse debet ac *separare.* Neque pro ipsis quicquam facit locus Homeri Iliad. α. vs. 531. τώγ᾽ ὣς βουλεύσαντε διέτμαγεν, quod per Syncopen Bœoticam dictum volunt pro διετμάγησαν, *duo illi, Jupiter & Thetis, cum sic consultassent, à se invicem separati sunt.* Multum enim differunt διατμήγω & διχοτομέω h. l. etsi utrumque sit ejusdem thematis: & illud quidem de separatione, quæ est ex discessu & abitu, quemadmodum & apud Latinos Gellius N. A. l. 20. c. 1. fine, loquitur; hoc de violenta divulsione intelligendum est. De cetero significatus secessionis vel separationis consequens est divisionis & sectionis, unde liquet iterum illum esse significatum secundarium, hunc vero proprium, primarium atque nativum, ad quod §. 2. digitum intendimus.

§. V. Quapropter ut in Logica analogum pro famosiori & principaliori significato stare dicitur, ita & hic censemus propriam vocis notionem & primarium nativumque significatum non esse negligendum, aut prorsus deserendum, quod monitum Hermeneuticæ sane præcipuum est; idque vel maxime ideo, quia nulla gravis urget causa, ut hic ad secundariam notionem quamcunque amplectendam transeamus. Dicimus ergo διχοτομεῖν hoc textu nostro idem significare ac *dividere*, *in duas partes dissecare*, *scindere.*

§. VI. Neque forte præter rem erit, alia hic annotasse verba, quæ ejusdem cum nostro valoris sunt, paremque vim & virtutem significandi habent, Grammaticis artis suæ nomine Synonyma. Horum primum est ῥαχίζειν, id quod apud Soph. in Ajace vs. 56. idem est ac διὰ τῆ ῥάχεως secare. Introducitur ibi à Sophocle Ajax furore mentis ac mania abreptus κύκλῳ ῥαχίζων greges, quos Atridas putaverat. Ubi eleganter Schol. exponit κύκλῳ ῥαχίζων h. e. κατὰ πάντα τόπον τῆ ἐπαύλεως σφάζων καὶ διακόπτων: & rursum ῥαχίζων, puta διὰ τὸ τῆ πρώτην καὶ μεγάλην διακοπὴν κατὰ ῥάχιν γίνεσθαι· additque quod Græci per metaphoram homines scelestissimos vocent ῥαχιστάς, h. e. quasi dignos, qui per mediam dorsi spinam à capite ad calcem secentur. Unde quam dissectionis cædem Ajax Atridis intentaverat, eam ex errore maniæ gregi intulit. Alterum est σχίζειν: quo verbo in Suppl. Daniel. 5: 55. Daniel juvenis ille per παρηγμένον alludit ad arborem, quam in confessione Ægysthus ille Hebræus indigitarat, σχῖνον scil. lentiscum: Ἄγγελ☉ Θεᾶ, inquiens, σχίσει σε μέσον. Tertium est πρίζειν vel πρίειν serra secare, quo verbo itidem idem vs. 59. loc. cit. per παρονομασίαν alludit ad arborem confessione alterius adulteri designatam, μένει, inquiens, ὁ ἄγγελ☉ τῆ Θεῆ τὴν ῥομφαίαν ἔχων πρίσαι σε μέσον. Et Paulus Ebr. 11: 37. hoc verbo dissectos martyres describit. Itaque ut plaga ingens ad ῥαχισμὸν aut σχίσμα, vel πρίσμα requiritur, ita haud immerito rectissimeque B. Lutherus διχοτομεῖν vertit **zerscheitern** / fissionem lignorum cum διχοτομίᾳ contendendo.

§. VII. Fuit autem olim διχοτομία gravissimi asperrimique supplicii genus, quo homines ad mortem condemnati dissecabantur medii in duas partes. Neque tantum Gentibus ethnicis sive barbaris sive moratioribus, sed & ipsis Israëlitis notum usitatumque aliquando hoc supplicii genus fuit. De barbaris non

opus eſt multa dicere; ut enim iſtæ gentes omnis truculentiæ & crudelitatis fuerunt artifices, ita & adhuc morem avitum ſævitiæ ſequuntur, ut teſtantur exempla in Hiſtoria Turcica: tum & Neapolitana & Suecica, ceu Grotius annotavit ad 2 Sam. 12: vſ. 31. Sufficiat unus Valerius Max. qui Lib. IX. c. 2. Ex. ext. 4. hujus rabidæ ſævitiæ exempla ex Thracia adducit. Ex ultima Antiquitate ſeſe repetere veſtigia hujus ſupplicii putant, qui Herodotum in Euterpe h. e. Lib. II. c. 139. f. 143. allegant, ubi de hoc mortis genere quædam annotat Auctor, dicitque Τὸν Σαβακῶν βασιλέα τ̃ αἰθιόπων, invaſorem Ægypti monitum fuiſſe ab adſtante aliquo per quietem in ſomnio, ut congregatos cunctos Ægypti Sacerdotes incideret medios, μέσυς διαταμεῖν. Eſt tamen Herodoto antiquior Homerus, in cujus Odyſſ. Σ. v. 338. mentio fit hujus ſupplicii, dum Poëta ita ſcribit: ἵνα σ' αὖθι διαμελεϊςὶ τάμησιν, puta Ionice, pro τάμῃ, ut te ſtatim per ſingula membra diſſecet. Clariſſimus locus eſt apud Arrianum in Diſſert. Epict. Lib. III. cap. 22. p. m. 337. ubi de Domino & Servo agit, quorum ille reverſus videnſque hunc peſſimum œconomum egiſſe, quin & σοβαρῶς διατασσόμενον, tractum ad ſupplicium dividat medium. Ut adeo parum abſit, quin hæc cum verbis Chriſti plene conveniant.

§. VIII. Sic adeo Græcis non ignotum fuit hoc ſupplicium, quin nec Romanis incognitum inuſitatumque erat. Teſtes ſunt Leges XII. Tab. quæ ut fides ſancta publice privatimque integra eſſet inter Romanos, illum, qui multum æris alieni conflaverat, nec ſolvendo erat, fidemque ſic fefellerat, addicebant Patronis, quibus obligatus fuerat, permittebantque ſi plures forent, quibus reus eſſet judicatus, ſecare ac partiri corpus addicti ſibi hominis, ſiquidem vellent. Ad quam legem A. Gellius N. A. L. 20. c. 1. ſubjicit, nec legiſſe ſe nec audiviſſe quenquam antiquitus ſectum, eamque pœnam capitis ſaltem fidei ſanciendæ gratia horrificam atrocitatis oſtentu, noviſque terroribus metuendam fuiſſe redditam per iſtas leges arbitratur. Sed nec Gellium latere poteſt ſupplicium, quo Metius Suffetius Albanus, perfidus & fidei publicæ fœderiſque temerator, judice Tullo Hoſtilio Rege Rom. affectus, quadrigis in partes binas diſcerptus eſt, de quo Livius & Plutarchus in Parallelis plura. Imo & paulo ante Gellium pœnam hanc graviſſimam multis etiam inſontibus irrogaſſe C. Caligulam, auctor eſt Suetonius, qui in vita Caligulæ cap. 27. ipſum multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis, medios ſerra diſſecuiſſe, diſerte teſtatur. Idem de Valente Imperat. refert Ammianus Marcell. lib. 29. integro, quod in milites alioſque Ordinum omnium homines deſævierit, inter alia etiam hoc ipſo ſupplicii genere, eo quod inſimulabantur artis magicæ divinatoriæ, qua conſtellationem fortunamque & fata Principis, & quis futurus eſſet ſucceſſor, temere hariolati eſſent. Et ante hunc Aurelianus Imperator, ſolus omnium militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, eaque ad pedes militis deligata ſubito dimitteret, ut ſciſſus ille utrinque penderet, uti eſt apud Fl. Vopiſcum in Vita Aureliani; non tamen vim legis ſupplicium hoc ejuſque decretum induxit, ut quidem aliqui male inde colligunt. Sic Horatius Serm. I. Sat. 1. ad hujuſmodi cædem reſpiciens ſcribit: Hunc liberta ſecuri diviſit medium. Et Plautus in Truculento: Act. II. Sc. VII. Jam ego te hic agnum faciam, & medium diſtruncabo.

§. IX. Nec Judæorum gentem latuit hoc ſupplicium, quamvis in ipſorum Republ. non fuerit ordinarium, uſurpatum tamen aliquando, à quo nec finitimi abſtinebant. Sic eodem ſupplicio à Samuele Rex Amalecitarum Agag affectus dicitur, mediuſque gladio ſectus, 1 Sam. 15: 33. idque valde probabile eſt, probarique ſolet obſervatione R. D. Kimchi apud Leighium in Crit. S. quod verbum שִׁסֵּף vicinum שִׁסַּע verbo, ſignificet in duas partes dividere, ita tamen ut illud ſciſſionem violentam magna cum virium intenſione & vehementia notet, qualis eſt cum gladio aliquid, vel ſecuri ligna findimus. Non ergo fuit conciſio in membra fruſtatim, ut quidem Vulgatus habet, ſed fiſſio, ſectio, διχοτομία fuit. Ita quoque de ſimili cæde & ſupplicio accipienda aliquibus videntur loca 2 Sam. 12: 31. 1 Paral. 20: 3. ubi David ſerræ & tribulis ferreis & ſerris ſeu ſecuribus ferreis ſubjeciſſe legitur Ammonitas juris Gentium violatores, non certe ut ſub hæc inſtrumenta ipſos compingeret, ſed ut ſecaret ſcinderetque fœdifragos. Quo etiam nonnulli referunt locum Amos 1: 3. quod tamen dubium adhuc videtur. De cætero & huc pertinent loca ex Suppl. Dan. ſupra §. 6. allegata, quæque denuo repetere non attinet. Sic Salomon Rex 1 Reg. 3: 25. ſimulabat infantem vivum ſecturum ſe medium, donec in apricum protraheretur & vera mater & parricida. Etiam huc Eſaias ſectus ſerra pertinet, de cujus morte quid habendum ſit, §. 20. declarabimus. Et Judæi Cyreneneſes in Romanos atque Græcos ſævientes à vertice ſerris diſciderunt medios, apud Dion. Caſſ. in Vita Trajani, prout eundem etiam allegat Lightfoot in Horis Ebr.

§. X. Cum igitur clarum ſit & hactenus liqueat, phraſin hanc διχοτομεῖν τινα de ultione gravi accipi, ut præter alia loca, ex Sophoc. & Homero §. 6. & 7. conſtitit, atque inſuper etiam Judæis rem ipſam non incognitam inſolitamque fuiſſe probaverimus, ſatis abunde liquet, quid Dominus noſter voluerit verbis ex Matth. & Luc. allegatis. Scilicet cum in pœnis acerbius nihil, nihilque crudelius vel cogitari poſſit hujuſmodi cruenta διχοτομίᾳ & medii hominis vivique Sectione, propterea interpretes plurimi exiſtimarunt Chriſtum ad hoc ſupplicii genus alluſiſſe, quando ſempiternum exitium minitatur ſervo nequam, qui abſente Domino duriter habebat familiares & ſervos reliquos, quorum ipſe Oeconomus à Domino conſtitutus fuerat, & Heri inſuper bona flagitioſe dilapidabat. Iſtis itaque ut & noſtrum adjiciamus calculum, movent ſuadentque non levia textus monumenta.

§. XI. DOMINUS namque adhortaturus ad vigilantiam in pietate perpetuam decentemque ob diem noviſſimum omnibus incognitum, & latentem horam ultimam Matth. 24: 36. 42. Luc. 12: 40. non tantum Chriſtianos in genere omnes Matth. cit. v. 42. Luc. cit. v. 35. ſeqq. ſed & imprimis Apoſtolos eorumque Succeſſores omnes (confer Irenæum lib. 4. Adverſ. Hæreſ. cap. 44. de Presbyteris injuſtis f. m. 382. ſq. & cap. 72. f. 417.) de officio ſuo graviſſimo admonet, Matth. cit. vſ. 44. utpote quos ipſe, ceu ſervos ſuos ll. cit. præfecerit Eccleſiæ ſuæ, DOMUI DEI 1 Tim. 3: vſ. 15. in qua ſunt diſtincta miniſteria 1 Cor. 11: 5. Oportet autem miniſtrum hujuſmodi divinum & ab ipſo Domino Luc. 12: vſ. 42. & quidem ſuper θεραπείαν αὐτῦ, *ibid.* inſtitutum eſſe, ut fidelis ac prudens diſtribuat familiæ Dei Eph. 2: 20. σιτομέτριον Verbi & Sacramentorum. Quodſi vero ὀφθαλμόδουλος ſit, & ſecurus Matth. cit. vſ. 48. Luc. verſ. 45. & inſoleſcat tyrannico dominatu ibid. Matth. verſ. 49. reſque Domini negligat & diſſipet luxu, denique ebriorum mala conſortia ſectetur ebrioſus: hunc tanquam gloriæ Dei, publicæ ſalutis, ſanctique Miniſterii proditorem, peſtem & proſtitutorem, à Domino ex improviſo adventante, pœna hujuſmodi facinoroſis digna affectum, h. e. æternis inferorum cruciatibus mulctatum iri docet ipſe DOMINUS & Salvator, dum figurata locutione diſſecandum illum eſſe pronunciat.

§. XII. Parabola enim eſt præſens Domini ſermocinatio, ubi ſub figurato hoc dicendi genere divinas haſce doctrinas recondit: Uti enim alludit ad ſervos Atrienſes, quibus inter reliquos præcipuis cura domus & ſupellectilis & familiæ committebatur, *de quo vid. Voſſius lib. I. Harm. Evang. cap. 10. p. 71. & quem allegat, Fulvius Urſinus, nec non Servius ad Æneid. I.* ita & ad pœnam intendit digitum, quæ manebat hoſce ſceleſtiſſimos Oeconomos, ceu ex Arriano ſupra patuit, & alias proditoribus patriæ, perfidis, rebellibus, perduellibus, Reique publicæ peſtibus infligi ſolebat. Signanter autem dicimus διχοτομεῖν hoc figurata locutione deſignare cruciatus æternos abyſſi graviſſimoſque: hos enim commode deſcribit Chriſtus hoc ipſo ſupplicio, quia iſtud in humanis pœnis videtur eſſe crudeliſſimum & intenſiſſimum. Neque tamen non eſt verbum hoc διχοτομεῖν h. l. proprie accipiendum cum Grammaticis, ut expeditum §. 2. & 3. etſi non cum Rhetoribus. Nihil enim impedit quo minus verbi cujuſdam notio occurrat propria grammatice, etiamſi inibi ſit impropria rhetorice h. e. tropo aliquo affecta in contextu ſermonis.

§. XIII. Hæc vero noſtra ſententia Patronos agnoſcit Chryſoſtomum Homil. 77. vel 78. ſecund. Codices Latinos, in h. l. Ex recent. B. Brentium in Matth. cit. qui tamen Sectionem in quatuor partes in verbo intelligit ad morem Europæorum in puniendis rebellibus &c. Joach. Camerarium notis in h. l. B. Schmidium noſtrum in h. l. B. Lyſerum in Harm. Evangel. cap. 110. col. 1590. Etiam magnus noſter Calovius per διχοτομίαν hanc intelligit pœnas infernales in parabola, in Bibl. Illuſt. h. l. qui etiam in Bibl. Germ. ad Matt. l. c. verbum ita expoſuit: zerſcheitern / mitten von einander hauen. Aliique plures ex noſtratibus. E Calvinianis hanc interpretationem ſequuntur Calvinus in Harm. Evangel. p. 310. Bullingerus Comm. in h. l. Gatakerus in Adverſ. Miſcellan. c. 45. Conſentire etiam videtur Voſſius l. c. p. 71. Idem cum cæteris ſenſit olim Caſaubonus, ſed mutavit dein ſententiam, ut patet ex notis brevib. in Matt. l. cit. Quare ob hanc cauſſam etiam multi interpretes τὸ διχοτομήσῃ vertunt *diſſecabit*, vel *dividet*, ut Vulgata & Arias Mont. item Tremellius: *Medium ſecabit*, ut Arabs: Eraſmus, *diſſecabit*, ita & Syrus, qui tamen etiam de Separatione intelligi poterat. Non autem ſufficit ſolam hanc noſtram ſententiam per-

pervestigasse, sed lubet, quin & opus est etiam, quid alii de hoc loco sentiant, exponere.

§. XIV. Ubi quidem alii ad victimas alludi existimant, quæ concidebantur in frusta, eæque partes sacrificiorum deinde igne absumendæ erant: Sic & hujusmodi pessimum Servum concidendum esse & urendum igne torrentis sulphurei apud inferos colligunt. Caussa hujus sententiæ est, quod O' Seniores sæpius loco verbi נִתַּח posuerint Græcorum διχοτομεῖν, & pluralem nominis נְתָחִים partes, frusta, membra exposuerint per διχοτομίαν vel διχοτομήματα. Istas vero voces Ebræas in Instrumento Veteri etiam de victimis usurpatas esse docebunt Concordantiæ Græcæ C. Kircheri. Quapropter & Ludovicus de Dieu Comm. h. l. ad victimas cæsas respiciens, sensum dictorum Domini ait esse, quod hujusmodi Servus non futurus sit particeps Victimæ Christi, sed quod ipse victima futurus sit, dissectioni instar victimæ piacularis devotus. Pro eadem Sententia etiam allegari solet Joh. Wimesius Anglus in Exercit. S. apud Leighium in Crit. S. Vid. etiam Bald. Walæus Comm. in IV. Euang. qui tamen aliorum duntaxat opiniones & placita collegit, haud aliter ac Ed. Leigh. in Crit. S. qui varias ac diversas sententias recenset, nec, quæ optima earum sit, declarat, elogio censuraque lectori relicta. Utraque autem sententia bene quidem consistere potest, id vero discriminis inter utramque intercedit, quod illa, quæ de supplicio exponitur, propius ad rem accedat, quam hæc, quæ de victimis. Nam Hebræum נִתַּח pro quo LXX. διχοτομεῖν, non usurpatur de pœna. Videtur enim hoc supplicii genus ortum habuisse ex victimis, quo pertinet locus ex Plauto supra citatus. Remotior ergo est allusio ad victimas, propior ad supplicium, idque vel maxime etiam ideo, quia cum DEUS in Scriptura ulcisci dicitur hominum scelera, non certe victimas iræ suæ placandæ cædere, sed suppliciis justissimis punire facinorosos perhibetur. Accedit denique, quod Ludovicus de Dieu id Hellenisticæ suæ gratia ita exponere videatur, in quo quidem nos non habebit consentientes.

§. XV. Nonnulli locum hunc simpliciter exponunt de occisione, quandoquidem homo per mortem dissecatur in duas partes, ipsaque anima à corpore hoc discidio separatur. Occasionem huic opinioni dedisse videtur Tertullianus libro de Res. Carn. c. 19. ubi mortem definit per discidium animæ & corporis, quo homo quasi διχοτομεῖται in duo dividitur. Et Hesychius διχοτομίαν exponit ἀναίρεσιν, interfectionem. Sic Lyra in Gloss. ad Matth. & Luc. l. cit. Ipse quoque Rivetus Comm. h. l. hanc explicationem sequitur. Sed cum mors piis impiisque communis sit ex æquo, & vero hic de pœna impii agatur, à qua pii sunt immunes, patet sane omnibus, hanc interpretationem incongruam satis esse.

§. XVI. Denique alii hoc verbum generaliter exponunt de separatione à reliquis servis: *dissecabit*, hoc est separabit ipsum à reliquo famulitio. Unde Glossa Ordin. *dividet eum*, scil. à consortio fidei. Momenta rationum quibus inducuntur, ut ita sentiant, hæc sunt: Primo quidem urgent significationem verbi διχοτομεῖν, quod exponunt per ἀφορίζειν, *Separare*, in quibus Beza est in Annot. ad h. l. qui pro se adducit Homer. Iliad. α. vers. 531. allegant & alii alia loca ex Homero pro hac notione, sed impertinenter & frustra, caussam & solutionem dedimus §. 2. 4. impr. 5. Nulla quippe urget caussa, ut à propria vocis significatione & primaria transeamus ad secundariam: quæ nullo Græcorum Scriptorum exemplo potest confirmari. Idem etiam regerendum est Pfochenio, qui, dum Verbum hoc ab Ebraismo, quem nonnullos præter fas in eo quæsivisse dicit, liberare vult, à lapsu parum abest, dum largitur, Verbum hoc æque apud profanos, ac h. l. apud Matth. & Luc. in sensu separationis accipi. Vid. Diatrib. ejus de Ling. Græc. N. T. puritate p. 90. Quid ad locum allegatum ex Homero respondi debeat, aliquoties indicavimus. Et mirum est, cur Gatakerus in Cinno pag. 251. neget ullum esse interpretem, quantum quidem ipse sciat, qui Ebraismum in voce & phrasi hac quærat, cum tamen eundem Ebraismum esse purum Casaubonus in notis ad Matth. cit. relicta priori de gravissimo supplicio sententia, non tantum fateatur, sed & ex textu & locis parallelis eundem confirmare nitatur.

§. XVII. Itaque deinde urgent verba sequentia, cum dicitur, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει: quibus verbis sejungendus à pia familia & associandus esse hypocritis dicitur. Proinde etiam in hac phrasi uti dixi, Casaubonus Ebraismum invenisse sibi visus est, eumque roborat collatione locorum Joh. 13:8. Apoc. 21:8. ipsi pariter Ebraisticorum. Idem placuit Bezæ, qui etiam hunc Ebraismum defendit. Sed Pfochenius primum in Diatribe l. c. deinde B. Schmidius ad h. l. Ebraismum hunc recte refutarunt, & ille quidem adductis ex Eurip. in Hippol. Coron. vers. 1294. seq. Hic vero ex Platone I. Politic. ex Demosth. contra Aristoc. & aliis, ubi μέρος παρέχειν, ἀριθμεῖν, γίνεσθαι ἐν μέρει τινός, est idem, ac *referri*, *venire in censum*, habere, numerare, esse in censu alicujus rei. Et clarissime omnium Flacius in Clavi S.Sæ, P. I. f. m. 826. ex Demosthene probat & adducit locum, qui dubitare de phrasi hac purissime Græca non sinit. Exulat itaque omnis Ebraismus, vel Hellenismus ex hac phrasi apud Matth. & Luc. l. c. eamque pure Græcam esse dicimus. Unde frustra excipit Gatakerus l. c. p. 251. *Unum exemplum Tragici Græci non tollere Ebraismum*: plura enim prostant quam unicum. Neque tamen etiam sequitur: phrasin hanc Græcam à Matth. & Luc. usurpatam adhiberi etiam ab Ebræis, ergo esse adhuc Ebraismum: quia multæ dantur Ebræis Græcisque, imo adderem & Latinis communes locutiones, quæ tamen ad Idiotismum Linguæ non pertinent. Sensus igitur est, *partem ejus ponet cum hypocritis*, h. e. æque tractabit ipsum ac hypocritas, vel eodem censu erit cum istis. Etenim τὸ ἐμόν, & τὸ ἐμὸν μέρος, idem sæpe ac ἐγώ Ego, Græcis est: Ut videre est apud Lucianum in Dialogo, qui inscribitur *Nigrinus*. Loco hypocritarum Lucas nominat ἀπίστους, quorum tamen eandem fore damnationem docet Apostolus, 2. Thess. 1:8.

§. XVIII. Ultimo urgent pro eadem sententia defendenda, quod olim, quando copiosa fuit familia apud Veteres, discrimen notabile observatum fuerit in parando cibo pro servis, lautiori scil. pro bonis, vulgari & tenuissimo pro pigris infidelibusque: quam in rem conf. Beza notis h. l. Hanc autem generalem interpretationem de segregatione à reliquis servis ita intelligunt, jubente parabola, ut simul subinnui dicant hujusmodi Servi separationem à beatifico DEI aspectu & B. Cœlitum consortio, quæque non hujus, sed alterius sæculi sit. Patres pro hac sententia allegati videri possunt apud Gerh. in Harm. Euang. Conf. & Hieron. in h. l. & Auctor Operis Imperf. in Matth. apud Chrys. Hom. 51. Grotius & Beza pro se allegant Tertullianum, qui lib. in Marcion. verterit ad sensum non male, διχοτομεῖν, *segregare*. Uterque enim ejusdem est sententiæ. Ipse etiam Casaubonus sensum *separandi* secutus videtur, quando ad marg. Ed. Gr. N. T. allegat Matth. 25:32. & 33. Addi hic possunt Pelargus Q. & R. in h. l. p. 236. ubi & Augustinum Epl. 80. pro se allegat. Tossanus in Comm. Vossius l. c. Junius in notis. Leigh. in Crit. Flacius in Clav. S. P. I. f. 611. Aliique plures. Nonnulli autem præcipuas has sententias non ineleganter conjungunt & orthodoxe explicant: in eo tamen omnes conveniunt, quod de pœnis infernalibus & cruciatibus irrogandis hujusmodi servo, sermonem DOMINO esse consentiant.

§. XIX. Propterea etiam commodum hic notamus, adductas quidem sententias nihil absurdi habere, esse tamen aliqua, quæ obstare videantur, quo minus priori nostræ de Supplicio ceteras quis possit anteferre sententias, & hujusmodi quidem esse illa, quæ non temere moveant jubeantque dissentire, modeste tamen & amore certitudinis hermeneuticæ, à tot magnorum virorum placitis. Primo enim διχοτομεῖν non generalis & indeterminatæ, sed specialis & determinatæ notionis verbum est, notatque in duas partes membraque dividere. Jam oportet interpretem hujusmodi determinatæ significationis verba in sua singulari notione retinere, nisi obstet urgens in textu caussa: Idem & hic observandum; Sin minus, non apparet, cur præcise h. l. sit usurpatum verbum determinatæ notionis, poterat quippe alio indeterminatoque verbo uti Dominus, siquidem peculiarem quandam pœnam auditoribus suis ob oculos ponere noluisset. Deinde notum est, quod Sacra Scriptura infernales cruciatus delineatura, (uti quidem & hoc nostro loco fit) semper utatur hujusmodi vocabulis certæ determinatæque significationis, quæ notant dolores & cruciatus inter homines acerbissimos: qualia sunt ὠδῖνας, βασανίζεσθαι: Hæc verba omnia sunt derivata, notionemque sic determinatam in se à primitivis derivant, ut adeo illud acutissimos ex partu, hoc intensissimos ex tortura carnificum dolores notet. Cum itaque Dominus agat de æternis damnandorum apud inferos cruciatibus, ineffabilibusque doloribus, quid aliud adumbrare voluit verbo hoc διχοτομεῖν, nisi supplicium, cujus dolores cogniti acerbissimique illorum instar quasi sint & imago. Denique si nudam separationem Christus solum indicare voluisset, qualis piorum est ab impiis, stilum sibi usitatum observasset Matthæus, verboque generalis notionis ἀφορίζειν conceptum generalem & indeterminatum expressisset, ut alias fecit cap. 13:49. cap. 25: vers. 32. &c. eumque imitatus Lucas cap. 6: 22. Actor. 13:2. c. 19:9. & Paulus 2 Cor. 6:17. Gal. 1:15. Imo verbum ἀφορίζειν ad hunc sensum exprimendum aptius est, quam διχοτομεῖν. Notat enim aliquid certis suis limitibus circumscribere, ac dirimere à ceteris. Itaque relinquitur, hoc verbo

Dominum

Dominum respexisse ad supplicium gravissimum dissectionis, quo perduelles & Patriæ proditores & quietis publicæ turbatores nonnunquam afficiebantur, eoque ipso æternum damnati servi supplicium in abysso tormentorum sustinendum voluit delineare.

§. XX. Tandem vero ut præstemus, quod §. 9. promisimus de Esaiæ morte, hic sese commoda præbet occasio. Scilicet Sanctum hunc Prophetam à Manasse tyranno inter Judæos hoc dissectionis supplicio affectum fuisse, plurimi Patres antiquissimæ Ecclesiæ tradunt. 1. Horum quasi agmen ducit B. Justinus Martyr, qui in Dial. cum Tryphone Jud. cap. 114. f. 273. recenset, Judæos Prophetam lignea serra dissecuisse, idque ipsis valde exprobrat, & silentio suo Trypho, quando ad hæc nil regessisse legitur, vera esse comprobavit, quæ S. Pater retulerat, Sæculi II. Doctor. 2. Hunc excipit Sæc. III. Tertullianus Lib. advers. Gnost. cap. 8. f. 610. & de Patient. cap. 14. fol. 9. ubi idem refert. 3. Succedit eodem Sæculo Origenes Hom. I. in Esaiam fol. 625. & Hom. I. in Psal. 37. fol. 522. Ubi & condemnatum ceu blasphemum & Leges Sacras transgressum, quod Dominum ἀόρατον Exod. 33:20. vidisse se affirmarit, & propterea dissectum fuisse à Populo scribit. 4. Porro idem testatur Dorotheus, qui alias nomen Episcopi Tyri gerit, (de quo incertum est, quis ille sit, cum plures ejusdem nominis, nec tamen certis diversisque indiciis satis distincti, fuisse perhibeantur,) in Synopsi de vita & morte Prophetarum & Apostolorum. Ubi non obstat nobis, quod plurimi eruditorum hunc libellum pro fabuloso agnoscant, quod fabulis multis sit refertus: in eo namque nobis fabulosus esse non videtur, dum hanc exhibet historiam, viris alias summæ auctoritatis constanter traditam, nisi hos omnes fabulosos quis dicere velit. 5. Sic eandem recensuit Epiphanius Tom. II. fol. 238. in vita Esaiæ, ubi S. Vates ipsi dicitur à Manasse πρισθεὶς εἰς δύο, eademque fere verba habet, quæ Dorotheus, ut incertum sit, uter ex altero hæc desumserit. Quæ caussa est, quod multi viri clarissimi, & in illis Petavius in Epiphan. & Johan. Raynold. Prælect. 136. in Apocr. apud Rivetum in Crit. hunc pii Patris libellum γνήσιον esse negaverint, potissimum ex eo argumento, quod plurima tradat fabulosa. Verum nisi alia obstarent, parum valeret hoc argumentum, quando Epiphanius, judice Excell. Dn. Stolbergio in Colleg. Antiq. N. T. MSS. Patrono & Doctore nostro ætatem summisse devenerando, etiam in aliis valde fuit credulus, multaque incerta tradidit. 6. Isidorus Pelusiota lib. I. Epl. 408. & Lib. IV. Ep. 205. Et Hispalensis cum præcedentibus facit, in lib. de Script. Eccles. idem diserte enarrans. 7. Porro Sulpitius Severus Epl. II. pag. 225. & Auctor Op. imperf. in Matth. 19. Hom. 33. f. 639. disertis idem confirmant. 8. Augustinus etiam eandem historiam etsi relative saltem attingit lib. 18. de C. D. c. 24. 9. Ubi & Eusebius allegatur ὁμόψηφος à Ludov. Vive in Comm. 10. Tandem Hieronymus in Esa. c. 57. fol. 209. edit. Bas. hanc Judæorum traditionem certissimam vocat, ipsumque verbum Hebr. 11:37. ἐπρίσθησαν à plerisque Veterum Christianorum de Esaia expositum fuisse notat. Denique vero Martyrologium Rom. a. d. 6. Julii cædem S. Prophetæ refert, ubi Baronius in notis ad illud pro eadem sententia ex junioribus allegat Bedam, Zenonem Veronens. Cedrenum ad An. 3 . Theodosii Jun. Idemque etiam refert Alexandrinum Chronicon his verbis: *Esaias Vates à Manasse serra divisus occubuit, vaticinatus est annis 90. tumulatus super quercum Rogel.*

§. XXI. Hæc sane testimonia facile rei veritatem nobis persuadent, etsi argumenta illorum, qui ut fabulosam traditionem eam totam rejiciunt, suum quoque pondus habent. Liceat tamen salva autoritate Virorum celeberrimorum paucis nostram sententiam de illis exponere. Objicitur, hujus traditionis originem à Judæis & Talmude esse. Allegatur à Lightfooto in Hor. Ebr. pag. 1090. liber Jevamoth. fol. 49. 2. At multa in Talmude optima sunt & proponuntur; nec ideo duntaxat reprobanda, quia Talmudica. Scilicet si cætera, qua testes συγχρόνες, ut quidem hic aliqui sunt, paria sint, testimonium Talmudis nequit simpliciter rejici, neque tam contra nos, quam pro nobis est. Difficilius autem est, quod ajunt, Esaiam non potuisse vivendo attingere imperium Manassis, alias ultra 120. annos vixisse censendus esset, contra morem illius Sæculi. Verum ponamus Esaiam egisse annum trigesimum, quo officium Sacrum divinitus monitus adiit, (ante hunc enim annum nemo ordinarie ad munia sacra admittebatur) isque annus incidat in annum Mundi 3182. juxta calculum Chr. Helvici, & in annum 45. Regni Oziæ, R. Jud. Non enim opus esse putamus, ut omnes Oziæ anni assumantur, sufficiunt vel octo ejus imperii anni postremi: Maxime cum certo non constet, quo anno Oziæ præcise officium suum Vates adierit. Jam cum hoc termino si jungas alterum terminum, primum nempe annum Regni Manassis, qui est Annus Mundi 3251. emortualem Vati haud improbabiliter, & adjicias his annos ante inaugurationem elapsos, vix centum complentur anni, non nostro, nedum Israelitarum ævo insoliti.

§. XXII. Dixi vero haud improbabiliter annum primum Manassis Vati fuisse supremum & emortualem, quandoquidem Josephus lib. X. Antiq. cap. 4. disertis verbis testatur, Manassen auspicatum esse Regnum suum à crudelitate, & contemtu Numinis, atque desæviisse in justos quoscunque, nec à Prophetis abstinuisse cruentas manus, ex quorum numero per singulos dies aliquem supplicio affecerit, mactaveritque. Ipse quoque Augustinus l. c. videtur asserere, ipso Regni Manassis initio occisum esse Esaiam. Taceo, quod si cum Eusebio in Chronico ordiamur calculum Officii sacri Vatis ab anno 17. Oziæ, jam ille annum 113. egisse dicendus esset, cum Hiskiæ agonizanti spem vitæ longioris fecerat. Ex eo igitur, dum hæc non cohærent, nostra hypothesis roboratur. Inde etiam declinari potest telum, quod intorquent alii, dum ajunt, Esaiam saltem sub 4. Regibus vixisse, non item sub Manasse, quem nec nominet in inscriptione Prophetiæ, nec mentionem ejus faciat in ullo libri sui textu. Quibus reponimus, non potuisse prædicare Esaiam sub hoc Rege adeoque sic eum nec nominare in titulo, multo minus integro libro, quia primis annis circiter sublatus censetur, ex testimonio Josephi. Unde per se ruit opinio Cornelii & Baylii, qui necem hanc ad grandiorem tyranni ætatem referunt. Cæterum dum alii ex eo, quod caussæ cædis nullius sint verisimilitudinis, rem totam negant, videntur mihi quæstionem juris & facti confundere; De hac autem, non de illa litigamus. Neque diffitemur, eas mortis meritorias haud fuisse: imo si hoc argumentum valeret, pariter negari posset Occisio Jesu Nazareni, Salvatoris nostri, quem notum est pari Judæorum levitate & protervia insontem & mendacissimis criminationibus oneratum, ad crucem fuisse damnatum. Ultimum uni Abulensi, qui ex antiquis traditionem hanc negasse dicitur, opponimus plures eosque antiquiores in re hac tradenda constantes, licet non omnes unas easdemque circumstantias annotent. Hæc de morte Sancti Vatis, qua evictum supra dare volui, non incognitum fuisse Judæis hoc supplicium. Idque omne non alio quam huc spectat, ut scilicet Oraculi nostri sensum atque sententiam de supplicio dissectionis gravissimo magis atque magis corroboraremus. Plura addere non permittunt leges nostri Ordinis, quibus nostra disputatio intra hos chartæ terminos constringitur.

O. A. M. D. G.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De eo, an Servator eodem die cum Judæis comederit Agnum Paſchalem ad Matth. XXVI: 2.

DE
QUÆSTIONE
Utrum Salvator noſter eodem die cum Judæis agnum Paſchalem comederit: an vero illud Feſtum ſuo Paſchate anteverterit?

CAPITIS PRIMI
SUMMARIA.

Controverſiæ de tempore, quo Chriſtus agnum Paſchalem comederit, ultro citroque ventilatæ & fervidius tractatæ eventus. Jani Nicii Erythræi de Hieronymo Vecchieto ejusque adverſa fortuna, in quam eadem quæſtio eundem conjecit, relatio. Cur in diſſentientes acrius animadverſum. Tempus agni mactati. Menſis Niſan nomenclatura evoluta. Syrus, Arabs, LXX. Interpp. & Abarb. laudati. Paſcha uno die anticipatum à Chriſto Græci nequicquam contendunt. Agni in atrio templi mactandi & Hieroſolymis comedendi. Cur Judæi Paſcha tranſtuliſſe perhibeantur. R. Moſis Maimonidis de perpetua neomeniæ & feſtorum per lunæ Φάσιν *conſecratione ſententia ab Abarbenele rejecta. Recentiorum Judæorum canon de feſti tranſlatione ex Talmud, & Aben Eſra falſitatis convictus. Iſaaci Caſauboni teſtimonium de trium Evangeliſtarum priorum conſenſu ſuper tempore celebrati à Chriſto & Judæis Paſchatis.* Ἐναντιοφανὲς *in Johanne occurrens ſequenti capite ſolvendum reſervatur.*

§. 1.



Vexatiſſima & multis contendentium ſtudiis agitata quæſtio eſt, utrum Salvator noſter eodem cum Judæis die Paſcha comederit, an vero illud anticipaverit, adeoque ſeorſim ab iis, & diverſo tempore feſtum celebraverit? Quæ quæſtio haud ſubinde intra verborum conflictum ſe continuit, ſed quandoque in eum fervorem erupit, ut etiam pœnam & ergaſtuli durioris anguſtias pepererit diſſentientibus. Damno id ſuo expertus dicitur Hieronymus Vecchietus, de quo Janus Nicius Erythræus, Pinacothec. Virorum illuſtrium part. 1. pag. 196. hunc in modum loquitur: Fuit Hieronymus divinis & humanis literis doctus ac præſertim verſatus in hiſtoriis, atque in ea arte, quam profitentur ii, qui *Mathematici* vocantur, ſed in omnibus fere rebus nimium ſui juris ſententiæque. Edidit inſignem librum in charta, ut ajunt, regia, magnis ſumptibus Auguſtæ Vindelicorum impreſſum, ſed cenſorum animadverſione in multis ac maximis vitiis deprehenſum, ac propterea Superiorum decreto cautum, ne in manus hominum perveniret. Etenim contra Sacrarum literarum fidem, contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, contra ſanctorum Patrum ſententiam conabatur oſtendere ex ſolis lunæque ratione, quam non bene, fortaſſe deceptus, inierat, *Chriſtum Dominum pridie, quam pro nobis mortem oppeteret, ſolenne illud Paſchalis Cœnæ convivium una cum ſuis non celebraſſe*: & cum poſſet temere dicta vel corrigendo vel interpretando ex multis ſeſe incommodis & ærumnis eximere, maluit ſeveriſſimo Quæſitorum fidei cauſæ judicio ſe committere, atque ultro in vincula conjicere, ubi multos annos exacta jam ætate, in tenebris, in ſqualore, in ſordibus jacuit, quam vel minima quidem ex parte de ſententia decedere.

§. 2. Sciſcitanti, cur ob quæſtionem philologicam vel hiſtoricam potius, quam Theologicam & δογματικὴν, in bonum illum Vecchietum, tantopere ſævitum ſit à Romanis inquiſitoribus, reſpondemus, factum id eſſe propter conſequentias, quæ inde eliciuntur. Problema enim Philologicum natura mutata evaſit inter Græcos & Latinos quæſtio de fide, illis contendentibus Chriſtum ſuo paſchate Judæorum paſcha antevertiſſe, pane non infermentato ſed fermentato uſum. Unde quæri cœptum eſt, utrum ἄζυμος an ἔνζυμος panis in Cœna Dominica adhibendus ſit, quorum illud Latini, hoc Græci aſſeruerunt, ſuoque exemplo Chriſti factum exprimendum ſunt arbitrati.

§. 3. Operæ igitur pretium fuerit, diligentius ſcrutari, quo

 tandem

tandem tempore Dominus noster Pascha comederit? Ex cujus quæstionis decisione & illud manifestum erit, quo die idem passus fuerit. Scire igitur licet, per leges divinas Exod. 12:2. Num. 9:5. Levit. 23:5,6. non nisi decima quarta die mensis primi agnum fuisse mactandum, & quidem בין הערבים *inter duas vesperas*. Unde Rabbi Moses de Kozzi, fol. 117. col. 1. de Paschate ait: שחיטת הפסח היא ביום ארבעה עשר אחר הצות: *mactatio agni peragitur decima quarta die post meridiem*. Et R. Bechai comm. in Pentateuch. fol. 205. col. 3. בערב כבוא השמש מועד שלשה זמנים הם בערב תשחטנו משש שעות ולמעלה וכבוא השמש תאכלנו ומועד צאתך תשרפנו: *Vespera, sole occidente, statuto tempore* (Deut. 16:6.) *tria tempora notantur. Vespera mactabis post sex horas aut plures. Sole jam occumbente, comedes, & tempore egressus tui* (ex Ægypto) *combures*. Neque abludit Josephus, cum lib. 7. cap. 17. de B. J. scribit, agnos mactatos esse ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *ab hora nona usque ad undecimam*, sive ut nos numeramus, ab hora tertia usque ad quintam vespertinam. Prior vespera Græcis dicitur δείλη πρωΐα, ἡ μετ' ἄριστον ὥρα, *vespera matura est tempus post prandium*, teste Hesychio, sed δείλη ὀψία ἡ περὶ δύσιν ἡλίου *sera, quæ circa Solis occasum*. Mensis ille primus postmodum vocatus est Nisan, de quo Abarbenel comm. in cap. 12. Exod. אנחנו נקראהו כשמות אשר העלו מאשור: *Nos eum Nisan appellamus secundum nomina, quæ ex Assyria allata sunt*. Nomenclaturæ hujus originationem, quam nonnulli minus recte à נוס *fugere* deducere conati sunt, quod Judæi ex Ægypto fugerint, optime Cl. Bochartus penetravit, dum mensem נִיסָן Neh. 2:1. Esther. 3:7. pro נִסָּן dictum esse ait, vocali longa defectum Dagesch fortis supplente, quod *signa* vel *vexilla militaria* hoc mense primum educuntur. Hinc ad verba 2 Sam. 11:1. *& anno revoluto, quo reges egrediuntur*. R. Abarb. scribit: והוא זמן ראשית החום שימצאו התבואות והעשבים בשדה והפירות באילנות: *Tempus illud initium caloris notat, cum proventum & herbas in agro, fructus in arboribus reperiunt*. Nempe ille mensis intelligitur, quo Sol signum arietis ingreditur, & partim Martio, partim Aprili respondet. In Scripturis אביב dicitur Deut. 16:1. *mensis spicarum*, quod hordeum spicatum tunc esse in Palæstina solebat. Syrus ܢܝܣܢ *mensem florum* appellat, Arabs شهر الفريك *mensem granescentis segetis*. Græci μῆνα τῶν νέων sc. καρπῶν aut γεννημάτων. Eopse enim mense, postridie Paschatis falx in messem mittebatur.

§. 4. Tempus hoc divinitus præfinitum & ipsum Dominum nostrum observasse, cum discipulis suis id negotii dedit, ut pascha pararent, ex Evangelistis haud obscure patet, cumprimis Matthæo cap. 26:2. Marco cap. 14:1. & Luca cap. 22:7. Hic enim expresse ait: ἦλθε ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Ergo tunc secundum Legis præscriptum & tenorem Christus Pascha comedit, nempe die decima quinta mensis. Vespera enim, qua comedit Dominus Pascha cum sequenti die XV. ad quam pertinet, totum νυχθήμερον constituit, ejusque initium fuit. Fit tamen, ut etiam die XIV. Dominus comedisse dicatur, quia, ut ex Gellio Cl. Bochartus refert: *tempora duo cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum initio alterius misceatur, non refert, utrum per extremum prioris, an per initium sequentis locus ipse demonstretur*. Minime vero apparet, unde Græci anticipationem probare velint, προλαβὼν, inquientes, ὁ Χριστὸς πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἐποίησε τὸ πάσχα. Persuasum illi habent, Christum, utpote κύριον τοῦ νόμου, & majorem templo, Matth. 12:6. ideo decimo tertio die Pascha comedere voluisse, ut illo die, quo Judæi πάσχα comesturi essent, posset pati. Conf. Euthymium in cap. 26. Matth. & Cyrillum lib. 12. in Joh. cap. 2.

§. 5. Sed eccui verisimile videatur, eum, qui quoad in terris egit, Legi satisfacere, ut homo, ubique studuit, & adversarios suos provocavit, an vel minimi peccati reum peragere possent, Joh. 8 46. & qui ita se gessit, ut jam victo & damnando nullum crimen exprobrare, vel teste aliquo gravare eum possent, Marc. 14:55. die alia, quam oportebat, agnum comedisse? Sane si tunc hostibus Christi innotuisset tale quid, vel ob solum tempus legitimum neglectum & non observatum violatæ Legis reum Dominum peregissent, & ita habere crimen sibi visi essent, ob quod mortis pœna eum afficerent. Quod argumentum pro vulgata opinione non pœnitendum ipsi Casaubono visum est.

§. 6. Neque putandum est, clam Judæis hoc à Christo fieri potuisse, cum agnus non potuerit comedi, nisi sanguine ejus ad altare à Sacerdotibus sparso & adipe combusto. Quid, quod & mactandus erat totius populi consensu in templo. Ut enim Maimonides cap. 1. Hilk. Pesach scribit: אין שוחטין את הפסח אלא בעזרה כשאר הקדשים: *non mactant Pascha nisi in atrio more reliquorum sacrificiorum*. Quia nempe aliter Deus fieri vetuerat, Deut. 16:6. *non*, inquiens, *poteris Pascha mactare in portis tuis, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus*. h. e. ut R. Abarbenel recte explicat fol. 362. comment. in Legem: זבח הפסח כפי הדין והרצון האלהי וגזרתו העליונה לא תוכל לאכול אותו בשעריך כי אם אל מקום אשר יבחר ה' אלהיך לשכן שמו שם תזבח את הפסח בערב ר"ל שם בחר ה' שתהיה העבודה הזאת ולא במקום אחר: *Sacrificium Paschatis secundum judicium, voluntatem divinam & decretum altissimum non poteris edere in portis tuis, sed loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus habitet, ibi mactabis Pascha in vespera*; q. d. *ibi vult hunc cultum præstari non alibi*. Hinc summum nefas fuit apud populum, Pascha non justo tempore & loco mactare.

§. 7. Tradunt quidem Doctores Ebræi, & inter illos R. Moses Maimonides, Festa & Neomenias, quamdiu illorum stetit Respublica, non aliter, quam juxta φάσιν Lunæ constitutas fuisse. Ita enim cap. 5. sect. 2. Hilk. חדש החדש sive de consecratione Novilunii scribit: דבר זה הלכה למשה מסיני הוא שבזמן שיש סנהדרין קובעין על פי הראייה ובזמן שאין שם סנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבים בו היום ואין נזקקים לראייה אלא פעמים שהיה יום שקובעין בו מחשבון זה הוא יום הראייה או קודם לו ביום או אחריו ביום: *Hac constitutio è monte Sinai Mosi tradita est, quod quam diu duraret Synedrium, secundum lunæ φάσιν neomeniæ constituerentur. At ex quo illud cessavit, constituunt secundum hunc computum, quo utimur, ad φάσιν non obligati. Sed quisque dies, quam per hanc computationem constituimus, est dies τῆς φάσεως, quandoque etiam uno die præcedit, aut subsequitur*. Atque hinc alii ex Christianis arbitrantur, cum Christi tempore per φάσιν festa constitui sint solita, & vero iis, qui procul aberant, innotescere tam cito haud posset, quo die præcise festum celebrari debeat, factum esse, ut singula festa per duos dies celebrarent, quod cum hodierna etiam Judæorum praxi convenire certum est, ut enim Buxtorf. in Synagoga Jud. loquitur: *Festum Paschatis per duos dies celebrant, ut eo certiores sint, & à vero festi die omnino non aberrent*. Sed ad hæc respondetur, ne Judæos quidem omnes id admittere, quod de perpetua constitutione festorum secundum φάσιν Maimonides tradidit. Dicam sane ei scribit R. Abarbenel, comm. in Exod. 12. his verbis: טעות הוא ביד האנשים האלה בכל חכמתם שאמרו שבארץ ישראל לא היו מקדשין אלא על פי הראייה כי הנה תמצא שאמר דוד ליהונתן הנה מחר חדש ואני אשב על המלך ומהיכן דוד היה יודע שמחר חדש לולי שעל פי החשבון היו קובעין ואולי לא תראה הלבנה ולא יקבעו מחר חדש: *Illi Viri quantalibet præditi sint sapientia, hallucinantur, qui asserunt in terra Israëlis Neomeniam nonnisi secundum φάσιν esse consecratam. Ecce enim invenies, quod David dixerit ad Jonathanem* (1 Sam. 20:5.) *cras erit novilunium, & ego sessurus sum cum Rege. Unde igitur Davidi constabat, tunc, altero die fore neomeniam, nisi ex computo fixerint illam? Forsan enim luna non apparebat isto die, idcirco juxta ejus φάσιν non erant neomeniam constituturi*. Quin si vel maxime id certum esset, ob longe remotos Judæos gemino die festum celebratum fuisse, Hierosolymis tamen alios uno, alios altero die agnum mactasse, & Pascha celebrasse, nullo modo fit verisimile, cum ibi, ubi Synedrium erat, de festo die non potuerit esse dissidium ullum.

§. 8. Sunt vero magni nominis viri, qui id haud inviti largiuntur, Dominum ad præscriptum legis Pascha comedisse, & hinc neque patremfamilias, ad quem Dominus suos discipulos ablegaverat, miratum esse, quod illo die Christus Pascha celebraturus esset: eo tamen anno, quod Pascha in feriam sextam incideret, Synedrium sive *domum Judicii* pro sua, quam habebat, auctoritate, aliter sancivisse, ut Pascha transferretur in diem Sabbati, ne duplex concurreret festum, cum geminis continuis diebus feriari alias cogerentur, quod משום ירקא ומתיא *propter olera* in tam calida regione & *propter mortuos* oppido molesta foret gravis & difficilis per duos continuos dies operum servilium abstinentia. Provocant etiam ad Canonem Judaicum: לעולם לא בד"ו פסח: *nunquam Pascha incidit in secundam, quartam & sextam feriam*, quæ literis בד"ו significantur.

§. 9. Quod vero canonem illum attinet, ex quo translatio festorum constare possit, respondemus, recentiorem illum esse, quam ut Christi ætate tale quid receptum fuisse, inde probetur. Quin fatentibus ipsis Judæis in Talmud, Massechet

chet Succa, cap. 5. יום טוב סמוך לשבת בין לפניה בין לאחריה: *festum Sabbato conjunctum sive antecedat, sive subsequatur.* Et ipse Aben Esra comm. in Exod. 23: 4. ingenue largitur, במשנה גם בתלמוד ראיה שהיה פסח בב׳דו: *In Mischna & Talmud, exempla habemus, quibus probari queat, Pascha incidisse in feriam* 2. 4. *&* 6.

§. 10. Cum igitur Judæi etiam aliquot post Christum natum seculis nondum Neomenias suas loco suo moverint, ne Paschale festum cum Sabbato continuum esset; nulla dum ratio apparet, quamobrem Christi ætate talem morem jam tum in usu fuisse credamus, cum nullum consuetudinis illius in historia Evangelica vestigium occurrat. Et cum Isaacus Casaubonus aperte fateatur, Exercit. 15. num. 25. *Negari non posse, Matthæi, Marci & Lucæ narrationes id videri significare, Dominum nostrum Pascha eadem die & hora celebrasse, quibus & cæteri Judæi omnes idem faciebant*, videamus oportet, quomodo ultimus Evangelistarum, Johannes Paschatis & passionis historiam referat, quam adversa pars tanto nisu pro contrariæ sententiæ confirmatione urget. Ubi enim scriptoris illius locutiones commode explicatæ fuerint, causæ nihil comminisci poterimus, quamobrem non præ nova eaque haud ita probabili sententia veterem illam retineamus & probemus.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Joh. Gerh. Vossii sententia nova de Christi & Judæorum Paschate diverso tempore celebrato. Ad Argumentum primum ex Joh. 13: 2. *responsio gemina affertur. II. Argumentum ex Joh.* 18: 28. *productum. Responsio ad illud ex Deut.* 16: 2. τὸ πάσχα *non de agno duntaxat, sed & victimis aliis Paschalibus intelligendum esse, Scaligero & Ludovico Capello improbata. Casauboni, R. Salomonis, Bechai, Gerundensis & Abarbenelis interpretamenta, Gerundensis Scripturæ locutionem nequicquam sollicitat. Locus Deut.* 16: 2. *explicatur & Gerundensis objectio refellitur. Latini, Syri & Arabis consensus in explicandis vocibus* צאן ובקר. *Ratio pro notione Paschatis victimis præter agnum competente ex vs.* 3. *allata. Particulæ* על *significatio ab Abarbenele illustrata. Ludovici Capelli violenta ellipsis rejecta. Ejusdem Argumentum ex Exod.* 12: 11. *solutum. Scaligero Lichtfooti & Bocharti testimonia opposita. Ad III. Argumentum ex verbis Joh.* 19: 34. ἦν παρασκευὴ τοῦ πάσχα *depromtum. Toleti, Baronii & Cloppenburgii responsio Vossio improbata. Alia responsio Bocharti ex antiquitate Ebraica. Rabboth & Bechai laudatus. Parasceven diem Veneris aliquando notare Casaubonus largitur. Arabibus idem significare probatur.* παρασκευὴ *cui diei tribui soleat. M. A. de Dominus laudatus. IV. Argumentum ex Joh.* 19: 31. *locutio* ἡμέρα μεγάλη *ex Joh.* 7: 37. *Vers.* 70. *& Esai.* 1: 13. *illustrata. V. Argumento ex Matth.* 26: 5. *satisfactum. Maimonides laudatus. VI. Argumentum à tempore judicandi Synedrio recepto. Maimonides laudatus. Casauboni* παρόραμα *notatum in versione Maimonidis. Judæorum in Christo judicando insignita iniquitas. Propriorum decretorum conculcatio à Judæis facta exemplis notata. Ad VII. Argumentum ex Pentecostes tempore depromtum, & locus Act.* 2: 1. *ex Lev.* 12: 6. *& Vers. Græca illustratur.*

§. 1. Licet consuetudinis illius, qua Judæi diem Paschatis, si in sextam feriam incideret, in septimam feriam vel diem Sabbati trajecerint, apud antiquos, nec volam extare, nec vestigium, ipse quoque Joh. Gerhardus Vossius, Dissert. de Pass. Domin. suo calculo confirmet, & neget, rationem feriam transferendi vel ante Christum vel post Christum obtinuisse: quia tamen illi sententiæ, qua eodem die cum Christo Judæos agnum Paschalem comedisse docent, varia Evangelistæ Johannis loca adversari persuasum habet, inde ille itidem à communi recedit sententia, & peculiarem de diverso illo Christi & Judæorum Paschate opinionem fovet, quam his verbis exhibet: *Legimus apud eos* (antiquos) *quomodo Judæi ante receptos Cæsaris fastos observarint veros Lunæ motus & Neomenias attenderint* ἀπὸ τῆς φάσεως, *sive à visione ejus prima: fastis vero iis ex Augusti mandato receptis, numerarint secundum medios lunæ motus & sideris utriusque exitus. Quippe Julius Cæsar æquinoctium, quod ante à Judæis III. Aprilis die statuebatur, fixerat in XXV. die Martii. Quoties igitur decima quarta luna primi mensis præverteret æquinoctium, Paschalem diem non agebant festum: Sed expectabant, donec foret æquinoctium: ac post illud demum, h. e. simul ac Sol signum arietis ingredi cæpisset, Pascha comedebant. Christus proinde ex Lege Mosaica observavit vesperam diei decimæ quartæ Nisan: sed Judæi proceres, quia tum nondum foret æquinoctium, distulere in diem proximum: ut ita post æquinoctium festum agitarent diem Paschatis secundum consuetudinem cæptam, ex quo annum more Romano computarent.* Atque hinc, mire elucere providentiam divinam, docet, quod, cum alio die Christus, alio proceres Judæi Pascha celebrarent; ita factum sit, ut quo die typicus agnus erat mactandus ex Lege Mosaica, verus agnus oblatus fuerit à Judæis, atque ita veritas typo optime responderet.

§. 2. Cum vero alii docti viri, inter quos Cl. Bochartus nomen quoque suum profitetur, vulgarem & antiquam sententiam deserendi videant causam nullam, & ad loca è Johanne produci solita responderi posse, autument, visum est ordine illa expendere, & quid in recessu habeant, videre.

§. 3. Primus locus, quem in contrariam sententiam adducunt, habetur Joh. 13: 2. ubi πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, *ante festum paschatis* cœnam sacram & pedum lotionem fuisse Evangelista refert, unde aliud colligi nequeat, quam postridie demum festum celebratum fuisse. Ad hanc vero rationem duobus modis respondent. Non enim desunt, qui negent, illam cœnam Paschalem fuisse, & malint asserere, idem ibi convivium referri, quod Bethaniæ institutum fuit, & hoc ex Luc. 22: 3. & Joh. 13: 27. colligunt. Hanc sententiam propugnat Joh. Lichtfootus, Horis Ebraicis ad Matth. 26: 3. Qui vero Paschalem illam fuisse largiuntur, ne sic quidem Paschatis diversitatem quandam colligi admittunt, cum πρὸ τῆς ἑορτῆς, positum sit pro ἐν τῷ προεορτίῳ, quod ita festum præcedit, ut tamen sit pars festi, veluti πρόλογος est *pars orationis*, πρόδομος, *pars domus*, προγλωσσὶς, *pars linguæ*, προάστειον, *pars urbis*, προτείχισμα, *pars muri*. Atque in ipso festi exordio quæ contigerunt, haud incongrue πρὸ τῆς ἑορτῆς evenisse dicentur, maxime cum, Abarbenele monente, תחלת היום הוא מן הערב שלפניו: *initium diei à vespera antecedentis diei deducatur*, fol. 151. col. 2. comm. in Exodum. Conf. Lev. 23: 5.

§. 4. Majori veritatis specie objicitur locus Johan. 18: 28. ubi Judæi, Christo ex Caiphæ domo deducto, prætorium nolunt ingredi, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλὰ φάγωσι τὸ πάσχα. Ex quibus verbis sequi autumant, eos adhuc comesturos fuisse id temporis Pascha, cum tamen Dominus, antequam captivus duceretur, id edisset cum discipulis. Atque huic argumento tantum tribuit Isaacus Casaubonus, Exercit. 16. ad Annales Baron. num. 24. ut putet, *si res æquis animis æstimetur, locum hunc vel solum sufficere debere confutandæ vulgatæ opinioni nempe Judæos & Salvatorem eodem die comedisse Pascha.* Responderi vero solet à doctis viris, τὸ *Pascha* non modo ipsum agnum Paschalem significare ex usu Scripturæ, sed etiam victimas alias, quibus per reliquos festi dies non sine lætitia vesci licuit illis, qui se non contaminassent re aliqua in lege prohibita. Unde לפסח *ad Pascha* non agnos modo, sed boves & pecudes dedisse leguntur, 2 Paralip. 31: 7, 8, 9. Cumprimis vero locus Deut. 16: 2. *& mactabis* פסח, *Domino Deo tuo*, צאן ובקר *pecudes & boves*, id significare videtur. Sed maximopere eos, qui ex hoc loco argumentum solvere conantur, Josephus Scaliger exagitat. Prolegom. in Lib. de E. T. fol. 27. *Quis*, inquiens, *tam obstinatos adversus veritatem credidisset? Illam objectionem quam argute eludunt! Ajunt,* φάγειν τὸ πάσχα *hic non esse agnum Paschalem comedere, sed alia sacrificia Paschalia. Argute, docte, eleganter, nihil supra: quasi in parasceve comedere, aliud sit quam agnum comedere.*

Imo

Imo nos negamus ϑύειν ϰ̀ φάγειν πάσχα *aliud esse, quam agnum Paschalem immolare aut manducare, Exod. 12: 21. Neque ullus paulo doctior illud sine risu audire potest.* Consimiliter Ludovicus Capellus, pag. 70. Epicrisis, ad amicam se inter & Johan. Cloppenburgium Epistolicam collationem, negat, *victimas secundæ diei unquam Pascha dictas esse in Scripturis, quas ne ipsi quidem Judæi sic appellarint, sed* חגיגה.

§. 5. Equidem reliquas Paschales victimas Ebræis חגיגה vocari, negari nequit, annon vero & פסח quandoque appellentur, accurata consideratione digna quæstio est. Isaacus Casaubonus, qui itidem pro negativa sententia contra utrumque Cardinalem, Franciscum Toletum & Cæsarem Baronium acriter disputat, inter alia ad Salomonis Scholia provocat, quæ cum R. Abarbanel una cum aliorum recutitorum interpretamentis comm. ad loc. citatum recenseat, eum hac vice audire lubet: כבר הודעתיך דעת אנקלוס וכבר נמשך אחריו רש״י ורבי אברהם בפירוש הכתוב ובזה שפירשו וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן כי ממנו יהיה הפסח ועוד בקר תזבח לשלמים: *Jamdum tibi sententiam Onkelosii manifestavi, quam R. Salomo & Rabbi Aben Esra sequuntur, quorum expositio hæc est: & mactabis Domino Deo tuo pecus. Ex hoc enim Pascha constabit, & insuper boves mactabis pro pacificis oblationibus.* R. quoque Bechai, comm. in l. cit. minime abludit, dum verborum hunc sensum esse contendit: צאן לחיוב הפסח ובקר לשלמי חגיגה כדי שיהא הפסח נאכל על השבע: *Pecudes ad Paschatis debitum, boves ad pacifica festi, ut Pascha comedatur ad saturitatem.*

§. 6. Audiendus etiam est Rabbi Abarbanel, qui fol. 361. col. 1. l. cit. pergit: יותר נכון הוא דעת הרב משה בר נחמן שאמר וזבחת פסח להשם אלהיך ולא האריך בו עוד כי כבר התבאר חוקת הפסח שמה אבל הזהירו שמלבד הפסח יזבח צאן ובקר לחגיגה כי היה חיוב בעלותם לראות את פני יהוה שיגדבו שמה כפי מסת נדבת ידם שלמי חגיגה שהיו אוכלים עם בתיהם והלוי והגר. והפסח היו אוכלים אותו על השבע ולכן כתב הרמ״בן וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר כטעם ראובן שמעון לוי ר״ל שיחסר וי״ו הרבוי ויהיה כאלו אמר וצאן ובקר: *Longe rectior R. Nachmanidis est sententia, cum ait verbis; & mactabis Pascha Domino Deo tuo,* (Deuter. 16.) *non prolixe agere de illo, quod jam ante de Paschatis statuto egerat ibi:* (Exod. 12.) *sed monere, ut præter Pascha mactent etiam pecudes & boves ad celebrandum festum. Cum enim ascendebant ad videndum faciem Domini Hierosolymis, liberalius se gerere tenebantur de sufficientia voluntariæ oblationis suæ.* (Deut. 16: 10.) *nempe sacrificia festi, quæ comedebant cum suis domesticis, Levitis & peregrinis. Et illud Pascha* (הפסח אותו) *comedebant ad saturitatem usque. Atque hinc scripsit Ramban; cum dicitur & mactabis Pesach Domino Deo tuo pecudes & boves, eandem rationem verborum esse ac cum dicitur; Ruben, Simeon, Levi, q. d. deficit vau multitudinis, & idem est, ac si dixisset, & pecus & boves.*

§. 7. Ut ex adductis Rabbinorum interpretamentis liquet, eo illi inclinant, quo & Casaubonus & Scaliger collineant, & בקר ad Paschales victimas, quæ reliquis diebus comedi solebant, referunt. Est vero omnino in Gerundensis expositione, quod improbemus. Minime enim quadrat huc exemplum ellipseos, quod attulit, cum hoc loco conjunctio copulativa habeatur, ut ellipsi ꝭ vau nullus esse queat locus. Quod vero ait Nachmanides, אנקלוס עשה צאן ובקר דבק עם הפסח ולא יתקשר הוי״ו יפה במלת ובקר: *Onkelos* τὸ צאן & בקר *conjungit cum* פסח *& minus concinne conjunctio copulativa dictioni* בקר *jungitur*, id itidem frivolum est. Nempe eo, quod recutitus τὸ Pascha etiam generaliori significatu de aliis victimis accipi ignorat, vel capere nequit, in ipsius scripturæ loquendi ratione etiam aliquid desiderat, eamque ad censuram vocat, quo ipso tamen haud obscure prodit, textum suæ sententiæ haud favere. Sed licet Gerundensis cum aliis infitias eat, victimas Paschales etiam πάσχα nomine venire, ex textu tamen Deut. 16: 2. id ostendere possumus.

§. 8. Scire igitur licet, quod Cl. Bochartus ad l. cit. quoque observavit, non dixisse Mosen: *mactabis Domino Deo tuo Pascha, oves & boves.* neque, *mactabis Pascha, oves & boves Domino Deo tuo; sed mactabis Pascha Domino Deo tuo, oves & boves.* Quæ verborum series id omnino indicare videtur, τὸ פסח hoc loco instar generis se habere ad subsequentes voces צאן & בקר, quæ quasi per ἐπεξήγησιν subjiciuntur, perinde ac 1. Paralip. 29: 2. *obtulerunt holocausta Domino, juvencos mille, arietes mille, agnos mille.* Et Num. 27: vs. 11. *offeretis holocaustum Domino juvencos fœtus boum duos, arietem unum, agnos.* In quo gemino exemplo uti subsequentia verba declarant prius nomen, & ostendunt, quænam illa sint, quæ holocausti nomine veniant: ita & Deut. 16: 2. id fieri patescit, ubi sequentia verba צאן & בקר tanquam species recensentur, quæ in terra Canaan habitaturis Israelitis פסח constituere debeant. Quod etiam agnovisse videtur Rabbi Moses Ben Omram, quem Cl. Dn. Varenius citat comm. in Leviticum p. 545.

§. 9. Itaque si Scripturæ receptam loquendi rationem intueamur, dubitare nos minime sinent alia exempla complura de interpretationis allatæ veritate. Solet enim & illa alias vocem generaliorem præmittere, eique tanquam generi species quasi suas subjicere. Sic Exod. 20: 24. *immolabis pacifica sacrificia tua, oves & boves.* Et 2. Paralip. 7: 5. *mactavit Salomon hostias, boum viginti millia, & ovium centum viginti millia.* Consimiliter Genes. 43: 11. ubi Josepho filii Jacobi מנחה afferre jubentur, species deinde seorsim recensentur, quæ ad מנחה pertineant. adde 1. Reg. 10: 25. Nehem. 13: 5. Quæ exempla si cum Deuteron. 16: 2. conferantur, patescet, eandem hujus loci rationem esse ac illorum, & quemadmodum enim ibi generis quasi loco ponuntur, voces *holocausta, sacrificia, hostiæ, munera,* & deinde seorsim exprimitur, ecquænam illa fuerint quæ *holocausti, sacrificiorum, hostiæ & munerum* nomine venerint; ita & hoc loco voci פסח, statim adduntur voces צאן ובקר *oves & boves*, ex quibus videlicet Pascha constare debuerit. Nempe præter agnum Paschalem oves & boves mactare jubentur. Ut Maimonides loquitur: מקריבין שלמים ביום ארבעה עשר מן הבקר או מן הצאן גדולים או קטנים זכרים או נקבות ככל זבחי השלמים וזו היא נקרא חגיגת י״ד ועל זה נאמר בתורה וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר: *offerunt cum agno pacifica die XIV. de bobus aut de ovibus, majusculos sive parvos, masculos sive fœmellas, secundum omnia pacificorum sacrificia, atque hæc oblatio vocatur Chagiga XIV. diei, & de hac victima sermo est in lege* (Deut. 16: 2. *& macta Domino Deo tuo Pascha oves & boves.* Atque hinc patescit, τὸ צאן & בקר omnino ad פסח pertinere adeoque & hoc nomine in sacris insigniri Sacrificia Paschalibus feriis offerri solita.

§. 10. Objicit hic Gerundensis: לא אמר וזבחת פסח ליהוה אלהיך מן הצאן ומן הבקר כאשר יאמר כל מקום מן הבקר ומן הצאן תקריבו את קרבנכם ואם מן הצאן עולה קרבנו מן הבקר הוא מקריב: *Non dixit: & mactabis Pascha Domino DEO tuo de pecude & de bove, quemadmodum alias ubique loqui solet,* (Lev. 1: 2.) *de bove & de pecore offeretis sacrificia vestra. Et si ex pecude holocaustum oblatio ejus.* (Levit. 1: 10.) *De bove ille offert* (Lev. 3: 1.) Quid vero mirum est, hoc loco Deut. cap. 16: 2. aliter Legislatorem locutum esse, quam alibi, cum non de unius viri sed totius populi solenni sacrificio, quod plurimos agnos bovesque requirebat, sermo sit. Quasi vero Scriptura de una eademque re semper uno eodemque modo verba facere putanda sit. Sane nihil discriminis intercedere inter illas locutiones, & Latinus & Syrus & Arabs interpres agnoverunt. Ille enim vertit Ebræa verba: *immolabis Pascha Domino DEO tuo de ovibus & bobus.* Iste [illegible] *de ovibus & bobus.* Hic [illegible] *ex ovibus & cum eis ex bobus.* Quin sic demum, ut Rabbi Abarbanelem supra loqui vidimus, הפסח אותו אוכלים על השבע *Pascha illud comederunt ad saturitatem*, ut victimas illas Paschales πάσχα vocari, haud obscure pateat.

§. 11. Manifestum idem est ex vers. 3. Deuter. 16. ubi hæc verba leguntur: שבעת ימים תאכל עליו מצות לחם: *Septem diebus comedes cum eo* (Paschate) *azymos panes.* Quod enim cum infermentato pane comedendum dicitur per septiduum, illud πάσχα fuit vocatum. Atqui victimæ de bobus cum infermentato pane comedendæ erant per septiduum, E. victimæ πάσχα vocatæ sunt. Major patet ex textu, ubi τὸ עליו *comitatum* significare & contextus docet, & locus alius Exodi 12: vs. 8, 9. de agno Paschali agens comprobat. Ad quem Rabbi Abarban. fol. 150. col. 1. scribit: מלת על כמו עם כמו ויבואו האנשים על הנשים: *Dictio* על *significat idem ac* עם *cum, quemadmodum* (Exod. 35: 22.) *& venerunt viri* על *cum mulieribus.* Quia igitur agnus nocte prima media azymorum totus vel comedendus, vel, ne quid superesset, ante auroram comburendus erat, necessario sequitur עליו ad victimas reliquis diebus comedendas referri, adeoque non agnum solum, sed victimas ex bobus nomine Paschatis venire.

§. 12. Ludovicus Capellus, cum ex textu idem perspiceret, quo minus tamen πάσχα de victimis Paschalibus usurpari concederet, eo delabitur, ut ellipticam locutionem hic occurrere, & dictionem ביום *in die*, puta Paschatis, subintelligendam esse contendat; ut non tam *agnus & sacrificia Paschalia* alia, quam *festum ipsum* Paschatis voce פסח notetur, quo Pascha mactandum sit & sacrificium, quod חגיגה vocari solet.

Sed

Sed hæc glossa violentior est, quam ut locum obtinere possit. Eccui enim Capellus persuaserit, ellipsin vocis ביום hoc loco esse, cum ejusmodi figuræ tum demum locus relinquatur, cum aliter textum commode explicare nequeas. At hic, ut textum ita exponamus, neque ulla urget necessitas, neque quisquam hactenus vel Ebræorum vel Christianorum monuit Interpretum.

§. 13. Neque, quod idem Capellus objicit, alicujus momenti est, quod de solo agno Exod. 12: 11. dicatur, הוא הפסח ליהוה. Nihil aliud enim inde sequitur, quam agnum præcipuum Pascha esse, propter quod etiam alia sacrificia hoc nomine veniant. Quod etiam respondendum est ad Gerundensis objectionem: אין כל הצאן כשר לפסחים *non quodlibet pecus aptum est ad Pascha.* Si de præcipuo illo sermo sit, verum id est: ut enim ex Exod. 12. constat, debuit agnus esse *anniculus, masculus*, isque *integer & nullo vitio laborans*: quæ cuncta simul in aliis Paschalibus sacrificiis haud erant necessaria, ubi juxta oves & boves requirebantur. Nollem igitur J. Scaligero verba excidisse: *nullus paulo doctior illud sine risu audire potest: Sacrificia Paschalia πάσχα vocari.* Sane doctissimo Anglo, Joh. Lichtfooto, quo in Ebraicis & Talmudicis magis versatum hoc seculo vix ullum reperias, Horis Ebraicis ad Matth. 26: 6. minime insolens hæc significatio visa est, *aliquando*, inquienti, *sacrificia diei sequentis voce Pascha notantur.* Quod item summus Vir Samuel Bochartus, operis præclari Hierozoici lib. 11. c. 50. asseverat. ut ita voci πάσχα notionem incognitam affingi frustra docti viri conquerantur.

§. 14. Sequitur III. argumentum, quod palmarium imo ineluctabile à nonnullis appellari solet: Fundatur illud in verbis Joh. 19: 14. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα. *Erat enim parasceve Paschatis.* Ubi dies, quo Christus crucifixus est, vocatur parasceve τοῦ πάσχα. Si igitur ille parasceve fuit festi Paschatis, nondum, *inquiunt*, ipsum festum appetierat, nondum Judæi Pascha comedisse poterant, quod tamen à Christo & discipulis jamtum factum erat. Hunc nodum ut solvant, Franciscus Toletus, Cardinalis, & Cæsar Baronius, itidem Cardinalis, in Annalibus, Parasceven Sabbati fuisse perhibent, quæ tamen Evangelistæ Johanni dicatur παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quia acciderit eo anno, ut idem dies esset & Sabbati parasceve & dies ipse Paschatis. Sed licet responsionem hanc *non ineptam* Johannes Cloppenburgius, l. cit. appellet, Johanni Gerardo Vossio tamen diss. de Passione Dominica p. 16. n. 12. haud ita probatur, quin Johannis Evangelistæ verba à gemino illo Cardinali & qui hos sequitur, Jesuita, Fr. Riebera, *mire torqueri* ille asseverat.

§. 15. Hinc alio modo difficultati occurrendum ratus Samuel Bochartus l. cit. παρασκευὴν hic nihil aliud notare ait, quam diem *Veneris*, quæ Ebræis ערב vel ערובתא appellari solet. Sane in libro antiquissimo, Bereschit Rabba, Parascha 11. pag. 8. col. 3. edit. Venetæ, dies hebdomadis hunc in modum numerantur: חד בשבתא תרי תלתא ארבעתא חמשתא ערובתא שבתא: *Prima dies septimanæ, secunda, tertia, quarta, quinta, parasceve, sabbatum.* Atque ita verum esse apparet, quod R. Bechai, comm. in Legem, fol. 74. col. 3. scribit: אין לימות השבוע שמות מיוחדים במנהג האומות שקורין לכל יום בשם ידוע אבל אנחנו אין לנו בכל אחד מהם שם מיוחד ואנו מונין אחד בשבת שני בשבת וכן כלם: *Non propriis nominibus gaudent dies septimanæ, uti apud gentes, quæ singulos dies suis propriis vocant nominibus. Nos vero numeramus, dies primus septimanæ, secundus septimanæ, & ita in reliquis omnibus.* Sed cum ad sextam feriam ventum est, qua etiam ad instans sabbatum se præparare solent, diem illum parasceven, non minus usitato more, quam antiquo, vocarunt. Quod ipse Casaubonus, Exerc. 16. num. 15. pag. 417. ingenue confitetur, *Parasceves*, inquiens, *appellatione tota dies Veneris aliquando intelligitur.* Nec heri demum vel nudius tertius hæc significatio locum obtinuit, cum apud Arabes quoque eosque antiquissimos, qui tamen Sabbatum nunquam observarunt *dies Veneris* ita sit appellatus. Illis enim العروبة *parasceven* notat, veluti testatur Giuhari, Lexicographus Arabs nominatissimus, ex quo Cl. Golius refert, *Veteris Arabismi* hanc vocem esse, cum recentiores Arabes post Mohammedis tempora illum diem يوم الجمعة *diem algiumæ* seu congregationis appellent, veluti Cl. Bochartus monet.

§. 16. Cum igitur antiquissimis tam Ebræis, quam Arabibus *dies Veneris* parasceve dicta fuerit, plane nihil obstare videtur, quo minus & hoc τὸ παρασκευὴ de die Veneris vel sexta feria accipiatur. Cui dum πάσχα adjungitur, æque id usitatum videri queat, ac cum nobis *Dominica Paschæ*, *Dominica Pentecostes* dicitur, quæ cum utroque festo concurrit. Neque est, cur in voce παρασκευὴ aliam significationem quis quærat, vel *præparationem* quandam ad Pascha celebrandum notari autumet, cum hac notione non soleat occurrere, nisi cum ad Sabbatum refertur, ut ex Marc. 15: 42. Luc. 23: 54. videre est. Nempe Parasceve in Scripturis Sabbato tribuitur, quod hoc die nihil pinsere vel coquere, quinne ignem quidem accendere liceat. Exod. 16: 5, 23. cap. 35: 3. atque ita pridie, ne quies Sabbati turbaretur, omnia præparanda erant, quale quid in festis nihil contigit. Paschatis enim festo & coquere, & iter, quantumvis longinquum, facere licuit, veluti ex Exod. 12: 16. Deut. 16: 7. apparet. Unde festo parasceven in Scripturis tribui, hactenus minime compertum est, ut etiam ideo Marcus Ant. de Dominis lib. 5. de Rep. Eccles. c. 6. scripserit: *nullum festum proprie habet parasceven, nisi Sabbatum.*

§. 17. Quartum argumentum ex Joh. 19: 31. depromunt, ubi Judæi Pilatum rogasse leguntur, *ne corpora in cruce manerent*, ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου. Atque ita ἡμέραν μεγάλην vocari contendunt ob gemini festi, Sabbati & Paschatis concursum. Sed fugit eos ratio, cum hanc nomenclatura aliis de causis imponi diebus in aprico sit. Nempe ut ex Joh. 7: 37. patet, ultima dies Scenopegiæ hoc nomine insignitur, quia in eo est מקרא הקדש *convocatio sanctitatis.* Quod assertum ne in dubium vocetur, vetat locus Esai. 1: 13. ubi LXX. verba קרא מקרא reddiderunt per ἡμέραν μεγάλην. Unde manifestum est *magnam diem* vocari illam, qua cœtus sacrorum causa vocatur, non vero ob gemini festi concursum.

§. 18. Quinto, qui negant Dominum nostrum die Paschatis crucifixum esse, illud urgent, quod ipsi Judæi de industria cavere voluerint, ne festo morte afficeretur, ob seditionis metum à populo movendæ, Matth. 26: 5. Sed ad hoc respondetur, licet inter ipsos sic initio convenerit, postmodum tamen Juda proditione sua Christum interficiendi occasionem præbente, ferina rabie abrepti non cessarunt, donec illum ipso festo è medio tollerent, cum annotante Grotio, sontium insigniores ἐν αὐταῖς ἑορταῖς plecti soliti fuerint. Quibus gemella tradit R. Moses Maimonides, Hilkot ממרים cap. 4. עד הרגל משמרין וחונקין ברגל שנאמר וכל ישראל ישמעו ויראו: *Usque ad festum custodiunt, & ipso festo strangulant, quia dictum est* (Deut. 17: 13.) *& omnis Israël audiet & timebit.*

§. 19. Licet vero tribus ita festis, Paschatis, Hebdomadum & Scenopegiæ, ubi magnus hominum confluxus fuit, à sontibus supplicium sumtum fuisse, *probabile sit*, cumprimis tamen Paschatis festo id fieri solitum esse, dubitandum non est. Sequioribus temporibus mos ille inolevit, ut aliquem reum dimitterent κατὰ τὴν ἑορτὴν, h. e. die festo, nempe Paschatis, quod ut Grotius ex Matth. 27: 15. Joh. 4: 45. ostendit, eminenter ἑορτὴ dicitur. Quod itaque Casaubonus censet, ideo, quod sine articulo & simpliciter κατὰ ἑορτὴν dicat, ad alia nobiliora festa id referri posse, id minus probandum videtur. Peculiaris enim ratio hic est, quamobrem Paschatis festo reum dimiserint, nempe in memoriam liberationis majorum suorum è servitute Ægyptiaca. Qualis ratio cum de reliquis festis afferri nequeat, minus recte *singulis festis*, locutio vertetur. Notanter diximus, sequioribus seculis morem hunc locum obtinuisse, quem Veterem non fuisse Grotius quoque affirmat. Lex Mosaica enim χωρὶς οἰκτιρμῶν reum morti addicebat, ut Eb. 10: vers. 28. legimus. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παραδρομῇ.

§. 20. Sexto cum Judæis Christiani quoque nonnulli causantur, nunquam festo die Synedrium Christi judicio vacaturum fuisse, quod contra diei tam sacri religionem, & adversus propria decreta fuerit. Resp. fatendum esse, R. Mosen Maimonidem, Hilkot Sanhedrin cap. 11. docere: אין דנין דיני נפשות לא ערב שבת ולא ערב יום טוב שמא יתחייב ואי אפשר להורגו למחר: Quæ verba Isaacus Casaubonus, Exercitat. 16. ad Baronii annales hunc in modum vertit: *Judices rerum capitalium non judicant in die parasceve Sabbati aut diei festi, quia non debet id fieri, & reus occidi postridie non potest.* Ubi obiter monendum est, verba שמא יתחייב minus recte verti, *quia non debet fieri*, cum potius sensus sit, *si forsan reus convincatur.* Sed quod rem ipsam attinet, ipsa Evangelica historia satis comprobat, nihil minus in capiendo & judicando Christo eis curæ fuisse, quam ut rite & decenter agerent, juxta legum tenorem, vel receptæ consuetudinis. Ut enim Massechet Sanhedrin, cap. 4. ajunt: דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום

judicia

judicia capitalia transigunt interdiu, & finiunt interdiu. Sed illi cum propter grave scandalum & festi religionem pleno die, quod decreverant, exequi commode nequirent, ipsam noctem terunt in judicando capite Christi, quin profunda & concubia nocte illum ad Annam & Caipham ducunt, inde orto sole ad Pilatum rapiunt, quem importunis suis flagitationibus tantisper urgent, & defatigant, donec illorum petito annuens Christum crucifigendum curet, ubi iterum monitum proprium insuper habuerunt: אשרי הדיין שמחמץ את דינו *beatus judex qui judicium suum moratur, & pernoctare facit, ut ventilet veritatem.* Nam uti alias ipso Encœniorum festo Joh. 10: 22. 31. & tabernaculorum festo Joh. 8: 2, 37, 44, 45. Christum lapidibus obruere conati sunt, ita & hoc loco præ invidia & odio summo illum quantumvis nullius criminis reum occidendum curarunt.

§. 21. Tandem & hunc scrupulum movent quidam post Scaligerum, quod sic omnis Christianæ antiquitatis sententia subvertatur, qua subinde creditum fuit Pentecosten anno passionis Christi in diem Dominicam incidisse. Vel igitur, inquiunt, Ecclesia aberravit, vel primus dies azymorum fuit Sabbatum non dies Veneris. Sed quam hoc infirmum sit argumentum, l. cit. Cl. Bochartus ostendit, ubi si Clementis constitutiones S. Augustini sermonem de tempore CLIV. ψευδεπίγραφα illa scripta, excipias ante Leonem primum seculo quinto plus dimidio ad Episcopatum Romanum evectum, quenquam fuisse negat, qui hoc asseruerit. Præterea ex Lege Mosaica Deuter. 16: 9. ratio quædam dubitandi promanat, quo die illo anno fuerit Pentecoste. Verba legislatoris sunt: *ex quo cœpit falx in segetem immitti, incipe numerare septem hebdomadas.* Ut vero ex Levit. 23: vs. 15. patet, fieri id solebat ממחרת תשבת. *Postridie* Sabbati sive festi azymorum. Jam vero si hoc in diem Veneris incidit, & ita sequenti die Sabbatum fuit, non postridie, sed perendie demum manipulus offerendus fuit, cum die Sabbati falces in segetem immittere non licuerit. Et hac ratione Pentecoste in feriam primam rejicienda fuerit.

§. 22. Neque est, ut ad locum Actor. 2: 1. provocent, ubi dicitur ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. Cum enim tempus πεπληρῶσθαι dicatur in sacris, ubi præteritum dicendum est præterlapsum esse, & ubi præsens advenisse perhibetur, omnino inde patescit, ex verbo solo συμπληροῦσθαι haud ita indubitato posse colligi, quo die Pentecoste fuerit, verbum enim Græcum ad imitationem vocis Ebraicæ מלא diversimode potest accipi. Hinc quidam Interpretes de præterito accipiunt, nonnulli vero de præsenti. Illi nituntur exemplo LXX. Interpp. qui Ebraica verba Levit. 12: 6. ובמלאת ימי טהרה quæ alii ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς καθάρσεως αὐτῆς reddidissent, transtulerunt ὅταν ἀναπληρωθῶσιν h. e. ut Hieronymus quoque vertit: *cum impleti fuerint.* Hi vero urgent ipsum tempus præsens, & eo nihil aliud quam *eundem diem venisse & præsentem tunc fuisse* significari arbitrantur.

JOH. SAUBERTI
DISSERTATIO
De ultimo Christi Paschate ad Matth. XXVI: 2.

בהנוא

CAPUT PRIMUM.

Sacramentorum V. T. alterum à Christo nato, alterum à denasciturо sublatum. Paschatis celebritas: Origo: Homonymia: Etymon. Πάσχα. Tertulliani, Lactantii, Ambrosii, Prudentii, aliorum, præcipitantia. Patrum Vet. Eccl. in Ebraicis ignorantia. De S. Hieronymo relatio. Paschalis festi prærogativa. Novus annus Judæorum. Patrum aliquot Vet. Eccl. erronea sententia: & ejus causa. Pascha Hierosolymis celebrari opus erat. Betphage & Bethania Marc. 11: 10. Adrichomii & aliorum oscitatio. Adrichomio iterum adsentitur. Locis Matth. 22: 17. Marc. 14: 12. ex Talmudh lux confertur. Domus, in qua Christus Pascha celebravit. Nicephori incerta traditio. Bezæ cavillandi procacitas: Ejus conjectura incertior. Emanuelis Sà scholion ad Marcum proscinditur. Septem Azymorum dies: Aut juxta alios octo. Pascha mense Nisan celebratum. Petitus refellitur. De mense Nisan & anno Judæorum disseritur, rejecta nonnullorum sententia. Intercalatio anni apud Judæos. Dies 14. Nisan mactationi agni Paschalis destinatus: Die 15. Paschatis initium. בין הערבים. *An Christus eo die Pascha celebraverit, quo ex lege opus erat? An item eodem, quo Judæi? Præparatio multijuga ad festum Paschale. Expurgatio fermenti & alia præcepta Paschalia. Loco 1 Cor. 5: 7. lux confertur.*

§. 1.



Uum mundi Servator & lux gentium Christus sacramenta Novi Testamenti duobus illis antiqui fœderis surrogando legem adeo implere pararet, jugumque illius pro nobis suscipere, & hoc ipso tollere: Notamus nos, alterum sanctissimum θεάνθρωπον, ut primum à virgineo utero carnem nostram adsumsisset, eaque indutus humanam miseriam salutasset, sustulisse; alterum vero paschalem agnum, cum seipsum hostiam pro nobis obferens mortalitati rursus concederet, atque ad æternam majestatem remearet, prout electum DEI organon fatur: καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη χριστός. 1 Cor. 5: 7.

§. 2. Hic enim prius paulo quam typo rem ipsam in crucis ligno substitueret, novum simul sacramentum instituendo, agitavit cum discipulis suis Paschale Judæorum festum, quo non aliud majori solemnitate inter ipsos transigebatur, cujusque temporis celebritatem omnes mundi anguli persentiscunt. Quæ merito etiam invitant, ut neque operam lusuros, neque quod à tempore alienum est facturos nos confidamus, sicuti à Christo, antequam mortis palæstram iniret, agitatum est, ex an-

antiquitatum Evangelicarum voluminibus contemplemur illud & proponamus.

§. 3. Initia nemo, opinor, ignorabit dedisse ei mirandum ac memorabilem ex Ægypto exitum, in cujus gratam recordationem Israelitis præceptum fuit à DEO (de quo prolixe legatur cap. 12. Exod.) antequam extremam plagam רצ"ק ער"ש בא"חכ h. e. decemillarum paterentur Ægyptii. Et ratione hujus nactum est nomen festum פֶּסַח *Pæsach*, quasi dicas *transitum* seu *transilitionem*; quod insuper etiam continuis diebus septem seqq. competebat, veluti & agno illo mactato. In N.T. textu vocatur Πάσχα eodem sensu: Quod dum à Πάσχειν Græcorum deducunt, altam Ebrææ linguæ ignorantiam produnt multi patrum vet. Ecclesiæ Tertullianus, Lactantius, Ambrosius & alii. Quo etiam spectare videntur illa Prudentii carm. advers. Jud. quod est IV. in apol.

Non sapis imprudens nostrum te fingere Pascha
Legis, & antiquæ praductis pingere sulcis
Omne sacramentum retinet quod passio vera,
Passio quæ nostram defendit sanguine frontem.

Quos quidem erroris coarguunt, verumque etymon adferunt, etsi nec ipsi Ebraice docti, Anshelmus in Matth. 26. Theophylactus in Joh. 7. Augustinus epist. 119. tract. 55. in Joh. de verb. Dom. serm. 26. de verb. Apost. serm. 6. de Trin. 11. 17. in Ex. 11. quæst. 154. de Civ. DEI XVI. 43. enarr. in Psal. 68. & 120. & 138. & 140. Isidorus origg. VI. 17. Hieronymus vero פַּסְחָא scribit Chaldaice, & à פסח esse monet comment. in Mich. & Matth. qui patrum cum Origene solus in Ebræa lingua versatus ipse Ægyptum Judæam atque Syriam peragravit, harumque regionum linguas addiscens, ut litterarum & vocum stridores expressius ederet, & γνησίως Ebraice dissereret, dentes anteriores lima sibi deminui curavit; quod obiter observamus.

§. 4. Festum hoc mense Nisan celebratum caput cæterorum atque præcipuum DEUS ipse constituit Exod. 12: vl. 2. quo loco ab eo primus anni mensium haberi jubetur Nisan (sacri scil. non vero politici; cujus exordium in Tisri) à quo festa Judæi & Israelitarum reges imperii sui annos supputarunt. Id quod mea opinione veterum Christianæ Ecclesiæ doctorum quamplurimos in eum errorem præcipites egit, ut hujus universi existentiam eodem cæpisse docerent, inter quos Eutychius Patriarcha Alexandrinus, Cyrillus Catech. 14. Damascenus de Orthod. fid. cap. 7. Athanas. libr. quæst. resp. 17. Theodoretus in Ex. quæst. 72. Basilius lib. hexaëm. Nazianzenus orat. in Dominicam nov. Ambrosius Hexaëm. 1. 4. Augustinus quæst. 106. ex utroque mixtim, Beda de rat. temp. cap. 28. & 40. &c. Nisi id magis verum, factum fuisse studio extollendi passionem & resurrectionem dominicam: in quo & simili patrum adsertis & infirmis probationibus sæpe aliquid condonandum est. Id enim extra aleam ambigui est, Ebræos annum exordiri vulgo à Septembri, quo & mundum conditum arbitrantur. Pertinent huc verba quæ leguntur in Rosch haschschana: ארבעה ראשי שנים הם באחד בניסן ראש השנה למלכים ולרגלים באחד באלול ראש השנה למעשר בהמה ר' אלעזר ורבי שמעון אומרים באחד בתשרי באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין וליובלות לנטיעה ולירקות באחד בשבט ראש השנה לאילן כדברי בית שמאי בית הלל אומרים בחמשה עשר בו: *Quatuor sunt novi anni, videlicet primo die Nisan novus annus est regum ac festorum. Primo die Elul novus annus est decimandi pecus; quod tamen R. Æliædsar & R. Schimeon ad primum Tisri referunt. Primo die Tisri novus annus est annorum, dimissionum, Jubilæorum, plantationis & herbationum. Primo die Schebhæt novus annus est arborum ex sententia Academiæ Schamajanæ: verum Hillelis schola in decimum quintum locat* init. cap. 1. halach. 1. Adde Abarbenelem ad parasch. Ba fol. 148.

§. 6. Quum itaque Messias ultimum in his terris pascha celebrare induxisset animum, *adproquinquavit Hierosolymis ad Betphage & Bethaniam apud montem olivarum*, prout habet Marcus 11: 1. eo quod extra urbem sanctam paschalem comedere agnum inlicitum fuerat, quod subinnuitur haud obscure Deut. 16: 5, 6. In tribus enim solemnioribus festis Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum Israelitæ undique ex suis quisque habitationibus ingenti confluxu comparebant Hierosolymis, de quo videatur integer tract. Talmudicus Chaghigha. Hac de re audire lubet glossatorem ad Mass. Pesachim, qui una cum iis, quæ statim subjungemus, mirum in modum inlustrabit locum illum Marci: בית פאגי היינו מקום חיצון שבירושלם: התם הוא דחוץ לחומ' בית פאגי חוץ לירושלם הוא ואינו מקום אכילת קדשי': *Bethphage est locus extimus in Hierosolymis. Quisquis est ibi extra muros Bethphage, idem est extra Hierosolymas, ubi non est locus ad comedendum sacra:* fol. 63. col. 2. Bethphage autem & Bethania de quibus Marcus, ad montem urbis pertinuere, cujus duo tractus iis forte nominibus insigniti. Hæc enim Bethania locus erat diversus à castello Lazari, quo paulo post Christus concessit, ita ut mirari subeat, neque Adrichomium neque comm. Evangelistæ vel verbulo id notasse. Siquidem mons olivetus, si credimus Josepho antiqq. XX. 6. ab urbe ἀπέχει σαδια πέντε: At castellum Lazari stadia XV. adeoque duplo fere itinere Sabbathico seu duobus milliaribus Joh. 11: 18. cum è contrario alteram Bethaniam vix uno distasse ad oculum cuivis patet ex conlatione Luc. 24: 50. & Actor. 1: 12. Neque etiam Bethphagen viculum agnoscimus cum Adrichomio in Jerus. §. 180. & aliis: sed pedem tractus alterius Oliveti montis urbi proximi; veluti alterum remotiorem Bethaniam. Et ab ista vicinitate Joh. Lightfoot centur. chorogr. cap. 37. recte conjicit partem Hierosolymarum proxime monti adjacentem similiter Bethphagen nuncupatam; aut nos fallunt perplura Ebræorum monumenta. Gloss. ad Rabha Metzia: בית פאגי היקף חיצון של ירושלים *Bethphage ambitus exterior urbis Hierosolymæ.* fol. 90. col. 1. & ad Mass. Sota: כל שהוא בתוך היקף החיצין של ירושלים קרי בית פאגי: *Quod est inter circuitum exteriorem Hierosolyma, vocatur Bethphage* fol. 45. col. 1. De pede montis Aruch. בית פאגי שם מקום חוץ לירושלם: *Bethphage nomen loci extra Hierosolymam.*

§. 6. Sed ut propius ad locum cœnæ à Christo habitæ transcendamus, ubi viderant discipuli annonæ præfectum, Judam à cœna Bethaniensi Hierosolymam profectum, non ut, quod officii sui erat, necessaria ad festum pararet; sed monstri quiddam alentem & pessima quæque machinantem, προσῆλθον τῷ Ἰησοῦ λέγοντες αὐτῷ· Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ Πάσχα; Matth. 22: 17. Marc. 14: 12. Rogitant illi, nominaret saltim ædes, quæ sibi maxime adriderent, cujuscunque etiam eæ in urbe forent, sive familiaris cujusdam sive plane incogniti: At quæ hæc tam libera quæstio? Scrupulum nobis eximit Mass. Joma quod inter alia: ירושלם לא נתחלקה לשבטים דתניא אין משכירין בתים בירושלם לפי שאינו שלהן רבי אלעז' בר צדוק אומר אף לא מטות לפיכך עורות קדשי' בעלי אושפיזכנין נוטלי' אותן בזרוע אמר אביי שמע מינה אורח ארעא למישבק איניש גולפ' ומשכי' לאושפיזיה: *Jerusalem non dividebatur in tribus, quoniam traditio est, non mercede conduci domos in Jerusalem, quia propriæ non erant. R. Æliædsar bar Zadhok ait: Nec etiam lectos. Recepit igitur pater familias ab hospitibus coria victimarum. Abai dicit: Attende, moris esse, ut homo relinquat cantharum suum testaceum, coriumque sacrificiorum suorum hospiti suo* &c. fol. 12. col. 1. Imo Glossator ad Meghilla fol. 26. col. 1. expresse contestatur, non elocasse incolas Hierosolymitanos domus suas ad festa accedentibus; sed gratis eas illis concessisse.

§. 7. Marcus & Lucas domum κατάλυμα, conclave ejus ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον vocant. Quod autem Nicephorus Hist. Eccl. 1: 28. fol. 70. perhibet eam Johannis Evangelistæ in locis circum Sion montem sitis &c. id etsi pro certo adstrui nequit, tanti tamen non erat, ut auctorem acerbius propterea sugillaret doctiss. Beza in Matth. fol. 130. col. 1. quem etiam alias, utut immerentem, pipulo differendi nullam intermittit occasionem: cum profecto neque certius, neque majori veritatis specie ædes illas ipse Beza conjiciat fuisse Mariæ, matris Johannis, cognomento Marci, quarum mentio Actor. 12: 12. Longe vero audacius Emanuel Sa alias, quæ Actor. 1: 12, 13. describuntur, veluti indubitatum quiddam obtrudit comm. in Marc. 14: 15.

§. 8. Hæc de loco. Jam porro Evangelistæ temporis expendendi ansam præbent, nominantque πρώτην τῶν ἀζύμων. Primam; quod pascha septem diebus celebrabatur, qui singuli Azymorum dies nuncupati sunt. Ex his primus itemque ultimus feriati erant ac vere festi, Exod. 12: 16. Levit. 23: 7, 8. reliqui חול המועד seu festi ex parte, quæ prolixe exequitur Buxtorfius in Syn. Jud. cap. 13. Verum alii octiduum azymorum constituunt, adnumerando scil. & illum, quo agnus inter duas vesperas mactatus fuit: etiamsi hunc diem καταχρηστικῶς & συνεκδοχικῶς ita adpellitatum recte moneat Beza. Veritas interim eorum, quæ diximus, liquido patet etiam ex Josepho, qui modo octo, modo septem azymorum festo attribuit dies. Vid. antiqq. Jud. 11. 5. XII. 20.

§. 9. Mensem festo huic adsignatum novimus minime quidem Aprilem, ut perperam tradit Samuel Petitus, sed Nisan sive Abhibh: qui ex parte Martio nostro respondet, ex parte Aprili; ut adeo minus recte sentire videantur, qui cum alterutro plane eundem faciunt. Veluti enim Julianum computum Gregorianus X. diebus antecedit: sic Judaicus totidem sub-

subsequitur. Ut v. g. anno, quem agimus, CIↃ IↃ CLXII Pascha Judæorum extans d. xv Nisan incidit in xxv Martii Juliani & vI Aprilis Gregoriani computi: prout nos docent Kalendaria Judæorum præsenti anno inter ipsos impressa; è quibus schema tale exhibemus festi paschalis:

	April. Greg.	Mart. Julian.	Nisan Jud.	Dies Hebd.
אפריל	א	כב	יב	ז צו שבת הגדול
פלים וונטג	ב	כג	יג	א
	ג	כד	יד	ב
	ד	כה	יה	ג פסח
	ה	כו	יו	ד
	ו	כז	יז	ה
	ז	כח	יח	ו
	ח	כט	יט	ז שבת ושיר השירי'
	ט	ל	כ	א
	י	לא	כא	ב

Intercalabatur autem mensis antecedens Adhar ter in Octoeteride. Anni vero intercalationem necessariam fuisse propter ipsum festum paschatis, ostendit R. Levi in suo Catechismo h. v. שה"שי צוה לעשות פסח בזמן שהתבואה באביב כמו שכת' שמור את חדש האביב ועשית פסח וחג הסוכות בזמן האסיף כמו שכתב' וחג האסיף תקופת השנה ואלולי עיבור השנים יבאו המועדים שלא בזמנים אלו לפי שישראל מחשבים חדשיהם ומועדיהם לימות שנת הלבנה שהם ש"נד יום ה' שעות תת"עו חלקים והיא חסרה משנת החמה י' ימים כ"א שעות ר"ד חלקי: *Quoniam præcepit DEUS benedictus facere Pascha, eo tempore, quo exit frumentum in spicam, q. scr.* Custodi mensem Abhibh & facito Pascha (Deut. 16: 1.) *Et festum tabernaculorum tempore collectionis qu. scr.* Et festum collectionis sub revolutionem anni (Exod. 34: 22.) *Nisi autem intercalatio annorum esset, non redirent festa tempore suo: Eo quod Israelitæ computant menses & festa sua juxta dies anni lunaris, qui est 354 dierum, 5 horarum, 876 scrupulorum. Et sic deficiunt à solari anno dies 10, horæ 21, minut. 204.*

§. 10. Dies mensis hujus paschali agno mactando & assando adsignatus fuit à Deo decimus quartus. Exod. 12: vers. 6. Unde manifesto elucescit ratio, ecquare hic à quibusdam diebus azymorum adnumeratus fuerit, seu quamobrem octiduum azymorum constitutum, ut paulo ante commemoravimus: Qui tamen nec ipse festus erat, neque proprie loquendo initium azymorum festo ponebat: Hoc enim xv die sub crepusculum demum solemnia sua cœpit. Levit. 23: vs. 5, 6, 7. Assatio autem & mactatio die xIv fiebat ad vesperam, sive ut Scr. S. loquitur בין הערבים inter duas vesperas, quarum scil. una pats xIv finiebat, altera xv diem inchoabat. Quamvis in definiendo vocabulo ערבים auctores non conveniant, quod Abhen Edsra qq. admodum difficile מלה קשה judicat: Siquidem Gemara ad Pesachim Talm. Hieros. cap. 5. ab init. explicat ערנא דמתחיל שמשא למערב *tempus, quo incipit sol occumbere*, cui suffragatur Kimchi in Michlol part. 2. voc. ערבים. addens, incipere hoc ab hora sexta & sic usque ad noctem. Nachmanides ad eund. modum. Raschi cum Abhen Edsra dictionem ערבים in numero duali accipiens, alteram ait vesperam incipere ab hora septima cum umbris vespertinis, alteram à noctis initio: quo & inclinare videtur Arabs. Ralbagh duo crepuscula intelligit matutinum & vespertinum. (singulorum enim verba in hanc chartam producere, angustia ejus non patitur: quæ etiam alias in adlegandis testimoniis parciorem me esse cogit) Abarbenel, postquam Abhen Edsræ R. Mose Nachmanidis & R. Levi ben Gersom sententias recensuisset, à multis etiam Syro & Chaldæo dissentiens in singularem tandem sententiam prolabitur & voci ערבים dualem & pluralem significationem negat: והנכון בעיני שבין הערבים הוא כמו בערב כמ"ש תזבח את הפסח בערב ואינו מההכרח שהשמו הבאיא בדרך הרבוי שיהיה טעמן שנים בדקדוק כי הנה מצאנו עצלתים וצהרים שאינו רבים ולא שני': *Firmiter mihi persuadeo, quod* בין הערבים *idem sit dixisse ac* בערב, *uti dicitur Deut. 16: 6. &c. Neque enim necessum est, cum voculæ constructæ sunt in numero plurali etiam earum sensum esse geminatum in grammatica. Nam v. g. reperimus* עצלתים & צהרים *quod neque significent pluraliter nec dualiter* &c. fol. 149. col. 4. in fin. comm. in Pentat.

§. 11. His ita præcognitis, ut ad scopum propius jam collineemus, controversia illa, num Christus ab isto DEI præcepto in observando tempore Paschatis discesserit, eruditorum judicium atque ingenia mirifice exercuit. Nobis breviter negativa verisimilior videtur: discessisse autem à Judæorum ritu adserimus, qui eo anno paschatis festum in seq. xvI. distulere, quo & Salvatorem nostrum cruci adfixere. Et sic ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων Matth. 26: 17. Marc. 14: 12. Luc. 22: 7. intelligitur dies quarta ac decima Nisan: ὀψία vero γινομένη Matth. 20. & Marc. 17. capp. citt. decimæ quintæ initium.

§. 12. Cæterum ex Joh. 13: 27, 29. perspicimus adparatum & dispositionem ad festum paschale, de qua conferri potest Cl. Buxtorfius in Syn. Jud. cap. xI. Ejus potissima pars fuere fermenti exverriæ, in quibus hodienum Judæi ridicule superstitiosi sunt. Earum undecim requisita prolixe coacervavit R. Mordechai Japhæ in Lebhusch hachur hilcos pæsach fol. 150. col. 1. & 2. Adde Mosen Mikkotzi in סמ"ג, hilcos השבתת חמץ fol. 117. col. 1. & seqq. Sephær Minhaghim f. 16. col. 2. fol. 17. col. 1, 2. Hujus autem consuetudinis & ineptæ superstitionis invaluisse aliquid jam tempore Christi penitus habeo mihi persuasum, & hinc notanter loqui Apostolum 1 Cor. 5: 7. ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην. Et hinc dies Paschalis festi nuncupantur Evangelistis ἀζύμων, maxime cum DEUS insuper præceperit comedere מצות על מרורים Exod. 12: 8. Vid. Comment.

CAPUT II.

Disseritur de victima paschali: Locus in quo hæc mactabatur: Ejusdem qualitas: Mactandi ritus: Victima paschalis animalis species qualis? Duo loca discrepantia in lege notantur. Vulgati Interpretis Latini versio obiter reprehenditur. Paschalis agnus assatus, & quare? Quot convivæ requisiti ad cœnam paschalem. Adcubitus ad mensam. Ἀνακεῖσθαι: ἀναπέσαι. *ישיבה & הסיבה differunt:* הסיבה *in sacris Judæorum epulis consueta: Quare? Ejus ritus; & hinc duæ rationes diducuntur. Dubium quoddam perpenditur. Varia lectio in Matthæo delibatur. Christus paschalem quendam ritum immutat. Benedictio panis. Ritus paschalis epuli. Christus quando instituerit in Cœna Sacramentum corporis sui? Judæi hodie in ritibus paschalibus fabulosi. Rabbi cujusdam procacitas flagellatur.*

§. 1. Alia iterum præparatio intelligitur Matth. 26: vers. 19. Marc. 14: 16. Luc. 22: 13. atque ea, de qua diximus §. ult. cap. præced. Ibi enim d. xIv Nisan seu primo azymorum Petrus ac Johannes à Christo mittuntur, ut agnum paschalem mactent, & assatum in convivium festum exhibeant. Mactatio illa fiebat in atrio sanctuarii Hierosolymitani; ceu inter alios R. Levi Bardselonita (unde etiam qualitatem agni cognoscere licebit): מתקבצין אנשים מישראל לחבורות ולוקחין מן השוק או מביתם גדי אחד או שה תמים זכר בן שנה ושוחטין אותו בעזרת בית המקדש ביום י"ד בניסן בין הערבים ואחר כך לערב אוכלין אותו בין כולם אחר מאכלם שמצותו לאוכל על השבע: *Congregantur viri Israelitæ juxta societates, & accipiunt ex foro sive ex ædibus suis hædum aliquem aut pecudem perfectam, masculam, anniculam, & mactant eam in atrio sanctuarii d. XIV Nisan inter vesperas duas. Postea vero vesperi comedunt eam distributam inter se, postquam jam comederunt: Quoniam præceptum vult, ut comedatur à saturis.* Modum autem mactandi accurate delineat ipsum Talm. Hierosol. mass. Pesachim cap. 5. halach. 5, 6, 7. הפסח נשחט בשלש כיתות שנא' ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל קהל ועדת וישראל נכנסת כת הראשונה נתמלאת העזרה נעלו דלתות העזרה תקעו הריעו ותקעו הכהני' עומדים שורות שורות ובידיהם בזיכי כסף ובזיכי זהב שורה שכולה כסף כסף ושורה שכולה זהב זהב היו מעורבין ולא היו לבזיכים שוליים שמא יניחום ויקרש הדם שחט ישראל וקבל הכהן ונותנו לחבירו וחבירו לחבירו ומקבל את המלא ומחזיר את הריקן כה הקרוך אצל המזבח זורקו זריקה אחת כנגד היסוד יצתה כת ראשונ' ונכנסה כת שניה יצתה שניה נכנסה שלישי' כמעשה הראשונ' כך מעשה לשניה והשלישית: *Pascha mactatur in tribus turmis q. d.* Et mactabit eum omnis cœtus congregationis Israel (Exod. 13: 6.) *sc. cœtus, & congregatio, & Israel. Ingreditur turma prima, repletur atrium, obserant portas, canunt tubæ. Sacerdotes stant per series, manibusque gestant pateras argenteas & aureas: ita quidem, ut altera series habeat argenteas, altera aureas. Non confunduntur, nec sunt pateris fimbriæ, ne forte reponant & congeletur sanguis. Mactat Israelita, & accipit sacerdos* (sanguinem) *porrigens eam vicino suo, & hic suo vicino:*

qui

qui plenam pateram accipit & vacuam reddit. Sacerdos prope Altare ſpargit eum (ſanguinem) *ſemel juxta fundamentum* (altaris). *Exit turma prima & ingreditur ſecunda, & hac exeunte tertia. Eundem ritum cum prima obſervat etiam ſecunda ac tertia* &c.

§. 2. De ſpecie animalis ſi quæratur, ſacer codex in determinanda ea à ſemet diſcedere videtur. Poſtquam enim Exod. 12: 5. adſcripſiſſet præceptum DEI: *Ex agnis & ex capris accipietis* (quem locum admodum perperam vertit vulgatus) idem infra Deut. 16: 2. hunc in modum adnotat: *Et mactabis Paſcha Domino DEO tuo oves & vaccas.* Sed jamdum conciliationes omnium Rabbinorum locorum iſtorum in unum collegit Menaſſe ben Iſraël concil. in Ex. quæſt. 13. quem vide. Cæterum notiſſimum eſt, conſueviſſe Judæos ex DEI mandato לא לאכול הפסח נא ומבושל אלא צלי אש *comedere paſchalem agnum non crudum aut lixatum, verum igni aſſatum*, cujus hanc cauſam reddere vult Auctor hachinnuch: דוקא לפי שכן דרך בני מלכים ושרים לאכול בשא צלי שהוא מאכל טוב ומוטעם אבל שאר העם אינם יכולים לאכול מעט בשר שתשיג ידם כי אם מבשול כדי למלא בטנם *id maxime adſolere filios regum principumque, videl. comedere carnem aſſatam, quod hæc comeſtu bona & ſapidior: Cum è contrario plebeji non poſſint comedere niſi pauxillum carnis, quod manu ſua ſibi proſpiciunt, ideo lixatam edunt ad implendum ventrem.* Alii tamen aliter שאכליצ הצלי יורה על החפזון שיצאו ממצרים ולא יכלו לשהות לבשלו בקדירה *quod nempe eſus aſſati doceat feſtinationem, qua egreſſi fuerint ex Ægypto, ubi non licuit nectere moram, coquendo carnem in lebete.* Hanc ſententiam Don Abarbenel penitus repudiat, pauloque argutiorem rationem comminiſcitur: כדי שיהיה ריחו נודף ושיריחו אותו המצרום וידעו כי תועבת מצרים היו אוכלים שמה *eo quod nidor ejus ſe longe diffundat, ut ita odorarentur eum Ægyptii & reſciſcerent, queis abominatio erant comedentes de agno.*

§. 3. Agno igitur rite mactato & aſſato, Chriſtus mox ipſe agnus piacularis futurus & igne divinæ iræ amore noſtri pro hominum peccatis torrendus, tempore ſolemni ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα: ubi obiter obſerva agitata iſtiusmodi convivia κατὰ τὰς φρατρίας, ita tamen ut non pauciores eſſent decem viris, prodente Joſepho, de bell. Jud. 6: 31. Adcubuerunt autem menſæ, uti mos erat regionis & ritus paſchalis poſcebat. Matthæus & Marcus per ἀνακεῖσθαι exprimunt: Lucas per ἀναπεσεῖν aliquanto notantius; hoc enim & ap. Athenæum ſignificat adjacere menſæ in convivio ſeu epulo. Hæc ut eo magis clareſcant, ſciendum, Ebræos diſtinguere inter ישיבה *ſeſſionem* & הסיבה *adcubitum* ad menſam, ut liquido videre eſt in Maſſ. Berachos: היו יושבין לאכול כל א׳ וא׳ מברך לעצמו הסיבו אחד מברך לכלם *Quod ſi ad comedendum ſedeant, ſinguli pro ſe benedicunt: ſi vero accumbant, unus benedicit pro omnibus.* cap. 6. Halach. 6. Iſtorum non ſeſſio, ſed adcubitus in Judæorum paſchate fuit neceſſarius. Hieroſ. Peſachim: לא יאכל אדם עד שתחשך ואפולו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב *Ne comedat homo, usque dum tenebræ ſint, neque pauperrimus Iſraëlita comedat, niſi adcubuerit.* cap. 10. hal. 1. In Talm. Babylon. cod. eod. איתמר מצה צריך היסבה מרור אין צריך היסבה יין איתמר משמי׳ דרב נחמן צריך היסבה ואיתמר משמיה דרב נחמן אין צריך הסיבה ולא פליגי הא בתרתי כסי קמאי הא בתרי כסי בתראי: *Dicitur, quod in comeſtione azymorum neceſſarius ſit adcubitus, in comeſtione herbæ amaræ non item. Refertur qq. de vino nomine Rabb Nachman, quod opus habeat adcubitu: Et dicitur nomine Rabb Nachman, quod non opus habeat adcubitu. Nec tamen hæc contradictoria ſunt: alterum enim dicitur de duobus poculis prioribus; alterum de duobus poſterioribus.* fol. 108. col. 1. Hieroſolymitani ſubjiciunt rationem, videl. ſervis in more poſitum eſſe, ut comedant ſtantes: Paſcha autem ſignum eſſe, exiiſſe è ſervitute in libertatem Iſraëlitas.

§. 4. Modus adcumbendi talis erat, ut unusquisque ſuper unicum lectulum in latus ſiniſtrum recumberet, pedibus in terram poſitis. Maſſ. Peſachim Babyl. ubi ſupra: פרקדן לא שמיה הסיבה הסיבת ימין לא שמיה הסיבה: *Supine jacere, non vocatur adcubitus; recumbere in dexterum latus, non vocatur adcubitus.* In utriusque cauſas ſi inquiras, prius quod attinet, certiorem te reddet R. Mordechai Japha: וכשהוא מיסב לא וטה על גבו ולא על פניו שאין זה דרך חירות ולא על ימינו אלא על שמאלו ואין חילוק בין איטר יד ימינו לאחר: *Ex quo adcumbit, non inclinat ſe ſuper corpus ſuum, aut ſuper faciem: id enim haud foret κριτήριον libertatis. Nec etiam ſuper dexteram: ſed in ſiniſtram, ita ut hæc, ſi manus defatigata fuerit, cum altera non poſſit diſpertire.* &c. &c. in לבוש החור hilcos pæſach fol. 161. col. 3. ubi multa diſſerit, quo pacto ſoleant adcumbere fœmellæ & pueri, & hujus generis alia. In dexterum autem latus non recubuere שהרי בימינו הוא צריי לאוכל *quoniam dextera manu opus habemus capere cibum*, ut ait R. Schmuel ben Meir in toſephos ad l. c. Talm. Hic ſi denuo ambigere cœperis, num ritus hic non adverſetur mandato divino, comedendum paſcha lumbos accinctis, calceamenta indutis, baculos geſtantibus, Exod. 12: 11. Sciendum, ſcholas Rabbinicas unanimi conſenſu tradere, hoc, itemque alterum de poſtibus ædiumque ſuperliminari ſanguine tingendis, ad unicam noctem illam ſpectaſſe, qua feſtinatione ſumma ingrederentur iter, & DEUS horrenda primogenitorum cæde Ægyptum percuteret. Id quidem nullam capit abſurditatem. Nam Deut. 16. quoque, quo loco paſchale inſtitutum iterato inculcatur, neutrius mentio facta.

§. 5. Jam porro Evangeliſtæ hiſtoriam paſchalis epuli exequentes, ἐσθιόντων αὐτῶν, inquiunt, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον, εὐλογήσας (aut ut habet Marcus & ſeptem Codd. vett. Matthæi, eſte Beza εὐχαριστήσας) ἔκλασε, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς &c. Ibi cum Chriſtus hactenus δεῖπνον νομικὸν ſtricte obſervaſſet, inſtituens κυριακὸν, ab iſto paulum diſcedit. Pane enim infermentato recepto primum gratias egit ſeu benedixit: poſtea fregit. Hoc Judæis inſolens in feſto Paſchali, teſte Maimonide in חמץ ומצה cap. 8. qud cæteroquin ubique uſitatum. Maſſ. Berachos: אין בוצע רשאי לבצוע עד שיכלה אמן מפי העונים *Ne frangens panem frangat eum, donec perfecte prolatum fuerit Amen ab ore reſpondentium.* fol. 47. col. 1. At in Paſchali epulo poſt duo pocula (de quibus in ſeqq. audiemus) exhauſta paterfamilias de tribus, aut, ut apud antiquiores reperio, duobus panibus azymis unum recipiens, eo in duo diviſo, benedictionem tritam recitabat: ברוך אתה יי׳ אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ: *Benedictus ſis domine DEUS noſter, rex æterne, qui educis panem è terra.* Et iterum: ברוך אתה יי׳ אלהנו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצוונו על אכילת מצה: *Benedictus ſis &c. qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti nobis comedere azyma.* Inde panem cum herbis amaris in embamma intinctis & ipſe comedebat, & cæteris adſidentibus porrigebat, addens de carne chaghighæ & agni quidpiam. Exiguo intervallo interjecto, quo poculis aut bellariis pro lubitu indulgebant, claudebat paterfamilias cœnam comedendo de carne paſchatis ſaltim pro quantitate olivæ, tantumque cæteris diſtribuens, quæ omnia admodum prolixe legi poſſunt ap. Maimonem l. c. Jam in qua parte cœnæ Salvator noſter Euchariſtiæ Sacramentum inſtituerit (nam & poſt primum poculum azyma fuere adpoſita, ut videre eſt in Maſſ. Peſachim c. 10. hal. 3.) id vero noſtri fori non facimus. Opinionem interim hanc doctiſſ. Lightfoot haut profecto proletariam exiſtimamus, quam habet comm. in Matthæum: *Veroſimilius eſt, Chriſtum cum jam parati eſſent fruſtula iſta* (carnis paſchalis quantitatis olivæ alicujus in fine cœnæ) *ſumere, morem immutaſſe, ac pro iis fruſtula panis diſtribuiſſe ac inſtituiſſe ſacramentum.* Vide integrum locum.

§. 6. Hodie vero lepidiſſimi appellæ longe à majorum conſuetudine & DEI præcepto retrocedentes perplures ritus ſuperſtitioſos ac hiſtrionicos addidere: adeoque cœnam illam Chriſti ex his cave metiare aut contemplere. Interim & hi evolvi poſſunt in Minhaghim à pag. 14. v. a. 36. סדר מעמדות ex recens. Menaſſ. ben Iſraël pag. 72. & ſeqq. Buxtorfium in Syn. Jud. c. 12: 13, 14. Hos tamen nihilo ſecius, ut elegantes pios & in divinis literis fundatos, laudat Rabbi Joſeph Boſſnenſis, virulentus & nequiſſimus verpus, qui B. Parentem meum plusquam ſcurriliter traducere nullo ſuo merito auſus eſt, in Scala veræ Jeruſalem c. 4. fol. 38.

CAPUT III.

Quatuor ſolemnia pocula in paſchate: Et quare quatuor? Eorum neceſſitas. Poculum Luc. 22: 19. Benedictio primi poculi. Diſtributio poculorum & miſtio. Poculum ſecundum & ritus circa id. Poculum tertium; Illud, quod ad inſtitutionem ſacramenti Chriſtus adhibuit. Ejus celebritas. כוס הברכה. *A Buxtorfio diſſenſum. Poculum quartum & circa id ritus.* כוס הלל, *& hujus epitheti ratio. Hymnus à Chriſto poſt cœnam decantatus qualis? Hymnus* הלל *quisnam? quando cantatus, & quomodo in Paſchate? Scaliger, Paul. Burg. & Beza notantur. Hymni illius auctor: De eo variæ ſententiæ. Pauli Burgenſis adſertum contra Cl. Buxtorfium firmatur. Hymni illius*

illius varia nomina. Praeceptum quoddam adfirmativum memoratur. Capacitas poculi paschalis. רביעית *mensura. Duo dubia moventur & solvuntur: simulac ritus proponitur. De libro* לבושים *disseritur, & Buxtorfii bibliotheca Rabb. suppletur. Vinum in paschali coena: Quale?* קונדיטון *Mixtio vini cum aqua. Casus quidam propositus & expositus. Epilogus.*

§. 1. POst cibum paschalis coenae proxime considerandus venit potus & ipsa bibendi ratio. Adposita hic comperimus quatuor solemnia pocula, ad quae evacuanda quilibet erat adstrictus. Numerum diversimode suis tibicinibus & causis subfulciunt. R. Mordechai: ותקנו חכמים שצריך כל אדם לשתות ד׳ כוסות זכר לד׳ גאולות ודי לשונות של גאולה הנאמרי׳ בגאולה מצרים כפ׳ וארא והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי וגו׳: *Instituerunt sapientes, ut obstrictus esset omnis ebibere IV. pocula, in memoriam quatuor redemtionum & IV. verborum redemtionis usurpatorum in historia liberationis ex Aegypto, in parasch. Vaëre, quae sunt:* והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי *&c.* l. c. hilcos paesach fol. 161. col. 4. Plures praeter hanc comminiscuntur Talmudistae Hierosol. nempe alludi ad 4. monarchias, vel ad 4. pocula, quae Israëli DEUS adpositurus sit Psal. 23: 5. 16: 5. 115: 13. aut ad 4. alia vindictae, quibus gentes DEUS inebriabit, Jer. 25: 15, 51, 7. Ps. 11: 6. 75: 8. Alii respici volunt ad voculam כוס Gen. 40: 11, 13. quater repetitam. Et ab hoc praecepto nemo poterat excusari, ceu videre licet ex his, quae colligemus ex l. c. Rabbi Mordechai: ואפי׳ מי שאינו שותה יין מפני שמזיקו או שונאו צרי׳ לדחוק עצמו ולשתותו לקיים מצוה ד׳ כוסו׳ ואפי׳ עני המתפרנס מן הצדקה אם לא נתנו לו כדי צרכו ימכור מלבושו או ילוה או ישכיר עצמו בשביל יין לד׳ כוסות הכל חייבין בד׳ כוסות: *Etiam qui non solet bibere vinum, eo quod nocet sibi, oditve illud, opus habet semet ipsum comprimere, illudque bibere, ut persistat praeceptum de IV. poculis &c. Quin imo pauper, qui sustentat se ex eleëmosyna, si nihil ei largiantur, necessum proinde habet, ut vel vendat vestem suam, aut pecuniam mutuo accipiat, aut mercenarius fiat, tantum propter vinum IV. poculorum: ad quae omnes obstricti sunt.*

§. 2. Poculum illud, cujus Lucas solus evangelistarum meminit h. v. καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπε λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς 22: 17. primum quatuor illorum videtur, quod Christus benedixit communi forte formula illa ברוך אתה יי׳ אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *Benedictus sis Domine DEUS noster, rex mundi, creator fructus vitis.* De eo Talmudici: מוגו לו כוס אי בית שמאי אומרים מברך על היו׳ ואחר כך מברך על היין ובית הלל אומרים על היין ואחר כך על היום: *Miscent ei poculum primum. Domus Schammai dicit: Benedicit primo super diem, postea super vinum. Academia Hillel dicit, super vinum prius, post super diem.* cap. ult. hal. 2. Benedictio ergo poculi primi ap. antiquos manifesto consueta: sequentibus vero temporibus nescio ex quibus ratiunculis aliquando peculiari constitutione interdicta fuit. Interim ex Christi verbis distributionem notamus, & ex Mischna cit. mistionem: quae non nisi in necessitatis casu fiebat à Patre familias. R. Mordechai: ומוזגין כוס ראשון ואם אפשר לא ימזוג הבעל בית עצמו אלא ע״י אחר שיהא כמשרתו כלומי דרך הירות שכל מעשה הלילה הזה יעשה דרך הירו׳ זכר ליציאת מצרים: *Et miscent poculum primum. Si possibile est, non miscet Paterfamilias sibimet; sed utitur opera alterius, qui est tanquam minister ejus, uti suadet ratio libertatis: Quandoquidem quicquid ea nocte facimus, speciem libertatis habere debet, ut memores simus exitus ex Aegypto* l. c.

§. 3. Adpositis antecoeniis & paucis ritibus interjectis, propinatio fiebat secundi poculi, circa quam inter alia haec narrat Mass. Pesachim: מוגו לו כוס שני וכאן הבן שואל אביו ואם אין דעת בבן אביו מלמדו מה נשתנה לילה הזה מכל הלילות שבכל הלילות אנו אוכלין חמץ ומצה הלילה הזה כלו מצה שבכל הלילות אנו אוכלין שאר ירקות הלילה הזה מרור שבכל הלילות אנו אוכלין בשר צלי שלוק ומבושל הלילה הזה כלו צלי שבכל לילות אנו מטבילין פעם אחת הלילה הזה שתי פעמים: *Miscent poculum secundum. Et tum filius interrogat patrem, atque si filius nondum sciat rogare, pater eum docet, quantum differat nox haec ab omnibus noctibus. Quod omnibus aliis comedimus fermentum & azymum, hac solum azymum; aliis quasvis caeteras herbas, hac amaras: Aliis carnem assatam, elixatam & coctam, hac duntaxat assatam, aliis intingimus semel, hac bis.* cap. 10. halach. 4. Eadem habes in Talm. Babyl. fol. 116. col. 1. Inter hoc & sequens poculum ipsa comestio paschalis agni intercedebat, una cum solemnibus quam plurimis. Queis rite peractis, post valedictoria agni paschalis frustula gustata, proferebatur & tertium illud, quo Salvator noster Christus indubitato sacramentum novi foederis complevit & proposuit, cujusque mentio facta Matth. 26: 27. Marc. 14: 23. Luc. 22: 20. Id vero celebratissimum omnium erat & aestimatissimum, ita ut in Mass. Berachos fol. 51. 1. decem nobilia de eo adscribantur requisita. Nuncupatur alias כוס הברכה, & corrupta illius temporis dialecto Syro-chaldaica אכסא דברכתא *poculum benedictionis*, seu ποτήριον εὐχαριστίας, aut (uti Paulus Apostolus vocat 1 Cor. 10: 16.) εὐλογίας, quod super eo recitare moris erat ברכת המזון *benedictionem cibi.* Vide Maimonidem l. supra c. & auctorem Lebhusch Malcus fol. 164. col. 3. Nam cum pace magni Buxtorfii hic ab eo (Lex. Talm. rad. הלל) dissentire liceat, qui poculum quartum in institutione S. Coenae à Christo adhibitum autumat, quod aliquando & nos opinati fuimus: Rationes autem dubitandi in hanc chartam conjicere non vacat.

§. 4. Sequebatur inde quartum: ita tamen ut non solum ulterius nihil quicquam potus libarent. R. Mordechai cognomento Pulcher: צריכין ליזהר שלא לשתות כלום אחר ד׳ כוסות ומי שהוא אסטניס או תאב וצמא הרבה לשתו׳ יכול להוסיף כוס ה׳ ויאמר עליו הלל הגדול ויחשוב לו כוס זה כנגד כוס של רויה של רויה של גאולה העתיד׳ ולא ישתה יותר חוץ ממים שמותרי׳ לשתות לכל אדם אבל כל שאר משקין אינו רשאי לשתות: *Monere hic necessum ducimus, nihil bibendum esse quicquam post quatuor pocula. Quod si quis vero sit infirmus, aut valde concupiscens, aut praeter modum sitiat, addere poterit poculum quintum, ita tamen ut super eo dicat Hallel magnum; reputabitque poculum hoc adinstar poculi exuberantis redemtionis futurae: Praeterea autem nihil bibet, nisi de aqua, unde cuivis licitum est potare; caeteri vero potus minime permittuntur.* l. c. fol. cit. col. 4. Sed & inter hoc & tertium bibere prohibitum esset. Mass. Pesachim: אם רוצה לשתות ישתה בין שלישי לרביעי לא ישתה *Si quis vult bibere, bibat: Nam inter tertium & quartum poculum non bibet* l. c. halach. 7. Communiter dixere כוס הלל *poculum Hallel* sive laudis, non tam quod ei insonuere ברכת השיר *benedictionem cantici*; quam primario ob hymnum κατ᾽ ἐξοχὴν adpellatum הלל quo paschalem coenam claudebant: id quod declarabit historiam Christi Matth. 26: 30. & Marc. 14: vers. 26. Nam hic ipse per hymnum iis locis intelligitur.

§. 5. Hymnus ille decantatus fuit inter Judaeos initio mensis, in festo dedicationis & tribus majoribus. Et in festo quidem Paschatis in duas partes dividebatur; quarum prior dicta ante adcubitum cibique sumtionem, posterior post epotum poculum quartum: Illa continebat Psalmum 113: 114. haec 115. 116, 117, 118. Ex his junctim magnus ille hymnus conflatus erat. Ut adeo falsi sint Scaliger de emend. temp. lib. 6. Paulus Burgensis annott. in Psal. 113. Beza in Matth. cap. 26. & alii, qui paulo aliter. De auctore ejus disceptant Talmudistae Babylonici, quorum alii tribuunt Mosi, alii Josuae, alii Deborae & Barak, alii Hiskiae, alii Chananiae Mischaëli & Adsariae, alii Mardochai & Esther, &c. Verba prolixiora sunt: legat ea, qui volet, in Pesachim fol. 117. col. 1. Interim & hoc notari potest, Talmudicos doctores in definiendo hymno hoc non convenire, quorum verba ex Mass. Pesachim h. l. inserere non pigrabor: תנו רבנן רביעי גומר עליו את ההלל ואומר הלל הגדול דברי ר׳ טרפון ויש אומרים רועי לא אחסר מהיכן הלל הגדול רבי יהודה אומר כהודו עד נהרות בבל ורבי יוחנן אומר משיר המעלות עד נהרות בבל רב אחא בר יעקב אמר אמר׳ מכי יעקב בחר לו יה עד נהרות בבל ולמה נקר׳ שמו הלל הגדול אמר ר׳ יוחנן מפני שהקב״ה יושב ברומו של עולם ומחלק מזונו׳ לכל בריה: *Perhibent doctores nostri: ad quartum poculum absolvit Hallel, recitatque magnum Hallel. Verba sunt R. Tarphon. Sunt qui dicant: Pastor meus non indigebo.* (Psal. 23: 2.) *Unde incipit Hallel magnum? R. Juda dicit à Psal. 118: 1. usque ad Psal. 137. R. autem Jochanam ait à Psal. 120. usque ad Psal. 137. Rabh Acha bar Jacob dicit à Psal. 135: 4. usque ad 137. Ecquare dicitur* Hallel magnum? *Ait R. Jochanan, ideo, quod DEUS benedictus sedet in altitudine mundi & dispertitur alimenta singulis creaturis.* fol. 118. col. 1. Vide de hoc pluribus R. Abarbenelem in Dsaebhach Paesach fol. 51. & seqq. & incomparabilem Buxtorfium Lex. Talm. rad. הלל fol. 613. & seqq. Quod autem vir hic clariss. adsertum Pauli Burgensis, *hymnum illum à Judaeis adpellitatum Halleluja magnum*, se ap. Ebraeos non reperire tradit, adeoque in dubium vocat; id abs re forte factum. Nam, nisi fallor, in Mass. Pesachim dicitur הללויה גדול מכולן הללויה fol. 117. col. 1. Alias nuncupabatur הלל מצרי *Hymnus Aegyptius*: Hoc enim absolvi credo ipsum illud paschale praeceptum adfirmativum Judaeorum ספור יציאת מצרים *de*

de recensendo exitu ex Ægypto (de quo confer Cl. Hottingerum de Jur. Ebr. leg. 10.) quale quid argumentum Psalmorum istorum exhibet.

§. *6.* Sed ut eo revertamur, unde digressi fuimus, & capacitatem poculorum mensuremus, in viam nos ducit Mass. Schabbas de crateribus paschalibus sermocinans: ארבעה כוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיטלקי *Quatuor pocula, ut dicunt veteres, continent quartanam vini Italicam*, f. 11. col. 1. Hanc si rursus quæras, docet Mass. Pesachim: אמר רב חסדא רביעית של תורה אצבעים על אצבעים ברום אצבעים וחצי אצבע וחומש אצבע *Ait Rabb Chasidha: quartana legis duorum digitorum, digiti in profunditate, & digiti & quintæ partis digiti.* fol. 109. & 1. Quantitate hac æstimata, mirum alicui videri posset, qui sartum tectum hoc præceptum servari potuerit, quandoquidem cyathi illi præbiti fuerint *singulis, tum junioribus, tum senioribus, etiam infantibus in cunis vagientibus*, verba sunt Buxtorfii S. J. cap. XIII. Oritur hinc alterum dubium. Nam & ipse Cl. Buxtorfius & alii testificantur, singulis singula pocula quatuor fuisse propinata & seorsim infusa: At vero ex Euangel. Marc. 14: 23. fere colligere est, Christum non singulis infundi curasse calicem, sed omnes ex eodem libasse; quod forte ritui Judaico advorsum à rudibus reputari posset. Verum utrumque nodum Gordium solvemus nos ex celebri historico (ceu Buxtorfio laudatur) R. Mordechaj: ושיעור כוס רביעית ומדות הכלי שיכלנו ארכו כרוחב בי גודלין וכן רחבו וגבהו כרוחב בי גודלין וחצי גודל וחומש גודל ו"אצ שישתה כולו אלא רובו ואם הכוס גדול ויש בו הרבה רביעיות שותין ממנו"כב בני אדם כמנין רביעיות שבו *Mensura poculi est quartana. Et si porro dimetiamur vasculum: tam longum illud est, quam latum, viz. duorum pollicum. Sicque latitudo & altitudo ejus juxta latitudinem duorum pollicum & dimidii pollicis & quintæ partis pollicis. Neque autem necesse est, ut totum ebibat; sed bonam saltim partem ejus. Posito, quod poculum esset majus, pluresque contineret quartanas? possent ex eo bibere vel XXII homines: nempe juxta numerum quartanarum, quæ sunt in eo.* Hæc ex 11. parte libri לבושים fol. 161. col. 4. in quo tam veterum, quam modernorum Judæorum ritus methodice admodum collegit auctor, ipse non antiquus sed accuratus. Vid. Buxt. in Bibl. Rabb. litt. ל. Corpus voluminis decaplum duobus tomis comprehensum teneo: Sed & aliquot ejus partes seorsim excusas vidi. Edidit idem auctor Lublini comm. in Pentateuchum Ann. C. 1593. insignitum לבוש אור יקרות, quem infinitæ lectionis vir Buxtorfius procul dubio non viderat; certe non adnotavit. Hoc ἐν παρόδῳ.

§. 7. Addemus jam paucula de potus genere. Id vero fuisse vinum, colligere est vel ex Salvatoris verbis, consecrationi poculi subjunctis: Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπ᾽ ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου &c. Matth. 26: 29. Marc. 14. 25. Luc. 22: 18. Conferamus huc, quæ leguntur in Mass. Pesachim: תנו רבנן חייב אדם לשמחו בנו ובני ביתו ברגל שנאמר ושמחתב בחגך במה משמחים ביין רבי יהודה אומר אנשים בראוי להן ונשים בראוי להן אנשים בראוי להן ביין וכו׳ *Tradunt Dd. nostri: Tenetur homo exhilarare filium suum & domesticos suos in die festo, q. d.* Et lætaberis in festo tuo. (Deuter. 16: 14.) *quomodo autem exhilarant? Vino. R. Jehudha ait: Viri exhilarantur in re illis convenienti, & mulieres in re illis convenienti: Viri; in vino* &c. f. 109. col. Vinum autem rubidum (nisi album generosius esset) inprimis deligebant ad festum, quoniam צריך שיהא בו טעם ומראה *necesse putabant, ut esset in eo sapor & adspectus*, ut referunt Talmudici, vel, quod habet Rabbi Mordechaj, מפני שדרכו להיות משובח מן הלבן וכן אמר הכתוב אל תרא יין כי יתאדם וגומ׳ לפי אם ידוע לנו שהלבן טוב לנו הוא משובח מהאדו׳ הוא קוד׳ *hac de causa, quoniam vinum rubrum magis laudatur atque album. Sic enim dicit Script. S.* Ne videas vinum, quoniam rubet &c. (Prov. 23: 31.) *quod si vero in cognito sit, quod album vinum, quod penes nos est, præstantius sit rubro, anteponatur huic.* l. c. Idem paulo post adhiberi narrat etiam vinum קונדיטין *Conditum* מה קונדיטון הזה יש בו יין יש בו דבש יש בו פלפל *quid est conditum? Est in eo vinum, mel & piper*, ait Jalkut in Pentat. fol. 78. col. 2. At purum vinum miscebant aqua, quod plane necessarium duxere, in festo Paschali, de quo prolixe legatur Mass. Pesachim & Berachos fol. 50. col. 2. Casum hic formant Rabbini, si quis in loco degat, quo destituatur vino, qui rite peragi possit à tali Pascha? Et respondent: ואם אין לו יין שלא יוכל למצא אותו לקנות יחזור אחר צימוקין וישרה אותן במים עד שיהיה בתן טעם יין הרבה וכו׳ ובמקומות שנוהגין לשתות משקה הנעשה מדבש שקורין מע"ד או שאר משקה *Si vino destituatur, neque illud adipisci potest, prospiciet sibi uvas passas, easque macerabit in aqua, usque dum inibi sapor multus vini &c. Et in locis, ubi consuevere bibere aquam, fit poculum tale ex melle, quod vocant* Methl *aut alio liquore.* Hæc Mordechaj l. c. fol. 165. col. 1. ubi hanc in rem valde spatiose. Atque hæc in sacram isthanc materiam ex Judæorum historia commentati sumus, neque aliorum tot eruditorum operæ eidem locatæ invidentes, neque nostræ propterea pœnitentes, quam benevoli lectoris judicio modeste submittimus. Coronidis loco in mentem nobis revocamus verba Divi Chrysostomi: εἰ τοίνυν αἷμα ἀρνίου ἐν μέσοις Αἰγυπτίοις καὶ ἐπ᾽ ὀλέθρῳ τοσούτῳ ἀσινεῖς διεφύλαττε τοὺς Ἰουδαίους, πολλῷ μᾶλλον διασώσει ἡμᾶς οὐκ ἐν ταῖς φλιαῖς, ἀλλ᾽ ἐν ταῖς ψυχαῖς τὸ αἷμα ἐπιχεόμενον τοῦ Χριστοῦ. Homil. 27. in epist. Ebr. fol. 1925. תוש"לבע



M. GEORG.

M. GEORG. HENR. GOTZE
ET
JOH. NIC. GRABERG
DISSERTATIO
De unctura Christi Bethanica ad Matth. XXVI:6,7.

PRÆLOQUIUM.

Cum è cathedra superiori specimen quoddam Academicum edere jubear, ejusmodi selegi argumentum, quod tempori instanti quam maxime esset conveniens: Præcipue cum hoc ipso tempore templa omnia omnesque suggestus acerbissima Christi ac crudelissima morte personent, omniumque in ore versentur amarissima ista crudelitatis genera, quæ dilectissimus noster Jesus pleno inductus amore subiit, sanctoque consilio est perpessus. Quæ tempora tacito sum veneratus cultu, nihilque prius aut antiquius habendum esse existimavi, quam si promptus his me accommodarem, talemque susciperem laborem, qui non plane jam ab hac tempestate foret alienus. Animus hinc est UNCTURAM CHRISTI BETHANICÆ *factam thesibus nonnullis Philologico-Historicis pro virium facultate exponere, omnesque, quarum sacra historia meminit, circumstantias commemorare. In quo vero labore expediendo tantum studebo brevitati, iis usurus præsidiis, quibus benevolus fautorum animus, quem jure deveneror, beavit me atque instruxit: Commoda insimul mea unice respiciens, cum alios opella hac doctiores reddere vix valeam. Ad hoc autem perficiendum me excitavit elegans monitum sapientissimi quondam Philosophi*, Senecæ, *graviter* in lib. de Sapientis otio *scribentis*: Hoc ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis, sin minus, paucis; si minus proximis: si minus, sibi. *Quod & mihi dictum esse arbitratus sum, quapropter, ut cum* Th. Reinesio in Var. Lect. Epil. ad Lect. p. 694. loquar, tentabo aliqua, & faciam paucula. *Deus vero conatus nostros prosperet benigne, gratiaque sua indies indiesque faciat auctiores!*

§. 1.



Ntequam de ipsa Christi unctura agam, lubet prius eam verbis sacrorum Euangelistarum descriptam hic exhibere. Ita vero Matthæus cap. 26:6,7. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρου ἔχουσα βαρυτίμου, καὶ κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακειμένου. *Quum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Marcus 14:3. Καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακειμένου αὐτοῦ, ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου, νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον, κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς. *Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accumbente eo, venit mulier habens alabastrum unguenti, nardi pisticæ pretiosæ: & comminuto alabastro, effudit illi in caput.* Et Joh. 11:2. Ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ, καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς. *Maria autem erat ea, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis.* Et cap. 12:1,2,3. Ὁ Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα ἦλθεν εἰς Βηθανίαν. Λάζαρος εἷς ἦν τῶν συνανακειμένων αὐτῷ. Ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ. Καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου. *Jesus ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam; Lazarus unus erat de numero discumbentium cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pisticæ pretiosæ; & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: domus autem impleta est odore unguenti.*

§. 2. Atque hi sunt tres illi viri θεόπνευστοι, (de quarto enim, Luca, infra agam) qui hoc factum literis consignarunt: Exponam vero nunc omnes circumstantias brevique pensitabo commentatione, quid circa easdem notatu maxime dignum contigerit. Primum autem in ipsum locum, generalem scilicet, *Bethaniam*, ubi Unctura hæc fuit peracta, inquiram.

§. 3. Duo ergo statim veniunt consideranda, *Nomen* puta, & *Res*: Et quidem circa vocis Etymologiam plane non concordant autores, ita ut ob diversarum sententiarum pondera vix certi quid asseri possit atque defendi; Redigam tamen scriptorum hæc dicta in Compendium, duasque constituam classes, unam eorum, qui pro *Syriaco*, alteram, qui pro *Hebraico* id ipsum venditant nomen.

§. 4. Ex priori est *Ludovicus de Dieu* in Commentar. ad Matth. 22:17. p. 92. *Nec dubium est*, inquit ille, *quin formæ sit Syriacæ, non Hebrææ.* Quo pacto duo statuit, (1.) esse *vocem Syriacam*, (2.) antithesin ponit, non esse *Hebræam*: quam ex eo probat, quia non conveniunt, seu (ut ipse loquitur) *non quadrant vocales.* Sed neque hæc ratio, quæ fundamentum est sententiæ suæ, aliquid ponderis habebit atque valoris. Respondeo itaque dupliciter, (1.) in genere, (2.) in specie: (1.) quidem, nullam adesse necessitatem, ut in ejusmodi Etymologiis omnes ex æquo correspondeant vocales: cum verbum quoddam ab alio obsoleto sæpius descendat, quæ tamen verba quoad vocales non inter se conveniunt; (2.) negando & pernegando, quod h. l. vocales non quadrent, præsertim cum hæc vox ex בַּיִת, quod significat *domum*, & עֳנִי notante *Afflictionem* & Paupertatem, deducatur: Ecquid vero clarius, quid convenientius? Quod si tamen prælaudatus autor Bethaniam per allusionem quandam tali modo ex Syriaco vellet deducere, nec nos habebit dissentientes: Et ita *domus* esset *ovium*, item *domus occupati*, *mul-*

tis

tis negotiis districti, quoniam *Bethania locus erat in monte oliveti, ubi ex pressura olivarum maxima erat occupatio.*

§. 5. Porro, dum vocem hanc Hebraicam esse pronunciavi, hic quoque Philologorum non unam observo mentem: Alii quippe exponunt per *domum afflictionis & paupertatis*, cujus radix esset עָנָה *respondit, exaudivit, afflixit, humiliavit*, alii *per domum gratiæ domini, obedientiæ, cantici, &c.* & hinc quoque fieret domus exauditionis. Mihi vero in præsenti eorum sese commendat sententia, qui *domum* vertunt *paupertatis* & *oppressionis*, quam argumentis nonnullis haud difficulter illustrabo: Bethania scilicet (1.) vicus erat exiguus, bonis fortunæ non abundans, & inprimis respectu *Urbis Hierosolymæ* admodum pauper, nec nisi pauperes alebat incolas. (2.) Christo & videtur valde esse conveniens. Hic enim omnium pauperrimus cum fuisset, talem quoque paupertatis sibi elegit locum. Imo (3.) paupertatem istam comprobant incolæ, & qui quidem tum quoque principes erant & nobiles, Lazarus nimirum, Simon leprosus, Maria, Martha; (4.) Vicus iste situs erat ad radices montis Olivarum, ubi sane proventus bonorum sic satis exiguus aut non tantus, ut inde magnæ multæque sperari possent divitiæ. (5.) Bethphage sæpius & Bethania, tanquam loci subobscuri conjunguntur, ut Marc. 11: 1. Luc. 19: 29. Jam quod de uno dicendum est loco, dicendum & erit, cætera cum sint paria, de altero. Sed conjecturas has quales quales melius si fuero edoctus, mutabo & volens & promptus. Per allusionem vero nonnullos scriptores vocem hanc accepisse & exposuisse haud infrequens est, demonstrarunt id præclarissimi sacrarum literarum commentatores, quique egregiis observationibus sacrum codicem explanarunt. Non paucas vero collegerunt *Johann. Gerhardus in Harmon. Euangel. pagin.* 95. *seq.* 142. 566. *seq.* & *Cornelius à Lapide Comm. in Joh. pag.* 412. quas hic adducere nostri instituti non est.

§. 6. Quamvis autem hic ipse locus sic satis fuerit obscurus & non adeo celebris, à Christo tamen ita nobilitatus est postea, ut vel propter solam ascensionem, quæ inibi facta, notabilis semper existat atque illustris. Sed ad rem ipsam propius paululum accedo, perlustraturus qualis Bethania nostra fuerit locus. Fiet autem id perquam commode, si aliqualis ejus formetur descriptio. *Est itaque Bethania vicus ad radices montis Oliveti positus, quindecim stadiis Hierosolymis distans, in quem Christus ante mortem secesserat, ubi & Lazarum è mortuis resuscitarat & non adeo procul ascensionem suam instituerat.*

§. 7. Hanc descriptionem Bethaniæ nostræ nunc quoque quoad singula sua membra illustrabo.

§. 8. Dixi vero (1.) esse vicum contra *Theod. Bezam, qui in Comment. ad Joh.* 11. *p.* 407. eum tractum Oliveti tantum esse statuit; sed ipse Johan. cap. 11: 1. eam Κώμην nominat, vicum, oppidulum, klein geringe Städigen/ ceu Johan. 7: vs. 42. & Luc. 24: 13. vox hæc de minoribus oppidulis accipitur, ein armselig Dorff. Plures ap. *G. Pasorem in Lexic. pag.* 299. leguntur. Imo apud ipsum *Hesiodum p.* 131. vicus per κώμην exprimitur. Et quos κώμας alii dixerunt, eos ab Atticis δήμους vocatos esse, pernotum est. *vid. Johan. Cunr. Dietericus in Antiquit. N. T. p.* 459. Non itaque causam ullam deprehendo, cur hic Bethania tantum tractum montis denotet, cum melius Euangelistæ verbis congruat, si eam vicum fuisse dicam, & si tractus Oliveti fuerit, quod & nos asserimus, quid impedit quo minus & vicus fuerit. Rationes alias suppeditat *Dan. Heinsius in Aristarcho sacro pag.* 912. *seq.*

§. 9. (2.) Vicum istum tetigisse radices montis Oliveti ex claris Scripturæ sacræ verbis cognoscimus. Marc. 11: 1. Luc. cap. 19: 29. Hic vero Oliveti mons dictus, *quod multis consitus oleis* (lubet eum describere verbis *Casp. Sagittarii Harm. Pass. J. C. p.* 312.) *incubuit urbi ab oriente, distitit Hierosolymis itinere Sabbathi. Situs ejus peramœnus fuit, è quo montes Judææ, Arabiæ desertæ, mare mortuum, Jordanis fluvius, & planities Hierichuntis visu obiri potuerunt. Noctu hic mons illuminatus fuit à luminibus in templo accensis.* Montem hunc hodie reperiri & peregrinantibus hominibus monstrari, varia produnt itineraria. Istud vero commentum non admitto, nec existimo, quod vera sit illorum sententia, qui Christi in cœlum ascendentis vestigia & adhuc hodie in hoc monte superesse statuunt; Autorum aliquorum, Paulini scilicet & Sulpitii testimonia, quæ hoc affirmant, exhibet *Franc. Juretus in Not. ad Lib. V. Paul. de Vita Mart.* Mascule vero huic asserto sese opposuerunt viri eruditi & rerum sacrarum optime gnari, præcipue istius relationis falsitatem in pecul. dissertat. ostenderunt *Sam. Andreas, Prof. Marpurg.* & in Academ. Witteb. *M. Nicol. Christoph. Remlingius de vestigiis pedum Christi in monte Oliveti.*

§. 10. (3.) Vicum nostrum quindecim duntaxat stadiis Hierosolymis absuisse diserte profitetur Joh. 11: 18. Duplicis autem generis Veterum erant stadia, *Hebræorum* alia, alia *Græcorum*; de quibus ob ingenii imbecillitatem solicitus esse nolo, cum arduum omnino sit & inextricabile ferme, certi aliquid de iis affirmare. De Græcorum vero stadiis egerunt Scriptores & antiqui & novi, *A. Gellius Noct. Attic. l.* 1. *c.* 1. *p.* 1, 2. & *A. Thysius & I. Oiselius in Observ. ad l. c.* Quænam Hebræorum fuerint stadia, id ex antiquorum Rabbinorum monumentis optime peti potest atque cognosci. Sufficit nunc annotasse, quod Joannes hoc in loco habuerit respectum ad mensuram Hebræorum, & quidem ad stadia minora, non vero majora, uti cum *Ludovico de Dieu Comm. in Act. Apost. p.* 6. suspicatur Vir Clarissimus *Michaël Waltherus in Dissert. Witteb.* 1673. *hab. de Itinere Sabbathi* §. 20.

§. 11. (4.) In hunc vero vicum Christus ante mortem secesserat, quod ex S. historia oppido clarum est & perspectum, ut *Matth.* 21: 17. *Marc.* 11: 11. *Luc.* 21: 37. Nec dubium est (5.) eum ibidem Lazarum, jam mortuum, resuscitasse, *Joh.* 11: 43. Qui lapsi Adami apud Patres præbet Symbolum, ut *Macarius* Senior, seculi IV. pater *in Hom.* 30. *pag.* 416. *edit. Paris.* 8. eleganter expressit.

§. 12. (6.) Christum ibidem cœlum ascendisse ex *Luc.* 24: *vs.* 50. & *Act.* 1: 9. 12. discimus, scilicet post resurrectionem suam, cum per quadraginta dierum intervallum conspiciendum sese discipulis præbuisset. Qui dies postea in prisca Ecclesia ut sacer fuit observatus. Ideo *Socrati H. E. lib.* 7. *cap.* 26. *pag.* 368. Ἡ ἀναλήψιμος τοῦ Σωτῆρος πάνδημος ἑορτὴ dicitur. Ex eo vero tempore, quo Quinquagesima cessavit, dies hic peculiare festum esse cœpit, monente *Jos. Arndio in Lexic. Antiquit. Eccles. p.* 414.

§. 13. Atque hæc nostra fuit Bethania, in quam Christus secessit. Sed antequam locum specialem, *Domum* puta *Simonis leprosi*, perquiram, ista prius erit expedienda quæstio; quomodo scilicet Bethania Mariæ & Marthæ, ceu Joh. 11: 1. scribitur, fuerit vicus? Ubi certe vix opus erit, ut præter literam ejusmodi fingamus castellum seu vicum Marthæ proprium; sed potius dicimus, Bethaniam eam ob causam vicum Mariæ & Marthæ vocatam esse, quoniam hæ principes quasi fuerint hujus oppidi fœminæ. *Non tam dominæ erant*, ait *Cornel. à Lapide ad Johan.* 11: 1. *fol.* 412. *quam honoratiores incolæ.* Conf. *Joh. Maldonat.* ad *Johan.* 11: 18. *fol.* 391. & *ad Luc.* 10: 38. *fol.* 104. qui eadem ferme habet, scribens: *Castellum Marthæ & Mariæ dicebatur, non quod earum esset, sed quod ibi habitarent.* Num vero in eo castello hæ mulierculæ sint natæ, merito cum *Franc. Toleto in Comm. ad Joh. l. c. p.* 712. dubitamus. Quod autem castelli hujus fuerint dominæ ejusque habuerint dominium, asserere nolo; quin potius contrarium cum *Sebastiano Barradio in Concord. Harmon. Euangel. T. III. p.* 361. amplector.

§. 14. Visa nunc Bethania, ipsam domum *Simonis Leprosi*, tanquam specialem locum, exponam. Hunc Simonem *Ambrosius*, magnus ille seculi IV. Doctor Mediolanensis, invictique animi præsul, *in Libr. VI. Comm. in Luc. cap.* 7. *p.* 77. *edit. Basil.* leprosum dictum censet, quod tunc temporis lepra, familiari isto Judæis morbo, laboraverit, id quod ex ipsis ejus verbis, ne venerando Patri aliquam sententiam affingere videar, clarum redditur atque certum. Ita vero ille: *Venit Dominus Jesus in domum Simonis leprosi. Apparet œconomia quod leprosum non refugit, non vitat immundum, ut maculas humani corporis possit abolere.* Lege quidem erat cautum & superiorum consilio sancitum, ut ejusmodi homines urbem desererent atque extra mœnia, usque dum liberati fuerint, degerent, ne morbus figeret radices, aliosque perderet. Conf. *Johan. Henr. Hottingerus in jure Hebræorum pag.* 261. *seqq.* sed observat *Guil. Saldenus in Exercitat. XI. lib. IV. p.* 801. *Otior. Theol.* absolute non esse verum, leprosos extra mœnia semper debuisse manere, quod verbis *Joh. Lichtfooti Hor. Hebr. in Luc.* 5: 12. In Oriente vero morem hunc, ut leprosi ab hominum consortio viverent remoti, inusitatum esse, testatur *Balsamon Commentar. in Epist. Athanasii p.* 920. ap. *Suicerum l. c. p.* 226. Οἱ λέπραν νοσήκαντες παρὰ μὲν τῷ παλαιῷ νόμῳ, ὡς ἀκάθαρτοι ἀπεπέμποντο. Μεθ' ἡμῶν δὲ καὶ ἐκκλησιάζουσι καὶ συνδέχονται, ἀπὸ τῆς νόσου μηδὲν ἐμποδιζόμενοι, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ οἰκειούμενοι.

§. 15. Rectius hic sentiunt, qui *Simonem* hunc *leprosum* dictum volunt, vel à Parentibus & Majoribus leprosis, cum quibus laudatus *Dn. Sagittarius l. c. p.* 26. amice conspirat, vel quod ipse olim lepræ morbo laboraverit, à Christo vero postmo-

postmodum mirabiliter sanatus, gratitudinis quoddam Symbolum hac ipsa cœna Christo exhibuerit. Vid. *Gerhard. l.c. p.* 93. & *Joh. Himmel. Passional. Homil.* 11. *pag.* 171. Simonem hunc nostrum Lazari fuisse patrem commenti sunt *Theophyl. in Matth. cap.* 26. & *Nicephorus H. E. l.* 1. *cap.* 27. Sed fidem hæc patrum asserta hic vix invenient, præcipue quod *Nicephorum* attinet, habemus omnino compertum, quod exigua ejus fides sit, nisi dicta sua ex aliorum relatione sint comprobata; Conf. *Degor. Whear in Relect. Hist. Jo. Gottf. Olearius in Abaco Patrol. pag.* 319. Quam sententiam nostram videtur stabilire hæc ratio, quod Monachus fuerit in S. Sophiæ asceterio, vid. *Guil. Cave in Carthophyl. Eccles. pag.* 273. Monachos autem multos fidem non semper in historia præstare debitam, non ignotum est. Verisimile nobis videtur, Simonem hunc Lazarum vel cognatione, Mariam & Martham, sorores, attigisse, vel quod ipsius ædes Lazari ædibus his fuisse contiguas. Itaque hanc cœnam accesserunt Maria & Martha vel propter familiaritatem, vel propter affinitatem, vel propter vicinitatem. Diversus autem hic fuit à Simone, cujus *Luc.* 7: *vers.* 40. fit mentio; Quia hic fuit Pharisæus hypocrita; iste vero Christi discipulus atque fidelis: Bethaniæ habitavit, & optimo animo Christum recepit, omnique humanitatis genere coluit: Iste fuit ὁ λεπρὸς Capernaitanus, vel saltem Galilæus; hic λεπρὸς, quam rationem non immerito urget *Erasm. Schmidius in Annot. ad Matth. cap.* 26:6. *pag.* 341. Taceo circumstantias alias, quas prolixe enumerant nunquam satis laudandus *Gerhardus pag.* 47. *seq. Joh.* **Deutschmann** *in Homil. Passion. pag.* 27. & *Maldonatus ad Matth. f.* 534. 537.

§. 16. In hac domo Simonis, qui convivii hujus fuit hospes, Christus cœnavit, super mensa autem more Hebræis usitato discubuit. Num *medio*, num vero *dextro* loco, expedire est difficillimum. Si conjecturæ venia sit danda, dicerem, Christum *medio loco* fuisse constitutum: dextro quidem autoritatem quandam tributam olim fuisse ex locis nonnullis Script. S. edocemur. Ista vero cum restrictione quadam esse accipienda, facile videmus. Scilicet quando unus summo honore dignus cum altero dignitate dispare publice congrediebatur, ille certe dextrum occupabat locum, quando vero plures aderant personæ in conviviis, medius ei qui majori pollebat autoritate assignabatur locus. Hæc ego conjicio: quid de hac conjectura sit definiendum, brevibus forsan docebit *Ernestus Gerard. Siricius* in dissert. (quam promisit in *Schediasm. Hist. Rostoch.* 1685. publicato *de honorat. loco in congressibus*) *quis locus in conviviis dignissimo fuerit habitus.*

§. 17. Lazarus, cui Christus vitam iterum restituerat, unus erat è numero discumbentium, necnon Martha & Maria præsentes aderant, quæ valde erant occupatæ ac in curandis omnibus & administrandis admodum solicitæ, quo Christo ejusque discipulis optime inservirent. quod *Barradius in Concord. Evang. p.* 416. scribit, Martham noluisse ministerium hoc ancillis concedere, id nulla solida nititur ratione, cum adhuc dubium sit, an ancillis fuerit stipata. Contrarium potius evinci videtur posse; cum admodum fuerit pauper, nec in alendis ancillis sumtus impendere potuerit. *Sed quæri potest* (loquor cum Wolffg. Musculo, Comm. in Matth. cap. 26. pag. 544.) *an non alio pacto amicitiam suam & reverentiam erga illum declarare potuerint, quam isto convivii apparatu. Homines fuerunt, & humano more erga hominem Christum amoris affectum ostenderunt. Is est in mensæ communione potissimum situs, quæ symbolum habet amicitiæ. Et Christus pro sua humanitate hoc genus declarandæ amicitiæ non affectabat quidem, attamen non respuebat.* Et hoc convivium Bethaniæ parabatur, ab amicis scilicet Bethaniensibus, qui ceu *Nicol. Lyranus in h. l.* existimat *communi sumptu* cœnam hanc utpote lautiorem instruxerunt. Nulla ergo me adigit necessitas, ut affirmem, Christum duobus distinctis temporibus cum Bethaniensibus tum in domo *Simonis leprosi*, tum in domo *Lazari* cœnasse. Indefinite enim dicit Joh. l. c. Ἐποίησαν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ. Id quod non pauci interpretum suo confirmant calculo, ex quibus Clariss. Dn. *Sagittarium l. c. pag.* 24. qui judiciose veterum vestigia est secutus, placet audire: *Johannes nuspiam asserit in domo Lazari convivium instructum fuisse, sed indefinite dicit, Christo fecisse convivium: discipulos videlicet & amicos ejus, cumprimis vero Simonem: in cujus domo illud fuisse adornatum ex Matth. & Marco liquet: Nec quia Lazari fit mentio eundem cœnam instruxisse, est necessum, cum conviva instar adfuisse potuerit.* Nec dubium aliquod esse potest, quando *Joh. l. c.* sex ante Pascha diebus Christum Bethaniam venisse, atque ibidem convivio fuisse exceptum, memoret: *Matthæus* contra & *Marcus ll. cc.* referant unctionem Christi factam biduo ante Pascha in domo Simonis. Verumtamen si dicta hæc *Matth.* atque *Marci* excutiam, tanta non erit difficultas, quanta & speciosa quidem esse videtur: Quapropter cum *B. Gerhardo l. c. pag.* 79. & *Andr. Prücknero Vindic. Bibl. pag.* 275. respondeo, sanctos hos duumviros hic loci ὑστερολογίᾳ quadam esse usos: cum enim in antecedentibus pertractassent Pontificum decretum, quod callido dolo Christus sit capiendus & occidendus, non tamen festo, ne tumultus propterea orietur, ideo per digressionem quandam non inconcinnam exprimere voluerunt causam, quæ permoverit magnates, ut animum suum mutarent. Causa ista fuit perquam commoda, quam Judas ipsis sponte sua obtulit: Is enim ad eos accedens sub pacto triginta argenteorum recepit sancta fide, se magistrum suum sine labore multisque curis in manus ipsorum traditurum. Huic itaque historiæ de detestando proditionis scelere præmittunt Matthæus & Marcus unctionem Bethaniensem, utpote ex qua ostendi potest, quid nefarium hunc hominem ad tam horrendum scelus impulerit. Vel descriptio temporis apud *Matthæum* & *Marcum*, quod *biduo ante Pascha* hæc contigerit, nec spectat ad convivium Bethaniense ex occasione insertum; sed ad consilium Pontificum de Christo interficiendo & ad spontaneam Judæ oblationem, cui Historiæ addit *Matthæus* notam temporis τότε, tunc cum Christus discipulis dixisset, post biduum fore Pascha, *congregati sunt principes sacerdotum* vers. 3. *tunc etiam abiit unus ex duodecim ad Principes sacerdotum* vers. 14. quæ particula in descriptione unctionis Bethaniensis neque à Matthæo, nec à Marco observatur, sed Matthæus simpliciter ait: *Cum autem Jesus esset in Bethania*: Marcus eodem modo: *Cum esset Bethaniæ in domo Simonis*; ex quo non obscure colligitur, historiam unctionis quatriduo prius factam ab Evangelistis per ὑστερολογίαν repeti. Vid. *G. J. Vossius in Harm. Evang. pag.* 22.

§. 18. Manet ergo unum convivium, quod in domo Simonis leprosi Bethaniæ fuit celebratum: Sed dum Christus hic præsens est, ipsæ mulieres impigre omnia adornant, quo Christo charitatem adprobarent. Cum vero ritus iste, ut convivæ variis unguentis exciperentur, nondum abiisset in desuetudinem; ecce prompta quædam adest, quæ officio suo rite cupit defungi. Ista vero mulier à Matthæo & Marco γυνὴ indefinite dicitur, & à Johanne specialiter Μαρία salutatur, & quæ erat fidelis & diligens Christi μαθητεὶς, studiose audiens & observans verbum Dei, hæc etenim Luc. 10: 39. *quæ ad pedes Jesu sedisse* dicitur, magnoque & elogio, cum non tantopere ceu Martha laboriosa, ad rem familiarem intenta esset, *quodque optimam partem elegerit, quæ ei non possit auferri*, à Christo est affecta. *Lazari* insimul fuit soror, qui non ita pridem à Christo erat resuscitatus, cujus beneficia haud immemor sumptuosæ hoc unctionis officium grata mente voluit rependere.

§. 19. Scripturæ autem sacræ est contrarium, velle asserere hanc mulierem fuisse eandem, quæ Luc. 7. Christi pedes unxit & peccatrix appellatur. Quam sententiam plurimi ferme Patrum Græcorum tenent, *Irenæus scilicet, Origenes, Joh. Chrysostomus, Macarius, Theophylactus* & Latinorum ut *Tertullianus, Augustinus, Gregorius Magnus, Beda* aliique, quorum verborum copiam nobis fecit *Natalis Alexander Hist. Eccl. Sec.* 1. *P.* 11. *dissert.* 16. *p.* 110. *seqq.* Nec desunt ex recentioribus nonnulli, quibus idem perplacet assertum, ut *Card. Baronius Tom.* 1. *Annal. Eccles. p.* 126. *seqq. F. Toletus in Com. in Joh. pag.* 979. *Antonius Le Grand in Hist. Sac. pag.* 347. *Hug. Grotius in Annot. ad Matth. p.* 438. *Bald. Walæus in Annotat. ad N. T. pag.* 289. Quam vero sententiam admodum infirmam esse & vacillantem facile videmus. Illa enim apud Lucam peccatrix erat sat celebris & cujus pessimum scortationis vitium ipsi pueri in plateis noverant; hæc vero integritatis laude & pietatis conspicua magnis à Christo commendabatur modis. Illa fuit Galilæa, hæc vero fuit Judæa. Illa soror Lazari, Scriptura teste, hæc vero non affinitate, vel sanguine ipsi erat juncta. Quod non temere ab Evangelista factum fuisse verisimile est; ne videlicet propter ὁμωνυμίαν confunderetur cum *Mariis aliis*, cum *Maria* puta matre Jesu: cum Maria Cleopha, cum Maria Magdalena. Leg. *Christoph. Pelargus in Com. Joh. p.* 119. Nos S. Historiæ inhæremus, quæ eam *Sororem* Lazari appellat; *hanc vero peccatricem* nominat. Prolixi hac in re sunt *B. Gerhardus l. c. p.* 98. *seq. & Is. Casaubonus in Exercitat.* 14. *Anti-Bar. pag.* 293. quos exscribere nolumus.

§. 20. Quis ergo non videt *Lucam* Evangelistam c. 7. non agere hic de Unctura Christi, quæ Bethaniæ est peracta, ut *Vossius l. c.*

l. c. pag. 22. autumat, sed de alia longe diversa unctura? Quod ex hactenus jam disputatis ad oculum est ostensum.

§. 21. Hactenus egi de loco & muliere ungente, nunc ordine ita postulante ad ipsam uncturam & primo quidem ad vasculum, in quo unguentum erat reconditum, progredior. Appellatur autem istud Alabastrum, quod à nonnullis deducitur vel παρὰ τὸ μὴ λαμβάνεσθαι, vel, ut loquitur *Methodius apud Etymol.* ἐ λαβέσθαι διὰ λειότητα ἀδύνατον, quod prehendere ob lævorem & lubricitatem sit impossibile: vel τὸ μὴ λαβὰς ἔχειν quod ansas, prehensiones non habeat; sed potius longitudinem fastigiatam, *Scholiastes* hinc *Aristophanis*: ἀλάβαστρον, τὸ μύρυ τὸ ἀγγεῖον λίθινον, λαβὰς οὐκ ἔχον. *Alabaster, vel Alabastrum, est vas unguenti lapideum, quod nullam habet ansam.* Et ita Alabastrum denotat vel *ipsum lapidem*, vel etiam *vas ipsum unguentarium.* Prius voco *Naturale* propter *materiam* scilicet, quam habet *physicam*, posterius *artificiale*, propter formam accidentariam, *artificialem* puta ab ipso Artifice superadditam: Cum enim vasa ista unguentaria primum ex lapide essent confecta, postmodum etiam ex ligno, auro, argento &c. factum omnino est, ut nomen fuerit retentum, mutata saltim materia, in quam rem inclinat *Jo. Maldonatus in Matth. p.* 438. *Credo*, inquit, *esse probabile ex alia fragili materia fuisse vas factum, sed alabastrum appellatum, aut quia ex alabastro unguentaria vasa fieri solebant, ita ut etiamsi ex alia materia aliquando fieret alabastrum, dicerentur, aut quia erat forma, ut ansa carerent, qualibus etiam nunc myropolas & pharmacopolas uti videmus.* Horum autem unguentariorum materia ut plurimum erat lapis *Onyx*, quem alii & *Alabastritem* vocant, præclare in rem nostram *Plinius H. N. l.* 36. *c.* 8. Hunc (*Onychem*) scribit, *aliqui lapidem Alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime ea servare incorrupta dicitur, tum ob puritatem, quia lapides purissimi sunt; tum ob duritiem, ne odor unguenti facile exspiret, neve aër, causa corruptionis; subintret, tum ob frigiditatem, ut hæc calorem aromaticorum unguentorum quodammodo attemperare possit.*

§. 22. Quapropter vasculum nostrum unguentarium, quo mulier ungens est usa, erit lapideum: Nec est cur cum *Epiphanio in Lib. de Mensur. & Ponder. f.* 418. urceolum vitreum aut vasculum quoddam vitreum statuam. *Alabastrum unguenti*, ait, *vasculum est vitreum capiens libram olei: Mensura vero est sextarii dimidii, alabastrum autem appellatum est propter fragilitatem*, cujus partes & Dn. *Sagittarius l. c. p.* 22. tuetur. Sententiæ vero huic, qua dixi fuisse lapideum, non obstat sacer textus, Marc. 14: 3. *& fracto alabastro effudit super caput ejus*, cum scilicet lapides adeo facilius frangi & conteri non possint; attamen (verba *Gerhardi* sunt *in Harm. l. c. p.* 117.) *confregit non in partes minutissimas, sed quod cum angusti illud esset oris, in summitate particulam discerpsit, ut commodius totum effundi posset.* Plura legi possunt apud Criticos, qui de materia hac admodum difficili sunt commentati, ut *Petr. Ciaccon. in Tr. de Triclinio p.* 269. *seqq.* ubi & figuras aliaque non injucunda exhibet, ut & *Guil. Stuckium in Antiquit. Convival. l.* 3. *c.* 15. Vasculum istud unguentarium Constantinum Magnum olim fuisse indeptum ac Constantinopoli in parte inferiore fori, una cum aliis monumentis reservatum, sed à Theodosio Magno sublatum, Suidas commentus est. Sed apud Eusebium de eo nihil extat.

§. 23. Viso *vasculo*, ipsum unguentum intimius paululum perpendam; Describitur autem istud varie ab Evangelistis, Matthæus illud vocat μύρον βαρύτιμον, *unguentum pretiosum, ponderosum*, Marcus μύρον νάρδυ πιστικῆς πολυτελῦς & Johan. μύρον νάρδυ πιστικῆς πολυτίμυ, *unguentum nardi pisticæ pretiosæ.* De qua *pistica Nardo* mihi nunc quidem cum philologis atque grammaticis, qui in indaganda vocum origine perquam studiosi reperiuntur, esset decertandum definiendumque, quid vocula πιστικῆς hic loci significet, & quinam genuinus inde ac justus emergat sensus. Sed cum cognoverim, *Dn. M. Balthas. Ottium, in pec. Diatr. Lips.* 1673. *de nardo pistica* haud infelici successu hæc omnia pertractasse, variisque ex Veterum, pariter & recentiorum scriptorum membranis collectis opinionibus, non ineruditа quæque protulisse, instituti maxime vetat ratio, ut hoc in negotio oppido sim prolixus, crambemque bis coctam, ceu in proverbio est, iterum magno Lectoris tædio apponam. Brevitatem ergo sectabor & posthabita multæ interpretationis relatione verum verborum sensum indicabo.

§. 24. Quod nunc Matthæo unguentum hoc generaliter describenti μύρον βαρύτιμον, unguentum (non solum propter unctam personam, Christum, sed etiam propter efficaciam ingentem) pretiosum dicitur, id reliquum par Evangelistarum νάρδον πιστικὴν appellicant. Est autem *Nardus*, prout naturam hujus exprimit *Theodoretus in Cap. IV. Cant. p.* 1050. *edit. Paris.* 1641. *aromatis genus odoratum, unde oleum fit ejusdem nominis, idem quoque calidum & corporum curationibus accommodatum.* Abundat autem præsertim in Syria & ex India Orientali per Erythræum mare sursum venit in Ormuz Aden & alia ibidem emporia, è quibus deinde in vicinam Syriam; conf. *Hoffmann. de Medicam. Officin.* 157. *p.* 467. *à Dieterico in Antiq. N. T. p.* 33. citatus, quod ex pluribus locis *Plinii Historia Naturalis* confirmari posset atque illustrari, nec certe abludit *Tibullus*, scribens *jam dudum Tyrio madefactus tempora Nardo.* De *Nardi* generibus, *Indico* uno, altero *Syriaco* videndus est perantiquus Medicus, *Pedanius Dioscorides Anazarbeus l.* 1. *c.* 6. *p. m.* 6, 7. plura autem *Nardi* genera recensuit *Ælius Medicus Græcus in libris suis Medicinæ univers. per Janum Cornavium Latine conscriptis edit. Basil.* 1549. passim. Hanc vero Nardum tanquam unguentum summe pretiosum, uti Veteres adhibere solebant, quod ex *Cant.* 1: 12. *Plinii & Jac. Dalechampii in cit. Aut. observationibus* nec obscure colligitur, ita & Mulier Christum mensæ accumbentem nardo ungebat, nardo dico.

§. 25. Πιστικῆ. Ubi certe omnes repetere nolo controversias, quas ab eruditis circa vocem hanc olim fuisse mota sum edoctus, exhibuit eas laudatus *Ottius*, quæque suo ingenio non accommodatæ esse videntur, refutavit. Descendit ergo hæc vox Græca πιστικῆ non à πειθέω, ut *Hieron. in c.* 16. *Matthæi* cum *Suicero in Thes. p.* 391. aliisque probatur, sed ἀπὸ τῆς πίστεως, quasi fidelem nardum dicas, hoc est probatum bonæque notæ ac fidei, quod haud futiliter Dn. *Ottius*, non minus rationibus, quam bonorum autorum testimonio stabilivit, quem sensum insimul *Raccovienses* intendunt, qui in Versione N. T. A. 1630. edit. apud *Dieter. l. c. pag.* 122. ita reddiderunt: Da er zu Tische lage/ kam ein Weib/ das hatte ein Alabaster mit flissender sehr köstlicher Narden-Salbe/ & Lutheri versionem non possum non hic loci amplecti & venerari; quando ita loquitur, mit ungefälschtem und köstlichem Narden-Wasser/ scilicet, ut *cit. Dietericus l. c.* commentatur, à Seplasariis non adulteratam, pisticam, id est, fidelem. Plura de hoc unguento suppeditant *Dan. Heinsius in Exercit. Sacris pag.* 233. & quamplurimi in alleg. dissert. nominati scriptores, quibus adde *Suicerum, Dietericum ll. cc. C. Sagittarium in Harm. Pass. Chr. pag.* 19. *seqq. Jo. Henningium in Archæol. Passion. pag.* 38. *P. Ciaccon. in Tr. de Triclinio passim, G. Crauserum in Phosphoro voce Nardus.*

§. 26. Quantum unguenti hujus nardini in corpus Christi Maria effuderit, id Johannes voce λίτρα declarat. Est autem λίτρα idem quod Latinis *libra*, mensuræ nomen & ponderis, duodecim juxta *C. Sagitt. l. c.* continentis uncias: & quia uncia octo drachmis constat, ideo λίτρα erit drachmarum sex & nonaginta. *Isidoro* libra dicitur, quod sit libera & cuncta in se pondera concludat, abs qua scribitur *libripens*, qui in mancipationibus libram sive stateram tenebat pendendo, hoc est ponderando, vid. *Joh. Fungerus in Lex. Etymol. p.* 426.

§. 27. Ejusmodi nunc λίτραν unguenti affert mulier hæc pientissima, ut Christum suum ornare possit atque honorare. Effudit vero unguentum supra caput Christi, ut Matthæus & Marcus scribunt, & pedes, juxta Joh. 12: 3. Vas etiam confregit, & ita pedes, caput solumque corpus inunxit, ita ut totum ædificium amœno odoratu plenum fuerit redditum. Qua certe unctura physica juxta & mystica rite declaravit suum officium ostenditque se perpetuam Christi esse ministram, nihilque reperiri posse præstans aut excellens, quod non Christi merita exæquent longe atque superent. Fecit tamen optima optime quod potuit, propterea & omne tulit punctum, laudisque præconia à sera posteritate reportavit.

§. 28. Quo ipso insimul statim quilibet subodorari potest vix ac ne vix discipulorum Christi patrocinium esse suscipiendum, qui obmurmurantes exprobrarunt mulieri, quod tam laute tamque pretiose Christum exceperit; Cum ipse unctus Christus ungentem mulierem contra homines perversos mascule defenderit, graviter loquens: ἔργον καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. Imo non ex luxu sed ex usu factam fuisse, egregie ostenderunt *Joh. Gerh. l. c. p.* 115. *seq. & Is. Casaubonus in Exercitat. Anti-Bar. Exercitat.* 14. *num.* 26. *p.* 243.

§. 29. Quod itaque ad usum Veterum attinet unguentorum, quibus in conviviis uti consueverant, pauca quædam ex veneranda antiquitate essent delibanda, quæ non inutiliter dicta nostra clariora præstantioraque efficere potuissent; Attamen cum ea de re, si Deus vires concesserit atque fautores, alio tempore nonnulla tradere constitutum habeam, hic silere malo.

§. 30. Hæ ergo meditationes ſunt iſtæ, quas hoc tempore, ut dicitur, Paſſionali, de Unctura Chriſti proferre literisque conſignare potui. Etſi libens confiteor atque volens, me non eo præditum fuiſſe ingenio, neque iis inſtructum doctrinæ ſubſidiis, ut dignum aliquid eruditione laudeque præſtiterim, conatus tamen aliquando in parte laudis ponetur, meque facile tenuitatis meæ conſcium excuſabit. Maximo vero rerum noſtrarum moderatori pro viribus benigne collatis devotas nuncupo gratias atque ut ſtudia mea votaque etiam atque etiam ſibi habeat commendata, indefeſſis precibus oro atque contendo: Interea pio illo diſticho, quod in frontiſpicio *Comment. in Matth. Wolff. Muſculi* legitur, diſſertationi huic finem impono feliciſſimum.

JOH. ANDR. QUENSTEDT DISSERTATIO

De Deprecatione Calicis CHRISTI ad Matth. 26: 36.-44. Marc. 14: 32.-41. Luc. 22: 40.-44.

ARGUMENTUM.

In maledictionis & damnationis torculari coërcitus horrendo amplexu concluſusque hominum cauſa JESUS *ineffabili* METU & ANGORE *percellitur: paſſionis* CALICEM, *imo torrentem iræ divinæ tribus vicibus magna contentione* DEPRECATUR: *Sed & tantopere premitur, ut* SANGUINEUM SUDOREM *largiter profunderet*, angelo *interim luctantem* confortante.

THEOREMATA.

I.



JESUM in horto ad radices montis oliveti ſito, corpore & animo vere exhorruiſſe, & angorem ſine exemplo maximum perſenſiſſe; verba Evangeliſtarum emphatica, & vox ipſius Jeſu querula affatim teſtantur.

HYPOMNEMATA.

§. 1. Exorditur JESUS paſſionem ſuam in horto, (a) in horto quoque finit (Joh. 19: 41.) ſcilicet *conveniens erat, ut ibi funderetur ſanguis medici ubi primum cœperat morbus ægroti*, inquit *Aug.* Serm. 71. de tempore Hortus ille conterminus prædio *Gethſemane* ad radices montis oliveti ſito, rupi cuidam concavæ adhærens. Vide *Hieron. in lib.* de Locis Hebr. Lit. G. & *Adrichom. in Theat. Terræ S.* in deſcr. Hieroſ. n. 187. 188. Prædium ſine dubio illud ipſum eſt, in quod antehac Chriſtus divertebat, Luc. 21: 37. Joh. 18: 1. Hinc & Judæ proditori locus dicitur fuiſſe notus. Si interpreteris vocem, à (גת שמן) torculari olei & vinei dictam deprehendes. Expendendo appellationem redimus in memoriam vaticinii Eſa. c. 63: 3. illudque Jeſum hoc loco impleviſſe intelligimus, quando per paſſionis torcular verum divinæ miſericordiæ oleum expreſſit. Tanti momenti rem noluit remotis quaſi arbitris conficere. Aſſumit Petrum filiosque Zebedæi Jacobum & Johannem, reliquis octo diſcipulis in horti veſtibulo καθίζειν i. e. non tam ſedere, quam præſtolari juſſis. Similem verbi ſignificationem Luc. 24: 49. Act. 18: 11. alibi, obſervare licet. Tres illos propius ſibi jungit propter *majorem* ſive *præſumtionem*, quæ in ipſorum cordibus latitabat, vide Matth. 20: 22. 26: 33, 35. ſive *dilectionem*, quæ ex Johannis periphraſi Joh. c. 13: 19, 20, 21. & nova nominum impoſitione colligitur. Simonem vocavit *Petrum* Marc. 3: 16. Jacobum & Johannem Βοανεργὲς vſ. 17. (Nova Anglicana & Æg. Gutb. N. Teſt. Syr. edition. legunt ܒܢܝ ܪܓܫ Bnai regeſch, cui reſpondet Ebr. בני רעם quod ita Syrus ܒܢܝ ܪܥܡܐ Bnai Raamo *Filios tonitru.* רגש à רגש tumultuari, frequentem conventum *Hebrais*, tumultum, fremitum, tonitru, *Syris notat.*) Vel denique propter *majorem majeſtatis ſuæ revelationem*, quæ in monte Tabor Matth. 17: 1. & domo principis Synagogæ Marc. 5: 37. ipſis contigit. Quibus ergo cœleſtis gaudii guſtum exhibuerat, iisdem nunc ſpecimen *guſtus inferni* (ut loquitur Gerh.) *præbet*: quique erant ſpectatores gloriæ atque majeſtatis Chriſti, iidem graviſſimæ agoniæ & infirmitatis humanæ teſtes eſſe ſuasque preces precibus Chriſti jungere debebant.

(a) *Juxta Sethum Calv. A. M.* 3982. *A. Æ. C.* 33. *Menſ. Apr. d.* 3.

§. 2. Diſcipulis ita informatis, ſolus luctam aggreditur. Sed & mox incipit contriſtari, affici dolore & mœſtitudine, expaveſcere & angi. Evangeliſtarum verba perquam ſunt emphatica. Ἤρξατο, inquiunt, λυπεῖσθαι, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Proponitur hic ἐκθαμβήσεως & ἀδημονίας συνδρομή, inexplicabile angoris ſpectaculum. Ἐκθάμβησιν & ἀδημονίαν λύπη antegreditur & comitatur. Signat *ea* ſummam animi ægritudinem, dolorem & moleſtiam apud Scriptores ſacros & profanos. *Socrates* apud *Platonem in Cratylo* ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος derivat λύπην, *Chryſippus* apud *Cic.* qſ. λύσιν dictam cenſet. *Etymologus* παρὰ τὸ λύειν εἰς δάκρυα τοὺς ὦπας deducit, quod in lacrymas ſolvat oculos. *Scaliger* Exerc. 316. vocat occupationem & depreſſionem animi poſt perceptionem mali. *Jobi* dolor vehementer auctus magno ſtupore amicos obruit Job. 2: 13. in Filio Dei ægritudo fuit & moleſtia longe gravior, cum qua nec *Davidis*, etiamſi graviſſime lugentis, λύπη illa 2 Sam. 19: 2. contendenda eſt. Cum ex oliveti monte deſcenderet Ieſus ante quatriduum, & anxietatem poſtea ibi tolerandam animo agitaret, inter medias populi acclamationes dicit: anima mea τετάρακται vehementer commota, angore, triſtitia ac timore nunc perculſa eſt, & quid dicam? Johan. 12: 27. Conf. B. Gerhard. Harm. in lib. cit. pag. 191. b. ſeqq. Baptiſm. (*ſanguinis*) habeo baptizari, inquit apud Luc. 12: 50. καὶ πῶς συνέχομαι, & quomodo comprimor triſtitia, conſtringor, in anguſtias redigor, coarctor, donec perficiatur. C. 21: 25. & 2 Cor. 2: 4. συνοχὴ itidem pro animi anguſtia uſurpatur. Eſtque alias ἀπὸ πλατέος εἰς στενὸν σύμπτωσις, κλεισοῦρα, στενότης, coarctatio, in anguſtum contractio, clauſura, juxta *Euſtathium* Archiepiſc. Theſſalon. in Comm. ad Il. ψ. Si ad memoriam futuri certaminis tantopere perturbatus fuit & coanguſtatus Salvator, quanto vehe-

vehementiorem credemus fuisse περιοχὴν & συνοχὴν in tremendo conflictu ipso? Ubi præterea concursus ἐκθαμβήσεως & ἀδημονίας.

§. 3. *Plutarcho* in Pericle θάμβος stuporem & pavorem denotat. *Aliis* est animi affectio ex admiratione & timore inopinati casus mixta: quomodo reddi potest, attonita admiratio, vel stupor, quo attoniti percellimur. Vid. H. *Stephanum* & *Scap.* in hac voce. In *Etymol. Magno* Veneto deducitur à θάπος, quod ipsum descendit à θάπτω parem cum ἐκθαμβέω quibusdam in locis significationem obtinente. *Eustathio* (Scholiastæ Homeri) est ex θέα & ἐμβιβάζεσθαι, ita ut sit ἡ διὰ θέας ἐμβιβαζομένη ἔκπληξις εἰς τὴν ψυχὴν, per aspectationem animum invadens & occupans concussio. θαμβέω i. e. stupore attonito paveo, vel pavore attonito obstupesco, admiratione attonita stupeo; & transitive, attonito stupore percello; apud LXX. respondet Radicibus בעת perterruit, cujus Niph. נבעת territus, conturbatus fuit, חפז contremuit, רגז pavore commotus fuit, פלץ cujus Hithp. התפלץ formidavit. Accedente Præpos. ἐκ in compositione (quod observat D. *Gerhard.* in Harm. pass.) significatio augetur, ita ut ἐκθαμβεῖσθαι sit toto corpore & animo cohorrescere, (nam crebro passiva Græcorum reddimus per neutra Latinorum, aut contra. vid. *Clenard.* Medit. Græcan. p. m. 278.) attonito stupore percelli, pavore exterreri. Id quod in subitis magnisque consternationibus, in febrium horribilium accessu evenire solet, quibus omnes articulos perreptantibus, membra concutiuntur singula atque horrent. *Vulgatus* rotunde exprimit, *pavere*, *Megalander noster*, Zittern / effectum pro causa subinnuens. *Tremor & horror*, inquit Scaliger Exerc. 312. *corporis affectus sunt ex affectibus animi pendentes.* Alibi vero, ubi affectus ille mixtus locum habet in objecti improvisi vel insoliti conspectu, sich entsetzen / ut Marc. 16: 5, 6. de mulieribus ad angeli conspectum attonitis, cap. 9: 15. de turba ad conspectum Christi obstupescente. Sic voce ἐκθαμβήσεως indicere vult horrorem, stuporem & angorem ineffabilem *Syracid.* cap. 30: 9. Quando igitur Christum cum iræ Dei pavoribus, ignitis Satanæ spiculis, horribilibus tentationibus & ipsa infernali morte deglutienda luctantem ἐκθαμβηθῆναι legimus, cogitandum, ipsum *animi turbatione, distractione, penitissima omnium virium concussione secundum humanam naturam exhorruisse, trepidasse, pavore ineffabili attonitum obstupuisse totum.*

§. 4. Ἀδημονέω *Pasori* cum quibusdam aliis videtur compositum ex α priv. & δῆμος, q. externus sum, & more attonitorum ac mœrentium extra populi consortium dego. Nonnulli deducunt ab ἀδεῖν, tædio, fastidio affici, proprie præ defatigatione, quod ipsum ab ἄδην esse putant, cujus significatio ex hoc *Platonis* in *Charmide*: τούτων ἄδην ἔχομεν de iis satis superque, intelligitur. ab alterutro derivatur ἄδος satietas, tædium satietatem sequens, sive fastidium. A Præter. pass. formatur nomen, etsi inusitatum, ἀδήμων, demum ἀδημονεῖν, nimia dolorum satietate fatiscere, ex fastidio vel horrore collabi animo & angi: alias terreri, pavescere. *Synonyma* ejus inter alia sunt ἀλύω animo concido, langueo præ consilii inopia & mœrore, errabunda incertaque mente afficior, impotenti consilio, mœrore confectus, & ob id inquietus oberro, uti explicat *Budæus* Comm. Gr. Ling. pag. 25. ἀπορέω ad angustias detrusus inexplicabiliter hæsito. Hoc sensu vox ἀπορία adhibetur Luc. 21: 25. συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, *Vatabl.* coarctatio gentium præ perplexitate: ἀμηχανέω inops sum consilii & mentis, anxius, perplexus sum. Conf. *Eym. M.* Ven. *Feder. Turrisani.* Hinc non abs re ἀδημονεῖν redditur *gravissime angi, expavescere horribiliter, præ mœrore animo concidere, pene exanimari ac deficere præ dolore, supra modum ægrescere.* Præter nostrum Matthæi & Marci Locum, saltem ἀδημονῶν Participium reperitur à S. Paulo de Epaphrodito ad mortem usque infirmo usurpatum Philipp. 2: 26. Huc referri potest illud *Xenophontis*, l. 4. Hist. quo τὰς ψυχὰς ἀδημονῆσαι graviſsime angi vel pene exanimari præ dolore, dicit; & ἀδημονία ψυχῆς apud *Plutarch. in Numa*, æger animus, ceu *Budæus* vertit, vel, animi concisio, anxietas atque mœror ingens. Ἀδήμονες *Hippocrati* sunt conflictati morbo aliquo desperato. *Syrus* habet ܠܡܥܩܬܐ ܫܪܝ (infinit. Conj. I. pass. *Eth. peel*, à R. ܥܩܐ עק pressit, anxius fuit, *Arab.* impedivit, distinuit, *Hebr.* in Hiph. העיק pressit, arctavit, in *Ethpe.* quoniam est verbum quiesc. *EeWau*, ܬ in nota charact. geminatur ܐܬܬܥܝܩ doluit, Col. 3: 21. item distæduit, &c. per ܡ præfixum formatur infinitivus ordinarie, h. l. ad form. ܡܬܬܥܩܘ, ne vero in Nomen aut Generundium degeneret, sed Infinitivi vim obtineat, ܠ præfigitur, *coarctari*, *angustia premi*, *contristari*, *anxium esse*. *Dietenbergius* minus apposite ponit verdrießlich zu werden / rectius B. *Luth.* zagen. Conf. B. Gerh. l. c. & D. Dorsch. Th. Zach. P. 1. c. 9. §. 271. seqq.

§. 5. Ex hujus λύπης, ἐκθαμβήσεως & ἀδημονίας horrendo conflictu colligere in proclivi est, tristitiam, pavorem & angorem, quem in agonia Christus vere pertulit, ineffabilem esse, quin & incomprehensibilem. Nec eludi potest ejus vehementia & atrocitas ex eo, quod in Textu præmittitur ἤρξατο cæpit contristari, quasi tantum initium & gustum habuisset mœstitiæ. Repugnat violenta hæc explicatio maxime emphaticis Euangelistarum verbis excellentiſsimum tristitiæ & angoris gradum inferentibus, repugnat Christo de summa mœstitudine conquerenti, rei ipsi, eventui denique, de quo postea. Quapropter non audiendus hic *Origenes*, quando Tract. 35. in Matthæum scribit: *Cœpit pavere vel tristari nihil amplius tristitiæ vel pavoris patiens, nisi principium tantum. Nec enim scriptum* est, quia expavit, vel *tristatus est, sed cœpit pavere & tristari*: nec *Hieronymus* cum sua distinctione inter προπάθειαν & πάθος in cap. 26. Matth. ubi ita: *Vere Dominus contristatus est, sed ne passio animo illius dominaretur*, per *propassionem cœpit contristari. Aliud est enim contristari, & aliud, incipere contristari.* Eandem dist. *Thomas* qq. repetit P. 3. q. 15. art. 6. sed fatetur ipse *Maldonatus* Comm. in Matth. 26. & *Vasquez* in 3. P. *Thomæ* disp. 62. pag. 656. dist. illam hic impertinentem esse. Scilicet cum antea mœstus non esset, *non* fortuito aut *conditionis necessitate*, *sed* antequam sacrilegæ ipsi injicerentur manus, *miserationis voluntate*, ut loquitur *Aug.* in Psalm. 87. sponte & liberrima œconomia, absque omni tamen rebellione, murmuratione & affectuum ἀταξίᾳ suscepit ac vere sustinuit angorem, metum & tristitiam, eamque non tantum initialem, sed talem atque tantam, *quæ proportionata* (ita Gabr. Biel. loquitur) *esset magnitudini fructus inde secuturi*, quæque duraret eousque, donec morte jamjam imminente clamaret in cruce Dominus, *consummatum est.* Joh. 19: 30.

§. 6. Testatur de maximo angore suo Jesus ipse, quando flebili voce queritur: περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου, *tristis est anima mea usque ad mortem.* Tristitiæ hujus veritatem atque magnitudinem evincit ipsius textus evidentia. Agit enim de tali tristitia, quæ antecedit atque comitatur motus vehementiſsimos ἐκθάμβησιν & ἀδημονίαν; *præterea* usus vocabuli in sacris & profanis. Marc. 6: vs. 26. legitur de Herode maximopere turbato atque contristato, quod præter omnem expectationem caput Joh. Baptistæ filia petiisset. Et Luc. 18. de divite, qui magno affectus mœrore fuit, cum aut divitiis aut cœlorum regno carendum sibi esse, ex Christo audivisset. Περίλυπος *Isocrati ad Demonic.* est summopere dolens, ἐπὶ εὐτυχῶν, inquit, ἔσῃ περιχαρὴς, ἐπὶ δυστυχῶν περίλυπος. In eandem sententiam *Plutarch. Chæronens.* lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς p. m. 31. b. scribit: τὸ δὲ μέγιστον, μήτε ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς, μήτε ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν, *maximum vero illud, ut neque rebus secundis nimium lætemur, neque adversis mœreamus*, interpret. *Franc. Fabricio Marcodurano. Aristot.* l. 4. Eth. c. 3. μεγαλόψυχον negat esse περίλυπον h. e. *nimio angore & tristitia percelli.* Conqueritur ergo Christus *animam* περίλυπον *undiquaque tristem, mœrore circumdatam, obsessam atque circumvallatam esse*, & quidem ἕως θανάτου *usque ad mortem*, extensive scil. & intensive. *Extensive*, (ita Veteres locutos esse, D. Gerh. in Harm. Euang. ad h. l. memorat,) quoniam summa illa animi tristitia atque dolor usque ad ultimum in morte suspirium duravit. Hoc sensu occurrit ἄχρι θανάτου Apoc. 2: 10. *Intensive*, quia fuit tristitia mortifera, dolorque ipsa morte durior & acerbior, per illud h. l. mensuratus, quod à mortalibus omnium terribilium censetur esse terribiliſsimum, qualem si φιλάνθρωπος saltem degustaret, mortem illico oppeteret.

§. 7. *Subjectum quo* περιλυπίας, dolorosæ, maximæ atque summæ hujus tristitiæ constituit Salvator non divinitatem suam, sed *animam.* Utut illa carni patienti & animæ conturbatæ personaliter unita manserit in media quoque morte, passioni robur atque pondus addens. *Animam* dico, pro omnibus suis facultatibus, h. e. *ratione inferiore*, ut vocant, *seu appetitu sensitivo*, & *ratione superiore s. appetitu rationali*, supponentem. Idque ob profundiſsimam Jesu κένωσιν, qua in assumpto semine Abrahæ, sive, in assumpta & exinanita humana natura fratribus κατὰ πάντα, excepto peccato, est assimilatus. Nam ex hoc, quod ipsi contigit tentatum esse, potest & iis, qui tentantur, auxiliari, Hebræor. 2: 17, 18. Vexamur sæpius

 graviſsi-

gravissimis conscientiæ morsibus, maxime secundum superiorem mentis facultatem. In his compati nobis non posset, nisi & iisdem tentatus fuisset atque contristatus. Quia quæ sunt extra ὁμοίωσιν illam, pro iis non est ille Medicus. *Adhæc*, secundum utramque animæ partem peccato commaculati fuimus, secundum utramque intolerabili tristitia & angore nullis seculis terminando eramus mansuri: ut ergo Christus expiaret, quæ admiseramus, ut nos redimeret, secundum utramque etiam mentis facultatem contristari voluit. Conf. D. *Dorsch.* Th. Zach. P. I. c. VIII. §. 175. *Pontificii & Scholastici* nonnulli existimant, *in inferiore tantum animæ parte tristitiam illam fuisse, sed superiorem animæ partem maximæ lætitiæ luce ex conspectu divinæ essentiæ fuisse perfusam*, sive, *insensitivo quidem appetitu fuisse maximam tristitiam, sed voluntatem Christi sive appetitum rationalem beatifico gaudio fuisse plenum.* Ita *Thomas Aquinas* Part. III. quæst. 46. artic. 7. ubi distinguit inter totam animam ratione suæ essentiæ, & totam animam secundum omnes potentias ejus: *ibi* totam Christi animam dicit passam esse, *hic* secundum vires inferiores. *Bellarm.* lib. de anima Christi cap. 8. & lib. 2. de Verb. VII. Dominic. c. I. p. 123. *Fevardentius* Dial. 1. (qui in not. ad h. l. pessime calumniatur, nos à *Valentinianis* agoniam didicisse, qui ad *Æonas* suos illam transtulerunt), aliique. Potissimum eorum fundamentum est, quod tristitia in partem rationis Jesu superiorem recepta repugnet perfectioni & sanctitati unionis personalis, ex qua resultet nunquam & nuspiam interrupta Dei visio in superiore animæ Jesu parte. Ast, *humanam Christi naturam per assumptionem à λόγῳ ad nunquam & nusquam interruptam Dei visionem pervenisse*, non solum est ἄγραφον, sed &, ob statum κενώσεως, ἀντίγραφον. Vid. D. *Feuerborn.* in *Kenosigraphia & Sciagraphia*; *Præterea*, uti nec ipsa profundissima κένωσις & suppliciorum corporalium perpesso inconveniens fuit unioni personali, ita nec dolorum internorum & spiritualium sensus in sanctissima Christi anima eidem repugnat. *Absentavit se passione divinitas*, inquit *Arnoldus Carnotens.* tract. de verbo Domini in Cruce, Bibl. Patr. Parisi. T. 1. *Ambrosius* in Luc. 10. *sequestrationem delectationis divinitatis æternæ* vocat. *Insuper* testes de domo contra hanc, qua tristitia Jesu in sola parte animæ inferiore terminata fingitur, fabulam *Dorscheus* l. c. laudat, *Scotum* nempe, *Orbellium*, *Simon. de Cassia*, *Thomam de Argentina*, & alios, qui eam refellunt, superiore etiam animæ rationalis facultate Dominum sensisse tristitiam, asserentes.

§. 8. *Propriam* & adæquatam tristitiæ hujus causam breviter, sed dilucide ac nervose exponit *Magnificus* D. D. PRÆSES, *Gamaliel* meus sanctissime observandus, in *Observationibus in Dicta* N. Ti *principaliora & difficiliora* ad h. l. „ *cum tristitiæ*, inquiens, causa generatim esse soleat mali „ præsentis sensus, vel futuri metus, vel utrumque, dicimus „ in sanctissima *Christi* anima ortam & excitatam esse illam „ ineffabilem mœstitiam non tam ex cogitatione imminentis „ ac appropinquantis ignominiosissimæ & acerbissimæ mortis „ crucis, quam à consideratione & sensu iræ divinæ adversus „ peccata totius mundi, quæ filius Dei per passionem & mor- „ tem suam expianda susceperat. Quo de plura in sequentibus, ubi intelligetur, περίλυπον ἕως θανάτου, ἐκθάμβησιν & ἀδημονίαν illam ex dolorum spiritualium & infernalium sensu, adeoque & absentia fruitionis visionis beatificæ, ortam esse.

II. Persusus horrore tanto & pressus anxietate Jesus, mortem non solum temporalem, sed & angoribus internis & horroribus infernalibus implicatam vere metuit, atque ex hoc metu calicem, in quo ira divinæ pœnis maxime horrendis ac plane infernalibus adversus omnium hominum peccata sævientis torrens ipsi offerebatur hauriendus, à Patre hac conditione, si fieri possit, sique velit ille, tribus vicibus supplex deprecatur, salvo interim proposito officiali.

§. 1. SUmma precum hæc est: *Abba, Pater mi, si vis, & si possibile est, omnia autem Tibi possibilia sunt, transeat à me calix iste, transfer poculum hoc à me, veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua.* In hoc gravissimo ac horroris pleno actu considerandus *primum* παραιτητὴς, sive *Subjectum deprecans*, estque *Filius DEI* ἔνσαρκος, *Jesus* θεάνθρωπος. Tota θεανθρώπου persona deprecatur calicem, sed juxta naturæ humanæ proprietatem. Christus assimilatus est fratribus per omnia, extra peccatum, ut possit affici sensu infirmitatum nostrarum Ebr. 2: 17, 18. 4: 15. Quin & vere languores nostros ipse tulit, &c. Esai. 53: 4, 5. quem Locum & Matth. c. 8: 17. & Petrus 1. ep. 2: 24. de Christo interpretantur eique applicant. At vero inter infirmitates nostras & peccatorum pœnas refertur horror mortis, quæ præter animæ à corpore dissolutionem omnibus per Mediatorem cum Deo nondum reconciliatis æternæ mortis initium est. Igitur & hac infirmitate tentari Christus voluit, utut sine peccati labe. Ea, ceu actus exinanitionis, naturæ divinæ non conveniebat. Humana namque tantum deteriorationis capax est. Hinc & infirmitatis hujus sensus ad eam proprie refertur. Et tamen nihilominus recte dicitur, ipsum Dei Filium deprecatum esse calicem, at non per naturæ conditionem, sed propter ineffabilem naturarum unionem. Scilicet, nec singulæ seorsim, nec solæ agunt naturæ, sunt enim in unam hypostasin unitæ. Quapropter unius naturæ propria tribuuntur toti personæ in concreto. Ubi addendum, θεάνθρωπον hic spectari non in se ac per se, quomodo justitia vindicatrix in eum non cadit, sed relate & in officio suo sacerdotali, quatenus omnia omnium omnino hominum peccata in judicio Dei rigidissimo post voluntariam interventionem sibi imputari passus est, ac propter imputationem hanc expiare ea voluit. Esai. 53: 6. Joh. 1: 29. Actor. 20: vs. 28. 1. Tim. 2: 6. Ebr. 10.

§. 2. *Subjectum pro quo* facta deprecatio, sive, à quo removeri calicem petit, (alias *Finis cui*,) ipse *precans* est. *Transeat à me calix iste, aufer poculum hoc à me*, inquit Jesus, non, *à meis* sive Apostolis, sive futuris confessoribus aliis. *Diligens Judæos videbat, qualia passuri erant, ideo dicebat dolens de eis, transeat à me calix iste*: Sic ex *Ruffini* versione explicat *Origenes Adamantius* (Tr. 35. in Matth.) ab invincibili adamantis vi, ob infatigabilem atque assiduum in legendo scribendoque laborem ita dictus, quippe *cujus opera ad sena librorum millia* ascendisse tradunt, ut D. D. PRÆSES in *suo* de Patriis illustrium doctrina & scriptis virorum *Dialogo*, ex scriptoribus priscis annotat p. 629. 631. *Basilius* lib. 4. contra *Eunom.* itidem non de ipso Christo, sed de Judæis in eo peccaturis hoc accipiendum esse monet. Verum *Origenes ubi bene*, (juxta celebre vetustatis de eo judicium) *nemo melius, ubi male, nemo pejus.* Quod ille de Christi *derelictione* tr. cit. pronunciat, id ego de calicis Christi *deprecatione*; *nec fas est*, inquit, *credere, mentiri Christum dicentem, quare dereliquisti me*: dicentem, *inquam*, aufer poculum hoc à me. Ego ipsi credo affirmanti. Derelictio & deprecatio eidem subjecto tribuenda.

§. 3. *Causam impellentem* inquisituris paulo distinctius procedendum est. Occurrit hic *geminus actus voluntatis* Christi, unus *aversativus* sed addita conditione conceptus: nolo mortem istam acerbissimam, si possibile est: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*: alter *appetitivus*, volo mortem istam: *si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat voluntas tua. Hic* proprie ad *propositum officiale* pertinet, quo de inferius: *ille* hujus loci est, cujus αἴτιον προηγούμενον vel *causam impellentem internam* dicimus esse *metum mortis*, quo in tot ineffabilium malorum concursu atque impetu perculsus Jesus, etiam ad futura respiciebat. *Metum* præcessisse statuimus cognitionem & considerationem *objecti* sui, mali nempe certo eventuri, quod erat *mors* ὅλως *sumpta* h. e. tormenta, cruciatus, mors temporalis, judicium irati Dei, angores interni, horrores infernales, verbo: mors è torrentibus inferorum manans. Christum de his atque talibus summam habuisse certitudinem, ex tot ejus prædictionibus facile evincitur. Sed hoc ipsum movit quosdam *Pontificios*, ut negarent in Christi voluntate fuisse veram atque integram timoris rationem, eamque in solo appetitu ejus sensitivo constituerent. Ratio, quam ex *Aristot.* 2. Rhet. cap. 5. *Thoma, Richardo, Cajetano* &c. allegant, non est urgens. Metum dicunt habere spem adjunctam evadendi malum imminens: atqui spes evadendi non consistit cum certitudine eventus contrarii. Verum contra eos ipse *Vasquez* in 3. part. Th. T. 1. disp. 62. ostendit, talem incertitudinem cum spe periculum evadendi, non esse de ratione metus in ullo casu. *Nos* præter sensitivum, ad intellectivum quoque, ut vocant, appetitum Christi penetrasse timorem dicimus. Idem timoris, quod tristitiæ Subjectum est. Atqui illud esse sanctissimam Christi animam quoad rationem tam superiorem, quam inferiorem, supra asseruimus. *Adhæc*, ipsam voluntatem suam hic allegat Jesus: ea vero pars animæ superior est. *De cætero non absolute* declinare vult periculum imminens Salvator, quod salvo Dei decreto, declinari non posse certo præscit, *sed conditionate*, si nempe fieri possit. Interim de malo etiam certo eventuro manet metus. Qui scissionem membri putridi, ut sanetur, eligit, de eâ nullam habet sive incertitudinem, sive ambiguitatem, neque spem evadendi; & tamen nihilominus futuram timet. Relata igitur Christi voluntas ad tam triste objectum, mox ejusdem *aversationem* concipit, de mediis, quibus removeatur illud, solicita: cum autem, stante Patris consilio ac decreto, remotionem ejusmodi fieri non posse, indubi-

indubitate præscivisset, actum hunc aversativum conditione quadam temperat, *si qua*, inquiens, *fieri ratione potest.* Unde colligimus *αἴτιον deprecationis conditionatæ προκαταρκτικὸν* vel *causam moventem externam* fuisse consilium Dei immutabile, quo ab æterno decrevit, ut generis humani redemtio hoc modo, & non alio, perficeretur. Luc. 24: 26. Act. 2: 23. 4: 27.

§. 4. *Terminus ad quem* directa deprecatio, est PATER poculum propinans. Sic enim ab amabili Patris appellatione orditur preces Iesus: *Pater mi, si possibile est* &c. & crescente precum devotione: *Abba, Pater.* Retinuit Marcus ob singularem sine dubio emphasin vocem *Syro Chaldæam* ἀββᾶ, quæ in aliis quoque duobus N. Test. locis Rom. 8: 15. Gal. 4: 6. retinetur. Respondet Ebr. אב *Pater* vi originationis *à benevolentia sic dictus*: nisi quod אבא vim affixi primæ personæ insuper in se contineat. Nam pro *Ebr.* אבי *Chaldæus paraphrastes* habet אבא in forma emphatica sine suffixo. Quod etiam *Syrus* in hoc Marci Loco observat, qn. *Abba Pater* per ܐܒܐ ܐܒܝ reddit, adeoque prius explicat per posterius; quod vero totidem apicibus refert *Hebr.* אבי *Pater mi.* Sublato scil. cum sua vocali *Olaph emphatico*, *Judh* suffigitur nude, *ptocho* autem in *dsekopho* mutatur. Vocem *Syro-Chaldæam* diximus. *Utrobique* enim in *forma emphatica* est אבא. *Nec obstat*, quod *Syri* non habeant *Dagesch forte*, cujus tamen h. l. præsentia ex geminatione β β ad oculum patescat: nam in *quibusdam nominibus*, quæ apud *Hebræos* & *Chald.* emphaseως causa in lit. *Begadhkephat* Dagesch recipiunt, β *Dagesch* vicem supplet punctum *Kuschoi.* *Nostrum* vero inter ea referri, inspectio Grammaticorum docet. Indicat *Christus* compellatione hac, se *Patrem* non *improprie* & per quandam analogiam ita dictum, sed vere ac *proprie suum*, agnoscere pro eo, qui propinet sibi calicem acerbissimum. Si in *essentiali acceptione* intelligatur nomen Patris, h. e. si spectetur *κατ' ἔξω ad extra*, qua considerandi ratione *proprietas* ejus *characteristica* est *creatio*, *conservatio*, *gubernatio universi*, significatio vocis erit impropria. Nam *ad id*, *ut proprie quis dicatur Pater*, *requiritur propria generatio.* Sin *acceptio* ejusdem nominis est *personalis*, vel, si spectatur *κατ' ἔσω secundum rationem internam in ipso SS. Trinitatis sinu ita terminatam*, ut pro principio agendi agnoscat unam tantum personam, infert tale *opus ad intra personale*, quo Pater æternus *de se*, *in se*, *ejusdem numero essentiæ communicatione*, *absque ullo motu*, *alteratione & passione ab æterno*, *vere proprieque attamen hyperphysice ac modo impervestigabili filium sibi ὁμοούσιον gignit.* Atque ita Deus est *Pater* sui Filii unigeniti *proprius ac naturalis Johan.* 5: 18. propter *veram propriamque γέννησιν* sive *generationem* substantialem, *factam ex essentia Dei Patris*, *in æterno illo hodie divino uni Deo proprio*, *& νῦν perpetuo ac interminabili* Psal. 2: 7. uti loquitur *Magnificus* D. D. CALOVIUS *Theologus de universa* CHRISTI *Ecclesia optime dudum meritus*, *Venerandæ Facultatis suæ* h. t. Decanus *spectabilis*, Præceptor ac Patronus meus diligentissime suspiciendus, System. Th. T. III. pag. 177. Prolixius rem persequitur pag. 540. seqq. Opportunum jam dispicere, *cuinam poculi oblatio adscribenda?* Si constiterit, ad quam operum divinorum classem *ea* referenda sit, res in vado erit. Non esse *opus ad intra personale*, certum est. Sed nec *opus ad intra essentiale. Probo:* quia non terminatur ad ipsum Deum. Respicit sane Pater cælestis *in hoc actu* Christum non ut filium suum dilectum, proprium, unigenitum, primogenitum. *Quo respectu* extreme odisse ipsum, & tot exponere cruciatibus nec potuit, nec voluit. Obstabat intima personarum περιχώρησις ex ὁμοουσίᾳ fluens. Spectabat eum potius *ceu onustum totius mundi peccatis*, quæ in se susceperat expianda. Relinquitur, esse *opus ad extra*. Provocat Christus ad Patris *voluntatem.* Hæc non est aliqua *facultas essentiæ Dei superaddita*, sed, docente *incomparabili Theologo* D. D. *Calovio* T. II. *System.* pag. 439. *essentia divina concepta cum connotatione inclinationis ad bonum*, *cum non velit per aliquid à se diversum*, *sed per essentiam suam.* Etsi vero voluntas Dei à parte rei *ipsam* Dei *essentiam* involvat, est tamen tale attributum, quod *eam* describit cum respectu ad ἐνέργειαν. Vult nempe Deus uno simplicissimo actu ab omni æternitate, sine ulla mutatione & inconstantia, omne bonum. Voluntatis autem actus sunt decreta. Hoc loco habemus *decretum universalis reparationis* de omnibus hominibus salvandis, cujus exequendi causa missus in mundum Dei Filius *Hiob.* 33: 24. ejus *principium movens* est Dei *misericordia* sive gratiosissima voluntatis propensio ad succurrendum miseris *Eph.* 2: 4. non qua peccatoribus, sed qua creaturis ad imaginem suam conditis. *principium dirigens*, ejus *justitia ἀνταποδοτικὴ* in specie *vindicatrix*, qua ceu *justus vindex* supplicia ab omnibus, qui legem Dei in ullo apice transgressi sunt *Deut.* 27: 27. exposcit. Neque enim *Sanctitas & majestas* Dei ferre potest, ut mandata ipsius impune violentur, quin infinitum satisfactionis pretium exigit *Ps.* 49: 8, 9, 16. neminem impunitum citra satisfactionem dimittit *Exod.* 34: 7. Deus ultor *Ps.* 94: 1. *Ebr.* 10: 30. 1 *Thess.* 4: 6. pœnam jure exigit, & quidem ἀποτόμως nihil de iis remittens *Rom.* 11: 22. Atque hæc *causa* est, cur *in die vindictæ* omnia omnium hominum peccata *in Christo tam severe vindicaverit. Vide Esa.* 43: 24. 53: 6. *Rom.* 3: 25. 4: 25. 2 *Cor.* 5: 21. *Vindicta* tamen hæc non excludit divinam *misericordiam*, scil. satisfactioni Christi innixam, utut excludat *absolutam*, qua sine ulla satisfactione peccata condonantur, quod *contra Socin.* monet *nunquam satis laudatus* D. D. CALOVIUS l. c. p. 588. Si nunc de *calicis oblatione* dicendum quod res est, *ea* nihil erit aliud, quam constans liberaque Dei voluntas, secundum quam ex immensa misericordia decrevit, ut *hoc modo*, nempe per Christi passionem & mortem, *& non alio*, læsæ majestatis suæ crimen expiaretur, justitiæ vindicatrici satisfieret, & mediante hoc vicario, infinito tamen, adeoque consummatissimæ obedientiæ lytro æterna generis humani redemptio inveniretur. *Conf. Rom.* 5: 8. 3: 25, 26. *Hebr.* 9: 12. *Hoc decretum* sive volendi actus non est *effectus essentiæ Dei*, sed ipsa Dei *essentia volens ac decernens calicis hujus bibitionem*, adeoque non est *actio externa* & transiens, *sed interna* & immanens in Deo, utut objectum, in quod tendit, extra Deum positum sit. Hinc demum sequitur, *calicis oblationem* hanc *active* spectatam esse *opus ad extra* non emanans, sed *immanens. Opera* autem *Trinitatis ad extra sunt indivisa*, i. e. omnibus tribus Deitatis personis communia, scil. propter *essentiæ ἑνότητα* s. *unitatem*, *potentiæ* agendi *κοινότητα* s. *communitatem*, *operationum ὁμοιότητα* s. *paritatem*, *operum* denique Patris, Filii & Sp. S. *ταυτότητα* s. *identitatem.* Tribuenda *ergo* calicis propinatio Deo Patri, non exclusis λόγῳ & Sp. S. *servato* saltem *personarum ordine ac reali discrimine.* Nomen *Patris*, si ob externum aliquem respectum Deo tribuitur, *Filium* quoque & *Sp. S.* comprehendere, aliquot urgentissimis rationibus evicit *laudatus Theologus* T. III. *Syst.* p. 169. seqq. ubi etiam *Crellii* objectiones solide refellit pag. 175. *Conf. Mellif. Theol. Joh. Binch.* P. 1. p. 137.

§. 5. *Fundamentum* deprecationis, cui innixus tanta fiducia Deum compellat Jesus inquiens, *Pater mi*, est υἱότης s. *filiatio*, eaque, ut ita vocitem, *naturalis.* In mediis namque angoribus *per nubem obscurissimam paterni cordis lucem prospectans* animum sumit, & magna fiducia Deum appellat *Patrem.* Tota SS. Trinitas, uti Deus unus, ita & Pater unus est, scil. ἔξωθεν per σχέσιν s. habitudinem ad creaturas. Quomodo creaturæ dicuntur *Dei Filii* ob varios respectus: utpote *Angeli* & *Protoplasti* in statu integritatis *ob* paternam *dilectionem* & *hæreditatem* cælestem *Hiob.* 1: 6. 2: 1. *Magistratus* per *eminentiam* & magnitudinem *Ps.* 82: 6. *Ps.* 89: 7. *Credentes* propter *regenerationem Joh.* 1: 12. sive *adoptionem Gal.* 3: 26. Quando *Christus* Deum hic vocat *Patrem suum*, indicat se non ob analogicum ejusmodi respectum, sed ob rationem plane singularem esse Dei *Patris filium*, nempe *per generationem* passivam (Grammatice, non physice,) *æternam*, quæ est *fundamentum* υἱότητος *veræ* atque *propriæ.* Qualis generatio, talis υἱότης & paternitas. *Generatio* autem hic *non improprie* sumitur, ut in nativitate nostra spirituali, *sed proprie*, non tamen *physice*, sed *mystice* & *hyperphysice*, qua λόγος *à Patre æterno unius ejusdemque numero essentiæ communicatione ab æterno vere proprieque gignitur. Psal.* 2: 7. *Prov.* 8: 22. seqq. *Mich.* 5: 2. ita ut Deus sit *Pater* Filii *proprius* Joh. 5: 18. & *Filius* sit Dei Patris *Filius proprius* naturaliter Rom. 8: 32. & *proprie* Dei Filius adverbialiter, propter veram & proprie dictam generationem ex essentia Genitoris, per quam Genito non pars essentiæ Patris, ut *Manichæus* deliravit, sed tota Patris essentia communicatur. Fit enim hæc generatio intra ipsissimum essentiæ divinæ complexum. Unde Filius est in Patre, & Pater in Filio *Joh.* 14: 10. Filius in sinu Patris *Joh.* 1: 18. Ex eo tamen non *Sabellii* unio, sed communio & intima περιχώρησις personarum ex ὁμοουσίᾳ fluens, inferenda est. *Conf. Joh.* 16: 15. Hactenus de *Christo* secundum divinam naturam *Filio Dei proprio & naturali*, utpote ex essentia Patris genito. Porro si quæratur, *an* etiam *secundum humanam naturam sit filius Dei naturalis?* resp. *affirmando*; sed *hoc sensu*: *Christus sec. H. N. est verus & proprius*

prius Dei filius, non vero: *Christus sec. H. N. est naturaliter Dei Filius.* quia Christus sec. H. N. est Filius Dei neque naturaliter, neque essentialiter, sed personaliter. *Deinde* affirm. quatenus τὸ *naturale* notat id, quod ab ipsa statim nativitate alicui inest. *Ipse natus est Dei filius, non factus*, inquit *Lubert. in Comm.* ad 99. *error. Vorst.* p. 48. neque enim post nativitatem in filium Dei demum adoptatus est, quem errorem in *Felice Orgelitano* & *Elipando*, olim in *Nestorio*, Christum sec. H. N. esse Dei Filium, negantibus, *pia antiquitas* damnavit. *Insuper*, quatenus determinatio *sec.* H. N. non exprimit *causam*, quasi propter H. N. Christus dicatur & sit Dei Filius, sed prædicationis subjectum sive *suppositum*, quod nempe *Christus homo*, sit idem naturalis ac proprius Dei Filius, qui est *Christus Deus*, siquidem *non duo sunt in Christo filii Dei, sed unus*, sicut etiam in Θεανθρώπῳ *non duo, sed unus Christus est, juxta Symb. Athanas.* Conf. D. Gerh. LL. CC. in Exeg. L. 4. p. 468. *Causa* autem, *propter quam* Christus *sec. H. N.* est *Dei Filius & Deus*, non est conceptio ex Sp. S. ut quidam *Calviniani* volunt, non natura, non æterna à Patre generatio, sed sola atque unica *personalis unio*, s. ἐνυποστάσις in tempore facta, cujus beneficio Humana Christi natura vere ac realiter particeps facta est ὑποστάσεως τῦ λόγυ, ita ut subsistat ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ. Si hoc, utique & sec. H. N. Christus erit vere Dei filius, scil. ὑποστατικῶς: cum ὑπόστασις Filii & natura ejus divina, secundum quam proprius & naturalis Dei Filius est per æternam generationem, non differant realiter. *Conf. Luc.* 1: 35. *Matth.* 16: 16. 3: 17. *Est itaque Christus secundum utramque naturam Dei Filius*, & quidem naturalis, sed non eodem modo. *Hac filiatione sua* fundamenti loco posita in summis angustiis levamen quæsiturus ad Patrem, *Patrem*, inquam, *suum* alioqui benevolentissimum se convertit, atque ut *calicem*, de quo jam dicendum erit, *auferat, fiducia filiali* petit: quam in mediis etiam pavoribus *immotam* fuisse, paternæ appellationis ingeminatio ostendit.

§. 6. *Objectum* deprecationis est *Calix* & *Hora*. Quando precum summam ita reddit Marcus: *oravit, ut si possibile esset, transiret à se hora*, per *horam* μετωνυμικῶς intelligitur *aliquid in hora*, quæ alias indefinite pro momento temporis breviore accipitur, *transigendum*. Similis locus habetur *Joh.* 12: 27. *Pater, salva me ex hac hora.* Quid vero illud sit, indicabit *calicis* consideratio. *Calix* per *Metonymiam Subjecti* ponitur pro *potu* vel *vino in calice contento*: & quia tam amari, quam jucundi potus recipiendi vas est, *per Metaphoram* ab adjuncto hominis externo desumptam usurpatur de *conditione* hominis *fausta* & *adversa*; denotat quoque tum *beneficia Dei* & oriundam inde *lætitiam*, tum *supplicia* & quascunque gravissimas *pœnas*. Hoc posteriori sensu accepta voce, asseruimus, *in calice*, de quo hic sermo est, *iræ divinæ pœnis maxime horrendis ac plane infernalibus adversus omnium hominum peccata sævientis torrentem* fuisse oblatum Christo, ut hauriret totum una cum fæcibus. Allegamus pro hac expositione I. *Dicta Prophetica*, ubi per *calicis* comminationem *ira Dei* gravissima & *exterminatrix* denotatur, ut Ps. 11: 7. *Pluet super impios laqueos ignem & sulphur, ventum tempestuosum ardentem: hæc sors calicis illorum.* Ps. 75: 7, 8. *calix in manu Domini est vino meraco plene adornatus: è quo fundet, attamen fæces ejus exugent ac epotabunt omnes impii in terra*, quo ipso divinarum afflictionum modus diversus innuitur. *Esa.* 51: 17. *Surge Jerusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem furoris ejus, quæ bibisti & exuxisti vel cum fæce calicem soporiferum*, quæ quidem verba non de comminatione, sed comminationis facta executione intelligenda sunt. Biberat namque Jerusalem calicem afflictionum amarissimum, quem ob peccata Deus ipsi porrexerat; jam vero abstulerat, juxta *vs.* 22. *Jer.* 25: 15. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, & fac ex eo bibant omnes gentes* &c. *conf. vers.* 17. & 28. *Cap.* 49: 12. *ecce quos videbatur parum æquum bibere calicem, cumprimis biberunt: tu autem* (ô Edom) *innoxius & exors esses? neutiquam eris innoxius aut exors, sed bibendo bibes. Conf.* c. 51: 7. *Thren.* 4: 21. *Ezech.* 23: 32, 33, 34. *Obad.* 5: 16. *Hab.* 2: 16. Retinetur ea significatio in *Apoc.* 14: 10. & cap. 18: 6, 7. II. *Ipsius Christi prædictionem Matth.* 20: 22. *Marc.* 10: 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* III. *Prædictionis* hujus *complementum*, cujus initium in hoc ipso *agone*, & *deprecationis actu* conspicuum. Extat de eo præclarum ipsius Christi testimonium *Joh.* 18: 11. ubi ex ipsius Patris manibus se hunc passionis calicem suscepisse statuit, Petro intempestive gladium adversus hostes stringenti, *annon*, dicens, *bibam calicem, quem dedit mihi Pater?* calicem scil. quem paulo ante tam seriis precibus deprecatus fueram. IV. *Complementi rationem. Stante enim tot S. S. Testimoniorum veritate, Christum* esse passum & mortuum pro hominibus in peccatum prolapsis *Rom.* 5: 6, 8. 1 *Pet.* 3: 18. 1 *Joh.* 3: 16. vice & loco impiorum & injustorum; pro omnibus & singulis hominibus non κατὰ δόξαν, sed κατ' ἀλήθειαν *Esa.* 53: 6. 2 *Cor.* 5: 14, 15. 1 *Tim.* 2: 6. 1 *Joh.* 2: 1. 2. *Rom.* 14: 15. 1 *Cor.* 8: 11. &c. quæ palmaria in hoc articulo scripturæ dicta accurato studio enucleata, *Photinianis & Calvinianis* opposita, & ab eorum strophis vindicata *vid. in Selectissimis Disp. de Pass. Christi*, D. D. PRÆSIDIS, *Quæst.* VII. *Christum* pro omnibus omnium omnino hominum peccatis in judicio divino post voluntariam interventionem sibi imputatis consummatissimæ obedientiæ lytrum Deo unitrino vi rigoris infinitæ suæ justitiæ illud exposcenti solvisse *Tit.* 2: 14. 1 *Joh.* 1: 7. *Esa.* 53: 5, 6. factum pro nobis execrationem Gal. 3: 13. *Ebr.* 10: 9, 10. & mediante hoc lytro totum genus humanum ab ira Dei, legis maledictione, peccato, Diabolo, morte & inferno liberasse: *omnino*, vi justitiæ Dei vindicatricis, de qua superius, *concedendum erit*, (1) *legem contra Christum* propter tot innumera totius mundi peccata, etsi *non actione, expiatione tamen* suscepta vel maxime *vibrasse maledictionis fulmen Deut.* 27: 27. (2.) *Christum vere sensisse iram Dei*, utpote cum peccato & maledictione legis perpetuo nexu conjunctam, adeoque Deum cum ipso locutum esse in flamma iræ, paternæ misericordiæ viscera erga ipsum conclusisse, & in furore suo ipsum percussisse. Non effundit Deus totam iram suam in fideles, quando ob peccata eos castigat; sed exquisitissimos tamen angores persentiscunt. Quantos existimabis angores & horrores Christi, cui ob totius mundi peccata *iræ divinæ atque passionum torrens* hauriendus erat: (3.) *Christo luctandum* fuisse *cum Satana & tota infernalium potestatum phalange*, quia ex earum tyrannide totum genus humanum spiritualiter captivum asserturus erat, *Contriturus caput serpentis* h. e. omnem inferorum potestatem, quam per peccatum contra genus humanum obtinuerant, destructurus: sed *serpens*, infernalis Draco ille, etiam prædicebatur *contriturus calcaneum ejus*, h. e. insolito nisu ad summam angustiam, quin & mortem ipsam in hac conflictione *Messiam* adacturus. (4.) *Christum sustinuisse mortem*, quam tot peccatis genus hum. lapsum promeruerat. *Ea* vero non tantum est *prima*, sed & *secunda Rom.* 6: 23. 1 Cor. 15: 55. quo pertinent *angores & horrores* in anima maximi: *pœnæ & dolores* exquisitissimi & omnino *infernales*. Pro his ulterius confirmandis allegamus V. *Complementi hujus effectum horrendum*, qui ex ἐκθαμβήσεως & ἀδημονίας *concursu* intelligitur, quo de supra. VI. *Ipsius Christi testimonia & querelas* in V. & N. Test. *in Psalmis præcipue. Psal.* 40: 16. *adobruerunt me tot mala, ut ea nequirent numerari, comprehenderunt me inquitates meæ* (quas in me suscepi expiandas), *ut non potuerim videre. plura fuerunt quam pili capitis mei: inde destituit me cor meum. Psal.* 88: 16, 17, 18. *Afflictus ego sum & tantum non animam ago* ab adolescentia: *& animi dubius terrores tuos fero. Super me transierunt furores tui, & terrores tui me confecerunt* &c. Ps. 43: 8, 9. *Deus meus, dejicit se anima mea intra me* &c. *Abyssus abyssum advocat ad vocem cataractarum tuarum. In Prophetis Esai.* 63: 3. *Torcular solus calcavi.* Huc accommodari potest *Thren.* 1: 12. *Omnes qui præteritis viam, attendite & videte, num sit, quem dolor vindemiet sicut me, quo me afflixit Dominus in die æstus iræ suæ. In N. Test.* h. l. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Accedit *gravissima* Christi ad Patrem *protestatio*: *Si possibile est! si vis! transeat à me calix.* Et inprimis *clamor* ille *flebilis* in cruce: *Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me? Matth.* 27: 46. *Marc.* 15: 34. *quo* sub universa mole peccatorum generis humani, & in torculari iræ divinæ positus *de principali pœna* cœlestis gratiæ, solatii, dulcedinis fructuumque cæterorum ex unione personali *per se* resultantium, sensum subtrahente *conqueretur*. Derelictus nempe fuit à Patre, imo tota SS. Trinitate ad breve tempus, quo ne tantillum solatii ac dulcedinis à divinitate alias redundare solitæ, influere permisit, sed totum exposuit tormentis, ut eam *quoad rem* (*adjunctum enim temporis excellentia personæ compensatum est*) derelictionem sustineret, in quam sine tali mediatoris interventione genus humanum incidisset. Addimus VII. Effectus horrendi *Adjuncta*, *sudorem sanguineum*, & *confortationem angelicam*, de quibus mox in seqq. Ex hisce omnibus rectissime infertur, in *hoc*, quem Christus deprecatur, *calice*, *fuisse torrentem iræ divinæ vindicatricis æstuantis & sævientis adversus peccata totius humani generis, & quidem pœnis maxime horrendis atque omnino infernalibus*: Sequitur, inquam, Christum, quando *bibit* hunc

hunc, *quem dedit ipsi Pater*, *calicem*, vere gustasse mortem æternam, adeoque dolores infernales *intrinsece* & *intensive* omnino tolerasse, etiamsi non quoad omnes partes & circumstantias. *Negant* hoc *Jesuitæ*, ratiunculas quasdam obtendentes, sed quas refutatas vide à D. *Gerh. in Harm. Pass.* pag. 1750. seqq. *à D. Johan. Winckelmann. in Disp. Giess. T.* 1. *Disp.* 13. pag. 511. seqq. *aliisque*. *Tanneri* rationes expendit & refellit D. *Dorsch.* lib. cit. pag. 193. seqq. *Bellarmini* & aliorum circa hanc materiam objectionibus occurrit pag. 248. seqq. ubi inprimis pro *gustu infernalium*, *internorum atque spiritualium dolorum* urget ἐκθαμβεῖσθαι & ἀδημονεῖν, tanquam ejusmodi dolorum species, quæ in Christo apparuerunt in summo excellentissimoque gradu. Per *calicem* h. l. *iram divinam* ac *dolorum spiritualium gravitatem* notari, probat ex S. Lit. loquendi consuetudine & gravissima Christi protestatione. His rationibus, ut eo plenius falsitatis convincat adversarios, Patrum quorundam & Pontificiorum suffragia ad jungit, quæ vide p. 290. seqq.

§. 7. *Forma & modus* consistit in eo, quod CHRISTUS passionis *calicem* à se removeri & plane auferri, *serio* & impense, attamen *cum conditione*, petit. παρελθέτω, inquit ap. Matth. *transeat à me calix iste!* ap. Marc. παρένεγκε *aufer poculum à me hoc.* Luc. παρενεγκεῖν (infinitivo pro Imperativo per usitatam in Sc. Enallagen posito) *transfer poculum hoc à me.* παρενεγκεῖν à παραφέρω est *transferre*, *prætervehere*, quasi à μεταφέρω *transfero.* Ex eo *Hilarius* can. 31. *in Matth.* colligit, Christum petiisse, *ut bibendi calicis in* Martyres *ex se transiret fortitudo.* At per *calicem* denotari iram divinam pœnis contra peccata sævientem, vel simpliciter passionem, ex S. Lit. loquendi consuetudine modo ostensum est. *Deinde*, quod plane aufertur, etiam transferri dicitur. Huc pertinet usus verbi ap. *Lucian. Herodot.* & *Plutarchum de defectu Orac.* ubi (observantibus Lexicogr.) significat *abducere*, *transversum rapere*, *abripere*, *auferre*, *absorbere*. *Accedit* verbum παρέρχεσθαι, quod alibi ap. *eund. Matth.* non solum *prætergredi* & *præterire*, sed & *auferri* & *abire* notat, ut cap. 5: 18. 14: 15. 24: 35. Petit ergo Christus à *se plane auferri*, *præterire*, *ab abysso miserationis divinæ absorberi*, *è conspectu & memoria Dei Patris abduci calicem passionis.* Quæ sane non sunt *desiderantis*, aut calicem sine mora *bibere gestientis*, sed *amolientis*, *fugientis* & *trementis* verba, qui δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας *precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte servare, cum clamore valido & lachrymis obtulit* Hebr. 5: 7. Testatur hæc seria atque ardentissima deprecatio, Christum naturaliter mortem horruisse humano affectu, *mortem*, inquam, *qualis debebatur apostatico generi humano.* Attamen *mori pro genere humano redimendo* non recusavit, quod subinnuit addita conditio, *si possibile est*, inquiens, h. e. (*ut D. Gerhard. in Harm. pass.* pag. 1758. παραφράζει) si alia ratione „atque alio quodam medio opus redemptionis perfici, pro „peccatis hominum satisfieri & salus mundi procurari potest, „quam per acerbissimam illam passionem & ignominiosissi„mam meam mortem, *aufer calicem istum.*" Quia vero novit Deo (*neque enim de ejus omni potentia dubitavit*) omnia, quæ vult, possibilia esse, cum juxta *Psalm.* 135: 6. *velle Dei* sit *ipsius posse*, mox subinfert, *omnia possibilia sunt Tibi, aufer poculum à me hoc.* Stante autem decernente Dei voluntate, sive decreto immutabili, calicis ablatio impossibilis erat. Hinc addit salutis humanæ sitientissimus JESUS: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu: si non potest hoc poculum transire à me, nisi bibam illud, fiat voluntas tua.* Agnoscit hanc esse constantem Patris, quin & suam divinam ac deliberatam voluntatem, ut hunc passionis calicem bibat, victimaque fiat pro apostatico genere humano, utpote pro quo ad satisfaciendum per mortem acerbissimam justitiæ divinæ vindicatrici, sponte se obtulerat. Vult ergo calicem bibere, h. e. *vult mortem acerbissimam*, quia est Patris voluntas immutabilis. Atque hoc est illud, quod diximus, *Propositum officiale* in plenissimo exercitio positum, cui motus voluntatis humanæ de refugiendo tanto onere non fuit contrarius, sed subjectus; quin superato mortis pavore, penitus sublatus est. D. *Winkelmann. lib. cit. Th.* 63. pag. 521. *Statuimus*, inquit, *Christi humanam voluntatem relatam simpliciter ad objectum, h. e. tormenta, cruciatus, judicium irati Dei, mortem, refugisse illud naturaliter, sed rursus intentam in consilium Patris & fructum passionis & mortis, conjunctam fuisse cum omni subjectione ad voluntatem Patris. Res sic habet*; (sunt verba B. *Dannhaueri* in Hodosoph. Phœnom. 8. p. 687.) *Christus in agone suo duo ostendit: primum* θέλημα, *quid vellet naturaliter sub conditione, si per decreti rationem fieri posset? quod quia fieri non potuit, voluntas fuit inefficax.* 2. θέλησιν, *quid actu velit, nimirum bibere calicem, & ex felleo quasi melleum facere, quia ita Patri visum est. Et hæc voluntas fuit & victimatoria, quia sic naturale desiderium Patri per obedientiam in victimam dedit, & triumphatoria, quia illum ipsum naturæ oblatum horrorem pervicit.*

§. 8. De *Fine* non est ut adferamus multa. Possunt allegari uno plures. Ex ipsis terminis colligitur, Christum in isto gravissimarum concussionum horrore, voluntate inefficaci intendisse *immunitatem à bibendo calice*, vel, à moriendi necessitate *Hebr.* 5: 7. Hoc infert aversatio mortis, ejusque deprecatio. „Quanquam D. *Schmid. Disp. de inter-* „*cess. Christi* Th. 29. non præter rem asserat, Christum in„ter gemitus istos & clamores non tam deprecatum fuisse „dirum mortis supplicium, ac corporis animique crucia„tus, quam palam declarasse, se omnia hominum pecca„ta, & hinc omnem Dei iram, ipsos dolores infernales „ferre, legis subire maledictionem, & sic sufficientissimum pro nobis λύτρον persolvere. Dici etiam potest, coram Patre cor effudisse Jesum, ut ostenderet se vere esse hominem, & non κατὰ δόκησιν, sed κατ' ἀλήθειαν esse passum, & omnes atque singulos ad contemplationem immensorum dolorum, ad quos caro exhorrescit, invitaret, quo, se ἰσόρροπον pro mundi peccatis pretium solvisse, intelligerent.

§. 9. Inter *Adjuncta* numeramus *gestum* precantis *humilem.* Flectit genua cœlestem Patrem precibus compulsurus, aucto angore penitus in terram miserabili habitu super faciem suam procidit. *Jacet vultu terræ affixus in multa Spiritus angustia sanguineo perfusus sudore derelictus & à Patre & ab hominibus universis*, inquit Taulerus. Quo gestu potiorem existimamus respectum haberi ad exprimendam doloris & angoris magnitudinem, quam ad morem apud Orientales in precibus usitatum: præsertim cum non in terram procidens, sed elevatis alioquin oculis oraverit Salvator. *Johan.* 17: 1. *Deinde Durationem.* Unius ad minimum horæ spatium tribuimus Christi precibus & agoniæ ante μεσονύκτιον horam circiter undecimam finitæ. Neque enim ea tantum, quæ Evangelistæ annotarunt, verba Jesum pronunciasse existimandum est. Apud *Luc. cap.* 6: 12. dicitur exiisse in montem, & in precatione Dei penitus *pernoctasse.* Hic legitur orasse ἐκτενέστερον, quod exponi potest *impensius*, *totis virbus*, vel etiam *prolixius*: cum *oratio* ἐκτενὴς sit *intenta*, *vehemens* & *assidua.* Sic pro Petro in carcere ab Ecclesia dicitur ad Deum facta precatio ἐκτενὴς *sine intermissione. Actor. cap.* 12: 5. confer 1 *Petr. cap.* 4: 8. *Accedit*, quod ipse Christus Petro dicat: *adeo non potuistis una hora vigilare mecum.* *Trina* precum *repetitio*, missis Allegoriis, simplicissime ad intentionem & vehementiam orationis refertur. Variata precum verba, scopus & sensus (ingeminant enim Evang. *dixisse eundem sermonem*) idem mansit.

III. Nec æterni decreti mutationem petiisse, neque petitam calicis remotionem impetrasse Jesum, sudor vere sanguineus, qui è toto ipsius corpore largiter non sine miraculo erupit, tanquam immediatus hausti calicis effectus, præter alia, omnium clarissime testatur: sed tamen non plane frustraneas fuisse ejus preces, confortatio Angelica ostendit.

§. 1. NObilissima hæc de *sudore* Christi *sanguineo* materia justa sibi volumina vendicat. Nobis vero ex instituti ratione prolixioribus esse nunc non licet. Id tamen non prætermittimus, contra *Jesuitas* sudorem Christi sanguineum naturalem pronunciantes militare Textus evidentiam. E corpore Christi optime temperato atque sano in tanta copia sanguis verus dicitur profusus, ut ex frigiditate aëris in θρόμβους concretus in terram decurrerit. θρόμβος *grumus*, juxta *Eustathium*, proprie est rei in unam massam concretæ frustum. *Herod. lib.* 1. θρόμβους ἀσφάλτου vocat bituminis concreti frusta, quos *Strabo* lib. 16. vocat βώλους *glebas.* Grumi ergo sanguinis erunt guttæ spissi & concreti sanguinis, heraus geflossen gerunnen gelieffert Blut. Neque hic *Parœmia* seu proverbiale loquendi genus obtinet, quo alias αἵματι κλαίειν *sanguinem flere* dicuntur, qui amare flent. Frustra pro eo urgetur *partic.* ὡσεὶ *sicut*, utpote quod non similitudinem, sed veritatem h. l. notat, ita ut ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος reddendum sit: *guttæ sanguinis*, non: sicut guttæ. Sic etiam ὡς *sicut*, particula legitur adhibita *Matth.* 14: 5. *Johan.* 1: 14. *Rom.* 9: 32. 1 *Cor.* 4: 1. *&c.* Respondet *Caph. veritatis* Hebræorum Conf. Phil. S. Glass. p. m. 742.

§. 2. Ineffabili agoniæ (*hac voce Lucas luctam, mœrorem, anxietatem, dolorem comprehendit*) Deus per confortationem Angelicam admirando temperamento subvenit. *Apparuit ei angelus de cœlo corroborans eum, erat enim in agonia, ob quam sudor ejus erat sicut sanguinis guttæ in terram decurrentes.* Corroborationem Angelicam postponimus miraculosæ sanguinis sudationi, *verba Lucæ posteriora prioribus per αἰτιολογίαν subjecta esse*, cum B. Gerh. asserentes. Angelum hunc nullam Christo consolationem, quod Vasquez probare nititur, adhibuisse, sed promptum saltem in ferenda morte animum ejus laudasse, aut consolationem in nuda objecti propositione substitisse, negamus; *contra*, efficaciter corroborantem consolationem ministerio Angeli Christo communicatam esse, cum Orthodoxa antiquitate affirmamus, urgentes genuinam verbi ἐνισχύειν transitive possiti significationem, quam è multis *S. Scripturæ* locis eruit D. D. *Dorscheus* l. cit. c. IX. §. 367. *De sudore* Christi *sanguineo*, præter cit. D. *Dorsch.* pag. 297. seqq. & D. D. *Gerhard. in Harm. pass. ad h. l. cap.* 182. *p.* 1745. *seqq. Conf. B. Chemnit. L. de Filio Dei p.* 49. *&* 69. *De duab. nat. in Christo pag.* 16. *b. Otho. Benewitz. Patholog. Pass. p.* 64. *seqq. Voët. Part.* 2. *Disp.* 10. *pag.* 172. *Maldonat. ad Matth. cap.* 26. *pag.* 390. *Barrad. Tom.* 4. *Concord. Evang. l.* 6. *c.* 13. *n.* 14, 15, 16. *Cornel. à Lap. ad Luc. pag.* 226. *Collium de Sang. Christi pag.* 261. *Marcell. Donat. de med. hist. mirab. l.* 1. *c.* 2. *Henr. Harf. l.* 1. *Theol. myst. fol.* 15. Nos, uti dictum, hisce nunc non immoramur, quin potius calidissimis ad *Salvatorem* suspiriis ter & amplius ingeminatis hanc qualemcunque Exercitationem obsignamus:

Christe, tuus mœror, sudorque cruentus & angor
Angoris, quæso, sit medicina mei!

M. GEORG. SCHWARTZEN
DISSERTATIO
De Pretio, quo Servator noster æstimatus ad Matth. XXVII: 9, 10.

I. N. J.

§. 1.



Philologicam dum sistimus Dissertationem, statim à Resolutione Dicti nostri, Matth. 27: 9. & 10. contenti, ordimur, in eoque I. *Vaticinii Prophetici Citationem*, & II. *Ejusdem Recitationem*, quæ iterum 1. *Iniquitatis Pretium*, 2. *Pretii usum* & 3. *prædictionis Principium* proponit, observamus. In Vaticinii citatione omnium primo occurrit particula τότε, *Tunc*, hoc loco exponenda & de occasione & de tempore. Respicitur enim hac ipsa ad antecedentia, quomodo Summi Sacerdotes triginta illos argenteos, execrabile Proditionis Judæ pretium, ærario templi immittere noluerint, sed ad agrum quendam emendum impenderint; Hac igitur occasione & hoc tempore impletum esse vaticinium Prophetæ innuit Evangelista.

§. 2. Excipit hanc particulam verbum ἐπληρώθη. Esse id 3. Sing. aor. 1. Pass. Indic. quilibet facile videt. Thema, à quo oritur, est πληρόω, quod significat *impleo, absolvo, finio &c. Proprie* usurpatur de impletione mensuræ, quando nempe mensura plena & integra conspicitur. Deinde etiam *Metaphorice* de alia quacunque impletione adhibetur (α). Sæpissime autem in N. Test. Scriptura impleri dicitur, quando nempe illud perficitur & plene contingit, quod in ea pronunciatum exstat. In quo significatu etiam hoc in loco accipitur. Quot modis autem S. Scriptura alias impleatur, nostrum non est hic explicare. Videantur *Chemnitius* (β), *D. Glassius* (γ), *Hackspan.* (δ) *D. Kesler* (ε), *Mullerus* (ζ), *Rivetus* (η), *&* *Scultetus* (θ), qui pluribus de hac materia egerunt.

§. 3. Adhiberi autem hoc loco vocem ἐπληρώθη de impletione Scripturæ, addita vocula ῥηθὲν indicat, quæ est aor. 1. Part. Pass. verbi ῥέω *dico* vel *fluo*, *quod sermo sit veluti fluentum è pulmonibus per os* uti *Joh. Leusdenius* (ι) observat. Hinc ῥηθὲν significat *id*, *quod dictum est*, sive sola voce efferatur sive etiam simul scriptis mandetur. Hoc loco tamen non id, quod simul scriptum, sed quod tantum ore prolatum est, vocula ῥηθὲν intelligitur.

§. 4. A quo vero Dictum hoc, quod hic impletum dicitur, profectum sit, sequentia indicant verba διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου. Particula διὰ varias in N. T. significationes, quas *Glassius* (κ) & *Pasor* (λ) satis explicarunt, admittit. Hic sumitur *causaliter*, nec tamen *Causam Formalem* (μ) *Finalem* (ν) vel *Efficientem Principalem* (ξ) sed *ministerialem*, seu *Instrumentalem* notat. Syrus hanc significationem satis expressit voce ܒܐܝܕ *per manum.* Quæ locutio Ebræis inprimis ut & Syris maxime familiaris est, ut pro PER dicant ביד, ubi *manus* idem illis quod *ministerium* denotat: Imo in ipso Græco N. Test. textu (ο) similis loquendi modus reperitur. Cæterum quisnam alias hujus particulæ usus sit in Causa Justificationis nostræ, *Glassius* (π) & *Balth. Meisnerus* (ρ) exponunt.

§. 5. Vox autem Ἱερεμίου origine Ebraica ירמיה componitur ex R. Hebraica רום quæ significat *altum esse*, & voce יה quæ est nomen DEI. Ita contra *Schindlerum* & *Buxtorfium* (σ) *Excellent. Pfeifferus* (τ) *Hottingerus* (υ) & *Leusdenius* (φ) statuunt.

(α) *Vid. Flac. Part.* 1. *Clav. Script. p.* 417, 418. (β) *Harm. Evang. cap. CXII. pag.* 249. *seq.* (γ) *Exeg. Evang. Dom. post Circumcis. Christi.* (δ) *In Sylloge.* (ε) *Disput. inaug. de Alleg. Dict. V. T. c. V. & VI.* (ζ) *Judaif. lib. III. cap.* 3. *pag.* 1337. (η) *In Oseæ XI. pag.* 340. (θ) *Exerc. Evang. lib. I. cap.* 60. *pag.* 157.

(ι) *Clav. Græc. N. T. pag.* 10. (κ) *Phil. S. Lib. III. Tr. VI. Can.* 9. *p.* 537, 538. (λ) *Lex. Græc. p.* 182, 183. (μ) *Rom.* 3: *vs.* 25. 5: 18. (ν) *Rom.* 4: 25. 6: 4. 1 *Tim.* 4: 14. (ξ) *Joh.* 1: 3. 6: 57. *Actor.* 3: 16. *Rom.* 1: 5. 5: 2. 11: 36. *Gal.* 1: 1. 2 *Tim.* 1: 14. *Ebr.* 1: 2. 2: 10. 9: 14. (ο) *Act.* 7: 35. 14: 3. *Gal.* 3: 19. (π) *cit. l. pag.* 540, 541. (ρ) *Phil. Sobr. Part. II. Sect. I. Cap. IV. qu.* 9. *p.* 343. *seqq.* (σ) *De nom. divin. th.* 35. (τ) *Dissert. de Nom. Divin. th.* 18. (υ) *Pass. Dissert. pag.* 267. (φ) *Phil. Hebr. Dissert. XXXI.* §. 6. *pag.* 322.

tuunt. Nec obstat huic derivationi, quod hoc nomen ירמיה Mappik careat, cum etiam יְדִידְיָה aliaque ex nomine יָהּ composita eodem careant. Nomina præterea sæpissime in compositione mutationem patiuntur. Concedimus etiam loco ירמיה sæpius dici יִרְמְיָהוּ accedente ו, sed illud ו sive sit Paragogicum, sive sit ex pronomine הוא desumptum, tamen יָהּ manet. Est igitur Ἱερεμίας vi nominis idem quod *Sublimitas Domini*, ut præter alios *Becmannus* (χ) observat. De Parentibus autem, Vita & Prophetiis hujus Prophetæ præter commentatores videatur *Laurentius Fabricius.* (ψ)

§. 6. Hoc loco describit Evangelista Jeremiam *ab Officio* per additam voculam προφήτου. Unde autem ea derivetur, non omnium eadem est sententia. Quidam enim derivant illam à φαίνειν, *in lucem proferre, ostendere*, quia scil. Prophetæ populo eventus ostendere & annunciare solebant; Alii à Passivo φαίνεσθαι *apparere*, quia arcana illis per visiones apparebant. Alii, & quidem rectius, ἀπὸ τοῦ πρόφημι *prædico*, quia nempe futura prædicere sueverunt. Vocabulum προφήτης alias in N. T. ἐξοχικῶς ipsi Christo tribuitur, (ω) item Prophetis V. T. (α) imo & illis, qui in N. T. dono prædicendi futura instructi fuerunt (β) ut & præconibus verbi divini. (γ) Hoc loco Prophetam V. T. intelligi præcedens vox Ἱερεμίου satis indicavit.

§. 7. Non autem occurrit vox Ἱερεμίου in Versione Syriaca & Persica. Unde non leves de hac voce apud Interpretes ortæ sunt controversiæ. Invenitur autem locus quidam huic similis Zach. 11: 12. & 13. Hinc nonnulli existimant esse *vocem* Ἱερεμίου, ἁμάρτημα γραφικὸν seu Errorem calami & librariorum. Atque hi iterum commode in tres dividi possunt classes. Quarum prima est statuentium, Nomen Jeremiæ non esse de Textu, neque illud olim in Matthæo exstitisse, sed esse à Librario aut Descriptore, vel ex imperitia, vel ex temeritate adjectum. Huic sententiæ addicti sunt ex veteribus nonnulli, uti ex *Origene* (δ) constat. Quos secuti è Pontificiis *Baronius* (ε) & *Maldonatus* (ζ) E Reformatis *Calvinus* (η) & *Beza* (θ) Quibus accedunt *Calixtus* (ι) & *Lucas Osiander* (κ). Alteram Classem illi constituunt, qui existimant Scribarum errore nomen hoc immutatum & Jeremiam pro Zacharia positum. Eam sententiam *Eusebius* (λ) attingit, eique potissimum Pontificii inhærent, ut è *Jansenio* (μ) *Suaretio* (ν) & *Cornelio à Lapide* (ξ) videre est. E Reformatis sentit hoc ipsum *Musculus* (ο) & *Ludovicus Capellus* (π). Imo etiam *Francisco Gomaro* (ρ) hæc explicatio *probabilis videtur.* Tertia denique Classis eos complectitur, qui existimant, hanc corruptionem occasione Abbreviaturæ in Textum irrepsisse, dum pro Ζοῦ seu Zacharia lectum sit Ἰοῦ s. Jeremias, ut *Beza* (σ) & *Piscator* (τ) existimant, quod & *Flacio* (υ) *verisimile* videtur.

§. 8. Sed nos potius cum *Francisco Junio* (φ) dicimus: *Vetustas & Consensus omnium exemplarium* (uti apparet ex editione Regia, Complutensi, Wecheliana, Erasmi, Roberti, Stephani, Ariæ Montani, aliorumque) *quæ jam olim versata sunt in Orthodoxorum manibus videtur nobis hoc defensionis genus extorquere.* Ac licet in Versione *Syriaca* & *Persica* Vox Jeremiæ non reperiatur, tamen reliquæ eandem agnoscunt. Nempe Versio *Arabica*, *Æthiopica*, *Latina*, *Germanica*, (non solum B. Lutheri & Dietenbergers/ sed quædam Anno 1483. Norimbergæ edita) *Bohemica*, *Italica*, *Hispanica*, *Anglica*, *Polonica* & *Danica.* In quibus omnibus nomen Jeremiæ habetur. Esse autem hanc vocem Scribarum errore additam vel mutatam, contra divinam pugnat Providentiam, quæ nullo modo permisit, ut Sacri Codicis Textus, quoad omnia Exemplaria corrumperetur, de quo paulo post. (χ) Vocem hanc autem abbreviate scriptam fuisse, plane incertum est, cum contrarium potius ex *Eusebio* (ψ) pateat. Præterea non est tanta literæ ι & ζ conformitas, ut facile permutari quiverint, unde & *Augustinus* (ω) hoc rejicit.

§. 9. Rejecta igitur illorum sententia, qui hic Scribarum arguunt incuriam, reliquorum Explicationes paucis etiam attingemus, & videndum, quid de illis sentiendum, qui asserunt occurrere hic μνημονικὸν σφάλμα Auctoris s. Matthæi, qui ex memoriæ lapsu per incogitantiam loco Zachariæ scripserit Jeremiam. Hunc sensum *Beza* (α) *Eusebio & Augustino* (sed falso) tribuit, quem eam ob causam *Fr. Gomarus* (β) merito refutat, dicens: *Beza, dum ait, Eusebium censere cum Augustino esse* ἁμάρτημα μνημονικὸν, *in eo ipso* ἁμάρτημα μνημονικὸν *commisit.* Interim huic sententiæ favet *Erasmus* (γ) & *Nortonus Knatchbul* Anglus. (δ) Sic etiam blasphemi Sociniani de hoc loco oggenniunt, uti ex ipso infausto videre est *Socino* (ε) qui merito à *D. Thummio* (ζ) & *Magnif. Dn. D.* Deutschmann (η) *Fautore, & Studiorum nostrorum Promotore* refutatur. Hæc expositio vero ipsi contrariatur Scripturæ (θ), unde & *B. Walthero* (ι) *Blasphemia in ipsum Spiritum Sanctum redundans* dicitur.

§. 10. Nec desunt qui *tertio* existimant Vaticinium hoc olim quidem in Prophetia Jeremiæ exstitisse, sed Judæorum malitia è Textu Prophetico erasum atque sublatum esse. In quam sententiam inclinat *Eusebius* (κ) & *Justinus* (λ). Sed uti hac ratione Auctoritas Scripturæ Canonicæ V. T. & integritas Textus authentici ambigua redditur, ita insuper nulla sufficiens afferri potest ratio, cur Judæi relictis aliis V. Test. dictis, hunc locum corruperint. Videri de hac re poterunt Puritatem Fontium mascule defendentes *Brochmannus* (μ) *Gerhardus* (ν) *Glassius*, (ξ) *Hunnius* (ο) *Kromajerus* (π) *Waltherus* (ρ) *Dn. D. Wasmuth.* (σ) aliique, inprimis celeberrima Leucoreæ hujus Lumina, *Magnif. Dn. D. Calovius* (τ) *Magnif. Dn. D. Meisnerus* (υ) *Magn. Dn. D. Quendstet* (φ) *& Magn. Dn. D.* Deutschmann (χ) Præceptores ac Patroni filiali a nobis observantia colendi.

§. 11. Missis his porro accedimus ad reliquas opiniones Orthodoxiæ non adeo contrarias, uti hactenus recensitæ fuerunt. Sistit igitur se *quarto loco* sententia eorum qui contendunt, Matthæum citare quidem hoc Vaticinium ex libro Jeremiæ, sed non ex eo, qui hodie superest, & in canone habetur, sed ex Apocrypho quodam. Ita conjicit *Origenes* (ω) *Tertullianus*, *Lyra* (α) & *Vossius* (β). Quam sententiam *Hieronymus* confirmat, dicens: (γ) *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ Sectæ mihi Hebræus obtulit, Jeremiæ Apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Sed hanc Explicationem *B. Waltherus* (δ) rectissime *periculosam* appellat: Imo D. *Thummius* (ε) eam *falsissimam* judicat. Parum insuper istiusmodi Apocryphis tribuendum, uti ex *Irenæo* (ζ) *Epiphanio* (η) *Eusebio* (θ) aliisque notum.

§. 12. Succedit *quinto* Classis eorum, qui existimant, Matthæum ob summam Prophetarum unitatem & Harmoniam unonominato totum Prophetarum volumen notare voluisse; Addunt insuper quod etiam Jeremias & Zacharias uno acti fuerint Spiritu. Hanc sententiam post allatas plurimas expositiones amplectitur *Augustinus* (ι) *Glossa ordinaria* (κ) *Beda* (λ) *Gerhardus* (μ) *Glassius* (ν) & *Waltherus* (ξ). Hæc autem expositio, uti satis ingeniosa & à viris magni nominis excogitata & approbata, tamen non omnis expers est difficultatis. Observant enim alii, etiamsi unus Auctor sit Principalis, confundi tamen Amanuenses non debere.

(χ) *de Orig. Latin. Ling. pag.* 498. (ψ) *Part. Cod. Hebr. Cap.* 17. *p.* 94. 95, 96. (ω) *Matth.* 21: 11. *Luc.* 5: 16. (α) *Luc.* 16: 29. *Act.* 3: 24. (β) *Act.* 11: 28. 21: 10. (γ) 1 *Cor.* 14: 9. (δ) *in Matth.* 27. (ε) *ad A. C.* 34. (ζ) *in Matth.* 27. *p.* 631. (η) *Harmon. p.* 354. (θ) *in h. l.* (ι) *Concord. Evang. Lib.* 6. *c.* 11. (κ) *in Paraphrasi ad h. l.* (λ) *Lib.* 10. *Demonst. Evang. Cap.* 5. (μ) *in h. l.* (ν) *Part.* 3. *tom.* 2. *Disp.* 34. *sect.* 1. §. *ult.* (ξ) *in Zach.* 11: 13. (ο) *in Matth.* 27. (π) *Crit. Sacr. Lib.* 6. *cap.* 6. *p.* 417. (ρ) *Tom.* 1. *Oper. p.* 142. (σ) *in h. l. p. m.* 151. (τ) *in h. l. p.* 152. (υ) *in Gloss. N. T. p.* 127. (φ) *L.* 1. *Paral.* 48. (χ) §. 10. (ψ) *Lib.* 5. *Hist. cap.* 18. (ω) *Lib.* 3. *de Cons. Evang. c.* 7.

(α) *in annot. ad h. l.* (β) *Part. I. Oper. pag.* 142. (γ) *annot. in Matth. f.* 106. (δ) *Animadv. in N. Test. Paradoxis Orthodox. sup. h. l.* (ε) *De auctor. Script. pag.* 14. *&* 77. (ζ) *Impiet. Photin. pag.* 120. (η) *Theol. Posit. Polem. T.* 1. *Disp. IX. pag.* 139. (θ) *Joh.* 16: 13. 1 *Petr.* 1: 22. (ι) *Harm. Bib. pag.* 873. (κ) *Lib.* 10. *Demonst. Evang. cap.* 5. (λ) *in Dial. cum Tryph. Jud.* (μ) *Tom. I. Syst. I. oc. de Script. S. cap.* 2. (ν) *in Exeg. LL. CC. de Script. S. cap.* 10. §. 115. *& Conf. Cathol. L. Spec. Part. I. Art. I. c.* 2. (ξ) *Phil. S. L.* 1. *Tract.* 1. *à p.* 1. *ad* 124. (ο) *de V. D. contra Bellarm.* (π) *Theol. Posit. Polem. p.* 58. (ρ) *Harm. Bibl. sparsim.* (σ) *in vindic.* (τ) *crit. Sacr. & Tom. I. Syst. p.* 731. (υ) *in Coll. Anti-Syncr. Sect. II. loc.* 1. *de Script. S.* (φ) *Tract. de Script. S.* (χ) *c. l. p.* 142. 143. *& Disp. de æterna verbi DEI duratione p.* 15. (ω) *Tom. II. Hom.* 35. *in Matth.* (α) *in h. l.* (β) *Harm. Evang. lib.* 2. *c.* 3. §. 22. (γ) *Tom. III. Comm. in Matth.* 27. *f.* 724. (δ) *Harm. Bibl. p.* 875. (ε) *Disp. de Verbo DEI p.* 106. (ζ) *L.* 1. *adv. heres. c.* 17. *f.* 68. (η) *L.* 1. *Tom.* 3. *Her.* 39. *f.* 129. (θ) *L.* 3. *Hist. Eccles. c.* 25. (ι) *L.* 3. *de Conf. Ev. c.* 7. (κ) *in h. l. Matt.* (λ) *Tom.* 5. *Com. in h. l. f.* 110. (μ) *Harm. Ev. c.* 190. *p.* 1857. (ν) *L.* 1. *Phil. S. p.* 137. 138. (ξ) *Harm. Bibl. p.* 874. 875.

§. 13. Nec *ſexto* aſſenſum meretur noviſſima *Johannis Lightfooti* explicatio, (ο) qui Jeremiam, ut Principem Prophetarum, omnium primum ponit eundemque ut & Ezechielem Eſaiæ præmittit, rationes adducit ex Babyl. Bava Bathra (π) ſed contrarium R. Iſaac Abarbanel prolixiſſime teſtatur (ϱ) dicens inter alia: קדמונינו בני הגולה לא נהגו כן כי אם להקדים ישעיהו ואחריו יחזקל ואחרי תרישר: *Majores noſtri qui in exilio verſantur, non ita conſueverunt, ſed Eſaiam præmiſerunt, Ezechielem vero & duodecim minores ſubjunxerunt.* Adducit quidem *Lightfootus* R. David Kimchium qui (σ) Jeremiam Eſaiæ præmittit, ſed contrarium ex eodem Kimchio (τ) producimus dum ſic ait: בכל הספרים הטובים אשר ראינו שנכתבו בספרד נמצאם שנים סדורים לפני זמנם ישעיהו קודם לירמיהו כמו קדם זמנו לזמנו. *In omnibus melioribus libris, quos multis annis in Hiſpania vidimus, ordo illorum ſecundum eorum tempus habetur, ut Eſaias Jeremiam antecedat, ſicut ille hoc antiquior eſt.* De hac ſententia Jeremiam Eſaiæ proponendum eſſe ita dicit *B. D. Henricus Muller* (υ) *ſe hoc conjicere, non autem ſtatuere.* Sed quia hæc aſſertio falſa & incerta Rabbinorum nititur Hypotheſi, merito eandem deſerimus.

§. 14. Accingimus nos igitur ad ſententiam eorum, qui *ſeptimo* nodum hunc hac ratione ſolvere conantur, ut ſtatuant Zachariam duplici inſignitum fuiſſe nomine, & alias Jeremiam dictum, adeoque hic non intelligi Filium Chilkiæ, qui inter Prophetas numeratur Majores & Joſiæ docuit temporibus, ſed filium Berechiæ, qui poſt captivitatem Babylonicam vaticinatus fuit. Quæ ſententia maxime *Eraſmo* (φ) *Balduino* (χ) *Tarnovio* (ψ) Fr. *Gomaro* (ω) & *Fr. Junio* (α) probatur, & B.D. *Mullerus eam* (β) *ſimpliciſſimam & minus periculi habentem* judicat. Aſt viris hiſce haud infimi ſubſellii facile concedimus, ſæpius in Scripturis uni Perſonæ duo vel plura impoſita eſſe nomina uti *Glaſſius* accuratiſſime (γ) annotavit. Sed de Zacharia, quod duplici inſignitus fuerit nomine, ne veſtigia quidem in Sacris invenimus.

§. 15. Conantur igitur alii *octavo* hoc aſſerere Zachariam vixiſſe in Diſciplina Jeremiæ; ac proinde prophetiam Jeremiæ ad nos per Diſcipulum ejus Zachariam perveniſſe. Quæ ſententia præ cæteris *Franciſco Junio* (δ) & *Ravanellæ* (ε) probatur. Similiter *Thummius* de ea (ζ) dicit: *Citra dubium informatus eſt Zacharias in ſchola Jeremiæ, & hæc, ſi non ſcripto, certe auribus ex ore Præceptoris excepit.* Aſt hæc ſententia iterum certo caret fundamento; imo contrarium potius ex collatione temporum, quibus uterque vixit, apparet. Docuit enim Jeremias ante vaſtatam Hieroſolymam, Zacharias autem, uti ex Cap. 1: vſ. 1. Prophetiæ ejuſdem videre eſt, ſecundo demum Darii anno officium ſuum inchoavit Propheticum. Jam vero, uti ex Chronologis conſtat, CLXXX anni inter Prophetiæ Zacharianæ initium & urbis excidium præterlapſi ſunt. Unde hæc Jeremiæ Prophetia poſt ducentos ſaltem annos literis fuiſſet ſignata, quod tamen plane incertum eſt.

§. 16. Diverſam adhuc *nono* habent conjecturam *Hammondus & Joſephus Medus* (η) exiſtimantes, Euangeliſtam hac allegatione indicare voluiſſe, quod hæc tria capita, quæ à Judæis Zachariæ adſcribuntur nempe IX. X. & XI. ſint revera Prophetiæ Jeremiæ. Sed Zacharias cap. 1: 1. teſtatur, ſe viſiones & Prophetias non ab altero auditas, ſed ſibi inſpiratas proferre. Imo in ipſo capite 11: 4. ait: *Dixit Dominus meus.* Item verſ. 15. *Dixit Dominus ad me* & in hoc loco, quem Zachariæ adſcribunt verſ. 13. dicit expreſſe: *Dicit Dominus ad me.* Ergo non erit Prophetia Jeremiæ, ſed ipſius Zachariæ.

§. 17. Multo minus illorum nobis probatur ſententia, qui *decimo* exiſtimant, Euangeliſtam, citando Jeremiam, reſpexiſſe ad Judæorum perſuaſionem, imaginantium ſibi, Jeremiam ex Ægypto rediiſſe aſſumto Zachariæ nomine, vel per μετεμψυχωσιν in Zachariam tranſmigraſſe, ſicque Jeremiam eundem ac Zachariam eſſe, (ϑ) quæ expoſitio, cum fabulas ſapiat Judæorum, magis exploſione, quam refutatione digna eſt.

§. 18. Reſtat ut *undecimo* ad eos nos conferamus, qui Vaticinium hoc non ex unius Prophetæ, ſed ex plurium ſcriptis in unam ſententiam conflatum & uni Jeremiæ tributum volunt. Hi iterum in varias abeunt claſſes. Quidam cum *Epiphanio* (ι) hoc Vaticinium tribus attribuunt Prophetis. Alii cum *Sanctio* (κ) illud duobus Jeremiæ & Zachariæ adſcribunt. Apud quos tamen iterum ſententiarum occurrunt divortia. Nam quod Zachariæ Prophetiam attinet, omnes quidem unanimi conſenſu Cap. 11: 12. & 13. citant. Quod autem Jeremiam concernit, alii Caput illius 18, alii 19, alii 31, alii 32. allegant. Sed in cap. 18. Jeremiæ nil niſi nomen figuli occurrit, & Propheta juſſus eſt, domum Figuli ingredi, quod parum ad præſentem facit Textum. Ad Cap. 19. Heinſius (λ) reſpicit, ubi de agro ob cædem abominabili agitur; Hinc verba Euangeliſtæ ſic exponit: τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου (*tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam Jeremiam*) καὶ τοῦ προφήτου λέγοντος, & *per Prophetam qui dixit: h. e. & per Prophetam alterum qui dixit:* Sed uti hoc probare in *Heinſio*, viro alias celeberrimo, non poſſumus, quod Textui voculam καὶ addat, quæ tamen de Textu non eſt, etiamſi ille (μ) Robertum Stephanum & lectiones variantes ad probandam ſuam expoſitionem adducat; ſic ea, quæ cap. 19. Jeremiæ traduntur, ab hoc vaticinio à Matthæo citato, penitus aliena ſunt. Caput 31: 38. 34. 40. D. *Schlegel* (ν) citat, quod etiam parum huc quadrat. Caput denique 32. *B. Glaſſius* (ξ) & *B. Waltherus* (ο) adducunt. Sed pretium huic noſtro non reſpondet, emit præterea Jeremias agrum ibi pro ſe & ſuis, hic, à Matthæo citatus, in ſepulturam peregrinorum emtus eſt.

§. 19. Alii *duodecimo* cum *Thummio* τὸ ἐπέχειν arripiunt, qui de loco hoc ita ait: (π) *Forſan jam noſtra exſpectatur Epicriſis, qua tamen potius Auguſtini* τὸ ἐπίχειν *& ingenuum neſcire quam temerariam aliquam aſſertionem profitemur.* Et paulo poſt inquit: *Cæterum differemus ad Academiam Paradiſiacam, ubi plenius & planius de hoc controverſo & omnibus dubiis &* ἐναντιοφανέσι *locis erudiemur.*

§. 20. Nos poſtquam præcipuas de hac citatione ſatis controverſa ſententias recenſuimus, quemlibet in iis, quæ Orthodoxiæ non adverſantur, ſuo abundare ſenſu permittimus, & rem ipſam accuratiori ac pleniori Theologorum judicio committimus. Si tamen aliquid ſtatuendum nobis eſt, ne Philologi limites tranſgrediamur, literis & verbis ipſius Textus Originalis unice inſiſtimus, ubi dicitur τότε ἐπληρώθη τὸ ΡΗΘΕΝ διὰ Ἱερεμίου, προφήτου. *Tunc impletum eſt, quod DICTUM eſt per Prophetam Jeremiam.* Ex his igitur ſacri hujus Textus verbis hanc eruimus ſententiam: Sequentia verba à Matthæo è Jeremia citata, revera Jeremiæ eſſe, non autem in ſcriptis ejus conſignata, ſed ab eodem ſaltem DICTA ac ore prolata, atque Matthæo à Spiritu Sancto inſpirata. Habemus in hac ſententia præeuntes *Magnif. Dn. D. Calovium* (ϱ) *& Magnif. Dn. D.* Deutſchmann (σ) *Patronos atque Præceptores obſervantiſſime colendos*, cum quibus *B. D. Keſlerus* (τ) *Franciſcus Gomarus* (υ) aliique à *Magnif. Dn. D. Calovio* (φ) citati, faciunt: Similis loquendi modus Matth. 2: 23. & Epiſtol. Judæ vſ. 14, 15. occurrit.

§. 21. Confirmat inſuper hanc noſtram ſententiam addita vocula λέγοντος, quæ notanter additur: non enim dicitur Γράφοντος *Scribentis*, ſed ΛΕΓΟΝΤΟΣ DICENTIS. Deſcendit hæc vox à verbo λέγω, quod proprie ſignificat *dico, ore aliquid profero.* Differt eadem à verbo λαλέω, ut *Flacius* (χ) teſtatur. Cæterum varias hæc vox alias in N. T. ſignificationes admittit, dum modo *cogitandi* (ψ) modo *celebrandi* (ω) modo *præcipiendi* (α) modo *promittendi* (β) vim habet, de quo videantur *Concordantiæ Græcæ.*

(ο) *Hor. Hebræor. & Talmud ad cap. 27. Matth. verſ. 9.* (π) *Cap. 1. Maſſechet. fol. 14.* (ϱ) *Præfat. in Eſaiam.* (σ) *Præfat. in Jerem.* (τ) *Commentar. in Eſaiam.* (υ) *Hiſtor. Paſſ. & Crucif. p. 56.* (φ) *Annot. ad h. l.* (χ) *Comment. in Zach. 11. p. 733.* (ψ) *In Zach. 11. p. 301.* (ω) *Part. 1. oper. pag. 142.* (α) *In Analyſ. ad Matth.* (β) *C. l.* (γ) *Libr. IV. Grammat. Sacr. Tract. III. obſ. 12. pag. 815. ſeqq.* (δ) *Tom. 1. Parall. par. 48.* (ε) *Biblioth. Sacr. in voce Jer.* (ζ) *In Impiet. Photin. pagin. 121.* (η) *Libr. IV. Epiſt. 31.* (ϑ) *Vid. Hug. Grotius ad h. l.*

(ι) *Libr. 1. adv. hæreſ. n. 39.* (κ) *In Cap. 11. Zachar.* (λ) *Exercit. Sacr. ad h. l. Matth. pagin. 85.* (μ) *Cit. loc.* (ν) *In Hakeldama pagin. 94. ſeqq.* (ξ) *Philol. Sacr. lib. 1. Tract. 2. pagin. 158.* (ο) *Harmon. Bibl.* (π) *In Impiet. Photin. pagin. 120. & 121.* (ϱ) *Bibl. illuſtr. in h. l.* (σ) *Meditat. Paſſional. Diſſert. XVII. pagin. 134.* (τ) *Diſput. Inaug. de Dictis Script. in N. T. allegatis §. 14.* (υ) *Tom. 1. Oper. p. 143.* (φ) *Cit. loc.* (χ) *Part. I. Clav. Script. pag. mih. 594.* (ψ) *Matth. 9: 3. 24: 48.* (ω) *1. Corinth. cap. 12: 3.* (α) *Marc. 5: 41.* (β) *Joh. 16: 26.*

Græcæ. Sæpius quidem illud etiam, quod non solum ore prolatum, sed & literis consignatum est, hoc verbo innuitur: Imprimis hæc ipsa loquendi formula *impletum est dictum per Prophetam dicentem* sæpius in ipso *Matthæo* (γ) reperitur, ubi & ore prolatum & simul literis consignatum denotat; Sed hoc loco strictius accipitur, pro eo saltem, quod ore prolatum est, quia hoc vaticinium in Jeremiæ scriptis non invenimus.

§. 22. Sed missa Vaticinii hujus *Citatione* porro *Recitationem* ipsam contemplabimur, in qua primo sese sistit *ipsum Pretium*, de quo Evangelista ita: καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια &c. De Particula paulo post (δ) quædam monebimus. Jam ad vocem ἔλαβον pergimus quæ est aoristus 2. à præsenti λήβω insusitato, pro quo vulgo usurpatur anomalum λαμβάνω, quod significat *accipio*, *capio*, *consequor*, item *patior*, de quo videantur *Lexica Græca* (ε) & *Guliel. Budæus* (ζ). De Explicatione & resolutione ejusdem hoc in loco variant Auctores, dum quidam eandem in tertia plurali, quidam in prima singulari, quidam indefinite sumunt. In tertia plurali eam per vocem *Acceperunt* interpretantur *Maldonatus*, *Beza*, *Erasmus & Lucas Brugensis*. In prima singulari pro *accepi* sumunt *Castalio*, *Piscator & Tremellius*, & hi semper objiciunt auctoritatem *Versionis Syriacæ*, quia in eadem habetur vocula ܢܣܒܬ quæ est 1. sing. Præteriti Peal. à Rad. ܢܣܒ quæ significat *accepit*, *tulit*, *portavit*. Indefinite eam sumit *Grotius*, dicens (η) ἔλαβον *sumendum hic est indefinite sine ulla Personæ aut Numeri consideratione*. Hinc alii cum *Beza* & *Gomaro* perinde esse existimant, sive in prima sive in secunda legatur Persona. Nos autumamus optimam eorum esse sententiam, qui vocem hanc ἔλαβον in tertia efferunt plurali, quod satis superque vox ἔδωκαν, sequenti versiculo occurrens, quæ per copulam καὶ cum ἔλαβον conjuncta est, ostendit, dumque defensores primæ Personæ *Syriacam* afferunt Versionem eidem opponimus *Æthiopicam & Arabicam*, ex quibus *hæc* adhibet voculam اخذوا quæ est 3. pl. Masc. Conj. 1. Activ. à R. اخذ quod per omnia cum Ebræorum אָחַז *cepit*, *prehendit*, *apprehendit* &c. congruit. *Illa* reddit ነሥኡ quæ etiam est 3. Pl. M. Conjug. PALA seu primæ. R. ነሥአ *sumpsit*, *cepit*, cui Ebræorum נָשָׂא respondet. Addimus his Versionem *Vulgatam* & *Tigurinam*, quæ reddunt *Acceperunt* & Megalandrum nostrum, qui vertit, **Sie haben genommen**. Cæterum uti interpretatio Prædicati in hac voce varia est, sic etiam ipsum Subjectum, seu quinam hic dicuntur accepisse, variat. Qui enim primam adhibent Personam, subintelligunt Prophetam de se loquentem: Et *ego* (Propheta) *accepi*: Qui indefinite sumunt, certum Subjectum non intelligunt, unde *Grotius* ait: (θ) *Factum hic notatur*, *non quis faciat*. Qui vero tertiam adhibent Personam, Judæos seu summos Sacerdotes & Principes populi subaudiunt: Quæ explicatio tam Textui, quam ipsi Historiæ omnium convenientissima est.

§. 23. Quid vero acceperint seu *pretium ipsum* dicitur τὰ τριάκοντα ἀργύρια. Vox τριάκοντα nulla indiget expositione, unde ad sequentem, in qua plura erunt notanda, progredimur. Est illa Pluralis Numeri, à singulari ἀργύριον, quod communiter significat *Argentum* & deinde per Metonymiam *Pecuniam*, uti ex *Gillio* (ι) & *Instit. Ling. Græc. ad S. Apparatus instructionem* (κ) videre est. Denotare hanc vocem omnem pecuniam argento, auro æreve constantem, *Joh. Walderus* (λ) & *Conradus Gesnerus* (μ) tradunt. Hoc in loco hæc vox à nonnullis Interpretibus Adjective sumitur, & subintelligunt νομίσματα. Hinc *Hugo Grotius* (ν) ad vocem hanc ἀργύρια addit *supple* νομίσματα. Nos dicimus eam vocem hic Substantive sumi, & certum pecuniæ genus denotare, quod & *Piscator* asserit, dicens: (ξ) *Nomen Græcum Substantivum est*, *sonans argentum*; *Est igitur Metonymia materiæ. Intelliguntur enim argentei nummi*. *Syrus* adhibet vocem ܟܣܦܐ à R. Ebraica כסף *concupiscere*, *appetere*, *desiderare*. De qua videantur *Buxtorff.* (ο) *Forster*. (π) *Marc. Marinus* (ρ) *Pagninus* (σ) & *Edmundus Castellus* (τ). Ipsa vox כֶּסֶף varie quidem in S. literis accipitur, uti ex *Leusdenio* (υ) apparet. Quotiescunque autem vox כֶּסֶף sine certa determinatione in Sacris invenitur, intelligitur illud monetæ genus, quod Ebræi vocant שֶׁקֶל. Unde etiam ἀργύριον idem ac שֶׁקֶל, quod derivatur à R. שקל *appendit*, *ponderavit*. Veteres enim Ebræi, Syri & Chaldæi pecuniam non tam numerabant, quam ponderabant. Hinc & vox שֶׁקֶל sæpius in V. Test. pro Pondere accipitur (φ). Sed ἀργύριον respondet Siclo nummo, eique non Ethnico, qui inter Persas & Ægyptios, referente *Hosto* (χ), in usu fuit, sed Ebraico. Hic vero iterum à nonnullis varie subdividitur, vel ratione materiæ in *aureum* & *argenteum*, vel ratione objecti & usus, idque aut quintupliciter in 1. *Civilem* sive *Publicum*, quem *Minorem* appellant 2. *Sacrum* 3. *Regium*, 4. *Numismaticum* 5. *Publicum* quem *Majorem* vocant, aut, (quæ communissima divisio esse solet) in *Sacrum* & *Communem*. Sacrum appellant שקל הקדש Communis à Rabbinis referente *Buxtorffio* (ψ) vocatur שקל של חול Siclus *profanus*, *vulgaris & communis*. Item שקל המדינה Siclus *Provincialis* & שקל המלך Siclus *Regius*. Hanc Sicli divisionem in *Communem* & *Sacrum* præter *Buxtorffium* (ω) defendunt *Hostus* (α) *Waserus* (β) *Joh. Conrad. Dietericus* (γ) *Joh. Leusdenius* (δ) *Otho Gualtperius* (ε) *Flacius* (ζ) & plurimi de re monetaria Scriptores. Nata inde non exigua apud Philologos de utriusque Sicli valore controversia, *an sc. sacer profano altera parte major fuerit nec ne?* quibusdam affirmativam, quibusdam negativam defendentibus sententiam, uti ex *Hottingero* (η) cognoscimus. Nec minori laborat quæstio illa varietate, *utrum Siclus sacer rebus tantum Sacris, an vero etiam profanis fuerit consecratus?* Quidam enim cum *Casp. Wasero* (θ) affirmativam, quidam cum *Joh. Conrad. Dieteric.* (ι) negativam, quidam denique *cum Leusdenio* (κ) utramque amplectuntur sententiam, & sic hæc divisio Sicli in Sacrum & Communem non leves parit controversias. Sed juxta accuratissimam *Excell. Dn. J. Petri Titii*, *Præceptoris ac Patroni æternum colendi* observationem (λ) *Viri quidam doctissimi unum saltem Siclum sc. Sacrum agnoscunt*. Agnoscunt autem hunc unum Siclum Sacrum s. Argenteum *Villalpandus* (μ) *Arias Montanus* (ν) *Ribera* (ξ) & *Magn. D. Calovius*, qui prolixissime de hac distinctione (ο) agit.

§. 24. Figura horum Siclorum s. Argenteorum hæc fuit, ut in altera parte conspiciendum sese præberet vel vasculum, quo Manna servabatur in Sanctuario, vel thuribulum & fumus adscendens cum hac Epigraphe Samaritana: [Samaritan script] aut Ebraica שקל ישראל *Siclus Israelis*, vel ut *Hostus* (π) habet שקל בישראל *Siclus in Israel*. In altera vero Virga Aaronis efflorescens, vel juxta *Balduinum Walæum* (ρ) Palmas seu ramus cum hac inscriptione: [Samaritan script] aut ירושלים הקודשה *Jerusalem sancta*. Fuere juxta Dietericum & Leusdenium Sicli, qui tempore Davidis & Salomonis excussi, in quorum altera parte hæ exstiterunt voces ירושלים עיר הקדש in altera: דוד המלך ובנו שלמה המלך Pluribus de his figuris egerunt easque expresserunt *Waserus*, *Anton. Augustinus*, *Joh. Baptista Villalpandus*, *Morinus*, *Seldenus* & alii. Fuerunt etiam variæ hujus Sicli Sacri seu Argentei partes, de quibus *Magn. Dn. D. Calov.* (σ) & *Excell. Dn. Titius* (τ) *Patroni ac Præceptores colendi*, videantur. Addi poterunt *Caspar Waserus* (υ) *Matthias Hostus* (φ) *Brianus Waltonus* (χ) & *Joh. Leusdenius* (ψ). His inspectis Lector famem satis explebit.

§. 25. Pergimus igitur potius ad Valorem Argenteorum seu Siclorum, quem ex ipsorum Rabbinorum scriptis investigare possumus. Sic enim de Siclo R. D. *Kimchi* (ω) inquit: השקל ארבעה זוזא *Siclus continebat quatuor Susas*. Susa autem valet Drachmam Atticam seu Denarium Romanum, qui efficit tres grossos Misnicos. Eodem modo R. S. Jarchi (α) ait: השקל משקלו

Dd 3

(γ) *Cap.* 2: 17. 3: 3. 4: 14. 8: 17. 12: 17. 13: 35. 21: 4. (δ) §. 30. (ε) *Gesneri Gillii*, *Walderi*. (ζ) *Comment. Græc. Ling. p.* 688. (η) *In Annot. ad h. l.* (θ) *C. l.* (ι) *Lexic. Græc. Latin.* (κ) *p.* 47. (λ) *Lexic. Græco-Latin. p.* 301. (μ) *Diction. Græco-Latin.* (ν) *Ad h. l.* (ξ) *In Matth. p.* 140. (ο) *Lex. Talmud. Rabbin. pag.* 1066, 1067. (π) *Diction. Hebr. pag.* 388. (ρ) *Arc. Noë. pag.* 328. (σ) *Epit. Thesaur. p.* 48. (τ) *Lexic. Heptaglot. pag.* 1771.

(υ) *Philol. Mixt. Diss.* 28. *pag.* 187. (φ) *Num.* 7: 19, 31, 55. 1 *Sam.* 17: 5, 7. 2 *Paral.* 3: 9. *Ezech.* 4: 10. (χ) *c. l. p.* 521, 522. (ψ) *Lex. Talmud. p.* 1488. (ω) *c. l.* (α) *Lib. IV. §.* 7. *Cap. I.* (β) *De Nummis Ebr. cap.* 5. (γ) *In Antiqu. Bibl. pag.* 728. (δ) *Phil. Mixt. Diss.* 28. *pag.* 189. (ε) *Syllog. Voc. Exot. N. T. pag.* 130. (ζ) *Part. I. Clav. Script. pag.* 1162. (η) *Diss. III. de Numm. Oriental. p.* 124. (θ) *c. l.* (ι) *c. l.* (κ) *c. l.* (λ) *Comm. Numm. Cap. XVII. §.* 5. *p.* 349. (μ) *De Appar. Templ. lib.* 2. *c.* 28. (ν) *In Tubal-Cain. p.* 14. (ξ) *In Amos* 8: 15. (ο) *Tract. de Nummis Ebræor. pag.* 175, 178. (π) *Lib. IV. Cap. I §.* 12. *pag.* 619. (ρ) *Comment. in N. T. pag.* 188. (σ) *De Nummis Ebr. cap. VI-XI.* (τ) *Comment. Num. cap. XVII. & XXV.* (υ) *De Numm. & Pond. Ebr.* (φ) *De re numm. l. IV. cap. VI. VII. VIII.* (χ) *In Apparat. Bibl. de Pond. Ebr. cap. I. seqq.* (ψ) *Philolog. Mixt. Diss.* 28, 29, 30. (ω) *Comment. ad* 1 *Sam.* 9: 8. (α) *Comment. in Exod.* 21: 32.

משקלו ארבעה זהובים שהם חצי אונקיא למשקל חי שר של קלוניא: *Siclus pendet quatuor Drachmas, quæ dimidiam unciam valent ponderis genuini in colonia usitati.* Similiter R. Isaac Abarbenel (β) dicit: הנה הקירה יהוה לפני שקל הקדש אחד והוא היום בידי ומשקלי באמת חצי איקיה: *Ecce ego DEI beneficio accepi unum Siclum Sacrum & hunc ad hodiernum diem possideo, & pendet revera semiunciam.* Assensum huic Rabbinorum explicationi non solum *Josephus* (γ) (inquiens: Ὁ Σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὤν, Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. *Siclus, Numisma Ebræorum recipit Drachmas Atticas quatuor.*) verum etiam omnes Nummorum Ebraicorum scriptores §. præc. à nobis citati, præbent, qui Siclum quatuor Drachmarum Atticarum faciunt, quibus dimidius Thalerus Imperialis æquatur.

§. 26. Dum igitur de valore unius Argentei s. Sicli constat, haud difficilis erit Supputatio triginta argenteorum, quorum in Textu nostro mentio fit. Interim tamen variæ à viris alioquin doctissimis, afferuntur explicationes. Quidam enim hic *in Defectu* quidam *in Excessu* peccant. *In Defectu* peccant, qui nimis exiguam conficiunt summam, ex quibus alii per Argenteos intelligunt Denarios tantum Romanos. Denarius autem Romanus, uti accuratissimi Denariorum Scrutatores *Excellentissimus Titius* (δ) *Patronus honoratissimus* & *Joh. Frid. Gronov.* (ε) satis explicarunt, idem est, quod Græcorum Drachma, quæ saltem quarta Sicli vel Argentei pars, & sic 30. Argentei conficerent $3\frac{1}{4}$ Rthl. Sed concedimus quidem vocem ἀργύριον semel in S. Literis (ζ) pro Denario Romano accipi. Sed hoc in loco non de Romanorum, verum de Judæorum Nummis sermo est, ubi quodlibet ἀργύριον quatuor significat Denarios, uti §. præcedenti probavimus. Alii sequuntur *Budæum*, qui (η) jactat se unum ex his Argenteis Parisiis vidisse, fuisseque eum *Didrachmum*, cum quo *Marloratus* facit, & sic summa 30. Argenteorum efficeret $7\frac{1}{2}$ Rthl. Ast parum fidei illis nummis, qui ibidem inveniuntur, tribuendum; Alii denique cum *Henrico Uranio* (θ) existimant, Argenteum valuisse *trientem aurei Gallici* sicque summa XXX. Argenteorum esset $12\frac{1}{2}$ Rthl. quod etiam absque ulla probatione affertur. *In Excessu* vero peccant, qui nimis ingentem supputant summam, ad quos merito refertur *Stanislaus Grsepsius* Polonus, qui (ι) referente *Hosto* (κ) per 30. Argenteos intelligit *triginta Siclorum Auri pretia & summulas*, quæ summam efficiunt $37\frac{1}{2}$ Rthl. Rationem hanc affert, quia unguentum, in Caput Domini effusum, plus quam trecentis Denariis (quæ etiam $37\frac{1}{2}$ Rthl. valent) æstimabatur. Unde probabiliter conjicit, Judam tantum à Judæis postulasse & accepisse, quanti unguentum valere putabat, vel quanti non esse venditum indignabatur. Eadem tam quoad verba, quam quoad Supputationem & probationem, in libro, qui inscribitur *de variis Siclis & Talentis Ebræorum* (λ) nuperque curante *Henrico Güntero Thülemario* sine auctoris nomine prodiit, habentur. Sed nobis supputatio illa non arridet, probationemque judicamus insufficientem. Judam enim in prodendo Magistro suo ad unguentum in caput Domini effusum respexisse, mera conjectura est. Superest adhuc eorum classis, qui adhuc majorem computant summam, quorum Antesignanus *Joachimus Camerarius* existit, dicens (μ) *se ex Græcorum Commentariis didicisse, ἀργύρια hæc singula valuisse δηνάρια ρ´.* h.e. denarios centum, qui Minam conficiunt Atticam. Mina autem Attica valet $12\frac{1}{2}$ Rthl. Et sic 30 Minæ efficerent 375 Rthl. Hanc supputationem præter *Torniellum* & L. *Brugensem* amplectitur *Baronius* (ν) afferens duas rationes, quarum altera est testimonium R. *Eliæ Germani*, altera est, *quod ager triginta Siclis non potuerit emi.* Sed ad utrumque *Isaacus Casaubonus* (ξ) respondit. Cui addendus *Gerhardus* (ο) & *Suarez* (π). Eandem supputationem *Georgius Pasor* sequitur. Erroneam autem eam esse *Excell. Titius, Patronus devenerandus* agnoscens, pro singulari tamen, qua erga omnes utitur, modestia, de Pasore scribit; (ρ) *Aut nos mentem Pasoris non percipimus, aut ejus supputatione triginta illi argentei forent* 300 *Ducatones*, 375 *Thaleri.* Nos media incedimus via, asserentes cum *Gerhardo* (σ), *Magnif. Dn. D. Calovio* (τ) *Excell. Titio* (υ) *Hosto* (φ) *Briano Waltono* (χ) *Joh. Leusdenio* (ψ) aliisque, summam XXX Argenteorum conficere XV Taleros Imperiales.

§. 27. Essent quidem varia de XXX hisce Argenteis adhuc observanda, sed mittimus hæc, & hoc unicum saltem addimus, notanter hic positum esse Articulum τὰ, dum dicitur τὰ τριάκοντα ἀργύρια, de quo *Piscator* (ω) observat, esse eum ideo appositum, ut indicaretur, *esse hos eos Argenteos, quos filii Israel Jehovæ pro mercede dederant*, quorum apud Zach. (α) mentio fit: Sed quia hanc Prophetiam non è Zacharia, sed è Jeremia desumptam esse diximus, autumamus ideo articulum hic esse additum, ut indicaretur hos fuisse ipsos Argenteos, quos Judas tanquam execrabile proditionis præmium acceperat, quæque sine Articulo τριάκοντα ἀργύρια Matth. 26: 15. appellantur.

§. 28. Hoc ipsum pretium vero Evangelista porro appellat, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου. Vox τιμὴ propria *honorem, dignitatem* vel *reverentiam* notat. (β) Oritur ea à verbo τίω, *honoro*, item *pendo*: Unde vox τιμὴ etiam *pretium*, uti h. l. sumitur, significat. Additur autem vox τετιμημένου, quæ est genit. præt. perf. part. verbi τιμάω, quod itidem significat *honoro, in magno pretio habeo, magni æstimo.* Interdum autem vox τιμᾶσθαι idem est ac *censeri*, sæpius *vendentis* est; quod Latine *indicare* dicitur, sicut *licere* ementis, uti *Budæus* (γ) observavit. Porro varie hæc verba ab Interpretibus explicantur, *Pretium Pretiosi* verterunt *Tremellius* & *de Dieu* ex Syriaco ܛܝܡܗ ܕܝܩܝܪܐ *Pretium honorati* juxta versionem *Æthiopicam* sonat, *æstimati* secundum *Bezam, Castalionem, Erasmum* & *Pagninum. Appretiati* reddit *Vatablus* & *Hieronymus.* Arabs habet ثمن الزكي *pretium innocentis*, neque tantum nomen زكي quod significat *ingenuus virtute, pius, justus*, (à R. زكا *accrevit, auctus fuit*, item *purus, pius, justusque fuit*) sed & præterea Articulum ال propter singularem Emphasin adhibet, q. d. pretium *illius innocentis*, in cujus ore non fuit repertus dolus, & qui nullius potuit convinci criminis. Similiter *Lucas Brugensis* reddit *illius æstimati*, ut articulum τοῦ exprimat, qui non sine causa additus hic est. Pasor (δ) subintelligit agrum, ut sit pretium æstimati agri, sed nos potius & rectius cum *Gerhardo, Heinsio*, & aliis ipsum DEI filium nomine æstimati intelligimus.

§. 29. Hoc ipsum satis ex reliquis apparet verbis, quando additur: ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, in quibus Articulus ὃς demonstrat verbum ἐτιμήσαντο ad vocem τετιμημένου referendum esse. Vocabulum ἐτιμήσαντο autem est 3. persona plural. aorist. 1. med. voc. descendens iterum à verbo τιμάω. Reddunt hanc vocem *Tigurina* & *Erasmus*: *Quem æstimatum emerunt.* Ad quam Versionem *Beza* hæc annotat: (ε) *verbum τιμᾶσθαι pro emere rem æstimatam nusquam legitur.* Unde ille & *Flacius* cum *Pagnino* reddunt: *qui æstimatus fuit. Æthiops* habet *quem honoraverunt. Castalio, quem licitati emerunt. Lucas Brugensis & Piscator, quem æstimaverant. Hieronymus, quem appretiaverunt.* Syrus adhibet vocem ܕܦܣܩܘ Rad. ܦܣܩ *Constituit, pactus est, fœdus iniit.* Nunquam autem significat hoc verbum *sprevit*, uti quidem Chaldæorum פְּסַק. Proinde Syrus injuste à *Tremellio* (ζ) & aliis accusatur, quod pro ἐτιμήσαντο legerit ἠτιμήσαντο, quod à verbo ἀτιμάω *inhonoro, contemno* derivatur. Nam verbum ܦܣܩ quo Syrus utitur, hanc significationem non admittit, uti ex *B. Gutbier* (η) *Trostio* (θ) *Buxtorf. F.* (ι) & *M. Ioh. Frid. Nicolai* (κ) apparet. Arabs habet شارط quod est 3. pers. Sing. M. Præt. Conj. III. Rad. شرط quod in Conjugatione I. significat *stipulatus fuit, conditionem præfinivit.* & in III. Conjug. *certa conditione egit, pactusve fuit.* Adhibendus quidem ordinarie fuisset numerus Pluralis, ast quoniam sequens nomen بنون (hic بنو quia in regimine Nun apud Arabes abjicitur) est *humanum*, eleganter ipsi additur verbum singulare ejusdem generis in præterito, juxta Idiotismum Arabicum, de quo *Excellentissimus noster Sennertus* (λ) videri potest.

§. 30. Opti-

(β) *Comment. in Leg. fol. 205. col. 2.* (γ) *Lib. III. Antiq. cap. 9.* (δ) *Comment. Nummar. cap. VII. §. 7. & c. XIX. §. 3.* (ε) *De Sestert. s. Pecun. Vet. Gr. & Rom. lib. 2. cap. 6. pag. 192. seqq.* (ζ) *Actor. 19: vs. 19.* (η) *Lib. V. de asse.* (θ) *Lib. de re nummar.* (ι) *Lib. de multiplici Siclo & Talento Ebraico.* (κ) *Lib. 4. de re Numm. p. 652.* (λ) *p. 124, 125.* (μ) *Lib. de Græc. & Latin. Nummis.* (ν) *Ad Ann. Christi XXXIV. n. 15.* (ξ) *Exercit. XVI. n. 8. pag. 326.* (ο) *Harm. Evang. cap. 168. p. 1181.* (π) *Comment. in 3. Thom. Quæst. 46. art. 8. Disp. 34. Sect. 1. f. 336.* (ρ) *Comm. Numm. c. 25. §. 7. p. 427.* (σ) *c. l. p. 972.* (τ) *c. l. p. 179.* (υ) *c. l. p. 426.* (φ) *c. l. p. 655.*

(χ) *Appar. Bib. de Pond. Hebr. cap. 1.* (ψ) *c. l. pag. 189.* (ω) *In h. l.* (α) *Cap. XI. 13.* (β) *Vid. Lex. Græc. Varior. Auctor. in voce τιμή.* (γ) *Comment. Ling. Gr. pag. 252.* (δ) *Lex. Græc. pag. 657.* (ε) *In Not. Maj. ad h. l.* (ζ) *In h. l.* (η) *Lex. Syriac. pag. 104.* (θ) *Lex. Syriac. p. 567.* (ι) *Lex. Chald. & Syr. p. 507.* (κ) *Hodoget. Orient. Har. p. 562.* (λ) *Arabism. lib. 2. c. 3. Reg. I. annot. 4. p. 85.*

§. 30. Optima vero est interpretatio, si redditur, *æstimarunt*: Cum hac enim sequentes voces ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ conveniunt. Solent hæ alias à Philologis triplici explicari ratione; Quidam enim cum Junio hæc verba ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ conjungunt cum voce ἔλαβον, ita ut verba τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο Parenthesi includenda, integerque sic legendus: καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια (τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου ὃν ἐτιμήσαντο) ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. De qua constructione *Piscator* (μ) scribit: *Probatur mihi judicium Fr. Junii, jungentis hæc verba cum voce* ἔλαβον. Sic & *Pasor* (ν) ait: *Verba* ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ *referenda sunt ad verbum præcedens* ἔλαβον, cui sententiæ & *Heinsius* (ξ) addictus est. Alii has voces cum vocabulo τετιμημένου conjungunt, uti *Theophylactus* & qui eum sequuntur, faciunt, qua ratione συνεκδοχικῶς per filios Israel intelligendus erit Judas Ischariotes, ut hic sit sensus: *Acceperunt pretium æstimati à filiis Israel, i. e. Juda.* Alii denique cum *Erasmo* & *Vatablo* hæc verba cum voce ἐτιμήσαντο conjungunt, qui etiam hac ratione per filios Israel Judam intelligunt h.m. *quem æstimatum emerunt* (Pharisæi scil.) *seu, qui æstimatus fuit à filiis Israel, i. e. ab uno è filiis Israel sc. Juda. Flacius* vero per υἱοὺς Ἰσραὴλ & *Sacerdotes & Judam* intelligit, dum ad verba ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ hanc addit glossam (ο) scil. *ab ementibus Sacerdotibus & vendente Iuda.* Nos hanc constructionem, quatenus hæc verba cum voce ἐτιμήσαντο conjunguntur, optimam quidem censemus, interim tamen per υἱοὺς Ἰσραὴλ nequaquam Judam Ischariotem, sed ipsos summos Sacerdotes & Pontifices intelligimus. Quod satis liquet, si genuinam Præpositionis ἀπὸ, quam hoc loco habet, significationem attendimus. Ea enim vox præterquam quod alias vel per A, AB, ANTE, PER, PRÆ, POST &c. explicatur, (π) hoc loco idem est, quod ἐκ vel ἐξ & denotat EX: In qua significatione sæpius (ρ) reperitur, & sic hoc loco ἀπὸ υἱῶν idem est, quod ἐξ υἱῶν. Præterea hic adest Ellipsis quædam (quales non raro in Scripturis occurrunt & inde necessario complendæ sunt) (σ) vel articuli οἱ vel vocis τινὲς ante Præpositionem ἀπὸ, ut plena locutio hæc sit: ὃν ἐτιμήσαντο τινὲς ἐξ υἱῶν Ἰσραὴλ, *quem æstimaverant quidam ex filiis Israel.* vel οἱ ἀπ' υἱῶν Ἰσραὴλ, *quidam qui sunt à filiis Israel.* Et hoc sensu reddit Vulgata hæc verba: *quem æstimarunt, qui sunt ex filiis Israel*, in qua explicatione *viri eruditissimi, Gerhardus* (τ) *Glassius* (υ) aliique acquiescunt.

§. 31. Sed mittimus hoc ipsum iniquitatis pretium, quod nos præter institutum aliquanto prolixius detinuit, & pergimus ad pretii istius usum, quem brevibus contemplabimur. Proponitur nobis ille ab Euangelista his verbis: καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως. Vocula καὶ, quæ etiam supra (φ) occurrebat, varias admittit significationes, dum sumitur vel pro Conjunctione *Adversativa* (χ) *Causali* (ψ) *Conclusiva* (ω) vel pro Adverbio *Temporis* Tunc (α) *Comparandi* (β) *Corrigendi.* (γ) Interdum etiam pro Pronomine Relativo QUI usurpatur (δ) & in hoc sensu hoc in loco nonnulli hanc particulam accipiunt eamque aut per QUI, aut per ET ILLI vertunt. (ε) Sed rectius accipitur hoc loco, si juxta frequentissimam, quam alias habet copulandi significationem per Et reddatur. Conjungitur enim cum eadem vox sequens ἔδωκαν quæ est 3. pl. aor. 1. verbi δίδωμι. Hanc vocem Syrus vertit per verbum ܘܝܗܒܬ quod est 1. Sing. Præter. Peal. R. ܝܗܒ *dedit, tradidit.* Syrum multi sequuntur, putantes non legendum esse ἔδωκαν sed ἔδωκα. *Grotius* existimat vocem hanc indefinite hic sumi dicens (ζ): *nihil peccavit Syrus, qui hic primæ Personæ verbis usus est. Beza* plane vitio scribarum adscribit, quod literam [ν] in voce ἔδωκαν addiderint, sic inquiens: (η) *Syrus Interpres legit* ἔδωκα *dedi, quod rore fortassis altero librariorum mutatum est in* ἔδωκαν. Eadem habet Piscator (θ) *Quia Syrus habet in prima Persona, dubium non est, quin habuerit Exemplar, in quo fuit* ἔδωκα, *non autem, ut nunc legitur* ἔδωκαν. *Litera autem* [ν] *videtur adjecta ab aliquo, qui verbum* ἔλαβον *intellexerat, tanquam dictum in persona tertia plurali, hinc sic verbum* ἔδωκα *ita formavit, putans literam* ν *vitio scribæ omissam esse. Esse autem legendum* ἔδωκα *in prima persona, planum est ex verbis continenter annexis:* καθὰ συνέταξέ μοι κύριος. *Gomarus* (ι) hanc vocem impersonaliter accipit, dicens: *Dederunt impersonaliter, phrasi Hebræis usitata, pro datus est, ponitur.* Nos autem uti vocem ἔλαβον in tertia reddidimus plurali, sic etiam merito hanc ipsam ita interpretamur. Conjungitur enim cum voce ἔλαβον per particulam καὶ, & τὸ ν non additum est à Scriba, sed à Spiritu Sancto est profectum. Si enim hanc concederemus mutationem, omnino fontium corruptio statuenda esset, quæ, quam absurda sit, supra (κ) ostendimus. Et dicimus cum *Gomaro* (λ) *quod Consensus Græcorum Codicum hoc probet, à quo sine necessitate ad corrigendam lectionem non est recedendum.*

§. 32. Dederunt autem hoc pretium εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως. Præpositio εἰς, quæ sæpius pro πρὸς sumitur (μ) hic verti potest *in agrum*, vel Pro agro, uti *Lucas Brugensis* habet, *Beza & Vatablus* vertunt *ad emendum agrum.* Et hic ager dicitur fuisse τοῦ κεραμέως *figuli.* Est hæc vox genitivus Atticus vocis κεραμεύς. Notamus autem hic merito duplicem horum verborum articulum. Dicitur enim τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως. Uti enim notante *Glassio* (ν) sæpissime Emphasin singularem articulus indicat, ita etiam merito *Beza* (ξ) annotavit, duplicem hunc articulum non temere esse positum, sed *denotare eum certum celebrem, & omnibus notum agrum*, & forte ut *Gerhardus* (ο) putat, *jam venum expositum à figulo paupertate presso, ut æs alienum solveret.* Similiter *Erasmus Schmidius* (π) observat Articulum τὸν non frustra additum esse. Unde hæc verba τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως à nonnullis sic redduntur, *Agrum illius figuli*, ab aliis vero, ut *Beza & Erasmus* (ρ) habent, *Agrum illum figuli.* Vocatur autem ager figuli, vel quia alicujus figuli fuit, ut ita ratione Possessoris, ad quem pertinuit, *figuli ager* dictus sit, ut *Maldonat.* (σ) & *L. Brugensis* autumant; Alii tamen eam ob causam figuli agrum dictum putant, quod prope eum habitaverint figuli, qui extra urbem plerumque fornaces pro coquendis vasis habere solent, vel quod fragmenta vasorum fictilium in eum agrum projecta sint, uti iterum *Maldonatus, Cornel. à Lapid.* & alii adducunt. Refert Gerhardus (τ) quod nonnulli existiment, hunc agrum situm fuisse in urbe ipsa & quidem prope templum, habitasseque ibidem figulum quendam, qui vasa fictilia, in sacrificiis usurpata, formaverit, & testas vasorum in hunc agrum projecerit, unde ager ille infœcundus ac sterilis factus exiguo pretio vendi potuit. Sed ubi recte Gerhardus ibidem monuit, repugnat hoc usui istius agri, quia emebatur in sepulturam peregrinorum, jam vero sepulcra apud Judæos non in urbe, sed extra eam erant, unde nec ager in urbe esse potuit. Alii dicunt quod terra istius agri argillacea, & sic apta fuerit ad efficienda vasa fictilia, ut *Lyra & Franciscus* Junius annotant. Quæ interpretatio optima videtur, inprimis si hoc addatur, quod *Hugo Grot.* (υ) annotavit, quod hujus agri *omne uber ad figlina opera exhaustum fuerit, ita ut nullus inde fructus sperari possit.* Unde & *Erasmus Schmidius* (φ) ait: *Notatur ager quidam vilis & ferendis frugibus ineptus.* Hinc facile vili pretio XXX. argenteis emi potuit. In qua explicatione *Gerhardus* (χ) & plurimi Nostratium acquiescunt. De situ hujus agri, quod ad Australem civitatis partem fuerit, multa adducunt *Hieronymus* (ψ) *Beda*, (ω) *Baronius* (α) *Biblia Ernestina* (β) aliique. Quæ tamen, cum huc non pertineant, omittimus.

§. 33. Quod autem inprimis hunc ipsum locum Matthæi attinet, Interpretes admodum prolixi sunt in comparanda voce κεραμέως cum vocabulo יוצר quæ apud Zachariam (γ) invenitur. Reddiderunt hoc verbum LXX. per χωνευτήριον, Aquila per πλάστην, in quorum explicatione *Heinsius, Beza, Hugo Grotius*, & fere omnes illi, qui hanc Prophetiam vel [illegible] ex solo [illegible]

(μ) *Pag.* 155. (ν) *Lex. pag.* 658. (ξ) *Cit. l. pag.* 88. (ο) *In Matth.* 27. *p.* 127. (π) *Vid. Glass. Phil. S. lib. III. Tract. VI. p.* 570, 571. (ρ) *Matth.* 3:4. *Luc.* 8:2. *Matth. cap.* 27:21. *Matth.* 7:16. *Luc.* 19:39. (σ) *Vid. Glass. lib. III. Phil. Sacr. Tract.* 2. *Can.* 2. *p. m.* 173. (τ) *Cap. CXC. Harm. Eu. p.* 1858. (υ) *Cit. l.* (φ) §. 22. (χ) *Matth. cap.* 11:19. 12:39. 13:22. *Luc.* 7:35. *Ioh.* 5:40. *Act.* 10:28. *Phil.* 4:10. *Conf. Glass. Phil. Sacr. lib. III. Tract. VII. Can. XI. p.* 605. (ψ) *Luc.* 6:32. (ω) *Marc.* 10:26. 1 *Cor.* 5: *vs.* 12. *Cap.* 6:2. (α) *Luc.* 2:15. 21:25. (β) *Matth.* 6: *vs.* 10. *Act.* 7:51. (γ) *Actor.* 7:43. (δ) *Vid. Glass. c. l. Tract. I. Can. XV. p.* 101. (ε) *V. Knatchbul. c. l.* (ζ) *Annot. ad h. l.* (η) *In h. l.* (θ) *In Matth. p.* 115.

(ι) *Tom. I. Oper. p.* 144. (κ) §. 8. & 10. (λ) *Cit. l.* (μ) *Vid. Glass. Gramm. S. lib. III. Tract. VI. Can. V. pagin.* 531. (ν) *Phil. Sacr. lib. III. Tract. II. Can. I.* (ξ) *Not. ad Matth. cap.* 27:7. (ο) *Cit. l. C. CXC. p.* 1854. (π) *In Matth.* 27:7. *p.* 361. (ρ) *In h. l.* (σ) *In Matth.* 27:7. *p.* 629. (τ) *Cit. loc.* (υ) *Annot. ad Matth.* 27:6. (φ) *Not. in N. T. p.* 36. (χ) *Cit. loc. pag.* 1854. (ψ) *Tom. I. lib. de locis Hebraicis ad Actor. Apost. f.* 1440. (ω) *Tom. III. lib. de locis sanctis cap.* 4. *f.* 49. (α) *Ad A. C. XXXIV. n.* 17. (β) *In Explic. Tabulæ hujus urbis n.* 208. (γ) *Cap.* 11:13.

ex solo Zacharia, vel ex Jeremia & Zacharia desumptam putant, quorum supra (δ) mentionem fecimus, desudant. Sed quia (ε) indicavimus, hæc verba non ex Zachariæ, sed Jeremiæ Vaticinio citata esse, hoc labore satis commode hic supersedere possumus.

§. 34. Restat denique Prædictionis hujus Principium, quod etiam resolvendum esset. Sed ne plus nimio prolixi simus, tribus, quod ajunt, verbis nos expediemus. Particula καθὰ derivatur ex Præpositione κατὰ & Articulo ἃ *secundum quæ*. Est alias κατὰ Præpositio variarum significationum esse, ac per AD, ANTE, DE, EX, IN, INTER, PROPTER, SECUNDUM explicari solet. (ζ) Sequitur vox συνέταξε, quæ componitur ex σὺν & τάσσω, quod est *ordino*, *constituo*, *jungo*. (η) Vocabulum κύριος etiam diversas agnoscit significationes, hic de Solo DEO usurpatur. Cæterum de his verbis non exigua dantur Criticorum divortia, dum quidam eadem S. Matthæo, quidam vero Zachariæ tribuunt. Adducere verba & sententias eorum chartæ penuria prohibet. Unicum saltem audiemus Heinsium, qui de his verbis ita ait: (θ) *Hæc verba* (καθὰ συνέταξέ μοι ὁ κύριος) *quo referrent eruditi hactenus, ni fallor, non viderunt, cum id tamen cætera confirment: Verba autem h.m. ordinanda*, καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ [καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως] καθὰ συνέταξέ μοι ὁ κύριος. Existimat enim verba quæ de pretio agunt, esse Zachariæ, & quæ de agro, Jeremiæ. Sed falsum hoc esse, ex præcedentibus liquet. Unde hic nullam parenthesin agnoscimus, sed simpliciter hæc verba tanquam Prophetæ Jeremiæ sic explicamus, qui dixit de pretio & agro, addens: Sicut præcepit mihi Dominus. Arabs adhuc majoris asseverationis ac emphaseos gratia addit: كذلك اقول *Sic ego dico*. Quæ verba tamen in nulla alia, quantum nobis constat, reperiuntur Versione. Sed nos hic subsistimus, cætera, quæ de hoc dicto commode addi potuissent, ipsi reservantes conflictui.

(δ) §. 7, 9, 10, 11, 14. (ε) §. 20. (ζ) *Vid. Glass. lib. III. Tract. VI. p. m.* 575. (η) *Vid. Lexic. Græc.*

(θ) *Exercit. Sacr. pag.* 88.

M. GEORG. JER. HOFMANNI
PROCESSUS CRIMINALIS SYNEDRII MAGNI
Adversus Salvatorem ad Judæorum leges exacti ἀνομαλία ad Matth. XXVII. &c.

Q. D. B. V.

§. I.



Equidem unigenitum Altissimi Numinis Filium, cujus non modo infinita sanctitas atque bonitas ab omni crimine non poterat non abesse quam longissime, sed qui stupendorum quoque miraculorum multitudine de gente Judæorum optime meritus fuerat, ab eadem tamen, perditissimi nebulonis more, dirissima pariter ac ignominiæ plenissima morte affectum esse, ipsum facinus est, quo uti non aliud indignius natura vidit, ita vario quoque specimine merito fuit detestata. (a)

§. II. Quod si tamen modum insuper, & qua in perpetrando tam nefando opere usi fuerint ratione, spectes, hæc quoque ita comparata, ut si vel cum sonte res fuisset, optimusque Salvator noster omnium eorum scelerum, quorum quidem reum ipsum agere impudentissima ora non dubitarunt, culpam vere contraxisset, gravi tamen ira divina vel sic satis digni essent, tot bonis & Judæorum quidem opinione divinis constitutionibus de rite tractandis tanti momenti rebus, temere violatis.

§. III. Quod uti gloriam passionis Dominicæ adeo non minuit, ut potius multo reddat illustriorem; (quo enim plus tulit injuriarum, eo plus meretur gratiarum) ita ne præter rem & per adulationem duntaxat elocuti videamur, nunc toto illo Processu adversus Dominum nostrum criminali in scenam veluti producto, & ad Judæorum leges forenses comparato, fidem dictis facere quodammodo, conabimur. Quod faxit DEUS ut cedat feliciter!

§. IV. Uti autem Processus ille actibus absolvitur uno pluribus, ita placet in iis examinandis eum sequi ordinem, quo ipsos SS. Euangelistas usos cernimus in iisdem recensendis, facto quidem initio à Synedrio isto ex Pharisæis & primoribus Sacerdotum, audita Lazari per Christum facta ex mortuis resuscitatione, coacto, quod inde ab hoc tempore omnes nervos in mortem Salvatoris nostri intentos eos habuisse Johannes testatur Euangelista, reliqua quoque Acta memoriæ prodita relinquens hisce verbis:

CAP. XI: vs. 47, 48, 49, 50.

Συνήγαγον οὖν οἱ Ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ Φαρισαῖοι συνέδριον, καὶ ἔλεγον, τί ποιοῦμεν; ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ σημεῖα ποιεῖ. Ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν. Καὶ ἐλεύσονται Ῥωμαῖοι καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. Εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν Καϊάφας Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, εἶπεν αὐτοῖς. ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οὐδὲν· οὐδὲ διαλογίζεσθε ὅτι συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται.

Subjungit vers. 53.

Ἀπ' ἐκείνης οὖν τῆς ἡμέρας συνεβουλεύσαντο ἵνα ἀποκτείνωσιν αὐτόν.

§. V. Sive hic Judices spectes, sive definiendi rationem, sive quo loco hæc acta sint, ἄνομα omnia. Judices quidem quod concernit, causa inpræsentiarum tractanda criminalis erat, quales apud Ebræos דיני נפשות audiunt. His dijudicandis uti

(a) *Matth.* 27: 50. *Luc.* 23: 44.

uti non ex æquo omnes Iſraelitæ, ſed præciſe vel Clerici, Sacerdotes nimirum & Levitæ, vel ex Laicis ii duntaxat, quorum filias Sacerdotes ſine dedecore ordinis ſui ducere uxores poterant, (a) præſtantiores ſcilicet ac nobiliores; (b) ita nec hi tamen promiſcue, ſed illi demum idonei eſſe juſſi fuerant, qui pueritia variarumque rerum ſcientia præ aliis eſſent conſpicui. (c) Quales quo minus præſentis Synedrii Aſſeſſores credamus, Caiphæ iſta verba movent: Οὐκ οἴδατε οὐδὲν, quæ in Viros eruditos ac prudentes vix quadrant.

§. VI. Quantum ad rationem definiendi, vides ut incerti prius conſilii mox ad unius ac ſolius Caiphæ inſtantiam Salvatori noſtro mortem decernere non dubitent; id quod alias expreſſo penes ipſos edicto uſque adeo erat prohibitum, (d) ut, cum in aliis cauſis non-Criminalibus deciſio ſemper ſequeretur vota majora, quantulumcunque eſſet, quo altera pars alteram excederet, cauſæ Criminales præter alia multa hoc quoque haberent ab illis diverſum & peculiare, quod ad abſolutoriam quidem ſententiam pronunciandam ſufficeret, ſi ſimilium votorum numerus vel ſola unitate major fuiſſet quam condemnantium; damnare autem non liceret niſi ex condemnantium parte minimum duo plures, quam oppoſita abſolventium numerati eſſent (e).

§. VII. Atque hinc ſi forte contigiſſet, ut hi unico ſaltem illis eſſent pauciores, oportebat Synedrium quodvis, quod infra LXXI. eſſet, tamdiu augere numerum Senatorum ſuorum, ac ſubinde binos, Hieroſolymitanum quidem illud magnum proculdubio ex Collegis ordinariis, hactenus tamen in judicio nondum præſentibus (f) minora vero ex תלמידי חכמים (Fori Candidatis) quorum hunc in finem tres claſſes, ſingulæ XXIII. capitum, judiciis ſemper intererant, in ſocietatem operis evocare, quoad alterutra pars ad juſtum excreviſſet numerum, ſcilicet vel abſolventes uno, vel condemnantes duobus eminuiſſent (g).

§. VIII. Quod ſi recentes iſti ſurrogati & ipſi inter ſe diviſi eſſent, altero ſemper ad hanc, altero ad illam partem accedente, jamque ad LXXI. uſque addendo perventum (ultra quam numerum multiplicari Synedrium nullum poterat,) (h) oportebat tamdiu ultro citroque diſputare, donec aliquis relicta priori ſententia ad alteros tranſiret. (i) Ubi vero pertinaciores omnes ſemel latis ſuffragiis inſtitiſſent, ne locum calumniæ darent, quaſi univerſum ſynedrium caſui cuidam ſolvendo impar fuiſſet, reum dimittebant (k).

§. IX. Quid

(a) *Maſſech. Sanhedr. cap. IV. th. II.* הכל כשרין לדון דיני ממונות ואין הכל כשרין לדון דוני נפשות׃ אלא כהנים׃ לוים וישראלים המשיאין לכהונה׃ *id eſt*, Cauſis pecuniariis judicandis recte adhiberi poteſt quilibet Iſraelita, criminalibus vero non niſi Sacerdotes, Levitæ, & Iſraelitæ uxores dantes Sacerdotibus; *hoc eſt, uti Commentarii habent*: ראוים להשיא בנותיו לכהנים apti qui filiam elocare poſſent Sacerdoti cuidam.

(b) *Maimon. Hilk. Sanhedr. cap. II. th. I.* אין מעמידין בסנה׳ אלא כהנים לויים וישראלים המיוחסים הראוים להשיא לכהונה ש״נ והתיצבו שם עמך ברומין לך בהכמה ביראה וביחס׃ *id eſt*, Nemo adſciſcitur in ſynedrium niſi ſit vel Sacerdos vel Levita vel Iſraelita incluta ſtirpe editus, cujus filiam ducere Sacerdos aliquis queat, idque vi ejus quod dicitur: conſtituantur ibi tecum Tui ſimiles, nimirum ſapientia, pietate & illuſtri familia.

(c) *Maimon. Hilk. Sanhedr. c. II. th. I.* אין מעמידין בסנהדרין בין בגדולה בין בקטנה אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגים בחכמת התורה בעלי דעה מרובה יודעים קצת משאר חכמות כגון רפואות וחשבון ותקופות ומזלות ואיצטגנינות ודרכי המעוננים והקוסמים והמכשפים והבלי עבודת כוכבים ומזלות וכיוצא כאלו כדי שיהיו יודעים לדון אותם׃ *id eſt*, Non recipiuntur in Synedrium niſi Viri Sapientes atque docti, eximia inprimis legis Moſaicæ peritia inſtructi, tum quoque in omni reliquo ſcibili aliquantum verſati, Medicina e. g. Logica, Matheſi, Aſtrologia, Aſtronomia, artibuſque ipſis magicis, & ſimilibus, quo de ejuſmodi rebus judicare valeant.

(d) *Maſſech. Sanhedr. cap. I. th. VI.* מנין להביא עוד שלשה ממשמע ש״נ לא תהיה אחרי רבים לרעות׃ שומע אני שאהיה עמהם לטובה׃ אם כן למה נאמר אחרי רבים להטות לא כהטייתך לטובה הטייתך לרעה׃ הטייתך לטובה על פי אחד הטייתך לרעה על פי שנים׃ *id eſt*, Unde nam probari poteſt, quod (*ad XX. illos, quod ad Synedrium minus ipſo jure divino requiri hactenus probarant*) addendi adhuc tres ſint? *Reſp.* inde quod dicitur: ne, ſi mali quid faciendum, ſequaris cœtum majorem. Hinc enim infero, ſequendum tamen eſſe ſi ad bonum tenderit. Dicis: Eccur ergo alibi dicitur: ſtatuendum eſſe quod pluribus placuerit. *Reſp.* Alia eſt ratio odioſorum alia favorabilium; In his ratio habenda vel unius. In illis non niſi duorum &c.

(e) *Maſſech. Sanh. cap. IV. th. I.* מה בין דיני ממונות לדיני נפשות־דיני ממונות מטין על פי אחד בין לזכות בין לחובה׃ ודיני נפשות מטין על פי אחד לזכות ועל פי שנים לחובה׃ *id eſt*, Quomodo differunt judicia criminalia à pecuniariis! *Reſp.* —— In his tam favorabile quam odioſum deciſum ſit ob ſuffragium unius; In illis favorabile quidem itidem ob ſuffragium unius, odioſum non niſi ob duorum. *Expreſſius nonnihil Maim. Hilk. Sanh. c. VIII. th. I.* בדיני נפשות אם נחלקו בזה החוטא אם יהרג או לא יהרג אם היו הרוב מזכין זכאי ואם היו הרוב מחייבין אינו נהרג עד שיהיו המחייבין יתר על המזכין שנים וגו׃ *hoc eſt*, In judiciis criminalibus diſſentientibus inter ſe Judicibus capitene plectendus ſit reus an minus? ſi potior pars parcendum reo eſſe cenſeat, parcendum omnino eſt; ſin morte dignum judicarit, hæc reipſa non infertur, niſi ita ſentientium duo plures exiſtant quam abſolventium &c.

(f) *Ut hoc intelligatur, not. ex Maimon. Hilk. Sanh. c. III. §. 2.* אין ב״ד של ע״א צריכין שיהיו יושבין כולן כאחד במקומן שבמקדש אלא בעת שיהו צריכין להתקבץ סתקבצין כולן ובשאר העתות כל מי שהיה לו עסק יצא לעשות חפצו וחוזר והוא שלא יפחתו מכ״ג יושבין תמיד כל זמן ישיבתן׃ הוצרך אחד מהן לצאת ה״ז מסתכל בחבריו הנשארים אם ישארו שם כ״ג יצא ואם לאו לא יצא עד שיבא אחר׃ *id eſt*, Ad Synedrium magnum ſeptuagintavirale conſtituendum non opus eſt ut omnes LXXI. ſemper conveniant ad locum iſtum ſanctuarii ſynedrio dicatum; ſed ſi quidem caſus inciderit, qui univerſorum præſentiam requirit, univerſi convocantur. Alias vero ſicui incumbant negotia alia, abire rebuſque ſuis vacare & hinc ad Collegas reverti licet, modo ne ipſo abeunte pauciores quam XXIII, quod minimum ad quamlibet cauſam tractandam requiruntur, remaneant. Hinc ſi, uti modo diximus, negotia privata quem avocent, circumſpiciat, quod abiturus Collegas relicturus ſit. Si XXIII. abeat, ſin pauciores, expectet quoad venerit alius.

(g) *Maſſech. Sanhedr. cap. IV. th. IV.* ושלש שורות של תלמידי חכמים יושבין לפניהם׃ Tres quoque claſſes candidatorum coram aſſidebant. *Ad quæ verba R. de Bardenura*: וכל שורה של כ״ג ת״ב שמא יחלקו הדיינים ויהיו רובן מחייבין ומעוטן מזכין והטייה לרעה אינה על פי אחד כרכתיב לא תהיה אחרי רבים לרעות וצריך להוסיף שנים שנים עד ע״א הלכך צריך להושיב לפניהם ת״ב להשלמת שבעים ואחד׃ Quælibet claſſis XXIII. continet Candidatos. Cum enim fieri poſſit ut Judices dividantur, ita ut ex condemnantium parte ſint uno plures, quam ex altera abſolventium, nec tamen in odioſis deciſum ſequi debeat vota utcunque plura, juxta id quod ſcriptum eſt: ne ſequitor plures ad malum; atque ita neceſſe ſit Synedrium binis ſubinde, uſque ad LXXI. augeri, præſto eſſe oportet Candidatos, ut ex illis ſuppleri numerus iſte poſſit &c. *Add. Maim. Hilk. Sanhedr. cap. I. th. VII.*

(h) *Vid. verba modo ex Bardenuræ commentar. citata, itemque Maſſech. Sanhedr. cap. V. th. V.* עד כמה מוסיפין שנים שנים עד שבעים ואחד׃ *id eſt*, Quo nam uſque binos ſubinde adjicere ſolent? *Reſp.* uſque ad LXXI. perventum ſit.

(i) *Maſſech. Sanhedr. citato loco*: שלשים וששה מזכין ול״ה מחייבין זכאי ל״ו מחייבין ול״ה מזכין דנין אלו כנגד אלו עד שיראה אחד מן המחייבין דברי המזכין׃ Si ex LXXI. illis XXXVI. abſolvendum, XXXV. vero condemnandum cenſuerint reum, abſolvitor; Sin vice verſa, diſceptent invicem donec cuidam ex condemnantibus placuerit ſententia contraria. *Quæ ultima verba non excluſive accipienda eſſe monet Maimon. Sanhedr. cap. IX. th. II.* הגיעו לע״א דנים אלו כנגד אלו עד שיראה אחד מהן דברי חברו ומזכין אותו או מחייבין׃ Si ad LXXI. jam excreverint, rationes ultro citroque ventilant donec cuidam ex illis arriſerit ſententia Collegarum ſuorum, & prout id ceciderit, vel abſolvunt vel condemnant. *Jung. cap. X. th. II.* ובכלל לאו זה שלא יחזור המלמד זכות בדיני נפשות ללמד חובה וכו במה דברים אמורים בשעת משא ומתן אבל בשע׳ גמר דין יש למלמד זכות לחזור ולהתמנות עם המחייבין׃ Eſt inter præcepta negativa (*de rite tractandis criminalibus*) & iſtud, quod qui ſemel excuſare reum ejuſque cauſæ patrocinari ſuſcepit, ei integrum non ſit mutare mentem in odioſum. Quonam uſque vero ſe extendit hoc præceptum? *Reſp.* ad tempus deliberationis; Cum autem finita deliberatione jam definiendum ac ſtatuendum eſt, licet ei qui ante patronum egerat, nunc abjecta priori ſparta ſe jungere condemnantibus. *Idem repetit cap. XI. th. I.*

(k) *Jom Tof in Toſeph. ad Sanhedr. c. V. th. V.* לא ראו מאי פוטרין אותו רגנאי לב״ח דין שיצאו במחלוקת ואין יודעין לגמור את הדין׃ Si nemo mutare ſententiam velit (*vid. verba paulo ante è Cod. Sanh. cap. V. th. V. ad lit. i. citt.*) quid tunc? *Reſp.* dimittunt reum.

§. IX. Quid ergo quod hic toto reliquo Synedrio leniora, ut videtur, consilia meditante, unius Caiphæ vox tantum valere cernitur, ut abhinc Salvatori nostro vitæ securo esse non amplius licuerit.

§. X. Neque est, quod autoritatem Summi Pontificis prætendas, cujus vox forte instar multorum æque fuerit ac hodie videmus in Comitiis aliisque Collegiis unius votum habere rationem duorum, trium, ac multo plurium; aut qui fortassis ita fuerit superior toto Synedrio ut hoc quidem nil sine illius confirmatione & approbatione, ipse tamen solus ac vel inconsulto Synedrio valide statuere potuerit. Ignota enim penes Ebræos hæc summi Pontificis eminentia penitus. Ex adverso potius ne de facto quis authoritate vel summi Pontificis vel alius cujusdam collegæ superioris oculos sibi præstringi pateretur, cautum erat, ne in causis criminalibus superiores prima, sed post omnes alios demum sua ferrent suffragia (l).

§. XI. Denique nec eo, quo par erat loco, hæc geruntur. Erat inter conclavia illa, quæ templum Hierosolymitanum habebat bene multa, quoddam, quod לשכת הגזית seu conclave cæsorum lapidum nuncupabatur, judiciis exercendis sacrum (m) atque ita proprium, ut Synedrium magnum vi Deut. 17: vers. 10. extra illud circa דיני נפשות inprimis nil rite decernere, intra illud vero fallere vel falli se non facile posse arbitraretur. Tradunt autem, quadraginta annis ante excidium urbis, cum latrones ita invaluissent, ut iis compescendis jam non satis virium amplius haberet Synedrium, quo Conscientiis suis Patres ejus Conscripti consulerent, relicto hoc conclavi, secessisse ad loca alia, quod hac ratione in promtu esset coram DEO excusatio, cur in facinora ista non animadverterint, quod videlicet extra Conclave istud capitalia exercere non integrum fuerit judicia. (n) Sicque primo ad Tabernas, hinc in urbem, mox alio Synedrii sedes translata (o).

§. XII. Cum jam constet mortem Salvatoris nostri itidem in quadragesimum annum ante Hierosolimas à Rom. devastatas incidisse (confer. Matth. 26: 55.) non possumus non suspicari in tabernis potius, vel loco quodam Civitatis, forte Caiphæ palatio, uti in seqq. factum videbimus, hæc tractata fuisse atque ita Patres istos injuria sibi arripuisse potestatem quæ ipsos extra conclave suum minime decebat.

§. XIII. Equidem non ignoramus quid pro declinanda hac exprobratione Judæi memorent, nimirum Synedrium subinde, & nominatim quoque in causa Jesu nostri rediisse ad Conclave istud. (p) Sed vereor ne emolliendi processus illius sui ergo, uti alia quoque, ficta hæc sint. Certe cum in aliis circumstantiis longe gravissimis à recepto alias more abire non fuerint veriti, cur circa hanc eos usque adeo Conscientiosos fuisse credamus. Si tamen verum est, quomodo excusabunt quod ad tot nefanda scelera ac latrocinia immotos se continuerint, iisque impune toleratis ad conclave reverti noluerint, de tollendo vero Jesu tam solicitos se gesserint. Scilicet jam tum apud hos quoque plus Ratio status quam divina lex valuisse cernitur & religio. Ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω ἐλεύσονται Ῥωμαῖοι.

§. XIV. Sic ergo hactenus infelix consilium de perdendo Salvatore nostro procuditur. Enimvero opere ipso illud exequi res erat difficilior, quam ut nova opus non esset consultatione. Nec enim quæ hactenus recensita sunt, tam tecte & occulte fiebant, quin Salvatori nostro innotuissent, qui proinde, ne citius quam juxta divinum decretum par erat, moriendum esset, consultum ducebat tantisper latitare. (q) Unde factum ut non aliam ejus potiundi occasionem sibi relictam ratum Syne-

(k) ... reum. Turpe enim est Senatui, discedere distractum ac nescire qualem pronunciare debeat sententiam. *Add. Maim. Sanh. cap. IX. th. II.*

(l) *Maff. Sanhedr. cap. V. th. II.* דיני הטומאות והטהרות מתי מתחילין מן הגדול דיני נפשות מתחילין מן הצד: *hoc est*, Si de pollutione vel munditie quæstio inciderit, incipiunt (*in votis colligendis*) ab eminentiore; In causis criminalibus vero à latere. *Quibus postremis verbis respicitur ad formam illam seu ordinem in sedendo adhibitum, traditum ex parte Sanh. cap. IV. th. III. verbis*: סנהדרין היתה כחצי גורן עגולה כדי שיהו רואין זה את זה: *id est*, Synedrium sedebat per semicirculum, quo alter alterum intueri posset; *Plenius vero apud Maimon. Hilk. Sanh. cap. I. th. III.* הגדול בחכמה שבכולן מושיבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמים נשיא בכל מקום והוא העומד תחת משה רבינו ומושיבין הגדול שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו והוא נקרא אב בית דין ושאר השבעים יושבים לפניו כפי שניהם וכפי מעלתם כל הגדול מחבירו בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר מחברו: *id est*, Eum cujus præ cæteris omnibus insignis est sapientia, caput & præsidem Synedrii eligunt. De quo quoties Doctores nostri loquuntur vocabulo נשיא (Principis) utuntur. Et hic Mosen repræsentat. Ex reliquis, qui præsidem sapientia proxime æquat secundus ab eo constituitur, eidemque proximus à dextris assidet, ac אב בית דין (Pater Synedrii) audit. Inter eos vero qui restant, servatur ordo annorum ac dignitatum quove quisque altero majore pollet sapientia, eo propiorem à sinistra præsidis locum occupat. מן הצד *igitur idem est, ac* מן הקטנים בחכמה יושבים מן הצד: ab inferioribus, sedentibus ex latere, *ut bene reddit R. de Bardenura, rationem quoque theseos promens his verbis*: דאמר קרא לא תענה על ריב· וכתיב רב כלומר לא תענה על מופלא שבבית דין ולנטות מדבריו· לפיכך אין שומעין דבריו אלא בסוף: quia dicit Scriptura: Ne loquitor contra ריב. ubi Ketif loco ריב habet רב, ut sensus sit: ne contradicas ei qui Te est præstantior in Synedrio, vel à Sententia ejus abeas. Hinc ultimo demum loco dicito. *Quod si enim quo quisque esset in Synedrio superior eo prior quoque audiretur, (sunt verba Jom Tof)* יש לחוש שמא לא ירצה התלמיד לחלוק אחר כך על הרב כי יתבייש ממנו ויבנים דבריו: verendum esset ne, si reliquorum unus atque alter fuerit prioris discipulus, reverentia erga Magistrum ductus dissentire ab eo propriamque mentem exponere nolit; *id quod facile præjudicio esse posset litigantibus. Nunc autem* כשאומרים הקטנים תחלה אינם נוטים מדברי המופלא שאומר אחריהם: Dum inferiores vota ferre incipiunt, non possunt contradicere præstantioribus, utpote demum dicturis.

(m) *Cod. Middoth. cap ult. th. ult.* לשכת הגזית שם היתה סנהדרי גדולה של ישראל יושבת: Porro est Conclave cæsorum lapidum; Ibi sedebat Synedrium magnum.

(n) *Gemar. ad Avod. sar. fol. 8. pag. 2.* ארבעים שנה עד לא חרב הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחנות מאי טעמא כיון דחזו דנפישי להו רוצחין ולא יכלו למדן אמרו מוטב נגלי ממקום למקום כי היכי דלא לחייב דכתי' ועשית על פי הדבר אשר יגידו לך מן המקום ההוא מלמד שהמקום גורם: *hoc est*, Quadraginta annis ante templi excidium migravit Synedrium & sedere cæpit in Tabernis. Cur vero hoc? quia viderant latrones tantum crevisse judicio in eos animadvertere non amplius valerent, existimarunt consultissimum futurum, mutare locum. Sic enim se non obligatos fore ad puniendos maleficos illos, cum Scriptura dicat: Agito juxta verbum illud quod tibi indicabunt de loco isto, manifeste docens ex loco pendere obligationem. *Inde igitur factum, ut neque Hierosolymis, neque uspiam alibi per totam Rempublicam Judaicam judicia amplius exercerentur capitalia, fatente ipso Maimonide Hilk. Sanhedr. cap. XIV. th. XIII.* ארבעים שנה קודם חרבן בית שני בטלו דינר נפשות מיש"ר אף על פי שהיה המקדש קיים מפני שגלו חסנ"ה ולא היה שם במקומן במקדש: Quadraginta annis ante templum secundum devastatum, desierunt judicia capitalia in Israel, sanctuario licet adhuc existente incolumi, ideo quod Synedrium migraverat, neque amplius loco debito sanctuarii utebatur. *Nam* אין דנין דיני אפישות אפילו בסנהדרין קטנה שבכל עיר אלא בזמן שהיתה סנהדרין גדולה בישיבתה ובמקומה המיוחד לה והוא לרכת הגזית: Ipsis etiam Synedriis minoribus qualia singulis Civitatibus præfecta erant, non competebant judicia criminalia, nisi Synedrio magno quoque simul sedente & quidem in loco suo proprio, Conclavi scilicet cæsorum lapidum *Tosipht. ad Avod. Sar. fol. 8. pag. 2. ad quod à minoribus illis in casu necessitatis provocari posset, quo de plura vid. ap. Maim. Hilk. Mamr. cap. I. th. IV. itemque Massech. Sanh. cap. XI. th. II.*

(o) *Rosch. Haschan. Babyl. fol. 31. pag. 1. lin. ult.* גלתה סנהדרין מלשכי' הגזי' לחנות מחנות לירושלם מירושלם ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא לשפרעם ומשפרעם לבית שעריל ומבית שערים לצפרי ומצפרי לטבריא: Migravit Synedrium à Conclavi Gasith ad Jasnen; à Jasne ad Osham; ab Oscha ad Sepharaamam; à Sepharaama ad Beth Shaaraim; à Beth Shaaraim ad Tsipporin; à Tsippori ad Tiberiada. ומשם (*sunt verba Maimon. Hilk. Sanhedr. cap. XIV. th. 12.*) לא עמד בית דין גדול עד עתה וקבלה היא שבטבריא עתידין לחזור תחילה ומשם נעתקין למקדש: Ibi intercidit synedrium magnum neque hactenus, restitutum est. Et ex traditione credimus fore, ut Tiberiade olim prima vice rursus conveniat, & hinc ad sanctuarium retrogrediatur.

(p) *Tosipht. ad Sanhedr. fol. 37. pag. 2. lin. 25, 26.* כשהיו מאין צורך שעה היו חוזרין ללשכת הגזית כי עובדא דישו וכיוצא בו: Si quando necessitas postulare videbatur recipiebant se ad Conclave Cæsorum lapidum, ut in negotio cum Jesu factum, similibusque aliis.

(q) Joh. 11: 54.

Synedrium, ipſo feſto inſtanti, quo Hieroſolymas pro more gentis & ipſum venturum eſſe nullum erat dubium, intercipiendum cenſeret. (r) Aſt nec hoc ſatis tutum ac facile fore cernebant. Rurſus ergo congregantur, de re tam ardua porro deliberaturi. Quo de Matthæus cap. 26: 3. hæc habet:

Τότε (biduo ante Paſcha) συνήχθησαν οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ εἰς τὴν Αὐλὴν τοῦ Ἀρχιερέως τοῦ λεγομένου Καϊάφα, καὶ συνεβουλεύσαντο ἵνα τὸν Ἰησοῦν κρατήσωσι δόλῳ καὶ ἀποκτείνωσιν. ἔλεγον δέ: Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ.

Add. Marc. 14: 1, 2. Luc. 22: 1, 2.

§. XV. Tantum abeſt ut anteactorum iniquitas præſenti conſeſſu emendata fuerit, ut dubium potius ſit hic gravius an illic in leges ſuas impegerint. Certe non ſolum qui minime conveniebat locus, (s) domus nimirum Caiphæ, & nunc eos tenuiſſe ab Euangeliſta perhibetur, verum etiam illam moderationem ac cautionem, qua in fundendo ſanguine humano uti alias juſſum erat, omnem abſuiſſe deprehendimus.

§. XVI. Perſuaſum erat Judæis quotieſcunque vel nocens quiſpiam homo (quanto magis ſi innocens) capite plecteretur, DEUM optimum maximum ipſum ſimul affligi ac dolorem ſentire non exiguum. (t) Quare ne tranquillitatem ſummi numinis turbarent, haud facile quenquam neci tradendum putabant. Atque hinc judiciis Criminalibus eæ poſitæ regulæ, quibus obſervatis, non mirum, ſi ſæpe per integros ſeptem imo ſeptuaginta annos vix unicum mortis ſupplicio affectum videre contigit, ac celebres duo Judæi ſe quaſi Sponſores pro cujuſvis delinquentis vita ſervanda dare non dubitarunt. (u)

§. XVII. Sane nunquam Synedrium ea intentione coire, nec ſinguli Senatores eo animo adeſſe debebant ut morti quenquam adjudicarent, ſed potius à teſtium accuſatione, ſi quidem ullo modo poſſibile eſſet, reum vindicarent; ſin id fieri juſtitia prohiberet, facerent quod ſalva conſcientia omittere nequirent, inviti tamen & qui reum abſolvere maluiſſent.

§. XVIII. Idque ut cordi ſibi eſſe Synedria quævis de ſe oſtenderent, conſueverant ut facta per teſtes delatione ſceleris, priuſquam odioſi quicquam & contra vitam rei loqui quenquam paterentur, in medium afferri juberent, quicquid ab ullo pro ejuſdem incolumitate aſſerenda dici poſſet, abſolutura protinus, ſi quid ſolidi dictis ineſſe viſum eſſet, ac oppoſitas rationes ne auditura quidem. (x)

§. XIX. Ac neſcio annon inde quoque profectam eam conſtitutionem credam, qui ſi quando omnes in univerſum Judices unanimiter pro reo interficiendo vota tuliſſent, actio pronunciabatur irrita, (y) quaſi ſcilicet vix credibile eſſet cauſam ullius tam malam eſſe poſſe, quin ex tot Viris prudentiſſimis unus & alter invenire poſſent cur reum abſolvendum exiſtimarent, niſi animos odio præoccupatos habuiſſent, ſic vero judicio exercendo inepti fuiſſent. (z)

§. XX. At ab his omnibus quam diſſonant quæ Euangeliſta de præſenti tradit Synedrio. Ecce enim non alio fine congregatos quam ut morte Salvatorem afficerent, omniumque mentes huc unice directas, ita ut ne unicus proteſtatus, aut patrocinio ſuo eum dignatus legatur. Cæterum paratos quoque ad plus peccandum, modo à populo periculum non immineret. Hoc enim dum in feſto Jeſum occidere nolunt, non leges ſuas allegant, quibus cum tamen adverſiſſima fronte id ipſum pugnabat. Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ.

§. XXI. Unde poſtquam hac cura eos Judas liberaſſet, pollicitus ſe magiſtri ſui copiam ita facturum ut multo ſtrepitu, quo tumultus excitari forte poſſet, opus haudquaquam futurum ſit (aa) idque poſt facto ipſo præſtitiſſet (bb) jam nulla mora, quicquid contra clamarent avita ſtatuta.

§. XXII. Certe niſi ſacri textus fallere ac falli neſcia autoritas omne dubium abeſſe juberet quam longiſſime, vix credas talia, qualia præſertim adhuc inſtant, à Judæis patrari potuiſſe, Judæis inquam, traditionum ſuarum alioqui tam tenacibus. At ſive cum eo non ſecundum traditiones agendum putarint, quem parum honorifice de iis ſentire aliquoties deprehenderant; ſive, quod credere malumus, metus eos habuerit; ne procraſtinantibus elaberetur tam periculoſus hoſtis & à quo toti ſuæ Reipublicæ exitium impendere credebant, inſuper habitum, quicquid hoc negotium morari poterat. Audiamus porro Euangeliſtam, verſ. 57. cap. 26.

Οἱ δὲ κρατήσαντες τὸν Ἰησοῦν, ἀπήγαγον πρὸς Καϊάφαν τὸν Ἀρχιερέα, ὅπου καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι συνήχθησαν.

§. XXIII. Et ea quæ hactenus obſervavimus vitia in præſentiarum redeunt pleraque & tempore inſuper celebratur hic conſeſſus, multis nominibus tam parum opportuno, ut ex toto anno non aliud eſſe minus potuerit, ipſa ſcilicet nocte Paſchali, qua nec negotium, condemnatio ſcilicet, quam unice intendebant, expediri totum, niſi læſa lege de non præcipitandis, ſed mora minimum bidui relinquenda hujuſmodi judiciis, (cc) nec tamen vel in diem ſequentem feſtum,

niſi

(r) *Ibid. vſ. 56, 57.* (s) *Vid. præced. §. XI.*

(t) *Maſſech. Sanh. cap. VI. th. V.* אמר רבי מאיר בזמן שארם מצטער שכינה מה הלשון אומרת כביכול קלני מראשי קלנו מזרועי אם כן המקום מצטער על דמם של רשעים שנשפך קל וחומר על דמם של צדיקים: *id eſt*, Bene R. Meir, quando homo, inquit, dolores patitur (*i. e.* שפורענות באה עליו בעונו, quando malefactis ejus digna retribuitur pœna. *Bardenura.*) quid, ſi quidem humano more de DEO loqui licet, dicit DEUS? *Reſp.* Caput mihi brachiaque dolent. Quod ſi DEUS morte impii cujuſdam tantopere excruciatur, quanto magis ſi inſons ad ſupplicium trahatur.

(u) *Maſſech. Maccoth. cap. I. th. ult.* סנהדרין ההורגת אחד בשבוע נקראת חובלנית ר׳ אליעזר בן עזריה אומר אחד לשבעים שנה. ר׳ טרפון ורבי עקיבא אומרים אלו היינו בסנהדרין לא נהרג אדם מעולם *id eſt*, Synedrium cujus ſub auſpiciis non potuerunt elabi ſeptem anni, quin minimum unicus aliquis capitis ſupplicio affectus eſſet, dignum eſt quod ſaluti populi infenſum audiat. R. Elieſer loco ſeptem annorum ponit ſeptuaginta. R. Darpon & R. Akifa dixere, ſi ſibi omnibus Synedriis intereſſe licuiſſet, effecturos ſe fuiſſe ut nunquam prorſus quis mortis pœnam ſubiiſſet.

(x) *Maſſech. Sanhedr. cap. IV. th. I.* מה בין דיני ממונות לדיני נפשות —— דיני ממונות פותחין בין לזכות בין לחובה. דיני נפשות פותחין לזכות ואין פותח׳ לחובה: *id eſt*, Quomodo differunt judicia pecuniaria à capitalibus. *Reſp.* —— In illis perinde habetur, rationes pro an contra priori loco proponantur. In his vero initium ſemper fieri debet à rationibus pro reo, nunquam à rationibus contra eundem valentibus. *Et cap. V. th. IV. & V.* אחר כך מכניסין את השני ובודקין אותו. נמצאו דבריהם מכוונים פותחין לזכות וכו׳ אם מצאו לו זכות פטרוהו ואם לאו מעבירין דינו למחר: Deinde alrerum quoque teſtem intrare jubent eumque examinant. Si utriuſque teſtimonium rite ſe habuerit, jam primo quærunt an & qua ratione abſolvi reus poſſit; Quod ſi invenerunt, ſtatim abſolvunt. Sin minus, differunt judicium in diem ſequentem.

(y) *Maimon. Hilk. Sanhedr. cap. IX. th. I.* סנהדרין שפתחו כולן בדיני נפשות תחילה ואמרו כולן חייב הרי זה פטור עד שיהיה שם מקצה מזכין שיהפכו בזכותו וירבו המחייבין ואחר כך יהרג. *id eſt*, Si quando contigerit ut in Synedrio quodam, cum, examinatis teſtibus jam ante omnia tentandum eſt, qua ratione reus ſalvari queat, omnes hanc operam detrectent, capitiſque condemnandum potius ſic ſtatim exiſtiment, reus morte dignus & res ita ſatis confecta cenſeri hactenus non poteſt, ſed requiritur ut pars Synedrii ſemper defendere reum ſatagat, qua ab oppoſita parte numero ſuperata, ſic demum reus morti adjudicandus eſt.

(z) *Maimon. cap. XXIII. th. VI.* אסור לדיין לדון למי שהוא אוהבו — ולא למי ששונאו א״עף שאינו אויב לו ולא מבקש רעתו אלא צריך שיהיו שני בעלי דינים שוין בעיני הדיינים ובלבם ואם לא היה מכיר את אחד מהם ולא מעשיו אין לך דיין צדק כמוהו: *id eſt*, Prohibitum eſt Judici cuilibet intereſſe dirimendæ cauſæ tum ejus cui favet, tum ejus quem odio qualicunque proſequitur, utut offenſa quædam inter eos non interceſſerit, aut male cupiendi anſa data non fuerit (*juxta illud: non amo te Voluſi, &c.*) ſed requiritur, ut erga utrumque litigantium æquali animo affecti ſint omnes Judices. Unde nemo rectius Judicis officio fungitur, quam qui nec perſonas nec mores litigantium novit.

(aa) *Matth. 26: 14, 15. Marc. 14: 10, 11. Luc. 22: 4, 5. & 6.* (bb) *Matth. 26: 47. ſeqq. Marc. 14: 43. Luc. 22: verſ. 47.*

(cc) *Maſſech. Sanhedr. cap. IV. th. I.* דני. ממונות גומרין בו ביום בין לזכות בין לחובה דיני נפשות גומרין בו ביום לזכות וביום של אחריו לחובה לפיכך אין דנין לא בערב שבת ולא בערב יום טוב: *id eſt*, Judicia pecuniaria eodem die quo cœpta fuere, finiri quoque lata ſententia vel favorabili vel odioſa, poſſunt. Criminalia vero, favorabiliter quidem itidem eodem die odioſe vero, minimum ſequenti demum. Hinc neque veſpera ſabbathi, neque feſti alicujus ejuſmodi cauſæ judicandæ ſuſcipiuntor *& cap. V. th. V.* אם מצאו לו זכות פטרוהו ואם לאו מעבירין דינו

nisi eundem profanando (dd) vel post festum differri (ee) imo rite prorsus tractari nequibat, quod tales causæ animos requirebant sobrios (ff) quales, post hausta à singulis paulo ante quatuor pocula vini, quot minimum in Cœna Paschali unumquemque Israëlitam pauperrimum quoque ebibere tamen excitandæ hilaritatis ergo oportebat, (gg) præsentem Senatum habuisse vix nobis persuadere possumus.

§. XXIV. Unde nec adeo miramur tam perverse ab iis porro actum esse; quid enim ab ebriis sani expectes? Certe emphasi non carent quæ apud Matthæum porro sequuntur, vers. 59. (conf. reliqui Euangel. locc. citt.)

Οἱ δὲ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ τὸ συνέδριον ὅλον ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ ἵνα αὐτὸν θανατώσωσι.

potius enormem Judæorum malitiam iisdem perstringere Spiritum S. voluisse credimus, qua posita omni fronte omniumque velut obliti ac mentis inopes, ut solent nimirum vino saucii, cum alias testes qui capitis aliquem accusaturi erant omnibus modis ab incepto retrahere & absterrere consuevissent (hh) nunc ipsi testes eosque falsos conquirunt, vel ordinaria illa inquisitione scrupulosissima (ii) ne fraus patefieret, non usuri, vel cum ob præsentem turbam, coram qua colorandum facinus omnibus modis erat, illa opera supersedere non penitus liceret, jus saltem, quod leges falsis testibus decreverant (kk) non exerciturі.

§. XXV. Ac certe neque vola neque vestigium in textu nostro apparet ullum, vel levissima pœna in ψευδομάρτυρες illos animadversum fuisse, utut omnia illa testimonia mendacia deprehensa essent, adeo ut opus inde haberet Caiphas adjuratione adhibita è Salvatore nostro blasphemiam, uti ipsi quidem interpretabantur, ne supplicio prætextus deesset, elicere. Qua de re ita Euangelista:

Καὶ

דינו למחר היו מזוגין זוגות זוגות וממעטין במאכל ולא היו שותין יין כל היום ונושאין ונותנין כל הלילה ולמחרת משכימין ובאין לבית דין: *id est*, Ubi probatum fuerit mortem reum non meruisse, protinus absolvunt. Sin minus, differunt negotium in diem sequentem. Interim singula paria conveniunt (*Jom. Tof.* בבתיהן או בשוק in ædibus privatis aut platea) parcissimoque utentes victu, vinum vero toto isto die prorsus non gustantes, rei perpendendæ operam per totam noctem navant atque sequenti mane ad Curiam se recipiunt. *Hancque judiciorum criminalium moram scita phrasi alias, Fermentare judicium, appellant, Sanhedr. fol. 35. p. 1. lin. XI.* אשרי הדיין שמחמץ את דינו. Beatus *dicitur* Judex, qui bene fermentari sinat judicium suum.

(dd) *Vid. quæ paulo ante è Sanh. cap. IV. th. I. citata sunt:* לפיכך אין דנין בערב שבת ולא בערב י"ט. *Addaturque Gemara ad Sanhedr. fol. 35. pag. 1. lin. 19.* מאי טעמא דלא אפשר היכי ליעביד לדייניה במעלי שבתא וליגמריה לדיניה במעלה שבתא דילמא הוו טעי לחובה ובעו למיעבד הלנת דין לדיינה במעלי שבתא ולינמריה בשבתא וליקטליה בשבתא אין רציחה דוחה את שבת וליקטליה לאורתי נגד השמש בעינן וליגמריה לדיניה בשבתא וליקטלה בחד בשבא נמצא אתא מענה את דינו נרייניה במעלי שבתא וננמריה בחד בשבא מינשו טעמיהו א"עג ד"ב סופרי הדיינין עומדים לפניהם וכות בין דברי המזכין ודברי המחייבין נהי דבפומי כתבין ליבא דאנשי אינשי הלכך לא אפשר: *id est*, Eccur vero istud? *Resp.* Tempora illa ita comparata sunt ut non possint talia rite fieri. Dicis. Nonne possunt pridie Sabbathi inchoare & conficere quoque judicium. *Resp.* contingere potest, ut reus morte dignus esse probetur? quo casu minimum una nox inter judicii principium & finem intercedere debet (*vid. præcedd. ad litt. cc.*) Excipis: Judicent ergo pridie Sabbathi, ipsoque Sabbatho sententiam ferant, reumque ad supplicium trahant. *Resp.* supplicium non debet tollere Sabbathum. Expectent quoad stellarum ortus finem Sabbatho imposuerit. *Resp.* Coram Sole id fiat oportet. Quid si Sabbatho saltem deciderent, executione ad sequentis septimanæ diem primam dilata. *Resp.* Afflicto sic adderetur afflictio. (*Certissimæ scilicet mortis longus insuper metus*) Pridie Sabbathi judicium saltem agitent & prima die sequentis hebdomadis demum definiant. *Resp.* Facile oblivisci rationum suarum possunt. Quanquam enim duo notarii semper adsint singulorumque tum excusantium tum accusantium dicta excipiant, id tamen duntaxat, quod ore enunciatur consignant, non quod quilibet animo fovet. Hic autem fragilis est. Apparet ergo nulla ratione id rite fieri posse. *quæ vero ratio Sabbathi, eadem diei festi juxta Cod. Bez. cap. V. th. II.* כל שחייבין עליו בשבת חייבין עליו ביום טוב: *id est*, Quicquid non licet Sabbatho, non licet quoque die festo.

(ee) *Vid. Gemar. ad Sanh. loco modo citato.*

(ff) *Mass. Sanhedr. cap. V.* ממעטין במאכל ולא היו שותין יין כל היום: quo tempore circa causam quandam criminalem occupantur, parcissimo utuntur victu, vino vero penitus abstinent.

(gg) *Cod. Pesach. cap. X. th. I.* ואפילו עני בישראל לא יפחתו לו מארבע כוסין של יין: Ne pauperrimo quidem Israëlitæ subtrahunt de quatuor poculis. *Idque quia quadruplici vocabulo in liberationis Ægyptiacæ historia recensenda Scriptura utitur* והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי: *juxta commentar. Jom Tof. ad l. cit.*

(hh) *Massech. Sanhedr. cap. III. th. VI.* כיצד בודקים את העדים היו מכניסין אותן ומאיימין עליהן: *id est*, Quomodo in examinandis testibus procedunt? *Resp.* Intromissos primum terrent. *Qua ratione vero id fiat, traditur cap. sequ. IV. th. V.* כיצד מאיימין את העדים על עדי נפשות היו מכניסין אותן ומאיימין עליהן שמא תאמרו מאומד ומשמועה עד מפי עד ומפי אדם נאמן שמענו או שמא אי אתם יודעים שסופינו לבדוק אתכם בדרישה ובחקירה הוו יודעין שלא כדיני ממונות דיני נפשות דיני ממונות אדם נותן ממון ומתכפר לן דיני נפשות דמו ודם זרעיותיו תלוין בו עד סוף העולם שכן מצינו בקין שהרג את אחיו שנאמר דמי אחיך צועקים אינו אומר דם אחיך אלא דמי אחיך דמו ודם זרעיותיו לפיכך נברא אדם יחידי ללמדך שכל המאבד נפש אחת מישראל מעלה עליו הכתוב כאלו איבד עולם מלא וכל המקיים נפש אחת מישראל מעלה עליו הכתוב כאלו קיים עולם מלא *&c.* Quomodo absterrent testes? *Resp.* Testes quidem qui capitis quendam accusare intendunt, intromissos ita alloquuntur: Ne accusatio vestra suspicione saltem aut rumore, aliorumque relatione, quos fide dignos habetis, nitatur; aut existimetis, nos delationi vestræ, nulla facta ulteriore & accuratiore inquisitione ita statim acquieturos. Considerare quoque vos jubemus, disparem esse rationem causarum criminalium & pecuniariarum. In his soluta mulcta cessat reatus. Quantum vero ad illas non cum unico quodam homine duntaxat rem esse censendum est sed cum tota, quæ ab ipso descendere poterat ad finem mundi usque, posteritate. Id quod Scriptura innuit, partim quando in historia Caini Fratricidæ ait: Sanguines fratris tui clamant; Notanter, non sanguis dicit, sed in plurali sanguines. Sanguis videlicet illius proprius, & sanguis omnium ejusdem posterorum; partim quando ab initio non nisi unicum hominem à DEO creatum tradit. A quo uti totum genus humanum derivatum cernimus, ita & credere debemus, quod si quis vel unicum hominem perdiderit, is in foro divino reatum quodammodo totius humani generis sublati incurrat & contra si quis vel unius hominis vitam servaverit, totum velut genus humanum servasse reputetur.

(ii) *Mass. Sanh. cap. V. th. I.* היו בודקין אותן בשבע חקירות באיזו שבוע באיזו שנה באיזו חודש בכמה בחודש באיזו יום באיזו שעה באיזו מקום מכירין אתם אותו התריתם בו כל המרבה בבדיקות הרי זה משובח מעשה ובדק בן זכאי בעוקצי תאנים: *id est*, Testes examinaturi, minimum ad septem hasce quæstiones respondere jubento. Quota annorum hebdomade (*ex septem illis, singulis septem annorum, quæ inter jubilæa intercedebant. Vid. Barden.*) quoto istius hebdomadis anno, quo anni mense, quoto mensis quove septimanæ die, qua hora, quo denique loco res gesta fuerit. Insuper & an persona alias cognita ipsis sit, itemque an eundem in simili scelere jam olim deprehensum præmonuerint, jusserintque resipiscere. (*Nemo enim fere nisi prævia tali præmonitione ad supplicium trahi poterat. Maimon. Hilkoth Sanh. cap. XII. th. I.* שלא התרו בו הרי זה פטור qui nondum fuit præmonitus, immunis est à subeundo supplicio. *Jung. Thes. sequ. II. ubi, quomodo præmonitio ista fieri consueverit exponitur:*) Quo quis autem præter dictas, quæstionibus utitur pluribus aliis, eo plus meretur laudis. Et hoc quidem nomine celebratur Ben Saccai, qui, cum aliquando homicidii sub ficu quadam perpetrati non nemo postularetur, de ipsis ficuum pediculis, testibus quæstionem movit, *tenues illi an crassiusculi fuerint.*

(kk) *Maim. Hilk. Eduth. c. XVIII. th. I.* מי שהעיד בשקר ונודע בעדים שהעיד בשקר מצות עשה לעשות לו כמו שרצה לעשות בעדותו לחברו: Si quis per testes convictus fuerit, quod falsum testimonium perhibuerit, hunc ead. pœna afficere jubemur, quam superinducere capiti alterius tentaverat. *Illa vero pœna uti tamdiu dubia ac incerta, quamdiu à Synedrio nondum definita, ita ipsa quoque falsi testis intentio eo usque censebatur incerta. Atque hinc ubi fraus ante pronunciatam à Synedrio decisivam sententiam deprehensa esset, quantumcunque etiam crimen intentatum fuisset, vitam tamen ejusmodi falsatori non eripiebant juxta illud Mass. Maccoth cap. I. th. VI.* אין העדים זוממים נהרגין עד שיגמר הדין: Testes falsi non solent capite plecti nisi lata jam à Synedrio sententia decretoria; *non tamen ideo plane nulla credo, sed leviori saltem pœna illata contenti.*

Καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον. ὕστερον δὲ προσελθόντες δύο ψευδομάρτυρες εἶπον, οὗτος ἔφη, δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτὸν (καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν, teste Marc. 14:59.) Καὶ ἀναστὰς ὁ Ἀρχιερεὺς εἶπεν αὐτῷ οὐδὲν ἀποκρίνῃ; τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσιν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐσιώπα. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἀρχιερεὺς εἶπεν αὐτῷ, ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ ἵνα ἡμῖν εἴπῃς εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς: Σὺ εἶπας —— τότε ὁ Ἀρχιερεὺς διέρρηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, λέγων, ὅτι ἐβλασφήμισε —— Τί ὑμῖν δοκεῖ; οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον ἔνοχος θανάτου ἐστί.

§. XXVI. Quæ vero, immediate sequuntur vs. 67.

Τότε ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν. Οἱ δὲ ἐρράπισαν λέγοντες, προφήτευσον ἡμῖν Χριστὲ, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε.

Crudelitatem sapiunt immanem prorsus & judicibus indignissimam (ll) cum alias ad mortem condemnatis, utpote jam satis sic superque afflictis, afflictionem uberiorem, contemtum scilicet ac insultationem addere nec apud ipsos fas esset (mm). Neque huic excusando facere potest, quod מסיתים seu seductores favore hoc æque ac aliis compluribus exemti esse jussi fuerint (nn). Præterquam enim quod blasphemiæ, non vero seductionis crimen Christo impositum fuisse sacra pagina memoret, ipsa quoque Judæorum fabula, de præcone per quadraginta dies proclamante, ut si cui quid pro vindicando Jesu suppeteret, id libere exponat, istam excusationem facessere jubet cum in seductorem minime quadret (oo).

(ll) *Maimon. Hilk. Sanh. cap. II. th. III.* אין מעמידין בכל הסנהדרין לא זקן מופלא בשנים ולא סרים מפני שיש בהן אכזריות ולא מי שאין לו בנים כדי שיהא מרחם: *id est*, Neque in Synedrium illud magnum neque in reliqua minora adsciscì debent, qui ætate nimium sunt provecti, aut Eunuchi, quia utrumque istud genus hominum ordinarie crudelitatem amat; itemque qui liberos non habent, sicque misereri nesciunt; *capiendo nimirum à seipsis exemplum quantopere liberorum mediante inprimis tam dira ac infami morte, doleat jactura.*

(mm) *Hinc ad mortem condemnatum protinus occidere jubent, ne instantis supplicii longus metus miseriam ejus augeat. Vid. supra ad litt. dd. ex Gemar. ad Sanh. citata. Et* mulierem nudam lapidari prohibent *Mass. Macc. c. VI. th. III.* אין האשה נסקלת ערוחה. *Ita enim Jom Tof ex Gemara.* טעמא דלא עבדינן בה תרתי להמיתה וליסרה בבזיון כזה דכתיב ואהבת לרעך כמוך ברור לו מיתה יפה ולא תבזהו: Ratio hujus constitutionis est, quia iniquum videtur duplici malo eam mactare, ita ut non vita solum privetur sed insuper omnium exponatur ludibrio; cum Scriptura dicat: diligito proximum tuum sicut temetipsum. Itaque si mors ipsi parata, satis esto, opprobrii plus addere noli.

(nn) *Maim. Hilk. Sanhedr. cap. XI. th. V.* המסית אין דינו כשאר דיני נפשות מושיבין בדינו זקן וסרים ומי שאין לו בנים כדי שלא ירחמו עליו שהאכזריות על אלו שמטעין את העם אחרי ההבל רחמים הוא בעולם: *id est*, Erga seductorem peculiari & alia quam qua erga alios consueverunt, utuntur judicandi ratione. —— Adhibent ei judicando Senes, Eunuchos & qui prole destituuntur (*conf. litt. ll.*) idque ne ulla seductoris tangantur commiseratione. Quo enim crudelius cum tali agitur, eo plus amari reliqua hominum societas (*cujus certe potior quam alicujus privati habenda ratio*) merito censetur.

(oo) *Maimon. ibid.* המסית אם יצא מבית דין חייב ואמר אחד יש לי ללמד עליו זכות אין מחזירין אותו: *id est*, Si quis in judicio seductionis convictus jam ad supplicium luendum exeat, quamvis nunc adhuc quispiam eum defensurus se offerat, non tamen, (*uti quidem in casibus aliis obtinebat, Vid. Mass. Sanh. cap. VI. th. I.*) cum eo revertuntur ac judicium de novo instituunt. *Negare equidem non possumus in ipsa illa fabula Salvatorem nihilominus seductoris appellatione venire. En enim ipsa, quibus eam complectitur, Gemaræ verba:* בערב הפסח תלאוהו לישו והכרוז יוצא לבניו מ"יום יוצא ליסקל על שכישף והסית והדיח את ישראל כל מי שיודע לו זכות יבא וילמד עליו ולא מצאו לו זכות ותלאוהו בע"פ: Vespera Paschatis suspenderunt Jesum. Prius autem per quadraginta dies præco quidam publice proclamabat: Lapidatum educitur, eo quod præstigiis usus, nec singulos duntaxat Israeliras, sed totas Civitates à vero DEI cultu avertit. Si quis tamen aliquid quod tuendæ illius vitæ facere queat, norit, prodeat idque exponat. Nihil autem ejus invenientes, ceu diximus ipsa vespera Paschatis eum suspenderunt. *At nec illud ignoramus, præconis ista verba dudum ex ipsis quoque Judæis non nemini suspecta visa esse, prout*

§. XXVII. Cæterum hisce hodie (proculdubio nolentes volentes, quibusve quo maturior eo gratior mors Christi futura erat, & qui proinde hac ipsa hora quam sequenti demum die cum exanimem aspicere maluissent, nisi violatis tot sanctis Canonibus de non interficiendo nisi interdiu (pp) de mora judiciorum capitalium &c. (qq) nimis irritari præsens turba videretur cui forte jam unum alterumque de Processu displicuisset) contenti, quod ad executionem deerat proximæ luci reservant, quam vir orbis viderat, cum ipsi quasi sic satis fermentato judicio rursus coëunt, gravissimo huic negotio desideratissimum finem tandem imposituri. Reassumta igitur actione (rr) sententia de supplicio Salvatori nostro inferendo pronunciatur. Matth. cap. 27:1.

Πρωΐας δὲ γενομένης συμβούλιον ἔλαβον πάντες οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν.

Marc. 15, 1. Luc. 22:66.

§. XXVIII. Sed ecce dies præsens, primus scilicet azymorum (si quidem constitutionem divinam spectes) festus, atque adeo sanctior erat, quam ut profana ejusmodi admitteret negotia. (ss) Tot millia Israelitarum Hierosolymas celebrandi festi ergo confluxerant, quorum magna pars Salvatoris nostri stupenda opera vel ipsa experta erat, vel tamen in aliis exercita viderat, vix proinde ac ne vix quidem tum Sacrosancto festo vim inferri, tum innocentem quoque jugulari passura. Quid hic consilii? En calliditatem Synedrii? Matth. 27:2.

Καὶ δήσαντες αὐτὸν ἀπήγαγον καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι.

§. XXIX. Quantumvis ægerrime alias Pilatum Romanosque secum habitantes tulerint, hac certe vice credo fuisse exoptatissimos, utpote quorum & opera in perficiendo præsenti opere profano, quo minus ipsi festum violare cogerentur, poterant uti, (tt) & adversus quos populus Judaicus nil pro liberando Jesu facile ausurus videbatur, gemino isthoc metu sic felicissime sopito.

§. XXX. Jam vero crimine opus erat, quod Pilatus nec inultum dimittere, nec leviori tamen quam mortis supplicio ulcisci posset, quale quidem blasphemia, quam à Jesu commissam volebant, vix videbatur. Aliud ergo comminiscuntur Luc. 23:2.

Ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ λέγοντες: Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ Ἔθνος καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν βασιλέα εἶναι.

§. XXXI. Non poterat non Pilato, non ignaro superbiæ hujus gentis (uu) mira res videri, Israelitam à propriis populari-

immediate verbis modo è Gemara citatis, ibidem subjungitur. Cui cæteri quidem respondent oportuisse extraordinarii quid agere דישו קרוב למלכות והה׳ *At sive hæc reddas:* quia Jesus ille familiæ regiæ necessitudine quadam junctus fuerat; *sive,* quia tantum sibi populi conciliaverat applausum, ut à regia dignitate parum abesset, *conf. Joh. 6: vers. 14, 15. neutro modo satis quadrant. Illi quidem adversatur Matth. 13:55. Posterius vero si intendunt, existimaverim ego, tanto gravius & crudelius quemque mereri supplicium, quanto plus nocuit, ejusque facinus serpsit latius.*

(pp) ליקטליה לאורת׳ נגד השמש בעינן Interficiant eum noctu. *Resp.* Coram Sole id fieri oportet. *Gemar. ad Sanh. fol. 35. p. 1.*

(qq) *Vid. litt. cc.* (rr) *Luc. 22:66.* (ss) *Vid. supra ad litt. dd.*

(tt) *Maim. Hilk. Schabb. cap. VI. th. IX.* דבר שאינו מלאכה ואין אסור לעשותו בשבת אלא משום שבות מותר לישראל לומר לכותי לעשותו בשבת והוא שיהיה צריך לדבר צורך הרבה: *id est*, Si quæ res istiusmodi laborem qui מלאכה dici solet, (*cujus vocabuli uberius ex Maimon. Hilk. Schabb. cap. VII. explicandi ansam nobis in conflictu datum iri speramus*) non requirat, atque adeo humano saltem interdicto, ut tanto quietius esset Sabbathum, prohibita sit, eam ipso Sabbatho Israelita infideli, siquidem gravis urgeat necessitas, imperare licite potest. *Ad hoc genus autem etiam τὸ judicare pertinere idem Maimon. cit. Hilk. Schabb. cap. XXIII. th. XIV. Coll. cum cap. XXI. th. I. testatur.*

(uu) *Maim. Hilk. Sanh. in fin.* כל הדן בדייני כותים ובערכאות שלהן לך על פי השיו דיניהם כדיני ישראל הרי זה רשע וכאלו חרף וגדף והרים יד בתורת משה רבינו: *id est*, Quicunque Judæorum utitur foro ac judiciis Infidelium, si vel idem apud eos jus, quod apud Judæos vigeret, tamen æque graviter peccat ac si DEUM blasphemiis petiisset, ac vim intulisset legi Mosaicæ.

bus ſibi diverſæ & Judæis exoſiſſimæ religionis, Ethnicæ ſcilicet, homini necandum tradi. Hinc & reſpondet Judæis Joh. 18: 31. λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν.

§. XXXII. Et fore hoc proculdubio Judæi jam ante præviderant, ac de prætextu quoque cogitarant, quem proinde nunc in promtu ſtatim habent: Οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Non licet nobis, in tali videlicet feſto, quenquam occidere, Joh. l. c.

§. XXXIII. Cumque moras adhuc necteret Pilatus, quemque inſontem agnoſcebat Jeſum, privare vita recuſaret, per fidem Cæſaris obteſtantur ac urgent, ut crucifigi eum, id quod cum ſuſpendii pœna, blaſphemis apud ſe alias conſtituta (xx) quam proxime convenire videbatur, juberet, Joh. 19: 12.

§. XXXIV. Acquieviſſe hoc obtento & in cruce ignominiam inter & acerrimos dolores laborantis Jeſu triſti aſpectu ad miſericordiam commotos crederes Judæos. At ecce ne ſic quidem rabie compoſita, riſu variiſque ſarcaſmis miſerum petunt. Matth. c. 27: 41.

Ὁμοίως δὲ καὶ οἱ Ἀρχιερεῖς, ἐμπαίζοντες μετὰ τῶν γραμματέων καὶ Πρεσβυτέρων, ἔλεγον, Ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. εἰ βασιλεὺς Ἰσραὴλ ἐστι, καταβάτω νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, καὶ πιστεύσομεν αὐτῷ.

& ſic quod iniquitate cœperant negotium, iniquitate (yy) tandem finiunt.

(xx) *Maſſ. Sanh. cap. 6. th.* 4. כל הנסקלין נתלין דברי ר׳ אליעזר וחכמים אומרים אינו נתלה אלא המגדף והעובד כ״ום: Si R. Eliaſari credimus, quotquot lapidati, inſuper & ſuſpenſi ſunt. At juxta ſapientes noſtros alios nonniſi blaſphemus ac idololatra ſuſpendi conſuevit.

(yy) (Vid. lit. mm.)

FRANCISCI WOERGERI HAKELDAMA ad Matth. XXVII: 8.

SIVE HARMONIA S. MATTHÆI CUM PROPHETA JEREMIA.

CAPUT PRIMUM.

Varias Doctorum easdemque diſcrepantes examinat ſententias.



Rgute Hipponenſis Præſul præfat. in Pſ. 140. (a) *Sunt in ſcripturis S. profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut paſcant.* Nam licet S. Scriptura tot Doctorum illuſtrata ſit commentariis, ut omnia, ne ſolertiſſimo quidem evolvere, nedum aſſequi, ſit copia, nunquam tamen hactenus ita ſingulæ difficultates ſunt enodatæ, ut non hodie, dum variæ revocentur ſub incudem, id quod exercitationes paſſim atque diſſertationes Academicorum loquuntur, haut exilem ſcilicet cujuslibet ingenio ſupereſſe meſſem, quædam, nec vulgaria iſta, ab erroneis opinionibus vindicandi.

Hoc vel abunde patet ex innumeris diſceptationibus eruditorum ſuper conciliationem S. Matthæi cum Jeremia *de agro ſanguinis*, quæ ſane omnes hactenus Lectorem magis intricant, tantum abeſt, ut à cavillis atque tenebris, quas glomerant hic veritatis hoſtes, aliique veſtigia prementes anteceſſorum, fluctuantem penitus extricent. Nos tamen, Deo clementer annuente, periculum faciemus, ſi forſitan è tot difficultatibus feliciter eluctari, ac Prophetam cum Evangeliſta amice componere valeamus. Ecce igitur Interpretis.

Prima ſententia, nam omnes adſcribere piget, communis pene Doctorum, Zachariam denotari non Jeremiam: hinc tot Bibliorum marginibus expreſſe nomen Zachariæ additum videas, licet Matthæus nominet Jeremiam, de quo Daniel Claſen, (b) *Certum eſt verba à Matthæo adducta eſſe Zachariæ & haberi* cap. 11: 13. Dominus dicit mihi: Projice (ſc. argenteos) ad figulum: Honeſtum pretium, quo æſtimatus ſum ab iis. Et tuli triginta argenteos, & projeci eos in domum Domini ad figulum. *Videantur ea, quæ adſcripſit ad illa verba Corn. Janſenius cap. 140. ut & Voſſius lib. 2. c. 3. p. 211. harmon. Evang.* Verum hæc opinio vulgata pugnat cum exſertis verbis Matthæi, temerarium enim fuerit ἐκ τῶν ἀδυνάτων in illa ſcriptura, de qua ne minima literula peritura eſt, teſtante Domino, aut immutare aliquid aut vel leviculum pervertere, & magnas etiam difficultates ſubit, quarum ſpecimen videre licet in ipſa hujus loci Zachariani ſive explicatione ſive accommodatione ad Matthæum apud Corn. à Lapide *in Zach. p.* 744. 745. *&c.* adeo ut à ſcopo S. Matthæi verba Zachariæ penitus abhorreant, quemadmodum & nos pluribus id exagitabimus capite ſequente.

Joh. Ferus Zachariam teſtatur fuiſſe binominem dictumque Jeremiam & Zachariam: & videtur in eam opinionem concedere

(a) *T.* 8. *ed. Baſ. p. m.* 1111.

(b) *Exercit.* in paſſionem *l.* 2. *c.* 13. *p.* 216.

cedere velle noster Tarnovius his verbis: *præcipue autem talia solebant sæpe inter se permutari de uno nomine, quæ erant sensu fere conjuncta, qualia etiam hæc duo*, cum ירמיהו exaltatorem Jehovæ & זכריה recordatorem Jehovæ *denotet. Exempla cum alibi passim, tum in prioribus aliquot capitibus prioris libri chronicorum occurrunt plurima*: Sed ne sic quidem nodus solvitur: perplexior enim quæstio manet, cur usitatum nomen prophetæ, qui suis semper nominibus in Ecclesia Judaica fuerant distincti, subticuerit Matthæus, nec ipse Tarnovius sententiæ huic acquievit, dum non asserit, se ita sentire, sed: *tutissimum vero est, ut dicamus, quod fuerit binominis*: & post aliqua: *hæc hactenus juxta vulgo receptos conciliandi modos*, ergo ex aliorum potius quam sua mente loquitur Interpres clarissimus, & subdubitans addit statim:

Ipsum Jeremiam vere citari, cum locus ille Matthæi c. 27. ex duobus V. Test. coaluerit, ex Jeremiæ cap. 32. & Zach. 11. quomodo omnium rectissime hic nodus solvi posse videtur. Hinc Daniel (c) Heinsius prolixus est in eo, ut ostendat, quomodo Matthæus soli Jeremiæ adscribere potuerit, quod ex parte desumpsit è Zacharia. Verum ne hæc quidem suscepta conciliatio locum habet, cum S. Matthæus solum atque unicum nominet Jeremiam, nec Zachariæ huc ita commode quadret accersitus versus.

Sed ipsam conjecturam, cum liber non in omnium sit manibus, lubet apponere. Primo non constat sibi Heinsius, dum ad Jeremiæ caput XIX. dilabitur, ubi de agro seu valle Ennon seu Gehennon, extremis maledictionibus devoto, ad radices montis Moriæ & ad portam figuli sito, agitur. *Hic ager vel hæc vallis dicta est etiam Tophet & vallis occisionis, & est procul dubio ille ipse ager, quem* εἰς ταφὴν ξένων *emptum fuisse Evangelista notat &c.* ℞. Deum in isto quidem capite horrenda minari Judæis. *Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus, & subvertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quærentium animas eorum. Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum* &c. Verum sanctus Jeremias ibidem & supplicii hujus causas describit satis prægnantes. *Eo quod dereliquerint me, & alienum fecerint locum istum: & libaverint in eo diis alienis, quos nescierunt ipsi, & patres eorum & Reges Juda: & repleverunt locum istum sanguine innocentum. Et ædificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: —— ponam civitatem istam sicut Topheth. Et erunt domus Jerusalem & domus Regum Juda sicut locus Topheth immundæ: Omnes domus, in quarum domatibus* (id est tectis, sunt hæc in Palæstina plana (d)) *sacrificaverunt omni militiæ Cæli, & libaverunt libamina diis alienis.* Quis autem non videt, locum ad Matthæum minime pertinere, & frustra esse Heinsium, dum addit, *est procul dubio, ille ipse ager, qui &* ἀγρὸς αἵματος *ex dispositione Dei* (apud Matthæum videlicet) *à propheta Jeremia dictus est, & pretio illo, quo salutaris immaculati agni sanguis à proditore redimebatur, redemptus est, & dictus fictilis atque sanguinis &c.* Cum vero aliam ipse Jeremias in isto capite causam innuat, nec ipsi sibi satisfacere hic videtur Heinsius, & hanc potius alteram harmoniam, quam incassum molitur, confestim adjungit. *Matthæus ex Zacharia definitum pretium; ex Jeremia, quæ ad agrum, de quo agitur, probavit. Sic igitur legamus textum, & res manifesta erit: Ideo vocatus est ager ille, ager sanguinis in hodiernum usque diem. Tunc impletum est* (*de agro nempe sanguinis*) *quod dictum est per Jeremiam* (&) *Prophetam, dicentem: Et accepi* (*sic enim ex Syro Heinsius interpretatur illud* ἔλαβον *non acceperunt*) *à filiis Israël XXX. argenteos, pretium æstimati, quem æstimarunt* (*quos ad emendum agrum figuli dederunt, scilicet juxta Prophetam Jeremiam*) *sicut præscripsit mihi Dominus.* Sed hanc multis modis violentam conciliationem allegare, refutare est.

Alphonsus Salmeron, (b) cum multis sententiis citandis se macerasset, *igitur his exclusis*, inquit, *dicendum est, hæc esse verba Jeremiæ, ex traditione fortasse accepta.* Quocum sentit Cornel. à Lap. *in Jerem. 32: 14. Citari S. Matthæo alia scripta Jeremiæ, in quibus hæc verba erant, quæ jam non extant, sed perierunt*, uti perierunt visiones Ado videntis, Ahiæ Silonitis, *& aliorum prophetarum.* Sed quantum errorem hi viri errent, ut tot alios taceam, nervose ostendit dudum ac breviter Joh. Affelmannus Q. illustri 1. *An libri nonnulli è bibliorum canone perierint*, de quibus, cum utilia hæc opera nuper typis iterata cernantur, verbum addo nullum.

Gerhardus harmon. cap. 190. pag. 1857. *Evangelistam putat data opera hac nominum propheticorum permutatione fuisse usum, ut ostenderet, uno eodemque spiritu prophetas impulsos fuisse, ac in propheticis vaticiniis non tam instrumentalem, quam principalem causam, hoc est, Spiritum S. à quo edita sunt, respiciendam esse.* In quam rem acuta quædam suggerit Thomas super Matth. 27. f. 121. Ac dudum ante illum S. August. l. 4. *de Consensu Evangel.* l. 3. p. m. 342. 343. Et hæc ipsa curiosis ingeniis à Vinariensibus opponitur pia sententia. ℞. Nihil omnino in scripturis sacris contineri, quod alii cuidam in iisdem canonicis scripturis vere adversum sit, inter homines Christianos plane convenit. Quomodo autem concilianda, quæ in iisdem scripturis adversa sibi videri possunt, de eo non perinde Christiani idem statuimus, sed vehementer quandoque dissentimus. Non itaque ferit scopum illa responsio, quæ nec sub litem cadit, quis enim negat omnes prophetas divinitus actos? verum, *si eodem spiritu sunt impulsi*, ejusdem spiritus unitas, sive ut clarius dicam, apparentis non autem veræ contradictionis illius certa harmonia fuerat monstranda, cum tot modorum conciliandi verus ac genuinus non possit esse nisi unus.

Joh. Frischmuth (f) aliam insistit viam: *Cum liber Regum terminaret in excidio, & Jeremias totus agat de excidio, totus autem Esaias sit de consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio & consolationem cum consolatione. Ex quibus liquet, Jeremiam inter Prophetas posteriores primum quondam locum obtinuisse, contra quam hodie fieri solet. Hinc Cl. Lichtfootus* hor. Ebra. p. 308. *rationem reddi posse arbitratur, cum Matthæus 27: 9. illud quod in Zacharia legitur à Jeremia scriptum perhibeat, nempe quod in eo utpote primo totum volumen prophetarum, non minus quam à Psalmis hagiographa, sit denominatum, quæ conjectura minime contemnenda videtur.* Sed pace Virorum optime meritorum, recte dixerim, subtilitate majori hæc asseverari, quam ulla specie veritatis. Quis enim Spiritum S. Judæorum fortuita concludat divisione, ut statuere sustineat, si Judæi ita aliquando libros distinxerint Canonicos, S. Evangelistas eapropter confuse locutos nominando unum prophetam pro altero. Deinde obnoxium est etiam istud responsum tot falsis suppositis, vaticinium hoc legi in Zacharia, Jeremiam totum agere de excidio, posteriores à primo nominandos, &c. quæ scrupulum istum non vellicant, uti infra demonstrandum suscipimus clarius.

Franc. Suarz (g) Baronius, Maldonatus, Cornelius, Tirinus, atque alii à sciolo putant in margine appositum, & incuria irrepsisse librariorum in textum, ideoque esse expungendum, quemadmodum & Magdeburgici loco Jeremiæ expresse substituunt Zachariam *centuria* 1. cap. 10. Cum Syriacus ac nonnulli codices Latini non habeant *Jeremias*, nec Matthæus soleat nomina exprimere Prophetarum. ℞. Versionem nullam derogare textui authentico, & ita illam ipsam conjecturam retorqueo: Si S. Matthæus alias nomina Prophetarum omittit, hic sane ob causas prægnantes nomen *Jeremias* exprimit, ne scilicet id quod consignavit Zacharias, quodque nihil facit ad Matthæi locum, irrito conatu nequicquam raperemus ad Matthæum. Fridericus Balduinus, Joh. Hulsemannus, Micrælius, aliique è nostris viri in celebritate positi, dum perplexitate quæstionis ad eundem scopulum abripiuntur, nec ipsi feliciter evadunt, quod descriptores atque typothetas codicem depravasse arguant, neque tamen ipsum codicem depravatum affirmare sustineant. Nam contradictionem, quam vocant in adjecto Logici, neque sic declinant penitus, nec cum Dei, qui ne minimum quidem Jod excidere se passurum è codice pollicetur, providentia conveniunt, neque aliis non infirmis falluntur suppositis. Cum probandum & solide quidem ipsis ante fuisset, (1) Zachariam non Jeremiam à Matthæo allegatum, (2) Zachariæ versum huc quadrare, (3) caput Jeremiæ non congruere, quam pro voce *Jeremias*, legendum esse, Zacharias, audacia dicam majori an periculo, asseverare. Summis enim hæc omnia difficultatibus undiquaque sunt referta.

Guilielmus Estius (h) propius acu rem tetigisse videtur, dum S. Evangelistam ad ipsum factum Prophetæ respexisse scribit, ita ut ager à Jeremia emptus typus exstiterit agri figuli

(c) *Item cum Heinsio Micrælius in* Ethnophronio. (d) *Eman. Sà* notat. *p. mihi* 248. (e) *T.* 10. *tr.* 25. *p. m.* 218.

(f) De sacræ scripturæ divisione *c.* 2. §. 1. (g) *T.* 2. *P.* 3. *Disp.* 34. *sect.* 1. (h) de diffic. locis S. Scripturæ in Matth. 27.

guli à Judæis comparati pretio venditionis Christi. Nam Jeremias addit sanctius *Comment. in locum:* agrum hunc non emit pro se, aut filiis, quos non habebat; aut Judæis, qui ituri erant in Babylonem: Ergo pro advenis idque ad sepulturam. Sed huic posteriori conjecturæ contradicit apud Ieremiam hæc talia metuentem ipse Deus, quæ tamen Matthæi tempore re vera sunt impleta, nec ita sublata est omnis obscuritas, cum Matthæus & factum & verba S. Ieremiæ, quæve ad illa responderit Deus aliquam multa denotet è quibus longe altius vaticinium, cujus tum complementum instasse, asserit Matthæus licet jam eruere.

CAPUT II.

Loca Zachariæ atque Jeremiæ comparat, solumque citatum Jeremiam à Matthæo monstrat.

FAcem nobis hic ipse præfert, quanquam non per omnia nostra, S. Augustinus: (1) *Est apud Hieremiam quod emerit agrum à filio fratris sui, & dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis* (imo vero, licet hoc ne requiratur quidem, nec ad locum Matthæi adeo faciat, uti ostendemus infra, nihilominus pretii summa utrobique è calculo eruditorum reperitur & agri & Domini venditi simillima) *veruntamen agri emptio non est apud Zachariam.* Atqui de hoc principaliter solo scribit in isto capite Matthæus. Adjungit post aliqua: *Admoneatur Lector utrumque conferre, & inde sensum enodare prophetiæ, quomodo pertinent ad hoc quod in Domino* (rectius in agro, licet agri hujus pretio & ipse venundatus sit Dominus) *completum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus, cum ait: Quem appretiaverunt filii Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus, nec apud Zachariam nec apud Jeremiam reperitur.*

Concedit 1. S. Antistes, ipsam agri emptionem, pro quo argentum numerabatur, contineri in Ieremia, idque ex illis verbis, quæ totum adeo factum imo historiam facti cum circumstantiis illuc pertinentibus involvunt: *Sicut mihi constituit Dominus*, elucet clarius, quæ tamen ad literam in Ieremia legi Augustinus recte it inficias. 2. Negat itidem literaliter seu iisdem vocabulis quippiam extare sub nomine pretii in Ieremia, quo appretiatus Dominus, licet Evangelista ad mentionem agri empti, eodem pretio quo Salvator noster, isthæc repetiisset è priori capite, cum tamen & hic quod rem ipsam concernit, eandem summam pecuniæ conficiant Doctores, & sic quod in Domino hic completum negarunt Augustinus, perinde est, sive obtineat, sive etiam cum de agro principaliter narret Matthæus, & pretium appretiati è præcedente saltem capite brevissime innuat, si attendere nolis, una concidat. 3. Sequentia verba S. Augustinus nulli prophetarum, sed ipsi Evangelistæ Matthæo tribuit, illæc è priori capite repetenti. *Quem appretiaverunt à filiis Israël*, infelicissimo exitu, dum palam fecere summet grande scelus, *& dederunt eos in agrum figuli.* E quibus divi Patris assertis solidum, spero, hujus vaticinii inspersi atque accommodati sensum, exclusis omnibus scrupulis, enucleabo.

Quod igitur ad Zachariam attinet, non denotatur ille à Matthæo. Primo quia S. Evangelista primario non de proditione sive venditione Salvatoris (quam ante jam descripserat 26: 14, 15, 16, 48, 49.) sed de manifestatione tractat hujus venditionis, cujus auctores principales fuerant Sacerdotes atque Seniores, coram universo populo (2) Quod apud Zachariam factum dicitur, non nisi de præterito tempore capi potest, nec ad Matthæum ita commode referri asserentem: *Tunc impletum est, quod dixit Jeremias.* Et si vel maxime in typo hæc gesta urserint adversantes, illustrior tamen typus jam ante extiterat in venditione Iosephi. (3) Si ipsum mandatum Dei hic exaggeretur, quamcunque etiam explicationem arripias commentatorum, nescio tamen, annon majoribus implicetur textus tricis, id quod magno mercentur ii, qui dum absolutum DEI decretum cudunt, nefario ausu, Iudam ad facinus suum atque desperationem divinitus adactum, credunt: (4) Non ad dejectos in templum argenteos, nec ad excessum horrendum proditoris, sed ad manifestationem virulentarum technarum, quas vitæ Salvatoris struxerant Seniores, quæque jam coram tota civitate per mortem Iudæ agrumque postea comparatum innotuerant, hoc vaticinium adjungit Matthæus: Seniores enim atque sacerdotes istam pecuniam, ut cum scriptura loquar, projecerunt ad agrum figuli, non Iudas, qui jam infelicem exhalarat animam. Sic locum dum denegarunt in templo occultum, multo illustriorem isti argento destinarunt palam in agro. (5) Utcunque Zacharias atque Matthæus de triginta loquantur argenteis, tamen hoc repetitur tantummodo ab Evangelista è capite præcedente, nec pertinere principaliter videtur ad complementum hujus vaticinii, cum satis sit Evangelistæ in capite hoc XXVII. demonstrasse, Seniores autores detestabilis hujus casus primarios fuisse detectos, hi enim argenteos istos numeraverant, licet acriter id dissimulassent vel coram ipso proditore, cum quo contractum hunc nefandum inierant: *dixerunt enim, quid ad nos? tu videris.* (6) Quocirca nec in ipso argenteorum numero quicquam, quod rationem vaticinii habeat, huc accurate congruit, licet eadem plane pecuniæ summa extet in Ieremia, de qua Zacharias 11: 13. *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*, cum & antea memorasset hæc Matthæus, & majorum summam, si Iudas expetiisset, libenter surrogassent Seniores, qui cum magna vel existimationis suæ macula immixti vulgo eum publice infaustis clamoribus ad crucem depoposcerunt, nec in ferali jam jam trabe exanimando insultare unquam destiterunt. Et si vel maxime numerus argenteorum conveniat, nihil hic tamen quod impletum fuerit, cum non de proditione ipsa, quam paucissimis è superiori capite tamen repetit, sed de proditionis manifestatione potissimum, & quænam capita istius proditionis fuerint, ostendat S. Evangelista. Vere igitur & cordate Franciscus Ribera in Zach. 11. p. m. 740. *Unde Matthæus prophetiam desumpserit, non est hujus loci, dicant explanatores Matthæi: Quod ad meum institutum attinet, dicam. Nego, desumptum esse ex Zacharia. Primum, quoniam antiquissimi codices Græci & Latini, etiam Eusebii & Origenis ætate, nomen Jeremiæ habebant, ut in Origene videmus tract. 35. in Matth. Deinde quoniam, licet de eadem re loquatur Zacharias, verba sunt admodum diversa: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium. Decorum, quo appretiatus sum ab eis &c. Tertio, quoniam illa: Et dederunt eos in agrum figuli sicut constituit mihi Dominus, nullo modo sunt in Zacharia. Postremo apud Zachariam Christus loquitur, in verbis Matthæi non loquitur Christus, sed propheta ipse.*

Unicus itaque hic citatus Ieremias. Interpretibus plerisque hic versus imposuit: *Et acceperunt triginta argenteos* &c. Qualis alibi citatio apud Evangelistam occurrit, nec facile datur exemplum contrarium, uti aliquis, allegans prophetam, non ipsa statim adjiciat verba prophetæ. Hæc licet ita se habeant, & varie probari possint, ipsa tamen necessitas, cum juxta Augustinum illa verba nec in Jeremia neque etiam in Zacharia inveniantur, hoc loco aliam, sed veram tamen explanationem ministrat. Singulare namque quippiam occurrere, vel ex ipsis S. Jeremiæ verbis, idque solidissime evincitur, dum introducitur (1) non quid dixerit solum, verum (2) etiam quid in conspectu populi fecerit Jeremias. Neque enim more usitato sententiam aliquam brevem Prophetæ inseri, sed ipsum Jeremiæ factum cum simillimis, quales hic admiratur Evangelista, circumstantiis, atque verissimis minis Domini, vastationem totalem Israëli imminere, cito ad rem conferendis à Matthæo significari, tam plenum faciam, quam bis duo esse quatuor. Prima ratio evidentissima hæc est:

Quicquid S. Ieremiæ Dominus injunxit, id clare satis hoc loco denotat S. Matthæus,

Atqui agrum coram universa Hierusalem ut emeret tempore periculosissimo (id est eo, quo populus atque ager omnis cedendus esset hostibus) injunxit Ieremiæ Dominus. Ergo

Major extat apud Evangelistam, ubi, nemine repugnante, ipse introductus loquitur, totam historiam capitis XXXII. simul complectens, S. Ieremias. *Sicut mihi constituit Dominus.* De minore sive altera propositione, cum & ipsam illam narrationem pluribus suppeditet propheta, nec ulla lis intercedit. Nullo itaque negotio excusari poterit explicatio nostra, à consuetudine S. Matthæi aliorumque Evangelistarum alias remota, dum plura hic excutiuntur, quam quæ intra unius sententiæ limites coërceri facile, ad emptum agrum & notanda & divinitus Israëlitis immittenda. Si enim instes acrius, non concedere in eam te sententiam propter ea, quod S. Evangelista hic exerte dicat: *Tunc impletum est illud Jeremiæ dicentis:* (sc. de hoc) ℞. Id ipsum nostram sententiam non parum confirmare. Latere scilicet plura hic eruenda, quæ intento quasi digito monstrat S. Ieremias, & talis iterum illi scrupulo reponitur ratiocinatio.

(1) De Consensu Evang. p. mill. 343.

Quic-

Quicquid summo opere Jeremias (& cum eo Israël) metuebat agrum emens, id hic demum asserit S. Matthæus esse completum.

Atqui Jeremias (cumque eo Israël) agrum emens metuebat populi atque Palæstinæ vastationem universalem. Ergo.

Suppono igitur primo non ad literam istæc in Jeremia legi, sed ipso tamen facto rem narratam contineri. Versu enim nono ait Jeremias: *Et emi agrum & appendi argentum.* Nam sicut coram omni Populo publicarunt hunc contractum Seniores agro empto, ita de sua mercatura Ieremias vers. 12. *Et dedi librum possessionis —— in oculis testium —— in oculis omnium Judæorum.* Neque non audacia Iudæorum hic multo major, quam Patrum in Ieremiæ isto capite. versu enim 24. legitur: *Ecce munitiones exstructi sunt adversus civitatem ut capiatur* —— 25. *Et tu dicis mihi Domine Deus, eme agrum argento & adhibe testes &c.* quos tamen talia formidantes illo exemplo consolatur Dominus vs. 15.43. *adhuc enim possidebuntur domus & agri & vineæ in terra ista, de qua vos dicitis, quod deserta sit, eo quod non remanserit homo, & jumentum & data sit in manus Chaldæorum.* vs. 44. *Agri ementur pecunia* (k) *&c.* Quocirca quod tum formidabant Isaëlitæ, agrum emere nolentes in terra hostibus concidenda, id jam vere impletum omne innuit, isthæc cuncta tacite involvens, S. Matthæus membro primo. *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati.* Mitto enim quæ è versu 7. applicari etiam possint. *Eme tibi agrum, tibi enim competit ex propinquitate.* Sic & hi Seniores propinqui scelerati Iudæ, & socii sanguinolentæ proditionis; nam dederunt proditionis arrham *sive pretium appretiati in agrum figuli, & notum factum est omnibus Hierosolymitanis. &c.*

Quod autem S. Matthæus inserit, *quem appretiaverunt à filiis Israël*, eo ipso grande flagitium, tum Judæ, tum Seniorum prodentium atque vendentium Messiam suum, detegit & exaggerat, atque ea propter vaticinium propheticum cum exprobratione uberiore, Jeremiam appellans, satis clare innuit.

Neque pluribus tangere libet, quæ ad versum nonum Jeremiæ commentantur Cornelius & Tirinus: Et emi agrum & appendi argentum, septem stateres & decem argenteos: *sunt septendecim floreni Brabantici.* Et mox objecturo: quomodo 17. florenis potuit emi ager? Respondent. *Quia imminente captivitate omnia erant derelicta & vilia.* Si igitur conferas isthæc Henrici Buntingii. *Triginta argentei sunt triginta semitaleri sive quindecim imperiales. Tali pretio & Salvator & ager (Matth. 27.) venditus est figuli*: æstimando florenum Brabanticum vilioris aliquanto valoris quam Joachimicum, eandem conficies accurati summam, quindecim nempe imperiales, hoc est, *pretium appretiati.* Cæsaris enim Baronii, (l) è Chaldæo paraphraste atque Magistro Kimchi summam istam pecuniæ augentis, inanes argutias, quippe cui, literaturæ Hebraicæ penitus ignaro, hoc male suggesserant alii, merito confutat Isaacus Casaubonus ad annum 34. numero toto 20.

Sed longe notabilius hic Matthæus complecti voluit è Jeremia & taxare simul istud ementium & prodentium Messiam coram toto populo scandalum: (vs. 30.) *Erant enim filii Israël & filii Juda jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua, filii Israël, qui usque nunc exacerbabant me in opere manuum suarum, dicit Dominus.* (31.) *Quia in furore & in indignatione mea facta est mihi civitas hæc, à die qua ædificaverunt eam, usque ad diem istam qua auferetur de conspectu meo.* (32.) *Propter malitiam filiorum Israël & filiorum Juda quam fecerunt, ad iracundiam me provocantes ipsi & Reges eorum & Sacerdotes eorum, & Prophetæ eorum, viri Juda & habitatores Jerusalem* (33.) *& verterunt ad me terga, & non facies: cum docerem eos, & erudirem diluculo, & nollent audire ut acciperent disciplinam.*—(vs. 35.) *ut facerent abominationem hanc & in peccatum deducerent Judam.* Atque isthæc omnia, componens verba Jeremiæ cum Matthæi brevibus illis, *quem appretiaverunt à filiis Israël* (ipsi enim Seniores atque Sacerdotes participes imo primarii autores fuerant hujus nefandi contractus coram universa plebe, dum agrum emerunt, evulgati) non frustra erit quispiam, ut deinceps arguemus clarius.

Falso igitur hactenus commentatores existimarunt, verba à Matthæo producta, quia κατὰ ῥητὸν usitato more non exstant in Jeremia, nec ad caput istud pertinere Jeremiæ, quæ tamen, rem si spectes, illic omnia inveniuntur multorum insuper mysteriorum involucro tecta. Ad hæc ergo respectat Matthæus, quippe qui narrationis suæ telum ita pertexit, flagitium summum Seniorum pari cæcitate conjunctum ita adumbrans è Jeremia: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati.* Versu enim quarto dixerat, noluisse, dum Judas contractum rescidisset, pecuniam recipere, adeoque à proditionis facinore quam maxime alienos videri maluisse, quæ hypocritarum simulatio in majorem præcipitavit miserum desperationem, ita ut confestim exiens templo, projectis illic atque relictis argenteis, gulam sibi fregerit, aperta nece ac infami, uti mox ostendemus pluribus. Cumque per horribilem interitum Judæ feralis Seniorum mercatus omnibus innotuisset, neque amplius obtegere, restitutis argenteis, scelus valerent, quod severis prius à se verbis amoliri conabantur, repetit S. Matthæus: *Acceperunt triginta argenteos* &c. præmissa particula *Et* acceperunt &c. quæ particula cum antecedentibus connectit sequentia, atque adeo Evangelica à propheticis si ad literam intelligas, uti hactenus intelligenda, licet minus dextre, putarunt isthæc eruditi, præter morem disjungit.

Verum S. Matthæus, ais, vs. 6: 7, 8. scripserat: *Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Hakeldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem.* Et addit vers. 9. *Tunc impletum est* &c. Ergo jam satis dilucide historiam dederat atque integre neque possunt Evangelistæ verbis adjungi sequentia. ℞. Distinguendo inter actionem ipsam atque publicam actionis manifestationem. Nunquam enim putarunt Seniores, fore, ut tanta hujus contractus memoria apud omnes recrudesceret, quantam sane hoc in speciem sacro legato mox coram tota Hierusalem ipsi postea innovarunt, dum Judas *suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita, ut appellaretur ager ille ager sanguinis* Act. 1. vs. 18. 19. Magno igitur errore occæcati illius sceleratæ mercaturæ se reos prostituere coram universo populo, dum istis argenteis compararunt agrum sepeliendis peregrinis. Hinc repetit S. Evangelista contractum Seniorum, ni agrum emissent, forsitan non ita promulgatum, ad Jeremiam respiciens, qui coram multis testibus agrum, præcipiente ita Domino, sibi vendicaverat; at mercaturæ Seniorum esse testes multo copiosiores, nempe universam civitatem Hierusalem. Nam inficiationi publicæ in templo, qua accipere detrectantes à Juda argenteos, facinoris culpam à se devolutabant, adjungit Evangelista mirabilem, eandemque coram tota civitate detectam, nefariæ negotiationis promulgationem his verbis: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem*: Simile namque factum commemorat, summa ingratissimi populi scelera & extremam impietatem cum excidio fatali, quod tum apud Jeremiam avertebat DEUS, jam jam imminente conjungens. *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati*, hi enim proditi Messiæ manifesti testes sunt, *quem appretiaverunt à filiis Israël*, quia in ipsa Israëlitica Ecclesia hæc scandala patrata, administris ipsis summis sacerdotibus ac corrupto Domini discipulo, *& dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* De ipsa manifestatione facinoris loquitur, interjecta historia simili cum notabilibus circumstantiis è Jeremia, quem his saltem, præter morem alias, vel suum, vel cæterorum Evangelistarum, constanter post verba *prophetæ dicentis* ipsa dicta allegantium, ut Lector (nimis enim prolixus est locus, & excurrit ferme per integrum caput) ipsum inspiciat atque conferat textum Jeremiæ, paucissimis involvit totum verbis: *Sicut constituit mihi Dominus.* Varia autem erant isthæc, ut capite tertio amplius adhuc dispiciemus.

Mirum, ait Evangelista, argenteos, quos coram Juda proditore tangere religio erat in conspectu populi, veluti *mercedem iniquitatis* (m) hoc est *pretium appretiati* seu ut ipsi loquuntur vs. 6. *pretium sanguinis*, dummodo pietatis aliquo titulo hanc negotiationem commendare vulgo possunt, eam recipiunt: *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati.* Quia autem hæc mercatura infami turpitudine Israëlitarum atque horribili Israëlitæ Judæ Ischarioth erat defœdata cæde, addit Matthæus: *quem appretiaverunt à filiis Israël.* Et ut omnes nossent Sacerdotum clandestina opera ac consilia, suamet

(k) *Conf. & vs. 36. 37. seqq.* (l) *Item Drusii cum Elia Levita apud Micrælium* in Ethnophronio.

(m) *Actor. l. 5. 18.*

ſuamet hypocritica ſimulatione, qua agrum comparant in uſum peregrinorum, manifeſtant omnibus, quod coram Iuda in templo, pecuniam recuſantes, publice negaverant, atrocis hujus ſatis ſuperque jam convicti ſceleris, *& dederunt eos in agrum figuli.* Reos igitur ſe ipſos hac emptione peregere coram cœlo & terra velut genuini proditoris ſuſpenſi ſocii. Quod factum cum circumſtantiis variis hiſtoriæ è Ieremia innuit Matthæus, ſtatim addens: *Sicut mihi conſtituit Dominus*, nimirum plures teſtes hoc ſycophantico ac in ſpeciem religioſo legato excitaſſe Seniores nefarii contractus ſui, quam olim habuiſſet, agrum publice emens juſſu Domini, S. Ieremias: *Notum enim factum eſt omnibus habitantibus Jeruſalem, ita ut appellaretur ager ille ager ſanguinis usque in hodiernum diem.*

CAPUT III.

Ipſum vaticinium Jeremiæ, & quidnam hic impletum è Jeremia dicat Matthæus, adhuc clarius explicat.

TRiplici igitur teſtimonio S. Matthæus manifeſto reos Sacerdotes hujus immanis ſceleris perſtringit; Primo ex ipſa arrha ſanguinis, quam receperant: neque enim (licet antea ſimpliciter eam præſentibus aliis horruiſſent, imo in Senatu deliberaſſent, ne locum quidem in Gazophilacio relinquendum, quod pretium eſſet ſanguinis) ullo modo, dum conditoriis peregrinorum deſtinarunt, effecere, ut hæc arrha ſanguinis non manſerit arrha ſanguinis, quemadmodum hactenus iſtam pecuniam eo nomine rejecerant, ex hoc ipſo quamvis ærario, ad quod retulerat Iudas, ab illis depromptam. *Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati.* Deinde id evincit ex ipſo contractu, cujus autores videri noluerant, his ſequentibus: *quem appretiaverunt à filiis Iſraël.* Ut ut ſe eximant maleficio, iſti ſane Seniores atque ſacerdotes pecuniam hanc Iudæ numerarunt eum in finem, ut ſuum ipſis proderet Magiſtrum. Egregios ſcilicet pietatis Doctores, qui ad Meſſiam, quam S. Baptiſta Iohannes aperte imo digitis monſtraverat, quemque commendare filiis Iſraël ſummo opere debuiſſent, non ſolum inimicis clam ut tradant, ſed etiam poſtea ad mortem palam crucis condemnent prece & pretio exſtimulant Iſraëlitas: *quem appretiaverunt à filiis Iſraël.* Tertio demonſtrat Evangeliſta Seniores inſtigatores hujus venditionis publice manifeſtatos ipſo agri legato in ſepulturam peregrinorum, *& dederunt eos in agrum figuli*, ſuo igitur ære, quod ab ipſis primo profectum, & ad quod facinus iſto illi Iudam excitarunt, quem à tali ſcelere arcere debuerant ut Doctores legis, hunc agrum, non Iudæ pecunia, compararunt, ideo plures hujus proditionis teſtes nacti, quam olim in agro emendo è mandato Domini numerare potuerat Propheta, ad cujus tum verba tum factum Lectorem avidum S. Matthæus hic remittit.

Summa capitis autem memorati XXXII. quo reſpectat Evangeliſta, hæc eſt. In maximis populi Iudaici anguſtiis, cum Nabuchdonoſoris exercitus ipſam ſanctam civitatem arctiſſima obſidione premeret, adeo ut Iſraëlitæ jam penitus animos deſponderent, ſe in perpetuam, credentes, abductum iri omnes captivitatem, atque ſic ipſa fides de Meſſia olim mittendo vacillaret; confirmandis illis jubetur Jeremias agrum emere adhibitis teſtibus *emptionisque librum in vaſe fictili* ſub terram condere. *Hæc enim dicit Dominus exercituum, DEUS Iſraël. Adhuc poſſidebuntur domus & agri & vineæ in terra illa.* Scilicet non ita abducentur Iſraëlitæ, ac ſi nunquam, uti vos veremini, redituri eſſent, ſed cum pœnas ſcelerum DEUS ab iis expetiit, revertentur tandem ad terram ſuam, ita enim ipſe Dominus exponit vſ. 43. 44. *Poſſidebuntur agri in terra iſta, de qua vos dicitis, quod deſerta ſit, eo quod non remanſerit homo & jumentum, & data ſit in manus Chaldæorum* &c. Scopus itaque conſolationis divinæ huc tendit, non eſſe deſperandum Judæis, ac ſi prorſus delenda foret politia ipſorum, atque terra ſancta æternum ſuis incolis privanda, quod in tantis temporum difficultatibus metuebant iſti, quemadmodum vel ex ipſa S. Jeremiæ precatione elicitur ſolide. vſ. 25. *Tu dicis mihi Domine DEUS, eme agrum & adhibe teſtes: cum urbs data ſit in manus Chaldæorum.* Id ipſum igitur, quod hic aſſerit Jeremias, quodque Judæi tunc cum Jeremiâ omnes querebantur dolentes, ſe prorſus univerſamque regionem ſuam deletum iri, jam vere completum eſſe, ad mentionem *agri ſanguinum* commemorat è Jeremia S. Matthæus, talem comparationem exorſus tacite. Id quod, mandante Domino, ægre Jeremias ut faceret inducebatur, agrum ſibi redimere in terra hoſtibus conceſſa, hoc è communi conſilio, majoribus imminentibus periculis, & in ſpeciem piarum etiam eleemoſynarum hic ultro moliuntur Sacerdotes & moliuntur *pretio appretiati* ſeu pretio ſanguinis, uti ipſi nominant iſtam pecuniam. Et vera ſane iſthæc prophetia hic involvitur. Nam ſicut olim ſua emptione conſolatus Propheta fuerat hæſitantes Iſraëlitas, ita hoc Seniorum mercatu ſumme turbatus eſt Iſraël, *vocatus enim eſt ager iſte ager ſanguinis*, evidenti teſtimonio, hunc ſanguinem eſſe vindicaturum eum, qui hac de re jam illis ante ſeu concionatus ſeu minatus fuerat Matth. 23: 38. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Et ad conſpectum templi cap. 24: 2. *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* De immanitate autem hoſtium, exſcindentium politiam Judaicam, omnem fidem ſuperatura, adjice, vſ. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo neque fiet.* vſ. 22. *Et niſi breviati fuiſſent* (numero imminuti) *dies illi* (calamitoſi) *non fieret ſalva omnis caro*, id eſt, nullus homo Judæus in perſecutione Romani ſuperſtes relinqueretur, *ſed propter electos breviabuntur* (temperabuntur) dies illi.

Illud ergo quod Matthæus hic è Jeremiæ verbis completum eſſe ſcribit, eſt jam jam univerſæ regioni Judæorum inſtans fatale excidium, ut ab hujus agri emptione paulo poſtea neque emendum eſſet quicquam terræ nec vendendum, univerſa Palæſtina hoſtibus (Romanis) conceſſa, populoque Iudaico per totum terrarum orbem è terra illa ſanguinis abducto, ſic vere peregrinorum ſepulturæ ager ab illis fuit deinceps omnis delegatus. Atque hanc ipſam explanationem non obſcure firmare videtur S. Lucas Act. 1: 19. Cum enim repetiiſſet è noſtra hiſtoria. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Ieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Hakeldama, hoc eſt, ager ſanguinis, addit ſtatim verſu 20. *Scriptum enim eſt in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & epiſcopatum ejus accipiat alter.*

QUid vetat autem, utrumque & Ieremiæ & Matthæi locum ſub finem, ſeu conciliationis ſeu explicationis gratia, adhuc denuo conjungere? (n) CONSILIO AUTEM INITO EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI IN SEPULTURAM PEREGRINORUM. PROPTER HOC VOCATUS EST AGER ILLE AGER SANGUINIS USQUE IN HODIERNUM DIEM. TUNC IMPLETUM EST, QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM PROPHETAM, DICENTEM: (o) (vſ. 25. *Tu dicis mihi Domine Deus, eme agrum argento & adhibe teſtes, cum urbs data ſit in manus hoſtium.* vſ. 24. *Ecce munitiones extructæ ſunt adverſus civitatem, ut capiatur, & urbs data eſt in manus hoſtium*, vſ. 29. *Et venient præliantes adverſus urbem hanc, & ſuccendent eam igni, & comburent eam* vſ. 3. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego dabo civitatem in manus Regis Babylonis* (Romanorum) *& capiet eam* vſ. 5. *Si autem dimicaveritis adverſus Chaldæos* (Romanos) *nihil proſperum habebitis.* vſ. 36. (p) *Et nunc propter iſta hæc dicit Dominus de Iſraël ad civitatem hanc. —— quod tradetur in manus Regis Chaldæorum* (Romanorum) *in gladio & in fame & in peſte &c.*) ET ACCEPERUNT TRIGINTA ARGENTEOS, PRETIUM APPRETIATI, QUEM APPRETIAVERUNT A FILIIS ISRAEL: ET DEDERUNT EOS IN AGRUM FIGULI, SICUT MIHI CONSTITUIT DOMINUS. Sed tandem demum ſatis hæc dilucidaſſe, vel ſi ſecus videtur Lectori, quod nulli ſperamus, nihil tamen contra ſcripturam, aut quod adverſum ſit orthodoxæ fidei, ſcripſiſſe nobis conſcii FINIMUS.

(n) *Verba S. Matthæi.* (o) *Verba S. Jeremiæ.* (p) *Verba S. Matthæi quod ad factum attinet cum aliis circumſtantiis minisque acribus etiam reperienda in Jeremia.*

M. JOH.

M. JOH. ADAM KONIG
DISSERTATIO
De Ritu lavandi manus ad Matth. XXVII: 24.

בש״ש:



Itum lavandi manus longe antiquissimum esse, satis perspectum satisque cognitum est omnibus, qui extremis saltem, ut ajunt, digitis Antiquitatum libros attigerunt. Usi enim hoc ipso sunt partim Judaei, partim Romani, aliaeque gentes fama illustres. Quare non minimum accendit lumen interpreti tam sacra, quam profana scripta diligenter evoluturo, revoluturoque. Et valet omnino de hoc, ut & de aliis hujus farinae ritibus judicium Summi Viri, Magnifici Dn. D. Gejeri, quod libro multo elegantissimo de luctu Ebraeorum pag. 1. praemisit, *nihil*, inquientis, *reperiri posse, quod plurima Sacrae Scripturae testimonia nobis magis abstrusa, intellectuque difficilia reddat, quam rituum veterum ignorantia*: iis enim praeteritis, si quis loca, ubi eorum fit mentio, intelligere vel enarrare cupiat, merito compellabitur Apollinis ad Hectorem verbis:

Νῦν σὺ μὲν ὧδε θέεις, ἀκίχητα διώκων·
Nunc tu quidem sic curris, inaccessa persequens.

Agnoverunt hoc probaruntque alii celeberrimi Theologi pariter ac Philologi. Quapropter calcar, quod dicunt, nobis addidere diligentius, quam vulgo fieri solet, Antiquitatis studium tractandi. Constituimus itaque bono cum Deo ad usum nostrum ejusmodi imposterum themata eligere, quae ex Antiquitate explicari possunt ac debent. Primum esto ex Matth. 27: 24. De Pilati Judicis manuum lotione, ejusque origine ac fine. Hunc certe locum nemo rite recteque explanabit, nisi Antiquitatum libros diurna nocturnaque versaverit manu. Ne autem ἀμεθόδως rem aggredi videamur, ab initio Disputationis de methodo nonnulla differemus. In duo vero capita dispescemus hanc tractationem, in priori acturi sumus de verborum Pilati Judicis justa legitimaque expositione, in posteriori autem de re ipsa, de ritu scilicet ablutionis ejusque origine ac fine: Sit itaque cum DEO

CAPUT I.

§. I. UT autem de re tota constet, principio haec observanda veniunt: Pilatus innocentiam optimi Salvatoris Christi agnoscens, nolebat eum damnare, duro vero postea, ut sic loquar, necessitatis telo, importunis nempe populi insanientis flagitationibus coactus, tandem ad supplicium ipsum tradidit, dissensum autem omnibus ut testaretur suum, lavit manus, additis hisce verbis: ἀθῷός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου· ὑμεῖς ὄψεσθε. Quae Syrus ita vertit:

ܙܟܝܐ ܐܢܐ ܡܢ ܕܡܗ ܕܗܢܐ ܙܕܝܩܐ
ܐܢܬܘܢ ܬܕܥܘܢ:

BEZA:

Innoxius ego sum à sanguine hujus justi. Vos videritis.

B. LUTHERUS:

Ich bin unschuldig an dem Blut dieses Gerechten / sehet ihr zu.

§. II. Vocabula ipsa quod attinet, de his enim primum agere promisimus, principem locum occupat vocabulum ἀθῷος, id quod paucis considerabimus. Ducitur vero hoc vocabulum ἐμφατικώτατον à θωῇ, quod notionem damni aut mulctae habet. ἡ θωή, ἧς autem est affine, testante Pasore in Lexico ad Novum Testamentum, Hebraeo תָּעָה errare, & est mulcta ob delictum. Eustathius θωή derivat ab antiquo verbo θῶ, contractum quod est ex θέω, unde τίθημι, uti φωνή alias à φῶ, ζωὴ à ζῶ deducitur, & explicat ad ὀδυσσ. β. p. 1441. τὴν ἐπιτιθεμένην τινὶ ζημίαν: per mulctam vel poenam, quae alicui irrogatur. Hinc ἀθῷος exponitur ab Hesychio ἀναίτιος, innocens, à Suida primo quidem ἀζήμιος, damni expers, impunitus, post quoque ἀναίτιος. Est itaque ἀθῷος, ὁ μὴ θωὴν πάσχων i.e. qui non patitur poenam, & est mens Pilati haec: nulla me propter hanc caedem afficere debent vel possunt poena, innocens sum, ut optime etiam reddidit Syrus.

§. III. Hoc vocabulum excipiunt, εἰμί, ἀπό, τοῦ, sed non sunt magni momenti & ponderis, quare lubens omitto, & assumo αἷμα. Scapula in Lexico pereruditio hoc ἀπὸ τοῦ αἴθειν descendere affirmat, quod urere significat, at palato nostro nequaquam arridet ejusmodi etymon, cum contra omnem Grammatices analogiam instituatur; nec illud nobis admodum placet, quando Clarissimus Becman. in Origin. Lat. Ling. p. m. 959. αἷμα Hebraeo דָּם originem debere putat, cum valde dura intercedat mutatio. Nos vocabulum αἷμα agnovimus, agnoscimus & adhuc pro primitivo. Significationes autem hujus vocis quod concernit, varias ea tam apud Sacros, quam apud profanos Autores admittit: (α) enim communissime significat sanguinem: ut Luc. 13: 1. Joh. 19: 34. & in Homero atque Hesiodo passim. Ex Hesiodo nonnulla exempla, quia in omnium ferme manibus est, citabo, vid. in Scut. Herc. v. 174, 159, 252, 256. (β) denotat hominem, ut Matth. 27: 4. vid. Ampliss. Dn. D. Glassium in Philologia S. p. m. 1380. (γ) notat semen humanum Actor. 17: 26. Hom. Il. ζ. & υ. & ὀδυσσ. π. (confer Lexicon Scapulae p. m. 69. Gesnerus adducit rationem in Lexico suo ex Eusthatio cur αἷμα seminis humani significationem habeat, quia scilicet seminis natura sit sanguis, quo de vide Physicos, inprimis B. Sperlingium. (δ) per metaphoram uti Flacius in Cl. Scripturae Sac. Col. 1083. sentit, spiritualem mortem aut aeternum exitium significat, Actor. 18: 6. cap. 20: 26. &c. aliarum notionum in praesenti mentionem facere non erit operae pretium, has qui scire avet, adeat jam laudatos Autores, praeprimis Flacium & Glassium l. c. Hic vero loci notat caedem. Beza id fieri putat per Hebraeorum consuetudinem in Comment. ad h. l. attamen observat simul, inveniri hoc ipso sensu etiam apud Euripidem in Hecuba. Verum enim vero non in Hecuba solum sic usus est Euripides, sed in Hippolyto quoque coronato v. 1450. ubi sic ait:

Τί φῄς; ἀφίης αἵματός μ' ἐλεύθερον.
Quid vis? dimittis me liberum à culpa necis.

Et idem in Iphigenia in Tauris v. 78.

Χρήσας· ἐπειδὴ πατρὸς αἷμ' ἐτισάμην.
Edito Oraculo, postquam paternam caedem sum ultus.

Et idem ibidem v. 964.

Εἰπὼν ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι.
Dixi autem ego, audivitque causam parricidii.

Et ibidem in Electra v. 135.

> Πατρίδ' αἱμάτων
> ἐχθίστων ἐπίκουρος.
> *Patrisque cædis odiosissimæ vindex.*

(confer Clarissimum Pfochenium in diatrib. de Linguæ Græcæ N. T. puritate §. 89. pag. 67.) Demosthenes etiam Oratorum Coryphæus, sic usurpat, dicit enim ἐφ' αἵματι φεύγειν ob cædem exulare; sic usi sunt Sophocles & alii quamplurimi, vid. Lex Scapulæ loc. c. Interim tamen H. Grotius Hebraismum cum Beza asserit Not. ad h. l. vers. 23. quem alii ceu spurium rejiciunt, & in his celeberrimus Gronovius observatorum in Scriptores Ecclesiasticos μονοβίβλῳ. Idem Eruditissimus Vir, quod ἐν παρόδῳ, ut loquuntur, referam, loco allegato sanguinem apud Latinos poni pro cæde probavit, in quam sententiam aliquot loca Livii protulit, ut ex lib. V. ubi dicit, *is finis sanguinis fuit.* Et ex Lib. XXVII. ubi *victores* ait *sanguinis cædisque ceperat satietas* &c. Ex Nasone quoque, Poëta insigni, exemplum adduxit, quando sic canit:

> *Fert male cognatæ jacturam mortis in uno:*
> *Et queritur factum sanguinis esse parum.*

Sed neque Gatakerus agnoscit hunc Hebraismum contra Pfochenium pag. 234. neque Clarissimus Vorstius in libro de Hebraismis N. T. Part. I. pag. 409.

§. IV. Sed hic posterior Clarissimus Vorstius alium in hisce verbis annotavit Hebraismum, quem latere in Syntaxi vocis ἀθῷος existimat. *Nomina enim*, inquit, *quæ puritatem atque innocentiam denotant apud Græcos cum Genitivo construuntur*, ut cum dicant: ἁγνὸς γάμων, purus à nuptiis, καθαρὸς φόνου purus à cæde, ἀθῷος autem hic loci reperitur cum præpositione ἀπὸ more Hebræorum: nam hi idem faciunt, נָקִי (insons) construunt cum præfixo מ e. g. 2 Sam. 3: vers. 28. נָקִי אָנֹכִי מִדְּמֵי אַבְנֵר *insons ego sum sanguinis Abneri*: at responsi loco damus (α) nihil esse novi, quod quandoque præpositio ἀπὸ abundet: hoc etiam quam frequentissime fit in illo verborum genere, ad quod pertinent hæc, quæ longe doctissimus Vorstius adduxit. Dicitur enim ἄρχεσθαι ἀπό τινος, ἐλευθεροῦν, ἀπέχεσθαι, εἴργειν ἀπό τινος, incipere, liberare, abstinere, arcere ab aliqua re, quæ alias solo gaudent Genitivo. Imo (β) non tam est pleonasmus, quam Ellipsis, si dicas καθαρὸς φόνου, deest hic ἀπό. Nam ut ingeniosissimus Vossius in Aristarcho Grammatico docet libro VII. cap. 32. *Genitivum apud Græcos verbo additum non ab ipso verbo regi, sed à voce per Ellipsin intellecta*, quæ in allatis exemplis alia non est, quam præpositio ἀπό. Agnoscit hoc quoque Vorstius, sed excipit ad hoc, nusquam alibi præpositionem illam expressam legi: at respondemus, sufficit, quod hic legatur. Num Vorstius culpaverit Athenæum, qui quod alii omnes defective usurpant, οἱ ἐν ἀξιώμασι, plene extulit, cum scribit, τοῖς ἐν ἀξιώμασι κειμένοις, *qui in dignitate sunt constituti?* Equidem me non fugit Casauboni, Viri Amplissimi acutissimum judicium, qui lib. I. Animadv. in Athenæum cap. II. scribit, parum ex usu Græce loquentium adjectum esse participium, ut ideo etiam male ab Interpretibus fuerit intellectum. Conf. Daniel. Vechneri hellenolexiam p. m. 50. Verum nesciebat Vir ingenio & eruditione summus, idem peccasse Sophoclem (siquidem peccatum dici debeat): cum enim omnes Græci οἱ ἐν τέλει scribunt ἐλλειπτικῶς, ille adjecit participium βεβῶτες, in Antigone v. 67. τοῖς ἐν τέλει βεβῶσι πείσομαι, *Magistratui*, vel ut Schol. exponit, *Regibus, obtemperabo.* Ut taceam alia talia innumera, quæ huic & illi propria sunt atque peculiaria.

§. V. Quod si (γ) præcedentia missa faciamus, non tamen evincetur Hebraismus, sive enim originem spectes, sive usum optime & Attice loquentium, sive antiquissimorum Grammaticorum testimonia consulas, ἀθῷος primo ac proprie, uti supra quoque diximus, ἀζήμιον significat, eum scilicet, cui nulla pœna & mulcta irrogatur, aut irrogari potest, qui nullo damno afficitur. Ideo ἀπὸ valet propter, ut apud Sophoclem in Antigone v. 698. invenitur. Propter hanc cædem hujus justi nulla me pœna & mulcta mulctare possunt. Quod bene intelligebant Judæi cum ejus cædis pœnam in se suosque liberos proprio judicio transferrent vers. 25. Scilicet in eo differunt נָקִי Hebræum & ἀθῷος Græcum, quod hoc πρώτως de pœna, δευτέρως de culpa dicitur, illud contra. Alterum ex altero & colligitur & consequitur. Propterea Hellenistæ, ut vocantur, promiscue usurpant ἀθῷος cum de culpa, tum de pœna. Cæterum occasione Hebraismorum, quos hic nonnulli se reperisse crediderunt, disputari cœptum est de eo, an Matthæus noster ipsa Pilati verba expresserit? Cum enim homo Romanus fuerit, quem procul omni dubio latebant Hebræorum idiotismi, non est probabile, ipsum sic locutum. In his quoque nomen profitetur suum Grotius ad Matth. 27: vers. 23. maxime etiam Vorstius loc. cit. Ambo cum invideant Pilato Hellenisticæ linguæ gloriam, volunt, sensum verborum Pilati ab Evangelista esse redditum. Sed quoniam illi Hebraismi sunt explosi rejectique plane, opus haud quaquam est, ut plura hac de re verba faciamus.

§. VI. Post hæc in Textu sequitur vocabulum δίκαιος, quod originem trahit à δίκη, quippe quod justitiam denotat. Plato quidem censet δίκαιον dici quasi διαιον (i. e. διὰ ἰόν) per omnes res percurrens, ascita sibi litera κ ad elegantiorem sonum, at minus recte. Nec illud etymon pro bono æstimandum judicandumque est, quando Aristoteles Lib. V. Eth. cap. VII. derivat ἀπὸ τοῦ δίχα, quasi δίχαιον, quod in duas æquales partes rem scindat, neutri parti plus minusve rata portione tribuens. Sic & δικαστὴν vult dici quasi διχαστήν. δίκαιος vero varia significat & dicitur tam de re, quam de persona: ut δίκαιος ἀνὴρ & δικαία ἀρχὴ apud Isocratem. Quando cum verbo substantivo ponitur, exponitur dignus, ut apud Demosth. in Mid. δίκαιος ὢν ἀπολωλέναι, *dignus morte*: sic & apud Aristoph. in Nub. ἀπολαβεῖν τἀργύριον δίκαιος εἶ: *dignus es, qui argentum recipias.* Vid. Gesnerum in Lexico. Deinde δίκαιος quoque significat verum, ut apud Sophoclem: δίκαιος γόνος, id quod imitantur etiam Latini, ut quando Salustius dicit: *quem honorem ita egit, ut nihil non æquum atque verum duxerit, quod ei facere collibuisset.* Hic significat justum, non quidem ob unam virtutem justitiam nempe, quæ princeps virtus est, sed ob absolutam omnibus numeris probitatem. Et sic Aristoteles in Ethic. δικαιοσύνην describit, dum dicit: ἐν δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. *In justitia comprehenduntur omnes virtutes.* Et justitiæ sensu passim occurrit in Sacro Bibliorum Codice.

§. VII. Jam tandem aliquando pervenimus ad ultima Pilati verba: ὑμεῖς ὄψεσθε, *vos videritis*, supra vers. 4. Principes Sacerdotum & Seniores respondebant Judæ proditori: σὺ ὄψει *tu videris.* Ex quibus formulis Latinismum faciunt Philologorum nonnulli, præcipue Grotius ad ultimum locum v. 4. dicit enim: *est autem loquendi genus ex Latino sermone desumtum. Nam Romani curam rei alicujus à se in alium rejicientes, ajunt, tu videris; quod Græci efferrent:* σοὶ μελέτω. An autem dicamus Principes Sacerdotum & Seniores delectatos fuisse Latinismis? non videtur veritati consentaneum de illis, optime vero de Pilato. Quod si tamen Evangelista non verba ipsorum nobis reddidit, sed mentem duntaxat expressit, quæri non injuria potest, quare in uno commate Hebraismum, in altero Latinismum Græcæ immiscuit Orationi? Adhæc ad verba ista, σὺ ὄψει Piscator ad h. l. subaudit, *quam scilicet rationem istius tui facti, Deo sis redditurus.* Paraphrastæ Vinarienses: **Du magst sehen / wie du dein Gewissen wiederumb stillest.** Et ad v. 24. **Ihr mögts gegen GOtt verantworten.** Piscator: videte quomodo Deo sitis de hac damnatione, quam mihi invito extorquetis, rationem reddituri. Verum de sensu facilis est consensus: non æque de phraseωs origine, utrum Græci à Latinis, an vero hi ab istis acceperint? Novimus utrisque usitatam esse. Per nobis placet longe doctissimi Reinesii judicium, quod ad Vorstium sæpe laudatum Anno 1653. perscripsit, *post tot seculorum decursum introductum tantum linguarum chaos, non posse certo dici de vocabulis, phrasibus, syntaxi aliisque ecqua prima tradiderit?* Sed formulæ istæ, σὺ ὄψει, ὑμεῖς ὄψεσθε familiares sunt Arriano. Bis legitur l. I. c. IV. & in tertia persona bis lib. IV. c. IIX. & c. XII. τί οὖν ἔτι μοι μέλει; ὄψεται αὐτὸς, *quid ergo mea refert? viderit ipse.* Quamobrem non est Latinismus sed formula utrique genti communis, quam aliqui κοινισμὸν vocant. Syrus vertit ܬܕܥܘܢ *cognoscetis*, **ihr werdets erfahren.** Hæc de vocibus. Sequitur jam

CAPUT II.

§. I. HIs præmissis ad rem ipsam, manuum scilicet lotionem nos convertimus. Duo vero hic potissimum consideranda sunt: alterum est, ut illius moris finem investigemus, alterum, ut in originem hujus ritus inquiramus. Alii enim ritum hunc Judæis ceu proprium adscribunt vendicantque, Romanis vero atque Græcis ignotum atque insuetum: alii contra & his cognitum usurpatumque fuisse maxime con-

contendunt. Fuerunt autem olim variæ lotiones, partim sacræ & religiosæ, partim profanæ & vulgares: sacræ rursus erant vel vere sacræ, vel superstitiose tales. Vere sacræ fuere hæ, quando videlicet Sacerdotes Dei omnipotentis jussu suasque apud Judæos ante sacrificia manus abluebant, vel quando populus variis ablutionibus ante utebatur, quam ad talem rem divinam accederet. Quæ quidem lotiones erant institutæ ordinatæque, non ac si per se peccata mundarent, delerent atque expiarent, sed partim, ut probe scirent ad rem cultumque divinum illotis non esse accedendum manibus, hoc est, mentibus atque conscientia sauciata pollutaque, sed prius vera pœnitentia animorum sordes deponendas, puritatique ac innocentiæ operam novandam esse sedulo: partim, quod erant typi & figuræ sanguinis Christi, quo vere ab omni peccatorum labe mundamur. Fiebat autem ejusmodi ablutio in Atrio Tabernaculi, in quo continebatur usui huic peculiariter destinatum labrum æneum, seu vas quoddam ex ære factum ab extremitatibus ad modum labiorum prominentibus nomen sortitum. Exod. 30:18. Cap. 38:8. postea in templo Salomonis ob majorem capacitatem mare æneum dictum 1. Reg. 7: vs. 23. 1. Par. 18:8. quo de vid. Clarissimus Dilherr. in Disp. Philolog. I. Part. 2. p. 229.

§. II. Superstitiose sacræ vero fuere præprimis lotiones Pharisæorum. Nam cum Christus Salvator à Pharisæorum non nemine ad prandium (ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ) vocatus invitatusque esset, Christus domum ingressus, ἀνέπεσεν, *accubuit*, id cum vidisset Pharisæus, vehementer admiratus est, quod Christus prius οὐκ ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου i. e. *non ablutus fuisset ante prandium* Luc. c. 11. Deinde legimus quoque Matth. 15. quod Pharisæi ex Christo Salvatore quæsiverint, cur discipuli sui transgrederentur traditionem majorum, non enim manus lavarent, quando panem (h. e. cibum) comederent? Idem testatur Marcus Cap. 7. Pharisæi, inquit, & scribarum nonnulli qui Hierosolymis venerant, cum quosdam ex Discipulis Christi vidissent κοιναῖς χερσὶ τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις, *communibus seu pollutis, hoc est, illotis manibus panes comedere*, illos graviter reprehenderunt. Post Judæorum ritus alii commemorantur. Post bellum enim adeoque cædem utcunque etiam licitam lustratione utebantur veteres. Vid. Phil. l. I. de Vit. Mos. Præterea si contestari volebant, se alicujus sceleris innoxios esse neque impuris se facinoribus immiscuisse, in populi conspectu manus abluebant, ut ex illa manuum munditie animi puritatem ostenderent indicarentque: non secus atque Romani olim Candidati Magistratuum, vestis candore suam innocentiam & animum à sanguine & crudelitate alienissimum, candidum & ingenuum palam venditabant. Ac ne hoc quidem hic loci mihi videtur silentio prætereundum, Judæos se lavare ante & post cibum, post cibum autem ante gratiarum actionem, unde ortæ sunt apud hos ejusmodi formulæ: *aquæ priores oderunt carnem porcinam: at aquæ posteriores interfecerunt homines.* Et hæ formulæ loquendi ex historiis vel potius fabellis, ut sic loquar, sunt natæ, ferunt enim, Judæorum non neminem in aliquod hospitium venisse & illotis manibus mensæ assedisse, hospitem vero, ejus originem genusque qui ignorasset, illi carnem porcinam apposuisse. Ea præter refertur quoque, Judæorum quendam illotis manibus post cibum in forum, vultu piscis in barba retento, abiisse, cum vero à non nullis visus illususque fuerit, ira commotum uxorem interfecisse. Quapropter manus esse etiam post cibum lavandas putant, ut ne imposterum ejusmodi atrox facinus committatur. Hæc & plura alia possunt legi apud Eruditissimum Guil. Stuckium in pereruditio opere de Antiquitatibus Convival. Libr. II. Cap. XXXIII. Conf. quoque Magnificum Dn. D. Geierum in libro supra laudato de luctu Ebræorum p. 374. seqq. Cap. XII. §. 3. & seqq. Alias quoque lippis & tonsoribus ferme, ut ajunt, notum est, stultos illos homines sibi persuadere, se externis lotionibus vere coram Deo mundari, hinc internam animi munditiem atque puritatem parum vel minus curant præcepta Dei repudiant, damnant, majorumque traditiones mordicus tenent atque observant.

§. III. Hujusmodi manuum lotionem Ethnicos etiam ante sacra summa cum superstitione usurpasse, passim legimus: de his enim pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Ex multis pauca in medium producam. Theophrastus in libro characterum δεισιδαιμονία, inquit, ἐστὶ δειλία πρὸς δαιμόνιον, ὁ δεισιδαίμων ἢ ἀπονιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ περιρρανάμενος ἀπὸ ἱεροῦ δάφνης εἰς τὸ στόμα λαβὼν, οὕτω τὴν ἡμέραν περιπατεῖν. Hesiodus ε. vs. 722. ait:

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν &c.

Neque unquam mane Jovi libato vinum nigrum
Manibus illotis, neque aliis immortalibus.

Idem testatur receptum fuisse Gentilibus Sophoclis interpres super Ajacem. Macrobius libr. III. Sat. Cap. I. *constat*, ait, *Diis superis, sacra facturum se ablutione purgasse.* Qui Diis gentium sacrificare volebat, afferre debebat puras manus nullo scelere contaminatas docet Cicero lib. 2. de Leg. Ideoque pure lavari dicebantur, utpote qui etiam castissime ad sacra accederent. Vid. Livium & Tibullum Eleg. 3. libr. 1. Fuit autem apud has gentes duplex lavatio sive purificatio, altera ad manus, de qua in præsenti agimus, pertinebat, & vocabatur χέρνιψ, altera ad totum corpus, quæ erat περίρρανσις. Quod elegantissime, uti solet, refert M. Fridericus Hildebrandus, Præceptor meus ad aram usque amore & honore devenerandus, in libro de Antiquitatibus Romanis p. m. 27. Stuckius l. c. & alii. Exempla si quis desiderat, evolvat præter Antiquitatum Scriptores Vergilium, Juvenalem, Persium aliosque Poëtas. Nec hunc morem in sacris tantum offerendis observabant, sed alias etiam: erant enim in ejusmodi hæresi, cædem perpetratam vel quamcunque noxam vivo flumine & aqua marina ablui aut elui posse, secundum illud Euripidis:

θάλασσα κλύζει πάντα ἀνθρώπων κακά.

Unde qui scelere aliquo erant infecti, solebant, ut Demosthenes, Oratorum Princeps, loquitur: χερνίβων εἴργεσθαι. De Turcarum aliarumque gentium consuetudine in præsenti nil dicam, vid. Stuck. l. c. Et hæc de lotionibus sacris dicere volumus. Jam bono ordine sequuntur profanæ vel vulgares: hæ partim ad munditiem, partim ad sanitatem corporis referebantur, lavabant vero manus ante & post cibum, uti apud nos à plerisque fieri solet. Aristophanes, Grammaticus haud incelebris, quod obiter addo, asserit, veteres Græcos κατὰ χειρὸς proprie appellare solitos fuisse ablutionem manuum, quæ ante prandium cœnamque fuerit facta: quæ autem post prandium atque cœnam, νίψασθαι, sive ἀπονίψασθαι & has usurpasse formulas: ὕδωρ κατὰ χειρὸς δὸς ὦ παῖ. peracto prandio cœnaque peracta: ἀπονίψασθαι δὸς ὦ παῖ. & hoc discrimen quoque statuit Polemon, teste Athenæo, & Eustathius, aliique celebres Viri. Sic apud Græcos morem hunc lavandi manus valuisse passim ex Scriptorum veterum monumentis satis superque constat. Apud Homerum semper ferme ante cibum ablutionis fit mentio ut Il.

Ἦ ῥα, καὶ ἀμφίπολον ταμίην ὤτρυν' ὁ γεραιὸς,
Χερσὶν ὕδωρ ἐπιχεῦαι ἀκήρατον, ἡ δὲ παρέστη
Χέρνιβον ἀμφίπολος πρόχοον θ' ἅμα χερσὶν ἔχουσα·

Sic fatur servamque senex capere imperat undam
Inque manus liquidam diffundere, constitit illa
In manibus, pelvimque tenens, gutturnium ipsum.

Hinc proverbium originem traxisse suam multi putant; ἀνίπτοις χερσὶν ἀναβαίνειν, sed ego potius ad sacrificia refero, & ab his originem accepisse, ingenue fateor. Vid. Erasm. in Adagiis. Sic apud Gallos præprimis hoc observatur, hi enim ante & post cibum manus lavant. Vid. Stuckium l. c. Illotis enim manibus cibum capere sordidum, illiberale & agreste ducitur, convivis nauseam fastidiumque maximum pariens. Similiter post cibum manus cibis pinguibus maculatæ sunt omnino abluendæ, ut ne iis vel vestes, vel cæteras corporis partes contrectando inquinemus atque polluamus. Scabie aut alio morbo vexati manus quoque lavabant. Adhibebant autem sapones sive smegmata & odorifera unguenta, ut Athenæus testatur, cum ait *veteres utebantur ad manus purgandas* σμήγματι ἀποκρύψεως χάριν, *Smegmate sordis depellendæ gratia.* Qua de & aliis munditiis conf. supra laudatum Dilherr. l. cit. Part. 1. p. 232. seqq. Magn. Dn. D. Geierum l. c. & alios Antiquitatum Scriptores.

§. IV. Ex his autem præmissis duo potissimum, ut ad rem propius præsentem veniamus, sunt notanda, quod nempe aliæ lotiones ad expiandum, aliæ ad testandam innocentiam fuerint susceptæ. Scilicet non nulli Philologorum & Theologorum docent, Pilatum se expiare ista lotione manuum voluisse. Eo inclinat celeberrimus Heinsius Exerc. Sacr. ad h. l. pag. 89. Alii tamen ad innocentiam testandam hoc referunt, ita Grotius ad h. l. Vossius in Harmonia passionis pag. 244. Dilherr. Parte I. pag. 201. Stuckius pag. 248. seqq. Calvinus in Harmonia Euangelistarum utrumque conjungit, sed quod innocentiam suam testari voluit, quia in cædem Christi non

 consen-

consentiebat è Textu certo certius colligitur. Quæritur autem nunc ad quam gentem, vel ad cujus gentis instituta hic mos pertineat? Ad Judæos refert Vossius l. cit. Hoc enim faciebant Judices Deut. 21: 6. Confer Psal. 25: 6. Casaub. in not. ad Matth. 27. Contra Grotius ad h. l. contendit, aliis quoque gentibus fuisse notum hunc ritum (α) quia valde naturale esset, puritatem aquæ elemento designari, ideo qui sacrificare volebant apud gentiles, manus purgabant, respondemus, hoc non quæritur & abludit à statu controversiæ longissime. Id faciebant gentiles, ut aqua se expiarent, non vero ut innocentiam aliquam testarentur, sed ut post crimina se purgarent. Quare distinguit famigeratissimus Casaubonus Exercitat. XVI. contra Baron. Sect. 75. pag. 536. inter lotionem post admissum crimen ad expiationem peccati & ante crimen ad testificationem innocentiæ; quod fecit Pilatus. Ad prius pertinent testimonia, quæ afferuntur è veteribus gentilibus. Hoc constat quoque è Scholiis Sophoclis, de quibus m. supra diximus, ad versum 651. Ajacis, quem alias pro se allegare solent. Verba hæc sunt: ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος h. e. Mos erat veteribus, quando aut humanam aut aliam cædem fecissent, aqua lavare manus ad expiationem sceleris. Etiam qui ante tractationem sacrorum se lavabant, non hoc faciebant ad innocentiam testandam, sed potius ut innocentes & mundi fierent vel essent. (β) ait Grotius moris fuisse antiqui, ut judices aliquem damnaturi, manibus ad solem elevatis testarentur: ἀθῷοι ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου. Sed cujus gentis fuit hic mos? non fuit Græcorum aut Romanorum, quod in quæstionem jam venit; Grotius eum morem probat è Philone, sed Philo erat Judæus, ideoque contra Grotium testatur. Affert deinde Clementem Romanum, sed ille fuit Christianus neque loco allegato de gentilibus loquitur. Peculiaris est sententia Casauboni in Exercit. contra Baron. l. c. licet enim in notis ad N. T. Judæis tribueret hunc morem, quorum ritum hic Pilatum imitatum esse ibi affirmabat, attamen in Exercitationibus sententiam mutat. Equidem non negat eam gentis Judaicæ fuisse consuetudinem, sed ipse confirmat multis exemplis. Verum adjicit, sibi mirum videri, Pilatum hominem Romanum usum esse instituto Judaico. Ipse ait communem fuisse morem omnibus gentibus, ut sensa animi non verbis solum, sed & factis declararent. Itaque tale quid à se habuit, quod ipsi tum placuit, ut suam eo modo ostenderet innocentiam. Ad locum Deut. 21: vs. 6. de judicibus respondet, esse illum exemplum à facto Pilati toto genere diversum. Suam autem sententiam, quod nempe in more fuerit veteribus pro lubitu sensa animi etiam factis declarare, probat ex Actor. 21: 2. & remittit lectorem ad Comment. in Polybium. Quo & nos brevitatis studio benevolum lectorem remittimus. Cum vero alias lotiones multæ Judæis gentibusque communes fuerint, non apparet, quare adeo ab hoc uno genere Judæis usitato, tum maxime, cum inter Judæos ageret judicaretque, abstinere vel voluerit vel debuerit Pilatus. Utrum vero locus Deuteron. 21: 6. aliquid faciat ad Pilati factum, ob quod etiam à Doctissimo Vossio laudatur, in conflictu videbimus.

T. Θ. Δ.

M. JOH. ERN. MULLERI DISSERTATIO

De spinis coronæ Christi ad Matth. XXVII: 29.

SECTIO κατασκευαστική.

§. I.



Cum omnem posthac controversiam secundum verum, quem vocabulum ἄκανθα habet, sensus tenorem decidere constituimus, altius omnino partim in Græcorum monumenta, partim variarum N. T. translationum interpretationes, inquirendum erit, quorum illa ipsum vocabuli usum, eumque multiplicem, perspicue nobis cognoscendum sistunt, hæ diversarum Nationum consensum dilucide proponunt, ut deinceps judicare liceat, quibus partibus sese associare tutissimum videatur.

§. II. Dicta autem est ἄκανθα παρὰ τὴν ἀκὴν, quia spinæ sunt acutæ & acuminatæ, quas qui vel leviter contrectare audet, manus violat, & sanguinem elicit. Latini vocem spinæ à spica, alii à spiculo, ad cujus similitudinem acuta sit, derivant, alii ipsam deflectere malunt vel ex Hetrusco à spiena, vel à σπᾶν, aut à σπίζειν extendere, acuere, trahit hic sua quemque voluptas, uti plerumque in eruendis Etymologiis fieri solet; præ cæteris nobis placet Etymologia Græca, sic & Echinus dicitur ἄκανθος, quod toto corpore, si os, pedes & inferiorem partem ventris excipias, aculeos gerat infestos, & ad vulnus infligendum semper paratos, ut salutem vitamque suam à canibus tueatur in globum convolutus, & nihil nisi aculeos protendens hostes avertat. Porro & ἀκανθὶς piscis est spinis scatens; & ἀκανθυλλὶς avis vocatur, quæ amat ἀκανθῶνας loca spinis consita. Ἀκάνθιος notum quoque Cicadarum epitheton perhibetur, διὰ τὸ ἠχεῖν ἐν ἀκάνθαις.

§. III. Sumitur & Metaphorice & proprie, illo sensu, spinas dorsi, piscium, item quascunque difficultates ac Vitæ salebras notat, quare βίος ἀκανθώδης, vita variis molestiis ac miseriis circumvallata est, ἢ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ ἀεί, ut Menander adversæ Fortunæ hominem definit. Spinosam quoque orationem vocamus duram & asperam, auribusque ingratam, Bæotici cujusdam ingenii partum, qui nec caput, nec pedes habet, & miscet quadrata rotundis. Proprie accepta est nomen generale, plantis, & genere & specie diversis, commune, siquidem non herbas solum, sed etiam frutices & arbusta determinat, illas quidem vel cum alio substantivo copulata, vel cum adjectivo quodam conjuncta, hos autem absolute posita, unde tot æquivocationes & errorum genitrices oriuntur. Sic ἄκανθα ἀγρία spinam sylvestrem, herbæ genus, innuit, uti & ἄκανθα λευκὴ, μελάμφυλλος, Ital. Carlina, Hebr. נעצוץ in montibus & locis sylvosis nascens, alia vero est ἄκανθα Lactaria, uti & λευκάκανθα. Plures ejusmodi species recenseri possent, si prolixi esse vellemus, ut ut sunt, ὀξυάκανθα in hortis petrosis ac riguis crebro occurrens Tragacantha, cujus benignum proventum dat Mons Garganus Apuliæ, nec non ἄκανθα ἀραβικὴ alias ἀκανθὶς cognominata. Spina acida, barbaris crespinus, spina Ægyptiaca, solstitialis, πυξάκανθα alias λύκιον, ἀκακία spina Theophrasti, & quis omnium numerum potest inire? Sed extra compositionem & absque apposito adjectivo usurpata plerumque designat vel partes, spinas scil. in virgis, vel totum fruticem, & quidem quemcunque aculeis armatum, vel rosiferum, vel pruniferum, sylvestrem ac campestrem. De priori specie, rosifera omnis nostra vertetur Disputatio, quippe qui infra indicabimus rationes, quæ nos permoveant ad credendum, spinis rosiferis contextam fuisse Christi coronam, & idcirco sacras has esse ἀκάνθας,

quæ

quæ armant roſaria, & de quibus noſtra inſcribitur Diſſertatio. Latini quoque omnem aculeatum fruticem ſentem vel ſentum, quod tactu ſentiatur, rubum à moris ſive baccis, quibus rubet, ſpinam à ſpinando ſive pungendo, veprem quaſi vehementer prehendentem, vocant. Vocabula ſunt, quibus utuntur Germani **ein Dorn / eine Hecke von anhacken /** Galli, *eſpine*, *buiſſon*, *hallier*, *brouſſaille*, *bois d'eſpine*; Itali, *ſpina*, *ſterpo* ſeu *razza di ſpina*; Hiſpani eſpina, brenna locus ſpinis aſper ac difficilis, & quod idem eſt *mata*, *it aulaga*, *lieu où il y a beaucoup de genets eſpineux*; Angli *athorn*, qui ſpinam quoque nominant *the ſting of a bee*, *a pinne*, *a ſubtility*, *a brier*, *a bramble*, unde *the blacke berrie bush*, *a dogge brier*, in quibus vocabulis nonnullis elegantes Etymologiæ latent, quibus eruendis non ſufficit hujus paginæ anguſtia. באשים quod Eſai. 5: verſ. 2. legitur, Septuagintaviralis (uti vocatur) Græco ore reddidit ἐποίησεν ἀκάνθας, ſed rectius vulgata exprimit per labruſcas, immaturas uvas, in eam enim nos ſententiam inclinat ipſa experientia, has facile putredinem concipere, unde & deſcendit à באש fœtere ac putreſcere, nihilominus Rabbinorum aliqui pro certo ſpinarum genere venditant באשים, ſed רד"ק ita commentatur ſuper Amos 4: 10. העלה באש מחניכם ובאפכם, באש המחנה שלכם שהיו הולכים למצרים היו הרוגים בדרך ופגרכם היו באוש וסרחון לעוברים: ומה שאשר באפכם כלומ׳ כי גם באפכם היה עולה הבאוש כי היו הולכם מחנה אחר מחנה נמצרים ואחרונים היו מוצאים והראשנים הרוגים ועולה באושם באפם: Adſcendet fœtor caſtrorum veſtrorum & in nares eorum, qui ibunt in Ægyptum, & occcidentur in via & corpora veſtra fient fœtor, & abominatio prætereuntibus. Et quod dicat, in nares veſtras, tantum vult innuere, etiam in nares veſtras adſcendet fœtor, quia unus exercitus ſequetur alterum tranſiens in Ægyptum, & poſterioribus jam egredientibus priores erunt occiſi & adſcendet fœtor in nares eorum. Sic expreſſe fatetur באוש fœtorem non ἀκάνθας ſignificare, unde & באשה fœtidam frugem innuit: Job. 31: verſ. 40. חוח Prov. 26: verſ. 9. itidem LXX. Interpretes reddiderunt per ἀκάνθας & rectius, dicitur enim quod ſicuti ſpina in manu ebrii, temere ſcilicet comprimentis, lædat manum compreſſam, ita & omnis proverbialis locutio ex ore ejus prodiens ipſum dedeceat ac periculis exponat, חחים vocantur etiam catenæ & compedes Ezech. 19: 4. Quemadmodum enim ſpinæ prætereuntes retinent, ita & compedibus vincti loco diſcedere nequeunt. מלוח Job. 30: vſ. 4. R. D. K. per ſpinam quoque interpretatur, verum bacciferam potius, quam roſiferam. Notat vero herbæ genus & amaræ. סיר omnium convenientiſſime videtur exprimere ἄκανθαν eo ſenſu, quo nos accipimus, deſcendit à סור ſpinis cingere, unde Munſterus textum N. T. authenticum ita Hebraice expreſſit: ויסבבו סירים לעטרת Non procul à ſignificatione סור recedit שוך Job. 1: verſ. 10. unde מסוכה ſepes eſt & שכים ſpinarum ramuſculi. סלון Ezech. 28: verſ. 24. & eodem loco קוץ ex interpretatione ſeptuagintaviralis ſpinæ ſunt, ſed potius in claſſem herbarum, quam fruticum referuntur: Dicit enim Abarbenel סלון היא קוץ. idem etiam dicit: קוץ eſſe ſpinam minorem & דרדר majorem, ſed de herbis loqui ſatis manifeſtum eſt. Philologorum quoque non pauci סרבר pro certo ſpinarum genere habent, ut רד"ק & Hieronymus & Rabbinorum Cicero Abarbenel, verum ſeptuagintaviralis pro κνύζαις urticis reputat, forte quoniam ejus aduſtio nihil aliud eſt, quam compunctio minutiſſimis aculeis facta, in quo ipſo & ignis formalis combuſtionis ratio conſiſtit. Verum ערוער Jer. 48: vſ. 6. Thargumiſtæ quidem genus ſpinarum eſſe tradunt, ſunt tamen qui caſtaneas eſſe volunt, fructum exterius ſpinoſum & interius comeſtibilem. Poſt סירים & שכים optime huc etiam tanquam Synonymum quadrare videtur צנינים ex mente Hieronymi ſpinæ quaſi figentes Numer. 33: verſ. 55. Prov. 22: vſ. 2. quales ad extrahendos ex aquis piſces adhibitos fuiſſe novimus ex Joh. 40. verſ. 21. & Ezech. 29: 4. רד"ק in Comment. ad Amos 4: vſ. 2. etiam סירות ſpinas eſſe docet, quando ait: בסירות דוגה פירושו במלות צנות וסירות שמיני קוצים הם ואמר דרך משל כן ישאו אותם וימשכו אותם כמו שמושכים את הדגים בקוץ: Sed notandum è Philologia, סירות fœminine magis ollas, סירים ſpinas ſignificare, quamvis l. c. ſpinas magis accommodari poſſe ad ſenſum putem. Neque ſilentio prætermittendum eſt חדק Mich. 7: vſ. 4. optimus eorum eſt ſicuti ſpina. Noſter laudatus Kimchi addit: וטבם כחדק הטוב שבהם הוא כמו החדק שהוא הקוץ שהוא מכאיב כל הנינע בו: His omnibus nunc præmiſſis hanc theſin exſtruere, & bono cum Deo, ex cujus bonitate nobis iſtæc fiducia acceſſit, defendere volumus: Probabile omnino videri, ἀκάνθας, סירים, שכים, צנינים, ſpinas, *les eſpines*, *le ſpine*, *las eſpinas*, *the thorns*, coronæ Chriſti innexas teneros fuiſſe & acutiſſimos roſeti ramuſculos ἀλέκτας, atque in figuram circularem, ſive coronæ, facili opera flexibiles. Lubet igitur in præſens non tueri ea, quæ dicta ſunt ante ab iis, quos alias probamus in omnibus tanquam viros ſumma Eruditione cultiſſimos. Oratio non poëtico & exquiſito verborum cultu ad ſumma enitens, ſed ſimplici ſtylo ſententiam noſtram adſtruens, & quidem argumentis varii gradus, hoc munus exequetur.

§. IV. Primum illud extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror, quod nomen ἄκανθα, nude conſideratum, fruticis, non vero herbæ, denominationem involvat, quare in præſenti quoque paſſionis hiſtoria fruticem adſignare, non immerito colligimus; inter omnes autem frutices acuminatos & ſpinis horridos nullius rami, quam roſarii, ad componendam coronæ figuram accommodatiores ſunt, ut faciliime in circulum contorqueri queant, atque inflecti ſua partium diſpoſitione ac natura graciles, juncei, & tenues. Nullius aculei attactu horridiores, & propter firmitudinem ac brevitatem ad vulnerandum violentiores; jam vero Judæi, quos nulla amplius miſeratio, aut recti æquive recordatio, capiebat, omne ſuæ malitiæ virus in Chriſtum effundere decreverant, quamobrem dubio procul diriſſimas cruciatuum materias conquiſiverunt, ut ipſe ſe mori ſentiret, arietis conſpectus Elephantis iram mitigat, ſed hujus arietis, vel agni pro totius mundi peccatis immolandi, miſerrimus, ac vix lachrymis ſatis deplorandus, conſpectus neminem eorum ad commiſerationem permovebat, adeo iſtæc cyclopica pectora adverſus omnem pietatis ſenſum obfirmata erant. Et ſi Hieronymi Xaverii Hiſtoriæ Chriſti Perſicæ aliquid fidei tribuendum eſt, LXXII. ſpinæ in caput Jeſu noſtri benedictum venerunt, ut proinde, teſte Tertulliano, Domini tempora fœdarent & lancinarent penitus, jam vero nulla virgulta fruticea ſunt copioſiora ſpinis, quam ipſa roſeta, ut vel exiguæ coronæ ambitus eum vulnerum numerum capiti Chriſti potuerit infligere, & denique ad ultimum animi deliquium eundem redigere, niſi virtute quadam ſuperiore inter iſtas carnificum manus adhuc aliquandiu ſuſtentatus fuiſſet. Deinde omnes verſiones ἀκάνθας iis exprimunt vocabulis, quæ concordi ſemper tenore aculeatos depingunt frutices, non herbas, & quidem diriſſimam illorum ſpeciem, qualis eſt roſæ, ſeu domeſticæ, ſeu ſylveſtris, & arvenſis, quæ dicitur canina κυνόρροδος, ſeu κυνόσβατος, quæ vox multos decepiſſe videtur, cum & rubum albam ſignificet. Syriaca omnium antiquiſſima reddidit ܟܘܒ̈ܐ, quod alias quidem rhamnos, Græc. ῥάμνους genus rubi & herbæ candidius & fruticoſius, ramos ſpargens rectis aculeis, uti habet Plinius lib. 24. v. 41. notat, verum fruticis etiam appellationem complecti, exinde non male argumentando inveſtigatur, quod idem autor Marc. 15: vſ. 17. in ejuſdem hiſtoriæ delineatione ܣܢܝܐ nomen fruticis ſpinis inſtructiſſimi, utut ſunt roſifera arbuſta, adhibeat. Coll. Matth. 7: 16. cap. 13: vſ. 7, 22. & Joh. 19: 2. Arabica verſio elegantiſſima & politiſſima ita verba textus facunde exequitur: فضفروا اكليلا من شوك nexuerunt coronam de ſpinis, quæ vox شوك à radice شك, deſcendit, & ſua ſignificatione implicat hunc ſenſum, aliquem acutiſſimis ſpinis transfigere, id quod præ cæteris ſentes dumeti roſiferi præſtant, ſignificat etiam, ſpinas cum alia re commiſcuit, quamobrem Patrum nonnulli in ea fuerunt opinione, quod milites ſtyge progeniti ad majorem Chriſto ignominiam inferendam ſpinis ac vepribus alias quoque herbarum ſpecies vulnificas & hamatis aculeis cutem incidentes admiſcuerint. Bellonius teſtatur, Arabes hodienum ſpineam Chriſti coronam appellare Alhanſengi. Perſica legit: Ex rebus ἀκανθωτώταις plexuerunt Chriſti coronam, à qua verſionis veritate nec quicquam abit Æthiopica. Anglica quoque eleganter tradit: *and when they had platted a Crown of thorns*, non autem dicit *of brambles*, quibus proprie deſignantur ſpinæ in virgis pruniferis & moriferis. Sic etiam ſententiam noſtram vero ſimilem reddit perpetua Evangeliſtarum harmonia, Marcus docet, quod Milites Judæorum, ſeu dæmonum incarnatorum, ſatellites ἀκάνθινον στέφανον complicuerint, & pulchre cum eo concordant Matthæus & Johannes, ille humanæ, hic divinæ, Naturarum, θεόπνευστοι aſſertores, quod ſcil. hi ipſi tanquam infernales Furiæ στέφανον ἐξ ἀκανθῶν nexuerint; & qui ſui amantiſſimum Jeſum, & omnium auxilio deſertiſſimum, à tergo ſemper ſequebatur Johannes, & præſentiſſimus erat, cum amabiliſſima in acerbæ mortis ſomnum declinaret in cruce lumina, ſcribit, Chriſtum prodiiſſe in publicum φέροντα τ̃ ἀκάνθινον στέφανον; mirum omnino, mœſtiſſima Johannis pectora lachrymis non diffluxiſſe, cum Servatorem ſuum ita dilaceratum intueretur. Cum vero ἄκανθα ubique ab-

absolute ponatur, non istorum solum opinio suis fundamentis destruitur, qui juncum marinum defendunt, verum etiam fruticeam fuisse coronam, manifestum est. Coll. Matth. 7. cap. 13. Luc. 6. Luc. 8. Hebr. 6. & cum Spiritum Sanctum acerbissimos Christi cruciatus delineare sciamus, cur ἀκάνθας de fragili aliqua herba intellectas velint, non video. Quod vero de spinis rosiferis, non bacciferis, sermo sit, commoda verbi τοῦ πλέκειν interpretatio evincit, cui Latinum respondet complicare, & proprie de concinnandis coronis usurpatur, sic Chrysostomus aurei oris orator dicit: ἐπλάκησαν οἱ στέφανοι. Metaphorice de perplexe loquentibus, & dubiis verborum sensibus alios circumvenientibus adhibetur, unde in proverbio est apud Græcos: δεινοὶ πλέκειν τοὶ μηχανὰς αἰγύπτιοι. Sunt autem rami rosiferi Hagepottendorn / præ rigidis alias etiam Spinus virgultis Schleendornen maxime πλόκιμοι, de quo vel sensuum clara & certa extant judicia. Equidem virgeta baccarum Germ. Hinbeern lenta satis sunt, & insigniter flexibilia, sed parum cum spinis habent commercii, quod omnibus & Lippis & Tonsoribus notum esse novimus, ideoque non facile in eorum partes aliquis concedet, qui istos surculos coronæ Christi dabunt. Neque Rhamnum, sentis genus in sepibus fruticans, sive nigrum, sive album spinam cervinam, Eumenidibus sacram, Creutzbeerdorn / hic locum posse invenire, putamus, quia ramusculi modice complicati statim confringuntur, de quo iis constabit, quibus regnum vegetabile perambulare longo usu exercitatum est. Vulgarem rubum, vernacule Brombeerendornen dictum, non possumus non de hinc etiam excludere, quamvis alias duris, minacibus, & rigidissimis spinis communiatur, cum ejus species nuspiam in Palæstina hodie conspiciatur. Omnem quoque fidem superat, in ipso amplissimæ Urbis Hierosolymitanæ ambitu, quam nulla terrarum magnificentiæ gloriæ æquabat, vel vulgaria, vel Idæa, dumeta reperta, aut ipsam regionem florentissimam spinis ac tribulis deformatam, sed Judæorum cultissimos hortos rosetis fuisse ad stuporem usque exornatos, & ambulacris distinctos, fidem facit amplissimus urbis ornatus & fama totius terræ plantario simillimæ, de cujus gloria, & omnium rerum abundantia, magnifica satis oratio proponi nequit. Uti rosa inter flores in reginam erecta est, ita & ejus arma, spinæ inter cæteras veprium species jure suo maximo rigidissimæ & acutissimæ judicantur. Notissimum ex antiquitatibus est, quod hilares inter pocula horas aliquando sumere solitus roseis aliisque caput coronis induerit, atque ita unus alteri in salutem suæ Amasiæ propinaverit tot vino spumantes calices, quot literis personæ amatæ componebantur nomina. Notum est, inquam, eos, qui fortiter in prælio pugnaverant, & victoriam reportaverant ab hostibus, imprimis Imperatores, laurigeris roseisque redimitos esse coronis, ut Reges Reginæ inter flores gestarent insignia. Sic Christus λαβὼν τὸ ποτήριον pro suæ amantissimæ Ecclesiæ salute ebibendum, toxicis scilicet peccatorum venenis repletum, & abysso angustiarum spumans, tanquam Rex Regum, & Dominus Dominantium, non roseis, sed spinosis, coronarum vinculis sibi caput ambiri passus est, ipse enim erat rosa חבצלת השרון שושנת העמקים Cantic. 2: 1. media inter spinas dependens, cujus seminibus amplissimum cœli rosetum in Ecclesia progerminavit. Interim occulta DEI providentia ab iis ipsis Rex designatur, à quibus afficitur Spinosæ coronæ contumelia. Quamprimum hic φίλτατος καὶ ἐρασμιώτατος Jesus noster derisui ac potestati militum, ut iisdem in parte prædæ esset, tradebatur, primam hanc suæ Nequitiæ gloriam occupabant, quod Jesum, nullius licet criminis convictum, suis calumniatoribus & classicum crucis canentibus ostenderent spinea corona redimitum, dubitamus ergo non immerito, tot tantasque suis delusionibus atque à patre tenebrarum suggestis divexationibus moras protraxisse, donec aliquis in campum percurreret, & fasciculum spinarum sylvestrium secum referret domum, quamprimum ad extrema damnatus erat supplicia, in eo erant toti, ut præceps ageretur in crucem; idcirco hi ad omnem malitiam parati & compositi nebulones, quos verius, quam Alexandrum M. aut Cæsarem Augustum, Matres à Draconibus compressæ genuerant, uno quasi ictu ac insultu omnes truculentiæ vires in prætorio evomuerunt in nostrum φιλάνθρωπον, quicquid igitur spinatum ad manus erat in hortis, eo ipso finxerunt coronam, & dedecorarunt eum, quem obvelato vultu adorabant angeli, & laudibus venerabantur throni, constanti & lubentissimo animo pœnas nostras perpessurum. Urgens Pharisæorum ac Scribarum, animis ad obsequia Diaboli coalescentium, & vix ac ne vix quidem dirissimæ executionis spem in matutinum tempus sustinentium, impetus continuis precibus deposcebat hunc ἀγαπητὸν τοῦ θεοῦ ad crucem, quare injustissimi Judicis licentia milites in deterrimam pravitatem effusi festinabant omnia, præsertim cum hora immineret, qua capitis reos in crucem agere solebant, sic pleni tyrannidis milites consilium non ex diuturna deliberatione haustum, sed celeriter arreptum, vel à Diabolo inspiratum, exequebantur, ut quenquam ex illorum cœtu rus abeuntem, & vepres spinasque colligentem, expectasse, nemo sibi facile persuasum habere queat, præsertim cum prætorium longius ab urbis exitu remotum vel celerrima fuga intra exiguum temporis spatium repetere haut potuisset; omnium curæ & cogitationes eo erant intentæ, ut quam celerrime dulcissimus Jesus, sentus, squalidus, æger, pannis annisque obsitus, è regione viventium extingueretur & vel nomen una cum ipso supprimeretur funditus, quem mortuum tota lugebat Natura.

SECTIO ἀνασκευαστική.

§. I. Qui nobis adversantur, & aliam animis suis insitam opinionem conantur obtrudere, sunt Vincentius Lirinensis, Hugo Cardinalis, auctor Historiæ Scholasticæ, Lyranus, Toletius Pererius, Salmeron, & Villamontius in Itinerario terræ Sanctæ, hi omnes in ista hæresi tuenda toti sunt, ex junco marino Christi coronam confectam fuisse, cujus sententiæ stabiliendæ exinde præsidium petunt, quod junci marini filamina admodum acuta deprehendantur, verum ipse Baronius reluctatur, & horum judicio stare non vult, siquidem scriptura disertis verbis contradicit: Coronam fuisse constructam ἐξ ἀκανθῶν, μὴ ἐκ χοίνου, ὀξυχοίνου, ὁλοχοίνου ἢ ἰξυχοίνου, quæ recte ad herbarum classes referuntur. Præterea quod molles admodum junci marini sint, & aculei ad contactum facile arescant, omne aliud quodcunque genus spinis hispidum Ecclesiæ obtrudi posset, si ita argumentari liceret, istæc herba habet spinas, ergo eadem Christi Corona fuit contexta. Accedit quod Casaubonus Exercit. 16. tradat, nullam esse junci speciem, in cujus descriptione vel Theophrastus, vel Plinius, vel alii probati autores spinas commemorarent. Sit feracissima licet istarum herbarum Syria, nulla tamen nobis credendi necessitas interjicitur, illis nexam fuisse coronam, herba enim sylvestris est, nec nisi in longius dissita ab Hierosolymis regione invenitur, quæ militibus Christum nunc omnibus contumeliis objicere festinantibus haud statim in promtu fuit, furor autem istis Harpyis plerumque ministrat, quicquid primum fit obviam. Ipse Delrio Lect. 9. de pass. fatetur, reliquias de Christi corona nequicquam cum juncis marinis commune habere.

§. II. Alii qui à nobis dissentiunt cum Clemente Alexandrino, eligunt Rubum, die Feldrosen-Dornen / fruticem flagellis lentis & aduncis spinis instructum, sed hi non adeo à nostra opinione abeunt, quos facile ferremus, nisi loci ipsius & temporis circumstantia eosdem confunderet. Alii illum rubum malunt, qui ramis humi sparsis, capitibusque nonnunquam in terram defixis, & radicem denuo ex se agentibus; (quæ res agricolas primum propagandarum vitium rationem videtur docuisse) armatur, Galli eum vocant ronce, Itali rovo, Hispani carca, Germani Brombeerstaude; florem habet candidum, & fructum moris non absimilem, ejus tres dantur species vulgaris, idæa, & canina. Idæa minoribus horret spinis, & aliquando iisdem caret, quare & in causa nostra nullos obtinet Patronos, copiosissime provenit in monte Ida, unde & nomen traxit. Objectiones de vulgari jam supra sunt depulsæ. Sed Caninus frutex est arbusculæ instar, rubo vulgari longe major, folia ferens multo latiora myrto, firmis alias circa ramos spinis instructus, flore candido, fructu oblongo, nucleo olivæ simili celebris, qui maturitatem adeptus fulvescit, & flocculos in se continet lanæ quandam speciem præseferentes, quare autem & propugnantibus hunc rubum fidem accommodare nequeamus, cum nuspiam in terra Canaan conspiciatur, de eo jam ex sectione prima constabit.

§. III. Alii confugiunt ad Rhamnum, & se cupiunt ante videri, album scilicet, rubi genus candidius & fruticosius, rectis aculeis spargens ramos, neprun, ranno, marruca, spina giudaica, arbuscello, Cambren, Stechdorn oder Weißdorn / qui rubus peregrinantibus in terra sancta frequenter est obvius, sic ut vix alias spinas circa Hierosolymas Bellonius invenerit, ceu testatur observat. lib. II. cap. LXXXVIII. Si vera est fabula, ubi eundem subcisivis accumulat laudibus, & pro ipso spineto venditat, ex quo milites Christi coronam decerpserint. Huic sententiæ adstipulantur Hieronymus, Jacobus Gretserus, Drexelius, Cornelius à Lapide, & Dn. Caspar. Sagittarius S. S. Theol. D. in Academia Salana Hist. P. P. in Har-

in Harmonia Hist. Passion. part. 2. §. 284. pag. 649. Sed respondemus, quod ingens ruborum sylva nunc detur in Palæstina, exinde nec nos refelli redarguique patimur, quoniam non firma stat talo istæc conclusio: Magna rubi in Palæstina copia est, ergo hoc spinarum genere Christus fuit cinctus. Larga quoque ibi messis cæditur aliorum fruticum, quidni alius quispiam ad coronam Christi seligitur à Pontificiis, è quibus Bellonius, hæc sententia est conficta, & Hieronymo procul dubio afficta, ut suis reliquiarum plaustris aliquam autoritatem concilient. Alia nunc Palæstinæ facies est, quam olim fuit, postquam ira divina omnem ejus decorem stratum dedit, atque ita maledictionis suæ fata implevit. Loca enim, in quibus proveniunt spinæ, sunt, quæ non excoluntur Esai. 5: 6. deserta Judic. 8: 8. Proverb. 24: 31. Esai. 32: 3. Osea 9: 6. & cap. 10: 8. Verum rosa florere solet in loco, qui ex inculto & infructuoso redditur cultissimus & fructuosissimus Esai. 35: 1. & 2. Sic, fatente Bellonio, Judæi, cum solum olim haberent sterile & ad alendas vites aliosque fructus ineptum, magno labore & sumtu fœcundos reddiderunt colles, ut apparet ex structuris quæ etiamnum permanent, veteremque Majestatem quodammodo resipiant. Et arbores, quæ ibi adhuc deprehenduntur, sunt tantum sponte nascentes, ut de antiqua terræ gloria nunc cineribus sepulta testentur, utut sunt Andrachne, Picea, Aria, Ficus, Olea, Zizipha, Punica malus, Prunus, Ilex, Terebinthus, Lentiscus; plantæ: Cistus, Ledon, Tymbra, Smilax aspera, Maron, Origanum, Heracleoticum, Tragoriganum, Salvia, Stachys, Ruta sylvestris, Trifolium Asphaltites, Cyclaminus, Umbilicus seu Cotyledon, Thymus, Hyssopus sylvestris à nostro domestico differens, cujus mentio fit Psalm. 51: 9. Equidem Bellonius lib. 2. Obser. c. 88. confirmat, sese perquisivisse omnes circa Hierosolymitana mœnia stirpes, & observasse Hyoscyami genus Europæ ignotum. Sed diligenter examinatis spinarum generibus (attende, quæso, ad fraudem, unum invenit & plura tamen examinavit) ut certior fieret, è quanam spina contexta fuerit corona, nulloque frutice spinoso frequentiore invento, quam Rhamno, arbitrari coronam ex eo contextam fuisse; atque iterum subjicit, neque rubum aliumve spinosum fruticem istic crescentem invenisse, præter paucas cappares spinosas. Sic ergo concludit: cum autem Itali Rhamnum vulgariter appellent *spina santa*, præsertim circa Maceratam & Pisaurum, hæc subjicere voluisse, scilicet, quia Itali rhamnum pro ipsa coronæ materia habent; egregium argumentum, cujus vim unusquisque sapiens facile subolebit. Marcelli Empyrici autoritas nec quicquam nobis obest, quia sua scripta debet Scribonio superstitionibus fascinato, quasi hæc rhamni virgulta sacrum contra scorpiones atque omnia alia veneficia amuletum essent, & idcirco apud gentiles facibus nuptialibus dicaretur; maluit igitur hunc coronæ honorem rhamno potius aculeato, quam alii cuidam frutici reservare. Nec sciri potest, unde Scribonio aut ejus Compilatori Marcello Empyrico de hujus rei veritate constet. Dolum de hoc spinarum genere vel exinde suspicari possumus, quod ipsi Pontificii à se invicem diversis distent sententiis, alii juncum marinum, alii rhamnum pro vera coronæ materia venditant. Profecto si herbea Christi corona fuisset, multa Pontificiorum portenta eluderentur. Reliquiæ, quæ in Basilica S. crucis in Hierusalem in monte Cœlio sita una cum parte crucis, titulo tribus linguis scripto, denario uno ex XXX. quibus Christum Judas vendidit, asservantur Romæ, & religiosissime coluntur, non sunt aculei herbei, verum fruticei, adeoque longi, ut crassas aciculas adæquent, quæ rhamni ne umbram quidem depingunt. Quæ bona pars coronæ Parisiis in sancto sacello custoditur, & quæ ejus reliquiæ in Hispania, & Lovanii, & olim Wittebergæ, nec non Stadæ, ac in Monasterio Walckenrodano ab Henrico Duce Brunsvicensi eo delatæ, laudibus in cœlum usque efferebantur, nec quicquam herbarum indicii faciunt, sed reliquiæ sunt arbustorum, quæ aliter definiri nequeunt, quam quibus mundus vult decipi; istarum rerum idololatricarum eam hinc inde per Monasteria multitudinem latere constat, ut ad Trojanum incendium facile sufficerent, & ad novæ Basilicæ structuram excitandam satis superque suppeditarent materiæ, ὦ ἄθλιοι καὶ κακοδαίμονες! Nihilo minus Baronius valde contestatur, eas spinas, quæ hodie ostentantur tanquam reliquiæ coronæ Christi, veras esse, nec fraudem subesse, sed fides sit penes autorem, parum & alias in recensendis suis rebus gestis accuratum, quod noto notius est, ideoque nolo post Homerum Iliada scribere. Sic est, plerique in Papatu errare malunt, eamque sententiam, quæ pingui inungit oleo culinam, & otiosis Monachis ventrem facit, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia in rerum, quæ dicuntur, veritatem inquirere. Nec mirum Papicolas ejusmodi populo ineptias obtrudere, & in theatrica pompa religiose colendas exponere; Philipp. de Maunix *dans la IV. partie du II. tome du tableau des differens dit: Ce n'est pas mal fait, de proposer au peuple certaines sornettes, comme de diverses reliques des plumes de l'ange Gabriel, de la lance de S. Michel, dont il renversa le Dragon par terre & de l'haleine du bœuf & de l'asne, qui rechaufferent nostre Seigneur, lorsqu'il estoit encor en la creche, & du souffle du S. Esprit serré en une belle petite phiole. item de divers saincts & sainctes deifiez en haste, si comme de Saint Christoffle, de S. Barbe, S. Catherine, de S. Godegrain, S. Gule, S. Guerlichou, S. Alivergue, S. Andoche, S. Nitouche, item des legendes, ou de la vigne de S. François, des exemples de S. Nicolas, & autres semblables plaisans contes de la cicogne, dont les bons livres Catholiques, comme* gestas Romanorum, vitas Patrum, Speculum historiale, *les histoires de Lipomannus, & les legendes dorées sont farcies comme un chien du pulces. Car la sainte mere Eglise appelle ces devotes menteries* pias fraudes, *c'est à dire, saintes tromperies, ou legendes dorées, & dit, que c'est le lait, dont S. Paul abreuva les Corinthiens, lorsqu'ils ne pouvoient encor supporter la ferme viande.* Verba quibus apud inferos pejora dici nequeunt, ne si bos quidem vocem edat; damnamus igitur istas Nænias Hiberias, ac Sanctorum in Papatu deliramenta, apologos Alcynoi, Asini mortes, Cyparitti fructus, cœca insomnia, calida mendacia, & Psydracia, &c.

Sed mittamus hos superstitiosorum hominum cœtus, quorum sacra peritare nequeunt, nisi Euangelium in pompam & aucupia opum transforment; Nos precibus ad DEUM conversi supplices rogamus, ut quicquid spinarum ac tribulorum ab adversariis ψυχοφθόροις Ecclesiæ suæ seritur, nobis in fragrantissimam Rosarum messem convertatur, neque Locus ille, quem copiosissimæ Virtutum Vites exornare debent, ipso inquinatum vitæ nostræ cursum vindicante, fiat לשמיר ולשית, vel

Pro molli viola, pro purpureo Narcisso,
Carduus & spinis surgat paliurus acutis.

Respublicas sapientissimorum Virorum consilia non secus ac spinæ Rosas arment ac protegant: nam Socrate dicente, ἰσχυρωτάτη τῶν πολέων ἐςὶν ἡ ἄνδρας ἔχουσα ἀγαθούς. Familias denique omnium tanquam Ecclesias domesticas, Deo & Angelis dilectas, sub alarum suarum remigio ita foveat, alatque, ut nemo habeat, quod ipsum pungat, aut excruciet. Nullæ spinosæ contentiones, aut ἀχάλινα σόματα, bonarum artium incrementa impediant, aut illorum distrahant animos, qui opera communi ingeniorum agellos ab ignorantiæ vitiorumque sentibus vepribusque expurgant, & Virtutum proventus liberalissime promovent, τίκτει γὰρ θνατοῖσιν εἰρήνη μεγάλα, καὶ ἐν αὐτῇ γυμνασίων τε νέοις, αὐλῶν τε καὶ κώμων μέλει, ut olim cecinit Bachilides, & Homero consentiente:

Συμφέρτη δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

Quando autem Docentes sese mutuo spinis lacerant, & inclementer in se invehuntur, juventutis maxima disperguntur commoda. Cæterum quos non in rosis, sed in spinis, fortuna sua defixos retinet, ut vitam multa ægritudine contaminatam agant, quandoquidem οὐδεὶς ἄλυπος τὸν βίον διάγει, docente Euripide, πλείη γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα, οὔτε ἐξ ἱεροῦ βωμὸν, οὔτε ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὸν ἔλεον ἀφαιρετέον, toties laudato Euripide confirmante, iis spinarum, quæ Christi coronam composuerunt, meditatio omnem lugendi causam aufferat, ipsosque sustentet, quo minus sub duro crucis pondere prosternantur, sed ut gestantes Rhamnum, propter confectum pro nobis spinarum compunctionibus agnum, ex hujus mundi spineto tranquilissime ad cœli roseta aliquando evehantur, ubi vivemus

—— —— ἀκήδεα θυμὸν ἔχοντες
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀϊζύος: οὐδὲ τι δειλὸν
Γῆρας -- κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων.

Interim nos omnes,

Quo DEUS, & quo dura vocat Fortuna, sequamur;
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait,

Δόξα τῷ θεῷ τελεσιουργῷ ἀμήν.

GEORG. MOEBII
DISSERTATIO
De Crucis supplicio ad Matth. XXVII: 35.

AD
BENEVOLUM LECTOREM!

Decennium abiit, Lector honorande, *quando ex 2 Sam. 21. quatuor Disputationes publicas de Admirando Dei judicio adversus posteros Regis Saulis habuimus, quorum septem ex illis crucibus affixi, horrenda morte occubuerunt. Hac occasione in Disputatione tertia de supplicio crucis non pauca diximus, & paulo accuratius perquisivimus*, an illud olim apud Hebræos fuerit in usu? *Ponderatis vero omnium argumentis, in affirmantem descendimus sententiam, quicquid etiam* Scaliger, Casaubonus *aliique, qui horum autoritatem magis, quam veritatem sequuntur, dixerint. Postquam vero Disputationes illæ jam dudum fuere distractæ, & multi illas desiderarunt inprimis ob quæstionis illius Decisionem, hinc, ut desiderio multorum satisfaceremus, & Bibliopola quoque id urgeret, ex Disputatione III. selegimus illam quæstionem, & hac vice paulo uberius illam pertractavimus. Hac ratione tempori simul inservire voluimus, quando nunc de acerbissima passione Christi ejusque crucifixione in templis agitur.*

Quo vero justo ordine procedamus, dispescimus illud Thema in duo capita. *In priori agimus de fundamentis & rationibus nostris, quæ sententiam nostram astruunt: In posteriori dissentientium argumenta ponderamus, addita ubique errorum solida confutatione.*

CAPUT PRIMUM.

De rationibus, quæ pro sententia affirmante militant, illamque statuminant.

§. 1.



IN Historia Evangelica *Matth.* 27: 2. legimus, Christum à Pontificibus & Senioribus populi, postquam de ipsius occisione sententiam definitivam statuerant, abductum fuisse ad Præsidem Romanum Pilatum. Causa hujus abductionis nulla erat alia, quam ut id, quod de Christo concluserant, Pilatus executioni traderet, ipsumque tanquam blasphemum in crucem ageret. Nam ipsis tunc non amplius erat integrum, facinorosos morte plectere, postquam sceptrum ab ipsorum Republ. erat ablatum. Hinc ipsimet fatentur, *sibi non licere hominem morte plectere*, Joh. 18: 31. Imo quando Pontifices interdum tale quid ausi fuerunt, pœnam certam sibi accelerarunt. Hinc scribit *Josephus* l. 20. Antiq. Jud. c. 8. *Ananum* Pontificem, quod Jacobum fratrem JESU & alios quosdam bonos viros coacto Judicum consilio, illorumque suasu lapidandos absque consensu Romani Præsidis tradidisset, Pontificia dignitate privatum fuisse.

§. 2. Postquam ergo ad Præsidem illum traduxerunt, petierunt, ut quia capitalia supplicia in reos exercere ipsis non liceret, velit hunc tanquam blasphemum cruci affigere. Quanquam vero Præses diu tergiversatus fuit, tandem tamen in ipsorum voluntatem consensit, & innocentissimum Servatorem crucis horrendo supplicio affecit.

§. 3. Hic nunc quæritur: *An illud crucis supplicium apud Hebræos antea non fuerit in usu*, sed à Pilato tanquam Præside Romanorum, apud quos in frequenti fuit usu, usurpatum fuerit? Quæstio hæc non est otiosa, aut de lana caprina, cum negata hac multis Scripturæ dictis nebulæ offunduntur, & inprimis typi illi, qui de Christi crucifixione in V. T. agunt, prorsus abolentur.

§. 4. Negantem autem hujus quæstionis sententiam amplectuntur JOSEPHUS SCALIGER, in Animadv. Euseb. fol. 110. PETRUS FABER lib. 2. Semestr. cap. 8. pag. 88. JACOB BONFRERIUS Comment. in Deut. ad Cap. 21. THOMAS MALVENDA, Tom. II. in Jos. fol. 43. BARTHOL. KECKERMANN. Lib. 3. Syst. Theol. c. 4. p. 289. D. HENR. MULLERUS, in Jesu patiente, nota Theol. 51. JOH. MICH. DILLHERRUS Tom. I. Disp. Academ. p. 90. & operose inprimis *Isaacus Casaubonus* Exerc. 16. adversus Baron. Anno 77. p. 437. aliique non pauci. Hi omnes contendunt supplicium crucifixionis ante Christi nati tempora veteribus Iudæis omnino fuisse ignotum.

§. 5. Huic sententiæ contradicunt BARONIUS, in Annalibus ad Annum 34. no. 92. SIGONIUS de Republ. Hebræorum lib. 6. cap. 8. MENOCHIUS de Republica Hebr. lib. 8. c. 2. JUSTUS LIPSIUS lib. 1. de Cruce, c. 2. JAC. GRETSERUS de Cruce lib. 1. c. 19. p. 43. & c. 41. p. 117. PHILIPPUS CAROLI in Gustu Philol. Sacræ, Dial. 3. Ex Nostratibus, D. STEPHANUS CLOZIUS in Tract. de Doloribus animæ Christi, considerat. XXV. p. 245. D. CALOVIUS in Bibliis Illustrat. ad c. 21. Deut. p. 534. D. JOH. ADAM OSIANDER in Comment. ad c. 21. Deut. p. 196. & D. BENEDICT. CARPZOVIUS in Tract. Crim. III. quæst. 128. p. 142. ubi ita inquit: *Alterum supplicii genus est suspendium, quod in crucis patibulo olim exercebatur, & mors turpissima habebatur, ac proinde à Domino Jesu Christo, qui pro redemtione salutis mundi pependit in cruce Matth. 20. & 27. Luc. 23. Act. 2. & 4. Joh. 19. Heb. 6. prædictum erat, futurum improborum Judicum hunc sermonem: Morte turpissima comdemnemus eum Sap. II. qua pœna affecit Josua Principes Idololatrarum Jos. 8: 19. & David septem na-*

natos ex genere Saulis, qui occiderant Gabaonitas contra fœdus ad placandum Dominum 2 Sam. 21. Cui sententiæ etiam nos subscribimus, quam certis probabimus argumentis.

§. 6. *Primum* desumimus à vocum Hebr. quæ actum crucifixionis describunt, propria significatione. Duo inprimis verba hic usurpantur, videlicet ילע & תלה .יקע inprimis usurpatur de septem filiis Regis Saulis, qui crucibus fuere affixi, 2. Samuel. 21: 6. יקע autem idem est ac *distentus, loco motus* seu *luxatus fuit*, ut *Genes.* 32: 28. ותקע & *nota est coxa lateris ejus*, scil. Jacobi. Hiphil הוקיע *distendit, divulsit, cruci affixit.* Rationem addit *Schindlerus* in Lexic. Pentagl. p. 297. *quia suspensorum vel crucifixorum membra distenduntur & divelluntur.* Eodem modo *Buxtorffius* in Lexic. pag. 329. ubi verbum יקע exponit, quod idem sit, *ac pendere luxatum, luxari, recedere, divelli*, & huc refert etiam exempla posterorum Regis Saulis ex 2. *Samuel.* 21: 6. Et notatu dignum est, quod *Targum* verbum והוקענום, quod h. l. usurpatur, reddit ונצלבונן & *crucifigemus eos*; ibidem vers. 14. dicitur עצמות—המו קעים & *collegerunt ossa suspensorum*, quod Targum vertit צל ביא *crucifixorum, distentorum.* Illa itaque distensio & divulsio membrorum, quam יקע importat, vel maxime fit in illis, qui crucifiguntur, in extensione scilicet manuum, pedum, totiusque corporis in crucis patibulo, id quod de illis dici non potest, qui tantummodo strangulantur, unde Euangeliorum vetus translatio Gothica, quam ex ANTONIO MORILLANO citat *Lipsius* in notis ad libr. II. de cruc. cap. X. pag. 178. crucifigere identidem vertit per **Uß Naimen**/ quod hodieque lingua Saxonica, qua dicunt **Ut thrammen** significat *extendere*, & de pannis, quod de palis & vallis fullo extendit, communiter usurpatur. Ea extensio autem ad manus maxime refertur. Hinc *Artemidorus* lib. I. cap. 78. εἰδέ τις ὑψηλός ἐπί τινος ὀρχεῖ τὸ εἰς βόθον ἢ δέος πεσεῖται κακοῦργος ὢν σταυρωθήσεται διὰ τὸ ὕψος καὶ τὴν τῶν χειρῶν ἔκτασιν. *Si quis sublimis in loco quodam saltet, in periculum & metum incidet, maleficus autem existens, crucifigetur ob altitudinem, & manuum extensionem.* Epictetus apud *Arianum* ob hanc causam comparat falsè eos, qui in balneis se distendunt, & lavandos, fricandosque præbent, cum crucifixis lib. IV. dissert. cap. 26. ἵνα ἐν τῷ βαλαντίῳ ἐκδυσάμενος καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι τρεβῇ ἔνθεν καὶ ἔνθεν: *ut in balneo exutus, & seipsum extendens, ut solent crucifixi, friceris hinc atque illinc.*

§. 7. Alterum vocabulum quod Scriptura de crucifixionis actu usurpat, est תלה, quod verbum in propria etiam significatione notat *suspendit*, & actum crucifixorum notat. Sic *Genes.* 40: 22. שם—האפירתלה *præfectum coquorum suspendit*, quæ suspensio erat ipsa crucifixio. Patet hoc ex *Deuteronomio cap.* 21: 23. ubi dicitur, quod omnis תלוי *suspensus* sit Deo abominatio, quæ suspensio non erat strangulatio in patibulo, sed potius crucifixio, cum suspensi illi quoad genus supplicii fuerint typi Christi, quod ipse Apostolus *Paulus* ita explicat *Galat.* 3: 13. ubi verba illa ex dicto *Cap.* Deuteron. 21: 23. manifesto ad Christum tanquam antitypum applicat, ita scribens: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est; maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Jam vero Christus pependit in ligno crucis. Necesse est ergo, ut etiam illi facinerosi, qui typi Christi fuerunt, crucibus fuerint affixi. Tacemus quod etiam ipsi blasphemi Judæi Christum pro nobis crucifixum per ignominiam vocent תלוי *suspensum* vel *crucifixum.* In eodem sensu usurpatur etiam *Jos. cap.* 8: *vers.* 29. ubi in fonte verba ita habent תלה עלרעץ מלך העי *Regem Hai suspendit super lignum*, quæ suspensio nihil aliud fuit, quam crucifixio, uti mox probabimus.

§. 8. II. *Ab exemplorum in V. T. occurrentium pluralitate.* Horum non pauca in Scriptura sacra occurrunt. Nam ipse Deus ad talia nos deducit, quando *Deuteron.* 21: 23. mandat, ut *qui appensus fuit in patibulo, non permaneat cadaver ejus in ligno.* Per suspensos autem in ligno nullus alius intelligitur, quam crucifixus, quod paulo ante demonstravimus, & ulterius probamus exinde, quia suspensio quæ laqueo fit intercluso Spiritu, Hebræis olim non fuit in usu. Ubicunque ergo mentio fit suspensionis in ligno in libris sacris, de suspensione in ligno crucis id intelligendum est. *Quatuor* quidem supplicia capitalia apud Israëlitas olim usitata definiunt Rabbini, sed quænam illa sint, non usque quaque conveniunt. Nam ex Thalmudicis in Sanhedrin quatuor in usu fuisse supplicia capitalia tradunt, quæ sunt *Lapidatio, ustio, interemtio, quæ fit gladio, & Strangulatio.* At in *Targum Ruth.* cap. 1: vers. 17. paulo aliter ista recensentur & quidem hoc modo: *quatuor sunt judicia mortis in nocentes, Injectio lapidum, crematio ignis, Interfectio gladii, suspensio ligni.* Ubi pro eo, quod Sanhedrin vocat חנק *suffocationem*, sive *strangulationem*, Targum habet קוסא צלינה *suspensionem in ligno*, aut *crucifixionem, aut suspensionem in cruce* צלוב & צליבה— Rabbinis & Chaldæis aut patibulum, aut crux suspensionis est. Hujus ergo Targum autoritati, si aliquid concedendum est, inter supplicia capitis apud Judæos usitata etiam *suspensio in ligno crucis* recensenda est; *suspensio* vero & *strangulatio* apud Judæos duo distincta fuere suppliciorum genera, à Rabbinis quibusdam sequioribus non satis observata, quando pro uno & eodem fuere habita. Nam suspendium in ligno non strangulatione, aut laqueo in collo, intercluso spiritu, ut nunc fit, sed revinctis manibus peragebatur, uti est in codice Sanhedrin cap. VI. *Quomodo fit suspendium? Trabs in terram depangitur, ex qua lignum exstat, dein revinctis manibus suspenditur.* Institutum autem de *Strangulandis* tale est: *Damnatus fimo ad genua usque immergitur, dum collo ejus circundatum linteum durum, molli involutum, hinc inde diversi trahunt*, donec expiret, ut ait iterum Cod. Sanhedrin cap. VII. & Maimonides in Sanhed. cap. XV. Illi ergo qui strangulandi erant, nullo patibulo fuere affixi. Recte proinde *D. Clozius* in Tract. de doloribus animæ Christi considerat. 26. pag. 258: *Et sane ille usus patibuli vel furcæ, in qua restis collo obstricto hominem suffocabat, Græcis, Judæis & Romanis ante Constantini M. tempora, qui crucis supplicium abrogavit, omnino fuit incognitus.* Idem confirmat *Salmasius* in Epist. de Cruce p. 427. *Ante Constantinum*, ait, *quæcunque de suspendio dicuntur, & suspensione in ligno, patibulo, vel arbore, ea de cruce accipienda sunt. Nemo quippe per omne illud tempus in Romano orbe publico judicio, suspendio, quod strangulationem inferret, addictus fuit. In duodecim tabulis: caput obnubito, & ex arbore infelici suspendito, de cruce intelligenda esse, recte docti admonent.*

§. 9. Progredimur nunc ad exempla specialiora. Evidens hujus rei exemplum legimus 2. Sam. 21: 6, 7, 8, 9. de septem Filiis Regis Saulis, qui mandato Dei à Gibeonitis in monte vel colle Gibea, quæ sedes erat Saulis, crucifixi sunt coram Domino ליהוה לפני יהוה *ante faciem Jehovæ*, h. e. ad placandum Dominum, ut ejus justitiæ satisfieret. Hi septem filii Regis Saulis crucibus affixi fuere, quod non tantum indicat vox Hebraica יקע, quæ in propria significatione notat, distentum, sicuti fieri solet cum illis, qui crucibus affiguntur, sicuti paulo ante §. 6. monstravimus, sed & ipsa ratio hujus supplicii, cum nullum aliud supplicium hic intelligi possit. Ostendimus enim jam, quod suspensio, quæ fit per restim in collo apud Judæos non fuerit in usu, ergo nullum aliud insinuatur, quam crucifixio, inprimis cum hi crucifixi debuerunt esse typi Salvatoris nostri, aliquando ita crucifigendi.

§. 10. Neque sicco pede præterire possumus, notabile exemplum de Rege Hai, de quo Jos. 8: v. 29. legimus, quod fuerit suspensus super lignum. In Hebræo verba ita habent על—העץ העי מלך תלה Regem Hai suspendit *super ligno.* Vox תלה generalis quidem est, sed ubi de supplicio homini illato usurpatur, suspensionem quæ in crucis patibulo fit, designat. Chaldæus צלבע על צל ישא [illegible] quod in Bibliis Regis Antverp. exponitur, *crucifixus super crucem*, LXX. hic legunt: καὶ τὸν βασιλέα τῆς Ἰαὶ ἐκρέμασεν ἐπὶ ξύλου διδύμου, & *Regem Hai suspendit in ligno gemino.* Quibus verbis crucis supplicium manifesto describitur. Edisserant enim nobis dissentientes, quid sit ξύλον δίδυμον, sive *lignum geminum*, in quo Rex Hai suspensus esse dicitur, si crux non fuerit? Varias autem comminiscuntur expositiones, quo huic clarissimo loco nebulas offundunt (1.) *Jacob Bonfrerius* Commentar. ad Cap. 8. Josuæ pag. 64. dicit, potuisse fieri, ut stipes fuerit geminus ad formam Græci Γ. vel Hebraici ד, Audiamus ipsius verba: Porro pro eo, quod in Hebraic. est עץ lignum, & Hieronymus hic patibulum vertit, & paulo post *crucem*, LXX. habent ξύλον δίδυμον lignum geminum. Potuit igitur vel commissa crux esse, vel immissa, vel si non suffixio fuit Judæis usurpata, sed strangulatio, quam rem diximus obscuram esse, & incertam, Deut. 20: 1. potuit esse stipes geminus ad formam Græci Γ. vel Hebr. ך. compositus.

§. 11. Resp. à posse ad esse non valet consequentia. Unde probabit *Bonfrerius*, quod sub ejusmodi forma patibula tunc fuerint formata. Germani quidem nonnulla sub hac forma solent erigere, quæ appellant **Einen Schnell-Galgen**: sed ostendat nobis, quod veteres Romani, aliique populi sub ejusmodi forma patibula erexerint? Non male itaque Grezscherus l. c. pag. 54. ad suspensionem, quæ laqueo fit, obstructa gula, potius requiritur tergeminum, quam geminum lignum.

§. 12. (2.) Alii

§. 12. (2.) Alii per lignum geminum intelligunt furcam. Ita *Salmasius* in Epist. de Cruce p. 429. & 430. qui putat, quod furca διδύμος sit, quia in duo brachia divisa sit, & licet unicum sit lignum, in summo trunco tamen in duos ramos findatur, quod & διφυὲς ξύλον interpretentur Grammatici, addit porro hoc distare furcam à cruce, quod furca sit αὐτόξυλον sive μονόξυλον, sed bifidum, crux autem πηκτὸν ξύλον, lignum ex duobus compactum. Notat tamen idem Salmasius, *furcam veram sæpe pro cruce fuisse, ut & arbores, quæ ramis & trunco surgentibus, & in furcam divisis, usum crucis præbuerint.* Idem fere asserere videtur *Suidas.* Hinc Tom. I. fol. 1258. in voce Ἰησοῦν ait: Εὑρὼν ὁ Ἰησοῦν φθορέα ἐκρέμασεν ἐπὶ διδύμῳ ξύλῳ τοῦτ' ἔστιν εἰς φοῦρκαν. *Cum autem invenisset, Illustum stupratorem, eum in gemino ligno, h. e. in furca suspendit.* Justus Lipsius in Not. ad Lib. 1. de cruce, Cap. 7. p. 163. existimat, incertum illum autorem, ex quo Suidas illa citat, ξύλον δίδυμον posuisse pro cruce, quod perperam à Lipsio fieri ait Salmasius c. l. Addit tamen, *si Autorem illum sciremus certo vixisse ante Constantini ævum, non esse dubitandum de ea interpretatione.* Neque aliter de ligno illo gemino *Casaubonus*, Exercit. 16. adversus Baronium p. 442. *omnino ita est, ait, in autore, quem laudat Suidas, δίδυμον ξύλον de cruce, quod vult Lipsius, nullo pacto accipi potest. Ratio est manifesta & certa. Nam illum autorem fuisse aliquem è recentioribus puto, Procopium, aut Simo Chatum, aut alium fortasse, recentiorem, & natu juniorem, evincit nomen proprium* Ἰλλοῦστος, *quod à melioribus Hellenismi seculis abhorret, & ex illustri Latino vocabulo non infrequente apud illius ætatis Græcos videtur corruptum. Cum igitur ne dubitari quidem possit, scriptorem, cujus illa erant apud Suidam verba, post Constantinum M. vixisse, ne de eo quidem potest esse dubium, qui* δίδυμον ξύλον, *quod ait, adhibitum fuisse ad supplicium, corruptum sit furca. Crux enim esse non potest, cujus usus in suppliciis à Constantino M. fuerat ante sublatus. Quare etiamsi autor* σταυρὸν *scripsisset, necessario tamen de furca ejus verba essent exponenda, cum de cruce non queant.* Hæc & alia plura ibidem *Casaubonus*, quem multi sequuntur. Sit vero ita; interim ne dubitare quidem possumus LXX. Interpp. quorum hæc de διδύμῳ ξύλῳ sunt verba, eo vixisse tempore, vixerunt autem longe ante Christum, quo suspensio in cruce fuit in usu, furca vero apud Hebræos non fuit adhibita, sed longe post cœpit. Nam Constantini M. temporibus in crucis locum fuit surrogata furca. Vide Carpzov. in pract. Crimin. part. III. quæst. 128. num. 39. p. 242. ubi ita ait: *Surrogata est in crucis locum furca. Nam furcis bicornibus vel triangulatis stipitibus, vel arboribus suspenduntur scelerati, neque cruci, ut olim affiguntur membra, sed laqueo suffocantur. Unde & suspendium hodie supplicium furcarum* der Galgen *vulgo appellari solet, ab abrogato vocabulo crucifixionis.* Apparet ex his, per δίδυμον ξύλον, quod ad supplicium Regis Hai fuit adhibitum, haud furcam, quippe quam, uti jam diximus, apud Hebræos usitatam fuisse, sed potius crucem indigitatam fuisse.

§. 13. Tacemus, quod Autores exprimere nequeant formam antiquæ furcæ. Audiamus judicium *Justi Lipsii*, accurati hac de re Scriptoris. Ita ante ille libr. 3. de cruce Cap. 4. p. 106. *Qualis hæc suspensio, & qua vera germanaque facie ipsa furca fuerit, ut ingenue dicam, hæreo, & velut inter solem & arcum erro. Video, non video, probo, improbo, & plane quod Græci dicunt* τὴν γνώμην ταλαντεύω. *Quando ergo ignoramus*, vel saltem non exacte cognitum habemus, qualis facies & forma furcæ fuerit, qua consequentia probabunt, per ξύλον δίδυμον haud crucem, sed furcam fuisse indigitatam. *Suidæ* testimonium ad antiquam formam probandam nihil facit, inprimis cum constet, autorem illum, ex quo ista verba citat, fuisse quendam ex Neotericis, & post Constantini tempora vixisse, quo tempore furca loco crucis fuit substituta, & patibula promiscue modo crux, modo furca fuerit appellata, quod etiam jam olim fuit in usu. Sic enim ipsa vulgata versio in loco *Jos.* 8: 29. facit, & quod prius patibulum dixerat, confestim in eodem versu crucem appellat, quando ita ait: & Regem ejus suspendit in patibulo, & cadaver ejus deposuerunt de cruce. Hebræum ergo עץ, quod lignum sive arborem significat, Interpres Latinus in hac materia indifferenter crucem aut patibulum vertit. Græci quoque Scriptores N. T. ξύλον absolute pro cruce posuerunt, ut Act. 5: 30. c. 10: 39. C. 13: 29. Gal. 3: 13. 1 Pet. 2: 24. in quibus locis Syrus plerumque vertit, *pendit in cruce*, uti paulo ante notavimus. Et sic quoque profani Scriptores. In carmine horrendo apud *Livium* lib. 1. *caput obnubito, arbori infelici suspendito.* De cruce accipi, res ipsa docet. Et *Seneca* Epist. c. 1. *invenitur, qui velit intactus ad infelix illud lignum trahere animam, tot tormenta tracturam.* *Minutius Felix* in Octav. *Deus ligneus rogi fortasse vel infelicis stipitis portio*, i. e. crucis. Dixit & *infamem* Poëta incertus:

> *Noxius infami districtus stipite membra*
> *Sperat & affixa posse redire cruce.*

Latina vox *Patibulum*, quamvis interdum à cruce distinguatur, ut in illo Plautino: *patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci*, subinde tamen ut & furca de cruce dicitur. Ammianus Marcellinus lib. 19. de suo ævo: *Ælianus comes & tribuni patibulis hoc est, crucibus sub teste suffixi.* Arnobius lib. 7. contra Gent. *Servum*, ait, *pessime meritum per circi aream mediam transduxisse cæsum virgis, & ex more mulctasse patibuli pœna.* Ubi patibulum vocat, quod crux erat. Exempla ejusmodi passim occurrunt.

§. 14. (3.) Alii statuunt per ξύλον δίδυμον crucem quidem intelligi, & Regem illum Hai vere crucifixum fuisse, sed id belli tempore contigisse, & non de jure ordinario & recepto. Ita M. Johan. Bornitius quondam Assessor Facult. Philosoph. in Academ. Witteb. in Disp. de Cruce anno 1646. habita. *Exemplum Josuæ*, inquit ibidem, c. 1. §. 6. *non statim potest æstimari, qualia multa sunt, quæ in bello licita fuere, alias plane prohibita.*

§. 14. R. quis credat, apud Israëlitas hoc supplicii genus tantum belli tempore adhibitum fuisse? Si enim ipsis crux plane fuit ignota, unde ritus & actus crucifigendi hauserunt. Quælibet ergo gens sua sibi consueta habet suppliciorum genera, quæ tam pacis quam belli tempore erga facinorosos solent adhiberi.

§. 15. Sed redimus ad alia crucifixorum exempla in Scriptura sacra obvia. Eodem supplicii genere, quo Regem Hai occiderat Josua, affecti quoque fuere quinque Reges Cananæorum, nisi quod dubitare quis possit, an vivi in crucem sublati fuerint, nec ne? In fonte verba Jos. 10: 26. ita habent: וימיתם ויתלם על חמשה עצים i. e. & mori fecit eos, & suspendit eos super quinque lignis. LXX. ita reddiderunt: καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς, καὶ ἐπειδὴ ἐθανάτωσεν αὐτοὺς, καὶ ἐκρέμασεν ἐπὶ πέντε ξύλων. *& interfecit eos* (Josua) *& postea occidit & suspendit in quinque lignis.* Vulgata: *Suspendit super quinque stipites* (quos tamen stipites statim patibula appellat) *fueruntque suspensi usque ad vesperam: Cumque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis.* *Jun.* & *Trem.* *& morte affecit eos, suspendens eos de quinque lignis.* Andreas Masius. Comm. in Jos. p. 196. arbitratur, quod interfecti cum essent Reges, demum in crucem acti fuerint, *non ad pœnæ cumulum, quæ mortuis nulla infligi potuit, sed ad pœnæ existimationem, atque omnino ad famam & exemplum spectatæ.* Ita etiam ex eo *Matth. Polus* in Synops. Critic. Vol. 1. f. 885. Nec id male. Nam quod apud nos usu venire solet, ut ad majorem sceleris ignominiam rotæ imponantur, qui jam fuere occisi, id olim in cruce quoque fuit observatum. Sic *Jul. Cæsar* apud Sueton. c. 74. piratas jugulari prius jussit, atque ita suffigi, & codex Talmud. *Sanhedrin* c. 6. Hal. 4. testatur, quod damnati prius morte mulctentur, deinde suspendantur. Vide hic *Lichtfoot.* in hor. Hebr. p. 491. Alii tamen negant, hos Reges prius fuisse occisos, & deinde cruci affixos, sed sensum faciunt hunc: *Interfecti & suspensi sunt*, h. e. suspendio interfecti sunt. Ita laudatus *D. Clozius* Tract. de Dolor. animæ Christi p. 253. Eodem modo etiam Junius & Tremellius, qui, uti paulo ante notavimus, ita vertunt: *& morte affecit eos, suspendens eos de quinque lignis.* Quicquid autem sit, sufficit nobis, hunc locum clarum præbere exemplum, Reges istos cruci fuisse affixos, atque consequenter, crucis supplicium apud Judæos non fuisse inusitatum.

§. 16. (III) *A Josephi, scriptoris Judaici attestatione.* Ille enim manifesta suppeditat testimonia, supplicium crucis apud Judæos ante Christum natum fuisse in usu. Ita enim Lib. 4. de bell. Judaic. c. ult. p. 882. Καί τοι τοσαύτην Ἰουδαίων περὶ τὰς ταφὰς πρόνοιαν ποιουμένων, ὥστε καὶ τοὺς ἐκ καταδίκης ἀνασταυρουμένους πρὸ δύντος ἡλίου καθελεῖν τε καὶ θάπτειν. *Cum præsertim Judæis tanta sepulturæ cura sit, ut etiam Judicio crucifixos ad occasum solis deponant atque sepeliant.* De Alexandro Judæorum Rege Johannis Hyrcani filio, quem ideo *Jannæum* dicunt, refert idem *Josephus*, lib. 1. de bello Judaico cap. 3. fol. 715. καὶ ταύτην κατεστρεψάμενος αἰχμαλώτους ἀνήγαγεν εἰς Ἱεροσόλυμα προύκοψε ἡ αὐτῷ δι' ὑπερβολὴν ὀργῆς εἰς ἀσέβειαν τὰ τῆς ὠμότητος. Τῶν γὰρ ληφθέντων εἰς ὀκτακοσίους ἀνασταυρώσας ἐν μέσῃ τῇ πόλει. *Eaque* (Bemesch) *subacta in Hierosolymam captivos abduxit: Verum immoderata fecit iracundia, ut crudelitas ejus ad impietatem usque procederet.* Octingen-

Octingentos enim captivos in media civitate crucifixit. Fuit iste Alexander unus è Maccabæorum successoribus, qui cum XXVII. annos regnasset, anno à C. N. 78. obiit, & sua hac insolita sævitia testatum fecit, apud Judæos ante C. natum supplicium crucis non fuisse inusitatum. Plura ejusmodi testimonia, inprimis ex *Targum Ruth*, cujus supra mentionem fecimus, adducere possemus, si opus esset.

§. 17. (IV.) *A supplicii hujus apud omnes ferme gentes usurpatione.* Exempla hujus rei nobis suppeditant plerique populi in mundo. Quidni etiam fuerint apud Hebræos? Perlustrabimus potiores. *Ægyptii* apud quos Hebræi longo tempore habitarunt, primi sunt, qui sacra Scriptura teste, crucifixionis supplicium usi fuerunt. Nam Pharaonis jussu Magister pistorum in patibulum fuit actus, *Gen.* 40: 19, 20. In fonte ita legimus תלה אותך על־עץ *suspendet te super lignum.* Vulgatus non male: *suspendet te in cruce.* Et cap. 41: 13. pincernarum magister ait: אתו תלה, *illum suspendit.* Vulgatus: *suspendit in cruce.* Non male, inquam, quia constat, Ægyptios eo supplicio usos fuisse, id quod etiam confirmat *Josephus*, qui lib. XI. Antiq. Jud. cap. 3. p. 42. ait: Alterum Josephum Patriarchæ filium pistoris somnium sic exposuisse, τῇ τρίτῃ δ' αὐτὸν ἀνασταυρωθέντα βορὰν ἔσεσθαι τοῖς πετεινοῖς, *tertia vero die cruci affixum ab alitibus devorandum te tradet.* De Rege *Icaro*, qui Ægypti Regem Achemenem interfecerat, regnumque illud occupaverat, *Thucydides* quoque lib. I. belli Peloponnes. refert quod προδοσίᾳ ληφθεὶς ἀνεσταυρώθη, *proditione captus in crucem fuerit actus.*

§. 18. Apud *Persas* idem fuit supplicii genus, ut constat ex historia Estheræ de Hamane aulico, qui suspensus est de patibulo, Hebr. על־עץ super ligno, *Esth.* 7: 10. & cap. 8. Rex ad Reginam: *Ecce donum Haman dedi Esther, & ipsum appenderunt in ligno*; Ubi *Vulgata* iterum: *ipsum jussit affigi cruci. Et Joseph.* lib. I. Antiquit. Jud. postquam dixisset, Sabuchadam Eunuchum accusasse Hamanum, quod in ædibus ejus invenisset σταυρὸν, Mardochæo paratum, statim subnectit, καὶ κελεύει παραχρῆμα αὐτὸν ἐξ ἐκείνου σταυροῦ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν; *& jussit, ut confestim in eam crucem sublatus necaretur.* Conf. *Esth.* 2: 23. cap. 9: 14. Licet vero apud dictos Persas varia suppliciorum genera in usu fuerint, capitis nempe præcisio, vivi comburium, excoriatio, & vivorum hominum in terram defossio, suspensio, tamen ista, quæ laqueo fit, illis prorsus fuit ignota, contra suffixio in patibulo crucis, fuit usitatissima, quæ etiam ex multis constat historiis. De Polycrate *Herodot. in Thalia* ita scribit; ἀποκτείνας δέ μιν, οὐκ ἀξίως ἀπηγέσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε. *Interficiens eum, quod indignum relatu sit, Oroetes in cruce suffixit.* Hostiæus Milesius ab Artapherne, truncato tamen prius capite in crucem fuit actus, apud eundem *Herodot.* lib. VI. idem refert lib. IV. quod Saraspes eo quod Zopyri filiæ virgini vitium intulisset, cruci fuerit affixus, quale supplicium etiam obtigit *Trunco*, qui jussu Regis Xerxis crucis candidatus fuit declaratus, referente eodem l. IX.

§. 19. *Afri* quoque omnium creberrime hoc supplicii genere in sontes animadverterunt, & quidem non in viles tantum, sed illustrissimas quoque personas. Hinc à senatu Carthaginensium (sunt verba *Valerii Maximi* lib. 11. cap. VII.) etiam Duces *bella pravo consilio gerentes*, etsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci suffigebantur.

§. 20. *De Græcis* itidem res est nota. *Alexander* M. Glaucum Medicum, ut *Plutarchus* tradit *in Alexand. M.* multos Persarum Satrapas, ut scribit *Q. Curtius* l. IX. & duo millia juvenum Tyriorum, quod *Justinus* meminit, in crucem egit. Xaulippus Dux Atheniensium Æoliæ tyrannum Arctaistam & Pausaniam, Philippi Regis interfectorem crucifixit, ut refert *Herodot. in Calliope.*

§. 21. *Assyriorum* quoque Regibus hoc supplicii genus in usu fuisse, testatur *Diodorus Sicul.* l. 2. qui addit, Pharnum Mediæ Regem, cum uxore & VII. filiis à Nino Assyriorum Rege crucifixum fuisse.

§. 22. Quid dicemus *de Romanis*? His vetus veterrimumque (verba *Victorii* nostra facimus in *Constantin.* l. 1.) supplicium patibulorum. Apud hos enim statim sub primis Regibus hoc supplicii genus usurpatum esse, testis est *Plinius* lib. 36. cap. 15. Nec solum viles personæ, sed etiam Nobiles & Principes hanc crucis pœnam sustinuerunt, quemadmodum Antigonum Judæorum Regem à M. Antonio *Dio Chrysostom.* duo millia Judæorum à Varo Præside, & innumeros prope Judæos, ita ut spatium corporibus deesset, & corporibus cruces, à Tito crucifixos esse, *Josephus* tradit lib. IV. de bell. Jud. cap. ult. quem locum paulo post integrum adducemus.

§. 23. Mittamus plures afferre gentes, quibus crucis supplicium in creberrimo fuit usu. Mirum ergo fuerit, tot populos, qui undique circa Israelitas habitarunt, & quos inter Israelitas etiam contigit aliquandiu vivere, crucis supplicio quotidie fere usos fuisse, & Judæos illud aut ignorasse, aut usurpare noluisse! Contrarium vero à nobis hactenus satis fuit demonstratum.

§. 24. V. Pro hac sententia militat inprimis etiam *typorum cum antitypo* (Christo) *collatio.* Hanc rem supra paucis tetigimus, jam pluribus explicabimus Salvatorem nostrum Jesum Christum *hoc supplicii genere*, crucis scilicet, afficiendum esse, non tantum ipsemet prædixerat, sed & multi ostenderunt typi in V. Test. Jam si typi ab hoc supplicii genere abludunt, neque cum Christi crucifixione conveniunt, sequitur, illos non veros fuisse typos, quod nemo dixerit. Producamus vero nonnullos ejusmodi typos. Nimirum crucifixionem Salvatoris nostri in V. T. inprimis repræsentarunt malefici, qui cruci fuerunt affixi, de quibus Deus *Deut.* 21: vs. 23. dicit, *quod omnis suspensus à Deo sit maledictus.* Hæc autem verba *Apostolus Gal.* 3: 13. manifesto ad crucifixionem Christi applicat, & ostendit, homines istos crucifixos, fuisse typos Christi. Nam sicut illi in cruce pendentes à Deo habiti fuerunt pro maledicto; ita etiam Christum cruci affixum revera fuisse maledictum asserit, cum hac tamen differentia, quod illi suspensi propter crimina propria in crucem fuerint acti, & maledicti coram Deo redditi: Ita Christum propter crimina aliena. In hac re ergo revera fuere typi Christi. Recte hinc laudatus *D. Clozius* Tract. cit. considerat. 28. p. 293. *Præter sacrificia*, inquit, (*quæ insignes fuere typi Christi*) *personæ quædam ex singulari Dei ordinatione* τυπικῶς *maledictum esse debebant, ut id, quod de Christo statuerat Deus, Israelitis semper ob oculos versaretur. Et hi erant suspensi in ligno, qui maledictionem Dei propter sua scelera contractam in corpore cruci affixo ferentes, illa supplicii crucis portatione, si modo fides non deesset (quam etiam in oblatione sacrificiorum necesse erat adesse) ab ipso flagitio, quod commiserant & ulteriore animæ supplicio, relatione ad Christum antitypum facta, expiabantur. Peculiari ergo quadam analogia typica Deus illos, qui in ligno suspensi erant, maledictos esse voluit.* Falsum itaque est, quod omnes occisi, quocunque supplicio interierint, Deo fuerint maledicti, prout *Tostatus* ad h. l. scribit. Nam lex præcise de suspensis hoc affirmat, quod ad alios extendi non debet. Quod si ergo suspensi illi non fuere cruci affixi, sed tantummodo strangulati, tunc neutiquam potuere esse typi Christi crucifixi, quod tamen Apostolus l. c. asserit.

§. 25. Ejusmodi typus crucifixionis Christi fuit etiam æneus serpens, qui in deserto erectus, Israelitis fuit signum salutis. Applicat enim ad se hunc typum ipse salvator *Joh.* 3: vers. 14. ostenditque, hunc æneum serpentem præfigurasse suam crucifixionem. Pro meliori autem hujus typi explicatione observari debet, quod æneus iste serpens cum alis fuerit efformatus, ad formam & figuram istorum serpentum, qui in deserto fuere, & Israelitas pupugerunt. Hos enim allatos fuisse aperte monstravimus in *Exercit. nostr.* de æneo serpente, Disp. III. §. 10. seqq. Testatur id inprimis *Solinus* cap. XLV. p. 150. ubi ita scribit: *Arabicæ paludes pennatorum anguium examina mittunt.* Confer etiam Plinium lib. 8. cap. 23. Imo & hodie tales in multis Regionibus inveniuntur. De his ex Olf. *Dappero* refert Joh. Henrich Seyfried in Medull. mirabil. naturæ lib. 2. pag. 664. quod in Africa multi dentur serpentes alati. Verba ipsius in Germanica lingua sunt hæc: **In dem Königreich Concho/ und theils Orthen in** Guinea **siehet man eine Arth geflügelter Schlangen/ deren theils in größe eines Schaafes und über** 10 **Ellen lang gefunden werden. Ihre Farbe ist Blau mit Grün vermenget/ die Füsse sind mit sehr starcken Klauen bewaffnet.** Paulo post hæc addit: **Auff dem wohlbekante hohen Gebirge** Atlas **findet man auch verschiedene Gattung fliegender Schlangen und Drachen/ deren mehrentheils in grösse eines Hundes mit einem gar langen Schweiffe.** Pluribus hanc rem exponit *Samuel. Bochardus* in Hiero Zoico part. 2. cap. 13. col. 422. Ad erectionem & suspensionem autem hujus ænei serpentis inserviit etiam ea pertica cui affixus fuit iste serpens. Nam pertica illa non fuit simplex & uniformis pertica, sed cum ligno transverso, ita ut crucis formam repræsentaverit. In Hebræo appellatur נס, ita enim vers. 7. cap. 21. Numer. legimus: *Et posuit* על נס *super perticam.* Quid itaque notet, hoc loco paulo accuratius est explicandum. Vulgatus vertit, in signum. Sequitur hunc B. Lutherus,

quando ita vertit; **Und richtet sie auff zum Zeichen.** Ita etiam Chaldæus, qui per עלאת super signum. Eodem ferme modo LXX. Interpp. Ἐπὶ σημεῖον. Vulgatum corrigit Cornelius à Lapide in h.l. pag. 858. ubi ad verba, *pone eum pro signo*, hæc annotat. *Hebraice pone eum super vexillum. Hoc enim significat vocabulum* נס, *quasi dicas, pone eum super hasta, vel pertica vexillari.* Vulgatum etiam emendat *Leonh. Marius* in h. l. pag. 119. quando ita ait: *Ex Hebræo verti potest: Pone eum super perticam, seu lignum erectum. Atque ita hoc lignum crucis gessisset figuram, sicuti Christi Domini typum gessit hic serpens.* Non male ita *Marius.* Nam poni jubetur serpens non *in signum*, aut pro *signo*, sed על נס *super perticam.* נס itaque hoc loco proprie signum non est, sed pertica vexillaris.

Vexillum autem hoc non fuit nuda ex uno ligno constante pertica, uti *Lyra*, *Pagninus*, *Cajetanus*, *Castalio*, *Tremellius*, *Drusius*, *Mariana*, & alii verterunt, sed sicut paulo ante notavimus, pertica cum ligno transverso, vel antenna, quæ lignum habet transversum, uti non male *Diodatus* in Bibliis Italicis reddidit. Vexillum ergo fuit, vel potius lignum vexillare, sive pertica vexillaris, ut Buxtorffius exponit, quæ non erecto solum, sed & transverso & in crucis formam disposito stipite constat, super quo cruciformi stipite erectus fuit æneus iste serpens, ut figuram Salvatoris nostri quondam in crucis ligno exaltandi eo convenientius adumbraret.

Ne autem dubium Lectori relinquamus, probandum nobis erit, quod veteribus ejusmodi perticæ vexillares, quæ crucis formam habuerunt, in usu fuerint. Evidens hujus rei testimonium nobis exhibet *Tertullianus*, Scriptor antiquissimus, qui in Apolog. contra Gent. c. 16. p. 709. ita disserit: *Victorias adoratis, cum in trophæis crucis intestina sint trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa omnibus Diis præponit, omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucium sunt. Sypara illa vexillorum & Cantabrorum stolæ crucium sunt.* Eadem fere habet *Minutius Felix*, qui Tertulliano σύγχρονος esse creditur in *Octavio* vel Dialogo, uti Christianus & Ethnicus inter se disputant. Ita enim ille p. 284. *Edition. Ouzelii* anno 1572. *Cruces autem nec colimus, nec optamus. Vox plane qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas ut Deorum vestrorum partes forsitan adoratis. Nam & signa ipsa, & Cantabra, & vexilla castrorum quid aliud quam inauratæ cruces.* Omittimus nunc plura testimonia.

De Hebræis quoque res non est obscura. Habuerunt enim & illi sua signa & vexilla militaria, uti patet ex Numer. 2: 2. ubi quod ex antiquioribus Rabb. traditum refert Ezraides singulis tribubus propria erant insignia, inter cætera vero eminentius splendescebat quatuor Archiducum tribus, sc. Judæ, Ruben, Ephraim & Dan. Vexilla enim habebant majora. Vide hic *Hieron. Pradum* Tom. I. Comment. in Ezech. part. 2. Lib. 2. fol. 61. *Vilalpandum* Tom. II. explanation. in Ezech. part. 2. lib. v. cap. 29. fol. 466. *Lorinum* in Num. fol. 59. Hæc vexilla autem in perticis vexillaribus non fuere involuta, sed per lignum transversum ita explicata, ut insignia semper essent in cujusvis conspectu. Hac ratione autem perticæ vexillares crucis formam optime repræsentarunt. Plura hac de re proposuimus in *Exercit.* nostris sacris de æneo serpente, Disp. II. §. 10. quo Lectorem remittimus. Hæc res iterum satis ostendit, crucis supplicium apud Hebræos omnino fuisse in usu, cum etiam typi crucem Christi præfiguraverint, & ostenderint.

§. 26. VI. Tandem desumimus etiam argumentum à *Diaboli cacozelia, & æmulatione*, qua crucis supplicium apud Hebræos usitatum, & Christum crucifigendum præfigurans ad alias gentes sub falsa tamen persuasione traduxit. Ille enim cognitum habens, Salvatorem nostrum per crucis mysterium totum mundum liberaturum esse, non tantum variis modis mysterium crucis obscurare, sed etiam per illud idololatricos cultus instituere tentavit, quod inprimis monstrat *Jul. Firmic. Maternus*, de Errore prof. Religion. quando pag. 53. ita scribit: *Sacra sua perditus carnifex* (Diabolus) *proh nefas! per lignum semper renovari disposuit, ut quia sciebat ita fore, ut ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine stringeretur; ideo perituros homines, ligni imitatione deciperet. In sacris Phrygiis, quæ matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur. In Isiacis sacris de pinea arbore cæditur truncus, hujus trunci media pars subtiliter excavatur, illis de segminibus factum Idolum Osiridis sepelitur. In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiem virginis, formamque componitur, & cum intra civitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesima vero nocte comburitur;* præterea Ethnicos instigavit, ut in illusionem, & despectum hujus crucis Christi, canes tanquam impurissima animalia crucifigerent, & certo crederent, saluberrimum hoc ipsis esse remedium. Testatur hoc *Plinius* l. XXIX. cap. 4. pag. 266. & *Alexander ab Alexandro.* l. III. Dier. Genial. c. 12. pag. 325. ubi ita inquit: *Vivos etiam canes cruci affigi, atque inter ædes juventutis, & Sumani singulis annis, ansere insidente, deferri, vulgo proditum est.* Et quia Salvator non tantum crucifixus fuit, sed etiam ut sacrificium, & hostiam Deo Patri se obtulit, hinc Satanas in opprobrium hujus sanctissimi actus excitavit gentes, ut passim etiam canes offerrent. Audiamus hac de re antea laudatum *Alexandr. ab Alexandr.* qui c. l. ita scribit: *In lupercalibus canem immolari mense Februario, quia lupo canis infensus est, & in expiationibus cane litari legimus, atque ad placandum caniculæ sidus frugibus inimicum, etiam mactari canes, quas si ruffæ non sunt, puras non putarunt, quod sacrum Canarium augurium nuncupant. Pro frugibus quoque & pecoribus, ut rubigo avertatur, lactenti catulo sacrum fieri convenit, idque Rubigalibus per Quirinalem Flaminem sacrum extra urbem, fieri, in quo super exta canis thus, & merum infundere mos erat, quos etiam catulos, recens editos, tam in adjicialibus, quam Deorum cœnis sæpe adhibuere. Apud Lacedæmonios Marti immolabatur canis; Et Bœotiis, cane in duas partes dissecto per medium, iræ expiatio fuit, idem & canibus, ut exta canis Diis offerre in usu habererent.* Et quanquam alia quoque animalia ab ipsis sacrificiorum loco fuere adhibita, qua de re egimus in *Dissert.* nostra *de sacrificiis* pag. 100. sqq. quæ annexa est *Tractatui de Oraculis Ethnicis*; attamen cane, impuro isto animali in primis fuere delectati, procul dubio in ignominiam sanctissimi nostri propitiatorii Jesu Christi. Id vero inprimis exinde animadvertimus, crucis supplicium apud Hebræos non fuisse ignotum, quia Satanas ex cacozelia, ut simia Dei, omnes fere ceremonias apud Israelitas in cultu Sacro usitatas, æmulatus fuit, & gentes ad has imitandas, & æmulandas instigavit.

§. 27. Quæ cum ita se habeant, quis negabit, vel saltem in dubium vocabit, crucis supplicium apud Hebræos haut fuisse in usu?

CAPUT II.

In quo Isaaci Casauboni, & qui ipsum sequuntur, argumenta dissolvuntur, & refutantur.

§. 28. SEntentiam nostram sat firmis hactenus confirmavimus rationibus: Restat nunc, ut etiam adversæ partis, & inprimis *Casauboni* argumenta perlustremus & confutemus.

§. 29. Tribus autem rationibus nostram impugnat sententiam, *Exercitat. XVI. contra Annal. Baron. num.* 77. *pag.* 437. sqq. *Primum*, inquit, *est Doctorum ejus populi testimonium, qui verbis expressis crucem Romanam fuisse genti suæ ignotam affirmant.* Verba illorum sunt hæc: דבר זה לא היא בישראל לתהוב המסמרוה ברגלי וידי ארם הנסקלין ותנתלין: *non fuit hic mos in Israele, ut clavos figerent in pedibus, aut manibus hominum, qui lapidati aut suspensi fuissent.*

§. 30. Resp. (1) Argumentum hoc non est magni momenti, adeo ut ipse *Casaubonus* probationi huic diffisus subnectat, *infelices Rabbinos hoc argumento niti, ut historiæ Evangelicæ de passione Christi fidem detrahant, adeoque verisimile esse, odio veritatis mendaciter id confinxisse, quod tamen falsum non esse, sed certissimum*, ait in sequentibus se demonstraturum.

(2) Usitatissimum apud Hebræos crucis supplicium fuisse hactenus satis probavimus. Neque sequitur, ubi non est clavi fixio, ibi nulla est crucifixio. Frequens quidem fuit clavi fixio, qua adactis per singulas manus, & singulos pedes clavis, & venis, & nervis disruptis, sanguis ingenti copia & incredibili cruciatu defluebat, falsum tamen est, quod *Muretus* ait *in Not.* ad Senec. pag. 371. & *Bellarminus Tom. I. controv.* lib. 2. de imag. cap. 27. & post eos, & Rabbinos *Casaubonus* statuit, omnes, qui in crucem fuere acti, clavis suffixos esse. *Ausonius* sane cupidinem crucifixum sic describit:

—— In excelso suspensum stipite amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis.

Et apud *Abdiam* l. 3. Hist. Apost. mandat Proconsul quæstionariis, ut S. Andreas ligatis manibus, & pedibus, non clavis affixus suspendatur, quo diutino cruciatu deficiat.

Recte hinc *Gretserus* l. 1. de Cruc. c. 19. p. 53. *Negari non potest crucifigendos aliquando funibus* tantum fuisse adstrictos. Dilucide id etiam monstrat *Lipsius* l. 1. de Cruc. C. 8. p. 74. Quid? quod in ipso Cod. Sanhedrin C. 6. apud Coccejum p. 47. hujus rei testimonia occurrant. Ibi enim ita legimus: *Quomodo fit suspendium? Trabs in terram depangitur, ex qua lignum exstat, deinde revinctis manibus suspenditur. Rab. Joses* ait: *Trabs ad parietem inclinata constituitur, tum suspenditur consimiliter, atque à laniis fieri consuevit.* Ubi manifestum est, suspendium in ligno non strangulatione, aut lanqueo in collo, intercluso spiritu, ut nunc fit, sed revinctis manibus peractum fuisse. Hoc modo ex Rabb. etiam applicat *Schindlerus* in Lex. p. 1974. sub radice תלה *Suspensio*, ait, ita fiebat: *Infigebatur trabs terræ, & inde exibat lignum ad utramque manum. Et suspendebant aliquem prope occasum solis, & removebant eum statim & sepeliebant cum ligno, super quo suspensus fuerat.* Non male itaque exinde colligit *D. Clozius* lib. 1. p. 256. quod supra quoque notavimus, *suspensionem in ligno, quæ laqueo fit, intercluso spiritu, apud veteres Hebræos plane non fuisse in usu, adeoque ubi mentio fit suspensionis in ligno in libris sacris, id de suspensione in ligno crucis intelligendum est, quæ suspensio non semper clavifixione fuit peracta.*

§. 31. *Alterum Argumentum*, inquit, p. 438. *ducimus ex ipso jure veteri populi illius, quod & Rabbini itidem asserunt, ut sententiæ suæ fidem astruant. Dicunt igitur Rabbini quatuor genera pœnarum (ipsi vocant* מותות *mortes) fuisse ab antiquo tradita* לבית דין *Domui judicii, i. e. consilio Sanedrii, quibus solis uti licuit. Eæ pœnæ sunt* סקילה, *Lapidatio*, λιθοσιμός, μόρος, *Tragicis Græcorum*; שריפה, καῦσις, *Vivi comburium, ut appellat Tertullianus.* הרג, *vel* הרג בסייף, *occisio per gladium Decollatio, &* חונק, *sive* מחנק *strangulatio*, θάνατος δι' ἀγχόνης, *h. e. mors per laqueum. Hæc legitimarum pœnarum enumeratio ex antiquis fragmentis Doctorum, quæ in Pandectis Thalmudicis habentur, passim legitur in Commentariis Rabbinorum.* Paulo post hæc addit: *Obsecro respondeant mihi, quibus placet, crucem Romanam veteribus Hebræis fuisse in usu, cur in tam accurata legitimorum ejus populi suppliciorum explicatione, tam altum est, tam constans apud Rabbinos de illa silentium? Vel hæc unica ratio apud viros judicii castigati confutandæ illi sententiæ fuerit satis.*

§. 32. Resp. (1.) Mirum est, doctissimo viro hæc excidere potuisse, qui jam antea ex Hebræorum scriptis observare debuisset, non tam altum, non tam constans, uti dixerat, de crucifixione apud illos esse silentium! Nam (1) *Targum Ruth* inter quatuor suppliciorum genera Judæis usitata expresse refert צליבת קיסא *crucifixionem ligni*, quæ strangulatio esse nequit. (2.) *Josephus* lib. 4. de bell. Jud. c. ult. p. 882. testatur, quod ante Christi nati tempora crucifixio ab ipsismet Judæis fuerit usurpata. Verba ipsius adduximus supra §. 16. De Alexandro Judæorum Rege Johannis Hircani filio, refert idem *Josephus* l. 1. de bell. Jud. c. 3. f. 715. & scribit, quod & octingentos captivos crucifixerit, vide supra §. 16. Fuit iste Alexander unus è Maccabæorum successoribus, qui cum 27. annos regnasset, anno ante C. N. 78. obiit, & sua hac insolita sævitia testatum fecit, apud Judæos etiam ante C. N. crucem in usu fuisse. Plura ejusmodi testimonia afferre possemus, si opus esset. Quibus nunc majorem adhibebimus fidem, num *Targum Ruth*, & *Josepho*, an *istis testimoniis Rabbinicis*, dubiis admodum, & incertis. Nemo qui confirmati erit judicii, hisce dubiis & incertis Rabbinorum testimoniis sententiam suam consolidabit. Et tamen *Casaubonus* hisce lubricis, & fallacibus assertionibus totam argumentorum suorum molem superstruit, & cum aliquid certi concludendum est, ad Rabbinos tanquam oracula confugit.

II. Ista Thalmudica testimonia sublestæ esse fidei, patet inde, quia opus Thalmudicum haud prodiit à Mose, neque in monte Sinai cum Lege à Deo ipsi fuit traditum, uti fabulantur Judæi, quos eo nomine salse rident *Joh. Buxtorff. in Syn. Jud.* c. 1. p. 43. *& Galatin.* lib. 1. *de Arcan.* Cath. vertit: c. 7. p. 76. sed ex variis dispersis chartis colligere cœpit primum *R. Jehuda* post N. C. 150. tandem vero anno Christi 500. absolutum fuit, testibus *Christiano Gerson*, Judæo converso in Thalmud. l. 1. c. 28. p. 202. & *D. Joh. Mullero* in Iudaism. in Prolegom. p. 33. Confer etiam laudatum *Buxt.* cit. l. p. 51. *Galatinum* c. l. c. 5. p. 14. Nondum ergo hactenus probatum fuit, ullum ex Talmudicis scriptis ante Christum natum à Rabbino quodam elaboratum, & in literas, ac justum volumen redactum fuisse. Quomodo ergo illa scripta, quæ longe post natum Christum fuere exarata, & ritus saltem ac consuetudines temporis post natum Christum exponunt, certa, & infallibilia testimonia exhibere possunt de ritibus, & rebus antiquissimis, quæ longe post natum Christum contigerunt, & in usu fuere?

Dicis: per traditiones accipere potuerunt.

Resp. (1.) Plurima falsa per traditiones propagta fuerunt. (2.) Traditiones Thalmudicas olim nemini calamo excipere licuit, quod ipsimet fatentur Rabbini. In memoria ergo retinere debuerunt: Sed quia hæc est labilis, & non semper bonæ fidei, hinc multa falsa exinde propullulare potuere. Sed hac de re mox plura.

III. Scribit quidem *Wilhilm. Schickardus in Jur. Regio Hebr. c.* 5. theorem. 8. p. 396. longe ante natum Christum, videlicet *temporibus templi secundi traditiones Thalmudicas fuisse conceptas*; Sed (1) id non probat. Nulla enim hujus rei affert testimonia, & argumenta; (2) Ipsemet addit, à successoribus variis additionibus istas traditiones fuisse auctas. Per successores procul dubio intelligit illos, qui longe post Christum natum Thalmudicas traditiones hinc inde consarcinarunt, & in unum corpus redegerunt. Multa autem noviter ab illis fuisse excogitata, & Thalmudi inserta, nullum est dubium. Fatetur hoc quoque *Petrus Galatinus* l. c. C. 7. p. 22. Quis autem pro certo affirmabit, illa, quæ de quatuor suppliciorum generibus ibi leguntur, haud fuisse à successoribus noviter excogitata? Rem vero ita se se habere, paulo post probabimus. Addimus jam, quod Traditiones Thalmudicas uti paulo ante diximus, olim calamo excipere nemini licuerit, sed quæ à Præceptoribus acceperant, memoriæ debuerunt mandare. Rationem hujus rei adducit *R. Maimonides part.* 1. *More Nevoch.* c. 71. f. 53. quia populo Israëlitico præceptum fuerit: *Verba quæ dixi Tibi ore, non licet Tibi scripto divulgare.* Scilicet ad differentiam legis scriptæ. Cum vero hominum memoria sit labilis, nec omnium rerum, quas audivit, exactam possit semper habere reminiscentiam, hinc perpendendum relinquimus, an non plurima falsa, & varia Commenta sub specie veri irrepserint, & ad alios propagata fuerint?

IV. Quod si ergo testimonium illud Thalmudicum assumere velimus, quod tamen haut sine ratione rejici potest, plus hac de re testari non poterit, quam quod isto ævo, vel paulo ante in isto populo fuit usitatum. Jam vero crucis supplicium tunc temporis non amplius apud ipsos in usu fuisse, facile concedimus. Nam Imperator *Constantinus* M. qui vixit circa initium seculi IV. crucis supplicium in honorem crucis Christi, per totum ipsius Imperium sustulit, & in locum istius furcam, vel strangulationem substituit. Testatur hoc *Sozomenus* l. 1. c. 8. p. 412. *edit. Valesii*, ubi ita scribit. ἀμέλει τὴν πρότερον νενομισμένην ῥωμαίοις τὴν τοῦ σταυροῦ τιμωρίαν νόμῳ ἀνεῖλε; *supplicium crucis, quod apud Romanos antea erat* (Constantinus M.) lege sustulit. Idem confirmat etiam *Nicephor* l. 7. c. 46. p. 347.

V. Quia nunc per hoc edictum non tantum Christianis, sed etiam omnibus Judæis sub toto hujus Cæsaris imperio, quod longe lateque patuit, & in remotissimas sese extendit oras, prohibitum fuit, ne aliquis crucis supplicio afficeretur, hinc, quod maximopere est verisimile, factum fuit, ut pro conditione eorum temporum, quibus Judæorum Thalmud comportatum, & absolutum fuit, (factum autem hoc fuit sexcentos ferme annos post *Constantinum* M.) à quo, uti diximus, crucis supplicium fuit sublatum, Rabbi quidam huic inseruerit, & literis consignaverit, *non fuisse morem in Israël* (scilicet eo tempore, vel etiam ducentos ante annos) *ut clavi figerentur in pedibus, & manibus hominum lapidatorum, ac suspensorum, quia tradita sint quatuor genera mortis judicibus* (scilicet ista, ætate vel parentum, aut etiam avorum memoria) *lapidatio, combustio, occisio, strangulatio.* Si quis vero hoc testimonium Rabbinicum ad tempora longe anteriora extendere velit, & inde probare quod vel ante mille, vel plures annos apud populum Israëliticum supplicium hoc fuerit in usu, ille valde errabit. Rectissime proinde *Salmasius* l. c. p. 427. *Ante Constantinum quæcunque de suspendio, & suspensione in ligno, patibulo, vel arbore dicuntur, ea de cruce accipienda sunt.* Recte quoque laudatus *Gerson*. c. l. **Es haben zwey gelehrte Jüden sich gefunden / welche aller gelehrten Jüden Schrifften / so in 248. Jahren / seint der Zeit des gemelten** R. Jehuda **waren geschrieben worden / zu einander gebracht / und ist endlich umbs Jahr Christi 500. ein solche Ordnung des** Thalmuds **gemachet worden.** Jam vero *R. Jehuda* vixit seculo II. post N. C. uti paulo ante monstravimus.

§. 33. Quod vero etiam Judæis crucifixionis supplicium fuerit interdictum, id patet inprimis exinde, quia nec crucis quidem

quidem signum in contemtum Religionis Christianæ ipsis usurpare licuit. Nam *Theodosius* Iunior, qui vixit seculo IV. Iudæos coërcuit, qui solebant certo anni festo crucifixi quandam imaginem una cum cruce flammis absumere, & ne sacrilegii à Christianis insimulari possent, illud prætendere, se non Christum crucifixum, sed Aman, Iudæorum hostem, tali supplicio affectum ob gloriam Dei repræsentare. Quia vero hujusmodi facinoris non obscure redundabat in ignominiam Christianæ Religionis, ideo lege lata sanxit Imperator, ut ab eo desisterent. Verba edicti hæc sunt: *Cod. Theod.* l. 16. tit. 8. & in *Cod. Justinian. de Judæis & Cælicol.* L. Judæos: *Judæos quadam festivitatis suæ solenni Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & sanctæ crucis assimilatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, provinciarum Rectores prohibeant, ne locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos infra contemtum Christianæ legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperaverint.*

§. 34. Restat, ut *tertium Casauboni* argumentum paucissimis etiam examinemus. Hoc autem se causæ jugulum petere putat, quia non ex Rabbinorum testimoniis, sed ex ipsis scripturis se sumere dicit. Nihilominus cum ad rei veritatem demonstrandam venit, non aliter nisi Rabbinicis testimoniis firmare satagit. *Si nullum*, inquit, *veteris linguæ Hebræorum est verbum, quod crucem proprie dictam significet, si nullum verbum actioni crucifigendi proprium, si denique in toto V. Test. nullum extat certum de eo supplicii genere testimonium, non abit profecto, quin illi populo fuerit olim ea pœnæ forma incognita. Atqui prius; secundum igitur. Probatio nostra* (ita pergit) *est hæc: In lingua Hebraica veteri vocabulum, quod cruci respondet, est* עץ, *σαυρώσει autem & crucifixioni respondent duo verba* יקע *&* תלה. *Atqui nulla istarum dictio est, quæ vel ex nativa significatione, vel ex peculiari aliquo usu sacrorum Scriptorum crucis Romanæ pœnam designet. Nullum est igitur, & verum est, quod diximus. Sed hujus argumenti vis plenius est declaranda.* עץ *lignum significat. Id vocabulum est generale ejus instrumenti, quod ad varia supplicia varia forma adhiberi solitum. Nam & qui acuta sude transfigebantur, & qui laqueo strangulabantur in altum sublati, & qui in furca occidebantur, & qui vel σανίδι more Atheniensium, vel cruci ex consuetudine Roman. affigebantur, item qui hodie rotæ imponuntur, omnes diei possunt mori* על עץ *super ligno. Atque ita loquitur Lucas Actor.* 5: 3. *&* 10: 39. *de morte Christi,* ὃν ἀνεῖλον κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλον *quem occiderunt suspendentes in ligno. Hic lignum* עץ *est crux Romana, quod ex historia Passionis scimus, quæ vocem generalem nos cogit ita interpretari. In Testamento Veteri sæpe occurrit vox lignum, in descriptione suppliciorum. Sed cur late patentem significationem restringamus ad crucis Romanæ notionem, nihil cogit nos, cum nullus sit locus in totis Bibliis Hebraicis, ex quo vel suspicio duntaxat possit sumi, quæ eo nos ducat! Contra, quæ modo attulimus ex Rabbinis, erroris manifesti arguunt illos, qui τὸ lignum, in libris Hebraicis de cruce Romana interpretantur. At Rabbini, quoties de supplicio Christi loquuntur, ipsum quidem vocant* תלוי *suspensum, crucem vero illius, quia propria voce designare non habent, circumlocutione utuntur, & dicunt* שתי וערב *stamen, & subtegmen.* Hæc pluribus ibidem *Casaubonus.*

§. 35. Resp. 1. In Syllogismo hoc negatur prius. Falsum enim est, nullum dari verbum, quod crucem proprie significet, & nullum verbum actioni crucifigendi proprium, & denique nullum extare certum de hoc supplicii genere testimonium. Aliud monstravimus §. 6. ubi inprimis adduximus verbum יקע, quod proprie notat *distendit, divellit, cruci affixit*, & rationem ex *Schindlero*, præstantissimo Lexicographo adduximus, quod scilicet crucifixorum corpora, & membra in cruce vel maxime divellantur, & distendantur.

2. Testimonia & exempla à nobis etiam fuere prolata, inprimis de Rege *Hai* Jos. 8: 29. & septem posteris Regis *Saulis* ex 2 *Sam.* 21: 1. *sqq.* ut alia jam taceamus. Meræ ergo sunt petitiones principii, quas *Casaubonus* affert. Certum igitur hoc manet, nec ullo modo negari potest, quod multa sint in sacra S. V. Test. loca, ex quibus non levis saltem suspicio, sed probatio etiam minime dubia sumi possit, quæ nos eo deducit, ut voces, quamvis generaliores, verbi gratia Hebr. עץ, Chald. קיסא de cruce, aut patibulo, item יקע, תלה, & Chald. צלב de suspensione, aut exaltatione in crucis ligno sumamus, id quod jam ante exemplis, & rationibus demonstravimus. Pro ratione ergo subjectæ materiæ unaquæque vox, etsi sit generalior, est restringenda. Et in re non satis evidenti, qualem hanc de cruce Veteribus usitata esse non negamus, debent esse veriora, quæ vero sunt similiora.

§. 36. Hæc sufficiant, quæ de ista Controversia paulo prolixius proponere voluimus. Deprehendimus autem multos, eosque præclaros viros authoritate *Casauboni*, viri alias doctissimi, deceptos fuisse, & in hac cum ipso versari sententia, crucis supplicium veteribus Hebræis prorsus fuisse ignotum, & à Romanis primum in ipsorum politia adhibitum, quando Salvator noster cruci ab ipsis fuit affixus, quæ sententia, uti monstravimus, est falsa.



SAM.

SAM. REYHERI
DISSERTATIO
De Crucifixi Jesu titulis & de Hora crucifixionis ad Matth. XXVII: 37.

PROOEMIUM.

N Sacro Codice æque, ac in juris Justinianei Corpore primo intuitu loca inter se pugnantia occurrere, satis notum esse puto. Quemadmodum autem, ipso etiam mandante Justiniano, *Const. Tanta* §. 15. *& Constit. Dedit. nobis* §. 15. Si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat, facile omnis dissonantiæ querela dissolvi potest; ita etiam plerumque dicta Scripturæ S. dubia, omnibus circumstantiis probe pensitatis, solvi, & conformia esse, demonstrari poterunt. Unde haud immerito B. Augustinus *Caus. 2. quæst. 1. c. Si peccaverit*, 19. *versu*, *Distribuite*, scribit: *Distribuite tempora, & concordat Scriptura.* Non tantum autem tempora, sed alias etiam circumstantias distinguendo difficillimos textus feliciter explicari posse, in *Mathesi* mea *Mosaica* demonstravi, ex quibus duo solummodo exempla adduxisse nunc sufficiat. *Mare aneum*, Regis Salomonis jussu fusum, 1 *Reg.* 7: 23. describitur in diametro sua decem, in ambitu vero XXX cubitos habuisse: unde S. Scripturæ auctoritatem elevare athei nonnulli arripuerunt ansam, inter quos excellit obtusus iste Spinosa, qui formam Maris laudati, non hemisphærii, ut vulgo pingitur, sed lilii convallium aperti formam habuisse, non attendens, in hæc verba erupit: *Quod si licet dicere, nos textum illum non intelligere, nescio hercule, quid ex scriptura intelligere possumus.* Formam autem Maris talem fuisse, ex ipso textu 1 *Reg.* 7: 26.



apparet, cujus diameter *CD* vel *cd* fuit X cubitorum, circumferentia vero ventris XXX cubitorum, quæ exacte æqualis sexangulo, quod sex cuspides foliorum lilii convallium constituunt. Diameter ventris ergo invenitur ex ratione circumferentiæ & diametri, hoc modo:

$$355 — 113 — 30 — 9.\ 5493\ (4) \text{ vel } 9\tfrac{195}{355}$$

Alterum exemplum sit *Colossus aureus Babylonicus*, cujus altitudo dicitur fuisse LX cubitorum, latitudo vero cubitorum VI. Prima fronte videtur hæc proportio absurda, quia hominis pulcri longitudo ad latitudinem sextupla est, unde latitudo debuisset esse X cubitorum. Verum, si proportionem corporis humani ab Augustino descriptam attendamus, facile apparet, VI cubitos non de latitudine à dextra ad sinistram, sed de crassitie à dorso ad ventrem, vel potius ad scrobiculum cordis intelligendos esse. Verba *Augustini lib. XV. c. 26. de Civ. DEI* sunt: *Humana longitudo à vertice usque ad vestigia sexies tantum habet, quantum latitudo, quæ est ab uno latere ad alterum latus: & decies tantum, quantum altitudo, cujus altitudo est in latere à dorso ad ventrem. Veluti si jacentem hominem metiaris supinum seu pronum, SEXIES TANTUM LONGUS est à CAPITE AD PEDES, quantum latus à dextra ad sinistram, vel à sinistra in dextram, & DECIES,* *QUANTUM ALTUS à terra.* Similem difficultatem deprehendimus in Historia Passionis Christi, ubi Evangelistæ non tantum ratione ordinis linguarum, sed in verbis quoque inscriptionum, cruci affixarum, discrepant.

CAPUT I.

De Sententia Cardinalis Baronii.

ANtequam autem nostram dicamus sententiam, aliorum quorundam autorum opiniones, retentis ipsorum verbis, recensebo, inter quos primus esto Cardinalis Cæsar Baronius, qui *Annal. Ecclesiast. Tom. 1. ad annum Christi XVI. n. 7. & 8.* hæc habet: Græco uti sermone haudquaquam usu in Urbe receptum fuisse, intelligitur ex iis, quæ *Suetonius in vita Tiberii, cap. 71.* scribit: Sermone Græco, quanquam alias promptus & facilis, non tamen usque qua usus est. Abstinuitque maxime in Senatu: adeo quidem, ut, *Monopolium* nominaturus, prius veniam postularit, quod sibi verbo peregrino utendum esset, atque etiam in quodam decreto Patrum, cum ἔμβλημα recitaretur, commutandum censuerit, vocem, & pro peregrina nostratem requirendam: aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque Græce testimonium interrogatum, nisi Latine, respondere vetuit: Hæc *Suetonius.* Eadem fere de ipso testatur *Dio Hist. Rom. lib. 37.*

Suetonius de Claudio cap. 16. tradit: splendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicum erasisse, sed etiam in peregrinitatem redegisse. Ad hæc spectant, quæ narrat Cicero de Lucullo, *ad Atticum lib. 1. epist. 16.* quod dicere solebat, se libenter Græcis barbara admiscuisse, ut se Romanum probaret. Commendat *Valerius Max. lib. 2. c. 2.* de eadem re, Romanorum magistratuum pristinum usum, cum ait: Magistratus vero prisci quantopere, suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi Latine, responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant; non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia: Quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur: Indignum esse existimantes, illecebris & suavitate literarum, imperii pondus & autoritatem domari. *Hac ille.*

Unde inferri potest in titulo crucis Domini, quem scripsit Pilatus, Hebraice, Græce & Latine, non eo ordine, quo recensentur ab Evangelistis, *Luc. 23. Joh. 19.* inscriptiones esse positas. Nam diversi cum inter se reperiantur, non ordinem ipsos secutos esse, sed tantum, quod factum esset, insinuasse: Sed Latinam inscriptionem primo loco positam esse. Nam & Nicolaus Papa (*in Epistola ad Michaëlem Imp. 10, 3. Concil. novæ edit.*) in Michaëlem impium Imperatorem furore quodam percitum in Latinam linguam insultantem ait: *Hæc cum Hebræa & Græca in titulo Domini à reliquis discreta, insignem principatum tenens, omnibus Nationibus prædicat Jesum Nazarenum, Regem Judæorum.* Porro eadem lingua Latina Christi fidei sacramentis in Romana Ecclesia magis magisque nobilitata, sicut illa totius Catholicæ fidei semper tenuit principatum, eodem modo

& ipsa est præ cæteris exaltata. Unde Marcianus Imperator in Chalcedonensi concilio coram amplissimo Patrum conventu concionaturus, licet homo Græcus, & inter Græcos, & in ditione ac regione Græcorum, eandem orationem Latine prius, postmodum, Græce dixit, ut ex ipsius Synodi actis *actu. 6.* constat. Legati etiam Apostolicæ sedis Ecclesiæ Romanæ literas Romanorum Pontificum ad Synodos Græcorum Episcoporum conscriptas, non nisi Latine legi, ac coram omnibus ex scripto recitari jubere consueverunt; &, nisi efflagitantibus omnibus ejus consessus Episcopis, Græce reddere. Fidem facit horum omnium unus ex legatis ejusdem sedis Philippus Presbyter in S. Concilio Oecum. Ephesino, ubi recitatis Cœlestini Papæ literis Latine scriptis universi Episcopi petierunt, ut eadem epistola Græce translata, denuo recitaretur. Tunc his verbis sic interlocutus Philippus legatus: Vetus, *inquit*, consuetudo habet, ut Apostolicæ sedis diplomata Latine, proponantur, & hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam Beatitudo Vestra efflagitat, ut literæ allatæ Græce itidem relegantur, necesse fuit Vestræ Beatitudinis desiderio satisfacere. In sacris etiam missarum solemniis penes Græcos semper etiam viguit consuetudo, ut tam lectiones Evangelicæ, quam Apostolicæ, primum Latine, inde Græce eadem in republ. recitarentur, ut idem, qui supra, Nicloaus Papa ad eundem Michaëlem Imperatorem, scribens, testatur.

Ad ann. Christi XXXIV. num. 119.

Post hæc autem scriptus est à Pilato causæ titulus, qui super crucem affigitur eo ordine, quo ponitur à Johanne, nempe Hebraice, Græce & Latine, ut apparet in parte tituli, quæ Romæ extat: ita tamen, ut secundum ea, quæ à nobis superius dicta sunt, & quæ JCtus *leg.* Decreta. *ff. d. re judic.* habet, in ipsius ordine nobilior locus, ac proinde prior ille sit visus, qui Christo vicinior esset: sicque Latina prior, novissima vero Hebraica, ut quæ Græca inferior, & barbara à Romanis haberetur, posita esset inscriptio.

Siquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum, summus vero plebis, *Sigon. de Jur. antiq. Roman. lib. 2.* & in triumpho postremus Imperatoris, sed & in triclinio novissimus Consulis erat. *Plutarch. in Symposiac. lib. 2. qu. 3.* Sicque sedendo, procedendo & recumbendo locus ultimus primus esset.

CAPUT II.

De Opinione Casauboni.

ISaacus Casaubonus *Exercitatione XVI numero* 86. *ad Annales Ecclesiasticos Baronii.* ubi de *Elogiis puniendorum*, & *titulis punitorum*, tam jure Romano, quam more Judaico, voce præconis superdicendis, aut tabulæ inscribendis agit; Nomen, *inquit*, Juris Romani retinuit Johannes, cum scripsit *cap.* 19: 19. ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος Nonnus eleganter: ἐπέγραφε μάρτυρι γόμφῳ γράμμα τόπερ καλέουσι. Λατινίδι τίτλον ἰωῇ. In libris Romanorum affinia sunt *Elogia puniendorum*, ut apud Suetonium, & *Superdicta*, voce præconis eorum, qui puniebantur, *l.* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* & *Tituli* jam punitorum, ut in hoc loco Johannis. Quo pertinet eruditissimi Hesichii glossa: Τίτλος πτυχίον ἐπίγραμμα ἔχων, *titulus* est, *pittacium continens inscriptionem.* In Tranquilli Domitiano *cap.* 10. habetur hic titulus: *Impie locutus Parmularius*, sed titulus eo loci non est fortasse ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας, ut doctis est visum. Verum est potius *Superdictum*, quod præco pronunciavit, dum ille paterfam. trahitur ad supplicium, vel dum ad palum alligatur, canibus objiciendus; Fuit & moris Judaici, ut quoties de aliquo supplicium sumebatur, crimen; propter quod ille peribat, populo significaretur voce præconis. Auctor est Maimonides in *Perek.* 13. ejus libri ex opere *Jad*, solitum fieri, ut cum reus sententiam mortis passus, è loco judicii exibat, ducendus ad supplicium, præcederet ipsum הכריז κῆρυξ, præco, & hæc verba diceret: *ille exit occidendus morte illa, quia transgressus est transgressione illa, in loco illo, tempore illo: & sunt ejus rei testes ille & ille. Qui noverit aliquid ad ejus innocentiam probandam, veniat, & loquatur pro eo.* Sed titulus cruci Christi affixus, more Græcorum & Romanorum fuit conceptus; eleganti quadam brevitate, omisso verbo: Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, ut recitatur à Marco: vel adjecto nomine, Jesus Nazarenus Rex Iudæorum, quomodo habet Iohannes. Apud Matthæum & Lucam leguntur amplius & illa verba: οὗτός ἐστιν, quæ videntur non è titulo descripta, sed ab illis adjecta, sententiæ perficiendæ. Nec mirum, variis linguis titulum esse conceptum: Nam ita moris fuit, Imperatorum quoque edicta per Græciam & Asiam duplici sermone proponere, Græco & Romano, ut declarant aliquot exempla apud *Josephum lib.* 14. Quin ipsos quoque Imperatores aliquando rescripta sua lingua Græca concepisse, argumento est *l.* 9. *ff. de L. Rhod.* ubi libello Græco Eudæmonis Nicomediensis Imperator Antoninus Græce rescribit. Porro quis fuerit servatus ordo in titulis disponendis, non plane constat: quoniam Evangelistæ duo (nam reliqua duo omiserunt,) cum aliqua diversitate eam partem historiæ narrant. Apud Iohannem hic est ordo: Hebraica inscriptio principem locum obtinet, sequitur Græca, & postremo Romana. Contra apud Lucam hæc series: Græca, Romana, Hebraica. Si causam quæris diversitatis; respondebo: Evangelistas rem momenti nullius, ordinem in istis inscriptionibus, neglexisse, & ut quidque illis veniebat in mentem, id scripsisse. Ita illos sua incuriositate, nostram castigasse curiositatem, qui frivola sæpe sectamur, seria negligimus. Sin aliquam rationem sunt secuti Evangelistæ; haut dubie illa est, quam hic afferam: Iohannes ordinem naturæ & veritatis secutus est: Lucas eundem servavit, quem ipse Pilatus, aut Pilati ministri. Naturæ & veritati consentaneum esse, ut primo loco Hebraica ponantur, secundo Græca, tertio demum Romana, neque ignorare, neque negare potest quisquam, non plane insanus. Romanos autem sine discrimine in talibus modo Græca, modo Latina priori loco posuisse, ostendunt illa edicta, quæ recitantur à *Josepho lib.* 14. In epistola Iulii Cæsaris ad Tyrios ita scriptum: βούλομαι δὲ καὶ Ἑλληνιστὶ καὶ Ῥωμαϊστὶ ἐν δέλτῳ χαλκῇ τοῦτο ἀνατεθῆναι, hic Græca anteponuntur Romanis. At in ipso edicto sic loquitur Cæsar: ἀνατεθῆναι δὲ χαλκῆν, δέλτον ταῦτα περιέχουσαν, ἐγκεχαραγμένην γράμμασι Ῥωμαϊκοῖς τε καὶ ἑλληνικοῖς. Hic vice versa Romanæ literæ prius nominantur, deinde Græcæ. Ex quo apparet, ipsos Romanos aliquando antiquitatis rationem habuisse, & primas linguæ Græcæ concessisse aliquando Imperii, & Romanam illi anteposuisse. Ut mirari nemo debeat, titulos eo ordine fuisse dispositos, quem indicat Lucas. Hæc ut scriberem, non propria voluntate sum impulsus: quia talia curare frivolum duco. Et nimii otii argumentum: sed exemplo Baronii; qui de eo ordine in dispositione horum titulorum servato, ea philosophatur eo loco.

CAPUT III.

De Notis Pacii ad leg. 13. ff. de Jurejur. & ad l. 16. C. ex quib. caus. inf.

JUlius Pacius JCtus *in Commentario Pandectarum, anno* 1580. edito, *ad legis* 13. §. *ult. ff. de jurejur.* ubi Ulpianus ad edictum; *si quis juraverit in re pecuniaria per genium Principis, dare se non oportere, & pejeraverit; vel dari sibi oportere; vel intra certum tempus juraverit, se soluturum, nec solvit: Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei* superdici: προπετῶς μὴ ὄμνυε i. e. *petulanter ne jurato.* Hæc monet: Veteres cum de damnato homine supplicium sumebant, in loco supplicii conspicuo ἐπιγραφὴν, seu (ut vocant) titulum affigebant: quo breviter admonitus populus, pœnæ à reo expeditæ causam intelligeret: eoque exemplo à simili facinore perpetrando cæteri avocarentur. Ex hoc more imposita fuit inscriptio cruci Christi Servatoris nostri. Idem ad *l. 16. C. ex quib. caus. infam.* συκοφαντεῖς recte. vid. Duaren. *ad titul. de in lit. Jura.* Quædam hic adjiciunt Græci Basilicῶν compositores, quæ refert *Cujacius l. 13. obs. 3.* sed ea potius interpretationis causa addit esse arbitror. Verum inter cædendum præconem pœnæ causam dicere consuevisse, Rævardus multis auctoritatibus probat, & ipse etiam Cujacius.

CAPUT IV.

De Notis Dionysii Gothofredi ad dictas leges.

AD eandem legem Dionysius Gothofredus *in notis ad Pandectas anno* 1590. *editas*, hæc habet: *Super indici:* estne scripto, ut putat Thuarenus, utque crucis Christi inscriptio innuit? An vero per præconem, ut Contius existimat, argumento *l. 16. C. ex quib. caus. infam.* utrumque factum videtur. Posterius tamen verius est, & huic loco aptius, similis vox præconis ἐσυκοφάντησας i. e. calumniatus es, *in dict. lege* 16. Legatum populi Romani, homo plebejus temere amplecti noli, apud *Spartianum*, quod tibi non vis alteri ne feceris, *Lamprid. in Alexandro.* Fumo punitur, qui fumum (aulicum scilicet) vendidit. *ibidem.* Imposturam fecit & passus est. *Trebell. Pollio in Gallieno* Polycarpus tertio confessus se Christianum esse. *Euseb.* 4. *c.* 5.

Agnes sacrilega virgo, Diis blasphemiam inferens, scortum lupanaribus data. Ambrosius *sermone 90.* adde Zonaram 3. *Annalium* in Valentiniano, ubi de Rhodano præposito & mos ille *superdicendi* præconianus adumbratur. Præter id genus superindictionis, titulus nonnunquam appensus vel affixus erat, qui causam pœnæ judicaret: qui inde *αἰτία Matthæo 27.* ἐπιγραφὴ, *Marco 15. & Lucæ 23.* τίτλος *Joh. c. 19. Suetonio in Caligul. 33.* πίναξ, *Eusebio 5. histor. 1.* Formulæ vero hujusmodi. Hic est rex Judæorum: Rex Judæorum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. *Matth. Luc. Marc. Johan. ibid.* Impie locutus Parmularius. *Suetonius ibid.* Hic est Attalus Christianus. *Euseb. de loc.*

Idem Dionysius *ad l. 16. C. ex quib. caus. infam.* ubi Gordianus Imperator ita constituit: *fustibus cæsum, cui per præconem ita dictum est,* ἐσυκοφάντησας i. e. calumniatus es, *ut calumniatorem videri notatum, ideoque esse famosum, manifestum est,* in notis hæc habet: mos antiquus & à Platone probatus in legibus *l. 11. &c.* Alia quædam repetita ex antiquitatis flore vide apud *Cujac. l. 8. obs. 7. & l. 13. obs. 3.*

CAPUT V.

De Formulis superdictionum & inscriptionum ex Brissonio.

ACcuratissime de ejusmodi formulis scripsit Barnabas Brissonius *l. 5. de formul. in fin.* Nec prætermittendæ quidem eæ voces videntur, quas præconum ore in suppliciis sumendis missas accepimus. Moris enim erat sub præconis elogio, seu præcone causam condemnationis superdicente, de damnatis pœnas exigi. Et ita Ulpianus in *l. si duo. 13. in fin. ff. de jurejur.* Impp. Severum & Antoninum rescripsisse ait, eum, qui per genium Principis pejerasset, fustibus castigandum dimitti, & ita ei superdici προπετῶς μὴ ὄμνυε. Simili modo in *l. fustibus. 16. C. ex quib. caus. infam.* fustibus cæsus quidam refertur, cui per præconem dictum fuit, ἐσυκοφάντησας. Severus etiam in Proconsulari Africæ Legatione, quendam municipum suorum, qui cum præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus erat, Spartiano teste, fustibus cecidit, sub hoc præconis elogio: LEGATUM POPULI RO. HOMO PLEBEJUS TEMERE AMPLECTI NOLI. Alexander quoque, ut est à *Lampridio in ejus vita* proditum, per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: QUOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. Idem Imperator Turinum fumi venditorem, fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, præcone dicente: FUMO PUNITUR QUI VENDIDIT FUMUM. Simili modo Divus Ambrosius *serm. 90.* Judicem narrat, Agnem virginem spoliari, & nudam ad lupanar duci jussisse, sub voce præconis dicentis: AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM, DIIS BLASPHEMIAM INFERENTEM, SCORTUM LUPANARIBUS DATUM. Quibus similia alia exempla jam ante me à multis congesta sunt. Gallienum etiam *Trebell. Poll.* scribit, cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset ejus uxori, atque illa re prodita vindicari vellet, surripi quasi AD LEONEM venditorem jussisse, deinde cavea caponem emisisse, mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici jussisse, IMPOSTURAM FECIT, ET PASSUS EST. Nam illic *Curionis* nomine *præco* accipiendus est, quo sensu *Rufinus* idem nomen usurpavit, in versione hujus loci, qui habetur *histor. Eccles. Euseb. lib. 4. cap. 15.* Quod Græce scriptum est de Pro-Consule Asiæ: Πέμψαντα τὸν κήρυκα, ἐν μέσῳ τῷ σαδίῳ κηρῦξαι τρὶς. Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν χριστιανὸν εἶναι. Id ille ita convertit: Misso igitur CURIONE ad populum Pro-Consul jubet voce maxima protestari, POLYCARPUM TERTIO CONFESSUM, CHRISTIANUM SE ESSE. *Zonaras tom. 3. Annal.* in Valentiniano de Rhodano præposito: Αὐτίκα γυμνοῖ μὲν ἐκεῖνον τοῦ ἀξιώματος κελεύει δὲ δεθέντα ἐν τῷ θεάτρῳ περιαχθῆναι, ἀγῶνος ἱππικοῦ ἀγομένου, Κηρύκων αὐτοῦ προαγόντων καὶ τὸ εἰς τὴν γυναῖκα βοώντων ἀδίκημα, καὶ τοῦ βασιλικοῦ κελεύσματος τὴν παρακοήν. καὶ μετὰ τὴν περιαγωγὴν, καὶ τὸ κήρυγμα, ἐκεῖ παραδοθῆναι καυθῆναι αὐτόν. Interdum vero Titulo, qui causam pœnæ indicaret, præcedente, vel appenso, aut fixo, in damnatos animadversum, *Suetonius in Caligula c. 31.* testatur. Idem in *Domitiano cap. 10.* Patremfamilias, quod Thracem Mirmilloni parem dixerat, canibus objecit, cum hoc titulo, IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS. Et hoc more D. *Matthæus c. 27.* Καὶ ἐπέθηκαν, ait, ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην. ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ ΙΗΣΟΥΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ. Sic & *D. Marcus c. 15.* καὶ ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας αὐτοῦ ἐπιγεγραμμένη, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. *Et D. Luc. cap. 23.* ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ' αὐτῷ γράμμασιν ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς καὶ ἑβραϊκοῖς, οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Et *D. Johannes c. 19.* Ἔγραψε δὲ τίτλον ὁ Πιλάτος καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σαυροῦ, ἦν δὲ γεγραμμένον Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. *Euseb. l. 5. histor. Eccles. cap. 1.* Καὶ περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ Ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊςί. οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανὸς, ubi *Rufin.* recte πίνακα titulum vertit.

CAPUT VI.

Aliqua ex Hieronymo & Isidoro.

NIcolaus Henelius ab Hennenfeld in *Otio Wratislaviensi c. 3.* de Linguæ Latinæ apud Romanos observantia, inter alia explicationem Lyræ ex S. Hieronymo desumtam adducit, nempe: *Has tres linguas in crucis titulo conjunctas fuisse, ut OMNIS LINGUA commemoraret perfidiam Judæorum.*

Isidorus Hispalensis *Originum l. 1. c. 1. n. 20.* Tres linguas, quibus Pilatus in inscriptionibus usus est, propterea *Sacras* vocat.

CAPUT VII.

Tabellæ descriptio secundum Vossium.

GErhardus Johannes Vossius *Harmonia Evangelicæ lib. 2. c. 7. §. 20.* Vidimus, *inquit*, de partibus crucis majoribus: quæ formam crucis constituunt. Sunt præterea aliæ minores, non tamen simpliciter necessariæ, quia & crux erat sine partibus minoribus. In his de una constat ex Scripturis. Ea est tabella supra verticem, quæ continebat, supplicii causam. Ita in Christi Cruce hæc tabellæ inscripta erat mortis ratio, quod regnum affectasset. Græcis ideo titulus, *αἰτία*, de quo *Scaliger Animadversionibus Eusebianis* ad annum 1973. erat vero tabella cerussata, cui literæ atramento sic inscribebantur, ut longius conspicerentur. Nec tamen grandes adeo, quam censent, qui putant, sublimes usque adeo cruces fuisse Romanis. Hic quoque media ineunda est via. Quia vero scriptæ literæ istæ majusculæ in gypso, hinc tabellam eam *Sozomenus*, de cruce Christi agens, λεύκωμα appellat. Id vocabulum *Etymologus magnus* ait signare tabellam gypso dealbatam, utilem ad ei inscribendum, quæ publicanda essent. *Album* vocat lex Constantini in Codice Theodosiano. Λευκὴν σανίδα nuncupat Nicephorus Callistus, ac firmat illud Hesychii, huic probando etiam Salmasio adlatum: Σανὶς λευκὴ, λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τοὺς κακούργους. τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ σαυροῦ. *SANIS alba, album, in quo sententiæ adversus maleficos Athenis scriberentur. Apponebatur vero in cruce.* Quod postremum capere oportet de temporibus ante Constantinum Magnum. Ac plane existimo, Hesychium (Christianus enim fuit) in animo habuisse *αἰτίαν*, quæ conspecta in cruce Christi.

Hæc sufficiant ex aliis adduxisse auctoribus, exponenda nunc erit mea quoque sententia, quam non aliorum Virorum doctissimorum opiniones refutandi, sed altius in veritatem inquirendi gratia nunc profero.

CAPUT VIII.

De nova hactenus incognita sententia.

TRilinguem illam inscriptionem non tantum tribus diversis tabulis inscriptam fuisse, sed quoad verba etiam variasse existimo: quemadmodum ex adjecto schemate patet, ubi hoc ordine locatæ sunt tabulæ.

ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ	HIC EST JESUS REX JUDÆORUM	ישוע הנצרי מלך היהודים
Lucæ 23: 38.	*Matthi 27: 37.*	*Johannis 19: 19.*

Marcus 10: 26. Titulum causæ inscriptum exprimit duobus verbis, quæ in singulis reperiuntur tabulis, nempe:

Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

Pila-

Pilatus itaque Judex Romanus non tantum Latino idiomate titulum hunc exprimere, sed eidem Linguæ præcipuum quoque locum assignare debuit, ob *leg.* 40. *ff. de Re judic.*

Si ergo Pontius Pilatus, vel alius Romanus exprimere debuisset ordinem inscriptionum, procul dubio dixisset, titulum scriptum fuisse

LATINE, GRÆCE & HEBRAICE
vel LATINE, HEBRAICE & GRÆCE.

Johannes Evangelista vero, qui etiam alias sæpius *sacri Idiomatis* rationem habuit, juxta genium linguæ Hebrææ locavit inscriptiones. Hebræi enim à dextra ad sinistram legunt suam scripturam, ergo Hebræam primo, Græcam secundo, Latinam vero tertio loco positam fuisse scribit.

Hic ipse autem Evangelista aliquoties Hebraicas adhibet & interpretatur voces, ex. gr. *c.* 5: 2. Lacum prope ovile vocat *Bethesda* בֵּית חֶסְדָּא
cap. 19: 13. *Gabbatha* גַּבְהַתָּה *vel Syr.* גביבתא
vers. 17. *Golgatha* גָּלְגָּלְת *vel Syr.* גגולתא
Apocalyps. c. 10: 11. *Abaddon* אֲבַדּוֹן.

Lucas, Pauli Doctoris Gentium, & potissimum Græcorum, fidus comes, horum gratia Evangelium suum scripsisse videtur, & propterea more Græcorum, qui à sinistra ad dextram legunt ac scribunt, enunciavit trinam illam inscriptionem, primoque GRÆCAM, deinde LATINAM, & ultimo HEBRÆAM nominat linguam.

Lucam Evangelium suum Græce scripsisse, inter alia probari posse videtur ex iis, quæ Petrus Gassendus in *Vita Peireskii lib.* 5. *ad ann.* 1635. *p.* 187. scribit. *Misit*, inquiens, (Peireskius sc. ad Salmasium) *plura; sed pluris nihil fecit, quam Volumen quatuor Evangelistarum* Elcuphtice, *seu* Cophtice *scriptum*, Arabiceque *declaratum*; *& maxime propter appositos annos, quibus singuli Evangelistæ scripserunt. Quippe tametsi initio defuit præfatio in* Matthæum, *qua annus contineri debuit: & præfatio in* Johannem *visa est mendose habere scriptam historiam anno sexto Imperii* TARSOS *pro* Nerone, *& Dominicæ Ascensionis trigesimo: quod tamen spectat ad duas alias, altera in* Lucam, *planum fecit, scriptam ab illo historiam Antiochiæ* anno Claudii duodecimo, & Ascensionis vigesimo; *altera vero, quæ* in Marcum, *scriptum ab ipso Evangelium* anno quarto *ejusdem* Claudii, *&* duodecimo Ascensionis. *Quam exsultasset vero si perspectum habuisset, extare* Codicem Arabicum *persimilem penes illustrem* Mon-Morium *Libellorum supplicum Magistrum, quo præfationes integræ continentur? Habent illæ ex pereruditi* Hardyæi *interpretatione fuisse* Matthæi Evangelium Hebraice *scriptum* Anno Claudii primo, Ascensionis nono: Marci Evangelium Latine *scriptum* anno Claudii quarto, Ascensionis duodecimo: Lucæ Evangelium Græce *scriptum* Anno Claudii decimo quarto, Ascensionis vigesimo secundo: Johannis Evangelium Græce *scriptum* anno Neronis octavo, Ascensionis trigesimo.

Matthæus videtur in sua historia Latinam inscriptionem expressisse, nisi quis, propter præcedentia ex Codice Arabico petita, statuere maluerit, Marcum descripsisse Latinum titulum.

CAPUT IX.

Duarum quæstionum resolutiones continens.

Nunc ad ea, quæ præcedenti capite dicta sunt, vel confirmanda, vel illustranda quæritur: I. An trium titulorum unus idemque tenor, an diversus fuerit? Putant quidem nonnulli eundem fuisse, suntque iterum diversæ opinionis. Alii enim duos Evangelistas Matthæum & Lucam duo verba οὗτός ἐστιν, non ex titulo descripsisse, sed sententiæ perficiendæ gratia adjecisse. Alii vero Marcum & Johannem dicta verba neglexisse; præterea tres reliquos cognomen *Nazareni*; Marcum & Lucam vero Nomen proprium JESUS omisisse, quamobrem ex omnium Evangelistarum descriptionibus tres conformes formant inscriptiones, hoc modo:

הוּא יֵשׁוּעַ הַנָּצְרִי מֶלֶךְ הַיְּהוּדִים

ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

HIC EST JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Verum neutram harum opinionum quadrare historiæ passionis, vel ex solo Johanne demonstrari potest, qui *cap.* 19: 21. expresse scribit, Pontifices rogasse Pilatum, ne scriberet: *Rex Judæorum* (sc. est,) sed, *quod dixerit, se esse Regem Judæorum.* Unde haud obscure colligitur, Johannem non ignorasse in reliquis inscriptionibus adjectum fuisse Pronomen demonstrativum; interim tamen more solito exacte observare & exprimere voluisse titulum Hebræum. Sæpe enim Johannes aliqua, à reliquis Evangelistis prætermissa, adnotavit, cujusmodi egregium exemplum habemus in *versiculo* 34. *hujus capitis* 19. ubi narrat ex vulnere, quod unus militum lancea aperuerat, continuo sanguinem & aquam effluxisse. Ne etiam quis singularem hanc observationem forsan in dubium vocet, *versu sequenti* 35. hæc addit: *Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: & ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis.* vide *Mathes. Mosaic. tit. XXXIX.* §. 29. 36.

II Quæritur, Num unus idemque tres illos titulos scripserit, an Plures? Posterius affirmandum esse puto, quia non ipse Pilatus, sed ministri ejus scripserunt hos titulos. Propter diversitatem linguarum autem in Judæa, cui præpositus erat, usitatarum, diversos quoque ipsum habuisse amanuenses, qui causas in diversis idiomatibus expedirent; Paucissimi enim Romanorum Hebræam intelligebant linguam. Hinc Chiliarchus sive Tribunus Romanus *Actor.* 21: 37. Paulum in tumultu apprehensum interrogat: ἑλληνιστὶ γινώσκεις; *Num Græce nosti?* qua interrogatione haut obscure suam linguæ Hebrææ imperitiam prodidit.

Pari ratione Reges, diversis populis imperantes, diversa quoque habent Collegia, istarum nationum causas dirigentia, *Ex. gr.* Augustissimus Rex Daniæ, quia Provincias aliquas Germanicas possidet, duabus diversis Consiliis sive Cancellariis res Danicas & Germanicas expediendas committit. Non tantum autem hodie, sed jam olim tempore Monarchiæ Persicæ, si subditi variis utebantur linguis, diversi amanuenses sunt adhibiti, ut apparet ex *Esthera c.* 1. *vers. ult. c.* 3. *vs.* 12. *c.* 8. *vs.* 9. ubi legimus: convocatos fuisse Regis scribas, qui centum & viginti septem populorum linguis diversis Edictum Regium conciperent, ipsis quoque Judæis sua lingua i.e. Hebraice rescriberent, ut omnibus Persico Regno subjectis populis, voluntas Regis innotesceret.

CAPUT X.

De Vossii Sententia.

Gerhardus Johannes Vossius ferme per omnia approbat *Casauboni* sententiam, quam tamen paulo mollioribus exprimit verbis; interim & hic locum habet istud proverbium:

Ut lateant veræ, causæ finguntur inanes.

Ita autem scribit *in Harmonia sua Evangelica lib.* 2. *c.* 8. §. 4. *& seqq.* Titulus vero erat, ut integre eum refert Joannes, qui postremus Evangelistarum scripsit: JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Fuse disserit Cajetanus, cur hoc crimen potissimum adscripserit Pilatus, cum plura fuerint, quorum accusaretur: vide eum *jentaculi primi quæstione quarta.* Sane hoc pacto egregie se ultus est de Judæis. Negabant illi, posse esse Cæsaris amicum, nisi eum, qui Regem se diceret, pœna crucis afficeret, quæ seditiosos maneret. Paruit ille: atque ita satis ostendit, Cæsaris se gratiam cupere. Sed dum scribi jubet, *JESUS Nazarenus Rex Judæorum*; non, (ut maluissent proceres Judæorum) qui se Regem diceret Judæorum: exprobravit illis stultitiam quod Regem expectarent, & quando haberent, voluissent eum cruci affigi.

Tribus linguis adscriptus fuit titulus: *Hebræa*, quia hac uterentur, ubi sumtum supplicium: *Græca*, quia hæc maxime familiaris esset Orienti, ex quo Alexander M. eum subegisset, & Seleucidæ sive Syromacedones, imperium illic tenuissent, ut Ptolemæi in Ægypto. *Latina* autem, quia Judæa & Syria reliqua in Romanorum foret potestate, ex quo Tigranem vicerat Pompejus.

Eo igitur tribus hisce linguis scriptus fuit titulus, quia nemo Hierosolymis foret, quin aliquam è tribus istis linguis nosset. Ut nihil sit opus eo recurri, quod in tribus linguis cernamus non contemnendum Trinitatis mysterium. Quod placuit inter alios, *Jacobo Ledesimæ*, libro de divinis scripturis quamvis lingua non legendis, *c.* 3. *p.* 19. *editionis Coloniensis* 1597.

At Lucas quidem hoc ordine linguas recenset, *Græca, Latina, Hebræa*: Johannes illo, *Hebræa, Græca, Latina.* Arripiunt hunc Johannis ordinem *Baronius*, *Grezerus*, alii, ac Latinam linguam extremo ajunt loco collocari, quia locus extimus fuit honoratissimus. In quo immane quantum eos ratio

ratio fugit; *Baronius* tamen illud evincere conatus ex eo, quod in theatris & amphitheatris, ima cavea Senatorum foret. Quasi hoc alia de causa fuerit, quam, quia sic proximo spectaculo forent, ac facilius cuncta cernerent. Idem *Baronius* pro se affert, quod in pompa triumphali præmitterentur aurum, & alia hujusmodi, postea vero dux subactus, & inde Imperator consequeretur. At hoc factum, ut sic voluptas cresceret spectaculo. Quod non fuisset, si initio præissent victi Duces & Imperator. Imo nec in eo quidem satis rem explicat, cum Imperatorem ait postremum fuisse. Nec enim in fine is, sed medio pompæ erat; quippe sequebantur Imperatorem amici ac Senatores, posteaque legiones. Nihilo solidius est, quando postremum ait fuisse locum Consularem. Cujus caussam vide apud *Plutarchum* in *Problematis.* Nihil profecto certius, quam Romanis, duo si forent honoratiorem fuisse locum priorem; si tres, medium. Quare longe aliter statuendum de ordine linguarum, quam *Baronius* putavit.

Nempe Joannes retinuit ordinem eum, quo linguæ istæ in Judæa fuerunt usurpatæ. Nam Judæorum sermo vernaculus erat Hebræus; à Græcis victi, Græcam; à Romanis subacti, Romanam didicere. Proque eo ordine etiam se habet harum trium linguarum antiquitas. *Latina* enim profluxit è *Græca*, Arcadum imprimis, qui *Dorice* locuti. *Græca* autem promanavit à *Phœnicia* sive *Syra*, quæ dialecto solum ab Hebræa differebat.

At Lucas attendit ordinem Pilati vel ministrorum, qui primum locum genti dedere, quæ prius vicisset Judæos: Secundum autem, quæ secundo subegisset; postremo vero genti bis subactæ. Et profecto quid æquius, quam ut postremum sortiretur locum gens, quæ prius paruisset *Græcis*, nunc vero subjecta fuisset *Romanis.* Quod vero *Græcam* præmisere *Romanæ*, licet & *Græci Romanis* parent, id inde est, quod *Judæorum* haberetur ratio, qui prius ab Alexandro Magno, postea à Pompejo M. essent victi. Accedit quod Græca lingua multo latius pateret, quam Romana, ac istis terris Græce prope omnes scirent. Latine non item.

Cui hæ causæ non placent, dicat, eo diverso ordine usos Evangelistas, quia de ordine non laborarent, sed sufficeret iis, dicere de tribus linguis, quæ tum in usu essent: Ac neglectu ordinis, ostendissent, neque nos ordine curiosos esse oportere. *Hactenus Vossius.*

CAPUT XI.

De Blasphemis tituli Crucis corruptoribus, & Calvariæ ac Sepulcri profanationibus.

Notatu dignissima est illa de horrendo quodam Judæorum blasphemorum scelere, ante aliquot secula in Patria mea, Principatu nempe Hennebergico commisso, & ante LX. circiter annos detecto, historia. In laudato principatu est municipium, ob ædem Divo Henrico consecratam, simile nomen (*Heinrichs*) retinens, 24 vel 26 milliaria Italica *Erfurdo Thuringiæ*, 60 vero *Egra Bohemiæ*, & totidem, nempe 60, *Herbipoli* sive *Wirtzburgo Franconiæ* distans, cujus incolæ signum Christi crucifixi sculpendum curarunt: cum nemo Christianus ob barbariem istorum temporum Inscriptionem Hebraicam adornare posset, ipsi tamen secundum Evangelistas trilinguem desiderarent titulum. Unus ex municipibus Francofurtum ad Mœnum, vini coëmendi gratia, proficiscens, Judæum, uti conjiciunt, conducit, qui inscriptionem Hebræam adponeret. Judæus optatam, virus suum maledictum in semper benedictum Salvatorem nostrum evomendi, nactus occasionem, promte annuit, &, mercede accepta, inscriptionem Hebraicam exhibuit, quam una cum Græca & Latina sine ulteriori inquisitione cruci affigunt. Circa annum hujus seculi XXX Avunculus meus magnus Dn. *Samuel Zehnerus* S. Th. D. & Gymnasii Schleusingensis Professor, simulque laudati Principatus Superintendens Generalis, piæ memoriæ, Eruditissimi *Joachimi Zehneri*, Proavi mei materni filius, ædem antea dictam visitans & perlustrans, inter alia in blasphemam istam inscriptionem incidit, cum stupore legit, justoque zelo actus tabulam famosam à signo Crucis removeri jussit, diuque in Bibliotheca sua adservavit. Non autem sine vitæ periculo hoc peregit: Imperitum enim vulgus Virum pietate & eruditione conspicuum, quasi Iconomachum æde sacra ejecissent, nisi sagaciores de bona & laudabili intentione edocti intempestivam stupidiorum iram mitigassent: Hæc sunt, Benevole Lector, quæ veritatis stabiliendæ, minime vero aliorum sententias sugillandi gratia in medium proferenda esse duxi, ex quibus facile quilibet veritatis amans, Evangelistas in omnibus, titulum crucis concernentibus, exactissime concordare, perspiciet.

Non autem Judæi tantum, sed etiam Ethnici tam verbis, quam aliis modis ludificarunt & profanarunt sanctissimam Salvatoris nostri semper benedicti Passionem & Resurrectionem, cujusmodi insigne *Vossius Harmoniæ Evangel. lib. 2. cap. 6. §. 17.* adducit exemplum ex *Hieronymi epist. XIII. ad Paullinum de Institutione Monachi*, ubi, *ab Hadriani*, inquit, *temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulacrum* Jovis, *in crucis rupe statua ex marmore* Veneris, *à Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus; quod tollerent nobis fidem resurrectionis, & crucis, si loca sancta per Idola polluissent.* Idem de Calvariæ monte tradit *Alexander* Monachus, homilia de Inventione S. Crucis, & *Georgius* Ἁμαρτωλὸς in Chronico; & ante hos *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, ac *Rufinus* Hieronymi æqualis. Et ante hos omnes *Eusebius lib. III. de Vita Constantini cap. XXV. Nefandum*, inquiens, *revera, & execrabile bustum animarum construxere, & obscurum lascivo* Veneris *dæmoni recessum ædificarunt.* Porro *Adrianum in templo ac loco Dominicæ Passionis, dæmonum simulacra constituisse* scribit *Sulpitius Severus*, *lib. 2. Hist. Sacr.*

CAPUT XII.

De Hora, qua Salvator noster Crucifixus est.

Coronidis loco aliqua de hora exaltationis, (ita sui crucifixionem Salvator nominare amat *Joh.* 3: 14. 8: 28: 12: 32.) in qua determinanda dissentiunt Evangelistæ, quorum verba sunt:

Matth. 27: 45. ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας σκότος ἐγένετο, *à sexta hora tenebræ factæ sunt:*

Marc. 15: 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt ipsum. Cap.* 15: 33. γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, σκότος ἐγένετο. *Facta* (sive completa) *autem hora sexta, tenebræ factæ sunt.*

Lucas 23: *vs.* 44. ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο. *Erat autem quasi* (circiter) *hora sexta, & tenebræ factæ sunt.*

Joh. 19: 14. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη· καὶ λέγει (ὁ Πιλᾶτος) τοῖς Ἰουδαίοις, ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. *Erat autem parasceve Paschatis, hora autem quasi* (vel circiter) *sexta: & dicit* (Pilatus) *Judæis, Ecce Rex vester.*

Huic Evangelistarum dissensui trifariam occurri solere, docet Gerh. Joh. Vossius *Harmon. Evangel. lib. 2. c. 7. §. 5.* ubi hæc habet: *Sunt, qui putent, esse alterutrius Evangelistæ errorem. Sunt, qui existiment, esse lapsum librarii in alterutro loco. Sunt, qui nihil esse peccatum, ac conciliari ista posse loca, arbitrentur.*

Qui in rebus non necessariis ad fidem, uti in minuta de loco, aut tempore, circumstantia, vel in numero, aut simili, Evangelistas falli posse statuunt, provocant ad verba Baronii ad ann. XXXIV. §. 140. *Quod Johannes dicit*, fere hora sexta; *Marcus & Matthæus absque ulla distinctione dixerunt*, hora sexta: *ut ex his cognoscas, Evangelistas in conscribendis horis horologium non habuisse præ manibus, ut per sua puncta singulas horas distinguere potuissent; sed de horis scripsisse, quod tunc opinati essent.*

Qui librarii in alterutro Evangelista errorem censent, hi ajunt Evangelistas non integre τρίτη ἢ ἕκτη scripsisse, sed Γ, & ϛ, inque ea scripturæ similitudine vel apud *Marcum* Γ pro ϛ, vel apud *Johannem* ϛ pro Γ irrepsisse. Postea commisso hoc errore, placuisse, ut non numerorum notis, sed integris vocibus scriberetur. Ac videri possit etiam *Nonnus* Γ pro ϛ apud *Johannem* legisse. Saltem pro ἕκτη vertit τρίτη. Sic enim ejus habet paraphrasis:

Ἦν δὲ πιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη.
Καὶ Πιλάτος ταχυεργὸς ἐπ' εὐλαΐγγι θοώκῳ
Ἑβραίοις ἐβόησεν, ἴδε σχεδὸν ἵσταται ἀνὴρ
Κοίρανος ὑμείων.

Eratque protensa tertia letifera hora;
Et Pilatus promtus in confecta ex bonis lapidibus sede,
Hebræis clamavit, ecce prope stat vir
Dominus vester.

Tertia est opinio illorum, qui hæc reconciliant. Quod non uno faciunt modo. Aliqui putant, horas non accipi pro

 duo-

duodecima diei parte, ſed quarta, ſive trihorio: quo pacto, ut ex *Cenſorino cap.*23. conſtat, & diem, & noctem in quatuor vigilias diſpeſcebant. Sic prima diei hora ſit uſque ad ineuntem horam quartam; ſecunda uſque ad ineuntem ſeptimam; tertia uſque ad initium nonæ; quarta uſque primam noctis. Quomodo ſi intelligas tertiam *Marci*, eadem ſit, ac ſexta *Joannis*, hoc eſt, noſtra meridiana, ſive duodecima.

Alii aliter conciliant. Nam cenſent, à *Joanne* per ſextam Paraſceves non intelligi ſextam Paraſceves Judaicæ, ſed Chriſtianæ. Eam Chriſtianam Paraſceven incepiſſe à noctis hora nona, qua Chriſtus in Synedrio videtur pronunciatus mortis reus. Ita *ſexta* Paraſceves non alia fuerit, quam diei *tertia*. Hoc voluit Beatus *Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum lib.* 3. *cap.* 13. ubi eandem dicit horam diei *tertiam* & *ſextam* paraſceves: Nec à Joanne diei *ſextam*, ſed à Paraſceve, hoc eſt præparatione immolationis Domini: (quod nobis verum eſt Paſcha) *ſextam* intelligi. Ac ſimiliter *Ludovicus Ramirez* de Præda pentecontarchi *cap.* 38.

Ex his nulla æque nobis ſententia placeret, quam iſta, ut per horam *tertiam* tertius diei quadrans, per horam *ſextam*, ſexta è duodenis diei pars intelligatur. Sed huic opinioni non parum incommodat, quod veterum nullus pro quadrante diei, hoc eſt, pro trihorio *horam* dixerit. Itaque multum metuo, ne quid vitii irrepſerit incuria librarii.

Maxime eo inclinat animus, ut librarius confuderit ἐπίσημον ϛ & Γ. quæ & ſententia eſt B. Hieronymi: (ſi modo is auctor) in *Pſalm.* 77. item aliorum, quos memorat Theophilactus in Joannis *cap.* 19.

Sed ſic quoque in ambiguo relinquitur, utrum *Marcus* è *Joanne*, an *Joannes* è *Marco* ſit corrigendus? Poſteriorem ſententiam amplexi, quos laudat *Theophilactus.*

Petavius in XII. de Doctr. tempor. cap. 10. refert, habere ſe *Petri Alexandrini* opuſculum ἀνέκδοτον, ubi teſtaretur, in autographo Joannis, quod Epheſi adſervaretur, ſcriptum fuiſſe, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη. De quo ſi certo conſtaret, jam deciſa lis foret.

Nunc dignum conſideratu, an non potius ſint audiendi, qui priorem opinionem ſequuntur: ut *Thomas Cajetanus* & *Melchior Canus* in 2. Lucæ. Mihi veriſimilius fit, emendari Marcum oportere. Ac facile, puto, aſſentient nobis, qui cogitare volent, quam multa, ab Evangeliſtis eveniſſe dicantur inter id tempus, quo Chriſtus à Caipha eſt deductus ad Pilatum, & illud, quo in Golgatha crucifixus fuit. Nam (ut taceam ſecundam accuſationem & damnationem à Judæis mane factam, ut diximus) eſt apud Pilatum à Judæis accuſatus, ipſe interrogatus, ad Herodem miſſus, ad Pilatum remiſſus, multa adeo tentata à Pilato, ut dimitteretur, & tandem extra urbem miſſus. Tantum ſane abeſt, ut intra trihorium ea putem fieri potuiſſe, ut mirandum ſit, ſex intra horas eveniſſe, præſertim moras tantopere Pilato nectente. Adde, quod Matthæus etiam agnoſcit, ſolem defeciſſe hora ſexta. At quando eſt veriſimilius, eadem hora & crucifixum eſſe Chriſtum, & paulo poſt tenebras eſſe conſecutas: quam trihorio, poſtquam JESUS eſſet crucifixus, ſolem defeciſſe? quanquam videas in hac ſententia fuiſſe *Nonnum.* Sed aliud indicant Evangeliſtarum hæc verba: *Erat autem fere hora ſexta, & facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque in horam nonam.* Hactenus Voſſius.

Quamvis hic Voſſius putet, ex *Johanne* emendandum eſſe *Marcum*, quod trium horarum ſpatio ea, quæ ab Evangeliſtis ante crucifixionem facta recenſentur, peragi haud potuerint: Mihi tamen longe probabilius videtur, hora tertia, ſecundum *Marcum*, cœpiſſe crucifixionis actum. Si enim hora ſexta demum crucifixus fuiſſet, qui fieri potuiſſet, ut inter crucifixionem & factam eclipſin Solis, quæ hora ſexta cœpit, *Matth.* 27:45. *Marci* 15:33. *Luc.* 23:44. illa omnia, quæ à Johanne conſignata ſunt, abſolvi potuerint, nempe (1) Pilati tergiverſatio, (2) Iudæorum expoſtulatio, (3) Salvatoris innocentiſſimi condemnatio, (4) & ad locum ſupplicii eductio, (5) titulorum conſignatio, (6) eorundem affixio, (7) ſacerdotum proteſtatio ratione tituli, (8) Pilati reſolutio, (9) veſtimentorum diviſio, (10) curatoris materni, nempe Johannis, conſtitutio. Quibus accedunt, quæ juxta alios Evangeliſtas ante tenebras acciderunt, nimirum (11) vini acidi & myrrhati cum felle propinatio, (12) crucis in Simonem Cyrenæum tranſlatio, (13) mulierum concomitantium lamentationes, (14) Salvatoris reſponſiones, (15) binorum latronum crucifixio, (16) prætereuntium cavillationes, (17) Salvatoris patientiſſimi ad Patrem cœleſtem pro perſequutoribus & inimicis interceſſio, (18) Latronis unius convitia (19) alterius Latronis pietas, & ſocii reprehenſio, (21) facta à Salvatore Paradiſi promiſſio. Nec dubitandum plura ab Evangeliſtis ſilentio prætermiſſa acidiſſe, (*argumento cap.* 21: *vſ.* 25. *Evang. Joh.*) quæ tam brevi temporis ſpatio nequaquam peragi potuiſſent.

Tutiſſimum igitur erit, ſi librarii incuria in Evangelio Johannis ϛ loco Γ poſitum, & ſic Iohannem ex Marco emendandum eſſe ſtatuamus. Hoc modo enim omnia optime quadrabunt, præſertim ſi ponamus, hora tertia crucem Chriſti humeris impoſitam, ipſumque eductum fuiſſe. Nec opus erit, cum *Cenſorino* confugere ad diſtinctionem horarum, & fingere, *Marcum* per horam tertiam intellexiſſe trihorium, *Johannem* vero horam ſimplicem diei, eamque ſextam: Inde enim ſequeretur *Marcum* in eodem *capite* 15. duplici modo nominaſſe horas, crucifixionis *verſu* 25. & tenebrarum ſive eclipſeos *verſu* 33. & conſequenter crucifixionem & tenebras eadem hora accidiſſe, quod tamen ob ea, quæ inter crucifixionem & tenebras acciderunt, fieri haud potuit. Minime etiam vero ſimile eſt, *Johannem* horas numeraſſe, non à Judaicæ diei, ſed à paraſceves Chriſtianæ principio, nempe, ab hora noctis nona, qua Chriſtus in Synedrio videtur pronunciatus mortis reus, quis enim credat, *Johannem* in deſcribenda Paſſionis hiſtoria novum, & aliis incognitum horas numerandi adhibere voluiſſe modum. Interea ex his quilibet videre poteſt, *B. Auguſtinum*, cui hæc opinio adſcribitur, approbaſſe horam à *Marco* poſitam, & propterea horam *Johannis* ſextam innoxia explicatione conciliare voluiſſe, cum hora *Marci* diei tertia. Meam hanc explicationem, qua liberam ſtatuendi facultatem nemini ademtam volo, Benevolus & æquus Lector æqui bonique faciet.

Δ. Τ. Θ.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI
DISSERTATIO
De flebili Messiæ gemitu Eli Eli ad Matth. cap. XXVII: 46. Coll. cum Psal. XXII.

בהנ״א:

PRiscorum Hebræorum in Talmud, Massechet שבת, cap. 6. En Israel fol. 65. & alibi πολυτρύλλητον est, כל הנביאים כלם לא נתנבאו אלא לימות המשיח: *Omnes omnino Prophetæ non sunt vaticinati, nisi de diebus Messiæ.* Quibus verbis, uti Prophetici muneris quondam non postremam partem fuisse ajunt, Messiæ adventum ejusque officium annuntiare: ita primo intuitu videri queat, eos haud procul à nostra sententia abesse, quam Apostolus Actor. cap. 10: 43. paucis verbis complectitur τούτῳ πάντες οἱ Προφῆται μαρτυροῦσιν. & 1. Petr. 1: 11. Ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς Πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. At cum veri nominis Messia rejecto, perquam tenuia de suo Messia recutiti expectent hodie, eumque παθητὸν esse prorsus negantes, ejusmodi tantum liberatorem præstolentur, qui è domo Davidis oriundus, amplitudine honoris & dignitatis universos mundi reges sit superaturus, quid mirum, si in explicandis vaticiniis cœcutientes, quid insigne & maximi momenti de diebus Messiæ Prophetæ dixerint, juxta sciant cum ignarissimis. Sane David, cum & ipse Propheta esset, Actor. 2: 30. de Messiæ *persona, officio, passione, morte, ex mortuis resurrectione & regno* ita diversis Psalmis agit, ut quandoque totum hymnum de persona Messiæ pronuntiaverit. Quem ubi Judæi explicare aggrediuntur, dici non potest, quantopere varient illorum interpretamenta, quam procul à scopo Scriptoris θεοπνεύστου abludant. Cujus depravationis specimen cumprimis præbent in Psalmo 22. Unde me operæ pretium facturum censui, si de subjecto Psalmi quædam præfatus, exordium ejusdem in ipso agone mortis à Messia ad significandas summas animi angustias, in cruce usurpatum, penitius considerarem, & Judæorum cavillos, quibus nostram fidem vehementer impugnant, in medium adductos retunderem.

CAPUT I.

§. 1.

AUtorem Psalmi secundarium, qui instinctu Spiritus sancti illum conscripserit, esse Davidem, Judæi nulli dubitant. R. Salomo Jarchi ita expresse: אמר דוד תפלה זו על העתיד: *David hac oratione de futuro est locutus.* De quo vero agat Psalmographus, ipsimet Judæi aberrantes, in tres maxime abeunt sententias. Quidam enim illorum eum de Ecclesia Judaica explicant. Hinc R. David Kimchi, & ex illo autor libri Michlal Jophi de inscriptione Psalmi ita loquuntur: משל לכנסת ישראל שבזרה גלות וסוף הזמור יוכיח זה וקראם אילת כי כן המשיל אותם לאילות בשיר השירים וכן השחר דרך משל כמו מי זאת הנשקפה כמו שחר: *Est metaphorica Israëlitici cœtus in hoc exilio detenti denominatio, id quod finis Psalmi docet: Vocatur vero nomine cervæ, quia in Cantico Canticorum* (c. 3: 5.) *cervis comparatur. Atque ita aurora metaphorice usurpatur, quemadmodum cum dicitur* (Cantic. 6: 8.) *quis ista, quæ respicitur, sicut aurora.*

§. 2. Qui ita textum de Synagoga Judaica explicant, suæ sententiæ argumentum se invenisse credunt, quod eadem querela Ecclesiæ Judaicæ Esai. 49: 14. legatur, *deseruit me Dominus, oblitus est mei Dominus.* Cæterum quæ consequentia est: Ecclesia Judaica se derelictam conqueritur Esai. 49. ergo & illa Psalm. 22. est intelligenda, ubi nonnemo se desertum queritatur? Repugnat sane huic Judæorum expositioni textus, qui certum aliquod individuum loquens introducit, quod se fratribus suis contradistinguit, quod se תולעת *vermem*, חרפת אדם *opprobrium hominis*, & בזוי העם *contemptum populi* (eccujus nisi Judaici, qui τοῖς עמים vel גוים & ἔθνεσι opponitur, confer Genes. 49: 10?) quod se usque adeo vexatum & male habitum conqueritur, ut vestimenta sua sibi ablata, sorti exposita, seipsum vero ita expansum referat, ut ossa suo toto corpore distento numerari potuerint. Quod ut cum aliis pluribus eodem Psalmo memoratis in Messia adimpletum novimus Christiani: ita contra Kimchi invito textu de populo Judaico interpretatur, quem ita loquentem inducit: אנכי נבזה בעיני הכל כמו התולעת ואינני בעיניהם אלא חרפת אדם ובזוי עם בגולה: *Ego in oculis eorum instar vermis sum, & nil nisi hominis opprobrium, & populi contemptus in captivitate.* Quæ verba ex Midrasch Tillim fol. 21. col. 1. hausisse videtur, ubi hæc legimus: מה התולעת הזו בזויה כך ישראל בזוי בין האומות: *Ecquid est hic vermis? aliquid abjectum. Ita Israel est inter gentes.*

§. 3. Sed ut dictum, cum is, qui in Psalmo loquitur se fratribus Deum timentibus contradistinguat, non potest totus intelligi populus sensu collectivo vel κατὰ προσωποποιΐαν, ut frustra sit Kimchi, quod scripserit in comment. ad vocem עזבתני, היא בלשון יחיד על עם ישראל יחד שהם כאיש אחר בגלור בלב אחד: *Occurrit in singulari de populo Israëlis simul, quia is unius instar viri erat in captivitate, uno corde.* Quod cum alii viderent, de regina Esther eum explicandum censuerunt. Unde de priscis Ebræis R. Salomo רבותינו דרשוה באסתר *Dd. nostri de Esther mystice explicarunt.* In Midrasch Tillim ad h. Ps. inscriptionem dicunt זו אסתר *hic Esther intelligitur.* Et in Talmud Massechet Joma cap. 3. Scholiastes En Israel fol. 103. ita scribit: למה נמשלה אסתר לאילה במסכת מגילה אמרו דאסתר אמרה מזמור זה כיון שהגיעה לבית צלמים נסתלקה הימנה שכינה אמרה אלי אלי למה עזבתני: *Eccur Esther cervæ assimulatur? In Massecheth Megilla legimus, quod Esther Psalmum hunc dixerit, postquam in domum idolorum venisset, cessante enim ibi gratiosa Dei præsentia, dixit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Et in Midrasch Tillim fol. 20. col. 2. verba Psalmi eidem accommodare nituntur, ubi hæc legimus: כשאמרה וככן אבוא אל המלך התחילו בנו פלטין אומר עכשיו הוא כועס עליה וגוזר עליה מיתה וכל אחד ואחד אומר אני אטול את תכשיטה וזה אומר אני אטול את בגדיה וזה אומר אני אטול קרושיה וזה אומר אני אטול פורפריא שלה של מלכות שני יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל וכיון שהיתה צופה ורואה כן מתפללת ואומרת אתה ה׳ אל תרחק אילותי לעזרתי חושה וכיון שראה דוד כן באיזה לשון היא קוראה להב״ה אילותי סדר עליה מזמור על אילת השחר: *Cum dixit* (Esther cap. 4: 16.) *tunc ingrediar ad regem, aulici deliberarunt. Quidam ita: Ille* (*Rex*) *iratus mortem ipsi inferre decrevit: alius ait; ego illius pretiosa auferam: alius, ego vestimenta ejus; alius, sancta ejus; nonnemo: ego purpuream vestem ipsius, quia dictum est* (Psal. 22: 17.) *divident sibi vestes & super vestimentum projicient sortem. Quod cum ipsa animadvertisset, precata est* (Psal. 22: 20.) *ne elonges te, fortitudo mea, ad auxilium festina. Postquam vidit David, cujusmodi significatione vocem* אילותי *adhibitura esset suis precibus, ordinavit, ut Psalmus insigneretur hoc titulo:* מזמור על אילת השחר:

§. 4. Sed ut Judæi ipsimet hanc explicationem vocant דשר

allegoricam, & inter eos complures eam valere jubent: ita ex textu satis comprobatur, eam erroneam esse. Versus enim 7. 9. & 25. evidenter ostendunt, nullam fœmellam inibi loqui. Ecquomodo enim illa, si esset ita precata, se dixerit איש & בזוי in masculino? Eccur בו potius quam בה? Num ממנו de sexu sequiori usurpatum esse dicemus? Inde sane factum, ut alii tandem de seipso loqui Davidem contenderent, ceu R. David Kimchi fatetur: יש מפרשים אותו על דוד בעודנו בורח מפני שאול: *Sunt qui explicent de Davide, cum adhuc profugus esset ob Saulem.* His annumerandus est R. Lipmannus, Nizzachon, num. 275. גלוי שדוד על עצמו אמר מזמור זה: *Manifestum est, de seipso Davidem hunc Psalmum pronuntiasse.*

§. 5. Tergemina ita circumfertur Judæorum de argumento hujus Psalmi sententia, quarum nulla est, quæ non ex textu refelli queat. Quod ultimam attinet, etiam Syrus & Arabs ejusmodi ἐπιγραφὴν Psalmo præfixerunt, *qua Davidis profugi calamitates describuntur.* Ille enim ܠܕܘܝܕ ܟܕ ܡܬܒܙܚ ܗܘܐ ܡܢ ܪܕܘܦܘܗܝ ܘܥܠ ܚܫܗ ܕܡܫܝܚܐ ܘܥܠ ܩܪܝܬܐ ܕܥܡܡܐ *Davidis, cum illuderetur à persecutoribus. Et de passione Christi & vocatione gentium.* Hic قالة داود لما انتصر على اعدائه ونبوة عن المصلوب *dictus ab eo, quando superavit inimicos suos. Et prophetia de crucifixione*: Et ita compositum argumentum ex typo Davidis & Christi historia agnoscere videntur, cum Calvino & H. Grotio. Fatendum tamen est, nihil causæ esse, quamobrem ipsorum vestigiis insistamus, *quod*, ut ex reformatis Fr. Junius fatetur, *in eo Psalmo quam plurima sunt, quæ Davidi commode non possunt tribui, multa vero præterea non figurate aut typice, sed ita proprie de Christo prædicata sunt, ut non nisi violentia quadam Davidi aptari possint.* Atque ita præter Junium, Piscator, & Rivetus evidentia textus victi, quam possunt, longissime à Calvino recedunt.

§. 6. Dicis: Numquid igitur in antiquitate Judaica & monumentis Hebræorum nihil invenitur, quo constet, Psalmum hunc de Messia fuisse olim ab ipsis acceptum? ℞. Ante 2000. fere annos scriptam Hebræorum glossam id docuisse, Gilb. Genebrardus quidem comm. in h. l. attestatur; sed si Professor regius ad ea collineat, quæ in Midrasch Tillim hodie leguntur & ad quæ Helvicus Tom. IV. Giess. Disputat. 4. θ. 44. J. Martini de T. E. lib. 3. c. 52. H. Grotius in Ps. 22. & Hornbekius lib. 6. contra Judæos p. 408. provocarunt, vereor, ut id quod intendit, obtineat. Verba enim in Midrasch, fol. 20. ad Psal. 22. hæc sunt: עורה כבודי עורה הנבל וכנור אעירה שחר מדבר בד׳ מלכיות עורה בבבל שהעמדת לנו חנניה מישאל ועזריה עורה במדי שהעמדת לנו מרדכי ואסתר עורה ביון שהעמדת לנו חשמונאי ובניו עורה באדום שהוא עתיד לעמוד לנו המשיח: *Exurge gloria mea, exurge Nebel & Cithara, exurgam diluculo* (Ps. 57: 9.) *respicit ad quatuor regna. Exurge Babylon, ubi nobis constituisti Chananiam, Misaelem & Asariam. Exurge in Media, ubi nobis dedisti Mardochai & Esther. Exurge in Græcia, ubi nobis Chasmonæos posterosque illorum dedisti. Exurge in Edom, ubi nobis daturus est Messiam.* Hæc ita Midrasch de Ps. 57: 9. ad Ps. 22. refert, ex quibus num colligi queat, Ebræos Psal. 22. de Messia intellexisse, aliorum esto judicium. Eodem libro, ad quem post Galatinum alii quoque provocant, ad Psalm. 2: 7. hæc legimus: רב הונא אמר שלשה חלקים נחלקו היסורין אחת נטלו אבות העולם וכל הדורות ואחד דורו של שמד ואחד דורו של משיח: *Raf Huna ait: Castigationes in tres partes divisæ sunt. Unam acceperunt patres mundi & omnes generationes, unam generatio, quæ periit excidio, & unam generatio Messiæ.* Quibus verbis nihil aliud significant, quam tempus, quo venturus est Messias, calamitosissimum fore, & plurimas hominibus tum exantlandas esse ærumnas. Unde sæpe ipsis in ore sunt חבלי המשיח *dolores Messiæ.* De his R. Abarb. comm. in Dan. pag. 45. col. 3. scribit: קבלו תלמידי ישו מחכמי ישראל שבימות המשיח ירבו צרות אשר קראו חבלי המשיח עד שאמרו שאשרי ואשריו מי שלא יראה אותם ולא יהיה בזמנו ועליהם אמר באונגליון שלהם אוי מי יחיה עם תוקף הצרות אשר יראו באחרית הימים שהם חבלי המשיח מקובל אצלם: *Discipuli Jesu acceperunt à Dd. Israëlis, quod diebus Messiæ multiplicandæ sint calamitates, quas dolores Messiæ vocant, adeo ut eum felicissimum prædicarint, qui eas non sit visurus. Atque de illis dicitur in Euangelio illorum: Væ illi, qui vixerit, cum calamitates maximæ venerint, extremis nempe diebus, quæ sunt dolores Messiæ, illis recepti.* Sane utut afflictiones & calamitates, per חבלי המשיח denotari, Judæi recentiores doceant, & Dn. Buxtorfius in Lexico Talmudico, Matth. 24: 8. ἀρχὴ ὠδίνων, *initium dolorum* eo respicere censeat; illud tamen adhuc probabile videtur, priscos Hebræos intellexisse voce illa dolores ipsi Messiæ exantlandos, adeoque hunc Psalmum de eodem *esse interpretatos.* Eo verisimilius hoc nobis apparet, quo prisci Hebræi proniores fuisse legimus in hanc sententiam. In Midrasch enim Tillim ad Psalm. 18. diserte ajunt: כשיבוא משיח במהרה בימינו אין אומרין שירה עד שיתחרף המשיח שני אשר חרפו עקבות משיחך: *Cum venerit Messias, quod utinam cito diebus nostris contingat! non recitabunt canticum, donec contumelia affectus fuerit, sicut dictum est,* (Ps. 89: 52.) *exprobraverunt talos sive extrema Messiæ.* Quin in Talmud, Massechet Sanhedrin, cap. XI. Messiam non tantum נפלי *miserum & caducum* ex Amos. 9: 11. denominant, sed & in Midrasch Ruth, fol. 34. col. 3. ajunt: מדבר במלך המשיח אלו היסורין שנאמר והוא מחולל מפשעינו: *Loquitur de Messia, & intelliguntur castigationes, quia dictum est:* (Esa. cap. 53: 5.) *ille est vulneratus ob delicta nostra.* Neque illud est reticendum, quod eadem Massechet Sanhedrin, Messiam חיורא *leprosum* vocandum contendunt, cujus nominis impositi rationem redditurі, ajunt: שנאמר אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ואנחנו חשבנוהו נגוע מכה אלהים ומעונה: *Quia dictum est* (Esai. 53: 4.) *vere morbos nostros tulit, & dolores nostros bajulavit, & nos reputavimus eum percussum Dei & afflictum.*

§. 7. Hæc & alia plura, quæ in antiquissimis Hebræorum monumentis deprehendimus, eo nos deducunt, ut per חבלי המשיח priscos *passiones Messiæ* intellexisse arbitremur. Cui etiam illud suffragari videtur, quod Paulus Actor. 26: 23. pro confesso quasi sumit εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, h. e. ut Beza explicat, *pœnis & suppliciis perferendis destinatum Messiam.* Cum itaque Psalmus 22. neque de *populo Judaico*, neque de *regina Esther*, neque de *Davide* explicari possit, Messias vero, attestantibus Talmudistis, ut obnoxius passionibus & calamitatibus in Scripturis describatur, nihil causæ videmus, quamobrem Judæi recentiores nobis ad Messiam hunc Psalmum referentibus dicam scribant, maxime, cum nihil inibi occurrat, quod non in ipsum, populi peccata morbosque portantem, conveniat, & Psalmi exordium is in cruce pendens, contra quam moribundi alias solent, alta & sonora voce, cum admiratione astantium pronuntiaverit.

§. 8. Quod antequam penitius consideremus, haud abs re futurum existimamus, si ipsam quoque inscriptionem Psalmi explicaverimus. Ea sic habet: לַמְנַצֵּחַ עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר מִזְמוֹר לְדָוִד׃ Hebræa vox למנצח à LXX. vertitur εἰς τὸ τέλος *in perpetuum vel seculum.* Alii vocis occasione mysterium sunt scrutati, quod & hic & alii Psalmi, quibus hæc vox præmittitur, ideo de Christo sint intelligendi, quod Christus sit finis legis, uti Apostolus Rom. 10. eum appellat. Hieronymus vocum alias censor haud è multis vertit *victori.* Quasi scilicet hic Psalmus sit ἐπινίκιον victoriale carmen vel triumphale. Chaldæus, לשבחא ad *laudandum.* Reuchlinus transtulit *invitatorium*, quod hujusmodi Psalmi sint incitabula quædam ad exsuscitandum & exhortandum spiritum hominis. Sciendum vero hic est, למנצח in Sacris notare 1. *victorem.* 2. *Præfectum operi.* Ad verba Habac. 3. vers. ult. ubi in Hebræo textu est למנצח בנגינותי. R. Abarbanel ita commentatur: כל נגינותי שירותי וזמירותי יהיו למנצח האמתי שהוא האל יתברך או אמר למנצח בנגינותי ששורו במקדש ה׳ ע״ד הנם הלוים המנצחים עוד כל ימי הארץ: *Omnes meæ modulationes cantus & Psalmi erunt* (*destinati*) *vero victori, Deo benedicto. Aut ait* למנצח בנגינותי *quod in sanctuario Dei idcirco Levitæ sint cantaturi, quamdiu terra steterit.* Posterior acceptio hic quoque magis quadrat, quæ etiam in plurimorum Psalmorum inscriptione occurrit. Et R. David Kimchi in libro Rad. recte: ענין חוזק וקריא בעל השיר והניגון מנצח כלומר שהוא חוק על המלאכה ושר וקצין עליה: *Significat fortem. Sic vocatur cantici vel instrumenti Musici præfectus, q. d. quod ille fortiter operi instet, ejusdem princeps & præfectus.*

§. 9. Videtur igitur omnino dicendum, notari voce למנצח illum, cui ad decantandum Psalmus est traditus, & qui choro erat præfectus. Sed quid אילת השחר? Difficile sane dictu est, quantopere hic discrepent Interpretes. Nonnulli Ebræorum, quos inter est R. Salomo, ajunt, אילת שם כלי שיר esse *nomen instrumenti musici.* R. AbenEsra ita commentatur: יאי כי הוא שם כלי נגנון וידענו כי יוד איילותי כנבר אין אייל בלא דגש על כן הוא רחוק להיות נגזרה מזאת הגזרה והנכון בעיני כי היא תחלת פיוט נעשה על דרך דברי חשק כמו אילת אהבים וזה המזמור על נועם נגנוני: *Sunt qui dicant, esse nomen instrumenti Musici. Nos vero novimus, Jod in* אילותי (ut Ps. 88: 5.) *non habere Dagesch. Ideo non fit verisimile ex illa radice derivari. Mihi videtur esse initium poëmatis facti ad modum suavissimi sermonis, ut dicitur* (Prov. 5: 19.) *cerva amorum, ut adeo hic Psalmus instrumenti sui musici vel melodiæ suavitatem*

tatem referat. Quod vero adjicitur שחר, id eo factum esse ait AbenEsra, quod cantatus sit Psalmus כאשר יראה כח עלות השחר *Cum videret vim ascendentis auroræ.*

§. 10. R. D. Kimchi aliter sentiens in libro radicum scribit הוא כוכב הבקר *notat stellam matutinam*: Quam sententiam ut certam amplectitur A. Morus, Exercit. Genevens. p. 89. Simeon de Muis, comm. in h. l. *Non judicamus*, inquit, *ad argumentum titulum pertinere. Quod si pertinet, certe vertendum super stellam matutinam. Nam & hoc optime Christo conveniet, & Kimchi observat apud Ebræos* אילתא *significare stellam matutinam.* Sed asserto suo ex sacris fidem facere nequit, & R. Nathan in Concord. Ebraic. non nisi hoc unicum exemplum adducit, ubi אילת *stellam* significet. Unde quantum huic sententiæ tribuendum, satis liquet. Chaldæus Παραφράστης hunc in modum reddidit: על תקיף קרבן תדירא דקריצתא: *Super vi sacrificii jugis matutini.* Sane cum de ejusmodi sacrificio in Psalmo agatur, quod sacrificium juge tam matutinum, quam vespertinum adumbrarunt, videri queat Paraphrastes ideo verba Hebraica sic reddidisse. Atque hoc fere sensu Ecclesiam Judaicam intellexisse Psalmum Fr. Junius in Parallelis docet, *Prisca*, inquiens, *Judæorum Ecclesia ante universum ministerium sacrum in domo Dei solebat hunc Psalmum decantare, ut veritatem totius cultus legitimi in Christo exhibendam esse, & se ad Christum tanquam legalium umbrarum corpus respicere singulis diebus Ecclesia profiteretur.* Quicquid vero hujus sit, LXX. qui verterunt: ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, itidem aliter Ebræam vocem legerunt, quam hodie habetur, nempe אֱיָלוּת; Latinum quoque interpretem seduxerunt, ut verteret *pro susceptione matutina*, perinde ac Ps. 107: 17. ubi Ebræus textus habet אילים quod Hieronymus recte vertit, Græci ἀντελάβετο, Latinus *suscepit*, vitiose transtulerunt.

§. 11. Omnibus, quas recensuimus explicationibus merito præferimus illam, quam post Pagninum, B. Lutherus, Vatablus, Piscator aliique probant, nempe qua אילת השחר *cervam auroræ* vel *matutinam* vertunt. Sane τὸ אילת Prov. 5: 19. Jer. cap. 14: 5. cervam significat, & ipse Psalmus, qui meminit *Leonum, monocerotum & canum*, (quibus fere *cerva* in prædam cedit) tale quid poscere videtur, ut non male B. Lutherum vertisse arbitremur, **von der Hindin / die frühe gejagt wird /** cum in Messiam, cui summo mane insidias struxere Judæi, hoc non minus quadret, quam reliqua prædicata omnia quæ in eodem Psalmo leguntur.

CAPUT II.

§. I. QUemadmodum hactenus ex ipso verborum contextu ostendimus, Judaicas interpretationes falsas & rejectaneas, contra vero Christianorum explicationem veram, genuinam & Scripturæ consentaneam esse: ita non parum eam confirmat N. Test. in quo semel, iterum ac tertium Psalmi, ceu indubitato de Messia agentis, verba adducuntur. Non tantum enim Ebr. 2: 11, 12. Apostolus nos, ut tanto liberius ad Christum accedamus, adhortaturus, Messiam, in hoc Psalmo loquentem & nos fratres nuncupantem, introducit, sed & Johannes 19: 24. refert, Christi vestimentis sorte divisis, Psalmo complementum suum constitisse. Quod itaque Grotius scribit, *hoc de se David dixit proverbialiter Psal. 22: 19. ut indicaret, inimicos lætatos suis spoliis. At Dei providentia factum est, ut hæc & alia ejusmodi in Christo implerentur perfectius, non modo secundum sensum proverbialem, sed & κατὰ πόδας, ut appareat, in ipso esse complementum omnium, quæ veteribus contigerant*; Id neutiquam probat, neque assensum meretur. Messias ibi loquitur, cujus solius in propatulo extensio affixis manibus pedibusque ita describitur, ut ossa etiam numerari potuerint. Et vel solus hic versus docet, Davidem non tam in sua ipsius, quam Messiæ, cujus figuram gerebat, persona esse locutum; Quod etiam ipse Messias innuere voluit, dum ipso momento passionis suæ acerbissimæ, voces primas Psalmi sibi aptavit, & populum Judaicum ad diligentiorem totius hymni considerationem excitans, cujusmodi hominem cruci affixissent, perpendendum reliquit, nempe ejusmodi, cujus passionem David pridem prædixerat.

§. 2. Nunc ἐμφατικωτάτην illam exclamationem paulo penitius inspiciemus, de qua B. D. Glassius, Philol. sacr. libr. 3. tr. 1. can. 5. *Si quæ in verbis Scripturæ emphasis & vehementia, certe in his Christi in agone mortis & summis cruciatibus constituti verbis est.* Elucescit illa ex repetita voce אלי, ad quam autor libri Michlal Jophi, הכפל בדרך הקוראים והצועקים כמו ענני יהוה ענני אברהם אברהם משה משה: *Geminatio facta est ad modum clamantium & vociferantium v. c. exaudi Domine, exaudi*, (1. Reg. 18: 37.) *Abraham, Abraham* (Genes. 22: vers. 11.) *Mose, Mose*, (Exod. 3: 4.) & AbenEsra recte: פעמים כי בצרה היה *bis hac voce utitur, quia in angustiis erat.* LXX. reddiderunt, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, πρόσχες μοι, ἵνα τί ἐγκατέλιπές με. Quos κατὰ πόδα Latinus, ut fere solet, secutus vertit: *Deus meus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti?* Arbitratur Genebrardus, à LXX. verba πρόσχες μοι interposita esse ad perficiendum πάθος; verisimilior tamen conjectura est, eos non punctato codice usos, τὸ אלי diversimode legisse: prius nempe אֵלִי *Deus meus*; alterum אֵלַי *ad me.* Atque hoc eo minus mirum videri debet, quo frequentius simili lapsu à textu recesserunt; eodem enim hoc versu verba Ebraica: רחוק מישועתי דברי שאגתי *Longe sunt à salute mea verba rugitus mei.* LXX. verterunt μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, h. e. ut Latinus, iterum Græcos secutus, transtulit: *Longe à salute mea verba delictorum meorum.* Quæ versio Scholasticis ansam præbuit disputandi, quomodo in Christo peccatum fuerit. Thomas enim postquam part. 3. Summæ qu. 15. artic. 1. ex Vulgata textum attulisset, hunc in modum respondet: *Dicendum, quod sicut Damascenus dicit in 3. l. dupliciter dici aliquid de Christo: Uno modo secundum proprietatem naturalem & hypostaticam: sicut dicitur, quod Deus factus est homo, & pro nobis passus: alio modo secundum proprietatem personalem & habitualem, prout sc. aliqua de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conveniunt. Unde & inter septem regulas Ticonii, quas Augustinus ponit in 3. de Doctrina Christiana, prima ponitur de Domino & ejus corpore: cum scil. Christi & Ecclesiæ una persona æstimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit. Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint.*

§. 3. Quanto solidius & brevius respondere potuisset Scholasticorum princeps, in fonte ne γρῦ quidem haberi de peccato, sed LXX. literarum transpositione deceptos pro שאגתי, *rugitus mei*, legisse שגיאתי, quam vocem Ps. 19: 13. *delicta* reddiderunt. Quod cum Judæos latere non possit, illi nihilominus ægre facturi Christianis, perinde ac si Ebraica veritas ita haberet, textum hunc in modum contra nos urgent: רחוק מישועתי דברי חטאתי והנני רואה כי ישו בעצמו מורה שהיה חוטא ואיך תאמר כי אלהים הוא: *Longe à salute mea verba delictorum meorum. Ecce video, quod Jesus sponte sua fateatur, se esse peccatorem, ecquomodo igitur est Deus?* Ex quibus patescit, eos omnia arripere, quæ in nos torqueant, parum pensi habentes, cujus illa sint roboris & valoris, quibus ut eo felicius obviam progrediamur, necessum est, ut textum Ebræum velut authenticum, ubique consulamus, nec tantum insistamus versionibus.

§. 4. Quæ Judæi hic porro objiciunt, ut obtineant de Salvatore nostro Psalmum non esse intelligendum, ejusmodi sunt, ut maximam eorum cœcitatem potius arguant, quam ut aliquid in recessu habeant. Videbimus tamen quibus nos telis adoriantur: R. Lipmannus, num. 275. libri Nizzachon ita scribit: הנוצרים אומרים שהנוצרי אומר כך כשתלו אותו וכן כל המזמור בכללו והוחקים ומפרשים שדבר הבשר לרוח והכל אחד והן דברים שאין הדעת סבלן: *Christiani dicunt, Nazarenum ita locutum esse, cum ipsum suspenderunt, atque ita totum Psalmum de illo explicant. Violenter vero torquent textum, ita interpretantes, ut dicant carnem ad Spiritum esse locutam, & omnia unum quid esse. At hæc verba nullus intellectus assequitur.* Nempe Judaicus, qui nihil admittit, nisi quod cum præconcepta opinione conveniat. At si illorum majoribus tot retro seculis aqua hæsit, & cum ex iis quæreretur, quomodo Messias Davidis Dominus vocetur, Psalm. 110: 1. cujus tamen filius omnium concessu esset, plane illi obmutuerunt, Matth. 22: 45. quid mirum, si posteri quoque à se impetrare nequeant, ut credant in una eademque persona convenire duas naturas, easque cum stupore excipiant?

§. 5. Neque majoris momenti est, quod idem recutitus subjicit: תקשה להם כמה היה מסופק אלוהיהם ששאל מאלוה למה עזבו וכי לא ירע במיתתו ומאחר שהוא מת בעל כרחו מה אלהות בו: *Objice ipsis, quanta dubitatione laboravit Deus illorum, qui Deum interrogavit, eccur eum deseruerit. Num vero ignoravit mortem suam? & postquam mortuus est invitus, quæ Deitas ejus?* At Christum dubitasse, ex particula למה minime colligi potest, quippe quæ est & admirantis & dolentis vox, ceu patet ex Ezech. 33: 11. Consimiliter, neque inde sequitur, eum mortem suam ignorasse, qui, ut ex Matth. 20: 10. Luc. 19: 32. Johan. 12: 33. apparet, jam ante & mortem & supplicii genus prædixerat. Multo minus vero est, quod alius Judæorum objiciat: נמצא שישו היה מתלונן על מה שעזבו אלא אם כן לא היה צדיק: *Apparet, Jesum obmurmurasse, quod à Deo relictus esset, & sic pium non fuisse*, aut desperasse, quod asserere non dubitavit Calvinus, comm. in c. 27. Matth.

quem vel solus locus Luc. 23:46. refellit. Maximum dolorem potius & innocentiam ipsius designat. Nempe postquam tot sannis exceptus, tot flagris coopertus, cruci tandem affixus esset, inter exquisitissimos, animi maxime, dolores ex infirmitate quadam, quam ut individuum comitem essentiæ humanæ, excepto peccato susceperat, tam flebilem vocem emisit. Cum ut Pelusiota, Epist. 130. lib. 3. loquitur: *ἐκρέματο ἐπὶ τοῦ ἰκρίου, ἐν ἡμέρᾳ μέσῃ καὶ ἐν μητροπόλει, καὶ ἐν ἑορτῇ μεγίστῃ, καὶ ἐν ᾗ οὐδένα εἰκὸς ἦν ἀπολειφθῆναι*, &, ut Apostolus Gal. 3:13. loquitur, *γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα*, pœnam, quæ nobis debebatur, ipse ut Sponsor noster sustinebat; se desertum conquestus est. Et ut ante in horto cœpit *λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν*, hoc est, *vehementi discriminis objecti metu angi, ut quodammodo exanimis & attonitus fuerit*, ita nunc illius, quod sanguineos sudoris grumos expresserat, vim & efficaciam magis magisque sentiens clamavit, citra omne tamen Deo contrariæ voluntatis indicium.

§. 6. Solent quidem Judæi ex Domini nostri verbis Matth. 25:39. *περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου*, colligere, eum invitum, & Deo reluctantem mortem subiisse, cum ita scribunt: עוד שהיה מתפלל לפני אביו להעביר כוס זה ממנו כלומר אתה יכול להעביר ממני ולא אני ואמר לא יהא רצוני כי אם רצונך ואם כן לא היה הרצונות שוות ואם שתי רצונות להם ימצא שאינו אלהים: *Præterea dicitur precatus esse coram suo patre, ut hic calix à se transiret, q. d. Tu potes facere ut hic calix à me transeat, non ego vero. Et dixit: non fiat secundum meam voluntatem, sed secundum tuam. Quod si ita res habet, non erat æqualis utraque voluntas. Si vero duplex voluntas in eo, consequitur, eum non esse Deum.* Sed ut in Messia duas esse voluntates, divinam unam, alteram humanam, novimus Christiani, ita nec id ignoramus, nunquam illas fuisse contrarias. Quod ut ostendant Theologi, monere solent, Messiæ hominis voluntatem duplicem esse, 1. *absolutam, liberam & efficacem*, quæ semper fuit exaudita, Joh. 11:42. utpote semper divinitati conformis, etiam in re volita, vel ut Scholastici loquuntur, volito materiali: alteram *conditionalem, naturalem & inefficacem*, quæ ex appetitu naturali oriebatur, & quam exaudiri Christus nunquam absolute voluit, sed cum conditione, quam etiam addidit: *verumtamen*, inquiens, *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26:39. Neutro modo aliquid voluit, quod non ipse Deus aliquo modo voluerit, etiam tum, cum à morte, quam non commeruerat, abhorruit Messias eamque est deprecatus. Neque enim Deus id noluit, ut Messias naturaliter à morte abhorreret, sed ita fieri voluit, ut se verum hominem esse ostenderet, vel ut Epiphanius hæres. 69. loquitur: *ἵνα μάθωμεν, ἀληθινῶς εἶναι τὴν ἔνσαρκον παρουσίαν, καὶ οὐ δοκήσει ἢ φαντασίᾳ παρ' αὐτοῦ οἰκονομηθεῖσαν.*

§. 7. Uti Oratio illa Messiæ in horto Deitati ipsius nihil derogat, ita neque hæ preces in cruce fusæ; & frustra Lipmannus porro instat: הלא בעצמו הודה שאחר הוא אלה שלו כמו שאמר אלי אלי ולא אבי אבי: *Nonne ipsemet fassus est, alium sibi Deum esse, sicut ait: Deus mi, Deus mi, non vero Pater mi, Pater mi.* Resp. Messias, qui secundum alteram naturam Dei servus dicitur, Esai. 49:6. precatus est אלי אלי, hoc est, ut Kimchi interpretatur: חוקי וצורי מקדם ועתה למה עזבתני: *fortitudo mea & rupes mea olim eras, eccur jam me dereliquisti?* idem tamen Messias secundum divinam naturam, quæ alibi solide probatur, erat filius Dei naturalis, Psal. 2:7. cujus generatio מקדם מימי עולם *ab antiquo, à diebus seculi*, Mich. 5:3.

§. 8. Nondum cessat Lipmannus nos oppugnare: עוד שאמר בתפלתו אקרא יומם ולא תענה לילה ולא דומיה לי ואתה קדוש יושב תהלות ישראל כלומר הוא ישראל והשם ית' שומע תפלתו ולמה לא שומע תפלתו וכי לא היה לו לומר גדול מזה שהוא הבן ולמה לא ישמע אביו צעקתו: *Porro quod in oratione sua ait (vs. 3.) clamabo interdiu, neque respondes, noctu, & non mihi est silentium, tu vero sanctus inhabitans laudes Israelis. q. dicat, Israel ille est, & Deus benedictus preces ipsius exaudit. Eccur vero non exaudivit ipsius preces?* Christum hominem hæc una cum antecedentibus in cruce pronuntiasse, Veterum quidam sentiunt. Quibus cum objiceretur ab Arianis, Christum Deum non esse, eo, quod is se derelictum & non exauditum conquestus sit, responderunt Christum hæc verba non sua, sed nostra, id est, omnium peccatorum persona pronuntiasse, inducti maxime, ut videtur, Græca versione, quam Latinus interpres est secutus, ut supra §. 2. h. cap. vidimus. Cæterum cum Ebræa veritas nullius peccati, quod Messias sibi ipsi attribuerit, faciat mentionem, alii Christum pro se ipso hæc dixisse docent, ut videre est apud Tertullianum, libro adversus Praxeam, Epiphanium hæres. LXIX. Cyrillum lib. X. com. in Luc. & Hieronymum h. l. nempe in lucta illa admirabili & angoribus extremis, cum non amplius, ut ante Luc. 22:43. ab Angelo corroboraretur, sed sine consolatione, ictum serpentis infernalis secundum generalem & primam passionum indicationem Genes. 3:15. calcaneo exciperet, ibi DEUS divinitatem suam quasi cohibens hominem pati permisit, ut sub acerbitate illa ingemiscens, more hominis derelicti, doloresque reapse sentientis, exclamaret.

§. 9. Neque hic est, ut R. Lipmannus cavilletur: למה לא ישמע אביו צעקתו או איך ישמע אונם היוצא מפיהם הלא אומרים שלא יולד כי אם שימות ויבוא בגהנם ויפדם ואיככה היה מתפלל להצילו: *Cur pater ejus clamorem ejus non exaudivit? aut quomodo auris illorum non attendit illi, quod dicunt? annon enim ajunt, eum non esse natum, nisi ut moriatur, veniat in gehennam & redimat eos?* Exaudivit utique eum, dum crurifragium effugit, ictum lanceæ antevertit, corruptionem in sepulchro evitavit, tertioque die ex mortuis resurgens se victorem mortis & diaboli ostendit.

§. 10. Nec moramur R. Lipmannum instantem: מה אלוה שעושין ממי שצריך להתפלל על הצלתו ואין בו כח להציל עצמו: *ecquem ex eo Deum faciunt, qui ut liberetur, precibus opus habet & seipsum liberare nequit?* Quasi vero verba illa non sint Christi hominis, qui etsi in hypostasin τοῦ λόγου erat assumptus, tamen DEI *servus* erat Esai. 49:5, 6. cui DEUS *aures perforavit* Psalm. 40:7. qui Jehovæ dixit, *Dominus tu es*, Psal. 16:2. de quo servo κατ' ἐξοχὴν ita dicto, tanquam ἰδίῳ & διαφορωτέρῳ ὀνόματι, Esai. 52:13. agitur. Equidem Lipmanni sanna parum abest ab illa, qua majores illius Matth. 27: vs. 43. Christo illuserunt, & quam Psalmographus vs. 9. prædixit, ut adeo illi necdum cessent ea proferre, ex quibus complementum Psalmi magis magisque elucescat. Sed nondum Judaicarum ineptiarum est finis: עוד שנזכר כאן שנאמר עליו מזמור זה היה לו אבות ואחים כמו שני' בך בטחו אבותינו ותפלטימו וגו' אספרה שמך לאחי וגו' ואיככה אומרים שאין לו אב ואם ושאמר היתה בתולה בלא בנים: *Illi, cujus hic fit mentio, & de quo Psalmus agit, sunt patres & fratres, ceu dicitur: in te speraverunt patres nostri, & tu eos eripuisti &c. narrabo nomen tuum fratribus meis &c. Quomodo igitur ajunt, ipsi non fuisse parentes, item matrem ejus virginem absque liberis?* At quem latet τὸ אבות notare majores? quos cum Maria ex qua Messias natus est, longa serie inde usque ab Abrahamo & Davide habuerit, quidni & ille sibi attribuere potuerit? Consimiliter vox אח non tantum fratres proprie & stricte sic dictos notat, sed & eos, quos ob *religionem* vel *fidem* vel naturæ ἑνότητα ita vocamus, quomodo Messias vocavit eos, qui verbum Dei audiunt, Matth. 12. v. ult. & Discipulos cap. 28:10. confer Ebr. 2:11, 12.

§. 11. Tandem Lipmannus urget: לחבל על עצמם שקוראים לאלהיהם תולעת ולא איש: *In funiculum hoc eis cedit, (quo se ipsos constringunt) dum DEUM suum vermem vocant & non virum.* Cum Messias non ita vocetur in se suaque natura, sed intuitu humiliationis, qua admirandum opus redemptionis generis humani peracturus, speciem habuit *viro inferiorem* Esai. 53:3. *minoratus est infra eos, qui Dii appellantur.* Psalm. 8:5. *Viris destitutus.* Esai. 53:3. *à populo rejectus*, Psal. 118:22. *faciem à sputo non cohibuit* Esai. 50:6. utique apparet, nihil hoc nostræ sententiæ officere, neque aliquid continere Scripturæ S. adversum. Eadem enim, quæ Messiæ divinitatem & regnum æternum tribuit, Mich. 5:2. Dan. 7: vers. 14. Messiam passurum & exscindendum prædixit, Dan. 9:26. Esai. 53: vers. 4, 5, 6. quæ cum Judæi conciliare nequeant, & perinde ac majores illorum Joh. 12:34. quærant: *ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πῶς σὺ λέγεις, ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;* factum inde est, ut duos diversos Messias finxerint. Unum, filium Josephi, quem occisum iri credunt; alterum, filium Davidis, qui prospera sit usurus fortuna. Quos merito, ut Dominus quondam simili ignorantia laborantes discipulos, compellamus, Luc. 24:25. *Ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται. Οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ;* quia, ut Apostolus Ebr. 2:9. ait, *Τὸν βραχύ τι παρ' Ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου.*

CAPUT III.

§. 1. Postquam objectiones, quas Judæi nequicquam contra Christianorum interpretationem adducunt, expendimus,

dimus, id nunc videamus oportet, quo idiomate Dominus noster verba Psalmi in cruce protulerit: Matthæus cap. 27: 46. eum ita locutum esse, refert: Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί; Quæ idem significare ait, ac Θεέ μου, Θεέ μου, ἱνατί με ἐγκατέλιπες. Marcus autem cap. 15: vs. 34. eum clamasse perhibet: Ἐλωΐ, ἐλωΐ, λαμμᾶ σαβαχθανί; ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον: ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες. Erasmus annot. ad locum citatum *probabile esse* ait, *Christum verba Psalmi pronuntiasse, ut ab ipso Psalmographo descripta sunt, alioquin videri posse, usum eum Chaldæorum lingua, qui Sabacktani pronunciant.* Similiter Beza ad Matth. 27. censet, Evangelistam Ebræa verba recitasse. Et D. Jac. Martini, lib. 3. de T. E. c. 52. *notandum esse* ait, *quod Evangelista vocem illam Christi Ebraico idiomate & quidem ipsa formalia Psalmi verba recenseant.*

§. 2. Cæterum quo minus in sententiam horum concedamus, obstat τὸ σαβαχθανὶ, verbum sane non Ebræum, sed Chaldæo-Syriacum. Quod cum à Domino nostro usurpatum esse uterque Evangelista testetur, formalia Psalmi verba Ebræo idiomate scripti, minime eum adhibuisse, eo ipso clarissime patet. Protulit igitur Christus verba Psalmi sermone Hierosolymitano, Syriaco nempe, qui tum in vulgari usu fuit. Quod cum B. Chemnitius quoque vidisset, & inde in examine Concilii Tridentini part. prim. probasset, in lingua vernacula & propria cujusque regionis divinarum Scripturarum usum licitum esse, dici non potest, quam paradoxa sit commentus Bellarminus, ne novum illud Pontificiorum interdictum de non legendis scripturis in lingua vernacula aliquid inde damni patiatur. lib. II. de V. D. cap. 16. ita scribit: *Quod in Græco & Latino habemus, sebactani, non hhasabthani, ut esse debuit, factum est, ut facilius pronunciaretur, quemadmodum dicere solemus Isaiam, Ezechiam, Hieremiam, Asverum & alia hujusmodi, pro Jesajahu, Irmejahu, Chizkiahu, Ahasveros & aliis diversissimis vocibus.* Contendit itaque Bellarminus Christum Ebræo idiomate, quo David Psalmum conscripsit, verba citasse, & interpretes cum Græcum tum Latinum Ebræam vocem עזבתני per euphoniam ita reddidisse. Sed euphoniæ gratia pro *asabthani* dictum esse *sebacthani*, quis unquam docuit linguarum gnarus? numquid non diversarum linguarum diversæ sunt voces? Recte igitur B. Majerus, Philol. Sacr. part. 2. pag. 84. *nullo exemplo demonstrare aut probare poterit unquam, Hellenistas ע per σ. & בת per χθ. expressisse. Meros lapides loquitur Bellarminus, quibus cerebrum excutere conatur omnibus, qui vel infra mediocritatem in lingua sacra & Syro Chaldæa docti sunt.*

§. 3. Instat nihilominus Cardinalis l. cit. *Si*, inquiens, *Christus Syriaco idiomate usus fuisset, dicendum fuisset, Hil Hil, lemono Sebactani.* Sed ℞. negando consequentiam. Ut enim nihil de eo dicamus, quod Bellarminus *Hil* scribit, (quam vocem Syriasmus ignorat) ruditatem suam prodit etiam, dum nescit, linguæ Syriacæ dialectum non unam tantum esse sed plures, neque præcise illa verba, quæ hodie in Syriaca versione leguntur, Christo Syriace loquuto fuisse usurpanda. Ut enim ex Gregorio Aful Faraio doctiss. Pocokius p. 360. notis ad specimen Historiæ Arabum refert; *Lingua Syriaca distinguitur in tres dialectos, quarum elegantissima est Aramæa, quæ est lingua incolarum Roha & Harran & Syriæ exterioris; proxima illi est Palæstina, quæ est ea, qua utuntur Damasci & montis Libani & reliquæ Syriæ interioris incolæ; at omnium impurissima Chaldaica Nabathæa, quæ est dialectus populi montium Assyriæ & pagorum Eraci.* Palæstinorum Dialectus, ut Antiochenam, Damascenam & Maronitarum complectitur, ita ad eandem referenda est Hierosolymitana, quæ post captivitatem demum Babylonicam enata est. Postquam enim populus Judaicus inde redux Chaldaicam linguam in patriam intulisset, ob reliquias tamen linguæ olim vernaculæ, illorum sermo propius ad Ebræorum idioma accederet, quam eorum, qui puram linguam Chaldaicam loquebantur, factum inde est ut ex utraque, Chaldaica nempe & Hebraica emergeret tertia mixta. Quæ licet à Chaldaica essentialiter non differret, vocum tamen terminationibus & flexione ita ab illa recedebat, ut pro diversa dialecto haberetur, nihilominus in N. T. ea locuti, dicebantur loqui ἑβραϊστὶ ceu patet ex Act. 21: 40. 22: 2. Joh. 19: 13, & 19. Atque hac lingua, quæ Act. 1: 19. Hierosolymitanorum ἰδίᾳ διάλεκτῳ perhibetur fuisse, ubi χωρίον αἵματος Ἀκελδαμά, sive ܚܩܠ ܕܡܐ ab ipsis vocari, memoratur, Dominus noster alibi usus est, cum filios Zebedæi βοανεργὲς appellavit, Marc. 3: 17. Petrum βάρ Ἰωνᾶ, Matth. 16: 17. divitias μαμωνᾶ, Luc. 16: 9. sacrificium κορβᾶν, Marc. 7: 11. & puellam demortuam alloquens, ταλιθὰ κοῦμι dixit, Marc. 5: 41.

§. 4. Quo ultimo exemplo id docemur, etiam literam Jud in fine olim eos pronunciando expressisse, contra quam recentiores Syrorum Grammatici, Amira, Sionita & Hesronita solent. Merito itaque Dn. Hottingerus p. 68. Gramm. Chaldæo-Syriacæ ad illud, & locum nostrum Matth. 27: 46. provocans, ex ruderibus in N. T. relictis colligit, *ab initio non fuisse sic, ut in pronunciando suffixum lateret.* Evangelista enim diserte meminit, Dominum exclamasse, ἠλὶ ἠλὶ. Nulla igitur apparet ratio, quamobrem Syrus in editione Erpeniana scripserit ܐܝܠ ܐܝܠ omisso suffixo, & in Parisiensi ܐܠܗܝ ܐܠܗܝ suffixo vocali destituta.

§. 5. Vocem ἠλὶ parum Syrissare, ac pro ea ܡܪܝ ܡܪܝ dicendum fuisse, doctissimus Lichtfootus putat, Horis Ebraicis pag. 314. Ante ipsum Joh. Drusius pro איל in Syro אלי scribendum esse docuit, quod & Ebraicum esse censet, & Syriacum, invito Ludovico de Dieu. Hugo quoque Grotius auguratur, factam esse transpositionem, & quod scriptum erat אלי, mutatum in איל, inde nato errore, quod אלי Syris esset incognita. Cæterum, si quidam Syrorum DEUM איל appellarunt, ut Grotius largitur, ecquomodo errore aliquo ita scriptum esse credamus? Agnoscunt utique Syri ܐܝܠ ܐܠ Esai. 14: 13. Gen. 35: 10. ܐܠܗܐ. Quin in compositis quoque nominibus illud apparet, ut cum dicitur ܥܡܢܘܐܝܠ Matth. 1: 23. ܝܘܐܝܠ Actor. 2: 16. ut minus verisimile sit, ita primum vocem fuisse scriptam errore quodam. Neque Lichtfooto adstipulamur, ܡܪܝ scribendum fuisse. Cum enim, Hebræum אל, pro quo ܐܝܠ dicunt Syri, sit vox plus *affectus* habens; ܡܪܝ autem, quod voci יהוה respondet, plus *honoris*, uti notat ad Psal. 110. Maldonatus, clare patet, illam magis his precibus, quam hanc convenisse.

§. 6. Si quæras, quomodo igitur Marcus, Dominum ἐλωΐ ἐλωΐ clamasse scripserit, respondemus ܐܝܠ ܐܠ & ܐܠܗܝ voces Syris usitatas esse. cum vero utraque simul à Christo minime usurpata sit, sed alterutra tantum, videri, voce ܐܝܠ eum usum esse, eo quod majorem convenientiam habet cum nomine ELIÆ, quem à Christo vocari, Judæi ad Christi clamorem cavillabantur. Fieri itaque potest, ut pro ܐܝܠ in Marcum ܐܠܗܝ irrepserit. Quod quomodo contigerit, H. Grotius his verbis refert: *Quod in tam multis exemplaribus* ἐλωΐ *h. l. penetraverit, inde profectum arbitror, quod sicut Lucas Evangelium initio maxime celebratum est per Ecclesias à Paulo fundatas: ita Marci per omnem Babylonicam* ἀποστολὴν, *cui Petrus præfuerat, ac proinde descriptum sermonem callentibus, quibus notius erat* ܐܠܗܝ *quam* ܐܝܠ.

§. 7. Quod alteram vocem attinet, diversimode illa scribitur, *in tribus* inquit Beza, *exemplaribus legimus* λεμμά, *in septem* λιμά, *in uno* λεμά. Quæ variatio partim ex diversa vocalium pronuntiatione, partim linguæ Ebraicæ ignorantia est enata. Unde factum, ut & Epiphanius, hæres. LXIX. fol. 328. diversimode legerit scripseritque. fol. enim 329. legimus λημὰς ἀμαχθανί. fol. 336. & 328. λεμᾶ σαβαχθανί. Est autem vel Chaldaica particula לְמָה, vel Ebraica לָמָּה de qua post Schindlerum Lexico Pentaglotto, Barth. Majerus part. 2. Phil. Sacr. pag. 88. hanc regulam tradidit: *Ante literas gutturales* אהחע *non legimus* לָמָּה *quemadmodum ante alias literas, sed* לָמָה, uti hoc ipso Psalmo videre est. Cæterum hujus regulæ universalitatem infringit vel solus locus Genes. 4: 6. ubi in לָמָּה חרה Dagesch ante gutturalem literæ מ est impressum. Quicquid vero ejus sit, id certum est, nihil aliud notare eam, quam *quare*. Quod enim Grotius vertendum contendit *quousque*, & שבקתני *relinques me*, præterito posito pro futuro, id minus recte fit, & omnino interpretes refragantur. Syrus ܠܡܢܐ, Chaldæus מטול, LXX. ἱνατί, Arabs لماذا reddiderunt. Quæ ad vocem σαβαχθανὶ dicenda adhuc erant, ea ob chartarum angustias adjicere vetamur.

M. CAR. ORTLOB

DISSERTATIO

De ſepulchro Chriſti ad Matth. XXVII: 60.

I. N. J.

I.



IN tractandis demortuorum corporibus varii prorſus ac diverſiſſimi occurrunt diverſarum gentium mores, ab omni ævo ſi reducere eorum memoriam placet. Alii enim cadavera ſuorum myrrha, aloë, cedro, melle, cera, ſale, reſina, bitumine medicata, unguentisque, & odoribus delibuta aſſervarunt ſecum, atque à putredine liberata per longos ſeculorum decurſus retinuerunt, velut de *Ægyptiis*, *Syris*, *Aſſyriis*, *Perſis*, aliis proditum *ab Herodoto in Thalia*, *Silio Ital. l.* 13. *Punicorum atque aliis eſt.* Alii ea, inprimis Parentum funera, propriis viſceribus condiderunt, pietatis eſſe rati, ſi egreſſi ex viventium illorum viſceribus, ingreſſum in ſua viciſſim non denegarent functis; id quod in *Derbicibus*, Perſica gente, probat, dum refert, *Chryſippus Philoſophus*, in *Scythis*, *Maſſagetis*, *Eſſedonibus*, *Indis quibusdam*, *Hibernis priſcis*, pluribusque aliis barbariei immaniſſimæ ſignum notat *Alexander ab Alex. Genial. Dier. l.* 3. *c.* 2. Aliis canes pro ſepulchro erant, quos etiam, ſepulchrales inde vocatos, alebat quisque per vitam, dum id officium ab iis ſibi mortuo exſpectabat, veluti *Hircanos* feciſſe olim auctor eſt *Strabo.* Alii abjectis defunctorum corporibus, beſtiis promiſcue ac vulturibus ferale epulum exhibuerunt, uti de *Taxilis*, *Brachmanibus*, *Iberis*, *Colchis*, *Parthis* & ſimilibus horum barbaris ex variis Veterum obſervat *Polydor. Virgil. l.* 3. *de rer. Inven. c.* 10. Alii de elementis certarunt, quaſi cuinam ex iis exſuviæ humanæ debeantur: dum illi aërem eligunt, cœloque non urna tegi volunt ſub dio ſuſpenſi & in Sole expoſiti, ſicut *Phrygiæ Sacerdotes*: iſti undas præferunt, & in puteorum profundis, ſtagnorum æquore, fluminum alveis, fluctibusve oceani cœmiteria deſignant ſua: ſic enim poſt *Pæones*, *Ichthyophagos*, *Lothophagos*, *Æthiopes*, etiam *Gothos* feciſſe, Regemque ſuum Alaricum, qui Roma direpta in Siciliam cum tenderet, ad Calabriæ littora rejectus & poſtpaulo Conſentiæ mortuus eſt, in Buſentino flumine illic cum theſauris ingentibus condidiſſe, apud *Jornandem lib.* 2. legimus: Hi ignem ſacris his commodiſſimum judicantes, cremant exſangues reliquias, atque ita purgatas quaſi in ſua reſolvi principia, ad ſua redire initia cenſent: quem morem à *Græcorum* multis, velut alia plura, *Romani* etiam aliquando transſumſerunt, ut *è legibus XII. Tabb. n.* 90. *ſq. apud Demſterum Antiq. Rom. l.* 8. *paralip. ad cap. ult.* apparet, quos inter primus ex Patritiis *Cornelius Sulla* combuſtus, *lib.* 1. *Appian.* mos autem hic ad Antoninorum fere tempora usque ſervatus *Alexandro ab Al. l. c.* traditur? Reliqui denique terræ matri exſucca credunt membra. Et hi quidem ut numero cæteros; ita ratione inſtituti etiam longis anteſtant intervallis. Ut enim omnia taceam alia, hoc modo Deus ipſe & ſepelire & ſepeliri voluit. Ipſe enim ſic contumulavit Moſen, Servum ſuum *Deut.* 34: 6. Immo ipſe ſic cum paſſus ac mortuus eſſet, ſepulchro inferri voluit JESUS CHRISTUS, Servator generis noſtri pientiſſimus. Vid. *Matth.* 27: 60. *Marc.* 15: 46. *Luc.* 23: 53. *Joh.* 19: 40. *ſeq.*

II. Magnum eſt & admirabile, quod dicimus: è tempore autem, cum hoc die, quo has disquiſitioni publicæ ſiſtimus theſes, ſepulturæ illius dominicæ memoriam recolat Eccleſia, cui proinde Philologicus hic auſus noſter ſe jure optimo attemperat. Si enim alii ſepulchrum Adami, primi Parentis noſtri, quærunt & non inveniunt: alii ſepulchrum Abrahami, Moſis, Davidis, Maccabæorum, deſcript. *Gen.* 23: 4. *ſeq. Deut.* 34: 6. 1 *Reg.* 2: 10. *Joſeph. l.* 7. *Ant. Jud. c.* 10. 1 *Macc.* 13: 27. mirantur: alii ad ſepulchra martyrum non majori devotione quam ſuperſtitione accurrunt: alii antiquos lapides, qui Romani nominis incomparabilem loquuntur poſteris gloriam, curioſius ſæpe quam fructoſius recenſent: alii Mauſolea Principum inquirunt ſumtu & labore plurimo, ſive ea peregrinæ oſtentent oræ, (velut *Legio in Hiſpaniis tumbas plurium Caſtellæ veteris Regum*, *S. Dion S. Catuliacus ſuorum in Galliis*, *Anglicorum Weſtmonaſterium Londinenſe*, *Danorum Roskilda*, *Suecorum Stokholmia*, *Cracovia Polonorum &c.*) ſive Germania noſtra paſſim exhibeat; (quippe in qua cineribus *Caroli M. & Ottonis III. Aquisgranum*, *Ottonis M. Magdeburga*, *Henrici Aucupis Quedlinburgum*, *Arnulfi Imp. Fulda*, *Conradi Saliqui cum poſteris*, *Rudolfi item Habspurgici cum Alberto* 1. *Auſtr. fil. Ulma*, *Auſtriacorum Auguſtorum aliorum Viennæ*, *Caroli V. Bruxella*, *Saxoniæ Electorum Freiberga*, *Brandeburgicorum Colonia ad Suevum*, aliorum Heroum alia loca gloriantur & ad ſe quam plurimos alliciunt:) Nos majori longe prolubio, viam gratæ recordationis ingreſſi ad Regis Regum Maximi Opt. monumentum proficiſcemur animo, quem nulla viæ pericula morantur, nullæ retrahunt impenſarum difficultates; ſed alæ Sacrarum elevant literarum, tum præeuntium quoque exſuſcitant exempla. *Euſebius* enim *Cæſarienſis olim Epiſc.* idem iter inſtituit, quippe cui de Servatoris monumento & ſepultura diſputanti *Conſtantinus ille M.* Imperatorum Chriſtianiſſimus, libentiſſime & ſtans quidem, & per multarum ſpatia horarum, donec omnis abſolveretur ſermo, aures præbuit non negligentes, velut *in Vita ejus l.* 4. *c.* 33. ipſe ille nobis teſtatur. Quin &, ut hoc unum adhuc præliminaribus his adjiciamus, ipſum nomen Sepulchri illius Sanctiſſimi, quo ab Evangeliſtis omnibus *μνημεῖον* inſignitur, meminiſſe jubet & quandam quaſi recordandi neceſſitatem imponit nobis, quemadmodum evolutio nominis edocere poterit, ad quam, ut regia progrediamur via, loco primo & miſſis porro ambagibus nunc, *Q.V.F.* convertimur.

III. Sunt autem NOMINA Loci ejus memorabiliſſimi partim ἔγγραφα, partim ἄγραφα. Illa inter primum, quod diximus eſt *τὸ μνημεῖον Matth.* 27: 60. 28: 8. *Marc.* 15: 46. 16: 2, 3, 5, 8. *Luc.* 23: 55. 24: 2, 9, 12, 22, 24. *Joh.* 19: 41, 42. 20: 1, 2, 3, 4, 6, 8, 11. *μνῆμα Luc.* 23: 58. 24: 1. Utraque vox *ἀπὸ τοῦ μνᾶσθαι à commemorando*, *reminiſcendo* deducta, vi originis ſuæ in communi id, quo nobis aliquid in memoriam revocatur, ſeu monimentum notat: illa præterea *apud Dionem in Antonio*, ſecretiorem ædium partem, aſſervandis pretioſioribus rerum natam. Utraque ſpeciatim appropriatur quaſi locis iis, qui excipiendis cineribus mortuorum ſunt deſtinati, à fine ſuo ſic dictis, cum memoriam ii non ſaltem ſitorum illibi, ſed & noſtræ mortalitatis nobis ingerant. Utraque commodiſſime *monumentum* redditur; ſi quidem ex aſſe Latinorum hæc notio, qua originem pariter atque uſum Græcæ illi reſpondet, quoniam & ea non modo in genere *quidquid ad memoriam ſpectare debet poſteritatis*, ut *Cicero ad Cæſ.* inquit; Sed & ſepulchrum ſpeciatim deſignat, ut in illo *Taciti de mor. Germ. monumentorum arduum & operoſum honorem*, *ut gravem defunctis*, *aſpernantur.* Deinde &

Τάφος

τάφ☉ nominatur *Matth.* 27: 61. 64. 66. 28: 1. quod nomen à verbo θάπτειν, *sepelire*, *humare* derivatum proprie *sepulchrum* redditur, cumque illud, quod designavimus verbum præter obscœnam quam apud *Aristophanem* habet una cum derivato isthoc suo τάφ☉ significationem, *Homero*, *Luciano aliisque* sæpe etiam *stupere aut cum stupore admirari* notet; hinc θάπ☉, & per Jonicam literarum transmutationem τάφ☉ ab isto verbi sensu *stuporem quoque ac horrorem* designat, à sepulchrorum conditione nec hoc modo procul deflectens, quæ τάφοι vel exinde dici videntur *Eustathio*, quoniam ἐκπλήττουσι τοὺς μὴ οἴκτῳ βλέποντας, *horrefaciunt aut in stuporem conjiciunt eos, qui cum commiseratione intuentur.* Quin præterea idem τάφ☉ quoque sæpius *funebres epulas* dicit, quas Judæis, Græcis, Romanis usitatas fuisse constat: *Homerus* autem τάφους sive simpliciter, sive ἐπιδορπίους τάφους nominare solet *Iliad.* φ & ψ *v. Eustath. Comment. ad eos ll. & Fessel. adverf. Sacr. l.* 1. *cap.* 12. §. 3. *p. m.* 68. Ast hic significatus dictionis à nostris locis omnino alienus est.

IV. Hactenus nomina ex historia sepulturæ Euangelica. Occurrunt autem & alia in sacris: inprimis locus *Matth.* 12: *vers.* 40. ubi sepulchrum suum Salvator ipse καρδίαν τῆς γῆς, *cor Terræ* nuncupat & per κοιλίαν τοῦ κήτους, *ventrem ceti*, in quo Jonas per triduum hæsit, *Jon.* 2: 1. præfiguratum fuisse nuntiat. Contendit quidem *Bellarminus l.* 4. *de Chr. cap.* 12. *non posse h. l. notari sepulchrum; quia cor est in profundissimo loco animalis, sepulchrum autem prope superficiem terræ, immo vero Christi sepulchrum supra terram elevatum fuisse videtur.* Ast quantum ad hoc posterius, falsam hanc esse hypothesin, §. 11. innuemus. Illud vero ex phraseos seu modi loquendi hujus accuratiori consideratione facile evanescit. Scilicet Servator ad verba & historiam Jonæ respicit, in qua Propheta fuisse dicitur בלבב ימים cap. 2: 4. ἐν καρδίᾳ τῆς θαλάσσης, *LXX. in corde maris*, *Vulg. Lutherus*: (sensum exprimens, cum metaphoram ipsam ignotam vernaculæ nostræ adhibere nollet) **mitten im Meer.** Velut autem Jonas præcise in meditullio maris non fuit, aut saltem vi phraseos hujus fuisse indubitato non asseritur: ita & Christus, dum se in corde terræ futurum prædicit, profundissimam medietatem & centrum ejus haud innuit, *Cor*, usitata metaphora pro *medio* ponit. Quid autem Spiritus S. idiomati in literis sacris frequentius, quam per *Cor vel medium* alicujus rei vel non præcise medium insinuare, vel nihil etiam addere nomini, quo cum pleonasticam periphrasin nomen illud *cor vel medium* constituit; ut adeo illud בקרב, בתוך, בלבב, ἀνὰ μέσον, ἐν καρδίᾳ, saltem pro *IN*, *INTER*, *INTRA* ponatur? *Psal.* 48: *vs.* 10. *Exspectamus, Deus, misericordiam tuam* בקרב *in medio templi tui* i. e. in templo tuo. *Ezech.* 2: 10, 11. *habitabo* בתוכך *in medio tui* inter te, *ait Dominus. Prov.* 30: 19. *Via navis* בלב *in corde maris*, id est, in mari. *Matth.* 13: 25. *seminavit inimicus zizania in medio tritici* h. e. inter triticum. V. plura *ap. Glass. Philol. S. l.* 3. *tr.* 1. *can.* 38. *p. m.* 149. *seq.* Quid quod *Bellarmini* παρερμηνείᾳ opponi possint *plerique è Patribus interpretes. Nostri omnes, è fratribus propriis Corn. Janssen. Com. in Concord. Euang. c.* 49. *p. m.* 326. *Maldon. in Matth.* 12. *col.* 268. *Corn. à Lap. in hunc eund. l. p.* 268. *Barrad. Tom.* 4. *Harmon. l.* 6. *c.* 1. *p.* 221. *Estius Comm. in Eph.* 4: 9. qui omnes sepulchrum aut solum, aut una cum eo infernum *h. l.* indicari concedunt. Conf. *Grot. ad h. l. p.* 481. *& Drus. l.* 6. *observ. c.* 7.

V. Idem sepulchrum nostrum an etiam *Ephes.* 4: 9. per τὰ κατώτερα τῆς γῆς *s. inferiores partes terræ*, ad quas descendisse illic Dominus dicitur: an item *Psal.* 16: 10. per שאול, ᾅδην *s. Infernum* indigitetur, altioris esse indaginis videtur. Admodum m. dissentiunt hic Interpp. & veremur nos, ut possit lis expediri sine invasione in forum & controversias Theologorum. Eæ v. cum ad nostram hanc cathedram non spectent, idpropter rem ipsis relinquentes hoc saltem occasione istorum, quod licebit forte, obiter adjicimus: *Bellarminum lib.* 4. *de Chr. c.* 11. *Lancellottum in Hæretico quare & cathol. quia, Delrionem & alios Pontif.* nimis audacter pronunciare, τὸ שאול non tantum non in Psalm. cit. sed nullibi prorsus in Scripturis Sacris pro sepulchro usurpari. E Psalmis enim, Jobo aliisque Sacris libris opponi loca non pauca possunt, quæ vid. *ap. B. Gerh. To.* 8. *Loc. de Morte.* §. 173. *Sixtinum Amamam antibarb. bibl. l.* 2. *ad Gen.* 37: 35. *p. m.* 432. *seq. & Rainold. cens. libb. Apocr. To.* 1. *præl.* 80. *&* 81. *tot. prolixe.*

VI. Pari pacto prætereunda nobis sunt loca *Esai.* 11: 10. והיתה מנחתו כביר *& erit requies ejus gloria*, verbo verbum si reddas, velut & *Lutherus* vertit: **Seine ruhe wird ehre seyn.** Ubi *vulgatus* habet: *Sepulchrum ejus erit gloriosum.* Et c. 53: 9. ויתן את־רשעים קברו ואת עשיר במותיו Ad verbum: *& ponet peccatores sepulchrum suum & divitem in mortibus suis*: Horum enim explicatio & vindicatio à *Bellarmini*, *Corn. à Lap. aliorumque* παρερμηνείαις, itidem magis Theologorum fuerit quam Philologorum.

VII. Extra Scripturam quibus sanctum illud monumentum Domini veniat nominibus, paucis etiam subjiciendum. Frequentius autem hic fere nullum aliud in Scriptoribus Ecclesiast. præsertim *Euseb. l.* 3. *de V. Const. & Sozom. l.* 2. *H. E.* quam ἄντρον, σπήλαιον, *antrum sacrum*, *Spelunca Sancta*, nim. à forma, qua erant Sepulchra illa Judæorum vett. ab ipsismet מערות dicta. Porro Sanctissimum salutaris Christi resurrectionis locum *Euf. lib. d. c.* 24. divinum immortalitatis monumentum *cap.* 25. Salutare antrum *c.* 27. vocat. Vid. præprimis *Epistola Constantini M. ad Macarium*, *relata in vitam illius ab Euseb. l.* 3. *c.* 29, 30, 31. *Socrate l.* 2. *H. E. c.* 6. *& Theodorito lib.* 1. *H. E. c.* 17. Germani nostri κατ' ἐξοχὴν nuncupant: **Das heilige Grab**/ quod nominis tamen etiam indunt sub Papatu degentes scenicis illis speluncis de quibus *infra* §. *penult.* commemorabimus. Satis vero hactenus de Nomine.

VIII. *CAUSA EFFICIENS* describitur in IV. Euangeliis 1. *à nomine*, quod ei *Josepho* erat, *à* יסף, *ab augendo, adjiciendo.* Gessit autem hoc cum omine & ex vero, auctus bonis animi & fortunæ illustribus Vir, commune sibi & cum Patriarcha, typo; & cum fabro illo, patre putatitio Christi, quæ Theologis prolixas meditationes præbent. 2. *à patria*, *Arimathæa*, quæ cum ab excelsis & radice רום nomen, atque hinc cognatas quoad nomen Urbes facile multas in Palæstina veteri habeat, vix ac ne vix quidem agnosci certo à nobis potest, quippe quæ præterquam in Historia hac sepulturæ alias nusquam prorsus in Sacris, totidem omnino literis nominatur. Inde ille dissensus Interpretum. *Hieronymo*, *Bedæ*, *Abulensi*, *Barradio*, *Janssen. Cornel. à Lapid.* est Ramatha vel Ramathaim, in Thamnitica regione & confinio Diospoleos 5. Liddæ posita, patria Samuelis, sedes Helcanæ & Annæ 1. *Samuel.* 2: 11. quæ in tribu Isaschar recensetur *Jos.* 19: *vs.* 21. ac levi mutatione literarum *Ruma*, *Rama*, *Aruma*, *it. Sophim* cognominata est. Aliis propius videtur nomen Urbis Aruma in tribu Judæ, de qua *Judic.* 9: 41. Aliis Ramath in tribu Gad, *Jos.* 13: 26. Aliis Ramah in portione Aser, *Jos. cap.* 19: 29. Aliis, quoniam *Luc.* 23: 51. additur *Urbem Judæorum* fuisse, Urbs Benjamitica est, vicina Hierosolymæ, Rama, quam suis temporibus Remtin vocatam fuisse, *Hier. & Euseb.* tradunt Syrorum autem est pro רמה dicere ארמתא Vid. pluribus *Grot. ad Matth.* 27: 57. *p.* 499. Res itaque valde dubia, parum ardui tamen momenti est. Si qua tamen eligenda ex tam diversis sententia, prima nobis non omnino rejicula videtur. 3. *à vitæ genere.* βουλευτὴς *Marc.* 15: 43. *Luc. c.* 23: 50. dicitur, quam vocem Græcam *Syrus* retinet, *Latinus* decurionem interpretatur non male, decurio enim in municipiis, quod Romæ Senator erat. At cui aderat consilio suo Josephus hic? an Pilato, ut *Lyra* opinatur? Haut puto: à Romanis enim moribus id alienum, admittere in consilium alienigenas. An Arimathææ patriæ? Ita quidem *Casaub. in notis* habet, sed merito improbat *Gerhard. Harmon. Euang. cap.* 205. *pag.* 2059. non enim circumstantiæ Euangelicorum textuum admittunt. Potius itaque Senatus Hierosolymitani membrum habebitur, si non ipsius Synedrii magni, quod *Grotius l. d.* negare vel ex eo audet, quoniam ἄρχων (id quod συνέδρων nomen sit) nusquam dicatur noster, solidone satis argumento, alii judicent 4. *à fortunis* πλούσι☉, *dives Matth.* 27: 57. dicitur; *Syrus* etiam εὐσχήμον☉ dictionem huc refert ap. *Marc.* 15: 43. per מיקרא vertens, quod *pretiosum honorabilem* dicit. Ast hoc spectat potius ad mores honestos & descriptionem 5. *à pietate*, quo pertinet quod ἀγαθὸς καὶ δίκαι☉ dicitur *Luc.* 23: 50. προσδεχόμεν☉ τὴν βασιλείαν θεοῦ *Marc.* 15: 43. *Conf. Luc.* 2: 25. 38. quod ἐμαθήτευσε, passive, h. e. discipulus Domini fuit, & quidem occultus, quod *Joh.* 19: 19. additur: non ergo ex XII. fuit, nec forte ex LXX. ut *Chrysost. in Joh. l. d. & Euthym.* putant: porro quod non consentit in condemnationem innocentis Domini, *Joh.* 19: 19. denique quod sepultura tam splendida Magistrum suum honorat, de qua deinde aliqua §. 14.

IX. *MATERIAM* Josepho huic non cocti lateres, qualibus inter nos concamerari dormitoria functorum solent; non cespides nudi, velut olim Germanis solenne erat, adhibere eos tumulis. *Vid. Tac. de mor. Ger. it. Virg. l.* 3. *Æn. v.* 303. non marmora & cæmentitiis operis accommoda materies alia, ex quibus passim Mausolea exsurrexerunt; sed petra præbuit una, continua, grandis, loco commoda nata. ἐν τῇ πέτρᾳ enim ἐλατόμησε monumenta suum *Matth.* 27: 60. *Marc.* 15: 46.

Et erat hoc moris inter Judæos, ſpecus, in quibus tum viverent pauperes, tum jacerent ſiti, excavare è rupibus, quas ubere copia regio ipſorum circa Hieroſolymam inprimis offerebat. Obſervat enim *ex Strabone Caſaub. Exercit. in Ann. Bar.* 2. *n.* 5. *p. m.* 145. totam regionem circa urbem dictam, ad ſexageſimum uſque lapidem eſſe (ὑπόπετρον) petroſam. Hinc ſciſſis ſub obitum Servatoris petris aperiuntur monumenta. *Matth.* 27: 51, 52. Hinc toties rupium ſ. in hiſtoria, ſ. in allegoriis veteris inſtrumenti mentio injicitur: quo de Concordd. teſtantur.

X. *FORMAM* porro quod concernit, non hoc natura effigiarat ſimulachrum, velut antrum Trophonium, Corycium, Themiſonium, in Poëtis celebrata, & ſpecus alias plures, ſed arte excavarat Joſephus ille. λαξευτὸν (ἀ λαξεύω ſeu λᾶς ξέω lapides incido) μνῆμα eſt, *Luc.* 23: 53. forma procul dubio recepta tum temporis, quam *ex R. Samuel Ben Meir, Talmudis par.* 4. *ſeu Seder Nezikim l.* 3. *Bava batra cap.* 6. *Moſe Ægyptio in Jad. l.* 12. *ſive Mecira c.* 2. *aliiſque Talmudicis Scriptis magnus ille Caſaub. Exerc.* 16. *n.* 78. *p.* 577. *ſeqq.* depingit & repræſentat nobis. Scilicet cum in more eſſet priſcis Ebræorum, ut ſinguli non ſepelirentur; ſed cum tota ſi fieri poſſet familia & Patribus ſuis cubarent ſpelunca in una; Solebant talem Patres familias ſi ex hæreditate non accepiſſent, pretio parare ſibi, quo accepto venditor vel manceps operæ cavernam (מערה) tenebatur in rupe excavare IV. cubitorum ſupra VI. h. e. longam 6. latam 4. cubitos. In ea caverna octo (ſec. alios XIII.) cavanda erant foramina (כוכים) ad ſingula corpora recipienda: parandus etiam (גולל) ſive lapis ori quietorii ſ. monumenti advolvendus, quo id clauderetur: denique ante id os atrium (חצר) ὕπαιθρον, lorica, ſepimentum, quo à terra circumjacente pura ſejungeretur, conſtituendum.

XI. Omnia hæc ut ex antiquitate Judaica certa ſatis ſunt: ita ſi ad verba Euangeliſtarum quibus ſepulturam & Reſurrectionem Dom. deſcribunt, contuleris, non adverſabuntur, quin juvabunt aliquando; utp. ad concilianda loca *Matth.* 28: 2. 8. *cum Marc.* 16: 5. Cum enim illic dictum eſſet, Angelum ſuper lapide oſtii remoto, atque ita procul dubio extra ſpecum in qua corpus Chriſti repoſitum fuerat, conſediſſe; hic autem viſum illum eſſe à mulieribus monumentum ingreſſis: ſubvenit obſervatio iſta, ac docet poſteriori h. l. Marcum monumenti voce laxius uti, illaque cum interiore conditorio ὕπαιθρον ſeu loricam (jure Pontificio Romano forum expreſſeris) una complecti, nec eſſe proin, cur aut cum *Baronio Tom.* 2. *Annal. Eccleſ. anno* 34. *num.* 189. *& Janſſen. Concord. l. d.* ſpeluncam duplicem peramplam, cujus pars anterior veſtibulum, poſterior ſeu interior autem pariete quaſi interſtincta ſpecum ſepulchralem demum exhibeat, aut cum *Maldon. in Matth.* 28: 3. *& Barrad. Harm. Tom.* 4. *lib.* 8. *cap.* 2. *&* 3. deinde duos vel tres etiam lapides, diverſis veſtibuli, ſpecus, conditorii oſtiis occludendis confingamus nobis. Silent, immo potius contradicere videntur teſtes αὐτόπται Apoſtoli, *Cyrillus Hieroſ.* etiam *catech.* 14. non habet hoc, quod ex eo mutuaſſe ſe putat *Baronius l. d.* penitius ſi excutias Σκέπην quandam ex eodem lapide, ſuo adhuc tempore ſepulchra Judaica ante aditum ipſum habuiſſe, ac talem forſan nec defuiſſe dominico monumento, ſcribit ille: aſt hocne ſtatim veſtibulum peramplo eidem ſaxo inciſum eſt? Quæ hæc vertendi aut pervertendi magis licentia? Σκέπη & προσκέπασμα aut loricam notant quandam circum monumentum, (velut circa tecta, *V. Deuteron.* 22: 8.) terram forte aliquot pedum eidem adjungentem & à reliquo horti agro hominumque uſu ſeparantem: aut projectum ſeu protectum, prominentiam tecti quandam, Græcis γεῖσον vel γεῖσον dictam, qua magnatum ædium ſuperliminaria ornari ſolent ac muniri, ne ſtillicidia fores & qui conſiſtunt in iis, male habeant. *Conf. Caſaub. l. d. num.* 122. *p. m.* 608. Non itaque ſeu duplicare ſpecum, ſeu multiplicare lapidem & transformare adeo monumentum nobis ſuſpicio *Baronii* qualiſcunque debet, quæ loca veterum corrumpit potius quam confert, nec ſibi ſatis ipſi conſtat. Quin acquieſcimus potius nos in forma paulo ante depicta, quicquid ex αὐτοψίας hodierna eidem objicitur inferius declinaturi; in præſens illud duntaxat ſubnectentes adhuc, *eidem Caſaubono l. d. n.* 134. *extr. Baronium* merito vapulare, quod ſupra terram elevatum omnino fuiſſe monumentum Domini contendat acriter, nec Euangeliorum circumſtantiis, nec teſtimoniis Patrum antiquorum ſatis id ferentibus. *Conf. Joh. cap.* 19: 5. *& Cyrill. catech.* 13.

XII. *FINIS*, quem Joſephus in exſtructione ſepulchri illius intenderit, facile ex hactenus dictis claret. Nim. excidit id in petra, ut haberet Hieroſolymis advena ubi cum ſuis poſt fata conditus quieſceret. Neque enim cuivis *facilis jactura ſepulchri* videtur, tum vero Judæis inprimis hæc erat, velut ſupra dictum, cura frequens. Neque enim culta tunc præ aliis gens, poſt alios humanitatis memoria diſtineri debuit, voluit. De *Maximiliano I. & Carolo V.* Imperatoribus, Avo & Nepote *Cuſpin. in vita illius & Toloſan. de Rep. l.* 6. *cap.* 3. referunt, quod aliquot annis ante diem ſuum ult. urnam ex iis quiſque circumtulerit paratam, qua ponere olim exſuvias geſtiret ſuas. Noſter Joſephus fati non minus memor ſui, matutius de dormitorio cogitavit, utque tanto frequentius memor eſſet ac oportunius Vir in re lauta conſtitutus, acceſſione multa effecit qui ſequente §. expediendus.

XIII. *LOCUS*, ab ipſo delectus, Hortus nempe proprius. Miſſis autem tum generalioribus circa hunc, tum Theologicis meditationibus, illud ſaltem initio notamus, quod extra urbem ordinarie ſepelierint Judæi, velut & aliis gentibus moris hoc fuit. Intra urbem tamen Regium Davidis ſepulchrum, ad montem Zion erat, quod ab Hircano theſauris ſpoliatum ingentibus Adriani Imper. tempore demum collapſum eſt, inter cujus rudera *Hieronymus* Oratorium aliquando delegit ſuum. *Vid. Epiſt. hujus* 17. *ad Marcellam & Baron. To.* 1. *a.* 34. *n.* 245, 246. Deinde quod ad latus urbis occidentale ſitus hortus ille fuerit ad montem Golgatha prope ſupplicii locum, quod exſerte notat *Joh.* 20: 41. Qui noſtris temporibus locorum veterum certam ſibi iſtis in oris imaginantur rationem, CVIII. pedes numerant à crucis Dominicæ ſede ad monumentum uſque à Sionia arce paſſus *M. V. Adrichom. in deſcr. Hieroſ. num.* 239. Tandem hortum hunc totum fortaſſe in uſum areæ ſeu loci ante monumentum vacui converſum fuiſſe dum conjicit *Caſaub. Exerc. cit. n.* 122. non attendiſſe videtur nobis, quod hortulanum proprium habuiſſe dicitur *Joh.* 20: 15. atque ita humanis uſibus exemtus hautquaquam fuerit. *conf. Grot. ad Matth.* 28: 2.

XIV. Accedimus ad circumſtantiam *TEMPORIS*, & quid pro diverſis ejus ſpatiis *ACCIDERIT* Sepulchro noſtro, quas vices ſubierit, ordine enarramus. Principio quoniam novum & à Joſepho Arimathæenſi excīſum, non acceptum dicitur monumentum *Matth.* 27: 60. *Johan.* 19: 41; Sub finem millenarii quarti à conditura mundi, ſeculo quadrageſimo medio circiter apparet exſtructum eſſe, cum ſub Romanis terrarum Dominis Judæa quoque jugum ferret & per Præſides ab Auguſto & Tiberio deinde acceptos, Herodis item filios, Tetrarchas, regeretur. Vacuum deinde ſtetit uſque ad A. Servatoris 34. (Hoc enim paſſum ac mortuum eum eſſe, ex ſententia Theologorum & Chronologorum celebriorum aſſumimus) interea enim in eo οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος velut *Lucas cap.* 23: 53. triplici negatione cum emphaſi uſus teſtatur, *nemo quiſquam unquam in eo poſitus erat.* Anno autem ſalutaris Epochæ, ejuſque veræ, quo dixi, in paraſceve Sabbathi magni paſchalis, horam circiter XI. Judæorum, (noſtri horologii quintam) accepit ſanctiſſimum illud Redemtoris corpus, depoſitum inæſtimabile, Curatoribus funeris Joſepho illo & Nicodemo Principe Judæorum, qui linteis ſubtilibus mundis (σινδὼν namque & ὀθόνια nil aliud deſignant) & divite aromatum cumulo totum illud involverunt. Scilicet non vulgari unctione, ſed pollinctura ſumtuoſiore uſi, quam à ταριχεία Ægyptiorum longe diverſam, atque hinc ab iis haut petitam eſſe, contra *Baron. anno* 34. *num.* 169. *Taciti* locum negligenter adhibentem pertendit *Caſaub. l. d. num.* 112. *pag.* 591. Quomodo hinc clauſus lapide magno aditus, obſervatus à Mulieribus locus, à principibus populi obſignatus & cuſtodia militum poſtero die munitus, ab eadem prima Sabbatorum, poſtquam reſurrexiſſet Dominus & cum terræ motu deſcendens Angelus lapidem removiſſet, deſertus, ab Apoſtolis & fidelibus aliis magna gaudii & admirationis contentione quæſitus iterumque atque iterum viſitatus, prolixe docent *ultima IV. Euangeliorum capita*: quid vero poſt iſta factum de eo monumento ſit, non tangunt. Itaque ad hiſtoriarum Eccleſiaſticarum & profanarum expoſitiones nobis nunc tranſeundum eſt.

XV. Seponimus autem hoc loco ea, quæ de Joſephi periculo ob ſepulturam obitam *Greg. Turon. l.* 1. *c.* 21. refert *apprehenſus Joſeph in cellam includitur & ab ipſis Sacerdotum principibus cuſtoditur; ſed reſurgente Domino nocte parietes de cellula in qua Joſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublimi, ipſe v. de cuſtodia Angelo abſolvente liberatur, parietibus in locum ſuum reſtitutis.* Incertæ namque prorſus fidei ſunt hæc traditamenta. Anno Æræ Chriſtianæ vulg. 70. cum Titus Veſpaſianus Hieroſolymam muro circumducto ſtadiorum 39. variiſ-

variisque aggeribus structis cingeret, captam deinde solo æquaret universam nec super lapide lapidem relinqueret, ut prædixerat Christus *Luc.* 19: 14. impletum autem esse contestantur *Jos. l.* 7. *de bell. Jud. c.* 17. & *Euseb. l.* 3. *H. E. cap.* 7. an communem cum aliis suburbanis locis Noster ille fortunam subierit, aut mutationem passus aliquam in tanta confusione sit, quandoquidem nemo attendit aut prodidit, sciri certo atque asseri non potest. Sane aggesta terra sepultum quasi Sepulchrum refodere se credidit posterior ætas, sed quæ ob ruitionem memorabilis illius cryptæ non tam huic obsidioni & desolationi urbis, quam Adriani odio tribuisse, ex seq. §. 19. declarabitur.

XVI. Seculo II. post Chr. N. circa annum 129. & seqq. cum Ælius Adrianus Imperator Judæos Barcocheba Duce tumultuantes compesceret & circa Veteris Hierosolymæ locum Æliam Capitolinam ædificaret, non Judæis modo ægre facturus, habitatione novæ Urbis omnino iis interdixit, & portæ suem insculpsit; sed & *existimans se fidem Christianam loci injuria peremturum, in loco passionis simulachrum Jovis consecravit & Bethlehem adonis fano prophanata est, ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, ut pateretur; passus est ut resurgeret; resurrexit, ut regnaret; judicatus est, ut judicaret*, ut loquitur *Paulinus Ep.* 11. *ad Severum. Hieron. vero ad hunc Paulinum Ep.* 13. *Ab Adriani temporibus usque ad Imperium Constantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulachrum Jovis; in crucis rupe statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur.* Cum his quanquam alii paululum discrepent; [*Dio* enim *in Adriano*, *Xiphilinus aliique* Jovis Capitolini templum loco non eo, quo tum passus, sepultus est Dominus; sed quo olim augustissimum illud Salomonis templum steterat, excitatum ab Adriano esse tradunt, *Eusebius* etiam *loco nunc adducendo* non nisi templi Veneris meminit, & *Ambros. in p.* 43. locum passionis sive montem Calvariæ Venerarium hinc dictum recenset; *Sulpitius Severus* denique *lib.* 2. *Histor.* in genere saltem simulachri dæmonum in loco passionis excitati meminit] id tamen à tot testibus excipere securi possumus, gentiles ista ætate ex Christiani nominis odio, si quam impietatis & zeli improvidi speciem designare ibi potuerunt, neutiquam id intermisisse.

XVII. Seculo itaque quarto demum, cum post longas & graves persecutiones sub Constantino M. respiraret rursum Ecclesia, gloriosissimo Imperatori illi post definitum Concilium Nicenum, h. e. circa annum 326. N. C. primum in mentem venit Monumenti Dominici inquirendi & excitandi eo in loco templi, dum aliis passim in locis multo sumtu sacras erigeret Ædes. Et consilium Augusti & consilii exsecutionem aut successum nemo nos docere rectius *Eusebio* poterit, qui ea & vixit & scripsit ætate, deque negotio illo, quod coram Imperatore solenni excussit disputatione, ut §. 2. exposuimus, inprimis fuit eruditus. Ita autem ille *lib.* 3. *de V. C. cap.* 24. & *sqq. His rebus ad hunc modum constitutis, aliud quoddam opus maxime memorabile apud Palæstinorum gentem divinus iste Imperator efficere aggressus est. At quodnam quæso? sanctissimum illum salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolymis, existimavit ita à se illustrari debere, ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur &c. Istud Servatoris sepulchrum impii quidem & scelerati homines ex hominum memoria delere cogitabant, & (quæ eorum inscitia fuit) censebant veritatem ad hunc modum se posse occultare. Itaque primum permultum capere laboris cœperunt in terra aliunde & extrinsecus invehenda, qua locum universum obducerent, deinde cum molem terræ in immensam altitudinem erexissent, constravissentque lapidibus, divinum sepulchrum, ingente aggere supra injecto obtegere. Post cum nihil jam illis ad opus explendum deesset, super illum terræ cumulum, nefandum revera & exsecrabile bustum animarum construere & recessum lasciviæ Veneris dæmoni una ædificare, simulachrisque mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas, super impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare.* Post pauca, quibus Constantinum repertum divinitus idoneum esse perhibet, qui dirueret prorsus fanum & exportare aggerem defossum juberet, quod è vestigio factum est, pergit: *simul atque vero solum terræ oppletum sordibus egestum fuit & aliud solum, id est, locus ille monumenti ex abditis terræ sedibus eminebat, ipsum etiam venerandum & sacrosanctum salutaris Christi resurrectionis monimentum, præter omnium spem una emersit &c.* Post ista mandatum de augustissima illic condenda Æde ad verbum recitat, & *c.* 40. demum, Helenam eodem tempore, quo ornatum ampliter templum illud est, loca subiisse sancta & ibi præter Constantinianum illud, in Bethlehem seu nativitatis loco & Olivatum monte de quo adscenderat Dominus, duo ædificasse templa alia subjungit.

XVIII. Cum his si conferamus nunc Scriptores Ecclesiasticos reliquos, abire quidem non parum ii, aut miscere vix consonantia videntur. *Ruffinus l.* 1. *c.* 7. & 8. prorsus Constantinum silet, Veneris templum loco passionis duntaxat imponit, & Helenam tribus illic inventis Crucibus (de monumento verbum nullum) templum regia ambitione mirificum construxisse refert. *Socrates lib.* 2. *cap.* 13. Helenæ tribuit monumenti inquisitionem pariter ac inventionem: imo tres cruces in monumento offendisse eam, (id quod tamen prorsus absimile vero; neque iis credibile, quibus fictio alias nulla nimia est. *Baronius* sane cæterique sodales ejus cruces prope sepulchrum inveniunt, quoniam forma hujus, ut alia taceam intromissionem tot patibulorum vix permittat.) & hinc templum ibi constituisse pronunciat, sui propemodum oblitus: nam *in anteced. cap.* 6. inter alias Constantini Epistolas etiam eam, quæ de inventa abs se non cruce sed crypta dominica ad Macarium Episcopum Hieros. agit, retulerat. *Theodoritus lib.* 1. *cap.* 18. adhuc magis se implicat. Postquam enim *c. præced.* 17. enarrarat eandem Epistolam de qua diximus, *has literas*, subdit, *pertulit ipsa Imperatoris mater.* Et statim: *Mox ubi locum conspexit, qui admisisset communis salutis tormenta, abominandam illam ædem dirui & aggerem exportari jussit, oppresso v. sepulchro jam apparente* (atqui de allevato jam monumento in literis gloriatur Imperator, deque crucibus silet. Quomodo ista sibi constant Theodorite?) *visæ quoque sunt juxta dominicum monumentum tres defossæ cruces*, & quæ sequuntur. *Sozomenus lib.* 2. *cap.* 1. habet, cogitasse quidem primo Constantinum gratitudinis ergo exornare Hierosolymis Calvariæ locum templo, sed Helenam interea eo loci devenisse, & ægre quidem eruisse tandem destructo Veneris fano sepulchrum cum crucibus ad latus loci confuse positis, & hinc augustam illam impositam ibi Basilicam esse. Ita se accepisse, adjicit. Ast quo plures audimus, eo prope confundimur magis. Nimirum traditionibus multa facile adnascuntur, & crescunt inter manus narrationes. *Eusebio* itaque vel uni, qui quod ad Constantini & Helenæ laudes facere quovis modo potuit, nullatenus præteriit, præ aliis dabimus fidem, & ad secula abhinc sequentia oculos jam stilumque convertemus.

XIX. Deprehendimus autem in iis frequentem multorum concursum ad exculta noviter ista Palæstinæ loca. Testatur enim *Theodoritus* sec. medio V. scribens, *l. c. accurrisse tum illuc universos Dei amantes ad tantæ magnificentiæ spectaculum.* Immo jam ante ipsum sub finem seculi quarti *B. Hieron. in iis habitans terris Epist.* 13. *ad Paulin. citata: de toto huc orbe concurritur*, ait, *plena est civitas universi generis hominum & tanta utriusque sexus constipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere cogaris. V. & præfat. ejus in Ezech. & Epist.* 17. *ad Marcellam.* Ast & hoc una occurrit, quod plurimos eorum qui non cognoscendæ saltem antiquitatis & historiæ ergo, verum ex superstitione & cum opinione cultus eo advolabant, ejusdem ætatis Patres reprehenderint. Ita sub seculi 4. finem *Greg. Nyssenus peculiari oratione* in eos invehitur, cujus summa capita exhibere Lectori potest *B. Chemnitius Exa. Conc. Trid. par.* 4. *de Reliq. Sanct. p. m.* 670. *Baronius* quidem *To.* 4. *Annal. a.* 386. *n.* 39. declinare hoc telum & ad solos Monachos restringere *Nysseni* animadversionem satagit, sed qua fide, ex generalibus argumentis laudatæ Orationis, verbisque ipsis legenti facile constare potest. Laudat eodem tempore *B. Hier. in Epist. ad Paulin. Hilarionem, quod cum Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, uno tantum die viderit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Deum loco claudere videretur.*

XX. A visitationis hujus continuatione retraxit deinde plurimos si non vox Episcoporum ejusmodi monitoria, turbo certe ille, qui istas paulo post invasit oras. Nam A. 615. à N. C. tempore Heraclii Imperatoris Cosrhoës II. Persarum Rex, velut à *Cedreno* accepimus, Palæstinam adortus, Hierosolymam capit, & magna strage hominum facta Patriarcham Zachariam cum cruce Dominica, quæ putabatur, aliisque thesauris abducit, quæ reddita demum post decennium per filium ejus Siroën sunt, cum is Patre cæso cum Heraclio pacisceretur. Non multo post, nempe circa a. 636. à Muhammedis propinquo Omar, Abubecri Filio & successore, Calipha Sarracenorum occupatur denuo Hierosolyma

& 400.

& 400. amplius annis sub eorum jugo manet. Qui quidem habitare illic & vacare utcunque religioni suæ Christianos passi sunt, nihilominus tamen cum essent barbari & latrociniis infames populi facile averterunt plurimos ab hactenus itineribus ad sacr. monumentum, in quo num mutarint quicquam novi hi hospites, an suis omnia reliquerint locis diserte haut constat. Judicari ex Beda potest, qui sub finem septimi ejus & sub initium sequentis seculi florens ita de eodem refert *in C.* 15. *Mar.* idem *l. de locis Sacr. atque alibi passim* repetens: *De monumento Domini ferunt, qui nostra ætate de Hierosolymis Britanniam venere, quod domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa tantæ altitudinis, ut intro consistens homo vix manu extenta culmen possit attingere. Quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus advolutus est. In cujus monumenti parte aquilonari sepulchrum ipsum, hoc est, locus dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium vero palmorum mensura cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebatur. Color autem ejusdem monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur esse permixtus.*

XXI. Seculi noni initio sive a. 806. circiter *Carolus M. Imp.* ut habent *Annales Fuldenses*, *Aventinus aliique*, per Legatos Sepulchrum Christi donariis missis veneratur, immo ab *Aarone* (*Aharune*) Saracenorum tum temporis Amira in Syria, muneribus etiam ipsi missis placato, dono illud vicissim oblatum, una cum cœnobiis vicinis accipit. Claves Romam missas *ex Reginonis lib. 2. Cent. Magd. 9. cap. 7. pag.* 177. testatur. Quomodo autem aut ipse aut posteri hoc munere usi sint, non reperimus. Illud in imperfectis istorum temporum historiis legimus, quod sub exordium seculi XI. A. C. 1010. vel 1012. Calipha & Sultanus Ægyptius (*Hacham vel Alhacham* quibusdam nominatur: alii per imprudentiam *Caliphæ* nomen quasi proprium ipsi indunt) matre Christiana natus, ne videretur Christianus, rupta pace quæ cum Basilio Orientis Imperatori ipsi intercesserat hactenus, templum illud Constantinianum sumtuosissimum ad Christi Sepulchrum everterit, monasteria cremarit, & religiosos extorres fecerit. Annis tamen 23. post sive ipso (ut *ex Cedreno Calvisius* habet *Operis Chronol. a.* 1033.) sive filio ejus, Dabir concedente (ut *ex Tyrio Micrel. Syntagm. Histor. l. 2. s. 5. q. 11. p.* 515.) instauratur iterum templum, misitque Romanus III. Imp. Or. qui præessent operis, suoque perfecit illa sumtu Constantinus IX. frater, teste *Tyrio cit. l. de bell. sacr. cap. 5. & 6.* Non multo post, medio eodem seculo, cum Saraceni mutuis dissidiis proprias attenuaverant vires, Turcarum, quos in auxilium evocarant ante, in eosdem ipsos conversa potentia est, iisque cum Palæstina Hierosolymam quoque eripuit; sed post paucos annos, belli sacri tempore rursus perdidit, quo de aliquid nunc subjungendum erit, postquam hic illud adhuc præmiserimus, quod iisdem, de quibus nunc egimus, temporibus, ipsoque quod multi volunt a. 1012. (*Calvisius* tamen *cum Centuriatoribus Magdeb.* in sequiores hujus seculi recte rejicit annos) ordo cœperit Hospitalariorum, der Spittal-Herrn in terra sancta, quam vocamus: Ita dictus, quod auspiciis Mercatorum quorundam Italorum ex Amalfi urbe comparato à Saracenis pecunia loco, templum ibi D. Virginis, duo Monasteria & Xenodochium exstruxit, excipiendis iis qui ad visendum Monumentum nostrum & reliqua Sancta loca (ita enim ferebat istorum temporum pertinax superstitio) confluerent: additum deinde est Oratorium S. Johanni Sacrum. Unde nomina *Hospitalariorum*, *Johannitarum*, *Amalfitarum*, *Sepulchritarum*, qui quando dignationem Equitum acceperint, mox docebitur.

XXII. Cum a. 1065. tempore Henrici IV. Imper. aliquot millia Christianorum ad sepulchrum visentium ab Arabibus trucidarentur, ut *Sigebertus in Chronico* autor est, nec latrociniis illic modus aut finis periculis esset, Petro Eremita classicum canente, Urbano II. Papa in Claremontano Concilio persuadente, multi è Gallis & Germanis Proceres, ductore inprimis *Godefrido Bullionæo*, Lotharingiæ Principe bellum Sacrum suscipiunt, terramque Sanctam & Sepulchrum S. inprimis erepturi barbaris, quasi Argonautæ quidam Christiani, in Orientem an. 1096. penetrant atque Hierosolymam (quam undecim mensibus ante Saracenorum in Ægypto Amiras, opportunitate temporis usus, receperat à Turcis) a. 1099. capiunt, muralem coronam ipso Bullionæo illo merente, qui oblatum propterea Regis Hierosolymitani titulum prope aversatus est, nec nisi spinea corona in templo Resurrectionis ad ipsum monumentum inaugurari voluit: Mortuus hic a. seq. 1100. & Sepultus in eadem illa Æde, successorem fratrem *Balduinum* & abhinc VIII. adhuc alios habuit; per ann. 88. Inter hos tertius, *Balduinus II. de Burgo* cognominatus ann. 1118. (al. 1123.) Templariorum ordinem Equestrem instituit ex iis, qui Patriarchæ Herosolymitano offerebant & collocabant operas suas in coërcendis latronibus, qui ad sepulchrum nostrum accurrentibus iter infestum præstabant. Hi à loco domicilii & conventus *Templarii* dicebantur, quod juxta templum à Balduino accepissent habitationes; *Ordo item S. militiæ & milites templi* à munere & officio suo, de quorum insignibus & regulis *ex Bernh. V. Cent. Mag. 12. cap. 6. pag. 393. sq.* Balduinum II. qui excepit Rex IV. Fulco Hospitalarios s. Johannitas Equitum honore ornat, qui sub Magistro Ordinis adhuc hodie supersunt, in varias distincti familias. Ex his & Templariis tertium quoddam genus Equitum & mixtus *ordo Teutonicus* eodem adhuc seculo sub finem oritur, *Henrico VI. Imp.* eum confirmante. Et hujus reliquiæ hodienum supersunt, sed ad finem illum primitus intentum parum aut nihil conferentes. At enarranda paucis sunt quæ restant ad Historiam monumenti nostri pertexendam, ne nimium excrescat hæc tractatio.

XXIII. Amittitur ann. 1187. Hierosolyma cum Sepulchro & regno, dum inter se dissident Christiani, occupante urbem *Saladino*, Ægypti Sultano, bellatore strenuo, qui loca illic sancta profanat, Muhammeticam religionem introducit, & Latinos expellens Græcis Syrisque Christianorum reliquiis ægre aliquam adhuc Hierosolymis stationem relinquit. Fama in Europam perlata, varii quidem passim consurgunt Reges & Proceres, ad reparandam terram sanctam proni, sed parum proficitur. Opponit *Guido* Rex Hieros. IX. è captivitate à Saladino dimissus reliquas viricularum, sed impares tanto Tyranno reprimendo, præsertim cum æmulus præterea eum, Conradus Marchio Montisferratensis sufflaminaret. Suscipit novam belli Sacri expeditionem *Fridericus Barbarossa* Imp. & ex aliquot victoriarum à Turcis relatarum lætis ominibus, feliciter rem confecturus videbatur; sed lavans in amne Serra suffocatur vertice abreptus, & sic conatus hic intervertitur an. 1190. Moritur hinc Saladinus, ejusque fratri & successori *Saphadino Henricus VI.* ut eriperet Palæstinam Moguntinum, aliosque cum copiis ann. 1197. præmittit; sed & ipso subito obeunte, re infecta disceditur; atque ab isto etiam Imperatore affectum ita magis, quam perfectum est bellum sacrum. Circa ann. 1218. *Corradinus* Saphadini Filius, Damasci & Hierosolymorum Sultanus, spe retinendæ urbis hujus ab imminentibus Christianis desperata, eam muro exsuit, splendidiora ædificia & monumenta diruit, soli turri David & sepulchro Domini parcit. Ann. 1229. & seq. *Fridericus II.* Imp. Rex alias Siciliæ cum exercitu Palæstinam ingressus à Sultano Hierosolymam per pacta recipit & ibi coronatur. Reparantur mœnia urbis, restituuntur sacræ ædes, etiam sepulchralis illa: non multo autem post, adhuc superante & vivente Friderico illo sed afflicto Pontificum injuriis, dum Templarii pacta violant, *Soldanus Ægyptius* per Grossonios (al. Chorasmios) populos ex Babylonia evocatos, seditiosos cædit, & Hierosolyma sine labore direpta, quosvis obvios necat, urbem penitus evertit, nulli quantumvis splendido ædificio, nec ipsi sacrosancto Christi sepulchro parcens. Neque ex eo Christianorum res in illis oris melius unquam habuerunt, sed indies in deterius prolapsæ sunt, Christianis omnibus, Ptolemaide etiam, ultimo eorum asylo, ann. 1291. capta, ex Palæstina Syriaque ejectis. Frustra Templarii renitebantur ac Hospitalarii, quorum illi seculo seq. circa ann. 1311. & 12. in Gallia & Germ. quo secesserant, deleti ob insolentiam & abrogati omnino sunt: hi vero in Cyprum profugi initio, Rhodum deinde expugnarunt & per annos CC. ad Caroli V. usque tempora tuiti sunt, Maltamque deinde ab eo acceptam adhuc hodie tuentur ac tenent. Allexit quidem Christianos (ad quorum etiam fidem repudiata Muhammeti lege transierat) denuo ad recipienda loca sancta *Chaganus* Tartarorum Princeps, postquam ann. 1298. totam ademerat Saracenis Syriam, & Hierosolymam cum templo restaurarat; sed mox in morbum prolapso eo, spes omnis concidit & Sarracenis rursum hæc omnia cesserunt, quibus & demum an. 1516. à *Selimo* Turcarum Imperatore X. erepta sunt, ex quo etiamnum sub Turcarum imperio Sepulchri Dominici locus cum terra S. reliqua est V. omnino *Cent. Magd. 13. c. 16. extremo col. 690. seq.*

XXIV. Hæc itaque fata monumenti Dominici, postquam renatum quasi Constantino resuscitante visum est, hæc de eo & circumjacente regione bella sunt gesta; Pontificibus Romanis plerumque ex libidine dominatus amplioris consequendi,

quendi, classicum sonantibus. Inter ista Christiani sanguinis quantum heu quantum, fusum est! Iniri certe cæsorum numerus neutiquam potest, postquam tot myriadas tenebricosa ætate illa devotionis incesserat opinio, nulla præsentissimorum periculorum meditatione retrahi se passa, donec de persuasionis vanitate edocta superiore seculo rectius Christiana turba, tandem, licet sero satis, melius saperet. Diceremus hic de periculis *Friderici III. Sapientis Sax. Electoris*, quæ anno 1493. cum Christophoro Bavariæ Duce in visitatione Sepulchri sacri, paulo ante ea tempora renatæ majoris lucis subiit, qui postea redux *Martinum Pollichium Mellerstadium* Med. D. viæ comitem & ex fidelitate charum sibi introductæ recens abs sese huic Academiæ nostræ Wittebergensi primum Rectorem dedit. Ast ut hoc aliaque prætereamus, chartarum impetrat angustia.

XXV. De ultimis saltem his, nostrisque temporibus subjicimus paucis, rariores quidem non tamen prorsus nullos in iis esse, qui adeant & lustrent monumentum dominicum. Hi autem plerique hodie *Japham. s. Joppen* appellunt primum, unde Guardiano Hierosol. adventum nuntiant suum, qui impetrato à Turcis salvo conductu excipit hospites novos & per *Ramam s. Rumam* (veterem Arimathæam ut plerisque placet) vicum hodie tenuem, *Hierosolymam* usque (*Cudsbarich* nunc vel *Cuzumobarich* à Turcis vocatam, longe angustius veteri opidum) bidui itinere deducit. Nullibi fere sine muneribus patet via; sed passim ab avarissima gente Turcarum pecunia satis multa exigitur. Hospitium plerumque Franciscani Monachi (quos præter Græci, Armenii, Georgitæ, Nestoriani, Judæi cum Turcis Urbem inhabitant) præbent, qui etiam in templo Resurrectionis juxta cum particula crucis (ita persuadent si non sibi, tamen aliis) monte Golgatha, ruptura petrarum, loco crucis ac similibus aliis, Sepulchrum tandem advenis ostentant ipsum: id quod hac nobis forma describunt *Adrichomius*, *Brocardus*, *Bredenbachius*, *Wolfg. Muntzer* & reliqui, qui circa a. 1483. 1556. &c. visitarunt, partim etiam ibi Equites Hierosolymitani s. Sepulchri Sancti ritibus certis creati sunt. Nimirum in medio templi rotundi sub apertura ampla ac dio petra est excisa quadrata, XVI. pedes longa, VIII. lata, altaque totidem, marmore candido exterius obducta, interius strata. Janua versus ortum patet non satis alta. Ingressis, vestibulum apparet & paries medius speluncam bipartiens, in quo per humile ostiolum irrepere potius quam ingredi in partem petræ posticam licet, in qua ad dextram & latus septentrionale locus sepulti olim Domini seu caverna conspicitur marmore grisei coloris intecta, trium altitudine palmorum, octo pedum longitudine, pendentibus è sublimi faculis perpetuo igne lucentibus. Intrare neminem facile, nisi qui ante 9, Zekinos s. Ducatos, quos vocamus, solverit. Tanti nempe post devoratas periculosissimi itineris tot molestias, volentibus decipi, curiosa constat libido. Eadem enim esse, quæ dicuntur, illa, quisquis omnino crediderit, næ eum multæ credulitatis, aut parum integræ mentis esse, nos quidem arbitramur. Sane nec *Baronius*, nec Pontificii alii, istis alias peregrinationibus tantum tribuentes, inficiari queunt, faciem speluncæ primam prorsus esse immutatam. Forte autem si prorsus aliud esse dicerent monumentum, magis adhuc è vero dicerent. Desinimus plurium, & brevissimis adhuc

XXVI. *COGNATA* Sepulchri Dominici expedimus. Nominanda hic nobis initio spelunca (σπήλαιον enim *Patres plerique veteres* appellitant) stabuli, in qua natus & in lucem hanc editus creditur Salvator Bethlehemi. Saxosis enim in locis iis incisæ habitationes & cellulæ in petris pleræque erant. Deinde monumenti illius simulachrum nobile occurrit, quod Gorlitii in Lusatia Patritius quidam *Georgius Emmericus* superiore seculo XV. ex Palæstina redux ad imaginem non veteris & verioris Sepulchri Judaici, sed recentioris formæ condidit, quodque ab illac transeuntibus lustrari frequentius solet. De quo inter alias vana ista persuasio illic locorum obtinet, nemini longitudinem dormitorii sacri aptam exacte, nisi eodem illo anno morituro, esse. Tandem tangendæ etiam repræsentationes annuæ Sepulchri dominici & scenica illa pompa, qua singulis festi paschatos vigiliis aut Sabbathis magnis Christo Pontificii multis in locis Sepulchrum excitant, idque pravo more suo visitant. Non dubitat tamen *Corn. à Lapid. Comm. in Esai.* 11: 10. ponere in dramatico eo mimo gloriæ illius partem, quam sepulchrò Salvatoris affuturam Propheta l. d. pronunciavit.

XXVII. Nos vero, dum profligato opere dicendæ sunt laudes Numini, monumentum ponimus aliud, in quo quiescat amor noster JESUS CHRISTUS ille crucifixus. Specum humile cordis nostri desiderium designabit. Latera non marmor, Sed candor sinceritatis & grata mentis memoria vestiet. Lucebit hic de igne verbi perpetuo accensa fidei lampas: fumabunt precum thura. Tu modo JESU noster, novum fac ut sit hoc monumentum nostrum. Te dante Josephi demum sumus, h. e. aucti donis illis, quæ in tuam vergant gloriam, nostram salutem.

γένοιτο! γένοιτο!



M. GODFR. THILO
DISSERTATIO
De ſepulchro Chriſti ad Matth. XXVII: 60.

בש״ש

PRÆLOQUIUM.



QUanta olim religione monumenta illa, quæ vel Sanctorum vel quorumvis magnorum hominum cineres ac oſſa contegebant, Gens quælibet ſectata ſit, docent vaſta hiſtoriarum volumina. De Chriſtianis ſuperiorum ſeculorum certum eſt, quod parum pium cenſuerint eum, qui Hieroſolymis non fuiſſet, & ſepulcrum Chriſti ſemel atque iterum non viſitaſſet. Nec minus Judæi magna quondam animi commotione ſeſe proſternebant ad ſepulcra juſtorum, *partim ut mortuum deflerent*, (α) partim *ut Prophetam aut Doctorem ſepultum DEO commendarent precibus, eidemque felicem optarent reſurrectionem: precantium vultu ad urbem ſanctam converſo*, id quod vel ex luculenta *Salomonis*, *Bar Nathanis* formula precandi manifeſtum eſt, quam cum verſione dedit *Cl. Pocok.* (β) apud *Celeberr. Hottingerum* (γ). Sed, declinante Chriſtianiſmo, laudabilis ille mos in meram ſuperſtitionem abiit, de qua jam ſuo tempore conquerebatur *S. Auguſtinus* (δ). Papicolæ enim hodie viſitationibus illis, neſcio, quæ merita tribuere non verentur. Et delira Judæorum natio, inter fundamenta legis recepit, *hanc fidem: quod omne bonum ſibi accidat propter meritum Abrahami: Iſaaci & Jacobi*, referente *ex Maimonde Hotting.* (ε) Quare nunc inviſit ſepulcra, ut nuncupet vota ac preces DEO, pro ſua ſalute. Equidem, reverentiam deberi ſacris iis & religioſis locis, non negamus, adoranda autem protinus illa eſſe, quis nobis perſuadebit? Sed delectentur alii monumentis aliis: nos, ceu par eſt, pietatem Salvatori, tempori obſervantiam admetientes,

Τȣ̃το πρᾶξωμεν.
— — — *& id, quod inſtat, agemus.*

Cum enim hactenus Præcones Verbi divini frequentiſſimam SEPULCRI CHRISTI mentionem fecerint, de eodem nonnulla ex probatiſſimis Philologis, quaſi ſpicas collecturi ex aliorum meſſe, afferre nobiſcum conſtituimus. Ita proficiſcemur omnium tutiſſime ad Redemptoris Sanctiſſimum Sepulcrum mente, quam nec viæ diſpendia atque pericula morari, nec impenſarum difficultates retrahere poſſunt. Quod iter noſtrum, ut ſalutariter procedat, Faxit ille, qui eſt VIA & VERITAS.

§. I.

NUlla profecto gens adeo barbara, aut ab humanitatis uſu aliena, quæ ſepelire cadavera, patrio ritu non probaverit. Eſt enim Sepultura juris naturæ, judice *Chryſoſtomo* (ζ), uti illud pluribus demonſtrant *Cl. Kirchmann.* (η) & *Pl. Reverend. Dn. D. Quenſtedt* (θ). Hinc etiam in bellis, ubi alias leges ſilent, non fuit ab infenſiſſimis hoſtibus inſuper habita. Nam quamprimum à pugna reſpirare licuit, hæc una ſtatim cura tam Imperatoribus, quam militibus incumbebat, ut cæſos ſepelirent. *Hannibal*, licet juratus nomini Romano hoſtis, tamen *Flaminii* interfecti corpus, ut terræ mandarent, quæri juſſit (ι). Eandem humanitatem *L. Cornelius* Conſul *Hannoni* præſtitit (κ). Valeat igitur Stoicorum rigida & ab omni humanitate longe remota ſecta, qui parum intereſſe affirmabant, *ſupra terram, an infra putreſcerent*. Quibuſque illud ſemper in ore: Cœlo tegitur qui non habet urnam ſentienti. Rectius *Arminius* vetus Poëta:

Humano generi poſuit natura creatrix
Hanc legem, ut tumuli membra ſepulta tegant.

Sed quam varii cadavera de medio tollendi ac ſepeliendi ritus ſint, ab aliis dictum eſt. Quidam mortuos vel morti vicinos devorabant, & quidem vel totos, ut *Scythæ*, *Pontici*, *Padæi*, *Hiberni*, *Maſſagetæ*, *Derbices*, vel excepto capite, ut *Sidones*, *Eſſedones*, *Panebi*. Alii avibus vel canibus dilaniandos objiciebant, ut *Hircani*, *Bactrii*, *Indi*, *Perſæ*, *Parthi*. Quidam in mare & paludes projiciebant, ut *Æthiopes*, *Ichtyophagi* dicti, *Pæones*. Alii ex arboribus vel patibulo ſuſpendebant, ut *Tiberani*, *Colchi* &c. De quibus omnibus, eo, quo nominavimus, ordine, prolixe agit laudatus ante *Kirchmann.* (λ)

§. II. Atque hæc quidem dira immanium populorum feraque barbaries erat, melius aliquanto, inter alios, Judæi, qui cadavera terræ, ceu primæ parenti, unde ortum traxerant, reddebant. Quapropter ad eandem nunc propius devolvimur ſepeliendi rationem, ubi de SEPULCRO CHRISTI diſputare animum induximus. Faciemus autem initium à re minutiſſima h. e. Sepulcri Etymologia. Sepulchra à ſepultum ꝫ ſepelio juxta *Iſidorum* (μ) omnium commodiſſime derivari, notius eſt quam ut dici queat. Quemadmodum enim mutato T. in C. & inſerto R, ab ambulatum fit ambulacrum: ab involutum involucrum: à ſimulatum ſimulacrum, ita etiam à Supino ſepultum, fit ſepulcrum. Quare ut in hac derivatione multis immoremur, & cum *Interprete Terentii*, *Andria primore*, dubitemus, *utrum dicatur ſepulcrum κατ' ἀντίφρασιν, quod ſine re pulcra ſit? an quod ibi ſine pulſu ſint, id eſt, mortui? an quod illis animæ à vivis ſepeliantur, id eſt, ſeparentur?* parum attinet.

§. III. Æquipollentia nomina, quibus ſepulcrum appelletur, apud Latinos, Græcos & Ebræos paſſim reperiuntur. Nunc enim monumentum, nunc conditorium, nunc requietorium, nunc ſepulcretum dicitur, ſed ſtricte accepta voce ſepulcreti, cum alias in ſignificatione famoſiori locum denotet pluribus ſepulcris ſacrum, quem Veteres Hebræi non בית מתים domum mortuorum, ſed בית חיים domum vivorum, teſte *Schikardo* (ν), *qui Conſtantino L'Empereur, Vir Orientalium L L. peritiſſimus & in aliis verſatiſſimus audit*, (ξ) Chriſtiani Cœmiterium nominant, & Germanice Einen Gottes Acker. Aliter etiam ſedes, tumulus, domus, ſtabulum cadaverum, nec non ſarcophagus apud Poëtas pariter

(α) *Joh.* 11: *verſ.* 31. (β) *Notis Miſcell. ad Port. Moſ. pag.* 224. (γ) *In Cippis Hebr. pag.* 28. (δ) *De Moribus Eccleſ. Cathol. cap.* 34. (ε) *l. c. pag.* 27. (ζ) *Lib.* περὶ ἐϑȣ̃ς. (η) *De Funer. Rom. Append. cap. III. pag.* 683. (θ) *De Sepult. Vet. cap. II. pag.* 19.

(ι) *Livius Dec. III. Lib. II.* (κ) *Valer. Max. L. V. cap. I.* (λ) *l. c. cap. II. pag.* 669. *ſeqq.* (μ) *L. XV. de Etymol. cap. II.* (ν) *De Jure Hebr. cap. VI. pag.* 169. (ξ) *In Jachiad. pag.* 145.

pariter ac Historicos vocatur, Græcis dicitur τάφος (ο), à verbo θάπτειν, quod sepelire, humare significat: item μνημεῖον (π), nec non μνῆμα (ρ). Hebræis sepulcrum notatur vocibus בור & קֶבֶר. Nonnunquam etiam per שְׁאוֹל id in Sacris literis indicatur (σ). Quod probe tenendum contra *Martinum Delrionem* (τ), *Andream Crocquetium* (υ) & plures alios è Pontificiis, qui negant unquam in Scriptura vocem illam Hebraicam notare sepulcrum. Confer hic *P. Meisnerum* (φ), & *Quenstedt* (χ). Cæterum antequam altius provehamur, *Homonymiam*, quæ errorum genitrix est, hic prius evolutam demus oportet. Verum cum id laudati à nobis Celeberrimi Viri, egregie præstiterint, nolumus actum agere, aut singula eorum verba huc transscribere. *Lege Rivetum* (ψ). Et quilibet facile advertit, quod hic significationem sepulcri propriam attendamus, quando pro loco speciali in eum finem constructo accipitur, ut mortuum corpus humanum vel ossa ejus contineat.

§. IV. Non autem licet, neque placet, nobis inpræsentiarum insigniores Sepulcralium Pyramidum & Mausolæorum structuras molesque contemplari, quarum magnum numerum ex universo orbe, Asia, Africa, America & Europa ἐν συνόψει exhibuit *Clariss. Dn. Mullerus* (ω), sed Domini ac Servatoris nostri monumentum, quod Germani das Heilige Grab vocant, tantum paulo accuratius intueri sedet animis. Quod dum facere aggredimur, Scripturæ S. relationem nobis proponendam censemus, quæ de eo sequentia habet apud Evangelistas (α). Ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ ὅπου ἐσταυρώθη κῆπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον καινὸν, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη. καὶ κατέθηκεν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ ὁ Ἰωσὴφ ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ λαξευτῷ ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. καὶ προσκυλίσας λίθον μέγαν ἐπὶ τὴν θύραν τοῦ μνημείου ἀπῆλθεν. Latinus ita vertit: *Erat autem eo in loco, ubi crucifixus est hortus & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Et deposuit corpus JESU Joseph in monumento suo novo, quod erat è lapide excisum, quod ceciderat in petra, in quo nondum quisquam fuerat positus. Et advoluto saxo ingenti ad ostium monumenti abiit.* Ita amice conspirat Quadriga illa Evangelistarum apud Gerhardum p. m. (β)

§. V. Cum vero Sepulcra Judæorum non unius generis fuerint, hinc sedulo dispiciendum erit ante omnia, ad quamnam classem monumentum Christi referendum sit. *Ligtf.* (γ) observat Sepulcra quædam extraordinaria, & inter hæc 1. קבר הנמצא *Sepulcrum inventum*, id est, Interprete Mullero (δ), cum cadaver in agro detegitur, ibi inscio Domino defossum. 2. קבר מזיק את הרבים *Sepulcrum publice nocens* cum cadaver propter viam publicam defossum, polluit transeuntes. Deinde etiam Sepulchra alia *Vulgaria*; alia *Nobiliora* sunt. Ac quidem quod *Vulgaria s. publica*, (quæ *Ciceroni* (ε) loci communes dicuntur) attinet, in quibus promiscue cuilibet è plebe jus erat tumulari, probare ea multi conantur cum *Menochio* (ζ) & *Sanctio* (η) ex 2 Reg. 23: 6. ubi *Josias* pulverem combusti luci dicitur projecisse *super Sepulcra* בְּנֵי אָדָם *filiorum populi*: h. e. juxta *Sanctium*, *ubi vulgares homines tumulari soliti.* Alii ex *Jerem.* 19: 11. Sed quam bene ac congrue vide sis apud *Magnificum Dn. D. Gejerum* (ϑ), qui commodius ea probari putat ex *Jeremiæ* 26: 23. Ubi *Uriæ gladio interfecti cadaver, dicitur projectum ad sepulcra filiorum populi, ut scilicet hoc modo cum ignobili obscuraque plebe ejus simul periret nomen.* Et tale commune cœmiterium, ubi vulgus & inopes sepeliebantur, *Vallem Cedron* fuisse, quæ contigua civitati Sanctæ eam totam ab Oriente cingebat, sunt qui existimant. Ita *Cornelius à Lapide* (ι) *Commune*, inquit, *Judæorum Sepulcrum erat in Valle Cedron, in ea parte, quæ Gehenna seu Tophet appellatur, ut patet ex 4 Reg. 23: 6. Indeque hæc vallis dicta est Cadaverum, Cineris, Calvaria & regio mortis.* Hodie illic Turcas sepeliri refert *Adrichomius* (κ).

Hæc *vulgaria* Sepulcra non omnia ejusdem fuerunt census. Alia etenim destinata erant hominibus *bonæ famæ* tam *Indigenis* (λ) quam *peregrinis* (μ), iis scil. qui ex variis orbis terrarum partibus annuatim ad solennia Hebræorum festa venerunt adoraturi Dominum (ν). Huic honestorum hominum ordini, accenset illud quod LXX. vocant πολυανδρεῖον (ξ), *Mullerus* (ο). Alia hominibus *ultima supplicia passis.* Duo illorum paravit Synedrium, unum occisis gladio, & strangulatis, alterum lapidatis & combustis, ut ex *Sanhedrin* (π) retulerunt *Ligtf.* (ρ) *Seldenus* (σ) *Geier.* (τ) & *Mullerus* (υ). Atque hinc factum, subjicit laudatus jam jam *Reverendiss. Dn. Gejerus, quod Josephus pius ille Christi sectator, iniquissimum ratus, tantum DEI Virum communi nebulonum sepulcro inferri, abiverit ad Pilatum, ibidemque ambiverit indultum; suo liceret sibi inferre monumento. Nobiliora* autem Sepulcra constructa erant pro hominibus nobilioribus ejusdem familiæ, in eodem loco sepeliendis. Eminent inter hæc in Sacris monumenta *Patriarcharum* (φ), *Regum Juda* (χ), *Regum Israel* (ψ). Et in horum numero iterum deprehendimus *quædam solitaria*; cujus indolis est Sepulcrum *Rahel* (ω), *Aaronis* (α). *Multa communia.* Ubi tamen notandum quod communionis causa non ubique eadem fuerit. Plerumque *hæreditas*, unde dicuntur *sepulcra hæreditaria* & patria, *Gideonis* (β), *Samsonis* (γ). *Hinc Sanctius* (δ) *In sepulcra illa non unum tantum inferebatur cadaver, sed tota familia in illa jus habebat quasi hæreditarium, quare in Sepulcro Abrahæ conditi sunt postea Isaac & Jacob, & sæpe posteri inclusi esse dicuntur in parentum monumentis. Et inde natus est dicendi modus; dormire cum patribus suis &c.* Sæpe *familiaritas*, unde Sepulcra familiaria quæ quis sibi suæque familiæ constituit. Aliquando *honor*; propter quem Christo Sepulcrum suum commune fecit *Josephus.* De hoc itaque Nobiliori Sepulcro nunc solliciti sumus, quod & *peregrinum* & *alienum* appellari potest. *Qui enim in vita non habebat domicilium neque post mortem habet tumulum*, pie inquit *Theophylactus* (ε).

§. VI. Erat autem Sepulcrum Christi extra urbem, uti pleraque Judæorum monumenta. Non quidem inficiamur etiam *Hebræos* aliosque populos in urbibus cadavera suorum sepeliisse. De *Græcis* consule *Plutarchum* (ε), item *Polybium* (ζ). Apud *Romanos* primitus quemque in suis ædibus terræ mandatum fuisse, præter *Isiodorum* (η), *Alexandrum ab Alex.* (ϑ) testis est *Servius* nominatissimus ille Virgilii interpres (ι), qui ad hæc verba, *Ædibus hunc refer suis & conde sepulcro*, inquit, *Omnes homines in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus &c.* An vero id commode satis fieri potuerit ob immunditiem etiam sepulcris suo modo adhærentem, disquirant alii. *Adi Geier.* (κ) Certe *Clariss. Kirchmannus*, qui judice *Dn. D. Quenstedt* omnium conatus in hoc argumento superavit, apud Latinos fortean id obtinuisse, concedit, nunquam vero Romæ (λ). Nostros quod spectat Ebræos, iis intra urbem olim sepulcra fuisse, manifestum est ex exemplis Regum in utroque populo. Imprimis perspicuus locus est (μ), ubi *Sanctius* autumat, *in horto illo illustre aliquod mausolæum dignum regio cadavere constructum fuisse ab ipsomet Rege adhuc vivo.* Et eadem urbs *Ramatha* præbuit infantiæ *Samuelis* cunas, adultæ ætati domum & funeri Sepulcrum (ν). *Sepelierunt eum* בְּבֵיתוֹ בָּרָמָה *in domo sua, in Rama.* vide *Hotting.* (ξ) *Ubi etiam docet, Abneri sepulcrum in media Hebron monstrari.* Ex his liquido patet, quam falsus sit *Alphonsus Tostatus* (ο), quando ait: *Signate dici speluncam illam emptam in jus sepulcri fuisse in agro & extra civitatem, quia nunquam mos fuit sepeliri corpora mortuorum intra civitates, nisi apud Christianos &c.* Quem recte refutavit *Pererius* (π). Plura tamen & frequentiora Judæorum Sepulcra extra urbes, in locis à viventium domiciliis separatis, fuisse, ostendit evidenter Scriptura S. variis exemplis. De *Hierosolymis Maimonides*:

(ο) *Matth.* 23: *vers.* 27, 29. *item cap.* 27: *vers.* 61, 64. (π) *Joh.* 19: 41. (ρ) *Luc.* 22: 53. (σ) *Gen.* 37: 35. 1 *Reg.* 2: 6. *Psal.* 16: 6. (τ) *In Adag. Sacr. V. T. Tom. I. p.* 209. (υ) *In Catechesibus Catech.* 19. (φ) *Part. II. Phil. Sobr. Sect. I. c. III. qu.* 2. (χ) *l. c. cap. IX. p.* 247. (ψ) *In Gen.* 37. *Exercit. CLI. v.* 577. (ω) *L. II. de Sepulc. vet. Ebr. cap. II, III, IV, V. pag.* 13. *seq.* (α) *Matth.* 27: *vers.* 60. *Marc.* 15: *vers.* 46. *Luc.* 23: *vers.* 53. *Joh.* 19: *vers.* 41. (β) *Harmon. Evang. cap. CCV. p.* 2058. (γ) *Chorog. cap. C. pag.* 176. (δ) *l. c. Lib. III. cap. II.* (ε) *Verr. VI.* (ζ) *L. VIII. Reip. Ebr. c. IV. qu. III.* (η) *Ad Actor.* 1: 9. (ϑ) *De Luct. Ebr. cap. VI. §.* 10. *p.* 130. (ι) *Comment. in Jerem. cap.* 19: *vers.* 6. (κ) *In Descript. Jerusal. n.* 204.

(λ) *Jerem.* 26: 23. (μ) *Matth.* 27: 7. (ν) *Hunnius in h. l.* (ξ) *Ezech.* 39: 11. (ο) *l. c. pag.* 21. (π) *Cap. VI. halach.* 5. (ρ) *Horis Hebr. in Matth.* 27: 58. (σ) *L. II. de Syned. XIII.* 4. *pag.* 537. (τ) *l. c. §.* 15. *pag.* 145. (υ) *l. c. L. III. cap. VIII.* (φ) *Genes.* 49: 31. *Jos.* 24: 3. (χ) 2 *Paral.* 21: 20. (ψ) 2 *Reg.* 13: 13. (ω) *Gen.* 35: 20. (α) *Deut.* 10: 6. (β) *Judic.* 8: 32. (γ) *Judic.* 16: 31. (δ) *In cap. II. Act. pag.* 79. (ε) *In XIX. Johann.* (ε) *In Lycurgo & Lacon.* (ζ) *L. VIII. Hist.* (η) *Lib. XV. de Origin. c.* 11. (ϑ) *Lib. VI. Gen. dier. c.* 14. (ι) *In L. VI. Æneid.* (κ) *l. c. §.* 9. *p.* 123. *seqq.* (λ) *l. c. L. II. c. XX. p.* 258. (μ) 2 *Reg.* 21: 18, 26. (ν) 1 *Sam.* 25: 1. (ξ) *Cippis Hebr.* 50. 30. (ο) *Comm. in Gen.* 50: 13. (π) *Com. in eund. l. Gen. Disp. IV.*

Non, inquit, *pernoctare in ea permittunt mortuum: non portant per eam ossa mortui: non permittunt in ea sepulcrum, exceptis sepulcris domus Davidis & sepulcro Huldæ* &c. apud *Ligtf.* (ϱ) Ita in Agris, Montibus, vallibus, sub Arboribus, ad viam, in Hortis sepulti leguntur. *In agro Hebronensi* fuit sepulcrum *Abrahæ, Saræ* & cæterorum *Patriarcharum* (σ). Et *Menochius* (τ); *Judæi*, inquit, *in agris extra urbes sepulcra constituebant cubiculis similia, quæ plures homines possent capere.* De reliquis confer citatum supra *Mullerum* (υ). *Immo & horti, qui tamen*, dicente *Dn. D. Gejero* (φ), *refectionis ut plurimum causa instrui solent, apud nonnullos perpetua hæc in se continebant mortalitatis monumenta.* Ita *Josephus Arimathæus* in horto suo, (qui ad partem Urbis Occidentalem spectans à monte Calvariæ centum & octo pedum, à monte Sion vero mille passuum spatio distabat juxta *Andrichomium* (χ). Sibi monumentum excidi curavit, quod procul dubio nec ipse primus nec solus instituit. Et hoc est quod Salvatori nostro in dormitorum cessit.

§. VII. *Erat in loco eo, ubi crucifixus est, hortus & in horto monumentum novum, &c.* sunt verba textus. Ubi tenendum vocabulum τόπος hic non ἰδικῶς, pro fœtido illo & ignominioso monte suppliciis destinato accipi, sed φυσικῶς, prout denotat universum tractum monti Golgathæ vicinum. Cum enim Civibus Jerusalem, copia incolarum vix se amplius capiens, & confluxus peregrinorum, debitum culturæ hortorum spatium non permitterent, hinc viridaria sua extra mœnia habebant. In tali itaque horto Sepulcrum Christi excavatum erat ἐν τῇ πέτρᾳ in petra vel rupe. *Marco* dicitur λελατομημένον ἐκ πέτρας excisum è petra. Est autem λατομέω, ῶ, verbum formatum juxta *B. Gerhardum* (ψ), à nomine λατόμος, lapicida, quod est compositum ex λᾶας & τέμνω, qui lapides incidit ac lapidibus extruit. *Lucas* vocat id λαξευτὸν incisum, quod à verbo λαξεύω derivatur. Dicitur λαξεύω quasi λᾶν s. λᾶς ξέω lapides incido, polio, scalpo & futuro operi apto. Confer locum (ω) ubi λαξεύειν ἢ κόπτειν τοὺς λίθους conjunguntur. *Syro* appellatur קְבִירָא נְקִירָא *monumentum effossum*, nimirum ex petra excisum. Ex quibus omnibus ultro patet, Sepulcrum istud non ex multis lapidibus apte inter se coagmentatis extructum, sex ex solida rupe excisum fuisse. *Namque solum circa Jerusalem ad sexagesimum usque lapidem ὑπόπετρον, petrosum, saxosum, h.e. subtus lapidosum erat* (α).

§. VIII. Præterea dicitur Sepulcrum hoc, μνημεῖον καινὸν ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος, h. e. *monumentum novum in quo nondum quispiam positus fuerat.* Et hæ sunt rationes cur καινὸν vocetur. Erat enim noviter atque recens excisum & nullum adhuc cadaver susceperat. Quare consequens est Christum in eodem primum omnium jacuisse. Atque ut paulo altius expendamus formam hujus tumuli, ante omnia scopulorum instar fugiemus structuras, quas religio citeriorum seculorum vel excitavit vel interpolavit, ne ex præsentium facie Scripturam S. temere judicemus. *Bernhardus Bredenbachius*, qui A.C. 1483. loca illa sancta visitavit, hodiernam sepulcri Dominici formam apud *Gerhard.* (β) ita describit. *In medio templi, sepulcro Dominico superextructi est petra excisa, quadrata, octo pedes alta, sedecim pedes longa, octo pedes lata, marmore candido exterius obducta, versus ortum est janua, per quam si quis in petram illam excisam progrediatur, inveniet parietem in duas æquales partem dividentem; in hoc pariete est aliud quoddam ostiolum, per quod in posticam petræ partem ingressus patet; in qua ad dextram versus Septentrionem ostenditur in pariete caverna ex marmore coloris grysei excisa, trium manuum altitudine & octo pedum longitudine, pendentibus è sublimi faculis perpetuo igne lucentibus.* Quam formam fucatam & longe aliam esse, ab ea quæ fuit tempore Apostolorum inter alia ex eo ostendi potest, quod hodie nonnisi per duorum ostiorum ingressum sepulcrum Dominicum intueri liceat, cum tamen olim Johannes potuerit in illud παρακύψας, h. e. protenso collo cum levi corporis inflexione id respicere (γ).

§. IX. Certum vero Nobiliores apud Judæos speluncam elegisse, quæ cadaveribus numerosæ familiæ dormitorium commodaret. Quo pertinent, quæ *Quaresmius* (δ), apud *Gejerum* (ε) αὐτόπτης testatur, scil. *duo imprimis in sepulcris Ebræorum animadverti posse, unum quod à natura & alterum quod ab arte acceperunt. Illud, quod speluncæ essent nativæ in rupibus, ad quarum imitationem aliæ fodiebantur: hoc vero quod postea arte & labore perficerentur.* Nos itaque brevem exhibebimus Sepulcri Christi ideam tum ex Scriptura S. tum ex Talmude, & hæc potissimum summa capita attendemus, nimirum *Specum sepulcralem, ostium specus, lapidem ostium claudentem & atrium ante ostium.* De singulis ordine.

§. X. In *Talmude* (ζ) insignis pro sepulcris Ebræorum locus est, quem plene adduxit & additis Rabbinorum commentariis illustravit *Mullerus* (η). Ex quo sequentia observamus: Forma *Specus* debebat esse quadrata. Quatuor etiam fuerunt cavitatis illius latera, & fundi area sine dubio quadrata. De Lacunari cum nihil extet, arcuatum id fuisse, quia durabilius est, credit citatus *Mullerus.* Mensura autem specus hujus variabat pro varietate Sepulcri, nunc angustioris, nunc augustioris. Longitudo angustioris sex, latitudo quatuor cubitis: Angustioris autem illa, octo, hæc sex cubitis definiebatur. Altitudo quatuor cubitorum per Additiones Rab. æqualiter erat. Et talis spelunca (quæ Rabbinis ab usu & fine קֶבֶר i. e. Sepulcrum, à forma vero מְעָרָה antrum dicitur,) procul dubio etiam fuit monumentum Christi. Hinc à Scriptoribus Ecclesiasticis (θ) ἄντρον, σπήλαιον, antrum sacrum, spelunca sancta &c. appellatur. Cum vero non singuli seorsim à suis sepelirentur, sed tota familia in una spelunca, hinc octo vel tredecim pro diversitate moduli Sepulcri excavabant foramina (Rabbinis כוכין Kokin dicta) quæ conditoria erant pro singulis corporibus reponendis. Specialem itaque locum ubi sanctissimum Domini corpus positum erat, unum ex illis octo vel tredecim kokin i. foraminibus fuisse docet *Magnus Casaubonus* (ι), quem plures sequuntur. Contra *Mullerus*, quod Kokin cum Scriptura S. ob difficultates quasdam componere haud sciret, in ipsa specus area, probe complanata, jacuisse, putat, funera, *sibi mutuo contingua sine loculo, suis tantum linteis obvoluta* (κ).

§. XI. Hic non inepte disquiri potest. *An Sepulcrum Christi in aliquam altitudinem supra terram elevatum fuerit?* Ita quidem suspicantur non pauci iique Clarissimi Viri. Neque aliter sentire possunt, qui hodie ex ἐκτύπῳ multum mutato ἀρχέτυπον judicare præsumunt. Ex descriptione Sepulcri Dominici, quam tradidit *Venerabilis Beda*, apud *Dn. D. Quenstedt* (λ), facile colligere est, primam formam mirum in modum idque ante plurima retro secula immutatam esse. Et *Eusebius* (μ), *locum sepulcri aggesta terra aliisque rebus à paganis fuisse obrutum, atque ita sepultum quasi sepulcrum Salvatoris, ne ulla extaret ejus memoria.* Quare cum elevatio illa descriptioni Evangelistarum non satis convenire videatur in negativam alii inclinant sententiam. Præsertim *Magnus Gerhardus & Casaubonus* (ν). Uterque in partes suas vocat *Cyrillum* (ξ), qui inter Christi & Regum Sepulturas hoc ponit discriminis, quod sepulcrum Domini non esset exaggeratum super terram, ut solent esse Regum monumenta. Verius itaque esse judicant, rupem, in qua monumentum illud fuit excisum, aut nihil aut parum admodum supra soli superficiem eminuisse. Nos in tantorum Virorum judicio merito acquiescimus, daturi tamen faciles aures meliora docenti. Qui autem subterraneum plane fuisse censent, ita ut per gradus aliquot, tanquam in cellam descendendum, iis non accedimus, siquidem recto id intrare licebat pede. *Conf. Ampliss. Dn. Geier.* (ο).

§. XII. Uti quivis specus apud Ebræos, suum *Os* seu *Ostium*, quo ingressuros recepit, habuit, ita etiam sepulcrum S. in quod ingressus patebat (π), tanquam in cameram excavatam. De forma, mensura & loco ostii, nihil expressi habemus. Commentatores in allegatam supra Mischnam, ubi in genere de specu agunt, ostium non in vertice sed latere specus breviore extitisse, docent. Certum est, usu receptum fuisse apud Judæos, sepulcrum claudere advoluto lapide. Idcirco nec alia forma nec ampliore mensura concinnandum ostium fuisse, quam quæ apta foret bene claudi admoto lapide, per se constat. Et talem lapidem (qui à volutatione nomen accepit ut גלל appellaretur, docente Buxtorffio (ϱ) etiam *Sepulcrum Christi* habuit, de quo Historia S. (σ) testatur quod fuerit μέγας σφόδρα valde magnus h. e. maximus.

(ϱ) *l.c.* (σ) *Genes.* 23: 11. *item* 47: 29. (τ) *In Matth.* 8: 28. (υ) *l.c. L. III. cap. X. pag.* 34. *seqq.* (φ) *l.c. pag.* 122. (χ) *In Descript. Jerus. pag.* 239. (ψ) *l.c.* (ω) *Esaia* 9: 10. (α) *Teste Strabone.* (β) *l.c.* (γ) *Joh.* 20: 5. (δ) *Lib. VI. Peregr.* 4. *c.* 7. (ε) *l.c.* §. 12 *pag.* 139.

(ζ) *Part. IV. Lib. III.* (η) *l.c. Lib. III. cap. IV.* (θ) *Eusebius Lib. III. de Vit. Const. cap.* 24. (ι) *Exercit. XVI. ad Annal. Baron. p.m.* 578. (κ) *l.c. cap. V. p.* 27, 28. (λ) *l.c.* (μ) *l.c.* (ν) *l.c.* (ξ) *In Catech. XIII.* (ο) *l. c.* §. 13. *pag.* 142. (π) *Matth.* 27: 16. (ϱ) *Lexic. Talm. fol.* 437. (σ) *Matth.* 27: 60. *Marc.* 16: 4.

mus. Quamobrem probabile est *Josephum* ac *Nicodemum*, *Exequiatores illos nobilissimos*, tantæ molis lapidem non propria sed aliena, nempe servorum suorum opera, ori sepulcri admovisse. Ideo *Syrus* in plurali vertit ܘܰܥܓܰܠܘ, *advolverunt.* Et quemadmodum sepulcrum ex uno solido saxo excisum fuit, ita hic lapis integrum quoddam atque ingens erat saxum, os sepulcri tegens & ingressum in illud prohibens.

§. XIII. Nascitur inde nobis quæstio hæc; *An plures uno lapide monumento Christi advoluti fuerint?* Resp. Multiplicant quidam lapidem hunc apud *Casaubon.* (τ) *Maldonatus* (υ) duos, *Barradius*, (φ) tres, diversis ostiis, vestibuli, specus, conditorii, occludendis fingunt. Sed male. Apud Evangelistas enim & Patres nonnisi unius mentio fit. Et præterea paulo ante dictum specus ostio advolutum fuisse lapidem. Unus ergo lapis erit, uti unum specus os. Sed hæc clara atque perspicua sunt. Majoris indaginis erit dispicere, *An lapis ille advolutus fuerit foribus horti*, *an monumenti totius*, *an vero conditorii?* Equidem foribus horti eundem admotum fuisse, nemo facile asseret. Habebat quippe suam portam, hortus. *Calixtus* (χ) autumat lapidem foribus conditorii advolutum fuisse. Verba ejus hæc sunt: *Et certe lapidem cujus meminit historia Evangelica maxime verosimile est*, *advolutum fuisse ori foraminis s. conditorii*, *in quo quiescebat corpus Domini. Parum interérat cætera omnia claudi*, *præsertim cum monumentum esset novum*, *in quo nondum quispiam positus fuerat.* Ast aliis conditoria illa s. Kokin non satis apta sunt, claudi singula peculiari lapide. Quia kok & loculus, in kok intrusus Commentatoribus in Mischnam sunt ejusdem longitudinis, dicente *Mullero.* (ψ) *Casaubonus* dubitanter loquitur & *censet eum foribus vel monumenti vel conditorii fuisse advolutum.* (ω) Ita Doctissimi Viri inter se prælia gerunt. Nos in re tam intricata malumus ἐπέχειν, quam temere aliquid definire.

§. XIV. E specu per ostium progressi, in spatium illud quod ante os speluncæ est, & חָצֵר h. e. *Atrium* sive area vocatur, jam oculos circumferamus. Juxta *Mischnam*, forma atrii debebat esse quadrata & spatium tantum, quantum sufficit Lecticariis pro sistendo ibi lecto, ex quo transferendum erat in specum sepulcralem. In Sepulchro Christi, *Baronius* (α) & *Cornelius Jansenius* (β) putant, speluncam fuisse duplicem peramplam, cujus pars anterior vestibulum, posterior s. interior autem pariete quasi interstincta, specum sepulcralem demum exhibuerit, idque ex *Cyrillo* (γ) demonstrare conatur *Baronius.* Sed castigavit hunc & *Cyrilli* locum vindicavit erudite Eruditissimus *Casaubonus* (δ) quem vide. Nobis verisimile videtur *Josephum*, uti in aliis, ita quoque circa atrium, consuetum observasse morem. Quale vero & quantum illud fuerit, aliis diligentius expendendum relinquimus.

§. XV. In hoc monumentum collocatum fuit Redemptoris nostri σῶμα corpus (tam honorifice enim de funere Christi Evangelistæ loquuntur, ut illius corpus πτῶμα dicere non audeant) non in latere, non pronum sed juxta, usitatum Judæorum morem, facie sursum versus ad orientem spectante, uti *Beda* refert. Ita *Adrichomius* (ε) *Christum*, ait, *honorifice sepultum capite occidentem versus sito*, *unde etiam mos nobis Christianis inolevit*, *simili corporis dispositione in locis sacris mortuos sepeliendi.* Adde Geierum (ζ).

§. XVI. Quæ vero de obsignatione atque custodia *Sepulcri Dominici* tradunt, ea nos tribus attingemus verbis. Postquam scelerati Judæi, à Præside facultatem pariter atque custodiam, h. e. *Romanos milites præsidiarios in arce Antonia ad seditiones prohibendas collocatos*, precibus impetrassent, abeuntes ἠσφαλίσαντο i. e. munierunt sepulcrum & quidem modo duplici. Primo obsignant lapidem, intellige eum qui ostium sepulcri claudebat. *Utrum autem tantum Pilati annulo signatorio in hoc negotio usi fuerint*, *an vero eidem addiderint supremi Synedrii sigillum ad majorem fidem*, *disputari posset. B. Gerhardo* posterius arridet. (η) *Nicephorus* non solum annulo, sed & ferro ostium sepulcri ab illis clausum fuisse memorat. (ϑ) Et *Beda* testatur, *lapidem illum suis temporibus monstrasse*, *vinculorum ferreorum*, *quibus sepulcro alligatus fuerit*, *vestigia* (ι) Neque hoc sufficiebat. Nam secundo, obsignato hoc pacto monumento, addunt etiam φύλακες custodes, quorum munus erat prohibere, ne corpus Salvatoris nostri, Discipuli Ejus, tenebris noctu ad facinus id abusi, furtim auferant.

§. XVII. Sed varias ac diversas, diversis temporibus, *sepulchrum hoc*, sustinuit vicissitudines. Postquam enim Messias patrias repetiisset sedes, universa Recutitorum natio misere agere & agonizare quasi cepit, *Tito Vespasiano* Palæstinam, cumque ea monumentum Salvatoris nostri ad rudera usque delente. Sequentibus seculis *Imperator Roman. Adrianus*, cui cultus Christianorum in sacris illis locis sudes in oculis, inter alia, etiam Tumulum Dominicum nescio, qua nequitiæ labe conspurcavit. Conqueritur de eo *Hieronymus* (κ) Ab *Adriani temporibus*, inquit, *usque ad Imperium Constantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulacrum Jovis*, *in crucis rupe statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur.* Confer *Eusebium.* (λ) De Jovis Capitolini templo diversum sentire *Dionem*, *Xiphilinum* tradit *Quenstedt* (μ) quem vide. Seculo deinceps quarto cum post persecutionum nubila benignior Phæbus Christianis splenderet, vel *Constantinus M. ipse*, *vel Mater ejus pientissima Helena*, sacra illa loca restauravit templisque mirifice exornavit. Ita enim de *Constantino*, *Eusebius*, (ν) *His rebus ad hunc modum constitutis*, *aliud quoddam opus maxime memorabile apud Palæstinorum gentem Divinus iste Imperator efficere aggressus est. At quod nam quæso? Sanctissimum illum Salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolymis existimavit ita à se illustrari debere*, *ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur &c.* Et *Adrichomius* (ξ) de *S. Helena* refert, *quod hoc in loco basilicam condiderit*, *quæ reliquas totius orbis amplitudine atque pulcritudine longe excelluerit.* Descriptionem ejus ibidem exhibet *Idem.* Tandem quando barbara Tartarorum ac Turcarum gens terram sanctam occupavit, tunc etiam magnificentissimum illud templum cum Sepulcro Christi, juxta quosdam A. C. 1010. vel 1012. juxta alios vero A. C. 1246. destructum est, adeo ut pleraque vel supposititia vel incerta sint, quæ hodie ibidem demonstrantur. Sepulcrum vero, quod *Bernhardus*, *Bredenbachius*, *Adrichomius*, *Brocardus*, *Muntzerus*, *Schwiegerus*, & plures alii, qui loca illa sancta visitarunt, describunt, à Monachis citeriorum seculorum extructum est. Hinc liquet, quid judicandum sit de monumento illo, quod Gorlicii in Lusatia superiori, Patricius quidem *Georgius Emmericus* è Palæstina redux superiori seculo, condidit. Scilicet refert imaginem non veteris & genuini, sed recentioris atque supposititii Sepulcri Dominici. Concludimus verbis *Ligtfoot.* (ο) *Liceat*, inquit, *notis pro oraculis non habere omnia*, *quæ ab iis dicuntur*, *qui loca ista jam ostendunt*, *cum satis pateat*, *eos in plerisque aliis hallucinari*, *extraque omnem controversiam fiet*, *eos non tam veritati in ista re studere*, *quam sibi ipsis lucrum venari. Utinam iis minus fuisset creditum & magis de situ locorum ex Scriptura & Scriptoribus aliis ventilatum.* Tantum. Tu Lector Erudite & Candide, lege & judica hisque nobiscum utere. At

—— —— *Si quid novisti rectius istis*
candidus imperti.

Nunquam Tu promtior eris ad monendum, quam nos ad emendandum.

(τ) *L. c. p. m.* 608. (υ) *In Matth.* 28: 3. (φ) *Harm. Tom. VI. Lib.* 8. *c.* 2. & 3. (χ) *in Concord. Evang. L.* 7. *c.* 1. (ψ) *l. c. p.* 28. (ω) *l. c.* (α) *Tom. II. Annal. Eccles. ann.* 34. *n.* 187. (β) *Comm. in Concord. Evang.* (γ) *Catech. lib.* 4. (δ) *l. c.* (ε) *in Descript. Jerus. num.* 239. (ζ) *l. c. p.* 143.

(η) *L. c. c. CCVI. p.* 2075. (ϑ) *l.* 1. *Histor. Eccles. c.* 32. (ι) *Lib. de loc. sanct. c.* 2. (κ) *in Epist.* 15. *ad Paulin.* (λ) *L.* 3. *de vita Const. c.* 24. (μ) *l. c. p.* 253. (ν) *l. c.* (ξ) *In descr. Jerus. n.* 242. (ο) *Cent. Chorogr. c.* 23. *p.* 49.

M. BALTH. OTTO DISSERTATIO De Nardo Pistica ad Marc. XIV: 3.

A & Ω.

PRÆLOQUIUM.



TAmetsi *delicato hoc seculo studium Grammatices, veluti puerile, à multis contemnitur, & plerisque plane est neglectui* (a); ipseque *Hispanorum doctissimus, Lud. Vives*, jam sua ætate querulam istanc emisit vocem (b): *Res huc paullatim*, inquiens, *deducta est, ut Grammatici nomen jam objiciatur pro convitio.* Qui etiam in majorem contemtus istius fidem Præceptoris sui, *Johannis Dullardi* cujusdam, allegare exemplum (c) non abhorruit, *insipidum* hoc *& ridiculum* (d) subinde usurpantis dictum: *Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Dialecticus & Theologus.* Alia tamen longe mens illis nunquam non constitit, quibus lance æquiori rem ipsam expendere fuit datum. Præterquam enim, quod exploratissimum hi tenuere, *Grammaticam vere scientiarum esse clavem, ac omnis solidæ eruditionis fundamentum, quæque sola omni studiorum genere plus* habeat operis, quam ostentationis (e). Tum istud cum primis gratiam ei ac amorem haud levem sane conciliavit, quod nomenclatura sua omnia *literarum studia*, ac cunctam adeo *Philologiam*, antiquitus fuerit complexa. Quam gloriam ac dignitatem, si quispiam alius, egregium in modum ipsi adsertum ivit *Joh. à Wowern.* (f) auro contra caro Tractatu, quem *de Polymathia* inscripsit (g). Accedit usus adhuc alius, & ipse insignis plane ac incomparabilis, quem in eruendo genuino Scripturarum S. sensu adeo feliciter præstat, ut vel hujus caussa omnibus omnino magnificanda veniat, quibus modo cunque *Christiani* nomen tueri, ac illam à D. *Paullo* (h) apprime commendatam ἐπίγνωσιν ἀληθείας τ̃ κατ' εὐσέβειαν paullo pressius investigare curæ cordique est. Unde ambiguo procul factum, ut jam olim *Justino* (i) Γραμματικὸς idem habitus fuerit, quod *sacrarum literarum Professor* (k), referente *Pasore* (l); ipseque *B. Mart. Chemnitius, Theologorum, Glassii* encomio (m), *decus ac lumen omni commendatione majus*, in principe etiam disciplinarum, S. Theologia, *& amandam & magnificiendam esse Grammaticam* pro incredibili sua pietate ac eruditione statuerit; *amissa quippe vera Grammatica*, secundum perpetuam Ecclesiæ historiam, omnesque omnino ejus ætates, *statim quoque fuisse extinctam lucem purioris doctrinæ*; *nec posse adeo nos custodes esse* (non solum doctrinæ de Justificatione, quod ibidem maximus Vir divine prorsus adstruit, sed & universæ nobis de salute nostra revelatæ,) *nisi Grammaticam discamus & amemus* (n). Atque igitur longe rectius cum laudato *Glassio* Dullardianum istud pronunciatum sic invertere licebit: *Quanto melior eris Grammaticus, tanto melior & Theologus* (o). Quæ etiam in præsens caussa fuit, quod, Exercitium quoddam Academicum meditans, missis aliis, quæ fortassis in vulgus gratiora futura essent ac magis plausibilia, ad *Problema* potissimum Grammaticum adplicuerim animum; ac illud quidem non nisi è locupletissimo S. Literarum gazophylacio depromendum. Tantum enim abest, ut ad imitationem hac in parte trahendus P. *Bembus*, Ecclesiæ Romanensis Cardinalis, qui ad *Sadoletum* aliquando accedens, eumque in enarratione loci alicujus Biblici occupatum deprehendens, asinina voce *nugas* adpellavit, nec *gravem virum tales ineptias decere* (p) existimavit; vel *Angelus* etiam *Politianus*, *eruditissimus* ceteroquin atque *accuratissimus Vir* (q), imo & *princeps bonarum literarum* (r), qui non tantum *Odas Pindaricas antiquis illis Poëmatibus* (Psalmis puta Davidicis) longissime anteposuit (s), sed exerte quoque dixit: *nullum se unquam tempus pejus collocasse, quam quod semel perlegendis Bibliis impendisset* (t). Ut potius aurem hodieque mihi vellicet, quod & jam alio tempore stimulum ad arripiendum simile Thema sacrum suggessisse palam fassus sum (u), commendatissimum scil. *Casauboni* Genitoris effatum, quo *unius dicti S. Scripturæ, difficultatibus aliquibus obstructi, explicationem vel mille è profanis Scriptoribus locorum depravatorum correctioni* priorem habuit. Cæterum in immensæ vastitatis ita delatus sylvam, à qua arbore mihi incipiendum, in qua desinendum, cum lignatore illo Theocriteo primum penitus ignorans; tandem tamen, superveniente auctoritate MAGNI NOMINIS VIRI, quem paterno plane parvitatem meam prosequi adfectu indies magis magisque experior, lætorque, istud argumenti genus, præ reliquis selegi, quod octiduo hocce, quo per

(a) *Verba sunt* Matth. Pasoris, *Præfat. in Grammat. Gr. S. N. T. Parentis*, Georg. Pasor. (b) *Lib. II. de Causs. corrupt. art. pag.* 75. (c) *Loc. c. p.* 77. (d) *Sic jure nuncupat* Excell. Dn. *FRANCKENSTEINIUS*, Patronus ac Præceptor Opt. *Præloqu. Observ. in Ep. ad Philem. Geminum quid de* Guil. Raynerio *refert* Hackspan. *Syllog. Dispp. Theol. Philol. pag.* 503. *eum scil. in Præfat. Apol. Protest. pro Rom. Eccl. a.* 1615. *Lutetiæ Parisiorum edita, negasse, ad religionis dogmata dijudicanda, percipienda vel tradenda Græcas literas tanquam necessarias requiri*; adeo ut raro Grammaticastri (*ita vocat infrunitus homo*,) istiusmodi boni Theologi evadant. (e) *Quod ipsum pluribus probatum dedit citatus modo* Pasor *l. c.* (f) *Quantis in delitiis* Wowerius *hic summis seculi nostri Criticis fuerit, luculente testantur tot Elogia, laudato Tractatui præmissa, ubi vidd.* (g) *Cap. inprimis IV. pag.* 32. *seqq. Conf. qq. seculi nostri quondam Varronem*, Gerh. Joh. Vossium, *in de arte Grammat. it. Weitz. Epistol. de Philologia ad* τὸν μακαρίτην Dilherr. *perscripta, hujusque Apparat. Philol. subnexa.* (h) *Tit.* 1:1. (i) *Qui vixit seculo à C. N. statim altero. vid. B.* Gerhard. *Patrolog. p.* 76. *seqq. ejusque avunculum, Dn. D.* Quenstedt, *de Patriis illustr. doctr. Viror. pagin.* 560. *sequ.* (k) *Dial. cum Tryph. p.* 231. (l) *Loco toties alleg.* (m) *Præfat. Grammat. S.*

(n) *LL. Theol. Part. II. de Justific. c.* 3. *fol. m.* 246. (o) *V. Ipsummet l. c.* (p) *Joh.* Saubert. *Fil. Orat. Inaug. de Utilit. ac Necess. Linguæ Ebr. in Theol. excus. Helmst.* 1662. (q) Dilherr. *Adparat. Philol. lib.* 2. *pag.* 176. (r) Barth. *in Rutil. p.* 36. (s) *Patrocinium quidem hominis in se suscepit modo nominatus* Barthius *Advers. lib. XLVII. cap.* 5. *ob id merito castigatus* Sauberto *d. l.* (t) *Sed quomodo, quæso, alias insumsit tempus? Scilicet, quamdiu vixit, disquisivit: dicendumne esset* Vergilius, *an* Virgilius, Carthaginensis, *an* Carthaginiensis, primus *an* preimus? *Si quid ab his nugis otii superfuit, Epigramma aliquod Græcum in Cupidinis aut præposteræ veneris laudem composuit. Commemorantibus præclaros hosce, si Dis placet, labores è* Mornæo *de Verit. Relig. c.* 26. *p.* 567. τῷ πάνυ *FRANCKENSTEINIO Nostro, Exerc. Philol. Ep. ad Phil. Observ. I. nec non è* Lud. Vive *lib.* 2. *de Verit. fid.* Sauberto *Orat. alleg.* (u) *Prolog. Disp. Philol. ex Hist. Mag. Matth.* 2: 1--13. *sub præsid. Dn. L. OLEARII m. Jan.* 1671. *hic hab.*

per Numinis supremi gratiam superesse nobis indulgentissime concessum, ante ipsos cIↄ Iↄc XXXIX. annos (x) *Bethaniæ* in domo *Simonis leprosi* inter convivandum venisse usu θεόπνευστοι *Scriptores* (y) annotarunt; *UNCTIONEM* intelligo *FERALEM MITISSIMI SERVATORIS, JESU CHRISTI.* Eam igitur publicæ τῆς συμφιλολογούντων περιδιαλέξει exponere jamnunc sedet animo; non equidem secundum omnes suas caussas, quod instituti nostri præsens ratio haudquaquam ferret; sed vero secundum eam tantum, quæ palmaria mihi visa, h. e. *MATERIAM* quam ΜΥΡΟΝ ΝΑΡΔΟΥ ΠΙΣΤΙΚΗΣ fuisse, Divo *Marco* (z) itemque *Johanni* (aa) adseritur. Quoniam vero ad mentem *literatissimi Imperatoris* (bb) D. *Justiniani*, tum demum universa competenter geruntur, si rei cujusque principium decorum & amabile fiat DEO (cc) prius, quam ipsius rei arcem invadam, DEUM bonitate Optimum, potestate Maximum, devote imploro, susceptum hunc qualemcunque laborem nostrum approbet, beneque evenire sinat!

§. 1.

NIhil insoliti, ac ab institutis Ebrææ gentis, cæterorumque Orientis populorum alieni, tum admissum fuisse, ubi in convivio Bethaniensi caput pedesque optimi Servatoris unguento legimus perfusa, inficias iturum neminem opinor, cui vel levis Antiquitatis suppetit notitia. Nimirum *delectabantur Orintales odoribus & unguentis frequentioribus, atque convivas suos balsamo aut aliis unguentis fragrantibus perfundebant, si quando eos laute excipiebant*, docente *Joh. Cunr. Dieterico* (dd). Cui paria *Stuckius* (ee) profert: *Unguentorum priscis temporibus, præsertim* (ff) *apud Orientales, cum in omni vitæ consuetudine, & sacra & profana, tum POTISSIMUM IN CONVIVIIS, creberrimus & frequentissimus usus fuit.* Quibus, si volupe, superaddi possunt *Dilherrus* (gg), *Chockierus* (hh), *Raderus* (ii), mille alii, & ipsi morem inungendi huncce in Conviviis Orientalium receptum λευκάδι φωνῇ testantes.

§. 2. Inprimis vero morem istum *Syris* vendicatum deprehendimus à *Posidonio Philosopho* (kk), qui adserit, *in conviviis solennioribus coronas datas fuisse convivis; hinc ingressos Babylonios, unguentorum utres parvos habentes, è quibus accumbentium coronas circumeundo adsperserint, unguentisque irrorarint.* De *Palæstinis* porro s. *Judæis*, Syriæ accolis, vix est, ut dubitare quis velit, modo dicta Scripturæ, Eccles. 9: 8. Cantic. 1: 12. Amos. 6: 6. Sap. 2: 7. Luc. 7: 46. &c. ac quæ viri eruditissimi in ea commentati fuerint, cum cura evolverit. Omnium tamen apertissime, si quid judico, istud colligere licebit ex culpata à Servatore benignissimo *Simonis* Pharisæi negligentia minus civili, Luc. 7: 46. Ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας. Idem enim est, ac si dicat: Invitasti me quidem, *Simon*, sed quam frigide de me sentias, & quali pro hospite me reputes, externa ostendunt signa. Quippe ne officia quidem illa communia, quæ acceptis hospitibus, ac honestis mortalibus præstari amant, mihi exhibuisti. Non aquam pedibus, nec *oleum capiti* (ll), nec ori osculum dedisti. Quem morem, quo scilicet convivator oleum præbebat, quod super caput convivarum fundebatur, etiam *Davidem*, *Vatum Regumque sacrorum maximum* Psal. 23: 5. tangere, *Drusius* (mm) itemque *Camero* (nn) censent. Nec id immerito! Quæ enim *Magnif.* D. D. GEIERI sententia (oo) *alludit Psalmista ad morem Orientalium, quo convivæ honoratiores perfundebantur balsamis, aliisve fragrantibus unguentis.* Signate & *Henr. Mollerus* (pp) *Quoties Judæi excipiebant convivas honoratiores, quos splendide tractare volebant, eos perfundebant vel balsamo, vel aliis unguentis fragrantibus, ut ita exhilararentur, nam cerebrum & spiritus suavi odore mirabiliter reficiuntur & excitantur.* Confer adhuc *Stuckium* (qq), itemque *Dilherrum* (rr), nec non *Dietericum* (ss), inter cætera quoque, *ritum huncce Judæis haud fuisse insolitum*, ex Matth. 6: 17. demonstrantes. Quam in rem non sine insigni fructu B. etiam *Gerhardus* (tt) consuli merebitur.

§. 3. Præter hosce nec minus apud *Persas* unguenta in usu fuisse, *Brissonius* (vv) nos edocet. A quibus postmodum, *invento* scil. *ab Alexandro, in castris Darii Regis expugnatis, unguentorum scrinio, ad Græcos, & ab his, præsertim Asiaticis, ad Romanos* tandem pervenisse, *Plinius* (xx) testatur. Inde factum, ut qui prius ex *Solonis* institutis (yy) omnem μυροπωλίαν h. e. unguentorum venditionem haberent interdictam, mox unguentorum adeo fuerint studiosi, ut pro exploratissimo, si qui alii, scirent, ecquod unguentum cuique membro humani corporis esset accommodatum (zz). Præcipuum tamen hisce talibus locum in conviviis exhibebant. *Unguentis*, inquit nitidissimus Dempsterus (a), *delibuti, crinesque peruncti, & coronati sedebant epulantes; sed præsertim nardo, rosa, unguento se cingebant, ut infinitis antiquorum Scriptorum locis probat Athenæus, cap. 14. & quatuor sequentibus lib. 15. Dipnosophist. Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. c. 8. Plutarch. lib. 3. Symposiac. qu. I. & alii, quos non exscribo.* Hinc cum *Fabullus* quidam, consuetudinis hujus tenacissimus, convivas suos bene quidem unctos, sed valde jejunos de cœna dimisisset, facetum istud *Martiali* enatum:

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, Here, sed nihil scidisti;
Res salsa est, bene olere & esurire.
Qui non cœnat & ungitur Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur. (b)

§. 4. Quanquam vero Capitis unctio primis temporibus esset ordinaria (c) eaque non nisi valetudinis caussa suscepta, ut nimirum sicciora ac ferventia loca incolentes populi haberent, quo ex vehementissimis sudoribus facile alias orituram graveolentiam evitarent, simulque cerebrum ac spiritus jucunda quadam fragrantia reficerent (d); negari tamen nequit, id in luxum paullatim degenerasse, ubi non tam ob valetudinem ac necessitatem, quam voluptatem & oblectationem potius unguenta

(x) *Calculo* Bucholceri *Ind. Chronol. p.* 141. (y) Matth. 26: 6, 7. Marc. 14: 3. Joh. 12: 1. seqq. (z) c. 14: 3. (aa) c. 12: 3. bb) *v. præter Jurium Dd. passim* Damken. *ad Agapet. pag.* 60 & 153, 154. (cc) *Novell.* 6. *in princ.* (dd) *Antiquitatt. Bibl. p.* 390. *b.* (ee) *Antiquitat. Convival. l.* 3. *c.* 15. *fol.* 365. *a.* (ff) *Notanter ait:* Præsertim apud Orientales. *Observante enim* Reverendissimo *Dn. D. GEIERO* ב"יש, *in Coh.* 9: 8. *absolutissimo Commentar. nobis Septentrionalibus hæc pinguedo capiti illita magis haberetur pro sordibus, quam ornamento quodam aut amœnitate. Verum illi Meridionaliores populi ob sudores graveolentes crebros, caussasque alias, crebro etiam suaveolentibus utebantur oleis ac balsamis, quæ guttatim in capita convivarum stillabant; quo sic cerebrum ac spiritus jucunda reficerentur fragrantia. Hactenus ILLE! Quem* φιλολογοθεολογώτατον *VIRUM videas quoque in de Ebræorum Luctu, aureo tract. c.* 21. §. 9. *p.* 383. (gg) *Tom. I. Dispp. Acad. Disp.* 13. *pos.* 2. *p.* 403. *seq.* (hh) *Fac. Histor. Centur. I. c.* 2. *p.* 4. *seqq.* (ii) *Comm. ad Curt. l.* 8. *c.* 17. *p.* 531. (kk) *l.* 28. *Histor.* (ll) *Exinde non inepte ad fastum Pharisæi, admodum contemtim JESUM Servatorem habentis, concludit* Cornel. à Lap. *Commentar. ad h. l. Erat enim oleum vile ac commune saltim unguentum.*

(mm) *Præter. ad Luc.* 7: 44. (nn) *Myrothec. Evangel. ad Matth.* 26: 7. *p.* 111. 112. (oo) *Prælect. in Psalmos Dav. p.* 392. *T. I.* (pp) *ad Psalm. alleg.* (qq) *loco ac fol. cit. b.* (rr) *l. c.* (ss) *l. c. p.* 391. *a.* (tt) *Nott. ad Matth. p.* 392. (vv) *Lib. II. de Regio Persarum principatu, pag.* 210. & 211. *edit. Paris.* (xx) *Histor. Nat. Lib.* 13. *cap.* 1. (yy) Athen. *lib.* 15. *vid. etiam* Stuck. *l. c.* (zz) *Id quod de Græcis maxime ex Athenæi lib.* 15. bonus, *imo optimus huic* caussæ, Casaubonus *probat Exercitt. Anti-Baron.* 14. *n.* 12. *p.* 243. *itemque* Raderus *loco jam allegato.* (a) *Paralipom. ad cap.* 30. *lib.* 5. *Antiquitat. Rom. Rosini, pag.* 867. (b) *Lib.* 3. *Epigr.* 9. *ubi, quæ simul commentatus* Raderus, *vi-santur.* (c) *Quippe cujus rei non solum extantissima vestigia in S. Literis inveniuntur*, *Ps.* 23: 5. 133: 2. 141: 5. *Eccles.* 9: 8. *Luc.* 7: 46. *sed quæ, etiam auctoritati* τῶν ἔξω *Scriptorum innititur. Quorsum enim alias* Crines myrrha madentes *ap.* Virgil. *Æn.* 12: 100. madens coma *ap.* Lucan. *l.* 10. *Pharsal. v.* 165. Capilli uncti & odorati *ap.* Hor. *Carm. l.* 1. *Od.* 29. *vers.* 7. 8. & *lib.* 2. *Od.* 11. *vers.* 15. *it. lib.* 3. *Od.* 20. *stroph.* 4. caput odoratum *apud* eund. 2. *Satyr.* 7. *vers.* 55. *Testimonia huc facientia plura alia, quæ nunc sciens prætereo, vid. apud* Dempster. *Paralipom. ad c.* 30. *Lib.* 5. *Antiqq. Rom. Rosini pag.* 868. *seqq. itemque* Lips. *lib.* 3. *Antiq. Lect.* (d) *Repetantur, quæ ex* summo *GEIERO in Cohel.* 9: 8. §. 1. *ac* Mollero, *ad Psalm.* XXIII: 5. §. 2. *jam ante fuerunt allata.*

unguenta adhiberi consueverunt (e). Qua de caussa nec circa solum caput subsistere, eadem satis habuerunt, sed insuper transierunt reliquas humani corporis partes omnes, membraque omnia; quin ad imos usque calces tandem devenerunt (f). Inde factum credere posses, quod Orientales φιλόμυροι in vulgus dicti (g) ac *Ungere* בסם, apud Chaldæo-Syros idem sit, ac *suaviter*, *in delitiis vivere*, *lætari*, *exultare*, *exhilarari*; sic statuentibus Duum-Viris ἀνατολικογλωττοτάτοις, *Schindlero* (h) ac *Trostio* (*).

§. 5. Cæterum cum varia Veteribus unguentorum essent genera, veluti cernere est apud *Pancirollum* (i) & cumprimis *Plinium* (k) ac *Athenæum* (l); tum omnium præstantissimum *Nardinum* habebatur, eo quod suavissimum odorem spirare (m), ac valetudini præterea apprime conducere putabatur (n). Quas ob caussas etiam in conviviis admodum frequentabatur (o); sic dictum à *Nardi spica*, planta Indiæ, in monte quodam juxta Gangen fluvium proveniente; quemadmodum οἱ τοιούτων τελῶνες, Rei herbariæ scriptores (p), hinc inde attestantur.

§. 6. Atque hoc illud *Nardinum unguentum* est, quo *Maria* Lazari Soror, Salvatoris caput non solum, sed pedes quoque (q) unxisse in Digesto Euangelico legitur, ac de quo in bello, quod semel subivimus, Grammaticali deinceps nobis erit decertandum. Cum enim à Scriptoribus sacris (r) ΝΑΡΔΟΣ ΠΙΣΤΙΚΗ unguentum istud vocetur, dici non potest, quantopere doctissimos Viros vocula πιστικῆς vexarit (s), ac quam in alia omnia super ea abierint hactenus; *aliis* à loco unguentum id sic dictum opinantibus, *aliis* πιστικῆς pro σπικάτης positum hariolantibus, *aliis* denique Græcos quidem vocabulo πιστικῆς natales vindicantibus, sed quam potissimum originis suæ radicem agnoscat, nondum satis inter se convenientibus. Queis de singulis ordine quodam suo hic disquiremus.

§. 7. Cum igitur acies satis stet instructa, congrediamur, age, propius, quæ adversariorum vires sint, in aperto campo velitatione brevi experturi. Primum autem prodeant ejus sententiæ, sive auctores, sive propugnatores, qui vocabulum πιστικῆς Nomen esse Proprium, quod vocant Grammaticorum filii, adeoque locum quendam significare nobis persuadere conantur; sed irrito prorsus conatu. Cujus opinionis primos patronos, qua commemoratione aliorum, qua propria inspectione deprehendimus è SS. Pp. *augustissimum Hipponensium Præsulem*, *Augustinum* (t) itemque *Cyrillum* (u), non nisi γενικῶς, *à loco Pisticam nardum dici* adserentes; quibus & *ingens illud Germaniæ nostræ, imo æternum decus* (x) *Joach. Camerarius*, calculum suum non penitus detraxisse videtur (y), dum *videri posse*, ait, *à loco nomen illud* [πιστικῆς] *esse deductum.* Inprimis autem Helenam hancce deperierunt, qui Patrum nostrorum memoria vixerunt, Clarissimi Duumviri, *Johan. Hartungus* (z), & hunc pone sequutus, *Abrah. Scultetus* (aa), locum illum ipsum *Opin*, vicum quendam, Babylone haud procul, fuisse; eo in hac re felicissimo usi successu, uti Viros summos haud paucos ad præbendum adsensum facile permoverent (bb).

§. 8. Non autem nihili negotium, credo, fuerit, utrumque controversiam hancce pertractantem αὐτοφώνως auscultare. Quid proinde Hartungus? *Quod ad me attinet*, inquit, *& conjecturas meas (quibus veniam oro, si minus assequar veritatem), existimo conjungendam esse compositionem* Νάρδου πιστικῆς, *pro* Νάρδου ὀπισικῆς, i. e. *Babylonici unguenti*, *quod habebatur pro pretiosissimo; ut Pollux l. VI. c. 19. Athenæus lib. XV. Nam Opis est vicus propinquus Babyloni, celeberrimus emporio, ut Strabo l. XVI. Herodot. l. I. & lib. II. A qua sententia nec Hermolaus abhorret, cum in Dioscor. Corollar. c. 77. inter cætera his verbis scribit: Julius Pollux & Babylonicam nardum pro unguento videtur accepisse. Hæc Hermolaus, & alia, &c. Meam divinationem Lectori commendo, tradoque.* Hactenus ille *Hartungus*, ut videtur, nonnihil adhuc timide ac verecunde, ob id *Heinsio* (cc) quoque laudatus. Huncce στοχασμὸν ut Oraculum quoddam arripiens *Scultetus*, nimium quantum eo sese effert: *Una*, ait, *Viri docti conjectura omnes Grammaticorum, Medicorum, Theologorum super hac voce disputationes supervacaneas esse esse docuit. Is est Joh. Hartungus, olim Heidelbergensis, postea Friburgensis Academiæ Professor. Subodorati quidem aliquid sunt Augustinus, &, ni fallor, Cyrillus quoque in Johannem, à loco quopiam pisticam nardum dici. Sed locus ille, qui esset, ignorarunt. Magnus quoque Camerarius recitato versu Nonni:* Πιστικῆς τρία μέτρα φατιζομένης ἀπὸ νάρδου. *Videri*, inquit, *possit, à loco nomen illud esse deductum, quia mediam syllabam produxit. Sed locus ille, qui esset, nec ipse, nec Nonnus, aperuerunt. Primus, ut dixi, Hartungus in Criticis suis ex Athenæo nos docuit; prope Babylonem fuisse oppidum Opis dictum, ubi pretiosissima Nardi unguenta confecta & in alia loca sunt transportata. Itaque non dubitat, germanam lectionem fuisse apud utrumque Euangelistam* νάρδου ὀπισικῆς, *quæ vox, quia librariis minus nota fuit, omissa litera o. scripserunt* πιστικῆς, *& hac sua inscitia Viris doctissimis quoque crucem fixerunt, in qua cogitationes ipsorum vexarentur.*

§. 9. Scilicet

(e) *Hinc Amos. 6: 6. gravissima invectio in eos*, qui bibunt in phialis vinum, & ungunt sese ראשית שמנים primitiis unguentorum, *h. e. lectissimis præstantissimisque unguentis non ad necessitatem, aut ad membra refocillanda & consolidandos artus, sed ad voluptatem luxuriose hinc capiendam. Cujus luxuriosi unguentorum usus, seu abusus potius, vestigium nec minus comparet Sap. 2: 7.* οἴνου πολυτελοῦς καὶ μύρων πλησθῶμεν. *Apud profanos vero Scriptores, cum primis eminere puto, quod de* Alexide *quodam consignatum reliquit* Athenæus *l. XV. Dipnos. cap.* 17. Quod *scil.* columbas quatuor dimiserit perfusas, non eodem unguento omnes, sed singulas proprio; quæ circumvolitantes vestes convivarum strataque conspergerent. *Cui paria, si non majora, quæ de* Othone *Neronem convivio excipiente*, Plutarchus *refert*: λέγεται πολλαχόθεν ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς προβάλλειν ἄφνω σωλῆνας, ὥσπερ ὕδωρ τὸ μύρον, ἐκχέοντας καὶ καταχλύζοντας, *i. e.* argenteos aureosque tubos multis locis repente emisisse, unguentum instar aquæ effundentes omniaque rigantes. *vid.* Casaub. *Comment. in Neron. c. XXVII. p.* 498. *Cæterum tam usum quam abusum unguentorum apud Veteres &* Cl. Salmusius *nervose tangit*, *Exercitat. in Solin. LII. p.* 1063. *ubi*: Nec enim voluptatis tantum, sed etiam valetudinis caussa ungebantur Veteres. (f) Athenæus *quidem solas commemorat Athenas*, *ubi* hæc *fuerit recepta* consuetudo, ut qui delitiis dediti essent, pedes etiam unguentis perungerent, *Dipn. l. XII. c.* 30. *Recte tamen* Casaubonus *censet*: *ideo de Atheniensibus solum notasse*, quia Athenienses & erant & dicebantur λιτοὶ, tenuis victus & vitæ castigatæ; de aliis autem populis, quorum notus erat luxus, ne notatu quidem dignam Athenæo rem esse visam, *adversus Baron. Exerc. XIV. n.* 12. *pag.* 242. *Eccui enim ignotæ crebræ Veterum lotiones, tam in balneis, quam alibi? Exinde vero unctio pedum*, *ait Chockier. l. c. pag.* 6.

(g) *Vid.* Dieter. *l. d. pag.* 626. *b.*

(h) *Lexic. Pentagl. sub voc.* בשם, *pag.* 256.

(*) *Lexic. Syr. sub* ܒܣܡ *pag.* 115.

(i) *Rerum memorab. lib. I. Tit.* 9. *seqq.*

(k) *Lib. XIII. c.* 1. *locisque* Pancirollo *in margine citatt. aliis.*

(l) *Dipn. lib. XV. cap.* 15, 16, 17.

(m) *Confer* Johann. 12: 3. *& Canticor.* 1: 12. *quin & Athen. l. d. cap.* 17. (n) *Hinc Jurisconsultus inter unguenta illa, quæ valetudinis caussa parata fuerunt, numerat quoque* Nardum, *l. XXI. Argento, D. de aur. & arg. v.* Dominic. Vigna, *Pisan. Animadv. ad Theophr. de Plant.* (o) *Referente, ex Athenæo, Chockier. l. c.* (p) Plin. *Hist. Nat. lib. XII. cap.* 12. Ursin. *Hort. Aromat. cap. VIII. numer.* 4. *pag.* 249. *seq. itemque vel inprimis* Bauhin. *Histor. Univers. Plantar. Tom. III. Libr. XXVII. cap.* 99. *à pag.* 202. *seqq. ubi, quæ tum Vett. tum Recentiores de Nardo unquam tradiderunt; conjunctim ferme haberi ac perlegi possunt. Conf. &* Salmas. *Exerc. in Solin. LII. p.* 1059.

(q) *In luxu quidem nonnunquam ab Historicis pedum unctio & ipsa ponitur; sed absit, ut cum Cardinali Baronio luxum hic fingamus. Significantissimam subfuisse rationem, nulli dubitamus, quam tamen indagare alius fori novimus. vid. rursus, si placet, Casaub. c. l.*

(r) *D.* Marci *nimirum ac* Johannis *ll. cc.* (s) *Testis ejus rei sat locuples vel unus* Dan. Heinsius *esse potest*, *Aristot. S. c. XIV. p.* 919. (t) *Tract.* 50. *in Joh. T. IX. Opp. f. m.* 251. (u) *Ad quem provocant* Hartung. *ll. memorabil. Dec. III. c.* 6. *itemque* Scultet. *Observ. Euang. c. LXXX. p.* 121. (x) *Quo elogii genere* Vossio *meritissimo suo audit*, *Harmon. Euang. Lib. I. c.* 3. §. 14. *p.* 28. (y) *Nott. ad Marc.* 14: 3. (z) *Cit. ll. memorab. Dec. III. cap.* 6. *ap. J.* Gruter. *Thes. Crit. T. II. p.* 718. (aa) *Loc. cit.* (bb) *V. & conf. sis*, *B.* Gerhard. *Cent. in Harm. Euang. cap. CXLIII. p.* 44. Quelstorp. *Annotatt. Bibl. ad c.* 14. *Marci p.* 98. Friedlieb. *Tom. II. Theol. Exeget. Bibl. fol.* 109. (cc) *Cit. ante loco.*

§. 9. Scilicet summa utriusque prolixius paullo à nobis adducti discursus eo demum redit, ut τὸ πιςικῆς pro ὀπιςικῆς per Aphæresin quandam esse positum, accredere debeamus. Rationes, quæ in hancce sententiam nos pertrahant, nullæ adferuntur aliæ, quam quod *Straboni* ac *Herodoto* vicus quidam commemoretur, *Opis* dictus, non ita multum à Babylonia dissitus; quo posteriori in loco juxta *Pollucem* & *Athenæum*, pretiosissimum unguentum inventum olim fuerit. Sed tantum abest, ut hac ratione in adsensum qua commendatæ, qua imperatæ novæ divinationis abripi nos patiamur, ut potius *Hartungum*, Principem hujus speciosæ alias lectionis, *extra oleas vagari*, cum *Becmanno* (cc), *Sculletum* vero *pessimam expositionem defendere* cum *Ursino* (dd) pro certo habeamus; indeque quantum quidem in nobis, ipsam robore suo exutam, quin dirutam penitus, quæramus.

§. 10. Ac initio quidem observamus, quod, quotiescunque *Opis*, vici prope Babylonem, mentio à *Strabone* aliisque injiciatur, semper Ὦπις per ὠμέγα, nunquam autem Ὄπις per ὀμικρὸν scribatur ac exprimatur; id quod ab *Hartungo* ac *Sculteto* observatum non fuisse, mirum alicui haud injuria videri queat. Sed quoniam tamen nec sic πιςικῆς vocabulum à Nominis Proprii suspicione liberavimus, cum πιςικῆς æque pro ὠπιςικῆς, quam ὀπιςικῆς, facta aphæresi, remansisse adhuc videri posset; age, in tantopere jactitatam, aphæresin ipsam potius inquiramus. Ea vero quia non tam genio quodam hoc in loco Linguæ Græcæ, quam inscitia Librariorum, commissa *Sculteto* exerte dicitur, igitur, ut aperta fronte Integritati Fontium repugnantem, neutiquam admittimus, maculam isthanc à Novi Fœderis Codd. universim sumtis, qua pote, submoventes (ee).

§. 11. Equidem non nescimus, Sculteto hac in parte succollari quasi posse per G. Pasorem (ff), hancque πιστικῆς vocabuli pro ὀπιστικῆς, per aphæresin, scriptionem vel exinde corroborari, quod Σπανία æque per aphæresin pro ἱσπανία in Sacris Literis N.T. (gg) occurrat. Verum enim vero notamus, Aphæresin isthanc, seu, uti *Drusius* (hh) loqui amat, contractionem vocabuli ἱσπανίας in Σπανίας Ebræis pariter ac Latinis passim receptam esse. Ebræis quidem, quando אל ספניה dicunt; Latinis, dum v. gr. gladium Spanicum pro gladio Hispanico usurpant. Quin & Germani nostri frequentius oppido Spanien/ quam Hispanien pronunciare amant. Idem autem de vocabuli Ὀπιςικῆς in πιςικῆς mutatione unde nobis constat? *Græci*, inquit, *Erasmus* (*) *fraudant Hispaniam prima regionis syllaba, quam illi solent ejusmodi dictionibus addere, dicentes espero pro spero, expecto pro specto. Idem facientes in hac dictione, quod Latini facimus in Iscariote.*

§. 12. Nec movere nos quoquo modo hic vel potest, vel certe debet, quod antiqua scriptione *Scariotes* pro *Iscariotes*, eadem aphæresi, esse positum nonnullis tradatur; unde Syrus quoque suum ܣܟܪܝܘܛܐ expresserit. Quippe particularis saltim illa lectio sive scriptio fuerit, quæ nihil quicquam receptæ ac universali lectioni nominis hujus, qua Ἰσκαριώτης & legitur & scribitur, præjudicare potest. *Syrum* vero quod attinet, utut *maximæ* alias *apud nos sit auctoritatis* (ii), recte tamen cum B. *Wilh. Lysero* (kk) corrupte eum vocem hanc, uti etiam in aliis alibi ab ipso factum, adduxisse, non abs re statuimus. Videatur Beza (ll), ac conferantur insuper, si vel voluntas, vel facultas, quo ad nomen hoc ipsum Proditoris pessimi, Viri quamplurimi doctissimi alii (mm).

§. 13. Sed nec dum omnes enatavimus sic difficultates penitus. Obvertat ὁ ἀνταμείβατης ulterius: In versu illo *Callimachi*, per Apostolum *D. Paullum* sanctificato (nn) Cretenses γαςέρας ἀργὰς dici; ubi τὸ ἀργαὶ per Poëticam aphæresin ℥ μῦ, pro μάργαι, esse positum, producтus ante *Pasor* (oo), ac qui vestigia ejus fideliter ut plurimum legit, *Wyssius* (pp), adserunt. At enim vero præter omnem omnino necessitatem & hæc ipsa ibidem aphæresis statuitur; cum plus satis bona sit Vulgata & lectio & expositio, ubi legitur, γαςέρες ἀργαὶ, ac redditur, *ventres desides, ignavi.* Alias secundum *Eustathium*, non Ecclesiæ magis quam literaturæ Græcæ antistitem (qq), ἀργὸς significat modo ἄεργος, *otiosus, iners*; modo λευκὸς, *albus*, modo ταχὺς, *velox, celer.* Atque hoc epitheto *Homerus, summus apud Græcos Poëtarum, D. Justiniano* jure dictus (rr), non semel κύνας adficit, *canes albos*, i.e. *veloces, celeres*, qui sicut albedo visum dissipat; sic pernicitate cursus sui oculos hominum ludificant. Quæ triplex notio vocis ἀργὸς triplici qq. τῶν γαςέρων ἀργῶν, in adducto *Callimachi* versu, expositioni occasionem suggessit, quam Clarissimorum Virorum Trigam in convivio aliquando ingeniose perquam attulisse Franc. Martini refert (ss).

 §. 14. Ad

(cc) *In Origg. suis.* (dd) *Hort. Aromat. l. III. c. 8. n. 5.* (ee) *Sunt equidem, quod non dissimulandum, qui istiusmodi σφάλματα γραφικὰ, eaque universalia, in Codicem sacrum Novi Instrumenti irrepsisse, non omnino inficias ire videntur; illud ingeminantes, unam itemque alteram vocem mendosam non statim fontem Scripturarum sacrarum reddere impurum; quemadmodum alias unus vel alter lapillus in purum fontem incidens, ipsum impurum ac contaminatum haud faciat. Vidd. B.* Glass. *Philol. S. lib. I. cum alibi, tum respons. ad loc. Actor.* 7: 14. *pag.* 168, 169. *nec non B. D.* J. Tob. Major. *in Exegem. II. diffic.* περίξατ. *pag. Ima. ad Cap. VII.* 14. *Quam sententiam obelo notavit, tanquam certitudinem originalium Fontium funditus subruentem, B. D.* Walther. *Dedicat. Harm. Bibl. atque alibi. Cæterum de ipsa hac, circa Fontium N.T. integritatem, controversia dedita opera agentes consulantur* Gerhard. *Exeges. de Script. S.* §. 353. *seqq. & Confess. Cathol. lib. II. special. part.* 1. *pag.* 104. *itemque* Kromayer. *Theol. Pos. Pol. Artic. I. pag.* 59. οἱ νῦν ἐν ἁγίοις, *quique per D E I gratiam etiamnum hodie superant,* [*ô quam diutissime superent!*] Duumviri Magnifici, *Dn. D. CALOVIUS, Critic. S. pag.* 455. *seqq. Socinism. Proflig. pag.* 63. *seqq. item Tom. I. System. Theol. pag.* 485. *& D. D. SCHERZERUS Colleg. Anti-Socin. Disp. II. pag.* 23. *conf. &* Scherzer. *Animadvers. Isagog. in Philol. S. lib. II. Animadvers.* 6. *pag.* 268. *seqq.*

(ff) *In Lex. N.T. alias* φιλέλλησι *sacris non parvæ frugis, p.m.* 566. *a.*

(gg) *Rom.* 15: 24, 28. *ubi vidd. Bb. Dd.* Weller. *Annot. ad cit. l. pag.* 739. *&* Cundis. *Disp. XV. in dict. Epist.* ϑ. 63.

(hh) *L. VI. Præt. pag.* 215. (*) *Annot. in N.T. p.* 299.

Tom. II.

(ii) *V.* Plur. Rev. Dn. *L. O L E A R. Exercitatt. Philolog in Epistolas Dominic. præf. ad Lect. b.* 3. *item pag.* 102. *conf. quoque* Leusden. *Philol. Ebræo-mixt. Disp. IX. pag.* 66. *seqq. & Philol. Ebræo-Gr. Disp. VII. pag.* 50. *seqq.* (kk) *Dispp. Exeget. in Joh. cap. XII.* ϑ. 17. (ll) *Annotatt. maj. in Matth.* 10: 4. (mm) *B.* Gerh. *Nott. ad Matth.* 10 *vs.* 4. *pag.* 541. *seq.* Glass. *Philol. S. lib. III. Tract. I. can.* 34. *pag.* 467. Henric. *de Termino Vitæ Sect. I. cap.* 3. §. 15. *seqq.* Reinel. *de Ling. Pun. cap.* 8. *n.* 21. Clasen. *Exercitatt. S. ad Pass. Dom. lib. I. cap.* 5. *pag.* 63, 64. *&c. Cum primis vero* Excellentiss. Dn. *JOH. SCHUTZ*, de Muldano in vicinia Gymnasio, cujus etiamnum hodie Rectorem famigeratissimum agit, nobisque adeo utrisque Disputantium, immortaliter meritus, *Explic. Philol. Histor. Pass. Dom.* ἀνεκδ. *Sect.* 3. *&c.* (nn) *Tit.* 1: 12. (oo) *Lex. N.T. sub voc.* ἔργον *pag. m.* 280. *a. & Gramm. Gr. S. N. T. pag.* 685. (pp) *Doctissima* (*qua encomii hedera* Leusdenio, *Philologo Ebræo-Gr. pag.* 87. *insignitur,*) *Dialectolog. Sacra, pag.* 291. (qq) *Sic adpellitare laudatum modo Præceptorem, Dn. SCHUTZ, in Aristolog. Homer. sua, memini.* (rr) *L. qui venenum* 236. *ff. de V. S. item* §. 2. *tit.* 2. *l.* 1. *Instit. de J. N. G. & C. vid. huc &* Gifan. *JCt. Epistol. ad Lect. in Homer. Iliad.*

(ss) *Ep. CCXIV. p.* 400. *seqq. Scil. quærebatur: Quæ ex allatis tribus vocabuli* ἀργὸς *significationibus Cretensium* γαςέρες *convenientissima videretur? Ubi* Barlæus *primam amplectebatur, dicebatque* γαςέρες ἀργαὶ *idem esse, quod* ἄεργοι, *h. e.* inertes, *pigri ut vulgo in Versionibus. Rejiciebat eum* Vossius, *ac eligebat illud* λευκὸς, venter albus. Tertius, Prof. Theol. Pontif. *ex Sorbona, præferebat* ταχὺς, *quia Cretenses tq. duabus rotis innixi currebant ad convivia præcipites. Quod ne longiuscule pretium videretur, confirmabat simili exemplo Comedonis cujusdam Batavi, in Epigr. Belg. qui nullos pedes in stadio, sed plus quam binos in convivio habebat. Jam nemo erat, qui non miraretur sententiam Vossii, qui solus sine ratione, ut videbatur,* Cretenses *volebat ventres albos vocari; qs. reliqui homines extra Æthiopiam nigros ventres haberent. Premebatur ergo undique, quod hoc non convitium* Cretensibus *futurum esset, si album ventrem haberent, non magis ac convivantibus ipsis; cum tamen Apostolus tq. infames hoc nomine eos traduxisset. Ille imperterritus: Nisi hoc probavero, inquit, non ero animal; quod* Vossius *vocatur. Cœpit igitur fuse exponere, non modo pallorem Romanis in vitio fuisse, sed etiam alborem. Alba enim membra plerumque desidiam, luxuriam, & ingluviem denotasse; unde etiam ventos, qui languorem inducerent, hoc nomine diffamatos esse, &c.*

§. 14. Adhæc paullo magis mirari subit, quod nominatus modo *Wyssius* pro aphæresi istac sua stabilienda nec minus illud *Arati* (tt) in medium proferat (uu), ac si in eo ξ rursus ἀφαιρετικῶς vice τούτου sit positum: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, pro, τούτου γὰρ γένος ἐσμὲν, hujus enim genus sumus. Quis enim nescit, quod usitatum quam maxime apud Græcos, Poëtas inprimis, articulum δεικτικῶς adhiberi, adeoque pro demonstrativis Pronominibus οὗτος καὶ ἐκεῖνος supponi? Sic *Demost.* (xx) ἔδει γὰρ τὸ καὶ τὸ ποιῆσαι, καὶ τὸ μὴ ποιῆσαι, pro τοῦτο καὶ τοῦτο, *hoc atque illud faciendum erat, istud vero omittendum*; it. (yy) εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν ἄνθρωπος οὗτος, οὐκ ἂν ἀπέθανε, i. e. *si hoc & illud hic homo fecisset, mortuus non fuisset.* Sic apud *Homer.* (zz) τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω pro ταύτην, i. e. *hanc ego non mittam, missam faciam.* Rursus (a) ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων, pro οὗτος, i. e. *hic enim fortissimus omnium.* Et plus millies ap. eundem Homerum occurret istud: τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη, i. e. *huic autem respondens allocutus est, &c.* Pari pacto in Novi qq. Testam. libris: (b) οἱ δὲ ἀμελήσαντες, pro, οὗτοι δὲ ἀμελήσαντες ἀπῆλθον, *illi autem neglexerunt & abierunt.* Hinc & apud ipsummet nostrum *Homer.* τῷ, casu sexto, sine substantivo, positum pro conjunctione διὸ i. e. *propterea*, non raro usurpatum legitur, ut (c) τῷ σε κακῇ αἴσῃ τέκον, i. e. *quare te malo fato peperi?* it. (d) τῷ οὐκ ἂν — ἀγορεύοις, i. e. *quare ne concioneris.* Rursus (e) τῷ τοι προφρονέως ἐρέω ἔπος, i. e. *quare ingenue dicam verbum*, & vel centies alibi; ubi primum ellipsis est τῷ, pro ἐπὶ τῷ, postmodum Articulus τῷ iterum pro demonstrativo τούτῳ accipitur, adeoque τῷ pro integro ἐπὶ τούτῳ positum est. Quæ vero adversus *Wyssium* ita disputavimus, ad *Leusdenium* qq. pertinere, aliquanto serius deprehendimus, eidem cum *Wyssio* sententiæ adhærentem (f).

§. 15. His itaque in medium sic allatis perspicere *Hartungus* atque *Scultetus* cum adseclis suis, plus satis, opinor, possunt, quam parum in somniata Aphæresi sua reliquum habeant præsidii. Equidem valeat illa, quantum volet, alibi; hic loci aliquid valere haud patiemur. Et utut vel maxime pati velimus, qua, amabo, ratione οἱ ἀντίπαλοι cum *Martinio* (g), *Kippingio* (h), aliis, transigent, qui ad Leges Grammaticorum congruere, si quando ab ὄπις formetur ὀπισικὸς, negant ac pernegant; esse ὀπικὸν potius κατ' ἀναλογίαν Grammaticam dicendum, pertendentes? Quo accedit, quod rerum naturalium peritiores, qui omnes Nardi species, etiam à locis, in quibus nascuntur, nominatas diligenter enarraverunt ac descripserunt, non tamen cujusdam Nardi, quæ à loco diceretur *Pistica*, uspiam meminerunt. Hinc recte Erasmus (i): *Dioscorides complura Nardorum genera commemorans, quibus cognomina sint à locis addita, pisticæ nullam mentionem fecit; neque Plinius.* Extremum nequicquam in adducto superius *Nonni* versu refugium quæri, pluribus in conflictu, si fuerit opus, docebimus. Conferri inter hæc *Erasmus alter*, vere ἐράσμιος, *Schmidius* (k) puta, potest, nec non οἱ τῶν Γραμματικῶν παῖδες alii.

§. 16. Ea propter primam hancce opiniunculam, quæ Νάρδον πιστικὴν à loco ita fuisse dictam persuasum tenet, missam vel tandem facere possemus, nisi recentior quædam *Lud. de Dieu* conjectura sese nobis offerret. Hic enim (l) cum ab *Abulfeda*, præstantissimo Arabum Geographo, traditum invenisset, פסה *Pist* urbem metropolim Caramanniæ cis Indum fluvium esse; *Jakutus* vero *Hamavvæus* dicat esse ex regione Cabul in ipsa India, unde pleraque aromata Indica peti & ipse testetur, & usus seculi nostri doceat; *Ptolomæus* insuper eodem, ubi hodie Cabul est, loco *Pisca* habeat, quod procul dubio legendum sit *Pista*; inde *Nardum* demum *Pisticam* dici potuisse ratus est, i. e. Indicam ex urbe *Pista*, in regione Cabul, ubi Nardus optima nascitur, & unde plurima adfertur. Laudat qq. in huncce sensum Interpretem Æthiopicum, quod Johan. 12: 3. pro Nomine Proprio id vocabulum reputans, verterit נרדו פשטק, etsi Marc. 14: 3. reddiderit נרדו קרו *Nardi optimæ.* Sed veremur, ut quod maxime, ne & in eandem, cum priore, hæc *Diersii* sententia spongiam incumbat. Sine teste enim facti probato, hic quoque loqui merito erubescimus.

§. 17. Et hæc de priori sententia; succedit altera, quæ *vocabulum πιστικῆς origine Latinum esse*, sibi imaginatur. *Joach. Camerarius*, quem priorem etiam opinionem non penitus respuentem jam ante diximus, *non abhorrere à vero*, ait (m), *id quod docti quidam notarunt, Latinum vocabulum esse hoc* (πιστικῆς) *scriptura Græca depravatum, sicut alia plura; factumque ex SPICATA Nardo πιστικὴν, ut intelligatur eximium & admodum pretiosum unguentum confectum DE SPICIS NARDI. Quemadmodum fecerunt de Sexto Græci ξύστον, & ex Sextario ξέστην. Inde & in libris Latinis esse: Unguenti Nardi, spicati, pretiosi.* Hactenus *Camerarius.* Ejus interpretamentum non improbare potest *Beza* (n) defendunt pluribus *Fr. Lucas* (o), *Cornel. Lapidens.* (p) ipseque *Gerard. Joh. Vossius* (q). Amplectitur & *Hug. Grotius*, (r) illud cumprimis agens, ut ostendat vocem Latinam *spicata* corruptius apud Judæos pronunciatam fuisse per פיסטק, loco ξ ספיקט; id quod deinceps sacris Scriptoribus fuerit ita retentum.

§. 18. Jam neminem fore confidimus, qui vel ex adductis *Camerarii* verbis non intelligat, duobus maxime rationum fulcris hancce superstructam esse opinionem. *Prius illud* est: quia hoc pacto unguenti præstantia ac dignitas omnium optime esset indicata; *posterius hoc*: quod Auctoribus Græcis non infrequens adeo, ex aliis Linguis vocabula nonnulla, per istiusmodi literarum transpositionem in suam transferre Linguam. *Quæ* si nutare fecerimus, totam superimpositam compagem simul corruituram, nulli hæsitamus.

§. 19. Primum itaque tanquam firmissimum suæ opinionis fulcrum nominati modo Auctores istud adferunt, *quod eximium & admodum pretiosum unguentum de spicis Nardi olim confectum fuerit; id quod dubio procul Scriptores sacri hic quoque expresserint, licet paullo corruptius.* Duplex namque è Nardo fuisse unguentum perhibent, *spicatum* atque *foliatum*, (Græcis σπικατὸν καὶ φολιατὸν, (s). Nardinum seu *foliatum* constitisse omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, balsamo, myrrha (t). *Spicatum* vero videri istud fuisse, quod *Tibullus* (u) *purum* dixit, scilicet, non modo non adulteratum, sed & sincerum, impermixtum; quale fiebat ex Nardi spica Indica, vera, germana, non ex aliquo Pseudonardo, cujus se novem species recensuisse ait Plinius (x); tantam concludens esse adulterandi materiam (y).

§. 20. Hæc equidem ex *Plinio* sic satis erudite disputantur, qui *gemina dote*, *spica* scil. *ac folio*, nardum valuisse tradit (z). Verum audiamus parumper, quam responsionem laturus hic sit *Cl. Salmasius*, qui postquam enarratum modo *Plinii* locum & ipse percensuit: *Atqui*, inquit (aa), *folium est, quod spicam facit. Sed*, pergit, *hic error Plinii cum plerisque Veterum communis, qui aroma illud, quod absolute folium* (bb) *dicebatur Romanis, nardi folium esse imbiberant. Quæ erronea opinio usque ad infima Græciæ tempora pervasit, &c.* Scilicet erroneam *Salmasius* distinctionem unguenti Nardini *in foliatum & spicatum* proclamat, nec præter *spicatum* aliud unguentum nardinum agnoscit. Quanquam vix ac ne vix quidem hancce litem nostram facere impræsentiarum velimus, utpote quibus floridissima Medicorum χαρέντων vireta ne per transennam quidem, quod dicitur, inspicere hactenus licuit; illud tamen largiendum nobis omnino fuerit, quod hacce mota controversia non possit non simul opinio ipsa moveri, incerta adeo hypothesi innixa. Quod si enim Nardinum unguentum nullum datum fuit, præterquam quod de spicis confectum, neque opus habuerunt SS. Euangelistæ illius singularem injicere mentionem, itaque ταυτολογίας quasi vitium committere. Et quæ denique, ne quid amplius superaddamus, consequentia erit: Unguentum è spicis Nardi fuit præstantissimum. E. vocabulum πιστικῆς apud *Marcum* ac *Johannem* corrupte pro σπικατῆς positum est? Quasi vero nullum plane apud Græcos fuerit vocabulum, quod *spicam* seu *spicatum* significarit!

§. 21. Sed

(tt) *Actor.* 17: *vs.* 28. (uu) *Cit. loc.* (xx) *Philipp.* 3. (yy) *Pro Corona.* (zz) Ιλ. α. *vers.* 29. (a) Ιλ. ν. *vs.* 243. (b) *Matth.* 22: 5. (c) Ιλ. α. *vs.* 418. (d) Ιλ. β. *vs.* 250. (e) Ιλ. ε. *vs.* 816. (f) *Vid. ipsum Philol. Ebræo-Gr. p.* 91. (g) *In Lexic. Philol. sub v.* Opicus. (h) *Antiquitt. Rom. libr. IV. cap.* 3. §. 5. *pag.* 594. (i) *Annott. ad Marc.* 14: 3. (k) *Nott. ad N. T. fol.* 462. *it. Grammat. Lat. p.* 762. & 769. (l) *Animadvers. in Act. cap.* 13: 34. *p.* 133.

(m) *Nott. cit. ad Marc.* 14: 3. (n) *Ibid.* (o) *Nott. ad Marc.* (p) *Comment. in Johann.* 12: 3. *p.* 429. (q) *Harm. Euang. l. I. c.* 3. §. 14. *p.* 28. (r) *Annotat. in libr. Euang. pag.* 581. (s) Galen. *lib. VIII. medic.* κατὰ τόπους *cap. I. &* Æginet. *lib. III. cap.* 23. *vid.* Gerhard. *in Harm. l. a.* (t) *Juxta* Plin. *Hist. Nat. lib. XIII. cap. I.* (u) *Lib.* 2. *El.* 2. (x) *Loc. cit.* (y) *Vidd.* Fr. Lucas *c. l. ap.* Ursin. *Hort. Aromat. loc. supra alleg. nec non* Corn. à Lap. *itemque* Voss. *ll. cc.* (z) *Lib. XII. cap.* 12. (aa) *Exercitatt. in* Solin. *cap. LII. pag.* 1064. (bb) *Vid. hic* Panciroll. *Rer. memorab. libr.* 1. *Tit. de Folio barbar.*

§. 21. Sed *istud tamen non ita insolitum esse Græcis, Novi præsertim Fœderis scriptoribus, ut vocabula Latina contextui Græco inserant*, altera ratio in medium adducitur; quæ & uno itemque altero exemplo mox probatur, V. C. quod è Latino *sextus* Græci fecerint ξύστος, & τὸ *sextarius* Latinorum iidem in suum ξέστης (cc) transformarint. Et sane præter hasce duas multo plures adhuc alias Latinorum occurrere voces, eandem quæ expertæ fuerint sortem, negari nequit; quarum, uti ab auctoribus vulgo percensentur, brevem hic instituere Catalogum non pigrabimur. Sunt autem illæ: Ασσάριον, *Assarius* (dd), Δηνάριον *Denarius* (ee), Ἰοῦστος *Justus* (ff), Καῖσαρ *Cæsar* (gg), Κεντυρίων *Centurio* (hh) Κῆνσος *Census* (ii), Κοδράντης *Quadrans* (kk), Κολωνία *Colonia* (ll), Κουστωδία *Custodia* (mm), Λεγεὼν *Legio* (nn), Λέντιον *Linteum* (oo), Λιβερτῖνος *Libertinus* (pp), Λίτρα *Litra* (qq), Μάκελλον *Macellum* (rr), Μεμβράνα *Membrana* (ss), Μίλιον *Miliare* (tt), Μόδιος *Modius* (uu), Πραιτώριον *Prætorium* (ww), ῥέδη *rheda* (xx), Σεμικίνθιον *Semicinthium* (yy), Σικάριος *Sicarius* (zz), Σουδάριον *Sudarium* (a), Σπεκουλάτωρ *Speculator* (b), Ταβέρνη *Taberna* (c), Τίτλος *Titulus* (d), Φόρον *Forum* (e), Φραγέλλιον *Flagellum* (f) Φραγελλοῦν *Flagellare* (g) Φαιλόνη *Pænula* (h). De quibus omnibus videndi inprimis *Glassius* (i) *Mayerus* (k) *Dilherrus* (l) *Scultetus* (m), *Pasor* (n), *Gatakerus* (o), *Leusdenius* (p) *Becmannus* (q), *ac Excellentiss. Dn. Lic. OLEARIUS*, Patronus ac Præceptor jugi observantiæ cultu prosequendus (r).

§. 22. At enim vero numero talium vocabulorum nostrum quoque τὸ πιστικῆς debere accenseri, à nullo è recensitis modo Auctoribus adsertum vidimus. Vehementer ergo metuimus, ne eadem veritate inter isthæc talia referatur, qua ἐξουσίας vocem Latinarum, in N. Test. occurrentium manipulo inserere inclutæ famæ Jurisconsultus, *Jac. Gothofredus* (s), annis abhinc non ita multis allaboravit. Neque quod de Talmudhico פיסטקא cum nomine ספיקטא permutato, Grotium adferre antea commemoravimus, sua nititur basi, ulla ratione valida satis. Etenim si nomina isthæc duo inter se commutantur, unam quoque & eandem obtineant significantiam oportet. Jam vero τὸ פיסטקא diversissimum quid notat, *Pistacium* nempe; nucis certum genus; quamvis alii aliter adhæc interpretentur, super quo evolvendus *Christianorum Rabbi*, *Buxtorfius* (t).

§. 23. Quare ut huic quoque sententiæ, *quasi* πιστικῆς *vocabulum pro* σπικατῆς *per metathesin aliquam literarum accipiendum veniat*, repudium mittamus, cum *Capello* (u) breviter definimus, *duram* scil. *admodum & plane intolerandam videri, longeque duriorem ac insolentiorem, quam in* φελόνης *pro* φενόλης, ac ulla voce alia. Utut enim alias cum *B. Ostermanno* (x) de facili demus, *tota*, quod ajunt, *die fieri, ut in peregrinis vocibus transscriptis in aliam linguam modo transponantur quædam, modo inserantur, alibi demantur etiam; idque vel mille exemplorum testimonio plus satis adparere*: hic tamen *Græcæ vocis Latinam originem quærere, & sine urgente necessitate corruptelam quandam* (eamque longe maximam,) *textui tribuere, præposterum esse*, persuasissimum cum *B. Gerhardo* (y) habemus.

§. 24. Hactenus igitur pro re nata demonstrasse nobis videmur, Νάρδον πιστικὴν neque Orientis quendam locum neque ex Occidente vel ipsum Latium notatione Grammatica sua respicere; nostrum nunc fuerit, cursum Græciam versus dirigere, & quid istic loci de ipsa ea occurrat, accuratius paullo dispicere. Ac profecto Græciam πιστικῆς vocabulum gremio suo jampridem excepisse, quovis verissimo verius putamus; sed qua cumprimis genitrice prognatum istud vero est, quod hinc inde disceptari videmus. Deprehendas enim licet, quibus à verbo πτίσσω, vel πτίττω derivari subit, quod sit *contundere, contundendo imminuere*; inde πτιστικὸς, ac post eliso τ. πιστικὸς, quam & gente & mente illustris *Josephi Scaligeri* opinionem fuisse, *Franc. Nansius* (z) memorat. Sed præterquam quod Catholica seu universalis Novi Fœderis corruptio sic foret introducenda, dum omnes Codices constanter legunt πιστικῆς, loco illius πτιστικῆς; id quod Orthodoxiæ, quam è Nostratibus Dd. Theologis edocti alibi sumus, nosque jam ante (aa) produximus, cornua exstantissime obverteret;

(cc) *Vel* ξεστὸς, *sextarius Marc.* 7: 4. 8. *quanquam velint alii* ξεστὸν *esse urceum ligneum: quorum sententia si recto stat talo, vocabulum pure Græcum foret à* ξέω, polio, rado, sculpo. *Et sane collatio reliquorum vocabulorum istius loci ostendit*, ξεστοὺς, *h. e. ut reddidit* Beza, sextarios, *esse omnis generis vasa lignea, quotidianis usibus destinata. Distinguuntur enim* ξεστοὶ *ab æreis vasis & poculis vs.* 4. *ac procul dubio innuuntur vasa lignea, quæ crebra lotione & expolitione opus habent. Hæc* Mayer. *Prodr. Philol. S. part. I. pag.* 265.

(dd) *Matth.* 10: 29. (ee) *Matth.* 18: 28. & *cap.* 20: 2. (ff) *Actor.* 1: 23. (gg) *Matth.* 22: 17. (hh) *Marc. cap.* 15: 38. 43. 44. (ii) *Matth.* 17: 25. (kk) *Matth.* 5: *vers.* 26. (ll) *Actor.* 16: 12. (mm) *Matth.* 27: 65, 66. (nn) *Matth.* 26: 53. (oo) *Johann.* 13: 4. *qua de voce vid. etiam* Drusius *l. IV. Præter. p.* 144. (pp) *Act.* 6: 9. *Esse hoc nomen sectæ & derivari ex Ægyptiaca voce* lubratenu, Pasor *existimat, Ind. Vocab. Lat. annex. ejus Lexic. sed rectius ex consuetudine Romanorum loquendi formulam desumtam esse*, Dilherrus *statuit, Dispp. Acad. Tom. I. pag.* 230. *vid. &* Bez. *ad h. l. nec non* Martin. *in Lexic. Philol.* (qq) *Johann.* 12: 3. *Refertur à nonnullis hæc etiam vox inter Latinas; quod ipsum tamen* Drusio *Præter. lib. IV. p.* 136. *haud probatur, nec* Mayero *Prodr. Philol. S. part. I. pagin.* 278. (rr) 1 *Corinth.* 10: 15. (ss) 2 *Timoth.* 4: 13. (tt) *Matth. cap.* 5: 41. (uu) *Loc. cit. vers.* 15. (ww) *Matth.* 27: 27. (xx) *Apoc.* 18: 13. *Neque hoc vocabulum pro Latino agnoscit* Mayerus *loc. c. pag.* 281. *seqq. sed deducit à R. Hebræis quidem inusitata, sed ap. Targumicos usitatissima* רהט. *Nam, inquit, Chaldæis* רהט, *Syris* רהט *currere est, vid. Luc.* 24: *vs.* 12. *Gal.* 2: 2. *Actor.* 21: 32. *& loca alia perquam multa. Hinc ap. Syros formatur* רהטא *cursus, à quo &* ῥέδη *& Latinum rheda descendere, nemo non videt, nisi lippus.*

(yy) *Act.* 19: 12. (zz) *Cap.* 21: 30. (a) *Luc.* 19: 20. *quo de vocabulo, num Latinum vere sit, rursus dubitant* Drusius *lib. IV. Præter. ad Johann.* 10: 7. *pag.* 150. & Mayerus *l. a. pag.* 271. *seqq. cum* [α] *apud Syros & Ebræorum Magistros usitatum sit* סודר *&* סודרא; [β] *utriusque significatio discrepet. Latinis enim alias* sudarium *proprie est linteum, quo ad sudores detergendos utimur; Syris autem ac Ebræis velamen denotat, quo mulieres caput operiunt. Sed Heinsius tamen, ille ingeniorum princeps, censu Latinarum vocum haud eximit. vid. Aristarch. S. pag.* 444. *Confer adhuc* Excellentissimi Dn. Lic. *OLEARII nostri Dissert. Inaug. de Stylo N. T. Sect. I. Membr. VI.* §. 8.

(b) *Marc.* 6: 27. *De voce hac ita Dilherrus, Dispp. Acad. Tom. I. p.* 205. *ad h. l. In obscuro, inquit, latet, utrum* spiculator, *an* speculator *sit scribendum. Ubi oportet nos vetus dictum Senecæ invertere: Facilius inter Philosophos & horologia conveniet quam inter Criticos. Nos scribimus per E, sequuti nostrum Euangelistam & monumentum:* SCOLA SPECULATORUM LEGIONUM *I. & II.* ADJUTRICUM PIARUM FIDELIUM. *Legantur hic præter alios, ab aliis ailbi in hanc rem citatos, etiam* Maxime-Rev. Dn. *MITTERNACHT. Nott. in Histor. S. Fabrit. pag. mihi* 563. Lips. *Nott. ad Lib. I. Tacit. fol.* 6. Buchner. *Thes. sub v.* Spiculator, Weitzius, *Heortol. p.* 337. *ac præsertim* Wasewitz, *Turtur. Johan. cap.* 54. *p.* 502. *seqq. ubi invenienda, quæ huc spectant, haud pœnitenda.* (c) *Act.* 18: 15. (d) *Joh.* 19: *vs.* 19. e) *Act.* 28: 15.

(f) *Joh.* 2: 15. (g) *Marc.* 15: 15. (h) 2. *Tim.* 4: 13. (i) *Phil. S. Lib. I. Tr. IV. S.* 2. *Can.* 5. *p.* 238. (k) *Prodrom. Phil. S. part. I. c.* 2. *p.* 251. *seqq.* (l) *Disp. Acad. Tom. I. p.* 230. (m) *Exerc. Euang. Lib. II. c. XVI. p.* 52. (n) *In Lex. Græc. N. T. passim, cumprimis in subnex. Ind. vocab. Latin.* (o) *Dissert. de N. Instrumenti stylo contra Pfochen. p.* 53. (p) *Phil. Ebræo-Gr. Dissert. II. Sect.* 2. *p.* 9. (q) *Prolog. de Originn. Lat. Ling.* (r) *Eruditissima illa ac quibusvis S. Theologiæ pariter & Philologiæ studiosis commendatissima Diss. de Stylo N. T. Sect. Exeget. Membr. III. aphor. IX.* §. 1. (s) 1 *Cor.* 11: 10. *de Muliere Apostolus dicit, quod debeat* ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Ibi pro* ἐξουσίαν potestatem, *legendum esse* ἐξουβίαν, exuviam *seu* velamen capitis, *à voce Lat.* exuvia, Jac. Gothofredus JCtus ac Senator Genevensis, *annis superioribus, ingenti molimine, sed successu tamen impari, defensum ivit. Inde & in variis ejus opusculis, quæ A.* CIↃ IↃC LIV. *conjunctim Genevæ prodierunt, peculiaris Dissertatio* de velandis mulieribus, deque exuvia capitis *visitur. De cujus sententiæ confutatione, vid. præter* Salmas. *tract. de Coma, B.* Christ. Chemnit. *Commentar. in Epp. Paull. part. I. pag.* 277. (t) *Lex. Chald. Talmud. Rabb. fol.* 1777, 1778. (u) *Spicileg. ad l. cit. pag.* 46. (x) *Disputat. I. ad N. T. Posit.* 12. (y) *Contin. Harmon. fol.* 44. (z) *Ad Nonni cap. XII. vid.* Voss. *Harm. Euang. lib. I. cap. III.* §. 9. *p.* 26. *it.* Pasor *in Lexic. Græc. N. T. sub* πίνω, *pag. mihi* 566. *a.* (aa) §. 10.

allatam certe τοῦ πίστω significationem adeo exacte huc quadrare nobis persuadere nondum possumus, quippe quod, notante *Guilielm. Budæo* (cc), *Clarissimo & utriusque linguæ intelligentia præcellentissimo Viro* (dd), proprie significat καθαροποιῶ καὶ λεπίζω, non *exprimo, contundo*, ceu posterius τῷ δεῖνα visum. Quæ spicula etiam priorem sui partem torquere licebit in eos (ee), qui ἀπὸ τοῦ πιέζειν derivatum, ac ἀντὶ τοῦ πιεσικῆς id vocabuli positum esse volunt. Synæresin, aut Syncopen quoque, si quis forsitan hic putaret, unde, quæso, eam statuminaret?

§. 25. *Casaubonus* (ff), *Beza* (gg), *Tossanus* (hh), *Maldonatus* (ii), alii, quibus etiam *Henr. Stephani* (kk), *Stuckius* (ll), atque *Schmidius* (mm), nec non *Interpretes Racovienses* (nn), ex parte etiam *Tarnovius* (oo), accedunt, πιστικὴν vertunt *liquidam*, παρὰ τὸ πίνειν, vel πιεῖν, quasi dicas, *potabilem*; quæ enim potabilia sunt, ea oportet esse liquida; ut πιστικὸν μύρον ad differentiam χεροῦ dicatur, ac indicetur, fuisse unguentum non spissum, sed liquidum; prout etiam *Ovidius* (pp) *liquidam Nardum* dixit. Quo accommodari potest, quod *Athenæus* (qq) scribit, Nardum esse aptam πρὸς πότον; & apud eundem (rr) legitur νάρδον καταπίνειν. *Hirtius* in Libro de Bello Hispaniensi: *Ipse de tempore cœnavit vinum & nardum identidem sibi infudit.* Sed à πίνω, vel ejus potius absoleto, πίω, foret non πιστικὸν, sed πιστὸν *potabile*; unde *Æschylus* φάρμακα πιστὰ (ss), non πιστικὰ habet. Et jam ante ex effusione constabat fuisse liquidum unguentum, cur igitur otiose in descriptione id adderetur? Quid, quod dura admodum Catachresis fuerit, *potabile* dicere pro *liquido*, cum non omnia liquida sint potabilia? v.B. *Gerhardum* (tt), *Vossium* (uu), *L. Capellum* (xx), *Salmeronem* (yy), *Barradium* (zz), *J. C. Dietericum* (a) alios.

§. 26. Quare ut vel tandem τῶν ἀρέσκουσων pronunciemus γνώμην, dicimus non tantum, τὸ πιστικῆς vocabulum pure esse Græcum, verum insuper adserimus, originem agnoscere, nullam aliam, atque vocem πίστις, fidem Latinis significantem; itaque per Νάρδον πιστικὴν, *Nardum puram & exploratæ fidei* hic denotari. Quod nostrum adsertum, quantum quidem præsenti instituto suffecerit, amplius stabilire, non fuerit senio ac dividiæ; utque de ratione illius eo melius constare queat, tribus quasi mediis terminis (loquamur tantisper cum Dd. Logicis,) rem universam includere placet: scilicet [α] quia talis modi notatio omnium optime cum re ipsa notata congruit, [β] auctoritate proborum scriptorum innititur, ac denique [γ] potiorum Interpretum non solum, sed etiam Commentatorum ὁμοψηφίᾳ egregie firmatur.

§. 27. *Primo* itaque nos hic ejusmodi notationem sive originationem amplecti diximus, quam cum re ipsa notata omnium optime congruere plus satis aperte nemo non videt. Nam uti alias nullius propemodum rei tanta fides est, quin fraudis aliquid subinde admixtum habeat: ita circumferri quoque ea ætate solebat unguentum Nardinum, minime bonum, sed adulteratum; id quod vel solus *Plinius* φιλόπυστον edocere poterit, quando Pseudonardi, herbæ ubique nascentis, meminit (b), ac de ea, quod sinceram Nardum adulterare consueverit, diserte scribit. *Adulteratur*, inquit, *& Pseudonardo herba, quæ ubique nascitur, crassiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Item* (pergit: adulteratur etiam) *sua radice permixta ponderis caussa, & gummi spumaque argenti aut stibio, cyperive cortice*; seu, uti locum huncce emendandum *Salmasius* (c) censet: *Item sua radice, permixta ponderis caussa & gummi, spumaque argenti aut stibio, ac Cypiri Cyperive radice. Plinius* enim, subdit, *ubique distinguit cypirum & cyperum; quasi illud κύπειρον Græcis, hoc κύπερον dicatur.* Idem naturalis historiæ Conditor alibi (d) *novem herbarum species* commemorat, *quæ Nardum Indicam imitentur*; quibus hæcce statim Exclamatio subnexa: *Tanta materia adulterandi est!* Quæ de fucanda Nardo, [περὶ τοῦ δολιῶν τῆς νάρδον,] quæ τῇ πιστικῇ sive ἀληθεῖ opponitur, Dioscorides egit, apud ipsummet videantur (e). Jam igitur in tanta fraudis copia, quidni usus loquendi obtinuerit, ut πιστικὴ νάρδος diceretur, ἀπὸ τῆς πίστεως, *à fide, plane ἄδολος*, h. e. germana & nulla arte vitiata? Hanc postquam in unguentum quoque suum adhibere *Mariæ Bethaniensi* visum fuit; (forsan ad contestandum pure ac sincere erga suavissimum JESUM adfectum animum, ceu *D. Hieronymus* (f) non futiliter conjectat;) convenientissimo etiam hoc vocabulo exprimere eam θεόπνευστοι Scriptores dubio procul voluerunt.

§. 28. Neque (quod *alterius* probationis erat momentum,) πιστικὸν à πίστις *in hac significatione* à bonis Auctoribus *usurpatum* adeo *insolens videri potest*; quod quidem *Henr. Stephani* (g) existimavit. Siquidem, docente *Salmasio* (h), (at quanto in hisce quoque literis Viro!) πιστικὸν *etiam* παραγωγικῶς *dixere* ἀντὶ πιστοῦ *non infima tantum Græcia, sed etiam melior.* In cujus rei fidem duo mox exempla subjungit; utpote quando *Artemidoro* πιστικὴ γυνὴ καὶ οἰκουρὸς *dicitur* (i); ubi *omnino fidam mulierem significari* etiam *Bezæ*, cæteroquin hancce vocis significantiam ægre admittenti, videtur (k). Item, quando *Vetus Auctor, qui Geographiam versibus composuit, ac Nicomedi Regi dedicavit*, τὸ πιστικῶς *pro fideliter* pari sensu *posuit*:

Οὕτω λελυμένην λέξιν ἀναλαβεῖν ταχὺ
Οὐκ ἐστὶ. τῷ μέτρῳ δὲ περιειλημμένην
Ἐστὶν καταχεῖν εὐκόπως καὶ πιστικῶς.

Scilicet facilius addisci ait, ac fidelius retineri, quæ metro comprehensa sunt, quam quæ soluta Oratione conscripta. Sic ex *Eusebio* (l) Ἑλληνικώτατος *Casaubonus* adfert (m), quod vinum mysticum Sacrosanctæ Eucharistiæ vocet κέρασμα πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης, h. e. *potum N. T. fidem confirmantem. Idem* testatur πιστικὸν βάλσαμον, h. e. *fidele* seu *salubre balsamum*, in literis *Emanuelis* Imperatoris ad *Fridericum* Imperatorem legi; quin & de personis sæpe occurrere apud Cedrenum, pro πιστὸς, ut pag. 545. 577. 596. & sæpe alibi ὁ πιστικώτατος τῶν θεραπόντων, i. e. *fidelissimus ministrorum.* Ita *Imperatori* (n), *Kippingio* (o) teste, πιστικοὶ dicuntur gubernatores, quorum fidei cura totius navis committitur.

§. 29. Et igitur nequaquam Græcis aliquid insoliti prorsus commiserint Sacri Scriptores, si quando veram Nardi speciem, in unguentum à *Maria* adhibitam, πιστικῆς vocabulo indigitarunt. Equidem ἀκέραιον dicere potuissent, uti *Galenus* (p) fecit; vel δόκιμον etiam, ceu voce hac οἱ ὁ usi fuere, dum Genes. 23:16. כסף עבר ipsi reddiderunt ἀργύριον δόκιμον, h. e. *argentum probatum, purum, sincerum, minime adulteratum.* Sed maluerunt πιστικὴν adpellare, voce scil. Græcis illius temporis usitatissima, ac rem, quam significare volebant, non ineleganter exprimente.

§. 30. Nil proinde superesse putamus, quam ut probemus, quod postremo loco antea probandum nobis sumsimus, h. e. Interpretum, ac præter hosce Doctissimorum hominum, quorum quidem scripta super hac re consulere nobis licuit, συμψηφισμὸν, & ipsum sententiam nostram non parum fulcientem, nonnihil proferamus. Syrus profecto illo suo ܢܪܕܝܢ ܪܝܫܝܐ hoc est, *Nardo capitata*, nihil intendit aliud, quam ut emphasin at genuinum vocis πιστικῆς significatum, hactenus à nobis traditum & ipse confirmaret. Hinc cum *Magnif.* Dn. D. CALOVIUS (q) πιστικὴν νάρδον dixisset esse *Nardum puram & sinceram, minimeque adulteratam*, mox subdit: *Eo etiam abit Syriaca Versio* רישיא, *quod non capitatum exponi debet, sed eximium, Nardini præstantissimi.* Et *Heinsius*, ubi locum huncce tractat, *inprimis admiratione dignum* vocat (r), *quod Interpres Syrus,* [*qui non raro voces, quæ significatione prima Græcæ essent, non mutavit, sed ex usu ejus temporis servavit,*] *eam immutarit.* Sed, porro ait, *sensum tamen potius, quam vocem expressit; imo, quod Evangelista voluit, interpretatus est. Unguenti enim caput dixit; quo præstantiam significavit, quod mirifice decepit eruditos,* qui

(cc) *Comment. L. Gr. fol.* 419. (dd) *Elogio Mureti, Var. Lect. l. III. cap.* 11. *pag.* 66. (ee) *Vid. apud* Cornel. à Lap. *d. l.* (ff) *Not. ad Marc.* 14:3. (gg) *Ibid. ut & in versione.* (hh) *Ibid.* (ii) *Comment. ad Matth.* 26:7. *fol.* 567, 568. (kk) *In Thesaur. L. Gr. T. III. fol.* 141. (ll) *Antiqq. Conviv. l. III. fol.* 366. *a.* (mm) *Animadv. in N. T. fol.* 461. (nn) *In Versione N. Test.* 1630. *ed. ubi in eundem sensum reddiderunt*: Da Er zu Tische lage / kam ein Weib / das hatte ein Alabaster / mit fliessender sehr köstlicher Narden. (oo) *Comment. in Evang. Joh. cap.* 12. *p.* 851. (pp) *Lib. III. de art.* (qq) *L. XV.* (rr) *L. VI.* (ss) *In Prometh.* (tt) *Contin. Harm. d. l.* (uu) *d. l. pag.* 27. (xx) *Spicileg. ad Marc.* 14:3. *pag.* 46. (yy) *Commentar. in Evang. Hist. T. IV. Part. III. Tract.* 29. *fol.* 594. (zz) *Commentar. in Concord. & Hist. IV. Evangel. Tom. III. Lib. VII. cap.* 2. *fol.* 417. (a) *Diatrib. de Usu, Abusu & Neglectu Lectionis Scriptor. secular. & Antiquit. pag.* 484. *seqq.* (b) *Hist. Nat. lib. XII. cap.* 12. (c) *l. d. fol.* 1065. (d) *L. XIII. c. I.*

(e) *Lib. I. cap.* 6. (f) *Ad Matth.* 26. *apud Barrad. l. c.* (g) *Thes. L. Gr. l. a.* (h) *l. a.* (i) *Onirocrit. lib. II. c.* 33. (k) *Not. citat.* (l) *Demonstrat. Evangel. lib. VIII.* (m) *Exercitt. Anti-Baron. XIV. n.* 13. *pag.* 244. (n) *l.* 3. *Cod. de Naufrag.* (o) *l. c.* (p) *De Antidot. lib. I.* (q) *Nott. Anti-Grot.* (r) *Aristarch. S. l. c.*

qui ex eo loco nardum ſuam capitatam ſerio imaginati ſunt; quæ nardus capitalis potius, quam capitata, exemplo M. Tullii dicenda eſſet; præſtans nempe & excellens, quemadmodum Ebræis שמן ראש *unguentum capitis, quod caput eſt unguenti.* Quibuscum circa dictam *Syri* interpretationem paria omnino ſenſerunt *Tremellius*: *nardi præſtantis*; *Boder. præſtantiſſimæ*; *H. Grotius*: *eximium* (r) ac *Dieu* tandem: *nardini præſtantiſſimi*; illam vertentes (s).

§. 31. *Arabs*, alias ſimia Vulgati Interpretis Latini (t), apud *Marcum* magno CALOVIO (v) annotante, vocem quidem πιςικῆς plane omiſit; ſed apud *Johannem* tamen pro ea habet: unguentum nardinum purum ſive bonum, vel nardini boni (x). Sic & B. *Lutherus* noſter *Marci* cit. loco νάρδον πιςικὴν reddit per ungefälſchtes Nardenwaſſer / nec non apud *Johannem* per ungefälſchte Narden. Quem in ſenſum etiam plane conſpirant Veterum haud pauci. Sic *Theophylactus* πιςικὴν νάρδον interpretatur (y) νάρδον ἄδολον καὶ μετὰ πίςεως κατασκευασθεῖσαν; Hieronymus (z) eam expreſſit: veram & absque dolo. S. *Odo*, Abbas, unguentum nardi piſticum exponit *fidele* (aa) Veteres Gloſſæ Latinæ *Eucherio* hancce piſtici Interpretationem tribuunt: *Nardum piſticum, chriſma ſine impoſtura.* Ac miranda profecto venit fides Auctoris Vocabularii veteris, quippe apud quem legitur: *Piſticus, a. um: fidelis, à πίςις, fides, unde nardum piſticum, id eſt, fidele, purum, non adulteratum commixione aliarum rerum.*

§. 32. Atque hæc quidem pro ingenii ac temporis nobis conceſſi modulo in præſens protuliſſe ſufficiat. Si non omnia videbuntur Delphica, eo facilius nos veniam impetraturos confidimus, quo propius labi & ceſpitare ab hominum mentibus abeſt. *Omnium* quippe *habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis potius eſſe quam mortalitatis*, D. Imperatoris (bb) cedro digna vox eſt. Nemo tam promtus erit ad monendum, quam nos ad corrigendum; ſiquidem, quod *Veritatis Philoſophus*, *Ariſtoteles* (cc) recte præcipit: ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν debemus. Interim formula, qua olim Bb. Martyres uſi (dd) hic abrumpo:

DEO GRATIAS!

(r) *Annot. in Evang. fol.* 582. (s) *v.* Dieu *Commentar. ad cap.* 14: 3. *Marc. p.* 225. *confer. etiam* Troſt. *Lex. Syr. N. T. p.* 594. (t) *quo de vide, ſis*, Grot. *ad Luc.* 2: 22. Seld. *lib.* 4. *de Jure nat. & gent. ſecundum Ebr. cap.* 2. *fol.* 480. Montacut. *Anti-Diatr. fol.* 295. *it.* Salmaſ. *Præfat. ad Tab. Cebet. paraph. Arab.* (v) *l. a.* (x) *v.* Dieu. *l. a.* (y) *Interpret. in IV. Evangel. fol. m.* 190. (z) *v.* Barr. *l. c.*

(aa) *Serm. de Magdalena. v.* Dieter. l. c. (bb) *l.* 2. §. *ſi quid a.* 14. *C. de Vet. Jur. enucl.* (cc) *l.* 1. *Nicom. c.* 6. (dd) *quade cum primis* Dilherr. *lib.* 1. *Elect. c.* 35. *pag.* 163. & Hier. Drexel. Prodromo æternit. c. 2. §. 47.

M. GODEFR. ECKARDI
DISSERTATIO
De eadem Nardo ad Marc. XIV: 3. & Joh. XII: 13.

PRÆFATIO.

Unguentorum uſus temporibus priſcis, inter varias gentes, præſertim apud Orientales populos, cum in omni vitæ conſuetudine, tum potiſſimum in conviviis, creberrimus fuit & frequentiſſimus. De Hebræis, quorum regio oleis abundabat, ex multis ſacræ ſcripturæ locis planiſſime conſtat. Propterea David, cum ſuam beatitudinem, qua Dei beneficio fruebatur, glorioſius prædicat, eandem lauti atque delicati convivii imagine depingit. Præparaſti, *inquit*, coram me menſam in conſpectu inimicorum meorum: impinguaſti caput meum oleo & calicem meum imples. *Pſalmo* 23. *Quoties enim excipiebant convivas honoratiores, quos ſplendide tractare volebant, eos balſamo, aliisque unguentis fragrantibus perfundebant. Quod ſi Guilielmum Stuckium in Antiquitatibus Convivialibus conſulimus Lib. 3. cap. 15. non una nobis cauſſa demonſtratur, quare Veteres unguenta atque corollas uſurparint. Non enim ſolum propter odorem ad voluptatem augendam adhibebant; verum etiam ob valetudinem illis uſi ſunt, utque ſimul eſſent ebrietatis atque crapulæ antipharmaca. De qua re multa diſſerit Trypho Medicus apud Plutarchum Lib. 3. Convivial. quæſt. quæſtione prima. Similia reperire eſt in libro ejusdem de Iſide & Oſiride ex Ariſtotelis ſententia, nec non apud Athenæum L. 15. Etiam in honoris maximi teſtimonium perfuſos eſſe hoſpites unguentis, colligimus è Platonis Lib. 3. de Republica. Quod ipſum obſervavit H. Grotius in Matth. 26: 7. Atque plura in hanc rem legere eſt apud Caſaubonum contra Baronium Exercit. 14. ſect. 12. Præterea mortuorum corpora ungi ſolebant, quod à muliere nunc factum perhibet Jeſus, cum ipſe ab illa fuiſſet unctus. Scilicet aliquis facere dicitur aliquid ad hunc vel illum finem, qui tamen ab ipſo non intenditur, ſed actum ejus aliunde conſequitur. Niſi malimus dicere, illud factum eſſe impellente ac dirigente Spiritu. De quo videantur Paraphraſtæ Vinarienſes. Nos de unguento ipſo quædam diſputabimus: Faxit DEUS ut feliciter ſuccedat opus.*

§. I.



Nardus, Græce νάρδος, dubio procul oritur à נֵרְדְּ, ejusdem notionis vocabulo, unde נִרְדִּי nardus mea, & נְרָדִים nardi, Cantic. l. 12. 4: 13. Non æque liquet, an τὸ נֵרְדְּ ſit vocabulum origine Hebræum, an aliunde derivatum? Nam Indicum videtur eſſe Martinio in Lexico Philologico. Inde enim rerum nomina petuntur, unde res ipſæ ſuos accepere natales. Nardum autem Indicum optimum ac præſtantiſſimum creditur. Nec obſtat, quod Syriacum etiam celebratur Nardum. Nam ut nos docet Dioſcorides Lib. 1. cap. 6. de materia Medica, non ſic dicitur, *quod in Syria creſcat, ſed quod montis, in quo naſcitur, pars una Syriam, altera Indos ſpectet.* Interim non negat Martinius, poſſe etiam ex Hebræa radice יָרָה dominari, formatum eſſe, cum *Nardi folium ſit principale in unguentis*, tradente Plinio Lib. 12. c. 12. Aliis placet à Syriæ urbe Νάαρδα ſic appellari, de qua Stephanus Byzantius de Urbibus & populis: *Naarda urbs Syriæ juxta Euphratem, ut Rhianus Parthicorum undecimo.* Joſepho dicitur Νεαρδὰ Lib. 18. antiquit. c. 12. Verum cum uſus ſit clarus, non laborandum admodum de

primo ortu est. Nec enim dici facile potest, unde singularum rerum appellationes primo venerint.

§. 2. Græcis ἡ νάρδος est generis fœminini designatque fruticem, aliquando etiam unguentum. Posterius observavit Janus Antonius Saracenus scholiis in Dioscoridis Lib. I. cap. 75. Alias dicitur νάρδινον μύρον. Apud Latinos distinguit Vetus vocabularium: *Nardus fœminini generis herba est spicosa & aromatica, inde Nardum, di, dicitur unguentum, vel confectio ex ea facta.* Quod non admodum observatur ab auctoribus. Plinius sane de herba loquens, Indicum, Syriacum, Gallicum vocat in genere neutro: Horatius de unguento agens, usus est fœminino. Sic enim carminum Lib. II. od. XI. *Dum licet, Assyriaque Nardo potamus uncti.* Non est unius generis Nardum. Ubi de Indico egit Plinius l. c. subjicit: *Nardo color, qui inveteraverit, nigriori melior. In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum.* Ac paulo post: *Baccaris vocatur Nardum rusticum, de quo dicemus inter flores. Sunt autem omnia herbæ, præter Indicum.* Hoc superius nominavit Fruticem. Verumtamen Celtica Nardus à Dioscoride vocatur θαμνίσκος: additur autem, μικρός, pusillus & brevis frutex l. c. capite VII.

§. 3. Verum hæc jam mittimus, solliciti potissimum de vocabulo altero πιστικῆς, quod crucem fixit Grammaticis atque interpretibus. Itaque & varias quæsiverunt vias, quibus evadere ex his angustiis ac difficultatibus possent. Augustinus in Johann. XII. Nardum vocari Pisticum existimabat à quodam loco, quod non omnino spernitur à Doctissimo Camerario. Quia tamen apud Veteres nullus hoc nomine insignitus locus reperitur, vix egere refutatione putaverunt alii. Neque pro loco habuisse Nonnum, ex eo concludi potest, quod ille addidit Epitheton φατιζομένης: Πιστικῆς τρία μέτρα φατιζομένης ἀπὸ νάρδου. Quæ vertuntur à Nansio, *tres mensuras unguenti fragrantis à Nardo pistica quæ dicitur.* Nam φατιζομένης potest verti, *celebrata celebris.* Aut si dicas, Nardum illam pisticam accipere hic epitheton, indeque conficias, pisticum non esse commune attributum, sed proprium loci; respondemus, nihil novi aut inusitati esse apud Poëtas Græcos, uni substantivo sine copula duo epitheta adjungere: quod jamdudum observavit Rittershusius ad Oppianum Lib. I. Cyneget. v. 428. Imo tria aliquando addita leguntur, quod & monuit Henricus Stephanus ad Æschyli Prometh. vers. 371. Videtur tamen Augustinus adhuc melius defendi, si pro πιστικῆς legamus Ὀπιστικῆς, quam sententiam, ut nos docet celeberrimus Vossius Harmon. Evangel. Lib. I. pag. 26. primus attulit Johannes Hartungus. Ipsum deinde secuti sunt alii. Nimirum Athenæus & Pollux Nardum laudant Babylonicam, & non longe aberat à Babylonia Opis, Civitas Persiæ, Herodoto & Straboni memorata: itaque probabile censuerunt, Nardum illam Babylonicam etiam fuisse appellatam Opisticam. Quæ quomodo conveniant, non satis intelligo. Fuit Opis Babyloniæ propinqua, ergo, quod Babylonicum dicitur, potest & Opisticum nuncupari. *Huic vero sententiæ,* scribit Vossius l. c. *multum incommodat, quod ex scriptoribus Ecclesiasticis nemo, nec ullus τῶν ἔξωθεν, Opisticæ Nardi meminerit.* Nec desunt alia plura, quæ jure obverti possunt. Imprimis rejicienda est illa corrupti textus suspicio, quæ sine causa hic urgetur. *Itaque non dubitat* (de Hartungo loquitur Abrahamus Scultetus Observat. Evangel. cap. 80.) *germanam lectionem fuisse apud utrumque Evangelistam* (Marcum & Johannem cap. 12: 3.) Νάρδου ὀπιστικῆς: *quæ vox, quia librariis minus nota fuit, omissa litera O scripserunt* πιστικῆς, *& hac sua inscitia viris doctissimis quoque crucem fixerunt, in qua cogitationes ipsorum vexarentur.* Hæc Scultetus.

§. 4. Tolerabilior illorum opinio est, qui non corruptum censent hunc locum, sed potius ex consuetudine illius temporis statuunt per ἀφαίρεσιν hoc nomen scriptum esse, uti etiam Σπανία scribitur Rom. 15: vers. 24, 28. pro Ἱσπανία. De quo videatur Pasor in Lexico. Verum in his diversa ratio est. Σπανίαν dici & Ἱσπανίαν constat autoritate & veterum usu: quem vide apud Eruditissimum Vossium Lib. I. de Idololatr. cap. 33. pag. 252. Bochartum in Chanaan Lib. I. cap. 35. pag. 699. Grotium in Rom. 15: 24. alios. Putabant enim aliqui Hispaniam dici à Pane πανίαν, hinc Σπανίαν. Sosthenes de Baccho Ibericorum Lib. XIII. *Devicta Iberia Panem locorum præsidem reliquit, qui regionem à se ipso Paniam nominavit, unde posteri παραγώγως Spaniam nominaverunt.* Vid. Plutarchum Juniorem lib. de Fluminibus. Etsi viri docti non probant hanc nominis originem. *Absit* inquit Bochartus l. c. *ut putemus Spaniæ nomen dedisse Panem Arcadem.* *Quin quod alibi diximus, est verissimum, è Phœnicia Cuniculi appellatione* שפן *saphan,* שפניה Sphanijam vel Spanijam *nominasse Phœnices,* id est, Cunicularíam, vel cuniculosam. *Quomodo & Catullus in Epigrammate ad Contubernales:*

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili.

Nempe in leporino genere cuniculus olim Hispaniæ fuit prope dixero peculiaris. Hæc ille. De Ὦπις, sicuti scribunt Veteres, non Ὄπις ut Hartungus, Scultetus, Pasor &c. non constat ω. fuisse abjectum. Deinde peccant viri doctissimi in Grammaticam analogiam. Non enim ab Ὦπις derivatur ὠπιστικός, sed vel ὠπίδειος, ut ἠλίδειος è genitivo ἤλιδος, sic Ἀδωνίδειος, Εὐπολίδειος: vel ὠπιεῖος καθ᾽ ὕφεσιν τοῦ δ. & tandem ὤπειος, ut ἠλίειος & ἤλειος. Vel ὠπῖος, ὠπίτης, ut ab Ἄρβις, Ἀρβῖος & Ἀρβίτης. Vel, ὠπιδεὺς ut à χαλκίς, χαλκίδος, χαλκιδεύς, Ἀρκάς, ἀρκάδος, Ἀρκαδεύς. Quæ omnia sic traduntur à Stephano in laudatis nominibus. Accedit quod à Casaubono annotatum ad Annales Ecclesiasticos Baronii Exercit. XIV. sect. XIII. *illis temporibus unicam fuisse urbem Laodiceam, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret. Nec multo ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cœpit fieri, quod commendaretur.*

§. 5. Itaque alii malunt derivare à verbo πτίσσω, ut sit nardus *pistillo contusa & in liquorem atque unguentum redacta.* Hanc esse Josephi Scaligeri opinionem notavit Franciscus Nansius ad Nonnum in paraphrasi Johannis cap. XII. Verum ita scribendum fuisset πτιστικόν, quomodo carmen dictum πτιστικόν apud Pollucem Lib. IV. cap. 7. Neque obstat nomen πιστήρ apud Hesychium, qui exprimit per ληνός, quo utuntur hujus sententiæ Patroni, ut inde adstruant, literam T. in hoc verbo aliquando elidi. Etenim πιστὴρ non est à πτίσσω, sed à πίω vel πίνω bibo. Neque ληνὸς ibi significat lacum torcularii præli, ubi uvæ prælo exprimuntur; sed lacum notat, unde pecora bibunt, πίστρον, sive ποτίστρον, canalem explicant Grammatici, in quo ποτίζονται τὰ θρέμματα, pecora adaquantur. Vide Scapulam in πίστρα & ποτίστρα. Adstipulatur ipse Hesychius, confirmatque nostram interpretationem. Πισμός, exponit, πιστήρ, ποτίστρα, ληνός. Quare cum ληνὸς sit ambiguum & πολύσημον, ex hoc loco discimus, quid ibi denotet, ubi Synonymum est τοῦ πιστῆρος, non torcular, sed πύελον, & uti jam à nobis declaratum est. Ipse Hesychius varie interpretatur. Deinde verbi πτίσσω significatio alia etiam est, quam quæ huc referri possit. Dicunt Nardum dici πιστικήν, quod sit pistillo contusa & in liquorem atque unguentum redacta. Talis autem contusio non denotatur hoc verbo, sed λεπισμὸς decortiatio. Usurpatur enim proprie de hordeo, quod pinsitur, & à cortice purgatur. Unde πτισάνη & πτισάνη Ptisana, hordeum decorticatum, Gersten graupen: Præterea hoc Epitheto procul dubio aliquid notabile designatur, quod Nardum reddat commendabilem & laudabilem. Ast talis contusio nihil addit dignitatis aut pretii. Propterea nec illos probare possumus, qui πιστικὸν à πιέζω formatum statuunt. Cum enim πιέζω sit premo, πιεστὴρ prælum, torcular, nihil in eo apparet peculiare, & quo commendari ornarique possit Nardus illa, de qua hic agitur. Ut nihil dicam de Scriptura, quæ alia est apud Marcum & Johannem, quam quidem analogia Grammatica admittit, si inde sit deductum nomen. Ut enim dico πιεστὸς pressus, πιεστὴρ, πίεσις, πίεσμα, sic foret πιεστικός, non πιστικός.

§. 6. Pluribus placuit hoc nomen à verbo πίνειν, vel πιεῖν, derivare, ut intelligatur unguentum liquidum & potulentum. Quod eo magis probatur Viro Eruditissimo Isaaco Casaubono Notis in locum Marci, quia refert Athenæus Nardum aptam esse πρὸς πότον, ut bibatur Lib. XV. Et apud eundem Lib. VI. leges νάρδον καταπίνειν. Hirtius in libro de bello Hispaniensi: *Ipse de tempore cœnavit, vinum & nardum identidem sibi infudit.* Hinc Beza vertit, Nardi liquidæ, quem sequitur Piscator. Sic Ovidius:

Nec coma vos fallat liquida nitidissima Nardo.

Schmidius noster *potabilis.* Cum his facit Daniel Tossanus in Joh. XII. pag. 352. Maldonatus in Matth. XXVI. & alii. Flacius scribit: *Maxime tamen probabile est, significare liquidam, quasi dicas, Potabile, ut Græca Etymologia habet.* Videri insuper potest Stephanus in Thesauro L. Gr. & Stuckius in Antiquit. Convivial. Lib. III. cap. 15. Objicit his doctissimus Vossius l. c. quod πιστικὸν nusquam ea significatione reperiatur.

riatur. Alii volunt, dicendum esse πιςὸς non πιςικὸς, quando quidem & Æschylus φάρμακα vocat πιςὰ, potui apta. Verba Æschyli leguntur in Prometheo versu 479. *Non erat remedium ullum*, ὐδὲ βρώσιμον, ὐ χριςὸν ὐδὲ πιςὸν, *neque esculentum*, *neque unguentum*, *neque potulentum*. Notant ibi Scholia Græca πιςὸν esse à πίω, πίσω, πόσιν potum, τὸ πινόμενον, quod bibitur. Verum Gilbertus Gaulminus locum censet depravatum esse, atque emendat restituitque πασὸν, invehiturque in Scholiastem, inquiens: *Quantum se torquet, ut ineptiat.* Πισὸν ἀπὸ τῦ πίω, *qua analogia? quicquid agat, nunquam* πισὸν *in ullo autore* ἀντὶ ποτῦ *reperiet: Sed verius est, eum ignorasse linguam suam.* Hæc ille satis temere atque audacter scribit. Quem multis refutat Clarissimus Vir Thomas Stanicus in hunc Æschyli locum. Primo enim affert Aristophanis Scholiastem in Pluto, qui πισὸν exponit τὸ πινόμενον p. 74. ubi etiam τὰ πισὰ τὰ & ποτὰ permutantur. Deinde nihil mutari debere apud Æschylum Eustathii auctoritate probat, qui in Homeri ἰλ. π & ὀδ. ζ p. 1050. 48. & 1554. 45. tria pharmacorum genera apud Homerum tradi observat, τὰ ἐπίπασα, τὰ χριςὰ καὶ τὰ πισά. Ubi laudat Æschylum, & exponit ποτὰ ἢ πόπμα. Porro valde mirum est, Virum doctissimum de Analogia dubitare potuisse, cum eadem ratione, qua χελσὸς à χελω deductum est, etiam πισὸς à πίω possit derivari, nimirum à præterito perfecto passivæ vocis, πέπισαι, ut κέχελσαι. Nec desunt tandem alia hujus formæ derivata ab hoc verbo, quale est πίςρα, πιςὴρ, πιςήριον. Ab hoc πισὸς deinde formari potest πισικὸς, ut in aliis idem accidisse observamus. Sic à πεισὸς est πεισικὸς, ab ἐρισὸς, ἐρισικὸς, aliaque plurima. Proinde non negamus, πισικὸς posse sic usurpari, neque inficiamur, unguentum liquidum convenire huic loco magis, quam spissum, quippe cum dicatur effusum esse. Imo quia ex effusione jam ante constabat, unguentum hoc fuisse liquidum, inde concludimus, τὸ πισικὸν aliam nunc habere significationem. Adhæc liquidum & potabile non sunt idem. Quod si autem Nardus πισικὴ à πίω dicta est, non liquida tantum, sed quod proprie ac primario in voce involvitur, potabilis etiam fuerit. Jam vero non agitur hic loci de nardi aliquo liquore, qui ad hoc sit præparatus, ut aliquid ejus misceatur vino, itaque bibatur; sed de nardo, qua inungerentur membra. Id quod à Vossio pariter l. c. atque Lud. Capello in Spicilegio objicitur. Insuper nihil in liquido apparet, quod peculiariter notari atque edisseri mereatur.

§. 7. Quorundam opinio est, vocem πισικῆς non esse originе Græcam, sed Latinam formatam è nomine Spicata, ut sic intelligatur *eximium & admodum pretiosum unguentum confectum de spicis nardi.* Laudatur enim maxime in unguentis, ut tradit Plinius, ea Indicæ Nardi species, quæ in aristas assurgit, quam ideo Galenus ναρδόςαχυν, Plinius, Nardi spicam, officinæ spicam nardi appellant, quemadmodum hæc sententia illustratur apud Bezam in h. l. & Stuckium l. c. Atque multi codices vulgatæ versionis Latinæ in Marci Evangelio habent, Nardi spicati pretiosi, teste eodem Beza. Alii tamen habent Pistici, quemadmodum in Joh. 12: 3. Probatur idem Laurentio Vallæ in Collatione ad Marcum. Erasmus habet Pisticæ. Imprimis defenditur hæc interpretatio à Vossio atque Grotio. Neque Camerarius putavit, eam abhorrere à vero: quemadmodum & Beza improbare noluit. Nimirum hujusmodi trajectiones non sunt inusitatæ, quando aliquæ voces de una lingua transfunduntur in alienam. Sic ex μορφὴ est Latinum forma, è τέρεν tener. Ac nequis dicat, nunc sermonem esse de iis, quæ alii à Latinis accepere, demonstrat Vossius, parem etiam rationem esse in illis, quæ Græci à Latinis receperunt. Nam è Sextus fecerunt ξύςος, è Sextarius ξέςης. Quæ similiter à Camerario afferuntur exempla. Verum ne sic quidem putamus confectum esse hoc negotium. Etsi enim faciles largimur, Græcos multa vocabula ex aliis linguis adscita corrupisse quodammodo ac depravasse, sive additione sive detractione, aut transpositione & immutatione: nullo tamen certo testimonio potest demonstrari, Latinum Spicatum à Græcis fuisse mutatum in πισικόν. Imo nos è contrario clare possumus probare, hoc factum minime esse. Etenim Galenus de Medic. κατὰ τόπυς lib. 8. cap. 1. & Ægineta lib. 3. cap. 33. sine literarum vel trajectione vel immutatione usurparunt Latinum, & scripserunt σπικατόν. Quæ ergo caussa fuit, cur Marcus & Johannes id depravarent, aliterque proferrent ac scriberent, quam communis istius temporis usus ferebat? In aliis non abiit Marcus à vulgari consuetudine, ut neque probabile sit, eum hic voluisse hoc facere. Nam cum ξέςης dicit, idem fecit cum Dioscoride l. 1. c. 24. & Galeno ipso l. 1. de composit. Medicam: secundum genera.

§. 8. Nec illud credibile est, à scribis atque librariis τὸ σπικατὸν fuisse mutatum in πισικόν. Fatetur Grotius Latinam vocem Spicatæ etiam à Græcis usurpari & retineri, existimat autem eam apud Judæos corruptius fuisse pronunciatam, nimirum פיסטקא pro ספיקטא Cui respondet Maxime Reverendus Dominus D. Calovius; *Sed merito Capello dura admodum videtur, & plane intoleranda illa literarum* μετάθεσις; *neque ita apud Hebræos pronunciatam hanc vocem esse docere potuit Grotius.* Certe de Hebræis nihil observavit Drusius. Et Clarissimus Lichtfootus ad h. l. notat quidem Hebræis usurpari vocabulum פיסתקא, sed quod corruptum sit è Latino spicata, non indicat. Imo cum hoc nihil commune habere cognoscimus è significatione. Notat enim glandem, auctore eodem. Quando autem porro idem vir doctissimus è glande facit unguentum balaninum, mirabilis artifex est. Scilicet quia פיסתקא in una significatione convenit cum Græco βάλανος, ideo in omnibus convenit. Βάλανος multa significat, proprie fructum quercus: apud Medicos fructus arboris myricæ similis, vocatur βάλανος, aut μυροβάλανος, quia inde conficitur unguentum. Idem designari etiam per פיסתקא Pistaca, probare debuit vir doctissimus. Imo nec Græcis πισάκια ignota sunt, quæ Buxtorfius eadem esse credit cum פיסתקא, ex affinitate & convenientia literarum. Sed ista huc non pertinent. Deinde quando statuunt, hoc pacto aliquam præstantiam ac dignitatem tribui huic unguento, quod non ex foliis, sed spicis nardi sit confectum, incerta atque dubia afferunt. Negat enim Salmasius Exercit. in Solin. cap. 52. distinctionem unguenti Nardini in foliatum & spicatum, nec aliud agnoscit, quam posterius. Etsi dicit Plinius Lib. 12: 12. Nardi spicas & folia celebrari. Nam hunc errorem Plinii cum plerisque veterum communem vocat Salmasius, ut qui aroma illud, quod absolute Folium dicebatur Romanis, nardi folium esse imbiberunt. Quamobrem minime opus fuit, ostendere unguentum illud fuisse è spicis nardi, cum aliud non conficeretur, quam spicatum. Et si hoc etiam voluerunt Evangelistæ, cur vocem σπικάτη satis sic notam atque usitatam corruperunt, ut amplius intelligi nequiret? Denique nardi spicæ non sunt tales, quales illæ, quibus frumentacea semina continentur, *sed radicis nucleus, pars nardi nobilissima, præstantissima ac etiamnum in usu Medico frequentissima,* sicuti loquitur Janus Antonius Saracenus Scholiis in Dioscorid. L. 1. p. 2. docetque Galenus l. de Antid. radicem nardi Spicam appellari, non quia vere Spica sit, sed quia spicæ figuram æmuletur.

§. 9. Restat tandem, ut dispiciamus de vera hujus loci interpretatione & quid nobis videatur de hac voce, explicemus. Putamus autem πισικὸν formatum esse à πισὸς, quod notat fide dignum item, certum & exploratum, ut πισικὸς h. l. *sit probatus, certæ bonæque fidei ac notæ.* Interim ambiguum esse potest, utrum τὸ πισικὸν referri debeat ad unguentum, an vero nardum. Sæpe enim genitivi substantivorum ponuntur pro adjectivis, unguentum nardi, id est, nardinum. Placet tamen Salmasio proprie accipere nomen Nardus, & huc referre τὸ πισικὸν, ut significetur vera ac germana nardus, ἡ ἀληθὴς opponiturque Pseudonardo herbæ ubique crescenti, qua & adulterari solebat. Plinius l. c. *Adulteratur ex Pseudonardo herba, quæ ubique nascitur; Item sua radice permixta ponderis caussa & gummi spumaque argenti aut stibio, cyperive cortice.* Et Lib. 13. cap. 1. *In hoc genere conveniet meminisse herbarum, quæ nardum Indicum imitentur, species novem à nobis esse dictas: tanta materia adulterandi est.* Etiam Dioscorides prodidit hanc adulterationem Lib. 1. cap. 6. *Adulteratur*, inquit, *inspirato stibio cum aqua aut vino palmeo, quo videlicet magis compacta ponderosiorque appareat.* Quin & Celticam Nardum adulterari herba persimili, quæ una cum ea vellitur, idem docet auctor Cap. 7. Hæc interpretatio maxime videtur in dicta Evangelistarum quadrare. Monent enim sedulo, unguentum illud fuisse magni pretii. Matthæus vocat βαρύτιμον, Johannes πολύτιμον, Marcus πολυτελὲς. Duo posteriores etiam de causa preciositatis nos distinctius informant, quod non esset è genere vulgarium & adulteratorum unguentorum, sed nardi veræ ac puræ, bonaque fide præparatum. Theophylactus in Marc. 14: 3. Πισικὴν ἢ νάρδον νοεῖ, ἤτοι εἶδος νάρδυ ὕτω λεγομένυ πισικὴ: ἢ τὴν ἄδολον νάρδον, καὶ μετὰ πίςεως κατασκευασθεῖσαν, *Pisticam nardum intelligit, vel speciem nardi sic vocatam; vel nardum veram, bonaque fide præparatam.* Sic interpretatur Baronius, nempe non adulteratam. Contra quam Casaubonus Exercit. 14: Sect. 13. *Nos aliquando dubitavimus,* (Notis Scilicet in N. Test.) *num potius à πίνω hoc nomen deduceretur causasque non leves attulimus,*

mus, cur id suspicaremur. Observamus tamen in alteram partem transire omnes fere Græcos: qui vocem πιστικὸς sæpe usurpant de re fideliter facta, aut quæ fidei significationem habeat. Sic Eusebius demonstrat. Evangel. Lib. 8. vinum mysticum SS. Eucharistiæ vocat κρᾶμα πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης: & πιστικὸν βάλσαμον *leges in literis Emanuelis Imperatoris ad Fridericum Imperatorem. Etiam de Persona sæpe occurrit apud Cedrenum pro* πιστὸς, p. 545. 577. 596. *& sæpe alibi* ὁ πιστικώτατος τῶν θεραπόντων *fidelissimus ministrorum, quod Aristophanes & melior Hellenismus* πιστότατος. Hæc Casaubonus. Etiam Emisenus ἀπὸ τῆς πίστεως à fide appellari putavit τὸ πιστικόν. *Merito*, inquit, *unguentum pisticum vocatur, quoniam pistis fides redditur. Nullo enim unguento magis, quam hoc delectatur JESUS. Sine hoc unguento accedere ad eum, eum tangere non licet. Impossibile est enim sine fide placere DEO. Hoc unguento impletur Domus, hoc tota Ecclesia redolet. Fœtent igitur infideles Domino, quia hoc unguentum non ferunt.* Hactenus ille.

§. 10. Jam nobis adversatur Hugo Grotius, cum ille quidem concedit, πιστικὸν dici, quod est fidei exploratæ, addit autem, hoc fieri non nisi apud scriptores aliquot seculis seriores. Cui respondet Vossius: *Nec tamen prorsus rejicere hanc opinionem ausim. Cum enim in confesso sit sic loqui posteriores: quis spondeat nobis, non jam cœpisse multo ante sic loqui.* Quæ sua quoque fecit Magnificus Dominus D. Calovius, suoque calculo hanc interpretationem probavit, cujus, Præceptoris nostri ætatem deveneranda, auctoritatem atque doctrinam merito sequimur & tuemur. Jam nequidem omnia recentiorum Græcorum exempla prolata à Casaubono admittere voluit Jacobus Revius Notis in Laurentii Vallæ Collatione in Marcum. Quod enim τὸ πιστικὸν à πίνω derivaverit Eusebius, ostendere conatur ex iis, quæ subjiciuntur: τοῦτο πρῶτον πίε, *hoc primum bibe*: & quod mox idem auctor Evangelium appellet πόμα τοῦ, Εὐαγγελικοῦ κηρύγματος, *potionem Evangelicæ prædicationis.* Verum ut hæc largiamur Revio, non tamen deficiunt alia. Ideo Salmasius: Πιστικὸν *etiam* προσηγορικῶς *dixere* ἀντὶ πιστοῦ, *non infima tantum Græcia, sed etiam melior.* Mox subjicit exemplum Artemidori, qui vixit temporibus Antonini Pii, quod etiam legere est apud Bezam & Lud. Cappellum è Lib. 2. cap. 33. cum *fidam mulierem* vocat πιστικὴν οἰκουρὸν, καὶ πειθομένην τῷ ἀνδρὶ, *Domus custodem & obtemperantem viro.* Et vetus auctor, qui Geographiam versibus composuit, ac Nicomedi Regi dedicavit, τὸ πιστικῶς posuit pro fideliter. Itaque & Hieronymus exponit *veram & absque dolo*, & Odo Abbas unguentum *fidele.* Vetus Vocabularium: Pisticus *fidelis*, à Pistis *fides. Unde nardum pisticum i. e. fidele, purum, non adulteratum commixtione aliarum rerum.* B. Lutherus **Ungefälscht.** Etiam Syrus & Arabs, notante Lud. de Dieu, τὸ πιστικὸν ἀπὸ τῆς πίστεως derivarunt, ut sit *unguentum fidum, fide dignum, germanum, non adulteratum.* Quam sententiam etiam probat ipse, & Syri metaphrasin h. l. vertit, *Nardini Præstantissimi.* Arabs in Marco neglexit vocem Græcam, apud Johannem posuit *Nardini boni*, teste eodem. H. Grotius scribit, Arabem posuisse *Purum*, quod Nardi Epitheton est etiam apud Latinos poëtas. Plinius *sincerum* dixit pro eodem. Placet eadem explicatio Victorino Strigelio in Marci locum. *Plinius* (inquit) *Lib. 13. tradit novem herbarum species esse, quæ nardum imitentur & adulterent. Unde intelligimus in tanta fraudis materia usum loquendi obtinuisse, ut* πιστικὴ *nardus diceretur* ἀπὸ τῆς πίστεως *à fide, & plane* ἄδολος, *hoc est, germana & nulla arte vitiata.* Nec rejicere audet Schmidius noster, simulque respondet ad objectionem è Nonno petitam, qui mediam in ista voce produxit:

Πιστικῆς τρία μέτρα φατιζομένης ἀπὸ Νάρδου.

Ubi doctissimus Vossius: *Si* πιστικῆς *putasset vocem esse origine Græcam, non contra morem Græcanicum mediam produceret.* Verum, inquit Schmidius, *etiam si penultima natura brevis est*, θέσει *tamen hic producitur propter obsessionem, cum brevis inter duas longas produci possit* v. g. ἰλ. β. vs. 731. Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδες, ubi penultima in Ἀσκληπιοῦ natura brevis, θέσει producitur inter duas longas. Sic Odys. χ. vs. 374. ὡς κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων. Post docet hanc consuetudinem transiisse etiam ad Latinos, unde Juvenalis Satyr. 4. *Et domini gladiis jam destinata, sed olim &c.* Destino penultimam habet natura brevem. Hæc ex Schmidio.

§. 11. Hoc unguentum continebatur alabastro, quo nomine significatur vas unguentarium. Plinius lib. 36. cap. 8. *Onychen lapidem aliqui Alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria.* Et lib. 13. cap. 2. *unguenta optime servantur in alabastris.* Proprie itaque vasa ex hoc lapide excavata dicuntur alabastra. Posteaquam vero è vitro atque alia materia confieri cœpissent vascula hujusmodi, etiam hæc alabastra sunt nominata, prorsus ut pyxis dicebatur etiam aurea & argentea, quæ tamen πυξίως è buxo fiebat, & nomen è re invenerat. Epiphanius exponit *Urceolum vitreum*, Lutherus **Ein Glaß.** Atque ita melius intelligi potest, quomodo Maria illud dicatur fregisse. *Cum enim orificium esset angustius, particulam de summitate ademit, ut copiosius inde unguentum posset effluere*, docente Dilherro Tom. I. disput. Acad. p. 403. Nam ut ex Plinio apparet l. 9:35. Alabastrum erat fastigiata longitudine, in orbem desinens. Verum hic obstat Vir eruditissimus Henricus Stephanus, qui in Lexico scribit: *Neque enim, ut quidam crediderunt, sic vocatur generaliter quodlibet vas unguentarium.* Ipsum sequitur Stuckius l. c. Dilherrus tamen è Theocrito affert ἀργύρεα ἀλάβαστρα, argentea alabastra, & Beza in Matth. 26:7. ex eodem Poëta χρύσεα ἀλάβαστρα, aurea producit. Nescio tamen, an error subsit. Ita namque Theocritus idyll. 15. vers. 113. 114.

—— —— ἐν ταλαρίσκοις
Ἀργυρέοις, Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα.

—— —— *calathis inclusi*
Argenteis, & Syrii unguenti plena aurea alabastra.

Habemus hic alabastrum μύρου, Dorico μύρω. Sic quoque legimus apud Herodotum & Lucianum ἀλάβαστρον μύρου. Latini addunt Plenus. Cicero L. II. quæst. Academ. *Alabaster unguento plenus.* Et Horatius, *Nardi plenus Onyx.* Idem enim onyx & alabastrites, ut supra è Plinio cognovimus. Sic & Dioscorides Lib. 5. cap. 153. *Alabastrites lapis vocatus Onyx.* Idem notatur à Brodæo in Epigrammat. Græc. lib. I. & H. Grot. in Matth. 26. & Vossio Harmon. loc. cit. Nos hic finimus & Deo gratias agimus.

Τ. Θ. Δ.

M. CHR.

M. CHR. FASELTI

DISSERTATIO

De unctura Christi sepulchrali ad Marc. XIV: 3.

In Nomine Salvatoris nostri Crucifixi!

PRÆLUDIUM.



Uam diversi ritus à diversis hinc inde populis in *curandis defunctorum corporibus* observati fuerint, abunde norunt illi, qui antiquitatum monimenta non fugitivo perlustrarunt oculo. *Colchi* enim (aliquos saltem ut tangamus) in more habebant positum, defunctos suos suspendere de arboribus. *Lothophagi* abjecerunt eos in mare, ut à piscibus absumerentur: *Sabæi* sive *Nabathæi* in sterquilinia, æque ac stercus defunctorum corpora ducentes. *Hircani*, *Taxili*, *Caspii* & *Parthi* canibus, bestiis & vulturibus devorandos projecerunt. *Chii* & *Romani veteres* comburere eos, ossaque eorum in mortario contundere & in pulverem resoluta per cribrum ad ventorum flatus dispergere consueverunt. *Ægyptiis* contra persuasum fuit, ignem esse belluam animatam, & omnia quæ nascantur, devorare & postquam devorando fuerit expleta, una cum ipsa re devorata emori; ideoque mortuorum corpora igni tradere noluerunt, sed morem condiendi eadem amplexi sunt. Consueverunt autem illi, si Baronio (a) fides hac in re habenda, hunc in modum curare defunctorum corpora, ut oculos imprimis & ora clauderent defuncto, ac fascia stringerent, capillos tonderent, corpus lavarent, unguentis ungerent, hisque delibutum linteis cadaver obvolverent, sicque curatum ponerent in sepulcrum. Et ex his præcipue *ungendi ritus defunctorum corpora* apud Judæos tandem invaluit adeo, ut ab ipsis etiam in *sanctissimo Christi corpore* fuerit adhibitus. Quum autem hæc ipsa septimana, qua vix ulla sanctior, sacratissimum SALVATORIS NOSTRI funus digne, ceu par est, contemplandum nobis exhibeat; merito temporis rationem habere, & isti quid conveniens liberalioris exercitii gratia in medium adferre voluimus. Potuissemus equidem varias, & ab his diebus haud alienas, materias in proscenium disputationis producere, & διάσκεψιν instituere *de antiquorum funerum ritu*; *de ritu flagellandi apud Judæos æque ac Romanos*; *de ritu crucifixionis Christi Romano*; *de ritu scindendi vestes*; *de sepulcro Christi*; *de morte Judæ*, proditoris Christi, & innumeris aliis. Sed quum has omnes aliasque plures ab aliis eruditioribus egregie ventilatas conspexerimus; de *unctura Christi sepulcrali*, quam Euangelista Johannes (b) nobis suppeditavit, in præsenti agere collibuit. TE vero, SALVATOR UNCTE, votis imploramus supplicibus, ut & nos oleo sanctissimi TUI Spiritus benigne velis inungere, quo hoc institutum cæterique labores nostri cedant undique feliciter!

(a) *Lib. 1. annal. 34. n. 135.* (b) *Cap. 19:38,39,40.*

CAPUT I.

De ritus corpora defunctorum ungendi origine.

POSITIO I.

Antequam ad thema propositum nos accingamus, de unctione in corporum defunctorum cura adhibita ejusdemque *origine* nonnulla præmittere, ab instituti nostri scopo haud alienum fore judicavimus.

II. Evolventibus autem nobis antiquitatum volumina, & replicantibus veteris ævi memorias, statim occurret, ritum ungendi defunctorum corpora non heri, aut nudius tertius fuisse ortum, sed antiquissimis temporibus suos debere natales.

III. Hic vero cum Plinio non digladiabimur, quonam tempore unguenta fuerint inventa; neque etiam stabimus ab ipsius partibus, quando *unguenta temporibus Iliacis plane ignorata* dicit. (a) In eo enim Magnum Virum hallucinatum esse, Magnificus Dn. D. Quenstedt (b) & Cl. Kirchmannus (c) satis perspicue ostendunt. Sed unctionis hujus *originem* cum Kirchmanno (d) jure merito ad *Ægyptios* deferimus, ex ea ratione, quia Ægyptus alias terrarum omnium accommodatissima & unguentis herbisque gloriosa à Plinio (e) celebratur. Ægyptios enim cultum singularem cadaveribus, tanquam animarum domiciliis, *quas* nimirum *immortales esse credebant*, exhibuisse, Herodotus (f) haud obscure innuit. Ideo etiam maxima sollicitudine saliebant ista, variisque aromatum ac unguentorum generibus imbuta condiebant. Quumque in privatis ædificiorum constructionibus essent *parcissimi*, in curandis autem defunctorum corporibus erigendisque sepulcrorum molibus *ambitiosissimi* (g) palmam, si fides scriptoribus adhibenda est, in toto terrarum orbe sibi jure merito vendicarunt. Videatur Paulus Aringhius in Roma Subterranea. (h)

IV. Ipsorum ritum tribus saltim verbis tangit Plinius, (i) *Ægyptiis, inquiens, mos est, cadavera adservare medicata* h. e. uncta & condita aromatibus. Pluribus vero eundem describit Athanasius Kircherus in Oedipo Ægyptio (k) ubi ait: qui funera mortuorum curabant, eo exercitio à majoribus tradito funeris impensam domesticis descriptam ferebant, scrutantes, quanti vellent celebrari funus. Conventione facta corpus ejus tradebatur, ut juxta impensam curaretur funus, Primus Grammaticus (ita enim adpellatur) posito humi corpore signum circa illa describebat, quantum à sinistra parte incideretur. Deinde qui dicitur scissor habens lapidem Æthiopicum, quantum lex sinebat, latus aperiebat, subitoque cursu à prosequentibus, qui adstabant, lapidesque cum exsecratione in eum jacientibus, fugiebat. Existimabant enim odium inhærere, quicunque amici corpus vulnere illato violarit. Curatores vero corporis, quos Salitores adpellant, honore existimationeque digni habebantur. Utebantur enim sacerdotibus, templaque pariter ingrediebantur. His penes cadaver adstantibus unus per scissuram corporis interiora præter renes & cor educebat; quæ singula alter vino Phœniceo è rebus odoriferis lavabat, deinde corpus totum primum è cedro, tum aliis pretiosis unguentis ungebant dies amplius triginta; myrrha deinde ac cinnamomo cæterisque rebus liniebant, quæ

(a) *Lib. XIII.* (b) *Cap. V. p. 73. de sepultura Vet.* (c) *Lib. I. cap. 7. pag. mihi 55. de Funer. Roman.* (d) *Libr. I. cap. 8. pag. mihi 60.* (e) *Lib. XIII. cap. 3.* (f) *Libr. I.* (g) *Vid. Diod. Sicul. Bibl. hist. lib. 1.* (h) *Lib. 1. cap. 23.* (i) *Lib. 2. cap. 37. in histor. nat.* (k) *Tom. I. Syntagm. 2. cap. 2. pag. 123.*

quæ non solum id servare diuturne, sed odoriferum reddere valerent.

V. Quanquam vero morem admovendi aromata cadaveribus ab Ægyptiis Ebræi mutuati sint, ut colligere est ex c. L. 2. Genes. ubi illustrissimus Ægypti Princeps, Josephus, servis suis Medicis præcepit, ut corpus defuncti parentis, Jacobi, aromatibus condirent; modus tamen condiendi mortuos fuit diversus. Ægyptiorum enim conditura *intrinsecus* fiebat ventre exenterato & cerebro per nares extracto, quod Græci ταριχεύειν nominabant. Judæi vero unguenta & aromata corpori *extrinsecus* adplicabant, ut refert Isaacus Casaubonus. (ν) Modum condiendi Ægyptiacum Herodotus, vetustissimus Græcos inter historicos, qui hodie exstant (ο) & Diodorus Siculus (ξ) copiose ac erudite satis describunt. Nobis curioso rerum antiquarum scrutatori loca digito præmonstrasse sufficiat. Sed ταῦτα μὲν ἄλις. Nos pedem nunc ad alia promovemus.

(ν) *Contra. annal. Baronii exerc.* 16. §. 112. *p.* 762. (ξ) *l.* 2. (ο) *l.* 1. *n.* 19.

CAPUT II.

De Ritus hujus conditione.

POSITIO I.

Conditionem *subjecti* si dispiciamus, & in eos, ad quos uncturæ feralis honos pertinuerit, paululum inquiramus, deprehendimus, non ad infimi subsellii homines, quos Græci κερατεδίτας adpellant, hunc honorem spectasse, sed ad eos saltem, qui regio stemmate decorabantur, aut præcipuo præfulgebant honoris titulo. Constat enim uncturam hanc feralem *nobilitatis* fuisse *indicium*, ac, ut Cicero scribit, cautum lege, ne servi in funere ungerentur. Id quod etiam ex LL. XII. Tabb. *servilem uncturam* prohibentibus ὀφθαλμοφανῶς elucescit. Et Cœlius observavit (α) *locupletum & nobilium modo funeribus adhiberi solitam cupressum.* Hinc etiam Eucherius, Lugdunensis Episcopus scribit (β) morem hunc antiquitus viguisse, *ut nobilium corpora* sepelienda ungerentur & cum aromatibus sepelirentur. Vide Magnificum Dn. D. Quenstedt copiose, ac, ut solet, erudite hac de re disserentem in loco superius à nobis allegato. (γ)

II. Et hæc ipsa consuetudo mortuorum corpora liberaliter odoribus unguentisque perungendi à Judæis ad Christianorum tandem manus pervenit, ita, ut defunctorum corpora pretiosis quibusque aromatibus condita unguentisque uberrime delibuta tumulo tandem demandarentur.

III. Præterea etiam hic ipse ritus in hodiernum usque diem apud Imperatores, Reges, Principes aliosque Magnates obtinet, ut corpora exenterentur, & fragrantissimis aromatibus impleantur. Cujus illustre nobis exemplum porrigit Justiniani Imperatoris funus, omni magnificentia atque admiratione dignum, cujus exequiarum augustam æque ac munificam pompam Corippus Africanus Grammaticus pereleganter versiculis hisce describens consuetum præ se tulisse morem narrat: (δ)

Tura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, unguentaque mira teruntur,
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Mitto hic Cedrenum, qui locum, ubi conditi multi Constantinopolitani Imperatores essent, μυρέλαιον vocat, ab unguento & oleo medicatorum. Corpus Caroli M. aromazatum esse, refert monachus Engolismensis in vita Caroli Magni.

IV. *Conditionem materiæ* quod spectat, cuivis, qui vel per transennam Historicorum monimenta inspexerit, de facili constabit, unguenta illa, quæ in *unctura mortuali* à Veteribus adhibebantur, ex variorum aromatum speciebus confecta fuisse. Condiebant enim cadavera *myrrha, aloë, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina*, ut hanc condimentorum seriem recenset Alexander ab Alexandro. (ε) Quorum omnium naturam, vim & efficaciam hic adponere, pagellarum angustia non patitur. Eas qui nosse cupit, consulat Magnif. Dn. D. Quenstedt (ζ) & CL. Kirchmannum, (η) ad quos studiosum antiquitatum Lectorem remissum volumus.

V. Ex his vero præcipue *myrrha* & *aloë* corporibus condiendis adhibebantur, eo quod exsiccent, humiditates absumant, & amaritudine sua vermibus & putredini resistant. Et in ipsis sacris litteris aromatum præstantissimum, (ceu Junius transtulit) *myrrha ingenua* dicitur. (ι)

VI. His etiam ab aliis aliæ adhuc adnumerantur species, quæ in hac cadaverum conditura attendebantur, ut sunt *nitrum, opobalsamum, gypsum, calx* aliæque plures. Æthiopes enim *gypso* suos mortuos jam arefactos induxisse, testis est sæpe laudatus Herodotus. (κ) *Calce* itidem, ubi nulla suppeterent ad condiendum aromata, corpora obducta fuere, ut ejusdem vi à putredine incorrupta permanerent. Et observatu sane oppido dignum est, quod de Maximiliano I. Imperatore referunt Historici, qui testamento cavit, ut corpus suum sine ulla exenteratione humo mandarent, & loco aromatum *vivam calcem* adhiberent, ut corpus putredine natum, ea quoque consumente materia citius in terram suam reverteretur.

VII. *Unctionis forma* non consistebat in illo actu, qui in unctura corporum vivorum fuit observatus. Hujusmodi enim unctiones etiam usurpatæ fuerunt antiquitus apud Ethnicos, ubi in ludis ac contentionibus Olympiacis in arenam descensuri oleo inungebantur, ut ad pugnandum alactiores essent, uti constat ex Athenæo. (λ) Et cecinit Virgilius, Phœbus ille inter Poëtas, hac de re ita: (μ)

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii —— ——

Videatur Joh. Jacob. Speidelius in Speculo Juridico-Politico-Philologico-Historico (ν) Neque etiam consistebat in consecratione ad officium. Si quis enim apud veteres ipso unguento perunctus esset sacro, tanquam virtute inde concepta, etiam ipse rex fiebat, aut Propheta, aut Pontifex, dicente Clemente Rom. (ξ) Sacerdotes etiam, reges & Prophetas in V. T. oleo unctionis sancto ad officium suum esse consecratos sacræ passim testantur paginæ. Neque etiam tandem hic honor exhibebatur in convivio, ut forsan Judæi adsueverant. Quoties enim excipiebant convivas honoratiores, quos splendide tractare volebant, eos perfundebant vel balsamo vel aliis unguentis fragrantibus, ut hoc modo exhilararentur. Quo de plura legi possunt apud Magnificum Dn. D. Geierum. (ο) Sed consistebat solum actus ille in eo, ut *sepulturam* prænotaret; & hinc à nobis vocatur *unctura sepulcralis, feralis* item & *mortualis.* Ex quo patet, instituti nostri non esse, agere *de unctione corporum vivorum*, quocunque etiam veniant nomine, multo vero minus *de unctione Pontificiorum*, quam vulgo *extremam* vocant, eos, qui in extrema vitæ tegula sunt constituti oleo inungentes; sed de unctione in sepulturæ ritu adhibita.

VIII. Quum denique omnibus rebus, quascunque etiam suscipiamus, certus aliquis *finis* à nobis soleat constitui; non est, cur existimemus, antiquos hujus uncturæ, quæ non sine magnis fiebat sumtibus, rationibus plane fuisse destitutos. *Causam* itaque unctionis aut condituræ defunctorum corporum, ut prævium habemus Excellentissimum Dn. D. Ægidium Strauchium (π) statuimus habuisse *triplicem* 1. *Physicam s. naturalem* 2. *politicam s. civilem*, *mysticam* denique & *spiritualem.*

IX. *Causam* quod attinet *Physicam s. naturalem*, hac fini unctio feralis instituebatur, ut cadavera à corruptione & putredine diutius servarentur immunia. Verum enim vero licet corpora humana, terræ mandata, plerique omnes statuant putrescere, CLmus tamen *Platerus* negativam defendendam amplectitur. Rationes, quibus innititur, videantur in Anthropologia Physica B. nostri Sperlingii. (ϱ) Cui sententiæ Plateri & nostrum, si intelligatur de naturali morte exstinctis, addimus calculum. Nec enim ibi datur causa efficiens putredinis, nec subjectum capax & ido-

(α) *Cæl. Rhodig. A. L. l.* 15. *c.* 2. (β) *hom. in v.* 2. *c.* 26. *Matth.* (γ) *p.* 80. *cap.* 5. (δ) *Corripp. de laud. Justin. min. lib.* 3. (ε) *l.* 3. *dier. gen. c.* 2.

(ζ) *Loco cit.* (η) *lib.* 1. *c.* 8. *p.* 61. *seqq.* (ι) *Exod.* 30:23. (κ) *lib.* 3. (λ) *lib.* 9. *c.* 16. (μ) *lib.* 3. *Æneid.* (ν) *p.m.* 1103. *n.* 12. (ξ) *l.* 1. *Recogn. Ruff. Interpp.* (ο) *In Disput. Philolog. Histor. de veterum Ebræorum ratione cœnandi.* (π) *in Disputatione peculiari hist. de antiquo funerum ritu* §. 2. (ϱ) *lib.* 2. *quæst.* 4. *p.* 318. & 319.

& idoneum. Deeſt videlicet humidum, deeſt calor ambiens.

X. *Cauſa politica* ſ. *civilis* hæc erat, ut, quos vivos ob ſtatus ſublimitatem magni fecimus, eorum quoque corpora defuncta reverenter haberemus; utque ita condita ſint cognatis, ad virtutes ipſorum imitandas monumenta & incitamenta. Æthiopes quoque exanima corpora vitro operta, ita, ut integra ſpectentur, & poſteris ſpectaculo ſint, adſervare, Alexander ab Alexandro tradidit. (ψ)

XI. *Cauſa* denique *myſtica* & *ſpiritualis* eſt, ut iſtiusmodi unctura eſſet teſtificatio fidei de reſurrectione corporum, & ſymbolum ἀφθαρσίας ſeu incorruptionis futuræ. Conſulatur Caſpar Sibelius. (ω) Sed à profanis digredimur ad ſacra.

(ψ) *Lib.* 3. *c.* 2 (ω) *Tom. III. Oper. Theol.*

CAPUT III.

De Ritus hujus ad corpus Chriſti demortuum accommodatione.

POSITIO I.

HUnc ipſum ritum, de quo in præcedentibus capitibus operoſe ſatis egimus, in ſanctiſſimo SALVATORIS NOSTRI corpore obſervatum quoque fuiſſe, non pauca in hiſtoria Evangelica exſtant loca evidentiſſima. Quod enim inſtanti paſſionis & mortis ſuæ hora in *convivio Bethanienſi* unctus fuerit, ab Evangeliſtarum Triade, Matthæo (α) Marco (β) & Johanne (γ) verbis expreſſis recitatur.

II. Si vero inquirimus in *perſonam ungentem*, Evangeliſtæ in eo conveniunt omnes, unctionem illam *à fæmina* fuiſſe peractam, ipſius vero nomen ſinguli non exprimunt. A *Matthæo* & *Marco* unctrix hæc vocatur γυνὴ, & communi hac adpellatione ſunt contenti. *Johannes* vero, qui ultimo loco inter Evangeliſtas ſcripſit, teſte Euſebio (δ) nomen hujus mulieris, ab aliis prætermiſſum, exprimit, quod videlicet fuerit *Maria*, Marthæ & Lazari ſoror, fidelis illa Chriſti μαθήτρια, ut eam Chryſoſtomus adpellat.

III. *Materia*, quam in unctura Salvatoris mulier hæc adhibuit, fuit *unguentum nardinum*. A Matthæo in genere vocatur μύρον, per quod vero neutiquam intelligenda compoſitio illa ſpiſſa & tenax, quæ in Pharmacopoliis unguenti venit nomine, dicitur enim hoc unguentum *effuſum* ſuper caput Chriſti; ſed fuit tenuis liquor ac ſuccus ex herbis odoriferis, potiſſimum vero *nardo* preſſus, quo utebantur ad irriganda corpora propter odoris ſuavitatem ac ſpirituum refectionem in conviviis ſolennioribus. LXX. Interpretes nomine μύρου itidem utuntur pro בְּשָׂם *aroma*, *ſpecies odorifera*, *odor pretioſus* Cant. 4: 14. à quo ſine dubio Germanicum noſtrum **Biesem** ſuam traxit originem. Marcus vero & Johannes *nardum*, ex qua unguentum illud erat confectum, vocant πιστικήν. In qua voce ſi quis Grammaticis crucem fixam dederit, nihil à vero alienum dixerit. Sunt enim hujus vocis tot variæ acceptiones, quot ejusdem interpretes. Caſaubonus, Beza, Toſſanus, Maldonatus & alii πιστικὴν vertunt *liquidam* πρὸς τὸ πιεῖν vel πίνειν, quaſi dicant *potabilem*. Sed à πίω non eſt πιστικὸν, ſed πιστὸν potabile, ſicut Æſchylus vocat φάρμακα πιστὰ non πιστικά. Nos forſan non errabimus, ſi *nardum* πιστικὴν à *loco* ita dictam adſeramus. Conſtat enim ex Athenæo, prope Babylonem fuiſſe oppidum, *Opis* dictum, ubi pretioſiſſima nardi unguenta confecta & in alia loca tranſportata. Inde igitur optima & pretioſiſſima nardus dicta fuit *Opiſtica*, & per aphæreſin *piſtica*, ut notat CLmus Johan. Hartungius in Criticis. Ut ergo faſciculus myrrhæ ad paſſionem: ita nardi odor ad unctionem paſſionis & ſepulturæ præviam haud inſcite accommodatur.

IV. *Cauſam*, ob quam SALVATORIS NOSTRI corpus unctum fuerit indagare poſſumus de facili. Nimirum non ἀτίμως ita καὶ ἀφανῶς, ut infame facinoroſi alicujus cadaver humandus fuit Chriſtus, ſed decenter atque honorifice funerari debuit. Et hanc ipſam cauſam reſpexit Chriſtus ipſe, quando à muliere unctus, βαλοῦσα, ait, γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν (ε) hoc eſt, ut vertit vulgatus Latinus: *quod hæc unguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* βαλοῦσα, inquit, *miſit* h. e. effudit hoc unguentum. Syrus habet verbum רמא *projecit* ſuper corpus meum; id fecit πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι *ad ſepulturam meam prænunciandam.* Notanter utitur vocabulo ἐνταφιάζειν, non vero θάπτειν. Significat enim illud ſepulturam præparare, id quod fit corpus mortuum lavando, aromaticis unguentis illinendo ac linteis denique involvendo. Et hanc ipſius pietatem Chriſtus ipſe deprædicat, ἔργον, inquiens, καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμὲ ut Matthæus habet (ζ) Quibus verbis equidem non denotat opus ſimpliciter bonum, ſed *egregium* ſaltem ac *pulcrum*, omnium laude & commendatione dignum. Sicut etiam Syrus vocat opus שַׁפִּירָא *decorum* & *elegans* & μετωνυμικῶς *gratum* ac *laudabile*, quia quæ pulcra, eadem & grata ſunt. Marcus addit προέλαβε μυρίσαι h. e. προέφθασε *prævenit*, *præoccupavit* ungere corpus meum ad ſepulturam; vel, ut Theophylactus in Commentario ſuo explicat προτυπῶσαι τὴν τοῦ σώματος ταφὴν καὶ θάνατον. Quia enim ſciebat, Chriſtum propediem moriturum, ac verebatur, ne officium unctionis *mortuo* impendere per rabiem Pontificum prohiberetur, ideo *vivo* hunc honorem exhibere & unctione ſua ſepulturam quaſi præfigurare voluit. Unde etiam Syrus addit adverbium *tanquam.* Ideo ad hunc finem unguentum iſtud adſervavit, jam vero totum pretii maximi unguentum in eum effundit, nihil reputans nimium, quod tanto ac tam grato hoſpiti impendere poſſet. Hinc etiam Marcus non utitur voce χρίσαι, quod eſt quomodocunque ungere, ſed μυρίσαι, quod proprie eſt unguentis aromaticis & odoratis ungere, quales unctiones ἐν τῷ ἐνταφιασμῷ ſ. in præparatione ad ſepulturam adhiberi ſolebant. Et tantum de unctione, quæ Salvatori in convivio Bethanienſi à muliere fuit exhibita. Nunc delabimur ad aliam.

V. Sacratiſſimum Salvatoris noſtri demortuum corpus antequam ſepulturæ traderetur, de more aromatibus conditum fuiſſe, unguentisque perfuſum, Evangeliſta Johannes locupletiſſimis verbis teſtatur, (ι) ita dicens: ἦλθεν οὖν (nimirum Joſeph) καὶ ἦρε τὸ σῶμα Ἰησοῦ. Ἦλθε δὲ καὶ Νικόδημος, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλοῆς ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν. Ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις. Juxta Vulgatam Latinam ita: *venit ergo* (ſcilicet Joſeph) *& tulit corpus Jeſu. Venit a. & Nicodemus, qui venerat ad Jeſum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes ad libras ferme centum. Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.*

VI. Jam penitiori paulo oculo comtemplabimur memoratos *ſepulturæ Chriſti curatores*, vel, ut antiquis dicebantur, *pollinctores. Quur* vero & *unde* ſic dicantur, nec dum inter eruditos convenit.

VII. Primo a. loco Johannes contemplandum nobis exhibet *Joſephum*, ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας (ſcilicet ὢν) πόλεως τῶν Ἰουδαίων. (κ) qui non dubitavit ſeſe non ſolum fautorem, ſed & pollinctorem demortui Jeſu publice profiteri. Nam corpus Jeſu à Pilato petiit, ac poteſtatem ſepeliendi illud impetravit. Evangeliſtis Marco (λ) & Lucæ (μ) deſcribitur, quod fuerit vir Senatoria dignitate illuſtris. Erat enim ſi non ex Synedrio magno, certe ex ſenatu urbis Hieroſolymitanæ. Hinc utrique dicitur βουλευτὴς *ſenator.* Syrus retinuit vocabulum Græcum בּוּלְוּטָא quem Ebræi alias vocare ſolent יוֹעֵץ *Conſiliarium.* Latinus Interpres vertit: *decurio*, quod h. l. non denotat nomen officii militaris, ſed dignitatis ſenatoriæ in civitate. Qui enim Romæ dicebatur *Senator*, in municipiis adpellabatur *decurio.* Sed de Joſepho huc usque.

VIII. Ad alterum nunc Chriſti pollinctorem, *Nicodemum* videlicet, paucis nos convertimus. Veritus hic Collegarum ſuorum odia *noctu* ad Chriſtum (πρῶτον, *prima* duntaxat *vice*) veniſſe dicitur. Poſtea v. in publico Senatu ipſum confeſſus eſt, & idcirco *Galilæus*, h. e. Chriſti Galilæi diſcipulus, audire cogitur. (ν) Poſt Salvatoris mortem addictum ipſi eſſe, reapſe comprobat, dum ad ſepulturam honorifice ei perficiendam *myrrhæ* atque *aloës centum circiter libras*, juxta fontes ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν commercatur, & in funerando ſancto corpore Joſepho ſuam operam adjungit. Ubi vero notandum, quod vocabulum λίτρας hic loci non accipiendum ſit de *centenario pondere*, Germanis

M 2

(α) *Cap.* 26:7. (β) *cap.* 14:3. (γ) *cap.* 13:3. (δ) *lib.* 3. *hiſtor. c.* 21. (ε) *Matth.* 26:12.

(ζ) *V.* 10. (ι) *cap.* 19:39, 40. (κ) *Matth.* 27:57. (λ) *cap.* 15:43. (μ) *cap.* 23:50. (ν) *Joh.* 7:50, 52.

manis denotans hundert Pfund. Qui enim tot libræ unguenti (ein gantzer Centner) in unum corpus ungendum insumi possent? Et quomodo Nicodemus tantum pondus, quod hic de eo dicitur, ferre potuisset? Sed accipiendum id est de *genere numismatis*. Denotat enim ἡ λίτρα præter significationem libræ, ut ponderis, certum etiam numismatis genus, quod *obolus* vocatur *Ægineticus*. Fuerunt ergo λίτραι ὡσεὶ ἑκατὸν illius μίγματος mixtura talis, quæ centum obolis Æagineticis comparata erat, ut hoc adnotavit Erasmus Schmidius in Animadversionibus ad N. T. (μ) Et tantum de *pollinctoribus*.

IX. *Unguenta*, quibus sanctissimum Christi corpus unxerunt, seu potius *aromata*, ex quorum mistione unguentum unum conficiunt, Johannes præmemorato loco ad *duas species, myrrham* scilicet & *aloën* revocat. Ubi vero myrrha & aloës non seorsim accipiuntur; dicitur enim μίγμα σμύρνης καὶ ἀλοῆς h. e. mixtura myrrhæ & aloës, ut adnotavit Heinsius in Aristarcho sacro. (ν) Adducit autem Johannes duas hasce species ut sumtuosiores & in hac mixtura dominantes præcipue, ut observat B. Gerhardus in Harm. Euangelica. (ξ) Ambo enim recensita hæc aromata quum sint succi amarissimi, vimque habeant vermibus & putredini resistendi; hinc ad usum ungendorum mortuorum optima habebantur. Nec enim Judæi modo, sed & Ægyptii, Syri, Arabes aliæque nationes ex inveterata traditione myrrha & aloë munire solebant cadavera.

X. Et ne quis in eam prolaberetur sententiam, ut putet, Josephum & Nicodemum hac unctura sua insoliti quid suscepisse, notanter addit Johannes: καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν h. e. *sicut mos est Judæis sepelire*; vel ut Nonnus effert:

Ὡς νόμος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θέσμα φυλάσσειν.

Ipsorum itaque liberalitas neutiquam est improbanda. Observant enim hoc suo opere patriam consuetudinem, ac testantur, se honorifice de Christo sentire, dum eo modo illum sepeliunt, quo honoratissimi & spectatissimi viri apud Judæos sepeliri consueverant. Sed quicquid sit, infirmitas aliqua fidei subesse videtur, quod aromaticis unguentis eum à putredine præservare cupiunt, qui tertio die erat resurrecturus, & *quem impossibile erat à morte captivum detineri & corruptionem videre.* (ο)

XI. Pauca nunc dicenda restant de *mulierculis*, quæ corpus Christi sepulcro jam reconditum sedulo perungendum quæsiverunt. A Marco (π) *tres* earundem recensentur, inter quas prima ipsi vocatur *Maria Magdalena*, altera *Maria Jacobi*, tertia *Salome*. Reliquarum non fit diserta mentio, sed in genere additur (ρ) τινες σὺν αὐταῖς, quæ verba in vulgata versione Latina sunt omissa. Possent autem tum de viris, tum de mulieribus accipi; sed quia versu 10. additur explicatio αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς *reliquæ cum illis*, ideo in *fœminino* vertendum, *quædam cum illis*. Quot autem numero harum fuerint, exacte non constat.

XII. Μυροφόροι hæ mulieres *aromata*, ut Marcus l. c. refert, *emerunt, ut venientes ungerent Jesum*. Hujus sui excursus bonam sane intentionem ad finem bonum sibi habent propositum. Neque enim deambulatum, multo minus comessatum exeunt, sed Christum Salvatorem suum quærunt, ipsique extremum honorem, corpus ungendo, præstare desiderant. Ideo etiam secum ferunt ἀρώματα καὶ μύρα, quæ ex aromatibus, die parasceves emtis, exacto sabbatho paraverant. Et licet corpus Domini jam ante à Josepho & Nicodemo unctum novissent; horum tamen unctio quia rudis fuerat & extemporanea, accuratiorem & sumtuosiorem meditantur, non ad animum sibi revocantes *grande saxum*, quod à Josepho & Nicodemo sepulcro impositum ipsæ viderant, ut patet ex Matthæo (σ) Marco (τ) Luca (υ) & cui removendo se noverant impares, quum fuerit λίθος μέγας σφόδρα *lapis valde magnus*. Nihilo vero minus *summo mane*, quum adhuc tenebræ essent, civitatem egrediuntur; (nam pacis tempore Hierosolyma non erat clausa, sed portas habebat noctu ac interdiu patentes) & una omnes alacres ad sepulcrum pergunt, neque quicquam à proposito suo deterreri se patiuntur, ut, re infecta, retrocedant. *Sepulcrum* autem *ingressæ* (nam in regionibus Orientalibus ita exstruebantur sepulcra, ut per gradus in illa descendi posset,) *non inveniunt corpus Christi, cujus ungendi causa advenerant.* Turbantur igitur & contristantur, suspicantes à Judæis, Christi hostibus, instinctu Pontificum illud sublatum atque alio deportatum esse. Ita scil. tristis adspectus Christi in cruce pendentis impleverat oculos & corda earum, ut velut lethargo quodam oppressæ non recordarentur, quid Christus de passione, & resurrectione sua *quinquies*, ut ex Euangelistis colligitur, concionatus fuerit.

XIII. Interim tamen earum institutum est *laudandum*, quod, quem in vivis docentem audierant, & miracula edentem viderant, eum etiam exstinctum amant, & pro more regionis corpus ejus ungere volunt, ut sese gratas exhibeant, quum alio officii genere studium & amorem suum erga Christum declarare non possint. *Improbandum* vero est ex ea ratione, quod immemores prædictionum de resurrectione Christi, *corpus ejus, nulli unquam corruptioni futurum obnoxium*, aromatibus suis à corruptione præservare satagunt.

XIV. In descriptione vero *temporis*, quo mulieres hæ μυροφόροι ad sepulcrum Christi venerint ἐναντιοφάνεια apud Euangelistas occurrere videtur. Marcus enim (φ) ita habet: καὶ λίαν πρωῒ ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, quæ Erasmus ita vertit: *& valde mane veniunt ad sepulcrum, exorto Sole.* Existimat autem B. Gerhardus in Harmonia Euangelistarum (χ) quod vocabulum ἀνατείλαντος minus recte vertatur in *præterito*, ac si Sol jam ortus fuisset, quum illud non *præteriti*, sed *indefiniti* sit temporis, adeoque non intelligendum de *Sole jam exorto*, sed potius de *Sole ortui proximo.* Hinc etiam addit, quod quidam Codices legant ἀνατέλλοντος, *oriente Sole*, hoc est, *jamjam orituro*. Græcæ enim linguæ cultores non nesciunt, *Participium præsens* non raro accipi ac intelligi de paulo post futuro. Unde & Glossa Ordinaria ex Augustino (ψ) ita exposuit: *quum jam cœlum ab orientis parte albesceret*, id quod fit Solis orientis vicinitate. Et Lyranus *orto Sole* hoc modo interpretatur, quod Sol ad ortum jamjam adpropinquaverit, ita, ut *orto Sole* idem sit, ac Sole ad ortum jam adpropinquante. Sol enim *dupliciter* oriri intelligitur, uno modo *perfecte*, quando primo egreditur & adparet super terram; alio modo, quando scilicet lux incipit adparere in aurora. Hinc Lucas etiam (ω) tempus sic describit, quod factum sit ὄρθρου βαθέος, *profundo mane*, quod Syrus ita vertit: *in aurora, quum adhuc essent tenebræ.* Johannes (a) factum id esse dicit, πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, hoc est, ut vulgatus Latinus vertit: *mane, quum adhuc tenebræ essent.* Non profundæ illæ quidem μεσονύκτιαι, sed luci proximæ, quas *crepusculum matutinum* excipit. Collatis itaque fontibus Euangelistarum triga amicissime inter se conspirat.

XV. Dissertationis hujus nostræ coronidem hæc imponat quæstio: *anne corpus Christi demortuum dicendum sit cadaver?* R. Beza (b) corpus Christi demortuum proprie sic dictum cadaver dici posse existimat, ut & Chamier (c) & Rivetus. (d) Ex Pontificiis easdem cum his tibias inflant Gregorius de Valentia, (e) Cajetanus, Salmeron & alii. Quo vero minus cum his omnibus faciamus, cadaveris descriptio & testimonia Sacra, quæ allegasse liceat, obstant. Nam Psal. 16: vers. 10. Actor. 2: 27. dicitur, quod Christus non visurus sit διαφθορὰν s. corruptionem. Quomodo ergo Christi corpus cadaver dici possit, corruptibile quum non fuerit, non video. Alias insuper rationes Theologi nostri suppeditant passim. Sed nos, ne ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα posuisse videamur, manum de tabula.

SOLI DEO GLORIA.

(μ) *Cap.* 19. *Joh. vs.* 39. (ν) *Pag.* 2. *c.* 15. *p.* 955. (ξ) *Cap.* 205. *p.* 2065. (ο) *Act.* 2: 24. *Ps.* 14: 10. (π) *Cap.* 16: 1. (ρ) *Luc.* 24: 1. (σ) *Cap.* 26: 61. (τ) *Cap.* 15: 47. (υ) *Cap.* 23: 55.

(φ) *Cap.* 16: 2. (χ) *Cap.* 207. *p.* 2087. (ψ) *Lib.* 3. *de consensu Euangel. c.* 24. (ω) *Cap.* 24: 1. (a) *Cap.* 20: *vers.* 1. (b) *In l. editione N. T.* (c) *Libr. V. de Christo Tom.* 2. *c.* 5. (d) *In Ps.* 16. (e) *Tom. I. disp.* 6. *qu.* 2. & *Tom.* 4. *disp.* 1.

FRANC.

FRANC. WOERGERI CONCILIATIO MARCI CUM JOHANNE

Super horam, qua crucifixus Christus, ad Marc. XIV: 25.

CAPUT PRIMUM.

Errorum non levem succrescere segetem, si nimium inhæreas auctoritati Magistri, idque à doctissimis viris subinde improbari.



Ere Samuel Maresius in dedicatione, quam præmisit Anti-Tirino: *Plus satis hodie terra ferax est Alexandrorum, non fabrorum modo, qualis ille, quem Paulus sibi infestum senserat; sed Macedonum quoque, qualis ille alter, qui cum Dario partiri nolebat dignitates & honores, ne videretur mundus duos soles pati.* Nimirum erudite dolet Maresius, atro carbone non solum eos notari à præclaris Viris (talis Alexander Rex) qui non in omnibus vel minimis cum sententia ipsorum conveniunt, sed alios etiam, qui nec solidiori eruditione unquam tincti, nec ultra libros vernaculos eosdemque vulgares sapiunt, (talis Alexander faber) insurgere passim contra meliora ingenia, dum obscuriori scripturæ loco facem accendere nituntur, ac si quæ illis videntur nova, simul sint aut frivola, aut, cum majores ex eorum mente omnia jam absolverint penitus, quæ criticam spectant, nulli plane bono, nisi excitandæ zelotarum talium bili, quemadmodum & scite loquitur Spanhemius (a); *Nemo promptius in aliena invadit, quam qui vel aliud agit vel nihil, & qui aliter non possunt, contemptu hic sæpe ulciscuntur illos, qui student prodesse publico, famæque alienæ intercedunt, ut tueantur suam. Quoties etiam hic ignaviæ velum obducitur, & desidia purgatur obtentu modestiæ.* Eodem modo Piccartus (b): *Plerumque quæ ignoramus & quorum incapaces sumus, ea contemnimus & aspernamur, nec hoc modo: sed & traducimus, & publici odii victimam esse volumus.* Vehementius multo proclamat Brian. Waltonus dissert. *de linguis Orientalibus* §. 93. *Invidorum latratus non moramur, quibus nihil gloriosum magis quam quæ alii sciunt ignorare, & quæ ipsi ignorant vituperare, & dum alii studiis & vigiliis se macerant ad promovendum bonum publicum, ipsi turpi otio consenescunt, & vino madidi cutem curant, & inter pocula virus ex impuro pectore in omnium scripta evomunt.*

Respondere autem possim cum Maresio huic hominum generi è citati libri Præfatione ad Lectorem: *Confido, mihi fraudi non futurum apud quemquam, quod aliquando in quorundam è nostris sententias, quæ fundamentales non sunt, & in quibus, salva fide & unitatis compage ac Christiana charitate sentire licet, quod verius videtur, obiter liberius inquisiverim. Tam iniqui non erunt, ut mihi invideant libertatem sua expendendi, quam sibi fecerunt in alienis: nec ægre feram, si pro occasione nata suum similiter de meis ferant judicium.* Idem severius passim inculcat memorato loco Spanhemius: *Libertatem meam à magnis viris dissentiendi in obtrectationis etiam argumentum verti posse prospicio. Quia tamen hominis ingenui, Theologi præsertim, esse existimavi, nulli nisi veritati sacramentum dicere, haudquaquam à me in honorem ullius mortalium peccari judicavi, si intra causæ & rationis potius, quam intra hominum lineas consisterem.* Et Præfatione partis I. *Quia vero de argumento gravi & sacro quidem agitur, hoc mihi non licere saltem, sed & incumbere putavi, ut secundum veritatem ubique vindicias darem potius, quam secundum placita ullius, quæcunque demum forent. Ut ergo salva illa esset, dissentiendum alicubi fuit etiam à viris doctis, quorum cæteroquin & eruditionem & merita non agnosco saltem sed & suspicio.*

Quantæ vero noxæ sæpius sit hæc fucata, dum magnorum virorum vestigiis insistunt, aut si dissentiant, contradicere tamen non audent, adulatio, uno atque altero documento idque de existimatione unius personæ nimia videbimus.

Primus sit è Romanensium cætu Claudius de Sainctes Theologus Parisiensis, qui hoc nomine graviter subinde inculat Bezam (c) quod CALVINUM *non tantum ipsis Apostolis adæquarit, sed in cœnæ intelligentia prætulerit, eumque Apostolicis viris omnibus, qui unquam vixerunt, & in scripturarum cognitione atque interpretatione & Christianæ religionis veritate tantum anteposuerit, ut unicum illum nusquam lapsum, alios autem ut umbras volitasse & oberrasse definierit.* Idque fol. 7, 8, 9. latius diducit, ipsum ex Augustini Epist. XIX. si quando Patrum sententiæ proferantur, ad solas scripturas confugiendum asserere, quod non simpliciter improbat Claudius (d) *est enim homo natura sua mendax & solus Deus atque Spiritus ejus continentor verax.* Et post aliqua: *Hujus humanæ conditionis spongia nos Catholici SS. Patrum solemus maculas abstergere, quibus licet Spiritus Domini non defuerit, reliquit tamen imbecillitatis humanæ, quæ appareant in singulis vestigia, ut fides nostra non defigatur in homine sed in spiritu Dei, qui loquitur indubitanter per solos prophetas, Apostolos, & Ecclesiam, quam veritatis columnam ac firmamentum constituit. Quicquid cum istis consentaneum privati quique homines & singuli dixerint & docuerint, amplectimur tanquam à spiritu illo profectum: sed quicquid ab ipsis discreparit, & receptæ post Apostolos, publicæque Christianorum & perpetuæ consensioni nec non professioni in illo auctore contrarium, quantalibet emineat scientia & pietate, tanquam nævum observavit semperque damnavit Ecclesia Catholica, & vix ullum post Apostolos exemit scriptorem, in quo non invenerit aliquid singulare quod improbarit.*

 Neque

(a) *Præf. P. 2. dub. Ev.* (b) *Dec. 8. cap. I. fine.*

(c) *Respons. ad Apologiam fol. 3.* (d) *De Cl. hoc Ebroicensium Episcopo, Regiis partibus infestissimo atque ea propter in carcere mortuo vid. Thuanus ad annum 1591. lib. 101.*

Neque arbitramur, id temere sed Dei consilio accidisse, ut justum servetur inter Apostolos & alios particulares homines interstitium atque intervallum, cui paremque experiamur illis atque aliis collatam gratiam & Spiritus Sancti donationem. Recte isthæc Cl. de Sainctes (e), & plane ad mentionem sanctæ universalis Ecclesiæ, quæ dum Romani Pontifices, velut homines atque Episcopi particulares, universo orbi suos Hildebrandinos conatus, cæterorumque errorum larvam obtrudere conantur, & olim & hodie dum ad S. Scripturam examinare, atque si repugnant, aspernari potest, imo debet, ac rejicere. Sed pertexat sermonem suum Claudius, quem veritatis efficacia itidem expressit. *Lutheri sectatores, quamvis illum tanquam tertium Eliam, qui restituerit omnia, sæpe collaudent & suspiciant, attamen & indies profecisse consentiunt, ac multa sequentibus annis retractasse, quæ de Papismo & monachismo (ut tecum ajunt ô Beza) penitus sibi insita non poteterat illico exuere & uno halitu expuere.* Ex intervallo ad Bezam reversus ita pergit fol. 12. a. *Tu illum splendidissimum mundi lumen nominas* (sc. Calvinum) *verum Dei prophetam, os Domini, ejusdemque excellentissimum ac maxime singulare organon, cui assiduum præsensque momentis omnibus adfuerit Spiritus Sancti numen.* fol. 13. a. *Tu illius scripta tanti æstimas, ut sine nævis purgata defendas, ut præ his omnium antiquorum ac recentium Doctorum commentaria negligenda censeas, ut sine his ad sacrarum literarum certam cognitionem nemo perveniat &c. quibus tibi immoriendum ac ne latum quidem unguem recedendum.* Conf. fol. 16. b. & fol. 17.

Alter è nostris Joh. Georgius Dorschæus (f) similiter de explicatione Andreæ Riveti in Tom. 2. p. 100. *Dum* CALVINI *& aliorum inadvertentiam in hujus Psalmi explicatione repudiare non vult, parum Christianam causam promovit, etiam cum posteriori sententiæ accedit. Si enim* nihil incommodi *habet prima sententia, quomodo consistit, quod dicitur, multa esse*, quæ in Psalmo de Davide intelligi nequeunt, sed quasi porrecto digito Christum designant. *Si enim aliqui tantum versiculi ad Davidem accommodari possunt, quædam autem sunt plane inaccommodabilia, quomodo* nihil incommodi *habebit, sensus compositus, qui ex typo Davidis & historia Christi per typum Davidis adumbrata coalescit? Certe enim eo modo erit in aliquibus Psalmi versibus mera prophetia, nec nisi simplex sensus obtinebit, in aliquibus tantum erit compositus sensus. Sic autem Judæi fortiter se nobis opponent & omnia nostra incerta clamabunt. Rectius ergo fecisset Rivetus, si præterita Calvini interpretatione, simpliciter posteriorem amplexus fuisset.*

Melius itaque agunt, qui nullius quantumvis celeberrimi se simpliciter auctoritati obstringunt, & recte Spanhemius *illos demum magnos censendos esse statuit, qui majorem veritatis quam suæ existimationis rationem haberi volunt.* Doctissimus etiam Joh. Vorstius epistola ad Christianum Chemnitium pag. 49. *Errores aliorum detegendi institutum adeo culpari non debet, ut rei omnino publicæ intersit, ut errores, qui publicis scriptis produntur, publicis scriptis item detegantur ac refellantur.* Consonat illustris Casaubonus in prolegomenis anti-Baronianis: *Non hominis, sed humanæ naturæ vitium est, errare, falli ac decipi: doctorum autem errores modeste indicare non est injuriam illis facere: sed Deo suam gloriam asserere, qui solus ἀναμάρτητος, & de humano genere præclare mereri; occasionem errandi secuturis alioqui male præeuntes, amovendo.*

In quam sententiam, cum plures laudare non sit operæ pretium, apposite Daniel Chamier (g) de ipsomet Johanne hoc Calvino: CALVINUS *non est regula interpretandæ scripturæ, ut non liceat ab ejus sententia discedere.* Sic rectissime Ludovico Capello, summi SCALIGERI auctoritatem insolentius crepanti, respondet Buxtorffius *Disput.* VII. p. m. 339. *Quo major eruditionis & scriptorum ipsius æstimatio ac admiratio, tanti etiam sunt periculosiores, utpote quæ pro oraculis à plerisque acceptantur, & extra omnem dubitationis aleam habentur.*

Rationem jam ante assignaverat (nam cætera commendamus Lectori) talem. *Ingenium ejus occupabatur variis ac plane infinitis: scripta ejus non sunt unius artis, facultatis, aut linguæ gyro inclusa, sed per omnes artes, facultates, & linguas diffusa: Interpellationes, salutationes, avocationes habebat creberrimas & quam plurimas, quibus sine dubio studia ac meditationes ipsius sæpius interturbabantur & distrahebantur, ut ipse passim in epistolis conqueritur: quædam agebat ex professo & primario, quædam accidenter & incidenter. Quam itaque pronum & proclive ei nonnunquam fuit aberrare?* Quæ cum ita & de aliis egregiis viris habeant, ampla satis hodieque superest messis, quædam nec vulgaria illa, aut omissa ab eruditis, aut obscuriori explicatione intricata, accuratius expendendi & à scrupulis nonnullis, quos commentatorum adhuc turba nequicquam exagitat (absit invidia verbo!) felicius forsan vindicandi.

Fas igitur sit cultissimi Mureti *Præfat. var. lectionum* hæc mea facere. *Ubi autem ita res tulit, ut ab iis qui vel nostra ætate vel etiam superioribus temporibus in hoc ipso curriculo industriam suam exercuerunt, dissentirem: feci id, ut & natura & consuetudo mea fert, libere: sed ea tamen moderatione servata, ut imminutam esse à me dignitatem suam nemo conqueri possit, nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet. Quod neque cuiquam unquam contigit, & majus est, quam ut convenire in humanam fragilitatem queat. Sed nos quid fecerimus ipsa res indicabit: testatum quidem omnibus esse volumus, nihil aliud nobis propositum fuisse, quam ut sine cujusquam offensione auxilii aliquid attulisse huic studiorum generi diceremur.*

CAPUT II.

Quam frustra sese, in conciliando S. Marco cum Johanne, Doctores macerent, super horam, qua in crucem est sublatus Dominus.

EXemplo in præsentia sit nobile par Evangelistarum, qui discrepare inter se immaniter videntur super horam, qua ferali suæ trabi admotus Salvator noster est, dum Marcus tertiam fuisse, cum suspenderetur Dominus, Johannes sextam denotet, cum adhuc coram præside staret, flagellis lancinatus, nec dum ad crucis supplicium à Pilato condemnatus.

Innumerus imo vanus sim, si omnia rationum momenta, quæ commentatores volvunt ac revolvunt, hic examinem: quam nullo conatu, Clariss. noster Ursinus (a), qui singulari capite istam contradictionem discutit, non immerito fatetur ipse: *adeo expedire difficile videtur, ut magnus quidam* (est autem is Casaubonus *ad annum* 34. num. 162. p. m. 589. princ. Conf. Ludov. de Dieu *in Marc.* pag. 233. & alii.) *in bonis literis vir exclamarit: Eliæ adventum esse expectandum, qui nobis ista ἄτοπα solvat.* Quocirca nec rationes Ursini, quibus sibi ipsi haut satisfacit, prolixe ventilare velim, nec quæ pluribus disputant Corn. à Lap. *in Joh.* p. mihi 525. (qui magis etiam contradictionem hanc amplificant) Alphonsus Salmeron Tom. 10. *tract.* 32. p. mihi 268, 269, 270. & qui vel de *dubiis passion.* vel in *difficiliora scripturæ loca* commentati, vel etiam *harmonias* concinnarunt, plures alii.

Jacobus Salianus *anno* 4086. *num.* 51. dum hora sexta in crucem actum Dominum asserit, imprudentia nescio quanta ipsos sanctos Evangelistas aperte hic committit, & dudum ante illum Thomas de Aquino ingenium potius quam veritatem erutam ostendit, cujus super ea conciliatione conjecturas prolixiores volvat ac discutiat, cui tantum à re literaria est otii (b). Nobis sufficit pauca saltem adduxisse è *catena aurea* in Evangelistas adornata, in qua tamen majores etiam nodos nectit. Primo enim videtur Marci sententiam defendere & recte quidem. Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum. *Hoc vere & proprie Marcus tulit, nam sexta hora tenebræ suffuderunt terram, ut non quisquam potuisset movere caput.* Si vero ex mente Thomæ proprie S. Marcus istud elocutus, frustra Thomas erit, dum metaphoρικῶς postea eum versiculum exponit: *Quia sciebat* S. Marcus, *à militibus suspensum Dominum, occulte ostendere voluit, eos magis crucifixisse, quia clamaverunt, ut crucifigeretur* &c. Contradicit igitur sibi ipsi Thomas & contradictionem istam tacite olim innuit Augustinus lib. 3. *de consensu* Evang. Tom. 4. p. mihi 350. cujus hic verba Thomas habet, nam tali responsione utendum putat Augustinus, donec alius inveniatur ab aliis quæstionis exitus. Arripuit ergo ex Augustino Thomas (& post illum Ambrosius Comptæ Archiepiscopus *in Bibliotheca* Sixti Semasis p. mihi 604. aliique multi) quod nec Augustino plane examussim placuit.

Qui hic non quod pueri in faba se invenisse arbitrantur, ad horas statas precandi recurrunt, quarum unaquæque continebat tres

(e) *Repetit Respons. ad Apolog. f. m.* 16. *b.* (f) *De tunica Christi cap.* 2. §. 1. (g) In corp. Theol. *lib.* 5. *cap.* 15. ubi de limbo Patrum *p. m.* 227. *col.* 2.

(a) Quinquag. fest. *cap.* 39. *pag.* 192. (b) *Vid. Thom.* 3. *P. q.* 46. *art.* 9. *ad* 2. *& q.* 82. *art.* 2. *ad* 3.

tres horas. Horæ autem orationis Judæis fuere prima, tertia, sexta, nona, sub finem ergo, ajunt, tertiæ & circa initium sextæ Dominus crucifixus est: de quo prolixe disserunt Augustinus Torniellus *anno mundi* 4084. pag. 392, 393. Joh. Tobias Major *annot. ad Acta Apostol.* cap. 3: 1. p. m. 50. & seqq. Tirinus in *chronico sacro* cap. tot. 2. Et ante illos Magdeburgici, Calvinus, Baronius, alii. Sed hæc conjectura laborat falsa hypothesi, cum nondum demonstraverint, horas ordinarias ad fixa illa orandi tempora hic emetiendas: neque exhaurit hæc opinio difficultatem omnem, cum non solum è verbis S. Marci, sed ex omnibus aliis circumstantiis appareat, hora sexta jam in crucem fuisse sublatum Dominum. Neque etiam ita facile istæc sententia probari potest, sed in majores semper difficultates induitur, uti ex illis Turini *in Marcum* p. *mihi* 980. *fine*, verbis patet. *Erat hora* tertia finiens, seu *ultima pars tertiæ, quæ durabat usque ad meridiem, à qua inchoabatur hora sexta. Colligitur ex vs.* 33. *ubi crucifixo Christo dicit fuisse horam sextam.* Verum ipse versus Marci, (*Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam*) si vel nihil aliud reponamus, hos logos satis superque confellit.

Non possum, quin & aliam quoque opinionem contundam, quam omiseram, neque multi egregii attenderant mecum commentatores. Quia autem adverto, & cordatos morari eam aliquantisper posse, evellere nec hunc scrupulum supersedebo. Amicus in Magistrorum atque adeo omni literatura orientalium versatus, cum hanc dissertationem clare approbasset, adjicit tamen, quod oleum atque operam perdidisse videri queam, si vere ita res haberet: *Testatur* (Joachimus) *Camerarius, habuisse se codicem, in quo* Joh. 19. *scriptum fuerit τρίτη*: Et in eandem pedibus ire sententiam Franciscum Junium ac Coccejum. (c) Respondeo autem. Lectionem istam nullo modo conspirare; cum ipsis literis istæ etiam voces (ἕκτη ἢ τρίτη) sint diversissimæ. 2. Repugnare optimas omnium locorum, Patrum, Doctorum tot retro seculis editiones, qui lectionem Johannis vulgatam & retinent huc usque, atque omni studio nequicquam conciliant. 3. Dissentire hanc ipsam opinionem ab harmonia SS. Euangelistarum; quia Johannes primo diluculo ad Præsidem ductum fuisse Dominum auctor est cap. 18: 18. Capite autem 19: 14. cum Regem hunc populo Pilatus proposuisset, multa alia accidisse addit, quæ intra eandem horam haut compegeris omnia. *Illi autem clamabant: tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam. Responderunt pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem, tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Quæ sane omnia tam exiguo tempore non sunt confecta, uti disertius innuit, hæc ipsa commemorans, S. Matthæus cap. 27: 24, 25. &c. *Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua lavit manus coram populo. Tunc dimisit illis Barrabam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Tunc milites Præsidis, suspicientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextra ejus. Et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes. Ave Rex Judæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus, & postquam illuserunt ei, exuerunt chlamydem & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt, ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem*, sive ut Marci cum Matthæo eandem effati verbis pertexamus historiam cap. 15: 21. & seqq. *angariaverunt prætereuntem quempiam, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgata. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit. Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta. Erat autem hora tertia.* Quis igitur adeo feliciter Euangelistas composuerit, si vel maxime lectionem τρίτη apud S. Johannem accessiverit. (d) Inficias nemo ibit, quin & sic viri divini (quod absit ut descriptoribus canonicis credamus!) manifesto concurrerent, neque in hora, qua crucifixus Dominus est, describenda consentirent.

Alii putant, Euangelistas solius horæ *tertiæ, sextæ & nonæ* meminisse in historia crucifixionis, quod hæ solæ publice resonuerint. Sed nec ista opinio locum tuetur, & verba Tertulliani, ab Ursino allegata, qui horas illas *insigniores* nominat, hoc ipsum non evincunt, cum iisdem jam olim usibus campanas deputatas fuisse contra Pancirollum demonstraverit Hadrianus Junius *animadvers.* l. 3. cap. 11. (e) Quis vero Euangelistas, si vel maxime id etiam largiremur, in eam necessitatem adegerit, ut ne horas quidem ordinarias nominare fas duxerint, aut in tanto mysterio ullum unum verbum supervacaneum adjecerunt, cum Marcus exerte horam tertiam dicat, qua in crucem Dominus attractus sit. Et quis probaverit nobis, si velut horæ insigniores publice resonuerint, nec reliquas itidem fuisse observatas. Certe si rem æqua lance perpendimus, eodem dilabitur hæc, quo prior de precationis stato tempore, rejecta jam sententia.

(c) *Conf. Casauboni* exercitatio. XVI. *num.* CX.

(d) *Uti nuper non sine scandalo in editione N. T. Oxoniensi.*

Nonnulli ipsi textus authenticæ derogant apud Jacobum Tirinum *in chronico* cap. 49. pag. mihi 67. *Toletus & Petavius cum S. Hieronymo, item Cajetanus putant corruptum locum & pro* ς (*quæ est nota senarii*) *positum* Γ, *quæ est ternarii nota.* Recte autem respondet Tirinus: *Sed potest tam antiqua lectio facile à vitio excusari secundum ea, quæ ex Censorino, Jansenio, Maldonato & Baronio notavi sub initium chronici cap.* 2. Imo quod magis etiam mireris, *emendari Marcum* alii *oportere*, satis audacter asserunt, *cum multa ab Euangelistis evenisse dicantur, quæ vix intra sex horas* (accusatus enim apud Pilatum, ad Herodem missus, ab hoc remissus ad Pilatum) *fieri potuerint.* (f) At non inspexere hi ipsi S. Johannem, qui affirmat istud similiter, & nullo modo contradicit S. Marco: Si enim rationem ineas, quo tempore auroram viderint Judæi, utpote quibus contractiores fuere noctes, eodem res recidit, cum Johannes scribat 18: 28. *Adducunt ergo Jesum in prætorium* (ad Pilatum à Caipha) *erat autem mane.* Nec circumstantia historiæ permittit, ut credamus, cum omnia tumultu ac furore plebis fuerint præcipitata, tantas adeo nexuisse moras præsidem Pilatum.

Sunt, qui in voce ὡσεὶ hora *quasi* sexta scrupulum (g) machinantur, ac si Euangelistæ puncta temporis adeo mathematice noluerint describere, contra expressum versiculum S. Marci, & perplexa satis sunt, isthæc Thomæ in catena. Hora erat quasi sexta, *cum traditus est crucifigendus, quasi sexta, id est, peracta quinta & aliquid etiam de sexta esse cæperat, ut peracta quinta & inchoata sexta gererentur hæc quæ narrata sunt in crucifixione Domini nostri, donec completa sexta, illo pendente, fierent hæ quæ dicuntur tenebræ.* Imo Emanuel Sa *annot.* p. m. 359. 387. omnem se rem expediisse autumat, si innuat, *quasi sexta*, id est, *prope sextam, quam Marcus vocat tertiam, quia post tertiam erat.* Item *tertia*, hoc est, *quando data sententia, ut crucifigeretur*, vel tertiam vocat, *id quod post tertiam est usque ad sextam.* Sicque nodum potius discindit quam solvit, egregio scilicet acumine, ac si inter tertiam & sextam horam non intersit ingens momentum temporis, vel quasi ignotum sit etiam pueris, sextam horam sequi tertiam.

Andreas Contius Mathematum in inclyta Regiomontana Professor acutissimus (h) ex Henrico Brucæo Astronomo *de motu primo* l. 2. cap. *de horis*, hunc nodum solvere incassum laborat, & in eandem sententiam propendet Joh. Henningius *archæologiæ passionalis* cap. 23. p. 244. Apud Marcum intelligendas horas majores, quarum sex constituebant diem, sex vero noctem; apud Johannem autem denotari horas minores, quæ duodecim fecerint diem & duodecim noctem. Cumque ipse Contius ne demonstret quidem, quia istius divisionis partes non Horæ apud Latinos sed Tempestates dicebantur, eadem significatione vocem ὥρα usurpari apud Euangelistas, immorari tædet his frivolis, & ad veram demum propero sententiam.

(e) *Conf. Henr. Arnoldus Stockfletus* de usu campanarum *part. I. cap.* 11. *item Jacobus Middendorpius libr.* 1. Academiarum *cap.* 11. (f) *Voss.* harmon. *T.* 2. *cap.* 7. *pagin.* 267. (g) *Danhaw.* in idea boni interpr. *part.* 1. *sect.* 2. *artic.* 4. *Gerhardus, Walther. &c.* (h) *Disp. sing. de* hora crucifixionis 1655. *excusa.*

CAPUT III.

Sanctum Johannem nullo modo contradicere Euangelistæ Marco, solide variis rationibus evincitur.

OPtimus sane modus evadendi ac facilimus mihi semper visus, si mystice exponamus verba Johannis, quippe qui ad vocem Pontii hæc velut parenthesi memorabilia circumcludit (*Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta*) & *dicit Judæis: Ecce Rex vester.* Antea cum Præses clamasset: *Ecce homo*: nullam talem descriptionem adjungit Johannes, cum vero in loco judicii sedisset, sententiam laturus capitis, ad vocem

ad vocem Regis, *Ecce Rex vester*, insignem hanc explicationem inserit mysticam, veluti Pilatus, licet titulo illo ad misericordiam vulgus flectere voluerit, præter mentem magnum tamen mysterium Judæis innuisset, non diffitente Erasmo *in paraphrasi* p. 181. Erat enim parascheve Paschæ hora ferme sexta, *quo magis urgebant Judæi divinæ dispensationi per ignorantiam subservientes, ut mature suoque tempore perageretur hoc sacrificium.* Idque ex eo etiam patescit clarius, quod Johannes non de hora certa loquatur, sed describat saltem quando parascheven orsi sint Judæi, dum agnum mactarunt, nimirum hora circiter sexta & sequentibus, prout quisque negotia alia expediverat, quemadmodum diserte testatur Cl. Professor Aberdoniensis Scotus in libro *de diversis Religionibus* (a) (transtulit autem ex Anglicana in linguam vernaculam Albertus Raimannus nostras) dum ad quæstionem de Judæorum Sabbato: **Wie hielt oder feyert man vorzeiten den Sabbath?** ita respondet: **Am vorhergehendem Tage war die Vorbereitung zum Sabbath / auf Griechisch genannt /** parascheve, **welche anfieng um 6 Uhr / das ist / nach unserm Tage um 12 Uhr.** Latine isthæc ita habent. *Dies præcedens erat parascheve sive dies præparationis, occipens hora circiter sexta, quæ nostro calculo est hora duodecima.* Et sic haut incommode Sebast. Barradas p. mihi 303. scribit, *Johannem non loqui de hora sexta diei* (sc. illius quo crucifixus Christus) *sed de hora sexta præparationis sive parascheves, hoc sensu:* Erat autem parascheve Paschæ, hora quasi sexta: *hoc est, erat præparatio nostri paschatis, & nostri agni Christi juxta illud 1 Cor. 5.* Pascha nostrum immolatus est Christus, *& erat hora quasi sexta hujus parascheves sive præparationis agni* &c. hoc est, hora sexta præparabatur agnus & sequentibus die parascheves. Quod autem adjungit Barradas, non de typo sed de ipso Salvatore isthæc unice intelligens, & principem hujus præparationis tum fuisse, cum in domo Caiphæ reus mortis proclamatus esset, in eo se vicissim confundit & meras glomerat tenebras: *Effluxerant ergo tres horæ noctis, effluxerant etiam tres horæ diei*, ut ita dici possit è mente Johannis, *hora quasi sexta.* Nam cui tales ingenii licet subtilis indices satisfaciant tricæ?

Quod si parascheves tempus à meridie demum olim in præparando agno occepit, nihil aliud hic Evangelista quam mysticam rationem præmittere voluit voci Præsidis: *Ecce Rex vester*: Pilatum scilicet jam sedere pro tribunali, & hunc Jesum decretoria mox sententia declaraturum Judæorum, quippe quos sanguine in ferali trabe redempturus esset, Regem, uti illud ipsum clariori titulo statim exposuit, affigens in cruce Salvatoris capiti: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* De quo notanda hæc sunt scita Joh. Feri fol. m. 458. *Judæis hæc dies erat præparatio ad Sabbatum, nobis autem fuit parascheve & præparatio vitæ æternæ, quæ eo die nobis præparata fuit.* Sic & Beda venerabilis (b): *Ut quid ergo hoc, quod prius fugiendo declinavit, modo libens amplectitur?* (Messias) *regnumque, quod adhuc victurus in mundo suscipere noluit, jamjam exiturus per passionem crucis de mundo, non negavit suscipere? nisi ut aperte doceret, quod non temporalis & terreni; sed æterni in cælis Rex esset imperii, ad quod profecto regnum per contemptum mortis, gloriam resurrectionis, & triumphum ascensionis perveniret. Hinc est enim, quod post resurrectionem apparens discipulis, ait:* Matth. 28: vers. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Nam si quæras, quomodo Rex factus Salvator noster! Respondet vetus Ecclesia: *Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores*; id quod pluribus SS. Apostolorum verbis posset diduci. Designatur igitur hoc loco spiritualis Rex Messias, mox in cruce coronatur. *Ita in media morte cæpit Dominus exaltari & regnum suum auspicari*, ait Mart. Bucerus *enarr. in Joh.* p. mihi 787.

Nimirum quod Johannes Baptista jam ante inculcaverat, hic repetit solenniter Pilatus: idem enim sonat propositio mystica Præsidis, *Ecce Rex vester*, quod concio Baptistæ apodictica, *Ecce agnus Dei*, quia sanguine suo liberaturus erat populum & per mortem introiturus in gloriam. Videte itaque caput, ante cujus celsitatem contremiscunt cælestes spiritus, spinarum aculeis crudelissime transfixum, cernite faciem cælestem ac divinam sputis & colaphis deformatam, lucem frontis clarissimam flumine sanguinis obscuratam: intuemini rivos sanguinis divini ex omni parte decidentes, ac os cæleste præterfluentes, tantæque obscurantes claritatem pulchritudinis. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, ECCE REX VESTER. *Est enim Christus in cruce pendens, perinde ut magnum quoddam & clarissimum speculum, in quo radii solis divinitatis incidentes indeque ad nos tanquam conferti constipatique pertendentes possunt magnum in nobis incendium charitatis accendere.* (c) Super omnia, *inquit Bernh. serm. 5. in Cantic.* te mihi reddit amabilem, bone JESU, calix passionis quem bibisti, opus redemptionis nostræ: hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi, hoc inquam est, quod nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ecce Rex vester.*

Licet itaque Judæi mundano fastu turgidi talem Messiam, qualem Pilatus è sublimi loco monstraverat, impie rejecerint, attamen *in hunc respexerunt omnia sacrificia, quæ Deus per Mosen instituit: de hoc omnes Prophetæ sunt vaticinati*, ait Joh. Brentius *feria 2. Pasch.* p. 476. fin. Et *in Lucæ* cap. 24. *homil.* 72. fol. mihi 394. a. *omnes Prophetæ, adeoque tota scriptura maxime omnium de Christo concionantur, & præcipue docent, quod Regnum Christi non sit de hoc mundo, sed quod oportuerit eum pati, & per passionem intrare in gloriam suam. Hic est præcipuus scopus omnium Prophetarum. Etsi enim Moses & Prophetæ doceant etiam legem & instituant ac administrent externam politiam Israelitarum, tamen quia lex ipsa data est, ut revelatione peccati compellet ad fidem in Christum, & politia Mosaica constituta, ut esset certus populus, in quo conservarentur promissiones de Christo, & è cujus semine Christus nasceretur, idcirco tam lex quam Prophetæ maxime omnium in Christum respiciunt, & Christum annunciant.* Iterum homil. 2. fer. 2. Pasch. pag. 475. *Stulti & tardi sunt omnes, qui quærunt mundanum Messiam. Horum magna est multitudo, qui cum affliguntur, non appetunt nisi externam liberationem & putant, si ea non contigerit, quod Christus non sit verus Messias, nec sit præsens, nec possit nec velit liberare. At vero scriptura non proponit nobis talem Messiam, qui externo more dominetur, & qui semper externa liberatione suos defendat. Nam corporalis salus non est vera salus, sed spiritualis. In morbo servamur proprie, non si morbus extrinsecus auferatur, sed si efficitur, ne morbus nobis damno sit coram Deo. In morte servamur proprie, non si servamur in vita corporali, sed si servamur à morte æterna. Hoc docet universa scriptura, cum indicat Christum intrare per crucem & mortem in regnum suum. Sicut enim ipse servatus est per crucem & mortem, ita & nos servamur. Non est autem servatus, quod sit liberatus externa cruce & morte, sed quod per crucem & mortem evasit ad gaudium & vitam cælestem.* Ad quantam igitur quamque horribilem inscitiam degeneravit hic plebs Judaica, dum verba Præsidis tanto tamque universæ Ecclesiæ noto cum mysterio conjuncta, ne per umbram quidem recipere studuit, sed manibus pedibusque obnixe potius repudiavit! *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ecce Rex vester.*

Hæcque sententia (1.) optime consonat cum historia Evangelistarum, quia Marcus 15: vs. 14. Lucas item 23: 44. Matthæus 27: 45. Marcus 15: 32. manifesto testantur, hora completa sexta, cum jam infelici stipiti affixus fuisset Dominus, tenebras universam involvisse terram, quas tenebras horribilissimas fuisse, meridie in noctem versa, ita ut etiam stellæ apparuerint, præter cæteros testis est cum Strigelio Tirinus: neque fit ullo modo verisimile, in nocte ista, aut post illud tempus Judæos blasphemiis impetiisse Dominum, sed exerte Matthæus, Marcus atque Lucas scribunt, antequam ingruissent tenebræ, turbam atque Seniores tot convitia eructasse in Dominum. Id quod solide demonstrari potest è Johannis cap. 19. qui cum Dominum crucifixum esse narrasset, varia commemorat, quæ nec tam cito nec in tam spissis tenebris fieri potuerint. *Scripsit autem & titulum Pilatus & posuit super crucem —— Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt —— Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere* REX JUDÆORUM, *sed quod ipse dixerit: Ego sum Rex Judæorum: respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Et id ipsum non diffitentur accuratiores Interpretes. Guilielmus nempe Estius (d) super Marci 15. *Marcus, Matthæus, & Lucas satis significant, Christum multo ante sextam horam fuisse crucifixum: quia dicunt tenebras factas hora sexta; ante quas utique tenebras contigerunt tam multa, quæ scribuntur de irrisione Christi à Judæis, & alia quædam.* Joh. item Scarpius *in symphonia prophet. & Apost.* loc. CXIX. p. mihi. 340. *Si hora* circiter

(a) *Alex. Rossæus edit. Germ. p. m.* 23. (b) *Tom.* 2. *in* Marcum *pag.* 133.

(c) *Carolus Regius* oratoris Christiani *l.* 9. *cap.* 43. *pag.* 462.
(d) De difficil. locis sacræ scripturæ *p. mihi* 896.

circiter sexta damnatus fuit Christus, qui potuit tam brevi spatio Christus abduci, crucifigi cum latronibus, ita otiose derideri à prætereuntibus &c. quibus omnibus vix dimidium horæ tribuendum esset, cum ab hora sexta ad nonam tenebræ fuerint immissæ. &c.

Neque vero (2.) insolens talis mystica periphrasis sancto Johanni: Capite enim 11: 50, 51, 52. sic de Caipha habet, qui dixerat: Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. *Hoc autem à se ipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus esset pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Ubi Corn. à Lapide bene observat: *Non dicit* præ *sed* pro populo, *quod proprie significat, pro salute populi, ut salvet populum: ac licet hoc Caiphas non intelligeret, multo minus intenderet, solerter tamen, id suggerente Spiritu Sancto, advertit hic S. Johannes, & sicut ipse advertit, sic & alii viri sinceri & probi, Caipham audientes, id ipsum advertere potuerunt, æque ac nos advertimus.*

Disertius adhuc illum locum explicat Estius: *Quomodo non dixit à se ipso, cum omnino hoc vellet, & aliis persuadere cuperet, ut Christus interficeretur;* Resp. *secundum eum sensum, quem Caiphas intendebat, dixit à semetipso: voluit enim Jesum è medio tollere, ne populus Judaicus Jesum, tanquam alium Regem à Cæsare, suscipiens, à Romanis exterminaretur. Sed quatenus verba illa alium verum & divinum sensum continebant, non ea dixit à semetipso, sed motus, à Spiritu Sancto, ut illa verba proferret. Unde & prophetasse dicitur, non ut alii prophetæ, qui sua verba intelligebant, & eorum mysteria utcunque capiebant, sed tanquam nudum instrumentum, verba quidem sonans, sed intellectu non percipiens. Cum ea enim ad rationem prophetiæ necessaria sit illuminatio intellectus, (est enim prophetia donum revelationis) liquet Caipham non proprie prophetam fuisse.* Quæ mox addit Estius, & ad Pilatum scite referri possunt: *Notandum interim, quantum Deus deferat sacerdotio* (magistratui) *etiamsi ab homine impio* (gentili) *administretur; cum enim esset pontifex anni illius* (sive cum Pilatus tunc præses in Judæa esset) *voluit Deus, per istum potius quam per alium, hoc tam divinum oraculum proferri,* atque universæ Ecclesiæ Hebræorum manifeste commendari.

Tertio examussim respondet ceremoniis Judaicis, dum Dominus in crucis patibulo jam extensus fuit circa idem tempus, quo Judæi solebant à meridie exenterare atque ad parietem affigere assandum paschalem agnum, uti Thalmudicis istud ipsum verbis profert Joh. Buxtorffius (e) *Clavi ferrei infixi erant in parietibus & columnis, in quibus suspendebant agnum* &c. Addit ibi Buxtorffius: *Sicut ergo Agnus fuit suspensus, expansus, clavis affixus: ita Christus* &c. Consonat Isaacus Casaubonus *exercit. 16. ad annales* Baronii num. 30. *Parasceve paschalis fuit proprie quidem loquendo vespera diei.* Die Nachmittags-Zeit. Disertus Joh. Frischmuth *Dissert. de agno paschali*, cum idem demonstrasset admirabilem typi & antitypi convenientiam hic admiratur merito, quia *Salvator noster, qui hora tertia Judaica in crucem actus, eodem die, quo Agnus mactari solebat, tribus vel quatuor horis ante solis occasum exspiravit.* Idem fert Samuel Bochartus: (f) *Nam agnus mactabatur inter duas vesperas, id est, Josepho interprete* ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *ab hora nona, usque ad undecimam. Christum autem hora diei circiter nona, quæ nobis est tertia post meridiem, animam egisse scribitur* Matth. 27: 46, 50. Recte igitur addit laudatus Frischmuth: *Hæc sane causa est vera & genuina, cur Christus pascha anticipaverit, quod nempe immineret mortis tempus, & ad Judæorum paschatis tempus, quo illi comedere solebant agnum, non esset victurus. Hoc enim indicant verba apud Matth. 26: 18.* ὁ καιρός μου ἐγγύς *& Lucam 22: 15.* πρὸ τοῦ με παθεῖν *&c. Ut in eadem verus agnus mactaretur, in qua agnus mysticus immolari solitus: & eadem hora, qua verus agnus de cruce deponebatur, Judæi agnum suum mactarent: qui quidem Agnus tum primum cœpit inutiliter mactari, cum finem omni sacrificio legis ea vespera fecisset.* uti verba habent Scaligeri *de emend. temporum* lib. 6. pag. 566. fine. Conf. & pag. 569. 570.

Quarto nec Cl. Interpretum omni plane destituitur hæc explicatio consensu. Ita enim Benedictus Aretius in Matth. 27. cap. pag. 881. *ipsum crimen, ob quod est damnatus Christus: QUIA REX EST JUDÆORUM, hoc est, verus Messias: & mutari hoc volebant Judæi, quod fecisset se Regem, sed id cum falsum esset, merito à Pilato est rejectum. Verum autem erat, quod esset Messias & in hac causa damnatus est, verum igitur crimen adscribi debuit. Quod autem Judæorum dicitur Rex, causæ nihil mali affert. His inprimis est promissus: hinc igitur appellationem sumpsit. Interea totius mundi Dominus est.* Similiter Regem hunc in cruce mirabilem devote contemplatur Hector Pintus *in Esaiæ* cap. 53. (g) *Pro domo habet calvariæ montem, pro lecto duram crucem, pro cervicali coronam spineam, pro dapibus fel & acetum, pro musica blasphemias &c. Etsi nulla erat illi species, tamen desideravimus eum, quoniam sciebamus, in ejus vulneribus esse remedium animarum nostrarum.* &c. Hinc Sylvester Petra sancta *in Symb. heroum* Christum in morte maxime ab omnibus spectatum figurato schemate propositurus, solem eclipsi laborantem sub hoc lemmate adumbravit, *spectatur cum deficit.* Felicianus Capitonus Archiepiscopus Avinionensis *in explicationibus locorum fere omnium* V. & N. T. part. 2. p. 763. *Sicut canis baculum, quo sæpe percutitur, fugit, fugiensque contra eum latrare solet, ita Diabolus ligno sanctissimæ crucis percussus, & principatu potestateque, quam super homines exercebat, spoliatus, illam abominatur* &c. Conf. Bonartius *in Esther* c. 8. num. 62. p. mihi 287. Explicat illud Cornelius ad verba *in cap. 12. Joh. vs. 31.* Nunc judicium est mundi &c. *Nunc instat tempus, quo mundus per tyrannidem oppressus à Diabolo, ab eo liberetur. Instat enim mors mea, per quam homines à peccato, & consequenter à potestate & tyrannide Diaboli liberabo.* &c. Sic Albertus Grawerus artic. 3. de Persona Christi *in August. Confess.* p. mihi. 86. fine. *Quod autem expansis manibus fuit crucifixus, signum fuit, ut pie opinati sunt majores nostri, Christum in cruce una manu ad se trahere Judæos, altera vero ethnicos, qui ante crucifixionem Christi alieni erant à Testamentis Dei, ut Christus ipse non obscure innuit Joh. c. 12. vs. 32.* Andreas Hyperius *in Epist. ad Titum c. 2. p. mihi 203. Non aurum, non argentum, non item aliquam hostiam immolandam exhibuit, sed semet ipsum &c. Si eramus redimendi, ergo in alterius eramus potestate, ac prorsus servi eramus. In quam servitutem peccati conjecit nos transgressor Adam per lignum sua voluntate, sed ab eadem servitute liberare nos voluit Redemptor Christus per lignum quoque & sua voluntate. Redemit autem ab omni iniquitate.* Ecclesia etiam in hymno Fortunati Episcopi:

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quamvis enim, ait Joh. Winckelmannus *in Lucam* p. 1134. *acerbum sit & ignominiosum, quod in crucem actus inter cælum & terram medius inter duos latrones distentis brachiis pendet: Tamen ea res magnæ nobis est consolationi. Expandit enim brachia & manus suas* &c. Joachimus à Beust JCtus & poëta nobilis *de passione Christi* p. 374.

Quem pendere vides dira inter ligna latronum,
Nam rapuit quicquam, sed bona rapta refert.
Qui fons est vitæ, fit ipso in turbine mortis,
Et sol justitiæ crimina nostra luit.
Qui mundo formam tribuit, rebusque calorem,
Amittit speciem frigida massa suam.
De precibus, sudore, siti, de morte cruenta
Disce homo, quod summus sit dolor ira Dei.
Sed nil scire tuum tibi prodest, hæc, nisi credas,
Omnia te propter sustinuisse Deum.

Franc. Arias *de thesauris bonorum in Jesu.* T. 1. Tract. 2. c. 16. p. 23. *Divina scriptura mundi redemptionem passioni, mortique Christi & sanguini quem moriens profudit, tribuit, quia ad illud punctum non factu nec integre perpetrata fuit humana*

(e) Dissert. 6. p. 316. *Conf. Hottinger.* de jure Hebræorum *p. mihi* 17. *item Carolus Sigonius de Rep. Hebr. T. 3. cap. 9. p. mihi* 103. (Hierozeici *part. 1. l. 2. c. 50. p. 614.*

(g) *Pinti* operum *p. mihi* 227. *Conf. & p. 228. passim.*

humani generis redemptio. Si posuerit pro peccatis animam suam, *inquit Isaias* 53:10. videbit semen longævum *spiritualium filiorum per totum mundum diffusum & usque ad finem illius, & post etiam semper & in æternum duraturum* &c. Sebast. Barradas *Concord. Evang.* p. mihi 291. *Christus potestatem & sublimitatem suam in humeros extulit, crucem scilicet &c. Dicitur autem crux principatus Christi, quia per crucem principatum persecutus est. Existimabant Pontifices per crucem omnino disperdendam Christi gloriam, cui invidebant: at contra evenit: per crucem imperium gloriosum comparavit.* Quocirca citatus Capitonus ad verba *Num.* 21:8. Fac serpentem æneum & pone eum pro signo &c. p. mihi 755. *Non dubium vero*, inquit, *esse debet, tunc Moysen intellexisse sanctissimæ crucis virtutem, & Domini passionem præfigurasse* &c. Sed allegatorum satis jam auctorum est.

Nos solius Joh. Feri *in cap.* 19. *Joh.* (h) meditatione hanc demum dissertationem obsignabimus. *Spiritus S. longe aliud intendebat, nempe Christo dare nomen & titulum Regni, qui, cælo & terra transeuntibus, nunquam transibit: quia Jesus Nazarenus, id est, Salvator & vere sanctus per crucem suam effectus est Rex Judæorum.* Et supra jam fol. 459. scripserat Ferus. *Dixerat Pilatus*: Ecce Homo: *nunc dicit.* Ecce Rex vester. *Tertium addiderunt Judæi*: Ecce filium Dei se fecit: (manifestavit) *Hæc tria verissima nomina sunt unius Christi*: Homo, Rex, Deus, vel Filius Dei, *quem quidem sic irridentes confessi sunt inimici, sed venerantes & serio adorantes confitentur amici. In his enim nominibus tota fides & spes consolatioque nostra consistit.* Iterum fol. 468. ut tandem finiamus: *En hæc tanta mysteria per tam vile instrumentum, quale Pilatus erat, Deus nobis aperuit, quod & ipsum ostendit mirabile Dei consilium. Sic enim Deus novit etiam impiorum consilia ad suam gloriam convertere.* Sit ergo

SOLI DEO GLORIA.

(h) *Fol.* 467. *fine.*

M. JOH. GOTTLOB STOLTSEN
VINDICIÆ
THEOPHILI EVANGELICI
ad Luc. I. & Act. I: 1.

I. N. J.

§. 1.



Eliberatum mihi ac constitutum est, sententias eruditorum paulo curatius depromere, utpote quibus PERSONAM THEOPHILI, nomen ejusdemque officium, & quicquid memeria ipsius dignum, hactenus perlustrarunt. Principio Patres, vetustiores deinde Scriptores, juxta ac recentiores adire cœpi, sed hoc quæsitum ad inevitabile ambiguitatis barathrum nos deducere paulo post compertum habui, præsertim cum inciderem in *Magdeburgenses*, legi hæc verba: *De THEOPHILO plane nihil uspiam extat, ex quo quis aut ubi fuerit, conjectura saltem consequi liceat, nisi quod acta Apostolica Lucam ei nuncupasse, legimus Cent.* 1. *L.* 2. *C.* 10. En quid solatii! Equidem Patres consultum veni, sed pari successu. *Epiphanius* in medio forsan relinquere videtur, *Hæres.* 51. pag. 186. *Sive*, inquit, *Theophilo cuidam, sive omni homini diligenti DEUM Lucas scribit* &c. *Joh. Lightf.* mirari satis non valeo, quod in *Horis Hebr. & Talm. in Evang. S. Luc.* C. 1. vs. 3. Lectorum desideriis satisfacere sibi persuadeat, cum hæc verba pauca quidem hac de re consignaverit; *Conjectura*, inquit, *una est, Antiochenus, alia Romanus, nulla certum: quis & cujus* &c. Enim vero religio mihi fuit, horum sententiæ inconsultius forte, quam circumspectius statim subscribere, quippe cognitis aliorum sententiis, quæ propius ad Veritatis æquilibrium accedunt.

§. 2. Eapropter apud animum meum arbitrabar, recensere in limine statim, quænam alicujus momenti sententiæ sint, antequam omnem controversiam, quoad ejus fieri potest, plenius componam. *Salvianum* accedo, qui hac de re ita sentit in *Epist. ad Salonium*: *Lucam*, ait, *scripsisse & dedicasse hunc librum Amori DEI, qui eum ad scribendum impulerit, ut eundem mentibus legentium imprimeret; sic Timotheus*, dicit, *idem est, quod honor DEI. Itaque cum legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes pro honore DEI ad Ecclesiam scriptum esse, imo potius ipsum honorem DEI scripto misisse, quia recte ipse scripsisse dicitur, per quem etiam factum est, ut scriberet.* Istud vero à litera plane alienum esse, agnoscit *Cornelius à Lapide, in Act.* 1. vs. 1. p. 37. *Hoc quidem ingeniosum est*, inquit, *symbolicum & pium, at non literale & genuinum. Theophilus enim & Timotheus nomina concreta sunt, non abstracta, ac proinde non DEI amorem & honorem, sed DEI amantem, eumque honorantem significant.* Hic sicco pede præterire nolui, quid *Titus Bostrenus in Luc.* 1. censet, *hunc librum*, ait, *Cornelius à Lapide, inscribi ab Evangelista certa Personæ, incertum tamen esse, an ea nomine proprio, an vero communi vocata sit Theophilus*, i. e. *DEI amator & cultor.* Id quod apposite satis dictum, rem ipsam vero nondum confecit.

§. 3. Hactenus unam alteramve quæsiti partem libare conatus sum, jam integrum mihi est, illis obviam ire in futurum, qui istud negotii nobis maximopere facessunt. Atque isti omnes propemodum fuere, qui pro appellativo hoc nominis habuerunt. Id quod ex *Baronio* displaescit, *Annal. Eccles. Tom. I. ad Annum* 58. *Quisnam vero*, inquit, *ille Theophilus fuerit, ad quem Lucas suum scribit Evangelium, neminem hactenus invenimus definisse: putantibus nonnullis, non esse nomen proprium alicujus Viri, sed cognomen Christiani cujuspiam, qui Theophilus sit cognomento dictus, sicut & Ignatius est cognominatus Theophorus.* Similiter istud ex *Heinrici Ottii Examine perpetuo in Annales Baronii Cent. I.* abunde liquet, *Lucas Sectator*, inquit, *Pauli & omnis ejus*

pere-

peregrinationis comes, acta Apostolorum juxta Hieronymum de Script. Eccles. Romæ scripsit &c. & paulo post: *Idem Lucas Euangelium & Acta Theophilo inscripsit, quod nomen faciunt aliqui proprium alicujus in Achaja magistratus, quem Lucas ad fidem traduxit & baptizavit; Alii appellationem cujuslibet hominis pii & fidelis, cujus videlicet est scripturam nocturna versari manu.* &c. Hactenus illi. Nunc in aciem producimus *Origenem.* Confer Homil. I. in Luc. f. 94. *Ambrosium in Luc.* 1. Tom. 5. pag. 9. *Athanasium Libr. de Incarnatione, hos* excipiunt alii complures, *Beda cum Glassio, Camerarius, Polus,* &c. Conf. de his *Joh. Gerhardus in Annot. Posth. in Acta Apost. Ravanellus in Biblioth. S. Part.* 2. pag. 1296. *Joh. Botsacci Moral. Calovius in Bibl. Illustr. Tom. I. in Annot. Hug. Grot. in antiloquio Euangel. Luc. Polus in Synops. Critic. S. pag.* 796. *Glassius Part.* 3. *Exeges. in Euang. & Epist. pag.* 284. qui partim insinuant varias sententias, partim rationes adversariorum refellunt, præcipue eorum, qui hoc Nomen THEOPHILI appellative sumi sibi persuadent. Verum enim vero ab his omnibus & si qui alii sunt, libenter discedo, salva tamen eorum auctoritate ac eruditione in aliis incomparabili, satis est, meum nec in Patrum monumentis, nec aliorum auctoritate præsidium penitus fuisse quæsitum, sed uti mox abunde constabit, principiis hermineuticis, quæ etiam Philologia sacra monstrat, diligentius insistere placuit.

§. 4. Nolo itaque rem infectam cum aliis relinquere, sed argumentis, quibus pondus suum inesse animadverto, sententiam depromam, hoc Theophili nomen non omnibus Christianis commune, si sensum literalem spectes, sed certæ cuidam personæ impositum fuisse; Verbo: minus accurate pro appellativo hoc nominis venditari, sed proprium esse, si mentem scribentis curate attendamus, de facili evincam. Principio quorundam vestigia premam, qui hanc studii partem nonnullis argumentis confecisse arbitrantur, prout ex principiis hermeneuticis eadem communiter derivant, quæ nobis subministrat alias Theologia Exegetica sequenti ordine: (a) Inspectionem fontium, (b) Collationem antecedentium & consequentium sive ipsum contextum, (c) parallelismum, (d) analogiam fidei. Hæc negotio feliciter applicabimus, nequidem exclusis aliis mediis iisdemque utilissimis, utpote *versionum* ac *Patrum* quorundam auctoritate, liceat & illis annumerare *quorundam illustre scriptorum suffragium*, si *à circumstantiis personæ ipsius* discessero, quæ non minus lucem huic afferre postulato videntur.

§. 5. Theophilus, si natales spectes, sonat *gratus* DEO, vel *amans*, ut ait *Origenes*, secundum *Ambrosium*, *dilectum à DEO* significat. Est autem nomen concretum non abstractum, non amorem DEI, sed proprie amantem DEI significat. At in rem venio, & primo quidem in textu originali obvenit nobis vox κράτιστε, Luc. 1: vers. 3. id quod idem legitur Actor. 24: vers. 3. Coll. 26: vers. 25. Nolo autem in varias sententias me diffundere, an exponendum per *Strenue & Fortissime* juxta *Chemnitium*, in *Harmonia Euangelic. emedullata in h. l.* Latinus interpres non male vertit, *Optime*, id quod suo calculo approbavit *B. Calovius* in *Bibl. Illustr.* loc. cit. *Polus* in *Synops. Critic. Scriptura S. fol.* 4. *pag.* 796. censet, si κράτιστε à κράτος *robur*, sive κρατεῖν *vincere*, originem ducit, verti quidem posset *Potentissime*, si vero à κρείττων, quod & *potentiorem* & *potiorem* significat, accuratius exprimatur per *Præstantissime*, ast cum hoc ipso epitheto *Optime*, optime etiam convenit, hunc autem titulum Politicis personis usitatum fuisse; testatur *Glassius Part.* 3. *Exeget.* l. cit. eo collimat *Beza*, *Ref. Tremell. & Francisco Junio* in *Bibl. in h. l.* Hic quidem per *Excellens* idem vocabulum, ille autem per *Præstantissime* interpretatur, & meminit *Tremellius* in *Notis* ad h. l. fuisse hunc *Theophilum* virum primariæ nobilitatis aut præcipuo dignitatis loco. Vel uti *Baronius* habet *Annal. Eccles. Tom. I.* pag. 509. *quantæ excellentiæ*, inquit, *titulus esset, ut quis Optimus salutaretur, Trajanus Imperator plane declaravit suo exemplo: Nam ut de eo scribit Dio (in Trajano) cum amplissimis gloriæ titulis appellaretur, nihil tamen eum*, inquit, *magis quam cognomen Optimus innuit.* Idem recensetur in *Tirini Commentario* in Luc. h. t. Ubi insuper provocat ad Syrum, qui vertit *Victoriosissime*, & observat ille, fuisse hunc Theophilum è primaria nobilitate ac dignitate. Nam *optimi* nomen, inquit, solis optimatibus, v. g. præsidibus provinciarum tribui solebat, eo quod censerentur fortitudine, clementia, justitia, aliisque virtutibus ac meritis in Rempublicam primi, dotimi & præstantissimi esse. Hic præterire nolui Clarissimum *Guilielmum Cave* in eruditissimo libro *de Antiquitatibus Apostolicis* & præsertim in Vita Lucæ Euangelistæ, §. 4. fol. 227, 228. (*Judicium de hoc libro inveniet B. L. in Actis Erudit. Lips. ad Annum* 1687. *Mens. Maj. pag.* 254. *seq. ubi contenta hujus libri recensentur præcipua, quid speciatim de Sabbatho, de Baptismo, variisque Judæorum traditionibus, cum multis opinionibus adhæserit, ibidem notavit,*) Istud vero inter alia hac de re consignatum: *Fictum esse*, ait, *hoc nomen Theophili nonnulli arbitrantur, quippe amatorem DEI notare, adeoque cuilibet Christiano vindicandum; Alii tamen*, mox addidit, *melioribus rationibus inducti, proprium esse nomen asseverant Viri alicujus, præsertim cum excellentissimus salutetur, titulo Viris principalibus atque illustribus illius ævi communiter tribui solito. Theophylactum*, (*argum.* in Luc. pag. 293.) *vocare eum* συγκλητικὸν ἄνδρα καὶ ἄρχοντα ἴσως *Virum consularis dignitatis ac probabiliter principem, idem meminit*, quibus inseruit *Autorem Recognitionum*, utpote qui nobilem illum Antiochenum fuisse ibidem asserit, nempe à Petro conversum ac ædes dein suas publicis fidelium congregationibus destinantem. Dehinc probabiliter supponit, publico Eum Magistratu functum fuisse, ac baptizatum à Luca. Hactenus ille. Jam vero num quilibet fidelis possit dici κράτιστος alii judicent, aut enim ita nuncupatur proprie aut improprie, non improprie, sic enim interpretatio hujus vocabuli ex arbitrio nostro redundaret, à sensu aliena foret, contextui plane adversa, cum aliud parallelismus evinceret; si proprie, fidem sane historicam & omnem antiquitatem lædit. Hæc igitur libenter præmisi, ut robur argumenti eo clarius constaret;

Quemcunque Lucas eo honoris titulo insignivit, ut talis nemini tunc temporis nec inter Christianos, nec Paganos, fuerit concessus, nisi Viris summis ac dignitate laudeque clarissimis, ille certa fuit Persona, cui & hoc nomen proprium & non omnibus Christianis commune.

Subsumatur de Theophilo nostro Luc. 1. *& Actor.* 1. *ex præmissis, & sic Conclusio constabit.*

Quæritur hic incidenter I.

An Theophilus iste fuerit persona publica an privata?

SEd una fidelia duas parietes dealbabimus, statuminare priorem sententiam ausi, quippe ex superius dictis: Theophilum minime privatam personam fuisse, uti conjectat *Chrysostomus* l. cit. *D. Bottsaccus* in *Moral.* l. cit. Quatuor sunt illustres opiniones de Theophilo nostro, quidam, uti *Polus* censet, in *Synops. crit.* pag. 796. cum *Baronio Annal. Eccles.* Tom. I. pag. 529. nobilem fuisse Antiochiæ Virum, veluti ex *Theodoreto Beza* in N. T. in notis annotavit ad h. l. *Convenit*, inquit, *hoc epitheton, Optime, Viris principibus & qui magna sunt auctoritate, fuisse igitur hic Theophilus videtur, cui Lucas utrumque suum librum inscribit, quispiam amplissimæ dignitatis, quales paucos semper habuit Ecclesia DEI.* Alii Virum primarium sive primatem nuncupant, *Polus* l. cit. Conf. *Chemnit.* in *Harmon.* Tom. I. pag. 36. pro Senatore alii & quidem præcipue Antiochiæ habent, quæ est *Baronii* conjectura, secutus forsan in eo Epiphanium *Hæres.* 51. num. 7. qui Virum Consularem *Nostrum* appellat, C. Joh. *Tob. Majoris Annotat. in Acta Apostol.* ad h. loc. idem sentit *Aretius* in *Luc.* col. 522. *Dauderstadius* in *Doctore Epistolico* Part. I. pagin. 305. *Senatorii*, inquit, *Virum hunc fuisse.* Verum sententiam horum relinquunt, qui partim ad summam Magistratus dignitatem evehunt Nostrum, quam sententiam premit *Lucas Brugensis* cit. *Polo* loc. cit. *Theophylactus*, loc. cit. *Auctor Recognitionum*, quæ Clementi *Romano* natales debent, uti persuasus est Baronius, C. W. *Cave in historia literaria in Vita hujus Clementis*, (qui operibus genuinis, duo autem sunt, utpote *Epistola ad Corinthios & fragmentum Epistolæ secundæ*, quæ institutionem vitæ melioris continet,) hunc librum annumerare veretur, alii inter dubia recensent, quia habet testimonium *Origenis Philocal.* cap. 23. pagin. 81, 82. Exstat præterea amplissimum *Bardesanis Syri fragmentum ex Libro de fato Gr.* apud *Eusebium Præposit. Euangelic. Lib.* 6. *cap.* 10. id quod iisdem verbis *nono recognitionum*

libro

libro habetur hodie. *Cave* eo collimat, ut ipse *Bardesanes harum recognitionum* compilator fuerit; nobis satis est, sententiam, quam elegimus, omni in antiquitate præsidio destitutam plane non esse, fuisse summo Magistratus officio functum, id quod ex collat. Act. 24: vs. 3. 26. vs. 25. abunde liquet, tali namque personæ ibidem id nominis tributum, quæ officium publicum illustre etiam administrabat, & quidni hoc argumento est, quod auctoritate propria ædes suas publicis fidelium congregationibus, conversus antea atque à Luca baptizatus, lubenter destinavit? *Confer. Hugo Grotius in Annot. in hunc loc. B. Calovius in Bibliis illustr. Tom. I. in Annal. Grotii in h. l. Polus in Synops. Crit. l. c. J. H. Ottii Examen perpetum in Annales Baronii Cent.* 1. Neque igitur ille *Theophilus* hic in censum venit, cujus mentionem injecisse *Lightfootum ex horis suis Hebraicis & Talmudicis* habeo compertum, quippe qui inter Judæos superstes adhuc fuit, quo tempore *Lucas* scripsit: *at minime opinamur*, inquit, l. c. *eum fuisse hunc nostrum, quo de Josephus Antiq. Lib.* 20. *c.* 8. *Rex Agrippa*, ait, *Jesum filium Gamalielis, summo Pontificatu movens* ἔδωκεν αὐτὴν Ματθίᾳ τοῦ Θεοφίλου, *illum dedit Matthiæ filio Theophili, sub cujus tempore bellum Judæorum contra Romanos cœpit initium.* Hæc ille. Multo minus in eorum sententiam concedo, qui cum Lyrano, (hic autem secutus in eo *Nicephorum Lib.* 3. *cap.* 25.) sibi persuadent, hunc Theophilum fuisse Asiæ Episcopum, sed epitheton κρατίστου politicis personis tribui solitum fuisse, apparet ex Act. 23. vs. 26. c. 24. vs. 3. c. 26. 25. Præterea Chronologiæ ratio obstare maxime videtur, uti ex *Ottii Examine* in *Annal. Baronii* Cent. 2. p. 205. hausi. Etenim *juxta Baronii calculum* Lucas *Anno Christi* 58. scripsit, sed *Theophilus Antiochiæ Episcopo Neroni secundo sive juniori* hoc præsenti anno successit, & vitam adhuc, uti censet Cardinalis, ultra 20. annos produxit.

Quæsitum II.

Cur Lucas huic Theophilo opera sua dedicaverit?

Baronius in Annal. Eccles. Tom. I. p. 529. factum esse persuasus est, quod & ipse Lucas, ut ille, patria Antiochenus ad Concivem Antiochenum, Virum de Ecclesia Dei optime meritum jure quodam istud conscriberet. Magis autem arridet *Theophylacti* sententia, *C. Chemnitio ex Harmonia Tom. I.* p. 36. videlicet ut dilucide ostendat, principes debere nutritios esse Ecclesiæ ac custodes doctrinæ. Accedit beneficium hoc illustre, quod Theophilus noster Petro Apostolo ædes suas ultro libenterque concesserit, ac domum suam ad Christianorum conventus in Ecclesiam quasi mutaverit; annon Evangelista hoc quicquid est operis hostimenti loco reposuit? Sententiæ huic favere videtur, laudatus *Cave in Antiquitatibus Apostolicis* l. c. inscribere huic Theophilo opera sua voluisse Lucam idem censet, non tantum in testimonium observantiæ, qua eum amplectebatur, sed etiam ut certior is ac confirmatus magis magisque fieret in agnita veritate, quam publice professus, atque in illis rebus, quas à Luca didicerat. Cæterum ipse Evangelista non potuit non huic Theophilo opera sua consecrare, quippe excitatus ad hoc amoris officium à Spiritu Sancto, ac tantum abest, *Nicephori* sententiæ ut locus sit, *Lucam suasu & consilio* Petri ac Pauli opus istud confecisse, ut potius à Spiritu Sancto occultis quibusdam stimulis coactus & excitatus fuerit ad scribendum, neque tamen solum excitatus, sed inspiratum quoque id nominis est, ac in memoriam ipsius, quippe alibi notum, hoc autem scribendi actu denuo revocatum. Equidem labore isto supersedere potuissem, cum *Maldonatus* non obscure digitum suum ad hoc intenderit *in Comment. in* 4. *Evangel. in Luc.* cap. 1. vs. 2. Quærunt, inquit, atque in his *Chrysostomus Hom. I. in Act. Apost.* quid causæ fuerit, quam ob rem ad hominem privatum Evangelium, quod maxime omnibus commune esse debet *Lucas* scripserit? Respondet idem *Autor*, audierat, inquit, dicentem *Christum* Matth. 18. vs. 14. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Alii eo fecisse consilio autumant, ut Theophili principis viri nomine prodiens Evangelium, invidiæ ac periculi minus, gratiæ plus haberet. Non videtur mihi alia quærenda ratio consilii ejus, quàm quam ipse nobis exposuit, ut Theophilum hominem notum, & amicum, eruditum prius verbis, scripto deinceps confirmaret Evangelio. Neque minus propterea auctoritatis scriptum ad privatum hominem, quam si publice ad omnes scriptum esset, habere putandum est. Nam & quod Theophilo Lucas scribit, omnibus scribit, & D. Paulus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem privatos homines scripsit Epistolas, quæ nihilo minus, quam quæ ad notas Romanorum, Corinthiorum, Ephesiorum, &c. Ecclesias scriptæ sunt, fidem meruerunt. Quærit rursum Chrysostomus, quam ob causam Lucas, cum ad eundem Theophilum & Evangelium & acta Apostolorum scripserit, non in unum contulerit librum? Tres ejus rei rationes affert: Prima est, ut hac distinctione dilucidior esset historia: secunda, ut in ea intermissione respiraret ac recrearetur auditor: Tertia, quod res tractentur diversæ; nam hic Christi, illic Apostolorum scribitur historia. Hæc annectere placuit Maldonato l. c. quibus adjecit paulo post alterum ex Theophylacto: *Theophilum*, inquit, *discipulum fuisse Lucæ alibi constat, solere autem homines liberius loqui, quam scribere, quam scripseramus, magis enim quæ scribimus quam quæ loquimur consideramus, inde fieri, ut magis scribentibus quam loquentibus credi soleat, ita futurum indicare Lucam, ut magis scribenti sibi Theophilus credat.* Hactenus ille.

§. 6. Postea ad contextum, loca parallela & analogiam fidei respiciendum esse duco. Priori argumento cum aliis nititur *Althoferus in Harmonia Evangel. emedullata* in C. 1. Luc. p. 3. & 4. quod sit nomen proprium, ex verbis enim, inquit, proxime sequentibus vers. 4. abunde liquet, quibus indicat Evangelista, scribere se ad hominem certum, qui eruditus & viva voce institutus fuerit. Nec non ex collatione loci Act. 1. vers. 1. idem probat, ibi eum Evangelista eodem modo *Optimum Theophilum* appellans declarat, se ad eum Evangelium scripsisse. *Baronius* autem *Annal. Eccles.* Tom. I. pag. 529. præsidium sententiæ nostræ haud immerito quærit in locis parallelis, & adduxit locum, Actor. 23. vers. 26. ubi *Claudius Lysias Felicem Præsidem præstantem* appellat. Conf. Actor. 24. vers. 5. cap. 26. vers. 25. liquido hinc apparet, inquit, solitum ejusmodi titulum impertiri Nobilissimis viris, fuisseque amplissimæ dignitatis indicem & non personæ laudem. Circa analogiam fidei monemus; Nomen hoc aut fictum fuisse à Luca, aut inspiratum à Spiritu Sancto, prior sententia lædit procul dubio analogiam fidei, πᾶσα enim γραφὴ θεόπνευστος. 2 Tim. 3. vers. 16. etiam literas & syllabas inspiratas esse, docemus, Viris sanctis, nec fingere fortassis potuit, quia alias ambiguum reddidisset Lectorem per ambiguitatem quandam, cum hoc nominis, vel de certa persona, uti Parallelismus suadet, vel de quovis Christiano, juxta alios possit intelligi & applicari, videatur *Sixtus Senens. in Bibliothec.* S. L. I. ad vocem Lucas. Imo male affingimus Apostolo simulationem, cum opus plane non sit. Quænam ratio, cur simulare nomen aliquod voluisset? Quænam ratio, cur in aliis Epistolis huic amplius consuetudini indulgere ficto nomine, Corinthios suos, Romanos, Thessalonicenses salutare recusaverit? Annon melius sibi consulat quispiam, si in dubiis à sensu literali non discedit, imprimis cum loca parallela nos retrahant, quæ probant, certæ omnino personæ hoc epitheton fuisse in sacris tributum. Ergo ex Theophilo nostro vix contraria sententia extorquenda, ad minimum à nemine hactenus solide est ac sufficienter probata.

§. 7. *Versiones* denique ac *Patrum testimonia* merentur, ut pro confirmanda sententia nostra adducantur. Constat enim ex *Annotat. Posthum. in vita Apost. B. Joh. Gerhardi*, *ad h. l.* Alios quoque Interpretes *Syrum*, *Arabem* ac *Æthiopem* pro nomine proprio habuisse, eandem quippe vocem suis Versionibus inserentes. De *Patrum* vero testimoniis ultro citroque evictum est atque expositum, in nostram concedere sententiam fere omnes, paucis exceptis, quos inter *Origenes*, *Ambrosius*, *Athanasius*, nescio quid de *Epiphanio* monent alii, familiam ducit. De *Chrysostomo* autem, *Oecumenio*, atque *Euthymio*, nec non *Augustino*, ac reliquis propemodum, salva res est. Fluit itaque ex præmissis hoc argumentum:

Quamcunque sententiam probat Contextus, loca parallela, neque analogiæ fidei adversa est, sed potius Versionum ac Patrum auctoritate nititur, illa ambigua amplius nemini videbitur;

Jam subsumatur ex §. 6. 7. *& sic conclusio erit evicta.*

Postremo

Postremo quæritur III.

Cur Origenes, Ambrosius, & alii à nobis dissentiunt, & quo jure alii hos secuti hactenus, speciatim Glassius P. 3. Exeg. in Ev. & Ep. cum reliquis, sententiam nostram à multis receptam, non approbarunt?

SUmmatim reponimus, quod sapienter consignavit *Rivetus* in *Crit. Sacra* cap. 2. & recte inculcat, *Scripturæ*, inquit, *credimus propter se, Patribus autem propter consensum cum illa: nec fas esse existimamus à manifestis scripturæ testimoniis ad scripta Doctorum Ecclesiæ provocare; vel à manifesto Dei verbo recedere propter contraria, si quæ inveniuntur, Patrum facta & dicta &c.* Idem à nobis observatum nullus improbet. Agnovit hoc ipsum *Tertullianus Lib. de Virg. Veland. Veritati*, ait, *nemo præscribere potest, non spatium annorum, non patrocinium personarum, non privilegium regionum.* *Ambrosio* ac præcipue *Origeni* non invideo antiquitatis famam, dignus est Encomio *Vincentii Lernienfis* cap. 23. ubi *Origenis* autoritatem commendat à vita, à genere, illustrato Martyrio, ab eruditione, ab afflictionibus pro nominis divini confessione, ab ingenio profundo, acri, eleganti, à discipulis, ab omnium admiratione, etiam Imperatorum, item Ethnicorum, Philosophorum &c. Hoc vero quantum ego recordor, nemo Scriptorum inficias ibit, Patres interdum & præcipue *Origenem*, variis iisdemque gravioribus negotiis affixos fuisse semper, ut ea, quæ fidem Christianam non concernebant, nec confirmabant, meditari ac depromere prolixius haud sustinuerint. Proinde aliud esse duco, rem infectam relinquere, aliud de re ipsa dubitare, aliud vero eam prorsus negare & impugnare; propterea illud discrimen inter *sententiam Patrum subordinatam & oppositam* hic utramque, quod dicunt, paginam facit. Denique Patres Patribus opponimus, vetustiores, recentioribus; Paucis, Multorum Auctoritatem; sapientiores, mediocriter doctis; si speciatim testimonia quædam respicimus, pura, mixtis; certa, ambiguis; ac vera, suppositítiis præferimus. Facit huc *Rivetus* in *Crit. Sacr.* cap. 1. 2. seqq. Cæterum probant interdum, non semper convincunt. Quid B. *Glassius* excipit, quem alii secuti sunt, paucis attingam, nimirum obvertit nobis l. c. non certæ cuidam personæ hoc nominis fuisse tributum, quia utrumque Lucæ scriptum in Canonicæ Autoritatis fastigium, Deo sic volente, assumptum fuisset, hinc concludit, cuivis hoc nomen credenti competere. Resp. per instantiam, de Epistola enim ad Titum, ad Timotheum idem dicendum foret, nisi & hæc nomina fuissent communia, id quod tamen non legimus penes *Glassium.* Concedimus quidem, hoc nomen certæ personæ competere secundum literam, proprie & primario, omnibus vero Christianis esse commune per accommodationem & applicationem ac secundario. Ex his itaque dispalescit, quid de hoc quæsito dicendum. Quapropter *Bono* cum *Deo* finem labori imponamus.

DEO SIT LAUS.

M. JOH. ERN. BUTHNERI

INQUISITIO

IN

HISTORIAM JOHANNIS,

Filii Zachariæ, ad Luc. I.

PRÆFAMEN.



Crimonia judicii præ aliis polleat necessum est, qui κατ' ἀκρίβειαν omnia velit expendere. Tantum ergo abest, ut juvenis omnino par sit iis, in quibus ingenia Oedipode sæpe subtiliora sudant, ut potius in his se non raro totus intricet. Non tamen iccirco penitus animo frangi convenit, aut res sublime quiddam redolentes intactas plane relinquere. Quamvis enim fœtus, quos hujus generis ingenia edunt, ex Tripode Apollineo non statim à primo exortu videntur orti, paulatim tamen successus capere feliciores pergunt. Ut non tam bene quam vere dicant Arabes: اول الشجر النواة h. e. *principium arboris est officulum*; magnarum rerum parva solere esse initia indigitantes. Nec ullus unquam ita natus est omni ex parte perfectus, hujus ut ætas prima virili adæquata fuerit. Hinc mihi JOANNEM tenui quodam penicillo adumbraturo L. B. facile condonabit, si fors minus recte omnia tetigero, aut accurate satis notavero. Sin vero, quod Poëta ait:

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν,

& de me queat dici, quod punctum quoddam tulerim; mihi quidem gratulabor; ut tamen hoc omne, quicquid etiam futurum est meliore lapillo dignum, malim DEO in solidum acceptum referre, qui mentem & calamum solus rexit, Fautores item concessit Viros dudum clarissimos, quorum Amaltheis raritate librorum maxime instructis fruisci licuit, & per gratiam ipsorum adhuc dum licet; quos ideo publice venerari par est. Quare animos mihi eo proniores polliceor, quo modestiorem me in operosius exarando hoc themate sentient. At Tu summe DEUS:

☼ هلم ان تنصر ☼

VENI UT ADJUVES.

CAPUT I.

De Etymo & Ortu JOANNIS.

§. 1.

JUdæos nominum propriorum etymologias sæpissime adeo expilcari, ut tales ex iis qualitates aut res gestas hominibus attribuant, quæ cum etymologia conveniunt, auctor est *Jo. Leusden.* (α) Et quidem non raro in Scripturis sacris nomina

(α) *Philolog. Ebr. mixt. Dissert. XII. pag.* 95.

mina rebus & personis ab eventu vel alio quodam accidente fuisse imposita, sine admonitione clarum est, quorum etiam bene multa congessit *B. Glassius in nunquam satis laudanda Philologia Sacra* (β). Cætera ut silentio jam involvamus, vel unicum sufficiet testimonii loco adjicere. Quam suave enim est nomen, quo Messiam nostrum ipse Angelus (γ) vocatum iri indigitat JESUM, h. e. Salvatorem, ab הוֹשִׁיעַ *salvavit, saluti fuit*: quia salvaturus erat populum à peccatis, ut ipse Angelus subjicit. Non vero, ut *Beidavi, Alcorani Commentator* (δ) ridicule putat, ab Arabico عيس quod *fuscum, albo rufoque variegatum* notat; qualem fuisse Esavum ex Historia Mosis (ε) constat: cujus proinde animam in JESUM Nazarenum per Gilgul esse circumvolutam blaspheme ait *R. Abarbenel in libro virulentissimo Maschmiah Jeschua* (ζ) citante & refutante *Dn. Frischmuthio in Dissertatione de Adventu Eliæ* (η). Quibus eadem virulentia & anathemate recutitus ille addit, quod vocetur ישו, quia literis iisdem constat nomen עשו Esau. Horrendum sane cogitatu, nedum auditu vel pronunciatu! Aliam, sed tamen Christianiorem, ex Arabismo nominis hujus derivationem petit *Kirstenius* (ϑ) à particula exclamandi يا *ô* & شوع quod *receptionem clamoris* [bene autem convenit cum Ebræo שׁוַע *clamor* & verbo שָׁעָה *respexit, attendit, oblectavit*] significare invenisse se ait; ut ita nomen يشوع idem sit, quod *O receptio clamoris*: quia scilicet JESUS omnem se in spiritu & veritate invocantem vere exaudit, ejusque clamorem recipit. Quod satis pie dictum, nec derivationi Angelicæ adeo repugnaret, ni ipsissima Spiritus S. verba aliud suaderent. Parili modo non vulgarem gratiam nomini JOANNES sua parit etymologia, quam ex quacunque petas lingua, omini bono semper respondebit. Agnoscit enim radicem חנן, quæ & in matre & filiabus linguis significat *gratiosus, misericors fuit, gratiam & misericordiam præstitit*. Quapropter *Gregorius Francus* (ι) JOANNEM, sive Ebræum יוחנן, idem ait significare ac *Gratiosum*, sive qui *gratiam consequutus est*, indeque nostrum petit **Günstig/ Gunst/ Gnade**: in quo plurimos habet consentientes. *Christianus* enim *Becmannus* (κ) Latinis efferri dicit *Gratius, Gratianus*, Græcis alias χαρίσιος & Germanis *Huldericus* i. e. dives gratiæ, pro quo nunc nostrum *Ulricus* & *Uldaricus*. Cum quo bene convenit, quod *Centuriatores Magdeburgici* (λ) habent, quibus Græce id nomen *Eucherius*, Germanice **Huldreich** sonat. Sic *Benedictus Aretius* (μ) explicat *gratiosum & amabilem, à quo procul exulat omne mendacium. Kirstenius* vero (ν) præter etymologiam, quam deducit à حنن *gratiosum esse, gratiam præstare*, & inde nomen JOANNES notare ait idem, quod *Gratiosus* & *amabilis*; ut Herodi Baptistam fuisse (ξ) perhibet, & Apostolum Salvatori in ultima cœna (ο); adducit etiam aliam à حجن i. e. *opus subtile*, quasi *subtilis* vel *delicatus*, qualem Evangelistam fuisse & credibile est, & ejus quoque scripta satis superque testari dicit. Alii autem hoc nomen compositum arbitrantur ex יְהֹוָה nomine DEI πετραγραμμάτῳ & substantivo חֵן *Gratia*, verbi חנן. Unde *Chrysostomus* (π): *Johannes Domini gratia* interpretatur. *Jo* enim dicitur *Domini*, *anna* dicitur *Gratia*. Et *Cornelius Jansenius* (ρ): Nomen *Joannes*, vel, ut dicerent Ebræi, *Jehohanna*, vel *Jehohanan*, componitur ex duabus dictionibus, nempe ex nomine DEI tetragrammato, & verbo *chanan*, quod *precari & misereri* significat; vel nomine inde derivato, quod *gratiam* significat & *misericordiam*. Proinde (pergit) male quidam interpretantur: *In quo est gratia*: Rectius vero illi, qui interpretantur *Dei Gratiam*. Cum quibus etiam *Pasor* (σ) facit. *Grotius* autem (τ) τὸ יוחנן proprie significare dicit, Θεὸς ἠλέησεν aut ἐχαρίτωσεν. Quo in casu suum cuique liberum relinquitur judicium, quo tam diu abundet, quam diu carceres Philologicos non plane transsiliat.

§. 2. Adspirationem hujus nominis paucis adhuc tangere, Critico forsan non videtur aurum è fumo petere. Equidem toto experimur die, non modo vulgus literatorum, sed etiam Viros cætera doctissimos invehi in illos, qui adspirationem nominis hujus in lingua Romana negligunt. Radix scilicet Ebræa cum duplicatam agnoscat adspirationem, unicam minimum in Latio retinendam esse autumant; quod potissimum urgere observavi *Drusium* (υ) *Joh. Leusden.* (φ) & *Pasorem* (χ). Sed, quod pace illorum dixerim, rationem adferunt sine ratione. Utut enim agnoscamus, primam vocis JOANNES etymologiam ab Ebræo esse petendam; omnes tamen literas in quavis lingua retineri aut retinendas esse constanter negamus: alias sequeretur, linguas quoque exoticas omnes idem observare debere, cum tamen compertum sit, Gallum scribere *Jean*, Italum *Giovanni*, Hispanum *Juan*. Adde ipsum *Drusium* pro *Johanne* se vocare *Janum* sine; non autem *Jhanum* cum adspiratione, procul dubio ex indole linguæ. Nec, quod ad hoc quidem attinet nomen, quicquam valet, quod objicere solent, necessitatis esse, quod Græci scribunt Ἰωάννης, quia nomina in medio non adspirant ex proprietate linguæ Græcæ: quid enim obstitisset, si scriptum fuisset Ἰωχάννης ad similitudinem ξ Ῥαχὴλ (ψ) ex Ebræo רָחֵל, quo modo satis exprimi potuisset Ebræum ח, ni forte idiotismus linguæ id repudiasset. Alii vero mediam eunt viam, & sive cum, sive sine adspiratione scribatur, perinde putant: qui tamen fere omnes in eo conveniunt, ut etymologiam ab Ebræo petitam vocent *remotiorem*, hanc vero à Græco *proximiorem*. Cujus sententiæ fautores sunt *Becmannus* (ω), *Cornelius Jansenius* (α), & alii. Quæ etiam utut ex parte videatur locum invenire, malumus tamen cum iis facere, qui istam adspirationem plane negligunt. Potior enim respectus semper habetur ad proximius quam ad remotius, quod quidem rerum originationes spectat. Inde cum Græci hanc adspirationem nomini JOANNES interponere recusent, hos merito sequimur. Nec minus claram nobis præferunt facem antiquissima monumenta, quæ annis retro mille & amplius hanc scriptionem fuisse usitatam ad oculos monstrant. Exempla, si vacat, videri possunt in *Antonii Bosii Roma Subterranea*, ubi (β) inter alia hæc cernitur lapidis inscriptio:

LC. JOANNIS ALICENSIS
SE VIBO COMPARAVIT
P. C. VIATORIS.

Quem JOANNEM vita functum anno Christi 496. *Gelasio Papa*, ex Viatoris consulatu ibidem concludit. Ut primævam hanc fuisse scripturam vero parum videatur absimile. Quamquam alias minime eamus inficias, à multis etiam seculis tam ex lapidibus quam Manuscriptis adspirationem probari posse, usu tamen ab antiquitate translato potius quam abusu id factum vix persuaderi patimur: constat enim imperitos monachos persæpe vocibus inseruisse & hodienum inserere spiritum, quos nec ratio nec ulla ursit aut urget necessitas, quod præcipue in voce JHESUS observare licet.

§. 3. Sed ut tandem eo deveniamus, quo potissimum tendimus; in confesso apud omnes; imo fide divina certum esse remur, multos, & in veteri & in novo Fœdere, nomine יוחנן & Ἰωάννης fuisse insignitos. In veteri offendes יוחנן filium Kareach (γ), alium יוחנן ex Gibeonitis (δ), alium item ex Gadditis (ε) &c. Ἰωάννην patrem (ζ) & filium (η) Matthathiæ &c. In novo vero reperiuntur (1) Ἰωάννης Filius Zebedæi (ϑ) Evangelista & Apostolus, item Θεολόγος κατ᾽ ἐξοχὴν alias dictus. (2) Joannes cognomine Marcus (ι). (3) Filius Zachariæ sacerdotis de ordine Abiæ (κ), qui etiam Baptista Evangelistis (λ) audit. De ultimo hoc ex instituto agere nobis propositum est, ut statim cuivis ex inspectione Rubricæ illud ad oculum pateat. Hunc *Centuriatores* (μ) gratioso hoc nomine vocatum asserunt ideo,

quia

(β) *Lib. IV. Tract. III. Observ. IX. & X. p. m. 951. & seqq.* (γ) *Matth.* 1:11. *Luc.* 1:21. (δ) *Apud Hotting. Hist. Orient. lib. 1. c. 3. p. 157.* (ε) *Gen. 25:25.* (ζ) *Fol. 19. col. 3.* (η) *Ex Malach. 4: vers. 5, 6. cap. II. §. 29.* (ϑ) *Not. in Evang. Arab. Matth. præf. pag. 1.* (ι) *Lexic. Sanct. n. CXIIX. pag. m. 153.* (κ) *De Origin. Latin. Ling. pag. 571. edit. quartæ anno 1629.* (λ) *Centur. I. lib. 1. c. 10. p. 356.* (μ) *In Joan. c. I. p. 770.* (ν) *In cap. 3. Matth. vs. 1. pag. 10. a.* (ξ) *Marc. 6:20.* (ο) *Joan. 13: vs. 23.* (π) *Homil. de Jo. Baptist. Tom. III. Latin. edit. Basil. an. 1558. p. 423. & 425.* (ρ) *Comm. in Concord. suam s. Tot. Hist. Ev. Part. 1. c. 2. p. 19. an. 1600.* (σ) *Etym. Nom. Propr. voc.* Ἰωάννης *p. m. 37.* (τ) *Annot. in N. T. ad Luc. 1. p. 603.*

(υ) *Comment. prior. ad voces N. T. pag. 92. edit. ann. 1636.* (φ) *Philol. Ebr. mixt. dissert. XX. p. 138. & Spicileg. Philolog. Cent. 1. c. 1. sect. 9. p. 349.* (χ) *Etym. Nom. Prop. voc.* Ἰωάννης *p. 37.* (ψ) *Matth. 2:18.* (ω) *l. c.* (α) *l. c.* (β) *Lib. 2. cap. 8. p. 126. edit. Roman. in 4. an. 1650.* (γ) *2 Reg. 25:23. Jer. 40:8. 41:11. seqq. 42. & alibi.* (δ) *2 Chron. 12:4.* (ε) *Ibid. v. 12.* (ζ) *1 Macc. 2:1.* (η) *Ibid. v. 2. &c.* (ϑ) *Matth. 4:21. Marc. 1:19. Luc. 5:10. &c.* (ι) *Act. 12:12.* (κ) *Luc. 1:5, 13. 36. c. 3:2. &c.* (λ) *Matth. 3:1. 11:11, 12. 14:2, 8. 16:14. Marc. 6:14, 24, 25. 8:28. Luc. 7:33. &c.* (μ) *Loc. cit.*

quia officium ejus erat, Gratiam Dei per Christum annunciare h. e. doctrinam tradere de remissione peccatorum gratuita, per fidem in Christum, qua quidem doctrina nihil est gratiosius, nihil jucundius. Quod nos ad Theologos mittimus. Interim *Jansenius* (ν) aliam adhuc ὀνομαθεσίας hujus adhibet rationem, quando fatur: *Ut in aliis nominibus peculiaribus, ita & hic respectus habitus est ab angelo, quod dixit:* Exaudita est deprecatio tua. *Nomen enim* Joannes *omnium rectissime significare intelligitur idem, quod* Dominus misertus est, *quod optime convenit cum eo, quod dicitur:* Exaudita est deprecatio tua. (ξ). Scilicet allusionem instituit inter יוחנן nomen proprium & תְּחִנָּה, quod *precationem, supplicationem* &c. denotat. Subjicit enim paullo post, *Tehinna* derivari ab eadem radice, qua *Joannes.* Sic *Grotium* (ο) quoque respectum ad εὐαγγελισμὸν habuisse patet, ut tamen explicationem nominis non in eo, quo *Jansenius,* Lucæ commate, sed proxime subsequenti: καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται, (π) quærere non dubitet. Nam postquam præmiserat, יוחנן proprie esse θεὸς ἠλέησεν aut ἐχαρίτωσεν, statim, *utrumque hoc verbum apud Hellenistas, ut & Ebræum illud sæpe significare solere insignis gaudii exhibitionem,* annectit.

§. 4. Jam propius ad Nativitatem JOANNIS nostri accessum paramus. Juvabit vero adhuc paucis quædam de parentibus ipsius prælibare. Patrem in superioribus diximus *Zachariam,* qui apud memoratum Lucam (ρ) dicitur ἱερεὺς ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *sacerdos de vice Abia* (σ). Ubi meminisse oportet, non unas sacerdotum recenseri species: sed respectu muniorum dignitates etiam fuisse diversas. Alius enim dicitur כהן הראש *Sacerdos caput,* seu, *princeps:* vel כהן גדול *Sacerdos magnus.* Chaldæis כהנא רבא *Sacerdos multus;* Græcis ἀρχιερεὺς & ἱερεὺς μέγας; interdum etiam כהן & ἱερεὺς κατ' ἐξοχὴν talis. Nobis *Pontifex* vel *summus Sacerdos.* Alius vero כהן המשנה *Sacerdos secundarius;* Rabbinis סגן הכהנים *vicarius* seu *antistes sacerdotum* h. e. *Vice-Pontifex,* qui nempe summi Pontificis vices obibat, quando peccato quodam sese polluerat, ut non licitum esset ipsi ingredi sanctum sanctorum, & hostias pro peccato populi Deo offerre. Præter quos sacerdotum gradus, Pontificis nempe summi & סגן Sagan ejus Vicarii, alios ex Talmudistis adfert *Jo. Lightfootus* (τ), quos in tres classes distribuit, nobiliorem infimo, inferiorem primo ponens loco. Classi primæ adscribit כהני עם הארץ *sacerdotes plebejos,* qui non quidem erant è plebe, educatione vero scholastica carebant, atque inter doctos, ac religioni devotos, non numerabantur. Addit enim, totum Aaronis semen fuisse sacerdotale & sacerdotes non tam factos quam natos esse, ut mirum non sit, inter eos & rudes & pauperes fuisse repertos, qui nihilominus vices suas ad altare pro sorte subierint. In classe altera locat eos, qui כהנים הדיוטות *sacerdotes idiotæ* vel *privati* vocantur: hos, quamvis & doctos & munere publico ad altare fungentes, privatos tamen dici, ait, eo, quod inferioris & non dignioris ordinis essent sacerdotes; sive in ordine & respectu ad quosdam superiores. Ultimos vero & tertiæ classi annumeratos itidem facit quadruplices: *Primos* dicit capita Ephemeriarum ראש משמר, numero viginti quatuor. *Secundos* capita familiarum in unaquaque Ephemeria ראש בית אב. *Tertios* ממונים שהיו במקדש præfectos variis officiis in templo. *Quartos,* qui sacerdotes & Levitæ quidem, quamvis non ex his ordinibus, cooptabantur in summum synedrium. Quæ ordinum sacerdotalium divisiones forte Patribus & aliis viris doctissimis ansam dedere dissentiendi invicem de Zachariæ gradu. Ubi sane plures licet reperire, qui hunc munere sacerdotis summi functum fuisse miro conatu adstruunt: in quos proinde non sine caussa animadvertunt *Jansenius* (υ), *Baronius* (φ), *Spanhemius* (χ), *Calvisius* (ψ), *Scaliger* (ω) *Vossius* (α), & quos citat, *Carolus Sigonius* (β) & *Didacus Stella* (γ), aliique quam plurimi, quos hæc pagina vix caperet. Potissimum vero eos juvat argumentum, quod ipse suppeditat Euangelista, quando, Zachariam de vice Abiæ fuisse, eique sorte obtigisse, ut odorem incenderet, expressis verbis asserit (δ). Quatuor autem & viginti fuisse familias sacerdotum, in quas Eleazari & Ithamari, filiorum Aaronis, posteritas fuit divisa, obviam est, & non tantum sacræ probant Pandectæ (ε), verum etiam tota Rabbinorum caterva confirmat. In sacris communiter appellantur מִשְׁמָרוֹת (ζ), quod *Pagninus* modo vertit *vigilias,* modo *custodias,* modo *observationes;* Græcis diceres φυλακάς, quemadmodum & *Lutherus* vertit die Hut/ interdum & die Wacht. Liber מצות הגדול cujus Autor Moses de Kotsi dicitur (η) in unitatis numero מעמד h. e. *stationem* ejusmodi familiam appellat, ut etiam *Scaliger* (θ) in Talmude vocari מעמדות observat. *Eucherio* (ι) dici *sortes* sive κλήρους *Drusius* (κ) memorat. At Euangelistæ (λ) vox ἐφημερία placet, *Josepho* (μ) autem ἐφημερὶς q. d. *Quotidianeitas,* quia, ut explicat *Pasor* (ν), vices hæ, quoties ordo tetigit, quotidie & indesinenter explendæ erant. Quo etiam tendit *Aretius* (ξ), qui ἐφημερίαν dicit *classem seu ordinem rerum in singulos dies per certas familias exequendarum.* Alio adhuc vocabulo *Josephus* (ο) nominat πατριάς, procul dubio, quia è stirpe Aaronis descenderant omnes, & per successionem quasi hoc munere Ecclesiastico fungebantur: quemadmodum etiam Plutarcho aliisque πατρία ἱερωσύνη dici solet tale sacerdotium, quod à parentibus per successionem traducitur ad posteros. Nec minus congrue *vices* dicuntur, quia, ut *Nehemias* (π) habet, ita fuit ordinatum à Davide, ut מִשְׁמָר לְעֻמַּת מִשְׁמָר *custodia ex opposito custodiæ,* vel, *contra custodiam,* h. e. alternis vicibus, & ut bene vertit Megalander noster: Eine Hut um die ander/ ministraret DEO & munus suum obiret. Certos autem principes cuique ordini fuisse, ex *Lightfooto* ante percepimus & ex ipsis etiam sacris literis patescit. Dicuntur enim *Nehemiæ* (ρ) רָאשֵׁי הַכֹּהֲנִים *capita sacerdotum* & רָאשֵׁי הָאָבוֹת *capita patrum,* sive, *principes familiarum* (σ); *Jonathani* (τ) ut *Drusius* (υ) annotat ראשי מטרת כהניא *capita custodiarum sacerdotalium;* quos etiam esse reor, quos laudatus liber מצות הגדול (φ) vocat ראשי המעמד *capita stationis;* horum vero inferiores, vel in genere sacerdotes (χ) אנשי מעמד *viros stationis,* qui Græcis forsan dici possent στατιωνάριοι, quemadmodum gentium sacerdotes, in quibusdam sacrificiis stationes suas habentes, dictos fuisse *Scaliger* (ψ) observat, & quoque in epistola quadam Flaminum Augustalium ad Flamines Tyrios, pluries mentionem fieri στατίωνος εἰς λειτουργίας καὶ θυσίας; quin etiam *stationarios* ejusmodi ἐφημερεύοντας vocatos esse subjicit. Ipse vero (ω) principes familiarum nostrarum proprie πατριάρχας dici posse, eosque *Philoni* τὴν εὐθὺς μετὰ τὸν πρῶτον τάξιν εἰληχότας, h. e. *qui primum statim locum post summum Pontificem obtinent,* esse refert: quos tamen in Euangelio ἀρχιερεῖς nuncupari & ipse & *Drusius* asserunt. Ubi fateri cogimur, quemadmodum כהן גדול sæpe de iis dicitur, quibus tamen sacerdotium summum non competit, veluti Joannem & Mattathiam, Hasamonæos, appellatos esse *Abraam Zachutus* (α) *R. Maimonides* (β) & alii ostendunt, ipsumque Joannem Baptistam in Historia Ebræa isto sæpius venire nomine *Drusius* commemorat: nos vero *Gorionidem in editione Veneta* (*) & *Ebræo-Germanica Pragensi* eidem id tribuere nominis observavimus, utut *Munsteri* editio (γ) non habeat; pari modo etiam vocem ἀρχιερεὺς interdum in rigore, nonnunquam autem latius in Scripturis accipi. Unius ut hac vice Lucæ adferamus testimonium, inquit ille (δ): ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους τούτους, ὅ, τε ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς &c. ut habet editio Complutensis & Ariæ Montani, opus item regium Hispaniense, nec non Versio Arabica N. Test. Dieu; alios enim codices pro ἀρχιερεὺς legere ἱερεὺς, vidimus, quales sunt Bezæ, Roberti Stephani ex Bibliotheca regia Parisiensi editus, Hasenrefferi, Casauboni, Argentoratensis Bœcleri, Wittenbergensis & alii: opus item πολύγλωττον, in

(ν) *Loc. c.* (ξ) *Luc.* 1:13. (ο) *Cit. loc.* (π) *Luc.* 1: *vs.* 14. (ρ) *Cap.* 1:5. (σ) *Homonym. Abiæ vid. ap. Glass. Phil. S. lib. IV. Tr. III. obs. XI. p. m.* 960. (τ) *Hor. Ebr. in Matth.* 2:4. *p.* 27. & 28. (υ) *L. c. p.* 18. (φ) *Appar. ad Annal. Eccl. n.* 70. *seqq. Tom.* 1. *p.* 27. *seqq.* (χ) *Dub. Eu. Part.* 2. *Dub.* 12. & 13. *n.* 5. *p.* 212. *seqq.* (ψ) *Isagog. Chron. c.* 48. *p.* 235. *seqq.* (ω) *Canon. Isagog. lib.* 3. *part.* 2. *Epoch. CII. Diatrib. pag.* 306. (α) *Dissert. de Temp. Nat. Christi Part.* 2. *n.* 4. *p.* 39. (β) *De Rep. Ebr. lib.* 5. *cap.* 3. (γ) *Comment. in Luc.* 1.

(δ) *Luc.* 1:5. 8. 9. (ε) 1. *Chron.* 24:7. *seqq.* &c. (ζ) 1 *Paral.* 9:23. *Neh.* 12:9. 24. 45. *cap.* 13:30. & *alibi.* (η) *Part. II. cap.* 170. *fol.* 211. *fac.* 3. (θ) *l. c. Epoch. CI. diatr. p.* 303. (ι) *In lib. Reg. p.* 186. (κ) *Præter. l.* 3. *in Luc.* 1:8. *pag.* 81. (λ) *Loc. cit.* (μ) *In vita sua fere ab initio.* (ν) *Lex. Gr. Lat. voc.* ἡμέρα *p. m.* 333. (ξ) *In Luc.* 1. *Loc.* 2. *p.* 529. (ο) *Lib. VII. c. XI. Antiq. Jud. p.* 248. *edit. Genev. an.* 1634. & *alibi.* (π) *Cap.* 12:24. (ρ) *Cap.* 12:7. (σ) *Ibid. vs.* 12. & 13. (τ) *In Jer.* 1:1. (υ) *Loc. c. p.* 80. (φ) *Ib. fac.* 4. (χ) *Ib. f.* 212. *fac.* 1. *Conf. Petr. Cunæum de Rep. Heb. l.* 2. *c.* 10. (ψ) *Can. Isag. l.* 3. *part.* 2. *in c.* 2. *l.* 2. *Epoch.* 101. *diatr. p.* 304. (ω) *l. c. p.* 303. & 304. (α) *Juchas. f.* 60. *b.* (β) *Præf. Seder Zeraim p.* 128. *Portæ Mosis Pocokii.* (*) *Pag.* 9. 2. (γ) *Cap. XLVI.* (δ) *Actor.* 5:24.

in quo Syrum & Æthiopem illud plane omisisse offendes: quæ vero lectionis diversitas nobis haud quicquam adversari videtur, qui tam priorum quam posteriorum Autoritate sententiam nostram satis munire valemus. Scilicet ex textu sine torsione colligitur, illum qui primo stat loco [sive ἀρχιερεὺς sive simpliciter ἱερεὺς dicatur], sacerdotem esse summum κατ' ἐξοχὴν talem, cæteros vero dici ἀρχιερεῖς tantum in ordine ad quosdam inferiores, vel respectu suarum familiarum, ut *Slevogtius* (ε) quondam satis innuit. Cujusmodi proinde sacerdos num, ut pro certo habet *Drusius*, fuerit Zacharias, licet usque adeo improbabile non sit; an vero ex Lucæ colligi possit verbis, merito dubitamus; & inde hanc controversiam, ut minoris momenti, nostram nunc non facimus.

§. 5. Ad matrem quod pertinet, nec ea obscura est. Dicitur enim & ipsa prognata ex filiabus Aaronis, qui sacerdotio summo clarus erat. Cujus proinde nomen tali Matronæ haud inconveniens Evangelista (ζ) exprimit: ELISABET. Quod sive efferas Ebraice אֱלִישֶׁבַע ut vult *Gregorius Francus* (η); sive אֱלִישֶׁבַע per שׁ, quo nomine Aaronis uxorem fuisse celebrem constat (θ), veluti placet *Pasori* (ι) sive אלישׁבת, ut idem assignavit *Gregorius* (κ), aut, ut *Aretius* (λ) eloquitur, אלישׁבת, sive tandem, uti pro optimo venditat *Aretius* (μ), אלישׁבט, parum intererit. Nomen enim DEI ubique habet præfixum, cui talis annexa est vox, quæ, quoad originem, bonam rei indolem indigitat. Prima radix est שָׂבַע, quod, ut *Dn. Gejerus* (ν) observat, ad *abundantem commodorum vel rerum utilium ac jucundarum perfruitionem & omnimodam saturitatem* transferri potest. Vel, ut idem laudatus Vir (ξ) explicat; *adeo abunde impertire* significat, *ut desideriis tuis cupidissimis satisfiat ex voto*; *ad instar famelici, cujus appetitus larga ciborum ingestione cum voluptate tandem sistitur, ita ut quieto rursus liceat esse eidem homini.* Quod si Philologico quodam modo ad Elisabetam velis applicare, quod, cum enixa esset filium, adeo satiata sint ejus desideria, ut quieto & hilari animo eidem tum esse licuerit, falsi nihil adferes; quamvis saturitatem istam ex DEO, ipsiusque verbo hausisse eam Evangelista (ο) prodat, quando justam ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, & sine querela ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ κυρίου incedentem eam pronunciat. Altera radix est שֶׁבַע *septem*: in quo alias mystici quippiam quærere solent Ebræi, cujus forsan ex observatione *Gregorius* (π) quoque ab eo *propter numeri plenitudinem & sanctitatem* derivari ait נִשְׁבַּע *juravit*; unde ansam arripiunt eruditi hanc nominis *Elisabet* dare explicationem, ut nempe circa hoc fœderis gratiæ, quod juramento nobiscum pepigit DEUS, admonendi simus; quemadmodum Theologorum scholæ nos informant. Tertio modo exaratum nomen ortum trahit vel à שבת *quievit, cessavit &c.* unde שַׁבָּת *quies, cessatio*: vel infinitivo שֶׁבֶת à יָשַׁב *sedit, mansit, permansit, habitavit, incoluit*, qui nominascens idem significat ac *habitatio, commoratio* (ρ): qua ratione dicere posses, quemadmodum DEUS semper habitare gaudet in piis & se diligentibus, ita merito istud nominis nostræ Elisabetæ convenire, quæ, cum impense adeo adhæserit mandatis divinis, *domicilium, mansio & quies DEI* recte dicatur. Circa quartum vero, à שֵׁבֶט *virga, baculus, tribus* &c. denominationem suam sortitum, observari convenit, egregie alicui ansam exinde suppeditari, qui suæ ex parte indulgere velit Philologiæ. *Dn. D. Gejerus, insignis & Theologus & Philologus* (σ) haud vulgare quid observat, quando secundum nonnullos unicuique *tribui* (שֵׁבֶט) ex tribubus Israelis, suam peculiarem *virgam* (שֵׁבֶט) seu *baculum*, nomine suo inscriptum, quem, tanquam potestatis insigne, tribuum principes manu gestaverint, fuisse refert. Quo etiam historiam *XII. Virgarum* in contentione de sacerdotio (τ) trahit: ex qua præcipue hoc videre est, *virgam Aaronis*, æquipollente שֵׁבֶט nomine מַטֶּה dictam, licet *aridam*, tamen *floruisse* & amygdala tulisse. Descendere, inquam, posset ad nostram אֱלִישֶׁבַט, quæ ante sterilis, in senecta demum, & ubi nulla procreandæ sobolis spes supererat, claro partu edidit filium, quem JOANNEM ante diximus. Ad cujus Nativitatis tempus nos jam accingimus.

(ε) *Dissert. de Ephem. Sacerd. V. T. n.* 14. (ζ) *Luc.* 1: 5. *seqq.* (η) *Lex. Sanct. n.* 869. *p.* 651. (θ) *Exod.* 6: 22. (ι) *Etym. Prop. Nom. p. m.* 20. (κ) *l. c. & n.* 70. *p.* 89. (λ) *Comm. in Luc.* 1. *Loc.* 2. *pag.* 529. (μ) *Loc. cit.* (ν) *Prælect. super Psalm.* 91: 16. *Part.* 2. *p.* 289. (ξ) *In Ps.* 103: 1. *Part.* 2. *p.* 478. (ο) *Luc.* 1: 6. (π) *Ibid. n.* 19 *pag.* 22. (ρ) *Vid. Geier. in Psalm.* 23: 6. *Part.* 1. *p.* 394. 33: 14. *pag.* 562. 68: 17. *pag.* 1339. *&c.* (σ) *In Ps.* 122: *vs.* 4. *Part.* 2. *p.* 1015. (τ) *Num.* 17: 2. *seqq.*

§. 6. *Cardinalis Baronius, Annalium Ecclesiasticorum scriptor* (υ) JOANNEM hunc in utero materno conceptum ait anno ab V. C. 750. Coss. Sabino & Ruso, Olympiadis CXCIV. anno I. Augusti Imper. à Triumviratu inito anno 39. IIX. Calendas Octobris, post æquinoctium, solennis jejunii tempore. Qua ex hypothesi natus esset XXIV. Junii sequentis anni, tempore solstitii æstivi. *Matthæus Beroaldus* (φ) contra rejiciens hanc sententiam, conceptionem solstitio æstivo, seu mensi Junio adscribit; quod ex ratione ephemeriarum evincere conatur: provocat enim ad ordinem sacerdotum à Davide (χ) institutum, de quo jam supra actum. Scilicet, quemadmodum ibidem in classes XXIV. hæc facta fuit distributio, ita necessum quasi putat, duas familias singulis mensibus fuisse deputatas, eaque ratione hunc ordinem cum anno in circum rediisse. Deinde verisimile dicit, primam ephemeriam à Martio, tanquam primo, seu eo, quo res sacræ & festa numerata fuerint, mense incepisse, adeoque consequenter sortis Abiæ, ut quæ est octava ordine, functionem in mensem Junium incidisse. Nativitatem ergo locat in medium mensis Martii. A quo, quod Nativitatis tempus attinet, non multum discrepare videtur *Lightfootus* (ψ), quando circa festum Paschatos ad æquinoctium vernum contigisse arbitratur.

§. 7. Ab utrisque his dissentiunt *Scaliger* & *Calvisius*, nobile par Chronologorum hujus & anterioris seculi. Uterque circa finem Julii JOANNEM conceptum ajunt, nisi quod Nativitatem ejus *Scaliger* (ω) vel ex errore typothetæ, vel calami præcipitantia, aut amanuensis etiam incuria, circiter initium, quam rectius *Calvisius* (α) circa finem Aprilis statuit. Mira autem felicitate & speciosa admodum demonstratione hanc suam videntur probatum ivisse sententiam. Ambo enim consentiunt & in ratione computandi & in annis determinandis, si modo observes, Scaligerum suæ Periodo Julianæ, cum cujus anno 765. primum mundi annum concatenavit, insistere; unde tamen detractis 764. annis, annum Mundi quemcunque investigare labor est perquam facilis, & eo facilior computatio, quo inventum istud *Scaligeri* oppido laudabile, ut eruditis, ipsique Scaligeromastigi *Petavio* (β) (quanquam in eo nonnihil castigandum eum putet, quod se periodi hujus inventorem ac methodi solum fuisse glorietur, quam tamen à Græcis transtulerit,) audit, æræ Julianæ, cui etiam denominationem debet, adaptatum est; quod ipse etiam modo citatus fatetur *Petavius* (γ) dum illam tutiorem & liquidiorem esse dicit Chronologiam, quæ ad annos mundi, si quidem hos præterire nolit, Iulianæ periodi annos adjungit. Fundamentum vero assertionis suæ constituunt in Encæniis Maccabæorum, in quibus restitutio templi Hierosolymitani post Antiochi profanationem facta est per Iudam Maccabæum. Ab eo enim tempore ad annum usque LXX. Christi Dionysianum, quo scilicet deleta sunt Hierosolyma, nullam interpellationem sacro quotidiano, ne in summis quidem belli discriminibus, intervenisse pro certo habent. Hinc inde ab hac templi restauratione annos ad Nativitatem usque Christi & ultra supputare, pro labore æstumant simplici. Constat vero ex ipsa Maccabæorum historia tam devastationis quam restitutionis templi annus & dies. Caput primum libri primi vix habet aliud quod recenseat, quam quomodo Antiochus, post suum ex Ægypto reditum, templum non modo omni ornatu privaverit, pretiosissima vasa, sacris peragendis destinata, spoliaverit & secum abduxerit; verum etiam, quod ausu omni gravius, larvali Iovis Olympii idolo dehonestaverit & profanaverit: die enim XV. mensis Casleu in templo fuisse collocatum, & die XXV. eidem in ara nova sacrificatum perinde annotat. Repurgationem igitur & omnimodam restitutionem factam ferunt (δ) die XXV. mensis Casleu anni Alexandræi sive Græci 148. eodem die, ut habet *Chronicon Carionis* (ε) quo ante tres annos idolum in templum collocatum, vel potius, ut sacra historia (ζ) & *Bucholzerus* (η) indigitant, quo ei sacrificatum fuerat. *Scaligero* (θ) est annus P. J. 4549. *Calvisio* (ι) annus

(υ) *Appar. ad Ann. Eccl. n.* 68. *Tom.* 1. *p.* 127. (φ) *Chron. lib.* 4. *c.* 2. *pag.* 364. 376. (χ) 1 *Paral.* 24. (ψ) *Hor. Ebr. in Matth.* 3: 1. *p.* 33. *& vs.* 16. *pag.* 63. (ω) *Canon. Isagog. lib.* 3. *Part.* 2. *in c.* 1. *lib.* 2. *Epoch.* 101. *Temp. Hist. Diatrib. p.* 305. (α) *Isag. Chron. c.* 48. *p.* 238. *it. Op. Chron. p.* 402. (β) *Part.* 2. *de Doctrina Temporum lib.* 2. *c.* 1. *p.* 1. (γ) *Ibid. c.* 6. *pag.* 18. (δ) *Vid.* 1 *Macc.* 4: 52. (ε) *Lib.* 2. *p. m.* 160. (ζ) *l. c. Maccab.* (η) *Indic. Chron. p.* 78. (θ) *Lib.* 5. *de Emend. Temp. pag.* 435. (ι) *Isag. Chron.* 48. *p.* 237. *item Op. Chron. p.* 402.

annus M. 3785. embolimæus abundans. Quocirca notandum, queis nostra æra, sive juliana, annis hisce Græcorum respondeat, ne forte dubio remaneat locus. De hoc *Scaliger* (ϰ) ita nos instruit; meminisse scilicet oportet, annos Græcorum quondam dies habuisse CCCLIV. quibus tamen singulis bienniis exactis, vel, ut Herodotum loqui ait, διὰ τρίτου ἔτεος, XXII. & XXIII. dies alternis intercalati fuerint; qui anni tum vocati sunt *embolimæi*, mensis insititius *embolimus*, actus vero insertionis *embolismus*; ut hinc cum nostro bene conspirent anni isti. Sed ne quicquam sileamus, unica se adhuc prodit diversitas, quando Chronologorum quidam hunc mensem Casleu dicunt nonum, alii tertium. Judæi enim duplicem numerabant annum: Civilem & Ecclesiasticum. Hunc à verno tempore, seu Martio, incipiebant, qui eductionem ex Ægypto, postquam demum institutus est, respiciebat; illius vero, sive politici, initium autumnus erat, & hujus universi creationem spectabat, quemque in annis sabbaticis & Jubilæis, etiam post introductum annum Ecclesiasticum observare solebant. Cum ergo *Bucholzerus* (λ) mensem Casleu dicit nonum, nominat eum ita in respectu ad annum Ecclesiasticum; civilis enim anni mensis est tertius.

§. 8. His ita præmissis Scaligerianam & Calvisianam penitiori considerationi submittemus sententiam. *Calvisius* (μ) ergo calculum suum ita instituit: Annum Græcorum 148. inchoari ait in anno M. 3785. in Septembri. Novilunium mensis Paschalis hujus anni 3785. secundum Judæos incidere in diem VIII. Martii, fer. 7. primum autem azymorum diem celebratum fuisse d. XXII. Martii, h. e. die à Calendis Januarii XXCI. cui si addantur dies CLXIII. qui conflunt dies CCXLIV. desinere dicit primo Septembris eodem anno Mundi fer. 2. quem diem dicit primum mensis septimi. Peracta tunc inquisitione, ex Calendario Judæorum reperit, annum hunc esse Embolimæum abundantem, cujus mensis octavus dies habeat XXX. non XXIX. Dies ergo XXX. mensis VII. dies item, XXX. mensis octavi & dies XXV. noni mensis efficientes XXCV. & simul sumtos cum Calendis Septembris, efficere ait dies CCCXXVIII. designantes XXIV. Novembris feriam 2. qua primum accenderint lumina in candelabris & suffitum fecerint & panes proposuerint & holocaustum obtulerint, eodem die, quo ante triennium templum profanatum fuisset. Iniisse ergo familiam Joarib, quæ ordine prima erat, suam vicem, hinc reliquas ordine ad ultimum templi excidium sequutas, & orbem illum sacerdotum hieraticum continuatum, neque unquam postea interruptum esse. Deinde tanquam certum supponit, ut quod ante demonstrasse se ait, Christum natum anno M. 3947. Ergo Joannem Baptistam conceptum anno 3946. concludit. Tum ab anno M. 3785. quo templum est repurgatum, ad annum usque 3946. incipientem annos Julianos numerat CLX. & dies XXXIX. quot à XXII. Novemb. usque ad Calendas Januarias sequentis anni superesse dicit; annos vero CLX. Julianos redactos in dies efficere in una summa 58479. qui si dividantur per 168. dies, quot consumebantur, antequam ephemeriæ in orbem redirent, prodire orbes hieraticos CCCXLVIII. & dies insuper XV. qui ostendant, anno M. 3945. die XVII. Decemb. fer. 7. primam familiam Joarib suam vicem iterum inchoasse. Ut vero propius ad conceptionem JOANNIS accedat, unum adhuc orbem sive dies CLXVIII. addit, qui pertingunt ad diem usque CLIII. à Calendis Januarii, ann. 3946. sive ad diem II. Junii fer. 7. ubi iterum familia prima Ioarib vicem suam obiisse dicitur. Porro cum Zacharias fuerit ex familia Abiæ, octava in ordine, septem familias præcessisse & vices suas implesse diebus XLIX. necesse est, qui additi ad II. Junii pertingunt ad CCII diem à Calendis Januarii & ostendunt Zachariam inchoasse liturgiam suam d. XXI. Iulii fer. 7. & complevisse dies officii d. XXVIII. Julii, indeque domum redisse, & ita JOANNEM circa finem Julii anno 3946. conceptum esse. Eundem in modum etiam *Scaliger* (ν) procedit. Hic omni carere putat dubio, primam familiam Joarib tempore Encæniorum ministrasse. Ita enim disserit: Celebrata autem sunt Encænia XXIV. Novemb. fer. 2. anno P. J. 4549. Ergo erat tertia dies ephemeriæ Jojarib, quæ biduo ante incensum obtulerat Deo (ξ): ut enim templi, sic & ἱερατείας ἐγκαινισμὸς à Juda introductus est: & proinde non ab alia familia, quam à principe incepit, quod nemo negare potest. In subsequentibus addit hæc: Quo tempore autem fungi cœperit ministerio ephemeria Abiæ, levioris est operæ invenire, quam quo die Angelus Zachariæ sese ostenderit, cum per septem dies familia Abiæ ministraverit. Jam diximus Ephemeriam Jojarib inivisse munus suum XXII. die Novembris, anni P. J. 4549. Ephemeria autem Abiæ est octava ordine. Inibat igitur Liturgiam suam quinquagesimo die orbis Hieratici. Proinde inivit decima die Ianuarii anno 4550. Iam Christus accessit ad baptismum anno Actiaco 58. quintodecimo Tiberii, cum recenter iniret annum XXXI. Ergo natus est anno 28. Actiaco, quod & pleraque omnis vetustissima Ecclesia credidit jure merito, biennio ante epocham hodiernam Dionysianam, anno & amplius ante obitum Herodis. XIV. autem mensibus antea Evangelismus Zachariæ contigit, ut constat ex filo historiæ. Secundum hanc firmam & constantem hypothesin, cum Christus natus sit in ultimis mensibus anni P. J. 4711. Evangelismus Zachariæ contigerit anno 4710. quo ephemeria Abiæ inivit ministerium d. XXI. Iulii. A. X. Ianuarii anni 4550. quo eadem ephemeria inivit ministerium post encænia Maccabæi, ad Sabbatum XXI. Iulii anni 4710. fluxerunt anni CLX. dies 192. qui sunt orbes hieratici Abiæ CCCXLIX. præcise. Ergo XXVIII. Iulii ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας Zachariæ. Quare post XXVIII. Iulii conceptus est Ioannes & inter XXI. & XXVIII. diem Evangelismus incidit. Et paulo post: IOANNES autem natus est ultima Ephemeria in templo ministrante. Nam unaquæque ephemeria post CLXI. dies redibat ad functionem suam, CLXVIII. dierum est orbis hieraticus, ex quibus septenos singulæ ephemeriæ funguntur. Supersunt CLXI. dies, quibus vacabant singulæ familiæ, qui si ex CCLXXIII. diebus deducantur, quod est tempus, quo mulier gestat in utero, supersunt CXII. dies absoluti: de quibus deductis rursus 7. quibus ministravit familia Abiæ, supersunt CV. h. e. XV. familiæ, qua post familiam Abiæ ministrarunt ad tempus partitudinis. Ergo XXIII. familiis defunctis supererat ultima, qua natus est Ioannes. Quod præcise currit in finem Aprilis ann. P. J. 4711.

§. 9. Hanc Scaligeri sententiam mirifice confirmare ait *Casaubonus* (ο) consuetudinem primitivæ Ecclesiæ Alexandrinæ, quæ nativitatem JOANNIS Baptistæ primis temporibus solennitatis illius introductæ celebravit die Aprilis XXIII. qui illis erat dies mensis Pharmuthi XXVIII. quemadmodum etiam *Calvisius* (π) hoc antiquitatis testimonium pro firmo habet argumento, diligentique observatione dignum censet. Nec paucos alios invenies ex modernis etiam eruditis huic sententiæ addictos: cui etiam quoad rationem computationis [in anno enim disconvenisse eos ex post dicendis patebit] favisse *Autorem* [nomen ipsi esse *Hieronymo Vecchietto*, instructissimæ nostræ Bibliothecæ Ienenses, quæ eum servant, nos docent] *octo librorum de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, meminit *Antonius Cappellus*, qui (ϱ) genuinum nomen reticens, *Ægyptium* eum nuncupat, ob res in Ægypto aliquando feliciter gestas; quemadmodum de hoc ipse gloriatus sit. Castigandum autem eum suscipit, quod multa assumat, ut certa, quorum alia incerta sint, nullaque ratione probata; alia levissimis tantum conjecturis confirmata, quæ, qua facilitate asseruntur, eadem refelli possint. Et nostram hanc materiem quod attinet, de ratione perveniendi ad nativitatem Christi vel Ioannis, ex ordine ephemeriarum, quatuor potissimum in *Ægyptio* taxat (σ). Primo errorem esse, quod assumit, ephemeriam Abiæ anno 3948. incidisse in IX. Decembris, seu diem currentis anni Iuliani trecesimam quadragesimam quintam, ut quo anno inciderit etiam in diem ejus 177. sive XXVI. Iunii, quum centesimo sexagesimo quoque octavo die vices ad eandem familiam redirent. Assumere ergo heic dicit *Ægyptium*, nec probare, ad ephemeriam Decembris, non ad ephemeriam Iunii referri debere visum Zachariæ. Secundo assumere eum, conceptionem Ioannis incidisse in annum 3949. initio, quum tamen juxta varias sententias, de anno Christi natali, incidere potuerit in 48. 47. 46. imo vero (quam se fovere ait) in 45. Ex calculis ergo *Ægyptii* quum familia Abiæ ministrare cœperit anno 3948. die 177. consequi ait, cœpisse etiam eodem anno nona Ianuarii:

Oo anno

(ϰ) *L. 4. de Emend. Temp. p. 298.* (λ) *l. alleg.* (μ) *Isag. Chron. c. 48. p. 237.* (ν) *Fragm. p. 58. & 59. Conf. etiam Canon. Isag. lib. 3. part. 2. in c. 1. lib. 2. Epoch.* 101. *diatr. p.* 305. (ξ) 1 *Macc.* 4: 50.

(ο) *Ad appar. Ann. Bar. n. 68. Exerc. 1. diatr. 25. p. 3.* (π) *Isag. Chron. c. 48. pag. 238.* (ϱ) *Dissert. de Cœna Christi suprema Præfam. quod occasionem & consilium Autoris inscribit.* (σ) *Diss. de Cœna Christi suprema c. 4. §. 13. seqq. p. 65. seqq. edit. Parisiis an. 1625.*

anno 3947. Julii XXV. & Februarii VI. anno 3946. Augusti XXII. & Martii VII. & anno demum 3945. XX. Septembris, quo anno ipsi (*Capello*) conceptus est Joannes, & in sequenti Christus. Tertio dicit *Cappellus* ministerium sacerdotum minorum in illas XXIV. familias à Davide tributum, quadruplex habuisse initium: (1) sub Salomone post dedicatum templum; (2) sub Zorobabele post 70. annum captivitatis; (3) sub Dario Persarum rege, postquam anno ejus sexto templum secundum dedicatum fuit; (4) sub Juda Maccabæo, quando domus DEI, quæ sub Antiocho Epiphane, triennio ante profanata fuerat, purgata est, & cultus divinus in pristinum restitutus. Prima vice cœptum ministerium à familia Joaribi exploratum esse, at unde cœptum tribus sequentibus vicibus, & maxime postrema, incompertum existimat. Dicit enim: Etsi Joaribi erant primæ vices, ex ejusque familia Maccabæi, non tamen ideo aut lege aliqua (quod sciamus) aut consuetudine receptum erat, ut si quando series illa interrumperetur, præteritis familiis, quæ supererant, cyclus à Joaribo rursum inchoaretur. Neque æquum videri putat, ut vel renovatio cultus divini, vel principatus Judæ, cuiquam adimerent suum jus, quod ademissent, si illas familias, quæ triennio ante succedere debebant in ministerium divinum, vicis illius jure spoliassent. Denique taxat, quod *Ægyptius* adsumit, annum Romanum ea forma, eaque magnitudine, qua Julius Cæsar eum ordinavit, fuisse à tempore Maccabæorum ad conceptum Joannis, hoc est, ab anno 3791. ad 3948. qua hypothesi nihil esse falsius, exclamat. Quod fusius etiam ibidem refutat *Cappellus*. De *Scaligero* vero hoc sentit (τ), quod magnum quidem ejus fuerit ingenium, magna eruditio, variarumque cognitio linguarum, sed nimia plerumque sui confidentia, tanquam pleno quodam torrente, abripi se adeo siverit, ut mirum non sit, in complures illum scopulos infeliciter impegisse, iisque (ut istiusmodi solere ait ingenia) pertinaciter hæsisse. Ad quos proin, aut non absimiles lapides *Ægyptium* etiam hunc offendisse pronunciat.

§. 10. Peculiarem vero *Scaligeri* Antagonistam se prodit *Dionysius Petavius*, *Jesuita doctissimus*, qui (υ) omnia *Scaligeri* firmamenta, quæ ex serie functionum sacerdotalium petit, ex incertis pendere ait rebus: quod vel ex eo pateat, quia pro concesso sumitur, Judam à Joaribi familia functionum ordinem inchoasse. Fieri enim potuisse, ut pristinam stationum seriem Judas pertexere voluerit, non novum ordinem statuere. Præterea etiam, cum sacerdotes mundos ac sine macula delegerit Judas, quo mundarent sancta, fortassis incidisse, ut è familia Joaribi nulli tum ad manus ejusmodi sacerdotes essent, qui legali immunditia vacarent, unde ex alia quapiam ephemeria capere opus habuisse. Ponit nihilominus, Joaribi familiam primum sacra celebrasse, ut tamen ex serie functionis hieraticæ nondum evincere dicat *Scaligerum*, quod intendit. Scilicet assumit ex diversis de vero Christi natali sententiis eam, quam cæteris anteponendam judicat, ut anno Juliano XLI. Per. Jul. 4709. biennio ante, quam putat *Scaliger*, natus sit. Inde suam etiam, Joannem nempe natum esse die XXIV. Junii, sententiam probare aggreditur. Ab anno enim restitutorum à Juda Maccabæo sacrorum, qui est Per. Jul. 4549. & Novembris XXII. ad Septembris XVII. anni 4708. [quo & *Jacobus Usserius* (φ) Zachariam fecisse suffitum autumat, anno nempe Mundi, juxta ejus calculum, 3998. finiente] dies numerat 58009. qui per septem divisi dant hebdomadas 8287. h. e. orbes hieraticos 345. & præterea 49. dies, sive ephemerias septem integras. Igitur Septembris XVIII. fer. 7. cœpisse, ait, octavam ephemeriam, nimirum Abiæ, anno P. J. 4708. cyclo Lunæ XV. Solis IV. litera C. Qua hebdomade labente Gabriel Zachariæ, suffitum adolenti, Joannis ortum nunciaverit: qui expleta functione domum reversus sit post XXIV. Septembris. Elisabetam vero concepisse haud multo post, & Joannem nono mense vertente, anni Per. Jul. 4709. peperisse.

§. 11. *Robertus* autem *Baillius* (χ) subtilem hanc *Scaligeri* Demonstrationem tot quidem niti ait hypothesibus, quarum una labente totum ruat ædificium, ut hinc etiam ipsi satis dubia videatur, ea tamen, quæ *Petavius* aut alii contra eam objiciunt, nequaquam magni esse momenti asserit. Quod enim primariam *Scaligeri* hypothesin, quam *Herculem* ejus dicit *Cappellus* (ψ), infirmam pronunciant, quod scilicet Judas Maccabæus in sua templi restauratione primam sacerdotum classem ex Ioaribi familia prima vice adhibuerit: Respondet, *Scaligeri* rationes hic plus quam probabiles esse, nec in solenni divini cultus corruptissimi reformatione ulli sacerdotum classi primas ministrandi vices competiisse potius, quam ei, cui *David* divina inspiratione eas vices assignaverit, & cui illa prærogativa ad illum usque diem absque controversia convenerit. Præterea in defectu Endelechismi Ephemeriarum ordinem ad classem ultimam, vicesimam quartam, tum deficientem, pervenisse decimo septimo Tammuz, seu Julii decimo quinto, à quo retro numerando Ephemerias, ad XXV. Casleu, seu XXII. Novembris, Encæniorum Judæ Maccabæi, inveniri ait, ad familiam Joaribi Ephemeriam spectasse. Pari modo diluit alteram *Petavii* objectionem, quando ex *Keplero* vult, stante etiam *Scaligeri* per orbes hieraticos calculo, Zachariæ ministerium incidisse in Septembris XVII. adeoque Christi natalem in Decembris XXV. Respondet enim, gratuitam esse hanc *Petavii* & *Kepleri* assertionem sine probatione: imo si stet *Scaligeri* calculus, quem *Petavius* largitur rectum, & in quo nihil conatur corrigere, impossibile esse, ut Zachariæ ministerium XXIIX. Iulii absolutum, non ante Septembris XVIII. inceperit. Et hac facilitate etiam objecta *Spanhemii*, quorum ibidem quædam, sed levioris momenti, recenset, refellit. Superciliose igitur & ante porrectum brabeum, collectionem suam, contra novam, quam dicit, *Scaligeri* divinationem, pro *ἀναντιῤῥήτῳ* venditat *Petavius* (ω). Ut non injuria *Alexander Morus* (α), minime alias ita videri cupiens partium studio ductus, ut *Doctrinæ Temporum Conditorem* laude sua fraudatum velit, abfuisset modo succus loliginis & ærugo; in hoc eum corrigat, quod, ut sæpe non injuste *Scaligero* repugnaret, semper tamen incommodice, ne dicat, immani ac hostili more invehatur: cum nihil quicquam in eo probet, si Periodum Iulianam exceperimus, quod admirabile repertum, quia refutare non potuerit, ejus laudem ipsi ereptam, aliis transscripserit, & quod magis miremur, hoc facinus candoris nomine venditaverit.

§. 12. Sed prolixum foret, omnes sententiarum diversitates in medium proferre, nedum eas cum basibus suis in trutina judicii suspendere: citius enim tempus nos fugeret, chartaque deficeret, quam patronos earum in transcursu saltim attingeremus, quorum evolutioni horula non sufficeret: quare id expediundum committimus, quibus plus ocii superest. Si cui tamen scire arridet alias, ab his, quas adduximus, diversas, adire potest *Jacobi Cappelli Synopsews Historiæ Centuriam novissimam Ecclesiæ Judaicæ*, ubi adhuc aliquid offendet. Nos vero cui nostrum adjiciamus calculum, plane non videmus: autoritati cedere non æque tutum est, imprimis ubi probabilitatis obvenit multum, certitudinis parum, & totum ex hypothesibus pendet. Tutissima proin laborabimus ire via, bene observantes, quæ modo citatus habet *Baillius*, quando de Christi Nativitatis inquirendo tempore ait (β): *Quandoquidem DEI Spiritus in verbo scripto, rei ipsi intentus, à circumstantiis ita abstrahit, ut superstitiose de ipsissimo anno, mense, die & hora istius felicissimi partus* [non autem dispar ratio nativitatis Ioannis; cognita enim una facile sciri potest altera] *inquirentibus non faveat, nec velit satisfacere; necesse est scrupulosæ nimis & anxiæ hominum curiositati fibulam insolubilem imponere.* Scilicet in re istiusmodi dubia, captumque humanum superante omnino malumus *ἐπέχειν*, quam ingenii cristas tollere, quo fit, ut nimium sibi tribuere visi, sinistre sentientium censuræ facile sese exponere soleant. Salva nihilominus sit magistris subtilitatum sua subtilitas, qua si quid tandem potuerint obtinere, recte ipsis gratulabimur.

§. 13. *Beroaldi* vero sententia ut locum inveniat valde vereor. Quod enim à Martio seu anni Ecclesiastici initio ephemeriarum functiones numerat & binas cuilibet mensi adscribit, omni testimonio, eruditorumque suffragio destituitur. Nudis autem inniti conjecturis perinde est ac arci magnificæ fundamentum struere arenosum. Unde non est necessum, uti cum primo mense prima etiam ministrare incipiat ephemeria; licet enim vel in medio vel ultimo inciperet, primitati tamen nihil derogaret. Quod etiam alio ejusmodi, itidem ex sacris petito, exemplo dilucidat *Scaliger* (γ), quando Salomoni (δ) duodecim dicuntur fuisse præfecti, quo-

(τ) *Dedicat. Dissert. de Cœna Christi suprema.* (υ) *De Doctrina Temp. Part. 2. lib. 12. cap. 7. pag. 417. seqq.* (φ) *Annal. Maccab. & N. T. pag. 526. edit. Londini an. 1654.* (χ) *Oper. Hist. & Chronol. l. 2. c. 2. quæst. 3. p. 45. seq.* (ψ) *l. c. p. 65.*

(ω) *Loc. cit. pag. 419.* (α) *Præf. Thesauri Temp. Scaligeri.* (β) *l. c. quæst. 1. p. 32.* (γ) *Isag. Can. l. 3. Part. 1. in c. 2. lib. 1. p. 265.* (δ) *1 Reg. 4:7.*

quorum uniuſcujuſque intereſſet per menſem regi alimoniam procreare; ubi nullam fieri dicit mentionem, aut neceſſitatem urgere, ut ſtatuamus primæ functioni primum anni civilis menſem competiiſſe; ſed menſem, quo prima opus ſuum perfecit provincia, intelligi primum non anni, ſed XII. illarum functionum. Poſſemus tamen liberales eſſe & Beroaldo largiri, primam familiam primo anni menſe miniſtraſſe, quo vero quid evinceret, nondum videmus: Quæſtioni enim adhuc ſupereſſet locus, quî intelligendus ſit *Joſephus* (ε), quando cuique familiæ unam ſeptimanam tribuit, quam κτ̓ σχῆμα ἰδιοτισμὸν, ut *Scaliger* (ζ) loquitur, appellat ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ σαββάτε ἐπὶ σάββατον: qui item ipſe eos, qui in ſua operabantur ephemeria, ἑβδοματίτας, ipſas vero familias, ἐφημερίας ἑβδομάδων *Theophylacto* vocatas eſſe pronunciat. Si ergo ad Beroaldi mentem ſingulis menſibus duæ ſacris interfuiſſent familiæ, reliquos præter duas has ſeptimanas in menſe dies à ſacris vacaſſe ſacerdotes ſequeretur, quod probabilitatem vix admittit, cum & *Scaliger* (η) & *Calviſius* (ϑ), aliique non ſine cauſa notent, per dies CLXIIX. ſingularum familiarum functiones in orbem recurriſſe.

§. 14. Tandem *Baronii* quod attinet ſententiam, ipſe nec ſolus nec primus eſt, qui eam fovet, ſed ingentem numerum, ex Patribus etiam, ei addictos reperies. A *Chryſoſtomo* accepiſſe Eccleſiam Conſtantinopolitanam, inquit *Scaliger* (ι), quæ Εὐαγγελισμὸν Ζαχαρίε quondam non modo ſtatuit in XXVII. Septembr. verum quoque diem illam tanti fecit, ut ejus cultum aliis primæ claſſis ſolennibus aggregaverit, ut ibidem ſubjicit; qui tamen dies poſtmodum ad XXIII. Septembr. retro traductus eſt, quemadmodum ex Μηνολογίῳ Conſtantinopolitano patere, ejuſque veſtigia legere, ait Calendarium Antiochenum, quod XXIII. Elul; Calendarium item Elkupti [hoc eſt, Ægyptiorum, quos nomine decurtato ex ultima parte vocis ΑΙΓΥΠΤΟΣ ita dictos idem putat *Scaliger* (κ)] quod XXVI. Thoth, id eſt, eundem diem XXIII. Septembr. & alia, huic εὐαγγελισμῷ ſacratum habent. Patres vero hanc foviſſe ſententiam, ideo factum dicit *Scaliger* (λ) quia Zachariam pro ſummo habuerunt ſacerdote, quod tamen *Petavius* (μ) *doctiſſimus Jeſuita*, ipſi tanquam ſuum commentum objicit, quod & alii plerique ſint amplexi. Hujus enim ſi veteres habuiſſent rationem, oportuiſſe eos ex notis, quas Chriſti nativitati adſignant, Evangeliſmum Zachariæ anno Juliano XLV. qui proxime æram vulgarem anteceſſit, & Joannis Chriſtique natalem anno primo ejuſdem æræ communis ſeu P. J. 4713. attribuere: cum tamen nemo ex omni antiquitate ſit repertus, qui non ut minimum triennio antenatum Chriſtum prodiderit: plerique quadriennio. Verum fides ſit penes *Petavium*, etiamſi forſan alii aliter ſentirent. Interim tamen *Baronius* nihilominus audire tenetur, quod *Caſaubonus* (ν) de eo cenſet, quando hanc ejus in inveſtigando Nativitatis Joannis die curioſitatem meram æſtumat πολυπραγμοσύνην & illaudabilem laudis cupiditatem; quem item *Calixtus* (ξ) hacpropter plane ridendum putat.

§. 15. Ne vero quiſquam offendatur, quod noſtræ Eccleſiæ hunc Prodromi Natalem die XXIV. Junii celebrant, ſcire ipſum neceſſe eſt, non ideo fieri, ac ſi præciſe hoc die natus eſſet JOANNES; ſed forte, ut autor eſt *Caſaubonus* (ο), ob alias cauſas accidentales. Scilicet cum cœpta eſt in Eccleſia celebrari memoria non ſolum Domini JESU, ſed etiam B. Virginis, Apoſtolorum, martyrum & aliorum ſanctorum, videntur pii Patres non tantam verorum natalium curam ſæpe habuiſſe, quantum id ſtuduiſſe illos conſtat, ut dies ſolennes ex ritibus paganorum in meliorem uſum converterent. Iccirco nihil vetare dicit, quo minus ſalva reverentia, quæ priſcæ debetur Eccleſiæ, de veris ſanctorum natalibus hodieque poſſet quæri. Hanc vero JOANNIS feſtivitatem ſubſtitutam eſſe in locum Summani, h. e. ſummi manium apud Ethnicos DEI, memorat *D. Kromayer* (π): qui hinc reſiduum apud quoſdam Chriſtianos morem eſſe dicit ethnicum, ut accenſam D. Joanni Baptiſtæ pyram choreis cingant, aut minimum ollas perforatas ignibus repletas circumgeſtent.

(ε) *Antiq. l. 7. c. 11.* (ζ) *Ibid. l. 3. Part. 2. in c. 1. l. 2. Epoch. 101. diatr. pag. 303.* (η) *l. c. & alibi.* (ϑ) *Iſag. Chron. c. 48. p. 238.* (ι) *l. alleg. p. 307, 308. Conf. l. 7. de Emend. Temp. not. in Eclog. computi magni Maximi monachi p. 753.* (κ) *Lib. 7. de Emend. Temp. pag. 705.* (λ) *Loc. cit. p. 758.* (μ) *Lib. 12. cap. 7. de Doctr. Temp. col. 418.* (ν) *Loc. ſup. alleg. pag. 110.* (ξ) *Concord. Evang. lib. 1. cap. 4. pag. 33. edit. Goſlar. 1638.* (ο) *Loc. cit.* (π) *Polme. Theol. Part. 3. cap. 2. p. 455.*

CAPUT II.

De Educatione & Officio JOANNIS.

§. 1. DE educatione JOANNIS quum altum in ſcripturis ſit ſilentium, mirum, quantum fabularum de hac ſpargant ſcriptores, ut pauciſſimi ſint, quibus aliqua tribui poſſit fides; &, ſi qua poteſt, ea ſatis erit exigua. Hoc vero omnino ex ſacris conſtat, in *deſerto Judææ* eum degiſſe: ſed num deſertum illud fuerit tale κατ᾽ ἐξοχὴν, an vero *relative*, interpretes variant. *Fridericus Spanhemius* (α) in *deſertis* eundem enutritum dici ait, quatenus nec Hieroſolymis, nec in regione vel tractu amœniore hæſit; ſed in montanis & locis minus cultis magnam vitæ partem exegit: in tractu nimirum illo, qui vocabatur ἡ ὀρεινὴ à Judæis, ubi patria domus, urbs & aliæ ſimiles. Nec diſſident ab hac ſententia *Centuriatores Magdeburgici* (β) qui *Ioannem* educatum ajunt in œconomia parentum ſuorum, qui habitarint in loco ad regionem montoſam ſito, quæ vulgo *deſertum* vocata ſit. Hoc vero dubium torquet auctores, rurine, an in urbe domus *Zachariæ* fuerit. *Chriſtianus Adrichomius* (γ) uno milliario ab Emaunte juxta deſertum in pago quodam fuiſſe aſſerit; ibi *Ioannem* & natum & circumciſum & in ſpelunca abſconditum, ne cum pueris Bethleemiticis ab Herode occideretur. *Baronius* (δ) vero hanc domum intra civitatem Judæ fuiſſe poſitam, non in campeſtribus, ex Luca patere ait; indeque refutat *Borchardum* (ε) quod domum Zachariæ ſic ponat in montanis Judææ, ut tamen ab Hebron ſeu Chebron novem leucis diſtet, nec in civitate, ſed in campeſtribus ſita ſit. Sic *Buntingus* (ζ) memorat, incolas Palæſtinæ hodienum oſtendere domum Zachariæ in via ab Emaunte ad Jeruſalem. Quibus vero calculum ſuum adjicere recuſat. Negat enim & ipſe, convenire ſacris Literis, eundem ruri, aut in ſolitudine habitaſſe; ſed ea in urbe, quam Evangeliſta *civitatem Iudæ* nuncupat. Eam vero non aliam eſſe putat, quam vel principem civitatum regni Judæ, nempe *Hieroſolymam*; vel aliam non procul ab Hieroſolymis diſtantem in montanis Judæ. Magis vero inclinare videtur in eorum ſententiam, qui Hieroſolymis Zachariam habitaſſe, in altera civitatis parte, in monte *Bezetha*, affirmant; quem ſitum eſſe dicit (η) verſus ſeptentrionem: ibidem enim fuiſſe habitationes ſacerdotum, ex *Nehem.* 3. adſtruere ſatagit. Interim tamen & aliorum recenſet opinionem, qui *Hebronem* illum incoluiſſe aſſerunt; & fatetur quoque, liberam non modo eam fuiſſe civitatem ſacerdotalem; verum etiam principem tribus Judæ, in qua monumenta Patriarcharum, Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, hodienum oſtendantur. Sic, *Hebrone* natum eſſe *Ioannem*, inquit *Io. Lightfootus in Horis Ebraicis* (ϑ), non incommode conjecteris ex collatione Lucæ 1: 39. cum Joſuæ 21: 11. Unde nec minimi videtur eſſe momenti, quod notat *Glaſſius* (ι) verba Lucæ εἰς πόλιν Ἰέδα periphraſin eſſe Hebronis: idque verbis *Bezæ*, quæ hanc in gratiam adducit, bene confirmat, dicentis: *Scribitur Joſ. 21: 9, 11. in ſorte Levitarum filiis Aaronis data fuiſſe novem oppida de tribu Juda & Simeon, inter quæ primo loco nominatur Ciriath Arba, quæ & Hebron dicitur, & diſerte etiam adjicitur, ſitam fuiſſe in monte Judæ, ut copioſius cap. 14. refertur. Cum ergo Zacharias ex familia Aaronis eſſet, & una hæc urbs ſacerdotum commemoratur in montibus Judæ, non fuit neceſſe, ut Evangeliſta de Zachariæ domicilio loquens, ejus urbis nomen diſerte exprimeret, cum nemo eſſet, qui, ubi mentio fieret ſacerdotum, & civitatis Judæ, non ſatis intelligeret, Hebronem intelligi.* Et hanc *Bezæ* rationem adeo etiam laudat *Ludovicus de Dieu* (κ), ut, quando *Hebron* in iſto *Ioſuæ* loco בְּהַר יְהוּדָה *in monte Iudæ* ſita fuiſſe dicitur, conjiciat, hac de cauſa *Syrum* hoc loco pro εἰς τὴν ὀρεινὴν legere ܠܛܘܪܐ & *Arabem* الى الجبل *ad montem*; ad celebrem ſcilicet eum montem Iudæ, in quo *Hebron* ſita erat. A qua proin ſententia, cum viris ita eruditiſſimis, juxta ac Theologis ſummis arrideat, cur nos recedamus,

 cauſſæ

(α) *Dub. Evang. Part. 2. Dub. 97. n. 7. p. 663.* (β) *Cent. 1. lib. 1. cap. 10. pag. 357.* (γ) *Theatr. Terræ S. pag. 55. ſeq. edit. Colon. Agripp. an. 1590.* (δ) *Appar. Annal. n. 79.* (ε) *Deſcript. Terr. S. Part. 1. c. 7. §. 68.* (ζ) *Intiner. S. Script. Part. 2 pag. 1.* (η) *Part. 1. pag. 55.* (ϑ) *In Matth. 3: 1. pag. 33. conf. Centur. Chorogr. cap. 11. pag. 23.* (ι) *Phil. S. lib. 4. Tract. III. Obſ. IIX. pag. 951.* (κ) *Comment. in Luc. h. l. p. 247.*

caussæ nihil videmus; potius anteferendam ceteris omnino putamus.

§. 2. Utrisque vero parentibus eum in prima statim ætate ferunt orbatum. Et *Baronius* (λ) quidem mentionem injicit *S. Petri Episcopi Alexandrini*, qui occasione infanticidii Herodiani scribat, Zachariam sacerdotem, Joannis parentem, quod ad necem quæsitum filium subtraxisset, ab eodem Herode inter templum & altare occidi jussum: id quod confirmat (μ) non tantum testimonio *Origenis*, *Basilii*, *Gregorii Nysseni & Cyrilli Alexandrini* (quod quidem occisionem inter templum & altare attinet, de caussa enim necis non æque eos convenire fatetur) sed etiam autoritate *Epiphanii*, qui hunc in modum disserit: (ν) Τοῦτον ἀπέκτεινεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς, ἐχόμενα θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου κυρίου, ἐξεχέετο τὸ αἷμα αὐτοῦ εἰς τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ κυρίου. Cui pondus adhuc addit gravius, quando (ξ) recordatur, se incidisse aliquando in antiquum codicem scriptum Bibliothecæ Vaticanæ *de Peregrinatione ad loca sancta*, in quo eadem, quæ *Tertullianus* dicit, de Zachariæ sanguine lapidibus templi indelebili, nota inhærente, certa fide consignata fuerint. Præmiserat vero, *Tertullianum in Scorpiaco* (ο) hæc reliquisse: *Zacharias intra altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans.* Et *Petri* quidem *Alexandrini* verba, quæ *Baronius* citat, *in Canonibus de pœnitentia* (π) Græcè ita sonant: Μεθ' ὧν (loquitur enim de infantibus Bethleemiticis) καὶ τὸ πρὸ αὐτοῦ γεννηθὲν ἕτερον παιδίον ζετήσας ἀποκτεῖναι, καὶ μὴ εὑρὼν τὸν πατέρα αὐτοῦ Ζαχαρίαν ἐφόνευσε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἐκφυγόντος τοῦ παιδὸς μετὰ τῆς μητρὸς Ελιζάβετ. De quibus tamen quid sentiant *Centuriatores Magdeburgici* (ϱ) ex eo patet, quod notabiliter iis subjiciant: *Verum cum hac non sint à certis autoribus tradita, & ab Euangelista aliisque comprobatis scriptoribus omissa, nos quoque de ea opinione non faciemus plura verba.* *Nicephorus* autem *Callistus* (σ) de educatione Joannis hæc tradit: δύο δ' ἐτῶν πρὸς τῷ ἡμίσει ἐτύγχανεν ἅμα τῇ μητρὶ Ελισάβετ ἔν τινι σπηλαίῳ πρὸς τὴν ὀρεινὴν διεσώζετο, ἴσως τὴν Ἡρώδου μιαιφόνον χεῖρα διαδιδράσκων. κἀντεῦθεν καὶ ταῖς ἐρήμοις ἐμφιλοχωρεῖν εἰωθὼς, ἀγγέλῳ χρώμενος ὁδηγῷ, πρὸς τὸ βαθὺ τῆς ὕλης ἐχώρει. Eadem prope habet *Cedrenus* & verbis quidem clarioribus, quando ait (τ): Μετὰ δὲ δύο ἔτη (scil. nativitatis Christi) ἐποίησε τὴν βρεφοκτονίαν Ἡρώδης, καὶ τὸν Ζαχαρίαν ἔσωθεν τοῦ θυσιαστηρίου ἀνεῖλε λειτουργοῦντα· ἡ δὲ Ελισάβετ λαβοῦσα τὸν Ιωάννην, ἐξῆλθεν εἰς τὴν ἔρημον, καὶ ἐκρύβη ἐν σπηλαίῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ ἐτελεύτησεν. ὁ δὲ Ιωάννης ἐν τῇ ἐρήμῳ ὁδηγηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, καὶ ἐν αὐτῇ ἀνατραφεὶς, ἔμεινεν ἕως τῆς τοῦ κυρίου ἀναδείξεως. Quibus maxime adstipulatur *Matthias Chesneux* (υ) quando JOANNEM in eremo solis notum Angelis pronunciat. Quæ etiam *Baronio* (φ), licet sine autore certo prolata esse fateatur, haud tamen adeo videntur impossibilia, quando Ismaëli à matre projecto Angelum adstitisse (χ) animo recolendum exhibet. Nos in rebus ejusmodi dubiis omnem potius fidem locamus penes autores. Sic ante citatus *Adrichomius* (ψ) desertum hoc, in quo delituerit Joannes, vocat *Quarantanam*, inter Jerusalem & Jericho situm, quod ab Anathot incipere & extendi supra Galgala usque ad desertum Thecuæ & Engaddi juxta mare mortuum affirmat. *Buntingus* (ω) nominat *Adumim*, & caussam, cur huc secesserit Joannes, itidem dicit tyrannidem Herodis. Adumim vero esse arcem, cujus meminit Josua cap. 28. tribus milliaribus à Jerusalem versus Orientem, non procul à Jordane in deserto, inter Jerusalem & Jericho, ubi & ipse Joannem in caverna quadam educatum esse perhibet. *Adumim* autem nomen deserto huic fuisse autumat ex eo, quod *rapto & homicidiis maxime fuerit celebre*; ubi etiam homo ille, cujus meminit Salvator (α), à latronibus exutus & ad animam fere cæsus sit: ut ita dicatur quasi *locus sanguinarius*, ab Ebræo דָּם *sanguis*, vel, si mavis, quod *Gregorio* (β) placet, ab אָדַם *rubuit*, quod sanguine cæsorum terra prope rubuerit. Hoc desertum porro attingere ait hortum Engeddi, ubi *Eliam* & *Elisam* suas quondam habuisse ferunt scholas; tum temporis autem *Essæos* ibidem docuisse. Unde à vero parum abesse judicat, quod *Matthesius* refert, JOANNEM in *Essenorum* disciplina educatum esse: quos itidem encomio decorat valde insigni; precibus scilicet serio vacasse, suamque labori operam sedulo impendisse, quo ocium, satanæ pulvinar, vitarent; libros etiam legis omni diligentia legisse, totamque vitam juxta eam instituisse: imprimis vero medicinæ studuisse, atque hinc, autore *Plinio*, hortum balsami prope Engeddi, penes Jordanem & Jericho (γ), ubi nobile fluentum balsami, rosæque odoris fragrantissimi, cum aliis medicinæ inservientibus herbis atque floribus, incoluisse. Immo pro optimis eos, inter tres Judæorum sectas celebriores, & pietatis studiosissimos habet, ut hinc minus dubitet, recte prædicari de JOANNE, quod ipsis ætate prima adhæserit, ab iisque vitam *Nasiræo* dignam à juventute statim ducere didicerit; ut tamen suis postmodum concionibus, haud quaquam cassis, multos etiam ad Christum duxerit. Et fatemur, viros non vulgaris eruditionis in hoc *Buntingo* non contradicere, quin potius *Cl. Isaacus Vossius* (δ) idem his verbis confirmat: *Ioannes Baptista quin Essenus fuerit, qui negari possit, non video. Cibi & vestitus simplicitas, baptismus, odium contra Pharisæos & Sadducæos, clarissime evincunt, aut Essenum fuisse, aut saltem horum sectam probasse.* De quo si *Philonem* & *Iosephum* consuleres, eo magis inducereris, ut *Vossii* dictis fidem haberes. Hi enim scriptores nobilissimi & antiquissimi tantis eos extollunt laudibus, ut in Christianorum quoque referre numerum facile persuaderi queas. Quorum proin institutum, si allubescit, totum videre potes in peculiari, *de ESSENIS, Dissertatione Philologico-Historica, ex hoc ipso Typographeo ante biennium fere edita, in qua vicem Respondentis tum temporis Ipse fungebar.*

§. 3. *Robertus autem Montacutius, Episcopus Norwicensis*, an isti, *de Essenatu Joannis*, sententiæ faveat, alii judicent: de cæteris enim quæ sentiat, verba ejus produnt. Scilicet hoc quidem largitur *Baronio* & aliis idem asserentibus, eum, qui intra altare & templum dicitur occisus, fuisse *Zachariam, Joannis parentem*, idque rationibus perquam multis conatur evincere (ε); quamvis non propter occultatum filium, aut assertam Mariæ virginitatem, ut alii volunt, sed propter justitiam h.e. muneris prophetici executionem, hanc cædem à Judæis dicat factam; illas tamen narrationes de *Ioanne per Herodem quæsito ad cædem: de interemto, ob filium, Zacharia: de fuga & morte Elisabethæ in spelunca deserti, quo fugerat, & Ioannis angelica procuratione*, aliisque hujus commatis, fictiones & fabulosa nugamenta arbitratur (ζ). Dicit enim (η) *Cur Ioannes ad necem quæreretur: qui non salutem fuga quæsivit? Non quæsivit autem: quippe non inclusus tyranni edicto, & id fatetur Baronius ipse: non includebatur autem, quia nec in Bethlehem, nec in finibus ejus habitabat: ultra illos autem terminos edictum non extendebatur.* Mox subjungit: *Sciebant omnes, Ioannem sacerdotali tribu ortum: Patre, matre, Levitica prosapia editis. Sciebant omnes, etiam Herodes, Christum Messiam, de Iuda oriturum. Ridicule Herodes Ioannem ad necem quæsivisset, metu regis nati, ortum de Levi: editum in lucem Hebrone: nisi & Hebronitas etiam infantes curasset occidendos.* Notat vero (θ) *Adrichomium*, quod *Ioannem* adhuc puerum non juxta paternas ædes, sed longe remotius in deserto Judææ versatum ait: & in eo pœnitentiam prædicasse. Cum tamen alibi scriberet, illum moratum in deserto, quod postea *Quarentana, à quadraginta dierum jejunio*, dictum sit. Sic falsum dicit (ι) quod *Borchardus* habet (κ) *à Nebel escol sex leucis contra Ierusalem esse domum Zachariæ*, quod locus ille distare dicatur, ab eodem, tres leucas ab Hebrone. *Hebrone* igitur, quæ distabat à Jerusalem passuum millibus circiter XX. ad meridiem, in urbe scilicet, non in agro circumjacente aliquo, habitasse dicit *Zachariam*; villas vero, vel agros, ad sacerdotes non spectasse. In subsequentibus autem (λ) *Ioannem* concludit natum *Hebrone* in montanis Judæ: educatum in *deserto* ad XXX. usque ætatis annum; ministerium auspica-

(λ) *Annal. Eccles. ad ann. Christi* I. *n.* 52. *pag.* 74. (μ) *Ibid. n.* 54. *pag.* 75. *seq.* (ν) *De vit. & Inter. Proph. n.* 23. *T.* 2. *p.* 150. *edit. Petav. Paris.* 1622. (ξ) *Ib. n.* 55. *p.* 76. (ο) *Cap.* 8. *pag.* 493. *edit. Rigaltii. Paris. excus.* 1664. (π) *Canon. XIII. fol.* 901. *Comment. Balsamonis.* (ϱ) *Cent.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 14. (σ) *Hist. Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. *p.* 78. *edit. Paris. anno* 1630. (τ) *Comp. Histor. Tom.* 1. *fol.* 187. *B. edition. Paris. anno* 1647. (υ) *Spec. Chronogr. Part.* 2. (*Nov. Test. Part.* 1.) *pag.* 5. (φ) *Ibid. num.* 56. *pag.* 76. (χ) *Genes.* 21:1. (ψ) *Pag.* 19. (ω) *Itin. part.* 2. *cap.* 7. (α) *Luc.* 10:30. *seq.* (β) *Lex. Sanct. num.* 1. *p.* 2.

(γ) *Conf. Glass. Philol. S. lib. IV. Tract. III. Observat. X. pag.* 957. (δ) *Chronol. Sacr. cap. XVII. p.* 166. (ε) *Appar. X. ad Orig. eccles. num.* 9. *seq. pag.* 352. *seq. Or. Eccles. Tom.* 1. *part.* 1. *num.* 162. *seq. pag.* 259. *seq.* (ζ) *Orig. Eccl. Tom.* 1. *part.* 2. *num.* 36. *pag.* 362. *it. Appar. X. n.* 25. *p.* 360. (η) *Appar. cit. num.* 16. *pagin.* 355. *seq.* (θ) *Orig. Tom.* 1. *part.* 2. *num.* 38. *p.* 364. (ι) *Appar. X. n.* 19. *pag.* 358. (κ) *Loc. cit.* (λ) *Appar. X. n.* 23. *pag.* 359.

auſpicatum in *eremo*, & inde deſcendiſſe in *campeſtria adfluenta Jordanis.*

§. 4. Sed ex eo, quod dicit Evangeliſta (μ) *manſiſſe Joannem in deſerto uſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël*, magna Pontificiorum caterva conatur evincere, *Joannem* in loco fuiſſe ἀνοικήτῳ, vacuo incolis, & in quo non niſi ſaxa, caudices & feræ fuerint, modo ut vitæ ſuæ monaſticæ ſeu potius eremiticæ ſpeciem quandam concilient. Vocem enim ἔρημος in ſcriptura non aliter, quam pro vero deſerto & omnimoda ſolitudine ſumi, aliqui eorum non verentur magno conatu aſſerere: qui tamen quam ingenti errent errore, ex dicendis patebit. Scilicet non negamus vocem hanc ἔρημος [cognatam Ebræo עֵירוֹם nudus, nuditas, reſpectu analogiæ, quam cum vaſtitate habet nuditas] ſignificare ſæpius ejuſmodi locum ſolitarium, qui plane eſt ἀνέργαςος & ἀπάνθρωπος, quemadmodum etiam *Suidæ* (ν) dicitur μονωθεῖσα τῶν ἐνοικούντων γῆ, παρὰ τὴν ἔρην: aliis ἔρημος quaſi ἀπὸ τοῦ ἠρέμου, *quietum, tranquillum*, nempe per enallagen transpoſitionis literarum, ut quidam loqui amant: rurſum aliis ab ἔρην μόνην ἔχειν, *terram ſolitariam habere*, i. e. *ſolitudinem eſſe.* Qua ratione etiam Ebræum מדבר accipi ſolet, ut locum ſæpius plane ſolitarium deſignet. Quo nempe ſignificatu *Spanhemius* (ξ) itemque *Dn. Geierus* (ο) & alii, Judæorum magiſtros globum terrenum diſtinguere, ajunt, in ים *mare*, ישוב *habitationem* & מדבר *deſertum.* Semper autem vel Græcos vel Ebræos hunc rigorem vocis obſervare, ſtrenue inficiamur, & tam divina quam humana reclamat autoritas. Quam varias enim in ſacris *eremi* vox ſortiatur acceptiones, viri eruditi dudum obſervarunt; quarum etiam quaſdam annotavit *Flacius in Clave Scripturæ S.* (π) quem, ſi vacat, vide. Heic vero vel unicam tetigiſſe ſufficiet; quando non modo certæ hominum habitationes, verum etiam totæ civitates in מדבר *deſerto* ponuntur. Sic domus Joabi fuiſſe dicitur *in deſerto* (ϱ): itemque ſex civitates tribus Judæ cum villis ſuis (σ). Quam etiam vocis hujus πολυσημίαν LXX. interpretes innuunt, quando τὸ מדבר modo vertunt per ἔρημος, modo per γῆ ἄνυδρος, ἀγρὸς vel πεδίον, cujuſmodi vocabula tantum abeſt, ut de locis maxime eremiticis & ſolitariis dicantur, ut potius minus culta ſeu campeſtria, hortos item, planicies & viridaria indigitent. Non igitur abs re *Montacutius* (τ), quando *Sophronii* μυθολογήματα diluit, in hæc erumpit verba: *Scimus deſertum in ſcripturis non unicum commemorari. Erant autem deſerta plura, nulla autem ſolitudo juxta Jordanem, ut in illa fabula Sophroniana: ſed ſolum ſcimus uberrimum, campos lætiſſimos, fruges omnimodas, loca frequentiſſima colonis & inquilinis. Deſertum erat Idumeæ dictum, ad meridianam plagam 3 Reg. 19. & Pſal. 60. deſertum Judæ in illa tribu; in aliis tribubus alia deſerta. Erat deſertum Thecoa, in quo natus, educatus, paſcebat cum paſtoribus oves, Amos: deſertum Engaddi, ubi David ſe cum ſociis occultabat: deſertum Ziph, cum quo Maon & Carmel junguntur: Joſuæ 15. deſertum Pharan, deſertum Bethaven, magnum deſertum Jericho,* h. e. *ducens à Jericho ad Gazam, ubi obviam Eunucho ibat Philippus. Quod ſi per deſertum intelligatur eremus, ſolitudo, mirum eſt, terram repromiſſionis tanta ubertate & affluenti rerum copia commendatam, in qua tot ubique deſerta invenirentur.* Nec multum abludit *Lightfootus* (υ) ridens Papicolas, quod ignorent ſenſum vocis ἐρήμου, quam vulgari dialecto omnino ſonare dicit, ac ſi dictum eſſet: *Vitam ruri egit, non in urbe; agreſtiorem educationem ruri ſubiit, non Academicam aut aulicam Hieroſolymis.* Ibique annectit: *Eremi terræ Canaanitidos non erant oppidis aut urbibus vacuæ, nec illico erat ille eremita vocandus, qui coleret eremum. Montanum Judææ* JOANNIS *natale ſolum vocatur à Talmudicis* הר המלך *montanum regale & à Pſalte* מדבר הרים *montanum eremoſum: & tamen in montano regali erat myrias urbium.*

§. 5. Nihilominus *Joh. Maldonatus* (φ) tanquam pro aris & focis pugnat, tale heic deſertum intelligi, quod plane ſolitarium & invium eſt; idque patere ait ex *Ieſ.* 40: 3. inibi enim quoad literam ſermonem eſſe de reductione populi è Babylone, & alludi ad exitum ejus ex Ægypto. Videlicet, quemadmodum olim DEUS Iſraëlitas per inviam ſolitudinem infinitis difficultatibus ſuperatis in Palæſtinam ſeu terram ſanctam intulit; ſic denuo promitti Judæis, Deum, per aſperas ac inacceſſas ſolitudines, populo ſuo viam conſtraturum, nec quicquam ei, quo minus id faciat, impedimento futurum. Deſertum ergo in quo *Ioannes* fuiſſe dicitur, reſpondere deſerto, de quo *Ieſaias* loquitur; Jeſaiam autem non de Helvetia, aut de Hercynia ſilva loqui; ſed de aſpera ac inacceſſa penitus ſolitudine, in quali etiam *Joannes*, non in paternis ædibus, habitaverit: & quæ alia ibidem addit. Sed quam belle heic ſe muniat *Maldonatus*, facile videt, etiam qui vix primis labris guſtavit Theologica. De quibus tamen nobis hac in cathedra ſolicitis eſſe non convenit (χ). Hoc tantum miramur, non obſervaſſe *Maldonatum*, ὁμοίωσιν ſæpiſſime eſſe ἀνομοίωσιν; ut facile ſibi perſuadere potuiſſet, hanc argumentationem, ut à ſimili deſumtam, ſi non plane nihil, parum tamen ſtricturam ſuos adverſarios. Neque etiam apparet, ex qua commatis hujus voce ejuſmodi ſolitudinem velit elicere: ex מִדְבָּר eam ſequi, jam ſupra rejecimus: ex עֲרָבָה vero an ſequatur, forte etiam dubio non carebit. Quamvis enim hæc vox radicem agnoſcat ערב, quæ inter alios ſignificatus notat etiam *adveſperaſcere, obtenebrari, obſcurari*; ut hinc indigitet locum, ubi nil niſi *veſpera, perpetuæ tenebræ & obſcuritas ſumma*, qualis in multis eſſe ſolet deſertis, quæ proprio eapropter nomine quibuſdam dici conſueverunt *luci*, per ἀντίφρασιν, quaſi *minime lucidi*, ſeu, *carentes luce*: nondum tamen quicquam exinde poteſt evincere. Tota enim fere ſcriptura vix ſumit aliter, quam prout *campeſtria* ſignificat; ut taceam, de *cæli ſphæris* non raro etiam efferri (ψ). Unde quoque 2 *Sam.* 15: 28. literis transpoſitis, ut *Maſorethæ* obſervant, cum præcedente מדבר conſtructum reperitur בְּעַבְרוֹת הַמִּדְבָּר *in campeſtribus deſerti*; quod non male vertit *B. Lutherus*: Auff dem blachen Felde in der Wüſten.

§. 6. Sed hiſce non obſtantibus *Stapletonus* (ω), ad confirmandam ſuam ſententiam, verſionem etiam Syriacam in ſubſidium vocat, in qua occurrit vox ܡܚܪܒܘܬܐ à radice ܚܪܒ, quæ ipſi *deſolare & deſtruere* proprie ſignificat, quemadmodum *Ezech.* 29: 10. de Ægypto dicatur, illam futuram לְחָרְבוֹת חֹרֶב *in ſolitudines ſolitudinis*, i. e. *in vaſtiſſimam ſolitudinem.* Quam vero Syri ἐπικουρίαν merito fruſtraneam *Stapletono* æſtumat *Spanhemius* (α). Ut enim nihil jam dicamus de loco Ezechielis, clarum eſt, hanc radicem reſpondere Ebræo חָרַב vel Arabico خرب, prout etiam *Martinus Troſtius* (β) idem annotat. Ubi quidem concedimus, vi radicis hujus τὸ ܡܚܪܒܘܬܐ, vel ipſi reſpondens חָרְבָּה aut خرب ſæpius innuere ejuſmodi deſertum, quod plane eſt deſolatum ſeu ſolitarium; præter hunc vero non alium admittere ſignificatum vereor ut dicere auſit *Stapletonus*: repugnaret enim hoc modo non ſolum Philologis accuratiſſimis, verum ipſi etiam Veritati divinæ, quæ nullibi non talia in Scripturis ſuppeditat loca, ubi hoc verbum ſignificat *exſiccari* (γ), *cæde vel gladio deſolari*, aut *alio modo depopulari* (δ), & his ſimilia. Accedit inſuper clariſſimus Matthæi textus, qui tantum abeſt, ut veram notet ſolitudinem, ut contrarium potius ſuadeat, cum probabile vix ſit, in ejuſmodi loco prædicaſſe *Joannem*, qui plane fuerit deſolatus & inacceſſus; niſi arboribus & ſilvarum feris conciones edidiſſe eundem dixerimus; quod tamen nemo facile, niſi qui pepones habeat pro cerebro, ex ipſis etiam Pontificiis concedet. Quandoquidem igitur Judæam nobis Geographi exhibent, ut regionem quandam montoſam, quam Evangeliſta vocat ὀρεινὴν ab ὄρος, *monte*; & *Ieſaias* (ε) גֵּיא *vallem* nempe *viſionis*; eadem ratione, ut obſervat *B. Glaſſius.* (ζ), quia *montoſa* eſt; hinc nihil adeſt cauſſæ, cur, quando heic mentio fit ἐρήμου vel *deſerti*, talem intelligi putemus ſolitudinem, in qua *Ioannes* ſolus & ab omni hominum converſatione relictus delituerit, qualem Pontificii fingunt, eique adſcribunt.

§. 7. Neque vero ſic uni ſemper adfixum eundem dicimus

(μ) *Luc.* 1: 80. (ν) *voc.* ἔρημος *Tom. I. p.* 1036. *edit. Græcolat.* (ξ) *Part.* 2. *Dub.* 97. *n.* 3. *pag.* 655. (ο) *Comment. in Pſal.* 29: 8. *Part.* 1. *p.* 479. (π) *Part.* 1. *pag.* 210. *voc. deſertum.* (ϱ) 1 *Reg.* 2: 34. (σ) *Ioſ.* 15: 61. (τ) *Orig. Eccleſ. Tom. I. part.* 2. *n.* 36. *p.* 362. *conf. Apparat.* 10. *num.* 24. *p.* 360. (υ) *Hor. Ebr. in Matth.* 3: 1. *pag.* 33. *confer. Centur. Chorogr. cap.* 11. *p.* 23. 24. (φ) *Comment. in Matth.* 3: 1. *p.* 63. 64.

(χ) *Vid. omnino Spanhemium Part.* 2. *Dub.* 97. *n.* 5. *p.* 957. *ſeqq. ubi hæc fuſius refutat.* (ψ) *Conf. Geier. Comment. in Pſal.* 60: 5. *Part.* 1. *p.* 1314. *it. Lexic. min. Buxt. p. m.* 581. *ſeq.* (ω) *alleg. Spanhem. l. c.* (α) *Part.* 2. *Dub.* 97. *n.* 7. *p.* 663. (β) *Lexic. Syriac. hac rad. p.* 268. (γ) *Vid. Gen.* 8: 13. *Ieſ.* 51: 10. *conf. etiam Geier. in Pſal.* 32: 4. *Part.* 1. *p.* 533. (δ) *Vid. Eſ.* 60: 12. *Ier.* 50: 21, 27. *&c. conf. cit. Geier. in Pſal.* 9: 7. *p.* 141. (ε) *c.* 22; 1, 5. (ζ) *Philolog. S. l.* 4. *tr.* 3. *Obſ.* 8. *p. m.* 950.

glebæ, ſed longius interdum proceſſiſſe, fluentaque Jordanis propius acceſſiſſe, facem nobis præferente Scriptura (η) aſſerimus. *Officium* enim ejus erat, teſte eadem Scriptura, *prædicare Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*: hinc etiam ipſe ad ſe venientes abluebat, nomen exinde adeptus *Baptiſtæ*, quo ſparſim apud Hiſtoricos, Ebræos etiam, claret. Ubi obſervare convenit, *Gorionidem* (ϑ) paſſive de eo loqui אשר נטבל *qui baptizatus eſt*, quum potius, ut *Druſius* (ι) bene notat, debuiſſet dici הטובל ὁ βαπτιστής, aut ὁ βαπτίζων i. e. *baptizans*, vel *qui baptizat* aut *baptizavit*; quemadmodum etiam in *Munſteri* editione (κ) legitur אֲשֶׁר עָשָׂה טְבִילָה qui *fecit* vel *adminiſtravit baptiſmum*: quæ vero periodus *à codice Ebræo Veneto & Ebræo Germanico* plane abeſt. Locum autem, ubi munus hoc baptizandi *Ioannes* obierit, clara Scripturæ litera vocat *Iordanem*. In quo & alias unanimiter Autores conveniunt. Dubium unice parit *Evangeliſta Virgo* (λ), qui *Bethabaræ* eum πέραν τοῦ Ἰορδάνου baptizaſſe refert. Scilicet cum varia heic ſe offerat lectio, varias etiam vocula πέραν admittat explicationes, in diverſas iri ſolet partes. *Vulgatus* enim, *Syrus* & *Arabs*, *Æthiops* item & *Perſa*, nec non *Patres* quidam, quos inter *Hieronymus* eſt, pro *Bethabara* legunt *Bethania*. Quomodo & *Nonnum* (μ) in quibusdam habere codicibus, Autores memorant, inter quos utique *Heinſii* eſt editio, *Ariſtarcho* ejus *ſacro* veſtita (ν). Meum vero exemplar, quod *Hedeneccius*, *Doctor Medicus* edidit (ξ), favet *Bethabaræ*: ita nempe legitur:

βηθαβάρης πέλε ταῦτα θεουδέος ἐγγύς ἀρούρης,
χεύματος ἀντιπέρηθεν Ιορδανίου ποταμοῖο.

Cum quo etiam *Nanſii* editio (ο) congruit, niſi quod hic pro Βηθαβάρης habeat Βηθαβαρᾶς & pro Ιορδανίου rectius legi putet (π) Ιορδάνου, cum & ipſi Latini penultimam vocis hujus producant. Antiquiorem vero lectionem eſſe, quæ habet ἐν βηθανίᾳ, conjicit *Caſaubonus* (ϱ); quam autem, ut ſpuriam rejiciunt modo laudatus *Nanſius*, *Joſephus* item *Scaliger* (σ), *Scultetus* (τ), *Ludovicus de Dieu* (υ) & plures alii. Nec diſſidet ab his *Druſius* (φ), quando alterutrum ſequi ait, aut duas fuiſſe Bethanias, aut heic legendum eſſe *Bethabara*, non *Bethania*: cum hæc fuerit prope Hieroſolymam, ſtadiis fere quindecim; Jordanis vero Jeroſolyma abfuerit, orientem verſus, itinere unius diei. Fuiſſe autem aliquos (χ), qui aliam excogitaverint *Bethaniam* per א, eandem ſcilicet cum *Bethabara*, quaſi *domum panis dicas*; diſtinctam inde ab altera *Bethania* per ע, ex multis licet colligere, & ipſo etiam *Beza* (ψ), ſed qui argutam potius, quam ſolidam hanc cenſet conjecturam. Immo etiam *Druſius* (ω) ſe non intelligere fatetur, quod quidam ſcribunt בית אניא per א quaſi *domum panis* dicas, cum אניא non ſignificet *panem*: adhæc in *Scriptura Syriaca* [adde & *Arabicam* atque *Perſicam*] ſit בית עניא per ע, quod aliud ſonet. Ipſe nempe vertit (α) *domum ovium*, quod in ejus territorio loca eſſent multa paſcendis ovibus. עָאן enim & עָנְיָא *ovem* ſignificare ait. Quidam (β) vero interpretantur *domum pauperis & afflicti*, ab ענה, quod alios inter ſignificatus, etiam *affligere*, *depauperare* notat: & ſic recte quoque verti cenſet *Dieu*, (γ), ſi uſus hujus vocis in Targum ſpectetur. Ibi enim עניא pro Ebræo עני *pauper*, *afflictus*, uſurpari. At ſi uſum ſpectemus Syriacum, verti poſſe, ut & ipſe vertit, *domum occupati*, multis negotiis diſtricti. Id enim Syris eſſe ܥܢܝܐ, emphatice ܥܢܝܐ; nempe *anxium negotiis*, *occupatum in re quapiam*, *ſolicitum*. Sicut & Ebræis עִנְיָן ſit *occupatio*, *negotium*. *Fuerit ergo*, inquit, *Bethania locus in monte Oliveti*, *ubi ex preſſura olivarum maxima erat occupatio* (δ). Verum palma manet penes *Bethabaram*, proque ea ſatis feliciter pugnant Viri judicioſiſſimi, Patres item antiquiſſimi. Inſtar omnium eſſe queat Chryſoſtomus (ε), quando ait: ὅσα γὰρ τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν Βηθαβαρᾶ φησιν. Ἡ γὰρ Βηθανία οὐκ ἦν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμου ἦν, ἀλλ' ἐγγύς που τῶν Ἱεροσολύμων. h. e. ut in *Opere Latino* (ζ) vertitur; *Quædam autem exemplaria veriora videntur, in quibus* Bethabara *ſcriptum eſt.* Bethania *enim non trans* Jordanem, *neque in deſerto erat, ſed non longe ab Hieroſolymis.* Eadem prope verba *Theophylactus* (η) habet: Χρὴ γὰρ γινώσκειν, ὅτι τὰ ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων ἐν Βηθαβαρᾶ ἔχει. Ἡ γὰρ Βηθανία οὐκ ἦν πέραν τοῦ Ἰορδάνου &c. Nec non ſcriptor vetus apud *Suidam* (ϑ): Βηθανία, πόλις παλαιστίνης, περὶ ἧς λέγει ὁ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης, ὅτι ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο, ὅπερ ἐσφαλμένως γέγραπται· ἡ γὰρ Βηθανία ἔνθεν ἐστὶ τοῦ Ἰορδάνου. Ἡ γὰρ Βηθαβαρᾶ, ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων πέραν ἐστὶ τοῦ Ἰορδάνου. Γραπτέον οὖν ὀρθῶς οὕτως· ὅτι ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾶ ἐγένετο, ἀλλ' οὐκ ἐν Βηθανίᾳ. Ubi quidem apparet, ſcriptores hoſce nobiliſſimos potiſſimum urgere voculam πέραν, eamque ad *ulteriorem* tantum, non vero *citeriorem*, adſtringere limitem; prout de *Suidæ* loco res in propatulo eſt, utut forſan de mente *Theophylacti*, itemque *Chryſoſtomi* adhuc poſſit ambigi; quæ tamen ſi ſola & non aliud eos moverit, ut lectionem ἐν βηθανίᾳ improbarent; merito dubitat *Caſaubonus* (ι), an cauſſa fuerit illis juſta ſolicitandæ antiquæ lectionis: cum obſervare debuiſſent *πέραν ex Ebræorum idiotiſmo non ſemper ulteriorem ripam*, *ſed ſimpliciter* τὴν παραποταμίαν *notare*, eodem modo, ut reſpondens ipſi עֵבֶר, quemadmodum Philologi dudum obſervarunt. Docebunt & monſtrabunt id pluribus, ſi eos adire non pigraberis, *Beza* (κ), *Dieu* (λ), & noſter *B. Glaſſius* (μ): unanimiter enim ſtatuunt, עֵבֶר Ebræis, ܒܥܒܪ Syris, πέραν Helleniſtis quemvis limitem deſignare, non *ulteriorem* tantum, ſed & *citeriorem*: ut, quando *Matth.* 4. *ult.* πέραν τοῦ Ἰορδάνου Syrus interpretatur ܡܢ ܥܒܪܗ ܕܝܘܪܕܢܢ *à tranſitu Iordanis*; idem dicat eſſe *Dieu*, *ac à latere & limite Iordanis*. Quo proinde expenſo, & ſalva τοῦ πέραν per *cis* explicatione, dicit *Caſaubonus*, JOANNEM hoc modo *prædicaſſe in eremo Iudææ proprie ſic dictæ*, *cujus fines ultra Iordanem non pertinebant*. Immo litem adhuc eſſe ſub judice, num *Bethabara* ſit πέραν τοῦ Ἰορδάνου h. e. *ultra Iordanem*, ut vulgo interpretantur, non injuſte cum eo quis autumet. Extra vero dubium ponit laudatus *Glaſſius* (ν), non *ultra*, ſed *cis* Jordanem eſſe ſitam, idque conſtare ex *Iudic.* 7:24. ubi ejus in tribu Ephraim fiat mentio, & ſic cis Jordanem. Ut ita πέραν *citra* ſeu παραποταμίαν notet, etſi lectio altera, quæ *Bethabara* habet, acceptetur. Dictam autem volunt hanc *Bethabaram* quidam (ξ), quaſi ſit בֵּית עֲבָרָה *domus* vel *locus trajectus*, aut *vadi*, quod nempe iſthic Jordanes navigio trajiceretur: עברה enim ejusmodi ſcapham ſeu pontonem vocat *Cappellus*, quo trajici ſolent flumina: inde etiam ſcribendum putat βηθ' Ἀβαρᾶ. Alii vero (ο) antiquam lectionem retinent בֵּית בָּרָה, cui ſi, monente *Druſio* (π), literam ה proponas, erit בית הברה, quod Græci ſcribunt βηθαβαρᾶ, quod voces apud eos aut nunquam aut raro in medio adſpirent. Qui item, utra verior meliorve ſit ſententia, eruditis judicandum relinquit. Sed antequam *Bethabaram* deſeramus, unicum adhuc circa eam aliqua dignum videbitur nota. Videlicet idem ipſe *Druſius* (ϱ) locum citat *Epiphanii*, in quo ſcriptum ſit ἐν βηθαμαρᾶ. Quod tamen factum credit aut

(η) *Luc.* 3:3. (ϑ) *edit. Venet. p.* 92. (ι) *Præter. lib.* 1. *ad Matth.* 3:1. *p.* 4. & 5. (κ) *cap.* 46. (λ) *Joh.* 1:28. (μ) *Paraphraſ. in Evang. Johan.* (ν) *excuſ. Lugd. Batav. an.* 1627. (ξ) *excuſ. Lipſiæ a.* 1604. *primum vero Baſileæ edit. a.* 1571. (ο) *excuſ. Lugdun. Batav. ann.* 1589. (π) *not. ad h. l. p.* 11. (ϱ) *not. ad h. l. p.* 413. (σ) *lib.* 5. *de Emendat. Temp. p.* 153. (τ) *Exercit. Evang. lib.* 1. *c.* 34. *p.* 82. (υ) *Comment. ad h. l. p.* 403. (φ) *lib.* 4. *Præterit. ad h. l. pag.* 119. *it. Comment. prior. ad voces N. T. p.* 35. (χ) *inter hos referri poteſt Barradius & Adrichomius, in theatr. terræ Sanct.* (ψ) *Comm. ad h. l. p.* 352. (ω) *Præter. l. c.* (α) *Annot. in N. T. Part. alter. pag.* 46. (β) *Gregor. Lexic. S. n.* 362. *p.* 363. *Paſor. Etym. nom. Proprior. pag.* 11. & *alii.* (γ) *Comm. in Matth.* 21:17. *pag.* 92.

(δ) *Alias adhuc expoſitiones vid. apud Albertum Vogtium in Miſcell. Biblic. Heptad.* 4. *Loc.* 6. *pag.* 179. 180. (ε) *Homil.* 17. *in Ioan. Tom.* 2. *p.* 621. *edit. Savilii.* (ζ) *Homil.* 16. *Tom.* 3. *p.* 31. *edit. Antverp. an.* 1614. (η) *Comment. in Ioann. p.* 574. *edit. Pariſ. an.* 1635. (ϑ) *voc.* Βηθανία *Tom.* 1. *pag.* 551. (ι) *loc. alleg.* (κ) *Annot. ad Matth.* 4:15. *p.* 17. *ad Ioann.* 1:28. *pag.* 352. &c. (λ) *Animadv. in Matth.* 4:15. *pag.* 5. *it. in Ioan.* 1:28. *pag.* 403. (μ) *Phil. S. lib.* 3. *ſive Grammat. S. Tractat.* 6. *can.* 10. *pag.* 768. *ſeq.* (ν) *loco jam laudato, conf. etiam Ludov. Capell. Spicileg. ſup. Ioan.* 1:28. *pag.* 58. *Ioſeph. Scalig. lib.* 6. *de emend. Temp. p.* 553. *licet hæc loca diſtinguat Dieu ad h. l. pag.* 402. (ξ) *Beza l. c. Scultet. Exerc. Evang. lib.* 1. *cap.* 34. *pag.* 81. *Capellus c. l. Paſor etym. nom. Propr. pag.* 11. *Gregorius Lexic. S. n.* 26. *pag.* 30. *n.* 61. *p.* 74. *Druſius Part. alter. annot. in N. T. pag.* 80. &c. (ο) *Ioſephus Scaliger. loco jam cit.* (π) *Præter. l.* 4. *pag.* 119. (ϱ) *l. c. it. Comment. poſter. ad voces N. T. c.* 12. *p.* 196. *Conf.* & *Comment. prior. p.* 35. *ſeq.*

aut errore ex affinitate characterum nato, quam tantam dicit in antiqua Scriptura, ut vix discerni possit μ à β: aut referendum esse ad ea nomina, quæ has literas inter se permutant: qualia vocat *Abana*, *Amana*: *Abidan*, *Amidan*: *Berodach*, *Merodach* & alia pauca. Hanc autem lectionem tenet Editio Græca Basileensis (σ), quamvis *Petavii* aliud ostendat. Habet enim hæc (τ): ταῦτα ἐν βηθαβαρᾷ ἐγένετο· ἐν ἄλλοις ἢ ἀντιγράφοις· ἐν βηθανίᾳ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Sic *Josephus* (υ) recordatur loci cujusdam ad Jordanem siti, quem βηθαραμάθον vocat. Dicit enim: Καταφλέγει δὲ καὶ πλησίον Ἰορδάνου βασίλεια κατὰ βηθαραμάθον (MSC. Busbeq. Lipsiense & Wratisl. βηθαραμάθου,) στασιασάντων ἑτέρων τινῶν ἐκ τῆς περαίας. Heic *Ludovicus Capellus* (φ) legendum suspicatur βηθαμάραθον & hoc pro βηθαβάραθον ob affinitatem literarum β & μ. ut possit esse locus ille idem cum isto; nempe βηθαβάρατον esse queat ביתא ברתא & hoc idem cum בית ברה, eo, quod utriusque situs πέραν Ἰορδάνου fuisse perhibeatur. Sed de firmitate hujus videat ipse *Capellus*. Latinum sane, ut vertit *Ruffinus*, *Betharantes*, aut, ut habet codex Viennensis, *Bethorontas*, ipsi favere non videtur.

§. 8. Et hæc de uno, quæ Scriptura celebrat, baptismate Joannis nobilitato loco. E re jam erit alterum etiam, in quantum chartæ angustia permittet, attingere. Dicitur hic (χ) *Ænon*, [*Burchardus* (ψ) vocat *Elorium.*] quod potius scribendum videtur *Drusio* (ω) *Ainon*. *Syrus* distincte vocat ܥܝܢ ܝܘܢ; ita & *Arabs* عين نون unica mutata litera. Illud quidem exponi solet *oculos columbæ*: at hoc *oculus piscis*. Sed mendum esse ait *Scultetus* (α) in lectione Syriaca, eamque vult eandem esse ac Arabicam. Contra *Ludovicus de Dieu* (β) fide, quam habebat mappæ terræ sanctæ, ab ipsis Judæis Amstelodami editæ, Syro omnino assentiendum arbitratur, ejusque lectionem non veram modo, sed & rectissimam pronunciat. Immo probat etiam, quod *Junius* in notis ad versionem *Tremellii* verterit, *fons columbi*. Fontem enim fuisse in Ænon, indeque nomen loco factum ipsi videtur. *Hieronymus* (γ) de eo ita scribit: עינן *Ænon juxta Salim, ubi baptizabat Joannes, & ostenditur nunc usque locus in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem juxta Salim & Jordanem.* Locus vero hic an idem sit ac *Ænon*, cujus itidem mentio est & apud *Hieronymum* & *Eusebium*, disputatur, uno affirmativam, altero negativam tuente. Affirmativæ favet *Baronius* (δ), in quem invehitur *Casaubonus* (ε): rectene an minus, eruditi censebunt, si eos audiverint. *Drusium* (ζ) si quis consuluerit, docebitur hæc: *Ænon sive αἰνὼν & o in a versa ex dialecto Chaldaica αἰνὰν locus erat prope Jordanem*: Nec male forsan hæc *Drusius*: quem maxime juvat, quod *Ezechiel* nunc (η) vocat עֵינָן, quod antea (θ) dixit עֵינוֹן, ipsique LXX. verterunt αἰνάν, quæ loca esse eadem, ne Carneadem quidem, qui tamen de omnibus dubitare solitus sit, negare posse, recte autumat. Quod autem locus hic ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ fuisse dicitur, de eo itidem in partes abeunt Autores. *Drusius* (ι) ex Hieronymo, & *Dieu* (κ) ex mappa Judaica constare dicunt, Ebraice scribi שָׁלֵם, mutatum vero in formam Chaldaicam שלים sive Syram ܫܠܝܡ. Terræ autem hoc nomine vocatæ mentio fit 1 *Sam.* 9:4. in qua Saul asinas patris quæsivit, nec invenit. Cujus regionis oppidum *Junius* & *Tremellius* esse putant *Salim*, cujus hic meminit *Joannes*, sed, judice eodem *Drusio* (λ), male: & quam sententiam nec *Dieu* (μ) probat, quod ibi sit שְׁעָלִים, quod Senes reddant σγαλὶμ & *Jonathan* vocet terram מתברא *Mathbera*. Inde *Hieronymum* præferunt, qui sic dicit (ν): *Salem seu Salim urbs erat juxta Scythopolim* [Bethsan], *ubi olim ostendebatur palatium Melchisedec.* Quam tamen opinionem explodit *Albertus Vogtius* (ξ), & rationes, quibus id probare annitatur doctissimus Pater, dudum eversas ab aliis, affirmat. Annotat præterea *Adrichomius* (ο), *Jerusalem* circa A. M. 2023. tempore Abraami conditam esse à Melchisedeco, & *Salem* ab eodem; post autem, circa Davidis, eandem occupantis & exornantis, tempora, *Jerusalem* appellatam. Ut ita quoad unam partem sua *Hieronymo* esse queat veritas; utut quoad alteram vacillet. Ex quibus proinde, utrumque hunc locum, in quibus *Joannem* baptistæ officio functum recenset Divina veritas, secus Jordanem fuisse, manifestum est.

§. 9. Gordius autem est nodus, gladioque Herculis vix solubilis; unde *Jordanes* suum desumserit & ortum & appellationem, de quo, saltim ὡς ἐν παρόδῳ, verba quædam faciemus. *Petrus Kirstenius*, *Medicus & Philologus quondam clarissimus* (π), etymon ejus ex Philologia petit, quando nomen الاردن [ut apud Arabes, & omisso ال articulari apud Persas quoque scribitur] non inepte deduci ait ab أر, quod *ostende* significet, & دني vel دنو quod *appropinquare* sonet; ut ita, juxta mentem ejus, الاردن *Jordan* esset idem ac *ostende appropinquationem*; quod, ubi incipit Jordan, appropinquent mutuo duo fluvii, quorum alter أر i. e. *ostende*: alter vero دنو i. e. *appropinquare* vocetur. Quo dubio procul oculum intendit ad communissimam & Patrum & aliorum non de fece vulgi virorum opinionem, *Iordanem* suam tam originem, quam nomenclaturam ex duobus accepisse fontibus, *Ior* & *Dan*. Ita enim *Hieronymus* (ρ): *Jordanes oritur ad radices Libani & habet duos fontes, unum nomine* Jor *& alterum* Dan, *qui simul mixti* Jordanis *nomen efficiunt.* Et alibi (σ): Dan *est Phœnicis oppidum, quod nunc* Paneas *dicitur.* Dan *autem unus è fontibus est* Jordanis. *Nam & alter vocatur* Jor, *quod interpretatur* ῥεῖθρον, *quod est* rivus. *Duobus ergo fontibus, qui haud procul à se distant, in unum rivulum fœderatis* Jordanis *deinceps appellatur.* Sic & *Chrysostomus* (τ): Ὁ Ἰορδάνης παρὰ πάντας τοὺς ποταμοὺς δύο ῥίζας ἔχει πηγῶν· οὐ γὰρ ἀπὸ μιᾶς πηγῆς προέρχεται ὁ Ἰορδάνης. ἔχει δὲ τὴν μὲν μίαν πηγὴν εἰς τὴν πανιάδα, τὴν δὲ ἄλλην πλησίον τῆς πανιάδος. καὶ ἡ μὲν μία πηγὴ καλεῖται Ἰόρ, ἡ δὲ ἄλλη Δάν. Nec *Suidas* (υ) abludit, quando ita disserit: Ἰορδάνης ὁ ποταμὸς ἐκλήθη οὕτω διὰ τὸ συμμίγνυσθαι δύο ἅμα ποταμούς. Ἰὸρ καὶ Δάνην. Ita etiam ex *Philostorgio* (φ) refert *Iacobus Gothofredus* (χ), in Paneade alterum è duobus Jordanis fontibus oriri, qui etiamnum *Dan* seu *Danites* à veteri nomine vocetur. Alterum vero eidem vocari *Ior* seu *Ioraten*: & à priore 160. ferme stadiis ex eodem monte effundi, indeque in planitiem lapsos junctosque *Iordanem* efficere, nomenque imponere. Alii contra unico tantummodo fonte nasci putant hunc fluvium, illo quidem in loco, primum *Dan*, deinde *Panium*, & postmodum *Cæsarea Philippi*, quod ibi sit condita, dicto. In *Paneadis* autem nomen transiisse, cum gentiles simulacrum *Panis* in ea posuissent, autor est *Philostorgius* (ψ), sed de cujus fide dubitat *Gothofredus* (ω), cum nemo veterum hanc ejus originem reddiderit. Et hanc sententiam ex modernis inprimis propugnat *Io. Lightfootus*, *Collegii S. Catharinæ Cantabrigiæ Præfectus*, & qui hunc sequitur, *Io. Christophorus Becmannus*, *Professor Francofurtanus.* Quam item autoritate & testimonio *Iosephi*, *Talmudistarum & Plinii*, nec non ipsius, quem modo laudavimus, *Hieronymi*, confirmare satagunt. *Ille* quidem (α) *in Horis suis Ebraicis* primum adducit locum *Iosephi* (β), ubi hæc habet: πηγαί, αἱ τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην προσεμπέμπουσι τῷ μεγάλῳ. agit enim ibidem de lacu *Samochonitide*, dicitque *extendi ejus palustria ad Daphnen regionem, ut alias amœnam, ita fontes continentem, qui Iordanem parvum immittunt in magnum.* Unde esse videtur *Lightfooto* prima origo duplicati apud Tabulas fontis, & duplicati rivi ad primos fontes. Dein (γ) alia adfert loca & ex *Iosepho* (δ) & *Talmudicis* (ε), itemque *Plinio*

(σ) *Edit. ann.* 1544. *lib.* 2. *fol.* 189. (τ) *Lib. II. Tom. I. hæres. LI. Alogorum, n.* 13. *pag.* 435. (υ) *Lib. II. de bell. Jud. c.* 2. *juxta Latin. & c.* 6. *juxta Græc. p.* 780. *edit. Genev. Græcolat.* (φ) *Loc. cit.* (χ) *Joan.* 3:23. (ψ) *Description. Terr. Sanct. p.* 309. *Tom.* 6. *Antiq. lect. Henrici Canisii, edit. Ingolstad.* 1604. (ω) *Comment. prior. ad voc. N. T. p.* 10. *seq.* (α) *Exerc. Evang. l.* 1. *cap.* 34. *p.* 83. *Vid. etiam Casaubon. ad annal. Baron. ann.* 31. *num.* 42. *Exerc.* 13. *diatr.* 15. *p.* 250. *ex quo hæc desumsit.* (β) *Animadv. ad Joan.* 3:23. *p.* 413. (γ) *In Loc. Ebraic. Tom.* 3. *p.* 416. (δ) *Ad ann.* 31. *n.* 42. (ε) *Loc. jam cit. p.* 249. *seq. cujus verba etiam recenset Scultetus loc. cit.* (ζ) *Part. alt. annot. in N. T. p.* 82. (η) *Ezech.* 48:1. (θ) *Cap.* 47:17. (ι) *Comment. prior. ad N. T. p.* 151. (κ) *In Joan.* 3:23. *p.* 414. (λ) *Part. alter. annot. in N. T. p.* 82, 83. (μ) *Loc. cit.* (ν) *Tom.* 3. *Epist.* 126. *pag.* 298.

(ξ) *Miscellan. Biblic. Heptad. IV. loc. IV.* §. 3. *pag.* 168. (ο) *Fol.* 148. *conf. Dn. Geier. Comm. in Psal.* 76:3. *Part.* 1. *p.* 1550. (π) *Not. in Arab. Evang. Matth. c.* 3:5. *p.* 11, 12. (ρ) *Comment. in Matth.* 3. *lib.* 3. *cap.* 16. *Tom. VI. pag.* 33. (σ) *Quæst. in Genes. Tom. III. pagin.* 382. (τ) *Tom. VII. serm.* 41. *in Iordan. fluv. p.* 345. *edit. Savilii.* (υ) *Tom.* 1. *pagin.* 1244. *edit. Græcolat.* (φ) *H. E. libr. VII. cap. III.* (χ) *Dissert. ad h. l. pag.* 284. (ψ) *Cit. loc. p.* 89. *epitom. Photii.* (ω) *Cit. loc. p.* 283. (α) *Cent. Chorogr. c.* 67. *p.* 125. *seqq.* (β) *De bello Jud. lib. IV. c.* 1. *pag.* 863. *edit. Genev.* (γ) *Pag.* 126. (δ) *Antiq. l. XV. c.* 13. *u. de bell. l.* 1. *c.* 16. *& l.* 3. *c.* 35. (ε) *Bab. Bava Bathra f.* 74. 2. *& Megill. f.* 6. 1.

Plinio (ζ), ubi fons *Jordanis* assignatur *Panium* vel *Paneas*, nec nominatur alius. Tandem (η) vero, Chorographorum expetens veniam, libere loquitur, quæ sentit: I. *Non constare, ullum alium* Jordanis *rivum fluere in lacum* Samochonitiden, *præter istum*, *qui oritur è* Paneade. II. *Iordanem majorem & minorem* dici, non *ratione duorum fontium*, aut *duorum rivorum discretorum & distantium*; sed *ratione distinctæ magnitudinis.* Orientem nempe è *Paneade Iordanem* vocari *parvum*, usque dum flueret in *lacum Samochonitin*: postea vero à lacu isto exeuntem, cum incrementum magnum ab ista palude obtinuisset, exinde vocatum esse *Iordanem majorem. Samochonitin* proinde *Iordanem parvum* recepisse, *magnum* emisisse. *Hic* vero, *in Historia Orbis terrarum tripartita recentissime edita* (θ), iisdem se munit argumentis, nisi quod *Hieronymum* etiam clarissimam etymo huic *Iordanis* affundere dicat lucem, scribentem (ι): Dan *viculus est quarto à* Paneade *milliario euntibus Tyrum*, *qui usque hodie sic vocatur Terminus Iudaæ Provinciæ, contra Septentrionem. De quo &* Jordanis *flumen erumpens*, *à loco nomen sortitum est*: *Nomen* Jor *quippe* ῥεῖθρον *i. e.* fluvium *seu* rivum *Ebræi vocant.* Ex quo concludit Vir Cl. *si* Jor *fluvium significat, jam non fons Iordanis erit, & nomen proprium, sed appellativum. E. in loco* Dan *seu* Panio *aut* Paneade *fons Iordanis.* Non licebit jam inquirere in mentem sanctissimi Patris, si quis loca, quæ ante ex eo citavimus, applicuerit huic, cui similem & alibi habet, quando dicit (κ): *Ex nomine Patriarchæ* Dan *& tribus & locus*, *in quo habitavit tribus*, *nomen accepit*: *ubi hodie* Paneas, *quæ quondam* Cæsarea Philippi *vocabatur. Unde &* Jordanis *fluvius sortitus est vocabulum*: Jor *videlicet rivus*; Dan, *qui fluit de Libano.* Quorundam vero ex *Rabbinis* esse sententiam *Iordanem* dici, quasi יורד מדן *labens* vel *descendens è Dan* meminit *Buxtorffius* (λ). A quibus nec abit *Drusius* (μ) qui, si non ex *Ior* & *Dan*, ut duobus fontibus, ita dici conjicit *Iordanem*, quasi *quod è Dan descendat.* Ut eo respicere videatur *Beroaldus* (ν), quando sic disserit: *Urbs* Dan *sita est in extrema sorte tribus Aser*, *post Sidonem, ad montem Libanum*, *in agro Rohob Iudic.* 18:28. *Habet autem ager urbis* Dan *Iordanem de se manantem*, *ex quo nonnulli fluminis Iordanis etymologiam petunt*, *affirmantes*, Jordanem, *qui est Ebraice* ירדן Iarden, *sic dici quasi*, יורד מדן Iored middan, *labens & descendens ex Dan.* Quibus tamen, ut incongrue dici visis, subjicit: *Sed amnis* Iordanis *appellatio longe est antiquior urbe* Dan. *Multis enim post Mosen annis urbs* Dan *fuit instaurata & nominata à Danitis.* Proinde hoc incommodum præcavens *Nicolaus Abramus*, *Iesuita* (ξ), alium & satis antiquum ei adsignat ortum & nomenclaturam; Dicitur enim ipsi ירדן *Iarden*, [ut Ebræi vocant], quasi יאר עדן *fluvius Eden*, *fluvius locum voluptatis ac deliciarum interluens*: eumque cum eo, qui Paradisum irrigavit, & in quatuor aquas cardinales divisus est, eundem esse, plures per paginas adstruit. Quem videant eruditi, & crisin suam rationibus, quas nectit multas, adhibeant. Nostram si licebit hac de re dubia prodere mentem, pace aliorum remur & conjicimus, non absurde ab עדן appellationem ejus peti posse, si consideremus, ipsum non modo fluvium *Jordanem*, si fides est Autoribus (ο), miram præ se ferre suavitatem, & dulcorem eximium, alias ut virtutes silentii peplo involvam; verum etiam regiones præterfluere amœnissimas & terram fœcundissimam, lacte & melle irriguam atque his abundantem (π), ut delicias incolis & voluptates inde parari, totamque adeo regionem istam omni deliciarum apparatu instructam dicere haud injuste potuerimus. Taceam, *Amosum* (ρ) laudare locum in Cœlo-Syria, ubi Damascus sita est, *Eden* dictum, qui tantum non distat à Libano, unde alias deducunt *Iordanem*, ut hinc petere ejus fontem vereamur. Non tamen absurdos adeo censemus eos, qui à *Dan* eum derivant, quicquid etiam falsi heic quærat *Beroaldus.* Nosse enim ipsum oportet, per πρόληψιν seu anticipationem sæpius aliquid memorari in scripturis. Exempla qui desiderat, adeat *B. Glassium* (σ).

(ζ) *N. H. l.* 5. *cap.* 15. (η) *Pag.* 127. (θ) *Cap. III. part.* 4. *n.* 12. *p.* 54. *seq.* (ι) *In locis Ebraic. Tom. III. p.* 418. (κ) *Comment. in Ezech. lib. VII. cap.* 27. *Tom. IV. pag.* 414. (λ) *Lexic. Chald. Talmud. & Rabbin. à Fil. edit. col.* 981. (μ) *Comm. prior. ad voc. N. T. p.* 93. (ν) *Chronic. l.* 3. *c.* 4. *p.* 239. (ξ) *In Pharo V. T. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 74. *p.* 57. *seqq.* (ο) *Plin. H. N. l.* 5. *c.* 15. *fol.* 72. *edit. Basil. Solin. in Polyhistor. cap.* 48. (π) *Exod.* 3:8. 17. (ρ) *Cap.* 1:5. *conf. B. Glass. Philol. S. libr. IV. Tract.* 3. *Observ. XI. p.* 966. *in fin.* (σ) *Loc. cit. Observ. X. p.* 958. *seq.*

§. 10. Et hæc sunto, quæ circa *Educationem* IOANNIS nostri, ipsiusque *officium* monere visum fuit. Possemus equidem subjicere adhuc alia (τ), quæ huic inservirent materiei, & recensere varias nomenclationes, quibus eum donant; quorum tamen quasdam jam tetigimus; alteras cathedra Theologica dignas judicamus. Unicam modo, coronidis vice, adjiciemus, qua honorificentissime ejus meminerunt Alcoranistæ. Non enim solum Prophetam eum magnum, sed & Christi patruelem censent; eumque hoc ornant Epitheto, ut vocent حصور, quod *cælibem*, *à muliere se continentem*, παρθενεύοντα notat, à verbo حصر cum Kesre in medio (υ). Quo significatu (φ) *Baidavi* (χ) sumit, quando dicit: حصور *Hazum* significat eum, *qui valde custodit se & continet à cupiditatibus & lusibus.* Ibique addit: *Refertur enim, eum* [IOANNEM] *in pueritia sua quosdam præteriisse pueros, qui ad lusum ipsum vocarint*; *respondisse autem illum*: *NON SUM CREATUS AD LUSUM.* Ex quo si non aliud, hoc saltim discimus; tantam fuisse IOANNIS autoritatem, ut inter obscurissimas etiam tenebras pro viro sanctissimo & verbum DEI verificante habitus sit, inque majori prope æstimio, apud incredulos, quam ipse Salvator: ut, cum (ψ) ad Herodis aures pervenissent miracula, quæ edebat IESUS, *Ioannem*, quem ante occiderat, à mortuis resurrexisse crederet.

(τ) *Vide sis etiam Dissertationem politam*, *de Adventu Eliæ, Excell. Dn. Frischmuthii.* (υ) *Conf. Golii Lexic. Arab. Latin. pag.* 619. (φ) *Ut notat Hotting. Hist. Orient. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 128. (χ) *Comment. in Alcor. Surat. III.* (ψ) *Matth.* 14:1. *Marc.* 6:14. *Luc.* 9:7. *seqq.*

CAPUT. III.

De Victu & Amictu JOANNIS.

§. 1. MUlti quidem multa de *Victu* IOANNIS pridem disseruere, ut nos hac opera supersedere facile possemus. Ne tamen videremur themati huic aliquid detraxisse, libuit saltim quædam grata brevitate producere, institutum si spectes, minime ἀπροσδιόνυσα. Scilicet, ut in compendio dicam, tota hæc ejus σκληραγωγία considerari potest vel ἀρνητικῶς, vel θετικῶς. Statim enim, ubi annunciabatur ab Angelo, à deliciis eum arcebant verba hæc (α): Οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ. Hinc dapes ipsi erant ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον. Erat alias unum è κειμηλίοις Nasiræatus (β), si quis abstineret à *Sicera*; ut *Ioannem* etiam huc referre hacpropter non vereantur Autores. Unanimi autem Philologorum consensu per *Sicera* indigitatur omne id, quod inebriandi vim habet; ut hinc Thaumasiander noster ubique fere verterit: starck Geträncke. Sive enim spectes Ebræum שֵׁכָר, sive Chaldaicum שִׁכְרָא aut Syriacum ܫܰܟܪܳܐ, radicem habebis שָׁכַר *inebriatus est*; vel, *ut* ἐμφατικωτέρως exprimit Arabicum سكر, *ebrius fuit*, *æstuavit ira*, *crapula affecit*, *ebrietate totum occupavit.* Unde etiam petit *Golius* (γ) سكر & سكر *Sicera*, *potus inebrians*, *temetum*, *vinum dactylorum*; &, quod parem habet significatum, سكر, itemque Persicum & Indicum شكر *saccharum*, cui procul dubio & Latinum suam debet originem, ut & Germanicum Zukker: denique etiam, quod noster hoc loco habet Metaphrastes. مسكر *inebrians*, pro quo Targum diceret מְרַוֵי *potus inebrians* (δ). Æthiops alia voce appellat [illegible] quod JCtus πολύγλωττος, *Dn. Ludolfus* (ε), in *genere* notare ait *Siceram*, seu *potionem quamvis inebriantem*, ut in nostro *Lucæ* loco & *Deut.* 14:26. in *specie* vero *hydromeli*, cujus in Æthiopia maximus, ob mellis copiam, sit usus. Talmudistæ interdum accipiunt pro vino, interdum ei contradistinguunt. Aliquando autem

(α) *Luc.* 1:15. (β) *Vid. Io. Leusden. Philol. Ebr. mixt. Dissertat.* 22. *pagin.* 150. *it. Spicileg. Philol. Cent.* 5. *cap.* 22. *sect.* 8. *pagin.* 394. *Imprimis autem peculiarem de Nasiræis Tractat. Talmud. Latinitate donatum à M. Ioh. Ulmanno, Argentor. cap. VI. Mischna* 1. *seqq.* (γ) *Lexic. Arab. lat. pag.* 1191. *Conf. etiam Edmundi Castelli Lexic. Polyglott. nuper edit. hac rad. col.* 3755. *seq.* (δ) *Vid. Lexic. Buxt. Chaldaic. Talmud. & Rabb. col.* 2220. *it. Schindler. Lexic. Pentagl. radic.* שכר *col.* 1861. (ε) *Lexic. Æthiop. pagin.* 80.

autem (ζ) vertunt יין חי *vinum vivum*, i.e. purum, putum, non mixtum aut dilutum aqua, quod Latini *merum*, Græci ἄκρατον dicerent. Aliquando etiam vocant חמר עתיק *vinum vetus*, *temetum*, quod caput & cerebrum magis turbet hoc, quam יין, quo novum, cui hoc opponunt, intelligunt. Præterea *Jo. Guilielmus Stuckius* (η), & ex eo *Laurentius Beyerlinck* (θ), notant, potum esse multis nationibus usitatum, qui ex pomorum succo conficiatur, & *Sidra* vulgo, ab Ebræis *Secar* appelletur: cujus duo præcipua numerant genera: Unum, quod ex piris fiat, & à Normannis *du poire* vulgo, à Græcis ἄπιον sive ἀπίτης, Latine *piraticum* appelletur: Alterum, quod ex pomis conficiatur, & Galli vulgo *du cydre* vocent. Utrumque vero genus à Germanis dici Hochbaumer & Bärlymost / [vel Apffelmost / Birnmost] h. e. *potum arboreum* seu *piraceum*. Magis autem proprie notari volunt hac voce *omnes potiones è fructibus expressas*, quarum eadem fere sit suavitas atque illecebra, quæ vini (ι). Addunt enim: *Apud Orientales certe hodie tam ex dactylis palmarum, quam ex aliis fructibus, suavissimi, delicatissimique potus conficiuntur.* Quibus maxime subscribunt recentiores, qui nostro etiam seculo ibidem locorum potu istiusmodi gulæ suæ indulserunt. Quare etiam *Sculteto* (κ) *Sicera* omnium μεθυσκόντων est *genus*; vinum & omnis alius potus inebrians *species*. Unde & diagramma facit tale: *Sicera* est vel *simplex*, expressa 1. ex *uvis*, unde *vinum* proprie dictum. 2. *Fructibus arborum*, *succo pomorum*, *pirorum*, *palmarum*, Apffelwein / Birn-wein. Vel *composita* ex 1. *melle & aqua*, ὑδρόμελι, Mette. 2. *Melle & vino*, οἰνόμελι. 3. *Frugibus terrarum*, *frumento*, *tritico*, *hordeo & aqua*, respondens veteri Gallorum & nostrati *cerevisiæ*.

§. 2. Edulia vero JOANNIS qui desiderat, habebit, ut jam innuimus, ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον (λ). Opiparum convivium. Sed an monachi nostri, qui tamen totum præ se ferre gestiunt *Joannem*, tantas inde sibi parare queant corporis crassities, velim experiantur. Hærent autem Autores, quid ἀκρίδες istæ fuerint. Hinc variæ circumferuntur sententiæ (μ). Alii interpretantur ἀκρέμονας seu ἀκρήμονας βοτανῶν ἢ φυτῶν h. e. *ramusculos seu extremitates arborum & plantarum*, quibus melle confectis *Joannes* usus sit in cibo, ut *Perottus* explicat. Hinc *Nicephorus* (ν), ἄκροις δρυῶν πρὸς ἀποτροφὴν χρώμενος: & *Isidorus Pelusiota* (ξ): αἱ ἀκρίδες ἃς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα. Μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν. Verum εὐμαθῶς hanc opinionem destruxerunt eruditi (ο): aliud enim esse ἄκρις, ἄκρος, & aliud ἀκρὶς ἀκρίδος, myops sit, qui non videat. Alii vero, ut notat *Theophylactus* (π) ἀκρίδας has volunt esse herbas, quas μελάγρια appellant. Unde & *Abulensis* (ρ) observat, prodidisse *Borchardum in descriptione Terræ Sanctæ*, in Palæstinæ Cœnobiis, quæ vicina sunt Jordani, herbas se edisse sæpius, quas ibi monachi *locustas* appellaverint, iisque dixerint vesci solitum *Joannem*. Aliis sunt ἀκρόδρυα seu ὀπώραι ἀγρίαι, id est, *arborum gemmæ* aut *fœtus*, *vel silvestrium fructuum cibi*, quemadmodum Autores explicare solent. Quo pertinent & illi, qui ἀκρίδας istas cum ἀχράσι, id est, *piris silvestribus* confundunt. Quæ tamen opiniones omnes à viris doctis merito rejiciuntur. Sic *Epiphanius contra Ebionitas* (ς) memorat, fuisse quosdam ex Judæis, qui pro ἀκρίδες corrupte legerint ἐγκρίδες, quas ipse, ut & *Eustathius* (σ) explicat πέμματα ἐψόμενα ἐν ἐλαίῳ ἐπὶ μελιτώμενα, h. e. *bellaria oleo cocta & melle condita*. Quos vero sermonem veritatis hoc modo convertere in mendacium recte dicit. Verior ergo indaganda est sententia. Hanc *Centuriatores* (τ) putant esse eam, quæ ἀκρίδας hasce exponit *squillas*, *pisces* vel *cancros* seu *cammaros*, abjectos à piscatoribus, ut immundos secundum legem; quasi legendum sit καρίδας h. e. καράβους, quos *Plinius* (υ) vocat *locustas aquatiles*, *Buntingus* (φ) explicat Heuschrecken / die im Wasser leben / und eine Art der Krebse gewesen ist. A vero item non plane abiisse putat *Scultetus* (ψ) eos, qui per ἀκρίδας intellexerunt cancros. Tales enim & ipse hoc loco concipit locustas, quæ instar cancrorum oblongorum, non quidem in aquis, sed in terra repserint, cum alatæ non fuerint, & hujus etiam generis locustam se anno 1617. Basileæ apud CL. Medicum, *D. Thomam Platerum* vidisse ait. Forsan autem non inepte *Camerarius* (ω) judicat, istis tam anxie exquisitis nihil opus videri, cum, quod & *Eustathius* (α) in suum retulit Commentarium, fuerint populi aliquando, qui, quod locustis vescerentur, ἀκριδοφάγοι appellati fuere, sicut, qui piscibus, ἰχθυοφάγοι. Unde alii (β) licet absurdum adeo non ducant, Joanni in cibum fuisse cancros, tamen, ut vocabuli significatio id præbeat, maxime verentur. Cancri, ut etiam annotat incomparabilis Criticus atque polyhistor, *Thomas Reinesius* (γ), dicuntur καρίδες, & squillæ sunt à locustario genere diversæ. Magis ergo accedunt veritati, qui ordinariam vocis ἀκρίδων significationem heic retinent, nec, ut *Spanhemius* (δ) loquitur, locustas non necessaria metamorphosei in novam speciem mutant, sed intelligunt animal ex insectorum genere ab *uredine locorum* sic dictum. Has vero tales non fuisse censet *Buntingus* (ε), quales apud nos in gramine saltant; sed volucres quadrupedes, qui interdum per aëra volitarint, interdum in terris repserint vel saltitarint, omnemque ex rosis, odore totam opplentibus regionem Hierichunticam, dulcedinem suxerint, atque aliis palato minime ingratis herbis ac oleribus, floribus item jucundissimis in horto balsami penes Jordanem victitaverint. Præter autem memoratum *Eustathium*, ingens adhuc Autorum se offert numerus, qui, hasce edules fuisse locustas, multis probant. Singulos adferre non vacat, quos etiam ne charta quidem omnes caperet. Magnam eorum seriem inveniet, qui adire non pigrabitur *Abulensem* (ζ), *Laurentium Beyerlinck* (η), *Casaubonum* (θ), *Drusium* (ι), *Kirstenium* (κ), *Martinium* (λ), *Spanhemium* (μ), *Stuckium* (ν), & alios, quorum mentionem paullo ante fecimus. Et ne cæterorum proferam verba, *Kirstenius* ex ore præceptoris sui Arabici refert, eum affirmasse, se circa Jordanem sæpius fuisse & illic locustas comedisse. Ubi annectit: *Petebam, ut exponeret historiam animalis, & modum præparandi hunc cibum in deserto. Narravit, Locustas illas esse ejusdem speciei cum nostris, sed majores; nam pro regionum diversitate variant. In Indiis enim sunt ingentis magnitudinis; has autem circa Jordanem, dicebat, esse mediocris magnitudinis, instar avium nostrarum montanarum, quas silvestres vocare solemus. Modum præparandi talem significabat. Captis locustis alæ & pedes abripiuntur, reliquum corpus collo suspenditur, solique illic locorum satis ferventi per aliquod temporis spacium exponitur. Ubi incaluerint à sole probe, ebulliunt quasi & intumescunt; ubi satis intumuerint & spumescere incipiunt, sufficienter præparatæ sunt, cibum enim exhibent suavissimum. In Africa vero, aliisque locis ad ignem coqui & assari ajebat.* Et sane *Claudius* quoque *Ælianus* (ξ) memorat, se vidisse, qui connexas cicadas [animalculum affine locustis] ad cibum venderent hominibus, homines. Ut ita nodum quærere in scirpo ridiculum sit.

(ζ) *Vid. Grot. Annot. ad Luc. 1: 15. fol. 603. Drus. Part. alt. Annot. in N. T. pag. 64. Buxt. Lexic. min. pag. 809. item Lex. Talmud. col. 787. Heins. Aristarch. cap. 5. pag. 148. &c.* (η) *Antiquit. Conviv. lib. 3. cap. 9. pag. 321. seq. edit. Tigur. 1582.* (θ) *Magn. Theatr. Vit. hom. Tom. VI. lib. 14. pag. 558. C. D.* (ι) *Conf. Hieronym. Epist. ad Nepotian. Tom. 1. fol. 6. Flac. Clav. Script. S. Part. 1. fol. 1134. Ravanell. Part. 2. hac voc. fol. 1093. a. Geier. Comm. in Psal. 69: 13. pag. 1391. Item Aretius Comm. in Luc. 1. Loc. 2. fol. 533. &c.* (κ) *Exerc. Ev. l. 1. c. 16. p. 45.* (λ) *Matth. 3: 4. Marc. 1: 6.* (μ) *Vid. Tostat. Part. 1. in Matth. 3. quæst. 25. f. 121. Spanhem. Part. 2. Dub. 99. n. 2. p. 673. & imprimis Stuck. Antiq. Conf. l. 2. c. 9. fol. 166. item Bunting. in Vit. Jo. Baptist. f. 15, 16. Chytræus Comment. in Matth. 3. pag. 80, 81. Camerar. in h. l. pag. 25. edit. Lips. 1572. Chemnit. Harm. Evang. cap. 16. p. 307. edit. Lysor. Christoph. Pelarg. Quæst. Ev. q. 3. in Matth. 3. p. 49. a.* (ν) *H. E. l. 1. c. 13. p. 79.* (ξ) *Lib. 1. epist. 132. ad Timoth. Lector. p. 40. edit. Paris. 1638. conf. ep. 5. p. 2.* (ο) *Vid. Stuck. c. l. Kirsten. not. ad Ev. Arab. Matth. c. 3: 4. fol. 12. Casaub. Exerc. 13. Diatr. 7. p. 220, 221. Scult. c. l. c. 15. p. 42. seq. Georg. Calixt. Concord. lib. 2. c. 1. p. 71, 72. & alii.* (π) *In Matth. 3. fol. 36.* (ρ) *Loc. cit.* (ς) *Hæres. 30.*

(σ) *Iliad. 5. fol. 1188.* (τ) *Cent. 1. lib. 1. c. 10. col. 364. seq.* (υ) *N. H. l. IX. c. 30.* (φ) *Itin. Scr. S. p. 130.* (ψ) *Exerc. Ev. l. 1. c. 15. p. 43.* (ω) *In Matth. 3. p. 26.* (α) *In Hom. Odyss. θ. fol. 303.* (β) *Conf. Martin. Chemn. Harm. Ev. lib. 1. cap. 16. pag. 307. recogn. à Polyc. Lysero.* (γ) *Variar. Lect. lib. 2. cap. 8. p. 193.* (δ) *Part. 2. Dub. 99. n. 3. pag. 674.* (ε) *In Vita S. Jo. Baptist. fol. 16.* (ζ) *Part. 1. sup. Matth. 3. quæst. 25. col. 121.* (η) *Syntagm. Cathol. Tom. I. lib. 1. col. 207.* (θ) *Exerc. 13. Diatr. 7. ad ann. Baron. pag. 219. seq.* (ι) *Præter. l. 1. pag. 5. Item Annot. in N. Test. Part. 2. pag. 8.* (κ) *Not. in Arab. Evangel. Matth. pag. 11.* (λ) *Lexic. Philog. v.* Locusta. (μ) *Loc. cit.* (ν) *Antiq. Conviv. lib. 2. cap. 9. fol. 165. seqq.* (ξ) *De Animalium natura lib. 12. cap. 6. pag. 697. edit. Lugdun. 1616.*

§. 3. Sed neque hic cibus Iudæis fuit lege prohibitus. Recenset enim *Hottingerus* (o) ex *Barzelonita* suo, quomodo signis exploraverint locustas, quæ essent mundæ aut immundæ, indeque ex Rabbinis octo mundarum producit species: I. vocatur חגב, quam alii *cicadam*, alii *bruchum* vertunt. II. רגנירה species *Chagab*. III. חרגול *cantharus* juxta quosdam. IV. עוצרביא species *Chargol*. V. ארבה vulgo *locusta*. VI. צפורת כרמים *avis vinearum*, species *Arbeh*. VII. סלעם *bombyx*. IIX. יוחנא ירושלמיה *Juhanna Jerosolymitana*, species *Solham*. Et harum I. III. V. & VII. species sunt notissimæ, & in ipsis etiam literis sacris (π) ulitatæ; ceteræ adeo frequenter non occurrunt. Cum vero illæ non minus sint obscuræ, quam hæ, ut etiam in nostram vertere vernaculam dubitaverit *B. Lutherus*, sed retinuerit voces Ebræas, Arbe/ Selaam/ Hargol und Hagab: hinc nominum horum rationes varie perquirunt Grammatici. Quid autem sit & unde dicatur חגב, Chaldæis חגבא, non omnino patere ajunt (ϱ). Verti vero solet à LXX. ἀττέλεβος, vel, ut aliis placet, ἀττέλαβος, ab ἄττω *subsilio*, quoniam parvas pennas habens subsilit potius quam volat (σ). חרגול Chaldæis חרגלא, vetus interpres vertit ὀφιόμαχον, & est juxta quosdam (τ) genus volucris, aut lacertæ pugnantis cum serpentibus. Sed *Stuckius* (υ) mavult cum *Kimchio* referre ad genus locustæ. Quo procul dubio pertinet locus *Aristotelis* (φ), qui dicit: πολλοὶ δ' ἤδη τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν, ὅτι, ὅταν μάχηται τοῖς ὄφεσι, λαμβάνεται τοῦ τραχήλου τῶν ὄφεων. Tertia species ארבה dicitur ipsis *à multitudine*, רבה enim *augescere* seu *multiplicare* significat, quod agminatim & turmatim aggregentur. Hoc genus *Stuckius* (χ) in Ægyptios agros tempestate Mosis (ψ) divino judicio orientali vento immissum ait. Chaldæis dicitur גובא *ab altitudine*, vel, ut alii volunt, itidem *à collectione*: גבב enim *collegit*, *congregavit*, notat. Græce reddiderunt alicubi ἀκρὶς, secundum quosdam (ω) παρὰ τὸ τὰ ἄκρα τῶν ἀσταχύων καὶ δένδρων νέμεσθαι: alibi βροῦχος, secundum quosdam (α) quasi βραχὺς i. e. *brevis*, quod potissimum recens natæ & pennarum adhuc expertes hac voce indigitari soleant locustæ: vel παρὰ τὸ βρύκειν, quod, ut & βρύχειν & βρυκᾶν, quibus affine est nostrum fräßen/ *edere*, *consumere*, *devorare* significat, quod fructus radicitus consumant. Ut bene etiam hinc petere possis agricolarum vocabulum brachen/ quando prima opera aratro findunt terram, seu agrum proscindunt, den Acker brachen: item, brechen/ *frangere*, *confringere*, nec non *fricare*. Alibi etiam exponi solet ἀττέλαβος *à subsiliendo*, ut ante innuimus. Quartam tandem ex notissimis speciem, nempe סלעם, ita Ebraice dici putat sæpius laudatus *Stuckius* (β), quod ascendat & saliat super rupes & silices. Nam סֶלַע Latine *silicem*, *saxum* seu *rupem* significat. Chaldæis & Rabbinis est רשון (γ), LXX. ἀττακὸς, item ἀττάκης (δ), ab ἄττω *salio*. Quare non abs re notavit multum nominatus *Martinius* (ε). Hispanis dici *Lagosta*, *Langosta*, & Gallis *sautereu* & *sauterelle*, quasi *saltatrix*: ait enim *saulter* & eliso L *sauter* est *saltare*: Italis *cavalleto*, quasi parvus *caballus*, equulus, & in Saxonia alicubi Springperdeken/ quasi *equulus saltans*. Hinc *Magister subtilitatum* (ζ): *Saliunt tamen, idque adeo, ut ab Italis* caballettæ, *à Gallis* saltatrices *meruerint appellari*. Belgis Springhäne/ Springkäver. Anglis Graßhopper/ quod *in gramine saltent*: & nostris denique Germanis Heuschrekken/ quod *in fœno saltitent*, ab antiquo vocabulo schrikken/ *subsilire*, item *passum facere*. Et quæ sunt alia, in quibus Philologus delectatur.

§. 4. De *Melle* itidem, ut dicitur, *silvestri* non minores sententiarum sunt diversitates, quid sit. Solet autem potissimum duplex constitui: ὡραῖον, quod apes in alveolis conficiant; & ἐρεικαῖον, quod spargant in ericis, in Heiden/ kleinem Gebüsch: vel ut *Buntingus* (η) explicat: das die Immen im Herbst machen aus einem Kräutlein/ das die Græci Erice [ἐρείκη] nennen/ welches unser Rosmarien an der Blumen und Gestalt nicht ungleich seyn soll. Id cum saporis sit aliquanto injucundi, plerumque dici, ait, *mel silvestre*; quod tamen *Joanni* tribuere indignum putat. De neutro etiam horum loqui Euangelistas censet *Scultetus* (θ); sed δροσόμελι intelligit, quod singularem fuisse refert in illis Syriæ locis circa Libanum mellis speciem, & *rorem mellis* appellat, eo, quod, sicut ros, in arbores defluat, & postea coagulatus seu duratus aliquantulum in grumos, pellibus excipiatur, colligaturque. Tale item *Chytræus* (ι) concipit, & *Buntingus* (κ) ex eo flores & olera Palæstinæ saporem nacta dicit mellifluum atque jucundissimum; indeque armentis ibidem pascua fuisse miræ dulcedinis & amœnissima, ut ipsum etiam lac dulcore tali abundaverit, ipsaque hinc Terra sancta in sacris adepta sit encomium, quod lacte & melle irrigua fuerit. Idem vero fuisse putat, quod Jonathan (λ) in deserto non procul à Jordane inter Michmas & Ajalon gustavit, & vocatur ibidem יַעְרַת הַדְּבַשׁ *silva mellis*, ut *Ludovicus Capellus* (μ), qui *Buntingum* heic sequitur, transfert, h. e. *mel silvestre*, μέλι ἄγριον, *favus* enim *mellis* ab aliis reddi solet. Annectit etiam *Scultetus*, rem esse valde bonam, instar generosissimi sacchari: hodieque inde Venetias, & Venetiis in alia loca devehi. In Myropoliis autem vocari *Manna*. Quod maxime quoque accedit menti *Suidæ*, vel quicunque est vetus ille scriptor, quando (ν) μέλι hoc ἄγριον dicit ἀπὸ δένδρων ἐπισυναγόμενον, μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορευόμενον. Sed & in Media mel stillare ex arboribus, & in Thracia ex plantis fieri, autor est *Ælianus* (ξ). *Beda* (ο) opinatur, fuisse folia arborum miræ dulcedinis. De vero autem intelligi posse melle, quod in silva ab apibus fuerit congestum, conjicit *Stukius* (π). *Isidorus Pelusiota* (ϱ) mavult dicere *montanum*, indeque refutat, qui *herbam* per id intelligunt, quando ait: οὐ γὰρ ἦ πόα τίς ἐστι τὸ μέλι ἄγριον. ἀλλὰ μέλι ὄρειον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον, πικρότατον ὄν, καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον. Cujusmodi apes & mel dari, itidem non negat *Stukius* (σ). Nam & *Flacius* (ς) suo testatur exemplo, quod mel tale expertus sit insipidum, quod in solitudine fuerit congestum, quale etiam *Joanni* adscribit. Ast forsan non male *Spanhemius* (τ) observat, omne id dici mel *silvestre* seu ἄγριον, quod etiam agreste est, & extra alvearia vel è florum calycibus, vel ex arborum truncis destillat. Ut nondum quicquam sit caussæ, cur Pontificiis eremum, seu solitudinem inhospitam, ubi JOANNES vixerit, concedamus. Immo Syrus etiam interpres tali utitur vocabulo, quod generale est & vocat *mel*, quo usus est *Joannes*, ܕܒܫܐ ܕܒܪܐ *mel agri*, vel *campi*, non *silvæ* tantum. Quod idem & Æthiopicum መዐረ፡ ገዳም፡ innuit; nec, si accurate perpendas, Arabicum (υ) عسل البر aliud vult. Ut hisce collatis versionibus facile ex textu possit colligi, quale Euangelista μέλι intelligat, tale scilicet, quod hinc inde apes vel in agris, vel aliis locis silvestribus confecerunt.

§. 5. *Amictum* vero ejus quod attinet, describitur ab Euangelista (φ) ita: εἶχε γὰρ τὸ ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Sed quale fuerit hoc ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, nondum conveniunt autores. Aliqui, quibus *Schindlerum* annumerat *Scultetus* (χ), undulatam h. e. ad undarum similitudinem pictam, adeoque nitidam hic concipiunt vestem, ex tali scilicet confectam panno, quem Hispanice inde vocant *Camelota*, Italice *Zambeloto*, & Germanice Schamlot. quo etiam tenuioris fortunæ homines fuisse vestitos recensere eundem asserit. Alii contra, quibus item annumerare potes *Ludovicum de Dieu* (ψ), intelligunt unius cameli pellem pilosam, sive crudam & impexam, cui Joannem involvunt, eumque, ut pictores inprimis solent, in Faunum & Satyrum mutant. Verum utramque hanc sententiam citatus rejicit *Scultetus* (ω): Quamvis si satis se expli-

(o) *Jur. Ebr. leg. CLI. p.* 207. (π) *Levit.* 11:22. *conf. Stuck. c. l. fol.* 167. *seqq. it. Martin. Lexic. Philol. voce* Locusta. (ϱ) *Vid. Stuck. cit. l.* (σ) *Vid. Martin. Lexic. voce* Attelabus. (τ) *Vid. Martin. voc.* Ophiomachus. (υ) *Loc. cit.* (φ) *Lib. IX.* ἱστορίας *cap.* 6. *p.* 1049. *edit. Aurel.* 1607. (χ) *Loc. alleg.* (ψ) *Exod.* 10:12. (ω) *Conf. Spanhem. loc. ante alleg. p.* 674. (α) *Vid. Stuck. c. l. conf. Mart. Lexic. voc.* Bruchus. (β) *Ibid. loc.* (γ) *Vid. etiam Lex. Chald. Talm. & Rabb. Buxt. hac voc. col.* 2293. (δ) *Conf. Mart. Lex. voc.* Attacus. (ε) *Voc.* Locusta. (ζ) *Scalig. Exer.* 192. *n.* 1. *p. m.* 626. (η) *In Vit. S. Jo. Baptistæ fol.* 16.

(θ) *Loc. cit. c.* 15. *p.* 42. (ι) *Comment. in Matth.* 3. *p.* 81. (κ) *Loc. cit.* (λ) 1 *Samuel.* 14:27. (μ) *Spicileg. in cap. III. Matth. vs.* 4. *pag.* 7. (ν) *Voc.* ἀκρὶς, *Tom. I. col.* 143. *edit. Græcolat.* (ξ) *De nat. animal. l.* 5. *c.* 42. *p.* 320. *seq.* (ο) *In Matth.* 3. *f.* 19. (π) *Antiq. Conv. l.* 1. *c.* 21. *fol.* 56. *b.* (ϱ) *Lib.* 1. *ep.* 5. *f.* 2. *& ep.* 132. *f.* 40. (σ) *Cit. l. Conf. Ælian. c. l. Beyerlink. Tom. V. lib. XI. fol.* 397. (ς) *Clav. Script. S. Part.* 1. *fol.* 636. (τ) *Loc. cit. n.* 7. *p.* 678. *Conf. Bochard. t.* 2. *hieroz. f.* 516. *seqq. ubi adhuc plura.* (υ) *Vid. Gol. Lex. Arab. Latin. fol.* 244. (φ) *Matth.* 3:4. *Conf. Marc.* 1:6. (χ) *Exerc. Euang. lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 46. (ψ) *Comment. in Marc.* 1:6. *pag.* 153. *seq.* (ω) *Pag.* 46, 47. *Conf. Spanhem. Part.* 2. *Dub.* 98. *n.* 2. *pag.* 665. *seq. Dan. Heins. Aristarch. cap.* 5. *pag.* 142. *seq.*

explicuisset, *Schindleri* utique aliquem inveniret locum. Non enim multum ab eo diversum sentit *Chytræus* (α) dicens: *Vestis Joannis erat contexta ex pilis cameli, similis ei, quam hodie vulgo à camelis vocamus Kamelot, vel Schamlot.* Qui tamen ita se expedit: *Non fuit sordida vestis, neque etiam valde pretiosa, sed mediocris & κόσμι@ & in iis locis εὔπορ@.* Quapropter & *Martinus Chemnitius* (β) laudat *Stapulensem*, quod refert, Palæstinæ populos solitos esse pilos camelinos nere, & inde vestimenta texere. Id quod de caprarum pilis manifeste constare ait (γ). Motus autem verbis *Stapulensis* existimat, *Joannem* propter peculiare vitæ institutum paullulum à vulgari loci illius vestitu discessisse, & durius genus elegisse, ut Nazaræus esset, h.e. separatus ipso etiam vestitu à reliquis incolis. Hinc, cum incolæ in locis desertis vestitu uterentur duriori, ex pellibus videlicet ovilibus & caprinis (δ), quem Græci vocarunt μηλωτὴν (ε), durius adhuc Baptistam habuisse censet vestimentum καμηλωτὴν, quod non ex *pelle* sed *pilis* [attestante Evangelista] *cameli* constiterit. Ut sine causa Syrum Metaphrasten carpat *Dieu* (ζ), quod singulare καμήλȣ mutarit in plurale ܓܡ̈ܠܐ; quemadmodum & *Beza* vertit: *indutus erat pilis camelorum.* Qua ratione in Græco esse possit Enallage numeri, quas frequentes esse in sacris literis, ipsum *Dieu* procul dubio non latuerit.

§. 6. *Zona* denique IOANNIS quæ fuerit, adhuc disquirendum restat. Has multis in usu & magni æstimii fuisse gentibus, constat. Ut *Stuckius* (η) de iis tale ferat judicium: *Ornamento esse viris pariter atque fœminis cingula, quis dubitet, cum corpora bene cincta discinctis longe speciosiora atque pulchriora appareant?* Hinc variarum etiam rerum fuisse symbola, pluribus docent passim Autores (ϑ). *Zonam solvere* quondam dicebantur novæ nuptæ, cum non nisi virgines cingulo ex lana ovis confecto cinctæ procederent, quod vir in honorem Iunonis, Deæ Virginalis, *Cinxia* ea propter dictæ, prima nocte sponsæ accubans, autore *Festo*, in lecto solvebat. Sed & alii hanc zonæ solutionem *symbolum puerperii* æstimant; unde primo parientes *zonam* olim dicebantur *solvere*, & levatæ partu eam Dianæ Λυσιζώνῳ seu *Solvizoniæ* dicabant. Ut hodienum etiam *discingere* [Germanice usitata voce, entbinden] dicamus Deum prægnantes, quando illas gravi illo uteri onere liberat. Sed hæc impræsentiarum scire adeo non attinet. Sacerdotum potius & Prophetarum *Zonas* tangere heic juvat. Has pretiosas interdum fuisse, ex auro nempe, hyacintho, purpura, cocco & bysso confectas, docet divina scripturæ litera (ι); interdum etiam tantum ex lino, vel pelliceas, ut fuit *Eliæ* (κ), & nostri *Joannis*, quam Evangelistæ (λ) vocant ζώνlὼ δερματίνlὼ. Quæ qualis fuerit, *Camerarius* (μ) ita explicat: *Δέρμα est cutis seu pellis detracta animanti. Ut cingulum illud lora fuisse intelligi posse videatur.* Syrus ζώνlὼ vertit ܐܣܪ ܚܨ̈ܐ *cingulum lumborum*, ad indicandum, interprete *Dieu* (ν), Græcam vocem non quodvis cingulum, sed quod lumbi cinguntur, significare, quod Ebræi אַבְנֵט *balteum* vocant. Quare *Heinsius* (ξ) recte refutat eos, qui μηλωτlὼ Eliæ cum ζώνῃ hac δερματίνῃ confundunt, quos, licet Criticos, heic tamen ἀκελτὶ judicare, collatis Scripturæ locis (ο) manifeste patere dicit.

(α) *Loc. cit. p. 80. conf. Bunting. l. c. f. 15.* (β) *l. c. pag. 306.* (γ) *Vid. Exod. 25:4. 26:7. 36:14. Conf. B. Glass. Philol. lib. III. tr. 1. can. 39. n. 6. p. 490.* (δ) *Vid. Ebr. 11:37.* (ε) *1 Reg. 19:19. & 2 Reg. 2:8.* (ζ) *Loc. cit.* (η) *Antiq. Conv. l. 2. c. 19. fol. 232. b.* (ϑ) *Vid. eund. Stuck. l. c.* (ι) *Exod. 39:5. &c.* (κ) *2 Reg. 1:8.* (λ) *l. c.* (μ) *l. c. p. 25.* (ν) *In Matth. 3:3. p. 4.* (ξ) *Aristarch. c. 5. p. 141. seq.* (ο) *2 Reg. 1:8. & 2:8. & 13.*

CAPUT IV.

De Morte & Cultu JOANNIS.

§. 1. VIx per sesquiannum (α), vel, juxta alios (β), menses quatuordecim, publicè docuerat IOANNES, cum vita ejus periclitari cœpit. Quum enim præco esset justitiæ, & ulli blandiri aut veritatem dissimulare nescius; in carcerem erat conjiciendus, prætextu quidem propter turbam discipulorum (γ), quæ ipsi quotidie affluebat, quasi suspecta esset Herodi, & seditionem populi inde timeret; re vero propter Herodiadem (δ) Philippi, prænomine item Herodis *Josepho* (ε) & *Cedreno* (ζ) dicti, fratris sui uxorem, Herodis M. ex Aristobulo neptem, Aristobuli vero ex Bernice filiam; quam, repudiata regis Arabum, Arethæ, filia, qua cum quindecim ultra annos (η) in matrimonio jam vixerat, in sui allexerat amorem, & incestum cum ea committebat. Quod ansam dabat *Ioanni*, gravius in eum animadvertendi. Ubi quidem addit *Buntingus* (ϑ), Herodem primum simulasse pœnitentiam, ex aula nihilominus *Ioannem*, in qua tempus aliquod vixerat, dimisisse, & brevi post tempore Machærunta ipsum ultra Iordanem in vincula misisse, in quibus etiam ita se gessisse dicitur, ut ne ullis quidem, istam ob contumeliam, conviciis aut calumniis Herodem sugillaverit; quo adeo admiratione fuit ductus, ut, referente eodem *Buntingo* (ι) æquanimitatem ejus magni æstimans, sæpius eundem visitarit, ejusque concionibus aurem præbuerit. Ubi sane, ut facile possumus hariolari, majori œstro percita Herodias, omnia dira *Ioanni* imprecata fuerit, verita ne istiusmodi concionibus Herodes ad frugem meliorem redigeretur. Nec forte intermiserit die noctuque moliri astus, quo hunc, qui grandis ipsi erat in oculo sudes, eradicaret, quæ tamen de caussa justa merito desperare potuisset. Verum quod ait Poëta (*):

Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur:

ipsa potius hæc furibunda Mœnas, ut rectissime audit *Nicephoro* (κ), invertebat ita:

Integritatis amans & mens cupidissima justi
Ense recidenda est, ne pars corrupta trahatur.

Natalem enim Herodes celebrabat (λ) in hoc ipso loco, ut habet *Buntingus* (μ), ubi captivus tenebatur Baptista, in arce videlicet Machæruntica, mense Martio, vel, ut *Beda* (ν) & *Lightfootus* (ξ) explicant, paullo ante Pascha, anno sui regni XIII. (ο), Tiberii undevigesimo (π). Heic cœnam fuisse paratam, memorat *Marcus*, τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας, cui ipsa etiam cum filia, quam *Salomen* vocant Historici (ρ), intererat. Gaudiis non modo omnia erant suffusa, nihilque non tentabatur, quod incitamento esse poterat hospitibus, ut exporrigerent frontem; sed & totus amabat conventus omnem hoc die Herodi exhibere reverentiam. Honori ejus, sed, eheu! IOANNIS exitio Salome, auro gemmisque micans, choreas pedibus plaudebat, precium inde adepta hospitibus quidem spectatu triste atque crudele; matri vero saltatricis acceptissimum (σ). Iuramento enim cum se obstrinxisset Herodes, fore ut acciperet, quæcunque, dimidium licet regni, peteret, à matre subornata donum postulat caput sanctissimi IOANNIS in disco repræsentandum (τ). Nec mora. Sed licet pœnitentiam simularet stipulator, vi tamen præstiti juramenti id etiam putabat faciendum, quod facere alias pro summo haberetur piaculo. Stricto ense adstat speculator, uti Græcis etiam vocis hujus elementis Evangelistæ (υ) vocatur, & *Ioannem*, qui per integrum jam annum & menses tres, ut *Buntingus* (φ) observat, vel, juxta *Lightfootum* (χ), per sesquiannum carcerem erat passus, decollare jubetur. Tantum quippe ignobile hoc crudelis leonis germen, ut *Isidorus* (ψ) bene vocat Herodem, ob unicam meretriculam non veritum est audere facinus, ut ei etiam id ipsi Ebræi (ω) exprobrent; & recte de juramento ejus dicat *Procopius* (α): Τίς γὰρ οὐκ ἂν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Ἡρώδου κατηγορήσειεν, ἐπὶ φόνῳ γενομένην τοῦ Βαπτιστοῦ; ἐπεὶ γὰρ ὤμοσεν ὡς οὐκ ἔδει, τὸ ψεῦδος αἱρετώτερον τῆς σφαγῆς. Epicedia vero *Ioanni* canunt Historici. *Iosephus* (β) enim, ejus de morte verba faciens, isto eum

(α) *Vid. Lighfoot. Hor. Ebr. in Matth. 14:10. pag. 183.* (β) *Vid. Buntin. vit. Joan. Baptist. f. 28.* (γ) *Vid. Joseph. A. J. l. 18. c. 7. f. 626.*

(δ) *Vid. Marc. 6:17. Luc. 3:19, 20. Conf. Adrichom. in vit. Christi. fol. 262. Buntin. l. c. fol. 19. Scalig. de Emend. Temp. l. VI. f. 552. & 555. & alios.* (ε) *l. c.* (ζ) *Comp. Hist. Tom. I. pag. 183.* (η) *Vid. Bunting. l. c. f. 28.* (ϑ) *Fol. 29.* (ι) *Fol. 30.* (*) *Ovid. Metam. 1. vers. 190. seq.* (κ) *H. E. l. 1. c. 19. fol. 88.* (λ) *Matth. 14:6. Marc. 6:21.* (μ) *l. c. f. 36.* (ν) *In Marc. 6.* (ξ) *l. c. Conf. Baron. ad ann. 33. n. 1.* (ο) *Vid. Cedren. l. c. f. 184.* (π) *Idem fol. 188.* (ρ) *Vid. Ioseph. l. c. & Cedren. fol. 183.* (σ) *Niceph. l. c.* (τ) *Conf. Iustin. Martyr. Dialog. cum Typhon. Iud. f. 208.* (υ) *Marc. 6: vs. 27.* (φ) *l. c. f. 30.* (χ) *l. c.* (ψ) *l. 4. ep. 96. f. 462.* (ω) *Vid. Gorionid. l. supra cit. It. R. Dav. Gans in Zemach. David. p. 89. edit. Vorst.* (α) *In Reg. lib. 2. c. 15. p. 138. edit. Meursii, exc. Lugdun. Bat. 1620.* (β) *Ant. Iud. l. 18. c. 7. fol. 626. Conf. Euseb. Pamph. H. E. l. 1. c. 11. f. 29. Niceph. l. 1. H. E. c. 20. f. 91.*

decorat encomio: Κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις [Cod. Busb. τοὺς Ἰουδαίους] κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν [Busb. ἐπασκοῦντας] καὶ τὰ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ, καὶ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις βαπτισμῷ συνιέναι. Amputatum autem caput cruore tabido & pulvere resperſum & lanci impoſitum in convivium omni luxuriæ genere affluens Herodem inferri juſſiſſe refert *Nicephorus* (γ; ibique fuiſſe datum puellæ ſaltatrici, *Adrichomius* (δ); qui item ſubjungit, decollationem iſtam contigiſſe d. XXV. Martii, nondum expleto ætatis ejus anno XXXIII. celebrari vero nobis d. XXIX. Augusti, quod eo die caput hoc venerandum in Edeſſa civitate inventum ſit (ε).

§. 2. Et hæc JOANNIS cataſtrophe adeo nota eſt, ut eam nec ipſi Muhammedani negent, ſed ſuo etiam Corano hanc hiſtoriam inſeruerint; niſi quod, ut moris eſt apud eos, in eo turpiter hallucinentur, quod inepte eundem cum Elia, adeoque totam illius temporis hiſtoriam cum iſta confundant. *Keſſæi* (ζ) hanc in rem facientia verba, prolixa licet, non tamen huc adſcribere pigrabimur. Suo vero idiomate Arabico notavit *Hottingerus* (η), cujus Latina verſione hoc in loco contenti erimus. Sonant autem ita: *Mortuo Zacharia ſucceſſit Jahja filius, regnante Achabo & Azbile, cujus manus non tantum ſanguine Prophetarum & juſtorum madebat, ſed & Veneris mancipium erat. Septem illa habebat viros, quos rex oppugnabat. Ipſa vero ſpecioſa admodum abſentis aut bello occupati regis vices ſuſcipiebat; in bellum nonnunquam prodibat & in omnibus fere negotiis principis alicujus perſonam agebat. Jahja interim graviter eam reprehendit, exprobrata ipſi tyrannica Prophetarum, maritorum & juſtorum laniena: illa autem ira effervescens in carcerem illum compingit.* (*) *Quodam vero die præſentes ſe ſiſtebant captivi, quos inter vidit adoleſcentem formoſum ex filiis regiis, quem herus ejus obſidis loco habebat. Illa vero accenſa in ipſum amore, in mandatis dedit* δεσμοφύλακι, *ut honorem ei deferret, ſumptus ſuppeditaret & habitaculum amplum adſignaret. Ipſe quoque noctu ad eam ingreſſus, cum eadem pernoctavit, mane vero in carcerem rediit. Quo cognito Jahja hortatus eſt juvenem, eumque officii monuit. Ille vero cum hoc ei dixiſſet, ſtatim detulit famam ejus Azbili, quæ commota cæpit Jahja occidere: metuit enim, ne ſecretum ejus proderet. Cumque maritus ejus ex itinere rediret, equum conſcendit, ſecumque filiam, quæ natu maxima inter liberos ejus (Achabi) erat, aſſumſit, quam pater ejus rex impendio diligebat. Ipſa autem ſagax cum eſſet, ad patrem in itinere faciem prius non convertit,* (†) (*aut avertit, utrumque enim vox Arabica notat*) *quam ei rex Agab (Achab) dixiſſet: O filia, merita es hodie donum à Patre tuo, quod egreſſa in occurſum adventum ejus honoraſti. Pete igitur à me, quicquid volueris: Neque enim quicquam à me petes, quod non ſim tibi indulturus. Dixit, ô parens, nullius rei ſum indiga: optem autem à te mihi concedere captivos. Poſteaquam autem in hos illi poteſtatem dediſſet, egreſſi illi ſe ſtiterunt præſentes. Cum vero Jahja tranſiret, eum Azbil in amplo cratere mactare [proprie ſacrificare] juſſit: mactarunt autem eum ſicut ovis mactatur.* Hactenus *Keſſæus*, quem poſtea etiam addere dicit *Hottingerus*, *filiam caput Ioannis ſanguinem ſemper ſtillans, in patina patri obtuliſſe, eique dixiſſe, donum ſe vel hoſtiam ei nunc offerre, qualis hactenus regi nulli obtigerit. Cumque rogaſſet, quid igitur haberet? reſpondiſſe: Hic Jahja eſt filius Zachariæ. Tum Regem dixiſſe: perdidiſti patrem tuum, matrem tuam & populum tuum, &c.* Tandem eundem ait concludere, *Ioannis ſanguinem à rege ſepultum ita ebulliſſe, ut ades regiæ & loca vicina eo redundarint.* e. q. ſ.

§. 3. Sed ne quid prætereamus, monitu & hoc videtur neceſſarium, non omnino convenire inter Autores de loco incluſionis aut decollationis *Ioannis*. *Ioannes* enim *Phocas* (ϑ) Sebaſtæ eum, in carcerem ſubterraneum, in quem viginti gradibus deſcendatur, conjectum, capiteque imminutum ait. Quod autem falſum reputat *Burchardus* (ι), cum nihil omnino poteſtatis habuerit Herodes in Samaria, ut quæ in procuratione Pilati fuerit. Inde fide Chronicorum & Joſephi probabilius cenſet, in caſtro Machærunte eum eſſe decollatum. Ait enim *Ioſephus* (κ) expreſſis verbis: καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς [τὸν] Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς (τὸ προειρημένον φρούριον) ταύτῃ κτίννυται. Et hinc etiam quæſtio ſolet ventilari de corpore defuncti Joannis, ubi ſepultum fuerit. *Machærunte* enim quidam (λ) inter Eliſæum & Abdiam Prophetas ſcribunt tumulatum: alii ex adverſo *Sebaſtæ* ſeu *Samariæ* hos ipſos inter Prophetas monumentum ejus oſtendi produnt, quod etiam ſe vidiſſe, quamvis non intraverit, prædicat *Burchardus* (μ). Pari modo *Vincentius* (ν) memorat, *Ioannem* quidem in caſtello Arabiæ, Machærunte dicto, vinctum & truncatum; corpus vero Sebaſtæ in urbe Palæſtinæ ſepultum: caput autem in Hieruſalem humatum eſſe juxta Herodis habitaculum. Et ſi fides eſt *Nicephoro* (ξ), utique alius tumuli locus fuit capiti, alius trunco. Refert enim, Herodiadem Joannis reprehenſionem quodammodo etiam poſt capitis reſectionem eſſe veritam, conjungereque id rurſus reliquo corpori timuiſſe: verum apud ſe remotis arbitris, in abſtruſiore regiæ loco ſepeliendum duxiſſe: truncum ipſum alio abjici juſſiſſe. Furtim autem hunc ſublatum ejus diſcipulos ſolenni cum veneratione in celebri quodam ſepeliſſe loco, ſubjicit. *Butingus* (ο) hoc ejus cadaver humatum conjicit ad arcem Machærunticam, quinque milliaribus ab Hieruſalem in monte excelſo Perææ ultra Jordanem verſus auſtrum ſitam, in regione peramœna, atque vinetis pulcerrimis, hortiſque aromatariis conſpicua: cujuſmodi in locis alias Judæi ſepelire conſueverunt mortuos, quo memores ſuæ eſſent mortalitatis & reſurrectionis. Sed quando conſtanter adeo affirmant Hiſtorici, Sebaſtæ repertas fuiſſe reliquias Joannis, nihil detrahitur veritatis antecedentibus, cum non obſtet, alibi prius à diſcipulis humatum fuiſſe corpus Magiſtri ſui, ab aliis autem poſtmodum Sebaſten ſive Samariam tranſlatum, uti nec ipſi id negant Hiſtorici (π). Diſertis enim *Buntingus* etiam fatetur verbis (ρ), oſſa Baptiſtæ longa poſt tempora à Chriſtianis eſſe refoſſa, & Machærunte ultra ſex milliaria Sebaſten tranſlata, ibidemque honeſte humo ſuppoſita.

§. 4. Quam magna vero in veneratione in antiqua Eccleſia fuerit & hodienum ſit hoc *Ioannis* ſepulcrum, vel ex eo patet, quod à peregrinis quoque viſitari, ejuſque reliquiæ pie & religioſe coli conſueverint, ut hinc in ſuperſtitionem etiam abierint. Sic notat *Hieronymus* (σ) Paullam & Euſtochium in ſuaſoria ad Marcellam, nobiliſſimam fœminam, *ut commigret Bethlehem*, inter bona Palæſtinæ numerare, quod liceat Samariæ *Ioannis* Baptiſtæ cineres adorare. A Barbaris uſque ad Julianum apoſtatam intactum fuiſſe ſanctiſſimi viri hujus buſtum, ferunt. Ejus autem tempore, anno videlicet imperii, ut *Cedrenus* (τ) habet, ſecundo, oſſa Joannis ſparſiſſe dicuntur gentiles, invidentes miraculis, quæ fiebant ad hoc ejus monumentum, & rurſus collecta & cremata latius ſparſiſſe, pulveremque ventilatum fuiſſe, ut *Ruffinus* (υ), *Theodoretus* (φ), *Sozomenus* (χ) & ex iis *Vincentius* (ψ) annotant. Sed DEI providentia factum, ſubjiciunt, quoſdam de Hieroſolymis ex monaſterio Philippi, orationis cauſſa per idem tempus veniſſe: hos, cum tantum nefas humanis quidem manibus, ſed ferina mente fieri viderent, mori gratius habuiſſe, quam hujuſcemodi piaculo funeſtari; indeque inter eos, qui oſſa ad exurendum legerent, miſtos, diligentius, in quantum res pateretur, ac religioſius congregantes furtim ſe vel ſtupentibus vel inſanientibus ſubtraxiſſe & ad religioſum Patrem Philippum venerandas reliquias pertuliſſe: qui ſupra ſe eſſe dixerit tantum theſaurum ſervare: inde ad Athanaſium, maximum tunc Alexandriæ Epiſcopum, ea miſerit. Quod tamen, ut maxime dubium, in medio merito relinquimus. Pari modo Cl. *Buno* (ω) memorat, ad urbem Heliopolin [in Ægypto ſitam, & in ſacris On, nunc Bethſemes, Arabibus Bahalbeth dictam & ab Iſraelitis, cum in Ægypto eſſent, conditam] duo eſſe templa, in quibus S. Joannis Baptiſtæ conſerventur reliquiæ, aurea capſa incluſæ: quas

(γ) *l. c. cap.* 19. *f.* 88. (δ) *In vit. Chriſti ad an.* 33. *fol.* 265. *Conf. fol.* 29. (ε) *Conf. Vincent. T. IV. Specul. Major. S. Hiſt. lib.* 7. *cap.* 22. *fol.* 77. *a. edit. Venet.* 1591. (ζ) *In vit. Patr. pag.* 132. *ſeqq.* (η) *Hiſtor. Oriental. lib.* 1. *cap.* 3. *p.* 145. *ſeqq.* (*) *Hotting. pag.* 146. (†) *Ibid. pag.* 147. (ϑ) *Compend. loc. deſcript. n.* 12. συμμικτ. *Allatii lib.* 1. *pag.* 16. *à Nihuſ. edit. Colon. Agripp.* 1653. (ι) *Pag.* 308. *Antiq. lect. Caniſii.*

(κ) *Antiq. Iud. lib.* 18. *cap.* 7. *fol.* 627. *Conf. Euſeb. H. E. l.* 1. *cap.* 11. *fol.* 30. (λ) *Vid. Buno in not. ad Introd. Geogr. Ph. Cluver. l.* 5. *cap.* 20. *n.* 4. *pag.* 592. (μ) *l. c.* (ν) *l. c.* (ξ) *l. c. fol.* 89. *Conf. Sozom. H. E. l.* 7. *cap.* 21. *Vincent. l. c.* (ο) *l. c. fol.* 42. (π) *Vid. Baron. in ann.* 33. *n.* 4. *Caſaub. ad h. l. Baron. Exerc.* 15. *Diatrib.* 2. *pag.* 303. *Compend. Hiſtor. Eccl. Gothan. lib.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 2. *n.* 17. *pag.* 90. *& alios.* (ρ) *l. c. f.* 43. (σ) *Epiſt. XVII. ad Marcellum T.* 1. *pag.* 45. (τ) *l. c. f.* 305. (υ) *H. E. l.* 2. *c.* 28. (φ) *l.* 3. *c.* 6. (χ) *l.* 7. *c.* 21. (ψ) *l. c. & l.* 17. *c.* 60. *f.* 230. (ω) *In not. ad Introd. Geograph. Cluv. l.* 6. *cap.* 2. *n.* 4. *pag.* 624. *ſeq.*

quas singulis annis, inspectante magna hominum multitudine, hoc edere dici miraculum: Quum reliquiæ illæ in flumen conjiciuntur, aquam ipsam contrario cursu adscendere, modo in unum, modo in alterum templum. Ut hinc ille dies tam Muhammedanis, quam Christianis solennis sit.

§. 5. Fabulam etiam primo statim intuitu redolent, quæ de inventione capitis ejus ex supra dictis Historicis narrat idem *Vincentius* (α) his verbis: *Caput revelatum est duobus monachis, qui causa orationis in Hierosolymam venerant, quibus in visione Angelica dictum est: Ite ad palatium Herodis quondam principis, & ubi fumum è terra adscendere videritis, ibi caput Joannis Baptistæ invenietis. Qui ita facientes cum magno honore clanculo secum illud Hierosolyma deportarunt. Et non multò post à latronibus raptum est, qui mittentes illud in quodam specu, ibidem dimiserunt. Donec idem Joannes cuidam eremitæ revelavit, dicens: Accipe caput meum, quod in hoc specu depositum est, & da illud Joranno Episcopo, qui ipse est Alexandriæ, ubi reliquiæ corporis mei requiescunt, qui & ita fecit, &c.* Anno autem imperii Theodosiani sexto caput hoc Constantinopolin esse advectum, testatur enim *Cedrenus* (β), qui alibi (γ) addit, inventum istud quondam apud quosdam monachos Macedonianos, qui Hierosolymis profecti in Cilicia degerint. Inde à Valente, cum esset ea de re à Macedonia eunucho admonitus, Constantinopolin vehi jussum: sed cum ad pagum, (prope Chalcedonem, ut alii addunt,) cui Cosilai erat nomen, pervenisset vehiculum, porro progredi noluisse mulas, quantumvis flagellis admodum cæsas. Atque ita tum eo in pago caput repositum fuisse, cum Deus tanto dono Valentem indignum judicarit. Theodosio autem hoc pietatis præmium largitum esse, ut id Constantinopolim adferret, inque fano Ioannis Baptistæ deponeret. Quod idem & *Baronius* (δ) narrat, nec immerito, quod spectat ad ejusdem venerandi capitis inventionem, nullam, addit, esse fere historiam [fabulam enim Pontificius dicere non audebit], quæ tam varie narretur. Pergit etiam, tam apud Græcos, quam Latinos, publicis monumentis, duplicem memoriam anniversaria die peragi, duplicis ejusdem præcursoris capitis inventionis; quarum prior illa dicatur facta, ex ruderibus antiquæ Herodis Regiæ, posterior vero, ex agro Ermesæ, unde Constantinopolin translatum est. Ita idem ipse *Baronius* (ε) refert, ab Agilulpho & Theodolinda, Regibus Longobardorum, magnificentissimam Basilicam erectam esse Modoëtiæ, non longe Mediolano, in honorem S. Io. Baptistæ, quem etiam Patronum gentis adsciverint, & propitium multis post in casibus senserint.

§. 6. Varias autem hodienum credulæ plebeculæ reliquias objiciunt papicolæ, quemadmodum hinc inde eorum produnt scripta. *Epitomator Baronii*, *Heinricus Spondanus*, *Presbyter Romanus* (ζ), refert ex *Roberto le Viseur*, Theologo Parisino, & Canonico Ambianensi, quod *Angeliaci* fuerit pars cranii, missa à Constantino Copronymo Imp. ad Pipinum Regem Francorum Christianissimum; *Romæ*, in Ecclesia Sancti Silvestri, pars altera cranii; *Augustæ Prætoriæ*, in finibus Subalpinorum, maxilla altera; altera *Lugduni*; *Ambiani* vero facies (excepto mento) à labro superiori usque ad partem frontis. Sic aliquas etiam reliquiarum in *Magnum suum Vitæ humanæ Theatrum* congessit *Laurentius Beyerlinck*, *Protonotarius*, *Canonicus & Archipresbyter quondam Antverpiensis*. *Neapoli* in Sancta Maria Annunciata reservari ait (η) digitum, quo mundi Salvatorem CHRISTUM monstravit. *Coloniæ* autem *Agrippinæ*, apud Dominicanos, articulum hujus indicis (θ). In Ecclesia Sancti Servatii, Episcopi *Trajectini* ad Mosam, particulam capitis (ι): particulam etiam in Ecclesia Sanctæ Crucis in *Ierusalem*: nec non de ossibus & particulam vestis ejus (κ). *Aquisgrani* de capillis (λ). *Tornaci* itidem de veste ejus, de capite, ossibus, cilicio cum dente illius: quæ monstrari refert (μ) d. 24. Iunii. Ita *Romæ* in Ecclesia Sancti Ioannis Lateranensis de cineribus & sanguine ejus, cilicium item de pilis camelorum (ν). Humerum quoque reservari in *Gallia*, in oppido Sancti Dionysii, aliquot stadiis Lutetia Parisiorum distante, ex donatione quidem Dagoberti, Lotharii II. filii (ξ). Non minus autem, si non est falsum, ut omnino putamus, admirandum ex *Sigeberto* recenset, quando dicit (ο): *Anno Domini DCXIII. apud urbem Galliæ Maurienam, mulier, Sancto Joanni Baptistæ nimis devota, expetebat ab eo donari sibi aliquid de membris ejus, & in hac orandi instantia per triennium persistens, cum alter quivis jam posset desperare, ipsa, spem in DEO ponens, juravit se non manducaturam, donec, quod petebat, acciperet, & sic septem diebus jejunans, septima tandem die super altari pollicem miri candoris apparere videns, læta donum DEI accepit. Ad quod adorandum tres Episcopi venientes, cum de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sanguinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerunt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt. Hæc Beyerlinck.* Quibus similia ex aliis etiam, si esset opus, possemus adjicere, qui tamen chartæ malumus parcere, quam futilibus ejusmodi eam onerare. Meræ enim sunt vanitates, quibus misero popello glaucoma objicere non verentur, quasi mendaciis, quæ tamen honestiori nomine *pias fraudes* appellant, plus possent expedire, vel religio salvari, quam si veritate muniti incederent.

(α) *l.c.* (β) *l.c.fol.* 316. (γ) *Fol.* 321. (δ) *Ad ann.* 391. *Epitom. Spond. Part.* 1. *pag.* 421. *edit. Colon. Agripp.* 1614. (ε) *Ad ann.* 616. *Part.* 2. *Epitom. pag.* 149.

(ζ) *Part.* 3. *ad ann.* 1025. *n.* 2. *pag.* 28. (η) *Tom. IV. l.* 16. *f.* 303. *H.* (θ) *Fol.* 279. *F. conf. fol.* 282. (ι) *Fol.* 287. *D. E.* (κ) *Fol.* 301. *B.* (λ) *Fol.* 286. *A. B.* (μ) *Fol.* 291. *E.* (ν) *Fol.* 300. *C.* (ξ) *Fol.* 296. *D.* (ο) *Fol.* 55. *F.*



JOH. ERN. GERHARDI
DISSERTATIO
De obumbratione virtutis altiſſimi ad Luc. I: 35.

I. N. J.

PRÆLOQUIUM.



NOn poſſumus non in præſens, de auguſtiſſimo Conceptionis Filii DEI myſterio dicturi, auriculas nobis vellicare *Ruffini* iſto, quod habetur in expoſitione Symboli: *De Spiritu S. ex Virgine naſcitur. Et jam hoc loco mundior auditus requiritur, & purior ſenſus. Huic enim, quem dudum à Patre natum ineffabiliter didiciſti, nunc à Spiritu S. templum fabricatum intra ſecreta uteri virginalis intellige. Et ideo nihil ibi turpe putandum eſt, ubi ſanctificatio Spiritus inerat, & anima, quæ erat DEI capax, particeps etiam fiebat carnis. Nihil ibi ducas impoſſibile, ubi aderat Virtus Altiſſimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo erat Deitatis.* Abſint longius ebullientis ſanguinis inſultus, abſit carnalis mentis laſcivientis conceptus! abſit animus, cœca ac mundana ſapientia & ſcrutatione exæſtuans! *Procul hinc, procul eſte prophani!* Sunt etenim hic divina, ſunt ſpiritualia, ſunt ſancta. Quid illud: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, i. e. *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quid eſt*, inquit Bernhardus, *& obumbrabit tibi? Qui poteſt capere, capiat.* In hac ſane περικοπῇ quot verba, tot *Sacramenta*; (ut cum Hieronym. in Epiſtol. ad Paulinum loquar;) quot notiones, tot ſunt rerum pondera, à quibus *magni montes ſuſpenſi ſunt*, juxta proverbium Ebræorum. DEUM concipit homo: Creatorem geſtat in utero creatura: Ens infinitum & immenſum fœcunda claudit Virgo: Independens ingreditur dependens: Vitæ qui dator eſt, vitam haurit à ſanctificata Matre: Virgo per ἐπέλευσιν Spiritus S. abſque carnali opera, & præter naturæ curſum gravida eſt. Quomodo hoc factum? Per *obumbrationem Virtutis Altiſſimi*, reponit Gabriel. Age igitur mens pia! Illam expendamus ac meditemur juxta ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, quod D. Paulus monet ſuum Timotheum, 2. Tim. 1: 13.

אנא יהוה הושיעה נא:
אנא יהוה הצליחה נא:

CAPUT I.

Tractans breviter præliminaria de verbis illis:

Et Spiritus S. ſuperveniet in te.

§. 1.

PLenis quam maxime myſteriis ſcatent verba Angelica, ad τὴν κεχαριτωμένην prolata: *Spiritus S. ſuperveniet in te.* Quæ licet præciſe ac directe hacce materia, quam manibus ſtringimus, non contineantur, de iſtis tamen διὰ βραχέων hoc loco aliquid præmittendum & agendum putamus. Rationes ejus rei in conflictu poſtulanti dabuntur. Mariam admodum anxiam de modo ac ratione conceptionis, qua Virgo adhuc, præter naturalem rerum curſum, abſque contactu virili, λόγον DEO Patri conſubſtantialem, in utero geſtare deberet, *Paranymphus ille* (ut Eraſmus loquitur,) *Gabriel* inſtructurus, in hæc verba prorupit: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.* Ubi quidem procul omni dubio per τὸ ἐπελεύσεται denotatur non generalis actio, ut in conceptione omnium hominum, ad quam concurrit Sacer Spiritus, ut Job. 10: 8. & Pſal. 139: 5. ſed extraordinaria & cœleſtis ſignificatur operatio; ubi non ſecundum communem naturæ curſum aliquid operatur Spiritus Sanctus, ſed plane ſupernaturali & divino, uti Judic. 14: 6. & Actor. 1: 8. Quando igitur Angelus inquit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*: hoc quaſi intendit ſignificare; *non naturali via, non virili concurſu, non poteſtate angelica, ſed ſuperveniente, i. e. deſuper veniente, & ſupra id, quod nunc contulit tibi, tunc abundantius influente Spiritu Sancto concipies, quia ipſe te fœcundabit, ex tuis puriſſimis ſanguinibus corpus Verbo DEI aptando, formando, & ſubito* (quid de hac ſententia, qua ſtatuitur, *quod Spiritus Sanctus in inſtanti omnia corporis CHRISTI membra formarit*, quam etiam ex Patribus Baſilius M. Leo M. Fulgentius, aliique tenent, habendum ſit, latius exponunt B. D. Gerhard. in Exegeſ. Loc. IV. de Perſona & Officio CHRISTI §. 113. & B. D. Dorſcheus Pentadec. Diſpp. Theol. Diſp. III. §. 52.) *organizando*, uti interpretatur Dionyſ. Carthuſianus Comm. in h. l. Naturæ curſus hic ſiſtit, nec ſcrutatur Spiritus Sanctus, an contradictionem implicet, Virginem λόγον æternum parituram, abſque commixtione maritali; non opus habuit humore ſeminali aliquo deciduo, ſed ipſe forma ac vis πλαστική, & ἐπέλευσις miraculoſa per ſe ſolus fuit Autor Conceptionis Marianæ, *non ut materia, ſed ut operans & efficiens: non ut cauſa ſeminalis, ſed virtualis: non ut generans, ſed ut jubens & benedicens: non ut cauſa materialis, ſed ut potentialis, ſemen & ſanguinis partes, unde CHRISTUS formandus, in Maria ſegregans, ſanctificans, fœcundans, & fœtum delineans*, ut loquitur Henric. Nicolai Natalit. §. 14.

§. 2. Theophylactus, & qui eum ſequuntur, *metaphoram ductam eſſe putant ab aviculis, incubantibus ovis, ut iis calore ſuo nativo fovendo rite diſpoſitis, excludantur demum pulli*; quod pio ſenſu in hoc myſterio ad Spiritum Sanctum applicari poſſet, qui ſua divina ἐπέλευσις, tanquam calore quodam naturali, Virginem fovit, alteravit, & diſpoſuit ita, ut, virtute impertita, *fructum uteri ſanctum*, Luc. 1: 42. eniti potuerit. Ad quem ſenſum accommodari poſſet illud, quod de Spiritu Sancto (ut B. Lutherus & alii exponunt,) dicitur Geneſ. 1: 2. *Et Spiritus DEI incubabat ſuperficiei aquarum.* Ubi vocula Ebræa מְרַחֶפֶת quam maxime illam ſimilitudinem Theophylacti innuere videtur. Ut ita hac voce innuatur, eadem, nempe immediata Spiritus Sancti virtute fœtum hunc oriturum, qua mundus ipſe exordium ſumſit. Alii conceptionis myſterium hoc ſimili declarant: *Quemadmodum ex aëre contracto per inſpirationem formatur vox, in qua eſt conceptus: ita de puritate fœcunditatis virgineæ Spiritus Sanctus corpus ipſum animale contexuit, ut in illa humana natura eſſet Verbum DEI Patris, tanquam conceptus quidam voce expreſſus ſenſuique auditus objectus.* Scilicet, ut Paulus loquitur 1. Cor. 13: 12. *Cernimus nunc per ſpeculum & ænigma*, neque intimius hocce auguſtiſſimum myſterium introſpicere valemus, ideo illud per αἰνίγματα & ſimilia nobis adumbramus & figuramus.

§. 3. Cur autem in conceptione λόγου divini opus fuerit ſuperventu Spiritus S., rationem damus hanc, ut nimirum Matrem

trem Θεοτόκον miraculoso modo fœcundam redderet, & præprimis guttas illas, ex quibus formaretur corpus CHRISTI, in Virgine segregaret, sanctificaret & purificaret, ut ex illis *sanctum* nasci potuerit: qua sanctificatione non opus fuisse in Maria, (ut quam ab ipsa conceptione ac nativitate ab omni labe immunem fuisse, quippe immaculate conceptam, constans hodie Ecclesiæ Pontificiæ sententia est, licet magna olim inter Jesuitas ac Dominicanos ea de re controversia fuerit,) credant insulsi Monachi, qui omnem tantum non movent lapidem, ut Mariam puram absque labe conceptam esse obtineant. Quorum φλυαρίας solide discussit Clariss. Dn. Hogelius, Presbyter & Gymnasiarcha Erffurtensis, Libris III. de Immac. Concept. solius Domini nostri JESU CHRISTI. Aliam rationem reddit Alfonsus Salmeron, Jesuita Toletanus: *Cum*, inquiens, *ex Spiritu & amore omnia opera proficiscantur; necessarium fuit, ut maximum hoc opus conjungendæ nimirum hypostasis divinæ cum humana natura, & maximo uniente amore proficisceretur, qui Spiritus Sanctus est, tertia in divinis persona, &c.* Comment. in Lucam super verba: *Et SPIRITUS SANCTUS superveniet in te.* Rationes plures videri possunt apud B. D. Gerhardum Exeges. l. c. §. 106. Nos cum breviter de his tractare promiserimus, ad ipsius materiæ propositæ considerationem accingimur. Sequitur ergo

CAPUT II.

Quid per Virtutem Altissimi *intelligatur, disquirens.*

§. 1. QUid per *Virtutem Altissimi* intelligatur, duplex fuit veterum, pariterque recentiorum Dd. est opinio. Quidam enim notionem *Virtutis* capiunt οὐσιωδῶς sive *essentialiter*, pro potentia ac Deitate tribus personis communi, qua scilicet & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus una eademque essentiali efficacia & virtute ad opus hoc conceptionis & incarnationis sanctissimum concurrerunt. Ut ita juxta hanc explicationem Sacrosanctæ Trinitatis personæ ἄῤῥητον illam θαυματουργίαν indivisim & eodem influxu peregerint. Quibusdam vero ea placet sententia, quod vox *Virtutis* h. l. sumatur ὑποστατικῶς sive *personaliter.* Qui tamen iterum in diversas abiere partes. Alii enim referunt ad *Spiritum Sanctum*, qui tanquam *Virtus DEI*, (ut in Scriptura Sacra alias appellatur, vid. Luc. 24: 49. Actor. 1: 8.) B. Virgini obumbrarit, ut de quo etiam proxime præcedente positione dictum erat, quod *superventurus* esset super Θεοτόκον. Ita ex Pontificiis statuit Franciscus Lucas Brugensis, item Jesuita Tirinus, aliique in h. l. Nec displicet quoque hæc expositio Hugoni Grotio. Verum licet sententia illa cum analogia fidei non pugnet, rectius tamen alii *Filio DEI*, secundæ Trinitatis personæ, (qui virtute hypostatica & divina obumbrarit Mariæ, ut ex illa carnem, & membra humana assumeret, naturamque humanam sibi intime adunaret atque consociaret,) *Virtutem Altissimi* accommodant cum Ruffino, Presbytero Aquilejensi aliisque, cumprimis vero Damasceno, qui Libro III. cap. II. Orthod. Fid. ita disserit: *Post consensum sanctæ Virginis, obumbravit ei DEI altissimi in sua hypostasi subsistens Sapientia & Virtus, Filius DEI Patri consubstantialis, velut divinum semen. Et construxit sibi ipsi ex castis & purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali & intellectuali, primitias nostræ conspersionis, οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς, non cum semine, sed conditorio opere per Spiritum Sanctum.* Dionys. Carthusianus per *Virtutem Altissimi* intelligit OMNIPOTENTEM DEUM PATREM. Comment. ad h. l. Salmeron intelligit SPIRITUM SANCTUM, *qui sancte præstiterit officium mariti, in præparanda Virgine, & conceptione CHRISTI.* Quin idem addit, *intelligi etiam posse PATREM, cui obumbratio tribuatur Virginis, præservans eam à calore concupiscentiæ, & ut nubes lucida defendens à calore Solis, id est, divinitatis,* cui etiam *Virtus*, id est, Fortitudo tribuatur, sicut Filio *Sapientia*, Spiritui Sancto *Bonitas.* Comment. in Evang. Tract. VIII. super verba: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* &c. Corn. à Lapide Comment. in hunc locum per *Virtutem Altissimi fortitudinem, roborem, & omnipotentiam DEI* intelligit. Ejusdem sententiæ est Toletus in Lucam. Joh. Maldonatus, Lojolita, Comment. in h. l. *Spiritum Sanctum* interpretatur: quam sententiam *non incongruam* esse, dicit Cornel. à Lapide d. l. Huic posteriori sententiæ quam plurimi tam ex Veteribus, quam recentioribus pollicem premunt, quorum catalogum annotare non vacat: *longæ enim sunt ambages, ideo summa sequar vestigia rerum.*

§. 2. Ex hac igitur opinionum congerie, quænam maxime sit eligenda, & verisimilioribus nitatur rationibus, ulterius disquirendum est. Carthusianus quidem, & Cornel. à Lapide, aliique nihil contra *analogiam fidei* asserunt, per *Virtutem Altissimi* DEUM omnipotentem Patrem, ejusque fortitudinem & virtutem concipientes. Sicuti enim *opera ad extra Trinitatis sunt indivisa*, juxta Theologorum effatum, ita omnino DEUS Pater virtute indivisa ac essentiali, cum Filio & Spiritu Sancto ad opus conceptionis & incarnationis τοῦ λόγου divini concurrit: & quidem *virtus* DEO Patri tribuitur, *ut principio, à quo est Filius & Spiritus Sanctus*, uti disserit Franciscus Toletus Comm. in Luc. hinc non incommode *Virtus Altissimi* tribueretur h. l. DEO Patri, qui alias in Sacra Scriptura vocatur *DEUS fortis, robustus, potens, validus.* vid. Jes. 1: 24. Psalm. 89: 9. & 81: 2. Neque contra ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων est locutio illa, qua *Virtutem Altissimi* esse Spiritum Sanctum affirmatur. Eadem enim ratione, qua Pater, etiam Spiritus Sanctus vocatur *Virtus Altissimi.* Quia enim Pater & Spiritus Sanctus eadem gaudent essentia indivisa, eandem quoque, necesse est, habeant potentiam ac virtutem; quippe quæ essentiæ Divinitatis simplicissimæ est *identificata*, (ut Scholastici exprimunt,) quin expresse vocatur Spiritus Sanctus δύναμις ἐξ ὕψους, Luc. 24: 49. quod explicatur per Spiritum Sanctum, Actor. 1: 8. Non incongrue igitur hoc modo Spiritus Sanctus diceretur *Virtus Altissimi*, qui de Cœlo descendit, & quodam quasi ἐπισκιασμῷ Virginem, etiamsi à viri contactu alienam permanentem, *maritavit*, atque fœcundavit, ut Prudentius canit:

—— —— Virtus divina puellam
Sincero afflatu per viscera casta maritat.

§. 3. Quanquam itaque hæcce interpretamenta satis ὀρθοδόξως proponantur, illam tamen sententiam, quæ per *Virtutem Altissimi* intelligit *Filium DEI*, secundam Trinitatis personam, tanquam textui convenientiorem & probabiliorem præferendam esse ducimus. Quam etiam tenent ex veteribus, Chrysostomus, Ruffinus, Beda, Damascenus, Theophylactus; è recentioribus vero B. Chemnitius & Lyserus in Harmon. Evangel. B. Gerhardus in Exegesi, B. Feurbornius fasc. III. Disp. VII. B. Meisnerus in Theolog. Photiniana cap. IV. B. Quistorpius in h. l. B. Beringius Theol. Gryphiswald. Disp. de Union. hypost. Myst. th. 10. aliique plurimi. Fundamentum autem assertionis hujus ex ipsius textus visceribus eruitur, &, σαφηνείας ἕνεκα, cancellis Syllogisticis includi potest hoc modo: Quæcunque à se invicem separat & distinguit particula causalis διὸ, in illa non eadem cadit denominatio & significatio. Atqui verba illa: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, separat & distinguit particula διὸ. E. Minime eandem important significationem. Minor probanda, pauloque latius diducenda est. Postquam Gabriel ad Virginem dixisset: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit Tibi*; immediatis lineis subjecit: *διὸ propterea etiam, quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Ubi particula διὸ, quæ respondet Ebræorum כי, *causaliter & ratiocinative* capitur, quæ digito quasi extenso innuit, propterea *Sanctum* illud, quod ex Maria nasciturum esset, vocari *Filium DEI*, quia substantialis DEI Virtus, ὁ λόγος, per mirabilem obumbrationem, carnem in B. Virgine, & ex illa assumturus esset. Non autem ideo *præcise* vocatur *DEI Filius*, quod Spiritus Sanctus supervenerit in τὴν Θεοτόκον, alias dixisset Angelus: *Sanctum, quod ex te nascetur, vocabitur Filius Spiritus Sancti*, uti contra Photinianos recte arguit B. Meisnerus, & Christus hoc pacto vocaretur *Filius Spiritus Sancti*, & Spiritus Sanctus *Pater Christi*, de qua locutione quid sit sentiendum, legi potest apud B. Gerhard. Exegesi §. 107. & B. Friedlibium Observat. in Harm. Evang. Class. VII. quæst. XVIII. Superventus igitur Spiritus Sancti denotat saltem præparationem, dispositionem, & sanctificationem uteri materni, massæque sanguineæ, ex qua ἅγιον illud natum est, purificationem, quibus præexistentibus, deinceps *Virtus DEI substantialis* obumbravit Mariæ, ἐξαιρέτῳ καὶ ἀνεξιχνιάστῳ τρόπῳ, & membra ac viscera humana sibi construxit in ea, ut *Filius DEI* vocaretur *Sanctus ille uteri materni fructus*, rationem reddente ipsomet Angelo.

§. 4. Ulterius assertio nostra cum *analogia fidei & scopo Angeli* aptè concordat, cum hæc proprie intentio fuerit Angelica, quo *manifestaretur DEUS in carne*, 1 Tim. 3: vers. 16. ejusque manifestationis & ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου secre-

secretum augustissimum hominibus pateficret. Voluit utique genius cœlestis operationem singulam singulæ personæ Trinitatis, quam ad conceptionem contulerunt, miro servato ordine exprimere, cum Spiritum Sanctum ἐπελεύσει divina, Filium DEI, *Virtutem illam Altissimi*, ἐπισκιασμῷ ad θαυματουργίαν hanc ineffabilem concurrere prædicat. Neque Pater æternus longius absuit, cujus quasi consilio & decreto ὁ λόγος carnem humanam assumsit, genusque humanum eidem reconciliavit: ideo mentio etiam fit *Altissimi* ὑψίστου & *DEI*, cujus Filius dicitur *Sanctum* illud, quod ex Maria nascitur. *Vide ergo*, inquit Ruffinus in exposit. Symbol. *cooperantem sibi invicem Trinitatem. Spiritus Sanctus venire dicitur super Virginem, & Virtus Altissimi obumbravit ei. Quæ est Virtus Altissimi, nisi ipse CHRISTUS, qui est DEI virtus & Sapientia? Cujus autem est hac Virtus? Altissimi. Adest ergo Altissimus, adest & Virtus Altissimi, adest & Spiritus Sanctus.* Ut ita hac ratione mira τάξει operatio cujuslibet Trinitatis personæ enumeretur, & actio singularis, quam exercuerunt in opere conceptionis θεανθρώπου. Neque abhorret etiam idiotismus Sacrarum literarum, quin Filius DEI appellitetur *Virtus DEI*. Expresse enim Paulus 1. Corinth. 1: 24. illum vocat Θεοῦ δύναμιν, *Virtutem DEI*. Sic Esai. 9: 6. vocatur אֵל גִּבּוֹר, *DEUS fortis*, qui maxima virtute ac potentia pollet. De quo nomine latius disserentem vide B. Glassium Onomatol. Mess. Prophet. p. m. 25. Vocatur etiam *Virtus DEI*, quoniam à Patre genitus est ab æterno, non secus atque primogenitus appellatur in Scripturis *prima virtus & fortitudo parentis*, Genes. 49: 3. Deuter. 21: vs. 17. vid. B. Meisn. d. l. Cum itaque appellatio *Virtutis DEI* in Scripturis Sacris τῷ λόγῳ competat, & scopus Angeli, textusque ἁρμονία hoc ipsum evincat, quid obstat, quo minus hic *Virtutem Altissimi* recte interpretari possimus Filium DEI, secundam Sacrosanctæ Trinitatis personam?

§. 5. Verum obtendunt quidam, & dicunt, verba illa: *Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, esse ἐξηγητικῶς posita, ut explicent & dilucidius reddant proxime antecedentia. Resp. Quin hæc repugnant orationi Angelicæ, contextuique, qui aliud omnino evincit, ut dictum superius est. Deinde in Sacris literis verba ἐξηγητικὰ nunquam solent esse declarandis obscuriora. Clariora autem omnino esse videntur verba illa: *Et Spiritus sanctus superveniet in te*; obscuriora vero illa: *Et Virtus Altissimi tibi obumbrabit.* Quod etiam patet ex dissensione Interpretum super his, consensionem vero super illis Gabrielis verbis, quibus in annunciatione mysterii usus est. B. Meisn. ταυτολογίαν esse disputat, si per Virtutem Altissimi in verbis Gabrielis intelligas Spiritum Sanctum. Neque officit, *particulam καὶ copulativam intercedere, quæ connectat unum alteri commati*, cum usus illius particulæ etiam in Scriptura sit distributivus vel disjunctivus. vid. Actor. 13: 27. & cap. 22: 17. Rom. 11: 33. Reliqua ἐγκλήματα videbimus ἐν τῇ συμφιλολογίᾳ.

§. 6. Relinquitur ergo, per *Virtutem Altissimi* hoc loco intelligendum non nisi Filium DEI, τὸν λόγον ὑποστατικόν, qui de Cœlo descendit in uterum B. Mariæ, illique ἐπισκίασε, ut posset ingressum divinum sustinere, materiamque præbere corpori ac membris Filio DEI, quæ in ea assumsit. Et quidem vocatur *Virtus Altissimi*, ubi notetur, quod Hebraismus in ista voce lateat. *Altissimus* enim Ebræis est עֶלְיוֹן, & singulare epitheton, quod DEO tribuitur in sacro fonte. vid. Genes. 14: 18. Pro quo Scriptores Novi Testamenti usurpant ὕψιστος, usitatum pro ὑψηλότατος, quod significat *excelsum & altissimum*, ut h. l. item Actor. 7: 48. *Altissimus* qui vocatur, illum Angelus interpretatur *DEUM*, ut ita per *Altissimum* rectissime indigitetur omnipotens DEUS Pater, *qui in plenitudine temporis misit Filium suum*, γενόμενον ἐκ γυναικός, *factum ex muliere*, Gal. 4: 4.

CAPUT III.

Quod expendit obumbrationis rationem, modum & usum.

§. 1.

Conceptio τοῦ λόγου substantialis ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον est, 1 Timoth. 3: 16. in cujus delineatione, pio studio, sedulo ruminanda ac rimanda sunt verba κατ' ἔμφασιν, quæ Legatus cœlestis in secreto hoc manifestando adhibuit. Quia igitur proxime præcedenti capite sufficienter dictum, quidnam intelligendum sit per *Virtutem Altissimi*, restat porro dispicere, ecquid importetur notione *obumbrandi*. In Originali Græco est ἐπισκιάζειν, quod in Sacris literis accipitur (1) de *generali DEI protectione*, quæ se extendit ad omnes creaturas, quas non tantum Pater almus in esse simpliciter, sed etiam in esse conservativo fovet, defendit ac protegit. Quomodo etiam venit sub nomine *umbræ & alarum*, uti Psalm. 17: 8. & 91: 1. (2) Accipitur *specialiter*, pro peculiari ac singulari præsentiæ & operationis DEI modo ac ratione. Sic Deuteron. 33: 12. DEUS σκιάζει ἐπ' αὐτῷ. Exod. cap. 40: 35. operuit nubes tabernaculum, & non potuit Moses ingredi tabernaculum, ὅτι ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν νεφέλη. vid. Numeror. 9: 22. Matth. 17: 5. Marc. 9: 7. Actor. 5: 15. Hæc posterior significandi ratio h. l. quoque attendenda; maxime enim peculiaris & mysticus modus præsentiæ, operationis, & protectionis divinæ est, quando de *Virtute Altissimi* dicitur, quod *obumbrarit* B. Virgini. Neque satis iste modus *obumbrandi* in hac mortalitate explicari potest, cum intellectum Angelorum, & omnium hominum fugiat. *Introgressa est*, inquit B. Athanas. Serm. de Sanctiss. Deipara, *divina Filii essentia, adeo ut nec ipsa Virgo hæc cognoverit: cognoverit autem DEI Filius, quo pacto introierit.*

§. 2. Quemadmodum autem legimus, DEUM, lumen clarissimum, cum semet in Veteri Testamento manifestare & ostendere voluit hominibus, hoc perfecisse mediante nube quadam, quæ inumbravit templum, in quo semet repræsentavit: ita hoc loco etiam, cum Filius DEI Mariam Virginem, templum sanctissimum, ingredi constitueret, nubem veluti quandam objecit, ut posset ipsius præsentiam splendidissimam perferre. Hinc est, quod B. Virgini admiranti & scrutanti Gabriel respondit: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, ἐπισκιάσει σοι, id est, *suam potestatem tuæ capacitati contemperabit, ut ejus influentiam ferre queas. Itaque non secundum suam plenitudinem claritatis suæ immensam tibi irradiabit, sed velut umbram suæ resplendentiæ, causans in te, effectum potestatis suæ exercebit in te proportionabiliter, ad tuam declivitatem, faciendo in te immediate per se, quod in aliis efficit per viri causalitatem seu formativam virtutem*, uti παραφράζει Dionysius à Rickel, Carthusianus, in Commentar. suo ad hunc locum. *DEUS inhabitat lucem inaccessibilem*, 1 Tim. cap. 6: 16. & est *ipsa lux vera*, Johann. 1: 9. qui splendore suæ essentiæ omnia adimplet clarissime, structurisque splendentibus cuncta ferit; hinc creatura Creatorem, quoad immediatam suam lucem, & radiationem cœlestem, capere nequibat; immensitatis infinitæ incapax erat domicilium finitum: medium igitur quoddam & *influentiæ cœlestis* modum, naturæ *Deiparæ* proportionalem, Filius DEI accommodavit, quo veluti per *umbræ resplendentiam* sese immitteret in uterum Virginis, ex ipsiusque sanguine sanctificato per *obumbrationem* miraculosam corpus humanum assumeret. Idipsum igitur accipitur per vocem *obumbrationis*, quod Syrus Paraphrastes quidem effert per ܢܛܠܠ, quod respondet Ebræo צֵל, & significat *protectionem*: ἐμφατικώτερον tamen & magis mysterio conceptionis aptius vocabulum Euangelista in textu Græco habet, scil. ἐπισκιάζειν, quod prorsus singularem & mysticum præsentiæ, operationis & defensionis modum importat, cum illud Syri generalis proprie protectionis significatione gaudeat. Ad ἔμφασιν vero τοῦ ἐπισκιάζειν exprimendam possunt conferri loci illi Veteris & Novi Testamenti, quæ adduximus superius; atque huc omnes apparitiones referendæ, in quibus DEUS in *nube apparuisse* dicitur, *illæ enim fuerunt Symbola ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου, in plenitudine temporis subsecutæ*, docente B. Gerhardo l. d.

§. 3. Metaphora autem desumpta est ab umbra, quæ ex objecto lumini corpore resultat, & aliquid non in splendore lucis, sed effulgentia luminis, tenebris quasi obsita, repræsentat. Cujus applicationes varie & apposite excogitarunt Dd. Patres, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Athanasius*, *Origenes*, *Bernhardus*, & *Gregorius Nyssenus*, quas prolixe recensent Cardinalis Toletus Commentar. in Luc. Cornel. à Lapide in Lucam, & Sebast. Barradius Comment. in Concord. & Histor. Euangelicam. Alfonsus Salmeron Comment. in Euangel. Histor. & Actor. Apostol. Tom. III. Tract. VIII. applicationem hujus metaphoræ ad conceptionis mysterium facit ex quadruplici umbræ officio, ex quo obumbrationem hanc cœlestem *Virtutis Altissimi* super ἀειπαρθένον ostendit, & per applicationem cujuslibet ita declarat. 1. *Umbra protegit, recreat, & defendit.* Unde Psaltes ad DEUM orat: *umbra alarum tuarum protege me.* Sic etiam *umbra hederæ Jonam Prophetam defendit ab ictibus Solis*, Jon. 4: 6. Huic umbræ officio *obumbrationem Virtutis Altissimi* si accommodes,

modes, prædicationis Angelicæ hic erit ſenſus: *Virtus Altiſſimi tanquam nubes quædam omnem æſtum arcebit, ne ulla ex parte lædatur ac violetur virginitas.* Sic quoque, ne B. Virgo ſuſpecta eſſet adulterii, & quaſi cum viro conſueſceret, diffamaretur, *Virtus Altiſſimi obumbrabit illam*, id eſt, *defendit ſua potentia*, uti explicat Theologus celeberrimus, D. Friedlibius Obſervat. in Harmon. Evangel. Lib. I. Claſſ. I. 2. *Umbra facit videre, quod nimius Solis ſplendor viſui adimebat. Similiter & Dominum ſibi carnem condentem primum illam delineaſſe in utero Virginis, ac deinde illam figuraſſe, quidam Patrum interpretati ſunt. Sicut pictor primum delineat, deinde perfectos & vivos colores inducit: ita etiam primum fœtus uteri virginalis adumbratus quaſi fuit, ut poſtea in ſumma lucis præſentia ſpectari potuerit.* 3. *Umbra non inquinat, neque dividit, quod tangit: ita hæc nubes obumbravit Virginem, ut illam neque inquinaverit, neque diviſerit aut aperuerit*, (utrum Filius DEI utero clauſo, quod volunt *Hieronymus*, *Gregorius Nyſſenus*, & alii priſci Patres, quibus aſſentiuntur plerique ex Pontificiis; an vero clauſtris virginalibus ruptis natus fuerit, ut aſſerunt *Tertullianus* Lib. de Incarn. Chriſt. cap. XXIII. *Hilarius* Lib. II. de Trinit. & ex recentioribus permulti, de eo videri poſſunt B. Chemnit. Harm. Evang. c. VIII. B. Gerhardus Confeſſ. Cathol. Lib. I. Gener. part. I. cap. I. Reſp. ad arg. Adverſ. XIV. & B. Friedlibius Obſervat. in Harm. Evang. Lib. I. Claſſ. VII. item Apologia contra Maſſonium pag. 19, 20.) *aut gravaverit, verum ſummo modo protexerit, atque ab omni immunditiæ genere præſervaverit*, (de qua hypotheſi præſervationis Mariæ à peccato originali, ſive immaculate conceptæ quid ſentiendum ſit, innuimus cap. I. §. 3. Diſſertationis hujus.) 4. *Umbra fit ex corpore objecto luci. Ut igitur umbra ex objecto corpore lumini efficitur: ita Verbum, quod eſt illa lux, QUÆ ILLUMINAT OMNEM HOMINEM, Joh. 1: 9. aſſumtione corporis umbram quandam ſive umbraculum facit, ut exponit Gregorius M. & Ambroſius Libro de iis, qui myſteriis initiantur.*

§. 4. Ex quibus hunc in modum diſputatis liquet oppido, quam mira harmonia congruat ad ſecretum conceptionis & ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου ſubſtantialis verbum illud *obumbrandi*, quo uti voluit Gabriel in declarando myſterio divino plane ac ſupernaturali. Vix ſane commodiorem voculam adhibere potuit Angelus, qua hominibus conceptionem DEI Filii adumbraret, & quodammodo intellectui humano exponeret. Nihil in ea latet obſcœnitatis, nihil turpitudinis, nihil denique quod caſtas ac pias aures tundat, adeo *ut qui neſcio quid turpe hoc loco ſignificari ſomniant, non ſolum parum religioſi, ſed pene impudentes videantur. Nam Græcum verbum* (ἐπισκιάζειν) *contrariam habeat ſignificationem, neceſſum eſt: ubi id Angelus ajebat, ut omnem non ſolum turpitudinem, ſed omnem etiam turpitudinis ſpeciem à caſtiſſimo Virginis animo, & de virginitate ſua ſervanda ſollicito removeret*, uti recte diſſerit Jeſuita Joh. Maldonatus in h. l. Nil aliud itaque ſub voce ἐπισκιάζειν concipiendum, quam τοῦ λόγου ſubſtantialis caſtum, in caſtam Virginem illapſum ac ingreſſum, ex cujus guttis ſanguineis carnem humanam ſibi aſſumſit; *ſuperveniente Spiritu Sancto*, οὐ σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς, uti Damaſcenus loquitur Lib. III. de Orthod. Fid. cap. II. οὐδ᾽ ἐκ συνουσίας, ἀλλὰ δυνάμεως, ut eſt apud Juſtinum. Caſta itaque Gabrielis mens, & Metaphora qua uſus eſt, caſte applicanda ad negotium conceptionis miraculoſum, ne extra chorum piæ explicationis vitioſe ſaltes. Hinc Cornel. à Lapide Toletum, Jeſuita Jeſuitam, Comment. in Luc. flagellat, & *nimis craſſam atque caſtis auribus parum pudicam* eſſe dicit illius interpretationem, quæ hæc eſt: *Virtus Altiſſimi te amplexabitur, & ſua virtute fœcundam efficiet, ſicut vir fœminam obumbrat, & fœcundat in opere generationis.* Sic etiam Barradius Comment. in Concord. & Hiſt. Evangel. Lib. VI. cap. IX. *caſtas obradere aures*, dicit Janſenii, & hujus quoque Pontificii, Epiſcopi videl. Gandavenſis, explicationem, ſcribentis, *DEUM Patrem in admiranda hac conceptione locum obtinuiſſe generantis; Spiritum vero Sanctum locum ſeminis virilis, ſecundum vim effectivam. Item, Spiritum Sanctum loco ſeminis ſuperveniſſe: Virtutem Altiſſimi, i. e. Patris potentiam obumbraſſe, i. e. ſanctiſſimam complexam eſſe Virginem, ut maritus ſolet: & per Spiritum Sanctum effeciſſe, quod ſolet per corporale ſemen efficere vir.* Sic & Conrad. Vorſtius, Photinianizans, (quem citat B. Gerhardus Exegeſ. Loc. IV. §. 88.) *Spiritum Sanctum in CHRISTO homine formando ſeminis viri, imo ipſius viri vicem ſuppleviſſe, neque quicquam in hac generatione CHRISTI præter actionem & ſemen viri defuiſſe*, blaſpheme ſcripſit.

§. 5. Sobrie itaque ac pie applicationes, metaphoræ obumbrationis, ab umbra deſumptas conficiamus, quæ vel à quadruplici umbræ officio, à *Salmeronio* indigitato, vel ab aliis ſimilitudinibus, quæ non ſint contra analogiam fidei, ne caſtas aures offendant, depromendæ. Cornel. à Lapide Comment. in h. l. *appoſite* ἐπισκιάζειν, *i. e. obumbrare*, ait, *accipi poſſe cum Maldonato, quaſi reſpondeat Hebr.* ענן, *i. e. obnubilare, h. e. pro impluere: nubes enim gignit pluviam; hinc per umbram & nubem ſignificatur pluvia.* q. d. *Sicut nubes per pluviam, quam effundit, terram obumbrans fœcundat: ita Virtus Altiſſimi te, ô Virgo, obumbrando fœcundam efficiet. Videtur enim alludere ad illud de CHRISTO Pſal. 71: 6. Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Ejuſdem monetæ ſimilitudo poſſet deſumi ex Judic. 6: 38. Sicut enim ibi Dominus Zebaoth rore æthereo conſperſerat vellus Gideonis: ita hic etiam *Virtus Altiſſimi* rore ſuo cœleſti ac divino contexit ac obumbravit ἀειπαρθένον, quod *ſane illud ſignum novum eſt, quod creaturus erat JEHOVAH ſuper terram; fœminam ſcilicet circumdaturam eſſe virum*, Jerem. 31: vſ. 22. Quem locum omnino de conceptione λόγου ſubſtantialis, DEO Patri ὁμοουσίου, intelligendum eſſe, prolixe oſtendunt B. D. Joh. Tarnovius Exercit. Bibl. pag. 294. ſeqq. & B. D. Dorſceus Pentadec. Diſſertat. Theolog. Diſſert. III. Quod autem ex ſua ſententia adjicit Cornel. à Lapide d. l. *ſimili ſchemate Poëtas fingere, Jovem converſum in aureum imbrem, illapſum Danaæ, ex ea genuiſſe Perſeum*; approbare non poſſumus, cum fabulæ iſtæ tam longis diſtent paraſangis ab hoc myſterio divino, ut ne quidem cum illo in aliquo tertio comparari poſſe, pio judicio cenſeamus. Sanctius Jeſuita Comment. in Cant. Cantic. cap. II. ſuper verba: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi*; modum hujus obumbrationis cœleſtis arceſſit ex antiquis ritibus Ebræorum, ubi mos erat, ut ſponſa nuptialibus ornamentis inſtructa, nuptiæ fierent, linteo & velo ſupra caput novorum conjugum ſuſpenſo. Quem ritum expreſſiſſe Ezech. videatur cap. 16: 8. ubi Dominus ſuper illam, quam ſibi deſponſarat, dicit ſe expandiſſe amictum ſuum. *Hinc intelligitur*, (pergit Sanctius,) *quid ſit obumbrare alicui, nempe ſuper ſponſam pallium extendere, i. e. cum ipſa conjugium inire ſolemni ritu. Ex quo apparet, quid ſit illud* Luc. 2: 35. *Et Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: neque enim aliud eſt, quam Spiritum eſſe B. Virginis ſponſum futurum*; (ubi τὸ *obumbrare* referre videtur ad Spiritum Sanctum, quo de ſuperius.) *Et hic adferri poſſet, quod Ruth. 3: 9. exſtat, ubi Ruth ad Booz dixit*: expande pallium tuum ſuper famulam tuam: *Ita etiam Dominus* fecit magnalia *Mariæ, illam obumbrando, & fœcundando, ut conciperet in utero, atque pareret* Sanctum, quod Filius DEI vocatum eſt, Luc. 1: 35. Ita Sanctius, de cujus ſententia quid habendum ſit, alii diſpiciant.

§. 6. Nos pergimus ad USUM, quem ſubinfert vocula ἐπισκιάζειν, *obumbrare*, qui eſſe quintuplex poteſt:

I. *Enim deducit nos ad admirabilem divinæ & humanæ naturæ in CHRISTO unionem.* Sicut enim umbra exprimitur per lumen (licet debilitatum ac minutum) & corpus: ita etiam Filius DEI, lux clariſſima, naſcitur in utero Virginis, atque veluti umbraculo interpoſito humanam adſumſit naturam. Non equidem minuitur lux clariſſima, verum ad tempus veluti ſub umbra latet, &, ut rectiſſime Auguſtinus Tract. XXXIV. in Joh. ait: *nube carnis tegitur, non ut Sol divinæ lucis obſcuretur, ſed ut temperetur.*

II. In voce obumbrationis innuitur *divinæ majeſtatis & gloriæ in CHRISTO apparitio.* Sicuti enim DEUS in Vet. Teſtam. quando hominibus ſemet manifeſtaturus erat, nubem vel nubeculam quandam interpoſuit, quo lucem ſuam quaſi refractam tunc videre poſſent: ita etiam, ut Virtus Altiſſimi obumbraret Virgini, exque illa carnem aſſumeret, hoc peregit ſub umbræ quodam ſchemate, quo unio divinæ naturæ ac humanæ in una hypoſtaſi fieri poſſet.

III. *Peculiaris totius Trinitatis in hoc myſterio operatio* indigitatur. *Spiritus Sanctus enim ſupervenit* in εὐλογημένῃ ἐν γυναιξὶ, Luc. 1: 28. illique *Virtus* (Filius DEI) *Altiſſimi* (DEI Patris) obumbravit.

IV. Τὸ ἐπισκιάζειν *fructificationem incarnationis maximam oſtendit.* Totum genus humanum, per τῶν πρωτοπλάστων delictum, Deum Patrem iratum, & quaſi ignem conſumentem ſibimet reddidit; ſed *Filius DEI incarnatus præſtat nobis umbraculum, ne ab igne iræ divinæ propter peccata abſumamur*, ut loquitur B. Gerhard. Exegeſ. Loc. IV.

V. Tandem nomen obumbrationis viam nobis monſtrat *ad ſeriam à temeraria perſcrutatione dehortationem.* Quod λόγος, DEO Patri conſubſtantialis, *miſſus ſit in ple-*

plenitudine temporis, γενόμενος ἐκ γυναικὸς, *factus ex muliere*, (ut reddit Beza,) Galat. 4: 4. revelatum nobis est, modum autem ἐνσαρκώσεως istius in hac peregrinatione cognoscere perfecte & plenarie non datur. *Propter hanc enim causam utitur Angelus verbis superveniendi & obumbrandi, quorum emphasin & proprietatem non assequimur satis, ut ipsis vocabulis admoneamur, à scrutatione mysterii incarnationis* (curiosa & temeraria) *abstinendum esse*, graviter scribit B. Chemnitius Harmon. Euangel. cap. IV. Conf. B. Gerhard. in Exeges. Loc. IV. §. 1. & 105. Cum itaque *Virtus Altissimi* umbraculum interposuerit, & nos ulterius in conceptionis mysterii divinissimi modum non scrutaturi sumus, sed meditationes pias, pro temporis angustia, ad umbilicum ducemus, si prius paucis catalogum hæreticorum, qui articulum hunc fidei augustissimum, malo perciti œstro, infestant, enumeraverimus.

§. 7. In acie locantur *Docitæ* seu *Phantasiastæ*, ut fuerunt *Cerdon*, *Marcion*, *Manes*, *Apollinaris*, &c. qui putarunt, *Christum* carnem habuisse κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν. vid. B. Micræl. Lib. II. Syntagm. Hist. Eccl. Sect. I. quæst. XXXVII. Philastrius Lib. de Hæres. cap. XXI. de *Marcione* Pontico refert, quod docuerit, *Christum putative apparuisse*, i. e. *quasi per umbram*. Quæ blasphemia refellitur Joh. 1: 14. Galat. 4: 4. Philipp. 2: 7. De *Valentinianis* Irenæus Libr. I. advers. hæres. cap. I. scribit, quod statuerint, *Christum per Mariam transiisse, sicut aqua transit per canalem.* Quorum μορμολυκεῖον prosternit Scriptura Sacra, quæ non tantum Christum asserit natum esse *in Maria*, Matth. 1: 20. verum etiam *ex Maria*, vs. 16. Sic Luc. 1: 31. dicitur, quod Maria conceptura ἐν γαστρὶ in utero Filium. Conf. Rom. 1: 3. & Galat. 4: 4. Cum *Valentinianis* sentiunt *Anabaptistæ*, *Svenckfeldistæ*, & *Methistæ*, cum quibus colludere Photiniani videntur. Vide Valent. Smalcium in Exam. CLVII. Error. err. XVIII. pag. 8. *Apollinaristæ*, Filium DEI initium originis sumsisse à Virgine, sic tamen, ut carnem de cœlo in uterum Mariæ deportarit, docuerunt. Idem sentiunt *Weigeliani*, *Anabaptistæ*, *Paracelsistæ*, aliique fanatici. *Ebionitæ*, *Cerinthiani*, & *Carpocratiani*, *Christum ex congressu maritali conceptum & natum esse*, blasphemo despumarunt ore, contra Angeli cœlitus demissi verba, Luc. 1: 35. *Gnosticorum* & aliorum hæreticorum somnia circa articulum de conceptione JESU videri possunt apud Historicos Ecclesiasticos. Conf. Micræl. Hist. Eccl. Lib. II.

FRANC. BARINGII
DISSERTATIO
De ΠΙΝΑΚΙΔΙΩ Zachariæ, ad Luc. I: 63.



Uotiescunque vinculum humanæ Societatis perpendimus, toties ejusce facultatis, qua animi sensa invicem communicentur, necessitatem animadvertimus. Ea autem facultas vel *sonis* qui *audiantur*, vel *figuris* quæ *videantur*, exercetur, iisque duabus viis abscondita cæteroquin mentis cogitationes in lucem & cognitionem producit: quod eleganter ostendit πολυμαθέστατος Scaliger de caussis Linguæ Lat. c. 66. Ademta facultas altera cum non sine omine Zachariæ, patri Johannis, fuisset, ipseque κωφὸς *mutus* nomen filio imponendum voce jubere non posset, altera tamen Deo volente superfuit, & per literarum scriptas ἐν πινακιδίῳ figuras mentem suam patefecit. *At enim*, ut gravissime Tertullianus lib. de Idol. *Zacharias, temporali vocis orbatione mulctatus, cum animo collocutus, linguam irritam transit, manibus suis à corde dictat, & nomen filii sine ore pronunciat, loquitur in STYLO, auditur in CERA, manus omni sono clarior, litera omni voce vocalior.* Miscebimus utile dulci, si scribentis Zachariæ apparatum scriptorium, mirante antiqua oculo, attente intueamur. Duo hic sese offerunt I. instrumentum quo scripserit. II. materies, in qua scripserit. Injiciamus oculos in utrumque.

SECTIO I.

De instrumento scribendi.

I. MOdi omnes, quibus Veteres ad scribendum usi, queunt ad duos revocari, pro ratione videlicet instrumenti: Siquidem vel *calamis arundineis* ad pingendum in foliis, libris arborum &c. vel *stylo* ad incidendum in saxis, metallis, tabulisque (ligneis quidem, sed ceratis) usi fuerunt. E posterioribus Πινακίδιον id est, Tabellam sibi postulat Zacharias, uti deinceps docebimus: Ergo & Stylum, quo, quid fieri exoptet, in tabella exprimat. *Stylus* itaque non Calamus, est instrumentum illud, quod in hoc loco invenimus & contemplationi nostræ subjicimus.

II. Πολύσημον & variæ interpretationis est Styli vocabulum. Denotat enim στύλος 1. proprie & primario columnam in ædificiis, qua domus στάει sive ἵστησι *stat.* Hac ratione ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος ait Apoc. 3: 12. ὁ νικῶν ποιήσω αὐτὸν στύλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου. *Qui vincit, faciam ipsum columnam in templo Dei mei.* Elegans etiam est hoc sensu Euripidis sententia in Iphigen. Taur. vs. 57. Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες: *Columnæ familiarum sunt filii masculi.* 2. metaphorice, scribendi seu incidendi instrumentum, quia hoc columellæ instar sit, ejusque figuram habeat. Græci vix ita suam vocem accipiunt, sed Latini frequenter. e. g. Plautus Bacchid. *effer cito. P. Quid? C. STYLUM, ceras, tabellas & linum.* 3. Metonymice, structuram orationis, stylo nempe exaratam; apud Terent. in Prologo And. *Dissimili oratione sunt facta ac stylo.* 4. Characterem dicendi peculiarem. Meminit Strabo l. 14. τοῦ λεγομένου Ἀσιανοῦ στύλου, *Styli, quem Asiaticum vocant.* 5. perticam, in Vet. Lex. & 6. clavum, apud Vitruv. de quibus vid. Thesaurum Stephani. Ex hisce omnibus, nobis hac vice sermo est de Stylo, cum per Metaphoram pro scribendi seu incidendi instrumento accipitur.

III. Habet autem Styli nomen primam originem ex Græcorum antiquato στάω, pro quo nunc ἵστημι receptum, quia ratione primæ significationis, quam dedimus, ædificium *stare* facit, & suis veluti humeris suffulcit. Quare etiam jure merito inter derivata istius Verbi à Lexicographis collocatur.

IV. Stylus apud Latinos aliis etiam nominibus persæpe audit, & *Cœlum* à cœlando Auson. epigr. 56. *Cæltes* autem ab eadem orig. Grut. Inscript. pag. 329. Etiam *Graphium* vocatur. Ovid. I. Amor. eleg. II. *Quid digitis opus est Graphium lassare tenendo.* Quod nomen à Græcis est, qui uti στύλον, ita etiam γραφίον & γραφῖδα appellarunt, à γράφειν *scribere.* Sed γραφίον & γραφὶς non pro stylo tantum, sed latius etiam, pro calamo seu alio scribendi instrumento accipi possunt. Synonymum magis proprium in Græcis est γλυφεῖον, vel uti quandoque legitur γλύφιον, à γλάφειν *Sculpere*, *Effodere.* Hebraice עֵט־בַּרְזֶל à Jobo cap. 19: 24. nominatur. עֵט idem est quod γραφεῖον, sed quia בַּרְזֶל *ferrum* additur, recte LXX. γραφεῖον σιδηροῦν & Lutherus ein eisern Griffel interpretati sunt, ut præcise stylus ferreus intelligatur.

V. Mate-

V. Materiam, ex qua styli ad scribendum formati, vel Metalla, vel animantium Ossa præbuerunt. *Primo*, styli erant *ferrei*. Sic in vetustissimis temporibus העט ברזל styli *ferrei* meminisse Jobum, th. 4. audivimus. Et juxta Isidorum lib. 6. Orig. cap. 9. *Græci & Thusci primum FERRO in ceris inscripserunt.* Cumque aliquando σιδηροφορεῖν, gladios & pugiones gestare prohibitum esset, adeoque stylis seu graphiis ad vulnerandos alios abuterentur, etiam stylorum ferreorum usus prohibitus fuit, juxta legem: *Ceram ferro ne cadito.* Namque *Antyllus*, apud Plutarchum in Gracchis, dicitur γραφείοις μεγάλοις κεντέμεν@, ἐπ' αὐτὸ πεποιῆσθαι λεγομένοις *graphiis magnis confossus, qui eum in finem comparati dicebantur.* *Secundo* itaque Styli facti sunt *ossei*. Id docet T. Quinctius Atta in Satyra, his verbis: *Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus OSSEO.* *Tertio* autem cessante sensim illius legis observantia, iterum fuere *ferrei*. Quamobrem Martialis lib. 14. epigr. 21. *Hæc tibi erunt armata suo graphiaria FERRO.* Cum usu ferri, rediit etiam abusus & periculum. De Julio Cæsare Tranquillus ait: *quod Cassii brachium arreptum graphio trajecerit. Erixonem, equitem Romanum,* teste Seneca lib. 1. de Clem. c. 14. *quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis occidit.* Inter Christi beatos martyres Cassianus his veluti pugionibus à discipulis sceleratissimis confossus fuit. Quod scelus Prudentius περὶ στεφάνων Hymno 9. ita cecinit:

Inde alii stimulos & acumina FERREA vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area,
Hinc foditur Christi confessor & inde secatur. &c.

Ex quibus omnibus colligimus Zachariæ nostri tempore styli ferrei usum obtinuisse, eumque adeo in scribendo Johannis nomine, *FERREUM* adhibuisse arbitramur.

VI. Formam instrumenti nostri quod attinet, non inconcinne eam depingit Symposius Ænigm. 1. his de Stylo versiculis:

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor utrinque manu, diverso & munere fungor;
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.

Nempe si quis scripturus manu Stylum teneat, altera pars inferior est; superior altera. Inferior acuta erat, & *acumen* vocabatur, quod tum ex allegato antea Prudentii Hymno, tum è verbis Cic. I. de Orat. clarum est: *Omnia sub ACUMEN Styli subeant necesse est.* Superior erat obtusa & plana, qua literas jam scriptas, si displicerent, abolere & ceram rursum complanare solebant, vertentes videl. manu instrumentum, & partem superiorem tabellæ adhibentes. Quod ipsum Tullius I. ad Att. *inducere*, sed vates Venusinus *stylum vertere* dixit Sat. 10. l. 1.

Sæpe STYLUM VERTAS, iterum quæ digna legi sint Scripturus.

Ubi Poëta præcipit, sæpe numero emendanda esse ea, quæ luci publicæ velis committere. Eandem phrasin per Metonymiam Hieronym. advers. Ruf. ei, qui sententiam mutaverat, objicit: *Vertis stylum & omnia laudata prius, vituperas.* Non eadem semper longitudo Graphiorum fuit, quippe cum pugionum vice illa sibi compararent ad infligenda vulnera, uti supra docuimus, longiora exstiterunt. In universum autem alia longiora, alia breviora fuerunt. Utriusque magnitudinis, styli videlicet minusculi unius, & majoris alterius, effigiem spectare licet apud Laur. Pignorium lib. de Servis pag. 224.

VII. Usus ejus in formandis incidendisve literis, in saxis, metallis, & tabellis ceratis constitit. Apprime literis convenit illud Athelmi Heptastich. in ænigm. de Elementis.

Nascimur ex ferro, rursus ferro moribundæ.

Atque ea ratione literas incidere, proprie 1. γράφειν dicitur. Quamobrem γράψαι Hesychio est ξύσαι, χαράξαι, ἀμύξαι, quæ verba omnia *incidendi actum* denotant. Quo sensu etiam γράψαι apud Homerum, poëtarum patentem, intelligendum Iliad. 3.

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.
Scribens in tabella plicatili animum labefactantia multa.

(πτυκτὸς enim idem est cum πλυκτὸς à πλύσσω *plico*, qualis liber πτυκτὸς erat fatalis ille Commodi Imperatoris, quem Herodianus lib. I. cap. 17. ἐπαμφήλω ἀνακλαστὸν ἀμφοτέρωθεν ἐπτυγμένον *in utramque partem replicabilem* depingit) Similiter Græcorum suada Demosthenes dixit: γράφειν εἰς στήλην χαλκῆν *scribere in columna ærea*, quod *pingere* exponi non potest, licet postquam picturæ usus cœpit, etiam hujus significatio verbo γράφειν adjecta fuerit. 2. Consonum omnino & genuinum cum illo est Latinorum *Scribere.* Non solum enim figuras *inscribi* saxis, metallis, lignis, dicimus; sed etiam propria hac significatione *scribere in vento & aqua* Catullus de muliere 65. dixit, ubi *scribere* nequaquam per *pingere* explicari potest. Verba Poëtæ sunt:

Mulier cupido quæ dicit amanti,
In vento & rapida scribere oportet aqua.

Quoniam scilicet Ventus & Aqua perpetuo inquieta sunt, illis quod imprimitur vel inciditur, mox evanescit, neque persistit & manet ante oculos, instar ejus quod lapidi *inscriptum* aut incisum fuit. Insuper etiam à σκάριφ@ *stylus* appellatum *Scribo* videtur, & σκαριφᾶσθαι Hesychius ξύειν, σκάπτειν, γράφειν, *scalpere, effodere, scribere* exposuit. 3. Quid metaphoricum illud *Arare literas?* nisi arantium instar sulcos facere & incidere, uti de acumine styli canentem supra Prudentium percepimus, quod

Hac parte ARATIS cera SULCIS scribitur.

Qui enim *arare literas* à *vertendo* dici autumant, non videntur recordari, quod ea convertendi ratio, quæ in arando est, non nisi in uno eoque antiquato scribendi genere locum invenerit, idque apud Græcos, à quorum jam neglecto & sepulto scribendi modo Latinos istam phrasin formasse non est verosimile. Antiquissimi nempe Græcorum primo quidem à dextra sinistrorsum ibant: sed ubi ad sinistram paginæ partem devenerant, inde, quia is se locus primo offerret, dextrorsum in scribendo recurrebant: atque id vocatum fuit βουστροφηδὸν γράφειν, *instar versuræ boum scribere*, quia lineas ducerent, uti boves in arando ducunt sulcos.

VIII. Cum vero Styli acumen hebesceret facile, plures in promptu ad scribendum habere opus erat, iis præsertim qui sæpius fingendis literis operam dabant. Ne autem styli seu Graphia in numerum quendam collecta facile dilaberentur, sollicite caverunt, thecam comparando, qua graphia custodirent, quamque commode & voce una γραφιοθήκην appellare liceat. Martiali *Graphiarium* audiit theca hæc servandis stylis ferreis aptata, libr. 14. epigr. 21. cui titulus *Graphiarium.*

Hæc tibi erunt armata suo GRAPHIARIA ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Ubi Meton. *ferrum* dicit, *stylos* intelligens, quos è ferro aptari supra spectavimus. Suetonius in Claudio cap. 35. *remisisse tandem Cæsarem diffidentem*, ait, *ne cuivis librario CALAMARIÆ aut GRAPHIARIÆ THECÆ adimerentur.* De Calamis, eorumque thecis quæ etiam *Calamaria* dicta, hac quidem vice nobis sermo non est. Sed per *thecas graphiarias* commode intelligimus *graphiaria* quæ è Martiali laudavimus, siquidem illæ à thecis calamariis Tranquilli verbis distinguuntur. Verum nos, deposito in graphiarium suum Stylo, quem ad satietatem lustravimus, ipsi nunc πινακιδίῳ seu *Tabellæ*, in qua stylum exercuit Zacharias, oculos immittimus.

SECTIO II.

De Materia, in qua scriptum.

I. Illud, cui pius Sacerdos nomen filii, quod à revelante Angelo acceperat, imprimere voluit, Πινακίδιον fuit, *Tabella*; cujus vocis ab origine interpretationem si requiras, tenendum est hujus aliarumque vocum conjugatarum radicem primam esse Πίναξ, quod vocabulum non unam interpretationem admittit. ὁ Πίναξ, ακ@ significat 1. asserem aut tabulam, in qua v. g. edebant & bibebant, unde Eustathio derivata vox videtur à πίνω *bibo.* 2. abacum Arithmeticorum. 3. tabulam scriptoriam, uti supra ab Homero didicimus, verbis: Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ *scribens in tabula plicatili.* 4. Indicem aut syllabum, Hesychio πρόλογον, quibus capita libri alicujus continentur. 5. Tabulam in loco publico suspensam, ad memoriam alicujus rei conservandam ac propagandam, qualis Hesychio ἀναγραφὴ & ἱστορία appellatur. 6. Tabulam multis foraminibus distinctam in machina hydraulica, apud Vitruv. l. 10. c. 5.

II. Dimi-

II. Diminutivum τοῦ Πίνακος est Πινάκιον, quo *tabella*, aut *Codicillus* indicatur. Ita Philosophus Polit. 2. c. 6. de Judicibus asserit, oportere φέρειν ἕκαστον πινάκιον, ἐν ᾧ γράφειν εἰ καταδικάζοι ἁπλῶς τὴν δίκην. *ferre unumquemque TABELLAM, in qua scribat, an simpliciter condemnet causam.* In quibus respicitur ad veterum consuetudinem, qua in causis gravioribus sententiam non voce, sed scripto proferebant, tabellarum ope, quas in cistam simul conjiciebant, quibusque notas vel ampliationis, vel absolutionis aut condemnationis inscripserant. Cum Πινακίῳ idem est ἡ Πινακὶς, ίδος, quod tamen quandoque etiam *genus saltationis* exponitur, uti cognoscere est è verbis Athen. l. 14. μετ᾽ αὐλῶν δὲ ὠρχοῦντο καὶ τὴν καλουμένην πινακίδα. *Cum tibiis vero etiam saltationem instituebant, quæ* πινακὶς *vocatur*: ideo forte quod vel ἐπὶ πινάκων *in tabulis*, vel πίνακας φέροντες *tabulas gestantes* saltarent, uti conjicit Poll. l. 4. c. 14.

III. Ἀπὸ τοῦ Πινακίδος alterum, quod anquirimus, diminutivum oritur, videlicet Πινακίδιον, itidem *Tabellam*, eamque *scriptoriam*; nonnunquam etiam *indicem* alicujus *scripti* denotans. De priori significatione res in aprico est, cum πινακίδιον à πινακὶς non nisi per imminutionem distet; atque in nostro loco, Luc. 1: 36. nulla alia quam communis & obvia *tabellæ scriptoriæ* interpretatio locum inveniat. De posteriori statuendum est ex C. Plinii ad D. Vespasianum de Natur. Hist. præfatione, qua inter indices & inscriptiones librorum Πινακίδιον enumerat. *Inscriptionis*, ait, *apud Græcos mira felicitas*: κηρίον *inscripsere*, *quod volebant intelligi favum*: *alii* κέρας ἀμαλθείας, *quod Copiæ cornu*, *ut vel lactis gallinacei sperare possis in volumine haustum. Jam Musæ*, πάνδεκται, ἐγχειρίδιον, λειμὼν, Πινακίδιον &c.

IV. Πινακίδιον itaque quando *tabellam scriptoriam* significat, non solum Πίναξ, πινάκιον, πινακὶς dictum fuit, quod ex præcedentibus patuit; verum etiam aliis adhuc Græcorum Synonymis insignitum. Suidam si audias, Πινάκιον, Δέλτος, Τιτλάριον, Σχεδάριον eadem sunt. Equidem Δέλτος quarundam tabularum nomen exstitit, quod formam Δ haberent, quamvis deinceps alius formæ libri ipsum illud nomen obtinuerint. Τιτλάριον è Latin. *titulus* ortum, idem non est, nisi ubi Πινακίδιον eo modo accipitur, quem huj. Sect. Θ 1. num. 4. observavimus. De σχεδαρίῳ nulli movemus controversiam; est enim illud πινακίδιον cui σχεδὸν, αὐτοσχεδιασὶ, *illico*, *ex tempore* notanda inscribuntur; quale etiam est ἐγχειρίδιον. Dicitur & quandoque πυκτίον, quod tamen de eo tantum licet intelligere, quod plicabile est & pluribus laminis constat; est enim à πτύσσειν *plicare*. Consonans arbitramur Hebræorum קֶסֶת cujus mentio Ezech. 9: 2. quod alienissime vertunt LXX. Ζώνην σαπφείρου *cingulum sapphiri*. Est autem à Rad. נסס sive קצץ, id est κόπτειν *cadere*, *pungere*: quare illud קֶסֶת non alienum à nostro πινακιδίῳ censemus, ad stipulantes R. Jonathan, qui illud retenta voce Græca פִּנְקָס i. e. πίναξ exposuit. Etiam Syrus Luc. 1: 63. retinuit פִּנְקִיתָא. Romana lingua qui τὸ πινακίδιον efferre cupiunt, *pugillarem*, vel plur. num. *pugillares* vocant. Prius Vulgato Scripturæ Interpreti; posterius aliis arrisit, qui singulo carere *pugillares* asserunt. Ausonii tamen est, epigr. 137.

Bipatens PUGILLAR expedi.

Est enim natura adjectivum, & *pugillares* dicimus, ut *annales*, subintelligendo *libri*. Natura igitur æque habet singularem, ac *annales*; ideoque *pugillaris* & *pugillare* pro quo est *pugillar*, locum invenit. Recte Latini ἐγχειρίδιον (ein Handbuch) vocant *pugillares*, non à pungendo, quia in iis pungendo cum stylo scribatur, uti nonnullis visum; sed à pugno, quem impleant, & quo comprehendantur. Ideo *pugillares* οἱ ὄρχεις audiunt Juvenali Sat. 11. qui manum sua magnitudine complent. Planissimum & quod simpliciter convenit, est *tabella*, uti in Latina versione Bezæ legitur: cui calculum adjicit Lutherus, convertendo ein Täffelein. Inspiciantur illi, Luc. 1: 63.

V. Quemadmodum *Pugillarium usum fuisse etiam ante Trojana tempora ex Homero* observavit Plinius l. 13. Nat. Histor. c. 11. sine dubio ad eos respiciens, quos Bellerophonti Prætus dedisse fertur Iliad. l. 6. Ita etiam Materia eorundem in tanta temporum serie & populorum multitudine fuit varia. Præter enim folia, papyrum & sim. in quibus scribenda *pingebantur*, (qualia hac vice non moramur) materia tabellarum in quibus *stylus exarabat* literas, è lapidibus, metallis & lignis exstitit. *Primum* locum merentur *Lapides*, quibus insculpere signa, antiquissimus mos est. Nepotes Sethi in posterorum rudimentum, à Josepho, custode Antiquitatum Jud. clarissimo lib. 1. cap. 3. feruntur exstruxisse στήλας δύο, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, *columnas duas, unam lateritiam, alteram LAPIDEAM* iisque inscripsisse τὰ εὑρημένα *quæ invenerant*. De tabulis Mosis, quæ fuere הָאֶבֶן *lapidis* sive *lapideæ*, non opus est multa memorare, ut pote nemini ignoratis. Ægyptios ante papyri usum, notas hieroglyphicas insculpsisse saxis autor est Lucanus lib. 3.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & SAXIS tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Saxis etiam Græcos & Romanos inscripsisse, monumenta quæ supersunt, edocent: quare Poëtæ Venusino lib. 4. od. 8. celebrantur

Incisa notis marmora publicis.

Idem de Danis majorum gesta *cautibus* incidentibus, annotavit Saxo Gram. in præf. Hist. Dan. Lapidibus hac in parte accenseri queunt cocti laterculi, quibus filii Sethi scientiarum memoriam crediderant, uti ex alleg. superius Josephi de Antiq. Judaic. libr. 1. cap. 3. patet; & quibus Babylonii ac Phœnices leges atque instituta sua inscripserunt, teste Plinio libr. 3. cap. 36.

VI. *Secundo* etiam *metallis* literarum formæ impressæ fuerunt. Dubium enim non est, veteres quandoque *Æri* inscripsisse. Tullius in 3. Catilin. *legum Æra liquefacta* conqueritur; quod bene Ramus in Prælect. ad Cicer. de XII. tabulis Romanorum accipit, quæ æreæ fuerunt. Maccabæis rogitantibus ut inter socios & amicos Romanorum haberentur, Senatus rescripsit in *tabulis æreis*, quæ essent monimentum pacis & societatis. 1 Maccab. 8: 22. Similiter Spartiatæ ad Schimhonem scripserunt *tabulis æreis* 1. Maccab. 14: 18. Suidas in voce Μόλυβδος meminit quandoque Veteres scripsisse εἰς ἐλασμοὺς μολύβδων *in laminis plumbeis*. בְּעֹפֶרֶת *in plumbo* verba sua scribi Jobus expetit. cap. 19: 24. Etiam vatis Ascræi ἔργων καὶ ἡμερῶν libros in *plumbeis* laminis exaratorum meminit Pausanias in Bœoticis. Præcipue monumenta publica *plumbeis voluminibus* confecisse Veteres tradidit Plin. lib. 13. cap. 11. Privata enim ut plurimum *linteis* confecta, aut *ceris. ibid.* Sed catachrestice *volumina* plumbi dicit, quod rectius linteis convenit. *Volumen* enim à *volvendo* dicitur, quia circum bacillum, quem *Umbilicum* dixere, volvebatur, quod linteo, non plumbo competit. Melius itaque ab eodem lib. 34. c. 18. *plumbeæ laminæ* vocantur. Bene satis etiam Suetonius in Nerone, cap. 20. *plumbeæ chartæ* mentionem injicit, quam cantillaturus Imperator vocis formandæ gratia pectore sustinuerit. Charta enim non tantummodo papyri nomen est, neque à regione, vel ab urbe Tyri Charta, ubi succreverit, denominata, uti nonnullis placuit; sed ab usu dicitur, estque quasi χάρτης à verbo χαίρειν *gaudere*, *salvere*, quia plurimus scribendi usus in epistolis exarandis, quibus in initio χαίρειν superscribebant, quale primus Cleon in epistolis usurpasse, proque eo Plato εὖ πράττειν *bene agere* adhibuisse fertur. Hinc Martialis l. 11. ep. 101. epistolam ita περιφράζει:

Charta salutatrix si modo vera refert.

Præterea *argentea monumenta* Gallis fuisse, legitur apud Trithemium lib. 1. breviarii Annal. Franc.

VII. *Tertio* materia tabellarum allata fuit è Sylvis atque apiariis. Nempe præter lapides & metalla, etiam *tabellas ligneas*, easque *ceratas*, connumerari oportet. Tales erant, quas Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 2. depingit.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis.

De *lignis* primo videndum, deinceps de *cera*. Ligna variarum erant arborum, quarum è trunco seu crassioribus partibus materiem quærebant. Ea propter Tabellæ dictæ *Codicilli* ab arborum *codice* seu *caudice*, è quo formabantur. Inter has arbores præcipue in hac parte fuerunt, quandoque *Citrus* vel *Acer*, sæpius etiam *Cedrus*, frequentissime *Buxus*. Duo priora ligna, quæ *Citrus* vel *Acer* dabant, pretii & elegantiæ gratia locum invenerunt. *Cedrum* præferebant, qui volebant consulere durationi tabellarum; nam *libros cedratos tineæ non tangebant, quales libri Numæ, qui in arca ipsius reperti post annos* DXXXV. adhuc erant incolumes, veluti ex Cassio Hemina, vetustissimo Annalium autore, Plinius libr. 13. c. 13. *Buxus* erat frequentissima & vulgaris, ob ligni vel copiam vel ad formandas tabellas aptitudinem. Verba Jes. 30: 8. quibus Propheta vaticinium inscribere *tabulæ* jussus, LXX. interpretati sunt ἐπὶ πυξίου *tabellæ buxeæ*: à πύξος *buxus*: quod

quod è *buxo* tabellæ communiter parabantur. Hinc & illud Propertii:

Ergo tam docta nobis periere tabella,
Scripta quidem pariter tot periere bona!
Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo *sordida cera fuit.*

VIII. *Cera* autem tabulæ inungebantur aut illinebantur, ut in illa literæ effingerentur, quippe molli, & ad signa recipiendum idonea. Illud enim clandestini commercii ergo factum, quod de non nemine Gellius refert, Noct. Att. l. 17. cap. 9. qui ipsi ligno nondum cera illito literas insculpserit & deinceps ceram obduxerit, quam alter istius consilii conscius, ubi tabellam accepisset, rursus deradendo, literas incolumes ligno incisas legerit. Alias non in ligno, sed *cera* qua illita tabella, exprimebantur literarum formæ, quod tum ex ipso hoc Gellii, tum etiam ex illo Isidori. lib. 6. Orig. cap. 9. constat: *Græci & Thusci primum ferro in* ceris *inscripserunt.* Imo *cera* sæpissime pro ipsis *tabellis* legitur. Plin. lib. 1. Epist. *Erat in proximo, non venabulum aut lancea, sed stylus & pugillares: meditabar aliqua, enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen* ceras *reportarem.* Quo pertinet scriptum esse *in prima* vel *ima cera.* Hæredes *prima cera* erant *primarii*, sive hæredes *ex asse*: in *ima cera* erant *Legatarii*, sive, ut Cic. pro A. Cæcinna, *secundi.* *Cera* insuper non erant omnes unius ejusdemque coloris. Ab *alba* cera, quæ Punica dicebatur juxta Perottum, denominatum fuit *Album*, id est, *Tabula publica.* Penes Jurisconsultos, *Album* Prætoris violare, capitale delictum est. *Rubentis* ceræ meminit Ovid. l. 1. Amor. Eleg. 2. ubi invisas literas graviter corripit, verbis partim jam superius allegatis:

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabella,
Tuque negaturis cera referta notis:
Quam puto de longa collectam flore cicuta,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At tanquam minio penitus medicata rubebas,
Ille color vere sanguinolentus erat.

IX. Jucundissime atque elegantissime omnis *cerata Tabella forma* depingitur ænigmate Althelmi apud Del-Rium in Octastiche, ænigm. 1.

Melligeris apibus mea prima processit origo,
Sed pars exterior *crescebat catera* sylvis,
Calceamenta *mihi prabebant tergora dura.*
Nunc ferri stimulus *faciem prascindit amœnam,*
Flexibus, & sulcis *obliquat ad instar aratri.*

Quo in ænigmate *primum* quidem illarum materies ab *apibus* & *sylvis* petita vs. 1. & 2. memoratur, sed ita ut lignum *exterior*, cera *interior* pars exstiterit. Etenim Veteres uni tantum lateri seu paginæ inscribebant, interiori nempe, qua cera erat. Quod ipsum etiam sæpius in Papyro factum, propter ejus vitium, literis, quæ in uno latere scriptæ, in alterum promicantibus. Contra vero Tabulæ, vel Libri, quæ utrumque latus descriptum habebant, Opisthographi, peculiari nomenclatura, vocabantur: non, uti deliranti Accursio visum, quasi vox sit hybrida, ab *opibus* & *γράφειν scribere*, quia in eis *opes* conscriberentur; sed ab ὄπισθεν *retro*, *à tergo* & γραφὴ *scriptura*, quasi libri etiam *in tergo* scripti. Ita Juvenalis Sat. 1.

Scriptus & in tergo, *necdum finitus Orestes.*

Hinc *Adversaria* dicta, quod *adversa* etiam parte Scriptis implerentur. *Secundo* loco *Calceamenta* ponuntur è tergoribus seu pellibus crassioribus aptata, per quæ *ligamenta* plurium tabularum intelligi arbitramur. *Calceamenta* enim sunt ὑποδήματα & inferiorum partium indumenta: jam vero si Tabulas plures explicare volueris, latus quo colligantur, erit inferius, ejusque vinculum non inepte *calceamentum* dicetur. *Tertium*, quod Ænigma de forma Tabellarum ob oculos ponit, est ipsa *inscriptio*, aut *sulcorum* per *ferri stimulum*, vel si mavis, *stylum* impressio. Verum præter illa in Ænigmate enarrata, addendum est omnino, quod forma *oblonga* fuerit, sed *quadrata*, atque eminenti quodam margine circumcirca conclusa, uti se vidisse Romæ in vet. arca sepulchrali, in hortis Cyriaci Matthæji, refert testis oculatus Laurentius Pignorius in suo de Servis Comment. Quandoque etiam triangulari forma exstitisse juxta figuram literæ Δ ex superius allatis, certum est.

X. Quod Stylo accidisse antea dicebamus, eum modo minorem, modo majorem fuisse, idem etiam Tabellis scriptoriis evenit, ut pote nunc minusculis nunc majusculis. Illæ quidem vere πινακίδια sive *Tabella* in diminuto modo appellantur: hæ ad magnitudinem & extensionem capacissimam excreverunt. Illæ *pugillarium*, quod pugno aut manu comprehendantur, hæ *Albi* nomina meruerunt. Illis res familiares & quotidianæ: his publica monimenta commissa. Illis, *minusculis* puta *tabellis*, adnumerandæ, quas nominibus Candidatorum insignitas, Romani in cistam conjiciebant suffragia ferentes, ut ex earum numero vel majore vel minore pateret quis electus fuisset. Pariter in Legibus vel condendis vel abrogandis, quilibet tabellam afferebat, inscriptam literis vel V. R. id est *Vti Rogas*, scil. fiat: vel cum A. id est, *Antiquo* seu nolo legem illam novam, sed antiqua servo. Omnes deinceps tabellas, illi, qui dicebantur *Custodes*, relegebant, & in alia majori Tabula per impressa *puncta* numerabant suffragia. Vnde natum proverbium: *Omne tulit punctum. Majusculis* interfuerunt illæ Tabulæ, quibus Veteris Ecclesiæ temporibus Episcoporum nomina, qui recte pieque suo munere functi essent, continebantur. Cum vero nonnunquam iis insererentur, qui *nigrum Theta* potius, quam id genus *Album* meruerant, eorumque nomina iterum *verso stylo* eradenda & obliteranda essent, acerrimæ sæpe contentiones cœtum perturbarunt. Etiam Imperatorum, eorumque qui locis Deo dedicatis dona tulissent, & denique Synodorum nomina istiusmodi Tabulis commissa docet Wilthemius de Diptycho Leod.

XI. Pluribus Tabellis sæpe unum opus constabat. Una tantum & sola cum esset, crassius lignum fuit & mole gravius. Qualem illam fuisse oportet, de qua sermo est apud Comicum in Bacch. *Extemplo puer pædagogo* tabula *dirumpit caput.* Sin plures tabellæ in unum opus conjungendæ, tenuiores illæ & subtiliores erant, & in laminas tenues lignum secabatur: quales se offerunt penes Martial. lib. 14.

Secta nisi in tenues *essemus ligna tabellas.*

Erant itaque *duplices, triplices, quadruplices, quintuplices, &c. multiplices.* Græcis δίπτυχα, τρίπτυχα, τετράπτυχα, πεντάπτυχα, πολύπτυχα, à πτύσσειν *complicare* dicta. Prolixiora vero scripta potius voluminibus membranaceis quam tabellis ceratis continebantur, quoniam illa his capaciora. Sic apud eundem Poëtam:

Ilias & Priami regnis inimicus Ulysses
Multiplici *pariter condita* pelle *jacent.*

XII. Servandis custodiendisque tabellis erat suum repositorium, uti stylis suum *graphiarium* de quo Sect. 1. locuti sumus: Illud Πινακοθήκη dictum, cujus mentio facta Plinio l. 35. cap. 2. Optime Tullius pro Archia *Tabularium* vocavit: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabellario interiisse scimus omnes.* Nec inepte *Grammatophylacium* appellaretur. Iconem hujusce thecæ videre licet in elegantissimo Pignorii *de Servis Commentario.* Alio sensu *Pinacopola* vocabulum accipiendum est. Non enim Πινακοπώλης est qui Tabulas vendit, sed potius ὀρνιθοπώλης. *avium venditor.* τίλλοντες γὰρ αὐτὰ καὶ τιθέντες ἐπὶ πίνακος ἐπώλουν τὰ λεπτὰ ὁρμαθίζοντες. *deplumantes enim aves, easque exponentes in tabula, tenues partes certo ordine positas vendebant.*

XIII. Concludendo proximum est conjicere ex iis omnibus, quæ ad hanc rem facientia attulimus, Zachariam sacerdotem præter Stylum ferreum, quem supra ipsi attribuimus, Tabula lignea quidem, sed cera illita, utpote ad scribendum armis suo tempore vulgarissimis, fuisse usum, eique inscripsisse verba de nomine Filii inveniendo:

Ἰωάννης ἐστὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

M. CASP. HENR. GRAUN
DISSERTATIO
De Tetrarchis, ad Luc. III: 1.

§. I.



Etrarchas initio vocatos deprehendo, qui tetranti regionis imperarent, cum τέτλαρες quatuor sint. *Isidorus cit. Salmas. apud Walæum, pag.* 867. Haud secus ut Martinio Tetrarcha est, cui quarta ἀρχῆς seu principatus pars obsequia præstare tenetur.

§. II. Non ergo hic specto militarem vocis usurpationem, quæ, si quæ fuit, tamen vereor ut recte interpretando huic negotio adhibeatur. Sicut non intelligo, qui ita queat exponi, ut quartum imperii aut dignitatis locum, Romani magistratus consuetudine significet. *Nold. Hist. Idum. p.* 262. *Pol. Syn. Crit. vol.* 4. *p.* 914.

§. III. Cæterum πετραρχῶν cur pasitum sit, non difficilem habet explicationem, quando omnibus compertum est, πετραρχεῖν facere idem, quod πετράρχlω εἶναι. *Schmid. animadv. in N. T. p.* 501. Secus ac ἡγεμονεύειν usu censeri indicandum fuit, cujus infra ἡγεμονίας vim subsistere notionem, multis passim è locis in manu erat viris doctis colligere. Ut frustra sint, qui sanctissimo homini Procuratoris hic & Cæsaris potestatem, non diversis videri expressam vocibus ajunt; cum super Græcorum laudem cura ejus extolli mereatur, quod tam convenienti vocabulo in signanda invidiosa potentia est usus. *Lang. cit. Walæo & Polo, loc. allegat.*

§. IV. Ut Ethnarchas hinc amoliar, à Serario est, qui Archelao & fratribus dum unum nomen impertiendum esse duxit, parum utriusque rationes considerasse est visus. Atqui amplitudine provinciarum qui superaret reliquos, quin regia quidem minorem, magis honorificam tamen sortiretur appellationem, dubium esse non oportet. *Opusc. de Herod. cap.* 20. *Conf. Spanh. Dub. Ev. pag.* 582. Istam vero, non aliam tributam esse, commoda significatione vocis factum fuisse reor; usu etiam & consuetudine dicerem, qui vicinos Ethnarchas illis regionibus circumscribi reminiscor, si Torniello, hujus rei auctori, cum Flavio conveniret, Tetrarcharum auxilium Varo adfuisse commentanti. *Ant. l.* 17. *cap.* 12. *Torn. Annal. S. Tom.* 2. *pag.* 370. Minus negotium Alexandrinus Judæorum magistratus facessit, quem Eusebius cum ἀλαβάρχlω perhibuisset, Cæsaris rescriptum ἐθνάρχȣ olim titulo cohonestavit. *Vid. Henr. Vales. Annot. in Hist. Eus. p.* 27. Alium Philo habet, *in Flaccum, p.* 755.

§. V. Longius hinc recedit Toparcharum consideratio; quorum à cæteris discrimen ut stabiliatur, neminem turbare debet Flavii consilium, cui qui toties Etnarcha fuit, Archelaus, semel Toparcha modo audire videtur. Quem enim fugiunt crebræ vocum permutationes, etiam inter recentes valde usitatæ? *Scalig. animadv. in Euseb. pag.* 163. Illud non meretur excusationem, quod Herodem, truculentissimum Johannis interfectorem, Trachonitidis Toparcham Damascenus nuncupat; æque insulse, ac dum alterum Herodem, quem Philippo prognatum credit, Toparcham simul facit & Θεσμοθέτlω, imo quod superat omnem patientiam, Σεβαςὸν postremo compellare sustinet. *Casaub. Exercit.* 13. *ad ann.* 31. *num.* 75.

§. VI. Atqui unam Tetrarchiam in complures divisam fuisse Toparchias, fugere quenquam doctiorum hactenus nequivit: similiter ut Judæam in undecim harum partitos esse vetustissimos historiæ istius conditores. *Joseph. bell. Jud. l.* 3. *c.* 2. Plinius decem saltem enumeravit, *l.* 2. *cap.* 14. Id quod Salmasio prætereundum haud est visum, sicut nec illud quod συνέδρια Flavius appellat loc. supr. allegat. Exemplum alicujus Toparchiæ ultima Herodis voluntas, tabulis consignata, in Salomes possessione suppeditavit; usque adeo provinciis urbibusque inter propinquos distributis, singula nomina, quæ tam studiose dividimus, magistratuum tunc emerserunt, *Ant. l.* 17. *cap.* 10. Alium Edessæ Toparcham Eusebius exhibet, *lib.* 1. *Hist. Eccl. Conf. Vales. Annotat. pag.* 21.

§. VII. Concludo hanc disputationem, & ἐπάρχȣς nihil moror, vicinæ originis licet, ac suetum Romanis Provinciarum Rectoribus imponi quondam vocabulum. Tetrarchas enim ab illa digressione dum contemplor, à Thessalis arcessivisse eos, & Gallo-Græcis, harum rerum peritos, mox cernere quivi. Hinc istos priores, divisa in quatuor partes regione, impositos singulis habuisse initio dynastas, illustris Scaliger ex Harpocratione ostendit *animadv. in Euseb. l. c.* Horum numerosos in tali fastigio Principes, scissasque in alias plures eorum Tetrarchias, consensus auctorum undiquaque prodidit ac stabilivit, cum quidem è magna multitudine ad unum Dejotarum, extrema ætate, rerum summa delaberetur. *Vid. præter cit. Appian. in Mithridat. bell. qui Tetrarcharum infelices casus, apud infestum ac crudelem hominem, est persecutus. Strabo Geogr. lib.* 12. *aliique tam vetustiores, quam recenti ævo rem illam tradere exorsi.*

§. VIII. Fateri ergo oportet, insecuto tempore Tetrarchas fuisse, qui non amplius tetrantem regionis imperio complecterentur. Sed utrum ita desierint priores, ut ne his quidem proprie id nomen impertiri credamus, qui quartam gentis quidem aut provinciæ partem tenent, tres vero alios potestate respondentes non habent, id magna cura dispicere necesse habemus, dum multi minus studiose hanc rem perquisiverunt. Noldium illud inducit, ut præter eos, quos Thessalia habuit, ac Gallo-Græcia, neget alios vetustam propriamque appellationem retinuisse, quod quartus nusquam appareat, interdum ne tertius quidem aut secundus. Sed si ornamentum ævi sui, Scaligerum audiamus, non vero illud necessarium illi unquam est visum; quin exempli loco, Φθιώτιδ☉ Dynastam in Thessalia, si ullus fuisset à Macedonum regibus pleno jure constitutus, Τετράρχlω ait non immerito tunc audiisse, etsi aliæ πετράδες intactæ, neque singulis obtemperare compulsæ fuissent. *vid. loc. cit.*

§. IX. Ut ideo Plinii recensio nos haud offendat, qui vel unius Cœle-Syriæ pene vicesimam Tetrarchiam nobis commonstrat, septendecim certe fuisse dicit; cum singulæ propemodum urbes singulas efficerent & continerent. Qui enim id quenquam moveret, cui impropriam appellationem inficias ire nunquam venit in animum, etsi tum quoque illi locum esse, cum numerus dynastarum, non regionis partium deest, inducere ipsum se non possit ut credat? *Plin. Hist. l.* 5. *c.* 18. & 23.

§. X. Abunde vero est, quod Eusebio, minus vera posteri tradenti, respondeamus. Videlicet nulla necessitas urget, ut quatuor aut Fratres, aut Tetrarchas comminiscamur, ut horum dignitati satisfiat. Ponamus enim, Cæsarem partitum esse hæreditatem defuncti Herodis, ut Archelaus binos, reliqui singulos Fratres quadrantes cernerent, quid incommodi hinc nobis erit pertimescendum; aut cur Antipas cum Philippo nomen suum non poterunt tueri? *Vid. Euseb. Chron. & Hist. Eccl. cum animadv. Scalig. atque Vales.*

§. XI. Nihil vereor Augusti judicium, de quo non facile potest ulli mortalium constare, an diviso regno potitos à partibus nomen sumere voluerit; an, ut Antonius olim Herodem & Phasælum, sic Fratres honoraria axiomatis communicatione

catione ornare saltem decreverit. Ipsa certe divisio pro nobis sententiam dicit, dum Josephus: τὸ μὲν ἥμισυ μέρος, inquit, τῆς βασιλείας Ἀρχελάῳ, τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ διελὼν εἰς δύο τετραρχίας, δυσὶν ἑτέροις παισὶν Ἡρώδης δίδωσι. Quamvis id insuper expediat eam difficultatem, quod non, quid aliis propositum fuerit, sed quid idoneè fieri possit, compositis ad veritatem rationibus disquiramus. *Joseph. bell. Jud. lib.* 2. *cap.* 4.

§. XII. Si itaque Lucam non aliqua cum latitudine patet locutum fuisse, parum sollicitamur, qui Galatæ ad Syros, aut Palæstinæ oram Tetrarchas transmiserint; cum varias è vicinia petendi nominis occasiones esse potuisse, quilibet otiosa cogitatione apprehendat. *Salmas. l. c. Grot. in Matth.*

§. XIII. Major de potestate cura esse debet, quam ut recte explicemus, ad ipsum Herodem M. retro oculos torquere nos oportet. Est, cui ἀνυπεύθυνος habetur Ascalonites Tyrannus, quum Antonius & Augustus ipsi summi imperii testimonium perhibere sint visi. Quin ea potentia præfuisse alius credit, ut Romanis neque imperare quicquam eo vivo, neque descriptionem facere in Judæa fuerit integrum. *Scal. l. c. Vales. annot. pag.* 11. Verum nihil potuit absterrere Casaubonum, quo minus in Quiritum potestate Herodem fuisse indicaret, haud secus, ac quenquam è Præsidibus Provinciarum. Hinc ut præter fiduciariam potentiam ab eo amplius impetretur, non debet sperari. *Exercit.* 1. *ad apparat. annal. num.* 5.

§. XIV. Meum non est, tantos inter viros dirimere litem, sententiamque judicis pronunciare, qui Spanhemium videam prudenti consilio partes illas sumere olim instituisse. Atqui is in clientela fuisse censet, Appiani vectigalem facientis auctoritati confisus, præsertim quum tot provocationes intercederent, ipso non semel ad causam dicendam evocato, infimisque obsequiis ægre adversus hostilia, & infestos aulæ casus se tutante. *Dub. Ev.* 7. *Part.* 2. Quid ergo attinuit, φίλον eum Augusto, καὶ σύμμαχον interdum salutari, si idem ut cum subdito se in posterum velle agere minetur? Aut quid retulit, faciendi testamenti, puniendæque sobolis potestatem tetro homini vindicare, si familiam ercisci altera non confestim fecit, neutram nisi permissam Cæsar usurpare sivit? veluti manifestum est ex *Ant. l.* 15. *c.* 13. *Conf. l.* 16. *cap.* 15. & 17. Huc pertinet casus Antonii, ex quo de regno necesse erat Herodem periclitari. *Ant.* 15. *cap.* 9.

§. XV. Senis illa fuit conditio, quem inveterata apud Cæsarem gratia super cæteros amicos meminimus alias floruisse. Qui igitur mirum sit, si Filii multum deteriore loco fuerunt? Certe Archelaum vereri Principem oportuit, cujus voluntas dignitatem ejus initio imminuit, ira plane postea postravit, Vienna ad exilii acerbitatem perferendam lecta. *Nold. p.* 229. Imperiosam Principis vocem Josephus non prætermisit, *Ant. l.* 17. *c.* 15. ut assentiamur facile Spanhemio, vindici Evangelistæ, qui βασιλεύειν haud ita finibus angustis circumscribit, quin inferiorem regia potentiam interdum significatu suo complectatur. *vol.* 2. *Dub.* 86. *conf. l. c.*

§. XVI. Utrum ergo succensebunt nobis Tetrarchæ, Palæstinæ ora conclusi, si precarium indicemus modo imperium illos esse sortitos? Perculsi quidem haud dubie jacuerunt, quoties Principem adversus apparerent esse quicquam moliti. Sicut Antipæ contigit, ab Herodiade incitato; non Philippo composito homini, qui sibi sapientius consulebat; etsi uterque alias obsequium multis officiis Principi testaretur. *Ant.* 18. *cap.* 9. Mitto Lysaniæ fata, & Zenodori, & aliorum, quos gravem necesse fuit calamitatem persentiscere, si ut irascerentur Domini, flagitiis aut partium studio interdum efficiebant. *Ant.* 15. *c.* 13.

§. XVII. Parum commoveor honorariis regnorum vocibus, de quibus quid decernere oporteat, supera mentione hæsitantes queunt satis erudiri. Quin imposita vectigalia contemplatus, & finium descriptiones, & dispertitas libere dignitates, extremo quidem fateri compellor, intempestivum esse studium, quo fulcire horum jus supremum, ac solutam defendere potestatem quis forte annititur. *Vid. Nold. l. c. Selden. de J. N. & G. l.* 6. *c.* 17. & 18.

§. XVIII. Ita Tetrarchas quidem universe speculati sumus, re per quadrantum dynastas apta brevitate expressa; nunc de singulis quin videamus, nihil impedit aut vetat. Prior apud Lucam vero est Antipas; potior imperio etiam, licet ætate minor. Cujus incestum, fœdam simulationem, invidiam, ac tyrannicam crudelitatem, cum fortunarum ruina, Josephus graviter multis locis describit, Evangelistæ non plane sibi prætermittenda ducunt. Nos historiæ multa linquentes, brevi recensione officio nostro erimus perfuncti. Conticescere tamen non oportet de priori consilio Parentis, in quo si perstitisset, non τετράρχης fuisset, sed rex. *Ant.* 17. *c.* 8. Scelestum ac facinorosum vel illud monstrat, quod multis super flagitiis Johanni reprehensus fuit, cujus libertatem vinculis quidem initio cohibuit, ense vero carnificis tandem penitus extinxit. *Chemnit. Harm. c.* 31. *Jos. Ant. l.* 18. *c.* 7.

§. XIX. Ἡρώδης nomen, quo Lucas illum insignivit, neque insolitum in hac familia, perinde ut Scytharum sua Parthorumque regum fuere; neque peregrinis quidem gentibus ita invisum, quin crebro usurparetur. Sed Schotano tamen haud assentior, qui verum fuisse, inficias ivit; Sicut originem ejus timeo ut recte Salmasius arcessat, ideo Græculum vocans, quod non si è Latio. *Vid. Herodot. l.* 4. *Justin. l.* 41. *Dio Hist. Rom. l.* 55. & 60. *Suid. Lexic. de Herod.* Quorum illos ob exterorum saltem, hos ob nostri mentionem adduxi, plures tædio fore ratus. Cæterum Antipæ concisam vocem videri facit, quod Antipater Photio audit; quale quid Herodis M. contigisse etiam parenti, Noldius annotavit, *p.* 6. *Hist. Idum. in universum super illo negotio consulendus.*

§. XX. Nunc ad aliam litem progressum facio, quam doctissimus Anglorum excitavit, γαλιλαίας voci Tetrarchia Herodis universa inclusa, cum trans Jordanem imperasse & sciret, & fateretur. Atqui is Trans-Jordaninam credit Galilææ simul descriptione contineri, cum qua porrigitur à Pella ad Libani montis radices, tum Asphaltitis objectu ab illa civitate ut terminatur. Istud quidem ut alios impellat quo credant, Gentium Galilæam prætexit, ultra Tiberiadis mare, Evangelicæ veritatis testimonio, extensam, *Matth.* 4: *vs.* 15. tum seditiosi hominis patriam adducit, quem Galilæum cum Gamaliel dixisset, Flavius Gaulonitam manifesta ratione perhibuit. *Act.* 5: 37. Hoc ut consequatur, præter Lucæ silentium, Christi Salvatoris iter à Samariæ finibus in Peræam flexum, *Luc.* 17: 11. & funestam Herodis cœnam, in Austrino ditionis angulo, convivante procerum Galilæorum multitudine, *Marc.* 6: 21. impeditis argumentis concludit, Josuæ simul mentionem ibi complexus. *cap.* 22: 11. *V. Lightfooti chorogr. Luc. præmiss. sect.* 2.

§. XXI. Sed adversus illa si in aciem prodire vellem, multa sapientissimus Brunsvicensium Antistes mihi suppeditaret. Cui quidem si fidere possum, nihil vetat descerpere oras Matthæo recensitas, ut ὁδὸν θαλάσσης maritimam Galilææ partem, πέραν Ἰορδάνου Transamnanam utramvis, Galilæa vero Gentium separatum limitem indicaret. *Harm. Ev. c.* 35. ubi & ultimi nodi solutio cernitur, quando generalem vocis significationem idonea ratione perquisivit, quæ tamen Anglo parum opis est allatura. Temperare vero mihi non possum, ut fatear, siquid ei largiri conveniat, illud ad Philippi, non Fratris Tetrarchæ fines debere referri. Nam iter quod concernit, facere illud potuit in Galilæam, etsi tota profectio Hierosolymis terminaretur. *Conf. c.* 125. Quid igitur nobis amplius reluctatur, si convivium Herodis optimo argumento intra Galilæam nostram queamus includere, quo Johannes Macherunte deportatus esse colligitur? *v. c.* 74. Præsertim quum Gaulanitæ illius nihil impedit, quo minus bina fuisse nomina, conduplicatis causis, existimemus. *Vid. Casaubonum Exercit.* 2. 18. *Conf. Magnus Calovius, animadv. in Not. Grot. Act.* 5.

§. XXII. Plura non sinit commentari memoria Philippi, quem circa nos vetus dimicatio implicuit, Herodiadis propter maritum in graves animorum motus nunc effervescens. Qui Flavio fidunt, Herodi incestam conjugem fuisse ademptam, Tetrarchæ Salomen nupsisse credunt, binos in numerosa familia Philippos facere audentes, quo & auctoritati Matthæi, cujus lectionem solicitare non oportet, & fidei Josephi, qui talia ignorare nequivit, una ope consuleretur. Ita vero Herodes iste & erit Philippus, & adulteræ scelestæ conjux; noster autem, de quo à Luca nunc erudimur, Salomen habebit, haud Costobari filiam, ut Capellus præpostera diligentia consignavit literis, sed improba matre genitam, neque minus flagitiosam. *v. Hist. Jud. p.* 85. *Grot. in Matth. cap.* 14. *Chemnit. lib. cit. c.* 31. *Nold. p.* 204. & *sequ. Selden. de J. N. & G. l.* 5. *c.* 21.

§. XXIII. Officere posset huic conciliationi, si plura Judæi adsciscere nomina haud consuevissent: Quod tamen exemplis refellitur; æque facile, ac Hegesippi testimonium, ne quidem illud unquam adversum nobis visum. *Vid. epist. Schotani ad Noldium missa. Gronov. observ. in Eccl. c.* 16.

§. XXIV. Hæc ita à multis composita dudum fuere; sed quod Iturææ præficitur à Luca, à Josepho Batanææ & Auronitidi, consimili felicitate Horatum scriptor expedivit, ambabus

una

una voce regionibus comprehendi jussis. Plinium vero, & Strabonem, non oras provinciæ, sed Troglodytas, speluncarum habitatores, Ituræa significasse comminiscitur. *vid. Chorogr. p. 689. Conf. Grot. in h. l. qui eam quoque finiendæ controversiæ rationem inivit.*

XXV. Spanhemio tamen Juniori displicuisse illud video, Ituræam Damasco contiguam, divisamque constituenti: perinde ut fines discrepant, quos ambo Trachonitidi circumdederunt, cum alter quidem Batanæam ad Austrum, ad occiduam plagam alter oportere sitam esse putaret. *vid. Lightfoot. loc. cit. Spanh. F. Introd. ad Geogr. sacr. p.* 80. Non deforet mihi, quod Anglo responderem, nisi Philippus moraretur, ob æquitatem animi, ac sedatæ vitæ consuetudinem, mihi denuo memorandus, qua eo usque fratres inter nefarios exsplendescebat, ut multis cum lacrymis eum populus composuisse sit visus. *Ant.* 18. *cap.* 6. Defuncti ditio primum Syriæ Provinciæ Cæsaris jussu accessit, postea vero ad Agrippam nepotem pervenit; quam tertiam regni aviti partem cur Philo nequiverit nuncupare, Noldius causam subesse ducit, mihi tamen haud persuadet, dummodo præcipuas, licet non æquales illas cogitemus. *vid. Phil. in Flacc. p. m.* 750.

§. XXVI. Superest, ut ad Lysaniam visam, cujus haud ideo meminit Lucas, quod inter Herodiadas numerari eum vellet, sed ut initia rerum à Christo gestarum multiplici nota utriusque potestatis insigniret. Usque adeo necesse non est, Tetrarcham expungere, aut Critices ferro periculis obviam ire; quæ neque pertimescere debemus, neque auctorum silentio ingravescere quidem putamus. *Casaub. Exercitat.* 13. *ad ann.* 31. *num.* 4. *Vales. in lib.* 1. *Hist. Eus.*

§. XXVII. Satius est, utrum à priori fuerit, argumentis indagare; nam binos recenseri, ne quidem imperitam multitudinem clam esse potest. Qui nil, præter nomen, traxisse credunt, ad interpositum tempus confugiunt, sexaginta annis minorem à sene divellentes. Ceu incredibile foret, septuagenarium vivere; aut si filius non sit, è posteris nemo illum queat amplius referre, avitis nominibus sanctissima consuetudine ad hos propagari alias suetis. *Grotius in hoc loc. Scalig. animadv. pag.* 164. Herodis igitur neque sanguis esse potuit, neque cum sobole una hæreditatem cernere quivit, cum antea jam Abilam, Zenodori possessionem, à Cæsare impetravisset. *Ant.* 15. *c.* 13. *Dio Hist.* 54.

§. XXVIII. Dum hæc ita partior, Abilene illum neutiquam excludo, quam Ἄβιλα ista signabat, velut ipse utramque, & provinciam, & civitatem, Λυσανίου olim non aliis quidem causis ἐπικληθεῖσαν. *Ptol. in Geograph. Syr.* Facile tamen Casaubonus impetraret, ut cum ipsi, tum Scaligero & Grotio assentiremus, qui à primo Lysania Tetrarchiam ejus dici maluere, nisi alii perstudiose id refellerent, *ex Ant.* 20. *cap.* 5. *l.* 15. *c.* 13. Adeo planum est, plures in eo convenire, quod Abila nostra in Cavæ Syriæ ambitum sit compellenda, ex quo urbium discrimen habetur, confusa licet appellatione sint inter se permistæ. *Lightfoot. l. c.*

§. XXIX. Finiam igitur in tam præclara serie, & ab illo Lysania ordiar, cui Mennæi filium parentem fuisse complures memoriæ posterorum prodiderunt. Hunc Antonius contrucidavit, Ægyptiæ Reginæ mandato implicitus, utut Ituræ prius ipse miserum imperare jussisset. *Vid. Dio Hist. Rom.* 49. *Flav. Ant.* 15. *c.* 4. Sequitur Zenodori fatum, quod fœda latrociniorum labe sibi ipse maturabat, Herodem demum ac Lysaniam spolia legere sinens, unde uterque in posterum non mediocri foret possessione locupletandus. *ἀλώς.* 1. *c.* 15.

§. XXX. Sic illa quidem divisa tenebantur, non diuturno quamvis horum sub imperio. Nam illud partim Lysaniæ mors interturbavit, partim Idumææ Familiæ interitus prorsus illic abolevit, quum sub Agrippa prius omne ibi complexa fuisset. Quin ipse Tetrarcharum honos, Romana magnitudine superante, collapsus paulatim, atque insecuto tempore extinctus fuit.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO

De Sabbato Deuteroproto ad Luc. VI: 1.

בשם הקבה׃

§. 1.



De sacris & divinis scripturis notanter Gregorius Magnus loquitur Epistol. ad Leandr. *scriptura* inquiens, *est fluvius, in quo Elephas natat & agnus ambulat.* Quibus verbis collineat cum ad rerum, quæ in iis traduntur, tum scriptionis quoque varietatem. *Dum enim in illis, quæ aperte posita sunt in scripturis, inveniuntur omnia, quæ continent fidem moresque vivendi*, ut S. Augustinus lib. 2. cap. 9. de doctrina Christiana loquitur, agnus in ea ambulat. At & Elephas ibi solet natare, ut enim idem Pater augustissimus d. l. cap. 6. ait, *magnifice & salubriter Spiritus sanctus ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia detergeret.* Nempe ibi agnus ambulat in fluvio, cum, ut verba Ps. 19: 9. habent, תורת יהוה עחליעת פתי *lex Domini erudit simplicem*: Hic vero Elephantem, animal quantumvis procerum, natare dicas, cum ob varia δυσνόητα quæ non item, ut reliqua lectoris intelligentiæ patent, crux doctissimis viris, figitur, ut, ceu de explicatu difficilioribus locis cum veteribus Judæis *Scaliger*, *Casaubonus & Drusius* dicere solebant, exspectandus videatur Elias, & ipsum fundum præ summa abysso ne attingere quidem, saltim non nisi insigni studio adhibito, possint.

§. 2. Merito sane huc referendus videtur locus Luc. 6: 1. ubi discipuli Christi per sata transeuntes spicas vellicarunt & comederunt ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. Qua voce qui dies significetur, difficile memoratu est, quantopere Interpretes desudarint. Natant sane ibi Elephantes, hoc est, viri oppido magni, & inter decumanos conjecturarum & dubitationum fluctus ita in transversum aguntur, ut tantum non undis abrepti videantur. Ut enim Syrum, at quam antiquum Interpretem & rituum Judaicorum alias peritum! qui simpliciter per ܫܒܬܐ *sabbatum* reddidit, & Arabem, qui في السبت الثاني *sabbato secundo*, altera parte plane dissimulata, transtulit, jam prætheream, cum prisci, tum recentiores Commentatores plerique omnes, qui alias ex profana literatura & sacra phrasin sacram insigniter illustrarunt, hic abunde demonstrant, profundiorem esse fluvium, quam ut ejus fundum citra accuratam observationem rituum populi Judaici, & locutionum Ebraicarum notitiam attingant: quod vel solus *Pricæus* suo exemplo ὀφθαλμοφανερῶς comprobat, qui aliis locis N. Test. ex Latinis Græcisque Autoribus non parum lucis fœneratus, hic magis mutus est, quam piscis. Et *Erasmus de Lyrano* similiter ait, *quod hanc salebram fortiter transiliat.* In hujus proinde loci verum & genuinum sensum si inquisivero, eamque explicationem quam publicis in Lucam Prælectionibus præferendam aliis omnibus docuit Excellent. Dn. Præses, hic paulo latius diductam, & à nonnullorum objectionibus

ctionibus vindicatam, ex scriptis Ebræorum illustravero, non me nullum operæ precium fecisse arbitrabor. Quod igitur Deus felix & faustum esse jubeat, textum ipsum ex Luca in medium afferam, cujus verba à vers. 1. usque ad 6. cap. VI. habent ita:

Vs. 1. Ἐγένετο δὲ ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ διαπορεύεσθαι αὐτὸν διὰ τῶν σπορίμων: καὶ ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τοὺς στάχυας, καὶ ἤσθιον ψώχοντες ταῖς χερσί. vs. 2. Τινὲς δὲ τῶν Φαρισαίων εἶπον αὐτοῖς: Τί ποιεῖτε, ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι; vs. 3. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπεν ὁ Ἰησοῦς: Οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε ὃ ἐποίησε Δαβίδ, ὁπότε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες: vs. 4. Ὡς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔλαβε καὶ ἔφαγε, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ: οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς. vs. 5. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς: Ὅτι κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

CAPUT I.

Quid discipulis Christi Pharisæi vitio verterint, exponitur. Spicarum vellicatio priscis Ebræis die Sabbati illicita. Rabbi Moses Mikkozi *&* R. Maimonides *laudati. Salvatoris nostri responsum ad verba Pharisæorum legis divinæ* διάνοιαν *exprimit. Pharisæi* ἀκριβοδίκαιοι *in minutis præcipua officia neglexerunt. Locus Esai.* 58: 13. *ab* AbenEsra *bene explicatus à* Kimchio *&* Maimonide *male torquetur. Usus librorum Ebræorum. Vocis* שבת *varia significatio ostensa ex* Kimchio, Mikkozi *& Nachmanide. Cur illa pro* septimana *usurpetur. Quid* Μία σαββάτων *Matth.* 28: 1. Josephus *&* Theophylactus *laudati.* Bechai τὸ אחד *pro* ראשון *usurpat.* Gerundensis *laudatus. Monachi cujusdam supina ignorantia.* Hieronymum *de etymo vocis* δευτεροπρώτου *quærentem* Nazianzenus *eludit. Ejusdem vocis subobscuræ variis interpretamentis veterum,* Isidori Pelusiotæ, Epiphanii, Chrysostomi, Theophylacti *adductis, recentiorum Interpretum* Stapulensis, Aretii, Bezæ, Flacii, Bonaventuræ, Bertrami, Chemnitii, Maldonati, Grotii, Dieu *adferuntur. Erasmus, ex Græcis autoribus nihil pro explicanda hac voce afferri posse, fassus, Judæos in subsidium vocandos censet. Ex horum monumentis quid seorsim attulerint* l'Empereur, Cloppenburgius, Petitus, Capellus, *expenditur.*

§. 1.

ANtequam autem ad vexatissimam illam dictionem, & quæ, ut numeri Platonis propter suam obscuritatem in proverbium abierunt, ita παροιμιακῶς jactata inter πρωθύστερα *res præposteras* reperitur, progrediar, tanquam è tripode dictum illud notandum autumo, discipulis, per sata euntibus spicasque manu vellentibus, Pharisæos crimen intentasse, non quod die sabbati ambularent; Iter enim minus, quod ad animum potius reficiendum pertinebat, quam laboris speciem habebat, licitum erat & lege humana definitum, ceu spatii quoque illius & itineris sabbatini, bis mille nempe cubitorum, meminit Lucas Actor. 1: 12. Neque ideo eos reprehendisse, quod in agro alieno vellerent spicas, id enim itidem per legem Mosaicam Deuter. 23: 25. licuit: sed hoc unum inexcusabile & legi divinæ contrarium ipsis visum esse, quod spicas ἐν σαββάτῳ, quod δευτερόπρωτον appellat Lucas, vellerent & manibus confricarent. Etsi enim spicarum vellicatio inter novem & triginta principaliora opera, quæ אבות מלאכות dicta in Talmud Massechet שבת reperiuntur, non censebatur; perinde tamen ea, ac ipsa messione sacrum diem violari communi consensu Magistrorum docebatur. Unde R. Moses Mikkozi ספר מצות גדול Hilkot שבת fol. 12. col. 3. scribit: תולש חייב משום קוצר *vellens spicas reus est, quia metens reus est.* Et R. Moses Maimonides Hilkot שבת cap. 8. הקוצר כגרוגרת חייב ותולש הולדת קוצר הוא: *metens vel tantillum reus est, vellere enim spicas est species messionis.* Una igitur eademque pœna metenti & vellenti spicas die sacro erat constituta, ceu cap. 7. Hilkot שבת R. Maimonides testatur his verbis: מלאכות שחייבין עליהן סקילה וכרת במזיד או קרבן חטאת בשגגה מהן אבות מהן תולדות: *opera, quibus homo fit reus lapidationis & excisionis, si ex præsumtione faciat, aut sacrificii, si ex ignorantia, sunt vel primitiva vel derivativa.* Hinc Dominus noster, quem minimè latebat, quam pœnam Canones illi Judæorum dictitarent, allato ex V. T. exemplo ostendit, quæ legis divinæ vis sit ac potestas; nempe ne temere & citra casum necessitatis aliquid operemur die sacro; quod cum à discipulis non sit factum, eo ipso eos contra τὴν διάνοιαν legis æque nihil patrasse, ac Davidem, qui urgente fame cum comitibus sacris & nonnisi Sacerdotibus edi solitis panibus vescebatur, adeoque à pœna sabbati transgressoribus constituta merito esse absolvendos.

§. 2. Mirum sane, asperius & durius Dominum eos hic non compellasse, qui si unquam alias, hic certe in rebus minutis ἀκριβοδίκαιοι videri volentes, præcipua tamen officiorum secure negligentes, feriendi videbantur vituperio: ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες Matth. 23: 24. Qui enim tantillum, quod die sacro contigerat, pro violatione sabbati habebant, illi jam tum talia eopse die perpetrare solebant, quibus multo magis diem sacrum profanari diceres, licet verborum illi aucupes scripturæ autoritate se tueri conarentur. Esai. 58. vers. 13. hæc leguntur: *Vocaveris sabbatum* עונג לקדוש יהוה *delicias ad sanctificandum Dominum.* Quæ quidem ab AbenEsra non male explicantur: קראת שבת ענג שלא תעשה בו מלאכה ושתתענג הנפש בשמוע דברי תורה: *vocabis sabbatum delicias, ne in eo opus facias, & anima potius delicietur audiendo verba legis.* At Rabbi David Kimchi ad Veterum mentem מצות עשה לענג הגוף ביום השבת במאכלים ערבים טובים: *præceptum affirmativum est, ut corpus die sabbati delicias agat, optimis cibis vescendo.* Et Rabbi Moses Maimonides veterum traditionum maxime gnarus cap. ult. חייב אדם: שבת לאכל שלש סעודות בשבת אחת ערבית ואחת שחרית ואחת במנחה וצריך להזהר בשלש סעודות אלו שלא יפחות מהן כלל ועפילו עני המתהנס מן הצדקפר סועד ג' סעודות: *Tenetur homo ter comedere die sabbati, vesperi sive post occasum solis, mane & tertia hora pomeridiana. Admonendus est quilibet, ne de tribus illis vicibus quicquam remittat. Quin pauper etiam & qui eleemosynis alitur, toties tenetur convivari.* Quam contraria hæc & menti & verbis Dei sint, ex ipso textu liquido apparet, quæ tamen Judæi sancte observant, & maximam partem cultus divini in eis locant, ut ex ipsorum Talmudicis Pandectis discimus, quæ hunc usum nobis præstant, ut Veterum constitutiones, placita & legum Mosaicarum rigidas & iniquas interpretationes, ob quas Domini nostri objurgationes crebriores sunt experti, nobis etiamnum ostendant, stuporis Judaici non obscurum argumentum.

§. 3. Dicuntur discipuli spicas vulsisse ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. σάββατον *& Sabbatum* etsi Græcis Latinisque est usitatum & iis diem septimum, non modo ubi de Judæorum rebus, sed & de suis agunt, significat, Ebræa tamen vox est originaliter שבת, & ut Kimchi in libro Radicum ait, habet ענין הבטלה והפסק הדבר: *significationem cessationis, cum res desinit.* Inde Josephus Antiquit. lib. I. cap. XI. δηλοῖ δὲ ἀνάπαυσιν κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον. Venit hoc nomine dies septimus, quem Deus finito opere creationis sanctificandum præcepit, & labores deinceps in eo cessare jussit. Vocatur etiam ita in Scripturis יום טוב *festum*, quod & eo ipso omnia servilia opera cessent. Sic enim Rabbi Moses Mikkozi fol. 220. col. 1. Hilkot מוכפין scribit: ממחרת השבת ממחרת הפסח וכן תמצא בר"ה וי"ה וסוכות שכתוב בהן שבת לפי שיש בהן שביתת מלאכות: *verbis* ממחרת השבת postridie paschatis *intelligitur. Atque ita reperies vocari initium novi anni, diem propitiationis, & tabernaculorum, quia in eis opera servilia cessant.* Quin pro ipsa septimana usurpari solita est. Rationem reddit Rabbi Moses Ben Nachman Commentar. ad Levit. 23. כי בעבור שיש בכל שבעה ימים שבת אחת וחשבון הימים ממנו יקרא שבוע אחד שבת אחד: *Quia unicuique septimanæ unum est sabbatum, & dies hebdomadis ex eo incipiunt numerari, inde factum est, ut primum sabbatum diceretur septimana prima.* Atque ita in N. Testam. τὸ σάββατον usurpatur. Confer Luc. 18: vers. 12. Matth. 23: vers. 1. Marc. 16: vers. 2. Joh. 20: vers. 19. ubi μία σαββάτων est *prima dies septimanæ*, posito ordinali pro cardinali ex usu Ebræorum. Græci enim idiomatis indolem sapere locutionem, necdum evicit ullo exemplo Vir Clarissim. qui positiones Philologicas scripsit. Solis Ebræis id usitatum esse, Josephus lib. I. Ἀρχαιολ. cap. 2. satis clare indicat, dum de opere creationis locutus, καὶ, inquit, αὕτη μὲν ἡ πρώτη ἡμέρα. Μωυσῆς δὲ αὐτὴν μίαν εἶπε.

Cui quoque Theophylactus assentitur: σάββατα γὰρ Ἑβραίοις τὸ μίαν ταυτὸν σημαίνει τῷ πρώτην. Nempe illi שבת אחר pro שבת ראשון solent dicere. Atque id suomet confirmat suffragio R. Bechai fol. 74. col. 3. his verbis: אין לימות השבוע שמות מיוחדים כמנהג האומות שקורין לכל יום ויום בשם ידוע אבל אנחנו אין לנו בכל אחד מהם שם מיוחד ואנו מונין אחד בשבת שני בשבת וכן כלם: *Non propriis gaudent nominibus dies septimanæ, uti apud gentes, quæ singulos dies vocant suis nominibus propriis, nos vero numeramus: ita primus septimanæ, secundus septimanæ, & ita in reliquis.* Ex contextu vero colligendum est, quo sensu vox שבת, tam πολύσημος, sit accipienda, quæ in uno etiam eodemque versu diversimode ab interpretibus explicatur. Hinc R. Gerundensis Comment. ad Levit. 24. ממחרת השבת השביעית ושבע שבתות לא יתכן לפרש אותם יום טוב אבל אמר בו אונקלוס לשון שבוע ואם כן יהיו שתי לשונות בפסוק אחד המפרשים אמרו כי הוא דרך צחות כמו רוכבים על שלשים עירים ושלשים עירים: *Verba* (vs. 16.) à crastino Sabbati Septimi, & (vs. 15.) Septem Sabbata *non sunt explicanda de festo, sed Onkelos dixit, Septimanam significare. Atque sic duæ diversæ significationes erunt in uno eodemque versu. Interpretes dicunt elegantiæ causa id fieri, ut Judic. 10:4. ubi τὸ עירים nunc pullos, nunc urbes denotat.*

§. 4. Ultima autem significatio, ceu ex contextu liquet, huc non quadrat, sed vel Sabbatum hebdomadale, vel festum aliquod significat. Ast quomodo illud dicitur δευτερόπρωτον? Sane in tot hic disceditur sententias:

—— —— —— quot dicere nunquam
Tam cito, nec tanto possis contexere cursu,
Ut non ter decies respires.

Omnibus illis lepidum exemplum ab Erasmo annot. ad h. l. recensitum prætermittendum duxi. *Nuper,* inquit, *quidam Monachus, & idem Theologiæ Professor, in convivio rogatus ab erudito quopiam, sed tamen aliud studiorum genus professo, quid sibi vellet apud Lucam Sabbatum secundo primum, negavit quicquam tale reperiri usquam in Evangeliis, quæ alioqui probe teneret. Quum alter asseveraret, apud Lucam esse, ibi provocat fortissimus Theologus ad certaminis periculum; Hanc, inquiens, cappam meam depono, si quid tale scripsit unquam Lucas.*

§. 5. Jam olim S. Hieronymus, vocum obscuriorum indagator solertissimus, incredibili flagravit desiderio sciendi, cujusmodi dies hac voce significetur, qui tamen ne ex Præceptore quidem suo id cognoscere potuit, ceu ipse refert Epistola ad Nepotianum; *Præceptor,* inquiens, *quondam meus, Gregorius Nazianzenus, rogatus à me, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbatum* δευτερόπρωτον, *eleganter lusit: Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in quam ibi omni populo acclamante cogeris invitus scire, quod nescis, aut certe si solus tacueris, solus ab hominibus stultitiæ condemnaberis.* Quam responsionem ægerrime ferens Pater doctissimus hoc ἐπιφώνημα subjecit: *Nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur.*

§. 6. Longe rectius fecisse videtur Isidorus Pelusiota, qui sciscitanti Diacono Epistola scripta scrupulum eximere voluit. Illa cap. CX. lib. 3. sic habet: Τὸ ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ εἰρημένον ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ἑρμηνευθῆναί σοι ὡς ἀσαφὲς παρεκάλεσας, ἄκουε, δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερον μὲν ἦν τοῦ πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν ἀζύμων. Ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ πάσχα τῇ ἑξῆς τὴν τῶν ἀζύμων ἐπανηγύριζον ἑορτὴν, ἣν καὶ δευτερόπρωτον ἐκάλουν. Διὰ τὸ, ὡς ἔφην, δευτέραν μὲν εἶναι τοῦ πάσχα, πρώτην δὲ τῶν ἀζύμων. Καὶ ὅτι τοῦτ᾽ ἔστιν ἀληθὲς, δῆλον ἐκ τοῦ τοὺς Ἀποστόλους ἐγκεκλῆσθαι, ὡς τίλλοντας τοὺς στάχυας καὶ ἐσθίοντας. Ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ καιρῷ μόνῳ καρηβαροῦσιν οἱ ἀστάχυες, καὶ κέκλινται ὑπὸ τοῦ καρποῦ, καὶ τὸ πρὸς ἄμητον ὥρας, οἱονεὶ τὸ δρεπάνην ἐφ᾽ ἑαυτοὺς καλοῦντες. Τῇ τρίτῃ γοῦν ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων καὶ τὸ δράγμα προσεφέρετο; οὕτως καὶ ἀπὸ τοῦ καιροῦ καὶ ἀπὸ τοῦ γεγενημένου δῆλόν ἐστι τὸ ζητούμενον. *Quandoquidem id, quod in Evangelio dictum est, in Sabbato deuteroproto, ut obscurum tibi exponi rogasti, audi, Deuteroproton dictum est, quia posterius quidem die Paschæ, primum autem azymorum. Vespere enim Paschæ immolantes postridie festum azymorum celebrabant, quod quidem etiam deuteroproton appellabant, propterea quod, ut dixi, dies ille die Paschæ posterior esset, azymorum autem primus. Quodque verum hoc sit, argumento illud est, quod Apostoli hoc nomine accusati sunt, quia spicas vellerent ac manducarent. Hoc enim duntaxat tempore spicæ nutant, atque ob fructum ac messis tempus deorsum propendent, ac velut falcem ad sese vocant. Tertio quippe azymorum die manipulus quoque Deo offerebatur. Ita & à tempore & ab eo, quod factum est, perspicuum existit, id quod quæris.*

§. 7. At sic necdum perspicuum factum videas, quod ex Isidoro quæsitum est. Neque enim intelligitur primus azymorum dies, quippe qui ipsius Paschatis erat exordium, quo tamen, nondum oblato manipulo, nulli integrum erat quicquam delibare de frugibus. Hæc enim lex erat divina Lev. 23: vs. 15. לחם וקלי וכרמל לא תאכלו עד עצם היום הזה: *Panem, & tostum & spicam virentem non comedatis usque ad diem illum,* nempe Paschalis solennitatis secundum. Omni igitur omnino esu fructuum tantisper erat abstinendum, donec esset oblatus manipulus, quo messis à Deo redimenda quasi erat. Id quod satis indicant verba legis, quæ ita cumulantur, ut R. *Arama* docet, להחמיר על הענין הבחינה *emphaseos causa.* Quandoquidem vero discipuli ideo non accusantur à Pharisæis, quod frugum sacrilega delibatione legem illam divinam sint transgressi, (id enim ex textu patescere, quod post Baronium Cloppenburgius asseverat, prorsus eo inficias) sed violatio Sabbati tantum exprobratur, inde haud obscure colligere licet, primum diem Azymorum minime esse intelligendum.

§. 8. Octavum diem Azymorum (quibus tamen alias non nisi septem tribuuntur) Epiphanium intellexisse, autor est *Joh. Maldonatus.* Quod an vere ei tribuatur, ex verbis ipsis percipere licet. Bis autem agit de hoc Sabbato, primo hæresi 30. pag. 74. editionis Basil. impressæ anno 1544. ubi sic loquitur: διὸ μετὰ τὴν τῶν ἀζύμων γενομένην ἡμέραν, καὶ ὁρισθεῖσαν ἡμέραν σαββάτου, τῷ σαββάτῳ φύσει τῷ μετὰ τὴν ἡμέραν τῶν ἀζύμων εἰς σάββατον λελογισμένην, εὑρέθησαν διαβαίνοντες διὰ τῶν σπορίμων. Quæ verba sic accipio: *Idcirco post diem azymorum, & Sabbati diem definitum, Sabbato naturali, quod post diem Azymorum pro Sabbato habebatur, inveniuntur transivisse per sata.* Deinde hæresi 51. pag. 197. ubi hæc habet: φάσκει πάλιν ὁ Λουκᾶς μαρτυρῶν μοι τοῖς πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως εἰρημένοις, ὅτι ἐγένετο ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, ἵνα δείξῃ σάββατον πρῶτον εἶναι τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς ὁρισθὲν, καὶ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ, κατὰ περίοδον ἀπὸ τότε ἄχρι τοῦ δεῦρο, κατὰ ἑπτὰ ἡμέρας ἀνακυκλούμενον, τοῦτο εἶναι πρῶτον. δεύτερον δὲ σάββατον τὸ ἀπὸ νόμου ὡρισμένον. *Iterum ait Lucas, iis, quæ à me sæpius dicta sunt, testimonium perhibens, Sabbato deuteroproto hoc contigisse, ut ostenderet, Sabbatum primum esse illud, quod ab initio est definitum, & appellatum in creatione mundi usque ad hoc tempus, quod septenis singulis diebus recurrit, secundum vero, quod à lege est determinatum.* Fallitur oppido Jesuita, Græco textu non inspecto. Quantum enim ex verbis doctissimi Patris apparet, docet ille, Lucam designasse primum Sabbatum post mactatum Pascha & primum Azymorum, octavi vero diei nulla omnino fit mentio. Sed hæc Epiphanii explicatio, qua compositionis ratio nimis obscure explicatur, nullum applausum meretur, unde paucos invenias interpretes, qui ejus amplectantur sententiam.

§. 9. *S. Chrysostomus* homil. XL. in Matthæum itidem aliquid comminiscitur, dum ex ipso textu nihil certi ipsi suppetit. Verba ejus sunt hæc: τί ἐστι δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ, καὶ τοῦ σαββάτου τοῦ κυρίου καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης, σάββατον γὰρ ἀργίαν καλοῦσι. *Quid est secundo primum? quando cessatio est duplex & Sabbati principalis sive proprie dicti & festi consequentis. Sabbatum enim cessationem ab opere quamque appellant.* Atque secundum hanc sententiam vocatur δευτερόπρωτον, quod tam Sabbati, quam alterius festi succedentis cessatio occurreret, adeoque duplex esset Sabbatum. Cui sive illustrandæ sive confirmandæ opinioni quæ à magni nominis viro afferantur, ex his verbis videre est. *In Ebraismo* משנה *secundum significat etiam quod duplum est, ut Jer. 16:18. ferme talis est compositio, primum secundum, primum hoc est duplo. Jer. 17:18. secunda contritione, id est dupla contere eos. Ita* δευτερόπρωτον *significabit Sabbatum, cujus celebritas respectu primi dupla erat, id quod ad Chrysostomi sententiam accedit.* At exemplum ex Jeremia allatum id minime probat, ad quod probandum adducitur, nec quadrant verba ad significationem τοῦ δευτεροπρώτου illustrandam. Quod enim Jerem. 16:18. attinet, dicitur ibi ושלמתי ראשונה משנה עונם: quibus verbis minatur Deus populo suo pœnam, & ait, retribuam ראשונה hoc est, ut *Kimchi* recte explicat, בתחלה *initio*, משנה עונם, quod *Kimchi* reddit עונותיהם ועונות אבותיהם *peccata illorum & patrum illorum.* Chaldæus vero אשלם לתנינן כקדמאין על חד תרין חוביהון וחטאיהון *retribuam secundanis sicut primanis ob peccata & delicta eorum.* Ubi nulla est compositio *primum secundum*, ut vel obiter textum inspicienti patet. Ad Jer. 17: vers. 18. משנה שברון שברם du-

duplici contritione contere eos, Kimchi sic commentatur: ר"ל בשברון שני שברון אחר שברון ולא רצה לומר שנים באמרו משנה אלא שברון אחר שברון כמה פעמים: *vult dicere secunda contritione, hoc est, iterata contritione, noluit dicere* שנים *duabus, dum vocem* משנה *adhibuit, sed contritione multis vicibus reiterata.* Ex quibus liquido patescit, ἀπροσδιόνυσον esse utrumque exemplum. Neque τὸ משנה duplum præcise notat, sed ex usu scripturæ etiam idem est ac grande, ingens, quomodo accipitur Zach. 9: v. 12. & כפלים *Esai.* 40: *vs.* 2. Maxime vero improbabile est, τὸ πρῶτον significare dignitatem & constructum cum δεύτερον significare Sabbatum, quod duplex sit, quod sane aliter appellaturum fuisse, Lucam verisimile est. Δεύτερον certe & πρῶτον prius ordinem innuit, quem concipimus potius, quam dignitatem. Sed neque valet, quid nos de locutione illa conceptus nostri incude fingere possimus, sed quid scripturæ sermone sonuerit, & quo tandem ille respexerit. Quod omnino adhuc diligentius erit rimandum.

§. 10. *Theophylactus* sic explicat vocem: Οἱ Ἰουδαῖοι πᾶσαν ἑορτὴν σάββατον ὠνόμαζον, ἀνάπαυσις γὰρ τὸ σάββατον. Πολλάκις οὖν ἀπήντα ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ, καὶ ἐκάλουν τὴν παρασκευὴν σάββατον διὰ τὴν ἑορτήν. εἶτα τὸ κυρίως σάββατον ὠνόμαζον δευτερόπρωτον, ὡς δεύτερον ὄν, προηγησαμένης ἄλλης ἑορτῆς ἢ σαββάτου. *Judæi omne festum vocarunt Sabbatum, Sabbatum enim requiem sonat. Sæpenumero igitur festum incidit in Parasceven, & sic diem Parasceves appellarunt Sabbatum propter festum. Deinde Sabbatum proprie dictum* δευτερόπρωτον *vocarunt, tanquam quod esset secundum ab altero festo & Sabbato.* At enim, quam incertum est, tum Sabbatum in parasceven cecidisse! Non immerito igitur hunc quoque valere jubent scripturæ interpretes. Unde Josephus quoque Scaliger lib. 6. de E.T. Quæ, inquit, Theophylactus & antiquiores notant in h. l. non explicant, quid sit δευτερόπρωτον.

§. 11. *Stapulensis* arbitratur, significari diem, qui immediate festum Paschatis sit secutus, ac δευτερόπρωτον dici, quod sit secundus primus, hoc est, non æque sanctus ac celebris ut primus. Quo etiam respexisse creditur nonnullis *Lutherus*, qui reddidit **der After-Sabbath.** Cæterum Judæi alterum Paschatis diem tam sanctum non existimabant, ut non operari eo liceret, sed duntaxat primum & septimum. Unde R. *Moses Kozensis*, Hilkot. יום טוב, libri מצות גדול sic scribit: לא לעשות מלאכה בראשון של פסח: *non licet operari die primo Paschatis*; Et: לא לעשות מלאכה בשביעי של פסח: *non licet operari die septimo Paschatis.* Unde satis patescit, hunc diem non intelligi intermedium, quippe quo discipulis vitio vertere confricationem spicarum minime potuissent.

§. 12. Alii idcirco malunt intelligere diem septimum Paschatis, qui dicatur δευτερόπρωτος, quod æque ac prior esset solennis, omnique in eo famulo opere abstinendum. Amplectuntur hanc sententiam *Aretius*, *Th. Beza*, *Bertramus*, *Pasor in Lexico* in N.T. *Flacius in Clave*, *Chemnitius* ז"ל in Harm. Evang. Neque etiam dicam ei scribunt Osiander & Estius. Solet vero fundamenti vice istud quoque adduci, quod Matth. 12: 1. & Marc. 2: 23. dicatur, id contigisse ἐν σάββασι: quo plurali satis innuatur, festum aliquod solenne indigitari diebus pluribus constans, non σάββατον vulgare & hebdomadale. At enim pluralis ille definitum plurium dierum complexum necessario minime significat. Cum enim LXX. Interpretes Levit. 23: 32. verba Ebraica; שבת שבתון היא לכם sic verterint: σάββατα σαββάτων ἔσαι ὑμῖν, adeoque pluralem pro singulari adhibuerint, & Matth. 23: vers. 1. Actor. 13: 14. N.T. Scriptores itidem eum sic usurparint, inde omnino consequitur, vocem illam accensendam esse illis, quæ sono plurali significationem singularem habent, de quibus videatur B.D. *Glassius* Phil. S. lib. 5. tr. 1. pag. 94. Sane diem ultimum Paschatis haud innui hac voce inde patescit, quod Lucas haud dubie diem certum & in vulgus notum significare ea voluit, qui tamen denotari ea haud potuit, si alterum festi solennis innuere voluisset, quippe qui die octavo festi quoque Tabernaculorum occurrit. Quin verisimile est, dicturum fuisse Lucam non δευτεροπρώτῳ, sed ἐσχάτῳ, addito nomine festi solennis, quo isthæc contigerint, ceu Joh. 7: 47. appellavit.

§. 13. Non desunt, qui festum Pentecostes innui persuasum habeant. Cum enim Ebræis tria sint festa celeberrima, *Paschatis*, *Septimanarum* & *Tabernaculorum*, censent festum Septimanarum innui, quod δεύτερον sit ratione ordinis, πρῶτον vero ratione dignitatis, quam cum reliquis duobus communem habet. Atque ita *Maldonatus* Comment. ad h.l. *Friedlibius* aliique sentiunt. Sed τὸ δεύτερον & πρῶτον sub diversa acceptione ordinis & dignitatis ab Evangelista usurpatum fuisse, minus verisimile apparet. Et quandoquidem, ut Rabbi *Aben-Esra* Comment. ad Exod. 23. scribit: המרחק בין בכורי שעורים לבכורי חטים כמו שבעה שבועות תספר לך: *magnum intervallum est inter primitias hordeaceas & primitias triticeas, ceu dicitur; septem septimanas numerabis*, multo ante, quam festo Pentecostes, quo pro hordeacea messe feliciter peracta gratias agebant, contigisse omnino credibile est. Sane nec festo Paschatis, neque Pentecostes hoc accidisse, inde patescit, quod ἡμέραν ἀζύμων vel Πεντηκοστῆς, ut Marc. 14: 1. Actor. 2: 1. expressurus alias fuerit Evangelista.

§. 14. *Ludovicus de Dieu*, animadvers. in h.l. Sabbatum δευτερόπρωτον vocari contendit illud, quod inter duo alia Sabbata, primum nempe Azymorum & septimum interjacens primo proximum erat, atque illud excipiebat. Exempli causa, si Pascha in diem Jovis incidisset, primus Paschatis dies fuisset πρῶτον σάββατον; quod deinde sequebatur hebdomadale, vel, ut Epiphanius loqui solet, εἰς ἑπτὰ ἡμέρας ἀνακυκλούμενον, Sabbatum δευτερόπρωτον, septimus vero festi dies τρίτον σάββατον. Quæ sententia uti incerta nititur hypothesi, Pascha scilicet in mediam incidisse septimanam, ita haud scio, an recte in medium illud Sabbatum quadret notio δευτεροπρώτου.

§. 15. Diversam ab aliis viam insistit *Hugo Grotius*, qui tria σάββατα πρῶτα constituit, quæ videlicet solenniora festa antecesserint. Arbitratur igitur, illud Sabbatum, quod proxime Pentecosten antecessit, vocari δευτερόπρωτον. Atque hic dum sibi censendi libertatem sumit, valere jussit omnium aliorum explicationes. Præsupponit etiam, Sabbatum antecedens vocari πρῶτον; quod tamen de illo, quod Sabbatum sequitur, longe verius dicitur, quippe quod incidebat semper in dies azymorum, & inde sanctius habebatur. Quo respicere nonnullis videtur Joh. 19: 31. Nec illud omni dubio caret, quomodo Sabbatum ante festum Tabernaculorum dici potuerit πρῶτον, quod ἔσχατον erat anni civilis.

§. 16. Quid vox hæc difficilis, utpote μονήρης, quæ tantum hoc loco neque apud ullum alium scriptorem occurrit, significet, nemo, quos adduxi, autorum in apricum protulit. Complures alios hic prætereo, qui, ut de Petro Comestore & Carrensi Erasmus loquitur, *se torquent & in omnia vertunt, nihil tamen agunt, ut simplicius sit, dicere, nescio.* Ipse Erasmus Græcæ linguæ callentissimus, nihil ex Græcanica literatura superesse ratus, quo hanc dictionem illustret: *Equidem*, inquit, *super hac re nihil adhuc apud autores comperi, quod satisfaciat.* Et paulo post: *Hæc rectius explicaret Judæus, si quid tamen illi possunt adferre, quod ad rem pertineat.* Sane ex illorum ritibus nonnulli lucem huic loco afferre conati sunt, diversimode tamen: à vero enim alii absunt longius, alii propius. *Constantinus L'Empereur*, Prof. in Academia Leidensi quondam clarissimus, Commentario in Paraphrasin Danieliticam Jachiadis ad cap. IX. pag. 101. τὸ δευτερόπρωτον neque de Paschali, neque de Pentecostes festo interpretatur, sed Sabbato, quod ipsum festum azymorum aliquot septimanis antecesserit. Observavit nempe ille ex lectionibus Judæorum Sabbatinis longe antiquissimis, collatis cum Massechet Megilla cap. 3. à quatuor paraschis, quarum 1. שקלים 2. זכור 3. פרה 4. החדש dicitur, totidem denominari Sabbata. Illud, quod primum est, dicitur שקלים, quia paroscham ita vocatam in eo legere solent, de quo R. Obadias de Bartenora Comment. ad h.l. scribit: קורין פרשת שקלים כי תשא להודיע שיביאו שקליהם באדר כדי שיקריבו באי' מתרומה חדשה: *Legunt paroscham* שקלים, *quæ incipit* כי תשא (Exod. 30: 11.) *ad indicandum, mense Adar eis comparando siclos suos, ut ipsis sit in promptu, quo primo die mensis Nisan offerant novam oblationem.* Sabbatum subsequens, quo paroscham זכור (Deuter. 27: vs. 17.) legunt, vocant שניה, & hoc innui contendit L'Empereur, quasi vocetur δευτερόπρωτον secundum primum, sive secundum ab eo, quod primum dicitur.

§. 17. *Johannes Cloppenburgius* (quem omnium probabilissime disputare sibi visum esse, asseruit B. D. Joh. Major, Universitatis hujus quondam decus eximium ad Actor. 2: vs. 14.) Tract. de Sabbato deuteroproto, probat quidem, quod vir laudatus, quem suppresso nomine amicum suum appellat, in censu quatuor istorum Sabbatorum τὸ δευτερόπρωτον collocet, discedit tamen ab eo, quod quartum potius Sabbatum החדש dictum, quam secundum illud זכור intelligendum arbitratur. Cui quoque *Ludovicus Capellus* suum calculum adjicit, qui quartum illud Sabbatum, quo parascha החדש (Exod. 12: vers. 1.) legi solebat, itidem mavult intelligere, ita

tamen, ut illud vel in ipſam Neomeniam incidat Menſis Niſan, vel proxime eam ſubſequatur. Quo ipſo à Cloppenburgio quoque recedit non nihil, qui tunc quoque ſabbatum החדש vocari putat, cum ipſam Neomeniam Niſan præcedit. Atque ſecundum Cloppenburgium, Capellum, &, qui, quod mireris, eodem quidem tempore, loco tamen à Cloppenburgio longiſſime remoto gemella ſcripſit, Samuelem Petitum alia appellationis ratione, neque minori & particulari ſabbatorum menſis Adar, ſed diverſo annorum computo, ſabbatum δευτερόπρωτον dicitur *ſecundo primum* ſive הקדש anni ſacri, in oppoſitione ad annum civilem, cujus eſt πρωτόπρωτον ſabbatum.

§. 18. Cæterum non omni dubio hæc carere videntur. Quod enim primam explicationem attinet, etſi Rabbini, & inter illos Rabbi Salomo Comm. ad l. cit., mentionem faciunt שבת השניה *ſabbati ſecundi*; nequaquam tamen idcirco meretur dici *ſecundo primum*, neque apparet ratio, cur Lucam id intellexiſſe dicamus, maxime cum ipſe l'Empereur fateatur, ſabbatum illud non eſſe ſimpliciter ſecundum, ſed antepenultimum totius anni nempe ſacri. Quo ipſo ſecundoprimum illud Ebræos vocaſſe ut incertum eſt, ita neque uſus loquendi videtur ferre. Sed num Cloppenburgium & Capellum aliud quid præter conjecturam, cui hic parum tribuendum eſt, attuliſſe dicemus? Fateor quidem, Judæis uſitatum fuiſſe geminum anni computandi modum, unius civilis à menſe Tiſri, qui novilunio noſtri Septembris reſpondet, de quo Rabbi Abarbanel Commentar. ad Exod. 23:16. loquitur אמר בצאת השנה לפי שהיו מונין השנים מתשרי לתשרי: *ait, cum annus finitur, quia annos numerabant à Tiſri ad Tiſri.* Alterius ſacri à menſe Niſan, ſive novilunio Martii noſtri, ſecundum præceptum divinum Exod. 12:2. *Menſis iſte caput menſium, primus ipſe vobis.* Atque huc referendum quod obſervavit Rabbi Bechai: על כן יקרא הכתוב לחדש תשרי שביעי ובחדש השביעי באחת לחדש והכונה שביעי לחדש ניסן *Ideo vocat ſcriptura menſem Tiſri ſeptimum* (Numeror. 29:1.) & *in menſe ſeptimo die primo menſis, & ſenſus eſt, ſeptimo menſe à Niſan.* Sed licet Ebræis, ut Rabbi Abarbanel fol. 148. ſcribit: יהיו בשנה שתי התחלות אחת טבעית מתשרי ואחת הנחיית מוסכמת מניסן כדי שיזכרו תמיד חסדי ה׳ אשר עשה מעהם להפליג ביציאת מצרים כי בו יתחילו למנותם ראשון ושני ושלישי כמו שני בחדש השני בחדשה שלישי גם שממנו ימנו הארכים והשנים כאמרו בשנה השנית לצאת בני ישראל מארץ מצרים: *Fuerint duo primordia anni, unum naturale à Tiſri, alterum conſenſu receptum à Niſan, ut ſubinde illius gratiæ ſint memores, quam eis exhibuit miraculoſa eductione ex Ægypto, quia in eo inceperunt numerare menſis primus, ſecundus, tertius, ſicut dicitur* (Numeror. 9:11.) *menſe ſecundo, tertio. Et quod ab eo numerarent hiſtorias & annos, ut cum dicunt: anno ſecundo exitus filiorum ex Ægypto.* Licet, inquam, ſic numeraverint ob memoriam liberationis ex Ægypto, id tamen minime conſtat, eo tempore, quo Chriſtus in terris agebat, ita quoque numerata fuiſſe ſabbata, ut unum diceretur πρωτόπρωτον anni nempe naturalis vel civilis, alterum δευτερόπρωτον anni nempe ſacri. Quin potius dicendum videtur, quemadmodum tunc menſes non amplius numerabantur à menſe Niſan, ſed certis ſuis nominibus è Chaldæa allatis inſigniebantur, uti etiam ex libris Maccabæorum conſtat 1. Maccabæor. 7:43. & cap. 14:17. & computus annorum non ab egreſſu ex Ægypto, ſed imperio Alexandri inſtituebatur: Ita plane nullum ſabbatum ab illo ſacro, quem vocant, anno fuiſſe denominatum Rabbi Bechai fol. 74. col. 3. Commentar. in Leg. ſic ſcribit: מה שאנו מוצאים שמות לחרשי השנה והם ניסן אייר סיון תמוז אב וכן כלם הנה הם שמות עלו מבבל וטעם הדבר כי מתחלת היה המנין זכר ליציאת מצרים אבל כשעלינו מבבל בזמן בית שני נתקיים הכתוב לא יאמר עוד חי השם אשר העלה את ישראל מארץ מצרים כי אם חיה אשר העלה ואשר הביא את בני ישראל מארץ צפון על כן הוצרכו לקרוא החדשים בשמות אשר נקראים בבבל וזה גם כן לזכרון כי שם עמדנו בגלות ומשם גאלנו הקב״ה: *quod nos menſes nominibus ſuis appellamus, Niſan, Jiar, Sivan, Tamuz Ab &c.: Ecce illa nomina menſium è Babylonia allata ſunt. Ratio autem hujus rei eſt hæc, quod initio numerus erat memoriale egreſſus ex Ægypto. At tempore templi ſecundi, cum Babylone redivimus, impleta eſt ſcriptura* (Jerem. 16:14. cujus complementum cum etiamnum expectandum doceant alii Judæi, merito hoc teſtimonium eis opponendum) *non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui aſcendere fecit filios Iſraël è terra Ægypti, ſed vivit Dominus, qui fecit aſcendere filios Iſraël de terra aquilonis. Ideo oportuit eos vocare menſes iis nominibus, quibus Babele appellabantur. Atque hoc itidem factum eſt in rei memoriam, quod ibi in captivitate fuerimus, & inde liberati.* Ipſo Bechai teſte, ex quo tempore Judæi alio eoque itidem inſigni & memorabili beneficio affecti ſunt, deſiverunt in numerando primi menſis meminiſſe & anni exitus ex Ægypto, quippe, ipſo propheta prædicente, ab alio non diſſimili beneficio quodammodo oblitterandi. Unde Judæos poſterioribus temporibus utriuſque anni ſabbatum primum in numerando ſic invicem diſtinxiſſe, ut unum dicerent πρωτόπρωτον, alterum δευτερόπρωτον, μέγα λίαν αἴτημα eſt; quin ne illud quidem ſatis probabile videtur, unquam fuiſſe duo iſthæc denominata ſabbata Ebræis; Aut num dicemus ſic, τριτόπρωτον fuiſſe appellatum anni ſabbatum, quod memoriam exitus ex Babylone ſuggeret, vel τεσσαρόπρωτον, quod imperii Græcorum eſſet μνημόσυνον?

CAPUT II.

Vera & genuina originatio vocis δευτεροπρώτου à Joſepho Scaligero indagata. Qui ex eruditis eum ſequantur. Locus Levit. 23:10. explicatur. Chaldæi & Rabbi Salomonis *interpretamenta adducta. Ebræos ab oblatione Omer ad feſtum Pentecoſtes computum iniviſſe ex Juchaſin & Medraſch Schemuel oſtenditur.* Grotii & Ludov. Capelli *rationes Scaligero oppoſitæ expenduntur. In nominum compoſitione non omnia ad vivum reſecanda. Sabbatum δευτερόπρωτον eſt primum illud, quod oblationem τοῦ Omer ſequitur. Iſto tempore fruges maturas fuiſſe, fruſtra dubitare Maldonatum, probatur ratione & autoritate Rabbi* Abarbanelis & AbenEſræ. *Anni apud Ebræos intercalandi ratio ex Rabbi Bechai, Rabbi* Moſe Maimonide *oſtenſa. Meſſis Ebræorum longe maturior noſtra. Grotii hallucinatio. Manipulum non dicis cauſa, ceu Grotius contendit, ſed peculiari fine oblatum excipiebat immediate meſſis apud Ebræos.* Rabbi Arama & Alſchech *laudati.*

§. 1.

PRæ omnibus hactenus recenſitis ſententiis applauſum cumprimis mereri videtur ea explicatio, quam ingenioſe primus excogitavit Vir illuſtris, Joſ. Scaliger, uti videre eſt cum libr. 6. de Emend. temp., tum libr. 3. Can. Chron. Iſag. part. priore cap. 6. poſtea vero magni nominis doctores ſuam etiam fecerunt, utpote *Johan. Druſius.* Præter. ad h. l. *Caſaubonus* Exerc. Antibar. 14. *Matth. Martinius* in Etymologico, *Joh. Piſcator* Comment. in h. l., *Dion. Petavius* ad Epiphanii hæreſin 30. *Georg. Calixtus* in Harm., *Eraſ. Schmidius* annot. in h. l. & *Theod. Hackſpanius ad h. l.* Hariolatus nempe eſt Heros ille incomparabilis, ſabbatum δευτερόπρωτον eſſe diem ſabbati hebdomadalis, & ἀπὸ τῆς δευτέρας πρῶτον ſive primum à ſecundo die Sabbati. Quam ſententiam cum probabilem quidem eſſe ipſe Capellus fateatur, incommodam tamen non nihil eſſe cauſetur, in præſentia oſtendendum erit, fruſtra hanc etymologiam ſolicitari à Capello juxta & Hugone Grotio.

§. 2. Sciendum igitur eſt, Deum Lev. 23:10. præcepiſſe, ut populus manipulum frugum offerat ממחרת השבת h. e. ut Chaldæus tranſtulit בתר יומא טבא *poſt diem feſti*, ſive, ut R. Salomo magno Ebræorum conſenſu contra Karæos, qui שבת בראשית *ſabbatum creationis* intelligunt, reddidit ממחרת יום טוב הראשון של פסח *à craſtino feſti primi Paſchatis.* Ab illo vero die ſecundo Paſchatis, quo falx, oblato manipulo, in meſſem mitti incipiebat Deuteron. 16:9. ſeptem שבתות *ſeptimanæ* erant numerandæ, donec nempe feſto iterum ſolenni, quod חג השבועות appellatur, novum munus, triticeæ nempe primitiæ, offerretur. Atque inde factum eſt, ut omne tempus inter duas concatenatas illas ſolennitates, Paſchatis nempe & ſeptimanarum ſive Pentecoſtes intercedens, memoriam illius diei ſecundæ Paſchatis ſecum ferret, & Ebræi calculum ineundo illius facerent mentionem. Patet hoc ex R. Abrahamo Zacuto, qui libro Juchaſin f. 36. 1. ſic ſcribit: כלם מתו על שלא נהגו כבוד זה לזה מפסח ועד עצרת ויש נוסחא אחרת עד פרס העצרת שהוא ט״ו יום קודם וזה עד ל״ג לעומר: *Omnes mortui ſunt, quod ſe invicem honore non proſequerentur à Paſchate uſque ad Pentecoſten.*

Eſt

Est & aliud exemplar, quo id factum dicitur ante Pentecosten diebus quindecim & die tertio & trigesimo ab oblatione Omer. Atque huc referendum etiam est illud, quod sub finem libri מדרש שמואל legimus: היתה השלמת השני מדרשים האלו ביום ל"ג לעומר: *Libris hisce duobus Medraschim finis est impositus die* XXXIII. *post oblatum Omer.*

§. 3. Consimiliter ipsorum quoque Sabbatorum inter utrumque festum ab illo die oblati manipuli fuisse institutum computum, ut illud, quod ab illo secundo die Paschatis proximum erat, vocaretur δευτεροδεύτερον, tertium δευτερότριτον &c. quam maxime vero est simile; neque ulla allata ratio solida videtur, quæ ab assensu quenquam abstrahere queat. Hugo quidem Grotius, annot. ad Luc. 6: 1. duabus de caussis, quarum una ipsi cum Capello communis est, hanc derivationem improbat: *Traxit*, inquiens, *multos in assensum magni viri autoritas, qui* δευτερόπρωτον *exponit* πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα, *sed ei quo minus subscribam, apud me hæc obstant. Primum, quod nullum viderim tale formationis exemplum, qualis esset, si* δευτερόπρωτον *deduceretur à voce* δευτέρας *& voce* πρώτας. *Deinde, quod lex, quæ exstat in Levitico, non hoc dicit, Sabbata denominari à postridie Paschatis, ut hoc Sabbatum dicatur primum, illud secundum, atque ita deinceps; sed dies illos quinquaginta* ימים העומר τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς *numerari ab eodem illo die, ita ut postridie Paschatis sit dies illorum quinquaginta primus, qui hunc sequitur, secundus, atque ita usque ad quinquagesimum, quem numerandi modum Judæi nunc quoque anxie observant, neque tamen in nominandis diebus repetunt nomen illud* δευτέρας, *sed quæque vox ut advenit, solent dicere, hic est dies primus Omer: hic est dies secundus, atque ita porro.*

§. 4. Sed quod attinet primum, dum similis formationis exemplum desiderat Grotius, & Capellus causatur, jungi voces diversi generis, elisa præpositione ἀπὸ; haut immerito mireris, eos idcirco nolle Scaligeri sententiæ palmam deferre. Ecquid obstat, quo minus ex duabus diversi generis vocibus elisa præpositione formetur aliqua dictio? Num propterea derivationem aliarum quoque vocum, quibus, ut R. Aben-Esra loqui solet, אין חבר במקרא *non est alia similis in sacris*, quarum tamen etymologiam res ipsa & contextus probat, in dubium vocabit Capellus & Grotius? Facere sane non possum, quin rigidis ejusmodi vocum censoribus judicium opponam non contemnendum R. Levi Gersomidis comment. in 1 Sam. 1. אם אמר אומר שהיה ראוי אם כן שתקרא שמו שאול אמרנו לו כי לא ידקדקו קוראי השמות כל כך הלא תראה לאה שקראה שם בנה ראובן כי ראה ה' בעניה ונקרא שם נח לאמר ינחמנו ממעשנו והיה ראוי אם כן שיהיה שמו מנחם: *Si quis dixerit, conveniens esse, ut nomen ejus esset* שאול, *respondemus, eos, qui nomina indiderunt, ejusmodi minutias non tantopere attendisse; Annon vides, Leam vocasse filium suum Reuben, quia Dominus* ראה בעניה, *& nomine* נח *est vocatus, dicendo hic nos consolabitur ab operibus nostris, quum potius* מנחם *esset appellandus.* Si in formandis propriis nominibus apud Ebræos tam accurata omnium vocum, ex quibus conflantur, non habetur ratio, eccur hic omnia ad vivum resecare nituntur Grotius & Capellus in ejusmodi voce, quam, Hellenistarum rationem loquendi sæpius imitatus, Lucas adhibuit? Non, si alibi exemplum non occurrit hujus compositionis, ideo hæc etymologia, quam contextus fert, spernenda est. *Sufficit*, inquit Cl. Schmidius, *autoritas divina Levit.* 23: 15. *cujus respectu nomen hoc compositum est. Et sicut ipsum nomen* δευτεροπρώτου *propterea non rejicitur, quia autoritate nulla probari potest; Ita neque ratio appellationis propterea rejici debet, cum autoritate divina satis tuto nitatur.* Quod vero Grotius porro ait, ex lege divina id tantum patescere, dies fuisse numeratos, Sabbata non item, id itidem nullius est momenti. Neque enim sequitur; à tempore oblati manipuli dies solebant numerari; Ergo non Sabbata. Quin potius contra licet colligere; quia res Sabbati die accidisse memoratur, ideo de industria Lucam formata singulari voce, qua tempus facti notaretur, id indicare voluisse, maxime cum Sabbatum fuerit terminus septimanarum, quas ut ad Pentecosten usque numerarent Ebræi, lege divina expressa Deuter. 16: vers. 9. tenebantur.

§. 5. Etsi igitur de hac nomenclatura certam demonstrationem se habere negat Capellus; hanc tamen originationem, à Scaligero indagatam, veram esse & omnibus reliquis præferendam, haud vereor asserere. Duas probabiles sententias de hac voce circumferri, ipse Capellus fatetur, Cloppenburgii nempe & Scaligeri; Quo minus autem Cloppenburgio subscribam, supra dictum. Sane si conjecturis palma dari solet, quibus nihil, quod ἀποδεικτικώτερον sit, opponi potest, ut Salmasius loquitur Epistola de Cruce, quidni hic Scaligero primæ deferendæ, quippe cujus sententia cum sacris literis, tum Ebræorum computandi rationi apprime est consentanea, omnesque alias sententias longo post se intervallo relinquit.

§. 6. Nihil proinde dubitandum est, notari Sabbatum primum post Omer vel manipulum postridie Paschatis oblatum, quo tempore spicas in agro fuisse idoneas, quæ manibus friarentur, neminem sinit dubitare regionum istarum ratio. Johannes quidem Maldonatus Comment. ad Luc. 6: vers. 1. ait: *Quod quidam adnotarunt, in Palæstina eo tempore propter vehementem calorem segetes solitas maturescere, fictum arbitror.* Sed fugit ipsum ratio. Equidem minime confictum esse, Palæstinam nostris regionibus calidiorem esse, atque adeo fruges citius maturescere, inde haud obscure patet, quod elevatio Poli Hierosolymis est grad. XXXI. minut. 40. At hic Jenæ grad. LI. min. 1. Quandoquidem igitur sub æquinoctium Sol, cum in arietem ingreditur, vertici illorum, utpote Æquatori viciniorum, fere tam propinquus est, quam nobis tempore solstitii, adeoque eis tunc calor non minor, quam nobis, ipsis diebus canicularibus, nihil causæ est, quamobrem Jesuita id confictum esse dicat. Quin Rabbinorum quoque accedit testimonium: Sic enim R. Abarbenel fol. 262. col. 2. העומר היה בכורים מראשית קציר השעורים שהיה בא ביום הראשון מחג הפסח כפי טבע ארץ ישראל שהיו התבואות ממהרות לבוא: *Omer nihil aliud erat, quam fructus primitivi de initio messis hordeorum, quæ postridie Paschatis inchoabatur, ut ferebat terræ Israelis natura, cujus fructus erant præcoces.* Et Rabbi Aben-Esra Comment. ad Exod. 23: 16. והנה חג המצות לעולם יהיה בו בכורי שעורים: *Ecce festum Azymorum subinde ejusmodi erat, ut in eo essent primitiæ hordeaceæ.*

§. 7. Licet enim non eadem semper omnibus annis cœli temperies est & dispositio, sed modo serius, modo citius fructus maturescunt, ab Ebræis tamen per intercalationem anni ratio ita constitui est solita, ut postridie Paschatis Deo manipulus frugum maturarum offerri posset. Inde Rabbi Bechai fol. 97. Comm. in Pentateuch. ex veteribus monet; אם לא השיגה התבואה מעברין השנה: *Si proventum non attingit (spicarum) intercalant annum.* Atque hoc clare docet Rabbi Moses Maimonides Hilkot קדוש החדש cap. 4. שנה מעוברת היא שנה שמוסיפין בה חדש ואין מוסיפין לעולם אלא אדר ועושין אותה שנה ב' אדרין אדר ראשון ואדר שני ומפני מה מוסיפין חדש זה מפני זמן האביב כדי שיהא הפסח באותו זמן שנ' שמור את חדש האביב שיהיה חדש זה בזמן האביב ולולי הוספת החדש הזה הפסח בא פעמים בימים החמה ופעמים בימים הגשמים על שלושה סימנין מעברין את השנה על התקופה ועל האביב ועל פירות האילן: *Annus intercalatus est, cui mensem addunt. Nunquam vero addunt nisi mensem Adar, & ita uni eidemque anno gemini menses Adar competunt, primus & secundus. Eccur vero addunt illum? Propter tempus spicarum, ut Pascha illo tempore celebretur, quia dictum est* (Deut. 16: 1.) *observa mensem spicarum. Absque additione mensis illius esset, Pascha nonnunquam in tempore æstivo, quandoque hiberno accideret. Tribus de caussis annum intercalare solent, ob æquinoctium, spicas virentes & fructus arboris.*

§. 8. Atque isthæc intercalatio publica fiebat autoritate. Rabbi Aben-Esra ad cap. 11: vers. 9. Exod. sic commentatur: אף על פי שישראל בבית המקדש היו מסתכלין אל האביב לא היה עבור השנה מסור להם כי אם לבית דין שהיה מסתכל לדברים אחרים חוץ מהאביב: *Etsi Israelitæ in domo sanctuarii aristas virentes respiciebant, anni tamen intercalatio non erat penes illos, sed Synedrium, quod præter spicas ad alia quoque respiciebat.* Conf. Rabbi Abarb. fol. 149. col. 4. in Leg. Docet id paulo fusius Rabbi Moses Maimonides l. cit. num. 2. כיצד בית דין מחשבין ויודעין אם תהיה תקופת ניסן בששה עשר בניסן או אחר זמן זה מעברין אותה השנה ויעשו אותו ניסן אדר שני כדי שיהיה הפסח בזמן האביב ועל סימן זה סומכין ומעברין ואין לסימן אחר וכן אם ראו ב"ד שעדיין לא הגיע האביב אלא עדיין אפל הוא ולא צמחו פירות האילן שדרכן לצמח בזמן הפסח סומכין על שני סימנין אלו ומעברין את השנה ואף על פי שהתקופה קודם לששה עשר בניסן הרי הן מעברין כדי שיהיה האביב מצוי להקריב ממנו עומר התנופה: *Quando Synedrium calculum init, & observat, æquinoctium esse die 16. mensis Nisan, aut post illud tempus, intercalant eum, & illum ipsum mensem faciant Adar secundum, ut nempe Pascha sit tempore frugum recentium. Et si Synedrium viderit, nondum fruges maturuisse, sed serotinas esse, & fructus non germinasse, qui alias isto tempore germinare solent, intercalant annum.*

Et licet æquinoctium sit ante XVI. Nisan, ecce intercalant, ut fruges in promptu sint, ex quibus manipulus Nisan queat offerri. Ejusmodi vero intercalatio Hierosolymis in alia loca fuit per literas annunciata, unde in Talmud Massechet Sanhedrin cap. 1. fol. XI. col. 2. sic legimus: שלמכון יסגא לעלם מהודיען אנחנא לכון דגוזליא רכיכים ואימרא ערקין וזמנא דאביבא לא מטא ואוספין. על שתא דא יומין תלתין: *Salutem plurimam: Certiores vos facimus, pullos adhuc esse implumes, agnos teneros, & fruges nondum maturuisse, triginta propterea nos dies addere.*

§. 9. Ex quibus satis abunde patet, Maldonatum falli, dum pro figmento habet, fruges multo citius maturuisse in Palæstina, quam his nostris regionibus; adeoque idcirco perperam negare, sabbatum aliquod ante Pentecosten intelligendum esse, cum anno, quantumvis Embolimæo, multo prius fruges demessæ sint, quam apud nos fieri amat. Consimiliter impingit H. Grotius, qui messem Ebræorum rejicit in mensem Elul, quem partim Junio, partim Julio respondere asseverat. Quo ipso asserto non uno se falsi crimine astringit. Illud enim in confesso est, mensem Elul proxime antecedere mensem Tisri, cujus initium nostri Septembris novilunio respondere supra dictum est. Est itaque mensis Elul novilunium nostri Augusti, quo tempore fruges jamtum in horrea erant ex agro abductæ, quippe quarum messis mense Nisan, qui partim Martio, partim Aprili nostro respondet, inchoabatur, prima enim erat hordeorum, quæ temporius se prodebant, ut Grotius fatetur, & ex Exod. 9: 31, 32. haut obscure liquet, ut adeo illam messem in Julium usque rejiciens Grotius, imprudenter æstimarit illas regiones ex ratione nostræ messis, quo nomine & Pagninum merito taxavit B. Chemnit. Harm. Euang. cap. XLV. Jonathan Ben Uziel paraphrasi Chaldaica ad Genes. 8: 22. Palæstinam ejusque cœli rationem satis describit hunc in modum: דרוע בתקופת תשרי וחצרא בתקופת ניסן וקורא בתקופת שבת והומא בתקופת תמוז: *Sementis, in æquinoctio Septembris, messis in æquinoctio Martii; frigus in solstitio Decembris, & æstus in solstitio Junii.*

§. 10. Quin & ex eo, quod Deus præceperat, ut postridie Paschatis manipulus frugum novarum offerretur, colligere poterat Grotius, messem multo citius apud Ebræos fieri, quam nos. Neque illud relictum est Grotio, ut dicat: *quod postridie Paschatis δράγμα σταχύων ad altare afferebatur, fiebat id dicis causa ex spicis virentibus, quæ igne torrebantur, ut Josephus nos docet ex Levit. 2: 14.* Hanc responsionem dudum ipsi eripuerunt Rabbini, qui ὁμοθυμαδὸν inculcant, Deum instante jam messe peculiare quid ista oblatione manipuli docere voluisse, hominemque monere, ne proventu isto jamjam colligendo ex agro intumesceret, vel non satis digne fructus perciperet. R. Arama enim fol. 223. col. 4. libri Akedath Jizchack, sic commentatur: בהגיע קציר השעורים בה לא נהנה ממנה עד שנביא ראשיתו לפני ה' כי הוא תחלת תבואותיה ויניף הכהן את העומר כדי שיתבוננו בה בני' שהכל מלפניו מוכן לפנינו לעבודתו לא בבחינת עצמו כמו שחשבו הפתאים: *Appetente jam messe hordeorum, non erat integrum vesci fructibus, donec primitias obtulissemus, illæ erant initium proventuum ejus. Sacerdos agitare debuit manipulum, ut sic intelligerent, omnia nobis data esse non simpliciter, ut stulti sibi persuadent, sed ut eum colamus.* Et R. Moses Alschech fol. 194. תורת משה scribit: בהתחיל האדם לקציר קציר שדה בתחלת קציר שעורים שהוא ראשון לבל ירום לבבו ברוב תביאות צוה לנו להביא עומר שעורים שהוא עשירית האיפה: *Dum homo incipit metere fructus agri in initio messis hordeorum, quæ prima est, jubemur offerre manipulum hordei sive decimam partem Epha, ne nimio frugum proventu insolescamus.* Et fol. 195. col. 3. עוד שנית עשה ית' כי כאשר היתה התחלה במצוה וקדושה כן יהיה בסוף וז"א בסוף הענין ובקצרתם את קציר ארצכם לא תכלה פאת שדך בקצרך לעני וכו' למען תהיה תחלה הקציר צדקה וסופו צדקה: *Deus etiam alterum ordinavit, ut enim initium erat Dei mandato & sanctificatione fiebat, sic etiam finem messis esse volebat. Atque hoc est, quod dicitur* (Levit. 23: 22.) *& in metendo vos messem terræ vestræ; non finies angulum agri tui, pauperi relinques. Ut nempe & initium & finis messis recte fieret.* Atque hinc patescit, Deum voluisse, ut tunc, cum jam falx in messem immittenda erat, Ebræi isto ritu, messem immediate antecedente, Dei benignitatem agnoscerent, & omnem proventum agri illius providentiæ acceptum ferrent, quam gratitudinem erga Deum ita quasi obsignare jussi sunt, ut proximi quoque memores nec agrum totum demeterent, sed pauperibus & viduæ angulum demetendum relinquerent. Ubi R. Alschech bene observat ילקוט צוה שתהיה כמתן בסתר שלא ויתן לעני כי אם יעזוב אותם ולא ידע מי אוספם: *Præcepit, ut esset tanquam largitio, quæ clanculum fiat, nempe ne ipsemet demessum largiatur pauperi, sed relinquat ea, ignarus quis illa sit collecturus.* Ecquis igitur jam dicis causa δράγμα σταχύων fuisse oblatum dicat cum Grotio? Aperte enim constat, quis finis illius oblationis fuerit, fatentibus ipsis Ebræis, & quo tempore offerri fuerit solitus, nempe instantis messis hordeaceæ. Equidem Virum illustrem (cujus autoritati adeo nihil deterere mihi decretum est, ut eum potius omnibus laudibus prosequendum esse fatear) uti alias sæpenumero, ita hic quoque *libertatem censendi, quam post alios sumsit*, parum felici sidere *sibi indulsisse*, neminem inficias iturum esse plane persuasum habeo, qui modo absque præjudicio hanc rem omnem expenderit.



HENR.

HENR. MULLERI
DISSERTATIO
De Sabbato ΔΕΥΤΕΡΟΠΡΩΤΩ ad Luc. 6: 1.



GR. Ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ. *Syrus*, *Persa*; *Æthiops*; In Sabbato. *Arabs*; die Sabbathi (*ita enim Vaticanum exemplar Flaminii legit, & Alexandrinum Londinense, quamvis Casaubonus*, (a) *Lapidensis* (b) *& Frischmutius* (c) *velint, Arabem compositæ vocis alteram partem dissimulasse, alteram expressisse, & sic Lucæ verba transtulisse, quasi invenisset scriptum*, ἐν σαββάτῳ δευτέρῳ Sabbato secundo.) *Vulgatus*; in Sabbato secundo-primo. *Beza*, *Piscator*, *Schmidius*; Sabbato altero-primo. *Biblia ante Lutherum edita*; An dem anderem Sabbath tom ersten. *Lutherus & Emserus*; Auff einem affter Sabbath. *Dietenbergius*; Auff einem nachgehendem fürnemlichem Sabbath. *Versio Photiniana*; An einem ander-ersten Sabbath. *Angli*; *On the second Sabbath after y first.* *Belgæ*; Op ten tweeden eersten Sabbath.

§. 1. Fuisse olim Monachum, qui ex supina, ne quid gravius dicam, ignorantia de Sabbato secundo-primo in sacris quicquam reperiri pernegaret, testatur qui fors vidit hominem aut audivit ipse Erasmus, (d) *Nuper, inquiens, quidem Monachus, & idem Theologiæ Professor, in convivio rogatus ab Erudito quopiam, sed tamen aliud studiorum genus professo, quid sibi vellet apud Lucam Sabbatum secundo-primum, negavit tale quicquam reperiri usquam in Evangeliis, quæ alioqui probe teneret. Cumque alter asseveraret apud Lucam esse, ibi provocat fortissimus Theologus ad certaminis periculum; Hanc, inquit, cappam meam depono, si quid tale scripsit usquam Lucas.* Meretur sane Frater ille ignorantiæ cum suis, quos in Papatu habet haud unos, confratribus, censuram Erasmi Schmidii, (e) quæ hæc est; Das muß ein Schrifftkundiger *Frater* gewesen seyn. Solchen Eselsköpffen hat man *in Papatu sanctissimas Professiones Theologicas* vertrawen müssen. Da hat ein Eselskopff wol mehr gegolten als in der Theurung zu Samaria 4 *Reg.* 6: 25. mag leicht mehr *Intra*den gehabt haben / als bey uns zween oder drey der hochgelärtesten *Theologorum.*

§. 2. Ignorantiam tamen fateri suam in rebus, quæ aut sciri non debent, aut citra salutis dispendium ignorari possunt, stupor non est, sed modestia, Theologum non magis dedecens, quam quemvis alium. Quod & circa hunc locum præter Syrum (in quo tamen ut & antiquo adeo, & homine, cui ritus Judaici debuerunt esse noti, id jure quenquam mirari posse existimat Casaubonus) Arabem, Persam, Æthiopem, fecisse videtur Tertullianus, qui Lucæ verba allegans vocem δευτερόπρωτον suppressit, (f) & aperte fecit Gregorius Episcopus Nazianzenus, ut de eo memorat discipulus ejus Hieronymus, qui (g) *Præceptor*, ait, *quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus à me ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbatum* δευτερόπρωτον, *eleganter lusit, docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua, mihi omni populo acclamante, cogeris invitus scire quod nescis, aut certe, si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ mobilitate decipere: quæ, quicquid non intelligit, plus miratur.* Plebeculæ quidem se posse satisfacere innuens, non item doctissimo Hieronymo.

§. 3. Obscurus certe præ mille aliis hic locus est, & adeo quidem obscurus, ut obscuritate sua in Proverbium apud Græcos abierit, sicut ex Johannne Citri Episcopo demonstrat Casaubonus. Hinc reperias inter eos, qui Evangelium Lucæ notis suis illustrare aggressi sunt, alios, qui nodum plane non attingant, ut Lyranum, Conzenium, Heinsium, Pricæum; alios qui attingant quidem, sed nec solvant, nec secent, aliorum accumulantes sententias, ipsi nihil afferentes certi, ut Batavos in annotationibus, Walæum, Estium, Pelargum; alios, qui *tot* conquerantur esse *sententias, quot capita*, uti Grotium; alios, qui verbum δευτεροπρώτῳ *infinitas peperisse sententias* haud asserere vereantur, ut Lucam Brugensem & Cornelium Jansenium. Sed, quicquid de obscuritate loci sit, explicationes certe nec infinitæ sunt, nec tot quot explicantium capita, sed & finitæ, & quæ numerantur facile.

PRIMA est EPIPHANII, (h) qui Σάββατα διάφορα, inquit, ὥριζεν ὁ νόμος. Τὸ μὲν κατὰ ἑβδομάδα ἀνακυκλούμενον φύσει σάββατον. Τὸ δὲ διὰ τὰς ἀποπλήσεις τῆς σελήνης νεομηνίας, καὶ τὰς καθεξῆς ἑορτὰς, οἷον ἡμέρας Σκηνοπηγίας, καὶ ἡμέρας Πασχῶν, ὅτε τὸ πρόβατον θύουσι, καὶ ἄζυμα λοιπὸν ἐσθίουσιν. ἔτι δὲ τὴν μίαν νηστείαν νηστεύουσι τοῦ ἔτους, τὴν λεγομένην μεγάλην, καὶ τὴν ἄλλην, ἣν λέγουσι μικράν. Ὅτε γὰρ ἐμπίπτουσιν αὗται αἱ ἡμέραι, ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτων, ἢ ἐν τρίτῃ, ἢ ἐν τετράδι, σάββατον καὶ αὐτὸ αὐτοῖς ἐξίζεται. Διὸ μετὰ τὴν τῶν ἀζύμων γενομένην ἡμέραν, καὶ ὁρισθεῖσαν ἡμέραν σαββάτου, τῷ σαββάτῳ φύσει τῷ μετὰ τὴν ἡμέραν τῶν ἀζύμων εἰς σάββατον λελογισμένην, εὑρέθησαν διαβαίνοντες διὰ τῶν σπορίμων &c. *Sabbatorum varia genera lege præfinita sunt. Ac quod septenum dierum orbe revoluto celebratur proprie Sabbatum dicitur. Sed aliud est, quod vel incurrentibus Noviluniis, vel ob alios festos dies indicitur, puta Tabernaculorum vel Paschatis ferias, quibus mactare agnum azymisque vesci legitimum est. Ad hæc solenne quoddam jejunium quotannis observant, quod magnum vocant, nec non & alterum, quod parvum appellant. Quoties igitur dies ejusmodi in secundam post Sabbatum diem, vel tertiam, aut quartam incidunt, istud ipsum illorum instituto Sabbatum censetur. Quare secundum azymorum festum definitumque Sabbati diem, eo Sabbato, quod & proprie ita dictum est, & azymorum diem sequitur, quæ & ipsa pro Sabbato censetur, forte iter per sata fecerunt* &c. Distinguit Epiphanius inter *Sabbata naturalia* & *legalia*: *illa* vocat Sabbata hebdomadalia ab initio mundi ante legem latam à Deo instituta; *hæc* vero festa alia in lege mandata. Distinctio hæc *non nemini* nulla videtur, qui, *Unum enim, inquit, idemque est Sabbatum, quod in Paradiso primitus institutum & postea in lege confirmatum est.* Sed certe non est nulla, nec meminerim ullum hactenus Theologorum affirmasse, festos præter Sabbatum ordinarium dies suam Paradiso debere originem. At anne Sabbatum in Paradiso institutum? Non equidem ignoro, esse inter Eruditos, qui acerrime contendant, Sabbatum demum in monte Sina una cum lege lata institutum, inter quos numeres Abulensem (i) Estium, (k) Pererium, (l) Lorinum, (m) Gomarum, (n) Priedeaux, (o) Thysium, (p) Coccejum (q) & quamplurimos alios. Nec desunt iis rationes sat multæ, quibus id probare

(a) *Exerc.* 14. *ad Babaron.* (b) *ad h. l.* (c) *Disp. de Sabbat.* δευτεπρ. (d) *ad h. l.* (e) *ad h. l.* (f) *l.* 4. *in Marcion. cap.* 12. (g) *Epist.* 2. *ad Nepot.*

(h) *Hæres.* 30. *n.* 32. (i) *qu.* 3. *in Lev.* 23. (k) *in Gen.* 2: 3. (l) *lib.* 1. *in Gen. n.* 174. (m) *in Actor.* 1: 12. (n) *in invest. sent. de orig. Sabb. c.* 4. (o) *Orat. de Sabbath.* (p) *in Synops. pur. Theol. disp.* 21. §. 15. (q) *Tract. de Sabb. p.* 48. *seq. ad Gen.* 2: 3.

bare satagunt. Inter potissimas hæ sunt, quod Scriptura id videatur innuere satis aperte Ezech. 20: 10, 11, 12. Nehem. ubi una cum legibus & statutis Sabbatum dicitur à Deo datum filiis Israël; quod non legamus datum fuisse Adamo ullum de observando Sabbato præceptum positivum; quod de observatione Sabbati nulla in libro Geneseos fiat mentio; quod in statu innocentiæ homines non indiguissent stata quadam ad inserviendum Deo ab operibus relaxatione, sed omnes dies sanctificassent, atque sic perpetuum celebrassent Sabbatum. At rationibus hisce tantum non inest pondus, ut persuadeant Sabbatum demum in deserto institutum. Scripturæ, quæ allegantur, dicta cum lege & maxime Decalogi, (ut quæ potissimum vim legis habet,) datum volunt Judæis Sabbatum. Lex autem Decalogi in monte Sina utut solenniter sit promulgata, instituta tamen non est, sed hominum cordibus à Deo insita jure quasi naturali ipsos primos nostros parentes obstrictos tenuit. In deserto ergo promulgata est lex de observando Sabbato, (quod in paradiso jamtum institutum erat,) eique promulgationi accesserunt certæ qua externum cultum circumstantiæ in ceremonialibus positæ. *Per Mosen*, inquit B. Calixtus, (r) *plus rigoris & ceremoniarum additum, & pœnas transgressoribus constitutas esse maxime verisimile est.* Quod de lege positiva affertur, retundi facile potest. Neque enim Lex de Sabbato pure ac mere positiva est, sed naturalis; neque deest, quod præcepto positivo sit analogum, nempe ipsa diei septimæ benedictio & sanctificatio, quæ respectu Dei institutionem & complacentiam infert. Sed dato, nec præceptum adesse, nec quod præcepti instar est, exinde tamen nondum conficitur, Sabbatum non fuisse institutum. Etiam de sacrificiis ante Mosen in Scriptutis lex nulla memoratur, quæ tamen ante Mosen oblata fuisse certissimum est. Quod de Sabbato ante legem promulgatam observato nullam faciat mentionem Scriptura falsum esse convincitur ex Exod. 16: 23. & si maxime esset, à Scripturæ tamen silentio ad rei simplicem negationem non licet argumentari. Quod denique de perpetuo hominum in statu integritatis positorum Sabbato allegatur, non negamus id quidem, dicimus tamen, à die septimo illius Sabbatismi initium esse factum, & illo hominum studia atque occupationes primum sibi Deum cœpisse asserere. Præterea, laborandum omnino fuit Adamo etiam in Paradiso. Hortus Eden & colendus & custodiendus, etsi sine molestia, quæ post lapsum pœnæ loco addita Gen. 2: 15. 3: 19. at die septimo inprimis à labore cessandum in memoriam Sabbati ipsius DEI, qui quamvis ab opere creationis minime defatigatus requiem suam in memoriale nobis constituere voluit. Sed his missis, ad Epiphanium revertimur, qui per σάββατον δευτερόπρωτον primum Sabbatum ordinarium post solenne Paschatis intellexit, quod δεύτερον *ratione temporis*, πρῶτον vero *dignitatis ratione* appelletur; quamvis alibi (s) mentem mutasse & Sabbatum δευτερόπρωτον de ultimo azymorum Sabbato explicasse videatur. Adoptat hanc & illustrat illustris Jos. Scaliger sententiam, cujus verba, quæ apponantur, digna sunt: Σάββατον δευτερόπρωτον *illud est, quod proxime post solenne Paschatis sequitur. Nam* ממחרת הפסח, *h. e.* ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα *lex jubet septem hebdomades putare. Itaque hebdomades omnes & Sabbata omnia à Paschate ad Pentecosten sumunt appellationem suam* ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχατος. *Intervallum autem illud omne dierum, quod Græci* πεντηκοστὴν *vocant, Judæis dicitur* ספירת העמר ἀριθμὸς τοῦ δράγματος, *numerus manipuli, quia* ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχατος, *Omer seu dragma primitiarum offerebatur. Prima igitur hebdomas, quæ putatur ab oblatione Omer, dicitur* ἑβδομὰς δευτερόπρωτος, *secunda* ἑβδομὰς δευτεροδεύτερος, *& sic deinceps, ut habes in hoc indiculo:*

Indiculus	*Sabbatorum*	*Pentecostes.*
Δευτερόπρωτον	*XIX Nisan*	*XXXI Martii*
Δευτεροδεύτερον	*XXVI Nisan*	*VII Aprilis*
Δευτερότριτον	*III Jiar*	*XIV Aprilis*
Δευτεροτέταρτον	*X Jiar*	*XXI Aprilis*
Δευτερόπεμπτον	*XVII Jiar*	*XXVIII Aprilis*
Δευτερόεκτον	*XXIV Jiar*	*V Maji*
Δευτεροέβδομον	*II Siuuam.*	*XII Maji.*

Intellige autem τὴν πεντηκοστὴν, *intervallum à Pascha ad solemne Pentecostes: non autem ipsum solemne Pentecostes. Eodem modo* μία δευτερόπρωτος *est feria Solis prima post festum Paschatis. Quare & Σάββατον δευτερόπρωτον est primum Sabbatum, quod proxime* τὴν δευτέραν τοῦ Πάσχα *secutum est. Hebraice ergo* Σάββατον δευτερόπρωτον שבת ראשון ממחרת *Σάββατον δευτεροδεύτερον* שבת שני ממחרת. *Hoc enim est perinde ac* Σάββατον ἀπὸ τῆς δευτέρας πρῶτον, ἀπὸ τῆς δευτέρας δεύτερον. Quid ad hæc Eruditi? Mirantur, collaudant plerique omnes, Drusius, (u) Casaubonus, (w) Piscator, (x) B. Calixtus, (y) Hakspan, (z) Schmidius, (aa) Coccejus, (bb) Baillius, (cc) Langius, (dd) Lichtfotus, (ee) Didacus Stella, (ff) Cœlestinus de Monte-Marsano, (gg) Josephus de Voisin, (hh) B. Quistorpius, (ii) Frischmutius, (kk) & quamplurimi alii. Ipse Petavius, acerrimus alioquin Scaligeri Antagonista, *interpretatione hac meliorem afferri nullam posse* agnoscit. (ll) Grotium tamen in assensum Viri magni autoritas trahere non potuit, cui sententia ista magnis (quod fatetur, (mm) argumentis à suo auctore defensa se non probat, quia quo minus ei subscribat, habere se existimat quæ obstent, de quibus infra.

SECUNDAM damus AMBROSIO, quæ mystica magis est quam literalis. Ita vero ille; (nn) *Quid est secunda Sabbati, nisi dominica dies, qua Sabbatum sequebatur? Dies autem Sabbati erat dierum ordine posterior, sanctificatione legis anterior. Sed ubi finis legis advenit, qui est Christus Jesus, & resurrectione sua octavam sanctificavit, cœpit eadem prima esse qua octava est, & octava qua prima, habens ex numeri ordine prærogativam, & ex resurrectione Domini sanctitatem. Unde & in Evangelio legimus* δευτερόπρωτον *Sabbatum, quod Latine dicitur secundo-primum. Ubi enim dominica dies cœpit præcellere qua Dominus resurrexit, Sabbatum quod primum erat, secundum cœpit haberi à primo. Prima enim requies cessavit, secunda successit.* Sententiam hanc, quandoquidem allegorica est, præter Eucherium (oo) & Bedam, (pp) quod sciam, nullus suam fecit.

TERTIA est CHRYSOSTOMI, qui δευτερόπρωτον interpretatur *duplex*, cum duplicatur requies, festo alio in Sabbatum hebdomadale incidente. Verba ejus hæc sunt; Τί ἐστι δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ, καὶ τοῦ σαββάτου τοῦ κυρίου, καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. Σάββατον γὰρ ἑκάστην ἀργίαν καλοῦσι. *Quid est secundo-primum? quando duplex cessatio erat, & Sabbati principalis & festi consequentis. Sabbatum enim cessationem ab opere quamlibet nominant.* (qq) Chrysostomum sequuntur Marianus Victorius, (rr) Lucas Brugensis, (ss) Cornelius Jansenius, (tt) Augustinus Torniellus, (uu) & Thomas Cartwrightus. (ww)

QUARTAM affert ISIDORUS PELUSIOTA, qui per Sabbatum δευτερόπρωτον intelligit primum azymorum diem. Δευτερόπρωτον εἴρηται, inquit, (xx) ἐπειδὰν δεύτερον μὲν ἦν τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων. Ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ Πάσχα, τῇ ἑξῆς τὴν τῶν ἀζύμων ἐπανηγύριζον ἑορτὴν, ἣν καὶ δευτερόπρωτον ἐκάλουν διὰ τὸ δευτέραν μὲν εἶναι τοῦ Πάσχα, πρώτην δὲ τῶν Ἀζύμων. *Diem hunc Sabbatum appellant, quia tota hebdomas paschalis erat festiva, adeoque ex septem Sabbatis constabat: primum, quia primus erat Azymorum; secundum, quia secundus Paschatis.* Mens eadem Euthymio, qui, *Sabbatum*, inquit, (yy) *simpliciter omne festum vocant Hebræi propter requiem: nunc autem dicit festum azymorum, quod etiam Sabbatum nominatur secundo-primum, tanquam secundum quoddam à Paschate, primum vero ab azymis: post festum enim Paschæ festum azymorum peragebant, quod primus erat septem dierum, quibus vescebantur azymis.* Idem quoque sensisse post Isidorum, Titum Bostrorum Episcopum notat Baillius, sed fallitur. Floruit Isidorus seculo V. circa annum Chr. CCCCXL. Titus autem sec. IV. circa A. D. CCCLXV. Imposuerunt Baillio commentaria, quæ sub nomine Titi Bostrensis impressa exstant in Matthæum & Lucam, quæ tamen non possunt esse hujus Titi, quoniam Auctor eorum passim citat Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum & Pelusiotam, qui pueri fuerunt cum Titus moreretur.

(r) *Ad Gen.* 2: 3. (s) *Hær. LI.* (t) *lib. 6. de Em. temp. p.* 557.

(u) *In Præter. ad h. l.* (w) *l. c.* (x) *ad h. l.* (y) *Conc. Evang. p.* 153. (z) *notar. in varia sc. loca p.* 3. *p.* 297. (aa) *ad h. l.* (bb) *de indag. nat. Sabb. th.* 73. (cc) *Oper. Hist. Chron. l.* 2. *p.* 77. (dd) *de annis Chr. l.* 2. *c.* 7. (ee) *in hor. subc. ad Matt.* 12. (ff) *ad h. l.* (gg) *Hist. N. T. p.* 56. (hh) *ad Pug. fid. R. M.* (ii) *in annot. ad h. l.* (kk) *l. c.* (ll) *in animadv. ad Epiph. hær. XXX.* (mm) *annot. in h. l.* (nn) *Enarrat. in Ps.* 47. (oo) *lib. de quæst. N. T.* (pp) *ad h. l.* (qq) *Hom.* 39. *in Matth.* (rr) *Schol. in Ep.* 2. *Hieron.* (ss) *ad h. l.* (tt) *ad Matth.* 12. (uu) *in annot. ad ann. M. p.* 4082. (ww) *Harm. Evang. p.* 300. (xx) *Lib.* 3. *Ep.* 110. (yy) *in Luc.* 6.

tur. Crassius errat Baronius, Petavio etiam non dissimulante, quando suppositurus sibi fœtum Isidori, ipse Isidoro supponit fœtum spurium, h. e. suum. Vult enim, (zz) Isidorum per Σάββατον δευτερόπρωτον intellexisse diem, qui post primum azymorum mox sequitur, cum tamen expresse semel & iterum, non *secundum* azymorum, sed *primum* nominet, eum distinguens à primo die Paschatis, quod dum advertisse Suidam fatetur Baronius, ipse tamen præ ingenti non advertit incuria. Præterea, nec id condonandum Baronio, quod Epiphanium cum Isidoro in eandem abripit sententiam, inter quos, si sententias conferas, tanta est, quanta cœlum inter terramve, distantia: quæ & alia Baronii paroramata non notasse Casaubonum, est quod mireris, & quod demireris insuper, hallucinatum esse eruditissimum Scaligerum adeo, ut scripserit, (a) Isidorum per Sabbatum δευτερόπρωτον intellexisse tertiam azymorum diem, quod tamen in Viro de Rep. literaria undiquaque bene merito habemus excusatum, &

Ad QUINTAM promovemur, quæ THEOPHYLACTI est, sententiam. Hic per Sabbatum δευτερόπρωτον designari vult illud, ante quod immediate præcedit aliud festum. (b) Οἱ Ἰουδαῖοι, inquit, πᾶσαν ἑορτὴν Σάββατον ὠνόμαζον. Ἀνάπαυσις γὰρ τὸ Σάββατον. Πολλάκις οὖν ἀπήντα ἡ ἑορτὴ ἐν τῇ παρασκευῇ. Καὶ ἐκάλουν τὴν παρασκευὴν σάββατον, διὰ τὴν ἑορτήν. Εἶτα τὸ κυρίως σάββατον ὠνόμαζον δευτερόπρωτον, ὡς δεύτερον ὄν, προηγησαμένης ἄλλης ἑορτῆς, καὶ σαββάτου. *Judæi omne festum Sabbatum vocabant. Requies enim Sabbatum. Sæpius ergo occurrebat festum in Parasceve. Et vocabant Parasceven Sabbatum propter festum, principale autem Sabbatum vocabant secundo-primum, quia secundum erat, præeunte alio festo & Sabbato*, adde, *primum autem, quia tanquam hebdomadale & ordinarium dignitate superabat quodvis extraordinarium.* Sententiam hanc uti Pelargus Chrysostomo, ita Luthero frustra affingit Schmidius, quod ut argumentis demonstremus haud opus est, quia ipse proprio sese jugulat gladio. Ita enim loquitur; *Theophylactum Lutherus secutus vertit* den Affter-Sabbath / *& vult fuisse diem proximum à Sabbato, h. e. diem Solis, sicut aliquos diem Martis* den Afftermontag *appellare autumat.* Proh! quantum sententiarum divortium. Theophylactus Sabbatum δευτερόπρωτον vocat ipsum Sabbati diem post festum aliud incidentem; Lutherus non ipsum diem Sabbathi, sed qui Sabbatum excipit, wie der Dingstag den Montag.

LUTHERUM ergo cum Stapulensi in SEXTAM conjicimus classem, qui Sabbatum δευτερόπρωτον intelligunt de *novilunio* aut alio quodam festo, quod Sabbato ordinario & hebdomadario esset inferius ac minus solenne: ut enim Sabbatum hebdomadale erat πρῶτον absolute, & cum omnibus aliis festis comparatum dici potuit πρωτόπρωτον; ita alia festa, quæ omnia dicebantur Sabbata respectu Sabbati primi & hebdomadarii, recte potuerunt dici δευτερόπρωτα, *secundo-prima.*

SEPTIMA est BRENTII, qui (c) per Sabbatum δευτερόπρωτον notari vult *ultimum Paschatis* seu azymorum *diem.* Amplectitur hanc sententiam Beza, qui, *In Festo*, inquit, (d) *plurium dierum (ut Paschæ & Tabernaculorum) duo erant Sabbata, primus nimirum ejus festi dies & ultimus; eadem parique prorsus ceremonia, ut diserte cavet Dominus Lev. 23. Commode igitur Lucas posterius illud Sabbatum, i. e. diem ultimum azymorum (id enim intelligitur ex eo, quod fit mentio spicarum, ut recte notat Epiphanius) vocat Sabbatum secundo-primum, quem alterum primum Latine voces licebit.* Ut majus sententiæ suæ acquirat robur, Scaligeri pro se allegat auctoritatem Beza, & *Josephus Scaliger*, ait, *Vir exactæ eruditionis mecum sentit, quod ad hunc diem attinet.* Sed aut Scaligerum non percepit Beza, aut non recte eum explicat. Nam Scaligeri Sabbatum δευτερόπρωτον non est dies septimus ab azymorum primo, ut vult Beza, sed primum Sabbatum hebdomadale, quod secundum azymorum secutum est, & ultimum azymorum antecessit. Cum Brentio & Beza faciunt Flacius, Osiander, Aretius (e) & Antonius Walæus. (f)

Ex OCTAVA triumphum sibi pollicetur GROTIUS, reperisse sibi visus, non quod pueri in faba. *Indulgebo*, inquit, *mihi quoque post tot alios censendi libertatem. Cum tria essent Sabbata πρῶτα, Paschatis, Pentecostis & Tabernaculorum, distinctionis causa repertum, ut Sabbatum Paschale, quod ordine antegreditur, diceretur πρωτόπρωτον, primorum primum, Sabbatum Pentecostes δευτερόπρωτον, primorum secundum, Sabbatum σκηνοπηγίας τριτόπρωτον, primorum tertium. Sic in municipiis, ubi erant δεκάπρωτοι, primus ordinis dici poterat πρωτόπρωτος, alter δευτερόπρωτος; atque ita deinceps* &c. Intellexisse Grotium per Sabbatum δευτερόπρωτον non ipsum solenne Pentecostes festum, sed quod illud proxime secutum est Sabbatum, asserit Edwardus Simsonius, (g) Ast ex verbis ejus satis clare patet ipsum Pentecostes festum per Sabbatum altero-primum ab eo intellectum, quod qui ante eum voluerunt Mercator, (h) Calvinus, (i) Marloratus, (k) Maldonatus & Lapidensis, (l) de victoria jamdudum desperarunt.

NONAM debemus CLOPPENBURGIO, qui vult, (m) Sabbatum δευτερόπρωτον esse id, quod annum civilem claudebat, incipiebat autem sacrum seu ecclesiasticum, & respectu illius δεύτερον, respectu hujus πρῶτον appellabatur. Quod ut rectius intelligatur, ipsa Auctoris verba apponimus, quæ hæc sunt: *Extra controversiam est, in Lectionariis Judæorum, quibus digestæ sunt lectiones Sabbatinæ, primum censeri omnium Sabbatorum totius anni Sabbatum dictum* שבת בראשית, *quod in quovis anno incidit in 24. vel 26. vel 27. vel 29. mensis Tisri: post impositam Parascharum lectioni anniversariæ coronidem die Tisri 23. quam vocant* שמחת תורה *à quo die, si longius differatur feria primi Sabbati, censeo ego ad moræ illius compensationem esse; quod, teste magno Buxtorfio, simul quando legem absolvunt, adjiciunt etiam sectionem primam. Præter isthoc primum Sabbatum mihi rursus primum est Sabbatum dictum* שבת החדש *propter Parascham Exod. 12.* החדש הזה לכם *qua Neomenia mensis Nisan constituitur divina indictione neomeniarum prima. Quod Sabbatum, ut apparet ex Calendario, in quovis anno dato incidit vel in ipsas Calendas Nisan, vel retrocedit à 29. vel 27. vel 25. Adar aut Veadar. Ab utroque Sabbato, tanquam à primo, Sabbata in orbem numerantur per universum annum, qua politicum, qua sacrum: Sabbatum* בראשית *primum censetur absolute ob memoriam primæ creationis, quam habet ista Parascha: ex hypothesi, quod ista inciderit in autumnum: non autem ob mensis Tisri neomeniam, quia inter neomeniam Tisri & hoc primum Sabbatum in quovis anno dato intercurrunt tria Sabbata ultima anni civilis, post quæ coronidem diximus imponi semper 23. Tisri. Sabbatum autem* החדש *primum censetur ab indictione neomeniæ Nisan: ac tametsi non semper in ipsam neomeniam incidat, &, quando non incidit, à mense Adar constituat ultimum Sabbatum anni sacri, ob illius tamen indictionis Parascham una opera primæ solennitatis novi anni vicarium est. Si quæris, quomodo id Sabbatum secundum primum ad verbum esset Hebraice? respondeo, me absolute primum vocare* ראשון, *at secundum primum* וראשון, *eadem analogia, qua δεύτερος Adar est* ואדר *&c. Jam tempus est, ut illustremus locum Evangelistæ. Fœneramur nostra assertione tres vel minimum duas (Sabbato isti quo aristas decerptas manducarunt discipuli,) septimanas ad frugum maturitatem adeo ut nulli docto hic scrupulus hærere queat, quin potuerint maturuisse præcoces saltem aristæ. Quin, si inspiciatur locus Josephi Scaligero laudatus, apparebit, fuisse circa initium mensis Nisan inchoatam ordinarie messem aliquam, isthoc fini, ut haberent Hierosolymam euntes, unde in festi Paschatis crastino manipulum offerrent. Sic Josephus,* Τῇ δὲ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ (ἕκτη δὲ ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη) τῶν καρπῶν οὓς ἐθέρισαν (οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν) μεταλαμβάνουσι, *manifeste inchoatam sacram messem, ex qua sumitur manipulus, præmittit messi publicæ seu universali. Verba autem illa,* οὐ γὰρ ἥψαντο πρότερον αὐτῶν, *intelligenda sunt, non quasi ante diem oblationis manipuli, falcem nullam miserint in messem: nam absque hoc, quomodo cunctis, à quibus offerri debuit, potuit manipulus demessus ad manum esse. Neque locus Deut. 16: 9. cogit credere eodem die demessum & oblatum fuisse: Sed verborum Josephi & Mosis sensus & scopus idem: nefas fuisse messis illius inchoatæ fruges delibare in cibum privatum: aut messem consummare falce promiscue in segetem immissa ante manipulum crastino Paschatis oblatum; illa siquidem oblatione messis à Deo redimenda erat. Atqui hic est verus commentarius in Judæorum illam criminationem, quando inquiunt,* τί ποιεῖτε, ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι; *Luc. cap. 6: 2. quia præcepti divini religione abstinendum erat à frugum novarum manducatione tantisper dum oblatus foret manipulus: sacrilegam fuisse istam delibationem, qua famem*

(zz) *Ad ann. Chr. XXXII. n. 2.* (a) *Lib. III. Is. Can.* (b) *Ad h. l.* (c) *Homil. XLVII. in Luc.* (d) *Not. ad h. l.* (e) *Ad h. l.* (f) *Tom. I. oper. p. 277. a.*

(g) *Chron. Cathol. part. VII. ad ann. Chr. 31.* (h) *Harm. IV. Ev. ad h. l.* (i) *Harm. Ev. ad h. l.* (k) *Ad Matth. 12.* (l) *Ad h. l.* (m) *Tract. de Sabb. δευτ.*

mem suam explebant discipuli: Atque illud ἐν τοῖς σάββασι non accipio præcise aut solitarie de Sabbato isthoc quo ista acciderunt, sed una de septimanarum istarum intervallo à Sabbato החדש *ad τὴν δευτέραν τῆς πάσχατος* &c. Cum Cloppenburgio sentit Ludovicus Capellus apud Walæum (n) ita tamen ut statuat quartum illud Sabbatum, quo Parascha החדש legi solebat, Neomeniam Nisan non præcessisse, sed in eam vel incidisse, vel eam proxime subsecutum.

DECIMA eaque ultima est LUDOVICI de DIEU, (o) qui σάββατον δευτερόπρωτον interpretatur de eo, quod *medium* erat *inter primum & septimum Paschatis extraordinarium*, v. g. si Paschatos festum incidisset in diem Jovis, tunc ille dies Jovis ut Paschatis primus, cum sequenti Mercurii die, ut festi ultimo pari celebritate ex lege observandus fuisset: interveniens autem Saturni dies ut Sabbatum Judæorum ordinarium, σάββατον δευτερόπρωτον dictus fuisset, δεύτερον quidem ratione *ordinis* inter illa tria; πρῶτον vero in *ordine ad septimanas*, quæ ab eo numerabantur ad festum Pentecostis.

Sententiis variorum propositis, ordine retrogrado unamquamque earum perlustrabimus, ut quæ probabilissima omnium sit Lectori ex collatis inter se rationibus innotescat. Et quidem, quo minus ULTIMA se nobis probet sententia, quæ obstant, duo sunt, 1. quod *hypothesis*, cui ea innititur, probata hactenus non est, Pascha scil. in mediam incidisse Septimanam. 2. quia *respectus* in appellatione δευτεροπρώτου non manet idem, sed immutatur.

Multo improbabilior est CLOPPENBURGII, qui de principio disputat non Sabbatorum, sed anni & mensium, quod nihil ad nostram quæstionem. Esto autem, in Judæorum Lectionario duo apparere anni & mensium principia, primum XXIV. Tizri in autumno, cum, ut ab initio mundi, annus Judæorum civilis incepit; secundum vero in novilunio Nisanis, cum annus sacer ex Dei mandato post populi ἔξοδον inchoari jussus est: non tamen probat Cloppenburgius, anni Sabbata duo habuisse principia, ita ut primum Sabbatum anni civilis diceretur πρωτόπρωτον, & primum anni sacri δευτερόπρωτον. Nam id quod affert ex ספר תהלית recentioris Rabbini opere Germanico de *Resch varischon primo ac primo*, non probat ejus institutum. *Licet enim daremus*, inquit Bailius, *novam ac subtilem ejus expositionem Resch Varischon primum & secundum, hoc tamen non esset Lucæ δευτερόπρωτον sed πρωτοδεύτερον, quod est longe aliud.* Præterea, nunquam probabit Cloppenburgius, vel 16. vel (quod Capellus vult) 9. minimum ante secundum azymorum, aut decimum sextum Nisanis diebus spicas hordeaceas in Judæa maturuisse. Josephus ab ipso allegatus tantum abest, ut id probet, ut vero quam maxime improbet. Dicit enim ante τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων ἡμέρας, h. e. *ante Nisanis decimum sextum diem* non licuisse segetes tangere. Tres alias contra hanc sententiam in medium affert rationes Hakspan, quas lege, &, si placet, excute.

OCTAVA sententia itidem falsæ superstructa est hypothesi, quod nempe fruges in Judæa non fuerint maturæ tempore Paschatis, ut eorum tum spicæ potuerint vellicari. Certe non falso tantum id dicitur, sed & Scripturæ manifeste contrarium est, quæ ut secunda azymorum die novorum fructuum manipulus offerretur diserte præcepit Lev. 23: 2. Quod reponit Grotius, *spicas virentes secundo azymorum tantum dicis causa oblatas*, & temere effutitum est, &, nisi me fallunt omnia, valde profane. Ista enim manipuli oblatio solenniter à Deo injuncta est, antequam prohiberetur diserte omnis novarum frugum esus. Sed non opus est, ut his diutius immoremur, quandoquidem de frugum apud Judæos circa festum Paschatis maturitate infra sumus dicturi. Id saltem hic dicimus, per Sabbatum δευτερόπρωτον non posse intelligi *festum Pentecostis*, in quo parare licebat, quæ spectabant ad victum, Exod. 12: 16. quod in illo erat prohibitum, ut ex criminatione Pharisæorum non obscure colligitur. Si cum Maldonato dicas, *non reprehensos Apostolos, quod cibos pararent, sed quod spicas colligerent & meterent*; textui non levem infers injuriam, in quo τίλλειν non significat *colligere* aut *metere*, sed ut Theophylactus exponit, ἀνασπᾶν *attrahere* aut *vellere*, quod vel levi manuum fiebat attactu. Præterea in Sabbato altero primo messis nondum facta erat, quia discipuli Christi transeuntes per sata vellicabant spicas & comedebant; at Pentecostis tempore messis jam facta erat. Nam post oblatas secundo Paschatis die spicarum primitias, protenus falx mittebatur in segetes, juxta Lev. 23: 16. Ut taceam, quod etiam monet Chemnitius, in descriptione festi Pentecostes tantum unius diei mentionem fieri, cum in hac historia Matthæus & Marcus nominent Sabbata, quod per enallagen numeri fieri Maldonatus utut dicat, non tamen probat, nec nos adeo urgemus, quia notissimum est, & Sabbatum in singulari, & Sabbata in plurali eodem sensu dici Act. 13: 14.

Nihilo melior est BRENTII explicatio, quæ vult ultimum azymorum diem dici σάββατον δευτερόπρωτον, quia pari cum primo celebrabatur cultu, qua ratione non σάββατον δευτερόπρωτον, sed δευτεροσάββατον dicendus fuisset, sicut lex repetita, quandoquidem cum prima legis institutione ejusdem valoris est atque dignitatis, non dicitur νόμος δευτερόπρωτος, sed δευτερονόμιον. Deinde, *Maxime* quoque *verisimile est*, inquit Hakspan, *Lucam notare voluisse certum aliquem diem, etiam vulgo tum temporis notum. Atqui, si h. l. ultimum Paschatis diem innuere voluisset, non potuisset eum determinare hoc vocabulo, quia non solum septimus Paschatos, sed & octavus tabernaculorum, pari honore & cultu cum primo erat celebrandus & agendus.*

LUTHERI sententiam non immerito rejicit Chemnitius, eo quod Sabbatum à Luca memoratum nihilo fuerit inferius Sabbato hebdomadali, sed ei omnino æquale & ipsum hebdomadale, præstantius cœteris festis, in quibus omnibus, etiam ipso Paschate, licitum erat parare quæ necessaria erant ad victum, ita ut in eorum sanctissimo vellicare spicas non esset prohibitum, Exod. 12: 16. in Sabbato vero ordinario districte vetitum erat vel ignem ad parandos cibos accendere. Exod. 35: 3. Tale fuerit oportet Sabbatum illud δευτερόπρωτον, quod vellicatione spicarum ab Apostolis violatum Pharisæi criminabantur.

THEOPHYLACTI sententiam non probat Bailius & merito ob hanc rationem, quod Sabbatum δευτερόπρωτον sit unum certum & fixum, Theophylactus vero illud faciat vagum, incertum & varium, utpote juxta cujus mentem tot quolibet anni tempore forent Sabbata δευτερόπρωτα, quot habebant vel Novilunium, vel alium quemvis totius anni diem festum immediate antecedentem: qualia fors potuerunt esse plurima. Præterea, quam incertum est tum cum spicas vellicarent discipuli, Sabbatum in parasceven incidisse! facilius hoc quidem dicitur, quam probatur.

ISIDORI sententiam hoc argumento explodit Jansenius: Sabbatum δευτερόπρωτον non antecessit, sed secutum est manipuli oblationem: nam si antecessisset, tum Pharisæorum criminatio in Apostolis inprimis taxasset solennis istius legis de non comedendis frugibus ante oblationem manipuli violationem, sed nullum ejusmodi peccatum Pharisæi in Apostolis arguebant, certum ergo est, Sabbatum δευτερόπρωτον, quo vellicarunt Apostoli spicas, secutum fuisse oblationem; jam vero primus dies azymorum eam antecessit. Quod si dicas cum Casaubono, ex Isidori sententia oblationem manipuli & factum Apostolorum in eundem incidisse diem, illam horis matutinis, pomeridianis hoc, veritatem deseris. Diserte enim Isidorus factum Apostolorum primo, & oblationem manipuli azymorum tertio die ponit; &, si demus, posuisse in *secundo*, tamen etiam sic Apostolorum factum non aliquot horis, sed integro die & nocte oblationi præponeretur. Ut taceam, crassissimum esse Isidori errorem, quod manipuli oblationem in *tertiam* non secundam azymorum diem conjicit. Nec excusandus est, quod *tertiam* intelligat *Paschatis*, quia expresse inter dies Paschatis & azymorum distinguit, primum azymorum faciens secundum Paschatis.

CHRYSOSTOMI sententiam amplecti hactenus non possumus, tum quia nondum probatum est, plures festivitates in unum eundemque diem congessisse Judæos; tum quia, si congesserunt, id tam frequenter fieri potuit, ut Sabbatum hoc sensu secundo-primum omnino incertum, varium, & multiplex redderetur; tum quia Græci δεύτερον vocant non quod *geminum*, sed quod *secundum*, & si maxime duplex Sabbatum δευτεροσάββατον non tamen δευτερόπρωτον, h. e. *Sabbatum primum geminatum*: festum enim cum sabbato conjunctum non erat unum idemque cum Sabbato, etsi uno generali Sabbati nomine utrumque indigitaretur.

AMBROSII sententia, præterquam quod mystica est, vel ex eo non meretur applausum, quod dum Christus Luc. 6. per sata ambularet, Sabbatum Evangelicum in rerum non fuit natura, utpote post Christi resurrectionem demum institutum.

PRIMÆ ergo, quæ post Epiphanium Scaligero, & post hunc tot Clarissimis probata est Viris nostrum quoque addicimus suffragium, inprimis quia illa non uno ex Scriptura & Rab-

(n) *Ad h. l.* (o) *animadv. in h. l.*

Rabbinorum commentariis confirmatur testimonio. Lege divina cautum erat, ut secunda hebdomadæ Paschalis die offerretur manipulus frugum primitialis Lev. 23: 10, 11. ממחרת שבת *crastina Sabbati* non hebdomadalis, sed Paschalis vs. 7. Hinc LXX. ἐπαύριον τῆς πρώτης. Chald. בתר יומא טבא *post diem festum.* R. R. Sol. & Menachemus ממחרת יום טוב הראשון של פסח *Crastina à prima die festi Paschatis.* Ab hoc ipso die numerabantur septem ad Pentecosten Septimanæ. Hinc Pentecoste *festum hebdomadum* appellatur Deut. 16: 10. De hac computatione ita R. Maimonides, (p) מצות עשה לספור שבע שבתות תמימות מיום הבאת העומר שנאמר וספרתם לכם ממחרת השבת שבע שבתות ומצוה למנות הימים עם השבועות שנאמר תספרו חמשים יום ומתחילת היום מונין לפיכך מונה בלילה מליל ששה עשר בניסן: h. e. *Præceptum affirmativum est, numerandas esse septem hebdomadas integras à die oblationis manipuli, juxta illud Lev. 23. & numerabitis vobis septem Sabbata s. hebdomadas à crastino Sabbati. Est etiam præceptum numerandos esse dies cum hebdomadis, juxta illud, Numerabitis quinquaginta dies, & ab initio diei numerant. Ideoque noctu numerant, à nocte decima sexta lunationis Nisan.* conf. R. Mosen Nachmanidem, (q) & R. Abrahamum Zakutum. (r) Numerasse legis Judæos à Paschate in Pentecosten non hebdomades tantum, sed & dies, cum hac precatiuncula, quam refert Auctor Orach Chajim (s) "באי" אמח" אקב" ועל ספירת העומר שהיום יום אחר *Benedictus tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & ut dies manipuli numeraremus præcepisti, hodie est dies prima.* Rationem hujus computationis eleganter adsignat his verbis Lichtfotus; (tt) *Nam mutuo atque invicem se respexerunt dies manipuli & dies Pentecostes. Die enim Paschatis secunda oblatio manipuli supplicatoria erat & precatoria, benedictionem impetrans frugibus novis veniamque eas comedendi, & falcem in segetes immittendi. Oblatio autem panum primitialium die Pentecostes (Lev. 23. 15, 16, 17.) gratiarum actionem spectabat ob feliciter peractam & congestam messem hordeaceam. Hac ergo relatione concatenatæ erant duæ illæ solennitates, ut utraque messem respiceret, illa ineuntem, hæc finitam; hæc ab illa dependeret, & post septem ab ea hebdomades numeraretur.* Nec potuit aliter temporis interlabentis verus calculus retineri, quoad Sabbata, quam sic numerando, hoc est σάββατον δευτερόπρωτον, *Sabbatum à secunda die Paschatis primum.* Hoc est δευτεροδεύτερον, *à secunda ista die secundum*, & sic de cæteris.

§. 5. Quæ contra hanc sententiam à Viris doctis afferuntur argumenta, levia adeo sunt ut halitu uno difflari possint omnia. Dixerat Scaliger, δευτερόπρωτον vocari Sabbatum hoc, eo quod inter hebdomadalia & ordinaria, quæ ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων ad Pentecosten numerantur, πρῶτον esset. At, Beza, *Nullis* inquit, *exemplis, nec cujusquam scriptoris autoritate istud probat.* Et Grotius; *Quo minus subscribam, obstat, quod nullum viderim talis formationis exemplum, qualis esset, si δευτερόπρωτον deduceretur à voce δευτέρας & voce πρώτου.* Sed aperte falsus est uterque. Sat enim multis exemplis compositionem istam δευτεροπρώτου comprobasse Scaligerum: qui non videt nihil videt. (u) Et si maxime exempla desint, sufficit, quod Scaliger suæ sententiæ fundamentum certum habet in verbis Domini, Lev. 23. ubi jubet numerare hebdomades ad Pentecosten ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα. *Quia jubentur numerari hebdomades ad Pentecosten non ab ipso die Paschatis, sed à proxime sequente, mirum non est, Sabbata omnia ad Pentecosten sumsisse appellationem ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχατος, ut primus observavit Scaliger, quem postea multi viri docti sunt secuti*, inquit Casaubonus. (w)

§. 6. Addit Grotius aliam rationem, qua sententiam Scaligeri destrui posse existimat. *Lex*, inquit, *quæ exstat in Levitico non hoc dicit, Sabbata denominari à postridie Paschatis, ut hoc Sabbatum dicatur primum, illud secundum, atque ita deinceps, sed dies illos quinquaginta* ימים העומר τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς *numerari ab eodem illo die, ita ut postridie Paschatis sit dies illorum quinquaginta primus, qui hunc sequitur secundus, atque ita usque ad quinquagesimum, quem numerandi modum Judæi nunc quoque anxie observant, nec tamen in numerandis diebus repetit nomen illud δευτέρας.* Sed & hic fallit Grotius. Non enim tantum dies, sed diserte Sabbata & hebdomadas à secundo azymorum numerari mandat Deus Lev. 23. nec tantum dies, sed & septimanas à Judæis numeratas superius est probatum.

§. 7. Samuel Petitus (t) Scaligero duo opponit 1. quod tempore Paschatis non licuerit per sata ire 2. quod non licuerit iter ingredi, aut Hierosolyma egredi. His jam satisfecit Hakspan resp. ad 1. Scaligerum non intelligere festum Paschatis, sed Sabbatum commune è septem. ad 2. contrarium patere ex Luc. 24: 13.

§. 8. Maldonati palmarium contra hanc sententiam argumentum est, quod spicæ in Judæa tempore Paschatis nondum fuerint maturæ. At contrarium patet tum ex Scriptura, quæ die azymorum secunda novarum frugum manipulum offerri jubet Lev. 23. tum ex Judæorum scriptis, quæ confirmant, messem hordeaceam circa festum Paschatis incidisse. Sic enim R. Abarbanel; העומר היה בכורים מראשית קציר השעורים שהיה בא ביום הראשון מחג הפסח כפי טבע ארץ ישראל שהיו התבואות ממהרות לבוא: *Omer nihil aliud erat, quam fructus primitivi de initio messis hordeorum, quæ postridie Paschatis inchoabatur, ut ferebat terræ Israëlis natura, cujus fructus erant præcoces.* Nimirum serebant Judæi hordea sua circa ineuntem Novembrem nostrum, uti ex Bab. Berac. probat Ligtfootus. Satum ergo ineunte jam hyeme hordeum, ac aëris clementia per hyemem crescens, adventante jam Paschate, ad maturitatem pervenerat; ita ut ab isto tempore, oblato tunc manipulo, initium sumeret messis hordeacea. Quod si adventante Paschate hordea non maturuerant, addito ad annum istum mense embolymæo, exspectabant usque dum maturescerent. Diserte hoc docet R. Maimonides Hilkot קדוש החדש (z) quando; שנה מעוברת, inquit, היא שנה שמוספין בה חדש ואין מוספין לעולם אלא אדר ועושין אותה שנה ב׳ אדרון אדר ראשון ואדר שני ומפני מה מוספין חדש זה מפני זמן האביב כדי שיהא הפסח באותו זמן שני שמור את חדש האביב שיהיה חדש זה בזמן האביב ולולי הוספת החדש הזה הפסח בא פעמים בימים החמה הפעמים בימים חגשמים על שלושה סימנין מעברין את השנה על התקופה ועל האביב ועל פירות האילן: *Annus intercalatus est, cui mensem addunt. Nunquam vero addunt nisi mensem Adar, & ita uni eidemque anno gemini menses Adar competunt, primus & secundus. Eccur vero addunt illum? Propter tempus spicarum, ut Pascha illo tempore celebretur. quia dictum est; Observa mensem spicarum. Absque additione mensis illius esset, Pascha nonnunquam in tempore æstivo, quandoque hyberno accideret. Tribus de causis annum intercalare solent, ob æquinoctium, fructus virentes & fructus arboris.* Factam istam intercalationem publica autoritate, statim adjicit Maimonides; כיצר בית דין מחשבין ויודעין אם תהיה תקופי ניסן בששה עשר בניסן או אחר זמן זה מעבדין אותה השנה ויעשו אותו ניסן אדר שני כדי שיהיה הפסח בזמן האביב ועל סימן זה סומכין ומעברין ואין לסימן אחר וכן אם ראו ב״ד שעדיין לא הגיע האביב אלא עדיין אפל הוא ולא צמחו פירות האילן שדרכן לצמח בזמן הפסח סומכין על שני סימנין אלו ומעברין את השנה ואף על פי שהתקופ קודם לששה עשר בניסן הרי הן מעברין כדי שיהית האביב מצוי להקריב ממנו עומר התנופה: *Quando Synedrium calculum init & observat, futurum esse æquinoctium vernum decimo sexto die mensis Nisan, aut ulterius, intercalant annum, Nisanque istum faciunt Adar secundum, ita ut occurrere possit Pascha ad tempus frugum recentium. Vel si observent, quod fruges nondum maturuerint, & nondum germinaverint arbores germinare solitæ, intercalant annum. Et licet æquinoctium sit ante decimum sextum Nisan, ecce intercalant, ut fruges in promtu sint, ex quibus manipulus Nisan queat offerri.* Facta eo modo intercalatio, ut in omnium notitiam devenire posset, publicabatur, & extra urbem sanctam intimabatur per literas, cujus rei exemplum habes in Talmud. Bab. Sanhedrin; (aa) שלמכון יסגא לעלם מהודיעין דגוליא רכיכים ואימרא ערקין וזמנא דאביבא לא מטא ואוספין על שתא דא יומין תלתין: *Salutem plurimam. Notificamus vobis, quod cum pulli adhuc sint implumes, & agni teneri nimis, & fruges nondum maturuerint, visum sit nobis huic anno addere dies triginta.*

§. 9. Ex adductis clarum est, exhibuisse tempus Paschatis spicas hordeaceas maturas in Palæstina. Objicit Maldonatus tria. *Primum* est, quod tempore Paschatis in Judæa se calefecerint ad ignem, Joh. 18. adeoque non potuerit matura esse messis. At nullum huic raciocinationi inesse robur, quotidiana nos docet experientia, qua videmus tempore nocturno, inprimis nocte media, quovis anni tempore, nedum in Martii mense, accendi solere focum. Nec de nihilo est, quod addit Hakspan, fuisse hunc ignem ein Wachtfeur/ atque

(p) *Tract. Tamidin & Mosaphin c. 7.* (q) *in Lev. 23: 15.* (r) *lib. Juchasin fol. 36.* (s) *num. 489.* (t) *l. c.* (u) *lib. 1. Canon. Isag. c. 6.* (w) *l. c.*

(x) *Miscell.* (y) *fol. 262. col. 2.* (z) *cap. 4.* (aa) *fol. 2. cap. 2.*

atque inserviisse militibus, noctu excubias agentibus, quorum corpora variata aëris temperie facile affici poterant.

§. 10. *Secundum*, quod opponit Maldonatus, hoc est; in ipsis Africæ regionibus, Judæa calidioribus, tempore Paschatis non maturuisse fruges. Sed incogitanti facile crediderim hoc excidisse Maldonato. Legisse eum Exodi caput nonum nullus dubito, ex quo apertissime constat, in regionum Africanarum, si non frigidissima, certe nec calidissima Ægypto, hordeum tempore Paschatis in spicis fuisse.

§. 11. *Tertium*, quod objicit Maldonatus, est, quod non licuerit falcem in messem mittere ante oblatas in Pentecoste primitias. Sed distinguere debebat inter messem primam & secundam, primitias hordeaceas & triticeas. Manipulus Paschatis hordeaceus erat. Ita Rabbi Aben-Esra (bb): והנה חג המצות לעולם יהיה בו בכורי שעורים: *Ecce festum azymorum subinde ejusmodi erat, ut in eo essent primitiæ hordeorum.* Nec aliter Maimonides (cc); עומר זה מן השעורים *Omer*, s. Manipulus *iste ex hordeo sumebatur.* Primitiæ autem Pentecostales erant triticeæ. Oblatio Paschalis de fructibus fiebat nondum elaboratis, Pentecostalis de dimessis ac elaboratis; illa messem antecedebat, hæc sequebatur.

T A N T U M.

(bb) *Ad Exod.* 23: *vers.* 16. (cc) *Tract. Tam. & Mos. cap. VII.*

M. AUG. VARENII

DISSERTATIO

De sinu Abrahæ ad Luc. XVI: 22.

I. N. J.

De veterum Conviviis, accumbendi modo, variis lectorum generibus, in specie de Triclinio, hujus Origine, Ratione & apud Veteres Judæos Usu.

SECTIO I.

§. 1.



Omnia successu temporis immutari, & vicissitudinibus suis universum hoc orbis Theatrum, una cum singulis in illo degentibus Creaturis, subjectum esse, nemo sane nisi naturalium sive Physicarum Rerum ignarus inficias ire aut in dubium vocare auserit. Cœlum dum intuemur, cujus contemplandi causa Creator, cum

—— —— animalia cætera Terram
Spectent, os homini sublime dedit —— ——
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

proh! quantas inibi observare licet vicissitudines? Innumerabilis illa astrorum congeries, quantis mutationibus sit obnoxia, Astronomi referant. Aër quam multifariam afficiatur Physicus scrutetur: sed nec satis unquam scrutari poterit. Ignis ille in Terræ Visceribus detentus an eadem semper forma constitutus maneat? quis vero id affirmaverit? Iste quem in Radiis solaribus præsentem experimur, nunc his nunc aliis maculis quod immutetur, quam quod notissimum est. Lunam singulis mensibus plus simplici vice alienum induere schema (sive φάσεων) unicuique ex oculari inspectione est notum. Sed quid istis in Microcosmo occurrentibus mutationis variæ exemplis multum immoror? Microcosmum, quem hominem referre, certum est, sive quem hominem summo jure dicere licebit, adeamus, & Rebus in humanis nihil certum ac stabile dari, primo intuitu deprehendemus.

§. 2. Non jam de vita hominum, cujus resp. omnino floribus, mox & optimo odore nasum sive odoratum potius; & insigni forma visum afficientibus, mox vero marcescentibus & non amplius existentibus, sive esse desinentibus Psal. 103. simillimos ipsos homines esse constat, de hac inquam lubrica hominum vita non jam prolixe sermocinabimur. Nec omnia & singula in vita hominum sæpius obvenientia Phœnomena, vere φαινόμενα sive apparentia accurata contemplatione in præsenti dignabimur, cum illius æque ac horum vanitatem & quotidianam immutationem unusquisque mortalis in corpore suo experiatur. Mores hominum considerabimus & quam diversam illi quoque pro diversitate temporum senserint sortem, paucis commentabimur. Sed nec omnes & singulos à singulis gentibus sive nationibus observatos ritus, quorum hodie plurimi in desuetudinem abierunt, nunc revocabimus: nec in antiquis illis & non aliis nisi barbaris notis consuetudinibus enumerandis operosi jam erimus: In id potius intenti futuri, ut pro ratione instituti nostri, (quod primario erit de sinu Abrahæ agere: sive illam loquendi formulam accuratius inspicere, qua animæ Beatorum in sinu Abrahæ dicuntur constitutæ,) quosdam Convivandi mores, eosdemque non obscuros: sed tales quorum vel ipse Sacer Codex mentionem facit, tum in Populo Judaico, tum vero apud Romanos aliosve suis encomiis illustres populos usitatos, Philologice consideremus, in quantum hodie immutati sint, & in quantum adhuc obtineant observemus, ita ut exinde originem jam dictæ Phraseos: esse in Sinu Abraham, ab aliis contrariis opinionibus liberare nobis liceat.

Hoc opus, hic labor noster erit.

§. 3. Convivia Veterum ab hodiernis plane diversa fuisse ex variis conviviorum speciebus patet. Alia enim erant convivia publica, quæ in publicis totius populi gaudiis instaurabantur; Sic peracto Triumpho in Jovis Capitolini templo sive prout alii volunt in æde Herculi dicata epulum Triumphale exhibitum esse, ex antiquissimis Historicorum monumentis refert Dempsterus ad Rosini *Antiq. Rom. Lib. I. c. 5. p. m.* 27. Alia erant convivia privata, quæ iterum vel Symposia, vel androna, vel Syssitias vel triclina, pentaclina, decaclina, pastada, item Synagogia vel Synagogima vel Erana &c. dicta esse, una cum prolixa singulorum explicatione addita, Autor est Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lection. L. 27. c. 24. p. m.* 1524, 1525.

§. 4. Non jam integrum nobis est damnosam illam luxuriam, & insignem prodigentiam conviviis veterum familiarem cu-

curatius perpendere, nec tempus illud per quod talia sæpenumero convivia ultra decorum sunt continuata, hic considerare animus est. Morem saltem assidendi inspicimus, & quis ille, quamque diversus apud veteres obtinuerit paucis evolvemus. Hunc vero statim primo intuitu deprehendimus à nostro hodierno fuisse diversissimum. Quod ipsum vocabulorum quoque vis indigitat: Hinc nuspiam in Vett. Historicorum scriptis assidendi: sed semper discumbendi, accubandi, accumbendi vocabula reperimus, quæ hodie de dormientibus potius quam comedentibus in usu sunt. Inde ergo facile deducitur, Antiquis (utpote non assidentibus: sed accumbentibus mensæ) omnino non sellarum: sed lectulorum vel lectorum potius usum fuisse, cum lectuli vel tori sint accumbentium, prout sellæ vel scamna assidentium. Quales nunc illi lectuli fuerint ulterius inquirendum. Hic varia reperire licebit nomina, rem quoad cætera unam exprimentia, nisi personarum numero foret distincta. Omne enim id quod ab Autoribus antiquis per *κλίνας*, *κλινίδας*, *κλινίδια*, Scimpodas sive Scimpodia, Triclina, Pentaclina, Decaclina, Stibadia, &c. effertur, quid alias quam certa lectorum sive stratorum genera designat? Numero vero personarum hæc ipsa fuisse distincta, vel ex ipsis Nominibus colligere licebit. Κλίνη vocabulum generale, lectum significabat, in quo vel tempore nocturno decumbebant Matth. 9: 2. vel tempore cœnæ aut prandii cibum capiebant. (conf. Lex. Pasor. in N. Test. Tit. *κλίνω*.) Κλινίδιον deminutivum à *κλίνη* eandem habebat significationem, vid. Luc. 5: vers. 19, 24. Reliqua ista nomina omnia lectos significabant: non quidem cubicularios: sed discubitorios.

§. 5. Hi vero lectuli discubitorii, pro diverso quem recipiebant hominum numero, diversa quoque sortiebantur nomina: Unum si tantum caperent hominem, dicebantur Scimpodia. Σκιμπόδιον, vocabulum Græcum diminutivum est à *σκίμπους* quod inter lecti genera reponit Pollux. Hesychius eruditus inter Græcos Grammaticus sic definit: *σκιμπόδιον εὐτελὲς κλινίδιον μονοκοίτιον* id est, vilior lectulus scimpodion est in quo decumbit unus modo. Notandum autem Scimpodion non saltim notare lectulum discubitorium tempore cœnæ vel prandii: sed etiam talem quo commoditatis gratia in aliis quoque negotiis, imo in corporis infirmitatibus utebantur Veteres. Hinc Libanius in *libro de sua ipsius vita. Quum domi sum*, inquit, *jaceo in lecto, ubi vero in Schola, in Scimpode*, (vel Scimpodio) quod lecticam significare opinatur Cœlius Rhodiginus. Sic porro *ἱερὸν σκίμποδα* pro Philosophorum lectulo, vel lectica usurpari Autor est idem. Si bini in unico tali decumberent lectulo, biclinium appellabatur, quod vocabulum compositum à Latino bis & *κλίνη* apud Plautum reperitur, vel prout Lambinus legere maluit à *δὶς* & *κλίνη*, diclinium. Conf. Voss. Etymologicon. Horum bicliniorum, in quibus maritus & conjux accumbentes cœnabant, hodienum non pauca Romæ in antiquis lapidibus cerni ex jamjam alleg. Vossio constat. Quod si porro numerus illorum lectulorum esset ternarius, ita tamen ut quilibet lectus tribus Personis recipiendis esset idoneus, triclinium dicebatur, à tribus nimirum lectis, sive quod Romani pransuri vel cœnaturi *τρεῖς κλίνας* id est tres lectos sternerent, quibus incubantes cibum sumerent. Nec obstat in unico tali lectulo, tribus personis ordinarie saltem accommodato, aliquando quatuor homines simul recubuisse, cum id extraordinarie factum Horat. testetur: *Serm. L. I. Sat.* 4. inquiens:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Si de cætero lecti illi discubitorii ita essent dispositi, ut pro diversa illorum capacitate ordinarie vel quatuor vel quinque vel sex quoque personas recipere possent, Tetraclinorum, Pentaclinorum & Hexaclinorum nominibus insigniebantur. Confer. Cœlius Rhodiginus *Lect. Antiq. L.* 27. *c.* 24, 25. item Voss. in *Etymolog.* Tit. *Triclinium.*

§. 6. Hæc Lectorum discubitoriorum apud antiquissimos ratio erat. Postea vero successu temporis alius discumbendi ritus successit. Mutabantur mensæ, mutabantur & lecti discubitorii. Mensæ antea erant quadratæ, hinc & lectuli circa mensas ad accumbendum positi, duo erant longiores & unus isque medius in latitudinem transversus. Nunc ubi mensæ citreæ eædemque rotundæ in magno honore apud omnes esse incipiebant, lectulos discubitorios ad illas mensas quoque accommodari oportebat, hinc pro tribus lectis utebantur stibadio. Stibadium lecti æque fuisse speciem ac Triclinium nullum est dubium, aliam vero fuisse stibadii formam ac cæterorum lectorum, pluscülis nunc demonstrandum. Figura Triclinii ordinarie erat quadrata, prout antea dictum. Stibadii vero rotunda & simul oblonga sive Cylindrica adeo ut Latinum C. inversum, seu Græcum C. repræsentaret, hinc Stibadium quoque Sigma dicebatur. Capacitas vel Magnitudo Triclinii tanta erat, ut in tribus diversis lectis novem commode possent discumbere homines, in unoquovis nim. lecto tres, *Hinc M. Varro in Sat. Manippaa quæ incipit: Nescis quid serus vesper vehat, de apto convivarum numero disserens: dicit, Convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum*: i. e. *proficisci à tribus & consistere in novem, ut cum paucissimi sint convivæ non pauciores sint quam tres, cum plurimi, non plures quam novem.* Conf. Henrici Salmuth *Comm. in Guidonis Pancirolli P.* 1. *Tit. LI. p.m.* 245. Capacitas vero sive magnitudo Stibadii talis erat, ut commode non ultra septem simul Convivas capere posset, hinc Mart. L. X. Epigr. 48.

Septem Sigma capit, sex sumus adde, Lupum.

Ubi male quosdam signa pro sigma legisse notat Raderus, & Sigma genus lecti in formam hemicycli facti esse, idemque quod stibadium significare asserit. Nec contradicit huic alter ille Martialis locus L. XIV. Epigr. 77.

Accipe lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit, veniat quisquis amicus erit.

Cum Raderus ita conciliet: *Septem opportune & laxe sigmati insedisse, octo ægre & arcte*, & Vossius hunc ultimum Mart. locum *de sigmate capacissimo* intelligendum esse censeat, atque communia Sigmata, septem; minima vero sex saltem recepisse homines dicat.

§. 7. Erant itaque Stibadia tori sive cubilia aut etiam lecti discubitorii ex herbis facti, figura sua Græcum sigma, (hujus formæ C.) exprimentes, quibus in Conviviis, veteres cibum capientes ad recumbendum utebantur; Capacitate sua singula Stibadia septem ordinarie excipiebant homines, ita tamen ut vel pro ratione majoris extensionis pauciores stibadium integrum occupare, vel pro ratione majoris compressionis plures in uno stibadio collocari potuerint. Dicitur itaque stibadium non à stipitibus, prout vult Isidorus, qui iccirco legendum existimat stipadium, referente Stuckio *Antiqu. Convival. Lib. II. c.* 34. *item Vossio in Etym.* Sed ab herbis quas Græci *στιβάδας* vocabant. Fiebant nimirum stibadia ipsa primo ex herbis, & erant tori humiles sive humi jacentes ex herbis, ramis arborum, imo & ligno constructi, conf. Cœl. Rhod. l. sup. cit. *Hisce* itaque *Ramis insidebant convivæ non incurvatis genibus procumbentes: Sed coxim interpositis pulvinis insidentes, prout Sagarii solent apud Italos.* Vid. Rad. in Mart. l. c. Et talis adeo lectus vel torus ad mensas rotundas accommodatus à materia ex qua stibadium; à forma vero sigma dicebatur.

§. 8. Sed mittimus nunc Stibadia æque ac reliqua lectorum discubitoriorum genera, & ad triclinia, utpote quorum accurata consideratio nobis in præsens plurimum lucis afferet, regredimur. Triclinii vocabulum tripliciter potissimum usurpari refert Martinius in Lex. Philol. ad h. Tit. 1. de conclavi quod habeat vel contineat *τρεῖς κλίνας* sive tres lectos discubitorios, 2. De ternis lectis contiguis circum tres mensas appositis, 3. De cœnaculo per Synecdochen Speciei. Neutram harum trium significationum jam examinabimus, nec enim de conclavi nobis quæstio est, licet notum sit locum illum, sive integram illam contignationem, in qua datur triclinium, triclinii nomine aliquando indigitari; (prout id contra Servium prolixe asserit Vossius;) similiter non jam inquiremus, an terni lecti contigui circum tres mensas appositi Triclinii nomine veniant, cum potius diversa tria constituant Triclinia, multo vero minus de quovis cœnaculo sermo nobis erit, quod aliquando per Synecdochen speciei pro genere Triclinium tropice saltem non vero proprie appellatur. Tale potius nobis ob oculos posituri Triclinium, quod unica mensa tribus vero circa illam mensam dispositis lectulis constat. Horum Tricliniorum spectabimus 1. originem, 2. in illis discumbendi modum, 3. apud Judæos usum.

§. 9. Ad Originem hujus Triclinii quod attinet, nisi contradictorias meras afferre voluerimus, duas oportet constituere Veterum ætates. Cum enim Servius ad 1. Æneidos L. vers.

Aurea composuit sponda mediamque locavit.

hæc expressa habeat verba: *Antiqui Stibadia non habebant: sed stratis tribus lectis epulabantur, unde & triclinium sterni dicitur*; imo & Varro, Vitruvius, Plautus, Cœlius Rhodiginus aliique Vett. biclinii æque ac Tricliniorum antiquis jam populis usitatorum mentionem faciant, conf. Voss. omnino ex

inde

inde facile probari poterit ea jam veteres fuisse mollitie atque luxuria, ut discumbentes cibum sumserint: At enim vero, quomodo hæc conveniunt cum illis Servii quæ alibi habet: *Majores*, inquit, *nostri sedentes epulabantur: quem morem habuerunt à Laconibus & Cretensibus, ut Varro docet L. de Rep. Roman.* & illis quæ Athenæus L. 8. Dipnosoph. scribit: *Neque mos erat antiquorum, ut reclinato corpore recumberent: sed ut sedentes comederent.* Quomodo inquam hæc conveniunt? *Ad hanc Morum dissensionem conciliandam* (verba sunt Henr. Salmuth in Comment. ad Pancirollum) *duæ erunt Majorum ætates constituendæ: & in priore dicemus summam fuisse continentiam vitæ, summam duritiem & severitatem, quæ qualibet sessione facile contenta erat ad parce duriterque vivendum; In altera vero maximam luxuriam, mollitiem & ingentes delicias, ubi quæsita est hæc mollis accubatio post balnea ad delicatius molliusque epulandum.* Hæc ille. Atque adeo ex his jam adductis Salmuthi verbis optime illa Servii aliorumque contradictoria conciliantur, indeque hanc formamus conclusionem: quod modus ille discumbendi sive in lectulis mensæ assidendi ac adeo cibum capiendi, ab antiquis, non quidem primæ: sed secundæ ætatis, Romanis aliisve populis originem suam traxerit.

§. 10. Modum hunc accumbendi, qualis fuerit apud veteres, paucos recte nosse & rem in tanta vetustate obscurissimam esse, conqueritur Rosinus, nec sine causa; multos enim reperire est Autores qui hinc inde Tricliniorum & aliorum lectulorum discubitoriorum mentionem injiciunt: Ceterum ubi fundamentum sive ipse modus potius illius accubationis epularis inquiritur, paucissimos, qui penitiorem & veriorem istius rationem plene tradiderint, invenire licebit. Ista quæ Justus Lipsius, Hieronymus Mercurialis, Dionysius Lambinus, Ciacconius & in hunc Fulvius Ursinus, Guido Pancirollus & notis in hunc editis celebris Henr. Salmuth, Guilielmus Stuckius, Johannes Rosinus & in hunc Dempsterus aliique celebres scriptores observarunt hac de re, paucis huc adnotabimus. Mensam itaque nobis imaginemur necessum est, eamque vel perfecte quadratam, vel aliquatenus rotundam, ita tamen ut magis in longitudinem quam latitudinem isthæc rotunditas producatur. Circum hanc mensam tres statuamus lectulos, mensæ, sive ea teres vel rotunda, sive quadrata fuerit accommodatos. Sin quadrata fuerit mensa, Triclinium constabit tribus lateribus perfecte sibi invicem æqualibus, quorum medium basin sive fundamentum, reliqua vero duo ex isthac basi procedentia, duo brachia appellare licebit. Talis triclinii schema è Salmasio adductum observare datur apud Walæum in Not. ad N. Test. in Joh. cap. 13. Si vero fuerit rotundum aliquatenus tale triclinium, ita ut ab utroque latere incurvetur paululum, tum quidem medius lectus non perfectum hemicyclum sive sigma repræsentabit, erit nihilominus mensæ ita accommodatus, ut similiter ac mensa ipsa incurvetur, manente tamen proportione debita ad duo brachia sive ad reliquos lectos, ita, ut medii capacitas non excedat illorum capacitatem. Quanta lectuli hi fuerint latitudine non quidem accurate constat, tantam nihilominus istam fuisse credenrem, ut integra illa corporis humani pars, quæ communiter dicitur inferior, in latitudinem lecti disposita, commode reclinari potuerit. Lectuli capacitate ita constituta, consideremus quoque lectulos stragulis & tapetibus, pro conditione hominum vel vilioribus, vel pretiosioribus ornate instructos, & pulvillis molliusculis in capitis & dorsi commode reclinandi usum hinc inde affixis, delicate & laute satis paratos. Hisce adeo lectulis insidebant vel incumbebant potius veteres. Modus accubitus hic erat: Superior pars corporis, thoracem quam vocant, in cubitum sinistrum reclinabatur, & pectus adeo ad mensam, quæ satis ampla erat, erigebatur, caput leviter extollebatur & dorsum in eo majorem commoditatem pulvillis leniter suffultum erat. Pedes pro lecti latitudine (prout nos consideramus) protendebantur, atque adeo pars corporis inferior, quam longe poterat, porrecta jacebat. Ratio quare thorax in cubitum sinistrum sit reclinatus, in promtu est; dextra enim cibum capere & ad os deferre oportebat. Hic modus assidendi generalis. Ceterum quæ ratio ubi tres Convivæ aut aliquando etiam quatuor, simul in uno discumberent lectulo? Unusquisque omnino prout jam dictum accumbebat: sed & ordo in accumbendo servabatur. Videamus I. Numerum ordinarium trium lectorum & trium in quolibet lecto personarum. Tres lectos triclinium constituisse & huic quoque nomen dedisse ex dictis constat. Illum quem antea basin diximus medium nunc porro constituimus lectum, illum quia sinistra hujus baseos sive fundamenti procedit summum, illum autem quia dextra baseos egreditur imum lectum dicimus. Ratio discumbendi locum summum, medium & imum sic ordinabat, in sinistrum quippe latus recumbebant, ut liberam & exertam habere possent dextram manum. Quem jam lectorum diximus ordinem, is etiam fuit Convivarum in singulis lectis accubantium; nec commodius de summo & imo cujusvis lectuli loco judicari poterit, quam ex medio; is qui supra medium erat, summus, is qui infra medium imus. Summus in unoquoque lecto locus, erat ille, qui nullum supra se, imus, qui nullum infra se, in eodem quidem lecto habebat, medius qui inter summum & imum constitutus erat. Hinc ille qui primum in certo lecto occupabat locum, *decumbebat ad caput lecti, pedes ejus porrigebantur pone dorsum secundi; secundus occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii*, & sic porro tertius, si tres saltem in uno recumberent lecto, occiput erigebat ad umbilicum secundi; sed pedes ad finem usque lectuli si attingere poterat extendebat, sin minus quam commodissime poterat recumbebat. Si quatuor simul in uno recumberent lectulo manebat locus supremus, is, qui in summitate lecti erat; sed quis tum medius fuerit locus? Rosinus ex Lipsio concludit illum medium tunc occupare locum, qui secundus in ordine est descendendo. Quid si duos statueremus hic dari locos medios, unum superiorem, alterum inferiorem, & superiorem statueremus quoque respectu reliquorum subsequentium honoratiorem? sed missa hæc facimus.

§. 11. Occasionem de Loco Honoratiore in Conviviis Vett. observato hic paucula incidenter saltem disserendi præbet Lipsii ille locus Rosino L. V. cap. 28. pag. 805. allegatus: verba hæc sunt: *Si tres Convivæ in uno lecto, medius dignissimus, proximus honore summus* &c. & porro: *Si duo tantum, dignissimus summus fuit.* Nimis generaliter hæc fuisse posita videntur, cum de loco honoratiore in convivio, non eundem omnibus gentibus olim fuisse sensum, neminem nisi historiæ ignarum latere queat: Persas locum medium pro honoratiore habuisse, & in eo Regem suum semper collocasse, in confesso est: pro honoratiore loco medio Virgilius quoque sententiam ferre videtur, dum mediam in sponda sive lecto discubitorio Reginam locat. Æneid. I.

—— aulæis jam se Regina superbis
Aurea composuit sponda mediamque locavit.

Ceterum hæc non sufficiunt. Aliam aliis gentibus fuisse opinionem ostendi facile poterit. Sic Græcos primum in quovis lecto locum honoratiorem judicasse Plutarchus testis est. Et Romanis quoque, licet consularem aliquando & supremum duxerint ultimum medii lecti locum, nihilominus summum sive primum in unoquovis lecto locum, non vero medium, honoratissimum fuisse habitum Salmasius refert. Quomodo E. Lipsius & cum eo Rosinus absolute locum medium dignissimum esse asserere poterit. Vel assertum hoc ad Persas aliosve certos populos fuerit restringendum, vel si absolute intellectum velit Rosinus, apertæ falsitatis notam vix effugiturus est. Manet interim, apud veteres Romanos æque ac Græcos Lectum triclinii primum, fuisse sinistrum resp. baseos sive lecti medii, & honoratissimum in integro triclinio, fuisse primum lecti summi locum, prout porro in quovis lectulo, sive duo, sive tres, sive quatuor ei incubuerint, locus primus sive supremus quo quis residebat à tergo medii erat summus, post hunc medius, & tertius demum imus, sive ille quo quis quasi in sinu secundi vel medii recumbebat. Hinc Virgil. Æneid. II.

Inde toro Pater Æneas sic orsus ab alto,

Ubi Servius torum altum locum summum interpretatur quem ait Pontificalem fuisse. Conf. pro hac sententia Stuckius in Antiqu. Convival. L. II. c. 35. p. m. 263. & insigne sane argumentum pro hac sententia nostra suppeditat Walæus Comm. in Libr. Histor. N. Test. in Johan. cap. 13. pag. 950. adducto isthoc Plinii loco: *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento recumbebat propius, atque etiam in sinu. nempe infra Cæsarem*, addit, *Quis enim credat Vejentonem in convivio Cæsaris, honoratiore loco quam ipsum Cæsarem fuisse*: Ubi insimul egregiam hanc habet Walæus observationem, quod *locus medius* sive is quo quis *in sinu* supremum locum insidentis *recumbit, non sit locus dignioris & magis honorati: sed magis dilecti.* Vid. hac de re infra.

§. 12. Nunc ulterius an hic discumbendi in tricliniis mos apud Judæos, & in specie tempore τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν σαρκὶ σκηνώσαντος obtinuerit, paucis inquirere lubet. Pro negativa videtur militare Guido Pancirollus, qui *Part. I. Tit. 51. de cibi capiendi modo pag. 239.* hæc habet verba:

Nos

Nos Servatorem nostrum sequuti, more Hebræorum manducamus sedentes. Affirmativam vero nos pro virili tuebimur. Tria sunt quæ Pancirollus in jam allegatis verbis insinuat: 1. Hebræos, 2. Servatorem nostrum, 3. nos ad exemplum Servatoris, sedentes comedisse & hodienum comedere. Tertium non in dubium vocabimus, ceterum primum & secundum num veritati sint congrua valde dubitamus. Apud Hebræos enim veteres usitatas fuisse accubationes cœnatorias ex V. æque ac Nov. Test. quam maxime constat. *Quid, quod* (verba sunt Stuckii l. II. c. 34. p. 254.) *notatur à Rasi in Tractatu Talmudico, Succa dicto, charta secunda, facie altera, veterum convivia fieri solita Behesibah, i. e. cum decubitu, decumbentes sc. in lectis super latus sinistrum non recte stantes aut sedentes sicut nos:* Et quorsum alias hæc Glossæ in Beracoth fol. 4. b. 2. de veteribus Ebræis verba: *Soliti sunt (illi scilicet) comedere discumbentes & reclinati in latus sinistrum,* &c. conf. Lightfoot. Hor. Hebr. & Talmud. in Joh. cap. 13. pag. 1092. Ubi similia loca non pauca reperire licebit: addantur his verba Lipsii ibidem allegata: *eundem accumbendi morem,* (locutus autem antea erat de more accumbendi Romanis usitato) *in Judæa fuisse temporibus Christi, apparet clare ex Johanne —— & Luca,* &c. Ex his probe consideratis & cum dictis Scripturæ mox allegandis diligenter collatis, patebit omnino morem accumbendi veteribus Ebræis in usu fuisse. Alterum illud Pancirolli assertum erat: *Christum Servatorem nostrum sedentem cibum manducasse, non accumbentem.* Huic contradicunt omnia & singula Scripturæ N. Test. dicta, in quibus Servatoris nostri cibum capientis fit mentio. Quoties enim Servator noster una cum aliis cibum capere voluit, semper cum aliis discubuit & ipse accubuit, unde & ubique reperire licebit vocabula illa ἀνακεῖσθαι, conf. Matth. 9: 10. Matth. 26: 20. κατακλίνεσθαι Luc. 24: 30. &c. Mittimus nunc isthæc dicta, nec in illis explicandis prolixi sumus; hoc unicum saltem nunc affirmamus, quod Christus in ultima adhuc Paschali cœna una cum discipulis suis accubuerit, & agnum Paschalem comederit, imo quod Johannes dilectionis ille discipulus συνανακείμενος sive simul in uno lecto discumbens cum dulcissimo nostro Servatore fuerit. Quod Christus recubuerit & non sedens: sed accumbens agnum Paschalem comederit, expressa docent verba Matth. 26: 20. Ὀψίας δὲ γενομένης ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα. *Vespere autem facto discubuit cum duodecim.* (conf. cum Marc. 14: 18. Luc. 22: 14.) Quod Johannes fuerit συνανακείμενος τῷ Ἰησοῦ, ex Johann. cap. 13: vs. 23. collato cum Johan. 21: 20. 24. liquido constat. Verba hæc sunt: ἦν δὲ ἀνακείμενος εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς & porro vs. 25. ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ &c. Audivimus antea veterum Romanorum hunc fuisse morem, ut in lectulis sive tricliniis vel terni vel quaterni discumberent, audivimus illum qui primo in lectulo tali accumbit loco, pedes suos pone dorsum illius protendere, qui medium occupat locum, & adeo hunc suum sinciput ad illius umbilicum porrigere, ac quasi in sinu alterius quoad superiorem corporis partem recumbere: Sed, & isthæc omnia apud Veteres Judæos in usu, & tempore Christi, imo à Christo ipso ac discipulis observata fuisse, nunc deprehendimus. Quomodo enim illum Johannis in Sinu Christi, ἐν τῷ κόλπῳ Ἰησοῦ accubitum, quomodo illum capitis Johannis ad pectus Christi prolapsum, quo ἐπιπεσὼν dicitur, aliter & felicius quis enucleare poterit, quam ex isthoc Veterum Romanorum & hinc quoque Judæorum per Triclinia discumbendi ritu. Hinc recte B. Dietericus in Antiq. Bibl. postquam bene multa de Veterum Romanorum æque ac Judæorum accumbendi more, elegantissime & quantum fieri poterat perspicue, commentatus erat, his concludit verbis: *Jam intelligimus quomodo unus è discipulis accubuisse in sinu Christi legatur, quoniam Christus accumbens in superiore lecti parte, habuit Johannem proximum, proinde dicitur recubuisse in sinu Christi, & notandum Christum ut πάξεως DEUM ἔθη consueta nuspiam reprehendisse, potius observasse serio* &c. Videat ergo ex his & aliis insignioribus Scripturæ dictis Pancirollus, quam vere dixerit Christum Servatorem nostrum sedentem cibum manducasse non accumbentem. Et licet hic objiciatur, B. Lutherum omnia isthæc loca in quibus vocabula discumbendi, accumbendi reperiuntur, non expressisse per: **zu Tische liegen**: sed: **zu Tische sitzen**: nil tamen isthæc movet objectio, cum Luthero ad seculum nostrum respectum in explicatione horum vocabulorum fuisse, ex aliis quam plurimis Scripturæ dictis evidens sit. conf. Libr. Esth. cap. 7: vers. 8. 1. Samuel. cap. 28: vers. 32. Ezechiel. cap. 23: vers. 41. Præterea Philologo sive Philologiæ Studioso magis ad ipsos fontes & illorum puritatem, quam ad alias translationes & in iis occurrentes Idiotismos est respiciendum.

§. 13. Sed necdum ultimam hanc Christi cœnam linquere & ad alia transire possumus. Regredimur potius ad ipsam hujus cœnæ Historiam, illa, quæ illustrationem quandam mereri videbuntur, paucis consideraturi. 1. *Itaque,* cœnam hanc fuisse cœnam Paschalem dicimus, prout ex Textu & collatione locorum constat. Licet enim Euangelista Johannes dicat: Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα. Matthæus vero (cum quo & Marci & Lucæ verba coincidunt) τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων &c. id reddat, adeo ut insignis hic videatur adesse repugnantia; tamen revera nulla hic dantur contraria; *Hoc enim enantiophanes* (ut Walæus ad h. l. Joh. ait,) *ex eo natum est, quod Pascha Domini fuit diversum à Paschate Judæorum, quare solutio facilis est & certa. Johannem esse locutum de Festo Judæorum: ceteros de tempore legitimo ex lege, quod Christus servavit, &c.* Obj. Cœna hæc, non fuit cœna Paschalis, in cœna enim vel in epulo Paschali oportebat stare, secundum legem Exod. 12: 11. non discumbere prout hic de Christo & Discipulis dicitur: Theophylactus, Beza, aliique sic volunt conciliare: dicunt: *Christum primo stantem comedisse Pascha, deinde discumbentem tradidisse proprium mysterium.* Aliter autem, &, prout videtur, melius respondet ad hanc objectionem Tremellius, dicens: Legem illam Exod. 12: vs. 11. qua præcipitur ut Pascha comedentes habeant lumbos accinctos, pedes calceatos ac baculum teneant in manibus, non ulterius esse extendendam quam ad Israëlitas ex Ægypto mox egressuros, ante exitum vero instar properantium, festinantium, abitumque suum maturantium Pascha adhuc comesturos; non ad egressos. Hinc & in Lege, ubi postea præcipitur, ut ceremonia illa agni Paschalis quotannis renovetur, ea non rursus addi: sed plane omitti. *Quamobrem* (addit) *omnes Hebræi Doctores, tum antiqui, tum recentes, summo consensu docent, mandatum illud - - - de induendis calceis, de cingendis lumbis, atque sumendis baculis & cum festinatione comedendo agno, non se extendisse ad generationes sequuturas: sed tantum fuisse noctis illius qua egressuri erant ex Ægypto. Imo antiquissima fuit apud illos traditio (quæ in Talmud Tractatu de Paschate commemoratur) ut manducaturi Pascha in signum adeptæ libertatis discumberent.* Hæc obiter. conf. quoque hac de re Stuckius *in Antiqu. Conival. Lib. II. cap.* 34. 2. Christum cum omnibus suis XII. Discipulis epulo huic Paschali interfuisse statuimus. Hoc posito tredecim personæ assederint sive accubuerint in uno triclinio, sive in tribus lectis, atque adeo consequens fuerit quaternos in binis, quinque vero in tertio sedisse lectulo. An idcirco tertius ille lectus reliquis laxior vel amplior fuerit, non jam disquirimus, persuasum potius habemus quinos hos aliquanto arctius ac compressius sedisse quam reliquos. 3. De reliquis præter Johannem Servatori in uno lecto συνανακειμένοις nihil certi constare credimus. Clariss. Lightfoot. *in Hor. Hebr. & Talmud.* in h. l. censet Petrum à tergo servatoris accubuisse, atque adeo Christum à tergo habuisse vicinum Petrum, à Sinu Johannem, ipsum vero in medio recubuisse, *Johannes,* inquit, *in Sinu Christi, & Christus in Sinu Petri. Non potuit ergo Christus prompte colloquium cum Petro in aure habere. Petrus ergo supra caput Christi Johannem prospectans, nutu eum excitat, ut de re interroget.* Nolumus quidem morose his Lightfooti verbis quæ & Exc. Pfeiffero probata videntur in Antiqu. Ebr. selectis hoc anno Lipsiæ editis, cap. 29. p. 213. obloqui, melius tamen nos acturos arbitramur, si tacente Scriptura sive nullum certum indicium præbente, & nos taceamus, neque de Petro tanquam indubitato Christi in eodem lecto συνανακειμένῳ certi aliquid statuamus. Argumentum in contrarium à Lightfooto adductum; quod nimir. Christus non potuerit prompte colloquium cum Petro in aure habere, quare? quia in uno cum illo lecto discubuit, invertimus potius & dicimus: Si Petrus συνανακείμενος, in uno lecto, Servatoris, & quidem ita, ut Servator in Petri Sinu accubuerit, quid opus habebat Johannem nutu excitare &c. ipse potuisset colloqui, nam si Johannes qui recumbebat in Sinu Christi poterat colloqui & quidem in aure cum Servatore, quare non Servator qui erat ἐπιστήθιος Petri, (ex illius mente) poterat *prompte colloquium cum Petro* in aure habere. Transeo nunc, hoc modo, non Servatorem: sed Petrum in loco magis honorato recubuisse. 4. Magis itaque nobis probatur illa Walæi in h. l. sententia, qua statuit: *Dominum quoque in conviviis quotidianis, quæ cum discipulis suis agitabat, summum torum semper accubuisse, quem vero chariorem ex Discipulis suis habuerit, eum infra se collocasse, & in Sinu ipso,* ubi insimul jam laudatus Autor prolixius ostendit, locum medium quo quis in Sinu primi

primi recumbere dicitur, *non esse dignioris aut magis honorati; sed magis dilecti locum*, adducto 1. exemplo Vett. Romanorum, apud quos *Uxores vel amicæ semper in sinu mariti vel amatoris discumbere solitæ h. e. infra ipsum.* 2. Testimonio Juvenalis:

—— *& gremio jacuit nova nupta mariti.*

& Plinii, quod vid. sup. §. 11. item Suetonii insigni loco, quem habet in Hist. Calig. c. 23, 24. *Cum omnibus Sororibus suis stupri consuetudinem fecit, plenoque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante.* Ubi hæc addit: *Uxori supra se locum dabat, ut digniori digniorem. Sorores suas quas unice diligebat, & plus quam frater sororem debeat, infra se ponebat.* Ex quibus omnibus tandem sic infert: *Quem maxime amabant* (Veteres) *sive masculus sive mulier esset, eum infra se semper collocabant, id est in Sinu ipso.* Hinc, *Dominus noster* in ultima cœna Paschali quoque *hunc locum* (medium scilicet) *illi discipulo dabat quem maxime diligebat.* Conf. Walæus in Joh. cap. XIII. pag. 950. Et sic 5. statuimus Johannem in Sinu Servatoris recumbentem, à Petro è regione forte accubante per nutum admonitum, ut de Proditore sciscitaretur, caput suum elevasse usque ad pectus Servatoris, indeque submissa voce de Proditore quæsivisse, quis esset? & sic explicandum putamus illud Evangelistæ: ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος. Conf. Beza in Annot. & Walæus ad h. l. Quod de cætero Johannes in Sinu vel etiam pectore Christi alto sopori vel somno cum stertore quasi indulgere fingatur, id vero Pictorum licentiæ quam cum Poëtis communem habent adscribendum statuimus. Ex his adeo de Tricliniis, eorum nim. Origine, Ratione & apud Veteres Romanos æque ac Judæos usu, allatis, sic satis quæ hac de re ad scopum nostrum factura sunt constare putamus, nunc ergo procedimus ad rem ipsam.

SECTIO II.

De variis vocabuli sinus acceptionibus, in specie de illa loquendi formula: qua piorum animæ dicuntur esse in sinu Abrahami; de hujus Phraseos varia derivatione, & ex Veterum accumbendi modo explicatione.

§. 1.

Visis adeo hactenus, ac præter opinionem sic satis prolixe perlustratis omnibus illis, quæ de Tricliniis ac veterum in his accumbendi more ad nostrum institutum facere videbantur, nunc sine ulteriori mora ad Abrahæ sinum progredimur, quænam hujus locutionis sit ratio, qua animæ beatorum post mortem dicuntur in sinu Abrahæ requiescere, ea qua fieri poterit brevitate consideraturi. Hic vero 1. diversam vocabuli sinus significationem inspicere lubet. Sinus itaque proprie sumptus non dicitur nisi de homine, estque *Cavitas quæ est intra brachiorum & pectoris complexum, intra quam aliquid teneri & abscondi potest. M. Mart. Lex. Phil.* Ab hac propria varie vocabulum istud in alienam deflectitur significationem. Non enim solum in homine omne id quod aliqualem repræsentat cavitatem, sinus dicitur: e. c. Curvitas illa laxa uteri, quæ sinui similis est; Item, Cavitas oculorum in qua lacrymarum sunt conceptacula &c. Sed & de aliis inanimatis quoque idem vocabulum usurpatum reperire licet. Sic *de mari sinus dicitur* μεταφορικῶς, *quia ut in homine sinus est quod brachiis comprehenditur, ita & in mari sinus est maris pars quasi brachiis terræ interjecta, Græcis* κόλπος. Conf. *Voss. in Etymolog. Tit. sinus.* Hinc sinus pro portu quoque dicitur, & quia porro in sinu tali vel portu secura navium est statio, sive quia potius res charas in sinu fovemus & absconditas tenemus, communis orta est loquendi formula, *In sinu rem tenere*, id est, in securo loco res dilectas vel charas fovere, earumque curam gerere. Tacemus nunc *sinum Mathematicum*, aliasque varias hujus vocabuli acceptiones, quas prolixe reperire est in *Matth. Martinii Lex. Philol. Tit. Sinus.* it. in Fesselii Adversf. Sacr. Tom. I. L. IV. C. IX.

§. 2. Inde 2. Phrasin hanc quam Luc. 16. bis legere licet: εἶναι ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἀβραάμ inspicimus, & an ibi sinus Abrahami proprie an vero tropice dicatur disquirimus. Repræsentat Servator noster, (an per parabolam, an per veram historiam id sit factum, nobis hac vice inquirere non est integrum,) diversum piorum & impiorum hac æque in vita ac in venturo seculo statum, idque sub persona *divitis & Lazari*, illius quotidie epulantis, convivantis, pretiosissimis vestibus induti, lateque ac λαμπρῶς id est, splendide viventis; Hujus vero mendici esurientis, ulcerosi, miserrimeque ad Januam *Divitis* procumbentis, ac de micis ex mensa *Divitis* procidentibus saturari cupientis. Hæc temporalis utriusque erat conditio; Interim *moritur mendicus Lazarus*; atque *ab Angelis asportatur in Sinum Abrahæ; moritur & dives*; At illius hospes comesque corporis, animula vagula, blandula, in quænam, inquam, isthæc migrat loca? In *tenebras infernales* protruditur, *in tormenta* conjicitur: *Extollit autem ibi oculos* (prout per Prosopopœiam loqui amat S. Spiritus) *& videt Abrahamum è longinquo & Lazarum in sinu ejus.* Huc usque Historia. Hic quæritur *Sinus Abrahamo* an proprie an tropice tribuatur. Non equidem negamus Abrahamum hac in vita degentem sinu fuisse præditum, at ubi Abrahamo, in cœlo beatorum constituto, sinus adscribitur, tropicam hanc locutionem esse, affirmare nulli dubitamus. Simili enim ratione qua Lazari animæ, digiti, divitis, lingua &c. tribuuntur, sinus Abrahamo pariter adscribitur. Ut adeo per sinum Abrahami nil aliud intelligendum censeamus, *quam locum quietis piorum*, sive talem locum in quo beatæ animæ gaudium æternæ vitæ percipiunt; quæ Matth. Matt. hac de re sententia: aut, prout accuratius loqui videtur *Camero in Myrothecio, allegante Walæo in cap. 16. Luc. ne quidem locum*; (*quis enim sinus humani nomine locum designet*) *sed regnum cœlorum, sive præcipuam in regno cœlorum dignitatem.*

§. 3. Non licet jam nobis Pontificiorum illam examinare sententiam, qua *quatuor statuunt in terræ visceribus dari regiones, sc. infernum damnatorum, carcerem infantum, purgatorium & Limbum Patrum*, quem ipsum *Sinum Abrahami* & in quem quoque *Lazarum* deportatum esse dicunt, *conf. Sebast. Barradas Comment. in Concord. & Histor. IV. Evangelistarum Tom. III. L. IV. cap. V. p. 217.* cum ista sint fori Theologici, & quilibet facile limbum Patrum æque ac campos Elysios vett. gentilium, merum figmentum esse judicet; In eo potius studium nostrum nunc collocamus, ut originem illius Phraseos, *esse in Sinu Abraham*, ex aliis Scripturæ dictis explicemus. Sed & hic diversas deprehendemus sententias: Alii enim hanc loquendi formulam ex more veterum, infantes recens natos nuda in terra sistentium & patrum eosdem tollentium ac gremio foventium derivare conantur. Mos erat apud Ethnicos veteres valde familiaris, ut infantes simul ac nati essent humi statim deponerent, quod vocare sueverant *Cadere de matre, de alvo matris, in terram vel humi*, unde & (cit. Fesselio l. infr. alleg.) Justinianus Imp. l. 3. C. de postul. hæred. instit. §. 2. *Licet illico, postquam in terram cecidit, decessit.* Et nullum quoque dubium quin huc illi *Philoni disertissimo Ebræorum in Sophia sua c. 7. v. 3.* Salomonem loquentem introducenti, respectus fuerit: Verba hæc sunt: *Natus in terram iisdem incommodis malisque obnoxiam decidi*; Quod Luth. reddidit: Und bin auch gefallen auffs Erd-Reich &c. *Ab humo vero sobolem legitimam recens natam* (Verba sunt Fesselii in Adversariis Sacr. L. I. c. X.) *& adhuc à matre rubentem tollere solebat, pater, aut avus, &c. genibusque & gremio suscipere, deliciarumque causa in sinu gestare &c.* Ex isthoc, inquam, jam memorato Veterum more, quem etiam apud Judæos obtinuisse nonnulli volunt, lucem accipere existimant præsentem de quo nobis nunc sermo est locum, sive illam de qua nunc agimus loquendi formulam; Atque his quoque patrocinatur Fesselius loco sup. alleg. sic concludens: *Dicitur*, —— —— *regnum cœlorum Sinus Abrahæ non tam à more accumbentium mensæ, uti vulgo hæc Phrasis accipitur, quam à Parvulis recens editis, quos Parens humo tollere & in sinu sive gremio fovere solet. Omnes enim per verbum & Sacramenta regenerati, & in extremo Vitæ hujus termino in fide Abrahæ beate obdormiscentes, quoad animam humo tolluntur, & gremio seu sinu spiritualis sui Patris Abrahami, qui Pater est omnium credentium, excepti, vitæ sempiternæ summa felicitate perfruuntur.*

§. 4. Alii Sinum Abrahæ à comparatione vel similitudine cum Sinu maris dictum volunt. In hac opinione nonnullos ex Patribus fuisse, Sebast. Barradas loco supr. cit. prolixe ostendit: *Dubium est*, inquit, *cur* —— —— —— *Sinus Abrahæ appelletur? Dicuntur maris sinus recessus quidam tranquilli, potuit ergo appellari sinus* —— —— *locus ille, quia tranquillitate plenus erat. Unde Theophylactus: Quidam*, inquit, *sinum Abrahæ vocant continentiam bonorum, quæ reposita sunt justis, qui à tempestate hujus maris ingrediuntur in portus cœlestes.* Quo-

Quoniam & in mari sinus appellamus loca portubus & quieti apta. h.e. Sic & porro *cæteros quoque Nyssenum in libello quem de anima & Resurrectione scripsit, à marino sinu hunc Abrahami sinum, in quem Beatorum animæ non secus ac in portum deferantur*, derivare voluisse, *testis est Cl. Heinsius in Exercitationibus Sacris L. III. in Evang. Luc. c. 14. p. m.* 182. Atque eandem quoque D. Augustino fuisse mentem non obscure indicant hæc ipsius verba, quæ legere est L. IV. de Anima & ejus origine ad Vincent. Victor. Tom. VII. P. Posteriore p. m. 617. *Si non jocaris & errare pueriliter non vis, Sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham.*

§. 5. Aliis porro, quos inter *Cappellus*, hæc Phrasis qua *animæ piorum* dicuntur, *deportari in sinum Abrahæ*, originem suam traxisse videtur *à puerulis* (verba sunt *Lud. Cappelli in Spicilegio p.* 55.) *qui parentibus sunt carissimi, quos illi in sinu sive gremio fovent, in quo etiam suaviter interdum quiescunt & dormiunt. Pii nempe dormire dicuntur in Scriptura, quum moriuntur, & quiescere à laboribus suis. Ubinam autem quiescere & dormire potius dicantur, quam in gremio sive sinu spiritualis sui Patris Abrahami, qui Pater est omnium credentium?* Nec desunt qui generaliter Sinum Abrahami explicant per illum locum, in quem post discessum ex hac vita migravit anima Abrahami, sic enim Jac. Cappellus in Observ. in N. T. p. 36. in h. l. *in Sinum Abrahami*, inquit, *id est, in eum portum in quem post hujus vitæ procellas receptus fuit Abraham*, cui adstipulatur *Lightfoot. Hor. Hebr. & Talm. in h. l.* inquiens: *Sensum ergo hujus Phraseologiæ secundum communem interpretationem, expiscari licet, observando primum, quod vulgo creditum est à Judæis, animas puras & sanctas cum migrarent è corpore transire in beatitudinem ad Abrahamum.* Conf. *l. alleg. pag. m.* 853, 854. ubi *Cl. Lightfoot.* hanc ipsam opinionem illustrat illa de *matre septem Martyrum* Historia quæ continetur 2 Maccab. cap. 7. quod nimirum mater, *cum jam interfecti essent sex ejus filii & productus ad necem foret natu minimus &c.* his illum dimiserit verbis, *ito ô fili mi ad Abrahamum patrem vestrum &c.*

§. 6. Mittimus nunc varias illas Sinus Abrahæ derivationes, variasque hujus Phraseologiæ origines suis singulas Assertoribus remittimus, nostram nunc quoque hac de re sententiam propositURI. Non itaque illas quas jam attulimus diversas opiniones omnimode approbamus, nec in illis accurate examinandis & refutandis morosi sumus, suo potius singulas relinquimus loco, pace Virorum Clarissimorum quibus illæ arrident id facile impetraturi, ut aliam adhuc, & ab his jamjam allatis plane diversam, nobis eligere liceat, sententiam. Hinc non sine omni ratione sive absque causa, sub principium Dissertationis in consideratione accubationis epularis veterum, prolixi fuimus, cum exinde Phraseologiam hanc, sive ejus originem, optime derivari posse jam tum nobis perspectum fuerit. Quæ ratio illius discubitus veterum, & quomodo quis in sinu alterius recumbere dicatur, occasione illius dilectionis discipuli, qui in ultima Paschali cœna ἐγκόλπιος Servatoris fuerat supra ostendimus. Ex accurata itaque illorum quæ ibi sunt allata inspectione & cum præsenti Phraseologia collatione, patebit, *esse in sinu Abrahæ, nihil esse aliud quam cum Abrahamo in cœlesti epulo discumbere*, & illam Phraseologiam qua quis dicitur *in sinum Abrahæ* deportatus, *à veterum Convivantium discumbendi ritu* esse desumptam. Notum est ex antea allatis principem sive primariam in quovis convivio personam, principem & palmarium quoque occupasse locum, & in istius primo loco accumbentis sinu secundum ab hoc recubuisse, non potest non esse cognitum: jam vero *dubium non est, quin inter pios omnes* (verba sunt Grotii in h. l.) *Judæi τῷ ἐθνοπάτορι principem attribuerint locum*, atque adeo illum quem cœlestibus dapibus atque Convivio agni interesse, indigitare voluerint, in *Sinum Abrahæ* deportatum dixerint. Hanc nostram sententiam, quam paucis saltem lineis in hoc paragrapho explicare voluimus, nunc primo quidem Scripturæ, dein vero insignium Virorum autoritate, suffulcire conabimur.

§. 7. Ex Scriptura S. hoc nostrum assertum probaturi duo inprimis hac vice in medium producimus loca. (1.) Matth. 8: vs. 11. ubi Servator noster gaudium æternæ vitæ descripturus, utitur similitudine à conviviis desumpta, & æternam beatitudinem sive regnum cœlorum comparat cum lauto & opulento convivio, in quo principes quidem personæ futuræ Abraham, Isaac, & Jacob aliique sanctitate in hisce terris celebres Viri: sed & alios ex Ethnicis ad hoc convivium convocandos, & una cum Abrahamo &c. ibi discubituros addit. Verba hæc sunt: λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. *Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Jacobo in regno cœlorum*, conf. cum loco Parallelo Luc. 13: 29. (2) Luc. 22: 30. Ubi ὁ Σωτὴρ dignitatem illam maximam, & incomparabilem, quam in regno cœlorum experturi aliquando sint, gloriam, Apostolis repræsentaturus, promittit ipsis accubationem sive ἀνάκλισιν, nec solam ἀνάκλισιν: sed etiam ipsam fruitionem spiritualium bonorum, quæ per edere & bibere sive per cibum ac potum in regno cœlorum, exprimuntur. Verba hæc sunt κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, βασιλείαν. ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. *Ego vero paciscor vobis, prout pactus mihi est Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo.* Hisce addimus exemplum illud accubationis epularis in ultima Paschali cœna, ubi Johannes dicitur recubuisse in sinu Christi, de quo vid. sup. Sect. 1. §. 12, 13.

§. 8. Hæc itaque nunc saltem Scripturæ S. dicta afferre lubet, jam quomodo nostræ patrocinentur sententiæ videamus. (1.) Itaque hoc certum atque indubitatum ponimus, quod regnum cœlorum comparetur cum convivio, neque ut id probemus opus fore existimamus, cum expressa verba in dictis jam allegatis extantia, manifestum satis id reddant. Nec enim adeo absurdum aliquem fore nobis imaginari possumus, qui, de convivio communi, sive tali in quo esca & potus ad saturitatem imo luxuriam atque voluptatem aliquando Convivis distribuitur, isthæc dicta explicare auserit, cum Regnum Dei non sit esca aut potus, conf. Rom. 14: 17. Atque adeo hoc tanquam fundamentum firmum statuimus, quod omnia illa loca in quibus vita æterna sub externa convivii forma describitur: non sint proprie: sed allegorice intelligenda, & quod Spirit. S. gaudium illud ineffabile vitæ æternæ, quod nec auris unquam audivit, nec oculus vidit &c. 1 Cor. 2: vs. 9. ita exprimere volens ut & imbecillis hominum intellectus illius magnitudinem aliquatenus percipere posset, similitudine à Conviviis desumpta utatur, & sic indigitet omnes pios in regno cœlorum cum Sanctis Patriarchis accubituros ac æterno convivio, Nectare atque Ambrosia æternum fore reficiendos. In isthoc convivio nunc (2.) Abrahamo tanquam Patri omnium credentium primum & principem tribuimus locum, atque illum quasi Seniorem imo Patrem familias in regno cœlorum constituimus. Cur non Adamo tanquam Protoplasto iste honor tribuatur prolixe commentatur *Barradas l. sup. c.* aliique. Inde (3.) Abrahamo adjungimus in isthoc convivio omnes initio Patriarchas, ac omnes quoque illos qui *feliciter sunt defuncti, &, ut loquuntur Græci,* τῆς αἰωνίου καὶ μακαρίας τυχόντες λήξεως, hos, inquam, omnes cum Patriarchis ac inprimis cum Abrahamo tanquam inter Patriarchas primo *discumbere sive* ἀνακλίνεσθαι *scriptura affirmat, quemadmodum sapientem suum Stoici* μετὰ Θεῶν ἑστιᾶσθαι *cum Diis convivari, dicunt. Conf. Heins. in Exercit. Sacr. L. III. cap. 14. p. m.* 181. Observamus jam (4.) In isthoc cœlesti epulo illi qui dilectissimus atque resp. cæterorum accumbentium honoratissimus habetur, assignari quoque summæ dilectionis locum; Is vero locus erat in Sinu Principis, sive in sinu honoratissimi atque supremum locum occupantis. In ultima Paschali cœna Johannes discipulus ille ὃν ἠγάπα ὁ Κύριος recumbebat in Sinu Servatoris, summum locum insidentis; in cœlesti illo epulo sive convivio summum quidem locum insidet Abrahamus, at quis in Sinu Abrahami? is qui dilectissimus, & resp. cæterorum honoratissimus. Qui vero in altera vita erit honoratissimus? Qui hac in vita miserrimus, pauperrimus, abjectissimus & vilissimæ fuerit conditionis homuncio, dummodo in vera & Abrahamitica in Christum fide obdormiverit, erigetur è pulvere, è sterquiliniis, elevabitur, Dominus DEUS noster Jehovah cujus gloria omnes cœlos superat, exaltabit ipsum, & facturus est ut discumbat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui, cum Patriarchis &c. imo collocabit ipsum in sui regni loco honoratissimo, qui est Sinus Abrahæ. Quis est par Jehovæ DEO nostro? Psal. 113.

§. 9. Atque adeo istam loquendi formulam, qua pii in Domino obdormientes dicuntur in *Sinu Abrahæ* deinceps *recumbere*, originem suam à veterum *accumbendi more* traxisse statuimus, indeque concludimus esse *in sinu Abrahæ*, nihil significare aliud, *quam primariam atque præcipuam in regno cœlorum dignitatem, qua quis proxime Abrahamo tanquam Patri credentium, in cœlesti illo & mystico epulo jungitur, atque exinde quasi in sinu sive in amplexibus Abrahami recumbere dicitur.* Hoc, prout hactenus Scripturæ S. dicta evidens fecisse nulli dubitamus, sic & nunc licet paucis, illustribus

tamen insignium Virorum autoritatibus sive testimoniis potius illustraturi sumus. *Nyssenus* (citante Heins. in Exercitat. Sacr. l. cit.) *Libro de vita Mosis inter cetera nonnulla, quibus vitam Sanctis destinatam denotari ait,* εὐφροσύνην ἐπιτραπέζιον *καὶ* πατριάρχου κόλπον *hilaritatem mensæ, & Patriarchæ sinum, ponit.* Conjungit Convivium & accubitum, illius hilaritatem, hujus summam dignitatem. Egregium sane pro nostra sententia argumentum. Cœleste gaudium descripturus: dicit: εὐφροσύνην ἐπιτραπέζιον. Talem & adhuc multis vicibus majorem fore ibi lætitiam, quam in opulentissimo, lauteque instructo possit esse convivio. Honorem, quem experturi sunt omnes sancti, adumbraturus, illis adjudicat πατριάρχου κόλπον locum non solum honoris: sed & dilectionis summæ, Patriarchæ scil. sinum. Cum Patriarchis & quasi in sinum Patriarcharum capita reclinatos, æternum agni epulum illos dicit celebraturos. Nec penitus quoque hæc sententia videtur *Cappello* (*Jacobo*) improbata, qui *in Observat. in N. T. pag. 36. in h. l.* hæc habet verba: *Vel deferri in sinum Abrahami est admitti ad discubitum cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo in regno cœlorum, quibus verbis describit Christus Matth. 8:11. felicitatem illam, qua fruituri sunt fideles, utut ex gentilibus oriundi, cum Judæi qui se regni filios esse gloriabantur, ejiciendi sint in tenebras exteriores: Et pulchre sane Heinsius* sæpe laudatus *in Exercitat. Sacris* pro nostra sententia disserit, ubi dicit: ἐν τῷ κόλπῳ sive *in sinu Abrahami* i. e. *proximum illi, quo eximia defuncti probitas felicitasque denotatur,* & paulo post: *Qui proximi in mensa accumbunt* ἐν τῷ κόλπῳ ἀνακλίνεσθαι *recumbere in sinu etiam in Sacris dici, nemo nescit. Unde Euangelista quartus ordine, argumenti ac dicendi sublimitate maximus,* ἐγκόλπιος κυρίου *dicitur. Est igitur ellipsis, quales sacræ literæ inprimis amant:* ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ: *nempe* ἀνακλινόμενον. *Epulo, qui epulari perpetuo solebat, mendicum epulantem, & quidem proximum in regno Dei Abrahamo, h. e. in sinu ejus, videt: ipse jam mendicus & egenus aquæ qua rigari sese poscit.* Tacemus nunc testimonium *Barradæ* supra citati *qui Tom. IV. Libr. II. cap. XII. Comment. in Concord. & Histor. quatuor Euangel. pag. 46.* hæc addit: *Helluo qui quotidie epulabatur splendide neque micas Lazaro dabat, Abrahamum vidit & Lazarum infra eum in sinu epulantes, guttamque petivit aquæ ex opiparo convivio, &c. &c.* Tacemus alios insignes scriptores, quos pro hac nostra sententia afferre licebat, & his *Heinsii* verbis commentationi nostræ de *sinu Abrahami* colophonem imponimus: *Omnia* κατὰ ῥῆσιν καὶ ἀλληγορίαν *conveniunt, ut de sensu dubitandum non sit.* Sed hæc nostra hac de re sententia; Alii sentiant aliter, suam cuique voluntatem relinquimus liberam; Tibi interim, summe DEUS! pro præstito in hujus quoque materiæ elaboratione, auxilio, devotas grates agimus, Tibique soli, nil curaturi aliorum tenebrionum insidias, studia nostra commendamus. Tu cuncta sic dirige, ut Nominis Tui gloria, sit nostrarum actionum omnium scopus, meta &

FINIS.

M. JOH. CHRIST. ARTST

DISSERTATIO

De lachrymis Christi ad Luc. XIX: 41.

A & Ω

PRÆLIMINARIA.

§. 1.



CHRISTI LACHRYMAS non commemoratione tantum, sed & admiratione summa dignas esse, nemo Christianorum inficiabitur. Sive enim quis Subjecti qualitatem, sive causarum, aut effectus gravitatem consideret, habebit, quod mirari utique, & rimari nunquam satis possit. Equidem de vulgari fœminarum plebecula notum est illud Ovidii:

Ut flerent oculos erudiere suos.

Ast cum Heroum admodum raræ sint, & Romæ quondam lachrymæ in amicorum funeribus profusæ cum cura fuerint collectæ, multo magis Salvatoris nostri optimi lachrymarum rivus ex purissimis non oculorum tantum, sed cordis ejus clementissimi scatebris promanans, piis meditationibus dignus erit. Hæ lachrymæ sunt instar limpidissimi perspicilli, quo intima mentis ejus penetralia scrutari & contemplari quis potest; ut adeo nemo nobis vitio vertere queat, si, temporis habita ratione, divinum Salvatoris imbrem perbrevi διασκέψει pie illustrandum suscipiamus.

§. 2. Cæterum ut Christus nunquam risisse, ita non semel flevisse legitur. Sed, *quoties Christus fleverit?* certant Interpretes, & adhuc sub judice lis est. *Robertus Holcoth*, Scriptor Anglus, professione Dominicanus, Lect. 88. in Libr. Sap. septies Christum flevisse asserit (1) *in Nativitate, ubi primam vocem emisit plorans*, Sap. 7: 3. (2) *in Circumcisionis dolore*, quod probare conatur ex Hebr. 2: 17. (3) *in Hierosolymæ civitatis compassione*, Luc. 19: 41. (4) *in Lazari resuscitatione*, Joh. 11: 35. (5) *in Judæ proditione*, quod colligit ex Johan. 13: 21. (6) *in Agone in horto*, Luc. 22: 44. & (7) denique *in ara crucis*, ex Ebr. 5: 7. Sunt alii quaternarii numeri patroni, qui Christum (1) *in Nativitate*, juxta hymnum Ecclesiæ: *Vagit Infans inter arcta conditus præsepia*: (Sed infantum vagitum non esse fletum multis docet Johannes Talentonius in Thesauro Rerum recondit. Libr. 1. cap. XXII.) (2) *in Resuscitatione Lazari*, (3) *in ingressu regio Hierosolymorum*, & (4) *in cruce flevisse dicunt*, & sententiam suam, ne omni probabilitate destituta videatur, illustrant simili: *Sicut*, inquiunt, *quatuor flumina totum hortum paradisi irrigarunt, ita quatuor flumina ex corde Christi prodierunt, quæ universam Ecclesiam irrigarunt, à peccati sordibus abluerunt, ac contra minutas concupiscentiæ flammas refrigerarunt.* Vide Hildebrandum Disput. de Lachrym. Christi §. XIX.

§. 3. Nos priores quidem sententias non hæreticas esse censemus, aut plane rejiciendas, quia tamen Sacer Codex ter tantum lachrymarum benedicti Salvatoris nostri expresse meminit, puta *in Resuscitatione Lazari* Johann. cap. 11: vs. 35. *in Ingressu regio Civitatis Hierosolymitanæ*, Luc. 19: 41. *In ara Crucis*, Hebr. 5: 7. reliquos ejus fletus missos facimus, & ternarium illum numerum assumimus. Eas duntaxat hac vice, *quas in compassione Hierosolymæ civitatis large effudit*, occasione nuperæ Dominicalis Pericopæ ex Luc.

ex Luc. 19:41. paulo fusius delineaturi. Nolumus autem præliminaribus diutius immorari, & de Lachrymis in genere multa præmittere, ne, cum id Autor modo laudatæ Disputationis, de Lachrymis Christi abunde præstiterit, actum agere videamur. Quin potius textum propositum in Subjectum, atque Prædicatum divisuri, duobus membris (adjectis porismatibus) pertractabimus. Faxit DEUS feliciter!

Textus Originalis:

Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ.

Versio Vulgata:

Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.

Versio Tremellii, & Junii:

Et ut appropinquavit, visa urbe flevit super ea.

Germanica Lutheri:

Und als Er nahe hinzu kam / sahe Er die Stadt an / und weinet über sie.

MEMBRUM PRIMUM.

De Subjecto Textus.

§. I.

LAchrymas emittens est θεάνθρωπος, verus DEUS, & verus Homo. Hoc Orthodoxis olim quibusdam non ad palatum erat, unde & verbum ἔκλαυσε manu temeraria expunxere ex quibusdam codicibus. Ita enim Epiphanius ἐν Ἀγκυρωτῷ suo (Græco pag. 482.) Ὀρθόδοξοι, inquit, ἀφείλαντο τὸ ῥητὸν (ἔκλαυσε) φοβηθέντες, καὶ μὴ νοήσαντες τὸ τέλος, καὶ τὸ ἰσχυρότατον, Timuerunt quippe Christo infirmitatem, animique dolorem tribuere, quia fletum male intellexerunt.

§. II. H. Grotius causam tantæ temeritatis rimatus, ita scribit: Causa mali erant præconceptæ quædam opiniones ex humanæ sententiæ scitis. Stoicorum illud erat: *Sapiens neminis miseretur.* Tollit enim ea Secta affectus de humana natura. Peripatetici paulo sapientius moderandos affectus censebant, & in vitio esse, *quicquid est nimium.* Ast recte (Magnif. Dn. D. Scherzeri judicio Progr. xxx. p. 392.) subjicit, si rem ipsam, & divinam voluntatem in Sacris literis libeat audire, nos inventuros, Stoicorum quidem sententiam plane rejiciendam; Peripateticorum autem non nihil corrigendam esse. *Affectus* enim (ut Lactantius Lib. VI. Inst. c. 15. perspicue satis ostendit) *neque evellendi sunt cum Stoicis* (id enim est vim inferre naturæ & hominem ad immobilem mentis stuporem pertrahere) *neque semper temperandi* cum Peripateticis, *sed in viam veram redigendi.* Quod Gerhardus, aliique Theologi ex professo discutiunt. Interea minus orthodoxa erat crisis illorum alias orthodoxorum; imo inepta, cum non solum supra adductis reliquis in locis Christum flevisse legamus, aliaque exemplaria ἀδιόρθωτα i. e. manus criticas nondum passa, manserint, sed & Syra, Arabs, & Vulgata versio luculentum præbeant de Lachrymis Christi, Luc. 19. testimonium. Addere mus Drusii argumentum, quo ab Angeli fletu (Os. 12: 4.) concludit ad Christi lachrymas, nisi Jacobum potius, quam Angelum ibidem flevisse jam constaret.

§. III. Flevit igitur Christus θεάνθρωπος, non φιλάνθρωπος, *atque ex ipsius Dei oculis lachrymæ erupere, quia DEUS in proprio corpore fuit lachrymatus.* Equidem & hoc DEI perduelles Judæi, & Ariani male perceperunt, impieque exinde Christi ὁμοούσιον, & Divinitatem negarunt, referente Athanasio (Tom. I. Oper. Orat. 4. contra Arianos f. 290.) dicentes: *Illum, qui lachrymatur, non posse Filium DEI esse, quomodo enim ille aliquid timeat, qui corporis mortem timere prohibuit?* Sed nervose postea respondit Athanasius l. c. *lachrymari non esse proprium naturæ verbi, inquantum verbum est, sed eatenus, quatenus verbum in carne erat, quæ istiusmodi affectus patiebatur.* Vide pluribus supra citatum Magnif. Dn. D. Scherzerum in Programm. xxx. p. 394. seqq. de his disserentem, ac Athanasium à mendaciis Calvinianorum vindicantem. Nec Hilarius, & Asseclæ ejus, Christi humanam naturam propter unionem personalem nullis obnoxiam fuisse passionibus, asserentes; adeo recte sensere, cum Augustinus Lib. XIV. de Civ. Dei c. IX. scribat: *Christus humanæ conditionis infirmitates ita suscepit, ut non ex inevitabili necessitate naturæ, quam prohibere nullo modo potuisset, ei competerent, sed tantum certæ dispensationis gratia.*

§. IV. Status, in quo flevit, fuit Κενώσεως, non ὑπερυψώσεως. Nam primi parentes, si sub observantia legis durassent, lachrymas nunquam emissuri fuissent, utpote cariturі lachrymarum proritamentis. Unde nec Christus in statu Oeconomiæ, qui duravit à resurrectione usque ad adscensionem, lachrymatus est, nec jam in statu plenissimæ ὑπερυψώσεως lachrymas fundit. Fudit eas in statu κενώσεως, in quo etiam exinanitus fuit forma Dei tranquillissima, serenissima, beatissima, & econtra assumsit formam servi afflictissimam, turbatissimam, miserrimam, tristissimam, Philipp. 2: 6, 7. vide *Dorscheum Synops. Theol. Zach. c. 9. Dissert. 12. p. 295. Flevit non solum Deus, sed etiam homo.* Lachrymis enim Christi tollitur suspicio (quæ delirantibus alias Manichæis, ac Marcionitis fuit) phantasmatis. Nam sicuti *homini, unianimantium, lachryma & luctus datus est*, (Plinius in Præfat. L. 7. H. N. Conf. Hilarius Lib. 2. de Trinit.) ita quoque non potest quisquam eo capite gloriari, cujus naturam Christus non assumsit. Leo Magnus Epl. II. ad Julian. p. 107.

§. V. Tres autem Euangelista Historicus adscribit in textu Christo θεανθρώπῳ actus, & quasi gradationem Logicam instituit, dicens: ipsum *appropinquasse, vidisse, & flevisse.* Priores duo non incongrue ad Subjectum referri, & tanquam adjuncta Ejus considerari possunt, ita, ut unus *locum*, alter *tempus* aliquo pacto subinnuat, tertio ad secundum Membrum reservato.

§. VI. Locum subindicant verba: καὶ ὡς ἤγγισεν, ubi particula καὶ (quæ h. l. non adversativa causalitatis, sed τακτικὴ est, ac ordini demonstrando inservit) tacite nos remittit ad priores historiæ de Ingressu Christi Regio circumstantias. Resuscitarat amantissimus Salvator è mortuis Lazarum, hocque ipso miraculo prorsus inaudito magnam populi Hierosolymis ob instans Paschatos Festum congregati copiam sibi in occursum rapuerat; En! asinæ insidens inter læta populi jubila, piasque acclamationes, quibus Deum laudabant, Christo felix imperium apprecabantur, sibique de diu desiderato Messia tripudiantium instar gratulabantur, Oliveti montem superat, & murmur Pharisæorum quorundam præ ira fere frendentium, quod Jesus pro Messia se exclamari pateretur, indeque impudice, ut ipse silentium suis comitibus imponeret, poscentium, digne retundens, jam *ad torrentem Kidronem*, Urbem ac Oliveti montem interjacentem, descendit, ἐν καταβάσει autem, sive in hoc descensu flevit.

§. VII. Locus quidem specialior vix ostendi potest, ast generalior notari utique meretur. Fuit enim ille *mons Oliveti.* Oleum alias misericordiæ signum est. Quod ergo Salvator in hoc monte lachrymas emittit, indicium est, ex serio & sincero commiserationis affectu eas profluere. Distabat hic mons ab urbe, juxta Lucam Euangelistam *itinere Sabbathi*, Actor. cap. 1: 12. quod quidem spacium à diversis diversimode definitur. A Buntingio per *dimidium milliaris*, ab Euchario apud Sigonium lib. 5. de Republ. Hebr. per *mille passus*, & à Josepho Antiquit. Lib. 20. c. 6. §. 12. per *quinque stadia.* Fuit nempe idem locus, ubi, teste Hieronymo, Vaccæ rufæ sparsi olim sunt cineres; fuit idem locus, ubi Romani postea castra metati sunt sua. Confer. Josephus lib. 6. de Bell. Jud. c. 3. Fuit idem locus, quo fugam suam flens instituit David, cum à filio Absolone regno privatus, & in exilium pulsus, *typum Christi præbuit egregium.* Sicuti enim ob inobedientiam filii, & imminentem à DEO pœnam lachrymatus est David 2 Sam. cap. 15: 30. ita & Christus, ob degeneres Solymorum filios dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos*, Luc. 19: 14. totus hic solvitur in lachrymas. Cætera comparationis membra sicpede h. l. transimus.

§. VIII. Licet ergo Euangelista mox post lachrymabiles voces Christum in templum introducat, non tamen inde concludendum, ac si in urbe flevisset, sed ὡς ἤγγισεν, inquit textus, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσε. Quanto propinquior ipse ad urbem, tanto propior accessit dolor ad animum ejus, tetigitque cor clementissimum, ut inde lachrymas non pro Se, sed pro aliis funderet, atque immiscendo eas oleo, collyrium efficeret cœcutientibus Judæis.

§. IX. Tempus Particula ὡς (quæ hic non similitudinis, sed tempus determinans particula est) aliquo modo designat, quæ (uti ex §. præced. VI. constat) indigitat, fletum hunc factum esse *eodem die ingressus, quo Christus ultima vice se Sionis Regem sistebat*, & quidem *Anno ætatis suæ XXXIII. & ministerii tertio, die quinto ante Pascha*, procul dubio *horis antemeridianis*, quia circa eandem diei vesperam in Bethaniam rediit. Vide Buntingii Itiner. fol. 27.

§. X. Erat ille dies *Sabbathum Palmarum*, (quo tempore Judæi Salicum fluvialium, cedri, item palmarum, myrti, aliarumque arborum ramos in fasciculum connectebant, uti ex Targum Esther probat Dietericus in Anal. Evangel. Dom. 1. Adv. p. 17.) dies lætitiæ ubi tacentibus hominibus, lapides clamare, ac Messiam jubila voce excipere debuissent. Quare mirum cuidam videri posset, quod tam disparem reliquis Christus sonum ediderit, atque ex eo die, diem tristitiæ effecerit? quod Christus materiam gaudendi præbuerit, ipse vero lachrymatus sit? sed rationem suggerit venerandus noster Gerhardus. *Singulari*, inquit, *consilio tunc deflevit urbis excidium, quando publico populi applausu honorifice excipiebatur, ut majorem prophetiæ suæ fidem conciliaret. Nam si prius flevisset, & excidium prædixisset, quando cives Hierosolymitani ipsum persequebantur; vel si postea flevisset, quando ab illis captivus ducebatur, videri potuisset, non tam vere dixisse, quam iracunde, & comminatorie, non ex studio salutis, sed ex cupiditate vindictæ.* Videatur Harmonia Evang. in h. l.

§. XI. Et hoc ipsum tempus erat gratiosæ visitationis, qua salutem Judæorum quæsivit, ut θεάνθρωπος, regio ingressu Messiam se exhibens, *sed lachrymantem*, de quo nunc Membro sequenti dicendum.

MEMBRUM SECUNDUM

Perædicato Textus.

§. I. FLevit igitur Christus θεάνθρωπος appropinquans, & urbem videns. Sed quid? aut quomodo? Hoc indicant sequentia verba: Ἔκλαυσε ἐπ' αὐτῇ scil. πόλει, ubi posterius ἐπ' αὐτῇ *Objectum & Causas* involvit, prius ἔκλαυσε, *Modum & Qualitates* fletus insinuat.

§. II. Causas lachrymarum quod attinet, illæ non fuere (α) *Gaudium*, sicuti forte Josephus flevit, Gen. 45: 2. Si enim hoc assereremus, nil saniores essemus D. Hurtado, qui *Christum in horto* Luc. 22: 44. seq. *præ nimio gaudio sanguinem sudasse deliravit* Disp. de Deo Hom. LXXV. Sect. III. citatus, & correctus propterea à Magnif. Dn. D. Scherzero in Disput. de Oraculo Messiæ §. 75. Nec (β) *Ira*, ceu Imperator ille Turcicus, qui, ubi Johannem Corvinum, Hungariæ Regem, ex hac vita discessisse audivit, quia tot cladium vindictam sumere ab eo non posset, flevisse dicitur. Sed (γ) *Dolor*, isque (δ) *non per timorem mortis* ipsi post pentiduum imminentis contractus; quomodo enim mortem timeat, qui vita ipsissima est, & aliis vitam dedit? aut qui cruciatus acerrimos defleat, qui voluntatem Patris lubenter facit, juxta Ps. 40: 19. *nec* (ε) *ex dolore* ob egestatem, qua asinæ insidens, eæque commutatæ regium celebravit ingressum, *sed* (ξ) *ex compassione paterna* ortus.

§. III. Hasaël quondam videns Elisam prophetam flentem, ex ipso quærit: *Quare Dominus meus flet?* 2 Reg. 8: 12. Quod si & nostrum quis ita quærat, parata est responsio:

Mortales quoniam sua crimina flere recusant,
Salvator totus solvitur in lachrymas.

Nam ne fingeremus falsam lachrymarum causam, (inquit Gerhardus in Harm.) *ideo diserte dicit, quod fleverit* (non super se, sed) *super civitatem*, hoc est, *propter civitatem*, uti recte nonnulli hanc phrasin exponunt. Confer Gen. 37: 34. Hanc ἰδὼν Jesus deflevit. Aspectus enim Urbis tantam doloris materiam Redemtori suppeditabat. Nam sicuti oculo omniscientiæ malum urbis tum culpæ, tum pœnæ vidit; ita utrumque ardentibus lachrymis deflevit.

§. IV. Malum culpæ tantum fuit, ut Egesippus hanc Urbem (Hierosolymam, quæ κατ' ἐξοχὴν per Synecd. πόλις dicitur) *sentinam omnium flagitiorum* vocare non erubescat L. 4. c. 6. Possemus integrum Decalogum percurrere ac ostendere, quanta impietate omnia præcepta divina scelestè violaverint Solymitani, ast brevitati litaturi ex multis pauca, & præcipua tantum adducamus.

§. V. Fons, & Mater omnium peccatorum fuit *cœca Securitas* illa, qua in quamvis aurem secure dormiebant, nihil de Salute sua solliciti, aut vindictam divinam morati. Quidquid enim faciebant, impune & licite se facere opinabantur. Hinc (1) *Sabbathum, ac templum profanabant*; etiamsi Dominus dixerat: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, Exod. 20: 8. Quare Christus illud pessimum commercium, quo Sacrificia in ipso Dei habitaculo vendebant ac emebant, è templo voce severa, & manu flagellante exterminavit. Matth. 21: 12. (2) *Homicidia, & interneciones creberrimas accumularunt*, contra illud: *qui hominum sanguinem profundit, illius sanguis vicissim profundetur* Gen. 9: 6. Item *Maledictus, qui proximum clam interficit*, Deut. 27: 24. De quo crimine Salvator queritur; *O Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis prophetas, & lapidibus excipis, qui ad te missi sunt, quoties colligere te volui &c.* Matth. 23: 37. Atrocissima vero, & omnium maxime deploranda erat conspiratio illa, qua sanguinolenta consilia contra ipsum Salvatorem meditabantur. Hæc clare prævidens, ipse acerbe deflevit (3) *Voluptatibus omnis generis, ut & scortationibus maxime erant dediti*, quorsum procul dubio illa parabola de divite helluone, Luc. 16: 19. spectabat; Exemplum libidinis habemus in muliercula illa, quæ in adulterio deprehensa coram Domino sistebatur, Joh. 8: 3. Quid? Ipse Herodes incestuose fratris Philippi uxorem duxerat, & in matrimonium acceperat, quod publice taxabat Johannes Matth. c. 14: 14.

§. VI. Præter jam recensitas, Scriptores Ebræorum, multas alias adduxere interitus urbis (ac proinde Lachrymarum Christi) causas. Vel enim juxta illos in *Schabh.* fol. 119. *vastata est Hierosolyma propter profanationem Sabbathi*; *vel, quod omiserint recitationem Phylacteriorum mane, & vesperi*; vel, *quod neglexerint educationem puerorum in Schola*; vel, *quod non fuerit verecundia hujus erga illum*; vel, *quod mutuo se non reprehenderint*; vel *quod despexerint discipulos Sapientum*, &c. De quibus vide Joh. Lightfootum Horis Hebr. ad Luc. 19: 44. fol. 875. Sed quamvis peccata Rabbinis reprehensa ab Hierosolymitanis non plane removeamus; Illa tamen certissima nobis erit excidii hujus causa, quam ipse Salvator tradit, nempe *summa illa, in securissima cœcitate, pertinacia* qua nullis miraculis, nullis precibus, nullis increpationibus corda adamantina emolliri, & in meliorem viam frugemve reduci, convertique, nec eo adduci potuere, ut tempus gratiosæ visitationis agnoscerent. Sic enim inquit Salvator: Ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ, hoc est, *Si vel tu scires, cui vel maxime scire convenit, vel saltim hoc ipso die tuo, quo ego Salvator tuus advenio, ac me præsentem sisto, hoc die gratiæ, qui vobis lucet; Sequetur enim nox, in qua non poteritis salutem vestram amplius operari*, Joh. 9: 4. c. 12: 35, 36. hoc die vestro, qui vobis ultimam occasionem offert ad Salutem, & peculiariter dies tuus, O Jerusalem, dicitur, ut salutem à Deo tibi datam, scil. me esse Regem tuum & Messiam agnosceres (ceu concinne exponit B. Glassius Lib. 3. Gramm. Sacr. Tr. 7. can. 4. p. m. 805.) sed nunc est, manetque coram oculis tuis absconditum, quia collyrium non pateris.

§. VII. Deflens ergo tot annorum frustra impensum conversioni laborem, flevit, quia flere ipsi noluerunt. Consummatam flevit, inquam, Judæorum pertinaciam, qua semper pejora moliebantur; Imo eo perversitatis ventum erat, ut Josephus, Rerum Judaicarum certissimus & approbatissimus testis scripserit: *Impietatem hujus urbis in tantum succrevisse, ut Sacra omnia pro ludibrio habita, cædes virorum, & fœminarum injuriæ pro ludo habitæ, belluinæ voluptates pariter, ac sacrilegia adeo communia fuerint, ut putaret, si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmen, ac Sodomorum incendium passuram.* Hæc, Hæc Domino lachrymas elicuere, hæc expresserunt.

§. VIII. Quantum vero fuit Hierosolymorum culpæ malum, tantum & pœnæ fuit; idque partim *temporale*, partim *æternum*.

§. IX. De Πανολεθρίᾳ urbis, quam oculo omniscientiæ Dominus prævideral, ita in textus sequenti versiculo 44. (juxta quosdam ὑπερβολικῶς) ait: Καὶ ἐδαφιοῦσί σε, καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοὶ· καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ Urbs Hierosolyma omnibus dignitate ac splendore anteferenda fuit, qualitates ejus erant omni laude deprædicandæ. Fuit enim [ut ἐν συνόψει præcipuas hic sistamus] antiquitate venerabilis, regia sede nobilis, templo, ædibusque ad miraculum usque adornatis magnifica, aëris temperie commoda, & habitabilis, arte, & natura excellenter munita, præside ipso Deo per totum terrarum orbem celeberrima, splendore, insuper incomparabili structura, ac nunquam interitura gloria omnibus præponenda, adeo, ut non immerito discipuli admirabundi ad Servatorem de Templi fabrica dixerint: *Magister, aspice, quales lapides, & quales structuræ*, Matth. 24: 1. Marc. 13: 1.

§. X. Sed quemadmodum *ea fati lex est, ut nunquam rebus summis datum sit, stare diu*; Ita decreverat Deus tantarum rerum cumulum uno die per manus Romanorum penitus diruere, *inquit* Cunæus de Republ. Hebr. lib. 2. C. 15. pag. 197. Inprimis autem tribus malis epidemicis lectissima urbs periit, quæ se invicem, ut fidelissimæ

sociæ

sociæ ut plurimum sequuntur, videlicet λιμῷ, λοιμῷ, καὶ πολέμῳ.

§. XI. De fame atrocissima scribit Josephus, quod tanta fuerit, *ut* [quia incendia creberrima, sævissimaque ædes frumenti absumserant omnes) *milites*, *sicubi viderint domum*, *eos*, *qui intus erant*, *cibum capere suspicati*, *statim ruptis foribus irruere*, *victumque jam dentibus maceratum*, *contusumque ex gutturis faucibus homines strangulantes revocarint*, & *quia horrenda auditu quisque passus est in unius panis confessione*, *acerbissimi inventi sunt à militibus cruciatus*, *dummodo alimenta reperirent.* Procul dubio eo ventum erat, ut non inepte applicari hic ea possent, quæ Gramondus Histor. Gall. pag. 776. de Rupellæ calamitate edisserit, dum uxorem Domusnovani hunc in modum loquentem introducit: *Mures*, *canes*, *equos*, *dira in ventrem necessitate comedimus*, *quid aliud superest*, *quam ut humanæ carnis esu memorabile posteritati faciamus Guitonis nomen*, *cujus æternitati studemus omnes? Ille memorabitur cum laude*, *qualem meruerit effrænis patientia*, *silebimur nos: nec vita amissa reparabitur*, *etsi vehementer laudabimur. Sed quid carnem in escam memoro*, *quæ desiit esse caro? Et id nobis solatium ademit dira fames*; *pelle arida circumducimur*, *omnes pellis* & *ossa sumus*, *nil ultra.* Imo tandem, Josepho teste, *tantum facinus mulier nobilis ac dives Eleazaris filia*, Maria, *fame*, & *iracundia impulsa*, *molita est*, *ut in propria sæviens viscera*, *filiolum lactentem occiderit*, *parteque cocta*, & *absumta reliquam militibus irruentibus objecerit*, &, *ut comederent*, *neque vel fœmina molliores*, *vel matre misericordiores essent*, *hortata est*; Verba cultrum jugulo filii applicaturæ ponit supra dictus Josephus Lib. VII. cap. 8. ita scribens: *miserum te*, *infans*, *in bello*, *in fame*, & *in seditione*, *cui te servavero? apud Romanos etiamsi vixeris*, *serviturus es. Fames autem prævenit servitutem*, *esto igitur mihi cibus.* Egesippus vero lib. V. Excid. urb. cap. 40. pag. 613. plenioribus verbis hanc lamentationem refert, qui inter alia & hæc ponit: *O mihi suavia viscera tua*, *artus jucundi*, *priusquam vos penitus consumat fames*, *reddite matri*, *quod accepistis: redi fili in illud naturale secretum*, *in quo domicilio sumsisti Spiritum*, *in eo tibi tumulus defuncto paratur.* Quod factum Titus Vespasianus (alias amor, & delitiæ generis humani dictus) ita ægre tulit, ac detestatus est, ut nefandum scelus ruina patriæ totius ulturum dixerit, nec passurum, ut amplius civitas Solis aspectu frueretur.

§. XII. Alterum malum erat λοιμὸς s. pestis horribilissima, qua plures enecti, quam potuerunt humari, ita, ut una duntaxat porta *quindecim millia* (Egesippo teste cap. 49. p. 648.) elata.

§. XIII. Accedit tertio origo præcedentium duorum malorum, Bellum s. πόλεμ☉, quod omnium crudelissimum, idque tam intestinum, quam externum. Intra civitatem defensores (quos mallem dicere deprædatores) magis cives afflixere, quam ipsi Romani obsidentes. Cædes enim, rapinas, & nefandas exercuerunt injurias. Hinc reformato ordine sacro, civitas in duas partes scissa est, & multis cædibus crudelissimis ultra sedecim millia occubuere. Mox oppidanis tertium Ducem Simonem in auxilium vocantibus, tertium accipiunt in eo Hostem, qua tripartita urbis societate cæsorum cadaveribus implebantur omnia, donec demum Romani irrupere, & destructis muris luctuosissima scena belli tragœdiam finivere. Nimirum urbe desolata, templum miraculum non tantum Orientis, sed totius mundi igne absumtum, & *ultra tricies centena millia*, vel ut alii volunt, *ultra tricies millena* millia hominum cadavera numerata sunt, cæteri ad triumphos, ad spectacula reservati, aut in mundi angulos sparsi sunt, veluti inanes paleæ. Quo exilio sine capite & regimine veluti canes ululantes in hodiernum usque diem oberrant sub imperio Romano, Turcico, Persico, & ubi ubi tandem nancisci possunt, latibula quærentes. Ita Deus justissimus par pari retulit, & rejectionem rejectione compensavit, exitusque proh dolor! abunde satis comprobavit, quod verissimus Vates dixerat: *non relinquetur lapis super lapidem*, dum aratris disulcata ejus terra est, teste Socrate lib. 3. c. 17. Hist. Eccles.

§. XIV. Hæc mala temporalia Christo tam triste præbuerunt spectaculum, ut magnus inde lachrymarum rivus genas ejus irrigaverit. Sed quid mirum hoc est, dum ipse Titus Imperator hostis lachrymas vix continuerit. *Cum enim eversa omnia dirutaque cerneret*, *ingemuisse dicitur cum dolore* & *defectionis succensuisse auctoribus.* Cunæus *de Republ. Hebr. lib. II. c.* 15. *pag.* 181. Maxime autem tot mille animarum deflevit exitialem & æternum interitum.

§. XV. Equidem absoluti & immutabilis decreti Patroni *saltem temporariam Christum deflevisse pœnam somniant*; sed argumentamur: Quicunque deflet neglectum gratiosæ visitationis Judæorum, is deflet æternum eorum interitum. Atqui Christus. Ergo. Minor est Luc. 19: 44. Major probatur exinde, quia iste, *qui negligit gratiosam visitationem h. e. ad pœnitentiam*, & *fidem in Christum vocationem*, est æternum damnatus, juxta Christi parabolam Matth. 22: 14. Christus ergo damnabilem illam pervicaciam in Hierosolymitanis deflevit, qua excœcatis oculis videre noluerunt ea, quæ ad pacem tum temporariam, tum æternam potissimum, & apprime facerent, scil. Messiam principem pacis, pacem cum Deo afferentem, & sub alas suas colligere Judæos volentem. Flevit etiam sanguinem suum iis in pœnam & justissimam damnationem futurum, quem ut salutarem effundere iis apparuit. *Hoc tot mille animarum à cœlesti Hierosolyma exilium*, *ingentem dolorem*, & *hunc lachrymarum imbrem apud Salvatorem causatur.* Quem ut paulo prolixius consideremus, qualitates lachrymarum expendendæ ansam dabunt.

§. XVI. Lachrymæ à Philosophis definiuntur, quod sint *humor serosus ex oculis expressus comprimente partes eorum frigore in tristitia*; Alii Lachrymas *excrementum esse* dicunt *cerebri aqueum*, *quod excoctione cerebri in oculorum glandulas detruditur*, & *ex iis per constrictionem foras propellitur*: Utraque definitio de Christi Lachrymis omnino dici potest, quamvis posterior aliquantum clarior videatur.

§. XVII. Fuerunt autem illæ lachrymæ (I.) *Sympatheticæ.* Sicuti enim *lachrymæ sunt legati doloris* (Cyprianus Lib. II. Epl. 72.) ita misericordiæ Christi viscera ostenderunt, estque iisdem testatus Salvator, *se nolle mortem peccatoris* Ezech. 33: vs. 11. Doloris subinnuit vehementiam vox ἔκλαυσεν (à κλάω, frango) quod fracta quasi, & ob singultum tertiata verba enunciaverit, quippe in sequentibus textum verbis: *Si cognovisses* & *tu*, & *quidem in isto die tuo*, *quæ ad pacem tuam pertinent*, *curares*, addita in versione est vox (curares) quæ in Græco legitur. *Sunt* enim *lachrymæ sanguis vulnerati animi*, ut loquitur Augustinus lib. 1. de Civ. Dei, quod Taubmannus ita effert:

Est animæ sanguis lachryma crede mihi.

Non habemus Sacerdotem, qui non commiserationem habere possit, sed qui ἐλεήμων, καὶ πιςὸς est, Ebr. 2: vers. 17, 18. Julius Cæsar hostis Pompeji abscissum caput videns ex compassione lachrymas effudisse legitur. Xerxes innumerum videns & selectissimum populum suum, flevit, quia post Seculum nullus eorum esset superstes futurus. Hic plus, quam Xerxes, aut ullus Gentilis, alius Christus φιλάνθρωπ☉ nempe, cujus heroicum cor tanta compassione (sed non præter voluntatem) subruitur, quæ non intra cordis cancellos manet, sed per lachrymas in publicum prorumpit. Sed unde tantus dolor? Cur

Lumina, *quot potuit*, *lachrymis implevit obortis?*

Ob tenellum scil. amorem.

§. XVIII. Adeoque fuerunt (II.) *Amoriflua.* Cum in funere Lazari, Salvator lachrymaretur, Ecce! dicebant (Joh. 11: vs. 36.) Judæi, *quomodo amabat eum?* Et in imminenti Hierosolymorum excidio nobis sic exclamare convenit: Ecce! quomodo amabat hanc Urbem! *Non enim solis oculis flevit*, *sed quasi membris omnibus flevisse videtur* ait Bernhardus Serm. III. de 5. diebus Process. Purissimæ profecto his sunt scatebræ. Ex paterno, & fraterno enim corde, tanquam ex limpidissimo fonte oriuntur. Non sunt *Sauliticæ*, 1 Sam. 24: 17. aut *Crocodilinæ*, quales hic admittere Calviniani coguntur, *quia Deum ab æterno maximam hominum partem per absolutum Reprobationis decretum damnasse*, & *interitum eorum voluisse autumant.* Sed ita hypocrisin Deo tribuunt. Si enim delectatur impiorum interitu, cur flevit Christus? Anne forsan ignotum illi fuit tale decretum immutabile? Arguo: Aut Christus serio, aut non serio flevit. Si serio, Ergo decretum Calvinianorum est non-Ens; Si non serio, hypocrita, aut (absit blasphemia dictis) crocodilo sævior est, quippe ille temporalem modo, hic æternum interitum fictis prosequitur lachrymis. Hoc subodoratæ Herodianæ illæ vulpes, dicentesque: *Se non fingere talem Deum*, *qui*, *ut sanguinarii Tyranni solent*, *hominum interitu delectetur. Quis enim hoc vel cogitet*, *qui Christum reprobæ gentis*, & *ad omnem impietatem devotæ urbis interitum lachrymis prosecutum fuisse audit?* verba sunt Rudolphi Gualteri Comment. in Luc. 19. Oper. f. 661. Homil. 176. confugiunt ad alia antiquorum Hæreticorum principia, multaque ad hæc excipiunt.

§. XIX. Omnes autem illorum Exceptiones ad duas classes redigi possunt. Quidam enim hic agi tantum *de interi-*

tu temporali, alii quod saltim *ut nudus homo fleverit*, asserunt.

§. XX. Exceptio (1) qua dicunt ob temporalem interitum flevisse juxta vs. 43, 44. jam supra in §. 13. abunde est refutata; addimus tamen & hoc: Quicunque non delectatur temporali Judæorum interitu (concluditur hic optime à minori ad majus) sed acerbis lachrymis illum deflet, ille multo magis æternum deflet; Atqui Christus, E. Ratio connexionis majoris hæc est, quia æternum exitium ineffabiliter majus est, & atrocius, quam afflictorum in hoc mundo interitus temporalis.

§. XXI. Excipit (2) Piscator ad Disp. D. Taufreri. pag. 40. *Deus interitum Judæorum deploravit sincere, ut verus homo, ad interitum destinavit illos juste, ut Deus, liberrimam habens in creaturas agendi potestatem.* E. hunc fletum non posse de divina voluntate testari. Ast respondemus (α) Piscatorem, & asseclas hoc ipso in castra Nestorii, Christum non ut θεάνθρωπον, sed ut nudum hominem passum fuisse asserentes, discedere. (β) Negamus, ut hominem tantum deplorasse, siquidem aliud supra in §. 3. & sequ. Membr. I. demonstratum est; & Athanasius Orat. IV. contra Arianos fol. 290. pulchre arguit: *Si Verbi erat caro* (cum Verbum caro factum sit) *necesse est, passiones carnis* (adeoque etiam lachrymas) *ejus quoque dici cujus caro est. Nam nisi quæ propria sunt carnis, Verbi dicerentur, nunquam plene ab illis homo liberatus fuisset.* (γ) Posito, sed non concesso, Christum ut hominem tantum flevisse, & deplorasse miserias Judæorum, aut flevit ob peccabilem quandam repugnantiam, qua humana obloquitur divinæ naturæ, aut ob majorem charitatem, aut ob decreti ignorantiam. Primum dicere est blasphemum, alterum repugnat Scripturæ. Nam quid propensius esse potest ad hominum dilectionem, quam Deus, qui est ipsa substantialis charitas, 1 Joh. 4: 8. Tertium pugnat cum Christi Omniscientia, utpote qui novit omnia, Joh. 21: 17. & Joh. 16: 30. *Secundum divinam naturam* φύσει. Nam non hodie solum, sed ab æterno Patri cooperatur, Joh. 5: 17. Sicut heri, & hodie cum Patre coexistit, Ebr. 13:8. Inde arguo: Quicunque omnia ad extra cooperatur, ille non potest ignorare decretum immutabile (quod est opus ad extra.) Atqui Filius. E. etiam hoc non potuit ignorare. *Secundum humanam naturam per unionis gratiam.* Nam in quocunque πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, tanquam in proprio suo corpore habitat, illius corpori non solum divina natura, sed etiam divina idiomata sunt communicata. Atqui in Christo. E. vide Dn. D. Scherzerum System. pag. 191, 192. Quæ porro contra Omniscientiam Christi proferunt discussa accuratissime, & refutata vide apud Eund. in Colleg. Anti-Socin. pag. 93. & 163.

§. XXII. Excipiunt (3.) Si Christus præscivit æternum tot Judæorum interitum, Ergo non evadere potuerunt illum, *cum omnia ex efficaci voluntatis decreto facio, quæ videt.* Resp. *Præscientia rebus præscitis non adfert necessitatem*, ut tritum habet Theologorum axioma. *Nec præscientia* [loquimur cum Hieronymo lib. I. in Ezech. T. V. pag. 383.] *futurorum boni, & mali, immutabile facit, quod Deus futurum novit.* Non enim, quia ille futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum. Brevibus: *A Præscientiæ infallibilitate ad præsciti necessitatem N. V. C. A necessitate immutabilitatis ad necessitatem absolutam N. V. C. A necessitate consequentiæ* (s. Logica) *ad necessitatem consequentis* (s. Physicam) *N. V. C.* Vide supra citatum Magnif. Dn. D. Scherzerum in Coll. Anti-Socin. pag. 54. seq. *Per Præscientiam* igitur *Dei non adimitur mihi potestas voluntatis*, ait recte Augustinus Lib. III. cap. 3. de Lib. Arbitr. Ergo licet præscivit, non tamen voluit.

§. XXIII. Excipiunt (4) *Si ergo noluit eorum interitum, & lachrymis suam displicentiam testatus est, cur non resipiscentiæ gratiam ipsis dedit, ut potuit? Cur non patefecit oculis eorum ut scirent, quæ ad pacem ipsis erant, si voluit eorum Salutem?* Resp. Dist. *inter voluntatem absolutam & ordinatam*; Illa est irresistibilis, Rom. 9: 19. hæc resistibilis. Malitia enim humana ei nonnunquam resistit, Luc. 7: 30. Matth. 23: vs. 37. quoad posteriorem voluit & Hierosolymitanorum Salutem. *Nam dedit media, verbum prædicatum. Dedit insuper miracula, quibus per tres annos se Messiam ostendit, ac salutem eorum summa industria quæsivit*, ut proin non immerito exclamare potuerit, *quid amplius faciam vineæ meæ?* Esai. 5: 4. Dedit porro fatale pœnitentiæ 42. annos, ne haberent, quo de pœnis nimium maturatis conqueri possent. *Dedit præsagia futuri interitus luculentissima*, v. g. *stellam in forma gladii per integrum annum super urbem visam; Eclipsin lunæ per duodecim noctes continuam; vocem in templo dicentem:* μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν! Ast cœcis oculis, surdis auribus omnia dedit. Non autem absoluta voluntate homines media ad salutem subministrata pertinaciter respuentes in cœlum obtorto quasi collo trahit, aut cogit. Vide Scherzerum System. p. 48. Quare quod de Biante Philosopho legitur, illum scil. cum quendam maleficum publicata sententia damnaverat, & postea fleverat, interrogatus, *cur ipse fleret, ut qui potentiam absolvendi, & dijudicandi haberet?* respondisse: *Se flere ut hominem, baculum frangere ut Judicem*; Hoc ipsum est, quod de Christo θεανθρώπῳ mediatore, & judice dicere videtur Chrysostomus Tom. III. in Matth. p. 710. Hoc modo, inquis, cum in potestate habeat Deus perdere, & salvare, quis eum invitum compellit damnare, si non vult interitum? Respondeo: *Tu, qui non desideras misericordiam ejus.* Dicis: quis hominum non desiderabit misericordiam Dei? *Tu sc. qui permanes in peccato. Mavult igitur Deus conversos salvare, quam perdere delinquentes*, juxta Hieronymi effatum in cap. 1. Jerem. T. V. p. 262. *Et sicut erga pios indulgentissimus pater est, sic adversus impios* [s. reprobos *est rectissimus Judex*, Lactantius lib. 1. c. 1. Justit. Div. p. 4. Imo *hoc, si quis recte reputet*, scribit Josephus, *profecto inveniet Deum hominibus quidem consulere, modisque omnibus præmonstrare, quæ sint eorum generi salutaria; Ipsos autem ob dementiam suam malis voluntariis interire.*

§. XXIV. Sunt (III.) lachrymæ ad pœnitentiam excitatoriæ. Idcirco enim publice lachrymatur, ut non tantum testetur Se verum esse hominem (nam *lachrymis Christi tollitur suspicio phantasmatis*, Athanasius ad Theophyl. L. 9.) sed etiam, ut quisque magnam subesse causam intelligat, ac sua deflere discat peccata. *Fletus enim Christi est instructivus*, [inquit Basilius] *& incitamentum conversionis.* Exigit lachrymas non tantum à Judæis, sed omnibus hominibus. Quare, inquit Augustinus, Tract. XLIX. in Joh.) *Christus flevit, nisi, quia flere hominem docuit.* Utinam ergo omnium saxea corda emolliant, ut in hoc seculo serio fundant lachrymas veræ pœnitentiæ, & doloris legatos, ne aliquando in gehenna igneas in Seculo nunquam terminando fundere necesse habeant, Matth. 22:7. Ἀγαθοὶ ϗ ἀριδάκρυες ἄνδρες. *Lachrymæ Christi pudorem mihi pariunt, & dolorem*, inquit Bernhardus, *ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis, audivit forte unigenitus ejus, exiit posito diademate flens, & ejulans* (in Die Natal. col. 57.) Sic & nobis pudorem, imo dolorem inferant lachrymæ Salvatoris, quoties peccata nostra expendimus, quæque ea sequuntur mala, videlicet mortem, qua nihil terribilius: judicium, quo nihil horribilius: infernum, quo nihil intolerabilius. Profecto quam salubres sunt pœnitentibus Christi lachrymæ invitatoriæ, tam noxiæ sunt despicientibus. Neutiquam enim commiseratio illa, & compassio, qua Dominus flevit, justitiam ejus vindicem sustulit; *Sed si de lachrymis Sacerdotum dicitur, quod illæ* (scil. per malitiam provocatæ) *auditoribus non expediant*, Ebr. 13: 17. multo minus Christi θεανθρώπου, & Sacerdotis summi lachrymæ expedient obduratis in malitia, & reprobis; quanto enim pretiosiores eæ sunt in conspectu Dei, tanto gravius irascitur Deus spernenti eas. Peccant autem hic in defectu *Sagæ nunquam lachrymari deprehensæ*, teste Bodino Dœmonomaniæ lib. IV. c. 1. & in excessu Pontificii, *qui fictis lachrymis multa sibi mereri persuasum habent*, inter quos desperabundus Aloysius Bertrandus, de quo Bellarminus sic scribit: *Beatus Aloysius Bertrandus, vir notæ sanctitatis, qui non semel inventus est plenus singultuum, & lachrymarum, & cum ab eo quæreretur, quænam esset causa tanti mœroris, & tam ingentis profluvii lachrymarum, respondebat: Cur non amarissime fleam, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus.* Tom. 1. Oper. fol. 428. seq. Quibus Dn. D. Scherzerus pulchre addit: *En! Papistas ex lachrymis fontem salutis & rivum desperationis facientes*, Programm. cit. p. 401.

§. XXV. Fuere tandem Lachrymæ Christi (IV.) *Hilasticæ.* DEUS flevit; Ergo ejus lachrymæ sunt meritoriæ, satisfactoriæ. Et sicut B. Lucas præ cæteris Sacerdotii Christi officium depinxit, (quapropter Irenæi judicio lib. III. cap. 11. pag. 186. vituli imago ipsi assignatur) ita præ cæteris hic annotavit lachrymas, quibus nobis æterna jubila inter populi applausus promeritus est. Propter quam causam enim sanguinem effudit pro toto genere humano, propter eandem lachrymas effudit quoque hic, scil. *ut nos à peccatorum sordibus ablueret, atque eas DEO in sacrificium propitiatorium offerret*, Ebr. 5: vs. 7. *Ex purissimis Christi oculis ad omnium peccatorum expiationem lachrymarum fluenta uberrime manando effunduntur*, dicit Dionysius Carthusianus. Impetravit ergo nobis

his

his lachrymis cum DEO reconciliationem, & vitæ æternæ possessionem. *Nostrum enim est, quod esuriit, nostrum est, quod flevit, nostrum est, quod tristis fuit usque ad mortem,* inquit Ambrosius Lib. 3. de Fide cap. 2. Nostra quidem vita calamitosa satis est:

Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit,
Et vitam rursus linquimus in lachrymis.
O multas hominum lachrymas! absterget at omnes,
Omnibus electis ipse Deus lachrymas (*Apoc.* 7: 17.)

Sed propter Christum in Oliveto lachrymanten bene nobis, propter lachrymas ejus nobis abstersio lachrymarum. Agite ergo, Christiani, fleatis, & non fleatis. Deploretis scil. peccata, rideatis mundi tyrannidem, qua vobis lachrymæ exprimuntur, semper memores illius, *Non semper imbres:* memores, *non decorum esse capite lugente & lachrymante, membra jubilare:* memores, *lachrymas peccatorum esse vina Angelorum:* memores, *ipsam beatitudinem flere, ut fletus noster sit beatus, lætitiam flere, ut gaudiorum ineffabilem messem nobis promereatur.*

JOH. FRISCHMUTHI

DISSERTATIO

De Sacræ Scripturæ in legem, Prophetas & Hagiographa divisione ad Luc. XXIV: 44.



Axime emphatica, & prisf næ DEI, qua hominibus suam voluntatem patefecit, significandæ consuetudini perquam congrua est locutio Apostoli, Ebr. 1: 1. πολυμερῶς, inquientis, καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις. Dictione enim πολυμερῶς exprimit, quam multis partibus & quasi diversis particulis, non simul & semel illa divinæ voluntatis contigerit manifestatio: altera vero voce πολυτρόπως plures illos, eosque distinctissimos revelandi modos vir sanctus respicit, quibus nunc veritatem nude & veste quasi detracta proposuit, nunc eandem veluti veste adoperta & sub involucris variis conspiciendam Deus exhibuit. Nempe non subinde *voce* aliqua sensibili, aut *angeli* alicujus *alloquio*, sed modo per *visionem*, modo per *somnium*, modo arcano aliquo *afflatu & instinctu*, quid ab hominibus fieri vellet, indicare Prophetæ, est Numini visum. Ex quo multiplici divinæ revelationis modo cum Judæi, repudiata Christianorum sententia, sacrorum librorum & divisionem & eorum autoritatem disparem soleant arcessere, visum est faciundum, ut in eorum mentem accuratius inquirerem, & quid de θεοπνεύστοις libris bene illi vel secus scripserint, paulo uberius irem ostensum.

CAPUT I.

Super antiqua illa Christianorum Scripturæ divisione R. Abarbenelis judicium. Cur idem Rabbi τριμερισμὸν *Chaldæo & Ebræis receptum præferat. Ordo librorum sacrorum ex Talmud allatus. De ætate divisionis Judaicæ Doctorum opiniones diversæ. Qua fini ita libros sacros Judæi partiantur. Mosis Prærogativam unde Judæi, R. Arama & Maimonides arcessant. Prophetiarum speciebus recensitis, Mosaicæ Legis* ὑπεροχὴν *necquicquam ex revelationis modo colligit R. Abarbenel. B. Keslerus laudatus. Abarbenel reprehendens Maimonidem sibi contradicit. Fundamentum, quo Mosen & sensum & verba divinitus præ reliquis Prophetis accepisse, probare contendunt Abarbenel & Menasseh explosum. Dn. D. Danhauerus & Pocokius laudatus. Scriptorum sacrorum* ἰσότητα *male negat R. Albo. Maimonidis & Manassæ de Prophetæ requisitis absurda assertio. Mosi Esaiam frustra opponunt Judæi & ex illius scriptis hujus monumenta interpretanda inepte contendunt. Conciliatio utriusque instituta & Mosis prærogativa exposita. Judæis, sacram scripturam* ἰσόρροπον *negantibus, ipsi Turcæ in Alcorano longe rectius sentiunt. Cur* תורה *inter sacros libros primum locum habeat.*

§. 1. PRimo omnium audire juvat R. Abarbenelem, qui Præfat. Comment. in Josuam perantiquam divisionem librorum sacrorum, eamque à Doctoribus Christianis traditam, his omnino verbis recenset & repudiat: חכמי הנוצרים חלקו ספרי הקדש לארבע הלקים חלק תוריי והם חמשה חומשי תורת משה וחלק ספוריי והם יהושע שופטים ורות ושמואל ומלכים דברי הימים דניאל ועזרא ואסתר וחלק נבואיי והם ישעיהו וירמיהו וקינות יחזקאל תרי עסר וקצת ספר דניאל האחרון ומנו בתוכם ספר תהלים וקבלו היות דהע״ה נביא במדרגה עליונה מהנבואה וחלק מדעיי והם איוב ומשלי קהלת ושיר השירים ויקראו החלקים ההם ליג״אליש אישט״וריאיליש פרופי״טיקוס שאפי״שינטייש ואין חלוקתם זאת מסכמת לסדר הספרים לפי שהנה הספרים אשר קראו ספוריים הנה הם גם כן יוכללו בשם נביאים ואשר קראו מדעיים ברוח הקדש נעשו ולא כספרי א״רסתו וזולתו: Sensus verborum hic est: *Christianorum Doctores distribuunt libros Sacros in quatuor partes.* 1. *est legalis, complectens quinque libros Mosis.* 2. *est historica, & sequentes continet libros. Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Paralipomenων, Danielem, Esram, Esther.* 3. *Prophetica, quæ hos agnoscit: Esaiam, Jeremiam, Threnos, Ezechielem, duodecim minores & partem posteriorem Danielis. Quin numerant inter eos librum Psalmorum, & tradunt Davidem Regem, super quo sit pax, fuisse Prophetam in primo gradu. Quarta pars eis est moralis, his constans libris, Jobo, Proverbiis, Ecclesiaste, Cantico Canticorum. Ad hos libros appellandos & distinguendos, sequentibus nominibus utuntur: legalis, historialis,*

rialis, *propheticus*, *sapisentisch*, (sapientialis volebat dicere, hoc enim duro nomine prisci hanc partem scripturæ indigitarunt, quos Bellarminus lib. 1. c. 3. de Christo imitatur.) *sed hac divisio ordini librorum non convenit, quia libri, quos vocant historici, comprehenduntur etiam nomine Prophetarum, & morales illi libri facti sunt per Spiritum sanctum, Aristotelis aliorumque libris dissimiles.*

§. II. Equidem negari nequit, divisionem illam, si rigorose eam juxta receptas regulas exigere velis, incommodam esse, cum partes ἀντιδιῃρημένως non se habere videantur, quod tamen solet requiri. Uno enim eodemque libro diversa includuntur. Exempli causa, liber Exodi non legalis modo est, sed & historicus, quod ipsos Christianos latere non potuit, qui ἀκρίβειαν aliquam in divisione illa locum obtinere, nunquam dixerint, ὡς ἐν πλάτει ut videtur, loquuti. Quod vero caussatur recutitus, ultimam partem perperam vocari *moralem*, quod libri illi per Spiritum sanctum sint confecti, & Aristotelicis dissimiles sint, id nullius est momenti. Num enim illi nihil continent de moribus hominum? Num propter hanc appellationem à Spiritu Sancto non potuere proficisci? Num Judæi accuratius & Codicem sacrum partiuntur, & eam divisionem rectius explicant? Hoc quidem Don Isaac Abarbenel sibi loco cit. persuadet his verbis: צדקו דברי חכמינו ז"ל במה שהגדילו מדרגת השפע אשר נעשו ספרי הקדש לשלש מדרגות ומצדם חלקו ספרי הקדש לשלשה חלקים תורה נביאים וכתובים: *Convenientior est Doctorum nostrorum l. m. sententia, qui tres gradus influentiæ, quo libri sacri sunt perscripti, agnoverunt. Et ratione illorum in tres partes libros sanctos diviserunt, LEGEM, PROPHETAS & HAGIOGRAPHA.* Ita Judæi, quibus olim eloquia Dei concredita fuerunt, ut Apostolus Rom. 3: 2. loquitur, & quos, tanquam *capsarios nobis Christianis studentibus, codices portare* Augustinus ait, comment. in Psal. 40. V. T. libros partiri amant. Hinc verbo divino aliquid conforme esse probaturi, sæpenumero hac formula utuntur: כבר זה כתוב בתורה ושנוי בנביאים ומשולש בכתובים: *Scriptum hoc pridem est in LEGE, repetitum in PROPHETIS, & tertio inculcatum in HAGIOGRAPHIS.* Et in Targum Cantici Canticorum, Ed. Venet. cap. 5: 10. legimus: ועסיק בעשרין וארבעה ספרין דאוריתא ופתגמי נבואה וכתיבי: *Et occupatus est in quatuor viginti libris, qui sunt lex & verba Prophetiæ, & Hagiographa.* Legis nomine Pentateuchum intelligunt, vel quinque libros Mosis, de quibus R. Maimonides, Præfat. in lib. יד חזקה, docet: כל התורה כתבה משה רבינו נכתב ידו קודם שמת: *Totam Legem Moses manu sua scripsit antequam moreretur*, exceptis 8. postremis commatibus, quæ alium addidisse, tradunt ipsi Judæi. Prophetas, dispescunt in priores & posteriores. Illi sunt liber Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum. Hi, Esaias, Jeremias, Ezechiel & תריסר vel duodecim minores Prophetæ, Hagiographi sive כתובים ברוח הקדש sunt Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Jobus, Daniel, liber Esdræ, Nehemiæ volumen, Esther & libri Chronicorum. Vide codicem Talmudicum, Massecheth Bava Bathra c. 1.

§. III. Non heri aut nudius tertius hanc divisionem traditam fuisse, complurium testimonio constat. Non modo enim jam olim Epiphanius, Hæres. 39. testatus est, quod à Nazaræis & Judæis legantur πᾶς ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται, καὶ τὰ γραφεῖα λεγόμενα, sed & ipso Christo in terris agente, hunc τριμερισμὸν in usu apud Judæos fuisse exinde magni nominis Viri conjiciunt, quod Lucæ 24: 44. Salvator noster duobus discipulis omnia illa in memoriam revocat, quæ scripta sunt in *Lege*, *Prophetis* & *Psalmis*. Qua ultima nomenclatura totam illam compagem, qua Hagiographa continentur, notari perhibent, quippe quorum exordium est liber Psalmorum. Quin ad ipsa Esdræ tempora nonnulli ejus referunt originem, quem, post reditum è captivitate Babylonica, hunc librorum ordinem constituisse credunt. Atque ita R. Elias Germanus, Præfat. III. in lib. מסורת המסורת de Esdra & Synedrio magno loquitur his verbis: לא היו הכ"ד ספרים מחוברים יחד והם חברום ועשו שהם ג' חלקים תורה נביאים וכתובים: *Non fuerunt omnes quatuor & viginti libri una colligati, sed ipsi* (viri synagogæ magnæ cum Esdra congregati) *conjunxerunt eos ac fecerunt ex ipsis tres partes, Legem, Prophetas & Hagiographa.* Conf. Joh. Buxtorf. comment. Masor. ex c. 11.

§. IV. Quicquid vero de hujus divisionis sit antiquitate, quam nos ei nolumus penitus abjudicare, Esdræ tamen tempore eam factam videtur haud ita indubitatæ veritatis esse. Ipsi Judæi, qui, ut ex Abarbenelis supra adductis verbis liquet, Doctoribus suis eam acceptam ferunt, satis produnt, eam esse sequioribus seculis confectam, & cum jampridem viri θεόπνευστοι cessassent. Neque tamen Episcopo illi Christopolitano, Jacobo de Valentia, prolog. in Psal. tr. 2. art. 3. adstipulamur, qui scribit: *Magistros Ebræorum temporibus Constantini in Babylone Ægypti congregatos posuisse Davidem & Danielem inter Hagiographa, ut auferrent eis dignitatem Prophetiæ, eo quod clarius loquuntur de Christo & de tempore adventus ejus.* Longe ante libros ita partiri Ebræos consuevisse, est omnino verisimile, licet partitionis illius caussas postmodum alii alias sint commenti. Quemadmodum & Abarbenelis explicatio, quam hodie Judæi complures amplectuntur, est recentior. Ut vero quo is tendat, apertius constet, sciendum est, eum, postquam negasset, libros ita dividi מבחינת מהותם וחומרם *ratione essentiæ & materiæ illorum*, aut מבחינת הפועל ר"ל המחברים *ratione autorum, qui eos composuerunt*, vel מבחינת צורתם *ratione formæ illorum*, tandem suam ipsius sententiam his verbis enarrare l. cit. הנראה אלי בזה הוא שחכמינו ז"ל כוונו בשמות האלה להעיר שלמות כל אחד מהחלקים האלה קראו חלק הראשון תורה להבדים ספר תורת אלקים מבין שאר ספרי הקדש כפי מעלת מדרגתו על מדרגתם באיכות השפע: *Videntur mihi Dd. nostri b. m. voluisse indicare perfectionem omnium illarum partium. Vocarunt primam partem Legem, ut distinguerent Legem DEI ab aliis libris secundum prærogativam gradus, quam habet præ aliis ratione influxus.*

§. V. Ex quibus liquet, Mosaicis libris primum locum eos assignare, non ideo quod scriptor ille reliquos sacros autores antiquitate immane quantum superat, neque etiam ob illam ὑπεροχὴν, quam cum DEO familiariter agendo nactus est vir divinus, sed quod longe eminentiori modo quam alii sacri libri Mosi dictati & ab eodem scripti sint. Duo igitur jam nunc considerabimus. 1. An & quomodo Moses aliis Prophetis fuerit major. 2. Si aliqua prærogativa danda sit, an idcirco scripta Mosaica majorem obtineant autoritatem, dignitate alios anteeant, adeoque modo excellentiori sint dictati, quam alii libri.

§. VI. Primam quæstionem affirmaturi Judæi in medium adferunt testimonium, quod legitur Deut. 34: 10. *& non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moses, quem nosset Dominus à facie ad faciem in omnibus signis & portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni & omnibus servis ejus universæque terræ illius &c.* Item Exod. 33: 11. *Loquebatur autem Dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Maxime vero ab eis urgeri solet locus Num. 12: 6. ubi DEUS ipse sic loquitur: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione me notum faciam ei, per somnium loquar ad eum. Mosi autem ore ad os loquor, palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Hinc R. Abarb. ait: משה רבינו לא נקרא נביא סתם ולא יוכלל עם שאר הנביאים: *Moses doctor noster non vocatur Propheta simpliciter, nec inter cæteros Prophetas comprehenditur.* Et R. Isaac Arama, Comment. in h. l. fol. 253. col. 3. sic scribit: בכאן הודיע הקב"ה מעלת ארון הנביאים ע"ה על נבואת כל זולתו וההבדל מכלן באותו לשון עצמו שאמרו ח"זל כל הנביאים נתזבאו בספקלריא שאינה מאירה למשה רבינו נתנבא בספקוריא המאירה: *Ostendit hic Deus benedictus quam longe prophetiæ Mosis principis Prophetarum omnes reliquas superent dignitate, & quantum discriminis inter illas sit ex eo ipso elucescit, quod Doctores nostri dixerunt: Omnes Prophetæ vaticinati sunt per speculum illucidum, Moses vero Doctor noster per speculum lucidum.* Discrimen quod inter Mosen & reliquos Prophetas intercedat clarius hunc in modum describit. כלן מתנבאים בחלום או במראה והוא בהקיץ השנית כלן מזועזעים והוא כאשר ידבר איש אל רעהו השלישית כלן בדור משל וחידה או על יד המלאך והוא פנים אל פנים כלומר בלי מלאך ובלי ימשל וחידה והרביעית שכלן צריכון הכנה והוא מוכן ועומד: *Omnes vaticinati sunt per somnium vel visionem. Ille vero vigilans. secundo, omnes perturbati sunt, is vero, tanquam vir cum socio suo, loquutus est cum DEO. Tertio, omnes parabolice & ænigmatice vaticinati sunt, aut per angelum, ille vero facie ad faciem, q. d. absque angelo & sine obscuro ænigmate. quarto omnes opus habebant certa dispositione, is vero quamlibet stans vaticinabatur.* Confer R. Maimoniden Hilkot יסודי תורה, cap. 7. ubi eum ער ועומד *vigilantem & stantem* vaticinatum esse ait. Sed non omnia veritati sunt consentanea. Quod enim reliquos Prophetas omnes per angelum edoctos, & obscure nec sine perturbatione & prævia necessaria dispositione vaticinatos esse docent, id falsum esse, neminem sacræ literæ dubitare sinunt.

§. VII. Sane Mosi multo majorem cum DEO intercessisse familiaritatem, & illustriorem, ut ita loqui liceat, communica-

nicationem, quam reliquis Prophetis, ex eo liquido apparet, quod *de facie ad faciem* & פה אל פה cum DEO locutus dicitur, ut *vir cum amico ſuo*, quicum familiariter agit, quod R. Abarbenel ad Exod. 33: 11. idem eſſe ait ac מבלי אמצעי *absque intermedio & angelo.* Quod perperam aſſeritur; cum aliis enim prophetis DEUS egit etiam ſine angelo, quod tamen minime factum eſt פה אל פה, *de ore ad os.* Cæterum exinde ſequi, ſcripta Moſaica, ut Scripturæ partem ob revelationis modum digniorem, primum inter libros ſacros locum recepiſſe, ſimpliciter negamus: cum prærogativam & dignitatem libri non tam modo revelationis, quam ipſius revelantis autoritate metiri debeamus: qui cum ubique unus fuerit idemque, & omnes Prophetas, ne in ſcribendo fallerentur, direxerit, inde utique ſequitur, parem omnium omnino librorum ſacrorum eſſe autoritatem.

§. VIII. Ut vero quam infirmo Judæus fundamento nitatur, pateſcat, ab ovo quod dicitur, rem totam ordiri neceſſarium ducimus. Sciendum igitur eſt, tres Prophetiæ מדרגות *gradus* ſive מינים *ſpecies* eſſe, fatente ipſomet R. Abarbenele. Is enim poſtquam contra R. Maimonidem docuiſſet, vocem, quam in tabernaculo Samuel tribus vicibus audivit, non fuiſſe מושכל *intellectualem* ſed מוחש *ſenſitivam*, נברא בדרך נס *miraculoſe productam* & reapſe auribus Samuelis exceptam, hæc Commentar. in 1 Sam. 3. ſubdit: הנבואה פעמים תבוא לנביאים מושכלת בהתודעות ברור מגיע לשכליהם ופעמים תבוא מדומה בצורות אשר יראו בכהם המדמה ופעמים תבוא מוחשת בקול מגיע לאזניהם ובדבר נורא שיראו לעיניהם בפעל ושכל אלה מיני נבואה הם וחכמי הנוצרים בספריהם הסכימו על זה: *Prophetia interdum Prophetis obtingit intellectualiter per claram cognitionem, quæ in intellectu eorum fit: Interdum accidit per imaginationem, per formas, quarum virtute vident in phantaſia: interdum vero ſenſibiliter percipitur per vocem in aures immiſſam, & res admirabilis ſe oculis illorum ingerit. Quod omnes hæ ſpecies ſint Prophetiæ, Chriſtianorum Doctores in ſuis libris conſentiunt.*

§. IX. Hic equidem, quod numerum ternarium in modis illis Prophetiæ, nempe *ſenſuali, phantaſtico & intellectuali* attinet, & noſtrum adjicimus calculum. Ex ſcripturis enim id novimus, quandoque vocem aliquam Prophetas audiviſſe, interdum vel vigilantium phantaſiæ ſe Deum inſinuaſſe per ſimulachra vel etiam ſomno oppreſſorum: interdum etiam excluſo ſenſu cum interiori tum exteriori, ita Deum primo ſe intellectui Prophetæ inſinuaſſe, ut citra ſenſuum auxilium eum intellexerit. Sed in eo tota, quod dicitur, via errare dicimus Abarbenelem, dum Comment. in Daniel. pag. 18. col. 4. ſoli Moſi ultimum gradum vindicare, & inde reliquos ſacros libros depreciare conatur his verbis: הראשון הוא כאשר יחול השפע האלהי על שכל הנביא והוא ירגיש בו הרגש חזק ויראה דברים מפורשים ודרושים ברורים מבלי משל וחידה צורה ותמונה אם מדעים מושכלים לשכלו בשלמותם אם לחלק השכל המעשיאם לחלק השכל העיוני מבלי עדי חקירה ועיון מבלי שיהיה לכח המדמה ולחוש בו מבא כלל בהגשמת הדברים וגם פרטיותם אינו מפאת פועל חוש ומדמה כי נפש הנביא אינה מקבלת הפרטים ההם מהמוחשות הגשמיות הנמצאות מחוץ לשיצטרך לקבולם אל החיש והדמיון אבל ישיגם בהעתיקו אותם מהאספקלריאה המאירה חכמתו יתברך וידיעתו העליונה באותו האמות והפרטיות אשר הם שם ואין לתמוה מאשר השכל האנושי מבלעדי החיש והמדמה יראה הדברים בפרטיותם מזולת חוש ובלתי גשמיות כלל ומשם יקבלם שכל הנביא בעת נבואתו וזאת היא העליונה במדרגשתו הנביאה והיא מדרגה אדונינו משה שבאו מהשם יתברך הענינים כלם בפשיטות מושכלים לא מדומים ולא מוחשים: *Primus gradus eſt cum influxus divinus Prophetæ intellectum occupat, & hic inibi ſentit quid vehemens, videtque res claras & illuſtres absque ænigmate & obſcuritate, forma & ſimilitudine, cum perfectiſſime apprehenſiones ſcientificas in eo percipit ad intellectum ſive practicum ſive theoreticum, ſine ſcrutinio tamen & conſideratione operoſa, quia in facultatem imaginatricem & ſenſus nihil quicquam rerum corporalium migrat, & particularitas earum rerum non ex operatione vel phantaſiæ vel ſenſuum provenit. Anima enim Prophetæ non eas à ſenſualibus exterius oſtenſis accepit, quod opus habeat prius ſenſibus & phantaſia percipere, ſed immediate ex ſpeculo lucido divinæ ſapientiæ; & cognitio ejus ſuprema eſt in iſta particularitate. Neque mirum videri debet, hominis intellectum absque ſenſuum & phantaſiæ, miniſterio videre res in ſua particularitate absque ſenſu & ulla corporeitate, ut tempore ſuæ prophetiæ propheta ea recipiat. Hic enim eſt primus gradus prophetiæ, qui fuit in Domino noſtro Moſe, quia à DEO benedicto omnia accipiebat intellectuali modo ſimpliciter, non imaginativo, vel ſenſuali.*

§. X. DEUM etiam per internum afflatum, qui nullam præcedentem ſenſualem cognitionem requirit, in Prophetis eſſe operatum, & illorum intellectui ita immediate inſtillaſſe, quæ per eos aliis revelari voluit, negari nequit & hoc ipſo principii illius Phyſici, *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*, univerſalitatem infringi, oſtendit contra Photinianos B. Keſlerus, Phyſic. Photin. ſect. II. princip. 6. Cæterum hunc primum Prophetiæ gradum fuiſſe Moſis proprium & perpetuum, quo DEUS uſus ſit, quoties legislatorem illum inſtituere voluit, quomodo Rabbi Abarbenel probare velit, nullus video. Ipſemet enim Commentar. in Num. 7: 5. ult. expreſſe docet, aliis quoque modis divinitus eum edoctum fuiſſe. Refertur ibi, quomodo Moſes divina reſponſa exceperit, nempe *quoties ingrediebatur Moſes in tabernaculum ad loquendum cum eo, audiebat vocem reſpondentem ad ſe deſuper propitiatorio, quod ſuper arcam teſtimonii è duobus Cherubim, & loquebatur ad eum.* Ubi licet Maimonides contendat שהיה השגה נבואיית עליונה *fuiſſe ſupremum gradum propheticæ apprehenſionis* & non tam auribus quam intellectu eoque ſolo DEI voluntatem Moſen percepiſſe: Rabbi tamen Abarbenel. fol. 183. col. 3. eum ita redarguit אין ראוי לקבלו כי הנה במעמד הר סיני נאמר והאלהים יעננו בקול וישראל כלו במעמד ההוא שמעו קול האלהים מדבר מתוך האש: *Non eſt amplectenda ea ſententia: Ecce enim cum in monte Sinai ſtarent, dictum eſt* (Exod. 19: 19.) *Et DEUS reſpondit ei voce, & totus Iſraël ibi vocem DEI audivit loquentem è medio ignis.* Ubi quomodo DEI vocem percepit populus, eodem Moſen Legiſlatore nempe *ſenſualiter*, cognoviſſe ſentit: adeoque falſum eſſe, ipſemet fatetur, quod tantum illo ſupremo Prophetiæ gradu nempe intellectuali divinam voluntatem cognoverit. Et Comment. in Daniel. pag. 29. col. 3. maxima urget, quod dicatur קול לו *vox ei audita*, item קול אליו *vox ad eum pertigit.*

§. XI. Quin idem Abarbenel Comment. in cap. 7. Num. revelationem Moſi factam iterum ſenſualem fuiſſe ſeqq. verbis teſtatur: מצאנו גם כן במ״רעה השגת קול מוחש וראיית צורות שהם כלם השגות חושיות אבל לא היו במרע״ה מפני גסתו וחמריותו אלא לצור הדבר המושג והוא כי כאשר יצוה ית׳ למשה על מלאכה המשכן כדי שיקבל משה ציור הדברים ההם לצוות על עשיתם כפי אמתת הראה לו הקב״ה כל מעשה המשכן בצורה מוחשת כדי שיצויר הדבר ההוא בנפשו של משה בשלמותו וכן יצוה אותו לאומנים לעשותו כי היו הדברים הנראים בחוש הראות מצוירים בנפש יותר מהנשמעים בדבר שפתים *Deprehendimus etiam in Moſe Dd. noſtro, ſuper quem ſit pax, apprehenſionem vocis ſenſibilis & viſionem formarum, quæ omnes ſunt apprehenſiones ſenſibiles. At non propter craſſum animum & materialitatem ejus, ſed propter neceſſitatem rei apprehendendæ. Quia ſicut Moſi DEUS præcepit de tabernaculo, ut formas rerum illarum acciperet, quæ conficiendæ erant juxta ſuam veritatem, ita oſtendit ei DEUS benedictus totum opus in forma ſenſibili, quod artificibus elaborandum eſſet. Quia illa, quæ in ſenſu apparent, viſa magis formantur quam audita verbo labiorum.*

§. XII. Ex quibus id pateſcit, Moſen ſenſibus etiam DEI voluntatem percepiſſe, perinde ac Samueli accidiſſe Abarbenel ſupra docuit. Ejusdem vero Legiſlatoris animæ immediato DEI influxu ſpecies intelligibiles fuiſſe impreſſas, quibus quid DEUS ſcribere eum vellet, noſſe poterat, uti haut inviti largimur, ita illud in aprico eſſe cenſemus, nulla veriſimilitudine hunc excellentiorem revelandi modum ſoli Moſi attribui. Ecquid enim cauſæ eſſe dicent Judæi, cur idem & aliis tribui nequeat Prophetis, aſſerentibus, *DEUM ſibi locutum, & verbum Domini ad ſe factum eſſe?* cum alias Prophetarum menti ita viſiones rerum ſint oblatæ, ut eas adhuc futuras jam cernerent quaſi fieri & terminari, (unde haud dubie mos Prophetarum ortus eſt, quo Præteritum loco Futuri ponere ſolent,) ecquomodo ſoli Moſi competere eum modum aſſerere ſuſtinent? Num Davidi qui ſupernaturalis veritatis tam illuſtrem revelationem absque imaginaria viſione accepit, & per quem ita Spiritus Domini locutus eſt, 2 Sam. 23. ut myſteria complura evidentiſſime expreſſerit, intellectualem illam viſionem denegabunt? Num ſolius Moſis in conſcribendis libris ita elevatus fuit intellectus, ut ſpecies & conceptus infuſos inter ſcribendum ei Spiritus S. ſuggeſſerit, reliquis non item? Id nemo dicet, niſi qui ignorat, πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον eſſe, & influxum in ſcribendo ita omnibus contigiſſe ex æquo fortem ac divinum, ut librorum ſacrorum inde par ſit autoritas, & omnium

omnium perinde infallibilis & indubitatæ veritatis certitudo resultet.

§. XIII. Arbitratur tamen Rabbi Abarbanel, omnino hic aliquid in Mose se deprehendisse, quod prærogativam aliquam eidem conciliet præ reliquis sacris scriptoribus, quemadmodum ex seqq. patet: וכן כשהיה השם מדבר אליו הדברים שיכתוב משה בתורה מהספירים והמצוות והיה כדי שיהיו נכתבים הדברים ההם באותו אופן עצמו שיצאו מפי הגבורה הוצרך ותברך להשמיעם למשה בקול מוחש כדי שאותם המלות והדברים בעצמם ובלשונם שישמע באזניו יכתוב על ספר תורה כמעתיק מספר קדמון: *Atque ita, cum DEUS locutus est ad eum verba, quæ Moses legi inserere debebat, & historiis & præceptis, ut eo ipso modo verba illa scribenda essent, quo ex ore DEI provenerunt, fieri aliter nequibat, quin Mosi voce sensibili revelaret, ut easdem dictiones & verba ipsa lingua, qua excepit auribus suis, libro legis inscriberet, perinde ac is, qui ex libro aliquod transfert.*

§. XIV. Quod Rabbi Abarbanel docet & sensum & easdem dictiones Mosen scripto inseruisse, quas audivisset, id R. quoque Menasseh Ben Israël Problem. VI. de creatione urget, & inde Mosis præ aliis Prophetis prærogativam æstimandam contendit: *Propterea*, inquiens, *Mosis per omnia tanto dignior præstantiorque fuit cæterorum omnium Prophetarum prophetia: quod his quo tempore accipiebant, tantummodo sensus, sive res prophetia comprehensa revelabatur: istam autem rem sive sensum propriis suis verbis populo enarrabant. Atque ea de causa usurpabant hanc loquendi formulam, Locutus est Dominus mihi, & Dixit Dominus mihi. Quasi diceret, ea, quæ dicimus, licet nostris verbis exprimamus, sensum tamen habent, quem à DEO accepimus. At vero Mosi non tantum res prophetice revelabatur, sed simul etiam propria, quibus efferenda erant, verba, dictabantur. Atque hæc causa est, quod Moses, quando revelationes istas narrat, non loquatur aliter, quam si tertia persona loqueretur, recensendo ea, quæ DEUS præceperat, & quæ Moses ipse fecerat. Unde sunt istæ loquendi formulæ: & locutus est Dominus Mosi, & dixit Dominus Mosi.* Sed ratio quam ex locutionis diversitate petit Judæus, fallit, cum & Moses in prima persona locutus sit. Deuteron. 2: 17. 31. Cap. 3: 26. 4: 14. & Prophetæ reliqui in tertia persona utpote Esai. 7: 3. Jerem. 7: 1. cap. 11. vers. 1. 18: 1. &c. Nihil igitur ex phrasi, æque Mosi ac reliquis Prophetis usitata, obtinet, neque aliquid Legislatori præ reliquis Vatibus inde vindicare potest Menasseh Ben Israël.

§. XV. Fac autem ita esse, & reliquos Prophetas in monumentis suis conscribendis sensum ex illuminatione & inspiratione divina habuisse, verba vero non alia quam quæ quotidiano sermone usurparunt, adhibuisse, Spiritu Sancto permittente, ut secundum suum ingenium, eruditionem & linguam singula familiari & humano modo, sub directione tamen Spiritus sancti scriberent, num inde quicquam illis autoritatis decedet? Idioma ipsum ut scripturæ extrinsecum est, ita neque secundum se autoritatem ei impertit, sed sola inspiratio divina & impulsus ille Spiritus Sancti, qui, ut Dn. D. Danhauerus pag. 187. Id. B. J. loquitur, *Sanctis DEI hominibus stili libertatem concedit*, quam etiam ex Ebræis Mosen Maimonidem agnoscere pag. 66. Not. Miscellanear. observat Clariss. Pocokius, *Quis neget*, inquiens, *ut Chaldaismos & Syrismos, ita multos occurrere in textu sacro Arabismos, imo & à gentium vicinarum commercio acceptas loquendi formas, vel potius ipsius Ebraismi idiotismos varios aut dialectos pro locorum & temporum differentiis, non tantum in verborum significatu, sed & forma & prolatione conspicuas? Ephraimitæ (testante Scriptura) Shin non pronunciabant, sed per Sin ea efferebant, quæ alii per Shin: Galilæi sermone suo prodebantur* Matth. 26: vs. 73. *ad Samaritanorum nempe & Syrorum idioma propius accedente, ut annotat Grotius, quam sermo Hierosolymitanorum. Observetur una, Sp. S. eorum, quorum ore loquebatur, dialecto etiam usum videri, juxta Regulam à Maimonide traditam* in Moreh. libr. II. cap. 29. *Unumquemque Prophetam peculiare quid habere, & ea lingua, eaque loquendi ratione, quæ ipsis familiaris & consueta ipsum impelli à Prophetia sua ad loquendum ei, qui ipsum (ita loquentem intelligit. Id est, ut è Rabbinorum ad librum istum Commentariis annotat Vir Clariss. Joh. Buxtorffius F.) Si Propheta est Ebræus, impellit eum Prophetia, ut loquatur Ebraice, si Arabs Arabice &c. si purum & ornatum sermonem vel stilum habet, eodem modo Prophetiam suam eloquitur, sin minus ornatum, minus ornate quoque Prophetiam suam profert. Si ergo Ephraimita Ephraimitice, si Galilæus Galilaice.*

§. XVI. Sane uti Esaias, qui Hieronymo judice præfat. in Esai. *vir nobilis & urbanæ eloquentiæ nihil quicquam in eloquio rusticitatis admixtum habet*, Jeremia, qui *in pago natus rudiore sermone usus est*, minime est major: neque in N. T. Lucæ autoritas, qui Isaaci Casauboni sententia, Exercitat. II. num. I. advers. Baron. *purum putum Hellenismum aliquanto diligentius observavit, quam reliqui Euangelistæ*, non est major quam Marci, quem ἑβραΐζοντα magis esse quam ἑλληνίζοντα, Grotius monet, præf. in Marcum: ita neque V. T. scriptorum, si maxime id, quod vult recutitus, obtineat, alius alio est dignior, quandoquidem οὐ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι 1 Petr. 1: 21. neque, quod Anomæos somniasse, Epiphanius Hæres. 76. p. 419. asseruit, quisquam ibi ὡς ἄνθρωπος ἔφη, cum peculiari Sp. S. gratia & assistentia sit effectum, ut in omnium scriptis veritas divina & infallibilis contineatur.

§. XVII. Agnoscere quidem eam & Judæi videntur in Prophetarum monumentis, cum Rabbi Albo libr. 3. Ikkarim cap. 17. scribat: שכל דברי הנביאים אמתיים בלי ספק *quod absque dubio omnia Prophetarum verba sint vera*, sed sibi minus constare videtur, dum inter Prophetica scripta non parum discriminis agnoscit, cum sequentia subdit: מכל מקום לפי גודל מעלת הנביא מדרגתו בנבואה יהיה חוזק האמות הבא בדבריו כי כמה נביאים לחלשת השגתם לא ישיגו הדברים מבוארים כראוי לפי שיקרה להשגת הנביאים מה שיקרה להשגת החושים כי מי שהוא בריא וחזק בהם הוא משיג המוחשים על אמתתם ומי שהוא חלש בהם לא ישיגם אל אמיתתם אבל ישיג מינם או סוגם ולא ידע להבדיל מאיזה מין הם כי מי שהיה חזק הראות ישיג המראה אשר ישיגהו לפי מה שהוא כאלו תאמר אדום או ירוק וישיג גם כן באיזה מדרגה הוא מן האדמימות או מן הירקות ואולם החלוש הראות לא ישיג אלא הסוג כלו' שהוא מראה ולא יותר ואף אם ישיג המין רוצה לו' שהוא אדום או ירוק לא ישיג באיזו מדרגה הוא מן הארמימות או מן הירקות: *Nihilominus pro ratione gradus Prophetæ verificatio verborum ejus erit. Quia multi Prophetæ ob debilem suam apprehensionem res clare, ut conveniebat, non apprehendunt. Apprehensioni Prophetarum idem accidit, quod in sensuali apprehensione contingere solet. Qui sanus est & fortis, ille sensibilia ut illa se habent, apprehendit: sed qui sensibus minus valet, eas secundum veritatem minime percipit, sed speciem duntaxat illorum aut genus, neque tamen discernere cujus speciei sint. Cujus enim visio est fortior, objectum apprehendit ut in se est, ut si dicas rubrum aut viride. quin etiam apprehendit, cujus gradus illa rubedo sit vel viriditas. Si vero visus sit debilior, non nisi genus apprehendit, q. d. tantum esse visionem; sed si & speciem apprehenderit, q. d. esse rubrum vel viride, non apprehendit, cujus gradus sit rubedo vel viriditas.* Ita ex veterum mente, quam etiam Rabbi Maimonides cap. VII. יסודי תורה in medium affert, Rabbi Albo disputat, arbitratus etiam naturalis habitudinis partes esse in prophetico munere obeundo. Quasi vero DEI potentia & operatio non id multis modis supplere possit & soleat, quod natura alias abesse & deficere apparet. Num vero ex parte hominis requiritur necessariò conditio ejusmodi, qua deficiente per eum DEUS futura prædicere aut quid revelare nequeat? Quam insulsum est & in DEI cum potentiam tum majestatem injurium, quod Maimonides l. cit. ait אין הנבואה חלה אלא על חכם גדול בחכמה גבור במדותיו ולא יהא יצרו מתגבר עליו בדבר בעולם: *Prophetia non nisi super magnæ sapientiæ viro recubat, forti, & qui concupiscentiæ suæ in mundo resistit.* Quantopere illud à veritate abludit, quod Menasseh, Concil. quæst. 8. in Numer. ait: *Prophetica somnia revelari hominibus benè meritis & undique perfectis, nimirum sapientibus, fortibus, divitibus, qui digni sunt Spiritu prophetico & in omnibus felices.*

§. XVIII. Rabbi Albo cum hunc in modum Prophetarum vaticinia se habere dixisset, ut pro ratione suæ fortitudinis vel debilitatis aliquid illi apprehendant, quod exemplis Jeremiæ & Ezechielis probare conatur, tandem pergit: כבר ביאר השם יתברך זה ההבדל בין נבואת משה לזולתו אמר בנבואת משה פה אל פה אדבר בו ומראה ולא בחידות מכלל ששאר הנביאים זולת שמה הם מדברים בחידות בלתי מבוארות ומראות בלתי אמתיים ולכן ראוי שיפורשו באופן שיסכימו אל דברי משה וכן יפורשו תמיד דברי הנביא הקטן במדרגה באופן שיהיו מסכימים אל דברי הגדול ובלתי חולקים עליו וביאור זה הרי שמצינו ישעיה אומר ואראה את השם

השם יושב על כסא רם ומשה אמר כי לא יראני האדם וחי ואלו לא היינו יודעים מדרגת שום אחד מהם היינו חושבים שדברי ישיעהו הם צודקים והיינו אומרים כי לגודל מדרגתו השיג מהשם מה שאפשר שיושג ממנו ולכן אמר ואראה את ה' ומשה למה שלא הגיע למדרגת ישעיהו ולא השיג השם אלה דבר מועט אמר כי לא יראני האדם וחי למעוט השגתו ומדרגתו בנבואה ואבל אחרי שידענו היות משה רב של נביאים שנ' עליו ודבר ה' אל משה פנים אל פנים כאשר ידבר איש אל רעהו ונאמר גם כן אם והיה נביאכם במראה אליו אתודע בחלום אדבר בו לא כן עבדי משה וגו' פה אל פה אדבר בו ומראה ולא בחידות ידענו כי דברי משה אמתיים כפשטן בלי ספק ודברי ישעיה שהוא למטה ממנו במדרגה אינם צודקים ולמיעוט מדרגתו אמר ואראה את ה' שחשב שראה את השם ואינו כן כי זה היה מפעל הכח המדמה אבל משה לא היה לכח המדמה מבוא בנבואתו כלל כי נבואתו היתה בכח הדברי אשר בו מושפט משאר הכחות הגשמיות אמר כי לא יראני האדם וחי שהוא האמת אבל ישיעהו למה שהיה משתמש בנבואה גם על ידי הכח המדמה שקראוה ר"זל אספקלריא שאינה מאירה הביאו זה לטעות ולדמות בכח המדמה שראה את השם והוא בעצמו פי' שהשגתו זאת היתה בטעות על ידי הכח המדמה באר שהסבה בזה היתה שלא היתה חמרו מזוקק כחמר משה רבינו וזה שאמר כי איש טמא שפתים אנכי וגם מדותיו לא היו כראוי וזהו שאמר ובתוך עם טמא שפתים אני יושב כי הישיבה בין האנשים רעי המדות יפסודו האיש הטוב ובעבור זה היה מתאונן יאמר אוי לי נדמתי כלומר שנתפעלתי מן הרוח המדמה ואין נבואתי בספקלריא המאירה כנבואת משה שהיה שומע את הקול מדבר אליו מזולת שיראה תמונה לנגד עיניו אבל אני להיות נבואתי באספקלריא שאינה מאירה שהיא באמצעית הכח המדמה לא יכלתי לשער חשגת דבור מבלי ראיות צורה מדברת וזה גרם לי להיותי איש טמא שפתים ושהייתי יושב בתוך עם טמא שפתים ולזה אני מתאונן ואומר אוי לי כי נדמתי לפי שאת המלך ה' צבאות ראו עיני ויודע אני שזהו פעל הכח המדמה כי הוא יתברך בלי ספק אי אפשר ליחס אליו שום תאר ולא תמונה אפילו במראה הנבואה למתנבא באספקלריא המאיר: וזהו שאמרו ר"זל מנשה הרג את ישעיהו ואמרו מידן דייניה וקטליה אמר לו משה רבך אמר כי לא יראני האדם וחי ואתה אמר' וראה את ה' *Pridem DEUS benedictus diſcrimen inter Moſis & aliorum prophetias expoſuit. De illa enim ait: (Num. 12: 8.) ore ad os ei loquor, in viſione & non per ænigmata. Ubi docet, omnes reliquos Prophetas præter Moſen loquutos eſſe per ænigmata obſcura & viſiones minus veraces. Atque ideo ita ſunt explicandæ, ut verbis Moſis conſentiant, & ſubinde Prophetæ minoris verba ita interpretanda ſunt, ut conſentiant cum verbis majoris Prophetæ, neque ei repugnent. Ad explicandum hoc facit, quod Eſaias (cap. 6: 1.) ait, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum. Moſes autem ait (Exod. 33: 26.) non videbit me homo & vivet. Ubi niſi unius cujuſque prærogativam ſciamus, arbitrari poſſumus, verba Eſaiæ eſſe vera, & eum ob magnitudinem ſui gradus aſſecutum id eſſe à DEO, quod de illo apprehendi queat, ut idcirco dixerit, & vidi Dominum; Moſen vero, quod ad Eſaiæ gradum non pertigiſſet, & non niſi modicum apprehendiſſet, dixiſſe, non videbit me homo & vivet, ob exilem illam apprehenſionem & gradum illum in Prophetia. At enim poſtquam id nos minime latet, Moſen omnium Prophetarum eſſe principem, quia de illo dictum eſt, & locutus eſt ad Moſen de facie ad faciem, ſicut vir loquitur cum proximo ſuo, & etiam dictum eſt, (Num. 12.) ſi Propheta inter vos fuerit, in viſione ei apparebo, in ſomnio ei loquar. Non ita ſervus meus Moſes &c., ore ad os ei loquor & palam, non parabolice, cognoſcimus, verba Moſis literaliter haud dubie eſſe vera, Eſaiæ vero, quia eo minor eſt, minus vera, & quod minor eſſet, eum dixiſſe: vidi Dominum. Nempe ſibi perſuaſit, ſe Dominum videre, quod tamen non ita erat. Hoc enim erat ex phantaſiæ operatione, ſed Moſes, quia in ſua Prophetia prorſus non phantaſiæ operationi obnoxius erat, quippe qui ex operatione facultatis rationalis, abſtractus à reliquis corporalibus facultatibus, ait, quia non videbit me homo & vivet. Quod vere ſe ita habet. Sed quia Eſaias in ſua Prophetia etiam Phantaſia uſus eſt, quam Dd. l.m. vocant ſpeculum illucidum, hoc in errorem eum induxit, ut ſibi in Phantaſia videretur videre ipſum DEUM, hoc eſt, ut hæc apprehenſio erronea eſſet ob facultatem imaginativam. Et cauſam in eo ſitam eſſe ait, quod ipſe minus eſſet purus, quam Moſes Doctor noſter, id quod patet ex verbis (cap. 6: 5.) quia ſum vir pollutus labiis. Quin neque iis moribus erat præditus, ut par erat, quia dicitur: in medio populi pollutis labiis habito. habitatio illa inter male moratos pium virum corrumpit. Et idcirco queritur (cap. 6: 5.) Hei mihi, quia mihi perſuaſi: q. d. quia imaginativæ facultatis virtute operatus ſum, & mea prophetia non eſt de ſpeculo lucido, uti Moſis, qui vocem ad ſe loquentem audiit, præter imaginem oculis ipſius ſe ſiſtentem. Cæterum, quia mea prophetia, facultatis imaginativæ virtute facta, non eſt de lucido ſpeculo, non potui æſtimare apprehenſionem locutionis abſque viſione formæ loquentis. Hujus rei cauſa eſt, quod ſum vir impurorum labiorum, & in medio populi immundorum labiorum habito. Et idcirco ego lamentor, Hei mihi! quod Regem, nimirum DEUM exercituum, oculis meis vidiſſe mihi perſuaſi. Atque ego novi hoc opus eſſe imaginativæ facultatis. DEO enim abſque omni dubio nulla omnino poteſt attribui forma, nulla imago, ne quidem in prophetica viſione & in ſpeculo lucido. Atque hoc eſt quod dixerunt Magiſtri noſtri l.m. Menaſſeh occidit Eſaiam. Et dixerunt quamobrem id fecerit. Reſpondit ei: Moſes Doctor tuus dixit, quia non videbit me homo & vivet: Tu tamen dixiſti: Et vidi Dominum.*

§. 19. Hæc quantumvis complura, & Judaicum ingenium redolentia, adducenda duxi, ut pateſceret, Ebræorum Doctores, dummodo Moſi ſua conſtat integra autoritas & illibata, non ſine blaſphemia abjecte de Eſaia loqui, eumque falſitatis arguere malle, quam, commoda eaque facili inſtituta conciliatione, utrumque verum dixiſſe, oſtendere. Negat apud Moſen Deus ſe videri poſſe, nempe in ſe & eſſentia ſua, viſione מוגשה *ſenſuali*, & oculis corporeis, de qua & N. Teſt. ſcriptores loquuntur Johann. 1: 18. 1 Timoth. 6: 16. Affirmat vero Eſaias, ſe Dominum vidiſſe, puta בצד מדומה והנבואיי *modo quodam phantaſtico & prophetico*, quo, ſpecie aliqua ſibi oblata, Dei majeſtatem vidit. Quemadmodum & Chaldæus Interpres tranſtulit יְקָר שְׁכִינַת מַלְכָּא עָלְמַיָּא *gloriam majeſtatis Regis ſeculorum.* Quod autem R. Albo errorem aliquem & falſam perſuaſionem tribuit Eſaiæ, id oritur ex ſiniſtra interpretatione verbi נדמתי, quod non notat, mihi perſuaſi, uti Albo contendit, ſed vel habet ענין הכריתה *ſignificationem exciſionis*, ut Hoſ. 11: 15. vel שתיקה *ſilentii*, ut in Michlal Jophi habetur. Priori modo ſi accipias cum B. Luthero, Propheta ſibi metuit ab exciſione, vel morte, ob viſionem Dei, perinde ac Judic. 13: 22. Manoa. Si vero poſteriori explices, ut ſit idem ac נשתתקתי quomodo ſuum parentem expoſuiſſe, Kimchi in Comment. teſtatur, tunc ob immunditiem labiorum ſuorum, puriſſimorum angelorum percepto cantu ſe obmutuiſſe, notabit. Neutro modo pugna eſt inter Eſaiam & Moſen, licet hujus viſio longe alius generis fuerit. Ut enim R. Abarbanel fol. 291. Comment. in Pentateuch. ſcribit: המראה של משה היתה מראה מבלי חידות מפני שלא היתה על יד הכח המדמה וע"כ לא היה מנבא בבטול החושים ולא נרדם ופניו ארצה כשאר הנביאים כי הוא תמונת ה' יביט: *Viſio Moſaica ſine ænigmatibus fuit, quia non eſt facta virtute phantaſiæ, neque ceſſante ſenſuum operatione, neque alicujus ſoporis immiſſione, neque facie deorſum verſa, more reliquorum Prophetarum. DEI enim formam vidit.*

§. 20. Cum hoc poſtremum, quod Lutherus reddidit: Er ſihet den HErrn in ſeiner Geſtalt/ de Moſe Num. 12: vſ. 7. ipſe DEUS affirmat, quomodo id intelligendum ſit, non una omnium interpretum eſt ſententia. Rabbi Abarbanelis verba ſunt: לא שיהיה תמונה להש"י חלילה אבל אמר זה על תמונה אשר בשמים ממעל שהיא התמונה להש"י שעשה הש"י בעליונים: *non quod DEUS formam habeat, abſit! ſed de forma, quæ in cœlis eſt, quam in altis fecit, loquitur.* Rabbi Maimonides ſenſum eſſe ait: אמתת השם ישיג *DEI veritatem attigit.* Quod de intellectuali apprehenſione videtur accipere, quemadmodum etiam Rabbi David Kimchi in libro Radicum, ad vocem תמונה interpretatur. Atque, ita DEI eſſentiam Moſen vidiſſe, ſicut Paulus in raptu, affirmat Thomas 22. quæſt. 174. art. 4. ex Auguſtino, 12. ſuper Geneſin ad literam, qui tamen enarrat in Pſalm. 138. exiſtimat Moſen vidiſſe filium DEI in carnis ſpecie, quam aliquando aſſumturus erat. Sane dum LXX. textum Ebræum reddiderunt τὴν δόξαν τοῦ κυρίου εἶδε, quos Syrus ſecutus eſt: ܫܘܒܚܗ ܕܡܪܝܐ ܚܙܐ eadem locutione utuntur, qua Johannes cap. 12: verſ. 41. cum Eſaiam gloriam ejus, nempe Meſſiæ, vidiſſe ait.

§. 21. Urgent Judæi ipſam vocem מַרְאֶה quæ cum Sægol punctata longe aliam viſionem denotet, quam reliquorum Prophetarum. Unde Rabbi Abarbanel ad loc. cit. ita ſcribit: היתה צורת נבואתו כל כך זכה שהיה רואה הדברים בשלמותם מבלי ספק ועל זה נאמר מראה ולא בחידות רוצה לומר שאיננו מביט במראה בקמץ שהיא ספקלריאת שאר הנביאי' אבל במראה שהיא בס"גול תחת האלף והרצון בו ראיה ברורה מבלי חידות: *Tam pura ejus* (Moſis) *prophetia erat,*

 ut res

ut res perfecte viderit, nullo dubio relicto, Idcirco ait, in visione, & non in ænigmate. q. d. non is vidit בְּמַרְאָה *cum Kamez, quæ notat reliquorum Prophetarum speculum, sed* בְּמַרְאֶה *cum Segol sub Aleph, quo visio clara omnis ænigmatis expers significatur.* Cæterum Abarbenel ex vocali illa aliquod suæ sententiæ subsidium petens laterem lavat, videturque ignorasse, etiam Danieli tribui מַרְאֶה cap. 8: vers. 16, 17. quem tamen Prophetis ne accensent quidem. Sciendum itaque est, utrumque nomen diversi generis & diversimode punctatum unum idemque significare, & non tam ex eo nomine quod simpliciter visionem denotat, quam ex contextu de visione Mosis esse judicandum. Negat DEUS, suam voluntatem se Mosi manifestare per objectarum specierum visionem, aut per somnia, more aliorum Prophetarum, vel ut Arabs reddit in Opere Anglicano بصور الله المخلوقة *per figuras DEI ipsi creatas*, sed se ad eum loqui ait, פה אל פה *de ore ad os*, hoc est, ut optime iterum Arabs vertit بغير واسطة *absque medio.* Nempe ut Aben-Esra commentatur: כבן בית שיכנס בלא רשות ואם יצטרך ידבר צרכיו: *Moses instar filii nulla licentia impetrata ingressus, quæ sibi necessaria essent, ipsemet exposuit*, & ad dubios casus responsum divinum plenum & clarum, quoties voluit, præsens à præsenti clara audita voce obtinuit. Conf. Lev. 24: 15. Numer. 9: 9. 15: 35: 27: 5. 36: 5. Atque huc non obscuri nominis interpretes respicere illud arbitrantur, quod de Mose Dominus ait, ותמונת יהוה יביט *& formam Domini intuetur.* Nempe ut non sit, videre Dominum per essentiam, sed ut sit *videre & audire* ea, quæ Dominus loquitur, quo ipso ejus, utpote Domini quasi personæ præsentis vocem reapse audientis, major sit prærogativa, quam aliorum, qui per species rerum vident, vel internas duntaxat percipiunt locutiones. Atque idcirco etiam videtur asserere Rabbi Abarbenel, על צד העברה *metaphorice* illud accipiendum esse. Sunt tamen alii, qui omnino arbitrantur, in aliquod externum, visibile, & à DEO ipso sibi appropriatum signum legislatorem esse intuitum. Rabbi Gerundensis ait זה מראה אחורית *hæc est visio illa à posteriori.* (Exod. 33: 23.)

§. 22. Quicquid ejus sit, prærogativa tamen & intimior hæc familiaritas, quæ legislatori idcirco est indulta, ut apud refractarium populum eo citius fidem is inveniret, & majorem autoritatem haberet, Judæorum assertum parum juvat: neque inde aliquo excellentiori influxu Mosis libros inspiratos esse dictatosque, potest inferri, cum ipsimet fateantur, paulo ante mortem demum Mosen libros suos scripsisse. Unde igitur fidem illi facient, alio tunc modo eoque excellentiori id factum esse, quam in aliis, & idcirco his libris Mosaicos præferendos? Ne Turcæ quidem id cum Judæis asseruerint. In Alcorano enim, Surat. 2. de familia Amrami ubi mentionem faciunt librorum Mosis, Josuæ & Prophetarum, quos accepisse ait: من ربهم *à Domino suo*, hæc legimus: لا نفرق بين احد منهم *non distinguimus inter eos.* Nempe origo illa augusta & quæ omnibus ex æquo communis est, divina & infallibilis inspiratio, in scribendo nullam facit differentiam, & prohibet id dicere, quod Judæis consentiens Socinus, lib. de autorit. Script. cap. 8. asseruit; alium alio rerum veritatem melius tenuisse. Ipso enim Abarbenele teste נבואה כלם נתונה מרעה אחד ועולה לא נמצא בשפתיהם: *Omnium Prophetia ab uno pastore est data*, (Eccles. 12.) *& iniquitas in labiis eorum non est inventa*, (Malach. 2: vs. 16.) Manet igitur fixum & firmum, non tam alicujus peculiaris qualitatis & prærogativæ ratione, quam intuitu temporis, quo reliquos antecedunt, primum inter sacros libros locum accepisse Mosaicos, & quod in his lex Mosaica pars esset illustrior, תורה fuisse appellatos, id quod ad alteram quæstionem, cujus supra §. 5. facta est mentio, erat respondendum.

CAPUT II.

Ex prisco Prophetarum Ordine, quem Judæi immutarunt, super loco vexato Matth. 27: 9. conjectura Lightfooti plausibilis, eaque Capelli asserto periculoso & à Cl. Dn. Dilherro exploso præferenda. Cur duodecim prophetæ minores olim in unum compacti volumen. Ratio cur inter libros sacros Prophetis secundus, Hagiographis tertius locus assignatus, ab Abarbenele allata. Quid Judæis נְבוּאָה *&* רוח הקדש. *De originatione vocis* נבואה *R. Salomonis, R. Eliæ Germani & Aben-Esræ diversæ opiniones. R. Nathanis super eadem voce judicium. Schindlerus laudatus. An* נבואה *&* προφητεία *æque late pateant. Abarbenelis sententia. B. Helvicus laudatus. Divisio Judaica ex ipso Kimchio impugnata. Cur Daniel inter Hagiographos relatus secundum Maimonidem. Grotius & Drusius intempestive Maimonidis vestigia premunt. Maimonidis rationes solvit Abarbenel & Danielem Prophetam fuisse, multis probat. Rationem postpositi Danielis, quam B. Helvicus & P. Cunæus se scire negant, Dn. D. Mullerus reddit. Abarbenelis & Scholiastæ Ebræi, cur Danielem inter Prophetas prisci non retulerint, ratio conficta. Nova ratio, cur Hagiographis insertus Daniel, ab Abarbenele allata. Ejus commentum, Photinianorum & ex parte Bellarmini asserto haud absimile, explosum. Rabbi Bechai* רוח הקדש*, quem pro infimo divinæ revelationis gradu habet, speciem prophetiæ esse largitur. Chaldæum & Rabbi Salomonem idem sentientes Rabbi Abarbenel ex 2 Sam. 23: 2. nequicquam impugnat. Num. 12: 6. non omnes Prophetiæ species recensentur, ut Rabbi Aben-Esra sentit. Rabbi Gerundensis de loco cit. notabilis observatio. Maimonidis sententia de gradu Spir. S. ipso Abarbenele judice, absurda. Summa Judæorum cæcitas notata. Thomæ Aquinatis & Grotii super Prophetiæ & Spir. S. discrimine ἐπίκρισις. Elenchus Judaicæ divisionis. Conjectura Maimonidis rejecta, & Danielis & Davidis prærogativa prophetica asserta. R. Abarbenelis alia sententia de* רוח הקדש. *Nomenclatura* כתובים *solis libris illis, quos Hagiographos vocant, minus recte vindicata. Alia Abarbenelis librorum sacrorum divisio Pontificiis opponenda. Scaligeri & Buxtorfii, filii scrupulus super appellatione Hagiographorum, quæ & Apocryphis libris à Judæis tribuitur, expenditur.*

§. I.

AD reliquas divisionis Judaicæ partes progressuri ex ipso Talmud, Massechet Bava Bathra cap. I. ordinem librorum recensebimus. Ita vero ibi legimus: תנו רבנן סדרן נביאים יהושע שופטים שמואל מלכים ירמיה ישעיה יחזקאל תריעשר: *Doctores nostri ordinem Prophetarum dederunt hujusmodi: Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Esaiæ, Ezechielis & duodecim (minorum.)* Ex quibus liquet, Jeremiam inter posteriores prophetas primum quondam locum obtinuisse, contra quam hodie fieri solet. Uti enim Rabbi D. Kimchi præf. Comment. in Jerem. testatur: כל הספרים הטובים אשר ראינו שנכתבו בספרד מכמה שנים סדרם לפי זמנם ישעיה קודם ירמיה כמו שקדם זמנו לזמנו: *In omnibus exemplaribus, quæ multis retro annis scripta vidimus, ordo librorum secundum tempus est confectus, Esaia Jeremiæ præmisso, uti illius tempora hujus antecedunt ætatem.* At prisci, uti l. cit. Rabbi David Kimchi docet ex Talmud. כיון דמלכים סופיה חרבנא וירמיה כוליה חרבנא ויחזקאל רישיה חרבנא וסופיה נחמתא וישעיה כוליה נחמתא סמיך חרבנא לחרבנא ונחמתא לנחמתא: *Cum liber Regum terminaret in excidio, & Jeremias totus agat de excidio, Ezechielis vero initium sit de excidio, & finiatur in consolatione, totus autem Esaias sit de consolatione, conjunxerunt excidium cum excidio, & consolationem cum consolatione.* Hinc Clar. Lichtfootus, Hor. Ebr. pag. 308. rationem reddi posse arbitratur, cur Matth. cap. 27: vers. 9. illud, quod in Zacharia legitur, à Jeremia scriptum perhibeatur, nempe quod ab eo, utpote primo totum volumen Prophetarum, non minus ac à Psalmis Hagiographa, sit denominatum. Quæ conjectura minime contemnenda esse videtur, multo sane præferenda Ludovici Capelli asserto, qui memoriæ lapsu Evangelistam sic allegasse locum, non dubitavit asserere. Quam, Socino quoque probatam sententiam, quantopere aver-

averſetur ſit Excell. Dilherrus. pag. 363. Eclog. Sacr. his verbis teſtatur; *Obſtupui, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit, cum primum legi verba ejus in ſpicilegio ſuper* Matth. 23: vſ. 35.

§. 2. Ex minoribus duodecim Prophetis עשאו ספר גדול שלא יאבדו מתוך קטנם: *volumen magnum confecerunt, ne illi* (ſeorſim extantes) *ob ſuam parvitatem perirent*, uti Maſſechet cit. loquuntur. Vocant eos vulgo à numero תריסר. Græci δωδεκαπρόφητον. quod Amoſ. 5:25. legitur, Actor. 7:42. ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν ſcriptum dicitur. Omnes vero Prophetarum libri tam priorum, quos vocant, quam poſteriorum communiter נביאים appellari ſolent, quibus cur medium inter LEGEM & reliquos ſacros libros aſſignent Judæi, ex Abarbanelis verbis ſeqq. eſt cognoſcere: כלם קראו שם נביאים לא להבדילם מספר התורה כי כבר נבדלו ממנה במה שהיא תורה אבל קראום כן לרשום מעלתם וגם כן להבדילם מהכתובים ולהעיר שמחברים אותם הספרים היו נביאים ואשר חברו ספרי הכתובים לא היו נביאים כי אם מדברים ברוח הקדש והנה לא נקראו נבואות: *Omnes eos vocant* נביאים *Prophetas, non ut à lege diſtinguant, quippe à qua eo ipſo, quod illa Lex eſt, ſatis ſunt diſtincti, ſed ita vocarunt ad diſtinguendum eos ab hagiographis, & ad oſtendendum autores illorum fuiſſe Prophetas: Illi enim qui hagiographa ſcripſerunt, non fuerunt Prophetæ, ſed duntaxat per Spiritum ſanctum loquuti ſunt. Ecce enim non venerunt nomine* נבואות *Prophetiarum.* Conſimiliter quod Hagiographa ultimum locum nacta ſint, R. Abarbanel influxui divino, quo conſcripta ſint, tribuit. Ita vero ille l. cit. לספרי המדברים ברוח הקדש קראו כתובים לא להבדיל מספר התורה כי כבר הובדלו ממנה בשמה ולא להבדילם מהנביאים כי כבר הובדלו מהם בבחינה הפועל שיורה על שם נביאים אבל נקראו כן להעיר על מדרגתם במה היה השפע בהם רוצה לומר שלא היה מדרגת המדברים ההם במה שיראו צורות נבואיות ולא בשישמעו דברי אלקים חיים כי אם בהיותם במעלת רוח הקדש אשר הוא כמו שזכר הרב המורה בפ' מ"ה חלק שני ענין אלקי ילוה לאיש יעודדהו ויזרזהו לדבר או לכתוב דברי שירות ותושבחות או דברי חכמה באופן נפלא וזה כתב הרב שמה ז"ל ולכן נקראו כתובים לפי שנכתבו ברוח הקדש הנה אם כן הכוונה בשם כתובים להודיע שנכתבו הדברים ההם על ספר ושלא היו על פה כי אם שנכתבו ברוח הקדש ובמדרגת היא ושלא היה הרוח האלקי אתם כי אם בכתובתם באותו לשון וחכמה ולא בדבר אחר ולהיות זאת המעלה העליונה בהם נקראו כתובים: *Libros per Spiritum S. loquentium vocarunt Cetubim, non ut diſtinguerent eos à lege; jamdum enim ab eodem diſtincti ſunt nomine, neque à Prophetis, ab illis enim ratione efficientis cauſæ ſunt diſtincti, qui veniunt nomine* נביאים. *Vocantur Cetubim, ut gradus illorum ſignificetur, & quonam influxu ſint conſcripti, q. d. non illum gradum in eo conſiſtere, ut videant formas propheticas, neque ut audiant verba* DEI *vivi, ſed cum ſint in illo gradu, qui* רוח הקדש *appellatur, &, ut Doctor perplexorum loquitur, cap. 45. part. 2. aliquid divinum eſt, quod virum comitatur, diſponit & excitat, ut loquatur aut ſcribat hymnos, laudationes aut verba ſapientiæ, modo admirando. Atque hæc Doctor l. cit. ſcribit. Idcirco vocantur* כתובים, *quod per Spiritum S. ſcripta ſunt. Ecce cum ita res habeat, voce* כתובים *volunt indicare, quod ea libro ſint inſcripta, non ore tradita, ſed per Spiritum S. ſcripta & in illo gradu, & quod Spiritus* DEI *non niſi in ſcriptione illorum fuerit cum ipſis, ea lingua eaque ſapientia, alias non item. Et cum hic gradus ſit in illis ſupremus, ideo vocantur Cetubim.*

§. 3. Cum, ut ex allatis verbis R. Abarbenelis patet, Maimonidem tanquam ducem aliquem, cæteri Ebræorum Doctores plerique omnes ſequantur, & ejus etiam ſententiam R. David Kimchi præfat. Comm. in Pſalmos ſit amplexus, quem Chriſtianorum quoque nonnulli haud obſcuri nominis Doctores ſequi non dubitarunt, paulo accuratius ea quæ R. Maimonides tradidit, expendere mihi eſt decretum. Quod dum facere aggredior, quid diſcriminis recutiti inter ipſam נבואה Prophetiam & רוח הקדש ſtatuant, ex eodem Maimonide monere viſum eſt. Nempe ut R. Abarbenel mentem ejus explicat Comment. in Daniel. pag. 17. col. 3. לא תבוא בין בחלום בין במראה כי אם בביטול החושים אבל היה החילוף ביניהם כפי עת הגעת הנבואה לנביא כי אם מצא אותו ישן והל בו השפע בתוך שנתו יקרא חלום נבואיי ר"ל נבואה שהגוע' בתוך חלום ואם היה בהקיץ מתעסק בעניניו כשחל עליו השפע יקרא מחזה או מראה או חזון שהכל אחד ועל כל פנים בכל אחד מהמינים האלה יתבטלו החושים כל עוד שתתמיד הנבואה לכן הצורות הנראות לנביא והדברים הנשמעים לו בנבואתו והמלאך שיראי וישמע דבריו הכל לדעת הרב הם פעילות דמיונות וצירות וכחות נבראו בכח המדמה לא שיהיה לדבר מזה מציאות מחוץ לחושי הנביא בשום צד תראה זה מדבריו בפרק מ"א ובפרי מ"ב באותו חלק זה כלל דעת הרב ושרשיו בענין הנבואה: *Non venit* (influxus Propheticus) *ſive in ſomnio ſive in viſione, niſi ceſſante ſenſuum operatione. Aliquid diſcriminis intercedit ratione temporis, quo Prophetia in Propheta ſe ſiſtit. Si enim eum invenit dormientem, requieſcit ſuper eo prophetia in ipſo ſomno, & vocatur ſomnium Propheticum, q. d. prophetia, quæ in ipſo ſomno accidit. Si vero vigilanti accidit, & rebus ſuis intentum occupat, vocatur* מחזה, *aut* מראה *vel* חזון, *quæ omnia unum idemque ſignificant, ſed ubique ibi & in omnibus ſpeciebus ceſſant ſenſus, quoad prophetia durat. Idcirco formæ apparentes Prophetæ & verba quæ audiuntur in prophetia ejus, & angelus, quem videt, & verba ejus audit, omnia, ut Raf cenſet, ſunt opera imaginaria, formæ & facultates à virtute imaginativa productæ, ita ut ſenſibus nihil quicquam percipiatur. Hæc ipſa ejus verba* cap. 41. & 42. *ejusdem partis invenies. hæc ſumma eſt ſententiæ & fundamentorum Doctoris, quod attinet prophetiam.*

§. 4. Audiemus nunc eundem, quid ſit רוח הקדש nobis exponentem: רוח הקדש אמר הרב שאינו נבואה כי אם השפע ההוא מגיע לדברי והמדמה יחד לשיצרק בו גדרה ולכן יבוא רוח הקדש ביקיצה בהשמשות החושים לא בבטולם ועשה הרב ממנו ב' מינים האחד בפעולות כשיתעורר האדם בעצמו לעשות פעול משובח בהצלת קהל טובים או אדם מיוחד בחשיבותו יאמר שהיתה או שצלחה עליו רוח ה' והמין השני הוא שימצא האדם כאלו התחדש עליו כח לדבר בחכמות או בתושבחות ודברי מוסר ואזהרה וכל זה בעת היקיצה והשתמשות החושים על מנהגיהם ואז יאמר עליו שהוא מדבר ברוח הקדש כמו שבא בפרק מ"ה מאותו חלק: *Raf negat, Spiritum S. Prophetiam eſſe, quippe quæ ſit influxus in facultatem rationalem & imaginativam ſimul, ut ita definitio ejus verificetur. Idcirco Spiritus S. vigilanti ſupervenit, & ſuis ſenſibus utenti, non cum eorum uſus ceſſat. Duas vero ſpecies Raf facit. Prima eſt, cum homo ſeipſum excitat ad opus laudabile faciendum, ut cum cœtum piorum hominum liberat, aut aliquem ſaltim, dum ſibi perſuadet ſuper ſe Spiritum S. reſediſſe. Altera ſpecies eſt, cum homo in ſe ſentit renovari virtutem loquendi utilia, laudabilia verba diſciplinæ & adhortationis, & quidem vigilans, ubi ſenſus ſuo funguntur officio; Tunc loqui dicitur per Spiritum S. quemadmodum ejusdem partis c. 45. habetur.*

§. 5. Quantum ex verbis adductis pateſcit, Judæi Prophetiam & Spir. S. pro duobus iisque oppoſitis modis habent, שמורים שלמותם היותר עליון *qui perfectionem illorum* (librorum) *alia excellentiorem oſtendant.* De quo aſſerto infra diſputaturi, ecquid nomen נביא ex uſu Scripturæ deſignet, diſpiciemus. R. Salomo Comment. in Exod. 7:1. hunc in modum diſſerit: כל לשון נבואה אדם מכרין ומשמיע לעם דברי תוכחות והוא מגזרת ניב שפתים נוב חכמה ויכל מהתנבות שמואל ובלעז קורין לו פר"ידיגר: *Significat* τὸ נבואה *hominem prædicantem & promulgantem populo verba objurgatoria. Eſt enim ex* ניב שפתיי *fructus labiorum* (Eſ. 57:19.) נוב חכמה *propagat ſapientiam* (Prov. 10:31.) *& abſolvit* מהתנבות *Prophetare* (1 Sam. 10. 13.) *vocant in lingua barbara* Prediger. Cæterum ſine ſuffragio Doctorum R. Salomonem ita docere, R. Elias Germanus, animadverſionibus in lib. Radicum Kimchii monuit, ר"שי כתב שנביא הוא מלשון ניב שפתיי ואין מפרשים מודים לו: *Raſchi ſcripſit, vocem* נביא *eſſe ſignificationis* ניב שפתיי, *ſed interpretes ei haud adſtipulantur.* Reſpexit haud dubie ad ea, quæ contra hanc etymologiam diſputat R. Aben Eſra, Comment. in cap. 7. Exod. האומרים כי נביא מגזרת ניב שפתים איננו נכון כי שורש ניב משנים לפי דעת חכמי צרפת ומעלומי העין לפי דעת חכמי ספרד ושרש נביא שלש אותיות והעד נביאים ויתנבאו כי האלף שורש ועוד כי ניב שפתים כמו פרי כי הוא מגזרת תנובי עוד ינובון בישיבה והעד נאמן וניבו נבזה אוכלו ועוד מה טעם השב אשת האיש כי נביא הוא אם פירושו דברן הוא רק פירושו הוא נביא שאגלה לו סודי כדרך כי אם גלה סודו על עבדיו הנביאי' והוא מתענג עלי ועל כן יתפלל בערך וחיה: *Qui dicunt* τὸ נביא *eſſe ex ſignificatione* ניב שפתים, *minus recte ſentiunt. Radix enim eſt ex verbis geminatis, ut ſapientes Galliæ ſentiunt, vel ex occultantibus Ain, ſive quieſcentibus ſecunda radicali, ut ſapientes Hiſpaniæ docent. Radix vero* נביא *tribus literis conſtat, quod videre eſt in* נביאים *&* יתנבאו, *Aleph enim eſt radicale. Præterea* τὸ ניב שפתיי *idem ſignificat ac fructum, quia eſt ex voce* נוב, *ut cum dicitur* (Pſal. 92:25.) *adhuc* ינובון *germinabunt in canitie. Atque hoc ſatis conſtat ex verbis* (Malach. 1:12.) וניבו *& fructus ejus corruptus cibus. Inſuper, ecquis ſenſus eſt verborum* (Gen. 20:7.) *reſtitue uxorem viri, quia* נביא *eſt, ſi concionatorem ſignificet? Potius igitur verborum* הוא נביא *ſenſus eſt, cui arcana mea revelo. Veluti dicitur* (Amos 3: verſ. 7.) *niſi revelaverit verbum ſuum ſervis ſuis Prophetis, oblectat ſe in me, ideo pro te rogabit, ut vivas.*

§. 6. Non ſane de nihilo eſt ratio Aben Eſræ, qua adducti omnino ſtatuimus, verbum נבא eſſe primitivum, licet cum R. Abarbenele complures ex voce ניב eam derivari perſuaſum habeant. De ſignificatione ejus R. Nathan in Concord. Ebraicis hunc in modum ſcribit: כל לשון נבואות שפירושו ההלצה נבואה או דבור או השפיטה בעתידות בטרם תצמחנה: *omnis vox ſignificat vel interpretationem vel locutionem, aut futurorum, antequam fiant, indicium.* Cum interpretationem notare ait, videtur reſpexiſſe ad Exod. 7: 1. ubi נביאך Chaldæus מתירגמנך *interpres tuus* reddidit, qua ſignificatione etiam Cor. 14: 1. verbum προφητεύειν Paulus adhibet, nempe facultate ſcripta Prophetica interpretandi præditum eſſe, quo ſenſu & apud profanos ſcriptores occurrere, vel ſolum illud Luciani docet, ἀληθείας καὶ παῤῥησίας προφήτης. Confer 1 Sam. 10: 5. verba חבל נביאי *per* סיעת ספריא *cœtum ſcribarum &* מהבמה *ab excelſo*, מבית אסחרותא *è domo conſeſſus* reddidit Chaldæus. Quin & 1 Paral. 16: 22. *cantantium chorus* appellatur נביאים *Prophetarum*, licet, ut Sanctius & alii interpretes docent, à divino afflatu abfuerint. Eſt ubi נתנבאו Chaldæus per אשתטיאו *ſtultitias loquebantur*, tranſtulit, quod Kimchi per רברו דברי תולים explicat, nempe 1 Reg. 18: 29. ubi illud obſervandum, quod Schindlerus monuit in Lexico, *in Hithpael accipi fere de prophetia falſa ſeu fictitia pro natura iſtius conjugationis. In Niphal vero ſignificare Prophetiæ acceptionem & mandatum loquendi ad alios.*

§. 7. Atque id hic cumprimis notandum eſt, ex uſu Scripturæ τὸ נביא eum denotare, cui ſupernaturaliter aliquid à Deo revelatur; cum vero præcipua ſpecies revelationis fuerit futurorum viſio & annunciatio, inde factum eſt, ut qui olim ראה *videns* diceretur, poſtmodum נביא appellaretur, 1 Sam. 9: 9. & hinc quoque Græcis appellatur προφήτης, nempe per Synecdochen ſpeciei. Neque enim προφητεία ſtricte dicta, & ut futurorum prædictionem ſonat, vocis Ebrææ נבואה exhaurit latitudinem. Ipſe Abarbenel, licet præf. Comment. in Joſ. ſcribat de ea, quod ſit שם המיוחד להגדת העתידות *nomen quod proprie futurorum annunciationem ſignificet.* Commentar. tamen in lib. Sam. ingenue fatetur נביא dici, על ספרו הענינים שהשיג לבני אדם *quod res hominibus annunciet*, nempe quas ex divina revelatione accepit, ſive *doctrinam*, ſive *prædictionem*, ſive *increpationem.*

§. 8. Hæc cum ita ſe habeant, quæritur, eccur libros omnes quos ſupra §. 1. recenſuimus, inter נביאים referant, & reliquos, nempe *Pſalmos*, *Proverbia*, *Jobum*, *Canticum Canticorum*, *Ruth*, *Threnos*, *Eccleſiaſten*, *Volumen Eſther*, *Danielem*, *Esdram*, *Nehemiam & libros Chronicorum*, inter illos libros referant, quos ברוח הקדש *per Spiritum S.* ſcriptos dictitant? Quo conſilio hoc faciant, ſe ſcire negat B. D. Helvicus, cap. 2. de Paraphraſibus Chaldaicis. Sane nulla ratio ſolida apparet, quamobrem id fiat. Quod enim ſupra R. Abarbenel cauſabatur, Hagiographa non vocari נבואות nec autores illorum fuiſſe Prophetas, id frivolum eſt, & ut infra, ubi pro Danielis prærogativa diſputat, patebit, partim ab ipſo Judæo rejectum. Unde vero illi probabunt, librum Joſuæ id nominis potius mereri, quam librum Chronicorum, & autorem illius, quem alii Joſuam, alii alium eſſe perhibent, fuiſſe *Prophetam*? De libris Chronicorum R. David Kimchi, præfat. Commentar. in lib. cit. ſcribit: עזרא זה הספר חבר בכתבי הקדש על ידי חגי זכריה ומלאכי הנביאים האחרונים וחברו עם הכתובים ולא עם הנביאים לפי שהוא ספור דברי הימים א״עפי שיש בכללם קצת נבואות אחר שעקרו נכתב לספר דברי הימים תכתב והיחסים תכלל עם הכתובים כמו ספר רות שנכתב לספר יחס דוד ונכתב עם הכתובים גם כן: *Librum hunc Esdras retulit in numerum librorum ſacrorum per manus Haggai, Zachariæ & Malachiæ Prophetarum poſtremorum, & quidem adjunxit eum Hagiographis, non vero Prophetis, eo quod hiſtoricam relationem contineat, licet etiam quædam ibi extent prophetiæ: quia vero principaliter & præcipue ſcriptus eſt ad enarrandas res geſtas & proſapias ſive genealogias, ideo comprehenſus fuit ſub Hagiographis, ſicut & liber Ruth, qui eo fine ſcriptus eſt, ut Davidis familiam recenſeret, idcirco & ille relatus eſt inter Hagiographa.*

§. 9. Si eo liber Chronicorum, quod hiſtoriam continet, & principaliter ad res geſtas enarrandas conſcriptus, & ad hagiographa eſt relatus, ut Kimchi docet, eccur liber Joſuæ, qui itidem hiſtoricus eſt, & minus vaticiniorum continet, quam liber Chronicorum, ab ipſis refertur inter Prophetas? Unde eis conſtat, autorem illius libri per *ſomnium*, *viſionem*, *ecſtaſin* vel *auditionem vocis* res percepiſſe & conſcripſiſſe, quæ veræ prophetiæ ſignum eſſe Judæi tradunt, Chronicorum vero librum ſcriptori aliter, *ſine ſenſuum alteratione*, dictatum inſtillatumque eſſe? Quæ item cauſa eſt, quod Danielem ultimæ claſſi accenſentes nolunt eum inter proprie dictos referre Prophetas? R. quidem Maimonides l. cit. ſcribit: הסכימה האומה לספר ספר דניאל מכלל הכתובים ולא מכלל הנביאים: *In hoc conſenſit gens noſtra* (ita enim non אומר, uti Comment. in Dan. Abarb. l. cit. habetur, ſed אומה legendum eſſe, verborum tenor ſuadet) *ut Daniel in cenſum Hagiographorum, non vero Prophetarum referretur.* Sed quæ hujus conſenſus ratio eſt & cauſa? R. Maimonidem audiemus l. cit. ita eam reddentem: ולזה העירותך שזה המין מן הנבואה שבא לדניאל ולשלמה אף על פי שראה מלאך בחלום ולא מצאנו בעצמם שהיה נבואה גמורה אבל חלום יורע בו אמת הענינים והיא מכת מי שידבר ברוח הקדש והיא המדרגה השנית וכן בכתבי הקדש לא שמו הפרש בין משלי וקהלת ותהלים ומגילת רות ומגלת אסתר הכל ברוח הקדש נאמרו ואלו גם כן נקראו נביאים: *Ideo te monere volui, hanc ſpeciem eſſe prophetiæ, quæ Danieli & Salomoni obtigit. etſi angelum in ſomnio viderunt, minime tamen in ſe ipſis deprehenderunt perfectam prophetiam eſſe, ſed ſomnium, per quod aliquid cognoverunt. Atque illud ex illorum claſſe eſt, qui loquuntur per Spiritum S. qui gradus eſt ſecundus. Atque ita in libris ſacris nihil diſcriminis poſuerunt inter Proverbia, Eccleſiaſten, Pſalmos, volumen Ruth & Eſther: omnes illi per Spiritum S. ſunt facti, atque etiam vocantur Prophetæ.*

§. 10. Sic nonniſi improprie & per catachreſin Danielem Prophetam vocari, Maimonides docet propterea, quod, ut Salomo è ſomno expergefactus diſerte dixit, *ecce ſomnium* 1 Reg. 3: 15. ita Daniel cap. 7: 1. ſuam prophetiam *ſomnium* appellat & *viſionem noctis*, quod nec in apparitione Abrahami Gen. 15: 1. neque Jacobi Gen. 28: 16. legatur. Hæc ratio eſt, qua nixus Maimonides tantum ſecundi ordinis Prophetam Danielem eſſe, conatur probare, quem tanquam ſolida ratione inſtructum H. Grotius videtur ſequi, annot. ad Matth. 23: 43. *qui*, inquiens, *in ſomnio divinitus monebantur, Prophetæ παχύτεροι vocabantur, ut videre eſt Maimonidæ Ducis dubitantium lib. 2. cap. 45.* Neque alienus ab hac ſententia fuiſſe videtur Joh. Druſius part. 2. annot. in N. T. pag. 53. *Peccant*, inquiens, *qui Danielem ponunt in ordine Prophetarum. Nam & David Propheta fuit, & tamen ab ipſo Chriſto excluditur ex hoc ordine. Aliud eſt, eſſe Prophetam, aliud eſſe in Prophetarum ordine.* Nempe præſupponit Luc. 24: 44. Salvatorem noſtrum ſuo calculo hanc diviſionem approbaſſe, & aſſeruiſſe, in cenſum hagiographorum (quorum diſcrimen erudite Kimchium indicaſſe, Dn. D. Danhauerus pag. 264. J. B. I. ait) Danielem eſſe relatum.

§. 11. Cæterum Danielem in ſecundo duntaxat Prophetarum ordine eſſe, ut cum Maimonide & Kimchio ſentit Druſius l. cit. vel ex eorum numero, quos Grotius παχυτέρους appellat, nulla cauſa eſt, cur aſſeramus, neque R. Abarbenel conceſſerit. Lectorem enim is ſuum, ne ſe aliorum autoritate ſeduci patiatur, cumprimis monet. Verba ejus hæc ſunt: ואתה אם בעל נפש אתה המבין דבר מתוך דבר השב דבריו זה על זה ותדע ותשכיל מן מיצא דבר ולא תטה ולא ימערו רגליך כמו שקרה להרבי דוד קמחי בזה הענין: *Tu ſi ſapis, attende, unam rem æſtima ex altera, verba ejus* (Maimonidis) *in vicem contende, ut intelligas ab exitu verborum* (Dan. 9: 26.) *ne erres & pedes tui vacillent, ut in hoc negotio R. Davidi Kimchio accidit*: Hinc ipſemet Abarbenel, quam nullius roboris argumentum Maimonidis ſit, ſequentibus verbis oſtendit: הראיה שעשה הרב מאשר קרא דניאל להשגתו חלום אינה טענה כי לא אמר זה רק להבדיל בין הנבואה ההיא שבאתהו בחלום הלילה לשאר המראות שהיו ביום ביקיצתו: *Ratio illa, quam Raf ex eo facit, quod Daniel vocarit apprehenſionem ſuam ſomnium, nihil probat. Ita enim duntaxat eam appellavit, ut diſcerneret inter eam prophetiam, quæ ei noctu accidit, & reliquas, quas interdiu vigilans excepit.* Conſimiliter nec alteri rationi, qua theſin ſuam Maimonides probare ſatagit, aliquid roboris ineſſe p. 17. col. 3. Comment. in Danielem is verbis oſtendit: הטענה השנית שעשה הרב מאשר לא הוטם ספר דניאל בכלל הנביאים אין בה הכרח כי הנה מגלת רות הברה שמואל הנביא ומגלת קינות חברה ירמיה ולא הושמו בין ספרי הנביאים כי אם בתוך הכתובים האם נאמר מפני זה ששמואל וירמיה לא הגיעו למדרגת נבואה אין זה מחויב: *Altera ratio, quam Raf inde adducit, quod Daniel non locatus ſit inter Prophetas, nihil concludit. Ecce enim volumen Ruth ſcripſit Samuel, volumen threnorum compoſuit Jeremias, neque tamen illi libri inter Propheticos ſunt relati, ſed hagiographos. Num inde dicemus Samuelem & Jere-*

Jeremiam non pertigisse ad gradum Prophetiæ? Hoc minime sequitur.

§. 12. Ita non modo geminum argumentum, quo Maimonides probare conatur, Danielem non esse proprie sic dictum Prophetam, R. Abarbenel nihil concludere ostendit, sed etiam, quibus de causis illius sententia sibi alias probari nequeat, prolixe ostendit, ceu ex seqq. patet verbis pag. 16. col. 4. הדעת הזה לא יכול דעתי לסבול יבפי׳ לספר מלכים סתרתי אותו בפרשה שנית בענין שלמה כפי אמתת הכתובים ואומר עתה במדרגת השגת דניאל שהדבר יותר מבואר ונגלה בהשגת נבואיית עליונה ובסדר עולם כשמנו הנביאים זכרו דניאל מכללם ולא אמרו זה על דרך העברה והשילות כמו שחשב הרב אבל על צד הדיוק והאמיתות והנה חסברה הישרה תורה על זה לפי שהרב כתב שהנבואה היא שפע שופע מהשכל הפועל על הכח הדברי ועל המדמה יחד ושכאשר יהיה השפע על הדמיון בלבד יהיו החלומות צודקים ויתחייב מזה שאם לא היה ענין דניאל נבואיי שיהיה חלום פשוט טבעי כאשר יחלום החלום אחרי אכלו ולשבעה ואחרי שתו ואם היה הדבר כן מי יתן וארע איך הגיע מדרגת דניאל בחלומו לראות ענין ארבע מלכיות כמו שהיו במציאות והארצות שיכבשו בסדר הקדימה והאחור בהם וגלות האומה וגאולתם והצלתם לאלפים מהשנים וזמן ועדן לכל דבר ודבר וכמה מלכים ימליכו ברומי וכמה עם פרס ומלחמת אלכסנדרוס עם דריוש ומות אלכסנדר בבחרותו וחלוק מלכותו ושלא ישאר ממנו דבר לבניו והגבלת בית שני בנינו ועמידתו ושנות המצור והמצוק וחרבנו באחרונה וצרות אנטיוכוס הרשע מלחמת נגב ומלך הצפון באחרית הימים וגאולת האומה העתדה ותחיית המתים והזמן הגזור לפניו יתברך היעלה על לב בעל סברא ישרה שכל זה היה מכח הפועל המדמה מתהפך בתחבולותיו בחלום הפשוט ושבא החלום ברוב ענין ומבלתי דברים בטלים ושכל זה היה בלתי שפע מגיע על הכח השכלי ואם הודינו שהיה בזה כח השכלי איך יהיה גדול ונמרץ ומופל׳ כוח ולא יגיע לגדר הנבואה ומי הוא זה ואי זהו מהנביאים המפורסמי׳ באומה שראו מראות אלקי׳ כאלו ויודיעו עתידות מופלאות לאלפים מהשנים כדניאל: *Hanc sententiam ego intolerabilem judico, quam in Comment. in libros Reg. sect. 2. ubi de Salomone agitur secundum veritatem Scripturæ refutavi. Et nunc in Danielis apprehensione, rem clariorem esse dico, quod illa sit suprema in Prophetia. Huc accedit, quod in Sederolam, ubi Prophetas recensent, mentionem faciunt Danielis, non improprie &, ut legati alicujus, veluti Raf censet, sed accurate loquendo & vere. Et ecce ipsa recta ratio hoc docet, eo quod Raf scripsit, quod Prophetia sit influxus intellectus agentis in facultatem rationalem & phantasiam simul, cum vero in solam phantasiam influit, somnia tantum sunt pura. Ex quo sequitur, si in Daniele non fuit prophetia, simplex tantum & naturale somnium fuisse, quale is somniat, qui esu potuque se opplevit. Si vero res ita habet, scire pervelim, quomodo Daniel ad hanc pervenerit prærogativam in suo somnio, ut viderit quatuor regna, ut in se erant, item regiones, quas primum, quas ultimo occupaturi erant, exilium item populi, & illius liberationem & fortunam multis annis post. Item quot Reges Romæ & in Persia sint futuri, bellum Alexandri cum Dario, mortem Alexandri adhuc juvenis, divisionem regni ejus, & quod in prolem ejus pervenerit nihil quicquam, determinationem temporis, quando templum ædificari & quamdiu stare debeat, annos angustiæ & obsidionis, tandem etiam ejus excidium, persecutiones Antiochi impii, bella regis meridiei & aquilonis in fine dierum, liberationem futuram populi, resurrectionem mortuorum, & tempus quod Deus benedictus constituit,* (in hisce Judæus satis perspicacem se esse ostendit, at in Messiæ morte & beneficiis animadvertendis ut talpa cœcior, ita in iis memorandis magis mutus est quam piscis.) *Ecquis sanæ mentis sibi persuadebit hæc omnia orta esse ex facultate phantasiæ, in somnio simplici, & quod somnium venerit in tot rebus, iisque minime vanis, & quod hoc omne absque influxu fuerit in facultatem intellectricem. Si vero largitur, fuisse influxum in facultatem intellectus, quomodo magnus erit, vehemens, & admirandus, neque tamen ad prophetiam pertigerit? Ecquis ille est, & ubi degit Propheta in populo, qui divinas visiones, & mille annis post demum futura admiranda viderit, & manifestarit ut Daniel?*

§. 13. Si vero secundum R. Abarbenelis sententiam Daniel nulli Prophetarum fuit secundus, quippe qui, ut idem Rabbi pag. 17. col. 3. loquitur, עמד בסוד השם ושמע את דבריו *in arcano Dei stetit, & verba ipsius audivit*, merito quæritur, qui factum sit, quod in ultimæ classis vel tertii, quem appellant, gradus scriptores relatus Daniel apud Judæos minori loco & precio habeatur. Negavit supra B. Helvicus, se id scire. Similiter & P. Cunæus lib. 3. cap. 7. de R. E. *Ratio*, inquiens, *aut causa nunquam à Judæis exposita est, aut si est, legisse me non memini.* Perquam inepte tamen id fieri à Judæis, ibidem Vir doctus asserit. Causam præposteri hujus facti Cl. Hamburgensium Theologus, Dn. D. Mullerus pag. 19. Judaismi adducit sequentem. Das ist gewiß / daß die Juden in gemein das Buch Danielis gering halten. Sie zählen ihn nicht unter die Propheten / sondern unter die Hagiographa. Sie geben ihm in der Ebreischen Bibel eine geringe und fast die letzte Stelle. Mir hat ein Teutscher Jud unter die Augen gesagt / daß sie Danielem für keinen Propheten erkennen. Weil die Juden mercken / daß sie hieraus können eingetrieben und überzeuget werden / daß Messias schon müsse kommen sein / feinden sie das Buch Danielis an / und wollen es für kein Göttliches und Prophetisches Buch halten. Confer Proleg. Sanctii in Danielem, ubi Theodoretum in eundem sensum loquentem introducit. Sed hæc sibi majoribusque suis vere improperari, pernegabit R. Abarbenel.

§. 14. Uti enim is se satis digne & honorifice de Daniele sensisse, verbis antea adductis probabit, ita neque Dd. Ebræorum priscos contemtus causa eum ita locasse, aut dignitatem Prophetiæ eidem denegasse concedet. In Talmud quidem, Massecheth Megilla cap. 1. veteres videntur eam Danieli abjudicasse, dum eo Hagai, Zachariam & Malachiam præstantiores esse ideo asseverarunt, quod hi Prophetæ essent, ille non item: Cæterum hoc non simpliciter & absolute intelligendum esse, sed respective & secundum quid, R. Abarbenel contendit, nempe non fuisse talem Prophetam, qui eo munere ordinarie functus populum ad meliorem frugem excitarit. Sic enim pag. 17. col. 4. scribit: עם היות שאמרו ח״ז פעמים נביאים כולל לכל מקבל שפע עליון הנה בעצם וייחוד רצו בשם הנבואה שליח אל העם להנהיגם ולהודיעם דרך זו ילכו כי לכן נקראו נביא מלשון ניב שפתים ואמר נביא יקים לך ה׳ אלקיך מאחיך כמוני אליו תשמעון נבי אקים להם וגו׳ נתתי דברי בפיו נביא לגוים נתתיך לך הנבא אל עמי ישראל שתמיד שם נביא נאמר על השליח אל העם להנהגת ומוסרו: *Etsi Dd. nostri l. m. interdum nomine generali Prophetas vocant omnes eos, qui influxum superne suscipiunt, nihilominus per se & proprie voce* נביא *respiciunt legatum ad populum, ad ducendum eum & ostendendam viam, quam ire debeat. Ideo enim vocatur* נביא *ex significatione* ניב שפרי׳. *Et ait* (Deut. 18: 15.) *Prophetam excitabit tibi Dominus Deus tuus ex patribus tuis, sicut ego, ei obtemperabis. Prophetam vobis excitabo, & dabo verba mea in os ejus* (Deut. 18: 19.) *Prophetam te constitui populo meo Israel* (Jerem. 1: vs. 5.) *Propheta ad populum meum Israel* (Amos 7: 15.) *ut adeo Propheta subinde dicatur de legato ad populum, eumque ducendum & erudiendum.*

§. 15. Sane & Scholiastes ad cod. cit. in En Isr. fol. 144. col. 1. similem in modum priscorum mentem declarat, & ideo eum Prophetam Danielem fuisse negat שלא נשתלח לישראל לשם נביאות *quod ad Israelem prophetandi causa non sit missus.* Et R. Abarbenel. l. cit. itidem huc collineat זהו כוונת חז״ל באמרת באותו מאמר שזכרתי ולפי שהם לא כוונו לפתות מדרגת דניאל ולא שללו ממנו היות השגותיו נבואיות עליונות: *Doctorum nostrorum revera fuit illa mens, cujus memini. Nequaquam enim voluerunt Danielis prærogativæ aliquid detrahere, aut ire inficias, apprehensiones ejus non fuisse Propheticas, easque supremas.*

§. 16. Cæterum si, ut R. Abarbenel largitur, חל השפע האלהי על כחו השכלי ועל כחו הדמיוני יחד ראה הצורות וידע פירושם שהוא המורה שהיא הנבואה גמורה: *Influxus divinus cum intellectum, tum phantasiam Danielis occupavit, ut formarum sibi oblatarum explicationem sciret, id quod perfectæ prophetiæ indicium est;* אם היה עריף ומשובח מחגי זכריה ומלאכי בענין השגת המראות שהוא זכה לראות מה שלא ראו: *Si præstantior digniorque fuit, quam Hagai, Zacharias & Malachias, quod attinet Prophetiarum apprehensionem, eo quod ea viderit, quæ tamen illi haud conspexerunt;* quin imo, si הגיע למדרגת הנבואה בהיות מעיד הכתוב שראה המלאך ושמע דבריו והגיד עתידו׳ רבות ועצומות שלא נפל אחת מהן ארצה: *Pervenit ad gradum prophetiæ, cum Scriptura testetur, eum angelum vidisse, & audivisse loquentem, & res magni momenti annunciasse, quarum nulla in terram cecidit.* Si, inquam, hæc largitur, num ideo quod ad populum non est missus more reliquorum Prophetarum, eum postponi oportuit, & illorum censu excludi? Sane cum prophetia primo & principaliter in cognitione, non in locutione, consistat, ut Thomas 22. q. 171. art. 1. probat, & evidenter ex Abrahami patet exemplo, qui ceu ipse R. Abarbenel fatetur, לא היה שלוח לזולתו *ad alium non*

non est missus, & tamen Propheta ab ipso Deo appellatur. Genes. 20:7. nihil causæ erat, quod ideo ut inferioris ordinis Prophetam Danielem haberent, & minorem iis, qui ut Abarbenel loquitur pag. 18. col. 1. נבאו בירושלי בהקבץ עמים רבים לבנין הבית והיו מזהירים אותם על הבנין ועל המעשרות ועל הרחקת נשים נכריות: *Vaticinati sunt Hierosolymis multo populo congregato ad ædificandum templum, & eum ad exstructionem instigarunt, ad decimas solvendas & ad removendum uxores alienigenas.*

§. 17. Quemadmodum igitur hæc allata ratio, cur Daniel ordini Prophetarum non sit insertus, est nullius momenti, ita quoque priscos ob eam Danielem sic locasse, jam eo minus credibile fit, quod aliam causam ipse Abarbenel adducit. Fol. enim 17. col. 3. Comment. in Daniel. ita loquitur: הנה דניאל מעצמו התעורר לכתוב ברוח הקדש שהיה בו ספור נבוכדנצר וחלומותיו ועניני בלשצר ודריוש והנסים שנעשו בבבל לו ולחבריו ולכן היתה מדרגת הספר הזה מן הכתובים ולא מן ספר הנביאים שנכתבו ונעשו במאמר ה׳ יתברך וכפי התודעות הנבואה וספר בו ג״כ דניאל הנבואות אשר ראה ולכן היה הספר הזה מן הכתובים ודניאל היה מדבר ברוח הקדש בערך חבור הספר וכתיבתו: *Ecce Daniel seipsum excitavit, ut scriberet per Spiritum S. nempe historiam Nebucadnezaris ejusque somnia, Belsazaris item & Darii, & miracula sibi & sociis suis Babylone factis. Atque idcirco liber hic est ex numero Hagiographorum, non Prophetarum, qui scripti sunt & facti mandato Dei secundum Prophetiæ cognitionem. Recenset præterea in eo Daniel suas prophetias, quas vidit. Atque idcirco hic liber est ex censu Hagiographorum, & Daniel locutus est per Spiritum S. in componendo & scribendo hoc libro.*

§. 18. Est itaque Daniel Abarbenelis sententia, inter Hagiographos relatus כפי אופן כתיבתו *secundum modum scriptionis ejus*, adeoque ut sorex se prodit Judæus, & cum sociis suis se aliquid monstri alere haud obscure docet, utpote fassus, Prophetas Dei mandato & instinctu scripsisse, Danielem non item, quippe qui suopte motu scriptioni se accinxerit. Quæ sane assertio non exiguum inter Danielis & reliquorum Prophetarum libros discrimen secum trahit, efficitque, ut haud multo aliter de Hagiographis sensisse videatur Judæus, quam de sacris libris in universum judicant Photiniani. Volkelius enim, lib. V. cap. 5. pag. 357. de V.R. de sacris Scriptoribus scribit, *alios aliis firmiori res gestas memoria custodientes, diversa quoque ratione paucissimis in locis eas descripsisse, interim non nisi veritatis vi impulsos, item in summa monumentis tradidisse.* Quasi vero sacri Scriptores more duntaxat communi historicorum ex memoria & veritatis amore scripserint, non ex instinctu & afflatu divino infallibili. Num vero Danielem, qui jussu divino Prophetiam suam obsignavit cap. 12:4. Dei injussu scripsisse dicent? Quam hoc impium est assertum perindeque explodendum, ac illud Bellarmini libro IV. cap. 4. de V.D. cum necessitatem Scripturæ in gratiam suarum traditionum elevaturus, Evangelistas non Dei mandato, sed proprio arbitrio ad scribendum accessisse ait. Quo nomine acrem Theologorum Orthodoxorum incurrit censuram, exprobrantium Cardinali, sic θελήματι ἀνθρώπων, contra quam 1 Petr. 1:21. docet Apostolus, esse allatam προφητείαν.

§. 19. Si Abarbenel, dum negat Danielem suum librum scripsisse במאמר השם וכפי התודעות הנבואה *Dei mandato*, & *notificationem prophetiæ*, illud vult, integris sensibus, & operatione illorum minime cessante, id factum esse, cum reliqui vel per ecstasin, aut mentis alienationem scripserint, petit id, quod est in principio. Neque enim eos vel phantasia perturbatos, vel mente parum sibi constantes, Prophetias exarasse, probaverit. Neque in sacris illud discrimen, quod inter נבואה & רוח הקדש Judæus posuit, uspiam deprehendet. Num enim ubi רוח יהוה *Spiritus Domini* fit mentio, ibi nullus propheticus Spiritus intelligitur, sed alius isque minor? R. Bechai Comment. in Num. 12:6. sic commentatur: מי שיהיה נביא אפילו יהיה נביא השם איננו מתנבא בשמי הגדול רק במראה או בחידות והזכיר כן כי רבים מהנביאים לא כישינו זה אבל יהיה נביאכם ברוח הקדש כענין רוח ה׳ דבר בי: *Qui Propheta fuerit, licet ipsius Dei, in nomine tamen meo magno non vaticinatur, nisi per visionem aut in ænigmate. Et horum meminit, quia multi prophetæ non huc pertingunt, sed propheta vester erit per Spiritum Sanct. sicut dicitur* (2 Sam. 22: vers. 2.) *Spiritus Domini locutus est per me.*

§. 20. Ut allata verba testantur, R. Bechai רוח הקדש pro infimæ notæ revelatione habet, minime tamen negat, eum Prophetiæ esse speciem, quam R. Salomonis & Chaldæi sententiam Rabbi Abarbenel Comment. in 2 Sam. 23. his verbis impugnat: אם הרעת המתרגם ורש״י שהיו הדברים נבואה גמורה יקשה למה לא אמר הכתוב בהם הלשון הנהוג בנבואות וידבר ה׳ אל דוד לאמר או הדבר אשר היה אל דוד כדומה מהלשונות האלה: *Si, ut Targumista & R. Salomo sentiunt, verba illa perfectam prophetiam complectuntur, dubium oritur, cur Scriptura non sit usa locutione in prophetiis recepta: nempe & locutus est Dominus ad Davidem, dicendo: aut verbum, quod locutus est Dominus ad Davidem, vel simili modo loquendi.* Quam vero hoc ex loquendi forma petitum argumentum frivolum est atque ineptum! Quasi vero stilo variante, non unus idemque autor esse possit. Annon & Habacuc cap. 2:1. *Contemplabor*, ait, *ut videam* מה ידבר בי. Ubi cum R.D. Kimchi in Comment. restringit לרוח הנבואה *ad Spiritum prophetiæ*, diffiteri ipse nequit, locutionem ibi similem esse illi, quæ 2 Sam. 22: 2. occurrit, unde textum illustraturus subjicit כמו רוח ה׳ דבר בי *quemadmodum dicitur: Spiritus Domini locutus est per me.* Ita ipsius Kimchii judicio utrobique cum in נבואה tum רוח הקדש idem loquendi modus occurrit, quod etiam ex Hos. 1: vers. 2. Zach. 1: vers. 9, 13. videre est.

§. 21. Sic liquido patescit, quantum sit tribuendum sententiæ Judæorum, qui non nisi præconcepta & falsa opinione nituntur, dum de differentia illa inter הנבואה & רוח הקדש disputant. Audiemus iterum Rabbi Abarbenelem l. cit. הנבואה שפע שוכב מאש ה׳ ית׳ יחול עם השכל האנושי ועל הכח המדמה יחד אמנם המדרגה הנזכרת מרוח הקדש הוא השפע יחול על לשון האדם ושכלו לדבר דברים עצומים בענין השיר והחכמה לא לראות צורות נוראות ולא להשיג השגות אלהיות כי אם לענין שלמות הדבור בענין החכמה והשיר ולהעיד על זה אמר רוח ה׳ דבר בי ומלתו על לשוני ואין הכוונה שדבר אליו האלקי׳ כמו שהיה לשאר הנביאים כי אם שרוח הקדש היה מלוה אותו לדבור: *Prophetia est influxus à Deo benedicto, qui simul hominis intellectum & phantasiam occupat. Cæterum gradus memoratus de Spiritu S. est influxus in linguam hominis & intellectum, ut verba cantici alicujus vel sapientiæ proferat, non ut videat formas apparentes, neque apprehensiones divinas, sed ut perfecte loquatur in sapientia & canticis. Et ad hoc indicandum ait* (2 Sam. 23: 2.) *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus super lingua mea. Ubi non est sensus, Deum locutum esse ad ipsum, quemadmodum ad reliquos Prophetas est loquutus, sed Spiritum S. eum ad loquendum esse comitatum.*

§. 22. De ratione Prophetiæ esse, ut in phantasiam cadat influxus divinus, perquam Judæi colligunt, ex Num. 12: 6. ubi Deus vel in *visione* se Prophetis notum facere, vel in *somnio*, cum eis loqui ait. Etsi enim Rab. Aben-Esra l. cit. scribit: כפול כדרך הנבואה: *geminari secundum morem Prophetarum*; sciendum tamen est, non omnes omnino ibi prophetiæ species recenseri, sed ut R. Gerundensis recte monet, tantum opponi נבואת משה לנבואות אחרים אשר בדורו: *Mosis Prophetiam aliorum id temporis extantium prophetiis.* Nequaquam igitur Prophetia tantum est restringenda ad duas illas species, quibus vel dormienti per phantasmata imaginativæ facultati objecta, vel vigilanti sed in ἐκστάσει constituto homini Deus aliquid manifestat, cum etiam illi, qui nulla visione objecta absque phantasmatum usu, sed mente à Deo immediate illustrata, revelationem divinam exceperunt, veri nominis prophetæ fuerint. Quod itaque dicitur, Spiritum S. tantum in linguam & intellectum cadere, id frivolum est, & merum Judæorum somnium, cum & Prophetiæ hoc commune sit, ut recte Suidas ait, τὸ τ̃ γλῶτταν παρέχειν ὑπεργὸν τῆς πνεύματος χάριτι.

§. 23. Quam erroneam sententiam de Spiritu S. foveant Judæi, ex eo etiam elucescit, quod non nisi ad Cantica & Sapientiæ monita eum restringunt. Fatente ipso R. Abarbenele: לא זכר הרב דבר מרוח הקדש מהגדת העתידות עם היות שהחכם רבי דוד קמחי בהקדמת פירושו לספר תלים בתום לבבו גם בלא דעת נמשך אחר דעת המורה בענין רוח הקדש והוסיף מעצמו לומר ששׂים עצמו לדבר עתידות בסיוע האלהי ואלו הבין זה האיש כוונת המורה באמת בענין רוח הקדש לא היה מוסיף תוספתו כי הנה הגדת העתידות לא יסבור הרב שיהיה כי אם בחלום הצודק או בנבואה גמורה: *Non meminit Raf quicquam ubi de Spiritu S. agit, de prædictione futurorum, licet sapiens R. David Kimchi, præfat. Comment. in Psalm. in sui cordis integritate, sed sine scientia, quod attinet Spiritum S. in Maimonidis opinionem sit pertractus, & de suo addiderit, eum, qui per Spiritum S. loquitur, seipsum disponere per gratiam divinam ad loquendum de futuris. Sed si hic Vir intellexisset, quo Raf collineet, revera suo additamento supersedisset. Ecce enim futurorum prædictionem is non nisi in somnio vel perfecta prophetia censet contingere.* Ergone secundum Maimonidem in Psalmis nullum habetur vaticinium, & nihil aliud illi sunt quam vulgares simplicesque hymni? Hoc ex Maimonidis sententia sequi, Abar-

Abarbanel non diffitetur. Sic enim ille pag. 18. col. 3. יהיה מדרגת ספר תהלים שחבר דוד כשאר הפיוטים והמליצות הצחות וכל תפלה וכל תחנה שחברו רבי שלמה בן גבריאל ורבי יהודה הלוי ורבי אברהם ורבי משה בן עזרא *Prærogativa libri Psalmorum, quem David composuit, non erit major, quam poëmata & orationes elegantes & preces, quas conscripsere R. Salomo, filius Gabrielis, & Rabbi Juda Levita, & Rabbi Abraham & Rabbi Mose filius Esræ.* Similiter de Rege Salomone ait: יהיה מדרגת שלמה כמדרגת ארסטו וזולתו מהחכמים שלא יתחלפו אלא בפחות ויתר: *Salomonis prærogativa apud ipsum instar Aristotelis aliorumque sapientum erit, qui non nisi secundum magis & minus differunt.* Ita Judæus de Judæi asserto scribit, & quanta inde sequantur absurda, non dubitat ipsemet ostendere.

§. 24. Quam vero hæc Judæorum deploranda miseria est, & quam insignita calamitas, quod Psalmorum liber, qui tot mysteriorum revelationem & tam illustrem Ecclesiæ N. Test. descriptionem complectitur, tam parvi eis æstimatur, ut nullam ibi prædictionem contineri, sed stili duntaxat elegantiam in eo utramque paginam facere, censeant! Quid mirum igitur, si illi personam & officium Messiæ, cujus ut Apocal. cap. 19: vers. 10. legimus, ἡ μαρτυρία ἐστὶ τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας, non una duntaxat parte libri Mosis & Prophetarum, sed per totum volumen codicis sacri (Psalm. 40: 8.) ignorant, & de eodem tam paradoxa etiamnum sentiunt & scribunt.

§. 25. Rabbi Abarbanel supra à Prophetis distingui Hagiographos dixit, בבחינת הפועל *respectu causæ*, nempe instrumentalis, quod illi non essent *Prophetæ* & Ketubim vocari על מדרגתם במה היה שפע בהם: *Propter gradum illorum, quo influxus eis contigit*, quæ sane satis arguunt, quo loco hagiographos habeant, nempe multo minore, quippe quos infra Prophetarum ordinem deprimunt. Quasi vero ille Spiritus, quo Prophetæ acti sunt, in reliquis non fuerit operatus, & ita ut æque, ac illi, infallibiles in scribendo essent, sua gratia effecerit, unus omnium χαρισμάτων autor & œconomus. Fac, *Hagiographos non ex persona Domini, more Prophetarum esse locutos: hæc dicit Dominus, frequentius, & de his, quæ humana ratione cognosci possunt, ex propria persona, cum adjutorio divini luminis esse*, ut Thomas Aquinas ait, 22. quæst. 174. art. 2. *Sit Prophetia*, ut Grotius Judæorum mentem explicat l. c. *aliquid cum motu vehementiore & expressius, πνεῦμα ἅγιον lenius movens & hominem sibi relinquens*: præpostere tamen fit & inepte à Judæis, quod à modo illo essentiali, & omnibus sacris scriptoribus communi & familiari, nempe *Spiritus S. afflatu & illuminatione*, differentiam arcessere nulli dubitant librorum quorundam sacrorum, ad excludendos propheticos, cum & prophetarum revelationes, utut illæ peculiaria συμπτώματα quandoque & modos diversos accidentales habuerint, eidem autori acceptæ sint ferendæ, qui in Hagiographis est operatus. Cum itaque Daniel, qui ipso Abarbanele consentiente, Propheta haud ex multis fuit, & illius influxu etiam revelationes & visiones Propheticas habuit, cujus illuminatione & comitatu scripsit, & necubi erraret, ductus est; prorsus frivola illa conjectura est, quam ex mente Maimonidis Abarbanel l. cit. recenset: אלוי מתחלה היה מדבר ברוח הקדש ובזקנתו חלה עליו הנבואה וראה מראות אלקים ו"אח שוללה ממנו ונשאר במדרגה הראשונה מדבר ברוח הקדש ובו כתב ספרו: *Forsan ab initio loquebatur Daniel per Spiritum S. &, demum provecta ætate prophetiæ particeps, vidit visiones divinas, postmodum vero ab eo iterum ea est ablata, & ille priori gradui relictus per Spiritum S. est loquutus, & per eum librum suum scripsit.* Ita Judæi ut θέσιν φυλάττειν queant, ea comminiscuntur, quibus tamen minime opus est.

§. 26. Id infitias haud imus, Deum dona sua variis modis dispensantem aliter atque aliter cum sanctis hominibus egisse, ut vere scripserit Abarbanel pag. 17. col. 3. כמו שהנביא לא יתנבא כל ימיו בהתדבקות רק בעתים ותפרד ממנו הנבואה לעתים כן ינבא פעם אחרת בצורת מדרגה עליונה ואחר כן ינבא עת אחרת בצורת מדרגה למטה ממנה: *Quemadmodum Propheta non sua tota ætate subinde vaticinatur, sed per intervalla, & prophetia iterum ab eo ad tempus aufertur, sic vaticinatur una vice per formam gradus supremi, alio tempore gradu illo minori.* Cæterum quod Danielem quem nunc dormientem nunc vigilantem DEUS de maximi momenti rebus docuit, non minus atque alios Prophetas, & quæ vidisset & audivisset, in literas redigere jussit in infimam, quam, fabricantur, sacrorum scriptorum classem sine ratione Judæi detrudunt, id nullo modo ferendum est. Novimus enim & illum & Davidem Prophetas esse, & quidem non ultimi gradus, licet id supra cap. 1. Rabbi Abarbaneli paradoxum visum fuerit. Ea enim, quæ Messiæ tempore futura erant, προφήτης ὑπάρχων προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ; Actor. cap. 2. vers. 30. & ut Actor. cap. 1: vers. 16. habetur, διὰ στόματος Δαβὶδ τὸ πνεῦμα ἅγιον προεῖπε, non minus atque per Esaiam Prophetam, Actor. 28: 25. Confer Matth. cap. 24: 15.

§. 27. Atque ita Danielis librum atque Davidis Psalmos inferiori influxu, quem Ebræi רוח הקדש appellant, & Prophetiæ contradistinguunt, conscriptos esse, commentum est anile, hoc est Judaicum, & tam frivolum, ut Rabbi Abarbanel quem præfat. Commentar. in Jos. ita sensisse vidimus pag. 19. col. 4. Commentar. in Daniel. non obscure fateatur, quemvis specialem revelationis divinæ influxum רוח הקדש Spiritum S. appellari, verba ejus hæc sunt: מה הוא ענין רוח הקדש הנה ענינו באמת הוא השפע האלהי אשר יחול בנפש האדם וכאשר יהיה רב ועצום ישימהו נביא בכל אחת המדרגות אשר זכרתי וכאשר לא יהיה כך ישלימהו בכל אחת ממעלית המדות והדעות והפעולות הטובות כמו לדבר צחות כדוד ולהגיד חכמות כשלמה ולגבר חיילים כשופטי הארץ וגבוריו ובכלל יגיע לאדם שלמות ביתר שאת ויתר עז על כחו הטבעי ולהיות רוח הקדש במדרגה הסוג הכולל לנביאים וזולתם מהשלמים תמצא שלא לבד יאמר הרוח על השפע המביא אל הפעולות השלמות ועל נעימות הדבור כדברי הרב המורה כי אם פעמים תאמר על הנבואה הגמורה שנאמר ואצלתי מן הרוח אשר עליך ותנח עליהם הרוח ומי יתן כל עם ה׳ נביאי כי יתן ה׳ את רוחו עליהם ותהי עליו גם היא רוח אלהים וילך הלוך ויתנבא ויחזקאל היתה עלי יד ה׳ ויוציאני ברוח ה׳ ירבו מספר כאלו הכתובים עד שכפי מה שיורו עליו אין ספק שבעצם וראשונה יאמר רוח על הנבואה להיות גדולה משלמיות הנפש האלהי וכדרך ההשתתפות והייחוד יאמר על שאר השלמיות: *Ecquid itaque significat Spiritus S. Ecce Spiritus S. revera est influxus divinus, qui super anima hominis manet, & ubi copiosus est & fortis, constituit prophetam in unoquoque gradu memorato, ubi vero haud ita se habet, ponit eum in quavis prærogativa, virtutum, scientiarum & bonarum operationum, e. g. eleganter loqui, instar Davidis, sapienter instruere, more Salomonis; fortiter agere, ut judices terræ & heroës illius. Et in genere hominem perfectio occupat, pro ratione dignitatis & roboris* (Genes. 49.) *naturalis. Cumque Spiritus S. sit gradus genericus, comprehendens & Prophetas & reliquos perfectos, inde consequitur, Spiritum S. non tantum dici de influxu, qui adducit ad perfecta opera & locutionis elegantiam, ut Raf docet, sed quandoque dici de perfecta prophetia, quia dictum est* (Numer. 11: 17.) *& separabo de spiritu, qui super te*, (vers. 26.) *& quievit super eis spiritus*, (vers. 29.) *utinam populus tuus vaticinaretur, ut det Dominus Spiritum super illos. Et fuit quoque super ipso Spiritus Domini, & ivit subinde & vaticinatus est*, (1. Sam. 19: 13.) *& fuit super me manus Domini, & eduxit me in Spiritum Domini.* (Ezech. 37: 1.) *Atque ejusmodi locutiones sunt complures, ita ut illæ citra dubium comprobent, Spiritum dici de Prophetia secundum se & primario, cum in anima divinæ perfectionis quædam sit magnitudo, per accommodationem vero & appropriationem de reliquis dici perfectionibus.*

§. 28. Si igitur, ut R. Abarbanel tandem fatetur, Spiritus S. non solis Hagiographis, sed omnibus omnino Prophetis communis est, clarissime inde patet, præpostere id ab eis fieri, quod alios libros per Prophetiam, alios per Spiritum S. esse scriptos asseverant. Neque sic discriminis causa recte appellantur. Quod enim supra R. Abarbanel eos ideo כתובים vocari dixit, שנכתבו על כפר ושלא על פה *quod sint libri inscripti & non ore traditi*, id frivolum est. Num enim libri Mosis & Prophetarum non sunt כתובים? omnes sane nomenclaturam מכתב æque admittunt, atque nomen מקרא, ut illud plane falsum sit, quod supra Abarbanel asseruit: ששמותם מורים שלמותם היותר עליון: *nomina illorum librorum majorem indicare perfectionem*, שפע עליון *influxum excelsiorem*, & מדלגה *gradum.*

§. 29. Uti enim omnium omnino librorum sacrorum una eademque causa principalis est, Spiritus S., cujus solius interna illuminatione, afflatu & revelatione sancti DEI homines & locuti sunt, & ea, quæ hodie possidemus, literis consignarunt, ita omnium una eademque est autoritas, neque alterum altero præstantiorem librum esse, res ipsa admittit. Quinam vero illi sint, quos Ecclesia Judaica prisca pro libris divinis & genuinis agnoverit, id cum ex superioribus satis patet, tum ex alia sacrorum & canonicorum librorum divisione, contra Pontificios observanda, quam Rabbi Abarbanel seqq. verbis tradit, est colligere: על שערתי אני חלוקה אחרת בספרי הקדש כפי הזמן אשר נכתבו וחוברו בו ואחלק גם כן לשלשה חלקים

חלקים אחרים החלק הראשון במה שנכתב וחובר קודם הכנס ישראל לארץ והוא ספר התורה אשר שם שמה לפני בני ישראל בהיותם במדבר קודם בואם אל הארץ והחלק השני הוא כלל הספרים אשר נכתבו בהיותם בארץ קודם הגלות וחורבן הבית והם ספרי יהושע ושופטים ורות ושמואל וספר מלכים ישעיהו ירמיהו ומגלת קינות הושע יואל עמוס עובדיה יונה מיכה נחום חבקוק צפניה שהם הנביאים אשר נבאו כפי מה שהעידו הכתובים ומזה החלק ג"כ היה ספר תהלים משלי שיר השירים וקהלת אשר חברום דוד ושלמה ברוח הקדש בארץ ישראל בימים ההם הנה כל הספרים האלה נכתבו וחוברו קודם חרבן הבית בהיות ישראל על אדמתם והם מהחלק השני הזה והחלק השלשי מספרי הקדש הוא כלל הספרים אשר נכתבו וחוברו אחרי חרבן הבית וגלות ישראל מעל אדמתם והם ספר יחזקאל ומגלת אסתר וגם כן ספר עזרא ודברי הימים שכתב הוא ג"כ נבואות חגי זכריה ומלאכי כי אם היות שנבאו בארץ ישראל היה אחרי החרבן וגלות ישראל בעת שובם שמה ואמנם ספר איוב אם היה שמשה רבינו כתבו כדברי חכמים ז"ל בפ"ק דבבא בתרא הנה נכנס בחלק הראשון ואם היה איוב בימי שופטים כדעת רבי אליעזר שם היה נכנס בחלק שני ואם היה בימי אסתר ואחשורוש כדברי יהושע בן קרחה או היה מעולי הגולה ובית מדרשו בטבריא כדברי ר' יוחנן והיה ספרו מכלל החלק השלישי סוף דבר כל ספרי קדש יתחלקו לאשר נכתבו קודם ביאת ישראל לארץ ולמה שנכתבו בהיותם בארץ שנכתבו אחרי יציאתם בגלות ראשון מהארץ: *Existimavi adhuc aliam institui posse librorum sacrorum divisionem ratione temporis, quo sunt conscripti & compositi, & ideo in tres alias partes eos dividere decrevi. Prima pars est illa, quæ composita est, antequam Israel in terram sanctam venit, liber nempe legis, quam Moses populo proposuit in deserto adhuc versanti. Altera pars comprehendit libros conscriptos in terra sancta, ante primum exilium & desolationem templi. Sunt autem sequentes: Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Esaias, Jeremias, Threni, Hoseas, Joël, Amos, Obadia, Jonas, Micha, Nahum, Habacuc, Zephania, qui prophetæ vaticinati sunt, quod scripta testantur. Pertinet vero & huc liber Psalmorum, Proverbiorum, Canticum Canticorum, Ecclesiastes, quos libros David & Salomo per Spiritum S. composuere in terra Israelis eo tempore: Ecce hi omnes sunt conscripti ante excidium templi, populo etiamnum in terra sua versante. Tertia pars complectitur libros scriptos post desolationem templi & exilium Israelis. Liber Ezechielis, Esther, volumen Esdræ, libri Chronicorum, quos ille scripsit. Et vaticinia, Haggai, Zachariæ & Malachiæ. Etsi enim in ipsa terra sunt vaticinati, tamen post desolationem & excidium templi factum id est. Atque ita tertia pars hæc fuerit. Cæterum liber Jobi, si Doctor noster Moses eum scripserit, ut Sapientes cap. 1. Bava Bathra docent, pertinebit ad primam Classem. Si vero Judicum tempore Hiob vixit, ut R. Eliefer autumat, ad secundam classem referendus est, si vero Estheris & Achasveri tempore fuit, uti R. Josua ben Corcha ait, aut ex redeuntibus exulibus & Tiberiensibus, uti R. Iochanan ait, comprehendetur classe tertia. Summa hæc est: Omnes libri sacri distinguuntur pro ratione temporis, quo scripti sunt, vel ante ingressum in terram Israelis, vel cum jam inibi versaretur, vel post primum exilium & emigrationem.*

§. 30. Quandoquidem hæc, quæ Rabbi ita prolixe & Orthodoxæ sententiæ ὁμοψήφως recenset, (nisi quod Danielem sive de industria, sive per errorem omisit) aperte docent librorum sacrorum canonem, merito demirantur Viri docti, quî fiat, quod inter Hagiographa etiam illi à Judæis nonnullis referantur, qui à nobis Apocryphi appellantur. Josephus etiam Scaliger, animadv. in Eusebium pag. 89. ita scribit: *Hieronymus inquit, apud Iudæos librum Iudith inter Hagiographos legi. Quod fateor me non intelligere. Hagiographa, quæ Iudæi vocant, ut nec ignoravit Hieronymus ipse, extant Ebraice, & in canone Ebraico κατακεχωρισμένα εἰσίν. Neque profecto in illis liber Iudith est, non magis quam Tobiæ, aut tertius Esdræ.* Et paulo post: *Ego jam dixi, me ignorare, quæ sint illa Ebræorum Hagiographa, cum constet, Hagiographa à Iudæis vocari longe ante Hieronymi seculum omnes libros Canonis Biblici, præter legem, Prophetas, libros Iosuæ, Iudicum, Samuelis & Regum. Imo ut ipse fatetur Hieronymus, Iudæi conquerebantur, hos libros à Christianis contra Canonem suum legi.*

§. 31. Putat igitur Scaliger, Hieronymum hic sibi non constare, & ut alias, ita hic quoque pugnantia scripsisse sanctum illum patrem, quem tamen facile excusarim, arbitratus, utrumque ab eo vere assertum esse. Nempe secundum receptam Ecclesiæ Judaicæ sententiam, non nisi illa Hagiographa dicuntur, ad quæ paulo ante Scaliger collineavit, & prisci Ebræi in Talmud recensuerunt his verbis: תנו רבנן סדרן של כתובים רות תלים איוב משלי קהלת שיר השירים קינות דניאל ומגלת אסתר עזרא דברי הימים: *Rabbini nostri hunc Hagiographorum ordinem dederunt: Ruth, Psalmi, Iobus, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Threni, Daniel, volumen Esther, Esra, Verba dierum.* A nonnullis tamen Judæis etiam alios libros, qui Ebraico idiomate minime sunt conscripti, Hagiographa appellatos fuisse, ex Judæorum scriptis liquet, ut de mendo Scaligero nihil suboluisse, minime mirari debuerit B. Calixtus, θ. 46. de A. Script. Illustre exemplum reperire est in Lex. Talmud. Joan. Buxtorffii, qui perinde ac Scaliger demiratur, Syracidis librum inter Hagiographa referri. Cum enim fol. 549. hæc verba recensuisset: כל עוף למינהו ישכון ובן אדם לדומה: *Omnis avis prope speciem suam habitat, & homo prope similem sibi.* Subjicit seqq. Legitur in *Talmud Bava Kama fol.* 92. 2. *Præcedit ibi proverbium aliud huic simile* מטייל ואזיל דיקלה בישא גבי קינא דשרכי: *Quod vide in* קנא *& additur* דבר נהכתוב בתורי *Res hæc scripta est in lege* Genes. 28: vs. 9. שנוי בנביאים *iterata in Prophetis* Judic. 2: 3. ומשולש בכתובים דכתיב כל עוף וכו' *& tertiata in Hagiographis. Sicut scriptum est, omnis avis. Sic in Talmud. Atqui nullibi extat in Hagiographis. Unde ergo ea sententia desumta? in Tosephos dicitur* שמא בספר בן סירא היא *Forte in libro Ben Siræ extat. Sed in Ben Sira Ebræorum non reperitur. In Græco autem Syracide c.* 13. *vs.* 20. *ita de verbo ad verbum expressa habentur:* πᾶν ζῶον ἀγαπᾷ τὸ ὅμοιον αὐτοῦ, καὶ πᾶς ἄνθρωπος τὸν πλησίον αὐτοῦ. *An ergo liber Ben Siræ quoque inter* כתובים *apud Iudæos fuit habitus?*

§. 32. Ita Cl. Buxtorffius non minus atque Josephus Scaliger sciscitatur admirabundus, quî factum sit, quod alios quoque libros, præter illos in Canonem receptos, ἁγιογράφων & כתובים nomine insigniant Judæi. Causa vero hujus rei videtur esse hæc, quod uti de influxu Spir. S. diversimode loquentes, gradus ejus diversos agnoscunt: ita etiam nomen כתובים varie usurpare quidam sunt soliti, nempe cum ad eos denotandos libros, quibus proximum post propheticos libros assignarunt, tum etiam illos, qui licet non ejusdem cum reliquis libris Canonicis essent auctoritatis, tamen præ reliquis manifeste ὑποβολιμαίοις à Judæis lecti, per Spiritum S. scripti dicebantur. Eo minus vero id mirum videri debet, quod ipsius Rabbi Salomonis in Talmudicum Codicem glossas ברוח הקדש confectas esse, Rabbi Zacutus, pag. 163. lib. Juchasin asseruit. Neque tamen illi communi Ecclesiæ Judaicæ consensu ita sunt appellati, quod inde liquido constat, quod ab illa nunquam inter reliquos canonicos libros, quos עשרים וארבע appellant, sunt recepti, & recentiores quoque Judæi eos reliquis minime se æquiparare, diserte profitentur. Quin suum à Christianis dissensum minime dissimulant. David enim Gans, P. 2. pag. 10. a. de Apocryphis pronunciat. הם מקוברים להם ולא לנו *ab illis* (Christanis) *sunt recepti, à nobis non item.* Atque ita non est, ut Josephus de Voisin, pag. 103. Observat. in Pugion. Fidei, Raymundi, in gratiam Tridentini statuti, præcipientis, ut *pari pietatis affectu & reverentia libri dicti Apocryphi suscipiantur*, secundi ordinis Hagiographa nobis obtrudens ad Judæos provocet, qui peculiari revelationis gradu *Bathkol* libros quosdam conscriptos esse tradant. Illis enim libris inter canonica scripta nunquam relatis Ecclesia Judaica non divinam, sed humanam duntaxat tribuit auctoritatem. Unde etiam factum est, ut ipse Abarbenel Hagiographorum Catalogum supra recensens, nullam penitus, neque Syracidis, neque libri Tobiæ fecerit mentionem facturus utique, si eos perinde ac alios æstimandos esse credidisset.

JOH.

JOH. SAUBERTI
DISSERTATIO
De voce ΛΟΓΟΣ ad Joh. I: 1.

בגבורות השמים:

I.



Nicum datur, postquam
Callidus Dæmon scelus atque mortem
Intulit Orbi,
Salutis humanæ Fundamentum, JESUS CHRISTUS: sicut scriptum est: (Act. 4:12.) οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς. Hinc idem etiam JESUS τῷ τῶν ἐθνῶν ἀποστόλῳ vocatur (1 Timoth. 2: 5.) εἷς μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων.

II. Novit hoc hostis generis nostri juratus, Satanas, qui propterea omnes industriæ nervos in id semper intendebat, & adhuc intendit, ut salutiferam de *CHRISTO*, ejus *Naturis*, *Persona* & *Officio triplici* doctrinam inter mortales obscuret, depravet, deleat, tollat.

III. Atque pro dolor, improba machinatione Spiritus iste nequam non tantum apud eos, qui extra Ecclesiæ Christianæ pomœria degunt, & in Novi Instrumenti scriptis haud infrequenter in *Judæos* & *Græcos* dividi amant, id effecit, ut Apostolo conquerendum esset, (1 Cor. 1: 23.) ἡμεῖς κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν. Verum etiam, quod magis adhuc dolendum, inter ipsos, qui CHRISTO Nomen dedisse videri volebant, nunquam fere defuerunt Satanæ organa & spurca Christiani nominis probra, quibus nulla erat religio, variis hæreticarum opinionum sordibus hocce fidei nostræ fundamentum (quantum quidem in ipsis erat) respergere atque fœdare.

IV. Nec enim *Arianorum* hæresis, quæ pestifera lues seculo quarto Orbem Christianum vastare cœpit, prima erat ausa CHRISTI Deitatem impugnare: nec primus *Photinus*, cujus profanum dogma ab hodiernis Photinianorum, novo paxillo iterum suspensum, olim in Conciliabulo *Sirmiensi* ab Arianis ita oppressum est, *ut cum Auctore Photino interierit, nec ab obitu ejus per XI. secula, Photinianus aliquis, obtinentibus interim Arianis, exstiterit*, prout alicubi VIR in antiquitate Ecclesiastica versatissimus & Theologus Celebris, *Dn. D. Joachimus Hildebrandus* annotat: sed hunc articulum fundamentalem mox ab exorta Religione Christiana, seculo à CHRISTI nativitate primo, Orcus in *Ebionæis*, *Cerinthianis*, *Nazaræis* aliisque Hæreticis sollicitavit, ipso adhuc superstite sanctissimo CHRISTI JESU Apostolo & Evangelista, Johanne, qui huic quoque infernali conatui, Spiritu Prophetico repletus, mascule restitit, eidemque suum, quod hodienum, aliis cum libris ex Divina inspiratione scriptis, in Ecclesia, velut Κειμήλιον, asservatur, Evangelium opposuit. Juvabit vero Asserto meo fidem fecisse testimoniis Scriptorum ἀξιοπίστων & veneranda se commendantium canitie.

V. Inter istos primum merito suo occupat locum Sanctus *Irenæus*, Episcopus Lugdunensis, qui *libro III. adversus Hæreses cap. XI. pag.* 184. (Edit. *Nicol. Gallasii* Anno 1570.) hunc in modum loquitur: *Unus & idem DEUS & Pater est, qui à Prophetis quidem annunciatus, ab Evangelio vero traditus, quem Christiani colimus & diligimus & toto corde factorem cœli & terræ credimus & omnium, quæ in eis sunt. Hanc fidem annuntians Joannes, Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui à Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem & multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus, quæ falso cognominatur scientia, ut confunderet eos & suaderet eos, quoniam unus DEUS, qui omnia fecit per Verbum suum & non, quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de Superioribus, CHRISTUM, quem & impassibilem perseverasse descendentem in Jesum, filium fabricatoris, & iterum revolasse in suum pleroma: & initium quidem esse Monogeni,* λόγον *autem verum filium Unigeniti: & eam conditionem, quæ est secundum eos, non à primo DEO factam, sed à virtute aliqua valde deorsum subjecta & abscissa ab eorum communicatione, quæ sunt invisibilia & innominabilia. Omnia igitur talia circumscribere volens Discipulus Domini, & regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus DEUS omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit & visibilia & invisibilia: significans quoque, quoniam per verbum, per quod DEUS perfecit conditionem, in hoc & salutem his, qui in conditione sunt, præstitit hominibus: sic inchoavit in ea, quæ est secundum Evangelium doctrina,* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum: Hoc erat in principio apud DEUM &c. Similia inculcat *S. Epiphanius libr. II. Tom. II. Hæresi*, si omnes connumeres, *LXIX.* sed inter eas, quæ post exortam Religionem Christianam, obtinebant, *XLIX. pag.* 746, 747. (Edit. *Coloniensis* An. 1682.) Διό, inquiens, καὶ ὁ Ἰωάννης ἐλθὼν ὁ μακάριος καὶ εὑρὼν τοὺς ἀνθρώπους ἠσχολημένους περὶ τὴν κάτω Χριστοῦ παρουσίαν καὶ τῶν μὲν Ἐβιωναίων πλανηθέντων διὰ τὴν ἔνσαρκον Χριστοῦ γενεαλογίαν ἀπὸ Ἀβραὰμ καταγομένην καὶ ὑπὸ Λουκᾶ ἀναγομένην ἄχρι τοῦ Ἀδάμ, εὑρὼν δὲ τοὺς Κηρινθιανοὺς καὶ Μηρινθιανοὺς, ἐκ παρατριβῆς αὐτὸν λέγοντας εἶναι ψιλὸν ἄνθρωπον, καὶ τοὺς Ναζαραίους καὶ ἄλλας πολλὰς αἱρέσεις, ὡς κατόπιν ἐλθὼν, τέταρτος γὰρ οὗτος εὐαγγελίζεται, ἄρχεται ἀνακαλεῖσθαι, ὡς εἰπεῖν, τοὺς πλανηθέντας καὶ ἠσχολημένους περὶ τὴν κάτω Χριστοῦ παρουσίαν. Id est, *Quocirca beatus Joannes post alios veniens, cum homines in infima CHRISTI natura totos occupari cerneret, atque Ebionæos ob corpoream CHRISTI Genealogiam ab Abrahamo deductam & à Luca ad Adamum usque sursum provectam, in errorem abductos videret: imo & Cerinthianos ac Merinthianos ex utriusque sexus copulatione merum hominem illum natum asserere; idemque & Nazaræos & nonnullas alias hæreses sentire: tanquam postremus omnium (quartus enim hic Evangelium scribere aggressus est) aberrantes illos & in humanam CHRISTI generationem, plus quam par esset, intentos revocare instituit &c.*

VI. Equidem non est, quod diffitear, *Eusebium Pamphili in Hist. Eccles. lib. II. capite*, secundum textum *Græcum*, κεφ. sed vero in *Latina* Interpretatione adjecta, *capite XIIX. p.* 69. (Edit. *Coloniæ Allobrogum* Anno CIϽ IϽC XII.) hanc potius memorare perscripti denuo à Johanne Evangelii causam, quod ille, cum vidisset, tres priores Evangelistas, Matthæum, Marcum & Lucam, unius tantum anni, quo CHRISTUS passus est, historiam texuisse, voluerit historiam supplere & acta etiam superioris temporis in Evangelio suo exponere: hæc tamen *Eusebii* assertio priorem ab Irenæo & Epiphanio factam relationem non tollit, sed optimè cum ipsa subsistere potest. Sane *B. Hieronymus* utramque conjunxit in Vita Johannis, quæ exstat inter *opera* ipsius *Tom. I. pag.* 102. ubi ita scribit: *Novissimus omnium scripsit Evangelium* (Johannes Apostolus) *rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum & alios hæreticos & maxime Ebionitarum dogma, consurgens, qui asserunt,*

CHRISTUM ante Mariam non fuisse. Unde & compulsus est, divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam causam hujus scripturæ ferunt. Quod cum legisset, Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse affirmaverit, sed unius tantum anni, quo & passus est, post carcerem Johannis, historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Johannes clauderetur in carcerem, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam diaphoniam, quæ videtur Johannis esse cum cæteris, tollit. Huc usque B. Hieronymus. Confer Editionem N. T. Græco Latinam *Erasmi Roterodami*, in qua Vita hæc Johannis per S. Hieronymum scripta, ipsius Evangelio præfixa reperitur. Licet vero Eusebius cit. loc. non testetur diserte, Evangelistam Johannem contra hæreticos scripsisse: præ omnibus tamen aliis ipsum emphatice CHRISTI Deitatem adseruisse, hisce notabilibus verbis inculcat: Εἰκότως οὖν τὴν μὲν τῆς σαρκὸς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν γενεαλογίαν, ἅτε Ματθαίῳ καὶ Λουκᾷ προγραφεῖσαν ἀποσιωπῆσαι τὸν Ἰωάννην, τῆς δὲ θεολογίας ἀπάρξασθαι, ὡς ἂν αὐτῷ πρὸς τοῦ θείου πνεύματος οἷα κρείττονι πεφυλαγμένης. h. e. ut habet superius citata Interpretatio Latina, *Ac non immerito quidem Servatoris nostri stirpis secundum carnem Genealogiam, utpote à Matthæo & Luca accurate conscriptam, Joannes silentio prætermisit, & ab ejus Divinitate cepit exordium, perinde ac si illa fuisset sibi, tanquam multo accuratius eandem intuenti, à Spiritu Sancto ad scribendum reservata.*

VII. Hæc vero cum ita sint, cuique narium emunctiorum facile subolere potest, singularem subesse ἔμφασιν verbis hisce, quæ sub initium Evangelii sublimi stilo à Johanne concepta leguntur: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Præcipue si attentius paulo perpendatur, nusquam in universa Scriptura Canonica (loca aliquot si excipiamus controversa, v. g. Ps. 33: 6. Ps. 147: 18. 2 Sam. 7: 21. Luc. 1: 1. &c. ubi aliqui Doctissimorum Virorum non inerudite per דבר vel λόγον, secundam in Divina Essentia ὑπόστασιν, occasione etiam, ut videtur, ex hoc & aliis Johannis Evangelistæ locis arrepta, intelligi posse suspicantur, aliis interea Præstantissimis consimiliter Viris hæsitantibus, aliis etiam plane contradicentibus) Filio DEI cognomen λόγου, quam in scriptis Evangelistæ & Apostoli Johannis, tribui. De cætero quod ad ipsam attinet dictionem λόγος, est illa stupendæ prorsus ambiguitatis. Doctissimus Dn. *Erasmus Schmidius* significationes voculæ hujus XXXIX. ex sacris & profanis auctoribus solus in suis ad *Johannis 1: vers. 1. Animadversionibus pag. 645. 646. 647.* collegit, de quibus tamen ita judicat Celeberrimus & in literatura Græca versatissimus *Stolbergius in aurea de* Λόγῳ *&* Νῷ *Platonico Exercitatione, cap. 1. §. 1. Illa*, inquit, *non sunt omnes tam propriæ ac distinctæ notiones, quam ejusdem significationis varii usus & ad res ἀναλόγους κατὰ μεταφορὰν sive tropum aliquem accommodationes.* Ipsas illas acceptiones omnes recensere, supervacuum foret; & Iliada canerem post Homerum. Qui cupit, adeat laudatos Auctores (nam & ipse Clariss. Stolbergius c. l. §. 4. alia quædam à B. Dn. Schmidio prætermissa erudite congessit,) & abunde sibi à Viris illis Eruditissimis satisfactum esse, deprehendet. Λόγος uti à λέγω, *Dico*, descendit, ita etiam præcipue *Sermonem* significat, sive *Orationem*. Cum vero Sermo statuatur duplex, προφορικὸς καὶ ἐνδιάθετος, λόγου dictio pro *Ratione* & *Cogitationibus* passim usurpari cœpit; imo tandem in foro Platonicorum ad ipsas *Substantias Cogitantes* sive *Spiritus* denotandos fuit adhibita. Non solum enim Platonici nostram *Animam* esse λόγον τινὰ affirmabant, sed & *Philo Judæus*, Platonicus Præstantissimus, passim *Angelos* hoc nomine appellat; ac *Origenes*, qui sæpe magis Philosophus Platonicus, quam Theologus fuit, *l. 7. contra Celsum*, *Diabolos ipsos* σὺν ἐναντίους τῇ ἀληθείᾳ λόγους nominat. Conferatur laudatissimi Stolbergii. c. l. cap. 2. §. 1. 2. Uti vero Philosophi Platonici, una cum omnibus Gentilibus Creationem ex nihilo pro alte, ut loquimur, impossibili habebant; ita spiritus (quos ex Materia, quam DEO coæternam fingebant, deducere nequibant) ex ipso DEO & ejus Essentia emanasse crediderunt, ac pro *Effluviis* atque *Apospasmatibus* divinis habuerunt, inter quos Deunculos & Deastros suos fictitios, unum eximium & præcipuum (tanquam Causatum DEI summi Primum & Immediatum) summa gloria & prædicatione efferunt, eique maxima quæque & divinissima tribuunt. Hunc λόγον inter omnes λόγους sive Effluvia Divina, præstantissimum, ipsi postmodum κατ' ἐξοχὴν λόγον & Νοῦν, hoc est *Mentem* vel *Spiritum* aut *Substantiam Cogitantem*, appellarunt, in quo omnium rerum Ideæ (quæ in DEO eminentissime exsistentes, materiæ brutæ à DEO inducendæ erant) formaliter, & magis realiter, quam in DEO, separatæ, reperiebantur. Qua de hypothesi Platonica inferius plura dicam. Denique *Significato peculiari* (verba sunt *Erasmi Schmidii c. l. p. 647. colum. a.*) *toti mundo extra revelationem Verbi incognito*, λόγος *notat Secundam Personam Deitatis, Filium DEI, in sua Deitate æterna consideratum, ut hoc loco:* ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ipsas ergo hujus Denominationis rationes novisse & indagasse operæ pretium utique fuerit.

VIII. Et sane, si dicendum, quod res est, locus præsens in se spectatus omni caret difficultate, & solus ad omnes hæreticorum, CHRISTI Deitatem impugnantium strophas solide evertendas abunde sufficit: hodie tamen obscuriusculus est, non quidem sui, sed Interpretum vitio. Verissima enim sunt, quæ habet strenuus quondam Ecclesiæ Orthodoxæ Atlas, *B. Dn. D. Martinus Chemnitius in Harmon. Evang. lib. 1. c. 1. colum. 7.* (Edit. Anno 1615.) ubi justas hasce querelas fundit: *Mirabilibus disputationibus pulcherrimus hic textus non tam explicatus, quam obscuratus fuit. Plana autem & simplicia sunt omnia, si cogitatur, propositum Johannis esse, in hoc textu summam totius doctrinæ Evangelicæ complecti. Quia igitur Cerinthus fingebat, Christum merum esse hominem, licet reliquis excellentior esset, & ante Incarnationem nihil vel fuisse, vel egisse: Ideo Johannes utramque naturam in CHRISTO diserte describit & eodem verbo, quo Moses, Historiam Evangelicam orditur. Utitur autem de CHRISTO illo vocabulo, quo vulgo tunc promissus Messias ex Chaldaismo ratione promissionis seu patefactionis vocabatur,* מימרא *&* ממרא *quod Græce loquens vulgus* λόγον tunc *appellavit, hoc est, Verbum.* Hactenus verba Viri merito suo Celebratissimi elegantissima, quibus prorsus quoque acquiescerem, nisi unicum in illis occurreret, quo illud *Senecæ Epistol. XLV.* confirmari videtur: magnos illos, qui ante nos fuerunt, Viros etiam nobis non inventa, sed quærenda reliquisse.

IX. Ut vero, Honoratissime Lector, candide tecum agam, & eos, per quos profeci, indicem, quantasque illis debeam grates, publice confitear; non possum dissimulare, primam de asserto Magni Chemnitii quadantenus dubitandi occasionem mihi præbuisse Virum, à me supra laudatum, *Dn. D. Hildebrandum*, in cujus discursu ad Disp. II. partis primæ Enchiridii Controversiarum, (quo celebri & alicubi à Clarissimo *Dn. Bosio* commendato Manuscripto una cum aliis Magnorum Virorum operibus ἀνεκδότοις me Vir admodum Reverendus atque Clarissimus *Dn. M. Joh. Wilhelmus Reinspergerus*, Fautor meus Honoratissimus & haud ultimus conatuum meorum Promotor, amice exornavit) inter alia hæc leguntur: *Vim aliquam tribuunt illis dictis, in quibus* Verbum & Spiritus Sanctus *commemoratur v. g. in ultimis verbis Davidis, ubi* Spiritus Domini *dicitur per Davidem locutus &* Verbum *ejus ex Davidis ore processisse: Item in illo Psalmi:* (Psal. 33: vers. 6.) Verbo Domini Cœli facti sunt, &c. ℞. *Posse quidem hæc dicta, ubi cum Christianis res est, ab Ecclesiæ Doctore ad Trinitatem satis eleganter applicari sive accommodari; sed contra Judæum, Socinianum aliumve rigidum Antagonistam non usurpari: Neque enim sequitur, hic loci* Verbum Domini *memoratur: Ergo* Filius DEI *exprimitur. Sæpius enim in Sacra Scriptura Verbum Domini dicitur DEI Loquela, Promissio vel Præceptum sive Doctrina, viva voce vel scripto tradita v. g.* Verbum Domini manet in æternum, *quod erat Symbolum Lutheranorum superiori seculo, pro eo, quod DEI doctrina expugnari non possit.* Psalm. 119. Lucerna pedibus meis Verbum tuum, *id est, Lex Tua, de qua David in toto Psalmo 119. aureo suo alphabeto à capite ad calcem loquitur.* Item Psal. 107. Emisit DEUS verbum suum, *id est, Vim & Veritatem suam, & sanavit eos.* Verbum Domini ex ore meo processit, *id est, Doctrina DEI, rectius, quam DEI Filius. Sic hoc loco etiam Verbo Domini dicuntur cœli firmati, h. e. ad Mandatum DEI cœlestes illi globi dicto Conditoris audientes se sistebant; vel verbo Domini, hoc est, per Divinam Virtutem & Omnipotentiam DEI, & creatricem Potentiam cœli efformati sunt. Quid? In ea ego opinione sum persuasus, cum Intentione Hieropsaltæ has interpretationes omnium optime congruere, nec vel ipsum auctorem, cui forte Personarum Trinitas constitit, intendisse hoc loco per Verbum intelligere Filium. Neque enim in tota S. Scriptura* quis-

quisquam è Prophetis vel Apostolis, præter unum Johannem (cap. 1: 1. & 14.) *Evangelistam, Filium DEI, Verbum DEI dixit:* In principio erat verbum: *&*: Verbum Caro factum est: *& in I. Epist. I. Verbum Vitæ ab se visum, auditum, factum esse prædicat. Ratio autem suberat, ut contra Ebionem & Cerinthum Divinitatem CHRISTI demonstraret. Moris enim apud Judæos erat, ut vocem* יהוה *non exprimerent, quod esset Essentiale & Domesticum DEI Israëlis nomen, dictum* Schem Hamphorasch, *i.e. Nomen absconditum. Onkelos autem, cujus est Paraphrasis Chaldaica non diu ante N.C. scripta, ubi in Ebræo est* יהוה *substituit* מימרא *i.e. Verbum. Quasi dicat, Nomen illud sanctum, & ineffabile Verbum, quod Judæi sacro silentio venerantur, summum illud Numen* יהוה, *quod verbotenus efferre non licet. Ex hac Chaldaica Paraphrasi, quæ paucis annis Nativitatem Dominicam præcessit, Johannes hanc formulam loquendi desumsit, volens exprimere, quod Filius DEI sit* יהוה, *qui ineffabili illo verbo & sacro solius DEI proprio nomine vocatur. Antequam ergo exstaret Versio Chaldaica, nemini, puto, in mentem venerit, Filium DEI vocare Verbum.* Hucusque Verba Clarissimi Hildebrandi: Inter quem & B. Chemnitium, dum nihil, quoad negotium præsens, deprehendebam dissensus, præterquam, quod ille vocula מימרא Dictionem יהוה sive *Nomen DEI Essentiale*; Hic vero *Messiam*, olim apud Targumistas sive Chaldæos Paraphrastas, fuisse denotatum, contenderet; operæ pretium me esse facturum, existimavi, si altius paulo (præcipue cum meos qualescunque conatus tribus Targumim aliisque huc attinentibus libris pretiosis benevole VIRI in orbe literato ILLUSTRES, Maxime Reverendus Dominus PRÆSES meus, Consultissimus Dominus D. WAGENSELIUS & veneranda Canitie Gravissimus Dominus Professor KONIGIUS, Patroni ac Præceptores mei, quorum Paternum erga me affectum filiali pietate veneror, juvarent) in utriusque Celeberrimorum Virorum adserti Fundamentum inquirerem, ea nunc, quæ digna notatu mihi videor observasse, præsenti, hac Exercitatione Academica placido τῶν συνθεολογούντων Examini כיד אלהי הטובה עלי, ut cum Nehemia (cap. 2: 8.) loquar, submissurus.

X. Prolixo si mihi esse concederetur, non ab re forsan foret, argumentum hocce in duo diducere capita, quorum *prius* ageret de Verborum Johannis à nobis considerandorum Objecto: *posterius* autem demum curiosius paulo Vocem ΛΟΓΟΥ, & rationes ob quas Filius DEI illa ab Evangelista Johanne appellabatur, contemplaretur. Licet enim planissimum sit, & cuique textum modo leviter inspicienti obvium, Johannem Apostolum loqui hoc loco de JESU CHRISTO, Filio Mariæ; reperti tamen sunt homines ridiculi & revera inepti, Valentiniani, dicti ab Hæresiarcha suo, Valentino, qui contra solem loqui ac illa etiam, quæ palpabilia sunt, in dubium vocare, nihil pensi habuerunt, dum nescio quæ mysteria Kabbalistica sectantes, ita textum pulcherrimum detorserunt, ut si illos audias, Johannes hæc scribens, neutiquam videretur de JESU, Domino ac Magistro suo, cogitasse, tantum abest, ut de eodem locutus censeri deberet. Ne quid finxisse videar, volui egregiam, si Superis placet, hujus textus Evangelici, secundum Valentinianos, explicationem apponere, quam exhibet *S. Irenæus cit. loc. lib. I. c. I. pagina* Editionis superius jam allegatæ, 28. 30. *seqq.* Verba B. Patris Græca, latinitate hunc in modum donavit *Gallasius*: *Valentiniani docent, Joannem Discipulum Domini primam Ogdoadem ipsis verbis significasse, atque ita loquuntur: Joannes Discipulus Domini volens dicere universorum generationem, secundum quam omnia produxit, Principium quoddam proponit, quod primum genitum est à DEO, quod & Filium Unigenitum & DEUM, vocavit, in quo Pater omnia produxit, velut seminis emissione. Ab hoc autem Sermonem productum & in eo universam Æonum essentiam, quam postea formavit ipse Sermo. Quoniam igitur præclare dicit de Generatione, à Principio, hoc est, DEO & Verbo, doctrinam tradit. Sic autem ait:* In Principio erat Sermo, & Sermo erat apud DEUM, & DEUS erat Sermo. Hic erat in Principio apud DEUM. *Prius distinxit tria, DEUM, Principium & Sermonem, rursus ipsa unit, ut productionem utriusque demonstret & Filii & Sermonis, atque unionem, quam & inter se, & cum Patre habent. Nam in Patre & ex Patre est Principium & à Principio Sermo. Recte igitur dixit:* In Principio erat Sermo. *Erat enim in Filio.* Et Sermo erat apud DEUM. *Etenim Principium & DEUS erat Sermo ex consequenti. Quod enim genitum est ex DEO, DEUS est.* Hic erat in Principio apud DEUM. *Productionis ordinem demonstravit.* Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. *Nam Sermo omnibus Æonibus, qui cum ipso sunt, Formæ & Generationis causa fuit. Sed quo factum est?* In ipso Vita erat, *hic & Syzygiam indicavit, nam ait, universa per ipsum facta esse; Vitam ergo esse in ipso. Hæc igitur, quæ in ipso facta est, magis ipsi propria est, quam ea, quæ per ipsum facta sunt: In ipso enim est, & per ipsum fructum facit. Quandoquidem infert:* Et vita erat Lux hominum: *nunc Hominem dicens, æquivoce Ecclesiam cum Homine significavit, ut per unum nomen declaret communionem Syzygiæ. Nam ex Sermone & Vita, fit Homo & Ecclesia. Lucem autem hominum dixit Vitam, eo quod illi ab hac illuminantur, id quod est formari & manifestari. Hoc autem idem dicit Paulus, Omne enim quod manifestum facit, Lux est. Quoniam ergo Vita manifestum fecit & genuit Hominem & Ecclesiam, Lucem eorum dicit. Aperte igitur declaravit Johannes his verbis cum alia, tum hunc quaternionem, Sermonem & Vitam, Hominem & Ecclesiam. Quin etiam primum quaternionem significavit. Narrans enim de Salvatore, & dicens, Omnia, quæ sunt extra Plenitudinem, per ipsum formata esse, dicit ipsum esse fructum universæ Plenitudinis. Etenim dicit ipsum Lucem, quæ lucet in tenebris & ab iis apprehensa non est. Quandoquidem omnia, quæ ex affectibus concinnavit, ab ipsa ignorantur. Et vero Filium, Veritatem & Vitam ipsum dicit* & Sermonem, qui caro factus est, cujus gloriam contemplati sumus, *inquit*, & erat gloria ejus, qualis erat Unigeniti Gloria, ipsi à Patre data, plena Gratiæ & Veritatis. *Ita vero dicit*, Et Sermo factus est caro, & habitavit in nobis: & contemplati sumus Gloriam, ut Unigeniti à Patre plenum Gratiæ & Veritatis. *Exacte igitur primum etiam Quaternionem indicavit, dicens, Patrem & Gratiam & Unigenitum & Veritatem. Ita Joannes locutus est de prima Ogdoade & matre omnium Æonum. Patrem enim dixit & Gratiam & Unigenitum & Veritatem & Sermonem & Vitam & Anthropon & Ecclesiam. Vides, ô Dilecte methodum, qua utentes suas ipsorum mentes seducunt & eludunt scripturas, dum ex iis figmentum suum conantur statuere. Nam & ego hac de causa apposui ipsorum Verba, ut ex iis veteratoriæ ipsorum artis calliditatem ac versutiam & imposturæ nequitiam consideres. Primum quidem, si propositum fuisset Joanni, Ogdoadem superiorem indicare, productionis Ordinem utique servasset atque primum quaternionem tanquam summe venerandum, ut dicunt, in primo ordine nominum posuisset atque ita conjunxisset secundum, ut per ordinem nominum, Ogdoadis ordo demonstraretur & non post tantum intervallum, velut oblitus, deinde recordatus, ad extremum Primi Quaternionis mentionem fecisset. Postea vero & Syzygias significare volens, non prætermisisset nomen Ecclesiæ, aut etiam in reliquis Syzygiis contentus fuisset appellatione Masculorum, cum etiam & illæ similiter subintelligi possent, ut per omnia Unitatem servaret. Quod si reliquorum conjuges recensuit, Hominis quoque conjugem indicasset, neque sivisset nos ex divinatione nomen illius adsumere. Manifesta est igitur fictio illius Expositionis. Nam cum Joannes unum DEUM omnipotentem prædicet, & unum JESUM CHRISTUM, Unigenitum, per quem omnia dicit facta esse, hunc filium DEI, hunc Unigenitum, hunc omnium Effectorem, hunc Lucem veram, quæ illuminat omnem hominem, hunc mundi Creatorem, hunc venisse ad propria, hunc carnem factum & habitasse in nobis: hi verisimili persuasione expositionem evertentes, alium quidem Unigenitum esse volunt secundum Productionem, quem & Principium vocant, alium vero Salvatorem fuisse, & alium Logon, filium Unigeniti, & alium Christum productum ad emendationem Plenitudinis. Ac unumquodque dictorum sublatum è Veritate, abutendo nominibus, ad suam hypothesin transtulerunt, ita ut secundum ipsos Joannes inter tot nomina, Domini JESU CHRISTI mentionem non fecerit. Si enim Patrem dixit, & Charin, & Menogenem & Alethiam & Logon & Zoën & Antropon & Ecclesiam, de prima Ogdoade secundum eorum hypothesin dixit, in qua nondum JESUS, nondum CHRISTUS Joannis Magister reperitur.* Hæc *S. Irenæus*, cujus verba Græca quoque exscripta leguntur apud *Epiphanium c. l. libr. I. tom. II. Hæres. XXXI. p. 196. 197. 198. 199.* Qui & ipse fusus est in hac Valentinianorum monstrosa hæresi enarranda. Huic quoque addi meretur *Tertullianus contra Valentinianos*, ubi eandem doctrinam adumbrat, & complura notatu digna ipso de *Valentino* recenset.

XI. Quem-

XI. Quemadmodum autem *Epiphanius* allegat. loc. *pag.* 164. memorat, Valentinum Alexandriæ à Græcis hanc ſuam Theologiam atrocem fuiſſe edoctum: ita manifeſtum eſſe puto, ad hanc myſticam, (ut hominibus fanaticis atque impuris appellatur) doctrinam penitius intelligendam & funditus evertendam, debere me quam plurima ex abſtruſa & intimiore *Heſiodi*, *Platonis*, *Pythagoræ*, aliorumque *Græcorum* Gentilium, imo & cum primis *Ægyptiorum* ac *Chaldæorum* (utpote ad quos, tanquam ad fontem & occaſionem, omnia hæc fanatica myſteria ultimato redeunt;) Theologia, ſubindicatis inſimul fontibus omnium illarum fabularum ſublimiorumque ἀποθέσεων, ex quibus iſti Naturæ ortum & conſervationem deducere conati ſunt, annotare. Imo poſſet porro quoque oſtendi, non modo monſtruoſum hoc Valentinianorum dogma ex infelici quadam Evangelicæ Veritatis eum ineptiis illis Gentilibus Syzygia eſſe enatum; ſed eidem etiam Paganæ Theologiæ infinitis allegoriis & fictitiis myſteriis refertæ, tumque temporis maxime florenti, bonam partem deberi iſtud allegoriſandi cacoëthes, quo plerique illius ævi ſcriptores laborabant; ut adeo de novo exinde lumen affunderetur & ſpecies accederet meo, quod alibi exponebam, aſſerto, Ipſam videlicet quoque Kabbalam Judæorum (cujus, ſi non conceptio, ſaltem nativitas, in ea tempora incidit) nihil aliud eſſe, quam monſtroſum fœtum ex infauſta ſublimioris Ethnicorum Philoſophiæ cum Veteris Teſtamenti ſcripturis commixtionē progeneratum: In quem finem etiam liceret comparationem inter Valentinianorum, eorumque Complicum, Chriſtiano-Paganam Theologiam à B. Irenæo quinque libris integris egregie explicatam & ſolide confutatam, ac inter Kabbalam ſublimiorem ſive modernam Theologiam Ethnico-Judaicam, quæ ſibi in quam plurimis ſimillimæ ſunt, inſtituere. Enimvero cum hujus materiei conveniens atque dilucida tractatio non poſſit unicæ Diſſertationi Academicæ, qualem nunc meditor, includi, ſed juſtæ molis volumen ſibi depoſcat; atque præterea, quemadmodum *Seneca* de Sophiſmatibus Epiſt. ſuperius allegata eleganter ſcribit: *Qui interrogatur, an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, ut frontem ſuam tentet, nec rurſus tam ineptus & hebes, ut, non habere ſe, neſciat, quod tu illi ſubtiliſſima collectione perſuaſeris*; Ita fere ſimili modo, de abſurdo hoc Interpretamento dici queat: *Nemo eſt tam ridiculus, ut Valentinianorum myſticam expoſitionem textui Johannis reſpondere credat, nec rurſus tam inſulſus, ut mendacia ſplendida eſſe non animadvertat, quæ ipſi ſub titulo ſuperbo Myſteriorum venditant*: hinc nihil cauſæ noſtræ decedet, ſi vel maxime eam hac vice cum aliis eruditis ac difficilibus nugis miſſam fecerimus, præcipue cum ante multa ſecula hanc hæreſin prolixe confutare non fuerit dedignatus Malleus Valentinianorum, S. Irenæus, cujus operam hoc nomine maximopere deprædicat atque extollit Epiphanius allegat. pag. 205. Intrepidus igitur ſuppono, Johannem hoc in loco non facere de alio, ſub λόγου nomine, ſermonem, quam de Magiſtro ſuo, CHRISTO JESU, facilemque me aſſenſum ab omnibus Cordatioribus impetraturum ſpero. Ut tamen nihil dubii ſupereſſe queat, etiam quoad Subjectum ſive Objectum; audiamus ipſum Johannem, optimum ſui interpretem, qui per λόγον, ſe, Magiſtrum ſuum intelligere diſtinctiſſime verſ. 14, 15, 16, 17, 18. iſtis, ut *Eraſmi* verſionem retineam, verbis edocet: *Sermo ille*, inquit, *caro factus eſt, & habitavit in nobis (& conſpeximus gloriam ejus, gloriam velut Unigeniti à Patre) plenus gratia & veritate. Ioannes teſtificatur de ipſo, & clamat, docens, Hic erat de quo dicebam, Qui, quum me ſequeretur, anteceſſit me: quia prior me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: Quia Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per IESUM CHRISTUM exorta eſt, DEUM nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, narravit, &c.* Confer 1 Epiſtolam Johannis. 1: verſ. 1, 2, 3. Qui ex his locis, JESUM CHRISTUM, Johannis Apoſtoli Præceptorem, per λόγον intelligi, nondum colligere poteſt, is naviget Anticyras & ibi ſyncipnt Helleboro purget. Res enim adeo evidens eſt, ut ipſe *Socinus*, *Crellius*, aliique Socinianorum & Photinianorum, CHRISTUM eſſe *Objectum* vel *Subjectum*, *h. l.* diffiteri non audeant, licet *prædicatum* enervare improbe nitantur. Imo quid multis? Tanta veritatis vis eſt, ut ipſi etiam Muhammedani, teſte Clariſſ. *Hottingero in Hiſtoria Orientali libr. I. cap. III. pag.* 158. λόγον ſeu Sermonem, CHRISTUM ἐξόχως appellent, quam denominationem dubio procul Muhammed ex Joh. cap. 1. verſ. 1. deſumſit, uti ibidem Vir laudatiſſimus egregie annotat, quamvis ineptam, hanc nominis iſtius rationem Arabes confingant, quod ideo *Iſa ſive Ieſus* ſic appelletur, quia *ad Verbum ſeu mandatum DEI exſtiterit abſque Patre.* Vide plura ap. Clariſſ. Hottingerum loco cit. nec non *l. II. c. IV. p.* 409.

XII. Ego nunc potius id, quod inſtituti mei eſt, acturus, diſquirere adnitar, Quare Dominus noſter JESVS CHRISTVS ab Evangeliſta, Johanne, Deitatem ipſius vindicaturo, λόγος fuerit appellatus? Reſponſa primum (σὺν θεοῦ παλάμᾳ) aliorum exponam, partim ex diverſis verſionibus, partim vero apertis ex Commentationibus colligenda, meam, poſtmodum qualemcunque, bona omnium pace ac venia, ἐπίκρισιν ſubnexurus. *Interpretum*, quos conſulere mihi licuit, primus eſto *Syrus*, qui verſum 1. cap. 1. Evangelii Johannis ita tranſtulit: ܒܪܫܝܬ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܠܬܐ ܘܗܘ ܡܠܬܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܠܘܬ ܐܠܗܐ ܘܐܠܗܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܗܘ ܡܠܬܐ܀ id eſt: In Principio erat verbum, & illud verbum erat apud DEVM & DEVS erat illud verbum. *Vulgatus Latinus* ſic legit: In principio erat verbum, & verbum erat apud DEVM, & DEVS erat verbum. *Eraſmus Roterodamus*: In Principio erat ſermo, & ſermo erat apud DEVM, & DEVS erat ille ſermo. Similiter *Beza*: In principio erat ſermo ille, & ſermo ille erat apud DEVM, eratque ille ſermo DEVS. *B. Lutheri* (imo etiam *Synedrii* illius, quod vocabant, *parvi*. Nam, prout ex parte quoque Vir Maxime Reverendus atque Excellentiſſ. *Dn. D. Alberti in Intereſſe Religionum*, *Articul. I. th. VII.* §. 1. ex *Mattheſii Homilia XIII. de Vita Lutheri* annotat, non ſolus Lutherus Biblia Sacra in linguam noſtram vernaculam à ſe tranſlata, elaboravit, ſed operæ ſuæ adjunxit *Pomeranum*, *Ionam*, *Crucigerum Senem*, *Melanchthonem & Aurogallum*, ubi in conventibus καθ' ἑβδομάδα inſtitutis huicque dicatis negotio, quos Parvum Synedrium appellitabant, *M. Rorarius* vices Scribæ geſſit, ex eorundemque diſcurſu ad Biblica Loca *Gloſſas*, quas hodie habemus, *Marginales*, collegit) hæc eſt verſio: **Im Anfang war das Wort/ und das Wort war bey GOtt/ und GOtt war das Wort.** *Smalcius* in editione N. Teſt. Germanica Rocovienſi, quæ An. 1630. prodiit, hunc in modum reddit: **Im Anfang war die Rede/ und die Rede war bey GOtt/ und die Rede war ein GOtt/** à qua Verſione, præter ſcribendi rationem, nihil diverſi habet illa altera *Ieremiæ Felbingeri*, **Im Anfang war di Rede/ und di Rede war bei GOtt/ und di Rede war ein GOtt.**

XIII. Quod ad *Commentationes* attinet, videtur mentem plerorumque antiquorum Patrum inſignis *B. Auguſtini* locus, quem ex aureo ipſius libello *de Fide & Symbolo* ſeorſim anno 1654. Norimbergæ opera τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις *Dilherri* edito, *pag.* 11, 12. *ſeqq.* reperiundum excerpſi, exprimere, ita habens: *Credimus etiam in Ieſum Chriſtum, Filium DEI Patris, unigenitum, unicum Dominum noſtrum. Quod tamen verbum, non ſicut verba noſtra, debemus accipere, quæ voce atque ore prolata, verberato aëre, tranſeunt, nec diutius manent, quam ſonant. Manet enim illud Verbum incommutabiliter: nam de ipſo dictum eſt, quum de Sapientia diceretur*: (*cap.* 7: *v.* 17.) *In ſeipſa manens innovat omnia. Verbum autem Patris ideo dictum eſt: quia per ipſum innoteſcit Pater. Sicut ergo verbis noſtris id agimus, quam Verum loquimur, ut noſter animus innoteſcat audienti, & quicquid ſecreti in Corde gerimus per ſigna hujuſmodi ad alterius cognitionem proferatur: ſic illa ſapientia, quam DEVS Pater genuit, quoniam per ipſum innoteſcit animus ſecretiſſimus Patris, Verbum ejus convenientiſſime nominatur. Inter animum autem noſtrum & verba noſtra, quibus eundem animum oſtendere conamur, plurimum diſtat. Nos quippe non gignimus ſonantia verba, ſed facimus: quibus faciendis materia ſubjacet corpus. Plurimum autem intereſt inter animum & corpus. DEVS vero, quum Verbum genuit, id, quod eſt, ipſe genuit, neque de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque materia; ſed de ſeipſo id quod eſt ipſe. Hoc enim & nos conamur, quum loquimur, ſi diligenter conſideremus noſtræ voluntatis appetitum, non quum mentimur, ſed quum vera loquimur. Quid enim aliud molimur, niſi animum ipſum noſtrum, ſi id fieri poteſt, cognoſcendum & perſpiciendum animo auditoris inferre: ut in nobis quidem ipſi maneamus, nec recedamus à nobis & tamen tale indicium, quo fiat in altero noſtra notitia, proferamus: ut quantum facultas conceditur, quaſi alter animus ab animo, per quem ſe indicet, proferatur. Id facimus conantes, & verbis, & ipſo ſono vocis, & vultu, & geſtu corporis; tot ſcilicet machinamentis id, quod intus eſt, demonſtrare cupientes, quia tale aliquid pro-*

proferre non possumus: & ideo non potest loquentis animus penitus innotescere: unde etiam mendaciis locus patet. (1 Cor. 1: 2.) *DEUS autem Pater, qui plenissime se indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse, qui genuit, qui virtus etiam ejus & Sapientia esse dicitur, quia per ipsum operatus est, & disposuit omnia; de quo propterea dicitur:* (Sap. 8: 1.) Attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter. Hanc Explicationem Allegoricam *Crellius* quoque (alia tamen intentione & mente) in *Epistola* quadam, admodum prolixa, ad *Peuschelium* data & ab Excellentissimo *D. Felwingero b.m. an* 1671. edita & confutata *pag.* 128, 129. §. *XXIIX*, prosequitur quodammodo, quando Verba Evangelistæ planissima ita torquet: *Non abhorret*, ait, *ab hoc sensu ipsum Evangelii Johannis initium, ubi dicitur in principio fuisse ὁ λόγος qui erat apud DEUM & erat DEUS: si modo per vocem λόγος, intelligamus filium DEI, quatenus est imago mentis divinæ, sed adhuc in decreto tantum & conceptu DEI Patris, nondum vero in reipsa existentem, quemadmodum sermo est Imago mentis humanæ, & non tam, ubi prolatus est, λόγος dicitur, sed etiam antea, dum adhuc est in mentis humanæ conceptu: & quid si Apostolus ea voce de Filio DEI ad hoc ipsum indicandum ab initio statim Evangelii sui, uti maluisset, ut eo ipso, quantus apud DEUM Dominus JESUS etiam ante nativitatem suam fuerit, manifestum faceret. Nam vox λόγος hac ratione Domino JESU multo magis convenit, cum scil. nondum reipsa, sed adhuc in conceptu DEI patris erat, quam postea ubi jam reipsa exstitit: Unde etiam postea, ubi de JESU jam nato & docente Evangelista verba facere incipit, nunquam eum amplius appellat λόγον.* Hæc Crellius.

XIV. Ex Recentioribus de DEI ΛΟΓΟΙ fusius verba fecit Vir Clarissimus deque S. Philologia optime meritus, *Dn. Salomon Glassius* in *Onomatologia Messiæ Prophetica, classe IIX. §. I. p.m.* 268, 269. *seqq.* Cujus quoque integrum locum, cum quam plurima huc apprime facientia & digna notatu contineat, exhibere non pigrabor. Ita vero ille: דבר יהוה *Verbum Jehovæ: Ita* (Filius DEI) *appellatur Ps.* 33: *vers.* 6. *Galatinus addit Psalm.* 147: *vers.* 18. *ubi Verbo DEI* missio *tribuitur*: Mittet verbum suum: *quod de Messia exponit quidam conversus Iudæus, de quo Galatinus l.* 3. *de Arcanis Cath. Verit. cap.* 6. *Quidam etiam adjiciunt locum* 2 Sam. 7: vers. 21. בעבור דברך propter Verbum tuum: *quod* 1 *Paral.* 17: *vers.* 19. *ita effertur,* בעבור עבדך propter Servum tuum, *nempe Messiam Es.* 53: *vers.* 1. *Respondet autem huic appellationi nomen Chaldaicum* מימרא *h. e.* Sermo *quod in Paraphrasi V. Test. Chaldaica aliquoties tribuitur Messiæ, Esaiæ* 44: *vers.* 17. Israël salvatus est ביהוה per Dominum salute æterna: *quod Chaldæus ita exprimit,* במימרא דיי per Verbum Domini. *Vide Galatinum libr. III. c. V. & D. Selneccerum in tractatu, hac de Chaldæa Messiæ appellatione, edito. Atque eadem voce, quæ tum temporis apud Hebræos videtur fuisse pervulgata, contra Cerinthum; & Ebionem Iudæum, divinitatem Christi hostiliter impugnantes, fuit usus, eamque per τὸ λόγον reddidit Evangelista Iohannes cap.* 1: *vers.* 1. 14. *uti &* 1 *Epist. cap.* 1: 1. *cap.* 5: 7. *Est autem nomen metaphoricum & ἀνθρωποπαθῶς DEO attributum: quare per Similitudinem explicandum est. Ea desumitur* à Ratione *nostra ejusque sobole quasi ac Charactere,* sermone, *tum* ἐνδιαθέτῳ, *tum* προφορικῷ, *sive* Interno & Externo. *Competit igitur Christo hoc nomen duplici jure & respectu* (1) καθ' ἔσω *sive* ad Intra, *in relatione ad DEUM Patrem.* (2) καθ' ἔξω ad Extra *in relatione ad creaturas.* Καθ' ἔσω primario *æternam notat in Patre generationem. Sicut enim ex anima rationali αὔλως καὶ ἀδιαιρέτως nascitur rationis* Ἐνέργεια *sive λόγος ἐνδιάθετος ita ex Essentia DEI Patris (sed longe sublimiori, imo ineffabili ratione) gignitur DEUS filius, persona Trinitatis secunda Fulgent. Serm. de nativ.* Verbum hoc non desinit prolatum, sed permanet natum, non transitorium est, sed æternum, non factum à DEO Patre, sed genitum, nec solum genitum, sed & unigenitum. Secundario *decreti æterni* notat rationem. Decretum enim redemtionis & Salvatoris *humani generis* ante jacta fundamenta mundi *in λόγῳ incarnando factum est, Ephes.* 1: *vers.* 4. 2 *Tim.* 1: *vers.* 9. *Unde & DEI Sapientia & Consiliarius vocatur, de quibus appellationibus suo loco dictum.* Καθ' ἔξω *& ad extra duobus* iterum modis Christo competit (1) Generatim *propter creationem & sustentationem, quia hic λόγος decretum Patris de creandis rebus, ipso efficaci opere enunciavit, & ita omnia per ipsum facta sunt, Psalm.* 33: *vers.* 6. *Iohan.* 1: *vers.* 3. *Coloss.* 1: *vers.* 16. *(quo respectu verbo DIXIT Genes.* 1. *secundam Trinitatis personam, quæ λόγος est, connotari, Theologi nostri asserunt)* & portat Omnia VERBO virtutis suæ *Hebr.* 1: *vers.* 3. (2) Speciatim *propter divinæ voluntatis (quæ fit in Ecclesia) revelationem. August. de fide & Symb. cap.* 8. Verbum Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. *Fit autem ista manifestatio partim sub umbris & figuris, tempore V.T. Iren. l. III. cap.* 18. λόγος dicitur, quia est Persona loquens cum Patribus. Partim *in veritate post λόγου Incarnationem in N.T. Ioh.* 1: *vers.* 17. 18. *Hebr.* 1: *vers.* 1. *Hunc respectum unice attendunt Photiniani. Socinus in defens. anim-advers. pag.* 104. Christus propterea potissimum vocatur Verbum, quia, quemadmodum per hominis verbum h.e. sermonem, hujus voluntas cognoscitur, sic per CHRISTUM DEI voluntas patefit, Joh. 1: vers. 18. num meliorem Johannis mentis interpretationem desideramus? *Hæc ille. Sed omnino respectus superiores (fidei nostræ ex firmissimis sacrarum literarum testimoniis exstructa analogia ita exigente) conjungendi sunt ad plenam appellationis istius enodationem.* Hucusque Clarissimus Dn. Glassius, qui equidem non diffitetur, Evangelistam Johannem dictione λόγου Chaldaicam מימרא (qua & ipse Messiam significatum fuisse contendit) respexisse; sed tamen antiquorum vestigia pressius legit in ipsa vocis explicatione & reddenda ratione hujus denominationis, quæ dubitandi fomitem non tam tollit, quam alit & auget.

XV. Magis utique sese commendare potest τοῦ μακαρίτου Chemnitii deductio. Qui licet in eadem sit opinione, quod olim vox מימרא sive Verbum denotarit Messiam; allegoricas tamen illas veterum rationes, data opera declinat, tanquam minus solidas, & potius diserte statuit, Messiam fuisse dictum מימרא ob promissionem verbo patefactam; quæ, fateor, ratio longe planior esset & simplicior Veterum conjecturis: modo quoque satis quadraret ad ipsam Targumistarum mentem. Sed audiamus ipsum Beatum Virum, optimum sui interpretem, cujus cit. loc. pag. 9. hæc sunt verba: *Varia*, ait, *disputata sunt, quare filius DEI appelletur λόγος. Et Tertullianus contra Praxeam contendit, appellatione λόγου Rationem potius seu Cogitationem, quam Sermonem vel Verbum h.l. intelligendum. Sed simplicissima videtur ratio, quia Chaldaismus populo tunc usitatus Messiam propter Promissionem verbo patefactam vulgo vocavit* מימרא & ממרא, *quod Græce λόγον, Latine Verbum significat, Iohannem appellatione illa, quæ de Messia omnibus tunc recepta & usitata erat, simpliciter voluisse uti, sicut & alias tales phrases retinuit Iohannes: ut quod dicit: Credere in nomen Unigeniti, Salvari per nomen ejus. Veteres enim Messiam designaturi, dixerunt Schema, Nomen illud, sicut scilicet in promissione DEUS personam & officium Messiæ patefecerat; nam & Rabbini ita loquuntur, &c.* Egregia hæc sunt, quæ omnino exoscularer & in quibus plane acquiescerem, nisi perpetuo viderentur confundere Nomen יהוה & Messiæ. Procul dubio autem hujus confusionis causa Viro ingeniosissimo exstitit non ipsa τῶν Targumim collatio, quæ sane magis distinctam ipsi ingeneratura fuisset Ideam; sed allegatorum locorum, quæ Galatinus aliique id generis scriptores congesserunt ex Targumistis, solitaria Inspectio. Quemadmodum enim non paucis, ratione non adeo urgente, ad quam infra respondere σὺν Θεῷ adnitar, inductis, persuasum est, Targumistas per מימרא דיי innuere ὑπόστασιν ab ὑποστάσει τοῦ יהוה distinctam: ita fere tantum τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες, talia postmodum citant loca, quæ aut citatio in N. Test. facta, aut Fidei Christianæ analogia aut alia quædam plausibilis ratio de secunda Trinitatis Persona explicare jubent v. gr. Psalmo 110: vers. 1. Esaiæ 43: vers. 2. cap. 45: vers. 17. Oseæ 1: vers. 7. &c. Ubi Paraphrastes Chaldaicus pro Ebræo ארני & יהוה dictionem מימרא posuit. Hæc igitur & similia, si quis unice inspiciat atque perpendat loca; facile poterit præcipiti inductione concludere; Ergo Targumistæ, quoties pro יהוה dictionem מימרא ponunt, secundam Trinitatis personam, quæ est promissus Messias, indicare volunt. Fallit Conclusio. Nec mirum. Ex paucis enim singularibus colligebatur universale, quod frequentissimum est vitium nostrarum Inductionum pure talium. Veruntamen hæc mea tantum conjectura est. Illud interea dubio caret, Targumistis מימרא & משיחא non fuisse Synonyma, quod ex sequentibus magis patescet.

XVI. Ut enim jam non dicam, videri eos, qui contendunt in Paraphrasibus Chaldaicis per voculam מימרא Messiam subindicari, quodammodo injurios in Veterum illorum Judæorum Candorem, quem hisce verbis deprædicat Doctis-

Doctissimus *Paulus Fagius in* elegantissimis *notis* ad *Paraphrasin Chaldaicam Onkelos*, & quidem ad *Numer. cap.* 24: *vers.* 17. ubi pro שבט מישראל in Targum expressa adhibetur dictio משיחא sive Messias; *Hic rursum*, ait, *observare licet, quantum Lucis Chaldaicæ Paraphrases istis locis adferant, quæ de Christo sonant, & in veritate Ebraica nonnihil etiam tectis verbis proponuntur. Id enim in tota editione Chaldaica factum esse perspicimus, ut, si quis locus in sacris literis ea tempestate de Messia esse videretur, clarissime sit ab illis Chaldæorum interpretibus translatus, amotis vocabulis ambiguis, sicut & Lyranus alicubi testatur in Commentariis suis super caput octavum Esaiæ, ubi vide.* Sane Chaldæo מימרא & משיחא unum idemque non denotasse, ad oculum ostendit Celebratissimus Philologus, *Dn. Theodoricus Hackspanius* in aureo suo ad *Lipmanni Nizachon tractatu*, de Usu Rabbinorum, ubi inter alia, *pag.* 366, 367. ita scribit: *Chaldæus ubi Messiam intelligi arbitratur, solebat uti voce* משיחא *vel* מלכא משיחא, *qua distinctionis gratia usus videtur, ut* מימר *sit commune quippiam,* משיחא *restrictum & determinatum imo vero Messiam à Verbo illo diserte distinguit Esaiæ* 42: 1. הָא עַבְדִּי מְשִׁיחָא אֲקָרְבִנֵּיהּ בְּחִירִי דְאִתְרְעִי בֵּיהּ מֵימְרִי אֶתֵּן רוּחָא דְקוּדְשָׁא עֲלוֹהִי דִּינִי לְעַמְמִין יְגַלֵּי: i. e. Ecce servus meus, MESSIAS, ad quem accedam, *vel, ut ex alia Conjugatione legunt*, applicabo eum; electus meus, quo delectatum fuit Verbum meum (*Hebr.* נפשי anima mea) ponam Spiritum Sanctum super eum, quo judicium meum populis revelet. *Patrem loqui, nemo nostrum negaverit, qui de filio ait, quem Messiam Chaldæus vocat,* רצתה נפשי בו anima mea acquievit in eo (*sic enim* בו *repeti debet*) *h. e. usitato Hebraismo, quem Matthæus cap.* 3: 17. *&c. cap.* 17: *vers.* 5. *evoluto Schemate, in prima persona effert* ἐν ᾧ εὐδόκησα, in quo acquievi. *Non itaque Filius per* מימר *notatur, sed idem ille pater relative filio oppositus.* His & illud accedit argumentum, quod sequeretur, etiam Pharaoni mysterium Trinitatis & Incarnationis notum fuisse. Nam legimus *Exod. cap.* 10: *vers.* 10: Dixit Pharao ad eos, יהוה sit vobiscum; Chald. Sit vestro in auxilio מימרא דיי *Verbum Domini.* At nemo dixerit Pharaonem Personarum discrimen ex miraculis, ortis à potentia omnibus personis communi, hausisse, &c. Confer quoque Celebratissimi *Hottingeri Historiam Creationis cap.* 1. *quæst.* 37. *pag.* 53. *seqq.*

XVII. Ex dictis claret, Messiam præcise non esse מימר sive *Verbum*, si mentem Targumistarum respicias: quin potius hoc est verissimum, nunquam adhiberi ab istis Paraphrastis, voces מימרא דיי & מימרא *in sua acceptione primaria & principe significatione*, quin aut in textu Ebræo ipsum nomen Tetragrammaton, Iod, He, Vau, He, exstet, aut saltem Antecedentia manifeste evincant, non esse locum de alio, quam de DEO Vero explicandum. Notanter dixi: *In sua Acceptione primaria & principe significatione*, quæ neutiquam (uti quidem perperam haud raro fieri solet) cum altera quadam servili, secundaria & abusiva dictionis מימר notione, est confundenda. Ut vero rectius illud insigne discrimen percipiatur, ante omnia quædam de genio linguarum Ebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, & si quæ aliæ his ipsis sunt vicinæ, monenda erunt. Illum autem optime edisserit modo laudatus, & omnium consensu, Doctissimus Dn. Hackspanius in MS. quadam Grammatica, sed, proh dolor, ab Ingeniosissimo Auctore ad finem non perducta, quam vocat *Peculium Talmudico-Rabbinum*, his verbis: *Reciproca*, ait, *Pronomina nulla norunt Ebræi, sed conjugatione Hithpaël eorum loco utuntur. Eodem tendunt affixa quædam, quarum tamen princeps significatio hæc non est: rarius vox quædam eodem collineat. Magistri autem, quo defectui huic consulerent, certis quibusdam usi sunt dictionibus, quas ordine recensuisse exemplisque firmasse operæ pretium fuerit. Sic itaque habendum, pro reciprocis haberi dictiones hasce. I.* עצם. *Habet illa in sacris quoque vim istam, dum dicitur satis frequenter:* בעצם היום הזה *i. e.* In substantia diei istius. *Inde occasione hac gavisi Judæorum Magistri, voce hac utuntur cum & sine præfixo.* Exempla, quorum plura B. Hackspanius adducit, inter alia hæc sunt: הייתי מטריח עצמי i. e. *fatigavi meipsum*; עבר דברי עצמו i. e. *sua ipsius verba non servat.* מדוד אתה לעצמך: *mensurato Tu pro temetipso.* II. recenset גרם, & tertium adsignat locum dictioni נפש, ad quam ita annotat: *In sacris vestigia hujus acceptionis exstant, vel de ipso DEO, qui cum jurare per majorem, quem nullum habet, nequeat, Amos* 6: *vers.* 2. בנפשו *jurasse legitur, h. e. per seipsum. Atque porro hæc sermonis ratio obtinuit, ut à Syris, Arabibus, Talmudistis crebro inculcetur, etsi cum primaria vocis acceptione parum conveniat, v. g.* גבין נפשיה vendidit animam suam, *hoc est*, seipsum. *Ita Syrus dicit Matth. cap.* 27: *vers.* 5. *strangulavit* ܢܦܫܗ animam suam *i. e.* seipsum. *Nec aliter Talmudistæ*: תלא נפשיה באיסקריא suspendit animam suam (*i. e.* seipsum) in malo navis, &c. Hæc ex allegato MS. Clarissimi Hackspanii. Prorsus simile quid obtinet in dictione מימרא & מימר apud Targumistas, qui, postquam hæc vox principaliter Nomen DEI ineffabile & Essentiale, uti infra ostendam, denotare cœpit; secundaria quadam & servili acceptione sæpissime non alio sensu vocula illa utuntur, quàm eo, quo Rabbini עצם & Ebræi נפש ex observatione Excellentissimi Hackspanii usurpant, præcipue ubi de DEO sermo fit: Imo quemadmodum ad dictiones quoque & earundem acceptiones quadrat illud Poëtæ: *Facilis descensus Averni est*; ita simile quid evenit voculæ מימרא. Ipsius primaria notio satis magnifica est & splendida; denotat enim יהוה, qua voce Ipsa Essentia Divina incomprehensibilis indicatur: sed postmodum frequentissime & pene innumeris locis, ubi de DEO Vero agitur, pronominis reciproci vices subire coacta est, donec tandem quoad istud servitium & secundariam acceptionem, eo usque suo de gradu dignitatis dejiceretur, ut aliis quoque rebus inserviret. Ita enim legimus v. gr. in *Targum Ruth. cap.* 3: *vers.* 8. de Paltiel filio Lais: נעץ סיפא בין מימריה ובין מיכל בת שאול אתת דוד i. e. *posuit gladium inter verbum suum* (h. e. sese) *& inter Michal filiam Saul, Uxorem Davidis.* Item quoque in *Targum* קהלת sive *Ecclesiastæ cap.* 1: *vers.* 2. de Salomone אמר במימריה הבל הבליא עלמא הדין וגו׳: i. e. *Dixit in verbo suo* (h. e. apud semetipsum) *Vanitas vanitatum est hic mundus.* Quemadmodum igitur *Animam* primario ac proprie notat vox נפש, abusive vero & secundario est *pronomen reciprocum*; ita quoque vocula מימרא principaliter ac primario denotat vocem יהוה sive *nomen Essentiale*; secundario autem postmodum, loco *pronominis reciproci* usurpari cœpit, quando *sermo fiebat de DEO*, quod Targumim innumeris pene locis ostendunt; tandem quoque aliquando, sed rariuscule, etiam hominibus in illa servili acceptione applicatum est; quod quilibet observabit, cui volupe fuerit, Targumistarum loca accuratius perpendere. Videatur Clariss. Hackspanius laudato loco, cap. II. sect. III. §. CV. CVI. p. 367, 368. seqq. ubi quam plurima huc facientia occurrunt.

XVIII. Accurate igitur hæc ab invicem sunt distinguenda, ne attentionis defectus confusionem, confusio errorem pariat. Sic enim, his observatis, facile constabit, nos non posse adeo confidenter ad Targumistas, S. S. Trinitatis Mysterium, quod supplici mente veneramur, adstructuri, provocare; cum ad oculum pateat, argumenta exinde erui solita, pia quidem, sed minus stringentia esse, quicquid etiam aliis doctissimis Viris videatur, quorum optimam Intentionem exosculor & veneror auctoritatem, insimul tamen sperans, me dubia mea, ea, quæ par est, tantorum Nominum Verecundia, exponentem facili mente ab ipsis latum iri. Sane Celeberrimus *Dn. Joh. Steph. Rittangelius in Notis ad Sepher Jezira* putat, non parum esse argumento illi tribuendum, quod petitur ex triplici vocis יהוה translatione apud Targumistas observanda, quando pro Nomine Tetragrammato ponunt nunc ײ, nunc מימרא דיי, nunc vero שכינתא דיי, manifesto, ut ipse judicat, indicio, voluisse Targumistas tres subsistendi modos h. e. *tres* ὑποστάσεις, ut *Græci Patres* loquuntur, sive, ut *Latini* rem eandem enunciant, *Personas*, in una eademque *Essentia divina* innuere. Sollicitavit hoc ipsius argumentum in discursu quodam familiari (quem integrum refert Vir Clarissimus à pag. 69. cit. loc. usque ad pag. 112.) Antitrinitariorum non nemo, atque excepit מימרא דיי non semper poni apud Targumistas pro Ebræo יהוה, sed interdum etiam idem esse, quod Ebræorum דבר h. e. *Sermo* vel *Loquela*, aut *Sonus rerum Significativus, qui ore profertur.* Enim vero mentiebatur hoc homo versipellis, quem etiam putidi mendacii convicit Clariss. Rittangelius, ostendendo Targumistas pro דבר Ebræorum nunquam מימרא דיי, sed פתגמא דיי posuisse; cumque simili modo vocem שכינתא דיי eludere frustra fuisset annisus, tandem post multas tergiversationes his formalibus palmam cedere fuit coactus: NISI VERBA HÆC ALIUM ADMISERINT SENSUM, ACTUM EST DE NOBIS, VESTRÆ ENIM FIDEI FIRMISSIMA PROPUGNACULA INDE SUPPEDITARI VIDENTUR.

XIX. Et sane dignus erat homo ineptus, licet fuerit cæteroquin, teste ipso Rittangelio, VIR in linguis Orientalibus peritissimus, cui hoc argumento ad tantum evincendum mysterium non admodum valido, palma nihilominus eriperetur, partim quod Articulum fidei nostræ fundamentalem & jam satis ex Scriptura Sacra firmatum impie inficiari est ausus,

ausus, partim, quod, cum solida in promtu esset responsio, ipse frivole mentiendo elabendi locum quæsivit. Non enim solum recte (1.) κατ' ἄνθρωπον Clarissimo Rittangelio primariam & servilem vocis מימר acceptionem confundenti regessisset, quod מימר quoque accipiatur quandoque (licet rariuscule) de hominibus; sed etiam (2.) κατ' ἀλήθειαν omnino debuisset respondere, Consequentiam, quam Rittangelius ex triplici illa vocis יהוה translatione nectebat, incedere serperastro. Equidem verum est, מימרא, quando stat extra locum pronominis reciproci, & statum servilem, ut & vocem שכינתא apud Targumistas de solo Numine usurpari, quod homo impudens perperam negavit; sed hoc non potest exinde indubie colligi, quod illi voluerint his vocabulis, distinctos exsistendi modos sive ὑποστάσεις in Essentia Divina innuere. Quod enim attinet ad שכינתא דיי non denotatur hac phrasi *Spiritus Sanctus*, sive *Tertia S. S. Trinitatis Persona*, uti Rittangelius & alii complures volunt, sed singularis & gratiosa ipsius Numinis Præsentia, quod non modo (1) suadent loca, ubi Targumistæ pro Ebræo יהוה posuerunt שכינתא, verum etiam (2) idem origo vocis שכינתא sive שכינה de qua recte scribit laudatus antea *Fagius cit. loc. ad Genes.* 9:27. שכינתיה *ad verbum sonat* Quies ejus. *Nomen deductum à verbo* שכן *quod* Quiescere *significat, hinc* שכינה *& Chaldaice* שכינתא *id est*, Quies: *quo Vocabulo Hebræi præsentiam Divinitatis, quæ olim in sanctuario juxta arcam fœderis sese exserebat, appellabant: ad quod præsens locus alludit.* Hucusque Fagius. Imo (3) quod palmarium est, confirmat eam, quam adduxi, explicationem vocabuli שכינתא vel שכינה usus, qui nullam certam in Essentia Divina ὑπόστασιν innuit, sed gratiosam præsentiam. Hodienum hæc vox à Judæis & præcipue Kabbalistis adhibetur, sed non alio, quam eo, quem modo dixi, sensu. Imprimis h. l. notari meretur notissima apud Kabbalistas locutio: *Juvante DEO & ejus Schechina*, qua nihil aliud dicunt, quam quod jubet Apostolus, (Jac. 4:15.) ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, sive, ut nos alias id efferre solemus: *Adspirante Divini Numinis Gratia*, *Si* DEUS *annuerit*, *Juvante* DEO *&c.* Quis vero ausus fuerit affirmare, Kabbalistas reliquosque Judæos, dum hac utuntur phrasi, oculum reflectere ad tertiam, quam nos Christiani humili adoramus mente, in Essentia Divina ὑπόστασιν h. e. ad Spiritum Sanctum? Par plane ratio apud Targumistas. Sed hæc obiter saltem & ὡς ἐν παρόδῳ circa voculam שכינתא monere lubuit.

XX. Magis me habebit sollicitum dictio מימרא, qua quidam nostratium volunt non modo DEUM, sed præcise semper secundam in Essentia Divina Personam à Targumistis significari. Unica eorum ratio hæc esse videtur, quod quam plurima loca in Targumim videantur aliquam realem inter ipsum יי (quo nomine Patrem indicari existimant) & inter ejus מימרא insinuare differentiam, ut quando legimus v. gr. in *Targum Onkelos Gen.* 8:21. ואמר יי במימריה לא אוסיף למילט עוד ית ארעא id est, vertente Fagio: *Dixitque Dominus per Verbum suum, non addam amplius maledicere terræ.* Item *Genes.* 22:4. in *Targum Hierosolymitano*: ופלחוצלי אברהם בשם מימריה דיי ואמר ארת הוא יי דחמי ולא מתחמי: h. e. ut Clariss. transtulit Rittangelius: *Et perfecit officium Divinum, & deprecatus est Abraham in nomine Verbi ejus* יהוה, *& dixit, Tu es ille* יהוה, *qui vides & non videris.* Item *Genes.* 30:22. in *Targum Jonathan, filii Uziel*: ועל דוכרנא דרחל קדם יי דשמיע קדמוי קל צלותה ואמר במימריה למיתן לה בנין: i. e. *Et venit memoria Rachelis in conspectum Domini, & exaudita est ab eo vox orationis ejus & dixit in verbo suo, se eidem filios daturum.* Ex his igitur & similibus, ubi Targumistæ de יהוה & ejus מימר tanquam de distinctis loqui videntur locis, inferunt vulgo, antiquos illos Interpretes Chaldaicos in una Essentia Divina distinctas ab invicem ὑποστάσεις, sive, ut Clariss. Rittangelius loqui amat, plures exsistendi modos, agnovisse. Et sane, si verum esset Antecedens, Targumistas nempe revera fuisse de יי & מימרא דיי, tanquam de distinctis locutos; ego Consequentiam infitiari non auderem, quæ satis firma esse videtur. Sed licet præclare sentiam de re ex dictis illis illata, minus tamen illa ex Antecedenti sequi videtur, prout quilibet facile intelliget, cui volupe fuerit, Targumistarum mentem ex ipsis Targumistis, & non ex alienis glossis & hypothesibus, addiscere.

XXI. Videlicet, ante omnia tenendum est, *in nomine Jevohæ* (verba sunt *Mosis Amyraldi*, referente τῷ πάνυ WAGENSEILIO, Domino atque Patrono meo ad urnam usque pie devenerando, colendo in *Confutatione Carminis Lipmanniani*, quod inter TELA IGNEA SATANÆ exhibetur, pag. 147.) *tantam esse Majestatem, ut personæ, quæ mere creatura est, tribui non posse videatur. Non enim significat potestatem ex munere aliquo natam, sed ipsam DEI Essentiam æternam, nullis vicibus obnoxiam; & ita perpetuo sibi constantem, ut ne vel leviculam quidem mutationis umbram subire queat. Qua de causa vox est apud Hebræos tantæ reverentiæ ac religionis plena, ut eam neque cuiquam communicari posse, neque vero à quoque pronunciari debere putent.* Hæc Amyraldus, qui tamen, dum asserit, *Hebræos putare, eam vocem non posse cuiquam alii communicari*, aut justo generalius, aut ex vulgari potius ὑποθέσει, quam rei veritate loquitur. Sane *multoties Judæos dixisse*, *Angelum vocari nomine DEI repræsentative* h. e. Angelis quoque tribui quandoque suo modo nomen יהוה, pluribus testimoniis ex *Michlal Iophi* R. Salomonis Aben Melech, *Deraschothal Hat-Tora* R. Josuæ Aben Sueb, aliorumque scriptis ostendit B. Dn. Hackspanius cit. Tr. ad Lipmannum pag. 361. 362. 363. Non ergo citra omnem limitationem illud de Judæis adsertum admitti potest. Interea, si dicendum, quod res est, & non, quid dicant Judæi? non debet concedi, Angelum ullum etiam repræsentative, vocari יהוה, cum de hoc constet, quod illud nomen non aliquod dicat munus, sed ipsam Essentiam Divinam. Etenim, quæ adducuntur loca, ubi Angelis *repræsentative* ajunt tribui nomen יהוה, ea nihil probant; siquidem, si vel maxime concederetur de Angelis ibid. sermonem fieri creatis, non tamen valebit consequentia: Ergo illi angeli dicuntur יהוה: Longe rectius dicetur ex B. Augustino, nihilominus ibidem ipsum innui DEUM per dictionem יהוה, sicut in gestis non scribitur, ille præco dixit, sed ille Judex: Vel, ubi textus id ferat, cum B. Hackspanio quis poterit supplere: נאם יהוה i. e. *Dicit Dominus*, more Scripturis recepto. Sic enim sibi constabunt omnia, nec erit opus ad fictitium quoddam communicandi genus Repræsentativum h. l. confugere. Plura hanc in rem vide apud Ingeniosissimum Hackspanium cit. loc. cap. III. sect. II. num. LX. seqq. pag. 446. 447. &c.

XXII. Et fortasse ab hac sententia Judæi non sunt adeo alieni, qui dum ajunt nomen DEI *repræsentative* tribui Angelis tantum, procul dubio non diversum à S. Augustino sentiunt, sed loquuntur. Dixerat vero B. Pater, observante Cl. Hackspanio c. l. §. LXX. pag. 453. *in gestis causam principalem scribi, more solito, non instrumentalem*: hoc est, licet aliquando, ubi Angeli sermones faciunt, dicatur loqui יהוה sive *Dominus*, tamen hoc ipso non innui, angelos esse יהוה sive ipsum *Dominum* aut Numen; sed potius illud duntaxat, quod יהוה sive *Dominus* aut Numen Æternum principaliter per Angelos, tanquam ministros suos loquatur. Ab hac explicatione prorsus non sunt aliena illa Rabbinorum verba, quæ laudatus Hackspanius c. l. pag. 361. §. 98. producit. Sic enim in מכלל יופי annotatur ad verba: המלאך : אֲשֶׁר נָדַרְתָּ לִּי ידבר בלשון אדניו : כאלו הוא מדבר כי יעקב לא נדר למלאך אלא לאל: i. e. *Angelus loquitur lingua Domini sui, sicut DEUS suus ipse loquitur; quoniam Jacob non vovit votum Angelo, sed* DEO. Eodem tendere videntur Verba R. Josuæ Aben Sueb & R. Levi ben Gerson, quæ ibidem exhibentur. Hæc vero nullo negotio posse cum explicatione B. Augustini conciliari, satis manifestum est. Mihi igitur videtur, h. l. liticulam intendi non de re ipsa, sed potius tantum de phrasi & voce. Sane Judæi nomen Tetragrammaton Jod, He, Vav, He, velut Nomen DEI essentiale honorant, & non religiose modo, sed plane superstitiose colunt; quod nemini ignotum esse potest, cui vel tantillum res Judaicæ innotuerunt.

XXIII. Videlicet quemadmodum sublimior voculæ hujus יהוה Emphasis in ipsis scripturis satis fundata esse videtur: ita quoque non heri demum aut nudius tertius, sed (quod antiqui Kabbalistarum libri cumprimis commonstrant) à compluribus retro seculis religiosius inter Judæos coli cœpit; adeo, ut eam per literas suas efferre non fuerint ausi, sed ejus loco varias adhibuerint circumscriptiones & hodienum adhibeant, qua de re consulendi sunt Philologi. Prout igitur hodie Judæi יהוה, sive Essentiam Divinam hoc nomine indicatam, nuncupaturi, dicunt, הקדוש ברוך הוא i. e. *Sanctus Benedictus Ille*, vel השם i. e. *Nomen illud* &c. Sic olim quoque eidem περιφράσει inserviisse voculam מימרא h. e. *Dictio* sive *Verbum*, satis claret ex *Targum Hierosolymitano*, in quo dictum illud, de voce hac יהוה, notabile, *Exod.* 6: *vs.* 2. אני יהוה : וארא אל אברהם אל יצחק ואל יעקב באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם: h. e. *Ego sum* יהוה, *& apparui Abrahamo, Isaaco & Jacobo sub* nomine DEI *Omnipotentis, & NOMEN MEUM* יהוה *non indicavi eis*, hunc in modum exponitur: איתגלי במימריה על אברהם על יצחק ועל יעקב באלהא שמיאושום מימרא דיי לא אודעית להון: Sive, ut

Clariſſ. Fagius in nota ad hunc locum legit; ואיתעלי במימרי הי' על אברהם וגו' qui poſtmodum talem concinnavit verſionem: *Et revelavi me in Verbo meo ſuper Abraham, ſuper Iſaac & ſuper Jacob, in DEO Cœlorum, Nomen autem VERBI DOMINI non notum feci eis.* Inſtituitur nempe hoc loco manifeſta comparatio inter Nomina Divina, ſub quibus ſeſe Numen Æternum revelaverat Patriarchis & Moſi: illis dicitur non fuiſſe indicatum Eſſentiale יהוה, ſed tantum nomen אל שדי (confer *Geneſ.* 17: *vſ.* 1.) Aſt huic, nempe Moſi, non ſine peculiaris gratiæ evidentiſſimo ſigno proprium illud & ineffabile, ex Judæorum mente, Nomen tetragrammaton, Jod, He, Vau, He, quod cum Antiquis per *Adonai* efferimus, eſſe revelatum. Cum itaque *Targum Hieroſolymitanum* (*Jonathan* enim & *Onkelos* retinuerunt vocem יהוה & preſſius paulo, cumprimis *Onkelos*, ſunt textum Ebræum ſecuti in hujus dicti verſione) etiam hoc loco, ubi de Nomine DEI & ipſa voce יהוה ex profeſſo agitur, pro יהוה habeat מימרא דיי; patet, quod Targumiſtæ מימרא דיי & מימרא idem ſit in ſuo primario ſignificatu, quod ipſum nomen ineffabile יהוה ſive Eſſentia Divina hac dictione notari ſolita, & quod neutiquam ea præciſe ſecundam in Divina Eſſentia ὑπόςασιν inſinuet. Cui meæ ſententiæ etiam ex eo non parum roboris accedit, quod attenta ꝑ Targumim inter ſe collatio doceat, יי & מימרא דיי ſive מימר, prorſus indifferenter ab iis adhiberi, & ſæpius, ubi unus Paraphraſtarum habet יי alterum legere מימרא vel מימרא דיי, manifeſto indicio, dictiones haſce יי & מימרא revera vocabula ipſis ſynonyma eſſe, & nullo modo duas diſtinctas in una Eſſentia Perſonas ſignificare, quas (ſi ex vocabulorum iſtorum uſu judicentur boni Viri) non tam diſtinxiſſe, quam confudiſſe, alias omnino forent dicendi. Verum eſſe, quod dixi, quilibet experietur, qui mente boni Interpretis virtutibus ornata & oculo attento ipſas Targumim luſtrare non dedignabitur: Sic enim plus proficiet in hujus veritatis detectione, quam ſi ego ingens allegationum ſyrma non ſine tædio & præter neceſſitatem texerem.

XXIV. Ut vero prorſus nihil dubii ſupereſſe poſſit, reddenda nunc quoque erit Ratio Phraſeos Targumiſticæ, qua aliquam primo intuitu videntur differentiam inter יהוה & ejus מימרא inſinuare, quæve procul dubio Eruditiſſimos quoque Viros eo adduxit, ut crederent, Targumiſtas Trinitatem agnoviſſe. Illa vero non aliunde petenda erit, quam ex genio Linguæ, quem ſupra jam explicavi §. XVII. ubi plura dicebam de ſecundaria hujus vocis acceptione, neutiquam cum primario ejus ſignificatu, de quo aphoriſmo XXIII. cumprimis actum eſt, confundenda. Pro nominis quippe reciproci vices in illis locis dictio מימר ſupplet, & rectius per *meipſum*, *ſeipſum &c.* quam per *Verbum meum*, vel *Verbum ejus*, (ſimile quid inferius quoque de Dictione λόγῳ in Lingua Græcorum hodierna, σὺν θεῷ oſtendam) redditur, ex qua poſteriore verſione, ſervilem atque primarium dictionis מימר ſignificatum non ſatis diſcernente, illa ſuſpicio diverſarum ὑποςάσεων à Targumiſtis agnitarum ſuborta eſt. Exemplis ut res clarior fiat, adſcribere lubet totum §. *CVI. Cap. II. Sect. III.* *ex allegato* ſæpius *tractatu Clariſſ. Hackſpanii*, qui ita habet: *De DEO dictum eſt Levit.* 26: 46. *Hæc ſunt decreta & judicia & leges, quas poſuit Dominus* בין מימריה inter ſeipſum (*Hebraice* ביני *eodem ſenſu*) *& filios Iſraël in monte Sinai per Moſen. Job.* 1: *vſ.* 10. *Nonne* מימרך (*Hebr.* אתה *tu ipſe*) *texiſti circa eum, Jobum ſcilicet; neque vero Pater opera filii, mortales tuetur, ſed angelorum miniſtrantium. Eſaiæ* 30: *vſ.* 1. *Væ filiis declinantibus, dixit Dominus, ad parandum conſilium minime* ממימרי ex meipſo, *quaſi dicat, ſine meipſo* (*Hebr.* מני) *Cap.* 33: *vſ.* 2. *Domine, miſerere noſtri;* למימרך teipſum (*Hebr.* לך) *exſpectavimus. Jerem.* 51: *verſ.* 14. *& Amoſ.* 6: 8. *Juravit Dominus* במימריה per ſeipſum (*Hebraice* בנפשו *eodem ſenſu, ut tradit Epiſtola ad Hebræos cap.* 6: *vſ.* 13. *DEUS, cum neminem haberet majorem, per quem juraret, juravit καθ᾽ ἑαυτῦ. Vid. ſupra ſect. I.* 4. 40. *ubi oſtendi, idem eſſe quod* בו) *abominor ſuperbiam Jacob. Cave autem dicas, juraſſe Patrem per Filium, tanquam majorem. Exodi* 6: 8. *Levavi manum, vel, juravi* במימרי per meipſum, *quod dare velim terram illam Abrahamo, Iſaaco & Jacobo Eſaiæ* 43: 17. *Propter ſervos Tuos juſtos: quibus juraſti* במימרך per teipſum. *Hinc, cum Amoſ.* 4: 2. במימריה & בקודשיה, *ſine copula conjungantur, videri queat vel emphaſeos cauſa id factum, vel alio nomine alterutrum ſubrepſiſſe. Hæc ſatis clara ſunt, niſi quis contentioſus ſit, & cedere detrectet.* Huculque verba Doctiſſimi Hackſpanii. Sic quoque legimus Levitic. 26: verſ. 11. Et non abominabitur מימרי (*verbum meum* Hebr. נפשי) vos i. e. *Ego vos non abominabor.* Item vſ. 30. Et abominabitur מימרי (*verbum meum* Hebr. נפשי) vos, i. e. Vos eritis mihi abominationi &c. Nec ſane apparet, qua ratione locus ille Exod. 6: verſ. 2. ex Targum Hieroſolymitano ſuperius §. XXIII. citatus, utcunque etiam illum Critici, quorum operam deſiderare videtur, emendent, commodius explicari queat, quam ſi dictionem מימריה, vel, ſecundum Fagium, מימרי pleonaſtice poſitam dicas atque reddas Seipſum vel Meipſum, hoc fere ſenſu: Et revelavi memetipſum (ſi quidem verſione Fagii ſtare lubet) ſuper Abraham, Super Iſaac & ſuper Jacob in DEO Cœlorum: Nomen autem VERBI DOMINI h. e. Eſſentiale nomen meum יהוה non notum feci eis. Sic enim ſenſus loci (de verbis namque adhuc ambigo) ſibi conſtabit, & à contradictione liberabitur, quam prima fronte præ ſe ferre videtur, dum circa initium dicitur, DEUM ſe revelaſſe Patriarchis במימריה, quod ipſum tamen ſub finem verſiculi expreſſe negatur. Quod vero tandem ad loca illa, quæ ſunt §. XX. adducta attinet, quibus Targumiſtæ videbantur innuere differentiam inter יהוה & מימריה h. e. inter ipſum *Jehovam* & *Verbum ejus*; illa procul dubio menti & ſtilo Paraphraſtarum convenientiſſime hunc in modum ex ſecundaria vocis מימר ſignificatione reddentur: Et primum quidem *Geneſ.* 8: *verſ.* 2. *Dixitque Dominus per Verbum ſuum* (i. e. *apud ſemetipſum*) *non addam amplius maledicere terræ &c.* Secundum vero *Geneſ.* 22: *vſ.* 4. *Et deprecatus eſt Abraham in Nomine Verbi ejus Jehovæ* (h. e. & oravit Abraham Dominum vel Nomen Domini. Tertium denique Geneſ. 30: verſ. 22. *Et venit memoria Rachelis in conſpectum Domini & exaudita eſt ab eo Vox Orationis ipſius & dixit Dominus in Verbo ſuo* (h. e. apud ſemetipſum decrevit) ſe ei daturum eſſe filios. Par ratio eſto in reliquis Targumiſtarum locis ſimilibus explicandis. Fuſius enim hæc me proſequi, inſtituti mei ratio non patitur. Interim ex dictis ſatis manifeſtum eſt, Phraſin Targumiſticam אמר יהוה במימריה, &, ſi quæ ſunt aliæ huic ſimiles, non inferre pluralitatem perſonarum, ſed ex linguæ Chaldaicæ genio unum idemque denotare ſuppoſitum. Aurea ſunt verba laudati ſæpe Hackſpanii, quæ, dum Summam fere eorum, quæ hactenus dixi, complectuntur, omnino huc tranſcribenda duxi. Iſta vero occurrunt cit. loc. §. CXII. p. 373. hujus tenoris: *Id nobis*, inquit, *certiſſimum ſit, per* מימר דיי *interdum notari DEUM verum ipſummet; nonnunquam etiam verbum mandati cum verbis* קבל *&* צוה (in quo ipſo tamen puncto liceat mihi modeſte diſſentire ab Eruditiſſimo Viro, cujus alias apud me magna eſt auctoritas. Quod enim commode queat מימר cum verbis קבל & צוה de *Verbo mandati* explicari, id non tam fit ex natura voculæ מימר, quam per accidens & virtute dictionum קבל & צוה, quæ *Mandatum* connotant. Non minus ergo etiam in tali caſu debebit vox מימר *de ipſo vero DEO* explicari, quam ſi ſine iſtis verbis alibi occurrit:) *an filium DEI innuit, incertiſſimum eſt: adde quoque loca Deuter.* 5: 5. *Exod.* 19: 17. *reciproce explicanda; qua via nulla eſt tutior, minuſque diſcrimini expoſita, atque confer Steuchum in Pſalmum* 110. *Tom. II.* Hæc Hackſpanius. Verbo: Teneatur de dictione מימר, quod modo capiatur principaliter, modo ſenſu ſecundario & ſervili: Principaliter & primario idem eſſe, quod hodie Judæi השם dicunt, h. e. Nomen DEI Eſſentiale; ſecundario autem ſupplere vices Pronominis reciproci à Targumiſtis *per prius* in illis locis, ubi de DEO agitur, adhibiti, *per poſterius* vero, idque rariſſime, etiam de hominibus. Sic procul dubio Targumiſtis convenientia ſentiemus & loquemur.

XXV. His præmiſſis, quilibet intelligit, quamobrem Johannes Euangeliſta Ebionæorum, Cerinthi aliorumque fanaticorum hominum calumnias contra Chriſtum JESUM & ejus Deitatem temere effuſos confutaturus, adhibuerit dictionem מימרא ſive λόγε, Scilicet quod Megalander noſter, *B. Lutherus*, in Epiſtola quadam ad *Nicolaum Amsdorfium* de *Eraſmo Roterodamo* ſcripta & una cum Amsdorfii literis, *Witteberga Anno* 1534. ſeorſim edita, de *Arianis* monet, *Valde*, inquiens, *cauſabantur, quod iſta litera Homouſios & Innaſcibilis non invenirentur in ſacris literis, nihil morati, quod res ipſa ſolide demonſtraretur, ubi vero nomen DEI ponebatur, parati erant gloſſa, qua eluderent veritatem, & Nuncupativum, non Verum DEUM eſſe contenderent: ita nihil cum iſtis viperis efficies, ſive per ſcripturas ſive extra ſcripturas loquaris;* idem pleriſque hæreticorum ſolenne fuit & adhuc ſolenne eſſe ſolet. Non itaque eſt, quod ab Ebionitis, Cerinthi ſectatoribus & aliis hæreticis, contra quos Johannes ſuum Euangelium direxit, hocce Proprium hæreticorum, alienum putemus. Nuncupativum quippe

DEUM

DEUM & illi ipsi Sycophantæ Filium DEI faciebant, qui ante nativitatem suam temporalem, nequidem exsistens, omnem dignitatis suæ gradum Vitæ Sanctitate sibi acquisiverit. Hanc igitur profanam doctrinam, ut reprimeret Spiritus Sanctus, & iisdem occasionem ita vocum ludendi ambiguitate præscinderet, insimulque Ecclesiam suam gladio δισόμῳ ad gordios illos nodos, quos impii homines alligando verbis ambiguam significationem, nexuerant, dissolvendos armaret; voluit Amanuensi fidelissimo, canonemque N. T. clausuro, S. Euangelistæ & Apostolo Johanni distinctissima illa & omni detorsione (tum temporis præcipue, quo cuilibet adhuc, quid esset מימרא vel Λόγος, manifestum erat) superiora verba in calamum dictare, atque hoc ipso contra omnes hæreticorum strophas ac blasphemias, quibus tum præcipue CHRISTI Deitatem petebant Ebionæi & Cerinthiani, aliique post eos, petituri erant, liquido testari, JESUM esse non Nuncupativum & κατὰ χάριν DEUM, sed יהוה h. e. DEUM κατ' ὀσίαν. Atque ex hoc demum tempore מימרא sive Λόγος vel יהוה in specie secundam ὑπόστασιν in Essentia Divina h. e. CHRISTUM JESUM, DEI Filium, notare cœpit. Confer laudatum *Hottingerum c. l. Hexaëm. num. VI. p. 57.* ubi & ipse asserit, *Johannis autoritate factum esse, ut hæc vox classica esse cœperit, Theologis ubique obvia.* Quia nimirum Hæretici tum temporis hujus ὑποστάσεως Deitatem maxime solicitabant, factum est, ut Johannes filio DEI sive secundæ Personæ per quandam appropriationem Encomium מימרא sive יהוה adsignaret; non equidem, ac si hæc magis esset Deus, quam reliquæ ὑποστάσεις, aut, ut fortean has penitus excluderet; sed unice ideo, quia hujus Personæ Deitas æterna maxime ab hæreticorum impietate vindicanda erat, & contra horum strophas ostendendum, Filium æque esse Verum & Essentialem DEUM, quam Pater est. Quod igitur Targumistis nomen commune erat, & Essentiam potius Divinam, quam certam Personam denotabat in Essentia Divina; id Apostolus Spiritu Divino ductus, appropriabat Filio, quem יהוה h. e. Essentialem DEUM esse, contra Hæreticos, quos hic Scriptor Divinus ferit, maxime inculcandum erat.

XXVI. Plana hæc sunt & simplicia. Nihilominus tamen, quia quondam fuere, & hodienum reperiuntur homines, (quos inter haud ultimum occupat locum *Christoph. Sandius Interpret. Paradox. ad Joh.* 1.) quibus Johannes censebatur ad Platonicam Trinitatem decantatam respexisse, in qua Λόγε quoque mentio habetur; non plane hæc conjectura sicco pede erit prætereunda. Erat vero hæc eorum, qui Platonem, maxime Christianorum temporibus, secuti sunt, Trinitas; DEUS, Mens sive Λόγος & Anima, ita ut ex *Summo DEO Mens, ex Mente Anima sit.* Solebant quippe Platonici DEI vocabulo Summum Numen, *Mentis* voce, Mundum Intelligibilem, ubi Ideæ propria Platonis suppellex, reponebantur, & tandem nomine *Animæ* Spiritum hujus Universi adspectabilis designare. Has tres substantias, quarum *tertia* deterioris est conditionis, quam *secunda*, & hæc iterum *prima* longe inferior, vocabant *Substantias primas*, uti ex Apulejo discimus, quem citat Cl. *Thomasius in Dissert. de Stoica Mundi Exust. Dissert. XIV.* §. 190. *p.* 221. Nimirum, quod accurate in opere laudato Princeps historiæ Philosophicæ demonstrat, Plato cum plerisque Gentilibus Philosophis hoc Satanæ immurmuranti assenserat. *E pure nihilo, pure impossibile esse, ut quicquam oriatur.* Hoc ergo suppositum, horribile illud mendacium & communem Gentilium errorem ipsi etiam Platoni persuaserat, Duo esse principia coæterna, quorum neutrum ab altero dependeret, *DEUM* & *Materiam*, quæ quidem ita ab invicem differebant, ut DEUS esset Sapiens, Materia bruta. Ille maxime compos rationis, hæc impos. Jam vero cum hoc Universum ex concursu duorum illorum principiorum derivandum esset; nolebant Platonici hæc duo extreme opposita principia immediata quasi copula nectere, sed *duo intermedia genera* fingebant, Λόγον sive *Mentem* (Λόγος enim & Νᾶς idem valent apud Platonicos, uti Doctissimus Stolbergius c. l. cap. 2. §. 7. recte annotat) quæ tota esset DEI soboles, & intra se contineret Ideas omnium rerum formaliter, quas DEUS materiæ brutæ inducturus erat, & *Naturam*, quæ tota Materiæ filiola erat; adeoque ex Academiæ Platonicæ ὑποθέσει, DEA, non nata, sed facta, ad instar statuarum, quæ materiales cum sint, figura tamen DEUM referunt. Hæc duo intermedia principia, *Natura* nimirum & Λόγος sive *Mens*, sibi copulata, progenerabant principium quintum, *Animam Mundi*; quæ ex semisse igitur DEI & ex semisse materiæ germen erat, utpote satum ex conjugio Mentis cum Natura. Porro cum *Natura* in totum à *Materia* bruta penderet, sed vero duo gradus superiores, *Mens* & *Anima* (illa quidem tota, hæc autem saltem ex parte) *DEI* essent germina; merebantur ea cum suo fonte (Numine videlicet supremo,) Trinitatem illam Platonicam constituere; quæ est DEUS sive Numen Supremum, Mens & Anima. Hæ sunt tres illæ *Substantiæ Platonicæ primæ*, quarum una alteri suberat atque subordinabatur, & quarum duæ posteriores, *Mens* quippe & *Anima*, ex Numine supremo emanabant, non vi Essentiæ Divinæ & per Naturam Numinis ab æterno, sed nude tantum propter producendum mundum. Libere igitur DEUS Mentem sive mundum intelligibilem (Kabbalistæ *Adamum Kadmona* dicerent) ex sese, ut Aranea filamenta sua deduxit, &c. Videantur cumprimis ex citato Thomasii loco, Dissertationes II. III. & XIV. ubi hæc prolixe ex intimo Philosophiæ Platonicæ sinu eruuntur. Atque hæc est vera Philosophiæ Platonicæ origo: Hoc Trinitatis illius monstrosæ atrox fundamentam, neutiquam vero umbra interpolatæ veritatis Revelatæ, uti nonnulli olim sentiebant, & hodienum aliquot sentiunt, rati, se postliminii jure exinde jam sua repetere posse. Rectissime hanc in rem scribit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Thomasius alleg. dissert. XIV. §. 43. p. 187. *Vides obiter, quam parum considerate Aug. Steuchus & alii quidam in illa Paganæ Scholæ Trinitate, Mysterium Religionis Christianæ quæsiverint; quam absurde Animam Universi Platonicam interpretati fuerint* Spiritum Sanctum. *Cujus profecto conatus (programmate Pentecostali Anno* 1663. *discussi à nobis) magis etiam pudere ipsos debuit, quam Platonicos, cum eandem animam in Jovem transformarent Poëticum. Gentilium enim intererat, ut ipsi inter se concordes haberentur. Nostra non modo nihil interest, ut arcanorum fidei societate cum hostibus copulati censeamur, sed omnibus viribus laborare magis nos decet, nequa talis suspicio fenestram aperiat confusioni Religionum.* Hæc Vir in Antiquitate Philosophica, sine pari, versatissimus; idem procul dubio judicium quoque de iis laturus, qui Λόγον Platonicum ex obscura traditione de SS. Trinitatis mysterio, & vicissim appellationis hujus, in cujus fundamenta h. l. inquirimus, rationem ex Pagana Platonicorum Schola deducunt. Nos Spiritus Sancti auctoritate Divina nixi, immota fide pie credimus & novimus, in una Essentia Divina tres esse personas æquales Majestate, Potentia, Bonitate, Sapientia &c. Sed quas nobis *Kabbalistæ, Platonici, Valentiniani, Marcionitæ* aliique hæretici ab Ecclesia Catholica primis seculis jam damnati effingunt, illa sunt figmenta ex impio hoc præjudicio, *DEUM non posse ex pure nihilo condere aliquid*, enata. Pone enim, omnes horum Deunculos ad ternarium numerum reduci; habebimus equidem DEUM trinum, sed non in essentia una, verum in ordine tantum ad res creatas, quas non potuisset condere, nisi interventu illorum Deastrorum. Imo, nisi tam crasse omnes hi philosopharentur, ut DEUM materialem & divisibilem conciperent; nullum illorum principiorum intermediorum (sive deinde *Mens*, sive *Anima*, sive *Adam Kadmon*, sive *Personæ Azilcuthicæ*, sive *Principium*, sive Λόγος *vel Sermo &c.* dicantur) esset ejusdem cum DEO supremo essentiæ, sed potius forent *Creaturæ Creaturarum*, cum DEUS illorum supremus non sit per Naturam suam & ab æterno, sed libere tantum, & quia voluit, per talia interjecta principia, condere mundos, trinus. Hoc probe intellexit *Sandius*, famigeratissimus ille Neo-Arianus, qui, ut impiæ suæ Doctrinæ & causæ cadaverosæ nonnihil coloris illineret, idcirco cit. *Paradox. Interpr. ad Johann.* 1. affirmat, S. Johannem dictionem Λόγε ea accepisse significatione, qua tum communiter intelligebant Rabbini, (Kabbalistæ cumprimis) & alii Philosophi Platonici. Imo in dissertatione περὶ τῦ λόγε contendit, omnes Patres usque ad seculum quintum sensu Platonico de Verbo scripsisse. Quare etiam satius esse opinatur, è Philone Judæo, Platone atque Platonicis, quam aliunde, veram Nominis Λόγε rationem petere. Enimvero hoc παράδοξον (prout optime judicat Accuratissimus *Stolbergius cit. l. c. III.* §. 3.) nec ipsis Platonicis *Sandius* persuaserit. Quamvis enim plures Beatorum Patrum ad hunc λόγον Platonicum in controversiis præcipue cum Paganis provocarint; sensu tamen Platonico illud neutiquam ab iis factum est, siquidem ipsi docuerunt, Λόγον illum esse ipsum Summum DEUM, quod Christianorum Patrum dogma, Platonica Schola ægerrime tulit. Nam in horum Philosophia præcipuum est, Λόγον sive Νᾶν non esse ipsum Bonum Supremum atque ultimum, non esse primam Causam atque Universorum Patrem. Hoc totum atque solum prope agit Proclus, hoc Plotinus, Numenius. Nullo vero tempore tam prolixe atque acriter hac de re disceptatum est à Philosophis, quam ubi Christiana fides innotuit Orbi. Cum enim ea ætate invalesceret sententia (Doctrina Euangelica ita exposcente) Λόγον esse DEUM Summum ac Maximum;

cui vere nomen id conveniat; haud magis eam Doctrinam Platonici ferre poterant, quam Judæi. Quin potius *Proclus*, *Origenem* proprio nomine traducit & confutat in *secundo de Platon. Theolog. capite* è Græcorum distinctione, *quarto p.* 90. quod, cum antea fuerit Philosophus Platonicus, ejusdem Doctrinæ particeps cum Plotino, postmodum Christianus factus desciverit à Magistri Placitis & Λόγον æque Summum statuerit ac Platonici suum τὸ ἓν ᾗ τὸ Ἀγαθόν. Serio igitur testatur ibid. *nec se hoc Origeni concessurum, nec Platonem Origenem talia docentem admissurum & in suorum familiarium numero positurum.* Vide c.l. Stolbergium, cap.III. §.4. ubi ipsa Procli contra Origenem verba producit, & in sequentibus aphorismis accurate Patrum Sanctorum dicta, à torsione Sandii vindicat, ac solide ostendit, *Platonis doctrinam de DEO & rebus divinis, parum convenire cum veritate, eumque, licet maxime ὅμοια aliquando dicat, ἀνόμοια tamen semper intelligere, &c.* His ita positis, nemo non intelligit, conjecturam Sandii & omnium illorum, qui Johannem voce λόγυ ad Platonicorum scholas respexisse suspicantur, improbam esse & vanam. Quæ enim esset communio CHRISTI & Belial, Lucis & Tenebrarum? Imo tantum abest S. Johannem vocem λόγυ ex Platonica Schola desumsisse & suo accommodasse foro, ut potius hoc expresse testetur B. Irenæus loco superius allegato, Johannem hæc ipsa initialia Evangelii sui verba, in quibus Λόγυ aliquoties mentionem facit, opposuisse Cerintho, aliisque, quorum hæreses manifestissime ex accommodatione Theologiæ Platonicæ ad nostræ Religionis Sacra Mysteria erant exortæ. Hinc ego semper fui in illa persuasione, Apostolum, (Coloss. 2:8.) quando ait, βλέπετε, μήτις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τ̃ φιλοσοφίας ᾗ κενῆς ἀπάτης κτ̃ τ̃ παρά δοσιν τ̃ ἀνθρώπων, non tam *Essenorum*, quam præcipue *Platonicorum* Philosophiam respexisse, utpote quæ tum temporis celebratissima, non tam hæreses, quam plane monstra αἱρέσεων in Ecclesia peperit, prout facile quisque colligere poterit ex Irenæo, Epiphanio, aliisque. Sane *Tertullianus*, *Platonis alioquin studiosus, considerans cunctas hæreses ad eam usque diem ex illius doctrina vel ortas esse, vel auctas vel corroboratas, omnes ad illum, tanquam ad caput, retulit his verbis:* Doleo bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. *Libr. de Anima*, ut refert Cl. *Stolbergius c.l. cap.III.* §. 10. Addatur & illud, quod S. Johanni non fuerit familiare, ad Græcorum Gentilium placita & ritus alludere. At vero qui negaturus foret, eum non raro ad Ebræorum & gentis Judaicæ ritus & mores reflexisse oculum, is contra solem loqueretur. Hinc non modo Johannes, sed omnes penitus N.T. scriptores, hodie in vulgus ἑλληνίζειν dicuntur, h.e. tali uti stilo, qui non pure sit Græcus, sed dictionibus & phrasibus quam plurimis ex Ebraismo, Chaldaismo, Syriasmo, imo, si quosdam audias, Arabismo &c. petitis, refertus. Etenim, licet *Clarissimus Vossius in Oracul. Sibyll. cap. XVI.* erudite ostendat, non pertinere ἑλληνίζειν ex genuina vocis acceptione ad stilum & linguam Græcorum, sed potius ad affectum erga Græcos & studium partium, prout v. gr. ῥωμαΐζειν, περσίζειν, μηδίζειν &c. non est Romane, Persice, Medice loqui, sed eorundem imitari mores & ritus, aut quomodocunque à partibus illorum stare. Hoc interea temere negari non debet, reperiri quædam in N.T. hinc inde, quæ Ebraismum, Syriasmum ac Chaldaismum aliquando, imo & Latinismum quandoque sapiant; licet ideo Scriptoribus Sacris dicendi quoddam genus proprium, quod non *Græcum*, sed, *Hellenisticum* & ab omnibus Græcis Scriptoribus diversum fiet, attribuere non ausim. Sane si qui Ebraismi (quod vocabulum in tanta non raro latitudine capiunt, ut quoscunque Linguarum Orientalium Idiotismos denotet) in Novo Testamento, extra Testimonia ex Versione LXX. viralі (ubi Ebraismi stricte tales & privata tantum auctoritate, citra vulgi, quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi, consensum, subrepentes ideo interdum inveniuntur, quod LXX. Seniores sæpiuscule non tam sensum sensu, quam verbum verbo reddiderint) à Spiritu Sancto allegata, occurrunt; illi usu videntur jam Græci facti & non privata Scriptorum N.T. sed publica auctoritate, Græcorum civitate donati, prout optime alicubi acutissimus *Stolbergius* monet: ut adeo non videam quare Novi Instrumenti Scriptoribus dialectus aliqua peculiaris, *Hellenistica* potius, quam ἑλλωική sive *Græca* dicenda, attribui debeat. *Stilus Novi Testamenti Græcus*, maximam partem talis est, quales plerique fuerunt *Auctores* (vide *Joh. Clerici annotationem ad Davidis Clerici Quæstionem Sacram. XIIX. pag.* 185, 186.) & qualem etiam plerorumque *Auditorum* (confer *Matth.* 11: *vers.* 25. *Luc.* 10:21. & præcipue *prioris Epistolæ ad Corinth. capita* 1. & 2. &c.

conditio exigebat; hoc est, *Idioticus* & *Plebejus*, qui & propriis fere verbis constat & in usu communi à vulgo tritis; *Dialectus* autem *ejus* non est Attica, nec Jonica, nec Dorica, nec Æolica, sed *Communis Macedonica*, qualis longe lateque propagata fuit sub Monarchia tertia Macedonico-Græca. Uti enim Græcorum lingua olim fuit, quæ in Thessalia & Macedonia initium accepit & originem, atque ἑλλωική dicebatur ab iis, quibus Thessaliæ partem φθιῶτιν incolentibus τ̃ Ἑλλώων nomen primum imponebatur ab *Hellene*, quodam Thessalii rege: ita ab hac Lingua ἑλλωικῇ sive Thessalica, quicquid uspiam Græcarum, (sive γενικῶν h. e. *Generalium*, quarum IV. numerant, *Atticam*, *Jonicam*, *Doricam*, & *Æolicam*; sive εἰδικῶν h.e. *specialium*, quas etiam τοπικὰς dicere solent, & quæ temporis lapsu innumeræ fere emergebant:) Dialectorum est, tanquam à fæcunda matre, progenerabantur. Hellenis enim filii colonias è Thessalia in omnes Græciæ regiones duxerunt, quibus & Nomen postmodum & Lingua Ἑλλώων hæsit. Nam quæ sic deinde appellabatur *Græcia*, à Barbaris habitabatur, ante Hellenum sive Thessalorum adventum, qui illos Græcis & Moribus & Lingua erudierunt. Quemadmodum autem solet contingere, ut plantæ in solo peregrino satæ degenerent, & aliam ex mutato terræ genio formam induant, & nunc colorem, nunc odorem, nunc alia mutent; sic quoque Hellenes isti per varias μετοικεσίας & commigrationes, Barbarorumque admixtionem, sonum atque formam nativi sui sermonis in quam plurimis, tractu temporis, mutarunt & perverterunt. Primi autem è Thessalia in Græciam postmodum dictam egressi sunt *Xuthus* & *Dorus*, filii Hellenis, Thessaliæ regis, quorum hic loca circa Parnassum & in Peloponneso occupavit, ac *Doricæ* Dialecto nomen & ortum dedit, Ille vero in ea Græciæ parte, quæ *Attica* postmodum denominabatur, consedit, & quam hi loquebantur dialectum Græcam, illa primitus cognominabatur *Jonica*, prout ipsa etiam terra Attica ab initio, *Jonica*, à *Jone*, Xuthi filio, dicta fuit. Postquam autem horum aliqua pars, duce *Neleo*, ex Attica in Asiam minorem concessisset, easque regiones suis coloniis occupasset; hi postmodum *Jonum* nomen retinuerunt, & uti regiones ab ipsis occupatæ *Joniæ*, ita quoque dialectus eorum nova, quæ ex mutato solo denuo progerminabat, *Jonica* cognominabatur, iis interea, qui in Europa & Attica manserant, nomen plane mutantibus: pro eo enim, quod olim illorum quoque dialectus Jonica appellabatur, ab *Athide*, Cranai filia, *Attica* dici cœpit. Eadem ratione *Æolica* & *Dorica* dialecti, quæ, teste Strabone, primitus similiter una dialectus erant, geminæ factæ sunt. Una siquidem Æoles & Dores in Peloponneso quondam habitarunt. Licet enim *Æolus*, tertius Hellenis filius, à quo *Æoles* nomen traxere, in Thessalia manserit & diu illic imperarit; tamen & Æoles postea in Peloponnesum migrarunt, & ibi pedem aliquandiu juxta Dorienses fixere: donec tandem etiam hi exinde in Asiam egressi, Regiones Mysiam & Troada occuparent, ubi denuo ex nova hac Barbarorum illius loci mixtione, puritas sermonis corrumpebatur, & dialectus nova à *Doriensi* diversa exoriebatur, quæ *Æolica* nuncupata fuit. Hæc est origo quatuor illarum antiquiorum Græcæ linguæ Generalium dialectorum, quæ postea singulæ iterum in varias speciaiiores sive τοπικὰς dialectos, temporis lapsu, fato omnibus pene linguis, quibus totæ nationes in vita communi utuntur, inevitabili, dissiliebant. Ad quas τοπικὰς sive speciales dialectos sequentibus temporibus ipsa quoque *Macedonica* sive *Thessalica*, splendore quippe filiarum suarum oppressa, referebatur. Prout vero antiquissima & primigenia hæc Macedoniæ & Thessaliæ propria lingua per Jones, Æoles, Dores, &c. variis modis in aliis provinciis, in quas è solo natali per populorum commigrationes translata fuit, immutabatur: ita temporis lapsu ipsa etiam in Macedonia atque Thessalia à puritate pristina ac nitore suo multis modis degeneravit. Imo cum tandem lingua hæc *Macedonico-Græca*, temporibus præcipue Alexandri Magni longe lateque per orbem diffunderetur, varias scorias hinc inde apud varios populos, quibus cum Græcorum jugo obtrudebatur, attraxit & magis magisque longius à semet ipsa abire cœpit; donec tandem, deletis omnibus reliquis antiquioribus dialectis, ipsa usque adeo per innumera vocabula peregrina, novata, constructiones barbaras, consuetæ inflexionis neglectum, dictionum tam pronunciationem, quam scriptionem mutilam, &c. hodiernæ linguæ Græcæ, quam nos (ipsis tamen Græcis, qui eam *Novam* & Κοινὴν aut *Communem* dicere malunt, reclamantibus) *Barbaram* vulgo nuncupare solemus, faciem, per varios casus & ingentes Græciæ miserias voluta, indueret. Non ergo pu-

putandum est; Linguam Græcorum hodiernam, quæ primitus *Macedonica*, non vero aut *Attica*, aut *Jonica* aut *Dorica*, aut *Æolica* erat, uno momento à pristino suo nitore descivisse; sed sensim, successive atque pedetentim transformata fuit, cujus mutationis, quæ hodie insignis est, prima vestigia omnino ad ea tempora, quibus Græca lingua sub Græcorum Monarchia per tot gentes diffundebatur, referenda veniunt. Hinc procul dubio est, quod Novi Instrumenti scripta, quæ lingua illa vulgari Macedonica consignabantur, Numerum dualem, quem hodierna Græcia ignorat, similiter non agnoscant: Hinc est, quod peregrina vocabula, novæ vocum alias Græcarum & antiquarum significationes, &c. & in Lingua, quam vulgo *Hellenisticam* vocant, & in hodierna *Barbaro-Græca*, licet ibi modico, heic numero ingenti, reperiantur. Quæ & similia certe suadent, ut Linguæ hodiernæ Græcorum prima rudimenta potius, quam nescio quod Idioma Hellenisticum, in cujus natura declaranda ipsi ejus Auctores & Patroni (h. e. recentiores quidam Criticorum nostrorum) admodum adhuc dissentiunt, in Novo Testamento quæramus. Nec enim mirum, si Græcus N. T. Sermo nec Atticus, nec Jonicus, nec Doricus, nec Æolicus fiet, cum neutro horum, tanquam minus tum temporis receptorum Evangelistæ & Apostoli fuerint usi. Nec mirum, Linguam Græcam illam, quæ Christi & Apostolorum tempore floruit (adeo per omnem orientem diffusa, ut *Seneca Consolat. ad Helviam cap. 6. p. m.* 619. scribat: *Quid sibi volunt in mediis Barbarorum regionibus Græcæ urbes? Quid inter Indos Persasque MACEDONICUS SERMO?*) & qua Novum Fœdus conscriptum est, adeo non exacte respondere Antiquorum Scriptorum & Auctorum Græcorum nitori, *ἐν τῷ λόγου σοφίᾳ εὐαγγελίζεσθαι* noluerat Spiritus Sanctus, *ne crux CHRISTI inanis redderetur.* 1 Cor. 1: vs. 17. Cum enim antiquioris sermonis elegantia magis apud Sapientes secundum carnem enituerit & conservata fuerit, quam apud Plebejos & Idiotas, quorum quidem impurior dictio, sed animus magis defœcatus erat; par utique fuit, ut Apostoli Idiomate tali uterentur, quod optime intelligerent illi, qui Evangelio credituri erant. Nec enim Spiritus Sanctus in Scriptura Sacra ambitioso dicendi genere, vanorum hominum mulcere aures gestit, sed, *quæ ejus magna quidem in genus indulgentia nostrum est*, animarum saluti veræ ac æternæ studet. Atticus si tunc viguisset sermo, procul dubio Attice fuisset locutus; sed, quia Macedonico-Græca Dialectus (licet impurior & jamjam magis deficiens ab antiqua Græcorum lingua) per omnem pene orbem divulgata erat; hoc potius idiomate, tanquam scopo suo magis conveniente, utebatur. De cætero, uti dicta Linguæ Græcæ fata eleganter adumbravit *Marc. Hieronymus Vida Poëticor. libr.* 1. quando canit,

Haud multus labor auctores tibi prodere Grajos,
Quos inter potitur sceptris insignis Homerus.
Hunc omnes alii observant, hinc pectore numen
Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.
Felices quos illa ætas, quos protulit illi
Proxima: divino quanto quisque ortus Homero
Vicinus magis, est tanto præstantior omnis.
Degenerant adeo magis ac magis usque minores.
Obliti veterum præclara inventa parentum.
Jamque fere Inachiæ restincta est gloria linguæ
Omnis, & Argolici jussi concedere, avitis
Sunt pulsi reges soliis, civesque coacti
Diversa Exilia atque alienas quærere terras:
Huc illuc inopes errant, habet omnia Victor
Barbarus, & versis nunc luget Græcia fatis.

Ita ego facile fuerim largitus, varias phrases, dictionesque peregrinas & antiquæ Græciæ ignotas etiam in Novo Testamento quandoque reperiri, sed nolim ideo affirmare, hoc dicendi genus solis Apostolis & aliis vulgo tradunt, Hellenistis, sive Judæis hebraizantibus, h. e. (ut Heinsius explicat) *retinentibus phrases atque Idiotismos Ebræos Græcisque verbis eadem exprimentibus & aliquando Græcæ voci aliquam significationem, proprie convenientem voci Ebrææ, cui respondet, adaptantibus*, receptum fuisse; cum potius Lingua illa Macædonica Vulgaris, qua Apostoli utebantur, per omnem Orientem, imo & alias orbis partes nota fuerit & à vulgo trita. Concedo igitur Ebraismos, Chaldaismos, Latinismos, &c. in recentiori hac Lingua Macedonico-Græca, quandoque occurrere; sed ita tamen, ut ei facile quoque assensus fuerim, qui eos idiotismos omnes, tanquam civitate Græca publice donatos, pro Linguæ Macedonicæ cum reliquis linguis illis, unde eos petierat, *κοινισμοῖς*, prout alicubi loquitur Clarissimus Stolbergius, habere velit: Res enim omnis & agitatissima hæc inter Criticos quæstio sic tandem in *λογομαχίαν* resolveretur. Imo etiam in illo puncto, quod videlicet istos Idiotismos determinare, utplurimum periculosum videatur & successus incerti, à Viris Doctissimis, Stolbergio, aliisque, propior absum; cum certum sit, præter Idiotismos Linguarum, dari etiam locutiones quasdam communes in omni Linguarum genere; uti etiam in aliis rebus post Propria, quædam insuper Communia *πάθη* licet observare. Hinc nemo Linguarum peritus *συμπτώσεις* negaverit. Certe etiam Lingua Græca & Ebræa in non paucis conveniunt; & demonstravit passim, post alios doctissimus & in Græcorum scriptis versatissimus Stolbergius quoque, quod complures N. T. locutiones vulgo pro Ebraismis venditari solitæ ab ignarissimis Ebraismorum Græcis, iisdemque Atticis Scriptoribus non semel, sed sæpius, fuerint adhibiti: *Magni periculi est*, scribit nonnemo, *dicere, Latinum hoc est, hoc Latinum non est. Illi enim, qui vocabulum vel phrasin reprehendit, omnium Classicorum lectio & promta lectorum memoria incumbit: qui tali vero utitur, unius se classici autoritate potest defendere. Cui autem memoria semper est tam fida, ut, quamvis omnes legerit, omnium possit recordari?* Quod si vero hoc de Lingua Latina verum est: Quid dicemus de Lingua Græcorum tam antiqua, atque per tot secula, per tot dialectos, per tot provincias orbis terrarum, per tot monumenta scriptorum diffusa? ut procul dubio nemo cordatus ausus fuerit, plenariam & absolutam linguæ hujus magnam partem hodie deletæ cognitionem jactare. Sed hæc obiter & *ὡς ἐν παρόδῳ* de stilo N. T. dicta sunto. Saltem illud non adeo dubium esse potest, Apostolum Johannem potius Dictione λόγου ad vocem tunc temporis apud Populum ex Chaldaica paraphrasi notissimam מימרא, quam ad λόγον Platonicum respexisse. Et quis miretur, reperiri in Lingua Macedonico-Græca, quæ Apostolorum temporibus viguit, dictionem λόγου, pro vocabulo מימרא in sua principali significatione, accepto, positam; cum in Lingua Græcorum Hodierna (quam ex illo Idiomate Macedonico ortam esse, supra asserueram) vox λόγος ipsam quoque servilem τοῦ מימרא notionem sustineat? Ita enim loquuntur Græci hodierni: *γιὰ τοῦ λόγου μου* i. e. *Propter me*, aut pressius: *Propter VERBUM meum*, *γιὰ τοῦ λόγου σας*, i. e. propter Vos; *τῷ πόδα* ita verteres: *propter VERBUM vestrum*, &c.

XXVII. Liquet ex dictis, quam insignem præbeat Linguarum Orientalium cognitio usum in Controversiis Theologicis rite tractandis, imo vero in omnibus aliis quoque Sanctæ Theologiæ partibus. Hujus adminiculo cum Aurea aurei seculi Lumina, plerique Beatissimorum Patrum carerent, sæpe talia protulerunt, quæ tantis Viris omnino hodie, post renatas illas literas, videri queant indigna. Sane, non sine stupore ex *S. Irenæo*, (cujus alias ingenii Majestas utique celebranda) & quidem ex ejus *lib. 2. contra Valent. cap.* 41. *pag.* 140. Edit. cit. ubi contra hæreticos disputat, hunc excerpsi locum: *JESUS secundum propriam Hebræorum linguam literarum est duarum & dimidiæ, sicut periti eorum dicunt, significans eum, qui continet cœlum & terram, quia JESUS secundum antiquam Ebraicam linguam, Cœlum est, Terra autem iterum Sura Usser dicitur. Verbum ergo, quod Cœlum & terra habet, ipse est JESUS. Falsa est ergo & episemi eorum redditio, & numerus eorum eversus est manifeste.* Ita disputans B. Pater, ex principiis Ebraicis obviam ire suis adversariis ausus est. Conferatur Erudita Gallasiii annotatio ad hunc locum p. 371. Nec sine ratione monet *B. Hackspanius loco superius citato, p.* 363. sæpius quoque *S. Augustinum*, cujus acumen nemini scripta ejus inspicienti ignotum esse potest, ex ignorantia linguæ Ebrææ, aërem verberare, quando contra Apellas disputat. Quid itaque mirum, si eadem Celebratissima Ecclesiæ Antiquæ ornamenta, ex Linguæ Ebrææ subsidio negato, hunc quoque locum nostrum minus solide tractarint? Cum enim veram Rationem hujus Denominationis, petendam ex Chaldaismo & dictione מימרא indicare ipsis non liceret; spuriam aliquam causam ingeniose excogitarunt, deductam ex analogia sermonis utriusque, tam ἐνδιαθέτου quam προφορικοῦ, quatenus producitur à mente, cum CHRISTO JESU, DEI filio, quatenus hic ab æterno Patre generatur. Egregie hasce illorum Meditationes exprimit & solide de iisdem judicat Magnus Chemnitius c. l. colum. 8. 9. *Basilius*, ait, *Nazianzenus & Augustinus* (multo vero plures addi possent) *sentiunt, quia cogitatio à mente sine passione & corruptione procedit, & est perfecta mentis imago, nec mens unquam est*

sine cogitatione: Ideo filium appellari λόγον, *ut aliquo modo ostendatur, filium ab æterno insensibiliter, sine passione & corruptione, à Patre genitum esse, imaginem DEI coæternam Patri. Et inde tanquam ex obscura traditione Veteres Philosophi Chaldæi, Ægyptii & Platonici, sicut Theodoretus de Græcis assertionibus ostendit, in divinitate nominarunt* νοῦν καὶ λόγον; *&* λόγον *dixerunt esse filium mentis* (quæ tamen sententia, ut hoc obiter addam, non tam Platonicorum, quam *Pœmandri* est, *qui in eo à Platone & Sectatoribus abiit, quod* λόγον ἐκ τοῦ νοῦ è Mente *processisse ajebat, quæ sit illius Pater*, Verba sunt Doctissimi Stolbergii c.l. c. 2. §. 5.) *Sed Valentiniani postea & alii hæretici ex illa similitudine mentis & cogitationis seu verbi horrenda finxerunt prodigia. Valde caute igitur & sobrie hæ similitudines Veterum tractandæ & accipiendæ sunt.* Hæc accuratissimus Chemnitius, in cujus hac ἀποκρίσει etiam penitus acquiesco. Imo, quemadmodum idem Vir laudatissimus præter primam, veram & propriam rationem ex Chaldaica voce מימרא petitam, etiam sex alias rationes secundarias (quas simpliciores & illustriores vocat, non absolute, sed respectu ὑποθέσεως Patrum) admittit: ita & ego ambabus largior manibus, eas non esse absolute respuendas, ut etiam existimem, commendandas esse, cumprimis in Theologia Homiletia, ubi cum Fidelibus agimus, quibus Veritates hæ Theologicæ non tam probari aut persuaderi, quam illustrari tantum debent: & huc illas similitudines, modo ne ultra tertium suum extendantur, satis esse aptas & congruas, nemo facile negarit. Enimvero ex Polemicis atque Disputatoria Palæstra merito has mollioris brachii rationes exesse jubeo, ne adversariis fidem nostram, tanquam ficulneo nixam fundamento, ridendam propinemus & proponamus. Ut ne tandem vero nasuta Crellii superius quoque adducta Commentatiuncula, cui ipse quodammodo diffidere videtur, plane abeat intacta: satis eandem Verba *Athanasii contra Sabellium*, à B. Dn. Felwingero laudato loco pag. 181. adducta, evertunt. *Si DEUS*, inquit, *Verbum in mente habet, non autem revera ex ipso Genitum, ut DEUM ex DEO, quomodo esse poterit apud DEUM Verbum? aut quomodo DEUS fuerit? Non enim verbum hominis in mente conceptum, Homo est apud Hominem, cum nec vivat nec subsistat, sed vivi duntaxat & subsistentis pectoris motus est.* Patet itaque ex his abunde, quod principium Evangelii Johannis à torsione Crellii aliorumque Photinianorum maxime abhorreat.

XXVIII. Cæterum, prout Clarissimi Dn. Glassii Expositio, Vocis Chaldaicæ מימרא rationem quidem habet, sed in ea unice Patrum meditationes & alias secundarias, de quibus jam in præcedenti Aphorismo actum est, rationes respicit, ita idem de eodem asserto Judicium, quod §. præcedente tuli, fero, solam animadversionem ipsius philologicam, quæ τοῦ מימרא & voculæ Λόγε relationem atque mutuum respectum innuit, exosculatus. Interim hoc diffiteri nequeo, magis me adhuc afficere B. Dn. D. Chemnitium, ex cujus mente S. Apostolus dictionem Λόγε de CHRISTO adhibuit, non, ut illam, quam SS. Patres urgent, analogiam exprimeret, sed quod Paraphrastæ Chaldaici, imo omnis populus tunc adhibuerint dictionem מימרא, illaque significarint Messiam Verbo patefactum atque promissum. Quemadmodum autem fuse ostendi, hanc ultimam B. Viri ὑπόθεσιν minus congruam esse Paraphrasibus Chaldaicis: ita non potui non exosculari Emendationem eruditam atque ingeniosissimam observationem VIRI Summi, Celeberrimi *Dn. D. Hildebrandi*, cujus decisione in hac controversia omnino mihi standum esse duco, reliquorum placita hoc magis magisque approbanti, quo propius semper gradatim ad verum accedunt. Magis enim quod res est, dixit Cl. Glassius, quam Patres; propius adhuc rem tetigit B. Chemnitius; omne vero punctum tandem videtur Magnus Hildebrandus tulisse.

XXIX. Restat, ut pauca quoque adnotem circa varias illas, quas producere mihi licebat, voculæ Λόγε versiones. Syrus pro dictione Græca ΛΟΓΟΣ, posuit in Versione sua vocabulum ܡܠܬܐ, h. e. *Verbum, Dictio, Vocabulum*: alii quoque aliquando per *Sermonem* reddunt. Mihi hoc loco cumprimis prior se versio commendat; siquidem nec ipsa Vocis hujus natura aliena est, cum Syrorum ܡܠܬܐ vel ܡܠܐ respondeat Ebræorum מלה, qua voce Grammatici Ebræi denotant *tertiam* ac *ultimam Orationis partem*, *Nomini* sive שם, & *Verbo*, quod דבר vocant, contradistinctam. Referunt vero eo cunctas dictiones inflexibiles, quæ vulgo *Particulæ* dicuntur & Ebræis κατ᾽ ἐξοχὴν *Dictiones* sive *Vocabula* audiunt; ut adeo pateat, non esse à Vocis hujus Syriacæ natura alienam illam meam versionem, quæ simul satis egregie notionem voculæ מימר & Λόγε exprimit. Hinc etiam magis mihi probatur Versio *Latini Vulgati*, in qua Λόγος per *Verbum* redditum cernimus, quam *Beza* aut *Erasmi*, qui vocabulum *Sermo* substituerunt, & hoc ipso Antiquiorum Conjecturas potius, quam Sancti Scriptoris mentem expresserunt. Imo, quod ad *Principem & Instauratorem bonarum literarum in Germania* (ita nuncupat alicubi *Erasmum Roterodamum* Celeberrimus *Bosius*) attinet; non desunt Censores rigidiores, qui ipsum hanc ob versionem Arianismi vel etiam Photinianismi coarguant: quo fundamento, videant ipsi. Hoc interea certum est, Viro, ratione Eruditionis, sua ætate, Incomparabili hæc duo peccata cumprimis vulgo infligi, *unum*, quod dicta N. T. pro asserenda divinitate F. D. perverterit; *alterum*, quod omnem Theologiam Scholasticam spreverit. Ego prout inficiari nolim, Erasmum haud raro duriuscule esse locutum, & benignum desiderare interpretem; ita, rem in medio relinquo, an subdole hic loci pro Vocula Λόγος posuerit in versione sua dictionem Sermo? Sane hoc dubio caret, anguem latere in herba, quando Neo-Photiniani & Sociniani in versionibus suis Germanicis pro voce Græca Λόγος adhibent vocabulum Germanicum, Rede/ siquidem hoc ipso tacite subindicant, se potissimum Λόγε τοῦ προφορικοῦ, quem vox illa Germanica Rede primario & ex usu loquendi denotat, rationem habere. Quamvis vero Crellius in Epistola citata ad Peuschelium, oculum ad λόγον ἐνδιάθετον præcipue reflexisse cognoscatur; tamen Verba Evangelistæ ita torquet, ut τὸν λόγον per nudam tantum ac proprie sic dictam cogitationem exponat; uti superius vidimus. Longe rectius legimus in Versione B. *Lutheri*, quoad Idioma Germanicum, sane tersissima. Im Anfang war das Wort. Sic enim emphatice satis ipsa mens Sancti Evangelistæ, & vis voculæ מימרא vel λόγε exponitur.

XXX. Sensus igitur Dicti hujus Classici Johannis cap. 1. vs. 1. talis est: Ἐν ἀρχῇ (i. e. *antequam quicquam creaturarum existeret, & cum illa essent producenda adhuc*,) ἦν ὁ λόγος (*jam exsistebat Filius DEI, tanquam* יהוה *& DEUS Essentialis, quem vos perperam in tempore demum cœpisse autumatis, & pro creatura, quamvis excellenti, habetis. Ne tamen existimetis, ideo, quia Filius est* יהוה, *Filium quoque Patrem esse futurum, & sic ob Unitatem Essentiæ, confundatis Personas*) ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν (*Filius DEI, qui carnem adsumsit in plenitudine temporis, licet* יהוה *& ejusdem cum Patre æterno Essentiæ sit, tamen est* ὑπόστασις *sive persona à Patris* ὑποστάσει *realiter distincta. nec cum hac confundendam, cum ante omnes creaturas jam fuerit apud DEUM Patrem suum. Jam vero, qui apud aliquem esse dicitur, ille est ab eo, apud quem est, diversus. Ergo Filius est Persona, à Patris Persona realiter distincta. Quod vero iterato vobis inculco*) Θεὸς ἦν ὁ λόγος (*Pater & Filius, licet sint personæ sive* ὑποστάσεις *diversæ, tamen non duo Dii, sed unus* יהוה *& unus tantum DEUS sunt in una simplicissima essentia.*)

XXXI. Tria igitur nobis probe ponderanda Apostolus proponit: (1) ait: *In principio* h. e. stilo scripturæ, ante originem creaturarum, cum hæ nondum productæ, sed adhuc producendæ essent, *fuisse* CHRISTUM JESUM, quem statim λόγον sive יהוה nuncupat, ut contra Cerinthum & Ebionitas ostenderet, eum non nominetenus, sed Verum & Essentialem DEUM esse. Ut ne tamen quis ob simplicitatem Essentiæ Divinæ suspicaretur, Filium ergo Patrem esse futurum, sicque personarum realem differentiam negaret; addit (2) Hunc λόγον sive DEUM Verum & Essentialem, CHRISTUM JESUM ante originem creaturarum *fuisse apud DEUM*, h. e. Patrem & Filium, licet sint una Essentia Divina simplicissima, tamen esse duas personas reapse ab invicem diversas. Et ne tandem quis in contrarium rueret, atque propter pluralitatem personarum Essentiæ Divinæ unitatem negaret, (3) præcavet his verbis: *Et DEUS erat Verbum vel* Λόγος *sive* יהוה, quorum verborum vel hic esse potest sensus: Licet vero Filium, qui apud DEUM Patrem ab initio erat, Jehovam dixerim, tamen hoc non obstante, etiam DEUS Pater est יהוה & ejusdem Essentiæ divinæ, cujus est Filius; vel, si τὸν λόγον, ob præfixum articulum, pro subjecto habeas, talis sensus emergere potest: Atque hic λόγος sive Filius, qui apud DEUM Patrem ab æterno erat, est ejusdem Essentiæ Divinæ, cujus est Pater æternus.

XXXII. Adeste igitur, profani homines, Neo-Photiniani atque

atque Sociniani, qui hodienum vestigia legitis impiorum illorum hæreticorum, quos ipse Spiritus Sanctus refutavit & eos arguit de peccato, quod non crediderint in filium DEI. Adeste & discite CHRISTUM JESUM non esse DEUM Nuncupativum & κτ̓ χάριν, sed DEUM æternum, verum, & Essentialem, de quo ipse Spiritus DEI, in libro, cujus Auctoritatem Divinam etiam vosmetipsi agnoscitis, expresse, contra homines in eodem vobiscum luto hærentes, testatur, quod sit מימרא h. e. יהוה. Res clara est. Et, prout jam fuse ostensum est, Spiritum Sanctum ipsum Testimonium, præclarum hoc de Deitate CHRISTI Vera & Essentiali contra Cerinthianos, Ebionitas & alios illius ævi hæreticos edidisse; ita mihi liceat ex indubia hac & infallibili veritate, contra vos Deitatem CHRISTI demonstrare. Admittitis enim ipsi quoque hanc propositionem, velut immotum

AXIOMA.

Quicquid Spiritus S. in scripturis canonicis stricte talibus, verbis distinctissimis & aliter (nisi obmurmurante ipsa interius conscientia) explicari nescüs, edisserit, illud est infallibiliter verum.

DEFINITIONES.

I. Vox יהוה *denotat ipsam Essentiam Divinam, nec potest alii competere, quam DEO, κατ' ȣ̓σίαν, cum è contrario reliqua DEI nomina, quia non tam Essentiæ sunt, quam Muneris, etiam interdum creaturis adsignari queant.*

II. Vox מימרא *sive λόγος significat idem, quod* יהוה *uti hoc fuse & satis luculenter in thesibus meis præcedentibus explicui & ad oculum ostendi.*

Evolutis ita terminis מימרא & יהוה, transitus patebit ad harum duarum mox subjiciendarum Propositionum demonstrationem Theologicam

PROPOSITIO I.

Ille, qui est מימרא *sive* ΛΟΓΟΣ, *est Verus & essentialis DEUS.*

DEMONSTRATIO.

Quicunque est יהוה, ille est Verus & Essentialis DEUS, per Definit. I. Sed is, qui מימרא est sive λόγος, est יהוה per Definit. II. Ergo is, qui est מימרא sive ΛΟΓΟΣ est Verus & Essentialis DEUS. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

CHRISTUS JESUS, DOMINUS ac Salvator noster est verus & essentialis DEUS.

DEMONSTRATIO.

Quicunque est מימרא sive λόγος, ille est verus ac Essentialis DEUS, per Propos. I. Sed Christus Jesus, Dominus ac Salvator noster est מימרא sive λόγος per expressa & distinctissima Spiritus Sancti verba Joh. 1: vers. 1, 14. &c. Ergo CHRISTUS JESUS Dominus ac Salvator noster est Verus ac Essentialis DEUS Q. E. D.

XXXIII. Ego igitur! Cedite palmam Veritati Victrici; ligatas præbete manus. Cunctamini? Non adeo Miror. Miseri enim estis. Videtis? enim vero oculi vestri cataracta suffusi sunt. Acumine polletis? sed illud nimis tenue retunditur & in se replicatur. Eruditio vestra, vana persuasio & scientiæ spectrum est. Qui enim nondum discipuli eratis, vosmetipsos ridiculo supercilio pronunciastis Doctores. Crepatis sanam rationem? At ratio vestra nil minus quam sana est. Urgetis παιδείαν; Ast nemo magis in παιδείας leges, quam vos, impingit. Intellectum à præjudiciis immunem ad dignoscendas rerum veritates exposcitis? Sed nemo magis succumbit præjudiciis, quam vos Photiniani. Dicitis vos admittere auctoritatem DEI in scriptura S. loquentis; sed reapse nil minus agitis. Nec enim, quæ in Sacra Scriptura dicuntur, ex dicentis auctoritate æstimatis, sed ex vestris præjudiciis misere torquetis, & cæci judicatis de colore. Rerum ordinem pervertitis. Ea, de quibus vobis erat judicandum, temere creditis, & quæ credenda erant, de his præceps fertis & immaturum judicium. *Crellius* vester, qui reliquis vobis, sophismatibus voluit esse superior, *Lumen Logicum* admodum deprædicat: at si primaria & principalis virtus Logica, quæ est debita *attentio*, ipsi non defuisset, nunquam tam turpiter se dedisset; si quidem in Epistola sua ad *J. Peuschelium*, ubi de *Analogia Fidei* ex professo agit, perpetuo sophisticatur. Verissima enim hæc sunt, quæ scribit (si de Veritate Metaphysica, sive de veritate rerum in se, explices) in Epistola citata: *Est*, inquit, *inter Veritatem & Veritatem perpetuus consensus, & analogia: quare tam ea, quæ creduntur, si Vera sunt, non tantum inter se consentiunt, sed etiam in iis, quæ per proprium intellectus humani lumen citra revelationem vere cognoscuntur, atque ex præcognitis principiis legitime deducuntur, non repugnant, sed una cum ipsis consistere possunt; tam illa, quæ sana mens per proprium suum lumen pro veris agnoscit, ut inter se, ita etiam cum revelata divina veritate consentiunt*, (Hæc omnia, uti dixi, si de Veritate Rei sive de Veritate Metaphysica explices, verissima erunt. Nec enim Entia condita à DEO sibi mutuo repugnant, cum omnia, quæ DEUS creavit, bona sint; bonum autem non evertit illud, quod consimiliter bonum; quemadmodum, nec verum id, quod consimiliter verum est, evertit. Sed omne ens bonum est & verum, ergo entia omnia simul stare queunt, quæcunque illa demum fuerint, sive condita sint atque dependentia, sive immutabiliter atque independenter exsistant; sive fuerint complexa sive incomplexa. Imo vera consimiliter erunt, quæ Crellius inculcat, de Veritate Cognitionis Divinæ, quæ, cum omnia perfectissime & intime penetret, similiter nullibi quicquam in rebus repugnantiæ & mutuæ eversionis deprehendit; talis enim repugnantia nulla cum detur in rerum Essentiis, nec locum inveniet in cognitione divina, dum omnia perfecte, & uti sunt, apprehendit. Et hanc perfectam Cognitionem videtur Crellius in animo habuisse, quando ita pergit:) *Et ad communem veritatis normam (quod est τρόπος παιδείας, sive Lumen Logicum) dijudicari queunt: quæ enim inter se æqualia sunt uni tertio, cui alterum æquale est, alterum quoque æquale erit: si ergo rerum inferiorum vera notitia cum notitia rerum superiorum congruit, rerum vero inferiorum notitia cum norma Logica congruit; etiam notitia superiorum cum eadem norma congruet; & quicquid huic normæ incongruum est, & ab ea ut falsum redarguitur, id neque in humanis neque in divinis rebus verum esse potest: quia norma Logica est ille mentis habitus, quo apta est ad quamcunque veritatem sine errore apprehendendam & dignoscendam.* Hucusque Crellius, qui in hisce posterioribus verbis ineptum agit atque ridiculum sophistam, inscius tamen, uti existimo; hinc ipsum etiam superius animi minus attenti postularam. Pro diversa enim explicatione & sensus varietate, quam hæc verba admittunt, aut quatuor termini erunt in argumento, aut illud principii petitionem incurret &c. Sed ipsa examinemus verba, & ostendamus, quam temerarie, confuse & parum attente Crellius hoc loco complura eructet, quæ ingentem ἀκρασίαν, & sinciput parum sanum, Helleboroque purgandum arguunt. *Primo* ait, τρόπον παιδείας *sive Lumen Logicum esse communem Veritatis normam, ad quam omnia dijudicari queant.* Per Veritatem, cujus mentionem facit, non potest, certe non debet, veritatem Metaphysicam intelligere, sed Veritatem potius Cognitionis, quæ consistit in conformitate intellectus cum re, ita ut res sint *mensura*, & intellectus, *mensuratum.* Vera enim cognitio illa est, quæ conformis est rebus, quas cognoscit, sicuti falsa cognitio ea dicitur, quando aliter cogitamus de rebus, quam ipsæ sunt. Hujus igitur Veritatis Cognitionis, sive Conformitatis intellectus cum rebus, normam esse dicit, τ̀ τρόπον παιδείας sive Lumen Logicum; (Nec enim Logica quicquam aliud est, quam ars recte utendi ratione, hoc est conformandi cogitationes nostras rebus ipsis:) Et quidem *normam communem*, h. e. arte Logica nos apprehendere ea omnia, quæ DEUS nobis proposuit sive in Libro Naturæ sive in Libro Scripturæ, nec aliter nos posse certos fieri naturaliter, quod cogitationes nostras conformaverimus rebus aut divinitus & supernaturaliter in Scriptura revelatis, aut in rerum hac universitate ad cognoscendum propositis, nisi ope artis Logicæ, quæ Hermeneuticam, tanquam partem, etiam sub se comprehendit. Hæc igitur omnia vera sunt. Logica est norma veritatis cognitionis, sed non est norma veritatis rerum, quæ non, uti veritas Logica sive cognitionis, in conformitate intellectus cum re, sed in conformitate rerum cum intellectu & nutu divino, à quo in esse suo dependent, & per quem id, quod hæ præcise res, & non aliæ sint, habent, consistit. In hanc rerum veritatem, Logica non inquirit, quæ alioquin non amplius τρόπος παιδείας, sed chaos omnium disciplinarum, esset futura, & omnis ἀπαιδείας cloaca. Dijudicat ergo norma Logica omnem veritatem, sed omnem veritatem cognitionis, neutiquam omnem veritatem in genere. Nam veritatem rerum vel solo rationis lumine cognoscibilium, ipsa examinare ἄνδ ἀπαιδείας non potest, tantum abest, ut Logica possit de veritate mysteriorum Metaphysica judicare, cum ipsa tota, quanta quanta est, sit, vel ipso Crellio judice, τρόπος παιδείας, h. e. ad veritatem cognitionis ordi-

ordinata. Hæc ergo, quæ diverſiſſima ſunt, prius ab invicem diſcernere diſcite, antequam Arte Logica veſtra Veritatem Credendorum examinare præpropere audetis. Heic exercete ingenium veſtrum & à turpiſſimo hoc errore contra omnes παιδείας leges admiſſo vos vindicate. Heic enim, ſi ſolide, vere & attente judicaveritis, facile deprehendetis, artem Logicam ſive lumen Logicum, tantum de veritate Cognitionis ſive de Conformitate Intellectus cum Re, neutiquam vero de Rerum ſive ex Naturæ ſive Scripturæ lumine cognoſcibilium, Metaphyſica Veritate ἀνδ' ἀπαιδείας ac citra turpiſſimam μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, pronunciare ex ſuis regulis poſſe. Pergit vero Crellius: *Quæ enim inter ſe æqualia ſunt uni tertio, cui alterum æquale eſt, alterum quoque æquale erit*, (Axioma hoc eſt mathematicum, quod dubio caret, ſed videamus ſubſumtionem Crellii) *Si ergo*, inquit, *inferiorum vera notitia cum notitia rerum ſuperiorum congruit, rerum vero inferiorum vera notitia cum norma Logica congruit, etiam notitia ſuperiorum cum eadem norma Logica congruet.* Per *Res ſuperiores* intelligit Res divinitus revelatas; per *Res* vero *Inferiores*, ea, quæ ex lumine naturæ ſolo innoteſcunt, vel ſaltem innoteſcere queunt. Nervus igitur collectionis Crellianæ hic eſt. Quia res tam revelatæ divinitus, quam ex naturæ lumine Cognoſcibiles veræ ſunt, non poſſunt ſibi repugnare, ſed una ſtare poterunt. Jam vero perfecta notitia & vera cognitio rerum tam divinitus revelatarum, quam ex naturæ lumine cognoſcibilium, conſiſtit in conformitate notitiæ illius veræ & Rerum illarum verarum; Ergo, quia res ipſæ divinitus revelatæ & naturæ lumine cognoſcibiles ſibi non repugnant, nec vera eorundem cognitio & notitia, quæ illis rebus conformis eſt ſibi repugnabit. Ergo infert porro, Notitia rerum ſuperiorum & inferiorum vera congruet. Cujus phraſeos duplex eſt ſenſus: *Unus*, ſi vocem *Congruere* ex uſu vulgari explices, quo dicimus illa ſibi congruere, quæ non repugnant, ſed una ſtare queunt. Ita Verum Vero conſonare & congruere dicitur h. e. Verum Vero non repugnat, ſed Verum cum alio Vero conſiſtere poteſt. Hinc v. g. quia *triangulum* eſt *verum Triangulum*, & *Circulus* eſt *verus Circulus*, nec circulus triangulo, nec hoc illi repugnat, ſed una ſubſiſtere queunt. Sic quoque, quia vera eſt hæc propoſitio: *Omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, & quia quoque vera eſt hæc altera: *Circuli ſunt ad invicem ut quadrata diametrorum*; neutra harum duarum propoſitionum alteram evertit, ſed potius congruunt ſenſu vulgari, hoc eſt una ſubſiſtere poſſunt. *Secundo* autem accipitur Vox *Congruere* ſtricte ſenſu Mathematico, pro omnimoda æqualitate; ita vero plurima ſunt vera, quæ ſibi non congruunt. Nec enim Circulus ita congruit Triangulo, imo nec omnia Triangula ſibi mutuo ſtricte congruunt, ſed ea tantum, quæ æqualia ſunt & ſimilia inter ſeſe. Ita quoque congruunt duo ſemicirculi unius Circuli, vel duo Circuli æquales. Quia vero hæc ſtricta & Mathematica Congruitas, ut ita loquar, omnimodam æqualitatem & ſimilitudinem duarum figurarum numero tantum differentium cum eodem tertio involvit; recte dicitur, quorum unum mutuo congruentium congruit alicui tertio, eidem etiam congruet alterum illorum duorum ſibi mutuo congruentium. Nunc ergo quando Crellius ait, *Rerum inferiorum notitiam veram cum notitia rerum ſuperiorum congruere*, vel hic erit ſenſus: *Notitiam rerum inferiorum veram cum notitia rerum ſuperiorum conſimiliter vera & perfecta non pugnare, ſed ambas ſimul optime ſtare poſſe.* (Et hoc veriſſimum eſt & ex ſuperioribus firmiter collectum. Ubi tamen illud notandum, quod propoſitio illa, quam certiſſimam pronunciavi, non de qualicunque notitia rerum, ſed de adæquata perfecta & omnibus numeris abſoluta loquatur. Quod ſi enim imperfecta fuerit & debilis minuſque adæquata notitia ſive rerum inferiorum, ſive ſuperiorum; non valebit amplius conſequentia hæc: Res ipſæ ſuperiores & inferiores non repugnant ſibi mutuo; ergo nec notitia illarum rerum ſuperiorum & inferiorum qualiſcunque minuſque exacte res ipſas referens, poterit aliquid involvere, quod implicare videtur. Ideo enim, quia talis cognitio res ipſas non perfecte, uti ſunt, ſed inadæquate tantum exprimit; facile fieri poteſt, ut aliqua repugnantiæ & contrarietatis ſuſpicio locum inveniat. Hoc ii, qui non perfunctorie ſed attente ac circumſpecte res inferiores (ut Crellius loquitur) ſive res ex ſolo naturæ lumine cognoſcibiles tractant, ſatis experiuntur. Evidenter video, ſi duæ lineæ per ipſam naturam & geneſin ſuam quo magis continuantur, hoc ſemper propius ad invicem accedant, eas tandem in infinitum continuatas omne ſpatium interjacens eſſe abſumturas & in uno tandem puncto conventuras. Hoc tamen non obſtante, Mathematici demonſtrant, lineas, quas ideo ἀσυμπτώτους dixere, & Hyperbolæ curvam, quo magis & linea hyperbolica & illæ ἀσύμπτωτοι continuantur, hoc quidem ſemper propius ad invicem accedere, ſed licet in infinitum utræque continuentur, nunquam tamen fieri poſſe, ut conveniant & in aliquo coincidant puncto, quod prorſus ſtupendum. Et licet utrumque verum ſit; tamen aliquid adhuc ſubſit, quod nobis, qui ſaltem ἐκ μέρους γινώσκομεν, hactenus incognitum, contradictionem tollat, neceſſe eſt. Plura exempla ſubminiſtrare poterit divina Matheſis, ubi duæ propoſitiones Mathematice demonſtratæ ob debilem noſtrum & imperfectum cognoſcendi modum conciliari non poſſe videntur: non equidem ac ſi res ipſæ demonſtratæ ſe mutuo everterent, ſed quia eas imperfecte cognoſcimus, ſive ut Apoſtolus loquitur, 1. Cor. 13: 9. ἐκ μέρους. Nimirum ipſa noſtra nos convincit conſcientia, quod intellectus noſtri acumine pauca poſſimus diſtincte ſimul intueri: hinc abſtrahere cogimur; & rerum eſſentias, quia ſunt vaſculo intellectus noſtri exiguo ampliores & diffuſiores, particulatim quaſi contemplamur. Quo ipſo fit, ut res in ſe & natura ſua ſimpliciſſimæ, in noſtris, quos de iis ita abſtrahendo formamus, vel rectius, componimus, conceptibus, prodeant compoſitæ: Inde Spiritus tot vel tot ex facultatibus ac attributis componuntur in noſtris Scholis, qui tamen in ſe una ſimpliciſſima eſſentia ſunt. In rebus autem etiam extra intellectum compoſitis, propter iſtas noſtras abſtractiones, facillimus eſt confuſioni & lapſui locus; ut adeo prorſus non habeamus, cur ob noſtram glorìemur eruditionem & rerum notitiam, quæ adeo imperfecta eſt & inadæquata inque pauciſſimis caſibus, rebus iſtis abſolute atque exactiſſime reſpondet. Verum ergo eſt, res ipſas veras nunquam inter ſe pugnare, ſed omnes optime ſimul ſtare; Verum quoque eſt, notitiam omnium rerum verarum perfectam & adæquatam, quia rebus illis veris eſt exactiſſime conformis, nihil involvere repugnantiæ, ſed omnia quæcunque, ut vera, cognoſcit, ea cuncta quoque ſimul ſtare poſſe, nos evidentisſime videre; Enimvero cognitio talis perfecta in nos mortales, vel ipſa matheſi & tota philoſophia, imo ipſa conſcientia noſtra teſte, non cadit; ut adeo Crellii effatum ſub primo illo, quem dedi, ſenſu, non poſſit de alia notitia, quam de ſola divina (qualis enim Angelorum ſit cognoſcendi ratio, ignoramus) admitti: vel ſi vocabulum *Congruere* ſtricte cum Mathematicis explicare velis, talis ſenſus emerget Effati Crelliani, *Notitiam Rerum ſuperiorum notitiæ rerum Inferiorum prorſus eſſe æqualem, ita ut una pro altera poni queat*, quemadmodum verbi gratia in ſtupenda Analyſeos arte, de quibus quantitatibus demonſtratum eſt, quod inter ſe ſint æquales, eas poſtmodum unam pro altera ponere poſſumus, ſatis ex demonſtrata æqualitate certi, quod de una illarum verum eſt, id quoque de altera dici poſſe. Et hunc ſenſum omnino ſupponere tenetur h. loc. Crellius propter axioma mathematicum, quod majoris propoſitionis loco adſumſerat, illud enim maniſeſtiſſime non de non-Repugnantia, qualem vox *Congruere* in ſenſu priori denotat, ſed de omnimoda tali æqualitate loquitur, qualem dictio *Congruere* ſtricte & mathematice accepta importat. At ecce, Honoratiſſime Lector, Hominis aſtutiam! Probaverat ſuperius Verum Vero congruere, hoc eſt, Verum Vero non repugnare, ſed omne, quod verum eſt, cum alio Vero conſimiliter perſtare poſſe; Collegerat quoque recte, ſaltem implicite, veram veri notitiam h. e. Cognitionem Veri exactam atque perfectam, cum alia alius Veri vera conſimiliter & exacta cognitione ſtare poſſe, & hanc nihil involuturam, quod alteri repugnare, queat videri: Jam adſumit axioma mathematicum indubium & certum de omnimode æqualibus concinnatum, majoris propoſitionis loco, atque ſubſumit: *Si ergo* (ſubaudi, ſicuti jam ſuperius demonſtratum eſt ex ipſa Veri natura) *inferiorum vera notitia cum notitia rerum ſuperiorum congruit*, (Jam ludit æquivocatione vocis *Congruere*, quæ & *Non-repugnantiam*, qualem de duobus Veris demonſtraverat, & *Omnimodam Æqualitatem*, qualis in Axiomate Mathematico adſumto ſupponitur, notare poteſt, prout vox illa *Congruere* latius vel ſtrictius capitur; & quod ſupra de *Non-Repugnantia* probaverat, hic vult de *omnimoda æqualitate* exaudiri: adeoque vel quatuor terminos in ſua collectione ſub ambigua phraſi occultat, aut, ſi ſubſumtionem ſenſu Mathematico & ſtricte explicat, abſurdiſſimam propoſitionem loco Minoris adſumit. Quis enim ſenſu Mathematico dixerit, omnia Entia, quia ſunt metaphyſice Vera & neutrum alteri repugnat, ideo etiam inter ſe eſſe æqualia & ſimilia; aut ſaltem ideo communem admittere menſuram? Quis adeo hoſpes in Matheſi eſt, ut ignoret, latus Quadrati & ejus Diagonalem ſive ejuſdem Quadrati Diametrum optime ſimul ſtare, & neutrum alterum evertere; ſed tamen omnem communem

munem respuere mensuram? Quis dixerit, quia latus quadrati, & ejusdem quadrati diagonalis sibi non repugnant, sed invicem potius, tanquam verum vero, consonant h.e. una subsistere possunt; ideo, si unum illorum congruentium v. gr. latus quadrati fuerit æquale 3, erit etiam alterum illorum congruentium h.e. diagonalis æqualis 3? Ἄτοπον! At Crellius in sensum reprobum cum omnibus suis complicibus datus est. Hi enim homines prima Eruditionis humanæ Elementa adhuc ignorantes, nihilominus rationis suæ decempeda omnis solidæ scientiæ rudi, altissima mysteria metiri audent, & ea, quæ non intelligunt, absurda & falsa pronunciare. Sed pergit Crellius:) *Rerum vero inferiorum notitia cum Norma Logica congruit*; (Ridiculam & insulsam inter notitiam rerum naturalium & divinitus revelatarum, æqualitatem, aut per astutiam, aut per oscitantiam crassa & palpabili æquivocatione turpiter delusus supposuerat Crellius: Hac æqualitate supposita, ut id, quod volebat, obtineret, pergit, *Sed unum duorum illorum æqualium*, puta, notitia rerum inferiorum sive ex Naturæ lumine cognoscibilium, *est æquale atque congruit cum aliquo tertio, hoc est, cum Norma Logica*;) *Ergo etiam Notitia superiorum h. e. rerum in Scripturis revelatarum, cum eadem Norma Logica congruet.* Quid per *Normam Logicam* intelligat Crellius, prima fronte, obscurum esse potest, siquidem homo meris ambiguitatibus ludit. Sane si *Norma Logica* idem est, ac *Lumen Logicum*, quod per τρόπον παιδείας supra expoluerat ipse Crellius, posset quis existimare, hoc Crellium velle; *Notitiam rerum Naturalium nos acquirere nobis arte Logica, quæ mentem ad suas cogitationes rebus propositis conformandas dirigit; Ergo nos ejusdem artis ope quoque apprehendere Veritates divinitus in scripturis revelatas.* Cum dubio careat, Rationem Sanam esse *Principium*, *quo* nos oporteat rerum veritates apprehendere atque percipere, sive deinde divinitus fuerint revelatæ, sive ex lumine rationis cognoscibiles, nec enim per aliud medium homo res potest cognoscere, quam per intellectum, quem in cognitione rerum ars Logica dirigit, ne labatur. Et sic nihil falsi diceret hæc Crelliana illatio. Enim vero sensus hic ab intentione Crellii est alienus; siquidem ipse non tam ad artem Logicam respicit, quæ nos VERE cognoscere docet, quam ad Principia Prima & Universalia rerum, imo etiam cumprimis ad Principia Generalia Cognoscendi, quibus disciplinæ in Objectorum suorum consideratione nituntur & eorundem demonstrant proprietates. Qualia quidem principia non tradit Logica proprie talis, sed *Sapientia* potius aliqua atque *Intelligentia*, ut Scholæ loquuntur; cum Logica *Formam* unice in collectionibus nostris examinet, quæ cum *Materia*, in qua argumentamur, conditione aliunde dignoscenda, neutiquam debet confundi. Talis ergo emerget effati Crelliani sensus: *Notitia rerum naturalium congruit cum Principiis illis à Natura nobis subministratis, & potest ex iisdem examinari; Ergo, quia Notitia rerum Naturalium & Supernaturalium est æqualis atque congruit; respondebit eisdem Principiis natura notis quoque Notitia rerum Supernaturalium, & ad ea, tanquam ad lapidem Lydium, exigi poterit. Ergo, quicquid huic Normæ incongruum est, & ab ea, ut falsum redarguitur, id neque in divinis, neque in humanis rebus verum esse potest. Quia norma Logica est ille mentis habitus, quo apta est ad quamcunque Veritatem sine errore apprehendendam & dignoscendam.* Confusa hæc sunt, atque de *Regulis Logicis*, quibus in Veritatem nostræ cognitionis inquirimus, ac de *Principiis illis primis* naturaliter omnibus notis ac velut nobiscum natis, ex quibus non de veritate nostræ cognitionis, sed de veritate rerum ipsarummet, judicium ferimus, tanquam de iisdem loquuntur. Interea, cum certum sit, Crellium hic magis Principia naturaliter nota, quorum ope vera cognoscimus, quam ad regulas Logicas, quæ nos VERE cognoscere docent, respexisse; committit in his posterioribus verbis manifestam τοῦ ἐν ἀρχῇ petitionem. Quippe probandum erat contra nostrates, *quod etiam Veritates, quæ nobis citra revelationem supernaturalem non constarent, sint nihilominus ex principiis naturaliter notis æstimandæ.* Adfert autem Crellius hanc rationem: *quia Norma Logica*, h.e. Sapientia illa, quæ Principia naturaliter nota exponit, *est ille mentis habitus, quo apta est ad quamcunque Veritatem sine errore apprehendendam atque dignoscendam.* At, quid hoc aliud est, quam nugari & τὸ ἐν ἀρχῇ petere? Nam ad probationem Particularis, Crellius Universale adsumit, quod sane est plus petere, quam erat in principio, prout optime Aristoteles de hujusce furfuris collectionibus judicat. Sed condonabimus hunc ei Errorem; & transibimus nunc potius ad Examen Conclusionis in Demonstratione Crelliana palmariæ quæ, cum Fundamentum sit & primum principium, sive rectius πρῶτον ψεῦδος Photinianismi & Socinianismi, attentius paulo considerari meretur. Illa vero ita habebat: *Ergo etiam Notitia superiorum, cum eadem Norma Logica, hoc est*, cum principiis Sanæ Rationis, *congruet & quicquid huic formæ incongruum est, & ab ea ut falsum redarguitur, id neque in humanis neque in divinis rebus verum esse potest.* Prodierat egregia hæc Conclusio ex præmissis lepidis, uti superius ostensum est. Ut vero, quando nunc de Conclusione est judicium ferendum, illud commodius fieri queat; nervus totius collectionis, quem Mathematicam Demonstrationem esse, cum suis Photinianis & Socinianis, Crellius noster confidit, in memoriam revocandus erit, qui hic est: Verum vero congruit. Sed notitia vera verarum rerum supernaturalium & Notitia rerum Naturalium veræ supponuntur: Ergo sibi mutuo congruent. Jam vero, quæ sibi mutuo congruunt atque æqualia sunt, si unum congruit alicui tertio, eidem etiam congruet alterum. Si ergo res naturales & res supernaturales, earundemque Notitiæ, tanquam Veræ sibi mutuo congruunt, & vero Notitia rerum naturalium congruit Normæ Logicæ sive Lumini Rationis, tanquam alicui tertio, necesse est, eidem Normæ etiam congruat Notitia rerum supernaturalium; & quia illa ex principiis naturaliter notis examinari potest, poterit etiam, imo debebit ex iisdem examinari Notitia rerum supernaturalium; Ergo si quid dixerit Lumen rationis, falsum esse; sive deinde DEUS revelaverit, sive aliunde innotuerit, id erit falsum & absurdum. Hæc est illa Argumentatio Crelliana, cujus jam supra ostendi vitium turpe, ac puerilem errorem. Nunc, ut magis intelligat Crellius, quam inepta hæc sit Collectio; operæ pretium erit, sub simili forma ex veris præmissis, ea ratione, qua ille fundamentum Fidei Catholicæ impugnare ausus est, humanitatem sive humanam Crellii naturam impugnare. Esto igitur conamen tale: Verum vero consonat atque congruit. Sed hæ duæ propositiones, *Hic Asinus est animal*, &, *Crellius est homo*, sunt veræ: Ergo sibi mutuo congruent. Jam vero eorum, quæ sibi mutuo congruunt atque æqualia sunt, si unum congruit alicui tertio; eidem etiam tertio congruet alterum. Si ergo hæc propositio, *Hic asinus est animal*, congruit huic propositioni tertiæ, tanquam Normæ, *Omnis Asinus est animal*; necesse est, eidem propositioni, tanquam Normæ etiam congruat altera, *Crellius est homo.* Sed enim, quia hæc propositio *Crellius est homo*, non est conformis Normæ suæ, *Omnis Asinus est animal*, erit illa falsa, adeoque absurdum erit, credere, *Crellium fuisse hominem.* Præmissæ erant veræ. Forma est eadem, sub qua Photinianorum impura colluvies Sacro-Sancta mysteria in Sacris Scripturis manifesto proposita, impugnant, & qua freti dicunt v. gr. absurdum esse, *DEUM credere Unum in Essentia & Trinum in personis.* Ergo aut Crellium fateri oportet, se cum complicibus suis (cum enim omnes hoc præjudicio abrepti sint, omnes ita confutari merentur) humanam exuisse naturam, qui ore contorto cælesti veritati contradicere non erubuerint; aut concedant, necesse est Formam, qua ad hæreseos suæ pestiferæ fundamentum probandum, utuntur, ineptam esse atque sophisticam. Quod si Crellii sui humanitatem alia ratione salvare velint; quicquid ipsi dixerint, idem & ego respondebo pro adserendo Mysterio Trinitatis. Nam eodem prorsus modo, quo Crellius cum suis complicibus, Trinitatis & alia Sacro-Sancta Mysteria in Scripturis divinis impugnat revelata; eadem & ego ratione humanitatem Crellianam data opera impugnavi. Equidem videtur, prima fronte, excipi posse, has duas propositiones, *Crellius est homo*, & *Omnis Asinus est animal*, se mutuo non evertere & falsificare, quemadmodum Trinitatis mysterium hanc ex lumine rationis notam propositionem, *Impossibile est, tria esse unum*, evertere videtur. Respondendum tamen utique est; non quidem absolute inter sese illas duas pugnare propositiones, *Crellius est homo*, & *Omnis Asinus est animal.* Enim vero, evertere se mutuo & falsificare ex hypothesi & vi Demonstrationis Crellianæ, qua evictum fuit, hanc propositionem *Omnis asinus est animal*, esse normam & mensuram illius, *Crellius est homo*: Hoc ergo posito, si conformitas desit, prout hic revera deest, alterutra erit falsa. Quemadmodum v. gr. hi duo numeri 25. & 13. se mutuo absolute non evertunt; at, posito 25. esse quadratum hypothenusæ, & 13. esse summam quadratorum duorum laterum in triangulo rectangulo; statim invicem repugnare incipiunt vi Theorematis Pythag. quod demonstrat in omni triangulo rectangulo, quadratum hypothenusæ esse æquale quadratis duorum laterum reliquorum: Ita etiam hæ duæ propositiones, *Crellius est homo*, &, *Omnis Asinus est animal*, absolute sibi invicem non repugnant; repugnant tamen ex eo, quod Crellius (licet inepte) demonstrarit, posteriorem esse prioris mensuram.

Sed instas tandem: Licet duæ hæ propositiones, *Omnis asinus est animal* &, *Crellius est homo*, sibi ex hypothesi repugnent; non tamen repugnare absolute, prout hæ duæ propositiones absolute pugnant: *Impossibile est Unum esse Tria*, & tamen, *DEUM esse Unum in Essentia & trinum in personis*: Respondeo falsum esse, duas hasce propositiones absolute repugnare. Quod enim hæc duo simul consistere non posse, videtur, id non est ex natura rerum ipsarum, sed ex imperfecto ac debili nostro cognoscendi modo. Nimirum paucissima, aut forte nulla, perfecte cognoscimus, sed, si non omnia, saltem pleraque, ἐκ μέρους & quasi frustulatim: Hinc nostra cognitio tot dubiis premitur & difficultatibus, ut nec ipsa Mathesis penitus sit exemta, quod exemplum à me supra de ἀσυμπτώτοις lineis adductum commonstrat, & aliis forte magis perspicuis casibus illustrari posset. Hinc spiritus in se & natura sua simplicissimi, in conceptibus nostris ex variis facultatibus compositi prodeunt: Hinc artificiosissimam Universi & omnium ejus partium fabricam, non nisi conjecturando, & ex phænomenis sive effectibus causam rimando cognoscimus, de quibus nostris hypothesibus plerisque valet illud Senecæ lib. 7. Qq. Natur. cap. 29. *An veræ sint, Dii sciunt, quibus est scientia veri. Nobis rimari illa & conjecturare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec sine spe.* Qui igitur attente philosophantur, vitia sua non affingunt rebus, sed potius infirmitatem suam agnoscunt, utpote quibus in minutissimis aqua hæreat. Nec temere pronunciant de rebus, quas non intelligunt. Multa vident, imo innumera, quæ in hac rerum Universitate occurrentia omnem suum captum superant; hinc ex visibili hujus Mundi fabrica, miranda magis, quam rimanda, τὰ ἀόρατα Θεοῦ, hoc est, infinitam ejus sapientiam, potentiam, bonitatem &c. concludunt, & humili mente sese ad tremendæ Majestatis divinæ pedes prosternunt, convicti, posse DEUM plura præstare, quam quæ nos capimus, imo non posse modo, sed actu jam in hac rerum Universitate id abunde præstitisse. Humiles ergo fiunt, qui solide, vere & attente, non, uti Photiniani nostri, perfunctorie, & temere supponendo magis, quam circumspecte ratiocinando, philosophantur. Hi enim homines ridiculi, miseri & inepti, sese omnia in naturæ fabrica, mirabilia, suæ rationis decempeda exhausisse credunt, nec quicquam superesse putant, quam ut in cœlum ascendant, & ea etiam, quæ stupenda hac mundi machina nec unquam à nobis solide & perfecte explicabili, majora longe sunt, ratione sua metiantur, &, etiam utrum vera sint? disquirant. Ast ridiculum est hoc supercilium, & nititur fundamento ruinoso, imo inepto sophismate, quod tamen hi homines pro Mathematica Demonstratione supponere nulli verentur. Facile igitur minus attentis fucum faciunt, quando clamitant, se demonstrare posse, quod ratio sit Judex omnis Veri, & eos, qui ab se dissentiunt, meras principii petitiones committere, aut Contradictoria statuere vera. Operæ pretium ergo duxi, velut Scholii loco, meæ demonstrationi subnectere attentum examen Principii illius prima fronte admodum cum sua demonstratione formidabilis. Tu, Crelli, vero, qui tam temere de rebus pronuncias divinis, quas tamen cum asseclis tuis, vel potius complicibus, divinitus esse revelatas non inficiaris! Cogita, te naturalia non intelligentem, & tamen supernaturalia ab ipso DEO pronunciata, tanquam absurda, diffamantem, & misere torquentem, DEUM facere mendacem, ὁ γὰρ μὴ πιστεύων τῷ Θεῷ, ψεύστην πεποίηκεν αὐτὸν, ait Apostolus Johannes 1 Epist. 5: 10. temere ita & præpostere res sacras tractantibus dicit Dominus ex Turbine, velut Jobo: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? Accinge sicut Vir lumbos tuos: interrogabo te & responde.* Lege quæso, ô homo, quisquis hactenus profanas de Divinitus revelatis mysteriis sententias ideo fovisti, quod ea, ratione tua haut potueris assequi, lege, inquam *capita ex Jobo, XXXVIII. & XXXIX.* & exerce te prius in illis divinitus propositis & ex naturæ lumine solvendis problematibus. Disces, te nihil scire, teque, qui naturaliter cognoscenda & res inferiores, penetrare rationis tuæ acumine non potes, multo minus idoneum esse ad superiora & ex sola revelatione divina nobis innotescentia, dijudicanda. Cogeris cum Jobo caput XXXIX. claudere: *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum, quibus ultra non addam.* Nimirum intelligendo faciunt Photiniani, ut nihil intelligant, nec Philosophi, sed Sophistæ atque Morosophi sunt, quod quisque facile intelligit, qui in Photinianismi fundamenta attente, & non perfunctorie inquirit, quemadmodum ipsa Photinianorum principia ex perfunctoria rerum inspectione, mente præcipiti educta sunt. Si enim vel leviter attendere voluissent, majore ipsis licuisset facilitate solide demonstrare, rationem nostram non esse fidei & mysteriorum normam, quam sophistice colligere, Credenda esse rationis decempeda metienda. O igitur mens mea esto pia! Pietas enim ad omnia utilis est & habet promissionem hujus & futuræ vitæ. Hanc unice sectare; si quidem sola sub vitæ hujus lubricæ & non in annos, menses, dies aut horas, sed vix in Minutiarum Secundas & Tertias nobis datæ Exitum, conscientia, tanquam testis summæ auctoritatis, ad tribunal supremum usque nos comitatur, opera vero nostra nos sequentur. Hoc & Orthodoxis & Hæreticis, Piis & Impiis commune est: Sola differentia in eo est, quod Chirographon, quod fidelibus contrarium est, CHRISTI sanguine deletum sit, irritumque redditum per adscriptam purpureo Agni, qui tollit mundi peccata, liquore, vocem, DEDIT: cum è contrario impii, infideles & omnes, qui à fide desciscunt, conscientiam cauterio notatam adferant, nec in æternum, dum Universalem Mundi Salvatorem improbe pedibus conculcarunt & ejus Satisfactionem Sacrosanctam profane riserunt, amplius reperiant, qui eos consoletur. Perpendite hoc impura hominum colluvies, & plangite, qui hactenus sanguinem Fœderis, per quem estis sanctificati, veluti rem habuistis profanam: suffundimini rubore, qui impie docendo, loquendo, scribendo, hucusque supremam læsistis majestatem & pedibus conculcastis Dominum Gloriæ! Nolite Spiritum Gratiæ porro adficere contumelia, vobisque ipsis præfracte iram cumulare in die iræ. Ecce veniendo venit, qui judicaturus est orbem justitia & veritate, & nisi resipueritis, pugnabit vobiscum ore gladii sui, nec vos poteritis stare in ipsius conspectu. *Ebionæi* estis, quorum hac in parte sequimini dogmata hoc est אביונים (confer Epiph. c. l. Hæres. XXX. pag. 141. Euseb. c. l. lib. 3. c. 21. &c.) sive *Mendici*, & revera Mente, Spe, Factisque pauperrimi, utpote qui Christum merum esse hominem existimatis, in eoque spem cum quadam fidei mendicitate collocatis. Putate igitur etiam vobis, qui consimiliter estis miseri, & miserabiles, & pauperes, & cæci, & nudi, dictum esse, quod Mundi Servator, CHRISTUS, crena *Johannis* scripsit ad Episcopum Ecclesiæ Laodicensium: Συμβουλεύω σοι ἀγοράσαι παρ' ἐμοῦ χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς, ἵνα πλουτήσῃς καὶ ἱμάτια λευκὰ, ἵνα περιβάλῃ, καὶ μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου, καὶ κολλούριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμούς σου, ἵνα βλέπῃς. Tu vero, O Benignissime JESU! Converte eos, qui TE non norunt, nec Tuum, ceu par est, Nomen venerantur; Quis enim illorum TE laudabit in inferno? Ac nos, qui TE amamus, & toto pectore colimus, porro sanctifica in Veritate TUA: VERBUM TUUM VERITAS EST, AMEN!

C. S. SCHURZ-

C. S. SCHURZFLEISCHII
DISSERTATIO
De voce ΛΟΓΟΣ ad Joh. I: 1.

I.



ESt VERBUM, quod semper fuit ante ætates & secula, unicum atque unigenum Dei verbum, opifex rerum omnium, quæ factæ conditæque sunt; Verbum per se consistens & stabile, Deoque conjunctum, & ipsius adeo naturæ divinæ consors atque æternum, quod omnia regit, fovet ac tuetur. Quod non modo non capit humana ratio, sed ignorat penitus, & quum sibi indulget, vana meditatione somnia fingit, ipsamque se temeritate sua deludit.

II. Altius Plato se evexit contemplatione rerum divinarum, primusque omnium, qui philosophati sunt, Verbum subsistens commemoravit. Ὃν (κόσμον) ἔταξε λόγος ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν. Designat λόγον, ut patet ὑποστάντα, nominatque τὸν πάντων θειότατον. Multo aliter atque in Thæeteto sumit. Amplius de λόγῳ dicit, ἔταξε, id est, ut interpretor, εἰς τάξιν ἤγαγε, ordinavit visibilemque statuit, sc. mundum, velut ποίημα πεπαισμένον, *in Epinomide.* Alibi clarius loquitur, & partum Boni filiumque describit, τόκον τε καὶ ἔκγονον τοῦ ἀγαθοῦ: aliquanto post subjungit, τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ, *lib. 6. de republica.* Igitur nemini mirum videri debet, quamobrem Deus, aut divinus nominari cœperit in πολιτείᾳ, apud Ciceronem *lib. 4. ep. 16. ad Atticum.* Respicit enim libros de republica inscriptos, quos Cicero in Latinum convertit, quanquam hæc interpretatio dudum intercidit, paucis duntaxat relictis eorum fragmentis.

III. Excelsum illud, sublimeque Platonis scribendi genus, posteritas legit ac mirata est, præsertim secta eruditorum hominum, qui Platonem ducem secuti, doctrinas ejus exceperunt pariter atque ab interitu vindicarunt, *Plotinus Ennead. l. 5. c. 8. Porphyrius Plotini discipulus apud Cyrillum Alexandrinum contra Julianum l. 8. & apud Eusebium de Evangelica præparatione lib. 11. Amelius, qui Joannis, quem barbarum nominat, oraculum de λόγῳ proditum inspexit, apud eundem: Numenius Pythagoricus περὶ τἀγαθοῦ lib. cit. ibidem: Mercurii Trismegisti Pœmander cap. 1.* ὁ ἐκ νοὸς φωτεινὸς λόγος, υἱὸς θεοῦ. *cap. 4.* κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς, οὐ χερσὶν, ἀλλὰ λόγῳ. Qui scriptor Mose omnino recentior est, quod colligere licet indicio sententiarum ex Mose depromptarum. Neque me præterit, verba quædam in Pœmandro extare, quæ non solum post Mosen, sed etiam post Joannem, Christi prænuncium, cognita tritaque fuerunt. Ut mihi perquam sit vero simile, sec. post natum Christum II. conditum esse hoc Pœmandri volumen, quod primo Ferrariæ, deinde Venetiis, postea Coloniæ Agrippinæ plene integreque emissum, sexdecim capitibus continetur.

IV. Quem Plato λόγον, eum vetus Orphicorum scriptor αὐδὴν, requirente poëmatis lege, appellavit. Neque mihi excidit versus, quem mirifica & incredibili diligentia servavit Justinus Martyr, in cohortatione ad Græcos.

Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρῶτον.

In qua interpretatione priscus doctor mecum conspirat, & ipse vocem mundi effectricem sic exponit. Cui ut fidem habeamus, facit prædicti auctoritas scriptoris, ipsum se versu superiore explicantis. εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας. *in d. parænetico, & in libro de monarchia Dei, nec non Clemens Alexandrinus in protreptico, qui eadem Orphica recenset. Cæsarius dial. 1.* Illud non præter rem addo, verba, τὴν φθέγξατο πρῶτον, recte habere, & linguæ metroque congruere, & merito retinenda esse. Perperam nonnemo legit, τὴν φθέγξαντα πρώτην. Præterquam enim quod φθέγξαντα (ita enim scribere, opinor, voluit) non respondet vocabulo, τὴν αὐδὴν, idonea quoque sensus ratio Vatis sententiæ non constat.

V. Philo Judæus non discrepat à Platonicis, à quibus ut pleraque accepit, sic in scripta sua retulit, & nominatim quoque notione subsistendi λόγου mentionem fecit, *apud Eusebium in adducto libro de præp. Evang.* ubi λόγον summis sacratissimisque verbis describit, quod non dubito, eum didicisse in Ægypto, in qua vixit, & Alexandriam principem regionis urbem, Platonicorum doctrina & ingeniis affluentem, studiis suis nobilitavit. Extat locus in libro de sacrificiis Abelis & Caini, quo tradit, Deum τῷ λόγῳ τὸ πᾶν ἐργαζόμενον. Alibi etiam τὸν νοητὸν κόσμον θεοῦ λόγον nominat: Angelos, quod sciam, ita non vocat, etsi apud Eusebium λόγον dicit τὸν ἀγγέλων πρεσβύτατον καὶ ἀρχάγγελον, quem itidem non circumscriptæ dignitatis nomine declarat, ac Dei filium vocat.

VI. Non idem sensit ac docuit Josephus, quippe qui à doctrina Platonicorum alienus, ad studium consectandi allegorias nequicquam deflexit, & plano satis æquabilique orationis genere volumina sua condidit: tantum abest, ut quicquam de Verbo Platonico adderet, ut quoque nihil de eo in medium afferret. Diversa fuit Josephi secta, & nihil commune habuit cum formulis Platonicis, quales in fragmento, quod Josephi nomen præfert, conspiciuntur. Cujus scriptor laudat Platonem, ejusque amplectitur sententiam, & quædam tradit religionis nostræ momenta, atque eopse prodit se Christianum. Atqui Plato nihil tale perspectum habuit, quod continet sanctissima doctrinæ salutaris capita de sinu Abrahæ, & corporibus à morte excitandis, judicioque Christi sistendis. Nusquam ab eo enunciantur ἀναβίωσις ἐν οὐρανῷ, κόλπος Ἀβραάμ, δίκαιοι καὶ ἄδικοι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ λόγου ἀχθήσονται, quæ non congruunt cum dictione Platonis, & aliena sunt ab ejus disciplina & commentatione. Neque vero hoc eo pertinet, ut convellatur veritas periochæ Josephi de Christo allatæ, cujus longe diversa erat ratio, nec omitti poterat ab historico tam circumspecto atque accurato, etsi res ipsa ab animo & voluntate ejus diffidebat.

VII. Inter Patres Ignatius, Joannis auditor ac discipulus, naturam Verbi subsistentis non inaniter & solide exposuit, atque una mentis & voluntatis cum magistro consensione, verbis quamlibet mutatis, descripsit, quum λόγον οὐσιώδη expressit, quem alioqui rerum divinarum interpretes λόγον ὑπάρξεως nominare consuerunt. Quo sane modo λόγον ῥητὸν exclusit, & veram stabilemque ὑπόστασιν Verbo, ab Joanne descripto, vindicavit. Mox nominavit οὐσίαν γεννητὴν, atque eopse vocabulo designavit naturam *charactere* subsistendi definitam, quæ est ante ætates & tempora, ac semper eadem immutabilisque manet, & ab omni æternitate existit, per ineffabilem atque æternam à Deo patre generationem. In quo proposito insistit Ignatius, & multis ac divinitatem probantibus elogiis, scribere pertendit. Dicitur enim πρὸ αἰῶνος, ἐν συντελείᾳ τῶν αἰώνων φανείς, λόγος θεὸς, μονογενὴς υἱὸς, πατρὸς λόγος ἀΐδιος, *in epistola ad Magnesios, quæ verum atque indubitatum est hujus Antistitis monumentum.*

VIII. Abeant ergo & confundantur *Alogi*, qui divina Joannis monumenta repudiarunt, atque ex divinis novi instrumenti tabulis prorsus delenda esse, projecta audacia, ac profligata impudentia censuerunt. Quos confutavit Epiphanius *hæres. XXXI.* Illud autem ex Epiphanio recordari non possum, quod *Evangelium* Joannis ἀδιάθετον appellarint, perinde ac existimavit Daniel Heinsius, ea de causa à Jo. Crojo castigatus, *obs. sacr. part. pr. c. 17.*

IX. Facessant Æones, quos Valentinus ab excessu Ignatii confinxit; Joannisque *Evangelium* ex Hesiodi fabulis, quas Theogonia continet, ut Pythagoræ Platonisque commentis, futili juxta & impia ratiocinatione deduxit, atque ex Bythi & Siges conjugio hæc monstra processisse contendit. *V. Irenæus adversus hæreses lib. I. Tertullianus in libro adv. Valentinianos, & Epiphanius hæres. I.* Ignatius quidem in epistola jam adducta meminit σιγῆς, sed non aliter, quam quatenus nomine communi effertur. Quo argumento indicat æternitatem Verbi, quippe quod non præcessit silentium, neque à silentio processit, ut verba cætera omnia procedunt & exeunt, quæ ore proferuntur. Altum hic de Sige Valentini silentium est, neque illud vocabulum ad seriem Æonum Valentini spectat, sed recepta & communi significatione *silentium* notat. Congruit hoc cum doctrina Valentini, qui non Sigen, sed νοῦν & ἀλήθειαν genitores λόγου mendaci ore proferebat. Ne dicam, quod Sige jamdiu ante Valentini tempora etiam hoc singulari & definito nomine cognita, atque ad significandam Byti συζυγίαν traducta fuerit, auctore Gregorio Theologo, *in Oratione XXIII.* Utram vero in partem accipias, nihil de auctoritate superioris epistolæ detrahetur, quam vindicant *Jo. Pearson, Nat. Alexander, Stephanus le Moyne, aliique.*

X. Justinus in Platonis & Poëtarum veterum lectione insigniter versatus, multa in hanc rem egregia atque observatu digna tradit, quæ excerpere nimis longum sit, atque hoc incepto alienum. Illud vero non omiserim, quod hostibus veritatem Verbi negantibus, & more suo convitium facientibus, ignorantiam stuporemque objecerit, qui recordari debuissent, magistros ipsorum confinxisse interpretem nunciumque à Deo missum, λόγον παρὰ θεοῦ ἀγγελτικόν, quem Hermen & Mercurium celebrarunt: non habere ergo, cur crimini dent Christianis, cœlesti disciplina imbutis, quum Verbum Dei æternum asserant, secus atque ipsi vinculis superstitionum impediti opinentur. *in Apologia II. pro Christianis.* Sufficere tamen istis abunde coarguendis poterat exemplum Platonis, qui dum in Ægypto commoratus est studio veritatis perquirendæ accensus, in Mosis & divinorum vatum monumenta incidit, atque hinc sublimem & reconditam illam de Verbo subsistente & sempiterno doctrinam cognovit, atque ad posteros scholæ suæ sectatores & alumnos propagavit. *Vid. Justinus in parænetico laudato.* Nihil nunc addam de *nutu Jovis Saturnidæ*, quippe quo non Verbum, sed Dei providentiam significari constat, *apud Homerum Iliad. α. 528.*

XI. Eandem Verbi divinitatem magna animi sanctimonia & pietate docuit Athenagoras, atque in hoc religionis capite prorsus cum Justino consensit, adeo ut in utroque & styli & virtutis doctrinæque similitudinem conspiciamus. νοῦς, λόγος, σοφία, υἱὸς τοῦ πατρὸς ἀπόῤῥοια, verba ejus sunt, quibus verbum nominat ac veneratur, & argumento μιᾶς κυριότητος aperte satis μίαν θεότητα evincit. *In legatione pro Christianis, quam direxit ad Marcum Antoninum Aurelium, atque ad Ælium Aurelium Commodum, Patrem Filiumque Augustos.*

XII. Origenes quidem se implicat sæpe, & in explicatione varius est, figurasque consectatur, sed quum tandem à cortice in medullam penetrat, recte concludit, & asserit Verbi divinitatem. Nec obscure, sed palam & claris apertisque vocabulis, τὸ ἐν ἀρχῇ εἶναι, de æternitate explicat, nostramque de hac dictione sententiam probat. πρὸ παντὸς χρόνου καὶ αἰῶνος, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. *In explanationibus in Joannem.* Jam ante Origenem sic exponi Athenagoras, & θεοὺς οὐκ ἐξ ἀρχῆς ὄντας, negat esse ab æternitate, quales sunt Dii γινόμενοι, sive λεγόμενοι, de quibus agit Theodoretus *in sermone II. de Principio, & serm. III. de Angelis.* Magnum sane hic momentum habet, quod Joannes divina auctoritate scripsit, ἦν, non ἐγένετο: Illud est τῇ φύσει ὄντος θεοῦ, & τῷ γίνεσθαι directo repugnat, *apud Origenem d. l.* Hoc est θεοῦ καλουμένου, & improprie dicti, qui tantum est γινόμενος, & fit constituiturque suffragio, aut munere & officio Deum quodammodo refert. *VI.* 38. 4.

XIII. Ergo indubitatum æternitatis argumentum est τὸ ἐν ἀρχῇ εἶναι, & præterea indicat, ac necessario infert, τὸ ἀεὶ συνεῖναι τῷ πατρί. In quo suffragatur Origeni Chrysostomus, & eadem significatione explanat, *in homilia IV. V. I. Joan. I.* ὥσπερ οὖν τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, τὸ ἀΐδιον δηλοῖ· οὕτω τὸ, οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεὸν, τὸ συναΐδιον ἡμῖν ἐνέφηνεν. In eandem sententiam superiore *homil. III.* pronunciavit, τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν, τοῦ εἶναι ἀϊδίως μόνον ἐστὶ δηλωτικόν. Haud apte congruenterque exponunt, τὸ ἐν ἀρχῇ, per τὸ ἄνωθεν, ut *Epiphanius hær. XXXIV. contra Theodotianos.* Nam ἄνωθεν ἥκειν, non est proprie & per se ἀϊδίως εἶναι. Sensu tamen congruit, & summa religionis conspiratione æternitatem Verbi alias ingeminat, reverenterque agnoscit. Hinc scribit in *hæresi XLII. contra Sabellianos.* υἱὸς ἀεὶ τέλειος ὤν, ἀεὶ ἐνυπόστατος, ἐκ πατρὸς ἐν ἀληθείᾳ γεγεννημένος ἀνάρχως καὶ ἀχρόνως. Agnoscit filium συναΐδιον καὶ συνυπάρχοντα τῷ πατρὶ, & contra divinitatis Verbi hostes acriter disputat atque constanter. Non discessit ab hac sententia Theodoretus, qui nihil non egit, ut Platonis, quæ huc faciunt, testimonia afferret, *in serm. II. de principio serm. III. de Angelis, serm. VI. de providentia Dei,* ubi ἄναρχον, ἄχρονον, προαιώνιον dixit Verbum. Eadem Nonno Panopolitano mens fuit, qui operam industriamque eo contulit, ut gravi & apto versu exprimeret Joannis sensum, *paraphras. cap.* I. ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ, ἰσοφυὴς γενετῆρος ὁμήλικος, υἱὸς ἀμήτωρ. A quo recessit exercitator Heinsius, & aliam interpretandi rationem tenuit, *exercitat. sacr. lib. IV. cap.* I. Hugo Grotius pariter deflexit, ratus hoc caput, quo Moses primas rerum conditarum origines recensuit, ex asse hic congruere oraculo Johanneo, *in annotat. ad h. l.* Hunc non pridem secutus est Joannes Lightfootus *in hor. Hebr. in Joan. h. l.* Sed qui cogitatione & industria acriori in expositionem incumbunt, facile erroris causam animadvertunt. Utrisque repugnat Theophilus *in lib. II. ad Autolycum*, & inter Poëtas Latinos etiam Claudianus Mamertinus, presbyter Viennensis, qui sub Zenone Augusto vixit, *in carm. contra Poëtas vanos.* Sed finem facio, & commentationem hanc concludo scito atque sententioso Moschopuli dicto: λόγος ἰδίως κατ᾽ ἐξαίρετον, ὁ τοῦ θεοῦ υἱός. περὶ σχεδῶν *pag.* 47.

JOH.

JOH. FRISCHMUTHI DISSERTATIO

De Agno Dei ad Joh. I: 29.

§. 1.



ANtiquiſſima, & quæ non modo in Talmud, Maſſechet Roſch Haſſchana, c. 1. habetur, ſed etiam in myſticis Cabbaliſtarum libris frequentiſſime occurrit, Ebræorum παράδοσις eſt: בראש השנה בטלה עבודה מאבותינו במצרים בניסן נגאלו בניסן עתידין ליגאל: *Sub initium anni in Ægypto ſervitute exiverunt majores noſtri. Menſe Niſan liberati ſunt, menſe Niſan futurum eſt, ut liberentur.* Unde etiam R. Abarbenel, pag. 86. comment. in Danielem de eadem vetuſtiſſima traditione his omnino verbis notanter loquitur: להיות זה מקובל אצלם זרזו מאד בכל חוקות הפסח ותקנו בתפלתנו ובמצותינו לעשות תמיד זכר ליציאת ממצרים לפי שהיא עדות ברורה הגאולה העתידה: *Cum traditione hoc apud ipſos receptum ſit*, (menſe Niſan futuram eorum redemtionem eſſe, perinde ac illa fuit, qua ex Ægypto ſunt egreſſi, (*diligenter in omnibus Paſchalibus ſtatutis urſerunt, in precibus quoque noſtris & præceptis ordinarunt, ut ſubinde egreſſus ex Ægypto faciant mentionem, quia ille evidentiſſimum eſt teſtimonium liberationis futuræ.* Et in libello זבח פסח, pag. 51. col. 1. idem Abarbenel ſcribit: גאולת ממצרים אצלינו היא תקוה רבה והוראה גדולה על הגאולה העתידה וכמו שאמר הנביא כימי צאתך מארץ מצרים אראנו נפלאות: *Liberatio ex Ægypto nobis magnam ſpem facit & argumentum non exiguum ſuppeditat futuræ liberationis, ſicut etiam Propheta ait*, (Mich. 7: verſ. 15.) *ſicut cum ex Ægypto exires, mirabilia ei oſtendam.* Et pag. cit. col. 2. הגאולה העתידה מתקשרת עם יציאת ממצרים: *Futura redemtio cum egreſſu ex Ægypto eſt connexa.*

§. 2. Egreſſum ex Ægypto manifeſtum, ſive teſtimonium, ſive typum etiam alterius redemtionis eſſe R. Abarbeneli affirmanti fidem haud inviti habebimus, dummodo non præjudicio occupatus terrenam aliquam & in ſacris haud promiſſam liberationem obtrudere nobis ſatagat, ſed aliam nobiliorem, quæ expiationem peccatorum pariens non tam adhuc ſit futura, quam dudum contigit, ab eo nempe præſtita, qui pluribus typis paſſim in V. T. fuit præfiguratus. Inter hos eminet Iſaacus, Abrahami Patriarchæ filius, de quo Rabbi Arama, comment. in Exod. 12: 10. hunc in modum ſcribit: בו נעקד על גבי המזבח *in eo* (menſe Niſan) *ligatus eſt Iſaacus ſupra altari*, nempe cum à patre in montem Moriah eſt abductus, ibidem juſſu divino immolandus, ubi ipſis Judæis atteſtantibus, in Bereſchith Rabba fol. 35. edit. Venetæ & Jalk. fol. 28. col. 3. edit. Cracovienſis: הוא טוען צלובו בכתפו *Ille crucem ſuam ſuismet humeris bajulavit*, dum pater lignorum faſciculum, quibus comburendus erat filius, ejuſdem humeris ferendum impoſuit. Eo ipſo adumbravit alium nempe Meſſiam, qui cum ſtatuto tempore ſe ſtitiſſet, & crucem ſuam itidem humeris ſuis tuliſſet, Johan. 19: 17. αἰώνιον λύτρωσιν εὑράμενος, Ebr. 9: 9. ſanguine ſuo pretioſo libertatem nobis peperit, poſtquam diu figuris illa peculiari modo adumbrata fuit. Ipſe aries quoque diu ante Paſcha inſtitutum pro Iſaaco oblatus, Gen. 22. typus fuit illius agni, qui nos à peccatis ſanguine ſuo abluit, Apoc. 1: 5. Et hunc Johannes Baptiſta indice digito deſignans populo Judaico aperte demonſtravit, quid ab eo exſpectandum ſit, Johan. 1: 29. ἴδε, inquiens, ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *Ecce agnus Dei, qui fert peccata mundi.* In cujus effati ſenſum genuinum inquirere, ut operæ pretium fore cenſemus, ita quæ ad illuſtrationem tam nobilis loci conducere videbuntur, in medium afferre, & quomodo οἱ ἐξ ἐναντίας teſtimonium, quod Meſſiæ Præcurſor Domino ſuo impertitus eſt, depravare ſoleant, oſtendendum eſſe exiſtimavimus.

CAPUT I.

SUMMARIA.

Cur agnorum in ſacrificiis uſus præ aliis animalibus receptus fuerit, ex Feſto & Paulo Jovio oſtenditur. Cum Dominus 1 *Pet.* 1: 19. agni immaculati *nomenclatura appellatur, ad ritum aliquem priſcorum alludi, haud improbabiliter aſſeritur. Agna pro temerario juramento offerri juſſa. Bini agni in ſingulos dies oblati quid Judæorum ſententia denotarint. Judæorum ratione exploſa, alia eaque genuina allata. Locus Dan. 9: 27. illuſtratur. Agnus Paſchalis, Chriſti illuſtrior typus in Scriptura operoſius traditus ipſo Abarbenele judice. Conditiones recenſitæ Aſſandi modus à Maimonide expreſſus. Juſtinus Martyr crucis formam agnum exhibuiſſe, inde colligit. R. Abarbenelis obſervatio laudata. Agni antitypum genuinum Chriſtum eſſe; aſſeritur. Abarbenelis ingenua confeſſio ad Chriſtianam fidem applicata. Sanguinis agni Paſchalis illitu quid præfiguratum fuerit, oſtenſum.*

§. 1. INter V. T. ſacrificia complura, quæ juſſu divino immolavit populus Judaicus, ultimum locum minime obtinuerunt illa, quæ agnis conſtabant. Horum enim uſus præ reliquis animalibus Ebræis ex præſcripto divino erat receptus, quos & gentiles æmulati ſunt. Ut ex Feſto Paulus Jovius commemorat, *maximam hoſtiam ovilli pecoris appellabant, non ob amplitudinem corporis, ſed ab animo pacatiore.* Et ipſe Feſtus, *agnus*, inquit, *dicitur à Græcis* ἁγνὸς, *quod ſignificat caſtum, eo quod ſit hoſtia pura & immolationi apta.* Sane cum Chriſtum agni ἀμώμου & ἀσπίλου nomine appellat Petrus 1 Epiſt. 1: 19. ad ritum illum Ebræis & gentibus receptum alluſiſſe Apoſtolum putes, quo ſacris adhibebantur pecudes candidæ omnique corporis forma præſtantes, quæ quod à toto grege eximerentur, vocabulo in Sacris nato, ſed mox ad profana tranſlato *eximiæ* dicebantur.

§. 2. Ut ex Scriptura ſacra conſtat, pro peccato privati agna offerebatur, Lev. 4: 32. & pro temerario juramento, Lev. 5: 4, 6. Conf. Lev. 13: 12. Num. 6: 12. Sed id multo notabilius eſt, quod divina lege in ſingulos dies bini agni offerendi erant, unus mane, alter veſperi, qui עולת תמיד *holocauſtum juge* appellabantur. Conf. Exod. 29: 38.

§. 3. Quid vero gemino illo agno deſignatum fuerit, Judæi divinare nequeunt pro ſua, qua percuſſi ſunt, cœcitate. R. Abarbenel fol. 203. col. 4. comment. in Exodum hunc in modum loquitur: יהיה תכלית המזבח להקריב תמידין בבקר ובערב שהם לא היו כפרת עונות כי אם תודה לאלוה יתברך על כל הטוב לעמו: *Eum in finem erat exſtructum altare, ut ſuper eo offerretur ſacrificium juge. Hujuſmodi ſacrificia non fiebant*

peccatorum expiandorum causa, sed ut Deus benedictus pro omni bono, quod populo contulerat, laudaretur. Et paulo post: הם קבלו ממנו יתברך שנים חסידים גדולות הא' הוא יותר גדול במעלה להיותו שלמות נפשי שזכו אליו במעמד הר סיני והשני היה גופני ביציאת מצרים וכדי שנורם על שני חסרים האלה צוה שיקריבו על בבוקר כנגד מתן תורה שהיה את הכבש אחד יעשו המזבח בכל יום שני כבשים בבקר שני ויהי ביום השלישי בהיות הבקר והיו ברקים וגו' ואת הכבש השני כנגד יציאת מצרים לזכר הפסח שאכלו: *Gemino eoque insigni beneficio à Deo benedicto affecti sunt; unum erat præstantius, animæ perfectionem pariens, dum digni sunt habiti, cum ad montem Sinai starent. Alterum erat corporale in egressu ex Ægypto, ut vero pro utroque Deum laudarent, præcepit ut singulis diebus super altari duos offerrent agnos, unum mane ob legis promulgationem, quæ mane contigit, quia & dictum est* (Exod. 19: vers. 8.) *& fuit die tertio, cum mane esset, ut tonitru existeret* &c. *alterum agnum ob exitum ex Ægypto in memoriam Paschatis, quod comederunt.*

§. 4. Sed ut in præsenti alia non urgeamus, unde fidem fecerit Judæus, agnum mane offerri solitum memoriale quoddam fuisse agni Paschalis, in Ægypto comesti? Sane cum ipso festo anniversario Paschatis esus agni, lactucarum sylvestrium & infermentatorum panum, memoriam beneficii à Deo præstiti, & calamitatum exantlatarum refricarint, alio adhuc in singulos dies opus recordativo agno fuisse, ecquis crediderit? Fugit sane Judæos ratio, quod antitypum penitus ignorant. Nempe mane & vesperi, singulis diebus offerri soliti agni verum sacrificium propitiatorium, Christum nempe & *æternam virtutem* pro nobis offerendæ victimæ designabant. Antequam illa hostia se sisteret, quæ 1 Petr. 1: 18. *agnus immaculatus* appellata est, illi agni identidem offerendi erant Hierosolymis. At ubi se Christus stitit in hostiam, ibi & sacrificium juge cessavit. Is ipse enim, quod corpori umbras, & veritati typum cedere par erat, illud abolevit, quod verbo ישבית *cessare faciet* cap. 9: 27. Daniel prædixerat. Nempe non temporaria aliqua cessatio sacrificii innuitur, ut Judæi sibi persuadent, sed omnimoda & divinitus decreta sublatio *sacrificii jugis* ad mortem Christi secutura, velut peculiari disp. ad loc. cit. Daniel. 9: 27. ostendimus.

§. 5. Multo expressius illam Christi immolationem & ejus sanguinis effusi virtutem præfiguravit agnus Paschalis, quem peculiari & operosiori ritu, majore item ceremoniarum apparatu, quam ulla alia sacrificia parare eos oportuit, veluti Rabbi Abarbenel fatetur l. cit. החמירה התורה בפסח יותר ממה שהחמירה בשאר הקדשים: *In Paschate præcipiendo lex multo est operosior, quam in reliquis sanctitatibus.* Oportuit eum esse תמים *integrum* & omnis maculæ expertem, זכר *masculum*, & בן שנה *anniculum.* Debuit is comedi noctu ante auroræ ascensum, quæ conditiones ut omnes in antitypo aliquid significabant, ita, Judæis ipsis fatentibus, illæ בגופו של פסח *de substantia Paschatis erant*, nunquam citra legis divinæ violationem insuper habendæ. Præterea præcipitur, ut certo modo ad esum agnus Paschalis præpararetur, non quomodo libet. Igne erat assandus præcise, non aqua coquendus. Sanguine ejus ad altare sparso, & adipe combusto, totum corpus integrum, cum capite membris & intestinis igni admovebatur. Ritum illum assandi R. Moses Maimonides cap. 8. Hilkot Korban Pesach his verbis describit: כיצד צולין אותו חתכו מתוך פיו עד בית נקובתו בשפוד של עץ ותולהו לתוך תנור והאש למטה: *Cum assant eum, è medio ore usque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & subjecto igne in medio furno suspendunt.* Quod non ferreo, sed ligneo veru transfixum suspenderunt, eo ipso Christum in cruce pendentem suo modo repræsentatum fuisse, videri queat. Antiquissimus Ecclesiæ Doctor, Justinus Martyr rerum Judaicarum minime imperitus, utpote patre Samaritano Sichemis natus, de ritu Judæorum assandi agnum, Dialogo cum Tryphone, hæc scripta reliquit: Τὸ ὀπτώμενον πρόβατον σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται, εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπεπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus assus in figuram crucis similem conformatus ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur & aliud rursus inter scapilium, cui appenduntur agni manus* (seu pedes anteriores.

§. 6. Sed ipsum Judæum R. Abarbenelem audiemus, qui fol. 150. col. 4. comment. in Exod. hunc in modum loquitur: צוה שיצל השה על כרעיו ועל קרבו ולא היה זה גם כן מפני החפזון כמו שפרשו אלא כדי שלא תפסד תמונתו כי בהיותו חי ובהיותו מת וביותו צלי אש תמיד יהיה בתמונת טלה מפני הנרמז בו: *Præcepit Deus, ut agnum assarent cum cruribus & interioribus, quod minime festinationis causa est factum, veluti interpretes volunt, sed ne forma ejus periret. Vivus enim ille, mortuus & assus subinde arietis formam retinuit, propter id, quod eo subindicabatur.* Ecquid vero illo significatum fuit? Num sidus cœleste, quod arietem appellant? Ita quidem Judæi persuasum habent, veluti R. Abarbenel post alios plures Judæos contendit ad l. cit. טעם המצות הזאת בעובור כי מזל טלה בחודש ניסן בכיח גדול כי הוא מזל הצומח לכך צוה לשחוט טלה ולאכול אותו להודיע שלא בכח המזל יצאנו משם אלא בגזרת עליון ועל דעת רבותינו השיו המצרים עובדים אותו כל שכן שהודיע במעשה הזאת שהשפיל אלהיהם וכחם בהיותו במעלה העליונה שלו וכן אמר קחו לכם צאן ושחטו אלהיהם של מצרים: *Ratio hujus præcepti est hæc, quia sidus arietis mense Nisan efficacissimum est cum Sydus sit germinare faciens, ideo præcepit, ut aries mactetur & manducetur, ad significandum, non virtute illius sideris egressos nos esse sed Altissimi decreto. Doctorum vero nostrorum sententia id factum est, ut doceretur, ab Ægyptiis illud sidus cultum fuisse, & hoc facto ostenderetur, Deum illorum humiliatum esse, & robur ejus, tametsi tum vel maxime pollere solitus esset. Ut ita locutus sit: sumite vobis pecus, & Ægyptiorum Deum mactate.*

§. 7. Quam frigida hæc sint, & quam ab omni veritatis specie aliena, palam est. Quanto rectius agnum illum, veri nominis sacrificium, Messiam nempe, adumbrasse dicimus Christiani, quos dubitare minime sinit Apostolus 1 Cor. 5: 7. ubi & nobis πάσχα esse asseveratur, ὁ ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, Χριστός. Hic vivus mortuus & igne cruciatuum assatus semper idem mansit, nec ossa ejus frangi, neque corpus in sepulchro putrescere potuit. Sane ut hunc potius intelligamus, quam aliquid in cœlo sidereo, vel ipse R. Abarbenel nos inducit, dum, quod mireris, fol. 152. col. 1. his verbis de typo disserit: היה ראשו על כרעיו ועל קרבו דוגמת האדם בעת מותו שהוא עם כל אבריו: *Dum* (agni) *caput cruribus & interioribus mansit junctum, hominem moribundum repræsentavit, omnibus enim suis membris agnus erat præditus.* Ecquid igitur obstabit, quo minus Messiam in cruce morientem sic adumbratum fuisse dicamus? Quidni R. Abarbenelem ad penitius rimandum mysterium, & typum cum antitypo conferendum suismet verbis invitemus l. cit. הביט וראה איך יסכימו כל פרט המלוה הזאת עם הרמז הזה: *Vide & animadverte quæso, quomodo omnes circumstantiæ præcepti hujus conveniant cum eo, quod illo significatur.*

§. 8. Non absentimus R. Abarbeneli fol. 154. col. 4. sic scribenti: הפסח הוא מורה על הגאולה: *Pascha redemtionem denotabat.* Neque displicent sequentia ejusdem Judæi verba: מקבלים דם בכלי בסף כדי שלא ישפך על הארץ גם לרמוז שבאותו אשר כסף יהיה סוף גלותם: *Excipiebant sanguinem* (agni) *vase, pelvi nempe, ne in terram effunderetur. Præterea ad significandum, eopse sanguine in pelvi exilii sui finem futurum.* Quam apposite hæc dicta sunt, ad declarandam figuram, quæ majus mysterium designabat? Nempe ut agni sanguis, cujus curam haud proletariam habere jussi sunt Israelitæ, liberationem è servitute, ipso Judæo teste, significavit, & interventu sanguinis, quo ædium postes conspergebantur, Israelitæ ab omni plaga erant immunes, adeoque Deus ipsis propitius est factus, absque sanguinis illitu fuisset, eos perinde ac Ægyptios occisurus; ita tum umbram tulit liberationis præstantioris, hic quidem à peccato & ira Dei, in altera vero vita à morte, peccati stipendio, sanguine multo pretiosiore obtinendæ. Μυστικῶς utraque liberatio per Pascha innuebatur, & Messiæ, tanquam agni mactandi, virtus sub involucro illo significata fuit. Ut enim Petrus 1 Epist. 1: 19. testatur, redemti & nos sumus αἵματι τιμίῳ Χριστοῦ, ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου, nempe illius agni, qui occisus est ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, Apoc. 13: 8. Hæc ratio est primaria, hic respectus potissimus, quod Messias cum agno comparatur, & in sacris sæpius hoc nomine indigitatur. In Apocalypsi, nisi fallimur, duo de triginta loca sunt, ubi Christus ita cognominatur. Non vero solum innocentiæ & mansuetudinis respectu, sed imprimis *mactationis* vel oblationis causa, quæ in eo peracta est, id nominis accepit. Hinc ἐσφαγμένον eum appellat Johannes, Apoc. 5: 6. & cap. 7: 14. *sanguinis* expressa etiam fit mentio, qua voce per Synecdochen crebrius *satisfactio* Messiæ pro peccatis, passione & morte ejus præstita enunciatur, conf. Rom. 3: vs. 25. cap. 5: 9. Ephes. 1: 7. Coloss. 1: 14. Ebr. 9: 14. 10: 19. & alibi. Ut ita vel præcipue mortem & passionem Christi per oblationem Paschatis præfiguratam fuisse, ne dubitare quidem liceat veri nominis Christianis.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Cur H. Grotii assertum orthodoxum, agni *notionem Christo in scripturis tributam* sacrificium *respicere, Crellio improbetur. Photinianorum effugium vulgare :* verba aliter accipi posse, *à B. Hackspanio explosum. Crellii cum Socino commissi exceptio retusa. Alia Crellii ratione ad examen vocata, Christum ut sacrificium respici, probatur.* Παρερμηνεία *loci* 1. *Petr.* 1: 18. *notata. Bellarmino Photinianizanti Toleti magis sobria sententia opponitur. Grotius à Crellio nequicquam taxatur. Agni Paschalis mactati & sanguinis ejusdem aspersi ritus è Maimonide recensitus.* Αἱματεκχυσίας *virtus Apostolo laudata. Fluxus sanguinis Sacrificiorum in torrentem Kidron quid adumbrarit. Quæstio, an mactatio extra templum sit facta, à Capello & Cloppenburgio ventilata. Bocharti pro negativa sententia rationes allatæ. Emphasis & significatio verborum* ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τȣ͂ κόσμȣ *ostensa. Grotii Glossa ex Photinianis hausta rejicitur. Arabs, Æthiops & Syrus laudantur.* ῥαντισμὸν *expiationem notare, Crellius nequicquam negat. Aspersio sanguinis pecuini typus aspersionis spiritualis sanguine Messiæ peragendæ. Davidis hyssopo se mundari cupientis verba Psal.* 51: 8. *illustrata. Judæorum stupor & cæcitas aspersionem ceremonialem præstolantium Pro cantico, quo tempore restituti cultus Levitici se redemtorem laudaturos Judæi pollicentur, alius hymnus in honorem agni antitypi adductus.*

§. 1. JOhannem quoque Baptistam ad agnum in V. Testamento mactari solitum, & cumprimis Paschalem, respexisse, cum Christum agni nomine indigitavit, eumque ideo *peccata mundi ferre* asseruit, Catholica subinde docuit Ecclesia. Satis orthodoxe igitur H. Grotius, Defens. Fidei Catholicæ de satisfactione Christi, cap. X. contra Socinum pronunciavit, *agnus*, inquiens, *cum dicitur Christus, sacrificium notatur & quidem pro peccato.* Non potuit vero hoc concoquere Socini hyperaspistes, J. Crellius, Respons. ad cap. X. de Satisf. Unde strenue negat, *necesse esse, Spiritum sanctum in voce agni respexisse ad agnum Paschalem, quod agni vox generalior sit & hujus appellationis alia potuerit esse ratio.* Ad quam responsionem in mentem mihi venit verborum τȣ͂ μακαρίτȣ, Theod. Hackspanii, præceptoris quondam mei & hospitis, in inclyta Altorphina celeberrimi, quibus in simili casu Crellii responsionem perstringit, observat. Philol. secunda ad locum Esai. 53: 6. 7. *Habes*, inquiens, *quisquis es, omnium Photinianorum perfugium, toties decantatum illud* POSSE, *quo singulæ propemodum illorum responsiones scatent. Quicquid tandem in medium attuleris, hoc unico illo* POSSE *nullo negotio refutari posse autumant. In scripturis literas, puncta, versiones, textus & sensum attente consideret, necesse est, quicunque salutis capita pertractat. Photiniani vero unico* POSSE *omnia facile, si credere fas est, solvunt.* Licet vero Photiniani, ad infringendam thesin alterius quam comprobandam suam sententiam aptiores, sæpenumero ita veritatem obfuscare conentur; hic tamen ex textu suppetit, quod illis queamus opponere. Nempe sciendum est, licet vox *agnus* generalior sit, in se spectata, &, si homini tribuatur, appellationis alia ratio esse possit, nempe vel mansuetudinis vel innocentiæ: hoc tamen loco, ubi augustum prædicatum additur, *peccata mundi tollere* vel *ferre*, ita vocem illam contextu restringi & determinari, ut de alia re, quam sacrificio, quod agni oblatione fieri solebat, intelligi nequeat. Ecquid enim aliud sit, *agnum, esse & mundi peccata ferre*, quam reatum peccatorum in se recipere & instar hostiæ eum auferre? Hoc expiatorii est sacrificii, cujus alias est ἀθέτησις ἁμαρτιῶν, Ebr. 9: 26. quæ facta est διὰ τῆς θυσίας αὐτȣ͂ (Χριςȣ͂) vs. 26. & Ebr. 1: 3. Dum Messias, cum agno comparatus, Es. 53: 7. & Actor. 8: 32. vitam suam אשם *hostiam pro peccato* dare dicitur, Es. 53: 10. ecquid aliud ibi significatur, quam eum victimam piacularem pro peccatis esse factum? Ecquomodo itaque Crellius negare potest, *verisimile esse, Johannem, cum Christum agnum vocat, qui mundi peccata tollat*, istuc respexisse, cum Socinus, cujus patrocinium suscepit, fateri cogatur, Baptistam *ad immolationem* respexisse, licet frustra neget, agnum fuisse immolatum pro peccato?

§. 2. Pergit loc. cit. Joh. Crellius, *Si*, inquiens, *id vult* (Grotius) *omnibus in locis, in quibus Christus agnus dicitur, eum considerari ut sacrificium, hoc est, eatenus revera spectari, quatenus ad reatum peccatorum tollendum immolatus ac Deo oblatus est; id nequaquam probant loci à Grotio citati.* 1 *Petr.* 1: 18. *Apoc.* 5: 6. 13: 8. *neque enim primum quod in his sit, id in omnibus locis citatur, & fieri necesse est. Cum mansuetudinis & puritatis, aut ablationis peccatorum simpliciter in ejusmodi appellatione haberi possit ratio, licet ad sacrificia interea reliqua ratione alludatur. Verum neque in his locis, licet mactationis aut sanguinis fiat mentio & ad sacrificia expiatoria alludatur, Christus eatenus consideratur, quatenus Deo fuit oblatus, neque ablatio pœnarum aut reatus ipsi tribuitur, sed in loco, Petri & Apoc.* 5. *id ei tantum adscribitur, quod nos ipsius sanguine fuerimus redemti à vana conversatione hoc est, impia vita liberati & abstracti, quod nos sanguine suo emerit Deo, h. e. morte cruenta effecerit, ut nos Dei servi & mancipia fieremus. Eodem sensu cap.* 7. *dicitur, homines sanctos stolas suas in sanguine agni lavisse, hoc est, vitam suam ab omni scelerum labe vi mortis Christi cruentæ repurgasse spe immortalis vitæ certissimæ inde conceptæ.*

§. 3. Quam Scripturæ detorsionem si expendas, merito illud R. Aramæ, Judæi quidem illius, sed Photinianis multo religiosioris, verba in Crellium quadrare dixeris, quæ col. 3. fol. 203. comm. in Pentateuchum leguntur: יש מהם עזי פנים שמבטלין דברי התורה מפני הגזרה העיונית: *Sunt quidam ex eis tam impudentes, ut suis speculationibus indulgentes ipsa verba Scripturæ impugnent.* Sane ut alias sæpe Photinianis hoc ipsum exprobrarunt orthodoxi Theologi, quod suis glossis & objectionibus non tam nostros Dd. quam ipsam Scripturam oppugnent; ita hoc loco depravationis intolerabilis documentum præbet Crellius, dum locutionem, *stolas suas in agni sanguine lavare*, explicare conatus, sensum illius ait esse: *vitam suam omni scelerum labe purgare spe vitæ immortalis*, cum potius sit meriti & satisfactionis Christi sufficientissimi acceptatio & applicatio, quæ non spe fit, sed fide, quæ corda purificat, Act. 15: 9. Ad id etiam probandum, Christum, dum agnus appellatur, ut sacrificium considerari, sufficit quod *mactatus* dicitur, & alibi sanguine *suo nos redemisse* & peccatorum remissionem, (quæ ut sanguinis, Christi effectus proprius passim in scripturis refertur) impetrasse. Quæ prædicata omnino sacrificii rationem habere eum arguunt, adeoque in cæteris quoque locis, ubi *agni* nuda nomenclatura ei assignatur, eum ut θυσίαν considerari, censendum est, &, licet expresse in reliquis locis epitheton non appareat, potest nihilominus de iis judicium fieri ex illis locis, ubi plenius agitur de agni sacrificio, & inde colligi, *hostia piacularis* vicem Christum, subiisse, & id, quod nulla sacrificia præstare alias potuerunt, supplevisse.

§. 4. Quod vero insuper Crellius nobis persuadere conatur, à vana conversatione duntaxat Christi morte nos redemtos & ipsius sanguine ejus mancipia esse factos, id frivolum est & ineptum. Nempe scire licet, ex quo Deus Christum nobis posuit ἱλαςήριον per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3: vs. 25. simul à servitute peccati & vana conversatione nos redemtos esse. Eo ipso enim, quod pro nobis mortuus nos à pœnis peccatorum liberavit, etiam à pristinæ vitæ vitiis & corruptione nos redemit, ut ea deinceps, per Dei gratiam vitare queamus. Hinc liquet, ἀθέτησιν ἁμαρτιῶν, quam per hostiam suam Christus facit, non esse meram abductionem hominum à peccatis, ne ea amplius faciant, ut Photiniani volunt, & nominatim Crellius, qui resp. ad cap. I. H. Grotii de Satisf. mundari nos sanguine Christi ait, quatenus nos à peccatis revocat, & ad conditiones remissionis obtinendæ adducit; cum sic inter Christum, Apostolos & verbi divini prædicatores nihil foret discriminis; sed potius omnium peccatorum quæ facta sunt, & adhuc patrabuntur, expiationem solennem, & nonnisi ab eo, qui infinitæ virtutis est, peractam intelligendam esse.

§. 5. Antequam ad ipsius textus explicationem progrediamur, commoda hic nascitur occasio ostendendi, quo sive ἀμετρία τῆς ἀντιλογίας, sive improbus Concilii Tridentini defendendi fervor, Romanæ Ecclesiæ hyperaspistam, Robertum Bellarminum abstraxerit, qui lib. I. cap. 23. de Sacramento Baptismi, contra Philipp. Melanchthonem, & Martinum Chemnitium evicturus Johannis Baptistæ & Christi baptismum

ſimum ſpecie differre, & illum de doctrina Christi aut etiam passione ejus nihil expreſſe docuiſſe, imprudens eo delabitur, ut Socinianis plane gemella docere, eodemque modo quo illi ſolent, textum noſtrum detorquere videatur. Cum enim Cardinali locus Johan. 1: 29. objectus fuiſſet, ubi Christum agnum vocavit Baptiſta, excipere nullus dubitavit, potuiſſe referri ad *manſuetudinem* & *innocentiam*. Quanto vero rectius ſcripſit, & ſobrius ſenſit alius Cardinalis, Franciſcus Toletus, comment. in l. cit. Obſervavit enim ille comment. in l. cit. Johannem ita locutum eſſe, ne illi, qui Chriſtum cum reliquis baptizari viderunt, putarent, ipſum perinde ac alios baptiſmo opus habere ad remiſſionem peccatorum, adeoque aperte indicaſſe, illum ipſum eſſe agnum, qui aliorum peccata ferat tollatque, hoc eſt expiet, Deumque placet. Similiter Doctor Angelicus P. 2. q. 2. art. 7. *non inquit, eſt credendum, quod ignoravit Johannes, Chriſtum ad Paſſionem venturum, ipſe enim dixerat, ecce agnus Dei, pronuncians immolationem futuram.* Utut igitur Baptiſta manſuetudinis & innocentiæ ſignificationem non excluſerit, primario tamen agni nomine Chriſtum vocatum fuiſſe *ob mactationem & mortem*, quam inſtar inſontis agni ſuſtinuit, ex eo apparet, quod anguſtum etiam prædicatum αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν illi attribuit. Quo ipſo pateſcit, Johannem, remoto velo, manifeſtaſſe, quicquid ſacrificiorum V. T. fuit, id Chriſtum deſignaſſe, in quo typi illi ſunt conſummati, & in quo remiſſio peccatorum eſt quærenda. Agnos igitur omnes in V. T. offerri ſolitos, ipſumque adeo Paſcha, typos fuiſſe Chriſti, patet, quod recte Epiphanius monet, Hæreſ. 8. his verbis: Καὶ ἦν ἐκεῖ πρόβατον ἄλογον, θυόμενον καθοδηγῶν ἡμᾶς εἰς τὸ μέγα πρόβατον καὶ ἐπουράνιον ὑπὲρ ἡμῶν καὶ ὑπὲρ ὅλου τοῦ κόσμου τυθέν. *Erat ibi ovis muta mactata, deducens nos ad magnam ovem cœleſtem pro nobis & toto mundo mactatam.*

§. 6. Hunc agnum aſpicere jubet Johannes, & præſtantiam ejus conſiderare, dum voce ἴδε *ecce* unumquemque velut ad rem magni momenti attendendam, excitat & inſtigat. Cum vero dicit: ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, articulus emphaſin habet dignitatis & relationis, nempe unum & inſignem agnum indigitat, de quo dudum Eſaias cap. 53. egerat, *velut agnus*, inquiens, *obmutuit coram tonſore.* Dicitur ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, qui, ut Grotius explicat, Deo eſt gratiſſimus, utpote ἄμωμος καὶ ἄσπιλος. Ut ita ſimul oſtendat Johannes, non in pœnitentiam Chriſtum baptizatum eſſe. Neque Theophylacti hic prætereundum eſt interpretamentum, τοῦ inquientis θεοῦ λέγεται ἀμνὸς ὁ χριστὸς, εἴτε τοῦ θεοῦ, ὡς προσδεξαμένου τὸ ἐπὶ σωτηρίᾳ ἡμῶν θάνατον τοῦ χριστοῦ, εἴτε τοῦ θεοῦ δόντος αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν εἰς θάνατον. *Chriſtus agnus Dei dicitur, ſive tanquam Dei acceptantis Chriſti pro ſalute noſtra mortem, ſive tanquam tradentis eum pro nobis in mortem.* Pergit Theophylactus: ὥσπερ εἰώθαμεν λέγειν τὸ δε θῦμα τοῦ δεῖνός ἐστι ἀντὶ τοῦ, ὁ δεῖνα τοῦτο προσήγαγε. οὕτως οὖν καὶ ὁ κύριος λέγεται ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὡς τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς διὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀγάπην δόντος αὐτὸν εἰς σφαγὴν ὑπὲρ ἡμᾶς. *Prout dicere ſolemus, hæc eſt hujus hoſtia, pro eo, quod eſt, hic eam obtulit: Sic igitur Dominus dicitur agnus Dei, nempe Dei Patris propter noſtri dilectionem tradentis eum in occiſionem pro nobis.*

§. 7. Neque alii Patres in diverſum abeunt, ſed itidem de Chriſto in mortem tradito verba hæc intelligentes, cumprimis Paſchalem agnum typum illius fuiſſe, aſſeverarunt, quorum teſtimonia cum Grotius collegerit, & Socino novatori oppoſuerit, Crellio id parum probatur, *quorſum*, inquienti, *de Paſchali victima teſtimonia Grotius afferat, non video, cum Socinus de ſacrificiis expiatoriis in Lege conſtitutis loquatur, in eorum autem numero non fuit victima Paſchalis ſub lege, quæ nec Deo fuit oblata, nec expiandi vim ab eo præſertim tempore habuiſſe uſpiam legitur.* Etſi Agnus Paſchalis ante Legem Moſaicam in uſu fuit, expiatoriis tamen ſacrificiis, quæ in Lege conſtituta ſunt, illum accenſere, idcirco nihil vetat; cum Moſes in ipſa Lege illius de integro mentionem fecerit, & populo Judaico diligentiſſime non uno loco commendaverit. Confer Num. 9. Deut. 16. Illa vero aſperſio ſanguinis notabat ſanguinem illum dari vice animæ peccatoris. Licet etiam agnus totus non fuerit oblatus, adeps tamen agni adoleri Deo, & ſanguis altari aſpergi ſolitus fuit, adeoque vim expiandi habuit. R. Moſes Maimonides cap. 1. de Paſchate §. 6. hunc in modum ritum illum ex veteribus Juris Iudaici fragmentis deſcripſit: דם הפסח טעון שפיכה כנגד היסוד ואחר כן ששופכין דמו מפשיטין אותו קורעין את בטנו ומוצאין את אמוריו ומקטורין אותן חלבין כל זבח וזבח לבדו ובעל הזבח נוטל פסחו עם אותו העור שלו ומביא לירושלים וצלהו ואוכלו לערב: *Sanguis Paſchatis ad baſin altaris effundendus eſt. Sanguine effuſo, denudant illum agnum pelle, ventrem ejus diffindunt, & adipes extorum eductos adolent, uniuſcujuſque ſacrificii ſeorſim. Dominus Paſchæ vero ſumit illud cum pelle, & domum ſuam Hieroſolymis defert, ubi aſſat illud & veſpere comedit.* Et cap. 1. §. 18. שחיטת הפסח הזריקת דמו ומחוי קרבו והקטר חלביו דוחין את השבת: *Paſchatis mactatio & ſanguinis aſperſio, ventris ejus percuſſio & adoletio adipum pellunt Sabbatum.* Ubi ſanguinis aſperſio tantæ neceſſitatis eſſe dicitur, ut ne Sabbato quidem appetente, ſi propter multitudinem ſacrificiorum aut alia impedimenta in multam noctem, vel tempus matutinum res protracta fuiſſet, licita ſit illius intermiſſio.

§. 8. Id igitur quod de eſſentia ſacrificii eſt, Agno Paſchali competit, de qua R. Moſes Maimonides Hilk. Korban Peſach. c. 2. ſect. 60. הזריקה המורה שהיא עקר הקרבן *Aſperſio magni momenti eſt, quia fundamentum eſt ſacrificii.* Unde etiam regula Judæorum eſt: עקר הזבח בהזית הדם *Fundamentum ſacrificii in aſperſione conſiſtit.* Quod arcanum ſane minime latuit Apoſtolum, Ebr. cap. 9: 22. quippe qui tanti fecit ῥαντισμὸν, ut neceſſitatem ejus aſſeruerit, χωρὶς, inquiens, αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Facta tandem ita אל יסוד המזבח *ad fundamentum altaris* effuſione ſanguinis, hic poſtmodum, atteſtantibus Judæis in Talmud, Maſſechet מדות, cap. 3. effluxit לנחל קדרון *in torrentem Kidron*, & locum illum deſignare viſus eſt, ubi primariæ victimæ, Meſſiæ, ſudor ſanguineus erat exprimendus, Luc. 22: vſ. 42.

§. 9. De neceſſitate ſanguinis aſpergendi agentibus & illud in quæſtionem venit: Utrum agnus Paſchalis בעזרה *in atrio* mactandus fuerit, an vero mactatio etiam domi à Patrefamilias peragi potuerit? Quæ controverſia haud ita pridem à Cl. Viris, Ludovico Capello, & Joh. Cloppenburgio eſt ventilata. Etſi vero in Ægypto, cum nulli adhucdum Sacerdotes à Deo conſtituti eſſent, plebejos domi Sacerdotum vices geſſiſſe negari nequeat, cum & agnum mactare, & ſanguinem cratere exceptum poſtibus illinere juſſi ſunt: lege tamen à Moſe lata, extra Hieroſolymam id minime facere licuiſſe, neque ſanguinis aſperſionem à privatis peragi potuiſſe, adeo manifeſtum eſt, ut veritatis amore Bochartus optime de ſe meriti præceptoris, Ludovici Capelli ſententiam valere juſſerit, veluti ex Lib. 2. c. 50. Hierozoici patet, ubi ita loquitur: *Vir piiſſimus & doctiſſimus, qui Paſcha putat potuiſſe ubivis mactari & comedi, quando ſtetit Jeruſalem, non cogitabat, fruſtra toties juberi mares omnes, ut quotannis veniant in locum, quem Dominus elegerit, hoc feſtum celebraturi; Si tum potuit agnus ubivis mactari & manducari. Nec opus fuiſſe, ut qui erant* בדרך רחוקה *in via remota tempore primi Paſchatis, Hieroſolymam ſe ſiſterent primo menſe, & in eorum gratiam Paſcha alterum obſervaretur. Neque ut Deus illorum urbes ab invaſione per miraculum ſervaret, dum ad feſta celebranda in unum locum ſe conferrent, quomodo ſe facturum pollicetur Exod. 34: 24. Neque enim opus eſt miraculis, cum media ordinaria non deſunt. Illa autem non defuiſſent, ſi viri Paſcha potuiſſent alibi celebrare, quia vacuas urbes non reliquiſſent. Temporis & loci anguſtia fruſtra objicitur, quaſi inter duas veſperas non potuerint tot agnorum millia ad unum altare ſiſti & offerri. Templi enim atrium latiſſime patuiſſe docent viginti duo millia boum & ovium centum viginti millia in templi encæniis à Salomone ibi oblata 1 Reg. 7: 63. & à reliquo populo ſacrificia ſine numero 2 Paral. 5: 6. Neque parvum fuit altare, quod in ſecundo templo deſcribit Joſephus τετράγωνον tam latum quam longum cubitis quinquaginta, id eſt, pedibus quinquaginta quinque, de bello Judaico lib. 6. c. 6. In illud autem altare non toti agni, ſed ſolum extorum adipes imponebantur, & ſanguis fundebatur ad baſin. Quibus offerendis vocabant plurimi & expediti Sacerdotes per horas quatuor, ſi res ita poſtularet, quod ex Talmudicis Maimonide & Ebræorum aliis probare ſit obvium. Quin ſupra docuit Maimonides, agni adipes tota nocte potuiſſe adoleri, & donec aſcenderet columna auroræ.* Neque obſtat Philonis autoritas, qui contrarium docere & promiſcue plebem non expectatis ſacerdotibus agnos mactaſſe refert. In libro enim *de Decalogo*, de feſto Paſchatis loquutus ait: Ἐν ᾗ (ἑορτῇ) πανδημεὶ θύουσιν αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς αὐτουργίαν θυσιῶν. *Quo feſto paſſim ſinguli ſacrificant, non expectatis ſacerdotibus, Lege Sacerdotium quotannis univerſæ genti una die eximia concedente, ut ſacrificia per ſe faciat.* Nondum inde ſequitur, quod Philo Oratorum more rem exaggerans contendit. Etſi

enim

enim plebeis liberum erat mactare, minime tamen licitum eis erat tempore Paschatis sacerdotum partes agere, nempe sanguinem pelvi excipere, eundem aspergere, ignem super altare accendere, ligna digerere & partes carnium, quæ adolentur, nonnisi sacerdotum in templo sacris operantium partes erant: at mactare, excoriare, dissecare & exta abluere, ut in quovis alio sacrificio, ita in sacrificio Paschatis plebeis peragere integrum erat, neque tamen ubivis, sed in templo præsentibus, Levitis & Sacerdotibus, qui numerum agnorum annotasse videntur. Sub Nerone enim οἱ ἀρχιερεῖς ut Cestio satisfacerent, Judæorum numerum sciscitanti responderunt, in Paschate solenni se numerasse τῶν μὲν θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας, πρὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια *hostiarum viginti quinque myriades & insuper quinque millia & sexcenta.* Quod si domi suæ quisque mactatum agnum comedisset, haud ita fieri potuisse videtur. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παραδρομῇ.

§. 10. Nunc reliqua verba textus expendemus, quæ emphatica sunt & maxime momentosa, dum ait: ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Ubi monente Erasmo, plus quiddam expressit, quam si dixisset *peccata*, nempe, ut Grotius quoque observat, notatur singulari numero *peccatorum universitas, corpus peccati*, Rom. 6: 12. ut nullum peccatum excipiatur, cui expiando agnus hic non sufficiat. Participium αἴρων respondet Ebræo verbo נשא, quod latioris alias significationis est. Unde Drusius in præteritis ad c. I. Joh. participium ὁ αἴρων explicaturus scribit, idem esse ac הנושא *qui aufert, aut condonat, vel certe portat.* H. vero Grotius, qui ætate provecta sibi dissimilis esse cœpit, annotationibus in h. l. vocem ita explicat: *Potest* נשא *Ebræorum, cui respondet Græcum* αἴρειν *& veniæ impetrationem & animorum emundationem significare. Ut posteriorem significationem hic præferam, facit locus* 1 *Petr.* 1: 18. *ubi à vana conversatione redemti dicimur agni immaculati sanguine, quo scilicet doctrinæ suæ exemplum simul & testimonium dedit.*

§. 11. Sed nisi me omnia fallunt, Photinianorum scrinia hanc explicationem suppeditarunt Grotio, ex quibus *multa utilia & scitu jucunda* se hausisse, epistola ad Joannem Crellium ingenue fatetur. Licet vero videri queat, eum, dum τὸ αἴρειν *animorum emundationem* significare ait, nihil heterodoxi afferre, cum 1 Joh. 1: 7. sanguine Christi nos à peccato mundari dicatur, eo ipso tamen prodit, se aliquid monstri alere, dum illam redemtionem, quam sanguine agni immaculati factam dixit scriptura, ad doctrinæ testimonium & exemplum restringit, quod ipsum etiam annotat ad 1 Joh. 1: 7. luculentius apparet, ubi eos, qui in luce ambulant, dicit *emundari sanguine Christi ab omni peccato, hoc est consideratione ejus dogmatis, quod ipse morte sua sanxit, ab omni genere delictorum retrahi.* Quæ ipsissima Socinianorum glossa dudum ab Orthodoxis interpretibus est explosa & ex ipso textu confutata.

§. 12. Dum enim ab Apostolo sanguine Christi nos emundari dicimur, id ita fieri putandum est, ut expiatio aliqua fit peccatorum & λύτρον persolvatur. Christus enim est factus περὶ ἁμαρτίας Rom. 8: vers. 3. & ἱλασμὸς περὶ ἁμαρτιῶν 1 Joh. 2: 2. Pro peccatis mortuus Rom. 4: 25. & ejus morte nos sumus reconciliati, Rom. 5: 10. & ita Christus, præstando id, quod sacrificia legalia præstare non poterant, Ebr. 10: vers. 5, 6, 7. nos expiavit. Ecquid vero præclari relinquitur tantopere deprædicato sanguini Christi, si illius effusio duntaxat sit testimonium vel documentum, quo doctrina confirmata sit. Hoc pacto nihil discriminis foret inter Christum & quemvis Martyrem, qui morte sua veritatem doctrinæ prædicatæ obsignat & confirmat.

§. 13. Arcte igitur literæ insistentes, dicimus, Ebræorum נשא Esai. 53: 9. & τὸ αἴρω Joh. 1: 29. *peccatorum ablationem* & eorum *portationem*, hoc est, pœnarum propter reatum persolutionem denotare. Hinc Arabs τὸ αἴρων يرفع *auferet* reddidit: Æthiops vero ዘያሴትት፡ ወያሰሰል፡ *qui tollit & expellit.* Syrus ܫܩܠ *tollit* vel *portat*, utraque significatio voci αἴρων est consentanea. Ut enim ex Matth. 16: 24. patet, non simplex semper ablatio ea voce innuitur, sed talis, qua quis simul סובל est, & *bajulans* onerose in se rei translatione facta. Quod sane in redemtionis negotio quoque contigit, dum ita Christus pro nobis satis fecit, ut ceu Esaias cap. 53: vers. 5. prædixit, מוסר שלומינו עליו *correctio pacis nostræ* (quæ nobis pacem afferat, *sit super illo*, & Deus omnium peccata הפגיע בו *in eum conjecerit*, vers. 6.

§. 14. Quæ cum ita se habeant, liquet omnino, nihil causæ esse, quamobrem Johannem ad agnum Paschalem respexisse Crellius neget, cum, ceu ille in Ægypto propitiatorius fuit & sanguis ejus postibus aspersus, Israelitas tutos præstitit, & postmodum subinde vi legis divinæ, altari aspersus umbraticum quid fuit; ita Christi sanguis spiritualiter nobis aspersus conscientias mundet & ita hominem expiet. Vt enim Apostolus Ebr. 10: 22. loquitur, ille nos καθαρίζει καὶ ἁγιάζει dum per semetipsum fecit καθαρισμὸν cap. 1: 3. ἁγιάζει διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος τὸν λαὸν, καθαρίζει ἀπ' ἔργων νεκρῶν cap. 9: 24. Hinc Ebræos vocat ἐῤῥαντισμένους τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς καὶ λελουμένους τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, nempe illius fontis, quem Zach. 13: vers. 1. commemorat, qui è latere Christi profluxit, Joh. 19: vers. 34. Observationem cumprimis meretur locus Ebr. 12: 24. ubi Apostolus Ebræos accessisse ait *ad sanguinem aspersionis meliora loquentis præ* Abele. Hujus enim sanguis clamabat ad vindictam, contra Christi sanguis clamat ad meliora, *remissionem* nempe *peccatorum*, & quidem potentius. Similiter Petrus *aspersionis* meminit, dum illos, ad quos scribit, ait esse electos ex præcognitione patris ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Nempe ut, dicente Apostolo, Ebr. 9: vers. 22. in V. T. omnia fere sanguine secundum legem mundabantur; ita in N. Testam. sanguine Christi tot sacrificiorum sanguine præfigurato fit expiatio, & nos ejus sanguine aspergimur, cum fide in ipsum ferimur & justitia ejus nobis imputatur.

§. 15. Sed hic iterum Crellius negotium nobis facessit. Cum enim adhuc Orthodoxe de satisfactione sentiens Grotius vocem ῥαντισμὸν *purgatorium* vel *purificationem* notare, dixisset, Crellius minus recte id ab eo fieri causatur, quod ita pereat allusio, quæ in illis verbis fit, *ad aspersionem sanguinis*, quo antiquum fœdus sit sancitum & populus olim à Mose conspersus. Vbi infitias haud imus, Christi sanguinem præfiguratum olim fuisse, cum Legislator populum animalis mactati sanguine conspersit, *hic*, inquiens, *est sanguis hujus pacti*, quod Deus vobiscum pepigit. Exod. 24: 8. Et sic figura fuit Novi fœderis Jerem. 31: vers. 8. memorati, & ipsius Messiæ sanguine stabiliendi, qui de se locutus, Luc. 22: 20. *hoc*, inquit, *est N. T. in sanguine meo*, qui sc. effluxit è latere transfixi Zach. 12: 10. per quem è *terra viventium excisum* Esai. 53: 8. Deus perpetuum fœdus pepigit, Esai. 55: 3, 4. ut ita *per sanguinem fœderis sit facta victorum dimissio.* Zach. 9. infitias, inquam, haud imus, sanguinem Christi præfiguratum & tunc à Mose fuisse, sed num idcirco ῥαντισμὸς *propitiatorium* significare negabit Crellius? ut id faciat, nulla ipsi suppetit idonea ratio. Ut enim bene Estius ad 1 Petr. 1: 2. commentatur, verba Mosis: *Hic est sanguis Testamenti quod Deus vobis præcepit*, typice significabant N. T. dedicandum esse in sanguine Christi, nec eo mundari posse quicquam, cui non fuerit aspersus. Et ita allusio, ut Crellius causatur, nequaquam perit, sed potius stabilitur, si ῥαντισμὸν expiationem notare dicamus. Sane cum Christus ipse diserte Matth. 26. testatus sit, sanguinem suum effundi εἰς ἄφεσιν *in remissionem* peccatorum, & vero tot locis scripturæ sanguinis Christi aspersio commemoretur, omnino hinc colligere est per ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ *expiationem* vel *purificationem* significari, quæ olim in ritu Judaico præfigurabatur. Et sic frustra Crellius enervare expiationem illam conatur, quæ tam clare in sacris literis est descripta, ut mirum sit, esse inter Christianos, qui illam eant impugnatum.

§. 16. In V. T. clare prædictum est, fore, ut Messias, qui לברית עם *in fœdus populorum* datus dicitur, Esai. 42: 6. *gentes aspergat* cap. 52: 15. Qua locutione ut ad aspersionem in V. T. fieri solitam, docente Hieronymo, alluditur, qua contaminati mundabantur, ita eadem haud obscure innuitur, Messiam gentes quoque mundaturum & eorum peccata expiaturum esse, nempe sanguinis ῥαντισμῷ. Neque aliud David videtur intellexisse, cum hyssopo, quo, ῥαντιστήριον sive *aspergillum* olim constabat, se à Deo mundari petiit. De hoc enim minime dicturus fuisset, nisi de sacrificio aliquo hilastico, quo peccatis purgaretur, cogitasset. Sane legalem aliquam expiationem eum haud respexisse neque sanguinem pecuinum, sed alium, ex Psalmo 51: 8. patescit, ubi David ait: *Ecce veritate delectaris in abscondito, & quæ in abstruso est, sapientiam scire facis me.* Ecquænam alia fit illa sapientia, quam Evangelica de Christo Rom. 16: vers. 25, 26? Cujus effectum illum sensisse ex v. 10. apparet, ubi illum exaggerat his verbis: *Audire fac me gaudium & lætitiam*, quæ videlicet ex auditu fidei procedit, Galat. 3: 2, 3.

§. 17. Hanc si Judæi capere expiationem possent, tam anxie restitutionem cultus Levitici & sanguinis pecuini circumcirca altare aspersionem haud essent expetituri. In חגהשל דפסח has preces ad Deum occœcati Judæi fundunt: ברוך אתה אלהינו מלך העולם אשר גאלנו וגאל אבותינו ממצרים הגיענו הלילה הזה לאכול בו מצה ומרור יי אלהינו ואלהי אבותינו יגיעני למועדים ולרגלים אחרים הבאים לקראתינו לשלום שמחי כבנין עירך וששים בעבורתך ונאכל מן הזבחים ומן הפסחים אשר נגיע דמם על קיר מזבחך ורצון ונורה לך שיר חדש על גאולתנו ועל פרות נפשנו ברוך אתה השם גאל ישראל: *Benedictus sis Domine Deus noster, rex mundi qui nos redemisti & majores nostros ex Ægypto. Hanc noctem nobis venire fecisti ad comedendos panes infermentatos & amaras lactucas. Ita fac, ut festa & solennitates alias videamus, lætati urbis tuæ readificatione & cultu tuo, ut ibi edamus de sacrificiis, & victimis Paschalibus, quorum sanguis altaris tui parietibus aspergatur in beneplacitum. Tunc novo cantico te laudabimus ob liberationem nostram & animæ nostræ redemtionem. Benedictus sis Deus Redemtor Israelis.*

§. 18. Oratio hæc Judaica quam sit insipida & vana, manifestum est, cum & Hierosolymorum restaurationem & aspersionem sanguinis pecuini super altari de integro exstruendo frustra petat, quippe quæ, ut umbræ & figuræ, dudum penitus sublata sunt, postquam hostia illa divina se stitit Messias. Cujus apparitione quantopere lætati fuerint discipuli Christi, ex eo liquet, quod non aliter ac si magni pretii thesauro invento lætabundus, & velut tripudians Philippus Joh. 1:41. exclamavit; εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ Χριστός. Nempe ille passus, crucifixus & mortuus pro nobis λύτρον solvit, & sanguine suo pretioso nos vere aspersit, ut virtute illius justi coram Deo reputati, novum illud canticum, quo Judæi tum demum se Deum veneraturos spondent, cum in pristinum statum Leviticus cultus restitutus fuerit, jam inchoandi causas habeamus, adeoque alta voce ingeminemus ex Apoc. 5: vs. 12. ἄξιόν ἐστι τὸ ἀρνίον ἐσφαγμένον λαβεῖν τὴν δύναμιν καὶ πλοῦτον καὶ σοφίαν καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν. Nempe ut Apoc. 5:9. habetur: ὅτι ἐσφάγη καὶ ἠγόρασε τῷ θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ.

M. JOH. KINDLERI
NATHANAEL
ad Joh. I:46.

Σὺν Λόγῳ καὶ λόγῳ!

§. 1.



NATHANAEL vi Etymi natales debet vocibus Hebr. נָתַן & אֵל, donumque Dei notat, atque paria facit cum nominibus *Jonathanis*, *Matthiæ*, *Theodori*, *Theodosii*, *Theodoreti*, *Dorschei*, *Deus dedit*, *à Deo dati* &c. olim & hodie multis communibus. Res vel luce meridiana clarior est; Caligat tamen in ea PHILO *Judæus*, *Nathanaël* vertens, *Deus meus*, vel *Deus dedit*, propterea à JOHANNE DRUSIO (α) censoria virgula merito notatus. Fuit autem *Nathanaël* noster N.T. (Nathanaël enim ille ex tribu Isaschar, filius Zuar, & præfectus populi Judaici, quem V.T. (β) commemorat, nihil ad nos,) patria *Galilæus*, oriundus ex Cana (γ), Vir legis divinæ peritissimus, & ab aureo ore CHRYSOSTOMI (δ) ἀκριβὴς καὶ πάντα διεσκεμμένος μετὰ ἀληθείας non abs re dictus JOH. LIGHTFOOT (ε), RICHARDUS MONTACUTIUS (ζ), aliique summi nominis Viri parentem Nathanaëlis nostri *Ptolomæum* quendam fuisse conjiciunt, persuasi, *Nathanaëlem* & *Bartholomæum* (cujus in catalogo Apostolorum Christi fit mentio) unam eandemque personam esse, *Nathanaëlem* appellatam *nomine proprio*, *Bartholomæum* v. πατρωνυμικῶς s. nomine paterno. Verum nobis *Nathanaël* & *Bartholomæus* diversæ personæ esse videntur, quia ut diversæ in N.T. citantur. Nec enim quicquam roboris habent secus sentientium ἀντιπίπτοντα. Refutari ea facile possunt, si sequentia observes. Sc. I. Nathanaëlem *discipulum Christi* tantum, non *Apostolum* dicimus, qualis etiam fuit Nicodemus νυκτόφοιλος, secuti in hoc AUGUSTINUM (η) GREGORIUM M. (θ) B. LUTHERUM (ι), BARONIUM (κ), *Scriptorem Hist. Eccles. Gothanæ* (λ) aliosque. Nam contrarium probari solide nequit. II. *Bartholomæus* inter Apostolos semper jungitur *Philippo*, uti *Nathanaël* illi apud Johannem, non præcise quasi sit cum Nathanaële unus idemque, sed forte, quia ex discipulis Christi post Philippum statim in Apostolum est electus, vel quæ aliæ possunt esse causæ. III. Ordo vocationis discipulorum Christi non infert ordinem non interruptum Apostolorum ex discipulis electorum. Christus enim elegit, quos & quomodo voluit. IV. Denominatio personarum à familia in Scripturis nonnunquam locum habet, sed illa non pro arbitrio cujusvis, ubi nulla ratio subest, fingenda est. V. Ab eo, quod apud JOSEPHUM, Antiquitatum Judaicarum Scriptorem, * Θολομαίου cujusdam mentio fiat, perperam colligitur ad Nathanaëlem filium Ptolomæi illius, quod quilibet emunctioris naris facile animadvertit. Ut taceam, alios (μ) non adeo incommode statuere, *Bartholomæum* dici, quasi בַּר תַּלְמַיִם s. filium haurientis aquam. Hinc nos quoque statuimus, Patrem Nathanaëlis nostri ignorari. Cæterum nec eorum sententiam probare possumus, qui, referente MAGNO CHEMNITIO (ν), Nathanaëlem vel *Simonem Cananæum*, vel *Stephanum* πρωτομάρτυρα esse contendunt, quoniam illa lubrico nititur fundamento. EPIPHANIUS (ξ) tradit, *Nathanaëlem* fuisse alterum *discipulorum Emaunticorum*, Socium Cleophæ. Ita enim scribit: Ὁ Λουκᾶς διαβεβαιοῦται αὐτὸν τὸν σωτῆρα μετὰ τὸ ἀναστῆναι ἐκ τῶν νεκρῶν ὦφθαι κατὰ τὴν ὁδὸν τοῖς περὶ τὸν Ναθαναὴλ καὶ τὸν Κλεόπαν, κ.τ.λ. Sed conjectura est, quæ nullo fide digno nititur teste. *Epiphanius* hoc affirmat duntaxat, non probat; Nec major fides adhibenda ei, quam Ambrosio in Lucam, scribenti, nomen ejus fuisse Amaon, judice modo laudato DRUSIO (ο), VICTORINUS STRIGELIUS (π) refert, *Nathanaëlem docuisse Evangelium* apud *Bituriges in Gallia & Treviros*; Sed graviorem hoc desiderat testem. Alias hujus viri apud Ecclesiasticos Scriptores altum fere est silentium. Ea E. potius perquiremus, quæ de Nathanaële nostro ex S. L. nobis innotescunt.

§. 2. Proponitur autem nobis *Nathanaël* ab Evangelista duplici ratione considerandus, primum ut nondum conversus, adducendus tamen ad Christum, deinde ut jam adductus ad Christum & conversus. Priori modo expendendum est Philippi & Nathanaëlis de Messia colloquium, hujusque ad Jesum Nazarenum accessus; Posteriori vero considerandum est, quomodo Christus advenientem Nathanaëlem exceperit, & à Nathanaële iterum exceptus sit.

(α) *Comm. priori ad voces N.T. Hebr. p.* 123. (β) *Num.* 1:8. (γ) *Joh.* 21:2. (δ) *Homil.* 19. *in Joh. p.* 103. (ε) *In Hor. Ebr. ad Matth. X. p.* 325. *& in h. l.* (ζ) *Orig. Eccles. Tom. I. p.* 374. *& Tom. II. p.* 18. (η) *In Joh. Tract.* 7. (θ) *Lib.* 33. *Moral. cap. XXI.* (ι) *Tom. VI. Altenb. p.* 1214. (κ) *Martyrol. ad* 25. *Augusti p.* 526. (λ) *L.* 2. *p.* 76.

(*) *Lib.* 20. *cap.* 1. (μ) *Pasor. Etym. Nom. Prop. pag.* 10. (ν) *v. H. E. P. I. p.* 214. *seq.* (ξ) *c. Hæres. Hær.* 23. (ο) *In præteritis p.* 110. (π) *In Hypomnen. in h. l. p.* 240. *seq.*

§. 3. Adducendus erat Nathanaël ad Christum per *Philippum*, qui ipsius Christi ore primus inter discipulos pauló ante susceptus erat, & postmodum etiam inter Apostolos cooptatus est. Conversus ille ad veram Christi fidem, tanto in Dominum amore incendebatur, ut statim alios quoque eidem conciliare studeret. Quærebat proinde Nathanaëlem, eumque allecturus in hæc verba erumpebat: ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται, εὑρήκαμεν ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ ἰωσὴφ, τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. Εὑρήκαμεν ait in numero plurali, perinde ut *Andreas* Simonem fratrem ad Christum invitaturus exclamabat: Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν. (ϱ) Includit dubio procul alios, à quibus Jesus inventus erat, utpote Andream, Simonem &c. innuitque simul, magnopere hunc Messiam ut חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם (σ) omnes expectavisse. Est autem hoc εὑρήκαμεν vox Emphaseos penissima. εὑρίσκειν enim, quod à canibus desumtum, qui ἴχνευταὶ dicuntur, eo quod olfactu investigent & inveniant, (τ) proprie rem anxie & multis desideriis expetitam consequi significat. Quæ significatio omnino hic qq. locum habere potest, cum nulli dubium esse queat, quin Philippus fuerit inter προσδεχομένους παράκλησιν καὶ λύτρωσιν τοῦ ἰσραήλ. (υ) Præterea eadem vox εὑρήκαμεν gaudii index erat & lætitiæ, quæ angustias clausi pectoris apud Philippum aspernata foras se conspiciendam præbebat. ἕυρηκα fidele cum gaudio ingeminabat Philippus, quia jam invenerat in Jesu salutis æternæ thesaurum. Illustris de hac voce est commentatio supra jam laudati CHRYSOSTOMI: (φ) τοῦτο τὸ ῥῆμα ψυχῆς ἐστιν ὠδινούσης τὴν παρουσίαν αὐτοῦ καὶ προσδοκώσης τὴν ἄφιξιν ἄνωθεν, καὶ περιχαροῦς γεγενημένης, μετὰ τὸ φανῆναι τὸ προσδοκώμενον καὶ ἐπειγομένης ἑτέροις μεταδοῦναι τῶν Ευαγγελίων. τοῦτο ἀδελφικῆς εὐνοίας, τοῦτο φιλίας συγγενικῆς, τοῦτο εἰλικρινοῦς διαθέσεως ἐν τοῖς πνευματικοῖς σπουδάζειν, χεῖρα ὀρέγειν ἀλλήλοις.

§. 4. Illum vero, quem invenerat & de quo coram Nathanaële loquitur Philippus, describit idem primum *ut prædictum*, deinde *quoad nomen*, denique ratione *generis & patriæ*. *Ut prædictum* proponit his verbis: Ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται. Ubi observandum I. τὸ γράφειν simplex poni pro composito διαγράφειν vel καταγράφειν, quod est, *designare, definire, describere*. Quo sensu & Apostolus (χ) illud adhibet, cum ait: Μωσῆς γράφει τὴν δικαιωσύνην ἐκ τοῦ νόμου. II. Μωσέα καὶ προφήτας in N. T. sæpe conjungi, iisque V. T. doctrinam, Psalmis aliisque scriptis Canonicis non exclusis, indicari. Sic Abraham ad Epulonem in illa parabola: Ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας (ψ). Et Christus dicitur exorsus ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν. (ω) In qua significatione etiam νόμος καὶ οἱ προφῆται conjunguntur. (α) Id quod alibi per τελσμερισμὸν exprimitur, cum nimirum mentio fit τοῦ νόμου Μωσέως καὶ προφητῶν καὶ ψαλμῶν, (β) ad analogiam divisionis Bibliorum apud Hebræos usitatæ in תּוֹרָה נְבִיאִים & כְּתוּבִים. Jam per eum, ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται, intelligitur *Messias*, mundo à Deo promissus, de quo Scriptura V. T. à capite ad calcem vaticinatur, prout vel tyronibus Theologiæ notum est, & in Scholis Dnn. Theologorum fuse ubivis demonstratur. Verba E. Philippi: ὃν Μωσῆς ἔγραψε κ. τ. λ. qua ad sensum eadem sunt cum verbis præcedentibus Andreæ: εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν.

§. 5. *Nomen* autem Messiæ in lege Mosis & Prophetis prædicti Philippus facit Ἰησοῦς. Est autem nomen origine *non Græcum* ab ἰάω, medeor vel sano, (γ) aut ab ἵημι, mitto, (δ); sed Hebræum, nec tamen ex יְהוָה & שִׁילֹה (ε) sed ex יָשַׁע salvavit, ceu vel ex ipsa Angeli interpretatione (καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἰησοῦν. Αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, (ζ) ὀφθαλμοφανερόν. Græcis per σωτῆρα exprimitur, Latinis vero rectius nomine *Salvatoris*, quam *Servatoris*. (η) Adhibet hoc nomen Philippus, quia erat nomen Messiæ nostri proprium, jam ante conceptionem magisterio divino per ministerium Angeli Domino tributum, (θ) & in circumcisione ministerio hominum ei impositum, (ι) quo & communiter nominabatur. Conjungitur illud nomen non raro in Scriptura cum nomine χριστὸς, (quod *Marcosii* octo literarum esse (κ) dixerunt) ut significetur Jesus verus Messias, contra perfidiam Judaicam; quæ Messiam (vel Christum) quendam professa, Jesum Nazarenum eum esse, strenue negat. (λ) Cæterum hoc illud mirabile nomen est, quod *duarum literarum & dimidiæ esse*, *& Dominum eum, qui continet cœlum & terram* significare dicitur, quo de ex IRENÆO disserit CL. DRUSIUS. (μ) Alia brevitatis ergo sicco pede præterimus.

§. 6. *Ratione generis & patriæ* tandem Jesum nostrum Philippus appellat υἱὸν τοῦ ἰωσὴφ καὶ τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. Vel nobis tacentibus quidam adhuc in *Philippo* nævi hic observantur, quia putat cum vulgo Judaico, naturalem Josephi filium Jesum esse, & Nazaretho oriundum, cum nosse posset ex Prophetis, ex virgine pura & illibata Bethlehemi illum nascendum esse. Hic vero dubium oritur, cur toties in Scriptura Jesus *filius Josephi* dicatur, cum ab eo non sit genitus, & *Nazarenus*, cum nativitate sit Bethlehemitanus? Sed hæc sunt εὐδιάλυτα. Filius enim Josephi vocatur, quoniam ab eo educatus, ejusdemque paternam curam per totum fere vitæ curriculum expertus est. Inter educatorem vero & eos, qui ab aliquo educati sunt, etiam apud Judæos respectum Patris & liberorum jam olim intercessisse, quis est, quem fugiat? Poterit inter alios hac de re conferri LIGHTFOOTUS. (ν) Quæ omnino certiora sunt & tutius dicuntur, quam si cum JOHANNE GERSONE (ξ) ad similitudinem formarum Josephi & Jesu confugias. Ἀπὸ Ναζαρὲθ vero vel Ναζωραῖος (ο) aut Ναζαρηνὸς (π) dicitur ἀπὸ τῆς ἀνατροφῆς καὶ τῆς ἐκεῖ διαγωγῆς. Nomen scil. hoc à loco vel sede commorationis habet. Sicuti ob eandem causam *Jethra Israelita* (ϱ) nomen *Ismaelitæ*, (σ) & viris illis 600. parastatis Davidis, nomen *Gethæorum* (τ) hæsit, quo de inter alios vid. JAC. ALTINGIUS. (υ)

§. 7. Ad Jesum autem Nazarenum tq. Messiam Mosen & Prophetas collimasse, ex N. T. scriptis evidentissimum est. Sic enim CHRISTUS ipse ait: (φ) Εἰ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί. Περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. Inde jubet Judæos ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς (V. T.) τὰς μαρτυρούσας ὑπὸ αὐτοῦ. (χ) Et omnia de eo dicuntur impleta esse, quæ ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς scripta sunt. (ψ) Hinc eleganter nonnullis Christus centrum & Epitome dicitur S. Scripturæ, sicut homo alias epitome mundi & centrum naturæ creatæ. Sed majorem lucem hic dabunt Dnn. Theologi, imprimis Magn. Dn. D. QVENSTEDTIUS, (ω) Patronus noster observanter ætatem colendus.

§. 8. Hactenus Philippi oratio ad Nathanaelem; Hujus jam expendenda responsio, quæ his verbis continetur, Ἀπὸ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; Audierat hic Philippum de Messia, à Mose & Prophetis prædicto, disserentem, & in eo acquiescebat, nihil regerens, de re ipsa ex S. L. satis certus ac informatus. Cum vero ab eodem, quæ à Mose & Prophetis de Messia prædicta erant, ad Jesum Nazarenum applicari audivisset, de persona statim illi scrupulus ortus est, unde etiam hæc reposuit: Ἀπὸ Ναζαρὲθ κ. τ. λ. Τί ἀγαθὸν Neutrum pro τίς ἀγαθὸς Masculino positum esse, συναφεία textus evincit, cum de homine & persona sermo sit. Similia exempla suppeditat B. GLASSIUS. (α) ὁ ἀγαθὸς vero (allusive dictus vel ab α ἐπιτατικῷ & γηθέω, Doricè γαθῶ, gaudeo, vel quasi ἀγαστὸς ab ἀγάζομαι, admirabilis, vel ab ἄγαν, valde & θέω curro) ex usu Græce loquentium, hominem qua dotes animi & elegantiam vitæ atque morum probatum, & propterea omnibus gratum denotat. Plenius hæc oratio ita flueret: *An ex urbe Nazareth homo aliquis ingenio præstans, & morum vitæque probitate efflorescens, nedum Messias* παντάγαθος καὶ ὑπεράγαθος, *esse potest?*

§. 9. Quis jam verborum horum genuinus sensus sit, definiendum est. CHRYSOSTOMUS (β) verba illa *dubitativa* tantum esse statuit, dum ait: ἐπεὶ ἤκουσε Ναθαναὴλ, ὅτι ἐν Ναζαρὲθ, ἐθορυβήθη, καὶ διηπόρησεν, οὐχ εὑρίσκων συμβαίνουσαν τοῦ φιλίππου τὴν ἐπαγγελίαν τῇ προφητικῇ προῤῥήσει. Et non multo post: θέα δέ μοι καὶ τὴν παραίτησιν, πῶς ἐπιεικῆ πεποίηκεν ἐν ἐρωτήσεως τάξει. οὐδὲ γὰρ εἶπεν,

(ϱ) *Joh.* 1:41. (σ) *Hagg.* 2:8. (τ) *Scapula in Lexic. pag. m.* 538. (υ) *Luc.* 2:28. 38. (φ) *Homil.* 18. *in Joh. p.* 99. (χ) *Rom.* 10:5. (ψ) *Luc.* 16:29. (ω) *Luc.* 24:27. (α) *Luc.* 16:16. *Matth.* 5:17. (β) *Luc.* 24:44. (γ) *Contra* Epiphanium *hæres.* 29. *aliosque.* (δ) *Contra quosdam apud* Eduard. Leigh. *in Crit. S. N. T. pag.* 152. (ε) C. A. Osiandrum *apud* Chemnitium *H. F. Tom. I. pag.* 101. *seqq. &* Montacutium *l. c. Tom. I. pag.* 116. (ζ) *Matth.* 1:21. (η) Zimmerman. *Anal. Misc. pag.* 21. (θ) *Matth.* 1:21. (ι) *Luc.* 2:21. (κ) Epiphan. *hæres.* 34.

(λ) Lightfoot. *in Matth. pag.* 179. (μ) Drusius *l. cit. pag.* 89. *seq.* (ν) *Loc. cit. in Luc. p.* 748. (ξ) *in Josephina.* (ο) *Joh.* 18:7. (π) *Marc.* 1:24. (ϱ) 2. *Sam.* 17: *vs.* 25. (σ) 1. *Paral.* 2:17. (τ) 2. *Sam.* 15:18. (υ) *In* Schilo *pag.* 262. (φ) *Johann.* 5:46. (χ) *Loc. cit. vs.* 39. (ψ) *Luc.* 24:44. (ω) *Fasc. Exerc. Theol. Exerc. XX. de Præcipuo Scripturæ scopo, Jesu Christo.* (α) *Grammat. S. pagin.* 78. (β) *Homil. XIX. in Johann. pag.* 103.

εἶπεν, ὐδὲν ἀγαθὸν γαλιλαία φέρει, ἀλλὰ πῶς ἐν Ναζαρὲθ δυνατὸν τι ἀγαθὸν εἶναι; AUGUSTINUS (ω) ea *affirmative* vel *dubitative* explicanda esse contendit. Verba ejus hæc sunt: *Ambas pronunciationes potest ista vox Philippi sequi, sive sic pronuncies, tanquam confirmans, à Nazareth potest aliquid boni esse: Et ille, veni & vide. Sive sic dubitans, & totum interrogans: A Nazareth potest aliquid boni esse? Veni & vide. Sive E. illo modo, sive isto pronuncietur, non repugnant verba sequentia. Negativa* autem illa esse, Veterum & recentiorum Scripturæ interpretum communissima fere sententia est, qua statuitur, Nathanaëlem docere voluisse, Nazaretho nihil boni, nedum Messiam esse posse.

§. 10. Nobis communissima sententia videtur verissima, eique facile nobiscum calculum addet, qui, quam abjecte de Nazarenis olim apud Judæos judicatum fuerit, in mentem sibi revocat. Galilæi in universum alias male audiebant, tum ob corruptum dicendi genus, tum ob stupiditatem & stultitiam. Hinc commune proverbium fuit גְּלִילָאָה שׁוֹטָה de insigniter stupido, notante HACKSPANIO, (α) qui inde sensum verborum Pharisæorum ad Nicodemum: (β) Μὴ καὶ σὺ ἐκ Γαλιλαίας εἶ; non absurde hunc facit: **Bist auch du zum Narren worden?** Qua de causa etiam Prophetam ex Galilæa non surgere existimabant. (γ) Hinc & CHRYSOSTOMUS ait: Οἱ ἐκ τῆς γαλιλαίας ὄντες ἀγροικότερον πῶς καὶ παχύτερον διέκειντο. Nec quenquam latere potest, JULIANUM Apostatam propterea Christum & Christianos γαλιλαίους olim appellasse, & illo nomine traduxisse. Hic vero contemptus imprimis incolas Nazarethi, Galilææ oppidi, premebat, unde & hoc proverbium, ἀπὸ Ναζαρὲθ κ. τ. λ. ortum quidam statuunt. Propterea Judæi Christum, cujus patriam putabant urbem Nazareth, nefandis dicteriis onerabant. Nec videtur J. H. OTHO falli, (ε) quando in Bereschit Rabba per בֶּן נֵצֶּר (qui famosissimus Judæis latro habetur) tacite Christum Ναζωραῖον traduci conjicit. Similiter & postea per contemtum Christiani נוֹצְרִים & Ναζωραῖοι dicti sunt. Sic Paulus πρωτοστάτης τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως (ζ) *Tertullo* vocabatur. Et primitivi Ecclesiæ Doctores testantur, sub nomine *Nazaræorum* Christianis quotidie maledixisse Judæos. Audiemus hic tantum EPIPHANIUM, qui ita scribit: (η) Ἀνιστάμενοι ἕωθεν (οἱ ἰουδαῖοι) καὶ μέσης ἡμέρας καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς ἐπαρῶνται αὐτοῖς, καὶ ἀναθεματίζουσι, φάσκοντες, ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ Θεὸς τοὺς Ναζωραίους.

§. 11. Ex quibus cum satis clarum sit, Nazarenos ob morum pravitatem apud reliquos Judæos omnem laudem perdidisse, quid repugnet dicere, & Nathanaelem, ejus rei probe gnarum, verbis suis hic voluisse negare, quenquam bonum laudeque dignum virum, nedum Messiam ex Nazareth esse posse. Adhæc Nathanael legis divinæ peritus cognitum perspectumque habebat, urbem Bethlehem nativitati Jesu à DEO destinatam esse. Hac legis litera nixus qui non negaret, Messiam Nazaretho oriundum esse? Unde etiam absurdum non est, quæstionem hanc affirmativam negative, ut alias fit, explicare. Quin & verba sequentia Philippi, ἔρχου καὶ ἴδε, sic optime fluunt. Sensus enim hic est: *Dixi quod res est. Nec dubites, Jesum Nazarenum verum Messiam esse. Mecum illum accedito, & ex ejus sermonibus de omnibus, quæ forte dubium adhuc creare possunt, plenissime erudieris, & plus satis cognosces, in eum quadrare, quæ de Messia à Mose & Prophetis prædicta sunt.* Bene THEOPHYLACTUS: (θ) ὁ Φίλιππος ἔρχου καὶ ἴδε φησὶν, εἰδὼς ὅτι ἐὰν γεύσηται τῶν ῥημάτων τοῦ χριστοῦ, οὐκ ἀποστήσεται. Conf. etiam Magn. Dn. D. CAL. (ι)

§. 12. Tametsi vero verba Nathanaelis recte censeamus *negative* explicari, quibus ab illo negatum fuerit, Messiam ex urbe Nazarethanorum prodire posse, observandum tamen est, ea à Nathanaele non ex animo virulento aut maligno prolata esse, quasi iis Jesum propter externam generis obscuritatem, aut duriorem fortunæ sortem, more Pharisæorum, deriserit, sed esse animi columbina simplicitate conspicui, & in lege Dei de Messia optime informati argumenta. *Illud* placet B. LUTHERO, (κ) cujus verba Germanica hic adducere non pigrabor. **Es antwortet** Nathanaël, inquit, **was solte von Nazareth gutes kommen? Diese Wort redet Nathanael aus keinem bösen Hertzen/ wie den die Wort Christi zeigen/ daß er ihm das große Lob giebt/ er sey ein rechter warhafftiger Israeliter/ in dem kein Falsch ist etc.** Et paulo post: **Gleich wie eine iegliche Glocke ihren eigenen Klang und Thon hat/ also redet hie diese Worthe Nathanael/ als ein frommer und einfältiger guter Mann/ der den Worten Mosi und der Propheten gläubet/ und redet ohne Argelist und Boßheit/ aus gutem einfältigen Hertzen daher. etc.** *Hoc* innuit *Theophylactus*: (λ) ὁ Φίλιππος, ait, ἐκ Ναζαρὲθ τὸν χριστὸν εἶπεν, ὁ δὲ Ναθαναὴλ οἷα δὴ ἀκριβέστερος ὢν ἐγίνωσκεν ἀπὸ τῶν γραφῶν, ὅτι ἀπὸ Βηθλεὲμ δεῖ ἐλθεῖν τὸν χριστὸν, καὶ διὰ τοῦτό φησιν. ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; Plenius MONTACUTIUS: (μ) *Objicit Nathanael, fieri non posse, ut Jesus Nazarenus, Josephi fabri filius, Philippo & ipsi Nathanaeli de nomine, & quod videtur, de facie notus esset Messias, non propter humilitatem generis,* βαναυσότητα *professionis, tenues fortunas, nullas opes, quo forsan respiceret, qui mundana saperet; sed scripturale allegat impedimentum, quod esset domo Nazarethanus, cum certo constaret è Propheta, Messiam in Bethlehem nasci oportere, de domo, familia, urbe David.*

§. 13. Hactenus Nathanaelem ut nondum conversum, & ad Christum adducendum exhibuimus; Jam ut ad Christum adductus, & conversus oculis mentis nostræ subjiciendus est. Hic vero primum observamus egregium, quo à Jesu ornatus est, elogium, quod ita habet: ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι. Profecto ἀξιομνημόνευτον illud est, prout vel ipse Salvator non obscure innuit voce: Ἴδε, Ecce. Hæc, ut in vulgus notum est, in sacris tum προσεκτικὴν, tum παρεκτικὴν, tum ἐλεγκτικὴν vim habet, eamque omnem hic exerit. Voluit enim Nathanaëlem ad vim se venientem digito quasi monstrare Salvator, & dicere, *hic est*, nec non adstantibus verborum suorum veritatem ob oculos ponere, & ea devota attentione observanda inculcare.

§. 14. Verum quid illa volunt: Ἀληθῶς Ἰσραηλίτης? Ἰσραηλίτης dubio procul dicitur, quia est ex posteritate Jacobi Patriarchæ, qui post acrem cum Angelo increato, ipsomet Filio Dei, pugnam, & exoptatam eamque armis fidei impetratam victoriam, in insigne victoriæ hujus signum ab ipso Antagonista *ISRAELIS* nomen obtinuit; Quo de ipse Angelus ad Jacobum: (ν) לֹא יַעֲקֹב יֵאָמֵר עוֹד שִׁמְךָ כִּי־אִם יִשְׂרָאֵל כִּי שָׂרִיתָ עִם־אֱלֹהִים וְעִם־אֲנָשִׁים וַתּוּכָל׃ Qualis Israelita alias cum addito vocari solet ἐκ γένους Ἰσραηλίτης, (ξ) ὁ ἰσραηλίτης κατὰ σάρκα, (ο) it. ἰσραηλίτης ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ, (π) ad quem tria requirebantur, *Circumcisio, Baptismus sive ablutio, & oblatio sive sacrificium*, ceu ex MAIMONIDE annotat *B. GEIERUS.* (ρ) CL. HEINSIUS (σ) Israelitæ vocem in oppositione ad Sacerdotes & Levitas pro uno ex plebe sumi conjicit. Ita enim scribit: *In hoc, nisi fallor, sic accipitur Israelita, ut cum sacerdotibus opponi ac Levitis solet, qui cum omnem sibi vendicarent sanctimoniam, ac sæpe nihil minus essent, solus Israel restabat, ipsa nempe plebs, quæ sola sine fastu innocentiæ ac probitatis reliquam servabat laudem. Unde illud: Sacerdotes, Levitæ, Israel &c.* Nec σαρκασμὸν hunc improbo, siquidem illum consuetudo Nathanaelis cum Philippo imi subsellii homine statuminare videatur.

§. 15. Dicendum autem porro est, quid illæ voces conjunctim: ἀληθῶς ἰσραηλίτης: importent. LIGHTFOOT (τ) conjicit Nathanaelem ἀληθῶς ἰσραηλίτην à Christo dici, quod recessum quæsiverit, cum oraret, & non secundum religiosum dolum & hypocrisin gentis oraret, in viis & plateis & publice, ut conspiceretur ab hominibus. *HEINSIUS* (υ) existimat, Jesum in hoc elogio, Nathanaeli tributo, allusisse ad Nathinæos, genus aliquod hominum inter Israelitas ex dolis ac fraudibus quasi compositum, & docere voluisse, Nathanaelem nihil minus quam Nathinæum esse, sed verum Israelitam, simplicem & candidum. HOTTINGERUS (φ) τὸ ἀληθῶς ἰσραηλίτης applicat ad *Israelitas natos perfectos*, qui Judæis dicuntur יִשְׂרָאֵלִים גְּמוּרִים item אֲמִתִּיִּים vel מַאֲמִתִּים quorumque fides & officium in *Cosri* describuntur. Hic vero ille *verus Israelita* prædicatur, qui perfecte cum intentione purissima Dei existentiam ab æterno, ejus providentiam, liberationem ex Ægypto ab eo factam agnoscit, & præterea sedulo ad eum preces fundit. *MONTACUTIUS* (χ) (cum observaverit τὸ ἀληθῶς & φαινομένως sæpe sibi contradistingui) autumat, dici posse, Nathanaelem à Jesu ἀληθῶς ἰσραηλί-

(ω) *Loc. cit.* (α) *Part. 1. Not. Theol. Philolog. Proleg. pag. 9.* (β) *Joh. 7: 52.* (γ) *Ibid.* (δ) *Loc. c.* (ε) *Lex. Philol. p. 77.* (ζ) *Act. 24: 5.* (η) *Hær. 29.* (θ) *Comment. in h. l. p. 581.* (ι) *Bibl. Illustr. in h. l.* (κ) *Loc. c.*

(λ) *Loc. cit.* (μ) *Tom. 2. orig. Eccles. p. 17.* (ν) *Genes. 32: 28.* (ξ) *Philipp. 3: 5.* (ο) *Rom. cap. 9: 3, 4.* (π) *Roman. 11: 1.* (ρ) *Comment. in Psalm. p. m. 675.* (σ) *In Aristarcho S. pag. 865.* (τ) *Hor. Ebr. in h. l. pagin. 968.* (υ) *In Exercit. S. pag. 215.* (φ) *Thesaur. Philol. pag. 12.* (χ) *Loc. cit. Tom. 2. pag. 17.*

ἰσραηλίτην appellatum fuisse, in oppositione ad Georam, Gentiles, Proselytos & Samaritanos apparenter Israëlitas, qui tales habiti sint generali quadam acceptione, eo quod terram Canaan habitarint. Sed has interpretationes omnes nos merito missas facimus, quia vel σχηματισμὸς & allusiones, nullo plane, ex textu demonstrabili, fundamento nixas, & Homiletis potius quam Philologis convenientes redolent, *vel* rem ipsam plane non attingunt, vel eam tantum *ex parte*, *incomplete*, *& inadæquate* describunt, nec elogii hujus latifundium exhauriunt.

§. 16. Alii E. interpretes, sollicitius elogium hoc Nathanaeli datum excutientes, distinguunt hic ex *Paulo* (α) inter Ἰσραηλίτας κατὰ σάρκα & κατὰ πνεῦμα s. ἐπαγγελίαν, quorum *illi* sunt ἐξ Ἰσραήλ, sed non Ἰσραήλ, sunt σπέρμα Ἀβραάμ, non τέκνα, sunt τέκνα τῆς σαρκὸς, non τέκνα τοῦ θεοῦ, nec τέκνα τῆς ἐπαγγελίας; *Hi* v. sunt filii Dei, in Deum vero credunt, Messiam norunt & amant, eique infucata animi simplicitate firmiter adhærent. Statuunt jam illi, elogio hoc Christi: Ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, respici ad *Israëlitas secundum spiritum*, & innui, ex iis unum esse *Nathanaelem*, h. e. eum esse vera fide animique integritate illustrem, & sincere expectare Messiam, in quem confidat. Hanc sententiam suam faciunt *B. CHEMNITIUS*, (β) *B. HUNNIUS*, (γ) *CALOVIUS*, (δ) *MONTACUTIUS*, (ε) sententiæ suæ supra memoratæ diffisus, *TOSSANUS*, (ζ) aliique non pauci. Nec dissentire nobis videtur HUGO GROTIUS, (η) quando vult generaliter respectum haberi ad probitatem Jacobi s. Israëlis, quem virum integrum, sincerum, pium Messiæque in carnem exhibituri amantissimum sacræ literæ perhibent.

§. 17. Huic sententiæ etiam nos accedimus, firmiter persuasi, Christum hic & candorem & fidem in Messiam in Nathanaele respicere & laudare. Robur hujus sententiæ ex ipso textu petimus. De *Candore* testantur verba sequentia ἐξηγητικά: ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι. Δόλος (Grammaticis dictus vel ab antiquo δέλω, inesco, vel δηλέω, lædo, vel δολοῦν, quod de tinctoribus alium colorem induentibus adhiberi solet) machinationem animi malam, in alterius damnum directam, externe tamen specie boni tinctam & coloratam notat, qua incauti inescantur & seducuntur, & ita læduntur. Vel, si AUGUSTINI (θ) verba malis: *Dolus fraus est, simulatio est, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est*, & quasi *duo corda habet; unum sinum cordis habet, ubi videt veritatem, & alterum sinum, ubi concipit mendacium.* Verbo: Hypocrisis est. Hypocritæ E. sunt, ἐν οἷς δόλος ἐστι. Hebræi eleganter eos appellitant צבועין, *tinctos vel coloratos*, (ι) & Græci διψύχους, (κ) dicunturque Psalmographo ἐμφατικῶς בְּלֵב וָלֵב loqui. (λ) Contra ἐν οἷς δόλος οὐκ ἔστιν, ἀνυπόκριτοι sunt, à fuco alieni, sinceri, candidi. Hebræis תמים audiunt, (μ) & loqui dicuntur לֹא בְּלֵב וָלֵב, (ν) Et quæ alia eorum sunt elogia. *Candorem* E. & in verbis ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, innui nullum est dubium. Imo vocem ἀληθὴς καὶ ἀλήθεια pro sincero & sinceritate quoque usurpari in sacris, inspectio docet. Sic qui gloriam Dei quærit, dicitur esse ἀληθὴς, i. e. sincerus, sine fuco, ἐν ᾧ ἀδικία οὐκ ἔστι, (ξ) qui ex alio loco (ο) posset vocari ἄνθρωπος μετ' ἀληθινῆς καρδίας. Ita ἀλήθεια in hac significatione opponitur προφάσει, (π) & quando ἐν ἀληθείᾳ orare & Deum adorare jubemur, integritas cordis nunquam non inculcatur. Hæc autem integritas Nathanaelis in eo elucebat, quod, cum ei ex lege Dei constaret, non è Nazareth, sed Bethlehem Messiam proditurum esse, παῤῥησιαστικῶς antea loqueretur, nil dans gratiæ, sed libere dicens, quæ ipsi Scripturæ S. consentanea viderentur. Hinc CHRYSOSTOMUS, (ρ) ad verba: ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, non male commentatur: ὥστε ἔνι καὶ ψευδὴς Ἰσραηλίτης. Ἀλλ' οὐχ οὗτος τοιοῦτος. Ἀδέκαστος γὰρ αὐτοῦ φησὶν ἡ κρίσις, οὐδὲν πρὸς χάριν οὐδὲ πρὸς ἀπέχθειαν φθέγγεται. Ubi tamen adhuc observamus, eandem fere phrasin de Nathanaele quidem & CHRISTO (σ) prædicari, non tamen eodem sensu. De Christo enim cum dicitur, ἀναμαρτησίαν infert, siquidem ille sit ὅσιος ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. (τ) De Nathanaele autem, cui, ut cæteris φιλανθρώποις, peccatum εὐπερίστατον, tantum εἰλικρίνειαν indicat.

(α) *Rom.* 9: 6, 7, 8. (β) *loc. alleg. p.* 213. (γ) *in h. l. p.* 101. (δ) *Bibl. Illust. Lat. in h. l. pag.* 682. *& Germ. pag.* 697. (ε) *loc. cit.* (ζ) *in h. l. pag.* 229. (η) *in h. l.* (θ) *l. c. p.* 69. (ι) *V. Lex. Rabbin.* Ottonis; *p.* 248. (κ) *Jacob.* 1: 8. 4: 8. (λ) *Psalm.* 12: 3. (μ) *Psal.* 15: 2. *& conf.* B. Geier. *Comment. in h. l. p. m.* 199. (ν) 1 *Paral.* 12: 33. (ξ) *Joh.* 7: 18. (ο) *Ebr.* 10: 22. (π) *Philip.* 1: 18. (ρ) *Hom. in Joh.* 19: *p.* 103. (σ) 1 *Petr.* 2: 22. (τ) *Ebr.* 7: 26.

§. 18. Ad *Fidem* v. digitum simul intendi, vel verba illa Philippi ad Nathanaelem: Ὃν ἔγραψε Μωσῆς &c. luculenter evincunt, utpote ex quibus sine ulla στρεβλώσει colligitur, Philippum inter & Nathanaelem de sententiis Mosis & Prophetarum, Messiam promittentibus ac describentibus, frequens fuisse colloquium, ac in utroque ardentissimum illius, quod sine fide non est, desiderium extitisse. Alia argumenta, quæ pro hac sententia ex ipsis textus nostri visceribus Theologia eruere potest, libens prætereo, ne falcem in alienam messem immittere videar. Ad illud a., quod objici poterat, Nathanaelem Jesum Nazarenum verum Messiam nescivisse, imo verbis suis ante adductis plane rejicere voluisse, acute Magnus ille Argentoratensium Theologus B. DANNHAVERUS (υ) respondet. Inde etiam est, quod CHRYSOSTOMUS (φ) verba illa Nathanaelis οὐκ ἀπιστοῦντος, οὐδὲ ἐγκλημάτων ἄξια, ἀλλ' ἐπαίνων statuat, & THEOPHYLACTUS (χ) ea ῥήματα οὐκ ἀπιστίας, sed ἀκριβείας καὶ νομομαθοῦς διανοίας pronunciet.

§. 19. Ex hoc Christi elogio sibi tributo advertit Nathanael, abdita & occulta cordis sui coram oculis ejus esse γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα, & propterea in admirationem raptus, quæsivit ex Christo, unde illam sui notitiam adeo accuratam & intimam hausisset? πόθεν, inquit, με γινώσκεις; Ἐπιμελῶς (Ναθαναὴλ) ζητῶν καὶ ἀκριβέστερον διερευνώμενος, καὶ βούλεται τι σαφὲς μαθεῖν. Αὐτὸς μὲν οὖν ὡς ἄνθρωπον ἐξήταζεν ἔτι, ὁ δὲ Ἰησοῦς ὡς θεὸς ἀπεκρίνατο, bene ad hæc verba commentatur CHRYSOSTOMUS. (ψ) Quæ autem illa ἀπόκρισις? πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε. Πρὸ cum Infinitivo verbi eleganter constructum, vertendum est per *antequam* vel *priusquam*, & Accusativus Φίλιππον in Nominativum mutandus est. Verba E. illa redduntur recte ab Interpretibus: *Antequam Te Philippus vocaret.* Suppetunt similia exempla in N. T. libris. Sic dicitur: πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτὸν, i. e. *antequam vos* eum oretis. (ω) Alibi: πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ, i. e. *antequam* ille conciperetur in utero. (α) Nec modus ille loquendi profanis scriptoribus insolens est, ceu quotidiana eorum lectio ostendit. In ipsa autem responsione JESU commemoratur, (1) *Tempus*, quando sc. ille viderit Nathanaelem. Nempe, *antequam à Philippo quæreretur & vocaretur.* Quo ipso omnis suspicio removebatur, quasi à Philippo Christo nonnulla de Nathanaele ante fuissent patefacta; (2) *Locus*, in quo Jesus Nathanaelem viderit, nempe *sub ficu*, quæ arbor in oriente frondosa mire & densa fuisse perhibetur. Quæ HEINSIUS (β) cum aliis hic annotat, utpote quod Jesus verbis suis quasi aliud agendo ad suavissimum mitissimumque Nathanaelis ingenium, vel ad ipsius Messiæ tempus pacificum allusisse videatur, it. quod sub ea arbore, sub qua Protoplastos nostros primum peccasse volunt, hic verus Israëlita ab eodem verbo, cujus tum audita vox est, ad arcanum felicitatis Evangelicæ vocatus sit, iis brevitatis causa non immoramur. (3) *Modus*, quomodo Christus eum viderit, nempe absentem, & qua præsentiam corporalem longe dissitum. Quæ omnia παντεποψίας divinæ argumenta infallibilia Nathanaelis animo subministrarunt. Conf. pluribus hac de re Venerandum nostrum CALOVIUM. (γ)

§. 20. Quinimo tantum hæc Jesu Nazareni verba apud Nathanaelem potuerunt, ut vera fide verum mundo promissum Messiam illum agnosceret, confestimque hanc egregiam fidei suæ confessionem ederet: Ῥαββὶ, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. Veri Messiæ γνώρισμα habuerunt antiqui Judæi hoc, quod sit odoraturus & judicaturus non per conspectum oculorum, sed per intimum animi scrutinium. (δ) Nathanael plus satis hic cognoverat, Jesum Nazarenum ita posse odorari & judicare. Hinc etiam jam credit, eum esse verum Messiam. Confessio ejus tota Biblica est, ex variis Scripturæ sacræ locis collecta, (ε) quæ simul etiam non proletarium de notitia ejus in lege Domini testimonium perhibet. Paucissimis tantum propter angustiam pagellarum de ea agemus. *Primum* eum *Rabbi* appellat, h. e. Magistrum & Doctorem. Distinguunt alias Hebræi inter *Rabban*, *Rabbi* sive *Ribbi*, & *Rab vel Mar*, quo de conf. BUXTORFIUS. (ζ) Et monet LEUSDENIUS (η) Christum nunquam dici *Rabban*, eo quod non fuerit Princeps populi, nec *Rab vel Mar*, quod non habitaverit extra terram sanctam, sed *Rabbi*, quod fuerit

(υ) *Hodomor. Pap. P. I. p.* 6. (φ) *l. c.* (χ) *l. c.* (ψ) *l. c. p.* 104. (ω) *Matth.* 6: 8. (α) *Luc.* 2: 21. (β) *Exerc. S. p.* 215. *& Aristarch. S. pag.* 865. *seq.* (γ) *loc. cit.* (δ) *V.* Lightfoot *in Matth. pag.* 349. (ε) Calov. *l. cit.* (ζ) *Lex. Chald. Talmud. Rabbin. pag.* 2176. (η) *in Philologo Ebræo pag.* 38.

rit Doctor habitans in terra sancta. Sed ἀκρίβεια illa hic forte opus non est. Sufficit dixisse, Nathanaelem voluisse indicare, Jesum esse *Doctorem multiplici scientia conspicuum*; quomodo & *Maria* Christum vocabat Ῥαββουνί (ϑ) & *Bartimæus* Ῥαββουνί. (ι) Deinde *Jesum FILIUM DEI* agnoscit. Σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Filium Dei naturalem & ὁμοούσιον, non adoptivum & gratiæ, intelligi, docent & probant IRENÆUS, TERTULLIANUS, CYRILLUS & AUGUSTINUS apud MONTACUTIUM, (κ) & ex recentioribus Vir exasciati judicii B. DORSCHEUS, (λ) &, quod miror, ipse MONTACUTIUS, (μ) qui tamen alibi ἁπλῶς asserit, Judæos antiquiores & recentiores Messiam suum, quem expectaverint, & adhuc expectent, non Deum, sed hominem tantum fore statuisse. Et notissimum sane est, Judæos antiquos agnovisse, Filium Dei ὁμοούσιον esse, & Messiam etiam Deum fore. (ν) Tandem & *Regem Israelis* Jesum vocat. Messias enim talis esse debebat, ceu ex Scriptura V. T. evidens est. Unde & in Historia N. Test. Evangelica ipse Christus testatur, se non esse missum, εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου ἰσραήλ. (ξ) B. CHRYSOSTOMUS (ο) & qui eum sequitur, THEOPHYLACTUS (π) ex hoc titulo colligere annituntur, Nathanaelem Jesum ψιλὸν ἄνθρωπον tantum agnovisse & confessum esse, & nondum venisse εἰς τὴν τελείαν γνῶσιν τῆς ἀληθοῦς θεότητος μονογενοῦς, quia si vere Jesum Deum esset confessus, eum non dixisset βασιλέα τοῦ ἰσραήλ, sed βασιλέα τοῦ παντός. Sed reclamat hæc sententia tum antecedentibus, tum consequentibus textus, notandumque est, exclusivam in verbis Nathanaelis non esse, nec ejus positionem ullam rationem solidam suadere. Illam autem rationem, in qua maximum momentum prælaudati Doctores ponunt, removet MONTACUTIUS. (ρ) Verum hujus rei ulteriorem interpretationem ad forum Theologicum remittimus, hoc duntaxat notantes adhuc, articulum ὁ (cum dicitur: ὁ υἱὸς &c. ὁ βασιλεὺς &c.) habere vim ἐξοχικὴν καὶ δεικτικὴν ad illum filium DEI & Regem Israëlis, ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται.

TANTUM.

(ϑ) *Joh.* 20: 16. (ι) *Marc.* 10: 21. (κ) *l. c. T.* 2. *p.* 170. (λ) *Pentadec. Disp.* 2. §. 39. *pag.* 95. (μ) *l. c. p.* 66. (ν) *v. inter alios* Galatinus *in Arcanis Catholicæ Veritatis l.* 2. *c.* 1. & 5. & *l.* 3. *c.* 5. &c. & Saubertus *Palæstr. Theol. Philol. pag. m.* 179. *seqq.*

(ξ) *Matth.* 15: 24. (ο) *l. c.* (π) *l. c.* (ρ) *l. c. T.* 2. *p.* 170. *seq.*

Ἰησοῦ κλέος!

M. MICH. ARNOLDI SUB FRISCHMUTHO DISSERTATIO de Piscina Bethesdea ad Joh. V: 2. &c.

בעזרת השם :



SI unquam Ebræorum Magistri aliquid tanquam ex tripode dixerunt, sane illa cedro digna sententia est, quam habent de Scriptura sacra: אין לתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלוים בה: *Non est in lege (Scriptura sacra) vel litera una, à qua non montes magni (doctrinarum) dependeant*: Quod sanctus quoque Hieronymus fassus est, Epist. 2. l. 2. *in verbis singulis*, inquiens, *multiplices latent intelligentiæ*: Gemella his habet S. Chrysost. homil. 21. in Genes. Tom. 1. p. 144. οὐδὲ inquiens, συλλαβὴ, οὐδὲ κεραία μία ἐγκειμένη ἐστὶ τῇ γραφῇ, ἣ μὴ πολὺς ἐναπόκειται θησαυρὸς ἐν τῷ βάθει. *Neque vel Syllaba vel unicus apex in scriptura est, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus.* Quæ scripturæ elogia eo collineant, ut in indagando sensu literarum sacrarum, & evolvenda significatione vocum, nulli operæ parcendum esse, aurem quasi nobis vellicent: quippe quarum divitias tunc demum consequamur, si secundum Salvatoris nostri monitum, Joh. 5: 39. ἐρευνῶν, & sagaciter indefesso studio è latebris quasi eas eruere non cessemus. Cujusmodi operam cum & nomenclatura Bethesda Joh. 5: 2. requirat, vel ob solum illud anniversarium miraculum, quo, quocunque morbo laborantes, sanati fuisse perhibentur, ἐξήγησιν ejus uberiorem adornare nobis decretum est. Quam instituentes, licet לקט אחרי קציר ut Ebræi loquantur, videamur moliri, nec hunc tamen laborem nostrum in Domino frustraneum futurum arbitramur: DEUS τελεσμένης vires largiatur, & L. Benevolus veniam.

CAPUT I.

Bethesdæ varia lectio. Versionis Vulgatæ errores. Bethsaida quid significet, & cur cum Bethesda confundatur. Bethseda per Metathesin pro Bethesda. Bethadi: Vera tandem lectio: Etymologia diversa: Homonymia Probatica dicitur hic per Ellipsin. Ellipsis illa quænam. Ἀσάμινθος & ὀδυνήφατον unde. Piscina hæc ubi sita. quo in pretio. quid στοά. Bajæ. Thermæ. Unde Bethesda suam vim. Diversæ Autorum opiniones.

§. 1. PRo ingenioli igitur mei paupertini & virium tenuium modulo piscinam Bethesdeam me consideraturum, primo omnium de ejus Etymologia & Synonymia sollicitum esse oportet, juxta vulgare illud monitum: Δεῖ πρῶτον τὸ τῆς φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν.

§. 2. Antequam autem ipsum nomen Βηθεσδὰ evolvamus, abs re non esse putamus, prius si dicamus, quænam sit vera & genuina hujus vocabuli lectio. Solent etenim Autores non uno modo illud & scribere & pronunciare.

§. 3. Augustinus, Lyra, Tertullianus, Theophylactus ut & Versio vulgata pro Bethesda legunt Bethsaida. Ast quo jure, mox liquido patescet. Nam ut prætereamus Biblia latina, seu Versionem Vulgatam, quam Pontificii pro authentica venditant, quæ tamen est mendosissima, & plusquam 8000. erroribus involuta (uti Dn. D. Zapfius in præfat. Graveri Redivivi annotat) & ita etiam hoc in loco corrupta, quemadm. inter alios hunc errorem vidit B. Hunnius in Exam. Con-

Controv. gen. Robert. Bellarm. de verbo DEI scripto p. 326. verisimile est, deceptos fuisse hos, alias magni nominis Viros, cognatione Vocabuli Bethsaida cum Piscina Bethesda: Nam quia בֵּית צַיְדָא significat *domum piscationis*, putarunt, Piscinam nostram esse eam ipsam domum Piscationis, sive oppidulum Bethsaidam, patriam Philippi & Andreæ, Joh. c. 1. vs. 44.

§. 4. Alii, quamquam paucissimi, legunt Βηθσεδὰ Bethseda: Sed unde hæc lectio sit nata, vix ariolari queo. B. Brentius quidem, Vir in sacra & profana literatura versatissimus, in Exegesi sua in Joh. p. m. 78. ut & in Homil. p. 222. dicit, Ebraice hanc Piscinam vocari Bethsedam, & deduci juxta quosdam à בַּיִת domus & עֵדֶר quasi dicas *domum gregalem* seu pecualem: Sed incommodam hanc esse & lectionem & derivationem vidit ipse B. Vir, addens: Si hoc vocabulum descendit ab עדר apparet, mutilum esse, legendum enim erit *Betheder:* Si conjectare licet, putamus illud Bethseda natum per Metathesin literarum ε & σ, ex incuria descriptorum, rem illam, ut solet genus illud infrunitum, ignorantium.

§. 5. Erasmus de Wolfgango Musculo dicit, quod legerit בֵּית שַׁדִּי *domus ornatus*; sed lectionem hanc esse supposititiam & falso tribui Musculo, non immerito censet Bald. Walæus in comment. ad h. l.

§. 6. Remotis igitur removendis, statuimus, veram, genuinam & in omnibus à vitiis purgatis exemplaribus retentam lectionem esse Βηθεσδὰ Bethesda; quod vocabulum non est simplex, sed compositum ex duabus voculis.

§. 7. Prior vox, de qua plane nullus inter Autores est dissensus, est בַּיִת significans proprie *domum*; generaliter autem *locum* quemvis, quo aliquid continetur, uti Buxtorf. in Lex. p. 73. docet: Ast de altera discrepant Autores, unde deducatur: tot fere sunt sententiæ, quot Cretæ urbes.

§. 8. Prælaudatus Brentius, in Exeges. in Joh. p. c. opinatur deduci voculam Bethesda à בַּיִת & עֵז capra, quasi dicas, *domum caprarum*: Duæ enim, ait, literæ sd pro ז ponuntur, ut & in dictione Esdra fit; Ast quod pace tanti Viri dixerim, haud congrue. Notum enim, quod litera ז, uti vult Brentius, non idem valeat ac sd, sed quod interdum æquivaleat simplici S. interdum vero ds, sive Z; Unde pronunciamus illam literam ז, non per sd. sdain; sed per ds, dsain: Et ita, si recte velimus effari vocabulum עֶזְרָא, dicendum esset Edsra, non Esdra, ut Vulgata Versio habet, & quibusdam legere placet.

§. 9. Hinc alii, notante B. Glassio, in Phil. sacr. *l.* 1. *tr.* 4. *p. m.* 335. vertunt vocem Bethesda per DOMUM effusionis, legentes בְּתְאֶשְׁדָא à vocabulo אֶשֶׁד *effusio*, ex Chaldaico אשד uti docet Cl. Buxtorf. in Lex. p. 53. & Georgius Pasor in Etym. Nomin. propr. p. 11. a.

§. 10. Dant autem Interpretes hujus Etymi rationes plurimas. Nam, dicunt scaturiginem illam aquarum non fuisse loci illius propriam, sed aliunde petitam, & in lacum istum effusam, id quod, quomodo fieri potuerit, ap. B. Gerhard in Harmon. Evang. p. 352. videre est. Alii tamen putant, illam Piscinam dictam fuisse Domum effusionis, quod ibi sanguis victimarum fuerit effusus: Ludovic. de Dieu addit aliam, & quidem non ineptam opinionem; dici nempe illam DOMUM effusionis, quod ibi fusa sit aqua in oves ad eas à sordibus abluendas, quo ad victimas aptarentur. Id quod in medio relinquimus.

§. 11. Nam licet hæc derivatio non ita sit absurda, nec plane rejicienda, tamen malumus, salvis aliorum judiciis sequi Versionem Syriacam, utpote hac vice Magistram & Ductricem omnium certissimam: Legit autem illa ܒܝܬ ܚܣܕܐ & derivat à vocabulo חֶסְדָּא quod originem trahit ab Ebraico חֶסֶד benignitas: Est igitur Bethesda idem ac *Domus benignitatis* sive *misericordiæ*, quia scilicet Clinicis & languidis ibi decumbentibus per divites Eleemosynæ porrigebantur, ipsisque benigniter providebatur. Vel, quod probabilius, quia ex hoc lavacro DEI singularis benignitas & misericordia manifesto sese exerebat.

§. 12. Nec est, quod quis regerat, Johannem dixisse, hanc Columbethram vocari ita Ἑβραϊστὶ, non autem Syriace, ut nos putamus. Intelligitur enim ibi non proprie Eberina lingua, sed Syro Chaldaica, quæ tunc temporis inter Israëlitas erat usitatissima; id quod fit ob cognationem quam cum ea habet, filia Matris nomen sibi attribuente, uti loquitur Glass. l. c. Et hæc prolixe de Etymologia:

§. 18. Nunc etiam Homonymiam, quæ in N. T. nulla invenitur, in Veteri videamus Testamento, appellatur hæc nostra piscina הָעֶלְיוֹנָה superior, 2 Reg. 18: 18. ad differentiam alterius, quæ à situ dicebatur הַתַּחְתּוֹנָה inferior, Esa. 22: vers. 9. De quibus vide sis Fessel. in Concord. *p.* 181. *lit. f. col.* 2. & 3.

§. 14. Multi autem Autores in ea sunt sententia, quasi vocetur etiam ap. Johannem κολυμβήθρα προβατική, *Piscina Probatica* der Schaffteich: Ita censet Erasmus in Paraphrasi: Arabs, qui vertit ברכה אלצאן *piscina ovium* Theophylactus cum Chrysostomo, Hieronym. in loc. Ebr. tom. IV. à lit. B. incip. ubi ait: *Bethesda, Piscina in Jerusalem, quæ vocabatur* προβατικὴ *& à nobis interpretari potest, pecualis.*

§. 15. Et nisi me conjectura fallit, legerunt hi nominati Autores, duo illa vocabula προβατικὴ κολυμβήθρα duplici modo: Quidam hæc verba in Nominativo, omissa particula ἐπὶ ita exposuerunt: ἔστι ἣ ἐν Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. Et ita legisse Chrysostomum & Theophyl. testatur Gomar. cit. Walæo in h. l.

§. 16. Alii autem putarunt, utrumque vocabulum in Dativo esse legendum cum jota subscripto, h. m. ἔστι ἣ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα.

§. 17. Sed in hanc sententiam illud Rabbinicum quadrat, אין טעם וריח בפירוש הזה *nullus est sapor neque odor in expositione hac*: Nam reclamat primo constans omnium codicum Græcorum & MSS. lectio, qui non solum particulam ἐπὶ cum Dativo προβατικῇ, sed & nomen, κολυμβήθρα absque jota in Nominativo habet & retinet. Et certe, si juxta illos duo hæc vocabula προβατικὴ & κολυμβήθρα sunt conjungenda; quinam tandem eveniet sensus? Est dicunt, Hierosolymis ad Probaticam Piscinam, dicta Hebraice Bethesda &c. sed quid est ad illam Piscinam? Quid dicitur Bethesda? Nulla hic cohærentia, nec verbum ἔστι ab initio positum, ut & dictio λεγομένη, habet substantivum, ad quod referatur.

§. 18. Rectius proinde, meo judicio, sentiunt illi, qui in voce προβατικῇ quærunt quandam ἔλλειψιν dicentes, omissam esse hic voculam, quæ necessario subintelligi debebat. Ea autem qualis sit, iterum controvertitur.

§. 19. Sunt, qui statuant omissam esse voculam ἀγορᾷ, hoc sensu, ἔστι ἣ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ ἀγορᾷ, *ad forum pecuarium*: Nam dicunt, ex hoc foro petitas esse oves immolandas, eidemque vicinam fuisse Bethesdam, & editissimam turrim Ophet. De quo vid. Heidm. in Palæstin. cap. 2. §. 80. p. 27. Quoniam vero hoc forum ἄπρ χαφῆς dicitur, transeat eorum opinio.

§. 20. Alii ergo subintelligunt vocem οἴκῳ, ubi scilicet servabantur oves pro sacrificiis: Nam erat antiquitus locus constitutus extra templum pro emendis iis, quæ ad sacrificia pertinebant, Deut. 14: 16. Vide. Gerhard. *l. supra cit. p.* 352. id quod in medio relinquimus.

§. 21. Quidam sunt in ea sententia, subintelligi vocem χώρας h. l. Est autem Hierosolymis circa vel ad Probaticam Regionem Piscina: Et ita sensisse Sixtum Senensem in Biblioth. sanct. apparet, cum p. 748. ita scribit: Si diligenter consideremus ea, quæ scribuntur 2 Paral. 4. necessaria consecutione colligemus, piscinam quandam seu aquarum receptaculum fuisse Hierosolymis, in Regione quæ à Johanne Probatica nominatur: Ita etiam Procardus, cit. Gerh. pag. 352. scribit: Ab area templi contra aquilonem est porta vallis, ducens in vallem Josaphat, & hæc etiam vocatur Gregis, quod per eam introducebantur Greges immolandi in templo: Porro intrantibus portam gregis ad sinistram occurrit Piscina Probatica, in qua Nathinæi lavabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas: Probatica igitur est nomen loci, in quo vel circa quem fuit piscina, Hebraice dicta Bethesda. Hæc ille. Sed cum & hæc opinio Scripturæ destituatur testimonio, & Procardus sibi ipsi contrarietur, ideo in eam etiam pedibus ire non possumus.

§. 22. Credimus potius commodissime substitui posse voculam πύλη *Porta*, ut sit sensus: Est ad probaticam portam Piscina, quæ dicitur Bethesda: Et ita hoc complet non solum Bezæ versio, Pasor in Lexico, B. Hunn. Comm. ad h. l. p. 213. B. Calixt. Concord. p. 117. & 118. B. Althoferus in Harm. p. 265. sed & invenimus Portæ hujus vestigia clarissima, ap. Nehem. 3: 1. & 12. &c. 12: 11, 26. ubi dicitur in Ebr. שַׁעַר הַצֹּאן quod vertunt LXX. plane eod. modo, ut Johannes: πύλη προβατική. Audacter igitur asseverare possumus; Synonymum Bethesdæ non esse κολυμβήθραν προβατικὴν, cum ea h. l. absque ullo προσδιορισμῷ vocetur κολυμβήθρα i. e. *Natatorium*, quo non pisces capiuntur, sed abluuntur sordes. Unde καταχρηστικῶς piscina dicitur.

§. 23. Non-

§. 23. Nonnus Panopolitanus (quem Angelus Politianus vocat mirificum Poëtam; Heinsius vero in Aristarcho sacro, ut hic, p. 886. ita per totum librum castigat,) in Paraphr. sua dicit, quod fuerit εὐρυτενὴς ἀσάμινθος *Piscina latipatens*: ab ἄσις lutum, παρὰ τὸ ἄσιν μινύθειν *à sordibus eluendis*. Cæterum cum τὸ ἀσάμινθος idem significet, ac πύελος, &, ut Hesychius explicat, sit λίθος εἰς βάθος κεκολαμμένος εἰς (ita Heinsius supplet) ἔμβασιν, ἢ λέβης μέγας, nisi Poëtica eum licentia excuset, minus convenienter reddidit. Consimiliter dum ὀδυνήφατον ὕδωρ, vocat *pellens dolorem aqua*, ab ὀδύνη *dolor* & φάω *occido*, *frango*, non tam ipsam vocem Græcam exponit, quam ab effectu rem describit. Κολυμβήθρα enim natales suos debet verbo κολυμβᾶν *natare*, & proprie natatoriam, sive lavacrum, significat. Unde Suidas eam explicaturus ait κολυμβήθρα ὁ κόλυμβος, κόλυμβος ἢ ὁ τοῦ λουτροῦ, & Syrus interpres ܕܘܟܬܐ ܕܡܥܡܘܕܝܬܐ *locus lavacri*.

§. 24. Atque hic notatu dignum est, LXX. Interpretes Eccles. 2: 6. vocem Ebræam ברכה, quam alias κρήνην vel λίμνην vertere solent, κολυμβήθραν transtulisse. Illa vero, ut Kimchi in libro Radicum docet, denotat מים מכונסין ולא מעין *aquas introductas, non fontem.* Cui Lexicographo si fides habeatur, hoc nomine veniunt חריצים בנוים באבנים ובסיד ומכניסין מימי הגשמים או מכנסין שם מים או מושכין להם מים מן המעין: *fossæ lapidibus & calce extructæ, in quas immittuntur aquæ pluviales vel fontanæ.* Cujusmodi aquarum fossæ id nominis apud Ebræos à divina benedictione accepisse videntur, quod Oriens esset siccus & aqua destitutus. Hinc Kimchi τὸ ברכה Psal. 84:7. & alii Jud. 1:15. de piscina vel stagno accipiunt. Neque heri demum aut nudius tertius vox illa hoc significare jussa est. Pridem enim Phœnicium *Perca* inde ortum est, unde *Percusa*, lacus Ennæ vicinus, & Græca dictio βραγός, *paludem* significans. De qua Hesychius: βραγός, τὸ ἕλος.

§. 25. Hanc sanationibus celebrem natatoriam, quam Frontonus *conceptelam* appellat, Evangelista sitam esse ait, ἐπὶ τῇ προβατικῇ ubi τὸ ἐπὶ idem significat ac παρὰ, perinde ac apud Homerum, cum ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι *ad fores Priami*, & Thucydidem, ἐπὶ ποταμῷ *apud fluvium*. Hallucinatus igitur est Nonnus, dum reddit: ἐν ἐνύδρῳ προβατικῇ, cum Johannes nihil aliud innuat, quam ad portam probaticam, sive pecuariam, è qua cingulum urbis descripturi Chorographi ex Neh. 3. peripheriæ initium sumunt) hanc piscinam sitam fuisse, nempe à parte australi, & parum remota ab isto angulo, qui austrum respexit & orientem.

§. 26. Nihil vero præ reliquis stagnis hæc piscina ex se suaque natura peculiare habuit, quippe non propriis scatebris & venis prædita, sed aliarum aquarum colluvie constans. Postquam autem Deus εὐεργέτης impervestigabilem gratiæ suæ thesaurum ibi aperuit, ut is, qui ad aquæ motionem ab Angelo factam, primus ingressus esset, sanus exiret, quocunque etiam morbo laborasset, tum demum magni ea fieri cœpit, tam illustre nomen adepta, ut *domus gratiæ*, vel ut Arabs reddit, *domus misericordiæ* appellaretur. Factum inde est, ut commune nosodochium ibi extruerent, πέντε nempe στοὰς, vel ταμεῖα, ἀποχωρήσεις, sive *valetudinaria*, in quibus ægri decumberent.

§. 27. Dixi sua natura & ex se sanandi vim piscinam non habuisse, quod de Bajis affirmat Plinius, lib. 31. c. 2. *nunquam*, inquiens, *largius quam in Bajano sinu emicant benignæ aquæ, neque pluribus auxiliandi generibus.* Cujusmodi virtutem thermas exerere notum est, quanquam alium etiam usum fabuloso Heroum ævo iis tributum fuisse, ex Diodoro patet, qui l. 4. narrat, cum Hercules Siciliæ litora peragraret, Nymphas ei excitasse θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας γινομένης αὐτῷ κακοπαθείας. Confer Pindarum, Olymp. 12. Ergoteli Himmerensis, & ejusdem Scholiastem. Neque Palæstina his thermis caruit. Teste enim Josepho in vita sua, Johannes Gischalita quidam ad eum scripsit, ut sibi liceret, χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασι. Et in Talmud Thermarum Tiberiadis, tanquam præ reliquis celebrium fit mentio, conf. Massecheth Sanhedrin, fol. 108. & Schabbath, fol. 3. col. 1.

§. 28. Sed ut thermæ naturales causas habent, & ad certos duntaxat morbos pellendos conducunt, ita contra hæc piscina cujuscunque generis infirmitates arcuit, adeoque ut Simon Maiolus Colloq. 12. loquitur, *hic lacus omnes totius orbis lacus virtute excessit: Si aliquibus aquis mundantur ulcera, refrigerantur nimis calida, aut calefiunt nimis frigida, sed etiam exsiccantur humidiora, aut humectantur sicciora. Non tamen omnibus ægritudinibus medentur, ut hujus piscinæ divina fuit virtus.* Quandoquidem vero eam non habuit sibi inhærentem & naturaliter datam, sed ad momentum temporis, quo aqua mota est, supernaturaliter impressam, veluti inde liquescit, quod non nisi certo tempore, nempe cum aquam angelus turbasset, quæ alioquin tranquilla quæri solet ad medicinam adhibendam, oppido errant illi, qui virtutis vim aliunde arcessere satagunt, & extra Scripturam causam ejus quærunt. Pineda lib. 5. de Rebus Salomon. p. 552. cum Lyrano super c. 5. Johan. ejusmodi fabulam recenset, ut mirum sit tam credulos reperiri inter doctos, qui rem ita habere sibi persuaserint. *Protoplastes noster* inquit, *Adamus cum graviter decumberet, ablegavit filium suum Seth ad angelum Paradisi custodem, ut scil. ei oleum misericordiæ ad mitigandum morbum transmitteret: Angelus autem ille, quem Historia Lombard. nominat Michaëlem Archangelum, dedit Setho trina grana de arbore vetita, mandans, ut ea plantaret; ex iis etenim futuris temporibus arborem enascituram esse, per quam Adam & universi ejus posteri sanitatem sint adepturi. Domum igitur Seth repetens, invenit patrem defunctum, & ejus sepulchro insevit data illa grana, ex quibus provenerunt tres surculi, qui in unum stipitem coalescentes sive concrescentes ingentem effecerunt arborem. Cum autem tempore Salomonis Regis ad templi structuram arbores numero plurimæ exciderentur, etiam hanc à Setho plantatam succisam esse, quæ postmodo, quoniam ad omnia, quibus adaptaretur, inepta fuit, fluvio cuidam, ut esset pons transeuntibus, fuit imposita. Ad hunc ergo pontem Regina Sabæa, una ex Sibyllis (quam Josephus ex Herodoto vocat Nicaulem, Johann. Barrius vero de Rebus Persicis, Macedam) perducta transire recusavit, quoniam ex eo ligno ultimam civitati Hierosolymitanæ cladem imminere persentisceret. Qua causa motus Salomon illud sustulit, & in profundissima terræ viscera, citra regionem nostræ piscinæ immersit. Et hoc lignum, Deo ita dirigente, in fundo piscinæ Bethsedeæ delitescens, Angelus tempore Christi commovit, eoque agitavit aquam, ut hac ratione infirmi quique sanitati fuerint restituti. Tempore vero instantis Christi passionis illud supernatasse dicunt, id quod Judæi videntes sumpserunt, Christumque eidem adfixerunt.* Ita olim Monachi pro lubitu suo nunquam facta fingentes, lectoribus suis imposuerunt, qui hodie risu à cordatioribus excipiuntur.

§. 29. Thomam de Aquino, virtutem sanandi piscinæ illius ex victimarum ablutione arcessere voluisse, B. Chemnitius refert l. c. Cæterum cum illud, quod Adrichomius in theatro terræ sanctæ adstruere conatur, nempe pro ministerio templi Regem Salomonem hanc totius urbis præcipuam piscinam fecisse, & ideo probaticam dictam esse, nec dum evictum sit, & ad lavanda ovium intestina in templo mare æneum & conchæ satis aquarum suppeditaverint, abunde patet, Scholasticorum principem sententiam suam, quam Scriptura haud obscure reprobat, ex hypothesi necdum concessa irrito conatu comprobasse.

CAPUT II.

Quomodo ab Angelo aqua mota sit disquiritur. Verbi ἐτάρασσε *&* דלח *significatio illustrata. Kimchi laudatus.* κατὰ καιρὸν, *priscis de Paschate intellectum, Heinsius cum Cyrillo de Pentecostes festo interpretatur. Cur fundamentum lubricum sit, ostenditur. Cl. Salmasii de Hellenistarum more querela. Syrus & Arabs vim præpositionis* κατὰ *recte assecuti. B. Chemnitius laudatus. L. de Dieu sententia ponderatur. Alogi, quorum hæresis ex Epiphanio ostenditur, suam sententiam ex silentio scriptorum aliorum nequicquam stabiliunt. De tempore, quo piscina virtutem exerere cœpit, diversæ sententiæ recensitæ. Ob ignem sacrum ibi occultatum, vel sepultum corpus Esaiæ, quod Syrus glossator somniat, miraculum contigisse, negatur.*

§. 1. POstquam illam miraculosæ sanationis officinam, quod etymologiam & situm attinet, consideravimus, tria adhuc expendenda occurrunt: quomodo angelus aquam commoverit, singulisne annis id contigerit, an sæpius, & quando hoc

hoc fieri cœperit. Si Adrichomium audimus, Angelus expansis alis se super piscina videndum exhibuit, eamque commovit. Non desunt tamen, qui censeant, ex vulgi opinione hæc scripta esse ab Evangelista, & illum Scripturæ loquendi modum obtinere locum, quo τὸ angelus divinam virtutem notat, ut Eccles. 5:6. τοῦ προσώπου ἀγγέλου, Hellenistæ τοῦ προσώπου Θεοῦ transtulerunt. Cæterum cum præter necessitatem à litera recedere nobis sit religio, & Deus alias in exequendis suis operibus angelorum opera uti soleat, omnino unum ממלאכי השרת, sive πνευμάτων λειτουργικῶν, uti phrasin Rabbinicam Apostolus Ebr. 1:14. reddit, fuisse asserimus. Qui licet in forma visibili non apparuerit, sui tamen descensus indicium satis evidens tum exhibuit, cum aqua non tantum in superficie mota, sed subito & insolito strepitu edito, à fundo usque turbata est. Notanda hic cumprimis emphasis est verbi ἐτάρασσε, quod ab Hellenistis Ezech. 32:2. usurpatur, ubi in Ebræo textu est verbum דָּלַח, de quo Kimchi in libro radicum scribit: ענינם הדריכה עם עכירת המים טור"בולור בלע"ז : *significationem habet conculcationis cum mixtione aquarum, in lingua barbara turbolur.*

§. 2. Factum id est κατὰ καιρὸν, quod idem esse *ac certo tempore, circa festum Paschatis*, veteres Dd. censuerunt, uti H. Grotius, annot. in h. l. testatur. Cyrillus tamen ad festum Pentecostes restringit, à qua sententia non multum abire videtur Daniel Heinsius, Aristarch. Sacr. pag. 377. *Videtur*, inquiens, κατὰ καιρὸν *Ebræorum* למועד הזה *expressisse, ut ponatur* κατὰ καιρὸν *pro eo, quod* κατὰ καιρὸν τοῦτον *ab Hellenistis dici solet, & intelligatur, aquas has quotannis ipso Pentecostes festo, aut alio motas fuisse.* Ut ita Vir summus statueret, adductus est eo, quod videret LXX. Interpretibus τὸ מועד & καιρὸν significare & ἑορτήν, veluti Concordantiæ Græcæ docent. Sed ex his sæpius infeliciter Hellenistarum loquendi modos peculiares hauriri, Cl. Salmasius præf. in lib. de modo usurarum monuit, *quicquid*, inquiens, *vocum Græcarum in indice Concordantiarum V. Test. à Conrado Kirchero consarcinato reperitur, eas habent pro Hellenisticis. Et quoniam in animum induxere, eadem imaginaria lingua Hellenistica scriptum quoque esse novum fœdus, quoties dubium aliquod in voce aliqua aut phrasi occurrit enodandum, ad illum indicem recurrerunt.* Sane ut καιρὸν hoc loco pro festo positum esse credamus, à nobis impetrare necdum possumus. Num enim ut Judæis festo solenni reus & maleficus dimissus legitur, ita ad eundem modum Deum tunc ἀσθενῆ sanasse dicemus? At sic potius κατὰ ἑορτὴν dixisset Johannes, ut Matthæus cap. 27:15. Quanto veritati magis est consentaneum, τὸ κατὰ constructum cum voce καιρὸν, quæ proprie χρόνον, teste Hesychio, notat, h. l. non minus atque alibi, Matth. 24:7. 1 Cor. 16:2. distribuendi vim habere, quod & Syrus & Arabs observarunt, unde illi ܒܙܒܢ ܘܒܙܒܢ, hic في حين حين *in tempore tempore* reddidit. Ea itaque locutione, quæ, monente B. Chemnitio, *antithesis est ejus, quod semper fit & cotidie*, neutiquam exprimitur quot vicibus miraculosa sanatio contigerit. Neque enim intellectus noster perinde super ea fertur, ac cum dicimus καθ' ἡμέραν, κατ' ἔτος, vel ἐνιαυτόν. Ludovicus quidem de Dieu annotat. in h. l. adducit Apoc. 12:14. ubi τὸ καιρὸν annum notet; perinde ac Chaldaica vox עדן Dan. 7:25. 12:7. per Synecdochen generis *annum* significare, Joh. Piscator ad Apoc. 12:14. inculcat. Sed disparem esse rationem loci prophetici, ac hujus nostri, ubi factum historice recensetur, quilibet animadvertit. Nihil itaque aliud innuitur, quam *incerta quantitas*, quam ex circumstantia porticuum stabiliri, ipse sæpius sed nunquam satis laudatus Chemnitius animadvertit.

§. 3. Miraculosæ hujus in piscina sanationis initium à scriptoribus sacris nuspiam exprimitur, neque vel Josephus vel Philo, ut alius rerum Judaicarum scriptor vel verbo ejus meminit. Mirum, nisi inde hæretici, quos Epiphanius Alogos vocat, hæres. LI. occasionem sumpserint, in dubium vocandi historiam Johannis Evangelicam. Teste enim Episcopo laudato, ὅτι τὸ κατὰ Ἰωάννου εὐαγγέλιον δέχονται, ὅτι τὸ κατὰ Ἰωάννου ἀποκάλυψιν. Sed nihil causæ est, quamobrem idcirco fidem scriptori sacro derogent, cum & alia silentio profani prætermiserint, quæ compertissimæ sunt veritatis. Quid quod haud ita multis annis locum huic miraculo Hierosolymis fuisse, verisimile est. Junius quidem & Tremellius ad Neh. 3:1. vero consentaneum esse arbitrantur, tunc, cum sacerdotes è Babylonia reduces illum locum ad templi usum dedicarent, hoc miraculum primum animadversum fuisse, quo Deus testari voluerit, sibi placere istam restaurationem, eamque fore ratissimam. Sed cum & Prophetiæ & miraculorum dono aliquot centenis annis caruerint Judæi, nullo modo credibile est, inde usque à reditu è Babylonia miracula ejusmodi in piscina contigisse. Neque initium illorum à Baptismo arcessere licet cum Scholasticis, quod eo tempore aqua sanctificata fuerit. Sic enim non tam piscinam, quam Jordanem, ejusmodi virtute præditam esse oportuisset.

§. 4. B. Chemnitius arbitratur, etsi de temporis articulo, quo locus ille miraculosis sanationibus inclarescere cœpit, nihil certi constitui possit, probabile nihilominus esse, non multo ante Christi tempora id contigisse. Quin fieri posse arbitramur, ut Christo etiam in terris agente, demum Deus ibi benignitatem suam exerere voluerit, ut populum suum ad ardentiorem Prophetæ magni receptionem & observationem signorum Messiæ, Esai. 35:5. 6. excitaret. Neque forte fortuna factum est, ut Christus, porticum ingressus, aliquem, eumque grandævum (ut ex v. 6. colligere est,) & morbo difficili laborantem, sanaret. Haud dubie enim is probare voluit, quid dono isthoc sanationis Deus intenderit, nempe ut jam animum attenderent, cum is venisset, qui eadem sanandi facultate præditus esset, qua piscinam stato tempore pollere Deus voluisset.

§. 5. Quæ cum ita se habeant, manifesto patet, quantum tribuendum sit illorum sententiæ, qui virtutem illam adscribere voluerunt igni sacro circa locum illum occultato 2 Maccab. cap. 1:29. Consimiliter liquet, quam à veritate alienum illud sit, quod codici Syriaco MSS. quatuor Evangelistarum, quem ex Syria allatum D. Fezer Bibliothecæ Altorphinæ dono dedit, in margine est appositum. ܡܛܠ ܕܦܓܪܗ ܕܐܫܥܝܐ
ܒܫܝܠܘܚܐ ܛܡܝܪ ܗܘܐ ܒܡܛܠܬܐ ܕܗܢܐ
ܢܚܬ ܗܘܐ ܡܠܐܟܐ ܘܡܙܝܥ ܗܘܐ ܠܡܝܐ
quia corpus Esaiæ in Schilucha absconditum erat, propterea descendebat angelus & movebat aquas. Quæ traditio tantundem fidei meretur ac illa, cujus fol. 147. Theat. terræ sanctæ meminit Adrichomius: *Manasse*, inquiens, *juxta fontem Siloë, quem socerum Esaiæ Judæi fuisse affirmant, serra medium Esaiam findit & in duas secat partes.* Fuit sane fons Siloam, cujus scatebræ typum exhibuerunt regni Davidici Esai. cap. 8: vers. 6. Ortum ex eodem ejusdem nominis stagnum est, Joh. 9:7. cujus aquas cum ob sepultum ibi Esaiam ab Angelo motas vel turbatas esse Syrus glossator asserit, turpiter piscinam nostram confundit cum illo, sito à parte urbis occidentali, & causam motæ ab angelo aquæ comminiscitur, quam nemo alius ne somniasse quidem videtur.

M. DAVIDIS WENDELERI

DISSERTATIO

De Piſcina Betheſda ad Joh. V: 2. &c.

ANTEPAGMENTA.



DUm ſacrata divinæ Philologiæ penetralia oculis animiſque perluſtramus, plurima reconditæ ac venerandæ antiquitatis monumenta mentes noſtras penè in ſtuporem rapiunt, quæque vel eligant aliiſve anteponant, ſuſpenſas æque ac perplexas reddunt. Nobis vero ſemper maxime arridebat illud anniverſarium, in Piſcina Betheſda factum miraculum, quo, quocunque morbo laborantes, ſanati fuiſſe perhibentur, cujus etiam admiratione moti, ut præſentem hanc διάσκεψιν in nos ſuſciperemus & adornaremus. Nihil metuentes minus, quam quod de Angelo Politiano circumfertur, qui ajebat, ſe nullum tempus perdidiſſe pejus, quam quod lectioni & meditationi Bibliorum impenderat; Unde etiam in locum lectionis iſtius ſubſtituit Eclogam Virgilii & libros Ovidii de arte amandi. Sed paremus nos potius præcepto divino, illudque auro contrahabemus: Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Quare paulo uberiori ſtylo in præſenti, quid veritatis, contra ἀνλιθέσεως falſitatem, ex natura rei & S. literis, quantum quidem fori noſtri ratio permittet, ſubſit, pro virili enodare animus eſt. DEUM autem rogamus, ut hiſce orſis noſtris ſucceſſus proſperos elargiatur!

Textus Originalis.

Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα.

Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.

Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρα καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. Ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.

APH. I.

ARdua ſane res eſt, quam tractandam nobis propoſuimus, quippe quæ jamdudum in diverſas ſententias rapuit cum Theologos tum Philologos. Antequam vero ad conſiderationem ejus nos accingamus, limis, quod dicunt, tantum hujus piſcinæ locum contemplari ſedet animis. Eſt vero ille Ἱεροσόλυμα Hieroſolyma ſive Ἱερουσαλήμ, qua voce in utraque lingua indeclinabili LXX. utuntur. Ebræi nominant יְרוּשָׁלַיִם & defective יְרוּשָׁלַםִ Chirek ſub litera ם ſcripto, quod ideo fieri Schindlerus (α) ait, ne ex litera ם radicali fiat ſervilis: יִם enim Dualis numeri terminatio ſerviles habet literas, voci ipſi adjectas. Sunt tamen, qui pro nomine Dualis numeri habent, eoque partes civitatis duas ſuperiorem & inferiorem notari volunt. De qua varietate conf. Sixt. Amamam, (β) Hakſp. (γ) & Hottingerum (δ). Cæterum de etymo & originatione nominis variant ſententiæ, uti poteſt videri apud Glaſſium (ε). Quidam urbem hanc à Melchizedeko conditam & שָׁלֵם denominatam eſſe colligunt partim ex Geneſ. 14: vſ. 18. ubi dicitur מַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם partim ex Joſepho (ζ) qui idem teſtatur. Quidam vero, eam civitatem, poſtquam à Jebuſæis aucta & munita fuit, dictam fuiſſe יְרוּשָׁלַםִ quaſi à יִרְאוּ videbunt & שָׁלוֹם pacem, uti Paſori placet (η). Atque in hac urbe, quæ Judææ Metropolis & τῆς οἰκουμένης i. e. orbis habitabilis (ex mente & opinione veterum) umbilicus erat, fuiſſe illam piſcinam, hoc ex ipſo textu allegato liquido conſtat.

II. Et hæc de Loco communi. Quod ad proprium ſpectat, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα à Johanne dicitur fuiſſe. De his verbis diverſæ apud auctores deprehenduntur ſententiæ. Quidam enim plane omittunt articulum, & utramque vocem in nominativo caſu (ut Adjectivum cum ſuo Subſtantivo constructum) accipiunt, prorſus aliam habentes lectionem; ἔστι δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα, quo modo legerunt Chryſoſtomus & ejus imitator Theophylactus, & ut videtur etiam Hieronymo de Locis Ebraicis Tom. III. à lit. B. incipientibus ſub finem: *Betheſda*, inquit, *piſcina in Jeruſalem, quæ vocabatur* προβατικὴ, *& à nobis interpretatur pecualis. Hæc quinque quondam porticus habuit, oſtenduntur que gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis impleri ſolet, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis in ſe operis ſigna teſtatur. Nam hoſtias in ea lavari à ſacerdotibus ſolitas ferunt, unde & nomen cepit.* Quidam vero putant, quod quidem hæc lectio ἐν τῇ προβατικῇ ſit retinenda, ſed vocem κολυμβήθρα in Dat. per (α) cum Jota ſubſcripto eſſe legendam hoc modo: ἔστι δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Sed in has ſententias illud Rabbinicum quadrat: וריח בפירוש הזה אין טעם, nullus eſt ſapor neque odor in expoſitione hac. Nam obſtat conſtans lectio manuſcriptorum codicum, in quibus partim particula ἐπὶ adeſt cum Dativo προβατικῇ, partim etiam illud Jota ſub κολυμβήθρα abeſt. Præterea res ipſa quoque adverſatur, quia hoc modo redderetur oratio Euangeliſtæ imperfecta, nam neque verbum eſt initio poſitum, neque ἡ λεγομένη habebit nomen ſubſtantivum, ad quod referatur.

III. Nos potius illis calculum adjicimus, qui in voce προβατικῇ Ellipſin aliquam quærunt, qualis vero vox ea ſit, quæ h. l. ſit intelligenda, variæ ſententiæ apud auctores reperiuntur. Beza & Henricus Stephanus ad Novi Teſtamenti marginem putant ſuppleri debere, additione vocis ἀγορᾷ, ex ea ratione, quia ex hoc foro petitæ ſunt oves immolandæ eidemque vicina fuit Betheſda, de qua vide Heidmannum (ϑ) Verum quia de hoc foro nihil ex Sacris literis conſtat, ideo tranſeat hæc ſententia.

IV. Sixtus Senenſis (*) vocem χώρας hic ſubintelligendam eſſe ait: *Si diligenter conſideremus ea, quæ ſcribuntur 2 Par. 4. neceſſaria conſecutione colligemus, piſcinam quandam ſeu aquarum receptaculum fuiſſe Hieroſolymis, in regione, quæ à Johanne Probatica nominatur.* Eandem ſententiam quoque fovet Brocardus (ι) quando ſcribit: *Ab area templi contra aquilonem eſt porta vallis, ducens in vallem Joſaphat, & hac etiam*

(α) *In Lexic. col.* 1878. (β) *In Antib. Bibl.* (γ) *In Not. pag.* 478. (δ) *In Theol. Philol. Lib. I. cap. III. ſect.* 4. (ε) *Philol. Sacr. Lib. IV. Tr. III. p. m.* 844.

(ζ) *Libr. III. de Bello cap.* 18. (η) *In Lexic. N. Teſt. etym. nomin. propoſit. pag. mihi* 30. (ϑ) *In Palæſt. cap.* 2. §. 80. *pag.* 27. (*) *In Bibl. Sancta pag.* 748. (ι) *Cit. B. Gerh. in Harmon. p.* 352.

etiam vocatur gregis, quod per eam introducebantur greges immolandi in templo: Porro intrantibus portam gregis ad sinistram occurrit piscina Probatica, in qua Nathinæi lavabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo asservandas; Probatica igitur est nomen loci, in quo vel circa quem fuit Piscina. Hæc ille. Sed ipse Brocardus sibi in his verbis contrariatur, accedit adhuc, quod hæc sententia quoque Scripturæ testimonio destituatur.

V. Nullam aliam vocem aptius intelligendam esse cum Magnif. Dn. Calovio (κ), B. Hunnio (λ), Pasore (μ) quam πύλη, præsertim cum expressa legatur Nehem. 3: vs. 1. 12: 39. ut etiam LXX. hac voce usi sint, siquidem שער הצאן interpretantur τὴν πύλην τὴν προβατικὴν, portam pecuariam. Probatica vero illa porta fuit dicta, quod ibi pecora venderentur, vel saltem quod eo, quæ sacrificanda erant, adducerentur, ubi piscina fuit iis abluendis idonea. Cæterum circa particulam ἐπὶ τῇ προβατικῇ hocce notandum, quod respondeat על apud Ebræos, & idem significet ac παρὰ, uti apud Homerum ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι ad fores Priami, & Thucydidem ἐπὶ ποταμῷ pro παρὰ ποταμῷ. Hallucinatus igitur est Nonnus, dum reddit: ἐν ἐνύδρῳ προβατικῇ, cum Johannes nihil aliud innuat, quam ad portam probaticam sive pecuariam (à qua cingulum urbis descripturi Chirographi ex Neh. cap. 3. peripheriæ initium sumunt) hanc piscinam sitam fuisse, nempe à parte australi & parum remota ab isto angulo, qui austrum respexit & orientem.

VI. Κολυμβήθρα autem proprie non est piscina, ubi pisces vel capiantur, vel serventur, sed proprie significat lavacrum seu natatorium: sicut Grammatici dicunt κόλυμβος ὁ τοῦ λουτροῦ. Verbum enim κολυμβᾶν proprie significat natare & de urinatoribus dicitur. Piscina etiam Latinis simpliciter pro natatorio usurpatur. Usum igitur hujus piscinæ vocabulum κολυμβήθρα ostendit, ut scilicet pecudes, quæ ibi ad sacrificia servabantur, in ea vel portarentur, vel mergendo abluerentur, vel quod verisimilius est, ex judicio B. Chemnitii (ν) & Joh. de Wilden (ξ), ut victimæ mactatæ ibi à Nathinæis abluerentur. Unde quoque Suidas eam explicaturus ait κολυμβήθρα ὁ κόλυμβος, κόλυμβος ἢ τοῦ λουτροῦ, & Syrus interpres, ܥܡܘܕܝܬܐ ܒܝܬ ܡܥܡܘܕܝܬܐ locus lavacri. Hic præterea notatu dignum est, quod LXX. interpretes Eccl. 2: vs. 6. vocem Ebræam ברכה, quæ alias ab Aquila in eo loco λίμνας, & à Symmacho δεξαμένας dicuntur, quoque per κολυμβήθρας transtulerint. Nonnus Panopolitanus τὴν κολυμβήθραν ἀσάμινθον vocavit: quæ ex cœli aut ex fluviorum fontiumve aquis collecta, quæ sine dubio, quod siccus esset oriens & aqua destitutus, à divina benedictione ita fuit dicta, uti B. Tarnovius judicat (ο).

VII. Postquam igitur consideravimus, quo in loco hæc piscina fuit sita, jam quoque ad ejus nomen accedimus. Fuit autem ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ nominata. Ibi quæritur, quodnam genus linguæ hic indicatur. Ubi notandum, quod non proprie Ebraica intelligatur, sed Syro Chaldaica, quæ tum temporis inter Israelitas usitata erat. Erat enim tunc usu introductum genus quoddam linguæ impuræ, quod nec Chaldaicam plane & pure, nec Syriacam nedum Ebraicam linguam referebat, sed ex his mixtum voces Syriacas & Chaldaicas adhibebat, propius tamen ad Ebræam linguam inflexas, quod linguam Syro Chaldaicam communiter vocant. Nam quod de Romana lingua Lipsius scripsit (π) subiisse post Barbararum gentium incursiones mutationem, & statim novas quasdam atque corruptas ejusdem filias, puta Gallicam, Italicam & Hispanicam successisse, id de Ebraica Judæis olim vernacula post exantlatam captivitatem Babylonicam similiter mutata, pro lectione publica docuit Excell. Dn. L. Carpzovius, Professor & Ecclesiastes Lipsiensis (ρ), *In hac enim*, inquit, *plerique linguæ suæ obliviscebantur & Chaldaicæ adsuescebant, adeo ut licet Ebræa Lingua* בלב הכהנים והסנהדרין *in corde sacerdotum & judicum, ut auctor libri Cosri (σ) loquitur, conservata sit, nunquam tamen ejus familiaris usus post captivitatem apud reduces in terram suam revocari & restaurari potuit, sed Chaldaicè, variatis tamen pro diversitate seculorum dialectis & idiotismis sunt locuti. Atque hinc Chaldaicæ Bibliorum Ebraicorum Paraphrases natæ, quibus illis temporibus utebantur, quales & ad nostram ætatem pervenerunt.*

Fuit ergo hæc Linguæ Ebrææ Filia, qua illo tempore Hierosolymis utebantur, nempe Syro Chaldaica, CHRISTO nostro quoque & Apostolis vernacula, inque concionibus & vulgari usurpata sermone, quod ex collatione vocum vernacularum in Novo Testamento occurrentium planissimum fuit. Sic cum ad Archi-Synagogi puellam demortuam diceret JESUS: ταλιθὰ κοῦμι Marc. 5: 41. hæc Syriaca ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ effatus est. Cum Jacobo & Johanni novum nomen imponeret vocaretque βοανεργὲς Marc. 3: 17. ipsissimum illud Syriacum adhibuit: ܒܢܝ ܪܓܫܝ. Similiter flebilem illum suum in cruce pendentis geminum ἠλὶ ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανὶ Matth. 26: 47. vel uti Marc. 15: 34. exprimitur: Ἐλωῒ ἐλωῒ λαμμᾶ σαβαχθανὶ eadem hac Syro Chaldaica dialecto elocutum fuisse ostendit Excell. Dn. Frischmuthius, Professor Jenensis in Dissertat. de hoc Messiæ gemitu habita (τ). Sic Paulus adhibuit ἀββᾶ ܐܒܐ Rom. 8. vers. 13. Lucas Actor. 1: 19. ἀκελδαμὰ ܚܩܠ ܕܡܐ & Johannes quoque, uti βηθεσδὰ ܒܝܬ ܚܣܕܐ testatur.

VIII. Ipsum autem nomen Bethesda, unde suum ortum habeat, dum inquirimus, triplex hujus vocabuli lectio profertur. Prima Βεθσαΐδα, secunda Βηθεσδὰ, tertia Βηθεσδά. Romani Codices, Tertullianus item, Augustinus & Lyra: & ex Græcis Euthymius Bethsaida legunt, idque ex mente Cornelii à Lapide (υ) apposite: *Bethsaida enim*, inquit, *Ebræis idem est, quod domus, i. e. locus (Ebræi enim omnem locum vocant domum) venationis sive piscationis:* בית *enim est domus,* ציד *est venatio, quæ hic erat piscium, h. e. piscatio in piscina. Et hoc significat Græcum κολυμβήθρα, id est, natatoria, in qua scilicet pisces natare solent vel possunt: κολυμβᾶν enim est natare.* Ast verisimile est, ob nominis urbis Bethsaidæ, cujus Johan. 1: 44. mentio fit, affinitatem hoc vitium irrepsisse. Nam quia בית צידא significat domum piscationis, putarunt, Piscinam nostram esse eam ipsam domum piscationis, sive oppidum Bethsaidam patriam Philippi & Andreæ.

IX. Alteram lectionem amplectuntur Isidorus Clarius in Bibliorum cum suis scholiis editione vulgata, Martinus Bucerus in Commentar. ad hunc locum, qui expresse ait: *Græcè scriptum*, Βηθεσδὰ, sed sine ulla antiquorum codicum Græcorum auctoritate, adeo ut vix colligere liceat, unde hæc lectio suum ortum habeat. B. Brentius (φ) dicit, Ebraicè hanc piscinam vocari Bethsedam, & deduci juxta quosdam à בית domus & עדר, quasi dicas domum gregalem seu pecualem; sed incommodam hanc esse lectionem & derivationem, vidit ipse B. Vir; addens: *Si hoc vocabulum descendit ab* עדר, *apparet, mutulum esse, legendum enim erit Betheder.* Magis veritati & rationi consentaneum esse videtur, si dicamus, illud Bethseda natum per Metathesin literarum ε & σ ex incuria descriptorum rem illam ignorantium, uti Excell. Dn. Frischmuthius (χ) censet. Quod attinet Wolffgangi Musculi lectionem, qui legerit בית עדר Erasmi commentum est ex Bald. Walæi judicio (ψ).

X. Hisce lectionibus omnibus remotis, veram & genuinam Βηθεσδὰ statuimus, quippe quæ in omnibus à vitiis purgatis exemplaribus reperitur. Ad significationem vero quod attinet, in eo quidem consensus est, Bethesda nomen esse compositum ex duabus vocibus, ac priorem esse בית (quæ proprie domum, deinde per Synechdochen usitatam locum notet, ut etiam Luc. 19: vers. 29. pro Græca voce ἐλαιῶν olearum, Syra versio habet ܒܝܬ ܙܝܬܐ locus olearum sive olivetum.) De altera voce cum בית composita, magna inter auctores dissensio est: Erasmus putat, dici Bethesda Ebraicè domum pecuariam, & ita ex בית & עדר suam originem trahere. *Græce dicitur*, inquit ad h. l. *probatica, nimirum à pecudibus: quod illic sacerdotes hostias immolantes abluere soleant: & ab eodem argumento Ebraicè dicitur Bethesda, quasi dicas domum pecuariam.* Verum plane hæc derivatio non sapit ἀκυρολογίαν, quia Bethesda nullo colore dici potest significare domum gregis, neque enim nisi valde inepte ex בית עדר potest

(κ) *In Bibl. Illustr. ad h. l.* (λ) *In Commentar. in Joh.* (μ) *In Lexico.* (ν) *In Harmon. Euang. p. 567.* (ξ) *In Physiologia Sacra p. 245.* (ο) *In Comm. in Johan. ad h. l.* (π) *De pronunc. Linguæ Lat. c. 3.* (ρ) *Isag. ad Phil. Sacr. Part. I. c. 2. Aph. IV. §. 3.* (σ) *Part. 3. §. 18.*

(τ) *Cap. 3. habita Ann. 63.* (υ) *In Comment. ad h. l.* (φ) *In Exeg. in Johann. ut & in Homil. p. 22.* (χ) *In Disputat. de hac piscina habita.* (ψ) *In Commentar. ad h. l.*

poteſt derivari. Alii itaque legunt בֵּית אֶשְׁדָּא & explicant domum effuſionis à ſanguine victimarum effuſo, ut, Glaſſio citante (ω) Caninius ait, ſeu ut alii quod pluviales aquæ in eam effundi fuerint ſolitæ ab Ebr. אֶשֶׁר Syr. ܐܫܕܐ effuſio, decurſus. Antonius Nebriſſenſis (a) de Loco Betheſda ita loquitur: *Sunt, ut Euſebius & Hieronymus ſcribunt, in ea domo duo lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri ſolet; alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtantur. Nam, ut inquiunt, hoſtias in eo lavari ſolitas tradunt. Atqui 2 Paralip. 4: 6. ubi de templi ædificatione agitur, non in lacu, ſed in conchis æneis lavari conſuevisse hoſtias traditur. Credibile igitur eſt, poſt templi everſionem non in conchis illis, quæ à præfecto Regis Aſſyriorum erant jam Babylonem tranſlatæ, ſed in piſcina illa lavari ſolitas eſſe hoſtias.* Ludovicus de Dieu eandem amplectitur derivationem, & hanc rationem addit, quod ibi fuſa ſit aqua in oves ad eas à ſordibus abluendas, quæ ad victimam apparentur. Quæ derivatio licet non ſit negligenda, tamen nos illis calculum adjicimus, qui nomen Betheſda ex ܒܝܬ & ܚܣܕܐ quod alias opprobrium apud Syros, hac vero in compoſitione benignitatem notat, ex Ebr. חֶסֶד beneficentia, optime derivari poſſe defendunt. Quæ expoſitio quoque maxime eſt idonea, quia eandem Syrus interpres expreſſit & rei optime convenit. Nam ita iſte locus dictus putatur, quod in eo DEUS benigne potentiam & miſericordiam ſuam exerceret in curandis quibusvis morborum generibus. Vid. Glaſſius (b), Tarnovius (c) & Walæus (d).

XI. Fuerunt autem circa hanc piſcinam diſtincta ſive loca ſive penetralia, in quibus motum aquæ expectarent ægri, cum Evangeliſta eorum mentionem faciat, quando dicit: πέντε στοὰς ἔχουσα. Στοαὶ enim diſtincta Helleniſtis ſunt cubicula. Ita Heinſius Ariſtarch. p. 885. Quæ interdum, ἀποφαύσεις à luce quam admitterent, interdum διορίζοντα dicuntur, quod diſtincta eſſent, quemadmodum ἀποχωρήσεις & ἀπόλοιπα, idem plane quod ταμεῖα. Et ita quoque hac voce utuntur Græci. Suidas Στοὰ, τὸ ταμεῖον, διὰ τὸ περιμήκες εἶναι, qui & locum Ariſtophanis addit,

Στοάς τε καρποῦ, βακχίου τε νάματος.

Helleniſtæ quoque ut plurimum ταμεῖα & στοὰς confundunt. Itaque πέντε στοαὶ ſunt ἀποχωρήσεις πέντε valetudinaria aut loca ſeparata, in quibus ægri decumbebant.

XII. Hæc eſt miraculoſa ſanationis officina, in qua cœci, claudi & aridi ſive paralytici ſive tabe contracti commorabantur & aquæ motum ab Angelo factum expectabant. Non vero ſua natura & ex ſe ſanandi vim hæc piſcina habuit, quod de Bajis affirmat Plinius (e): *Nunquam*, inquiens, *largius quam in Bajano ſinu emicabant benignæ aquæ, neque pluribus auxiliandi generibus.* Cujuſmodi virtutem thermas exerere notum eſt, quas varias, (teſte Plinio & Joſepho) quoque habuit, ſed quod hoc loco narratur, non ad cauſam naturalem refertur, ſed extraordinariam & ſupernaturalem, non enim niſi ab Angelo commota aqua ægros ſanabat, & quidem eum ſolum, qui primus, in eam facta commotione, deſcenderet. Thomas ab Aquino virtutem ſanandi piſcinæ illius ex victimarum ablutione deducere voluit, quod valde eſt inconveniens. Ita enim fuiſſet prius in ipſis victimis, quæ, quicquid habuerunt, typice habuerunt, propter eum, quem præfigurabant: & fuiſſet perpetua, cum conſtet tantum fuiſſe temporariam, imo momentaneam poſt turbationem Angeli, quamdiu primus in eam deſcendit.

XIII. Ipſam tandem motionem hujus piſcinæ nobis conſiderantibus tria offeruntur: Unum eſt, cauſa efficiens ſive movens Angelus: ſecundum modus, quo utebatur in movenda aqua: Tertium tempus, quando Angelus aquam commoverit, ſingulisne annis id acciderit. Primum de Angelo, quod dixit Evangeliſta, quidam intelligunt de virtute divina, cui hoc miraculum tribui debeat. Huc referunt dictum Eccleſ. 5: 5. ubi, pro eo, quod Ebræis πρὸ προσώπου ἀγγέλου, Helleniſtæ, καὶ μὴ εἴπῃς πρὸ προσώπου Θεοῦ ὅτι ἄγνοιά ἐστι reddiderunt. Cæterum cum præter neceſſitatem à litera nobis non ſit recedendum, & Deus alias in exequendis ſuis operibus Angelorum opera uti ſoleat, omnino unum πνευμάτων λειτουργικῶν fuiſſe adſerimus. Qualis vero fuerit ſpecies, qua deſcenſio & præſentia Angeli fuit repræſentata, Evangeliſta non notavit. Neceſſe autem eſt, tale quid accidiſſe, quo homines notare potuerunt; aquam non turbine aliquo, non cauſa aliqua occulta in ipſa piſcina latente turbari. Nec videtur, aquam, quæ aliquo ſtabat, tantum in ſuperficie fuiſſe commotam, ſed à fundo uſque turbatam. Quod Evangeliſta indicat, quando dicit: ἐτάραξε τὸ ὕδωρ. Syrus habet verbum ܙܘܥ quod ſignificat commotionem cum tremore. Ab Helleniſtis idem Ezech. 31: 2. uſurpatur, ubi in Ebræo Textu eſt verbum דלח, quod ſemper commotionem & conturbationem innuit.

XIV. Tempus vero, quando Angeli commotio facta fuerit, per κατὰ καιρὸν ab Evangeliſta exprimitur. Hugo Grotius & cum eo veteres certo tempore circa Paſcha aquam motam fuiſſe crediderunt. Cyrillus ad feſtum Pentecoſtes refert, quando dicit: *Die Pentecoſtes Angelos de cœlo deſcendentes, piſcinæ hujus commoviſſe aquam, cujus motionis ſonum, adeſſe ipſos ad ſanctificandum aquam, ſignificaſſe.* Quæ ſententia quoque ipſi Heinſio arridet (f): *Videtur*, inquiens, *illo* κατὰ καιρὸν *Ebræorum* למועד הזה *expreſſiſſe; Ut ponatur* κατὰ καιρὸν *pro eo, quod* κατὰ καιρὸν τοῦτον *ab Helleniſtis dici ſolet, & intelligatur, aquas has quotannis ipſo Pentecoſtes feſto, aut alio, motas ac ſanctificatas fuiſſe.* Verum quod καιρὸν h. l. pro feſto poſitum ſit, nobis nemo perſuadebit, imo deſtituitur quoque omni ratione. Cæterum utrum illud miraculum ſæpius an vero ſemel tantum quotannis contigerit, maxime inter ſe diſcrepant interpretes. Tertullianus (g) unum ſemel anno liberatum putat, & Ambroſius (h) de hac piſcina ait: *in qua unus annuus ſanabatur.* Nobis potius placet horum ſententia, qui κατὰ καιρὸν ſignificare incertam quantitatem aut non ſtatutas vices intervalli temporis perhibent, ſicut Gen. 18: 10. hoc à quibuſdam exponitur. Et hanc ſignificationem videtur circumſtantia porticuum efflagitare. Quia enim experientia docuerat, unum tantum, qui primus turbatas aquas contigiſſet, ſanari, & quia tempus turbationis incertum præſciri non poterat: curarunt ergo ſe eo deportari, ut in propinquo adeſſent, quando aqua turbaretur. Nec eſt, quod Ludovicus de Dieu (i) adducat Apoc. 12: 14. ubi τὸ καιρὸν annum notat, perinde ac Chaldaica vox עדן Dan. 7: 25. 12: 7. per Synechdochen generis annum ſignificare Joh. Piſcator ad Apoc. 12: 14. inculcat. Sed diſparem eſſe rationem loci prophetici, ac hujus noſtri, ubi factum hiſtorice recenſetur, quilibet cenſet.

XV. Priuſquam huic noſtræ Diſſertationi colophonem imponamus, ultimo de initio hujus piſcinæ aliquid erit diſſerendum; Originem hujus ex vetuſto codice manuſcripto miram recenſet Genebrardus *in fine lib. 1. Chronol. editionis Pariſienſis facta à Sebaſtiano Nivellio A. Chriſti 1600. p. 174. ſcilicet eo die, quo conceptus eſt Chriſtus, ingenti terræ motu concuſſum fuit templum, illoque fontem hunc è terra erupiſſe, arcana virtute præditum, ut ſcabie pecudum elota etiam morbidos quoſlibet ibidem abſolutos ſanaret; atque illum exaruiſſe, cum ex cedro, palma & olivo ibidem repertis, crux fabricata eſt, in qua crucifixus fuit Chriſtus.* Verum hæc fabuloſa videntur, & Rabbiniſmum olent: Rabbini enim fabuloſi & fabularum architecti. Nos potius dicimus, etſi de temporis articulo, quo locus ille miraculoſis ſanationibus inclareſcere cœpit, nihil certi conſtitui poſſet, probabile nihilominus eſſe, non multo ante Chriſti tempora id contigiſſe. Quin fieri poſſe arbitramur cum B. Chemnitio, ut Chriſto etiam in terris agente, demum DEUS ibi benignitatem ſuam exerere voluerit, ut populum ſuum ad ardentiorem prophetæ magni receptionem & obſervationem ſignorum Meſſiæ Eſai. 35: 5, 6. excitaret. Hic ſiſtimus admoniti & legum reverentia & pagellarum anguſtiis, Lecturos vero rogamus, ut lapſus noſtros comiter, ſi quid preces valeant, habeant, ſecumque in quave eſt, expendant, ſupra humanas vires poſitum velle ſingulis placere.

SOLI DEO GLORIA.

(ω) *Lib. 1. Tract. 4. Sect. 2. p. m. 335.* (a) *In quinquagena ſua ſeu quinquaginta Locorum Scripturæ explicatione c. 5.* (b) *l. c.* (c) *l. c.* (d) *l. c.* (e) *Lib. XXXI. c. 2.*

(f) *In Ariſtarch. Sacro p. 377.* (g) *Lib. de Baptiſmo c. 5.* (h) *Lib. de his, qui initiantur myſteriis.* (i) *In Annot. ad h. l.*

C. SAGITTARII
DISSERTATIO
De Lancea, qua perfossum Christi latus. ad Joh. XIX: 34.

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIUM.

1. *Varia lectio in Johanne c.* 19: 34. 2. λόγχη *&* λόγχα *pro SORTITIONE.* 3. λόγχη *in genere denotat omne ferrum acutum, quo extrema missilium cuspidantur.* 4. *speciatim significat hastæ militaris cuspidem.* 5. *per synecdochen ipsam hastam.* 6. *Nonnus pro* λόγχῃ μάχαιραν *dixit. Heinsii censura in Nonnum.* 6. *Eadem exploditur.* Μάχαιρα *apud Nonnum designat FERRUM LANCEÆ.* 8. λόγχη *apud Pindarum an VEXILLUM.* 9. *Tertulliani LUNCHUS.* λογχαῖος. λογχοφόρος, λογχωτὸς. *LONCHITIS herba.* 10. *Lancea an à* λόγχη. *an à LANCE.* 11. *Lancea Gallicæ originis. Hellebard.* Ἄγχος *Eustathii & Agathiæ ex German.* Lanze *corruptum.* 12. *Lancea num apud Hispanos nata. LANCIA urbs. LANCIENSES populi.* 13. *Vossii conciliatio.* 14. *Lancea forte Germanis natales debet. Cimbrorum & Suevorum lanceæ.* Lanze/ Lanzenknecht *pro quo corrupte dicitur* Landsknecht. *Cheruscorum HASTÆ INGENTES & ENORMES forte fuerunt lanceæ. LANCEÆ UNCATÆ apud Sidonium.* 15. *Lanceis usi sunt Græci. Posteriores Græci lanceas appellant* μέναυλα. 16. *LANCEOLA, Lanceari, Lanceatus.* 17. *Romani lanceis usi.* 18. λόγχη *seu Lancea apud Johannem non tam BIPENNEM, quam HASTAM communem MILITAREM designat.*

§. I.



CHRISTI in cruce demortui latus à militum uno Lancea fuisse perfossum, solus S. Johannes Evangelista his verbis commemorat, cap. 19. vs. 34. Εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Vulgatus legisse videtur ἤνοιξε: quasi sit ab ἀνοίγω: unde vertit: *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Sed in omnibus codicibus est ἔνυξε, *pupugit, vulneravit.* Est enim ἔνυξε à νύττω vel νύσσω. Videtur tamen Augustinus quoque ἤνοιξε legisse: quod hæc ejus verba arguunt: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret:* Latus ejus percussit, *aut* vulneravit; *aut quid aliud: sed* aperuit. *Ut illinc quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverant.*

§. II. In hanc Lanceam militarem cum paulo curatius inquirere apud animum constituerimus, ante omnia Græcæ vocis significatio detegenda est. Λόγχη & λόγχα Jonibus *sortitionem, portionem,* &, ut nonnulli volunt, *quietem* quoque denotavit. Hinc apud Hesychium legas: λόγχαι ἀπολαύσεις, *fruitiones.* Et sic origines vocabuli procul dubio à λαγχάνω, *sortior, adipiscor, obtineo,* arcessere voluerunt.

§. III. Sed hæc significatio rarior est. Vulgatior ea, qua quodlibet ferrum acutum, quo omnium missilium extremitas cuspidatur, denotat. Julius Pollux lib. 5. cap. 3. tam venabulis, quam jaculis λόγχας tribuit. De jaculis, quæ ἀκόντια sunt: Αἱ δὲ λόγχαι αὐτῶν διπλατεῖς: *Cuspides eorum latæ sunt.* Mox de Venabulis, quæ προβόλια nuncupat: Αἱ δὲ λόγχαι αὐτῶν ἔσωσεν σιδήρου τομωτάτου: *Cuspides eorum è ferro sunt maxime penetrabiles.*

§. IV. Sæpissime autem pro hastæ militaris cuspide sumitur. Hesychius: λόγχη, ὁ τοῦ δόρατος σίδηρος. Sic Pollux lib. 10. cap. 30. δοράτων, quæ *pila* sunt, cuspidem ita vocari notat: καὶ τὸ πρὸ͂χον σιδήρεον λόγχη, αἰχμὴ, ἐπιδορατίς: *Pili ferrum prominens,* λόγχη *cuspis* (acies) *dicitur.* Hoc sensu Herodotus lib. 1. τὸ ξυστὸν τῆσι λόγχῃσι ἐὸν ὁμοίως χρύσεον. Hastile cum suis cuspidibus similiter aureum. Idem lib. 5. Τὰς λόγχας κάτω εἰς τὴν γῆν τρέψαντες: *Hastarum cuspidibus deorsum in terram defixis.*

§. V. Per notissimam denique Synecdochen λόγχη pro ipsa *hasta* acuminata sumitur. Quod si vero quæras, qua notione vocem λόγχης S. Johannem putemus usurpasse; non minus quadrare textui credimus, si dixerimus ipsam intelligi *hastam,* quam acuminatam hastæ cuspidem. Quamvis enim proprie vulnus cuspide inflictum sancto corpori: per communissimum tamen loquendi modum id toti instrumento solet tribui, quod parte ejus geritur. Solam cuspidem commemorat Sedulius Poëta Christianus, & non vilis in Ecclesia existimationis lib. 5. Carminum.

—— Jam spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno
Viscera pendebant, & adhuc furor arma ministrans
Cuspide perfossum violat latus.

§. VI. Atque hoc cuspidatum λόγχης ferrum intellexit Nonnus, quando *Paraphrasi in Johannem* μαχαίρῃ CHRISTI latus profossum canit:

Ἀλλὰ θορὼν ἀκίχητος ἀνὴρ ἀνεμώδεϊ λόγχῃ
Πλευρὴν πᾶσι μέλουσαν ἀφειδέϊ νύξε μαχαίρῃ.

Quæ hoc modo vertit Daniel Heinsius: *Sed currens incomprehensibilis vir levi lancea latus carum non parcenti vulneravit gladio.* Sed hæc versio clare ostendit, mentem Auctoris nequaquam cepisse Heinsium. Quod adhuc luculentius apparet ex iis quæ in *Aristarcho,* sex Exercitationibus sacris ad hunc locum scribit cap. 29. *Quæro quo pacto miles impius id* τῇ μαχαίρῃ *fecisse à Nostro dicatur. Quod non capio, ut alia non pauca. Sane* μάχαιρα *Polybio & aliis, Hispaniensis in militia Romana ensis dicitur: breve telum, ideoque & velitibus plerumque assignatum. Velim autem scire, quomodo pertingere eo potuerit* ἡ μάχαιρα, *quomodo qui ea usus est, tam alte penetrarit, ut pericardion, quod vulgo creditum, trajiceret. Sed, ut cetera omittam, an oblitus fuit* λόγχην *ab Evangelista poni? Omitto Evangelistam. An oblivisci potuit,* λόγχης *mentionem etiam à se superori versu factam? imo* ἀνεμώδη

 hanc

hanc dixisse? quo missilia notari à Poëtis solent. Quanquam tale nihil in Evangelista exstet, qui adactam manu hastam penetrasse innuit. Sane nunquam satis admirari lector poterit, quomodo quod λόγχη factum est, idem machæra sit factum. Et tamen ita locus habet.

§. 17. At vero fluctus hic in simpulo movet Heinsius, nullaque de causa rigidum Nonni censorem agit. Cogitari nimirum debuisset, μάχαιραν Nonno non denotare ensem illum Romanum, sed *ferrum lanceæ*: ut proinde non immerito Heinsius cum censura sua vapulet celeberrimo Salmasio Epistola I. *de Cruce* ad Thomam Bartholinum perscripta, & hujus Dissertationi *de Latere CHRISTI aperto*, quæ Lugduni Batavorum anno cIↃ IↃC XLVI. lucem adspexit, conjuncta.

§. VIII. Erasmus Schmidius *Commentariis in Pindari Neomenicas*, λόγχην quoque vexillum denotare contendit. Verba Pindari, ex quibus hoc exsculpere conatur, hæc sunt:

Ἦ μὰν ἀνόμοιά γε δαΐ
οισιν ἐν θερμῷ χροΐ
Ἕλκεα ῥῆξαν πολεμιζόμενοι
ὑπ' ἀλεξιμβρότῳ λόγχᾳ.

Certe dissimilia (Ulysses & Ajax) *hostibus in calido corpore vulnera inflixerunt, militantes sub homines defensante vexillo.* Hæc Schmidii sententia etsi aliquibus non probatur. Si perpenderis tamen, hastam vexilli loco quandoque habitam, nulla, ceu puto, vis Pindaro infertur.

§. IX. Ab hac Græca voce λόγχη Tertullianus verborum novator format *Lunchus*. Ita enim libro de Corona Militis: *Requiescens super* luncho, *quo perfossum est latus CHRISTI.* Alias Græca exinde descendunt sequentia: λογχατὸς, *hastatus*; λογχοφόρος, *hastam ferens*: ut apud Arrianum λογχοφόροι milites, qui in legione Romana vocabantur *Hastati*: λογχωτὸς, *cuspidatus*: λογχῖτις, *Lonchitis*, herba cujus semen involucris clausum *lanceæ* simile. Dioscorides lib. III. cap. CXLIV.

§. X. Cæterum quam Græci λόγχην solent appellare, hanc Latini nuncupant *Lanceam*. Unde & natales Latinæ vocis ex Græcia nonnulli repetunt. Diserte Festus: *Lancea à Græco dicta, quam illi λόγχην vocant.* Idem placet Philoxeno Glossarum auctori. Isidorus Origin. lib. XVIII. cap. VII. à Latinis arcessit: *Lancea*, inquiens, *est hasta amentum habens in medio. Dicta autem Lancea, quia æqua lance, id est, æquali amento ponderata vibratur.* Isidorum præeuntem sequitur Pontanus *Progymnasm. lib. IV. Notis ad Dialog. XXII.* Et quod mireris, quoque Lipsius *lib. IV. Poliorcet. Dialog. IV.*

§. XI. Attamen alii Lanceam ex Gallia aut Hispania petunt. Gallis hac in re favet Diodorus Siculus lib. V. scribens: προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι, πηχυαίας τῷ μήκει τοῦ σιδήρου, καὶ ἔτι μείζω. Hæc Poggius Florentinus ita vertit: *Jaculis insuper bellant, quæ illi Lanceas vocant, ferro cubiti, aut amplius, longitudinis.* Videtur Diodorus describere, quas hodie Galli *Halebarde*, Germani nostri Hellebard appellant. Veteres tamen Franci Ἄγγους vocarunt, si Eustathio credimus hæc scribenti: Ἄγγος εἶδος δόρατος Φραγκικοῦ, οὔτε λίαν μακροῦ, οὗ τὸ πλεῖστον σιδήρῳ περιέχεται: *Ἄγγος species hastilis Francici non valde longi, cujus potius pars ferro circumdata.* De iisdem Agathias de rebus gestis Justiniani, cujus ex Græco Latine versa damus. *Sunt Angones hastæ quædam, neque admodum magnæ. Sed & ad jactu feriendum, sicubi opus fuerit; & ubi cominus collato pede confligendum, accommodatæ. Hæ pleraque sui parte ferro sunt obductæ, ita ut parum ligni laminis ferreis nudum conspiciatur, atque vix imæ hastæ cuspis tota. Supra vero ad extremitatem spiculi adunci quidam mucrones utrinque prominent, ea ipso spiculo instar hammulorum inflexi & deorsum vergentes.* Sed credibile est, ex Lancea Gallorum, quibus in hodiernum diem id nominis manet, non intellecta Eustathium & Agathiam ἄγγος suum fabricasse.

§. XII. Gallis tamen Lanceam adimens, Varro Hispanis restituit. Sic enim Gellius lib. XV. cap. XXX. *Varro cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.* Et sane pro Hispanis est, quod non uni Hispaniæ oppido hinc nomen. Florus lib. IV. cap. XII. *Reliquias fusi exercitus validissima civitas* Lancia *excepit.* Maxima Asturiæ urbs Dioni prædicatur lib. LIII. Orosius quoque meminit lib. VI. cap. XXI. Λαγκιάτους itidem in Asturia statuit Ptolemæus: inque veteri Inscriptione nominantur *Lancienses oppidani & Lancienses Transcudani.* Tum vero hodie Hispani hastam vocant Lança.

§. XIII. Vossius lib. I. de Vitiis Sermonis cap. III. hæc sic conciliat: quod origo *Lanceæ* Hispanis debeatur: inde traducta ad Gallos: de quibus sciverit Diodorus, homo Græcus, ut propioribus, & magis cognitis: sed Romanis quia per bella Hispani notiores, quam Græcis, idcirco in illis primum observasse lanceas.

§. XIV. Verum fortassis non erraveris, si ab antiquissimis Germanis, qui migrationibus suis magnam Europæ partem impleverunt, & rem & nomen devenisse dixeris. De Cimbris Florus lib. III. cap. III. *Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris atque carpentis altæ desuper quasi è turribus,* lanceis *contisque pugnarent.* Suevos lanceis armat Sisenna lib. III. apud Nonium: *Galli materibus, Suevi lanceis configunt.* Et videtur sane antiquissima esse vox Germanica eine Lantze / unde & pedites Lantzen-Knechte soliti sunt vocari: quod postea in Lands-Knechte vertit. Sic Britanni, quorum sermonem ex Saxonico fonte maximam partem profluxisse notum est, hoc armorum genus *Launce* nominant. Præterea *ingentes* illæ ad *vulnera facienda hastæ*, quibus Cheruscos in prælio contra Cæcinam usos tradit Tacitus Annal. I. cap. LXIV. quasque *enormes* nuncupat Germanicus Cæsar, pila & gladios suorum illis præferens; forsan non sunt aliæ, quam de quibus agimus, Germanorum lanceæ. Sidonius quoque Apollinaris in apparatu nuptiali Sigismeris Gothi *lanceas uncatas* quoque Domnitio suo enumerat lib. IV. Epist. XX.

§. XV. Tandem & lanceis usi sunt Græci ac Romani. De Horata Macedone Curtius lib. IX. *Igitur Macedo, haut dubius eminus interfici posse, lanceam emisit.* Sed Græci posteriores non λόγχας, vel λαγκίας, sed μέναυλα dixerunt. Quomodo Julius Africanus *de Apparatu Bellico*, & Constantinus in *Tacticis* usi. Explicat id Leo Imperator in *Tacticis* cap. VI. §. XXXII. Οἱ μὲν εἶχον κοντάρια, οἱ δὲ τὰ λεγόμενα μέναυλα, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι λόγχας ἐκάλουν. *Habebant contaria, id est, hastas, quas nunc menaula vocant: quæ olim antiqui lonchas nominabant.*

§. XVI. A Lancea descendunt Lanceola, Lanceari, Lanceatus. *Lanceolis* Sacerdotes Baaliticos armat Interpres Vulgatus 1 Reg. 23: vers. 28. *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Lanceari proprie est lancea vulnerari: quo de videatur observatio Vossii *lib. IV. de Vitiis Sermonis, cap. XII.* Lanceatus pro lancea perfossus apud Julium Firmicum legas: *Quicunque habuerint horoscopum in XXI. parte Tauri lanceati morientur.* At in Onomastico Latino Græco, quod Vossius laudato loco affert, *lanceatus* exponitur λογχωτὸς, quod est lancea instructus; vel cuspidatus in modum lanceæ.

§. XVII. Romanos quoque lanceis usos diximus. Neque tamen tam rigidi sumus in exponendo Johanne, ut Lanceam intelligamus bifurcatam, quæ Bipennis dicitur, quamque Germanis, Gallis & Hispanis in usu fuisse diximus. Suffecerit si communem hastam militarem per λόγχην designari statuerimus: siquidem & Tacitus hastis lancearum nomen tribuit; & Pelagius Episcopus Alexandrinus in concione de Epiphania apud Theodoretum Dialogo III. c. XXVIII. vocat σπάθην, *spatham.*

CAPUT II.

SUMMARIUM.

1. Ex Peditum cohorte fuit miles latus CHRISTI fodiens, non Eques. 2. Xavierius, cum Equite suo exploditur à Salmasio. 3. Pedites quidam Romani hastis fuerunt armati, atque inde dicti HASTATI. Hi primi pugnam auspicabantur. 4. Distincti erant ordines Hastatorum dignitatesque. 5. Livius à Turnebo illustratus. 6. Benemeriti milites HASTA PURA donabantur. Hastæ puræ forte fuerunt deauratæ. 7. Ignavis militibus hasta adimebatur, perfidis confringebatur. 8. Miles apud Johannem ex Hastatis fuit. 9. De nomine hujus militis. Beda LEGORRIUM vocat. 10. Alii LONGINUM. Varia lectio in Xavierii HISTORIA CHRISTI Persica. Xavierius forte Ignatii nomen tribuere voluit huic militi, ut inde Ignatii Lojolæ sectæ Jesuiticæ aliquid honoris accederet. 11. Xavierii perfidia in incru-

standa

standa CHRISTI Historia notatur. Auctor MANUALIS Augustino tributi primus LONGINUM finxit, quem sequuntur Bonaventura, Martyrologia varia, Petrus de Natalibus. 12. *Epitaphium Longini. Vidæ versus.* 13. *Longini nomen Romanum ex LONGUS factum. Longini celebres.* 14. *Longini militis nomen ex* λόγχη. *Talentonii in hanc rem verba nimium perspicua. Codri elegantiora. Quidam militem nostrum cum centurione divinitatis CHRISTI teste confundunt.* 15. *Baronius notatur quod Longini nomen centurioni soli vindicet.* 16. *Ferunt militem hunc cæcum fuisse & sanguine ex latere in oculos stillante visum recuperasse. Baptistæ Mantuani versus & Xavierii verba de eo.* 17. *Commentitium hoc est miraculum.* 18. *Ejus origines ex B. Gerhardo ostenduntur. Censura L. de Dieu.* 19. *Aliæ fabulæ de Longino, quæ inscriptione Pseudo-Longini sepulcrali obsignantur.*

§.I. UNum ex militibus, hoc est, ex Peditum cohorte ausum fuisse id facinoris, & lanceam in CHRISTI latus adegisse tradit S. Evangelista. Pedes inquam erat miles ille, non ex Equitibus. Nam στρατιώτης absolute non dicitur, nisi de pedite: cum equites semper Græcis ἱππεῖς vocarentur. Tum vero reorum custodia non committebatur equitibus, sed peditibus. Et cruciarii quoque non accipiebant equites custodes, sed pedites.

§. II. Non igitur fides est habenda Hieronymo Xaverio Jesuitæ, qui in *Historia CHRISTI* Persica à Ludovico de Dieu edita, notisque illustrata hunc militem equo insidentem sistit: quomodo & appellant ii, qui Scripturam Bohemica reddiderunt lingua: & ita fingit promiscuum Pictorum vulgus. In Xavierium eo nomine graviter invehitur Salmasius *Epistola* altera *ad Bartholinum* scribens: *Tu vis non peditem fuisse, sed equitem militem illum, quem Scriptura dicit venisse ut latronibus, & CHRISTO crucifixis crura frangeret? Quo istud argumento? Equitem sane fuisse qui latus CHRISTI lancea aperuit, historiam CHRISTI Persicam à Xaverio conscriptam tradere ais. Sed bene addis: Xaverium divinasse. Ego vero dico, pro cæteris suis dictis & hanc imposturam esse Lojolitæ summam. Miseros illos populos, quos tales Evangelistæ Doctrina CHRISTI imbuendos suscepere. Evangelium illud Persicum mendaciis refertissimum etiam hic nobis imponit, dum pro pedite, equitem supponit.*

§.III. Ut autem nullus dubitationi relinquatur locus, age de peditibus demonstrabimus, apud Veteres Romanos hastis fuisse instructos. Scilicet in singulis legionibus certus erat numerus, qui hastis depugnabant, iidemque singulariter *Hastati* vocabantur. Varro lib. IV. de L. Latina *Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant.* Signanter Varro: *qui primi pugnabant.* Nempe Hastati plerumque omnium primi pugnam inibant. Livius lib. VIII. ubi de instructione aciei contra Latinos: *Prima acies hastati erant manipuli quindecim distantes inter se modicum spatium. Manipulus leves vicenos milites aliam turmam scutatorum habebat. Leves autem, qui hastam tantum gesaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat.* Et paucis interjectis: *Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant. Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant, tum Principum pugna erat. Hastati sequebantur.* Idem lib. XXXVII. *Hastatorum prima signa; deinde Principum erant: Triarii postremos claudebant.*

§.IV. Erant & suæ dignitates & munia in hastatis, perinde ut in cæteris militibus legionariis. Nam idem Livius lib. XXX. de Scipione cum Annibale pugnaturo: *Instruit deinde primos* hastatos, *post eos Principes.* Et de ipso prælio: *Qui primi erant* hastati, *per cumulos corporum armorumque & labem sanguinis, qua quisque poterat, sequentes hostem, & signa & ordines confuderunt.* Mox etiam *mediæ Hastatorum aciei* meminit. Et lib. XLII. Spurius Ligustinus *virtutis causa T. Quintium Flaminium* decimum ordinem hastatum *sibi assignasse*, perorat. Idem paulo post: *Hic me Imperator* (M. Portius Cos.) *dignum judicavit, cui* primum hastatum *prioris centuriæ assignaret.*

§. V. Æquum est, ut hic Turnebum audiamus, qui Livium haut perfunctorie illustrat. *Hastatorum*, inquit, *in legione Romana numerus erat ad mille ducentos, interdum etiam major. Decimus igitur ordo est decimi centurionis hastatorum.* Sic primus hastatus *dicebatur primi hastati centurio; qui ducenarius erat, duasque centurias ducebat, ut Vegetius lib. II. cap. VIII. ait. Quamquam existimo duos centuriones primi hastati fuisse: unum prioris centuriæ: alterum posterioris.* Secundus hastatus *secundi hastati centurio, qui centuriam semis ducebat. Livius mox scribit:* Hic me Imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. *In primo hastato duæ erant centuriæ, ut diximus, quæ suum quemque primum hastatum vel centurionem primi hastati habebant. Earum centuriarum altera prior, altera posterior dicebatur. Honestior autem ordo erat prioris centuriæ.* Adversarior. lib. XXX. cap. XXXII.

§. VI. Ad hæc qui in prælio strenue pugnasset, & præclarum aliquod facinus edidisset, *hasta pura*, hoc est, sine ferro, donabatur. Auctore M. Varrone id docet Servius ad illud Virgilii lib. VI. Æneid.

Ille (*vides?*) pura *juvenis qui nititur* hasta:

Pura, inquit Grammaticus; *id est, sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio; sicut ait Varro in libris de gente populi Romani.* Quamquam alii Poëtam hoc loco ἀναίματον λογχὴν, *incruentam hastam* intelligere putant: ut in isto Propertii lib. IV. Eleg. III.

Pura *triumphantes* hasta *sequatur equos.*

Verum quicquid sit de loco Virgilii, de ritu ipso certi sumus, eidemque adhuc sub Cæsaribus locum fuisse scimus. Suetonius Claudio cap. XXXVIII. *Libertorum præcipue suspexit Posidem spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros* hasta pura *donavit.* Sic Flavius Vopiscus in vita Aureliani sermonem Valeriani recitat, quo Aureliano *hastas puras decem* decrevit. Idem Vopiscum vita Probi testis est: *Ipsum bello Sarmatico jam tribunum, quod transmisso Danubio multa fortiter fecisset, publice in concione donatum esse* hastis puris *quatuor.* Simpliciter de donativo hastarum Festus: *Romani fortes viros sæpe hasta donarunt.* M. Cato Oratione ad Equites apud Festum: *Majores seorsum ac diversum precium paravere bonis atque strenuis: Decurionatus, Optionatus*, Hastas Donaticas, *aliosque honores.* Et Plinius de L. Siccio Trib. Pl. lib. VII. Nat. Hist. cap. XXVIII. *Donatus hastis duodeviginti.* Quia autem Josephus lib. VII. de Bello Judaico in donis militaribus numerat δόρατα μακρὰ χρυσᾶ colligere inde licet, hastas ejusmodi deauratas fuisse.

§. VII. Et cum semel de militari hasta cœperimus disserere, id loco non incommodo monere visum est; quod ignavis militibus, & qui alias deliquissent, hasta in pœnam ademta sit. Sic enim colligimus ex Festi libro de verbis Veteribus: *Censio hastaria dicebatur, dum militi mulctæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.* Vel, si grave esset delictum, hasta confringebatur. Ammianus Marcellinus de Juliano puniente desertores in prælio Persico lib. XXV. *Ad indignationem justam Imperator erectus, ademtis signis distratisque, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captivos agere iter imposuit: ductore eorum, qui solus fortiter decertarat, alii turmæ apposito, cujus tribunus turpiter prælium deseruisse convincebatur.*

§. VIII. Cæterum uti dubio caret nullo certos milites Romanos hasta vel lancea instructos: ita facili negocio colligere est, ex illo ordine unum fuisse, qui sua lancea mortuum CHRISTI corpus crudeliter aggressus est.

§. IX. Quodnam huic militi nomen fuerit, sic equidem existimo, neminem certo posse definire. Apud Bedam tamen in Collectaneis, quæ in calce Tomi III. apparent, LEGORRIUS, (modo lectio sit genuina) nuncupatur. *Dic mihi*, inquit, *nomen illius militis, qui punxit latus Domini JESU CHRISTI. Dico tibi: Legorrius dictus est.*

§. X. Non memini id nominis apud quemvis Veterum me reperire. Et tamen nullus dubito, quin Beda, sive quis alius Eclogarum auctor est, antiquiorem exscripsisse. Sed plurium est sententia, LONGINI nomen habuisse. In Xaverii Historia CHRISTI Persica sic habetur in versione Ludovici de Dieu: quamquam in notis marginalibus monet idem Editor in autographo esse اینجس quod corruptum putet pro لنجس *Longus*, qui vulgo *Longinus*: *nisi forte aliud ei dare nomen Auctor voluerit, nempe* Inatius *seu* Ignatius, ج *Arabum sonante, ut* Ti *Latinorum, sequente vocali.* Et in Animadversionibus ita scribit: *Scripturam Per-*

Persicam intuenti apparebit, nomen militis in MS. optime legi Inasius, *id est*, Ignatius. *Fortasse oportunum maxime videbatur, praclarum hunc militem tanto miraculo decoratum* (de eo mox dicemus) *ipsius JESU sanguine à cacitate liberatum, & è milite pracipuum fidei Antistitem factum, Jesuitica secta Auctori ac Patrono* Ignatio Lojolæ, *olim etiam militi, cognominem facere, ut vel inde secta Ignatiana decor aliquis ac splendor accederet.*

§. XI. At reformet Xavierius hunc militem in *Ignatium*, nemo certe nostrum absque Veterum suffragio eidem erit credulus. Videat autem ille, quomodo Deo rationes exposcenti responderit, quod tam Sanctam JESU CHRISTI historiam frivolis quibusdam fabulis incrustare non fuerit veritus. Nos de Longini nomine erimus solliciti, quod apud antiquos Scriptores quosdam reperire est. Primus forsan id in medium attulit Auctor illius *Manualis*, quod in Appendice Tom. IX. Operum Augustini Editionis Antuerp. anni cIɔ Iɔ LXXVII. comparet, & ex libellis aliquot Augustini collectum est. In hoc *Manuali* illa leguntur cap. 23. *Longinus aperuit mihi latus CHRISTI lancea, & ego intravi.* Hunc sequuntur Bonaventura, cujus sermonem sequenti capite adducemus, & varia Martyrologia. Romanum quod vocatur, ista habet Idibus Martii: *Cæsareæ in Cappadocia passio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur.* Idem eodem die præfert Usuardus, cujus hæc sunt verba: *In Cæsarea Cappadociæ passio S. Longini, qui latus Domini lancea perforavit: ut in gestis ejus invenitur.* Gemina fere scribit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus *Catalogi Sanctorum lib. III. cap. CCI.* Verum Ado Episcopus Viennensis ejus passionem refert in Kl. Septembres: quo die sequentia affert: *Apud Cæsaream Cappadociæ* (Natalis) *beati Longini, militis & Martyris: quem tradunt illum esse, qui lancea latus Domini JESU CHRISTI pendentis in cruce aperuit. Hic postmodum baptizatus est ab Apostolis, cum apud Cappadociam sanctitate præcipuus degeret: tandem ab Octavio Præside comprehensus post confessionem fidei, lingua abscissa & dentibus excussis, capite truncatus est.* At Græci in Menologio martyrium ejus recensent XVII. Kl. Novembris: quo etiam Longini centurionis Acta descripsit Metaphrastes: ex quo Aloysius Lipmannus *tomo VI. Sanctorum* & Laurentius Surius *tomo II. Sanctorum* sua hauserunt.

§. XII. Huc etiam spectat Epitaphium, quod prope Lugdunum ad confluentem Araris & Rhodani in fano S. Mariæ Insulæ Barbarorum (ut appellant) conspicitur.

QVI SALVATORIS LATVS IN
CRVCE CVSPIDE FIXIT
LONGINVS HIC JACET.

Longini quoque nomen placuit M. Hieronymo Vidæ, non ignobili superioris seculi Cremona oriundo Poëtæ lib. 6. Christiad. vs. 60.

Hic ausus solus, lato cui lancea ferro
Longinus sanctos violare ignobilis artus.

§. XIII. Longini nomen ex Romanis est. Noti sunt Velius Longinus, Grammaticus, cujus *de Orthographia* libellus superest: Cassius Longinus JCtus: Dionysius Longinus Rhetor, cui elegantem περὶ ὕψους (*de sublimi Charactere*) commentationem debemus. Et uti à Justus Justinus; ab Augustus Augustinus; à Marcello Marcellinus; à Macer Macrinus: sic à Longus descendit Longinus. Ejusdem nominis plures in Martyrologiis prædicantur Martyres, quorum unus sub Cæsare Maximiano miles cum commilitonibus privatus militari zona fuit: ut est in Martyrologio Romano VIII. Kl. Julii.

§. XIV. Nostro Longino hoc nomen ipsam peperisse lanceam, facile mihi persuaderi patior. Adscribam ea de re verba Johannis Talentonii, qui ineunte præsenti seculo in Parmensi Gymnasio Philosophiam & Medicinam docuit, ex *Thesauro Rerum Reconditarum* lib. 2. cap. 9. *Baronii & Codri sententiam si quis sequi maluerit, opinionem eam ex eo forte manasse poterit dicere, quod lanceam Græci* λόγχην *vocant, ut ait Festus Pompejus, & quod* γ *apud Græcos ante* χ, κ, ξ, *& aliud* γ *profertur ut* ν, *& quando est ante* κ *non solum profertur ut* ν, *sed etiam ipsum* κ *profertur ut g. eaque propter* πέφαγκα *exprimentes, dicimus* Pephanga. *Quare cum dictione* λόγχη, *id est*, lancea, *usus sit Evangelista, in qua* γ *est ante* χ, *credens quispiam, literis Græcis mediocriter tinctus, id convenire literæ* χ *posse, quod ipsi literæ* κ *tribui solere dictum est; dictionem illam pronuntiavit Latine* Longi. *Imperiti autem postea forte punctum illud, quod literæ superponitur, notam esse putantes, quæ literæ* ν *alibi quandoque vim habere solet*, Longin *debere legi putarunt, eaque voce eum intelligi, qui Domini nostri latus aperire est ausus. Potuit etiam forte error à lingua Græca imperito oriri, qui accentum acutum literæ o superpositum putarit esse notam literæ* Ν *apud Græcos, ut est apud latinos & illorum* γ *esse g, ut reapse est;* χ *vero librariorum incuria esse factum, quod debuisset esse Latinorum ypsilon & H litera* N. Hæc Talentonius: & quidem adeo aperte atque perspicue, ac si cum septuennibus pueris ageret: ut in his profecto tam ambitiosum titulum vix mereatur liber. Longe sane elegantius ea de re disserit ad quem ipse provocat Codrus Urceus Sermone X. ubi ostendit, quod usque ad ridicula in Etymologia verborum perventum sit. *Volo*, inquit, *unum & alterum joci causa vobis enarrare.* Postquam igitur de ridiculo *Diaboli* etymo à *duobus bolis* quibus hominem devoret sumto, quædam attulisset, verbis jam afferendis pergit: *Audite aliud magis ridiculum. In Johannis Evangelio legitur:* Ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. *Nostri Theologi, sive sono vocabuli Græci decepti, uti apud Græcos* λόγχη, *id est, lancea, scriptum est, crediderunt percussorem illum Longinum esse appellatum: & ita in illum hoc nomine exclamantes invehuntur nostri Theologi, sive divini verbi seminatores, Longinum proprio nomine militem illum appellant: non miror, si nos ridemus: quoniam & diabolum ipsum, & illum, quem isti dicunt Longinum, puto, si talia audiunt, maximos risus excitare.* Quod ad summam rei attinet, consentiunt in conjectura etymi Longiniani B. noster Gerhardus *Harmonia Evangelica cap.* 18. & Gerhardus Johannes Vossius *Harmonia lib.* 2. *cap.* 11. Hujus nonnulla vel propterea adscribam, ut appareat, aliquos Centurionem Divinitatis CHRISTI testem cum lanceario milite nostro confudisse. *Etiam illud in quæstione est, utrum hic miles fuerit idem, ac centurio ille, qui cum terræ motum, aliaque miranda, quæ fierent, CHRISTO in cruce pendente, conspiceret, confessus est, eum vere esse Filium Dei: ut legere est Matthæi 27: 54. Sed diversos censeo cum Luca Brugense in Joh. 19: 34. Nec enim persuadere mihi possum, centurioni, CHRISTUM confitenti, animum fuisse istiusmodi, ut adigere lanceam per latus CHRISTI sustineret. Sed omnino, qui præclare adeo de CHRISTO sentiret, atrox facinus judicasset, sic sacrum corpus violare, seu vivi, seu mortui.* Et post pauca: *Sed multum metuo, ne primo miles, cujus nomen nesciretur, à lancea, quæ aperuit CHRISTI latus, Longini nomine sit donatus posteaque ita etiam centurio dici cœperit, idque occasione ea, quod miles idem ac centurio ille crederetur.*

§. XV. Baronius tamen Cardinalis, nequaquam ferre potest, militi nostro Longini nomen tribui: quod pro dictatoria auctoritate sua soli centurioni, de quo ex Vossio audivimus, vindicat Tom. I. Annal. ad ann. Christi XXXIV. pag. 180. edit. Romanæ ann. cIɔ Iɔ LXXXVIII. *Prædictum vero centurionem* (hæc Baronii verba sunt) *Longinum nomine appellatum fuisse, CHRISTIque fidem secutum, abdicasse se à militia, ac denique ad martyrii palmam advolasse, qui ejus res gestas scripserunt*, (exstant apud Metaphrast. die 16. Octobr.) *testantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundemque cæcum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit.* Ex iisdem Actis deinde quædam recitat inferius ad eundem annum pag. 199. Sed profecto eadem verisimilitudinis ratione asseritur, Longinum dictum fuisse centurionem illum, qua alii militi nostro hastato id nominis tribuunt: hoc est nulla, vel exigua: mirorque non immerito, qui Baronius sui oblitus à Martyrologiorum auctoritate, quam tanti sæpissime alias facit, decedens, eadem inter Apocrypha numerare nullus dubitet. Mea certe hæc est sententia, non minus Longini centurionis nomen, quam nostri στρατιώτε confictum esse.

§. XVI. Neque tamen contenti fuerunt illi, nomen commentitium militi imponere: addiderunt insuper miraculum non vulgare: nempe Longinum hunc erumpente ex latere CHRISTI sanguine, & in oculos stillante, visum recepisse. Sequi illos superiori seculo non dubitavit magni spiritus Poëta Baptista Mantuanus, quando Fastorum libro sic cecinit:

Tu cæcus non mente minus, quam corpore, sanctum
Lancea & admoto pectus, mucrone petisti.
Inde cruor confusus aquis hastilia circum
In digitos lapsus tetigit cum lumina, morbum
Sustulit.

idem

Idem commentum suo quoque calculo firmavit Xaverius, cujus verba integra, prout à Ludovico de Dieu sunt versa, subjicio: *Unus ex militibus, Longinus nomine, experiendi gratia hastam in latus dextrum Domini JESU verberavit, & ex latere benedicto ejus aqua & sanguis fluxerunt, & per hastam in manum ejus venerunt: adeo ut sanguis ille sanctus à manu ejus, non mediante manu in oculum ejus venerit, atque ille qui ob defectum visus, quasi cæcus erat, è vestigio visum receperit. Statim ab equo descendit, & nobilitate fidei nobilitatus fuit, ipsumque pro Deo adoravit, & ex præcipuis Religionis factus est.*

§. XVII. At vere cæcutiunt, me CHRISTE, quibus hæ arrident næniæ. Dic enim, quæso, qui homini oculis capto lanceam in latus CHRISTI contorquere datum fuerit? Igitur, ut incrustent fabulam, Petrus Comestor & Petrus de Natalibus, caligantes Longino tribuunt oculos, qui, cum sanguis CHRISTI forte fortuna fuerit admotus, videndi acumen recepêrint. Isidorus *in Harmonia* B. Gerhardi laudatus testatur: quod altero oculo privatus affluxu sanguinis eundem receperit.

§. XVIII. Non immerito autem quæras, quid ansam dederit hominibus, tam licenter talia fingendi. B. Gerhardi hæ sunt cogitationes: id primum velut in dramate quodam confictum fuisse ad significandam Spiritualem sanguinis CHRISTI efficaciam, & paulatim mysticum hunc sensum in literalem vertisse. Placet hic censuram jam aliquoties laudati Ludovici de Dieu ex Animadversionibus in Exerpta ex Xaverii Histor. Pers. afferre: *Ipsum miraculum neque priscis Patribus memoratum, & per se adeo futile est & putidum, ut non magis Evangelicis rebus quadret, quam stercora aromatibus.*

§. XIX. Ejusdem autem est farinæ, quod Vincentius in *Speculo Historiali lib. VII. cap. XLVII.* Longinum nostrum Martyrem Octonio Præsidi, Judici suo & excæcato, sed ad cadaver ipsius pœnitentiam agenti visum restituisse, nescio cujus fide, commemorat. Nec minus putidum figmentum est, quod Pindarus in *Speculo Passionali articulo ultimo* tradidit Longinum ab Apostolis plenius instructum abdicata militia Cæsareæ Cappadociæ XXX. annis monasticam vitam duxisse. Nihil igitur restat, quam ut Longino scribamus Epitaphium:

HAVE. LECTOR
HIC. SITVS. EST. LONGINVS
QVI. NVNQVAM. CHRISTI. LATVS. CVSPIDE. FIXIT
ABI. IN. REM. TVAM
ET. QVI. ME. COECVM. FVISSE. PVTAS
OCVLIS. TVIS. COLLYRIVM. PARA

CAPUT III.

SUMMARIUM.

1. *De parte corporis, quam Lancea transfixit.* πλευρὰ *vocatur à S. Johanne. LATUS A LATENDO dicitur. LATUS in homine quid designet.* 2. *Lateris morbus dicitur* πλευρῖτις. *Singularia de hoc morbo afferuntur ex Medicis antiquis.* 3. *PLEURETIS & PLEURESIS à sequioris ævi Scriptoribus vocatur.* 4. πλευρὰ *latius quandoque sumta pectus includit.* 5. *Dextrum an sinistrum latus percussum. Hoc vult Lucas Brugensis.* 6. *Istud probat Ivo, Innocentius III. Papa, Athanasius Junior, Bonaventura, Bernhardus, Gosfridus, Brigitta, Barlæus, Xavierius, Kirstenius.* 7. *Incertum quodnam latus percussum.* 8. *An utrumque latus vulneratum. Negatur.* 9. *Veteres in dimetienda vulneris magnitudine curiosi.* 10. *Veterum testimonia cor læsum asserentia.* 11. *Idem sentit Marcus Vigerius Disput. DE PRÆSTANTIA ET DIGNITATE LANCEÆ LONGINI: Item Franc. Collius libro DE SANGUINE CHRISTI.* 12. *Quidam aquam lateris CHRISTI ex pericardio derivant. De aqua pericardii quædam.* 13. *Non putamus lanceam cor penetrasse. Aqua pericardii exigua.* 14. *Si cor CHRISTI perforatum, cicatricem dubio procul incredulo Thomæ monstrasset.* 15. *Male Vincentius Ferrerius abdomen à milite vulneratum statuit. Bartholini Pater & Filius ex sola pleura aquam lateris CHRISTI derivant.* 16. *Miraculosus ille fluxus aquæ sanguinisque.* 18. *Qui ferrum Lanceæ inter pectus & femur adactum ad cor penetrasse putant, innituntur crucis altitudini; quæ frustra inculcatur.* 19. *Quæritur: quo animo miles CHRISTI latus aggressus. De illo non credibile implere voluisse S. Scripturam. Per* ἵνα *denotatur rei eventus.* 20. *Plurimi putant militem veritatem mortis CHRISTI explorare voluisse.* 21. *Refellitur illa sententia ex ipso S. Joanne.* 22. *Ex sola id factum militis petulantia: quam incenderunt forte Judæorum proceres.* 23. *Mirum qui miles nec auctoritate conversi Centurionis, nec miraculorum magnitudine fuerit territus.*

§. I. Postquam de milite, qui Lanceam in CHRISTUM demortuum contorsit, pro re nata disseruimus, partem quoque corporis contemplabimur, in quam se penetravit Lancea. Hæc πλευρὰ ab Evangelista nominatur. Πλευρὰ & πλευρὸν Latinis *Latus* à *latendo* dicitur, quod lateat condaturque sub axillis: ut bene scribit Isidorus *Originum lib. XI. c. I.* Est enim *Latus illud totum, quod sub ala est*: quæ verba sunt Rufi Ephesii *libello* de *Appellatione partium corporis humani lib. I. cap. XI.* à Junio Paulo Crasso Medico Patavino Latine verso. Proprie igitur πλευρὰ universum illud corporis designat ab alis ad costam quod descendit.

§. II. Et quia in hac corporis regione singularis morbus jam ab antiquo fuit deprehensus, hinc appellari cœpit πλευρῖτις, hoc est, ἄλγημα τῶν πλευρῶν, ut est apud Hippocratem in *Prognosticis*, & ὀδύνη πλευρῆς apud eundem passim. Et πλευριτικοὶ inde sunt dicti, qui huic morbo essent obnoxii. Cœlius Aurelianus lib. II. cap. XIII. *Pleuritis à parte corporis, qua magis patitur, nomen sumsit. Latus enim ipsa passione vexatur, quod Graci pleuron vocaverunt.* Actuarius *de methodo medendi* lib. IV. cap. IV. *Si dolor in latere obfirmatur, id à loco patiente* πλευρῖτις *Graecis nominatur.* Scribonius Largus *Composit. Med.* XCIV. *Qui lateris dolorem cum febri sentiunt, Graci* πλευριτικοὺς *vocant.* Aretæus Cappadox *de causis & signis acutorum morborum* lib. I. cap. X. *Sub costis, dorso & internis pectoris ad jugula usque tenuis membrana robustaque ossibus inhærens, substrata est, cui nomen succingens inditum est. In hac quum Phlegmone suborta fuerit, ignis adest cum tussi & sputis variis.* πλευρῖτις *morbus iste appellatur.* Morbum hunc *acutum lateris*, ita enim nuncupat Q. Serenus Sammonicus in *Præceptis de Medicina*, sive *Lateralem dolorem*, ut appellat Plinius, latius describunt sequentes Medici Veteres: Alexander Trallianus *de arte medica lib. VII. cap. I.* Paulus Ægineta *de re medica lib. III. cap. XXXIII.* Aëtius *Tetrabibli II. Serm. IV. cap. LXVIII.*

§. III. *Pleuretis* dicitur hic morbus Valeriano Plinio lib. V. cap. IV. & barbaris quibusdam *Pleuresis*, inter quos est Matthæus Gradius *in Rhasem*, & Hubertus in *vita S. Gudilæ*, apud Bollandum VIII. Januarii: cujus hæc sunt cap. IX. §. XXXVI. *Quicunque sub tuæ misericordiæ confugerunt alas, aut pleuresi dira pulsati, recepta sanitate cuncti ad sua redierunt læti.*

§. IV. Neque tamen ἡ πλευρὰ *latus* tantum signat, sed quandoque notionem suam extendit ad ossa, eamque partem corporis, quæ costarum sepimento munitissima est: adeoque & pectus ipsum *lateris* interdum nomine Medicis venire observatum. At enim quia πλευρὰ in Evangelistæ, quem præ manibus habemus, loco non tam internas corporis partes, quam externum vulneris inflicti locum designat, agedum spectemus, qua parte corpus CHRISTI lancea militis læsum patentem fissuram pertulerit. De latere non est qui dubitemus; quandoquidem id diserte indicet vocula Evangelistæ.

§. V. Hic tamen in quæstionem venit, utrum latus fuerit percussum: dextrumne an sinistrum. Pro sinistro militat Lucas Brugensis in Johannis cap. 19. *Non pectus aperuit miles*, inqnit, *ut quidam pingunt, sed latus, idque sinistrum; quamquam pictores dextrum notent.*

§. VI. At aliis aliud videtur. Nam pro dextro latere pugnant Ivo Carnutensis Epist. CCXXXV. *Hostia, quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & calicis positione dextrum CHRISTI latus repræsentet.* Innocentius Tertius lib. II. *De Sacro altaris Sacramento* cap. LIV. *Calix ponitur ad dextrum latus, quasi sanguinem suscepturus, qui ex latere CHRISTI dextro creditur vel cernitur profluxisse.* Athanasius, non vetustus ille, sed multo junior *de Passione Imaginis CHRISTI, qualiter crucifixa est in Beryto Syriæ civitate* libello: in quo huc respiciens, *Hebræos Patrum suorum vestigia secutos valido ictu lancea latus dextrum Iconis percussisse* scribit. Bonaventura libello Meditationum: *Unus autem Longinus nomine (tam impius & superbus, sed post conversus & martyr & sanctus) lanceam de longe, eorum preces & rogamina contemnens latus Domini dextrum vulnere grandi aperuit.* Bernhardus Sermon. VII. in Psal. 15. *Et quidem Dominus JESUS post cetera inæstimabilis suæ erga nos beneficia pietatis etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quod videlicet non nisi de dextra mihi propinare vellet: non nisi in dextra ponere locum refugii.* Goffridus Abbas Vindocinensis, S. Priscæ Cardinalis, seculi XI. Scriptor, cujus Opuscula Jac. Sirmondus anno hujus seculi X. edidit *Sermon. V.* de Resurrectione Domini: *In illa sancta cruce de ejus latere dextro exivit sanguis & aqua: sanguis, quo nos à diaboli potestate redimeret: aqua, qua nos à peccatis mundaret.* Et paucis interjectis: *De latere CHRISTI dextro sanguis & aqua potius exisse dicitur, non de sinistro. Nam quod per sinistram illius manum, hoc ipsum per latus ejus sinistrum accipimus; humanæ videlicet carnis susceptionem: per dextrum vero latus ejus, quod per illius dexteram intelligimus, divinam scilicet majestatem.* Quin & S. Brigitta vidit (non id ex narratione B. Virginis accepit, ceu per ἁμάρτημα μνημονικὸν in Harmonia scribit Vossius) lanceam dextro infixam lateri. Ita enim legimus lib. VII. *Revelationum* cap. XV. *Sic stantibus turbis in circuitu, venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro, tam vehementer & valide, quod quasi per aliam partem corporis voluit pertransire.* Non ignobiles igitur secutus est auctores nobilissimus Poeta Caspar Barlæus, quando CHRISTUM in cruce affatur:

> Dextra *tibi perfossa riget: mea sola scelesta est,*
> *Nec sentit pœnam noxia* dextra *suam.*
> *Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat:*
> *Debentur lateri vulnus & hasta meo.*

Etiam de dextro latere transverberato legas in Historia CHRISTI Persica Xavierii. Favet quoque huic opinioni Arabicæ Versionis Auctor, teste Petro Kirstenio Medico, Arabicæ literaturæ apprime gnaro, cujus hæc sunt verba in Præf. Grammat. Arabicæ: *Cirumstantiæ sacrarum literarum utilissimæ, quæ in nullius alterius linguæ textibus reperiuntur, in Arabicis libris explicantur. Ut v. g. Joh. 19:34. latus illud Servatoris nostri JESU CHRISTI in cruce pendentis, quod militum unus lancea aperuit, dextrum fuisse, omnes textus Arabici, tum typis excusi, tum calamo exarati summa constantia docent.*

§. VII. Interim etsi pro dextro latere plures pugnent, quam pro sinistro; nec sic tamen id est certum satis, nec temere licuerit asserere, utrumvis sit percussum.

§. VIII. Sed non desunt, qui utrumque latus perfossum autumant. Eustathius enim Antiochiæ Episcopus & Confessor apud Theodoretum Episcopum Cyri *Dialogo I.* τὰς πεπραμένας πλευρὰς memorat. Nota hic denuo lapsum memoriæ Vossianæ, quandoquidem *lib. II. Harmoniæ c. XI.* scribitur Theodoretum Dialogo II. affirmare CHRISTUM discipulis ostendisse perforata latera. Neque enim unquam Dialogo II. quando in hac causa versatur, multitudinis utitur numero, imo nec primo illud, nec tertio Dialogo reperias. Leo Magnus quoque Epist. XCVIII. cap. III. vocat *vulnera lateris.* Est vero synecdoche numeri, cujus plurima tum in sacris, tum in externis scriptoribus reperiuntur exempla. Prudentius tamen Amœnus, quem diversum nonnulli statuunt ab Aurelio Prudentio, revera utrumque latus trajectum cecinit. Sic enim in Epigrammate, cui titulus: *Passio Servatoris:*

> *Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem*
> *CHRISTUS agit.*

Nec aliter sensisse videtur, si est alius, Aurelius Prudentius Peristephan. hymno XIII.

> *Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque*
> *Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex.*

Ne de eo dicam, quod in Apotheosi vs. 288. *costarum vulnera* memoret. Nos vero utriusque lateris vulnus non admittimus, sed Euangelistam secuti unum tantum latus à milite perfossum existimamus. Brigittæ visionibus num tantum fidei habendum sit, qui tam valide lanceam in latus CHRISTI affixam putemus, ut pœne per aliud latus transiverit, ceu *Revelat. lib. I. cap. X.* habetur, in illo S. Scriptoris silentio, non immerito dubitamus.

§. IX. Curiosi, fateor, in dimetienda vulneris magnitudine fuerunt Veteres, dederuntque junioribus quærendi occasionem, utrum non latus solum, sed etiam pericardium, hoc est, *membrana illa nervosa ac tenuis, qua veluti sepimento quodam cor vallatur,* uti definit Rufus Ephesius lib. II. cap. XIII. & ipsum porro cor fuerit perforatum.

§. X. Crediderunt hoc Veteres Christiani, quando sacris Ecclesiæ cantilenis hians CHRISTI vulnus conspectui quasi dederunt. Occurrunt in iisdem & hi versiculi: *Dulcis hasta latus Dei Te replevit sanguine, Dulcis mucro per cor Dei, Volvitur in flumine.* Itemque isti: *Si cor habes maculatum, Inspice vulnus tam latum, Cordis ejus, illinc fluit Unda, quæ sordes abluit.* Sic Auctor Sermonis *de duplici martyrio,* Cypriano tributi: *Erat & illud præter naturæ cursum, quod ex latere animali corporis sanguis & aqua profluit: ut absolveretur triplex testimonium, totum effudit spiritum, ut nos respiraremus: quicquid erat humoris aquei reliquum, expressit, ut nos ablueremur: quicquid resederat in corde sanguinis, emisit, ut nos confirmaremur.* In Brigittæ visionibus lib. I. cap. X. Maria virgo inquit: *Tunc mihi videbatur quasi cor meum perforaretur, cum vidissem cor filii mei charissimi perforatum.* Atque iterum l. II. c. 21. *In corde punctus erat tam amare & immisericorditer, quod pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea.* Et denuo lib. IV. cap. LXX. *Modico autem tempore post aperto latere, & extracta lancea, sanguis in cuspide quasi brunei coloris apparuit: ut ex hoc intelligeretur cor transfixum: quæ punctura cor meum penetravit. Et mirum fuit, quod & ipsum non crepuit.*

§. XI. Insedit quoque hæc opinio Marco Vigerio Episcopo Prænestino & Cardinali Seno Galliensi in Controversia, quam jussu æqualium suorum de præstantia & dignitate lanceæ Longini Pontifici Romano à Turcarum Imperatore missæ, præ Tunica Inconsutili, quam ipse Bajazethes sibi reservarat, olim ipse conscripsit, post à Simone Begnio Modrusiensi Episcopo typis divulgata. Tractatu enim IV. primas lanceæ defert, quia *non extrema solum, ut tunica, sed sanctissimi corporis medium attigit & nobilissima; vel forte loca cordis, & ipsum attigit cor: ad quæ in morte CHRISTI omnis vigor vitalis humoris inexhausto corpore reliqui, ut ad arcem muniendam, & ad proprium domicilium se contulerat, qua forte de causa sanguis defluxit, & aqua per lanceam.* Postea paucis interjectis: *Ferrum autem aqua perfusum est; quam de fonte intimi cordis eduxit, & de micanti mucrone rubens & sanguinolentum spiculum regio sacerdotalique sanguine cruentatum exstitit.* Præsenti seculo hanc sententiam amplexus est Franciscus Collius, Theologus Mediolanensis, qui sinuoso *de Sanguine CHRISTI* volumine ex corde sanguinem prodiisse pro indubia propositione recepit. Neque aliter sentiunt haud pauci ex Nostratibus Theologis.

§. XII. Atque hæc sententia eo redditur probabilior, quod sicuti ex corde sanguis, ita ex pericardio aqua derivari possit, cujus fluxum tam sollicite descripsit S. Johannes Euangelista. Aquam sane Pericardii agnovit Hippocrates, aut, si is non est, Auctor tamen antiquissimus *libri de Corde,* itemque Galenus *lib. V. de locis affectis.* Hinc Georgius Bertinus Campanus *lib. V. Medicinæ methodice comprehensæ cap. IX.* ita de eo disserit: *Pericardium continet aquosum humorem, ut cor calidissimum viscus eo velut rore madeat & facilius palpitet. In vulnere cordis cum hic humor aquosus effluit, statim mors consequitur. Unde Euangelistæ* (quot quæso, fuerunt Bertine ex Euangelistis hæc qui commemorent?) *ad significandam CHRISTI mortem ex corde, vulnere accepto in latere, aquam exisse, vere ac sapienter scriptum reliquerunt.* Pro pericardio quoque læso stat Emanuel Tremellius, qui in *Notis marginalibus* ad Johannem hæc verba concepit. *Hoc vulnere plene facta fuit mortis CHRISTI fides. Nam effusa aqua ex hoc vulnere indicavit ferrum usque in pericardion penetrasse, illius videlicet aquæ conceptaculum, quo vulnerato necesse est omne animal protinus mori.* Etiam Theodorus Beza, Hugo Grotius, & Jacobus Tirinus huc inclinant.

§. XIII. Verum enim vero quo minus existimem lanceam militis penetrasse cordis regiam, sacer textus facit, qui non nisi πλευρὰν ostentat. At cordis partes per latus exprimuntur nusquam;

nusquam; & longior flexus fuisset per latera ad cor vibrare hastam. Huc accedit, quod aqua illa pericardii minoris quantitatis sit, & vix cochlearis mensuram excedat: quamquam in putrescentibus & diu mortuis copia soleat esse major.

§. XIV. Plurimum porro ad augendam increduli Thomæ fidem contulisset aperti cordis oculata demonstratio. Neque enim Servator redivivus peccatoris conversioni tanta cum sollicitudine incumbens cordis sui penetrale incredulo offerre prætermisisset, si eam tyrannidem & vulneris hiatum fuisset expertus. Tantum tamen abest, ut propterea improbem veterum ac recentium Theologorum de corde perforato dicta, ut potius pias & devotas illorum meditationes magni faciendas æstimem.

§. XV. Longius à janua vulneris aberrant, qui in abdomine illud collocare ausi sunt. Est in his Vincentius Ferrerius Valentinianus à Callisto III. in Sanctos relatus, Sermone unico Paschali de *CHRISTI Passione.* Neque enim τ͂ πλευρᾶς denominatio eo usque extendi debet. Et licet Hippocrates lateris dolorem usque eo retulerit, hoc tamen propter partium consensum factum jam pridem observarunt Medicorum filii.

§. XVI. Denique Caspar Bartholinus, celebris Medicus Danus, ac post votum in acuto morbo factum, Theologus insignis; itemque Patris in professione medica successor Thomas, Vir incomparabilis, solam pleuram sine pericardii cordisque læsione perforatam contendunt. Statuunt vero in capacitate thoracis nunc minus esse aquei coloris, nunc plus, pro cujusque temperamento: inque CHRISTO ob doloris magnitudinem humorem hunc fuisse adauctum.

§. XVII. Interea quia plerique Theologi consentiunt miraculosum fuisse illum sanguinis & aquæ fluxum, perinde forsan fuerit unde illum derivemus, modo non à latere nimis abeamus: id quod sane factum à Ferrerio.

§. XVIII. Aliqui putant ferrum lanceæ inter pectus & femur adactum, indeque lanceam cor versus ascendisse. Atque hoc inde exsculpunt, quia CHRISTUS in alto pependerit, miles terræ institerit, ut si cor peteretur, ex inferiori corporis parte ad superiora fuerit deveniendum. Fuit in hac sententia Vincentius Bellovacensis, & Alexander ab Ales. Sed non moti eo essent argumento, si novissent cogitassentque, crucifixos non multum elevatos à terra, frustraneamque omnem illorum esse disputationem, qui pro altitudine crucis CHRISTI, tamquam pro aris & focis, dimicant.

§. XIX. Deponemus nostram lanceam, si pauca prius monuerimus, quo animo miles hoc hastile in CHRISTI latus torserit. Ex sacro textu liquido id non patescit. Nam etsi Euangelista dicat, factum id esse ut Scriptura impleretur: ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα γραφὴ πληρωθῇ. Ubi illud ἵνα non ita capiendum, quasi miles hoc animo CHRISTUM transfoderit ut impleretur, quod de osse non frangendo in institutione Agni Paschalis præceptum fuerat à DEO Exod. 12: vs. 46. Numeror. 9: vs. 12. aut quod Zacharias prædixerat; visuros Judæos, quem pupugissent. Non ea Scripturæ notitia alienigenæ, nec ea pietas. Sed ἵνα sumitur hoc loco *consequenter*, uti vulgo loquuntur: hoc est, non militis notatur propositum, sed solum rei eventus. Nempe *factum, ut impleretur*, valet idem, ac si dixisset: Sic factum, ut impleretur: sive, Sic impletum est, quod prædictum fuit.

§. XX. Plurimi militem eo conjiciunt fuisse animo, ut expiscaretur, an, sicuti apparebat, revera anima à corpore separata mortem induxisset ei, in quem jam omnium oculi anxia cura converterentur. Persuasum id fuit Lipsio libr. II. de Cruce cap. XII. scribenti: *CHRISTO miles mortuo lancea latus aperuit, scilicet periculum facturus, an bona fide obiisset.* Ante Lipsium Marcus Vigerius eandem imbiberat suspicionem, cujus sententiam ex libello *de Controversia Excellentiæ Instrumentorum Dominicæ passionis* non pigrabor adscribere: *Et nihil erit efficacius* ad ostendendum salutem *nostram fuisse perfectam, hoc vulnere lateris Christi: quod certissime nos certos reddidit Christum in violenta passionis cruce fuisse exanimatum. Neque enim temere, vel fortuito, ut inter Apocrypha legitur, Longinus cæcus, incerto vulnere Christum percussit: Sed* ut experiretur an vere mortuus esset, *partem maxime sentientem pungere cœpisse expertum militem ac cautum existimo. Cumque nullum ex punctura signum sentiendi apparuisset, ferrum infixit & profundavit in latus, ut vel sic certior fieret, & omnes aperte cognoscerent Christum non esse sopitum, sed exanime corpus in cruce pendere.*

§. XXI. Attamen is vulnerati lateris scopus ex D. Johanne vix probabitur. Cunctis enim, ne Pilato quidem excepto, CHRISTUM sine fuco mortuum jam tum innotuerat, diu antequam de accipienda & in latus CHRISTI contorquenda lancea cogitaret miles: videruntque ipsi commilitones, quando spiritum anhelantem cum clamore efflaret, ut & ipse Centurio: ut fidem nunquam fallacem Johannes & Lucas fecerunt.

§. XXII. Sola igitur militis nequissimi hoc factum petulantia, ut per tantam crudelitatem & expressum odium majorum favorem & addictum animum sibi demereretur. Et fortassis rabidorum quorundam ex Proceribus Judæorum instigatio præcessit, ne quid intentati relinquerent, quo sanctissimo corpori CHRISTI & præsentibus ejus sectatoribus ægre fieret. A qua conjectura non abit Chrysostomus, qui Homilia LXXXIV. in Johannem non CHRISTI, sed ad Judæorum conciliandam gratiam defuncto insultasse scelestas militum manus conqueritur.

§. XXIII. Extrema militis protervia ex eo denique elucet, quod non cohibitus auctoritate centurionis sui, qui publicum innocentiæ testimonium CHRISTO perhibuerat; nec deterritus horribilibus prodigiis, quæ in oculos, aures, omnesque sensus incurrerunt, in demortuum JESU corpus adeo sævierit.



JOH. CHR. RITTERI
DISSERTATIO
De Aqua ex Christi latere profluente, ad Joh. XIX: 34.

PROOEMIUM.

Quid est inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, quod ita contemplationem mentis nostræ & oblectat & superat, sicut Passio Salvatoris? Leo M. Serm. II. de Pass. Dom. fol. 120.



Uemadmodum varia hominum sunt ingenia, quorum ductu diversæ nascuntur opiniones & judicia, usqueadeo, ut nec uni semper idem, nec idem simul omnibus placeat. Sunt, qui omnibus difficilioribus posthabitis, faciliora & maxime necessaria sibi sufficere credunt; Sunt contra, quibus paulo profundior rerum arridet notitia. Ita etiam Summo illi Numini, tam in aliis, quam in ipsa Dilectissimi Filii sui Passione quædam ad Salutem consequendam maxime spectantia & in se satis perspicua, quædam vero aliquam partem abstrusiora Mortalium ingeniis proponere visum est. Quamvis enim Historia Passionis Christi vere sit Theologia ignorantium, liber Laicorum, Synopsis V. & N. Testamenti, summa & compendium Theologiæ Dogmaticæ ac Practicæ, tantaque facilitate & perspicuitate in gratiam rudiorum proposita, ut famem sufficienter sedare, nobisque æternam beatitudinem polliceri queat: Occurrunt tamen nonnulla majori investigatione dignissima, quæ ansam tremendum hoc Mysterium diligentius perpendendi & admirandi suppeditant. Quorum numero proxime accedit Aqua ex latere Christi in cruce defuncti effusa. De qua quidem virium mearum imbecillitas potius silere, quam loqui me jubet, nihilominus tamen, quoniam sacratissimum acerbissimæ Passionis Dominicæ tempus appropinquat, Pietas suadet, ut Humilitatem Salvatoris nostri, & ineffabilem in miseros nos homines Amorem devota mente recordemur. Præprimis (*) *cum nihil sit tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio.* Pro virili itaque rem aggrediemur, quod Deus bene vertat.

§. 1.

ANtequam ad nostrum propositum venimus, pauca sunt dicenda de Milite, qui latus Christi perfodit, & ipsius instrumento. Etsi sacer Historicus nomen hujus militis non expressit, nihilo secius tamen nonnulli nomen ipsi indere non dubitarunt. Pontificii communiter sibi habent persuasum, cum dictum fuisse *Longinum.* Qui error procul dubio voci Græcæ λόγχης suam debet originem, & quidem ex supposititio Nicodemi Evangelio & Manuali quod falso tribuitur Augustino. Hoc annotavit Codrus Urceus Serm. X. quem citat Spigelius ad hymn. IX. Prudentii Cathemer. pag. 272. his verbis: *Nostri Theologi sive sono vocabuli Græci decepti, ubi Græce scriptum est λογχη, hoc est, lancea crediderunt, percussorem illum Longinum appellatum, & ita in illum hoc nomine exclamantes invehuntur nostri Theologi, sive Verbi divini seminatores, & Longinum proprio nomine militem illum appellant.* Proinde ne Baronio quidem id nominis in hoc milite arrisit, quando potius Longinum dictum vult ipsum illum centurionem, qui Matth. 27: vers. 54. Christum Dei Filium esse agnovit, & redarguit eos, qui ex Apocryphis quibusdam Scriptis, & mendaciorum consarcinatoribus Petro Comestore & Petro de Natalibus crediderunt, Longinum nomine cœcum sanguine Christi sanatum & conversum militem illum fuisse, qui lancea latus Domini aperuit. Vid. Nisanius in Comment. in Evang. Joh. pag. 1129. Thomas Bartholinus in Tractatu de latere Christi aperto cap. VI. pag. 45. hanc epigraphen adjecit

Qui Salvatoris latus in
Cruce cuspide fixit
Longinus hic jacet.

Hoc nomen ex Græca voce λόγχη à Monacho quodam insulso exsculptum fuisse statuit Magnif. Dn. Præses in System. suo part. III. cap. 3. membr. 3. de duobus Christi Statibus pag. 362. Quod ideo ignorare cogimur, quia in sacris literis expressum non invenimus.

§. 2. Instrumentum quo Christi latus fuit perfossum Johannes λόγχην appellat, quod vocabulum proprie cuspidem, hastam, & Synechdochice lanceam quoque denotat. Solebant milites habere lanceas, propterea λογχοφόροι dicti sunt. Conf. Voet. part. 2. Select. Disputat. Theologic. de latere Christi perfosso. Nonnus quidem λόγχην vocat, quoniam vero Μαχαίρας voce id ipsum quoque enarravit, severam Clarissimi Heinsii castigationem effugere non potuit. *Μάχαιρα, inquit, Polybio & aliis in militia Romana ensis brevior dicitur: qui & Hispaniensis; peditibusque plerumque assignatus. Quid, quod cultellos quos ad circumcisionem cap. 5. Josa facere jubetur Μαχαίρας Hellenistæ, Chaldæus novaculas dixit. Scire autem velim, quomodo pertingere eo usque vel novacula potuerit, vel Μάχαιρα. Sed & quomodo, qui eo usus est, tam alte penetrarit, ut pericardion, quod vulgo creditum, trajiceret; humoris, de quo agitur nunc, sedem?* (Putat enim cum Lipsio aliisque crucem fuisse nimis altam.) In Exercit. Sacris in h. l. pag. 954. Qui plura hac de re cupiunt, adeant Thom. Barthol. & Gisbert. Voet. supra allegatos, aliosque.

§. 3. Nos hisce missis quæ ad præsens institutum præcise facere non videntur, scrutabimur, itaque ampliori disquisitione geminum Subjectum. *Quod* vel *Patiens* & *Quo.*

§. 4. *Subjectum Quod* hujus aquæ effusæ est ϑεάνϑρωπος verus Deus & verus homo in unitate suæ indivisæ personæ, *ex* & *in* duabus naturis divina & humana, *indistanter, inseparabiliter, inconfuse, inconvertibiliter & indivise* inter se copulatis; veramque & realem inter se habentibus communionem, mirabiliter singulari, & singulariter mirabili, adeoque enarrabili interveniente unione personali constans. Summus Deus, quod probatur Zach. 12: 10. Ad-

(*) Bernhard. Serm. 62. super Cantic.

Adspicient ad me, quem transfixerunt. Qui loquitur hic, est ille JEHOVA (1.) *extendens cœlum & fundans terram, fingensque Spiritum hominis in eo* vs. 1. (2.) variis plagis exercens populum Israëliticum vs. 2. 3. (3.) Eundem ex angustiis eripiens. Hic non sermo est de JEHOVA Patre, nec JEHOVA Spiritu S. sed de JEHOVA Filio Christo Jesu. Hoc patet I. quia transfixus fuit clavis pro generis humani salute Johan. 19: 37. II. Spiritum gratiæ & precum super domum David, & habitatores domus Jerusalem effundens vs. 10. III. quia aspiciendus erit ab universis familiis plorantibus in judicii administratione, Matth. 24: 30. Apoc. 1: 7, 4. quia est *Princeps vitæ, quem interfecisse Judæi* dicuntur Actor. 3: 15. *Dominus gloriæ, quem Judæi crucifixerunt*, i. e. æternus Deus, quippe dicitur *Deus gloriæ* Actor. 7: 2. Homo etiam sanctissimus, & innocentissimus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius* 1 Petr. 2: 22. &, ut Athanasius loqui amat, *circumcinctus virtute Altissimi.* Hic Deus & Homo salutis nostræ causa non nasci tantum & mori sed etiam mortem miraculis testari voluit. Vita enim postquam vivere desiit, effudit Vitæ Aquam, quum nimirum adhuc forma servi esset indutus, per illud Apostoli: *Qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo. Sed semetipsum inanivit, forma servi sumpta in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2: 6, 7, 8. Itaque hæc aqua vere appropriatur Filio Dei per unionem hypostaticam non abolitam, sed salvam & illæsam existentem.

§. 5. *Subjectum Quo* est latus. Christus patiebatur latere suo.

§. 6. Thom. Bartholinus latere complectitur omnes partes, sive propiori sive remotiori situ thoracem constituant externum. *Designat*, ait, *latus, non tam internas corporis partes, quam externum corporis inflicti locum, qui eo nos deducit, qua parte læsus patentem fissuram protulerit Christus.* Nec diffitetur dolorem τῆ πλευρᾶς extendi quoque apud Hippocratem ad abdominis subjecta loca: Verum hoc per partium consensum & necessariam membrorum copulam fieri, audacter sustinet. Hinc frustra Vincentius latus Christi in abdomine transfossum fuisse, contendit.

§. 7. Utrum vero latus vel dextrum vel sinistrum vel utrumque perfoderit miles, in diversas sententias scinduntur Interpretes. Nam in sacro codice non definitur, & vocula πλευρᾶς de utraque lateris parte tum munita costis, tum vacua sumi consuevit. Sunt, qui sinistrum defendere conantur, & ex mente veterum quorundam, qui cor Christi læsum fuisse dicunt. At, falso nituntur principio, ac si cor in sinistra lateris parte esset positum. *Est enim quoad basin in medio, ut docet* Bartholinus in Institut. Anatom. lib. 2. cap. 6. quamvis mucro ejus nonnihil ad sinistrum latus propendeat, & motus ejus in sinistro latere magis sentiatur. Alii malunt dextrum. Quos approbant Bernhardus Serm. 7. in Psalm. 91. Casparus Barlæus Poëta, ubi Christum in cruce ita affatur:

Dextra tibi perfossa riget, mea sola scelesta est.

Quod innuere videtur Liber de Imagine Christi, quam Judæi in Urbe Berytho crucifixerunt, qui Athanasio tribuitur. Afferri enim lanceam jusserunt & cuidam Hebræorum præceperunt eam tollere, & valido ictu latus dextrum Iconis illius transfodere.

§. 8. Aliqui utrumque latus apertum fuisse autumant, ut canit Aurelius Prudentius:

Hinc cruoris fluxit unda
Lympha parte ex altera.

Et consequenter ipsis natum dubium est, an sex vel quinque fuerint vulnera Christi? Respondent quidam ex Pontificiis, lanceam sinistro lateri impactam transiisse per latus dextrum; Alii dextro lateri illatam transiisse ad sinistrum. Cornel. à Lapide dicit, utramque opinionem esse probabilem. Quicquid sit, putat tamen manere numerum quinque vulnerum, cum sextum illud, quod alteri lateri illatum statuitur, non computetur, cum exiguum fuerit. Sed satius est tacere, quam citra Scripturam incertas ac inutiles sequi conjecturas.

§. 9. Quænam autem è duabus prioribus sententiis præferenda sit, haud facile est dicere. Etsi contextus sacer exertis verbis nihil determinet, ac proinde quamcunque quis eligat, nihil fidei nostræ, aut pietati, aut naturæ Corporis Christi, aut scientiæ Anatomicæ statuatur repugnans, placet tamen nobis opinio illorum, qui latus dextrum tuentur, non autoritate S. Francisci ducti, qui recipiens à Christo crucifixo, quinque stigmata, accepit stigma in latere dextero æque ac in manibus & pedibus, ut Bonaventura in ejus Vita testatur, sed hac ratione moti, quoniam latus absolute positum partem denotat nobiliorem. Quod, ne absonum credas, confirmantem habeo Magnificum Dn. Præsidem loco superius dicto pag. 363. Neque absurdum est statuere, Prophetam Ezechielem certo modo ad hoc allusisse, quando cap. XLVII: 2. inquit: *Et ecce aquæ redundabant à latere dextro.*

§. 10. Cæterum Aquam in genere natura esse humidam atque fluidam propriisque non contineri terminis neminem rationis compotem potest latere. Quapropter, non attinet huic explicandæ diutius immorari. Quin igitur duo magis necessaria consideranda hic se offerunt, Aquæ nimirum ex Christi latere fluentis Generatio & ipsius Qualitas.

§. 11. De Generatione diversas deprehendimus sententias. Quidam existimant miraculo divino illam fuisse auctam; Alii è contrario pure naturalem fuisse affirmant.

§. 12. Casparus Posnerus Professor Jenens. in Disputat. de Singularibus ac Mirandis, quæ morti Christi in natura acciderunt th. XXV. distinguit inter *substantiam aquæ & sanguinis, & eorum fluxum*, ac agnoscit miraculum in fluxu, quia referente S. Johanne distinctim fluxit aqua & sanguis, & quidem tanta eorum copia, ut videri & dignosci potuerint, quale exemplum nunquam alias in corpore vivo vel mortuo sit observatum. Ipsam vero substantiam aquæ & sanguinis miraculose fuisse à Deo creatam affirmare non audet, *cum miracula sine urgente necessitate non sint fingenda.* Ideoque statuit humores hos quoad substantiam spectatos fuisse naturales, sed quod attinet eorum discretionem & fluxum, hunc putat excessisse vires naturæ, eoque ipso fuisse supernaturalem & miraculosum. Cujus vestigia Nicolaus Nancellius in Analogia Macrocosmi, & Anatomiæ, ut & Johannes Baptista Poza Theologus Complutensis insistunt, & in ipso liquorum effluxu miraculum quidem uterque admittit; sed neuter diffitetur ordinata naturæ necessitate in pericardio creari aquam.

§. 13. Th. Barth. vero docet, Humorem in Christo ob varias corporis, animique turbas, cruciatus ingentes & indigna verbera augeri potuisse, cum omnis generatio, si in proprio sensu accipiatur, priorem materiam ex qua fiat, necessitate quadam præsupponat, illudque in thorace factum fuisse. Provocat ad exempla Hydropicorum, quorum ab aquæ ubertate adeo subinde in tumorem tollitur thorax, ut & Spiritus includatur & vita. Quidam sunt in ea opinione, quod vitio alimentorum mali succi & noctium, quas insomnes egit Servator, serum auctum fuerit, ut Honofrius Maneschal Hispanus cap. 4. de Vulneribus Christi & Antonius Santorellus in Post-Praxi Medica. Ast, quoniam ullo testimonio Christi jam ad mortem damnandi voracitatem illis probare impossibile est, displicent vel ipsi Bartholino, qui hanc materiam in Tractatu paulo ante allegato prolixe pertractavit. Alii ab adstrictione vasorum pulmonis, alii à cerebro originem hujus aquæ derivant.

§. 14. Verum enim vero quis non videt hos omnes falsis niti hypothesibus. Quippe confundunt Christi integram naturam cum corrupta; Deinde limpidam aquam cum sero & cruore, de quo mox. Verior itaque est sententia Hieronymi aliorumque Patrum, qui dicunt à Deo creatos fuisse liquores ex latere Christi manantes. Quos hic nostrates Theologi merito sequuntur, dicentes, non dari in partibus aquam in se continentibus tantam aquæ copiam, ut largiter ex corpore fluere possit, nisi miraculo divino aucta. Gerhardi verba hunc in modum sonant: *Divino miraculo in Christi corpore fuit aqua enata, cui divinæ virtuti, etiam unice tribuendum, quod suis quasi metis à sanguine distincta, non autem eidem permixta ex aperto latere profluxerit. In Harm. Evang. cap. CCIV. p.* 2053.

§. 15. Sequitur jam Aquæ Qualitas, quæ non minoribus premitur difficultatibus, ubi quæritur: An fuerit aqua pura vel sanguine mixta seu serum. Quibus posterius placet, dicunt vocabulum ὕδωρ esse nomen generale, significare etiam humorem aqueum in corpore humano, & non tantum aquam, quam vocant elementarem. Exempla petunt ex Dioscoride, Aristot. Galeno, quæ Henricus Stephanus in Thesauro collegit. Et sic humor iste, qui è vaporibus

 den-

densatis, & Spiritibus refrigeratis è portiuncula potus in thoracem illabitur generari creditur. Concedimus equidem libenter variam ὕδατος vel aquæ significationem. Sumitur enim pro aqua fontana Joh. 4: 7. pro aqua Spirituali i. e. Christo, loco citato vers. 10. pro Spiritu S. quando Christus de se ipso loquitur Joh. 7: 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent*: Discipulus autem ejus, omnium charissimus hanc interpretationem addit vers. 39. *Hoc autem dicit de Spiritu illo, quem accepturi erant in eum credentes.* Quo facit & illud, cum aliquoties Spiritu S. dicimur baptizandi, Matth. 3: 11. Marc. 1: 8. Luc. 3: 16. &c. Ita in cœlesti Hierosolyma Johanni ostensus fuit purus fluvius aquæ vivæ, splendidæ instar Chrystalli, procedens ex throno Dei & Agni, per quem nihil aliud intelligitur, quam Spiritus S. à Patre & Filio ab æterno procedens, Apoc. 22: 1. seq. Nil dicam de innumeris V. Instrumenti locis, quæ eodem sensu de Spiritu S. accipiuntur, teste Cyrillo Tom. IV. in Evang. Johann. cap. 19: p. 181. Quin & pro Humoribus, ceu modo dictum est, in corpore humano. Interim tamen ipsis firmo argumento demonstrare incumbit, ex corpore Christi morte violenta defuncti talem provenisse humorem. Nos urgemus hic sine absurditate ipsam Scripturæ literam. Siquidem, *Sensus proprius non est deserendus, nisi ipsa suadeat necessitas.* Cur deseratur via trita, si nihil nos adigit ad diverticula?

§. 16. Unde rectissime Nisan. in hunc loc. p. 1131. *Non vidit Evangelista aquam putrem, aquam mixtam, sanguinis serum, sed aquam separatim à sanguine visam, aquam seorsim testificantem 1 Joh. 5: 6.* Posito hoc fundamento, reliqua facile corruent.

§. 17. Sed ut res distinctius explicetur, ordine processuri nunc agemus de loco, unde aqua profluxit, de quo anxie quæ runt Eruditi. Quadruplicem autem de hoc invenimus sententiam. Prima statuit serosum fuisse humorem, qui sanguine permixtus, eique per venas vehendo destinatus est. Secunda putat ex Pericardio (quod Medici capsulam cordis περικάρδιον χιτῶνα appellant) profluxisse. Tertia vult fluxisse humorem illum, qui cruori aquæ permixto similis fuerit, ex cavitate thoracis, quia ibi communiter reperitur. Quarta ex corde provenisse affirmat.

§. 18. Primam sententiam quod attinet, illa Stylum Spiritus S. perperam mutat, & loco sanguinis & aquæ, quæ distinctim & non confuse fluxisse dicuntur, substituit cruentum quendam & aquaticum humorem, sive humorem aquæ cruentæ mixturam referentem. Certe si serosus humor fuisset, Johannes separatim non vidisset, cum tamen in sacro textu expressis verbis aqua à sanguine secernatur. Hanc nonnullorum sententiam tangit Cajetanus in Comment. eique se opponit, dicendo: *Miraculose de corpore mortuo exivit, procul dubio aqua, non phlegma*, de quo supra diximus.

§. 19. Falluntur etiam, qui secundam sententiam amplecti solent, & ex Pericardio hunc liquorem lateris Christi derivandum credunt. Sed ne falcem in alienam messem misisse videamur, audiemus ipsos Medicos, imprimis, cum non pauci ex eorum sint numero, quorum opinio fert, ex membrana cor involvente fluminis sacri originem esse repetendam, quandoquidem similis ibi humor inveniatur, ex humida cordis calidioris exhalatione prognatus, quem læso pericardio, sæpius prorupisse ex observationibus Anatomicis confirmant. In quorum numerum venit Andreas Laurentius, vir maximi nominis, qui libr. 9. histor. Anatom. de Organis Vitalibus in Pericardio aquam reperiri testatur, hanc probationem adducens: Quoniam in sacris Scripturis, dum Salvatoris Christi latus miles aperuit, illico exivisse aquam & sanguinem dicitur. Pro Pericardio etiam militant Nicolaus Nancellius in Analogia Macrocosmi & Anatomiæ, item Hug. Grot. in Notis N. Test. Insedit quoque hæc opinio Vesalio, qui aliquoties Pericardium hominum supplicio publico in partes quatuor dissectorum, statim dictum & factum, cum cor adhuc viveret, examinavit, & semper eum humorem invenit. Vide Gerh. Leon. Blasium in Comment. in Veslingii Syntagma Anatom. pag. 147. Thom. Bartholinum de Latere Christi aperto.

§. 20. Blasius modo dictus, liquorem quendam in Pericardio quidem statuit, *Pericardium*, scribit, *liquorem continet tenuem, qui qualitatibus omnino cum urina convenire dicitur, sed diversitas magna adest. Liquor enim hic insipidus est, non acris aut salsus limpidusque, ac nullo colore infectus.* Imo addit: *Supra Diaphragma, humor quoque in thoracis cavitate communiter recipitur similis cruori, aquæ permixto, quo thoracis partes oblinuntur, ne nimium calefiant & exsiccentur, aliquando adeo copiosus, ut instar crumenæ magnæ Diaphragmate depresso propendeat.* At de aqua ex Christi latere fluente, alia ipsi mens est. Primo distinguit inter mortuum & viventem, dicitque à mortuo ad viventem non dari validam consequentiam. Deinde non putat hanc aquam fuisse Pericardii, ut plurimi volunt. *Nam ideo illi hoc volunt, ut eo probent cor Christi fuisse perfossum, ac eum revera mortuum, sed revera mortuum fuisse jam constabat, ut docet Evangel. Joh. cap. 19: vers. 30. ad 34. ideo nec fregerunt ejus crura.* (2.) *Etiamsi confossum fuisset pericardium & cor, an ideo aqua illa effluxisset per vulnus & non in thoracis cavitatem?* (3.) *Sanguis, qui effluxit necessario copiosus fuit, quia recenter erat mortuus, & magnum vulnus inflictum, ut cap. 20: 27. patet, ubi Thomas immisit manum in illud, quomodo vero potuit parva illa quantitas aquæ Pericardii discerni à copioso sanguine? Fuit Mysterium nobis incognitum, cujus generis & alia nobis S. Scriptura exhibet, nisi dicere velimus, immoderatam tristitiam sanguinem serosiorem fecisse*, loc. cit. p. 147.

§. 21. Simili ratione Thom. Barthol. *inclusum*, inquit, *membrana cordis serosum omni cruoris destitutum similitudine Medicorum testantur Filii, sive ortum ejus spectes sive usum, &c. Magnus Dictator noster Hippocrates, quem nunquam hominibus imposuisse Macrobius dixerat, humorem illum modicum tunica pericardii contentum* libr. de Corde urinæ comparavit, sicut Pericardium vesicæ.

§. 22. Omnium clarissime Lumen illud Schneiderus de hac re loquitur: *Omnia homine spirante intus calent, adventante morte frigescere incipiunt, ob sanguinem frigescentem. Quare dum de vasis sanguine plenis vapor effertur hæret ille ad cava membrorum & in aquam abit. Et hoc est, quod aliquot guttulæ aquæ in pleura, in peritonæo, in pericardio & reliquis cavitatibus post mortem inveniantur Lib. II. de Cathar. cap. 4.*

§. 23. Carpus quidem credit, hominem consumpta aqua Pericardii illico mori. Sed modo laudatus Schneid. nonnunquam unam vel alteram guttam invenit, nonnunquam fere nihil Libr. II. de Catharr. c. 9. Accedit & hoc, quod *ex multitudine aquæ in Pericardio multa oriantur symptomata, lipothymia, palpitatio cordis difficultas respirandi. Si enim Pericardium refertum est copioso liquore, cor amplius moveri non potest, & sic necessario extinguitur æger*, testantibus Medicis.

§. 24. Ut taceam, quod hoc loco confundatur terminus *per quem* cum termino *à quo*. Fluxit Sanguis verus & pura aqua per thoracem & περικάρδιον lancea militis fractum, non à thorace & pericardio cepit initium.

§. 25. Hæc & similia probe trutinantes evidenter cognoscere possunt, ex Pericardio Christi mortui hanc aquam non provenisse. Videbimus igitur, quid quarta sententia valeat, an ex corde Christi vel aliunde fluxerit aqua.

§. 26. Bartholinus, omnem, ut ajunt, movet lapidem, ut nullum miraculum hic statuere cogatur, ideoque removet omnia obstacula, aquam scilicet fluxisse, *non ex cute, quia fluxioni sufficienti cutis arida, siccaque insufficiens creditur, si sola expendatur pellis. Ea est cutis tenuitas, raritasque, ut vix sola suo ambitu admittat materias liquidas, nisi à subjectis partibus quoque repetantur.* Neque ex musculis *intercostalibus, caro quippe musculosa ordinario naturæ instituto absente vitali luce, propter humidorum corporum Spirituumque inopiam, quibus viventia inflabantur, concidit dictum factum, & tabescit.* Neque ex corde &c. & concludit tandem ex thorace hunc humorem exiisse.

§. 27. Fatemur equidem libenter non multum interesse sive profluxerit hæc aqua ex cute Christi, sive ex musculis, sive pulmonibus, sive cavitate thoracis, sive Pericardio, sive ex Vasis lymphaticis, modo miraculum agnosceretur; Interim tamen non absque rationibus firmioribus dicimus eam fluxisse ex corde. Primo Medico Medicum opponimus, & quidem celebrem illum Andream Laurenbergium Rostochiensem, qui in Disput. X. Colleg. Anatom. th. 7. testatur, quod *non major liquoris adsit quantitas, quam ut uvidos saltem & humectos reddat parietes thoracis. Nunquam tanta copia, ut affatim effluere queat.* Etiamsi igitur capacitas illa thoracis gaudeat ejusmodi humoribus, humores tamen illic contenti, tam sunt exigui, ut aperto licet thorace, vix exire potuerint, nisi divino miraculo.

§. 28. Deinde favet nostræ sententiæ, hastam nimirum ad pericardium cordisque substantiam penetrasse (1) *Verbum νύσσειν ab Evang. h. l. usurpatum*, quod non leve vulnus fuisse indicat, sed cor ipsum attigisse, & ab Homero de gravissimis etiam vulneribus aut ictibus usurpari notum est. Et sic acceperunt Veteres Augustinus, Tractatu CXX. in Johan. *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illinc quodam modo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverant,*

verant, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ejus Synonymum est ἐκκεντεῖν infra vers. 37. quo exprimitur Hebr. דקר Zach. 12:10. quod notat transfigere, perfodere, perfodere perfossione tali, quæ penetret intima & secreta. Vide Voëtium loc. cit. pag. 198. & conf. Heins. Exercitat. Sacr. in hunc locum pag. 954. (2) *Vehemens sanguisugi militis nisus.* Quid vero hunc militem ad tam crudele facinus instigaverit, non immerito quæritur. Paulus Tarnovius in Comment. in h. l. p. 3065. Duplicem putat, posse dari causam: Aliam *humanam*, eamque militis sive petulantiam (ut vult Maldonatus & alii) sive diligentiam quandam curiosam, hac ratione volentis inquirere, num vere mortuus fuerit Christus, ut Junius. (Et forsan hæc fuit causa cur Hæretici quidam Christo adhuc vivo latus dixerint apertum, qui in concilio Viennensi refutantur, & habetur cap. X. de S. S. Trinit. & Fide Cathol. teste Nifanio in Comm. in Joh. p. 1129.) Aliam *divinam* quia ita decretum & revelatum erat à Deo in Scriptura. Plerique Patres id factum dicunt, ut aqua & sanguis inde promanans figuraret duo Sacramenta. Ambros. lib. 10. in Luc. Cyrillus lib. 12. in Joh. cap. 29. August. lib. II. de Symbolo cap. 6. & tractatu 120. in Joh. (3) *Veterum & recentiorum Theologorum consensus.* Aurelius Prudentius non vilis in Ecclesia existimationis vulneris hujus magnitudinem hoc modo exprimit:

Si cor habes maculatum,
Inspice vulnus tam latum
Cordis ejus illinc fluit,
Unda quæ sordes abluit.

§. 29. Prioribus itaque discussis alius dubii, non minoribus difficultatibus laborantis solutionem tentabimus, scil. An hujus aquæ fluxus fuerit naturalis vel supernaturalis seu miraculosus.

§. 30. Calvinianos principe loco ponendos esse censemus, qui in hoc aquæ non stillicidio sed copioso fluxu nullum agnoscunt miraculum. Calvinus in Comment. in Joh. cap. 19: 34. p. 229. sensa mentis suæ ita exponit: *Hallucinati sunt quidam miraculum hic fingentes. Naturale enim est, dum coagulatur sanguis amisso rubore fieri aquæ similem. Notum etiam est, in membrana pericardii vicini aquam contineri. Decepti autem sunt illi, quod tam sedulo Evangelista inculcat aquam fluxisse cum sanguine, ac si aliquid insolitum & præter naturæ ordinem referret. Sed aliud ei fuit consilium, nempe ut narrationem suam aptaret Scripturæ testimoniis, quæ mox subjicit.* Hunc sequitur Beza Homil. 35.

§. 31. Cui sententiæ Voët. Part. II. Select. Disput. Theologic. de perfosso latere Christi p. 210. seq. Voëtius etiam firmiter inhæret, quam probat sequentibus rationibus. I. *Quia fuit verus homo nobis per omnia similis, excepto peccato, h. e. quia fuit natura (ut homo cum suis principiis, materia & forma inter naturas numeratur:) itaque illius corpus in vita & in morte omni naturali motui (qualis est effluxus sanguinis) fuit subjectum. Sed verum prius. E. consequenter fuit effluxus ille naturalis ex Aristotelica definitione naturæ. Esse autem effluxum aquæ & sanguinis naturalem passionem corporum recenter mortuorum, quamvis esset ex raro contingentibus.* II. *Ubi desunt requisita miraculi, hoc non est miraculum, sed verum est prius. Ergo: Requisita sunt, ut sit opus insolens, & extraordinarium, deinde, ut totam naturæ vim transcendat, sive producendo aliquid, ubi nihil tale est, aut nulla ad id facultas & dispositio, aut supra naturam intendendo vires naturæ. Jam vero effectus hic ordinarius, est & Medicorum* κατὰ παντὸς h. e. ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *i. e. ut plurimum (quod in his sufficit, ut olim legere me memini in dissertationibus anti-Ramæis Philippi Scherbii Medici & Philosophi Altorfini:) effluere enim sanguinem & aquam necesse est, si pericardium pertusum sit, imo, si modo thorax, ut vult Bartholinus: Posita enim hac causa, talis sequitur effectus. Jam vero aquam pericardii tam in vivis, quam in omnibus mortuis docent Anatomici. Ad hæc naturæ vim non transcendit, quod aperto latere & rupto pericardio ac vasis intercostalibus, aut etiam ramo venæ cavæ sanguis & aqua inde effluxerint & pondere suo versus vulnus descenderint atque ita effluxerint: Imprimis si cum antiquis & recentioribus statuatur crux præalta fuisse.* III. *Quia miraculo, quod sine necessitate fingitur, aliquid detrahitur veritati passibilis, mortalis & mortui corporis Christi; veritati humiliationis & passionis, immensitati Caritatis ejus erga nos, efficaciæ meriti, atque adeo fidei & consolationi nostræ. Dum enim necessitati infirmitatis & humilis mortalitatis humanæ Christum pro nobis subjectum negant hac in parte, utique videntur obscurare ignominiam, ærumnas & infirmitates crucifixi, quas tamen tam pathetice deprædicat Esai. 53: 3. 4. 5.* IV. *Accedunt autoritates eorum, qui olim in ipso Papatu phlegma (voluerunt dicere serosum humorem, & sic exponit Rudolph. de Saxon. per humorem aquaticum) effluxisse dixerunt, ut innuit Thomas part. 3. quæst. 73. art. 7. & post illum Lyranus & Cajetanus in Comment. Quorum sententia, quamvis vera, paulatim evanuit per commentum illud Innocentii II. de pura aqua mystice significante scil. Corpus Christi ex quatuor Elementis esse compositum, sicut sanguis significabat idem compositum fuisse ex quatuor humoribus*, cujus meminit Thomas ibid.

§. 32. Hunc sicut in aliis, ita pressius hic sequitur Thom. Barth. qui veram aquam ex latere Christi emanasse sine hæresios dica inde negat, quod neque talis unquam sive ex corde, sive pericardio perfusam, sive denique ex thoracis capacitate fluere potuerit, quæ nusquam ibi inventa fuit, neque ad miraculum confugere ipsi volupe est, quando manifestum est naturæ institutum. Hanc opinionem ex sacris audet probare, quod confuso non distincto ordine utrumque liquorem exiliisse sacri Historici autoritas indicaret, quæ Johan. cap. 19. Τὸ εὐθὺς pari jure & temporis intervallo tam ad αἷμα, quam ad Τὸ ὕδωρ restringit per καὶ consuetam verborum & sententiarum copulam.

§. 33. At qualis hujus probationis sit firmitas, alii judicent. Ego arbitror hoc pro miraculo confirmando potius facere; Propterea Johannes utrumque vocabulum conjunxit, quia aqua & sanguis una emanarunt, & ideo separatim posuit, quoniam nullam utriusque liquoris confusionem vel mixturam cognovit. Neque movet me autoritas Baptistæ Mantuani Poëtæ Cruorem aquis confusum nominantis, ubi lib. Festorum per militis digitos delapsum humorem describit:

Tu, cæcus non mente minus, quam corpore sanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petisti.
Inde cruor confusus aquis hastilia circum
In digitos lapsus tetigit &c.

§. 34. Ut autem omnia evadant clariora, præter naturalem & miraculosum fluxum & rationibus firmissimis & Autoritatibus non contemnendis probatum dabimus.

§. 35. Primum vero locum occupat Testimonium Evangelistæ Johannis, quod omnem Antagonistis elabendi ansam præscindit. Nam ille testis oculatus vers. 35. tergeminam hanc assertionem apposuit, *Qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: Et ille scit, quod vera dicit.* Cur hanc trinam obtestationem statim subjiceret, nisi ut fidem miraculo isti antea inaudito conciliaret, &, ut eo majorem testimonio Joh. afferat autoritatem, remittit nos ad vaticinia prophetica, quæ narrationi Evangelistarum magnum addunt robur & pondus: *Os non fregerunt. Exod.* 12: 46. (2) *Adspicient ad me, quem transfixerunt.* Zach. 12: 10. Hoc Testimonium Nifan. in Comment. in h. l. p. 1131. valde urget: *Evangelista,* inquit, *utriusque liquoris, tum sanguinis, tum aquæ, quum distincte mentionem moveat, literam quoque sine periculo absurdi hic premendam esse arbitramur. Quod, si enim hic, de quo modo loquimur, fons promiscue fluxit, Evangelista quoque ejus promiscue meminisset. Sicut enim res gesta est, & prout vidit, ita Evangelista procul omni dubio eandem quoque describendi recensuit. Ipse enim cruci, una cum matre Jesu, tum prope stetit, ut, quæ cum crucifixo Salvatore acta sunt, omnia vel minima etiam quæque oculis suis accurate venari potuerit. Accedit, quod gravis illa asseveratio, quam hic addidit Noster, & immediate quidem ad hanc relationem, satis indicet singulare quippiam & miraculosum hoc esse.*

§. 36. Ac ne nauseam pariamus prolixe repetendo, quæ supra dicta fuerunt, quod tam exigua aqua sine miraculo divino instar scaturiginis fluere non potuisset, alio argumento fluxum miraculosum ibo probatum, quippe quod fluxus horum liquorum fuerit Typus duorum Sacramentorum N. Test. ut deinceps dicetur. Et non possum non adjicere, quod Voëtius ex antiquis collectionibus decretalium cum Notis Ant. Augustini & Cujacii editis Paris. 1609. Collect. 3. tit. 33. allegavit: *Illud est nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt, aquam videlicet in phlegma converti, nam & à latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur exiisse: non attendentes, quod de latere Christi duo Sacramenta fluxerunt, & quod non baptizantur in phlegmate, sed in aqua.*

§. 37. His & aliis rationibus motus scribit Theophylactus in Joh. *Judæi etiam mortuum corpus contumelia afficere conantur, sed contumelia illis in miraculum vertitur: & sanguinem ex mortuo corpore prodiisse admirabile est. Veruntamen possit quis sycophantarum dicere, quod verisimile sit vitalem quandam vir-*

virtutem adhuc in corpore fuiſſe, aqua autem egreſſa, omnem controverſiam miraculo tollit. Digniſſima notatu ſunt verba Gerhardi: *Ut primum Chriſti miraculum factum in aqua Joh. 2:9. ſic per aquam miraculoſe ex latere profluentem miraculis ſuis finem imponere voluit. In Harm. Evang. cap. CCIV. p.* 2053. Et juxta Nonni Panopolitani verſum:

Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη μετέπειτα καὶ δέσκελον ὕδωρ

Id eſt, Primo fluxit quidem ſanguis, poſtea vero admirabilis aqua.

§. 38. Neque diverſum conceperunt alii ſacrarum literarum Interpretes, qui ad Evangelii mirandas hiſtorias vires ingenii contulerunt, inter quos numerari meretur Paul. Tarnov. in Evang. Joh. in loc. ante cit. pag. 3065. cujus ſententiæ argumenta hæc ſunt (1.) *Verba Evangeliſtæ, hanc rem, non ut vulgarem, & naturalem, ſed ut ſingularem & ſupernaturalem referentis, ſuo teſtimonio confirmantis: quod non fuiſſet neceſſe, ſi nihil ſingulare hic narraret. Adde* 1 *Joh.* 5:6. (2.) Teſtimonia & judicia veterum Nazianz. vel ut alii volunt Apollinaris Laodicenus in Tragœdia, quæ operibus Nazianzeni adjuncta eſt & dicitur χριστὸς πάσχων.

Πλευρᾶς νενυγμένης καὶ θαυμαστῶς ὕδωρ ἔσταξεν εὐθὺς αἷμα τ' οὐ πεφυρμένοι (3.) *Aqua ſeorſim & ſanguis ſeorſim non fluit naturaliter ex ullo etiam vivo corpore. Ex Chriſti mortui corpore fluxit illa & hic ſeorſim. Ergo non naturaliter.* Hujus veſtigia premit antea laudatus Niſan. l. c. pag. 1132. *Nec aqua cum ſanguine ſimul fluere ſolet, nec larga copia, nec diſtincte, ut & aqua & ſanguis ſuis metis obſervari poſſint, quæ omnia ſic facta, & notanter tanquam mira à Joh. deſcripta ſunt.* Item Janſenius in Concord. Evang. in h. l. & adhuc plures, quos recenſere longum nimis & operoſum foret.

§. 39. Hæc igitur, qui accurate & diligenter ſecum perpenderit, intelliget, nos nulla fingere miracula, nec ſine cauſa ad ea confugere.

§. 40. His abſolutis accingimur ad quæſtiones decidendas.

I. *An Aqua ex latere Chriſti profluens ſit Typus Sacramenti Baptiſmi.*

§. 41. Non diffitemur Interpretes abire hic in diverſas partes. Coccejus in Comment. in Evang. Johan. 691. hunc ſenſum elicit, dicens: *Nos quidem non poſſumus hic non recordari ejus, quod legitur* 1 *Joh.* 5:6. *Hic eſt, qui venit cum aqua & ſanguine Jeſus Chriſtus, non per aquam ſolum, ſed per aquam & ſanguinem. Quod parabolice dicitur. Aqua enim notat, quod in ſe purum eſt, & vim purificandi habet, id eſt, Chriſti obedientia. Sanguis præterea notat paſſiones, quas per obedientiam ſuſtinuit Chriſtus ad ſanctificandum Deum & expiandam iram Dei adverſus peccata. Conf. Phil.* 2: 8. *Factus eſt obediens usque ad mortem. Mox vſ.* 8. *per ſanguinem, quem tertium teſtem facit, teſtantem in terra intelligere debemus etiam ſanguinem fidelium, quem effuderunt per lætitiam Spir. pro nomine Filii Dei.* Pontificii à vero prorſus aberrantes ſatis inepte contendunt; Hujus rei Symbolo in conſecratione calicis Euchariſtici vino miſcendam eſſe aquam, ut repræſentetur hæc effuſio ſanguinis & aquæ ex latere Chriſti. Nec Cornel. à Lapide in Comment. ad hunc loc. abhorret ab hac opinione. Gregorius XIII. inquit; *Non debet, (ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet;) In calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere Chriſti in paſſione ſua legitur.*

§. 42. Nos autem ſepoſitis omnibus ſententiis, quæ vel nimis à ſcopo Spiritus S. alienæ ſunt, vel ſuperſtitionem aliquam redolent, ſtatuimus miraculoſe & myſtice per hunc fluxum Baptiſmum fuiſſe adumbratum, quæ conſtans antiquitatis orthodoxæ eſt ſententia. Elias Cretenſis in commentario Orat. 6. Nazianz. de Spiritu S. Hæc illa ſunt quæ de Incarnatione Dei ſermonis teſtantur. *Spiritus quidem id temporis cum deſcenderet in eum ſpecie columbæ, aqua vero & ſanguis cum è latere illius profluerent. Nam quod hæc de ipſius corpore profluxerint, id ipſum quiddam erat, quod naturam humanam excederet.* Huic Cyrillus Epiſcopus Alexand. in hac re accedit, cum ait: *Lancea latus Chriſti perfodiunt, unde cruor aqua miſtus ſcaturiit, quod ſancti Baptiſmatis vel Eulogiæ myſticæ imago quædam erat & primitiæ. Chriſti enim vere eſt, & à Chriſto ſanctum Baptiſma & Eulogiæ myſticæ vis ex ſancta nobis carne prodiit.* Tom. IV. in h. l. pag. 1074.

§. 43. Sic explicare fere Græcos omnes, item omnes Autores veteres fatentur, Bellarminus lib. 2. de effic. Sacrament. cap. 27. & Maldonatus in cap. 27. Addi debet Auguſtinus, cujus memorabilis locus extat lib. 2. de ſymbolo ad Catechumenos cap. 6. *Aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lignum: Aſcendat ſponſus noſter, thalami ſui lectum. Dormiat dormiendo, aperiatur ejus latus & Eccleſia prodeat Virgo, ut quomodo Eva facta eſt ex latere Adami dormientis, ita Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis. Percuſſum enim eſt ejus latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta: Aqua, in qua eſt ſponſa purificata, ſanguis in quo invenitur eſſe dotata.* Cui aſſentitur Thom. Aquinas part. 3. quæſt. 66. art. 3. *Ex latere Chriſti fluxit Aqua ad abluendum, Sanguis ad redimendum, & ideo ſanguis competit Sacramento Euchariſtiæ; aqua vero Sacramento Baptiſmi.* Huc ſpectat illud Auguſtini lib. 12. contra Fauſt. Manich. *Nemo intrat in Eccleſiam niſi per Sacramentum remiſſionis peccatorum, hoc autem de CHRISTI latere aperto manavit.*

§. 44. Unde Patres nonnulli Ambroſ. Hieronym. Damaſcenus, Tertullianus &c. ob myſterium Baptiſmi per aquam ſignificatum ab aliis traditum ordinem religioſo auſu invertערunt, ut teſtatur Voëtius part. 2. ſelect. Diſputat. Theologic. de perfoſſo Chriſti latere. Fuſius aliorum teſtimoniis rem hanc illuſtrare, operæ eſſe pretium non arbitramur.

§. 45. Illud ſaltem adhuc obſervandum venit, quod nos hoc non ita intellectum velimus, ac ſi ſola aqua ad Baptiſma conſtituendum ſufficiat. Nam duplicem hujus materiam, terrenam ſc. & cœleſtem eſſe S. Scriptura & ex ea omnes Orthodoxi Theologi unanimi conſenſu fatentur, quamquam diſcrepent, quænam ſit res illa cœleſtis. B. Hulſemannus nominat *Verbum* (id eſt rem Verbo promiſſam) Eph. 5: 26. D. Dannhawerus *Spiritum S.* Joh. 3: 5. 1 Cor. 6: 11. D. Hutterus *Sanguinem*, 1 Joh. 5: 6. Plerique, totam S. S. Trinitatem. B. Lutherus in Poſt. Eccleſ. ſupra locum 1 Joh. 5. ſcribit: *Hic eſt, qui venit per aquam ſcil. Baptiſmi, quæ non eſt nuda aqua ſed cum ea conjunctus eſt ſanguis, non hircorum aut vitulorum, ſicut in Vet. Teſt. ſed ipſius Chriſti ſanguis, qui efficaciter cum Baptiſmo aquæ miſcetur.* Verba ipſa admodum ſunt emphatica: **Es wird Chriſti Blut kräfftiglich in die Waſſer-tauffe gemenget/ daß man ſie nicht ſoll anſehen/ noch halten für ſchlecht lauter Waſſer/ ſondern als ſchon gefärbet / und durchröthet mit dem theuren roſinfarben Blut Chriſti.**

§. 46. B. Scherz. ait, *Ex aqua & Spiritu, Joh.* 3: 5. *EX materiam denotat* uti Galat. 4: 4. &c. *ſicut enim recte colligo. EX aqua. Ergo aqua eſt materia, ita recte infero: EX Spiritu. Ergo Spiritus (qui tamen Trinitatem non excludit) eſt materia vel res Baptiſmi.* Syſtem. Theolog. Loc. 14. p. 362. Magnif. D. Deutſchmannus rem ita interpretatur; *Tota*, ait, *ſacroſancta Trinitas non tantum Baptiſmum cauſaliter inſtituit, ſed etiam in eodem tanquam Symbolo, ſacramentaliter conſecrato vult eſſe præſens, & præſenter ac principaliter operari.* (1.) *quia S. S. Trinitas eſt materia cœleſtis Baptiſmi. Jam autem materia ſive cœleſtis ſive terreſtris ſit in Baptiſmo neceſſario requiritur, quia ſubſtantiam Sacramenti conſtituere dicitur.* (2.) *quia baptizamur in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth.* 28: 19. (3.) *quia ſuam præſentiam in Baptiſmo Chriſti Trinitas tota manifeſtavit, & in ipſo facto ſe præſentem eſſe ſemper in adminiſtratione Baptiſmi luculentiſſime demonſtravit.* (4.) *quia Baptiſmus nihil aliud eſt, quam ſtipulatio bonæ conſcientiæ cum DEO* 1 *Pet.* 3: 2. *adeoque DEI confœderati tunc efficimur, quando baptizamur.* In Theolog. Poſitivo Polemica Theſ. 11. p. 102.

§. 47. Hinc colligi licet, quando per aquam ex latere Chriſti fluentem Baptiſmus adumbratur, materiam cœleſtem non excludi, ſed partem pro toto ſynecdochice ſumi, quo loquendi genere Spiritus S. frequenter utitur. Nec deſunt rationes: Nam ſicut aqua multum ad ſordes eluendas valet. Quamobrem non in re tantum domeſtica infinitus ejus fere uſus eſt, ſed & Deus olim in V. Teſtamento cum Sacerdotibus, tum omni populo varias lotiones, præcipue circa cultum divinum præceperat, quæ illuviei peccatorum per Meſſiam extergendæ forent Typi; pari ratione omnis efficacia Baptiſmi, in eo occupatur, ut homines à peccatorum inquinamentis purgentur.

§. 48. Adhæc non inſignis modo utilitas, ſed & magna

ſuavitas

suavitas ex aqua redundat, utpote cujus haustu, & homines & cætera animalia siti fauces eorum torrentes recreationem capiunt, calorque in corporibus ita temperatur, ut ne humoribus consumptis, æstus nimius vel tabem vel mortem adferat. Similes & Baptismi illa aqua utilitates Ecclesiæ ejusque membris exhibet. Cum enim homo Christianus peccatorum suorum multitudinem & deformitatem ex legis divinæ speculo cognitam rite perpendit & æstimat, tantus nonnunquam terror & angor, tantusque æstus excitatur, ut, quo confugiat, animo sit incerto, tum ergo aqua Baptismatis opportune adest, & animam iræ divinæ æstu & peccatorum mole torridam suaviter refrigerat & consolidat.

§. 49. Progredimur itaque ad quæstionem

II. *An hujus aquæ effusio sit pars passionis, atque adeo etiam materia satisfactionis & solutionis pro nostris peccatis.*

§. 50. Negat exserte Cornel. à Lapide hoc argumento: *Hoc factum esse ad Mysterium, non ad meritum, meritum enim in morte Christus consummavit; nec enim jam mortuus mereri potuit.* Idem statuunt Alphonsus, Tostatus, Salmeron, Barradius & Faustus Socinus. Gabr. Vasquez. Jesuita T. I. Comment. in 3. part. Thom. quæst. 19. disp. 77. cap. 1. quæstionem movet: An Christus etiam post mortem suam, aliquid nobis meruerit, & negativam defendit, solvitque objectionem illam quæ ex fluxu sanguinis & aquæ è latere Christi post mortem viso, formatur, & his verbis concepta est: „Vulgaris Theologorum sententia asserit, ex Christi latere „lancea post mortem transfixo Sacramenta Ecclesiæ manasse. „Hæc enim non habent efficacitatem producendi gratiam, „nisi ex meritis Christi, à quibus tanquam ex fonte manarunt. Cum igitur dicantur manasse tanquam ex fonte, ex „vulnere lateris Christi transverberati, sequitur, vulnus illud „post mortem inflictum fuisse meritorium, ac proinde Christum post mortem nobis meruisse nostram salutem. Negat „autem hanc opinionem dicendo, aliam fuisse mentem SS. „Patrum, qui dicunt, Sacramenta ex Christi latere manasse, „illos enim non loqui de Ecclesiæ Sacramentis quæ sunt causa nostræ salutis, sed de ipso sanguine & aqua, quæ sunt „duo Sacramenta, h. e. duo mysteria. In horum sententiam „descendit etiam Thom. Bartholinus: Nihil, inquiens, humanæ Salutis admodum interfuit, si aliquorum stamus autoritate absoluto per mortem patientis termino, tantum „functo fatis Salvatori vulnus infligi voce in cruce prolata τετέλεσται, consummatum est à morte, vel per mortem aut „in morte ejus cuncta restituta nobis promittebat, qui merendi & demerendi terminos post fata excesserat. Quippe viventium mereri est non defunctorum; De Latere Christi aperto c. 3. p. 17.

§. 51. Sed non videmus, cur à merito Christi hæc passio absolute excludi debeat. Quia erat aqua Filii Dei, quæ effundebatur, & plaga & ignominia ejus corpori illata est, non aliqua ejus culpa sed voluntaria subjectione. Deinde, quia pertinet hoc ad statum Humiliationis & consequenter est meritum nostrum. Bene celeberrimus, & de Ecclesia Jesu Christi optime meritus Theologus D. Joh. G. Dorschæus dissert. de Spir. Aqua & Sanguine, tribus in terra testibus ex 1 Joh. 5: 8. §. 30. inquit: *Fluxus ille aquæ, seu potius passio illa, elicitæ è latere per confossionem violentam aquæ, non minus est aliquid ad pretium redemptionis pertinens, quam illa passio effluentis sanguinis. Sicut & lacrymæ, quatenus pertinuerunt ad κένωσιν majestatis, servilemque formam & obedientiam humillimam Christi Jesu ad pretium redemptionis referuntur. Hæc ille.*

§. 52. Hanc quæstionem excipit ultima vel

III. *An ex fluxu duorum modo liquorum sanguinis nimirum & aquæ sequatur, duo saltem Sacramenta esse statuenda, Baptismum sc. & Cœnam Dominicam.*

§. 53. Pontificii numerum Sacramentorum septenarium multis modis stabilire satagunt, & in numerum Sacramentorum præter Baptismum & Eucharistiam, *Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, ordinem & Matrimonium* referunt. Bellarmin. l. 2. de effect. Sacr. c. 27. Quæ, ubi secundum requisita veri & genuini sacramenti examinentur, in fumum abeunt. Siquidem nullum inter rem sacram & sacramentum discrimen faciunt.

§. 54. Nos illa tantum esse Sacramenta N. T. proprie dicta: quorum materia fluxit ex latere Christi, Baptismum scil. & Sacram cœnam probamus. I. Quia optime convenit cum illo, quod 1 Joh. 5: 6. scriptum est de Christo veniente ad nos per *aquam & sanguinem.* Tertullianus libr. de Bapt. c. 16. p. 224. egregie hunc locum explicat inquiens: *Venerat Christus per aquam & sanguinem, ut aqua tingeretur, & sanguine glorificaretur, proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quia, qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur, qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.* Ejusdem tenoris sunt verba Eliæ Cretensis in Comment. Orat. 6. Nazianz. *de Spiritu S.* p. 190. edit. Basil. *Hæc illa sunt, quæ de incarnatione Dei sermonis testantur, Spiritus quidem id temporis, cum descenderet in eum specie columbæ, aqua vero & sanguis, cum è latere illius profluerent. Nam quod hæc de ipsius corpore profluxerint, id ipsum quiddam erat, quod naturam humanam excederet.* Cui adstipulatur Algerus lib. 1. de Sacram. cap. 19. tom. 6. Bibl. Patr. p. 499. *Quia mirum fuit mortales de cœlo secundum promissionem Christi Spiritum S. accipere, & mortuum more viventis non saniem sed sanguinem, imo supra morem vivorum & mortuorum cum sanguine aquam de vulnere lateris fundere, quod tamen sicut miraculum sic constat fuisse & mysterium.* Dionys. Carthus. 4. Sent. dist. 7. quæst. 1. p. 59. *Origo Sacramentorum est Passio Christi, de cujus latere Sacramenta fluxerunt.*

§. 55. Ipsi Pontificii fatentur duo Sacramenta Ecclesiæ hoc loco adumbrata esse, sed addunt *præcipua*, Jans. in Concord. c. 143. *Hoc duplici fluxu designata sunt duo præcipua Ecclesiæ Sacramenta.* Maldon. in Matth. 27. *Per sanguinem Eucharistia, qua alimur, per aquam Baptismus, quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ Sacramenta significantur.* Alphons. Salmeron T. 10. tract. 48. *Emisit sanguinem & aquam in signum duorum Sacramentorum, Baptismi, in quo aqua tingimur, & Eucharistiæ, in sanguine potamur.* Ita etiam huic rationi respondet Bellarminus l. add. *Locus,* inquit, *ille Johannis non male ita exponi potest, ut significentur per sanguinem & aquam Eucharistia & Baptismus, ut exponunt fere Græci omnes; Sed non propterea excluduntur cætera Sacramenta. Solum enim duo posita sunt, quia sunt magis communia, & magis principalia, & ex illis poterat idem judicium de cæteris fieri.*

§. 56. Ad hoc vero respondemus, (1.) duobus saltem (Baptismo & Eucharistæ) veram definitionem Sacramenti competere, quod ex inductione patet. Quinque enim Pseudo-Sacramenta laborant defectu vel *causæ efficientis*, vel *materiæ & formæ sacramentalis*, vel *promissionis gratiæ Evangelicæ.* Vid. B. Scherz. Syst. Loc. 13. de Sacram. in gen. p. 339. (2.) Plura Sacramenta respondere illi typo fluxus è latere sanguinis, & aquæ, repugnare triadi testimoniorum Dei in terra. Et si quis velit per sanguinem *pretium*, per *aquam Baptismum* intelligere, ille fluxus non est duorum Sacramentorum adumbratio, sed unius scil. Baptismi. Nam sanguis è latere scaturiens non significat pretium & adumbrat, sed est ipsum pretium. Hinc plures Patrum amplectuntur expositionem de adumbratione duorum Sacramentorum. Qui vero eorum per sanguinem intelligunt pretium nostræ redemptionis, illi hoc loco sanguinem, ut sacramentaliter oblatum, considerant. Unde *S. Eucharistia* vocatur *pretii nostri Sacramentum* ab August. Confess. cap. 14. Confer Johan. Georg. Dorscheum loc. cit.

§. 56. Cæterum, quod sanguis à Joh. præponitur, aqua sequitur in historia, non impedit, quo minus per sanguinem Eucharistia, per aquam Baptismus intelligatur. Non enim Johannes ordinem Sacramentorum, sed miraculorum gradum respexit. *Insolitum erat ex corpore defuncto fluere sanguinem, sed quod insuper aquam juxta distincteque promanantem videt, hoc auget mirandi spectaculi magnitudinem.* Idem c. l. p. 55.

§. 57. Loco Coronidis adjiciemus laudatissimam Leonis Epistolam, quam olim rectæ fidei columnam constat appellatam in Concilio Chalcedonensi. *Si quis Christianam suscipit fidem, & à prædicatione Evangelii suum avertit auditum, videat, quæ natura transfixa clavis pependerit in crucis ligno & aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde sanguis & aqua effluxerint, ut Ecclesia Dei & lavacro rigaretur & poculo.*

S. D. G.

JOH. ANDR. QUENSTEDT
DISSERTATIO
de Vulneribus Christi ad Joh. XIX: 34.

CAPUT I.
Definitionem complectens.

§. 1.



Ulnera Christi sunt sanctissimæ carnis ejus fissuræ, connivente Deo, & impellente Diabolo, à Judæis per milites Roman. ferro acuto & animo truculento, in manibus, latere ac pedibus factæ, eo quidem fine, ut misere excarnificatus interiret; ordinatæ tamen à Deo in omnium hominum salutem.

§. 2. Utimur alias vulneris nomine diverse, quum dicimus vulnus amoris, vulnera vitæ, id est dolores, ex amore natos, & res, quæ vitæ integritatem minuunt: item, quando vulnera Reip. conscientiæ & orbitatis, damna & clades, dolores & cruciatus animi nuncupamus: sic etiam, quando telum, infligendo vulneri idoneum, vulnus ipsum appellamus, auctore Virgilio atque Plauto. Sed in præsenti tractatione pro apertura, vi ferri facta, unice capimus. Atque hoc sensu de Christo sumptum consimilibus pluribus aliis gaudet nominibus. Sunt vero partim Biblica, partim Ecclesiastica: Biblica aut concretivis & complexis, aut simplicibus & abstractivis terminis constant: Utraque tum Metaphorica, tum periphrastica sunt. Biblica concretiva, & propria nomina, quibus insigniuntur vulnera Christi, sunt שוף Gen. 3. vers. 15. quod proprie percussionem & vulnerationem notare Rivetus (a) judicat. Ac ob id LXX. Interpr. voce τειρήσεις, prout in Complutensi editione & Regiis Bibliis extat; non τηρήσεις, ut in Vaticano codice, & in Targum Onkelos voce דכר & נטר, meminit, observavit, exprimitur, reddiderunt. Quibus cum faciunt Jonathan Ben Uziel, verbum נכה, percussit, Targum Hierosolymitanum, & נכא & מרע, læsit & ægre fecit, ac sapiens ראבע vocabula נשך & מות, momordit & occidit, adhibentes. Eo etiam, quod videlicet alludatur ad genus mortis Christi, siquidem pedes ejus, calcaneo designati, vulnerandi & perfodiendi erant in cruce, ut ait Magn. D. Calovius (b), tendunt reliquæ versiones omnes, quæ magno numero collegit B. D. Waltherus (c). Alia hujus generis nomina habentur Esai. 53. נגוע & מכה vers. 4. quod Hieron. Xavier participio passivo מקצוב, percussionem cum sanguine notante, eloquutus est: Inde enim est קצאב lanio, qui pecudes cædit & mactat: pro quo alium קצלוב, crucifixus, substituisse inepto sensu, Ludov. de Dieu (d) annotat. Sic & eodem capite invenitur חולל vers. 5. כור Psal. 22:17. כקר Zach. 12:10. ἐκκεντεῖν Apoc. 1:7. Joh. 19:37. & νύσσειν vers. 34. quod de maximo vulnere usurpatum fuit Homero (e), cum ait:

Νύξε δέμιν κτ̀ χεῖρα μέσην ἀγκῶνος ἔνερθεν.

Unde & Augustinus (f) in hunc locum addit: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed lanceavit, aperuit: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* Syrus quoque suo א מ, ac Nonnus Paraphrastes verbo ἐπάζειν tam pro maximo vulnere, quam levi punctura veniente, idem judicare voluerunt. Abstractiva nomina sunt חבורה & מכאב Esai. 53. ubi Servator noster, secundum Hieron. dicitur vir dolorum, aut, juxta LXX. Interpp. ἄνθρωπος ὢν πληγῇ, nemine istorum vim vocis assequente. מכאב *enim plus est*, inquit Reverendiss. Dn. D. Wellerus (g), *quam* ראב *& præter languorem & debilitatem cruciatus sensum subinfert, & est intentissime ac maxime, tam animo, quam corpore, & quandoque ex vulnere dolere, ut Gen.* 34:25. Adde Jer. 51:8. ubi à Chaldæo per תביר, violentam fracturam, quoad homines gladio, & quoad ædificia, igne conficiendam, effertur. Accedit ibidem נגע vers. 8. quæ vox LXX. Interpp. μώλωπα significat: & retinetur à Petro in 1 Epist. 2:25. reddit à Syro per vocem שומותא, quæ habet radicem Arabicam סום, belligerare, & inde vulnus accipere notantem, observantibus Raphelengio (h) & Trostio (i). Ab Arabe vero significantius voce גראחאת, vulnera, ex rad. גרח vulneravit, sauciavit, exprimitur. Metaphoricum nomen unum est Cant. 2:10. חגוי הסלע foramina petræ. Periphrasin vulnerum Johann. habet cap. 20:25. cum τύπον τῶν ἥλων dicit: cum quo concordant Syrus דוכתא דעצא locum clavorum, Arabs, לסמאל מסאמיך, signum clavorum, & Nonnus ὀξυπόρων τύπον ἥλων vertentes. Ecclesiastica nomina communiora sunt vulnera, τραύματα, cicatrices τὰ ἴχνη τῶν τραυμάτων, & quæ reliqua. Theodorus Metochites ὠτειλὰς vocat, quando, in historia Rom. Christum post resurrectionem adhuc quadraginta dies obambulasse, & ostendisse ὠτειλὰς ἐν τῷ θεοειδεῖ σώματι, prodidit. Ubi τὰς ὠτειλὰς Joh. Meursius interpretatur vulnera, eaque levissima Thom. Bartholinus (*) quia in Lexico suo MSto repererit, ὠτειλὼ esse τραῦμα, ἢ οὐλώ. Οὐλὼ autem, juxta illud Lexicum, esse τοῦ τραύματος συνέλωσιν, indeque patere, quod vulnera Christi non magna fuerint. Ast magna omnino extiterunt, & acerba satis, uti probant Scripturæ de iis phrases, militum & Judæorum effera improbitas, & implacabile odium, clavorum & lanceæ magnitudo, ac testimonium Johannis, c. 20. referentis, quod Salvator jusserit Thomam φέρειν καὶ βάλλειν τὴν χεῖρα εἰς τὴν πλευράν. Quod vero præ τραύματι arripuit οὐλώ, minus recte fecit vir insigniter doctus, & de magnitudine passionum, quibus divexatus fuit Jesus, diminuit. Ad hæc nulla ipsi causa fuit, ob quam id faceret, nisi conficta crucis altitudo, qua impediverit ferrum, ne altius penetraret. Istam vero destruunt tum ritus portandi crucem, quem Plutarchus de sera num. vind. exponit, τῶν κολαζομένων, ajens, ἕκαστος τῷ σώματι ἐκφέρει τὸν ἑαυτοῦ σταυρόν, & Christus servavit Joh. 16:17. tum scalarum defectus: tum militis, confodientis latus, conditio, qui non eques, sed pedes fuit: Vocatur enim στρατιώτης non ἱππεὺς, qui Romanis diversi erant. Recte proinde Balduinus (k) noster dixit, *sancto lateri impressam fuisse immensam lanceam, maximumque vulnus inibi factum.*

§. 3. Cæterum ad rem porro progrediendum est. Ac primo quidem diversa Dei & Diaboli, circa data Christo vulnera, actio pensitanda est. Deus quidem decrevit ab æterno, præviso nempe humani generis lapsu, unigeniti Filii sui, pro nobis incarnandi, passionem ac mortem, mille modis, pro sapientissimo suo consilio, & infinita potentia, non læsa sanctitate absolutissima & justitia, perficiendam: Hoc tamen mortis genus, quo vulneribus confectus occubuit, non decrevit; sed, qui primus mortem induxit, eam Christo attulit, immani sævitia contra ipsum pessimos Judæos dementando. *Prævidens autem hæc*

(a) *Exerc. 36. in Genes. pag.* 145. (b) *Comm. MSC. ad Gen.* 315. (c) *Quadr. misc. Theol. p.* 6, 7. (d) *ad hist. Pers. p.* 434. (e) *Iliad.* λ. (f) *Tract. CXX.*

(g) *In Es. 53. cap. p.* 35. (h) *Lex. p.* 228. (i) *Lex. p.* 628. (*) *de lat. Christi apert op.* 141. (k) *Part. 1. pass. typ. p.* 498.

hac ratione Deus omniscius, impias Judæorum mentes ac voluntates, quemadmodum Menochius loquitur, *incitante Diabolo, ita dispositas fore, ut, si Christus illis objiceretur, eum invaderent, crucifigerent ac vulneribus confoderent*, crudelitati Judaicæ diris cruciatibus vexandum Salvatorem optimum permisit; ab æterno tamen non voluit, ac si aliter ad mortem dari non potuisset. Permisit itaque Deus peccatum, seu, sceleratam Judæorum actionem, sed voluit peccati finem, ad quem id, quod sua natura malum erat, interventu bonitatis & sapientiæ, novit convertere, ipsamque ἀταξίαν, ut in reliquis actionibus malis, ad τάξιν revocavit, dicente Hunnio (l). Unde præclare distinguit Balduinus noster inter decretum resp. crudelissimæ actionis, & vulnerum, quod Deus non fecit: & respectu obedientissimæ passionis, ejusque finis, salutis nostræ, quod ab æterno ordinavit, miseriam nostri videns, misericordissimum Numen. Atque cum his conspirant Antiquiores. *Actio Deo displicuit, passio grata fuit*, Prosperi effatum est. *Actum Judæorum non voluit Deus, passionem vero Christi voluit*, Sententiarum Magister, Lombardus (m) ait: Omnium vero pulcherrime de hac re Leo (n) disserit: *Multum diversum*, ait, *multumque contrarium est id, quod in malignitate Judæorum est præcognitum, & quod de passione Christi est dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi, nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris: non enim impias furentium manus in se Dominus immisit, sed admisit, nec, præsciendo quod futurum est, coëgit, ut facerent, cum tamen ad hoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret.* Præferendus tamen his singulis est Princeps Apostolorum, Petrus, quod Act. 2: 23. τῇ ὡρισμένῃ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ Christum cruci suffixum pronunciavit. Hic enim vox προγνώσεως, quæ Syro מקדמות ידעתא, anticipatio scientiæ, notanter interpretatur, ad sceleratum Judæorum fastum, ejusque permissionem; βουλὴ vero ad optatum illum finem spectat, quem Deus in consilio suo respexit, ut, præ cæteris, explicavit Excell. Dn. Præses (o). Consonat pronunciato huic exactissime, quod idem, cum Johanne socio, c. 4. Act. vs. 28. fatetur: συνήχθησαν ποιῆσαι, ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι, non, ut facerent, quemadmodum Calvini secta pervertit; sed ut fierent, ad redimendum genus humanum. Etenim verba isthæc non absolute sumuntur, sed limitate, &, ratione facti Judæorum impii, permissionem, ratione finis autem, decretam in Deo consilio determinationem proponunt. Interim negari non potest, quod dicta nonnulla videantur Deo tribuere caussam vulnerum & tormentorum ipsorum, quorum vim pertulit Messias. Sunt ista Es. cap. 53: 4. quum percussus à Domino dicitur; & vs. 10. Dominus voluit ipsum conterere in infirmitate. Verum enim vero, ut Balduini verbis utar (p), *Dominus fecit, quod milites fecerunt, non quasi jam excusationis aliquem prætextum habeant facinorosi illi, & mali causa in seipsum devolvatur: (qui enim possunt, cum Dominum gloriæ crucifixerint?) Sed quia Dominus actionem pessimam ad finem optimum direxit, dum, ex passione acerbissima Filii, medicinam præsentissimam, adversus morsum antiqui serpentis, præparavit.*

§. 4. Connivente igitur hac ratione Deo ad Judæorum scelus, quo vulnera minitabantur, & faciebant quoque Salvatori, principem se gessit auctorem animarum, & vitæ depeculator Satanas, nec opplere odio & furore Judæos destitit, donec extremum diem vulneribus clausisse vitæ ac necis Dominum vidit. Innuit hoc ipse, quum potestatem tenebrarum, in se irrumpentem, explicat Luc. 22: 53. quod nimirum totus orcus, immani odio sui accensus, & furiis concitatus, nunc eo intendat omnes conatus, quibus opprimatur is, qui mox victor appariturus & triumphum reportaturus erat gloriosissime. Prænunciata erat diu ante, in paradiso, hæc potestas, quando calcaneum Semini mulieris à Serpente antiquo conterendum dixerat Deus, Genes. cap. 3: 15. quod non alio tempore factum est, quam quo in crucis ara pedes ejus clavis fuerunt transfixi, & sanguine madefacti proprio, ut graviter inquit Waltherus. (q)

§. 5. Cæterum adscivit furoris sui socios, Judæos, Diabolus, quærens & Servatoris, & servandorum internecionem. *Commovit enim istos*, dicente Theophylacto (r), *ut Christum crucifigerent*, ferroque trucidarent. Prædixerat id sibi Dominus Joh. 2: 19. *Solvite*, compellans Judæos, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: Et coram discipulis Luc. 18: 33. *postquam flagellaverint, occident eum*, de se in tertia persona, more Sacrorum Scriptorum, loquens. Petrus vero omnium acerrime scelus hoc Judæis, in solenni cœtu, exasperat & opprobrat, cum ait Act. 2: 23. Jesum Nazarenum προσπήξαντες ἀνείλετε, vs. 63. ἐσταυρώσατε, cap. 5: 30. διεχειρίσασθε κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου.

§. 6. Veruntamen illi proxime non dederunt effectum, sed genus hominum ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate conflatum, milites Romani, qui & conviciis prosciderunt, & vulneribus confecerunt Gentium Salutem. Judæis enim hac in caussa judicium neque damnationis, neque executionis competebat, ut fatentur ipsimet Joh. 18: 32. nec abnuunt Rabbini, in Talmud Hierosolymitano, in בר אשר רבה, & Rabbi Salomo; quamvis alias capitale supplicium ipsis prorsus ademptum non esset (s). Exequavit tamen, si non longe superavit, eorum crudelitatem in innocuum sanguinem concitatus furor militum, qui manibus suis vibratis, mortis instrumentis vulnera Christo inflixerunt. Adstruit istud Marcus cap. 15: 20. Matth. cap. 27: 31. Johannes cap. 19: 23. quos & ipsos vs. 32. crurifragio peragendo in latronibus, quos inter medius Salvator pendebat, adhibitos narrat: hoc vero cum accelerandæ mortis causa, ab ipsis fieret, dubitandum minime est, quin peregerint quoque crucifixionem, lente alias ac tarde mortem inducentem, & ut plurimum cum alio suppliciorum genere, apud Veteres, conjunctam, ut Salmasius (t) exponit. Accedit, quod à militibus profectum sit omne, quicquid gravioris in Christum statutum fuit. Nunc enim pro ludibrio vestiunt mœrore penè consumptum: nunc è spinis plexa corona compungunt ejus caput: nunc sceptro donatum supplices adorant: nunc purissimam faciem fœdissimis oris excrementis conspurcant, & caput, angelicis tremendum potestatibus, fustibus & baculis tractant durissime. Ipsa quoque ejus vestimenta, cum jam in crucem actus esset, sorte dividunt & secant: Quos eosdem cum crucifixoribus faciunt Matthæus & Marcus cap. 27: 35. c. 15: 24. Omnem vero dubitationem in hac re tollit Johannes, qui ministros nequitiæ universæ, qua Christo illuserunt, stiturus c. 19: vs. 24. ait: οἱ μὲν οὖν στρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν, quod Nonnus Paraphrastes reddit:

Καὶ τὰ μὲν ἔργα τέλεσσεν ἀθεσμοβίων στρατὸς ἀνδρῶν.

§. 7. Ideoque certitudine caret, quod de lictoribus & carnificibus definiunt Lactantius (u), & alii. Quanquam enim Romanis sui & lictores, & spiculatores erant; non tamen eorum Scriptura meminit in hac historia, ac proinde nobis silentium imperat. Adrichomius (x) in descript. terræ sanctæ eos quidem inducit, quando formulam sententiæ, de Christo latæ, adducit hanc: *Jesum Nazarenum, subversorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, (ut Majorum suæ gentis testimonio probatum est) ducite ad communis supplicii locum: & cum ludibrio regiæ Majestatis, in medio duorum latronum, cruci affigite. I lictor, expedi cruces. Qua prolata sententia, eum militibus suis crucifigendum tradidit, &c.* Sed, de expedienda cruce, & parandis ad eam necessariis, intelligenda ista sunt: non de eductione, & sublatione in crucem, quam unice militibus Romanis vendicat historia Euangelica: cum qua etiam perpetuo locuti sunt B. Balduinus & Gerhardus. (y)

§. 8. Affatim quoque caussarum suppetit, quod gentibus affligendus & vulnerandus Salvator concessus fuit. Cyrillus ob Paschatis, Judæis sacrosancti, propinquitatem factum existimat. Augustinus Judæorum, mortis Christi accusari nolentium, voluntati tribuit. Quatuor tamen de causis potissimum accidit. Primo quidem ut de adventu Messiæ, & sceptri ablatione Genes. 49: 10. docerentur Judæi. Deinde ob nostram salutem, ut per ipsius in alienas manus traditionem ab alieno dominio 2 Cor. 4. liberaremur. Tum vero, ob fidei nostræ confirmationem, qua credimus Christum Salvatorem Judæorum & gentilium Es. 49: 6. Tandem, propter nostrum solatium, qui ex gentibus oriundi sumus, & in regnum Messiæ translati, rejectis Judæis, Matth. 8: 11, 12. Act. 13: 46.

§. 9. Sed de vulnere lateris clarior longe res est. Ita enim Johannes cap. 19: 34. εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε στρατιώτην Euangelista, חר מו ארססיטיותא Syrus, & ἄνδρα ἀκίχητον Nonnus dixerunt, de milite quodam gregario, non equite, loquentes: quod cum Xavierio, & Bohemica versione N. T. Bartholinus falso asserit, tædiosum alias iter, quod pedibus emetiendum erat, militibus Romanis factum prætendens. Veruntamen salse ipsi Salmasius (z), quum sciverit στρατιώτας non nisi milites de peditum cohorte absolute vocari, & distingui ab ἱππεῦσι in Romana historia, respondit, cur

(l) *Disp. de Prov.* §. 127. (m) *lib. 1. sent. dist.* 48. (n) *Serm. 16. de pass. Dom.* (o) *Disp. I. de pass. Dom. qu.* 2. §. 5. (p) *Pass. typ. part.* 1. *p.* 459. (q) *In quadr. Misc. p.* 73. (r) *In Joh. c.* 3.

(s) *Lib. I.* סנהדרי *cap.* 1. חזקוני *ad Genes.* 49. *ad l. c. l. Talm.* (t) *Epist.* 2. *de Cruce pag.* 487. (u) *Lib.* 4. *Inst. div. cap.* 26. (x) *In descript. urbis Hierosolym. num.* 115. (y) *Pass. typ. n. harm. pass. c.* 18. (z) *Epist.* 2. *de cruc. p.* 446.

cur non rhedas potius aut cisia assignaverit militibus, quam equos, ut sic commodius sequi possent cruciarium? Certe, inquit, *non ea mollities Romani militis fuit, ut, quod iter sub grandi cruce emetiri cogeretur miser crucifigendus, non posset ipse, armis tantum onustus, facile conficere.* Non parum etiam fallunt, qui nomen ejus militis exprimere satagunt. Longinum ex supposititio Nicodemi Evangelio, & Manuali, quod falso tribuitur Augustino, communiter appellant Pontificii. Quod nomen, judicio Forsteri (a), Gerhardi (b) & Ludovici de Dieu (c), ex Græco λόγχη exsculpsit insulsus Monachus, eoque clarum in Romana Ecclesia fecit militem. Fatetur ex Pontificiis Gregorius Wicelius serm. ultimo quadragesimali, & Salmero (d). Nec dubitabit facile aliquis de eo, si Cimmerias istorum temporum tenebras, & artium sepulturam, ex historia Ecclesiastica, repetat. Proinde ne Baronio quidem id nominis in hoc milite arrisit, quando potius Longinum dictum vult ipsum illum Centurionem, qui Matth. 27: 54. Christum Dei Filium esse agnovit, & redarguit eos, qui ex Apocryphis quibusdam scriptis, & mendaciorum consarcinatoribus, Petro Comestore, & Petro de Natalibus tradiderunt, Longinum nomine, cœcum, sanguine Christi sanatum & conversum, militem illum fuisse, qui lancea latus Domini aperuit. Istud enim miraculum neque priscis Patribus memoratum, & per se adeo futile est, ac putidum, ut non magis Evangelicis rebus quadret, quam stercora aromatibus.

§. 10. Aliud istius militis nomen producit novus ille Mogolensium Evangelista, Xavierius, quum vocat נאחס Inagisum vel Ignatium. De quo quidem suspicatur Ludovicus de Dieu (e), quod corruptum sit ex לונחים Longus, seu Longinus: non tamen contra Manuscriptum pronunciare audet. Docet potius Giim Arabum sonare idem, quod *ti* Latinorum, sequente vocali (f). Ac fortasse oportunum maxime Xaverio visum fuit, præclarum hunc militem, tanto miraculo decoratum, ipsius Jesu sanguine à cœcitate liberatum, & è milite præcipuum fidei Antistitem factum, Jesuiticæ sectæ auctori ac Patrono, Ignatio Lojolæ, olim etiam militi, cognominem facere, ut vel inde sectæ Ignatianæ decor aliquis & splendor accederet.

§. 11. Nullatenus vero à crimine occisi Messiæ, per scelus militum absolvuntur Judæi: quia, ut loquitur B. Gerhardus, *quicquid Romani milites hac in parte fecerunt, id omne Judæorum impulsu, & exhortatione fecerunt.* Ideo non tam Romanis militibus, quam Judæis perfossio Christi tribuenda est. Quemadmodum etiam crucifixio per milites Romanos facta est; interim tamen vere illis à Petro objicitur, quod Christum affigentes cruci eum interemerint Act. 2: 23. quodque ipsimet auctorem vitæ interfecerint Act. 3: 15. Idque ad exemplum Uriæ, quem hostes in prælio prostraverant, & nihilominus tamen à Davide occisus dicitur 2 Sam. 12: 9.

§. 12. Adhibuerunt autem milites pro instrumentis, quibus vulnera percuterent, clavos ferreos acutos, non obtusos, ut aliqui, quos inter Anselmus est dialogo de pass. Dom. pro exacerbandis Christi doloribus, conjiciunt: erant enim isti negotio non accommodi. Horum quatuor numerant ex Revelat. Brigittæ & Gregorio Turonensi (g), Salmasius (h), Dilherrus (i), alii. Trium vero tantum meminit inter Græcos Christianorum Poëtas præcipuus, Nonnus, πόδας ὁμοπλεκέας, sibi mutuo impositos, & uno ictu trajectos dicens. Totidem etiam Nazianzenus, in Tragœdia, Christus patiens, & Hulsemannus (k) recenset, ac Jesu, ut se vocant, sociorum insignia ostendunt. Sed & non plures monstrant fere omnes, in templis, & pictæ, & sculptæ statuæ, Christi crucifixi imaginem sistentes oculis. Ac præcipue sceleratis militibus commodus hic numerus erat, quo conjunctione ista, & compressione pedum eo magis exquisitos dolores facerent Christo. Interim si à quodam curiose religioso extracti & asservati, vel etiam ab Helena inventi fuissent cum ipsa cruce, liberius pronunciandum nunc foret de numeri istorum certitudine. Referunt equidem Ruffinus (l), Theodoretus (m) & Ambrosius (n), inventos cum cruce clavos Helenam galeæ & freno equi filii sui, Constantini, impendisse, quo à telis hostium tutus esset, idque per Zachariam c. 14: 20. prophetico spiritu prænunciatum esse. Veruntamen de inventa Christi cruce, & miraculo, circa istam facto, quod dicitur, fabulis accensetur merito à Dorscheo (o), & literati orbis Phœbo, Salmasio (p), tum ob trium seculorum, quibus latuerat, decursum: tum ob crucium copiam, quando, accedentibus subinde novis, locus suppliciorum iis adimplebatur, ut à sese invicem, præ multitudine, dignosci non possent.

§. 13. Cæterum in vulnerando latere lancea, seu hasta, ipsis inserviit. Johannes cap. 19. λόγχῃ Syrus לוכיתא, Arabs cum Nonno חובה, μάχαιραν, sive gladium, vocat. Moti hoc vocabulo Heinsius in Aristarcho, & Bartholinus, de Lat. Christi aperto, non lancea, sed gladio Hispaniensi, eoque breviori vulnus inflictum dixerunt: cum tamen Nonno ea res nunquam venerit in mentem. Ita enim is:

Ἀλλὰ φορῶν ἀκίχητος ἀνεμώδεϊ λόγχῃ
πλευρὴν πᾶσι μέλουσαν ἀφειδέϊ νύξε μαχαίρῃ.

Ubi expresse de λόγχῃ, seu lancea, sermo ipsi est. Sed quum lancea ex hastili & mucrone constaret, ipsiusque mucronis duo essent genera, oblongum alterum, quod ὀβελίσκον nuncupabant, & latum alterum, quod μάχαιραν appellabant, & in venabulis ac Pertuzanis usurpabant; de tota lancea loquitur, quando militem accurrentem introducit, de ferro vero tantum, quando latus apertum memorat. Ita ergo frustra admiratur Heinsius, quomodo, quod λόγχῃ, idem quoque μαχαίρῃ factum dici possit. Fabulis vero accensendum est, quod de lancea hac à Bajazete, Turcarum Imperatore, qui, direptis à se Hierosolymis, eam acceperit, ad Innocentium VIII. propter transactionem Melitensium Equitum, & loco inconsutilis tunicæ missa, inque magnifico S. Petri templo, in Vaticano, asservata memoriæ proditum legitur. Etiamsi Marcus Vigerius, Episcopus Prænestinus, & Cardinalis Senogalliensis, prolixe id in tractatibus, de præstantia & dignitate lanceæ Longini, astructum iverit.

§. 14. His modo dictis instrumentis vulneraverunt manus, pedes & sanctissimum latus milites. Neque enim solliciti sumus de reliquis vulneribus, quæ fecerant flagella, nonnunquam ex solis loris constantia, interdum etiam aciculos, uncinulos & aculeos ferreos innexos habentia, quæque ad costas usque penetrarunt, carne hinc inde disrupta, dicentibus Brigitta in Revel. & Xavierio in historia Evangelica, fide minus dignis: aut de eis, quæ spinea corona punxerat, nobis nunc sermo est. Tantum de quinque istis majoribus loquimur. Ac duo quidem, transacto per plantas pedum clavo facta sunt: duobus vero manus, callo haudquaquam obductæ, ruptæ fuerunt. In manibus vero ipse metacarpus, seu vola, non carpus, clavis fuit trajectus, qui in cryptis Romanis, à Jani Nicii Erythræi fratre productis, ostenditur. χεῖρες, seu ידים, ex prædictione Psalmi 22: 17. vulneratæ in historia Thomæ proferuntur, non זרוע, carpus, aut ulterior quædam pars brachii. Idque tanta cum crudelitate factum esse Bonaventura (q) & Landspergius (r) narrant, ut terebra prius perforarint manus & pedes, ut clavo faciliorem facerent viam: quo facto, 36. ictibus clavum ligneum eis impresserint, quæ tamen Auctoribus his defendenda committimus.

§. 15. Postremum vulnus lateri datum fuit: utri autem dextro, an sinistro, in sacris non definitur. Plura etiam in Epitaphio Longini, quod prope Lugdunum, in fano S. Mariæ, habetur, non leguntur: *Qui Salvatoris latus in cruce cuspide fixit, Longinus hic jacet.* Considerans id Germaniæ Apelles, Cranachius, cum in Cœnobio AUGUSTI anteriori depictæ effigiei Christi non appinxisset vulnus lateris, & interrogaretur, cur id omisisset, respondit: *Sibi à nemine Theologorum, ex Scriptura, locum istius demonstratum esse.* Nam omnino Evangelistæ huc nihil contulerunt, præter voculam πλευρᾶς, quæ de utraque lateris parte, tum munita costis, tum vacua sumi consuevit. Non tamen propterea Veterum, qui sinistrum latus elegerunt, accedimus sententiæ; quum videatur niti falsa hypothesi, ac si cor in sinistra lateris parte recumbat, quod tamen medium thoracis locum obtinet, cuspide ejus nonnihil ad sinistrum latus propendente. Potius pro dextro latere, si rem obscuram & incertam conjecturis indagare liceret, dicendum foret. Istud enim penetrasse hastam docent Bernhardus, & ex eo complures alii & Theologi, & Medici. Verba illius sunt (s): *Dominus meus Jesus post cætera inæstimabilis sua erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi, propter me passus est latus fodi:* quod

(a) *Medit. in pass. Dom.* (b) *Harm. pass. c.* 18. *pag.* 874. (c) *in Animadvers. ad hist. Pers. Xav. p.* 6. 26. (d) *tom.* 10. *tract.* 48. (e) *Hist. Christ. Pers. pag.* 489. (f) *Ad marg. istius pag.* (g) *De glor. mart. cap.* 6. (h) *epist. de Cruc. pag.* 334. (i) *in schemate veræ crucis figuræ, præmisso libro*, Kaarwoche. (k) *In pentag. Christ. p.* 287. (l) *Lib.* 1. *hist. Eccl. cap.* 8. (m) *lib.* 1. *hist. Eccl. cap.* 18. (n) *in orat. de obitu Theodos.*

(o) *De tun. inconf. cap.* 2. §. 119. (p) *Epist. de cruc. pag.* 269. 368. 405. (q) *De pass. Christi homil.* 41. (r) *de pass.* (s) *Serm.* 7. *in Ps.* 91.

quod videl. non nisi dextera mihi propinare vellet: non nisi in dextera parare locum refugii. Utinam ego talis merear esse columba, quæ in foramine petræ habitat, & in foramine lateris dextri. Retinuit eandem sententiam, in historia Christi Persica, à Ludovico de Dieu edita, Hieronymus Xavier, part. 3. ubi לאסת, dextrum latus lancea verberatum dicit: quod optime elegantissima sua Musa assecutus est Caspar Barlæus, in orat. quadam, qua Christum alloquitur:

Dextra tibi perfossa riget: mea sola scelesta est
Nec sentit pœnam noxia dextra suam.

Favet quoque Arabicus Interpres, inquiens טענהו בחרהו פי גנבהו אלימי, perforavit eum, scilicet miles, lancea sua in latere ejus dextro. Nec abnuit lateris absolute positi pro parte nobiliori denotatio, ut & antiquus ac communis pingendi mos, quo dextro lateri tribuitur vulnus, infirmo tamen argumento, quum licentia pictorum ultra verum sæpius divagetur. Addi insuper his possunt typi Lev. 1:11. ubi agnus ad latus aræ versus septentrionem, quod erat dextrum, mactandus præcipitur. Quod Hesychius & Procopius explicant de agno tradito pro peccatis mundi Joh. 1:29. & in latere dextro vulnerato. Et Ezech. 47:1, 2. ubi aqua ex dextro templi latere fluxisse scribitur. Templum hoc esse Christum, ad cujus formam extruenda fuerit Ecclesia N. T. & ex quo fluxit aqua, Gregorius & Hieronymus commentantur. Admisit vero ictum hastæ latus in superiore parte, non in inferiore abdominis loco, ut D. Vincentius Ferrerius, à Calisto III. Papa, in numerum Sanctorum receptus, præ metu, ne, contracta fuisse Christo ossa & costas, sit statuendum opinatus est. Sed tamen non transmisit totam hastam, ita ut alterum quoque latus penetraret, quod Cornelio à Lapide placuisse observatum est. Huic Hieronymus Bardi, Insubrensis Theologus, sanctissimam sindonem, Taurini asservatam, in qua unius tantum vulneris vestigium observari liceat, opponit, fabulam fabella explodens. Verius autem meditationis istius origo ex Brigittæ Revelationibus, fide destitutis, & Prudentii, Poëtæ Christiani, aliorumque hyperbolicis locutionibus repetitur. Ita enim hic:

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit, sanguis victoria, lympha lavacrum est.

§. 16. Qua fini tandem tam miserandum in modum afflixerint Christum, restat adducendum. Quemadmodum autem totus Diaboli animus in eo erat, ut perderet genus humanum omne: ita felicius id præstari haud posse existimavit, quam si restauratorem ejus, ac vindicem, tolleret è medio. Eo nomine ad peccata ipsum proritare non erubescebat Matth. 4. Maxime a. Judæos, consilii sui executores, adjungebat sibi: quorum & ipsorum intererat, videre in cruce expansum, cujus interitum toties repetito Crucifige, Crucifige, tolle, tolle eum, desideraverant. Explebatur quoque tandem animus ipsorum, sanguinis cupidus, quum mortem oppetiisset sanctissimus. De veritate hujus periculum facturus sceleratissimus miles, fractis jam cæterorum cruribus, divino lateri hastam impingit, & vulnus facit. Pernegat Bartholinus, hunc finem militi propositum fuisse, contra omnium fere Interpp. confessionem. Quod si enim ideo factum esset, potius in pleuræ membrana, ubi sensus longe acutissimus, figendam fuisse hastam existimat. Sed tam subtili esse vix licuit militi, artium imperito. Potius arcem vitæ, cor humanum, invadendam duxit, ex quo percusso certissimum eluceret signum, simulata, an vera esset mors Christi. Falsum v. est, quod milites hi, & ipse Pilatus, tum de morte Christi certiores facti fuerint, ut porro ait. Refert Marcus c. 15:44. Pilatum, rogante Josepho, emortuum Christi corpus, in admirationem tam subiti obitus raptum fuisse: id quod Joannes c. 19:28. multo spatio post factam confessionem accidisse narrat. Centurio quidem cum reliqua, adhuc præsente, turba animam exhalasse, Christum coram viderat: ast de militibus idem non dicitur. Patet multo magis contrarium inde, quod à Pilato, religiosa Judæorum petitione victo, mittuntur extus, ad locum supplicii, ut crura crucifixis suffringerent. Imo, cum ad Christum pervenirent milites, & videretur ipsis, (non, scirent jamdum) quod fatis concesserit, latus lancea foderunt, Evangelista inquit. Quo circa verba νύσσειν & ἐκκεντεῖν, quæ pro sua sententia adversum sentiens urget, non tam petulantem militum actum, quam penetrans, ad cor usque, vulnus indicant, uti supra fuit adductum. Addenda tamen omnino est militis petulantia, & diabolicus furor, qui nec mortuo corpori parcere sustinebat. Vidit istum Deus, rerum à longe futurarum exacte gnarus, diu ante, & Ecclesiam V. T. per Zachariam de eo edocuit c. 12:10. Atque hos fines exponunt Gerhardus, Hunnius, Balduinus, Paulus Tarnovius, Forsterus, Himmelius, Hulsemannus, in Pentagono Christiano, & alii, in hanc rem commentati.

§. 17. Deus interim sapientissimo suo consilio, & misericordi voluntate, contrario effectu, omnium hominum salutem inde procuravit. Ac dubitandum haudquaquam est, quin istud quoque vulnus, quod fatis jamdum functo Christo infligebatur, virtute merendi, & salvandi abundet, qua tamen à Bartholino privatur* pessime, præeuntibus ipsi Alphonso Tostato (t), Salmerone (u), Barradio (x) & Fausto Socino (y). Ilicet enim soluta fuerit unio corporis & animæ naturalis: duravit tamen adhuc personalis illa ἀδιάλυτος, ἀδιαίρετος ἀχώριστος, ne ἰσχυοῖς quidem ἐπινοίαις separabilis & ἀδιάστατος ἕνωσις, ac divinitas imprægnavit & fœcundavit, ut alios dolores & vulnera, hoc quoque vulnus, ut beatitudinis largiretur hominibus semina. Nulla ergo est conseq. ait Hulsemannus, (z) Gleich wie der Mensch / wenn er todt ist / nichts verdienen kan: Also hat auch Christus in seinem Todte nichts verdienet. *Non unio naturalis animæ & corporis, sed personalis affert meritum passionibus Christi, Rom.* 8:3. *Gal.* 4:4. Quocirca livore ac vulneribus ipsius, nullo excluso, salvati dicimur ab Esai. c. 53:11. & Petro 1. ep. 2:25. *Mortuum Christi corpus* inquit Hippolitus, *profundit sanguinem & aquam, ut sciamus, quantum possit* δύναμις, *quæ in illo corpore habitat, quod etiam mortuum nobis possit profundere ea, quæ sunt causa vitæ.* De cætero, quam bona plurima, & mortalium cogitatis & dictis vix assequenda, ex vulneribus Christi, nobis paraverit Deus, quamque verorum thesaurorum, in cœlis, sint sacrosancta receptacula, loquuntur abunde Sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ sententiæ, in vulgus quoque notæ, ac ob brevitatis studium non adscribendæ. Ostendit potiora B. Balduini, brevitate se commendans, carmen:

Qinque suis in me jaculis crudeliter hostes
Tenella ab usque sæviunt pueritia.
Dira lues scelerum: lethi vis: Dæmon & Orcus:
Et perpetim gehenna flagrans ignibus.
Quos ut ego reprimam, & securus ab hoste recedam;
Quintuplicis scuto latebo vulneris.

§. 18. Dictis succedit nunc locus, ubi fatalia Christo data fuerunt vulnera. Appellatur is Calvaria, κρανίου τόπος, ab Arabe גמגמת voce cranium denotante, & à Syro גגולתא quod Græci γολγοθᾶ & γολγολθᾶ vocant, ac ex Ebræo גלגלת natales suos repetit, omittente, interim prius ל Syro, de quo accurate Drusius (a) & Cornelius Bertramus; nec non Trostius (b), Fabricius (c) & Waltonus (d). Accepit vero id nominis, juxta nonnullos, ob rotunditatem suam, qua ad cranium accedebat proxime: potius tamen à relictis ibi morte mulctatorum craniis, quia locus supplicii publicus erat, ut Gerhardus (e), Paulus Tarnovius (f), Osiander (g), Strigelius & Salmasius (h) censent. Suaves interim sunt Patrum de sepulto hic Adami cranio meditationes, ac ea dignæ fide, qua istæ, quibus cruci Christi materiam præbuisse arborem vetitam, ex qua Protoplasti comederant, in paradiso, perhibent. Judæi sane locum sepulturæ primi hominis tanto ignominiæ genere affici haud passi fuissent, si tale quid de eo ipsis constitisset.

§. 19. Postremo omnium æstu meridiei maximo vulneratus in cruce Christus fuit, ut, prævidens id exacte, haud vane conquestus sit, se ut testem exaruisse Ps. 22:16. Exprimunt Johannes c. 19:14. & Lucas c. 23:44. horam fere sextam, & Marc. 15:25. horam tertiam, utramque diei divisionem, Judæis receptam, servantes, & eorum prioribus de horis singulatim, posteriori vero de initio secundi quadrantis, quem ab hora tertia ordiebantur, loquente, ut perspicue ostenderunt Gerhardus (i) & Paulus Tarnovius (k), à corruptione Evangelistarum scripta vindicantes. Quo vero præcise tempore Redemptor nostri omnium, postquam integerrimam jamdum exhalasset animam, vulnus lateris acceperit, Sacri Scriptores non definiunt. Interim, quum elapso tertio quadrante terminum vitæ suæ clauserit, dicente Marco c. 15:34, 37. &, inclinante die, terræ mandatus à Josepho solenniter fuerit, circa finem ultimi

(t) *Quæst.* 352. *super Gen. c.* 13. (u) *tom.* 10. *tract.* 48. *fol.* 394. (x) *Tom.* 4. *conc. l.* 7. *c.* 22. *num.* 15. (y) *lib. de Servat. part.* 2. *c.* 2. (z) *in Pentag. p.* 392. (a) *Gram. Chald. p.* 33. & *Comm. prior. ad voc. Ebr. N. T. p.* 74. (b) *Lex. Syr. p.* 148. (c) *Reliq. Syr.* (d) *Proleg. ad Bibl. Polyglotta de vers. Syr.* (e) *Harm. Pass. p.* 607. (f) *in Joh. c.* 19. *p.* 3053. (g) *in notis ad Matth.* 27. (h) *in Epist. de cruc. p.* 271. (i) *Harm. pass. c.* 11. *p.* 548. (k) *Com. in Joh. p.* 3044.

quadrantis, horis præter propter à morte duabus, id accidisse colligi potest de facili. Nam hisce duobus, ut medium, atrox & nefandum militis facinus interponit Johannes, probrosissimæ, sed nobis fructuosæ mortis spectator.

§. 20. Falsi ergo sunt Salmero & Toletus (l), qui Christo, adhuc viventi, latus apertum volunt. Est clarissimæ literæ contrarium. Hinc Clemens V. Pont. Rom. Viennæ concilium convocavit, ex 300. Episcopis, & authentiam Johannis confirmavit. Refert Binius Tom. 3. Concil. part. 2. fol. 782. cap. un. de summa Trinitate, & fide Catholica in Clementinis decisum: *Nos Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) sacro approbante Concilio, declaramus, prædictum Apostolum & Evangelistam Johannem rectum in præmissis facta rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo, jam mortuo, unus militum lancea latus aperuit.*

CAPUT II.

Quæstiones nonnullas exhibens.

I. An Ecclesia V. T. notitiam Christi vulnerum habuerit?

§. 1. PEr vulnera non generatim passionem; sed speciatim ipsa quoque, quæ accepit, vulnera indigito. Et istam, & hæc scivit, cum non alia in V. T. ad salutem perveniendi via fuerit, atque in N. T. obtinet, pronunciante Synodo Apostolica Actor. 15:11. & per ea salus pateat, teste Esaia & Petro. Gradus tamen claritudinis, qualis inter typum, & rem, typo expressam, præsentem, inter vaticinia, & eorum complementum intercedit, attendendi veniunt quam maxime. Ipse etiam cultus sacrificiorum quid erat aliud, quam insignes, de passione Messiæ cruenta & vulneribus, conciones? unde non dubitavit S. Pater, ex ritu assandi agnum paschalem, ipsissimum Christi crucifixionis processum, & vulnera inde accepta, monstrare, quum sic disserit: Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου.

§. 2. Alii veterum etiam ex primævo integritatis statu typos huc conquisiverunt. Primum constituerunt in Paradisi fluvio, qui in quatuor se diffudit flumina Gen. 2: 9. *Ita enim Christus Paradisus est*, quem vocat Bernhardus (m), *& ex eo quinque salutares promanant fontes, dum clavis transfiguntur manus, lancea transverberatur latus, & pedes fodiuntur ferro, quibus omnis anima fidelis irrigatur, ut crescat aliquando in cœlestem paradisum transplantanda.* Alterum posuerunt in Adami à Deo, per somnum, aperto latere, Gen. 2:21. Augustinus (n), Isidorus (o), Gerhardus (p), & Balduinus (q), quod vulneri lateris respondisse tradiderunt. Cæterum comparationes hæ tantum sunt, à posteriori institutæ, non typi proprie ab ipso Sp. S. in istis rebus fixi. *Nulla enim tunc*, ut loquitur Magn. Dn. D. Calovius (r), *mors, nedum mors Redemptoris satisfactoria locum habere, aut præfigurari debuit.*

§. 3. Commodior ergo typus est janua Arcæ Noæ, Gen. 6:16. quem explicat Augustinus (s): *Quod Arca Noæ*, ait, *ostium in latere accepit, illud profecto vulnus est, quando latus crucifixi lancea perforatum est.* Et Bernhardus (t), quando sacrosanctum lateris ejus vulnus *ostium Arcæ, quod factum est in latere*, dicit. Verior quoque est, qui in mactato agno paschali Exod. 12. proponitur, & ad Christum applicatur ab ipso Apostolo, erroris nescio, 1 Cor. 5:7. Huc deflectunt etiam fontem patentem, ad latus apertum respicientes, Zach. 13:1. Vatablus & Robertus, notati à Christophoro Castro (u). Rectius tamen de sacro baptismatis fonte explicatur.

§. 4. Luculentius autem tota res declarata fuit eorundem haud obscura mentione. Facta hæc in genere fuit à Deo Gen. 3:15. ואתה תשופנו עקב; & Esaia cap. 53. & Salomone, Cant. 2:13. Nam sic foramina Petræ de vulneribus Christi interpretantur Gregorius (x), Isidorus Hispalensis (y) Bernhardus. In specie vero recensita sunt à Christo Psal. 22:17. כארי ידי ורגלי, ubi vox כארי, non fœdationem, sed perfossionem, à כור, ad

(l) *Annot. 20. in 19. cap. Joh.* (m) *Serm. 1. in natal. Dom. p. 57.* (n) *Lib. 12. de C. D. c. 17.* (o) *Comment. in Genes. 3. p. 285.* (p) *Comment. in Gen.* (q) *Part. 2. pass. typ.* (r) *Comm. MSC. ad d. l. Gen.* (s) *Lib. 15. de C. D.* (t) *In Soliloq. p. 510.* (u) *Comment. in Zach. 13.* (x) *Comment. in Cant. 2. pag. 504.* (y) *Serm. 6. sup. Can. p. 748.*

Arabismi genium hic formato, infert proprie; quod præclare ostendit Reverendiss. D. Wellerus (z), & manuum ac pedum vulnera designat. Quintum demum vulnus, quod latus persensit, Zacharias habet cap. 12: 10. interpretante sic Johanne cap. 19: 37. Apoc. 1:7. In quo loco male κατωρχήσαντο רקדו; cum LXX. Interpp. legunt Salmero, & Bartholinus, indubiæ Evangelistæ versionis immemores.

§. 5. Sed fallit egregie Xavierius (a), quando conjunctim ac definite quinque vulnerum, quæ alias homiletice nonnulli illinc illustrant, mentionem injici a Zacharia, cap. 13: 6. contendit: quum nec de numero, nec de Christi vulneribus agat Propheta. Nam המכות האלה בין ידים pœnam falsorum Doctorum exponunt, ut Osiander, Quistorpius & Tarnovius ad hunc locum advertunt. Accipit hæc explicatio insignem lucem ex vero voculæ בין sensu, si cum LXX. reddatur, ἀνὰ μέσον τῶν χειρῶν, & de medio scapularum cum Theodoreto, vel de eo, quicquid est inter manus, cum Montano sumatur: ita ut vulnera non in manibus ipsis, sed in loco dicto ponantur. Illic enim vulnerabantur ad flagella à Judæis, ob falsas doctrinas, damnati, prout totum processum exhibet Mischna (b), cujus verba chartæ parcior non addo: Legi possunt citata à Buxtorffio (c).

II. An Christus vulnera retinuerit?

§. 1. PUnctum durationis extendi potest vel ad tempus, quod vocant, οἰκονομίας vel plenariæ αὐτοκρατορείας. Si ad prius, testatur Evangelista, quod eadem tunc monstrarit Luc. 24:39. & acta cum Thoma probant Joh. 20:27.

§. 2. Quod si vero ad posterius quoque trahatur, non habemus tam clare istud definientem Scripturam, ac ob id Dd. dissensum. Sic enim ex recentioribus D. Gesnerus (d), D. Hunnius (e), D. Forsterus (f), & alii, negant: Patrum vero maxima pars, & cum his B. Gerhardus, affirmant: quibus suffragari & nobis placet.

§. 3. Distinguendum tamen est inter id, quod est de fide, & creditu ad salutem prorsus necessarium: ac, quod est circa fidem, &, citra dispendium salutis, & affirmari, & negari potest. Non proponimus hoc dogma sub credendi necessitate, sed ut pium, devotionis ac consolationis plenissimum. Ideoque causa & finis retentorum vulnerum pensitandus juste est. Non enim retinuit ea ex impotentia quadam sanandi, aut necessitate coactus inevitabili, nec ut nævos, & quæ glorioso corpori dedecus afferrent, & dolores facerent: sed ex libera voluntate, œconomia & dispensatione.

§. 4. Et in ascensione quidem retinuit ea, ut angelis & cœlitibus reliquis hostium debellatorem & victorem sese demonstraret. Quemadmodum enim miles non exiguæ laudi sibi esse existimat, si ostendat pro salute patriæ acceptas cicatrices: ita & Christo gloriosum fuit, vulnera post triumphum, à peccato, morte & Satana reportatum, ostentare, quæ B. Augustini est sententia. In statu gloriæ porro ea retinuit ad electorum majorem lætitiam & consolationem. *Rutilantia vulnera*, inquit Gerhardus (g), *sunt Biblia practica, de certitudine salutis nostræ testificantia: Ex illis enim intelligimus, nos in manibus Christi descriptos esse Esai. 49:16.* Atque sic senserunt quoque Ambrosius, super Lucam, Cyprianus (h), & Anselmus (i). Addit Leo M. ut agnoscatur in Christo proprietas humanæ naturæ permanere: Beda, ut vulnerum intuitus sit ὁρμητήριον, & incitamentum electis, ad grates & laudes Christo Redemptori, in vita æterna, eo ardentiori & impensiori studio decantandas: Et Cyrillus Alexandrinus, ut sint signa fidelitatis & constantiæ Christi, in officio, usque ad vulnera & mortem, administrato. In ultimo tandem judicio ea ostendet impiis, ut signa terroris, & quod ipsi causa interitus sua obstinatione sibi extent, quemadmodum Augustinus (k), Chrysostomus (l) & Hippolytus Cæsariensis (m) tradiderunt. Cyprianus, serm. de ascens. *quid mirum*, ait, *est, si crucem portans adveniet, quando & corporis vulnera ipsa demonstrat.*

§. 5. Cæterum sententiam nostram adjuvat & Scriptura, & ratio. Scripturæ de hac re effatum est Zach. 12: vs. 10. והביטו אליאתאשר דקרו Non conquiram hic operose Interpp. diversimoda placita. Adeundi ea in re sunt Christophorus à Castro, D. Osian-

(z) *Spicil. quæst. Ebræo. Syr. quæst. 1.* (a) *Hist. Chr. Pers. part. 3. pag. 489.* (b) *Lib.* מכות *cap. 3. Præf.* (c) *Ad l. de Abbrev. Ebr.* (d) *Lib. de Pers. Chr. c. 15. p. 289.* (e) *De Pers. Chr. p. 107.* (f) *Homil. super Dom. Quasim. pag. 201, 202.* (g) *De Bapt. Christi.* (h) *In c. 9. Epist. ad Ebr.* (i) *Serm. 1. de resurr.* (k) *Lib. 2. de Symb.* (l) *Ad Catech. c. 8.* (m) *Tom. 3. homil. 1. de cruce & latrone.*

D. Osiander, Johannes Tarnovius in Johann. Ribera, Quistorpius, Himmelius & alii, in Prophetam commentati. Interim non possum non, quin Calvini, spiritualem quandam confessionem Dei, quæ peccatis fit, hic fingentis, ψιλοδερμηνείαν rejiciam verbis Judæi cujusdam, ראבע, qui comment. ad h. l. ait: ושפכתי אשפוך רוח חן ותחנונים על יושבי ירושלים שרם ולתעביר עליהם בתהלה צרה כי משיח בן יוסף יהרג אן יכעס השם וישמיד את כל הגוים הבאים על ירושלים וזהו והביטו אליו אן יביטו כל הגוים אלי לראות מה אעשה לאלה אשר דקרו משיח בן יוסף: Dicam igitur tantum, quod ipsi literæ congruit, & Apostolicæ allegationi concordat. Ac primo quidem verba sunt intelligenda de non alio, quam corporali aspectu, eoque diversis temporibus, tum passionis, tum judicii extremi, futuro, interprete Johanne cap. 19: 37. & Apoc. 1: 7. Propheta enim gratissimam de effusione Spirit. S. Pentecostali promissionem præfatus, de passione, quam tradiderat etiam præcedenti capite, intermiscet aliquid, eo quidem proposito, ut ordinem inter illa ostendat, ac effusionem post passionem futuram significet. Ut verba sic fluant: Effundam super domum David Spiritum gratiæ & consolationum, והביטו אלי את אשר דקרו postquam respexerunt ad me, quem transfixerunt. Ordinativa certe, observante Hottingero, est particula Vau, ex usu Scripturæ, & potissimum Jos. 7: 25. וישארו באש ויסקלו אתם Et combusserunt eos igne, postquam lapidassent, id quod ante jamdum dictum erat. Unde & prudenter Chaldæus: בתר דרגימו יתהון & Lutherus: Und da sie ihn gesteiniget hatten/ reddiderunt. Si nunc posteriora in contextu addantur, in quibus Spir. S. indulget consequenti passionis Christi prolixius recitando, quam rectissime juxta ac verissime Christo, in cruce vulnerato, conveniant, apparebit ultro. Interim planctus & luctus iste non de tali capiendus est, qualis ad verba Prophetæ instituendus erat: sed de maximo & acerbissimo. Demonstrant hoc similitudines de luctu super unigenito, primogenito, & comparatio à dolore, super Josiæ morte concepto, sumpta ex 2 Paral. 35: 23. Cui cum non absimilem futurum dicat eum, quo Christus crucifixus prosequendus erat, usurpat etiam phrases, eo tempore de solenni Josiæ luctu adhiberi consuetas, ubi inter alia ex ritu Judæis peculiariter proprio, cantorum & cantricum fit mentio, quæ hoc in loco per uxores indigitantur. Sed nec ambigendum est, ex singulis tribubus religiosos quosdam ægre admodum affectos fuisse ex ignominiosa & innocenti morte Christi. Centurionis meminit Matth. cap. 27: 54. mulierum Marcus cap. 15: 40. & turbæ percutientis pectora Lucas cap. 23: 48.

§. 5. Dubium igitur nullum, quod de conspiciendo, tempore passionis, in cruce vulnerato Jesu vaticinetur Propheta. Quod vero idem futurum dicat tempore novissimi judicii, non obscure prodit Johannes Apoc. 1: vs. 7. Non me fugit quidem quod excipiant, Christum à Johanne dici apparitururm in substantia, non vero certa substantiæ, qua vulnera, conditione. Sed allegatio sic foret minus recta, neglecto Prophetæ scopo, qui eo tendit, ut tam substantiæ, quam modi determinatio significetur. Deinde apertius paulo dicitur Apoc. 5: 6. quod Servator in forma agni ἐσφαγμένος visus fuerit. Accedit, quod eadem vulnera nequicquam obsint majestati Christi, aut corporis sui glorioso statui, quia certo de fine, & ἑκουσίως retenta. Unde Augustinus eleganti utitur simili ab homine, qui digitis, pretiosissimis annulis ornatis, superinduit chirothecas non usque adeo integras, & foraminibus distinctas, per quæ splendidus auri & gemmarum fulgor transluceat: ut & ab eo, qui veste auro intertexta, & gemmis distincta, indutus est, & tectus pallio, visum per foramina transmittenti. Tandem, nec ob suavissimas quidem consolationes, & piissimas meditationes alias, quæ ex hoc puncto largiter se diffundunt, diversum de Christi vulneribus, in cœlo retentis, statuendum foret, ex hoc loco, quum eadem ratio aliis Scripturæ dictis, quale est Esaianum, ubi convenientissimæ suggeri possent interpretationes aliæ, consolatione quoque turgidam fœneretur explicationem.

§. 7. Adjungi allatis hisce possunt, quod Rom. 8: 4. Christus pro nobis intercedere dicitur, ostendendo videlicet Patri suo accepta pro nobis vulnera, ut Patres exposuerunt. Et quod Angeli aspicientibus Jesum ascendentem viris dicunt Actor. 1: vs. 11. rediturum videlicet eum, ὃν τρόπον ἐθεάσαντο αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Ubi non tam substantiæ veritas, quam modi identitas significatur.

§. 8. Ratio tandem asserti nostri est, quoniam Christo quoad glorificationem corporis, post ascensum in cœlos, nihil est superadditum. Sequeretur enim alias, quod in resurrectione sua non plene fuerit glorificatus, quod ἄτοπον. Cum itaque tunc perfecte glorificato corpori Christi non officerent stigmata illa retenta: ideoque nec in statu post ascensionem oberunt quicquam, quia eadem ubique glorificati corporis est ratio, ac causa proinde nulla, quæ, ut negemus propositum quæsitum nos premat & instiget.

Unde profluxerit sanguis & aqua?

§. 1. De fonte ipso, ex quo provenerunt sancti liquores, & termino à quo soliciti hoc quæsito sumus. Communiorem enim locum, & terminum, per quem, clare satis, voce πλευρᾶς, edocet nos Johannes cap. 19: 34. ut tanta opinionum diversitate distracti nunquam fuissent eruditi, si pari ratione specialem locum aperuisset. Sed cum extremæ necessitatis non esset, nec cardo salutis nostræ in eo verteretur, nullatenus aut invidiæ, aut ignaviæ postulandus cum reliquis Scriptoribus sacris est. Atque ob id prompte, & placide quidem concedere poterant in Spiritus S. Evangelistas & Apostolos singulari afflatu instruentis, voluntatem cujuslibet ævi Doctores, rerum absconditarum sapienter incuriosi: Attamen, cum animus humanus sciendi ea, quæ antiquitas & ipse Sp. S. obvelavit, cupidine nunquam non pruriat, factum est, ut incognitum istum sanguinis & aquæ, è Christo manantium, fontem indagare tentarint anxie, & conjecturis potius, veri speciem mentientibus, quam, doctis haud infrequenti, *non liquet*, sedare animum maluerint.

§. 2. Nimis vero longe divagatus est acumine, quo pollet, ingenii sui Thomas Bartholinus, quando disseruit, num ex cute, musculis aut pulmonibus fluxerit geminus liquor. Præterquam enim, quod perfusum aqua sanguinem, & ex crebris contusionibus, quas expertus erat Salvator, oriundum credit, ipse opinionem hanc, ut nudius tertius in cerebro suo natam, nec ulla ratione firma suffultam, seponit.

§. 3. Perperam, quoque Walæus (n), & idem Bartholinus, Casparum Parentem, defensurus, è thoracis capacitate aquam & sanguinem emortuum Christi corpus egressa fuisse sentiunt. Istud enim sententiæ, nullo rationum pondere astructum, in Theologia quoque non leves errores ut committerent effecit. Rationes, quod humores cruenti & aquati inde fluere potuerint, debuerint, & reapse quoque visi sint fluere, sua infirmitate concidunt ipsæ. Nam primo injuste fit, quando, mutato Sp. S. stylo, loco sanguinis & aquæ substituitur cruentus quidam, & aquatus humor, qui nunquam è corpore Christi exiit, contestante Evangelista. Confunditur ergo terminus per quem, cum termino à quo. Fluxit sanguis & aqua per thoracem, lancea militis fractum, quod à se visum Johannes recenset: non autem à thorace fluxus sumpsit initium. Secundo recte Bartholinus ipse, à posse ad esse non dari conclusionem, ex trita Logicorum regula advertit: non bene tamen eam, ut pro se pugnaret, juvit, quum dixit, essentiam in rebus, quæ natura versat, supponere possibile: Quamvis enim hoc verum sit, neutiquam tamen istud ita determinat, ut consequentiæ certitudo inde haberi queat. Deinde vero nec debuit isthinc provenire aqua & sanguis, quem cruoris nomine designant, etiamsi capacitas illa thoracis gaudeat ejusmodi humoribus, vel ex ipsa nativitate, vel transcolatione ortis. Cur enim non repeteremus eos ex aliis quoque partibus corporis, quæ ob frequentes percussiones, contusiones, ac flagella non carebant cruore? Taceo, quod humores, illic contenti, tam sint exigui, ut, aperto licet thorace, vix exire potuerint, nisi miraculo, quod prorsus hic explodunt, divino aucti. Testis hujus est Andreas Laurenbergius (o), qui ita infit: *Neque enim major liquoris adest quantitas, quam ut uvidos saltem, ac humectos reddat parietes thoracis: Nunquam tanta copia, ut affatim effluere queat.* Etiamsi quoque concedatur, pro diversitate temperamentorum, calidi, frigidique, modo majorem, modo minorem hujus liquoris quantitatem emergere: Tantum tamen de hominibus, consuetudine, divinitus ordinata, è parentibus prognatis, verum erit: de Christo autem, quem bonitate temperamenti, ob absentiam peccati, nemo mortalium unquam superavit, nullo prorsus modo.

§. 4. Coëgit hoc clarissimum Medicum, ut varios confingeret modos, quibus liquor iste auctus fuerit: id quod sine erroribus, quibus impegit in puriorem doctrinam, fieri haud potuit. Dicit, *exquisitos dolores cruoris largiorem copiam ad vulneratas partes advocasse, relicto in proximis partibus sero,* ὀχήματι *sanguinis.* Cum Daniele Mallonio (p): atque

(n) *Comment. ad Joh. cap.* 19. (o) *Colleg. Anatom. disp.* 10. *thes.* 7. (p) *Comment. in Alphons. Palaeot. de sacra sindone.*

atque exinde statuit, vitiosis humoribus laborasse sanguinem Christi, ut liquesceret & solveretur in serosos liquores, corpus Christi corruptioni alicui fuisse obnoxium, & morbis quoad speciem afflictum.

§. 5. Sed, quemadmodum spiritus sanguini conjuncti manent, & una cum isto exeunt: ita quoque serum, fluxioni sanguinis promovendæ destinatum, & essentiam ejus cum reliquis constituens, separari aut relinqui ab eo nulla ratione potest. Quin & tam brevi temporis spatio, quod inter flagella & crucifixionem intercessit, transcolari vix potuit: Accedente, præ reliquis, isthoc, quod tam magna sanguinis copia per flagella non fuit evocata, quæ tantum seri, quantum fluxioni sufficeret, in thoracem amandaret. Imo, si dicendum esset, quod serum, à cruore divisum, remanserit, cur non in singulis partibus corporis, iisque proximis, subsedisset, atque ita apertis manibus ac pedibus aqua & sanguis effluxissent? Licet enim singulæ corporis partes capacitatem thoracis non exæquabant: facile tamen id, quod sibi relictum, seri capere poterant. Tandem, quod primo omnium monstrandum erat, falso supponitur mixtura alicujus sanguinis & seri vitiosi, cum aqua & sanguis, separatim fluentia, fuerint.

§. 6. Multo minus autem ferenda est Honofrii Maneschal, Hispani, Didaci Nuguez & Antonii Santorelli conjectura, qua vitio alimentorum mali succi, & noctium, quas insomnes egit Servator, auctum serum suspicentur. Non enim in solo pervigilio subsistunt: nec voracitatem Christi, ad supplicium mox abripiendi, probare queunt. Pessime vero ab aliis è cerebro seri producitur origo, quod cerebrum nullus unquam mortalium magis, atque hic, sanum habuerit.

§. 7. Unde etiam purissimus ipsi fuit sanguis, nullo humorum vitio turbatus aut commaculatus vel minimum. Ea enim de causa, quando, subinde per angores animi revoluto sanguine, tandem guttæ destillabant, ipse purior sanguis, non alius quispiam humor penetrabat poros. Et qui, quæso, alius, quam purissimus esse sanguis Christi potuit? Nam massa corporis ejus ex ipsa nativitate, Sp. S. superveniente & obumbrante Mariam, fuit sanctificata, & sancta etiam nuncupata, ab Angelo Luc. 1:35. & audiebat ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν Ebr. 7:26. Nimis propterea aberrat à scopo Bartholinus (q), dum effecti à dolore humoris copiam probat exemplo eorum, qui ex vulneribus, ulceribus & contusionibus sanie abundant, & pleuritico laborant morbo: speciatim vero exemplo viri Patavii, à se dissecti, cui diaphragma inflatæ crumenæ specie, vi aquarum, propendit; & pueri Parisiensis, cujus, post fata aperto cadavere, medius venter viridi aqua repletus inundavit. Christus enim in carne quidem similis, sed peccato, horum effectuum causa principe, dissimilis nobis existit, dicente Petro Dresdensi.

§. 8. Deinde corpus Christi ab omni corruptionis specie liberum fuit, ex prædictione ipsius Messiæ, per Davidem, Ps. 16:10. & confirmatione Petri, Act. 2:28. Ubi nequicquam facit notio διαφθορᾶς, pro שחת, corruptionem quamvis designante, posita: Nam & apud Græcos, nec non Latinos composita pro simplicibus haud raro usurpantur. Unde in fumum abit Heinsii (r), à Bartholino recepta distinctio, qua φθορὰν facit solutionem animæ & corporis, quam sequatur partium & humorum resolutio: διαφθορὰν, quum corpus sic consumitur, ut sola ossa remaneant; & καταφθορὰν, quum ea quoque dissolvuntur; & ex his primam speciem Christum fuisse expertum, adstruit. Præter id enim, quod probatæ fidei auctorum usu non confirmatur, disting. est inter mortem naturalem, & præternaturalem, s. violentam. Mortem ex caussis naturæ corruptæ natam comitari sanguinis & humorum depravationem, dubium penes neminem est: Secus autem fit, quando morte violenta quis obit. Illam enim sequitur demum, non antegreditur aut concomitatur humorum corruptio. Hæc vero quia exultat ab hominibus, in peccatis natis; verius multo de sanctissimo inter homines, Christo, neganda venit. Propterea mortem oppetiisse Christum, credendum equidem: illam autem, tanquam ex vitiosa qualitatum pugna non ortam, corruptionem vocari debere, aut posse, tenendum non est. Sed nec intererat humanæ salutis, ut, qui à corruptione æternum duratura nos vindicandos sibi sumpserat, sanctissimum suum corpus huic malo per tempus subjiceret, quo mediatore sanctificata corpora æterno exitio subtraherentur. Etenim, talis interitus, quo corpora nostra putredine tandem exedenda forent, nos non mansit ob peccatum; sed cruciatus, in igne inextinguibili, æterni, durante corporis compage, & vermis conscientiæ non intermoriturus Esai. 66:24. Cui accedit, quod, si Christus omnes peccati pœnarum species experiri necessum habuisset, à multis non essemus liberati. Sic urendi adhuc foremus infernali igne, quia igne ustulatum fuisse Christum nullibi legimus; Eodem modo justis etiam morbi adhuc pœnæ essent peccatorum, quos, quoad speciem non sustinuit Redemptor noster. Sufficit in ipsum conjecta fuisse omnia nostra peccata & languores, & disciplinam pacis fuisse super eum, ut livore ejus sanaremur Es. 53:4, 5. 6. ac per eum quoque omnia Diaboli opera destructa esse penitus 1 Joh. 3:8. Sit igitur antiquum malum, ut diffluant in cruce suffixi, & τὰς σάρκας ἀπολύωσι: modo ne, omni vitio & macula vacuo, corpori Christi accidisse dicatur.

(q) *Loc. cit. p. 167.* (r) *In Exerc. sacr.*

§. 9. Postremo etiam Servator noster ne ullo quidem tentatus fuit morbillo, nedum ut singulis corriperetur in specie, vel aliquibus tantum illorum. Nullus Euangelistarum quicquam istius denarrat, solatio cæteroquin suavissimo delinituri mortales, & potissimum morbis lecto affixos: Id quod nec facere poterant, cum impossibile esset, eum experiri morbos, apud quem nulla morborum reperiebantur semina. Non ergo sibi constat distinctio Bartholini *inter dispensationem miserationis, & privationem potestatis aut sanitatis*: quia, si libuisset Christo per dispensationem fieri morboso, sanitate privari omnino habuisset necessum, quod ἄτοπον. Mors autem, quam subiit miserator, & sudor sanguinis, morbi nullas constituunt species; nec in exemplum vocari debent.

§. 10. Quamobrem, relicta suis Auctoribus hac sententia, ex corde, sanguinis officina, pericardio clauso, sanguinem & aquam hanc controversam derivamus. Deducimur eo significantiori verbo νύσσειν, ab Euangelista usurpato Joh. 19:34. & à Syro per מנא, & Arabe טען, non levius ac brevius vulnus notantibus, reddito, ut supra dictum (s). Favet quoque petulans militis ausus, & periculum de morte faciendi propositum: nec non consuetudo veterum, qua in crucem sublatos aliis quibusdam suppliciis enecabant, inter quæ & confossio pectoris suum habebat locum. Adstipulantur tandem Patres antiquiores, & recentiores Ecclesiæ Doctores, ac præterea alii, haud infimæ eruditionis viri. Cyprianus (t), *Christum hoc vulnere amisisse, quicquid in corde resederat sanguinis*, auctor est. Prudentii verba cap. 1. §. 14. adducta sunt: Quos sequitur Brentius (u), Gerhardus (x), Dorscheus (y), Dannhauerus, & alii. Graviter quoque in Pentagono B. Hulsemannus dixit: **dennoch aber ist daher nicht zuvermuthen / ob hette der Kriegsknecht den allerheiligsten Leib unsers Erlösers / nur etwa durch die Seite verwundet / und das Hertz / Leber und Lunge / Miltz und Magen nicht verletzet / sondern es ist zuvermuthen / daß er habe mit gantzer Macht angesetzet.** Vetus Ecclesia canit:

Dulcis hasta latus Dei
Te replevit sanguine:
Dulcis mucro per cor Dei.
Volvitur in flumine

Et alibi: *Si cor habes maculatum*
Inspice vulnus tam latum,
Cordis ejus, illinc fluit
Unda, quæ sordes abluit.

Plura brevitatis studio non adducam. Expendatur modo, quod sanguis ex corde, & aqua ex pericardio apte deduci potuerit, non tamen sine miraculo. Quæritur hinc

IV. *An fluxus sanguinis & aquæ miraculosus fuerit?*

§. 1. NEgant Calvinus (z), Beza (a), Goclenius (b), Perkinsius (c), & Bartholinus. Sed rectius affirmant Ambrosius (d), Nazianzenus (e), qui verbo θαυμασῶς usus est, & Theophylactus (f), qui ait: *Judæi etiam mortuum corpus contumelia afficere conantur, sed contumelia illis in miraculum vertitur*: Gerhardus (g) etiam, Meisne-

rus

(s) *Cap. 1. §. 2. 15.* (t) *De dupl. martyr.* (u) *Enarr. in Johann.* (x) *Harm. pass. pag. 876.* (y) *Sept. ad mir. p. 346. in χειροσοφία.* (z) *Comm. in h. l.* (a) *Homil. 35. p. 907. in prodr.* (b) *Lexic. Philol. pag. 112.* (c) *In serie caus. sal. & damn. p. 20.* (d) *Tom. 1. oper. cap. 18. & in explic. Symb. pag. 669.* (e) *Tract. cit. p. 36. 201.* (f) *In cap. 23. Luc.* (g) *Comm. in h. l.*

rus (h), Paulus Tarnovius (i), Himmelius (k), Dannhauerus (l), qui singuli miraculis, mortem Christi insecutis, ultimum hoc annumerant.

§. 2. Et id juste faciunt. Cur enim Johannes dixisset c.19: vers. 35: Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, καὶ ἀληθινὴ αὐτοῦ ἐστιν ἡ μαρτυρία, κακεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει, ἵνα ὑμεῖς πιστεύσητε, nisi ut fidem miraculo isti, inaudito antea, conciliaret.

§. 3. Adde quod sanguis in corde, & aqua pericardio comprehensa, ob exiguam copiam fluere non potuisset, nisi miraculo divino adauctus fuisset uterque liquor. Hoc Damascenus & Augustinus subodorati *aquam à Deo genitam* pronunciant: ut ita tam in substantia, quam in fluxu, qui prorsus præternaturalis, miraculum constituatur. Interim, quia & hunc dubium reddidere quidam, quæsitum fuit porro

V. *An distinctim fluxerit sanguis & aqua, an vero confuse?*

§. 1. Posterius cum Francisco Luca Burgensi (m) adstruit Bartholinus (n), ac Cyprianum sensisse ex libro de montibus Sion & Sina affertur, ubi dicat: *Percussus in latere lancea sanguis, ex aqua mixtus, profusus fluebat, unde sibi Ecclesiam sanctam fabricavit.* Sed Bellarminus (o) recte judicavit, librum non esse Cypriani, quia stylo ipsius haudquaquam conveniat. Et ipse S. Pater (p) dicit, diversis limitibus sanguinem & aquam emanasse.

§. 2. Conjungunt se his illi, qui solius tantum sanguinis faciunt mentionem, admixtam, credo, sanguini aquam existimantes. Est inter hos Chrysostomus: Τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὂν, inquiens, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν: Hieronymus, *Caro*, ajens, *quæ crucifixa est, & sanguis, qui militis effusus est lancea*: & Barnabas, Sancti Pauli comes, in epistola Catholica, quam Parisiis Hugo Menardus, & cum variis codicibus collatam, edidit Isaacus Vossius, ita dicens: ὅταν ἐκ ξύλου αἷμα στάξῃ. Nisi tamen Synechdochica locutione, alterutra parte solum posita, illos fuisse usos asserere malis.

(h) *Harm. pass. pag.* 878. (i) *Christo l. disput.* 38. *pag.* 492. (k) *Commentar. in h. l. quæst.* 3. (l) χριστοσοφ. *pag.* 241. (m) *Commentar. in Johann.* (n) *Loc. cit. cap.* 14. *pagin.* 192. (o) *In Catal. script. Eccles.* (p) *Sermon. de pass.*

§. 3. Verius autem longe cum Cypriano statuit Nazianzenus, seu, Apollinaris Laodicenus, auctor Tragœdiæ, χριστὸς πάσχων, cum inquit:

πλευρᾶς νενυγμένης τὸ θαυμαστὸν ὕδωρ
ἔσταξεν εὐθὺς, αἷμα τ' οὐ πεφυρμένον.

Quos sequuntur Lutherus, Gerhardus, Meisnerus, Paulus Tarnovius, Hunnius, Casaubonus & Dannhauerus, dum distincte, discriminatim, duobus κρουνοῖς, & distinctis quasi metis ac limitibus fluxisse divinos liquores, uno affirmant ore.

§. 5. Fallit proinde Bartholinus, quum fluxum istum sanguinis & aquæ per conjunctionem καὶ, redditam ab Arabe & Persa per Vau copulativum, ad idem punctum & momentum temporis restringit, adducto ex Genes. 1: 1. exemplo השמים ואת הארץ, ut evincat confuse profluxisse miraculo genitos liquores. Istud enim exempli non probat, quod ipse intendit. Unde particulæ huic novam, & Ebræis incognitam, affingit, significationem. Hoc quidem verum est, quod particula Vau celeritatem temporis designet, & simulatque confestim, statim, significet Genes. 3: 5. Exod. 17: 11. quod idem præstat καὶ Matth. 13: 22. observante Hugone Grotio: Ast, quod, præter vim conjungendi & copulandi, confusionem inferat, nullo idoneo demonstratum est exemplo. Addo porro, τὸ εὐθὺς, in contextu Euangelistæ, neutiquam ad αἷμα, sed ad præcedaneum facinorosi militis actum, esse referendum, ut statim, post exactum mucronem, insecutus fuerit sanguis & aqua.

§. 6. Uter autem liquorum prior exiverit, à Johanne definitur cap. 19: 34. Inverterunt hunc ordinem Ambrosius, Hieronymus, Damascenus, Ruffinus & Tertullianus, religioso ausu, ob mysterium baptismi. Melius tamen facit Nonnus cum Johanne dicens:

πρῶτα μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα πεθέσκελον ὕδωρ.

חושלבע

NIC. RICHTER

DISSERTATIO

De Instauratione Regni Israelis ad Act. I: 6.

PROOEMIUM.



Quanta plurimis S. Codicis interpretibus circa πολυθρύλλητον S. Pauli Dictum Rom. 12: 11. comm. ult. intercedit discordia, dum alii stantes Auctoritatibus 1. vetustissimorum Codicum (a), 2. multarum Versionum (b), 3. plurimorum ex Scriptoribus sic legentium (c): τῷ κυρίῳ δουλεύοντες, *servientes Domino*, retinere malunt, alii Rationi magis, ut putant, innixi, habito ad connexionem Textus, imprimis ad verba vers. 5. *gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus*, respectu, nec destituti quorundam consensu interpretum (d). τῷ καιρῷ δουλεύοντες, *servientes tempori*, legi amant; tanta sane ipsos inter quoad Moralia, ex utraque lectione profluentia, datur concordia, dum *& Deo, & tempori serviendum esse* unanimiter concedunt. Cujus moniti membrum prius, quod nos Deo servos mancipat, prouti extra controversiam positum est, ita posterius etiam, quo tempori servire jubemur, in sano suo si adhibeatur usu, Christianismo non adversum, sed multi varia potius Christi, Apostolorum atque venerandæ Antiquitatis praxi corroboratum esse, negaturum facile neminem speramus. Salvatoris, ejusdemque Discipulorum praxin,

(a) *In N. Test. Oxon. è Theatr. Scheldon. recensitorum.* (b) *Syriaca, Arab. Æthiop. Vulgata. &c.* (c) *Clement. Al. Basil. M., Hieron. Chrysost., Theophyl., Pontificiorum fere omnium. Beza etiam atque Curcellai, &c.*

(d) *Comm. in Epp. Paul. Lib. V. Opp. Ambros. pag.* 230., *adde Erasmum, B. Lutherum, Calvinum, &c.*

praxin, quippe in Codice S. satis obviam, ut pluribus non urgeamus, sufficiat paucis vel attendisse summam antiquæ Patrum Ecclesiæ, qua tempori inservire alloborarunt, prudentiam, utpote quam ipsorum non tantum facta, ut Dionysii Alex. Gregorii Thaum. & ipsius Cypriani æstuante persecutione *secessus*, verum etiam verba, s. Conciones ad populum habitæ, (qualium CCLVI, à variis, ut vult *Cave* (e), conscriptæ, *Augustino* (f), aliquot etiam *Ambrosio* (g), vulgo attribuuntur, quæ peculiari inde *Sermonum de tempore* titulo insignitæ fuere, quia & temporibus, vel solemnitate quadam, vel singulari quodam omine, facto, s. miraculo, illustribus, habebantur, & Oratores ipsi in compositione sermonum Deo, temporique, adeo serviebant, ut seposita ordinarii textus vel lectione, vel minimum explicatione, thema tractandum Auditorio, non sine ingenti ejusdem pro more Seculi externis etiam gestibus significato applausu commendarent,) satis abunde testantur. Quæ cum dicto sese modo habeant, perpetuaque cujuscunque prudentis observatione indies corroborentur, tenuitati etiam meæ, de convenienti Disquisitionis cujusdam materia cogitanti, illud *J. C. Scaligeri* (h),

Rerum (inquientis) *satagit pectore provido suarum,*
Non qui omnia fugit, vorat, occupat, sed ille,
Qui temporibus, quique locis caute obsecundat,

in memoriam revocarunt, non ut alicujus excitandi applausus spe mihi sic applauderem, verum aliquo saltim modo nauseæ, & reprehensioni delicati nostri ob abundantiam seculi obviam irem. Incidi proinde in modernorum catervas novaturientium, qui, nescio quo afflati spiritu, præter alia universæ fidei analogiæ è diametro contraria, plurima quoque absurda de subsequentium fatis temporum divulgant. Horum vero indoles cum alia non sit, quam quæ olim jam descripta fuit *Tertulliano* exclamanti (i): *mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de arbitrio suo ea composuit ille, qui tradidit*, operæ me facturum pretium ratus sum, si non una simul acie Separatistas illos, mutua invicem discordia separatos, aggrederer, tum, quod infinitæ res futura esset molis, tum, quod ab aliis idem saxum vice plus simplici jam sit volutum,) verum speciali potius themate, ex *Actor.* 1: 6. paulo plenius diducto, primariam quandam illorum hypothesin, vel aliud quasi agendo; infringerem. Dictum vero jamjam commemoratum cum ejus omnino sit generis, cujus aliquot B. *Joh. Tarnovius*, Theologus quondam Academiæ hujus Celeberrimus, collegit (k), i. e. *quod quidem in Scriptura habetur, sed non eo, quo vulgo accipitur & citatur, sensu*, non possum non, quin coronidis loco cum *Fulgentio*, sicut & laudatus fecit *Tarnovius* (l), Deum Ter Opt. Max. supplici venerer prece, *ut ipse, cujus verbum est Veritas, quæcunque salubriter scienda nescio, doceat me, in his, quæ vera novi, custodiat me, in quibus veris titubo, confirmet me, & à falsis ac noxiis eripiat me, ut in cogitationibus & sermonibus meis, quod salubriter donat, inveniat, & ea faciat de ore, (vel corde meditantis, ac calamo scribentis) procedere, quæ sint coram ipso principaliter grata, & sic fiant fidelibus cunctis accepta.*

(e) *Histor. Lit. Script. Eccles. pag.* 177. (f) *T. X. Opp.* (g) *T. III. Op.* (h) *Epid. Lib. IV. Tit.* Temporis Dominus. (i) *Præscript. adv. Hæret. f.* 111. *Ed. Basil.* (k) *Exerc. Bibl. L. I. Cl. II. p.* 200. (l) *l. c. Cl. IV. Exerc. I.* 439.

§. I.

Tractationis cujuscunque anima cum sit Methodus, ipsa rei postulabit necessitas, ut ordinis nobis præscripti leges L. B. sub ipsum statim Disquisitionis initium indicemus. Scilicet animus quia fert *Exegeticam* in præsentiarum Dubii hujus Biblici satis vexati communicare Tractationem, (Parte ejusdem Porismatica commodiori reservata occasioni) vestigiis insistemus, (quantum per ingenii tenuitatem concessum erit,) *Augusti* Lubecensium Theologi, *Magnifici atque summe Venerabilis D. D. Pfeifferi*, cum ipso a) 1. Dictum, addita 2. Paraphrasi, 3. Quæstionem ex præmissis formatam, 4. variantes aliorum sententias, ordine recensendas, 5. Decisionem, s. Sententiam nostram, & denique 6. Probationem hujus sententiæ nostræ, consideraturi.

§. II. Dictum, ex Actor. 1: 6.

Οἱ μὲν οὖν συνελθόντες ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες, Κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ;

(a) *In Dubiis vexatis.*

Illi igitur convenientes interrogabant eum, dicentes: Domine, si in hoc ipso tempore restauras Regnum Israeli?

§. III. Quibus *essentialibus duabus & perspicuis*, Celeberrimus Wittebergensium Exegeta, B. *Wolffg. Franzius*, omnem S. Scripturæ interpretationem absolvendam esse docuit, *regulis* (b), quarum altera requirit *ipsam notitiam Scripturæ in lingua sua quoad voculam & phraseologiam nativam*, altera *omnium, qui Textum aliquem sacrum antecedunt & consequuntur, versuum aut capitum considerationem & collationem*; illas & nos in præsentiarum, si accuratam Dicti nostri Paraphrasin formare velimus, ut adhibeamus, necesse est, veneraturi etiam sic monitum *Hieronymi*, magno his verbis zelo editum (c): *prudentem semper admoneo Lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed consideret* priora, media, & sequentia, *& nectat sibi universa, quæ scripta sunt.*

§. IV. Ipsa igitur Dicti nostri Antecedentia ut expendamus diligentius, cum ipso mox *Actorum Apostolicorum* initio nobis eadem sese insinuare, & connexionem per modum repetitionis cum ultimis Evangelii Lucæ verbis constituere, notamus. Hunc enim in modum S. Lucas, (scribendi sane, quam pingendi arte præstantior, quippe *cujus sermo tam in Evangelio, quam in Actibus Apostolorum, comptior est & Seculorum redolet eloquentiam*, ut *Hieronymus* loquitur (d), & Medicus verborum æque ac herbarum peritissimus, cujus *omnia animæ languentis medicina esse* dicuntur laudato (e) Patri,) gratificaturus præ aliis in specie Theophilo, (Viro Dignitate quadam eminenti, ceu omnium fere recentiorum cum pluribus ex antiquioribus fert sententia, rejectis aliorum, qui appellativam significationem, *Amorem DEI*, s. *Amantem DEI* sonantem, contendunt,) Historiæ Apostolicæ ex inspiratione divina format initium: illum primum quidem sermonem (librum, ita etiam Cicero Xenophontis λόγον οἰκονομικὸν *librum Oeconomicum* interpretatur,) feci (scribendo, qui agit) de omnibus (non in specie, sed in genere sic dictis, potissima scilicet *eligendo de omnibus, unde faceret sermonem, quæ judicavit apta & congrua sufficere officio Dispensationis suæ*, ut habet Paraphrasis (f) *Augustini*,) quæ cœpit Jesus & facere & docere, (quæ & fecit Jesus & docuit, usitato, ut vulgo plurimi volunt, Hebraismo, vel, si mavis: *quæ circa propagandam Religionem Christianam incepit tantum Jesus vita atque Doctrina sua, ipsius vero, de quibus jam acturus sum*, (cape verba ex mente S. Lucæ,) *Apostoli ulterius deinde prosecuti sunt*, quæ est interpretatio *Celeberrimi Rostochiensium Chrysostomi, B. D. Heinr. Mulleri*, germanico suppeditata idiomate (g) quoad sensum Latine reddita,) usque ad diem, quo præcipiens Apostolis per Spiritum S. quos elegerat, (prouti ita plurimi legunt codices, quamquam & alii, *Sanctius* imprimis ac *Beza*, comma sic interpungant: *præcipiens Apostolis, per Spiritum S. quos elegerat, absque tamen*, ut judicat *B. Calovius* (h), *fundamento*, imo nec sine absurditate, cum ex ipsa vocum constructione hæc ipsa allata refellatur lectio. Si enim τὸ: διὰ πνεύματος ἁγίου ad: οὓς ἐξελέξατο pertineret, non dixisset: διὰ πνεύματος ἁγίου οὓς ἐξελέξατο, sed: οὓς ἐξελέξατο διὰ πνεύματος ἁγίου. Prior enim constructio nullibi invenietur.) sublatus est (in cœlos.) Quibus etiam (Apostolis, quorum jam in hoc versu, quasi in Parenthesi, accommodam subnectit descriptionem, certas quasdam circumstantias, statum eorum repræsentantes, insinuantem,) præstitit se ipsum vivum post passionem suam multis signis (veræ vitæ, verique corporis,) per quadraginta dies, (à resurrectione usque ad Ascensionem prærlapsos,) conspectus ipsis (decem, ut sollicite enumerat Augustinus (i), apparitionibus, non subitaneis, sed per tempus aliquod sat longum durantibus,) & loquens (informans) de Regno DEI [Gratiæ s. Dogmatibus Religionis, quomodo etiam illorum quædam sub finem primi hujus libri tibi, mi Theophile, ex parte jam communicavi.]

§. V. Et hæc Evangelistæ hactenus nostro Procemialia fuere. Jam ipsam aggreditur Tractationem, declarando sub initium ejus à vs. 4-14. fusius ea, quorum jam prægustum aliquem sub finem Libri primi Theophilo suo fecerat, quæ nimirum die ascensionis Domini contigere. Ad illud enim tempus

(b) *Intepret. S. S. Scriptur. P. I. p.* 19. 48. (c) *Comment. in Matth.* 25. *p.* 74. *T. IX. Ed. Basil.* (d) *Comm. in Esai.* 6. *p.* 30. *T. V. Ed. Bas.* (e) *In Ep. ad Paulinum circa fin.* (f) *L. IV. de Consensu Evang. cap.* 8. *pag.* 528. *T. IV.* (g) In der Apost. Schluß-Kette / *Conc. in adscens. Domin.* (h) *In Bibl. Ill. in h. l.* (i) *Libro III. de Consensu Evangel. sub fin.*

pus non incongrue ab accuratis Scripturæ S. Interpretibus ea, quæ C. ult. Evang. Lucæ à vs. 44. usque ad finem habentur, referuntur, cum *hoc pacto, ut tempus & locum non annotent, sæpe continuent Evangelistæ narrationem rerum, quæ diversis temporibus, —— simili prorsus modo Lucas quintæ apparitioni* (factæ undecim Apostolis congregatis eo ipso die, quo Dominus resurrexit, absente Thoma) *annectit, quæ in aliis quarum tempora non annotavit, dicta fuerunt*, ceu accurate satis hoc in passu observavit *Georg. Calixtus* (k). Si quis autem hæc ultima fere Evangelii Lucæ à vers. 44-49. omnino cum B. *Gerhardo* (l), aliisque plurimis, ob connexionem verborum Textus, ut apparet, indivulsam, ad quintam, Apostolis absente Thoma factam, referri velit apparitionem, is ad minimum sane vi connexionis & harmoniæ in Actis obviæ, nobis mox perpendendæ coactus, eadem hoc ipso Ascensionis die à Christo, pro more ipsi haud inusitato, quemadmodum urget, pluribus etiam egregie demonstrat exemplis (m) *Summe Reverendus Dn. Sandhagen*,) repetita, atque ita etiam optime ab Evangelista in Actis, ubi circa hoc ascensionis tempus versatur, commemorata fuisse concedet. Sic autem Lucas (ut propius ad eum accedamus) pro scopo nostro occasionem Dicti nostri, quæ est præceptum Christi ultimum, Apostolis suis traditum, cujus jam vs. 2. mentionem injecisse videtur, vs. 4. & 5. prosequitur: Et conveniens (Christus cum Apostolis suis hoc ipso die, quo sublatus est,) annunciavit eis (mandando,) ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audivistis à me, (ante passionem jam prædicatam (n) & in hoc consistentem:) quod Johannes quidem baptizaverit aqua, (cooperante efficacissime Spiritu S.) vos vero baptizandi sitis in Spiritu S. (visibiliter in collatione donorum ineffabilium sese ex serente. *βαπτίζειν enim est mergere. Vere igitur Apostoli dicuntur βαπτισθῆναι, quia domus, in qua hoc factum est, Spiritu S. fuit repleta, ut in eam, tanquam in κολυμβήθραν quandam Apostoli demersi videantur*, ceu eleganter alludit (o) *B. Gerhardus*,) non post multos hosce dies ab Ascensione mea.)

§. VI. Atque ita Antecedentia Dicti nostri, quam maxime pro vera hypothesi stabilienda facientia, non absque ratione, ut opinor, produximus; excipiat illa dictum ipsum, sistens interrogationem, de præcepto jamjam vers. 4, 5. suppeditato, subsequentem in modum: Hi igitur convenientes (circa ascensurum Christum) interrogabant eum, dicentes: *simul coëunt ad interrogandum*, omnium nomine, unius tamen vel alterius voce, *ut pudore quodam ac reverentia multitudinis, quod scire desiderant, extorqueant*, liceat ita cum *Chrysostomo* (p) de illis loqui,) Domine, *(desiderabant diem cognoscere, eoque multo cum honore adeunt*, (utor denuo verbis Chrysostomi l. c.) minime tamen, ut differentiam indicent *Dominum* inter & *Magistrum*, ut annotavit *Alph. Salmero* (q) sic concludens: *ante passionem communiter Magistrum vocabant, post resurrectionem vero plus reverebantur & ut plurimum Dominum appellabant: nisi quod Maria perturbata dixit: Rabbuni, unde & repulsam tulit, audivitque: noli me tangere*. Quæ cum pudendam ejus in lingua sancta ignorantiam, & manifestam simul absurditatem arguant, ulteriorem non merentur refutationem.) Si (anne, sensu interrogativo, & Hebræis in vocula אִם (r), & Latinis in particula Si (s), haud inusitato,) in hoc ipso tempore, (quod modo nobis definis, non post multos hosce dies, ubi in Spiritu S. baptizabimur, eo ipso momento. *καιρὸς quippe*, ut loquitur *Augustinus* (t), *appellant Græci tempora quidem, non tamen, quæ in spatiorum voluminibus transeunt, sed quæ in rebus ad aliquid opportunis, vel importunis sentiuntur, sicut messis, vindemia, calor, frigus, bellum &c. χρόνους autem* (quæ eadem Textus nostri vox est) *ipsa spatia temporum, per annos, menses, dies, horas, atque momenta definita, vocant*,) restauras (restaurabis, Præsens pro Futuro, constructione Græcis familiari, ad certitudinem rei futuræ indicandam, ut annotat B. *Glassius* (u), vel etiam: *efficies, ut sit in suo recto loco & statu*, interpretante (w) *Lud. de Dieu*,) Regnum (Gratiæ, de quo hactenus nobiscum locutus, cujus & modo necessarium nobis commendasti requisitum,) Israeli (Ecclesiæ Judaicæ, nunc collapsæ, sed iterum colligendæ & accessione gentilium augendæ.)

§. VII. Cum denique Consequentia Dicti non parum sententiæ nostræ fœneratura sint lucis, & illa inpræsentiarum breviori pro Regulæ nostræ tenore subjicere Paraphrasi non pœnitebit. Constituent autem hæc responsum Christi, ad interrogationem immediate antecedentem, hoc modo suppeditatum: Dicit vero ad illos: [convenientes, eumque interrogantes,] non est vestrum (vobis neque competit, neque expedit) cognoscere (exacte. Vocabulum enim hoc γνῶναι, ut vult *Edv. Leigh* (x), non indigitat *nudam & simplicem notitiam, sed affectivam, cum desiderio, approbatione, & dilectione conjunctam*; & *B. Gerhardus* (y): *significat vere, certo, & solide cognoscere*,) tempora præcise definita & opportuna, (restaurationis hujus Regni Israelis) quæ Pater posuit (prædestinavit, quemadmodum hæc vox τίθημι nonnullis in locis (z) hoc adhibetur sensu,) in propria potestate. (libertate. derivatur enim ἐξουσία ab ἔξεστι licet, *& proprie significat libertatem agendi pro lubitu*, ceu animadvertit *Leigh* (aa). *Quando hominibus tribuitur*, [ut adhibeamus observationem B. Gerh. (bb),] à δυνάμει *h. m. distinguitur; quod ἐξουσία significet licentiam, & potestatem, δύναμις autem robur, vires & potentiam. (Sic Pontifex R. habet δύναμιν vexandi Ecclesias Lutheranas, ἐξουσίαν non habet*, quomodo hoc nobis suppeditat exemplum (cc) *B. Meisnerus.*) *Quando de DEO vox ἐξουσία usurpatur, tunc à δυνάμει plane non sejungitur.* Est autem hæc locutio Christo familiaris, qua arcanas dispensationes ad Patrem referre (dd) solitus est.) Sed [satis est vobis in genere scire, quod] accipietis virtutem [efficaciam, dona] supervenientis in vos Spiritus S. [modo & tempore supra dicto, visibiliter nimirum, non post multos hosce dies, *magna violentia & virtute*, quippe quam significationem vox ἐπέρχομαι *supervenire inclusam habet*, annotante *Leigh.* (ee), *raroque usurpatur in N. T. verum ubi denotat magnas vires & donum aliquod multo majus illo, quod antea datum erat, s. potius additionem quandam ad donum antea datum*, Luc. 1: 35. 11: 32. Ephes. 2: 7.] Et [quod] eritis mihi testes [doctrinæ & rerum à me gestarum] Hierosolymis, & in omni Judæa, [primo itaque inter Judæos] & in Samaria, [deinde etiam inter Gentiles] & usque ad ultimum terræ [per totum terrarum orbem, ad restaurandum regnum Gratiæ.]

§. VIII. Absoluta itaque Dicti nostri *Paraphrasi* sic, ut illud tantum simpliciter, quomodo nuda ejus verba in se & in connexione cum *Antecedentibus* & *Consequentibus*, sese habeant, consideraverimus, Quæstionem exinde, quæ Controversiæ statum, h. e. illud, de quo, & quomodo in præsenti potissimum quæratur, & quid præcise ad disputandum proponatur, exhibebit, ad methodum magni *Pfeifferi*, quem sequimur, deducere licebit sequentem:

Utrum, qui Christum interrogabant: an restaurabis hoc ipso tempore Regnum Israeli? vel Regnum aliquod Potentiæ, specialiter sic dictum, s. mundanum, vel Gratiæ s. spirituale, vel Gloriæ, s. cœleste, à Christo Israeli restaurandum intellexerint?

§. IX. Formato jam Quæstionis controversæ statu, porro secundum Methodum nostram, exigua adhibita animadversione, *ut & natura & consuetudo* ingenii cujusvis *fert, libere: sed ea tamen moderatione servata, ut imminutam esse à me dignitatem suam nemo conqueri possit, nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet*, [loquor cum cultissimo *Mureto* (ff), qui tamen ipse & se, ut obiter hoc moneam, errare & ignorare potuisse, luculento satis specimine probavit his verbis (gg): *scribit enim* [*Germanus ille.* Erat autem is *Casselius*,] *ad me Rostochio, cujus ego oppidi nomen nunquam antea audiveram, neque, ubi terrarum sit, scio*,]

Variantes Dissentientium sententias

in medium producemus.

Eee 2 §. X. Illæ

(k) *Concord. IV. Evang. L. VII. c. 7. sub fin.* (l) *In Harm. T. II. P. II. pag.* 2258. (m) In der kurtzen Einleitung der Geschichte unsers Herrn Jes. Chr. v. der Heilig. Apostel. (n) *Joh.* 14: 26. 15: 26. (o) *Harm. T. II. P. II. pag.* 2257. (p) *Hom. II. in h. l. pag.* 459. *T. III. Ed. Basil.* (q) *Comment. in h. l. T. XII. pag.* 31. (r) *Leigh. Crit. S. P. I. pag.* 9. *P. II.* 90. (s) *Leusden. Clav. Gr. pag.* 282. *B. Heinr. Mullerus in Jesu Pat. pag.* 33. (t) *Ep.* 78. *ad Hesych. sub in T. II. Opp.* (u) *Phil. S. L. III. Tr.* 3. *Can.* 48. *n.* 2. (w) *Comm. in IV. Evang. ad Marc.* 9: 12.

(x) *l. c. P. II. p.* 65. (y) *Harm. ad* 1 *Joh.* 2: 1. (z) *Joh.* 15: 16. *Actor.* 13: 47. 1 *Thess.* 5: 9. (aa) *l. c. P. II. pag.* 1 : c. (bb) *In Harmon. in h. l.* (cc) *In Christol. Disput.* 43. §. 16. (dd) *Matth.* 20: *vers.* 23. *Marc.* 13: *vers.* 12. (ee) *l. c. P. II. pag.* 112, 113. (ff) *Præf. Var. Lect. qua & L. II. Epp. Ep.* 8. (gg) *L. I. Epp. Ep.* 51.

§. X. Illæ autem commode in duas dispesci poterunt *Classes*, quarum *altera* eas exhibeat, quæ, Christum interrogantes *de restauratione Regni Gloriæ s. cœlestis*, *ab ipso in extremo judicio suscipienda*, *tantum quæsivisse*, vel *implicite* & *per bonam consequentiam*, ut videtur, vel *explicite*, & *disertis verbis*, volunt; *altera* illorum suppeditet sententias, qui *Regnum aliquod Potentiæ*, *specialius sic dictum*, s., si mavis, *terrenum* & *mundanum*, vel *ex male informata interrogantium mente*, *& revera nullum*, ut plurimorum, vel *ex minime præconcepta Discipulorum opinione*, *sed ex ipsa rei veritate certo tale*, ut etiam nonnullorum est sententia, restaurandum, hic intelligi debere contendunt. Quæ omnes & singulæ juxta ætatis æque ac auctoritatis ordinem à nobis recensendæ erunt.

§. XI. *Priorem* itaque quod concernit *Classem*, & in illa quidem eos, qui *implicite* & *per bonam Consequentiam* statuere videntur, Quæstionem de *Restauratione Regni Gloriæ*, *in extremo judicio instituenda*, intelligendam esse, cum responsionem Christi v. 7. de extremo illo interpretentur die sunt illi *antiquæ Patres quidam Ecclesiæ*, ut (1) *illi*, *quorum meminit Origenes*, quando nihil asserendo aliorum sententiam h. m. protulit (hh): *Postea* (*post dispensationem impletam*, deposito Exinanitionis statu) *& Filius cognovit scientiam à Patre suscipiens etiam de die consummationis & hora*, *ut jam non solum Pater sciret de ea*, *sed etiam Filius*. *Et in Actibus quidem Apostolorum convenientes Apostoli interrogaverunt eum*, *dicentes*: *Domine &c. Ille autem dixit ad eos*: *Non est vestrum &c.*

(2) *Cyprianus*, qui ut Morale, sub capit. *subito venire finem mundi*, hæc duo dicta 1 Thess. 5: 2. & Act. 1: 7. Quirino suo (ii) commendat.

(3) *Epiphanius*, Constantiensis Episcopus, paucissimis mentem suam ita exprimit (kk): *non enim*, *quando constituta illa futura sint*, *cognoscunt*, (Angeli Marc. 13: 32.) *siquidem Pater in potestate sua tempora posuit.*

(4) Clarius Epiphanio hæc vers. 7. verba de supremo die accipit *Basilius M.* his verbis (ll): *Propter te & horam & diem Judicii ignorat. Quanquam cum in Evangeliis* (Marc. 13: 32.) *se ipsum adnumerarit ignorantibus propter multorum*, *ut dixi*, *infirmitatem*, *in Actis vero Apostolorum*, *tanquam perfectis seorsim disserens*, *per sui exceptionem dicit*: *vestrum non est &c.*

Nec (5) omittendus hic Basilii contemporaneus, *Ambrosius*, eodem fere tenore disserens (mm): *sed quærimus*, *qua ratione designare momenta noluerit?* (extremi judicii Marc. 13: vers. 32.) *Si quæramus*, *non ignorantiæ inveniemus esse*, *sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat. —— Unde alibi quoque ipse Dominus interrogatus ab Apostolis*: *—— quando restitueret Regnum Israël*, *non se nescire dixit*, *sed ait*: *Vestrum non est scire &c.*

Denique (6) *Augustinum* etiam aliquot locis (nn) eundem propugnare videmus sensum, in quibus tamen omnibus unice urget, versum septimum ad probandum locum suum communem: ne in temporibus ultimi adventus Dominici indagandis curiosi simus.

§. XII. Antiquioribus hisce *Recentiores* etiam *quosdam* adjungere possemus, è multis vero produxisse hic sufficiet B. *Waltherum* (oo), hunc versum septimum cum Jerem. 25: 11. 12. & Dan. 9: 25. sic conciliantem: *aliud ergo est*, *nosse tempora liberationis corporalis è captivitate*, *& spiritualis per Christum*; *aliud vicissim non nosse tempus Judicii & consummationis mundi*: *hoc Pater suæ potestati reservavit*, *illud credentibus manifestavit*; & B. *Schertzerum* (pp), eundem versum pro confirmanda hac thesi: *articulos temporis nosse sibi soli reservavit*, adhibentem.

§. XIII. Atque hi fuere, qui, dum versum septimum de extremo judicio interpretati sunt, dictum quoque nostrum, quod in versu sexto immediate illum præcedit, de eodem, atque ita *Regno quodam cœlesti*, intellexisse videntur. Cum autem per accommodationem potius, quam explicationem, ab illis proferri hæc forsitan potuerint; nonnulli etiam, quos deinceps videbimus, hoc non obstante, quod in vers. 7. ex ipsorum opinione extremi à Christo mentio injiciatur judicii, Dictum tamen nostrum *Regnum aliquod Potentiæ s. mundanum* præ se ferre voluerint, sub rigorosam adeo censuram prolata hactenus vocari nolumus, sed ad illos potius, qui *explicite* & *disertis* exprimunt *verbis*, quod interrogantes de *Regno Gloriæ s. cœlesti*, *Israëli sub extremum diem restaurando*, quæsiverint, nosmet convertimus.

§. XIV. Sunt autem illi *ex Patribus*

1. *Athanasius*, Alexandriæ Episcopus, accurate alias sic discurrens (qq), *Certe in Actis Apostolorum scriptum habetur*, *quando vehebatur ab Angelis*, *efferensque in cœlum*, *quam gestabat*, *carnem*, *quo tempore discipuli hoc intuentes* rursum *percontabantur*, *quando finis futurus esset*, *& quando ejus adventus exspectandus*, *diserte illis*, *& expresse locutus est*: *non est vestrum cognoscere &c.*

2. *Hilarius*, qui pro more suo, nimio in Christum amore, modum etiam hic excedens, scribit: *Ipsi* (Discipuli) *certe nunc post resurrectionem*, *de temporibus interrogant*, *quibus ante interrogantibus dictum est*, *ne Filium quidem scire*: *nec videri possunt secundum aurem intellexisse nescire Filium*, *cum ipsi eum*, *tanquam scientem*, rursum *interrogant.*

3. *Johannes*, excellens Constantinopoli Episcopus, (ab insigni, qua pollebat, facundia *Chrysostomus* cognominatus, i. e. *os aureum*, pro quo in seculis Barbaris, in specie ab Alexandro ab Ales *Osaurius* salutatus fuit,) pro duplici fine plus simplice vice hoc nostrum Dictum de extremi die judicii intelligens. Sic enim ille ut Moralista (rr): *properat animus noster —— maxime ad sciendum consummationis tempus. Et quid mirum si nobis hoc accidit? Ipsi namque Sancti illi omnium potissimum id perpessi sunt. Etenim ante passionem accedentes ad Christum Apostoli inquiunt*: *dic nobis*, *quando ista erunt? & quod signum est adventus tui*, *& consummandi seculi? post passionem vero*, *& resurrectionem ex mortuis*, *dicebant ad eum*: *dic nobis*, *an in tempore isto restituis regnum Israëli?* Ut Exegeta autem sequentibus (tt): *noverunt* (Discipuli) *quod prius dixerat*, *nemini cognitum esse diem illum*, *repellentis fuisse sermonem*, *non ignorantis*, *sed differentis responsionem. Unde rursus aggressi eadem percontantur.*

4. His etiam annumeremus *Theophylactum*, Bulgariæ Archi-Episcopum, accurate ab Orthodoxiæ nostræ Confessoribus (uu), licet in se minus recte, sub corrupto *Vulgarii* nomine citatum, *quia sub eo notior tunc erat*, *quam genuino*, (ceu loquitur, pluribus etiam egregie deduxit Cl. Dn. M. J. G. *Möllerus* (xx), Vir de elegantiori literatura, ut alibi, ita in hac Alma præprimis nostra longe meritissimus, mihique ob plurima in studia mea qualiacunque collata beneficia ætatem colendus.) Sic autem ille pro scopo dubio procul commentatur (yy): *supervacaneum autem est*, *& inutile*, *tempora & momenta consummationis novisse. Nam neque Apostolis hoc revelavit Dominus*, *quando accedentes ipsum rogarent.*

§. XV. Et hi fuere, quos ex antiquis pro hac stantes sententia in medium sistere volui, & potui, ex recentioribus denique, habito ad antiquiores illos respectu sic dictis, brevibus adhuc nominare licebit B. *Matthesium*, à B. *Calovio* pro hac opinione citatum (zz), *qui illam ex Christi responso probare conatur*, ut loquitur de illo B. *Gerhardus* (a); & ni fallor, B. *Chemnitium*, locum Marc. 13: 32. sic explicantem (b): *ergo quatenus legatus missus est*, *dicit se ignorare diem judicii*, *quia non habebat in mandatis*, *ut de ea in suo ministerio aliquid revelaret. Unde etiam Apostolis*, *tempora & momenta curiosius scrutantibus*, *dicit*: *non est vestrum* &c. Actor. 1: vers. 7. Qualia interim citati hactenus pro hac ipsorum circa dictum nostrum hypothesi argumenta producere possent, & quomodo ad eadem facile responderi queat, inferius §. —— comperiemus. Nunc ad *alteram Dissentientium sententiarum classem* progrediamur.

§. XVI. Illa jam sistet nobis eas, quæ, prouti §. X. dispescuimus, Dictum nostrum de *regno quodam Potentiæ*, *analogice & specialiter sic dicto*, Regno Potentiæ, in Scholis Theologorum sic appellato, *contradistincto*, vel potius *terreno & mundano*, explicant, & quidem eorum, qui illud tantum *ex falsa interrogantium hypothesi*, & *præoccupatis eorundem opinionibus*, minime

(hh) *Comm. in Matth.* 24. *p.* 153. *P.* II. (ii) *Testim. L. III.* Cap. 89. p. 87. Ed. Brem. (kk) *in Ancor. pag.* 27. *Ed. Pet.* (ll) *Ep.* 141. *p.* 929. *T. II. Ed. Paris.* (mm) *de Fide ad Gratian. L. V. p.* 111, 112. *T. II.* (nn) *Ep.* 78. *&* 80. *T. II. L. XVIII. de C. D. T. V. & Com. Ps.* 6. *init. T. VIII.* (oo) *Harm. Bibl. in b. l.* (pp) *Syst. Th. L. XXI. de extr. Jud.* §. 12. Transitio ad Part. II.

(qq) *Contra Arium Serm. IV. pag.* 169. *D. Paris. Ed.* (rr) *L. IX. de Trin. in fine pag.* 197. *Ed. Bas.* (ss) *Hom. IX. in* 1 *Thessal.* 5: *vers.* 1. *pag.* 375. *c. T. IV.* (tt) *Com. in Act. l.* 6. *Hom. II. pag.* 450. *T. III.* (uu) *in Apol. A. C. pag.* 157. (xx) *Add.* 7. *Diss. de Nomine Lutheri.* (yy) *Com. in* 1 *Thess.* 5: 1. *pag.* 700. *Ed. Bas.* (zz) *in Bibl. Illustr. in Act. l.* 6. (a) *in Harm. P. II. pag.* 1260. *b.* (b) *LL. Th. P. I. de Filio pag.* 62. *b.*

me vero *ex ipsa rei veritate certo tale futurum* hoc modo intelligi jubent. Prodeant itaque ordine suo, quos ex antiquioribus sic sentientes numero licet exiguo invenire potuimus, [cum excepto solo Chrysostomo vix Patrum quisquam in Acta Apostolorum ex professo commentatus sit,] & *primo* quidem loco *Auctor Quaestionum CXLVI & Responsionum ad Orthodoxos*, qui vulgo sub *Justini* M. nomine superbit, formata sequenti pro hac sententia quaestione (d): *si regnum Israëlis Apostoli putaverunt esse gloriam, & delicias, & laxamentum terrenum*, sicuti nonnulli dixere: *quare Dominus, de hoc ab illis interrogatus, non solum errorem illorum non correxit, verum etiam ignorantiam eorum adstrinxit, dicens illis: non est vestrum &c. porro responsum hoc illorum constabilit quaestionem*, hanc suppeditans responsionem: *& hoc ipsum ex eis unum est, quae ab Apostolis ante adventum Spiritus S. cognosci non potuerant. Hoc ergo: non vestrum est &c. speciem non habet per imprudentiam conceptam interrogantium opinionem confirmantis: sed in ambiguo interrogantes de utroque, & tempore scilicet, & modo opinionis conceptae relinquentis.* Verum haec datae à Christo ad ejusmodi male conceptam interrogationem Responsionis Apologia quam misere procedat, imo in Christi potius candorem, qui nunquam suos in errore, imprimis sub abitu suo, reliquisset, injuria sit, quilibet facile animadvertit.

§. XVII. Nos interim ἐν παρόδῳ ad haec notemus, quod, cum alias ab accuratissimis Criticorum, utpote B. *Gerhardo* (e), *Riveto* (f), *Coco* (g), *Cave* (h), & ex ipsis Pontificiis, *Possevino* (i), & *Bellarmino* (k), hunc ipsum Tractatum, vel ut plane supposititium, vel ad minimum quam maxime interpolatum, à *Justino* quodam *Siculo* sub fin. sec. V. ut mavult *Doodwellus* apud *Cave* l. c. conceptum, *Justino M.* attribui, variis optime probatum sit indiciis, idem illud etiam ex hac suppeditatae modo quaestionis solutione evidentissime appareat. Justinus enim M. ut summus Chiliasmi Patronus, qualem se probavit aliquot vicibus in Dialogo, cum *Tryphone Judaeo de Veritate Religionis Christianae* habito, avidissime hunc locum pro sua arripuisset sententia, [quemadmodum alios, huic sententiae de Chiliasmo addictos, id fecisse, deinceps videbimus,] neque opus habuisset, ut se ita torqueret in componenda Responsione Christi cum Discipulorum Quaestione. Nec est, quod *Joh. Langus*, *Vir Doctissimus*, ut audit *Valesio* (l), regerat (m): *hanc Chiliastarum opinionem, in Tryphone antea à se quodammodo approbatam, per recantationem h. l. evidenter reprobare Justinum*, cum 1. incertum ipsi omnino fuerit *Lango*, quem prius Justinus M. ex his duobus conscripserit Tractatum, 2. ipse Justinus nimis illum imbiberit errorem, sicuti videre est ex laudato Dialogo, ubi (n) *his verbis*: ego autem, & si qui rectae per omnia sententiae Christiani sunt, & carnis resurrectionem futuram scimus, & mille annos in Hierusalem instaurata, & exornata & dilatata, *omnes suo tempore Catholicos, in eo errore versatos, solosque haereticos ab eo alienos fuisse, testatur*; prouti illud ex hoc Justini loco pluribus doctissimus *Dallaeus* (o), [cujus ea minori typo impressa sunt verba,] deducere studet. Quod tamen ipsum, habito ad hunc proxime citatum Justini M. locum respectu, absolute ita & universaliter cum eodem Dallaeo asserere vix audeo, licet in se, & quoad rem ipsam, *universalem*, scilicet *Patrum errorem*, hoc Dallaei assertum adeo quid dissoni inferre haud videretur, cum plurimi quoque Nostratium *universalem fere s. communem plerorumque Patrum in errore nonnunquam consensum*, ad infringendam Syncretistarum aeque ac Pontificiorum de venerabili Patrum Quinque-Seculari consensu hypothesin, feliciter comprobarint. Ita B. D. *Dannhawerus* (p) aliquot affert *specimina universalis in errore consensus*, quod nimirum *angelos ante mundum conditos statuerit tota Patrum nubes*, & *Catholico gaudeat consensu Psychopannychia s. Lethargus animarum beatarum post hanc vitam.* Quo in ultimo producendo huic Praeceptori suo adstipulatur, contractioribus tamen aliquo modo pro nunquam satis laudanda sua modestia terminis, Praeceptor meus atque studiorum Promotor, submissa aetatem observantia colendus, *Magnificus atque Summe Reverendus Dn. Praeses* (q), addita eleganti cautela: *quod in uno ob imbecillitatem & nondum factam claram rei dilucidationem naevus est, id in alio ob pertinaciam & luminis claritatem haeresis esse potest.* Nec huic deest, quem pari observantiae cultu ut Praeceptorem atque Patronum Optimum veneror, & ad extremum venerabor, *Magnificus atque maxime Reverendus Dn. D. Schelguigius*, proferendo nominatim (r) ingentem Patrum numerum, qui hunc ipsum ultimum de Psychopannychia errorem calculo suo approbarunt; ut alios, v. g. B. D. *Dorscheum*, & B. D. *Varenium*, Celeberrimos quondam Universitatis nostrae Theologos, illum his (s): *quod fere omnes Patres statuant*, hunc sequentibus verbis (t): *tendunt haec in communem plurimorum Patrum sententiam*, idem illud indigitantes, prolixe hic adducam. Quid quod & ipsi Pontificii *universalem ejusmodi Patrum* statuant lapsum. Praeter illos enim, quos pro sua citavit sententia B. D. *Dorscheus* l. c. *Salmeronem* scilicet, *Maldonatum*, *Sixt. Senensem*, & *Alph. à Castro*, sic ait *Melch. Canus* (u): *Sancti* omnes, *qui in ejus rei mentionem incidere*, uno ore *asseverarunt B. Virginem in P. O. conceptam: & cum nullus Sanctorum contraiverit, tamen contraria sententia, & probabiliter, & pie in Ecclesia defenditur.* Ubi parum ipsum juvabit, quod ad servandam, quam (w) protulit Thesin: *Sancti* simul omnes in Fidei dogmate *errare non possunt*, regerat (x): *quod ea controversia* [de conceptione B. Virginis immaculata] *non sit ex illarum numero, quae Catholicam fidem aut promovere, aut immovere possunt*, cum non nisi Canus, & unus, aut alter Jesuita hoc tantum dicat. Si enim Controversia illa ex sententia Ecclesiae R. non esset de fide, cur ergo, teste *Salmerone* (y), *in celeberrima Parisiorum Academia*, [*cujus Academiae*, ut ipse scribit *Canus* (z), *de fide & religione fixa constantiaque decreta semper Christi Ecclesia suspexit*,] *nullus Magistri titulo dignus habetur, qui prius etiam jurisjurandi religione non se adstrinxerit ad hoc Virginis privilegium tenendum & propugnandum? quare impolluti illi & à peccatoribus segregati, nec falli nec fallere scientes*, [ut Bzovio (aa) audiunt] Pontifices, *Alexander VI. Julius II. & Leo X. ordinem quendam religiosum in honorem immaculatae conceptionis institutum confirmarunt & privilegiis ornarunt*, fatente Bellarmino (bb) Et, quod maxime mirabimur, modo nominatum etiam audiamus paulisper *Bellarminum.* Hic ipse expresse & in genere dixit (cc): *Patres* nunquam omnes simul *errant, etsi aliquis eorum interdum erret*, deinde vero proverbii sat vulgati plane immemor, cum tamen per omnem vitam, ut vult Fuligattus (dd), mendacio caruit, sibi ipsi contradicit, nostramque de *communi Patrum errore* confirmat sententiam, his verbis (ee): omnes *veteres*, *animadvertentes suorum temporum malitiam, suspicati sunt tempora Anti-Christi imminere*, quippe quam Patrum opinionem *errorem* expresse (ff) vocat & pluribus refellit. Hoc ipso vero, quod obiter moneo, sub censuram etiam vocandus venit *D. Th. Gebh. Meiero* (gg), qua in suis Controversiis 151. vicibus contradictionis convictus est.

§. XVIII. Verum è diverticulo, quod pro scopo nostro, ut eo ipso ostenderemus, haud semper plurium consensui standum esse, ingressi sumus in viam! Pro sententia igitur jam referenda

2. adducamus *Chrysostomum.* Hic, ubi de *Regno coelesti*, ut §. XIV. n. 3. audivimus, dictum nostrum interpretatus est, mox, sibi ipsi, sub specioso tamen praetextu, diffidens, pro *regno mundano*, ex praeconcepta Discipulorum opinione intelligendo, haec l. c. subjicit (hh): *equidem arbitror, ne illud quidem aliquo pacto cognitum illis* [interrogantibus] *fuisse, quod tandem esset illud regnum. Nondum enim erat Spiritus, qui post docuit. Nec dicunt: quando haec erunt?* [ut Marc. 13: 4.] *Sed quid dicunt? Num in tempore hoc restituis regnum? tanquam quod jam sublatum erat. Haec ad hunc modum sciscitabantur, quod rebus sensibilibus adhuc afficerentur*; & pag. 151. pergit: *Quanquam & alioqui hic isti non de fine mundi, sed de regno Israelitico percontantur, eoque* Eee 3 *dicebant:*

(d) *Quaest. CXII. p. 31. T. III. Ed. Bas. per Joh. Langum* (e) *Patrol. p. 86.* (f) *Crit. S. L. II. C. 5. n. 3.* (g) *Cens. p. 118.* (h) *H. L. p. 28.* (i) *in App. S. T. I.* (k) *De Script. Eccl. p. 37.* (l) *Comment. ad Eus. H. E. p. 13.* (m) *in notis ad h. l. Just. M.* (n) *p. 153.* (o) *De Usu Patr. L. II. pag. 287. 288.* (p) *Christ. de s. Dram. S. Phaen. 8. p. 270.* (q) *in Coll. M. S. S. Theol. Thet. Anti-Th. C. XVI. §. 11. sub fin. Conf. etiam Disp. de Oblationibus Vett. pro Sanctis p. 1. 7.*

(r) *Tract. de Conc. Hieros. C. XLIX. subin.* (s) *Theol. Zach. P. 1. §. 73.* (t) *Brev. p. 227.* (u) *L. 7. C. 1. n. 2. L. L. Theol.* (w) *l. c. C. III. n. 19.* (x) *l. c. C. III. vs. 9.* (y) *Comment. in Rom. 5. Disp. 51. §. deinde* (z) *l. c. C. X.* (aa) *in Pontifice suo Rom. c. 19. & 14.* (bb) *L. IV. de amiss. Grat. C. 6. n. 32.* (cc) *L. II. de Christ. C. 2. n. 3.* (dd) *in vita Bellarm.* (ee) *L. III. de R. Pontif. C. 3. n. 2.* (ff) *l. c. n. 1.* (gg) *in Praef. Censurae Coci praemissa.* (hh) *Comment. in h. l. Hom. 2. p. 450. T. III.*

dicebant: num in tempore hoc restituis regnum Israël? —— Ille vero ne id quidem illis aperuit. Quæ ipsa Chrysostomi inconstantia causæ minus bonæ indicium præbet; quod vitio tamen rigorose adeo illi non vertendum videtur, *qui ubique id potius agere solet*, quemadmodum de Chrysostomo omnino vere judicat *Joh. Hentenius* (kk), *ut homines à vitiis revocet ad virtutes, quam ut auctoris mentem aperiret.*

3. Pro hac sententia citetur ex antiquioribus *Beda*, & re & nomine *Venerabilis*, qui (ll) de *carnali regno quærere discipulos, Christum de Spirituali respondere*, ait.

4. Denique his adjungamus *Oecumenium*, Patrum Compilatorem, cujus hæc sunt verba (mm): *Quoniam ante passionem de mundi consummatione interrogaverant, non jam de hoc interrogant, sed de mundano Regno.*

§. XIX. Productas itaque has *Antiquorum* opiniones excipiant etiam aliquot ex multis, quas *recentiores* nobis suppeditarunt ordine suo recensendæ sententiæ. Inter illas vero *primas* obtineant partes eorum, quorum cæteroquin ex religionis vinculo obstrictus & eruditionem & merita non agnosco saltem, sed & suspicio, & quidem inter illos merito.

1. Ipsius, *à quo discretionis gratia denominari nos patimur Lutheranos, nomine neutiquam Magisteriali s. Doctrinæ, sed ministeriali tantum s. Confessionis*, (prouti accurate loquitur, idque exemplo etiam ex Antiquit. Eccl. deducto eleganter comprobatum reddit (nn) Cl. *Dn. M. Möllerus*,) *B. Lutheri* nostri audiatur expositio, quippe quem de interrogatione Discipulorum his loquentem habemus verbis (oo): Auff solche weise [wie Petrus] irreten die Apostel auch/ da sie träumeten/ als würde Christus ein leiblich Reich auffrichten/ wie Act. 1. stehet: Herr &c.; responsionem vero à Christo datam ad diem extremum applicare ipsum alibi (pp) perspicimus. Verum, *cum nos* Lutheri *literas non ut Canonicas habeamus, sed ex Canonicis consideremus, & quod in iis Scripturarum divinarum Auctoritati congruit, cum laude ejus accipiamus, quod non congruit, cum pace ejus respuamus*, ut illa ab *Augustino* quondam de *Cypriano* (qq) prolata ad Lutherum applicemus cum Viro, de hoc Megalandro nostro aliquot jam Dissertationibus egregie merito, & in posterum D. V. pluribus ejusdem thematis promerendo, modo laudato *Dn. M. Möllero* (rr),) hæc quoque verioris sententiæ amplexum nobis non intercludent, præprimis cum tali Polygrapho, qualis B. Lutherus fuit, cujus fere omnia extemporanea sunt, ejusmodi quid facile accidere possit.

2. Pro ejusmodi Dicti nostri interpretatione sese sistat *B. Lucas Osiander* (ss), qui ad verba vers. 3. *loquens de regno DEI*, hæc notat: *quale id esset, spirituale videlicet*, deinde ad dictum nostrum h. m. commentatur: *num incipies jam liberare Israëlitas de Potestate Romanorum, ut sub tuo imperio felices in hac vita degamus*, adeoque *Regnum aliquod mundanum* ex opinione discipulorum intelligit; responsionem vero Christi de *Regno Gloriæ s. cœlesti* factam esse his indigitat verbis: *dixit autem eis Jesus: non est vestrum nosse tempora &c. quibus regnum cœleste per gloriosum meum adventum sum instauraturus*; tandem verba statim sequentia: *sed accipietis Virtutem* &c. denuo *Regno Gratiæ* applicat. Ad quam ipsum inconstantiam nimia de regno mundano apud Discipulos regnante adegit opinio.

3. Huc referatur *B. Joh. Gerhardus*, qui eodem modo (tt) regnum, de quo Christus post resurrectionem Discipulis concionatus est, esse *regnum Gratiæ*, ab Apostolis plantandum, ex capitibus tum prædicatis probat, postea vero (uu) prolixe disputat, *præconceptas Discipulorum opiniones & ipsum verborum sensum manifeste ostendere, de restitutione mundani cujusdam regni ipsos quæsivisse*, quomodo hæc inferius pluribus patescent.

4. His jam recensitis adjungamus etiam B. *Joh. Tob. Majorem*, Theologum itidem Jenensem, quando responsioni, à Christo suppeditatæ, sequentia subnectit (xx): *Servator in illa discipulos ita redarguit, ut eis omnem spem terrenæ administrationis præscindat*, atque ea occasione digreditur in Disputationem cum Pontificiis, de Regno & Dominio Christi Hominis mundano, *quod & illi hoc Apostolorum exemplo deterreri, linguam pascere, & os opprimere in eodem negotio deberent*, ostenditque prolixius, non unam ea de re apud illos inveniri sententiam. Quæ equidem Digressio, ratione materiæ & in se, omnino vera & probanda est, cum utique diversæ Pontificiorum circa regnum Christi Hominis mundanum, vel verius, circa Dominatum Pontificis in temporalibus, (cum propter hujus decisionem illius suscipiatur controversia,) dentur opiniones, quarum alia est *Canonistarum*, & *ingenuorum* ex promisso *Jesuitarum*, (quo hi in Bulla *Pauli* III., teste *Hasenmüllero* (yy), *sese totos in Papæ servos, & devotoria ejus mancipia tradunt; seque —— in omnibus, etiam verbo DEI contrariis, Papæ obedientiam præstituros declarant*,) quæ *directum* aliquod Dominium Pontifici tribuit, *dum Papam ut Papam jure divino plenissimam Potestatem etiam secularem in universum terrarum orbem tenere docent, qua regna dare possit & adimere, quibus voluerit*; (quemadmodum illud ita explicat B. D. D. *Kortholt* (zz), Præceptorat- que Benefactor meus eheu desideratissimus!) alia *Theologorum* κατ' ἐξοχὴν sic ipsis dictorum, quorum primicerius est *Bellarminus*, quæ *indirectam* in temporalibus Pontifici potestatem convenire ait, qua *ratione auctoritatis spiritualis possit pro commodo Ecclesiæ Regibus uti & Imperatoribus, iisque mandare, v. c. ut bella moveant hæreticis, possit item de culmine eos deturbare, si vel inutiles sint, vel noxii Ecclesiæ*; (interprete eodem b. m. Viro l. c.) alia denique illorum, *qui non Theologorum, sed sacris literis* (suo tamen modo) *sunt imbuti*, (ut hic adhibeam Distinctionem, in Concilio Basil., annotante *Æn. Sylvio* (a), usurpatam,) *Gallorum* puta, quando in epistola, in Congregatione Generali ad Innocentium XI. scripta, ab utraque præmissa h. m. recedunt opinione (b): *Constituimus, quod* (Pontificis potestas) *neutiquam vel directe, vel indirecte ad temporalia extendenda sit, & fœdifragorum quorundam Jesuitarum*, quando sunt in Gallia, *quibus tamen cum cœlo facile mutaretur animus, &, si Romæ essent, sentirent ut Roma*, ex propria ipsorum coram Parlamento Parisiensi confessione, à *Gramondo* (c), Historico Pontificio, ex Actis publicis annotata; quomodo hæc omnia D. V. in Sect. Porism. occasione Porismatis: *Regnum Christi non est mundanum*, fusius diducere poterimus. Cæterum hanc ipsam adeo laudatam *B. Majoris* digressionem, ratione formæ & respectu illius ex dicto nostro desumptæ occasionis, non admodum Pontificios ferire quis concluderet, dum, illos contrarium potius, quasi ea responsione interrogantibus adhuc spes quædam opinionis suæ, atque adeo regni cujusdam mundani, suppeditata fuisset, cum quærentibus, apud vulgo sic dictum Justinum M. §. XVI. citatis, exinde colligere posse, arbitraretur. (5) Tandem ex reliquis Nostratium aliquot, ut B. *Meisnerum* (d), *Erasm. Schmidium* (e), B. *Tribbechovium* (f), *Bibliorum Ernestinorum s. Vinariensium Paraphrastas* in h. l. & *Georg. Calixtum* (g), citando tantum adduxisse sufficiat; plurimos vero plane silentio prætereamus, cum, referente *Magnif. D. D. Pfeiffero* (h), vulgo *de mundano regno accipiant, quod adhuc in ipsorum* (Discipulorum) *cerebro erat.*

§. XX. Relictis Nostratibus ad *Pontificios* jam nosmet convertamus, eque illis unum s. alterum, huic faventem sententiæ, producamus, & quidem. 1. *Alph. Salmeronem*. Is enim verbis v. 3. ultimis hæc sparsim subjicit (i): *probabilissimum est, illos didicisse* (per 40. dies) *multa de hierarchia Ecclesiastica, de summo Pontif. R., de numero Sacramentorum, de ritibus ac ceremoniis eorundem, de Missa, de precibus Sanctorum, de jejunio, &c. Stultus ergo est, & impudens, qui curiosius urget, ut harum rerum locos ex Canonicis Scripturis proferamus. Quod quidem*, (ut judicium *Thomæ Waldensis*, Ord. Carm. Prior. Prov., quod habuit (k) circa explicationem Dicti Augustiniani: *ego non crederem Evangelio, nisi* &c., Pontificiam vulgarem, meum faciam,) *non tam videtur* ineptum, (si zelus ejus pro Religione sua stabilienda attendatur, quippe cujus *Salmero* apud *Alegambe* (l) *acerrimus* ubique *propugnator* fuisse dicitur,) *quam* fatuum, habito ad

(kk) *Proœm. in Oecumenium ab ipso Latine redditum.* (ll) *Com. in h. l. pag.* 627. *T. V.* (mm) *in Com. in h. l.* (nn) *in Observ. Miscell. Dec.* I. *n.* 2. (oo) *Com. in Gal.* II. 11. *pag.* 587. *T. VI. Altenb.* (pp) *T. III. pag.* 166. *a. & T. IX. p.* 117. *a. Ed. laud.* (qq) *L.* II. *C.* 32. *contra Crescon. T. VII.* (rr) *de Colloquiis Lutheri Mens.* §. 12. (ss) *in Bibl. ad h. l.* (tt) *Harm. in h. l. p.* 2257. *P.* II. (uu) *l. c. pag.* 2260. (xx) *in Annot. ad Acta p.* 10.

(yy) *Hist. Jes. pag.* 109. (zz) *Diss. de Pont. R.* §. 52. (a) *Com. de Gestis, Bas. Conc. L. I. pag.* 8. (b) *Diss. de Jure Regaliæ M. J. E. Gerhardi C. I. S. I.* §. 23. (c) *Histor. Galliæ pag.* 677. *L. XV.* (d) *in Christol. D.* 49. *p.* 434. (e) *N. T. in h. l.* (f) *in Diss. inaug. C. II.* §. 1. (g) *in Exp. in h. l.* (h) *in Anti-Chil. p.* 419. (i) *l. c. pag.* 26. (k) *L. II. C.* 21. *Tract.*, *qui* Doctrinale fidei antiquæ *appellatur.* (l) *in Bibl. S. J. pag.* 22.

ad mox subjecta respectu, quando (m) quæstionem Discipulorum de regno mundano intelligit, & sic commentatur: *Hi spiritu servitutis adhuc tenebantur, quem in Pentecoste exuerunt. —— Intelligebant enim Regnum captivitatis, quo serviebant Romanis, aliquando de cervicibus suis depellendum, & Judæis Regnum & Imperium super alios dandum.* Ubi merito quæramus, cur Apostoli tam tenaciter retinuerint omnia cætera, ad Regnum DEI secundum Salmeronem pertinentia, de quibus in V. T. ne gry quidem exstat, & quæ ideo ipsis inaudita fuere, nec tamen observaverint qualitatem Regni Christi, ex V. T. ab ipso sæpius repetitam, cum & illa sine hac neque comprehendi quidem possent. Verum hanc hallucinationem, Jesuita alias indignam, non ipse solus sibi retinuit, sed & illi, quos brevibus adhuc producemus, *Sebast.* nimirum *Barradius* & *Cornel. à Lapide*, per omnia suo eam deinceps calculo approbarunt. Quorum *ille* (n) eodem modo verba vs. 3. de *Ecclesiæ institutione*, s. *Regno Gratiæ*, Dictum quoque nostrum de *Regno mundano* interpretatur, responsionem vero Christi his excusare studet verbis: *noluit Dominus* (Discipulos) *ab hoc errore liberare, in quo absque culpa erant.* Sed quomodo absque culpa erant, si per integros 40. dies de *Ecclesiæ institutione* eos informavit? Alter quoque *Corn.* sc. *à Lapide* eandem prorsus hic cum sociis inflat tibiam (f). Reliquos proinde eadem oberrantes chorda suis relinquimus meditationibus.

§. XXI. Sed ordinis jam postulabit ratio, ut, missis Pontificiis, *Reformatorum* (prouti dici volunt) quoque interpretes aliquantum perlustremus, & statim *primarium* inter ipsos potius, quam *primum*, (cum *Huld. Zwinglius* jam sub Anno 1524. Calvino tum 15. præter propter annorum nato, in Ep. ad Alberum (p), prima vice tropicam S. Cœnæ institutionem proposuerit,) *Joh. Calvinum* pro hac eadem Dicti nostri cum hactenus citatis expositione stantem videbimus, quando (q) locutionem de Regno DEI pariter *de spirituali Oeconomia salutis* interpretatur, quæstionem vero *de Regno mundano* intelligit, & errorem Apostolorum graphice exaggerat. Quæ quomodo cum judicio *Bezæ*, à *Claudio de Sainctes*, Theologo Parisiensi (r), nobis communicato, quo *Calvinum non tantum ipsis Apostolis adæquavit, sed in Cœnæ intelligentia prætulit, eumque Apostolicis viris omnibus, qui unquam vixerunt, & in Scripturarum cognitione atque interpretatione tantum antepofuit, ut unicum illum nunquam lapsum, alios autem ut umbras volitasse, & oberrasse definiverit*, conveniant, non equidem video, imprimis, cum fere videatur hæc ipsa Calvini interpretatio Bezæ minus atrisisse, quia in expositione vs. 3. quam §. 26. videbimus, nimis adeo pro sententia de *Regno Gratiæ* commentatus fuit. Alii interim, ut *Marloratus* (s), *Joh. Henr. Ottius* (t), & plures forte hanc Calvini interpretationem suo comprobarunt consensu.

§. XXII. Restat denique, ut ex *Socinianis*, qui præ aliis accuratæ sibi exegeseos gloriam attribui volunt, quosdam adhuc audiamus. Eo igitur fine sistatur nobis par illud sat famosum *Fratrum Polonorum*, *Joh. Crellius* & *Joh. Lud. Wolzogenius.* Ille quidem his Interrogationem (u): *Quæstio hæc non ex verbis Christi nata, sed ideo Apostolis in mentem venisse videtur, quia eam rem subinde animo agitabant, maxime eum, cum existimarent tempus Regni Christi, (quod illi carnale ac terrenum fore sibi imaginabantur) jam instare*; & responsionem sequentibus describit verbis. *loquitur de tempore adventus sui ad judicium Christus. Non enim ex opinione Discipulorum, sed ex rei ipsius veritate illis respondet.* Alter vero, *Wolzogenius* scilicet, exacte in omnibus tam quoad quæstionem, quam responsionem, suppeditatæ modo Crellianæ interpretationis vestigia legit. Quæ sane exegesis haud admiratione illa, quam in delineatione vitæ Crellii, operibus ejusdem præmissa, *Joachimus Pastorius ab Hirtenberg*, (quippe quem ejus Auctorem esse *Christoph. Sandius* (x) ex literis initialibus I. P. M. D. non incongrue concludit,) his suppeditavit terminis: *quis non admiretur (in Crellio) singularem in rimandis divinorum oraculorum latebris subtilitatem ac perspicaciam soliditatemque judicii*, excipienda venit.

§. XXIII. Atque hi fuerunt, quos, *in priori posterioris Classis Parte* modo recensitos, quæstionem de *Regno quodam Christi terreno ex male præconcepta tantum Discipulorum opinione tali, adeoque nunquam vere exstituro*, explicare audivimus. Nunc II. ad alteram Classis hujus Partem, in qua sistemus eos, qui dictam nostram quæstionem, qua ex *optime informata quoad rem ipsam Discipulorum opinione de tempore & momento verè cujusdam in his terris erigendi sic dicti Potentiæ Regni nimis curiose quæritur*, præ se ferre contendunt, progrediamur, atque

(1) illam afferamus expositionem, quæ male præconceptum aliquod *regnum Chiliasticum*, subtile, certo respectu, & stricte sic dictum, in his terris potenter à Christo adhuc restaurandum, dicto nostro indigitari probare studet, qualis est imprimis *D. Wilh. Petersen*, dictum nostrum ad suas ex professo sic pertrahentis partes (y): **Sie (Discipuli) haben alhie nicht von einem irdischen/ fleischlicher Königreich die Frage formiret / wie unsere Wiedersacher den Jüngern beylegen /** (per quod Politicum illud, à Judæis tunc temporis adeo desideratum, intelligit,) **sondern sie erinnerten sich/ wie er in den viertzig Tagen von dem** βασιλεία **und Königreiche so herlich geredet hatte / so haben sie solches auch / wie Christus es ihnen erkläret / gegläubet / nur das wolten sie gerne wissen / ob etwa bey ihres Leibes-Leben das Königreich solte wieder auffgerichtet werden.** Coincidere vero hoc à Discipulis quæsitum regnum cum Chiliastico, (quod suo etiam modo terrenum omnino, & carnale vocari possit, expresse postea docet, ubi (1.) negat esse *Gratiæ*, **die Erklärung / es werde alhie das Gnaden-Reich verstanden / kan keine stat haben /** & *Gloriæ Regnum*, **einige erklährens für das ewige Leben / aber auch diese ist gantz gegen den Text /** (2.) affirmat esse Chiliasticum generalioribus terminis, **darumb so bleibet es eine ewige Wahrheit daß an diesen Ort.** Actor. 1. **von dem Königreich Israel / das zur Zeit der Apostelen zerfallen war / und noch biß auff diese Zeit zerfallen / und unter der Heiden Füsse zertreten ist / die Frage gewesen sey**; specialioribus enim & magis rem exprimentibus ipsa forsitan malæ conscientia causæ uti prohibuit.

§. XXIV. 2. Pro hac Dicti nostri ad *Regnum aliquod terrenum, potenter atque vere restaurandum*, detorsione ex Fanaticis quoque promere lubet *Anabaptistas Monasterienses*, quorum B. *Urb. Rhegius* hanc profert interpretationem (z): *imperiti homines legunt Act. 1. quæstionem de restitutione Regni Israelitici. Et mox (qui est ipsorum stupor, & profunda in scripturis ignorantia) imaginantur terrestre regnum, quia judicio Ecclesiastico & Spiritus censura tractare sacrosancta Scripturarum oracula nesciunt.* Quod sane judicium cum de reliquis omnibus hujus farinæ sociis apprime valeat frustraneum omnino censemus esse laborem his ipsorum nugis, à spiritu vertiginis, ut tulit raptus suppeditatis, diutius immorari.

§. XXV. Præmissis itaque sic *variantibus aliorum sententiis*, Methodi postulat ratio, ut modesta subjiciatur *Decisio.* Cujus equidem Voculæ expositionem, à laudato Lubecensium Præsule (aa) exhibitam, tenuitati potius meæ attribuam. Ipsam vero quod concernit Decisionem, *cum libertatem meam à magnis viris dissentiendi in obtrectationis etiam argumentum verti posse prospiciam*, (ut cum eruditissimo loquar *Spanhemio* (bb),) non possum quin hoc in passu suo modo mea faciam verba Cardinalis *Thomæ de Vio Patria Cajetani*, (cc): *si quando, inquientis, occurrit novus sensus textui consonus, nec à S. Scriptura, nec ab Ecclesiæ Doctrina dissonus, quamvis à Torrente Doctorum sacrorum alienus, rogo lectores omnes, ne præcipites detestentur sed æquos se præbeant censores. Meminerint jus suum cuique tribuere*, iisque nunc suppeditandam B. commendem L. Decisionem:

Christum interrogantes: *an restitues hoc ipso tempore Regnum Israeli?* Regnum Gratiæ s. Spirituale Israeli verè fideli illo ipso momento restaurandum, intellexerunt.

§. XXVI. Hanc ut probemus, duplici insistemus viæ, 1. *sententiam nostram confirmando*, 2. *Aliorum sententias infringendo*, processuri. Et quidem ad *Confirmationem sententiæ* quod attinet *nostræ*, deducimus illam

(1.) ab

(m) *Loc. cit. p.* 32. (n) *Lib. IX. Cap. XI. p.* 400, 401. *T. IV. Comm. in Concord. IV. Euang.* (o) *Comm. in h. l. p.* 44. *Ed. Par.* (p) *Ap. Melch. Adami in vita Zwinglii.* (q) *Comm. in Acta p.* 2. (r) *In Resp. ad Apol. f.* 3. (s) *Comm. in h. l.* (t) *Exam. in Ann. Bar. Cent. I. pag.* 125. (u) *Comment. in h. l. pag.* 123. *T. III. Opp.* (x) *In Bibl. Anti-Trinit. pag.* 115.

(y) **In der Warheit des herrl. Reichs J. C.** P. I. *pag.* 143, 144. *adde etiam Tract.* **der Schriftmäßigen Erklährung / v. Beweiß der 1000. Jahre** *Apocal.* 20. *pag.* 18. (z) *In Diss. de Restitut. Regni Israel., Anabaptist. Monast. libello de Restit. R. Isr. opposita.* 1536. *Cella habita, &* 1691. *Helmst. in* 8. *recusa, Art.* 93. (aa) *In Præfat. Dub. Vex.* (bb) *Præfat. Part. II. Dub. Euang.* (cc) *Præfat. in Pentateuch.*

(1.) Ab Antecedentibus s. *connexione cum superioribus*, quæ (1.) commendant *prolixam* & *exactam* per 40. dies de *Regno Gratiæ* Discipulis à Christo factam informationem, ut unanimis fere est consensus interpretum circa verba vs. 3. ultima: *& loquens de Regno DEI.* Sic en. *Beza* ad h. l. (dd): *articuli τῶ* (illa) *ea vis esse videtur, ut intelligamus CHRISTUM discipulis suis universam Doctrinam Evangelicam* copiose *ac* luculenter *exposuisse*, & *Gerh. Joh. Vossius* (ee): *hinc cognoscimus, tamdiu voluisse in terris commorari, ut enuclearet Discipulis scripturarum loca, quæ antea non percepissent.* Ex Nostratibus quoque *B. Joh. Quistorpius*, expeditissimi quondam in hac Alma nostra judicii Theologus, ut ex casibus aliquot feliciter ab ipso solutis patet, ad h. l. ait (ff): *Christum conversatum cum Discipulis per 40. dies ob informationem* pleniorem; alios etiam, in specie *B. Osiandrum*, *& B. Joh. Gerhardum*, expressis idem illud confirmantes verbis (gg) audivimus. Hæc Antecedentia, & quidem quæ occasionem interrogationis, immediate Dictum nostrum præcedentem, constituunt, 2. tale quid, quod non nisi ut maxime necessarium Regni Gratiæ s. Spiritualis requisitum ab ipsis præoccupatis etiam Discipulis intelligi potuisset, promissionem nimirum Patris, consistentem in Baptismo s. effusione Spiritus S. vs. 4, 5. insinuant. Quis itaque his præsuppositis credat, Apostolos vel tam stupidos, vel malitiosos fuisse, ut ad 40. dierum *luculentam* informationem, imo hoc ipso momento suppeditatam confirmationem, de Regno Gratiæ restaurando, illud intelligere aut non potuerint, aut non voluerint, sed Regnum aliquod mundanum continuo meditati fuerint? Quis non potius existimet, hoc ipsos, ut & simplex innuit litera, indigitasse: hactenus, Domine, regnum tuum fuse nobis depinxisti, & jam necessarium ejus prærequisitum non post multos hosce dies nobis expectandum promisisti, ea tamen in re adhuc informari vellemus antequam à nobis abeas, num hoc ipso tempore, quo prærequisitum Regni tui gratiosi nobis exhibebitur, etiam hoc ipsum regnum tuum, variis Pharisæorum traditionibus hactenus dilaceratum, Israëli, vere fideli, ex Judæis & Gentilibus colligendo, in integrum restitues, ut pristinam Patrum fidem recipiant, & in te Messiam nunc exhibitum, credant?

§. XXVI. 2. Ex ipso Dicto, ejusque verbis: *num restitues Regnum Israëli.* Restitutionem enim Regni Israëli cum Restauratione Regni Gratiæ fidelibus præstanda & *in se* & *in conceptu interrogantium* coincidere, sequentibus probabitur. Quoad *prius* patet hoc (1.) ex plurimis V. T. dictis (hh), in quibus frequentissima fit mentio restaurationis Regni Israëlitici, post duas solennes captivitates collapsi, quod ita perpetuum & æternum esse debet, ut ex corporali transeat in *spirituale*, quomodo eadem etiam sic in N. T. (ii) explicantur; (2.) ex locis aliquot *S. Pauli* (kk), & Patrum quorundam, ut *Origenis* (ll), *Basilii M.* (mm), *Augustini* (nn), *Cyrilli Alex.* (oo) aliorumque quæ expressis verbis distinctionem, ejusque fundamentum, inter Israëlem *secundum carnem*, *& secundum spiritum* talem, innuunt, & Christianos summo etiam jure Judæos & Israëlitas suo tamen modo dici posse contendunt. Quoad *posterius*, quod hæc Synonyma etiam fuerint *in conceptu interrogantium*, exinde illud colligere est, quia dicta aliquot V. T. superius citata Christus post resurrectionem Discipulis certo certius exposuit, & illi etiam eadem vere intellexerunt (pp).

§. XXVIII. 3. à Consequentibus *Dicti*, s. *Christi responsione*, quæ posita nostra sententia ex omni parte commoda est, reliquis opinionibus impr. de Regn. mundano in illa cum interrogatione concilianda admodum sese cruciantibus, nec eo minus in Christum injuriis. Quærentibus enim de tempore, num illo ipso effusionis Sp. S. momento restaurandum quoque sit regnum Israëli, i. e. Judæi ad Ecclesiam venient, iisdemque jungentur Gentiles, recte respondetur: non est vestrum scire exacte adeo hoc conversionis tempus, quod Pater (quippe cui Prædestinationis ac Reprobationis opus per appropriationem à Theologis nostris adscribitur, conf. Matth. 20: 23.) ex libera voluntate in arcano suo consilio, quando præcise futurum sit, nec ne, decrevit, sibique reservat. Vobis sufficiat scire hoc, quod non post multos hosce dies accepturi virtutem Spiritus S. & mediante illa futuri sitis mihi testes in Judæa, Samaria, & per totum orbem, quo vero cum effectu de eo non sitis solliciti.

§. XXIX. 4. Ab Objectionum, *sententiæ nostræ à Salmerone* inprimis & D. *Petersen*. l. c. *oppositarum*, remotione. Sic enim ille

(1.) Objicit: *quod minime probabile videatur, qui nondum Spiritum carnis exuerant, nec per Spiritum S. renovati erant, ut spirituale Regnum Israëli restituendum cogitare possent.* Resp. (α) sic quoque *minime probabile videtur*, quod 40. dierum informationem de rebus spiritualibus cogitare potuerint discipuli, adeoque tantum traditionum Pontificiarum cadet fundamentum, cui *validus* etiam *Ecclesiæ DEI Colossus* [ut vocatur apud *Alegambe* (qq) *Bellarminus*,] fixe admodum innititur (rr), de quo & ipse *Salmero* ut §. 20. audivimus, adeo sibi gratulatur; (β) distingu. inter simplicem, eamque veram Regni Spiritualis Israëli restaurandi perceptionem, & accessoriam ejusdem confirmationem. Hanc, non illam, circa effusionem Spiritus S. die Pentecostes Apostolis contigisse, concedimus. Sed pergit *Salmero* l. c.

(2.) *Responsio Christi reprimens eorum curiositatem, non esset ad rem, cum rem perutilem sciscitarentur.* Resp. (α) Quod si Jesuitæ cuidam superiori, imo ipsi Salmeroni, primo Præposito Provinciali Neapolitano, aliquid in mandatis exhibenti, inferior, qui ex lege Patriarchæ sui, *Ign. Lojolæ* (ss), *superioris voluntatem pro divina ducere debuisset*, regessisset, inque minimas circumstantias, scitu non necessarias, curiosius, quam par erat, inquisivisset, quibus ille ex rigore Societatis suæ hunc non verbis, sed graviori etiam pœna, excepisset? Ast quanta inter ejusmodi, atque Christi divinam voluntatem differentia fuit? (β) Dist. inter rem scitu perutilem *in se & ratione circumstantiarum.* Potest rei alicujus cognitio cum fructu desiderari *simpliciter* & *in se, an*, & *quæ* futura sit, neutiquam vero *respective & ratione circumstantiarum, quando, quo successu* & *quamdiu* futura sit. Non illo, sed hoc modo desiderium cognoscendi regnum gratiæ Christus reprehendit, & quidem modeste adeo, ut rationem superaddiderit hanc: quia Pater harum determinationem circumstantiarum sibi reservavit. Salmeronem jam excipiat *D. Petersen*, qui contra sententiam nostram hanc unicam movet objectionem l. c. **Aber solche Erklärung von dem Gnaden-Reich kan auch keine Stat haben/ weil solches Gnaden-Reich den Aposteln nicht solte unbekand/ und verborgen sein/ in dem sie ja von Christo kurtz vorher gehöret hatten/ daß der Heil. Geist nicht lange nach solchen Tagen solte außgegossen werden/ durch dessen Krafft sie außgehen / und seine Zeugen werden solten. —— Aber das Reich/ das alhie solte aufgerichtet werden / und davon die Jünger gefraget hatten/ solte ihnen noch nicht kund sein/ zu was für einer Zeit** &c. Sed respondemus: *D. Petersen* non distinguere distinguenda. Aliud enim est scire tempus Præparationis ad Regnum aliquod restaurandum, & aliud scire ipsius actu Restaurationis tempus. Illud scivisse, hoc ignorasse Discipulos, patet ex supradictis, impr. §. XXV.

§. XXX. 5. Denique Auctoritatem Celeberrimorum Virorum adjicimus. Et quidem præter *Hesychium* ex *Patribus*, pro deducta fere stantem sententia (tt),

(2.) *Ex nostratibus* producam magna duo Ecclesiæ Lumina, in Scriptis adhuc suis fulgentia, *B. D. Calovium*, & *B. D. Hulsemannum.* Quorum ille sat explicite ex mente nostra: (uu) *Credibile est*, inquit, *spiritualis Regni, quod in Israële collapsum erat, restaurationem respexisse Apostolos: utpote qui jussi erant præconii pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine ejus instituendi initium facere Hierosolymis, unde colligere poterant, restaurandum esse in Israële regnum DEI: ac de tempore ἀποκαταστάσεως informari desiderabant. Quemadmodum etiam Christus ipsos edocuit, non quidem de tempore, ratione restaurationis illius, quia hæc Deus reservat potestati suæ, an simul, an semel, an vero successive & quo tempore, quo successu, quove modo ea fieri debeat, sed quod per ipsos, accipientes Spiritum S. ea, quæ ad Restaurationem Regni faciunt Israëlis, DEUS suscepturus sit.* Hic vero implicite idem illud indigitat (xx), quando *vocabulum* restaurationis

Act.

(dd) *In Annot. N. T. p.* 135. (ee) *Harm. Evang. de Pass. Morte Resur. & Asc. Christi C.* 5. *pag.* 418. *ad h. l.* (ff) *in Notis Bibl. p.* 194. (gg) §. 19. *n.* 2. 3. (hh) *Es.* 9: 6, 7. 11: 1, 2. *Jer.* 33: 14, 15. *Dan.* 2: 44. 7: 14. *Amos.* 9: 11. (ii) *Luc.* 1: 32. *Act.* 15: 16. *Apoc.* 11: 15. (kk) *Rom.* 9: 6. 1 *Cor.* 10: 18. *Gal.* 6: 16. *Eph.* 2: 12. *Ebr.* 8: 10. (ll) *T. I. p.* 53. 305. (mm) *in Es.* 14. *p.* 1090. (nn) *de C. D. L.* 18. *cap.* 28. *& Ser.* 3. *Epiph.* (oo) *L.* 8. *contr. Julian.* (pp) *Luc.* 24: 45: 46. 47.

(qq) *Bibl. Jes. pag.* 311. (rr) *Lib.* 4. *de Verbo Dei C.* 5. (ss) *in Ep. ad Fratres, quæ subjuncta est Regulis S. J. Lugd.* 1606. *editis* §. 3. (tt) *in Ep. quæ inter Augustinianas* 79. *T.* 2. *p.* 346. *Edit. Bas.* (uu) *in Bibl. Ill. in h. l. p.* 8. 7. *T. III.* (xx) *Opp. Posth. p.* 406. 456.

Act. 1: 6. *de restitutione illius spei & juris, quod Adam perdidit, alias sumi* statuit.

(3.) Ex *Pontificiis* huic sententiæ nostræ adstipulantem habemus *Petr. Dan. Huetium* (yy), prolatis ab ipso aliquot V. T. Dictis, *Regnum Messiæ spirituale & æternum* fore probantibus, sequentia annectentem: *quorum promissorum memores Christi discipuli, postquam hunc vitæ restitutum viderunt, interrogabant eum, dicentes: Si in hoc tempore* &c.

(4.) *Ex Reformatis* etiam nobis calculo suo accedentem fere dicerem Joh. *Cameronem*, Theologum Salmuriensem, quando (zz) *tempora & opportunitates vocandi gentes ad sui cognitionem in propria Deum posuisse potestate*, docet.

Verum (5.) non omittamus illum, quem merito primo ponere debuissem loco, non minus ob summum, quod suffragantibus omnibus, qui aut solidam intelligunt, aut amant eruditionem, assecutus est doctrinæ fastigium, quam maxime ob nunquam intermoritura collatæ mihi ingenuæ informationis beneficia, nisi ejus modestia absque pari aliud suaderet, *Magnificum* innuo, atque *Summe Reverendum Dn. Præsidem.* Cujus hoc ad vulgarem Dicti nostri expositionem, responsionem impr. Christi pro quæsito de mundano regno detorquentem, ipso benevole concedente, exhibeo judicium (a): *non videntur hæc satisfacere: quia responsio Christi admodum inepta foret. Quid si dicatur: Discipulos de ipso Regno Gratiæ reparando quærere? de Regno, quod Judæis primo promissum est? Ut adeo sensus sit: sufficit vos antea induendos esse Gratia & Spiritu ad plantandum illud regnum, de tempore non sitis solliciti.* Quam equidem observationem primam mihi exigua hæc commentandi suppeditasse occasionem, ea, qua decet, observantia fateor, cum *benignum, ut arbitror* [loquar cum *Plinio* (b)] *& plenum ingenui pudoris sit, fateri, per quos profeceris, —— obnoxii è contra animi, & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præsertim sors fiat ex usura.*

§. XXXI. Absoluta sic *priori Probationis Parte, adstruente Sententiam nostram*, progredimur ad *posteriorem, destruentem* scilicet *dissentientium sententias*, ordine suo producendam, & quidem ita, ut

(1) adversariorum argumenta, pro sententia sua allata, destruamus,

(2) alia, ipsorum Hypothesin penitus destruentia, ipsis opponamus, atque sic finem Controversiæ huic Exegeticæ imponamus.

§. XXXII. *Primam* itaque aggrediamur *Classem*, quæ eorum est, qui Regnum *Gloriæ* s. *cæleste* Discipulos tantum indigitasse defendunt, ac argumenta pro illo afferunt, quæ sunt petita *à locis parallelis*, tam *ratione interrogationis* (c), quam imprimis *ratione Responsionis* (d), *de Regno Gloriæ* [*extremo judicio* vere agentibus. Resp. Dist. inter identitatem *soni* & *sensus*, ab illa aliquali ad hanc N. V. C. quælibet alias Regni Israëlis de Regno Gloriæ, & reservationis Paternæ de reservatione judicii extremi intelligenda esset descriptio, quod inductione plurium locorum omnino absurdum videretur.

Contrariæ vero huic hypothesi opponi possunt Rationes hæ:

(1) quod minus probale sit, Apostolos, qui antehac (e) audiverant tempus extremi judicii nemini patefieri posse & debere, denuo hujus adeo immemores repulsæ de eo interrogasse.

(2) quod Vocula Restaurationis *Regno Gloriæ* minus sit accommoda, cum illud *directe* nunquam, ut *Regnum Gratiæ*, collapsum fuerit.

§. XXXIII. Jam ad *alteram* progrediamur *Classem*, & ex illa I. eorum, qui *Regnum mundanum ex male præconcepta Discipulorum opinione* hic intelligi debere propugnant, à B. *Gerhardo* imprimis, & *Salmerone* l. c. prolata destruamus argumenta. Sunt autem sequentia:

1. *Non de Regno DEI, sed de Regno Israelis quæri.* Resp. atque hoc Regnum idem est, prouti illud ex collectione plurium V. & N. T. Locorum, ubi Regnum Israëli restituendum dicitur, §. 17. facta, patet. Non enim hoc est aliud, quam *Regnum DEI*, quod erexit Christus omnibus fidelibus, & cujus formale est *Justitia, pax, & gaudium in Spiritu. S.* Rom. cap. 14: 17. adeoque Regnum Gratiæ s. *spirituale.*

(yy) *In Demonstr. Evang. Prop.* 9. *C.* 4. §. 7. *p.* 345. *Fol. vel p.* 622. *in 8vo.* (zz) *in Myroth. Evang. p.* 358. (a) *ex Nott. MSS. ad h. l.* (b) *Præf. Hist. Nat.* (c) *Mat.* 19: 28. *Luc.* 22: 39. (d) *Marc.* 13: 32. 1 *Thess.* 5: 1. (e) *Marc.* 13: 32.

2. *Regnum tale intelligi, quale intellexerunt Discipuli sæpius ante Magistri Passionem, & post illam Emauntici duo. At illud erat mundanum.* Resp.

(1.) Quid si diceretur cum D. Petersen l. c. hanc ejusmodi opinionem de Apostolis quidem dici, sed non probari? quod tamen ego cum eodem contra unanimem statuere nolim consensum; vel si certiori fundamento regereretur: Emaunticos duos non fuisse Apostolos, adeoque non tam sollicite à Christo institutos? (2.) Illi opinione mundana adhuc occupati fuerunt, quia nondum per 40. illos dies *luculenter, & copiose* de Regno Dei instituti. A quibus ideo ad eosdem Apostolos plenius institutos colligere non licet. Eunuchus non intelligebat Esaiam ante informationem Act. 8: 31. at posteà idem de eo dici non poterat.

3. *In Schola Pharisaica edocti erant. E. intelligebant Pharisaico & carnali sensu.* Resp. In Schola Christi edocti, & Pharisaici conceptus à Christo refutati fuerant. E. intelligebant sensu vere Christiano.

4. *Christum sæpe de aliquo Regno disserentem audiverant. E. jam videntur illud invadere velle.* Resp. Non tamen illum de Regno in genere disserentem audiverant, sed in specie, quale illud regnum esset, & quod non esset de hoc mundo. E. jam quærunt de hoc regno spiritualiter plantando, num hoc ipso momento restaurandum sit.

5. *Ut Christus filios Zebedæi repressit*: non est meum dare sessionem ad dextram & sinistram, sed quibus Pater &c. *ita etiam hic Apostolos.* Resp. At Filiis Zebedæi directe regessit. Illi enim quæsiverant: *an sessuri sint in regno ipsius ad dextram ejus, & sinistram*, i. e. an in Christiana quondam Ecclesia magni viri futuri essent? & respondet Christus: *id dare nunc non est in mea potestate*, &c. Sed hic quærunt Discipuli: *quo tempore restauraturus esset Regnum Israeli?* at Christus neque de tempore, neque de restauratione quæsiti illius Regni secundum eos, contra quos disputamus, directe respondit.

6. *Ante effusionem Spiritus S. multis adhuc obnoxii fuerunt erroribus Discipuli.* Resp. (1) E. etiam huic, qui ipsis commode *pleniori* 40. dierum informatione eximi potuisset? Quæ Consequentia? (2) Post effusionem etiam Spiritus S. errores in Doctrina quandoque foverunt Apostoli; ut patet exemplo Petri Gal. 2: 11. neque tamen ille tunc temporis Gratiæ Regnum ignoravit. Conf. etiam §. XXIX. n. 1.

§. XXXIV. Remotis itaque Sententiæ hujus præsidiis, ipsam quoque Sententiam directe oppositis penitus destruere rationibus haud difficile erit. Eo igitur fine unam alteramque produxisse sufficiat. Et quidem.

1. *Ratione interrogationis* nimium omnino est statuere, Discipulos ad exactam 40. dierum informationem verum de regno Christi conceptum habere aut non potuisse, aut non voluisse. conf. §. XXVI.

2. *Ratione Responsionis* sat ampla indiget excusatione sententia, quæ *longum & incommodum esse* existimat *paranti discessum, stultam de restitutione Regni carnalis Israëli opinionem convellere*, (qualis est Salmeronis l. c.) atque eo ipso Christum *errorem discipulorum non correxisse, verum etiam ignorantiam eorum adstrinxisse*, vel ad minimum *in ambiguo interrogantes reliquisse* statuit. Et hoc sane Responsionem Christi, ad interrogationem de Regno mundano factam, quocunque illam demum interpretentur modo, secum inferre primo statim intuitu patescit. Præterea, si quis in specie pro hac interrogatione Responsionem *directe* ad quæsitum Regnum mundanum respectum habere velit, quomodo, cum *non-entis nullæ sint affectiones affirmativæ*, tempus atque horam Restaurationis Regni cujusdam nunquam restaurandi Pater Potestati suæ reservare dicitur? Vel si malit cum nonnullis responsionem *indirecte* ratione interrogationis factam, adeoque de Regno Gloriæ, aut etiam Gratiæ intelligi, quomodo convenirent: quærere de regno mundano, & respondere simpliciter ac immediate de Regno cælesti, aut spirituali? Hæc enim omnia Divina Veritate, falli & fallere nescia, omnino indigna essent.

§. XXXV. Restaret denique, ut *Partis Classis hujus IIdæ posterioris, quæ Regnum aliquod terrenum, ex rei æque veritate, ac bene informato Discipulorum conceptu, certo futurum*, hic indigitari contendit, argumenta perlustraremus. Sed cum omnino verum sit, quod *sublata causa tollatur & effectus*, etiam hic supervacanei quid susciperem, si argumenta, quibus, ex Dicto nostro detortis, Regnum adstruitur Chiliasticum, refellerem, cum illud ipsum Regnum egregiis tot scriptis, quorum ingentem, si paginæ permitterent, catalogum producere possem, sat oppugnatum, imo plane destructum habeamus.

 §. XXXVI.

§. XXXVI. Reliqua interim *hac celeri sermone dictavi*, (ut colophonem imponam *verbis Hieronymi* (ff) huic Dissertationi) *quid eruditi Viri de nostro sentirent loco*, *& quibus argumentis suas vellent probare sententias*, *vestræ* (*B. L.*) *prudentiæ exponens. Neque enim tanta est meæ pusillitatis auctoritas*, *qui nihil sum*, *quanta eorum*, *qui nos in Domino præcesserunt. Nec juxta Pythagoræ Discipulos præjudicata Doctoris opinio*, *sed doctrinæ ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat*, *quare eorum explanationes legam*, *quorum dogmatibus non acquiesco*: *Sciat me illud Apostoli libenter audire*: *omnia probate*, *quod bonum est*, *tenete.* —— *Meum propositum est antiquos legere*, *probare singula*, *retinere*, *quæ bona sunt*, *& à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.*

S. D. G.

(ff) *In Ep. ad Miner. & Alexandrum sub fin.*

ANDR. AUSTEN
DISSERTATIO
De genere mortis Judæ ad Act. I: 18.

ΣΥΝ ΘΕΩ

* * * * * *

Πρόπυλον.



PRodeat *in theatrum Judas* Ἰσκαριώτης, *quarta luna natus*, *qui exsecrando suo facinore turpissimum τῆς ἀχαριςίας χάραγμα nomini suo inussit.* Nam qui non delet peccatum per pœnitentiam, nec illud deletur per memoriam. Hieronymus Comment. in Marc. 3. Tom. IX. p. m. 75. *CAIANI*, *quos* Tertull. de Præscript. adv. Hæret. c. 47. *CAINÆOS vocat*, *quod Caini ἀδελφοκτονίαν*, *ut factum egregium*, *laudibus cumularent*, *JUDAM in delitiis habuerunt*, *& per quam magno honore mactaverunt.* Τοῦτον γὰρ θέλουσιν εἶναι συγγενῆ ἑαυτῶν, καὶ ἐν γνώσεως ὑπερβολῇ τὸν αὐτὸν καταλέγουσιν. Hunc enim volunt esse affinem suum, eidemque excellentem quandam cognitionem attribuunt, *teste* Epiphanio de Hæres. L. 1. Tom. III. p. m. 267. Adeo ut etiam præsciverit, quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum propterea Judæis tradiderit: *quemadmodum* Augustinus Hæres. 18. p. m. 112. *recenset*, *&* Sixtus Senensis Biblioth. S. L. II. Sub titulo Judæ *ex eo repetit. An à Cerintho*, *quem* Epiphanius p. m. 110. ἀπὸ τῆς Θηλώδους σπορᾶς *genitum dicit*, *insaniem hanc hominum infrunitissimi hauserint*, *nostrum haud est inquirere*, *multo minus determinare. Suffecerit annotasse*, *Autores nunquam satis laudati operis*, *quod* Centuriæ, *& à loco ubi natum*, Magdeburgenses, *insignitur*, Cent. I. L. 2. cap. 5. p. m. 485. *disertis verbis testari*, Judam à Cerintho fuisse honoratum. *Neque vero hanc ob causam. Proditorem maximum penicillo nostro deformandum suscepimus. Absit enim*, *absit*, *inquam*, *à nobis vesania illorum hominum*, *quibus helleboro ad purgandos meatus cerebri nariumque opus esse nemo non videt. Judam cum* Hipponensium Episcopo Tract. 7. in Joh. *detestamur*, *iniquitatem ejus aversamur*, *quam ipsemet*, *sed lento nimis passu atque sero exsecratus est*; *inquiens*, ἥμαρτον παραδοὺς αἷμα ἀθῷον. Matth. 27: 4. *Dissidium & insignis inter Criticos*, *verborum apicumque æstimatores acerrimos διαφωνία*, *quam in explicandis atque conciliandis Scriptoribus S.* Matthæo *&* Luca *ultimam atque fatalem vitæ τοῦ προδότου periodum insinuantibus animadvertere sedulus Lector poterit*, *me potissimum pellexit*, *ut opellam qualemcunque* (*meo enim me pede metiens curtam meam suppellectilem probe compertam habeo & ore rotundo profiteor*) *ad expendenda ea conferrem*, *quæ auctores θεόπνευστοι de tragico miserrimi ex bipedibus exitu in suis scriptis canæ posteritati reliquerunt. Quem in finem verba eorum primo loco sistam*, *iisque ad stateram appensis*, *& sub examen justum revocatis*, *eam*, *quam de obitu Judæ foveo sententiam*, *libere promam*, *concessa unicuique hac ἐλευθερίᾳ*, *ut suo heic abundet sensu*, *quam ne mihi quisquam invideat*, *aut invito extorqueat*, *humanissime rogo.*

§. I. QUæ jam ad nostrum collimant scopum & de pernicie Judæ agere videntur, *Matth.* 27: 5. *Lucas* Act. 1: 18. sequentibus circumcise exponunt verbis.

Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.

Operæ pretium erit Versiones nonnullas, easque nobiliores & notiores in medium producere. *Syræ* primum locum deferimus, quæ reliquis omnibus propter antiquitatem suam palmam vel præripit, vel ambiguam facit. Illa vero textus superius allatos hunc in modum exprimit.

ואזל חנק נפשה׃. ונפל על אפוהי על ארעה ואתפרת מן מצעתה ואתאשד כלה גויה׃ *Et abiens strangulavit se ipsum. Et cecidit super faciem suam super terram & disruptus est ex medio*, s. media sui parte, *& effusa sunt omnia intestina ejus.* Syram excipiunt aliæ. *Vulgata Basileæ* anno M D LXXVIII. impressa legit. *Abiens laqueo se suspendit. Et suspensus crepuit medius*, *& diffusa sunt omnia viscera ejus. Leo Judæ* in Bibliis suis, quæ superioris seculi anno XLIV. *Tiguri* prodierunt, transtulit. *Et abiit & laqueo se præfocavit. Suspensusque crepuit medius*, *& effusa sunt omnia viscera ejus. Junius & Tremellius*: *Et profectus strangulavit sese. Et præcipitatus crepuit medius*, *& effusa sunt omnia viscera ejus.*

LUTHERUS.

Gieng hin/ und erhängte sich selbst. Hat sich erhängt/ und ist mitten entzwey geborsten/ und all sein Eingeweide außgeschüttet.

BELGA.

Ende henen gaende verworghde hem selven. Ende voorwaerts overgevallen sijnde is midden opgeborsten ende alle sijne Ingewanden sijn uytgestort.

ANGLUS.

And went, *and hanged him selff. And falling headlong*, *he burst asunder in the midst*, *and all his Bowels gushed out.*

POLO-

POLONUS.

Odszedszy obiesiel sie. A obiesiwszy sie rozpukl sie na poly/ y wyplynely wszystkie wnetrznosci jego.

Alias Versiones silentii sippario involvimus. Attamen si aliquid in iis occurrerit, quod nostræ Dissertationi lucem fœnerari queat, illud in medium protrudere haud gravabimur.

§. II. Promissi ergo nostri memores ante omnia textus authentici analysin dabimus. Ne vero temporis inæstimabilis jacturam patiamur, vel Lectori nostro propositione rerum notissimarum fastidium creemus συντόμως ea percurremus, quæ levioris sunt momenti, prolixitatem iis reservantes quæ spississimis pressa nebulis Authoribus in diversas partes eundi ἀφορμὴν s. *occasionem* porrexerunt.

Καὶ. *Et.* Est σύνδεσμος. Apud Hebræos, Syros, Arabes, Persas nec Samaritanos exprimitur per ו inseparabile. Quandoque καὶ ad imitationem τοῦ ו Hebraici alium induit significatum. vid. *Glass. Philol. S.* L. IV. tr. I. *p. m.* 874. *Joh. Vorstius de Hebræis.* L. I. c. VI. *p. m.* 222. *Beza in Notis ad Nov. Test.* passim. Hic communem & usitatissimam retinet σημασίαν, *sermonemque de Juda institutum* συνδεῖ.

§. III. Ἀπελθὼν, *Abiens, profectus. Particip. aor.* 2. *gen. m. n. s.* à verbo ἀπέρχομαι, conflato ex præpositione ἀπὸ & ἔρχομαι, quod una cum suis compositis tempora ab inusitato ἐλεύθω mutuatur, & propterea inter anomala à Grammaticis refertur. Ἀπὸ quotiescunque compositionem ingreditur cum verbo à vocali inchoato, suam vocalem ultimam abjicit, ne propter vocales mutuo se excipientes κακοφωνία irrepat, quæ linguam alias suavissimam suavitate sua privet. Hinc pro ἀποέρχομαι dicitur ἀπέρχομαι. *Fut.* ἀπελεύσομαι *Joh.* 6: 68. *Rom.* 15: 28. *Arist.* 2. ἀπήλυθον, pro quo per syncopen legitur ἀπῆλθον *Gal.* 1: 17. *Apoc.* 10: 9. Hic absolute ponitur nullumque casum regit. Plerumque tamen casum Præpositionis sibi vindicat, sc. *genitivum*: ἀπελθεῖν τοῦ βίου: *è vita discedere*: pro quo etiam simpliciter dici solet ἀπελθεῖν *mori*. Sic à *Laërtio vita in Platonis*, mortui vocantur ἀπελθόντες. Nonnunquam construitur cum πτώσει αἰτιατικῇ: ταύτην ἀπῆλθε τὴν ὁδόν. *Abiit hac via.*

§. IV. Ἀπήγξατο. Est 3. *pers. s. n. aor.* 1. *med.* à verbo ἀπάγχω, quod compositum est ex ἀπὸ & ἄγχω, cui Latinum *Ango* natales suos debet, quod secundum *Diomedem* proprie significat, *præfocare, strangulare.* Rarissima hæc est avis & albo rarior corvo in Novi Testamenti pandectis: nam semel tantum legitur, & quidem hoc in loco, qui præ manibus est. Οἱ ἑβδομήκοντα in Versione sua Veteris T. 2 *Sam.* 17: *vs.* 23. plane eodem usi sunt verbo, quando exitum Achitophelis descripserunt. Καὶ Ἀχιτόφελ εἶδεν ὅτι οὐκ ἐγενήθη ἡ βουλὴ αὐτοῦ, καὶ ἐπέσαξε τὸν ὄνον αὐτοῦ, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, εἰς τὴν πόλιν αὐτοῦ, καὶ ΑΠΗΓΞΑΤΟ, καὶ ἀπέθανε. *Judæi* pariter *Hellenistæ*, à quibus origo librorum Apocryphorum petenda videtur, quamvis *Isidorus* eosdem sub nomine Apostolorum ab Hæreticis compositos esse referat, *Tobiæ* 3: *vs.* 10. de Sara narrant, quod cum improperia & convitia ab ancillis Patris sui audiret, ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι. In profanis Autoribus frequentior hujus vocis usus comparet, quod ignotum esse non potest iis, in quorum manibus versantur. Totam messem collegit *Jacobus* F. F. *Gronovius in Exercitationibus suis de casu & pernicie Judæ*, quem consulere poterit cupidus Lector, præsertim pag. 162. *seqq.* Nos aliquot saltem proferemus loca. *Thucydides*: ἐκ τῶν δένδρων τινὲς ἀπήγχοντο: *Theocritus Idyl.* 3. Ἀπάγξασθαί με ποιήσεις. *Aristophanes* νεφ. Ἀπαγξαίμην τρέχων. *Ælianus Hist. Var.* l. v. c. 8. Σωκράτης μὲν κωμῳδούμενος ἐγέλα: Πολιάγρος δὲ ἀπήγξατο. *Polybius* Autor gravissimus LXVI. c. 19. de Abydenorum desperatione sic loquitur. Ὁ δὲ Φίλιππος θεωρῶν τὸ πλῆθος καὶ τὴν ὁρμὴν τῶν σφάς αὐτοὺς καὶ τὰ τέκνα, καὶ τὰς γυναῖκας ἀποσφαττόντων, κατακαιόντων, ἀπαγχόντων, εἰς φρέατα ῥιπτέντων, κατακρημνιζόντων ἀπὸ τῶν τεγῶν, ἐκπλαγὴς ἦν, καὶ διαλγῶν ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις παρήγγειλε, διότι τρεῖς ἡμέρας ἀναστροφὴν δίδωσι τοῖς βουλομένοις ἀπάγχεσθαι καὶ σφάττειν ἑαυτούς. Xenophon. Lib. III. Κύρου παιδ. sic loquitur. Ἔνιοι γὰρ φοβούμενοι μὴ ληφθέντες ἀποθάνωσι, προαποθνήσκουσιν ὑπὸ τοῦ φόβου, οἱ μὲν ῥιπτοῦντες ἑαυτούς, οἱ δὲ ἀπαγχόμενοι, οἱ δὲ ἀποσφαττόμενοι. In Epigrammate quodam Græco scribitur, αἰσχυνθεὶς πεπόσιρον ἀπήγξατο. In alio vero: Καὶ γαμῶν ἀπήγξατο.

§. V. Verum de genuina hujus verbi significatione Criticorum Coryphæi vehementer contendunt, nullusque adhuc disceptationum finis est, sed pendet sub Judice lis. Quandoquidem autem verissima est illa Judæorum sententia אֵין בַּתּוֹרָה אֲפִילוּ אוֹת אַחַת שֶׁאֵין הָרִים גְּדוֹלִים תְּלוּיִן בָּהּ *Non est in lege vel una litera, à qua non dependeant magni montes*; ejusque veritatem præsertim hoc in loco manu quasi palpamus, nobis hoc operæ datum autumabimus, ut in eruderanda hujus verbi significatione maximo cum studio versemur, omnemque moveamus lapidem, donec ad ipsam arcem perveneri-mus. Invento enim genuino verbi ἀπάγχεσθαι significatu, deprehendent etiam alii nobiscum, quam dapsiliter errent, qui Matthæum cum Luca committentes nescio quam pugnam lepide inter utrumque somniant. Contortis etiam & salebrosis conciliandi modis haud opus erit, sed sponte cuncta fluent.

§. VI. Aliorum primo loco recensebo sententias. Magnus ille *Salmasius*, Criticorum facile Princeps, in ea versatur opinione, quod ἀπάγχομαι semper sonet, *laqueo sibi finire vitam.* Audiamus ipsum loquentem. *Scripsit Matthæus Judam semetipsum suspendisse: non enim aliam Interpretationem hæc verba recipiunt apud Matthæum*: Καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. *Et recte Vulgaris Interpres, & abiens laqueo se suspendit: Hoc verbo non aliter utuntur Græci Scriptores.* Et paulo post. *Nunquam hoc verbum Græcum in alia notione acceptum est.* Vestigia incomparabilis Viri legit *Abrahamus Calovius in Bibliis Illustratis ad Matth.* 27: 5. Ubi ex Thucydidis superius allegato loco, & ex Hebræorum חָנַק, quod 2 *Sam.* 17: 23. adhibetur, pro quo *Septuaginta Senes Nahum* 2: 12. habent ἀποπνίγειν idem demonstrare satagit. Sed ὡς ἐν παρόδῳ observandum παρόραμα, quod an Doctissimo Viro, an operis typographo impingere debeam ignoro. Pro ἀποπνίγειν posuit ἐπημνίζειν, quod Græcis Musis & inauditum & ignotum est. Supra memoratus *Gronovius*, Academiæ Lugdunensis, quæ in Batavis est, insigne ornamentum eadem chorda oberrat, quando citatarum *Exercitationum* 17. & 18. fuse, multis undiquaque congestis testimoniis, quæ denso agmine in aciem producit, probare annititur, non tantum nullam aliam ejus verbi significationem apud Græcos Historicos esse, sed insuper, vix esse Scriptorem Græcum, cujus publica & probata sit Auctoritas, qui non eo verbo & quidem in ea sententia utatur. Idem opus agere videtur post *Fesselium Adversar. Sacr.* lib. 1. c. XI. §. 2, 3. *Crauserus* quidam *in Phosphoro* p. 79. Cujus hæc inter alia sunt verba. *Activa vox* Ἀπάγχειν *denotat suffocare, strangulando suspendere. Passiva vero* ἀπάγχεσθαι *strangulari, sibi mortem laqueo consciscere.* Sed supersedere hoc potuisset labore, quem Stephanus, Vir de orbe literato meritissimus exantlavit. Cui sua Crauserus debet.

§. VII. Alii aliam & longe diversam calcant semitam, statuentes τὸ ἀπάγχεσθαι quidem denotare *suffocari laqueo sibi imposito*, vel *mortem sibi laqueo consciscere*: sed non solum. Generaliorem dicunt esse hujus verbi significatum, qui specialem strangulationis modum non excludit. Hinc laudatus Stephanus in *Thesauro suo col.* 57. Ἀπάγχω *suffoco, strangulo, laqueo interimo, suspendo strangulans.* Ἀπάγχομαι *Pass. suffocor, strangulor; sed frequenter* ἀπάγχεσθαι *pro strangulare seipsum, mortem sibi laqueo consciscere.* Candide sane: nam generaliori significatione præmissa, quæ continetur sub vocibus *suffoco, strangulo, & suffocor, strangulor*, ad specialem descendit, *laqueo interimo, suspendo strangulans, & mortem mihi laqueo conscisco.* Clarissimus *de Dieu in notis ad Matthæum* his verbis calculum suum addit: Ἀπήγξατο *nihil præter suffocationem significat, & in medio relinquit, laqueone & suspensione ea facta sit, an potius subito morbo, qui Græcis* ἀγχόνη *dicitur.* Suffragatur Doctissimus *Heinsius*, Vir multæ lectionis, quemadmodum videre est in Exercitationibus ad Matthæum & Lucam, ad quas, cum in plerorumque versentur manibus, Lectores nostros ablegamus. *Joh. Gerhardus Vossius*, Reipublicæ literariæ decus eximium, eandem fovet opinionem. Sic enim Harm. Evang. L. 11. c. 3. §. 14. *p. m.* 216. scribit: *Verbum* ἀπάγχεσθαι, *quo utitur Matthæus, idem est, quod* ἀποπνίγεσθαι *sive suffocari, quod laqueo quidem fit, non solo tamen, sed etiam mœrore.* Ὁ πάνυ Grotius, sapientiæ promicondus etiamsi statuat ἀπάγχεσθαι Græcis idem esse, quod suspendio sibi vitam adimere; ab eo tamen significatu recedit, quod absque temeritatis insigni nota Vir eruditus facere non potuisset, nisi eam vocis significationem, quam ei affricat, apud Veteres probatosque Auctores invenisset. Sed meretur ipse audiri. Prolixiora quidem sunt ejus verba, verum non pigebit nos ea exscribere ex *Comm. ad Matth.* 27: 5. *Est quidem Græcis* ἀπάγχεσθαι *suspendio sibi vitam adimere, ut* ἀπάγξασθαί με ποιήσεις *apud Theocrit. Sed difficulter id conciliatur cum Petri narratione Act. I. ubi aliud mortis genus Judæ tribuitur, effusis sc. intestinis, cum pronus in*

faciem corruisset. Quibus deinceps subjungit: *Videamus igitur an hoc loco Matthaus non agat de morte Judæ, ut quæ serius contigerit, & forte post resurrectionem, ut multorum fert conjectura, sed de gravissimo exulcerata conscientia tormento. Nam compressionem spiritus è mærore summo hac voce indicari, vel unus Tobia liber nos docet, ubi de Sara dicitur cap. 2: vs. 12.* ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι. *Et de Achitophele, in quem quæ dicta sunt à Davide, in Judam apprime congruunt, & de quo similiter legimus* ἀπήγξατο, *ubi in Hebræo est* ויחנק (non vero ויתן, quod cum per errorem typothetæ apud Grotium irrepsisset, ab ipso quoque Calovio in Bibliis Illustratis bona fide retentum est, qui si Biblia evolvisset, ex iis errorem s. σφάλμα facile corrigere potuisset) *quod verbum & Syrus & Arabs hic usurpant, sentiunt Hebræorum non ineruditi non laqueo sed mæstitia eum periisse.* Hucusque Grotius. Paria *Pricæus*, Autor celeberrimus habet, scribens *in Comm.* ad *Matth.* c. 27. *Sane sic sumi vocem* ἀπάγχεσθαι *non est inficiandum.* Respicit ad antecedentia, ubi Virorum Doctissimorum sententiam de eadem exposuit, dicentium: ἀπάγχεσθαι non esse exponendum per laqueo præfocari, sed vi ac impetu mœroris vitam evadere. Unicum adhuc proferam, qui ὁμόψηφος est superioribus, sc. *Guil. Saldenum*, recentiorem quidem, non tamen rejiciendum, qui eruditissimis suis scriptis Theologicis, tum Praxin tum Theoriam concernentibus, applausum apud Viros Clarissimos promeruit. Ejus hoc est judicium *in Otiis Theol.* Lib. II. *Exercit.* VIII. *p. m.* 384. Ἀπήγξατο *ergo est ab* ἀπάγχεσθαι, *quod dubio procul mortem laqueo consciscere etiam significat. Latini per strangulationem vertunt. Sed vel per vocem hanc Græcam, vel per Latinam nihil aliud præter strangulationem per laqueum significari posse, nemo hactenus probavit.* Et quibusdam interpositis pergit: *Deducta vox est ab* ἄγχω, *quod & strangulo significat; atque* ἄγχομαι *quod non strangulor tantum notat, sed mœrore etiam consumor.*

§. VIII. Sed quo non deducimur. Sane posuit nos amor extra circum, quem hujus materiæ currimus: Ne ergo longiores simus in referendis aliorum opinionibus, & obvia referamus, progrediemur ad explicanda ea, quæ nobis de hoc verbi significatu optima videbuntur. Pindari calculo justam ad causam tria verba sufficient, breves itaque erimus. Ἀπάγχομαι *generalissima est vox & cujuscunque generis strangulationem significat.* Inficiantes habebimus maximæ Autoritatis Viros, quibus absonum videbitur nostrum de hoc verbo judicium. Dicent enim τίς τρόπος ἵππων, quasi proverbio Græci utebantur, quemadmodum scribit *Suidas* ἐπὶ τῶν ἀλλοκότων i. e. *de absurdis.* Sed bona verba, quæso. Sedatis agamus animis, viam sapientum consignatam vestigiis teramus, non affectu aut opinione de curriculo veritatis devii. In nullius verba jurabimus, nullas copias auxiliares aliunde accersemus, sed sola ratione duce agemus. Si vero à communi declinaverimus tramite, & à plurimorum sententia dissenserimus, veniam nos impetraturos facilem nulli dubitamus; præsertim cum in tali versemur materia, in qua animorum divortium citra discrimen salutis locum obtinere queat. Ab ovo rem ordiamur.

§. IX. Ἄγχω, cui originem suam debet ἀπάγχω & ἀπάγχομαι propriissime, ut barbare loquar, significat, strangulo, suffoco, fauces constringo. Hinc est verbum Latinum *ango*, mutata duntaxat aspirata in mediam, X. in g. Τί ἄγχεις ὦ Πρωτεσίλαε τὴν Ἑλένην. *Quid ô Protesilae strangulas, angis Helenam:* inquit *Lucianus initio cujusdam Dialogi*, & *Homerus*, Poëtarum Phœbus, cujus tempora incerta, verba certissima sunt, Odys. T. i. e. XIX. *in medio p. m.* 533. Edit. Amstel. de an. 1648.

—— —— ὁ μὲν λάε νεβρὸν ἀπάγχων.

Hic quidem hinnulum, s. pullum cervi videbat suffocans. Ἄγχειν vero dicuntur omnia, quæ fauces constringunt, vel suffocant: *sive sit humor* aliquis inflammatorius, qui glandulas ac musculos tracheæ & œsophagi omnesque partes faucium isthmum constituentes occupans, maximam deglutiendi & respirandi difficultatem generat. Quod certum morbi genus est, & Æsculapii filiis ἀγχόνη s. *angina* appellatur, alio nomine *tonsillæ*; Medicorum vulgus *squinantiam* vocat. Hæc propter diversas suas species diversa sortitur nomina συνάγχη, παρασυνάγχη, κυνάγχη, παρακυνάγχη. *Sive is sit dolor* mœrorque: nam ut *Naso Tristium* L. V. Eleg. I. canit

Strangulat inclusus dolor atque cor æstuat intus.

Xenophon pariter loco citato §. 4. dicit: οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ φόβου ἀπαγχόμενοι quod de strangulatione quæ fit per laqueum intelligi minime posse tota verborum series clamat. *Sive sit cura*: huic etenim *Juvenalis* strangulationem s. ἀγχόνην adscribit *Satyr.* X. vs. 12. *p. m.* 97.

Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balæna Britannica major.

Dum sc. omni ratione laborant, ut, ut suus census tanto excedat, aliorum census, quanto balæna Britannica exsuperat delphinas mole. Hæc & alia ad internas τῆς ἀγχόνης causas commode referri possunt. Sed præter internas dantur externæ: Sic *Ovidius in Ibin circa finem.*

Comicus ut mediis periit, dum nabat, in undis,
Et tua sic stygius strangulet ora liquor.

Fabius Senator Prætor in lactis haustu uno pilo strangulatus fuisse perhibetur à Plinio l. VII. cap. 7. *Tiberius Claudius Cæsar Drusum filium Pompejis impuberem amisit, pyro per lusum in sublime jactato, & hiatu oris excepto strangulatum. Sueton. in vita Claudii* §. 27. *p. m.* 188. Carthaginienses, si fides adhibenda est *Appiano* Τῶν βυβλίων Nucerinorum εἰς τὰ βαλανεῖα συνέκλεισαν, καὶ ὑποκαίοντες τὰ βαλανεῖα ἀπέπνιξαν. Qui implet os aqua, adeo ut stranguletur, illum aqua strangulat. Nimia cibi copia solet quandoque intercipere halitum & strangulare. Sic *Zenophantes* apud Lucianum. Ἐγὼ μὲν γὰρ ὅτι παράσιτος ὢν Δεινίου πλέον τοῦ ἱκανοῦ ἐμφαγὼν ἀπεπνίγην, οἶσθα.

§. X. Sed reclamabit eorum αἵρησις, qui generalem verbi ἀπάγχω significatum restringunt, & objicient verbum ἀποπνίγειν quod ab Appiano, Luciano aliisque de strangulationibus illis, quæ absque laqueo fiunt, usurpatur. Sed Sybillæ quasi folia sunt, flatuque rationis cito dispelluntur. Πνίγω & ἀποπνίγω æque est aliquid genericum ac ἄγχω & ἀπάγχω, strangulationemque quamvis, etiam illam, quæ mediante laqueo peragitur, sonat. Quod posterius si demonstraverimus, in fumum resolvetur opinio eorum, qui statuunt πνίγειν esse genericum & de quavis suffocatione, excepta illa per laqueum, quam verbo ἀπάγχειν & ἀπάγχεσθαι denotari cupiunt, accipi. *Aristophanem* ad partes nostras revocabimus & *Hesychium*, Autores probatissimos. Quorum ille πνιγηρὰν ὁδὸν εἰς ᾅδου vocat cum quis à se ipso suffocatus, strangulatus, ad orcum descendit, seu, quum laqueo vitam finiens ad generum Cereris descendit. Nam Baccho quærenti vias

Ὅπως τάχιστ᾽ ἀφίξομαι εἰς ᾅδου κάτω.
Καὶ μήτε θερμὴν, μήτ᾽ ἄγαν ψυχρὰν

Hercules respondit primam esse à resti, & à scabello ut seipsum suspendat.

Μία μὲν γάρ ἐστιν ἀπὸ κάλω καὶ θρανίου.
Κρεμάσαντι σαυτόν.

sc. ut scabellum adscendens & funiculum collo aptans se præcipitem det, & sic animam miseram efflet. Quibus Bacchus subjungit:

—— —— —— παῦε. πνιγηρὰν λέγεις.

i. e. *suffocatoriam dicis.* Πνίγονται ergo, qui laqueo strangulantur. Prolixius hæc legi possunt in *Aristoph.* Βατραχ. *Act.* I. *Scen. II. Hesychius* laqueum vocat Πνιγεὸν, quod facere haud potuisset, nisi etiam illi, qui laqueo mortem sibi consciscunt, dicerentur πνιγόμενοι. Sileo *Oecumenium* qui cap. II. in Act. Apost. ἀποπνίγειν adhibet pro strangulatione per laqueum. Verba ita sonant Ὁ Ἰούδας οὐκ ἀπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ᾽ ἐπεβίω κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. *Judas suspendio è vita non discessit sed supervixit: dejectus est enim priusquam præfocaretur.* Victas igitur dabit manus Doctissimus Gronovius F. F. cujus honoribus nihil detractum esse volo, aliique qui πνίγειν cum composito suo ἀποπνίγειν nullibi usurpari dicunt pro *suffocare laqueo*, sed pro suffocatione alia tantum.

§. XI. Sed è diverticulo in viam. Quemadmodum ἄγχω genericum est, ita etiam ἀπάγχω & ἀπάγχομαι. Præpositio enim ἀπὸ quæ ad verbum simplex accedit, & verbum constituit, talem inferre non potest compositi mutationem in significatu, ut tantum eam denotet violentiam, quæ extrinsecus in collo adhibetur, nec etiam quamvis, sed præcise eam, quæ circuitu laquei id angustat: ut idem contendit *Gronovius pag. m.* 155. Sed videamus etiam an non in illo significatu quem nos adstruimus, apud Græcos Authores reperiatur. Hoc si demonstraverimus ruet tota illa ædificii moles, quam fundamento parum solido cum *Gronovio*, *Salmasius* & *Calovius* aliique superædificaverunt, quaque probare annituntur Judam solo suspendio periisse: illud ingeminantes: *Nunquam hoc verbum* ἀπάγχεσθαι *in alia notione apud Græcos acceptum esse.* Xenophontem audivimus §. 9. & §. 4. edisserentem quid metus apud multos valeat, sc. quod ἀποθνήσκουσιν ὑπὸ τοῦ φόβου, οἱ μὲν ῥίψαντες ἑαυτοὺς, οἱ δὲ ἀπαγχόμενοι, οἱ δὲ ἀποσφαττόμενοι: mortui

mortui sint præ metu, *hi quidem in præcipitium acti*, vel se ipsos præcipitantes, *alii strangulati*, *alii manus sibi ipsis inferentes*. Nemo vero, ut opinor, τὸ ἀπάγχεσθαι hoc in loco per solam explicabit strangulationem per laqueum: imo ulterius pergam; nemo hic ejus generis strangulationem intelliget: Nam illa continetur sub verbo ἀποσφάττω; qui enim se laqueo strangulat ἀποσφάττων ἑαυτὸν s. *manus sibi inferens* optimo jure dici potest. Quando enim ἀπάγχεσθαι & ἀποσφάττεσθαι conjunguntur, per illud procul dubio aliud mortis genus quam *se suspendere* intelligendum est, nisi verba citra ullam necessitatem, imo frustra conglomerata esse dicere velimus. Quale vero! En! Ἀπαγχόμενοι ὑπὸ τοῦ φόβου itaque dicuntur illi, quibus metus tantum incutit mœrorem, qui etiam spiritum stringat, & occludat, sive mors subsequatur, sive non. Hinc *Libanius* τὸ ἄγχομαι ponit & usurpat pro *mœrore conficior*, *angor*. Ad Ælianum accedamus; qui loco memorato de *Poliagro* refert quod strangulatus fuerit. Σωκράτης μὲν κωμῳδούμενος ἐγέλα: Πολιάγρος δ' ἀπήγξατο i. e. *præ mœrore, dolore, ira & affectibus vehementissimis*. Sic enim debere intelligi præcedentia clamant, in quibus scommata & convitia quid valeant his verbis ostendit: σκώμματα οὐ μόνον ἐλύπησε πολλάκις, ἀλλὰ καὶ ἀπέκτανε. *Scommata sæpius non tantum tristitiam, sed etiam mortem inferunt.* Hanc in rem adducit Poliagrum. Quis vero dicere audebit, hominem in ipsa Comœdia *seipsum laqueo necavisse*. Quare mirari me subit, quomodo Versio *Schefferiana* non potius habeat *Poliagrus strangulatus* est, quam Poliagrus *seipsum strangulavit*: cum neque vocis natura interpretationem illam necessario flagitet, neque cum circumstantiis loci conciliari possit, ut jam dictum est. Cum vero de illo *Theocrit.* ἀπάγξασθαι με ποιήσεις mens adhuc dubia hæreat, nolumus quicquam de eo dicere. Hippocratem producemus testem, qui τμήμ. δευτέρω, μγ. scribit. Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων μηδέπω δὲ τεθνηκότων οὐκ ἀναφέρουσιν οἷσι ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα. Ubi Interpretes ἀπαγχόμενος reddunt per strangulatum. Quid vero illud sit, quod Medicinæ Parens per ἀπάγχεσθαι intelligat haud obscure Commentator ejus *Anton. Musa Brasavolus* in notis ad eundem §. his verbis exponit. *Illi strangulati & strangulari dicuntur, quibus occluditur spiritus per occlusionem arteriæ, quod extrinsece fieri potest, aut laqueo aut manus apprehensione. Intrinsece autem ob tumorem præter naturam occludentem, vel ob esum rei strangulantis & spiritum occludentis, ut de Ephemero Dioscorides dicit, quod Colchicum vocat. Est autem id, quod à nostris pharmacopolis hermodactylus nuncupatur, quo pro re sana utuntur quum venenum sit.* De loco Tobiæ 3: 12. Grotium cum audierimus, nihil dicimus. Ex quibus sole meridiano clarius esse existimo, vocem ἀπάγχεσθαι non solum illam strangulationem significare quæ laqueo collo adaptato peragitur; sed & eam, quæ alio etiam modo, quicunque is sit, homini obvenit. Quo vero significatu hoc in loco sumi debeat, ex sequentibus patebit. Nunc Matthæo relicto ad Lucam pergemus.

§. XII. Καὶ πρηνὴς γενόμενος. *Præcipitatus.* Duo sunt nominativi, quorum posterior est *aor. 2. medii*, participii, à verbo γίνομαι: prior autem nominis, πρηνής, ἐς, quod componitur à πρὸ, *ante* & νεύω *vergo, nuto*. Hinc *Galeno Lex. Hipp.* Τὸ πρηνὴς, *est*, πρὸς τὴν γῆν νενευκώς. Dicitur etiam pro πρηνὴς, πρανὴς, quod *Eustathius* posteris Homeri usitatius fuisse scribit, eaque scriptura extat apud Galenum, Theophrastum, Paracelsum, Xenophontem, Aristotelem, aliosque. Sacra Scriptura dicit πρηνὴς, idque semel tantum, sc. hoc loco. *Suidas* exponit ἐπὶ πρόσωπον *in faciem*: *Hesychius* ἐπὶ πρόσωπον πεπλωκὼς, & πρηνιχθέντα ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα. Communiter opponi solet τῷ ὑπτίῳ *supino*. Sic *Juvenalis Satyr.* 3. in fine.

—— *Cubat in faciem mox deinde supinus.*

Sed videntur nimium angustis terminis significationem hujus vocabuli circumscribere, qui ita explicant. Fateor notare, & in faciem cadere, & ἐπὶ πρόσωπον ἢ στόμα: Verum etiam plus significat: quod inter alia cognosci poterit ex illo *Homeri*

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο παρὰ τροχὸν ἐξεκυλίσθη
Πρηνὴς ἐν κονίῃσιν ἐπὶ στόμα —— ——

Nam si Homero πρηνὴς notaret ἐπὶ στόμα, cur ea ipsa addidit? Scholiastes quidem scribit postremas voces esse δηλωτικὸν τοῦ πρηνής. Si hoc ita sit, cur non etiam apponit hæc, ἐπὶ πρόσωπον. Eidem Homero etiam urbes dicuntur πρηνεῖς γενόμεναι Iliad. B. *in medio. p. m.* 62.

Μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι, καὶ ἐπὶ κνέφας ἐλθεῖν
Πρίν με κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον
Αἰθαλόεν. —— —— —— —— ——

Quæ verba continent partem Orationis *Agamemnonis* ad Jovem. Si jam πρηνὴς nihil nisi pronum notaret, dicendum esset, etiam urbes pronas & in faciem cadere posse, & aliquid interesse, utrum adversæ an supinæ cadant, neque suffecisse Agamemnoni, quocunque modo Priami Urbem solo adæquaret, nisi hoc potius quam illo pacto ruinam perageret. Suidæ interim explicationem τοῦ πρηνὴς hoc loco defendunt *Augustinus*, qui teste Erasmo in Act. 1. L. 1. contra *Felicem* infelicissimum *Manichæum* capite 4. & 5. adducens locum dicit, *Et dejectus in faciem*. *Erasmus* l. c. *Gerhardus* Comm. in Actor. p. m. 31. aliique. Nobis vero πρηνὴς γίνεται ille, qui vel ab alio vel à se ipso præcipitatur, sive jam cadat supinus, sive ἐπὶ πρόσωπον. Quod ipse *Lutherus* in Versione Germanica Sap. 4: vs. 19. innuere videtur: qui verba illa ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς, generaliter vertit, **Und er wird sie unversehens** (mallem, **ohne einigen Laut oder Geschrey**) **hernieder stürtzen.** Si enim πρηνὴς pronum in oppositione ad supinum denotet, reddere debuisset **auffs Angesicht hernieder stürtzen.** Universus autem ille versiculus agit de infelicitate malorum & in peccatis lætantium hominum, eam ut exprimat, sumit translationem commodissimam, nempe ab præcipitatione, una haud dubie ex pessimis & publice quondam non minus ac privatim usurpatis rationibus pereundi, dicitque ἔσονται μετὰ τοῦτο εἰς πτῶμα ἄτιμον, καὶ εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δι' αἰῶνος, ὅτι ῥήξει &c. Ἀφώνους πρηνεῖς vocat alludens ad morem exsequendi istius supplicii. Videtur enim mos fuisse, ut tam ad alias pœnas ultimas, quam ad præcipitium publica sententia condemnati, & rapiendi ad pœnæ executionem fuerint ore obthurato, *h. e.* ἄφωνοι. Hujus verbi itaque generaliorem significationem si attendisset *Syrus* & *Arabs*, non reddidissent *super faciem*, *super terram cecidit*. Et, *Syncipue reflectens supra faciem suam in terram*. Cum quorum posteriori videtur facere *Vulgatus*, & Leo Judæ, Lutherus & Polonus qui legit *suspensus*; quod plane ἄτοπον, quia πρηνὴς non suspensum sed *præcipitem* denotat.

§. XIII. Ἐλάκησε μέσος. Verbum ἐλάκησε est 3. pers. *aor. 1. act.* à verbo λακέω, pro quo etiam dicitur ληκέω. Frequenter sumitur pro *sono*, *sonum edo*: aliquando tamen *disrumpor cum sonitu*, *it. crepo* significat. Sic Suidas exponit per μέσος ἐσχίσθη, medius fissus, vel in medio diffissus est. Idem enim est quod ῥήγνυμι. Hinc λακὶς ruptura. In Glossario λακῶ, *crepo Aristophan.* νεφ. διαλακήσαιμι. Ubi Scholia, διαῤῥαγείην, λακὶς γὰρ τὸ σχίσμα. Celeberr. Pricæus τὸ μέσος vult esse δεινότητα, quod elegantiæ & efficaciæ inservit: magnamque gargaridiat exemplorum copiam tum ex profanis Scriptoribus, Homero, Plauto, Lucilio, Terentio, Cicerone, cum ex Sacro, sc. Luca 23: 46. Sed elegantiæ haud inservire, sed efficaciæ, nobis certissimum est. Alia enim ratio Scriptorum profanorum, alia Spiritus S. qui non tam elegantiam affectat, quam rem, prout gesta est, exponit. Nihil hic superfluum, nihil abundans, sed omnia necessaria.

§. XIV. Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. *Et effusa sunt omnia viscera ejus.* Ἐξεχύθη 3. pers. *aor. 1.* pass. ἐκχύομαι: à verbo ἐκχύω, composito ex præposit. ἐκ & χύω quod idem est cum χέω. Compositum hoc non nisi in forma passiva legitur in Scriptura N. T. vid. Matth. 26: 28. *Præter.* ἐκκέχυμαι. Ἡ δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκκέχυται Actor. 10: 45. Hinc nomen ἔκχυσις effusio. *Athen.* l. 14. ἐκχύτης effusor. *Lucian.* in *Vit. Auct.* Σπλάγχνα est *nomin. plural.* à nominativo τὸ σπλάγχνον: Denotat autem hoc nomen omnia viscera, exta. Hinc Syrus vertit omnia *interiora*. Frequenter pro corde usurpatur. Unde apud *Aristoph.* σπλάγχνα θερμαίνειν πρὸς ὀργήν. *Eustathius* ex veterum Auctoritate refert, σπλάγχνα denominari à Dorico σπλὰν, quod pro σπλὴν dicitur, ita ut per *Synecdochen* pars toti appellationem tribuerit. Interpres Æthiopicus dixit אמעוהו quod & significatione & radice convenit cum Hebr. מֵעִים.

§. XV. Quæ circa voces earumque significationem observanda erant, fuse indicavimus. Mens nunc nostra atque opinio de pernicie Judæ aperienda erit. Antequam autem illud exsequamur, aliorum ea de re sententias enarrabimus; & quam infirmo superædificata sint fundamento brevibus ostendemus. Communior fert opinio Judam se suspendisse: ita *Theophylactus*, *Euthymius*, *Nazianzenus in Christo patiente*, *Anastasius Sinaita in Hexaem. l.* 6. *Sedulius l.* 3. *Paschalis cap.* 8. *Berh. Serm.* 8. *in Psal. Venerabilis Beda in Actor. Erasmus*, *Beza*, *Gerhardus*, *Calovius*, *Erasmus Schmidius*, *Salmasius*, *Gronovius* aliique. *Pontificii* reliquiarum amore

amore occœcati hanc de suspendio Judæ sententiam strenue defendunt, & defendere coguntur, ni reliquiarum futilitatem exsibilandam publico exponere velint. Scribitur enim restim illam, qua sibi abripuit proditor vitam, Romæ olim inter sacras reliquias pependisse, quam *Georgius* quidam *Fronsbergius* rei insolentia delectatus secum instar singularis spolii Roma Augustam Vindelicorum deportavit. Vid. **Bienen-Korb des H. Römischen Immenschwarms** p. m. 63. a. Fundamentum hujus sententiæ est, quod omnes illi autumarent verbum ἀπήγξατο non aliud quam hoc innuere. Hinc magnus ille Calovius ore thrasonico pronunciat, *Matthæum* διαῤῥήδην *habere, quod Judas se suspenderit.* Ambiguitate hujus vocis deceptus in eundem scopulum allisit Interpres Vulgatus, cui non sufficiebat scripsisse, *Abiens se suspendit*, sed adjecit, *laqueo se suspendit*; *Leo Judæ*, qui, cum vim vocis Græcæ bene expressisset, per *præfocavit se*, eandem per additionem inutilem obscuravit, quando vertit, *laqueo* se præfocavit; Magnus *Lutherus*, *Anglus* & *Polonus.*

§. XVI. Quanquam autem eandem videantur inflare hi Heroes tubam, diversum tamen edit sonum: Vix enim inter se conveniunt de fatali illo ligno, ad quod suspensus Judas, longumque jota ex se faciens perierit. Quas, quæso, nugas, quas nænias non effutiunt? Pudet me hæc omnia proferre, non tamen puduit eos talia orbi erudito obtrudere & propinare. Ad *ficum* alii prolapsi: ita Juvencus L.6. *Hist. Evang.*

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Sed nisi fallor licentiam poeticam sapit, vel συνεκδοχικῶς hoc prolatum est, quomodo *alnus*, *pinus*, *abies* accipi solet à Poëtis pro nave cujuscunque ligni. Vid. *Vossium in Comm. Rhet. part. 2. p. m.* 138. seq. Quod, cum non attendisset Beda, historice ac proprie accepit. Sed eum decepêre, qui temporibus istis superesse eam fidem dicerent. Sic enim scribit *libro de locis Sanctis c.4. Portam David egredientibus fons occurrit in Austrum vel vallem directus, ad cujus medietatem ab occasu Judas se suspendisse narratur. Nam & ficus magna ibi & vetustissima stat.* Sed fabellam lepidam redolet, quod de ficus vetustate prædicat, nec majorem fidem meretur, quam illa παράδοσις de Terebintho, quæ adhuc hodie non procul à Bethlehem à nugivendulis exhibetur monachis, quam garriunt se flexisse atque umbram Mariæ Θεοτόκῳ præbuisse, cum cœlum valde sudum esset. Vide Itinerarium Orientale Arnd-**Gebhards von Stammer** p. m. 158. Eusebius enim & Hieronymus nec non vetustas tota multorum seculorum eam ignoravit. Sed forte Ruminalis ad instar erat ficus, de qua legimus apud *Tacitum Annal. l.* 15. *c.* 58. verbis extremis. *Eodem anno* (puta V. C. 811. *Christi* 59.) *Ruminalem arborem in Comitio, quæ super octingentos & quadraginta*, (vel ut Lipsius habet 30. vid. Matt. Berneggeri notas in h. l.) *ante annos Remi, Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco deminutam prodigii loco habitum est, donec in novos fetus revivisceret.* Interea & hoc fabulosum esse cum Cl. *Vossio* arbitror. *Ruminalis* enim hæc ficus non tam propterea dicebatur, quod Romulus & Remus sub ea educati sint, quam quia pecus sub ea soleret ruminari. Vestus utramque opinionem conjungit: *Ruminalem*, inquiens, *ficum appellatam ait Varro prope Curiam sub Veteribus, quod sub ea arbore lupa rumam sive mammam dederit Remo & Romulo. Mamma autem rumis dicitur, unde rustici hados lactentes subrumios vocant, qui adhuc sub mammis habentur. Alii autem sunt, qui putent, quod sub ea pecus ruminari solitum esset.* Interim *Cæsar Baronius* de suspendio Judæ ad ficum quæ traduntur, non tantum probat, sed etiam comprobat argumento desumpto à vivacitate ficus. Sed dignum patella operculum. Naturæ rusipatores ficum inter eas numerant arbores, quæ cito pereunt, vel ut cum *Plinio* loquar, quibus brevissima vita est. *Theophrastus* insuper *in libris de causis plantarum* τὸ διότι multis locis aperit: cujusmodi sunt, πολυκαρπία, & τὸ μανὸν, sc. *multitudo fructus*, & *raritas ligni.*

§. XVII. Adrichomius è contrario aliam arborum speciem elegit, sc. *Sycomorum*, **Maulberbaum**: quarum arborum in Palæstina magna erat copia, campestrique solo gaudebant. Sic *Bellonius* refert, se in ipso limine Palæstinæ prope *Carbassara* s. diversorium aliquod Arabicum, *Sycomoros* vidisse serie quadam in planitie dispositas, veluti apud nos Juglandes. L. 2. *observ.* 78. Sed affirmare non erubesco ejusdem esse originis atque Auctoritatis hanc traditionem, cum illa de *Sycomoro*, quæ ostenditur in horto prope *Memphin*, s. *Cairum*, *El Mataria dicto à lustratione, ubi Christus cum Virgine matre diu habitasse fertur*: in quo & fons reperitur, Balsami hortum irrigans, in quo illa Filium sæpe lavasse, ejusque fascias & pannos eluisse perhibetur. De qua Sycomoro *Joh. Henr. Ursinus in Arbor. Bibl.* cap. 36. *p. m.* 457. ex *Veslingio in Prosp. Alpin.* cap. 6. hæc annotat. *In eo* sc. horto, *ingens quoque Sycomorus, jam à mille & quingentis annis religione Christianorum nobilis. Vigent etiamnum cacumina lætis frondibus, caudex tamen circa radices fœde mutilatus: nam iidem, qui arborem osculis humectant, ejus particulam de solido frequenter abscindunt: animi intemperantis stulta curiositate labefactantes, quod affectu pio servare præstabat.* Sed forte hos similitudo quæ est inter ficum & Sycomorum eo permovit, ut hanc præ illa suspendio Judæ dederint. Est enim *Sycomorus*, describente *Dioscoride* l. 1. c. 44. *Arbor magna, fico similis.* Utrosque vero in hunc deduxit errorem mos suspendendi antiquus. Qui enim olim vel ex sententia judicis, vel propriis furiis agitati, laqueo sibi vitam finiebant, sæpe ex arboribus fuisse suspensos notum est vel ex isto carmine horribili apud *Livium*: *I Lictor, colliga manus, arbore infelici suspendito.* Hinc illud Græcorum proverbium; ἐξ ἀξίας γὰν ξύλου. Sic etiam *in vita Diogenis apud Laërtium* legimus γυναῖκας ἀπ' ἐλαίας ἀπηγχονισμένας.

§. XVIII. Audax profecto facinus hominum! qui curiositati suæ frænum laxantes, nescio, in quæ præcipitia prolabuntur. Nec mirum. Nam qui ipso Spiritu Sancto sapientiores esse, & illa perscrutari volunt, quæ Magister optimus nescire nos voluit, insipientiam suam produnt. Nam concesso, quod hujus farinæ homines sibi temere sumunt, suspendio periisse Judam, quis dicet an extra urbem, aut in urbe, an domi è lacunari aut è paxillo, an in horto vel agro ex arbore se suspenderit. *Eucolpus* apud *Petronium in Satyr. p. m.* 37. in cella ad spondam parieti junctam suspendium sui peragere volebat. *Eumolpus non quæsiit iracundiæ causam, sed continuo limen egressus, adduxit repente ostium cellæ, meque nihil tale exspectantem inclusit, exemitque raptim clavem, & ad Gytona investigandum cucurrit. Inclusus ego suspendio vitam finire constitui: & jam semicinctio stanti ad parietem spondam junxeram* (s. ut alia legunt exemplaria spondæ me vinxeram) *cervicesque nodo condebam &c.* Quem locum Cl. *Wouwerius in not. p. m.* 251. *desperatum* vocat: nullum enim sensum habent verba illa, *semicinctio stanti ad parietem spondam junxeram.* Sed ad Judam. Sit maneatque apud hujus sententiæ Patronos suspendium Judæ certissimum, deligant illi locum, deligant arborem, sive illa sit ficus, præsertim *nigra*, quam superstitio antiqua inter arbores posuit infelices, ut scribit *Macrobius Saturnal. l.* 3. *in fine*, sive Sycomorus, sive alia ligni species. Dicant autem quomodo de Juda suspenso id dici poterit, quod Lucas Act. 1. tradit. *Hic Rhodus, hic saltus.*

§. XIX. Sed & sibi dictum esse putent Doctissimi illi Viri, quod Poëta cecinit;

Aude aliquid brevibus gyaris & carcere dignum.

Quapropter manus admoveant, & quomodo de suspenso Juda Spiritus Sanctus narrare queat, πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, indicent. Sed en dissidium! En rixas atque contentiones! Placebit audire conatus, & quid lepidi excogitaverint percipere. Ad tres omnia referemus classes. *Ad primam refero opinionem eorum, qui statuunt Judam suspensum laqueo fracto præcipitem decidisse, atque sive in stipitem lignumque acutum, sive in saxum quoddam asperum incidisse, sive etiam absque tali illisione medium crepuisse, ac viscera effudisse, sive violentia casus, sive singulari vindicis DEI judicio venter medius crepuisse statuatur.* Sed audiamus *Casaubonum in Exercitationibus* suis verba facientem. *Habent hæ narrationes diversitatis aliquam speciem, contrarietatis ne speciem quidem. Matthæus expressit facti initium, Lucas finem, supplens divinitus, quod deerat narrationi Matthæi. Consilium Proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere, aptat collo laqueum, impellit se, ut eo facilius fauces elidat. Placuit divinæ providentiæ, ut non simplici morte sceleratus proditor periret. Frangitur laqueus, cadit in faciem Judas: id enim est* πρηνὴς γενόμενος. *Cadit autem vel in saxum fortasse asperum, vel in ligni truncum acutum, aut alias DEI judicio venter illi finditur, intestina effunduntur. Vox* ἐλάκησε *suadet non tam casus violentia, quam arcana DEI voluntate, fissionem in ejus corpore factam esse, vi quadam extraordinaria intus operante. Hæc est Scripturarum simplex narratio.* Ita *Calixtus in Concordia* 4. *Evang.* ita *Calovius*, in *Comm.* ad Evang. *Matth. cap.* XXVII. Placuit hoc *Gerhardo*, & *Dieterico in Antiquit. Biblicis N. T.*

Simi-

Similiter crocitant multi alii. Sed ne sine ratione tantis viris recalcitremus, aut in laqueum concedamus, agendum nobis erit cum hujus opinionis Autoribus diligentius. An simplex poterit dici narratio Scripturarum, ubi fingitur casus incertissimus & rarissimus, de cujus veritate nihil prorsus asseverari potest. Et si indulgeamus, quod ceciderit Judas se impellens; an propterea venter ejus findi debuit? Cadavera ex publicis & altissimis patibulis dejecta & delapsa an rumpuntur? Forte dicent, *placuisse id divinæ providentiæ*. Sed non alio modo scribunt, quam si interfuissent cœlesti consilio. Pandunt fatorum ordinem, quorum ipsis nulla facta est revelatio: Nonne providentia Dei eadem fieri potuit ut Judas eo periret modo, quem Papias tradit, quemque nos inferius indicabimus: nonne fingere possemus & alia. Sed sequamur κατὰ πόδα magnum illum Casaubonum. *Cadit in faciem Judas*, quare non in caput? *id enim est πρηνὴς γενόμενος*. Unde illud monstrabitur? ex Scriptura? illa eo verbo præterea non utitur. Ex Auctoribus profanis? Quid illi de hoc vocabulo sentiant cognosci poterit ex §. 12. *Cadit autem vel in saxum fortasse asperum, vel in truncum ligni acutum, aut alias Dei judicio venter illi finditur.* Bone Deus! quæ non supponuntur. Concessero illis, qui cadunt ex loco sublimi in lapidem, ventrem findi, si scilicet venter ad illum pertingat, non vero caput aut pedes, quod in præcipitio plerumque fieri solet. Sed cum nihil aut de ligno aut de saxo sub furca vel arbore, vel trabe Judæ Spiritus S. dixerit, gratis hæc omnia finguntur. Si judicium singulare Dei hisce subesse velimus, potuit rumpi sine saxo, sine ligno, potuit id fieri sic incurvato per lapsum corpore ut costæ venterque frangentes sonitum ediderint. Millia talia excogitari possent, si liceret, & debita hisce rebus reverentia non impediret. Quod de verbo λακέω additur illud palam falsum & inane est, nullaque ratione verbo isto indicatur. Quapropter mirari non satis possum, quomodo *Gerhardus* Casaubono adstipulari & scribere potuerit: *Λακέω idem est quod ῥήγνυμι inde λακὶς ruptura, ac vox ἐλάκησε eo videtur nos ducere, quod non tam casus violentia, quam singulari vindicis Dei judicio venter crepuerit medius.* Inania hæc omnia. An ergo, ubi dicitur λακεῖν non hominum manus & violentiam, sed vim quandam extraordinariam intus operantem, aut singulare Dei judicium subaudire debemus? Absit. Nam ut est vox per se communis, sic valde ingenua & propria in eo, quod rumpitur ac sonat inter rumpendum, ut in lapsu vel alio pacto. Equidem non sumus adeo suffeni, quin concedamus & credamus omnia fieri arcana Dei voluntate, sed ejus subindicationem aliquam latentem inhærere voci λακῆσαι plane non nisi infatuati divinare possumus. Si in λακεῖν resideat tale arcanum indicium divinæ voluntatis, concedendum est, quod ubicunque vox reperitur, eadem subintelligenda sit: Aut dicendum quare hic præsertim speciale aliquod judicium divinum intelligatur, non vero alibi. Sed hæc dicta sunto de opinione prima.

§. XX. *Ad secundam classem referendi sunt illi, qui hunc conciliandi Matthæum cum Luca modum excogitarunt, ut dicant: Judam se prius suspendisse, sed vel arbore in terram inclinata, vel aliquibus supervenientibus, qui laqueum adimerent, supervixisse aliquantum, Deo sic eum per misericordiam invitante ad pœnitentiam & emendationem; sed postea novis actum furiis semet præcipitem dedisse, sic ut medius crepuerit, visceraque effuderit.* Auctorem hæc opinio agnoscit *Theophylactum: Comm. in Matth.* 27. qui sequentibus eam proponit verbis. Διὸ καὶ ἀπήγξατο, ἵνα προλάβῃ τὸν Ἰησοῦν ἐν τῷ ᾅδῃ, καὶ ἱκετεύσας σωτηρίας τεύξηται. Πλὴν γίνωσκε ὅτι ἔθηκε μὲν τὸν τράχηλον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀγχόνην, ἀπὸ δένδρου τινὸς κρεμάσας ἑαυτόν. Τοῦ δὲ δένδρου κλιθέντος, ἐπέζησε· τοῦ Θεοῦ θέλοντος αὐτὸν ἢ εἰς μετάνοιαν συντηρῆσαι, ἢ εἰς παραδειγματισμὸν, καὶ αἰσχύνην. *Euthymius* vero *in Matth.* 19. addit, Judam jam ab arbore pendentem cognitum à quibusdam & à suspendio liberatum fuisse, deinde postquam in secreto quodam loco modico vixisset tempore, effusis visceribus præcipitem factum fuisse. Quale quid de *Ario Athanasius in epist. ad Serapionem* memoriæ nostræ exposuit. Πολλά τε φλυαρῶν εἰσῆλθεν εἰς θώκους, ὡς διὰ χρείαν τῆς γαστρὸς, καὶ ἐξαίφνης καὶ τὸ γεγραμμένον πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, i. e. *in nugis suus totus, ad sedes, ut necessitate ventris impulsus se contulit, atque ex templo pronus cecidit ac medius crepuit.* Sed haud faventiore Minerva illa omnia excogitata sunt, hinc eadem facilitate à nobis exploduntur. Sed ordine. In genere observandum nullum hujus traditionis esse fundamentum, nullum apicem in S. Scriptura requiri, sed pleraque ex humano cerebro deprompta, quæ ut vera supponuntur de quibus tamen dubitatio apud eruditos exsurgit maxima. Suspendium Judæ ex verbo ἀπήγχομαι exsculpi non potest, quod in genere suffocationem denotat. Ab arbore se Judam suspendisse opinio est meris nitens suspicionibus; quæ fidem haud reperiet; nam ex clavo trabi infixo idem fieri potuit; alios modos taceo. Nec majoris est auctoritatis quod de arbore inclinata tradunt; nam valde tenera debuit esse illa arbor; aut vetustate ita absumpta, ut molem tantam sustinere non potuerit, sed fracta seminecem Judam in terram projecerit, fractam enim alii volunt. Si ramum dixissent melius sibi prospexissent, & causæ suæ patrocinati fuissent. An etiam quispiam adeo bardus esse poterit, ut sibi persuadeat, Judam suspendium sui molientem in publicum aliquem locum ivisse, & non potius solitudinem infaustissimo huic operi magis aptam elegisse. An Judæus illum à pœnali arbore liberasset? Neutiquam; nam per odium, quo flagrabat in Judam propter commissum scelus dolentem, id non licuisset. Quod de præcipitio adnectitur, illud majorem meretur fidem, quia Spiritum S. testem habet.

§. XXI. *Sed properandum ad tertiam classem, ad quam pertinet Papias* Scriptor fabulosissimus, *Johannis Apostoli*, ut fertur, *discipulus*, de quo *Eusebius Hist. Eccles.* L. 3. c. 39. p. m. 112. Σφόδρα γὰρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν, φαίνεται. Πλὴν καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν πλείστοις ὅσοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν τῆς ὁμοίας αὐτῷ δόξης παραίτιος γέγονε· τὴν ἀρχαιότητα τἀνδρὸς προβεβλημένοις. Hic ex aliorum fide & narratione tradit: *Corpus Judæ ita inflatum fuisse, ut via per quam agi plaustrum facile poterat ipsum non caperet: obtritum igitur à plaustro esse, & viscera ejus effusa.* Partes *Papiæ* agit *Oecumenius in Comment. ad Act.* c. II. pag. 11. *Edit. Paris.* Ὁ Ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπεβίω, κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. Καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν Ἀποστόλων πράξεις, ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων, μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. Πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. Alia deinde subjicit, non ex Papia sed aliis. Ἐπρήσθη γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μηδὲ ὁπόθεν ἅμαξα ῥᾳδίως διέρχεται, ἐκεῖνον δύνασθαι διελθεῖν, ἀλλὰ μηδὲ αὐτὸν μόνον τὸν τῆς κεφαλῆς ὄγκον. Τὰ μὲν γὰρ βλέφαρα τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ φασὶ τοσοῦτον ἐξοιδῆσαι, ὡς αὐτὸν μὲν καθόλου τὸ φῶς μὴ βλέπειν. Τοὺς ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ μηδὲ ὑπὸ ἰατρικῆς διόπτρας ὀφθῆναι δύνασθαι. Τοσοῦτον βάθος εἶχον ἀπὸ ἔξωθεν ἐπιφανείας. Τὸ δὲ αἰδοῖον αὐτοῦ, πάσης μὲν ἀσχημοσύνης ἀηδέστερον καὶ μεῖζον φαίνεσθαι. Φέρεσθαι δὲ αὐτοῦ τοὺς ἐκ παντὸς τοῦ σώματος συρρέοντας ἰχῶράς τε καὶ σκώληκας εἰς ὕβριν δι' αὐτῶν μόνον τῶν ἀναγκαίων. Μετὰ δὲ πολλὰς βασάνους καὶ τιμωρίας, ἐν ἰδίῳ φασὶ χωρίῳ τελευτήσαντος, ἀπὸ τῆς ὀσμῆς ἔρημόν τε καὶ ἀοίκητον τὸ χωρίον μέχρι τῆς νῦν γενέσθαι. Ἀλλ' οὐδὲ τῆς σήμερον δύνασθαί τινα ἐκεῖνον τὸν τόπον παρελθεῖν, ἐὰν μὴ τὰς ῥῖνας ταῖς χερσὶν ἐπιφράξῃ. *Corpore enim adeo inflatus est, ut neque posset progredi qua currus levi cursu pertransibat, imo ne solum quidem capitis tumor. Siquidem & palpebras oculorum ejus adeo intumuisse ferunt, ut lumen omnino videre non posset: oculi vero illius neque* διόπτρας, *nempe instrumenti Medicorum adminiculo apparere possent, tanta profunditate ab exteriori aspectu erant separati: genitale vero illius membrum omnem excedebat obscœnitatem ac magnitudinem. Porro sanies ac vermes contumeliose confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur egredientes per sola loca secretiora. Post multa vero tormenta & ultiones, quum in suo prædio, ut ajunt, mortuus esset, præ fœtore prædium illud desertum permansit, & non habitatum usque in hodiernum diem. Sed neque ad hoc usque tempus locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus.* Sed λῆροι λόγοι, fabulæ plusquam aniles, gerræ siculæ. Διόπτρας usos esse censeo, qui hæc tam accurate observarunt. Papiæ Autoritas sublesta est. Oecumenius aliorum recenset sententias: quas recitasse est refutasse. Qui tamen earum refutationem legere avet, *Casaubonum in Exercit. ad Annales Baronii* pag. 527. seq. adeat & evolvat. Absurditatis & contradictionis reum egit Papiam, idque maximo jure.

§. XXII. Sed tandem nihil jam morantes progredimur ad genuinam, ut mihi saltem videtur, explicationem exitii Judæ, & harmoniam inter Scriptores Sanctos placidamque conspirationem ostendemus. *Hæc itaque nobis mens est. Judam maximo dolore & tristitia fuisse affectum, ita ut mœrore spiritum constringente halitum ducere liberum non potuerit, tandemque omnis vitæ pertæsum sese de loco sublimi præcipitem dedisse, atque ita crepuisse, & viscera ejus effusa fuisse.* Quid hic contorti? nonne omnia sponte fluunt? nonne omnia Spiritus S. totidem verbis indicat. Sed fulcris sententiam nostram & tibicinibus suffulciamus. Fulcrorum instar erunt rationes, quas

pauca

paucas adjiciemus, pondere tamen ſuperantes omnes illas, quæ pro jam allatis in medium adferri ſolent, ſententiis atque opinionibus. Quod mœror ſpiritum conſtrinxerit & reſpirationem ſuffocaverit illud innuit verbum ἀπάγχομαι, quo Matthæus utitur, quod *ſtrangulari* in genere denotat. Etenim, *ſtrangulat incluſus dolor atque cor æſtuat intus.* Signanter de Simone Mago *Arnobius contr. Gent. l.* 2. Ἀπαγχθεὶς *pudore & mœrore quaſi ſuffocatus ex altiſſimi culminis ſe præcipitavit faſtigio. Chryſoſtomus Homil.* 22. *ad Antiochenos* τῷ συνειδότι ἀπάγχεσθαι *angi conſcientia.* Pertinent huc quoque verba *Artemidori*, Ἀπάγχεσθαι καὶ ἑαυτὸν ἀναρτῆσαι, θλίψεις καὶ στενοχωρίας σημαίνει. Sed cum de illa voce §. 9. & 11. egerimus & oſtenderimus eandem non proprie ſignificare ſuſpendio ſibi vitam adimere, ſed in genere ſtrangulari, quod etiam mœrore & dolore fieri poteſt, qui ſpiritum præcludunt, vix opus erit fuſiori ſermone. Probandum potius erit hic eadem ſignificatione ſumi debere. Illud vero ex antecedentibus verbis Matthæi facili negotio demonſtrari poterit. Cum enim Judas Magiſtrum ſuum pro triginta vendidiſſet argenteis, eumque omni exuta humanitate, ne dicam, amore, quo ferri erga eundem deberet, turmæ Judæorum tradidiſſet, qui eum Hieroſolymam abductum morti adjudicaverant, furiis lancinantis conſcientiæ jactatum illum & exagitatum fuiſſe credibile eſt, ut in angorem & mœrorem tam vehementem inciderit, qui fauces ejus ſtrinxit, & guttur ejus plene occluſit, idque tum ex deteſtatione flagitii commiſſi, tum ex deſperatione (hanc enim adfuiſſe factum ſubſequens affatim docet) quod neque à Deo, neque ab hominibus, ſc. Sacerdotum Principibus funeſtum illud τί πρὸς ἡμᾶς! σὺ ὄψῃ, *quid hoc ad nos? tu videris*, ipſi regerentibus, qualecunque ſibi ſolatium polliceri poſſet. Hoc illud eſt ἀπήγξατο. Neque hoc inſolitum eſt ut peccatorem ſordibus ſe polluentem terror, mœror, dolorque inſignis occupet, ſpiritumque præcludat, præſertim cum conſcientia, vicem Dei in homine gerens, evigilet. Vix tunc reſpirandi pollet facultate. Quod eo facilius erit credere, ſi veritati conſona ſunt, quæ de Juda traduntur: Nempe exiſtimant nonnulli Judam adhuc puerum morbo אסכרה correptum, ac tunc evadentem אסכריוטא *Iſcarioth* à parentibus dictum. אסכרה vero referente *Elia in Thisbi apud* Rabbinos & in libro Medicinæ eſt idem, quod מחנק ſuffocatio. Sic Judæi היו ברביעי האסכרה מתענין מפני האסכרה *quarto die jejunabant propter anginam*, ne ſc. infantes invaderet, vid. Buxtorff. Lex. Rabb. col. 1479. Scribunt enim Rabbini, hunc morbum primitus familiarem fuiſſe infantibus die quarto nativitatis ipſorum, unde eo die jejunium inſtituerunt parentibus. Si jam familiaris fuerit ſuffocatio Judæ, nimius ille dolor & mœror eundem nunc ſuffocare & fauces conſtringere facilius potuit, ita ut dici bene potuerit ἀπάγχεσθαι. Sed quid opus erit iſtiusmodi Chimæris, cum alia ſuperſint, quæ noſtram ſtabiliant ſententiam.

§. XXIII. *Syriacum* imo & *Arabicum* textum ſi inſpexerimus patebit verbum ἀπάγχεσθαι nulla ratione ſignificare poſſe Judam mortem ſibi laqueo conſciviſſe. Syrus habet חנק נפשה *ſtrangulavit ſe ipſum.* נפשה ponitur pro ἑαυτὸν per Hebraiſmum: de quo videri meretur *Vorſtius Philolog. S. p. m.* 120, 121. Quod *Syrus* conjugatione activa dixit, illud *Arabs* paſſiva expreſſit אחתנק. Uterque utitur verbo חנק quod originem ſuam debet Hebræorum חנק, *ſtrangulavit.* Quia vero & illi ſtrangulantur qui ſe ſuſpendunt, hinc dicitur in *Peſachim fol.* 112. 1. אִם בִּקַּשְׁתָּ לִיחָנֵק הִיתָּלֵה בְּאִילָן גָּדוֹל *ſi vis ſtrangulari, ſuſpende te in arbore.* Locutionem dicit eſſe metaphoricam *Buxtorff. Lex. Rabb. col.* 497. cujus ſenſus: *ſi cupis aliquid dicere vel edere in publicum, quod acceptetur ab hominibus, fac illud nomine Viri alicujus magni.* Diverſum autem apud Judæos fuiſſe חנק & תלה illis, qui primis labris Hebræa guſtarunt ignotum eſſe haud poterit: Illud dicitur *ſtrangulavit*, hoc *ſuſpendit.* Inde חנק & תלייה quæ minime confundenda ſunt. Illud denotabat ſupplicii certam ſpeciem, quarum quatuor apud Judæorum gentem in uſu erant: ſc. *lapidatio, combuſtio, occiſio quæ gladio fiebat, & ſtrangulatio. Lapidatio & combuſtio* expreſſæ ſunt in ipſa Lege. Ex ore autem Magiſtri Moſis edoctos ſe eſſe jactant, quod ubicunque capitale ſupplicium in Lege ſimpliciter nulla certi ſuppliciorum generis mentione addita memoratur, ibi ſemper intelligenda ſit ſtrangulatio, & quod homicida gladio occidendus, ſimiliterque cives urbis ad idololatriam declinantis gladio puniendi. Hæc ex *R. Maymonidis initio capitis XIV. Halach. Sanhedr.* §. 1. & 2. adfert, *Joh. Seldenus de Synedr.* L. II. c. 13. §. 4. p. m. 330. ſeq. Edit. Amſtel. 1659. Joh. B. Carpzovius in notis ad Schikard. Jus Reg. Ebr. p. m. 260. חנק ſc. etiam erat ex ſuppliciis Judæorum capitalibus, quo afficiebantur 1. concumbentes cum alteri nupta: 2. percutiens patrem ſ. matrem ſuam: 3. Qui furatus eſſet Iſraëlitam: 4. Senex S. Presbyter rebellis ſ. inobediens: 5. Pſeudo-Propheta. 6. Qui prophetabat בשם עכ"ום velut cultor ſtellarum: vid. Selden. l. c. cap. 13. §. 5. p. m. 333. Strangulationis ritus hic erat. *Immergebant reum ſtercori uſque ad poplites ſuos, & indebant ſudarium durius medio tenerioris, atque circumvolvebant collo ejus: tunc attrahebant id ambo teſtes, quilibet ad ſe, donec excluderent animam.* תלייה oſtentui ſaltem fiebat iis, qui ſupplicio jam erant affecti. Quanquam enim iſthæc cadaverum poſt lapidationem ſuſpenſio pœnæ aliquam habebat rationem, longeque gravior cenſebatur mortis ſententia, quæ præter mortem adhuc cadaveris ſuſpendium adjudicabat, quam quæ poſt mortem ſtatim concedebat humationem, inter ſupplicia tamen h. e. mortis genera referri nequit. Nam vivi non ſuſpendebantur ſed mortui, nec mortui quovis ſupplicii genere, ſed lapidati, & lapidati non omnes, verum illi ſaltem, qui ob blaſphemiam vel idololatriam lapidati fuerunt. Ex quibus ſole meridiano clarior fit verborum חנק & תלה differentia. Si jam חנק ſuffocationem non vero ſuſpenſionem apud Hebr. notat; eadem quoque Arabicæ & Syriacæ vocis eſſe debet ſignificatio. Quæ ſufficere puto ad demonſtrationem prioris aſſerti noſtri partis, ſc. quod Judas ita mœrore fuerit oppreſſus, ut ſpiritum liberum ducere haud potuerit. Jam ad aliam.

§. XXIV. Quod vitæ pertæſus tandem è loco aliquo ſublimi ſe præcipitem dederit, illud vix probatione eget. Præcipitem enim factum plerique cenſent, quod etiam ipſa vis phraſeos πρηνὴς γενόμενος ſatis teſtari videtur. Illud agemus: Probabimus præcipitationes neque apud Gentiles neque apud Judæos inſolitas fuiſſe. Apud Judæos qui lapidationi deſtinati erant ex ſublimiori loco præcipitabantur. Sic enim loquuntur cap. VI. *Miſchnæ Sanhedr. Locus lapidationis altus erat geminam hominis longitudinem. Teſtium alter inde reum detrudebat, ut in lumbos caderet. Si converſus in pectus eſſet, in lumbos convertebatur.* HOC CASU SI MORTUUS ESSET, *ſatisfactum legi: ſin; alter lapidem ſublatum in pectus immittebat. Si hoc ictu moreretur, ſatisfactum: ſin; à toto Iſraële lapidibus cædebatur.* Vid. *Cocceji Sanhed.* quod *Tom.* VIII. *Operum ejus* habetur *p. m.* 29. *Schikardum de Jure Reg. Hebr.* p. m. 265. qui eundem lapidationis ritum ſed aliis verbis ex *Maymonide* recitat. Gentibus projectionem hanc uſurpatam etiam fuiſſe, omnes fere antiquarum rerum ſcriptores perhibent. Numerabatur inter publica ſupplicia quæ ſontibus irrogabantur, non minus autem inter privatum ſe ipſum occidendi adminiculum. Illud confirmat *Cælius Rhodig. Lect. Antiq. l.* 10. *cap.* 5. *p. m.* 440. *Godwin in Antholog. Hiſt. Roman. l.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 8. Pertinet huc dejectio de *rupe Tarpeja. Tarpeja autem vocatur Capitolii ſaxum, è quo deturbari ſontes moris erat*, inquit *Plutarchus*: hinc *Horatius* l. 1. Sermon. Satyr. 6. in med. *p. m.* 164.

> *Tunc Syri, Damæ, aut Dionyſi filius, audes.*
> Dejicere è ſaxo *cives? aut tradere Cadmo?*

Metellum ſcribit *Plinius* à *Catinio Labeone*, Tribuno plebis, ad Tarpejum eſſe raptum, ut præcipitaretur. Spectat etiam huc *Lucretius*, canens,

> *Carcer & horribilis de* ſaxo jactus *eorum,*
> *Verbera, carnifices, robur* &c.

Sed maxime ſolemnis hæc fuit αὐτοφονίας ſpecies talibus hominibus, qui vitæ moleſtiarumque ejus pertæſi mœroreque graviſſimo confecti ſubitum inde abitum ſectabantur. Sic ille apud *Comicum*

> —— —— —— —— *Occidi:*
> *Utinam mihi eſſet aliquid hic quo nunc* me præcipitem

darem. Et alius apud *Virgilium.*

> Præceps *aërei ſpecula de montis in unda*
> *Deferar: extremum hoc munus morientis habebo.*

Lucanus.

> *Hic ſe* præcipiti *jaculatus pondere, dura*
> *Diſſiluit percuſſus humo.*

Apulejus Captivam puellam ſic loquentem introducit. *Hem; nunc certe funditus perii, laqueus aut gladius, aut certe præcipitium procul dubio capeſſendum eſt. Simon Magus pudore defeſſus ex altiſſimi culminis* ſe præcipitavit *faſtigio.* De Deſperabundis *Joh. Henr. Urſinus Annal. Sac. l.* 1. *cap.* 25. *horrore objecti infortunii & in quod ruebant, exitii, veſtibus præligabant capita, & ſe dabant vel in flumen, vel in mare, vel alio præcipites.* Inter *Donatiſtas* peculiaris quædam ſecta erat, quam *Circumcellionum* dicebant, qui certatim eodem mortis genere

genere se ipsos occidebant, non quidem ex tædio vitæ, sed ex *Religione*, ut Martyrii coronæ participes fierent. Audiatur *Philostratus de Hæresibus*: *In Africa sunt, qui* Circuitores *dicuntur, hi circumeunt terras, & quos inveniunt in via cogunt eos, ut interficiantur ab illis, dicentes se desiderare pati martyrium, & sub hac causa multi latrocinantur interdum. Quidam autem ex iis velut* Biothonati *moriuntur, sese dantes ad præcipitium, diversumque subeunt calamitatis interitum.* vide *Balduin. Cas. Consc. l. 4. cap. 1. cas. 8. p. m. 653.* Dicent tamen nonnulli nullum apicem in exemplis allatis de fissione corporis & interiorum effusione haberi. Sed quis non deprehendit istiusmodi præcipitationem sui ipsius ex sublimiori loco necessario comitari rupturam corporis. Naturæ rei hæc consentanea est, & suapte sequitur, verbisque *comminuendi, dissiliendi, diffindendi lacerandique insinuatur*, quemadmodum videre est in Lucani loco citato. *Apulejus* de Latrone ab anu præcipitato; *Super quendam vastissimum lapidem prope jacentem decidens, perfracta diffissaque crate costarum &c. vitam evasit.* Imo si fissum fuerit corpus ex casu illo, quem alii fingunt accidisse rupto laqueo, quare non magis rumperetur, cum magno cum impetu ex fastigio aliquo s. excelsiori loco sese præcipitem dedit. Sed hæc, ut opinor, satisfacere unicuique poterunt. Hac jam sententia adoptata quis non videt quam dextre absque omnibus figmentis omnia explicari queant? Nulla pugna inter Scriptores Sacros, cujus ne umbra quidem remanet.

§. XXV. Sed recentiorem clamabunt hanc esse de morte Judæ traditionem paucisque notam; Fateor, nova est, sed propterea non erit rejicienda. Nam non omnia quæ antiquitas commendat sunt verissima: antiquum est mendacium, nec tamen propterea ullum habet cum veritate commercium. Patres vel *Papiæ* auctoritate, quæ tamen parva satis est, vel ejus credulitate, quæ eo major, inducti fuerunt ad multa ἀλλότρια credenda de Judæ βιοθανασίᾳ. Alii traditionibus, quas ad se devolutas exosculati sunt, in devia abducti. Nos Spiritui S. loquenti in Scriptura morem gerimus. Ille nobis hanc suppeditat explicationem & conciliationem locorum non contortam sed facilem. Non vero in eum finem hæc à nobis sunt prolata, ut exprimere & extorquere invito assensum vel ei nostra obtrudere velimus, sed ut mentem saltem nostram aperiremus. Si vero aliquis meliorem methodum & rationem explicandi hæc loca habuerit, publicæ luci exponat, & orbi litterato communicet. DEO interim sapientissimo sit laus honor & gloria, Amen.

M. GEORG. ERDM. VOIGT
SUB
FRISCHMUTHO
DISSERTATIO
De Via Sabbati ad Act. I: 12.

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Llud nunc iterum, summi Numinis clementia, temporis momentum appetit, quo pia veneratione Ecclesia Salvatoris nostri triumphum, vitæque ejus in his terris peractæ illustrem clausulam, gloriosissimam ejus, puta, in cœlos ascensionem, recolit, ex eaque, utpote solatii refertissima, animarum afflictarum requiem, salutisque haut frustrandam spem sedulo procurat. Quî ergo quis τῷ καιρῷ δουλεύων, operam suam vel utilius insumere, aut rectius collocare poterit, quam si prolixa eaque devota cogitatione mysterium hoc altius paulo apud animum perpendat, atque circumstantias ejusdem pari æstimet pietate? Quemadmodum vero ejus Historia plures tam Theologicas, quam Philosophicas suppeditat quæstiones; Ita non minus Philologiæ Studiosus in eadem etiam deprehendit, quæ ingenium ejus exercere, eumque ad locandam huc imprimis operam pertrahere queant: Notum enim est, quid eruditos inter de vestigiis à Salvatore ascendente monti olivarum impressis, de loco item & tempore, aliisque Ascensionis hujus memorabilibus ultro citroque disputetur. Cum proinde decreverim in præsenti vires meas Philologemate quodam periclitari, haud commodius me vel tempori litare, vel operam meam qualem qualem rectius collocare posse, mihi visus sum, quam si ex illa ipsa Ascensionis Historia argumentum quoddam mutuarer atque uberiori disquisitioni subjicerem. Quod dum facere aggredior, dictamque Historiam attentius paulo perlustro, haut frustra oculis sese offert *VIA SABBATI*, cujus D. Lucas in πράξεσ. injicit mentionem, quando cap. 1: 12. ita Assumtionis Christi in cœlos actum concludit: Τότε ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ, σαββάτου ἔχον ὁδόν. id est, *Tunc reversi sunt Hierosolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui est prope Hierosolymam, Sabbati habens viam.* Vel ut Erasmus reddidit, *qui abest Hierosolymis iter Sabbati.* Scilicet eduxerat Salvator Christus, cœlum jamjam repetiturus undecim suos Apostolos Hierosolymis ἕως εἰς Βηθανίαν, ut est Luc. 24: 50. vicum urbi admodum vicinum in monte Olivarum, atque post multos sermones, benedictionemque ipsis impertitam ὀφθαλμοφανερῶς in altum elatus, cœlum conscenderat. Hæc & cætera postquam recensuisset Evangelista, nunc tandem receptui, ut sic loquar, canit, atque ulterius exponit, quomodo Apostoli de reversione divinitus admoniti, cœlum intueri destiterint, deque monte sese in urbem rursus receperint. Ne vero vel tantillum heic subticeat, neve eum quicquam in re tam magni momenti omisisse arguas, subjungit etiam spatium sive distantiam, quæ montem inter & urbem intercedebat, quamque Apostoli revertentes emensi fuerant, habere *viam Sabbati*, seu tantæ longitudinis esse, quanta Judæo ad deambulandum in Sabbato permissa sit. Cum igitur Evangelistæ mens neque capi, neque quantum fuerit spatium, absque exacta hujus itineris notitia, liquido determinari possit; præterea & auctores de eodem non omnes consentire, remque totam omnino sapere Judaicam antiquitatem, adeoque ex Ebræorum monumentis arcessendam esse, intellexerim, operæ pretium me facturum esse censui, in hoc potissimum themate eruendo, proque virili diducendo si desudarem. Quod proinde ut ex animi, quod dicitur, sententia procedat, hocque Iter

Sabbaticum *feliciter*, hoc est inoffenso pede emetiri possim, comitem mihi JESUM, ὁδηγὸν τόν τε κύριον τ8 σαββάτ8 calidis invito precibus!

CAPUT I.

Itineris Sabbatici longitudo ex Ebræorum scriptis haurienda non invito Eusebio. Sanctius nequicquam causatur incertitudinem ejus. Josephus laudatus. Judæorum in celebrando Sabbato religio. Bochartus laudatus תחום *quid Ebræis significet. Tergemino termino Sabbatici itineris recensito, is, qui bis mille cubitis constat, in usu fuisse ostenditur. Ex Exod. 15: 25. auctor ejus nequicquam probatur, nec Exod. 16: 29. Judaica depravatio ab ipsomet Abarbenele explosa. Traditio laudata R. Akiba longe antiquior. Neque tamen vel à Mose vel Josua, vel Esaia certo derivatur. Judæorum in Scripturæ ῥητῷ urgendo iniquitas. Cur post prophetarum ætatem isthæc constitutio nata videatur. Magistrorum Ebræorum varia circa viam Sabbaticam placita ex R. Maimonide recensentur. Schickardus laudatus Judæorum fidem in ritibus priscis non prorsus sublestam esse, ostenditur.*

§. 1. ATque ut à linea, seu primis castris, ut in proverbio dicitur, stadium, quod nunc ingressus sum, decurram, haut parum sane conducet prius de Itinere Sabbatico quædam in genere è Judæorum scitis afferre, quam quid hoc in primis loco per id intelligendum veniat, exponam. Δεῖ γὰρ καὶ τὰ Ἑβραίων ἐκ τῶν, παρ' Ἑβραίοις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἀλλοθέποθεν ἀποδέχεσθαι, ut recte Eusebius de præp. Evang. l. 7. cap. 8. monet. Nihil autem nunc moror, quod G. Sanctius Jesuita, & Interpres cætera non indoctus, ad Actor. 1: 12. commentatur: *Quantum spatium, inquiens, in Sabbatis pedibus Judæo per legem conficere liceret, incertum est, & ipsis adeo Hebræorum Magistris antiquis etiam temporibus ignotum.* Eum enim vero minus consona protulisse, paulo post ad oculum patebit.

§. 2. Ne autem nomen vel ullam in progressu moram injiciat, ante omnia tenendum, non quodvis iter vel viam Sabbati à quibus libet vel quomodocunque instituatur, heic intelligi, sed illud duntaxat, quod Judæis per legem licuit in Sabbato emetiri. Neque enim integrum fuit recutitis pro libitu Sabbato peregrinari, vel die etiam festo, id enim diserte negat Josephus l. XIII. A. J. cap. 16. οὐκ ἔξεστιν, inquiens, ἡμῖν ὅτε ἐν τοῖς σάββασι, ὅτε ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν. Atque huc haud dubie Christus respexit Matth. 24: 20. cum orandum Judæis esse ait, *ne fuga illorum incidat in diem Sabbati*, utpote quo longius iter emetiri omnino vetabantur: quod inevitabiliter suscipere cogerentur, si vitæ consulere fuga vellent, cum tamen, ut ex Ebræorum monumentis patescit, observantissimi ad superstitionem usque fuerint diei septimi vel Sabbatici cultores, innumeris propemodum ritibus ac ceremoniis sanctitatem ejus venerantes. Quin reliqua festa tam scrupulose quam quietem Sabbati eos non observasse, summus Vir Samuel Bochartus observat lib. II. cap. 50. Hierozoici. Hunc diem sanctissimum ne vel deambulandi licentia quadam, aut pedibus suis, atque adeo labore aliquo profanare viderentur, quadam lege opus esse arbitrati, justum certumque spatium, intra quod se contineri deceat, definiendum duxerunt. Proinde certi constituti fuerunt תְּחוּמִין ut Rabbini vocant sive *termini & limites*, queis quantum viæ in Sabbato conficere liceret, definiretur, ac transgressores certæ cujusdam pœnæ rei arguerentur. Id ipsum igitur, quod Lucas *viam sive iter Sabbati* dixit, isti ideo תְּחוּם הַשַּׁבָּת *limitem sive terminum Sabbati* vocare solent. Est enim תְּחוּם à rad. תָּחַם, quæ, ut R. Elias Germanus in Thisbi, & Buxt. in Lex. Tal. notat, Ebræo גָּבַל perquam similis est, atque *determinare, limitare, definire* significat.

§. 3. Iter hoc Sabbaticum vero apud ipsosmet recutitos, Talmudistas imprimis, uniusmodi haut est, dum alii Majoris, alii Minoris, nonnulli & Medioxumi faciant mentionem. *Majus* quidem longius protendebant שנים עשר מיל *ad duodecim, usque milliaria*: *Minus* vero multo arctius constringebant, atque אלפים אמה tantum, h. e. *cubitis bis mille* definiebant, qui, ut ex post dicendis planum fiet, unicum duntaxat milliare Ebræorum conficiunt. De hisce post priscos Ebræos videndus R. Moses Maimonides, Hilkot Schabbath c. 1.

§. 2. Tertium *medium* quasi inter duo nunc allata B. D. Jo. Tob. Major, Theologus quondam hujus nostræ Salanæ celeberrimus, in Annot. ad Actor. 1: 12. è commentatore Maimonidis observavit, dum ait: *Restat adhuc aliud genus ὁδ8 Σαββάτ8, Seldeno, quod miror, nec visum, nec notatum.* Erat vero hujus viæ spatium, ut idem subjungit, *bis mille & octingentorum cubitorum*, quemadmodum nominatus commentator in מגיד משנה n. 1. id expresse testatur, his verbis: לעולם רשאי לילך אלפים ושמנה מאות אמה i. e. *omni tempore licitum fuit emetiri* (die sc. Sabbati) *bis mille octingentos cubitos.* Verum nullus, quod sciam, alius huic assentitur: Quin idem ille Commentator, qui l. cit. hanc cujusdam Ebræi doctoris recenset sententiam, commemorat aperte, הלכה כחכמים sive *Sapientium decisionem*, secundum quam iter Sabbati bis mille cubitis constat; *receptam esse.* Quam sententiam etiam paraphrastes Chaldæus Ruth. 1: 16. confirmat, dum sic loquitur: אתפקרנא למטר שביא ויומי טבא בדיל דלא להלכה בר מתרין אלפין אמין: *præceptum accepimus de observandis Sabbatis & diebus festis, ne longius iter faciamus, quam bis mille cubitorum.*

§. 4. Si vero nunc Auctorem Itinerum horum Sabbaticorum quæras, de eodem nec ipsi inter se Judæi satis concordes sunt. Ita enim in Gemara Babyl. ad tit. de Sabb. c. 9. fol. 87. habetur: ומפלגי בשבת דמרה דכתיב כאשר צוך ה׳ אלהיך ואים רב יהודה אמר רב כאשר צוך במרה מר סבר אשבת איפקוד אתחומים לא איפקוד ומר סבר אתחומים נמי איפקוד: i. e. *Altercatio fuit de Sabbato, qua ad Mara refertur. Scilicet scriptum est, quemadmodum præcepit tibi Dominus Deus tuus, quod interpretatur Rab. Jehuda, quemadmodum præcepit in Mara. Alter vero eorum existimavit, non ibi Itinerum quantitatem præfinitam esse, sed tantum Sabbatum, alter etiam & itineris quantitatem.* Scilicet ex eo, quod Exod. 15: 25. dicitur: *Ibi* (in Mara) *posuit iis Deus statutum & judicium*; colligunt Judæorum Magistri, hoc ipso præter septem Noachidarum, ut vocant, præcepta, ipsis Israelitis imprimis & Sabbatum, ejusque cultum demandatum fuisse: De quo quidem inter illos vix ullam deprehendas discrepantiam; sed de eo saltim litigant, num præter Sabbatum etiam itinerum seu terminorum Sabbaticorum ibi ratio habeatur. Ast neutrum ex adducto loco recte elici posse, illi qui in Scripturæ sensum inquirere accuratius solent, facile viderint.

§. 5. Nonnulli tamen majus, quod nominavi, Sabbati iter ipsi adeo Mosi coætaneum, & Lege scripta definitum esse, videntur asserere. Ita certe Maimonidis commentator. §. 3. laudatus: שיעור התחומין שהם אלפים אמה מדבריהם ושנים עשר מיל דבר תורה h. e. *ratio itineris Sabbatici ex mente Doctorum consistit in emetiendis bis mille cubitis: At juxta Legem in XII. milliaribus.* Quo videtur respicere Maimonides ipse in הלכות שבת cap. 27. n. 1. Moses Mikkozi præc. Neg. LXVI. Schulcan Aruch part. 1. quæ Orach chajim dicitur §. 397. Auctor Sepher Colbo c. 34. fol. 37. aliique. Laudant vero pro sententia sua Exod. 16: 29. ubi Deus præcipit, *ut maneat unusquisque* תַּחְתָּיו, & subjicitur: אַל־יֵצֵא אִישׁ מִמְּקֹמוֹ בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי: *Ne quis exeat die septimo è loco suo.* Cæterum nihil hujus, quod Judæi volunt, textus præ se fert, quem alii quoque recutiti nonnulli ita acceperunt, ut prorsus absurdam interpretationem elicerent. Nempe ipso Abarbenele teste למדו חכמנו ז״ל שאם יצא בשבת חוץ לתחומו שאין לזוז רק כשעור תחתיו שהם ארבעה אמות שהם כ״ד טפחים: h. e. *Docuerunt Dd. nostri p.m. egressuro terminum suum die Sabbati, non esse integrum se movere nisi secundum æstimationem loci sui, quæ constat quatuor cubitis, quos conficiunt viginti quatuor palmi.* Ubi an de iisdem Abarbenel loquatur, quos R. Mosi Mikkozi fol. 23. col. 2. libri Mizvoth gadol מינים *hæreticos* appellat & qui eodem teste אומרים אל יצא איש ממקומו במשמעו: *verba allata ut sonant, explicant*, quæritur. Sane Samaritanos aliosque hæreticos sacræ legis simplici sono adductos, id superstitiose significari contendisse, ut quo loco, quo habitu, qua positione quis repertus esset Sabbati initio, eodem toto die ei manendum fuerit, in confesso est.

§. 6. Quicquid ejus sit, id nostra parum refert, cum ipsi seniores Judæi hanc interpretationem explodant. Longe rectius enim Rabbi Abarbenel ad l. cit. commentatur: ופי׳ ממקומו ממקום עיר מושבו ואין ספק שמשה פי להם המאמר הזה סתמי: *Cum dicitur de loco suo, intelligitur locus urbis qua quis habitat: neque dubium est, quin Moses hoc absolute & simpliciter dictum exposuerit.* An ipse Legislator hujus dicti sensum declararit, ut Abarbenel opinatur, haud constat. Ex contextu & ipso facto, quo illicito modo & tempore ad manna colligendum egressi sunt, satis patescere videtur, quid vetet legislator, nempe non illud, ne quis loco suo pedem moveat, (cum die Sabbati, qui

qui יום מקרא *dies convocationis* appellatur Levit. 23: 3. ex castris ad tabernaculum iverint) ſed ne ad opus *ſervile*, vel *laborandum* aut *negotiandum*, ſe quis accingat, quale opus omnino erat collectio Mannæ, qua ne diei ſeptimæ profanatio fieret, die antecedenti dupli illius colligendi facultatem Deus dederat. Unde R. Abarbenel etiam h. l. ait: אין הכוונה שישבו איש תחתיו ולא יתנועעו ביום השבת מצר אל צד אלא שינוחו בבתיהם ולא ילכו בדרכים רחקים: *Non eſt intentio verborum, ut quisque ſuo loco ſubſiſtat, & Sabbato non moveatur ex una parte in alteram, ſed ut in ædibus ſuis maneant nec itinera longiora ſuſcipiant.*

§. 7. Etſi vero haut ita liquido conſtet, an ipſe Moſes viam Sabbati heic determinarit, antiqua tamen illa videtur eſſe conſtitutio. Sanctus quidem Hieronymus Ep. 151. ad Algaſiam q. 10. citante Grotio *Judæis*, inquit, *religioſe obſervatum, ne Sabbato ambularent ſupra bis mille pedes ex inſtitutione Barakibæ, Simeonis & Hellis Rabbinorum, quos illi Magiſtros noſtros vocare ſoliti ſunt.* Sed ſi R. Akibam intelligit, ut ſcriptum ibi eſſe Druſius monet, auctor hujus conſtitutionis is eſſe nequit, utpote qui demum poſt Chriſtum natum tempore Adriani Imperatoris vixiſſe legitur. Alii igitur antiquiorem eam eſſe cenſent, ejusdemque originem inde usque à Moſaicis temporibus arceſſunt, quibus jamtum (ad cohibendam populi temeritatem, ne ſabbati die ad ſua negotia excurrerent, ad exemplum caſtrorum in deſerto, à quorum extremitate, cum ad tabernaculum, quo ſe cultus divini cauſa conferebant, bis mille cubiti numerati fuerint,) viam ſabbati quoque ita definiverint.

§. 8. Neque tamen deſunt, qui arbitrentur, ſpatium ejusmodi bis mille cubitorum inde ortum eſſe, quod totidem cubitorum intervallum olim inter populum & arcam fœderis juſſu divino relictum fuerit (c. 3. Joſ. vſ. 4.) ubi Joſua populum ita alloquitur: *Longitudo erit inter vos & illam* (arcam) *quaſi menſura bis mille cubitorum, nec appropinquabitis ad eam, ut ſciatis viam, per quam ambuletis.* Ad quæ verba R. David Kimchi hunc in modum ſcribit: בזה דרש כי מה שצוה להם רחוק יהיה ביניכם ובינו כאלפים אמה במדה על חנותם לפני יריחו צוה להם ואמר להם יהושע עתידים אתם לעשות שם בירחו את השבת אל תרחיקו מן הארון יותר מאלפים אמה לכל רוח וכדי שיהיו רשאין לבא להתפלל לפני הארון בשבת: *Expoſitio myſtica in hoc eſt. q. d. futurum eſt, ut aliquando agatis ſabbatum in urbe Jericho, idcirco non recedetis ab arca ultra bis mille cubitos ad quamlibet plagam, ut licitum vobis ſit ire & orare ante arcam in ſabbato.*

§. 9. Sed quod attinet locum ex Joſua allatum, ubi כאלפים אמה *bis mille circiter cubitis* abeſſe jubentur ab arca, R. Abarbenel bene monet כף כאלפים אינו לדיוק כי אם לומר שיהיה זה תחומו בקרוב: *Caph accurate vel ſtricte minime accipiendum eſſe, ſed hoc innuere, hunc circiter terminum eſſe debere.* Certa itaque menſura ibi minime præſcribitur, ſed indefinita, quod non tam cubitis, quam oculorum conjectura ſpatium metiendum eſſet. Quod eum in finem fieri ſolebat, ut eminus conſpecta arca illam fluvii Jordanis diviſionem conſpicientes, magnitudinem miraculi accuratius expendere poſſent.

§. 10. Sive ad alterutrum, ſive ad utrumque locum סופ׳ סופרים ſive *ſcribas* reſpexiſſe dicas, Moſen tamen vel Joſuam hanc viam ſabbati definiviſſe, minime Judæi probaverint. Num vero tempore Prophetarum Poſteriorum tale quid inoluerit, & *ſancti Dei homines*, ut Apoſtolus Petrus Prophetas vocat, סיג לתורה vel *legis ſepem* confecturi tale quid ſanxerint, vel iter ſabbato inſtituendum ita coarctaverint, id in quæſtione eſt. Sane Eſaias c. 58: 13. ſui temporis Judæis ſeptimi diei ſanctificationem transgreſſis, ne quomodolibet ſabbati die ambularent, vel ſui animi ductu agerent, aurem his maxime verbis vellicaſſe legitur: *Si reduxeris pedem tuum à ſabbato, à faciendo voluntatem tuam die ſanctitatis meæ & vocaveris ſabbatum delicias ad ſanctificandum Dominum, & cum honoraveris eum à faciendo vias tuas, ab inveniendo vias & loquendo verbum, tunc equitare te faciam &c.* Num vero prioribus verbis inducti fuerint, ut certorum paſſuum iter duntaxat indulgerent, cum pedem à ſabbato reducere jubeantur, dubitatur; Sane Prophetæ ætate id factum eſſe, ipſumque ideo Eſaiam illum numerum determinaſſe, minus veroſimile eſt. Quin ſi ea, quæ Judæi ſuper illo loco diſputant, diligentius expendas, id omnino pateſcet, ea non tam prophetarum, quam Doctorum aliorum placita eſſe. Ejusmodi enim quædam ſunt, ut & hic merito illis exprobrari queat, quod Salvator noſter in terris agens eis objecit Matth. 23: 24. ὁδηγοὶ τυφλοί, οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes.* In minimis enim rebus, ſupra quam credi poteſt, anxii & ſuperſtitioſi, in majoris vero momenti rebus, & in quibus pietas conſiſtit, negligentiſſimi fuiſſe deprehenduntur.

§. 11. Veterum Ebræorum ſententias compendioſe exhibet R. Moſes Maimonides Hilkot Schabbath c. 24. יש דברים שהן אסורין בשבת אף על פי שאינם דומין למלאכה ואינם מביאין לידי מלאכה ומפני מה נאסרו משום שנאמר אם תשיב משבת רגלך עתות חפציך ביום קדשי ונאם וכבדתו מעשות דרכי ממצוא חפצך ודבר דבר׳ לפיכך אסור לאדם להלך בחפציו בשבת ואפילו לדבר בהן כגון שידבר עם שותפו מה ימכור למחר או מה יקנה או היאך יבנה בית זה ובאי זה סחורה ילך למקום פלוני כל זה וכיוצא בו אסור שנאמר ודב׳ דבר דיבור אסור הירהור מותר: אסור לאדם לפקיד גנותיו ושדותיו בשבת כדי לראות מה הן צריכין או היאך פירותיה שהרי זה מהלך לעשות חפצו. וכן אסור לאדם שיצא בשבת עד סוף התחום וישב שם עד שתחשך כדי שיהיה קרוב לעשות חפציו במוצאי שבת שהרי נמצא הלוכו בשבת לעשות חפציו: *Sunt quædam prohibita in ſabbato, quantumvis non ſint opus nec defatigent hominem. Quare vero prohibita ſunt? quia dictum eſt: ſi reduces pedem tuum à ſabbato, ut facias voluntatem tuam in die meo ſancto. Et alibi: Honorabis eum, ne facias vias tuas, ne ſatagas rerum tuarum aut verborum tuorum. Idcirco vetitum eſt homini ambulare pro arbitrio in ſabbato, aut etiam loqui pro eo v. g. ſi loquatur cum ſocienno ſuo do emtione, venditione, ædificatione, profectione ad mercatum hujus illiusve loci, aliisque, id enim prohibitum eſt in illo: ne oblectes te verbis tuis. Locutio ſiquidem prohibita, cogitatio vero licita: Interdictum eſt homini viſitare hortum aut fundum ſuum in ſabbato, ad cognoſcendum quibus rebus opus ſit, aut qui ſint fructus ibidem: Eſt enim hæc deambulatio inſtituta ad explendam voluptatem ſuam. Ita etiam homini, non licet exire in ſabbato usque ad terminum ibique commorari, quoad veſperaſcit, ut protinus in exitu ſabbati deſiderio ſuo ſatisfacere poſſit: namque & hoc item tendit ad ſatisfaciendum deſiderio ſuo.*

§. 12. Quid ex hoc loco eliciant, ſic eluceſcit: Nempe verborum aucupes τὸ ῥητὸν ſe ſequi perſuaſi erant, cum tamen nihil minus ibi aſſequerentur. H. Grotius objicit illorum Doctoribus iniquitatem, quam in legibus divinis interpretandis ſæpius admittunt: *Cum*, inquit, *munus boni Jurisconſulti ſit, quicquid oneroſum eſt ſublevare benigna interpretatione; contra Ebræorum JCti τὰ θετικά, quæ Deus non imperaverat, προηγουμένως, ſed ob alias res urgebant rigide, & quam latiſſime extendebant, neque admittebant probabiles rationes.* Idem illi deſignant in hoc dicto prophetico. Vocem חפצך non ſimpliciter omnem omnino voluntatem hominis vel intentionem aliquid die ſabbati agendi excludere, ſed ſaltim de ea voluntate intelligendam eſſe, quæ cum propoſito aliquod ſervile opus patrandi conjungitur, adeoque ſabbato ſanctificando repugnat, ſatis ex toto contextu quam manifeſtiſſime apparet. Ut adeo illud, quod Maimonides Ibidem §. 5. dicit חפציך אסורין חפצי שמים מותרין non ſimpliciter accipiendum videatur.

§. 13. Ut vero ex diverticulo in viam redeamus, quandoquidem Judæi in hoc itinere & via ſabbati deſcribenda nunc חכמים *Sapientium*, nunc ספרים *Scribarum* duntaxat, mentionem faciunt, ſatis clare eo ipſo illi teſtari videntur, in quæ tempora originem hujus inſtituti referant, nempe ea, quæ ultimorum Prophetarum obitum exceperunt. Faciunt huc verba, quæ in Seder Olam vel Chronico mundi minore libro Juchaſin ſubjecto p. 167. Edit. Cracovienſis leguntur. Ibi cum Malachia, quem חותם הנבאים *ſigillum prophetarum* appellant: prophetiam in Iſraële expiraſſe ajunt & ſubjiciunt. מכאן ואילך הט אזניך ושמע דברי חכמים: *Ex eo tempore & deinceps aurem tuam inclina & obtempera verbis Sapientum.* Sane cum ipſi Judæi fateantur, uti R. Maimonides Hilk. שבת c. 1. teſtatur: שלא נתנה תורה שיעור לתחום *quod Lex non diſerte menſuram itineris ſabbati ſtatuerit*, ſed מדברי ספרים שלא יצא אדם חוץ לעיר אלפים אמה: *Ex Scribarum dictatibus ortum id eſſe; ne liceret ultra bis mille cubitos ire*; Omnino largiuntur, ſequioribus ſeculis ipſorum ſententia iſtam conſtitutionem eſſe oriundam.

§. 14. Arguunt etiam hoc ipſum ſatis varia Ebræorum effata & quæ largo proventu ex illis oriunda in alias תלדות & *ſtirpes* plurimas ſeſe diffindunt, adeoque non Prophetarum Doctorum & Scribarum olent ingenium. Primum locum illi aſſignamus quod Maimonides cap. 1. Hilk. שבת recenſet: היוצא חוץ לתחום המדינה בשבת לוקה שני אל יצא איש ממקומו ביום השביעי: *Qui egreditur terminum urbis ſabbato, vapulabat, quia dicitur, & non egrediatur quis è loco ſuo die ſeptimo.* & mox: מותר בשבת להלוך את כל העיר כולה אפילו היתה כנינוה בין שהיתה מוקפת חומה בין שלא היתה מוקפת חומה: *Integrum erat die Sabbati totam urbem peragrare, quantumvis magnitudine Niniven æquaret, ſive eſſet muro circumdata ſive ſecus.*

Atque ita intra urbem aliquot vicibus bis mille cubitorum iter conficere licebat, quod extra urbem emetiri Judæis pro piaculo habebatur atque crimine flagris digno. Quin fiducia ingenii & eruditionis aliquid commenti sunt, ut licet locus ab urbe amplius bis mille cubitis distaret, quo se conferre quis cogitabat, tamen impune ipso Sabbati die eo abire liceret. Audiemus R. Maimonidem c. 28. Hilk. Schabbath hunc in modum scribentem: כל בית דירה שהוא יוצא מן המדינה אם היה בינו ובין המדינה שבעים אמה ושני שלישי אמה זה מצטרף למדינה ונחשב ממנה וכשמודדין לה אלפים אמה לכל רוח מודדין חוץ מבית דירה זה: *Omne habitaculum, quod extra urbem est si 70. cubitis distet & ⅔ id cum urbe conjungitur, & pro parte habetur. Et cum metiuntur bis mille cubitos in omnem plagam, extra hoc habitaculum inchoant mensuram.*

§. 15. Consimiliter operosi sunt Judæi in explicandis mixtionibus terminorum sabbaticorum, de quibus totum tractatum עירובין תחומים conscripserunt, ubi placitorum suorum & inventorum humanorum largam messem metere licet. Nempe modum etiam singularem invenire studuerunt, quo sonticam ob causam terminus sabbati paulo latius protendi posset. Quod qua ratione contigerit, R. Moses Maimonides cap. 6. Hilkot עירובין sive de hoc argumento his verbis docet: מי שיצא מן המדינה בערב שבת והניח מזון ב׳ סעודות רחוק מן המדינה בתוך התחום וקבע שביתתו שם אף על פי שחזר למדינה ולן בביתו נחשוב אותו כאלו שבת במקום שהניח בו שתי הסעודות וזה הוא הנקרא עירובי התחומין: *Qui egreditur urbe vespere sabbati, & cibum duorum conviviorum relinquit procul ab urbe ipso termini loco, & suam ibi figit cessationem, licet ad urbem redeat & in suis ædibus pernoctet, censetur tamen sabbatum celebrasse quo cibum duorum prandiorum reliquit, atque hæc terminorum mixtio vocatur.*

§. 16. Causas vero, ob quas ejusmodi extensioni locus fuerit, scire cupienti, R. Moses Maimonides his verbis recenset l. cit. §. 6. אין מערובין עירובי תחומין אלא לדבר מצוה כגון שהיה רוצה לילך לבית האבל או למשתה של נשואין או להקביל פני רבו או חבירו שבא מן הדרך וכיוצא באלו או מפני היראה כגון שהיה רוצה לברוח מן הכותים או מן הלסטים וכיוצא בזה: *Non miscent terminorum mixtiones, nisi ob rem aliquam quæ præcepto mandatur, veluti si ire velit ad domum lugentis, aut nuptiale convivium, aut Doctorem suum salutatum, aut socium vel amicum ex longo itinere reversum & similia, aut propter metum, veluti si à gentilibus vel latronibus fugere velit.*

§. 17. Ratio metiendi itineris Sabbatici Hilkot Schabbath cap. 28. §. 11. à Maimonide hunc in modum describitur: אין מודדין אלא בחבל של חמשים אמה לא פחות ולא יתר ובחבל של פשתן כדי שלא ימשך יותר מדאי: *Non solent mensuram facere nisi funiculo quinquaginta cubitorum, non minori neque majori, & quidem ex lino confecto, ne plus justo extendatur.* Quod Maimonides funiculo mensurationem peractam esse ait, id minime refragratur mori Ebræorum arundine mensurare solitorum. Uti enim R. David Kimchi comm. ad Ezech. 40: 3. docet בחבל מודד אדם מדה מרובה בקרקע ובקנה המדה מודד אדם מדה מועט כמו מדה הבנין וזולתו: *funiculo metiri solet homo fundum copiosa mensura, sed arundine (vel calamo mensorio sive pertica, & virga mensoria) metiuntur minora, cujusmodi sunt ædes & alia.* Utrum autem certa deinceps signa locaverint, lapides nempe & cippos, in quos iter ejusmodi facturi intuerentur, id Maimonides minime exprimit. Refert tamen Toletanus apud Gasp. Sanctium terminos ejusmodi lapidibus limitaneis distinctos fuisse: in quorum lapidum una facie nomen aliquod Dei, in altera vero hæc inscripta verba fuerint: *Huc progredi licet Ebræo in die Sabbati.* Unde vero hæc hauserit non constat, cum neque Maimonides neque alius hujus quicquam meminerit. Quin num. 19. l. cit. hæc scripta reliquit: אפילו עבד אפילו שפחה נאמנין לומר עד כאן תחום השבת ונאמן הגדול זכור אני שעד כאן היינו באים בשבת כשהוי מתי קטן וסומכין על עדותו בדבר זה שלא אמרו הכמים כדבר לה חמיר אלא להקל מפני ששיעור אלפים מדבריהם: *Servus quoque & ancilla digni habentur, quibus credatur, dicentibus: Hucusque se terminus sabbati porrigit. Dignior autem illis, si dicat: Ego memini cum juvenis essem, nos hucusque pervenisse. Testimonio ejus nituntur in hoc negotio. Quia Dd. secundum hanc rem non solent aggravare sed alleviare. Est enim terminus sabbati ab ipsis definitus.* Unde liquet non subinde lapidibus aliisque signis, sed quandoque etiam orali traditione fuisse designata itinera sabbati, si ipsis quidem fides habenda.

§. 18. Hæc & alia complura, quæ operose disputant recutiti, etsi non ejusdem sint ætatis, quædam tamen jamtum Christo in terris agente in usu fuisse negari nequit. Atque inde hoc quoque patet, non omnia, quæ Judæi olim recepta fuisse in Talmud & alibi testantur, sublestæ fidei esse. *Finge,* inquit Schikardus in משפט המלך, *legem de vacca rufa vel potu Zelotypiæ non esse expresse scriptam in Mose, à Judæis autem oraliter propagatam, bone Deus quam exsibilarentur, quod statim ratiunculis ab aliquo Magistello rei tum absurditas tum impossibilitas demonstraretur!* Idem dicere licet de Itinere sabbati, finge illius usum non fuisse ab Evangelista confirmatum, sed sola traditione Dd. Judæorum niti, quam multi falsitatis illud essent postulaturi, & tanquam ridiculum explosuri. Nunc vero cum & N. T. auctoritas accedat, & diserte ejusmodi itineris mentionem faciat, liquido apparet, & revera tale quid olim locum obtinuisse, & apud Judæos sapientum auctoritate tale spatium definitum fuisse, cujusmodi quid neque Christum prorsus improbasse, nec ab illo recedendi auctorem ulli fuisse, satis ex loco Matthæi citato apparet.

CAPUT II.

Opmeeri in via Sabbati determinanda lapsus notatus. Causa tot interpretum dissensus. Diversæ rationes mensurandi, Ebræorum, Græcorum & Romanorum recensitæ. Viam Sabbati bis mille cubitis constare, præter Ebræorum priscos & recentiores Dd. etiam Origenes statuit. Nec Syri interpretis versio abludit. Æthiopica Versio laudata. Josephi & Evangelistæ conciliatio tergemina, Bezæ & Schmidii. Lud. de Dieu. Grotii & Waseri conjectura de Josephi mendo. Chrysostomi & MSS. Bibliothecæ Uratislaviensis testimonio confirmatur. Aliud Ἐναντιοφανὲς solvitur. Gemina eaque diversa Bethaniæ nomenclatura. Nova Lud. de Dieu. explicatio præpositionis ἀπὸ expenditur. Ligfootus laudatus.

§. 1. Præmissis itaque iis, quæ in genere de Itinere Sabbatico secundum Judæos dici poterant, nunc incitato gradu ad ipsum, qui præ manibus nunc est, locum properandum atque videndum est, quid ibidem qualeve spatium per *Iter Sabbati* intellectum velint loci istius interpretes. Quod sane plurimi sine Ebræorum doctrina minime penetrant: quod suo exemplo comprobat Petrus Opmeerus, gravissime impingens dum chronographiæ fol. 104. ait: *Quotusquisque legens, discipulos ambulasse à Jerusalem usque Emaus, Nicopolim dictam, iter sabbati nempe sexaginta stadia, intelligit ibi significari, schœnum Ægyptium.* Deprehenditur vero & aliorum tantus heic Auctorum dissensus, ut facilius prope videatur, lacera Absyrti membra in unum corpus, quam tot tamque diversas sententias in unum cinnum colligere. Atque hinc videas aliquos animum penitus despondere, quasi impossibile sit, ex ejusmodi tricis hærentem subinde pedem extricare; quos inter haut immerito locaveris Sanctium supra allegatum, qui ad locum hunc diserte fatetur, *se nihil prorsus certi hic habere, quod amplectatur.* Quidam vero spatium hoc, quod discipuli à monte revertentes emensi sunt atque in textu per *Iter sabbati* definitur, mensurantes, varias quantitates eidem adscribunt: Plurimi enim 2000. *cubitorum* longum faciunt, cum alii *octingentos cubitos* adhuc superaddant, atque sic per 2800. *cubitos* definiant. Alii vero 2000. *gressus*, alii totidem *pedes*, quidam 1000. tantum *passus* eidem tribuunt: Nonnulli *quinque*, alii *septem circiter*, rursus alii *sedecim*, imo quidam *tribus & viginti stadiis* definiunt. Neque tandem desunt, qui Iter hoc *Leucam*, alii qui *milliare*, denique alii qui *dimidium milliaris* longum fuisse asserunt.

§. 2. Diversitas vero hæc omnis, nullam aliam ob causam, quam propter diversas mensuras, modumque mensurandi diversum orta esse videtur; Aliter enim quoad præsens negotium Hebræi, aliter Græci, aliter denique Romani mensurare solebant. Facile igitur fieri potuit, ut Interpretes Iter hoc aliis quam Hebraicis mensuris metientes, has cum illis confunderent tantique dissensus ansam præberent. Quo ergo facilius conciliatio & pax iniri, quidque de hoc itinere tenendum, rectius exponi queat, necessum erit ante omnia diversas istas mensurandi rationes expendere, atque, in quibus invicem conveniant, discrepentive, denotare.

§. 3. Hebræos quod concernit, utpote quorum prima & potissima heic cura esse debet, & quorum ratio mensurandi cumprimis

primis cognita sit oportet, si judicium de itinere hoc ferre velis, scire licet, eis minimam mensuram fuisse אצבע *digitum*, qui tanquam principium in re mensuraria cum ad sacros, tum profanos usus frequenter adhiberi solebat. Quatuor illorum constituebant טפח sive *palmum*; sex autem palmi faciebant אמה sive *cubitum*, sed הדיוטה *vulgarem*, (quamvis Waserus huic præter communem sententiam quinque saltim palmos tribuat.) Cum cubito iisdem coincidit פסיעה *gressus* sive *passus*, sed בינוניה *minor* & *communis*, qui duplicatus constituebat צעד *passum*, majorem scilicet. Ulterius 267. circiter cubiti, sive quod idem est, gressus, faciebant רוס *stadium*: *Septem* vero רוסין *stadia cum dimidio* conficiebant מיל *milliare* Hebraicum, adeoque 2000. cubiti eidem milliari exacte respondebant: quatuor tandem מילין *milliaria minora* פרסה *milliare majus* constituebant. Videatur præter Waserum in de mensuris Ebræorum, etiam Buxtorf. Lexic. T. voce תחום & Lud. de Dieu in Animadv. in praxap. Confer & Suidam voce στάδιον: ἑπτά, inquientem, ἥμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν: Eliam Levitam Lex. Thisbi. Aruch majus & minus, ubi ex Talmud Massechet Bava Mezia cap. 2. רוס ט׳ explicaturi scribunt אחד מז׳ ומחצה במיל זהו רוס *unum ex septem cum dimidio in milliari* (i.e. septima pars cum dimidia milliaris) *est stadium*.

§. 4. Contra Græci, quamvis in eo cum Hebræis sentiant, quod cubitum 6. palmorum faciunt, discrepant tamen nimium quantum ab iis, quod passum minorem, consequenter & majorem duplo longiorem faciunt. Quemadmodum enim ille, minor scil. passus, Hebræis idem valet ac cubitus, adeoque hic, major scil., duobus cubitis constat; Ita Græcis ex adverso minor passus duobus cubitis, major quatuor cubitis, constat. Similiter sicuti apud Hebræos passus minor sive simplex sesqui pede absolvitur; Major vero seu compositus tribus pedibus; ita apud Græcos numerus duplo major est, ut qui minori passui tres, majori vero sex pedes adscribunt. Atque sic consequenter, cum illi, Ebræos intellige, stadium 266. circiter cubitis, passibus vero majoribus 133. præterpropter definiunt; Hi Græci contra 400. cubitos, passus majores præcise 100. pro eodem designando adscribunt; Ut ita 2000. cubiti exacte quinque Græcorum stadiis respondeant. Testem hujus mensurationis habeo Herodotum qui in Euterpe ita infit: αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαι εἰσὶ στάδιον ἑξάπλεθρον, ἑξαπόδεω μὲν τῆς ὀργυιῆς μετρεομένης καὶ τετραπήχεος. τῶν δὲ ποδῶν τετραπαλαίστων ἐόντων, τοῦ δὲ πήχεος ἑξαπαλαίστου. i. e. *Centum autem justi passus sunt stadium unum sex jugerum, passus inquam, mensuræ sex pedum, sive quatuor cubitorum, pedes autem quatuor palmorum, cubiti vero sex palmorum.*

§. 5. Romani vero ab utrisque secessum facientes, hoc imprimis peculiare habent, quod sesquiduos pedes minorem, adeoque quinque pedes majorem passum longum faciant; Stadio etiam 125. Majores, vel, quod idem est 250. minores passus tribuant, uti Plinius H. N. l. 2. c. 23. testatur, dicens: *stadium sunt centum viginti quinque passus, hoc est pedes sexcenti viginti quinque.* Stadia autem talismodi octo demum milliare Romanum seu Italicum describunt, horum vero duo Leucæ Gallicanæ; quatuor autem milliari nostro Germanico respondent. Vid. de hisce Ph. Cluverius in Epit. Geogr. aliique Geographi passim.

§. 6. Jam adeo difficile haut erit inter tot variorum Auctorum sententias amicam inire pacem, vel, ut in proverbio est, Apium ab opio discernere. Cum autem olim, ut ex supra dictis constat, iter hoc Sabbaticum constitutum hodieque Judæis in usu sit, (ut enim in libro rituali, Schulchan Aruch Hilkot התחומין numero 397. §. 1. loquuntur: כל אדם יש לו אלפים אמה לכל רוח חוץ מארבע אמות מהמקום ששבת בו: *Omni homini bis mille cubitos in omnem plagam ire licet, è loco quo in sabbato quies agitur.*) nulli dubitamus secundum eosdem quoque heic pronunciare totamque litem dirimere, cum antiquissimum Patrem Origenem hic ὁμόψηφον habeamus. Uti enim Theophylactus & Oecumenius comm. in Act. 1: 12. testantur, μίλιον ἓν ἡ τοῦ σαββάτου ὁδὸς, ὥς φησιν Ὠριγένης ἐν τῷ πέμπτῳ στρωματεῖ, δισχιλίων πηχῶν ἀπεῖχε, καὶ μᾶλλον ἡ ἁγία σκηνὴ, καὶ κιβωτὸς τοσοῦτον διάστημα περιελάμβανε τὴν παρεμβολὴν, καὶ ἀπὸ τοσούτου διαστήματος ἐσκήνουν· ὃ διάστημα ἐξῆν τοῖς περισκηνοῦσι τὴν ἁγίαν σκηνὴν βαδίζειν ἐν σαββάτῳ. Dicendum ergo, per Iter Sabbati in hoc præsenti loco illud, quod Hebræis minus dicitur, duorum millium cubitorum, heic esse intelligendum, ut adeo discipuli à monte Olivarum Hierosolymam redeuntes, iter Sabbati h. e. 2000. cubitos, sive quod idem est, unum milliare, aut sesquiseptem stadia Hebræorum confecerint, aut, si nostro more eloqui velis, paulo plus quam dimidium quadrantis Milliaris Germanici. In quo asserto, quemadmodum plurimi juxta & præstantissimi Commentatores consentiunt; Ita illustrem sane calculum addit ipse Paraphrastes Syrus, qui non tam interpres, quam illustris Novi Instrumenti commentator ob innumera admodum loca, quæ illustrat, merito audit: is enim loco σαββάτου ὁδοῦ, quod in Græco est, habet: ܐܝܟ ܫܒܥܐ ܐܣܛܕܘܬܐ *circiter septem stadia*, quo ipso confuse licet spatium indicet, proxime tamen ad exactam accedit mensuram. Joan. Drusius quidem libr. 5. præt. pag. 144. arbitratur, per particulam ܐܝܟ minus hic, quam septem stadia, intelligendum esse: Verum nihil causæ video, quin propter eandem particulam etiam majus spatium intelligi adeoque ad utrumque pro re nata referri ea possit. Samuel quidem Petitus lib. 3. observ. cap. 1. contendit, Syri Paraphrastæ ævo non licuisse totidem stadia emetiri, quot tempore Christi & Apostolorum, eo quod fuerit σύγχρονος Justini Martyris ac post R. Akibæ mortem vixerit, cum jam ab Adriano in ordinem redacti Judæi Græca Biblia legerent, interdicto Codice Ebræo. Sed fac, Syrum interpretem isto tempore floruisse, nondum tamen sequitur ob usum Græcæ Versionis, id temporis ei aliam metiendi rationem fuisse, quam quæ Christo in terris agente locum obtinuit. Stadia enim Græcorum pro Ebræorum hactenus usitatorum eum substituisse eccui verosimile fiat?

§. 7. Cum autem Græci τὸ στάδιον ἀπὸ τῆς στάσεως, & Latini Græcissantes stadium à stando appellasse videantur, nonnulli id inde factum censent, quod Hercules tanto spatio sub uno spiritu confecto, constitisse & respirasse perhibetur. Quo an Æthiops quoque respexerit, qui locum Hierosolymis distare dixit ምርፋጸ፡ ብእሲ፡ *spatium cursus viri*, sive ut Nobiliss. Dn. Ludolfus explicat, *quantum quis sine intermissione currere potest*, id haut ita liquidum est, nec Judæorum sententiæ inde quicquam accedit.

§. 8. Consimiliter neque illi repugnant, qui spatio huic 2000. gressus, sive passus minores adscribunt, ut enim paulo ante monui, hi ipsi Hebræis totidem cubitis respondent, quot jamjam via Sabbati definita est; Aut saltim tam prope accedebant, ut, si per cubitos, tanquam mensuram exactiorem, iter hoc emetiri non liceret, per talismodi passus mensurare permissum fuerit, de quo videantur Ebræi in Talmud & alibi. Atque sic idem plane sentiunt, qui spatium hoc 1000. passibus Majoribus constitisse asserunt; Inter quos est Lyranus, Glossa interlinearis, it. Eucherius aliique; Ut enim itidem ex superioribus patet, passus major duplo amplior est minori.

§. 9. Quod vero ad eos attinet, qui 2000. tantum pedes adsignant, isti antesignanum habent D. Hieronymum, qui Epist. 151. ad Algasiam quæst. 10. prope circa finem ita dicit. *Præterea, quia jussum est, ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat: Si quando eos* (Judæos) *juxta Literam cœperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere & dicere; Rab, Akiba & Symeon & Hille*, (rectius ut Seldenus aliique notant, Hillel) *Magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato.* Verumenimvero, quamvis Cornelius à Lapide in Actor. 1: 12. nihil in hisce Hieronymi verbis immutandum esse censeat; Drusius tamen l. c. aliique haut improbabiliter conjiciunt, Hieronymum aut scripsisse, aut intellexisse saltim, cubitos sive passus, & à Librariis tantum pedes esse. Certe Erasmus in Act. eundem Hieronymi locum adducens, non pedes, sed passus legit: *Verosimile enim non est*, (inquit Waserus de Mensu. Hebr. lib. 1. c. 12. §. 4.) *Hieronymum à sententia communi Hebræorum & Origenis, qui, ut dictum, Sabbati iter continere scribunt 2000. cubitos, hoc est gressus sive passus minores, recessisse.* Dein esto, posuisse Hieronymum pedes, atque ita etiam à Judæis quibusdam accepisse; falsissimam tamen esse hanc traditionem ex compluribus Talmudis, ut & aliorum Judaicorum Librorum locis aperte probari potest; Quorum summam quasi comprehendit R. Moses Kozensis dum sic scribit loc. cit. היה מהלך בבקעה ואינו יודע תחום שבת מהלך אלפים פסיעות בינוניות וזה תחום שבת: *Qui in valle quadam ambulat, ignorans Sabbatici itineris terminum, bis mille cubitos numeret eundo, qui Sabbati terminum conficiunt.*

§. 10. Neque illorum sententiæ huic vel tantillum quidem contradicunt, qui 2000. ulnas, pro assignando hocce spatio substituunt: Quam sententiam refert Origenes περὶ ἀρχῶν l. 4. cum ait: *Fabulas autem quasdam inanes & frivolas commentantur, ex nescio quibus traditionibus proferentes de Sabbato, dicentes unicuique locum suum reputari intra duo millia ulnarum*: Nam juxta Suetonium ulna plane idem est ac cubitus.

tus. vid. Drus. l. c. Neque denique illi dicam nobis scribunt, qui unum milliare pro sua sententia laudant, siquidem non aliud quam Hebraicum nobiscum intelligant; nullum enim alterius generis milliare 2000. cubitis respondebit.

§. 11. Hæc cum ita se habeant, Iter hoc Sabbati confectum esse videretur, nisi adhuc duo offendicula obstarent: Primum est, quod Josephus lib. XX. A. J. cap. 6. asserit *montem Olivarum è regione urbis Hierosolymæ ad quintum abfuisse stadium.* Quod assertum repugnat sententiæ nostræ, qua Discipulos in urbem redeuntes itinere sabbatico septem stadia cum dimidio emensos esse diximus. Hanc ἀντιλογίαν φαινομένην ut concilient, Beza & Erasmus Schmidius, Josephum non tam locum illum montis, è quo Christus ascendit in cœlos, quam proximas & primas montis ab urbe radices respexisse dicunt. Ludovicus de Dieu vero Josephum Græcorum stadia in animo habuisse ait, quorum quinque ex amussim sesqui septem Ebræorum stadiis respondent. Neque desunt, qui aliter difficultati occurrant. Nempe Josephi locum sic hodie in mendo cubare. Hoc plane sibi persuadent Grotius annot. in Actor. 1. & Waserus de antiquis Mensuris Ebræorum lib. 1. cap. 12. Quæ conjectura non de nihilo est. Chrysostomus enim jamtum sua ætate de monte Olivarum ad Actor. 1: 12. loquens: Ἱστορεῖ δὲ, inquit, καὶ Ἰώσηππος ἐν τῷ εἰκοστῷ λόγῳ τῆς ἀρχαιολογίας ἀπέχειν ἀπὸ Ἱεροσολύμων στάδια ἑπτά. Atque hanc Lectionem MSS. antiquissimum, quod ex Bibliotheca inclutæ Reip. Uratislaviensis utendum petiit Excellentissimus Bosius, Patronus ac præceptor meus oppido colendus, suo quoque confirmat suffragio, ubi pro πέντε ἑπτὰ leguntur. Qua ipsa lectione Judæorum Livium gemella plane docuisse apparet.

§. 12. Alterum est, quod Luc. 24: 50. Christus ascensurus Apostolos duxisse dicitur ἕως εἰς Βηθανίαν. Jam vero Joh. cap. 11: 18. Bethania ab urbe abfuisse dicitur ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. Unde longe majus spatium discipuli ἀπὸ ὄρους ἐλαιῶνος revertentes confecisse videntur, quam quod viæ sabbati tribuere Judæos supra vidimus. Hanc fere inexplicabilem, quam Beza vocat, difficultatem, ut expediat, dicendum arbitratur, Bethaniam non vicum aliquem fuisse, sed tractum montis Oliveti. Ceterum cum Lazarus & sorores ejus ibi degisse, & Christus quoque pretioso unguento, ibidem hospitatus, perfusus esse legatur, res ipsa loquitur, hujus nominis vicum Johann. 11: 18. intelligi. De quo in Nubiensi Geographo Clim. 3. part. 5. hæc وعلي ميلين من جبل الزيتون القرية *duo milliaria à monte Olivarum pagus erat* (Bethania.) Hinc perpendendum hoc eruditis exhibet Dieu, an non verba ὑπέστρεψαν ἀπὸ ὄρους ἐλαιῶνος reddi queant: Et reversi sunt *per montem* Oliveti, quomodo τὸ ἀπὸ Apocal. 4: 20. & Actor. 13: 14. accipiatur. Sed præterquam quod hæc expositio voculæ ἀπὸ adhuc dubia est, nihil ea, si vel maxime recipiatur, facit ad difficultatem minuendam. Rectius igitur dicitur, cum Christus discipulos in Bethaniam duxisse legitur, non de vico ipso, sed agro vicino id intelligendum esse. Quod vero in confinio agri factum est, id communio loquendi usu etiam vico tribui solet. Atque hæc causa est, quamobrem ipsi Euangelistæ nunc Bethphages, nunc Bethaniæ mentionem faciant, quod nempe loci utriusque agri confines erant. Quo etiam Vir Doctissimus Joannes Lightfootus Centur. Chorographica his verbis collineare videtur cap. 37. *Christus*, inquiens, *ascensurus in cœlos dicitur discipulos suos eduxisse* ἕως εἰς Βηθανίαν *Luc. 24: vs. 50. at non ultra iter sabbaticum. Actor. 1: 12. cum vicus, ubi habitavit Lazarus, duplo fere distaret Joann. 11: vs. 18. Profectus ergo est Hierosolymis per Bethphagen intra mœnia, & Bethphagen extra mœnia, & emensus iter sabbaticum aut circiter ad locum & tractum illum Oliveti, ubi jam desierat nomen Bethphage, atque inceperat nomen Bethaniæ, atque illic ascendit.*

ASCENDENTI JESU DEVOTAS NUNC SOCIAMUS GRATIAS.

PRÆSTANTISSIMO DOCTISSIMOQUE

DN. M. G. E. VOIGTIO,

S. P. P.

JOHANNES FRISCHMUTH, P. P.

Quemadmodum Janus Gruterus literis ad Cl. Hofmannum, Medicum Altorphinum, olim datis, in ea se opinione esse affirmavit, ut neminem arbitretur satisfacere officio medentis, qui non intelligat Hippocratem & Galenum loquentes sua lingua; Ita consimilem in modum docti viri complures negarunt, sive Scripturæ interpretis, sive divinæ voluntatis nuncii mensuram exacte aliquem implere posse, nisi eas linguas, quibus divina oracula initio perscripta sunt, probe teneat, & cognitas habeat. Minime igitur te indignum quid facit, quod postquam iis disciplinis animum imbuisti, quæ ad Theologici studii telam felicius pertexendam necessariæ judicantur, sacram Philologiam non amas solum, sed & diligenter & feliciter colis. Neque etiam illius operæ te pœnitere debet, dum Judæorum monumenta & antiquitates scrutari soles. In quibus licet ineptiarum ampla quoque seges occurrat, melioris tamen notæ aristæ inter infelix lolium & steriles arenas repertæ abunde id compensant sua utilitate, quam in illustratione cum phraseos sacræ, tum rituum in Scripturis memoratorum præstant uberrimam. Quanti vero hoc fieri à prudentibus soleat, vel solum illud satis testari queat, quod Eruditorum sua ætate facile princeps Isaacus Casaubonus in Epistola ad Lingelsheimium scriptum reliquit, olim, inquiens, venerandus Parens meus, cum ego illi notas in Diogenem offerrem, & de meis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narrarem: Respondit mihi, laudare se quidem propositum meum, καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμήν, ceterum se pluris vel unicam observationem facturum ad libros sacros pertinentem, quam omnia illa, quorum illi spem feceram. Hæsit animo meo penitus infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore θεῖα μελετᾶν sum conatus. *Nempe hoc docti parentis effatum filio solidæ eruditionis desiderio flagrantissimo incitamento fuit, ut tandem sacris studiis opera ejusmodi, qualem profanis impenderat, destinata, illud per totam Europam deprædicatissimum, & quod omnium Theologiæ Studiosorum assidua manu teratur, dignissimum opus, Exercitationes in Baronii Annales, enixus sit, in quo exornando cum tam ex variis gentilium quam Judæorum scriptis varia attulisset, pretium ejus dilaudare hunc in modum magno Literatori visum est:*

Cedat Athenæus, juvenilis gloria: cedat
Scipiadæ sapiens in fera bella comes!
Cedat & ipse etiam mundi descriptor & omne
Quicquid Roma tui, Græcia quicquid habet.

Atque ex his conjicies, quam ea grata esse soleant pluribus & quam fructuosa, quæ ad illustrationem librorum sacrorum quantumvis ex tenebris abditisque locis producuntur. Unde neque opera tua, quam argumento Exercitii Academici de Via Sabbati impendendam duxisti, frustranea erit: Quin præterquam quod sic vires ingenii tui periclitatus multorum Auctorum iterata lectione jam doctiorem te reddidisti, &c, quid de vexatæ illa quæstione statui debeat, ostendisti, aliis quoque stimulum ad similem diligentiam adhibendam exemplo tuo addidisse videris. Quam honestam æmulationem studiosæ Juventutis uti fovendam potius quam sufflaminandam arbitramur: ita ad aliorum τῶν φιλομαθέντων ὠφέλειαν *nostram quoque operam paratam esse profitemur. Vale! amice carissime, & ut cœpisti, viam studiorum tuorum feliciter decurre. Dabam è Museo d. 12. Maji Anno 167[illegible]*

FINIS.

M. MICH.

M. MICH. WALTHERI
DISSERTATIO
De itinere Sabbathi ad Act. I: 22.

THESIS I.



Um omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo, errorque turpis eſt, tum in eo loco maxime, in quo judicandum eſt, quantum auſpiciis rebuſque divinis, religionique tribuamus. Eſt enim periculum, ne aut neglectis iis, impia fraude; aut ſuſceptis, anili ſuperſtitione obligemur: præclarum M. Tullii monitum eſt, primo de Divinatione. Quod ſi in animum admitteret excœcata gens Judæorum, & intelligeret aliquando, nervos atque artus ſapientiæ eſſe, non temere credere; multo rebus ſuis melius conſultura eſſet in poſterum, nec peragendo ſacra tam aniliter, & ad inſaniam uſque ineptiret. Sed ut non albeſcit, etiamſi noſtro ſole caleat, Æthiops, & maculas ſuas neſcit eluere Pardus, ad nos adductus: ita ſedem ac domicilia, non animum mutant verpi. Suprema ſuperſtitionis lex eſt, pluris eſſe facienda ſcribarum, & magiſtrorum placita, quam oracula Moſis, & Prophetarum. Nam & imperfecta eſſe ſtatuunt mandata Dei, quæ conſignata literis ſunt; & tantis obſtructa difficultatibus, ut niſi lumen iis adhibuerit Jehuda aliquis, vel Aſche, acceſſionemque fecerit, neque intelligi queant à quoquam, nec ad rationem veri cultus ſufficere. Itaque ſcriptum DEI verbum vix equidem cum aqua, & ſale, ab iis comparari videas in מסכתא סופרים cap. XV. Halacha 7. & 9. ſuum vero Talmud, cum vino, & aromatibus collatum, paſſim commemorant, tanquam

—— monimentum ære perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius:
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Neque auctoribus tanti operis vitio vertendum eſſe arbitrantur, quod de rebus iiſdem unus ſæpenumero affirmet, quod alter negat. Eam enim, apud ipſos, ſapientes Rabbini habent auctoritatem, ut fidem unicuique, ſine ulla exceptione, adjungere ſatius ſit, quam ob repugnantem doctrinam illos inter ſe committere.

II. Pudet me ſcribere, quot ſomniorum, quantarumque nugarum mater extiterit miſera iſta credulitas, ſuperſtitioſaque ſolicitudo. Nam quanto facilius animo fabulas concepit populus ſimplex, tanto liberius genuit commenta inſaniens magiſtrorum ſapientia. Ac patet quidem illa multo latiſſime, perque præcepta divina ſingula divagatur: ſed nulla in re minus ſe continere potuit, quam ſabbato recte, &, ut par eſt, colendo. Hic nemo truncus eſſe voluit: quin potius operam pro ſe quiſque dedit, ut ingenii gloria, ac ſubtilitate cæteros antecellere videretur. Tanti enim momenti eſſe crediderunt Judæi diſquiſitionem iſtam, ut quanto quiſque ſubtiliores, acutioreſque de Sabbato cogitationes in medium proferret, tanto reliquis doctior ſuo quodam jure haberetur. Quam vero ridicule probaverint ſubtilitatem doctrinæ ſuæ, id uno alterove præcepto illuſtremus. Ajunt, ſabbato non eſſe venandum pulicem, quando hinc inde ſaltat. Si tamen quem pungat, licite quidem capi; at interfici minime, ſed vivum abjici oportere. Non eſſe per aquas incedendum, ne, ſi quis faciat, caligas ille madefactas iterum exſiccare cogatur. Claudum, qui ſine baculo gradus promovere nequit, eo ſe licite fulcire in ſabbato: ſed homini cœco idem nequaquam eſſe permiſſum. Poma, eo die decerpta, non eſſe comedenda, præſertim ſi circa caulem aliquid remanſerit. Prohibitum eſſe, legere ad lucernam, niſi duo ſimul legant. Vulnus acceptum obligare, nefas eſſe: emplaſtrum tamen jam ante admotum jure retineri, niſi forte in terram decidat. Tum enim nec elevandum eſſe, nec vulneri denuo ſuperimponendum.

III. His ſeſe, & innumerabilibus aliis, macerant ineptiis præpoſteri obſervatores Sabbati, nec ullum ferme habent inſtitutum, in quo riſum tenere poſſit ſpectator. Ad ſaniora tamen pertinet, quod circa itinera facienda ſanciverunt, rem ipſam ſi ſpectes. Nemo enim eo tempore, quod publico cultui deſtinatum eſt, præter neceſſitatem, peregrinatur impune. Neque tamen inde efficitur, quod plane non ſit eundum in Sabbato. Imo licitam olim illo die fuiſſe profectionem ad Prophetas, aut ad locum, in quo ſacer cultus perageretur, ex 2 Reg. 4: verſ. 23. conſtat. Notaque res ex Epiphanio eſt, Hæreſ. LXXX. quod oratoria habuerint Judæi extra civitatem: quæ, Philone teſte, 3. de Vita Moſis, plerunque diebus Sabbati obiri ſolebant. Et habemus exemplum Pauli Apoſtoli, in ejuſmodi locum ſe conferentis die Sabbati, Actor. 16: verſ. 13.

IV. Cæterum, tacente Scriptura Sacra de intervallo, quod proficiſcendo emetiri liceret in Sabbato, ſibi ipſis, pro more, terminum aliquem, admodum ſcrupuloſum, conſtituerunt Judæi: quippe quem nec excedere fas eſſet, nec immutare, quantacunque etiam homines urgerentur neceſſitate. Itaque ſi quis forte die Veneris iter ingreſſus adhuc amplius, quam unum תְּחוּם שַׁבָּת (ſic enim appellant iſtud intervalli, quod Sabbato licite confici exiſtimant) ab hoſpitio abſit; appropinquante ſabbato, ſub Jove frigido manere tenetur, ſive patentiſſimo campo, ſive media in ſylva hæreat, ibidemque quieſcere, & ſabbatum peragere, omni, quod à latronibus ac feris imminere poſſit, periculo, ipſoque cibo & potu inſuper habitis. Quæ res ut plane ridicula eſt, ac ſanæ rationi adverſa: ita ſuperſtitioſis obſervatoribus ſæpenumero fraudi fuit. Quemadmodum & puerilis illa inſcitia, ac prorſus inſana erga legem reverentia, quod ſe nollent Sabbato adverſus hoſtes tueri, tot innocentes homines in ſummum diſcrimen adduxit, & non paucis, teſte hiſtoria Maccabæorum, miſerandum interitum attulit.

V. Abiit interim infelix inſtitutum in civiles uſus. Nam exiguam locorum intercapedinem itinere Sabbati deſcripſiſſe Judæos, ex Actis Apoſtolorum colligimus, cap. 1: 12. Ibi Lucas diſtantiam montis Olearum ab Hieroſolymis definiturus, inde ait diſtitiſſe Σαββάτου ὁδόν. Quod autem ἡ τοῦ σαββάτου ὁδὸς idem ſit, ac Hebræorum תְּחוּם שַׁבָּת, ex Origene, Oecumenio, atque Suida oſtendi poſſet, niſi id ſupervacaneum videretur. Atque eo, ut puto, Chriſtus Dominus reſpexit, cum orare juberet Judæos Matth. 24: 20. ne fuga ipſorum fieret in Sabbato. Non quod approbaret ſuperſtitionem, ſed indicare vellet, conſuetum iter Sabbati nequaquam ſufficiens futurum eſſe ad fugam tunc temporis neceſſariam, ſed longius omnino diſcedendum eſſe, ſi quis Romanorum manus effugere velit.

VI. Ac mihi quidem de quantitate hujus itineris paulo accuratius explicaturo, peropportune venit in mentem obſervatio Johannis Seldeni, ex libro III. de Jure Natur. & Gent. ſecundum Hebræos, quod תְּחוּמִין הַשַּׁבָּת hoc eſt itinerum ſabbaticorum, apud Doctores Talmudicos, juxta receptam antiquitus ſententiam, duplex habeatur genus. Alterum majus, quod Legi ſcriptæ coævum, Moſaicumque adeo faciunt: alterum minus, quod ex ſcribarum ſcitis profluxiſſe fatentur. Quorum certe non exigua eſt differentia. Nam prius, ajunt, fuiſſe duodecim Milliarium: poſterius cubitorum ſolummodo bis mille. Adſcribam verba Maimonidis, quemadmodum converſa inveni. Ita vero ille Hal. שבת, cap. XXVII. §. 1. *Qui*

in

in Sabbato ultra terminum urbi præstitutum exibat, vapulabat; juxta id, quod habetur in lege: Non egrediatur ullus è loco suo die septimo. Locus hic est terminus urbi præstitutus, seu spatium intra terminum illum protensum. Ejus vero mensura diserte non statuitur à lege; unde tamen per interpretationem Sapientes illud fecere duodecim milliaria, quod spatium erat, ultra quod è castris Israëlitis non erat egrediendum. Nam & sic jussit Moses Magister noster, non esse egrediendum è castris. Cæterum ex Scribarum scitis manavit illud, quod non liceret homini urbe exire ultra bis mille cubitos. Scilicet spatium illud pro suburbio habetur. Hactenus Maimonides ipse. Nunc Scholiastes ejus accedat, qui ad citatum locum hæc habet: *Modus terminorum in bis mille cubitis est è Magistrorum sententia; at vero in duodecim milliaribus è lege.*

VII. Quæ ut rectius intelligantur, primo de Cubitis, tum quoque de Milliaribus Hebræorum nonnihil dicendum est. Quod ad Cubitos attinet, magna equidem, & intricata est inter eruditos disputatio tam de diversis generibus, quam certa ac definita uniuscujusque quantitate. Sed eam in præsenti meam non faciam, neque in percensendis aliorum sententiis multum operæ consumam: præsertim cum sciam, plerosque auctores in hac re meris conjecturis niti, & vix quenquam ita explicare magnitudinem Cubiti Hebraici, ut justam, accuratamque de eo notionem in animo suo lector suscipere possit. Dicam itaque breviter, citra cujusquam præjudicium, quid in difficillima re mihi maxime probetur, & Cubitum Hebræorum, quanta possum subtilitate, ad mensuram aliquam nobis exquisite cognitam accommodabo, ut partes cum partibus, ac totum cum toto conferendo quilibet facile perspiciat, quantum cuique per naturam rei debeatur. Neque vero me quisquam jure reprehendat, quod ambagibus istis utar, quibus me pervenire posse confido ad id, quod quæro. Non enim recta semper ad veritatem via patet, sed longo illa interdum anfractu, & quadam circuitione demum acquiritur.

VIII. Principio igitur suppono, nulla nos necessitate obligari, ut duplicem, ne dicam triplicem, cubitum, qui quidem publica, & communis mensura apud Hebræos fuerit, statuamus. Quod etsi paucos intelligam esse concessuros; non tamen me à sententia dimoveri patiar, nisi è sacris literis evidenter ostendatur contrarium. Hebræorum enim testimonia nihili facio, persuasus, Spiritum Sanctum non fuisse silentio prætermissurum distinctionem, si qua extitisset: cum tam frequens sit solicitaque in diversissimarum, ac præcipue sacrarum, rerum dimensionibus cubitorum mentio. Et lætor, in eo mihi adstipulari plerosque interpretum, quod uno eodemque mensuræ genere, cubito, inquam, communi sex palmorum, nostrum tamen quodammodo superante, in descriptione arcæ Noachicæ, & fœderis, itemque tabernaculi, tentorii, aræ, atque similium rerum usus fuerit Moses. Ego vero ne templum quidem, sive Salomonis, sive spirituale illud, apud Ezechielem, hic excipiendum esse autumo. Neque enim necessariæ amplitudini Templi, vel proportioni operis, & elegantiæ quicquam decedit, quod ad communem mensuram illud extructum fuisse credam. Quod si Regia Salomonis minus efficitur Templum; quid inde incommodi metuendum putabimus? Sunt, qui ita fato datum esse existiment, ut significaretur, regnum Christi latius extendi, quam Ecclesiam, cum & in medio ille inimicorum suorum dominetur. Siclum equidem sacrum communem excessisse scio: sed à siclo ad cubitum male concluditur. Promotio cultus divini in siclo tantum ponderis requirebat. Non idem de cubito quisquam facile dixerit. In dimensione templi Ezechielis duplicis cubiti fundamentum reperiri fateor. Nam Propheta commemorat cap. 40: 5. virum, quem vidisset in specie æris, in manu habuisse calamum, mensuræ sex cubitorum, in cubito, & palmo: id est, quemadmodum cap. 43: 13. explicatur, ejusmodi cubitorum, quorum quisque contineret cubitum, scilicet communem, & palmum. Verumenimvero communem illum, quem visus palmo superasse dicitur, Hebræorum fuisse cubitum, unde probabitur? Imo Babylonius fuit, nisi totus ego fallor. Nam ope mensuræ, quam captivi quotidie tractarent, revocanda Judæis sua illa legalis in memoriam erat, ad quam templum quondam Salomonis, aliaque opera sacra extructa fuisse sciebant. Quo adminiculo destituti non intellexissent Prophetam: quippe quorum alii, tempore visionis, decimum quartum; alii jam vicesimum quintum in captivitate annum agebant, quatenus quisque vel cum Jechonia translatus, vel cum Sedechia abductus fuerat. Itaque omnes sine dubio accuratam cubiti sui magnitudinem pridem amiserant, ut quibus nec potestas fuisset archetypum consulendi, nec otium cogitandi de cubitis, cum ad deditionem cogerentur. Cubitus interim apud Prophetam ex Babylonio cubito, palmoque compositus, unus ille Hebræorum fuit, communis legalisque, qui sive metallo incisus, sive alia ratione compositus publice quondam, fortassis in sanctuario, asservabatur, ut, præterquam quod norma communis esset, secundum quam, ad evitandas fraudes, examinarentur mensuræ vulgares, eo felicius cum admiranda rerum sacrarum architectura ad posteros propagari posset. In cujus rei fidem considerandum est, quod Propheta, vel potius Dominus, qui visionem Prophetæ exhibuit, utatur verbis & phrasibus florenti Hebræorum statui accommodatis. Describit enim quasi templum Hebræorum; describit quasi cultum Hebræorum; describit quasi terram Hebræorum: utut nihil eorum intelligat. Adde, quod non una pars templi visionis accurate respondeat templo Salomonis. Nam & palatium palatio æquale, & utrobique in longitudine 40, in latitudine 20 cubitorum; & Sanctum sanctorum templi visionis, Sancto sanctorum Templi Salomonis æquale, utrobique scilicet 20 cubitorum, tam in longitudine, quam latitudine fuit, &c.

IX. His ad eum modum disputatis, adeundus nobis Herodotus est, ut in notitiam cubiti Babylonici deducamur. Is itaque in descriptione Babylonis, quousque ipsemet penetraverat, lib. I. cap. CLXXVIII. narrat, quod murum habuerit quinquaginta cubitorum Regiorum crassitudine, ducentorumque celsitudine: & statim addit: ὁ δὲ βασιλήϊος πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ πήχεως μέζων τρισὶ δακτύλοισι; hoc est, Cubitus autem Regius mediocri cubito tribus digitis major est. Intelligens per mediocrem cubitum, non Babylonicum quendam, medium inter minimum, & maximum, ut Villalpandus vult in Ezechielem, T. 3. p. 2. l. 3. cap. 17: vel Babylonicum vulgarem, quemadmodum innuere videtur Samuel Bochartus in Phaleg. lib. I. cap. XII: sed sine dubio Græcum. Cum enim ipse Græcus, scriberet Græcis, oportuit eum assumere popularibus suis notam mensuram, ut per illam addiscerent primo cubiti Babylonici quantitatem, tum vero magnitudinem muri æstimare possent. Cæterum cubitus Græcorum mediocris æqualis fuit cubito veterum Romanorum. Nam Plinius lib. VI. cap. XXVI. locum ex Herodoto citatum vertens, cubitum Babylonicum totidem digitis Romanum excessisse scribit, quot superare Græcum Mediocrem dixerat Herodotus. Verba ejus hæc sunt: *Babylon Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ, Assyriæque Babylonia appellata est, sexaginta millia passuum amplexa, muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam nostra.* Ubi notandum obiter est, quod pro cubitis pedes, lapsu sive memoriæ, sive calami, reposuerit Plinius. Nam apud Herodotum est δημοσίων πηχέων.

X. Porro Cubitus apud Græcos sex palmos continebat, ut nos iterum docet in Euterpe Herodotus, cap. CXLIX. id est, viginti quatuor digitos. Cum itaque cubitus Babylonicus Regius tribus digitis superaverit mediocrem Græcum, atque Romanum; eum viginti septem ejusmodi digitorum fuisse consequitur, qualium cubitus mediocris Græcorum, itemque Romanus fuit viginti quatuor. Quamobrem per operationem Arithmeticam erit: Ut sex palmi Babylonici, ad viginti septem digitos Græco-Romanos; ita unus palmus, ad digitos quatuor & semissem. Quibus, tanquam excessu cubiti Hebraici supra Babylonium in mensura Romana, ad integrum cubitum Babylonium viginti septem digitorum adjectis, provenit tandem cubitus Hebraicus digitorum Romanorum 31. & sem. Digiti autem 31. & sem. ad pedem Romanum, in uncias resolutum, accommodati dant pedem unum, undecim uncias, & 62 cum sem. centesimas unius unciæ. Denique duo pedes veterum Romanorum, quales sub Vespasiano in usu publico fuerunt, ac totidem unciæ cum 64. centesimis, juxta comparationem Ricciolianam, uni ulnæ Lipsiensi æquantur.

XI. Hæc de Cubito Hebræorum pro ratione instituti dicta sint. Sequitur, ut de Milliaribus aliquid afferam in medium. Duplex autem apud Hebræos Milliare est, Parvum, & Magnum. Milliare parvum מִיל: Magnum vero פַּרְסָה appellant. Ac Parsa quidem utcunque decima pars itineris diurni, & unum Mil quarta pars unius Parsæ statuitur. Sic enim Poëta in fine Pharasath Secalim, vertente Drusio lib. 1. Animadvers. cap. 44.

Iter diei decem Parsas continet,
Et qualibet Parsa quatuor milliaria.

Idem Elias tradit in Thesbithe, & Moses Gerundensis in Deuteronomion. Qui vero rem accuratius persequuntur, מִיל primum in cubitis, vel passibus definiunt. Non tamen una omnes,

omnes, eademque ratione. Ludovicus de Dieu, animadversion. in Acta Apostol. cap. 1: verſ. 12. ex Hebræorum libris liquido conſtare aſſerit, מיל eſſe longitudinem bis mille cubitorum. Arias vero Montanus in Thubalcain ex Kimchio in Ezechiel. XLVIII. & libro Miſnajoth unum מיל mille Emoth terræ, hoc eſt, cubitos mille continere docet. Eſtque uſitatum vulgo, pro Milliari parvo Hebraico numerare mille cubitos. In quam rem Alſtedius, Triumph. Biblic. pag. 113. *Milliare*, ait, *mille paſſuum populi cujuſvis. Hebraicum igitur milliare Hebraicos, Chaldaicum Chaldaicos continebat paſſus.* Similia apud eundem legas lib. 14. Encyclop. cap. 13. nec non apud Angelocratorem lib. de Ponderibus, Tirinum in Prolegom. Script. Bonfrerium in Ex. XX. Ricciolium Geograph. Ref. lib. 2. cap. 5. & plures alios. Quos cum prioribus mihi non inepte conciliare videor obſervatione Buxtorfii in Lex. Talmud. Rab. f. 1197. Ibi enim ipſum quoque Mil duplex invenio è ſententia Hebræorum, Minus & Majus. Mil minus mille greſſus, vel mille majores Hebræorum cubitos capere dicitur; ſed majus greſſus bis mille, ſive bis mille cubitos majores, aut bis mille paſſus minores. Paſſus enim minor, apud Hebræos, quantitate convenit cum cubito. Vide Tremellium ad Act. 1: verſ. 12. Druſium lib. 2. Obſervat. cap. 9. Qua diſtinctione poſita, facilis eſt Milliaris Hebraici ad menſuras Romanas reductio. Cum enim, per ſuperius diſputata Cubitus unus Hebraicus contineat pedem Romanum integrum, ac præterea 11. uncias, & 62. cum ſem. centeſimas unius unciæ; neceſſe eſt cubitis mille pedes Romanos 1968. & 9. uncias, id eſt, paſſus Geometricos 393, pedes 3 & 9 uncias, pro Mil Minori; ideoque bis mille cubitis, ſeu Mil Majori, prioris numeri duplum, videlicet 3937 pedes, 6 uncias, vel quod idem eſt, 787 paſſus, 2. pedes, & 6 uncias competere. Atque ſic ſe res habet cum Milliari parvo. Inde vero Magnum ſtatim cognoſcitur, quia prioris quadruplum eſſe, antea vidimus. Sed poſſumus iſta reſolutione in præſens ſuperſedere. Maimonides enim, ejuſdemque ſcholiaſtes, in textibus Theſ. VI. adductis, pro definienda magnitudine Itineris Sabbati de ſententia veterum, nomine מיל utuntur: ad Majus illud, niſi fallor, reſpicientes, ut iter Sabbati recentius, bis mille cubitorum, ſeu unius Mil majoris, pars duodecima antiquioris evaderet.

XII. Sed tranſeat Majus, & ferme oblivione deletum Sabbati iter, cum extra controverſiam ſit, in Actis Apoſtolicis ejuſmodi non poſſe intelligi. Alterum vero, ſive Minus, non ſolus Maimonides, ſed Hebræi omnes, bis mille cubitis, vel paſſibus totidem circumſcribunt. Loca dabo è multis pauca. In libro Juris, qui inſcribitur Sebbole Lechet, tract. 22. cap. de Sabbato, hæc leguntur: *Samuel iter faciebat per vallem, & neſciebat terminum Sabbati. Iter duorum millium paſſuum mediocrium eſt terminus Sabbati.* Codice עירובין cap. 4. *Bis mille paſſus mediocres ſunt iter Sabbati.* Libro Miſvoth, prout locum excerpſit quinto Præteritorum Druſius, *Mille cubita ſuburbium: duo millia cubitorum terminus Sabbati.* Sic quoque Paraphraſtes Chaldæus in Ruth I. *Præceptum accepimus de obſervandis Sabbatis & diebus feſtis, ne longius iter faciamus, quam bis mille cubitorum.* Atque huc illud Joſuæ 3: verſ. 4. de arca R. David Kimchi, & Salomon Jarchius trahunt: *Longitudo erit inter vos & illam, quaſi menſura duum millium cubitorum*; arbitrati, arcam Domini ideo tot cubitis totum populum anteceſſiſſe, ut, quando Sabbato quieſcendum eſſet, poſſent Judæi ex ſuis tabernaculis orandi cauſſa in tabernaculum arcæ venire. Præterea teſtis etiam hujus conſuetudinis eſt Origenes, quarto περὶ ἀρχῶν cap. 2. *Fabulas*, ait, *quaſdam inanes & frivolas commentantur* (Judæi) *ex neſcio quibus traditionibus proferentes de Sabbato, dicentes unicuique locum ſuum reputari intra duo millia ulnarum.* Alium locum ex quinto Stromatum Origenis citat Oecumenius in Act. I. μίλιον ἓν, ἡ τοῦ Σαββάτου ὁδὸς, διϛχιλίων πηχῶν ὑπῆρχε, hoc eſt, Milliare unum, iter Sabbati, bis mille cubitorum erat. Quo plane modo rem explicat Suidas: Σαββάτου ἔχων ὁδὸν, διϛχιλίων πηχέων ὤν, ut ex Origene ſua decerpſiſſe videatur.

XIII. Neque opponendos nobis eſſe exiſtimo, qui iter Sabbati duorum milliarium fecerunt: quorum oſcitantiam accuſat Seldenus, rejicitque ſententiam Beza. Fortaſſis enim Mil minus intelligunt, cujus ſane duplum Mil majus, ipſumque iter Sabbati eſt. Idem in hac cauſſa paſſibus accidit. Sunt enim, qui iter Sabbati mille paſſibus definiant, non obſtante Hebræorum de duobus millibus traditione. Eucherius lib. 1. Inſtructionum: *Quid indicat illud, quod legimus, Sabbati habens iter? Id eſt, mille paſſus. Sabbato autem uſque ad montem Oliveti ire Judæis licitum erat. Vel certe ſicubi fuiſ-*

ſent, tanto ſpatio deambulandi licentiam præſumebant. Arator Poëta lib. 1.

> *Mœnia nota petunt, quo per ſua Sabbata mille*
> *Paſſibus ire licet.*

Hæc de paſſibus accipienda ſunt, qui duplo majores eſſent cubito, niſi falſitatis reos facere velimus auctores citatos. Paſſus autem illi fuerunt majores. Quod miror, non obſervaſſe Barthium lib. 3. Adverſar. cap. 13. Confer Tremellium l. d. & Buxtorfium in Lex. Talm. Rab. fol. 1827. Si quis regerat, eundo ex civitate conficere Judæos mille tantum paſſus debuiſſe, iiſdemque deinceps totidem patuiſſe paſſus, cum domum reverterentur; non habebo fidem. Nam auctor Maimonides eſt, loco allegato, quod licuerit hominibus in Sabbato totam urbem, etiamſi ampliſſima, neque Ninive minor eſſet, peragrare, & ex illa in quamcunque plagam egredi, modo qui fuiſſent egreſſi, non excederent eundo bis mille cubitos. Quod ſi quis exceſſiſſet cubitos bis mille, nec tamen attigiſſet duodecimum ab urbe lapidem, flagris puniebatur, iis, qui ſcribarum ſcita non obſervarint, debitis. Sin ultra duodecimum ab urbe lapidem exiiſſet vel cubitum unicum, vapulabat ex lege Sacra verbere rebellionis.

XIV. Cæterum de tempore, quo primum contrahi cœperit iter Sabbati ad bis mille cubitos, non multum habeo dicere. Judæi equidem, apud Hieronymum, epiſtol. 151. ad Algaſiam, quæſt. 10. ſe conſuetudinem illam à R. Akiba, Simeone, & Hillele accepiſſe profitentur. Ita enim Hieronymus: *Præterea quia juſſum eſt, ut diebus Sabbatorum ſedeat unuſquiſque in domo ſua, & non egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat: ſi quando eos juxta literam cœperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi velint præcepta ſervare: Solent reſpondere, & dicere: Rab Akiba, & Simeon, & Hillel, magiſtri noſtri, tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato.* Ubi pedes dixit Hieronymus, qui cubiti ſunt: quod pluribus ad hunc locum obſervatum eſſe memini, nequicquam contradicente Cornelio à Lapide in Actor. 1: verſ. 12. Neque negari poteſt Akibam ita docuiſſe, qui ſub Hadriano Imperatore claruit, circa annum Chriſti 135. Nam auctor libri Miſvoth poſtquam ſcripſiſſet: *Mille cubita ſuburbium: duo millia cubitorum terminus Sabbati*, quem locum ſupra laudavi; mox addit: *Verba ſunt R. Akibæ: Noſtri autem doctores opinantur mille cubitos eſſe ſuburbium, & duo millia vineas & agros.* Primum autem omnium ejus inſtituti auctorem extitiſſe Akibam, neque ex hoc loco, nec Hieronymo, aut ullo alio ſcriptore idoneo facile probabitur. Ut ſatis mirari nequeam, doctiſſimos viros, Samuelem Petitum lib. 3. Obſervat. cap. 1. & B. D. Joh. Tob. Majorem in Act. 1: verſ. 12. id ſine omni teſtimonio, quaſi certiſſimum eſſet, ſuppoſuiſſe. Sane ſi cum Kimchio facere vellemus, ac Salomone Jarchio, quos theſ. XII. citavi, ab antiquiſſimis temporibus arceſſenda eſſet traditio. Suidas etiam, ut de Origene, Oecumenio, ac Theophylacto taceam, explicatam itineris Sabbatici quantitatem ab arcæ fœderis motu derivat. Verbis enim ſupra adductis hæc immediate ſubjungit: Τοσοῦτον γὰρ ἡ κιβωτὸς διάστημα περιελάμβανε τῆς παρεμβολῆς. Καὶ ἀπὸ τοσούτου διαστήματος ἐκείνους, οἷς ἐξῆν προσκυνεῖν τῆς σκηνῆς ἐν σαββάτῳ βαδίζειν. *Tantum enim ſpatium arca præoccupabat. (ante caſtra) Et tanto intervallo (arcam) movebant, (illi) quibus licebat ire ad tabernaculum.* Sed non eſt opus, ut inde uſque repetamus morem. Mihi ſufficiat, quod jam tempore Chriſti, & Apoſtolorum fuerit receptus. Id enim non modo non vereor aſſerere, ſed etiam pro fundamento meæ interpretationi ſubſterno.

XV. Sum igitur in ea ſententia, Actorum loco ſæpiſſime citato, itinere Sabbati definiri ſpatium bis mille circiter cubitorum Hebraicorum, ideoque montem Oliveti ab Hieroſolymis diſtitiſſe præter propter octava parte milliaris Germanici. Nam ſi accuratiori calculo rem perſequi vellem, primo iter Sabbati, Mil majori æquale, per ea, quæ Theſ. XI. diſputata ſunt, paſſus Romanos antiquos exhiberet 787. cum pedibus 2. & 6. unciis. Hæc autem per Canonem V. Cap. III. Art. III. Part. Gener. Geograph. Ampliſſimi Dn. Præſidis, dant milliaris Germanici paſſus 579. pedes 2, uncias 10, & 61 centeſimas unius unciæ, qualium milliare totum paſſus 4000 continet. Atque cum his ratiociniis exquiſite convenit deſcriptio hiſtorica Buntingi: cujus ex Itinerario N. T. f. 36. non gravabor apponere verba: Der Oelberg hat 5. Stadien / das ein wenig mehr / alß ein halb vierthel einer Meilen / von Jeruſalem gegen der Sonnen Auffgang gelegen &c. Auctores reliquos, qui

qui è non satis intellectis principiis diversum concludunt, ne dignos quidem judico, quorum examinentur sententiæ.

XVI. Cæterum tria mihi potissimum obstare sentio, in quibus solvendis non inanem operam posuero. Primum enim non illico apparet, quo pacto quinque stadia, quot ex Buntingo modo adduxi, quæque ille haut dubie ex Josepho deprompsit, libr. 20. Antiquit. Judaicar. cap. 6. cum bis mille cubitis recurrant. Tum litem aliam Syrus Interpres movet, τὴν ὁδὸν τοῦ σαββάτου, septem circiter Stadiis circumscribens. Ac denique maximum scrupulorum omnium Johannes Evangelista injicit, Bethaniam, ad quam usque Christus, in cœlum ascensurus, eduxerat discipulos, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε, id est, quindecim circiter stadiis ab Hierosolymis removens, Cap. 11: vers. 18. Iis itaque dubiis ut satisfaciam paucis, Josephum ante omnia stadiorum nomine mensuram Græcam complexum fuisse observo. Res enim Hebræorum literis Græcis illustraturus, & inter Græcos, scire cupidos, disseminaturus, ut ipsemet memorat, in principio, & calce operis, non aliam commode, quam Græcorum mensuram adhibere potuit, quotiescunque necesse esset magnitudinem aliquam definire. Cumque pedem Græcum Hebraico æqualem esse supponeret, factum est, ut quinque stadiis circumscriberetur intervallum, quod bis mille erat cubitorum Judaicorum. Enimvero cubitum sesquipedalem fuisse, res omnibus nota est. Jam quia unum stadium, apud Græcos, sexcentos pedes continuit, quinque stadia pedes ter mille habuisse oportet. Ter vero mille pedes sunt bis mille cubiti. Quamobrem Stadia quinque, & bis mille cubiti eandem quantitatem exprimunt, idemque definiunt intervallum. Quanquam autem non levis error sit, quem supponit hæc operatio: tamen Josepho facile condonari potest, utpote linguæ quidem gnaro, sed non æque rituum Græcorum, ac mensurarum. Illam vero gravissimorum auctorum negligentiam satis mirari nequeo, quod nemo ex iis, quos mihi videre contigit, lapsum istum adverterit. Beza, Drusius, Ludovicus de Dieu, Petitus, Brianusque Waltonus, in apparatu Operis Anglicani, & plures alii, quinque Græcorum stadia exacte convenire cum bis mille cubitis Hebræorum, magna confidentia statuunt: quod tamen multo falsissimum est. Non me fugit, Theophylactum ex Josepho citare στάδια ἑπτὰ, ubi nos πέντε habemus. Unde viris doctis, & inter eos Grotio quoque, suspecta lectio est. Quis vero non videt, tam in Theophylacti codicem irrepere potuisse mendum, quam in locum ex Josepho adductum? Aut si omnino pro quinque stadiis legenda septem essent, posset intelligi Josephus de Stadiis Hebræorum, numerum rotundum, fractione prætermissa, ponens pro exquisito. Septem enim ejusmodi stadia cum dimidio, ut mox dicam, faciunt מיל. Mil vero majus bis mille cubitos continere, supra exposui. Ego interim priorem Lectionem alteri præfero, ut quæ magis accommodata sit ad institutum Josephi.

XVII. Sed dimisso tantisper Josepho, ad Interpretem Syrum sese convertat oratio, quem septem circiter stadiis iter Sabbati, apud Lucam in Actis, circumscripsisse dixi. Eum igitur vindicaturi, Samuel Petitus, & B. D. Johannes Tobias Major, præter duo genera Itineris Sabbati, de quibus supra disserui, tertium quoddam, ac medioxumum, bis mille octingentorum cubitorum, ex Scholiaste Maimonidis adstruunt: cujus ad Tract. שבת cap. I, interprete Petito, hæc leguntur verba: *Semper licitum fuit, emetiri Sabbato bis mille octingentos cubitos quoquoversum, sive urbe exeas, sive ad eam tendas. Alii docent licitum non fuisse emetiri bis mille octingentos cubitos, non tantum quoquoversum, sed etiam sive urbe exeas, sive ad eam tendas: sed bis mille cubitos tantum; quod etiam visum est Magistro nostro.* Ac hujusmodi fuisse contendunt Iter Sabbati ætate Christi & Apostolorum, non ipsius Syri interpretis: ut qui post mortem R. Akibæ floruerit, cum jam esset constrictum iter Sabbati quinque stadiis, vel cubitis bis mille. Imo jam tempore Josephi quinque stadiis, cubitisve bis mille definitum fuisse istud intervalli, Dn. D. Major censet. Petitus vero ad conciliandum cum Josepho Syrum, montem quidem Oliveti ab urbe quinque stadia distitisse, post Bezam notat, si intervallum spectes, quod à radice montis ad urbem interjacebat, à qua illius ab urbe distantia proprie sumenda sit: Locum autem, è quo Christus sublatus est, quem Lucas Bethaniam dicit, Cap. XXIV, Historiæ Evangelicæ, vers. 50, quippe πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, Marc. cap. 11: vers. 1. Luc. 19: 29. ad clivum, non radicem montis situm, septem circiter stadiis, ut Syrus habet, remotum fuisse.

XVIII. Ego vero vehementer dubito, Scholiasten Maimonidis tanta pollere auctoritate, ut ei præ cæteris omnibus fidem adhibere oporteat. Quis enim privatam unius hominis sententiam communi omnium suffragio facile anteponat? præsertim ejus, qui nulla temporum distinctione utitur, sed illimitate, atque satis audacter scribit, semper licitum fuisse emetiri Sabbato bis mille octingentos cubitos? Quod si vero concedam, aliquando tot cubitos iter Sabbati habuisse, quo argumento efficient, ad quantitatem illam respexisse Syrum Interpretem? An, quia reduci in gratiam cæteroquin non potest cum Josepho? Non puto, quamdiu alia, & expedita magis suppetit conciliandi ratio. Aut, quod Akiba demum ultra bis mille cubitos efferre pedem in Sabbato prohibuerit? Ita sane videtur velle Petitus. Sed, ut jam ante dixi, omni argumento, & necessariis testimoniis destitutus. Taceo, adhuc inter se confundi Græcas, Judaicasque mensuras, & sibi ipsis adversari, qui ita statuunt. Syrum enim, ajunt, particula circiter minus innuere, quam septem stadia: iter vero Sabbati illius temporis faciunt bis mille octingentos cubitos, qui profecto septem integra stadia sunt exacto calculo. Denique montis & Urbis distantiam à radicibus deducere, nec usu receptum est, neque Geodæticæ praxi conveniens. Eminentias potius clivorum, vel ipsa cacumina in accipiendis montium distantiis spectare solemus, cum inde à pede, atque radicibus, ob longitudinem tractus, sæpe sese insensibiliter attollat dorsum montis.

XIX. Mihi itaque placet sententia Ludovici de Dieu, cui Syrus in animo non Græcorum, sed Hebræorum Stadia habuisse videtur. Stadium autem Hebræi ריס, vel רום vocant, quod secundum communissimam sententiam pars est Milliaris parvi septima atque dimidia, quemadmodum ex Baal Aruch, itemque Joma, ac Bava Metzia, quin & ex Mappa Judaica, Amstelodami ab Hebræis edita, constat, in qua septem ריסין & dimidium unum מיל: quatuor vero מילין unum פרסה faciunt. Jam quemadmodum Mil duplex habent, ita quoque non unum genus ריסין agnoscere possunt Hebræi. Vel enim ריס septima, dimidiaque pars Majoris, vel Minoris Mil est. Quod si ad Mil Majus referatur, oportet constare ducentis sexaginta sex passibus, vel cubitis, & quatuor palmis. Sin ad Mil minus comparetur, non plures habet, quam centum triginta tres passus, vel cubitos, & unam tertiam, vel duos palmos. Verum hac de re alibi disputatur prolixius. Hic annotasse sufficiat, Stadia, de quibus loquitur Syrus, ad Mil majus referri oportere. Sic enim Stadia septem atque dimidium dant cubitos bis mille, ipsam itineris Sabbatici quantitatem superius adstructam nobis. Quo pacto cum Luca satis accurate convenit Syro: nisi quod hic fractionem omisit, compensatam tamen per τὸ circiter. Hanc enim, similesque particulas, fere, quasi, in æstimanda rerum quantitate, paulo plus, minusve significare, nemo ignorat.

XX. Superest, ut locum denique Johanneum expendam, in quo Beza inexplicabilem agnoscit difficultatem, & cæteri Interpretes ita desudant, ut vix ipsi inveniant, quomodo se extricare commode possint, ne dicam mihi satisfaciant abunde. Agam itaque, quod in literaria republica omnibus licet, & quid ego sentiam, salvo aliorum judicio, tribus verbis explicabo. Nimirum Bethaniam certum aliquem vicum fuisse, omnino; adversus Bezam, cum Majore persuasus sum, licet fieri potuisse concedam, ut totum ab oppido illo tractum, ex una regione Montis, Bethaniam dixerint Judæi: quemadmodum agrum Hierosolymitanum, qui erat ad orientem Urbis ex altera, adversaque regione Montis, & totum illum tractum, Betphage appellatum fuisse ostendit Petitus. Vicum autem istum situm fuisse existimo, non quidem præcise eo ipso in loco, sed tamen proxime ad illum, à quo Montis & Urbis numerabatur distantia. Atque è regione hujus vici, non ipso vico Christus in cœlum ascendit, quoniam solos discipulos, quos operis testes esse volebat, in locum ascensionis, partem scilicet Montis modo descriptam, ascivit: alioquin longe plures habiturus, si è loco inhabitato ei placuisset ascendere. Adde Gerhardum, Harmon. de Ascens. cap. XIII. p. m. 519. Dum igitur Evangelista Johannes Bethaniæ ab Urbe distantiam definit stadiis ferme quindecim, Hebræorum uti mensura videtur, quod mecum suspicantur Ludov. de Dieu, & Grotius. Non tamen, quod ego addo, majoribus istis stadiis, quorum septem & dimidium faciunt Mil majus; sed minoribus, quorum quodlibet est pars septima atque dimi-

dimidia Mil minoris. Horum enim quindecim efficiunt duo מילין minora; & hæc viciſſim unum מיל majus bis mille cubitorum, vel ſeptem ריסין majorum cum dimidio: quæ denuo eſt ipſa itineris Sabbati toties definita magnitudo. Quamobrem nulla amplius Lucam inter, atque Johannem, nulla etiam inter eos atque Joſephum, Interpretemque Syrum, & inter hos ipſos denique nulla relinquitur diſſenſio; ſed una ſimpliciſſimaque veritas ſibi ab omni parte conſtat, & inter innumera falſarum opinionum ſola triumphat. Atque hæc ſunt, quæ de Itinere Sabbati commentari inſtitueram, decerpta potiſſimum è Lectionibus publicis Ampliſſimi Præſidis, ut ſpecimen eſſent meorum ſtudiorum. Quod, vela contrahens, reticere nec potui, nec debui. Eſt enim ingenui animi, non diffiteri, per quos profeceris.

Soli DEO, Auctori veritatis, Gloria.

M. GOTHFR. THILO

DISSERTATIO

De Linguis ignitis ad Act. II: 3.

Σὺν Θεῷ παλάμα!

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Nter inſignia admirandi prorſus favoris ac clementiæ documenta, illuſtre maxime eſt, quod Benigniſſimum Numen tanto noſtrum genus dignatus eſt opere, ut non tantum olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως loqui Patribus: verum ad idem etiam cominus accedere & de gratioſa hac ſua præſentia certis quibuſdam, quæ in ſenſus incurrerent, ſignis erudire illud voluerit. Neque hoc uno eodemque modo ſed vario multiplicique. Collegit egregium exemplorum numerum non contemnenda ſolertia Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus. (α) *Quare nos taciti, omnes iſtas ſpectabiles* θεοφανείας, *quæ ad miraculum uſque diverſis temporibus, diſtinctiſque perſonis facta ſunt, prætcrimus. Præ reliquis tamen eminet in Scriptura S. illa, quæ naſcente Eccleſia N. T. Hieroſolymis contigit, cum SPIRITUS SANCTUS in LINGUIS IGNEIS ſuper Apoſtolos effunderetur illoſque novis indueret virtutibus. Quid enim mirabilius hoc, vel viſum vel auditum unquam fuit, inde à mundi incunabulis? Cœlum ſcinditur & diffinditur, nubes rumpuntur, & factus eſt repente ſonitus* ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum. *Conſpectæ inſuper ſunt Linguæ Apoſtolorum* diſpertitiæ inſtar Ignis. *Apparitio profecto talis in qua probe probeque evolvenda, multum diligentiæ curæque ponamus, præprimis tempore hoc Pentecoſtali, quo Eccleſia tanti miraculi, ſolennem ac feſtivam celebrare ſolet memoriam. Non autem Theologorum intrabimus Scholas intimiora* φανερώσεως *illius ſcrutaturi; ſed in Philologiæ nos exercebimus ſpatiis, deſcripturi LINGUAS IGNITAS.*

VENI Sancte Spiritus,
& emitte cælitus
Lucis tuæ radium! Fiat!

§. I. ARdua certe res eſt, quam tractandam nobis propoſuimus, quippe quæ jamdudum in diverſas ſententias rapuit cum Theologos tum Philologos. Antequam vero ad conſiderationem ejus nos accingamus, limis, quod dicunt, tantum admirandi hujus ſpectaculi, theatrum contemplari ſedet animis. Eſt vero illud Ἱεροσόλυμα Hieroſolyma Ἱερουσαλὴμ, qua voce in utraque lingua indeclinabili LXX. utuntur. Hebræi nominant יְרוּשָׁלַיִם & defective יְרוּשָׁלַם Chirek ſub litera ם ſcripto, de qua quidem varietate confer *Sixt. Amamam* (β) *Hakſp.* (γ) & *Hottingerum* (δ). *Syrus* יְרוּשְׁלֶם Jeruſchelem. Urbem hanc à Melchizedeko conditam & שָׁלֵם denominatam eſſe colligunt partim ex Geneſ. 14: verſ. 18. ubi dicitur: מַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם partim ex *Joſepho* (ε) qui idem atteſtatur. Sed poſtea à Jebuſæis aucta & munita, dicta fuit יְרוּשָׁלַם quaſi à יִרְאוּ videbunt & שָׁלוֹם pacem. Atque in hac urbe, quæ Judææ Metropolis & τῆς οἰκουμένης i. e. orbis habitabilis (ex mente & opinione Veterum) umbilicus erat, accidiſſe miraculum hoc, ex Act. 1. cap. vſ. 4. liquido conſtat.

§. II. Et hæc de loco communi. Circa proprium diverſæ apud Autores deprehenduntur ſententiæ. Quidam in templo Spiritum S. effuſum eſſe aſſerunt: Alii in domo privata. Utraque pars ſuas habet rationes. Qui pro ædibus privatis militant, urgent, quod locus effuſionis οἶκος ſeu Domus vocitetur (ζ). At quis neſcit, *dicat aliquis*, etiam templum aliquando οἶκον ſeu domum appellitari. In ſpecie domum *Mariæ Matris Johannis* fuiſſe *Nicephorus* autumat (η). Theoph. cenſet fuiſſe Simonis leproſi; (θ) Euthym. ibidem ait fuiſſe Joſephi ab Arimathia, Nicodemi aut ſimilis viri potentis. conf. Baron. (ι) & Adrichom. (κ) Et *Johannes Baptiſta Villalpandus*, *cænaculum iſtud, ubi congregati fuere duodecim illi viri, uſque in hodiernum diem maxima veneratione, in ſummitate montis Sion, coli,* refert (λ) *Ludovicus de Dieu* nec non *Clariſſ. Dn. Feſſelius* (μ) & cum his plures alii Doctiſſimi Viri effuſionem Spiritus S. in cænaculo aliquo ipſius templi factam cenſent. Sic enim *Feſſelius*: *Nec dubium eſt, quin talem ſibi locum delegerint Apoſtoli cum dicantur*, (ν) *ſemper fuiſſe in templo* αἰνοῦντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν θεὸν h. e. laudantes & benedicentes DEO. Deſcribunt hunc locum Lucas (ξ) nempe fuiſſe ὑπερῷον, (Syr. עֶלִּיתָא) οὗ ἦσαν καταμένοντες &c. h. e. cænaculum, ubi commorabantur &c. Hoc conclave in quo Apoſtoli unanimiter precibus invigilabant (ο) vocatur οἶκος (Syr. ביתא) domus, ædes: quod nomen à LXX. mutuati ſunt, qui etiam vocem לִשְׁכָּה conclave, οἶκον verterunt (π). In hujuſmodi enim templi conclavi Apoſtolos fuiſſe, cum Spiritus S. viſibiliter in die Pentecoſtes ſuper ipſos effunderetur, luculenter apparet tum è Luc. 24: 53. ubi expreſſa templi fit

(α) Quæſt. 2. ſuper c. XI. L. 3. Reg.

(β) *In Antib. Bibl.* (γ) *In Not. pagin.* 478. (δ) *In Theſ. Philol. Lib. I. cap. III. ſect.* 4. (ε) *Libr. III. de Bello cap.* 18. (ζ) *Actor.* 2: 15. (η) *Libr. II. Hiſt. Eccl. cap.* 2. (θ) *In Matth.* 26. (ι) *Annal. ad An. Chr.* 34. (κ) *In Deſcript. Jeruſ.* (λ) *Tom. III. ad Ezechiel.* (μ) *In Adverſ. Lib. I. cap. IX. §. 3. pag.* 56. (ν) *Luc.* 24: *vſ.* 53. (ξ) *Actor.* 1: 13, 14. (ο) *Actor.* 2: 2. (π) *Jerem.* 30: 4.

fit mentio, in quo Apostoli, post ascensum Christi Hierosolymam reversi, convenerunt, ad laudandum & celebrandum DEUM, tum ex Actor. 1: vers. 13, 14. ubi monstratur ὑπερῷον, conclave, in quo commorati sunt, concorditer instantes oratione & deprecatione &c. *Hactenus ille.*

§. III. Verum enim vero utut hæc speciose dicantur, calculum tamen *Dn. D. Joh. Tob. Majoris* mereri non potuerunt, qui opinionem *istam de musto & lacu adhuc ferventem vocat*, & fundamenta ejus sufficienter destruit (ρ). Existimat enim difficile creditu esse, Apostolos ante visibilem sanctissimi Flatus dationem in cænaculo aliquo templi publico, publicam fidei confessionem edidisse aut coadjutorem elegisse. Arbitratur itaque ὑπερῷον fuisse in domo aliqua privata cænaculum quoddam superius ad quod scalis ascenditur, quodque *Hesychio & Julio Polluci* (σ) dicitur ἀνώγαιον οἴκημα h. e. superius domus habitaculum. Ita Eruditissimi Viri inter se bella gerunt. Nos nihil definimus, sed quemlibet suo abundare sensu permittimus.

§. IV. Quando autem summum istud miraculum ceperit, expresse docet Evangelista (τ), scilicet, in solennitate Judæorum Pentecostali. Sic enim ille: Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, h. e. ut felicissime *B. Dn. Erasmus Schmidius* expressit (υ). *Et cum completum esset tempus usque ad diem festum Pentecostes.* Et qui priori loco nominandus erat *Clariss. Camerarius* (φ). *Quum dies adesset is, quo compleretur numerus quinquaginta dierum à Paschate, qui dies quinquagesimus eximio nomine appellatur.* Ubi tamen observandum τὸ πεντηκοστῆς non Adjective accipi sed substantive & quasi nomen proprium. Sicuti etiam nos hodie Pentecosten & Pfingsten / quod ex priori natum est, substantive ac proprie usurpamus, non Adjective. Male itaque *Vulgatus* & qui eum, velut mancipia sequuntur *Dietenbergius* & *Vetus Augustana*, pro singulari Græco substituerunt Numerum Pluralem, vertentes: *cum complerentur dies Pentecostes.* Nec est quod *Drusius* (χ) contendat omnino legendum esse τὰς ἡμέρας non τὴν ἡμέραν. Prisci enim, quos urget, codices & autoritas *J. J. Scaligeri* (ψ) id nondum evincunt. *Erasmus*, qui certe non paucos codices contulit, ita ad hunc locum notat: *Dies Singularis est numeri: itaque compleretur legendum est.* Equidem non diffiteri possumus *Syram versionem* etiam Pluralem habere, tam in verbo quam in nomine: Sic enim illa: וכד אתמליו יומתא h. e. *quum implerentur dies.* Verum versio est, non textus authenticus. Quare *dulcius*, addo etiam purius, *ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

§. V. Quomodo autem completi dicantur quinquaginta dies nostrum non est in præsenti disputare. *Laudatus supra B. Schmidius* (ω) τὸ συμπληροῦσθαι hic non significare absolutam completionem subjecti nominati seu ipsius Festi vel diei Pentecostes (alias vespere hæc facta fuissent) sed spatii interjecti cum ipso initio subjecti nominati, censet. Cui suffragatur ex asse Pl. *Rever. Dn. Fesselius* (a) hanc tradendo *regulam*: *Sæpe in S. S. cum impleri dicuntur anni sive dies, non id intelligitur de impletione dierum omnium anni, aut horarum omnium diei, sed de numero annorum vel dierum.* Sicut itaque à nato infante usque ad circumcisionem numerandi erant dies octo, ideoque cum octavus advenerat, recte dicebantur impleti octo dies: Ita à Paschate ad Pentecosten numerandi erant dies quinquaginta; ubi ergo dies quinquagesimus advenisset, recte dicuntur completi dies Pentecostes: Atque in hoc sensu sunt capienda verba Megalandri Lutheri, Da der Tag der Pfingsten erfüllet war &c. Alia via nodum hunc solvunt Nicolaus Mullerus (b) Johannes Cloppenburgius (c) & J. Tob. Major (d) qui consuli possunt. Si quis nunc porro instet & curiosius quærat, quoto temporis articulo, quota hora, novum illud linguarum lumen Apostoli acceperint, hoc capiat responsi, paulo ante horam tertiam. Id quod ex textu colligitur: Quia enim Petrus hora tertia Apologiam suam habuit, necesse est effusionem eam antecessisse. Siquidem, sparsio rumoris per urbem, confluxus populi ejusdemque cum stupore auscultatio moram aliquam temporis arguere videntur.

§. VI. Hactenus *de loco & tempore.* Nunc audiamus ipsius miraculi consignatorem Lucam, qui ita loquitur (e) καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός: ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. Hisce subjungere placet versionem *B. Schmidii* cum qua Vetus amice conspirat. Ita autem habet: *Et visæ sunt eis dispertitæ linguæ, instar ignis: seditque super unumquemque eorum.* Examinabimus vero singulas voces, quæ lucem aliquam themati nostro affundunt. Primo omnium occurrit particula καὶ quæ licet varias sæpe induat significationes: attamen hoc in loco, uti alibi frequentissime, copulandi vi pollet. Connectit enim præsentem versiculum cum præcedentibus. Postquam completi essent dies Pentecostes & Apostoli in eodem loco ἐπὶ τὸ αὐτὸ vel uti nonnulli codices legunt, ἐπὶ τὸ αὐτὸ (quod *Suidas* interpretatur ὁμοῦ, *Syrus* autem אכחדא h. e. una vel simul) eodem animo, ὁμοθυμαδὸν (quam vocem per τὸ ὁμοψύχως καὶ ὁμοφρόνως, Adverbia, *Suidas* exponit *Lutherus* Einmüthig bey einander) convenisset; Ecce tunc factus est ἄφνω repente è cœlo sonitus ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, qui undiquaque magno cum impetu sonituque totam replevit domum καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς Et visæ sunt eis &c.

§. VII. *Vetus* vertit, *Apparuerunt illis.* Ut sit sensus, Apostoli viderunt linguas igneas super unumquemque in suo cætu distribui, judice *B. Schmidio* (f) qui similia loca adducit, ubi eodem modo ὤφθη αὐτοῖς usurpatur e. g. (g) καὶ ὅτι ὤφθη κηφᾷ: pro ὅτι ὅπωπε αὐτὸν ὁ κηφᾶς. *Et quod fuerit visus Cephæ* it. (h) ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς h. e. ἀδελφοὶ ἐπάνω πεντακόσιοι ὀτώρασιν αὐτόν. *Visus est amplius quam quingentis fratribus* & plura alia (i). Hunc sensum quoque observant *Erasmus & Beza. B. Lutherus* reddit. Man sahe an Ihnen &c. ac si esset ὤφθησαν ἐν αὐτοῖς Priori sensu indicatur flammulas ignis in specie linguarum visas fuisse singulis Apostolorum distribui. Posteriori vero accipiendæ sunt Linguæ ut membra corporum Apostolicorum, visæ quasi igneæ & divisæ.

§. VIII. Sed cum in his major difficultas non deprehendatur, mox ad sequentem vocem αὐτοῖς progredimur. Est vero illa Pronomen relativum & respicit versiculum primum hujus capitis, ubi dicitur quod ἅπαντες omnes concorditer in eodem loco fuerint. Ubi per ἅπαντες omnes *Camerarius* intelligit illos, quorum supra (k) facta est mentio & numerus indicatus circiter centum & viginti; ita ut non tantum Apostoli, verum etiam reliqui Christi discipuli, immo & γυναῖκες mulieres, ut *Vulgatus* transtulit, vel discipulorum uxores, ut *Beza* interpretatur, & Maria mater Jesu de miraculo isto participarint. Alii, qui Apostolis proprium censent hoc linguarum donum ceu quibus, ut Ecclesiæ Novi Instrumenti Patriarchis, docendi omnes gentes sparta erat cælitus demandata, per ἅπαντες, omnes duodecim Apostolos, substituto jam in locum Judæ Matthia, & ita numero redintegrato indigitari asserunt exclusis cum B. Virgine non tantum uxoribus aliis, sed reliquis etiam discipulis, vide *Celeberr. Schmidium* (l). Novimus quidem linguarum lumen non minus ac alia S. S. χαρίσματα etiam aliis extra Apostolorum consortium communicata fuisse, nihilominus tamen posteriorem sententiam quæ soli venerando Apostolorum ordini hoc vendicat, probabiliorem putamus. *Beza, Casaubonus, Walæus, Curcellæus* diserte in majorem rei fidem, testantur in quibusdam codicibus legi ἦσαν ἅπαντες Ἀπόστολοι ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. Et *Vetus Augustana* (m): Die Jünger waren alle bey einander an derselben Statt. Hæc dum urgeret *Beza* in Pictores invehitur. *Opinor, ait, ridicule facere eos, qui cum hanc historiam pingunt, solent Mariam, matrem Domini, in medio Apostolorum collocare, nimirum ut eam etiam Collegii Apostolici Reginam faciant.*

§. IX. Pergimus, pergit enim Historicus noster ad Linguas dispertitas. Διαμεριζόμεναι γλῶσσαι vocantur. Circa *Etymon* vocabuli γλῶσσα *Grammatici certant & adhuc sub judice lis est.* Quidam id à καλεῖν, alii à גלושה quod manifestare sermonem notat, derivant; Nonnulli ab Hebræorum Jalchon pro quo, Arab. לסאן. *Eustathius* γλῶσσαν deducit à κλάειν frangere quod sit flexilis. *Clariss. Martinius* (o) non dubitat, dici γλῶσσαν à κλέος id est fama, gloria; inde κλείζω & κλήζω voco, appello, celebro, & κλῆσις est vocatio, appellatio. Lingua est instrumentum vocandi & celebrandi; unde & Gloria aliquando ipsam linguam significat. Ab illo κλέος etiam est Chaldæorum קלס laudare, celebrare, clamare. Est alias vox hæc etiam πολύσημος, sed h. l. accipitur pro parte illa corporis quæ sermonis organum habetur. Et hæ dispertitæ linguæ *Cornelio à Lapide* (p) *dicuntur distributæ per* singulos, ita ut quisque suam

(ρ) *Exegem. in Act. Apost. pag. 1. disp. 12.* (σ) *L. I. c. VIII.* (τ) *Lucas Actor. 2: vers. 1.* (υ) *In Notis ad h. l. pag. 779.* (φ) *In notat. figurar. ad Act. Apost. pag. 207.* (χ) *In prat. L. V. p. 159.* (ψ) *In Can. Isagog. 217.* (ω) *l. c.* (a) *Adv. sacr. LIII. cap. 1. pag. 192.* (b) *In Kalendar. Jud. annorum Lunæ Sol.* (c) *In Epist. ad L. Capell.* (d) *l. c.* (e) *Act. 2: vers. 3.*

(f) *c. l.* (g) *1 Cor. 15: 5.* (h) *Vs. 6.* (i) *Matth. 17: vs. 3. Marc. 11: 3. Luc. 1: 11. Actor. 7: 2.* (k) *Actor. 1: 15.* (l) *l. c.* (m) *Edita A. CIↃ DC XXC.* (o) *In Lexic.* (p) *Comment. in Act. Ap. c. II. pag. 65.*

ſuam partialem linguam capiti inſidentem habuerit. Multi tamen veroſimilius autumant linguas ſingulas proprie fuiſſe diſpertitas, id eſt diſſectas, ut *Tigurina* vertit (ex ſignificatione Græci διαμεριζόμεναι:) ita ut ſectili forma apparuerint. Declarant id ſimili quod narrat *Diodorus Siculus*; (q): Nimirum in inſula quadam reperiri homines, qui habent diſſectam linguam, ita ut ſimul dupliciter, adeoque cum duobus loqui poſſint: una enim parte linguæ loqui uni, alia alteri. Stupendum certe miraculum, niſi meram redoleret fabulam. Voluit autem Spiritus Sanctus diſpertitis his linguis apparere ad innuendam Apoſtolorum πολυγλωττίαν, quod Theologi docent. Ante immiſſam à Summo Numine γλωττοσύγχυσιν univerſa terra unius erat labii, ſed diviſum illud eſt in Babel ad diſtrahendos homines (r). In feſto Pentecoſtes iterum linguæ ſunt diſpertitæ, ſed ad uniendos homines. *Ita quod ποίνωμα olim fuit & medium homines diſpergendi: illud ipſum rurſus χάρισμα evaſit, mediumque fuit homines in unitatem fidei congregandos, inquit B. Schmidius* (s). Plura Domini Theologi.

§. X. Excipiunt autem Linguas diviſas in textu noſtro, ignitæ. Ita enim fluunt verba: *Et viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ ὡσεὶ πυρὸς*, inſtar ignis. Eſt autem τὸ ὡσεὶ (quod ex ὡς & εἰ componitur, reſpondetque Latinorum ac ſi, vel quaſi) interdum *vocula ſimilitudinis rei, vel repræſentationis rei, quaſi, acſi, velut, tanquam, ſicut*, gleich wie / gleich als / ut ὡσεὶ περιστερὰν (t) quaſi columbam & in aliiſquamplurimis locis (u). *Interdum propinquitatis, circiter, fere, ferme, quaſi*, ungefährlich / beyläufftig / faſt. ut ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι circiter quinquies mille. Bey fünfftauſend Mann. (x) Sic ὡσεὶ μηνας τρεῖς. (y) Bey drey Monden &c. Hic loci τὸ ὡσεὶ non actionem incubantis Spiritus, ſed ad ipſum Spiritum refertur qui apparuit in ſpecie ignis. Non enim ipſa eſſentia Spiritus Sancti videbatur ſed ὡσεὶ πυρὸς inſtar ignis. Τὸ πῦρ vero à בער ardere deducunt Philologi. Hic ſtatim obſervare licet, ſolemne ac familiare olim ſupremo Numini fuiſſe, ut Igne frequenter ad præſentiam ſuam mortalibus declarandam uteretur. Fecit id jam tum in prima mundi hujus infantia, cum ſuum erga *Habelem* amorem conteſtari vellet. Quando enim (z) dicitur: וישע יהוה אל־הבל ואל מנחתו: ואל־קין ואל־מנחתו לא שעה: *Et reſpexit Jehovah ad Habel & oblationem ejus, ad Cain vero & oblationem ejus non reſpexit*: Solent id plerique Ebræi omnes non alio ſenſu accipere quam quod Ignis cœlo divinitus delapſus Habelis ſacrificium abſumſerit, Caini vero intactum reliquerit. Neque vero alio ſpectat, quod, cum Dominus fœdus cum *Abrahamo* pangeret, (α) תנור עשן ולפיד אש *furnus fumi & lampas ignis per diſciſſas animalium partes* (juxta morem Orientalium in fœderibus feriendis conſuetum) *tranſiviſſe* legitur. Ad hoc Apparitionum genus, referri meretur illa, qua Moſi oves in Horeb paſcenti, *Angelus Jehovah in rubo ardenti apparet* (β). Et cum ſupremus Legiſlator legem ſuam ſolenni ritu populo Judaico promulgare vellet, *tunc mons Sinai fumabat totus, eo quod deſcendiſſet ſuper eum Jehovah in Igne.* (γ) Sed jam ante DEUS populum Iſraëliticum in egreſſu ex Ægypto per Ignis & Nubis ſymbola comitabatur. (δ) Poſtquam autem certus cultui ejus conſecratus eſſet locus, gratioſam hanc ſuam præſentiam, ſub iiſdem adſtrinxit ſymbolis. (ε) In templo illo magnifico Salomonis, *Ignis deſcendit de cœlo & conſumſit holocauſta atque victimas.* Immo frequentiſſimum eſt ut DEUS in Scripturis appelletur אור *Lux.* (ζ) Atque hinc putat *Abarbanel.* (η) *Fieri, quod DEUS à Sapientibus (Judæorum) dicatur* אור מוחלט *Lux abſoluta*, אור קדמון *Lux prima h. e. æterna*, אור צח *Lux nitida*, אור מצוחצח *Lux ſplendidiſſima; quia viſum fuit nomen lucis melius exprimere ejus naturam, quam alia nomina.* Hæc poſtquam propoſuiſſet, elegantem affert inter Deum & Ignem comparationem, quam breviter adjiciemus: *Quemadmodum, dicit, primo in luce ſolari & ignea præter illuminationem, quæ opus eſt longe præſtantiſſimum utiliſſimumque, etiam invenitur combuſtio & conſumtio, quæ eſt quaſi peſſimum & pernicioſum: Sic Deus OPT. MAX. eſt lux & illuminans vitam, exiſtentiam, omneque bonum in creaturas infundens pro ſua gratia & miſericordia: ſed ſimul etiam ab ipſo proveniunt, prout juſtum & æquum eſt, pœna, combuſtio & conſumtio, ad inſtar conſumtionis Ignis, in eos, qui eam promeruerunt.* Quæ omnia ideo adduximus, ut conſtet non infrequens fuiſſe DEO ab omni ævo, per Ignem præſentiam ſuam conteſtari. Et ita quoque Spiritus Sanctus ὡσεὶ πυρὸς inſtar Ignis ſuper Apoſtolos deſcendit. Ita Chriſtus illos baptizavit ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ viſibiliter in feſto hoc Pentecoſtes. (θ)

§. XI. Poſtquam de his conſtat, diſcutiamus porro quæ circa linguas Ignitas occurrunt. Ubi ſtatim ſeſe hæc quæſtio offert. An Linguæ Apoſtolorum vere fuerint ignitæ, an vero ſpeciem duntaxat ignis habuerint. *Cajetanus* linguas illas ſimilitudinem tantum ignis habuiſſe exiſtimat; primo, in colore rubro; ſecundo, in fulgore, tertio in volubilitate & motu. Aſt alii, aereum fuiſſe Ignem contendunt, ſicut verus fuit ſonus, vera περιστερὰ columba (ι). Vocem ὡσεὶ, tanquam, in qua adverſa cohors præſidium quærit, quod attinet, ſæpe ea in S. literis non ſimilitudinis ſed indubitatæ certitudinis nota eſt. v. gr. (κ) καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς. *Et vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti h. e.* juxta *B. Schmidium* (λ) *gloriam ejus ſummam*, utpote μονογενοῦς παρὰ πατρὸς i. e. *quam par eſt habere unigenitum à Patre.* Et hanc ſententiam multi amplectuntur, cum Deus φαντάσμασι ludere non ſoleat. *Cornelio à Lapide* (μ) prior ſententia uti ſimplicior ita quoque Germanior videtur. *Videtur ergo, inquit, ignis hic ſimilitudinarius fuiſſe aër, aut vapor denſior, cui DEUS indidit lucem roſeam & rubeam inſtar ignis, in ſpeciem linguæ conformatus, ita ut videretur eſſe lingua ignea.* Quam in rem plures cumulavit rationes, ſed tales, quæ examen non ſuſtinent. Nos eaſdem reſervabimus publico conflictui.

§. XII. Sed videamus jam, unde Linguæ & ignis ille fuerint. Linguas illas *non humanas ac carneas fuiſſe (hæc enim fuiſſent craſſæ, & indecentes ac incongruæ ad repræſentandum Spiritum S., qui ſubtiliſſimus Spiritus eſt) ſed ſpeciem ignis referentes*, Autor eſt *Cornelius à Lapide* (ν). A quo recedunt Philologorum non pauci, qui utique veras linguas (membrum illud nobiliſſimum) fuiſſe cenſent. *Ita B. Lutherus:* und man ſahe an Ihnen die Zungen zertheilet &c. Ita plerique alii. Ignem vero non naturale & ordinarium quid fuiſſe, illud apud omnes in confeſſo fore exiſtimamus. Ignis enim, qui Corpus N. ſimplex eſt, ſibi relictus à comburendis capillis & capitibus Apoſtolorum non abſtinuiſſet. *Schottus* quidem multos modos à combuſtione ſeſe conſervandi tradit (ξ), ſed hi omnes nihil huc faciunt. Quare reſtat ut ad extraordinarium & ὑπερφυσικὸν ignem & ſupernaturaliter productum confugiamus. Cur vero Spiritus S. ὡσεὶ πυρὸς inſtar ignis, & non in columba vel alia quadam viſibili ſpecie in Apoſtolos deſcendere voluerit, Theologis diſcutiendum relinquimus. Nolumus falcem noſtram in alienam mittere meſſem.

§. XIII. Fruſtra autem omnino quærunt, quicunque quærunt, quorſum deſignato hoc miraculo Ignis ille pervenerit: Quorſum quæſo illa ſpecies, qua ſe Deus Adamo in felicitatis horto oſtendit? Quorſum iſte ignis, qui circa rubum arſit, quorſum columna, quæ interdiu nubila, noctu vero fideli igne conſpicua fuit? Sed nos nugas has linquamus & revertamur ad noſtrum textum, cujus ultima verba hæc ſunt: Ἐκάθισέ τε ἐφ᾽ ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. *Seditque ſupra unumquemque eorum*, vel ut Vulgata; ſuper ſingulos eorum. Eſt vero ἐκάθισε à verbo καθίζομαι, quod non ſemper notat ſitum corporis ſpecialem ſive ſeſſionem, ſed in genere manſionem in illo loco. Ita Matthæi 4. cap. vſ. 16. Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει &c. & alibi. Ἐκάθισε ſedit non ἦχος ſonus aut ventus (hic enim movebatur & agitabat totam domum) ſed τὸ πῦρ ἐκεῖνο vel τὸ πνεῦμα ᾧ ἐπλήσθησαν ἅπαντες. *Ignis enim ille*, inquit, B. Schmidius (π) *cum Spiritu S. myſtice conjunctus fuit. Ἐκάθισε autem non ſitu ſed permanſione.* Notanter autem dicitur ἐκάθισε ſedit in ſingulari, quia unus erat Spiritus. *Syrus* autem adhibet Pluralem, *ſederunt*, reſpiciendo linguas igneas, quæ plures erant in pluribus.

§. XIV. Ubi autem ſederit Ignis, an in ore, an vero ſupra capita Apoſtolorum curioſe inquirendum non eſt. Patres communiter cenſent τὸ πῦρ inſediſſe capitibus Apoſtolorum. *Cyrillus Hieroſolymit.* (ρ) *ſedit*, ait, *ſuper illos, ut novæ coronæ ſpirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum*

(q) *Lib. II. c. ult.* (r) *Geneſ.* 11. (s) *In Notis ad N.T. Cap.* 19. *Joh. p.* 754. (t) *Matth.* 3:16. (u) *Marc.* 1:10. *Luc.* 3:22. *Joh.* 1:22. (x) *Matth.* 14:21. (y) *Luc.* 1:56. (z) *Geneſ.* 4:4, 5. (α) *Geneſ.* 15:17. (β) *Exod.* 3:2. (γ) *Cap.* 19:18. (δ) *Exod.* 13:21, 22. (ε) *Exod.* 40. (ζ) *Pſ.* 36: *vſ.* 10. (η) *In diſput. ad cap.* 40. *Exod.*

(θ) *Matth.* 3: *verſ.* 11. (ι) *Matth.* 3: *verſ.* 16. (κ) *Joh. cap.* 1: *verſ.* 14. (λ) *In Not. ſup. l. h. pag.* 664. (μ) *In Commentar. in Act. Apoſtol. cap.* 2. *pag.* 65. (ν) *Loc. cit.* (ξ) *In Magia ſua Pyrotech. Lib. II. pag.* 4. (π) *Loc. cit.* (ρ) *Catech. XVII.*


illorum. Et hinc arripuerunt Pictores ansam linguas illas sursum flammantes & pyramidali figura ex capite in acumen surgentes, pingendi. Multi vero Ignem in os eorum se inseruisse afferunt. Ita sua cuique sententia. Mirandum vero est, quod inter tot fabularum reliquias, Romana superstitio Apostolos hoc Ignis Symbolo creatos esse Episcopos in Pentecoste, cum prius à Christo in ultima cœna dicente: Hoc facite in mei commemorationem, creati essent Presbyteri, impudentissimo ore affirmare non erubescant. (σ)

§. XVI. Tandem finito hoc actu ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος Ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, hoc est repleti sunt omnes Spiritu S. cæperuntque loqui aliis linguis. *Loquebatur unus una, alius alia lingua,* dicit *Cornelius à Lapide* (τ) v. gr. *Andreas Parthice, Johannes Græce, Jacobus Persice, Simon Germanice.* Et hæc ipsa est causa cur multitudo tantopere obstupesceret ac confunderetur, quod audiret ἕκαστος *unusquisque* τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ *propria sua lingua* loquentes alios (υ). Nec immerito. Erat enim notorium, illos ipsos *Galilæos* esse, (φ) cæteris Judæis hebetiores, quorum linguæ βάρβαρον καὶ σόλοικόν τι inerat (χ) h. e. *non pure & terse loquebantur,* uti Judæi, qui בלשון הכמה scite & eleganter alias sermocinabantur. conf. librum Talmudicum *Eruvin,* & *Buxtorf.* (ψ) Quæritur nunc, quomodo id factum? Aliqui quidem, Apostolos una duntaxat lingua locutos, nimirum vernacula; sed à variis variarum linguarum hominibus miraculose intelligi potuisse. Ita *Camerarius,* & *Claud. Salmasius* (ω) quorum posterior hunc in modum scribit: *Mirabantur Græci qui aderant, ita Galilæos à se intelligi quasi Græce loquerentur. Similiter & Parthi, Medi, aliarumque nationum homines haut secus, quæ edissertabant, intelligebant, ac si Parthice & Medice concionarentur, aut ea lingua, quam quisque eorum, qui ei intererat, callebat.* Favere huic sententiæ videtur id, quod dicitur vs. 11. ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ. Nos omnes audimus eos loquentes linguis nostris Magnifica Dei. Immo implicat eundem eodem tempore simul diversis loqui linguis. At locus allegatus non probat, quod probare debebat. Non enim dicitur λαλοῦσιν αὐτοὶ, ἀκουόντων ἡμῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις, sed λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις. Unde etiam patet, miraculum hoc non fuisse in audientibus, sed in Apostolis loquentibus. Et Apostolos dono Spiritus S. ad quosvis quacunque ipsorum lingua, sed successive, loqui potuisse haut obscure innuit ipse textus. Ita enim (a) expresse dicitur ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς (Ἀποστόλοις) ἀποφθέγγεσθαι non ἐδίδου αὐτοῖς (ἀκροαταῖς) εἰσακούειν. Ita *B. Schmidius* (b). *Syrus, loquebantur lingua & lingua* i. e. pluribus linguis. Accedit quod alioqui miraculum hoc non tam in ipsis Apostolis, quam in Auditoribus fuisset. Lege *Gregorium Nazianzenum.* (c)

§. XVII. Utrum vero virtus hæc variis loquendi linguis, Apostolis infusa sit per modum habitus disputent alii. Sane *Cl. Salmasius* (d) dationem Spiritus S. miraculosam se habuisse ad modum actus transeuntis, non autem permanentis expresse docet, quando ita philosophatur: *Falluntur, qui putant, ab illo miraculo Apostolis infusam fuisse virtutem variis loquendi linguis, quas ipsi non didicissent, & quæ in toto orbe frequentabantur: non enim verisimile est, ultra diem illum durasse vim illam, quam Spiritus S. iis adflavit, qua linguis omnibus feruntur loquuti, tantis per locum habituram, quamdiu linguæ singulis distributæ, super cujusque caput insedisse dicuntur: ablatis linguis cessavit miraculum, & desierunt loqui linguis.* Quod illustrat tali simili: *Fama, inquit, est, eos, qui possidentur à Dæmoniis, sæpe multas externas usurpare linguas, quas non noverunt, sed inspiratione expirata, dæmonio ejecto, in antiquum redeunt, nec amplius sermones illos profantur, quos Spiritu maligno suggerente effutiebant: nec mirabitur ex diversa causa produci eundem effectum, qui meminerit, quid actum sit circa baculorum in serpentes conversionem, tam à Mose quam ab Ægyptiis sapientibus; Spiritus non unus eadem tamen operabatur.* Porro dicit, *Apostolos indiguisse Interpretibus Syris & Græcis, Petrum Marco, alios aliis, quippe qui vernaculam tantum noverant, Græcæ prorsus ignari, si Paulum excipias, qui in Græcia natus linguam Græcam æque familiarem habuit ac Syriacam, cæteri nonnisi sero admodum eam didicisse videntur, postquam jussi sunt ad gentes pergere.* Hinc sæpe Apostolos & Christi discipulos, *Rusticos, rudes* ἀγραμμάτους, ἰδιώτας, *plebejos, opifices, piscatores, nautas & portitores* appellitat, quorum idioma triviale ac sordidum, barbarismis ac solæcismis obsitum erat ex Arnobio (e). Sed non contendemus cum tanto Viro prolixe, Lumen Linguarum in copiosissima illa Spiritus S. donatione, actum transitorium fuisse, μεγαλεῖον αἴτημα est *Dn. D. Majori* (f). Si enim habitus ille linguarum non fuit infusus, sed crebris exercitiis comparatus nil novi accessit Apostolis, cum id cum quolibet homine commune habeant. conf. *Luc.* 12: *vs.* 11, 12. Deinde libris quidem usum fuisse Paulum novimus ex 2 *Timoth.* 4: 13. an vero interpretibus opus habuerit nullibi in sacris literis legimus. De cæteris videatur *laudatus supra Major aliique.* Nos plura non addimus. Tu vero, B. L. *quæ sunt male dicta, homini adscribe, & da veniam: quæ bene dicta,* DEO *attribue, & da* GLORIAM.

(σ) *Franc. Turrianus L. 1. de Hierarch. apud Cornel. à Lapide l. c.* (τ) *Comment. in Act. c. 2. v. p. 71.* (υ) *vers. 6.* (φ) *Act. c. 1. vs. 11. it. c. 2. vs. 7.* (χ) *Matth. 26: vers. 73.* (ψ) *Opere Rabb. Rad.* גלל. (ω) *de Lingua Hellenist. qu. VI.* (a) *vers. 4.*

(b) *L. c.* (c) *In sermone de Pentecoste.* (d) *l. c. p. m.* (e) *L. 1. adversus gentes.* (f) *l. c. in c. 6. vs. 1.*



M. FRID.

M. FRID. CHR. BUCHERI

DISSERTATIO

De ΘΕΟΜΑΧΟΙΣ ad Act. V: 39.

Ἐν ὄνομά τι ἰησοῦ χριστοῦ,
Ἀπὸ τούτου γὰρ χρὴ ἄρχεσθαι καὶ τελευτᾷν εἰς τοῦτο.



Majestatem revereri Regis, eandem suspicere, observare, fide tueri, eos semper habuit stimulos, ut in natione non una in consuetudinem, in apibus vero abierit propemodum in naturam. Utros mireris, dubium esse poterat. Apud Persas (a) nimia venerationis luxuries (regibus enim θεῖόν τι inesse statuebant) tantum non in idololatriam degenerabat. Præter isthanc gentem aliæ Regem circumstare, ad nutum adesse, sese submittere, modisque omnibus amorem & obsequium suum, vel mortis præsentis periculo (2 Sam. 18: 3. 21: 17.) Principi probare consueverunt. Adversum eidem esse, bello ac armis in ipsum insurgere, capitale semper fuit, refractariique Majestatis tenentur; plurimi etiam vel majestate vultus (b) à nefario, si quod haberent, deterriti sunt proposito. Laudabilis hæc hominum reverentia, ut pro ea tantopere cuperent Majestati, reformidarent vero ταῖς ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ἀντιτάσσεσθαι Rom. 13: 1, 2. Superare nationes studiis suis atque certare cum iisdem fide incredibili enituntur apes, dignæ, quæ hominibus, sicubi officii sui obliviscantur, sint à magisteriis. Rex etenim illis (c) *est operum custos, illum admirantur, & omnes Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes, & sæpe attollunt humeris, & corpora bello Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem, ut regem non sic Ægyptus & ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes Observent: Rege incolumi mens omnibus una est* &c. Tantum ergo in his naturam edoctu suo potuisse mirum est, in istis vero aliter fieri vix poterat, quin præditi ratione juxta cum Parentibus Majestati honorem deferri debere cognoscerent, æquitatisque naturalis id esse depræhenderent. Indignari contra quis queat non immerito, cum mutuam relationem (d) creaturæ ad Deum noverit, Majestati in his terris suum haberi quidem honorem, summo autem Numini, cujus solius est Majestas, quodque omnibus iis, quæ magna dici possunt, majus est, à pluribus cultum denegari debitum; *Majestatem* (e) *Dei singularis, quæ continet regitque omnia, in tantam venisse oblivionem, ut, quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur*, cum tamen alii è naturæ lumine ipsum (Deum) esse colendum, alii insuper è Pandectis sacris μόνον δυνάστην, βασιλέα βασιλέων καὶ κύριον κυριευόντων (1 Tim. 1: 17. 6: 15.) intelligerent. Horum θεοστυγῶν (Rom. 1: 30.) numerus tantus, ut inire non possis, malitia tanta est, ut nuspiam servorum immorigerorum (1 Sam. 25: 10.), qui jussa dominorum susque deque habent, convitiisque dicta proscindunt, nuspiam rebellium subditorum, qui *hostili animo animati* Majestatem armis lacessitam invadunt, tanta detur copia, quanta θεομάχων, qui, si possent, Deum de solio Majestatis æternæ deturbatum vellent, adeo in ipsum Gigantæa quadam audacia infensissimi conjuratissimique insurgunt. Interim, cum sublimior sit Deus, quam ut possit expugnari, ministros ejus nullo inviolabilitatis habito respectu (Ps. 105: 15. Zach. 2: 8.) arripiunt (Matth. 24: 49.) miserisque modis tractant. Cujus infelicis θεομαχίας nefandum exemplum Judæorum summos sacerdotes, Pharisæos, Sadducæos exhibuisse, passim in codice N. T. legere est. Nec *splendoris paterni effulgentiam*, Filium Dei, quem sibi ὁμοούσιον Pater æternus genuit, ipsique salutis æternæ procurandæ ergo in tempore ad se missum recipere debebant, REVEREANTUR Matth. 21: 37. Marc. 12: 6. nec Apostolos ejus alio loco habebant, ut adeo infelices hi Numinis hostes indelebilem θεομαχίας, teste historia Apostolica Act. 5: 39. 23: 9. notam contraxerint. Ipse ego, cum primum ea meditatione pia perlegerem, fere solius vocabuli indignitate ac sono iniquiori commotus eadem cum Hieropsalte ingeminavi Psal. 139: 21. dignaque visa fuit hæc materia hactenus, in qua tenuiores ingenii mei vires tandem aliquando pertentarem. Nolim tamen L. B. (de quo monendus mihi esse videbaris) existimes me operam hanc ideo suscepisse, quasi animus meus pruriat more quorundam in hoc genere, scias vero, si non omnia ad Cleanthis lucernam elaborata dedero, operam meam requirere Tuæ eruditionis atque favoris ollam, in hac præprimis ardua materia, ubi apertus est industriæ ingens spaciosissimusque campus, in quo se cujusque privatum studium exercere possit facile. Ego, cum omne sciam Mihi à Domino Auxilium Venire, ne ἄνευ θεοῦ in hoc pio progrediar proposito, Auxiliantem Deum ut exorem, necesse habeo. Ergo (f)

יהי נועם יהוה אלהינו ומעשה ידינו כוננה עלינו אמן:

POsteaquam factione summorum Sacerdotum & mendaciis damnata Veritas, damnata patrum spes, damnatus esset summus omnium sacerdos (*Judæi* enim, dicente Beda (g), *data sibi optione, pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitæ ademptorem elegerant*) res omnis vulgo videbatur in vado esse; sed juxta divinas Prophetarum prædictiones CHRISTUS tertia die è mortuis redivivus prodierat, Apostolosque, ut veritatis hujus Sacramentum toti annunciarent orbi, ordinarat. Hi, post factam Magistri in cœlos Ascensionem, dono πολυγλωττίας instructi mandato munere fungebantur sedulo, idque solum dabant operam, ut præconio Evangelii omnem bearent carnem. Concionis initium fiebat Hierosolymis, prouti debebat (Es. 2: 3.), signis ex promisso concomitantibus. Auditis his, irritatus Clerus Hierosolymitanus rem summa vi agere, Apostolos primum in carcere conclusos postmodum in synedrium trahere, si quando commotos reddere possent. Sed cum confidentia egregia, πληροφορίᾳ ac παρρησίᾳ laudabili uterentur novi Evangelistæ, tandem (istis paululum semotis) Gamaliel quidam, Pharisæus, τίμιος παντὶ τῷ λαῷ accuratum exorditur sermonem, eumque pro Apostolis Apologeticum, suosque ut à θεομαχίας crimine caverent sibi, gravissimis dehortatur argumentis. Iterum, cum Paulus eadem de

(a) *V. Justin. l. 1. c. 9. & passim. conf. Not. Bernegg.* (b) *Rupert. Obs. ad Val. Max. p. m. 139. Hier. Prætorius Phil. Pract. p. m. 245.* (c) *Virgil. Georg. l. 4.* (d) *v. B. Wilh. Lyserus Summar. Theol. p. 85.* (e) *Lactant. l. 2. de origine Erroris c. 1.*

(f) *Psalm. 90. v. ult.* (g) *lib. 6. in Luc. cap. 23. fol. 493.*

de causa in vinculis asservatus confessionis rationem *de fide resurrectionis* redderet, θεομαχίας notam inurere sibi Sadducæos negatione sua, Pharisæi statuebant. Et hinc mihi tractationis meæ de θεομάχοις caput enascebatur.

§. 1. Circa illud vero ut rite verser, in vestibulo adhuc persistenti ante omnia recolendum erat, quod Philosophi inculcare quodam quasi jure suo consueverunt, ut prius vocabula excutiantur, quam de rebus ipsis videatur. Philosophus enim ipse præcepit, εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Diu etiam est, cum Clem. Alex. (h) monuit: Δύο, inquiens, εἰσὶν ἰδέαι τῆς ἀληθείας, τά τ' ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα. Hinc, ne aliquod ex horum monitorum neglectu accidat malum, providendum omnibus modis erat. Evolutionem enim vocabulorum ad rem præsentem non parum conferre advertebam, persuasissimus, posse sc. ex animadversa eorundem significatione genuina ipsarum etiam rerum naturam in promptu haberi, vel (ut cum subtili illo Scaligero (i) loquar) posse ex nominis interpretatione facilius rei rationem notam fieri, cum τὰ ὀνόματα vere sint τῶν πραγμάτων ὀχήματα. Evolvam ergo. Cumque reliqua, in locis cit. obvia, primo intuitu cuivis per se pateant omnia, non necessum fore duxi, de iis singulis ut disquirerem solicitius. Illud potius assumi debebat, quod præsentis instituti rationem planius exponit, tum vocabulum θεομάχοι, tum cognatum ei Verbum θεομαχεῖν ex Actor. 23: vers. 9.

§. 2. Sed hic denuo, præter omnem spem, nova oritur cura. Dispiciundum erit prius, utrum vocabula in examen vocanda extent & Textui sint authentica. De priori res certa est, cum consentiant Codices Biblici omnes. De altero lis est gravior, quam præter vulgatam Versionem Syrus quoque & Æthiops movere mihi intendunt, dum non legisse videntur, ceu monstrat inspectio Operis Anglicani πολυγλώττου. Insuper nec Erasmus, Corn. it. à Lap. legi volunt, sed ex superioribus (Actor. 5: vers. 39.) è nota marginali in Textum irrepsisse suspicantur (k). Quod mirum videri poterat, iis præsertim, qui Versionem Syram ultra, quam par erat, extollunt, & nescio cui Apostolorum, imo ipsi Evangelistæ Marco nominatim adscribunt. Sed particulam illam (μὴ θεομαχῶμεν) de Textu & indubitato authenticam esse, non est, quod quis unquam dubitet. Syra sane (suis cæteroquin encomiis digna (l), Æthiopica, Latina, Versiones tanti non sunt, ut à sententia nostra nos abducere queant, utpote firmissimis fundamentis innixa. Constans enim omnium Codicum Veterum ea est lectio, nec quisquam Codicem ullum Græcum, in quo non legantur, proferre unquam potuit, aut potest. Esto interim, irrepsisse in Textum, quod tamen factum esse pernego, quid de Textus integritate fiet? Immanis erit hiatus, nullus erit sensus. Hinc (observantibus Beza (m) & Polo (n) factum, ut, quod sententiæ deesse videbant interpretes, non uno modo (at vero sæpius infeliciter) explere sint conati. Syrus enim habet: Quid est in eo, vel: Quid mali est in eare, τί κακόν ἐστιν ἐν τούτῳ. Theophylactus supplet ἄδηλόν ἐστιν, ut sensus sit: *an Spiritus aut Angelus cum Paulo locutus sit, incertum est*: Arabs autem diversam lectionem secutus, ita: *si Spiritus aut Angelus allocutus est eum*, vel, *insidet ei* (id enim est παρεδρεύει, unde dæmonas παρέδρους dictos volunt), *esto sane in eo*. Accedit & hoc ad sententiam nostram, quod non idem verbum Actor. 5: vers. 39. in loco Parall. usurpetur. Minus tutum ergo futurum sit, negare, voculas illas ad Textus constitutionem pertinere Matth. 5. vs. 18. conf. Prov. 30: vers. 6. Nos potius de authentia illarum persuasissimi ipsas eas jam explicamus, quas nostrum est explicare.

§. 3. Utraque autem, tum vocabulum θεομάχος, quod in Expositione fidei, quæ additur Operibus Justini (dum γλώσσας θεομάχους dixit) occurrit, tum etiam θεομαχεῖν quod tanquam bene Græcum & 2 Macc. 7: 19. & apud Philost. 4: 15. & Diodor. Sic. lib. XIV. extat, esse composita, tironibus litt. Græc. notissimum esse poterit. Componuntur enim ex θεὸς & μάχομαι *pugno, belligero*, quod τῷ Hebræorum מָחָה *delevit* affine esse, Pasori in Lex. videtur. Atque de derivatione hoc vel verbulo monuisse sufficiebat, cum, ex quibus compositio facta est, pro ipsis stent radicibus, ulteriusque descendere non liceat. Quicquid interim de altero illo, θεὸς, *modo* à δέος, quia primus in orbe Deos fecerit timor, aut, quia timor ac reverentia Deo debeatur; *modo* à θεᾶσθαι, quia oculis Dei omnia sint pervia; *modo* à θέειν, quia Deus admirandis providentiæ suæ actibus omnia percurrat; *modo* ab antiquo θεῖναι, quia Deus fundamenta mundi posuerit; *modo* ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quia Deus sit omnium virorum ignis consumens &c. descendere, suavi allusione concipiant sibi alii. Notum namque est, non Verba tantum, quod derivatio isthæc posteriorum in sinu fovere videtur, sed interdum etiam Nomina (si res fieri aliter nequeat) Radicum loco stare posse. Sed isthæc missa sunto, cum in omnium libellis sint obvia. Vidd. tn. B. Buchnerus Lex. Lat. Mejerus in Pneum. Disput. IX. Prückner Comp. Pneum. p. 23, 24. Pasor in Lex. sub voce θεός, Leighius in Crit. Sacr. N. T. aliique.

§. 4. Potior mihi cura esse debebat, ne qua vocum forsan illudat ambiguitas, cum juxta Philosophum Top. 6. cap. 2. πᾶν ἀσφαλὲς τὸ μὴ εἰωθὸς ἢ πολλαχῶς λεγόμενον ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχῃ, &, juxta Galenum, quem citant, ἡ τῶν ὀνομάτων ταραχθεῖσα χρῆσις ἢ τὴν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν. Ambabus equidem, quod ajunt, largior, nullam facile orituram ambiguitatem, si quis in famosiori subsistat significatu, dabilem tamen esse atque κατὰ διάνοιαν καὶ ἐκ προαιρέσεως fieri posse providebam, cum exempla aliorum in hunc eundem modum compositorum prostent. Quæ cum modo hunc, modo alium in Græcis Autoribus obtineant significatum, facile quis vel autoritatibus similium, vel alio quopiam modo deludi poterat, si seorsim extra contextum, unde sensus pernoscitur aut addita aliqua voce ambiguitas exspirat, prima facie adspiciat. Quis enim nescit, Composita hæc, in quibus Nomen Substantivum aut Adjectivum (adde quandoque Adverbium) primum, Verbum vero ultimum debet tenere locum, judice B. Wellero, diversimode ab autoribus accipi? Confore ergo sperabam, si ad istas, quæ ex Compositione oriuntur, aut oriri tantum poterant, significationes digitum intenderem.

§. 5. Ac missis quidem aliis ejusmodi, quorum dijudicatio & applicatio ad rem præsentem posthac cuilibet facilis erit, insisto tantum nostris, quæ non absque labore in ordinem certum redegisse juvabat. Sumuntur ea cum μάχομαι composita, quantum quidem ego advertere potui, Active & Passive. Et *Passive* quidem prior vocum compositionem ingredientium involvit *principium, subjectum agens vel causam agentem*, unde actio aliqua provenit; posterior vero *Objectum, materiam* s. *subjectum patiens*, ut ita θεόμαχος sit is, qui à Deo oppugnatur, contra quem Deus pugnat, vel cui Deus bellum infert. Quo sensu quis δαίμονας οὐρανοπετεῖς, Sodomæos & Gomorrhæos igne Domini à Domino eversos Gen. 19: 24, 25. Pharaonem in mare rubrum à Deo detrusum Exod. 14: 27, 28. 15: 15. seditiosos Kore, Dathan & Abiram, Mosi atque Aaroni adversos atque à terra absorptos Num. 16: 21, 31. non incommode dixerit, aut, si fabularum studio ducatur, recogitet Titanes illos, quondam (o) *qui manibus magnum rescindere cœlum Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis, Fulmine dejecti fundo versantur in imo.* Conf. Natalis Comes (p) atque Gaspar Barlæus (q) qui simul explicant, quid fabulæ huic vel Physicæ considerationis vel moralis præceptionis subsit.

§. VI. Porro *Active* si dictas voces accipias, (α) prior earundem subjectum, posterior subjecti actionem explicite dicunt, actionis modum seu ea, quæ actionem circumstant, qualitates internas & externas, omnemque tum subjecti, tum actionis ejusdem habitudinem, Objectum it. non adeo exprimunt. Dicunt (β) Objectum, subjectum agens in illud, actionis autem modum atque alias ejusdem circumstantias iterum implicite tantum connotant. Exemplis in utramque partem datis res futura erit clarior. *Prioris generis* significant *alia* subjectum & subjecti actionem (licet non sint adeo usitata in Concreto, sed tantum in Abstracto), uti γιγαντομαχίαν ex Platone lib. 1. de Republ. κενταυρομαχίαν ex Ovidio aliisque fabularum autoribus novimus; *alia* qualitates internas, ut ἀξιόμαχος, θρασυμάχης, θυμομαχεῖν Act. 12: 20. *alia* denique aliam subjecti habitudinem externam, ut εὐθυμάχος, πεζομαχεῖν, instrumentum, ut ὁπλομάχος, δορύμαχος, adjuncta *loci* ἀγχέμαχος, ναυμάχος, *temporis* νυκτομαχεῖν &c. prout partes illæ priores in compositione modo hanc, modo aliam habitudinem, vel qualitates subjecti internas, vel aliam externam, adjuncta loci & temporis arguunt. *Posterioris generis* sunt *Nomina* ἀνδρομάχος, λεοντομάχης Hercules, ὀφιομάχος, *Verba* θηριομαχεῖν 1 Cor. 15: 32. κυνομαχεῖν, ὀνομαχεῖν &c. ac nostrum θεομαχεῖν. Quæ denuo vel in bonam, vel in malam partem

(h) *Lib. 6. στρωμ.* (i) *Lib. 1. de L L. cap. 4.* (k) *P. post. Magnif. Dn. Cal. in Bibl. illust. f. 937. Polus in h. l. fol. 1591.* (l) *V. Gutbier in præf.* (m) *Annot. ad h. l. f. 504.* (n) *In Synops. Crit. f. 1591.*

(o) *Virg. Æn. lib. 6.* (p) *Lib. 6. cap. 20.* (q) *Not. ad Hesiod. Theog. v. 629. seqq. à p. 176.*

partem accipiuntur. Isto modo, ut alicujus benevolentiam pro altero pugnantis, ipsumque defendentis, pium item animum, hoc alicujus animum hostilem infensissimumque contra aliquem, ipsumque oppugnantis significent.

§. VII. Hinc ex dictis clarum adeo fiet, qui significatus nobis sit seligendus, ab ipso Textu imperatus. Passive hic sumi non posse, res certa est, determinat n. idipsum τὸ θεομαχεῖν actionem significans, nec in priori significatione activa, si vel maxime analogia compositionis adsit, ut *apud Philonem de mundo* θεοπλάσης Deus ipse rerum omnium fictor & creator audiat, atque in scripturis etiam Deus יְהוָה אִישׁ מִלְחָמָה Exod. 15: vers. 3. 6. conf. Psalm. 35: vers. 1. 2. aut de cœlo adversus hostes pugnatum esse Jos. 10: vers. 43. Judic. 5: vers. 20. Judith. 5: vers. 16. dicatur, aut is, qui pro Deo ac religione pugnam aut bellum aliquod sacrum suscipit, ita dici possit. In quam sententiam Jos. 5: 14. filius Dei sub forma viri apparens שַׂר־צְבָא־יְהוָה princeps exercitus Dei appellatur, & Theander Lutherus vero pro Dei verbo ac virtute divina maxime contra hostem Dei infensissimum Papam, nec non quivis καλοὶ στρατιῶται χριστοῦ contra quosvis veritatis Evangelicæ hostes vel voce vel scripto pugnasse ac pugnare, bellaque Domini gerere pie statuuntur, ut θεομάχοι forent vel ii, qui pro Deo agunt, vel θεοὶ μαχόμενοι πρὸς ἀλλήλους ἢ ἀντίον ἀλλήλοις. In quem sensum Hesiodus (r):

> Δηρὸν (γὰρ) μάρναντο, πόνον θυμαλγέ' ἔχοντες
> Τιτῆρές τε θεοί, καὶ ὅσοι κρόνου ἐξεγένοντο,
> Ἀντίον ἀλλήλοισι διὰ κρατερὰς ὑσμίνας, κτλ.

Nisi forsan ex Hesiodo de θεομαχίᾳ gentilium Deorum, aut de γιγαντομαχίᾳ, pugna gigantum, quos רְפָאִים à primo parente Rapha 1 Par. 20: 4. 6. dictos atque à Symmacho Job. 26. Prov. 9: 18. cap. 21: 16. per θεομάχους verti solitos Grotius & Polus (s) annotarunt, speciatim agere animus sit. Relinquitur, inquam, nobis significatus posterior Objectivus in malam partem, ut θεομάχοι sint ii, qui Deum quoquo modo oppugnare, aut bellum quasi decernere illi intendunt.

§. 8. Hac in parte an quoad significationem juvari potuerimus Accentu, ut, si vox sit Proparoxytona, Passive, si Paroxytona Active significet, vix ego dixerim, cum ex cit. exemplis etiam multa dentur in contrarium atque etiam argumenta. Ac constat, Codices Veterum plurimos absque Accentibus proditos, quin & βουστροφηδὸν illos scripsisse (t), quamvis interim non negaverimus, Accentus de essentia vocum esse, si non quoad scriptionem atque pictionem, certe tn. quà pronunciationem, uti optime non ita pridem per literas distinguebat Vir Philologus CL. Dn. Daumius, Præceptor olim & adhuc meus.

§. IX. De simplicium vocabulorum usu genuino credimus neminem hic nobis litem moturum, cum θεὸς non idolum forte, Deum φαινομένως talem ut 1 Cor. 4: vers. 4. Phil. 3. vers. 19. 2 Thessal. 2: vers. 4. aut θεοὺς λεγομένους per quandam analogiam ita dictos, sed, ut Synonymum τοῦ יהוה & אלהים sublimissimam; infinitam & increatam naturam; Ens summum & independens (u), supremum & indubitatum testem veritatis fide omni dignum, & judicem æquissimum secundum testimonium suum; dignum timore & reverentia (x) summum & incommunicabile bonum, quod est & dicitur θεὸς φύσει Gal. 4: vers. 8. notet. Quod ipsum fusius deduxit Rector Acad. h. t. Magnificus, Dn. D. Quenstedt, (y) Patronus & Præceptor observandus. Ut hinc pateat, quid θεομάχος & θεομαχεῖν vi vocis inferant, & quid in ulteriori tractatione reliquum sit spei. Sed quorsum digressi sumus longius?

§. X. Subjicienda nunc erant Synonyma more recepto, sed, cum stricte sic dicta vix appareant, generalia interim quædam cum Hebræi Codicis, tum Græci quoque advertisse non displicebat, quæ, si θεομαχίας actus non omnes, unum tamen vel alterum exprimant. רְשָׁעִים à רשע *impius fuit* generalius est. Dicuntur vero θεομάχοι אֹיְבֵי יהוה inimici Dei Judic. 5: 31. Ps. 92: 10. ab אָיַב *inimicatus est*, quod notante B. Gerh. (z) bellum ἄσπονδον odium hostile & implacabile innuit; dicuntur שׁוֹדְדִים vastatores à שָׁדַד unde dæmon שֵׁד vastator κατ' ἐξοχὴν cognominatur (aa), ac מַרְגִּיזֵי אֵל commoventes, irritantes Deum, die da wieder Gott toben dürstiglich Hiob. 12: vers. 6. conf. Es. 37: 28. à רָגַז contremuit, quod in Hiphil habet הִרְגִּיז contremiscere fecit vel commovit. (bb) Dicitur θεομάχος Jobi 15: vers. 23. אֲשֶׁר נָטָה אֶל־אֵל יָדוֹ qui extendit contra Deum manum suam וְאֶל־שַׁדַּי & adversus (omnipotentem) fulminatorem יִתְגַּבָּר confirmat ac animat se, qui vires & spiritus sumit (cc) conf. Job. cap. 7: vers. 20. ubi ejusmodi audiunt פֹּגְעִים לַיהוה occurrentes Deo die an Gott stoßen. Dicuntur etiam ejusmodi קְשׁוֹת אֶל־יהוה חֲכַם לֵבָב וְאַמִּיץ כֹּחַ difficilia suscipere adversus Deum, opponere se Deo, duros se præbere adversus sapientissimum corde & validum virtute Hiob. 9: 4. (dd) conf. Dan. 5: 23. Græce dicuntur ἀσεβεῖς generaliori sensu atque graphice describuntur Judæ vers. 4. opera eorum ἔργα ἀσεβείας s. opera impia audiunt; θεοστυγεῖς Rom. 1: 30. tales, qui volunt καταλῦσαι τὴν βουλὴν καὶ τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, in nostro etiam dicto. Et quæ sunt gemina alia lectori industrio collectu facilia. Sed hæc hactenus de evolutione Nominum, plura n. persequi nec licet, nec lubet.

§. XI. Æquum est, ut ad propositum deveniens ea nunc explicem, quorum gratia totum hoc à me susceptum est negotium. Versabor autem, post prælibatam mentem Gamalielis Actor. 5. circa tria potissimum, Subjectum, Objectum ac θεομαχίας denique Formam s. modum. Causæ annectentur brevissimis.

§. XII. Gamalielem Simeonis τοῦ δικαίου Luc. 2: 25. filium, Hillelis Magni vero nepotem fuisse asserunt (ee). Polus de eodem ex aliis ita disserit: *Fuit hic magister Pauli Actor. 22: 3. S. Barnabæ & S. Stephani, filius Simeonis illius Luc. 2. cujus avus erat celebris ille Hillel. Dicitur* Gamaliel Senior, *ob nepotem & pronepotem sibi cognomines, & hi tres cum quatuor aliis insigniti sunt peculiari illo titulo, Rabban, quo nullus eminentior erat: id quod famam ejus ostendit. Postea Christianum factum esse dicunt, sed confictum est hoc, & facile ex scriptis Thalmudicis refutandum. Narrant n quod Onkelos Targumista 70 libras thuris funeri ejus impendit.* De mente autem Gamalielis tres inprimis autorum collegit sententias idem Polus: *Fuit hic vel animo ergà Christum propenso, cui tn. obstat, quod precationis formulam composuisse traditur,* ut Deus perdere velit hæreticos, i. e. Christianos, *vel ingenio miti & moderato; vel verebatur, ne cædem Apostolorum contra Romanorum autoritatem factam gravius aliquid sequeretur.* Sententiis [illegible] ri non adeo favens, adducit quidem, sed in medio rel[illegible] Beza (ff) in Gamalielem iniquior, priori pariter rejecta [illegible] riores è suis agnoscit. Ita enim iisdem verbis: *Hæc species Gamalielis oratio, ut judices, quos videbat paratos rapere Apostolos ad cædem (sicut postea in Stephano factum est) a[illegible] cinore studeret revocare, non certe, quod Evangelio faveret nisi discipuli sui Sauli fuit dissimilis (Act. 22: vers. 2.), sed quod homo esset moderatus, & vereretur, ne cædem Apostolorum contra Romanorum autoritatem factam gravius aliquid sequeretur. Erant n. ipsis adempta capitalia judicia: proinde sine magna præsidis offensione non fuissent hoc facturi. Ac ne quis objiceret, nullum interea fore malorum finem, excipit Gamaliel, & propositis exemplis docet, fore, ut Deus nihilominus alia ratione dissipet Apostolorum consilia, siquidem sint mala & impia.* Occulte ipsum Christo favisse, Pseudo-Clemens l. 1. Recognit. cap. 19. Beda & Cornelius à Lap. statuunt, fidem vero suasu Apostolorum celasse, ut in Concilio Apostolos tueri, & Pontificum contra eos consilia dissipare posset, *quod* (judice Magn. D. Calovio) (gg) *verisimile non est*, si quidem tantum abest, ut Apostoli pacto ejusmodi cum Gamaliele conventuri unquam ac simulationis quoad religionem suasores futuri fuissent, ut potius auctores illi fieri voluissent, fidem ut profiteretur sincere ac publice. Vero simillimum est, ipsum aliquo modo favisse Apostolorum doctrinæ, id quod ex oratione ejus pro discipulis Christi non inclemente admodum patet, aliter, si Romanorum tantum offensioni è cæde Apostolorum orituræ præcavere volebat, nunquam θεομαχίας mentionem facturus, siquidem nec Collegæ ipsius διὰ τὸ μὴ ἐάσαι αὐτοὺς, διὰ τὸ ἀνελεῖν ἀπόστολους vers. 38, 33. se θεομαχίας reos fieri posse, nec Romani [illegible] θεομαχίαν committi cæde ipsorum crediturі, sed potius utrique instar hæreticorum, Ecclesiæ & tranquillitatis publicæ perturbatorum eos habituri erant. Videtur ergo non adeo abhorruisse à doctrina Apostolorum, sed dum infixus inhærebat legi

 Mosai-

(r) *Theog. vers. 629. seqq.* (s) *Synops. Crit. ad h. l. f. 1437.* (t) *v. Disp. sub Præs. Excell. Dn. Stolbergii de dist. N. T. in commata §. 2. & 22.* (u) *D. Schmid. Comm. Job. IV. pag. 147.* (x) *id. l. c. pag. 30.* (y) *Coll. M. S. Theol. Did. Polem. cap. 7. sect. Polem. qu. 3.* (z) *Comm. in Gen. c. III, 15. pag. 106.* (aa) *Petræus in Lex. p. m. 879.*

(bb) *c. D. Schmid. Comm. in Job. pag. 502, 503.* (cc) *id. l. c. pag. 650.* (dd) *id. l. c. pag. 368.* (ee) *v. Schik.* פרקי *c. 6. ib. 18.* בהי *d. 2. §. 3. Buxt. abbrev. pag. 175. Magn. Dn. D. Calov. Bibl. Ill. N. T. ad h. l. f. 851. col. 1.* (ff) *Notis ad h. l. f. 430.* (gg) *ad h. l. f. 851. Col. 1.*

Mosaicæ (erat enim νομοδιδάσκαλος), isthæc invicem non adeo bene conciliare poterat, utpote nondum satis confirmatus, sed aliquantum dubius, quod innuit particula μήποτε, quæ dubitantis est. Hinc pro ea, qua pollebat prudentia, nolebat temere eandem condemnare, sed quis futurus esset brevi eventus, expectare ac dispicere. Eo enim ejus collimat consilium. Isthæc de mente Gamalielis.

§. XIII. Insinuat se nunc nobis Subjectum (quod Gamaliel arguebat θεομαχίας reum fieri posse, & reipsa factum est) generali voce τῆς συνεδρίας vers. 21. Hoc vero alibi Collegium significat, alibi locum, quo Collegæ conveniebant. In priori usu hic maxime à nobis attenditur, quo est consessus vel numerus Judicum s. senatorum. *Notum* autem *est* (Vossii verba sunt isthæc (hh)) *triplicia fuisse Judicia Hierosolymis; in templo quidem* Συνέδριον *virorum LXXI. ad fores vero templi duplex judicium, unumquodque XXIII. virorum. In singulis porro Israëlitarum civitatibus, in quibus CXX. familiæ erant, constitutum erat judicium itidem XXIII. virorum: sin tot familiæ non forent, res erat penes tresviros. Hi civiles causas cognoscebant* & in urbium frequentiorum portis jus dicebant, *ut fuse traditur c. 1. Sanhedrin. Præterea* judicia capitalia *à tribus & XX. peragebantur, uti ibid. §. 4. legere est: sed ea, quæ singulos tantum spectarent. At majora, quæ totas urbes & tribus tangebant, non nisi à Synedrio LXXI. Virorum tractabantur: Unde ibid. §. 5. „Non condemnant civitatem Apostasiæ, nisi in Senatu „septuaginta & unius virorum.* Sic hactenus Vossius.

§. XIV. Eadem fere habet Pasor, (ii) nisi quod unius tantum minoris meminit, quia forte temporibus posterioribus ob negotiorum civilium multitudinem alterum illud minus institutum fuit, additque, Judæos in majori Synedrio LXXI. Senatores habuisse ex prisca Dei institutione Num. 11: 16. *Segrega mihi LXX. Seniores*, quibus si addatur Moses, sint futuri LXXI. Porro: *Ab hoc Sanhedrin Christus fuit damnatus & Apostoli judicati Act. 5: 27.*

§. XV. Officia Senatorum pressius (nondum tamen satis specialiter) explicat Beza (kk): *Sanhedrin, in quo XXIII. judices considebant* (cum triumviri de pecuniariis & minimis causis cognoscerent ac proinde levibus mulctis convictos reos castigarent) *de gravioribus causis decernebat ac proinde graviores pœnas infligebat.* (Alterum in porta Nicanoris versus Orientem, alterum in porta Susan sedens, Pfeiff. l. c. p. 475. §. 6. & p. 480. §. 3.) *Summum autem Concilium judicum LXXI. de gravissimis rebus, veluti de certa aliqua tribu, de summo Sacerdote, de Pseudo-Propheta, de pace vel bello, de criminibus, blasphemia &c.* statuebat.

§. XVI. Est autem, uti diximus, alioqui nomen Synedrii (quod apud Judæos plerumque designat summum Consilium LXXI. Judicum) nimis generale. Cum ergo non unius, sed plurium vel ejusdem vel diversi ordinis sit CON-sessus, nec istos prætermittere decet. Nominantur Senatores à Gamaliele quoad ortum & prosapiam, quæ erat ex generatione Jacobi s. Israëlis, ἄνδρες Ἰσραηλῖται insigni quadam generis prærogativa, si eadem se dignos hactenus gessissent. Indigitantur certi ordines, dum alius ἀρχιερεὺς vers. 17, 21, 27. alii οἱ σὺν αὐτῷ vers. 17, 21. vel πᾶσα γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ vers. 21. audiunt. Certæ dein sunt sectæ, dum τὶς ἐν τῷ συνεδρίῳ Φαρισαῖος, Gamaliel, dicitur vers. 34. ac mentio insuper fit αἱρέσεως, τῆς οὔσης τῶν σαδδουκαίων vers. 17. conf. Act. 23: 6.

§. XVII. Primum sibi in Synedrio vendicabat locum summus ille Sacerdos, inde etiam dictus ὁ ἀρχιερεὺς, Hebr. הָרֹאשׁ 2 Par. 24: 6. quod præesset reliquis, qui alioquin dicuntur ἱερεῖς. Honorem autem istum singulari quodam privilegio, divinitus sibi concesso, hæreditarium primum possidebat familia Aaronica, 1 Par. 23: 13. quamvis sequiorum seculorum vitiis multa immutarentur. Quæstui enim esse paulatim cœperat honor iste, & Josephus Originum XX: 7. seditionem narrat inde ortam esse inter ἀρχιερέας & ἱερέας, quod οἱ ἀρχιερεῖς omnes decimas ad se pertraherent ac cœteros Sacerdotes rerum necessariarum inopia consumi paterentur. (ll) Porro idem Josephus (mm) à seditiosis narrat sorte lectos ἀρχιερέας ex quaque familia, cum is honos nascendi ordine deferri soleret. Et plurimi Pontificatum, cum lucro esse inciperet & non parvas inde acquiri opes adverterent hominum nequissimi, ad se vel rapiebant vel coëmebant, quod de Alcimo è 1 Macc. 7: 5. Menelao 2 Macc. 4: 24. palam est. Quod ipsum nec Apostolorum temporibus, ut opinor, desiit, cum bene à Deo instituta injuriis temporum & maxime φιλαργυρίᾳ hominum in pejus ruere soleant fere omnia. Hinc, cum tanta esset tum temporis ἀναρχία, ut, confusione quadam fœdissima, in diem quasi essent Pontifices aut non essent (dicente Heinsio,) Paulum excusant Actor. 23: 4, 5. quod τὸν ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ, *Ananiam* scilicet (quem *Josephus* (nn) *audacem, ferocem, sævum & secta Sadducæum vocat* (oo) λελοιδορηκὼς videretur, cum constaret, non esse eum Sacerdotem aut Principem Senatus, qui eas dignitates pretio comparasset. Didicisse enim hoc à Gamaliele Paulum, Judicem, qui honoris consequendi causa pecunias dederit, revera neque Judicem esse, neque honorandum, sed asini habendum loco, ut est in titulo Thalmudico de Synedrio. Insuper quod Judæi peculiariter tales Magistratus vocent Deos aureos & argenteos, eosque adorandos negent, annotavit idem Grotius ad Act. 23: 5.

§. XVIII. Illud adhuc monendum erat, non infrequens esse in Novo inprimis Fœdere, ut plures nominentur ἀρχιερεῖς, non solus ὁ ἀρχιερεύς. Verum, judice Grotio, adstipulante Magno Calovio (pp) intelliguntur non ii tantum, qui maximo Pontificatu aut fungebantur, aut functi erant, eorumque vicarii, sed alii quoque principes XXIV. sacerdotalium familiarum, ἄρχοντες τῶν πατριῶν τῶν ἱερέων, ut loquuntur LXX. 1 Paral. 24: 6. & 2 Par. 36: 14. familiarum principes vocantur שָׂרֵי הַכֹּהֲנִים Bezæ de his sententia ex ipso Beza optime addiscitur.

§. XIX. De Summo Sacerdote hactenus, tanquam de Synedrii Præside à Capite. Occurrunt & Collegæ, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, γραμματεῖς τοῦ λαοῦ dicti in N. Test. vel sæpissime, Doctores populi Ecclesiastici, qui τὰ ἱερὰ γράμματα interpretabantur, & νομοδιδάσκαλοι vel νομικοὶ *legisperiti* à lege divina, quam explicabant, vocabantur, non vero *Juris Studiosi*, adsessores τῶν ἀρχιερέων è Levitica tribu delecti, prout censet Grotius, in hac parte pluribus à Magno Calovio castigatus. (qq) Nec γραμματεῖς τοῦ λαοῦ dicuntur hi ipsi ratione *ortus* & prosapiæ, sed ratione officii, quod populo informando præfuerint. Quo de post Dn. D. Calovium l. c. vid. Fesselius in Advers. Sacr.

§. XX. Utut autem isti unius Collegii essent membra, tantum tamen abest, ut (quod decebat) ὅμοια φρονοῦντες extiterint, ut potius in diversas abierint sectas, Pharisæorum unam, Sadducæorum alteram. Major equidem Synedrii pars illorum erat sectæ, ut videre est Actor. 23. sed summus tamen Sacerdos & consanguinei ejus, sectæ erant Sadducæorum, ut procerum pars magna. (rr) Hinc sine dubio οἱ τῆς αἱρέσεως τῶν σαδδουκαίων dicuntur οἱ σὺν αὐτῷ sc. Ἀρχιερεῖ, quod cum ipso & doctrina & vitæ genere consentirent. Utramque sectam paucis ὡς ἐν παρόδῳ, quoad ejus fieri poterit, attingemus.

§. XXI. Amabant Pharisæi (proles vel *Naziræorum*, juxta Eliam, vel Hasidæorum ea Scaligeri (ss) sententia) τὴν πρωτοκλισίαν καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας Matth. cap. 23: vers. 6. ergo præeant. Videntur quibusdam dici à Rad. פֵּרַשׁ *exposuit, explicavit*, (tt) sed refutatos hos è Mercero vide apud Bezam, Notis ad Matth. 3: vers. 7. Conf. & Dn. D. Calov. Bibl. Ill. ibidem & D. D. Pfeiff. Dub. Vex. N. T. Loc. IV. pag. 8, 9. Verius, juxta Schindlerum, cognominati fuerunt à פרש *separavit, discrevit, divisit*, eo, quod separati ab aliis essent moribus, amictu, professione, quasi sequestrati ab iisdem vita religiosiori. Quod ipsum (uu) Epiphanius nos docet. Φαρισαῖοι διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων, διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν παρ᾽ αὐτοῖς νενομισμένην. Φάρες γὰρ, κατὰ τὴν ἑβραΐδα, ἑρμηνεύεται ἀφορισμός. Quo forte respexit Apostolus, cum se ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον dicit Rom. 1: 1. nam antea ἀφωρισμένος εἰς τὸν νόμον, i. e. Pharisæus fuerat. Quid autem sibi voluerit separatio isthæc, Suidas exponit: Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι παρὰ τὸ μερίζειν ἢ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων, εἰς ᾗ τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου, καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Gemina alia collegit è Josepho Grotius, quæ legi possunt in Dn. D. Calovii Bibl. Ill. ad Act. cap. 22: 3. f. 933.

§. XXII. Hoc hominum genus quando ceperit, non definimus præcise. Josephus (xx) meminit, eos jam tempore Jonathæ, fratris Maccabæi (annis 140. ante C. N.) exti-

(hh) *Notis ad R. Mos. Maim. de Idol. pag. 54.* (ii) *in Lex.* (kk) *Notis ad Matth. 5: 22. cap. 10: 17.* (ll) *Grotius ad Matth. cap. 2: vers. 4. in Bibl. Ill. Dn. D. Calovii f. 156.* (mm) *Bell. Jud. l. 4.*

(nn) *l. XX. cap. 8.* (oo) *v. Grot. ad l. c. in Bibl. Ill. f. 936. col. 1.* (pp) *ad Matth. 2: 4. in Bibl. Illust. f. 155.* (qq) *ad Matth. 2: 4. f. 155, 156.* (rr) *Grot. ad Act. 5: 17.* (ss) *Elench. Trihæres. c. 22. contr. Nic. Serrar. Jesuit. Mogunt.* (tt) *c. Pas. in Lex. P. 11. p. m. 76.* (uu) *v. Drus. de 3. sectis l. 2. c. 2. 3. Hotting. Th. Ph. p. 25, 26.* (xx) *l. 13. Ant. c. 9.*

extitisse, & (yy) *antiquissimum* eorum *institutum* vocat. Id certo constat, tum demum illos ortos, cum vates sacri sub templo posteriori nulli essent. (zz) Docebant vero seorsim, verbum Dei ἄγραφον ἐγγράφῳ non æquandum duntaxat, sed antehabendum quoque esse. Quem intolerabilem nævum & accivere sibi & pertinacissime tuentur Pontificii, ut quidem hac in parte simillimi discipuli sint Præceptoribus Pharisæis, quod luculenter demonstravit Hottingerus. (a) Justum porro appellabant, qui pleraque legis mandata observaret, utut transgrederetur quædam, contra Deuter. 27: 26. Rom. 3: 12. Jacob. 2: 10. Inepti etiam in eo, quod sacras literas & vatum oracula, cumprimis ubi de Messia agebant, literaliter semper explicarent, de secretiore & vero illorum sensu parum soliciti, cum tamen alibi, sana & sobria literali Scripturæ interpretatione rejecta, ad monstrosas delapsi sint hyperbolas, quibus maxima Thalmudis pars impletur. Commentis suis legem divinam multo latius, quam summus Moses voluit, extendebant. Externa legis observantia, ut sanctitatis majoris speciem sibi conciliarent, traditiones (b) & id genus alia vehementer urgebant: Phylacteria & fimbrias extendebant Matth. cap. 23: 5. in angulis platearum orabant, & palam sua jejunia ebuccinabant, ut & eleemosynas; clavem denique cognitionis sibi vendicabant. Quæ & multa alia fusius deducta vide à Magnif. D. Calovio loc. cit. dicente, in proclivi esse Parallelismum instituti hodiernorum Monachorum, Jesuitarum aliorumque Pontificiorum. Huc facit Hotting. Theol. Phil. pagin. 27. seq. Pharisaism. B. D. Henric. Eckardi, Part. III. Dub. Spanhem. pagin. 107. Lightfoth. Hor. Ebr. ad Matth. cap. 3.

§. XXIII. Seculi sequioris equidem hoc vitium fuit. Ubi devotio primum, & circumspectior pietas, paulatim in anxias quasque superstitiones degenerarunt, omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Ait ubi eadem res ad ineptos aut minus bonos pervenit, peccari varie & diversa induci plerumque videas. Sic Pharisæi initio ob virtutem in amore esse, & grande SAPIENTUM (dicebantur enim החכמים viri eruditi) (c) nomen circumferre. Posthæc, cum in arrogantiam verterent, intolerabiles, (d) & supra modum astuti, pessima vitia unius sanctitatis simulatione obtegebant. Quæ utut non fugerent viros cordatos, vulgi tamen merebantur applausum & admirationem. Adstrictum hoc vitæ genus & severissimam Pharisæorum disciplinam prolixius exposuit Epiphanius, (e) sed pauca delibabimus: διὰ τὸ ἄγρυπνον ἔχειν τὸν βίον κατὰ τὸ δυνατὸν (inquit) ἄλλοι κάχλικας συλλέγοντες ἑαυτοῖς ὑπεστρώννυον, εἰς τὸ τυπτομένους μὴ ὕπνῳ βαθεῖ φέρεσθαι, ἀλλὰ βιάζεσθαι γρήγορσιν ἑαυτοῖς προσποιείζεσθαι, ἄλλοι δὲ καὶ ἀκάνθας στρωμνὴν εἶχον, διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν &c. scilicet ut speciosus hic Eucheta αὖθις ἐγείρηται εἰς εὐχήν. Sed missi sunto Pharisæi.

§. XXIV. Subsequantur nunc Sadducæi. Originem hi (ut Magn. Calovii verbis id asseram) (f) & nomen habent à Zadoco, qui cum Baithoso, à quo *Essæi* orti, commilitone, Antigoni Præceptoris, qui 300. annis ante Christum vixit, dicto, quod in Pirke Aboth. cap. 1. habetur: *Ne estote sicut servi, qui serviunt Domino propter mercedem, ut nempe accipiant præmium; sed estote sicut qui ministrant Principi suo hac conditione, ne accipiant præmium; & sit Dei timor super vos*, falso intellecto concludebant, si non serviendum spe retributionis, nullam fore mortuorum resurrectionem, ut è R. Sal. Jarchi, R. Maim. aliisque docet Hotting. l. c. pag. 34. De aliis infra audiemus.

§. XXV. Cæterum exosissimi semper fuere Pharisæis, cum aliis ex rebus, tum vel præcipue, quod rejectis illorum δευτερώσεσι solam Scripturam sacram agnoscebant sequendam. (g) An totam illam receperint, controversia haud caret. Hieronymus hunc honorem Pentateucho duntaxat delatum, Prophetas rejectos esse ait. Idem & alii affirmant, Zacharias, Episc. Chrysopol. & Tertullianus. Atque hinc adeo esse, quod Christus Matth. 22: 32. ex Mose disputet, contra Sadducæos resurrectionem asserturus. (h) *Stultum enim fuisset*, inquit Hieronymus, *inde* proferre testimonia, cujus autoritatem non recipiebant. At vero nihil (i) hac de re habet Lucas, imo Josephus diserte eos πάντα τὰ γεγραμμένα amplexos scribit. Ideo suis, quas habebant, rationibus ducti Scaliger, (k) Spanhemius, (l) Cunæus (m) Hottingerus l. cit. totam eos Scripturam, omnia tria Sacri Codicis volumina, Pentateuchum, Hagiographa & vatum oracula recepisse existimant. Quicquid autem ejus rei sit, Theologorum nostratium Scholæ illud plerumque docent. Observandum autem, quod Sadducæi literalem Scripturæ sensum & rigidissime & semper urgerent. Unde קראים Scripturarii seu Textuales dicti sunt.

§. XXVI. Quoad originem & causam erroris Sadducæorum de resurrectione misere hallucinatus est Grotius (n) *Moses* (inquit) *in religionis Judaicæ institutione, si diserta legis pacta respicimus, nihil promisit supra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copiosam, victoriam de hostibus, longam & valentem senectam, posteros cum bona spe superstites. Nam si quid est ultra, id umbris obtegitur, aut sapienti ac difficili ratiocinatione colligendum est: quæ causa fuit, cur multi, qui legem Mosis sequi se profiterentur, UT SADDUCÆI, spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projicerent.* Repræhensus itaque, atque è Deut. 30: vers. 15. Levit. 18: 5. Galat. 3: 12. Luc. 10: 28. Rom. 3: 21. nec non è B. Gerhardo (o) refutatus à Val. Musculo, qui dictum libellum, cætera commendatissimum, in vernaculam nostram transtulit. Alia, quæ ad hanc materiam, vidd. in Bibl. Illustr. Dn. D. Calovii ad Matth. 22: 23. & apud Wilck. loc. cit. De reliquiis ipsorum tum in Oriente, Constantinopoli sc. tum in Italia quoque superstitibus edocuit nos è Genebrardo (libr. 2. Chronogr. pagin. 248.) & Dn. D. Mullero (in Judaismo pag. 71.) Dn. Doct. Calovius ad Matth. 3: vs. 7. fol. 162. Bibl. Ill.

§. XXVII. Et hæ ipsæ Sectæ hactenus sunt divinis institutis tantopere contrariæ, Pharisæi scil. & Sadducæi, ἄνδρες Ἰσραηλῖται, tot à Deo beneficiis affecti, &, quod maximum, in Ecclesia nutriti & educati. Hi, quem colere debebant, Deum suum & Christum ejus oppugnant infensissimi conjuratissimique, prodeuntque ex ipsa Ecclesia persecutores Ecclesiæ, contemptoresque DEI. Sed hic justo sumus prolixiores, brevitatem sanctius professi. Festinato pergendum est ad alia.

§. XXVIII. OBJECTI evolutionem imperat nunc ipsa materiæ ratio, idque nobis sistit prius illud partium componentium, vox sc. Θεοῦ, unde ipsi Θεομάχοι dicuntur. Is enim est, quem à degeneribus suis filiis non uno oppugnari modo pii quique dolent. In statu equidem integritatis nulla futura erat Θεομαχία, cum voluntas hominis vel sanctissime in Deo acquiesceret, ita, ut Deum suum unice diligeret, eidem adhæreret, non vero contra eundem insurgeret. Posteaquam autem primi omnium ἄγγελοι plures Θεομαχεῖν cœperunt, μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν Judæ vers. 6. Dæmon, serpens ille antiquus, ἀντίδικος ille Dei hominumque Deiformitate Protoplastis promissa avos nimium faciles ac credulos in profundum Θεομαχίας detrusit barathrum. Hinc omnis Θεομαχίας fons & origo, ut Deus, qui antehac erat amoris, nunc lapsis fiat plurimis offensionis objectum. Hinc Θεομαχεῖν i. e. voluntati Dei salutiferæ repugnare, quin ipsum eundem Deum è Majestatis solio deturbare ἀσεβεῖς gestiunt.

§. XXIX. Deus, inquam, Objectum est. Nomen ejus Græcum (Θεὸς) equidem *Deum ipsum* vel *essentiam* ejus infert, licet ipsa voce τὸ *esse* non referat; (p) Nomen autem, quod sibi soli reservavit proprium, יהוה ipsum *esse* significat. Hoc Pharaoni per Mosem innotescere voluit, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה Ero qui Ero, vel: Ego sum ille ENS, ille Existens Exod. 3: 14. Quo cum ex asse convenit illud ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος Apocal. 1: 8. & salutatio Johannæa, quæ est ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος vers. 4. ut indicetur, quod ipse solus semper fuerit, sit, & futurus sit. Cæterum, quoad nomen Θεὸς discrimen faciunt Autores, inter τὸν Θεὸν καὶ τὸ Θεῖον, vel potius inter τὴν Θεότητα καὶ τὴν Θειότητα.

(yy) *Libr.* 18. *cap.* 2. (zz) *Vid. Grot. ad Matth.* 7: 29. *conf.* 1. *Macchab.* 9: 28. 4: 46. 14: 41. *cum Luc.* 7: 16. (a) *Theol. Philolog. pag.* 560. 565. (b) *Vid. omnes à Dn. D. Calovio in Bibl. Illust. ad Matth.* 3: *vs.* 7. *fol.* 162. *recensitas. conf. Wilckium Disput. I. de statu Judæorum Eccles. & Polit. pag. mihi* 17, 18. (c) *Grot. ad Matth.* 7: 29. *Hotting. l. cit. pag.* 33. *Drus. l. cit. lib.* 2. *cap.* 18. (d) *Jos. loc. cit. lib.* 17. *cap.* 3. (e) *In Panar. lib.* 1. *pag.* 20. (f) *In Bibl. Illustr. ad Matth.* 3: *vers.* 7. *fol.* 162. *D. Pfeiff. l. cit. pagin.* 10. *conf. Wilck. loc. cit. pagin.* 19. *Spanhem. D. E. pagin.* 3. *d.* 29. *Pas. Part.* 11. *Lexic. pag. mihi* 62. (g) *Wilckium loc. cit.*

(h) *Pas. l. cit. pag. mihi* 182. (i) *Wilck. l. cit. pag.* 20. (k) *In El. Tr. cap.* 18. (l) *Part. III. Dub. pag.* 111. (m) *De Rep. Ebræor. pagin.* 476. *loc. cit.* (n) *Libr.* 2. *pro Verit. Relig. Christ. pagin.* 51. (o) *Tr. de Euang.* (p) *Vid. Magnif. Dn. D. Deutschm. Theol. Posit. Polem. de ess. divin. th.* 5.

Illud οὐσίαν essentiam Dei, hoc ejus attributa essentialia notare, notat præter alios Beza. (l) Et concedi potest, cum ipse Apostolus ἀΐδιον δύναμιν καὶ θειότητα Rom. 1:20. ab ipso Deo, cujus vs. 19. fecerat mentionem, distinguat, ac Petrus etiam æterni Numinis potentiam dicat τὴν θείαν δύναμιν 2. Petr. 1: vs. 3. licet à parte rei sint unum & idem cum essentia divina, & in Deo identificentur. Hinc τὸ θεῖον, substantive usurpatum, non solum attributa Dei, sed ipsummet Deum denotat Act. 17:20. οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ, ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον, i. e. *ipsum Deum*, *ipsam ejus essentiam esse* similem θεομαχεῖν ergo erit & existentiam & essentiam Dei & cum ea attributa Dei impugnare.

§. XXX. Porro nomen θεὸς, docentibus Theologis, non uno modo supponitur. *Essentialiter* dicitur εἷς θεὸς 1. Tim. 2: vs. 5. cum יְהוָה אֱלֹהֵינוּ יְהוָה אֶחָד Deut. 6:4. *Personaliter* vero, dum (prout אֱלֹהִים plurale plures infert personas) distincte & relative determinatur & applicatur *modo Patri*, ut in salutationibus Paulinis χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν Rom. 1:7. 2. Corinth. 1:2. Galat. 1:3. Ephes. 1:2. Phil. 1:2. &c. *modo Filio*, qui υἱὸς θεοῦ propter æternam generationem passim audit, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας Rom. 9:5. *modo Spiritui Sancto*, prout Ananias οὐκ ἐψεύσατο ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ Actor. 5:4. Hinc θεομαχεῖν erit idem, ac se tribus hisce Trinitatis personis opponere easque impugnare. Arius hic famosus est quoad priores duas. Sic de isthoc πατρομάχῳ καὶ υἱομάχῳ Cedrenus (m) ἦν γὰρ τὰ δόγματα τοῦ ἀσεβοῦς καὶ τρισκαταράτου Ἀρείου ταῦτα. οὐκ ἀεὶ ὁ θεὸς πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν, ὅτε θεὸς πατὴρ οὐκ ἦν. οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν. ὁ γὰρ ὢν θεὸς τὸν μὴ ὄντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πεποίηκε. διὸ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. Κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα ὁ υἱὸς, quoad tertiam vero personam male audit Macedonius, Episc. Constant. *Hic*, ut habet Dresserus (n) è Cedreno, ἠρνήσατο τὴν θεότητα τοῦ ἁγίου πνεύματος, ex quo πνευματομάχου *nomen adeptus est.*

§. XXXI. Scopo nostro inserviemus, specialiorem διάσκεψιν de secunda Deitatis persona instituturi, de Christo, Deo ἐνσάρκῳ, cujus personam atque officium qui impugnant apud scriptores Ecclesiasticos speciatim χριστομάχοι appellantur. Hic σημεῖον ἀντιλεγόμενον Luc. 2:34. λίθος τοῦ προσκόμματος Rom. cap. 9:32. πέτρα σκανδάλου 1. Petr. 2:7. λίθος ζῶν ὑπὸ ἀνθρώπων ἀποδεδοκιμασμένος vers. 4. λίθος, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες Matth. 21:42. L. xx. 17. ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑπὸ τῶν οἰκοδομούντων Act. 4:11. υἱὸς ἀνθρώπου, ὃν ἔδει ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων Marc. 8:31. Luc. 9:22. cap. 17:25. De eo B. Lutherus; (o) Der Himml. Vater und des Himml. Vaters Sohn machen einen Aufruhr in der Welt/ daß Keyser und Könige toben und die Leute davon Schwätzen. Es stehet aber eigentlich darbey / daß weder der Himml. Vater noch der Sohn an solcher Aufruhr schuld habe / sondern die schuld ist der Keyser und Könige/ die Christum mit seinem Euangelio nicht leiden wöllen/ sondern sprechen: Lasset uns zurreissen ihre Bande. rc. Christus lehret nicht aufruhr/ sondern leidet aufruhr. Plura in hanc rem extant alibi: die Heiden toben/ die Könige und Fürsten halten Reichstage nicht wieder den Perser König oder Sophoy / noch wieder den Türcken / sondern wieder den Herrn. Ists nicht ein lächerliches / närrisches und vergebliches fürnehmen? was werden sie doch damit gewinnen? (p) Nicht wunder ist es/ daß weltl. Könige/ Fürsten und Herrn Gottes Feinde sind. Es ist ihrer Art angebohren/ darumb mahlet der 2. Psalm solche Farbe in ihren Helm und Schild / und nennet sie wiedersacher Gottes und seines Christi. Wo aber ein König oder Fürst / oder Adel ist / die sich mit ernst / ja mit ernst (sage ich) umb Gott und sein Wort annehmen / die magstu wohl für Wunder Leute Gottes halten; und seltzam Wiltpret im Himmelreich heissen. (q)

§. XXXII. Hactenus Objectum θεομαχίας personale primarium, tum generale θεὸς, tum speciale χριστὸς, sequitur nunc secundarium, ministri verbi divini, pii ac fideles confessores veritatis, quorum persecutiones in ipsum Christum redundant, juxta illud: Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις Actor. 9:4. Etenim si non pepercerunt capiti, nec membris parcent Ps. 41: 8. Prædixit id ipse Servator: ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν διὰ τὸ ὄνομά μου Matth. 24:9. Luc. 21:17. ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ἡμᾶς τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ διώξουσι, παραδιδόντες εἰς τὰς συναγωγὰς καὶ φυλακὰς, ἀγομένους ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου vs. 12. θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν vs. 16. conf. vs. 15. ubi τῶν ἀντικειμένων, & Rom. 8:35. ubi, præter alia, τῆς θλίψεως, διωγμοῦ, κινδύνου, μαχαίρας fit mentio. Nec aliud indicat vs. 36. ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. Scite B. Lutherus: (r) *Prædicare verbum est nihil aliud, quam derivare in se furorem totius inferni & Satanæ: deinde omnium superiorum in mundo, & omnem potentiam mundi. Est autem periculosissimum tot dentibus Satanæ se objicere.* Item: (s) *Nos soli plectimur, quia prædicamus beneficium Christi, quod fide in Christum* &c. Atque hoc sensu speciali inprimis in loco nostro θεομαχεῖν dicuntur, qui Dei ministros & Apostolos persequuntur. Qui n. Legatum offendit, ipsum principem offendisse censetur.

§. XXXIII. Non aliter se res habet cum doctrina, quam profitentur. Habebant Apostoli mandatum τοῦ μαθητεύειν Matth. c. 28. insurgebant contra Judæi Primates, καλέσαντες αὐτοὺς, παρήγγειλαν αὐτοῖς τὸ καθόλου μὴ φθέγγεσθαι, μηδὲ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ. Est ergo Objectum reale doctrina ἡ ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ doctrina super hoc nomine fundata, vel πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης Actor. 5:20. ἐλπὶς καὶ ἀνάστασις νεκρῶν, cap. 23:6. Hæc quid sibi velint, explicari ex Interpp. debebat. Scilicet ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ est illud, de quo extat Act. 4:12. 10:43. conf. 15:11. Vita illa quænam sit, Commentarium tibi offeret Grotius: *Est Metonymia: nam vitæ nomine intelligit doctrinam, quæ ad vitam æternam ducit. Sic & Johan. 12:50. 17:3.* Sed corrigit ipsum Dn. D. Calovius: (t) *Non opus est Metonymia, quia ipsa verba, quæ locuti sunt Apostoli, verba vitæ erant, ut de Christi præconio dicitur Joh. 6:63. conf. Phil. cap. 2:16. Rom. 1:16.* Nec sine emphasi dicuntur verba ζωῆς ταύτης, quia Apostoli prædicabant Jesum, qui est ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ Joh. 11:25. *Recte Flacius h. l. verba vitæ hujus intelligit de illa vita, circa quam versabatur eorum doctrina, & sermo angeli de spirituali vita, nempe de beneficiis Jesu, non, ut dicimus communiter vitæ hujus, nempe quam hic quotidie vivimus, & circa quam omnes nostræ cogitationes versantur. Prorsus similiratione dicitur infra c. 13:26.* ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης. *Nec est ulla hypallage hic aut ibi. v. Clav. 2. 294.* Et hæc de vita. Ad alterum περὶ τῆς ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν denuo Grotius, sed melioribus adest Commentariis: *Est* ἓν διὰ δυοῖν. *Rectum fuerat* περὶ ἐλπίδος ἀναστάσεως *ob spem de resurrectione in judicium vocor. v. ad Act. 17:25. & Joh. 3:6.* Pari ergo modo Dn. D. Calovius, additis quibusdam: Alii per *spem* intelligunt Christum promissum, qui spes Israëlis Act. 28:29. sed recte *hendyade* statuitur, quam expressit Syrus: *De spe resurrectionis mortuorum ego judicor*; spes enim Christianorum, ut ait Tertullianus, non est alia, quam *resurrectio mortuorum*, quam quia in Christo resuscitato prædicabat Apostolus, aperte dicere potuit, se accusari *de resurrectione mortuorum* Christi merito parta, & resurrectione Christi confirmata: quia de eo maxime quæstio erat cum Judæis, num Christus à mortuis resuscitatus sit. Hactenus Dn. D. Calovius. Quæ ulterioris ἐξηγήσεως causa adduci poterant περὶ τῆς ἐλπίδος ἀναστάσεως νεκρῶν, quam Sadducæi inficiabantur, λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα, vid. in Bibl. Ill. Dn. D. Calovii ad Matth. 22:23. omnia fusissime. Quid per πνεῦμα intellectum velint Interpretes, conf. Wilck. l. c. Oppugnabant ergo Pharisæi resurrectionem Christi, quæ fundamentum est nostræ resurrectionis, Sadducæi vero tum resurrectionem Christi, tum etiam resurrectionem mortuorum simpliciter. Et hæc est θεομαχία quoad verbum, & revelationem Dei.

§. XXXIV. De Modo nunc soliciti sumus. Plures autem dantur. Violentia bestialis foret, si vera de gigantibus fabulæ prodiderunt. Ita de iis Natalis Comes: (u) *Hi in Phlegræis campis, vel (ut alii maluerunt) ad Pallenem habitarunt. Qui cum essent admirabili corporis proceritate, & saxa & ignitas arbores in cœlum jaculabantur.* Et: (x) *Isti, cum super altissimos montes illos conscendissent, dicuntur saxa ingentia in Deos jaculati, ex quibus illa, quæ in mare ciderunt, factæ sunt insulæ: at illa, quæ, in terram deciderunt, montes &c.* Verissima tradit Moses de violentia Pharaonis, viri paxillorum. Verba ejus erant מִי יְהוָה אֲשֶׁר אֶשְׁמַע בְּקֹלוֹ Exod. 5: vs. 2. Non aliter Nicanor Judæis, cædem sui in Sabbatho deprecantibus: *Qui Sabbathum præcepit*, inquit, *num Dominus in cœlo est?* ac affirmantibus regerebat: *Et ego sum Dominus in terra* &c. 2 Macc. 15:3, 4. conf. vs. 32. Julianus Apostata se, more

(l) *Notis in N. T.* (m) *Dresser. Mill. 5. pag. m. 223.* (n) *Loc. cit. p. 227.* (o) *Tom. 1. Alt. f. 683.* (p) *Tom. V. f. 1136.* (q) *Tom. VI. f. 190.*

(r) *Tom. 3. Jen. in Es. c. 60. fol. 368.* (s) *Apol. A. C. p. 149. in fine.* (t) *Bibl. ill. ad h. l. f. 850.* (u) *Mythol. p. m. 603. Edit. Genev.* (x) *Fol. 604.*

more gigantum quasi, Christo totis viribus oppositurus erectis importune in cœlum manibus: *Vicisti tandem*, eructat, *Galilæe.* (c) Christum enim, ut est apud Dresserum, (d) contumelia affecturus, Galilæum appellabat. —— Bellum Christo & Christum profitentibus cunctis indixit. Eadem, & plura, de D. Turca è Sim. Pauli (e) referunt. Id quod est θεομαχεῖν vesana quadam & *gigantea importunitate.*

§. XXXV. θεομαχοῦσιν alii *per vanam idololatriam*, dum se ipsos volunt ac patiuntur haberi tum pro Deo, tum pro Christo. Discupiebant protoplasti כֵּאלֹהִים Dei formes evadere, θεοεικελότητα affectabant. Eadem, eâdem superbiâ & olim sæpius, si non adeo hodie, vesana mentis humanæ fuit insania, ut se σεβάσματος loco substituere & pro Deo se gerere non dubitarit aliquando mortalium miserrimus. Vesaniam sapiunt verba illa regis Tyri אֵל אָנִי Ezech. 28: 2, 7. אֱלֹהִים אָנִי Deus ego sum vs. 9. cum tamen esset אָדָם וְלֹא אֵל homo & non Deus. De Senacherib Assyriorum, Nebucadnezare Chaldæorum regibus v. Es. 37. vs. 36. sq. & Dan. 4: 26. sq. Nihilo melior patre Belsazer filius. De ipso n. Deus: עַל מָרֵא שְׁמַיָּא הִתְרוֹמַמְתָּ Dan. 5: 23. Herodes, qui, ὅτι οὐκ ἔδωκε δόξαν τῷ θεῷ, quod ipsas adulatorum voces non repressit, erosis à vermibus intestinis *se Deum non esse* vivus persensit, atque ita misere ἐξέψυξεν Deitatis affectator Act. 12: 21, 23. cum, teste Josepho, moriens de ista adulatorum vanitate conquestus esset. (f) De Hamane conf. Esther c. 3. 2. Fragm. vs. 12. 13, 14. De Alexandro M. nomen filii Jovis Hammonis honoresque divinos sibi poscente, est apud Curtium (g) & Justinum (h) sorbitiuncula tamen (ut ægrotus convalesceret Deus) opus habente, juxta Athenæum, (i) ut merito Anaxarchus per risum illi dixerit: *An Deo NOSTRO in sorbitione cochlearis spes sita est?* &, cum aliquando intonuisset, Eudemonicus: *Nunquid, ô fili Jovis, tu hoc fecisti?* De Antiocho Epiphane v. Dan. 8: 35. 11: 37. conf. 1 Macc. 6: 16. & Josephus Ant. Jud. l. 12. c. 13. De Caligula & Domitiano Sueton. in Calig. c. 22. & 25. in Domit. c. 23. De Medicis, MENECRATE, qui appellari Jupiter Deorum summus ob morbos quosdam desperatos feliciter sanatos gestiebat, Ælian. l. 12. & Plut. in Apoph. EMPEDOCLE, qui pro Numine haberi & adorari voluit, Ætnamque (ne serius forte Deus fieret) insiliit, Alex. ab Alex. l. 6. c. 4. Risu digna est arrogantia & petulantia Simonis Magi, cujus loquentis verba è D. Clementis Recogn. l. 2. f. 32. citat Elmenhorstius: (k) *Reges faciam, eosque dejiciam: ADORABOR UT DEUS, publice divinis honoribus donabor: ita, ut simulacrum mihi statuentes, tanquam Deum colant & adorent. Et quid opus est multa dicere? quicquid voluero, facere potero.* De Antichristo illo Magno, τῷ ὑπεραιρομένῳ ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα-ἀποδεικνύντι ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεὸς 2 Thess. 3: 4. (conf. B. Joh. Dolingii Anti-Chr. τυμβογ. p. 5. D. Siricius de Idolo Papali & ζεὺς ἐλεγχόμενος Joh. Wilh. Petersen Giessæ editus.) Ipsum Christum θεομαχίας arguere volebant Judæi: Τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς; inclamant Johan. 8: 53. Volebant ipsum occidere, ὅτι ἴσον ἑαυτὸν ἐποίησε τῷ θεῷ Joh. 5: 18.

§. XXXVI. Recensendi potius illi, qui pro eodem se substituere non sunt veriti Pseudo-Christi, juxta id, quod ipse prædixerat: πολλοὶ (γὰρ) ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, i. e. pro Messia se venditaturi, utpote dicturi, Ego sum ὁ χριστὸς, Messias ille mundo promissus, unctus ille Sanctorum, unctus Domini Dan. 9: 24. & multos seducent. Fuerunt a. isti (strictim recensente eos Dn. D. Calovio (l) *Theudas*, de quo Act. 5: 36. *Judas Galilæus* vs. 37. *Ægyptius* ille impostor, de quo Actor. 21: 38. Quem Ægyptium à Judæis pro Messia habitum fuisse, Galatinus l. 4. de arc. Cath. Ver. c. 21. è Rabbinis docet. Quibus merito accensetur, sub Porcio Festo, γόης alius apud Josephum Ant. l. 20. c. 7. His addi potest *Simon Magus*, qui, uti ante Baptismum se δύναμιν θεοῦ virtutem Dei magnam dixit Act. 8: 9. ita post Baptismum rejecto Jesu seipsum pro *Christo* venditavit. conf. Iren. l. 1. adv. hær. c. 20. Orig. 11. contr. Celsum, August. de hæres. c. 1. Euseb. l. 2. H. E. c. 13. quem secutus est ceu præceptorem *Menander*, seque etiam pro *Salvatore* venditare non dubitavit, teste Iren. l. 1. c. 21. *Dositheus Samaritanus* videtur esse impostor ille, qui à Josepho l. 18. c. 5. refertur multos seduxisse, & in montem *Garizim* pellexisse, oppressus cum suis à Pilato, quem *Theophyl.* notat (m) dixisse se *Prophetam esse à Mose prædictum.* Et hi Pseudo-Christi ante excidium Hierosol. exorti sunt, licet non defuerint alii πλάνοι, γόητες καὶ ἀπατεῶνες, qui προσχήματι θειασμοῦ hominibus imponebant, post illud. De Simone Mago non tempero mihi, quin adscribam verba Augustini: (n) *Cum Simon se Christum diceret, & tanquam filium, ad Patrem assereret volando se posse conscendere: atque elatus subito magicis artibus volare cepisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem. Prior n. ascendit ad Dominum oratio, quam volatus: & ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio. Ante, inquam, Petrus in terris positus obtinuit quod rogavit, quam Simon perveniret in cœlestia, quo tendebat. Tunc igitur Petrus veluti vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrium factum illius est, ut, qui paulo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.*

§. XXXVII. Sunt vero θεομάχοι alii, dum falsos Deos colunt, qui reddere cultum Deo voluerunt, sed nescio in quod εἴδωλον ac monstrum sæpius detestanda sua θεοπλασία deformarunt θεοποιοὶ, certe μεταλλάξαντες τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει Rom. 1: 25. Initium cultus superstitiosi fuisse tradit Vossius, (o) quod, cum admirarentur stupidi cursum Solis & Lunæ, cœterasque stellas, Deos esse crediderint. Hinc equos in honorem solis positos (2 Reg. 23: 11.) novimus. Veteres inscriptiones producit in hanc sententiam Elmenhorstius: (p) DEO. SOLI. INVICTO. ARAM.
it. CAJUS. JULIUS. ANICETUS. ARAM. SACRATAM. SOLI. DIVINO. VOTO. SUSCEPTO. ANIMO. LIBENS. DD.
it. JULIUS. CÆSAR. DEO. SOLI. INVICTO. ALTARE
it. SOLI. INVICTO. ET. LUNÆ. ÆTERNÆ.

Scilicet hoc erat λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα Rom. 1: 25. Quid quod in terris etiam suos sibi secreverant Deos, delapsi tum ad cultum vegetativorum, tum sensitivorum, tum hominis quoque rationalis. De plantarum cultu Juvenalis: *Felices illi, quorum nascuntur in hortis Numina.* Inter ipsa bruta turpitudinem prodit, quod ὁ μόσχος θεοποιηθεὶς (q) & nidus soricum Ægyptiorum erat Deus, ut habet Cassiodorus (Hist. Tripart. lib. 9. c. 28.) Idem l. 9. c. 27. *Reliquit unum tantummodo simia simulachrum, jubens id publice proponi atque servari, ne sequenti tempore pagani negarent, tales se adorasse Deos.* Hanc anilem superstitionem vanissimorum Ægyptiorum, colentium bruta pro diis, (r) ridet Arnobius: (s) *Templa felibus, scarabæis & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis: silent irrisa numinum potestates, nec livore afficiuntur ullo, quod sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates.* Huc referri meretur ipsorum Israëlitarum (quorum posteri statuunt tria non facienda Israëlitæ, Deum vere timenti, *idololatriam*, adulterium & homicidium, si vel mors intentetur) (t) μοσχοποίησις, quæ non parum deformavit Numinis summam dignitatem. Male n. quasi Dii possent fieri, ad Aaronem: עֲשֵׂה־לָנוּ אֱלֹהִים Ex. 32: 11. ποίησον ἡμῖν θεοὺς Act. 7: 40, 41. Indignum fuisset, ni homo ipse Deorum auxisset numerum. Factum id in illa gentilium ἀποθεώσει, dum divinos honores fecerunt *regibus*, unde καῖσαρ θεὸς προσαγορευθείς; (u) *urbis conditoribus*, unde Synopenses Autolycum ἐτίμων ὡς θεὸν; *heroibus*, quibus merita virtutis dederunt Numinis dignitatem, quique meruerunt ad sidera sublevari; *viris eruditis*, uti templum Æsculapio in insula Coo, cum reciperetur is Deus, extra urbem fecerunt, iterumque in insula, (x) *aliisque*, quibus bene cupiebant. Syri n. à Vossio notantur θεοποιήσαντες filiam Jephtæ, cujus festi originem cognoscimus ex Judic. 11: 39. Arabes item Arabiæ petrosæ Mosem θεὸν νομίζουσι propter tot edita miracula. Sed de hac ἀποθεώσει plura habet Rupertus, legi dignus (y). Omnium cultui ne quid deesset, eorum statuas & ὁμοιώματα in templis reposuerunt, ne parci essent Deorum cultores & in-

(c) *B. Wellerus* in der unüberwindlichen Sachsenburg *p. 14.* (d) *Millen. 5. p. m. 330.* (e) *Part. 2. Post. Dom. Trin.* (f) *v. Beza in h. l. f. 460.* (g) *l. 4. c. 7.* (h) *l. 11. c. 11.* (i) δειπνοσοφ. *l. 6. c. 13.* (k) *Obs. ad Arnobii l. 1. contra Nationes f. 28. conf. f. 42.* (l) *in Bibl. ill. ad Matth. 24. f. 410. & in quodam Progr. inaugurali t. t. M. Jacobi, lit. A. 3.*

(m) *In Matth. 24.* (n) *de SS. Petro & Paulo Apostolis Serm. 3. T. X. f. 268. cit. Elmenh. Obs. ad Arnob. f. 42.* (o) *Notis ad Maim. de Idol. p. 4. 5. c. B. Osterman. Disp. de Astrolatria* (p) *Obs. ad Arnob. l. 1. f. 16. 17. conf. Lact. l. 2. de orig. err. c. 5.* (q) *v. Selden. de Dis Syris Synt. 1. c. 4. p. m. 153. c. Elmenh. ad Minutii Felic. Octav. f. 46. vers. 19.* (r) *Selden. l. c. recenset* (s) *l. 1. contr. nat.* (t) *R. Maim. de Idol. p. 45.* (u) *v. ap. Voss. l. 1. de Orig. & progr. idol. in Addendis p. 7, 8, 11, 12.* (x) *Horn. Arcæ Mosis præf.* (y) *Obs. ad Val. M. l. 1. Diss. 1, 2. conf. Kircheri Pantheon.*

frequentes (Horat. l. 1. Od. 34.) Romæ πανθεῖον extruxerunt.

§. XXXVIII. Et in sacris nominatissima sunt istiusmodi idola, *Ammonitarum* Molochus, *Assyriorum* simia, Adramelech, Anamelech, Nergal, Nisroch, *Ægyptiorum* Rephan, Thammuz, Teraphim, Apis, Baal Zephon, *Moabitarum* Peor, Camosch. s. Cemosch, Asteroth s. Astarte, *Philistæorum* BaalZebub, Dagon, *Syrorum* Gad, prout isthæc laudabili industria collegit Cel. Hottingerus (c) fusiusque de his ipsis εἰδώλοις ἐγγεάφοις, eorum origine cultuque agit conf. de plurimis etiam Seldenus, de omnibus Vossius l. c. Graphice describitur isthæc εἰδωλοποιΐα Esai. 40: 19, 20. 41: 7. 44: 12, 20. 46: 6, 7. Jer. 10: 8, 9. Sap. 13: 10. seqq. 16: 8. Baruch. 6: 3. sqq. ac satis facete apud Minutium Felicem in Octav. f. 16. Edit. Elm. & Lact. l. 2. de orig. err. quos omnes vide. Mirum sane, gentiles (misso vero Deo, quem palpare poterant) adeo dementatos potuisse adorare εἴδωλα ἄφωνα 1 Cor. 12: 2. δυλεύειν τοῖς μὴ φύσει ὖσι θεοῖς Gal. 4: 4. vel, ut loqui amat Prudentius, (d) *deasciato supplicare stipiti*, &, juxta Arnobium, beneficia poscere non sentiente de trunco. Et magis mirum, quod plures ipsorum ad ipsius etiam dæmonis cultum delapsi sint. (e) Sunt autem hi fere modi θεομαχίας crassioris. De subtili illa Ordinum Pontif. B. Lutherus: (f) Sie zimmern und höfeln einen Gott/ wie sie ihn gerne hätten/ spricht Esaias (c. 44: 13.) Ein Mönch zimmert bey sich selst einen Gott/ der droben sitze/ und dencke also: wer S. Franciscus Regul hält/ den wil ich seelig machen. Eine Nonne zimmert also: Wenn ich Jungfrau bin/ so ist Gott mein Bräutigam. Ein Pfaff also: Wer Messe opffert und horas betet/ dem will Gott den Himmel geben. Also muß sich Gott laßen immer zimmern/ meistern und führen von Anfang der Welt bis zu Ende.

§. XXXIX. Post idololatras in Deum insurgunt ac θεομαχῦσιν, qui ea, quæ Dei sunt, negant. Occurrunt hic inter θεομάχυς ἄθεοι, tum existentiam Dei tum alia quoque impugnando, *si non verbis*, cum τὸ γνωςὸν τῦ θεῦ sit φανερὸν ἐν αὐτοῖς Rom. 1: 19. & τὰ ἀόρατα αὐτῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμυ, τοῖς ποιήμασι νοέμϑμα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτῦ δύναμις ἢ θειότης vs. 20. vita tamen homines indigna & dissolutiori. Namque אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ dicit insipiens in corde suo אֵין אֱלֹהִים non est Deus Ps. 14: 1. vel, optat in corde suo, nullum esse Deum scelerum commissorum vindicem. De eodem congrue suo sensu Cicero (g): *Quid est gigantum more vivere, quam naturæ repugnare?* Oppugnant insuper attributa Dei & maxime divinam providentiam, id quod τῇ θείᾳ προνοίᾳ ἀντιτοίνειν dixit Pythagoras. Cecilius ille apud Minutium (h) sic insurgit: *At enim Christiani, quænam monstra, quæ portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique & occultas cogitationes, diligenter inquirere? discurrentem sc. atque ubique præsentem, molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum, siquidem astat omnibus factis, locis omnibus inerrat, cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis districtus.* Idem de Epicuro Patres affirmant. Lactantius: (i) *Epicurus Deum quidem esse dixit: quia necesse sit esse aliquid in mundo præstans, & eximium, & beatum: providentiam tn. nullam: itaque mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabricâ instructum, sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus & insecabilibus conglobatum.* Item: (k) *Deus, inquit Epicurus, nihil curat: nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habet potestatem: vel si habet & non utitur, quæ tanta est negligendi causa, ut ei non dicam nostrum genus, sed etiam mundus ipse sit vilis.* De Sadducæis idem referunt. Dn. D. Calovius: (l) *Inficiati sunt divinam providentiam, teste Josepho, (m) ideo Epicuræi dicti sunt in libro Juchasin.* Verba etiam Josephi sunt de iis: τὸ θεὸν ἔξω τῦ δρᾷν τι κακὸν, ἢ ἐφορᾷν τίθενται (n) atque ibidem: τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιρῦσι. De sententia tum Epicuri, quem Gassendus (o) defendere satagit, tum Sadducæorum judicium esto penes alios. Locum Josephi Græcum quomodo legi velit Grotius & quid ipse sentiat, vid. in Dn. D. Calov. Bibl. ill. ad Mat. 22: 23. conf. Wilck. l. 1.

Sic providentiam divinam illuserunt ἀσεβεῖς. Quomodo personis divinis insultarint veteres hæretici, & hodie insultent Sociniani, tradit Magn. Dn. D. Calov. Syst. T. 3. passim.

§. XL. Infensissima uni Christo vel maxime fuit hæretica [quasi in ipsum conjurasset] consanguinitas. Photinus olim (p) τὴν πρὸ αἰώνων γέννησιν τε ἢ ὕπαρξιν τῦ υἱῦ ἐ προσίετο, ἀλλ' ἐκ μαρίας γεγενῆσθαι τὸν χριςὸν εἰσηγεῖτο. Hodie Anti-Christus Orientalis, uti verba ejus citat Sweigerus: (q) Die da sprechen/ daß Christus Gott und Gottes Sohn sey (sagt Muhammed) die sind Lügner/ Es sey ein solcher Greuel/ davon der Himmel zergehen/ der Erdboden von seiner Stadt weichen und die Berge einfallen möchten. Pariter & magis Anti-Christus Occidentalis, de quo Dan. 11: 36. (r) Apoc. 17: 14. 19: 19. B. Lutherus: (s) *Papa & Pontificii Dominum Jesum non curant.* (t) *Se ipsum Christo æquiparavit & supra Christum se tandem extulit.* B. Meisnerus (u) ordinem Jesuitarum appellat *Ordinem Christo Jesu sub societatis nomine adversantium.* B. Hunnius (x) ait de Calvino: *Cum veritatis adversariis* [quoad dicta Joh. 10. & 17. de ὁμοσίᾳ Filii cum patre] *aperte colludit, junctisque copiis oppugnat firmissimum præsidium Christianorum, quod in dicto illo Salvatoris habent repositum. —— Suis Strophis & elusionibus, si locum illi demus, ita nos exarmat Calvinus, ut Anti Trinitariis obviam ulterius procedere nequeamus.* Hæc nos adducimus, sed judicant Theologi.

§. XLI. Cæterum hæreticorum naturam redolet, dum δολῦσιν τὸν λόγον τῦ θεῦ 2 Cor. 4: 2. Sie reissen den Grund umb &c. Ps. 11: 3. ac καπηλεύυσι τὸν λόγον τῦ θεῦ, da sie das Wort Gottes verfälschen/ wie ein Kretschmer den Wein fälschet juxta B. Lutheri Glossam ad 2 Cor. 2: 17. nec minus eorum, qui non sunt sinceri, die es thun umb des Bauchs und umb des Geitzes willen.

§. XLII. Colligit hæreticos Satanas. Hi vero si verbis non valeant, vim tyrannicam in persecutionibus expeditam habet. De isthac colligi ex Evangelistarum historia de Christo possunt, quæ sequuntur. Vix natus erat, & ecce Herodes ἐζήτει τὸ παιδίον, τῦ ἀπολέσαι αὐτὸ Matth. 2: 13, 20. Posthæc Judæi volebant κατακρημνίσαι αὐτὸν Luc. 4: 29. ἐδίωκον Ἰησῦν οἱ Ἰυδαῖοι, ἢ ἐζήτυν αὐτὸν ἀποκτεῖναι Joh. 5: 16, 18. c. 7: 1. πιάσαι vs. 30. 31, 44. De discipulis Christi B. Luth. ad 1 Cor. 4: 13. in Glossa: κάθαρμα hieß ein Mensch/ der eine solche böse That begangen hatte/ daß man meinete/ Gott würde Land und Leut darumb verfluchen und verderben. Darumb wenn sie dieselbigen abthäten/ meineten sie/ sie hätten den Fluch weg gethan/ und das Land gereiniget. —— Zuweilen nahmen sie einen unschuldigen Menschen/ wenn so grosse Plage im Lande war/ und meinten/ sie fegten das Land von solcher Plage mit solchem Todt oder Opffer/ worffen ihn ins Meer und sprachen: Du seyest unser Feg-Opffer/ daß wir genesen und erlöset werden. Also meinet die Welt/ daß die Apostel und des Evangelii Prediger die ärgsten und schädlichsten Leute auff Erden seyn/ wenn sie der loß wäre/ so stünde es wohl/ und wären alles Unglückes und Fluches loß/ hätten damit Gott grossen Dienst gethan/ Joh. 16: 2. Fata Apostolorum conjunctim patent è nostro loco, specialia Pauli Act. 20: 19, 23. c. 21: 11, 27, 31, 36. Mortes singulorum recensuit Dreslerus (y). De Augustini & reliquorum persecutionibus sub Donatistarum circumcellionibus legi meretur B. Heilbrunnerus (z) Elegantissimus est locus apud Elmenhorstium: (a) *Summatim dicimus, invalescente Christianismo, statum Christianorum fuisse miserrimum. Nationes enim omnia mala, quibus genus humanum premebatur, Christianis imputabant. Cum fontem siccitas statuebat, cum rarus imber de cœlo descendebat, cum arentibus campis sementa deficiebant, cum jejunas & steriles herbas terra producebat, cum vineam debilitabat grando, cum oleam detruncabat turbo subvertens, cum mures & locustæ prodigialiter effervescebant, frumentaque arrodebant, cum pestilens aura cœli statum corrumpebat, & morbos indicebat graves, cum fames, lues, bella miseram mortalitatem lancinabant, omnium illorum incom-*

(c) *In Primitiis Heidelb. de idolographia V. T. à p. 381. ad finem Tr.* (d) περὶ ςεφάνων *in Romano Martyre* (e) *v. Voss. Add. ad. l. 1. p. 2. 3, 6. conf. Bodinus & Remigius de Dæmonolatria* (f) *Tom. 5. Jen. f. 105. b.* (g) *in Lælio.* (h) *in Oct.* (i) *de ira Dei c. 9.* (k) *l. c. c. 17.* (l) *Bibl. ill. ad Mt. 3. f. 162.* (m) *l. 13. Ant. c. 9. l. 2. de Bell. Jud. c. 2.* (n) *l. c. de Bell. Jud. c. 7.* (o) *in Philos. Epic.*

(p) *cit. Dress. mill. 5. p. m. 226. Itin. Const. 1612. Norin. edit. conf. T. 9. Diss. Gies. Disp. 12.* (r) *v. B. Doling. Anti-Christ.* τυμβογ. *l. 2. pag. 169. conf. D. Schragmull. in Antikirchero p. 117.* (s) *Art. Smalc. p. m. 302.* (t) *l. c. p. 315. in* (u) *Depuls. Excub. Papist. c. Jac. Reihing. p. 7.* (x) *præf. in Art. de Trin.* (y) *Mill. 5. conf. Dn. D. Calov. in Progr. cit. ad Mat. 24.* (z) *Post Coll. Ratisb. à p. 82. —— 85.* (a) *Obs. ad Arnob. c. gentes f. 1. & 2.*

incommodorum Christiani autores incusabantur, vulgoque damnabantur ad leones & bestias &c. Gravissima est querela Cornelii (Rom. Pontif.) ad fratrem Lupicinum, Viennensem Archi-Episcopum: (a) *Scias, frater charissime, arcam dominicam vento persecutionis acerrimæ commoveri, & edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici. Nam in urbe Romana Imperator ad hoc constitutus est, unde neque publice neque in cryptis notioribus missas agere Christianis licet —— Jam plures fratrum martyrio coronati sunt.* De insignioribus illis decem persecutionibus vid. Dress. Mill. 5. aliique. Et hæc etiam de θεομαχίας modis, quorum posteriores duo ad nostram imprimis materiam spectabant, cum Synedrii assessores veritatem doctrinæ cœlestis negarent, & Apostolos ejusdem præcones persequerentur. Tantum enim patet è Gamalielis consilio, si ἔργον Opus hoc foret à Deo, ipsos θεομάχους inventum iri.

§. XLIII. Ex quo relinquitur, θεομαχίαν ipsorum commissam esse tum corde, tum verbis, tum factis. *Illud* patet, dum Christus εἰς τὰ ἴδια ἦλθεν, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον Joh. 1: 11. Corde ergo Christum rejiciebant ac doctrinam ejus per Apostolos traditam, quod infert illud οὐ παραλαμβάνειν. *Istud*, dum Apostolorum concionibus interdicunt, τὸ καθόλου μὴ φθέγγεσθαι, μηδὲ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ. Huc faciunt ἀπειλαὶ eorum, quæ nil nisi odium spirant. Ita enim: ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα districte interminemus, ubi Nomen ἀπειλῇ additum Verbo inde deducto significationem auget, emphasi Græcis usitatissima, quam B. Lutherus expressit: **Lasset uns sie ernstlich bedrauen / daß sie hinfort keinem Menschen von diesem Nahmen sagen /** &, ut interdictum majus haberet robur, quædam verba Synonyma conjunguntur: μὴ φθέγγεσθαι μηδὲ διδάσκειν, ut neque publice neque privatim docerent id dogma, ne quem in eo informarent. Refer huc illud παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν Actor. 5: 28. παραγγέλλειν, μὴ λαλεῖν &c. vers. 40. Nec deerant hic frequentia consilia tum de Christo, τί ποιοῦμεν; Joh. 11: 47. tum de Apostolis, ἐβουλεύοντο enim ἀνελεῖν Actor. 5: 33. Factis cumulum his ac mensuram addebant, dum ἀρχιερεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐπέβαλον τὰς χεῖρας αὐτῶν εἰς τοὺς ἀποστόλους, καὶ ἔθεντο αὐτοὺς ἐν τηρήσει δημοσίᾳ vs. 17, 18. dum ὁ ἀρχιερεὺς ἐπέταξεν τύπτειν τὸ στόμα Pauli cap. 23: 2. Item, ne intactos (quod in priori loco Actor. 5. est) dimitterent, (δείραντες) loris cædebant illos, more Hebræo (conf. quæ Actor. 22: 19. 2 Cor. 11: 24.) juxta quod prædictum erat à Servatore Matth. 22: vers. 35. 23: 34. Marc. 12: 5. 13: 9. Luc. 10: 10, 11. Joh. 6: 2. Quod genus contumeliæ erat non leve, hinc per τὸ ἀτιμάζεσθαι Actor. 5: 41. expressum. Pluribus hæc persequi non licet.

§. XLIV. Restant Causæ, vel verbulo adjiciendæ. Impulsiva interna esse potest σκληροκαρδία, qua σκληροτράχηλοι isti (Actor. 7: 51.) semper Spiritui S. ἀντέπιπτον resistebant, & ex adverso quasi more hostili irruebant, βουλὴν θεοῦ ἀθετοῦντες εἰς ἑαυτοὺς Luc. 7: 30. conf. 12: 48. τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἀπέθεντο καὶ οὐκ ἀξίους ἔκρινον ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς Actor. 13: 45, 46. Hinc ille φρυαγμὸς (cap. 4: 25. conf. Psal. 2: 1.) fremitus ac tumultus insanientium θεομάχων. Accedere potest & ea de errore & præconceptis opinionibus de Messia & ejus regno. Hinc scandalum de abjecta Christi forma. Externæ sunt, quamvis simulatæ, metus seditionis & suspectæ Romanis rebellionis, s. cura tranquillitatis publicæ, quam Sadducæi nimium quantum suspiciebant, hinc rigidi admodum (verba sunt Grotii ad Actor. 4: 2.) in pœnis exigendis, ut Josephus nos docet. Nimirum quia omnem spem in hac vita collocatam habebant, severe occurrendum putabant omnibus iis, quæ turbare poterant quietem populi, in qua & ipsorum quies continebatur. Eam ipsam rationem Politicam aperiunt Joh. 11: 48. Quoad Discipulos causa nulla erat, nisi id fuisset crimen, διδάσκειν ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, ob quod ipsos adeo persequebantur. Sed finis esto. Pro concessis viribus sit

Τῷ Θεῷ μόνῳ Δόξα.

(a) *In Epistol. à Polyhistore CL. Daumio nuper reproducta.*

M. WOLFG. DAV. SCHOEPFII

DISSERTATIO

De Flagellatione Apostolorum ad Act. V: 40, 41.

I. N. J.



Inter varios exquisitissimosque cruciatus, quos martyres & confessores sanciente Novi Fœderis Ecclesia, pro fidei confessione mascule & intrepide subierunt, non postremus ille fuit, quod funibus in nodum flexis flagellisque loro confectis, tanquam scelestissimi homines immanissime cædebantur. Gentiles enim superstitioso idolorum cultui addicti & à vero Deo alieni tanta in Christianos ira efferbuere, ut omnem humanitatem ac mansuetudinem exuentes, eos non solum insectari & opprimere, verum etiam ad atrocissima supplicia trahere non erubescerent. Crudele sane horrendumque ausum erat, cum à Cæsaribus ethnicis ferocissimis bestiis dilaniandi devorandique objicerentur. Cruenta & miserabili hac morte consumptus Ignatius, Vir Apostolicus & cœlestis veritatis assertor constantissimus, *qui à Præsulis munere (quo Antiochiæ functus) dejectus & ad sedem Imperatoris deductus, jubente tandem Trajano tum temporis fasces Imperii moderante populoque Romano spectante in Amphitheatro à duobus eximiæ magnitudinis leonibus misere discerptus est.* Vid. Eusebius H. E. III. 15. Beda in Martyrologio. VIII. Kal. Decemb. Ado. Viennensis in Festivit. Apostol. & Virorum Apostol. Enumerato & detestando supplicii generi non inferius habebatur illud, quod ad submergendos Martyres excogitatum, & ejusmodi fuit, ut manibus pedibusque constrictis & vinctis, lapidibus quoque nunc supra nunc infra alligatis in æquor aut fluvium præterlabentem præcipitarentur. Indicia hujus moris prodidit auctor Matyrologii Romani III. Idus Martii, *ubi de Sabino Hermopoli in Ægypto Episcopo recenset: divinum Virum sub Imperatore Diocletiano multa passum, projectum denique in flumen martyrium consummasse.* His annumeranda venit alia longe major, & ob ipsam fœditatem horribilior pœna elemento aquæ contraria, quæ martyribus in igne vivendi finem fecit. Ob cruentam illam atrocitatem Cyprianus Carthaginensis Præsul. IV. Ep. ult. inter alios Christianorum hostes Numidicum vehementer & acerbe increpat, *quod martyrum copiosum Numerum ante se miserit, & uxorem lateri suo adhærentem simul cum cæteris concrematam (vel conservatam potius*

potius dixerim) latus adspexerit. Reliqua supplicia, quibus Pagani Christiani nominis confessores affecerunt, ex actis atque literis à primitivæ Ecclesiæ Doctoribus consignatis abunde satis cognosci possunt. Etsi quidem certo quodam gradu differebant, & quædam leviora & mitiora, quædam etiam duriora & graviora æstimabantur; omnibus tamen inferiora videbantur, quæ capitis periculo non censebantur. Ex illorum ordine prima & durissima erat flagellatio veram de Christo doctrinam profitentibus haud raro ideo irrogata, ut amplexam veritatem ejurarent & ad profanas idolorum superstitiones ore animoque se converterent. Primo in istos Verbi Divini ministros jussu & auctoritate Procerum Hierosolymæ hac aspera & severa castigatione animadversum est; sequiori demum ævo, inprimis cum gentilium Imperatorum furor adhuc grassaretur, in consuetudinem fere migravit, & omnibus Christianis absque ullo discrimine decreta fuit. Quoniam itaque flagellationem Apostolorum, Hierosolymæ perpessam & à Luca in acta relatam uberiori Dissertatione explicare constituimus, D. T. O. M. auxilium seriis & ardentibus precibus imploramus, ut divina sua gratia conatibus nostris clementissime succurrere velit.

Actor. V: 40, 41.

Προσκαλεσάμενοι τοὺς Ἀποστόλους δείραντες παρήγγειλαν μὴ λαλεῖν, ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἀπέλυσαν αὐτούς. Οἱ μὲν οὖν ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ Συνεδρίου, ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι.

§. 1.

Apostolorum flagellationem justa serie declaraturis pervulgata doctorum sententia ipsius vocis vera germanaque origo statim ab initio penitius expendenda venit. Trahere vero illam à *flagello* instrumento, quo legum civilium violatores graviter percussi fuere, omni caret dubio. Ipsum *flagellum* derivativum est, & primitivum habet *flagrum*, cui natales ortumque suum debet. Deduci *etiam à flagrare, eo quod corpus flagellis cæsum quodammodo flagret, i. e. ardeat,* scribit Ægidius Strauchius de Ritu flagellandi apud Judæos §. 1. Isidorus Hispalensis, *flagra flagellaque inde dici putat, quia cum flatu, & strepitu in corpore sonant.* Etym. V. 27. Rectius *flagrandi verbum à Græcorum* φλέγω, *quam à Latinorum flando arcessiri* sentit Gerhardus Johannes Vossius Etym. L. L. in hac voce. Utraque vero vox, & prima & à prima orta, ab antiquissimis vereque Latinis Scriptoribus pro instrumento, quo aliquis cæditur, posita subinde usurpatur. Vero itaque nativoque sensu *flagellare perinde est; ac flagellis cædere, ferire, percutere.* A propria significatione recedunt, & non nisi late loquuntur, qui rem duriorem & chariorem flagellare dicunt: Sic Hermolaus in Plinii XXXIII. 13. scripsit: *pretia non ignoramus alia in aliis esse multari, prout navigationes constiterint, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet.* Nos, missa posteriori sententia, priorem ceu potissimam & à probatissimis autoribus in historia martyrum allegatam, quatenus pœnam denotat, amplectimur.

§. 2. Latio vicinum germanumque est verbum φραγελλόω nomenque φραγέλλιον, & morem fori Romani ritumque pœnæ ibidem usitatæ indicat. Ambæ voces in sacra Novi Fœderis historia Matth. 27: vers. 26. Marc. 15: vers. 15. & Joh. 2: vers. 15. leguntur. Græci ex indole linguæ suæ, quæ concursum trium lambda respuit, in hac peregrina voce λ in ρ mutarunt. Peritiores Græcæ linguæ adulterinum hoc vocabulum tanquam barbarum plane rejiciunt ac substituunt verba ῥαβδίζειν *virgis cædere*, à ῥάβδις *virga, qua pueri castigantur, &* ῥαβδισία *virgarum cæsio*, & μαςίειν, μαςιγοῦν, μαςίζειν *flagellare, flagellis cædere,* μάςιξ *flagellum*, quo delinquentes serio plectebantur.

§. 3. Actuum Apostolicorum conditor Lucas, cum plagarum quas electa Dei organa in frequentissimo Senatus Judæorum consessu propter veram Evangelii doctrinam Hierosolymæ sustinuerunt, meminit, utitur maxime vulgari vocabulo δέρειν, à δέρας, τος, & δέρος, εος, *pellis, cutis, corium* deducto, quod proprie significat *excoriare, pellem detrahere*: Sic ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν Homerus dixit. *Per metaphoram à nonnullis adstrui pro nudo, revelo, aperte dico*, nullo adducto sententiæ suo loco scribit ex Budæo Scapula in Lexico elegantissimo. Legi denique pro *verberare, cædere, percutere, ferire, atque hoc sensu rectius per αι diphthongum, quam per ε vocalem brevem exprimi* asserit Græcarum literarum doctissimus Balduinus Walæus comment. in libros Histor. N. T. ad Matth. 21: vs. 35. In S. Evangelistarum & Apostolorum scriptis aliquando adhibetur, & obtinet significationem ultimam, quam etiam doctissimi Viri Erasmus, Pagninus, Beza, & præter hos Vulgatus Latinus retinuerunt ac calculo suo approbarunt. B. Lutherus noster vertit Stäupen / voce Germanis usitata, cum sontes flagitia graviter commissa virgarum supplicio luunt. Nec sentiendum est, vocabulo δέρειν verbera flagello aut virga delinquentibus incussa duntaxat innui; verum in libris Evangelistarum pro κολαφίζειν aut ῥαπίζειν, *pugno aut palma in faciem percutere*, interdum occurrit: ita enim Matthæus verbera Christo Salvatoris ab iniquis Caiphæ ministris inflicta 26: 67. exponens dicit; ἐκολάφισαν αὐτὸν, οἱ δὲ ἐρράπισαν, *colaphis eum ceciderunt, alii vero palmam in faciem dederunt.* Lucas eandem historiam recensens 22: 63. inquit: ἐνέπαιζον αὐτῷ, δέροντες *illudebant ei, cedentes.* Colligimus inde verbum δέρειν communiori sensu idem esse ac τύπτειν *verberare, cædere, percutere*; sive jam *flagro*, sive *gladio*, sive alio etiam *quocunque instrumento lædente* fiat. Nihilo tamen secius tam è genuino verborum contextu, quam ipsius textus vulgari interpretatione, nec non eadem penes Judæos ritus hujus juxta legem consuetudine docemur, eas plagas unice hic intelligendas esse, quæ sub flagellationis peculiari denominatione comprehenduntur. Colaphi alioquin & alapæ singularibus martyrum pœnis annumerabantur, nec adeo levis erat, quoniam pugnis illi, hæ palmis in sontis faciem percutiebantur. Plura de his congessit Clarissimus ad Salam Historicus Caspar Sagittarius in de Cruciatibus Martyrum cap. V. §. 2. p. 47. & inter alia ex Adonis martyrol. XVI. Kal. Junii Torpetis constantiam laudat, qui Sabellico jubente, pro fidei confessione diu pugnis cæsus est. Aquilinæ virgini, imperante Diocletiano & Volusiano judice ob fidei confessionem colaphos & alapas impactas esse Martyrol. Rom. Idib. Junii testatur. Paulus quoque Apostolus eosdem ictus acerbissimos se tolerasse fatetur 2 Cor. 4: 11.

§. 4. In vernacula nostra hæc vocabula per Geissel / Geisseln / Geisslung exprimi, omnibus notum est. Latinis flagelli Synonymis non incommode accensemus, *lorum, corrigiam, scuticam* die Peitsche; *virgam non minus ac ferulam* die Ruthe. Quamvis autem, si rem secreta æstimatione pensamus, quædam nomina incongrua, & flagello adæquate non convenire, (ut cum eadem reapse penitus sint) ingenue fateri nobis incumbat; cum eo tamen conveniunt tanquam instrumento, quibus similes ictus corporibus infliguntur.

§. 5. Exposita verborum significatione prolabimur ad ipsam flagellationem, consideraturi, penes quos & quo ritu Apostoli eam sustinuerint. Primis equidem temporibus omnibus fere gentibus usitatissimus ritus fuit, à variis autem varie & secundum ritus moresque patrios introductus & exercitus. Græcorum & Romanorum flagellatio certo verberum numero non absolvebatur, sed pro delicti qualitate & flagellandi constitutione augebatur modo, modo minuebatur; unde etiam nonnulli sub flagellis exspirarunt: Martyrol. Roman. Non. Octob. *Bacchus nobilis Romanus tamdiu crudis nervis cæsus est, quoad usque toto corpore discussus in confessione Christi spiritum amitteret.* Judæi certa quadam lege ab ipso Numine ministerio Mosis accepta delinquenti pro merito suo prostrato quadraginta tantum verbera, nec plura nec pauciora infligere tenebantur; subsequentibus deinde seculis unam plagam à definita pœna detrahentes triginta novem duntaxat infligere solebant. Qua vero causa Judæi moti, utrum ex misericordia mitigaverint, an pro ratione delicti eam irrogare maluerint? Viri doctrina & eruditione celebres diversas fovent sententias. Hugo Grotius monstrum illud ingenii, annot. ad Deut. 25: 3. *à Judæis* εἰς περιφυλακὴν τοῦ νόμου *factum esse ait.* Johannes Seldenus de Synedrio Judæorum II. 13. tit. 16. sq. existimat, *Judæos ideo unam plagam neglexisse, ne mandati divini limites excederent, si præter intentionem una forte quadragenis adjiceretur.* Christiani quidam interpretes *unam plagam propterea esse subtractam putant, quo clementiæ & humanitati nonnihil dare videantur.* At si ex commiseratione omisissent, non unam, sed plures detraxissent. Præterea notum est, aliquando sedecim vel octodecim plagis quievisse, ubi nimirum periculum, ne flagellatus moreretur, si omnes triginta novem infligerentur. Nec Rabbini, hujus rei peritissimi sibi satis constant, & in diversas partes abeunt. Quidam notant, *quod cum lorum, quo reus percutiebatur, fuerit divisum; ita quidem, ut singulæ plagæ fuerint triplices, tredecim saltem ictus incusserint, quippe cum ter tredecim faciant novem & triginta.* Quæ res si ex constitutione divina ita se haberet, omnino numerus rotundus apud Mosen pro

certo

certo positus videretur. Alii ex eorundem ordine è verbis textus Deut. 25: vers. 3. evincere volunt, *si à Divino Legislatore* בְּמִסְפָּר אַרְבָּעִים *præceptum fuisset absque dubio de numero perfecto intelligi potuißet: quia vero vocem* מספר *præmittit & scripsit.* בְּמִסְפָּר אַרְבָּעִים *in numero, quem sequuntur 40. h.e. 39. accipi debere*, somniant & tenaciter propugnant Moses Maimonides, Obadias de Bartenora comm. ad Mischnam, Massechet Maccoth ceu Antiquitatum Rabbinicarum diligentissimus investigator Johannes Frischmuthius de Sepimento Legis cap. II. §. 17. & seq. prolixe demonstravit. Nos vanas has opiniones, tanquam nugas inanes missas facimus & relinquimus Judæis, quibus maxime arrident. Cœcitatis certe suæ & insignis stuporis luculentum documentum præbent, dum ex situ vocis argumentantur, non 40. sed 39. flagra infligenda esse. Audiamus potius Isaacum Abarbenelem, doctissimum in Theologia Exegetica Judæum à credulitate sociorum in religione recte digredientem & Commen. in h. l. fol. 385. col. 2. accuratius loquentem: *Non sit percussio*, inquit, *indefinita, sed secundum impietatem ejus numero cognito & determinato, ut judex præcipiat, quot plagæ ei sint infligendæ, an X. aut XX. aut XXX. aut alio numero, dummodo non excedat XL. Atque hoc est, quod dicitur: XL. infligent ei, non addent. Hic numerus enim est finis additamenti.* Et fol. eod. col. 3. iterum bene disserit: *ex verbis; quadragies percutiet eum, non addet, non sequitur, numerum quadragesimum perpetuo esse observandum in flagris infligendis, interdum secundum impietatem ejus minor sit. Sed scopus ejus est hortari eum, ne numero XL. addat plagas more stultorum, qui homines nimia crudelitate percutiunt, prout judici libet, eo usque ut tandem ex plagarum multitudine moriatur. Idcirco divina providentia numerum determinavit, convenientę æstimatione, qua præceptum observaretur, ut tamen homines periculo exponerentur.* Ulterius dicit Abarbenel. c. l. *Quia divina dispositio accurate cavit, ne ultra quadraginta plagæ infligerentur, & Judici potestatem dedit, tantum, quantum vellet, de iis demendi, nequaquam vero addendi, idcirco ex orali traditione eorum Dd. hoc habetur, plagarum numerum esse debere triginta novem, & omnino aliquid de XL. demendum. Ratio vero hujus est, ne prævaricetur, & numerum quadraginta transgrediatur.* Exosculamur hanc Abarbenelis in Judæorum Scholis omnium peritissimi sententiam, quoniam meliorem sensum gignit, & menti Divini Legislatoris propius & commodius accedit.

§. 6. Proximum nunc est, ut ipsam pœnæ executionem ac flagrorum rigorem curatius contemplemur. Judæi legi à Deo traditæ obsequentes flagello adjudicarunt, qui legum civilium normam leviter & nefando quodam ausu transgressi sunt, totidemque plagis affecerunt, quot judex ordinarius prostrato corpori inferri mandavit. Nemo dicto supplicio effugere valuit, nullaque habita personarum & familiæ, sortis etiam ac vitæ ratione castigatus est: *qui concubuit cum sorore; cum amita; cum matertera; cum uxoris sorore; cum glote; cum uxore patrui; cum menstruata; cum vidua item, si quis sit sacerdos summus; cum repudiata, cuique calceus est traditus, si sit gregarius sacerdos: cum spuria & Nethinæi (i. e. Gibeonitarum generis) si sit Israëlita: cum Israëlitide, si sit spurius vel Nethinæus. Pollutus porro, qui sacrum comederit, quique in sacrarium immundus sese intulerit: qui obtulerit aut jugulaverit foris; qui fermentum in Paschate comederit, sumserit cibum, opusque die expiationis fecerit: qui oleum paraverit, confecerit suffimentum, oleoque se sacro unxerit: qui sacra leviora & decimas secundas ederit extra muros: qui agni Paschalis puri os fregerit: qui abstulerit matrem cum pullis: qui calvitiem in capite suo fecerit: qui capitis angulos circumtonderit, angulumque barbæ corruperit: qui se una secuerit cæsura ob defunctum: qui scripturam scripserit stigmatis: Nasiræus* (qui Deo certam ciborum abstinentiam vovit) *si die toto se ingurgitaverit vino: si polluatur ob funus toto die: & si qui sunt alii conspiciendi in Maccoth. Judæorum*, quem vertendo suum fecit in omni Orientali eruditione celeberrimus Johannes Coccejus c. III. à §. 1. usque ad 10. Nec immunes fuerunt ab hac ignominia, *qui reliquos vindemiarum fructus pauperibus & peregrinis benigne communicare recusarunt; qui sponsam suam insontem tanquam vitiatam inique accusavit;* Utrumque scelus, quoniam nimiam avaritiam & temeritatem, contumeliam quoque ac calumniam arguit, scuticarum plagis punitum est, quod testatur Flavius Josephus Hebræorum Livius A. l. IV. 8. Finitis verberibus reum pro ignominioso homine nunquam habuerunt, nec è sodalitio civili ejecerunt, sed jubente mandato Dei è Deuteronomio supra citato in fraternitatem receperunt. Vid. Maccoth. c. l. §. 15.

§. 7. Sic delinquentes in Judæorum Republ. flagellum commeruere, nec capitis periculo exposita, nec cum mortis metu conjuncta pœna fuit. Secus eam exercuere Romani, qui servis modo propriam esse voluerunt, liberos vero fuste castigarunt. Inde Plautus Pers. Act. III. sc. 3. vers. 14. *servum* describit *subiculum flagri*; quod idem est, ac assidue *flagro subjectus*; vel, ut Janus Gruterus vult, *quod flagrum eum subigat*: quanquam alii cum Johanne Meursio malint legere *flagri sudiculum*; quod antiquis flagelli genus fuit, vapulantes sudantes faciens. Sudor vero ille non alius, nisi sanguis fuisse videtur. Hinc facete Comicus *servum subiculum flagri vocavit tanquam ipse flagellaret, non flagellaretur.* Apud eundem in Aulul. III. sc. 1. vers. 5. Leonida Libanum, servus servum ita salutat: *Salveto, Gymnasium flagri h. e. in quo flagelli verbera exercentur.* Senex Demea in Terentii Adelph. V. sc. 2. vers. 7. *servum Syrum nuncupat mastigiam*: quæ vox origine Græca latinis *mancipium* significat, *quod aut flagris cæditur, aut iisdem dignum censetur.* Philo Judæus illam differentiam probe observat contra Flaccum: τῶν μαστίγων εἰσὶ διαφοραὶ διακεκριμέναι κατὰ τὴν πόλιν πρὸς τὰ τῶν τύπτεσθαι μελλόντων ἀξιώματα. *Verberum differentiæ discretæ in civitate (Alexandria) secundum reorum dignitatem, qui verberantur.* Et postea ταῖς ἐλευθεριωτέραις καὶ πολιτικωτέραις μάστιξιν *liberalioribus & civilioribus flagris, ubi fustium castigationem intelligit. Honestior est fustium castigatio, quam flagellatio* inquit Macer J. C. in servorum 10. D. de pœnis. In servorum persona ita observatur, ut exemplo humiliorum puniantur, & in quibus causis liber fustibus cæditur, in his servus flagellis cædi & Domino reddi jubetur. Atrocior etiam fuit pœna flagellorum, quam fustium. *Admonitio est fustium, castigatio flagellorum* l. veluti 7. D. eod. tit. de pœnis. vid. Etmundi Merilli, Consiliarii Regii & in Acad. Biturigum Antecessoris Primicerii Not. Philol. in Passionem Christi pag. 19. Cicero eloquentissimus Romanorum Consul gravitatem pœnæ justa æquitatis lance perpendens, Labienum pro Rabirio festive perstringit, *quod, cum Porcia lex virgas ab omnium civium corporibus amovit, hic misericors flagella retulerit.* Sensus hic est: *Virgæ, quibus liberi homines cædi solebant, à lege Porcia inhibitæ sunt; at hic (Labienus Tribunus plebis) dum misericordiam profitetur, flagella, h. e. servile supplicium retulit.* Neque Senecæ serviles plagas ignotas fuisse cognoscimus è joculari libello de morte Claudii hoc argumento evincens, Claudium in servitute fuisse, quod servilibus verberibus vapulasset. *Apparuit*, dicit, *subdito Lucius Cæsar, & petere illum in servitutem cæpit. Producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem.* Idem tradit, *equitem quendam Romanum, qui filium suum flagellis ceciderat, pene à turba graphiis confossum esse, indignum facinus existimante populo Romano, ingenuum filium à Patre serviliter tractari.* de Clementia I. 17.

§. 8. Jam judices in conspectum veniunt, quorum auctoritate & Imperio Apostoli in consilium vocati, flagello adjudicati, & à quibus in ipso actu percussi fuerunt. Reperiuntur quidam sibi multum indulgentes & nudis textus verbis nimium adhærentes, qui è vocibus δείραντες παρήγγειλαν evincere laborant, ipsos Proceres Consilii Judaici ministros Christi castigasse finitisque plagis à se dimisisse: Si *verba Lucæ, prout jacent*, accipimus, veritati maxime congruit, Viros ab omni culpa innoxios ab ipsis Optimatibus in individuo esse percussos. Verum enim vero non fit vero simile, Viros in tanta gratia & auctoritate penes universam Judæorum gentem constitutos sese adeo submisisse, & munus, quod militibus & lictoribus velut proprium expediendum erat, ipsos executos esse. Probabilius potius est, hanc carnificinam per eos esse peractam, qui à Senatu ad peragendam eam fuere destinati, & juxta Doctissimum Johannem Henningum Archæol. Passional. cap. XVI. §. 3. pag. 124. in Provinciis Romanorum *Brutii vel Brutiani*, & apud Judæos Buxtorfio teste in Abbrev. Hebr. Epist. dedic. חַזַּן הַכְּנֶסֶת *ministri cœtus judicialis dicti*, eodemque munere functi, quod in Germania nostra lictores atque carnifices in se suscipere consueverunt. Imputatur hæc flagellatio Sacri ordinis antistitibus, tanquam causæ principali morali, quia ipsis jubentibus res universa confecta fuit. Similis loquendi ratio legitur Matth. 27: 26. Marc. 15: 16. ubi Evangelistæ flagellationis; quam Christus in ædibus Pilati sustinuit, historiam recensent: τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας (Πιλάτος) παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. Joh. 19: 1. ἔλαβεν ὁ Πιλάτος τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐμαστίγωσε. Quod ipsos judices attinet, indigitantur, per συνέδριον à Græcorum σὺν & ἕδρα, quod consessum significat, vel, ut alii volunt à Syrorum סַנְהֶדְרִין deducto, eratque curia summa, seu supremus Senatus, & constabat LXXI. Viris fama & autoritate maximis ex ætate lectis, quorum prudentia tota salus publica dirigebatur, & in mores civium quasi è sublimi specula inquirebant, ac capitales causas cognoscebant. Absolvebatur tot Assessoribus juxta præscriptum Dei Num. 11: 16. ubi

ubi cautum eſt: *Segrega Seniores LXX.* ſi his adjungatur Moſes, prodibunt LXXI. Ab hoc majori diſtinguebatur minus, in quo Viri XXIII. gloria pariter ac vitæ fama maxime conſpicui ſedebant, & propter merita in Rempubl. ex inferiori ad ſupremum evehebantur, ut commemorat ex Spanhemio Bald. Walæus ad Matth. 5: 22. In majori ſedentibus magnatibus Apoſtolos fuiſſe flagellatos, tum patet ex vſ. 41. textus noſtri, tum ex præcedente 27. in quibus luculenta Synedrii mentio fit, & propter doctrinam Apoſtolicam concilium eſſe coactum, Sacerdotemque ſummum Præſidis partes ſibi ſumpſiſſe manifeſte aſſeritur.

§. 9. Sub Synedrio tam Senatus, quam ædes in quibus conveniebant Proceres & jus dicebatur, per metonymiam ſubjecti (ut Rhetores loqui amant) ſub eo nomine comprehenduntur. Judæos pariter ac Romanos flagitii pœnam in Palatio ſive curia exegiſſe, teſtatur tum præſens textus, tum de paſſione Chriſti ab Evangeliſtis conſcripta hiſtoria, Salvatorem noſtrum in Prætorio, ſive domo, quam Prætor inhabitabat & jus pronunciabat flagellis eſſe tritum Matth. 26: 27. Marc. 5: 1. Intra urbis pomœria etiam Romanos more ſuo delinquentes flagellaſſe commemorat Livius graviſſimus rerum Romanorum Scriptor. l. 26.

§. 10. Modus flagellandi apud Judæos à Græcorum & Romanorum more varie differebat. Romani prius veſtes exuebant, Judæi vero ab infima parte ad ſupremam uſque lacerabant. Exempla nudatorum collegit Gellius N. A. l. 13. *Veſtimenta Mutiano detracta prius, quam Craſſi juſſu virgis multum cæderetur. Pauli & Silæ veſtes laceratas eſſe jubentibus Tribunis & populo* Actor. 16: 22. perhibetur, Romanos deinde funibus ad palos & columnas reos vinxiſſe, ejuſdem Pauli exemplum Act. 22: 25. probat: *Tribunus plebis* προέτεινε τοῖς ἱμᾶσιν, *adſtrinxit Paulum loris*: cum hoc conſentit Ad. Martyrol. XVI. Kal. Junii: *Cum Dei ſpiritu confortatus, & in fide fundatus vir beatus immobilis permaneret, fecit eum Sabellicus alapis cædi, & ligatum ad Columnam tamdiu verberibus affici, quouſque ſanguis guttatim in terram de corpore ipſius deflueret. Sed ſubito, dum Martyr cæderetur, columna cadens oppreſſit Judicem & quinquaginta cum eo Viros.* Columnam Romanorum, cui Chriſtus alligabatur, tantam non facit Hieremias Drexelius probus & diligens Jeſuita, *ſed ad bipedalem* ſcribit, *columnæ adſtrictus Jeſus ſtetit, & Viri ſtantis umbilicum pertigit, ut tam pectus, quam tergum rei verberibus undique pateret. In brevioris hujus columnæ ſummo ferreus annulus immiſſus accepit funes, quibus flagellandi corpus vinciebatur.* Tom. II. part. 2. Delic. gent. hum. cap. 3. §. 3. pag. 342. Græci ſervos ad rotam extenſos flagris ſanguineis fatigabant. Crudelitatis hujus veſtigia in Ariſtophanis elegantiſſima comœdia, quæ ΕΙΡΗΝΗ inſcribitur, apparent:

Χεῖτις στρατηγεῖν βουλόμενος μὴ ξυλλάβῃ,
Ἢ δοῦλος αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος
Ἐπὶ τοῦ τροχοῦ κ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

Ita Latinum ita vertit P. Septimius Florens.

Quiſque Imperator eſſe vult, nec nos juvans
Quiſque ſe ſervum & transfugam eſſe parat
Flagris ſecetur & trahente eat rota.

Judæi mandato Dei (Deut. 25: 2, 3. expreſſo) tenaciter adhærentes proſtratos flagellabant. Sic ibi præcipitur: *Si in eum qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari.* Idem ex Maccoth. cap. 3. III. §. 12; 13. notum eſt: *non flagellat (Judæus) ſtantem, neque ſedentem, ſed inclinatum, quatuor cubitorum diſtantia à cœtu* addit ex libro rituali Schulchan Aruch laudatus Friſchmuthius c. l. cap. II. §. 9. in fine. Utrum Judæi omnes circumſtantias in flagellatione Apoſtolorum obſervarint, nec candide aſſerere, nec, ſcriptura inprimis tacente, audacter propugnare volumus. Veritati tamen non adverſari videtur, cum rigidos & contumaces Judæos ne minimum negleхiſſe, ſed omnes ritus & conſuetudines diligenter obſervaſſe neminem facile lateat.

§. 11. Quod ſi ipſa *inſtrumenta*, quibus flagrorum candidati vexabantur, intueamur, facile deprehendemus plerumque è corio bovino, rarius ex arborum virgarumque ramis fuiſſe confecta. Romanos præter flagella etiam virgas adhibuiſſe, atque ferreos aculeos, uncinulos, taloſque è pecuinis oſſibus decerptos loris innexiſſe, quibus cutes damnatorum ad coſtas uſque ac oſſa lacerabantur, produnt multa doctorum ſcripta, imprimis Dionyſii Gothofredi Notæ ad l. ff. de pœn. c. de exact. Tribut. l. 40. C. de Decurion. Aliud genus, cujus in cædendis Chriſtianis uſus fuit, *Scorpii* appellationem obtinuit. De eo Tertullianus adverſus Gnoſticos cap. IV. eleganter ſcripſit. *Nunc enim Dei voluntate compungimur, & ingeminat ſcorpius plagam.* Summitatibus flagellorum interdum glandes plumbeæ impingebantur, & *Plumbatarum* nomen ſortitæ erant, quibus collum & terga martyrum verberabantur. Frequentiſſime mentionem illarum faciunt Martyrologia: Romanum XVIII. Kal. Maji. XIII. Kal. Junii. VI. Idib. Julii. XVII. Kal. Octob. IV. Non. Nov. Adonis IV. Non. Dec. *Natale S. Bibianæ Martyris, beatorum Martyrum Fauſti & Dafroſæ filiæ, quæ tamdiu plumbatis cæſa, donec redderet ſpiritum.* Cæterum plumbatarum verberibus humili loco natos verberatos eſſe indicant L L. Cod. Theod. L. II. de Quæſt. *Plumbatarum vero ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, & decem primos tantum ordinis curiales ab immunitate hujuſmodi verberum ſegregamus.* Lib. VIII. de Decurion. *Omnis ordo curialis ab ictibus plumbatarum habeatur immunis.* Judæorum flagra è tribus loris, duobus brevioribus bubulis, & uno aſinino longiori è medio eminente ſic erant connexa, ut ſingula ſingulas tergi partes tegerent, longius vero ad umbilicum pertingeret ac totum corpus feriret vid. Dilher. Elect. 2. cap. 18. pag. 273. Si verum eſt quod Maccoth. ex edit. Cocceji cap. 3. §. 3. pag. 125. dicit, tria illa lora vitulina, vel ut alii malunt, unicum bubulum, reliqua duo minora aſinina, quæ rurſus bifida in binas partes diffindebantur, extitiſſe, credendum eſt. Evolve, ſi libet, Buxtorfii Synag. Jud. c. XX. p. 365.

§. 12. Dum itaque veſtitu ſpoliatus, miſer humi proſtratus jacet, lictor manubrio ferulam arripiens, mandatum non ſegniter exequi aggreditur & admotis omnibus corporis viribus ferit, lenteque peragit, ut patiens bene ſentiat ac ſinguli ictus numerari queant. Vid. Leuſdenius Philol. Hebr. mixt. Diſſert. XLIX. Q. 3. pag. 336. Sancitum præterea fuit in Hebræorum Republica, ut omnibus flagellandis tres judices ordinarios ſubornarent, qui partim pœnitentiam & ſolatium in animo ſontis excitarent, partim lictorem ad inferendas plagas ſerio adhortarentur. Primus è fonte Hebr. Deut. 29: 58, 59. Sub initium prælegit: *Si non obſervaveris, ut omnia verba legis hujus facias, ſegregabit in te Dominus plagas tuas, & in ſemen tuum plagas magnas & infallibiles.* Item è Deut. 29: vſ. 19. *Cuſtodite verba pacti hujus, & implete ea, ut intelligatis univerſa, quæ facitis.* Fine tandem flagellationis imminente addidit verba Pſalmi 145: 8. *Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors.* Proximus à primo ſingulas plagas obſervando ſeparatim numeravit: Ultimus percutientem ad cædendum accendit & ſtimulavit. Plura vid. c. l. Buxtorf. Leuſden. Dilherr.

§. 13. Diſputant nonnulli magni nominis Viri antiquitatum pariter & S. literarum peritiſſimi, utrum Apoſtoli more Romanorum virgis, an vero Judæorum ritu flagellis percuſſi fuerint? Sunt qui plane negant flagello, ſed virgis in Apoſtolos eſſe ſævitum: hos inter ſunt Reinhardus Bakius Expoſ. Evang. Domin. pag. 140. Caſpar Sagittarius, Præceptor noſter ſubmiſſa pietate colendus c. l. cap. V. §. 9. pag. 50. Dabunt vero nobis veniam Clariſſimi Viri, ſi ab iis modeſte diſſentientes Conſummatiſſimorum Theologorum ſententiam, quæ & antiquorum conſuetudini & prædictioni Chriſti magis convenit, amplectimur, & pro ſolis flagellis è coriis connexis pugnamus. E larga ſerie paucos nominaſſe ſufficiet & quidem Frider. Balduinum Comment. in omnes Ep. Pauli ad 2 Cor. 11: 24. Johannem Gerhardum Comment. in Acta Apoſtol. not. ad textum noſtrum. Abrahamum Calovium Tomo III. Bibl. Illuſtr. contra Hug. Grotium, & Tom. III. Paraph. Bibl. German. ad h. l. Salvator ipſe noſter cruentam & acerbiſſimam paſſionem ſuam aditurus Matth. 10: 17. miniſtris hanc pœnam annuntiavit: παραδώσουσι ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν, *tradent vos in concilia, & in conciliabulis ſuis flagellis cædent vos.* Non dubitamus, quin Chriſtus ad ritum Judæis uſitatum oculos converterit, cum locum (συνέδριον) in quo flagellatio inferebatur, nuncupat, & modum, quo exercebatur, μαστιγώσουσιν (μαστίειν proprie ſignificare flagellare, & μάστιξ flagellum eſſe ſupra §. 2. expoſuimus) exprimit. Paulus deinde Apoſtolus in cruciatuum ſuorum catalogo, quem 2 Cor. 11: 23. ſq. texuit, flagellationem, quæ flagris fiebat, prope diſtinguit ab ea, quæ virgis infligebatur: commate enim 24. fatetur *ſe quinquies à Judæis accepiſſe* τεσσαράκοντα (πληγὰς) παρὰ μίαν; ſubſequente vero verſu 25. dicit, virgarum aſperitatem ter in corpore ſenſiſſe, τρὶς ἐῤῥαβδίσθην: in priori notanter locutus eſt *à Judæis*, qui legi rite obtemperaturi pœnæ conſuetæ nihil derogare voluerunt. Ulterius noſtram ſententiam confirmamus ab incredibili & plus quam

Va-

Vatiniano odio, quo Judæi Apoſtolos & Chriſtianos proſequuti ſunt, & ex illorum ordine ad hos tranſeuntes flagellorum ſupplicio affecerunt, cujus exemplum laudatus Walæus ex Epiphanio ad Matth. 10: 17. attulit, Judæos in alium ab eorum religione ad Chriſtianos deficere volentem pervicacioris iræ fuiſſe & in Synagoga flagellis cecidiſſe. Tandem rationis inſtar eſſe poterit diuturna conſuetudo, quam ad modum veteris flagellationis hodierni Rabbini uſurpant, ſuoſque diſcipulos non virgis aut ferulis, ut apud Chriſtianos fieri ſolet, ſed flagellis caſtigant, ceu videre eſt apud Leuſdenium c. l. p. 336.

§. 14. Adhuc cauſa conſideranda ſupereſt, ob quam Apoſtoli flagello adjudicati fuerint. Judæorum cauſas §. 6. ſupra expoſuimus, nullius concubitus, non legum tranſgreſſionis, nec impuri ſceleris accuſabantur Apoſtoli. Peculiarem annuit Lucas vſ. 41. arripuiſſe Proceres conſilii magni à prædicatione Evangelii: *δείραντες παρήγγειλαν μὴ λαλεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τȣ̃ Ἰησȣ̃*, præceperant, *ne loquerentur in nomine Jeſu.* *λαλεῖν* Græcis eſt *temere ac conſiderate loqui*: ejuſmodi indicium habemus in Plutarhi Alcibiade: *λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.* Sed in nomine Jeſu loqui idem eſt ac *κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει*, *prædicare Evangelium omni creaturæ*, quo mandato Chriſtus miniſtros ſuos inſtruxerat Marc. 16: 15. Eaque ratio eſt, cur Gentiles juxtim ac Judæi Apoſtolos perſequebantur, ne nomen Dei gentibus annunciarent. Fanaticos & de fæce plebis homines veram de Deo doctrinam tradere non poſſe firmiſſime ſibi perſuadebant, ac ſermones eorum tanquam vanas & inanes loquelas aſpernabantur, & propterea publicas ad populum conciones habere omni contentione interdicebant. Actor. 4: 17. Diſcipuli autem dictis Judæorum refragantes pœnam conſuetam ſubire cogebantur, tum quod conſilio temerarii & inobedientes haberentur, tum denique, quo & populo & Apoſtolis timorem incuterent, ne hi deinceps tanta alacritate doctrinam de Chriſto prædicarent, nec ille tenaciter Apoſtolis adhæreret, ſicut loquitur laudatus Gerhardus c. l.

§. 15. Conſtantia denique & præſens animus Apoſtolorum, quem inter flagella ſudantes oſtenderunt, admiranda venit, cùm nec obloquentes nec repugnantes pro vero Dei nomine & prædicato Evangelio paſſi ſunt, & ingenti gaudio è Senatu diſceſſerunt: *χαίροντες ἐπορεύοντο ἀπὸ τȣ̃ προσώπȣ τȣ̃ Συνεδρίȣ, ὅτι κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι.* *χαίρω internum animi gaudium denotat*: Sic *ȣ̃τε χαίρων, ȣ̃τε λυπȣ́μενος ἄγαν φανήσεται* Plato pronunciavit, *neque lætabitur unquam, nec mœrebit nimis* Cicero interpretatus eſt. *χαίρειν ἐν θυμῷ*, *in animo gaudere, animo eſſe læto* Homerus Iliad. ω. dixit. Xenophon addit Præpoſit. *ἐπὶ*: *ἐπὶ πῶς ἂν εἴην δῆλος χαίρων ἐπὶ τοῖς σοῖς ἀγαθοῖς*, *quibus ſignis declarabo lætitiam, quam ex proſperis tuis percepi.* Eo quoque modo Chriſtus loquitur Matth. 18: 13. *χαίρει ἐπ' αὐτῷ (προβάτῳ)* in textu noſtro abſolute poſitum indicat internam animi lætitiam, quam pro Salvatoris nomine digni habiti eſſent contumelia affici. *καταξιόω*, quo rarius in profanis Scriptoribus legitur, eo frequentius in S. Hiſtoria reperitur. *καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα* Luc. 21: 36. *ut digni habeamini, qui effugiatis*, *εἰς τὸ καταξιωθῆναι εἰς ὑμᾶς τὰς βασιλείας τȣ̃ Θεȣ̃* 1 Theſſ. 1: 15. *ἀτιμασθῆναι* *ignominia affici* ſemper & ubique ſignificat Evangeliſta elegante oxymoro uſus, Apoſtolos nimirum neque plus curaſſe verbera inflicta quam verba & comminationes. *Pati enim flagella*, ſcribit Athanaſius Ep. ad Orthodoxos in Perſec. Chriſti: *Chriſtianorum eſt, inferre autem Caiphæ & Pilati. Propter gloriam Chriſti indigne haberi gloriam & dignitatem ſummam in hoc mundo eſſe pie ac eleganter* Gerhardus c. l. dixit: *Summum Dei donum pro Chriſto ignominiam pati* Paullus Philipp. 1: 29. jam ſuo tempore effatus eſt. Præmuniverant ſe ad tale ſupplicium, quod ipſis ex vaticinio Chriſti cognitum fuit. Præclare Nazianzenus Orat. XXIII. in laudem Heronis ſcripſit: *Philoſophi animus ex eo, quod paſſus eſt, redditur generoſior, atque ut candens ferrum frigida aſperſione, ita ipſe periculis obdureſcit.* Tanta conſtantia & alacritate ſequiori ætate ſub Apoſtata Juliano mortem obivit M. Arethuſius, *qui excarnificatus, eo quod idolum confregiſſet, ſtylis confoſſus, melle illitus & ſuſpenſus, ut à veſpis comederetur, ſuos tortores irriſit, dixitque abjectos eos humi repere, ſe vero erectum & in ſublimi poſitum.* Theodoretus III. cap. 6. Non lætati modo, ſed & gratias egerunt Deo martyres; inprimis de Cypriano Carthaginis Præſule laudatiſſimo in elegante de S. Cypriano Sermone Auguſtinus confirmat: *Cùm Galerius Maximus decretum ex libello recitaſſet, Taſcium Cyprianum gladio animadverti placet*; reſpondiſſe, DEO GRATIAS. *S. Polycarpum in rogo poſitum ſolennes Deo gratias egiſſe* Smyrnenſium Epiſtola apud Euſebium H. E. IV. 15. refert, inſimul adjicit Polycarpo ſtadium ingredienti cœlo delapſam vocem acclamaſſe; Ἴσχυε Πολύκαρπε, καὶ ἀνδρίζȣ. *Fortis eſto Polycarpe, & viriliter age.*

§. 16. Reliqua huc pertinentia, ſi quæ ſunt omiſſa, curioſæ aliorum operæ & ſtudiis relinquimus: nobis hæc inveſtigantibus plura hac vice perveſtigare non licuit. Addimus ſaltem Apoſtolos eo tempore, quo flagellis ſuggillati, in martyrum numerum nondum eſſe receptos. Laxius loquuntur, qui martyres nuncupant morte vitam non obſignantes. Sine cruore martyrium non eſt, quippe quod in morte cernitur, & ſanguinis impendio paratur. Qui effuſo ſanguine hanc palmam non tulit, martyr dici non poteſt, niſi efficere velis, ut martyrem ſine martyrii nota conſideremus. Plura deſiderantem remittimus ad Conſummatiſſimum Polyhiſtora Conradum Samuelem Schurzfleiſchium, qui è priſcæ antiquitatis tabulis exquiſita ſolertia hæc collegit, &, ut omnia Viri ſolent, in Eclog. Antiquit. Martyrolog. limato judicio commonſtravit.



 M. JOH.

M. JOH. GEORG. SCHWABII
DISSERTATIO
De Moloch & Remphan ad Act. VII: 43.

Σὺν Θεῷ καὶ ἀγαθῇ παλάμῃ.

PRÆLOQUIUM.

Nfanda gentium sacra non sine dolore in animum revocamus. Vix enim quenquam tam durum aut adeo secordem esse arbitror, qui super cruenta puerorum strage, quam edere parentes in Molochi honorem haud verebantur, non acerbissime doleat. An major in filios excogitari possit sævitia, rei atrocitas in dubium vocat. Emori quidem per virtutem præstat, & pro charissimis fundere sanguinem; At misere Dæmonibus immolari, omni exceptione major crudelitas est. Nempe ut in aliis Diabolus affectavit cœlestem veritatem æmulanter exprimere, quando Cataclysmum Noachi mutavit in Deucalionis diluvium; Josuam ac Samsonem in Herculem τελεσιέλων, Comam Samsonis in capillitium Ciris; Nubem Israëlitici itineris ducem in nimbum Deorum capita ambientem: sic cœlitus Isaaci mandatam immolationem in crudelem ac homicidam religionem deformavit, & hominum simplicitate abusus immanis ac truculentæ ἀστοργίας exempla inter gentes & ipsum Dei populum, designavit. De sacris hisce, dum breviter, & quantum ingenii vires permittunt, dicturi sumus, supremum Numen, Deum Deorum submissis precibus invocamus, ut conatus nostros in sui Nominis gloriam dirigat feliciter.

SECTIO I.
De Moloch.

§. I. Moloch Ammonitarum idolum & Moabitarum, quod alias Milcom 1 Reg. 11: vers. 5. & Malcom Soph. 1: 5. dictum est, à מלך deducitur, vel quod creditus fuerit Deus ille cæterorum Deorum Rex, vel quia idolum, in quo & per quod Ammonitæ Deum suum coluerunt, regio habitu fuerit conspicuum. Tradunt enim Hebræi referente Lyrano in cap. XVIII. Levit. & Adrichomio in Jerusalem n. 186. *Idolum Moloch fuisse æneum capite Vitulino, reliquo corpore hominis forma, regiis insignibus ac regio in throno considens, protendens manus, quibus pueros in sacrificium sibi oblatos exciperet, quod pyra intus accensa, (erat enim concavum) ubi totum igne incanduerat, pueros quos brachiis excipiebat, vel etiam astringebat & amplexabatur, αὐτομάτων more concremabat, verum ne puerorum ululatus in diris hisce cruciatibus exaudirentur, atque his parentum animi ad commiserationem permoverentur, sacerdotes idoli tympana quatiebant, ac tubis clangebant.*

§. II. In genere hoc Nomen Moloch de Diis omnibus usurpatur, quemadmodum & Baal sive Bel nomen Diis omnibus commune est, nisi quod additis epithetis nomina ista distinguantur, quæ vel à gente & populo petita sunt. qui cultui eorum deditus erat, vel urbe & loco, in quo colebantur. si qui 2 Reg. 18: 34. & Esai. 33: vers. 19. dicitur Deus Hamath, Arphad &c. Is Esai. 37: 13. מלך Hamath, Arphad appellatur. Et quem alias Moloch dixere, cui filios cremabant, is Jer. 19: 5. & alibi Baalis nomine designatur. Non igitur tam severe castigandus erat Theophylactus ab eruditis, quod ad Act. 7. cap. annotet: Μολὸχ εἴδωλον εἶναι Μοαβιτῶν, non minus enim Moabitarum Deus, quam ille Ammonitarum, Moloch poterat appellari.

§. III. Notandum autem Baal & Moloch pro eodem Numine haberi, & per utrumque denotari Saturnum. Certum enim est inter eruditos quod Baal sive Bel speciatim de Saturno dicatur, id quod Theodoretus ad Psalm. 105. Suidas & alii prolixe testantur, quibus Βεὲλ ὁ Κρόνος est. Et Servio teste ad l. 1. Æneid. lingua punica Bal dicitur Deus, apud Assyrios autem Bel quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol nominatur. Idem de Moloch sentias, quem Saturnum esse communiter censent eruditi. Neque de hoc dubitare nos sinit, quod idem appelletur Ciun, Ciun autem Saturnus est, uti id uberius ad Amosi V. cap. Rabbini ostendunt.

§. IV. Sub Molochi nomine cultum Pœnis Saturnum, præter Rabbinos, Plato, Plutarchus, Tertullianus Apol. c. 9. Diodorus Siculus apud Ludov. Vivem in August. l. VII. de C. D. c. 19. testantur; magna siquidem nominis hujus capacitas est, ita ut per Saturnum Clarissimus Vossius in libris de Idolol. Adamum, Noën, Abrahamum, & adhuc forte alios capiat. Neque abnuit Claris. Vir, Saturno, sub Molochi nomine, Pœnos atque Phœnices sacrificasse. Ubi tamen per Saturnum non Regem Italum, aut Jovis Cretici Patrem, neque Adamum vel Noachum intelligas, quippe non ex vulgari Romanorum aut Græcorum usu Saturnum æstimamus, sed ex Orientis more, ut Saturnus nobis sit natura quædam cælestis ac Solaris, cujus gratia nefanda ista sacra mortales instituebant.

§. V. Qui primi hujus crudelitatis autores extiterint, non immerito quæritur. Si fides Seldeno habenda, è Syria prodiit ista litandi humanis Victimis consuetudo, & ad Phænices à Syris, inde ad Carthaginenses atque alias gentes propagata est. *Infantes sive pueri*, inquit Seldenus de DIS Syr. p. 181. *utrisque (Molocho & Saturno) erant hostiæ communes, & nefanda illa sacra è Syria in Europam videntur migrasse, & in Africam.* Confirmat Seldeni sententiam solennis tibiarum ac tympanorum inter Syros usus quem Plutarchus περὶ Δεισιδαιμονίας describit. Cum enim lamenta puerorum & parentum exaudiri piaculum erat, tympana quatiebant ut strepitu eorum miserabiles mactatorum ejulatus interciperentur. Et licet ignoraretur tam horrendæ feritatis auctor, certum tamen est, Asiam exhibuisse primam originem, unde mos ille dispersus in cunctas Nationes post diluvium. Ammonitas jam Mosis tempore dira hæc sacra observasse sacer Codex memorat, nec intra Ammonitarum terminos constitisse hunc ritum, docet historia. Ægyptii vivos homines combussere Typhoni; Carthaginenses Saturno; Latini Egeriæ Deæ, Albani Lunæ humanis victimis litarunt.

§. VI. Et ne quis de antiquitate consuetudinis istius nefandæ dubitet, memoriam Saturni, ejusque simulacrum apud Syros & Phœnices & familiare & summo olim honore celebratum esse testatur Eusebius l. 1. præp. Evang. c. 7. sic quoque Porphyrius de abstin. animal. Φοίνικες, inquit, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινα ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. *Phænices magnis calamitatibus vel bellorum vel æstus, vel pestilentiæ sacrificabant Charissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum.* Subjicit deinde, plenam exemplorum esse historiam Phœniciam à Sanchoniathone scriptam, è lingua autem Phænicia à Philone Bibliensi græce redditam. Idem confirmat Eusebius in Orat. de laudib. Constantini: Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. *Phænices Saturno quotannis sacrificabant dilectissimos ac filios unicos.* Et D. Athanasius orat. adv. Græcos, Φοίνικες, inquit, καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον. Et qui carebant liberis ii à Pauperibus eme-

emebant, ut mactarent quod à Plutarcho docemur. De Pœnis Ennii versus huc facit:

Ille suos Divis mos sacrificare puellos.

§. VII. Si Phænicum annales consulas, primum consuetudinem hanc inter Phænices introduxisse deprehendes Israëlem vetustissimum Phæniciæ Regem, qui filium suum Μονογενῆ immolavit. Tradidit enim ex illis Porphyrius ab Eusebio l. 1. præpar. Evang. citatus hæc: Κρόνος, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθειρωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲθ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ: ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλων, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι: κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφόθω τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας χήματι τὸν υἱὸν βωμὸν τὸ κατασκευασάμενος, κατέθεσεν. *Saturnus, quem Phænices Israëlem nominant, quemque post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt, cum illis in locis regnaret, ac filium unigenam ex Nympha quadam indigena nomine Anobret, haberet, quem propterea Jeoud dixere, vocabulo hodieque unigenam notante lingua Phœnicia, cumque in gravissimum belli periculum regio incidisset, illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc extructa immolavit.* Mirum nisi Abrahamum & Isaacum filium respiciat commentum illud. Cum enim percrebuisset, Patriarcham auctoritate divini Numinis instituisse hujus generis ritum, oblato Filio, quem unicum habebat, eumque charissimum, aut certe id agitasse saltem animo, facile factum est, uti perverso æmulandi studio propagaretur deinde ad alias quoque gentes infelix ista puerorum mactatio, qua nullum crudelius, aut inhumanius magis hominum generi facinus incubuit. Nusquam tamen ad Abrahamum, sed ad Sheruchi ævum, si Said Aben Batrich apud Seldenum habenda fides est, feralis istius ritus initia revocantur. *In immensum* ait ille, *Sheruchi ævo errarunt homines, & invaluit idololatria, & immolabant filios & filias suas Dæmoniis.* Vide Seldenum in Prol. c. 3. p. 47. & Schedium de DIS German. c. 31. p. 577.

§. VIII. A Phœnicibus ad Carthaginenses sive Pœnos mos iste descendit, de quibus Plato in Dialogo de legib. scribit, *apud eos justum sanctumque haberi, hostias humanas sacrificare, adeo ut eorum nonnulli Saturno filios litent.* De iisdem Paulus Orosius l. 4. Hist. c. 6. scribit; *Homines ut victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ etiam hostium misericordiam provocaret, aris admovebant.* Minutius Felix in Octavio: *Merito ei* (Saturno) *in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur.* Tertullianus in Apolog. c. 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad Proconsulatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus Templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit.* Et postea: *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur.*

§. IX. Præter Saturnum etiam Jovi, Dianæ, Baccho, Marti, Palladi, & aliis humano sanguine gentes litarunt, uti Cyrillus & Eusebius ex Diodoro, Dionysis. Halicarnass. atque aliis id edocet. Apud Cypri-Salaminem humanam hostiam Jovi Teucrus immolavit, & id sacrificium posteris tradidit, quod Hadriano Imperante sublatum est. Apud Tauros in humanam & feram gentem lex erat, ut Dianæ hospites immolarentur, quod sacrificium multis temporibus est celebratum. Galli Hesum (Martem) atque Teutatem humano cruore placabant, unde Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Sed ne quidem Romani ac Græci, qui barbaram istam feritatem in Gallis notarunt, ejusdem immanitatis expertes fuere. Cui ignota est Iphigeniæ immolatio? quis nescit facinus Idomenei Cretensium Regis? qui in patriam è Trojano bello redux, cum ei Neptunus immisisset tempestatem, vovit, ut omne illud, quicquid primum è navi ipsi obviaret, Neptuno sacrum maneret, mox ubi primus filiorum ei occurrit, eundem Neptuno sacrificat. Quis Latialem Jovem à Latinis humano sanguine placatum ignorat? quippe eo usque sævit Romanorum gens, donec sexcentesimo quinquagesimo septimo demum anno V. C. senatus Consultum factum est, ne homo immolaretur palamque in tempus illud prodigiosa sacra celebrata, teste Plinio l. 30. c. 1. Et notandum cumprimis, quod Cælius Rodiginus refert lib. 20. c. 12. quod Romæ omnibus aliis Diis, Saturno & Honore exceptis, operto capite sacrificatum sit. *Nam qui Saturno rem divinam obibant, capita retegebant, dicebanturque lucem facere.*

§. X. Et licet aliis quoque Diis, præcipue tamen Saturno sacra ista fiebant, gurgiti illi atque helluoni non unius hominis, sed filiorum tumulo, uti à Tertulliano describitur. Hic de infantibus eidem propter Jovis odium immolatis, quid dicam, non invenio. Tam barbaros tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est tetrum atque execrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superarent. Refert Pescenius Festus, *Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: Et cum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum sibi Deum putasse; itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse.* Laudandus Hercules, qui id sacrificii genus, cum ex Hispania rediret, apud Latinos sustulit. Cum enim, ut Lactantius refert l. 1. de falsa relig. in Latio Saturnus humano sanguine coleretur, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed ut in Tiberim de ponte mitteretur, Hercule redeunte sublatum esse dicitur hoc sacrificium, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo, ut Ovidius in Fastis docet:

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites:
Herculis exemplo corpora falsa jace.

Hæc sacra Virgines Vestales faciunt, ut idem ait:

Tum quoque priscorum Virgo simulacra Virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Sic ab aliis Laudantur Cretenses, qui in Idomenei Regis sui facinus serio animadverterunt, ita, ut exilio Regem propter id mulctaverint.

§. XI. Porro, & Ammonitæ accesserunt, qui liberos suos obtulerunt cremandos Moloch & Baal, parentes quidem alia omni re potius atque prole digni. Plena exemplorum Scriptura sacra est. Rationem immolationis istius habet Varro l. 16. divin. rer. citante Augustino l. 7. de C. D. c. 19. *Ideo à quibusdam pueri Saturno soliti sunt immolari, sicut à Pœnis; & à quibusdam etiam majores, sicut à Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum.* Cum enim satis diu viguissent sacrificia isthæc apud gentes, exiguum, imo & indignum putarunt tanto Numine, brutorum sanguine placare offensum. Summam Victimam summo convenire Deo. At Moloch sive Saturnus summus Deorum iis erat, nec excellentius quicquam homine terra alit, nec parentibus charius quicquam liberis. Ita igitur habuerunt gentes, non melius posse se summum demereri Deum, nisi ubi liberos immolarent suos, vel in hæredum ac Patriæ spem natos.

§. XII. Cæterum quæ forma idoli fuerit, exactissime eam nobis tradidit Paulus Fagius ex libro Jalkut, cujus Autor R. Simeon. *Fuit Moloch imago concava habens septem conclavia; unum aperiebant similæ offerendæ: aliud Turturibus: tertium Ovi: Quartum arieti; Quintum Vitulo: Sextum Bovi: Qui vero volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum Cubiculum, & facies hujus idoli erat ut facies vituli. Manus plane dispositæ ad recipiendum ab adstantibus; & saltabant interim, quo puer in idolo succenso igne cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur.* Ex ære conflatam fuisse imaginem docet R. Salomon ad Jer. 7. c. ubi B. Lutherus in gloss. marg. hæc habet: Lyra meldet/ daß die Kinder Jsrael dem Abgott Moloch (welches war ein ehrn Bilde/ inwendig voller Glut) ihre Kinder in die Arm legten/ und verbrenten/ und die Priester mit Paucken und Schellen klungen/ daß die Eltern der Kinder Geschrey nicht hören solten. Similiter recitat Vives ex Diodoro Siculo, *Statuam æneam Saturni Africanis fuisse magnitudine enormi, cujus manus in terram desinebant, adeo contortæ & compositæ, ut, qui pueri ei admoverentur, in igneam foveam inciderent.* Conclavia ista septem, quæ commemorat Fagius admodum Solis & Lunæ, & reliquorum Planetarum comparata esse judicat Vossius l. 2. de Idolol. p. 331. Moloch enim nil aliud ac Bal s. belum, i. e. ipsum Solem notat, cui Oriens quondam summos detulit honores, unde & ultimo Solis cubiculo optima victima, homo offerebatur.

§. XIII. Duplicem vero hujus idoli cultum deprehendimus, alterum, quo prolem suam per ignis flammam traducebant parentes, cujus inde forsan manavit origo quod, qui jurarent, olim, adstruerentque immotam dictis fidem, ignem pertransivere, quod πῦρ διέρπειν vocat Sophocles in Antigone, qui cultus

Deut. 18: 10. interdicitur, & non pauca de illa puerorum transitione in Sacris prostant exempla; alterum quo filios filiasque immaniter cremabant. Quicquid sentiant plerique Rabbinorum, R. Salomon Jarchi, D. Kimchi, Moses Milkotzi, & Moses Maimonides More Nebochim l. 3. c. 38. aliive, qui non combustos aut mactatos pueros, sed duabus pyris extructis per illarum medium traductos solummodo, & ad eum modum velut februatos esse asserunt, Sacerdotibus Molochi rem procurantibus, in quo tamen ipsi non conveniunt. Nam juxta nonnullos, Pater filium solemni ritu Sacerdotibus tradidit, quem ab iis redditum ipse traducebat per ignem; juxta alios vero Sacerdotes soli pueros traduxere; ut eorum sententias R. Joseph. Karo in c. 6. ꝟ Mischnah Thorah pluribus persequitur. Statuendum tamen omnino est, præter hanc februationem, vivi comburium & mactatio charissimorum pignorum, id quod ex Ps. 106: 37. & aliis locis Scripturæ S. colligimus.

§. XIV. Sacerdotes hujus Idoli, ut & aliorum Numinum, כמרים dicuntur, quos R. D. Kimchi ideo dictos putat, quia nigris induti erant vestibus. LXX. χωμαρὶν & ἱερεῖς reddunt. Hi forte ex mactatorum hominum visceribus divinabant, qua de re stupenda exempla congessit Camerarius Hor. subcis. c. 61. Et de Celtarum Sacerdotibus hæc memorat Diodorus lib. 5. *Hi, inquit, ex auspiciis & Victimarum extis de futuris divinant: eisque plebs universa morem gerit. Inprimis ubi de magni momenti rebus consultatio incidit, mirandum & incredibilem quendam ritum observant. Hominem immolantes, supra transversum septum gladio feriunt, quo cæso prolapsoque, è casu & convulsione membrorum, simulque ex cruoris fluxu de futuro præsagiunt.* Idem de Gallis Strabo memorans dorsum feriisse tradit: *Hominis*, ait, *libamine perfusi, tergum gladio ferientes, ex palpitatione divinabant.*

§. XV. Locus immolationis in Scripturis S. designatur Vallis filiorum Hinnom, Hæbræis גיא vel גי בן הנם à lamentis puerorum, dum cremabantur, sic nominata. Nam נהם à הנם i. e. gemuit aut rugiit, deductum volunt. Multus igitur ibi inter sacrificia lamentis puerorum locus, ne tamen tangerent parentes gravissimi ejulatus, tympanis omnis vicinia personabat, unde loco alterum nomen accessit Tophet à תוף quod tympanum notat. Ad eundem fere modum cremabant suos Dugbiin Cheneraga Insulæ maris Indici incolæ. Igni enim devovebant se magnatum nonnulli, uti Benjamin testatur in Itinerario, non sine pompa satis sumptuosa familiares vero, cognatique omnes & consanguinei tympanis & choreis summa cum lætitia exultabant & ludebant, quoad ille omnino combustus fuerit. Tantum de Moloch. Sequitur

SECTIO II.

De Remphan.

§. I. Circa vocis hujus originem dissentiunt Autores. Quidam 1. Arabicam esse dictionem censent, ejusdem omnino notionis cum Hebræo כיון quod in Amosi c. 5. vs. 26. reperitur, & juxta Aben Esræ mentem Saturni Stellam denotat. Verbum enim רף significat movere, agitare alas, quod aves faciunt, incubantes ovis, ut pullos excludant. Talis actio ῥέφ dicitur, terminatione autem Græca ῥέφα addito ν ῥέφαν quæ litera sæpe peregrinis dictionibus affigitur, ut adeo ῥέφαν sit virtus ea, quæ movendo se & agitando super omnes res, eas quasi excludat & existere faciat, nec inconcinne de Saturno explicetur, qui est ὁ περιειληφὼς πᾶσαν τὴν ꝟ κόσμȣ φύσιν, ut Halicarnassæus loquitur. Accedit Versio quorundam Arabum, qui (in Lexico Arabico cui nomen Camus) רף ῥέφ multiesionem seu voracitatem verterunt, quod optime convenit Saturno, cui tantam voracitatem tribuit antiquitas, ut etiam liberos suos deglutiverit.

§. II. Alii ab Hebræa voce רפא dictam existimant, quæ Gigantem inter alia significat, ut per Antonomasian notetur Hercules, qui forma gigantea apud Ethnicos fingebatur, ut Beza censet. Et hunc ab Ægyptiis adoratum, & Chonem fuisse appellatum quidam tradunt, quod nomen cum Hebræo Ciun apud Amosum convenit, Vid. Selden. de DIS Syr. Synt. II. c. 14. cui hoc minus placet. Alii III. Remphan pro Rimmoni accipiunt, qui fuit Syrorum Deus 2 Reg. 5: 18. & sic scriptum esse in Luca ῥιμφὰν pro ῥεμμὼν vel ῥεμὰν, uti LXX. legunt l. cit. unica interposita Litera. Nonnulli IV. qui apud Prophetam Amos Sirium intelligi opinantur, ῥεμφὰν pro ῥέμβαν scribi ajunt, à ῥέμβειν quod in gyrum agere significat. Sirius enim canes in rabiem versos circumagit. Et constat ab Ægyptiis Syrii cultum promanasse, qui ideo ortum caniculæ sacrum habebant, quod exortu illius Nilus exundet, & fertilem reddat Ægyptum. Alii V. contractum nomen esse existimant ex Reemphan h. e. רעם־פעם quod interpretantur, Jupiter βροντεὺς aut ζεὺς βρονταῖ⊕ notante Drusio. Denique VI. Nonnulli vocem Remphan pro eadem cum Hebræa ריון accipiunt, sed immutatam esse dicunt, ut pro Hebræo כיון punctis sublatis LXX. legerint ריון (litera כ inferne erasa) unde ῥεφὰν & insertione ꝟ μ. ῥεμφὰν facile fieri potuerit. Quam varie enim nomina Hebræorum propria, ad exteras linguas commigrantia literis & punctis vocalibus mutentur, notum esse.

§. III. Quod si primam sententiam amplectimur, qua juxta Arabum versionem Remphan Saturnum denotat, quid opus est mutationem fingere vel corruptionem literæ כ in illo Amosi loco. Si utrumque & Ciun & Remphan apud eruditos Saturni cognomen est, ac de eo promiscue usurpari potest, sua sponte cadit sententia inter eruditos fere omnes recepta, dum statuunt, ῥεφὰν apud LXX. Interpretes corruptum esse ex Hebræo כיון pro quo legerint ריון inde ῥεφάν. Quin potius laudandi essent LXX. Interpretes, quod cum in Ægypto vocati à Philadelpho Ægyptio Rege Biblia in Græcam linguam transferrent, in gratiam Ægyptiorum ignotum iis Hebræorum כיון in notissimum ipsis ῥεφὰν transmutarint. Et cum nomen כיון minus forte notum esset, appellationem ejusdem Dei Saturni magis notam & familiarem utpote quæ in promiscuo usu apud plebem esset, substituisse LXX. Interpretes, credibile est. Præterea ῥεφὰν in lingua Ægyptiaca Saturnum significare testatur Salmasius, quod ex Alphabeto Ægyptiaco ostendit, Roma ad se misso, ubi nomina VII. Planetarum hoc ordine scripta simul & explicata continerentur: Πίρη Sol, Πίια Luna, Ῥηφὰν Saturnus, Πίζευς Jupiter, Μόλοχ Mars, Σούροτ Venus, Πίερμης Mercurius.

§. IV. Omnium optima B. Dn. D. Tarnovio Comment. in Amos p. 149. videtur sententia eorum, qui statuunt, vocem כיון à Stephano martyre in Actis esse omissam, & nomen idoli proprium esse adjectum, quod apud Prophetam non extabat. Ita quoque sentit Junius in Parallelis, Beza & Ribera. Ille addit, fuisse id vocabulum Remphan de nomine loci alicujus proprio desumptum ῥεφὰν vel ῥεφὼν 1 Macc. 5: 37. sive Raphon, ut scribitur apud Josephum l. 12. antiq. c. 12. sive Rophon apud Ruffin. Josephi Interpretem, sive Rephon apud Chaldæum Paraphrasten, quod oppidum situm est in Ammonitarum finibus, cui Deus tutelaris præfuerit Rephan vel Remphan, quo nomine à Stephano Judæis objiciatur cultus ejus nefarius ad Judæos ab Ammonitis translatus, sicut & alterius idoli Milcom.

§. V. Synonymam Voci huic Remphan reperiri, docet Walæus in Ps. 106. versiculo 28. quem Græci sic vertunt: ᾗ ἐτελέσθησαν τῷ Βεελφεγὼρ ᾗ ἔφαγον τὰς θυσίας νεκρῶν. Et adhæserunt ipsi Baal Peor, & comederunt sacrificia mortuorum, ut adeo Hebræo nomine מתים designetur Saturnus, qui inter τοὺς καταχθονίȣς θεȣ̀ς censetur, nec minus Ἀμονίδης quam ipse Charon appellatur, ut ex Hesychio constat. Nam זבחי מתים sunt sacrificia mactata honori Baal Peor i. e. Saturni, nomini autem מת Synonymum est illud רפא, cum in S. literis רפאים sint מתים i. e. mortui, conf. B. Gerhard. Comment. in Deut. c. 2. p. 85. Inde non male conjicit Walæus, nomine Repha, ceu magis trito & notiore usos fuisse LXX. Interpretes & nomen Ciun, alio Saturni cognomine expressisse, cum locum Amosi c. 5. 26. interpretarentur. Et notum est, apud Syros Saturnum appellatum esse Repha, quem Psaltes forte per contemptum voce Syonyma מת appellavit. Optime igitur Theodotio nomen Ciun, quod LXX. vertunt Repha, interpretatus est ἀμαύρωσιν h. e. obscuritatem ut observat Hieronymus, optime idem Scholia Græca ad Act. 7. c. Repha cum Moloch idem faciunt & interpretantur: ποσδε Μολόχ; τὸ ἄστρον Ῥεφὰ ὅ ἐστι σκοτισμός, addit Theophylactus: ἤτοι τύφλωσις, (quod nescio an ad Planetæ Saturni naturam referant,) nam & quasi in obscuro sunt mortui, & luce carentes.

§. VI. Quis per Remphan Deum sit intelligendus, dissentiunt Interpretes. Scaliger de Jove exponit, Recentiores multi de Mercurio, qui priscis scriptoribus sæpe dicitur πλανήτης θεὸς, quia sc. modo infra Venerem est, modo supra illam, neque servat certum sibi & definitum locum. Zoroastrem indigitari putant Petrus Gregorius l. 12. de Rep. & Fesselius in Concordant. Bibl. p. 407. qui fulmine tactus subito disparuit, inque Deorum numerum à Gentilibus est relatus, de quo videri potest Excellentissimus Dn. Ursinus in Exercitat. de Zoroaster. Cornelius à Lap. pluribus conatur evincere Remphan esse Luciferum. Alii cum Samuele Petito l. 1. Var. lect. & Capello in Spicileg. Regem Ægypti Remphin intelligi putant, quem eundem cum Pharaone esse existimant, cujus tempore vixit Joseph, qui, quod

quod Ægyptum ſervaſſet, ab Ægyptiis fuerit pro Deo cultus, & forte etiam à quibuſdam Iſraelitarum Idololatris. Commemorat enim Diodorus Siculus l. 1. Hiſt. Regem Ægypti quendam nomine Remphin (quem Græci dicunt fuiſſe Proteum) circa illud tempus floruiſſe, quo videtur Jacob cum familia tota deſcendiſſe in Ægyptum. Regem illum dicit congerendis & colligendis pecuniis totum fuiſſe deditum, ita ut poſt ſe reliquerit XL. myriadas talentorum. Unde quis conjicere non inepte poteſt, illum fuiſſe Pharaonem, qui Joſephum Ægypto præfecit, quique ex annonæ copia, quam divendebat omnem Ægypti & vicinarum regionum pecuniam corraſit. Ille ergo Remphis videtur ab Ægyptiis ob ſervatam Ægyptum cultus fuiſſe pro Deo, (quomodo Apin & Oſirin coluerunt,) idemque forte ab Iſraelitis nonnullis cultus eſt, utpote qui Ægyptiorum idololatriam in Vitulo aureo ſunt imitati.

§. VI. Sed iſtæ conjecturæ non ſatis faciunt eruditis. Probabilior eſt eorum ſententia, qui per Remphan Saturnum intelligunt, quod iſto cognomine pluribus gentibus innotuerit, & ab iiſdem pro Deo habitus fuerit. Dicis: Iſraelitas non coluiſſe Saturnum in deſerto, fit enim tantum mentio in hiſtoria Moſis Vituli & Bovis, qui à Davide vocatus שור Pſ. 106: 20. Reſp. Unius poſitio non eſt alterius excluſio. Præterea Bos iſte ceu præcipuus arationis actor retulit ipſum Deum agriculturæ autorem & præſidem, qui antiquis gentilibus Saturnus fuit. Is enim fuiſſe fertur, qui in Italia Janum vivendi rationem & agrorum cultum docuit, cui pro accepta iſta diſciplina dimidium regni ſui dederit atque eo nomine cum Conjuge ſua Rhea pro Deo fuit habitus, quod in Italia plantationes, inſitiones & educationes omnium arborum, omniumque fructiferarum rerum culturam docuerit.

Tantum!

Soli Vero Deo gloria!

HENR. LUD. MUNSTERI

DISSERTATIO

De Animalibus eſu interdictis ad Act. X: 12.

CAPUT PRIMUM.

De Objecto.

§. I.



DUo potiſſimum præſenti exponenda ſunt capite: ac primo quidem de animalibus Petro in viſione oblatis generatim disquirendum, cujus conditionis, mundæne, an immundæ fuerint? Deinde ſpeciatim de generibus eorundem animalium in textu expreſſis agendum.

§. II. Ac primum hujus ſectionis articulum, quo nimirum in genere de puritate aut impuritate horum animalium diſquirere conſtitutum eſt, paucis expedire conabor. Equidem univerſalis iſta ſcripturæ locutio, qua πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία, καὶ τὰ ἑρπετὰ, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ linteo cœlitus demiſſo dicuntur exhibita, ſignificare videtur, præter immunda, munda etiam inibi contenta fuiſſe animalia. Contra autem Juſtinus Martyr, Quæſt. LXXXIX. ad Orthod. à Sanctio Commentar. in Act. p. 219. citatus, ex ipſa Petri reſponſione infert, in *linteo fuiſſe tantum animalia immunda & communia.* Quæ B. Patris ſententia facile probatur iis, qui textum accuratius inſpiciunt. Cum enim viſionis hujus ſcopus fuerit, ut Petrus diſceret, Gentilium communionem in poſterum averſandam non eſſe, hujuſque propoſitionis apto ſchemate figurandæ cauſa aſſumerentur certa animalia, quibus velata Gentilium notio lateret; manifeſtum ſane eſt, animalibus mundis nullum hic fuiſſe locum, utpote quæ immundam gentilium conditionem ſignificare non poterant. Nec Petrus adeo præciſe negaſſet, ſibi licere ullo monſtratorum frui animalium, ſi, præter immunda, munda etiam oblata fuiſſent. Annon enim relictis immundis & communibus in promtu erant, quæ lex permitteret? confer Sanct. l. cit.

§. III. Quæ ſententiæ huic obſtare videtur univerſalitas phraſeos, nihil officit, ſi dextre accipiatur. Scriptura enim haut infrequens prædicata tribuit ſubjectis univerſaliter notatis, quæ tamen ſingulis ſubjectorum individuis non competunt. Multis evicerunt id exemplis Flac. Clav. ſcr. part. II. fol. 381. Glaſſ. Phil. S. Lib. V. cap. XIV. p. 1360. ſeq. Eraſm. Schmid. not. ad Matth. 19: vſ. 3. fol. 266. Id vero h. l. faciendum, & univerſalitatem inſinuatam non abſolute ad omnia omnino animalia, ſed limitate & ſecundum quid ad ea duntaxat animalium genera, quæ Lex divina menſis Judæorum exulare voluit, eſſe extendenda, argumenta §. præcedente allata evincunt. Quin ſi verſionem B. Lutheri, reddentis: **darinnen waren allerley vierfüßige Thiere der Erden** &c. ſequaris, dicendum fuerit, nec omnes omnino animalium immundorum ſpecies, ſed varias tantum Petro monſtratas fuiſſe, quod quidem in medio relinquimus.

§. IV. Cæterum dimiſſis generalibus hiſce, articulum capitis ſecundum aggrediendo, ad ipſa immunda animalia, quæ ſacer ſcriptor (fere, ut Pſaltes Pſalm. 148: 10.) ad quatuor ſumma genera revocat, deſcendamus. Primum itaque genus conſtituunt τὰ τετράποδα τῆς γῆς; ſecundum τὰ θηρία; ideo non inepte conjungenda, quia ex ſe invicem noſcuntur, naturis valde affinibus, & communibus munditiei characteribus gaudent, quin etiam in ipſa doctrinæ hujus ſede Levit. 11: 2. uno nomine veniunt, monente R. Salomone ben Melech, & R. Don. Jizchak Abarbanele in Comment. ad Levit. 11: 2. fol. 242. col. 4. cujus verba apponemus: ואמרו זאת החיה אשר תאכלו הוא כולל לבהמה ולחיה כי שני מיני ה"בח קראם כלם בשם חיה כאלו אמר הם החים אשר תאכלו ולכן במקום שנאמר בהן זאת (adde הבהמה) כמו שאמר בתורה זאת הבהמה אשר תאכלו הוא להודיע שבחיה תוכלל הבהמה ואמר הכתוב זאת החיה אשר תאכלו מכל הבהמה אשל על הארץ. h. e. *Quando vero inquit: hæc eſt* חיה *FERA, quam comedetis; ſub FERA comprehendit ſimul DOMESTICAM. Utramque enim hanc beſtiarum ſpeciem appellat nomine* חיה *feræ, ac ſi dixiſſet: Iſta ſunt* חיים *VIVENTIA, vel beſtiæ, quas comedetis; atque propterea, quo loco de iiſdem* (ſpecie immutata) *dicitur: hæc eſt beſtia domeſtica, prout in lege Deuter.* 14: 4. *hæc eſt beſtia domeſtica, quam comedetis: ſit illud, ut ſignificet, in beſtia fera comprehendi etiam domeſticam. Hinc ſcriptura aſſerit h. l. Hac eſt* חיה *beſtia fera, quam comedetis ex omni* בהמה *domeſtica, quæ ſuper terram.*

§. V. Quam

§. V. Quamvis autem per τετράποδα quævis animalia quatuor instructa pedibus intelligi possint, si vim vocis attendamus; tamen ad ea duntaxat vox h. l. restringenda est, quæ primo quidem sunt aliquantæ molis, & deinde domestica; Illud enim oppositio reptilium, hoc autem ferarum evincit. Sic quoque vocabulum θηρία, cum alioquin sit generalissimum, & ipsamet etiam reptilia, usitata scripturæ synecdoche generis pro specie (de qua vid. Boch. Hieroz. p.II. col. 571.32.) notet; non minus tamen h. l. ob necessariam ab animalibus quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus distinctionem coërcendum & ad sola animalia fera applicandum est. Nimirum eadem ratio harum vocum est, ac Hebræorum בהמה & חיה, quibus etiam in versione LXX. Interpretum sæpenumero respondent, vid. Genes. 1:24. 9:2.5. Exod. 8: 13. & alibi passim. Nam utrumque vocabulum quasvis nonnunquam bestias suo ambitu concludit, nonnunquam etiam significatione huic loco nostro plane contraria illud quidem (sed cum addito vocis שדה, ארץ) animalia fera, ut Psalm. 8: 8. 1. Sam. 17: 44. Jes. 18:6. Deuter. 28: 26. Jerem. 7: 33. hoc autem domestica, ut Num. 35: 3. designat. Attamen cum sibi invicem opponuntur, tum quidem voce בהמה jumenta & greges, & omne domesticum pecus; voce autem חיה agrestes feræ significantur. Ita certe R. Aben Esra ad Psalm. 148: 10. notat, per חיה intelligendum esse *animal* שאינה ביישוב, *quod non sit in locis habitatis*; בהמה autem esse, שהוא ביישוב, *quod in locis habitatis commoretur*, conf. Boch. Hieroz. I. Lib. I. c. II. col. 4. & 59. Talmudicis etiam discrimen hoc accurate observatur, cum statuant, adipem חיה sive ferarum esu quidem esse licitum, necessum autem esse, ut sanguis ejus terra tegatur; Et contra sanguinem בהמה, sive animalis domestici tegere, neminem obligari, at vero adipe ejus esse abstinendum. Vid. Maim. Hilc. Maachal. Asur. cit. l. §. 9. Unde porro certos ponunt characteres, quibus בהמה & חיה, sive animalia domestica & fera discerni queant. vid. Maimon. ad caput III. Cholin Mischn. VI. f. 116. a Edit. Venet. Syrus, qui reddidit: ܘܗܘܐ ܒܗ ܟܠܗܝܢ ܚܝܘܬܐ ܕܐܪܒܥ ܪ̈ܓܠܝܗܝܢ *Et fuerunt in eo omnia animalia quatuor pedum*; distinctione hac minus curata (ni tamen aliter legerit), utrumque animalium genus in unum contraxisse, aut certe posterius omisisse videtur.

§. VI. Evolutis nominum ambiguitatibus, in promtu erit definire, quænam animalium cum domesticorum, tum agrestium genera in visione hac Petro offerri potuerint: ea nimirum omnia, quibus vesci lege interdictum erat. Quæ certe maximam constituebant partem. Siquidem ex omnibus animalibus mansuetis & feris decem tantum genera cum subjectis speciebus Deus elegit, quæ Israelitis in cibum cederent. Recenset ea R. Mose ben Maim. Tr. de Cib. Vet. cit. l. §. VIII. his verbis: אין לך בכל בהמה וחיה שבעולם שמותר באכילה חוץ מעשרת המינין המנויין בתורה שלשה מיני בהמה והם שור שה ועז ושבעה מיני חיה איל וצבי ויחמור ואקו ודישון ותאו וזמר הם ומיניהן כגון שור הבר והמריא שהן ממין השור וכל העשרה מינין ומיניהם מעלה גרה ומפריס פרסה לפיכך מי שהוא מכירן אינו צריך לבדוק לא בפה ולא ברגלים *Ex omnibus animalibus domesticis & feris nulla sunt, quæ comedere liceat, præterquam decem ista genera, quæ in Lege commemorantur. Tria nimirum genera animalium domesticorum, utpote bos, ovis & capra: septem ferarum genera, nempe Cervus, Caprea, Antholops, Akko,* (hirci Sylvestris species) *Pygargus* (sive Tragelaphus), *Oryx, Zemer* (capreæ vel rupicapræ genus, ab agilitate saltus sic dictæ): *Ipsa nimirum, eorumque species, ut bos Sylvestris, & bubalus, quæ sunt bovis species. Omnia enim ista decem genera & species eorum ruminant, & findunt ungulam; & propterea is, qui ea habet cognita, necesse non habet, ut ea probet ex ore aut pedibus.* Fuerit itaque in linteo menti Petrinæ objectus Camelus; item שפן, sive Cuniculus, sive majoris muris genus in Palæstina, Ægypto & Libya, qui Herodoto & aliis δίπες, Senioribus χοιρογρύλλιος, Hieronymo ἀρκτόμυς, Arabibus اليربوع dicitur. Priorem significationem amplexus est Bochart. Geogr. Sacr. L. I. Can. cap. XXXV. p. m. 700. cum Spaniam à Schaphan, sive à cuniculis dictam esse contendit; posteriorem autem Hier. p. I. L. III. c. XXXIII. col. 1001. seq. Adfuerit quoque Lepus, Sus (cui æquiparatur canis; *pariter enim non ruminat, cum ungulæ tamen sint fissæ*, monente R. Bechai ad Lev. 11: 7.) quorum Lex expresse meminit Lev. 11: 4. seq. & Deut. 14: 7, 8. juxta cum aliis, quæ signis munditiei in scriptura significatis destituuntur.

§. VII. Tertium animalium genus Petro in visione exhibitum comprehendit τὰ ἑρπετὰ *Reptilia*. Sed & hæc vox sua non caret ambiguitate. Siquidem non minus ac Hebræum רמש interdum accipitur pro quovis gressili. *Plerumque tamen in scriptura sumitur pro quovis animali*, dicente Boch. Hier. I. Lib. I. c. IV. col. 23. *quod neque* בהמה *quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piscis est. Sic reptilibus accenset Moses minima quadrupedum, puta mures & talpas Lev. 11: vs. 29. & exsanguia omnia; sive super ventrem serpant, ut vermes; sive quadrupeda sint, ut locusta; sive multipeda, ut scolopendra. Lev. 11: 42. His adde volucria ex vs. 20. cujusmodi sunt præter locustarum nonnullas, muscæ, papiliones &c.* Est & alia significatio, quam Boch. l. c. innuit, qua scilicet Reptile *quandoque quadrupedibus atque avibus opponitur, ita ut pisces includat*; in quam sententiam citatur Lev. 11: 46. & Rom. 1: 23. Quærenti jam, quænam h. l. congruat significatio, fit obviam Syra Versio, quæ habet: ܪ̈ܚܫܐ ܕܐܪܥܐ *Reptilia terræ*, adeoque ad secundam retulit. Utut vero parum forte intersit, quænam hic obtineat, secunda, an tertia: non tamen à mente S. scriptoris longius aberrare putandus, qui tertiam assumens, etiam pisces huic includi vocabulo statuerit. cum ea sententia nec voci, nec rei significatæ repugnet. Ac voci quidem non repugnat, cum certum sit, aquatilia non minus ac terrestria reptilium nomine vocari. Locus omnium evidentissimus est Genes. 1: 20, 21. Ita enim LXX. Interpretes: ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, &c. καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, καὶ πᾶσαν ψυχὴν ζώων ἑρπετῶν, ἃ ἐξήγαγε τὰ ὕδατα κατὰ γένη αὐτῶν. conf. Psalm. 104: 25. *Omne scilicet, quod natat*, (ita Ambrosius in Hexaem. l. V. cap. 1.) *reptantis habet speciem vel naturam. Nam etsi in profundum cum se demerserint, aquam videantur findere, tamen cum supra innatant, repunt toto corpore, quod trahunt super quadam dorsa aquarum. Etiam amphibia, quæ pedes habent, & ambulandi usum, tamen cum in alto aquarum sunt, non ambulant, sed natant, nec vestigio utuntur pedis ad incedendum, sed tanquam remo ad reptandum.* Sed neque rei significatæ hæc repugnat interpretatio, cum ad oculum pateat, certa piscium genera in Levitico fuisse vetita, & hæc in visione Petro objici, nihil quicquam repugnet.

§. VIII. Revocamus itaque ad hoc reptilium, & terrestrium quidem genus, eas species, quæ Lev. 11: 30. commemorantur; & sunt החולד talpa, עכבר mus, צב crocodilus terrestris, cum speciebus suis, אנקה stellio כח lacerti species, quam Boch. Hz. I. Lib. IV. c. III. col. 1069. putat esse Arabum ورل guaril; לטאה letaa, lacerta stellioni similis, maxime venenata, & terræ adhærens, quæ Arabibus وحرة Wahara dicitur. vid. eundem l. c. c. IV. p. 1073. חומט Chomet, lacerta in arenis degens, quæ Arabibus, حلكا Ib. c. V. p. 1075. תנשמת Chamæleon. Pertinent etiam huc reptilia volucria, quæ, exceptis quibusdam speciebus, omnia prohibita sunt Lev. 11: vs. 20. seqq. Mundorum, unde immundorum pendet cognitio, indicem refert Maim. l. cit. c. 1. §. XXI. his verbis: מיני חגבים שהתירה תורה שמנה ואלו הן א חגב ב מין חגב והוא הרוכנית ג חרגול ד ומין חרגול והוא עוצרניא ה ארבה ו ומין ארבה והיא צפורית כרמים ז סלעם ח ומין סלעם והיא יוחנה ירושלמית *Specierum, quas Lex permisit, octo sunt, hæque sequentes: Chagab, ejusque species Duchanith; Chargol, ejusque species Ozarnia; Arbe, & species ejus, Avicula vinearum; Solam, & species ejus, Juchna Hierosolymitana.* Quorum hominum interpretationem, cum adeo obscura sit, ut ipse etiam Bochartus (quem, utpote omnium antecedentium conatus longissime supergressum, in his explicandis hactenus secuti sumus, & postea sequemur) ignorantiam suam fateatur, Hz. P. II. Lib. IV. c. I. col. 451. nullus hic à nobis flagitaverit. Ut, quod de nominibus bestiarum & avium dixit R. Aben Esra ad Prov. 26: 2. esse nimirum כחלומות בלי פתרון, *instar somniorum sine interpretatione*, id optimo jure de locustarum nominibus quoque enunciari possit.

§. IX. Reptilium aquatilium scriptura nullum nominatim recenset, sed sub generalibus tantummodo cautelis prohibet. Lev. 11: 9, 10. Notandum tamen est, quod in Lege dicitur: *Cuicunque fuerint pinnæ & squamæ in aquis, maribus & fluviis &c.* id Magistros accepisse exclusive, ut ea reptilia, quæ in vasis aqua repletis, cisternis, foveis & speluncis vivunt, regula minime concludi putarent. Pertinet huc è cap. II. Tr. sæp. cit. §. XVII. ubi dicitur: המים שבכלים שהשריצו הרי אותן שרצים מותר לשתותן עם מים שנאמר וכל אשר לו סנפיר וקשקשת במים בימים ובנחלים אותם תאכלו כלו במים בימים ובנחלים הוא שאתה אוכל את שיש לו ואין אתה אוכל את שאין לו אבל בכלים בין שיש לו בין שאין לו מותר: i. e. *Si aquæ in vase verminaverint, tunc ista reptilia una cum aqua bibere licet. Dictum enim est: Cuicunque sunt PINNÆ ET SQAMÆ IN AQUIS, MARIBUS ET FLUVIIS, ILLA*

COME-

COMEDETIS. q. d. in aquis, maribus & fluviis omne id comedes, cui ſunt ſquamæ &c. cui vero non ſunt, id non comedes. Sed quæ in vaſis continentur, ſive ſquamas habeant, ſive minus, licita ſunt. Itemque §. XVIII. שרץ המים הנברא בבורות ובשיחין ובמערות הואיל ואינן מים נובעין והרי הן עצורין הרי הן במים שבכלים ומותר׳ ושוחה ושותה ואינו נמנע ועף על פי שבולע בשעת שתייה מאותן השרצים הדקים׳ i. e. *Reptile aquatile, quod in ciſternis, foveis & ſpeluncis genitum eſt, cum aquæ non ſunt ſcaturientes, ſed clauſæ, tum par eorum eſt ratio, ac aquarum, quæ in vaſis continentur. Incurvat enim ſe homo & bibit, nec prohibetur, quamvis tempore bibitionis quaſdam beſtiolarum iſtarum abſumat. §. XIX.* במה דברים אמורים שלא פרשו ממקים ברייתן אבל אם פירש השרץ אף על פי שחזר לתוך הכלי או לתוך הבור אסור׳ פירש לדפני החבית וחזר ונפל לתוך המים או לתוך השכר מותר וכן אם פירש לדפני הבור או המערה וחזר למים מותר׃ *De quibus hæc dicuntur? de iis, quæ non receſſerunt à loco generationis ſuæ: ſi vero digreſſum fuerit reptile, utut in vas aut ciſternam ſe receperit, manet prohibitum. Sed ſi ſubduxerit ſe ad latera dolii, ac denuo in aquas aut ſiceram inciderit, licitum eſt. Sic etiam, ſi receſſerit ad latera foveæ, aut ſpeluncæ, ac denuo ſe in aquas receperit, licitum eſt.* Denique §. XX. המסנן את היין או את החומץ או את השכר ואכל את היבחושין או את היתושין והתולעות שסנן לוקה משום שרץ המים או משום שרץ העוף ושרץ המים׳ אפילו הזר לכלי אחר שסנגן שהרי פירשו ממקום ברייתן אבל אם לא סנגן שותה ואינו נמנע כמו שפירשנו׃ *Percolans vinum, acetum, aut ſiceram, ſi comederit vinariolas, culices & vermes, quos percolavit, vapulat ob reptile aquatile, aut ob reptile volatile ſimul, quamvis redierit in vaſculum, poſtquam ea percolaſſet: receſſerunt enim à loco generationis ſuæ. ſi vero non percolaverit ea, bibit, nec prohibetur, prout explicavimus.*

§. X. Haut omnino fruſtra paulo prolixius Canones hos adducere placuit, cum lucem non exiguam inferant effato Salvatoris, Phariſæos redarguentis Matth. 23: 24. ubi dicit: Ὁδηγοὶ τυφλοί, οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. Liquet enim è Judæorum traditionibus §. præcedente adductis, non ſolum id olim à Judæis factum, ſed & majoris ſanctitatis gratia factum eſſe. Cum enim liceret, vinum etiam non percolatum bibere, nec vinariolæ, aliæque beſtiolæ ex lege immundæ (ſentientibus ita Magiſtris) reatum inducerent, quod ex §. XVII. & XX. clarum eſt; nihil cauſæ fuiſſe videtur, cur in his minutiis ἀκριβολογήσαντες fuerint Phariſæi, ſimileſque ſanctitatem mentientes, quam accuratius Legis ſtudium & vulgari major obſervantia, ac ſpeciatim fortaſſis evitatio periculi §. XIX. cit. ſignificati. Quod autem nonnulli ex Sapientibus circa ipſas Leges Cibarias arctioribus ſeſe adſtrinxerint vinculis, Maimonides docet cap. IV. §. X. XI. XII. è cod. Cholin. cap. II. f. 37. a. b.

§. XI. Quartum Genus animalium lege interdictorum complectitur τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ Syr. ܦܪܚܬܐ ܕܫܡܝܐ *Volatilia cæli*, quo quidem nomine quid intelligatur, multa explicatione non indiget. Id tamen è §. VI. recolendum, minima quædam volucrium genera, ut muſcas, papiliones &c. reptilibus potius, quam avibus accenſeri. Cæterum huc referendæ omnes iſtæ ſpecies, quas Maimon. Cap. I. §. XIV. enumerat hunc in modum: סימני עוף טהור לא נתפרש מן התורה אלא מנה מנין טמאים בלבד ושאר מיני העוף מותרין והמיני האסורין ארבעה ועשרים הן ואלוהן א נשר ב פרס ג עזנייה ד ראה והיא הראה האמורה במשנה תורה ה איה והיא חדייה האמורה במשנה תורה ו מין האיה שכן כתוב בה למינה מכלל שהוא שני מינין ז עורב ח זרזיר שכן נאמר בעורב למינו להביא את הזרזיר ט יענה י תחמס יא שחף יב נץ יג ושרנקא והוא מין הנץ שכן כתוב בו למינהו יד כוס טו שלך יו ינשוף יז תנשמת יח קאת יט וחמרה כ חסידה כא האנפה כב מין האנפה שכן נאמר בה למינה כג הדוכיפת כד העטלף׃ *Characteres avium mundarum nulli in Lege expreſſi ſunt. numeravit enim tantum aves immundas; reliquæ autem avium ſpecies licitæ ſunt. Specierum vero prohibitarum XXIV. ſunt, eæque ſequentes: I. aquila. II. Oſſifraga. III. Melanaetus. Levit. 11: 13. IV.* ראה (*quæ eadem eſt cum ea, quæ Deut. 14: 13.* ראה *vocatur*) *Milvus. Ib. 14. V.* איה, (*quæ in Deuter. l. cit. dicitur* דיה) *h. e. Æſalon, ib. VI. Species Æſalonis. Ita enim de ea ſcriptum extat in Lege: SECUNDUM SPECIEM SUAM ib. hinc ſequitur, duas eſſe ſpecies. VII. Corvus, Ib. vſ. 15. VIII. Sturnus; Sic enim dicitur de corvo: SECUNDUM SPECIEM SUAM, ut includeretur Sturnus, Ib. IX. Struthio fœmina, X. Struthio mas, ib. XI. Larus aut Cepphus, ib. XII. Accipiter, ib. XIII. Scharnika, quæ eſt ſpecies accipitris; de hoc enim ſcriptum eſt: SECUNDUM SPECIEM SUAM. ib. XIV. Onocrotalus, vſ. 17. XV. Catarrhactes. ib. XVI. Bubo, ib. XVII. Noctua, vſ. 18. XVIII. Ardea, ib. XIX. Merops ſive ſpecies vulturis, ib. XX. Ciconia, vſ. 19. XXI. Aquilæ genus iracundum, forte Zummag Arabum ib. XXII. Species quædam hujus avis; de ea enim dicitur: SECUNDUM SPECIEM SUAM ibid. XXIII. Upupa. XXIV. Veſpertilio, ib.* Hic itaque eſt Catalogus avium immundarum, reliquæ omnes in mundis cenſebantur; quarum quidem numerum multo majorem eſſe, & credibile eſt, & à Magiſtris quoque docetur. vid. R. Bechai ad Levitic. 11: 13. Et tantum de Objecto Interdicti. Animus equidem erat, characteres horum animalium, quibus munda ab immundis diſcernebantur, cum ex Lege ſcripta, tum orali, quam vocant, deſumtos exponere: verum, quia plura & potiora dicenda reſtant, ideo Colophonem huic capiti imponemus.

CAPUT II.

De actu, lege vetito.

§. I. EXpoſitis animalium prohibitorum generibus, ſequitur, ut in actum lege vetitum inquiramus, ſubjuncturi poſtmodum pauca de pœna, qua in violatores hujus edicti animadverſum eſt.

§. II. Eſt itaque Actus ille, divina Lege interdictus, Comeſtio. Ita enim ſubinde Lev. 11. dicitur, לא תאכלו, *non comedetis.* vſ. 3. לא יאכלו *non comedentur.* vſ. 13. לא יאכל *non comedetur.* In noſtro quidem loco Apoſtolico duplex actus Petro injungitur, Mactatio & Comeſtio; dicitur enim vſ. 13. Ἀναστὰς Πέτρε, θῦσον καὶ φάγε. At prior ille ſaltim eſt præparatorius; ut vel exinde liquet, quod Petrus poſteriorem duntaxat deprecatur, priore ne nominato quidem. Ac ſane nullibi invenio prohibitum fuiſſe, animalia ex Lege immunda mactare. Quin potius certum eſt, quorundam animalium munditiem determinari non potuiſſe, niſi poſtquam mactata fuerint. Docet id §. XII. cap. I. Maim. Tr. cit. היה הקרקבן נקלף בסכין ואינו נקלף ביד ואין בו סימן אחר אע״ף שאינו דורס ה״ז ספק היה חזק ודבק והניחו בשמש ונתרפי ונקלף ביד הרי זה מותר׃ i. e. *Si ſtomacho ejus* (avis mactatæ) *cultro quidem, non autem nuda manu cuticula detrahi poſſit, nullo alio charactere præſente, licet vel maxime* (avis iſta) *cibos non diſcerpat, tamen eſt dubia; ſi vero fuerit firmus ac denſus, ſoli tamen admotus laxetur, tunc avis iſta munda eſt.* Unde promte ſequitur, animalia, ſaltim conditionis dubiæ, mactata fuiſſe: cum examen in canone præſcriptum non niſi in exanimatis exerceri potuerit. conf. §. III. cap. ejuſdem.

§. III. Cæterum edicto hoc tam vehemens Judæorum animis ingenita ciborum prohibitorum, ac præſertim carnis ſuillæ, averſatio; ut multis maximiſque moleſtiis ſeſe objicere, quin etiam mortem oppetere mallent, quam ejuſmodi carnibus ora mentemque polluere. Petri ſane (non minus ac Ezechielis 4: verſ. 14.) verba ſingularem horrorem præ ſe ferunt. Quam abhorreant hodierni Judæi à carne ſuilla, vel id argumento eſſe poteſt, quod ne nominare quidem ſuſtineant, IV. Schik. מ״ר cum notis pag. 394. ſingularis piorum hac in re conſtantia celebratur 1 Macchab. 1: 65, 66. πολλοὶ ἐν Ἰσραὴλ ἐκραταιώθησαν, καὶ ὠχυρώθησαν ἐν αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινά. καὶ ἐπεδέξαντο ἀποθανεῖν, ἵνα μὴ μιανθῶσι τοῖς βρώμασιν, καὶ μὴ βεβηλώσωσι διαθήκην ἁγίαν, καὶ ἀπέθανον. Quod 2. Macc. 6: vſ. 17. ſeq. & cap. 7. tot. Eleazari, ſeptemque fratrum Martyrum exemplis declaratur. Nobilis etiam locus hanc in rem reperire eſt apud Philonem in Flacc. fol. 758. Op. ubi enim narraſſet, in ingenti iſto tumultu, quem Alexandrini contra Judæos excitaverant, multas, eaſque promiſcui generis, mulieres comprehenſas, & in ſcenam deductas, aliaſque protinus dimiſſas fuiſſe, ſubjicit: εἰ δ' ἐφάνισαν ἡμέτεραι, προσέταττον οἱ ἀντὶ θεατῶν τύραννοι καὶ δεσπόται γεγονότες, κρέα χοίρεια διδόναι κομίζοντας. ὅσαι μὲν οὖν φόβῳ κολάσεως ἐγεύσαντο, μηδὲν ἔτι δεινὸν προσυπομείνασαι, ἀπελύοντο, αἱ δ' ἐγκρατέστεραι βασανισταῖς ἀνεδίδοντο πρὸς αἰκίας ἀνηκέστους. h. e. vertente Gelenio: *quoties autem noſtræ comperiebantur, ex ſpectatoribus facti tyranni & domini, jubebant eis ſuillas carnes offerri; quas quotcunque metu tormentorum guſtabant, ſine ulla vexatione majori dimittebantur; quæ vero ſibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos.* &c. Inſignis quoque locus eſt, quem nobis ſuppeditat *Illuſtris Ludolfus*, Vir cum in omnibus Orient. Linguis, tum vero inprimis *in Æthiopica non Germanorum modo, ſed omnium Europæorum longe Erudítiſſimus*, quo inſigni elogio Virum Excellentiſſimum ex merito mactat vir ipſe eruditiſſimus Sam. Bochartus, ſub finem præfa-

præfationis Hierozoico præmissæ. Hic, inquam, in nota 13. quam Confessioni Claudii Regis Æthiopum à se editæ subjecit, in ignem ex Elmacino & Patricide, Historicis Arabibus, refert historiam: quam, cum ad institutum nostrum quam maxime faciat, alibique non facile reperiatur, huc referre operæ pretium erit. Verba Elmacini sunt hæc:

ورسم قسطنطين الملك ان لا يسكن اليهود بيت المقدس وكل من لا يتنصر يقتل وتنصر خلق كثير خوفا من القتل ۞ وكانوا في الباطن يهود فبلغ ذلك قسطنطين الملك واستشار البطرك فقال له البطرك ان اليهود لا ياكلوا لحم الخنازير ابدا فيامر الملك ان يذبح خنازير كثيرة وتطعم اليهود منها فمن لا ياكل علم انه مقيم علي اليهودية فامر قسطنطين ان يعمل ذلك في يوم عيد الفصح ويجتمعون الي الكنيسة وكل من خرج من الكنيسة يطعم ومن لا ياكل يقتل * فقتل من اليهود في ذلك اليوم خلق كثير ۞

i. e. *Et dixit Constantinus Imperator, ne habitarent Judæi Hierosolymis. Et quicunque non Christianus fieret, morte mulctaretur. Et Christiani facti sunt plurimi metu cædis, fuerunt autem secreto Judæi. Et intellexit istud Constantinus Imperator, & percunctatus est Patriarcham. Et dixit ei Patriarcha, quod Judæi non vescerentur carne suilla in æternum. Itaque juberet Imperator mactari sues multas, quo gustarent Judæi de illis, & quicunque non ederet, indicium esset, quod ille persisteret in Judaismo. Et jussit Constantinus, ut fieret hoc die festo Paschatos, & congregarentur in templo; Et quicunque egrederetur ex templo, gustaret, & qui non comederet, interficeretur. Et interfecti sunt è Judæis illo die magna pars.* Huc pertinet etiam aculeatum istud Colloquium, cujus Lightfoot. Hor. Hebr. in Matth. 5:22. pag. m. 264. ex Tanchum. fol. 18. col. 4. meminit: *Dixit Ethnicus Israelitæ, paratum Tibi apud me est esculentum appositissimum. Qualenam illud? inquit alter. Cui ille; Caro suilla. Raka (inquit Judæus)! de bestiis etiam mundis apud vos non comedendum.* Ubi obiter notandum, quam familiare & contumeliosum Judæis vocabulum *Raka* fuerit; quod cum Matthæi l. c. confer, cui etiam illustrando à Lightf. adducitur.

§. IV. Verum Magistri Judæorum longius progressi docuerunt, non esum saltim, sed & usum quorundam animalium fuisse vetitum. Cognoscitur id ex Maim. Tr. sæpius cit. cap. VIII. §. XV. כל מקום שנאמר בתורה לא תאכל לא תאכלו לא יאכלו לא יאכל אחד איסור אכילה ואחד איסור הנאה במשמע עד שיפרוט לך הכתוב כדרך שפרט בנבלה שנאמר לגר בשעריך תתננה ואכלה׃ ובחלב שנאמר בו יעשה לכל מל אכה׃ או עד שיתפרש בתורה שבעל פה שהוא מותר בהנאה כגון שקצים ורמשים ודם ואבר מן החי וגיד הנשה שכל אלו מותרין בהנאה מפי הקבלה אף על פי שהן אסורין באכילה׃ i. e. *Ubicunque dicitur in Lege: NON COMEDES, NON COMEDETIS, NON COMEDENT, NON COMEDETUR; tam esus, quam Usus in sensu literali prohibetur, nisi scriptura expresse* (quoad posterius) *contrarium definiat; quod fecit in interdicto de cadaveribus, ubi dictum est: PEREGRINO, QUI EST IN PORTIS TUIS, EA DABIS, QUI COMEDET,* Deuter. 14:21. Et de adipe, *de quo dicitur: AD OMNE OPUS ADHIBEBITUR, Levit. 7:24. vel lege orali expresse definiatur, quod usus ejus licitus sit: cujusmodi animalia detestanda, & reptilia, & sanguis, & membrum de animali vivente, & nervus acetabuli. Horum enim omnium usus licitus est traditione, etsi esu sint interdicta.* Ita etiam §. sequent. XVI. כל מאכל שהוא אסור בהנאה אם נהנה ולא אכל כגון שמכר או נתן לכותי או לכלבים אינו לוקה ומכין אותו מכת מרדות והדמים מותרין׃ וכל דבר שאסור באכילה ומותר בהנאה ואף על פי שהוא מותר בהנאה אסור לעשות בו סחורה ולכוין מלאכתו בדברים אסורים חוץ מן החלב שהרי נאמר בו יעשה לכל מלאכה׃ לפיכך אין עושין סחורה לא בנבלות ולא בטרפות ולא בשקצים ולא ברמשים׃ i. e. *Omnis cibus, cujus usu interdictum est, si quidem in usum versus, non tamen comesus fuerit, nimirum, si quis vendiderit, aut dederit Cuthæis, aut canibus, non vapulat ea de causa; verberant tamen ipsum fustigatione rebellionis, pretium autem est licitum. Ac quicquid licitum est quoad usum, prohibitum vero quoad cibum, etsi licitum sit ratione usus, interdictum tamen est, ne quis eo commercia exerceat, aut operam suam quotidianam ponat in rebus vetitis, excepto adipe, de quo dicitur: ADHIBEBITUR AD OPUS QUODCUNQUE, Levit. 7:24. Hinc non exercent commercia, neque cadaveribus, neque insectis, neque reptilibus.* Pluribus Canonem hunc è scriptura deducit & explicat R. Bechai ad Lev. 11: vers. 11. fol. 123. col. 1. & 3. ita commentatus: אחר שאסרם באכילה בא לבאר ותאמר ואת נבלתם תשקצו לומר שאסור לסחור בהן וזהו ואת נבלתם תשקצו שכן דרשו רז״ל דגים טמאים לא יעשה בהן סחורה שני ואת נבלתם תשקצו׃ והנה הם שמונה דברים שאסור לסחור בהן ד׳ למעלתן וחשיבותן וד׳ לפחיתותן׃ ד׳ למעלתן הוא שאמרו ז״ל אין משתכרין בשל הקדש לפי שהקדש הוא להברה והקברה אין לו צורך בריוח והרחבת ממון כי הכל שלו שני לי הכסף ולי הזהב אמר ה׳ צבאות וגזבר ההקדש אינו רשאי לסחור בו ולא להרויח בו אלא שיהיה מוצנע ברשותו לבדק הבית וזה בהקדש סתם׃ אבל הקדש תנאי כגון המקדיש ממון על תנאי שילוו אותו וירויחו בו הרי זו מותר ולכך נהגו בכל הקהלות שהממונים על ממון ההקדש מלוים אותו ומרויחים בו שעל תנאי זה הקדישו הבעלים׃ אבל בהקדש סתם אסור ליגע בו ואין להרוית בו כלל ועליו אמרו אין משתכרין בשל הקדש ולא בשל צדקה לפי שהממונה על הצדקה אסור שיסחור במעות של צדקה ולהוציאן מרשותו כלל כי לפעמים יבא שבוי ויצטרך לפדותו ולא יהיו בידו מעות מזומנים או יצטרך לזון את העניים ואין בידו וימותו ברעב או יצטרך לכסות את הערומים ואין זה ריוח אלא הפסד גדול׃ וגם אין לסחור בבכור ומעשר שנפל בהם מום ואי אפשר לשוחטן במקדש אלא שיאכלם בענין שכתוב בשעריך תאכלנו אבל לא שיסחור בהן׃ וגם פירות שביעית אסור לסחור בהן שכך פרשו ר״זל לאכלה ולא לסחורה׃ והד׳ לפחיתותן ואלו הן בשר נבלות וטרפה שקצים ורמשים אם ישנן ברשותו מותר למוכרן שכן אמר הכתוב או מכור לנכרי לומר שהתיר לך הכתוב למכור בהמה שהיתה כשרה וכונתך לאכול אותה לולי סברת המקרה שקרה בה אבל אין הכתוב מתיר בה שתוכל לסחור בהן כשאר הבהמות הכשרות והטהורות׃ ושקצים דגים טמאים הוא שכתוב כאן ואת נבלתם תשקצו ולכך הוסיף זה להיות האסור בו שוה בין מת בין חי׃ i. e. *Postquam esu ea interdixisset, porro dicit:* Et cadavera eorum detestabimini: *q. d. interdictum esse, commercia iis exercere. Hoc enim vult sibi, quod dicitur:* Et cadavera eorum detestabimini; *sic quippe explicarunt Dd. nostri, p. m. dicentes:* Piscibus immundis commercium exerceri nequit; quia dictum est: Et cadavera eorum detestabimini. *Cæterum octo sunt res, quibus commercium exercere interdictum est; quatuor quidem ob excellentiam atque dignitatem, quatuor autem ob ignobilitatem (vel vilitatem) suam. Quatuor illas, quarum dignitas obstat, recensent Doctores nostri p. m. dicentes:* Non lucrantur ex re sancta, quia res sancta est Dei Benedicti, cui non opus est lucro atque divitiarum extensione; cum omnia ejus sint, quemadmodum dicitur Hagg. 2:8. Meum est argentum & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Et thesauro rerum sacrarum prohibitum est exercere commercia, aut ex eo lucrum capere, sed reponendus est in loco suo ad reficiendum templum. *Procedunt autem hæc de eo tantum, quod absolute sacrum est. Sed res sacra conditione talis, utpote pecunia, quam quis sacravit cum conditione, ut mutuo detur & lucrum inde hauriatur, ea licita est. Propterea in more habent omnes Synagogæ, ut, qui pecuniæ Deo devotæ præsunt, mutuo illam dent, & lucrum faciant: sub hac enim conditione à proprietariis dedicata est. Sed rem sacram absolute talem attingere, eaque lucrum facere ullum, vetitum est. Atque de hoc dixerunt Dd. nost. p. m.* non percipiunt lucrum ex iis, quæ ad res devotas pertinent, neque ex iis, quæ ad eleemosynas. *Hinc Præfecto super eleemosynas interdictum est, negociari pecunia eleemosynæ, adeoque omnino eas è loco suo dimittere: nonnunquam enim venit captivus, quem redimi oportet, atque tum non adesset ipsi parata pecunia; aut cibandi sunt pauperes, qui deficientibus nummis fame morerentur; aut vestiendi sunt nudi &c. ut adeo non foret lucrum, sed ingens potius calamitas atque damnum. Neque negociari licet primitiis aut decimis, quæ ob maculam sibi supervenientem in Templo mactari non licet, sed comedantur eo modo, quo dicitur Deuter. 15:22.* In portis Tuis comedes illud; *non vero, iis negocieris. Tandem m. fructibus anni septimi negociari vetitum. Sic enim explicarunt Dd. nostri p. m. illud Levit. 25:6.* לאכלה, *ut significetur comedi quidem, non autem ad negociandum adhiberi posse. Quatuor autem res, quæ ob vilitatem suam commerciis excluduntur, hæ sunt: Caro cadaverum, & discerptorum, detestandorum (sive piscium), & reptilium. Si penes quem fuerint, concessum, ipsa vendere; ita enim Scriptura determinat* Deuter. 14:21. Aut vende alieno: *quo ipso licentiam tibi concedit, vendere jumentum, quod esui idoneum erat, & quod intenderas comedere, ni casus interveniens prohibuisset: sed scriptura Tibi non permittit, ut negociationem iis exerceas, quemadmodum reliquis animalibus licitis atque mundis,* (Vid. Maimon. l. cit. cap. 8. §. 16.). *Per* שקצים *intelliguntur pisces immundi, & hoc est, quod sibi vult scriptura h. l. dicens:* Et cada-

Et cadavera eorum deteſtabimini. *Quod ideo addidit, ut intelligatur interdictum circa eos æqualiter ſe tam ad vivos, quam ad mortuos extendere.* Hactenus Bechai. Denique generaliter concludit Maimon. l. c. c. 8. §. XVIII. זה הכלל כל שאסורו מן התורה אסור לעשות בו סחירה וכל שאסורו מדבריהם מותר לעשות בו סחירה בין בספיקו בין בודאי: i. e. *Hæc eſt univerſalis Regula: Quicquid ex Lege prohibitum eſt, eo etiam commercia fieri vetantur. Quicquid vero prohibitum ſolis (Scribarum) Inſtitutis, eo licitum eſt negociari; ac tum eo, quod dubium, tum etiam eo, quod certum eſt.*

§. V. Non ſubſtiterunt hic Canonum artifices, ſed peculiari conſtitutione, & quidem ſub anathemate prohibuerunt, quaſdam immundorum animalium ſpecies, porcum nempe & canem, alere. Edictum legitur apud Maimon. Tract. Niske Mammon, cap. V. §. 9. אסרו חכמים לגדל חזירים בכל מקום ולא את הכלב אלא אם כן היה קשור בשלשלת: i. e. *Prohibuerunt ſapientes ullibi nutrire porcos, nec canem, niſi catena ligatum.* Cauſas hujus interdicti V. ap. Lightf. ad Matth. 8: 30. p. m. 315. Non poſſum tamen mihi temperare, quin adſcribam, qua occaſione porcos alere Judæis interdictum fuerit. Referunt eam ex Maſſech. Baba Kamma cap. VII. Miſchn. VII. Sota fol. XLIX. 2. Menachoth LXIV. 2. Lightf. l. c. pag. 316. & Diſquiſ. Chorog. Joh. præmiſ. c. IV. §. V. p. m. 938. Dn. D. Carpz. not. ad Schick מ״ה p. 191. hoc pacto ſe habentem: *Tradiderunt Rabbini, eo tempore, quo Haſmonæi inter ſe belligerabant, & intra urbem Hieroſolymam Hyrcanus obſeſſus, extra vero Ariſtobulus oppugnans erat, demiſiſſe obſeſſos quotidie in arcula pecuniam, pro qua oppugnantes reddiderunt agnos ad juge ſacrificium requiſitos. Adfuiſſe autem ſenem quendam Græcæ Philoſophiæ peritum, qui oppugnantibus dixerit: quamdiu obſeſſi cultui divino ſic vacant, tamdiu in manus veſtras non tradentur. Poſtero ergo die, cum pecuniam illi denuo in arca demitterent, reddidiſſe porcum: qui cum ad medium uſque muri perveniſſet, ungulas ſuas muro infixerit, è quo tota regio Iſraelitica per quadringenta milliaria in longitudine, totidemque in latitudine contremuerit. Inde ab eo tempore, inquiunt, decretum fuiſſe, maledictum fore, qui porcos alat, quique ſuum filium Philoſophiam Græcorum doceat.*

§. VI. Cæterum minus cum hac conſtitutione conſentire videtur hiſtoria illa, quam Matth. 8: vſ. 30. Marc. 5: verſ. 11. Luc. 8: 32. recenſent, ubi mentio fit numeroſi gregis porcorum, ſummam circiter duorum millium facientis. Unde enim tam dives proventus animalis, quod nullo modo alere licuit? Quamvis vero non ineptum foret dicere, Judæis crumenam & lucrum ſupremam eſſe ſolere legem, atque adeo minus credibile eſſe, eos lucro ac commodo domeſtico Canones traditionarios præpoſuiſſe: tamen eo potior ſine dubio eſt reſponſio, quam Viri docti ſubminiſtrant, Caſaub. Ex. XIII. Num. LXIX, & à quo cit. Schik. מ״ה p. 392. Lightfoot. ad Matth. 8: 32. p. m. 316. Boch. Hz. I. L. II. cap. LVII. fol. 697. Affirmant nimirum, porcos hos ad Judæos non pertinuiſſe, ſed ad Ethnicos inter Judæos Gadarenos habitantes. Nec enim tum temporis inſuetum fuiſſe, ut Judæi ſimul & Ethnici in terra Iſraelitica unam eandemque urbem incolerent, adducto exemplo Suſithæ ſive Hipponis à Lightfoot. Cent. Chor. Matth. præmiſſa. p. m. 137. probatur. Ita quoque Philo de Jamnia, *in de Leg. ad Caj. Op. fol.* 790, πόλις δέ ἐστιν τῆς Ἰουδαίας ἐν τοῖς μάλιστα πολυάνθρωπος. ταύτην μιγάδες οἰκοῦσιν, οἱ πλείους μὲν Ἰουδαῖοι, ἕτεροι δέ τινες ἀλλόφυλοι παρεισφθαρέντες ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων, οἳ τοῖς τρόπον τινὰ αὐθιγενέσιν ὄντες μέτοικοι κακὰ καὶ πράγματα παρέχουσιν, h. e. ex verſione Gelenii: *Jamniam urbem Judææ cumprimis ſequentem populo, colunt promiſcue, Judæi quidem pars maxima, nonnulli tamen etiam alienigenæ, qui malo fato ſubrepſerant è finitimis regionibus, & cum ſint inquilini, faceſſunt indigenis negocia &c.* Quin, ut de Gadara ſpeciatim id aſſeramus, faciunt ea, quæ à Boch. l. c. ex Joſepho adducta ſunt loca. Ex quibus patet, non tantum Gadaram civitatem Græcam, ſed & à Judæis & Ethnicis promiſcue habitatam fuiſſe.

§. VII. Hucuſque authoritas cum divina, tum humana animalia iſtiuſmodi juſſit eſſe prohibita. Supereſt, ut de pœna, qua peccantes cohibiti fuerint, aliqua dicantur. Equidem apud Petrum & alios pios ſine dubio plus momenti habuit majeſtas præcipientis, quam gravitas punientis. Hinc non verbera, non flagella allegat, quæ ſe deterruerint; ſed animum divinis rite præparatum eloquiis, à tali facinore omnino abhorrentem. Verum humanæ mentes non iiſdem expugnantur argumentis. Sunt, quæ ipſa virtutis pulchritudine captæ, honeſta monentibus haut difficulter obediunt; ſunt etiam, quæ, niſi graviori coërceantur manu, nihil operantur boni, plura pœnæ formidini, quam conſcientiæ recte factorum tribuentes. Hos poſtremos ut coërcerent Magiſtri Judæorum, neve divinas ſanctiones promiſcuæ violantium exponerent libidini, certum pœnæ genus decreverunt, iis irrogandum, qui ſanctitatem Legum nefario violare auſi eſſent conatu. Erat id מלקות i.e. *Vapulatio.* De qua cum multa dici poſſent, pauca tantum de forma ejus monenda eſſe duxi, L. B. plura deſiderantem ad Epiſtolam Buxtorfii P. Dedicatoriam, qua Abbreviaturas ſuas Dn. Phil. Mornæo du Pleſſis &c. commendavit, remittens, in qua argumentum hoc latiſſime executus eſt. Alligatis nimirum rei utrinque ad columnam manibus, ut neque ſtaret, neque ſederet, ſed inclinaretur; miniſter publicus pone eum lapidi inſiſtens, veſtibus uſque ad femora nudatum cædebat loro taurino, cui utrinque additum lorum minus aſininum, ſed utrumque bifidum, ut ſingulæ plagæ (qui ad ſummum XIII. infligebantur) tres ictus inferrent, longiore loro pectus & anteriorem ventrem, aliis duobus tergum percutientibus, indeque emergeret numerus XXXIX. ictuum, quos lege Deuter. 25: 2. doceri, Magiſtrorum erat opinio: quas etiam quinquies tuliſſe ſemet, teſtatur Apoſtolus Paulus 2 Cor. 11: 24. (cui loco ex hac obſervatione non parum lucis infertur). Inter cædendum Judex primarius verba Deut. 28. 58, 59. & 29: 9. Pſal. 78: 38. recitabat; Judex ſecundus numerabat ictus, tertius denique cædentem, ut juſſa impigre exequeretur, monebat. V. Bux. l. c. Schick. מ״ה cum not. Dn. D. Carpz. p. 143. ſeq.

§. VIII. Hoc itaque genus ſupplicii in eos decernebatur, qui de animalibus legaliter immundis comedere auſi erant. Affirmat id de unoquoque animalium genere Maimonides. Et ad τετράποδα quidem & θηρία pertinet §. II. cap. II. כל האוכל מבשר בהמה וחיה טמאה כזית לוקה מן התורה בין שאכל מן הבשר בין שאכל מן החלב לא חלק הכתוב בטמאים בין בשרם לחלבם: i. e. *Quicunque de carne beſtiæ aut feræ tantillum comederit, quantum olivam æquat, ille vapulat ex Lege, ſive de carne, ſive de adipe comederit: nec enim ſcriptura in impuris animalibus carnem ab eorum adipe diſtinguit.* Ad reptilia volatilia pertinet ejuſdem cap. §. V. חגב טמא הרי הוא בכלל שרץ העוף והאוכל כזית משרץ העוף לוקה שנאמ׳ כל שרץ העוף טמא הוא לכם לא יאכלו ואי זהו שרץ העוף כגון זבוב או יתוש וצרעה ודבורה וכיוצא בהן: i. e. *Cicada immunda eſt è numero volantium: & quicunque comederit, quantum olivam æquat, de reptili volatili, vapulat, cum dictum ſit:* Omne reptile volatile erit immundum vobis, non comedetur. *Quænam autem ſunt reptilia volatilia? v. g. muſca, Oeſtrus, crabro, apis &c.* De reptilibus terreſtribus agit §. VII. cap. ejuſdem: ושמנה שרצים האמורים בתורה שהן החלד והעכבר והצב והענקה והכח והלטאה והחומט והתנשמת האוכל מבשרם כעדשה לוקה: i. e. *Quicunque de carne octo ſpecierum in lege commemoratarum, Talpa, mure, crocodilo terreſtri, Stellione, Coach, Letaa, Chomet* (v. cap. I. §. IIX.) *Chamæleonte, magnitudine lentis comederit, vapulat.* Conf. §. XIII. XIV. ſuperiori cap. IIX. citatos. De reptilibus aquatilibus agitur §. XX. dicti cap. itidem ſuperiore cap. §. IX. allato. Denique de volatilibus & piſcibus ſimul habetur §. IV. dicti capitis: האוכל כזית מבשר עוף טמא לוקה מן התורה שנאמר ואת אלה תשקצו מן העוף לא יאכלו׃ והרי עבר על עשה שנאמר כל צפור טהורה תאכלו הא טמאה לא תאכלו וכן האוכל כזות מדג טמא לוקה שנאמר ושקץ יהיו לכם מבשרם לא תאכלו׃ ועבר על עשה שנאמר כל אשר לו סנפיר וקשקשת תאכלו מכלל שמי שאין לו סנפיר וקשקשת לא יאכל׃ הא למדת שכל האוכל דג טמא או בהמה וחיה טמאה או עוף טמא בטל מצות עשה ועבר על לא תעשה: id eſt, *Comedens de ave immunda magnitudine olivæ, vapulat ex Lege, quia dicitur:* Has deteſtabimini ex avibus, non comedentur &c. *Transgreſſus enim eſt præceptum affirmativum; quia dictum:* Omnem avem mundam comedetis; *unde infertur: Ergo immundam non comedetis. Sic quoque comedens inſtar olivæ de piſce immundo, vapulat, quia dicitur:* Et deteſtatio erunt vobis, de carne eorum non comedetis. *Tranſgreditur etiam præceptum affirmativum; quia dicitur:* Omne, cui fuerint pinna & ſquama, comedetis. *Unde ſequitur, illud, cui pinnæ aut ſquamæ non fuerint, non eſſe comedendum. Vides itaque, quod piſcem aut beſtiam aut avem immundam comedens & præceptum affirmativum irritum reddat, & negativum violet.* Excipiebantur tamen ab hac pœna, qui rem dubiam comedebant, ut ex §. XVI. cap. cit. manifeſtum eſt. Immunis quoque erat ab hoc pœnæ genere, qui rem quamcunque eſu prohibitam in uſum ſuum verteret, non tamen perinde fuſtigatione rebellionis evitata: V. §. XVI. cap. VIII. hoc ipſo cap. §. IV. citatum.

§. IX. Nec tamen promiſcue in quemvis, vel tantillum de re vetita comedentem hac pœna animadverſum eſt: ſed in eum duntaxat, qui tantum comediſſet, quantum olivam æquat, (quam men-

mensuram traditionem Mosis esse putant): qui minus comedisset, fustigabatur. Ita docet Maim. c. XIV. §. I. כל איסורי מאכלות שבתורה שיעורן בכזית בינוני בין למלקות בין לכרה בין למיתה בידי שמים: i.e. *Omnium ciborum in Lege prohibitorum quantitas est instar olivæ mediocris, sive ad verberationem, sive ad excisionem, sive ad mortem à Deo inferendam &c.* Et §. II. ושיעור זה עם כל השיערין הלכה למשה מסיני הם׃ ואסור מן התורה לאכול כל שהוא מדבר האסור׃ אבל אינו לוקה אלא על כזית׃ ואם אכל כל שהוא פחות מכשיעור מכין אותו מכת מרדות: i.e. *Mensura autem hæc, cum aliis, est traditio Mosis de monte Sinai. Ex lege autem interdictum est id omne comedere, quod est ex re vetita; non tamen vapulat, nisi ob quantitatem olivæ. Et si comederit, quantumcunque fuerit minus mensura ista, verberant ipsum fustigatione rebellionis.* Conf. §. XI. cap. II. Quatenus autem quidquam olivam æquare censendum sit, pro diversis casibus, qui contingere possunt, accurate, & curiosius forte determinatum est. Ita Maimon. cap. II §. XXI. זה שאמרנו בפרי׳ זה האוכל כזית כשאכל כזית מבריה גדולה או שצרף מעט מבריה זו ומעט מבריה זו שבמינה עד שיאכל כזית׃ אבל האוכל בריה טמאה בפני עצמה כולה ה״ז לוקה מן התורה׃ ואפי׳ היתה פחותה מן החרדל׃ בין שאכלה מתה בין שאכלה חיה׃ ואפילו סרחה הבריה ונשתנית צורתה הואיל ואכלה כולה לוקה: i.e. *Quod diximus in hac Sectione:* Comedens tantum, quantum olivam æquat &c. *ita accipiendum est: si comederit instar olivæ de uno supposito majori, aut si conjunxerit parum de hoc, & nonnihil de alio supposito, quod ejusdem cum priori est speciei, usque dum comederit, quod olivam æquet. Qui vero comederit bestiam aliquam impuram conjunctim totam, ille vapulat ex Lege, etiamsi grano sinapis minor fuerit; sive vivam comederit, sive mortuam. Et quamvis bestiola computruerit, formamque suam perdiderit, si tamen totam comedit, vapulat.* Quo etiam referendi sunt cap. XIV. §. III. VII. & VIII. Obiter autem nota, non solum à Christo, Matth. 13: vs. 31, 32. Marc. 4: 31. Luc. 13: 19. rem exiguam conferri grano sinapis; verum etiam eam loquendi formulam satis esse usitatam Magistris, ut proverbialis videri possit. à Maimonide certe in §. XXI. cap. II. & §. VIII. c. XIV. modo citatis usurpatur. vid. Lightf. ad Matth. l. c. pag. 358. Hotting. Primit. Heid. Diss. III. p. 59.

CAPUT III.

De fine Edicti.

§. I. Utcunque Judæi soli propemodum ob carnes nonnullorum animalium, ac præsertim suillas damnatas ingenti cæterarum gentium expositi fuerint ludibrio, tamen eadem à quibusdam bestiis abstinentia apud alios etiam populos obtinuit. Utrumque concluditur ex Phil. d. Leg. ad Caj. Op. f. 805. scommata Caji Imp. & suorum responsiones ita referente: Ἐπεὶ δὲ ἔνια τῶν περὶ τὰς οἰκοδομὰς διετάξατε, μέγιστον καὶ σεμνὸν ἐρώτημα ἠρώτα, διὰ τί χοιρείων κρεῶν ἀπέχεσθε. Πάλιν πρὸς τὴν πεῦσιν γέλως ἐκ τῶν ἀντιδίκων κατερράγη τοσοῦτος, τῇ μὲν ἡδομένων, τῇ δὲ καὶ ἐπιτηδευόντων ἕνεκα κολακείας, ὑπὲρ τοῦ τὸ λεχθὲν δοκεῖν σὺν εὐτραπελίᾳ καὶ χάριτι εἰρῆσθαι, ὥς τινα τῶν ἑπομένων αὐτῷ θεραπόντων ἀγανακτεῖν ἐπὶ τῷ καταφρονητικῶς ἔχειν αὐτοκράτορος, ἐφ' οὗ καὶ τὸ μετρίως μειδιᾶσαι τοῖς μὴ πάνυ συνήθεσιν οὐκ ἀσφαλές. Ἀποκριναμένων δὲ ἡμῶν, ὅτι νόμιμα παρ' ἑτέροις ἕτερα, καὶ χρῆσις ἐνίων ὡς ἡμῖν καὶ τοῖς ἀντιδίκοις ἀπείρηται· καὶ φαμένου τινός, ὡς πολλοί γε καὶ τὰ προχειρότατα τὰ ἀρνία οὐ προσφέρονται, γελάσας, εὖ γε, εἶπεν, ἐστὶ γὰρ οὐχ ἡδέα. h. e. *Ubi vero quædam mandata dedit de ædificiis, serio graviterque interrogavit: cur abstinetis à porcina? Ad hanc percontationem rursus risus magnus adversariorum exortus est, partim gaudentium, partim ut festivo salsoque dicto arridentium, & sic quoque captantium dominicam gratiam; adeo ut quidam è famulitio moleste ferrent, tam contemtim eos se coram principe gerere* (annon potius: eos principem habere contemtui?) *quo præsente subridere periculosum sit aliis, præterquam admodum familiaribus. Cumque nos respondissemus, esse mores alibi alios, & adversariis itidem ut nobis interdictum esse esu rerum quarundam: alius vero quidam subjecisset, multos ne agnina quidem vesci ubique parabili, ridens ille, recte, inquit, insuavis enim est &c.* Causam, quæ gentibus ejusmodi dictitaverit leges, ut plurimum superstitionem fuisse, satis colligitur. Confirmat id Plinius L. II. Nat. Hist. c. VII. p. m. 6. superstitiosos ita describens: *Externis famulantur sacris, ac digitis Deos gestant, & monstra quoque colunt,* DAMNANT ET EXCOGITANT CIBOS, *imperia dira in ipsos, ne somno quidem quieto, irrogant &c.* Cui (ni tamen quibusdam horum characterum ad sacra vel Christianorum vel Judæorum digitum intenderit). Hinc etiam Julianus imperator Ethnicismum omni conatu reducturus, sacerdotes suos καθαροὺς εἶναι ἀπὸ τροφῶν διεκελεύετο, καὶ ὅσων ἀπέχεσθαι προσήκει τοὺς, ὡς Ἕλληνες λέγουσιν, ἁγιστεύειν προῃρημένους. h. e. reddente Valesio, *Jussit, ut à cibis abstinerent, & ab aliis omnibus, à quibus temperare convenit eos, qui, ut Gentiles loquuntur, in castu esse volunt,* referente Sozom. L. V. H. E. cap. III. fol. 596. Atque huc Boch. Hz. l. L. II. c. XXXII. f. 314. revocat priscorum cum Græcorum, tum etiam Romanorum à bove aratore abstinentiam. Ita à piscibus Syros magna sibi cavisse superstitione, ex Ovidio, Tzetze, Menandro &c. notat Seld. de D. S. Synt. II. c. III. p. 260. & ex eo Hott. Prim. Heid. p. 410. Nold. Conc. Part. Not. 1526. De Ægyptiorum (quos supra Judæorum legati eo nomine perstrinxerant) & Judæorum abstinentia insignis locus extat apud Aben-Esram, ad Exod. 8: 22. *Ego sic statuo* (inquit), *Ægyptios tempore Mosis ejusdem cum Indis fuisse sententiæ, qui ultra dimidiam mundi partem constituunt, omnesque à Chamo descendunt. Hi ad nostra usque tempora nec carnem, nec sanguinem, nec adipem, nec ova, & omnino nihil, quod ex animali vivente prodit, comedunt; abominantur m. qui iis vescitur, ac pastoritiam artem exercere, ignominiosum putant. Sic quoque de Ægyptiis dicitur:* quoniam execratio est Ægyptiis omnis pastor ovium (Gen. 46: 36.) *nec in hodiernum usque diem cuipiam permittunt, ut carnem intra fines eorum comedat. Si vero eorum quispiam in alienam delatus fuerit regionem, ex omni loco se proripit, in quo carnem comedant, nec ulla re vescitur, quam σαρκοφάγος ejusmodi tetigerit, vasa quoque ejus polluta æstimat. Et sic de Ægyptiis scriptum est, Gen. 44: 32.* quoniam non possunt Ægyptii comedere cum Ebræis &c. Quem tamen quod generaliter nimis loquatur, ex merito castigat Seld. d. D. S. Synt. l. c. IV. p. 153. Cum certum quidem sit, Ægyptum vaccis, & omni lanato pecore, sue itidem, atque anguila abstinuisse, cæteris non item. vid. Seld. l. c. cum not. Baj. p. 107. Nold. C. P. not. 1166. De Indorum, & speciatim nobilissimæ Brachmanum sectæ abstinentia testatur Porphyrius & Cl. Alexandrinus apud Hoffm. Lex. Univ. Tom. I. fol. 303. De abstinentia Sabæorum insignis locus est, quem Hotting. Hist. Orient. L. I. c. VIII. p. 282. ex Muhammede filio Isaaki refert, dignus qui & hic legatur: *Prohibemur edere Camelum,* (alias vox Arabica ovem m. notat jugulatam) *& quicquid non sacrificatur: Quicquid item dentes in utraque maxilla habet conjunctim, ut porcus, canis, asinus. Ex avibus præter columbas & aves rostratas nihil conceditur;* nec *ex germinibus* (Fructibus, herbis) *nisi faba & allium. Vescuntur alii phaseolis, brassica capitata, crambe & lentibus.* De Pythagoreorum Legibus Cibariis agit Guil. Sald. Ot. Theol. L. IV. Exerc. II. §. II. pag. 660. sq. confer & Senecam T. II. Ep. CVIII. 534. p. Dudum autem est, quod hæ & similes Gentilium observationes Cyrillus Alex. gravissima sententia damnaverit; quæ legitur L. II. in Jul. p. 45. cit. Suiz. Th. Ant. Eccl. T. II. p. 471. προσποιοῦνται μὲν ὀλιγοσιτεῖν, ἔσθ' ὅτε, καὶ τῶν ἐδωδίμων ἀποπέμπονταί τινα, δεδίασι δὲ τῶν ἐκτόπων οὐδέν. i. e. *Nonnunquam quidem simulant, se exiguo cibo contentos esse, & cibos quosdam fastidiunt, sed à nullis rebus absurdis abhorrent.*

§. II. In eundem superstitiosorum catalogum referebantur à gentilibus Judæi. Quod clarum fit è verbis Senecæ, l. §. præc. cit. p. 532. Ubi enim narrasset, se Sotionis argumentis instinctum animalibus abstinere cœpisse, & anno peracto non tantum facilem, sed & dulcem consuetudinem expertum esse &c. addit: *Quæris, quomodo desierim? In Tiberii Cæsaris principatum juventæ tempus inciderat: alienigenarum sacra movebantur: Sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia* &c. Per *alienigenas* autem, *quorum sacra movebantur,* Judæos & Ægyptios intelligi, notat Lipsius, & probat ex II. Annal. Tac. Nec excusari forte possent Judæi à superstitione, si iis duntaxat permoti causis, quas Tacitus & Plutarchus, Viri alioquin gravissimi (apud Boch. Hz. l. L. II. c. LVII. 698.) allegant, has sibi leges imposuissent, ac tanta cum accuratione observassent. Sed major sine dubio erat autoritas, nec superstitio, sed Lex Numinis supremi animos his vinculis innexuit; qua etiam Judæi contra Satanam & gentiles se tutari debebant, per ea quæ monent R. Salomo ad Num. XIX. & Magistri in Joma fol. 67. 2. à Lightf. in Luc. 1: 6. p. m. 213. citati.

§. III. At si quæras, quænam tandem ratio impulerit Deum, ut hanc legem ferret populo sibi devoto? quemnam finem hoc edicto intenderit? aut quem fructum exinde in Judæos redundaturum quæsierit? Autores non eandem responsionem reponunt. R. Salomo ad Proverb. 25: vs. 2. negat, in causas hujus & similium præceptorum inquirendum esse, ita ad l. c. commentatus: כשאתה דורש בכבוד חכמים ובסייגים שעשו לתורה ובגזורות שגזרו בהם יש לך לחקור ולדרוש ולשאול טעם לדבר אבל כשתדרוש במעשה מרכבה ובמעשה בראשית ובחוקים הכתובים כתורה גכון חוקים ודברים שהשטן מקטרג עליהם ומשיב עליהם כאכילת חזיר וכלאי כרם ושעטנז אין

אין לך לחקור רק להסתיר ולומר גזרת מלך היא אין חקר: i. e. *cum inquiris in honorem ſapientum, & in ſepimenta, quæ Legi fecerunt, & in decreta, quæ ab eis profecta ſunt; tum poteris inveſtigare & inquirere, & rationem facti petere. At cum inquiris in opus quadrigæ, & opus creationis, & ſtatuta in Lege deſcripta, qualia ſunt Interdicta & res, contra quas Satanas diſputat, utpote de manducatione ſuis, heterogeneis vinearum, & veſtimentorum; non eſt Tibi* (in cauſas) *inquirendum, ſed taceas, & dicas: Eſt decretum regis, cujus nulla datur perveſtigatio.* Atque etiam è Chriſtianis, quam caute in talibus agendum ſit, monitum Guil. Sald. Ot. Theol. L. 1. Ex. 7. §. 11. p. 138. & L. 2. Ex. 2. §. 2. p. 220. At vero quoad præſens nec temere, nec fruſtra in rationes edicti inquiri, vel illud argumento eſt, quod ipſe Legiſlator Lev. 11: 44, 45. innuit, ſanctitatem populi in promulgatione hujus edicti, tanquam ſcopum, ſibi fuiſſe propoſitum. Non pigebit itaque, argumento huic paulo diutius immorari.

§. IV. Inprimis hic ab Autoribus monetur, animalia edicto vetita natura immunda non fuiſſe: quibus nunc longius inhærere, ſupervacaneum forte foret. Itaque, dimiſſis iis, eam audiamus controverſiam, qua disquiritur: An ſanitatis corporalis gratia hæc animalia fuerint prohibita? Affirmativam tuentur nonnulli ex Judæis, & nonnulli ex Chriſtianis. E Judæis nominamus *R. Moſen bar Nachman* Comm. ad Lev. 11: 13. è Chriſtianis *E. Gerhardum*, qui T. III. LL. d. LL. Cc. & For. §. 23. p. 274. ed. in 4. rationem hujus edicti tertiam facit Phyſicam. *Siquidem*, inquit, *plerorumque iſtorum animalium prohibitorum eſus valetudini parum congruus eſt; præſertim in regionibus illis calidioribus, quas Iſraëlitæ inhabitabant* &c. At contra magno niſu ſententiam hanc oppugnant R. *Abarbanel*, & R. *Arama*. Prioris verba apponemus è comm. in Deut. fol. 243. col. 4. איסור המאכלים שאסרה התורה כבר חשבו רבים מהמפרשים שהוא מפני בריאות הגוף ורפואתו להיות המאכלים הרעים ההם מולידים ליחות רעות זהו דעת הרמ"בן בפסוק ואלה תשקצו מן העוף/ וחלילה לי מלהאמין כן לפי שאם כן היה ספר תורת האלהים במדרגת ספר קטן מספרי הרפואה הקצרים בדבריהם ובטעמיהם ואין זה דרך תורת האלהים ועומק כוונותיה/ וגם שעינינו הרואות האומות האוכלים בשר החזיר השקץ והעכבר ושאר העופות והבהמות והדגים טמאים חיים כולם היום חזקים כראי מוצק ואין עיף ואין כושל בהם/ גם כי יש בריאות אחרות שהזקם מפורסם כאפעה נחש שרף ועקרב ולא נזכרו כאן בכלל האסורות וגם יש מהעשבים והצמחים מזיקים מאד וממיתים בארסיותם כמו אל"יכור וזולתם ממה שזכרו חכמי הרפואה ולא אסרה התורה אכילתם: i. e. *Multi Interpretum* (inquit) *in ea ſunt ſententia, cibis à Lege prohibitis ſanitatis cauſa interdictum eſſe; cum hujus generis cibi pravi pravos generent humores. quæ eſt ſententia Ramban ad vſ. 13. c. 11. Lev. Abſit autem, ut ego rem ita ſe habere putem. Si enim id eſt verum, tunc liber legis divinæ in eodem gradu dignitatis conſtitueretur cum libro exigui momenti medico, qui & rebus ſunt minuti & ponderibus: Hoc autem conſuetudini legis divinæ & profunditati ſententiarum ejus non convenit. Quin etiam oculi noſtri vident, gentes ſuillam carnem, deteſtandum, mures, & reliquas aves, beſtias, ac piſces immundos comedentes, illas, inquam, hodienum ſupereſſe ac vivere ſanas, vegetas ac firmas inſtar ſpeculi fuſi, nec eſſe feſſum aut languidum inter eas. Porro aliæ etiam dantur beſtiæ, quas eſſe noxias omnibus conſtat, ut aſpis, ſerpens, preſter & ſcorpio; quæ non recenſentur hic in numero vetitorum. Dantur etiam herbæ & frutices admodum noxii, adeoque viru ac veneno ſuo necantes, ut Eljacur & alii, quos Medici commemorant; quorum tamen eſu Lex minime interdixit* &c. Eadem fere habet *R. Arama* Comm. ad Lev. 11. ut plane conſtet, alterum ex altero mutuatum eſſe. Cæterum, ut adducta Abarbanelis argumenta examinemus, & quam vim in oppugnanda theſi contraria habeant, clarum faciamus, nunc non licet. Id ſaltim monebimus, habere Abarbanelem quoad theſin ſibi ſuffragantem Cl. Theologum, Dn. D. Chemnitium p. m. in Ex. . . T. p. 4. art. de Jejun. p. m. 202. diſerte dicentem: *Deus illa conſtitutione* (de diſcrimine ciborum V. T.) *non Phyſicum aut Medicum finem ſibi propoſitum habuit* &c. Nec difficulter quispiam huic poſteriori ſubſcripſerit ſententiæ (ſi præſertim de fine principali quæſtio inſtituatur): cum in ipſa doctrinæ hujus ſede Lev. 11: 44, 45. non ſanitas, ſed ſanctitas, tanquam finis hujus edicti, allegetur. An vero valetudo corporis finis ſecundarius dici, & hac diſtinctione conciliatio inter Bb. Dd. Chemnitium & Gerhardum inſtitui poſſit, aliis diſceptandum relinquitur.

§. V. Cum ergo ſanitas corporalis finis ſaltim primarius, conſtitutionis hujus haberi nequeat; ulterius progrediendum, & curatius inquirendum eſt, quid tandem eo nomine cenſeri poſſit. Et Judæos quidem ſi adeamus, monent primo in genere, has LL. in commodum Iſraëlitarum latas eſſe, fidemque facere, gentem ſuam præ aliis ad gaudia vitæ futuræ eſſe electam. Ita R. *Bechai* ad Lev. 11. f. 132. col. 1. med. ex veteribus: למה הדבר דומה לרופא שהלך לבקר שני חולים אחד יש בו סכנה אמר להן תנו לו כל מה שמבקש לאכול/ נכנס לשני אמר להן תנו לו מאכל פלוני ולא תתני לו מאכל פלוני/ לימים זה שהתיר לו המאכלים כולם מת/ וזה שהתיר לו מקצת ואסר לו מקצת נתרפא/ אמרו לו מה זאת אמר להן זה שראיתי בו סימני חיים התרתי לו זה ומנעתי ממנו זה/ וזה שראיתי בו סימני מיתה התרתי לו את הכל/ כך התיר הק"בה לאומות שקצים ורמשים וכל העברות לפי שהם מוכנים לגיהנם אבל ישראל שהם לחיים אמר להם את זה תאכלו ואת זה לא תאכלו/ i. e. *Res ſimilis eſt Medico, viſitanti duos ægrotos, quorum alter vitæ periculo erat expoſitus, cujus domeſticis dicebat: Date ipſi quicquid voluerit comedere. Ingreſſus autem ad alterum, dicebat domeſticis: Date ipſi hunc vel illum cibum, neque detis ipſi hunc illumve* (nominetenus expreſſum). *Poſtea ille, cui omnes cibos conceſſerat, mortuus eſt; Ille autem, cui quosdam conceſſerat, quosdam negaverat, convaluit. Interrogarunt ergo eum: Quid hoc rei eſt? Reſpondit eis: Huic, in quo ſigna atque indicia vitæ deprehendi, conceſſi hunc, prohibui iſtum* (cibum); *Huic autem, in quo ſigna mortis animadverti, omnes conceſſi: Sic etiam D. B. conceſſit gentibus quasvis res deteſtandas, & reptilia, omnesque transgreſſiones, quia illæ gehennæ ſunt deſtinatæ; ſed Iſraëlitis ad vitam ordinatis præcepit: Hoc comedetis, & hoc non comedetis* &c. Eadem habet R. Arama ad l. c. & R. Salomo ad vſ. 2. dicti c. Speciatim *R. Arama* ad duas claſſes utilitatem ex hoc interdicto provenientem revocat. Prior eſt, quod homini adſit occaſio & palæſtra quaſi, in qua luctando contra concupiſcentias carnales obedientiam ſuam Deo probaret, & mercedem vitæ futuræ conſequeretur. *Altera utilitas eſt*, (inquit Autor, cujus verba Ebræa, cum jam non ſint ad manus, addere vetamur,) *quam commemoraverunt Dd. noſtri dicentes*: Non data ſunt præcepta, niſi ad purgandos iis homines. *Purgatio autem in eo conſiſtit, ut homo vitam caute atque temperanter vivendo, jugum regni cœlorum ſuſcipiat, cohibendo ſe à multis, in quæ animæ ſuæ fertur cupido, & quibus reliquæ gentes aſſueverunt, idque propter interdictum divinum* &c. quæ fere coincidunt cum mente B. D. Chemnitii, Ex. C. Tr. P. IV. p. 212. (ſi tamen proſtheſin illam de mercede Bon. Operum proprie ſic dicta excipias), quartam hujus diſcriminis cauſam facientis hanc: *quod Deus voluerit obedientiam veteris populi ita probare, cum verbo ſuo prohiberet quædam, quæ per ſe non erant mala vel noxia, ſicut Adami obeditionem prohibitione ligni ſcientiæ boni & mali probavit.* Data autem eſſe hæc talia præcepta ad infirmandam concupiſcentiam, & confirmandam rationem, prolixe deducit R. Bechai. Comm. ad Lev. 11: 44. quæ ob prolixitatem huc referri nequeunt. Sed hæc utilitas, ſi in finibus hujus legis computanda eſſet, in remotis fortaſſis conſiſtere poſſet, in propinquis non item. Altera, quam R. Arama, atque cum eo R. Abarbanel f. 243. col. 4. (cujus verbis loquemur) affert, Legis hujus utilitas, indeque nata ratio vetandi, hæc eſt: לפי שהיו מתעבים ומשקצים את הנפש הטהורה ומשכלת ומולידים במזג האנושי אטימות וקלקול התאוות בעשותם באדם רוע מזג אשר ממנו תתהוה רוח הטומאה המטמאה הדעות והמעשים ומגרש רוח הטהרה והקרושה שעליה בקש דוד ורוח קרשך אל תקח ממני: i. e. *quod* (cibi iſtiusmodi) *deteſtabilem atque abominandam reddant animam puram atque intellectualem, ac in temperamento humano generent ἀπιμίαν, leveſque concupiſcentias, conſtituendo in homine pravam craſin, unde exiſtat ſpiritus impurus, inquinans mentem & actiones, & expellens ſpiritum purum & ſanctum, quem petiit David Pſ. 51: 13.* &c. Quin vero ratio hæc ſpuria ſit, nulli dubitamus. Ut enim nihil de eo principio dicamus, animi mores ſequi temperamentum corporis, quod Arama multis cum ex Ariſtotele, tum aliunde petitis argumentis probare conatur: unde quæſo Magiſtri evincent, ſingulis animalium vetitorum ſpeciebus, ejusmodi vim quandam noxiam ineſſe, animos ad prava quæque diſponentem? Supponitur id, non probatur.

§. VI. Patres & Doctores Eccleſiæ rationem hujus interdicti redditurі, ad typicas, quas B. Gerh. T. III. LL. d. LL. CC. & For. §. 23. p. 273. vocat, plerumque inclinant. Inſtar omnium ſit inſignis locus Euſebii L. 8. de Præp. Evang. c. 3. à Gerh. l. c. & Lang. Ep. Med. L. I. ep. LXI. jam olim allegatus: *Moſes ſub hoc de eſculentis ænigmate populum Iſraëliticum duræ cervicis & effrenem ea docere voluit, quæ ad juſtitiam & pietatem pertinerent. Nam animalia & volucres raptu & morticino viventes non alio nomine edere vetuit, quam quod hujus legis ſymbolo eos à ſpoliis & cæde deterreret. Suilla vero carne veſci prohibuit; quo Judæos admonuit, cum ſus ſit amica luto,*

 & locis

& locis uliginosis, in quibus se volutat, & oblectat; ut ea, quæ externe corpus, intus vero animam coinquinarent, sedulo caverent, & sobrie, non ut sues in crapula & sagina, viverent. Sic etiam B. Chemnitius l. c. secundam hujus edicti rationem reddit hanc, *quod discrimine illo ciborum mundorum & immundorum Deus pædagogicas quasdam figuras, significationes s. commonefactiones de cavenda immunditie & abominatione peccati, ac sectanda vitæ sanctimonia populo V. T. proponere voluit* &c. Nec displicet hæc ratio Judæis, quorum subtilissimus Bechai eodem plane modo quasdam hujus edicti partes ad mores refert. vid. Comm. ejus ad Lev. 11:13. seq. & conf. Philon. L. de Agric. Op. f. 160. & d. Migrat. Abr. f. 311.

§. VII. Potuissemus forte in his, quæ hactenus de fine hujus præcepti dicta sunt, subsistere; nisi textus noster ulteriorem ansam suppeditaret, quædam de eadem materia conjectandi. Quemadmodum enim certum est, Petrum per animalia immunda in cibum concessa monitum didicisse, Gentes communioni ecclesiasticæ & civili esse restitutas: ita forte à scopo non multum aberraret, qui conjectaretur, per eadem animalia mensis ademta Israelitas edoctos ex intentione divina didicisse, saltim debuisse, à Gentilium communione Ecclesiastica, & Politica sibi, quam possent maxime, caverent. Sed clarior erit sententia, si repetamus animo, qualis Gentilium usus cum in V. T. interdictus, tum Petro in N. restitutus fuerit.

§. VIII. Utrumque non inepte colligitur (ut alia prætereamus) ex hac ipsa historia, cujus particulam tractamus V. 28. enim hujus c. inquit Petrus: *Vos scitis, nefas esse Viro Judæo* κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, Syr. ܕܢܩܦ ܠܐܢܫܐ ܢܘܟܪܝܐ ܕܠܐ ܗܘܐ ܒܪ ܫܪܒܬܗ *propius jungi, aut accedere ad virum alienigenam, qui non sit ejusd. generis.* Ubi sane manifestum est, *Petrum protestari de suo accessu ad concionem gentilium incircumcisorum, & suam personam quasi legitimam reddere,* dicente Er. Schmidio ad h. l. conf. & Sanct. p. 220. Quid autem opus fuisset protestatione, nisi id aut legi aut certe consuetudini repugnasset? Utut autem non adeo probabile sit, simplicem congressum cum Ethnicis fuisse Judæis negatum; tamen familiarius iisdem uti, & inprim. apud eos divertere, cumque iis capere cibum, haut postremum putabatur flagitium. Ita sane Daniel sanctissimus Propheta, cibos refugiebat regios, c. 1:8. Juditha Holofernis Jud. 12:2. Ita speciatim vetitum, *ne comedat quispiam buccellam Samaritani, Avod. sarab, fol. 44:4. cit. Ott. Lex. Rabb. p. 582.* Quin Lightfootus ad 1 Cor. 9. p. 201. monet, *statutum olim fuisse à Juristis Judæorum, alimoniam ab Ethnicis non efflagitandam, & ne Judæus se Ethnico quoquam modo devinctum summitteret.* Hinc amicis Antiochi occasio, Judæos sugillandi, (apud Diodor. cit. Grot. L. II. d. J. P. & B. c. 15. §. 9:3.) *quod cum nulla alia gente mensam haberent communem.* Hinc ipsis Judæis enata oportunitas, carpendi Salvatorem, Publicanos & peccatores (per quos Gentiles non incommode intellexeris, coll. Gal. 2:16.) convictu suo dignantem. Matth. 9:10, 11. Marc. 2:15. Luc. 5:28, 29. &c. Et hujus facti invidiam Petrum h. l. putamus deprecari, & postea c. 11:3. excusare quibusdam, cætera non malis, Legis tamen nimium studiosis, qui habitum cum præputiatis commercium exprobraverant. Adhibita autem à Judæis hæc severitas, ut credibile, non solum, quod Ethnicos, ipsosque etiam infantes eorum (V. Lightfoot. ad. 1 Cor. 7:14. p. m. 194.) immundos ducerent: verum etiam, quod convictus haut infrequens symbolum esset concordiæ, non saltim civilis, sed & religiosæ. Hinc notatum, quod, qui animis in negocio cultus divini dissiderent, nonnunquam eo devenerint, ut eadem quoque mensa uti dedignarentur. De Ægyptiis probat id ex S. Script. & Herodoto Seld. d. D. S. Synt. I. IV. p. 153. Quin in ipsa primitiva Eccl. nefas erat cum Episcopis suspensis, excommunicatis, Judæis, Schismaticis, hæreticis, uxore clerici peccante, devota peccante, Episcopi vidua maritum accipiente &c. in cibo aut potu communicare. V. Epist. II. Papæ Calixti ad Epp. Galliarum. Conc. Eliberit. Can. L. Arelat. 2. Can. 30. Carthag. 4. Can. LXX. Tolet. 1. Can. 7:15, 16, 17. &c. Hinc Dionysius, Episcopus Alexandrinus Ep. ad Fabium, Episcopum Antiochiæ (habetur ea ap. Eus. H. Ec. L. 6. cap. 41:42.) quærit, utrum fratribus nonnullis, lapsis quidem, sed à Martyribus susceptis, ac communione orationis & ciborum dignatis, ab Ecclesia quoque universa communicandum sit? v. l. c. f. 241. Refert etiam Vales. not. ad Eus. H. E. L. 7. c. 5. f. 141. ex Firmilian. Stephanum Papam adeo ægre tulisse sententiam Synodi Africanæ, hæreticos rebaptizandos esse statuentis, *ut Legatis Synodi & tectum & hospitium negaret.* Et hic mos, ut apparet ex iis, quæ summe Venerand. Theologus Dn. D. Schm. Falc. Disp. p. 713. ex Joredeah affert, jam olim à Judæis usurpatus, & inde forte in Ecclesiam traductus fuit. Has igitur (ut in viam redeamus) ob causas factum putamus, cur Judæi Ethnicorum convivia adeo refugerent. Quibus adde, quod multa comedentibus cum gentilibus imminerent pericula circa cibos, aut impuros, aut illegitime mactatos &c. V. Lightfoot. ad 1 Cor. 10:25. p. 209. Sed huc etiam referenda sunt alia Ethnicorum commercia Judæis declinata; utpote, quod matrimonia aut affinitates eorum damnarent, aut certe ægerrime admitterent, V. Phil. d. spec. Leg. f. 602. Schick. ח"מ. p. 341. cum not. Dn. D. Carpzov. quod mercimonia cum Ethnicis non nisi certis conditionibus exerceri permitterent. V. Lightf. ad 1 Cor. 5:9. p. m. 177. Sed hæc, quæ hactenus dicebantur, conversationem civilem potissimum concernunt. Ad religiosam pertinet, quod Petrus visione divina instructus, & monito spiritus confirmatus, cum sciret se ad prædicandum evangelium à Cornelio, homine præputiato vocari, prompte sequitur, vs. 20. verbum divinum copiose exponit, vs. 36. seq. gratiosis Spiritus S. donis instructum una cum cæteris præsentibus, nulla circumcisione vel prævia, vel concomitante, vel subsequente, sacro baptismatis fonte initiat, vs. 47. Quod sub V. T. inusitatum fuisse, vel illud arguat, quod Petrus præter generalem Matth. 28:19. Marc. 16:15. datam instructionem, denuo fuerit monendus, licitum esse, & voluntati divinæ maxime congruum, ut gentes ad fidem vocentur. Confirmat etiam, quod ii, qui Petro sub initium dicam scripserant, audita ejus apologia admirabundi exclament: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam dedit ad vitam? Act. 11:18. Quod certe minime factum, si id tempore V. T. promiscuum & usitatum fuisset. Ac certe ipsa res docet, fontem gratiæ divinæ gentibus non adeo largiter in V. atque ipsis in N. & Judæis in utroque, fluxisse. Nullus enim gentili ad mysteria sacra & beneficia Ecclesiæ propria aditus patebat; nisi per circumcisionem divino insertus fœderi, & per proselytismum quasi totus in Judæum degenerasset, aut rectius, elevatus fuisset. Nulla tum temporis ordinaria ac solennis gentium per Apostolos aut Prophetas audiebatur vocatio: quin potius *sinebantur ingredi vias suas,* V. Act. 14:16. Conf. c. 17:30. Ps. 147:20. Quin etiam sub ipsis N. T. primordiis gratia ejusdem non statim gentibus patefacta est, V. Matth. 10:5. & conf. Act. 11:19. Quæ tamen non ita accipienda sunt, ac si omnes omnino viæ ad salutem gentibus fuissent negatæ. Non ea mens nobis est, nec id rerum legitima exigit ad se invicem consequentia. Utut enim hæc gratia Judæorum populo, ut propria, dicata fuerit; non tamen aliæ gentibus ademtæ, quæ eas ad Ecclesiam, indeque ad cælestia deducerent bona. de quibus tamen agere, Theologorum est.

§. IX. Cum ergo certum sit, gentes in V. T. solenni illa & generali vocatione caruisse, atque indignas habitas, quæ promiscuo cum Judæis coirent commercio: forte absurdus adeo haut foret, qui conjiceret, præcepto de animalibus immundis non comedendis, tanquam symbolis, Israëlitas ejus ipsius rei (in quantum quidem ex divina lege sive directe, sive indirecte pendebat) admonitos fuisse: quemadmodum constat, iisdem animalibus in cibum concessis, Petrum de invitandis & admittendis intra Ecclesiam gentibus, iisque familiariter utendis fuisse instructum. Favet huic conjecturæ præter evidentem textuum Lev. 11. & Act. 10. respectum ad se invicem, 1. generalis ratio judicandi de Ceremoniis & ritibus V. T. quorum (ut graviter monuit S. Vener. Dn. D. Schmid. Fasc. Disp. p. 412.) *Physicas causas conquirere vel semper, vel tantum, vanum est, nec ipsi scripturæ conveniens.* Ulteriorem scopum has LL. ferendo divinam sapientiam sibi habuisse propositum, docebit vel solus Paulus exemplo evidentissimo, 1 Cor. 9:9. & 1 Tim. 5:18. Favet. 2. analogia inter signum & signatum, idque tum ex parte subjecti, tum ex parte prædicati. Ex parte subjecti quidem, quia fœdis animalium reproborum moribus exacte respondet ingens impuritas, quæ irregenitas gentilium mentes inficiebat, eaque cum connata, quam Theologi Peccatum originis vocant, tum acquisita pravis & fœdis actionibus, quarum copiosissimum catalogum exhibet Paulus Rom. 1:26. seqq. Atque hac analogia invitante factum est, ut scriptura, cum truculentos gentium mores depingere vellet, sæpissime schematibus horum animalium indutas, Lectori sistat, V. Jerem. 49:22. Deut. 28:49. Jerem. 5:6. &c. Quin & ipsa Judæorum & Gentil. sub N. T. futura communio his tropis describitur à Jes. 11:6. seq. Ipsi etiam Magistri ex præsenti Parascha Lev. 11. animalia sibi elegerunt nonnulla, quibus regna gentilium adumbrarent, (quamvis non tam ad mores, quam alia quædam respicientes). V. Bechai ad Lev. cap. 11:4. seq. & Schick. ח"מ pag. 393. Ex parte prædicati apparet analogia, quia penitior unio fieri nequit, quam

ciborum

ciborum eſt cum corpore, unde nutritur, & incrementa ſua neceſſario capit; haut aliter, atque ex conſuetudine cum Eccleſiaſtica, tum politica peculiaris animorum unio, indeque multiplex utilitas exſurgit. Favet 3. ſcopus edicti Lev. 11: 44. 45. inſinuatus. Sublato enim promiſcuo cum gentilibus commercio, ſublata, aut certe multum præciſa erat occaſio ſcandalorum, peccatorum, ac ſpeciatim Idololatriæ, &c. quæ partim intellectum pravis ſententiis imbuebant, partim voluntatem ad peſſima quæque inclinabant. Salvis autem his facultatibus, non poterat non animæ ſua conſtare ſanctitas. Sic quoque ſublatis externis nuptiis ſervabatur generi ſuus honor, nec promiſcuo inficiebatur ſanguine &c. Favet 4. Lev. 20: 24. 25. *Ego ſum Dominus Deus veſter, qui diſtinxi vos à Gentibus, & diſtinguetis vos animalia munda ab immundis*, &c. ubi ſane nexus inter antecedens & conſequens multo arctior eſt, ſi relationem ſymbolicam ſeparationis animalium immundorum ad ſeparationem gentilium admittas; quam ſi in nuda & generali illa beneficii à Deo præſtiti ad officium ab hominibus præſtandum χέσει acquieſcas. Sed plura hanc in rem addere non licet. Cui hæc non ſatisfaciunt, is meminerit, oro, conjecturam potius, quam certam ac definitam ſententiam allatam eſſe.

CAPUT IV.

De Abrogatione Edicti.

§. I. QUemadmodum Lex Ceremonialis in genere jugo δυσβαστάκτῳ comparatur Act. 15: 10. Ita R. *Bechai*, vel potius Magiſtri, quos ſecutus eſt, Veteres hanc ejus particulam, edictum nimirum de diſcrimine ciborum, oneri, quod aſino imponitur, confert. Verba ejus ſunt ad Lev. XI. f. 132. col. 1. med. למה הדבר דומה לבעל הבית שהיה לו גורן והיה עמו חמור וכלבטען עליהם התבואה הכלב היה משליך המשוי כי לא נסה / מה עשה בעל הבית התיר מעליו את המשוי כן הק"בה כיון שראה את האומות שאין בהן לחלוחית ואינן מקיימין את המצות / i.e. *ſimile hoc eſt Patrifam. habenti aream, cui adſunt aſinus & canis, quos oneravit frumento; ſed canis projecit onus, nec enim aſſueverat. Quid ergo fecit Paterfam.? ſuſtulit ab ipſo onus. Sic etiam fecit Deus B. poſtquam vidiſſet, non eſſe in gentibus vigorem, nec eos ſervare præcepta &c.* Sed hoc onere non ſolum quidam in ipſo V. T. certis caſibus levati, verum m. in N. T. omnes promiſcue exemti ſunt. id quod præſenti cap. oſtendendum.

§. II. In V. T. quidem ab his obſervationibus eximebat I. *Fames extrema.* quod Maim. docet cap. XIV. §. XIII. האוכל מאכל אסור לתיאבון או מפני הרעב חייב ׃ ואם היה תועה במדבר ואין לו מה יאכל אלא דבר איסור הרי זה מותר מפני סכנת נפשות ׃ i.e. *Comedens cibum prohibitum ob deſiderium aut famem, reus eſt: ſiv. in deſerto oberraverit, nec quicquam ei ſuppetierit, quod comedat, niſi res prohibita; tum permiſſum eſt ob vitæ periculum.* Speciatim ad milites hoc privilegium pertinuiſſe, docet idem in Hilc. Melach. init. cap. VIII. unde citat Schick. מ"ה pag. 395. quem vide, notaſque Carpzovii. Quin etiam, qui eſurie laborabant, illicitis ſatiabantur. Ita enim Maim. cap. cit. §. XVI. מי שאחזו בולמוס מאכילין אותו דברים האסורים מיד עד שיאורו עיניו ׃ ואין מחזרין על דבר המותר אלא ממהרין בנמצא ומאכילין אותו הקל הקל תחלה ׃ אם האירו עיניו דיו ואם לאו מאכילין אותו החמור ׃ i.e. *Si quem βούλιμος invaſerit, eum cibant cibis prohibitis confeſtim, uſque dum illuminentur ejus oculi; neque circumeunt petentes rem licitam, ſed feſtinantes cibo, quemcunque occupaverint, ſatiant, & quidem leviſſimo quoque primum, ſi tum illuminati fuerint oculi ejus, ſufficit; ſin minus, cibant eum gravioribus. II. Malacia gravidarum*, ut patet ex Maimon. l. c. §. XIV. עוברה שהריחה מאכל אסור כגון בשר קדש או בשר חזיר מאכילין אותו מן המרק אם נתיישבה דעתה מוטב ׃ ואם לאו מאכילין אותה פחות מכשיעור ׃ ואם לא נתיישבה דעתה מאכילין אותה עד שתתיישב ׃ i. e. *Si prægnans cibum interdictum odorata fuerit, utpote carnem ſanctam a. ſuillam, cibant eam juſculo. Si tum acquieverit mens ejus, bene factum; ſin minus, cibant eam particula minore, quam quantitas requirit. Si nec tum acquieverit mens ejus, cibant eam, donec acquieſcat.*

§. III. Sed tempore N. Fœderis omnis hæc obſervantia cum cæteris ceremonialibus ceſſavit. Docuit ſatis diſerte Chriſtus Matth. 15: 11. 17. *Non quod ingreditur in os &c.* Ita etiam, cum Luc. 10: 8. diſcipulos moneret, *ederent, quicquid apponeretur*, ex ſententia Lightf. in h. l. p. 788. eo ipſo *à tædio & perplexitate ejus curioſitatis*, quam Canones traditionarii poſtulabant, *eos liberabat, &c.* Quæ alias ex Epiſtolis Paulinis hanc in rem afferuntur & plurima & luculentiſſima, lubens prætermitto. An autem, quod Lactant. L. IV. div. Inſt. c. XVII. aſſerit, *Judæi Chriſtum occidentes hanc cauſam invidiæ ſuæ prætulerint, quod abſtinentiam ſuillæ carnis auferret*, in Hiſtoria Paſſionis expreſſe ſignificatum nondum hactenus reperire potui.

§. IV. In ſpecie præſens locus ex Actis in confirmationem abrogationis præcepti de diſcrimine ciborum, à multis Theologis & Philologis, Chemnitio, Gerhardo, Geiero, Dannhawero, Bocharto &c. citatur. At repugnat Eccleſia Abyſſina, cujus Advocatus *Zaga Zabo* (qui juſſu Imperatoris Abyſſinorum Legati munere apud Johannem, Portugalliæ Regem anno 1526. functus eſt) ad l. h. ab Antagoniſtis ſibi objectum ita reſpondet: (referente Damiano à Goes, & ex eo Autore Der Aſiat. und Afrik. Denckw. p. 465.) *Viſio hæc apud nos in Æthiopia ita exponitur. Animalia munda* (nempe & hæc in linteo adfuiſſe putat) *ſunt filii Iſraël; immunda, Gentes, ita vocatæ, quod Idololatræ ſint, & immunda Diaboli opera perficiant. Dicente a. voce ad Petrum: ſurge, macta; id eo ſenſu accipimus, Petre, baptiza, comede, h. e. prædica, & annuncia fidem, & legem Dn. noſtri Jeſu Chriſti Iſraëlitis & gentibus. Certum eſt, nullibi repertum iri vel Petrum, vel alium quemcunque Apoſtolorum poſt hanc viſionem immunda animalia vel mactaſſe, vel comediſſe.* Et paucis interjectis: *Omnes docti in eo conſentiunt, linteum Petro oſtenſum de gravibus & ſeriis ipſum docuiſſe materiis, quæque ſalutem noſtram propius contingerent; non autem terrenas atque mundanas oſtendere voluiſſe. Non etiam exinde concludere licet, nobis adeſſe libertatem, impuris veſci cibis: cum hoc ex ſcriptura colligi nequeat &c.* Et ſane negari nequit μυστικώτερόν τι viſione hac Petro eſſe ſignificatum. Quod & ipſe oſtendit clariſſime, dum 1. ſibi redditus in litera verborum, quibus præceptum efferebatur, minime acquieſcens, de genuino viſionis dubitat ſcopo, & poſtea à ſpiritu ea de re inſtruitur. 2. evidenter docet verſ. 28. ſibi à Deo oſtenſum, ne hominum quenquam immundum duceret. 3. contra fratres, commercium cum gentilibus ipſi exprobrantes, apologiam ex hac ipſa viſione parat. Conf. Act. 15: 7. 8. 9. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, nihilominus tamen abrogatio iſtius edicti ex noſtro loco quodammodo videtur poſſe colligi. Et 1. quidem ex eo, quod minus videtur probabile, ſub externo ſymbolo actus cujuſdam à Lege divina diſerte prohibiti actum quendam hactenus illicitum, velut licitum, imperari. Equidem id & naturæ rei & perpetuæ ſcripturæ praxi non adeo conſentit. Atqui illud h. l. factum foret, ſi interdictum de non manducando cibo ex Lege vetito, ſuo adhuc vigore gaviſum eſſet. 2. ex hypotheſi cap. præc. §. VII. ſeqq. expoſita. Quæ, ſi aſſumatur, & ſeparatio gentilium pro fine (& quidem principali atque unico) edicti de ſeparandis animalibus immundis habeatur; denuo clarum fit, diſtinctione populorum ſublata, ſublatam etiam eſſe diſtinctionem ciborum. Ceſſante enim fine, ceſſant & media ad finem illum ducentia. 3. ex eo, quod Petrus Act. 11: 3. ſeq. clare teſtatur, per viſionem hanc poteſtatem ſibi factam eſſe, introëundi & comedendi cum gentibus. Quo facto legum de puritate aut impuritate ciborum, utpote Gentilibus adeo exacte non cognitarum, aut certe in præparatione ciborum non obſervatarum, ratio haberi non poterat. Unde ea piorum in V. T. à conviviis & cibis gentilium abſtinentia. Et hæc quidem ad argumentum Theologorum noſtrorum vindicandum dicta ſunto.

§. V. In Medraſch *Tanchuma* Magiſtri quærunt de Porco: למה נקרא שמו חזיר *quare nomen ſuum accepit à reſtituendo* & reſpondent in quibuſdam exemplaribus (in aliis enim aliter legitur) מפני שעתיד ה"בה להחזירו לישראל *quia futurum eſt, ut Deus* reſtituat *eum Jiſraëli.* Unde nonnulli etiam ex ipſis Judæis concludunt, tempore Meſſiæ reſtituendum fore eſum carnis ſuillæ. Refert id R. Bechai ad Lev. XI. f. 132. col. 2. poſt med. quamvis aliam afferat explicationem. Ita autem ille: ויש נוסחאות שכתוב עתיד הק"בה להחזירו לנו / וההמון מבינים שעדין יהיה טהור לישראל / אבל באור הנאמן על הכח שלו שהוא מצר לישראל ולעתיד ישוב עם שאר כל הכוחות לעזור ולתמוך לישראל כי ירבה השלום בעולם שני וגר זאב וגו׳ ׃ i. e. *Sunt porro exemplaria, in quibus ſcriptum eſt, fore, ut Deus B.* reſtituat *illum* (ſc. porcum) *nobis. Ex quo vulgus concludit, ipſum deinceps mundum Jiſraëli futurum. Verum explicandum illud eſt de potentia ejus* (Regni per porcum deſignati), *quæ nunc affligit Jiſraëlem; ſed in futuro tempore una cum cæteris potentiis omnibus convertetur ad auxilio juvandum, & ſuſtinendum Jiſraëlem. Pax enim multiplicabitur in mundo, prout dicitur* Jeſ. 11: 5. Et habitabit lupus cum agno &c. *Et*: non male agent, neque corrumpent in univerſo monte ſanctitatis meæ &c. Affert tamen *Abarbanel* in Roſch Amanah c. XIII. fol. XIX. col. 2. cit. Dn. D. Carpz. not. v. ad Schickard. מ"ה p. 394. aliam adhuc explicationem, concedentem, *veteribus ſermonem eſſe de porco in diebus Meſſiæ*

Messiæ quoad esum & usum restituendo; *sed tantum propter bella cum gentibus gerenda*, & *ad certum tempus* &c. Quæ posterior explicatio, si menti Autorum conveniat, sententiæ Christianæ haut parum suffragabitur. Unde enim Rabbi suam restrictionem probaret?

§. VI. Cæterum abrogatio hæc sicuti multis (ut quidem æstimare licet,) non ingrata accidit; ita vicissim aliis, è circumcisione præsertim, ægerrime persuadebatur. Immutabilitas putatitia Legum Ceremonialium ita eorum animis insederat, ut vel minimo ausu contraire nefas putarent maximum. Testantur id admonitiones, instructiones, correptiones, Paulo circa hanc materiam toties repetitæ, & magnam contradicentium Pseudo-Apostolorum impudentiam atque contumaciam arguentes. Ac speciatim huc referendi videntur ii hæretici, quos Legalium Ceremoniarum observantiam pressius ursisse Ecclesiastica testis est Historia; inque his cumprimis *Ebion* cum complicibus, de quibus Euseb. H. E. L. II. c. XVII. f. 99. δεῖν γὰρ (ἡγοῦντο) πάντως αὐτοῖς τῆς νομικῆς θρησκείας, ὡς μὴ ἂν διὰ μόνης εἰς τὸν Χριστὸν πίστεως καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν βίου σωθησομένοις. *Legis observationem sibi omnino necessariam ducebant, quasi per solam in Christum fidem, vitamque ex ea fide traductam, salutem consequi non valerent.* Itemque Nazaræi, quos Epiph. l. I. T. II. f. 122. *in nullis à Judæis dissentire* testatur. Qui etiam de Cerintho L. I. T. II. hær. XXIIX. f. 110. asserit, eum præter Carpocratis dogmata etiam *Judaicos ritus adscivisse*, & fol. 111. auctorem fuisse seditionis Act. 11:3. contra Petrum excitatæ. Quamvis & id constet, nonnullos horum hæreticorum longius progressos ab omnibus penitus animatis abstinuisse, quod §. seq. clarum fiet. Quid? quod ne hodie quidem Ecclesia Abyssina animalibus Lege vetitis vesci sustineat, utcunque alias jus suum usurpantes laudabili modestia condemnare nolit. quod ii testantur, qui de rebus & religione Abyssinorum scripserunt. An vero eapropter hæc Ecclesia damnanda, aque communione spirituali separanda; an vero ex legibus charitatis, Paulo Rom. cap. 14. tantopere inculcatis toleranda fuerit, Theologorum esto disquirere. Sed & inter adversarios nostræ libertatis quodammodo referendi Muhammedani, quos suillis abstinere notorium est. Verum enim vero nunquam Ecclesia à libertate sua se dimoveri, aut jugum harum observationum sibi denuo imponi passa est. Hinc Eus. L. I. c. IV. f. m. 16. collationem inter Patriarchas & Christianos cum in aliis, tum etiam in hoc instituit, quod neutris à certis cibis abstinere curæ fuerit. Hinc quoque nulla Spyridoni religio, inter ipsa etiam jejunia suillam hospiti apponere. Quam historiam V. ap. Sozom. L. I. c. XI. f. 417.

§. VII. Et hæc quidem sive hæreticorum, sive infidelium superstitio Ecclesiæ semper damnata fuit. Irrepsit tamen alia huic confinis, majoresque radices egit. Fuerunt nempe, qui abstinentiam ab omnibus omnino animatis, nonnulli etiam à vino, sive suadebant ipsi, sive aliis docentibus morem gerebant. Diversos hæreticos ejus superstitionis reos facit Epiphanius in Panario. Ita v. g. L. I. T. II. hær. XXIII. de Saturnilianis agens testatur, *plerosque ex horum disciplina animatis omnibus abstinuisse, ut affectato illo sanctioris vitæ genere nonnullos in errorem pellicerent.* Et Hær. XXX. cap. XV. f. 139. de Ebionitis refert, ipsos in Libro de Circuitu Petri, de hoc S. Apostolo cum alia mendacia, tum etiam hoc confinxisse, *quod ab animatis omnibus & carnibus, reliquoque omni, quod carne constet, abstinuerit; quoniam ab iis tam Ebion olim, quam Ebionitæ omnes abhorrent &c.* conf. cap. XVIII. f. 142. ubi exponit, quam impudenter historias sacras, in quibus de esu animatorum agitur, rejecerint. Porro L. II. T. I. hæres. XLVII. c. I. f. 400. de Encraticis inquit: ἔμψυχα γὰρ βδελύσσονται, ἀπαγορεύοντες, οὐχ ἕνεκεν ἐγκρατείας, οὔτε πολιτείας, ἀλλὰ κατὰ φόβον, καὶ ἰνδαλμὸν τοῦ μὴ καταδικασθῆναι ἀπὸ τῆς τῶν ἐμψύχων μεταλήψεως. *Animatis vesci prohibent, non temperantiæ studio, neque peculiari ex instituto vitæ, sed falso quodam & affectato metu, ne ob animatorum usum sibi ipsis damnationem arcessant.* Idem, quoad caput rei, testatur Irenæus apud Euseb. L. IV. c. XXIX. f. 150. causas enim, quas Encratitæ suæ abstinentiæ prætulerunt, minus recte ab Epiphanio allegari, docet D. Chemn. Ex. C. Tr. P. IV. pag. 280. Ejusdem superstitionis arguit quosdam *Sampsæorum, sive Elcesaitarum*, L. II. T. I. hær. LIII. f. 461. *Valesiorum*; hær. LVIII. f. 489. *Hieracitarum* L. II. T. II. hær. LXVIII. f. 712. Idem furor *Manichæos* abripuit, hær. LXVI. f. 625. Denique etiam *Eustathius*, Episcopus Sebastiæ in Armenia, hujus criminis reum se fecit. V. Socrat. L. II. c. XLIII. f. 156. & Soz. L. III. c. XIV. f. 520. 521.

§. VIII. Cæterum nunquam hoc malum usque adeo invaluit, ut non inveniret, qui latius serpenti sese opponerent. Nam Papa Eleutherius XIV. P. R. adversus Tatianum & Encratitas, nullum cibum rejiciendum esse, decreverat, referente Diet. Brev. Pont. Rom. p. 43. ex Platina. p. 21. & Rolvinck. Fasc. temp. f. 43. It. Caranza Sum. Conc. p. m. 20. b. (Si tamen citati Autores id hauserint ex epistola nominato Pontifici adscripta, quod probabile, tum fides ejus asserti, non minus atque ipsarum literarum, vacillabit). Sed & Concilium Gangrense cap. II. Eustathianorum hæresin damnavit his verbis: *Si quis carnem edentem, præter sanguinem & idolis immolatum & suffocatum, cum religione & fide condemnet, velut spem propter hujusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.* Sic etiam in Priscillianistas, ejusdem superstitionis reos Concilium Toletanum I. & postea Bracarense I. Can. XXXII. anathema vibravit. Conf. Can. Apost. L. & LII. & Conc. Ancyr. Can. XIV. Negandum tamen non est, diætam, qua ab animalium carne religionis causa abstinetur, in ipsam sensim Ecclesiam admissam, ac Monachis potissimum probatam fuisse. Hinc nihil frequentius in horum laudibus commemorari videas, quam abstinentiam à carne, & aliis nonnunquam cibis. Gloriosum enim tum putabatur quam maxime, olusculis, aridoque pane, ad mensuram sumto, famem utcunque depellere. Exempla nolo congerere. interim adeat, cui vacat, præter alios Socr. L. IV. c. XXIII. f. 232. & 236. & L. VI. c. XVII. f. 354. Sozom. L. I. cap. XIII. f. 420. & L. VI. c. XXIIX. f. 678. & c. XXIX. f. 680. Evagr. L. I. c. XXI. f. 278. confer etiam, quæ in Decr. Grat. d. Consecr. dist. V. cap. XXXII. ex Fructuoso Episcopo citantur. Crediderim, & credulitatem meam firmat D. Chemn. pag. IV. Ex. C. Tr. p. m. 262. eos Christianorum, qui primi hanc abstinentiam usurparunt, exemplar, ut totius vitæ Monasticæ, ita etiam hujus superstitionis ab Essæis, sive Therapeutis Philonis petiisse. Nec enim id solum constat è cit. Aut. L. d. vit. Contempl. f. 696. eos τράπεζαν καθαρὰν τῶν ἐναίμων, *mensam puram à dapibus cruentis*, h. e. animantibus, quæ sanguinem habent, servasse: verum etiam quoad alia instituta inter hos & Christianorum Ascetas tantam intercessisse cognationem, ut primo quidem Eusebium L. II. c. XVII. f. 54. deinde etiam Sozomenum L. I. c. XII. f. 419. fefellerit, putantes, dictos Therapeutas in Christianorum numerum referendos esse. Additum errori pigmentum, quod crederetur, Jacobum, fratrem Domini, probata exemplo suo hac vitæ austeritate, ab omnibus animatis sibi temperasse, quod Euseb. L. II. cap. XXIII. f. 63. ex Hegesippo refert. Et forte ipsa etiam abstinentiæ gloria institutum promovit; quantum enim opinio hæc in animis hominum valeat, expertus est olim Apollonius Thyanæus, quem *singulari & perpetua sua à Venere, Carne, Vino abstinentia*, καὶ τῷ σκληροδιαίτῳ i. e. *Victus austeritate magnam doctrinæ revelationibusque suis fidem conciliasse*, è Philostrato testis est Guil. Sald. O. T. L. I. Ex. IX. p. 189. Sed quicquid sit de origine hujus superstitionis, illud saltim constat, non intra Monachorum claustra errorem cohibitum, sed more fluminum, quæ ruptis aggerum obicibus late campos inundant, oppugnata primum, ac postmodum etiam expugnata Ecclesiæ libertate, omnes pariter obruisse. Videmus, qui Dei gratia è periculo emersimus, hodienum tot imperia, tot nationes, tum quas P. R. sub potestate habet, tum quas in Orientis regionibus remotas sub jugum mittere nondum potuit, in his undis laborare. Quibus initiis, quove successu id tentatum, atque perfectum fuerit, docebunt altioris cathedræ Dd. inque his vir nunquam satis laudatus, B. D. Mart. Chemn. P. IV. Ex. C. Tr. p. m. 256. & seqq. *in Historia certaminum de Abstinentia & Jejunio*; ad quem, cum ulterius vetemur progredi, L. B. remitimus.

J. GEORG. DORSCHÆI DISSERTATIO

De Sanguine & ſuffocato ad Act. XV: 20.

CUM DEO!

Hugo Grotius, explicaturus ex Actibus locum de Sanguine & ſuffocato, aſſerit

I.



Eteres Chriſtianos credidiſſe, Jacobum propterea voluiſſe hos ex gentibus vocatos abſtinere à Sanguine, quod licet Moſis præceptis, quæ Iſraëlitis data erant, non tenerentur, neque lege circumciſionis, quæ ſolos Abrahami obſtringebat poſteros, liberi tamen non eſſent ab iis, quæ Adamo & Nohæ Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Chriſtus nihil autem demſit. Probat Grotius hoc 1. ex Tertulliano *de Monogam.* cum inquit: *Adeo in Chriſto omnia revocantur ad initium, ut & fides reverſa ſit à circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & Sanguinis ſolius abſtinentia, ſicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, ſicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & poſtremo totus homo in Paradiſum revocatur, ubi ab initio fuit.* 2. Ex eod. cum libro *de Jejun.* ait: *Æque poſt diluvium in reformatione generis humani ſuffeciſſe unam interim legem à ſanguine abſtinendi, permiſſo uſu cæterorum.* 3. Ex Leone Imp. qui vetuit Sanguinem edi inteſtinis velut tunicis infarctum, utpote tum veteris, tum novæ gratiæ tempore rem habitam nefariam. 4. Quia præcepti illius non nimis ſuperſtitioſa obſervatio facilis eſt. 5. Quia cauſas honeſtas habet. Solere enim qui ſanguine pro alimento utuntur efferari, quod Americani doceant. Monere etiam, à vindicta abſtinendum, cum qui ſe vindicat, ſanguine paſci dicatur, & juxta Originem Dæmones ſanguine paſci crederentur. Aſſerit

II. Chriſtianos veteres non exiſtimaſſe, præceptum de abſtinentia Sanguinis & Suffocati datum ex ea una cauſa, ut Judæorum offenſa vitaretur. Probat hoc 1. ratione. Quia ſi id exiſtimaſſent, non obſervaſſent id præceptum cum certo vitæ periculo, etiam ubi non aderant Judæi. At hoc eos feciſſe conſtat. Nam Biblis martyrium ſubitura, apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ.* 5: 1. *Quomodo*, inquit, *infantibus veſcerentur illi, quibus ne irrationalium animalium Sanguine veſci licet.* Teſtis & Tertullianus *in Apolog. cap.* 9. cum ait: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus: qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur: vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale eſt, ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis.* Octavius apud Minutium: *Tantum ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus* 2. Teſtimoniis Canon. 62. Apoſt. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλος τοῦ ἱερατικοῦ φάγῃ κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω. Τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν. Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Sacerdotali catalogo comederit carnes in ſanguine animæ ipſorum, vel quid à feris captum vel morticinum, deponatur, hoc enim lex prohibuit. Si autem Laicus ſit, ſegregetur.* Synodi Gangerenſis, *Can.* 2. *ex tranſl.* Gentiani Herveti. *Si quis eum, qui carnem, præter Sanguinem idolothytum & ſuffocatum, cum pietate & fide comedit, condemnat, tanquam eo, quod ea veſcatur, ſpem non habeat, ſit anathema.*

ASSERTIO I.

MUlta falſa aut dubia poſtulata habet. 1. Dubium eſt an Synodus Hieroſolymitana in iſta diſpoſitione de abſtinentia certarum rerum ad præcepta filiorum Nohæ Gentes ad Chriſtianam Religionem transgreſſas obligare voluerit. Impugnat iſtam ſententiam copioſe Janus Seldenus *in Lib.* 7. *de jure Naturali & Gentium &c. Cap.* 12. inprimis quia leges filiis Nohæ datæ, ſi obſervabantur à Gentibus, faciebant tantum *Proſelytum portæ*, qui exterius cum Judæis converſari poterat, non autem *Proſelytum juſtitiæ*, qui in interiori communione fuit, de qua interiori conjunctione Gentium & Judæorum credentium quæſtio in Synodo Hieroſolymitana agitabatur. Sed nunc de ea nihil attinet dicere. Grotius ipſe fatetur, inter præcepta Adamo & Nohæ data Judæos non poſuiſſe interdictum ſcortandi. Non tamen licebat, quod ſapientiſſimi, ut Grotius loquitur, inter Gentes putarunt, exinde colligere, meretrices quidem turpiter facere, quod meretrices eſſent, pœnamque eſſe in ipſa profeſſione flagitii, non tamen peccare, qui fœminis iſtis venalibus uterentur. Nam morali lege incluſum fuit iſtud interdictum. Non autem niſi ſucceſſive & in aliquibus documentis tota lex moralis repetita fuit ante diluvium, aut Moſen. Manſit interim mentibus inſculpta, inprimis Adami & Noachi.

2. Dubium eſt, an id, quod de præceptis filiis Nohæ datis ex Rabbinis traditur, ſe omnino ita habeat? Certe Scriptura de eo nihil habet. Et Adamo & Noacho plura præcepta fuiſſe, quam iſtis traditis continetur, ſatis manifeſtum eſt.

3. Dubium eſt an omnia Adamo & Noacho præcepta perpetuo gentes obligaverint? Fuit ſane præceptum Adamo datum de ſacrificando & ita repræſentando ſemen mulieris demum ſacrificio ſuo contriturum caput ſerpentis. Nonnulli quidem Pontificii putant ex ſolius rationis judicio ſacrificiorum cultum inſtitutum, & ipſam naturalem rationem obligare hominem ad ſacrificandum. Sed iſtum errorem impugnavi in *Myſaria Myſſæ*, quam ante XXX. annos Jeſuitæ Molsheimenſi Herbero oppoſui cap. 2. Certe cultus DEI à voluntate & conſequenter revelatione DEI dependet. Alias venit nomine ἐθελοθρησκείας, Col. 2: 23. Selbſterwehlten Gottesdienſt. Et Abel fide obtulit Sacrificium melius, quam Cain Hebr. 11: 4. Si fide, ergo ex verbo DEI revelantis, Rom. 10: 17. At iſtud non obligavit ultra tempus oblationis Chriſti, licet Sacrificiorum oblatio ex more Judaico aliquandiu

post ascensionem Christi tolerata fuit. Non igitur, quod ante Mosen Adamo & Noacho præceptum est, omnes homines semperque obligat ex eo capite, nisi aliunde obligationis ostendatur ratio.

4. Falsum autem est & ex Socinianismo haustum, quod dicitur, Christum nil ademisse præceptis Adamo & Noacho datis, addidisse autem aliqua. Prius ex dubio 3. patet. Etiamsi enim expresse ipse non dixerit, sacrificia omittenda esse, reipsa tamen facto sustulit è medio, quando in se illa velut umbras terminari docuit, cum consummata esse omnia clamavit. Et Apostoli satis clare indicarunt, quid de Sacrificiis habendum esset: Addidisse autem Christum aliqua inprimis moralia præcepta præceptis Adamo & Nohæ datis, quod posterius asserit Grotius, & Socini commentum est, nullo apice sacr. literarum probari potest. Explicavit legem, & ejus recessus contra sinistram antiquitatis interpretationem patefecit Christus Matthæi 5. sed hoc non est addere.

Probationes assertionis invalidæ sunt 1. Tertullianus librum *de Monogamia* scripsit, cum jam ad hæresin Montani prolapsus esset, nec jam amplius filius Ecclesiæ extitisset. Ita Beatus Rhenanus, qui primus opera Tertulliani ad typographiam adornavit, *in Admonitione de Tertulliani dogmate* ad calcem operum adjecta pag. 126. inquit: *Tertullianus in libro de Monogamia perperam sentit de perpetua virginitate Deiparæ Mariæ, scribens Christum Virginem enixam, semel nupturam post partum. Unde hunc etiam in testem advocarat Helvidius in libro suo, quem refellit Hieronymus, qui calore quidem Disputationis commotior factus regessisse videtur: De Tertulliano*, inquiens, *nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. Sic Rhenanus*, qui addit: *D. Hieronymi Consilium sequamur, Tertullianum sic interdum esse legendum monentis, quomodo Origenem, Novatum, Arnobium, Apollonium & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria.* Hactenus ille.

2. Tertullianus isto loco conclusionem improbatam sibi sumsit defendendam; scilicet cum in Montano Spiritus Sanctus omnia, quæ ad vitam Christiani hominis pertinent, ad pristinam perfectionem reducere velit, etiam conjugium ad pristinum statum illum reducere voluisse, ut, quotquot Deo placere porro volunt, à secundis nuptiis abstineant, sicut primus homo unis nuptiis contentus fuit.

Hanc conatur variis tueri fundamentis I. quia Christus in quæstione de repudio ad initium provocavit, dixitque ab initio non ita fuisse Matth. 19:4.

II. Quia S. Paulus ad Ephes. 1. scribit, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum ad caput, id est, ad initium reciprocare universa in Christo.

III. Quia Christus propterea se vocat α & ω, ut ostenderet, in se esse initii decursum ad finem & finis recursum ad initium.

IV. Quia & circumcisio carnis mutata & reditum est ad integritatem carnis, sicut ab initio fuit.

V. Quia restituta est libertas ciborum, & sola imperata sanguine abstinentia, sicut ab initio fuit, &c.

In his fundamentis, quædam impertinenter allegantur, & erronee, ut II. quasi Eph. cap. 1: 10. indicat ἀνακεφαλαίωσις, quam Christus sibi propositam habet, sit revocatio omnium in statum, qualis in paradiso primi hominis fuit. At hoc non est ἀνακεφαλαιώσασθαι Apostolicum. Hoc enim est, in Christo tanquam Capite recolligere omnia, quæ in cœlis & in terra sunt. Ad Coloss. cap. 1:20. vocatur ista ἀνακεφαλαίωσις alio nomine ἀποκατάλλαξις reconciliatio, redunitio.

Et III. ubi falso dicitur, Christum esse α & ω vocatum, quia in ipso omnia ab initio ad finem & à fine ad initium recurrunt. Nam non ideo, sed propter æternitatem Christus α & ω vocatur, sicut & vocatur primus & novissimus, Apoc. 1:17. Et initium, quod per α denotatur, est non initium mundi, Gen. 1:1. sed ipse Christus, Apoc. 1:8. qui vocatur ἀρχὴ καὶ τέλος.

Et IV. ubi dicitur, quod fides sit reversa à circumcisione ad integritatem carnis, sicut ab initio fuit. Nam circumcisio carnis fuit medium restaurandi hominis & reducendi ad eam perfectionem, quam ab initio habuit. Nec mutata est quia fideles fuerunt reducendi ad initium restituta integritate carnis, sed quia per baptismum, non onerosum, uti circumcisio fuit, sed facillimum medium Deus in Nov. Testam. homines restaurare voluit. Quædam autem fundamenta non attingunt statum. Dicit Tertullianus, *totum hominem revocari in Paradisum, ubi ab initio fuit.* Ergo per reductionem ad initium intelligit statum paradisiacum. Quod & ex eo intelligi potest, cum, quod adducit Tertullianus, Christus dicit ἀπ' ἀρχῆς repudium non fuisse. Ubi intelligitur primordialis institutio matrimonii, quæ in Paradiso facta est. Sed quid ad hoc attinet prima ratio? Num, quia in statu integritatis non fuit metuenda mors alterius conjugis, ideo etiam in statu lapsus ex ea causa monogamia ad analogiam status integritatis introducenda est? Quanta hic occurrit ratio dissimilitudinis. Ibi Monogamiæ nulla impedimenta fuerunt, quia conjuges semper fuissent victuri. In statu integritatis longe aliter se res habet. Repugnat locus Rom. cap. 6: vs. 3. Præterea, an sanguinis solius abstinentia permissis in universum animantium etiam cibis fuerit ex Paradisiaco instituto, h. e. ab initio, ut Tertullianus loquitur, incertissimum est.

3. Quod sanguinis abstinentia inter ea recensetur, quæ in initio Paradisiaco fuerunt, adeoque perpetua dicitur, falsissimum est & nullo indicio confirmari potest. Initio quidem introductorum Sacrificiorum sanguinis etiam abstinentiam usitatam & præceptam fuisse, extra dubium ponitur. Firmat id locus Lev. cap. 17:11. ubi Jehova: *Ego vero destinavi vobis sanguinem in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris.* Et respicit horsum locus Genes. cap. 9:4. ubi Jehova: *Carnem cum sanguine ipsius ne comeditote, quia anima ipsius est.* Qui ex hoc respectu omnino interpretandus est, quia sanguis in altari ad expiationem destinatus est peculiariter. Quo respectu omnis sanguis ab esu humano interclusus est, quandiu illa destinatio durat. Durat autem tantum ad Messiæ usque αἱματεκχυσίαν, Hebr. cap. 9: 21. Quapropter abstinentia à sanguine inter ea, quæ in initio Paradisiaco fuerunt, recenseri nequit.

4. Quod Tertullianus libro de Jejunio adversus Psychicos scribit: *Post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi, permisso usu cæterorum*: Partim falso dicitur, partim nostro proposito non adversatur. Proponamus integra Tertulliani Verba: *Cur non statim Deus constituit aliquam victus castigationem, quin imo & auxit permissionem. Nam in primordio quidem herbidum solummodo & arboreum homini pabulum addixerat. Ecce dedi vobis omne semen sementivum, seminans semen quod est super terram, & omne lignum, quod habet in semetipso fructum seminis sementivi, erit vobis in escam. Postea vero ad Noë enumerata subjectione omnium bestiarum terræ & volatilium cœli, & moventium in terra, & piscium maris, & omnis viventis: Erunt*, inquit, *vobis in escam, velut olera fœni dedi vobis universa. Verum carnem in sanguine animæ suæ non edetis. Nam hoc ipso quod eam solam carnem esui eximit, cujus anima per sanguinem effunditur, omnis reliquæ carnis usum concessisse manifestum est. Ad hæc respondetur, non competisse onerari hominem aliqua adhuc abstinentiæ lege, qui cum maxime tam levem interdictionem unius scilicet pomi tolerare non potuit; remissum illum itaque libertate ipsa corroborandum. Æque post diluvium in reformatione generis humani suffecisse unam interim legem à sanguine abstinendi permisso usu cæterorum, &c.* Sic Tertullianus. Atqui non una lex, etiam supra immutabilem legem naturæ, quæ moralis est, posita fuit post lapsum & diluvium. Mansit enim lex mundorum & immundorum animalium etiam post diluvium, quæ tamen postea abolita est, nisi quatenus ipsa ratio naturalis à nonnullis animantibus abhorrendum dictitavit. Mansit lex de Sacrificiis, cui illico è diluvio egressus Noë morem gessit. Manserunt alia præcepta. Illud autem adhuc controversum est, an ante diluvium ab esu animalium abstinuerint homines. Sed, quicquid sit de hoc, in quo jus ab usu distingui forsan potuit, non probatur exinde, abstinentiam à sanguine mandari lege per tempora etiam Novi Testam. duratura.

5. Quod III. ratio Grotii ex autoritate Leonis Imperatoris habet, non ex autoritate, sed ex fundamento decidendum est. Videmus Novellam 58. Leonis, qua Styliano Illustrissimo sacrorum officiorum Magistro rescribit in hanc sententiam: *Simul olim Legislatori Mosi sanguine non esse vescendum mandavit Deus: simul ab ejusmodi cibo abstineri debere à præconibus gratiæ est constitutum. Et quanquam tum veteris tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit & nefaria: eo tamen contumaciæ imo vecordiæ homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigeram. At contra*

contra alii lucri, alii gulæ causa summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamque qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc Præcepta divina, nunc Reipubl. nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet, ne quis id scelus, neque ad suum usum, neque ut emtores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. Ac sciat quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum convertere, (sive vendat, sive emat,) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus ac cute tenus fœde tonsus erit, perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in judicio neque civitatum Magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi (neque enim si illi convenienti alacritate Magistratum gessissent, id scelus commissum esset) quod negligenter socorditerque subditis præfuerint, decem librarum auri multam sustineant. Hæc est Novella ista contra esum sanguinis constitutio, ad quam notamus 1. Autorem ejus esse Leonem VI. cognomento Basilii Filium, qui trecentis sexaginta annis post Justinianum fuit, coætaneus Arnulphi, Romanorum Imperat. uti ex novellis ejus constitutionibus apparet, passim traducit & sugillat leges Imperatorum anteriorum. Nullam autem autoritatem meruerunt in Imperio aut Ecclesia. *Conf. Cujatium Observ. Libr. XVII.* 31.

Notamus 2. quod videri possit Imperatorem legem tulisse in eum finem, ut tanto lubentius Judæi ad consuetudinem cum Christianis transirent. Impense hoc egit Imperator, ut Judæi secundum Christianismi ritus viverent. Qua de re & novellam quinquagesimam quintam ad Stylianum direxit. Quod ut promptius efficerent Judæi, Christianis esum sanguinis interdicere voluit.

Notamus 3. quia Imperator ex sinistro intellectu dispositionis sive Mosaicæ, sive Apostolicæ legem de abstinentia sanguinis tulit, nec allegavit consuetudinem universalis Ecclesiæ in octavum usque ad seculum abstinentiam sanguinis comprobantem, hoc ipso vim legi ademptam esse in propatulo est.

6. Quod IV. ratio Grotii habet de facilitate abstinentiæ non nimis superstitiosæ à sanguine, nullius est momenti. Primum enim non sequitur, hujus & illius observatio facilis est, ergo sub opinione legis in conscientia obligantis suscipienda est. Sic daretur regressus ad multarum ceremoniarum Vet. Testamenti observationem, ut parum difficultatis in sese habentem. Deinde dum facilitatem non nimis superstitiosæ observationi abstinentiæ à sanguine tribuit Grotius, difficultatem prodit. Quousque enim licebit progredi quæso, in abstinentia à sanguinis esu, ut sit non nimis superstitiosa? Hic certe mensuram dare difficile est. Si absolute sanguinis esus est vetitus lege perpetua, etiam tantillum edere vetitum est. Non in quantitate, sed in substantia sanguinis interdictum fundatum est. Denique quid est, quod Grotius dicit de observatione non nimis superstitiosa? Licitane erit observatio aliqualiter superstitiosa, & vetita tantum non nimis superstitiosa. At hoc minus pie dictum est.

7. Quod V. ratio Grotii habet de causis honestis illius observationis, non urget. Nemo sane hactenus efferatior factus fuit, quia sanguinem illo modo, qui usitatus est, paratum comedit. Americani crudo sanguine fruebantur. Vindictæ cupidus, oculos, non ventrem crudo sanguine pascit. Et quid ad suadendam abstinentiam sanguinis attinet Origenis error, dæmones sanguine pasci. Potest ne error causam legis dare?

ASSERTIO II.

Q*Uod Christiani Veteres non existimarint præceptum abstinentiæ sanguinis & suffocati ex una illa causa datum, ut Judæorum offensa vitaretur:* Non satis liquet. Primum enim non liquet, an omnes Christiani non existimarint, propter unam solam evitandam offensam Judæorum à sanguine abstinendum, sed crediderint, etiam absolute Deum velle, ut à sanguinis esu abstinerent. Certe hoc probant nullatenus, quæ adduxit Grotius. Deinde non liquet ex adductis, an semper Christiani taliter non existimarint vetitum esse sanguinis esum. Fuerint sane Christiani primo, secundo, aut etiam tertio seculo post Christum, qui etiam ex alia quapiam causa à sanguinis esu abstinendum esse existimaverint, non tamen perennis ea fuit Christianorum opinio, aut sententia. Fuit aliquorum Christianorum aliquandiu consuetudo in Oriente & Sabbatum & diem Dominicam celebrare. Ita Clemens, quicunque sit, *Constitut. Apost. Libr. 7. cap. 24. Sabbatum igitur & diem Dominicam feriari debetis, illud quidem in memoriam creationis, hanc in resurrectionis Christi.* Asterius *Episc. Homil. de reput.* Sabbati & diei Dominicæ συνωρίδα vocat καλήν. Gregorius Nyssenus *dies fratres.* Theodorus Balsamo ait: *A sanctis patribus per omnia exæquatum est Sabbatum diei Dominicæ.* Eusebius testatur: *Constantinum Imperatorem Christianos non minus in Sabbatum, quam in diem Dominicam vadari vetuisse.* Hinc & jejunium, quod à die Dominica exclusum est, ut Gangrensis Synodus docet *Canon.* 18. à Sabbato etiam, excepto uno ante Pascha, abesse debuit. *Ita Canon. 53. Apost.* Zonaras interpretatur. Et testatur Ignatius *Epistol. ad Philippens.* Si quis die Dominico aut Sabbato jejunaverit, excepto uno ante Pascha, Christicida est. Consentit Tertullianus *lib. de Jejun. & contra Marcionem* IV. Notat hæc Grotius ad Actor. 15: vers. 21. V. *συναγωγῶν.* Non tamen omnium Christianorum, nec ubique, nec semper ea fuit consuetudo. Tertio non liquet ex adductis, quod isti Christiani ex præcepto vel divino Vet. Testamenti, vel Apostolico Nov. Testam. à sanguine abstinuerint. Biblis apud Eusebium simpliciter ait: *Quomodo infantes comederent illi, quibus neque irrationalium sanguine vesci* ἐξὸν *licitum est.* Ἐξὸν etiam potest aliquid esse vel *non* esse, assensu humano aut consensu. Sic Actor. 2: 29. cap. 21: 37. cap. 22: vers. 21. Johann. 18: 31. &c. Tertullianus simpliciter ait: *Ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus.* Minut. *Nec edulium pecorum in cibis sanguinem novimus.* Quarto denique non liquet, annon vel Judæorum, vel & Gentilium causa ad ista usque tempora alicubi Christianis abstinendum esse censuerint. Fuerunt & ante nativitatem Christi Judæi passim per orbem terrarum disseminati, uti ex antiquo monumento Hispanico *Part. 1. Theolog. Zach.* ostendi, atque adeo etiam in Galliis, uti ex monumentis Trevericis constat. Trevirorum enim civitas olim Galliis adscribebatur. Biblis autem in Galliis passa est martyrium. Nam Eusebius illud recitat ex Epistola Lugdunensium & Viennensium ad fratres per Asiam & Phrygiam. Fuerunt & Romæ, ubi apologeticum edidit Tertullianus, & alibi passim post Christi nativitatem. Ipse fatetur Tertullianus, in Apolog. cum inquit: *Judæi quanta deliquerint fiducia patrum inflati, declinantes à disciplina profanum in modum, & si ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi & cœli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam salem vestigio salutare conceditur, &c.* Potuit igitur fieri, ut non quod opinarentur Christiani dispositionem Apostolicam eousque obligare, sed ex mera libertate & prudentia abstinuerint à sanguinis esu. Præsertim tempore Apostolis proximo. Certe enim Biblis, cum sancta martyrum Gallicorum corona, passa est circa Annum XVII. Antonini Veri Imper. qui est Anno Christi 168. circiter. Et circa Annum Chr. 190. Tertullianus scripsit. Nec multo post Minutius Felix. Potuit inquam fieri, ut hac libera condescensione in consuetudinem secum tanto facilius ineundam Christiani Judæos allicerent. Potuit autem etiam fieri, ut abstinuerint adhuc primis istis Christianismi temporibus ab esu sanguinis, quo tanto magis à gentilium moribus atque institutis separarentur. Certe sanguinem Gentiles ingurgitare fuerunt soliti. Tertullianus in Apolog. *De sanguinis*, inquit, *pabulo & ejusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem, ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparasse? Nescio quid & sub Catilina degustatum est. Ajunt apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque à suis comedi. Longe excurro. Hodie istis Bellonæ sacratus sanguis de femore proscisso, & in parmulam exceptis suis datur signatis. Item illis, qui munere in arena noxiorum jugulato decurrentem sanguinem recentem de jugulo decurrentem exceptum avida siti commitiali morbo medentes auferunt. Ubi sunt item illi, qui de arena ferinis obsoniis cœnant? qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille, quem cruentavit, conculcando detersit, &c.* Conferatur *Pentadecadis disput. Theolog. meæ th. 25. p. 287.* Nec ab animalium sanguine comedendo abstinuisse gentiles, manifestum. Tertullianus meminit BOTULORUM cruore distentorum, quos inter tentamenta Christianis admoverint, ut eos ad exorbitandum pellicerent. Hinc & Octavius apud

Minutium hoc ipsum, scilicet edulium, quo pecorum in cibis sanguis exhibetur, ut usitatum gentilibus, inusitatum autem Christianis notare voluit.

At, inquiat quispiam, Canon Apostolorum 62. manifeste vetat sanguine vesci, quia lex vetat. Resp. 1. Canones Apostolorum non sunt tantæ autoritatis, ut pro divino mandato, eoque in omne ævum perpetuando allegari queant. Solent quidem à Collectoribus Conciliorum ante omnia concilia poni, sed non sunt ejus antiquitatis & autoritatis. Habentur à Doctis pro rapsodia quadam ex variis Scriptoribus & Conciliis facta sub autoritate & nomine Apostolorum. Qua de re in *Exercitat. meis ad Concilium Nicænum Sect. 1. pluribus egi.* 2. Hic ipse Canon se variis indiciis prodit, quod sit supposititius & ab Apostolorum temporibus multum alienus.

Nam I. distinguit inter Episcopum & Presbyterum. Illud discrimen tempore Apostolorum non fuit, sed demum postea originem habuit, quod jam olim Hieronymus docuit peculiari Epistola, pro qua integrum tractatum scripsit Dav. Blondellus.

II. Distinguit inter θηριάλωτον à feris captum, & inter θνησιμαῖον morticinum. Ipse Grotius miratur, quod θνησιμαῖον additur in Apostolico Canone, & quod Justinus κρέας ἐν αἵματι interpretatur ὅπερ ἐςὶ νεκριμαῖον, cum ex Deut. 14: 21. planum sit, pio incircumciso licuisse edere נבלה, quod LXX. vertunt θνησιμαῖον, estque idem cum νεκριμαίῳ. Unde Aristophanis Scholiastes θνησιμαῖα interpretatur νεκριμαῖα. Et profecto obscura est ista dispositio, multumque recedit ab Hierosolymitana Apostolorum. Si absolute vetitum est edere carnem in sanguine, hoc est carnem adhuc sanguinem intravasatum habentem, quæ est πνικτὴ, unde & colligitur, non licere edere sanguinem, ut vocant, extravasatum; quid opus fuit addere ἢ θηριάλωτον ἢ θνησιμαῖον sive νεκριμαῖον, si per θηριάλωτα & νεκριμαῖα intelliguntur ea morticina, quibus adhæret non deductus sanguis? πνικτὸν est, sive homo suffocaverit, sive bestia; sive ex alio casu impedita sit deductio sanguinis. Itaque θνησιμαῖον, νεκριμαῖον & θηριάλωτον sive θηριόβρωτον non distinguuntur, quia omnia in eo conveniunt, quod iis deductus adhæreat sanguis. Impertinenter igitur cumulantur κρέας ἐν αἵματι, ἢ θηριάλωτον, ἢ νεκριμαῖα. Si vero κρέας ἐν αἵματι vetitum intelligendum quatenus vel est θηριάλωτον vel νεκριμαῖον, tunc erit licitum carnem in sanguine edere extra istos duos casus, scil. si sit neque θηριάλωτον, neque νεκριμαῖον. Jam θηριάλωτον morticinum non recte dicitur id, quod ab homine suffocatum est aut artificiosa ratione quadam in laqueum inductum. Neque tamen hoc est θηριάλωτον. Hoc igitur licebit comedere. At hoc est revera πνικτὸν. Liceret ergo, si hic Canon Apostolicus est, aliquod πνικτὸν comedere, modo non sit aut θηριάλωτον, aut νεκριμαῖον. Sed hoc non vult decretum Apostolicum, Actor. 15.

III. Suspectum se quoque reddit Canon, quod cum definit, qua pœna sit afficiendus, qui κρέας ἐν αἵματι, sive θηριάλωτον sive νεκριμαῖον comedit, in ordine Ecclesiastico positos, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos quidem vult per καθαίρεσιν puniri, Laicos vero per ἀφορισμόν. Nescit ætas Apostolica illud pœnarum Ecclesiasticarum discrimen. Mentionem καθαιρέσεως facit S. Paulus 2. Cor. 10: 4. 8. & cap. 13: vs. 10. nullibi vero significat pœnam aliquam Ecclesiasticam, Episcopis, Presbyteris aut Diaconis carne vescentibus, cui non est deductus sanguis, infligendam. Verbum καθαιρεῖν destruere est, 2. Cor. 10: 4. Actor. 13: 19. cap. 19: 27. Luc. cap. 12: 18. Alias & est removere, Luc. 1: 52. removit potentes de throno. Notat detrahere, cum Christo è cruce tollendo usurpatur Marc. 15: 36. & 46. Luc. 23: 53. Act. 13: 29. Ἀφορίζειν notat in sacr. liter. Nov. Testam. separare, excludere, Matth. 25: 32. de separatione bonorum à malis in extremo judicio. Conf. cap. 13: 49. Actor. 19: 9. de separatione, qua S. Paulus suos discipulos segregavit à Synagogæ consortio & seorsim in Schola Tyranni instituit. Actor. 13: 2. de separatione Pauli & Barnabæ ad excursum Euangelicum. Nec multo aliter Gal. 1: 15. Rom. 1: 1. 2 Cor. 6: 17. de segregatione à consortio infidelium. Luc. 6: 22. ἀφορισμὸς pœna dicitur, de qua ad illum versiculum Grotius multa. Et ad locum Joh. 12: 42. Seldenus. Sed hoc ex Judaica Synagoga oriundum est, non ex Ecclesiæ disciplina. Quapropter in Apostolorum quidem constitutione aliquod discrimen vix obtinet locum. Certe si aliquod discrimen etiam in Ecclesia inter καθαίρεσιν & ἀφορισμὸν fuit, recentius fuit, & multum ab Apostolicis temporibus abest.

IV. Canoni inserta ratio, ipsum suspectum facit. Ait: Hoc enim lex prohibuit. Non hic dicimus, quod Canoni illa allegatio imprudenter videri possit inserta esse post denominatam Ecclesiasticis pœnam, si se ex illis quispiam sanguinis esu contaminaverit. Cur enim non etiam interdicto Laicis facto illa allegatio opponitur, si & illis lex prohibuit. Sin minus; cur ἀφορισμὸς Laicis imponitur? Id tantum subit mirari, cur ad legem provocet Canon, si Apostolicus est, & non potius ad definitionem Hierosolymitanam se referat. Nam ut per νόμον illam constitutionem Apostolicam Actor. 15. intelligamus, non solum dissuadet communis loquendi ratio, quia per νόμον lex Mosaica plerumque intelligitur, sed etiam ipsa proponendi ratio. Quomodo enim, si Apostoli hunc Canonem 62. condidissent, non provocassent ad id decretum, quod Hierosolymis circa legis observantiam propositum fuit. Certe enim de lege Mosis quoad ista ceremonialia controversia fuit in Ecclesia. Itaque non concluluri fuissent ita crude Apostoli: *Canis in sanguine esum Lex prohibuit.* E. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Laici illud sub pœna sive καθαιρέσεως sive ἀφορισμοῦ vitare debent. Illico enim totus apparatus legis ceremonialis in Ecclesiam introductus esset.

V. Laici nomen in contradistinctione ad Episcopos Presbyteros & Diaconos suspectum est. Certe temporibus Apostolorum usitatum fuisse, è sacr. literis demonstrari non potest. Tempore autem Cypriani demum Laici nomen in suum deductum est. Videatur ejus *Epist. 52. ad Antonianum fratrem de Cornelio & Novatiano: ubi Numeror. 37. Trophinum ut Laicum communicare debere mandat.* Ad quem locum Jacobi Pamelii Brugensis contra Bellarminum observanda est annotatio. Hic enim scil. Cardinalis Bellarminus communionem Laicam de Communione sub una interpretatur. Pamelius autem de Communione, quæ fiebat extra cancellos, intra quos Ecclesiæ ministri subsistebant. Tempore Apostolorum Clerus seu Cleri fuerunt tota Ecclesia, ex loco 1 Petr. 5: 3. Conf. Actor. cap. 26: 18. & Col. 1: 12. In Canone autem hoc Apostolorum expressa fit Laicorum mentio, qui Episcopis, Presbyteris & Diaconis contradistinguuntur.

Si denique objicitur Canon Synodi Gangrensis, quæ seculo quarto paulo post Concilium Nicænum à XX. Patribus Gangræ in Paphlagonia contra Eustathium Sebastenum Armeniorum Episcopum celebrata est: Resp. 1. Eam Synodum provincialem esse, non Oecumenicam. 2. Eam quidem esse approbatam in Oecumenica, scilicet Constantinopolitana, quæ in Trullo habita & sexta Generalis dicitur, non tamen propterea infallibilis autoritatis esse. 3. Dici à nobis posse, quod Gratianus *in Decreto dist. 28. cap.* si quis discernit ad objectum aliquod Capitulum ex Concilio Gangrensi dixit: *Notandum est, quod secundum Isidorum pleraque capitula ex causa, ex loco, ex tempore, ex persona consideranda sunt.* Hinc etiam Gregorius ait: *Regulæ S. Patrum pro tempore, loco, persona & negotio instante necessitate traditæ sunt.* 4. Canonem Gangrensem non dicere anathema illi, qui sanguinem, suffocatum & idolothytum comedit, sed ei qui omnem spem salutis adimit vel semel carnem comedentibus, quomodo Eustathium docuisse commemorat Nicephorus Callistus Xentopulus *Eccl. Histor. 9: 16.* Gangrenses sanguinis & suffocati abstinentiæ etiam apponere idolothytorum. Et tamen ex Paulinis Epistolis manifestum est, extra casum metuendi scandali potuisse Christianos è gentilibus idolothytis vesci. Non autem ulterius potuerunt obligare Patres Gangrenses, quam Apostolus. Neque ergo sanguinis & suffocati interdictum ab ipsis repetitum ulterius obligat. 6. Patres Gangrenses, licet censuerint, in Oriente propter Judæos, Gentiles & Hæreticos diversos atque adeo scandali avertendi causa, continuari debere longius præceptum Apostolicum de abstinentia à sanguine, idolothyto & suffocato non tamen indicare, quod illa perpetuari debeat. Utimur ergo nunc ex libertate, qua extra formidinem scandali uti possumus. Sic adversus Grotium.

M. TOB.

M. TOB. ECKHARDI

ATHENÆ SUPERSTITIOSÆ

ad Actor. XVII: 22, 23.

Q. B. V.

I.



Ut parva plerumque rerum solent esse primordia; sic & Athenæ ex parvis initiis in civitatem florentem ac terra marique potentem creverunt evaseruntque. Quum enim agrestem vitam sine ullo rectore Athenienses viverent, prædaque essent Caribus ac Bœotis, quos Aones vocabant, illis quidem à mari, his terra venientibus, primus multitudinem Cecrops collegit, & in duodecim civitates distribuit, ut auctor est Strabo *L. IX. Geogr.* ubi nomina civitatum etiam recenset.

II. Cecrops ille διφυὴς appellatur apud Clementem Alexand. *L. I. Strom. p.* 320. Justinus Historicus *biformem* interpretatur, *L. II. c.* 6. Alii *duplicis naturæ* reddunt. Variæ solent appellationis hujus afferri rationes. Justinus hanc reddit, *quia primus marem fœminæ matrimonio junxit*, cujus & Suidas meminit, qui occasionem una subdit instituti. Cum enim antea promiscuis connubiis miscerentur, ut nemo certos parentes nosceret, operam Cecrops dedit & auctor fuit, ut legitime connubia fierent, *in v.* κέκροψ. Eusebius ita dictum existimat ob duplicem literaturam, qua instructus fuit, Ægyptiacam & Græcam, apud B. D. Ægid. Strauchium *in Breviar. Chron. pag.* 497. Licet fortassis & hanc subjungere, quod διφυῦς appellationem nactus fuerit, quia primus equo vectus duplicem formam spectantibus exhibuit, alteram equi, hominis alteram, quemadmodum Ælianus eandem dat rationem in argumento non absimili, *Var. Hist. L. IX. c.* 16. conf. etiam Palæphatus *Incredib. c.* 1.

III. Tempus, quo Cecrops floruit, cum Mosis ætate conjungunt temporis computandi artifices. Sic Augustinus: *Sed usque ad Cecropem regem Atheniensium, —— quo regnante Deus per Moysen eduxit ex Ægypto populum suum, de Civ. Dei L. XVIII. c.* 8. Dissentit Clemens Alex. Mosen, asserens, floruisse Inachi tempore, his vero multo recentiorem facit Cecropen, τούτων δὲ, inquiens, τεσσαράκοντα μὲν γενεαῖς νεώτερα τὰ Ἀττικὰ, τὰ ἀπὸ Κέκροπος, *loc. cit.* Verum implicatæ turbatæque sunt hic temporum rationes, hic facile adducor, ut credam, mendum in numeris esse. Qui enim quadraginta generationibus recentiores dicere Clemens posset res Atheniensium, cum inde ab Inacho ad excidium Trojanum usque viginti tantum generationes ipse numeret? quæ causa, quare interpres pro quadraginta quaternarium numerum substituerit. Nec illud, opinor, sibi constat, quod viginti generationum spatio, vel quadringentis annis, tempus inter Inachum captamque Trojam interceptum definiat, cum plures annos effluxisse certum sit; prætereaque hoc computo stante γενεὰ XX. tantum annis circumscribatur, cui tamen tres ac triginta, & quod excedit, alioquin assignant. Quod si vero totidem annos generationi tribuas, rationesque conficias, verum atque genuinum annorum computum, de quo hic sermo est, habebis. V. B. Strauchius *l. c. p.* 485. *sq.*

IV. Civitates autem istas tempore interjecto in unam coëgit Theseus, ultimus inter Atheniensium Reges, eique nomen Athenarum imposuit ab Ἀθηνᾶ, Latinis *Minerva*, quæ sapientiæ bonarumque artium Dea credebatur; omine non vano, fore illam πάσης Ἑλλάδος παίδευσιν, *universæ Græciæ scholam atque magistram*, ceu Pericles eam appellat, apud Thucyd. *L. II. Bell. Pelopon. Civitatem, quæ humanitate, doctrina præstaret omnes*, Nepos *in Attico. Matrem item ac nutricem liberalium doctrinarum, & tot tantorumque Philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius*, apud Augustin. *de C. D. L. XIIX. c.* 9. Qui nominis occasionem una ex Varrone refert, nec obscure indicat, Cecropen sic appellasse civitatem; sed nulla ab isto constituturarum id nominis gessit, ut videre est apud Strabonem *L. IX.* & cum propriam edisserit sententiam, *quo Cecrope regnante*, inquit, *eadem civitas etiam, tale nomen*, puta Cecropiam, *accepit, C. D. L. XVIII. c.* 8. Herodotus auctor est, quod Erechtheo regnante nomen Atheniensium acceperint, *L. VIII. p. m.* 207. Justinus alium nominat, *Amphictyon*, inquit, *primus Minervæ urbem sacravit, & nomen civitati Athenas dedit.* Non igitur incommode licet hic repetere, quod Strabo habet, ampliorem futuram orationem, si quis ædificandæ urbis auctores perscrutari vellet; nec enim omnes eodem id asserere modo. Pro Theseo tamen communiter fere propugnant.

V. Ἀθηνᾶς nomen unde deductum sit, non unanimi sententia dicitur. Plato vult dictam à Θεὸς & νοῦς, ut esset quasi θεονόη, *mens Dei*; credebatur enim ex Jovis cerebro nata, hinc & ipsa sapientiæ Dea fingebatur, cum sapientiæ sedes mens sit, *in Cratylo.* Aliis dicitur quasi Ἀθήλη, ex α. privat. & θηλὴ, *papilla*, quod more hominum aliorum alita non fuerit ob ante datam rationem, *V. Pasor.* Sunt, qui ex Oriente vocem arcessunt, atque Hebræorum ארני referre dicunt, adeo ut gentiles nomen, quod mentibus ipsorum adhuc obversabatur, ignari tamen rei per illud designatæ, alii fictitioque numini tribuerint. Aliam addit Vossius *de Orig. Idolol. p.* 540. Neque enim ignotum est, multas Deorum gentilium appellationes ab Hebræis in Græciam manasse, quæ tamen deinceps ob ignorantiam rei corruptæ sunt.

VI. Illud forte non opus est ut moneam, Athenas intelligi Atticas illas atque celebres; verum *Atticæ* nuncupationem unde habeat, præter rem & institutum non erit, si breviter edisseram. Atticæ nomen dedit Atthis, Cranai Regis filia, quum antea diceretur Actica, ab ἀκτὴ, *littus*, quod littoribus quasi cingeretur. Sic enim Strabo: Ἀκτὴν φασι λεχθῆναι τὸ παλαιὸν, καὶ Ἀκτικὴν τὴν νῦν Ἀττικὴν παρωνομασθεῖσαν. Ὅτι τοῖς ὄρεσιν ἀποτέτακε τὸ πλεῖστον μέρος αὐτῆς ἀλιτινές καὶ στενόν. *L. IX.* qui tamen paulo post à se ipso dissentire videtur, quum asserit, Ἀκτικὴν μὲν ἀπὸ Ἀκταίωνός φασιν. Pausanias & Clemens Alex. Ἀτθαῖον ominant, ille *Attic. p.* 4. hic *L. I. Strom. p.* 321. Sed L. Vives ex Africano commemorat, Actæum & cæteros, qui ante Cecropen dicuntur fuisse, nuda esse nomina *ad August. C. D. L. XIIX. cap.* 8.

VII. Propriam sibi alioquin hujus incolæ regionis laudem faciebant, quod αὐτόχθονες essent, Latini *Aborigines* vocant. Sic Isocrates ὄντας μήτε μιγάδας, μήτ' ἐπήλυδας, ἀλλὰ μόνους αὐτόχθονας τῶν Ἑλλήνων eos appellat *in Panathen.* Explicate magis *in Panegyr.* ταύτην, inquit, οἰκοῦμεν, οὐχ ἑτέρους ἐκβαλόντες, οὐδ' ἐρήμην καταλαβόντες, οὐδ' ἐκ πολλῶν ἐθνῶν μιγάδες συλλεγέντες. Justinus: *soli* Athenienses *præterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non advenæ, neque passim collecta populi colluvies originem civitati dedit: Sed eodem innati solo, quod incolunt; & quæ illis sedes, eadem origo est, loc. cit.* Verum qui gentes universas ex Oriente migrasse novit, indeque originem illarum repetendam esse perspectum atque cognitum habet, haud facile dictis fidem habebit. Quin ipse orator princeps alibi *Athenienses dixit*, κατηναγμένους, *quos μὴ αὐτόχθονας designat, ut verbo leniùs sonante, odiosum* peregrini vocabulum tegat, *in orat. de pace*, quemadmodum summus Polyhistor Græcarumque literarum vindex egregius Schurzfleischius interpretatur *in dissert. de euphemismo Paulino §. VIII.* Pertinet igitur hoc etiam ad laudis gloriæque cupiditatem, quæ maxime Athenienses invaserat, sicut & ipsos scite recteque loquendi peri-

 tiam,

tiam, eaque propter ἑλληνιστικὴν linguam sibi solis vindicasse, reliquos vero Græciæ populos juxta se contempsisse accepimus, V. Claud. Salmasius *Com. de Hellenistica p. 168. sq.*

VIII. Sunt tamen, qui aliter interpretantur, aliasque adducunt appellationis hujus rationes. Thucydides sterile dicit Athenienses incoluisse solum, quo factum, ut minus petiti fuerint à coloniis sedem quærentibus, sed tranquillis pacatisque rebus easdem semper terras tenuerint, eamque ob causam αὐτόχθονες fuerint appellati. *Lib. I. principio.* Quod ipsum ex eodem Strabo repetit, *L. IIX.* Et omnino sic fieri solebat, ut emissæ coloniæ terras fertiles copiaque rerum abundantes peterent, atque incolas sedibus expellerent, quæ tamen & ipsæ eandem sæpe cogebantur experiri fortunam, quemadmodum de Jonibus constat ex Herodot. *L. 1. p. m. 24.* Quæ sententia laude sua non caret, cum & antiqua sit, probeturque etiam Excell. Dn. Kirchmajero nostro, *in diss. de orig. & causis literaturæ Græcæ prope finem.* Suidas ideo sic dictos existimat, ἐπεὶ τὴν χθόνα, ἤτοι τὴν γῆν ἀργὴν οὖσαν πρῶτοι εἰργάσαντο, quod primi arare & serere frumenta glandem vescentibus monstrarint, ut Justinus loquitur, quamvis ipse dubius parem valorem tribuat opinioni, cujus primo loco mentionem feci, *in V.* αὐτόχθονες.

IX. Quod si vero in primos illorum natales inquirere lubet, Pelasgos eos Historicorum pater nominat, Athenienses, inquit, sub Pelasgis eam, quæ nunc Græcia nuncupatur, tenentibus Pelasgi erant, *L. VIII. p. m. 207.* Pariter etiam Strabo refert, quod rerum Atticarum scriptores tradant, Athenis fuisse Pelasgos, quos ante ἀρχαῖον φῦλον dixerat, *L. V.* Incertis hi sedibus vagabantur, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum, verum ad humanitatem eos composuerunt Græci, cum Ione duce in has terras è Thessalia migrarent, ac sedem figerent, ut mores pariter ac linguam mutarent, unde Joniæ nomen etiam huic regioni hæsit, donec quidam secessionem facerent, atque duodecim civitates separatim conderent, V. Herod. *L. 1. p. m. 10. 27.* Alii vero Athenienses Saitarum colonos fuisse scribunt, v. Vossius *de Hist. Græc. p. 399.*

X. Cum autem civitas non consistat sine religione, quippe quæ vinculum societatis est, nec homines bestiarum more sinit vivere, de ea jam licet dispiciam, quæ Athenienses continuit. Scriptor Actuum ab Apostolis inscriptorum δεισιδαιμονίαν illis tribuit, de qua antequam constituam, nominis rationes juvabit evolvere.

XI. Vox δεισιδαίμων à δείδω est, & δαίμων: illud *timeo* significat; de hoc ut nonnulla commenter, instituti ratio exigit, operæque pretium est. Divinus ille Plato, divinarum rerum inter suos peritissimus à δαίω, *scio* derivat, cujus Præter. Pass. est δεδάημαι, atque hinc δαίμονα dici putat, quasi δαήμονα, *scientem* sive *peritum*, *in Cratylo.* Idem dicit Lactantius, Tullianæ eloquentiæ laude in Ecclesia clarus, *dæmonas*, inquit, *Grammatici dictos ajunt quasi* δαήμονας, *id est peritos ac rerum scios, L. II. Divin. Instit. c. 14.* & Augustinus, δαίμονες *dicuntur, quoniam vocabulum Græcum est, ob scientiam nominati, de C. D. L. IX. c. 20.* Alii ejusdem verbi significationem *dividendi* attendunt, sic dici putantes, quod rerum humanarum arbitri sint ac moderatores.

XII. Significat autem vox δαίμων primo quidem *Deum.* Hesiodus δαίμονα vocat, quem ante Jovem appellaverat, qui tamen ipsi πατὴρ est ἀνδρῶν τε θεῶν τε, *in scuto v. 89, 94, 103.* Imo Apollo, qui majoris ordinis & ipse Deus credebatur, credique volebat, cum interrogaretur, quomodo sibi supplicari vellet, id nominis sibi vindicat, ita respondens: Πάνσοφε, παντοδίδακτ' ἐνολοίστροφε κέκλυθι δαίμον; rursus σοφὸς δαίμονος nomen idem sibi tribuit, quo ipso nominis una rationem spiritus mendax indicavisse videtur, apud Lactant. *Div. Instit. L. I. c. 7.* Hinc Augustinus, *quanquam & Deos*, inquit, *sed rarius nomine dæmonum* (appellaverunt,) *ita ut ipsum Jovem, quem volunt esse Regem ac principem cæterorum, ab Homero fateantur dæmonem nuncupatum, L. IX. c. 1. c. d.*

XIII. Deinceps potestates significat, quæ inter Deos & homines, ut regionis loco & situ, ita & mentis ingenio intersitæ, & utriusque naturæ participes essent: summis quidem Diis minores, cæterum humana natura majores atque præstantiores, quemadmodum describuntur B. Buchnero *in Dissert. Conr. Vict. Schneidero inscripta Tom. II. Epist. XXII.* Hinc distingui solent à Diis, Aristophan. ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, καὶ θεοί, καὶ δαίμονες, *in Plut. A. 1. sc. 2.* Vocantur etiam quandoque Dii, talesque habebantur, *hos* dæmones *autem putant Deos esse*, inquit Lactantius. Quamvis vitio Poëtis id vertat, fictique carminis licentiam interpretetur Apulejus, Philosophiæ Platonicæ interpres, quod dæmonibus Deorum nomina imponant, qui tamen & cœlesti loco, & beatitudinis opulentia distincti sunt, apud Augustin. *C. D. L. IX. c. 7.* Verum non Poëtis id proprium est, sed alii quoque scriptores idem faciunt, ut videre est apud B. Buchner. *loc. cit. p. 76. sq.* Imo Apulejus ipse sui oblitus librum inscribit de Deo Socratis, cum dæmonem debuisset dicere, quod ipsi Augustinus exprobrat *L. VIII. c. 14.* Dicuntur & ἥρωες. Sic Pythagoras, vel quisquis auctor *aureorum carminum* est, primo θεοὺς, post ἥρωας colendos jubet ac præcipit, *initio.* Quo nomine solent alias ii intelligi, quos Hesiodus ἡμιθέους appellat, utpote generatos altero parente Deo, altero mortali, *Operum v. 159.* Sed ut animæ defunctorum heroum dæmones; Sic dæmones contra sæpe vocantur heroës, conf. L. Vives *ad August. C. D. L. X. c. 21.* Convenit hæc nomenclatura prorsus cum ea, quam regius Psaltes angelis tribuit, *Psalm. 103: 20.* Latini *genios* atque *lares* interpretantur, Apulejus de Deo Socratis p. 336.

XIV. Dæmones hosce alios bonos, alios vero malos esse credebant, *apud plerosque enim usitatum est dici alios bonos, alios malos dæmones*, inquit Augustinus *L. IX. c. 2.* Plato vero cum sociis tantummodo bonos statuit, quod dubitanter asserit Augustinus *loc. cit.* conf. Apulejus *de Deo Socratis.* Sed misere decepti sunt gentiles; nam illi ipsi etiam, quos bonos esse credebant, revera mali erant, idque vel ex eo constat, quod domicilium illorum aëre circumscribunt; Sed vero bonæ mentes, quas codex sacer Angelos vocat, semper in cœlis faciem Dei Patris vident ac intuentur, *Matth. 18: 10.* è contrario autem malorum spirituum sedes imperiumque in aëre locatur, *Eph. 2: 2.* conf. H. Grotius *de Verit. Relig. Christ. L. IV. §. III.* Hinc nomen δαίμονος etiam in scriptura diviniori in malam semper partem adhibetur, spiritumque malignum significat, V. August. *L. IX. c. 19. C. D.* Joach. Camerar. *Not. in Matth. p. 30.*

XV. Duo dæmonum malorum genera Lactantius constituit, unum cœleste, alterum terrenum: illud spiritus desertores complecti asserit; hoc nescio quos mediæ naturæ natos. Deum existimat Angelos misisse ad tutelam cultumque generis humani, sed eos mulierum congressibus sese inquinasse, quo factum, ut in cœlum ob peccata, quibus se immerserant fœdaverantque, non recepti ceciderint in terram, & ex Angelis Dei facti fuerint Diaboli satellites atque ministri. Eos autem, porro docet, qui ex illis procreati sunt, quia neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non esse ad inferos receptos, sicuti in cœlum parentes eorum, atque hos dæmones terrestres appellat, *Div. Instit. L. II. c. 14.* Non obscurum est, unde hanc opinionem hauserit. Dicitur *Gen. 6: 2.* Dei filios hominum filias in matrimonium pro lubitu duxisse, liberosque procreasse. Huc respexit Lactantius, Deique filios *Angelos* interpretatus est, sicut idem locus plures alios Patres involvit. V. B. Dorscheus *Pentadec. p. 89.* B. Calov. *Com. h. l.*

XVI. Munus officiumque dæmonum de sententia veterum erat, ut preces ab hominibus fusas Deo offerrent, illisque exauditis dona his referrent. Apulejus *inter mortales cœlicolasque vectores* appellat, *hinc precum, inde donorum; qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde suppetias de Deo Socratis, p. m. 331.* & Augustinus *mediatores inter homines & Deos, per quos ad Deorum amicitiam homines ambiunt, L. IX. cap. 9. C. D.* Eadem opinio etiam in Ecclesiam invecta fuit, hæresique ansam dedit, quæ preces ad Deum atque Christum sine medio fundendas negabat, sed ad Angelos, ut ad Deum referrent, mediatores dirigendas asserebat, qua ne seducerentur, D. Paulus graviter Colossenses monuit in epistola illis inscripta *cap. 2: 18.* V. B. Stolbergius *de Sœlocismis pag. 111.*

XVII. Tribuebant etiam gentiles cuilibet homini duos dæmones sive genios, bonum pariter atque malum; ille credebatur curare ea, unde bene homini esset; hic vero perniciem istius machinari. Servius, *cum nascimur*, inquit, *duos genios sortimur. Unus est, qui hortatur ad bona, alter, qui depravat ad mala, ad Æneid. VI. v. 738.* Hinc est, quod frequens mentio fiat δαίμονος ἀγαθοῦ, Aristoph. *A. 1. sc. 2. in Equitibus* ἐσθλοῦ. Theognid. *in sentent.* & è contrario δαίμονος σκληροῦ, κατ' εὐφημισμὸν pro κακοῦ, Aristoph. *A. IV. sc. IV. in Nubibus.* φαύλου, Theogn. *loc. cit.* conf. B. Erasm. Schmidius *ad Matth. 8: 31.* & Erasmus *Chil. 1. Cent. 1. ad. 82.* Platonici vero bonum cuique genium vindicabant, qui custos esset atque rector vitæ, ut merito propterea Hesiodus ante Platonem dæmones φύλακας θνητῶν ἀνθρώπων dixerit, *oper. v. 123.* V. Apulejus *de Deo Socratis p. 336. sq.* ubi pluribus has officii partes persequitur. add. Seneca *epist. 110.* Hæc gentilium sententia etiam in Judæorum, & post in Pontificiorum scholas penetravit, de quo in præsens nihil attinet dicere. Illud addo, quod singulis etiam locis suos peculiares dæmones assignare consueverant. *Nullus sine genio locus est*, inquit Servius *ad Æn. V. v. 95.* In-

Incertus geniumne loci, famulumne parentis esse putet. Simile quid apud diviniorem vatem, Danielem legimus, qui pugnam cum Persidis Græciæque principibus Angelo fuisse refert *c. X:* 13. 20. Unde sua gentiles, ut alia quoque, videntur hausisse.

XVIII. A δαίμων nomen est δαιμόνιον, quod ejusdem cum illo significationis est. Notat enim pariter *Deum*, apud Isocrat. τίμα δαιμόνιον ἀεὶ, venerare *Deum* semper, *ad Dæmon.* Deinde etiam *genium*, Demosth. μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ, *Philip.* 3. In scriptura diviniori frequens ejus usus est, malumque semper spiritum significat, si locum unicum exceperis *Act.* 17: 15.

XIX. His itaque observatis difficile non erit definire, quis sit δεισιδαίμων; redeundum enim in viam est, unde itinere longiori fere, quam par erat, discesseram. Prima igitur propriaque notione significabit, qui meticulose dæmones ejusmodi colit ac veneratur, alios ut juvent, alios vero, ne noceant: secundaria vero, qui religiose timet, ideoque colit, quicquid divinitate aliqua censetur. Scriptores à veri Dei sapientia remoti δεισιδαιμονίαν in laude quandoque ponunt, ut idem ipsis sit, ac religio V. Henr. Stephani in *Thesauro.* Sed cum nimia solicitudo nonnunquam accederet, neque cultus ratio haberetur, in deteriorem partem interpretati cœperunt, ut eodem sensu veniret cum Latinorum *superstitione*, quæ *timor est superfluus & delirus*, secundum Servium *ad Æneid. VIII. v.* 187. vel *cœlestium & divinarum rerum, id est, quæ super nos stant, inanis & superfluus timor* secundum Lucretium apud eundem *loc. cit.* Sic Plutarchus librum inscripsit περὶ δεισιδαιμονίας. V. Ælianus *Var. hist. L. V. c.* 17. Christi vero cultores, veramque religionem edocti scriptores δεισιδαίμονα vocant eum, qui vero Deo relicto aliis confictis numinibus, sive Dæmones sint, sive conditæ res aliæ, cultum divinum deferunt, ac religiose prosequuntur. Clemens Alexandrinus: δεισιδαίμων, inquit, ὁ δεδιὼς τὰ δαιμόνια, ὁ πάντα θειάζων, καὶ ξύλον, καὶ λίθον, καὶ πνεῦμα, ἄνθρωπόν τε λογικῶς βιοῦντα καταδεδουλωμένον. *Strom. L. VII. p.* 701. *Hesychius*, δεισιδαίμων, ὁ τὰ εἴδωλα σέβων, εἰδωλολάτρης. Vossius, δεισιδαιμονίας, inquit, superstitionis *vocabulum laxius usurpamus, quam à Plutarcho factum, atque id, quia omnis à recta religione recessus nomine isto generatim comprehenditur, de orig. Idol. p.* 17.

XX. Talis δεισιδαιμονία sive superstitio Athenienses occupaverat, quippe quam hæreditario quasi jure à primis suis conditoribus acceperant. Purior enim religio, veraque Deum colendi ratio, dudum in animis gentium esse desierat, quum Athenæ conderentur, & è contrario vana superstitio mentibus illarum insederat, egeratque radices. Spiritus enim malus, ut ex multitudine damnatorum solatium caperet miseriæ, cujus ipse auctor sibi fuerat, & pro sua, qua est superbia & ambitione, Deus putaretur cultuque divino afficeretur, operam dedit ac studuit, qui veri Dei notitiam obscuraret, & ex animis evelleret: homines vero, quod ignorantia mentis capti, atque ad mala quævis proclives essent, facile suasionibus illius morem gesserunt, ac seduci se passi sunt. Non de nihilo sunt, quæ in hanc rem scribit Doctissimus Anglus Lightfoot, *cum privarentur*, inquit, *omnes Gentes, præter Hebræam, usu & cognitione linguæ Hebrææ, in qua sola nota & docta & tradita sunt res veræ religionis & veritatis divinæ, inevitabile erat, ut non privarentur etiam cognitione Dei, & religione, Horis Hebr. Talm. in Act. p. m.* 22. Primus, qui in Græcia Deorum cultum, adeoque superstitionem, promovit, Cecrops putatur; hic enim illam, qua in Ægypto imbutus erat, in Græciam secum attulit & propagavit. V. Eusebius *in Præfat. Chron.* Hinc Pausanias Cecropem primum fuisse scribit; qui Jovem cognomine ὕπατον *supremum* appellavit, *in Arcadicis p.* 456. Et Isocrates primos urbis conditores πάντα τὸν χρόνον ἠσκηκότας εὐσέβειαν περὶ τοὺς θεοὺς perhibet, *in Panathen.*

XXI. Etsi vero totam Græciam superstitio maxime invaserat, cumprimis tamen Athenis invenerat sedem, id quod præco sacer significat, quum Athenienses συγκριτικῶς δεισιδαιμονεστέρους, *superstitiosiores* appellat. Idem de illis prodiderunt profani quoque scriptores. Isocrates πρὸς τὰ τῶν θεῶν εὐσεβέστατα διακειμένους eos vocat, *in Panegyrico p.* 208. Aristophanes Comicus multis hanc rem persequitur, dicens, quod Athenis Οὐρανίοις τε θεοῖς δωρήματα, Ναοί θ' ὑψερεφεῖς, καὶ ἀγάλματα, καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται, Εὐστέφανοί τε θεῶν θυσίαι. θαλίαι τε, παντοδαπαῖσιν ἐν ὥραις, *Cælicolis sua munera, Templaque marmorea, & statuæ sacra, Divorumque aditus venerabiles sacra Deûm bene comta, diesque tempore festus in omni, in Nubibus Act. I. sc. IV.* Hinc Isaacus Casaubonus, *legimus*, inquit, *in Græcorum Commentariis:* δι' ὅλου τοῦ ἔτους θύουσιν οἱ Ἀθηναῖοι καθ' ἑκάστην, πλὴν μιᾶς ἡμέρας, *Notis ad Act. cit.* Huc pertinet, quod Pausanias habet, λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον, ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις εἰς τὰ θεῖα ἐστι σπουδῆς, *in Atticis pag.* 42. Respicit procul dubio ea, quæ supra scripsit, τοῖς Ἀθηνίοις καὶ ἐς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον, *ibid. pag.* 29. Plura hujus argumenti testimonia vid. apud B. Calov. *Bibl. Illustr. in h. l.* Suicerum *in Thes. Eccles. sub Tit.* δεισιδαίμων. Ut adeo non immerito Athenas *civitatem* dixeris *religionibus deditam, semperque Deorum indulgentiam piè meritam*, sicuti Roma dicitur Plinio juniori *in Panegyr. Trajan.* Et ita fere Pausanias: *quanto cæteris Deorum cultu præstent, secunda, qua in præsentia utuntur, fortuna argumento esse potest, in Atticis pag.* 29. Quamvis enim Athenienses non adeo bene rebus suis quandoque consulerent, Dii tamen in bonos eventus consilia vertere credebantur, ut in proverbium etiam abiret *Atheniensium inconsulta temeritas*, V. Erasmus *Chil. I. cent.* 8. *ad.* 44. Sic Demosthenes reprehendit Athenienses, quod post facta soleant inire consilia, *in Orat. de pace*, adeoque pensi non habeant illud Sallustii; *prius quam incipias consulto, & ubi consulueris, mature facto opus est, Bell. Catilin.* Taxat idem Aristophanes, φασὶ, dicens, δυσβουλίαν τῇ δὲ τῇ πόλει προσεῖναι. ταῦτα μέντοι τοὺς θεοὺς, ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ', ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν, *in Nubibus, A.* 1. *sc. VI.*

XXII. Sed in bonam malamne partem Apostolus vocem δεισιδαιμονεστέρους, accipiat, atque adeo religionem Deique cultum admodum solicitum, an superstitionem notet, disquiri debet, ne præter meritum mentemque sancti Doctoris superstitionis notam Atheniensibus inuram. Laudari illos Grotius statuit, *quod pro copia cognitionis suæ religiosi essent, ut ea insinuatione aditum sibi pararet ad eos docendos rectiora, in h. l.* Beza quoque *religiosiores* reddit. Nil dicam de S. Chrysostomo, qui pariter eo videtur tendere, quum εὐλαβεστέρους interpretatur, quæ vox pium alias atque religiose Deum colentem significat, *Luc.* 2: *vers.* 25. Verum enim vero haud putaverim laudare eos gentium Doctorem, atque religionem eorum commendare, quos idololatras viderat, idque propter animo fuerat accensus, *vers.* 16. quos ξένα δαιμόνια crepare audiverat, *vers.* 18. quorum σεβάσματα, hoc est, *numina* sive *sacra* perlustraverat atque perspexerat, *vers.* 23. Nec juvabit, si religionem ad cultum ignoti Dei determinatam velis. Nam si detur etiam, cultum fuisse verum Deum, non tamen religiosos quis dixerit, qui μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, sive jam παρὰ præpositionem *præter*, sive *supra* exponas, utrumque de Atheniensibus verum est, *Rom.* 1: 25. *Et profecto, quantillum recti illud cultus fuit, præ omni illo, quem falsis tot numinibus præstaret* superstitiosa præ cæteris Atheniensium civitas, inquit Vossius *de Orig. Idol. pag.* 26. Nec quisquam, opinor, hodie Judæos religiosos dicet, etiamsi verum Deum, & majori quidem luce colant, resque sacras alioquin magna sedulitate peragant. Hinc Syrus interpres ita vocabulum δεισιδαιμονεστέρους reddidit, ut manifesto præ aliis superstitionem illis tribuat. Interpretatur enim *eximios, præstantes superstitione dæmonum* sive *diabolorum*. Consentiunt reliqui interpretes, Vulgatus, Lutherus, Erasmus, Schmidius, alii. conf. B. Calov. *Bibl. Illust. in h. l.*

XXIII. Non est animus, nec instituti permittit ratio, varia superstitionum genera in præsens persequi, hoc enim si vel breviter strictimque facere quis vellet, justo commentario opus foret. Peculiare caput huic argumento destinavit Ælianus *L. V. cap. XVII. Var. Hist.* siquidem ipse historiam suam ita diviserit, quod Cl. Schefferus negat *in Notis p. m.* 4. Pausanias etiam diligenter in commentariis suis de rebus Atticis hoc notavit. Sic post multa alia refert, quod *misericordiæ* posuerint aram, atque soli ex omnibus Græcis singularem quendam isti numini honorem habuerint, quia magna habet in vita hominum & casuum varietate momenta, *pag.* 29. Quod habuerint aras, omnibus Diis communes, templa quoque hujus generis, κοινὸν τῶν θεῶν ἱερόν. *p.* 10. 32. Erat etiam ibi templum, in quo Eleusinia sacra celebrabantur, de quo Pausaniam, ne plura diceret, visa per quietem species deterruerat, *pag.* 26. Aristophanes memorat, Athenis florere σέβας ἀρρήτων ἱερῶν, *cultum arcanorum sacrorum, A.* 1. *sc. IV. in Nubibus.* Alias *mysteria* vocant, quæ cum in domo sua fecisse diceretur Alcibiades, quod nefas erat more Atheniensium, reus sacrorum violatorum factus, & è civitate ejectus est, apud C. Nepotem *in Alcibiade.* Alia mitto lubens.

XXIV. Illud præterire non debeo, cujus & divinus præco meminit, quod aram ἀγνώστῳ θεῷ statuerint. Moris fuit atque receptum apud gentiles, ut aris atque templis nomen Dei vel Herois inscriberent, cui illud dedicaverant, idque in gignen-

gignendi, quandoque etiam dandi casu, utrumque ἐλλειπτικῶς, ita ut ibi βωμὸς vel ἱερὸν sive τέμενος; hic βωμὸς πεποιημένος, vel aliud simile subaudiretur. Ita Zosimus: βωμὸς εὑρέθη πεποιημένος ἐν ᾧ γράμματα ἦν ΑΔΟΥ ΚΑΙ ΠΕΡΣΕΦΟΝΗΣ, *Ara inventa est facta, in qua hæ literæ erant:* DITIS PATRIS ET PROSERPINÆ, *L. II. p.* 121. Et Pausanias: ἥρωος Βούτου, Butæ herois sc. ara *Attic. p.* 47. *item:* τὸ δὲ οἴκημα Δαίμονός τε ἀγαθοῦ καὶ τύχης ἱερὸν ἐστιν ἀγαθῆς, *in Bœoticis p.* 602. Sic in Dativo apud eundem Pausaniam: Κόρη τε πεποίηται τῇ Δήμητρος, καὶ τέταρτον Ὁμαγυρίῳ Διΐ. *Achaic. p.* 444. & alibi passim.

XXV. Locum, ubi posita fuit hæc ara, *Deo ignoto* sacra, scriptor divinus non memorat. Pausanias plures ejusmodi aras fuisse asserit, illarumque sedem facit Phalerum, ἐπὶ Φαληρῷ, inquit, βωμοὶ δὲ θεῶν τε ὀνομαζομένων ἀγνώστων, καὶ ἡρώων, *Attic. p.* 2. Phalerus autem ultima inter civitates, à Cecrope constitutas, vocabatur, apud Strab. *L. IX.* Neque vero Atheniensibus propriæ fuerunt ejusmodi aræ; nam in Elide etiam, ubi certamina Olympica peragebantur, juxta Jovis Olympici aram ἀγνώστων θεῶν βωμὸν fuisse positam, idem Pausanias tradit, *in Eliac. prior. p.* 314.

XXVI. Causam occasionemque statuendi has aras alii aliter tradunt. Diog. Laërtius hanc refert, quod Athenienses, cum pestilentia in urbe pariter & agro grassaretur, jussi sint ab Epimenide oves, quas in Areopagum duxerat, indeque, quo vellent, ire permiserat, immolare τῷ προσήκοντι θεῷ, quem cum nescirent, quis esset, & quomodo vocaretur, factum, ut aræ ponerentur ἀνώνυμοι, quas putant fuisse aras θεῶν ἀγνώστων, apud B. Schmidium *in h. l.* Sapit hoc, si res ita habet, nec ego fallor, κακοζηλίαν Judæorum, qui in expiationis festo hircum emittebant, & quo vellet, ire permittebant ad expiandum peccata populi, *Levit.* 16. Alii perhibent, *Athenienses gravi oppressos peste, cum colendis frustra Diis patriis se fatigassent, timerentque ne quod numen prætermissum à se esset, θεῷ ἀγνώστῳ aram hanc struxisse*, apud B. Calov. *Bibl. Illustr. in h. l.* Id quod à vero non omnino videtur abhorrere. Uti enim gentiles dubii semper erant ac incerti, quisnam Deorum esset, à quo sperarent opem; hinc & orationes suas ita temperabant, ne aliquem offenderent, V. Stolberg. *Dissert. p.* 379. Sic videri possent existimasse, si Dii, quos habebant cognitos, non juvarent, fore, ut ignoti, si pariter cultum honoremque illis deferrent, maturarent opem. Atque adeo non præter rem huc referres, quod Evandrus apud Virgilium ait: *hanc tanti numinis aram Vana superstitio, veterumve ignara Deorum Imposuit*, *Æn. VIII. vers.* 186. *seq.* Eleganter παρῳδῶν Priscæus: *Ignoti hanc Numinis aram Vana superstitio, verique ignara timoris induxit*, apud Suicerum *loc. cit.* Quam tertio loco B. Calovius rationem subjungit, apud Pausaniam quoque legere licet, nisi quod hic non definiat, an sub *ignoti* nomine *Pani* cultus fuerit exhibitus, ὅτῳ μὲν δὴ, inquit, ὁ θεὸς ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἀγγελίᾳ τετίμηται, *in Atticis p.* 52. Meminit etiam *ignotorum Deorum* Cicero *Lib.* 1. *de Natura Deorum. n.* 39. Et Lucanus *Dei incerti*, de quo V. Fuller. *Misc. sacr. L. IV. c. XIV. p.* 512.

XXVII. Multum diuque vana hæc superstitio Athenis duravit ac viguit, donec Doctor gentium ad saniorem mentem eas revocaret, quisque verus Deus esset, qua mente vocari atque coli vellet, doceret ac traderet. Tum enim nonnulli nuncio Deorum Dæmonumque cultui remisso Christi sacra amplectebantur, ac vitam emendabant. Neque tamen inde statim cessavit superstitio; verum secundo etiam seculo, quum Pausanias totam Græciam peragraret, & quæ memoratu digna essent, in commentarios referret, adhuc dum tenuit Athenienses, ut ex laudato Pausania constat. Postquam vero res Christianorum sub Imperatoribus Christianis latius propagarentur, ac florere inciperent, desiit sensim ac expiravit.

Τῷ Θεῷ δόξα.

M. GEORG. WONNA

SUB

J. A. BOSIO

DISSERTATIO

De Ara ignoti Dei ad Act. XVII: 23.

Θεοῦ σὺν παλάμᾳ.



SAcrata divinæ Philologiæ penetralia dum oculis animoque perlustro, plurima reconditæ doctrinæ emblemata ac venerandæ antiquitatis mysteria mentem pene in stuporem rapiunt, quidque seligat, præponatque reliquis, suspensam ac dubiam tenent. Placuit vero semper summopere Ara Atheniensium, IGNOTO DEO inscripta, cujus etiam admirationi lucubrationem quandam consecrare, ac primum uno quasi intuitu totum ararum circum percurrere, in animum induxi meum, ut hoc modo ei, cui inscriptam aram Apostolus asserit, in ea ipsa quasi aliqua devotissimæ venerationis thura libarem. Quem etiam, ut res hæc bene vertat, submissis oro precibus. Cæterum levibus & malevolis solemne illud occino: *Procul este profani!* Tu vero quisque placidiore natus es sidere, conatibus nostris faveto.

Sit igitur

Dissertationis Philologicæ de Ara IGNOTO DEO inscripta Act. 17: vers. 23.

CAPUT I.

Generalia de Aris. Earum origo antiquissima ac ferme coæva mundo. Aræ & Altaris vulgare discrimen rejectum. Servius & Festus notati. Aræ erectæ Diis, Principibus: ut Augusto & Ulyssi.

Soli-

Solinus refellitur. Principes adventantes aris excepti. Ara Pacis, Orbonæ, Febris, Malæ Fortunæ, Anni, Mensis, Paupertatis, Artis. Aræ in lucis & cur? itemque in scena & sepulcris, aut prope. Varia ararum materies. Aræ cespitiæ, ligneæ, cineritiæ: itemque ex arena & lapidibus. Ara cornea Apollinis. Aræ æneæ, argenteæ, aureæ. Mos confugiendi ad aras, easque in jurando tenendi. Singularia quarundam ararum. Formula dedicandi aras è saxis veteribus.

§. 1. ARarum origo longe antiquissima est, & prope cum ipsa mundi nascentis origine conjuncta. *Herodotus* (α) quidem scribit, primos βωμὸς καὶ ἀγάλματα καὶ νηὸς θεοῖσι struxisse Ægyptios, utpote qui se omnium primos natos gloriarentur, ut testatur (β) historia. Cui & *Cælius Rhodiginus* (γ) consentire videtur. Sed in hoc ipso tantum abest, ut nostrum mereantur calculum, ut potius ab eorum opinione quam longissime abeamus. Nam, ut jam dictum, ab origine mundi fere arcessenda est ararum origo, patetque ex sacris Pandectis (δ) Abelum & Cainum ex ordinatione divina ac patris jussu, ut plane credibile, sacrificia obtulisse Deo, ad quæ aras exstructas fuisse omnino rationi consentaneum est. Hinc post, cessante diluvii universalis pœna, morem sacrificiorum ac majorum exemplum secutus Noah (ε), altare quoque ad sacrificii usum erexit.

§. 2. Noam imitati sunt filii & nepotes. Unde in toto terrarum orbe tot aræ, ut prius sidera, quam illas numeres. Et eo res tandem rediit, eæque ingruerunt gentilitiæ superstitionis noctes, ut tota religio in aris ac sacrificiis posita esset, & quibus nullum esset altare (vocem altaris & aræ promiscue usurpamus, discrimen enim, quod (ζ) *Festus Pauli* & (η) *Servius* faciunt, altaria sc. esse tantum superorum Deorum, aras vero superorum ac inferorum, non semper locum obtinet, ut ex (θ) *Virgilio* & (ι) *Silio* ad oculum patescit) iis nec religio, nec Deus esse crederetur, ac pessimi omnium habeantur, ut patet ex *Aristophane*, apud quem chorus ἐν Ἀχαρνεῦσιν, de Lacedæmoniis, ut de perdite sceleratis loquitur: οἷσιν ὄτε βωμὸς, ὄτε πίσις, ὐθ' ὅρκος μένει.

§. 3. Hinc quacunque occasione oblata Diis Deabusque non tantum, sed & Principibus ac bene de patria meritis, aliisque rebus, ut (κ) virtutibus *morbisque & multis etiam pestibus, dum placatas esse trepido metu cupierunt*, aras erexere gentiles. Aras Deorum Dearumque si enumerare vellem, dies me deficeret; & præterea id solis jubare clarius. Principes vero virtutibus suis aras meruisse, testatur exemplum Augusti, cui vivo tanquam Deo aras erectas esse liquere arbitror ex illo (λ) *Virgilii*:

> *Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram*
> *Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.*

Itemque ex isto (μ) *Horatii*:

> *Præsenti tibi maturos largimur honores,*
> *Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

Huic etiam Ubios in Germaniis, Lugdunenses & Narbonenses in Galliis aras erexisse refert (ξ) *Rosinus* cum inscriptionibus, & (ο) *Dempsterus*. Ulyssi quoque ara consecrata, legitur apud *Tacitum* (π), in Germaniæ oris, *adjecto Laërtæ patris nomine*, & in quodam recessu Caledoniæ, Græcis inscripta literis, apud (ρ) *Solinum*. Quod autem ex hoc colligere vult *Solinus*, Ulyssem in Caledoniæ agrum appulisse, in eo ipsi vix ac ne vix quidem assentire possum. Placet potius sententia *Berneggeri* (σ) aras illas in Ulyssis potius honorem, quam ab ipso Ulysse positas existimantis. Nec hoc quicquam *Solinus* obtinet, quod ara illa Caledonia inscripta sit Græcis literis. Notum enim est ex *Plutarcho* & *Justino* (τ), aliisque cultos posteris seculis esse Trojanos Heroas. Cui ergo homines Græci tempestate forte ejecti in has oras potius vota facerent quam Ulyssi, qui non ignarus malorum, quæ subeunt errantes pelago, facilius quam alii misericordia tangeretur. Etiam adventantibus Principibus fœdissima adulatione aræ exstructæ & ornatæ sunt. Qui honor habitus est (υ) *Metello Pio*, (φ) *Caligulæ*, (χ) *Vitellio* & aliis. Cætera quod attinet, Pudicitiæ plebeiæ aram dedicatam esse à Virginia è *Livio* (ψ) constat. Paci, cum Lacedæmonii *Atheniensibus imperii maritimi principatum concessissent* in Atticis *primum aras publice esse factas* narrat *Nepos* (ω). Ad quem locum tamen *Amplis. atque Excell. Dn. Præses* annotat, *Plutarchum* in Cimone tradere aram Paci esse positam jam post victoriam ad Eurymedontem de Persis. Imo (α) *publice Febri fanum in Palatio dicatum, Orbonæ ad ædem Larium ara, & Malæ Fortunæ Esquiliis.* Hinc *Cicero* (β) scribit: *Febris fanum in Palatio, & Orbonæ ad ædem Larium, & aram Malæ Fortunæ Esquiliis consecratam videmus.* Et alibi (γ): *Ara vetus stat in palatio. Febris: & altera Esquiliis, Malæ Fortunæ.* Refert insuper *Eustachius ex* perdito *Æliani lib.* περὶ προνοίας, in Gadibus geminam aram fuisse constitutam, alteram *Anno*, alteram *Mensi*, in honorem temporis & longioris & brevioris. Præterea & aram ibi fuisse *Paupertati & Arti* positam. *Paupertati* quidem, quo eam placarent; *Arti* v. tanquam remedio ad effugiendam paupertatem optimo. Verba hæc sunt (δ): Αἰλιανὸς ἢ ἐν τοῖς περὶ προνοίας φησὶν, ὅτι ἐν Γαδείροις βωμὸς Ἐνιαυτῷ ἵδρυται, καὶ Μηνὶ ἄλλος, εἰς τιμὴν χρόνε βραχυτέρε τε καὶ μικροτέρε. Et mox paucis interjectis: καὶ βωμὸς, ἢ, φησὶ, παρὰ τοῖς ἐκεῖ Πενίας καὶ Τέχνης. Τῆς μὲν, ἐξιλασκομένοις, τὸ ἢ, παραλαμβάνεσιν εἰς ἄκος ἐκείνης. Ex monumentis quoque antiquis, quæ apud *Gruterum* sunt, aras positas esse (ε) Concordiæ, (ζ) Spei, (η) Paci &c. constat.

§. 4. Variis autem in locis constructæ aræ. Nec tantum in templis, sed antiquissimo ritu etiam in lucis ac nemoribus arborum refertis ac opacis, ut constat ex illo (θ) *Homeri*.

> Ἐς κύπρον δ' ἔλθεσα, θυώδεα νηὸν ἔδυνεν
> ἐς Πάφον ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυώδης.

Et Druidæ (ι) veterum delectum habuere inter lucos, eumque tantum aris ac sacrificiis destinarunt, quem annosæ quercus, aut proceræ altitudinis robora conspicuum reddebant. Exstructas autem ideo deorum aras in lucis ejusmodi agentibus putat *Fortunius Licetus* (κ) ut indicarent, naturam divinam nos multum latere ac obscuram delitescere, Numinisque mysteria esse celanda multitudini. Forte etiam, quia illa ipsa proceritas sylvæ densioris, & secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ fidem alicujus Numinis facere existimabantur. In montibus quoque aras positas vel ipsa (λ) *Historia sacra* testatur. In scena quoque (μ) duæ aræ ponebantur, dextra Baccho in Tragœdia, Apollini in Comœdia, sinistra ei vel Deo, vel Divo, vel Heroi, vel civi, cui fiebant ludi, justa aut parentalia. Et nisi in sepulcris, certe tamen prope sepulcra, Manibus Virorum honoratorum aras erectas ut credam, facit (ν) *Virgilius* canens:

> *Instauramus Polydoro funus, & ingens*
> *Aggeritur tumulo tellus, stant Manibus aræ.*

Et rursus (ξ):

> *Libabat cineri Andromache, manesque vocabat*
> *Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem,*
> *& geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.*

Vid. idem l. 5. v. 46. Aræ quoque erant in viis publicis & plateis, ut ex illo (ο) *Propertii* apparet:

> *Publica vicinæ perstrepit ara viæ.*

Conferatur & (π) *Plautus*.

§. 5. Multiplex insuper ararum materia erat. Et primo quidem ex cespitibus congestis aras conglobasse veteres, ex *Ovidio* (ρ) apparet, qui natalem uxoris celebrans, ait:

> *Araque gramineo viridi de cespite fiat.*

Nnn Et

(α) *in Euterp.* (β) *Justin. l. 2. c. 1.* (γ) *l. 18. Lect. Antiq. c. 37.* (δ) *Gen. c. 8: v. 20.* (ε) *Gen. 8: 20.* (ζ) *in voce altaria.* (η) *Comment. in Virg. Eclog. 5. v. 66.* (θ) *Eclog. 8. v. 64. 74. Æn. 4. v. 517. Cir. v. 376.* (ι) *l. 1.* (κ) *Plin. l. N. H. c. 7.* (λ) *Eclog. 1. v. 7. 8.* (μ) *l. 2. epist. 1. v. 15. 16.* (ξ) *l. 2. c. 2. Antiq. Rom.* (ο) *Paralip. in Rosini l. 1. c. 13. ad reg. 8.* (π) *l. de Germ. c. 3. v. 4.* (ρ) *c. 25.* (σ) *quæst. 10. ex Taciti Germ. & Agric.* (τ) *in Alexandro M. 6. l. 11. cap. 5. n. 12.*

(υ) *Val. Max. l. 9. c. 1.* (φ) *Sueton. in vita c. 13.* (χ) *Tacit. Hist. l. 2. c. 60. n. 3.* (ψ) *l. 10. c. 23.* (ω) *in Timoth. c. 2. n. 2.* (α) *Plin. l. 2. H. N. c. 7.* (β) *l. 3. de nat. Deor.* (γ) *l. 2. de Leg.* (δ) *Comment. in Dionys. p. 6. 5.* (ε) *p. 100. n. 8.* (ζ) *p. 102. n. 1.* (η) *p. 104. n. 6.* (θ) *hymno in Vener. v. 58. 59.* (ι) *Plin. N. H. lib. 16. c. 44.* (κ) *in Encyclopæd. ad aram Pythiam p. 24.* (λ) *Gen. 22: 9.* (μ) *vid. Scalig. l. 1. de art. Poët. c. 21. Taubm. in Plaut. Mostell. act. 5. sc. 1. v. 45.* (ν) *l. 3. Æn. v. 62. 63.* (ξ) *l. c. vers. 303. seq.* (ο) *l. 3. eleg. 10.* (π) *in Curcul. act. 1. sc. 1. v. 71. act. 4. sc. 1. v. 10.* (ρ) *l. 5. Trist. eleg. 5.*

Et apud eundem (σ) Medea statuit

— *Aras è cespite binas.*

Apud (τ) *Apulejum* quoque Latrones *aram cespite virenti Marti Deo faciunt.* Apud (υ) *Julium Capitolinum* hæc reperiuntur: *Centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur.* Hinc & *Horatius* (φ) & *Juvenalis* (χ) cespitem pro ejusmodi ara posuerunt. Asiæ aræ fiebant ex ligno, ut vel ex historia sacra (ψ) patet. Aliæ ex cinere seu aqua subacto, seu victimarum sanguine, de quibus *Pausanias* (ω). Et speciatim, quando (α) ait: *Stato autem die quotannis Februarii mensis nono supra decimum aruspices cineres ex Prytaneo deportant, eoque aqua ex Alpheo amne diluto aram Jovis oblinunt.* Thebis aram *Apollinis Spodii* ex sacrificiorum cineribus fuisse narrant *Alexander ab Alexand.* (β) & (γ) *Cælius Rhodiginus.* Ex arena ararum Philænarum mentionem facit (δ) *Plinius.* Ex lapidibus quoque structas esse aras, ex *sacro codice* (ε), & *Aristotele* (ζ) patescit, qui tradit Protarchum dixisse fortunatos esse lapides, è quibus sunt aræ, quod honorentur. In Delo cornea erat ara Apollinis ab eo quadrimo, ut notat *Farnabius* (η) ex caprearum Cynthiadum cornibus structa. Audiamus de hac (θ) *Callimachum*:

> Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
> Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
> Δείματο μὲν κεραέεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
> Ἐκ κεραῶν, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Martialis hanc inter mundi miracula recenset (ι); cui assentitur *Plutarchus* (κ) scribens: Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος περὶ ναῷ, τὸν κεράτινον βωμὸν εἶδον ἐν τοῖς ἑπτὰ καλουμένοις θεάμασιν ὑμνούμενον, ὅτι μήτε κόλλης δεόμενον, μήτε τινὸς ἄλλου δεσμοῦ, διὰ μόνων τῶν δεξιῶν (alibi (λ) è sinistris structam asserit) συμπέπηγε καὶ συνήρμοσαι κεράτων. Ex ære quoque factas fuisse aras, dubitare nos haud sinit *Philostratus* (μ), qui referente (ν) *Fortunio Liceto*, Herculi Ægyptio duas aras æneas in templo apud Gades erectas fuisse scribit. Argenteas etiam aras in usu fuisse ex *Curtio* liquet, apud quem (ξ) Persæ ad prælium ituri *ignem, quem ipsi sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferunt.* Et Pagophanes (ο) adventante Alexandro *totum iter floribus coronisque constravit, argenteis altaribus utroque latere dispositis.* Apud Babylonios porro *altare aureum* fuisse, in quo non licebat hostias mactare præterquam lactantes, testis est (π) *Herodotus.* Midas quoque, ut est apud (ϱ) *Plutarchum*, eo in loco, quo Anchurus filius in terræ hiatum se conjecerat, aram auream posuit Jovi Idæo.

§. 6. Has aras antiqui tam sancte habuerunt, ut etiam confugientes ad eas inviolabiles putarent; erantque aræ miseris quasi quædam asyla, ad quæ confugerent, ut immunitatem ac impunitatem consequerentur, si eas fuissent amplexi. Quorsum alludit *Terentius* (σ) aliique plures. Etiam in *sacris* (τ) à quibusdam ara in discrimine vitæ occupata legitur. Insedisse quoque fugitivos aras ex *Nepote* (υ) clarum est, qui Argilium quendam aram in fano Neptuni Tænari insedisse narrat: Et *Virgilio* (φ), apud quem Helena:

— *Aris invisa sedebat.*

Quod si tamen magni alicujus sceleris reus eo confugisset, aut igne admoto cogebatur inde discedere, ut colligere licet ex (χ) *Plauto*: aut obstructis valvis fame necabatur, ut Pausaniæ (ψ) factum.

§. 7. In more etiam fuit veteribus in jurejurando aras tenere, ut eo sanctius servaretur, quod promitteret jurans. Ita apud *Justinum* (ω) Ptolemæus *sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra & pulvinaria Deorum inauditis ultimisque execrationibus adjurat se sincera fide matrimonium petere &c.* Et Hannibalem non amplius novem annos natum aram tenentem jussu patris jurasse, nunquam se in amicitia cum Romanis fore, testantur (α) *Historici.* Ad quem ritum veterum etiam alludunt (β) *Virgilius*, (γ) *Juvenalis*, (δ) *Propertius*, (ε) *Plautus*, *Cicero* (ζ) *aliique.*

§. 8. Interdum aræ singulare quippiam & mirandum habuere, vel ratione sacrificiorum; sicut aræ Herculis, quæ & maxima dicta est, proprium erat (η), ut juvencus indomitus Herculi victima in ea mactaretur. In ea Prætor aut Pontifex, qui rem divinam fecit, sola lauro nec alia coronabatur fronde. Huic admovere manus fœminas religio non sinebat; ad eam dum sacra fiebant, dumque litabatur, omnes capite aperto & invelatos esse decebat. In ea nec lectisternium fieri, nec pulvinar suscipi poterat. Ita quoque in Attica Jovis supremi ara (θ) nihil conveniebat animatum immolari, sed variis libamentis & bellariis absque vino sacrificabatur. Vel ratione aliorum eventuum, sicut ut *idem* (ι) scribit & *Livius* (κ), in Laciniæ Junonis ara cineres nullus movit ventus, & Veneris Paphiæ ara sub palustri cœlo nullis pluviis humectabatur. *Plutarchi* testimonio (λ) duæ aræ in Germania fuere, quæ sub id tempus, quo victus bello Cimbrico Marius somnio monitus est, victorem se fore, si immolaret filiam suam Calpurniam, sonum tubarum edebant. Et alibi (μ) *idem* de aurea Midæ ara, cujus jam §. 5. mentio facta, scribit, eam circa id tempus, quo terra hiavit olim, lapideam fieri, stato illo tempore elapso, rursus auream. Fides sit penes auctores.

§. 9. Priusquam hinc abeamus, apponimus formulam aras dedicandi, quam nobis exhibet inscriptio vetus Patavina, olim ab *Aldo*, *Smetio*, *Grutero* ac *Schotto*, sed longe correctius à (ν) *Laurentio Pignorio*, *Sertorioque Ursato* (ξ), ut in ipso lapide ex fide vetusti codicis suppleta hodie legitur, descripta & commentariolo illustrata. Ea sic habet:

L. Helio Cæsare. Imp. P. Cælio & ALBINO
VIBULLIO PIO COS.
VIIIdus OCTOBRES
Cn. Domitius Valens II vir ID. PraEEUNTE C. JULIO SEVERO PONTIF. Legem dixit in ea verba, quæ infra SCRIPTA SUNT.

Juppiter optime maxime, quandoque tibi hODIE HANC ARAM DABO DEDICABOQUE OLIS LEGIB. Ollisque regionibus dabo dedicaboque, quæ hic hODIE PALAM DIXERO UTI INFIMUM SOLUM HUIUS ARAEES. Si quis hic hostia sacrum faxit quod magmentum ne C PROTOLLAT IDCIRCO TAMEN PROBE FACTUM ESTO CETER Leges huic aræ eædem sunto quæ aræ Dianæ sunt iN AVENTINO MONTE DICATAE HISCE LEGIBUS HISCE REGIONIB. Sicuti dixi hanc tibi aram Juppiter optime maxime DICO DEDICOQUE UTI SIS VOLENS PROPITIUS MIHI COLLEGISQU Meis decurionibus colonis incolis coloniæ martiæ iVLLIAE SALONAE CONIUGIBUS LIBERISQUE NOSTRIS.

Similem huic formulam habes (ο) in ara Narbonensi Augusto dicata, cujus supra mentio facta. Quam si cum hac nostra compares, apparebit, fortasse melius hic legi, *quando tibi*, & mox, *quas hic*, denique, *qui magmentum.* Id quod obiter observare libuit. In formula dedicationis interdum expresse cautum esse, cui Deo in ara dedicata sacrificandum esset, ex alio lapide docent (π) Kirchmannus & (ϱ) Sertorius Ursatus. Sed hæc de Aris in genere. Nunc aram Atheniensium paulo accuratius inspiciamus.

(σ) *l. 7. Metam. fab. 2.* (τ) *l. 7. As. Aur.* (υ) *in vita Max. & Balb.* (φ) *l. 1. od. 19. & l. 3. od. 8.* (χ) *Sat. 12.* (ψ) *Exod. 27: v. 1. c. 30. v. 1.* (ω) *l. 5. in Eliac. & Bœot. l. 9.* (α) *l. 5. Eliac.* (β) *l. 6. Gen. Dier. c. 2.* (γ) *Lect. antiq. 122. c. 2.* (δ) *l. 5. H. N. c. 4.* (ε) *Exod. 20: 25. Deut. 27: 5. Jos. 8: v. 30.* (ζ) *l. 2. Phys. 5. 9.* (η) *in Mart. l. spect. ep. 1.* (θ) *in Hym. Apoll.* (ι) *l. c.* (κ) *lib. de solert. anim.* (λ) *in Theseo.* (μ) *l. 5. c. 1. in Apollonii vita.* (ν) *in Encyclop. ad aram Nonarii Terrigenæ.* (ξ) *l. 3. cap. 3. num. 9.* (ο) *l. 5. cap. 1. n. 20.* (π) *in Cli.* (ϱ) *Parallel. 5.* (σ) *Heauton. act. 5. sc. 2.* (τ) *3 Reg. 1: vers. 50 c. 2: vers. 28.* (υ) *Pausan. cap. 4. n. 4.* (φ) *l. 2. Æn. vers. 574.* (χ) *Act. 3. sc. 4. Rudent.* (ψ) *apud Nepot. l. c.* (ω) *l. 24. cap. 21. n. 8.*

(α) *Liv. dec. 3. l. 1. Nepos in Annib. c. 2. n. 4. Polyb. l. 3. Valer. Max. l. 9. cap. 3.* (β) *l. 12. Æn. vers. 201.* (γ) *Sat. 14. vers. 219.* (δ) *l. 3. eleg. 18.* (ε) *Rud. act. 5. sc. 2. vers. 49.* (ζ) *Pro Flacco.* (η) *Alexand. ab Alex. l. 2. gen. dier. cap. 14. & ibi Tiraqu. not.* (θ) *Alex. ab Alex. l. 6. cap. 2.* (ι) *l. c.* (κ) *l. 24. cap. 3.* (λ) *Parallel. 20.* (μ) *Parall. 5.* (ν) *Epist. Symbol. 30.* (ξ) *l. 1. monum. Patav. sect. 6. pag. 222.* (ο) *apud Gruter. pag. 229.* (π) *l. 4. cap. 2. de Fun. Rom.* (ϱ) *l. 1. sect. 2. pag. 90. in monum. Patav.*

CAPUT II.

Singularis Atheniensium superstitio. Ara Dei ignoti ab Apostolo Athenis visa. Quomodo ea inscripta fuerit, diversæ Autorum sententiæ. Super causa dedicationis variæ opiniones ex Isidoro Pelusiota, Chrysostomo, Oecumenio, Lyrano, Selneccero, Sal-

Salmerone, Cornelio à Lapide, Baronio, Casaubono, Sarcerio aliisque recensentur.

§. 1. VEnerat Apostolus Paulus Athenas, ut celebre alias omnium artium emporium, ita idololatriæ quoque quasi quoddam domicilium. Singularis quippe Atheniensibus δεισιδαιμονία erat, quæ potissimum elucescebat ἐν τοῖς πρὸς τοὺς θεούς. Hinc *Isocrates* (α) scribit eos fuisse πρὸς τὰ τῶν θεῶν εὐσεβέστατα διακειμένους. Et Apostolus vs. 16. Atheniensium urbem κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν vocat.

§. 2. Copiose igitur singulari superstitionis zelo aras Diis suis struebant; quas cum accuratius perlustrasset Apostolus, & inter eas invenisset unam inscriptam Ἀγνώστῳ θεῷ, tumultuque orto in Areopagum duceretur, occasione doctrinam suam defendendi arrepta aram aliam Atheniensibus objecit. Audiamus ipsum loquentem: Διερχόμενος, inquit (β), καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, ΑΓΝΩΣΤΩι ΘΕΩι. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. Q. d. Non sum novorum Dæmonum annunciator, neque novæ doctrinæ prædicator; Deus vester Ἄγνωστος, cui aram dedicastis, idem ille est, cujus cultum, quod ego profiteor, tantopere tumultuamini.

§. 3. De hac ara Scriptores varie controversantur. Et primo quidem de ipsa inscriptionis forma non unam eandemque tenent sententiam. *Hieronymus* eam non in singulari, sed plurium numero conceptam fuisse putat. *Inscriptio aræ*, inquit (γ), *non ita erat, ut Paulus asseruit, Ignoto Deo, sed ita: Diis Asiæ & Europæ & Africæ Diis ignotis & peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantum Ignoto Deo, singulari verbo usus est: ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, & recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.* Cum *Hieronymo* sentit *Salmero* (δ): *Ut Paulus*, inquit, *aliquando ex Scripturis sensum potius ad rem citat, quam verba, ita illud de Diis Ignotis in singularem numerum mutavit, quia apud sapientes unus tantum Deus est.*

§. 4. *Oecumenius* (ε) cui adstipulari videtur (ζ) *Boxhornius*, hujus aræ inscriptionem hanc fuisse contendit:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩι ΑΓΝΩΣΤΩι
ΚΑΙ
ΞΕΝΩι.

Quæ inscriptio quoad posteriora saltem, non quoad priora, diversa est ab *Hieronymi*. Quam enim partem Orbis terrarum hodie Africam appellamus, eam veterum nonnulli *Libyam* vocabant. *Lucanus* (η):

Tertia pars rerum Libyæ, si credere famæ
Cuncta velis.

§. 5. *Chrysostomus* (θ) vero in singulari numero inscriptionem positam ait. Quem in sensum & *B. Dn. D. Major* ait: *Hoc credibile est, non aliam* (sc. aram) *Paulo visam fuisse, quam quæ in singulari concepta fuit.* Et B. Dn. D. *Glassius* (κ): *Vero similius est, in singulari inscriptionem illam aræ formatam fuisse, si enim secus esset, procul dubio Paulus occasionem inde sumsisset*, πληθύϊαν *gentilium prius perstringendi, quam de uno vero Deo sermonem fecisset.*

§. 6. Atque ut de inscriptionis titulo Scriptores inter se certant, ita etiam, & majori adhuc varietate, de occasione, qua erecta hæc ara. Sunt I. qui dicunt, ut est apud (λ) *Isidorum Pelusiotam*, cum Persæ Græciam quondam magna invasissent manu, opemque Athenienses à Spartanis petiissent, in monte Parthenio Philippidi, qui mittebatur, occurrisse simulacrum Panis, qui neglectum sese querebatur, atque auxilium promittebat. Quem cum ignorarent quis esset, gratos interim Ἀγνώστῳ θεῷ aram inscripsisse. Sed quid vetat, *Isidorum* ipsum audire? Οἱ μὲν γάρ φασιν, inquit, ὡς Φιλιππίδην ἔπεμψαν Ἀθηναῖοι ἡμεροδρόμον πρὸς Λακεδαιμονίους περὶ συμμαχίας, ἡνίκα Πέρσαι ἐπεστράτευσαν τῇ Ἑλλάδι, διὸ κατὰ τὸ παρθένιον ὄρος Πανὸς φάσμα ἐντυχὸν, ᾐτιᾶτο μὲν Ἀθηναίους, ὡς ἀμελοῦντας αὐτοῦ, βοηθεῖν δὲ ἐπηγγέλλετο. Νικήσαντες οὖν, βωμὸν ᾠκοδόμησαν, καὶ ἐπέγραψαν, ΑΓΝΩΣΤΩι ΘΕΩι. Totidem pene verbis, & procul dubio hoc ex loco petitis, opinionem hanc describit *Oecumenius* (μ), addens tamen nonnulla, quæ ex *Chrysostomi* sententia, quæ mox indicabitur, desumta videntur.

§. 7. *Chrysostomus* scribit, Athenienses posuisse hanc aram, veritos, cum alios externos Deos admisissent, ne forsan & alius quispiam alibi esset, quem ignorarent. En ejus verba (ν): Ἀθηναῖοι ἐπειδὴ κατὰ καιροὺς πολλοὺς ἐδέξαντο θεοὺς, καὶ τῆς ὑπερορίας, οἷον τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν, τὸν Πᾶνα, καὶ ἄλλους ἀλλαχόθεν δεδοικότες μήποτε καὶ ἄλλος τις ᾖ αὐτοῖς μὲν οὐδέπω γνώριμος, θεραπευόμενος δὲ ἀλλαχοῦ, ὑπὲρ πλείονος δῆθεν ἀσφαλείας καὶ τούτῳ βωμὸν ἔστησαν, καὶ ἐπειδὴ οὐκ ἦν δῆλος ὁ θεὸς, ἐπεγέγραπτο, ΑΓΝΩΣΤΩι ΘΕΩι. Et alibi (ξ): Ἀθηναῖοι ἐπειδὴ οὐκ ἐξ ἀρχῆς τοὺς θεοὺς πάντας παρέλαβον, ἀλλὰ κατὰ χρόνους, καὶ ἄλλους τινὰς, ὡς τὰ ἐκ τῶν ὑπερβορέων, ὡς τὰ τοῦ Πανὸς, ὡς ἄλλα μυρία ἐπήγαγον ὕστερον. οὕτω στοχαζόμενοι ἀπὸ τούτων, ὅτι εἰκὸς καὶ ἄλλον εἶναι θεὸν, ὑπ' αὐτῶν δὲ ἠγνοῆσθαι, ἵνα καὶ περὶ ἐκεῖνον ὦσιν εὐκαθοσίωτοι, τούτῳ βωμὸν ἔστησαν, ἐπιγράψαντες, ΑΓΝΩΣΤΩι ΘΕΩι. Μονονουχὶ τοῦτο δηλοῦντες καὶ εἴ τις ἄγνωστος εἴη θεός.

§. 8. Huic opinioni Atheniensium fortasse ansam præbuerit pestis, qua graviter oppressi, cum frustra, ut aliqui volunt, se colendis Diis Patriis fatigassent, nihilque ab iis opis impetrassent, timerentque, ne aliquot Numen prætermissum à se esset, Θεῷ Ἀγνώστῳ aram hanc dedicarunt, oblatisque sacrificiis convaluere. Audiamus iterum de hac opinione loquentem *Isidorum Pelusiotam* (ο): Ἄλλοι δέ φασιν, ὅτι λοιμὸς κατέσκαψεν Ἀθήναζε, καὶ εἰς τοσοῦτον αὐτοὺς ἐξέκαυσεν, ὡς μηδὲ τῶν λεπτοτάτων σινδόνων ἀνέχεσθαι. (Rittershus. conjiciebat legendum ἀπέχεσθαι) Τοὺς νομιζομένους οὖν θεοὺς ἑαυτῶν θεραπεύοντες, οὐδὲν ἀπώναντο. Ἐννοήσαντες οὖν, ὅτι ἐστὶν ἴσως θεός τις, ὃν αὐτοὶ κατέλιπον ἀγέραστον, ὁ τὸν λοιμὸν καταπέμψας, ναὸν δειμάμενοι καὶ βωμὸν, ἐπιγράψαντες, ἀγνώστῳ θεῷ, καὶ θύσαντες, εὐθέως ἐθεραπεύθησαν. Quæ totidem verbis iterum exscripsit (π) *Oecumenius.*

§. 9. Sunt III. qui hanc aram eandem cum celebri illa ara Misericordiæ fuisse contendant; unde aliam quoque aræ erectæ occasionem afferre nimium quantum laborant. Audiamus (ρ) *Nicolaum de Lyra*, licet non usque adeo ornate loquentem: *Aliqui dixerunt, quod hoc altare fuit consecratum & institutum à posteris Herculis, qui post ejus mortem ejecti de regno suo & potestate, recurrerunt ad auxilium Atheniensium, per quod restituti fuerunt ad statum pristinum: propter quod dixerunt misericordiam in Athenis posuisse sibi sedem: cui consecraverunt aram; seu quod misericordia non erat aliqua persona, quæ fuisset nota hominibus: sicut Jupiter & mercurius fuerant, quos gentiles ad Deos translatos dicebant. Jam illud altare intitulatum fuit: IGNOTO DEO: & determinatum, quod non fierent oblationes & sacrificia, nisi de gemitibus, lachrymis ac precibus miserorum ibidem misericordiam postulantium.*

§. 10. IV. *Selneccerus* (σ) annotat valde probari *Melanchthoni*, quod nonnulli dicant, Philosophos Athenis docentes eam aram constituisse, motos Eclipsi, quæ tempore passionis Christi accidit, de qua *Apollophanes Sophista* dixit ad *Dionysium Areopagitam* (τ): ὦ καλὲ Διονύσιε, ἀμοιβαὶ θείων πραγμάτων. Cui respondit *Dionys.* ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. Ἄγνωστος πάσχει θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται καὶ σεσάλευται. Etiam *Nicolaus de Lyra* opinionem hanc olim quibusdam placuisse refert. Ita vero ille (υ): *In Scholastica historia dicitur: quod Philosophi Athenis existentes, & tenebras factas in die passionis Christi considerantes, quod non poterant esse virtute naturæ, & quod non factæ fuerunt per interpositionem lunæ: ut dicit Dionysius se vidisse lunam retrocedentem ab Oriente, & supponentem se soli: tunc ei erat quinta decima, & iterum eam redeuntem ad locum suum versus Orientem. Talis autem motus lunæ erat contra cursum naturæ: propter quod illa Eclipsis non fuit naturalis. Item quod illa Eclipsis solis incepit à parte Orientis, & in eadem parte fuit determinata: Eclipsis autem naturalis ipsius solis semper incipit à parte occidentali, & in parte opposita terminatur. Item quod illa Eclipsis duravit tribus horis, seu ab hora sexta usque ad horam nonam, ut habetur Matth. 27. Eclipsis autem solis naturalis non tantum durat, sed modico tempore. Hæc igitur consilia attendentes Philosophi consecraverunt* altare

(α) *In Panegyr.* (β) *vs.* 23. (γ) *Comm. in ep. ad Tit. c.* 2. (δ) *tract.* 47. *in Act. p.* 316. (ε) *Comm. in Act. Apost. c.* 17. (ζ) *Quæst. Roman.* 13 (η) *lib.* 9. *Pharsal.* (θ) *Comm. in h. l. & ep. ad Tit. hom.* 3. (ι) *Exegemat. in h. l.* (κ) *Rhetor. Sacr. tr.* 2. *c.* 7. (λ) *l.* 4. *ep.* 69.

(μ) *L. ante cit.* (ν) *Comm. in Act. c.* 17. (ξ) *hom.* 3. *in ep. ad Tit.* (ο) *l. supra cit.* (π) *l. super. cit.* (ρ) *Comm. in Act. c.* 17. (σ) *Comm. in c.* 17. *Act.* (τ) *apud Suidam in* Διονύσιος (υ) *l. cit.*

altare Deo, qui talia mirabilia faciebat: quem vocaverunt Ignotum. Quæ maximam partem ex epistola Dionysii ad Polycarpum, cujus partem Suidas quoque recitat, desumta esse videntur; de ara tamen erecta altum ibi silentium. Hanc opinionem etiam *Salmero* (φ) refert. *Ratio,* inquit, *redditur illius inscriptionis à Michaële Syngello auctore gravi & veteri, qui in vita Dionysii* (rectius vocasset cum Possevino & aliis *encomium in Dionysium*) *scribit, Dionysium in Ægypto existentem, & solis defectum videntem in die Dominicæ passionis dixisse:* Ἄγνωστος σαρκὶ πάσχει Θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται καὶ σεσάλευται. *h. e. Ignotus Deus patitur: propter quem universum est tenebris obscuratum & tremefactum, & hunc sermonem asserit sibi puero à patre traditum.* Ad hæc adjungit: *Cum Philosophi, qui tunc Athenis erant, intelligerent naturæ vices maxime mutari & verti, potuisse aram ignoto Deo, de quo nunc loquitur Paulus, constituere. Et fortasse,* ait, *Dionysius ex Ægypto reversus autor fuit, ut talis ara Ignoto Deo erigeretur. Similia fere tradit Petrus Comestor in Scholastica Historia.* Mox subjicit suum de his judicium: *Hæc ratio postquam solido & antiquo testimonio fulcitur, videtur mihi reliquis præferenda: quod Christo Ignoto sibi Deo esset proposita, qui ejus causa extitit, quanquam ex quacunque alia causa posita fuerit, idem liceat colligere. Est autem Christus ignotus Deus, sub cujus humanitate delitescit: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Delituit etiam divinitas in passione, ut nunc etiam delitescit sub speciebus Sacramenti. Ita ut de eodem dixerit propheta* (χ): *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator: quanquam ex alia parte signa & miracula eum verum Deum indicaverint. Hinc Ara Ignoti Dei, crux Christi dici potest, quia habebat inscriptionem: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM: quomodo enim Jesus aut Rex in spinis florum.*

§. 11. V. *Cornelius à Lapide* scribit (ψ) *quosdam per Deum ignotum intelligere Deum in carne appariturum, puta Christum incarnandum. Potuerunt enim,* inquit, *Athenienses ex Sibyllis & ab Hebræis discere futuram Christi incarnationem, illique aram statuere hoc titulo: IGNOTO DEO. Christus enim ante eam hominibus fuit ignotus, & incognitus. Id verum est, si vera sunt,* pergit, *quæ scribit Hilduinus Archiep. Rhemensis in vita S. Dionysii. Sic enim ait: Dum Paulus singula altaria & simulacra falsorum Deorum perlustrasset, inter cæteras aras reperit altare unum, cui erat titulus superscriptus: DEO IGNOTO. Et conversus ad Dionysium, Paulus interrogavit illum dicens: Quis est ille Deus incognitus? Ad quem Dionysius, adhuc, inquit, non est ipse Deus demonstratus inter Deos, sed est incognitus nobis, & seculo venturo futurus: Ipse enim est Deus, qui regnaturus est in cœlo & terra, & Regnum ejus non accipiet finem. Subjungens itaque Paulus ait: Homone erit an Spiritus? Respondens Dionysius dixit: Verus Deus & verus homo, & ipse renovaturus est mundum, sed adhuc incognitus est hominibus quoniam apud Deum in cœlo ejus conversatio est. Et ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis: Natus enim ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, pro salute humana mortuus resurrexit, cœlosque ascendens sedet à dextris Dei Patris, verus Deus & verus homo, per quem facta sunt omnia, & venturus est in fine seculi judex omnium, quæ geruntur: Qui notus est jam in Judæa Deus & magnum in Israël & sanctum nomen ejus. Quamobrem quem incognitum usque nunc habuistis, modo cognoscite, quia ipse est Deus solus & præter eum non est alter: Qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad vitam: Qui cœlum & terram, homines sc. & Angelos in unitate regni sui conjunxit: Qui mortificat justus, & vivificat pius: qui claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Subdit Hilduinus ille, hisce aliisque Paul. verbis Dion. fuisse conversum, & Christi amore accensum, præsertim ubi cæco visum restitutum fuisse à Paulo videret.*

§. 12. VI. *Baronius* suam hac de ara hisce proponit (ω) sententiam: *De Ignoto Deo ea magis placet sententia, ut quoniam placitis antiquorum Philosophorum, ut Trismegisti & aliorum, quin etiam Sibyllinis oraculis, receptum erat, unum Deum esse invisibilem, imperceptibilem, eundemque innominatum & ineffabilem, ne cui Numinum divinus honor deesse videretur, aram eo titulo illi erexerint.*

§. 13. VII. *Casaubonus* aram hanc natales suos debere cultui θεῶν ξένων putat. Ita enim scribit (α): *In multis Græciæ locis festum celebrabatur nulli privatim Deo sacrum, sed in universum omnibus. Theoxenia eum diem vocabant.* Hesychius: Θεοξένια, κοινὴ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς. *Athenis autem potissimum videntur Theoxenia celebrata: nam inter propria Reip. illius instituta hoc fuit, quod θεοὺς ξένους colerent quam plurimos. Hesychius:* θεοὶ ξενικοὶ παρὰ Ἀθηναίοις τιμῶνται, οὓς καταλέγει Ἀπομοφάνης ἐν Κρησίν. *Inde illa ara θεοῦ ἀγνώστου, de qua D. Paulus in Actis.*

§. 14. Denique VIII. *Erasmus Sarcerius* ad providentiam divinam confugit, aitque (β) *fortassis ex divino consilio aram hanc aliquando apud Athenienses cœpisse, ut illa aliquando occasio esset conversionis Atheniensium.*

(φ) *Tract.* 47. *in Act.* (χ) *Esai. c.* 45. (ψ) *Comm. in Act. c.* 17. (ω) *Annal. Eccles. ad ann.* 52. (α) *in Athenæum l.* 9. *c.* 3.

(β) *Comm. in Act. c.* 17.

CAPUT III.

Aram Atheniensium videri singulari numero fuisse inscriptam. Sententiæ super causa dedicationis, superiori capite recensitæ, expenduntur. Verum Deum fuisse, quem ignoti *nomine Athenienses coluere. Verus Deus, ejusque unitas etiam Gentilibus quodammodo nota. Formula precandi,* Κύριε ἐλέησον, *iisdem usurpata. Quis illis* Deus ignotus? *Dii ignoti Pelasgorum. Deus* ἀνώνυμος *Celtiberorum. Ara ignoti Dei apud Arabes & Burdegalenses. Ignotus Deus apud Persas. Romanorum Dii ignoti. Formula Deos compellendi:* Quisquis es. *Deos nominandi metus. Deorum tutelarium nomina arcana, etiam urbis Romæ. Sexus Deorum incertus. Boxhornius notatur. Conjectura Cl. Viri super formula* si Deus, si Dea es, *probatur. Incerta sacrificia ac cultus Deorum quorundam. Nostra sententia per* ἀνακεφαλαίωσιν refertur, & concluditur dissertatio.

§. 1. IN hac sententiarum varietate quid sentiendum sit, definire, auctoremque hujus aræ nominare, quaque occasione erecta sit, indicare, fateor conjecturæ potius rem esse, quam scientiæ; illamque solennem veterum formulam, NON LIQUET, fortasse rectius hic usurpari, quam ut certi quid affirmemus. Nihilominus instituti nostri ratio requirit, ut dispiciamus, quid in hac re maxime veritati consentaneum videatur.

§. 2. Ac *Hieronymi* quidem, aliorumque, qui inscriptionem aræ in plurium numero conceptam volunt, sententiam quod attinet, næ illi sanctissimo Apostolo gravem dicam scribunt, detrahuntque verbis ejus, quibus Athenienses tentabat convincere, omne robur ac pondus; utpote quæ antagonistæ falsitatis arguere potuissent. Decepti fortasse sunt ex eo, quod *Philostratus* (α) mentionem facit *Ignotorum Deorum*, quodque *Pausanias* refert (β) *aram consecratam Diis ignotis.* Πρὸς αὐτῷ (loquitur de magna Jovis Olympii ara) δέ ἐστιν ἀγνώστων θεῶν βωμός. Quomodo & *Suidas* (γ): σωφρονέστερον γὰρ τὸ περὶ πάντων θεῶν λέγειν εὖ, καὶ ταῦτα Ἀθήνησιν, οὗ καὶ ἀγνώστων δαιμόνων βωμοὶ ἵδρυνται. Præpono longe authoritatem Scriptoris sacri; & verba Apostoli nimis clara sunt. Nec sequitur: Fit mentio apud Scriptores quosdam ararum in plurium numero inscriptarum: E. nulla fuit inscripta in singulari numero. Quid enim vetat asserere cum *Baronio*, *aliisque* fuisse ibi aras in plurium numero inscriptas, & unam quoque in singulari? Aram in singulari numero inscriptam *Ignoto Deo* Athenis aperte nos docet *Lucianus* vel quisquis alius potius, cum ait (δ): Νὴ τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις. Et rursus (ε): Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν.

§. 3. Quod porro I. sententiam de occasione erectæ aræ hujus spectat, eam nisi me omnia fallunt, ex (ζ) *Pausania* (η) *Herodotoque*, quicunque ejus authores fuere, aut sunt, sed non satis bona fide, adjectis præterea, quæ suæ causæ inservire videbantur, desumsere. Audiamus ipsos Scriptores, & fucus facile apparebit. Ita vero *Pausanias* (θ): Περὶ δὲ τοῦ Πανὸς φασὶν, ὡς πεμφθείη Φιλιππίδης ἐς Λακεδαίμονα ἄγγελος ἀποβεβηκότων Μήδων (quod factum esse sub Dario ex *Herodoto* (ι) & (κ) *Cornel. Nepote* liquet) ἐς τὴν γῆν, ἐπανήκων δὲ Λακεδαιμονίους ὑπερβαλλέσθαι φαίη τὴν ἔξοδον εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς, μὴ πρότερον μαχουμένους ἐξιέναι πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι.

Τὸν

(α) *L.* 4. *Apollon.* (β) *l.* 5. *Eliac.* (γ) *in voce* Τιμαίων. (δ) *in Dial. qui Philopat. inscribitur.* (ε) *in fide Dial.* (ζ) *l.* 1. *Attic.* (η) *Erat. c.* 105. (θ) *l. c.* (ι) *l. c.* (κ) *Miltiad. c.* 4.

τὸν ἢ Πᾶνα ὁ Φιλιππίδης ἔλεγε περὶ τὸ ὄρος ἐντυχόντα οἱ τὸ Παρθένιον, φάναι τε ὡς εὔνυς Ἀθηναίοις εἴη καὶ ὅτι ἐς Μαραθῶνα ἥξοι συμμαχήσων, ἔτος μὲν ἂν ὁ θεὸς ἐπὶ ταύτῃ ἀγγελίᾳ τετίμηται). Ubi notari velim, Scribarum forte culpa, quibus *Philippi* nomen erat magis cognitum & familiare, vitium irrepsisse in *Pausaniam*, quod neque propugnatores dictæ sententiæ correxerunt, & pro *Phidippide*, quod nomen non personæ proprium, sed muneris seu officii, nempe cursorum, quos ἡμεροδρόμυς vocabant, quodque expresse ponit in hac historia, ut mox audiemus. *Herodot. Philippidem* perperam positum esse, ut ostendit (λ) *Ampliss. atque Excell. Dn. Præs.* Nunc & *Herodoto* aurem commodemus: Τῷ δὴ, inquit, (μ) (ὡς αὐτός τε ἔλεγε Φειδιππίδης, καὶ Ἀθηναίοισι ἀπήγγελε) περὶ τὸ Παρθένιον ὄρος τὸ ὑπὲρ Τεγέης ὁ Πὰν περιπίπτει. βώσαντα ἢ τὄνομα τῷ Φειδιππίδεω τὸν Πᾶνα, Ἀθηναίοισι κελεῦσαι ἀπαγγεῖλαι διότι ἑωυτῦ ὐδεμίαν ἐπιμέλειαν ποιεῦνται ἐόντος εὔνυ ἤδη Ἀθηναίοισι, καὶ πολλαχῇ γενομένυ ἤδη σφίσι χρησίμυ, τὰ δὲ τι καὶ ἐσομένυ. Καὶ ταῦτα μὲν Ἀθηναῖοι, καταστάντων σφίσι εὖ ἤδη τῶν πραγμάτων πιστεύσαντες εἶναι ἀληθέα, ἱδρύσαντο ὑπὸ τῇ ἀκροπόλι Πανὸς ἱρὸν, καὶ αὐτὸν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀγγελίης θυσίῃσι ἐπετείῃσι καὶ λαμπάδι ἱλάσκονται. Quis vero ex his *Pausaniæ* & *Herodoti* verbis colligere potest, Phidippidem atque Athenienses ignorasse, quis Deus apparuisset auxiliumque promisisset? Contrarium tam clarum ac solis radii, cum sudum est. Expresse nominatur Deus iste *Pan*, eique sub hoc, non sub *Ignoti Dei* nomine, honores habitos esse, templumque structum dicitur.

§. 4. II. Sententia, quæ *Chrysostomi & aliorum* est, quibus pestis occasionem erectæ aræ præbuisse dicitur, licet, ut fateor, cæteris paulo probabilior sit, talis tamen non est, quæ omni careat dubio. Quem enim hujus suæ opinionis idoneum authorem ex Græca antiquitate nominabunt? Forte *Diogenem Laërtium* (ν)? quod facit implicite *Ludovicus Vives* quando (ξ) ait: *Erant in agro Atticæ multæ Diis ignotis sacræ aræ, ut Lucas attingit in Actis Apostolorum c. 17. & apud Pausaniam in Attica* θεῶν ἀγνώστων βωμοί: *quæ aræ invento Epimenidis Cretensis sunt erectæ: nam cum regio pestilentia laboraret, consultaque Pythia respondisset, expiari oportere urbem & agros, nec, cui Deo sacrum fieri oporteret, dixisset: Epimenides, qui tum Athenis erat, jussit dimitti hostias per agros, sequique eas sacrificos, & in quo loco quæque constitisset, ibi mactari eam, immolarique Deo ignoto propitio. Itaque ex eo tempore etiam ad ætatem Laërtii Diogenis, frequenter visebantur per pagos Atticæ terræ sacræ aræ sine nomine.* Eodem propendere videtur celebris Jesuita, *Athanas. Kircherus* (ο) cum *in Actis Apostolorum ararum Diis ignotis primo in agro Atheniensi ab Epimenide erectarum mentionem fieri* scribit. Sed ut & hic fucus patescat, perpendemus ipsius *Laërtii* verba: Ὅθεν, inquit, Ἀθηναίοις τότε λοιμῷ κατεχομένοις ἔχρησεν ἡ Πυθία καθῆραι τὴν πόλιν. Οἱ ἢ πέμπυσι ναῦν τε καὶ Νικίαν τὸν Νικηράτυ εἰς Κρήτην, καλῦντες τὸν Ἐπιμενίδην, Καὶ ὃς ἐλθὼν Ὀλυμπιάδι τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ ἐκάθηρεν αὐτῶν τὴν πόλιν, καὶ ἔπαυσε τὸν λοιμὸν, τῦτον τὸν τρόπον λαβὼν πρόβατα μέλανά τε καὶ λευκὰ, ἤγαγε πρὸς τὸν Ἄρειον πάγον, κἀκεῖθεν εἴασεν ἰέναι οἷ βύλοιντο, προςτάξας τοῖς ἀκολύθοις, ἔνθα ἂν κατακλίνοι αὐτῶν ἕκαστον, θύειν τῷ προσήκοντι Θεῷ· καὶ ὕτω λῆξαι τὸ κακόν. Ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τὸς δήμυς τῶν Ἀθηναίων βωμὺς ἀνωνύμυς. Ubi dicit *Laërtius*, propter pestem sedatam *Ignoto Deo* aram erectam, ut Apostolica inscriptio est? Oves mactatas esse scribit Θεῷ προσήκοντι, non Ἀγνώστῳ. Nec juvat *Ludovicum Vivem & alios*, quod *aræ sine nomine* inde esse dicantur: nondum enim certo sequitur: Ergo formula illa Apostolica inscriptæ fuerunt. Quorsum elabi poterunt, si quis dixerit, τῷ προσήκοντι Θεῷ etiam eas aras fuisse sacratas, & ἀνωνύμυς vocari, quod illius προσήκοντος θεῦ Athenienses certum ac proprium nomen aliud neque cognovissent, neque agnovissent.

§. 5. III. Opinio, quam *Nicolaus de Lyra* refert, tantum à vero distat, ὅσον ὐρανὸς ἀπὸ γαίης. Aram quidem Misericordiæ Athenis fuisse lubens fateor, patetque è *Statio* (π) scribente:

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem.

Eam vero *Ignoto Deo*, ut Apostolus ait, inscriptam fuisse, unde sat dignis firmisque documentis probatum dabitur? Veterum Scriptorum menti magis consentaneum est, quod idem *Lyranus*, sicut & *Reverend. plurimum Ampliss. ac Excell. Dn. URSIN. Eccl. Evang. Ratisp. Superintendens &c. Theologus ac Philologus Clarissimus, Dominus ac Patronus meus ætatem omni cultu colendus*, refert (ϱ) aram, de qua contentionis funis ducitur, ab Herculis posteris, ab Euristheo pulsis & Atheniensium auxilio defensis ac receptis, Misericordiæ dedicatam fuisse. Testem hujus hic laudat *Statium* (σ) canentem:

Fama est defensos acie post busta paterni
Numinis Herculeos, sedem fundasse nepotes.

Ut ita Herculis posteritas aram hanc Misericordiæ aut tanquam Deæ dedicaverint, aut ut esset saltem quoddam quasi monumentum misericordiæ Atheniensium, sibi olim exhibitæ. Si prius, quomodo Ignoto Deo inscripta dici potest? Sin posterius, eadem difficultas opinioni huic incumbet. Fortassis & ara Misericordiæ dici potest, quia erat quoddam commune miserorum & calamitosorum perfugium & asylum, qui ibi misericordiam invenerunt, tutique ab omnibus periculis fuerunt, ut (τ) *Statius* de hac ipsa canit:

—— *Miseri fecere sacram, sine supplice nunquam*
Illa novo: nulla damnavit vota repulsa.
Auditi quicunque rogant, noctesque diesque
Ire datum.

Et paulo post:

Commune animantibus ægris
Confugium, unde starent iræque minæque.

Nec deinde *Apostolus* de ara Misericordiæ ullum verbum habet: quod indicio est *aram Misericordiæ & aram Ignoti Dei*, de qua *Apostolus*, non unam eandemque inscriptionem habuisse.

§. 6. IV. Sententiam quod spectat, totam de Dionysio Areopagita narrationem, merito suspectam habent cordatiores: quemadmodum & scripta ejus, ex quibus hæc sententia desumta est, supposititia quintoque demum sæculo Christiano nata esse iidem censent. Et sane *Euseb. Hieronym. & Sophronius* (verba sunt *Riveti* (υ) *nullam faciunt mentionem horum librorum, etsi veterum libros diligentissime collegerint, & conquisierint. Neque alius admodum antiquus autor horum mentionem facit. Quod satis arguit, libros illos non ejus antiquitatis fuisse, cujus fuit Areopagita.* Plura argumenta hunc in sensum videri possunt apud *eundem* & (φ) *Cocum.* Et quamvis largiter scripta ea essent genuina, non tamen deesset, quod in verbis recensitis *Dionysii* desiderarem. Quomodo enim illud consonat: ἢ θεὸς πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. Certe *Dionysius* hoc aut ex astrorum disciplina hausisset, aut ex cœlesti illuminatione (*). Ex illa haurire non potuit. Quomodo enim colligere valuit vel Deum pati, vel patienti compati, quia tenebras præter naturæ ordinem & conjunctionem in sole ortas esse vidit. Anne statim vel Deus naturæ patitur, aut compatitur, si natura quippiam insoliti ac novi ostendit præter ordinem. Potius colligere debuisset, conditorem rerum Deum etiam aliter universi cursum disponere posse, quam quotidianis conversionibus experimur. Sed nec ex illuminatione cœlesti. Deus enim nihil dubitanter asserit, falsisque eventibus immiscet. Falsum erat, quod Deus aut natura compateretur, licet verum fuerit Deum naturæ pati. Insuper *quidam* Athenis, *quidam* Heliopoli fuisse tempore illius eclipseos dicunt. Ut ita hæc res non solido, ut putabat *Salmero*, testimonio fulciatur, sed vel fabuloso figmento, vel falsa doctrina quovis modo incrustetur. Quæ idem *Salmero* de Christo, quomodo videlicet *Ignotus Deus* dici possit, subjicit, licet non negem, hæc tamen Athenienses cognovisse, atque his impulsos aram ei sub titulo *Ignoti Dei* dedicasse non magis credo, ac magico susurramine lunam olim cœlo detractam. Certe lauro opus habeo, quam mordeam, si ea, quæ de cruce Christi affert *Jesuita*, inspicio. Quæ consequentia magis incerta aut ridicula potest esse? Cruci Christi erat inscriptum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* E. Crux Christi dici potest *Ara Ignoti Dei.* Nec deinde hic sermo de eo, quod quocunque modo dici potest *Ara Ignoti Dei*, sed de ara, quæ revera in Atheniensium urbe Ignoto Deo inscripta erat. Nihil igitur ad rhombum affert, quod indignum tanto Viro, *Jesuita.*

§. 7. Sed nec V. opinio *Cornelii à Lapide* accuratum examen sustinet. Ὃν ἀγνοῦντες εὐσεβεῖτε, τῦτον ἐγὼ, ait Apostolus καταγγέλλω ὑμῖν. Non vero primario & directe illis annunciavit Deum incarnatum, sed Deum ποιήσαντα τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ &c. Ergo nec Athenienses hac ara Deum In-

(λ) *Comm. in Nepot. Miltiad. c. 4. n. 3.* (μ) *l. c.* (ν) *In vita Epimenidis.* (ξ) *Comm. in l. 7. c. 17. August. de civit. Dei.* (ο) *Tom. 2. Oedip. Ægypt. syntagm. 3. c. 2.* (π) *Lib. 12. Thebaid.*

(ϱ) *L. 5. c. 39. Analect. Sacror.* (σ) *l. cit.* (τ) *l. c.* (υ) *Crit. Sacr. l. 1. c. 9.* (φ) *In Censura Scriptor.* (*) *Vid. D. Dorschæi Semestr. Tiburtio. Dionys. p. 34. seq.*

Incarnatum primario & directe coluere. *Hilduini* porro authoritas non satis certa est, quippe qui nono demum sæculo vixit: & qui recte perpendit ea, quæ idem affert, non poterit negare, quædam non satis certe cum veritate congruere. Neque enim ex textu *Lucæ* apparet Dionysium cum paulo fuisse, ubi Atheniensium simulacra & aras perlustrasset, cumque illo ibi disputationem miscuisse. Dicendum potius est, Dionysium in Areopago, in tribunali suo, Paulum de consilio salutis disserentem audivisse, & fidei se adjunxisse. De miraculo denique isto altum apud *Lucam* silentium: potuit Deus fidem animo *Dionysii* etiam absque illo immittere.

§. 8. VI. *Baronii* opinioni labem notabilem adspergit, quod nescio quid figmenti redoleant *Trismegisti* scripta, quæ quidem hodie circumferuntur, aut ab antiquis allegantur, & multa *Sibyllæ*, quæ iis tribuuntur, nec scripserint nec cogitarint, sed à Christianis conficta & admixta sunt. Id quod de Sibyllinis carminibus solide ostensum dedit post alios plures (χ) *David Blondellus*, de Hermeticis vero scriptis (ψ) *celeberr. D. Conringius*.

§. 9. VI. *Casauboni* quoque opinio infirmo stat talo. Et revera doctissimus vir aliquid humani hic passus est; nec enim θεοὶ ξένοι, θεοὶ ἄγνωστοι, θεὸς ἄγνωστος pari ambulant passu. Præterea mera conjectura nititur; quod etiam VIII. opinionem *Erasmi Sarcerii* infringit.

§. 10. Hæc de variis *Scriptorum* sententiis, salvo doctiorum judicio, dicta sunto. Nunc videbimus cujus in honorem hæc ara extructa fuerit? Sed non opus hic habemus ex Hetruria aruspice. Quod enim Athenienses *Ignoti Dei* nomine Deum verum rerumque omnium creatorem ac Dominum coluerint, eique hanc aram erexerint, ex concione Apostoli abunde liquet. Stat enim argumentum & quidem firmo talo: *Quemcunque Deum Apostolus Atheniensibus annunciavit, is est verus Deus. Sed quem Deum Athenienses ignorantes coluerunt eique aram inscripserunt est is Deus, quem Apostolus Atheniensibus annunciavit. E. Is Deus, quem Athenienses ignorantes coluerunt, eique aram inscripserunt, est verus Deus. Major & Minor ex textu liquido constant.* Neque hoc sine authoritate dico; sentit mecum *Clemens Alexandrinus*, qui cum (ω) recensuisset verba *Apostoli*, subjicit: δι' ἧς ἀγνώστου θεοῦ τιμάσθαι μὲν κατὰ περίφρασιν πρὸς τῶν Ἑλλήνων τὸν δημιουργὸν θεὸν ᾐνίξατο· κατ' ἐπίγνωσιν δὲ δεῖν δι' υἱοῦ παραλαβεῖν τε καὶ μαθεῖν. *Augustinus* quoque accedit, cum ait (α): *Fortassis ad hoc dicas, fieri non posse ut extra Ecclesiam idem ipse Deus unus colatur &c. Hoc ergo*, pergit, *restat ut probem. Habes in hoc ipso beati Pauli sermone, quem supra ex Actibus Apostolorum commemoravi, cum de Deo loqueretur, quia inscriptum in ara invenerat, Ignoto Deo, quem vos, inquit, ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Quid eis prædicare cupiebat, nisi eundem Deum, quem præter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant, in Ecclesia sapienter & salubriter colerent?* Nec *Heinsius* ab hac sententia alienus est. *Cum Ignoto Deo*, inquit (β), *aram gens inprimis superstitiosa consecrasset, neque alius ignotus ibi Deus, præter verum esset, nemo dubitare potest, quin sic optima de eo disserendo oblata Apostolo fuerit occasio.* Approbat hanc sententiam & *Dn. D. Waltherus* (γ) his verbis: *Tutius omnino veriusque cognitus ille Deus generatim verum subinnuisse Deum, putandus est.*

§. 11. Dicis: Quomodo Athenienses verum Deum ignotum sibi colere potuerunt? Non opus gladio magni illius Regis ad hunc solvendum nodum. Non enim omnino verum Deum Athenienses ignorarunt. Constat siquidem, & rationibus non contemnendis probatum dabo, Ethnicos potuisse habere aliquem veri Dei sensum, aut cognitionem quandam, immo revera sapientiores multa de Deo recte cognovisse.

§. 12. Potuisse autem Ethnicos vi luminis naturæ Deum & attributa ejus cognoscere, nemo, credo, negare audebit, nisi qui electo Christi organo *Paulo* refragari ausit, qui ἁγίῳ πνεύματι φερόμενος disserte affirmat, (δ) *ex operibus Dei gentiles potuisse agnoscere Deum ejusque æternam potentiam.* Cum quo *Psalmista* (ε) conferendus. Et ex ipsis gentilibus *Heraclitus* θεοῦ μαρτυρίαν orbem vocavit. Divinus plane locus *ejus* (ζ) est: Ἐὰν δὲ μὴ ἱδρυθῇ θεοῦ βωμὸς, οὐκ ἔστι θεός; ἐὰν δὲ ἱδρυθῇ μὴ θεοῦ, θεός ἐστιν; ὥστε λίθοι θεῶν μάρτυρες. Ἔργα δεῖ μαρτυρεῖν, οἷα ἡλίου. Νὺξ αὐτοῦ καὶ ἡμέρα μαρτυροῦσιν, ὧραι αὐτοῦ μάρτυρες. Γῆ ὅλη καρποφοροῦσα μάρτυς. Σελήνης ὁ κύκλος, ἐκείνου ἔργον οὐράνιος μαρτυρία.

(χ) *In tract. de Sibyll.* (ψ) *Lib. de Hermet. medic. c. 4. & seqq.* (ω) *L. 1. Strom. p. 315. edit. Paris.* (α) *L. 1. contra Crescon. c. 29.* (β) *Exercit. Sacr. in c. 17. Act.* (γ) *Miscell. Theol. quæst. 90.* (δ) *Rom. 1: vers. 19, 20. seq.* (ε) *Psal. 19: vs. 1.* (ζ) *In epistolis.*

§. 13. Ethnicos vero revera cognovisse Deum esse, nemo negaverit, qui *Tullium* (η) audit dicentem: *Esse Deum, inter omnes omnium gentium sententia constat.* Neque tantum Deum esse cognovere Ethnici, sed & eum esse unum scivere. Hinc apud *Eusebium* (θ) traditur, Ægyptios unum statuisse Deum, puta τὸν δημιουργὸν seu opificem mundi & vocasse Κνήφ, ejusque simulachrum ex ore ovum effudisse, ut mundi esse opificem significetur. Ovum enim mundi symbolum Ægyptiis fuit. Philosophi Græci quoque sæpe cum vitæ periculo professi sunt unum esse Deum, qui omnia condiderit, & arbitrio suo moderetur. Certe *Pythagoras*, teste *Lactantio*, unum Deum confessus est, (ι) dicens incorporalem mentem esse. Ideo & Deum vocabat μονάδα. Sciebant itaque Philosophi Deum esse unum quanquam non semper profitebantur. *Platonem* audiamus (κ): ποιητὴν, inquit, καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Præceptoris quippe sui, πάντων Ἑλλήνων σοφωτάτου Socratis mors ipsum non latebat, quod Atheniensium Deos contemsisset. Vid. (λ) *Laërtius.* Cum tamen aliquid maxime serium promere vellent, maluerunt Deum potius quam Deos dicere. Ita *Plato* ad Dionysium: (μ) τῆς σπουδαίας ἐπιστολῆς ἄρχει θεός, θεοὶ δὲ ἥττονος. Unde *Lactantius* (ν): *Cum jurant & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem aut Deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit.* (ξ) Egregie in hanc rem *Prudentius*:

Consule barbati deliramenta Platonis.
Consule & hircosus Cynicus quod somniat, & quos
Texit Aristoteles torta vertigine nervos.
Hos omnes quamvis anceps Labyrinthus & error
Circumflexus agat, quamvis promittere & ipsi
Gallinam soleant aut Gallum, Clinicus ut se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum:
Convertunt tamen ad normam rationis & artis
Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt Numen in UNUM.

§. 14. Hæc vero à *Lactantio & Prudentio* non fortuito, aut sine veritate dicta esse, ex ipsa gentilium confessione comprobare possum. Ita (ο) *Seneca* de Deo: *Quoties voles, tibi licet aliter hunc authorem rerum compellare. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum Patrem & Herculem nostri putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia EJUSDEM Dei nomina sunt varie utentis sua potestate.* In eundem sensum vetus Poëta *Hermesianax* (π):

Πλούτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,
Τρίτωνες, Νηρεὺς, Τηθὺς, καὶ Κυανοχαίτης,
Ἑρμῆς θ' Ἥφαιστός τε κλυτὸς, Πὰν, Ζεύς τε καὶ Ἥρη,
Ἄρτεμις, ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς θεός ἐστι.

Similiter *Orpheus*:

Εἷς δ' ἔστ' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Atque, ut multa in pauca contraham, πολυθεότης apud Ethnicos non rationis error fuit, sed lapsus imperiti vulgi, quod ex veritate pauca, ex opinione pleraque æstimat. Id cum invisibilem Deum nec videre, nec sine fide amplecti posset, ad rerum visibilium fiduciam prolapsum est, & idola multiplici sculpsit figura, quæ intueri oculis, quæ amplecti brachiis posset. Quod virus hominibus à Diabolo afflatum nec ignorarunt Philosophi, nec probarunt, sed reliquerunt vulgo, cumprimis quod religionem ex usu Reip. constitui viderent, crederentque imperitam multitudinem tot Numinum metu facilius in officio contineri posse. Unde cum ex vulgi opinione locuti sunt, *Deorum*; cum ex sua, unius *Dei* meminerunt, sub uno Jove cæteros comprehendentes. Unde *Valerius Soranus* ait:

Juppiter omnipotens regum Rex, ipse DEUSQUE
Progenitor genitrixque Deum, Deus unus & idem.

Imo etiam vulgo unius Dei confessio in quotidianis sermonibus in buccam gentilibus sæpe venit. Hinc cum alias solenni for-

(η) *Lib. 2. de nat. Deorum.* (θ) *Lib. 3. Præpar. Evangel. cap. 12.* (ι) *De via Dei cap. 11.* (κ) *In Timæo.* (λ) *In vita Socratis.* (μ) *Epist. 13.* (ν) *Lib. 2. cap. 1.* (ξ) *In Apotheos. contra Unionit. v. 268. seq.* (ο) *Lib. 4. de Benef. cap. 7. & 8.* (π) *Vid. Jacob. Ouzel animadv. Minut. Felic. Octav. p. 80.*

formula (ϱ) *Deos esse*, plurium numero exclamarent, sæpe tamen & singulari enunciarunt. Ita *Plautus* (σ) *Est profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.* Apud *Livium* (τ) quoque Manlius Torquatus exclamat: *Est cœleste Numen, es magne Jupiter.*

§. 15. Agnovisse quoque Ethnicos Deum esse infinitum, invisibilem, omnipotentem, omniscium, bonum, justum, creatorem rerum omnium, probatu non esset difficile, si angustia pagellarum admitteret; petenti tamen in conflictu probationem non denegabo. Certe hæc & alia cognoscendi non deerat Ethnicis ansa & occasio, nec usque adeo improbabile est, posteriores ubi doctrina Christiana innotuit, magna cura aciem animi in naturam Dei intendisse, ac saltem confusa quadam notitia non tam rerum naturam, quam ejus opificem ac rectorem invocasse. Quippe ubi sapientiores, narrante (υ) *Vossio*, solenni illa alias Christianis precandi formula: Κύριε ἐλέησον, si non ante, tamen jam Hadriani Cæsaris tempore, Deo supplicarunt. Quem ritum tangit etiam *Arrianus* (φ) scribens: τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ. Κύριε ἐλέησον. Eandem formulam (ut hoc obiter adjiciam) in castris ante prælium cantari quoque solitam, patet *è Maurit. Strateg.* (χ) cujus verba videantur apud (ψ) *Rigaltium.* Fallor an hæc formula jam (ω) *Virgilio* nota? sic enim canit:

-- Magne Pater Divûm miserere.

Et (α) rursus:

Faune, precor, miserere.

§. 16. Alio igitur intellectu *Ignotum Deum* vocarunt Ethnici. Sed unde hanc appellationem hauserint, non usque adeo liquidum est. Deum absconditum, ineffabilem, incomprehensibilem esse scimus, idque in sacris varie exprimitur. Interdum divinæ majestati (β) tenebræ חֹשֶׁךְ סִתְרוֹ assignantur: interdum Deus vocatur (γ) מִסְתַּתֵּר i. e. absconditus. LXX. reddiderunt, ὃν οὐκ ᾔδειμεν, *ignotum*, quod cum nostra inscriptione convenit. Hoc igitur videri possit occasionem Atheniensibus præbuisse. Alia quoque ratione *DEUS ignotus* dici potest. *Judæi nomen tetragrammaton*, inquit (δ) *Heinsius*, *non exprimebant. Quod cur fieret cum nec viderent, nec intelligerent gentiles, incertum ipsi quoque Judæorum Deum dixerunt. Lucanus* (ε) *incerti Judæa Dei.* Nec ab hac opinione alieni sunt *Vossius* (ζ) & *Boxhornius* (η).

§. 17. Sed quia à gentilibus exstructa hæc ara, ab iisque *Deus ignotus* dictus est, tutissimam fortasse viam insistere videbor, si quid alias per *Ignotum Deum* significarent, huc in medium afferam, nostroque discursui accommodem. Quantum igitur ex scriptis eorum, inprimis ex (θ) *Agellio* colligi potest, *Ignotus Deus* dicebatur Ethnicis, cujus nomen incertum esset, aut proferri nefas, imo & cujus sexus dubius. Tales ignotos atque incertos Deos habuisse Græcos & Romanos, aliosque populos, ex veterum monumentis abunde liquet.

§. 18. Atque ut de aliis primum dicam, ab *Herodoto* (ι) memoriæ proditum est, cultos esse Deos nullis cognominibus à Pelasgis. Et à *Strabone* (κ) Celtiberos eorumque vicinos in Borea habitantes solitos ἀνωνύμῳ τινὶ θεῷ ταῖς πανσελήνοις νύκτωρ πρὸ τῶν πυλῶν πανοικί τε χορεύειν καὶ παννυχίζειν. Arabes *aram* habuisse *ignoti Dei*, *in qua pingues ac saginatos camelos sacrificarent*, scribit (λ) *Giraldus. Aræ ignoti Dei* Burdegalæ, cum altaria dæmonum in pulverem redigerentur, jussu Martialis Episcopi Lemovicensis reservatæ, ac postea in nomine Dei Israel & S. Stephani dedicatæ, meminit (μ) *epistola ad Burdegalenses*, quæ vulgo *Martiali*, sed inepte, tribuitur, & (ν) *Aurelianus in ejus vita.* Eamque nunc etiam Burdegalæ videri prope Ecclesiam S. Severini, scribit (ξ) *Spondanus.*

§. 19. Persæ quoque Ignotum Deum coluere, si fides habenda iis, quæ *Wolfius* (ο) tradit. Summa narrationis hæc est. Rex Persarum Costus nulla sobole parens factus, à Diis prolem petendam esse, ex Astronomis ac Medicis intellexerat. Cumque eam longo tempore, à Diis suis frustraneis petiisset precibus, unus Astrologorum, Macrobius nomine, suasit, ut Deo Deorum Ignoto sacrificium offerret. Rex magnam auri copiam obtulit auritabro, ut inde Deo Deorum imaginem conflaret. Aurifaber in petra figuram ipsius Dei Ignoti statuit bis ter quaterve, ut ex auro liquefacto & resoluto figuram ejus extraheret, extraxit vero semper figuram hominis crucifixi. Quod & alteri fabro, præsente Rege, evenit. Prædicta igitur forma consilio Macrobii in templo Deorum posita, omnes Deorum formæ concidere, & sola crucifixi Dei remansit; cui etiam sacrificia Rex offerens, voti sui de prole compos factus est.

§. 20. De Græcis constat ex textu Apostolico, & superioribus hujus cap. Romanis quoque incertos fuisse & ignotos Deos, quorum sc. nomina essent incerta, proferrique prohibita, aut sexus dubius, probare facile possum. Ita *Tertullianus* (π) de iis: *Invenio plane Ignotis Diis aras prostitutas: Sed Attica idololatria est Item incertis Diis; sed superstitio Romana est.* Et alius (ϱ) *Dum undique hospites Deos quærunt, dum aras exstruunt ignotis etiam Numinibus & Manibus.* Hinc quia inter Veteres Romanos (σ) quamobrem terræ motus fiant, non satis constitit; ubi terram movisse senserant, nuntiatumve erat, ut est apud *Agellium* (τ) ferias ejus rei causa edicto imperabant. Et licet alias, ut ex *Varrone* (υ) & *Rosino* (φ) apparet, Rex sacrificulus aut Prætor ferias indicens, nomen simul Dei Deæve proclamabat, hoc scil. ut est apud *Arnobium* (χ), modo: *Lavatio Deum Matris est hodie: Jovis epulum cras est: Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est*, &c. in hoc tamen casu Dei nomen statuere & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent.

§. 21. Et certo ejusmodi superstitiosus nominandi Deos metus occupaverat animos veterum, ut sicut homines obvios sibi ignotos peculiari formula; *Quisquis es* (ψ) compellarent: ita Deos quoque, si de eorum numine, nomine vel sexu non satis constaret, pari modo alloquerentur, ne errore laberentur, aliumque pro alio colerent. Ita *Ovidius* (ω) nesciens, cui Numini creationem adscriberet, aut quodnam nomen ei sine errore tribueret, canit:

Quisquis fuit ille Deorum.

Et apud divinum *Virgilium* (α) Æneas:

Sequimur te sancta Deorum,
Quisquis es.

Ac apud *eundem* (β) Turnus:

Sequar omnia tanta,
Quisquis in arma vocas.

§. 22. Et quia Deos suos variis insigniverunt nominibus, hinc quando eos, quamvis notos, invocabant nominabantque, timentes ne eos offenderent, si forte parum grato nomine eos invocassent, veniam sæpe petebant, utque è multis id nomen adsumerent, quo maxime delectarentur, suæque ignorantiæ ignoscerent, superstitiose orabant. Hujus ritus observans *Ovidius* cum enarrasset multa Bacchi nomina, (γ) subjungit:

Et quæ præterea per Grajas plurima gentes.
Nomina Liber habes.

Ita *Statius* (δ) ad Solem:

—— Seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persæi sub rupibus antri
indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Horatius (ε) ad Dianam:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari,
seu Genitalis.

Et *idem* (ζ) ad Janum:

Matutine Pater; seu Jane libentius audis.

Ita

(ϱ) *Brisson. l.* 5. (σ) *Captiv. a.* 2. *v.* 63. (τ) *L.* 8. *c.* 6. (υ) *Lib.* 1. *c.* 2. *part.* 1. *Theol. gentil.* (φ) *Dissert. Epictet. l.* 11. *c.* 7. (χ) *Lib.* 3. *c.* 19. (ψ) *Glossar. in voce* Νοβίσιμμ *p.* 127. (ω) *L. Æn. l.* 9. *vs.* 49. (α) *L.* 12. *vs.* 777. (β) *Ps.* 18: 12. (γ) *Es.* 45: 15. (δ) *Exerc. Sacr. in cap.* 17. *Actor.* (ε) *Lib.* 2. (ζ) *Part.* 1. *Theol. gent. libr.* 1. *cap.* 2. (η) *Quæst. Rom.* 13. (θ) *Lib.* 2. *Noct. Att. c.* 28. (ι) *Lib.* 2. (κ) *Cap.* 5. (λ) *In histor. Deor. syntagm.* 17. (μ) *Pag.* 60. *ed. Elmenhorst.* (ν) *Pag.* 170. (ξ) *Epitom. Annal. Eccles. ad ann.* 34. 90. *in marg.* (ο) *Cent.* 1. *rer. mem. p.* 4.

(π) *Lib.* 1. *advers. Marcion. c.* 9. (ϱ) *Minut. Felix in Octavio.* (σ) *Vid. Excell. Rappolt. Observ. Philol. ad Gell. lib.* 2. 28. *obs.* 4. (τ) *Loc. cit.* (υ) *Lib.* 5. *de Lat. Ling.* (φ) *Lib.* 4. *antiq. Rom. c.* 3. (χ) *Lib.* 7. *advers. gent.* (ψ) *Brisson. l.* 8. (ω) *Lib.* 1. *Metamorph. fab.* 2. (α) *Æneid. l.* 4. *vs.* 576. (β) *Lib.* 9. *Æn. vs.* 21. (γ) *Lib.* 4. *Metamorphos.* (δ) *Lib.* 1. *Thebaid.* (ε) *Carm. secular.* (ζ) *Lib.* 2. *Serm. Sat.* 6. *vs.* 20.

Ita etiam *Catullus* (η) cum Dianam pluribus nominibus appellasset, tandem ait:

Sis quocunque placet
Sancta nomine, Romulique
Ancique, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

Id quod etiam observat *Apulejus* (θ) in oratione Psyches ad Junonem, & in sua ad (ι) Lunam, in qua ubi varia Lunæ munera & nomina enumeravit, subnectit: *quoque nomine, quoque ritu, quaque facie te fas est invocare* &c.

§. 23. Porro nefas fuisse quorundam Deorum nomina in vulgus efferre, exemplo Deorum tutelarium patescit. Cum enim omnes urbes apud antiquos in alicujus essent Dei tutela, Romanis mos erat, ut in urbium obsidione, ubi ad ultimam dimicationem ventum esset, tutelares Deos, sub quorum præsidio urbs foret, certo carmine conceptisque verbis in novas sedes evocarent, templaque ampliora, & solennes aras illis promitterent: nefas opinati, Deos urbium præsides, urbe hostiliter direpta, velut mancipia captivos habere: ut ex *Macrobio* (κ), qui & formulam evocandi tradit, constat. Itaque ne quando par pari referentes hostes urbis Romæ Deum tutelarem evocarent, cautum est, ne divulgaretur nomen Dei tutelaris urbis, illudque nec nominare nec quærere licebat (λ). Et sicut Tyrii (μ), *si Apollinis aurea catena devincerent simulachrum, aramque Herculis, cujus Numini urbem dicaverant, colligarent cum eo*; sicut item alii (ν) *sponsores à Diis petentes, ne abirent*, fore suam urbem tutam arbitrabantur: Ita Romani quoque, si nomen Dei tutelaris in vulgus notum non esset. Valerium sane Soranum, quod hoc arcanum propalare ausus fuerit, mortis supplicio pœnas dedisse, refert *Plutarchus* (ξ). Atque ad hoc silentium innuendum Angeronam, cujus effigies erat ore obligato obsignatoque, maxime Romanos coluisse, *Plinius* (ο) & *Claud. Minos* (π) putant. Nec solum Dei tutelaris, sed etiam ipsius Urbis nomen proprium occultum arcanumque esse voluerunt Romani. Docet *Plinius* (ϱ) cujus hæc sunt verba: *Roma, cujus nomen alterum dicere arcanis ceremoniarum nefas habetur.* Duo igitur urbis orbis dominæ nomina erant, unum Roma, alterum ignotum, quod *Anthusam* fuisse, didicisse se ait *Claudius Minos* (σ).

§. 24. Porro incertos incerti sexus Deos, mares & fœminas, adeoque etiam androgynos habebant veteres. Ita Jupiter & mas & fœmina credebatur. Quare *Orpheus*, ubi Jovem describit, canit:

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Quod *Apulejus* (τ) sic vertit:

Juppiter & mas est, & fœmina nescia mortis.

De Venere apud *Virgilium* (υ) Æneas ait:

Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Ad quem locum *Servius* sic commentatur: *DUCENTE DEO, secundum eos qui dicunt utriusque sexus participationem habere Numina. Est etiam in Cypro barbatæ Veneris simulachrum.* Audiamus & *Macrobium* (φ) de hoc loco: *Doctissime dixit DUCENTE DEO, non DEA. Nam & apud Calvum Acterianus affirmat legendum, POLLENTEMQUE DEUM VENEREM non DEAM. Signum etiam ejus est Cypri, barbatum corpore, sed veste muliebri cum sceptro ac statura virili; & putant eandem marem ac fœminam esse. Aristophanes eam* Ἀφρόδιτον *vocat. Lævinus etiam sic ait: Venerem igitur almum adorans, sive fœmina sive mas est, ita uti alma noctiluca est. Philochorus quoque in Atthide eandem affirmat esse lunam, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili: quod eadem & mas æstimatur & fœmina.* Hæc ille. Et certe lunam olim quosdam coluisse non sexu solum, sed nomine quoque masculino, ex *Ælio Spartiano* comparet. Ita vero ille (χ) *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoria traditum: atque ita nunc quoque à Carrenis præcipue haberi, ut qui lunam fœminino nomine ac sexu putaverit nuncupandum, is addictus mulieribus semper inserviat: at vero qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori neque ullas muliebres patiatur insidias. Unde quamvis Græci vel Ægyptii eo genere quo fœminam hominem etiam lunam Deam dicant, mystice tamen Deum dicunt.* Sexus autem diversitas ejusdem Numinis non tam ex diversarum gentium aliis atque aliis institutis, quam ex interpretatione nata esse videtur. Interpretari autem Numina Pontificum erat, interpretatioque illa ad naturam rerum fere spectabat. Quia igitur in eodem Numine aliquando quod viri, aliquando quod fœminæ esset, invenere, illud & marem & fœminam fingebant. Et licet omnia Numina utriusque sexus nomine compellata fuisse non inveniamus, creditum tamen fuisse sapientioribus, utriusque sexus Numina esse omnia, verba Servii adducta probare videntur.

§. 25. Hinc quando invocarunt Deos, ne in sexu aliquem errorem committerent, utrumque conjungebant dicentes: SIVE. DEUS. SIVE. DEA. ES. Unde *Arnobius* ob hoc reprehensurus Ethnicos (ψ) scribit: *Consuestis in precibus*, SIVE TU DEUS, SIVE TU DEA *dicere.* Quare & lapidi hæc inscripta leguntur, citante (ω) *Boxhornio*:

SIVE. DEO.
SIVE. DEÆ.
C. TER. DEXTER.
EX. VOTO.
POSVIT.

Quod vero hanc inscriptionem *idem* de Jove interpretatur, in eo non omnium merebitur assensum, cum non soli Jovi, sed cæteris etiam Diis uterque sexus tributus sit à gentilibus.

§. 26. Quod vero precatos quoque legimus: *Si Deus, si Dea es*, ut in vetere illo evocationis carmine apud *Macrobium* (α) & apud *Agellium* (β); id, secutus conjecturam (γ) Clarissimi cujusdam viri, diversum esse à priori non puto, sed ex abbreviatione vocis forte ortum. Scriptum enim fuisse videtur, SI. DEUS. SI. DEA. ES. & lectum ac si integræ voces essent, *Si Deus, si Dea es.* Firmat hanc conjecturam, quod, qui ita precabantur, non conditionem exprimere, sed disjunctionem satagebant. Unde ipse quoque *Arnobius* (δ) recte disjunctionem ex verbis illis colligit: *Non*, inquit, *Deus mas est, sed nomen ejus generis masculini est. Quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. Nam consuestis in precibus, sive tu Deus es, sive Dea dicere: quæ dubitationes dare vos Diis sexum disjunctione ex ipsa declarant.*

§. 27. Et quia singulis Diis certa sacrificia, certum cultus ritum assignarunt, ut ex Authoribus, qui de antiquitatibus scripsere, abunde patet; recta etiam fortassis illum Deum *ignotum* dicere possumus, cui certa sacrificia attribuere, certumque cultus modum adscribere, nesciverunt.

§. 28. Jam ut in orbem redeam, & revertar ad id, cujus gratia hæc paulo prolixius adducta sunt, *per ignotum Deum non aliud Numen denotasse crediderim Athenienses, quam à quo quidem beneficio essent magno affecti, eique propterea aram exstruxissent, ut credibile est, ejus nomen tamen incertum, quodque ei sine errore, offensionis & religionis metu tribuerent, ignorarent, & dicere non possent, utrum foret Jupiter, Mars, vel alius &c. cum cætera Numina suis nominibus compellarent; quod princeps quidem omnium vel ex lumine naturæ, vel ex traditione cognoverant, saltem de nomine dubitarent: cujus rite colendi rationem atque modum non habebant, cum reliquis peculiaris esset Numinibus.* Paucis: *DEUM quem iis annunciavit Apostolus verum sc. & Maximum* (ε), ποιήσαντα τὸν κόσμον, ἢ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ: οὐρανοῦ ἢ γῆς κύριον. In cujus nomine finimus.

(η) *Hymn. ad Dian.* (θ) *Lib. 6. As. Aur.* (ι) *Lib. 11. As. Aur.* (κ) *Lib. 3. Saturn. c. 9.* (λ) *Vid. Alex. ab Alex. l. 2. cap. 22. Dier. Gen.* (μ) *Curt. l. 4.* (ν) *Plut. Rom. 61.* (ξ) *Loc. cit.* (ο) *Libr. 3. cap. 5. Hist. Natur.* (π) *Comment. in Alciati embl. 9.* (ϱ) *Loc. c.* (σ) *Loc. cit.* (τ) *Lib. de modo.* (υ) *Lib. 2. vs. 632. Æn.* (φ) *Lib. 3. Saturn. cap. 8.*

(χ) *In Caracallo.* (ψ) *Lib. 3. advers. gen.* (ω) *Quæst. Rom. 13.* (α) *Lib. 3. Sat. cap. 9.* (β) *Lib. 2. N. A. cap. 28.* (γ) *Rappolt. loc. cit.* (δ) *Loc. cit.* (ε) *Vers. 24. Actor. 17.*

M. GEORG.

M. GEORG. FRID. MEINHARDI

PAULI NASIRÆATUS

ad Act. XVIII: 18.

בהנוא

PROOEMIUM.



Multos gravesque errores in recensendis Judæorum rebus ab Autoribus cætera gravissimis commissos fuisse, non nostra indiget probatione. Josephus *sane libr. I. & II. contra Apion. multorum errores tum circa ortum tum circa ritus Ebræorum commissos ad oculos nobis ponit. Nec illa, quæ* Eusebius libr. IX. de Præpar. Euang. *ex variis adfert Scriptoribus, obscurum hac de re subministrant testimonium. Evolve* Tacitum, lib. V. historiar. *Evolve* Justinum Historic. *lib. XXXVI. ut alios plurimos omittamus, certe multa à fide historiæ abhorrentia de Judæis prodita fuisse, eosque vix uspiam autoritati suæ infelicius, quam in hisce, consuluisse, facile deprehendes. Esto, quosdam odio religionis impulsos nonnulla scripsisse; tamen ex ignorantia rerum Judaicarum plurima profecta esse, etiam concedendum est. Id quod ipse laudatus Joseph. apud cit.* Euseb. *l. c. §. 42. pag. 458. suo confirmat testimonio, dicens:* Οἱ πολλοὶ τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν, τῆς μὲν ἀληθείας τῶν ἐξ ἀρχῆς πραγμάτων διήμαρτον, ὅτι μὴ ταῖς ἱεραῖς ἡμῶν βίβλοις ἐνέτυχον, Eorum, quos nominatim citavimus, plerique, quod literas nostras minime attigerint, à rerum jam inde ab initio gestarum veritate aberrarunt. *Ut adeo ipsi, utpote exteri subsidiisque ad scribendum necessariis destituti, vix aliquid in hisce, nisi errare, potuerint. Idem hodienum orbis literatus experitur, erroresque ex eodem fonte ortos miratur, dum multi, qui cum* Menochio *apud Excellent. Dn. D. Carpzov. in Dissert. alt. de V. R. pag. 2. citato, profiteri & gloriari non verentur, nihil se depromsisse ex Ebræorum scriptis, sed omnia ex Patrum & Christianorum fontibus hausisse, fidem perinde suis adsertis conciliant, ac si quis de rebus Germanorum scripturus, omnia se à Persis, Indis, Japonibus aliisque accepisse, jactitet. Quanto rectius alii illud Eusebii adsertum à Buxtorf. in Dedic. Dissert. Philol. Theol. aliisque Viris præcipuis, sæpius laudatum:* Τὰ Ἑβραίων ἐκ τῶν παρ' Ἑβραίοις λογίων, ἀλλὰ μὴ ἀλλοθέν ποθεν δεῖ ἀποδέχεσθαι, *approbant, successuque felici hoc monitum observant, cum, dicente* Cl. L'Emper. *apud Magnif.* Dn. D. Geierum *de L. E. pag. 1.* frustra desudetur, cum ea, quæ rituum Judaicorum luce egent, alio varia subtilitate detorquentur. *Cujus effati veritas si in ullo loco, sane in Actor. 18: 18. quoque manifesto conspicitur, id quod ex infra adducendis patescet. Dum autem in iis, ad quæ provocant, antiquitatis Judaicæ monumentis adducendis occupati, judiciumque nostrum quandoque interpositituri sumus, majorem in modum rogamus, ut ea, quæ monebuntur, non contradicendi, sed veritatem inquirendi amore & studio allata esse, Benivolus Lector sibi persuadeat, favoreque suo imposterum quoque hosce in Philologia Sacra conatus prosequatur. Deus nobis gratia sua adsit!*

CAPUT II.

§. I. Ut statim rem ipsam aggrediamur, &, quibus considerandis & expendendis Tractatio nostra sublecutura debeat esse consecrata, ostendamus, ipsum Textum authenticum præmittemus, qui, uti in Stephani Editione aliisque plurimis & accuratissimis Codicibus legitur, talis est: Ὁ δὲ Παῦλος ἔτι προσμείνας ἡμέρας ἱκανάς, τοῖς ἀδελφοῖς ἀποταξάμενος ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν (καὶ σὺν αὐτῷ Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας) κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς. εἶχε γὰρ εὐχήν. Quæ in Erasmi versione ita redduntur: *Paulus vero deinde commoratus dies multos, valedicto fratribus abnavigavit in Syriam, (comitantibus eum Priscilla & Aquila) postquam raserat caput in Cenchreis: habebat enim votum.* Cum reliqua verba, quippe satis clara, solicita haud indigeant expositione, nosque in præsenti præcipue de Nasiræatu Pauli ex tonsura ejusdem hoc loco à quibusdam adstructo sollicititi simus, hinc absque ullis ambagibus ad illud, quod tractandum & excutiendum suscepimus, nos conferemus, ubi & de Tonsuræ subjecto & de ejusdem causa videbimus, illi breviorem, huic prolixiorem operam impensuri.

§. II. Non solum vero in causa tonsuræ adsignanda, sed & in subjecto ejusdem denominando variare Eruditos deprehendimus, dum alii, judicium suum suspendentes, tam de Aquila quam de Paulo hunc locum intelligi posse autumant; alii Aquilæ, alii Aquilæ & Priscillæ, alii D. Paulo tonsuram adscribunt. *Erasmus* in Annot. in h. l. pag. 332. ex ipso sermone Græco non liquere ait, uter sibi raserit caput, Paulus an Aquila. Sic *Estius* in h. l. ambiguum esse dicit in Græco textu, utrum ad Paulum, an ad Aquilam tonsura referatur. *Calvinus*, qui in Institut. libr. IV. cap. XIX. pag. 525. tam ad Paulum tonsuram illam referri posse, quam ad Aquilam, dicit, in Commentar. in h. l. pag. 64. incertum esse, neque magnopere interesse asserit, de Aquila, an de Paulo id dicatur. Conf. *Marloratum* in h. l. *Beza* in not. ad h. l. pag. 402. quamvis ita se textum convertisse fateatur, ut liberum judicium lectori relinquatur, cum ita ambiguus sit sermo, ut non minus ad Paulum quam ad Aquilam referri possit; tamen de Paulo se interpretari malle, adjicit. Sic quoque *Tossanus* in not. ad h. l. sic *Episcopius* in Instit. Theolog. Tom. I. lib. III. cap. 3. pag. 80. sic alii plures de subjecto dubii sunt. *Sanctius* quidem in Comm. in h. l. non omnino certum esse putat, an sermo sit de Paulo, an de Aquila; de Paulo tamen ipsi videtur probabilius.

§. III. Alii tamen τὸ κειράμενος ad Aquilam referunt. Sic *Flacius*, quem B. Glass. in Philolog. Sacr. libr. 1. Tract. III. Sect. I. explanatorem Scripturæ dexterrimum appellat, in Gloss. super h. l. pag. 569. *tonsionem capitis & votum credit omnino ad Aquilam referri debere. Sebast. Castalio* in h. l. licet certo affirmari non posse ex sermone Græco agnoscat, Paulus an Aquilas caput totonderit; addit tamen: *vero propius videtur hoc de Aquila dici.* Conf. *Heinsius* quoque in Exercit. Sacr. ad h. l. pag. 311. *Grotius & Bullingerus* in h. l. *Chrysostomi* sententiam ex his verbis, quæ habentur in Homil. XXXIX. in Actor. cap. 19. haud obscure cognoveris: χωρισθεὶς δὲ ἀπὸ Ἀθηνῶν φησιν ἦλθεν εἰς Κόρινθον. Καὶ εὑρών τινα Ἰουδαῖον ὀνόματι Ἀκύλαν, Ποντικὸν τῷ γένει προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, ἔμεινε παρ' αὐτοῖς καὶ εἰργάζετο. Ὅρα πῶς ὁ νόμος ἄρχεται καταλύεσθαι λοιπόν. Κειράμενος γὰρ Ἰουδαῖος ὢν οὗτος ἐν Κεγχρεαῖς μετὰ ταῦτα, εἰς Συρίαν συναπέρχεται Παύλῳ. Ποντικὸς ὤν; οὐκ ἐν Ἱεροσολύμοις οὐδὲ πλησίον ἐσπούδεν ἐλθεῖν, ἀλλὰ μακροτέρω. Hæc Erasmo Roterod. interprete ita ibid. redduntur: *Separatus autem ab Athenis, inquit, venit in Corinthum. Et invento quodam Judæo, cui nomen Aquilas, qui genere Ponticus nuper venerat ab Italia, mansit apud illos, & operabatur. Vide, quomodo lex incipit jam solvi. Judæus enim cum esset, rasus postea in Cenchreis in Syriam proficiscitur cum Paulo,*

Paulo, neque in Hierusalem, neque in vicina ire festinat, sed valde procul. Liceat quoque addere, quæ laudatus Pater Homil. subsequ. XL. notat, ubi inter alia ita disserit: Τούτους δὲ ἀφῆκεν εἰς Ἔφεσον εἰκότως, ὡς διδάξοντας. Τοσοῦτον αὐτῷ συγγενόμενοι χρόνον, πολλὰ ἔμαθον· καὶ ὅμως τῆς συνηθείας αὐτοὺς οὐκ ἀπήγαγεν οὐδέπω τῆς Ἰουδαϊκῆς. Ἰδοὺ καὶ γυνὴ τὸ ἴσον ἀνδράσι ποιοῦσα καὶ διδάσκουσα. *Hos vero* (Priscillam scil. & Aquilam) *reliquit* (Paulus) *in Epheso. Merito, utputa docturos, quia tanto tempore secum versati erant, multa didicerant. Attamen illos nondum à Judaica consuetudine abduxerat. Ecce & mulier idem, quod viri, facit ac docet.* Quibus verbis si id innuitur, ut omnino videtur, quasi & de Aquila & Priscilla tonsura sit intelligenda, pertinebit Chrysostomus hac ratione ad classem eorum, qui mox recensebuntur. *Vulgatam* quoque manifesto tonsuram ad Aquilam referre dicit Beza loco supra citato; verum, an id adeo manifesto fiat, ut asserit Beza, de eo jam nihil monebimus, id tantum notaturi, quod, licet aliquæ Editiones Vulgati interpretis absque interposita parenthesi inveniantur, ut in illis res ad minimum in medio relicta videri queat; attamen quoque inveniantur, quæ eandem omnino exhibeant, v. g. *Plantiniana*, Antverpiæ A. 1569. edita, qua ipsa Vetus ac Vulgata editio sinceritati suæ atque puritati, quoad fieri potuerit, in Præfatione dicitur restituta. Sic editio Vulgata, quæ *Sixti V.* jussu recognita & *Clement. VIII.* auctoritate edita, quæ quoque in Præfat. cæteris omnibus, quæ ad illam usque diem prodierint, emendatior atque purior nominata, & in qua Textus summis laboribus ac vigiliis restitutus & quam accuratissime mendis expurgatus dictus est, parenthesin habet insertam, hincque potius tales manifesto ad Paulum, quam ad Aquilam referre agnoscimus. Id quod satis novit illustris Annalium Scriptor, *Baronius*, qui in Annal. Eccl. ad ann. Christi 53. num. 35. p. 461. ad Vulgatam, quæ *ducta parenthesi, non nisi de Paulo tonsuram intelligendam esse, declaret*, expresse provocat, & eo ipso semet ignorare, Vulgatam manifesto contrarium asserere, testatur. Sed quid multa? quis nescit, Pontificios præcipuos plurimosque, qui Vulgatam venerantur, non solum de Paulo tonsuram exponere, sed ex eadem quoque tonsuram Ecclesiasticam defendere; id quod quam bene vereque fiat, alibi disputatur. In Editione *Jun. Tremell.* id asseritur, Veterem Interpretem ob ambiguum sermonem ita hæc reddidisse, ut lectori liberam sententiam reliquerit.

§. IV. Porro ad Aquilam & Priscillam refert, notante Cl. Dieu in h. l. *Æthiopicus: & totonderunt caput suum; habebant enim votum.* Sed *Syrus* recte singularem expressit. *Isidorus de divin. offic.* apud cit. *Baron.* ad ann. Chr. 58. pag. 620. Priscillam & Aquilam Nasiræos tonsosque fuisse asserit. *Petrus Lombardus*, quem unum plus quam 100. Lutheros, 200. Melanchthones, 300. Bullingeros, 400. Petros Martyres, & 500. Calvinos valere satis audacter, satis impudenter asseruit *Franc. Stancarus* in Apol. contra Tigur. conf. *Osiandr.* Hist. Eccl. Cent. XVI. l. 3. c. 23. pag. 641. postquam in Lib. IV. distinct. XXIV. p. 392. à Nasiræis usum inolevisse dixerat, ut, qui divinis cultibus manciparentur, quasi Nasiræi, id est, sancti, crine posito inveniantur, subjungit: *Sicut ad Ezech. 5. dicitur: Fili hominis, sume gladium, & duc super caput tuum & barbam. In Actibus etiam Apost. Priscillam & Aquilam hoc fecisse legimus, Act. 18.* Hinc est, quod *Estius in Annotationibus*, ut vocantur, *aureis in h. l.* ait, Lombardum in plurali legisse videri, cum factum hoc Priscillæ & Aquilæ tribuat. *Venerabilis*, ut salutatur, *Beda* in h. l. f. 211. quoque notat, quosdam Codices plurali numero habere; subjicit tamen, egregios Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, in suis Epistolis, & singulari numero ponere, & de Paulo interpretari. Clarius quoque laudatus autor ap. *Baron.* l. c. & quidem p. 461. loquitur, & ad ipsum textum, ut par est, provocat: *Falluntur mendositate Codicis, qui dicunt, Aquilam cum Priscilla uxore sua esse attonsum: in Græco enim evidenter* κειράμενος *i. e. attonsus, numero singulari habetur.* Testatur quidem ipse quoque cit. Cardinalis l. jam citato, in Bibliotheca Vaticana extare Acta Apostolorum pervetusta literis grandiusculis exarata, in quibus plurali numero ita legatur: *Se totonderant, in Cenchreis caput: habebant enim votum*; ipse tamen Vulgatæ ad Paulum hoc factum restringenti inhærendum dictitat; non autem de Aquila exponit, ut *Cornel. à Lapide* aliique de eod. scribunt. *B. Erasmo Schmidio* illud, quo ad Aquilam & Priscillam tonsura refertur, acceptandum non videtur, cum fœminæ tonderi non solerent: de quo in præsenti disputare nolumus; ideoque si de lectione constaret, potius de Paulo & Aquila accipiendum esse arbitratur; ipse tamen de Paulo hoc intelligendum esse verisimilius censet.

§. V. De Paulo igitur longe plures & inter illos felicissimi acrique judicio præditi Scripturæ Sacræ interpretes, variis Editionibus tam antiquioribus quam recentioribus faventibus, exponere satagunt. Sic *Hieronym.* Tom. II. pag. 340. in Epist. ad Augustin. *Augustin.* Tom. II. Epist. 19. pag. 72. & *Beda* c. l. Sic, ut alios plures taceamus, *Brentius*, *Osiander*, *Chytræus*, *Camerarius*, *Gerhardus*, *Frantzius*, *Brochmand.* *Schmidius*, *Tob. Major*, aliique; Sic quoque dexterrimus Scripturæ S. interpres, Magnus noster CALOVIUS, Præceptor, Patronus atque Hospes, omni observantia æternum devenerandus, *Varenius* & *Joh. Ad. Osiander* de Paulo intelligunt. Nec abnuunt *Baronius*, *Cajetan. Stapleton. Hurtad. Cornel. à Lap. Sanctius*, *Lorinus*, *Menoch. Tirinus*, *Fromondus*, aliique. Neque *Vatabl. Aretius*, *Drusius*, *Stephan. Petitus*, *Salmasius*, *Cloppenb.* quoad hoc repugnant, cum ipsa textus συνέχεια id suadeat. Non jam illud afferam, quod *B. Schmidius* pluresque alii urgent, quod, cum Paulus propterea Ephesi, qua transiit, se detineri passus non fuerit, quod oporteret ipsum (propter votum nimirum) diem festum instantem Jerosolymis agere; Aquila autem Ephesi manserit, hinc verisimilius de illo, quam de hoc accipiatur; Verum id tantum dicimus, quod præter hoc, quod κειράμενος ad Paulum per parenthesin restringatur, ad quam *Magnific. Dn. D. Calovius* quoque provocat, ratio appareat nulla, cur præcipuo & primario scriptionis & relationis illius subjecto relicto ad aliud incidenter allatum & in tam conciso dicendi genere adductum tale prædicatum referamus; potius ille, in quo describendo occupatus est ibid. Lucas, utpote ex instituto ejus gesta describens, & quid circa abitum actum sit enarrans, intelligendus, & τὸ *abnavigare* ἀπὸ κοινοῦ repetendum, subjectisque insertis attribuendum erit: cur enim illi, cui reliqua omnia prædicata tum antecedentia, tum consequentia, quod *manserit, valedixerit, abnavigarit, Ephesum venerit, illos ibi reliquerit*, omnium consensu competunt, hoc prædicatum, de quo quæstio, citra ullam urgentem rationem denegemus, non apparet; id quod ex infirmis diversum sentientium rationibus jam adducendis melius patescet.

§. VI. Audiamus igitur *Seb. Castalionem* l. c. qui postquam vero propius videri asseruerat, hoc de Aquila dici, sequentia fundamenti loco adducit, *quod scil. Lucas uxorem viro præposuerit: cujus ordinis (cum alias non soleat) quæ causa fuerit non video (inquit ipse) nisi ut intelligeretur, participium* κειράμενος *ad Aquilæ nomen, cui protinus conjungitur referri, quod non fieret, si Aquilam anteposuisset.* Sed quis non videt, rationem allatam esse omnino frivolam & nullam, imo assertum de ordine tali alibi non deprehenso omnino falsum; quod enim hoc attinet, cum ipse Paulus in Epistolis (ut de ordine eodem hoc ipso loco vs. 26. in Vulgata observato nihil dicamus; in Græco enim vir præpositus est) duorum istorum ter mentionem faciat, nempe Rom. 16: 3. 1. Corinth. 16: 19. 2 Tim. 4: 19. bis uxorem viro præponit, primo scil. & ultimo cit. loco cum tamen, nullam talem rationem subesse, omnes videant. Quærenti autem, cur illud sit factum, satis ingenue respondet *Beza* in h. l. *Quamobrem hoc sit factum, non minus ineptum est quærere, quam disputare cum Grammaticis, cur Homerus Iliada à nomine* Μῆνιν *sit auspicatus. B. Schmidius* quoque studium ordinis hujus rationem investigandi improbat, nugas appellat, dicitque idem esse sibi videri, ac si quæratur, cur Germani dicant, Braut und Bräutigam: & non potius, Bräutigam und Braut. Syrus Paraphr. notante *B. Wellero* in Com. in Ep. ad Rom. l. c. putat, mulierem viro præpositam ob majorem pietatem. Nec est, quod *Grotius* quoque in h. l. dicat, Priscillam prius nominatam, quia de Aquila aliquid (tonsuram scil.) addendum habuerit; de hoc enim, an D. Lucas aliquid addendum habuerit, est quæstio: quomodo igitur ex eo, de quo, utpote dubio, & à plurimis negato quæritur & disputatur, rationem pro probando ordine à Luca observato Grotius poterat desumere? *Bullinger.* l. c. ad Aquilam se libentius referre adserit, non modo ideo, quod proxime præcedens sit, sed & quod participium præteriti temporis, κειράμενος τὴν κεφαλὴν, id est, raso capite, aliquid hujus referre videatur. Sed cur non quoque reliqua prædicata immediate & proxime subnexa ad proxime præcedens (ad Aquilam) refert, si ita argumentari velit. Nec, si dicendum, quod res est, videre possumus, qua ratione præteritum aliquid hujus referre videatur. Cur, uti prius particip. τὸ ἀποταξάμενος & reliqua præterita omnia indubitato de Paulo intelliguntur & totus contextus in Pauli gestis describendis absolvitur; ita & hoc posterius ejusdem διαθέσεως & temporis, ad diversum, non ad idem subjectum, referri debeat, merito ex Bullingero quæras. Qui hinc ipse quasi, dubius & rationibus allatis diffisus tandem

tandem subjicit, priori sententiæ magis adminiculari, quod Aquila Ephesi relictus sit, & Paulus Hierosolymam abnavigarit.

§. VII. Nec est, quod cum alio quodam objicias, *in quibusdam Exemplaribus cum Aquila jungi vocem* κειράμενος, *ne commate quidem interposito.* Respondemus enim (1.) nos post sedulam variarum Editionum collationem ne unum quidem Codicem ita legentem vidisse, nec ab aliis quoque citatum deprehendisse. (2.) Esto: unum vel alterum ita legere; tamen hoc ipsum receptæ & in accuratissimis editionibus repetitæ distinctioni nihil obesse posse quilibet videt, adeo, ut quantum citatum Baronii exemplar, quod plurali numero legit, singulari numero; tantum commatis in quibusdam exemplaribus omissio receptæ distinctioni nocere possit; nam quis constantem Codicum lectionem & commatum positionem statim ad unius tantum vel alterius exemplaris diversam lectionem, manifestissimum & certissimum inde oriturum periculum prævidens, concesserit? Parenthesin quidem in aliquibus omissam deprehendimus; Comma vero hoc omissum minime; sive tamen ponatur sive omittatur illa, satis tamen contextus docet, quod incidenter tantum earum Personarum mentio ibid. fiat, sicque, licet desit, à communione prædicatorum subsequentium eædem excludantur.

§. VIII. Hæc de subjecto notata facile sufficiant: Majoris vero momenti est ratio tonsuræ, quam quidam ex Nasiræatu, alii ex more peregrinantium, nonnulli ex consuetudine ipsius Pauli 1 Cor. 9: 20. descripta, accersunt. Primam sententiam fovent plurimi; hinc quoque eidem expendendæ cura præ reliquis sedula erit impendenda. Cum autem rasio capitis ex voto Nasiræorum secundum legem duplex sit, altera per se, altera per accidens: Illa erat in termino voti: hæc fiebat intra tempus voti, si nimirum Nasiræus, durante voto, pollutus fuisset: hinc quæritur: quæ secundum hos intelligenda sit, num prior, numve posterior? Priorem cum aliis statuit *Libert. Fromondus*, qui in Comment. in h. l. pag. 282. alterius sententiæ patronos refutans dicit, tempore voti jam finito Paulum in portu Corinthiensi comam sibi totondisse. Sic *August.* Epist. lib. Epist. XIX. pag. 72. Cenchreis votum persolvisse Paulum; sic *Lyranus* in h. l. completo tempore voti sui Paulum caput totondisse putat; cum vero plurimi majoris veritatis specie posterioris generis tonsuram urgeant, de ea hic inprimis dispiciemus, ita tamen, ut simul, quid sentiendum sit de prioris ordinis tonsura, appareat. Sic Tonsuram ex Nasiræatu pollutione interrupto factam statuit *Sanctius* in h. l. pag. 325. qui sine dubio ideo Paulum tonsum esse in Cenchris dicit, quia repentino casu alicujus mortui, pollutus erat, & ex lege Num. 6. tonderi debuit, ne aliis, cum ex prolixa coma vitæque instituto se Nasiræum profiteretur, scandalo esset, quem à mortuo pollutum, neque tamen ideo tonsum esse vidissent. Audiamus quoque *Francisc. Carriere*, qui in Comm. in univ. Scriptur. in h. l. pag. 701. ita scribit: *Nota, votum hoc Pauli fuisse Nazaræatus, quo tenebatur saltem ad tempus alere comam & abstinere à vino & sicera. Hoc voto se obstrinxit, ut Judæo-Christianos & Judæos sibi quasi legalia contemnenti offensos deliniret.* Si vero quæras ex eo, cur caput totonderit? Responsi loco dat: *quia forsan funere aliquo vel morticini contactu comam polluerat, quo casu, qui votum Nazaræatus habebat, pollutam comam resecare jubebatur & de novo tempus sui Nazaræatus inchoare.* Ita quoque respondet *Tirinus* in h. l. Hanc in sententiam inclinat quoque *Baronius* l. c. qui ad quæstionem, cur tonsura non facta fuerit Hierosolymis in templo respondet: *ille fortasse accidit casus, quo ibidem* [Num. 6.] *illico caput tondendum esset, cum coram Nazaræo aliquis moreretur. Cajetanus* hanc quoque amplectitur, dum apud *Thom. Hurtad. in Resol. de vero Martyr. fid.* sect. IX. p. 398. ita mentem suam exponit; *subintelligi vult* [Lucas] *occasionem mortui subito, ob quam ex voto tenebatur ad rasuram Capitis.* Conf. hanc in rem quoque *Cornel. à Lap.* in h. l. aliosque, quos brevitatis gratia lubens prætereo.

CAPUT II.

§. I. Cum autem sententia hæc de pollutione ex funere vel morticino contracta, eaque Nasiræatum interrumpente & tonsuram exigente, absque collatione eorum, quæ Num. 6: 9. seqq. hac de re præcipiuntur, non satis percipi possit, hinc ex illis divinis institutis, ad quæ provocant autores, videbimus, quidnam ibi mandatum fuerit; periculum facturi, num quicquam ad illustrandum & illum & hunc locum conferre queamus. Ita autem versus eosdem, qui Nasiræos in *secundo sive pollutionis statu* constitutos describunt, consideraturi sumus, ut pro instituto quondam suscepto iidem expendantur: tertium vero eorundem statum, collatione Actor. 21: 23-27. cum Numer. 6: vers. 13-21. instituta, expendendum alio tempore expectabis. Lubet autem ipsius Legislatoris supremi verba, ritus utique Nasiræi polluti optime exprimentia, hic apponere, quæ cit. Numer. 6: 9, 12. habentur:

וְכִי־יָמוּת מֵת עָלָיו בְּפֶתַע פִּתְאֹם וְטִמֵּא רֹאשׁ נִזְרוֹ וְגִלַּח רֹאשׁוֹ בְּיוֹם טָהֳרָתוֹ
בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי יְגַלְּחֶנּוּ׃ וּבַיּוֹם הַשְּׁמִינִי יָבִא שְׁתֵּי תֹרִים אוֹ שְׁנֵי בְּנֵי יוֹנָה
אֶל־הַכֹּהֵן אֶל־פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד׃ וְעָשָׂה הַכֹּהֵן אֶחָד לְחַטָּאת וְאֶחָד לְעֹלָה
וְכִפֶּר עָלָיו מֵאֲשֶׁר חָטָא עַל־הַנָּפֶשׁ וְקִדַּשׁ אֶת־רֹאשׁוֹ בַּיּוֹם הַהוּא׃ וְהִזִּיר לַיהוָה
אֶת־יְמֵי נִזְרוֹ וְהֵבִיא כֶּבֶשׂ בֶּן־שְׁנָתוֹ לְאָשָׁם וְהַיָּמִים הָרִאשֹׁנִים יִפְּלוּ כִּי טָמֵא נִזְרוֹ׃

Vulgata hæc ita reddidit: *Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima. In octava autem die afferet duos turtures vel duos pullos columbæ Sacerdoti in introitu fœderis testimonii: facietque Sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: Sanctificabitque caput ejus in die illo, & consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen, ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.*

§. II. Quanto studio Nasiræi, quippe separati DEOQUE sanctissimo peculiariter addicti sanctitatem & puritatem sectari debuerint, satis vs. 6, 7. seq. hujus capitis edocent, ubi ipsis neque ad funus patris, neque matris, aliorumve accedere integrum relinquitur. Jam autem, cum vita hominum etiam sanctissimorum variis infirmitatibus sit obnoxia, ut quandoque in optima bene vivendi promtitudine vires deficiant, nec ullus tanta prudentia polleat, qui omnes casus prævidere, multo minus avertere queat, facileque hic quoque fieri potuerit, ut ex improviso Nasiræus, puritati licet maxime deditus, fuerit pollutus; hinc Legislator supremus & sapientissimus hæcce prævidens, certas quoque leges hunc in finem præscribere voluit Nasiræo polluto, tum quoad tonsuram, tum quoad sacrificia tempusque & illi & hisce determinatum, observandas, ut ita, sicuti peculiari voto se à communi hominum more separarint, DEOQUE semet addixerint, ritibus quibusdam peculiaribus ab aliis quoque dignoscerentur, &, pollutione Nasiræatum interrumpente, DEO de novo consecrarentur. Antequam autem de tonsura & sacrificiis pollutionis, ut vocant, aliquid notemus, ordinis ratio postulat, ut de ipsa pollutionis causa, de qua hic agitur, aliquid dicamus. De tali ita hic habetur: *Si mortuus fuerit quispiam* בפתע פתאום *coram eo.* Ubi notandum, quid per has voces h. l. intelligendum sit. *Onkelos* reddit: בְּתְבֵּיף שְׁלוּ *Jonath.* בִּתְכוֹף שְׁלוּ, quæ ita conjunctim quoque leguntur Esai. 30: 13. repentinamque actionem significant. Versio τῶ ὁ habet ἐξάπινα παραχρῆμα, de qua in *Cl. Poli* Syn. Critic. in h. l. notatur, quod LXX. τὸ פתאום ad sequentia referant, sicque vertant, *repente, statim inquinabitur.* Et ita legitur in Bibl. Polygl. citatque verba Græca textus hujus tum *Cyrill. Alexandr.* de Ador. in Spir. & verit. lib. XVI. p. 581. ἐὰν ᾖ ἀποθάνῃ ἐξάπινα, παραχρῆμα μιανθήσεται ἡ κεφαλή, tum *Clemens Alex.* in *Pædag.* l. 1. pag. 60. qui τὸ παραχρῆμα non ad mortem, sed pollutionem subitaneam refert. Basileensis tamen editio Biblior. Græcor. quæ anno 1545. ex Typographia Hervagiana prodiit & cum diversis aliis exemplaribus, utpote Complutensi, Antverpiensi, Argentinensi ac Romana accurate collata est, utramque hanc vocem ad mortem subitaneam refert, conjungitque ita: ἐὰν δέ τις θανάτῳ ἀποθάνῃ ἐπ' αὐτῷ ἐξάπινα παραχρῆμα μιανθήσεται κλ. In illa, quæ Francofurti anno 1597. opera sive Frid. Sylburgii sive, quod alii volunt, Franc. Junii ad exemplar Aldinæ Editionis excusa est (vid. *B. Bosium* in Exercit. ad 2 Tim. 2: 22. & *Curcell.* in Præfat. in N. T.) ita legitur: ἐὰν δέ τις θανάτῳ ἀποθάνῃ ἐξάπινα ἐπ' αὐτῷ παραχρῆμα, μιανθήσεται. Et sic quoque has duas voces ad mortem Vulg. Bibl. Numer. 6. referre, in Annot. ad Clem. Alexandrinum asseritur.

§. III. Primam vocem, פתע, Ebræos exponere per אונס hoc est, si violenter aliquis præsente Nasiræo interfectus fuerit; alteram vero, פתאום per מקרה hoc est, si casu quodam fortuito mors in hominem inciderit, notant *Fagius* ἐξαι-κώτατος, *Munsterus* & *Vatablus* in h. l. Juvat tamen eos ipsos audire, & quam bene hic consentiant, quamque certi sint, percipere. In ילקוט התורה fol. רי cap. 4. de his vocibus variæ adducuntur sententiæ Ebræorum, dum ita habetur: פתע זה שוגג וכן הוא אומר ואם בפתע ולא באיבה הדפו: פתאום זה אונס וכן הוא אומר ויאמר י״י אל משה פתאום:

Per פתע *indicatur id, quod per errorem fit, uti* (*Num.* 35:22.) *dicitur, quod si fortuito, absque inimicitia impulerit eum: per* פתאום *significatur violentia seu vehementia, & ita dicitur* (Num. 12:4.) *loquebatur DEUS ad Mosen* פתאום. Sed fol. ריא col. 1. ita habetur: תלמוד לומר בפתע להביא את האונס׃ פתאום להביא את השוגג׃ ר׳ יונתן אומר בפתע זה שוגג פתאום זה אונס׃ *Secundum Talmud per* פתע *indicatur violentia, per* פתאום *error seu ignorantia. Secundum R. Jonathan ordo invertendus, & per prius error, per posterius violentia intelligitur.* Priori adstipulatur quoque *R. Sal. Jarchi* Comm. in h.l. dum ait: פתע זה אונס פתאום זה שוגג׃, *per* פתע *violentia, per* פתאום *errore factum intelligitur. R. Salomo Aben-Melech.* in Michl. Jophi, derivationem & significationem vocis פתאום adducturus, hunc in sensum disserit: פתאום שרשו פתה והאלף תמורת ה״א למד הפועל והוא בשקל שלשום והוא ענין מהירות ופתע ודבר שלא ירגיש אדם בו עד שיהיה׃ *Radix vocis* פתאום *est* פתה *& א loco* ה *finalis est positum, & habet hæc dictio formam vocis* שִׁלְשׁוֹם *& significat celeriter & derepente, ita ut nemo sentiat, donec res sit facta.* Quomodo R. D. Kimchi hanc vocem ap. Malach. 3:1. occurrentem exponat, hæc verba declarant: כי אמר לפי שלא נגלה הקץ ולא נתבאר בספר דניאל פתאום יבוא שלא ידע אדם יום בואו טרם בואו שיבוא׃ Dicitur repente venturus Messias ad templum suum, *quia non est revelatus finis neque clare expositus in libro Danielis, idcirco dicit,* פתאום *celeriter seu repente veniet, quia nemo diem adventus sciat, antequam advenerit.* Quæ tamen Kimchii verba quam bene dicta sint, judicat alia Cathedra. Ut ita secundum horum explicationem voce hac mors subitanea, quam nemo sentiat, antequam acciderit, intelligatur, de qua alias *Talmud* in מועד קטן fol. כח cap. 1. ubi de variis mortis generibus & denominationibus agitur, ita loquitur: מרת פתאום זו היא מיתה חטופה *siquis repente moriatur, est mors subitanea seu repentina.*

§. IV. Sed unde quæso talem diversam harum vocum significationem probabunt recutiti? dicis, quia duæ voces ita conjunguntur, diversum utique indicant, alias una tantum posita fuisset. Sed quis nescit, conjunctionem synonymorum Scripturæ non prorsus esse inusitatam, cujus quædam exempla ab ipsis Rabbinis citata jam sumus allaturi. Conjunguntur insuper quoque hæ ipsæ voces in aliis locis, ordine quidem & præfixo eod. non semper observato sensu tamen eod. v. g. Esai. 29: vers. 5. & 30:13. ubi rem maxime improvisam & subitam denotant. Ipse sane R. *Aben-Esra*, qui κατ᾽ ἐξοχὴν denominatur החכם *sapiens*, quem quoque *Pellicanus* Præfat. in V. T. prudentem Judaicas fabulas vel contemnere vel dissimulare; quem ipse B. *Schickardus, Bechin.* pag. 172. Scripturæ idiotismorum tenacem, aliis etiam prudentiorem, cautiorem & nugarum parciorem esse, asserit, hic non diversas significationes fingit, dum in h.l. ait: בפתע פתאום שניהם קרובים בטעם וכן אדמת עפר׃ *Voces hæ duæ sensu conveniunt, sicuti* (Dan. 12:2.) *dicitur: in terræ pulvere.* In מנחה בלולה fol. קלז hæc sententia, adductis aliis quoque exemplis, & subnexa Rabbin. supra citata opinione de diversa significatione, adfertur, dum ita ibid. legimus: בפתע פתאום דבר שלא ירגיש בו האדם עד שיהיה כמו הפתי שעושה כל דבריו במהירות ולא ירגיש בהם עד היותם׃ וכפיל הדבר להפלגה כמו כמעט קט׃ הרבה מאד׃ אדמת עפר׃ *Per has voces negotium indicatur, quod quis non sentit, donec factum sit, quemadmodum stultus omnia sua negocia festinanter agit, neque aliquid percipit, usque dum factum est. Duplicantur autem voces ad exaggerandam rem, uti* (Ezech. 26: vs. 47.) *pauxillum minus* (Gen. 15:1.) *magna nimis* (merces) & (Dan. 12:2.) in *terræ pulvere.* Citat quoque hanc sententiam supra citatus *Raschi* l. c. dum adductis addit: יש אומרים פתע פתאום דבר אחד הוא מקרה של פתאום פתע ופירושו פתאום׃ *Sunt, qui dicunt his duabus vocibus,* פתע פתאום *unum tantum innui, casum scil. improvisum, ut* פתע *exponatur per* פתאום. Conf. *Reuchlin* in Cap. Concord. Ebraic. R. Mard. Nathan. p. 738. Optime igitur *Malvenda* apud Polum in h. l. concursum fere Synonymorum rem maxime improvisam notare, observat; & *Calvinus* in Comment. in h. l. pag. 184. ipsum Judæorum supra cit. assertum puerile vocat. Varie autem varii has duas voces ad exaggerandum significatum exponunt, dum alios: in casu subitaneitatis; alios: in casu fortuito; alios: repente, subito; alios: in eventu repentino; alios: in momento subito; alios: statim, cito; nonnullos: fataliter & subito: has duas voces reddidisse deprehendimus.

§. V. Ubi autem alias Rabbini suo מותר ואסור, *licito & illicito*, plurima definire non verentur, quæ in Scriptura non exprimuntur, de quo queritur quoque Cl. *Hulsius* in Theol. Jud. l. 1. Part. 11. pag. 284. ita etiam & hic antiquum suum obtinent. Quæ ipse divinus νομοθέτης quoad pollutionis objecta modumque determinaverit, inprimis ea ex Num. 19: vers. 14. seqq. discere possumus; quæ autem Ebræorum Magistri addiderint, ex his, quæ *Talmud* subministrat Tract. de נזיר fol. מט c. 2. c. VII. perspicimus: על אלו טומאות הנזי׳ מגלח על המת ועל כזית מן המת ועל כזית נצל ועל מלא תרוות רקב על השדרה ועל הגולגולת ועל אבר מן המת ועל אבר מן החי שיש עליו בשר כראוי ועל חצי קב עצמות ועל חצי לוג דם ועל מגען ועל משאן ועל אהילן ועל עצם כשעורי על מגעו ועל משאו על אלו הנזיר מגלח ומזה בשלישי ובשביעי וסותר את הקודמין ואין מתחיל למנות אלא עד שיטהר ומביא את קרבנותיו׃ *Super his immunditiebus tondetur Nasiræus: super mortuo, super tanto de mortuo, quantum est oliva, & super tanto carnis cadaveris avulsæ, quantum est oliva, & super plenitudine cochlearis de pulvere corporis putrefacti, super spina dorsi: super calvaria, super membro de mortuo, super membro de vivo, super quo est caro sicut conveniens, & super dimidio Kabo ossium & super dimidio Log sanguinis, super tactu eorum & super onere eorum, super tentorio eorum, super osse, quod est sicut granum hordei magnum, quo ad tactum ejus atque onus ejus. Super istis Nasiræus tondetur, & adspergit se tertia & quarta die & destruit antecedentia, nec incipit numerare, nisi ex quo mundatus est, & adfert sacrificia sua.* Prolixe talia quoque recenset R. *Maimon.* in יד חזקה in Tract. de Nasir. c. VII. f. מג col. 2. Brevius afferuntur in libro *Jalkut* fol. רי c. IV. Quæ omnia melius cognoscentur, si inter alia Præfatio R. Mosis Maimon. in סדר טהרות evoluta fuerit; Inter undecim enim immunditiei species ibi recensitas refertur & declaratur טומאת מת *immunditia mortui*; quid autem per mortuum intelligatur, ibidem inter alia exponitur, cum additur: *Nolo autem cum dico mortuum, integrum mortuum, sed rem, quæ polluit immunditie mortui, veluti particulam quamvis carnis ipsius magnitudine olivæ, & carnem ejusdem coagulatam, & cochleare putredinis, & ossa & sanguinem &c.* quæ cap. 2. *Oholoth* enumeratum iri pollicetur; Hæc ex laudata Præf. sufficiant, reliqui immunditiei patres, ut vocant, l. c. videantur explicati.

§. VI. Jam porro, quid pollutis injunctum, expediendum est: cum autem Nasiræi quædam cum aliis communia, quædam tantum iisdem convenientia habuerint, utraque classis erit paucis attingenda: quædam enim, ut Judæi, quædam, ut peculiariter DEO consecrati, præstiterunt. Illo respectu ea iisdem, quæ alias quoque ex mortuo pollutis, observanda fuerunt. Quo inter alia divinum pertinet præceptum de *pollutis super cadavere* à castris sive à templo submovendis aut arcendis, Num. 5:2. Si enim belli duces, delectu accurate adhibito, non nisi eos in castris quondam tulisse constat, quos integritas & virtus maxime commendaverat, uti ex variis, si opus esset, deduci posset autoribus; an mirum, si Imperator supremus in veteri etiam populo, iis saltem concesserit locum, qui ab immunditie quam essent alienissimi. Ita enim aliquoties in Levit. v. g. 11:44. c. 19: vers. 2. exclamaverat: *Sancti estote, quoniam ego sanctus,* ne quis forte ob ignorantiam se excusare posset. Tria autem hominum genera à castris l. c. excludit (1.) eos, quos lepra infecerat. (2.) Qui fluxu laborabant. (3.) Qui tactu morticinorum erant inquinati. Cum vero castra Israelitarum in tres distinctas stationes sive areas divisa fuerint, quæ à *Lirano* in h. l. ita recensentur, quod *prima* fuerit tabernaculum & atrium circa ipsum, dicta castra deitatis, tum quia ibi DEUS cultus, tum quia ibi cum Mose locutus fuerit; *secunda* habitationes Levitarum circa atrium; *tertia* habitationes reliqui populi complexa fuisse dicitur, quæ R. *Sal. Jarchi* in h. l. dicuntur מחנה שכינה הלוים וישראל *castra Deitatis, Levitarum & Israelitarum*; hinc quæritur, è quibus polluti fuerint ejecti? Laudatus Liranus distincte respondet de distinctis castris & pollutis distinctis: dicit igitur, leprosos ejectos fuisse extra tria castra prædicta, ne inficerent alios, cum lepra sit morbus invectivus aliorum: Seminifluos de duobus primis, quia ibi requisita fuerit major munditia; permissum autem fuisse ipsis habitare in castris populi, cum non sit morbus invectivus aliorum; Pollutos autem ex tactu mortui ejectos fuisse ex primis castris, quia non fuerit iis licitum ingredi atrium, ubi cultus divinus viguerit, donec essent mundati, propter Dei reverentiam; potuisse autem manere in castris populi & Levitarum. Sic quoque laudatus *Raschi* l. c. respondet & ad reliquorum Ebræorum consensum provocat: הצרוע נשתלח חוץ לכולם הזב מותר במחנה ישראל ומשולח מן השתי׳ וטמא לנפש מותר אף בשל לויה ואינו משולח אלא משל שכינה וכל זה דרשו רבותינו מן המקראות במסכת פסחים׃ *Leprosus ejicitur ex omnibus castris, seminifluus permanere potest in castris Israelitarum, duo autem* (priora) *evitare tenetur: qui autem mortuo pollutus fuerit, poterit in castris quoque Levitarum manere, nec ejicitur nisi ex castris Deitatis.*

Mun-

Munsterum, *Clarium* aliosque hic lubens prætereo. Jam castris talibus in deserto diversis diversa etiam in Canaane locorum spatia respondisse Ebræorum Magistri docent, ita ut castris populi in desertis postea Hierosolyma; Levitarum castris mons domus, ubi sic Levitæ circa Templum, ut circa tentorium excubuerint; Tentorio vero ipsi Templum responderit, quæ notasse lubet, ut exinde, illa, quæ de Nasiræis h. l. in ordine ad tentorium dicuntur, ratione Templi ipsius intelligenda quoque esse, patescat. Sed juvat hæc ipsa verbis *Maim.* ab *Outramo* l. 1. *de Sacrif.* p. 31. citatis, proponere, qui ita: שלש מחנות היו במדבר מחנה ישראל והוא ארבע מחנות ומחנה לויים שנאמר שהוא סביב למשכן יחנו ומחנה שכינה והוא מפתח חצר אהל מועד ולפנים וכנגדן לדורות מפתח ירושלם עד הר הבית כמחנה ישראל ומפתח הר הבית עד פתח העזרה שהוא שער נקנור כמחנה לויים ומפתח העזרה ולפנים כמחנה שכינה: *Triplicia castra erant in desertis: castra Israëlis (quæ ipsa quadruplicia fuerunt) & castra Levitarum, de quibus diximus, quod circa Sacrum Tentorium castra metati fuerint; & castra majestatis divinæ, intra portam atrii conventus sita: talibus alia illa in perpetuum respondent: totum loci spatium à porta Jerosolymæ ad montem domus situm habet se ut Israëlis castra. Sic spatium, quod à porta montis domus ad Sanctuarii portam, quæ Nicanoris porta dicebatur* (de qua vid. Buxt. in Lex. Talm. p. 1390. & Lightf. in Hor. Ebr. & Talm. p. 62.) *porrigitur, habet se ut castra Levitarum. Et tandem, quicquid spatii est intra portam Sanctuarii, habet se ut castra Majestatis divinæ.* Hunc in sensum quoque *Episcopius*, qui quoad distributionem castrorum supra allatam & secundum diversam pollutionem vel immunditiem institutam quoque consentit, lib. 3. Instit. Theol. c. 2. p. 68. primæ stationi sive areæ divinitatis respondisse in Templo aream ab Azaris usque ad ipsum S. Sanctorum; secundæ sive arcæ Levitarum respondisse in Jerusalem, quicquid fuit à principio montis Zion הר הבית usque ad Azaras supra dictas; tertiæ sive areæ exercitus populi ambitum totius civitatis Jerusalem respondisse asserit. Cui adjungimus *Grotium*, quin in Ebr. 13: 11. castra olim pro urbe fuisse, & quicquid tunc non licuerit fieri inter castra, id postea non licuisse intra urbem, statuit. Et hinc est, quod nonnulli adserunt, pro re concessa & nota in Epistola ad Ebr. l. c. sumi, quod populi castris in deserto Jerosolyma postea responderit, idque causæ fuisse doceri, cur Christus extra Jerosolymam mortis supplicio afficeretur, quippe quod sacrificia talismodi extra populi castra cremari solerent. Qua ratione autem, quaque parte polluti deinde in respectu ad urbem sanctam & Templum quoque fuerint exclusi, quæ quoque locorum omnium ratio à Judæis fuerit habita, edocebunt illa *Maimonidis*, quæ loco cit. p. 37. habentur: *Universa terra Israëlis aliis omnibus terris sanctior-Urbes muris circumdatis reliqua terra sunt sanctiores-Jerosolyma sanctior est aliis urbibus muro cinctis-mons domus sanctior est Jerosolyma, quippe quo viris & fœminis fluxione laborantibus, mulieribus menstruatis puerperisve progredi nefas; mortua autem eo ferre licet. Ideoque cadavere pollutum eo quoque venire licere, nihil est cur moneam. Intermurale sanctius est monte domus, quippe quod extraneis, cadavere funestatis aut fœminæ menstruatæ concubitu pollutis ingredi non licet. Intermurali sanctius est atrium mulierum, eo enim pervenire nemini licet eo die, quo propter impuritatem lotus est. —— Atrio mulierum sanctius est atrium Israëlis; huc enim rite pervenire nequit, qui expiatione caret. Israëlis atrio sanctius est atrium sacerdotum. Ea atrii sacerdotum pars, quæ inter porticum & aram sita est, sanctior est ejusdem parte altera. —— Templum sanctius est ea atrii illius parte, quæ porticum inter & aram jacet. Templo sanctius est sacrarium sacerrimum.* Reliqua polluto observanda, in quantum ad illustrandam præsentem materiam pertinent, ex postea dicendis perspicientur.

CAPUT III.

§. I. Vidimus pollutum, vidimus, quid nasiræatum interruperit; videamus jam quoque, quid porro ei mandatum, & qua ratione Nasiræus purgetur; & nasiræatus de novo inchoetur. Cum enim alias, uti pollutio varia est, modi etiam purificationis diversi fuerint, eos omnes & singulos hic recensere nimis prolixum foret. *Abulensis* eosdem brevibus apud *Lorin.* c. 5. Num. p. 155. refert, quod scil. vel vestes solæ lavarentur vel cum vestibus carnes: vel fieret sola adspersio aquæ lustralis: quod quoque quædam immunditia ex contactu nimirum orta, duraret tantum ad solis occasum; aliqua per septem dies, qui terminus præscriptus quoque fuerit menstruis ordinariis: alia, quam morbus gigneret, duraret donec is recederet, ac tunc etiam per alios septem dies fierent quædam ablutiones, & die octavo sacrificium; Sed nos in præsenti de purgatione nostri Nasiræi polluti sumus soliciti, aliis tales varios purgandi modos considerandos relicturi. Nasiræus igitur pollutus, præter lotiones aliis quoque usitatas, radi debebat ex vi mandati divini, & offerre sacrificia præscripta, diesque Nasiræatus priores omnino erant irriti. Hæc ut magis perspicue percipi queant, ab ipsis Ebræis eadem petemus. Lubet audire, quid in ipso *Jalkut* hac de re doceatur. Hunc autem in sensum ibid. fol. ריא, col. 1. תגלחת טומאה seu tonsuram immunditiei, quæ eo ipso תגלחת טהרה s. tonsuræ munditiei, in termino voti feliciter transacti peragi solitæ, contradistinguitur, descriptam legimus: תגלחת הטומאה כיצד מזה בגי׳ ובשביעי ומגלח בשביעי ומביא קרבנותיו בשמיני ואם גלח בשמיני מביא קרבנותיו בו ביום דברי רבי אקיבא: *Tonsura immunditiei quomodo fit? aspergit se aqua, tertia & septima die, tondeturque septima: adferat autem oblationes suas die octavo. Sin tonsus fuerit octavo die, tunc eodem quoque die adferat oblationes suas. Sic ait R. Akiba.* Si autem objicias, quid hac ratione inter Nasiræum & leprosum, uti R. Tarphon objicit, ibidem dubio huic respondetur. Ita enim subjicitur: אמר ליה רבי טרפון מה׳ בין זה למצורע אמר ליה שזה טהרתו תלויה בהימים ומצורע טהרתו תלויה בתגלחת ואינו מביא קרבנותיו אלא אם כך היה מעריב שמשו: *Objicit quidem ipsi R. Tarphon: quid interest ergo inter hunc* (Nasiræum) *& leprosum? Sed respondet ipsi R. Akiba: hoc interest, quod hujus* (nasiræi) *mundities sit suspensa à diebus suis: leprosi vero mundities sit suspensa à tonsura, nec adferat oblationem, nisi postquam Sol occiderit.* Conf. quoque *Talmud* l. c. c. 6. f. מד. c. 2. ubi hæc ipsa iisdem fere verbis proponuntur & deciduntur, & *Rambam* l. c. C. 6. f. מב. ubi tonsuram immunditiei & sacrificia pollutionis, קרבנות טומאה in oppositione ד׳ קרבנות טהרה dicta, dierumque priorum damnum brevibus includit. Quæ autem hactenus dicta sunt, de נזיר זמן קצוב seu *nasiræo temporali*, non autem de נזיר שמשון seu *nasiræo Schamsonæo* intelligenda esse, ex iis, quæ alibi de Samsonis eorumque, qui ejus vestigia premunt, nasiræatu allata fuerunt, omnino constabit: nam נזיר שמשון מותר ליטמא למתים, *nasiræus Schamsonæus impune se polluit mortuis*, inquit *R. Jehuda* apud *Maim.* l. c. f. 37. c. 2. hincque, ut l. c. habetur, אם נטמא אינו מביא קרבן טומאה *licet polluatur, non tamen* (ut alii) *oblationem immunditiei offert.* Conf. R. *Mikkotzi in* ס״מג f. 74. c. 3. Attamen נזיר עולם seu nasiræum perpetuum oblationem immunditiei afferre, & tonsuram immunditiei admittere, uti nasiræi temporarii faciunt, docet nos *Maim.* in Nas. f. 37. c. 2. & *Talm.* l. cit. c. 1.

§. II. Non autem illud hic circa tonsuram pollutionis silentio prætereundum est, quod, dum in textu dicitur: וְטִמֵּא רֹאשׁ נִזְרוֹ וְגִלַּח רֹאשׁוֹ בְּיוֹם טָהֳרָתוֹ בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי יְגַלְּחֶנּוּ: multi duplicem tonsuram, unam die primo post pollutionem, alteram die septimo factam adserant, quorum non pauci ad Vulgatam provocant, quæ ita: *Radet illico* (caput) *in eadem die purgationis suæ & rursum septima.* Ipse *Theodoretus* quæst. in Num. VI. p. 37. duplicem statuit tonsuram, dum ita habet: *licet ex improviso contingat aliquem interesse, dum quis decedit, necesse tamen habet universum abradere capillum, idque non die prima solum, sed etiam septima, ut capilli, qui novaculam effugerint, intra septem dies crescentes auferantur.* Audiamus quoque *Bonfrerium* sententiam hanc clarius exponentem in Comm. in h. l. *Primo radenda erat cæsaries, quæ jam Nazaræo accreverat primo die purificationis, quia polluta erat; rursumque septima, quia, quæ inter dies pollutionis istius coma excreverat, etiam profana erat, atque adeo non poterat DEO consecrari, quandoquidem toto eo tempore quis immundus existeret.* *Liranus* quoque per diem purificationis primam putat intelligi, uti vulgata. Sed hæc invito textu dicuntur, quippe in quo tonsuram Nasiræo non bis, sed semel, in die mundationis suæ, h. e. in septima peragendam injungi clarissimum est, ubi in verbis: *in die septima radet illud*, determinate exprimitur, quinam ille יום טהרתו seu *purgationis* sit, sicque hæc verba sunt exegesis superiorum, diemque unum & eundem, minime autem diem alium denominant & exprimunt, quod B. Lutherus agnoscens reddidit: Er soll sein Häupt bescheren am Tage seiner Reinigung/ das ist/ am siebenden Tage. Et LXX. ξυρήσεται τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ᾗ ἂν ἡμέρᾳ καθαρισθῇ, τῇ ἑβδόμῃ ξυρηθήσεται. Nec sane Ebræorum Magistris, qui sedulo de talibus scripserunt, & minima quæque expenderunt, de repetita tali tonsura aliquid innotuit, qui quidem duplicem lotionem secundum institutum aliorum pollutorum concedunt; duplicem autem tonsuram nesciunt, unam vero diei septimo cum Scriptura adscribunt, potius,

 exceptis

exceptis illis, quæ Nasiræis peculiariter competunt, purificationem Nasiræorum כדרך כל טמאי מת *ea ratione, qua reliqui mortuo polluti mundati fuerant*, peractam fuisse censent, ut loquitur Magnus ille juris Judaici interpres *Maimon.* (uti *Lightf.* eum vocat in Matth. p. 218.) l. c. 6. sic quoque *Lorinus* in h. l. agnoscit, expiari Nasiræos oportuisse consueto ritu eorum, qui mortuos tetigissent, id quod & fatetur *Serarius in lib. Judic.* c. 13. quæst. 6. pag. 360. Jam vero, num diem primum post pollutionem ex mortuo diem purificationis possis dicere, expendas velim? Dies hic, de quo disputamus, vocatur dies purificationis, quem οἱ ἐξ ἐναντίας putant esse primum; jam autem Scriptura de pollutorum ex mortuis purificatione agens nullum purificandi actum diei primæ, sed lotionem tertiæ & septimæ adsignat, sicque purificationem die primo factam nescit, pollutumque ad septimum usque diem in pollutione permansisse pronunciat, de quo conf. Num. 19: 11. & 19. ubi munditiem septimo demum die ritibus rite peractis purificato adscribit. Vide quoque *Maim.* Mor. Nov. l. 3. p. 491. Quod autem hoc Lorino *inverisimile videtur, nasiræum in sua pollutione ad septimum usque diem permansisse*, id miramur utique: cum ipsa Scriptura non solum tam clare ad tot dies mortuo pollutorum immunditiem extendat, sed & ipse supra confessus fuerit, nasiræos ritu pollutorum ex mortuis expiari debuisse, quos tamen ad septimum usque diem in sua pollutione permansisse, diemque primum diem purificationis non dictum fuisse, probatione ulteriori non indiget. Quicquid sit de Vulgata, à qua hic quoque recedere Pontificiis religio est, quæ citra necessitatem & veritatem hic interserit particulas quatuor, quæ sunt: ILLICO (radet) EADEM (die) ET RURSUM (septima); quas tamen ex Ebræo textu minime deduxeris. Non vero est, quod eandem omnibus omnino defensoribus destitutam credas: *Lorinus* in h. l. patrocinium quidem ejusdem suscipit, quid autem pro eadem afferat, percepturi sumus. Quod τὸ ו׳ חבור seu *Vau copulativum* sæpe omitti, hincque resarciri debere objicit, in hoc convenimus ambo; quod autem hic talis omissio admittenda, nulla apparet ratio, eaque hinc vel ex textu ipso, vel ex re ipsa, vel locis parallelis erat demonstranda. Quod autem addit, favere suæ sententiæ literam servilem Vau geminatam, verbisque duobus conjunctam, dum ita ponitur: וְטִמֵּא רֹאשׁ וְגִלַּח רֹאשׁ ubi posterius Vau per, *illico* recte expositum sit ab interprete: neque hac ratione aliquid pro sua Vulgata obtinebit: quoad prius membrum *illico* quidem effectus, nempe pollutio, causam suam v. g. mortui attactum sequebatur, nosque sane ipsum Vau τῷ טִמֵּא præpositum satis commode, ut aliud responsum scientes volentesque omittamus, per *illico* reddi posse censemus, uti quoque in aliquibus locis τὸ *Vau* idem quod *mox, illico*, significare Excell. *Noldius*, in Concord. Partic. Ebræo-Chaldaic. p. 285. annotat, quemadmodum Græcam in quibusdam exemplaribus versionem legere supra monitum est; an vero tonsura illico pollutionem sequuta fuerit, & Latinus τὸ illico ad eandem recte retulerit, de hoc in præsenti quæritur, idque à nobis negatur. Quid autem tum de eo sentiendum, quando *Abulensis* dicit, primam diem fuisse vocatam diem purgationis ob rasuram in ea factam, cum in ea inceperit purgari Nasiræus ab immunditia contracta à moriente: tum quoque de hoc, quod *Lorinus* addit, repetitionem tonsuræ hic injunctam denotare studium conscientiam purificandi tum eam examinando tum per frequentiam confessionis exonerando; id ex illis, quæ dicta sunt, optime constare putamus, & ex semel præconcepta hypothesi talia adduci dicimus. Quod autem *Cornelius à Lapide*, veritate adactus, agnoscit, nostrum sensum ab Ebræo textu innui, in eo bene locutus est, quamvis non tantum innuatur, sed clare satis exprimatur; quod autem addit, Interpretem tamen Latinum sagaciter sensum, quem impugnamus, reddidisse, in eo à vero in gratiam Vulgatæ aberrat. Dum vero *Sanctius* in Act. 18. p. 325. præter hoc, quod nasiræum pollutum mortuo repente cæsariem rasisse asserit, communemque eo ipso errorem errat, etiam addere non veretur, nasiræum *ab eo die* conceptum votum de integro incepisse implere, in eo Ebræo textui & veritati contradicit; non enim ab illo die, quo pollutus repente rasit caput, sed peractis sacrificiis demum incepit inchoare nasiræatum: alias enim dum in statu pollutionis fuisset, DEO etiam consecrandos capillos nutrivisset, quod falsum. Bene autem, ut concludamus, Dn. D. *Varenius* Decad. Bibl. p. 38. nasiræum per septendium immundum, dieque septima radendum fuisse, dicit, & *Franc. Junius* in Anal. Explic. in h. l. rasuram hanc, *legalis immunditiæ spatio desinente*, factam rectissime arbitratur. De septimo quidem die, quo tonsura hæc peragenda fuit, nonnulla ex Philologia sacra & profana hic annotari poterant, sed ut chartis parcamus, & ea, quæ necessario huc adferenda, notemus, silentio eadem præterimus, videri interim possunt de numero hoc, ut vocatur, *mystico*, & *plenitudinis & perfectionis Guil. Outramus* de Sacrif. p. 168. *Polus* in Synops. Crit. in Lev. c. 4. p. 520. *Dilherr.* Tom. II. p. 230. aliique. Nos pergimus.

§. III. Scriptura vero, dies priores, pollutione interveniente, irritos reddi expressura, hanc phrasin adhibet: הַיָּמִים הָרִאשֹׁנִים יִפְּלוּ *dies priores cadent*, h. e. inutiles erunt, ratio illorum non habebitur, nec æstimabuntur aut computabuntur, aut supputabuntur, sed reputabuntur pro nihilo, perinde ac si in ipsis nihil factum esset eorum, quæ ad nasiræatum spectabant, ita ut repeti debuerint totidem dies, quot præterierant, & connumerari cum sequentibus, qui supererant ad complendum spatium integrum temporis nasiræatui destinati. Sed audiamus, quomodo *Hieron.* hæc intelligat: ita autem ille in c. 2. Amos. Tom. VI. p. 96. exponit: *Irriti sint omnes dies consecrationis & laboris eorum.* Sic in Ezech. c. 7. Tom. V. p. 389. *omnes dies pristini non reputabuntur sanctificationis eorum.* Id quod haud adeo leve putandum, cum præter temporis jacturam sacrificia quoque, ut percepturi sumus, adjicerentur. Quia tamen voluntaria erat consecratio, nemo de immodico rigore conqueri potuit, cui se ultro submiserat; ostensum interea fuit, quam pretiosa DEO esset cultus sui puritas. LXX. reddiderunt: ἄλογοι ἔσονται ἡμέραι αἱ πρώτεραι, q. d. *non numerabuntur.* Et cum nomen ἄλογοι significet etiam irrationales, hinc *Clemens Alexandr.* l. 1. Pædagog. c. 2. id accepit in ista notione præsentem citans locum, qui ad hæc verba ibidem ita disserit: Ἔπειτα ὀλίγα προσειπὼν ἐπιφέρει· αἱ δὲ ἡμέραι αἱ πρώτεραι ἄλογοι· δι' ὧν δῆλον, ὅτι αἱ ἁμαρτίαι μηνύονται, αἱ μὴ γεγονυῖαι κατὰ λόγον. Καὶ τὸ μὲν ἀκούσιον αἰφνίδιον προσεῖπε. τὸ δὲ ἁμαρτάνειν, ἄλογον. οὐ δὴ χάριν ὁ λόγος ὁ παιδαγωγὸς τὴν ἐπιστασίαν εἴληχεν, εἰς τὴν ἀλόγου κώλυσιν ἁμαρτίας: *deinde cum pauca adjecisset, subjungit: priores autem dies irrationales. Per quæ clarum est significari peccata, quæ non facta sunt per rationem. Et involuntarium quidem appellavit repentinum, peccari autem irrationale. Quamobrem sermo Pædagogus sortitus est moderationem ad prohibendum irrationale peccatum.* Ubi *Gent. Hervetus* interpres bene notat, cum duplex sit notio nominis ἄλογοι, Clementem suo instituto servientem id accipere voluisse pro irrationalibus; quem tamen sensum in Versione elaboranda expressum fuisse, neminem facile dicturum putamus. Versioni Græcæ conformiter ferme reddidit *Raschi* per לא יעלו מן המנין, *non adscendent è numero*; *Onkelos & Jonathan* exposuerunt per יבטלון, *abolebuntur.* *Arabs* per: *jam obtruncatum est initium abstinentiæ ejus.* Auctor פסיקתא, not. Drusio in Opere Anglic. in h. l. declarat per consequens, dum ait: *incipiet numerare nasiræatum ab initio*; ubi cum de termino restaurationis aliquid notet, lubet id adducere: *Si vovit centum dies, & pollutus fuerit in medio eorum dierum, etiam duobus diebus proximis, incipiet numerare Nasiræatum suum ab initio. Sed si pollutus fuerit die centesimo, non destruit illos dies, quia dicitur: dies priores cadent.* Sed audiamus quoque, quid in Talmude hac de re doceatur? Ibid. l. c. cap. 3. f. טו. ita legimus de destructione dierum scriptum: מי שאמר הריני נזיר נטמא יום שלשים סותר את הכל ר״א אומר אינו סותר אלא שבעה׳ הריני נזיר שלשים יום נטמא יום שלשים סותר את הכל׃ הריני נזיר מאה יום נטמא יום מאה סותר את הכל ר״א אומר אינו סותר אלא שלשים וגו׳׃ *Quicunque dixerit: ecce! ego sum nasiræus: si trigesimo die polluitur, destruit omnes. Licet R. Eliefer dicat: non destruit nisi septem. Si quis dixerit: ego sum nasiræus triginta dierum: si polluetur die trigesimo, destruit omnes. Ecce! ego sum nasiræus centum dierum: si hic polluitur die centesimo, destruit omnes. Licet R. Eliefer dicat, non destruit, nisi* 30. *dies.* Plura de variis restaurationis terminis cui videre libuerit præ aliis evolvat *Maimonid.* l. c. cap. 6. Conf. quoque *Serarium* l. c. pag. 360. Cæterum per dies irritos *Abulensis* intellexit non solum, qui præteriissent usque ad diem, quo mortuus esset aliquis coram Nasiræo, sed etiam septem dies, qui computarentur ex eo die usque ad octavum, in quo sacrificia fierent pro illo, ita ut die ipso octavo inciperent dies novi computari. Si autem quæratur, num eadem ratio fuerit reliquorum nasiræo prohibitorum quoad destructionem nasiræatus, non videtur id cum *Cajetano* asserendum. Si decisionem in Talmude l. c. cap. 6. fol. מד. traditam audire velimus, tale proferetur discrimen inter ea, quæ nasiræo prohibita: ג׳ מינין אסורין בנזיר הטומאה והתגלחת והיוצא מן הגפן חומר בטומאה ובתגלחת מביוצא מן הגפן שהטומאה והתגלחת סותרין והיוצא מן הגפן אינו סותר חומר ביוצא מן הגפן מבטומאה ובתגלחת שהיוצא מן הגפן לא הותר מכללו וטומאה ותגלחת הותרו מכללן בתגלחת מצוה ובמת מצוה וחומר בטומאה מבתגלחת שהטומאה סותרת את הכל וחייבין

וחייבין עליה קרבן ותגלחת אינה כותרת אלא שלשים ואין חייבין עליה קרבן: *Tres species sunt prohibitæ Nasiræo: immundities, tonsura & egrediens è vite. Sed magis immundities & tonsura, quam egrediens è vite. Immundities enim ac tonsura destruunt* (nasiræatum): *quod vero è vite egreditur, non destruit.* (Alia ratione) *magis prohibitum egrediens è vite, quam immundities & tonsura, quoniam egrediens de vite non patitur exceptionem; sed immundities atque tonsura patiuntur exceptionem, scilicet quoad tonsuram & mortuum præcepti. Iterum aliquo modo gravior est immundities tonsura, cum illa destruat omnia, debeaturque propter eam oblatio; hæc autem non destruat nisi 30. dies, nec debeatur ob eam oblatio.* Cum de mortuo præcepti & tonsura præcepti alibi à nobis fuerit actum, hic de tonsura 30. dies destruente paucissimis ipsum quoque Talmud. l. c. audiemus: סתם נזירות שלשים יום גילח או שגילחוהו ליסטים סותר שלשים יום: *Nasiræatus absolute talis est 30. dierum. Si intra hos* (nasiræus) *totonderit seipsum, vel totonderint eum latrones* (h. e. sive sponte fecerit sive coactus) *tunc destruit 30. dies.* Confer quoque *Maimon.* c. VI. l. c. Quando autem hic in Talmude dicitur, quod *egrediens è vite nasiræatum non destruat*, quæritur hinc, an præceptum de prima specie nasiræo prohibita prorsus impune transgredi licuerit, cum hic, dies nasiræatus violatione tali destructos fuisse, negetur, nec tamen alia pœna exprimatur. Cum vero nuda recensio eorum, quæ alias hic Ebræi determinare solent, patientiam B. Lectoris læsura foret, tantum unicum locum ex *Maimonide* de transgressoris ejusmodi pœna agentem, simulque studium determinandi & hic probantem, allaturi sumus, qui in *Jad Chas.* l. c. cap. V. §. 8. habetur: נזיר שאכל כזית ענבים וכזית חרצן וכזית זג וכזירת צמוקים ושתה רביעית יין ואפילו כחט אשכול ושתה ממנו רביעית הרי זה לוקה חמש מלקיות שכל אחד מהן בלאו אחד הוא ולוקה מלקות ששי משום לא יחל דברו שהוא שוה בכל נדרים וכן אם אכל כזית זג או כזית ענבים לוקה שתים אחד משום זג או משום ענבים ואחד משום לא יחל דברו: *Nasiræus, qui comederit instar olivæ ex uvis & tantum ex cortice vitis tantumque ex vinaceis & tantum ex uvis passis, & biberit quartale vini, etiamsi expresserit botrum & biberit inde quartale, ecce! hic quinquies vapulabit, quia cuilibet præcepto negativo una flagellatio respondet. Et vapulabit sexies, quia* (ut dicitur Num. 30: 2.) *non faciet irritum verbum suum; quod mandatum se extendit simili modo ad qualibet vota. Sic: quando Nasiræus instar olivæ aut ex vinaceis aut uvis comederit, bis vapulabit, tum propter usum rei prohibitæ tum quia verbum suum non debuit irritum reddere.* Conf. סמג f. 74. c. 1. Licet autem c. l. & in Talmude aliquis reus non judicetur, antequam quartale vini biberit, severius tamen R. *Akiba* judicavit, dicens: אפילו שרה פתו ביין ויש בה כדי לצרף כזית חייב: *quamvis* (Nasiræus) *bolum suum in vino maceraverit, fueritque tantum in eo conjunctum, quanta est oliva, reus erit*, prout ejus opinio in *Jalkut* f. 209. cap. 4. & in *Talmud.* quoque l. jam cit. legitur. An autem quis sub ea conditione Nasiræatum vovere potuerit, ut à quibusdam Nasiræo injunctis semet eximere voluerit, de eo vid. *Talm.* l. c. cap. II. Ex iis autem, quæ dicta sunt, hoc apparet, quod si Nasiræus multoties pollutus fuerit, uti facile accidere potuit, fuerit repetenda multoties ista purificatio & toties irriti facti fuerint dies, ita, ut fieri potuerit, ceu observat quoque *Abulensis* in c. VI. Num. quæst. 12. ut, qui unius anni votum emiserat, annis viginti non solveret, quia vicies & sæpius pollui contingebat. Conf. *Sanct.* in Acta cap. XVIII. & *Cornel. à Lap.* in l. eund. & *Talmud.* c. III. ubi exemplum Nasiræatus XXI. annorum adducitur. Quæ omnia clarius patescent, si maxime varia pollutionum genera fuerint perspecta, quæ tot fuisse *Maimon.* in *More Nev.* l. III. p. 491. dicit, ut vix reperire licuerit aliquem, qui mundus sit vel certe paucissimos, idque deinde ibidem latius diducit, quæ tamen, uti quoque alias distinctiones immunditiei *in leviorem & graviorem*, immunditiei *ab intrinseco* sive ut R. Levi appellat מצד עצמו, *à parte sui ipsius*, & ab *intrinseco* sive *ex parte tactus* &c. jam adferre prohibemur; conf. præter laudatum *Maimon. Abulensem* ap. Lorin. c. V. Num. *Drusium* ad Levit. VII. *Bonfrerium* ad Lev. XII. & Num. V. aliosque. Cave tamen putes, omnibus ejusmodi nasiræatum fuisse interruptum; licet enim immunditiæ præter supra citatas reliquæ Nasiræum etiam polluerent, ut purificatione legali, quemadmodum & cæteri Israëlitæ indigeret; non tamen illis qua nasiræus, nec cæsaries ejusdem ita contaminabatur, ut de novo inchoandus fuerit Nasiræatus: *non enim*, inquit *Maim.* in supra laud. Præfat. in *Sed. Tahor. se radit Nasiræus nisi ob mortuum tantum*; pollutiones autem à mortuo, ob quas se radere teneatur Nasiræus, enumeratas dicit in הלכי נזירות, unde & ex aliis tales supra fuerunt adductæ; aliæ itaque tantum pollutum reddiderunt & purificationem legalem, & aliis quoque communem injunxerunt; aliæ non solum polluerunt, sed & Nasiræatum interruperunt, ceu ex supra dictis constitit.

§. IV. Quæris, cur si quis dicto modo h. e. כפתע פתאום coram Nasiræo mortuus fuerit, ille non solum pollutus fuisse, sed & *super mortuo peccasse* dicatur, ita ut pro peccato sacrificium quoque fuerit offerendum? Nos respondemus, licet cum *Coccejo* in Ep. ad Ebr. IX. §. 66. optime dicatur, *si quid* (in talibus ritibus) *nos lateat, id propterea frustra fuisse institutum, existimandum non esse*, ut adeo quamvis & hic humano ingenio institutorum divinorum ratio inquiri nequeat, divina voluntas omnino sufficiat; attamen, cum varia in præsenti quoque instituto, uti ratio humana in talibus inquirendis solicita est, afferantur, brevibus ea quoque adducturi sumus. *Liranus* in h. l. putat, hoc ideo factum, quia non habuerit debitam diligentiam subtrahendi se; subjicit tamen, quoque hanc rationem, quod debeat imputare peccatis suis talem casum impedientem ipsum. In priorem sensum *Franc. Junius* quoque in Anal. Expl. Levit. c. V. p. 354. respondet: *Quæritur, quomodo inter humana peccata communicatio impuritatis illius legalis* (per infirmitatem contractæ, de qua ibi locutus erat) *recenseatur? Responsio est, hoc genus peccati non ex objecto illius per se, quod per se impurum non fuit, sed ex modo potius expendi oportere; modus autem humanæ infirmitatis est; etenim per infirmitatem aliquam obveniebat impuritas sive aliud agentibus sive non satis attendentibus: ac propterea in eo genere censetur humana immunditiæ communicatio. Hæc impuritatis ratio. Viegas* in Apoc. c. IX. notante *Corn. à Lap.* in Num. VI. ait, nasiræum censeri pollutum, si quis coram eo moriatur, quia existimari potuerit ipse ejus esse interfector. Sed melius omnino *Abulensis* censet nasiræum tali casu pollutum fuisse, quia ipse, quippe largiter sanctissimus, ab omni contaminatione debuerit esse immunis: in mortuis autem illa lege maximam fuisse contaminationem. Sed quid Ebræi? num hic ipsorum curiositatem silere credis? minime: ut enim alia omittamus, ratio hujus peccati contracti in מנחה בלולה f. קלז ex eo accersitur, quod cum nasiræus sanctus sit, per adventum suum ad hominem peccatorem recordationis peccatorum & sic quoque mortis ejusdem causa fuerit. Ita autem ibid. habetur: מאשר חטא אל חנפש רצונו כי המת בפתע פתאום הוא כי הנזיר קדוש ה׳ בבואו אל איש חוטא יזכיר עונו ויהיה סבה שימות פתאום כמו שאמרי הצרפית מדוע באת אלי להזכיר את עוני: *Dicitur in textu:* eo quod peccavit super mortuo: *vult dicere, quod mortuus hic sit tam celeriter, quia Nasiræus, qui est sanctus Domino, in ingressu suo ad hominem peccatorem in memoriam revocat peccatum ejus & est causa mortis subitaneæ, sicut dixit Vidua Sareptana* (ad Eliam 1 Reg. 17: 18.) *cur ingressus es ad me, ut* (ceu Vulg. habet) *rememorentur peccata mea.* Sed quanto rectius & simplicius Magnif. Dn. D. *Calovius* in h. l. de pollutione loquens hoc ex conditione subjecti deducit, hocque factum esse dicit, quia immunes esse debuerint ab omni contaminatione, ut notaretur, ab omni peccato (cujus imago fuerit cadaver) etiam casuali & subreptitio, etiam alieno, remotissimos eos esse oportere. Quæ ipsa ad peccata eorundemque effectum quoque prolixe vide applicata à *Cyrillo Alexandrino* de Ador. in Sp. & Verit. l. XVI. pag. 580. Conf. quoque *Calvin.* in Cap. VI. Num. p. 183. & c. XIX. p. 203. Et quid multa? cum ipse textus causam subjiciat: כִּי טָמֵא נִזְרוֹ, nos aliam inquirere vel addere supersedemus. Uti autem cit. loco in peccatis in mortuo per adventum nasiræi in memoriam revocatis quærebatur causa; ita alii peccatum in ipso nasiræo hujus rei causam statuunt; volunt enim pollutionem Nasiræi peccatum dici, si *non in se*, quia eo nolente ac nesciente acciderit, ut in mortuum nasiræus incideret, *saltem in causa*, quia propter aliud peccatum DEUS id permiserit, quo etiam vergebat posterior *Lirani* supra adducta ratio, quam tamen verbis Abulensis ap. *Lorin.* in Num. VI. vide refutatam; hujus enim decisio merito Venerandis Dominis Theologis relinquitur.

§. V. Quia autem R. *Sal. Jarchi* in h. l. postquam hanc rationem dederat: שלא נזהר מטומאת המת, Nasiræum in mortuo peccasse dici, *quia non cavit sibi à pollutione ex mortuo*; subjicit: רבי אלעזר הקפר אומר שציער עצמו מן היין *R. Eleasar Capernaita dicit*, hoc fieri, *quia excruciet se ipsum propter vinum*; hinc ut ratio talis intelligatur, ipsum *Maimonidem* in *Pugione Fid.* Part. III. dist. III. c. 22. p. 733. citatum audiemus, qui postquam objectionem sibi formaverat sequenti modo: *objiciet fortasse aliquis: quoniam invidia, concupiscentia & gloriæ amor, aliaque ejusmodi sunt viæ malæ, hominemque è mundo expellunt* (de quo ejusque explicatione conf. *Leusd.* in פרק אבות p. 55. & 64.) *longe ab illis discedam ad aliud extremum; ita ut talis carnem non edat, neque vinum bibat nec uxorem ducat:*

cat: non habitet in domo ſplendida, neque veſte pulcra induatur, & ſacco & rudi lanæ aliiſque ejuſmodi inſtar ſacrificulorum Edom; etiam hæc via mala eſt, quam inſiſtere vetitum eſt; Tandem ex noſtro loco reſponſionem adfert, dicendo: המהלך בדרך זו נקרא חוטא שהרי הוא אומר בנזיר וכפר עליו מאשר חטא על הנפש ואמרו חכמים ומה נזיר שלא פירש אלא מן היין צריך כפרה המונע עצמו מכל דבר ודבר על אחת כמה וכמה וגו׳: *Qui hanc viam inſiſtit, vocatur peccator. Ecce enim ita ſcriptum eſt de Naſiræo: Et expiabit ſuper eum, eo quod peccavit ſuper animam. Hinc dicunt ſapientes: Naſiræus qui ſolum abſtinet à vino, expiandus eſt: quanto magis illi, qui ſibi rebus omnibus interdicunt.* Adde quoque *Talmud.* in Naſ. f. 22. c. 1. cap. IV. הלא דברים קל וחומר ומה זה שלא ציער עצמו אלא מן היין נקרא חוטא המצער עצמו מכל דבר על אחת כמה וכמה: *nonne hoc eſt argumentum à minori ad majus! ſi enim talis, qui ſibi nulla re alia niſi vino interdicit, vocatur peccator, nonne magis ille, qui ſibi res omnes reddit illicitas?* Verum ubi extat & unde probabitur, quod Naſiræus ob votum ſuum de vino factum h. l. peccare dicatur: in mortuo peccaſſe, ſicque ob contractam immunditiem pollutus fuiſſe dicitur, non quod vini uſum ſibi per votum reddiderit illicitum. Et vidit ipſe *Aben Eſra*, hæc verba non de peccato naſiræi ob votum ſuum intelligi poſſe, eleganterque probat: על הנפש הוא על נפש מת וכמו ושרט לנפש ואילו היה שחטא על נפשו לא היה השם מצוה אותו שיח זור לחטאתו: *ſuper animam, id eſt, ſuper animam mortui ſive ſuper mortuum, quo ſenſu legimus* (Levit. 19: 28.) & *ſuper anima non incidetis carnes veſtras. Alioqui, ſi abſtinendo Naſiræus peccaſſet contra animam ſuam, non juberetur iterum peccare.* Imperat autem illi DEUS iterum eandem abſtinentiam, cum jubet eum Naſiræatus ſui dies de integro repetere. Quid? quod Amos 2. ut beneficium Iſraëlitis objicit, quod Naſiræos inter eos excitarit, ipſiſque violationem præceptorum in animum revocaturus exempli loco adducit, quod Naſiræis vinum dederint: ex quibus facile apparet, quod naſiræi, abſtinentiam à vino promittendo, non peccarint. Vt jam de eo, quod ſancti verſ. 5. quippe tali voto DEO peculiariter conſecrati, vocentur, ad quam appellationem in ipſo *Talmud.* in תענית f. י״א, cap. l. c. 1. provocatur.

§. VI. Jam ſupereſt, ut de oblatione immunditiei paucis quoque agamus. Quo vero eandem, קרבן טומאה appellatam, recte intelligamus, prius expendendum eſt, quotuplicia oblationum genera fuerint, inde enim, ad quam claſſem naſiræi polluti oblatio pertineat, apparebit. R. *Maimon.* in Præfat. in Seder Kodaſch, poſtquam oblationes in quatuor ſpecies diviſerat; nimirum in קרבן צבור וקרבן יחיד וקרבן צבור שביה כקרבן יחיד וקרבן יחיד שביה כקרבן צבור h. e. *in oblationem cœtus, oblationem privati, oblationem cœtus, quæ ſimilis eſt oblationi privati & oblationem privati, quæ ſimilis eſt oblationi cœtus*, tandem ſpeciem ſecundam, (hæc enim ad præſens pertinet) oblationem ſcil. privati, dividit ita, ut prima ſit, cum tenetur privatus oblatione ob factum aliquod, quod patraverit, aut verba, quæ protulerit; ſecunda, cum incumbat ipſi oblatio ob ſtatum aliquem (corporis,) qui ipſi contigerit; tertia, cum ob aliquod, quod facultatibus ipſius contigerit, offerenda ipſi ſit; quarta, cum temporis alicujus noti periodum naſiræis dierum abſque exceptione injunctam & in purificationis ſtatu conjunctam legimus; quæ omnia cum ibidem annexis potuiſſe Cenchreis obſervari, nullus dixerit. Gravem hinc cenſuram Viri omnium conſenſu limatiſſimi ingenii, *Sam. Petiti* V. L. l. 1. c. 3. paſſus eſt *Oecumenius*, cum hic, ut laudatus autor urget, ſacrificium ideo non oblatum fuiſſe dixerit, quia pulſatus fuerit Soſthenes: hinc ita excipit eum Petitus: *quaſi ſcilicet res ſacra, id eſt, ſacrificium poſſet DEO ſecundum Moſaicos ritus offerri Corinthi, aut iſtud contigiſſet ante illatam Soſtheni injuriam*, cum Hieroſolymis tantum licuerit, ut ſubjicit, ſacrificia offerre, non alibi gentium, Pauluſque comam depoſuerit, cum jam ſe itineri Hieroſolymitano accingeret, quod diu poſt pulſatum Soſthenem acciderit. Vt autem melius de Oecumenii mente judicare queas, ipſa ejuſdem verba à Petito citata audire juvat: Τὸ δὲ κείρασθαι τὴν κεφαλὴν καὶ εὐχὴν, Ἰουδαϊκὸν ἦν, ἔδει δὲ θυσίαν γενέσθαι, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἔτι μετὰ τὸ τυπηθῆναι τὸν Σωσθένην, *radere caput ex voto, Judaicum erat, oportebat autem, ut ſacrificium peractum eſſet, quod nondum adhuc factum erat verberato Soſthene*; quibus verbis, ſi ita ſola conſiderentur, cauſa omiſſæ oblationis unica videri quidem poſſet conſtitui Soſthenis verberatio, ſed ſi ea, quæ apud Petitum omiſſa & citatis immediate adjuncta leguntur apud D. *Majorem* in Act. h. l. conferamus, ut omnino par eſt, cauſa omiſſi ſacrificii per particulam cauſalem γὰρ haud obſcure innui, & μετὰ uſitatam ſuam ſignificationem, ut in μετὰ τὸ δειπνῆσαι, &c. retinere videtur, dum hanc antea dictorum rationem exprimit: ἤδη γὰρ ὁ νόμος κατελύετο, ἐπειδὰν τῷ συνειδότι κατείχοντο, *Jam etenim lex ſoluta fuerat, ſiquidem conſcientia arcebantur.* Vbi ſane non tam in verberatione Soſthenis quam in legis ſolutione cauſam omiſſæ oblationis poni apparet. Nec hoc ſilentio involvimus, quod hæc ipſius *Chryſoſtomi* verba eſſe deprehenderimus, paucis quidem mutatis & ordine eodem non obſervato; ita enim laudatus Pater *Homil.* XL. in Acta loquitur: Ὅρα πῶς ὁ νόμος καταλέλυται· ὅρα πῶς τῷ συνειδότι κατείχοντο. Τοῦτο Ἰουδαϊκὸν ἦν τὸ κείρασθαι τὰς κεφαλὰς κατ᾽ εὐχήν· πλὴν ἔδει καὶ θυσίαν γενέσθαι, ἥτις οὐκ ἐγένετο μετὰ τὸ τυπηθῆναι τὸν Σωσθένην. Ἔδει δὲ ἀπελθεῖν αὐτὸν, διὸ καὶ ἐπείγεται, καὶ παρακαλούμενος μεῖναι παρ᾽ αὐτοῖς ἐν Ἐφέσῳ, οὐκ ἀνέχεται. *Vide, quomodo lex ſoluta eſt, vide, quomodo conſcientia detinebantur. Judaicum erat capita radi ex voto. Veruntamen oportebat etiam ſacrificium fieri, quod non eſt factum poſt verberatum Soſthenem. Oportebat ire illum, ideo & feſtinat, & cum orarent, ut apud ipſos maneret in Epheſo, non annuit.* Conferantur quoque, quæ ſupra ex eodem allata fuerunt. Num vero quoque Chryſoſtomo, hic pro re nata & inſtituto (Homilias enim hic ſcribit) loquenti, tanta ignorantia *tum loci* ſacrificiis deſtinati, inprimis, dum aliam cauſam, legis ſcilicet ſolutionem, apponit, *tum ordinis* à D. Luca obſervati, à quo verberatio Corinthi, tonſura Cenchreis demum facta dicitur, probabili ratione attribui queat, videant & judicent rerum periti æquique cenſores.

§. 2. Quod autem *Fromondus* pro tonſura munditiei militans dicit, Paulum ſacrificia ſolemnia à lege l. c. præſcripta non obtuliſſe, ex ea ratione, quia in Templo Hieroſolymitano, non alibi, afferri potuerint; ad hoc reſpondemus: de loco ſacrificiis adſignato convenimus, de hoc vero eſt quæſtio, num tonſura per ſe ex lege potuerit Cenchreis fieri, quod probandum erat; ipſe autem ſibi ipſi optime reſpondere poterit: miramur enim, quod, dum infra hoc ipſum contra tonſuram immunditiei adeo urgeat, ut, cum ob pollutionem expiandam ſacrificia Jeroſolymis offerri debuerint, hinc tonſura pollutionis non potuerit fieri Cenchreis, jam eandem rationem pro tonſura munditiei adſtruenda afferat: annon potius dicendum, tonſuram per ſe injunctam multo minus ibi fieri potuiſſe, quippe non ſolum per ſe & omnibus injuncta, ſed & cum multis ad templum tantum reſtrictis connexa, quibus tamen alium locum à lege deſignatum non novimus: ut adeo תגלחת טהרה, quam hic ſtatuunt, potius differendam, uſque dum ad locum deſtinatum pervenerint, quam alibi contra legem comam deponendam fuiſſe cenſeamus, dum voti impletionem ſacrificiorum. Oblatio & tonſura non adeo impari paſſu quoad hoc ex inſtituto divino ſubſecutæ ſint, ut, facultate illa offerendi prorſus denegata, tonſuram quoque differendam fuiſſe ſtatuamus; naſiræus enim eo ipſo die, quo caput radebat, ſacris operabatur & ſacrificia Deo offerebat, quæ ubi fieri ex lege debuerint, non noſtra demum indiget declaratione. Quod non ignoravit ipſe *Abulenſis* in 4 Reg. cap. 25. lutum interſit: ad quod demonſtrandum hæc adducenda fuerunt. Si autem quæras diſcriminis cauſam, reſpondemus, naſiræos funeſtatos idcirco piaculi reos fuiſſe, quia cuique, qui naſiræatus votum in ſe ſuſceperat, ab humano cadavere vi voti cavendum erat, quoad voto ſuo perfunctus eſſet. Quo major igitur ipſorum ſanctitas, quo majori & arctiori vinculo ad puritatem illi adſtricti fuerunt, eo & facilius & gravius illa violari & contaminari poterat, eo difficiliori quoque modo puritati voto promiſſæ, ſed interruptæ, reſtitui debebant; per ſacrificia igitur pollutio contra votum contracta tollenda & auferenda. Si quam aliam diverſitatis rationem circa hæc naſiræorum pollutorum ſacrificia cognoſcere deſideras, conferre poteris *Talmud.* Tractat. de Sacrif. cap. V. & X.

§. VIII. Quæ autem hic porro *Oleaſter*, *Abulenſis*, *Lorinus* aliique prolixe in utramque partem diſputant, quando hic duobus turturibus ſeu pullis columbarum conjungendus erat agnus, an talis oblatio unius, an duorum ſacrificiorum rationem habuerit, num pro uno hoc peccato, an pro aliis ſimul quoque fuerit offerenda; hæc ipſa, chartæ & temporis rationem habentes, præterimus; lectorem autem talium rerum cupidum inprimis ad *Lorin.* in h. l. ablegantes ſimpliciſſime ſecundum textus noſtri cum *Franc. Junio* in h. l. talem ordinem obſervamus: *Redintegrari Naſiræatus obligationem his conditionibus Deus pronunciat. Prima, ut reus voti die illo octavo purificationis ſuæ nomine duos turtures aut duos pullos columbarum adferat verſ. 10. prout in purificatione puerperæ fuiſſe cautum legimus, Levit. 12. Deinde vero, ut horum alter pro peccato, alter pro holocauſto offeratur omnino, & caput illius ſanctificetur de integro ad Naſiræatus obſervationem verſ. 11. Poſtremo vero reatus nomine agnum anniculum offerat,*

ut aptus haberetur ad voti sui redintegrati observationem, eo quod tota observatio antecedens irrita impuritate superveniente effecta esset, vs. 12. Quod autem unum sacrificium על עון מיתת האיש, alterum על נזירותו offerendum fuerit, de eo nihil novit Scriptura; sicuti & *Cajetani* sententiam censemus singularem, putantis, haberi hic, quod in principio capituli hujus non fuerit expressum, videlicet, quod in die, quo inceperit Nasiræatus alicujus, obtulerit ille agnum pro delicto; hocque ipsum, quod hic iterum jubeatur fieri, fuisse factum ab initio, verbis quoque juxta translationem ex Ebræo insinuari, (*Et faciet separare Jehovah dies separationis ejus, & adducet agnum filium agni sui asam.*) Verum Nasiræo agnum ab initio Nasiræatus fuisse offerendum, neque Scripturæ textus docet, neque Ebræorum magistri norunt; nec, qua ratione verba citata repetitionem facti in initio ejusdem sacrificii denotent magis, quam illa, quibus sacrificium turturum aut pullorum columbæ præcipitur, nos videre possumus; quod tamen ab initio quoque oblatum esse, Cajetanus non affirmare audet. Animus quidem quoque erat de פתח אהל מועד, ad quod oblatio Nasiræi polluti afferenda, ex Philologia S. nonnulla annotandi; sed cum præter spem materia creverit, nosque hinc metuamus, ne patientia B. Lectoris, si longius excurramus, omnino lædatur; hinc talia, quæ ad ritus Nasiræo polluto observandos allata fuerunt, sufficiant: si quid vero supersit, id ex applicatione loci nostri ex Actis monebitur, ad quam nos convertimus, brevissimis eandem cap. sequente eoque ultimo expedituri. Esto igitur

CAPUT IV.

§. I. HIsce ita ad illustrandum præsentem locum adductis, jam dispiciemus, quid ex talibus institutis divinis de Nasiræatu Pauli sit habendum. Dum vero tonsura, ut supra monitum, ab aliis ex absoluto, ab aliis ex interrupto Nasiræatu accersitur, de utraque sententia, quantum quidem præsens vitæ status & modestiæ limites concesserint, seorsim acturi sumus. Quomodo prior tonsura s. תגלחת טהרה, *tonsura munditiei s. per se talis*, quam supra §. 8. c. I. citati aliique statuunt, hic locum habere queat, non videmus. Nam talis tonsura secundum expressam legem divinam ad ostium tabernaculi fœderis, & postea, statu rerum mutato, ad ipsum Templum fieri debebat; eandem enim & פתח אהל מועד, & subsecutæ domus sanctuarii rationem quoad hæc fuisse, ex supra dictis constat: capillique sacri super ignem sacrificio pacificorum suppositum erant ponendi, id quod versu 18. Num. 6. post denominatas divinitusque demandatas oblationes easque tonsuræ præmittendas, Nasiriodus illam ab ipso offerri requirat; & quinta tandem, cum se sponte ad illam offerendam obligat. Jam, ad quam classem Nasiræi polluti oblatio pertineat, haud obscurum esse poterit; secundam enim speciem laudatus *Majm.* per talia exempla exponit, v. g. si quis gonorrhoea laboraverit, si lepra correptus aut si mortui contactu pollutus fuerit Nasiræatum professus, ubi perinde sit, sive per errorem sive sponte immunditiem contraxerit. Demum, oblatione tam Gonorrhoeici, quam puerperæ adducta, oblationem Nasiræi polluti quoque affert: *Nasiræi, ubi pollutus fuerit, oblatio est par turturum aut duo pulli columbarum, ubi alter in holocaustum, alter in sacrificium pro delicto offertur.* Quem quoque conf. in *Jad. Chas.* l. c. cap. VI. f. מב.

§. VII. Concurrunt igitur hic oblata in sacrificium tum עולה tum אשם tum חטאה pro Nasiræi nostri purificatione, quæ ipsa ad classem *piaculorum*, ut vocant, *definitorum* eruditi referunt. Cum vero ad piaculum definitum variis pro varietate conditionis & status diversa sacrificiorum genera afferenda ex mandato divino fuerint, dum Pontifex vitulum, princeps hœdum, homo quisque gregarius capellam aut agnam afferre jussus est; Nasiræis tamen funestatis, uti & his, quibus ad purgandam immunditiam sanguinis seminisve fluxu ortam immolandum erat, cujuscunque ordinis aut sexus essent, turtur quoque aut columbæ pullus piaculi nomine imperatus fuit; cui etiam altera ejusmodi avis fuit jungenda, holocaustique ritu conficienda; holocaustum enim ex omnibus quinque specie-bus animalium fieri poterat, quod cum vel majorum animalium vel de grege minori vel volatilium fuerit, idque vel ordinarium vel extraordinarium: illud autem vel juge, quod singulis diebus mane & vesperi erat offerendum, vel statum, quod iterum vel sabbatinum vel menstruum vel anniversarium fuit, ad extraordinarium, quod pro re nata, h. e. pro incidente vel publica vel privata cujusque necessitate & conditione, peragebatur, hoc ex turture sive pullo columbæ constans Nasiræi polluti holocaustum referimus; ritum vero immolationis omnino dissimilem vid. descriptum à R. *D. Kimchi* ap. *Fagium* in Paraphr. Chald. Lev. l. 8. *Othon.* in Lexic. Rabb. p. 570. *Riveto* in Ps. 40. *Dilherr.* Tom. II. p. 254. *Lorin.* in Levit. p. 210. aliisque. Cur autem species ex avibus jam dictæ oblatæ fuerint, causa hæc datur, ut hac ratione, cum adeo frequentes fuerint pollutiones, illorum paupertati, in quorum facultate non esset majores species afferre, consuleretur, & ut tam divitum quam pauperum ad Deum fides & devotio exerceretur, neque esset excusatio. Conf. *Clarium* in Bibl. Angl. ad Lev. 1: 17. & *Maim.* in M. N. l. III. P. III. c. 46. Huic *definito piaculo* opponitur alterum, quod *majus minusque* dici solet, cujus ordinis sacrificia, cum pro facultatibus offerentis majora minorave fuerint, ita dicta, iisdemque etiam certa quædam peccatorum & immunditiarum genera purganda fuerunt. Ad quod genus sex sacrificia referri legimus, quorum quæ duo ad lustrandam corporis impuritatem instituta fuerunt, ita lege quidem constricta novimus, ut, cui nec agnæ nec capellæ facultas esset, unum turturem columbæve pullum piaculi, alterum autem holocausti nomine sacrificare deberet, quale sacrificium tum leprosis post lepram exutum tum puerperis post puerperium adsignatum fuit, de illo vid. Lev. 14. de hoc Lev. 12. In quatuor reliquis paulo laxius provisum fuit, quippe quæ sic comparata fuerunt, ut, qui piaculi reus esset, si paupertate premeretur, similaceo ferto litare posset; jam, ut quintum & ultimum hac vice seponamus, de tertio & quarto tantum illud notamus, quod, uti illud omnibus imperatum, qui, dum immunditia polluebantur rei immundæ contactu orta, sacris inscii vescerentur; ita hoc iis observandum fuerit, qui in sanctuarium immunditiæ, qua polluti erant, vel nescii omnino vel obliti penetrarant. Ubi notandum, hos, qui labe aliqua polluti fuerint aliunde sibi affricata, nisi vel sacris vescerentur, vel in sanctuarium penetrarent, piaculi minime reos fuisse; qui tamen ad lustrationem suam carnem ac vestes lavare, ac quoties funere polluebantur, curare jussi fuerunt, ut aquis piacularibus corpora sua conspergerentur, Numer. 19: 19, 20. Quos ritus l. c. executi sine sacrificio piaculari rite lustrati censebantur; nulla enim immunditia, nisi vel lepra, vel puerperio, vel sanguinis seminisque fluxu orta, sine voto autem facto accedente, ipsa per se tanta fuit, ut victima expurgari deberet. Ex his igitur cognoscas, quantum discrimen inter Nasiræum & alium quendam pollutum c. 25. qu. 31. ap. *Sanct.* in Act. dum dicit, neque tempore captivitatis Babylonicæ, neque etiam nunc tale votum fieri, cum templum non sit, in quo solum per legem fas sit comam deponere; cui assentitur *Sanctius* l. c. asserens: *impleto voto alibi tonderi non licebat, nisi in templo*; quæ ipsa an exceptionem quandam apud Ebræorum Magistros admiserint, ex post dicendis patebit. Quæ *Abulensis* l. jam c. de hodiernorum Judæorum Nasiræatu adferebat, pluribus videri ea possunt apud *Maimonid.* in Hilk. de Nasir. fol. 36. c. 2. & R. *Mosen* de Kotzi in ס"מג fol. 74. cap. 2. *Episcopium* in Institut. Theol. l. 3. c. 3. p. 80. *Munsterum* ad c. 6. Num. & *Sanctium* l. 1. Macc. c. 3. Illis autem, quæ cit. Abulensis de Nasiræatu tempore captivitatis Babylonicæ omisso notabat, addimus exemplum ex statu Ecclesiæ Judaicæ tempore Maccabæorum miserrimo petitum, id quod consuetudinem tum temporis ratione loci quoque circa tonsuram munditiei observatam aliqua ratione nobis exponere poterit. In illa enim oratione pathetica & publica Judæorum lib. 1. Maccab. cap. 3. descripta, prætterquam quod jejunant, ciliciis se operiunt, cineribus se adspergunt, vestimenta lacerant, libros legis expandunt, ornamenta Sacerdotalia explicant, primitias & decimas proponunt, Nasiræos quoque, qui voti tempus expleverant, in medio statuunt, eosque, comam loco ex lege assignato non posse deponere, anxie queruntur: de quibus, cur suscitati, i. e. advocati & in medio collocati fuerint, si quæsiveris, responsum satis aptum subministrat *Erardus Fullonius* in Comm. in l. 1. Maccab. in h. l. p. 141. *Statuuntur*, inquiens, *nunc Nazaræi in medio, & DEO dicitur: quid faciemus istis, & quo eos ducemus? quasi dicant, quid libris legis, primitiis, ornamentis sacerdotalibus faciemus deinceps? quid vero istis DEO devotis hominibus? ubi consistere tuti poterunt? ubi votum suum exsolvere? quo eos ducemus ad votum ex mandato tuo finiendum? ducendi enim essent à Sacerdote ad ostium tabernaculi: sed Sacerdotes lugent, & sancta contaminata sunt, pollutumque à gentilibus templum.* Conferatur quoque *Sanctius* in h. l. qui eos molestum Nasiræatus onus ante legitimam voti solutionem recusare non potuisse docet, quia inimicorum potestas templum occuparat, obstruxeratque, ut nemo sine vitæ periculo intrare, multo minus immolare victimas, quas voti religio postulavit, potuerit. Vide igitur, quam stricte & sancte hæc lex de coma in templo depo-

deponenda in complemento voti Nasiræatus fuerit observata, ut in tam tristi rerum statu ob denegatum ad templum accessum potius Nasiræatus onus ferendum, quam comam deponendam esse judicaverint. Assentimur igitur Cajetano ad h. l. dicenti: *Illa tonsura, quæ erat præcepta per se, erat in termino voti, & hac nullo modo videtur habere in proposito locum, quia illa, ut patet ex Num. 6. debebat fieri ad ostium tabernaculi fœderis h. e. ad ostium templi, & capilli super ignem, qui suppositus erat sacrificio, comburendi erant.*

§. III. Nec est, quod nonnulli rationem, ob quam coma ex Nasiræatu deposita fuerit, neglecta tamen sacrificiorum oblatione, ex eo accersant, quod Paulus post Apostolatum manserit Nasiræus solum quantum ad ea, in quibus cum fide Euangelica & perfectione Apostolica mores Nasiræorum convenerint, qui adeo eundem ritum Nasiræorum & ceremonias illas tanquam *ex proprio instituto* adhuc observasse autumant, conf. *Thom. Masutium* l. 1. cap. 7. vitæ Paulinæ ap. Hurtad. p. 367. sect. IX. Optime quidem scimus, quod vinculo obligationis per Christum fuerint exemti & liberati, ita ut Mosaicas ejusmodi ceremonias tum temporis libere omittere potuerint; scimus tamen & hoc, quod *primis temporibus Apostoli indifferentes Judæorum ceremonias imitati magis fuerint, quam ut ab iisdem abhorruerint*, uti loquitur Magnif. Dn. D. *Tribbechovius* Exerc. 1. Anti-Baron. p. 8. & nos Venerandi nostri Theologi secundum Scripturæ Sacræ ductum informant: Jam uti in utroque hoc convenimus; ita de illo inprimis est quæstio: an si ritus certos ob finem aliquem certum ex voto susceperint exercendos & observandos, *pro lubitu & ex proprio instituto* contra legem expressam egerint, adeo, ut in præsenti ritu à Paulo Nasiræatus, ut volunt, votum habente ceremoniæ à DEO injunctæ & hactenus usitatæ & observatæ ex hoc fundamento omissæ fuerint? Ipse *Fromondus* l. c. scribit, & cum eo non pauci idem asserunt, Paulum votum Nasiræorum suscepisse, ut Judæos sibi ubique infensos placaret, seque legem Mosis non contemnere tanquam malam, sicuti ritus gentilium idololatrarum damnabat, sed ut sanctam & hominibus à DEO datam se colere ostenderet: Scribit *Nic. de Lyra* in h. l. *Hoc fecit, qui erat natione Judæus ad evitandum Judæorum scandalum.* Sic *Sanctius* in h. l. qui, licet de tonsura immunditiei loquatur, tamen ratione finis sive intentionis huc commode refertur, tonderi debuisse Paulum scribit, ne aliis, cum ex prolixa coma vitæque instituto se Nasiræum profiteretur, scandalo esset, quem à mortuo pollutum neque tamen ideo tonsum esse vidissent. Jam num stante superiori adserto finis talis obtineri potuisset, numque opinio Judæorum per rituum talium observationem tollenda hac ratione sublata, non autem magis novo clarissimoque exemplo confirmata, & ira eorum indies aucta fuisset, si ita ex proprio instituto omnia egisset, aliis expendendum relinquimus. Liberum omnino fuit Nasiræatum vovere, (ut similia exempla, v. g. circumcisionis administrationem, sacrificiorum certorum certo loco præscriptam oblationem &c. taceamus) sed an semel eundem voto susceptum ex proprio instituto potius quam juxta leges absolverint, & illud, ad quod tamen votum hoc nuncupando se obstrinxerunt, (alias enim non votum Nasiræatus, sed alterius generis, nescio cujus, fuisset) omiserint, quæritur. Statum hunc & illum eligere in nostra sæpe est potestate, sed semel illo vel altero electo & suscepto administrandi modus non in suscipientis libertate sed superioris voluntate fundatur.

§. IV. Jam ordo exigit, ut illorum quoque sententiam videamus, qui Cenchreis ob votum interruptum תגלחת טומאה *sive tonsuram immunditiei* susceptam, & postea sacrificia eidem ex lege annexa Hierosolymis oblata autumant; quos tamen in tempore oblationis exprimendo discrepare mox patescet. Ante omnia autem hic expendendum venit, quid salva lege divina potuerit fieri. Hæc igitur supra citata non quidem tonsuram pollutionis, ut tonsuram munditiei, ad urbem Hierosolymorum vel ad Templum adstringit; locum enim tonsuræ hujus non determinat, ut non videamus, cur *Petitus* aliique cum eo ita absolute & expresse asserant, extra Hierosolymorum urbem per Legem tonsuram hanc non licitam fuisse; attamen cum octavo die indivulso nexu sacrificia ad Sacerdotem afferenda & per illum Hierosolymis offerenda cum tonsura tali conjungat, hinc ad minimum tantam loci distantiam innuit, quantam dies sacrificiorum oblationi Hierosolymis fieri debitæ adsignatus admittit. Et cum Legislator supremus noluerit, Nasiræum pollutum statim caput suum tondere, sed dies septem voluerit intercedere, hinc apparet, eos quoque, qui remotissime ab urbe sacra habitabant, intra illud temporis spatium è Cananitidis terræ finibus in eam urbem venire & id, quod debebat, rite peragere potuisse. Et sane si Nasiræorum, quippe ad cultum DEI peculiariter voto magno separatorum, statum peculiarem, in quo constituti, expendamus, ut par est, quippe qui, ut liberius vacarent legi discendæ & expendendæ benignitati DEI, arctiori obligationis vinculo Domino se totos dederunt, & à talibus, minimis etiam, quæ devotionem impedire poterant, abstinuerunt, ut *Fagius* in Paraph. Chald. & *Vatabl.* in Num. 6. & *Hotting.* in Th. Phil. p. 23. loquuntur, ut adeo Nasiræos *tanquam Ecclesiæ ornamenta & lumina, in quibus DEUS speciale gloriæ suæ decus fulgere voluerit, antesignanos ad viam aliis monstrandam, pretiosas in populo DEI gemmas, signiferos & duces, qui studium colendi DEI in vulgo accenderent, fuisse*, non male dixeris; non omnino utique negandum videtur, eos ita se gessisse, prout votum susceptum requirebat, ut non solum à rebus expresse lege divina sibi prohibitis & omnibus occasionibus ad contrarium quidpiam ducentibus diligentissime sibi caverint, sed &, cum votum hoc nuncupando omnibus ei annexis & quæ ex eo oriri poterant, se subjecerint, summam operam dederint, ne sibi ipsis viam & facultatem debito loco & tempore singula in quovis statu perficiendi voluntario præcluderent, sicque periculis semet exponentes, indirecta licet intentione, contra DEI instituta agerent. Sciverunt, facilime, imo sæpissime pollutionem posse contrahi, hinc ita se gerere vi voti debuerunt, quo se oblationum debito tempore & loco exhibendarum rationem habuisse testari possent; votum enim nuncupantes annexis ejusdem quoque semet subjecisse negari haud poterit.

§. V. Hic autem non citra causam quæras, quid Ebræorum monumenta de loco tonsuræ hujus sentiant, numque usus apud eosdem obtinuerit, ut nasiræus pollutus necessario intra urbem fuerit tondendus? Paucissimis rem expediemus; docere enim nosmet hac de re possunt ea, quæ habet *Maimon.* in Hilk. Nas. c. 6. מב. §. 14. ubi ita rem decidit: כשמגלה הנזיר תגלחת טומאה אינו צריך לגלח על פתח המקרש ולא להשליך שערו על האש ובין שגלח במדינה או במקדש שערו אסור בהנאה וטעון קבורה ואפרו אסור כאפר כל הנקברים: *quando Nasiræus tondet se tonsura immunditiei, non necesse est tondere se ad ostium sanctuarii, & capillos mittere sub ignem: sive autem talis se totonderit in provincia sive in sanctuario, capillus nihil prodest, & ipse sepelire eum debet, cujus pulvis instar reliquorum sepultorum prohibetur.* De posteriori asserto tum ipse Codex sacer, qui capillos tantum in tonsura per se igni subjiciendos tradit, tum codex Talmudicus satis testatur, qui in *Hilk. Nas.* c. 6. f. מה ita habet: בתגלחי הטומאי לא היה משלח תחת הדוד *In tonsura immunditiei capillus non subjicitur igni:* Ubi licet R. *Meijer* asserat; הכל משלחין תחת הדוד חוץ מן הטמא שבמדינה בלבד: *quod omnes capillum suum ollæ subjicere debeant excepto solum polluto in provincia:* sive ut in Gemara dicitur: חוץ מטמא שגילח במדינה: *excepto polluto, qui tondetur in provincia*; tandem tamen hunc in modum sapientum, ut vocant, judicio res deciditur: חכמים אומרים חכל לא היו משלחין תחת הדוד חוץ מן טהור שבמקדש מפני שנעשה כמצותו: *Sapientes dicunt: nullus capillum suum ollæ subjiciet, nisi mundus & qui in sancto loco* (deposuit capillum) *quia factum est secundum præceptum ejus* (DEI.) Conf. de hoc ipso quoque Jalkut f. ריב cap. 2. ubi quoque de sepeliendis capillis ita statuitur: המגלח במדינה בטומאה קברו במקומו, *qui tondetur in provincia in immunditia, sepelire debet capillos in loco suo*; sed de posteriori Maimonidis asserto satis dictum: prius majoris momenti est, ex quo & reliquis adductis locis apparet, non Hierosolymis tantum, sed quoque במדינה sive *in provincia* Nasiræos pollutos comam deposuisse. Ubi tamen notes, per מדינה in his geminisque locis non quamlibet provinciam, sed quæ ad terram Israëlis pertinuit, intelligi; quando enim apud Rabbinos מקדש & מדינה, ut hic fit, sibi opponuntur, tunc per מקדש intelligitur *sanctuarium Jerosolymitanum cum tota urbe* sive ירושלים כולה, sed per מדינה, intelliguntur שאר העיירות שבכל ארע ישראל: *reliquæ urbes, quæ sunt in tota terra Israëlis*, uti quoque hoc ipsum *Buxtorfius* ἑβραιώτατ@ in Lex. Talm. p. 515. annotavit, ubi quoque hanc in rem locum ex Maimon. affert, quem ita ibidem redditum proponit: *Die feriato novi anni, qui incidit in Sabbatum, in Sanctuario clangebant buccina, sed non in provincia, id est*, ut exponitur, *extra urbem Hierosolymorum.* Sic quoque de Nasiræi tonsura per se idem loquitur c. 8. in J. C. f. מר. c. 2. §. 3. כין שגלח במדינה ובין שגלח במקדש תחת הדוד הוא משליך שערו: *sive quis tonsus fuerit in sanctuario sive in provincia, capillum suum submittit ollæ*; jam cum idem dies tonsuræ munditiei & sacrificiis fuerit destinatus, ita, ut Nasiræus eo ipso die, quo

caput

caput suum radebat, sacris operari & sacrificia DEO offerre debuerit, quæ non poterant peragi, nec sacrificia offerri, nisi Hierosolymis, patet hinc, tali sensu vocem מרינה hic usurpari, quo locus in provincia non longe ab urbe dissitus indicetur. Cur vero hæc vox non in simili significatu usurpata esse dici debeat, quando de tonsura per accidens sermo est, non videmus: eadem est oppositio τοῦ מקדש & מרינה, connexio quoque inter diem tonsuræ & diem oblationis hic militat: nasiræus enim pollutus tondebatur ex lege septimo die à pollutione; sacrificia autem offerebantur octavo; si a. octavo tonsura facta esset, eodem die oblatio debebat fieri, ut ex citatis Maim. verbis connexio talis clarissima est. Jam igitur extra urbem tonsuram talem fieri potuisse constat; tamen ita, ut eandem septimo die ex lege factam præscripto die oblatio sequeretur, ut hinc, stantibus hisce, manifestum fiat, num à provincia in terra Israëlis ad alias longinquas regiones & provincias, cum tamen secundum *Maimon.* l. c. 2. f. 12.: אין נזירות נוהגת אלא בארץ ישראל, argumentari liceat. An igitur Cenchreis tonsuram per accidens vi talium adsertionum factam fuisse, dici queat, expendas ipse: nobis enim cornicum oculos configere minime placet. Hoc tantum addimus, cum secundum legem non nisi unicus dies inter tonsuram & sacrificiorum oblationem interjectus fuerit; à portu autem Cenchreensi Ephesum 76. milliaria, hancque urbem à Cæsarea Stratonis 170. milliaria, & hanc ab Hierosolymis 8. milliaria abfuisse notet *Bunting.* in Itiner. p. 204. & *Magnif. Dn. D. Calovius* in Præloq. in Acta; tamen, supputatione hac stante, 254. milliaria inter locum, ubi tonsura peracta, & inter locum, ubi sacrificia peragenda, interjecta fuisse. De *Cenchreis* quidem addere nonnulla animus erat; sed chartæ rationem habentes Lectorem ad *Strabon.* in Geogr. l. VIII. p. 424. & 434. & *Stephan. Byzant.* de urbib. & notas ibidem annexas ablegamus.

§. VI. Porro de tempore oblationis à Paulo factæ minime convenire autores supra dictum fuit: alii quidem prorsus de oblatione non sunt soliciti; sed contenti, si modo tonsuram ex voto nasiræatus asseruerint, quicquid sit de annexis ejusdem; alii tamen oblationem ex hoc voto debitam ad vers. 22. hujus capit. alii demum ad Act. 21: 24. seqq. referunt. Quod prioris sententiæ patronos attinet, cum multi, quando vers. 22. dicitur: *adscendit & salutavit Ecclesiam*, per Ecclesiam hanc intelligant Hierosolymitanam, hinc ipsi, quando h. l. eandem salutasse dicitur Paulus, ibidem eum Nasiræorum oblationes simul expedivisse credunt. Ita, ut alios taceamus, *Carriere* in h. l. *Complet votum suum Paulus Hierosolymis; nam versu 22. adscendit & salutavit Ecclesiam, quod exponitur de Hierosolymitana cæterarum omnium matrice, votum enim erat explendum in Templo.* Sed quis nescit, hanc de Ecclesia Hierosolymitana expositionem ab eruditissimis Viris haud admitti, qui, dum Paulus descendisse Cæsaream, & adscendisse & salutasse Ecclesiam dicitur, Cæsaream, non Cappadociæ, ut nonnulli volunt, sed Palæstinæ vel Stratonis intelligunt, sensumque postulare volunt, *Paulum Cæsaream ingressum, ad Ecclesiam illius loci adscendisse, eamque salutasse*, eosque adeo, qui in editiori loco urbis conventum Ecclesiæ fuisse habitum dicunt, ad quem Paulus adsendere necesse habuerit, non inepte sentire dicit *Magnif. Dn. D. Calovius* in h. l. & licet hoc quoque aliquis negarit, tamen non esse, ibidem Vir nunquam satis laudandus an notat, quod *adscendendi* vox quenquam offendat, cum ea non semper ex depressiori loco in altiorem conscendere, sed sæpe simpliciter loco se movere significet: conf. *Lud. de Dieu*, *Camerar.* & *Polus* in h. l. Quicquid vero de hac lite sit, quam non facimus nostram, optaremus, in textu oblationem, quam volunt, indicari, & ex eo probari; licet enim ponamus, hic innui, Paulum Hierosolymam pervenisse, tamen unde probabitur, quod probandum erat; ex textu certe, qui omnino hac de re tacet, id nunquam demonstrabitur. Si Hierosolymis tales ritus, qui sane non in angulo quodam, sed in Templo erant peragendi, observasset Paulus Hierosolymis, quod hi volunt, si sacrificia, per sacerdotes omnino offerenda, ut Nasiræus attulisset, moreque eorum se gessisset, certe objectioni illi, de qua legimus Act. 21: 21. seqq. non fuisset adeo locus, ut ad eam tollendam demum ibi cum quatuor Viris ritus ibidem descriptos exercuisset; provocare ad hos ritus publice peractos, tanquam ad certissimum rei testimonium, potuissent non solum Seniores, sed & ipse Paulus, quippe, quorum observatione probata & demonstrata, facile talis remota fuisset concepta opinio; quod tamen minime factum est. De eorum sententia, qui Actor. 21. demum votum hoc Nasiræatus Paulum absolvisse & sacrificia ex ea ratione tunc obtulisse putant, ita *Fromond.* in Act. 18. p. 282. *Non videtur verum, ut putant C. à Lapide & Tirinus, quod Act. 21: vers. 24. & cæteris, Paulus solverit votum Nazaræatus, quo erat obligatus, sed per S. Jacobum tum fuit inductus, ut se cum aliis purificaret, eorum purificationi cooperando; nec significatur habuisse votum, cujus tempus tunc expirasset.* De qua re pluribus & ex instituto Dissertatione peculiari, si DEO visum fuerit, acturi sumus.

§. VII. Alii igitur, ut tandem concludamus, difficultates circa Nasiræatum deprehendentes, ex alio fonte potius tonsuram accersunt, votumque vel pro voto civili agnoscunt cum *Salmasio*, qui ad morem peregrinantium Judæorum provocat, qui vota concipere soliti fuerint, v. g. *non ante capillum tondebo, quam ad illum pervenero locum*, cujus generis vota, apud populum Ebræum tum quoque maximo in usu fuisse, testantur plurima; vel illud non de tonsura, sed de adeundis Hierosolymis factum esse cum *Petito* volunt, qui l. c. p. 17. verba, εἶχε γὰρ εὐχὴν, existimat *esse αἰτιολογίαν, non ejus, quod immediate præcedit, κειράμενος τὴν κεφαλὴν, sed hujus potius,* ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν. *Navigavit*, uti porro subjicit, *in Syriam, ut festum Hierosolymis ageret, atque istud est, quod voverat D. Paulus, itaque paulo post Ephesiis dicebat, oportere omnino, ut diem festum, qui instabat, ageret Hierosolymis.* Sed quæris, cur tonsura facta? eam accersunt ex genio & more Pauli, qui, ut ipse fatetur, ἐγένετο τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, τοῖς ὑπὸ νόμον, ὡς ὑπὸ νόμον, τοῖς ἀνόμοις, ὡς ἄνομος, ut eos, qui sub lege & sine lege erant, lucrifaceret Christoque adduceret, 1 Cor. 9: 21. 21. quem morem hic prolixe accommodat ad præsens institutum laudatus Petitus l. c. & cum breviter, nervose tamen, *Magnif. Dn. D. Geierus*, Lib. de L. E. c. VIII. §. 4. hanc rem proponat, ejus verba coronidis loco sumus adducturi. Ita autem, postquam tonsuram Pauli à nonnullis ex nasiræorum ritibus æstimari dixerat, mentem suam de tonsura hac exponit: *Quanquam alia plane fuerit ejusdem intentio, nimirum, ut Sam. Petitus adducit, quia hactenus Corinthi comam aluerat pro Corinthiorum more, nunc vero Hierosolymam profecturus, eandem deponebat, caputque strictim ad Judæorum consuetudinem tondebat, siquidem sibi cum Judæis nunc rem fore non poterat dubitare.* Quibus ipsis præsentem laborem concludimus, & Jesu Ναζωραίῳ pro concessis viribus gratias agimus.

M. CHR. SIBERII
DISSERTATIO
De ΠΕΡΙΕΡΓΙΑ Ephesiorum ad Act. XIX: 19.
Q. D. B. V.

I.



SI unquam natio aut populus virtutum artiumque exemplis felicissime floruit, tribuenda ista laus Græcorum ingeniis est, quæ incomparabilibus incrementis sese extulerunt adeo ut Romani nunquam fere istius, ad quam contenderunt, eruditionis facti compotes fuissent, nisi ad Græcorum imitationem sese formassent, magnarumque mentium vigore suas animassent. Et licet nulla gens parem in tanta vetustate splendorem jactare possit, non tamen ubique bene agendi exemplar nobis reliquerunt, quin inter eximias virtutes, quibus eminuerunt, magna & fœda vitia occultarint. Fuerit laudis appetens animus, ingeniumque liberale ac solers, sed insimul leve & lascivia diffluens. Sit nulla doctrinæ elegantioris pars, quam incultam permiserint; sit nulla inter scientias ad vitam tuendam necessaria, quam industria illorum non occupaverit, ni pariter pessimis & ex orco revocatis devotionibus, immolationibusque nefandis operam dedissent. Cujus infamiæ nota, quam vere Epheso claræ urbi ac vetustate inclytæ, inuratur, certius liquidiusque se dabit, si accedente ad partes favore Numinis, ex Apostolorum rebus gestis Act. 19: 19. ἱκανοὶ ἢ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων interpretati fuerimus.

II. Qui in novo fœdere interpretando industriam suam explicuerunt, consentiunt quasi in hac phrasi Latine reddenda adeoque Erasmus, & Beza, & Bullingerus cum Schmidio interpretantur: qui curiosas artes exercuerunt. Italica vero quam vulgatam nuncupamus, qui fuerunt curiosa sectati, ponit, levi quantam quidem ego video, differentia. Quam vero nunc in ista interpretatione perspicue sensus verbis commodis expressus sit, quod ad integram Interpretis laudem requiritur, operæ pretium erit edisserere.

III. Ἔργον quidem apud sapientes ex Stoa profectos eam significationem obtinet, quam Romanum vocabulum officium apud Ciceronem in Officiorum libris, adeoque sejunctum separatumque veluti è vago & amplissimo usu, quod ex Imperatoris Antonini περὶ σεαυτοῦ lib. 5. liquido constat. Περίεργα itaque apud eosdem latissime patet & significat ea negotia & actiones μὴ ἔχοντες σκόπον, quarum rationes non exploramus, quas velut ignorantes agimus. l. 2. Varie vero & copioso verborum apparatu circumscribunt & mox πράξεις μὴ ἀναγκαίας οὐκ ἀγαθὰς appellant apud eundem Imperatorem, nec non οὐχ' ἡμέτερα ἔργα ἢ ἀλλότρια. Cujus rigoris ac severioris doctrinæ fines adeo porrexerunt, ut corporis dotes & fortunæ munera aliena dixerint & περίεργα judicarint. Vid. Enchirid. Epicteti.

IV. In Peripato educati philosophi aliam rationem ineunt, & hac formula aliud quid à priori diversum exprimunt. Exquirentes enim quid in moribus elegans ac civile, quid vero turpe sit ac vitio detur, inter indecora ponunt περιεργίαν, quam à blandientium adulantiumque more haud longius distare dicunt, vixque differre alia ratione, quam quod cum tædio fastidioque alius conjuncta sit. Is enim quem Theophrastus Eresius diligens Aristotelis sectator περίεργος vocat, magis ad naturam adulatoris accedit, cumque eo id commune habet, ut cum officiosus admodum videri desideret, ineptam rationem ineat, aliusque gratiam propitiamque voluntatem cupiat non virtutis honestique amore adductus, sed quia suis rationibus conducere existimat. Possis hoc cum Cicerone fictum officium, aut simulatam & ineptam sedulitatem, cum Curtio moleste sedulum, cum Plinio l. 7. Ep. sinistram diligentiam: aut inania officia l. 1. Ep. 9. Instituta sinistra Tac. 1: 5. Hist. interpretari. Acceditque illud vitium ad Σκαιότητα & ἀκαιρίαν. Vid. Casaubonus ad Theophrasti characteres.

V. Hæc περιεργία in actionibus consistit, & ab homine qui bonam mentem & virtutis decorum amat, debet abesse longius; potest tamen & in verbis ac sermone præsertim ad artem composito quædam esse, quæ quantum ego capio, est quando oratio turgida est arborisque instar sylvescit ramis, ac luxuriat foliis, hoc est, nimio figurarum aut metaphorarum pondere gravatur. Memini Dionysium Halicarnassensem in Criticis φορτικοὺς καὶ περιέργους λόγους reprehendere, adeoque summum Oratorem Demosthenem non sine nota dimittere, quod dum cum Æschine contenderit de principatu eloquentiæ περιέργῳ ἢ περιττῷ λόγῳ usus fuerit. Quod tempestive quoque observatum à Gerh. Joh. Vossio Inst. Orat. l. 4. Demosthenem duriores quandoque adhibuisse translationes, materiemque inde ansamque dedisse æmulo Æschini, quo diceret: οὐ ῥήματα, ἀλλὰ θαύματα. Sero tandem falce ætatis, velut arborem ars agricolarum, luxuriem istam castigavit.

VI. Utuntur porro etiam præsenti voce oratores pariter & historici ut nimiam curiositatem in omni humanarum actionum genere exprimant. Arianus in Epicteti Dissertat. lib. 3. cap. 1. ad καλλωπισμὸν τὸ περιεργάζεσθαι refert, cum fœminæ naturali pulchritudine & naturæ luce haud contentæ faciem purpurisso illiniunt, artificioque & fuco splendorem superfluum sibi conciliari cupiunt. Utque melius pateat quod περίεργον idem sit ac qui curiosus in inania ac aliena inquirit. Arrianus eodem loco πολυπράγμον adjicit & Hesychius in Lexico περιεργίαν per κενοφονίαν & ματαιολογίαν exponit, cum περιέργῳ proculdubio quoque convenit κενόσπουδος. Et ista quidem omnium confessione, nunquam bonam significationem induunt nisi tantum adverbium περιέργως excipias, quod cum cura atque industria aliquid effectum notat, cujus rei explanandæ illustrem locum subministrat Heliodorus Histor. Æthiop. lib. 1. pag. 51. Edit. Comel. τῶν χειρῶν Αἰγυπτίων ὄρυγμα, πρὸς σκύλων φυλακὴν περιέργως κοιλαινόμενον. De subterraneo fornice perita artificis manu affabre effecto sermo ipsi erat. Quapropter non sciam quis melius significationem expresserit Theophylacto Bulgariensium Antistite ad 2 Thes. 3: vers. 11. disserens περιεργάζεσθαι esse ἀργῆσαι ἔργα μετιέναι καὶ περιεργάζεσθαι τὰς ἑτέρων βίους pag. 735. Edit. Angl. in quo Ciceronem assecutus est qui de Nta. De. inquit: Curiosum est ea scire velle quæ ad nos pertinent.

VII. Divinis pariter ac humanis scientiis locupletissime imbuti Doctores veterum Christianorum, dum eos describere volunt, qui animum dimovent ad nimiam humanisque mentibus non concessam contemplationem summorum mysteriorum, quæ pura & sancta fide credere non curiosius scrutari fas est, utuntur familiarius verbo περιεργάζεμαι & πολυπραγμονέω, prout Divus Thomas, postea in ablegatorum numero, de resurrectione sospitatoris nostri certis documentis jam probata hærens & dubitans πέρα τοῦ μετρίου περίεργος à Theophylacto Comm. in Joh. p. 838. Edit. Parif. dicitur. Multa, quæ ad hoc momentum pertinent, adduxit Joh. Casp. Suicerus. Thes. Eccles. p. 670. & 806.

VIII. Hoc,

VIII. Hoc, in quo Versamur loco περίεργα πράττειν significat curiosas artes lucri gratia exercere, cum ἐργάζεσθαι lucri gratia, vel honesti speciem quod habet, facere notet. Confectum hoc Guil. Budæus in Comment. ling. Græcæ dedit. Usus vero de industria hac loquendi ratione sacræ historiæ author, ut invidiam verborum evitaret, & rem atrocem ac indignam quoque sapientissimis Ephesiis, nempe consortium habere societatemque inire cum damnatis geniis, molliori sermone tegeret, ac minori cum offensione animorum, rem gestam commemoraret. Idque facit inversione oratoribus & historicis non infrequenti, quam εὐφημισμὸν eloquentiæ doctores appellant. Equidem displicet mihi iniquæ obtrectationis audacia, tamen nec adeo placet Doctissimi Bezæ mens, qui hic μείωσιν vult, ab eoque me in contrariam ducit Demetrius Phalereus de Elocutione cap. CCXCVII; apud quem Euphemismi est ποιεῖν τὰ δύσφημα εὔφημα, καὶ τὰ ἀσεβήματα εὐσεβήματα. At quid quæso scelestius dictu, quidque magis horrorem audientibus incutiat, quam execrationes & dira carmina enunciare. Præterea hic Euphemismus ironiam & quasi aculeum tacite relinquit. Vossius l. IV. pag. 187. Videtur pari in negotio Tacitus ad minuendam asperitatem, inter ardescentes & secretos populi quæstus dixisse: *ab Imperatore & Augusta defensam Plancinam!* proinde *venena & artes tam feliciter expertas verteret in Agrippinam.* l. III. Annal. Mollior fluit oratio, & pietatis rationi propius accedit, ac si Lucas ἐπῳδὰς ἢ θεργικὰς κλήσεις memorasset, aut Tacitus devotiones & maleficia quibus animam Germanici diis inferis sacraverat, verteret &c. Hujus schematis ratio optime apparebit ex Euphemismo Paulino Præceptoris & Patroni nostri Schurzfleischii. Quapropter cætera de curiositate Ephesiorum & magicis artibus expedienda suscipiam.

IX. Jam quidem non referam quamvis argumento esse possit, περίεργα vanas & infames Magiæ artes designare, Antoninum Imperatorem se ipsum, propterea quod Diogneto magistro didicerit non fidem habere incantationibus, ac spernere carmina, quibus dæmones aut evocantur aut evocati profligantur rursus, ἀκενοσπουδίαν vocitet, quod coincidere cum ἀπεριέργῳ antea explicatum fuit. Id vero adducam quod & maxime ad præsentem rem facit, & totum negotium plenissime declarat. Est ex Irenæo locus l. 1. adversus hæreses cap. XX. Simonis Samaritæ infami scientia infecti ac sectatorum probra acri stylo perstringens ait: Exorcismis & incantationibus utuntur. Amatoria quoque & agogima & qui dicuntur paredri & oniropompi, & quæcunque sunt alia periergа (sic enim legit Grotius ad h. l.) apud eos studiose exercentur. Ex adductis satis constat, Irenæum è Græcorum scriptorum numero non expungendum, cujus Interpretatio tantum superest, Hellenismorum ac barbarorum vocum copia maculosa, quibus abstinere potuisset, si latina oratione sua exarasset. Priora quidem ex Græcis Theodoreti verbis l. I. Hæret. Fab. cap. II. T. IV. satis capiuntur, dum de iisdem Simonis asseclis, ἐρωτικά τινα καὶ ἀγώγιμα μηχανώμενοι, ἢ τὰ ἄλλα ὅσα τῆς γοητείας ἴδια ὡς θεῖα μετιόντες μυστήρια. Agogima enim sunt adlectantia & pellicientia pocula. Horum artifices Græcos semper fuisse ex Luciano T. III. pag. 340. certum & evidens est. Paredri vero homines dicuntur, qui in Deorum numerum adoptantur quasique consecrantur, inque horum curiam, comitia & Synodum suscipiuntur, adeoque σύνθρονοι & Dii Synhodi Tertulliano nuncupantur. Et hæc nova numina ut divinis virtutibus præditi videantur, censeanturque summa potestate frui, responsa dare consulentibus, & venire vocati credebantur. Hinc πάρεδροι δαίμονες dicti, quos ad futura prænoscenda ciebant atque evocabant, primique sunt ac præcipua potestate pollent in μαντικῶν Spirituum numero, quorum certæ cohortes ponuntur à Fulgentio. Dynameri scilicet Δυναμηροὶ potentiores Dii quorum certior fides majorque potentia. Hos & Græci θεοὺς δυνατοὺς vocarunt, & Samothraces singulari veneratione coluerunt. Hos excipiunt Dii catabolici quos infernalibus æquales Fulgentius asserit dictos ἀπὸ τῆς καταβολῆς, quod victimis cæsarumque hostiarum sanguine elicerentur, seu ἀπὸ τὸ καταβάλλειν, quod repente irruerent, vatesque extra se raptos, spiritu fatidico implerent, quæ καταβολὴ ἐπίπνοιαν θεοῦ significat, quod ex Polluce videre licet. Vid. Salmasius in Spartiani Adrianum. De Marco authore nefandæ ac sceleratæ doctrinæ, quæ & Christianis detrimento fuit, Irenæus reliquit eum δαίμονά τινα πάρεδρον ἔχειν habere dæmonem quendam assessorem. Et discipuli impietatis imbuti erant, quo judicis animadversionem effugerent πάρεδρον θεοῦ καὶ μυστικῆς τῆς αἰῶνος Σιγῆς invocare, precesque ad fictitiam quandam matrem dirigere, quod ad XI. cap. lib. I. Billius observat.

X. In eo vero mihi vix convenit cum Francisco Feu-Ardentio, qui oniropompi ex τοῦ ὀνείρου somnium & πομπεύειν pompam agitare, compositum cupit, siquidem de insomniis tanquam de divinis oraculis gloriarentur ac triumpharent. Sed haud scio, an ratio construendi patiatur illud, ut Simonis sectatores intelligantur, somniorum interpretationis gloria inflati, cum arcte cohæreat ac jungatur paredris, quod Deos notat. Constat porro ex authorum lectione πομπὸς non originem ducere à πομπεύω, sed πομπέω, mitto, duco ut πομπὸς sit, qui aliquem transmittit. Inde Mercurios apud Æschilum in Persis vers. 628. φθιμένων πομποὺς demortuorum ductores vocatos legimus, quod animas ducere & seducere soleant. In composito & νεκροπομπὸς apud Lucianum T. IV. pag. 53. reperitur. Quapropter liceat Irenæum sic interpretari, ut ὀνειροπόμποι sint Mercurii & alii dii, qui somnia ducunt perque nocturnam quietem species imminentium rerum seu præteritarum animis insinuant. Plerumque enim sese Mercurius Æneæ in somniis visendum obtulit l. IV. Æneid. Dat somnos adimitque, & lumina morte resignat, & somnus ex æthere portare somnia Palinuro fingitur l. V. Idem Deus dicitur apud Ovidium l. I. Metamorph.

—— —— Virgamque potente
Somniferam sumsisse manu tegimenque capillis.

Ipsique somnia sacrata sunt & noctis silentium. vid. Apollonius lib. IV. Argonaut. Homerus Hymno in Mercurium. Itaque si ductores somniorum Deos hic dixerim, puræ latinitatis integritatem non violarem, cum Horatius pocula lethæos ac si ducentia somnos arente fauce traxerim lib. Epod. fecerit. Ceterum omnes qui in scribendis lexicis operam posuerunt, nihil quidquam de hac voce notasse certum est.

XI. Pertinet porro ad muniendam firmandamque causam quod Philippo & Alexandro Macedoniæ imperantibus Ephesus sedem & domicilium præbuerit magis; non quidem iis Persarum sapientibus, scientiarum omnium licet maxime abstrusarum peritis, ac prudentiæ Laude conspicuis, quorum opera ad literarum & sapientiæ studia regia soboles utebatur, ut ipsorum pueritia ad pietatem, humanitatem, justitiam, fortitudinem institueretur, quales Brissonius de Imp. Persarum libro ex antiquis scriptorum monumentis memorat. Sed erant hi nefariis ac damnatis artibus studentes, quorum mentionem Plutarchus facit T. I. in Alexandro dicens. Ὅσοι δὲ τῶν μάγων ἐν Ἐφέσῳ διατρίβοντες. Accedit maxime, quod peculiaribus verbis, quibus nulla sana ac nota significatio inest, quæque ab ignota lingua ducuntur, usi fuerint magnamque his in omnia vim tribuerint. In vulgatum namque proverbium invaluit, ut γράμματα ἐφέσια characteres magicas ac notationes efficaces significent. Unum locum excipiam, ubi de dictis sapientum utilibus in communem vitam emolumentum habentibus, intelligi debent, & is apud Antoninum lib. XI. ubi refert doctrinas Ephesiorum (γράμματα ἐφέσια) serio monere ac præcipere, ut quotidie revocaremus memoriam τῶν παλαιῶν τινὸς τῶν ἀρετῇ χρησαμένων. Cæteroquin omnes auctores congruunt Ephesias literas aliquid non profani ac vulgati moris aluisse. Non abnuit Plutarchus, qui lib. VII. Sympos. dicit οἱ μάγοι τοὺς δαιμονιζομένους κελεύουσι τὰ ἐφέσια γράμματα πρὸς αὐτοὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν. Reperitur quoque apud Homeri Interpretem Eustathium ad Odysseæ φ pedibus & Zonæ & coronæ Dianæ Ephesiæ literas istas ἀσαφῶς καὶ αἰνιγματωδῶς inscriptas fuisse, quas apud Hesychium in Lexico, Clementem Alexandrinum. Strom. V. Heinsium Exercit. sacr. in Ep. ad Eph. Erasmum, Quistorpium h. l. videre licet.

XII. Speciosa vero ratio videtur ac valida, quam si intactam prætermitteremus, faceremus injuriam nostræ causæ, cum ad eam labefactandam accincta & instructa videatur. Androcles Italicæ scholæ auditor auctor est, non ad ludibria magiæ & sacra dæmonum mysteria has literas facere, sed reconditæ sapientiæ præcepta præbere, à quibus ut profanum & rude vulgus arceretur, prudentes hanc rationem iniisse, eaque obscuris & lectu difficilibus notis, tanquam involucris & fasciis condidisse. Et est illud quidem verum γράμματα de operibus pictis ac tabulis usurpari, indeque κολοκύνθας γράφειν cucurbitas in tabula pingere, de infelicibus pictoribus dici. Nec nos latet per γράμματα intelligi ἱερογλυφικὰ, quæ Αἰγυπτιακὰ vocat Diodorus l. I. Αἰθιοπικὰ & ἱερὰ l. 3. quæ & Σημεῖα τινὰ καὶ χαρακτῆρες Luciano in Hemotimo dicuntur; cujus doctri-

doctrinæ complexum ambitumque τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν Philo lib. 1. de vita Moſis citatus Everhardo Elmenhorſtio in Apulej. Plutarchus vero μυστικὴν Αἰγυπτίων θεολογίαν appellat. Videatur Hœſchelius in Not. ad Horapollinem. Epheſias ergo literas pares cum his eſſe nec aliud ſonare Androcles ſibi perſuaſum habet, ut ab Epheſiis honeſtiſſimæ rationis obtentu infamiæ notam averteret & amoliretur. Sed hoc ipſis parum præſidii afferre poſſe autumo, cum annuamus libentes eamusque in ſententiam haud inviti, ſi per Ægyptias literas, non eas compendiarias notas, quibus animi ſenſus aliis aperiebant, quæque ex Horapollinis libro explanari poſſunt, intellectas velit, ſed eas quas Arabum lingua Taliſmata vocamus, quorum magnam copiam in fanis & ſacratis Numini ædibus adſcriptam tabulis habebant, quibus magnam vim ad prænoſcenda futurorum temporum fata adſcribebant de quibus Athanaſius Kircherus in Oedipo Ægyptiaco cum cura egit. Pertinet pariter ad inſtitutum ex Apulejo 1:11. Metamorph. pag. 268. hoc adſcribere. *De opertis adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus prænotatos: partim figuris cujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodoſis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, à curioſa profanorum lectione munita.* Præterea ſapientum voces morum ſuavitate conciliandum ſibi hominum amorem docent, animum contra ingruentes cupiditatum inſultus tempeſtive muniunt, ac fortem reddunt, & affectuum incendia temperant ſalubriter & extinguunt, non ad miraculorum ſpem erigunt, quod Epheſiæ literæ, quibus Cræſus inſtructus, cum rogo circumdatis ignibus vivus comburendus imponeretur, flammarum vim reprimebat, quod Homeri interpres Euſtathius c. l. tradit; quibus in ſolemnibus Græciæ certaminibus congredientes fortiores cæteris, nec ſuccumbentes alienæ virtuti, victores evadebant; quibus ad amorem velut œſtro quodam incitabantur, & inflammabantur, quod ex Menandro liquido patet. Et ea quidem omnia de ſuperſtitioſa Magiæ ſcientia argumenta dant, teſteſque impurarum artium ſtudii Epheſiorum relinquunt.

XIII. Quapropter inſignis ac Atticæ facundiæ par Orator Chryſoſtomus notandus eſt, qui contra hiſtoriæ fidem Corinthios περιεργίας reos facit, atque quod Epheſi contigiſſe Lucas memorat, Corinthi peractum erroris ſecurus tradit, neque in eo veſtigio perſiſtit, ſed ulterius gradum movet, dum pretii numerum ad libros transfert, in Præf. ad 1 Corinth. Sed condonandum id ſummo viro, & non acrius objectandum, cujus ſcripta, ut docti cenſent, admiranda eloquentiæ vi ſummaque doctrina referta ſunt.

XIV. Si vero jam à nobis quæratur, quando Epheſii huic ſtudio operam impendere cœperint, vocabimus in ſubſidium Plinium qui Lib. 30. Hiſtor. cap. 1. tradit Oſtanem non ad aviditatem modo, ſed rabiem ſcientiæ hujus Græcorum populos egiſſe. Comitabatur vero hic Xerxem, Perſarum regem Græciæ bellum inferentem, & ſemina artis portentoſæ ſpargebat, & quacunque commeabat mundum velut peſtilenti afflatu inficiebat. Unde & ratio ſuppeditatur ac cauſa, cur inſignis ac prope omni fide major antiquitas Zoroaſtris in dubium vocetur Plinio, quem recentiores Perſæ, teſtante Agathia lib. 2. ſub Hyſtaſpe collocant. Adeoque nec apud Perſas iſtius artis diuturna poſſeſſio, quam didicere, poſtquam Chaldæos atque Ægyptios armis devicere, ut ea ad victores à victis migraret. Dicit Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride Zoroaſtrem apud Chaldæos Magos inſtituiſſe, quorum Imitatione Perſæ ſuos habuerunt. Quapropter nec apud Græcos antiqua iſta ſcientia quod erudite oſtendit Thomas Stanlæus in Æſchylum. Non diffitemur Philoſophos quosdam, ſciendi, quæ neſcire ſatius fuiſſet, immenſa cupiditate abreptos, nullo maris tranſmiſſu, nulla itinerum longinquitate deterritos ad remotiſſimas penetraſſe gentes, comparataque occultarum artium notitia, poſt exilia verius, quam peregrinationes, has in patriam reportaſſe. Sed eas non ediderunt in vulgus, ſed in arcanis habuerunt, & intimos quorum perſpectam habuere fidem, ſectatores his imbuerunt. Propterea quoque non idoneum diſciplinæ eum cenſebant, cui lingua non eſſet in poteſtate, quique premere corde non poſſet credita, ac non cuivis facile promere. Requirebatur enim Σιωπὴ πρὸς-μυστηριώδη καὶ ἱεροφαντικὴ ἐχεμυθία, & ſilentii fidei creditæ res τὰ ἀπόρρητα τῶν φιλοσόφων dicebantur. Vide de hoc argumento Eunapium Vit. Philoſoph.

XV. Ludit vero nec rem ſerio agit Jacobus Gaffarellus in libro quem Curioſitates Inauditæ inſcripſit, dum P. II. de ſcriptura Taliſmanica c. 3. Chaldæorum & Perſarum notas & literas, adeoque propterea Græcorum excuſat, & ad divinæ ac cœleſtis ſapientiæ intimius ſtudium pertinuiſſe aſſerit. At indigna res eſt homini pio, nedum Theologo, vaniſſimis artibus patrocinari & voraginem veluti impietatis ceſpite veſtire. Non alia ratione Platonicæ ſectæ Philoſophi, cum commercia haberent cum malis geniis purgari animum abſtergique à terreſtribus ſordibus, quibus mens inquinata ſit, atque ad ſublimia & divina, cæteris hominibus non conceſſa evehi & elevari dixerunt. Sed quæ iſta fuerint, Porphyrius declarat in epiſtola quam ad Anebonem Prophetam Ægyptium exaravit, & Jamblichius de Myſteriis Ægyptiorum. Eunapius in ipſius vita auctor eſt cum è balneo Dæmonem Cauſantha vocatum ejeciſſe, in qua ſcientia ei nihil conceſſit Ædeſius ejusdem ſectæ. Credo equidem, nec me nihil facile ab ea mente dimovebit, multum hæc περίεργα damni intuliſſe Chriſtianæ religioni, cum adhuc in cunis eſſet, & circa matrem luctaretur. Diabolus enim ut ſpecioſis nominibus occulte tamen opprimeret, Baſilidianos & Gnoſticos excitabat, qui magna myſteria in nomine Jehova reperiebant, illudque ſeptem literis exprimebant ΑΕΗΙΟΥΩ, ſæpius illas tranſponebant & inter ſe permiſcebant. Illi ipſi nominabant DEUM Abraxes quarum literarum vim, ut in numeris eſt, ad calculum revocabant, maximamque virtutem angelicis parem tribuebant. Nota ſunt quæ Irenæus lib. 1. c. 18. de vocibus Marci refert. Doctiſſimus Chifletius edidit librum, ubi diverſis imaginibus expreſſum numen videmus, mox Jovem præfert, mox Anubi Ægyptio ſimilis, mox monſtro conformis gallino capite, cui ſerpentes inſtar pedum ſunt, ſubſcriptum ΑΒΡΑΞΑΣ. Ne me illa longius detineant, quæ in eruditiſſimo iſto libro reperiuntur, afferam ex Jacobo Sponio, quod non aberrat à præſenti inſtituto, nec tamen memoratum eſt à Chifletio. Eſt non vilis pretii gemma, quam Thuanus junior, cum Ulyſſis inſtar aut Platonis varias terrarum partes perluſtraſſet, ex Aſia retulit. Operæ pretium erit, faciem formamque gemmæ inciſam delineare, quo pateat magis, quibus impiiſſimis ineptiis Hæretici occupati fuerint. Inſculpta vero impreſſaque eſt gemmæ Michaëlis Archangeli imago, eo ferme modo, quo gentilium ſuperſtitio Mercurium delineavit, aptatis pedibus capitique talearibus. Siniſtra manus draconem diſcerpere videtur, dextra coronam tenet. Membris literæ Græcæ inſcriptæ, quarum ſignificatio tamen ex Hebræorum aut chaldæorum lingua peti debet, prout in more ac conſuetudine iſtorum Hæreticorum poſitum fuit: Explicavit Sponius verba pectori & ventri inſcripta.

ΙΑωΘ	Dominus
ΣΑΒΑωΘ	Exercituum,
ΑΡΒΑΘΙΑ	Majeſtas,
ΑΟυΘΑΤ	Recondita in
ΟΥΡΗΣ	Lumine ignis,
ΜΑΡΣΑ	Poſſeſſio
ΑΛΙωΘΟ	Divinitatis ejus
ΟΝ ΟΥΡ	Vis luminis ipſius
ΙΑ ΜΙΧΑΗΑ	Michaël.

In brachio dextro

ΑΒΡΑΜ	Abraham
ΝΙΚΑΜΑΡ	Nicamarius.

In ſiniſtro brachio

ΣΕΣΑΓ	ſe ſac
ΣΕΝ	nomen
ΒΑΡ	filii
ΦΑΡΑΝΤΗΣ.	Pharan.

In Corona

ΑΜΟ	Populi ſui
ΡωΜΑ	Exaltatio.

In tibiis

ΡΑΦΑΗΑ	Raphaël
ΙΑΣΟΥΗΑ	Jaſovel.

Sub pedibus ſepties repetitum nomen Jehova invenitur. Gruterus ſimilis inſcriptionis mentionem facit, quam laminæ

næ areæ inscriptam, pectorique ex antiquissimo monumento effossi cadaveris impositam memorat, deque significatione, multum dubius & ambiguus tandem existimat, lusum esse otiosi animi quo aperientibus exercendi ingenii materies præbetur. Quod si vero Sponio memorata cum istis conferamus, apparebit quod Gruteriana nomina divina sint, aliquoties repetita, pectorique defuncti imposita, qui fortasse vivus pars familiæ Hæreticorum istorum extiterat. Integra vero pietate imbuti Christiani ea detestati semper sunt, & severissimis legibus in solemnibus comitiis promulgatis improbarunt ac interdixerunt, quod Huetius Demonstr. Evang. Propos. IX. pag. 651. & Arndius Antiqu. Eccl. vocab. Magia prolixe & erudite explanarunt.

M. CHR. SIBERII

DISSERTATIO

De Asiarchis ad Actor. XIX: vers. 31.

Q. D. B. V.

§. 1.



GRave multisque difficultatibus impeditum opus est, eas literas artesque tractare, quæ ab antiquitate nomen & famam sortiuntur, in eoque versantur atque operam & studium ponunt, ut veterum ritus ac instituta è tenebris & densissima caligine eruantur ac nostræ ætatis luci restituantur. Cum enim multa non stabilibus firmisque fundamentis subnixa sint; præsertim apud eas gentes, quæ non rerum gestarum gloria inclaruerunt, aut propriis scriptoribus destituti fuerunt, factum est ut his rebus offusa ex antiquitate caligo sit, memoriaque ex vetustate plurimum obscurata. Accessit & infelix adversumque literarum fatum quo peritior bonarum rerum cognitio situ & squalore obsita per aliquot temporum spatia neglecta jacuit. Multum itaque iis debemus, quorum cura ac industria vigiliisque veterum rerum notitia dilucidior reddita est. Cum ad hæc perquirenda & investiganda non solum indefessa opera, sed & animus aptus huicque negotio par requiratur, imo & hæc aggredientem scriptorum commentariis ac voluminibus, marmorum nummorumque notitia instructum esse necesse sit, accusabimur forsan temeritatis, qui his destituti de Asiarchæ nobili ac inclito apud Asianos officio tradere conamur. Et facile quidem fasces submittimus, manusque victas damus iis quibus ab ætate, industria, ingenio denique ac scriptorum multitudine majora præstantioraque præsidia sunt, his precibus contendentes, ut conatus saltem ac cura non tædio sit ac displiceat. Ut autem ordo rei ac series constet, disputabimus pro ingenii exiguitate, primum de origine nominis, deque Asiæ, mox de ejus divisione, quo sciamus ad quam Asiæ partem Asiarchæ pertinuerint; Ultimo demum loco de dignitate viribusque imo & oneribus hujus muneris, certum quid statuere, petitis ex antiquorum monumentis rationibus, & ad liquidum perducere suscipiamus.

§. 2. Itaque manum rei admoventes fundamentum, quo Dissertatio nostra nititur apponamus ex Apostolorum historia depromptum cap. 19: vs. 31. τινὲς ϑ ϗ ̃ Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι πέμψαντες πρὸς αὐτόν. Paulus postquam susceperat iter per Asiam Ephesumque pervenerat, tempore quo celebrabantur ludi, hoc animo, (quod antea prospere in aliis locis successerat,) ut populum ab inani superstitione averteret avocaretque, ac veræ religionis divinique cultus elementis imbueret, omnium invidiam in se excitavit; adeo ut ab Asiarchis admonitus, non sustineret adire theatrum, ne ipsi furente ac tumultuante populo gravius quid accideret. Nobis itaque curæ est quæ de Asiarchis observanda sunt exponere, primumque negotium est investigare nomen. De hoc quidem nobis laborandum adeo non est, cum descendat compositumque sit ex Ἀσία & ἄρχω. Hoc significat impero, præsum, principatum obtineo, magistratum gero. A quo derivatur deinde ἀρχὸν quod in Glossis, Lexicis & commentariis exponitur Præpositus, Moderator, Rector, Magistratus, Præses, Judex, Princeps. *Budæus ex Polybio & Plutarcho*, & decurionem significare asserit. Sed hæc omnia excutere nostrum non est, cum hac opera Lexicographi & Glossatores defuncti sint, harumque vocum significationes magna & abundanti copia adduxerint.

§. 3. Majoris vero momenti est Asiæ, & unde originem trahat disputatio, operæque pretium ut veterum scriptorum opiniones excerptæ uno obtutu à nobis exhibeantur. Asia quidem urbs ad nos nihil pertinet, cujus quidem meminit Suidas & *Stephanus Byzantinus*, non vero Strabo. Quod falso sibi persuasum habuit *Michael Antonius Baudrand* in Geograph. propterea & merito castigatur à *Guilielmo Sanson*. in Disquisit. Geograph. forsanque non sedulo inspiciens Græca verba versione *Guarini Veronensis* deceptus est; qui Asiam vicum Megalapolitidis facit T. 1. p. 624. quum *Strabonis* verba ita se habeant καλεῖται ϑ Ἀσέα κώμη ̃ Μεγαλοπολίτιδ☉, quam & Aseam Interpres anonymus Editionis *Henripetrinæ* vocat. Nec ut una & eadem civitas sit locorum intervallum concedit, cum Asia Stephano & Suidæ memorata urbs sit Lydiæ. Nec ad nos Insula Æthiopiæ ejusdem nominis pertinet. Nomen itaque Asiæ regionis, quæ amplissimam orbis terrarum partem conficit ac definit non arcessamus à commentis poëtarum & fabulis, ut quæ dum inter se non bene convenire videntur, dubitandi ac hæsitandi locum relinquunt. *Homerus* equidem ultimus Poëtarum nusquam Asiæ, ut nec Africæ mentionem facit, quod & opportune annotavit ad *Stephanum Thomas de Pinedo*. Nam Asii campi, quorum mentio apud Homerum Il. β. v. 491. ad Caystrum fluvium exiguis spatiis clauduntur ac terminis. Ideoque illo in loco Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, non vertendum Asiatico sed Asio in prato observante *Stephano*. Quod vitium forsan interpres non commisisset, si consuluisset *Virgilium*, qui ut ingenio *Homero* nihil concessit, ita & ejus verba mentemque eleganti modo expressit Æneid. l. 7. v. 701.

> *Dant per colla modos, sonat amnis & Asia longe*
> *Pulsa palus* —— ——

Et Georg. I. v. 382.

> *Jam varias pelagi volucres, & quæ Asia circum*
> *Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri.*

Igitur pro certo ac firmo pronuntiare ausim ante constitutum Persarum Imperium, aut non notam fuisse hanc denominationem, aut apud authores non inveniri. E. Poëtis, qui

eam

eam nominarunt antiquissimi sunt *Æschylus & Euripides.* Deinde *Herodotus*, qui primus eorum, qui ætatem tulere, historiam condidit, Asiæ mentionem facit Melpome. s. l. IV. cap. 45. ibique à Promethei uxore Asiam nuncupatam asserit, ast quis imposuerit nomen & è quibus causis se nescire fatetur. Nec etiam confecta res apud fabularum scriptores Asiam fuisse Promethei uxorem, quam Japetho thoro junctam narrat *Apollodorus* l. 1. Prometheoque Clymenem multi jungunt. Ideoque hoc ingenii commentum non admittere possumus. Nec hoc assensu eruditorum approbatur quod in *Dionysii Afri* περιηγήσιν annotat *Eustathius*: Asium ignorandæ scientiæ magicæ peritum, Palladium detestabili arte præparatum Troi, cum sedem sibi ac domicilium Trojam condidisset in tutelam novæ urbis tradidisse; in cujus artificis honorem postea ac memoriam regionem Troo subjectam, Asiæ nomen appellationemque accepisse. Idemque & *Tzezes* in Scholis ad *Lycophoronem* ex *Malala* refert cujus scripta inedita servantur in Anglia, in Bibliotheca Bodleana, prout mihi compertum est ex notis ad *Marmora Oxoniensia Humphridi Prideaux* pag. 31. Sed hac in parte vix fidem facit, propptereaque rejiciendus merito. *C. Lichtfoot.* in Decade Chorographica Marco Evangelistæ præmissa c. 10. Sect. 5. p. 593. aliam rationem affert, probareque vult Asiam nomen accepisse à giganteæ monstrosæque staturæ hominibus, lingua Samaritana Asæos vocatos, qui montosa Asiæ loca incoluerint. Sed cum hoc vitium interpretis sit, vixque ullo incolæ assensu hæc vox gigantem significet, admittenda ea sententia non est. Et si hoc tanto viro concedatur, nondum tamen confecta res erit, vixque probabit horum gigantum famam ad eos Græcos pervenisse, à quibus Asia nomen sortita est; & si pervenisset hos inde nomen Asiæ dedisse. Imo ipse *Lichtfootus* dubitare videtur, an vox illa Syris & Chaldæis hoc sensu fuerit usitata. *Cl. Bochartus* qui Geographiam S. concinnavit eodem modo ex Oriente subsidium petit, & ab ea Hebræorum voce quæ medium sonat Asiam dictam vult, cum Asia inter Europam Africamque medium occupet locum, & secundum *Pomponium Melam* l. 1. media nostris æquoribus excipiatur, & secundum *Eustathium* μέσην ἀμφοῖν ἔχειν, medium inter Europam Lybiamque statum habere putatur. Sed vix verisimile est Græcos hujus linguæ imperitos, inde petiisse denominationem. Eo magis *Becmannus* in originibus ne audiendus quidem, qui ab igne divina veneratione Asianis olim culto nomen accersit. Sed omittam cum impediant hæ argutiæ magis quam ad rem expedendam conducant.

§. 4. Si quid certi de origine statuendum est id libentius amplecti velim quod ex historiarum monumentis adducit *Humphridus Prideaux.* Marmor. Oxon. cuique consentit *Casaubonus* in Strabonem. Asiæ nempe nomen primo arctis Lydiæ limitibus tributum est (ita ut Pontus & Bithynia ad septentrionem, Galatia Lycaonia & Pisidia ad auroram excludantur) ab Asio hujus regionis principe & rege. Vid. *Ptolomæi* Geograph. *Herodot.* l. 4. *Guido Pancirollus* Not. Imper. Orient. cap. 101. Nec hoc à veritate alienum videtur. Indoles eorum temporum non abnuit. Exempla congruunt. Attica sub Actæo rege Actica, sub Cecrope Cecropia, sub Cranao Cranea dicabatur. *Scaliger* de Emendat. Temp. *Chronic. Marm. Oxon.* Thessalus Thessaliæ nomen dedit. *Vellej. Paterc.* l. 1. H. R. Et hæc Asiæ pars mox Mæonia *Herodot.* l. 1. & 7. *Plin.* l. 5. H. N. mox Lydia à successoribus nuncupata est. Sed Asiæ nomen antiqui Græci retinentes, regionibus magnis Tauro non terminatis accommodarunt. Quippe victis Lydis Persarum Reges cæteras regiones adjecerunt sub Asiæ nomine.

§. 5. Nunc alia cura succedit; memorandæ nempe hujus partis divisiones. Varie namque distinguebantur ab antiquis Asiæ partes, quæ multum in recessu habent, adeo ut in hac ambiguitate nihil certi asseri adhuc queat. Prima quidem naturam sequitur. Taurus enim Asiam dissecat velut ac dirimit, inde Græci & Latini *Strabo*, *Mela*, *Plinius* Asiam cis & trans Taurinam constituunt, huicque immensus & multarum gentium arbiter vocatur. l. 2. Hist. Nat. Altera nec minor insignis, qua Asia in Majorem & Minorem dividitur. Major patet, intellecta minori. Ea est, pronunciante *Hieronymo*, undique circumdata mari, *Æneaque Sylvio.* De Asia minori c. 60. ea dicitur, quæ inter Pontum Euxinum & Carpathium mare continetur, comprehenditque quinque provincias Phrygiam Majorem, Mysiam Pontum cum Æolide, Joniam & Cariam usque ad mare Icarium & Myrtoum, insulasque Ægei maris. Ista vero divisio *Arriani* & *Strabonis* in Asiam Sarmaticam, Colchicam, Ponticam, Mediterraneam & Trans Taurinam, tanti non est ut examinandam censeamus, cum tantum ad terrarum descriptores pertineat. Sed de Asia Proconsulari operæ pretium est disquirere. Ut vero ex his difficultatibus emergam, disputandum mihi est cum *Jacobo Sponio* qui arctos & angustos Asiæ Proconsularis fines reddit in libro *Voyage d'Italie, de Dalmatie, De Grece & du Levant.* Tom. 1. p. 448. ubi de ea dicit: *étoit une partie de l'Asie minuere.* Et vix ulla conjectura mihi constat quibus rationibus in hanc sententiam *Sponius* adductus sit. Eam enim orbis partem quam Pompejus M. victricibus armis perlustravit, Consuli regendam permisit; in cujus postea vicem dignitatemque Pro-Consules successerunt, cum Augustus reipublicæ formam corrigeret & de novo institueret. Præterquam enim quod veteres provincias à Mithridate armis ereptas Romanorum Reip. restituit, victis gentibus Ponticis, Colchicis, Albanis, Iberis, Medis, Arabibus fines imperii insuper promovit, Orientisque maximam partem adjecit. Vid. *Appian.* de Bell. Mithrid. p. 114. *Plutarchus* vita Pomp. M. Vellej. Pat. l. 2. *Sex. Aurel. vict.* De Vir. Illustr. *Ruf. Festus* in Brev. p. 487. *Eutrop.* Hist. R. l. 6. Has ergo provincias proconsularem Asiam constituisse certum est. Nihilque invenio quod hoc destruere possit, nisi quod *Strabo* l. 17. Propontidem, Galatiam, Bithyniam, Lydiamque & gentes quæ Amyntæ paruerunt excipiat. Hoc quidem nemo inficias ire potest, has Straboni memoratas provincias prætori regendas commissas fuisse; sed jurisdictione accepta à proconsule, cujus legatus prætor est. Quod constat ex ff. de officio Pro-Cons. ex *Ulpian.* l. 1. de Offic. „Pro C. Antoninus Augustus ad desideria „Asianorum rescripsit, proconsuli necessitatem impositam per „mare Asiam applicare καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον attingere. „Post hæc ingressus provinciam mandare jurisdictionem lega„to suo debet. Et ut Ulpiani sententia absurdum foret jurisdictionem alteri tradere, priusquam ipse adeptus sit, ita nec minus incongruum inconveniensque foret, alteri in alios jurisdictionem dare, cujus ipse compos non sit. Et adhuc alio fundamento subnixa mea sententia est, eo nempe quod à præside sive legato Asiæ ad Pro-Consulem appellabatur Cod. I. de appellationibus. Insuper me confirmat inscriptio seu monumentum τοῦ ἀνθυπάτου, s. Pro Consulis è Constantino Porphyrogenneta l. 1. de Themat. Πουπλιος Ἀνθιππος αρχων ωνιας Φρυγιας Αιολιδος, Ταρσιας, Γαλατιας, Μηονιας, Λυδιας ελλησποντου, Μυσιας, Βιθυνιας, Μαριανδηνων, Ποντου, Παφλαγονιας, Καππαδοκιας, Μικρας καὶ Μεγαλης, Ισαυριας τε καὶ Λυκαονιας καὶ Μεχρις τῶν οριων ταυρου, καὶ τῆς μικρας Αρμενιας. Et aliam Caji Antii Quadrati vidit Jac. *Sponius* p. 413. quæ etiam has terrarum partes recenset. Hujus vero Consulis nomen vide in Chronol. *M. Aurel. Cassiodori* sub Trajano.

§. 6. Perlustratis Asiæ Pro-Consularis finibus non quidem jam mihi summam, ut edisseram, in quas partes rursus concisa sit, postquam ad Constantinum imperium delatum est, cum ad præsens negotium spectare non videatur & de hoc luculenter tradiderint *Guido Pancirollus* Not. Imp. Orient. c. 101. sequ. *Fridericus Spanhemius* Introd. in Geograph. Part. Post. p. 125. *Carolus Sigonius* de regno Occident. l. 4. Hoc saltem addere libet Comitem Orientis, cui pars Asiæ commissa, & militaria munia obiisse, quod nonnulli negant, & tamen vel solo *Ambrosii* testimonio probari potest l. 5. ep. 29. Ubi Comitem Orientis militarium partium vocat, Theodosioque scribit: Habebis Imperator Comitem prævaricatorem & huic vexilla committes victricia. In quo deliquium memoriæ passus est *Reinesius*, qui hoc Augustino tribuit. Syntagma Ins. Clas. 6. p. 420. vid. *Zosimus* l. 2. Hist. R. *Jac. Gutherius* de offic. Dom. August. *Sam. Petitus.* Obs. l. 3. c. 5. p. 322.

§. 7. Animadvertimus tamen nostro in instituto, nullam harum partium divisionumque rationem haberi. Asiam nempe Lydianam ad nos non pertinere, ob angustum spatium postea me non monente patebit. Nec cis nec Trans Taurina Asia Asiarchis convenit, cum nempe hæc divisio κατὰ τὸν πολιτικοὺς τύπους, ad civilem Formam statumque accommodata non sit, sed à naturæ arbitrio & dispositione quæ Asiam hunc in modum diremit, petita sit. Et facile animum inducere possum ut Asiam minorem deseram, ut & Proconsularem, quarum ambitus majora spatia facit, quam ea pars quæ Asiarchorum propria fuit.

§. 8. Nova itaque nobis ingredienda via & instituenda ratio est, quæ si à nobis rite explicata & exposita fuerit, non dubito rem in expedito fore. Romani postquam Asiæ potiti sunt multis urbibus, cum quibus amicitia intercessit antea, libertatem concesserunt, suisque legibus institutisque patriis vivere permiserunt. Hoc *Strabo* fatetur l. 17. sub finem. Hæ civitates postea fœderum pactorumque nexu se copularunt ac amicitias foverunt, inque unum corpus ac formam velut reipublicæ coaluerunt. Hancque Asiæ partem Asiam fœderatam nominabimus. Nec hoc abhorret à regulis prudentiæ civilis, incongruumque minime videtur eos pangere & inire fœdera, qui alio-

aliorum agnoscunt imperium potentiæque subsunt. Vel enim pacto vel permissu superiorum pars imperii retenta censeri potest, & aliqua libertas. *H. Grotius* lib. 1. c. 4. B. & P. Integrum & quandoque illis est fœdera jungere qui libertate finita & dependente fruuntur. *Jac. Bern. Mulzius* de Libert. omnimoda c. 4. & 5. quam libertatem & Asiæ pleræque civitates retinuerunt, quamvis Reipubl. Romanæ partem facerent. Eratque hoc fœdus æquale societatis nempe de communibus ludis, sacrorum præsidibus & belli defensivi, cujus rationem explicat *H. Grotius* l. 2. c. 15. d. I. B. & P. Nobil. *Puffendorf.* J. N. & Gent. l. 8. c. 9. p. 1194. & *Joh. Frid. Horn.* Polit. Archit. lib. 2. l. 2. c. 5. Secundumque & tertium securitatis inter gentes conservandæ præsidium munimentumque internum statuitur consensus communitasque legum, fœderaque societatis confirmandæ gratia inita. Ab *Ill. Mevio* Prodrom. I. Gent. conspect. 5. §. 10. p. 301. Quoniam vero Romani, qui ad historiam animum applicuerunt, suis rebus contenti, externa neglectui habuerunt, paucaque de his composuerunt, factum est, ut & nobis parum ex ipsorum monumentis de hoc fœdere constet. Sed indubitatum tamen & firmum argumentum subministrat mihi *Aristides*, prudens ac omnium disertissimus vir, multumque harum rerum conscius, propterea quoque ad publica munia vocatus, qui in Orationibus sacris sæpe communis seu fœderatæ Asiæ mentionem injicit, & in Orationibus de Smyrna ad hoc fœdus conservandum removendasque æmulationes & contentiones è quibus odia & rixæ orirentur, adhortatur & stimulat. Movet me vero porro assensus eruditissimorum virorum *Thomæ Reinesii*, passim in Syntagmate Inscriptionum, & exacti & limenti judicii vir (sic à *Christophoro Arnoldo* in Præf. ad Magnæ Græciæ Numismata vocatur,) *Ezechiel Spanhemius* lib. de usu & Præstantia Numismatum Dissert. 8. p. 691. Et *Jacobus Sponius* lib. ante allegato p. 436. ubi explicat numisma in fœdus Thyatiræ & Smyrneæ percussum. Operæ pretium est mentem verborum è Gallico transferre: Hoc nummo permotus opus videtur ea vobis referre quæ mihi de fœderibus comperta sunt, quæ urbes inter se jungebant, præcipue vero urbes Joniæ, Lydiæ, Cariæ, quæ contiguæ provinciæ sunt. Imperatores nempe permittebant ipsis propriis vivere legibus, nec ægre ferebant, quod pactis se invicem obstringerent, amicitiamque foverent, ut necessitate exigente auxilium ferrent. Instituto autem nostro convenit in numerum harum civitatum inquirere, easque ad calculum revocare, quod non nisi nummis instructi effectum dare possumus. In partes ergo mihi vocandus est *Spanhemius* l. c. qui è *Cimelio Mediceo* nummum adducit cujus inscriptio est: ΠΡΟ ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕ ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ ΚΟΙΝ. Frontone Asiarcha & sacerdote XIII. civitatum, numerabiles nempe literæ ΓΙ transpositæ sunt pro ΙΓ quod idem ac τριακαιδεκα. Similis est cujus ea epigraphe: ΣΑ. ΕΥΤΥΧΟΥΣ. ΑΡΧΙΕ. ΓΙ. ΠΟΛ.

Hæ vero civitates erant insigniores & principales, & se Metropoles neocoros vocabant, quas dignitates sibi ideo vindicabant præcipue, quod Augustorum permissu, quos ut præsens numen venerabantur, ipsis consecrare templa, Asiarcharum auspiciis convocatis fœderatis ludos solennes edere integrum erat. Omnes ergo dignitate pares erant, nulla superior. Singulas ergo recenseamus prout è nummis eruere licuit. Ephesus, Smyrna, Pergamus, Laodicea, Sardis, Hierapolis, Magnesia, Miletus, Thyatira, Perinthus, Trallis, Nicomedia, Tarsus. De Epheso quidem nullum est dubium, cum tot nummi & monumenta hanc Metropolim, ter neocoron, hoc ter est ludos communes celebrasse & fœderi adstrictam confirment. Smyrnam pari dignitatis gradu fuisse ostendit nummus *Marchionis de Nointel*, sub Caracalla cujus imaginem nomenque refert, & alius huic par *Comitis Moscardi* cum literis Σμυρναίων πρωτων νεωκορων τ̃ σεβασων, quos vidit & descripsit *Sponius* l. c. Pergamenis præmissum Augusto templum consecrare, ludosque facere. *Dio* l. 51. Inque fœdus admissos persuadet inscriptio nummi sub Caracalla conflati: σμυρναιων περγαμηνων ομονοια, quem possidet *Falcknerus*. Et alia cum imagine Jovis περγαμηνων εφεσιων ομονοια. Nec ea dignitate privanda Laodicea ex nummo Comitis Soderini λαοδικεων σμυρναιων, & adhuc alia *Morell. de Berne* λαοδικεων περγαμηνων ομονοια. Nec de Sardibus dubium, quorum ludi & Chrysantini vocabantur à villa urbi proxima in qua exhibebantur Sardium nomine. Hæc probat metallum *Reginæ Sueciæ* exhibens Imp. Marc. Aurelium εφεσιων ϗ σαρδιανων ομονοια, talem & possidet *Card. de Maximis*. Hierapolim sociam participemque fœderis facit nummi epigraphe ιεροπολιτων σμυρναιων νεωκορων ομονοια. Reginæ Sueciæ. Magnesiam septimo loco ponimus quæ teste *Strabone* artificiosissimum templum exstruxit. Vidit *Spanhemius* nummum μαγνησιον εβδομητης Ασιας. Dissert. 9. de Præst. Num. talemque *Patinus* in thesauro. Marmora vero Oxoniensia pacta fœderis inter Magnesios & Smyrnæos exhibent. Milesios fœderatos monstrat *Morosini* Nob. Veneti metallum cui inscriptum μιλησιων ϗ εφεσιων ομονοια. Perinthus succedentibus temporibus Heraclea vocata Zosim l. 2. c. 62. nominatur neocoros & Metropolis temporibus Caracallæ & Getæ, iniitque fœdus quod videre licet ex nummo: Σμυρναιων ομονοια περινθιων επι μενεκλεως. Præfectus vero Perinthiorum fuit temporibus Gordiani Menecles. Hunc servat *Dn. Dufurus Lugdunensis*. Trallianorum civitas *Straboni* divitiis affluens fœderata quod nummus ostendit: Εφεσιων νεωκορων τραλλιανων ομονοια. De Nicomediæ fœdere servat *Comes de Nointel*. nummum: Σμυρναιων Νικομ. ομονοια. temporibus Imp. Marc. Aurelii. Tarson Metropolin, Neocoron, fœderatam, ostendit nummus Spiridonis Auloniti. Accessit ultimis temporibus & fœderi Cyzicus, ut itaque harum civitatum decem & quatuor tandem fuerint. Hos autem quos adduxi nummos partim curæ *Ezech. Spanhemii* debemus, plures vero insigni fideliquе industria, cum Asiam Italiamque perlustraret, descripsit antiquitatum peritissimus *Jac. Sponius* Voyage d'Italie. Cum ergo Asiarchæ sacrorum communis Asiæ seu fœderatæ curam egerint, ludosque exhibuerint, liquidum hanc solum ad ipsos pertinere.

§. 9. His absolutis ac expeditis quæ viam adytumque facere ad negotium videbantur, animus est expendere quibusnam præcipue rebus Asiarchæ occupati fuerint; num sacra tantum ad religionem ceremoniasque pertinentia tractarint, num vero publica quoque munia susceperint. Eam sententiam firmandam defendendamque mihi sumo, quæ utrumque complectitur, quamvis me non latet maximos eruditioneque æstimandos viros diversa sentire. *Simon Schardius* JCtus & in historia bene versatus in Lex. Juridico Asiarchas Juris sacerdotes interpretatur, rationem tamen non adjungit, ideoque neminem invenit qui errantem sequi voluerit. In legibus enim Asiarchæ à professoribus qui jus interpretabantur, distinguuntur. ff. l. de Excusat. muner. l. 38. βασιλων. Nec adeo magni momenti est quod *Alexander ab Alexandro* affert lib. 4. Genial. Dier. c. 23. cum dicit Hipparchi apud Mitylenæos imperarunt, & Trallianis Asiarchæ. Hac ratione omnia confundit Alexander, Asiarchasque principes Trallianorum constituit, huic Trallianos subjicit, imperioque Romanorum eximit. Sed non opus est magno ambitu verborum hæc refellere. Modeste quoque dissentiri mihi liceat à *Dn. Joh. Tob. Majore*, qui dum Albaspinæum confutare incipit, principatum Asiarchos gessisse asserit Annot. ad Acta pag. 246. Sed quamvis non negarim principi loco fuisse ac primores, nec tamen principes dicendos arbitror vel hanc ob rationem; quod legitimo ac recepto sensu non nisi is Princeps, qui particeps jurisdictionis ac majestatis. Nec audiendus *Constantinus Porphyrogenneta* est, qui Asiarcham Asiæ Pro-Consulem interpretatur. Sed nunquam Asiarcha ut Pro-Consul, sed ut sacrorum & ludorum præses inducitur. Et Proconsul ἡγεμὸν, Asiarcha v. principi loco est in regione. Proconsul Senatorius est Homo & Romanus, Asiarcha Asinus.

§. 10. *Gabriel Albaspinæus* Episcopus Aurelianensis omni potestate exuit Asiarchas. l. 1. Obs. Sacr. obs. 22. & ad templa & aras protrudit, quod cum ingenio non rationibus confisus faciat, liceat bona ipsius pace argumenta examinare. Primo quidem ipsi valde incongruum videtur populum ab aliis victum præsidem sibi constituere. Sed jam ante hoc ex civili prudentia discussum §. 8. partem libertatis à principe his concessum fuisse. Deinde ex historia Romana constat, & reges aut tetrarchas possedisse regna, dispensante tamen momenta pacis & belli prætore. Et vel unicum Herodis exemplum contrarium evincit. Altera ratio ea est. Plures Asiarchos fuisse Ephesi, absurdum autem esse plures principes uno esse in loco, & obtinere imperium. Et ad hoc expedita responsio. Non enim semper plures fuere Ephesi Asiarchæ, sed hoc tempore, quo communis Asiæ ludi celebrabantur, omnes huc convenere, pro instituti ratione. Ulteriusque obstat, verisimilius esse, Sacerdotes paganos admonuisse Paulum quam viros summos dignitate eximios. Primo quidem minus recte sibi persuasum habet *Albaspinæus* viles ac abjectæ sortis fuisse Asiarchas. Non enim parva res erat aut Jovis aut Æsculapii sacerdotem esse, multo minus Asiæ communis. Deinde non solum Asiæ Sacerdotibus sed & Præsidibus conveniebat prospicere paci & concordiæ publicæ, minimeque ipsis indignum censendum est eos monere aut subducere, quorum aspectu vulgus concitari fomesque seditioni admoveri potest.

§. 11. Si ergo dicendum quod res est, singula civitatum fœderatarum sive per successionem, sive per electionem Asiarcham sibi

sibi constituebat, quorum dignitate primus summus Sacerdos aut Asiarcha XIII. civitatum (non adjecto nempe Cyzico) vocabatur. Horumque munus fuit sacra solemnia curare, & si civitati concederetur edere ludos communis Asiæ, ob quos νεοκόροι vocabantur, iis præsidere, seditiones ac turbas cohibere & victores donis afficere. Et sic munus hoc splendidum quidem & honoratum, sed multis oneribus implicitum tamen existimandum est.

§. 12. Itaque prima & maxima controversia est de numero. Ii qui in explicando nostro loco desudarunt, nihil certi definiunt, in quibus *H. Grotius*, *Casaubonus*, *Cl. Salmasius*, multi tamen ad id inclinare videntur unum fuisse annuatim Asiarcham. In quorum numero est *Henricus Valesius in Eusebii* Hist. Eccl. l. 4. p. 72. cujus sententiam amplectitur quoque *Ezechiel Spanhemius* Dissert. 8. de Num. Horum authoritas in literis ut magna est, ita bona venia liceat contrarium asserere. Nec enim intercipere ipsorum laudem ac gloriam volo nec possum, sed veritatem indagare. Primo quidem non argumentum sumam à collegiis Sacerdotum Saliarium, Quirinalium, Augustalium Romanorum, quos longe ordine recensent antiquitatum scriptores; quamvis id hoc in negotio fecerit *Valesius*. Illustrat enim, non probat. Nec fundamento mihi sit in locis, ubi Asiarcharum mentio, adhiberi eum loquendi modum, qui plures innuit, ut hoc in loco & in Basilicis lib. 38. Sed ab indole rei accersenda mihi ratio est: singula civitatum fœderatarum magno honori duxit, exstruere templa, celebrare ludos, & nomen neocoron demereri. Igitur quæque etiam civitas sacrorum præside opus habuit, qui ludis & sacris solennibus præesset, hoc est Asiarcha. Nec enim omnia sacra & ceremoniæ à quovis sacerdote peragi poterant. Secundum argumentum peto ex nummis & monumentis. De Trallianorum Asiarchia me confirmat *Strabo* lib. 14. Semper cives quosdam Asiarchia functos refert. p. 746. De Magnetarcha *Alexander ab Alexandro* l. c. Ephesios Asiarcham habuisse, id fundamento est, quod *Aristidem* in ludis solennibus huic muneri admovere voluerint Aristid. Orat. 4. sacr. Edit. *Guilielm. Canter.* De Pergamenorum Asiarcha certiorem me fecit inscriptio *Sponio* visa & descripta p. 394. M. Αυρ. Διαδοχον ἱππικον τ̃ ἐν περγαμωι κ̀ Ἀρχιερεα κτ̃ τ̃ αὐτον καιρον τ̃ πατριδ☉ διαβις, sed hic simul Archisacerdos fuit, quapropter hæc inscriptio mihi mox usui erit. Nec de Nicomedia quis dubitavit, cum Bithyniarcha omnibus notus sit. Bithyniæ vero metropolis fuit Nicomedia. Hujus meminit *Jacobus Cujacius* in divino (ut à *Thuano* lib. XCIX. histor. vocatur) observationum opere c. l. 2. obs. 13. ff. l. 6. q. 14. De Excusat. Smyrnæorum Asiarchiæ mentionem injicit monumentum Gymnasii, quod ibi exstructum est sub Cæsare Hadriano. In quo legitur χερσιφρον Ἀσιαρχης τȣς κηπȣς εἰς τ̃ φοινεκωνα Asiarcha hortos ad palmetum. Vid. *Marmora Oxoniensia.* Et *Reinesius* clas. 11. Insc. p. 288. Et nummus in Regis Galliæ Gaza Τερπȣ ἀσιαρχȣ Σμυρναίων, quem vidit & descripsit *Spanhemius* l. c. additque ibidem alium qui Cyzicenorum Asiarchiæ meminit. De Sardianorum Pontifice cusum numisma possidet *Dn. Falcknerius* referente *Sponio*, cujus una facies Caracallam exhibet, altera hæc verba Επ. Αυ. Ρȣφ. Αρχ. το. γ. χρυσανθινα σαρδιανων β. νεωκορων. Sub Antonio Rufo Pontifice tertia vice Chrysanthina Sardianorum secundo Neocororum. Accidit jam & consensus eruditissimorum virorum *Jac. Usserii Armachani* Not. ad Epist. de Martyrio Polycarpi. *Humphridi Prideaux* in notis ad marmora Oxon. p. 96. *Jac. Sponius* d. l. sed contrarium *Valesii* argumentum est, quod absurdum ipsi videatur unum Asiarcham nominari præsertim in annorum computo apud *Eusebium* & in Epistola de Martyrio Polycarpi, si plures tamen fuerint, nam sic omnia incerta fore. Sed hic modus solvitur, si non Asiarchæ unius civitatis fœderatæ sed Archisacerdotis in annorum computo rationem habitam fuisse dicatur.

§. 13. Ideoque accurate Archisacerdotem ab Asiarchis discernimus, quod & facit *Spanhemius* d. l. Archisacerdos enim Asiarcharum colleg. princeps ac primas fuit. Distinguitur quoque in inscriptione paragrapho præcedenti allegata, diciturque Archisacerdotem solarium ædificasse, quod egregie illustrat nummi inscriptio sub Antonio pio percussi & §. 8. adducti. Et Epistola de Polycarpi Martyrio hoc discrimen observat, cum sub finem dicit passum ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππȣ quem paulo ante ἀσιάρχlω vocaverat. Ut jam adeo non opus sit ut hæreamus in *Valesio* qui sententiam suam non argumento sed exemplo Sacerdotum Hierosolymitanorum fulciat. De quo vid. *Grotium* Comment. in *Matth.* *Vossium* in Harmonia p. 83. *Lightfoot.* ad Joh. 18: 13.

§. 14. Persequamur institutum, evincamusque Asiarchas principi loco habitos fuisse, dignitate antecessisse minores magistratus, proximæque Proconsulem Præsidemque Asiæ secutum. In qua sententia me firmat *Strabo*, qui dicit ipsos προεδρεύοντες κτ̃ τ̃ ἐπαρχίαν. Et hoc ea actio arguit, quam *Aristides* Orat. 4. Sacra narrat. Cum enim omnium consensu ipse Asiarcha Ephesiorum eligeretur, Severus id suo assensu approbans dixit: αἰτȣμαι δὲ αὐτὸν ἔφη συνάρξαι μοι, cupio ut mecum imperet. Et quod antequam Asiarcha eligeretur, ipsum Irenarcham constituerint, quod suscipere noluit Asiarchiam, ergo Irenarchiam dignitate superare id argumento est, quod *Aristides* dicit se καθάπερ κλίμακ☉ quasi per scalam & gradus honoribus muneribusque admotum. Jure vero prohibitum, & parte dedecoris habetur majoribus honoribus functum ad minores vocare l. 54. Basilii. tit. 3.

§. 15. Horum vero munus exhibere spectacula quod munus dicebatur victoresque præmiis afficere. Cod. Theod. de Expens. Lud. quapropter munerarii vocabantur Quintil. Institut. 8. cap. 3. L. Vall. l. 4. c. 16. Tantum vero in illis ludis qui in honorem Augustorum exhibebantur. In aliis enim erant agonothetæ, ut patet ex multis monumentis. Vid. *Pet. Faber* in Agonosticis. Et hac in parte comparandi Asiarchæ veniunt cum Augustalibus quinquennalibus è Decurionibus coloniarum electis, qui præter sacra etiam civitatis annonæ curam gerebant, apparatum ludorum editionemque procurabant, sæpeque non ex jure magistratus, sed lege & constitutione principum causam privatorum cognoscebant. Vid. *Rosinus & Pomponius Lætus* in Antiqu. Rom. Id autem munus sumtus requirebat, eosque postulabat qui divitiis affluerent. Ideo *Aristides* dicit κτήματα εἴη μοι περὶ τ̃ τόπον τȣ̃τον, n. 613. Et *Strabo* Asiarcham Trallianum regales opes possedisse affirmat. Et *Philostratus* dicit Scopelianum fuisse ὑπὲρ πολλῶν χρημάτων, quod multis opibus præpollens vertit *Ferd. Morellus.* Et propterea molestum erat hoc munus, has ut delinirent molestias Imperatores, Asiarchis largiebantur δικαίαν τ̃ ἀτελείας, jus immunitatis. H. de vacatione & excusatione munerum t. de muneribus & honoribus l. sponte provinciæ. Et *in Basilicis* καὶ τοὶ ἐν ἀγῶσι στεφανȣ́μενοι καὶ τοὶ ἱεροῖς ἐπαρχεῶν τȣτέστιν Ἀσιάρχαι, καὶ οἱ λοιποὶ ἕως ȣ̃ τlὼ τήμlω πράττοισιν, ȣ̃τε δημόσιον, ȣ̃τε ἐπαρχικὸν ἐστὶ τ̃ γδ ἐπιτροπῆς λειτȣ́ργημα, ἀλλὰ πολιτικόν. lit. 38. Quod *Carolus Hannibal Fabrettus* hunc in modum vertit: Qui certaminibus coronati sunt, & Sacerdotes provinciarum, hoc est, Asiarchæ, & reliqui quamdiu hoc honore funguntur, vacationem habent. Tutela enim neque publicum neque provinciale est, sed civile. Hoc munus cum vita, si quis volebat, durabat, quod inscriptio §. 13. adducta declarat, dum Aurelius Pergamenorum Asiarcha διὰ βίȣ huic muneri præfuisse perhibetur. Contrarium forsan sola *Valesii* authoritate adductus statuit *Ezech. Spanhemius* d. l.

§. 16. Hoc munus erat vel patrimoniale & hæreditarium, ubi quis jure successionis adstrictus erat id suspicere, nisi quinque liberorum numero subnixus ff. de Excusat. muner. Hoc partim ex jure partim inde patet quod Scopeliani Asiarchæ πρόγονοι progenitores eandem dignitatem obtinuerint. Electione vero huic officio admovebatur *Aristides* quod in Orat. 4. sacra describit. Ὡς ȣ̃ν παρῆλθον εἰς τ̃ ἐκκλεσίαν, κ̀ ὁ δῆμ☉ τοὶ εἰωθότα ἐπεθορύβησεν, ἔργον εἴχοντο οἱ παρεσκευασμένοι κροτȣ̃ντες τε κ̀ τ̃ ἱεροσύνlω τlὼ κοινlὼ τ̃ Ἀσίας ἀνατιθέντες μοι, καὶ τὸν δῆμον ἐπεσπάσαντο ȣ̓ χαλεπῶς. Postquam in concionem veni, & populus more solito plausum edidit: tum qui ad eam rem subornati erant, commune totius Asiæ sacerdotium mihi detulerunt, nec difficulter populum in suam perduxere sententiam p. 613. Et Pergamenorum Asiarchiam Cæsaris Antonini mandato obtinuit Aurelius Diodochus.

§. 17. Itaque jam per se patet Alytarchas, qui cum Syriarchis idem sunt, non in numerum Asiarcharum recipiendos esse. Nec enim Syria aut Antiochia ad Orontem, quæ sedes ipsorum erat, ad Asiam confœderatam pertinebat, nec Alytarcharum munus perpetuum esse poterat. In cæteris quidem ut in exhibitione ludorum nihil diversum habebat. De quo vid. Cod. Theodos. de Expens. Lud. Ubi *Jac. Gothofredus* Eruditissimus legum interpres notat duos Alytarchas fuisse Pyseorum & Antiochensium, forsan commotus veteri monumento, ubi hoc occurrit. Sed hoc vetustum & antiquum ad ea tempora pertinet, quibus adhuc ludi celebrabantur ibi, qui postea Antiochiæ exhibiti sunt. Itaque & Alytarcha etiam locum domiciliumque mutavit. Hujus vero munus fuit argenteam urnam sortibus extrahendis idoneam in theatrum ferre, mastigophoris & ἀλύταις præesse, turbas arcere, cupressum luco Daphnensi excindere. Cod. de Offic. Com. Orientis. Cod. *Theodos.* de Cupress. C. Theod. de Jure Fisci. Vid. *Lucianus* Tom. 2. Dialog. de

de hæresibus pag. 213. Cujacius l. 2. Obs. 23. *Anton. Perez.* In Cod. Justin. vestium habitum ornatumque describit *Plutarchus* in Catone Minore pag. 764. in Pompejo M. i. 640. & *Joh. Malala* l. 12. Imo Lyciarcha à *Strabone* l. 14. pag. 762. descriptus & Phœnicarcha eodem fundamento excluditur. Vid. *Guid. Panciroll. c.* l. p. 170. c. t.

§. 18. Nihil vero de tempore affirmare aut negare audeo, quo Asiarchæ esse desueverint. Postquam enim Constantinus, abdicatis gentilium ceremoniis, in Christianorum familiam adoptatus, horumque numero adscriptus est, mansit Asiarchis dignitas, hac lege, ut gentiles superstitiones omitterent, spectaculis tamen Asianorum animos demulcerent. Non vana tamen opinio videtur, invadentibus imperium barbaris, communi clade Asiarcharum dignitatem destructam esse atque deletam. Et nos jam defuncti sumus nostro officio, in lectoris benevolentia spem ac fiduciam veniæ erroris collocantes. Cui aliquando erunt præsidia à *Dn. Patini* nondum editis nummorum thesauris, aut *Vaillantii* Regis Galliæ Antiquarii codicibus, qui jussu mandatoque Colberti Asiam perlustravit, omnia quæ potuerunt, conquisivit, jamque immensam nummorum copiam, instruendæ ex Prætoribus, Proconsulibus, Asiarchis Asiæ chronologiæ, ineundique urbium numero idoneum, promisit; accuratius quid de hac materia dare poterit. Finem facimus quamvis res non adeo ex voluntate processerit. Sed in magnis voluisse

SAT EST.

M. J. NIC. SCHULINI
DISSERTATIO
De Diana Ephesia ad Act. XIX: 34.

CUM DEO!

§. I.



Dianæ nomen unde ortum sit, inter Autores non levis dissensio est. Macrobius Nigidium Figulum secutus, Dianam & Janam paria facere affirmat, literamque D ornatus atque elegantiæ causa additam contendit, idque vocabulorum redditur, redhibetur, redintegratur &c. exemplis adstruere conatur v. *Saturnal. I. 9.* 186. Triviæ etiam inde cognomentum Dianam accepisse existimat, quod sicut Janus, ita & Diana portarum viarumque curam gerat. Lunæ quoque nomine Dianam appellasse Veteres certum est, & ex Autore Scholiorum in Aristophanem imprimis constat. Is enim dicit, Persas, cum bellum toti Græciæ intulissent, & mille numero navium classem ad Delum appulissent, non tamen ausos fuisse quicquam vel in Delo, vel Ephesi violare, propterea quod à Deliis Sol, ab Ephesiis vero Luna coleretur. *v. Comœdia quæ Pax inscribitur, p. 447. conf. Cicero Act. 3. in Verrem. p. 161. Trebellius Pollio in Gallien. ex edit. Salm. pag. 199.* Sunt qui Dianam dictam esse velint, quod noctu quasi diem efficeret, in quam sententiam *vid. Cicero II. de Natura Deorum p. 74.* & qui eum sequitur *Julius Firmicus Maternus de errore profan. relig. p. 22.* Verum contra illos disputat *Gerhardus Joann. Vossius*, qui ex Diva & Jana hanc vocem conflatam esse statuit, eamque ob causam primam modo produci modo corripi arbitratur *vid. Institut. Oratoriar. IV. p. 11. conf. de Arte Grammat. II. p. 191. & 224.* Græci eam Ἄρτεμιν dicunt, quomodo etiam Lunam vocare soliti sunt, ratione appellationis inde deducta, quod Luna sit ἀερετόμος; idque adeo causa fuit, quamobrem fœminas certis cum morbis conflictantes Σεληνοβλήτους καὶ Ἀρτεμιδοβλήτους nominarent. v. *Macrob. Saturnal. I. 15. 217. & 17. 226.* De reliquis nominibus titulisque, quos Dianæ olim tribuerunt, dicere supersedeo, cum & instituti mei ratio me avocet, & ut lectori fastidium ne afferam magnopere providendum mihi sit. Id annotasse in præsens sufficiat, Dianam titulorum multitudine adeo delectatam fuisse, ut eam cum virginitatis dono à Patre suo Jove petere non dubitaret. Sic enim à Callimacho inducitur:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
Καὶ πολυωνυμίην

cit. Casaub. Exercit. 14. ad Annal. Baronii p. 289.

§. II. Etsi vero inter pleraque Numina quæ coluerunt olim, tanta Dianæ claritas nominisque magnitudo fuit, ut gens fere nulla natioque posset reperiri, quæ eam non religiosissime veneraretur: tamen vix alibi majorem sanctitatis, Divinitatisque opinionem habuisse, quam apud Ephesios, proditum in annalibus & scriptum est.

§. III. Id quidem profecto movit Ephesios, ut Legatis ad Tiberium missis, gravissime quererentur, quam male atque injuste facerent Delii, quod Dianam in insula sua natam esse contenderent: Latonam enim ex longo errore & fuga gravidam & jam ad pariendum vicinam in Ephesiorum agros venisse, ibique ad Cenchrium amnem oleæ adnixam etiamnum manenti Dianam peperisse. *v. Tacit. Annal. III. 6. 1. 101. conf. Cicero Act. 3. in Verr. 161. & Hyginus fab. 140.*

§. IV. Tanto minus Ægyptiis adhibenda fides est, qui Bubastin, (sic enim Dianam appellare consueverunt) ex Iside natam putarunt, & Latonam nutricis modo munere functam esse asseruerunt. Neque enim id quisquam Poëtarum præter *Æschylum Euphorionis filium tradidit*, neque quod sciam, alii, qui his in rebus explicandis diu multumque sunt versati, memoriæ prodiderunt. *Herodotus in Euterpe & Pausanias in Arcadicis.*

§. V. Bacchi jam ætate Dianæ Ephesiæ nomen celebre inclytumque fuit: quippe traditum est, Amazones à Baccho acie superatas in Dianæ Ephesiæ fanum confugisse, atque in ejus ara consedisse, seque quod religionem minuere nollet Bacchus hoc modo ab injuria defendisse *v. Tacitus l. c. Pausanias in Achaicis.* Neque proinde de hoc dubitari potest, multo ante cultam ab Ephesiis fuisse, quam Heraclidæ in Peloponesum reverterentur. Quis vero fanum ei erexerit primus subobscura quæstio est, quam si paulo accuratius explicarem, vix operæ pretium facturus essem.

§. VI. Amazonem quandam cui Ortitæ nomen sit, Martis Conjugem prima jecisse fundamenta memorat *Hyginus Fab. 223. & 225. Pindarus* ab Amazonibus adversus Theseum Ducem Atheniensium bellantibus exstructum esse, consignavit. Hanc Pindari sententiam acerbe perstringit *Pausanias l. c.* & veluti absurdam explodit, Ephesumque quendam nescio, cujus fluminis filium subornat, eundemque simul cum Crœso primum hujus fani conditorem fuisse arbitratur.

§. VII. At enim vero fallitur, vehementerque errat. Siquidem Ephesum hunc urbi nomen appellationemque dedisse affirmat, temporumque momenta ita distribuit, ut hæc omnia ante Bacchi cum Amazonibus certamen evenisse velit, neque cogi-

cogitat, urbis nomen, quo Ephesus vocitata est, tempore belli Trojani, atque adeo expeditionis Argonautarum incognitum plane fuisse *v. Plinius H. N. XVI. 40. 299. Hyginus fab.* 14. Hinc nos potissimum Hygino credimus, cæterisque qui ab Amazonibus prima templi initia arcesserunt.

§. VIII. Plurimis hoc delubrum calamitatibus obnoxium, septiesque instauratum fuit. Semel, tanto consensu à civitatibus Asiæ restitutum legitur, ut fama ejus rei permoti, atque auctoritate Regis sui Servii adducti Romani cum Latinis simile opus susciperent, & Dianæ quod in Aventino fuit, fanum exædificarent. *Plinius H. N. lib. & pag. supra cit. Livius Histor. I. 45. 92.*

§. IX. Tam vastum tantaque mole fuit, ut centum & viginti septem columnis à totidem Regibus constructis inniteretur, & post viginti annos supra ducentos demum perficeretur. Operi præfuit Chersiphron, qui cum rationem inire non posset, quomodo prægrande limen foribus ædis imponeretur, desperare cœpit, & de inferenda sibi morte cogitavit neque prius cœpto destitit, quàm à Diana per quietem fesso oblata, admoneretur, ut bono animo esset, se enim quod ipse facere non potuisset, effecisse. Quo facto ex gravissimo ægritudinis incommodo emersit, pristinumque vigorem recepit *v. Plinius l. c.*

§. X. Aberat ab urbe octingentis septuaginta quinque passibus nudo solo & palustri superstructum, quo tutum à terræmotibus esset, fundamenta carbonibus ante calcatis & lana substraverant, ne in lubrico collocata subsiderent, totumque aliquando ædificium corrueret *v. Plin. l. c. & Alexander ab Alex. Dierum Gen. VI. 2.* Duobus fluviis veluti circino circumductis cingebatur, marique alluebatur, quod postea recessisse memorat *Plinius H. N. II. 85. 94.* Post templum in luco quodam antrum fuit in quo fistulam suam Pan condidisse fertur. Eam ubi invenerunt Ephesii, Dianæ consecrarunt, facta pactione, uti antrum ingredi nemini nisi virginibus liceret. Quod si casu quodam accidit, ut fœmina descenderet, quæ virgo quidem videri volebat, non tamen esset, spelunca tam horrendum mugitum edebat, ut non parum adstantium animi mentesque, perturbarentur; sin violati pudoris suspicionem falso habuisset, dulcissimus sonus & plane Divinus, ipso Pane fistulam inflante præsentium aures complebat, antri valvæ sponte recludebantur, & virgo pineis frondibus redimita conspiciebatur. vid. prolix. *Achilles Tatius in* Ἐρωτ. *p. 479. qui etiam fistulam describit p. 475. conf. Ovid. Metamorph. lib. 4. fin. & Longus in Pastoral. lib. 2.* Hæc etiamsi à vero abhorrere videantur, tamen si mihi in mentem venit literarum, quæ ab Ephesiis nomen tulerunt, quibus Dæmones adjurati de corporibus excedere sunt coacti, facile adducor, ut credam, justissimum Numen & scelerum Vindicem acerrimum in circumscribendis & decipiendis his impiis, Dæmonibus aliquantum indulsisse. *De literis Ephesiis. V. Hesychius in h. v. & Suidas, conf. Ouzelius ad Minucii Felicis Octavium p. 159.*

§. XI. Sed ut prioribus vestigiis insistamus, atque ad templum redeamus, unde sumus digressi in id eundi mulieribus liberis potestas facta non fuit, virgines vero & viri ab ejus aditu minime prohibebantur. Quid? quod servas in id confugisse legimus Dominos suos in jus vocantes, & tum Magistratum Ephesiorum Arbitrum sumtum fuisse, Dominumque si serva causam perdidisset, eam rursus in servitutem asseruisse, dato prius jurejurando, fugæ memoriam deponere se velle; sin servæ Dominum injuriam fecisse, censuissent judices, eam libertate donatam, atque in collegium virginum quæ sacris Dianæ initiatæ erant, cooptatam fuisse, accepimus. *Achilles Tatius* Ἐρωτ. *l. 7. p. 451.* Non igitur levibus & quibuscunque de causis profugis libertatem peperit hoc asylum, sed iis demum, qui superbiam & crudelitatem Dominorum diutius sustinere se indignum putabant.

§. XII. Meminit hujus asyli *Strabo*, traditque, Alexandrum id ad stadium extendisse: Mithridatem vero ad teli jactum produxisse: Antonium denique limitibus à Mithridate præscriptis urbis aliquam partem adjecisse; postea Augustum, quod proposita impunitatis spes plurimis sceleribus causam daret, exoletum hunc asylorum morem plane antiquasse dicit; *v. Geograph. 14. 610. seq.* quod etiam Tiberium fecisse *Suetonius* testis est *v. in Tiber. 37.* Sed ab eo dissentit Tacitus, qui nimiam modo licentiam asylorum Tiberium coërcuisse testatur; neque enim in ea sibi modum constituere poterant Civitates Græcæ, unde querelæ multæ enatæ, Romamque delatæ sunt, cujus *M. Aurelius Scaurus* qui quæsturam apud Ephesios gessit documentum reliquit v. *Tacitus Annal. III. 63. p. 102. conf. Cic. Act. III. in Verrem p. 176.*

§. XIII. Præterquam vero quod servitia oppressa à Dominorum violenta incursione in hoc fano manserint illæsa; constat etiam maximas sæpenumero opes insidiarum metu eo depositas fuisse. *Xenophon* cum barbaris apud Coroneam congressurus, fortunas suas Dianæ credidit *v. in expedit. Cyri. V. 350. & Plautus in Comœdia quæ Bacchides* inscribitur, eas partes servo dedit, uti aurum heri sui Theotimo Sacerdoti Dianæ præsentibus Ephesiis commendaret. *v. Actus II. Sc. 3. 426. seq.* Quo magis Julii Cæsaris laudanda virtus est, is enim etsi ab ærario sanctiori non abstinuit, maximamque auri vicesimarii vim ex eo sustulit, tamen hic anteposuit cupiditati religionem, & pecuniæ Ephesiæ duobus temporibus auxilium tulit, omniaque ejus Deæ simulachra summa pietate conservavit *v. Florus IV. 2. 333. conf. Appian. Civil. II. 744. seq. & 838. Jul. Cæs. Civil. 3. 32. 324. & 340.*

§. XIV. Itaque longe meliorem famæ suæ rationem habuit, quam Herostratus homo vanus & stolidus qui, quum nominis sui monumentum æternum relinquere vellet, sceleribus id se consequi posse putavit, fanumque Dianæ incendit, opus tam perfectum, elegans, atque elaboratum, ut ab Aristophane πάγχρυσος οἶκος diceretur, omniumque opinione totius terrarum orbis miraculum judicaretur *v. Aristoph. in Nubibus Act. I. Sc. 6. p. 122.* Nolo rem pervagatam ultra persequi, atque adeo pluribus facere mentionem ipsius hominis, quem ne quis nominaret, quondam communi Asiæ decreto sancitum fuit. Quare ea omittam, & quemadmodum templum hoc rursus suscitatum fuerit, efficiam, ut intelligatur.

§. XV. Neque enim nefarium Herostrati facinus fregit Ephesios, superstitionemque eorum impedivit, sed auxit; Namque Alexandro Macedoni novum templum suis sumptibus erecturo & nihil aliud nisi restituti à se templi gloriam petenti id non permiserunt, verum opibus privatis publicam inopiam levarunt, suisque impensis ædem tam splendidam instaurarunt, ut illa flamma extitisse videretur, non quæ deleret Dianæ templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret. *v. Strabo Geograph. l. 14. 610.* Ea in re perficienda singularis *Cheromocratis* opera fuit, architecti eximii, & quod Alexandriam designasset, ad memoriam posteritatis insignis. Templi pulchritudinem non parum augebant statuæ summo artificio à Praxitele aliisque factæ, marmorisque splendor, qui tantus fuit, ut fanum contemplantes ab æditius monerentur, oculis suis parcerent, ne iis nimius fulgor molestiam exhiberet, aciemque eorum obtunderet. *Strabo l. c. Plinius H. N. l. 36. 15. pag. 637.* Multæ præterea tabulæ pereleganter pictæ interiores ædis parietes vestiebant, in quibus erat imago Alexandri ἀμιμήτου ab Apelle expressa & (si quid conjectando assequi possum) postea à Verre asportata, in quem propterea Cicero gravissime invehitur. *Plinius H. N. l. 35. C. 10. pag. 585. conf. Cicero Act. 6. in Verrem p. m. 438.* Summatim incredibilis rerum omnium varietas copiaque cum arte certabat, & nihil eorum non conspiciebatur, quæ vel dignitatem templi amplificare, vel sanctitatem majestatemque Deæ significare potuissent. His rebus permotus Democritus de tam augusto Patriæ suæ templo aliquot libros conscripsit, posterisque reliquit, è quibus tamen nihil nisi fragmentum superest, quod apud Athenæum potest reperiri *v. Vossius de Historicis Græcis l. 3. p. 353.*

§. XVI. Simulacrum Dianæ Ephesiæ Scriptor Actuum, qui ab Apostolis cognomentum invenerunt, populariter locutus, Διοπετὲς vocat, id quod Suidas ἐξ οὐρανοῦ κατερχόμενον interpretatur. Ita scilicet credulitate hominum sunt abusi, ut eo magis fidem commodarent simulacris Divinitatis ac Numinis. Quorsum respicit, animumque intendit idem Auctor, dum pergit: οἱ παρ᾽ Ἕλλησι τὰ ξόανα κατασκευάζοντες φόβον ἐμποιῆσαι βουλόμενοι τοῖς ὁρῶσιν, ἔφασκον, ὅτι τὸ ἄγαλμα παρὰ τοῦ Διὸς ἐπέμφθη καὶ κατέπτη, κρεῖττον ὑπάρχον πάσης ἀνθρωπίνης χειρὸς καὶ ἀναλώματος· ὅθεν καὶ διοπετὲς αὐτὸ καὶ οὐράνιον βρέτας ἐκάλουν, παρὰ τὸ βροτῷ ἐοικέναι· τοῦτο δὲ οὕτως ἐκήρυττον τοὺς ἀγαλματοποιοὺς ἢ ἀποκτείνοντες ἢ φυγαδεύοντες, ἵνα μὴ λέγοιεν ὅτι χειροποίητον τὸ ζόανον φήμην πλάσαντες ἐν ταῖς ἀγυιαῖς τῶν πεφενακισμένων ἠφίεσαν, ἥτις καὶ τὴν Ἐφεσίων ἐπλάνα πόλιν. hoc est: Qui ap. Græcos statuas fecerunt, quo spectatoribus metum religionemque incuterent, dixerunt, quod simulachrum à Jove demissum, multo præstantius esset, quam ut sumptibus & manibus humanis fieri potuerit, unde è cœlo delapsum & cæleste vocarunt, quod excellentius esset, quam ut mortalem aliquem autorem agnosceret. Id autem hunc in modum divulgarunt; scilicet statuarios vel interfecerunt, vel in exilium egerunt, ne simulachrum manu humana fabricatum esse proderent, operamque dederunt, ut falsus hic rumor ad aures eorum qui decepti erant, perveniret, hocque pacto Ephesii in errorem sunt inducti. Affert etiam eam in rem Ptolomæi exemplum, qui hac ratione Alexan-

Alexandrinis imposuit. Quum enim signum Dianæ ab artificibus quibus ejus rei curam demandaverat, perfectum esse intelligeret, scrobem fieri præcepit, omnesque statuarios, quorum opera usus fuerat, ad convivium ibi apparatum invitari jussit: Qui igitur nullas veriti insidias dicto audientes fuerunt Regi, falsoque ducti gaudio diem hilarem sumserunt, ex improviso obruti ac miserandum in modum peremti sunt *vid. Suidas in vocab.* διοπετὲς. Plinius quoddam genus ranarum διοπετῶν esse annotavit; quod ut Dalechampius explicat, interdum ranæ de cœlo decidant. Verum Sigism. Gelenius eas διοπετεῖς à Plinio dici propterea existimat, quod nonnunquam aliquibus in locis tantus ranarum numerus conspiciatur, ut cum imbre delapsæ, vel certe ex eo natæ possint videri *vid. Plinius H. N. l. 32. l. 7. p. 407. & Cap. 10. pag. 427. conf. Dalechamp. & Gelenius ad h. l.*

§. XVII. Enimvero tantum abfuit ut simulachrum Dianæ Ephesiæ esset διοπετὲς, ut etiam credam neminem fore, qui nesciat, quod χειροποίητον fuerit, Xenophontis quidem ætate aureum, post incensum vero ab Herostrato templum ligneum, manuque Canetiæ factum, etsi quo è ligno non satis cognitum perspectumque sit: *vid. Xenophon de expedit. Cyri lib. V. 350. Plinius H. N. Lib. XVI. Cap. 40. p. 299.* Neque minus apte convenienterque de se Diana quam Priapus dicere potuit:

Olim truncus eram prægrandis, inutile lignum,
Cum faber incertus Scamnum faceretne Dianam,
Maluit esse Deam.

Sunt qui ex ebeno constitutum fuisse prodiderunt. Verum Mucianus Plinii Historiæ Naturalis Conditoris æqualis vitigineum à se visum testatur, septiesque restituto templo nihil omnino detrimenti cepisse affirmat, de quo tamen quid habendum sit, recogitanti quæ supra à nobis dicta sunt, nequit esse obscurum. Idem auctor est, multis foraminibus nardo aspersum rigatumque fuisse, quo medicatus humor aleret ac juncturas teneret, quas tam exiguum simulacrum habuisse miratur Plinius, propterea quod fere nullæ in grandioribus conspectæ fuerunt *vid. Plin. l. c.*

§. XVIII. Diversa cæteroquin Diana Ephesia à Venatrice fuit. Namque illa continuatis uberibus Isidis in modum effingebatur, & coronam gerebat & quamvis cingulo esset redimita, succincta tamen non erat: *vid. Jac. Ouzelius ad Minucii Felicis Octav. p. 159.* Hæc habitu cultuque Veneris venationibus operam dantis exprimebatur. *vid. Virgilius I. Æneid. vers. 320. & seqq.*

§. XIX. Etsi enim non sum nescius eruditissimum Virum Pet. Fabrum Semest. 3. p. 48. seq. censere nullam unquam Dianam πολύμαστον cultam fuisse, idque plurimis Scriptorum gravissimorum testimoniis comprobare: ipsum etiam Minucii Felicis codicem in quo ita legatur, mendosum corruptumque prodiisse, eoque deceptum fuisse Hieronymum existimare; tamen nobis Summi Viri emendatio primo nimis temeraria atque audax videtur, deinde si quis sit, qui locum *Apul. l. XI. Milesf.* à Joh. Wowerio adductum & explicatum paulo diligentius pensitare, sensumque ejus accuratius rimari velit, is non mirabitur, nos in hoc loco exponendo Dan. Huetium Desid. Heraldum, Jac. Ouzelium aliosque secutos: Denique ad causam nostram eo felicius defendendam nobis magnum affert adjumentum auctoritas Josephi Scaligeri qui in veteribus nummis mammas esse expressas testatur; quanquam in cit. Minucii loco pro *Ubera Tubera* legendum esse iisdem adductus nummis arbitratur. *vid. Joh. Wower. in Notis ad Min. Felic. p. 27. seq. confer. observat. ad eund. Geverhardi Elmenhorstii p. 85. Desid. Heraldi p. 27. Ouzelii p. 119. Rigaltii p. 20, 21. & Huet. in Demonst. Euangelicis Prop. IV. 214.* Atque haud scio an non pro nostra sententia afferri possit quod Mucianus, paulo ante citatus memorat de juncturis in simulacro Dianæ Ephesiæ à se observatis, eas enim in simulacro πολυμάστῳ quantumvis parvo crebras frequentesque fuisse, mirandum non est.

§. XX. Ritus faciendi Dianæ sacra non eosdem servarunt omnes; sed diversos diversi tenuerunt. Scythæ Chersonesum Tauricam incolentes hospites ei immolarunt: & ut apud Athenienses lege Solonis de bove nulli Deo sacrificari permissum erat: ita Dianæ vitulum mactari quorundam moribus nefas habebatur, *vid. Alex. ab Alexandro. Dier. Gen. III. 692. Cic. II. de invent. pag. 225.* Nonnullæ Galliæ gentes ejusmodi institutis utebantur, ut stipem conferrent, quæ pro ratione captæ feræ modo major, modo minor erat, & ubi Dianæ festum anniversarium diesque natalis celebrandus esset, pecuniam collatam ad emendas Dianæ victimas impenderent, vid. Arriani κυνηγετ. 322. seq. *De victimis quas ei Romani fecerunt vid. Livius passim.*

§. XXI. Quibus ceremoniis Dianam coluerint Ephesii exemplum Xenophontis satis sufficienterque declarat. Is enim, quum in simulacro temploque perficiendo quod Dianæ Ephesiæ dedicaverat, diligentissimus institutorum Ephesiorum imitator esset, fruges agri à se consecrati obtulisse legitur, id minime facturus, si vel sacra hoc modo peracta ingrata Dianæ Ephesiæ fuissent, vel aliis ritibus rem Divinam Ephesii fecissent. *vid. in expedit. Cyri lib. V.* 390. De eo cæteroquin non dubitaverim hostias ei cæsas ac immolatas fuisse. Neque hoc negaverim, quod ille panis qui Dianæ imprimis sacer erat, & peculiari nomine λοχᾶ dicebatur, Dianæ Ephesiæ etiam oblatus fuerit. Id quoque annotasse non abs re erit, quod si quando Ephesum peregrini venissent sacrificatum, tum de nocentibus supplicium sumere moribus Ephesiorum non licuerit. *vid. Achilles Tatius* Ἐρωτ. 448.

§. XXII. Inter cæteros vero festos celebratosque dies quos Dianæ Ephesii religiosos ac sacros habuerunt, natalis ejus maxime solennis fuit, ad quem recte & ex dignitate celebrandum omnes fere Asiæ gentes nationesque Ephesum confluxerunt. Imprimis autem ejus diei celebritas ad virgines juvenesque qui primo ætatis flore essent, pertinebat, ii enim cultu pulcherrimo procedere ad templum prælata pompa, & festum diem agere, sponsaliaque inire consueverant, *vid. Alex. ab Alexand. Gen. V. 423.* Quibus addendum quod ex Polluce annotasse memini Jac. Ouzelium in Not. ad Minucii Felicis Octav. virgines in Sacris nuptialibus Dianæ comæ primitias obtulisse, qui ritus etiam Athenis à pueris κουρεώτιδι, die festi ἀπατουρίων, & ab antiquis passim observatus traditur, ut verisimile non sit, Ephesios ab aliorum moribus institutisque recessisse.

§. XXIII. Equidem quo testatior eorum in Dianam pietas foret; in honorem ejus hymnos componi curaverunt, præmiaque proposuerunt, iisque Poetas donarunt, qui in fundendis carminibus præ cæteris naturam fautricem habuerunt. *vid. Macrobius Satur. Lib. V. Cap. 22. p. 429.* De jurejurando per Dianam concepto res satis nota est, atque exempla plurima possunt reperiri. Neque nuptiarum solum die cingulum solvebant, & Dianæ dicabant novæ nuptæ, sed etiam cum ex maritis gravidæ partum jam edituræ essent, *id quod ex Scholiast. Apollonii Rhodii liquido constat vid. Argonaut. α. Sect. 15. ad verba μίτρην πρώτην ἔλυσε &c.*

§. XXIV. Namque parturientibus & ex dolore partus laborantibus præsentissimum Dianæ auxilium offerri crediderunt olim. Hinc factum est, ut à Comicis, si quando argumenti ratio id postularet, tam crebro frequenterque Dianæ nomen invocaretur vid. *Barnab. Brissonius* Form. Solemn. I. 59. seq. De Diana Ephesia id vulgo notum est, quod Timæus prodidit, eam nocte illa qua templum ejus deflagravit Olympiadi Alexandr. M. Matri opem tulisse, & quod domo abesset vim suam Numenque declarare non potuisse.

§. XXV. Hunc Timæi jocum laudavit, lepidumque vocavit Cicero, Plutarchus vero reprehendit, & tam frigidum esse ait, ut vel solus ad incendium templi extinguendum sufficere potuisset. Nempe Tullius ut *Macrobio teste, Saturn. II. 3. 266. seq.* homo erat facetus, amavit ingenii eo ex dicto eluentis elegantiam: Plutarchus moribus gravibus & ad severitatem compositis turpem assentationem improbavit. Si quem tamen dictum hoc à Plutarcho Hegesiæ tributum esse forte offendat, is cogitet, vel primum ejus Auctorem Hegesiam Magnesium fuisse, vel circa eadem tempora ita utrumque scripsisse, quod quamobrem statuendum sit, data occasione satis superque demonstrabimus. *vid. Cicer. II. de Natura Deorum p. 74. Plutarchus in vita Alexandri lib. I. p. 665. conf. Gerh. Joan. Voss. de Hist. Græc. Lib. I.* 80.

§. XXVI. Sacerdos Dianæ Eunuchus fuit, peculiari nomine Megabyzus dictus, tanta autoritate, ut Alexander M. ad illum scribere, familiariterque eo uti, se non indignum putaret. *vid. Plutarchus. T. I. in Vita Alex. p. 689.* Maximas ei divitias fuisse *ex Plauti Bacchid. Act. 2. Sc. 3. p.* 427. liquet. Ibi enim Cleobulo, quærenti *an Sacerdos Dianæ Ephesiæ,* cui filius suus aurum servandum dedisset, *dives esset, Chrysalus servus* respondit, *tam divitem eum esse ut quid auro faciat, fere nesciat.* Soleas aureis clavis fixit, ac præsentibus peregrinis lauream capitis insigne gestavit. *vid. Achilles Tatius.* Ἐρωτ. *l. c.* Id etiam non prætererim, eum à Plauto *Megalobuli filium* vocari, quod eandem cum Megabyzo significationem habere Joh. Meursius monuit, exemploque è lingua Græca petito comprobavit *vid. ad Plauti l. c.* Neque de alio Megabyzo quam Sacerdote Dianæ Ephesiæ Quintilianus loquitur, Megabyzum enim Zopyri filium, Ducem Darii Eunuchum fuisse nullo antiquitatis fundamento nititur, nedum Thucydidis verba ad explicandum Quintiliani textum possint accommodari. vid. *Quintil. Institut. Orat. V. 12. 262. confer. Scholia in illum.*

§. XXVII. Pompam ejus Apelles penicillo, Xenophon Ephesius vero calamo expressit, & luculentissime descripsit, morisque fuisse prodidit, ut in ea canes & equi ducerentur, facesque præferrentur tum canistra & suffimenta portarentur. vid. Plin. 35. 10. 586. & Dalechamp. in Notis ad h. l. Præter ea sepulcrum Megabyzi à Nicia Atheniensi pictum Ephesi quondam visebatur. *vid. idem lib. c. Cap. II. p. 598.*

§. XXVIII. Socias habuit virgines, quarum ille curam gerebat, atque in sacris peragendis opera utebatur. Iis annuo spatio non balneorum usus, non victus ratio cum vulgo communis fuit, neque in privati hominis ædes pedem inferre licuit. Denique sicut Romæ Vestales primo decennio quæ ad cultum, & arcanas ceremonias ritusque sacrorum spectarent, quæve vetustissimis carminibus & monumentis prodita erant, ediscebant: secundo vero quæ didicere, opere complere & efficere: tertio autem decennio sacra & instituta alias edocere oportebat: ita Dianæ Ephesiæ Sacerdotes primum Μελλιέρας futuras Sacerdotes, deinde ἱέρας jam Sacerdotes, tandem παριέρας quasi defunctas sacerdotii munere vocabant. *vid. Plut. T. II. Op. in qu. An seni sit gerenda Respublica? pag. 795. & in Numa. Seneca de otio Sapientis Cap. 29. p. 686. Pausanias in Arcadicis.* Alio nomine Ἐστιάτορας eas dixerunt, Ephesii vero etiam Ἐσσῆνας appellarunt.

§. XXIX. Plus mille annis infanda hæc superstitio miserorum mentes occupavit, animosque transversos egit, usque dum præmonstrante Paulo & Timotheo, quid quemque deceat quaque mente Deum venerari oporteat, noscitare cœperunt, evictisque indies magis erroribus, doctrinæ veræ fidem habuerunt ac Christo Servatori Optimo nomen dederunt. Templum ipsum temporibus Gallien. à Gothis direptum incensumque funditus deflagravit.

S. D. G.

M. CHR. ANDR. SIBERII DISSERTATIO

De voce ΔΙΟΠΕΤΕΣ ad Act. XIX: 35.

I. N. J.

§. I.



NOn forte pigendæ res operæ erit, mittentes in præterita cogitationes, Ephesum Dianæ sacris operatam civitatem, ob vetustatis gratiam quæ tam multos sui studiosos adhuc habet, producere; quod, si sit paratus favor & spes veniæ; audere non dedecet. Igitur id quod Cicero Lib. IV. in Verrem de Enna civitate prædicat, quod illa urbs non urbs videatur, sed fanum Cereris esse, & cives illius civitatis, sacerdotes omnes ac accolas antistitesque haberi: Quodque Eustathius de Eurycomide L. I. Ismenes & Ismeniæ amoribus: τὰ γὰρ εἰς θεοὺς εὐσεβὴς καὶ ὑπὲρ τὰς χρυσᾶς Ἀθήνας ὅλη βωμὸς, ὅλη θῦμα θεοῖς, καὶ ἀνάθημα. περικηρύσσετο τὰς ἑορτὰς, πανηγύρεις ἀγεῖ &c. Illud convenire in Ephesum & structum ac dedicatum à civitatibus Asiæ templum optime videtur. Hoc etsi muros Babylonicos & Pyramides Memphiticas & cætera opera, quæ principum divitias, & immensam operarum multitudinem ostentant, magnificentia ac splendore æquaverit, superavit etiam insuper Usu, quando non oculis tantum vanam præbuit voluptatem, sed civilis vitæ commodis veram præstitit opem ac utilitatem. Cum enim nihil expeditius sit, quo hominum dispari gente, dissimili lingua, alioque more viventium animi coalescant, quam religio, opus erat ut ejus veneratio tanquam sanctius vinculum perpetua Jones invicem amicitia devinciret, ita ut gentilem cognationem factis illustribus asserentes terrorem ac formidinem barbaris incursantibus inferrent. Quæ enim fœderi Panionio junctæ erant Civitates, lingua non uniformi, sed in certos diducta modos utebantur: Ideo communibus sacris jungendæ erant; Quod & auspicato fiebat, cum partim Neptuno solemni conventu sacrificarent, partim Dianæ, cujus plurima & summa veneratio erat, festos dies celebrarent. Statis temporibus enim convenientes, aut sacris operabantur, simul negotiabantur, ac mercatus publicos exercebant, certamina equestria, gymnica, musica certabant, Diisque donaria consecrabant. Peractis vero spectaculis & Nundinis, aliisque Festis, in quibus omni humanitatis genere se invicem excipiebant, si qua simultas inter Civitates ob aliquam Offensam enata fuisset, Judices sedentes de ea cognoscebant, neque in apertam dissensionem, factionemque erumperet, cavebant. Tum vero si de bello, pace, fœderibus, deque mutuæ firmamento concordiæ consilia habenda, consultationem instituebant. Hunc consensum, ac sacra pariter & profana consociata Servius admirabatur, indeque quod suæ Reip. profuturum documentum capiebat, animum proinde operamque ad coalitionis Romanorum cum Latinorum gente firmamentum afferebat. Cum quibus cum amicitiam junxisset, perpulit ad ineundum fœdus, pervicitque etiam, ut Romæ, ad exemplum Asiaticæ, fanum Dianæ populi Latini cum Populo Romano dedicarent, id igitur in Aventino colle communibus impensis exstruxere. Dionys. Halicarnass. Libr. IV. Antiqu. Inde Aventino nomen hæsit. Varrone Auctore ab adventu hominum, quod insignis multitudo Nationum coalitarum ad Dianæ fanum conflueret, quotannis, ac publica sacra perageret & si qua inter civitates controversia esset exorta, universarum arbitrio religiose decidi permitteret. vid. Godolævius in Livium.

§. II. Et quamvis præsentia fere invidia, præterita vero veneratione prosequimur; ita tamen necessarium haud duco in initia splendidissimi templi inquirere. Quis enim certi aliquid & solidi, dissidentibus inter ac pugnantibus scriptorum opinionibus, qui difficillimus labor, eliget? spectata cum stupore etiam sunt immensa operis fastigia, latuerunt Auctores operis cum ipsis fundamentis. vid. Mela Lib. II. 17. Præcessisse initia conditoribus Amazonibus, rudia ac velut secuturi splendoris primordia, non obstinatus negaverim. Chersiphon longe citra æmulum architectus, si quod fuit antea, amplius id atque augustius effecit. Illud vero scelerati hominis furore, incendio deletum, absumptumque flammis. Plutarchus in Alex. Ephesii ne suscepti pessime laboris præmium consequeretur, teterrimi hominis memoriam nomenque delere penitus constituebant, quod & ignoraretur hodie, nisi Theopompus monumentis suis inseruisset. Interim tepente quasi adhuc area fundamenta novi jecerunt, ac Democrate operis præfecto, restaurarunt, quod si non ad pristinam majestatem, certe ad veterem accessit religionem. Numismata haud pauca ex naufragio diuturni temporis ad nostram ætatem durarunt, è quibus præter Plinium de forma templi conjectura facilis. Vid. Beza Not. Maj. in N. T. Et hoc ut ipsorum quidem ferebat sententia, novis superstitionibus pollutum, protrita veneratione, spretoque cultu Numinis, turbis locum dedit, ut impotens vulgus est, & levi in sinus

accepto

accepto Spiritu movetur & his clamoribus turbavit theatrum: *Magna Diana Ephesiorum*, Act. 19:24.

§. III. Quod nomen attinet, ludere putat Platonem Interpres ejus Marsilius Ficinus, quando asserit, quod Ἄρτεμις seu Diana dicatur ex eo, quod ἀρτεμὶς, quasi integra modestaque sit propter Virginitatis electionem. Forsitan etiam quasi ἀρετῆς ἵστορα i. e. Virtutis consciam vocavit nominis institutor. Fortassis etiam nuncupata ἀρτεμὶς quasi ἄροτον μισησάσης vel etiam propter horum aliquid, vel propter omnia hujusmodi nomen est institutum. Sed non ex animi sententia hæc Plato disserit, sed quæ fingere erudite quibusque allusionibus mentem detinere quis possit, ostendit. Cæteroquin sunt plerique in ea opinione, Dianam, in cujus cultu Ephesus occupata fuit, multis mammis fuisse conspicuam; hisque notis à cæteris, ut multarum apud Pausaniam, Pindarumque, aliosque mentio fit, fuisse distinctam. Sed nituntur nonnulli contra, & nos quoque idoneis multisque argumentis persuasos, quo volunt, rapiunt. Est vero præcipuus Petrus Faber Semestr. L. 3:3. cujus eruditio, ut præsenti, dum vixit, luce non destituta fuit, ita nec memoria posteritatis caret. Ita vero res fert, ut præterea aliquid addamus, quo magis illius causam tueamur, quando nos eo propositi ratio deduxit. Concedant, necesse est, qui ab adversa parte stant, Dianam Ephesiam, non Ephesiis solum, sed Alexandrinis, Pergamenis, Apamiensibus, Magnesiis, Gortyniis esse cultam. Vid. Strabo L. 14. At vero in nummo à Gortyniis cuso Diana venatrix non mammata conspicienda. Magnesia vero Dianam Leucophryenem sculpsit, nudam arcitenentem, tam in æreo Eleogabali, quam Maximini Numismate cum Epigraphe ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ Et frequens apud bonos Auctores hujus Dianæ memoria, quando & Strabo Lib. 14. & Tacitus Lib. 3. Annal. ipsius mentionem fecere. Vid. Lipsius Comment. in Tacit.

§. IV. Venerationis cultusque indicium procul dubio est, quod μεγάλη ἡ ἄρτεμις vocatur. Nota ea sunt ex Gentilium religione, magnum habitum fuisse discrimen inter Deos, Dæmones & Heroës, & adeo Deos distinctos inter magnos & medios & infimos. Jovi quidem tribuit venus apud Poëtam

—— *Quem das finem Rex magne laborum.*

Et sæpius Plato L. 3. de Rep. μέγαν θεῶν, τὸ μέγιστον τῶν θεῶν ἁπάντων, μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεὺς in Phœdro. Et apud Interpretem ejus Proclum Diadochum: Ὁ ζεὺς, μέγας ἡγεμὼν ἀνυμνούμενος: L. 6. Theol. Platon. c. 19. Ὁ ἔρως δαίμων μέγας. Nec dubium est Dianam gaudere titulo Magnæ, quando inter superiores Deos ab omnibus Gentilium Mystis refertur; pertinet vero ad tertiam Triadem, si Proclum L. 6:22. Theol. Platon. sequi volumus ut ex Schemate patebit:

I. Δημιουργικοὶ	II. Φρουρητικοὶ
1. Ζεὺς	1. Ἑστία
2. Ποσειδῶν	2. Ἀθηνᾶ
3. Ἥφαιστος	3. Ἄρης
III. Ζωογονικοὶ	IV. Ἀναγωγικοὶ
1. Δημήτηρ	1. Ἑρμῆς,
2. Ἥρα	2. Ἀφροδίτη
3. Ἄρτεμις	3. Ἀπόλλων.

Tuebitur hoc, quod asserimus porro Pausaniæ authoritas qui L. 1. Eliac. de sex apud Eleos aris scribens: Ordine hoc Diis sacra fecisse dicit: Vestæ primum in prima ara, secundo loco Olympio Jovi, tertio Mercurio; dein Minervæ, quinto Dianæ, sexto Eriganæ. Non vero juvat huic operæ, cogitationique immorari, cum Platonici Philosophi, qui talia explicabant, dare voluerunt, miscendo & involvendo omnia, præstigiis quasi factis obscurarunt; quod quidem evenire aliter ratione non potuit, quando nihil certi exploratique in rebus divinis habuerint, sed hæc Ægyptiaca momenta & somnia ægrotantis animi, tanquam cœlestes veritates inculcaverunt. Cæteri vero Scriptores longas quoque & obscuras narrationum telas texunt; opus tamen nihilominus fuit, ut ipsorum ductum sequamur, dum in explicando præsenti momento versamur. Permittamus itaque Dianam magnis Diis annumerari, dummodo non negemus, posteriora secula ultrices scelerum Deas ac Vindices Nemeses nominasse magnas, quod ex monumento Onesimi Pateminani ad liquidum deducitur, quem Νεωκόρον τῶν μεγάλων Θεῶν Νεμεσέων laudatum legimus. Nec invideamus idem Elogium publica voce Æsculapio tributum, de quo Aristides: τὸ πολύυμνητον δὴ τοῦτο βοώντων μέγας ὁ Ἀσκληπιὸς, celeberrimum illud clamantium, magnus Æsculapius.

§. V. Nunc exponendum venit Διοπετὲς in neutro positum, cum subintelligatur, ut bene explicat Grotius τὸ ἄγαλμα atque derivetur à genitivo Διὸς qui formatur ab inusitato Δὶς & verbo πίπτω; ut sensus sit: Signum à cœlo delapsum ἐκ τοῦ Διὸς πεπτωκὸς, seu ἐξ οὐρανοῦ παρὰ τοῦ Διὸς πεμφθὲν, quando per Jovem semper cœlum Mythographis intelligitur: Atque adeo cœlum plerumque speciosum Epitheton δῖος divinum accipit, & Æschilus quoque, ut cæteros prætercam Ω δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαὶ, dum Promethea Caucaso alligatum, cœlumque & terram lacessentem questibus inducit. Quapropter nemo in hoc consentire poterit, quod Oecumenius hoc loco affert διοπετὲς templum Jovis rotunda forma exstructum ita fuisse vocatum, aut aliud quoddam. Vix enim ex tot antiquitatis monumentis, aliquid credo, inveniri potest, quod suffragium afferat; & nominis ratio ac genuinus valor aliud sponte ostendit & palam facit, hoc non posse habere locum.

§. VI. Securius ergo nobis asseritur quod τὸ διοπετὲς fuerit ἄγαλμα τῆς Ἀρτέμιδος & uno nomine Ἀρτεμίσιον, quo usus est Hyperides in Oratione Deliaca, quod Harpocration observavit atque Latinis posse reddi: Signum seu simulacrum Dianæ à Jove seu cœlo delapsum. Quemadmodum dictum Ciceroni L. 4. in Verrem signum Cupidinis marmoreum. Nec sinit nos dubitare, numne illud τὸ διοπετὲς fuerit diversum quid à Dianæ statua, quæ publice in templo illi fuerat consecrata ac constituta; quod cum merito dicimus, quando particula καὶ nihil aliud vult, exponendum venit quid sit τὸ ἄγαλμα, prout secedit à significatione Latini verbi signum & quemadmodum ad præsens negotium accommodari potest.

§. VII. Latini per signum & statuam ex ligno, ære, cupro, argento vel pretiosiori metallo confectam intelligunt, ut imagines pictæ non comprehendantur, ex loco allato Ciceronis constat, quando signa & tabulas pictas sejungit. Dein, si illud signum vel in foro seu privatis ædibus, nec publicæ Religioni dicatum sit, vocarunt signum profanum: Sin vero in sacrariis constitutum, consecratum appellant. Ἄγαλμα quod quasi ἀγλάισμα seu splendidum ornamentum ab ἀγαλλιάομαι, deducitur, quandoque ornamentum in genere notat, sive id à fortuna, sive ab arte accidat. Quemadmodum & vs. 465. Prometh. Æschyli ἄγαλμα τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς, Scholiastes per καλλώπισμα, exponit. Deinde frequenter ac ξόανον, seu quod sculptum rasumque ac levigatum arte est, ut Suidas docet & ex eo Thomas Gale in L. 3. Apollodori, vocatur & quandoque δαιδαλὸν, quia Dædalus primus & præstantissimus Statuarum inventor erat. Atque adeo occurrit, pari significatu ac στήλη & apud Pausaniam frequentissime, cæterosque Auctores profanos ἄγαλμα promiscue cum στήλη de signis consecratis usurpatur. Scriptores vero Ecclesiastici abstinent, ac rarius admodum adhibent τὸ ἄγαλμα & hujus loco ponunt vel εἰκὼν vel στήλη, si de simulacris signisque Sanctorum. Videatur, qui multus in his memorandis occupatus Auctor incertus demonstrationum Geographicarum, quem Franciscus Combefis edidit. Canstantinus Manasse in Synopsi Historica εἰκονογραφήματα θείων ἀξιοσέπτων, τὰς ἱερὰς μορφώσεις, τὰς εἰκόνας καὶ τὰ στηλογραφίσματα τῶν ἱερῶν προσώπων, τὰς ἱερὰς μορφὰς nominat. Porro quoque observandum, quod iidem illi Scriptores Gentilium Numinum statuas εἴδωλα vocent, præter rationem loquendi à profanis scriptoribus receptam. Quandoquidem εἴδωλα ex Academiæ Sylvis species rerum, & quas perpetua agitatio mentis exhibet, quas ideas vocamus, notant, vel terriculamenta Dæmonum, quæ non modo dormientibus, per nocturnam quietem, sed vigilantibus interdiu obversantur, quæque spectra & manes vocantur. Cæteroquin Democritus antiquus Philosophus, quem Epicurus secutus est, omnia simulacris seu imaginibus (εἴδωλα appellavit) referta statuit, sed inanibus & cavis, quæ si inciderent, mirifica & absurda, animos imperitorum illis valde perturbari dixit. Quam sententiam vel ideo lubens admisit suamque fecit, ut Platonis doctrina eo facilius everteretur. Vid. Camerar. Præf. ad Lib. de effect. Dæmonum. Interim non negaverim unum alterumve locum forte inveniri, qui diversa suadere videatur, & est maxime illustris & interest, ut exponam, quem Eustathius L. VIII. de Ismenes Amoribus affert: Ἱερὸν γὰρ ἐν Ἀρτυκωμίδι περιφανὲς τῆς Ἀρτέμιδος καὶ μέσον χρυσοῦν Ἀρτέμιδος εἴδωλον, τόξον τεῖνον ταῖν χεροῖν, dum inde de Dianæ Ephesiæ publico simulacro conjectura facilis. Sed nec fraudidatæ observationi hic locus esse potest, opinor, cum quisque videt Authorem hujus fabulæ sacris initiatum & præsulem, cui facile quid ex lectione scriptorum Ecclesiasticorum hærere potuit.

§. VII. Sed mittamus ista, dummodo constet istud ἄγαλμα non fuisse tabulam pictam, sed sculptum atque ex materia aliqua

quia eductæ ſtatuæ fuiſſe ſimile, illudque vocatur διεπετὲς; vel quod ſacerdotes Myſtæque Dianæ ignorarent origenem, quemadmodum Homerus Nilo flumini idem elogium tribuit Odyſſ. δ: 474. vel quod religione venerationeque ducti ſibi perſuaderent, non artificis manu effectum, nec humana induſtria excogitatum eſſe; ut διοπετὲς idem ſit ac ἀχειροποίητον, καὶ ἀχειρότευκτον καὶ αὐξόανον; vel quod à Deo datum ſit, prout referunt τὴν θεότευκτον εἰκόνα ἣν ἀνθρώπων μὴν χεῖρες οὐκ εἰργάσαντο, quam Servator noſter Abgaro Edeſſenorum Regi miſiſſe tradunt Evagrius L. 4. c. 27. & Conſtantinus Porphyrogenneta peculiari ſcripto à Franciſco Combefis edito. Quæ tamen res vel inde ſuſpecta eſſe poſſit, quod nec ab Euſebio nec à Procopio in obſidione urbis Edeſſenorum ullam fieri mentionem Heinricus Valeſius obſervat. Feciſſent autem procul dubio, nec rem utilem æſtimantibus & memoratu dignam, celebratamque ſermonibus, ſi vera fides, neglexiſſent. Notus porro eſt Ptolomæi DEUS, quem ἀχειρομίαντον appellavit, qui, cum non humana opera formam ſuam recepit, quaſi à manibus impollutus ſit. De eo vero dubitamus, num vocari Græce poſſit ἄγαλμα αὐτοφυὲς καὶ αὐτόμορφον, quando illud adhuc de rudi marmore, aut alio Lapide nondum polito Lima, apto tamen ut formetur artificis induſtria, exponunt ad Dionyſiii Areopagitæ c. 2. Theol. myſticæ S. Maximus & Pachymera.

§. IX. Finxerunt itaque ſacerdotes Minervæ, ἄγαλμα ipſorum è cœlo vel Jove delapſum, ut majorem ſibi venerationem conciliarent, atque ex eo intelligi facile ac perſpici poteſt, quantum valuerit apud Gentiles vana in religione perſuaſio, & in quam tetras abſurdasque ſuperſtitiones prolapſi fuerint, dum fidem vanitati tribuerunt & in cultu fictitii ſimulacri perſtiterunt. Modum porro rationemque qua uſi fuerint novarum religionum Numinumque fictores, qui non ante viſum ſimulacrum, exilio aut morte artificibus remotis, divinitus miſſum aſſeverarunt, illud plane expoſuit Iſidorus Peluſiota L. 4. Ep. 203. & ex eo Suidas. Quod quam verum ſit, gentium exempla comprobant, quæ ejusmodi ἀγάλματα tanquam ſecreta quædam Imperii pignora, cuſtodesque fortunæ publicæ venerabantur. Trojanorum τὸ διοπετὲς Ἀθηνᾶς παλλάδιον à decoris ingeniis celebratum eſt, quo amiſſo à culmine ſuo ruens Troja concidebat. Conon Narrat. 34. Dictys Cretenſis L. 5. Romanum Imperium triplici ſigno cælitus delapſo munitum fuiſſe videtur, quando Æneas, patria capta, amiſſa uxore, amiſſisque bonis ex incendio publico, cum Deorum publicorum & Palladii comitatu exivit; hoc tanquam auſpicium omenque æternæ ſuæ gentis ſecum varia fatorum ſorte agitatus in Latium intulit, quod præter cæteros Conon recenſet nuper à Thoma Gale cum nonnullis Hiſtoriæ Poëticæ Scriptoribus editus. Hoc Romam dein fuiſſe relatum & cum ſumma ceremonia cuſtoditum Dion. Halicarnaſſ. L. 2. Antiq. memorat. Alterum cæleſte ſignum erat διοπετὲς πέλτη, ſeu ancile quod lunati clypei figuram haberet, quodque mox θεοπέμπτον vocat idem auctor, quod Plutarchus in Numa χαλκῆν πέλτην ἐξ οὐρανοῦ καταφερομένην, εἰς τὰς Νουμᾶ πεσεῖν χεῖρας, quod ne fraude aut vi ab hoſtibus raperetur, & fortuna ſimul, & interverteretur è cœlo deſtinatus Ordo, undecim ſimilis formæ confici juſſit. De forma vero ejus non ſine cura & ingenio diſputat idem Auctor, dum nec circuli, nec peltæ Orbem implere, ſed inciſuram tortuoſam habere dicit, cujus reflexi ſæpius apices, recurrentesque continenter in ſe mutuo ἀγκύλην i. e. curvam figuram redderent, aut à cubito, quem ἀγκῶνα Græci vocant, quo geſtant aucilia, vel ἀπὸ τῆς ἀνέκαθεν φορᾶς, vel τῆς ἀκέσεως νοσούντων, vel τῆς τῶν δεινῶν ἀναχέσεως: Conjecturæ locus eſt à curvitate, quod primum refert Plutarchus, ancile dictum; dum ex Conſtantino Manaſſe conſtat, ubi Ancum Martium quartum Romanæ gentis Regem deſcribit τὴν ἀγκύλην τοῦ ποδὸς eſſe curvaturam pedis. Tertium erat τὸ ἄγαλμα τῆς θεῶν μητρὸς, Matris Deorum ſimulacrum, quod tamen rudis & nullius formæ lapis erat, quem Phryges à cœlo delapſum, & Peſſinunte in Phrygia primum apparuiſſe dicunt, eamque Urbem ἀπὸ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ, καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθῆναι incolæ volunt nomen accepiſſe. Herodian. L. 1. Ibi inſigni repoſita templo cumque religione diu culta, & alio poſtmodum delata; dum Romani tempore belli Punici ſecundi in Sybillinis Libris legentes Pœnos non poſſe Italia pelli, niſi Mater Deorum è Phrygia Romam allata fuiſſet, de ratione tranſportandæ Romam Deæ ſollicitæ eſſent, cum his omnibus victoria ipſis portenderetur Liv. Dec. 3. L. 9. Itaque hoc διοπετὲς ἄγαλμα Peſſinunte Romam tranſtulerunt, in qua Urbe eodem modo, eademque ſuperſtitione, qua prius Peſſinunte colebatur.

§. X. Difficile nunc eſt ac non ſine nonnullo noſtro diſcrimine, inter diverſas opiniones, quasdamque contrarias, eligere certam, deque cæteris ferre judicium. Primus eſt, qui operam exigit Oecumenius, Ὄστρακον fuiſſe vocatum illud ἄγαλμα, in enarrationibus ſuis ſcribens; cum & dubium ſit, ſuſpenſumque ac fluctuantem aliquem relinquere poſſit, habueritne teſtudinis formam, aut ovi, cum utrumque Græco vocabulo non repugnet, numne teſtæ formam habuerit, quibus ſortes eliciebant aut colligebant ſuffragia: Hoc ſi Oecumenio placuerit, opponam auctoritatem Iſidori Peluſiotæ l. d. qui οὐρανῶν βρέτας vocat, inde vero hoc nomen indiderunt, quod homini, quem βροτὸν Græci appellant, ſimilis ſit; accedit quod & Suidas per εἴδωλον exponit. Si vero imaginem fictilem interpretari velis, quale ſimulacrum Veneris ὀστρακὶς ap. Heſychium in Lexico, non minor orietur difficultas. Sunt enim qui ex Ebeno fuiſſe tradunt. Mutianus ter Conſul viſo eo ſcripſit Vitigineum eſſe & nunquam mutatum licet ſepties templo reſtituto, Plin. L. 16: 4. Xenophon vero L. 5. de expeditione Cyri haud obſcure dicit aureum fuiſſe, atque ad hujus imaginis exemplum τὸ ξόανον κυπάρ ἴσινον templi Dianæ in agro ſciluntenſi fuiſſe effectum. Cujus vero fidem ſuſpectam habere debemus, Conſulisne Romani an Xenophontis, qui tamen multum familiariterque uſus eſt Megibyzo Dianæ æditio? Præſtat vero mediam ire viam, & conciliare opiniones, quas hactenus tanquam inter ſe certantes commiſimus. Norunt omnes, quibus antiquitatis ſtudium in pretio eſt, in ſacrariis Gentilium non unum Deorum Dearumque ſignum fuiſſe, ſed unius Deæ varia forma materiaque expreſſam fuiſſe imaginem, ut ſacrarium Mammertinorum Meſſanæ ex Cic. L. 4. in Verrem oſtendit, & efficta varia ancilia apud Romanos id quoque inſuper comprobant. Noſtra itaque fert opinio Dianæ ſimulacrum aureum, proque cælitus delapſo venditatum Xenophonti, ligneum Mutiano oſtenſum fuiſſe.

§. XI. Ultimum momentum eſt, quod Epheſus inter ornamenta ſua repoſuit & laudi duxit, Dianæ ſacra facere, quæ perſuaſio adeo mentes incolarum occupavit, ut totam Urbem νεωκόρον vocari, non ægro animo tulerint. Videamus vero quid in receſſu illud vocabulum habeat, quod deſcendit à Ναὸν templum & κορέω everro, expurgo. Quando itaque componitur νεωκόρος, recepta loquendi conſuetudine, o mutatur in ω, quod in compoſitis plerumque fit, ut ἐπώνυμος ab ὄνομα. Illud præterea addendum eſt, quandoque generis fœminini eſſe, & de fœminis ſacerdotibus dici, prout ζάκορος quod forte pari ſignificatione gaudet. Aliquoties apud Lucianum Atticiſtam in Amoribus T. IV. ἡ δὲ παρεστοῦσα πλησίον ἡμῶν ζάκορος, ubi Veneris Gnidiæ templum & lucum ſtatuamque egregie deſcribit; omnes vero communiter interpretantur æditus, adducti vi nominis, quaſi ſit ὁ τὸν ναὸν κορῶν καὶ σαρῶν, & paria faciat cum Νεωφύλαξ quo verbo Ariſt. Polit. 6: 8. utitur, ad quod munus refertur τὴν θύραν ἐφελκύειν valvas fani claudere, ut ex Luciano patet. Et primam genuinamque hanc ſignificationem eſſe non negaverim. Nihil obſtat vero, quin Νεωκόρος, præter ſacrarium, aut deſacrarium, quod Cicero dicere amat, Antiſtitem, ſacerdotem operantemque ſacris, ſeu quemcunque alium cultu Numinis occupatum interpretemur. Verbum enim Νεωκορέω, non ſemper quod Lexicographi habent, verrendi ornandique curam gerere, æditumque eſſe notat, quod vel unicus Luciani locus eodem ex tractatu evincit: dicit autem μετ᾽ ἁγνῆς διανοίας νεωκοροῦμεν, cum pura & innocenti mente, veluti ſacram rem tractamus; qui ſenſum nexumque verborum expenderit, videbit, non aliam interpretationem locum habere poſſe. Itaque Νεωκόρος illum qui ſacris operatur, notat; atque adeo Megabyzus τῆς Ἀρτέμιδος Νεωκόρος Sacerdos Dianæ erit apud Xenophontem l. c. & ὁ Νεωκόρος Æſculapii apud Pergamenos; eodem ſenſu ſæpius apud Ariſtidem in Orationibus ſacris occurrit; Adoptabant vero hoc ſibi nomen, ſacerdotibus tantum antea commune, ut inſigne & documentum pietatis, διὰ τὴν δεισιδαιμονίαν, ἔκ τε τοῦ κοσμεῖν τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος, καὶ τὸ εἴδωλον αὐτῆς τιμᾶν ut Oecumenius recte explicat. Quod vero illud nomen Auguſtis Imperantibus ſuum fecerint, Aſiaticæ civitates idoneis rationibus ſubnixus autumat Humphidus Prideaux ad Marmora Oxonienſia. Neque cum faſtidio jam repetam, quæ Seldenus & Sam. Petitus Var. Sect. L. 4. & ex his D. Jo. Tob. Major ad Act. Apoſt. diſputarunt, quæ ratio quique modus iſtius juris fuerit, num propterea Epheſus νεωκόρος dicta, quod agon, ſacer & ſolemnis communis Aſiæ ludus celebratus fuerit; cum ex Dion. Halicarnaſſ. L. 4. pag. 229. edit. Sylburg. ſeries rei abunde pateat. Illud porro haud reticendum duco, duplicem ob rationem pleraſque civitates Aſiæ nomen Neocororum, quo eminerent cæteris, aſſumſiſſe. Prima ob venerationem erga Deos, cum nulla fuerit, quæ non aliquod Numen, ſive

Deum

Deum sive Deam venerata sit. Ephesii Dianam, Magnetes Dianam Leucophrynem, Aphrodisienses venerem colebant. Stratonicenses Jovis & Triviæ religionem tuebantur, Smyrnæi Apollinem, Pergamus Æsculapium venerabantur. Sardiani Milesii utpote ad Panionicum fœdus conciliumque pertinentes Dianam sacram habebant. Singulæ harum civitatum perfugium inviolabile asylumque se habere prætendebant. Tacit. An. 3. Ut vero Asiaticis populis humilior animus, magisque ad venerationem dominorum suorum defixus; ita certabant etiam cultu in Augustos, decernebant sacerdotes, consecrabant effigies, ponebant aras & pulvinaria, struebant templa, omnique specie religionis quasi vivos Augustos consecrabant. Edebant in horum salutem ludos, quibus publico jussu nomineque sacerdotes Asiæ præsidebant, indeque integræ civitates Νεωκόρον nomen titulumque sibi vindicabant, quoque testatior esset memoria, nummis cusis Νεωκόρων nomen inscribebant. Inde reperire licet numismata quæ quatuor vicibus solemnes ludos in honorem Augustorum exhibuisse Ephesum testantur & palam faciunt. Dianæ vero sacerdotium & Neocori titulus, quasi perpetua constansque dignitas non vices patiebatur. Quod vero autumant nonnulli per singula lustra sacra solemnia Ephesi facta, secus est; nec sacra Chrysantina à communibus Asiæ prout par est, discernunt. Felices vero tunc Ephesios, qui Pauli doctrina Christiana pietate imbuti, novoque quodam lumine illustrati Dianam suam abjecere, ut verum Divini Numinis cultum religionemque sectarentur; qui simulacrum de cœlo lapsum vanis decepti superstitionibus in honore ac pretio diu habitum depulere; ut salutis humanæ Restauratorem veneratione prosequerentur; qui Neptunum fluctuum Præsidem longissime profligarunt, ut sine fluctuatione, uni duntaxat ac veræ Religioni plene se addicerent. Hæsit quidem, nec se brevi spatio aut facili opera exstirpari passa fuit superstitio altis radicibus subnixa; quod nummi, imperium tenente Caracalla, Aurelio Vero, Macrino cusi apud Sponium Tom. I. pag. 454. ostendunt; atque usque ad Constantini M. tempora semper reluctata. Eo vero imperium adepto, ad Orcum, unde auspicium incrementumque cæperat, remigravit. Et procul dubio fata eversionemque templi Dianæ Ephesiæ cernere licet ex eo quod Sozomenus L. 2. Hist. Eccl. c. 5. de communi fanorum fortuna memorat: *γυμνωθέντες γὰρ τοῦ ἐκ πλήθους ῥοπῆς οἱ νεωκόροι, καὶ οἱ ἱερεῖς, προὔδωκαν τὰ παρ' αὐτοῖς τιμιώτατα, καὶ τὰ διοπετῆ καλούμενα.* Eo enim tempore deletis templis, sacrariisque, vastatis penetrabilibus, contemtis simulacris ac signis, tota superstitio & speciosum nomen Neocororum periit.

JOH. GOTTL. ERLMANNI
DISSERTATIO
De Melitensium Judicio περὶ τῆς δίκης, sive Nemesi ad Act. XXVIII: 4.

SUMMARIUM.

§. 1. *Argumentum dissertationis, ejusque partitio.* 2. *Melitenses à Melita dicuntur:* 3. *Quæ duplicis insulæ nomen:* 4. *Hic illam, quæ hodie MALTA vocatur, intelligi, probatur:* 5. *Fuit non Græcorum, sed Carthaginensium colonia:* 6. *Ad hanc adpulisse S. Paulum, certis argumentis evincitur.* 7. *Baronii error de Trophimo Pauli comite notatur.* 8. *Incolæ hujus insulæ, cur barbari vocantur:* 9. *Occasio Melitensibus de Δίκῃ judicandi, unde subnata:* 10. *Illa casus fuit, qui describitur.* 11. *Δίκη, qualis gentilium Dea:* 12. *Cur Dea ultrix scelerum gentilibus ficta:* 13. *Colligitur inde gentilibus, de divina providentia constitisse.* 14. *DICES descriptio ex Gellio adducitur.* 15. *Judicium Melitensium de DICE temerarium, & unde subnatum.* 16. *Cur bonis mala accidant:* 17. *Duo inde in judicio Melitensium notantur:* 18. *Cujus perversitas describitur simulque dissertatio finitur.*

B. C. D.

§. I.



Cum multa actis Apostolicis inspersa sint, quæ sine profanæ historiæ notitia intelligi recte nequeunt, tum illud etiam, quod de Δίκῃ seu *Nemesi* Paulum Apostolum, ex Melitensium judicio, secuta, *Actor.* 28: 4. memoratur, dignum mihi animadversione visum est, quod ex historia paullo fusius declaretur. Id dum facere paro, dissertationi hos velut limites circumscribam, ut primo de *Melitensibus*, deinde de Δίκῃ, quam crediderunt scelerum *ultricem* esse, & denique de *errore*, in præcipitanda sententia temere admisso, Deo benedicente sermo fiat.

§. 2. Quod ergo primum in allegata historia *Melitenses* attinet, eos à *Melita*, insula nomen adeptos, ex loco jam citato constare satis puto. Nam etsi *Stephanus de Urbibus* Melissæ mentionem quoque injicit: tamen illa cum aut fuerit πόλις λιβύων, *urbs Libyum* ex Hecatæi Asia, aut ἐν Κυριακῷ κώμη Μέλισσα hoc est, animadvertente *Luca Holstenio*, Κύρου πεδίον, *Cyri campus*, qui à *Strabone l. 13. p. 629.* in Mysia ponitur; adparet, neutrum locorum hic intelligi posse; cum Lucas 5. Μελίτην hic τὴν νῆσον appellet. Unde neque *Melissam*, quam Phrygiæ pagum *Athenæus l. 13. p. 574.* dicit, inter Synada & Metropolim, huc quisquam trahet; aut etiam Μέλισσον, κώμην τῆς Κορινθίων Χώρας, (à quo nomen impositum infelici isti Melisso, Abronis filio, qui cum injuriam Archiæ ulcisci non posset, per Isthmiorum ludicrum de templo Neptuni se præcipitem dedit, teste *Plutarcho in Amat. Narrat. c. 29.* Melitensibus nostris originem dedisse admittet.

§. 3. Etenim Μελίτην hic nominatam, insulam fuisse divino testimonio jam constat. Ubi autem illa sita, cum duæ hujus nominis fuerint, ulterius disquirendum venit. *Altera* enim Dalmatiæ, *altera* Africæ assignatur. *Prioris* meminit *Plinius l. 3. c. 27.* unde catulos Melitæos appellari inquit ex Callimacho, quamque inter Corcyram Melænam & Illyricum collocat; Scylax vero Caryandensis in Νεσαίοι, prope Corcyram nigram. *Alteram* inter Siciliam & Africam locant, à qua Melitæos catellos vocitari *Strabo l. 6.* tradit: πρόκειται δὲ τοῦ Παχύνου Μελίτη, ὅθεν τὰ κυνίδια, ἃ καλοῦσι Μελιταῖα. Atque hanc *Stephanus* supra laudatus describit νῆσον μεταξὺ Ἠπείρου καὶ Ἰταλίας, ὅθεν

ὅθεν τὰ κυνίδια μελιταῖα φασιν, h. e. *insulam inter Epirum & Italiam, unde canes Melitaeos vocant.* Quam *Nicephorus P. CP. in Breviar. Hist. p.* 76. appellat Γαυδομελέτην, in quam Heraclius Theodorum nepotem ex fratre relegavit. Nisi quis potius quod *Holstenius* l. c. conjectat, vicinam insulam Γαῦδον sive Ταῦλον velit intelligere, quam hac ratione eo seculo distinxisse videntur ab altera Gaudo *Plinii* & *Melæ*, quæ juxta Cretam insulam est.

§. 4. Atque hæc *Melita* est illa insula, quæ hic Pauli Apostoli naufragio & Rhodiorum Equitum militia nobilis est, vulgo corrupto paullulum nomine, *Malta* nunc appellatur; in qua sedem habent Equites D. Johannis à Carolo V. Imperatore & R. Hispaniarum ipsis donata, postquam Rhodo, ubi ante consederant, à Solymanno anno 1522. expugnata expulsi essent, apud *Jov. in Epitome Hist. l.* 21. Hanc *Diodorus Siculus l.* 5. coloniam Phœnicum facit: ἔστι ἡ νῆσος αὕτη Φοινίκων ἄποικος, οἳ ταῖς ἐμπορίαις διατείνοντες μέχρι τοῦ κατὰ τὴν δύσιν ὠκεανοῦ, καταφυγὴν εἶχον ταύτην εὐλίμενον οὖσαν, καὶ κειμένην πελαγίαν. *Est autem illa insula Phœnicum colonia, qui cum mercaturæ gratia navigarent, usque ad occidentalem Oceanum, in ea perfugium habebant, quia &* portubus *commoda est, & in alto mari sita.* Cui *Stephanus de Urbibus l. c.* assentiri videtur, quando in descriptione insulæ memoratæ subjicit: ἔστι καὶ πόλις ἄποικος Καρχηδονίων καὶ δῆμος οἰνηΐδος φυλῆς. ὁ δημότης Μελιτεύς. *Est enim, urbs colonia Carthaginensium, & populus Oeneidis tribus: Popularis Melitensis.* Ubi quidem *Holstenius in not. & castigat. ad h. l.* 203. existimat, Epitomatorem cuncta hic mutilasse, cum verba hæc referenda essent ad alteram Melitam, quæ in Africo mari jacet. Unde aut deletum paullo ante fuisse aliquid, aut hic potius scriptum: ἔστι καὶ ἄλλη νῆσος, καὶ πόλις ἄποικος Καρχηδονίων, quod putaverat etiam *Cluverius.* At non est, cur hic cum *Holstenio*, in adducto Stephani loco mutilationem factam suspicemur, si cum doctissimo *Samuele Bocharto in Chanaan* de *Coloniis & sermone Phœnicum l.* 1. *c.* 26. & *Thoma de Pinedo Lusitano in observat. ad Stephani locum* p. 455. Carthaginenses à Phœnicibus originem ducere, & Melitenses vicissim illorum propaginem esse, qui in insula Melita, urbem ejusdem nominis condiderint. Hanc ob causam etiam *Bochartus* nomen insulæ hujus non à *Melite*, nympha Phæace seu Corcyræa, nec ἀπὸ τοῦ μέλιτος, id est, à proventu mellis (quo Meliten olim fertilem fuisse scribitur) sed à Pœnorum sermone מליטה, quod est *refugium* vel *effugium* derivat, מלט enim in Piel est liberare & eripere, & in Niphal liberari, evadere, effugere. Quia Melites insula καταφυγῆς seu refugii fuit. Quo nomine jure merito Phœnices appellarunt, qui ut *Diodorus l.* 5. autor est, καταφυγὴν εἶχον ταύτην, *pro refugio illam habebant*, in longo illo itinere è Tyro ad Gades, aut è Gadibus ad Tyrum usque, præcipue commoto mari & ventis sævientibus. Ita etiam Paulo Apostolo post naufragium hæc insula fuit מלטה & refugii locus. Linguæ enim Hebraicæ & Punicæ convenientia cum ex aliis, tum *Reinesii comment. de Lingu. Pun.* satis jam nota eruditis est.

§. 5. Et quanquam indicia quoque in insula hæc deprehensa sint, quæ Græcorum coloniam fuisse arguant: ut quod numismata ibi eruta ex una parte Junonis effigiem expresserint, ex altera remi palmulam, addita Græca inscriptione, ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, non tamen firmiter inde colligas, à Græcis Melitenses fuisse proseminatos. Nam bellorum occasione sæpius Græcos, ut alias gentes, fuisse in diversas orbis partes, ac adeo etiam in hanc insulam non procul Sicilia distantem, dispersos, notius est, quam ut declarari hic prolixe mereatur. Quid ergo mirum si & Græcos aliquos in hanc insulam delatos Carthaginensibus cui Melita Punico bello secundo paruit, *Orosio teste l.* 4. *c.* 8. mixtos fuisse. Nostram sententiam ulterius confirmat *Johannes Quintinus Hedunus, in Epistola ad Sophum scripta ex insula Melita anno* 1533. *Nostra hæc Melita* inquit *insula est milliaribus LX. mari satis periculoso ab Sicilia disjuncta Africam versus. Punicæ quondam ditionis, quæ & ipsa adhuc Afrorum lingua utitur, & nonnullæ etiamnum Punicis literis inscriptæ stelæ lapideæ extant, quæ figura & appositis quibusdam punctulis prope accedunt ad Hebræos. Atque ut scias, aut nihil, aut minimum differre à vetere quod nunc habet idioma, Hannonis cujusdam Pœni apud Plautum, Avicennæ hujusque similium Punica verba plurima intelligunt Melitenses, tametsi sermo is sit, qui literis Latinis exprimi bene non potest, multo minus ore aliquo enunciari, nisi suæ gentis. Ejusdem quoque sunt linguæ verba illa in Evangelio, Eloi, Ephatha, Kumi. v. Bochart. l. c.*

§. 6. Sed alia nunc quæstio incidit determinanda; an Paulus ad hanc, quam descripsimus insulam appulerit; cum *Constantinus Porphyrogenneta* eam in censu insularum Illyrici littoris ponat, νῆσος ἑτέρα inquit, μεγάλη τὰ Μέλετα, ἤτοι τὸ μαλοζεᾶτη ἣν ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ὁ ἅγιος Λουκᾶς μέμνηται, Μελίτην ταύτην προσαγορεύων. *Alia magna insula, quæ Meleta seu Malozeatæ vocatur, cujus in actis Apostolorum meminit S. Lucas, Melitam eam nominans.* Et videtur huic sententiæ favere partim quod in Adria Paulus, antequam in Melitam appelleret, tempestate jactatus dicitur *Act.* 27: 27. quod insulam sinus Adriatici forte arguere, videri queat; partim quod barbaros incoluisse Meliten, Lucas prodat, *Act.* 28: 2, 4. cum Africanæ Melites incolas Græcos fuisse, certa indicia prodant. Verum hæc dubia urgeri nequeunt. Inspecta enim Scriptoris s. historia collataque Geographia, facile illa dilui ex *Bocharto* possunt. Nam quod primò autoritatem Constantini Porphyrogennetæ attinet, eo longe antiquior est *Arator* subdiaconus, poëta Christianus, qui sub Imperatore Justiniano vixit & *Lib.* 11. *Hist. Apostolicæ* de ea habet:

Sicanio lateri tellus vicina Melite.

Deinde Adria, qua Paulus dicitur jactatus distinguenda est à sinu Adriatico, quo multo latius patet Adria, seu quod idem est, mare Adriaticum. Sinus enim Adriaticus cum Illyrico desinit: Mare autem Adriaticum idem est cum Jonio. *Hesychius*: Ἰόνιον, πέλαγος ὁ νῦν Ἀδρίας. Quid, quod Adriaticum mare ad Africam usque extensum est, & in *Procopii Vandal. lib.* 1. insulæ Gaulus & Melita Ἀδριατικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος διορίζουσιν, Adriaticum & Tuscum pelagus disterminant. Paulus ergo cum *Act.* 27: 13, 14. circa Cretam navigaret, ἄνεμος τυφωνικὸς ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων, vel ut vulgatus interpres legisse videtur, Εὐρακύλων, Euroaquilo excitatus est, qui non potuit è Creta navem in Illyricum impellere; Præstitisset id Euronotus, non subcontrarius Euroaquilo, ut inspectio situs locorum docet. Ventus enim Euroclydo seu Euroaquilo potius in austrum, quam in septentrionem inclinat; unde nautæ illo flante metuebant, ne in Africæ Syrtim inciderent, *Actor.* 27: 17. nihil tale formidaturi, si ventus navem in Illyricum impulisset, quæ ora est Syrti & Africæ obversa, *ap. Luc. cap. cit. vs.* 41. Περιπεσόντες δὲ εἰς τόπον διθάλασσον, ἐπώκειλαν τὴν ναῦν, in *locum bimarem* i. e. Isthmum. Hic Isthmus ad insulæ ortum æstivum hodieque ostenditur, & vocatur ab incolis, *la cala di S. Paolo*, seu Pauli sancti adpulsus, circa locum illum erant χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ *Actor.* 28: 7. Publius ille quod nomen arguit, à Romanis insulæ præfectus fuerat. Et quis crederet de Illyrica Melite (quæ nonnisi quatuor passuum millibus à continenti distat, & Epidaurum in conspectu habet, portum celeberrimum & hospitibus commodissimum) quod Paulus in illa cum centurione & aliis sociis per tres menses hæserit, quod Lucas *Act.* 28: 11. *& seq.* affirmat: & *Arator* his versibus exprimit:

Mensibus hybernis tribus in regione Melite,
Multiplicem dat Paulus opem ——

Taceo, quod ab Ægypto Puteolos contendentibus Africana Melite pæne invitis sese offerat: ut toto salo aberrasse dici queant, qui Alexandria Puteolos ituri, Illyricam Meliten petant. Sane & flexuosa & præpostera fuisset via, si ex Illyrica discessissent, cum è Melite Africana, recta via primo Syracusas deinde Rhegium ducat, ut *Lucas cap. cit. vs.* 12. 13. scribit *v. Bochart. Geograph. Sacr. Part. Poster. l.* 1. *cap.* 26. *Et Maltam vetustam & novam à Burchardo* Niderstedt *adornatam, & auspiciis & jussu Christoph. Casp. L. Bar. à Blumenthal Helmstadii, cum Præfatione H. Conringii anno* 1660. *editam cap.* 4. *Tandem* quod Græci, qui in hac insula consederint, barbarorum censu haberi nequeant, id inquam non de majori incolarum parte, sed de quibusdam advenis ex Sicilia forte eo delatis, Pœnisque mixtis capiendum esse, jam §. *antecedente* annotavimus.

§. 7. Cæterum *Baronius Cardinalis ad A. CHR. LVIII.* quidem hic nobis ὁμόψηφος est; sed quod *A. CHR. LIX.* §. 1. Paulo in hoc itinere comitem facit Trophimum, huncque in insula Melite ægrum ab eo relictum fuisse tradit, id nec historiæ congruere, nec s. literarum testimoniis evinci posse, *Ludovicus Capellus Salmuriensis Academiæ Professor non ita pridem in Histor. Apostol. illustrata pag.* 30. *seqq.* demonstravit. Et sane temeraria crisis est *Baronii*, quod hujus gratia contra probatorum codicum Græcorum fidem, & vulgatam Pontificis tantopere alias æstimatam versionem, 2 *Timoth.* 4: 20. pro ἐν Μιλήτῳ, quo Trophimus æger relictus fuisse scribitur, legendum censeat, ἐν Μελίτῃ, scilicet ut sententiæ, quam fovet, ineptæ, veritas constaret.

Mile-

Miletus civitas fuit Asiæ, scribit *Servius* (in 3. *Georgic. Virgil.*) *ubi tinguntur lanæ optimæ.* Quam ab insula Melite longe distare, quivis Geographiæ non imperitus intelligit. Et quanquam hac in parte pro *Baronii* sententia inscriptio, quæ in Templo PP. S. Francisci in civitate nova Valetta Melitensi in ejus honorem facta, hodie legitur, facere videri queat; notum tamen est multa generis hujus monumenta passim in Italia & alibi inveniri, quæ si fidem historiæ exigas, omni destituuntur. Ista autem Trophimo consecrata, ita habet:

D. O. M.

Divo Trophimo

Cum Paulo Doctore Gentium, Luca, Aristarcho, aliisque discipulis naufragio in Melitam ejecto,
Iisdemque recedentibus ob adversam valetudinem relicto,
Ecclesiæ Milevitanæ Magistro mox Arelatensium Episcopo Galliarumque Apostolo,

Fr. Jo. Franciscus Abela Hier. Ord.

Vice-Cancellarius Hospiti patriæ incluto ac patrono suo D.
Anno Domini M. DC. XXII.

§. 8. Hi ergo Melitensis insulæ ejusdem nominis incolæ, à S. Scriptore *Barbari* appellantur, quod plerique neque Græci, neque Romani essent; sed, ut supra ex *Scylace*, *Diodoro* & *Stephano* probavimus, φοινίκων, ἢ Καρχηδονίων ἄποικοι, *Phœnicum aut Carthaginensium coloni.* Fuere enim Melitenses pars Barbarorum, ut reliqui Africæ Pœni, à quibus & ipsa regio tandem Barbarica denominata est. Illa in bello *primo* & *secundo Punico* Romanorum armis subacta, Romanis quidem paruit, nomen tamen barbarorum, propter originem, incolis adhuc adhæsisse, ex hoc Lucæ testimonio constat. Confer *Orosii Libr. IV. cap.* 8. & *Livii Decad. tertiæ lib. I.*

§. 9. Sed satis forte prolixe de *Melitensibus.* Nunc de Δίκη eorum falso credita videndum porro erit. Ut enim illi viderunt bestiam pendentem è manu S. Pauli, qui sarmenta alendo igni accenso imposuerat, viderunt, alii aliis dicebant, omnino homicida est homo iste, quem è mari servatum ἡ Δίκη seu Nemesis seu justitia vivere non sinit. Unde tria hic notanda nobis veniunt: *casum* puta, δίκην & Melitensium *judicium.*

§. 10. *Casus* iste à Luca descriptus commat. 3. & 4. memoratur. Vipera quippe (ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ) è calore prodiens arripuit ejus (Pauli) manum: quam Lucas ideo κρεμάμενον τὸ θηρίον *pendentem bestiam* vocat. Vocabulum enim θηρίον non tantum bestiam in genere, sed & serpentem venenatum significare, ex *Siracide cap. XII.* 17. & *Dioscoridis lib.* 1. *cap. de utice, collato Plinii lib. XXIV. cap.* 9. colligere est. Unde passim in Medicorum libris θηριόδηγμα & θηριόδηκτος de eo, qui à serpente morsus est, θηριακὰ φάρμακα, quæ venenatis prosunt, legas. Apud *Josephum lib. II. Antiquitat. cap.* 5. terra Æthiopica θηριοτρόφος ideo appellatur, quod multos aleret serpentes. Talem ergo venenatam bestiam seu viperam, cum Pauli manu sese alligantem vidissent barbari, eundem criminis aut sceleris gravis reum arguunt: Πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος οὗτος. Species pro genere poni videtur, qua figura Τισιφόνη, Furiarum una, ἀπὸ τοῦ τίειν τοὺς φόνους appellatur, quæ non cædis solius sed & aliorum criminum ultrix esse credebatur.

§. 11. Ἡ δίκη ergo gentilibus Dea credebatur, quæ crimina mortalium ulcisceretur. Cujus descriptionem jam ex Scriptoribus Græcis dabimus. *Hesiodus* περὶ ἔργ. καὶ ἡμερ. *versu* 254.

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη ἐκγεγαυῖα,
Κυδνή τ' αἰδοίη τε Θεοῖς, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν,
Καὶ ῥ', ὁπότ' ἄν τίς μιν βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὐτίκα παρ' Διῒ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,
Γηρύετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, οἳ λυγρὰ νοεῦντες
Ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας, σκολιῶς ἐνέποντες.

Hoc est *Heinsio* interprete:

Virgo autem est justitia, Jove prognata,
Claraque & veneranda Diis, qui cœlum habitant,
Et certe cum quis illam læserit, injuste convitiando
Statim apud Jovem Patrem considens Saturnium,
Conqueritur hominum iniquam mentem: ut luat
Populus peccata Regum, qui prava cogitantes,
Alio deflectunt judicia, injuste sententiam pronunciantes.

In *Orphei Hymno in Horas*, *DICE* una est filiarum Θέμιδος καὶ ζηνὸς ἄνακτος. Et *Argonaut. vs.* 349.

—— τούτου δ' ἐπιμάρτυροι ἔστων
Ἰθύντειρα Δίκη καὶ Ἐριννύες αἰνοδότειραι

h. e. Hujus (*juramenti*) *testes sunt rectrix Dice*, & *Furiæ ultrices.* In *Euripidis Medea*, Jason Medeæ, quæ communium liberorum cæde manus polluerat, *versu* 1389. imprecatur:

Ἀλλ' ὁ Ἐριννὺς ὀλέσειε τέκνων,
Φονία τε Δίκη.

Aratus in *Phænomenis* de eadem fingit, quod aurea ætate cum hominibus familiariter convixerit; argentea quoque, quamvis rarius; sed ænea, postquam cœperunt boves operarios edere, in cœlum secesserit:

—— πρῶτοι βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων,
Καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
ἔπταθ' ὑπουρανίη. ——

quo respiciens *Gregorius Nazianzenus carmine tertio* eleganter ait:

Παρθενικὴ δ' ἀπὸ σεῖο φυγάς, πρὸς χριστὸν ἀνέλθοι,
ὥς τε Δίκη τοπάροιθε βοὸς κταμένου ἀροτῆρος.

Virginitas à te fugitiva, ad Christum redibit,
Ut Dice olim bove aratore cæso.

§. 12. Gentiles quippe agnoscentes Deum justum esse, qui improbos non impune dimittat, confinxerunt *Deam* scelerum ultricem, quam alii *Themidem*, alii *Astræam*, aut *Erigonem*, aut *Nemesin*, aut *Adrastiam*, alii denique *Dicen* appellabant; ad quam impiorum pœnas referebant, quæ propter scelera tandem eos maneant. *Horatius lib. III. od.* 2.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede, pœna, claudo.

Vel ut *Euripides* habet:

Ἀλλὰ σιγῇ καὶ βραδεῖ ποδὶ στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς,
ὅταν τύχῃ.

Hinc *Aristoteles*, qui autor vulgo habetur *libri de Mundo*, in fine ejus scribit: τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός. *Illum semper sequitur* Dice, *eorum, qui à divina lege defecerint, ultrix futura.* Nam ut *Homerus* in *Batrachom.* recte sentit: ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. & in *Odyss. V.*

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅς τε ἄλλους
Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται ὅστις ἁμάρτῃ.

Juppiter ipsos ulciscatur supplicum vindex, qui & alios homines intuetur, & plectit quicunque peccat. Ubi obiter observes, quod ἱκετήσιος idem apud *Poetam* sit, quod ἱκέσιος apud τοὺς μεθ' ὅμηρον, supplicum præses, tutor, seu vindex. *Scholiastes*, ἱκετῶν ἐπόπτης. *Hesychius*, Ἱκετήσιος, ὁ ἐπὶ τῶν ἱκετῶν ζεύς, ἢ ὁ τοὺς ἱκέτας ἐλεῶν. *Appollon. Argonaut. l. III.* καὶ Διὸς, ὅς ξείνοις ἱκέτῃσί τε χεῖρ' ὑπερίσχει. Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, κτλ. Facit huc etiam quod *Homerus* in *Iliad.* δ. habet:

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ. σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.

h. e. *Nam etsi non protinus cœlicola perfecerit: at tandem aliquando perficiet, & magno luent* (improbi). Quo facit interpretatio Græca: ὥσπερ καὶ ἐπιορκήσασιν Ὅμηρος ἔφη συμβαίνειν σὺν πολλοῖς καὶ μεγάλοις ὕστερον ἐκτίνειν τὰς δίκας. vid. *Aristid. tom. II. orat.* 2. περὶ συμμαχ. χρόνια μὲν τὰ Θεῶν πως εἰς τέλος δ' οὐκ ἀσθενῆ. *vid. Euripid. in Jone. Arrianus Dissert. Epist. III.* 26. Δίκη τὰ θεῶν πράγματα ἐποπτεύει, τιμωρὸς τῶν ἄδικα πραξάντων. confer *Isidor. Pelusiot. l.* 11. *Ep.* 217. Hinc *Plutarchus* de *Sera Numinis vindicta*; Βαίνει δίκης ἄσσον, μάλα τὸ κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

§. 13. Ex his Scriptorum veterum testimoniis constare potest, gentiles cultiores divinam hac in parte providentiam credidisse. Quod ulterius declarare hic non abs re fuerit. *Lysias orat.* 5. Οὔτε γὰρ Θεὸς παραχρῆμα κολάζει. ἀλλ' μὲν ἐστιν ἀνθρωπίνη δίκη. Cui illud *Valerii Maximi l.* 1. *cap.* 11. fere consonat: *Lento gradu ad vindictam sua divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.* Unde notus ille proverbialis Græcorum versus:

Ὀψὲ Θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτόν.

Hoc est, ut *Tibullus* expressit clarius:

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus,

vel ut alia Græcorum Parœmia habent: Ὁ ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας. *Sero Juppiter diphteram inspexit*: Nam quod oraculum apud *Herodotum l. V.* dixit, verissimum est: Τιμωρία δ' ἀδικίας πάσης ἀνόλουθος. Quod *Arrianus Dissert. Epist. l. II. cap.* 8. non minus eleganter, quam vere declarat: cum Deum præsentem ubique agnoscit; αὐτοῦ δὲ Θεοῦ, παρόντος ἔσωθεν, καὶ ἐφορῶντος πάντα, καὶ ἐπακούοντος, οὐκ αἰσχύνη ταῦτα ἐνθυμούμενος, καὶ ποιῶν, ἀναίσθητος τῆς σαυτοῦ φύσεως, καὶ θεοχόλωτε. h. e. *Ipso autem Deo intrinsecus præsente, & omnia tum intuente, tum audiente, non verecundaris eadem cogitare & facere, ignare naturæ tuæ & Diis invise?* Unde exclamat *Nicetas Choniates Annal. Manuel. Comneni l. III.* ὦ πάντ' ἐφορῶν ὀφθαλμὲ τῆς δίκης ἀλάθητε. Nam, ut Comicus Profanus, *Plautus in capt.* loquitur: *Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt.*

§. 14. Recte igitur Melitenses licet barbari hactenus cum aliis sapientioribus gentilibus senserunt, quod Δίκην & Nemesin divinam crediderint, quæ pœnas poscat ab improbis: cujus imaginem *Chrysippus* apud *Gellium N. A. libr. XIV. c.* 4. graphice depingit, ut virginem illibatam: παρθένος ait, δὲ εἶναι λέγεται, κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις, μηδὲ προσίεσθαι, μήτε τοὺς ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων. ὅς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, καὶ ἔντονον καὶ δεδορκὸς βλέπουσα, ὥς τε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος. Τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις προσάντους. h. e. *Virgo dicitur, ut significetur esse incorrupta, nec malis ullo modo cedere; non orationem modestam, non deprecationem aut petitionem, non adulationem, non denique tale quicquam ab iis admittere. Quamobrem merito tristis & corrugata fronte pingitur, & vultu contento & torvo, quippe quæ injustis metum injiciat, justis vero fiduciam: quibus quidem tanquam amicis tali vultu, aliis autem averso existit.*

§. 15. At nunc videndum est, quid in *judicio* Melitensium recte, quidve perperam dictum sit. Recte & juris divini regulæ convenienter senserunt, quod male agentes & improbos tandem pœnæ maneant promeritæ. Justum enim esse apud Deum, vicissim reddere iis, qui bonos afflixerunt, calamitatem, Apostolus gentium affirmat, 2. *Thessal.* 1: 6, 7, 8. Sed Melitenses hic temere sententiam præcipitarunt, quod nemini mala accidere existimarunt, nisi qui antea criminis graviter fuit reus. Communis quidem hic error fuit gentilium, qui videntes, bonis mala, & malis bona accidere, inde aut cum Epicuro providentiam divinam negarunt, aut temere de malis, quæ bonos vexarunt, judicare non dubitarunt. Unde *Ovidius lib. III. Amor. Eleg.* 8.

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso.
Sollicitor, nullos esse, putare, Deos.

Videbat Epicurus, inquit *Lactantius l.* III. *de Falsa Sapientia c.* 17. *bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exilia, carorum amissiones; malos contra, beatos esse, augeri potentia, honoribus affici: videbat innocentiam minus tutam, scelera impune committi: videbat sine delectu morum, sine ordine, ac discrimine annorum sævire mortem; sed alios ad senectutem provenire; alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui; in bellis potius meliores & vinci & perire; maxime autem commovebat, homines imprimis religiosos gravioribus malis affici, iis autem, qui aut Deum omnino negligerent, aut non pie colerent; vel minora incommoda evenire, vel nulla.* Hinc *Lucanus* etiam *lib. VII.* garrit:

—— Sunt nobis nulla profecto
Numina, cum cæco rapiantur singula casu,
Mentimur regnare Jovem.

Vel ut *Seneca* in *Hippol. act. III.* habet:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cæca, pejora fovens.

Hæ & similes gentilium sententiæ infirmos, & nulla philosophia Christiana tinctos quidem offendunt; non ideo tamen tollenda est à rebus humanis providentia, quæ tam validis argumentis, à sapientissimis viris passim adstruitur. Cum his igitur potius ita colligendum est; Cum Deus curet actiones, justusque sit, & ita interim fiat, expectandum est aliquod post hanc vitam judicium, ne aut insignis improbitas sine pœna, aut magna virtus sine solatio præmioque maneat. Hoc autem, ut statuamus, etiam animas superesse corporibus statui necesse est: quæ antiquissima traditio à primis certe parentibus ad populos moratiores pene omnes manavit. Quod *Hugo Grotius de Veritat. Relig. Christ. l.* 1. §. 22. & *in Annot.* ad h. l. multorum testimoniis probavit. Post hanc vitam ergo sapientissimam Nemesis divinæ rationem sese exerturam esse, cum *Platone* sapientiores gentiles crediderunt. Qui hanc ob causam duo animarum receptacula statuerunt, quorum uno improborum, altero bonorum animæ recipiantur. Confer. *Senec. lib. Quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia.*

§. 16. Deinde vero causæ etiam ex Philosophia Christiana suppetunt, cur, quæ videntur mala, Deus piis evenire sinit. Nempe ut patescat, ipsum habere subditos generose pios, qui in mediis adversitatibus infracti animo & invicti maneant, atque spe melioris vitæ, hoc vitæ stadium cum sudore & non raro cum sanguine decurrant læti. Adversa enim animo quasi stimulum subdunt, ut ardentius precentur, & vitiorum fomes subtrahatur; dum rerum omnium mundanarum fastidium nascitur, animusque erigitur, ut ad cœlestia bona, quæ non sunt fluxa & caduca, adspirare incipiat, spe certa fretus, fore, ut superatis vitæ hujus agonibus, Deus tam duriter exercitatos athletas gloriose coronet. Id quod Christiani ex sublimioris philosophiæ fontibus demonstrare solent; fide quippe divina imbuti, cui vix alias locus est, ubi præsentia omnia ex voto fluunt. Quare non est metienda cujusquam virtus, aut perversitas ex prosperis & adversis rebus, quæ in hac vita accidunt mortalibus.

§. 17. Unde in Melitensium judicio hic *duo* perperam facta notamus: *Unum* est, falsa ista persuasio, bonos non obnoxios esse casibus & calamitatibus variis, quam jam confutavimus; *alterum* est animi præcipitantia, quod non expectantes rei eventum, præceps sane de hoc casu Pauli judicium tulerint, tanquam de re certa in *præterito* dicentes, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. Neque enim ex morsu viperæ, quam ex ejus manu barbari videbant dependentem Paulus periit; Quin bestiam, cum excussisset nihil mali passus est. Quo adimpletum fuisse observamus, quod Christus Apostolis promiserat, fore ut serpentes tollerent, *Marc.* 16: 18. Videmus inde etiam fuisse hoc Pauli miraculum Melitensibus maxime improvisum, quam putassent, αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν. Ubi τὸ πιμπρᾶν *Hesychio* interprete, est ἐμπυρίζειν, φυσᾶν, καίειν. vel ut *Scholiastes* Græcus ad *Nicandri in Theriacis de hæmorrhao versu* 306. (τῆς γὰρ ὀδυξομένης τὰ μὲν ἀθροα πίμπραται οὖλα) commentatur: πίμπραται, ἀποκαίεται, ἢ πυροῦνται. Potest ergo τὸ πίμπρασθαι reddi, *ardere* & exuri, vel *ardore inflari & intumescere.* Quod *Beza* & alii interpretes volunt. Nam inter symptomata, quæ ex morsu viperæ accidunt, hoc præcipue est, quod pars læsa vel admorsa intumescat. Hinc *Nicander de morsis à vipera Theriac. versu* 240.

—— φλύκταιναι ἀραιαὶ,
Οἷα πυριχμήτοιο χροὸς κλαδόωσιν ὕπερθεν.

h. e. tumores noxii, ac si corpus sit igne ambustum, superne ebulliunt. Confer quod *Scholiastes Græcus* in h. l. commentatur:

§. 18. Sed non est, cur de viperarum morsu & inde ortis symptomatibus hic prolixe disquiramus, Physicorum enim & Medicorum hæc cura est. Potius antequam finiamus dissertationem hanc nostram barbarorum notamus judicandi perversitatem. Quem enim ante hominem scelestum esse putaverant, mox mutata sententia, miraculum quippe videntes, Deum dixerunt ideo, quod absque omni manus aut corporis periculo, aspidem adhærentem manui in vicinum ignem excuteret. Rectius *Arator*, poëta Christianus, miraculum hoc expendens animo, sentit:

—— digito nam bestia pendens
Excutitur projecta rogis, bene reddita flammæ,
Quam dedit ipsa prius, quæ culpæ protulit ignem,
Unde Gehenna calet.

Hoc est, Diabolum, veterem serpentem respicit, qui frustra pios aggressus in ignem Gehennæ, justo Dei judicio detrusus est. Atque tantum de Melitensium judicio, quod discutere hic nobis erat propositum.

S. D. G.

M. HENR.

M. HENR. KNOBLOCH

DISSERTATIO

De Distinctione Pauli in Judæos, & Græcos ad Rom. I: 16.

§. I.



Uod gentium doctor Paulus omne genus hominum in Judæos & Græcos descripserit, atque in hos quasi universum terrarum orbem dispertitus sit, ex epistolis ipsius, præsertim ea, quam ad Romanos dedit, *cap.* 1: 16. 2: 9, 10. 3: 9. &c. satis patet; cum tamen præter has gentes ipsius ætate plurimi alii florerent populi, qui non ampliora solum regna, quam Judæa erat, tenebant, verum & Græcorum gloriam si non superare, certe æquare videbantur. Quid? quod utraque gens in Romanorum ditionem jam tum venerat, & Judæa, atque Græciæ exiguæ saltem Romano Imperio provinciæ accesserant. Ut adeo hæc divisio, quæ Paulo tam frequens est atque usitata, minus apta & commoda videri cuidam possit, qui accurate orbis terrarum ambitum novit, & in quam diversas gentes hominum genus dispersum sit ac distributum, secum perpendit.

§. II. Verum ut D. Paulum ab omni erroris suspicione, quam nisi profanis & impiis hominibus movere non potest, utpote qui Spiritum S. verborum suorum auctorem habuit, liberemus, & quam justa hæc ab ipso facta sit distributio ostendamus, paulo prolixius de ea disserere instituimus; quod institutum non utile minus, quam jucundum nobis visum est. Atque ut eo expeditius deinde progredi, & in divisionis hujus rationes accuratius inquirere possimus, de Judæis & Græcis monenda prius quædam duximus, ut populos, quos Paulus à se invicem toties distinguit, cognitos habeamus atque perspectos.

§. III. Judæis diu cum aliis gentibus rara intercesserunt commercia, tum quod terra, quam incolebant, à mari longius recederet, & præterea ipsis omnia large suppeditaret, quibus ad victum & ad tuendum corpus indigebant; tum quod lege divina prohibebantur cum aliis gentibus colere societatem & cum aliis familiariter vivere. Quo factum est, ut de Judææ gentis origine tam varia & falsa profani Scriptores commentati sint, quum præter lubricam famam & obscuros rumores nullum aliud argumentum fides ipsorum nacta sit, cui firmiter inniti potuisset. Et nisi tandem Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex sacrum Ebræorum codicem in Græcam linguam converti curasset, procul dubio gentis hujus origines profanos scriptores prorsus latuissent.

§. IV. Justinus sane Judæorum incunabula tam fœdis erroribus inquinavit, ut præter nomina Abrahami, Israelis, Josephi, Mosis, vix quicquam verosimile de illis memoriæ prodiderit. *Lib. XXXVI. cap.* 2. At Corn. Tacitum tantopere fluctuasse, & in recensendis diversis opinionibus de Judææ gentis primordiis prolixum magis, quum veracem fuisse, admodum miror; quum auctor iste gravissimus ad scribendam historiam non minus singularem industriam, quam exquisitam prudentiam attulerit: Quamobrem quoque justam Cl. Bœcleri reprehensionem non effugit. *Vid. ejus Annot. Polit. ad Lib. V. Histor. c. II. & III. p.* 180. *sq.* Melius fidei suæ Dio consuluit, qui *Lib. XXXVII.* dum res à Pompejo gestas exponit, fatetur, se ignorare, unde Judæi cognominati fuerint. Aristoteles vero non leviter etiam hallucinatus est, existimans Judæos propaginem Philosophorum Indorum fuisse. *Vid. Bœcl. l. c.* quam Aristotelis hariolationem haud immerito Petrus Cunæus ridet *Lib. I. de Rep. Ebr. c.* 4.

§. V. Nobis hac in re licebit esse brevioribus, quo magis ea nota est atque explicata; nec de gente hac quicquam prætetea commemorabimus, cujus initium atque incrementa ex sacro codice patent, si exposuerimus, unde nomen suum acceperit & Judæa sit appellata. Prosper certe in hac voce *Judæus* exponenda valde offendit, qui eam Latinam atque ex Jus & Deus conflatam esse putavit, itaque appellatum populum illum, quia jus vel legem DEI acceperat, ut Joh. Nicolai ad *Caroli Sigonii. Lib. I. c. 7. p.* 88. *de Republ. Ebræorum* annotavit; quum vox hæc natales suos Ebrææ linguæ debeat, & à Jehuda quarto Leæ & Jacobi filio in universum populum postea sit derivata. Et quoniam Græci aspirationem in medio ante vocalem literam exprimere non poterant, Ἰουδαίους appellarunt, qui Jehudæi dicendi erant; quam tamen scribendi rationem nec ipsis Judæis insitatam fuisse Celebertimus Lightfoot testatur *Hor. Ebr. & Talmud. ad comma* 2. *c. I. Matthai, p.* 180.

§. VI. Sed quando vox hæc & appellatio in usu esse cœperit, accurate definiri nequit. Auctor quidem est Josephus Jacobi posteris Judæorum nomen esse impositum, cum illi è captivitate Babylonica domum reverterentur, & patriam rursus incolerent, quæ postea ab incolis suis Judæa etiam est appellata: ἐκλήθησαν δὲ, scribit, τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί δὲ καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας αὐτῆς μετέλαβον. *Antiquitt. Judaic. Lib. II. c. 5. p.* 272. Verum quod Judæa nomen non tam recens & novum, sed multo vetustius sit, atque antiquius, ex 1 *Sam.* 23: 3. patet, ubi Davidis socii Judæam terram appellant, in qua tum morabantur. Quapropter nec Judæorum appellatio recentior erit. Testatur porro *Esaias* cap. 36: 13. Rabsacen Judaice ad cives Hierosolymitanos esse loquutum; unde consequitur, Judæorum nomen diu ante Babylonicam captivitatem notum fuisse ac usitatum.

§. VII. Jam ad Ἕλληνας nos convertimus, qui ab Hellene Deucalionis filio cognominati sunt, ut Thucydides statim sub initio Συγγραφῆς πρώτης memorat. Ante hujus enim Hellenis tempora Græcis hoc nomen nondum impositum, nec Græciam etiam Ἑλλάδα appellatam fuisse idem asserit auctor. Δοκεῖ δέ μοι οὐδὲ τοὔνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν (ἡ Ἑλλάς), ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος, καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη· κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε, καὶ τὸ πελασγικὸν ἐπὶ πλεῖστον, ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας. *p. m. I. Edit. Basil. M D XL.* Verum Hellenem hunc non Deucalionis sed Phthii filium, adeoque Deucalionis pronepotem fuisse quidam scripserunt, à quo Hellas in Thessalia urbs condita fuerit & Ἕλληνες appellati; plures tamen, quod Deucalionis fuerit filius, consentiunt. *Vid. Salmas. de Hellenist. Part. II. cap. I. p.* 306. Nonnulli ab Hellene Gigante Hellenes dictos putarunt, qui à Japhet genus deduxit, ædificandæque Babylonicæ turris comes & adjutor fuerit; quamobrem etiam à Græcis pro Deo cultus & habitus, ut refert *Nicolaus Gerbelius Lib. I. de Græcia, cap. I. pag.* 29. & 30.

§. VIII. Illud certe Thucydides asserit, quod non omnes Græci antiquitus Ἕλληνες appellati fuerint, & Homeri auctoritate nititur, qui non omnes Græcos, ant alios, nisi qui cum Achille ex Phthiotide profecti erant, ἕλληνας appellavit. Postea tamen Græcorum nomen universim in Hellenas apud ipsos Græcos abiit, quod Thucydidis Scholiastes annotavit: τὸ δὲ ἑξῆς οἱ Ἕλληνες ὡς ἕκαστοι καὶ ξύμπαντες ὕστερον κληθέντες Ἕλληνες. εἰς τὸ τῆς Θουκυδίδου Συγγραφῆς *A. p. m.* 2. Neque enim

est, ubi apud antiquiores paulo Græcos, aut etiam posteriores τ̃ γραικȣ̃ nomen usquam, quod ego quidem sciam, reperiatis, nisi apud Lycophronem in σκοτεινῷ illo ipsius poëmate, *Cassandra* inscripto, inquit Guilielmus Burtonus *in Historia Græcæ linguæ pag.* 11.

§. IX. Nunc exponendum est, cur Paulus Græcos inprimis Judæis opposuerit, omneque hominum genus in has gentes fuerit dispertitus. Post Alexandri M. obitum Judæi à Syriæ Regibus continuis fere bellis premebantur, ut ex Maccabæorum historia satis constat, qui non solum ipsorum imminebant libertati, sed & eos adigere volebant, ut avita sua sacra verumque DEI cultum desererent, & Græcorum diis atque deabus sacrificarent: Sic enim fore sperabant, ut facilius Judæos sub sua retinerent potestate, si cum ipsis eosdem Deos colerent, atque eadem instituta amplecterentur. Sed cum Judæi ab hac Græcorum superstitione admodum abhorrerent, & vitam prius suam quam patria sacra deserere vellent, factum est, ut omnes una gentes ἕλληνας seu Græcos appellarent, quæ ipsorum non utebantur legibus, Ebræorumque sacra spernebant ac detestabantur. Sic Græci omnes alios populos vocabant barbaros, qui vel Græcæ linguæ prorsus expertes erant, vel Græca male efferebant, atque ab illis hac appellatione se discernebant. ἀντίκειται γὰρ τῷ ἕλληνι ὁ βάρβαρος. inquit Thucydidis Scholiastes *p.* 2. *l. cit.* Neque hoc discrimen in colonis, quos Græci in alias regiones aut insulas miserant, negligebatur. Nam qui ex Græcia in Siciliam habitatum concesserant Græci, Siciliotæ appellabantur: reliqui vero barbari Siculi, ut idem commemorat Scholiastes in *Lib. V. Thucyd. p.* 38. ἰστέον δὲ ὅτι οἱ μὲν ἕλληνες, οἱ ἐν Σικελίᾳ Σικελιῶται λέγονται· οἱ δὲ βάρβαροι, οἱ ἐν αὐτῇ, Σικελοί. οὕτω δὲ ἐπὶ Ἰταλιωτῶν.

§. X. In Novo tamen Fœdere vox ἕλλην diversos sustinet significatus, nec solum Græcos & gentiles homines, sed ipsos aliquando Judæos etiam denotat; interdum vero homines pios, qui legem à natura insitam observabant, optimasque excolebant virtutes. Posteriorem significatum observavit Isidorus Pelusiota, qui ad *versum* 10. *cap.* 2. *Epist. ad Romanos* hæc adjecit *Lib. IV. Epist.* 61. ἕλληνας ἐν ταῦθα φησὶν οὐ τοὺς εἰδωλολάτρας, ἀλλὰ τοὺς εὐσεβεῖς, τοὺς ἐν τῷ ἐμφύτῳ νόμῳ πολιτευομένους, τοὺς ἄνευ Ἰουδαϊκῶν παρατηρήσεων, πάντα τὰ πρὸς εὐσέβειαν διαφυλάσσοντας, οἷοι ἦσαν Μελχισεδέκ, Ἰώβ, Κορνήλιος. Judæi vero apud Joannem *cap.* 7. *comm.* 35. ἕλληνες dicuntur, quando διασπορᾶς ἑλλήνων mentionem sacer iste Scriptor facit. *Vid. Guil. Burtoni Historia Linguæ Græcæ p.* 45. Non diffitetur hoc Vir Summus Hugo Grotius in suis ad hunc versum σχολίοις, licet in caput 12. Johannis ad comma 20. ita commentatus sit: ἑλλήνων nomine vocantur omnes, qui nec Israelitæ erant, nec proselyti, inter quos non pauci erant viri pii, unius DEI cultores σεβόμενοι ἕλληνες Actor. 17: 4. Paulus tamen semper ἕλληνας ita Græcis opposuit, ut omnes gentiles homines hoc nomine complectatur, qui sub lege non erant, quod egregie observavit Celeberrimus Salmasius, quum de Paulo dicit, quod νομικοὺς & ἕλληνας opponat, atque universum genus humanum in duas partes dividat, εἰς ἑβραίους & ἔθνη, εἰς Ἰουδαίους & ἕλληνας, εἰς νομικοὺς & ἕλληνας. *de Hellenist. Quæst. IV. pag.* 178.

§. XI. Quam late vero pateat hæc à Paulo facta distinctio, inde quoque potest colligi, quod eam aliis præmittat, quibus omne mortalium genus exhauritur. Nam quis nescit, quod Pauli ætate omnes homines vel liberi erant, vel servituti addicti? Præterea uterque sexus virilis atque muliebris omnes omnino homines complectitur, & tam late patet, quamquidem ipsum humanum genus. Cum hisce tamen distinctionibus Apostolus eam conjungit, de qua disserimus, & haud obscure innuit, quod universos illa mortales ambitu quoque suo comprehendat, ita ad Galatas scribens *cap.* 3: 28. οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος οὐδὲ ἕλλην· οὐκ ἔνι δοῦλος οὐδὲ ἐλεύθερος· οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ.

§. XII. Imitati postea sunt hanc loquendi rationem scriptores Ecclesiastici, qui haud raro ἕλληνας Christianis opponunt & ἑλλήνων nomine omnes gentiles complectuntur. Insignis locus, qui hoc testatur, apud Socratem extat *Lib.* 1. *Histor. Ecclesiast. cap.* 3. *fol.* 170. *Edit. Paris.* 1544. quum Constantinum M. eximiis ornat laudibus, quod Christianorum partes egregie auxerit atque defenderit: Ἀλλὰ Κωνσταντῖνος μὲν ὁ βασιλεὺς τὰ χριστοῦ φρονῶν πάντα ὡς χριστιανὸς ἔπραττεν, ἀνεγείρων τὰς ἐκκλησίας, καὶ πολυτελέσι τιμῶν ἀναθήμασιν. ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἑλλήνων ναοὺς κλείων καὶ καθαιρῶν, καὶ δημοσιεύων τὰ ἐν αὐτοῖς ἀγάλματα. Λικίνιος δὲ ὁ συμβασιλεύων αὐτῷ τὰς ἑλληνικὰς ἔχων δόξας ἐμίσει χριστιανούς. Et vir Græce doctissimus Leo Allatius ὄρχους ἑλληνικοὺς apud Basilium M. Can. LXXXI. gentilium sacramenta interpretatur, in Epistola *de Narthece Veteris Ecclesiæ num. XIX. pag.* 69. & *Num. XX. pag.* 98. Præterea gentiles etiam ἑλλήνων παῖδες dici consueverunt, ut ex vita Syncleticæ patet. Hinc verba ista: Ἀλλὰ καὶ ἑλλήνων παῖδες τὴν τυραννικὴν ἑαυτῶν εἰκόνα τούτοις ἐντίθενται, Joannes Baptista Cotelerius ita convertit: Sed & Græcorum filii seu Gentiles tyrannicam suam imaginem hisce (jejunio, continentiæ, Eleemosynæ) indunt. *Tom. I. Monument. Eccles. Græca, in Vita Syncleticæ cap. C. pag.* 269. In Canonibus vero, qui præter meritum Apostolorum nomen præ se ferunt atque illorum ætate multo recentiores sunt, Græci una cum Judæis & hæreticis Christianis opponuntur, tanquam ab ipsorum sacris maxime dissentientes. Sic enim Canon 61. apud Bartholomæum Caranzam *in Summa Conciliorum pag.* 11. adversus clericos pronunciat: Si quis clericus per metum humanum vel Judæi, vel Græci vel hæretici negaverit, siquidem nomen Christi, ab Ecclesia rejiciator: Si vero nomen clerici deponitor. Pœnitentia tamen ductus recipitor.

§. XIII. Sed nec ipsi profani scriptores per ἕλληνας semper solam Grajam gentem intellexerunt, sed aliquando à natione ad mores & sacra exprimenda hanc vocem transtulerunt. Illustris certe locus apud Zosimum extat, unde perspicue hæc vocis acceptio apparet, quum Frajutum strenuum belli ducem natione quidem barbarum, sed cætera Græcum, non indole duntaxat & moribus, verum etiam instituto animi & numinum cultu fuisse scribit: Ὄντος δὲ ἐν τούτοις αὐτοῦ, (Γαΐνου) κοινῇ ψήφῳ βασιλεύς τε καὶ ἡ γερουσία στρατηγὸν ἐπὶ τῷ κατὰ Γαΐνην αἱροῦνται πολέμῳ Φράβιτον, ἄνδρα βάρβαρον μὲν τὸ γένος, ἕλληνα δὲ ἄλλως οὐ τρόπῳ μόνον, (καὶ τῇ προαιρέσει) καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα θρησκείᾳ. *Lib. V. Histor. cap. XX. p. m.* 556. Et nisi omnia me fallunt, Lucianus per ἑλληνικοὺς θεοὺς non eos tantum DEOS innuit, quos Græcia coluit, sed illos simul omnes, quos Christiani adorare nolebant, sive Græcis, sive Romanis sacri essent, *in Dialogo de Morte Peregrini Tom. IV. p. m.* 277. ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες οἱ χριστιανοί, θεοὺς μὲν τοὺς ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνασκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν (sic perditus homo Servatorem nostrum appellat) αὐτῶν προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι. Posteaquam (Christiani) semel à nobis desciverunt, Græcorum Deos constanter abnegant, solum autem crucifixum illum impostorem adorantes secundum illius leges vivendi rationem instituunt.

§. XIV. Sicut igitur ἑλλήνων nomine haud raro gentiles designantur homines: ita Christianos quoque à profanis auctoribus Judæos appellatos fuisse reperias. Licet enim Vir Clarissimus Christianus Wormius contrarium evincere conetur, & pro hac sententia admodum propugnet, quod Christianis nunquam Judæorum nomen à gentilibus fuerit impositum; *de corruptis Antiquitt. Ebraic. apud Tacitum & Martialem vestigiis Lib. I. cap.* 1. *pag.* 4. *seqq.* mihi tamen persuadere vix possum, quod Suetonius solos pervicaces illos atque obstinatos Judæos, qui à Christianorum sacris maxime erant alieni, impulsore Christo assidue tumultuasse, eamque ob causam à Tiberio Claudio Roma expulsos fuisse dixerit, *in vita Tib. Claudii cap.* 25. Verosimilius omnino mihi videtur Christianos hoc loco à Suetonio indigitari, quos Christo impulsore perpetuo tumultuasse dixit; quoniam profani homines Christianos clandestina inire consilia & perniciosas res moliri atque conjurationes facere dicebant, quum illi in privatis ædibus conventibusque sacris ἀγάπας celebrarent. Sententiam nostram aperte Sulpitius Severus firmat & roborat, quum causam aperit, cur Titus templum Hierosolymitanum evertere decreverit: At contra alii, & Titus ipse evertendum templum imprimis censebant, quo plenius Judæorum & Christianorum religio tolleretur. Quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas Christianos ex Judæis extitisse: radice sublata, stirpem facile perituram. *Lib. II. Histor. Sacr. cap.* 30. Prolixius hac de re disserit, & ad nostram omnino accedit sententiam Cl. Daniel Huetius. *Demonstr. Evang. Propos. III. num. XIX. & XXI. p.* 66. 70. *seqq.*

§. XV. Quamvis autem ἕλληνες & Judæi ab Apostolo tam accurate à se invicem distinguantur ac discernantur; nihilominus tamen illud discrimen in iis tolli ac prorsus aboleri idem dicit Apostolus, qui ex utraque gente ad Christi sacra accesserant, & Christianorum instituta erant amplexi οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος, οὐδὲ ἕλλην· οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος. οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ. πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *Gal.* 3: 28. Judæi quippe, qui Christo nomen suum dederant, avitas superstitiones deserebant, & cum Græcis ad Christum conversis, qui vanis idolis nuntium miserant eorumque cultum damnabant, in unum coa-

coalescebant nomen, atque Christiani appellabantur. Nec hoc prætereundum arbitror, quod Josephus etiam refert, multos Græcos Christo jam adhæsisse, cum vivus adhuc in Judæa cœlestis Prophetæ munus obiret, & divinam Patris sui voluntatem hominibus annunciaret. Ita enim de Servatore inquit: καὶ ὁ Ἰησοῦς πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. *Antiquit. Judaic. Lib. XIIX. c. 4. pag. 621.* Postquam vero Apostoli cœlestem Christi doctrinam propagare, & homines ad Christum vera fide amplectendum convertere cœperunt: major certe numerus ex Græcis quam Judæis ad Christianorum sacra accessit, quod nemini ignotum esse confido.

§. XVI. Hoc loco non alienum nobis videbatur, in rationes inquirere, cur Paulus Apostolum Petrum tam acriter reprehenderit & coram omnibus objurgarit, ut ipse fatetur Gal. 2: 14. quam reprehensionem vel ideo Petrus meruit, quod Gentes ad Christum conversas Judæorum ritus docere, & ut eos observarent, adigere volebat, atque antiquum illud discrimen inter Christianos quoque locum habere censebat; quod tamen prorsus sublatum esse, Paulus sæpius affirmarat, & Judæos & cum Græcis per CHRISTI sacra conjungi aperte docuerat. Sed cum prolixe hac de re dissernerit Natalis Alexander *Dissert. X. Part. I. Seculi I. Histor. Eccl.* ad finem properamus & nostram dissertationem, quam extendere longius nec lubet nec licet, verbis concludimus Clementis Alexandrini *ex Lib. VI. Stromatum p. 636.* νέαν ἡμῖν διαθήκην διέθετο ὁ Θεός. τὰ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων παλαιά· ἡμεῖς δὲ, οἱ καινῶς αὐτὸν τρίτῳ γένει σεβόμενοι, χριστιανοί. σαφῶς γὰρ, οἶμαι, ἐδήλωσεν τὸν ἕνα καὶ μόνον Θεὸν, ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων ἐθνικῶς· ὑπὸ δὲ Ἰουδαίων Ἰουδαϊκῶς· καινῶς δὲ ὑφ' ἡμῶν καὶ πνευματικῶς γινωσκόμενον. Novum dedit nobis DEUS testamentum: quæ enim sunt Judæorum & Græcorum sunt vetera. Nos autem qui nove ipsum tertio genere colimus, sumus Christiani. Aperte enim, ut arbitror, ostendit unum & solum DEUM, à Græcis quidem gentiliter, à Judæis autem Judaice, nove autem à nobis cognosci & spiritaliter.

J. CONR. DANHAUWERI

DISSERTATIO

De gemitu creaturarum ad Rom. VIII: 19. 23.

In προσωποποιΐᾳ Paulina,

Ex Epist. ad Rom. VIII: 19. --- 23.

Oraculo, inter D. Pauli δυσνόητα referendo.

TEXTUS.

19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ ἀπεκδέχεται.

20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι.

21. Ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ.

22. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει, καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν.

23. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.

Variasse nonnihil Græcos Codices in lectione versus 22. pro certo habet Perer. Disput. XVI. ad Rom. VIII. pag. 696. Sed quia intimata variatio sententiam ipsam non involvit, licebit hic nobis esse otiosis.

Vulgata.

19. *Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum DEI expectat.*

20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe.*

21. *Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI.*

22. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.*

23. *Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum DEI expectantes, redemptionem corporis nostri.*

Tremell. Junius.

19. *Universa enim creatura expectat, & oculos intendit in revelationem filiorum DEI.*

20. *(Creatura enim subjacet vanitati, non pro voluntate sua, sed propter eum, qui subjecit eam.)*

21. *In spe quod etiam ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI.*

22. *Scimus enim, quod omnes creaturæ congemiscunt, & parturiunt usque in diem hunc.*

23. *Et non solum ipsæ, sed etiam nos, in quibus sunt primitiæ Spiritus, congemiscimus in nobis ipsis, & intentis oculis expectamus adoptionem filiorum, redemptionem corporum nostrorum.*

B. Lutherus.

19. Denn das ängstliche harren der Creatur wartet auf die Offenbahrung der Kinder GOttes.

20. Sintemahl die Creatur unterworffen ist der Eitelkeit / ohne ihren Willen / sondern umb des Willen / der sie unterworffen hat auf Hoffnung.

21. Den auch die Creatur frey werden wird von dem Dienst des vergänglichen Wesens / zu der herrlichen Freyheit der Kinder GOttes.

22. Den wir wissen / daß alle Creatur sehnet sich mit uns / und ängstet sich noch immerdar.

23. Nicht alleine aber sie / sondern auch wir selbst / die wir haben des Geistes Erstling / sehnen uns auch bey uns selbst nach der Kindschafft / und warten auf unsers Leibes Erlösung.



Mat Spiritus Sanctus ut cætera Rhetorum ornamenta, ita & Figuram Προσωποποιΐας, quam in præsente Oraculo & invenit & coloribus pinxit Joh. Chrysost. cujus hæc est ad h. l. commentatio: ὥστε ἐμφαντικώτερον γενέσθαι τὸν λόγον, καὶ προσωποποιεῖ τὸν κόσμον ἅπαντα τοῦτον. Ἅπερ καὶ οἱ προφῆται ποιοῦσιν, ποταμοὺς κροτοῦντας χερσὶν εἰσάγοντες, καὶ βουνοὺς ἁλλομένους, καὶ τὰ ὄρη σκιρτῶντα, οὐχ ἵνα ταῦτα ἔμψυ-

ἔμψυχα εἶναι νομίσωμεν, οὐδ' ἵνα λογισμόν τινα δῶμεν αὐτοῖς, ἀλλ' ἵνα τὴν ὑπερβολὴν μάθωμεν τῶν ἀγαθῶν, ὡς καὶ τῶν ἀναισθήτων αὐτῶν καθικνουμένων. Τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν λυπηρῶν ποιοῦσι πολλάκις, εἰσάγοντες καὶ ἄμπελον θρηνοῦσαν, καὶ οἶνον, καὶ ὄρη, καὶ τὰ φατνώματα ὀλολύζοντα τοῦ ναοῦ, ἵνα καὶ ἐντεῦθεν πάλιν τὴν ὑπερβολὴν τῶν κακῶν ἐννοήσωμεν. Et mox: Τούτους δὴ καὶ ὁ Ἀπόστολος μιμούμενος, προσωποποιεῖ τὴν κτίσιν ἐνταῦθα, καὶ φησι στενάζειν αὐτὴν, καὶ ὠδίνειν, οὐκ ἐπειδὴ στεναγμοῦ τινος ἤκουσεν ἀπὸ γῆς, καὶ οὐρανοῦ φερομένου, ἀλλ' ἵνα τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ἐνδείξηται τὴν ὑπερβολὴν, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τῆς ἀπαλλαγῆς τῶν κατεχόντων κακῶν. *Ut autem planiorem faciat sermonem, humanos adfectus universo huic mundo adfingit. Id quod & Prophetæ faciunt, cum fluvios inducunt manibus plaudentes, colles saltantes, montesque exilientes, non ut animatos putemus, aut aliquid illis rationis tribuamus, sed ut bonorum illorum excellentiam discamus, tanquam quæ & usque ad insensata illa pertingant. Faciunt autem istud sæpenumero & in rebus tristibus, introducentes & vineam lamentantem, & vinum, montes quoque & templi laquearia ululantia, ut & hoc pacto malorum excellentiam cogitemus. Hoc itaque & Apostolus imitatus, creaturæ hic personam tribuit humanam, dicitque, illam & suspirare & parturire: non quod suspirium aliquod vel ex terra, vel ex cœlo prolatum audierit, sed ut futurorum bonorum excellentiam ostendat, desideriumque simul, quod habet, ut malis præsentibus liberetur.* A janua igitur statim aberrat Andreas Rivet. Exerc. LVII. in Genes. cap. VIII. pag. 285. cum figuram hic non agnoscit: *Verum quidem est*, inquit, *locum habere aliquando hujusmodi figuram, sed vix, ubi tot actiones humanæ congeruntur, ut hoc loco, intenta expectatio, spes, gemitus.* At si sensui Scripturæ consentaneum est hoc figurandi genus simplex, ut Deuter. cap. 30: vers. 19. cap. 32: vers. 1. Esai. 1: vers. 2. quidni & continuatum? vide Thren. II: 16. 19. Dedimus huic figuræ aliquam meditatiunculam, quantam genius Academiæ Disputationis capere potest: Quam sex capitibus comprehensam in examen proponimus. Primo exhibetur *Creatura patiens*; Altero, *Patientis passio*; Tertio, *Patientis dolor*; Quarto, *Dolentis spes*; Quinto, *Spei terminus*; Sexto, *Terminandi modus ac tempus.*

CAPUT I.

Creatura Patiens.

NOn *est* (1) *Creatura Angelica*, (quæ Origenis glossa est ad h. l. & Homil. I. in Ezech. & qui hunc secuti sunt,) *ac anima beata in cœlo*: nam hæc omni vanitate superior non servit corruptioni, nec ad immortalitatem aspirat, quam habet, nec ad non esse, quod non reformidat; ejus beatæ sorti gemitus ac dolor repugnat. Nec concludit Theodoreti, (quam P. Martyr sequitur ad h. l. pag. m. 503.) ratiocinatio: *si gaudent Angeli propter sanctificationem peccatorum, etiam tristantur, & dolent propter hominum delicta.* Etenim gaudium felicitati angelicæ homogeneum est, tristitia aliena. *Non* (2) *creatura Diabolica & anima damnata*, quæ potius fremit, adque liberationem filiorum DEI & judicii extremi memoriam tremit, Matth. cap. 8: vers. 29. 2 Petr. cap. 2: vers. 4. quam gemit. *Non* (3) *Creatura humana impia*, quæ non invita, sed volens vanitati subest, ac horret judicium novissimum. *Non* (4) *Creatura humana pia, regenerata, electa*: hæc enim congemiscenti creaturæ opponitur. Esset alioquin ἄσκοπος locutio; *non solum fideles congemiscunt, sed & nos Apostoli, qui primitias spiritus accepimus, gemimus.* Apostolus non argumentatur à simili homogeneo, sed à comparatis. Estote ô fideles (ad quos cum nunc, tum in secuturis seculis hæc mea scriptura perveniet,) universi bono animo, martyria sustinetis & extrema quæque, finem expectatis ac liberationem: at non soli vos præstolamini, non soli vos sustinetis, habetis congemiscentem universam creaturam inclusive. *Si* (ita συμφθέγγεται Chrysost. ad h. l. pag. 163.) *enim creatura spem habet, tui gratia modis omnibus facta: multo magis tibi sperandum fuerit, propter quem futurum est, ut creatura bonis illis omnibus fruatur.* Alterum, quem hic declinamus, sensum de hominibus piis & justis in statu gratiæ constitutis, post Gregor. M. Lib. IV. in Job. III: 41. Moral. cap. XXX. & Lib. VIII. cap. IV. amplectitur Andr. Rivet. Exerc. LVII. in cap. VIII. Genes. pag. 286. desertus ac (antequam scriberet,) refutatus à P. Martyre ad h. l. pag. 502. Theod. Beza ad h. l. pag. 96. Pareo in h. l. pag. 183. & novissime à Jac. Laurent. in S. Apost. Paulo Δυσνοήτῳ Loc. XIV. pag. 210. & Frid. Spanhemio part. III. Dub. Evang. Dub. CXXXII. pag. 734. Sic autem iste pedem pedi conferens inter alia pag. 736. *Si illi ipsi, qui hic vocantur ἡ κτίσις, sint DEI filii, cui bono PRIMO hoc nomen genericum quater adhibet Apostolus, & obscurat orationem sine causa? cur non καινὴν κτίσιν vocat, ut alibi? cur non inquit, ἡ ἡμῶν, vel ἡμῶν τῶν πιστευόντων ἀποκαραδοκία, vel οἱ πιστεύοντες ἀποκαραδοκοῦσι τὴν ἀποκάλυψιν, &c.? Cui bono Apostolus addit καὶ illud vers. 21. ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται, sub spe, quod & ipsa liberabitur, si filii DEI hic intelliguntur, quum illi soli sint liberandi, ex sententia patronorum sententiæ oppositæ? quæ ratio locutionis illius? vel quinam sunt illi, cum quibus, vel ad quorum exemplum illi sunt liberandi?* Item post multa dura alia: *durum est*, inquit pag. 737. *dicere, per habentes PRIMITIAS SPIRITUS intelligere tantum Apostolos, & illos, qui pollebant donis Spiritus Sancti extraordinariis, & excellentioribus, annon enim omnes fideles habent ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος, & prædicatum istud commune est quibusvis DEI filiis? Imo Romanis fidelibus tribuit Apostolus primitias spiritus, æque ac sibi. Sic supra diserte dicit: Romanos non esse in carne, sed in spiritu, Spiritum DEI habitare in illis, illos accepisse spiritum adoptionis.* Pag. 738. *Accedit SECUNDA RATIO ista, Apostolum per ἐπίτασιν velle exaggerare magnitudinem gloriæ revelandæ in DEI filiis. Quæ vero illa ἐπίτασις foret, quæ exaggeratio, si subjecisset, illam à DEI filiis avide & exerto capite expectari? Hoc vero ἐξαγώνιον erat, & in confesso apud omnes. Multo potior ratio exaggerationis, si Apostolus dicat; tantam esse gloriæ futuræ excellentiam, tantam contra omnium rerum corruptionem, tam funestam velut stragem in hoc seculo, ut ipsæ creaturæ inanimæ videantur exerto velut capite suspirare & anhelare ad latam rerum omnium catastrophen, & id facturæ essent, si aliquis illis sensus inesset.* Et pag. 739. *Addi potest RATIO TERTIA alia, & invicta quidem, ex collatione & distinctione gemitus creaturæ, & gemitus filiorum DEI, inter quæ duo discrimen evidentissimum constituitur ab Apostolo versibus 22. & 23. Scimus enim omnes res creatas una suspirare, & una parturire ad hoc usque tempus. Neque vero solum (scilicet ἡ κτίσις suspirat & parturit una,) sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos ipsos suspiramus. Quis hic sensus, quæ gradatio, si per κτίσιν intelligantur DEI filii? Ostensum enim supra, per habentes primitias spiritus haudquaquam intelligi posse vel debere illos, qui majora accepere χαρίσματα. Ne ergo oratio diluta & ταυτόλογος affingatur Spiritui Sancto necessario ἡ κτίσις distinguenda à DEI filiis. Notat hoc diserte Chrysostomus, Τί ἐστι, inquit, καὶ αὐτή; οὐχὶ σὺ μόνος, ἀλλὰ καὶ ὃ σοῦ ἐστι καταδεέστερον, καὶ ὃ οὐ μετέχει λογισμοῦ, οὐδὲ αἰσθήσεως, καὶ τοῦτο σοι κοινωνήσει τῶν ἀγαθῶν.* Diluta sunt, quæ pro sua opinione infert Rivet. loc. cit. Ea creatura intelligitur, quæ est capax ἀποκαραδοκίας, intenta voto in gloriam filiorum DEI retegendam, particeps futura illius libertatis Filiorum DEI, h. e. adoptionis & redemptionis, quæ non volens, sed propter eum, qui subjecit vanitati, est subjecta. At hæc omnia, nisi valde coacte, ad aliam creaturam, quam rationalem, miseriis obnoxiam, sed quæ liberationem sperat, eamque adeptura est, referri non possunt. Diluta sunt, *inquam*, nam capacitatem ἀποκαραδοκίας proprie dictam intelligendam esse, postulatum est, non argumentum: votiva intentio libertatis alteri comparationis pari, nimirum fidelibus tribuitur: expectat creatura irrationalis redemptionem, non ut finem obtinendum, sed consummandum, οὐκ ὡς τὸ οὗ ἕνεκα, ἀλλ' ὡς πέρας. Relinquitur ergo, Creaturam patientem esse *Omnem creaturam irrationalem*, sive (ut loquitur Thom. Aquin.) *Universitatem creaturæ corporalis, & ratione carentis*, τὴν τοῦ κόσμου κτίσιν, Rom. 1: vers. 20. Consentiunt Chrysost. Theophyl. Ambros. Hilarius.

CAPUT II.

Creaturæ Passio.

PAssio *Creaturæ est subjectio invita*, indoli primigenio, ac scopo creaturæ adversa: (obsequiosa tamen DEO, Judici ὑποτάξαντι, qui eam permissive subjecit, nulla cum

cum creaturæ injuria. *Nam si propter me*, inquit Chrysostom. ad h. l. *factæ sunt, nihil admittitur injustitiæ, si propter me patiantur.* Ibid. addit; rationem æqui & iniqui ad res inanimas, & ratione carentes, non esse transferendam. *Postremo, si affliguntur nostra causa, quum apparebit nostra felicitas, una etiam instaurabuntur.* Et in Gen. Homil. XXII. *Si quis*, inquit, *forte incurrat in iram Regis, non modo ipse supplicio afficitur, sed etiam omnis ejus familia opprimitur. Homo propter peccatum factus est obnoxius maledictioni & iræ DEI. Quare non est mirum, si universa creatura, quæ hominis familia est, ingemiscat una cum eo, & doleat.*) *Ad vanitatem, non corruptibilitatis*, cui ut cœlestia corpora nullatenus, ita sublunaria omnia ex naturæ lege sunt obnoxia, quam subitura fuissent, etiam homine integro manente. Etsi enim naturæ particularis ἔφεσις horreat, τὸ non esse; pertinet tamen illud ad bonum naturæ universæ. Sed ad *vanitatem I. culpæ humanæ*, cui creatura in DEI gloriam & hominis salutem nata ministrat, ideoque vana, quia finem suæ creationis non attingit. Nulla siquidem creatura est, ne cœlesti quidem excepta, qua non ad Idololatriam, ad gulam, ad avaritiam, adque alios peccandi commeatus abutantur homines *vani*, h. e. ut exponit Apollinaris apud Gellium Lib. XVIII. Noct. Attic. cap. IV. *mendaces, infidi, levia inaniaque pro gravibus & veris astutissime componentes. II. Pœnæ humanæ.* Domino enim punito luunt & servi. Ita serpens instrumentum seductionis: terra, quæ sustinuit Adamum labentem: vitulus aureus, qui cultui improbo serviit: pecus, quod nefando concubitu cum homine miscetur: palatia, urbes, tecta cum incolis suis punita. *Non potuit*, (verba sunt Heinsii ad h. l. pag. 356.) *melius exprimere τὸ* הוה, *quod est malum seu calamitas, quæ ex accidenti evenit: ut in homine, ad imaginem DEI creato, ἡ ματαιότης ex peccato: hoc enim Hellenistis passim ματαιότης, à qua creaturæ, etiam quæ bonæ erant, in peccati pœnam, ejusque causa, vitiatæ sunt. Ut quædam animalia, ut alia, quæ per se bona, etiam usum sui in quibusdam nunc præbent; homini in multis tamen, & in pœnam, adversantur. De quibus adversus Manetem Epiphanius. Hæc sunt illa ὑπὸ Μάνητος κακιζόμενα: quæ præclare vindicant Patres.* Juvat sententiam Tertulliani è Libr. de Corona Milit. cap. VI. & VIII. adscribere; *Quæris, an conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire, ne illa rapiamur, qua DEI æmulus universam conditionem, certis usibus homini mancipatam, cum ipso homine corrupit? Unde eam & Apostolus invitam ait vanitati succidisse, vanis plurimum usibus, tum turpibus, & injustis, & impiis subversam. Sic itaque & circa voluptates spectaculorum infamata conditio est ab eis, qui natura quidem DEI omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur, scientia autem deficiunt. Illud quoque intellige, omnia à Diabolo esse mutata.* Et cap. VIII. *Hujusmodi quæstioni sic ubique respondeo, admittens quidem utensilium communionem, sed provocans eam ad rationalium & irrationalium distinctionem, quia passivitas fallit, obumbrans corruptelam conditionis, qua subjecta est vanitati. Dicimus enim ea demum & nostris, & superiorum usibus, & DEI rebus, & ipsi Christo competisse, quæ meras utilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessariis necessitatibus vitæ humanæ procurent: ut ab ipso DEO inspirata credantur propiore prospectore, & instructore, & oblectatore, si forte, hominis sui. Quæ vero hunc ordinem excesserint, ea non convenire usibus nostris, præsertim quæ propterea scilicet nec apud seculum, nec in DEI rebus, nec in Conversationibus Christi recognosci est.*

CAPUT III.

Passionis dolor.

ὨΔύνη, vel ὠδὶς ἐκ τοκετοῦ στεναγμῷ quasi significata. Passim in Scripturis *parturitio* exquisitissimos dolores notat apud LXX. Psalm. 48. vers. 7. Esa. cap. 13. vers. 8. cap. 66. vers. 7. Jerem. cap. 30. vers. 6. Matth. 24. vers. 8. Talis tantusque paroxysmus creaturæ esset, si sensus ac rationis capax esset. Subit illa in hac mundi catasta suum quasi martyrium, gemit cum sanguineis pluviis, insolitis portentis, Injuriam creatoris ac suam sortem deplorat. Et *quia* (verba sunt nostri D. Gerhard. de Consummat. Seculi §. 57.) *dies novissimus est tempus παλιγγενεσίας, Matth. cap. 19. vers. 28. quo terra magno & mirando partu corpora resuscitatorum in lucem edet, ac filii resurrectionis in vitam prodibunt, Luc. cap. 20. vers. 36. ideo creaturam, adventum Diei novissimi cupide expectantem, parturienti & præ dolore ingemiscenti fœminæ confert.*

CAPUT IV.

Dolentis spes.

ἈΠοκαραδοκία ex κάρα vel κάρη caput, & δοκεύω expecto. Perer. ad h. l. pagina 695. vocat sesquipedale verbum. Non legitur in versione τῶν LXX. sed Aquila pro verbis Psalm. 36: 7. ὑποτάγηθι τῷ Κυρίῳ, καὶ ἱκέτευσον αὐτὸν vertit: σίγησον τῷ Κυρίῳ καὶ ἀποκαραδόκει αὐτόν. Apud Plutarchum in Cæsare: Πομπήιος ἄφθογγος ᾤχετο ἀπιὼν ἐπὶ σκηνὴν, καὶ καθεζόμενος ἐκαραδόκει τὸ μέλλον. *Pompejus tacitus ibat ad tentorium abiens, & sedens anxie exspectabat eventum*: quamvis ibi est καραδοκεῖν, non autem ἀποκαραδοκεῖν. Chrysostom. interpretatur τὴν σφόδρα προσδοκίαν, *vehementem expectationem.* Tremellius vertit: *universa creatura expectat, & oculos intendit in revelationem filiorum DEI.* Ibidem Syre; *quasi in specula expectat.* Vocabulum Græcum significat gestus illius, qui cupidissime aliquid expectat, nimirum qui exerit caput, & oculos extendit, quasi eminus venturum, prospiciens. Ita & Beza h. l. Quidam, ait Henr. Stephani Tom. II. Thesauri pagina 70. apud Suidam: ὁ δὲ καθῆστο ἐν τῇ παρεμβολῇ, ἀποκαραδοκῶν ὅποι καὶ τύχης χωρήσει τὰ πράγματα.

CAPUT V.

Spei terminus.

ἈΠοκάλυψις τῶν Υἱῶν τοῦ Θεοῦ: ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ; *Revelatio & libertas gloriæ, seu gloriosa Filiorum DEI*, de qua 1 Johan. cap. 3. vers. 2. εἰς ἐλευθερίαν omnino hic exponendum per ἐν τῇ ἐλευθερίᾳ. Confer. Actor. cap. 8. vers. 23. cap. 19. vers. 22. cap. 23. vers. 11. Quæ plenissima futura est in fine mundi, de quo hunc locum exponit Hieronym. ad Esa. cap. 30. *In die*, inquit, *interfectionis multorum, cum arrogantes superbique corruerint, & qui posuerunt in cœlum os suum, didicerint esse se terram: erit lumen lunæ, sicut lumen solis: quando dederit Dominus cœlum novum, & terram novam, & transierit habitus mundi hujus, ut Luna & Sol laboris & cursus sui præmia consequantur. Etenim expectatio creaturæ revelationem filiorum DEI præstolatur: quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum DEI: licet ea quidam organa lucis intelligentes, insensibilia esse contendant.*

CAPUT VI.

Terminandi modus, ac tempus.

ἘΛευθερία τῆς κτίσεως. *Nam ipsa etiam creatura liberabitur à servitute corruptionis.* Quomodo vero illud? Per ipsum sui non esse: per annihilationem. Quam astruimus (1) *è scopo desiderii creaturæ.* Homo e. g. maleficus, ad supplicium damnatus, tametsi naturaliter vellet vivere, ordinato tamen appetitu non debet velle vivere, in justitiæ laudem & sui confusionem. Pecus humano coitu pollutum, si ratione præditum esset, ultro se in ignem daret: Ita omnis creatura ob peccati servitutem & communionem utut naturali ἐφέσει appetat porro esse; tamen in justitiæ Divinæ gloriam præoptare deberet non esse. Velut Jacob mortem amplius non est deprecatus, cum vidisset Josephi gloriam: Ita creatura conspecta gloria Filiorum DEI. Quas comparationes obducimus illi Chrysostomi ad h. l. à nutrice, quæ alumni sui, ad Regiam sublimitatem evecti, gloria ex parte fruitur: Καθάπερ γὰρ, inquit, τιθηνὸς παιδίον θρέψασα βασιλικὸν, ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἐκείνου γινομένου τῆς πατρικῆς, καὶ αὐτὴ συναπολαύει τῶν ἀγαθῶν, οὕτω καὶ ἡ κτίσις, φησίν. Tertullianus Lib. de Anim. cap. XLII. de Epicuro memorat, *quod, mortem ad nos nihil pertinere, hoc evincere voluerit*

rit argumento : Quod dissolvitur, sensu caret, quod autem sensu caret, nihil ad nos. Seneca in Consolat. ad Martiam : per mortem homini liberationem ab omnibus malis contingere dicit, atque interim in morte totaliter interire hominem opinatur : *Mors*, inquit, *omnium & solutio est, & finis, ultra quam mala nostra non exeunt.* Ibid. *Non potest esse miser, qui nullus est. Quod ille sensu Epicuræo de homine, ad immortalitatem condito, falso affirmavit, illud ad creaturas corporeas, propter hujus vitæ usum conditas, sano sensu applicare possumus. Interitus creaturæ servitii illius, cui in hac vita subjecta est & solutio est & finis, ultra quem servitium illud non exit.* Hæc D. Gerhard. loc. citat. §. 59. (2) *E finis genio*, quo (cæteris paribus, etsi enim membra microcosmi non valitura sunt omnia ad eum usum, quem habuerunt in hac vita, tamen ad ejus, quem Divina sapientia perennare voluit, integritatem pertinebunt, ut frustra hic sit instantia Spanhemii loc. citat. pag. 730.) sublato, res ipsa etiam tollitur. At finis creaturæ à DEO conditæ est Symbolicus & organicus. Nunc in ævo beato *DEUS erit omnia in omnibus*, 1 Cor. 15: 28. Hieroglyphica theologia & organica fœcundatio nulli amplius rei ac usui. Finis creaturæ, post hominis lapsum conservatæ, est Ecclesiæ bonum, cui adhuc mundus servatur. At cum in beata libertate electi sub se Solem calcabunt, mundo non egebunt : cui bono ille supersit ? Quid opus Sole, ubi tot Soles, quot electi ? Apoc. 21: 23. 22: 5. *Terra*, (inquit noster D. Gerhard. de Consum. Seculi §. 11.) *ideo condita est, ut esset domicilium hominis viatoris ; tota rerum universitas ideo creata est, ut esset speculum quoddam θεογνωσίας, & homini in via hujus vitæ inserviret. Ergo, quando Homo DEUM à facie ad faciem videbit, ac in patriam appulerit, adeoque viator esse desierit, nullus amplius erit hujus seculi usus. Lutherus noster dicere fuit solitus :* **Die jetzige Welt ist nur eine Vorbereitung und Gerüste GOttes zu jener Welt / wann das Hauß fertig / so reisset man das Gerüste ein.** Idem statuit §. 66. mundum, quamvis non conflagratione, periturum tamen fuisse, *si maximè nec primi parentes, nec posteri eorum peccassent, sed in concreata integritate ἀκινήτως perstitissent.* (3) *E paritate creaturæ bestialis*, quam Christianorum nemo facile superfuturam censebit. At nulla ratio diversitatis reddi potest, cur liberanda illa sit per annihilationem, non item hæc ? *Vim*, inquit D. Gerhard. de Consum. Seculi §. 59. *hujus instantiæ Franciscus Puccius in Defens. adv. Socinum ferre non potuit, inde pagina 38. disputat ; etiam bruta animantia esse ad incorruptibilitatem resuscitanda.*

(4) *Ex Harmonia parallelorum*, qui de novissimo mundi exitio concepti sunt, *locorum*, ut sunt : Job. 14: 12. *Homo* (scil. ex se & suis viribus) *non resurget è somno suo metaphorico, donec non fuerint cœli.* Loquitur de regressu ad terrenam hujus vitæ felicitatem, quam mortuo ait impossibilem, possibilem verò fatetur in phrasi, *donec non fuerint cœli*, id est, in mundi consummatione. Finge, ista phrasi ἀδυναμίαν absolutam, & hoc dici ; sicut nunquam cœli desinent : ita nunquam resurget homo, uti exponunt in h. l. Jun. Piscator, Sanctius, Spanhem. Dub. CXXXII. jam Job dubitarit de sua resurrectione contra cap. 19: 25. videtur potius corrigere, quod negarat. Joh. Cocceji in h. l. hæc est sententia pagina 207. *Phrasis ipsa nihil ex se definit, an Cœlum hoc non sit futurum ? An homo sit resurrecturus nec ne ? tantum id definit ; Hominem non revicturum, dum hoc Cœlum est ; & si resurget, (quod Job firmiter credidit, ut ex multis locis constat,) hoc cœlum aliquando non futurum.* Psalm. 102. vers. 26. 27. *Tu permanes, Cœli peribunt, & anni tui non deficiunt*, &c. *Evidens hic est (α) oppositio* inter esse æternum & temporarium, inter esse independens & dependens ; oppositio, inquam, non ἐν τῷ πῶς, sed ἐν τῷ εἶναι, inter mutabile & immutabile, unde & Christi DEITAS deducitur Hebr. cap. 1. vers. 12. Nec sermo est de *potentiali* solum interitu, ut exponit Spanhem. loc. cit. pag. 713. Etenim sicut DEUS ad æternitatem suam & independentiam probandam mundum noluit coæternum, sed actu in tempore creavit : ita ad eandem ostendendam actu perdet. Adde, quod in propheticis dictis verba sint accipienda de actu, non potentia. Fac, verba Genes. cap. 49. vers. 10. *Non auferetur sceptrum* &c. esse potentialiter intelligenda, nihil certi de Messia habemus. (β) *Declaratio modi*, nimirum ad eum modum, quo vestis veterascens mutatur, non sane in melius, non per resarcinationem, quæ de DEO indigne dicitur ; sed ut vestis dissuitur, disrumpitur, tandem plane abjicitur. Confer Genes. cap. 41. vers. 14. Deuteronom. cap. 8. vers. 4.

Esai. cap. 34. vers. 4. *Liquescet universus exercitus cœli, complicabuntur cœli sicut liber, exercitus eorum decidet ut folium de vite & ficu.* Loquitur Propheta (a) non de solis Idumæis, sed omnibus hostibus Ecclesiæ & Christi, qui ad imitationem Assyriorum Ecclesiam persequuntur. Vide D. Schnepf. ad h. l. Et quia in hoc mundo non semper de omnibus vindicta capitur, ideo ascendit ad extremum judicium, in quo instrumenta idololatriæ & vanitatis universa peribunt. Nec est causa, cur hoc accipiatur de solo turbatissimo statu, prophetica phrasi explicato : ac ut largiamur, sic accipi cum Sanctio ad h. l. tamen supponatur sensus proprius, quia enim aliquando Sol & Cœli peribunt, ideo hinc figura translata est. (b) Significat destructionem usus mundi. Sicut liber convolutus non amplius prostat ad lectionem : ita liber naturæ non amplius prostabit ad lectionem, ubi beatissimo signo intuitive DEUM videbunt. (c) Notat mutationem, qualis est in folio, h. e. substantialem & ἀφανισμόν.

Esai. cap. 51. vers. 6. *Cœli ut fumus deficient, terra ut vestimentum veterascet. In Hebraico*, inquit Hieronym. ad h. l. Lib. 14. in Esa. *dicitur ; Cœli sicut fumus liquescent ; sive juxta Aquilam & Symmachum : Comminuentur in nihili, & in salis modum conterentur, & vanescent.* Innuitur hic non tantum formæ mutatio, sed ἀφανισμός: nam ubi SPIRITUS SANCTUS non limitat, ibi latissime explicare licet. Confer Psalm. 36. vers. 2. Psalm. 67. vers. 3. Sap. cap. 5. vers. 15. Proverbialis sensus & hypothetici nulla est necessitas, q. d. ante cœlum ruet, &c. ut exponit Sanctius, si omnino alterutrum ruiturum esset, prius cœlum, quam mea salus. Nam comparatio addita hanc glossam non admittit.

Esai. cap. 65. vers. 17. *Ecce ego creo Cælos novos & terram novam, & non memorabuntur priores, nec ascendent supra cor.* Significatur hic (1) cœlorum priorum ἀμνηστία ; (2) ἀπουσία ; (3) παρέλευσις prioris terræ & cœli primi, ad usque non esse maris. Ita enim Apocalypsis hunc locum exponit cap. 21. vers. 1. Id quod de cœlo novo dicitur, non accipiendum de cœlo aliquo recenter creando, creatione propriè dicta, quia cœlum Beatorum jam dum existit, 2 Cor. cap. 12. vers. 2. vid. D. Gerhard. de Vit. Ætern. §. 35. Existit autem non ut spatium imaginarium, sed ut πȢ reale distinctum à primo & secundo : quod de spatio imaginario non dixeris, nam hoc ubique est conceptu nostro, nec distinctum à secundo & tertio cœlo. Non autem ut πȢ corporeum, ut quod statui Incolarum non est proportionatum ; sed fortassis πȢ spirituale, quod corporibus omnibus conflagrantibus immobile stabit, quanquam hic ἐποχὴν malimus. Sed loquitur Apostolus prophetice de novo statu & læta rerum facie. Nam si status Ecclesiæ militantis in Nov. Testam. hac phraseologia describitur Esa. cap. 65. vers. 17. & 22. quidni & status Beatorum ? Quemadmodum status beatus comparatur Hierosolymis gemmatis Apocal. 22: 1. ita status gloriosus cœlo novo.

In Novo Testamento celebria sunt oracula sequentia, Matth. cap. 5. vers. 18. *Amen dico vobis*, &c. confer. cap. 24. vers. 35. Matth. cap. 28. vers. 20. *Vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Etsi enim aliud sit seculum, aliud mundus, aliud periodus mundi, aliud ipse mundus, Eph. cap. 2. vers. 2. Eph. cap. 6. vers. 12. Eph. cap. 3. vers. 21. tamen evidens est metonymia adjuncti, Hebr. cap. 1. vers. 2. cap. 11. vers. 3. Vocatur συντέλεια τȢ αἰῶνος, quæ, fatente Spanhemio part. III. Dub. Evangel. Dub. CXXXII. pag. 725. notat שולאם complementum seculi, & τελείωσιν, id est, perfectionem summæ seculorum, ultra quæ non erunt alia. confer Hebr. 9: 26. 1 Petr. 4: 7.

Apoc. 10: 6. Angelus jurat, *tempus non fore amplius.* Ut Aristoteles recte conclusit ab æternitate motus ad æternitatem mundi : ita à motus ac temporis cessatione cessatio mundi recte colligitur.

Apocal. cap. 20. vers. 11. ab ejus, qui insidebat throno, *conspectu, fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis:* quæ descriptio utique est ἀφανισμȢ, quo excidet mundus à conspectu non solum nostro ; sed & Divino, quia locus non amplius fuit eis. Locus non pro dignitate & statu acceptus, uti Apocal. cap. 12. vers. 8. sed pro re ipsa, uti Dan. cap. 2. vers. 35.

2 Petr.

2 Petr. 3: 7. & 10. *Qui nunc sunt cœli*, &c. Oraculi hujus scopus est, I. ἐλεγκτικῶς; Empæctæ vers. 3. & 4. (de quibus videndus D. Gerhard. ad h. l. pag. 343. 378.) in eam insaniam venerunt, ut statuerent, mundum semper, adventum judiciarium nullum fore, sed tantum esse μορμολυκεῖον, quicquid de mundi interitu prædicaretur. Sic argumentantes: (1) Quod per tot secula duravit sine mutatione, id semper erit. Mundus per tot secula duravit, &c. Ergo. (2) Quod tardat DEUS, id non veniet. Adventum suum tardat DEUS. Ergo. Ad (1) Respondet S. Petrus negando (α) Majorem, quia duratio longa non facit æternitatem. Is enim, qui potenti suo verbo ex nihilo mundum creavit, potest eodem verbo illum destruere, vers. 5. Qui terram ex aqua separavit, & aridum friabile aquis compegit, & consistere fecit, potest eandem dissolvere. (β) Negando Minorem, nam mundus diluvio periit, vers. 6. tum quoad decus & ornatum externum, tum quoad homines & animalia extra arcam posita, in quam sententiam hic Græci Theologi sententiam adducit Heinsius ad h. l. pag. 614. τὸ ἀπώλετο, μὴ πρὸς πάντα τὸν κόσμον ἀκυστέον, ἀλλὰ πρὸς μόνα τὰ ζῶα, ἃ τὸ ἅπαντα κόσμον οἱονεὶ εἰδοποιεῖ· ἔρημος γὰρ ζώων τόπος, οὐδὲ κόσμος ἂν νομισθείη. *Quod interiisse mundum ait, non de toto mundo, sed de solis animalibus intelligendum, quæ totius quasi mundi speciem quandam efficiunt: destitutus quippe animalibus locus, vix dici mundus potest.* De phrasi δι᾽ ὧν videndus D. Gerhard. Comment. ad h. l. pag. 352. Conclusioni opponit contrariam revelationem de ἐκπυρισμῷ Universi: ait enim, *servari mundum tanquam in thesauro & armamentario iræ divinæ, usque ad diem judicii*, vers. 7. confer Deut. 32: 24. 35. Jerem. 50: 25. Tunc enim cœli (non aërei tantum, ut vult Augustin. Lib. XX. de Civ. DEI cap. XVIII. quanquam dubitanter: ait enim, *posse intelligi*: quod postea Lombardus assertive Lib. IV. Distinct. XLVII. Bened. Justiniani, tanquam omni ferme Theologorum suffragio firmatam sententiam tuetur ad 2 Petr. 3. pag. 501. cui ex Sixto Senensi contraria testimonia obducit D. Gerhard. ad loc. citat. pag. 424. sed) כֻּלָּם *omnes* Psal. 102: 27. illi ipsi, qui ab Elementis distinguuntur, vers. 10. & 12. *magno fragore* (de quo videndus D. Gerhard. in h. l. pag. 416.) *& terra & Elementa igne solventur, & ut cera liquescent.* Quali autem igne? DEUS novit. Enormis est audacia Bened. Justinian. ad h. l. scribentis pag. m. 497. *Quamvis neget Augustinus, ejus procreationis modum ab ullo mortalium cognosci posse; illud tamen affirmari potest, divina vi, ac potestate procreandum: dixi autem alibi, quanam ratione facile produci queat, vel dejectu ignis Elementaris, vel ex incendio radiorum Solis, in hac media aëris plaga excitato, coëuntibus validissimis, ac densissimis radiis, ut in chalybeo, & concavo speculo fieri solet: vel alia quapiam ratione, DEO nota, ut olim quinque urbes incendio cœlitus misso conflagrarunt.* Cujus nondum nati insaniam ridendo prædamnavit Ludov. Vives ad Lib. XX. de Civit. DEI cap. XVI. *Non interfuisti digladiationibus Scholasticis: ibi nullus est vel bacalarius, vel Magistellus, qui ignoret, ignem fore Elementarem illum, cujus domicilium est inter aërem & Lunæ globum, descensurum eum scilicet & incendio suo reliqua tria purgaturum Elementa. Quod si hoc parum probas, non deerunt, qui persancte dejerent, futurum ignem ex incendio radiorum Solis, in media plaga aëris excitato, coëuntibus eo densissimis & ardentissimis radiis velut in speculum cavum & chalybeum. Sed non est mirum, tuo tempore non tantus erat ignis usus, quantus nunc, cum, ut Theologos omittam, Philosophi sive Decembri medio, sive medio Julio nihil aliud ore, manibus, pedibusque tractant, & versant, quam ignem. Ex Philosophis fiunt Theologi, & hanc philosophandi rationem etiam in Scholas sanctiores transferunt. Propterea istis longe facilius est de igne definire, quam tibi & tui æqualibus vel Majoribus.* Conjectura est ac Divinatio magis, quam certis argumentis demonstrata sententia de hoc igne D. Calixti in Tract. de Conflagrat. Mundi pag. 144. II. Παραινετικῶς ad pietatem; quia enim mundus non Ethice tantum, sed & Physice peribit; quia DEUS instrumenta spiritualis fornicationis destruet. Confer Ose. 3: 4. quia totum lupanar igne peribit, ideo despectis terrenis & caducis ad æterna contendite. Hactenus Exegesis Textus: nunc, quæ hinc fluunt monita, & effulgent documenta, sectemur.

Affulget hic I.

LUmen de sorte fatoque mundi, aliquando consummandi. Summa è locis citatis hæc est: *Creatura irrationalis universa, subjecta non volens vanitati, culpa, pœnaque humanæ, dolet, gemit, anxie expectat Filiorum DEI & revelationem & libertatem, tanquam terminum suæ servitutis, ac vindicationis initium, ad quem ventura est per sui consummationem, abjectionem, defluxum, transitum*, temporis locique jacturam, ad non esse usque ad conflagrationem; ἀφανισμὸν, oblivionem sempiternam. Uberiorem locorum adductorum illustrationem qui requirit, adeat nostri D. Gerhardi Tom. de Consum. Seculi §. 7. nobis hic non licet esse prolixioribus: Disputationem enim scribimus, non Commentarium. Lumini huic adversas nebulas dissipatunt nostri D. Gerhard. de Consum. Seculi §. 48. 49. D. Brochmand. Tom. II. System. Theol. pag. 7005.

Sequitur II. Elenchus

I.

ETHnicismi, cui olim opinio de desitura aliquando mundi Machina odio fuit, testibus Justino Apolog. II. Tertull. advers. Hermop. cap. XXXIV. Ambros. Lib. Hexaem. cap. VI. August. Lib. XX. de Civ. Dei cap. XXIV.

II. Speciatim Stoæ, cujus placitum fuit κύκλῳ γένεσις sive circularis mundi è mundo nativitas. Confessa est mundi ἐκπύρωσιν, sed ut è cineribus suis Phœnix, idem specie, numero diversus, prodit: ita è mundo in cineres sepulto novum mundum proditurum censuit, Basilio auctore Homil. II. in Hexam. infinitos mundi ortus ac occasus juxta periodorum fatalium vices introduxit. Sententiam hanc Stoæ tribuit Euseb. Lib. LI. Præpar. Evangel. cap. 17. eandem polit. *soluta* Seneca aliquoties Libr. de Consol. ad Marciam cap. ult. Lib. III. Natural. Qq. cap. ult. & Epist. XXXVI. *ligata* Ovid. Lib. I. Metamorph. vers. 256. & Lucan. Lib. I. Pharsal. Vicina Stoæ est illa opinio, quæ mundi mutationem tuetur substantialem quoad formam, in melius convertendam, ad eum modum, quo arte Chymica ex aëreo Achille prodit aureus.

III. *Opinionis* de mundi interitu *perfectivo ac renovativo secundum qualitates, speciem, decus & usum externum*, simili illius aurifabrilis mutationis, quæ medio igne vas rubigine obsitum ac vetustate deforme purificat, ac in melius mutat: vel illius ἀπαλλαγῆς, qua electi, quos novissima Lux vivos apprehendet, nobiliori veste superinduentur. Primus ita docuisse videtur Origenes Lib. II. περὶ ἀρχῶν, quem sequuntur ἀναίσθητοι, Hieron. in cap. 51. & cap. 65. Esai. Gregor. Magn. Lib. XVII. Moral. cap. V. in Job. cap. 24. Oecumen. ad 2 Petr. 3. Augustin. Lib. XX. de Civ. Dei cap. XVI. Epiphan. Hæres. LXIV. Papæi ferme omnes subscribunt. Sit ex illis instar omnium Pererius, cujus hæc est sententia Disput. XVI. in cap. 8. Epist. ad Rom. pag. 696. *Cum hic mundus factus sit propter hominem, consentaneum fuit, ut tantisper ipse mutabilis & corruptibilis esset, quoad homo in statu corruptionis versaretur: homine autem ad immortalitatem translato æquum erat, ipsum quoque mundum incorruptione quadam donari.* E Calvinianis οὐδέπερος est Pareus ad h. l. pag. 195. Innovationem ac alterationem tuentur. Petr. Martyr. ad h. l. pag. 510. Piscator ad h. l. Observ. XVII. ac nuperrime Spanhem. part. III. Dub. Evang. Dub. CXXXII. Beza tamen in nostram sententiam inclinat, sic enim ad h. l. scribit pag. m. 69. *Vanitati*, ματαιότητι, *id est, illi per ignem dissolutioni, quæ annihilationis erit species, sicut aperte & copiose describitur 2 Petr. 3: 7. 10. 11. & 12. Promittuntur enim novi cœli ac nova terra, non priorum restitutio, sive in eundem, sive in meliorem statum: nec iis possum assentiri, qui hanc dissolutionem ad solas qualitates referendam censent.* Obiter hic etiam castigamus errorem Manichæorum, qui, præsentis Oraculi pseudhermenia decepti, omnia corpora dixerunt animata, & sensum gemendi & dolendi esse in arboribus, & oleribus, & lapidibus, teste Augustino, vel quisquis is autor fuit Exposit. propositionum ex Epist. ad Rom. n. 53.

Deterret III. Vanitas à mundi inordinato amore.

VIdes, inquit Chrysostom. ad nostrum contextum, *ut pudefaciat creatura? tantum non hoc proferens, ne creatura efficiare deterior, nec tu præsentibus rebus acquiescas: non enim illas solum non amplecti oportet, sed ingemiscere, ob retardationem nostræ ab hoc Orbe profectionis. Si enim creatura hoc facit: multo magis convenit te, qui ratione præditus ornatusque es, hoc ostendere. Sed nondum hoc magnopere facit ad pudorem inurendum, idcirco addit. Sic igitur teneamus ea, quæ sunt hujus mundi,* (ait Gregor. M. Homil. XXXVI. in Evang.) *ut tamen per ea non teneamur; sit res temporalis in usu, æterna in desiderio; sit res temporalis in itinere, æterna desideretur in perventione. Mundus* (definitore eodem) *est instar nucis cassæ, exterius pulcher videtur, sed si cultello veritatis aperiatur, ostendit putredinem & vermes.*

Acuit IV. stimulus ad pœnitentiæ, fidei, spei ac pietatis exercitia.

SI cœlum, inquit Isid. Pelus. Lib. 1. Epist. 188. *libri instar convolvitur, & astra cadunt, & Orion, ac terra, & omnia, quæ ipsius complexu coërcentur, igne conflagrant, cunctaque nuda, & aperta magno illi dominicæ præsentiæ diei præparantur. Ecquid ipse incuria laboras, ac non ut rationes redditurus te præparas, verum ut criminum expers, atque incognitus futurus pœnitentiam differs? Vide igitur, ne tum denique tibi in mentem veniat pœnitentia, cum desperationi soli locus erit.*

Propinat V. suavia sympathia creaturarum, gloriæ filiorum DEI excellentia, & novissimi Diei expectatio.

TAnto desiderio anhelat creatura, *& expectat gloriam filiorum DEI gratulabunda, sicut dum in conclavi de electione Imperatoris consultatur, dum suffragia feruntur, omnia spectandi loca populus occupat, omnes intensi in hoc unum expectant, quis electus Imperator egrediatur. Hunc in modum totus mundus nunc expectatione incredibili arrectus astat, ut videat, qui sunt Filii DEI, quorum gloriæ omnia illa creata sunt; qui filii Diaboli, in quorum tormenta omnes creaturæ armantur. Quanto nos magis attentos esse, & spe beatæ immortalitatis erectos oportet, quorum res agitur? Creaturæ in alienum negotium defixæ exspectant, nos nostram causam agimus, cujus exitus est aut Regnum, aut rogus.* Quanquam igitur *grandis audacia* videatur Hieronymo ad cap. 6. Matth. *puraque conscientiæ* præsumptio, *Regnum DEI postulare, & judicium DEI non timere*: tamen fiduciæ est ἀποκαραδοκεῖν, & cum Augustino dicere in Psal. 100. *Judicium DEI numquid tantummodo formidandum est, non amandum? formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.* Et alibi in Psal. 147. *Si amamus Christum, utique ejus adventum desiderare debemus. Perversum omnino est, quem diligis, timere ne veniat, & orare quotidie; Adveniat Regnum tuum: quod quidem nihil aliud esse videtur, quàm orare, ut adveniat Regnum ejus, & tamen timere, ne exaudiaris. Unde autem iste timor? quia judex venturus est? numquid invidus? malevolus? nihil horum prorsus. Quis enim est venturus judicare te, nisi qui venit judicari pro te?*

CORONIS

ET MATERIÆ ET TEMPORI FESTO OPPORTUNA.

Qualis sit ὑπερεντέευξις Spiritus S. à D. Paulo commendata Rom. 8: 26.

Αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

Ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus: vel ut Tertullian. interpretatur; *ineloquis.*

EST ipso Apostolo interprete I. ἀλάλητος, *ac ineffabilis*, nulla profanæ cogitationis sorde temeranda, nimirum qualis SPIRITUS S. est processio, qualis in fidelibus motio, talis & ἔντευξις; at ἀκατάληπτος illa Joh. 3:8. Balbutire tamen licet, quibus eloqui non est datum. Scilicet ut Philosopho Lib. IV. Metaph. cap. XXII. ἀόρατον λέγεται, ἢ τῷ ὅλως μὴ ἔχειν χρῶμα, ἢ τῷ φαῦλον ἢ μικρόν: ita ἀδύνατον Lib. I. de Cœl. cap. XI. text. CXI. ἀγεωμέτρητον Lib. I. poster. Anal. cap. XI. text. LXXXIX. Damasceno cap. XI. Dialog. ἄτομον, quod vel omnino dividi nequit, ut punctus, unitas, τὸ νῦν; vel δυστμητὸν, quod difficulter dividi potest, ut Adamas: Ita ἀλάλητος gemitus, qui difficulter exponi potest, expositus adhuc multarum difficultatum nebula obseptus est. Eamus, quo lux divina præit. Est igitur illa ὑπερέντευξις II. *effectiva, transitiva*, ac, ut sic dicam, *Hiphilica*, gemit *pro nobis, quia gementes nos facit*, ut rotunde exponit Augustin. Lib. II. de Trinit. cap. III. Quicquid usque Patronus & Advocatus causæ præstat suis clientibus, id omne Spiritus S. fidelibus, Spiritus scil. precum, Zach. 12: 10. Unde per τὸ ὑπὲρ existimat Erasmus significari, Spiritum Sanctum veluti præfectum esse sanctorum votis, ut ea videlicet moderetur. Cui explicationi non repugnat illa Bezæ ad h. l. *Putarim ego potius idem declarare atque* ἕνεκα, *sicut in* ὑπερμαχεῖν, ὑπεραπολογεῖσθαι, *& similibus.* Nec absurde ex Gregor. Nazianz. ὑπερεντυγχάνει, *id est*, πρεσβεύει, inquit Nazianz. Concione de Filio secunda: (est autem πρεσβεύειν, legatione fungi, Eph. 6: 20. Luc. 14: 32.) *ubi etiam indicat, de eo dici solere, qui alium accuset: ut omnino id sit, quod Latini postulare dicunt. Nam* (ut inquit Ulpian. Lib. I. Tit. de postulando) *postulare est desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere: vel alicujus desiderio contradicere. Ad summam, Spiritus S.* clienti suo, reoque desperabundo solatia adspirat, causæ suæ diffidentem animat, ignoranti modum precandi, cæco lumen affundit, consilii experti suadet salutaria, accusatum defendit, languidum ad preces excitat, infirmam ejaculationem roborat, impuram defecat, ingratam gratam facit, obscuram serenat, hebetem acuit, ignavam sublimat, ad Thronum DEI adducit tardam, vincit tandem, obtinet causam, consequitur vota, implet desiderium, id enim est ἐντυγχάνειν, hinc τύχη fortuna, ut apud Germanos Glück vom gelingen. III. Περιχωρητική, *concurrens* quasi cum nostris gemitibus ad quoddam quasi commune ἀποτέλεσμα. Hæc enim est συναντίληψις, deprædicata in hoc eodem loco, qua συναντιλήπτωρ una, & quasi è regione cum altero stat, operatur, juvat. *Observa hic*, inquit D. Glass. Lib. III. Philol. Sacr. Tract. III. Can. XXII. *jucundissimam & consolaminis plenissimam intercessionis Spiritus S. & suspiriorum piorum conjunctionem, & quasi περιχώρησιν: Dum suspirant contritæ & DEO addictæ per Christum animæ, suspirare & simul intercedere*, ὑπερεντυγχάνειν *dicitur* SPIRITUS SANCTUS. *Quicquid precibus deest, id gemitu sancto in piorum cordibus compensat Spiritus. Is gemitus non est ex naturæ viribus, sed ex DEO, unde* ἀλάλητος. IV. *Oratio formalis, locutio divina, lingua cœlestis, DEO digna, Intercessio* SPIRITUI S. *propria.* Monet noster D. Gerhard. Harm. cap. CLXXVI. pag. m. 489. *Voculam* παρακλήτου *nuspiam in tota Scriptura usurpari, nisi in hac valedictoria concione Christi, in qua tribuitur* SPIRITUI S. *& 1 Joh. 2: 1. ubi tribuitur ipsi Christo DEI Filio. Joh. 16: 2. Hebræum* מְנַחֲמִם *consolatores. LXX. non reddiderunt per* παρακλήτους, *sed per cognatum nomen* παρακλήτορας, *Symmachus per* παρηγοροῦντας. *Eo ipso procul dubio significatur, consolatorem illum, de quo Christus hic loquitur, esse longissimè ab omnibus personis & rebus creatis distinctum.* Hæc D. Gerhard. Παρακαλεῖ etiam Pater παρακλήσει mandatoria, 2 Cor. 5: 20. alia ratione Filius est Paracletus, alia SPIRITUS S. ille ut θεάνθρωπος, Mediator & Goël, qui jure sanguinis pro suis intercedit, ac merita sua pro nobis præstita allegat. Non ita SPIRITUS S. interpellat, orat tamen vere, sed θεοπρεπῶς. Tota SS. Trinitas est Terminus orationis pro nobis factæ: Pater fons est, à quo omnia petuntur; Filius Mediator; Spiritus Sanctus, ut Advocatus à nostris stat partibus. Gemitus illius non sunt humani, queruli, στενότητος ac miseriæ testes, quales sunt illi Hiskiæ, Esa. 38: 14. Apostoli, Rom. 7: 24. 2 Cor. 5: 2. Phil. 1: 23. Greg. Nazianzeni in animæ suæ ærumnis pag. m. 933. 979. 1015. Confer B. Luther. ad cap. 32. Genes. fol. 158. & ad cap. 43. fol. 123. spiritu nostro ac ore deficiente, facundi. Sed divini, purissimi, sublimes, ac ideo cœlestes, qui ἀλάλητοι, ἄρρητοι, quales fuerunt illæ voces, quas in raptu suo audivit Gentium Doctor, 2 Cor. 12: 4. ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Hoc clypeo præmuniti facile retundere licet tela cum veterum, tum recentiorum πνευματομάχων. Cavillatur Adamus Conzen,

zen, cum in Comment. ad h. l. Quæst. III. pag. 339. ſcribit: *Wigandus Lutheranus periculoſe loquitur : Non tantum nos ad orationem exſuſcitat, atque accendit, ſed etiam orat ſimul pro nobis : Gemitus etiam ille per anthropopathiam interpretatur. Sed in priore eſt duriſſima locutio, ſi tamen ſenſit de* SPIRITUS S. *divinitate.* Si Wigandus hic ſuſpectus, ſuſpectior longe erit Cornel. à Lap. ad h. l. pag. 113. cujus hæc ſunt: (pleraque ex Annot. Theod. Bezæ ſine auctoris mentione deſcripta; *Tertio & genuine,* SPIRITUS S. *poſtulat, i. e. deſideria amicorum ſuorum, eorumque gemitus inenarrabiles in conſiſtorio SS. Trinitatis, quaſi Paracletus, id eſt, Advocatus noſter, exponit magna inſtantia, magno pondere, & magna auctoritate. Hæc enim omnia ſignificat Græcum* ὑπερεντυγχάνει, *id eſt, ſuperexpoſtulat. Nam* ὑπὲρ *notat præeminentiam* SPIRITUS S. *in poſtulando, quaſi ipſe præſit omnibus poſtulationibus, ſitque quaſi Magiſter & Præfectus libellorum ſupplicum noſtrorum apud Deum : & Latinum poſtulare, inquit Ulpianus Lib. I. Tit. de poſtulando, eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in jure apud eum, qui jurisdictioni præeſt, exponere. Simili modo verſ. 34. dicitur Filius interpellare pro nobis. Ita Nazianz. Orat. II. de Filio* DEI, *qui pro* ὑπερεντυγχάνει *vertit* πρεσβεύει, *id eſt, legatione fungitur, legatum agit, & tanquam legatus, internuncius & interpres noſter poſtulat pro nobis* SPIRITUS S. *Ita quoque exponit D. Thomas part. III. Quæſt. XXI. Art. IV.* Hæc Cornelius.

Probatur autem hoc cœleſtium gemituum genus ac interpellatio divina (1) *ex phraſeωs ſenſu*, ut ἔντευξις τῷ θεῷ facta, formalis eſt precatio, Rom. 11. 2. 1 Tim. II: 1. 4: 5. Conf. Sap. 8: 2. ac ut ἐντυχεῖν κατά τινος eſt occurrere alicui ad accuſandum, 1 Maccab. 10: 6. Act. 25: 24. ita ὑπερεντυγχάνειν τῷ θεῷ ὑπέρ τινος eſt occurrere DEO ad defendendum, ſicut Abigail Davidi irato obviam venit, 1 Sam. 25: 18. Jam ſi ἔντευξις ὑπὲρ ἡμῶν in Chriſto formalem precationem ſignificat, ut Rom. 8: 34. Hebr. 7: 25. quidni ὑπερέντευξις à SPIRITU SANCTO? (2) *E phraſi ſynonyma*; dicitur enim SPIRITUS SANCTUS παράκλητος, igitur ut Chriſtus vere orat pro nobis, non tantum orare facit: ita & SPIRITUS S. Etiam Pater nos intercedere facit; neque tamen ipſe pro nobis in Scriptura ſacra dicitur intercedere. Qua proinde phraſi plus aliquid hic innuitur. (3) *E diverſitate & gradibus argumentorum*, quibus Apoſtolus aſſurgit. Nam *verſ.* 15. jam dum dixerat, nos accepiſſe Spiritum adoptionis, in quo clamemus, Abba Pater. At *verſ.* 26. 27. novum aliquod, à prioribus diſtinctum, argumentum conſolationis cruce preſſis proponit. Quod novum non eſſet, ſi Apoſtolus hic duntaxat hoc inculcaret, quod SPIRITUS SANCTUS nos faciat orantes & clamantes. Nec caret emphaſi τὸ Αὐτὸς, *IPSE interpellat.* (4.) *Ex abſurdo.* Finge hunc locum totum merè effective accipiendum; ſenſus foret, ipſum SPIRITUM S. facere, ut nos interpellemus pro nobis, ut noſmet noſtri ſimus Advocati. Accedunt (5) *ſuffragia Doctorum* tum veterum, tum recentiorum : (quamvis non ignoremus, in diverſum iviſſe Aug. Epiſt. CXXI. cap. XV. Et rotundius Tract. VI. in Johan. *Non ergo* SPIRITUS S. *in ſemetipſo, apud ſemetipſum, in illa Trinitate, illa in beatitudine, in illa æternitate ſubſtantiæ gemit, ſed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Sic miſit* DEUS *Spiritum Filii ſui in corda noſtra, clamantem Abba Pater.* Et è noſtris D. Ægid. Hunn. Comment. ad h. l. pag. m. 278. Ambroſ. Comment. ad h. l. D. Gerlach. Tom. I. Diſput. VI. theſ. 312. & ſeqq. Heshuſ. ad h. l. Rung. Diſp. X. in Epiſt. ad Rom. theſ. 12. pag. 161. D. Brent. ad h. l. Aliorum, quos adducit & ſequitur Præceptor Dn. D. Fewrborn. in Syntagm. Sacrar. Diſquiſ. part. III. Diſſert. III. theſ. 20. & ſeqq.

DAN. REHBERG

SENTENTIÆ PAULINÆ PHILOLOGICA RESOLUTIO

ad Rom. XV: 4.

TEXTUS legitur Rom. 15: 4.

Ὅσα γὰρ προεγράφη, εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν προεγράφη ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

§. I.



Niverſalis hæc eſt ſententia, tam ratione ſubjecti, quam ratione objecti. Univerſalitatem ſubjecti infert Pronomen ὅσα *quæcunque*. Eandem corroborat Verbum additum in numero ſingulari προεγράφη. Ita enim innuitur, ſub ſigno univerſali ad omnia ſingularia deſcendi debere, q. d. omnia & ſingula, quæ ante ſcripta ſunt. Modus conſtruendi tam Græcis quam Hebræis familiaris eſt, diſtributionem notans. Vid. Glaſſ. *L. 3. tr. 3. Can.* 52. Particula πρὸ in Verbo προεγράφη nonnunquam ſignificat *coram*, & ſic coincidit cum Hebræo לפני. Interdum temporis notat prioritatem. Illo ſenſu uſurpatur *Gal.* 3: 1. ubi dicitur Χριστὸς προεγράφη κατ' ὀφθαλμούς. Hanc vero ſignificationem obtinet hoc loco, nempe *ante ſcripta*, ſeculis Moſis & Prophetarum. Probat hoc teſtimonium allegatum ex *Pſalm.* 69: 11. Quare & Syrus Interpres ita reddidit כל מרם גיר דמן קדים אתכתב *Quicquid enim ab initio ſcriptum eſt.* Et Lutherus : Was zuvor geſchrieben iſt.

2. Non ſolùm Pſalmi intelliguntur, ex quibus dictum *v.* 3. allegatum erat. Nec ſolum eæ Vet. Teſt. ſectiones, quæ de Chriſto agunt, ſed omnia quæ Veteris Teſt. ſcripta continent. Argumentatur enim Apoſtolus à genere ad ſpeciem: Quæcunque in Vet. Teſt. continentur ad noſtrum uſum ſunt conſignata, ergo etiam Pſalmi: ergo etiam quæ de Chriſto aliiſque Sanctis in eo continentur. Intelligitur itaque tota Vet. Teſt. Scriptura, quam vulgo in תורה νομοθεσίαν, נבאים προφήτας & כתובים γραφεῖα dividunt Hebræi, vid. Hotting. *Theſ. Phil. L. 2. C. 1. Sect.* 1. Unde & hoc ipſo verſu generali nomine dicitur γραφαί.

3. Quia Moſis & Prophetarum ſcripta intelliguntur, non ex-

excluduntur Apostolica monumenta. Illa enim in Vet. Test. tanquam in fonte continentur, & nihil aliud sunt, quam explicationes ac illustrationes propheticorum typorum ac sententiarum. Quicquid enim docuerunt Apostoli, illud ex Vet. Testam. desumsere, nec aliud quicquam docuere, nisi quod esset in Vet. Testam. Hinc dicit Paulus, se ἐδὲν ἐκτὸς eorum, quæ in Mose & Prophetis extant, suis proposuisse. *Actor.* 27. ver. 22. Quæcunque itaque in V. T. sunt scripta, ea hic occupant locum subjecti: At quæcunque Apostolus Paulus, & alii prædicabant sunt in V. Test. scripta: proinde hic à subjecto non sunt plane excludenda. Robur hoc argumentum accipit inde, quia plerique omnes nostrates Theologi ex hoc dicto probant sufficientiam, perspicuitatem, judiciariam facultatem totius Scripturæ. Ita ergo scripta V. T. intelliguntur, ut N. T. non excludatur.

4. Finis hujus Propheticæ & Apostolicæ Scripturæ alius est ultimus, alius intermedius. Ultimus est ἵνα τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν. Habere spem plus est quam sperare. Hoc enim tantummodo transiens actus, illo habitus sperandi denotatur. Qui itaque habet spem, possidet spei habitum. Spes habet pro objecto futurum bonum. Nam ἐλπὶς βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς. *Rom.* 8. 24. Bonum animæ præcipue, quæ pereunte corpore non interit. Et quidem tale bonum, quod cum nulla felicitate mundana sit comparandum. Opponitur enim mundanis bonis, quæ ob persecutiones amittebant Romani. Talis felicitas est possessio Summi Boni perfecta, ejus visio intuitiva, & fruitio consummata: eadem æterna, utpote fluxis bonis seculi opposita. A Petro vocatur κληρονομία ἄφθαρτος καὶ ἀμίαντος καὶ ἀμάραντος 1 *Petr.* 1: 4. Talis ἐλπὶς Ethnicis denegatur. *Ephes.* 2: 12. Hoc tantum bonum ut vere ac certo exspectare possimus, efficit in nobis verbum DEI. Eum enim in finem scriptum est ἵνα τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

5. Finis intermedius duplex proponitur. Alius spem producit, alius spem conservat. Medium spem producens est διδασκαλία. Dicitur enim Scriptura data εἰς διδασκαλίαν ἵνα τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν. Quare & spem producit, & omnia suppeditat, sine quibus spes vacillat. Ut itaque homo vitam æternam recte speret, opus est, ut apud DEUM sit gratiosus. Nam inimicus DEI sperare vitam æternam non potest. Ut homo apud DEUM fiat gratiosus, necesse est ut agnoscat sua peccata, alias nonnisi vana spei præsumptio penes eum est. Ut enim in præfractum peccatorem non cadit gratia, ita nec spes: necesse est ut habeat sufficiens pro peccatis λύτρον: dum enim à peccatis damnatur, alienus est à spe vitæ æternæ. Hæc itaque omnia Scriptura S. docet. Et per talem doctrinam gignitur fides in Christum mediatorem, quæ verum fundamentum est firmæ ac immotæ spei. Si enim firmiter credimus, nobis per Christum remissa esse peccata, vitam animæ æternam immote sperare possumus. Ubi enim non est reatus, ibi est salus: Proinde ut Scriptura data est ob spem, ita etiam ob fidem, quia spes sine fide nulla est: ita & ob caritatem, cum spes & caritas à fide nequaquam possint separari.

6. Medium spem istam conservans est ὑπομονή. Ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς &c. Significat permanentiam, perseverantiam, nempe in eo statu, in quo quis per regenerationem verbi est positus. Notat itaque perseverantiam in fide, aut fidem perseverantem conf. *Hebr.* 10: 30. adversus cum minantis mundi tum blandientis carnis molimina. Si quis enim persecutionibus se patitur à Christo divelli, ille spem futuræ beatitudinis æternæ non amplius potest retinere, quæ non nisi in Christo retinetur. Per Patientiam itaque excluditur apostasia à fide finali in Christum.

7. Uti fidei, ita & ὑπομονῆς principium est Scriptura. Hinc dicitur διὰ τῆς ὑπομονῆς καὶ παρακλήσεως τῶν γραφῶν, *per Patientiam & Consolationem Scripturarum.* Vbi notanda est ἐνδιάδυς i. e. per patientiam, quæ ex Scripturarum consolatione nascitur. Et vero consolatio nihil est aliud, quam frequens mediorum salutis ad hominem applicatio, eorundemque in mentem revocatio, promissionum nempe divinarum de beneficiis illis spiritualibus, quæ per Christum nobis obtingunt. Hoc pacto denique certo, immote, ac firmiter exspectari potest etiam in gravissimis angustiis beatitudo æterna.

8. Ex hoc fine quintuplex usus elucescit Scripturæ (1) Διδασκαλία, quæ & rationem vitæ æternæ & media ad eam perveniendi tradit. Cui est oppositus (2) Ἔλεγχος qui falsa & excogitata media rejicit. (3) Παιδεία per quam obfirmatur hominis animus ad ὑπομονὴν ad permanendum constanter in fide & bonis operibus. (4) Ἐπανόρθωσις, per quam obfirmatur homo adversus carnis & pravorum exemplorum titillationes, ad nequitiam à via virtutum abducentes, & ὑπομονὴν destruentes. (5) Παράκλησις per quam obfirmatur hominis animus ad persistendum in statu gratiæ adversus persecutiones hostiles conscientiæ, inferni, mundi &c. שאפילו בחוות עולם לתוהו אין לי לירא ut,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum feriant ruinæ.

9. Vniversalitatem objecti colligimus ex voce ἡμετέραν, *in nostram doctrinam.* Concludit Paulus se & Romanos, dum in prima persona pluralis significationis loquitur. Sub se autem omnes etiam Judæos ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ κατὰ σάρκα complectitur, quorum salutem quanta animi contentione exoptet, quamque serio procuret, legi potest *Rom.* 9: 3. 10: 1. 11: 14. Sub Romanis complectitur una quasvis gentes, non enim tantum Romanis, sed & Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης erat, ut testatur *Cap.* 1: 14. *Rom.* Tam itaque in usum gentium, quam Judæorum erant scripturæ consignatæ, quibus appellationibus universæ mundi nationes tum temporis significabantur. vid. *Rom.* 1: 16. 2: 9. Cap. 3: 19. comprehendit utrosque ac dicit πᾶν στόμα, πᾶσα σάρξ prorsus indefinite. Hinc etiam *Coloss.* 1: 28. testatur se πάντα ἄνθρωπον νουθετεῖν, καὶ διδάσκειν πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσῃ πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ. Proponitur itaque in hoc dicto finis scripturæ universalitas tam ratione subjecti, omnium scripturæ partium, quam ratione objecti, omnium ubivis hominum.

10. Cum Scriptura beatitudinem æternam promittat, & media subministret, per quæ possit illa obtineri, apparet eam DEUM habere auctorem non homines. Est enim via ad salutem æternam homini natura incognita. Illi itaque sancti DEI homines, scripturæ auctores secundarii, nihil ἐκ τοῦ θελήματος αὐτῶν protulerunt, sed suas manus DEO tanquam instrumenta commodarunt, quibus DEI voluntas hominibus perscribi posset. 2 *Tim.* 3: 16. 2 *Petr.* 1: 21. 1 *Thess.* 2: 13. Apte hinc lex comparatur cum lacte *Esai.* 55: v. 1. quæ verba hac glossa illustrat Abarbanel אמנם החלב וש לו רמוי גדול עם האמונות אם מפני שהוא יוצא משדי המינקת כמו שהאמונות האמתיות יצאו מה קנה שהוא המניק הגדול והשומר אתו עמו ואם מפני לובן החלב שהוא מורה על הפשיטות והנקיות כי כאשר הדבר הפך לבן טהור הוא כן האמונות האמתיות הם כמו החלב הטהור חנקי שלא יתערב בו שום טומאה ודבר נמאס וכוזב: *Enimvero magna est conformitas inter lac & res credendas* (in lege sc. contentas vel explicite vel implicite) *cum quod progreditur ex uberibus nutricis, qua ratione & vera doctrina proficiscitur à DEO Benedicendo, qui supremus nutritor ac custos populi sui est; tum respectu albedinis lactis, quæ innuit simplicitatem ac puritatem: cum enim res albescit, tunc pura est. Ita etiam verax doctrina est instar lactis purissimi & candidissimi, nihil impuri, vulgaris, aut falsi habens admixtum.* Hinc scriptura, cum DEUM auctorem habeat omnis scientiæ fons ac scaturigo appellatur à Bechai in *leg. fol.* 12. *col.* 2. תורתנו הקדושה היא מקור חיים ממנה שאבו כל מעמיקים בחכמה ואין כל חכמתם אלא פירותיה של תורה: *Lex nostra sancta est fons vitæ. Ex illo hauserunt omnes profunde eruditi. Quicquid apud ipsos fuit sapientiæ, ex nostra lege in ipsos derivatum est.*

11. Vnde porro elucescit, quod si instrumenta DEI fuere, eaque viva & animata, ex ipsius jussu scripserint. Per id enim aliquis est instrumentum alterius, dum juxta præscriptum ejus negotium demandatum exsequitur. Quanquam vero Patriarcharum ætate nulla fuerit scriptura, sed sacra dogmata per manus traderentur posteris, tamen subsequenti tempore, quod non tam μακροβίως progenerabat, necessarium esse cœpit, ut dogmata illa sacra literis consignarentur ex DEI inspiratione. Ratio, quia alias non potuisset gigni certa ἀσφάλεια, & spes vacillasset, cum pro Doctorum diversitate diversæ doctrinæ fuissent traditæ, quæ certo examinari non potuissent nulla extante norma Luc. 1: 4. Phil. 3: 1.

12. Idem finis, nempe immota spes, & exspectatio veræ beatitudinis, postulat, ut scripturæ tribuamus vim, in homine immotam & divinam fidem generandi, ut certo ac infallibiliter persuasus sit, ipsam DEUM habere autorem. Nam si talem suspendimus à nudis hominibus, certe non habebimus firmam & immotam spem, cum πᾶς ἄνθρωπος sit ψεύστης *Rom.* 3: 4 DEUS vero solus ἀληθής. Vt itaque firma maneat spes, à solo DEO, per scripturas operante, fides nostra debet dependere, non ab Ecclesia, aut alicujus Ecclesiæ membri testimonio. Hoc ipsum discrimen facit inter sacra & profana scripta. Hæc enim tantum credibilitatem, illa assensum plane divinum ac immotum in legente producunt. Pulchre de hac re scribit Abarben. in *Cap.* 55. *Esai.* העמל והיגיעה שהפילוסופים עומלים ויגעים בעון ובחקירה אינה לשבעה כי הנפש לא תמלא ולא תסתפק

תסתפק בה אבל תמיד ישארו ממנה ספקות ולכן הפלוסופים האחרונים סתרו דברי הראשונים ובטלו דעותיהם לפי שאין בעיון המחקר שבעה כמו שיש בדברי הנבואה שלא ישאר מהם לנביא ולא לבאים אחריו פקפוק ולא ספק : *Labor, quem Philosophi in scrutandis rebus naturalibus insumunt, non saturat ipsorum animos. Etenim mens humana in eo non plane acquiescit, sed cum multis semper dubiis conflictatur. Hinc videas posteriores Philosophos semper refutare priores, ipsorumque sententias destruere, quia investigatio naturæ mentem satiare non potest. Aliter comparata sunt Prophetica scripta. In iis nullum obstaculum aut dubium relictum est vel Prophetis vel illis qui post Prophetarum ætatem scripta eorum legêre.*

13. Quia finis scripturæ est spes vitæ æternæ, ejusque conservatio adversus hostes tam corporales quam spirituales, necesse est, scripturam vires habere in nobis & efficiendi & conservandi media, impetum hostium spiritualium propulsantia. Talis enim propulsatio aut est à DEO, aut ab hominibus. Non ab hominibus. Illi enim natura subjacent hostibus spiritualibus, nec vires ipsimet habent ex tanto malo emergendi. Ergo est à DEO. DEUS autem efficit & conservat talia media aut immediate aut mediate per verbum. Non illud. Ergo hoc. Nam & hic talis expresse scripturæ tribuitur finis. Quapropter Scriptura habet vim producendi in hominibus fidem, spem, caritatem. Inde est, quod התורה נקראת חוב *Scriptura vocatur gladius*, Ir Gibb. *fol.* 48. *col.* 4. quod comparatur cum potente principe אר"זל שנמשלו ר"ת לנגיד שיש כו כח להמית ולהחיות *affirmant Rabbini nostri, scripturam comparari cum principe jus vitæ & necis habente.* ibid. *fol.* 49. *col.* 3. cum efficacissima medicina, אר"זל שיוצאי מצרים בעלי מומין הוו אלמים סומין חרשין חיגרין ובמתן תורה נתרפאו *memorant Rabbini nostri egressos ex Ægypto morbis affectos fuisse, fuisse mutos, cœcos, surdos, claudos, at sanitatem recepisse cum lex daretur.*

14. Finis præscribit mensuram ac modum mediis. Cum itaque finis scripturæ sit consecutio æternæ beatitudinis, opus est ut & sufficientia media exhibeat hominibus, per quæ ad salutem possint pervenire. Nullum itaque dogma debet scripturæ deesse, quod ad salutem æternam necessarium sit. Nihil etiam extra scripturam esse debet, quod ad salutem tanquam absolute necessarium requiratur. Alias non totus hic finis scrupturæ posset adscribi, sed pars tantummodo. Rejiciendæ sunt traditiones tam Pontificiorum quam Judæorum, quanquam hæ olim nihil fuerint aliud, quam veræ rituum explicationes, dictæ Cabbala & תורה שבעל פה *lex oralis*, de qua Hotting. vid. *Thes. Phil. l.* 3. *c.* 3. *Sect.* 5. & Glass. *l.* 2. *part.* 3. *tract.* 2. *sect.* 3. *art.* 7. aut consequentiæ ex textu rite deductæ. Ir Gibb. *fol.* 54. *col.* 1. כל הדינין שבתורה שב"עפ כולן מוציאין מן המקראות *omnia judicia, quæ sunt in lege orali, extrahunt ex lege scripta.* Hodierna vero Cabbala Judæorum parum habet sani & solidi.

15. Ne opus esset, humana inventa scripturæ tanquam imperfecto operi assuere, DEI providentia obstitit, quæ nunquam inter tot rerum mutationes permisit, quicquam de Canonica scriptura intercidere. Quare Judæi constanter numerarunt עשרים וארבע *viginti quatuor* V. T. libros, aut etiam *viginti duos*, ut numerus librorum Biblicorum conveniret cum numero literarum Alphabeti. Quod posterius cum faciunt, Ruth cum libro Iudicum, & Threnos cum Ieremia conjungunt. De qua divisione extat Nazianzeni versus:

Α'ρχαίας μὲν ἔθηκα δύο ᾗ εἴκοσι βίβλους
Τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.

Ceterum de divisionibus scripturæ & partibus tam V. quam N. T. prolixe agit Gerhardus *in Exeg. C.* 5. & 6.

16. Media debent ordinata esse ad obtinendum finem, alias non sunt media. Hinc quæ scriptura proponit tanquam creditu necessaria & factu, perspicua esse debent, alias tribui ipsi non potest informatio. Ex eo enim, quod obscurum est, ita ut nullo modo possit obscuritas tolli, non potest proficisci informatio. Scriptura itaque per scripturam est explicanda. Nam quia DEVM habet autorem. DEVS ipse optimus verborum suorum erit interpres. Hinc recte dicit R. Iuchanan in Sanhedr. כל מקום שפקרו המינין תשובתן בצדן *omnis locus, quo hæretici ad errorem suum abutuntur, refutationem eorum semper habet in latere.* Quamobrem qui frequenti scripturæ lectioni operam dederit, omnia denique intuebitur clarissima ac lucidissima. Medr. Till. Psalm. 27. אמר דוד כשאני מתחיל בך ברי תורה מעט אני מתחיל בהם והם נובעים וכשאני נכנס לתוכן נפתחים לי שערים הרבה לכך נאמר נר לרגלי דבריך ואחר כך אור לנתיבתי : *Dicit David, cum incipio scripturam legere, quanquam adhuc verser in limine, tamen jam tum scaturit. Quamprimum autem ipsa scripturæ penetralia ingredior, aperiuntur mihi multæ portæ (sapientiæ). Propterea dicitur: Verbum tuum est lucerna pedibus meis, & postea lux semitis meis.*

17. Vti spes nostra immota esse debet adversus impetum hostium, ita & doctrina, quæ spei est fundamentum. Quamobrem scripturæ tribuenda est facultas normativa, ut ad eam exigantur quævis controversiæ, & appareat, quæ sit vera, quæ falsa sententia, ut hoc modo firma maneat spes, quia ita firmatur ac roboratur spei medium. Nam si vacillat medium, vacillat etiam finis.

18. Quia DEVS per scripturam hominum salutem intendit, informationemque certam ad salutem, non potuit permittere, ut vel totus textus authenticus, aut pars aliqua vel periret, vel Iudæorum aliorumque hæreticorum malitia corrumperetur. Nam si vel corruptum textum vel solam versionem ejus haberemus, non parum certe de firma animi πληροφορίας decederet. Iudæis profecto nulla potest corruptio adscribi, qui religiosissimi sunt capsarii nostri. Bechai *fol.* 28. *col.* 3. הנקודה משמשת לשבעה פנים כשתשימנה על האות מלמעלה יהיה חולם באמצע האות בחירק ישוב צרי ואם בצרי סגול ואם בשבא ישוב קבוץ שפתים חרי ז : ועוד באותיות עצמן אם תתן הנקודה באות ה"י ישוב ח"ית ואם ב"וו ישוב ז"ין ב"כף ישוב ב"ית ואם ב"נון ישוב גי"מל ואם ב"ריש ישוב ד"לת ולכן המוסיף נקודה או גורעה מחריב את העולם ומקצץ נטיעות התורה ושרשיה : *Punctum servit septem modis. Si illud posueris supra literam erit Cholem: si in medio, erit Schurek, si τῷ Patach adjiciatur, erit Kametz; si τῷ Chirek fiet Tzere: si τῷ Tzere fiet Sægol; si τῷ Scheva erit Kibbutz compressis labiis efferri solitum. Hi septem modi. Eandem vim habet in ipsis vocibus. Nam si punctum adjeceris τῷ He, fiet Cheth, si τῷ Vau, erit Sain; si τῷ Caph, erit Beth; si τῷ Nun, erit Gimel; si τῷ Resch, erit Dalet. Adeoque qui addiderit aut ademerit legi unum punctum, ille devastat mundum, & succidit plantas ac radices legis.* Quod si tanta est Iudæorum circa unum punctum cura, nequaquam ipsis poterit Bibliorum corruptio imputari.

19. Si DEVS scripturas consignavit in usum non tantum Iudæorum, sed & gentium, & tot inter gentes nationum, pia ac laudanda cura est, quam quidam impendunt in concinnandis versionibus, ut ita non tantum docti, sed & Laici, idiotæque sanctam DEI voluntatem in Scriptura legere possint. Quod enim non pro solis doctis scribere jusserit, ex eo patet, quia se ad ingenia etiam rudiorum passim in scripturis accommodat. Bech. *fol.* 9. *col.* 1. אלו לא היה ספור התורה בדברים גשמיים הקרובים לשכל ההמון רק בדברים שכליים ועניינים שכליים לא היו מבינים ההמון לא המלות ולא העניינים ומפני זה נתן הספר בענין שיועיל לחכם ולסכל וכל אדם חוזה בו כפי כחו וכחכמתו ומדרגתו יועיל לסכל שיתישב הענין בלבו ובמחשבתו כי יש לו בורא שהוא חייב בעבורתו ויועיל לחכם שיבין המלות ההם מצד החכמה ועם זה יהיו הכל שוים בדעת מציאות הבורא י"ת וכבר המשילו חכמי המחקר הענין הזה לעשיר שבא לו ארם להתאכסן עמו הוא יבהמותיו ונתן לא כל מיני מעדנים למאכל ונתן לבהמותיו תבן ומספא לכל אחד נתן דבר הראוי לו כן התורה תרחיב במדות הבורא במליצות גשמיות כפי חולשת דעת ההמון ותרמון השנינים חשכליים לבעלי החכמה והמוסר : *Nisi Scriptura quandoque uteretur phrasibus à rebus corporeis desumtis, ad intellectum vulgi accommodatis, sed sublimia mysteria semper eloqueretur verbis sublimibus ac à materia abstractis, certe vulgus neque verba caperet neque rem intelligeret. Quamobrem DEVS scripturam eo modo concinnavit, ut tam sapienti quam idiotæ prodesset, & unusquisque pro captu suo veritatem in ea perspiceret. Prodest plebejo. Facili enim negotio ex ea discit, esse Creatorem, eumque colendum esse. Prodest erudito. Ille enim ope scientiæ suæ exactius singula verba evolvit. Atque ita uterque pariter discunt ex ea Creatoris sui existentiam. Physici rem illustrant simili de homine divite & hospite cum jumentis suis ad ipsum divertente. Cui omnis generis bellaria apponit dives, jumentis vero ipsius stramen & paleam, unicuique dans pabulum conveniens. Sic etiam cum Scriptura comparatum est. Ea prolixe tradit proprietates Creatoris phrasibus Metaphoricis, à rebus materialibus desumtis propter infirmitatem intellectus plebeji, eruditos vero & sapientes ad pernoscendam mysteriorum sublimitatem admittit propius.* In usum omnium hominum scriptum esse sacrum codicem affirmatur in Medr. Till. *Psalm.* 1. §. 8. אמר ר' יודן למה נמשלה תורה בעץ החיים מה עץ החיים פרוש לכל בא עולם בגן עדן כך התורה פרושה לכל החיים ומביאתן לחיי העולם הבא : *Dixit R. Jodan. Quare scriptura comparatur cum arbore vitæ? quid arbor vitæ? arbor vitæ erat exposita omnibus venientibus*

in

in mundum in Paradiso. Sic etiam scriptura exposita est omnibus viventibus adducens eos ad vitam æternam. Ut itaque Judæorum, quibus tradita erant DEI eloquia, ministerio veritas propagaretur, jussi fuerunt in LXX. linguas scripturam transferre. Testantur hoc in Jalk. Chad. *fol.* 170. *col.* 2. אמרו ח"ז שהיו ישראל מצווין לכתוב תורה על האבנים בשבעים לשון היינו מדכתיב באר היטב שמספר המרובע הוא שבעים כוח חי ה"י ה"ט היטב *tradunt sapientes nostri jussos fuisse Israëlitas scribere legem in lapidibus LXX. linguis. Id quod exsculpunt ex Deut.* 27:8. Bene, perspicue. *Ubi vox* היטב *quadruplicata efficit* 70. Tot enim fuere in orbe familiæ juxta Judæorum opinionem שבעים אומות יש בעולם וכל אימה ואימה יש לה לשון בפני עצמו *septuaginta gentes erant in orbe: unicuique autem nationi peculiaris erat lingua.* Bech. *fol.* 21. *col.* 2.

20.* Plura antiquorum ad scripturam commendandam dicta affert Abarb. in *Cap.* 55:1. *Esa.* quorum nonnulla huc transferemus. ובספרי דרשו באופן אחר אמרו שם נמשלו דברי תורה למים שנ' שתה מים מבורך מה מים חיים לעולם אף דברי תורה חיים לעולם שנ' כי חיים הם למוצאיתם מה מים מעלין את האדם מטומאה לטהורה אף דברי תורה כן אמרות ה' אמרות טהורות מה מים משיבין את נפשו של אדם אף דברי תורה תורת ה' תמימה משיבה נפש מה מים חנם לעולם אף דברי תורה הוי כל צמא לכו למים כי טובים דודיך מיין מה יין משמח את הלב אף דברי תורה משמחין את הלב שנ' פקודי ה' ישרים משמחו לב ומה יין אי אתה טועם טעם בתחילתו וכל זמן שהוא מתישן בקנקן הוא משתבח כן דברי תורה כל זמן שמתישנין בגוף משתבחין שנ' בישישים חכמה מה מים אי אפשר להתקיים לא בכלי כסף ולא בכלי זהב אלא בכלי חרש כן תלמיד חכם יע כ' *in Siphre alio modo explicantur hæc verba. Dicunt ibi: Comparantur verba legis aquis, ut dicitur* Prov. 5: vers. 15. *quæ natura est aquarum? vividæ sunt perpetuo. Sic & verba legis vivida sunt in perpetuum, ut dicitur* Numer. 23:2. *Aquæ hominem ex impuro faciunt purum. Idem & verba scripturæ faciunt.* Psalm. 12:7. *Aquæ hominem recreant. Idem faciunt scripturæ verba* Psalm. 19:8. *Aquæ gratis dantur. Sic & verba scripturæ* Esai. 55:1. Cant. 1:2. *dicitur: Amores tui sunt meliores vino. Vinum lætificat cor. Idem faciunt verba scripturæ* Psalm. 19:9. *Vinum novellum non sapit sed inveteratum, & quo diutius fuerit in vase reclusum, eo magis commendatur. Sic & verba legis quo diutius fuerint in homine, eo melius placent.* Job. 12:12. *Aquæ non possunt conservari in vase argenteo aut aureo, sed testaceo. Sic & verba legis non nisi in humili discipulo conservantur.* Ib. ובפסיקתא רבתי אמרו בעני' המים מה המים נתני מלמעלה אף דברי תורה נתני' מלמעלה שנ' מן השמים דברתי עמכם מה מים מכסין ערותן של ים כמים לים מכסים כן דברי תורה על כל פשעים תכסה אהבה *In Pesikta Rabbethi hæc leguntur de comparatione scripturæ cum aquis. Aquæ cœlitus dantur, sic & verba scripturæ* Exod. 20:22. *De cœlis vobiscum locutus sum. Aquæ tegunt nuditatem maris* Esa. 11: vers. 9. *Sic & verba Legis* Prov. 10:12. *Caritas operit plenitudinem peccatorum.* Ib. ובשוחר טוב אמרו מה המים יורדין טפי' טיפי' ונעשין נחלין כך דברי תורה שתי הלכות היום ושתי הלכות למחר עד שנעשה כמעין נובע מה מים מגדלים את הצמחים כך דברי תורה מגדלין כל מי שעמל בהם שנ' בי מלכים ימלוכו מה מים אין הגדול מתבייש לומר לקטן השקני' מים אף דברי תורה אין הגדול מתבייש לומר לקטון למדני פרק אחד או הלכה אחת *Et in Schochar Thobh leguntur hæc: Aquæ guttatim descendunt & paulatim fluenta fiunt: sic & verba scripturæ: Si hodie duo didiceris dicta, cras iterum duo addideris, tandem scriptura tibi fiet fons scaturiens. Aquæ dant incrementum germinibus: sic & verba scripturæ incrementum dant omnibus studiose eam legentibus.* Prov. 8:15. *Denique aquas petere ab inferioribus non est pudori: sic & informationem in scriptura petere ab inferiori non est pudori.* Ibid. אמר רבי אושעיה למה נמשלו דברי תורה לשלושה משקיי הללו מים ויין וחלב לומר לך מה שלושה משקין הללו נפסלין בהיסח הדעת אף דברי תורה אי משתכחין אלא בהיסח הדעת דבר אחד מה שלושה משקי' הללו אי מתקיימי' אלא בפיסח שבכלים אף דברי תורה מתקיימי' במי שדעתו שפלה עליו ע"כ *Dicit R. Uschaja: quare comparantur verba legis tribus his liquidis, aquæ, vino, lacti? dicendum tibi; Tria hæc liquida facile vitium contrahunt, si ea neglexeris. Sic & verba legis facile oblivioni traduntur, si alio converteris animum. Alia Glossa: Quam naturam habent tria ista liquida? Non possunt conservari nisi in vilioribus vasis. Sic etiam verba legis non asservantur, nisi in eo homine, qui de se humiliter sentit.* Hæc hactenus. Ex quibus potest intelligi cum quam naturam habeat scriptura, tum quod subjectum requirat, cujus generis plura possent afferri, nisi paginæ obstaret angustia. Finimus ergo hic & dicimus

יהי שם ה' מבורך מעתה ועד עולם:

M. CHR. GEORG. MAYER

DISSERTATIO

De Hominibus piacularibus ad 1 Cor. IV: 13.

Q. D. B. V.

§. I.



MAgnus ille Gentium Doctor & Apostolus I. C. Paulus, ostensurus quam acerba & miserabilis sit sua & reliquorum Apostolorum imo & omnium fidelium Ecclesiæ Doctorum in his terris conditio, quam dura sint quibus premantur fata, & quam inique à Gentilibus maxime & cunctis Christianæ fidei persecutoribus haberi soleant, prolixo satis catalogo enumerat varia afflictionum genera, quæ subinde in hoc mundo sustinere cogantur. Ita enim percenset ludibria, contemptum, paupertatem, flagra, exilia, persecutiones & convitia, donec tandem ut simul & semel, quicquid malorum est, exhauriat, his verbis suam orationem concludit:

Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν,
περίψημα πάντων ἕως ἄρτι.

§. II. Duæ hic habentur voces, quas impræsentiarum sub Disquisitionis accuratioris incudem vocare animus est. *Una* περικάθαρμα, *Altera* περίψημα. Neutra harum excepto hoc loco in Codice N. T. amplius invenitur, adeo ut vel eam ob causam accuratiorem mereantur observationem, nisi alias constet & ex infra dicendis patescat, singularem illarum esse Emphasin, nec sine magno Scriptoris θεοπνεύστου studio hoc loco adhibitas fuisse. Quod ipsum probe observavit (a) Flacius, quando Apostolum his verbis ceu grandi Epiphonemate usum fuisse

(a) *In Clar. ad vocab.* ἀναθ.

fuisse scribit. De illis igitur eo quo constituimus ordine, jam quoque agemus. Esto ergo

SECTIO I. CRITICA.

§. III. Atque hic notanda est ante omnia duplex utriusque Vocis significatio, *Etymologica* nempe & *specifica*. *Illa* est, quam voces istæ primo, per se & ratione originis suæ habent; *Hæc* vero, quæ ex certa impositione & usu Scriptorum iisdem competit. Distinctionem hanc ideo præmittimus, cum usus illius per totam Disputationem nostram se diffundat.

§. IV. Inde etiam est, quod duplicis Generis sint tum *Interpretes* tum *Commentatores*. *Quidam* enim illorum tuentur significationem horum verborum Etymologicam, ex qua deinde metaphoram deductam esse volunt pro hominibus vilissimis atque abjectissimis. *Quidam* vero specificam, uti hoc ex utriusque vocis peculiari consideratione manifestum erit.

§. V. Considerari enim potest utraque Vox vel *separatim* vel *conjunctim* idque secundum utramque significationem.

§. VI. Separatim si spectentur, sistit se primo loco Vox περικάθαρμα, cujus hic notamus *Etymologiam*, *Variam Lectionem & Interpretationem*. Est autem Vocabulum Comp. ex præp. περὶ, quod hic loci est *circum*, *circumquaque*, & verbo καθαίρω *purgo*, *mundo &c.* à quo descendit. Quod ipsum denuo componitur ex præp. κατὰ & αἴρω *tollo*, *aufero*, quia scil. purgatio per ablationem sordium fit. Περικαθαίρειν vero in significatione intensiva est *per purgare*, *circumquaque purgare*. Hinc Nomen Verbale περικάθαρμα & in plurali περικαθάρματα. Lectio hæc magis recepta est, teste Henr. Stephano. [b] Idem tamen dicit, meminisse se, quod aliquando in Veteri quodam Exemplari legerit per diastolen ὥσπερ καθάρματα & nostram ex ὡσπερεὶ καθάρματα natam suspicatur. Probat hanc lectionem Gagnejus & Erasmus Schmidius, qui nullam, inquit, hujus compositi rationem esse. Neque præpositionem περὶ ex opinione Bezæ pondus addere. Ita quoque legisse Ambrosium, Budæum & alios idem Henr. Stephanus docet. Nos Lectionem magis communem, licet altera videatur sententiæ nostræ magis favere, nihilominus retinemus. Pro Synonymis itaque habemus περικαθάρματα & καθάρματα. Sicuti enim περικαθαίρειν idem quod καθαίρειν Deut. 18: 10. Ita περικάθαρμα idem quod κάθαρμα. interpretatio varia est. Ad verbum sonat *circumpurgamentum*, ut Dietericus; ut alii, *sordes circumquaque everrendo collectas & expurgandas*. Omnes vero, quotquot consulere quidem licuit tum Interpretes tum Commentatores, Vocabulum hoc alii *de re sordida & abjecta quæ expurgatur*; alii vero *de instrumento*, *verriculo nempe aliquo* interpretantur. Versiones conspirant in eo, dum pro re abjecta & sordida habent fere omnes. Antiquissima illa Versio Syriaca utitur voce ܐܟܣܬܐ quam Interpretatio Latin. in Bibliis Polyglott. sicuti & vocem Arabicam *cakomamati* reddit velut *quisquilias*. Æthiopica aliquantum recedit, quando *pilam* vertit, quæ tamen ad res abjectas etiam refertur. Vulgatus autem & qui illum sequitur Arias Montanus, Santes Pagninus ut & Beza transferunt *purgamentum*. Erasmus, *Excrementum*. Biblia antiqua Germ. 1530. **ein Keehricht.** Dietenb. **Wir sind als ein Kehrsal (oder Gemüll)** Batav. **wy zijn geworden als uytvaagsels. Dat is/** (in notis adjectis) **als vuyligheyd.** Commentatores autem, sicuti dictum, variant. Juxta illos, qui de re abjecta hanc vocem intelligi volunt, περικαθάρματα sunt, quod Græci ἀποσαρώματα, ἀποψήγματα, ἀποφιλοκαλήματα adde περικορήματα καὶ σκύβαλα vocant. Ita namque OEcumenius in expositione hujus loci hæc tanquam Synonyma affert. Theophylactus itidem Scholiastes Græcus reddit per τὸ ἀποσπόγγισμα, quando quærit: Τί ἐστι τὸ περικάθαρμα; τὸ λεγόμενον ἀποσπόγγισμα. Ὅταν γὰρ ῥυπαρόν τι ἀποσπογγίσῃ τις, περικάθαρμα λέγεται τὸ ἀποσπόγγισμα ἐκεῖνο. Quæ verba Montanus Latine ita: *Quid vero est purgamentum? Sordes quæ spongia absterguntur. Cum enim quis sordidum quid abstergit, purgamentum dicuntur sordes illæ, quæ absterguntur.* Ulpianus [d] in genere definit περικάθαρμα τὸ καθαιρόμενον καὶ ὃ ἂν ἀποσείσαιτό τις, *quod expurgatur & quod quis à se amolitur.* Hoc autem diversi generis est. Unde alii explicant per *excrementa*, *fæces & sordes quæ ex re quadam lurida repurgantur*, *denique quicquid inutile relinquitur re quapiam repurgata*, ut Cornel. à Lap. Tirin. Menoch. & Justin. Flacio (e) περικάθαρμα dicitur, quicquid de re immunda, ut ea fiat pura, separatur, ut sunt in metallis scoriæ, in vino aut oleo fæces. Prucknerus (f) appellat purgamenta, quæ mare & littus diversis temporibus ejiciunt, de quibus Plinius. (g) Ex illis vero, qui de instrumento s. verriculo quodam hoc vocabulum intellectum volunt, pauci sunt. Est inter illos Erasmus Schmidius (h) qui τὸ κάθαρμα id proprie esse dicit, *quo aliquid expurgamus*, & alii qui *currum stercorarium* significare volunt, cui quilibet injicit sordes & quisquilias suas, ut animadvertit Leighius. (i)

[b] *In Thes. Ling. Gr.* [c] *In Schol. ad h. l.* [d] *In Orat. Demosth. de fals. Legat.*

§. VII. Περίψημα altera vox separatim spectata in sensu quidem Etymologico. Ubi similiter occurrit Etymologia cum variis Interpretationibus. Derivatur autem à verbo περιψᾶν, quod est idem ac καταμάσσειν *abstergere* & pari modo componitur ex præp. περὶ, quæ, ut supra, hic quoque significat, *circum*, *circumquaque*. Simplex est ψάω, ῶ, quod Latinis dicitur *tergo*, *abstergo*, *abrado*. Hinc περιψάω magis aliquid notat, scil. *circumquaque detergo*, *abrado*. Et inde nostrum quoque περίψημα. Vulgatus relinquit ἀνερμήνευτον, quod fecit etiam Tertullianus citans hunc locum: Miratur hoc Valla (l): *Miror*, inquit, *cur hoc nomen non transfert Interpres*; *si minus per unum vocabulum*, *certe per plura*. *Non enim Nomen est*, *quod pro Latino acceptum sit*, *cujus significatio sit aperta*, *cum præsertim scribi Latine non possit*, *ac ne pronunciari quidem forte suo accentu*. Heinsius (m) vero ut *efficaciorem*, quam putetur vulgo, servatam fuisse existimat. Ad Verbum περιψήματα sunt *abstersiones*; Estius, (n) *Detersiones sive sordes detersæ*, Beza (o). Unde D. Erasmus Schmidius loco supra dicto, **sind jedermanns Schabab worden/** vel ut Emserus reddidit: **Jedermans Abschabe worden.** Et quidem pro re detergenda Versiones rursus tantum non omnes, quæ supra. Sic Syrus ܡܟܦܪܬܐ, quam vocem Interpr. in Opere Polyglotto *vertit purgamentum*. Aliam tamen ejus significationem vide infra. Arabs, *sub omnium pedibus projecti*. Beza & Santes Pagninus, *ramentum*. Erasmus *rejectamentum*. Batav. **eene afschrapsel.** Commentatorum vero hic eadem se offert discrepantia, quæ circa vocab. περικάθαρμα fuit: *aliis* hanc vocem pro *detersorio* exponentibus; *aliis* pro *ipsa re sordida quam abstergimus*. Qui pro re detergenda habent, iterum variant. Aliis enim περίψημα est *scobs*, *scoria*, *ramentum & quicquid limando deteritur*, quod Græcis περίψηγμα est. Ita Chrysostom. Theophyl. Anshelm. & Theodor. Observat tamen CL. Heinsius confundi περίψημα & περίψηγμα: Nam ψῆγμα ramentum esse, ut metalli. A quo vero aliud περίψημα, quod erudite Eustathius idem fere, quod λῦμα esse voluerit. Recte hic, quod dicat *fere*. Siquidem Eustathius ipse περίψημα ait ἀφελέστερον τοῦ λύματος esse, i. e. vilius quid quam λῦμα esse. Vult autem esse ἀπόγισμα καὶ ἀπόνιμμα. Sunt alias λύματα quæ in mare abjiciuntur, ut navis sit incolumis. Aliis περίψημα dicitur *solea suppactum corium*, aliis *pulvis*, *quem calcamus*. Hinc etiam Versio Arabica, *matruchina tachta ack dami 'l cülli*, projecti sub pedibus omnium. Id quod etiam Vallæ placet, qui in supra citato loco vocem hanc *pulvis vestigiorum* verti potuisse censet. Videtur respexisse ad Hesychium (p) qui utrumque vocis hujus significatum agnoscens dicit, Περιψήματα esse περικατάγματα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων *aut quæ sub vestigiis omnium*. Hieronymo, Grotio & Castalioni sunt *quisquiliæ*, Heinsio *retrimentum aut purgamentum*. Flacio, *amota cuticula*, *qualis est in piris*, *pomis & rapis*. Aliis aliud. Erasmus quasi in Compendio: *Videtur omnino peripsema apud Græcos quiddam esse tale*, *quale apud nos est nauci*, *quisquiliæ*, *sterquilinium*. Pro detersorio accipiunt scholia Græca OEcumenii, qui ad hunc locum Περίψημα, inquit, λέγεται τὸ σάβανον, ὃ τοὺς ἱδρῶτας τοῦ κάμνοντος ἀποψήχει *Peripsema dicitur Sabanum* (Latine quoque dictum & Lexicographis est pannus asperior exsiccandis corporibus inserviens) *quod sudores laborantis abstergit*. Germ. **Ein Haartuch.** Alii tamen malunt pro penicillo extergendis vestibus vel calceis idoneo. Sunt qui utrovis modo accipiunt. Ita D. Selnecc. (q) Flacius. (r) Ex Pontif. Bened. Justin. (s) & alii.

(e) *In Gloss. compend. in Nov. Test.* (f) *Vindic. ad h. l.* (g) *H. N. lib. 32.* (h) *In Annotat. ad h. l.* (i) *In Crit. S. N. T.* (k) *Libr. de Pudic.* (l) *de Collat. Nov. Testam.* (m) *Exercit. Sacr. ad N. Testam.* (n) *in Comment. ad h. l.* (o) *in Annot. ad N. Testam.* (p) *in Lexic.* (q) *in Comm. ad h. l.* (r) *in Gloss.* (s) *in Comm. ad h. l.* (t) *in Not. ad h. l.*

§. VIII. Atque sic separatim consideravimus utramque vocem & quidem secundum significationem quam habent Etymologicam. Jam in eadem significatione spectabimus quoque illas conjunctim. Et huc pertinet arctissima illa cognatio, quæ inter utramque ratione sensus Etymologici intercedit. Est quidem aliqua, uti Nicolaus Hemmingus annotat, & ex modo dictis apparet inter illas differentia, cum περικάθαρμα proprie dicatur id, quod de re lurida abraditur & abjicitur, περίψημα vero, quicquid limando deteritur & abraditur: conveniunt tamen in genere. Utraque enim rem abjectam, vilem & sordidam designat, quæ non modo nullius prorsus est pretii, sed etiam quam omnes aversari & abjicere solent. Testatur hoc Theophylactus loco supra adducto, ubi: Περίψημα τὸ αὐτὸ δηλοῖ scil. quod περικάθαρμα. Neque Chrysostomus facit discrimen. Pro Synonymis etiam habent Flacius, Estius & alii. Justinianus ait, unum per alterum explicari. Quare etiam verba ista simul sumpta per metaphoram dicta volunt ab Apostolo, qui sensum eorundem Etymologicum defendunt. Ita Græci, quos summa contumelia afficere volebant, καθάρματα appellabant. Turnebus. [u] Et Curtius [x] videtur hoc vocabulum in mente habuisse, cum dixit purgamenta servorum. Eodem modo se res habet cum voce περίψημα, quæ itidem per metaphoram de homine contempto & despecto dici consuevit. Declarat hoc Heinsius laudatus, ubi dicit περίψημά τινος χρηκῶς s. relative illud dici, quod comparatione alterius pro nihilo sit habendum. Refert huc Tob. 5:26. ubi Anna: Ἀργύριον τῷ ἀργυρίῳ μὴ φθάσαι, ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδίου ἡμῶν γένοιτο. Quæ verba Pisc. **Wolte GOtt / daß diesem Geld kein Geld zuvor kommen wäre / sondern nur die Schabes unserem Kind zu theil würden.** Luth. **Ich wolte daß das Geld nie gewesen wäre.** Sensum autem hunc esse: *Utinam fœnus nunquam curæ nobis, sed præ filio nostro* Περίψημα *rejectaneum fuisset!* Sic recenset Dietericus [y] insigne Monachalis humilitatis exemplum de Monacho quodam, qui hoc nomine se vocavit, Ratberto Paschasio: Hic præfationem ad Thren. Jerem. Odilmanno alii Monacho nuncupatam ita inscripsit: *Paschasius Ratbertus* (col. 1307.) *Monachorum omnium peripsema Seni Odilmanno Severo plurimam & sempiternam salutem.* Idem ad alium sui ordinis hominem scribens pari submissione Epistolam de Corp. & Sangu. Domini (col. 1619.) hac ἐπιγραφῇ signat: *Dilectissimo Fratri & Commilitoni Frudegardo Paschasius Senex tuus & Monachorum omnium peripsema plurimam & sempiternam salutem.* Constat ex his luculenter, quis juxta Interpp. hosce Verborum Paulinorum sensus sit. *Confert nimirum Apostolus se cum iis, quæ non modo nullius penitus sunt pretii, sed etiam, quæ omnes à se quam longissime abesse volunt,* ut Beza; Vel ut Estius: *Reputamur velut sordes, fæces, colluvies, excrementa humani generis; contemptissimi & abjectissimi sumus omnium hominum ac digni habiti, qui ex hominum consortio procul ejiciamur.*

§. IX. Prius vero quam considerationem harum Vocum Etymologicam plane faciamus missam, necesse est, ut conferamus adhuc locum illum, quem tanquam parallelum non pauci ex Interpp. jam adductis afferunt & ad illustrandum præsentem locum non parum facere volunt. Habetur ille Thren. 3: 45. Ubi in fontibus ita: סְחִי וּמָאוֹס תְּשִׂימֵנוּ בְּקֶרֶב הָעַמִּים Quæ verba Trem. *Purgamentum & rejectamentum statuis nos in medio populorum.* Luth. **Du hast uns zu Koth und Unflath gemacht unter den Völckern.** LXX. hæc verba סְחִי וּמָאוֹס plane omittunt. Targum vero טַלְטוּלִין וּרְטוּשִׁין *ejectos & desertos* reddit. Nimirum duæ etiam hic voces sunt. Altera סְחִי à rad. סחה in Kal. inusitata; in Pih. vero סִחָה *expurgavit, abrasit.* Ezechiel. 26: 4. Unde סְחִי abrasio, purgamentum, sordes & res vilissimæ, quæ nauseam movent spectatori scopisque verruntur. Aben Esra ad hanc vocem: כחי בטעם טרטול *sechi in significatu ejectionis.* Raschi ita explicat: וניעו שנסח הוא ניע בלשון משנה כיחו *Hoc est mucus* מתוך הריאה ויוצא דרך הגרון (*excrementum narium*) *secundum stylum Mischnæ. Sputum (excreatio crassa, qualis per tussim & בְּכוֹחַ cum vi ejicitur) & mucus ejus, qui evellitur è medio pulmonis, & procedit via gutturis.* Altera est מאוס derivata à מָאַס *reprobavit, respuit, abjecit & aversatus est.* Hinc כֶּסֶף נִמְאָס argentum reprobum Jer. 6: 30. & מָאוֹס præsens, quod rejectamentum sonat, & quicquid vilipenditur & abjicitur. Utramque Echa Rabbata vertit מאסייא ופסילייא f. שׁ. ita etiam exponit Mathanot Kehunna, scil. rejectamenta & quicquid reprobum est, ut sunt fæces, furfures, scoriæ & similia, quæ non sunt כָּשֵׁר ut loquuntur Ebræi. Omnia ista ad sensum Etymolog. horum verborum apprime quadrantia. Sunt itaque tum ex nostris tum ex Pontificiis & Reformatis, qui verba illa parallela faciunt huic præsenti loco nostro. Ex nostris quidem [z] D. Försterus, [a] Prücknerus, Rungius [b] & alii. *Locus ille procul dubio alludit ad Thren. 3.* inquit Flacius. [c] Iubet etiam eundem conferri B. Glassius. [d] Ex Pontificiis Interpp. Francisc. Haræus [e] & Cornel. à Lap. inter Reformatos imprimis est Beza, qui l. c. ait: *Paulus certe hac desumpsit ex Jerem. Lament.* 3: 45. Volunt autem vocem סְחִי respondere Græco περίψημα & vocem מאוס æquipollere vocabulo περικάθαρμα. Invertit hoc Cornel. à Lap. & dicit, Apostolum סחי per vocabulum περικάθαρμα, מאוס vero per περίψημα expressisse. Rectius tamen priori modo exponas. Atque ita omnino parallelismum utriusque loci quoad sensum Etymol. cum supra memoratis Interpretibus admittimus.

§. X. Ostensa itaque significatione horum Verborum Etymologica progredimur jam ad specificam. Est autem illa, uti supra monitum, quam voces istæ ex usu peculiari Autorum & Scriptorum Græcorum sibi vendicant. Ubi eundem quoque ordinem tenebimus, quem modo secuti sumus, cum Etymologice illas consideraremus, ita nimirum, ut de utraque etiam tum *separatim* tum *conjunctim* agamus.

§. XI. Et secundum hanc significationem Catharmata dicebantur homines piaculares (i. e. pro patriæ lustratione devoti) quorum videlicet capite omnia Civitatis aut gentis alicujus scelera luebantur, & qui ad avertendam Deorum iram & plagas devovebantur. Sic Aristophanes: [f]

> Γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτον, ὦ καθάρματε,
> Ἐπ' αὐτοφώρῳ δεινὰ δρῶντ' εἰλημμένω;
>
> *Etiamne audetis hiscere, vos piacula,*
> *In ipso deprehensi facinore pessimo?*

Ad quæ verba Scholiastes: Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος, ἤ τινος ἑτέρας νόσου, θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. *Catharmata vocabantur, qui in expiatione pestis aut alterius cujusdam morbi Diis mactabantur: Qui mos etiam apud Romanos obtinuit.* Et in Equites [g] ubi Scholiastes idem: —— Δημοσίους δὲ τοὺς λεγομένους φαρμακοὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ, ἢ τοὺς δημοσίᾳ καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους. Ἔτρεφον γὰρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω ἤ τοιούτου τινὸς ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα —— *Publicos autem & qui dicebantur pharmaci, quique nece sua lustrabant urbes, aut qui publice à civitate educabantur. Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles & tempore calamitatis cujusdam urbi ingruentis pestis scil. aut id genus mactabant illos ad expiandum scelus, quos etiam Catharmata appellabant.* Consentit Suidas: [h] ὑπὲρ δὲ καθαρμοῦ πόλεως ἄνδρα ἐστολισμένον τινὰ, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. Secundum interpretationem Æmilii Porti: *Pro Civitatis lustratione quendam stola indutum occidebant, quem vocabant catharma.* Demostheni [i] κάθαρμα est, ᾧ μηδεμία μετουσία ἀρετῆς. Ita enim ille: Σὺ δὲ ἀρετῆς, ὦ κάθαρμα, ἢ τοῖς σοῖς μετουσία, ἢ καλῶν ἢ μὴ τοιούτων. *Quæ tibi Virtutis, ô scelus, aut tuis participatio, aut bonorum, nisi talium.* Ita etiam Æschines, [k] ἃ δὲ σὺ λέξεις, εἴποι ἂν κάθαρμα ζηλοτυποῦν ἀρετήν. Quid autem tu dices? an homo scelestus æmulabitur virtutem? Quod ad piaculares pulchre quadrat. Siquidem, ut infra audiemus, duum generum sunt, sontes & insontes; quorum illi sunt, qui maximis & nefandis sceleribus iram Deorum accivisse credebantur. Herodotus [l] καθαρμὸν masculino genere dixit, appellans hominem piacularem καθαρμὸν τῆς χώρης. Sic etiam Eustathius p. 1935. 16. Ed. Venetæ urbium expiatores eodem nomine vocatos fuisse tradit. Est autem κάθαρμα pro καθαρτήριος figurate, ut Comici scelus pro scelesto & pernicioso. Idem nomen impositum quoque fuit porcellis, quos & καθάρσια vocabant, quibus cœtus & conciones Athenis lustrare solebant. Vid. Aristoph. [m] & Hesych. Observat tamen Ammonius [n] discrimen aliquod inter καθάρσια & καθάρματα. Illa

[u] *In Advers.* [x] *Lib. 6. cap. 2.* [y] *in Antiquit. Bibl.*

[z] *In Lex. p. 542.* [a] *loc. cit.* [b] *in Vol. Disp. super Epistolas ad Corinth.* [c] *in Clav.* [d] *in Philolog. S. lib. 5. T. 1. cap. 10. pag. 279.* [e] *in Schol. ad Bibl. Vulg.* [f] *in Plut. pag. 48.* [g] *p. 253.* [h] *in Lexic.* [i] *In Orat. pro Coron. c. Med.* [k] *in Ctesiph.* [l] *In Polymn.* [m] *in Acharn. p. 373.* [n] *de simil. & diversf. vocibus.*

illa dicit esse τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἄλλα, οἷς καθαίρονται. Hæc vero, τὰ μετὰ τὸ καθαρθῆναι ἀπορριπτόμενα *quæ post lustrationem sunt projecta*. Nota: significatum hunc specificum tribuit etiam ipsi primitivo scil. verbo καθαίρειν & καθαίρεσθαι Eustathius. Sic enim expresse, p. 105. 39. Καθαίρεσθαι ἐστὶν ἀπολυμαίνεσθαι καὶ ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς αὕτη κυριωτάτη λέξις ἐν ταῖς ἐπὶ θυσίᾳ καθάρσεσι. Καθαίρεσθαι *est lustrari. Et erat antiquis hæc vox præcipua in purgationibus per sacrificium factis*. Et alibi: Καθαίρειν ἐστὶ θεία λέξις παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Καθαίρειν *est vox aliquid divini significans apud Veteres*. pag. 1057. 23. Hæc de catharmatis.

§. XII. Idem sunt peripsemata hoc sensu accepta. Unde similiter Suidas vocem hanc interpretatus est ἀπολύτρωσιν *redemptionem*. De qua in Lexico ita: Περίψημα κάταγμα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη ἀπολύτρωσις. οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν. Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Interpr. Περίψημα, κάταγμα *purgamentum, quicquid spongia purgatum excipitur. Ipsa sub vestigiis existens i. iam præsens redemptio. Sic acclamabant illi de malis ac sceleratis hominibus (uni) qui quot annis comprehensus detinebatur & Reipubl. malorum lustralis hostia destinabatur*. Addit idem, ita vocari solere hominem jugibus obnoxium malis. Eodem quoque digitum intendit Hesychius, l. c. quando περίψημα dicit ἀντίλυτρον pretium, quo redimitur vita cujuspiam & ἀντίψυχον, ubi pro multis animabus certi homines vel jumenta solebant in victimam dari.

§. XIII. Sequitur ut easdem consideremus *conjunctim*. Ubi nemo non videt, quanta etiam sic inter utramque vocem specifice sumptam intercedat conjunctio. *Peripsemata enim olim vocabant, quos & catharmata & contra, tales videlicet homines, quibus deletis felicitas rebus humanis restituta videtur*, ita Lucas Osiander. (o) Et Melanchthon: (p) κάθαρμα & περίψημα *significant idem, quod piaculum Latinis*. Levis est differentia, quam observant Autores, quæ est ratione loci, in quo piaculares istiusmodi homines neci dabantur. Qui enim super terram interfecti fuere, καθάρματα dictos fuisse; qui vero in mare præcipitati περιψήματα volunt. Mens itaque Apostoli hoc sensu acceptis vocibus illis hæc est: Nos æque detestabiles & infensi sumus mundo, atque hi morti addicti homines, qui immolabantur per modum publicæ Expiationis. Vel ut Flacius: (q) *In summa, quid opus est multis? tam tristis & misera est nostra sors, tam etiam omnibus odio sumus ac execrationi, ut omnes sentiant nos esse veluti communes quasdam pestes: qui si diris exemplis tolleremur, orbis terrarum esset melius habiturus*.

§. XIV. Neque etiam hoc loco prætereunda est pulcherrima illa Convenientia, quæ utrobique occurrit. Siquidem significatio Etymologica fundamenti loco stat & cum specifica utriusque vocis suavissime conspirat. *Illa* extremum contemptum notat, qualis est rerum vilissimarum, quas περικαθάρματα & περιψήματα esse supra audivimus; *Hæc* viles & abjectos homines ad id adhibitos fuisse tradit, sicut infra dicemus. *Illa* notat res, quæ nauseam movent & horrorem aspectantibus, purgamenta scilic. & excrementa. *Hæc* piaculares istiusmodi, qui omnibus fuere abominabiles. *Illa*, quæ loca contaminant & inficiunt; *Hæc* eadem piaculares facere docet, qui sint contaminatissimi & integras urbes & gentes polluant. *Illa* insuper sordes expurgandas & scopis everrendas dicit; Hæc tale notat hominum genus, quibus sublatis Gentiles terram purgasse credebant. Hinc etiam sunt, qui utramque hoc loco conjungendam esse censent; Inter quos ex nostris B. Selnecc. Ex Reformatis Marloratus, Ravanellus & alii ad h. l.

§. XV. Cum vero juxta regulam generalem Hermeneuticam unius vocis in una propositione unicus tantum per se & primo intentus sensus sit, recte hic quæstio movetur, quem vocibus hisce Apostolus intenderit, num Etymologicum, num vero specificum? Et respondemus, specificum.

§. XVI. Ut clarius evadat quæ sit sententia nostra, dicimus; Paulum duabus hisce vocibus respexisse ad certum lustrationis sive expiationis ritum inter Gentiles cumprimis Græcos observatum, qui certos homines ad expiandas urbes & regiones devovebant, eosque omnium peccatis & pœnis oneratos Diis Manibus sacrabant, ut illorum capite omnia Civitatis aut gentis scelera luerentur, & ira Deorum averteretur. Hi sunt, quos Apostolus per περικαθάρματα, quos per περιψήματα intelligit.

§. XVII. Probamus sententiam nostram partim *Rationibus*, partim *auctoritate*. Illarum desumitur.

(o) *In Id est.* (p) *in Not. ad l. c.* (q) *in Clav.*

§. XVIII. (I.) *Ex Pauli intentione*. Paulus non modo contemptissimos, sed etiam pessimos ac sceleratissimos quosque mortalium describit, eosque homines hoc loco designat, qui omnium malorum causa essent, & propter quos scil. DEUS varias calamitates, bella, incendia, sterilitates, seditiones, ruinam imperii, clades, pestes, fames & omnis generis mala immittat. Tales autem habebantur, qui catharmata & peripsemata dicti fuere. Sic enim mundus immundus judicabat de Apostolis, & sic etiam ex opinione mundi in isto loco Paulus loquitur. (II). *Ex Pauli consuetudine*. Nemini enim ignotum esse potest, qui vel minimam styli Paulini cognitionem habet, hanc sanctissimi illius Scriptoris esse consuetudinem, ut dogmata sua adducendo Gentilium ritus haud raro illustret, ingenio scil. eorum se accommodaturus, quibus cum conversabatur. Sic utitur vocabulis agonisticis & gymnasticis, qualia sunt πυκτεύειν 1 Cor. 9: 26. à pugilibus; πάλη Eph. 6: 12. à luctatoribus accersita. Multa verba etiam transfert à ludis & spectaculis Gentilium, ut sunt στάδιον l. c. ad Corinth. 5: 24. ἄθλησις παθημάτων Ebr. 10: 32. ἀγὼν & ἀγωνίζομαι, quod passim. Sic etiam à coronis & præmiis vincentium in Certaminibus Olympicis, Isthmiis & aliis ludis Corinthi celebratis. Huc referantur βραβεύειν Coloss. 3: 15. βραβεῖον & στέφανος 1 Cor. 9: 24, 25. στεφανοῦσθαι 2 Tim. 2: 5. & à triumphis etiam Victorum θριαμβεύειν 2 Cor. 2: 14. & alia. Imo etiam à ludicris sæpe & horrendis rebus loquendi formulas mutuatur, ut vox κυβείας Eph. 4: 14. ab aleatoribus; & θηριομαχίας 1 Corinth. 15: 32. à gladiatoribus cum bestiis congredientibus. Vide B. Dilherrum, (r) Petrum Fabrum; (s) Holsworthum (t) & D. Hammondum. (u)

§. XIX. Deinde probamus etiam authoritate Virorum antiquitate & Eruditione celebrium. Nam respicit hanc interpretationem Syrus in antiquissima sua Versione, ex mente D. Gutbierii, qui Græcum περίψημα reddidit ܦܣܦܣܬܐ; quam vocem supra Interpres ad latus positus in Bibliis Polyglottis Etymologice exposuit *purgamentum*; Laudatus v. D. Gutbierius in Lexico suo N. T. Syriaco adjecto *piaculum* vertere maluit. Clarius adhuc Æthiopica, quæ per *redemptionem* explicat. Hæc cum illis, quæ §. 12. dicta sunt, apprime conveniunt. Facit etiam huc Interpretatio Ambrosii, (x) qui Græcum utrumque per *lustramentum* exposuit. Sunt autem lustramenta purgationes non simpliciter, sed factæ per sacrificia. Germ. Fegopffer. Quare eam ob causam Estius quoque explicationem hanc Ambrosii reprehendit, siquidem neutrius Græci vocabuli significatum exprimat. Quod tamen de significatu specifico horum verborum falsum, ut hactenus demonstravimus. Neque obstat, quod idem Ambrosius lustramenta mox interpretetur purgamenta. Sunt enim ἀνάστροφα, non ἀντιστρέφοντα. Ex Philologis, qui sententiam nostram tuentur, instar omnium est Guilielmus Budæus, Vir testimonio Bezæ doctissimus. De quo etiam Ludov. Vives: (y) *Quo Viro Gallia, acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentia, majore Eruditione, nullum unquam produxit. Nihil est usquam vel Græcorum vel Latinorum Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excusserit. Græca & Latina juxta & summe callet. Tam facile utraque lingua loquitur, quam Gallica, quæ est ei vernacula; haud scio, an etiam facilius*. Et Buchananus tali eum Elogio mactat:

Gallia quod Græca est, quod Græcia Barbara non est,
Utraque Budæo debet utrumque suo.

Hic, (z) posteaquam utriusque vocabuli sensum Etymolog. enarraverat, ita pergit: Quæ significationes in eo loco Apostoli non conveniunt: altior est enim quidam sensus verborum, nisi me fallit opinio: Ad cujus intelligentiam id jam dictis addemus, quod antiqui urbium expiationem anniversariam facientes, cum sacros illos homines aluerant, in victimarum morem redimitos ex loco præcipiti in mare dejiciebant Neptuno immolantes: interque dejiciendum solennia verba effari solebant: περίψημα ἡμῶν γενοῦ: sis pro nobis peripsema. Ac si dixissent: Sis pro nobis piaculum, esto luitio nostra & servatrix urbis victima. Allegat etiam Suidam, ex quo hæc jam supra adduximus pergitque; Sententia igitur Pauli est hæc: Nos tanquam piacula mundi facti sumus & succidaneæ pro populo victimæ, ac si diceret: Non minus apud gentium vulgus de-

(r) *Tom. 1. Disp. Acad. pag. 254.* (s) *in Agnosticis.* (t) *in Præl. Theol. Lect. 6.* (u) *in Annot. ad N. T.* (x) *In Serm. 8. ad psal. 118. Beati immaculati. juxta nos 119.* (y) *in Augustin. de Civ. Dei. Lib. 2. cap. 17.* (z) *in Annot. ad Pand. de Pœn.*

detestabiles sumus, quam illi, qui diris execrationibus obruti pro salute publica abjici solent. *Hæc Budæus.* Idem quoque mavult utrumque Græcum ἀνερμήνευτον retinere, quod inculpatius ipsi videtur, eo scil. quod Vulgatus fecit, qui postremam saltem vocem Græco idiomate scriptam reliquit. Ratio sine dubio eadem erit, quam supra circa περίψημα Cl. Heinsius annotavit. Præterea sententia etiam hæc eam ob causam nobis vel maxime arridet, quia inter nostros Dd. & Interpretes non paucos eosque non incelebris famæ Viros Phil. Melanchthonem, Lucam Osiandrum, Hemmingum ll. cc. aliosque, & qui nuper magno orthodoxæ Ecclesiæ luctu fatis concessit, magni nominis Theologum B. D. Calovium in Bibl. Illustr. ad h. l. habet consentientes. Imo quod maximum est, cum Versione Megalandri nostri B. Lutheri imprimis congruit. quæ sicuti omnium Germ. merito dicitur perfectissima, ita etiam eandem libenter tenemus, nec facile ab illa sine prægnanti ratione nos dimovere patimur. Ita autem Lutherus: **Wir sind stets als ein Fluch der Welt und ein Fegopfer aller Leute.** Confer marginalia, ubi egregia de hoc ritu.

§. XX. Objiciunt vero contra hanc sententiam nonnulla Beza imprimis & Erasmus, quos Etymolog. sensum horum verborum sequi supra audivimus. *Ille* I. Non esse verisimile, communem illam consuetudinem fuisse passim Græcis notam. II. Paulum ad eam non respexisse tanquam ad impiam & nefariam consuetudinem, quod etiam opponit Bened. Justin. & qui sequentia Erasmus. Hic enim III. Nullum Veterum Interpretum hunc sensum attigisse. IV. Videri ipsum hoc pacto plus sibi arrogasse quam Apostolicam modestiam deceat, adde quod etiam Christianæ veritati sit consentaneum, dum se pretium redemptionis & expiationem mundi vocet. V. Neque hunc ritum fuisse perpetuum apud eos, quibus scripserit Apostolus. VI. Paulum se non vocare κάθαρμα, quo nomine tantum Græcis Scriptoribus homines piaculares veniebant, sed in Comp. περικάθαρμα, quod semper sordes & purgamenta, per metaphoram vero res viles & projectas significet.

§. XXI. Respondemus ad singula. Ad I. Notissimam omnino fuisse. Ecquid enim fieri potuisset, ut ritus ejusmodi publicus & non sine solennitate aliqua peractus non innotuisset, urbi præsertim totius Græciæ celeberrimæ, qualis tum Corinthus erat. Ad II. supra in probatione §. XIIX. audivimus, Paulum etiam quandoque à rebus impiis & horrendis similitudines desumere. Tertium modo hic attendendum, quod est gravitatem & fœditatem rei indicare, & miserabilem Apostolorum & Ministrorum DEI statum luculentius declarare. Vide ibi dicta. Quibus adde etiam vocabulum θέατρον paulo ante voces nostras positum. Ubi dicit Apostolus, se & Collegas suos theatrum factos esse mundo, Angelis & hominibus. Quo ipso haud dubie alludit ad crudelem & immanem illum Gentilium morem, qui homines quosdam morti addictos, sæpe etiam innocentes, quales fuere Christiani, Leonibus objecerunt. Ad III. probavimus contrarium §. XIX. ex Syriaca & Æthiopica versione nec non ex interpretatione Ambrosii. Unde semel dicta jam non repetimus, sed B. L. eò remissum volumus. Ad IV. Aliud est *esse*, aliud *videri*. Non dicit Apostolus se & sui similes hostias esse, quibus mundi peccata expientur. Hæc enim gloria soli Servatori nostro debetur, quam ipsi in Scriptis suis toties quoties vindicat, sed solum pro ejusmodi se haberi. Unde non absolute loquitur περικαθάρματα ἐγενήθημεν, sed cum addita similitudinis nota ὡς περικαθάρματα tanquam piacula. Ad V. Si modo inter Gentiles Græcos scil. aliquando obtinuerit; licet perpetuus fuerit nec ne, nihil ad rem. Jam potuit esse Auditoribus cognitum, quid sibi verba Doctoris sui velint. Ad VI. Apostolo sunt Synonyma. Neque enim hic præpositio περὶ sensum mutat, sed rei fœditatem auget & pondus addit verbis. Imo Apostolus, quod vult Marloratus & P. Martyr, hoc ipso ritum hunc piacularem addendo præp. περὶ clarius exprimit, quod scil. miseri illi homines diris devoti, per vicos & plateas circumducebantur, ut quicquid esset in angulis omnibus mali, secum auferrent, quo plenior foret lustratio. De quo in sequentibus.

§. XXII. Nam ut clarius adhuc elucescat mens & sententia Apostoli, merito nunc etiam subjungimus historiam, in qua ritum istum, ac quæ circa illum sunt observanda, plenius planiusque exponemus. Sequitur ergo jam

SECTIO II. HISTORICA.

§. XXIII. Sciendum autem hic est, varia lustrationis genera apud Gentiles quondam obtinuisse. Nam quoniam vel personis vel rebus quocunque modo pollutis & contaminatis credebant Deos sibi adversos esse, idcirco personarum rerumve lustratione sive purgatione eosdem rursus placare atque propitios sibi reddere studebant. Factum autem hoc est variis modis. Vel enim per ignem, vel per aquam, vel per plantas, sæpe etiam animalia, neque illa tantum rationis expertia, sed etiam capacia, ut sunt homines, lustrationes suas peragere solebant. De quibus vide (a) Stuckium, Saubertum, (b) Vossium (c) & imprimis Johan. Lomeierum, qui ex professo de hac materia scripsit in Tract. quem *de Lustrationibus Veterum Gentilium* inscripsit.

§. XXIV. Nos potissimum agemus de Lustrationibus per homines, quos vocant piaculares, peractis, ita quidem, ut ordine recenseamus illorum *Nomina*, *personas*, *ceremonias speciales circa illos adhibitas*, *pœnarum & mortis genera*, *Originem & finem hujus ritus.*

§. XXV. Nomina piacularium sunt vel *Græca* vel *Latina.* Græca magno numero hinc inde apud Autores inveniuntur. Nam præter illa, quibus in titulo Disputationis nostræ insigniuntur, adhuc plura sunt. Dicuntur enim φαρμακοὶ *pharmaci*; cujus appellationis duplicem rationem affert Leonicus. (d) Vel enim ita dictos ait, quia illorum morte salutaris urbi medela repræsentari existimabatur, vel ab alio quodam hujus nominis, qui temporibus Trojanis ex Apollinis sacratio aurea vasa furatus erat; quam rationem adducit Etymologicum magnum. Et Eustath. (e) de hoc ipso nomine: Καὶ μάλιστα οἱ τὰς πόλεις καθαίροντες φαρμακοὶ ἀττικῶς ἐλέγοντο. *Ac maxime illi, qui Civitates purgabant, Athenensium more Pharmaci dicebantur.* Idem allegat etiam Demosthenem. Herodotus (f) ἐντόματα vocavit, quæ *insectiones* interpres dixit. Præcipuas appellationes, quibus apud Græcos piaculum & homo piacularis exprimitur, sequentes versiculi continent:

Ἄγος, ἐναγής, κῆλις, κάθαρμα, φάρμακος,
Μίασμα, προστρόπαιος, ἔνοχος, ἄθεος,
Ἀραῖος, ἐξάγιστος, ἀνόσιος, ἀρά τε
Κάθαρμα, ἀποτρόπαιος, ἀνάθεμα, ἔξαγος
Ἐπάρατος, κατάρατος, τ' ἀλιτήριος,
Καθάρσιον, παλιμναῖος, ἀπερριμμένος
Βδέλυγμα καὶ περίψημα, ἀλάστωρ, ὄλος
Μιαρός, πρώλης καὶ πανώλης, ὄλεθρος,
Ἄνθρωπος ἀποφράς, ἐχθρότατος, θεῶ βροτοῖς,
Ἀνέστιος, τ' ἀθέμιστος, ἀφρήτωρ, βροτός.

Latinis dicuntur *homines sacri* i. e. execrandi & detestandi. Quale illud Virg. *Auri sacra fames.* De qua appellatione conf. Budæum, (g) Servium, (h) Cæl. Rhodiginum (i) Macrob. Festum (k) & Catullum cum Comment. Mureti; *piacula* substantive & *piaculares.* Hinc Plautus (l) Epidic.

Men' piacularem oportet fieri propter stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Et Plinius in panegyr. *piaculares publicæ sollicitudinis victimas dixit*; *Devoti* scil. pro salute communi & diris onerati. Habet enim hæc vox utramque significationem apud Autores; *Vicarii*, non tantum, quia in aliorum commodum & salutem, sed quod hic maxime considerandum, quia in aliorum vicem exitio destinabantur, *Sacrani* porro & *Vernæ*, quod verbum olim pro execrabili & maledicto, ut ait Nonnus (m) habebatur.

§. XXVI. Hæc Nomina fuere. Si personas respicimus, piaculares isti considerari possunt (1.) *ratione gentis* & sunt vel ignobiles, pauperes & abjecti, vel etiam quandoque conditionis honoratioris. Ita Aristophanes (n) queritur, peregrinos, servos, pessimumque hominum genus Rempubl. gerere; eos denique, οἷσιν ἡ πόλις πρὸ τοῦ οὐδὲ φαρμακοῖσιν εἰκῆ ῥᾳδίως ἐχρήσατ' ἄν. Interp. *quibus Civitas ne quidem usa fuisset pro unguentariis.* Verum Scholiastes: φαρμακοῖσιν ἢ τοῖς λεγομένοις καθάρμασιν, hoc est, *quibus Civitas non facile usa fuisset piacularibus.* Idem videre est apud Papin. Statium, (o) ubi mater Menæcei:

Lustralemque feris? ego te, puer improbe, Thebis
Devotumque caput vilis ceu mater alebam.

Ad

(a) *de Sacrif. p. 79. 148. 149.* (b) *de Sacrif. c. 11. p. 148. seqq.* (c) *Lib. 2. Idolol.* (d) *Var. Histor. Lib. 3. cap. 33.* (e) *Odyss. 10. p. 1935. 16.* (f) *Hist. Lib. 7.* (g) *in Annot. ad Pand.* (h) *ad lib. 1. & 3. Æneid.* (i) *Lib. L. A. Lib. 12. cap. 12.* (k) *voce Sacer.* (l) *Act. 1. Sc. 2. c. 1.* (m) *sub nom. Vernas. cap. 1.* (n) *Ran. Act. 2. Scen. 6.* (o) *Thebaid. 10.*

Ad quem locum Scholiastes: Lustrare Civitatem Gallicus mos est. Nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet. Sic etiam Plinius: (p) *Verebamur ne potentissimi vilissimo quoque, quasi piaculari dato, alienis pœnis elaberentur.* Namque Athenienses, apud quos iste ritus imprimis vigebat, lustraturi Civitatem disquirebant hominem in ea turpissimum, sicuti testatur Leonicus. (q) Idem quoque Massilienses fecerunt, ut est in Petronii fragm. Hinc factum, teste Eustathio, (r) ut καθάρματα dicerentur οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι viles & abjecti homines. De iis, qui loco & conditione nobiliore fuerunt, dicemus postea.

§. XXVII. Considerari etiam possunt (2) ratione *mentis.* Hoc modo sunt vel *nocentes & facinorosi*, vel *innocentes scelerumque puri.* Illi sunt, non qui quovis peccato se contaminarunt, sed qui enormi aliquo facinore Deum ita læserunt, ut toti alicui regioni seu nationi & integro sæpe hominum cœtui ejus iram atque indignationem acciverint, adeo ut prius placari non potuerit, quam καθάρματα seu piacula ejusmodi è medio tollerentur. Cum ergo talem hominem è vita sustulissent, certa spes fuit, jam maledictum sublatum & terram expiatam ac purgatam esse. Hic locum habet illud Hesiodi: (s)

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

Sæpe universa Civitas malum ob virum punitur,
Qui peccat, & iniqua machinatur.

Hujus generis peccata Gentilibus erant sacrilegium, incestus, parricidium &c. Talia piacula fuerunt Oedipus, qui occiso patre matrem duxit uxorem; Adrastus & alii, qui tanquam ἀλάστορες apud gentes habiti fuerunt. Et in Historia sacra Achan sacrilegus, quo sublato Deus populo suo reconciliatus fuit Jos. 7: 16. septem filii Saulis, quibus in crucem actis terra expiata est 2 Sam. 21: 3. Jonas Propheta, quo tanquam peripsemate in mare projecto tempestas sedata erat. Jon. 1: 2. Quales etiam Christiani in primitiva Ecclesia ab Ethnicis habebantur omnes, quibus nefanda quæque scelera affingebant. Huc enim illud Gentilium solenne: *Tolle magos, tolle impios, tolle sacrilegos.* Et illud: *Christianus ad Leonem.* Si enim Tiberis ascendebat in mœnia, si Nilus non ascendebat in arva, si cœlum steterat, si terra moverat, si fames, si lues, statim Christianus ad Leonem acclamabatur. De quibus vide Eusebium, (t) Tertullianum, (u) Justinum Martyrem & reliquos Scriptores Apologeticos citatos in Disp. non ita pridem à Dn. M. Gleitsmanno sub præsidio Dn. L. Rechenbergii de Apologiis Veterum habita. Quod sane revera erat περικάθαρμα fieri pro aliorum flagitiis. *Innocentes* sunt, qui honestam cæteroquin vitam agentes crescentibus tamen calamitatibus publicis piaculi loco occidebantur. Nota. Tales potissimum in lustrationibus suis adhibebant, non ignorantes videlicet, Diis victimas ejusmodi gratiores esse. Atque hi duplicis iterum generis sunt: *Vel enim sponte ad expiationem se offerebant, vel ab aliis ad hanc destinabantur.*

§. XXIIX. Eorum, qui sponte se piaculi loco obtulerunt, tum in Græca tum in Romana historia clarissima prostant Exempla. Sic inter Græcos est Codrus (x) Rex Atheniensium, cujus factum memorabile merito aliquanto plenius enarrare licebit. Cum enim Dorienses, alii Lacedæmonii volunt, cum Atheniensibus de finibus agrorum bella gererent, permerenturque Athenienses, ut hostibus resistere non possent, viribus suis diffisi ad divinam opem confugerunt. Legatis itaque ad consulendum Apollinem Delphicum missis, responsum tulere: Non aliter bellum finiri & patriam obsidione liberari posse, quam si Codrus occideretur ab hostibus. Quod oraculum ad hostes quoque pervenit. Itaque à Doriensibus edictum est, ne quis Codrum Regem vulneraret. Ille verò, ut fato suo patriæ succurreret sumto militari sagulo & lignorum fasce cum falce, tanquam lignatum profectus, castra hostium petiit, & quem primum obvium habuit, graviter increpuit. Orta deinde contentione multis illum conviciis onerans, in sui cædem provocavit. Nam iratus miles, illum ignarus quisnam esset, occidit. Cratinus etiam Atheniensis, (y) qui pro patria ultro se devovit interficiendumque obtulit, & Aristodemus ejus amator, quorum interitu terra expiata est. Pro Thebarum salute sponte se devovit Menæceus, de quo Statius, (z) ubi loquentem sic inducit:

Armorum superi, tuque ô, qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi & toto quæ sanguine prodigus emi.

Et paulo post:

Sic ait, insignemque animam mucrone corusco,
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri,
Arripit, inque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres & mœnia lustrat.

Idem apud Euripidem. (a)

Ἀλλ' εἶμι καὶ στὰς ἐξ ἐπάλξεων ἄκρων
Σφάξας ἐμαυτὸν σηκὸν ἐς μελαμβαθῆ
Δράκοντος, ἔνθ' ὁ μάντις ἐξηγήσατο:
Ἐλευθερώσω γαῖαν. εἴρηται λόγος.

Sed abeo, & stans extra mœnia
Interficiens me ad atrum specum
Draconis, ubi Vates dixit:
Liberabo terram. Dixi sententiam.

Idem fecit Agraulus: Cum enim Atheniensibus diuturno bello pressis oraculum redditum fuisset, fore ut belli mala tandem desinerent, si quis seipsum pro urbe interfecisset; Agraulus hoc audito, sua sponte è muro in præceps corpus vitamque abjecit & statim belli stetit rabies. Recenset hanc historiam Scholiast. Demosthenis. (b) Neque defuerunt in sequiore sexu, quæ pro patriæ salute semetipsas piaculares fecerunt. Celebratur imprimis Macaria Herculis filia, quæ pro incolumitate suorum se devoverat, cujus etiam meminit Plutarchus. (c) Imitatæ hanc sunt plures aliæ, quarum mentionem facit Tullius, (d) D. Franzius (e) & Tiraquellus JC. (f) Inter Romanos quid gestum sit, quid Decius uterque Pater & Filius, quid Curtius egerit, quis est qui ignorat? De Patre sic Livius (g) - - - „Sicut verbis nuncupavi, ita pro populo Romano Quiritium „exercitu, legionibus, auxiliis, populi Rom. Quiritium, le-„giones auxiliaque hostium mecum Diis Manibus Tellurique „devoveo. Deinde incinctus cinctu Gabino, armatus in e-„quum insiliit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus „ab utraque acie aliquanto augustior humano visu, sicut cœ-„lo missus, *piaculum* omnis Deorum iræ, qui pestem à suis „aversam in hostes ferret. Idem, (h) de filio, qui in bello Gallico paria fecit. Præsertim vero notabile est factum Curtii Equitis Romani, & dignum, quod hoc loco à nobis commemoretur, cum inter Exempla hic adducta sit clarissimum adeoque primas facile teneat. De illo autem idem lacteus Autor (i) tradit sequentia: „Eodem anno, seu motu terræ seu qua vi alia, „forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam „altitudinem dicitur: neque eam voraginem conjectu terræ, „quam pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam „Deorum monitu quæri cœptum, quo plurimum populus „Rom. posset. Id enim illi loco dicandum Vates canebant, si „Rempublicam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium Ju-„venem bello egregium castigasse ferunt dubitantes, an ullum „magis Romanum bonum, quàm arma virtusque essent. Si-„lentio facto templa Deorum immortalium, quæ foro immi-„nent, Capitoliumque intuentem & manus nunc in cœlum, „nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentem se „devovisse. Equo deinde quam poterat maximè exornato in-„sidentem, armatum se in specum immisisse. Hi pro salute populi ipsi piaculo esse volebant. Sic etiam pro salute Principis fuere, qui semetipsos devoverunt, quales illi, qui pro salute Caligulæ hoc faciebant, quos etiam serio perire ipse voluit. *Suet.* in vita *Calig.* (k)

§. XXIX. Ab aliis ad piaculum destinati vel ab Oraculo ipso exposcebantur, vel à populo inconsulto etiam Oraculo statuebantur. Illorum jam aliqua in præcedentibus in medium adduximus; quibus illustre illud adhuc adjici potest, quod in Sinone suo eleganter repræsentavit Maro: (l)

Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

Et paulo post, ubi Sinon recitat sententiam Oraculi per Calchantem Sacerdotem prolatam:

 Vix

(p) *Lib. 3. Epist. 9.* (q) *l. c. cap. 106.* (r) *p. 1935. 16. Edit. Ven.* (s) *O. D. A. 238. 239.* (t) *H. E. Lib. 4. c. 8. & lib. 5. c. 6.* (u) *in Apol. c. 27. 36. 45.* (x) *Val. Max. lib. 5. cap. 6.* (y) *Athen. dipnos. lib. 13.* (z) *l. 6.*

(a) *in Phœnissis.* (b) *in Orat. de fals. Legat. ex Philochoro.* (c) *Pelop. p. m. 462.* (d) *pro P. Sextio p. m. 657. & l. 3. de N. D.* (e) *de Sacrif. Disp. 9. th. 52.* (f) *Oper. T. 1. de J. Primig. Quæst. 17. Opin. 1.* (g) *lib. 8. c. 9.* (h) *lib. 10. 28. Val. Max. lib. 5. c. 6. n. 5. 6.* (i) *Lib. 7. cap. 6. Val. Max. l. c. & Joh. Zonaras Annal. Tom. 2. p. 63.* (k) *cap. 27.* (l) *Lib. 2. vs. 120. 128. seqq.*

Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem & me destinat aræ.
Assensere omnes: & quæ sibi quisque timebat:
Unius in miseri exitium conversa tulere.

En descriptionem hominis piacularis! Pari tyrannide Apollo hostis generis humani ac vere homicida, qualis semper Diabolus fuit, plura adhuc piacula sibi offerenda curavit. Talia præ cæteris multis fuere Virgines quædam, filia Creontis, Erechtei, Aristodemi & aliorum, de quibus Cœl. Rhodigin. (m) & Pausanias. (n) In consulto vero oraculo plures populi certos homines eligebant, quos piaculares esse voluerunt. Sic Temessenses quotannis virginem devoverunt formosissimam, ut refert Pausan. (o) Ælianus (p) Eundem Massiliensium fuisse morem, supra diximus. Ut plura taceamus.

§. XXX. Hoc quod personas piacularium monuisse sufficiat. Nunc ceremonias & ritus speciales adducemus, qui circa piaculares istiusmodi observati fuerunt. Atque hic Græci & Athenienses præ cæteris imprimis fuere studiosi, imo, quod verius, superstitiosi.

§. XXXI. Est inter illas piaculi separatio & sustentatio. Nam Athenienses, ut refert Leonicus (q) duos quotannis homines expiandorum lustrandorumque civium gratia jugulabant, unum duntaxat pro maribus, pro fœminis alterum, quos custodia publica asservatos præclareque enutritos Thargeliis suis, quæ certa erant sacra Apollini & Dianæ celebrata, cum solenni pomparum religione deducebant & Pharmacos appellabant. Execratio & malorum omnium imprecatio. Inter diras autem id piaculis hisce precabantur, ut si quid mali populi cervicibus impenderet, illud omne in eorum capita verteretur. Inde ἀνάθεμα homo devotus & piacularis idem Hesychio, qui ἐπάρατος execrabilis dicitur. Certam moris hujus notitiam ab ævo prisco derivatam debemus Herodoto, (r) qui de Ægyptiis loquens, à quibus postea Græci acceperunt, καταρέονται inquit, τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴτε μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συμπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. *Execrantur victimarum capita in hæc verba: Si quid mali vel ipsis immolantibus, aut Ægypto toti futurum sit, id in hoc caput convertatur.* Idem testatur Plutarchus: (s) διὸ τῇ μὲν κεφαλῇ τοῦ ἱερείου καταρασάμενοι, καὶ ἀποκόψαντες, εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι. *Itaque in caput victimæ exsecrati amputatum in flumen abjiciebant antiquitus.* Diras, quibus se devoverunt Decii vide ll. cc. Talis imprecandi formula Græcis usitata est illa, quam supra ex Suida adduximus, ubi ad piaculum tale dici solebat: περίψημα ἡμῶν γενοῦ *Esto nostrum peripsema, nostra expiatio & redemptio.* Cum qua convenit lepida illa Judæorum imprecandi formula, (t) quando de Gallo gallinaceo, quem in festo כִּפּוּרִים Expiationis diris devotum mactant, dicere solent: זה חליפתי /זה תחתי /זה כפרתי *hic Gallus sit permutatio pro me, hic in locum meum succedat, hic sit expiatio pro me.* Sunt & alia. Fuerunt enim istiusmodi homines verbenis vestibusque sacris induti, ἐστολισμένοι ut Suidas, & more victimarum redimiti per urbem circumducebantur, similes reliquis victimis, quæ ante immolationem vittis, infulis atque coronis ornabantur. De quo ritu conf. Carolum Paschalium (u) Bernartium (x) Saubertum (y) & Interpp. (x) Iidem etiam deducebantur ad tibiæ cantum, cujus modulus κραδίης νόμος dicebatur. Hesychius: νόμον τινὰ ἐπαυλοῦσι τοῖς ἐκπεμπομένοις φαρμακοῖς. *Melos cantant pharmacis, qui expelluntur.* Pertinet etiam huc illud, quod Helladius (a) meminit: ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις φαρμακοὺς ἄγειν δύο, τὸν μὲν ὑπὲρ ἀνδρῶν, τὸν δὲ ὑπὲρ γυναικῶν, πρὸς τὸν καθαρμόν. καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν, μελαίνας ἰσχάδας περὶ τὸν τράχηλον εἶχε, λευκὰς δ' ἅτερος. *Moris erat Athenis Pharmacos agere duos, unum pro viris alterum pro fœminis, ad lustrationem. Et ille quidem, qui pro viris, nigras in collo gestabat caricas; qui pro fœminis, albas.* Joh. Tzetzes (b) addit adhuc alias ceremonias, & universum ritum lustrationis solennis Athenarum sequentibus versibus comprehendit:

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι,
Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνία
Εἴτ' οὖν λιμὸς εἴτε λοιμὸς εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο
Τῶν πάντων ἀμορφότερον ἦγον, ὡς πρὸς θυσίαν;
Εἰς καθαρμὸν καὶ φάρμακον πόλεως τῆς νοσούσης,
Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον στήσαντες τὴν θυσίαν.
Τυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μάζαν καὶ ἰσχάδας.
Ἑπτάκις καὶ ῥαπίσαντες, ἐκεῖνον εἰς τὸ πέος
Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίαις τε καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων.
Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
Καὶ τὴν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς ἀνέμους
Ἐς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην τῆς νοσούσης.

Quæ verba apud Leonicum sæpe citatum Latine ita. Moris fuit antiquissimi, cum Civitas aliqua fame aut pestilentia aut aliqua enormi calamitate laboraret, disquirere hominem in ea turpissimum, quem Catharma & Pharmacum appellabant, eumque ad locum sacrificio destinatum deducebant manu tenentem caseum cum placenta & ficus, quem postea septies caprifico & scylla agresti aliisque virgultis sylvestribus, partes pudendas verberatum, scrobe eo loci facta, confectumque cinerem pro urbis illius expurgatione & piaculo in mare projiciebant. Cujus rei & Hipponax (c) & Lycophron (d) meminere, ex quibus hic collegit. Vide etiam Fernandium Cordova (e) & imprimis Meursium. (f)

§. XXXII. Quæ mortis genera sint, quibus piaculares istiusmodi homines sublati fuerunt, ex dictis aliqua ex parte constat. Fuit nempe ut plurimum præcipitatio de rupe vel monte quodam. Facit huc testimonium Luciani. Ille varios sacrificandi ritus Deæ Syriæ (g) Sacerdotibus usurpatos referens, Est, inquit, & alius quidam sacrificandi ritus, talis: Postquam animalia immolationi destinata coronarunt, à templi vestibulis ea demittunt: τὰ δὲ κατενεχθέντα, πίπτοντα θνήσκει, *illa vero præcipitata, ex casu moriuntur.* Ita memorat Strabo, (h) Leucadios in Apollinis sacro quotannis hominem piacularem de montis specula dejecisse & in mare præcipitem egisse. Hinc Prov. apud Euripid. θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά. *mare abluit omnia hominum mala.* Apud Tauros etiam servatum erat, ut iræ Deorum avertendæ gratia hominis caput clava ferirent & truncum corpus ex ingenti rupe in præceps darent. (i) Nonnunquam illos lapidibus obruebant. Ita Ephesiorum urbem peste laborantem ab Apollonio expiatam obruto lapidibus seniculo quodam, autor est Philostratus. (k) Sic etiam Abderæ Thessaliæ civitatis incolas statis diebus devotum hominem lapidibus incessere solitos, testis est Ovid. (l)

Aut te devoveat certis Abdera diebus,
Saxaque devotum grandine plura petant.

Idem fecere Galli, qui piaculares suos extra urbis pomæria eductos saxis occidebant. Scholiastes (m) Neque tamen putandum ritum hunc lustrationis semper morte piacularium esse celebratum. Piaculares enim etiam illi erant, qui aliorum scelera & pœnas luebant flagris & cruciatibus, quales fuere Sacerdotes Cybeles, brachia & lacertos ferro cruentantes. vid. Sauberr. (n) ac Lomeier (o) & exilio; quorsum spectat Rom. Ver. sacrum, quippe quo similiter Deos expiare solebant. Quale quid apud Græcos etiam obtinuisse, testatur Creon apud Sophoclem in Oedipo Tyranno, ubi hæc leguntur verba:

Ἄνωγεν ἡμᾶς Φοῖβος ἐμφανῶς ἄναξ
Μίασμα χώρας, ὡς τεθραμμένον χθονὶ
Ἐν τῇδ', ἐλαύνειν, μηδ' ἀνήκεστον τρέφειν
Οἰ. ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς συμφορᾶς;
Κρ. Ἀνδρηλατοῦντας, ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
Λύοντας, ὡς τόδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.

Phœbus Rex clare mandavit nobis piaculum regionis, ut in hac terra educatum, expellere, neque inexpiabilem nutrire. Oed. Qua expiatione? quæ ratio calamitatis? Cr. Si in exilium ejiciatur, aut cæde rursus luatur, quoniam hic sanguis quasi tempestate aliqua vexat civitatem. Huc pertinent etiam, quæ Thucyd. (p) refert & ex Homero probat de ejusmodi piaculis, quæ exilio suo lustrabant insulam Delum.

§. XXXIII. Origo hujus ritus eadem est, quæ reliquorum cultuum apud Ethnicos frequentatorum, nempe profunda superstitio,

(m) *ap. Cæl. Rhod. A. L. lib. 6. c. 12.* (n) *l. 4. Messen. p. 152.* (o) *lib. 6.* (p) *Var. Hist. lib. 8. c. 18.* (q) *l. c.* (r) *Lib. 2. c. 39.* (s) *de Iside & Osiride.* (t) *ap. Clar. Buxtorf. Synag. c. 25.* (u) *De Canon. lib. 4.* (x) *Not. in lib. 2. Thebaid.* (y) *de Sacrif. c. 18. p. 439.* (z) *ad Act. 14. 13.* (a) *Chrestomach. lib. 3. apud Photium in Bibliotheca.* (b) *Chil. 5. c. 23.*

(c) *in Jambis.* (d) *in Loëride.* (e) *Didasc. c. 18.* (f) *Lib. 4. cap. 22. Lect. Att.* (g) *de Dea Syr. p. 1076.* (h) *Geogr. lib. 10.* (i) *Alex. ab Alex. D. G. lib. 6. cap. 26.* (k) *in vit. Apoll. lib. 4.* (l) *Carm. in Ibim.* (m) *ad supr. cit. loc. Statii.* (n) *de Sacrif. c. 27.* (o) *de Lustr. V. G. c. 22. 206.* (p) *lib. 3. Bell. Pelop.*

perstitio, qua sibi Gentiles à Diabolo fascinati persuadebant substitutione ejusmodi piaculorum Deos iratos expiari & quæcunque mala averruncari posse. In specie tamen elucet hic frequens illa Gentilium κακοζηλία. Quis enim non videt æmulatos esse ipsos victimam piacularem geminam illam, de qua Levit. 16. Constat enim ibi, duos fuisse hircos ex singulari præcepto divino in piaculum ordinatos & sorte constitutos. Alter erat Deo offerendus & mactandus, alter vero in desertum abigendus; qui Ebræis עזאזל Græcis & in specie LXX. τράγος ἀποπομπαῖος s. ἀπερχόμενος, Latinis *hircus emissarius* dicitur. Circa utrumque certæ erant ceremoniæ observandæ & imprimis circa Emissarium illum. Huic enim Sacerdos manus imponebat translatis in eum totius populi peccatis & pœnis promeritis, eoque ipso hircum devovebat, ut in illius caput recideret, quicquid mali ipsis impenderet. Idem postea in desertum abigebatur, ut huc illuc oberrare & quo vellet, abire posset. Hisce adhuc alias successu temporis prisci Ebræorum Magistri adjungebant. Illi enim vittas, corollas vel nænias coccineas è lana factas hirci piacularis capiti alligabant לשון של זהורית *linquam coccini* dixerunt. Abeuntem porro probris & contumeliis omnibus onerabant. Nam eum aliqui stimulis urgebant, alii pilos ei vellicabant, alii frequenti sputo eum insectabantur, alii cum execrationibus eum dimiserunt, ut in illius caput mala gentis omnia verterentur. Id quod etiam Veterum testimonio illustratur Tertulliani (q) imprimis, & Hieronymi. (r) His accedit, quod etiam de prærupto quodam monte eum præcipitare soliti sint. De omnibus hisce vid. Cod. Jom. (s) cum Not. R. Sheringham, Ursini Anal. S. lib. I. cap. 28.29. & imprimis CL. Frischmuthi Profess. in Academia Jenens. celebratissimi Disput. priorem de Hirco Emissario A. 1664. Jenæ habitam, ubi plura in hanc rem ex Rabb. Dd. affert. Omnia ista simia illa Diabolus inter Gentiles maxime Græcos imitatus est. Habuerunt illi piacula sua, quorum morte & interitu expiationem fieri credebant. Habuerunt sua animalia ἀποπομπαῖα, ut ipsi vocarunt ζῶα ἄφετα. Quod testatur Macrobius (t) qui dicit, Veteres quodvis animal Numini alicui devotum ad fines & sedes illius Numinis amandasse. Sic Strabo (u) de Leucadiis supra memoratis narrat, eos piaculares & sacros suos homines ita dimisisse. Applicuerunt illis pennas & aves multas, quibus potuerunt levari, ut saltus illorum, quem præcipitati dabant, in volatum fuerit conversus. Adfuerunt etiam multi qui cadentes exceperunt naviculis, & si potuerunt, conservatos extra fines patrios emiserunt superstites. Quomodo eadem piacula sua ornarint, indignis modis exagitarint, diris devoverint & tandem de rupe vel monte deturbaverint, dictum est §. 31. Invertit hæc omnia J. Spencerus Scriptor Anglus, (x) & in specie etiam de Hirco isto piaculari tradit, accepisse Judæos ritum istum à Gentilibus, id quod etiam magno labore & studio probare satagit. Nituntur tamen omnia, ut ipse sæpius fatetur, conjecturis potius quam certis rationibus. Nos aliis excutienda ista relinquimus. Vide interim, qui de Κακοζηλίᾳ Gentilium scripsere Dan. Clasen in Theol. Gentili, Joh. Fabricium, Dietericum & Gerardum Vossium passim. Quod vero in prava æmulatione sua etiam circa hunc ritum eo processerint crudelitatis Gentiles, ut homines quandoque piacula facere, nonnunquam anathemata eosque diris omnibus ad necem usque prosequi non dubitarent, sine dubio diaboli fraude & malitia factum est erga genus humanum, qui miseris illis hominibus in mentem dedit, bruta pretii vilioris hostias esse nec à Deo magni æstimari, hominem autem utpote dignissimum animalium, piaculum Deo gratissimum esse, eumque munere tam eximio donatum iram depositurum & in gratiam cum offerentibus certo rediturum. Opportunum hic Plutarchi (y) testimonium, qui Gallos & Scythas credidisse refert, Θεοὺς εἶναι χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων αἵματι καὶ ταύτην τελεωτάτην θυσίαν. *Deos mactatorum hominum sanguine delectari & perfectissimum esse hoc sacrificium.*

§. XXXIV. Restat finis, quem piacularibus hisce sacris intendebant. Ille autem ex dictis maximam partem jam eluxit. Habebant enim persuasissimum Deos suos hominum peccatis ad iram provocari, & ex ira illa calamitates qua publicas qua privatas omnes oriri. Hinc peccati, conscientia, tot prodigiis, ominibus, terribilibus Deorum formis vel tristibus ideis iræ divinæ vel mali alicujus impendentis aut præsentis perterrefacti, illico ad καθάρσια sacra lustralia, februa & consuetas ejusmodi ceremonias convolabant, certa spe freti, hoc pacto peccata deleri & quævis mala averti. Neque illa tantum brutorum & aliarum rerum, sed hominum oblatione ac devotione peragebant. Præcipue vero in magnis publicisque calamitatibus ad lustrationes ejusmodi per piacula humana faciendas properabant, quales sunt pestis, bellum, annonæ caritas & similia, ut hactenus historia docuit.

§. XXXV. Tantum de catharmatis ac peripsematis. Plura qui desiderat, legat Autores, qui de ἀνθρωποθυσίᾳ & Victimis humanis in genere scripserunt, & præter Stuckium, Joh. Lomeierum, Gerard. Vossium, supra citatos, evolvat etiam Serarium (z) & quos ille citat, Schedium de Diis Germ. (a) Seldenum de Diis Syris, (b) Lilium Gyraldum, (c) Alexandrum ab Alexandro, (d) Justinum, (e) Majolum, (f) Suetonium, (g) Julium Cæsarem (h) & plures alios. Nostri enim instituti non fuit in tam spatiosum campum evagari, quibus id unice propositum fuit ritum lustralem per piacula humana, quæ catharmata & peripsemata dixerunt, apud Græcos maxime frequentatum, ex verbis Pauli potissimum ostendere, probare & exemplis tum domesticis tum alienis etiam illustrare. Nos vero tanquam Christiani, meliora docti claudimus verbis D. Apostoli Johannis Apoc. 1:5.6.

Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λούσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς, τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ αὐτοῦ. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

(q) *Lib. 3. cont. Marcion. p. 71.* (r) *Tom. 2. Serm. de Resurr. p. m. 91. D.* (s) *c. 4. §. 2. 6. §. 4.* (t) *Saturnal. l. 3. c. 7.* (u) *l. c.* (x) *de Legibus Ebræorum Ritualibus Dissert. 8. cap. 1. 2. & seqq.*

(y) περὶ δεισιδαιμ. (z) *in Judic. c. 11. quæst. 17.* (a) *Syntagm. 2. c. 31. seqq.* (b) *Synt. 1. c. 6. Synt. 2. c. 1.* (c) *Hist. Deor. Syntagm. 17.* (d) *D. G. I. 6. c. 26.* (e) *P. 2. Colloq. 1. p. 41.* (f) *l. 19. c. 1. l. 26. c. 1.* (g) *Calig. c. 14. 27.* (h) *lib. 6. de B. G. c. 16.*

M. GEORG.

M. GEORG. DAV. ZIEGRA

APOSTOLI

TEXTUS 1 Corinth. 4: 13.

Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι.

ΑΝΕΥ ΠΡΟΟΙΜΙΟΥ!

§. I.



Αθαρματος vox non ἐκ τῶν μοναδῶν, sed ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων est, ad modum Verbi sui Καθαίρειν. Καθαίρω enim primum *purgo* notat, *mundo*, teste Homero ὀδ. χ. ἠδὲ τραπέζας ὕδατι καὶ σπόγγοισι πολυτρήτοισι καθαίρειν, & Athenæo *L.* 1. πάντα σπίλον καθαίρειν. Hinc κάθαρμα *retrimentum* est, *purgamentum*. Proprie *quisquiliæ* scopis collectæ, *lutum* à calceis detersum, *sordes*, quæ ex re aliqua immunda & lurida, pura quo fiat ea, separantur & repurgantur; ut in metallis scoria, in vino aut oleo fæces. Conf. Theophylact. & Coccejus *ad h. l.* Unde Græcus Scholiastes περικαθάρματα reddit ἀποσαρώματα, Piscator *in Scholiis* & Emser Kericht. Selneccerus *in h. l.* dicit esse ἀποσαρώματα, ἀποψήγματα, ἀποφιλοκαλήματα, καὶ σκύβαλα ἀπορριπτόμενα, & Aretius *ibid.* ἀποκάθαρμα & περιχωρήματα, Syrus: ܟܢܘܫܬܐ i.e. *ventris purgamenta*, vel *excrementa*, sicut Illyric. Bullinger. Hyper. Muscul. *ad l. c.* & Hunn. *ibid.* *T.* 4. *Opp.* exponunt. Tacito *Lib. de Germ. c.* 45. sunt ejectamenta maris, & Plinio *L.* 32. *H. N. c.* 11. purgamenta, quæ mare ad littus ejicit.

§. 2. Metaphorice sic dicitur homo sordidus, vilis, contemptus, rejectaneus, inutilis, ut apud Homeri videre est Interpretem, Eustathium, καθάρματα per τοὺς ῥυπαροὺς καὶ ἀποβλήτους exponentem ἰλ. α. *p.* 108. Ita Demosthenes Dinarcho *Orat. cont. eund. p.* 94. vocatur τὸ κάθαρμα, quod *in Interpr. Dinar.* Wolfius vertit *quisquilias.* Ἀλλὰ γὰρ, inquit, οὐ πρὸς τοῦτο τὸ κάθαρμα παραβάλλειν δεῖ, τοὺς ἄξια καὶ τῆς πόλεως, καὶ τῶν προγόνων ὑπὲρ ὑμῶν πράξαντες. *Sed non decet cum* quisquiliis *istis eos* (Athenienses) *comparare, qui res pro vobis & republica nostra dignas gesserunt.* Similiter Demosthenes appellat Æschinem *Orat. de corona p.* 331. quod etiam non minus approbat, quam explicat Ulpian. *in Enarr. Orat. de Fals. Legat. p.* 110. h. in m. Καλῶς ὀνόμασεν ἐπὶ τοιούτοις ἔργοις κάθαρμα τὸν αἰσχίνην. αὐτὸ γάρ ἐστι κάθαρμα τὸ καθαιρόμενον, καὶ ὃ ἂν ἀποστίσαιτό τις. *Recte nominat propter talia facta* κάθαρμα, *i.e.* sordes *Æschinem: significat enim ei* κάθαρμα, *id quod repurgatur, & quod excuti solet.* Quo sensu Cicero *pro Sest.* Numerium, Serranum, Ælium *quisquilias* seditionis Clodianæ nuncupat. Curtius itidem cum *L.* 8. *c.* 5. & *L.* 10. *c.* 2. dixit *purgamenta urbium suarum*, Græcum illud καθάρματα in mente habuit. *Ut enim purgamenta & sordes foras ejiciuntur ex ædibus: sic homines illos urbe ejectos in exilium, purgamenta eleganter vocavit*, scribit Turneb. *T.* 1. *Adversar. L.* 27. *c.* 16. Terentio κάθαρμα sterquilinium est *in Phorm. Act.* 3. *Sc.* 2.

§. 3. Convenit in prima hac cum voce καθάρματος significatione alterum quoque in textu vocabulum περίψημα. Περίψημα enim ἀπὸ τοῦ περιψᾶν, *circumquaque abstergere, circumcirca detergere* &c. quod radendo fit, vel fricando, vel spongia, *scobem* significat, *sordes & purgamenta* ejusmodi detersione defrictioneve detracta, quæ nullius, nisi ut ejiciantur, sunt usus, docente H. Stephano *T.* 4. *Thes. Ling. Gr. ad h. v.* & B. Rungio *in h. l.* Erasmus *in Annot. ad h. l.* multa de vocis hujus significatu ex variis congerit autoribus, quosdam non nominat, multa etiam ab aliis dicuntur. *Primo* dicit per περίψημα notari *linteolum*, vel σάβανον, ceu Græca exponunt Scholia, ὃ τοὺς ἱδρῶτας τοῦ κάμνοντος ἀποψήχει, *quod sudorem laborantis abstergit.* Musculo *l. c.* aliisque *peniculum* est, quo sordes vestium & calceorum deterguntur, & quia hoc sordidius, ideo huic loco rectius competere ait Aretius *l. c.* Sic & Piscat. itemque Crellius *in h. l.* uti κάθαρμα, Kericht / ita περίψημα, Flederwisch oder Kehrbesen / interpretantur. Sed falsum hoc, cum talia instrumenta ψηκτὴρ nominentur & ψήκτρα. *Deinde* Erasmus per περίψημα significari vult *soleæ suppactum corium.* III. Quicquid abradendo vel abstergendo tanquam impurum & inutile relinquitur pedibus conculcandum, *pulvis vestigiorum*, ceu Beza, Valla *in h. l.* Budæus & Martin. *in Lex. Philol. ad h. v.* reddunt. IV. id, quod in mare abjicitur, navis ut sit incolumis. Ipse vero ait esse aliquid *nauci*, *sterquilinium*, *quisquilias*, quod verum est. Eustathius: ἀποσπόγγισμα & ἀπόνιμμα. Selneccer *l. c.* σπόγγισμα, λύμα, καὶ ἀποσπόγγισμα, σάβανον. Hesychius *in Lex.* quod & Ursino *Vol.* 1. *Analect. S. Lib.* 1. *c.* 29. *p.* 42. placet, περίψημα esse inquit, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων, quæ Heinsius *in Exercitt. S. ad N. T. p.* 377. ex Epitomatore ejus, homine Christiano, ita corrigit: περίψημα, περικατάμαγμα. Περιψήματα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα. Cætera hoc modo: ἢ τὰ ὑπὸ τὰ ἴχνη περικαθάρματα, ὡς πάντων περίψημα. Ipse autem rejectaneum, uti & Hunn. Bulling. Hyper. & Grot. *ad h. l.* vertit, item rasuram, vel purgamentum alicujus metalli, vel pomi, vel cujusquam rei abjectioris. Vetus Interpres vocem *peripsema*, ut efficaciorem, quam putatur vulgo, servavit, nec non Tertull. *Lib. de pudicit.*

§. 4. Metaphorice iterum hoc nomen pro homine sumitur vili, contempto ac sordido. Sic cum Jeremias *cap.* 22. *v.* 28. העצב נבזה וגו" ait, Symmachus & LXX. μὴ περίψημα φαῦλον κλ. interpretantur, i.e. ceu B. Calov. & Hülsem. *ad h. l.* versionem approbantes Lutheri scribunt: *annon dolorosus, contemtus & dissipatus vir iste Jechonias.* Unde περίψημά τινος Hellenistis σχετικῶς s. *relative*, dicitur is, qui comparatione alterius, habendus pro nihilo. Quo spectat illud Tobiæ *c.* 5. 21. ubi Anna: Ἀργύριον τῷ ἀργυρίῳ μὴ φθάσαι, ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδίου ἡμῶν γένοιτο, utinam fœnus nunquam curæ nobis, sed præ filio nostro *rejectaneum* fuisset, quemadmodum hunc locum explicat Heins. *l. c. p.* 378. & à nostro non alienum esse ait, si περίψημα πάντων hic, ut ibi περίψημα παιδίου accipiatur. Similiter Barnabas *in Epist.* περίψημα τῆς ἀγάπης ἡμῶν, h. e. *nihil, si vobiscum comparer.*

§. 5. Ejusmodi vocabulum est & λύμα, docente Eustathio *l. c.* dictum quasi λοῦμα, ἅπερ ἐν τῷ λύεσθαι ἀποβάλλοντο, à λούω *lavo* derivante; ut λύματα proprie sint *sordes*, quæ ex ablutione remanent corporum, vasorum, scamnorum, mensarum, &c. inque mare abjiciuntur, unde λύματα τόκου, *sordes ex partu*, Callimach. *hymno in Jov.* Vide Camerar. *Notat. Fig. Serm. in h. l.* Et distinguit hic Eustathius ὀδ. χ. p. 1935.

p. 1935. atque περίψημα purgamentum levius esse vult: κάθαρμα vero gravissimum: λῦμα denique medium inter hæc duo.

§. 6. Deinde Verbum Καθαίρω idem est quod μαστιγόω, ῶ, *flagris cædo*, ut Theocriti inquit Scholiastes, εἰδύλλ. έ. Lacon enim Comatæ objiciebat:

Τοῦτο μὲν οὐ μέμναμ'. ὅκκα μὰν τῆ δὲ δήσας
Εὐμάρας ἐκάθηρε, καλῶς μάλα τοῦτο γ' ἴσαμι.

Illud quidem non memini, verum quando te hic vinctum
Eumaras valde cecidit loris, id equidem probe novi.

Interpres: Ὅτε δὲ ὁ Εὐμάρας, ὁ σὸς δεσπότης δεσμεύσας ἐμαστιγώσεν, ἀκριβῶς ἐπίσταμαι. ἢ περὶ οὗ μοι εἶπας, οὐ μέμνημαι. τοῦτο δὲ γινώσκω, ὅτι ὁ δεσπότης σου δήσας σε ἐπυγίζεν, ἐμόλυνεν. ὅπερ δηλοῖ τὸ ἐκάθηρεν, ἀντὶ τοῦ ἔτυπτε καὶ ἐξέδαιρε. Conf. Heinsii *Schol. s. Lect. Theocrit. c.* 10. Unde nomen Κάθαρμα, *mastigiam* denotat apud Plaut. *in Capt. Act.* 3. *Sc.* 4. *v.* 69. *Curc. Act.* 4. *Sc.* 4. *v.* 11. & Terent. *Adelph. Act.* 5. *Sc. v.* 7. i. e. mancipium μάστιξιν *flagris*, plagis & verberibus dignum, aut quod verberibus & vibicibus inscripta habet terga: νωτοπλήξ, vel, ut Plaut. *in Pers. A.* 3. *Sc.* 3. *v.* 14. effert: *subiculum*, & Aulul. *Act.* 3. *Sc.* 1. *v.* 5. *Gymnasium flagri*, h. e. in quo flagelli verbera exercentur, adeoque sceleratum & infamem. Lucianus in *Dialogo*, *Jupiter Tragœdus* nuncupato, *T.* 3. *pag.* 452. primo τυμβωρύχον ponit, *mortuorum deprædatorem*, dein μιαρὸν, *scelestum*, hinc κατάπτυστον, *execrandum*, *despuendum*, postea μαστιγίαν, *mastigiam*, tandem omnia una comprehendit voce & Κάθαρμα dicit *propudium*. Demostheni Κάθαρμα est, ᾧ μηδεμία μετουσία ἀρετῆς, cui nulla inest virtus, cui nulla cum virtute est communio. Ita enim *l. c.* scribit: σοὶ δὲ ἀρετῆς ὦ Κάθαρμα, ἢ τοῖς σοῖς τίς μετουσία, ἢ τῶν τοιούτων, τίς διάγνωσις: *Quid vero tibi, aut tuis*, ô sentina flagitiorum, *est cum virtute commercii, quæve talium rerum dijudicatio?* Et Æschines *Orat. cont. Ctesiphont. p.* 304. opponit hominem viventem cum virtute & κάθαρμα, qui virtutem odio habet h. m. Ἀλλ' ὅμοιοι ταῦτα μὲν ἂν εἴποι ἀνὴρ ὄντως βεβιωκὼς μετ' ἀρετῆς. ἃ δὲ σὺ λέξεις, εἴποι ἂν κάθαρμα ζηλοτυποῦν ἀρετήν. *Sed hæc scilicet vir diceret, qui vere ex virtute vixisset: quæ vero tu dices, ea verba sunt* hominis impuri, *qui virtutis odio contabescit.*

§. 7. Denique Καθαίρω est *lustro*, *expio*, ut Καθαίρειν στόλον apud Appian. *L.* 5. *Bell. Civ.* (Conf. Æliani *Var. Hist. L.* 5. *cap.* 3. *L.* 8. *c.* 5. Plutarch. *in Camill.*) & *Deuter.* 18: 10. ubi לא ימצא בך מעביר בנו ובתו באש, οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρὶ LXX. reddiderunt Interpp. Hinc Κάθαρμα *piamentum*, *piaculum*, quicquid ad expiandum adhibetur. In sacrificiis *piare* sive *expiare* nihil aliud proprie notat, quàm luere per successionem rei alterius in locum pœnæ debitæ, unde *sacrificium* ejusmodi *piaculare*, quod Ebræi אשם *Lev.* 5: 6. 16. *Esa.* 53: 10. &c. חטאה *Lev.* 10: 17. *c.* 14: 33. 2 *Paral.* 29: 24. *Hos.* 4: 8. &c. Hellenistæ περὶ ἁμαρτίας, aut ἱλαστικὸν vocant, recte dicitur λύτρον. Nam & vox יכפר quæ λύτρον significat (à Pielitico כפר, *expiationem*, aut, quæ ad illam sequitur, *propitiationem*, & quidem *redemptoriam*, λύτρῳ certo interveniente, ac *satisfactoriam* designante, ceu *Gen.* 32: 10. 2 *Sam.* 21: 3. &c. occurrit, vid. B. Calov. *Colleg. Anti-Socin. D.* 20. *Controv.* 5. & B. Scherzer. *Colleg. Anti-Soc. D.* 61.) eo sensu usurpatur, ut *Exod.* 30: 12. *Num.* 35: 31. *Prov.* 6: 35. quocirca etiam *Prov.* 21: 18. à LXX. vertitur περικάθαρμα. Clarissimus autem locus est Lev. 17: 11. *Omnis anima carnis in sanguine est; Et ego dedi eum vobis super altare* לכפר על נפשתיכם *ad expiandum animas vestras* כי הדם הוא בנפש יכפר *quia sanguis ipse animam expiabit.* Ubi *sanguis animam expians* victimarum piacularium notat sanguinem. Pro *anima* vero *expiare* idem valet, quod animæ כפר aut λύτρον, i. e. *pretium* ἀπολυτρώσεως, esse. Conf. *Exod.* 30: 12. cum *v.* 15. 16. Eoque factum, ut hic Græci Interpp. pro כפר נפשו λύτρα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ dixerint, *surrogationem* autem *pecoris loco hominis* vocula ἀντὶ expresserint, ut: ἐξιλάσασθαι περὶ τῶν ψυχῶν: τὸ γὰρ αἷμα αὐτοῦ ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. Quo pacto & autor Distichorum, quæ Catonis præferunt nomen, ait: *Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?* Ubi *pro te*, est *tuo loco.*

§. 8. In Rabbinorum scriptis כפר dicitur non tantum חטאה *sacrificium pro peccato*, seu *victima quæque piacularis*, sed & כפר תחת החטא λύτρον vel ἀντίλυτρον *sontis vice datum*, תמירתו λύτρον *sonti succedaneum*, item נפש תחת נפש *anima victima*, *sontis animæ vice data.* Ita enim in *Lev.* 17: 11. commentatur R. Is. b. Arama: *Quoniam anima omnis carnis est in sanguine*, לזה הטעם נתתיו על המזבח בקרבנותיכם לכפר על נפשותיכם נפש תחת נפש: *idcirco eum in sacrificiis vestris in aram dedi ad expiandas animas vestras, animam scil. vice animæ.* Jarchi: נפש כל בריה בדם היא תלויה לפיכך נתתיו לכפר הדם בנפש: AbenEsra: על נפש אדם תבא נפש ותכפר על הנפש: Nachman: אני חמלתי על נפש האדם ונתתיו להם על המזבח שתהיה נפש הבהמה מכפרת שיש בו יכפר והטעם נפש תחת נפש: על נפשו: *Ego hominis animæ peperci eumque* (sanguinem) *in aram dedi, ut anima pecudis pro illius anima expiationem faciat.* Lipman. לפי שמחמרת החטא נתחייבו נפשותיכם שיארע לכם כמעשה הקרבן בשחיטה ובזריקה נתתי נפש הקרבן תחת נפשותיכם: Abarbanel: והנה צוה שעל המזבח יקריב אדם את קרבנו ויהיה גוף הבהמה ובשרה תחת גופו ובשרה תחת גופו ובשרו של הבעל המקריב ויהיה הדם הבהמה מפאת הנפש החיונית הנשואה בו תחת נפש האדם נפש תחת נפש: *Præceptum est, ut quisque pro ara hostiam suam offerat; eritque corpus & caro pecudis pro corpore & carne offerentis; eritque etiam pecudis sanguis (quia anima sentiens in eo inest) pro anima hominis. Anima nimirum vice animæ.* Quo sensu etiam Pontificis juvencum piacularem pro toto cœtu immolatum vocavit כפר נפשם ופדיון גופם *animarum offerentium* λύτρον, *& corporum redemptionem*, ad *Lev.* 4. & AbenEzra ad *Lev.* 1. victimam cujusque expiatoriam כופר עונש שיש עליו *pœnæ cuique debitæ* λύτρον. Conf. §. 22. & Outramus *L.* 1. *de Sacrif. c.* 22. *p.* 276. Sic Messiam venturum, quem כפר עון dixerat Daniel *cap.* 9: 24. איש כפר ἄνθρωπος λύτρου appellabant veteres Ebræi. Latine quoque victimæ tales *lustrales* nuncupantur. Nam λύτρον est *lustrum*: quomodo & Ennius quod Græce est Ἕκτορος λύτρα Latine *Hectoris lustra* inscripsit.

§. 9. Quemadmodum vero כפר idem est, quod λύτρον & ἀντίλυτρον, ita etiam כפרה idem est, quod ἀπολύτρωσις, Latinis *expiatio* & *lustratio*, unde de voce כפרה valde notabiles sunt locutiones istæ Talmudicæ, queis alter alteri כפרה h. e. ἀπολύτρωσις dicitur, quales sunt: אנו כפרתך *Nos tibi* ἀπολύτρωσις *simus*, Misn. *in Sanhedr. c.* 8. אני כפרתן בני ישראם *Sim ipse filiis Israëlis* ἀπολύτρωσις, Misn. *in Negaim c.* 2. הריני כפרת ר' הייא ובנוי *Jom. f.* 23. 1. הרי הוא כפרתכם *Succa f.* 20. 1. &c. quas ita explicat Baal Aruch. *in v.* כר *f.* 76. 2. כל מקרם שה וא אומר הריני כפרתו והוא פירושו הריני במקומו לסבול עונותיו כלומר שאני מקבל אלי עונותיו לחתכפר: *Omni in loco, quo quis dixerit, sim ipse illi* ἀπολύτρωσις, *hæc sententia declaratur, Utinam ipse in ejus locum supponar, ut iniquitates ejus feram, quod perinde est, ac si quis dicat, ego ipse, ille ut lustretur, illius in me peccata suscipio:* & R. S. Jarchi, *Sanhedr. c.* 2. אנו כפרתך יבנו הכפר אתה ואנחנו תחתיך לכל הראוי לבא אליך: *Nos expiatio tua simus:* h. e. *simus nos in locum tuum suppositi, ut quod in te recidere merito posset, illud omne in nos recidat.* Iisdem etiam plane verbis hanc formulam interpretantur R. Obadias de Bartenora & autor Libri *Caph Nachath* inscripti, *ibid.* Eodemque sensu Ægyptius, eandem & ille exponens formulam, פריון pro כפרה, *redemptionem* pro *expiatione posuit, ad Negaim c.* 2. sicuti & *Ps.* 49: 9. legitur. Quocirca Gallus etiam Gallinaceus, ביום הכפור *in festo expiationis* à Judæis oblatus, vocatur כפרה, quem paterfamilias ter (pro se scil. filiis suis & peregrinis, qui apud illum sunt, ut S. Sacerdos in V. T. expiationem quoque fecit, ceu in Levitico legimus,) capiti suo allidit, singulosque ictus his vocibus prosequitur: זה חליפתי זה תחתי זה כפרתי זה התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן: *Hic Gallus sit permutatio pro me, hic in locum meum succedat, hic sit expiatio pro me, huic gallo mors afferatur, mihi vero & toti Israëli vita, fortuna, Amen.* Plura vide *in Synagog. Judaic.* Buxtorf. *c.* 20.

§. 10. Κάθαρμα igitur secundum hanc significationem, ut ex Suida Budæus, Stephan. & Commentatores *ad h. l.* communiter observant, dicebatur *homo sceleratus* aut *miser*, quem *Piacularem* appellat Plautus *in Epid. Act.* 1. *Sc.* 2. *v.* 36. & *sacrum* vel *sacratum* Macrob. *L.* 3. *Saturn. p.* 314. alii *devotum*, cujus *capiti omnia civitatis aut gentis alicujus scelera & convicia, diræ omnes imponebantur, & tempore pestis, famis, belli, alteriusve publicæ calamitatis, ad avertendam eam, Deorumque iram, pro patriæ lustratione & expiatione, mactabatur & immolabatur.* Docet id Aristophanis quoque Scholiastes *ad Plut. in h. v. p.* 24. Καθάρματα, inquit, ἐλέγοντο, οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινὸς, ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. *Καθάρματα dicebantur, qui ad lustrationem pestis aut alterius morbi Diis immolabantur; hic autem mos apud Romanos obtinuit.* Et *ad Equit. p.* 249. Ἔτρεφον γὰρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγεννεῖς καὶ ἀχρή-

ἀχρήϛες, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινὸς ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω, ἢ τοιούτου τινὸς ἔθυον τούτους ἕνεκα καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα. *Alebant enim Athenienses quosdam valde ignobiles & inutiles* (homines) *quos cum malum ullum civitati impenderet, pestis scil. aut tale quicquam, ad expiandum piaculum immolabant, quos etiam καθάρματα appellabant.*

§. 11. Et hunc καθάρματος significatum imitatur iterum περίψημα, teste Hesychio §. 3. *c.* ubi περίψημα idem, quod ἀντίλυτρον & ἀντίψυχον, esse dixit, h.e. pretium redemptionis vicarium, vel quod loco omnium malorum, averruncandis iis, mactatur: quocirca plerique etiam illud *piaculum, piacularem hostiam*, sicut & Syrus ܟܘܦܪܐ, exponunt. Appellationes præcipuas, quibus apud Græcos piaculum & homo piacularis s. nefarius exprimitur, his Selnecc. *l. c.* effert versiculis:

Ἄγος, ἐναγὴς, κηλὶς, κάθαρμα, φάρμακος,
Μίασμα, προστρόπαιος, ἔνοψος, ἄθεος,
Ἀραῖος, ἐξάγιστος, ἀνόσιος, ἀραί τε,
Κάθαρμα, ἀποτρόπαιος, ἀνάθεμα, ἔξαγος,
Ἐπάρατος, κατάρατος τ' ἀλιτήριος,
Καθάρσιον, παλιμναῖος, ἀπερριμμένος,
Βδέλυγμα καὶ περίψημα, ἀλάστωρ ὄλος,
Μιαρὸς, προώλης καὶ πανώλης, ὀλέθριος,
Ἄνθρωπος ἀποφρὰς, ἐχθρότατος θεῷ, βροτοὺς,
Ἀνέστιος τ' ἀθέμιστος, ἀφρήτωρ, βροτός.

§. 12. Nonnunquam tale κάθαρμα vel περίψημα de scopulo aliove prærupto quodam loco in mare projiciebatur, Neptunoque ita offerebatur, quale Jonas erat Propheta, quem tempestatis sedandæ gratia tulerunt nautæ ויטל הו אל הים ויעמד הים מזעפו *& projecerunt eum in mare, & stetit mare ab ira sua*, cap. 1:15. Vid. D. Pfeiffer. & Tarnov. *in l. c.* Sic Leucadios in Apollinis sacro ad Deorum avertendam iram hominem de montis specula dejecisse, & in mare præcipitem egisse, Alex. ab Alexand. *l. 6. c. 26. Genial. dier.* auctor est. In amolitione vero ejusmodi piaculi hæc quasi solennia verba adjiciebantur: περίψημα ἡμῶν γενοῦ, testante Suida *in h. v.* οὕτως, inquit, ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν. περίψημα ἡμῶν γενοῦ, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. καὶ ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ, ὡσανεὶ τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτίννυντες. *Ei, qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur, sis περίψημα nostrum, hoc est*, Salus & Redemptio. *Atque ita illum in mare projiciebant, quasi Neptuno sacrum persolventes.* Add. Eduard. Leigh in *Crit. S. P. 2. p. 255.* & *258.* Vid. Strigelius *in Hypomn. ad h. l.* aliique ex Suida has distinguunt voces, &, si in terra tollerentur è medio, καθάρματα, si vero in mare projecti perirent proprie περιψήματα homines appellatos esse, volunt. Sed hoc discrimen nullum est, neque probari potest.

§. 13. Sumebant autem hanc in rem sceleratum aliquem & exitialem hominem, qui tale quid commisisse credebatur, quamobrem Dii totam urbem aut gentem, nisi hujusmodi περικάθαρμα averruncaretur, punituri essent aut demolituri, ceu Hesiod. scribit *L. 1.* περὶ ἐργ.

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅστις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

Conf. Dilherr. *L. 2. Elect. c. 25. p. 243.* Elucet hoc ex Nic. Leonico *L. 3. var. Hist. c. 106.* apud Ursin. *l. c. Moris*, inquit, *fuit antiquissimi, cum civitas aliqua fame, aut pestilentia, aut alia enormi calamitate laboraret, disquirere hominem in ea turpissimum, quem* Catharma *&* Pharmacum *appellabant, eumque ad locum sacrificio destinatum deducebant, manu tenentem caseum cum placenta, & ficus, quem postea septies caprifico, & scylla agresti, aliisque virgultis sylvestribus, partibus pudendis verberatum, scrobe eo loci facta, lignis sylvestribus comburebant, confectumque cinerem pro urbis illius expurgatione & piaculo in mare projiciebant, &c.*

§. 14. Vel in defectu ejus pretio emebant talem, quem in expiationis usum alebant & per annum prius bene saginabant. Sic Servius in illud Æneid. 3. *auri sacra fames* notat famem dici sacram ex more Gallorum. *Cum enim*, ait, *Massilienses peste laborarent, unus è pauperibus se offerebat alendum anno integro publicis & purioribus cibis, postea verbenis, vestibusque sacris ornatus circumducebatur per urbem, cum exsecrationibus, ut in eum inciderent omnia civitatis mala: sicque mactabatur, vel in aquas projiciebatur.* Conf. Rittershus. *in Salvian. Massil. p. 575.* Ita Mater etiam Menœcei apud Papinium Thebaid. X.

Lustralemne feris, ego te, puer improbe, Thebis
Devotumque caput, vilis ceu Mater, alebam.

Ad quem locum Scholiastes: *Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est. Nam aliquis de egentissimis pelliciebatur præmiis, ut se ad hoc venderet, qui anno toto publicis sumptibus alebatur purioribus cibis: denique certo & solenni die per civitatem ductus ex urbe extra pomœria saxis occidebatur à populo.* Et Leonicus iterum l. c. cap. 33. *Homines*, scribit, *duos quotannis Atheniensium civitas expiandorum lustrandorumque civium gratia jugulabant, unum duntaxat pro maribus, pro fœminis alterum, quos custodia publica asservatos, praclareque enutritos Thargeliis suis cum solenni pomparum religione deducebant, &c.* Apud Albanos fuit usurpatum, ut hominem sacris initiatum, quia sanctitate polleret, diu servatum, & opipare saginatum, apud aras sisterent, eumque ferali carmine excantatum, quibusdam additis precationibus cum aliis hostiis immolarent, Alex. ab Alexand. *l. c.*

§. 15. Interdum aliqui sua sponte in magno quodam periculo sese offerebant & καθάρματα καὶ περιψήματα, vel *sacri* fiebant *homines*, cujus nullum hodie pietate M. Curtii, adolescentis & equitis Romani, erga patriam clarius observatur exemplum. Nam abrupto per medium forum ingenti specu, responsoque accepto, labem non coituram, nisi nobilis ex civibus quispiam adolescens sese in hiatum conjecisset: Curtius acceptam à patria vitam, eidem impendere non dubitavit, conscensoque equo ultro ac sine mora in specum se præcipitavit, suosque ex calamitate salvos reddidit. Vid. Livius *L. 7. H. R. c. 6. p. 258.* Valer. Max. *L. 5. c. 6.* Deciorum, quorum tres, qui pro patria sociisque sese devoventes ἀναθέματα & καθάρματα facti sunt, fuisse Cicero memorat *Lib. 1. Tusc. Quæst.* quosque *Lustrales animas* Lucan. *L. 6. Pharsal.* & *piacula omnis Deorum iræ*, item *piacula luendis periculis publicis* vocat Livius, exempla præter ipsum *L. 8. c. 9. p. 294. L. 10. c. 28. p. 381.* fusius describunt Florus *L. 1. c. 14. & 17.* Plinius *L. 22. c. 5.* Plutarch. *P. 2. in parall. p. 61.* Valer. Max. *l. c.* & *L. 1. c. 7.* notumque de iis Juvenalis est poëma:

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: Pro totis regionibus hi tamen & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe latinæ
Sufficiunt, Diis infernis &c.

De Codro, Menecheo, aliisque pluribus, qui, φιλοπατρίᾳ ducti, suum largiti sunt sanguinem, prolixe egerunt Autores cit. & Plutarch. *in Pelop.* Spectat huc, quod de *Alceste*, Admeti Phæræorum regis conjuge, eam mariti vitam sua redimere morte non recusasse, scribit Euripides.

§. 16. Frequentissime autem innoxiorum hominum, liberorum scil. infantum, virginum intemeratarum, &c. mactatione aut vivicomburio, vel in mare projectione propitiari Deos volebant. Ἄτεκνοι vero à patribus, imprimis pauperibus, emebant. Nam cum homine nihil excellentius alat terra, nec parentibus clarius quicquam liberis, ideo non melius posse se summum demereri Deum putabant, quam si suos in hæredum ac Patriæ spem natos, immolarent liberos, teste Varrone *Lib. 16. divin. rer.* Conf. August. *L. 7. C. D. c. 19.* Cui enim nobilissimæ virginis Iphigeniæ, Agamemnonis Clytemnestræque filiæ, ignota est immolatio, quam, cum in Aulide ignarus ipse cervam, Dianæ sacram, occidisset, Deaque ob id impetus marinos Græcis, ut navigare non possent, ac pestilentiam in navibus procurasset, ad placandam eam, suasu vatis, Calchæ sacrificavit? quod breviter ita depingit Virgil. *L. 2. Æneid. v. 116.*

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras.

Luculentissimam vero de ipsa *Iphigenia in Aulide* Tragœdiam composuit Euripides, in qua omnem hanc sacrificii declarat crudelitatem. Idem & de Erechtheo, VII. Atheniensium Rege, proditum est memoriæ, qui, cum bellum inter hunc atque Eumolpum, Thracum Regem, esset conflatum & Oraculum Pythicum hoc tulisset responsi, se superiorem fore, si filiam Proserpinam sacrificaret, Athenas redux, re cum Phrasithea uxore communicata, obtemperavit, adductaque ad aram filia, eam immolavit, Meurs. *L. 2. Regn. Att. c. 9.* Cicer. *l. c.*

§. 17. Gemina alia è Timæo Sicul. *L. 1. Hist.* collegit Natal. Com. *in Mythol. L. 1. c. 10.* Μετὰ τῆς Τροίας ἅλωσιν πολ-

λοὶ

λοὶ τῶν Λοκρῶν περὶ τὰς Γηρέας ναυαγησάντων ἀνηρέθησαν. οἱ δὲ λοιποὶ σὺν Αἴαντι μόλις εἰς Λοκρίδα διεσώθησαν. Φθορᾶς δὲ καὶ λοιμοῦ τὴν χώραν αὐτῶν μετὰ τὸ τρίτον ἔτος ἐχόντων, διὰ τὴν μίξιν ἀθέμιτον Αἴαντος, τῇ Κασσάνδρᾳ, ἔχρησεν ὁ θεὸς δεῖν εἰς ἔτη χίλια τὴν Ἀθήνην τὴν ἐν Ἰλίῳ ἱλάσκεσθαι, πέμποντας δύο παρθένους ἐπὶ κλήρῳ καὶ λοχησί. καὶ μετὰ ταῦτα ἔθος ἦν τοῖς Τρωσὶ πεμπομένας περὶ παντὸς καταχεῖν καὶ ἀναιρεῖν, αἳ τοῖς ἀκάρποις καὶ ἀγρίοις τῶν ξύλων καίειν. ὅπερ ἐποίουν μέχρι τοῦ Φωνικοῦ πολέμου. τότε γὰρ ἐπαύσαντο ταύτης τῆς θυσίας, μᾶλλον δὲ ἀσεβείας. *Post captam Trojam multi ex Locris naufragium juxta Gereas passi perierunt: reliqui vero cum Ajace per summas difficultates in Locridem tandem evaserunt. At vero anno deinde tertio cum fames & pestilentia eorum regionem invasisset, quia neglecta religione Ajax cum Caßandra rem illegitime habuisset, responsum est redditum ab oraculo, oportere per mille annos placare Palladem Trojanam duas virgines è suis quotannis sortitos Trojam mittentes. Mansit postmodum illa consuetudo Trojanis ut missas virgines obvii caperent ac jugularent, quas postea sterilibus & agrestibus lignis comburerent, qui ritus ad belli Phocensis usque tempora perduravit. Tunc enim immunitatem ejus sacrificii, vel potius impietatis Locrenses obtinuerunt.* Pari modo Idomeneus, Cretensium Rex, in patriam è Trojano bello redux, *cum tempestate laboraret, vovit se sacrificaturum Neptuno de re, quæ ei primum obviaret: sed cum casu ei primum filius occurrisset, & cum, ut alii dicunt, immolasset, ut alii immolare voluisset, ob crudelitatem regno à civibus pulsus est.* Servius *ad L. 2. Æneid. v. 265.*

§. 18. *Cum inter cetera mala,* inquit Justinus ex Trogo *L. 18. c. 6. Carthaginenses etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio usi sunt. Quippe homines, ut victimas immolabant; & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent.* Idem de iis habent Plutarch. *Lib.* περὶ Δεισιδαιμονίας, P. Orosius *L. 4. Hist. c. 6.* & Curtius *L. 4. c. 3.* Silius autem Italicus *L. 4. v. 767. Punic.*

Mos fuit in populis quos condidit advena Dido
Poscere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
(Infandum dictu) parvos imponere natos.

Adde μυστικὴν θυσίαν infantis materno exsecti utero & mactati apud Lucan. *L. 6. l. c.*

Vulnere sic ventris, non qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.

Pescenius etiam Festus *in Lib. Hist. per Satyr.* docente Lactant. *L. 1. de falsa relig. c. 21.* nec non Alex. ab Alexand. *l. c.* referunt, *Carthaginenses Saturno humanas hostias* (& quidem excellentiores è filiis) *solitos immolare: & quum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum sibi Deum* (partim quod liberis suis emtos clanculum infantes substituissent, partim ob intermissum cultum) *putavisse: itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos* (ccc. alii) *nobilium filios immolasse.*

§. 19. Plerumque tale κάθαρμα & περίψημα, vel ἀντίλυτρον & ἀντίψυχον Apollo, hostis generis humani acerrimus ac vere homicida, qualis semper Diabolus fuit, itemque Neptunus & alii, quos cida averruncanda mala quibus vexabantur, colebant, Apollod. *L. 6. de Diis,* & idcirco ἀλεξικάκους, ἀποπομπαίους καὶ ἀποτροπαίους appellabant, oraculo sibi deligebant, ac persolvi, si non ipsi, per Sacerdotes tamen jubebant. Eleganter hoc in *Sinone* suo repræsentavit Maro, citante Heinsio *l. §. 3 all.*

Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

Non repetimus, quæ §. 16 & 17. adduximus, exempla. Nec ascribimus, quæ Americanæ historiæ de Mexicanis prodidere scriptores, à quibus dæmon id, quod civibus fuerat charissimum, sponsas, liberos speciosos in victimam sibi cædi postulaverat, quibus de Corn. à Lapid. *in Lev 18: 10.* Illud silentio prætereundum non esse censemus, quod Dionys. Halicarn. *L. 1. A. R.* & ex eo Euseb. *L. 4. Præp. Ev c. 7. p. 95.* scribit, Jovem & Apollinem magnam aliquando pestem, magnasque calamitates Pelasgorum immisisse regionibus. Omnia prope animalia Deorum intercidebant, nulli fructus arboribus erant, & si qui forte, præcoces tamen. Aristæ inanes, & herbæ pecori ingratæ. Fontes, aut non poterant bibi, aut toti æstate aruerunt. Mulieres vel nullos vel mutilos gignebant infantes aut abortum faciebant. Cæteri homines innumeris infestabantur contagionibus. Sciscitantibus igitur iis, quid admisissent in Deos, aut quo pacto tandem liberari possent hac tanta calamitate, respondit oraculum; ὅτι τυχόντες ὧν ἐβούλοντο, οὐκ ἀπέδοσαν ἃ ηὔξαντο, ἀλλὰ προσοφείλουσι τὰ πλείστου ἄξια. οἱ γὰρ Πελασγοί, ἀφορίας αὐτοῖς γενομένης ἐν τῇ γῇ πάντων χρημάτων, ηὔξαντο τῷ Διὶ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ τοῖς Καβείροις, καταθύσειν δεκάτας τῶν προσγεννησομένων ἁπάντων: *quod ea consecuti quæ poposcerant, non dedissent omnia quæ promiserant, sed preciosiora retinuissent. Pelasgi enim orta in sua regione sterilitate,* (ab ea ut liberarentur) *voverunt se Jovi & Apollini & Cabiris decimas omnium eorum quæ* (optima) *nascerentur sacrificaturos.* Mox hominum decumas ab ipso oraculo fuisse petitas testantur seqq. verba: εἰσηγησαμένου δέ τινος τὴν γνώμην τὸν θεὸν ἐπερέσθαι, εἰ αὐτῷ φίλον ἀνθρώπων δεκάτας ἀπολαμβάνειν, πέμπουσι τὸ δεύτερον θεοπρόπους, καὶ ὁ θεὸς ἀνεῖλεν οὕτω ποιεῖν: *sententiam ferente quodam Deum esse interrogandum an sibi gratum esset hominum decumas persolvi, rursus sciscitatum mittunt; quibus respondit oraculum ita esse faciendum.* Ne igitur omnes civitates imo tota interiret regio, optimos quosque Adolescentum immolarunt.

§. 20. Quo ipso Simia illa Dei, hominumque hostis acerrimus Satanas, ut in aliis cœlestem *affectavit* (phrasi Tertullianea) *æmulanter exprimere* veritatem, quando Cataclysmum Noachi in Deucalionis mutavit diluvium, Josuam ac Samsonem in Herculem τελεσίληνον, comam Samsonis in capillitium Ciris, Nubem Israëlitici itineris ducem in nimbum Deorum capita ambientem; ita cumprimis *sacrificia ac piaculorum curiositates imitatus est,* ceu Tertull. iterum loquitur *de præscript. adv. hæret. p. 122.* Quum enim non ignoraret vaticinia de magno illo atque unico sacrificio ἱλαστικῷ, quo Christus promissus גאל Spiritualis seipsum pro peccatis oblaturus erat victimam, fidem, reverentiam, fructum & exspectationem ejus illudere, penitusque eradicare annisus fuit. Vid. B. Cavov. *in B. J. ad Eph. 1: 7.* & *Sap. 12: 7.* Selnecc. *Acta Apost. c. 7.* Cloppenburg. *Schol. S. Sacrif. Patriarch. probl. 5. T. 1. Opp. Theol.* Rivet. *in Gen. 22: 2.* Moris namque erat antiquissimi & jam inde ab origine Mundi in populo Dei receptum, ut, cum quis peccasset, & propter peccata morti esset obnoxius, pecus innoxium & purum adduceretur, quod, posita manu utraque super caput ejus, & imprecatis omnibus ipsi sontis delictis, repræsentative pro illo, ceu κάθαρμα & περίψημα occidebatur & immolabatur, sanguineque suo vice peccatoris fuso, peccata ejus expiare, iramque Dei sistere ac placare debebat.

§. 21. *De peccatorum impositione* Theodoretus *Quæst. 1. ad Lev. T. 1. Opp.* ἐπειδὴ δὲ ὁ προσφέρων τῷ ἱερεῖ τὰς χεῖρας οἱονεὶ τὰς ἑαυτοῦ πράξεις· τῶν γὰρ πράξεων αἱ χεῖρες δηλωτικαί. ὑπὲρ δὲ τούτων τὸ θῦμα προσέφερεν. *Qui vero victimam offerebat, capiti ejus manus suas, tanquam suas ipsius actiones imponebat: manus enim actiones denotant, pro quibus nimirum hostiam offerebat.* Sic de *vicaria oblatione* idem *Quæst. 23. l. c.* ὥσπερ σὺ ψυχὴν ἀθάνατον ἔχεις, οὕτω τὸ ἄλογον ζῶον ἀντὶ ψυχῆς ἔχει τὸ αἷμα. οὗ δὴ χάριν κελεύει τὸ τοῦ ἀλόγου ψυχήν, τουτέστι τὸ αἷμα, ἀντὶ τῆς σῆς προσενεχθῆναι ψυχῆς τῆς ἀθανάτου καὶ λογικῆς. *Sicut enim tu anima immortali præditus es: sic animal irrationale sanguinem habet loco animæ. Hanc utique ob causam præcipit ratione carentem animam, h. e. sanguinem offerri pro tua anima rationali & immortali.* Quibus paria sunt Eusebii illa *Demonst. Evang. L. 1. c. 10. p. 24.* τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ περὶ τῶν θυσιῶν νόμος ὑποβάλλει νοεῖν τῷ πεφωρημένως σκοποῦντι. πάντα γοῦν τὸν θύοντα τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν προστάττει τῇ κεφαλῇ τοῦ θυομένου, προσκομίζειν δὲ τὸ ζῶον τῷ ἱερεῖ τῆς κεφαλῆς ἐχόμενον, ὡσανεὶ ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ κεφαλῆς τὸ ἱερεῖον προσφέροντα. λέγει δ' οὖν ἐφ' ἑκάστου· προσάξει αὐτὸ ἔναντι κυρίου, καὶ ἐπιθήσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δώρου. καὶ οὗτος ἐφ' ἑκάστου περιέρχεται θύματος, οὐδεμιᾶς θυσίας ἄλλως ἀναφερομένης. δι' ὧν ὁ λόγος ὅτι δὴ ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν ψυχῆς προσήγετο τὰ ζωοθυτούμενα.

§. 22. Eleganter id etiam exponunt Rabbini, utpote Mos. b. Nachman, quando *ad Lev. 1.* de reo victimam offerente ita scribit: ראוי לו שישפך דמו ושישרף גופו לולי חסד הבורא שלקח ממנו תמורה וכפר הקרבן הזה שיהא דמו תחת דמו נפש תחת נפש: *Æquum erat, ut sanguis suus funderetur, & ut cremaretur corpus suum. Creator autem pro clementia sua hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam, &* λύτρον *ejus; ut hujus sanguis sanguinis ejus vice profunderetur, anima scil. vice animæ.* Arama *ad Lev. non proc. ab init.* כאשר יראה שהקרבן הנקרב על חטאו ישחט ויפשט וינותח וישרף על האש אשר על המזבח כי ישים אז על לבו שכן משפטו על חטאו וקן ראוי שיעשה בו לולי יי שרחם עליו לשום אשם נפשו: *Reus, cum victimam de peccato* suo

ſuo immolatam mactari, pelle exui, proſecari, igneque aræ comburi videt, ſecum ipſe cogitare debet ita ſecum agi, & ita ſe tractari oportuiſſe, niſi Deus pro miſericordia ſua pro anima ejus piaculum accepiſſet. David de Pomis *in v.* המקרי היה צריך לכוין עולה שיהיה הקרבן ההוא תמורתו: *Intelligat oportet immolator hanc victimam ſibi ſuccidaneam eſſe.* Bechai *Lev.* 1. כיון שהחוטא ראוי שיהיה דמו נשפך כדם הקרבן ושיהיה גופו נשרף כגוף הקרבן הקבה לוקח קרבנו ממנו תמורתו וכופרו הנה חסד גמור אשר גמלהו השי ברחמיו וכרוב חסריו לקח נפש הבהמה תחת נפשו ויתכפר בדה וטעם זה נכון ומתישב על הלב: Abarbanel *in præf. ad Lev.* ראוי שישפך דם המקריב וששרף גופו על חטאתו לולי חסר השם שלקח ממנו בתמורה וכופר הקרבן ההוא שהיה דמו תחת דמו ונפש תחת נפשו: Ita etiam de Sacerdote M. juvencum ſuum piacularem immolante *ibid* כפי שורת הדין ראוי שיהיה ענשו במיתה והשרף גופו ואיבריו אשר חטאו והרוח תשוב אל האלהים אשר נתנה כיון שלה חטאה במתקון אלא בשננה לכן היובתה התורה שיביא פר בן בקר תחת עצמו וסמך ידיו עליו לרמת הוא תמורתו: Confer Manaſſe Ben Iſrael *Conciliat. in Levit. quæſt.* 1. *p.* 185. & Outram. *l. c.*

§. 23. Quod vero Viri pii Deoque familiares exiſtimarint, propitiationem Numinis non aliter quam cæſæ aut mactatæ victimæ ſanguine fieri poſſe, præclare oſtendit Euſeb. *l.* §. 21. *c.* Ἐπειδὴ γὰρ, inquit, ἑώρων, οἵ τε τὸν τρόπον Εὐσεβεῖς καὶ θεῷ προσῳκειωμένοι, θείῳ τε πνεύματι τὰς ψυχὰς πεφωτισμένοι, μεγάλης αὐτοῖς θεραπείας δεῖν εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν θνητῶν πλημμελημάτων, λύτρον τῆς αὐτῶν σωτηρίας τῷ καὶ ζωῆς καὶ ψυχῆς χορηγῷ προσοφείλεσθαι ἡγοῦντο· Ἔπειτα μηδὲν κρεῖττον καὶ τιμιώτερον τῆς οἰκείας ψυχῆς καθιεροῦν ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης τέως τὴν διὰ τῶν ἀλόγων ζώων προσῆγον θυσίαν, τὰς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες. *Cum enim* (Abel, Noah, Abraham,) *morum ſanctitate præſtantes, Deoque penitus addicti homines, ac divino quaſi Spiritu illuſtrati viderent, magno ſibi opus eſſe remedio ad mortifera ſua peccata expianda, pretium aliquod ſalutis impetrandæ cauſa, Deo vitæ animæque Datori dandum eſſe putabant, cumque nihil præſtantius aut pretioſius anima ſua haberent, quod dicarent, loco ejus bruta animalia immolabant: ita ſcil. animarum ſuarum vice, alienas animas offerentes. Et p.* 25. Ἕως μὲν οὐδέπω τὸ κρεῖττον οὐδὲ τὸ μέγα καὶ τίμιον καὶ θεοπρεπὲς σφάγιον παρῆν ἀνθρώποις, τὰς διὰ ζώων θυσίας λύτρα τῆς ἑαυτῶν ζωῆς καὶ ἀντίψυχα τῆς οἰκείας φύσεως προσηκόντως ἀποδιδόναι χρῆν τῷ θεῷ. *Quamdiu neque præſtantior, neque major, neque pretioſior, neque Deo convenientior victima hominibus aderat: Sacrificia interim ex animalibus pro ſua ipſorum vita redimenda, & quoddam quaſi naturæ propriæ animatum pretium ipſi Deo reddere illos convenienter oportebat.* Quem ritum veteris fœderis reſpiciens Apoſtolus *Ebr.* 9: 22. dixit: omnia pene ſecundum legem καθαρίζεται *expiantur* ſanguine: καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις, quod *in Talmude Hieroſ.* יומא *c.* שבעת ימים ſic efferunt Ebræi: לא כפרא אלא בדם *Non eſt peccati remiſſio ſine ſanguine*, quia ſcriptum eſt Lev. 17: 11. *Sanguis ipſe pro anima ſatisfaciet.*

§. 24. Hæc autem Sacrificia V. T. legalia peccata in foro divino expiabant non quidem *in ſe &* αὐτοενεργητικῶς, quia nulla inter hujuſmodi brutum ἄλογον & hominem fuiſſet proportio, & ἀδύνατον αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας, *Ebr.* 10. 4. ſed *virtute Antitypi*, quatenus magnum Chriſti, veri placaminis ſacrificium *ſacrificiis illis* σκιὰν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν *habentibus* adumbrabant, ut Autor *Epiſt. ad Ebr.* multis documentis oſtendit *c.* 9: 7. 12. 24. *ſſ. c.* 10: 1. 5. 6. &c. Hic enim ſolus ſua morte ſanguiniſque proprii effuſione vere & realiter infinitæ divinæ juſtitiæ infinitum ἀντάλλαγμα (כפר) & λύτρον ἰσόρροπον pro omnibus omnium hominum peccatis perſolvere, lancique alteri ῥοπὴν conciliare atque ex conſequenti ſedare iram Dei poterat. Ipſe quippe vera victima (πάσχα) eſt pro nobis immolata 1 *Cor.* 5: 7. & ἀμνὸς (ἄμωμος καὶ ἄσπιλος 1 *Pet.* 1: 19.) ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου *Joh.* 1. 29. & 36. ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον 1 *Pet.* 2. *v.* 24. & מחולל מפשעינו מדכא מעונותינו *Eſ.* 53: 5. ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων, *Eph.* 1. 7. & *Col.* 1. 14. Factus nobis à Deo ἀπολυτρώσεις 1 *Cor.* 1: 30. & ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *non pro noſtris autem tantum, ſed &* περὶ ὅλου τοῦ κόσμου, 1 *Joh.* 2. 2. & ἱλαστήριον (כפרת) ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ *Rom.* 3. 25. quod καθαρίζει (*luſtrat* ſive *expiat*) ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας, 1 *Joh.* 1. 7. Qui ſemetipſum tradidit pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ θεῷ in odorem ſuavitatis *Eph.* 5: 2. & ἀντίλυτρον pro omnibus 1 *Tim.* 2: 6. & vitam, animamve ſuam ad expianda peccata noſtra, eorumque veniam impetrandam, ut λύτρον piaculare, *Matth.* 20: 28. *Marc.* 10: 45. Ita ut factus ſit Κάθαρμα, aut κατάρα i. e. *execratio* vel *piacularis hoſtia pro nobis* Gal. 3: 13. & *peccatum ipſum* 2 Cor. 5: 21. Conf. *Matth.* 26: 28. *Rom.* 3: 24. *c.* 5: 10. 1 *Cor.* 15: 3. 2 *Cor.* 5: 14. 15. *Gal.* 1: 4. 1 Pet. 2: 21. *c.* 3: 18. *Ebr.* 1: 3. *c.* 9: 15. 1 *Joh.* 4: 10. &c. Unde ipſum Euſebius *l.* §. 21. *c.* τὸ μέγα καὶ τίμιον λύτρον ἰουδαίων ὁμοῦ καὶ ἑλλήνων, τὸ τοῦ παντὸς κόσμου καθάρσιον, πάντων ἀνθρώπων ἀντίψυχον, τὸ πάσης κηλῖδος καὶ ἁμαρτίας καθαρὸν ἱερεῖον, *magnum magnique æſtimandum pro redimendis tum Judæis, tum Græcis pretium, totius mundi piaculum, pro anima cunctorum hominum ſacrificium, pro omni peccato & macula puriſſimam hoſtiam*, & Athanaſ. *de Incarn. Verbi* πρόβατον ἀντίψυχον appellaverunt. Add. Origen. *Hom.* 1. *ad Lev.* 1. *p.* 107. & Cyrill. Alexand. *L.* 5. *in Lev. T.* 1. *Opp. p.* 666. *L.* 9. *cont. Julian. T.* 3. *p.* 210. item, præter Syſtemata noſtratium Theologorum, B. Calov. *l. c. ad* 2 *Cor.* 5: 21. & *Galat.* 3: 13. Mentzer. Kromayer. Clotz. Grawer. Turrettin. *de Satisfact. Chriſti*, Frantz. *Schol. Sacrif.* & *Diſp. pec. de Satisfact. Chr.* Eſſenii *Triumph. Crucis ſ. Fides Cathol. de Satisfact. Chr.* &c.

§. 25. Tale Κάθαρμα & περίψημα, quod typum redemptionis ab ira ventura per Chriſtum verum animarum λυτρωτὴν, agnum Dei peccata mundi tollentem, à Patre devotum & in mortem traditum, maxime exhibuit, in Sacris imprimis erat עזאזל *ſ. Caper emiſſarius*, ἀποπομπαῖος & τράγος ἀπερχόμενος dictus Helleniſtis, cujus capiti poſita manu utraque ſuper id Pontifex omnes iniquitates, delicta atque peccata imprecabatur & confitebatur filiorum Iſrael. Nam, ut R. L. b. Gerſon *ad Exod.* 29. 10. annotavit: הנה הסמיכה היתה בשתי ידים וענינה היתה להעיר על שחטאים נפרדו מהם וכאלו הושמו על זה הבעל חיים: *Impoſitio hæc manuum ambarum erat, eoque ſpectabat, ut hinc intelligeretur, removeri ab iis peccata ipſorum, & ad hoc animal quodammodo transferri*, & *Lev.* 1. inquit: לזאת הסבה היתה הסמיכה להורות שיהוא כאלו סלק מעליו אותן העונות והעתיק אותן על הבעל חי ההוא. & R. Alſchech. *f.* 1843. *Libri* תורה משה ait: על ידו הסמיכה הוא נותן ממש אותם על ראש השעיר: *per* χειροθεσίαν *ipſe peccata capiti hirci ſimpliciter impoſuit.* Quem imponendi manus ſuper caput victimæ ritum multis deſcribit Maimon. *in Lib. de Oblat. c.* 3. *ſ.* 6. 8. 9. &c. Conf. Serarius *L.* 1. *in Joſ. c.* 9. *quæſt.* 11. Eadem quoque Abarbanelis fuit ſententia *ad Num.* 19. qui de juvenco piaculari pro toto cœtu immolato (cujus *Lev.* 4. fit mentio) inter alia hæc dixit: אחר הוידוי עליו עונות בני ישראל *Poſt confeſſionem ei incumbebant peccata filiorum Iſraelis*; & ſpectat huc, quod apud Aramam legitur *ad Lev.* 4. אין שיהיה שחטא בנפשו בשוגג או במזיד הוא מעביר את חטאו ממנו ונותנו על ראש קרבנו וכפר עליו ולטעם זה כללו בודויים חטאתי עויתי פשעתי כמו שנראה מודויים כהן גדול ביום הכפורים אף על פר החטא אשר שלו: *Quoties quis anima ſentiente imprudens, vel quidem prudens peccat, transfert à ſe peccata ſua, conjicitque in victimæ ſuæ caput. Eoque pertinent confeſſiones iſtæ peccavi, rebellis fui, perverſe egi, ſicut ex Pontificis confeſſionibus juxta piacularem juvencum ſuum die expiationis editis patet.* Duæ autem confitendi peccata in ſcriptis Judæorum extant formulæ, quarum altera à Pontifice juxta hircum in deſerta abducendum die expiationis edi ſolebat totius populi Iſraëlitici nomine; altera à pœnitente quovis ſine victima culpam confitente. Prior ſic concepta erat: אנה השם חטאו עוו פשעו לפניך עמך בית ישראל אנה השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאו ושעוו ושפשעו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך לאמור ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו: Quibus precibus ita reſpondebant populus juxta & Sacerdotes: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד: Vid. Miſchna *in Joma c.* 6. & Maimon. *in Jom. hakippurim cap.* 3. Poſterior ſic ſe habebat: אנה השם חטאתי עויתי פשעתי ועשיתי כך וכך והרי נחמתי כבושתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר זה: Vid. Maimon. *in Teſchuba* c. 1.

§. 26. Ad umbilicum deducta confeſſione non erat hirco diu ſubſiſtendi locus, ut *l. c.* referunt Ebræi. Si enim moras necteret ille, qui abducturus erat, היו מתלשים בשערו ואומרים לו טול וצא טול וצא *crines ei vellicabant dicentes, vade & exi, vade & exi*; ad quæ Miſchnæ verba Gemara מה שהי צפירנא דין והובי דרא סגאין: *Eccur iſte hircus cunctatur, cum peccato populi tam numeroſa ſint.* Sed recepta in ſe peccatorum omnium mole, ceu vere Κάθαρμα, λῦμα καὶ περίψημα, vel ut Arama *ad Lev.* 16. loquitur, דבר שנוי ומשוקץ *rem execrabilem ac fœdam*, abducebat eum איש מזומן ללכת שם שהולך שם עתים הרבה *vir paratus ad eundum illuc, qui ſe ſæpius eo confert*, teſte Michlal Jophi, vel Aben Eſra docente: מזומן לעתו או מנהגו ללכת בכל יום כפורים: *qui tempore ſuo paratus eſt, aut quovis die expiationis eo migrat:*

migrat: & quidem המדברה *in desertum* sive אל ארץ גזרה *in terram abscissionis*, i. e. explicante auctore Michlal Iophi: שנכרתה מן היישוב ומן הצמחים: *qua neque habitatur, neque germinat*: secutus videtur Chaldæum: לארץ לא יתבא *in regionem inhabitatam*: quod ipsum R. Alschech. *l. c.* paulo latius deduxit: ארץ גזרה היא ארץ החיצונים שלאומה ארץ החיים והוא גזרה להשתקע שם שלא יזכרו ולא יפקדו והוא מאמר הנביא באומרו ותשליך במצולת ים: *Terra abscissa terram extraneam notat, oppositam terræ vitæ. Est illa abscissa, ut ibi submergantur, ne memorentur, & ne visitentur* (Ier. 3: 15.) *Atque hoc est, quod Propheta dixit* (Mich. 7: 19.) *& projiciet in profundum maris.* An vero ibi de monte sit deturbatus, sicut cum Iudæis, in *Mischna* sæp. cit. docentibus: ודחו לאחוריו והוא מתגלגל ויורד ולא היה מגיע לחצי ההר עד שנעשה אברים אברים: *præcipitavit ipsum* (hircum) *qui deturbatus medium non attigit, donec in frusta collisus esset*, Fagius, Grotius, Sheringham, &c. statuunt; an à bestiis devorandus ibi fuerit relictus, ut Varen. Abulens. Corn. à Lap. Estius, aliique *ad h. l.* notant, an à fame enecatus, nunc non disputamus. Vid. Frantz. *Schol. Sacrif. p.* 377. Potius hactenus dicta è Sacro corroboramus Codice, nim. Lev. 16: 7, 8, 9, 10. *Duos hircos* (quos שוים במראה ובקומה ובדמים *ejusdem coloris, staturæ & pretii fuisse* volunt Rabb. *c.* 6. *Massech. Jom.*) *stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario: cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium; statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.* Et v. 20, 21. *Postquam emundaverit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem: & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus emittet illum, per hominem paratum in desertum.*

§. 27. Memorabile autem est, quod hic tradunt Ebræi, ligasse Pontificem *linguam*, particulam, ad formam linguæ factam, Vittam dicerent Latini aut tæniam, *coccineam*, *ad caput hirci emissarii & stetisse ad locum, unde erat emittendus*, קרש לשון של זהורית שעיר המשתלח והעמידו כנגד בית שלוחו, quam, ipso in desertum educto, colorem rubrum exuisse. Ita enim *c.* 6. *Mass. Joma*: שעיר למדבר היה הלשון מלבין שנאמר אם יהיו חטאיכם כשני בשלג ילבינו: *Cum hircus ille in desertum venisset, lingua illa albescebat, quia dictum est* (Es. 1: 18.) *si fuerint peccata vestra ut coccinum, instar nivis albescent.* Hinc Scholiastes Talmudicus *fol.* 105. *En Israël*: קושרין אותו בראש שעיר המשתלח והיה מלבין מאליו והוא סימן שמאל הק"בה לישראל: *Alligabant illam* (linguam) *hirco emissario, atque illa sua sponte albescebat, quod signum Israëli à Deo datum erat.* Gemara vero: תנו רבנן בראשונה היה קושרין לשון של זהורית על פתח האולם מבחוץ הלבין היו שמחין לאהלבין היו עצבין ומתיישין התקינו שיהו קושרין על פתח אולם מבפנים ועדין היו מציצין ורואין הלבין היו שמחין לא הלבין היו עצבין: *Tradunt Magistri linguam coccineam olim alligatam fuisse ad ostium porticus exterioris: tum vero si exalbescebat, lætabantur; sin minus, dolebant, & pudore suffundebantur. Statuerunt etiam, ut ligaretur ad ostium porticus interioris, & tum quoque introspiciebant, & videbant: &, ea exalbescente, læti erant; non exalbescente, mœsti.* Conf. *Jom. c.* 4. *fol.* 39. & B. Calov. *l. c. ad Lev.* 16: 22. Imo & tempus, quo hoc singulare divinæ Clementiæ remissorumque peccatorum cessaverit signum, determinant *in Joma* all. & *En Israël fol.* 105. 3: תנו רבנן מ' שנה קודם חרבן ביתלא היה לשון של זהורית מלבין: *Tradiderunt Dd. nostri, quadraginta annis ante excidium templi lingua coccinea non amplius albuit.* Quod cum in illum יום הכפורי *diem expiationis* incidere videatur, cum Messias, hoc ritu designatus, non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sanctum sanctorum, æternam λυτρῶσιν nactus. Ebr. 9: 12. inde magni nominis Viri non parum huic traditioni tribuunt, tuncque huic figuræ cessanti suum complementum constitisse arbitrantur. Et de his Tertull. aliquid inaudivisse videtur, quando L. 3. c. 3. adv. Iud. *hircum coccino circumdatum, maledictum & convulsum à toto populo, adeoque manifestis indiciis Dominicæ passionis notatum fuisse ait*, observante Ursino *l. c. p.* 39. Vid. Balduin. *L.* 2. *Pass. Typ. t.* 1. Gerh. *T.* 3. *L. T. de Justit.* §. 37. Frantz. *Disp. in Esa.* 53. Meisn. *Anthroph. dec.* 3. *D.* 25. Grawer. *l. c. diss.* 2. *th.* 15. Sicut & plura hac de re desiderantem, ne τὸ πεπαχθὲν πεπᾶτεῖν videamur, remittimus ad B. Dannhaw. *Disp. de Clav. lig. S.* 1. *p.* 10. Frischm. *in duab. integris Dissert.* Bochart. *in Hierozoic. P.* 1. *p.* 650. *seqq.* Buxtorf. *in recens. Op. Talm. annex. Lib. de Abbrev. Hebr. p.* 218. &c. Add. Hackspan. *not. ad Esa.* 53. Fagius, Lorin. Corn. à Lap. *in Lev.* 16.

§. 28. Et hæc Iudæorum Sacra æmulabantur Gentiles ex πανεργίᾳ & instinctu, ut diximus, ἀρχεκάκου illius Stygii. Quum enim & hi cognitum, perspectumque haberent, delictis hominum offendi, irascique Deos, ex qua ita magna sequi mala tam privata, quam publica, ea ut averterent, victimis imprecari atque immolare iis solebant, quibus placari Numen, reus ipse, aut homo, aut populus purgari, seu februari, peccatum piari ac lustrari dicebatur. Primum illud de Ægyptiis prodidit Herodot. *in Euterpe p.* 53. quos victimarum capitibus πολλὰ καταρᾶσθαι *multa imprecari* scripsit. Et mox: Καταρέονται ἢ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. Κατὰ μὲν νυν τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, καὶ τὴν ἐπίσπεισιν τοῦ οἴνου, πάντες Αἰγύπτιοι νόμοισι τοῖσι αὐτοῖσι χρέωνται ὁμοίως ἐς πάντα τὰ ἱρά. Καὶ ἀπὸ τούτου τοῦ νόμου οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδείς. *Capitibus autem iis imprecantur, ut si quid mali aut immolantibus ipsis, aut universæ Ægypto impendeat, id in caput hoc convertatur* &c. Eadem de re meminit Plutarch. *de Iside & Osirid.* τῇ μὲν κεφαλῇ τοῦ ἱερείου καταρασάμενοι καὶ ἀποκόψαντες εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι, νῦν ἢ τοῖς ξένοις ἀποδίδονται. *In caput victimæ execrati, amputatum in flumen abjiciebant antiquitus, nunc autem peregrinis dant.* Alterum docent locutiones, queis passim Scriptores vim Sacrificiorum exprimere solent, quales sunt Græcis θεοὺς ἱλάσκεσθαι & ἱλάσκεσθαι, Latinis *supplicare, placare, propitiare, impetrare, litare* ac *perlitare*, pacem sanguine exposci, numen sanguine placari, sanguinem dare pro sanguine, &c. ut apud Homer. *Iliad. β. v.* 550. Hesiod. *l. c. v.* 338. Plin. *L.* 8. *c.* 47. *p.* 388. *L.* 12. *c.* 18. *p.* 577. *L.* 13. *c.* 1. *p.* 558. Plaut. *Prol. Aulul. v.* 23. *Pœnul. Act.* 2. *v.* 6. 7. 41. 42. Horat. *L.* 1. *Od.* 36. *v.* 1. *s.* & *Serm. L.* 2. *Satyr.* 3. *v.* 206. Virgil. *l. c.* Sueton. *in Ottone c.* 7. *p.* 694. *Julio c.* 81. *p.* 127. aliosque videre est. Confer. Grot. *Def. Fid. Cath. de Satisf. c. Socin. c.* 7.

§. 29. Quæ sacrificia indies sic sumebant incrementa, ut in horrendam tandem degenerarint ἀνθρωποθυσίαν. Elucet hoc ex Claudiano in Pr. Consul. Stilich. L. 1. *lucos vetusta religione truces* appellante: vere *truces* secundum Lipsium, *Not. in Tacit. Germ. f.* 439. quoniam victimæ, imo & homines, ibidem immolatæ; clarusque multo ex Lucano *L.* 3. *l. c.*

—— —— —— *sed barbara ritu*
Sacra deum structæ diris altaribus aræ,
Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.

Longe enim facilius se veniam impetraturos sperabant, si victima præstantior & ἀντιλύτρου cum eo quod redimeretur, aliqua esset æqualitas, igitur in piaculis faciendis à pecudum ad hominum ventum est mactationem. Caulam hujus impiæ pietatis Gallorum Druides apud Cæsar. 6 *Comm. de Bello Gallic. p* 229. dabant hanc: *Pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium Numen placari.* Atque ut eo magis id obtineret ἀρχαῖος ille ἀνθρωποκτόνος, nempe quod victimis humanis ψιλῶν ἀνθρώπων εὐαρεστεῖται ὁ θεός, seu quod per ἀνθρωποθυσίαν placari possit Deus, qua merus homo pro homine, aut hominibus aliis devoveretur, Abrahami, cui Deus præceperat olim, ut Isaacum, filium suum unicum, eumque charissimum, mactaret, atque sacrificio sibi offerret, exemplum Gentilibus proposuisse videtur. Ita enim *in Lex. Ebr. f.* 111. disserit Buxtorf. *Idolo Molech liberos hominum oblatos fuisse, traducendo eos per ignem, sive comburendo eos, propterea quod Deus Abrahamo dixerat: Assume filium tuum unicum Isaacum, & offer eum in holocaustum, Gen.* 22: 2. *Hinc religio facta & immanibus exemplis comprobata, Jer.* 7: 31. *c.* 19. 2. *&* 2 *Paral.* 28: 3. Quo respexisse etiam, primumque illum ritum, si Phœnicum annales consulas, inter hos introduxisse ferunt Israëlem, vetustissimum Phœniciæ Regem, filium suum μονογενῆ, ut à summo imminentis periculo liberaret regnum, superosque propitios haberet, immolantem. Unde Euseb. *l. c p.* 93. ex Porphyrio: Κρόνος, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἱεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμὸν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν. *Mirum*, ait Seldenus L. 1. Syntagm. de Diis Syr. cap 6. *nisi ad Abrahamum & Isaacum filium respiciat commentum illud.* *Nam* μονογενὴς, *id est*, unicus

unicus filius ille appellatur à Porphyrio Jeoud & à Philone. Verum in Genes. 22. Com. 2. Isaac dicitur בנך את יחידך *id est, filius tuus unicus tuus. Ubi in Jehid ipsum Jeoud fere integrum legimus.* Conf. Dannhawer. *Dram. S. p.* 15. Chytræus *in Gen.* 22.

§. 30. Fabulatur ea quoque de re R. S. Iarchi *in 2 Reg.* 3:27. inquiens: שאל את עבדו מה טיבה של אומה זו שנעשה להם נסים ואלה אמרו לו אביהם אברהם בן יחיד היה לו ואמר לו הקב"ה הקריבהו לפני וזרצה והקריבו לקבה אמר להם אף אני בן בכור יש לי ואלך ואקריבנו ליו: *Interrogavit Rex Moab servos suos, quamobrem tam gratus esset hic populus, Israëliticus nempe, cum quo jam bellum gereret. Cumque ipsi id responsi daretur: Pater eorum, Abraham, filium unicum habebat. Cum autem sanctus benedictus ille ipsum juberet, ut filium sibi offerret, statim lubenti animo ipsum Deo benedicto obtulit. Hoc audito dixit illis: Et mihi filius primogenitus est, ibo igitur & offeram idolo.* Et pudet ipsum Corn. à Lap. *l. c.* ejus, quod Cassianus memorat *L.* 4. *c.* 27. & 28. de Abbatis *Mutii* obedientia, *cujus*, verba sunt Cornelii, *ardore cæcus, filium octennem ex mandato sui senioris in profluentem abjicere voluit:* & addit Cassianus, *hoc institutum Deo sic placuisse, ut continuo seniori revelatum fuerit, hac eum obedientia Abrahæ patriarchæ opus implevisse.* Quocirca Sacrificia ista *ferme per totum terrarum orbem plena erant crudelitatis. Nam receptum ferme ubique, ut humano sanguine Dii placarentur*, ait Grot. *L.* 2. *de Rel. Christ. p.* 71. & Plinius *L.* 30. *c.* 1. de his sacris in unum collectis exclamat: *Adeo ista toti mundo consensere, quanquam discordi & sibi ignoto*; quin adhuc hodie in orbe extero seu Americano & in India tam orientali quam occidentali ejus rei vestigia deprehenduntur. Qui enim oras illas notitiæ hominum tradiderunt, ritum hunc ibi viguisse asserunt.

§. 31. Græcos quidem ab hac ἀνθρωποθυσίας labe puros esse vult Plato *in Minoe p.* 508 dicens: ἡμῖν μὲν ὁ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον. Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς. καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν οἱεῖς τῷ κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας. *Nobis quidem immolare leges non permittunt, sed nefarium est. At apud Carthaginenses justum sanctumque habetur, adeo ut eorum nonnulli filios Saturno sacrificent, ut ipse forsan audivisti.* Verum de suo ævo loquenti Platoni non refragamur; de priscis tamen Græcis id nunquam evincet, *quod nefarium existimaverint homines immolare.* Quem enim fugit, in accessu ad Trojam Agamemnonem suam, qua de §. 16. egimus, sacrificasse Iphigeniam? Agraulo itidem (sive Aglauro vel etiam Agraulidi) Uxori Cecropis I. secundi Atheniensium Regis, Salamine Cypri, ubi templum habet, homo usque ad Diomedis tempora fuit immolatus, Meurs. *L.* 1. *de Reg. Ath. c.* 11. *p.* 59. Virgil. *L.* 5. *de Invent. rer. c.* 8. Add quæ §§. 10, 12, 14. annotavimus. Latini Iovem cumprimis humano placabant sanguine, ut *in Octavio* nos docet Minut. Felix, atque eo usque Romanorum sæviebat gens, donec DCLVII. demum anno U. C. senatus consultum factum est, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud prodigiosa sacra celebrata, teste Plinio *L.* 30. *c.* 1. Conf. §. 10. Sic in bello Punico secundo ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, quæ inter Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario, non quidem combusti, vivi tamen sub terram demissi, Deos ut placarent, malumque averruncarent, memorat Livius *L.* 22. *c.* 57. Plin. *L.* 28. *c.* 2. Plutarch. *in Marcel.* Alex. ab Alexand. *l. c.* Quam sacrificiorum immanitatem, quæ sæpissime etiam in Tyberim de ponte Milvio missione constabat, Hercules ex Hispania reversus apud Latinos, Lactantio & Virgil. *ll. cc.* docentibus sustulit, ritu tamen adhuc permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo, ut Ovidius tradit *L.* 2. *Fastor.*

§. 32. Quid de Carthaginensium sacrilega commemorem barbarie, quos ab immani ἀνθρωποθυσίᾳ ad cineres usque urbis supremos pertinaci, adeo revocare non potuit Persarum Rex Darius, ut nihilo post fervidius in viscera sua sævierint, nihil morati vel ipsorum sacerdotum crucifixionem, de qua Tertull. *c.* 8. *Apolog.* Et Dionys. Hal. *l. c.* inquit: λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ κρόνῳ τοὺς παλαιοὺς, ὥσπερ ἐν καρχηδόνι, τέως ἡ πόλις διέμεινε, καὶ παρὰ κελτοῖς εἰς τόδε χρόνου γίνεται, καὶ ἐν ἄλλοις τισὶ τῶν ἑσπερίων ἐθνῶν, ἀνδροφόνους. Conf. §. 18 & 31. De Pœnis Ennius:

Ille suos Divis mos sacrificare puellos:

apud Nonnium Marcellum, verbo *Puellis.* Galli quoque, averruncandis calamitatibus publicis, Hesum atque Teutatem humanarum hostiarum mactatione ad tympana, tybiasque, ne lamenta puerorum exaudirentur, placarunt, donec à Dario Rege prohiberentur, Reines. *in ἰσοψηφοις Lingu. Punic. c.* 7. Unde Lucan. *L.* 1. *l. c.*

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Idem de iis affirmat Cæsar. l. c. *Natio est*, inquit, *omnis Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur. Sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt*, &c. Itemque Cicero pro Fonteio: *Postremo his quicquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant: ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint? Quis enim ignorat eos usque ad hunc diem, retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?* &c. Conf. Pompon. Mela *L.* 3. *de Situ orbis c.* 2. it. §. 14. & 29.

§. 33. De Phœnicibus sive Cananæis (vid. B. Calov. Grot. Walæus *ad Matth* 5:31.) scribunt Porphyrius *L.* 2. περὶ ἀποχῆς, & Euseb. *l.* §. 29. *c.* Φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν, ἔθυόντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες κρόνῳ. *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ, sacrificabant charissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum;* Euseb. *Orat. in laud. Constantini Cæsar.* Κρόνῳ γὰρ φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων; Athanas. *Orat. adv. Græcos:* Φοίνικες καὶ κρῆτες τὸν κρόνον ἐν ταῖς τεκνοφονίαις ἐθρήσκευον. Conf. Vossius *L.* 1. *de Idolol. p.* 142. Idem ex Sanchuniathone, antiquissimo rerum Phœnicarum Scriptore, refert Philo Byblius *L.* 1. *Hist.* observante Grotio *ad Deut.* 18:10. & *Matth.* 5:31. morem nempe fuisse gentibus illius tractus, ut, cum maximæ calamitates publicæ metuerentur, Regis filium, quem diligerent maxime, pro sacrificio mactarent ad placandam numinis iram. Vid. §. 29. Ammonitas jam Mosis tempore dira hæc sacra observasse Deut. 12:31. (add. 1 Reg. 2:7.) & Sepharvæos Adramelecho & Hanamelecho filios suos igni comburendos dedisse 2 Reg. 17:31. sacer memorat Codex. Conf. Cuneus *de R. E. L.* 2. *c.* 16. *p.* 183. Quid de Moabitis dicam, quorum ipse Rex, cum maximis circumfusus ac clausus hostium esset copiis, filium suum primogenitum & dignitatis regiæ super murum immolavit hæredem 2 Reg. 3:27.

§. 34. Germanis sui temporis tale quid assignat Tacitus *de morib. eor. c.* 9. quod scil. *Mercurio certis diebus humanis hostiis litare fas habeant.* Ubi *in notis* observat Lipsius, hanc diritatem illis cum Gallis fuisse communem, inferiori insuper ævo mansisse. Allegat hanc in rem Procopium *L.* 2. *de Bello Goth.* testantem, Francos, etsi Christum jam colerent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos. Addit quoque ex Ditmaro exemplum Nortmannorum & Danorum, quotannis mense Ianuario Diis suis XCIX. homines, totidemque equos cum canibus & gallis immolantium, usque dum ab ea barbarie Henricus Auceps illos liberarit. Similis Idololatria viguit apud Indos. Mexicani enim quotannis ad 20 hominum millia immolabant dæmoni, Corn. à Lap. *l.* §. 19. *c.* Arcades Iovi Lyceo humanas fecisse hostias, Plinius ostendit *L.* 8. *cap.* 22. *Afrorum Saturnum hominum victima placari apud sæculum licuisse*, in Scorpiac. & *ad Tiberii usque tempora durasse impium illum morem*, *c.* 9. Apol. scribit Tertull. Apud Cypri Salaminem humanam hostiam Iovi Teucrum immolasse, idque sacrificium posteris tradidisse, quod postea imperante Hadriano est sublatum, itemque apud Tauros, inhumanam atque feram gentem, fuisse legem, ut Dianæ hospites immolarentur, Lactant. Virgil. Alex. ab Alexand. *ll. cc.* & Peucer. *de Divin. gen. p.* 371. testantur. Alia, quæ de Ægyptiis, Arabibus, Persis, Thracibus, Rhodiis, Lacedæmoniis, Curetis, Laodiceis, Cimbris, &c. adduci adhuc poterant, silentii peplo involvimus. Prolixum enim nimis foret, omnes & singulas perlustrare nationes ac gentes, & iliada scribere post Homerum; adeant, qui majores sitiunt crateres, autores citatos,

tatos, quibus add. B Ostermann. *in Diss. de ἀνθρωποθυσίᾳ*, it *de Sacrif. Gentil.*

§. 35. Nec inter gentes Dei ignaras hoc βδέλυγμα βδελυγμάτων fixam potuit habere sedem, sed effractis clathris ad ipsum Dei populum, hujusque Duces ac Reges quoque dimanavit. Habemus ejus rei exemplum cumprimis in Iephtha Iudic. 2: 30. qui filiam suam, vi voti Deo facti, in sacrificium obtulit, juxta expressum textum & attestationem ipsius Paraphrastæ Chaldæi, Rabbinorumque vetustissimorum, ut & omnium fere, cum Græcorum, tum Latinorum, Patrum, nostratiumque Theologorum, Calvinianorum itidem plerorumque ac Pontificiorum, quibus de B Calov. *in B. I. ad l. c.* Dannhawer. Pfeiffer. Sennert. *in Disp. de voto Iephth.* & Ludov. Capell. *in Diatr.* apud Cameron. *in Myrothecio:* item in Rege Iudæ Achaz, qui 2 Reg. 16: 3, 4. 2 Chron. 28: 3. adolevisse dicitur in valle filii Hinnomi, & arsisse filios suos igne secundum abominationem gentium. Conf. Ioseph. *L. 9. A. J. c. 12. p. 177.* Cætera, Salomonis nempe, Manassis, brevitatis ergo taciti præterimus. De Iudæis proditum est *Jer. 7: 30, 31. c. 19: 6. c. 32. 35.* & tragice satis depictum ab Heinsio *Act. 1. Herod. Infantic.* quem vide sis.

§. 36. Rabbini nonnulli apud Drusium *ad Loc. Levit. diffic. c 62.* & Selden. *l. c.* nim. Iarchi, Kimchi, Mos. Mikotzi *præcept. Negat.* 40 Maimon. *More Neboch. L. 3. c. 37.* quos alii sequuntur, traductos tantum, exstructis duabus pyris, per ignem & ad eum modum velut Deo initiatos & februatos esse pueros contendunt. Sic enim הרבי גדול *Rabbi Magnus*, ut audit Kimchio, *Lib.* עכום *c. 6. §. 5.* respondet interroganti: כיצרהיו עושין מדליק אש גדולה ול וקח מקצת זרעו ומו סרו לכומרים עובדי האש ואותן הכומרים נותנין הבן לאביו אחר שנמסר בידן הוא שמעביר בנו אל האש ברשות הכומרים ומעביר בצד זה לצד אחר בתוך השלהבת: qua de idololatria, *Pyromantia* aliis dicta, vid. Constant. L'Empereur *in not. ad Itiner. Benjam. p. 214.* Schickard. *in Tarich. p. 126.* At vero & præter hanc februationem immaniter mactatos crematosque etiam fuisse, alii asserunt ex Rabbinis, quos inter Nachmanides. Sic enim legimus: ודעת הרשי זל והרמבם זל שלא היה שורפו אלא העבורה היה להעבירו לבד ומכיון שהעבירו כמו שהיה דרכם להעביר חייב ודעת הרמבן זל שהיה מעבירו בלהב עד שנשמתו יוצאת וראיותיו שעשה חומש פירוש: *Volunt R. S. Jarchi & R. M. b. Maimon: quod illum (pater) non combusserit, sed quod cultus in hoc constiterit, ut traduceret eum tantum; & quod postquam eum more illorum traduxißet, reatum contraxerit. Sed R. M. b. Nachman statuit, quod per ignis flammam tamdiu eum traduxerit, usque dum egressa fuerit anima ejus. Rationes ejus extant in Comment. Pentateuch. quæ adornavit.* Et confirmat 1) *Emphasi* verbi ויזבחו *& sacrificarunt*, quod tali in casu adhibetur, e. g. Ps. 106: 37. ubi dicitur, *mactasse* filios suos, filiasque Dæmoniis, & expresse fit mentio *effusi sanguinis* v. seq. 38. quæ Sacra Scriptor Sapientiæ τεκνοφόνες τελετὰς vocat c. 14: 23. illos vero, qui terram promissam Ebræis ante Ebræos tenuere, τέκνων φονέας ἀνελεήμονας *cap. 12. 5.* add. 2 Reg. 3: 27. Ierem. 7: 31. cap. 19: 5. Ezech. 16: 20, 21. cap 23. 37. 39. 2.) *intentione tradentium*, quos oportebat tradidisse tanquam *sacrificium* legitimum, si reliquis & superstitibus bene esse deberet. Unde R. Bechai ad Levit. 18. scribit, Parentes persuasos fuisse, unius morte reliquos liberos hoc sacrificio à morte ereptum iri, & se tota vita futuros prosperrimos, factumque esse affirmat & R. Levi Barselonius: מפני שהכומרים השקרנים היו מבטיחין אבי הבן כי על ידו תקרובת בן זה יצלח אשר זרעו בכל אשר יפנה ותהיה הברכה והטובה מצויה בביתו ולרוב תרומות לא רצו מתחלה לקבוע החק רק במו שיש לו זרע מלבד אותו שהוא נותן להם בן ימאנו מלשמוע אלהים הן לשורפו לגמרי הן להעבירו בתוך הלהב כדעת קצת המפרשים ולמען יבטיחו גם כן על הברכה והטובה בנשארים ויתפתו מתוך אלהים כן הפתאים: 3) *Scriptorum* fere omnium *consensu*, sententia & interpretatione, Scripturæ loca, ubi de sacrificiis hujus Idoli mentio fit, ita accipientium. Vid. B. Calov. *l. c. ad Jerem. 19: 4.* Glass. *Philol. S. p. 1017.* Grot. *ad Deut. 18: 10.* Sixt. Amama *Antibarb. Bibl. pag. 364.* Selden. *l. c.* Lorin. *in Lev. 20: 2.* Flac. *Clav. Script. col. 1228.* Jun. *T. 1. Opp. col. 1002.*

§. 37. His ita perlustratis, accessum tandem facimus ad id, in quo cardo Dissertationis nostræ versatur, ubi scil. sensus ac notio harum inquirenda est vocum, quam Paulus in mente habuit, quamque Corinthiis declarare voluit. Ubi invenimus quosdam, qui tertiam præferunt sententiam, quod Apostoli sint veluti sacri atque execrabiles, morti & exitio ab universo mundo adjudicati, immolandi per modum publicæ expiationis. Hos inter referendus Ambros. *serm. 8. in Psal. 118. T. 4. Opp.* lustramenta mundi vertens, & B. Luther. tam *in versione*, Fluch & Fegopffer reddens, quam in glossa, voces istas atque mentem suam uberius exponens. Quos sequuntur B. Dannhaw. *in χριστοσοφ. p. 140.* Tarnov. Strigel. *ll. cc.* Paraphr. Vinar. Flacius *in gloss. N. T. super h. l.* Lorin. *in Lev. 1: 4.* Laudatur etiam hanc in sententiam apud Bezam *l. c.* Budæus, cujus locus vero non adducitur. Sed Beza eandem improbat; quod ipsi *non sit verisimile, vel immanem illam consuetudinem fuisse notam, vel Paulum ad eum respexisse.* At nihil roboris habent ejus ἀντίτυπον, cum ritus & mos hic undiquaque & jam à temporibus Trojani belli esset notissimus, ceu ex Iphigeniæ, aliorumque in Disp. cit. immolatione clare patescit. Poterat etiam se sic appellare Apostolus, quasi execrandum caput, quod invisus esset hominibus, veluti piaculum: quomodo *se ἀνάθεμα esse à Christo pro fratribus optabat* Rom. 9: 3. & *superimpendi pro animabus eorum* 2 Cor. 12: 15.

§. 38. Aliis prima arridet opinio, quod Apostoli sint abjectissimi, contemptissimi, quos de se, tanquam quisquilias & purgamenta, depellant omnes homines eosdemque abominentur & exsecrentur. Ita Glass. *l. c. p. 1247.* Erasm. Beza, Heins. Camerar. *ll. cc.* Emm. Sa, Estius, Corn. à Lap. *in h. l.* Nec dissentire nobis videtur Theophyl. *Comment.* Oecumen. *T. 1. Opp.* Theodoret. *T. 3. Opp. in h. l.* Dilher. & Rung. *ll. cc.* item Stengel. *in Mundo Theor. Div. Jud. P. 3. c. 4. n. 3.* & 10. Quidam primam & tertiam conjungunt, ut B. Hunn. Balduin. Selnec. Chemnit. Aret. *in h. l.* Gerh. *Harm. Evang. cap. 178. T. 2. p. 1488.* Fessel. *in Regn. Chr. myst. v.* Fluch der Welt / Grot. Crell. Calvin. Muscul. Marlorat. *in h. l.* Ursin. Leigh. *ll. cc.* Cui sententiæ accedit quoque B. Schmidius *in Vers. & Declar. N. T. Gr. h. l.* ast Præpos. περὶ ferre non potest; quod nulla hujus compositi sit ratio, sed ὡσπερεὶ καθάρματα (sicut Gagnæus ὥσπερ καθάρματα *in h. l.*) legit, *quasi purgamenta*, aut *piaculares hostiæ*, ceu 1 *Cor.* 15: 18. occurrit. Verum enim vero Græci plerumque compositum pro simplici, non urgente necessitate, usurpant, imo auget hic sermonem & rei fœditatem, ut docet B. Calov. & Pareus *in h. l.* scribit. *Addit pondus præpositio περὶ, qs. dicas, sordes undique everrendo collectæ:* (à περικαθαίρω, circumcirca purgo, perpurgo;) *sicut sordes circumquaque scopis converruntur* (& abjiciuntur); *ita everrimur* (& abjicimur) *ut pestilentissimi homines quocunque locorum venerimus.* Add. Beza *l. c.* Calvinus *l. c.* putat, Paulum addendo præpos. περὶ ad ritum ipsum piacularem respexisse, quod miseri illi homines diri devoti per vicos circumducerentur, ut quicquid esset in angulis omnibus mali secum auferrent, quo plenior esset lustratio.

§. 39. Paulo aliter Burroughs Anglus de *Mosis optimis* exponit verbum περικαθαίρειν, & dicit esse idem ac currum stercorarium circumducere per urbem, cui quilibet omnes suas injicit sordes & quisquilias, quilibet etiam in promptu habebat sordes aliquas injiciendas Paulo & reliquis Apostolis. Beza existimat, Apostolum hic respexisse & allusisse ad locum Thren. 3: 45. ubi Jeremias ait: סחי ומאוס *posuisti nos in medio populorum:* ita ut περικάθαρμα respondeat τῷ מאוס, περίψημα vero τῷ סחי. מאוס enim à מאס *reprobare, abjicere, floccipendere*, derivatum significat *rejectaneum*, quod vilipenditur & abjicitur. Ita סחי etiam à R. סחה *verrere, scopare, abradere lutum à pavimento, itidem purgamentum* notat, *abrasionem, rem vilissimam*, quæ *nauseam*, ut transtulit Arias Montanus, movet spectatori, & scopis everritur, docente Rungio *l. c.* Conf Grot. *ad l. c.* Corn. à Lap. *ad h. l.* Pruckner. *in Vindic. Bibl. P. 4 ib.* Leig. *l. c.* Atque id ipsum Rung. Quistorp. Polum. *Synops. Crit. ad l. c* & Palor. *in ψάω*, approbasse videtur. Sed non placet B. Calov. *ad n. l.* quum nec illa ibi habeantur, nec synonyma verba, sive LXX. Interpp. respicias, sive textum At in Ebræo sunt quidem Synonyma cum nostris Græcis convenientia, nim. סחי & מאוס, verum obstat, quod de malis & pœnis, quas Deus cumulavit in populum, seu de complemento pœnarum loquatur Propheta. Paulus vero & Apostoli non ita considerandi sunt ac si pœnarum loco hoc iisdem accidisset, quæ B. Stolbergii est ἐπίκρισις, *in Colleg. Antiqu. Græc. N. T. ad h. vv. §. 6.*

§. 40. Nos cum B. Stolbergio *l. c.* cui sententiæ quoque B. Calov. & Pareus *in h. l.* favere videntur, salva virorum secus sentientium, ὧν κλέος ὑψιποτᾶται, autoritate, omnes tres conjungere malumus significationes. Clarissimum quippe ex usu Græcorum est, καθάρματος voce non unam aliquam sive injurii sive convitii denotari speciem, sed omnia eadem probrorum, maledictorum, contumeliarum, &c. comprehendi genera, ceu supra §. 6. nos docuit Lucianus. Eundem in modum Paulus, cum paulo ante dixisset, quanta sit dignitas ministrorum, quod sint Oeconomi mysteriorum Dei, & sic æstimandi ab omnibus, ut servi Christi fideles; itemque ostendisset,

set, non esse abjectius hominum genus in toto mundo, quam Apostoli & pii ministri, atque extremam eorum descripsisset abjectionem, miserias, calamitates, probra, injurias, contemtus, persecutiones, exilia, verbera, vincula, cruces, &c. tandem summatim illa omnia complectitur & uno velut verbo totam hanc de sua reliquorumque Apostolorum misertima sorte concludit querelam: ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα, q. d. sicut excrementa, quisquiliæ, mastigiæ, i. e. flagris & plagis digna mancipia, & piacula mundi facti sumus, quorum morte terra piari & perpurgari videtur, ut apud Gentiles illi, qui, diris execrationibus onerati atque obruti, pro salute publica abjici solebant.

§. 39. Quomodo enim in SS. Apostolos, aliosque Ecclesiæ Doctores, & constantes doctrinæ Evangelicæ Confessores sævierint Gentes, quomodo ferocissimis bestiis fœdissime discerpendos devorandosque eos objecerint, [qua cruenta & miserabili morte, ut Pauli objectionem sicco prætereamus pede, consumptus Ignatius, Vir Apostolicus & cœlestis veritatis assertor constantissimus, *qui à Præsulis munere (quo Antiochiæ functus) dejectus & ad sedem Imperatoris deductus jubente tandem Trajano tùm temporis fasces Imperii moderante populoque Romano spectante in Amphitheatro à duobus eximiæ magnitudinis leonibus miserè decerptus est*, conf. Euseb. *H. E. L. 3. c. 32. f.* Niceph. *L. 3. c. 19.* Evagrii *H. E. L. 1. c. 16.* Beda *in Martyrol.* &c.] quomodo manibus pedibusque constrictis & vinctis, lapidibus quoque nunc supra nunc infra alligatis, in æquor aut fluvium præterlabentem eos præcipitarint, [cujus moris indicia auctor prodidit Martyrologii Romani III. Idus Martii, *ubi de Sabino Hermopoli in Ægypto Episcopo recenset: divum Virum sub Imperatore Diocletiano multa passum, projectum denique in flumen martyrium consummasse*, vid. Consummatiss. Polyhistor. Dn. Schurtzfleischius, *in Eclog. Antiq. Martyr.* §. 7.] quomodo in igne vivendi finem facere eos coëgerint, ob quam cruentam atrocitatem Cyprianus Carthaginensis Præsul. *L. 4. Ep.* 10. inter alios Christianorum hostes Numidicum vehementer & acerbe increpat, *quod martyrum copiosum numerum lapidibus & flammis necatum ante se miserit, & uxorem lateri suo adhærentem simul cum cæteris concrematam (vel conservatam magis dixerim) lætus adspexerit*:] quomodo gladio eos percusserint, [sicut imperante Claudio Herodes Agrippa Rex τινὰς τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, quosdam de Ecclesia (Æthiops *præpositos domus Dei* vertit,) novis afflictionibus coangustans, Jacobum majorem, Zebedæi filium & Johannis Evangelistæ fratrem, & quidem tanto populi Judaici favore sustulit, ut regnum suum hac cæde stabilivisse videretur:] quomodo in vincula maleficorum instar eos conjecerint, [ut idem Herodes in gratiam iterum Judæorum in ea traxit Petrum, similiter occidendum, qui tamen miraculose ministerio Angelico liberatus est ex iis, & carceres adeo frequentes erant Paulo, ut plerasque ferme ex vinculis scripserit epistolas:] quomodo contumelia eos affecerint, violentas & inimicas illis injecerint manus, flagellaverint, lapidaverint, [e. g. Paulum & Stephanum,] ut tandem omnes, excepto unico Johanne ἐγκολπίῳ, purpurea morte ex hac vita decesserint, atque adeo vere καθάρματα τοῦ κόσμου καὶ πάντων περίψημα fuerint, ex Actis Apostolis præsertim cap. 4: 3. c. 5: 18. 40, 41. c. 7: 59. c. 12: 2, 3. cap. 14: 19. cap. 16: 23. &c. & Martyrologio Pauli, quod ipse 2 Cor. 11: 23, 24. sibi consignavit, nec non Historia Ecclesiastica abunde constat. Sane ut in mari ventis agitato fluctus fluctum pellit atque urget, sic illos, una post aliam persecutio, adeoque mille pericula exceperunt, juxta prædictionem Salvatoris Luc. 21: 12. &c. qui non meliori usus est sorte, sed quem jam præcipitio Luc. 4: 29. jam λιθοβολίᾳ Ioh. 8: 59. cap. 9: 31. seu lapidum jactu tollere insano furore satagebant, nec quiescebant, donec sub Procuratore Iudææ, Pontio Pilato, in crucem eum sustulissent, & ignominiosissima morte affecissent.

§. 40. Patet hoc è Tertulliano quoque *in Apolog. cap.* 2. de gentibus memorante, quod *Christianum hominem omnium scelerum reum Deorum Imperatorem, legum, morum, totius naturæ inimicum existimaverint*: it. *cap.* 36. & 40. quod *judicaverint omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem* (exclamarunt): jactabant publicæ leges in æs incisæ, quod *ex quo Christiani sedibus suis urbibusque pulsi fuere, aëris esset læta temperies, terræ fœcunditas, abundantior ac segetum copia uberior*: add. cap. 12. & 16. item Arnobio L. 1. adv. gentes: *Sed pestilentias inquiunt, & siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures & grandines, resque alias noxias, quibus negotia incursantur humana, dii nobis important injuriis vestris, atque offensionibus exasperati*: & L. 3. *Audetis intendere, nostri nominis caussa res humanas ab Diis premi.* Quibus gemina apud Augustin. *in Ps.* 80. Cyprian. *cont. Demetrian.* aliosque occurrunt. Idem commemorat & verbis ἀξιομνημονεύτοις describit Origen. in cap. 24. Matth. tr. 28. *Propter multitudinem Christianorum dicunt fieri bella, & fames & pestilentias. Frequenter enim famis caussa Christianos culparunt gentiles, & quicunque sapiebant, quæ Gentium sunt: sed & pestilentiarum caussas ad Christi Ecclesiam retulerunt. Scimus autem & apud nos terræ motum factum in locis quibusdam, & factas fuisse quasdam ruinas, ita, ut qui erant impii extra fidem, caussam terræ motus dicerent Christianos, propter quod & persecutiones passæ sunt Ecclesiæ & incensæ sunt. Non solum autem illi, sed & qui videbantur prudentes, talia in publico dicerent; propter Christianos fiunt gravissimi terræ motus.* Meminit similis terræ motus, qui tempore Maximini Imperatoris contigerit, Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus *Epistola ad Cyprianum*, quæ est 75: *edit. Pameliana.* Plura hac de re desiderans citatos adeat Autores, nec non Gregor. Nyssen. *Orat. extr. de laudib. S. Gregorii Thaumaturgi*, Iustin. Martyr. *in Apolog.* 1. *pro Christian.* Elmenhorst. *Observat. ad Arnob. c. gentes f.* 1. & 2. B. Gerhard. Aret. *ll. cc.* & Dresser. *Mill.* 5. à quo uniuscujusque Apostolorum recensetur mors ac finis.

M. JOH.

M. JOH. NIC. HARDTSCHMIDT

ΓΥΝΗ ΑΓΑΜΟΣ

ad 1 Cor. VII: 33, 34.

I. N. J. C.

§. I.



UT dissertationem aliquam conscriptam examini doctorum subjicerem, impulit me cogitatio obsequii Patronis debiti, quibus probanda studia erant, suasit etiam propositi ratio, quæ hoc ordine constat, & Almæ hujus Academiæ legibus hoc modo firmata est. Ut autem talem præ aliis seligerem disserendi materiam, occasioni fuere ea, quæ Pontificii de loco nostro jactare solent; tum contra matrimonium, pro suo cælibatu; tum pro veritate indubitata Versionis Vulgatæ, (a) contra puritatem græci textus, quem immunem non esse à corruptione, vehementer clamant. Tandem etiam, cum Patrum testimoniis quandoque fulcire videntur suam causam, ut appareat, non omnino inhærendum ipsorum assertis fixo pede, utpote vestigiis lubricis, & quæ facile fallant incedentis gradum.

§. II. Inscripsimus autem huic disquisitioni titulum: *Locus Apostolicæ Veritatis*, moti verbis Hieronymi, quibus ipse derogare conatur nostræ lectioni veritatem Apostolicam. Equidem de veritate theologica hujus sententiæ, quod dubitaverit eloquentissimus Pater, non ausim dicere, nisi forte verba id ipsum sonare videantur; sed de veritate potius philologica (ut ita dicam), quæ sectatur interpunctiones sententiæ, & connexionem verborum, tum inter se, tum cum antecedentibus & consequentibus. Etenim illam examinare potissimum, jam non esset hujus loci, aut instituti; nec videtur multum interesse, imo ne quicquam quidem [b] inter veritatem theologicam sententiæ utriusque juxta incisa, ad lectionem Hieronymi & nostram. Evicerimus autem citius, quod titulus promittit; si hanc nostram distinctionem in hoc textu consonam esse & menti & textui cætero Apostolico, demonstratum fuerit.

§. III. Quando igitur res ipsa examinanda est, disceptatur, an textus hic; Πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. Μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, ἵνα ᾖ ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι; sit Apostolicæ veritatis, ad mentem Apostoli, vel hoc modo ab ipso Apostolo scriptus? Quod negat Hieron. dicto loco, & Bellarm. l. c. dum versionem Hieronymi, & ejus correctionem hujus loci approbat, substituens aliam Vulgatæ Versionis, h. m. Qui cum Uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ domini sunt, quod notantibus [c] Autoribus in græco ita legitur: ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται: καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου [d] vel ita; πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται· καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου. Nos igitur hac interpunctione posteriore utraque Vulgatæ dimissa, dicimus, alteram priorem esse Apostolicæ veritatis, & Scriptioni Apostolicæ convenientem, præ illa, quam Vulgata sequitur.

§. IV. Ne vero quicquam impedimenti ad reliqua progressuro obstet, aut præcedens §. aliqua difficultate premi videatur, cum varietas nonnulla sit in lectione B. Glass. & quam annotavit Curcellæjus; existimamus, quæcunque acceptetur tandem, nullam obesse nostro proposito. Cum namque neutra ex his interpunctio sensum alterius scripturæ turbet; nulla quoque, quo ad hanc controversiam, est inter ipsas contraria ratio, adversusque sensus; quin potius optime hac in re ipsis convenire, docet utriusque intenta lectio. Quandoquidem enim Glassiana voci μεμέρισται subjungat colon; Vulgata vero punctum, itemque Curcell. prima itemque secunda vel punctum minus existimavit, quod Rhetoribus cum colo fere idem est; & apud Græcos unico puncto notatur, atque ut in aliis haud dubie à Vulgata, aut neglectum, aut non observatum: vel saltem ad modum Græci textus scriptum est. Post verba autem ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος & ἡ παρθένος sive comma ponatur, cum Vulgata & Curcell. sive omittatur, ipsi sensui nihil derogat, quoniam si cum Hieron: ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος & ἡ παρθένος credantur synonyma, præcepta Rhetorum de interpunctione illæsa servantur, isto commate omisso, cum numerum syllabarum commatis non excedat; Imo si omissum fuerit, ut in lect. Glass. synonymia fortasse magis cognitu obvia fuerit, cum & vocula καὶ id multo magis aliquando postulet.

§. V. Persuadet ergo nobis Veritatem Apostolicam lectionis hodienum in omnibus fere exemplaribus expressæ convenientia styli, quam D. Apostolus toto capite servavit. Vox enim γυνὴ toto capite semper absolute ponitur, & uxorem nuptam denotat; at quid opus, hic innuptam dicere mulierem, cum Vox sequatur παρθένος? cur non nostra lectione, genere scribendi Apostolo usitato vox γυνὴ sine additamento legitur? Ne vero quis existimet, notari viduam, id claritati sermonis Apostolici haud videtur congruum, ut qui cum viduam signaret, χήραν vocavit, v. 8. Nec significatio eadem vocis ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, & ἡ παρθένος, cogit ad contrariam sententiam: Præterquam enim, quod concursus vocalium in hoc capite nusquam alias observatus, pronuntiationi minus inserviat; etiam conjunctio harum vocum dubiam reddit Apostoli mentem, teste ipso Hier. nec ad percipiendam differentiam inter mulierem nuptam & non nuptam, quicquam facit excogitata synonymia vocis ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος & παρθένος.

§. VI. Non igitur redundantiam quandam sermoni Apostolico inesse, facile quisquam asseruerit: quam incurret certe Vir divinus, si voces ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος & παρθένος recurrant invicem suo sensu. Vox enim γυνὴ ἄγαμος non exponit posteriorem παρθένος; at si hæc posterior vox interpres prioris sit, quid opus, contra tot librorum testimonia, conjungere illam huic, quæ nec sensui, nec declarationi adjumentum ferat. Taceo, quod divini scriptores non tam sermonis superfluam copiam, quam sententiarum concisam dictionem magis sectati fuerint, ne tantis rebus aptata oratio gravis luxuriare verborum pompa videretur. At si vox ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος viduam notet, (ut videtur tali applicuisse Hieron. de Viduis) sive mater sit, sive non, vix esse potest, ut non curet τὰ τοῦ κόσμου, quod tamen de suis prædicat Apostolus.

§. VII. Succurrit causæ nostræ evitata verborum transpositio, quam illi coguntur asserere, quibus Vulgata arridet. Vox enim ἡ ἄγαμος post punctum voci παρθένος postposita, anteriorem stationem occupet necesse est, deturbata altera è loco suo. Quis autem auguraretur hanc mutationem constructionis? & quidni antiquiores id observaverint? Accedat, quod haut levis momenti est, in editione Vulgata etiam plures voces reperiri, quæ juxta sententiam nostram, nostramque lectionem essent omissæ. Vox enim καὶ in nostris codicibus semel, atque juxta alteram opinionem ter legitur; perierit igitur hac ratione non tantum jota ex Scriptura sacra, sed integræ voces, quod destruere omnino censendum est Christi augustissimum promissum. (e) Nullam autem hic suspicari quis posset rationem

[a] *Bellarm. l. 2. de V. D. c. 7. & 9.* [b] *Glass. Philol. S. Tr. 2. l. 1. de Textus N. Testam. puritate, p. 76.* [c] *apud Glass. l. c.* [d] *Curcellæi Edit.*

(e) *Luc. 21. 33.*

nem causamve, quare situs vocum mutatus, voces expunctæ, & distinctiones variatæ fuerint; dum nec patrocinium præbere potuerit hæreticis corruptus locus, nec id sine censoria nota Patres vetustiores dimissuri fuissent; neque etiam divina providentia vel malitiosis, vel negligentibus & incuriis hanc permissura fuisset licentiam, ut per 400. annos, ad tempora Ambrosii, Augustini atque Hieronymi, nullus hanc levitatem in Scriptoribus animadvertere, vel voluerit, vel ausus fuerit. Absit hæc quisquam sibi persuadeat, qui modo seria attentaque æstimatione divinam curam de Verbo suo, mente devota reputet.

§. VIII. A partibus nostris stat usurpata Apostol. συμπλοκὴ Rhetoribus dicta, quæ haud dubie eadem quoque recurrit in nostro textu, ut quam evincit utriusque oppositio. Versu enim 32. de maribus dixerat; itemque v. 33. ostenderat discrimen inter maritos & cœlibes, quorum hic μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου; ille vero τὰ τοῦ κόσμου. Liceat autem evidenter ex textu colligere, eundem fuisse v. 34. scopum; scilicet demonstrare, quæ inter nuptam & fœminam virginem intersit differentia atque iisdem fere verbis expressurum fuisse Apostolum, ut v. 32. si nostra lectio placeat: Incipit enim ille v. 32. ὁ ἄγαμος; hic ἡ ἄγαμος; in altero membro vero v. 32. ponitur ὁ δὲ γαμήσας, in v. 34. ἡ δὲ γαμήσασα. Quidni igitur Apostolus, cum in ἀποδόσει, seu posteriori membro, æquales servaverit discriminis utriusque notas, easdem quoque tenuerit, in προτάσει, s. priori membro.

§. IX. Et certe pugnat pro nostra lectione evidentia verborum, connexionis ac sensus; nec dubia redditur verborum significatio, aut involvitur eo obscuritatis periculo, quo implicita est lectio Vulgatæ. Quid enim sit μεμέρισται, utrum significet divisus est à Deo; quod aliquibus placet, sed de dignitate conjugii inique nimis sentientibus; vel distractus est, sc. variis negotiis domesticis mundanisque, quod rei ipsi non adeo est adversum, modo ne nimis late extendatur, ambigunt adhuc autores. Dum autem ἡ ἄγαμος γυνὴ & παρθένος alius synonyma putat, alius virgines & viduas denotari contendit, dubium est, quam sententiam tuto sequaris, ut tandem in solido firmare mentem possis. (f) Hieron. enim agnoscit, quod non omnis innupta, virgo sit; at omnis virgo innupta; quod si de virgine spiritu, ut ipse expresse exponit, intellectum vult, egregie fallitur; quandoquidem non infrequens sit Scripturæ omnibus omnino Sanctis hunc impertire titulum, (g) quales in conjugio quoque vivere & vixisse dubium nullum esse debet. Etiam ipse Magni alias Nominis Pater Hieronymus hæc duo vocabula, aut ob elegantiam conjuncta contendit, aut ad definiendam de innupta sententiam, quod sc. virgo intelligatur; incertus fere, quid tandem statuere debeat.

§. X. Nec parvum his rationibus robur accrescet, si cum Pontificiis rei veritatem ex antiquitate æstimes: quod argumentum quidem majore jure & efficacia producitur, ubi à Versione ad ipsos librorum Codices primos provocatur. Nostra namque lectio jam sæculo III. invaluit, atque recepta fuit. Vetustissima enim editio Latina, quam correxisse Hieronymus fertur, (h) jamjam eodem modo textum legit, quo nos. Et monet Hieron. ipse, (i) in Latinis Codicibus ita legi, ut nostris in libris reperitur scriptum. Erit itaque haud dubie præferenda alteri, cum antiquitate reliquas superet, & cæteris, si non omnino clarior, luce tamen & perspicuitate nequicquam cedat.

§. XI. Denique si numerus testium certitudinem rei probat, nostra sententia vicit. Etenim B. Glass. [k] ad omnia exemplaria (exceptis duobus) provocat, & quotquot hactenus mihi legere datum est, nulla, vel pauca tantum, verba, aut incisa, majoresque distinctiones mutaverunt. Asserit etiam Hieronymus ipse: [l] *Habet hæc lectio suum sensum, & pro qualitate loci sic à me edissertum est:* nimirum contra Helvid. ad finem fere: [m] Ubi, *Quid*, inquit, *oblatras? quid repugnas? Vas electionis hæc loquitur, divisa est, dicens, mulier & Virgo:* Quæ eadem verba eodem prorsus modo repetit ad Eustochium. [n] Et quæ qualitas loci Hieron. tandem coëgit, quo minus veritatem Apostolicam amplecteretur? aut quid proposito magis inservit, si lectione nostra rejecta retineret alteram? Denique qua ratione non sit veritatis Apostolicæ, quod Vas electionis utroque loco Apostolus dictus protulit, nec ratione, aut suspicione quisquam facile divinari poterit.

§. XII. Nostræ autem sententiæ non obstant, quæ passim hinc inde in contrarium adferri possent. Ut, quod Hieronymus neget veritatis Apostolicæ esse; quod reprehendit hunc locum, atque eundem emendavit & correxit: (o) Nec Vulgata versio etiam multum negotii nobis facessit: Bellarmini autem testimonium domesticum in causa dubia & propria suspectum esse, quis dubitaverit? Numerus denique Codicum hanc nostram lectionem nequaquam destruit, ut paulo post ostendemus.

§. XIII. Hieronymum enim, ejusque autoritatem, ut dictatoriam nobis hic obtrudi nequaquam passuri sumus; ut qui nostram lectionem prius secutus, nec infirmitati exemptus humanæ, etiam in multis ab ipso lapsu non immunis fuerit. *Multa enim Viro Sancto in favorem Virginitatis exciderunt coacta & violenta; cum iniquior fuerit matrimonio*, fatente Cano. (p) Quod certe testimonium cuivis facile apparet verissimum, modo ipse citatos tractatus evolvat, videatque acerbe exagitatum passim Jovinianum. Quid, quod initio statim, ubi v. 1. c. 7. 1 Cor. citaverat καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, male concludit, E. malum est mulierem tangere; & non tantum præferendum cælibatum asserit, sed & ut malum, conjugia damnat, & zelo ferventior, quam ut Apostoli καλὸν observaret exponendum esse, non de virtute, cujus actus contrarius involvat peccatum, sed de bono utilitatis, quodque conducat periculosis illis temporibus, cum gravissimæ diræque instarent persecutiones. Neque in certaminis sui ardore constitutus attendit proprie dici v. 9. κρεῖσσον γάρ ἐστι &c. & quod expresse Apostolus v. 28. ἐὰν δὲ γήμῃς, οὐχ ἥμαρτες, adjecit. Quomodo ergo malum, si peccatum non est; addatur & alibi D. Paulus 1 Cor. c. 2. v. 12. Et ne Cardinalis Bellarm. ulli fidem habeat, de judicio Hieronymi fallibili & erroneo interdum, prodeat ipse, & quæ de Patre hoc sentiat, libere profiteatur: Inquit autem ille, *Hieronymi suspicio falsa fuit*; (q) sc. cum petere videretur authoritatem hominis P. R. falsa fuit suspicio, at non item, cum divinas literas aggrederetur. Imo *cum explicaverit alibi, aliter ac res se habet, in gratiam Paulæ & Eustochii*, (r) quid mirum, si dicatur, in gratiam sui contra Jovinianum adversarium suum, nimium quoque sibi indulsisse doctissimum Patrem. Cum & evenire potuerit, ut existimaret esse ita textum legendum, atque antiquam Versionem mutandam, dum scriberet contra Jovin. quod tamen immutandum non erat; quæ suspicio est Bellarmini de non emendatis erroribus Vulgatæ reliquis. (s) Tandem fatetur Estius, (t) suffragari nostræ lectioni Basilium, Tertullianum, Augustinum, Hieronymum ipsum, locis à nobis supra citatis. Liceat ergo tuto rejicere gravissimis de causis, quod, nulla ductus ratione Hieronymus (venerandus alias Pater) nobis obtrudere voluit.

§. XIV. Ad testimonium Vulgati, (quod Vulgi recte dixeris) mirum non est, si Romanenses provocare audeant, ut quos negantes ejus autoritatem Concil. Trident. fulmine anathematis petit, an feriat etiam, incertum est. Attamen doctissimum Bellarminum (ut apud suos audit) non erubuisse producere Vulgatam, mirandum omnino est. Nolumus autem ea, quæ à Catholicis sunt fuse atque satis discussa, hic denuo repetere. Vitia certe ejus si spectes, innumera fere sunt, & nonnunquam à veritate, imo & proprietate verborum ipsius textus ita abludit, ut vel nova Biblia, vel novam Grammaticam inde cudere attento lectori haud difficile fuerit. Nec Bellarmini Patrocinium securitatem ipsi præstat per τὸ potest esse, quod ita Textus Græcus legerit; destruitur enim sine magno nisu, per τὸ potest non esse, vel potest esse, quod ita non legerit. Si vero variantes lectiones causæ Pontificiæ prodesse videntur, tum qua ratione illi textum græcum sub examen vocant ad regulam Vulgatæ Versionis, nos etiam vulgares atque vernaculas Editiones ac versiones, statuemus judices, vel normam Vulgatæ, & absque dubio facile illam destruemus, vel si paulo iniquior ipsis videatur hæc conditio; age lectiones variæ ipsius Vulgatæ conferantur, (u) (de quibus Curcell. in præfat. ad N. T.) & penitus corruptam cognoscere haud grave erit.

§. XV. Neque vero Nobis vertetur vitio, si autoritatem Vulgatæ insufficiens præbere testimonium asseramus. Etenim in cæteris rationibus, quare in testimonio contra græcum textum non recipiamus, causa hæc quoque est, quod plane ejus autoritatem negamus, à qua negata nihil concluditur. Testis enim de domo est, qui suspectus, merito rejicitur. Nec injurii sumus hac in re in adversarios. Cum enim illi Versionem B. Lutheri, elegantiore stylo editam, & sensui ac vi verborum convenientiorem

(f) *fol.* 27. (g) *Matth.* 25. 1. *Apoc.* 14: 4. (h) *apud Bellarm. l.* 2. *de Verbo Dei, c.* 9. (i) *l. c.* [k] *l. c.* [l] *l. c.* [m] *f.* 14. [n] *Edit. Erasmi, f.* 141. *an.* 1537.

(o) *Bellarm. l. c.* (p) *ita Espenc. l.* 1. *de Contin. c.* 9. *apud B. D. Scherz. A. B. pag.* 106. *l.* ζ. (q) *l.* 3. *de R. P. cap.* 3. *in fine.* (r) *Bellarm. l.* 3. *de R. P. c.* 13. (s) *l.* 2. *de V. D. c.* 9. §. *praterea.* (t) *apud B. Scherz. A. B. pag.* 104. (u) *B. Glass. Ph. S. l.* 1. *Tract.* 2. *p.* 138.

tiorem præ Vulgata, non admittant, quod favore suo erga nos, ipsis suspecta creditur; nos utique multo majore jure Vulgatam minus latine, & minus ad sensum verborum loquentem, possumus dimittere.

§. XVI. Et quid puri aut corrupti textus Græci, indicem Vulgatum statueremus, & trutinam, ad quam exigatur integritas fontium? cum ex rivulis turbidis, altumque limum vehentibus, fontium ipsorum lutosam scaturiginem non liceat sibi illico imaginari: quoniam, & solum, quandoque & imbres fluminis aquas alias puras turbant. Vulgata autem quid aliud est? quam versio quædam ex fonte purissimo: perierit ergo puritas ejus, & hominum vitio turbida sit facta Versio, uti revera est; non tamen ea arguet græcum textum alicujus corruptionis. Regula vero adeo esse non potest Codicis Græci, ut potius juxta Orthodoxos, tota ad eum examinanda sit. Philosophorum enim est effatum, primum in unoquovis genere est mensura reliquorum: Erit ergo textus Græcus ille, ad quem judicanda Vulgata Versio: aut si hæc obtinuerit, dicant quæso, ubi puritas Græci textus ante versionem extiterit? Non ergo Vulgata regula erit opere suo posterior, cui dimetiendo destinata est, & à quo in se & cognitione sua dependet. Præterea si in his vacillat Vulgatæ fides, quæ emendavit Hieronymus, neque reliqua non sunt suspecta; aut major deferenda illis est autoritas, quam Versioni, quæ ignorantia potius, quam malitia à scopo & veritate aberravit, ac proinde contra authenticum textum ne quicquam obtinet.

§. XVII. Consensus equidem Bellarmini cum Vulgata non impedit, quo minus utrumque rejiciamus. Cardinali enim in hac causa non addiximus credulitatem nostram, nec fidem habebimus, usque dum rationibus sententiam suam propugnet. Quia nuda hominis autoritas hic nobis persuadere non potest, ut quem fallere & falli contingit, cum non sit Papa, qui è cathedra definiat: Opponemus nos illi peritiorem in linguis B. Lutherum nostrum, aut si repudiet eum; Estium suum, (v) Interpretem Scripturæ sagaciorem; qui primum Hieronymum ita transtulisse affirmat; & Iustinianum Iesuitam, qui utramque lectionem veram pronuntiat: Et ad fidei controversias vix quicquam facit judicio Erbermann: Merito igitur non probatæ fidei testis nobis habetur Cardinalis, ut qui pro Vulgata sua plures paginas compleverit, quo à vitiis & erroribus immunem redderet; pro Græci fontis puritate, ne quicquam laboraverit; quin potius errores in eam irrepsisse asseret, ut non tutum sit, semper latina ad illam corrigere. (x) Porro etiam cum constet, Bellarminum coactum autoritatem Vulgatæ adstruere anathematis metu, certe mirum non est, eum, etiamsi haud dubie melius de hac controversia informaretur, in spem futuri Pontificatus, Concilium Tridentinum noluisse deserere. Imo genius Bellarm. relucens clarissime, Cardinalem è numero testium expungit. Id enim sibi tantum sumpsit laboris, cum aliis, ut variis lectionibus, vel omissionibus, vel corruptionibus dubiam faciat non tantum Scripturæ literam, sed & sensum; quo vel facilius in turbido piscetur, vel etiam Scripturis Sacris invitis, aliquem interpretem & judicem controversiarum visibilem extorqueat, qui genuinum sensum, veramque lectionem definiat, atque decernat, quam ob causam etiam præfert h. l. Bellarminus Vulgatam Græco textui; ut ostenderet infallibile judicium Papæ Damasi, scilicet cujus jussu correxisse dicitur Hieronymus Latinam Versionem; utque hac ratione etiam Concilii Tridentini Canones confirmatos roboraret. Cum igitur neque in foro testis, qui partium studio addictus est, ad dicendum testimonium admittatur, præsertim si animus infensus in alterutram partem notus sit, & voluntas de opprimendo altero constet; multo minus hic in causa sacra, ubi de fidei nostræ principio agitatur quæstio, talem non audimus, qui totus quantus quantus est (dum sibi constat) occupatus prava opinione in gratiam suorum dixit.

§. XVIII. Præterea qualem autoritatem contra sententiam nostram obtineant duo Codices Græci, edisserendum est. Lectionem Vulgati in duobus Codicibus deprehendisse Robertum Stephanum, refert Glass. (z) & quidem cum veritate, ut inspicienti R. Steph. exemplar Francofurti impressum anno 1601. patet ultro in lectione Cap. 7. 1 Cor. Verum si liceat nobis adjumento accipere arma eorum, contra quos pugnamus, facilis erit conjectura, id vitio Typographorum accidisse. Est hoc frequens subsidium, quod sibi advocat Bellarm. tum in defensione Vulgatæ contra Græcum textum, tum etiam in responsione ipsa ad argumenta adversariorum. Obtineat igitur & hic suspicio talis, donec contrarium demonstretur. Quam facile enim fieri potuit, ut notarius exscribens vel incuria transpositis literis, vel etiam, si exemplari minus accurato aut expressis literarum figuris usus sit, interpunctionis ordinem turbaverit. Alter denique descripserit ab hoc, non collatis aliis exemplaribus; Erraverit ergo unus incuria, alter ignorantia, & neutrius testimonio Vulgata lectio fulciri poterit. Non enim excusa aut impressa fuêre, quæ allegat exemplaria Stephan. Claris namque verbis ipse in Præfat: ad Studiosos Sacrarum literarum initio statim inquit: Τὴν νέαν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ διαθήκην, ἣ τινι ὑπὸ πνευματοφόρων ἀνδρῶν γλώττῃ γέγραπται, παλαιοτάτοις ἑκκαίδεκα αὐτογράφοις ὡς οἷόν τε ἦν ἐπιμελέστατα ἀντιπαραβαλόντες, &c. *Novum Domini nostri Jesu Christi Testamentum, qua, à viris à Spiritu sancto actis, lingua, scriptum est, cum vetustissimis sedecim exemplaribus manuscriptis cura, quanta fieri potuit maxima, conferentes &c.* Nostra autem lectio & vetustissima est, & in probatissimis manuscriptis reperitur. Nimirum in Complutensi editione, *quæ olim ad antiquissima exemplaria fuit excusa* (verba sunt Versionis citatæ Præfat.) tum (2) in vetustissimo exemplari in Italia ab amicis collato cum aliis sub numero 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10. & 15. notatis; *iis scilicet quæ ex Bibliothecis Regis habuimus. Cætera autem sunt ea, quæ undique corrogare licuit.* Reperitur vero lectio altera, notante R. Steph. in margine l. c. in quinto, quod unicum exemplar cum reliquis Regiis collatum, autoritatis efficacis esse nequit: Undecimum vero notatum per ια, nec inter antiquissima, nec inter Regia quidem repertum est. Quare suffragia duorum etiam reliquis testium partibus ac virtutibus infirmiorum contra XIV. nulla cum victoria pugnare poterunt unquam, præprimis cum Steph. ipse hanc nostram secutus sit lectionem & interpunctionem.

§. XIX. Nec vero his solis Editionibus nititur argumentum à testimonio Veterum. Fatetur enim Estius, l. c. *Nostris Codicibus suffragari omnes Græcorum Commentarios:* Hic ergo Pontificius majorem numerum testium adducit lectionis nostræ, quam suæ, cui tamen fidem omnem adjurare tenebatur. Lubeat addere aliquem ex recentioribus, cujus equidem testimonium hic non adeo invalidum erit; Hugo Grotius is est, qui in Annotat. ad h. l. nostrum legit, μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ. Nec ergo etiam hic à nostra opinione recedit, sed posthabet Vulgatam Romanam, *qui tamen Pontificiorum causam alias frequenter agit*; judice Magnif. & Venerando D. D. Calov: (a) Imo Grot. etiam exponit μεμέρισται ad nostrum sensum, per distat: quia quæ dividuntur, distent. Firmata ergo est autoritas lectionis nostræ, etiam dum diversam lectionem auctoritate plurium discussimus.

§. XX. Ambrosius equidem de viduis, & Augustinus de bono viduitatis, dicuntur ad modum Vulgatæ legisse, (b) sed in genere quod hos attinet Patres, à latina Versione contra authentiam græci textus haud sane argumentum validum duxeris. Et deinde, cum ex Bellarmino (c) supponere liceat cum B. Aug. l. 2. doct. Christianæ c. 11. Editiones latinas Testamenti Nov. ex Græco fonte ante tempora Hieronymi prope innumerabiles fuisse; & Vulgatam receptam esse tempore Augustini & Ambrosii, quod tamen prorsus incertum est; Omnino si alias, quam vulgatam secuti sunt, causa sua ceciderunt, quicunque proferre ejus autoritatem contra nostram sententiam ausi fuerint: Ipse enim Augustinus judicio suo reprobat illas l. c. (d) Qui, inquiens, ex Hebræa lingua Scripturas in græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporis in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Qualis vero autoritatis fuerint habitæ Versiones hæ, docet Hieronymus, Præfat. in Ios. dum ait; Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices, cum unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est. Non igitur si ex his desumta est dictio Patrum nobis obverti poterit, ut quæ ab ipsis non optimo quoque notatæ sint calculo. Si vero Vulgatam acceptarunt duo citati Patres, ejus autoritas jam supra convulsa, nobis non officit; fuit enim hæc ex Latinis una, quæ jam ante Hieronymum extabat, (f) at Hieronymum correxisse incertum; hunc vero locum (si fecit,) emendasse omnino dubium est, & si certum, non tamen recte factum.

§. XXI. In specie quod concernit Augustinum; Ipse sibi non arrogat infallibile testimonium; quare absque tanti Patris injuria licebit tot argumentis convicto de autoritate ejus dubitare,

(v) *apud B. Scherz, l. c.* (x) *Bellarm. l. 2. de V. D. c. 7.* (z) *l. 1. Ph. S. Tract. 11. p. 175.*

(a) *Bibl. Illustr. ad 1 Corinth. 7: 32.* (b) *apud B. Glass. l. c.* (c) *l. 2. de V. D. c. 8.* (d) *apud Bellarm. l. c.* (e) *Ibid.* (f) *Bellarm. l. 2. de V. D. c. 9.*

re, cum ipse Scripta sua cum judicio, censura & discretione veri à falso legi optet jubeatque. (g) Præsertim igitur & hoc observasse haud abs re erit hic; cum constet, B. Augustinum vix mediocriter calluisse græca. Ambrosius autem, si in gratiam viduarum scripsit hunc nostrum textum ad Lectionem Vulgatam, suspectum præbet nec admittendum testimonium; sin minus, quod in citandis dictis fieri solitum est, transpositis verbis, nostram lectionem non ut falsam rejecerit, nihil quicquam nobis obest, & si quoque nostram lectionem spuriam habuisset, id nimio zelo, ut & Hieronymo, ipsi excidisse, fatendum esset. Sed est veritati consentaneum, quod lectionem hanc repererit in aliquo exemplari, de quibus §. præcedentibus judicium Hieronymi appositum est, & ita non inspecto textu græco, ad modum exemplaris sui hæc reddidisse: Hæc enim tantum verba ponit: Et mulier innupta & virgo cogitat &c. (ut ex initio allegati tractatus (h) statim apparet). Quid, quod ipse per mulierem innuptam intelligat viduam, quod Hieronymo nondum certum est; teste ipsius expositione supra allata. Et si judicio nostro etiam sententia aperienda est, Hieronymi opinio à genuino sensu verborum & reipsa minus abesse videtur, quando de iisdem dici existimat, mulier innupta & virgo. Etenim Prædicatum ἁγία de corpore intellectum, non excludit uxorem, ut quæ majori cura intenta est, ne sanctitatis studio posthabito, & illecebris mundanis illaqueata, corporis castitatem exuat; quod quanto majus peccatum, tanto majore diligentia & ardore cavendum est. Iam vero si Sanctitatem utrique, & uxori communem & viduæ intelligat, nulla ratio adferri potest, cur de vidua intelligendus locus, adeoque incertum relinquitur, num Apostolica sententia Viduas & Virgines copulaverit; quod vult Ambros. l. c. quæ rem intente spectanti aperte sententiam nostram probabunt. Cum igitur in re ipsa autoritas vacillet, quid ni de testimonio etiam dubitari possit? Et nihil impedit, quo minus, quod de genuina lectione nostra Hieronymus, nos de spuria dicamus; pro qualitate loci sic ab Ambrosio edissertum esse, ut argumento de viduis commodior esset transitus, & ipsa tractatio firmior, quandoquidem Ambros. eam roboret hoc argumento, quod Virginibus apud Paulum adjungantur Viduæ. Hauserit itaque ex latinis Codicibus Ambrosius, cum Hieron: Præfat. in 4. Evang. ad Damasum quærimus, *quibusnam fides adhibenda?* Ex Græcis vero descripserit; nullum poterit produci exemplar antiquum, quod hanc probet lectionem, quo non dentur pro nostra sententia & vetustiora & probatiora. Ambrosium autem Hieronymi lectionem, quæ à Vulgata producitur, secutum esse, nulla probabili ratione adstruitur. Cum confutatio Ioviniani, incertum an in Ambrosii manus venerit; & si quid tale accidisset, num eandem habuisset, cum de viduarum laudibus conscriberet opus? Hieronymi autem Editionem à Damaso probatam, & pro authentica habitam, nullisque erroribus obnoxiam, falsum adeo est; ut Bellarm. ipse asserat, restare plures errores, quos dicat Hieronymus se non correxisse, vel quod temere suspicatur Cardinalis, (i) *initio existimasse corrigenda, quæ postmodum non censeret esse corrigenda.* Quæ tamen præsumtio si vera esset, nostras juvaret partes; cum utramque lectionem tenuerit Hieronymus locis supra allatis. Taceo, quod ætate scriptisque posterior Ambrosio, Hieronymus alicubi minus candide de libris ejus sentire videatur. In reliquis hoc tantum ponamus, quod Præfat. in homilias in Lucam, recitante Ruffino, (nam opus hoc intercidit) taxat illum in Comment. in Lucam, ut *verbis ludentem, sententiis dormitantem, denique Græcorum plumis sese venditantem.* (k)

(g) *Apud B. Schertz. A B. p. 79. l. B.* (h) *de viduis.* (i) *L. 2. de V. D. c. 9.* (k) *Erasmus Epist. Nuncupat. in Ambros.*

§. XXII. Subjungamus tandem his duas adhuc variantes lectiones, quas ex numero multorum exemplarium legere licuit. Coloniæ Allobrogum altera edita est anno 1619. in quarto, impressa apud Petrum de la Roviere, & nec cum Vulgata convenit, neque cum nostra prorsus eodem modo distinguit textum; ita vero illa πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί· μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου. Altera vero editio in 12. anno 1628. apud Iohan. de Tounes h. m. ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου &c. Sunt equidem hæ editiones novæ, ut vel nequicquam derogare possint autoritati Vetustissimorum Codicum; & quia prior lectio ex antiquitate habet Testimonium Theodoreti, qui Comment. in h. l. sic legit: ideo utramque examinabimus breviter, ne Lectori B. hæreat dubium. Conveniunt itaque in hoc, quod post παρθένος cogant mutare interpunctionem ad nostram lectionem, si sensum aliquem inde elicere velis, non omnino absurdum, aut coactum. In priore enim si μεμέρισται duobus punctis includatur, qualis sensus erit: divisus, vel divisa est. Et mulier & virgo. Deleto igitur post μεμέρισται puncto, lectio nostra erit, excepto solis inciso, quod tamen omissum nihil negotii facessit. In altera tantum τῷ μεμέρισται præponatur punctum, textus pro nostra stabit lectione, ut prior. Hæc autem conjectura multo facilior est, quam præsumere transpositionem vocis ἄγαμος, & omissam voculam καὶ in utraque Editione, quæ in Vulgata abundat, ut ex lectione apparet. Accedit, quod si ad lectionem alicujus exemplaris, quod Vulgatam sequitur, impressa est, concidat autoritas ultro, cum Vulgata supra jam corruerit.

§. XXIII. Ne autem numero impares videamur, qui robore argumentorum hactenus superiores extitimus, addamus Codices, qui ad nos pervenerunt. Etenim & limatissima Editio Clarissimi Dni Bœcleri p. m. in 12. anno 1660. impressa Argent: sua lectione nostram approbat. Sic & Erasmus, Philologus egregius, retinuit eam, exponens Græca: divisa sunt hæc duo, mulier & virgo. Eandemque sequitur alia in 4. Francof. edita apud Wust. 1673. & in 8. quæ anno 1674. prodiit. Itemque alia impressa anno 1629. Hannov. ad Edit. Roberti Stephani. Consentit ea etiam, quæ Ultrajecti impressa in 12. forma, 1675. Præterea Bibliorum Opus Regium in Biblioth. Illustris Academiæ Wittenberg. non plures adnotat editiones diversum à nobis sentientes, quam duas, ut Stephan. Et post Vulgatam, excepta Æthiopica, quæ suspecta est, omnes Versiones nostram lectionem sequuntur. Sic & apud Bezam Basilius περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ &c. & Chrysost. in Comment. Basileæ edito, anno 1541. in Epist. Pauli, cui præfixa Præfat. Ph. Melanchtonis. Theophilactus & OEcumenius in h. l. Vetus quoque exemplar in eadem laudata Bibliotheca Argentinæ impressum 1521. & aliud Wittebergæ excusum αχκϛ i. e. anno 1622. pro nobis sunt. Est ergo lectio nostra *veritatis Apostolicæ*, neque textus græcus ad Vulgatam corrigendus, cum lapis amussi sit applicandus, non amussis ad petram; & ex fonte aquæ dulcedo, non ex rivulo infecto ejus amaror æstimandus sit.

§. XXIV. Esto igitur hic terminus, quo sistatur dissertatio nostra Academica. Ansam præbuimus scrutandi ulterius ea, quæ circa similem materiam occurrunt plura, cum nobis pro præsenti sufficiat excussisse dubia, quæ hinc inde menti nostræ obversabantur. Ostendere voluimus discendi desiderium hoc ipso conatu, quem Patronis & Præceptoribus commendamus, Ipsos vero Deo,

CUI SOLI GLORIA!

JOH.

JOH. CONR. DANHAUWERI

HYPOPIASMUS

Pygmomachiæ Paulinæ.

ad 1 Corinth. 9: 27.

HYPOPIASMI PAULINI

PROOEMIUM.



Cum apud Græcos æque ac Romanos varia fuerint certaminum gymnasmata, *Quatuor antiquos celebravit Achia ludos*, Olympia nempe, Nemea, Pythia, Isthmia, in quibus quinque certandi modi usitati, saltus, cursus, jactus, jaculum, lucta. hinc Pentathlum, sive quinquertium apud *Jul. Polluc.* l. 3. c. 30. l. 34. cap. 8. *Artemidor.* lib. 1. onirocrit. cap. 59. & seqq. *Timonides* lib. 1. anthol. cap. 1. epigr. ult.

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.
Isthmia & Pythia Diophon Philonis Filius vicit
Saltu, cursu, disco, jaculo, lucta.

Unde Gentium Doctor militiæ ac agonis spiritualis petit similitudinem 1 Tim: 12. 2 Tim. 2: 5. c. 4: 7. Phil. 1: 30. cap. 4: 3. Hebr. 10: 32, 33. Col. 1: 29. Eph. 6: 12. quam in Christeide nostra plenius exponimus præcipue in protheor. phænom. 5. & 13. Tum illa quoque figura in hunc censum numerumque venit, quo pygmomachiam seu pugillatum ad suum scopum accommodavit 1 Cor. 9: 26. οὕτω, ajens, πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων: sic pugilem ago non velut aërem feriens. πυκτεύειν à πὺξ pugno, sicut λὰξ calce, unde πυγμῇ, Marc. 7: 3. (an adverbialiter, pugno? ut vertit *Beza*, πυγμῇ quasi πυκνῇ manu contracta, densata clausis digitis, uti placet *Jul. Scal.* lib. 1. poët. cap. 22. באגרף πυγμῇ, mit der Faust. LXX. Exod. 21: 18. confer Esa. 58: 4. ubi LXX. τύπτετε πυγμαῖς ταπεινόν. an quasi crebro & certatim, ut exponit *Heinsius* Exerc. S. p. 103. an ut exponit *Theophylact.* ἄρχι τοῦ ἀγκῶνος ad cubitum usque? illustratus ex antiquitate Judaica à Clariss. *Ostermanno* in posit. philol. in Græc. N. T. disp. 2. thes. 4. pila est quam philologis percutiendam ac repercutiendam reddimus.) Et πυκτεύειν, πύκτης, πυγμαχία, das Faustlen/ ut vertit *Nicod. Frischlin.* in nomenclat. c. 176. *Plutarch.* l. περὶ φιλοπλουτίας ἄνθρωπον nominat μακρὰς ἔχοντα χεῖρας ὡς πυκτικὸν & Sympol. l. 2. οἱ πυκτεύοντες τῇ πυγμῇ μάλιστα ἐνεργοῦσι. πυκτεύειν, ait *Artemidor.* l. 1. onirocrit. cap. 63. παντὶ βλαβερόν. & mox ἄσχημον γίνεται τὸ πρόσωπον καὶ αἷμα ἀποκρίνεται. & l. 2. oniroc. cap. 13. ἡ πυγμὴ μὴ δι' ὅπλων γίνεται. Latine *pugillatus*, qui fit brachiorum jactatione, de qua *Taubm. ad Plaut.* Captiv. act. 4. sc. 2. non palma sed pugno. Unde apud eundem *Plaut. in Rudent.* act. 3. sc. 4. te follem pugillat orium faciam, id est, pugno te, ut pilam jactabo, Ich will Ballonen mit dir spielen. ib. in *Casina* act. 5. sc. 1. obtunso ore nunc pervelim progredi senem, Ich wolt daß ers Maul verstieß. pugiles enim sunt obtuso ore propter pugnos, quos ore recipiunt *Scal. ad Festum*.

Exemplum pugillatus propinat *Virgil.* l. 1. inter Daren & Entellum v. 426. p. 649.

Constitit in digitos extemplo arrectus, uterque;
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille, pedum melior motu, fretusque juventa;
Hic, membris & mole valens: sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus: erratque aures & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.

Hæc latius deducere juvit, ne pygmomachia cum gladiatoria disciplina confundatur, quas à nonnullis confundi monuit *I. Lips.* l. 1. Saturn. cap. 12. p. 41. Hanc itaque figuram elegit Apostolus, cum suum intestinum certamen Corinthiis in exemplum proponit: id enim præter vocis nativam significationem, etiam colligas ex voce ὑπωπιασμοῦ, quem uberius in præsens illustrare áque papæis hypopiasmis vindicare constitutum est. JOVA juvet!

TEXTUS.

Ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, μήπως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι.

VERSIONES.

Vulgata.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Syriaca Tremellii.

Corpus meum subjicio, & in servitutem redigo, ne forte ego posteaquam aliis prædicaverim, ipse reprobus sim.

Latina Bezæ.

Contundo corpus meum, & in servitutem redigo: ne quomodo, cum aliis prædicaverim, ipse rejectaneus fiam.

Latina Vatabli.

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Latina Erasmi.

Subjicio corpus meum, & in servitutem redigo: ne quo modo fiat, ut cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Latina Castalionis.

Contundo, subigoque meum corpus, ne forte cum alios docuerim, ipse sim rejectaneus.

Germanica B. Lutheri.

Ich beteube meinen Leib und zäme ihn/ daß ich nicht den andern predige/ und selbst verwerfflich werde.

Germanica Dietenbergeri.

Ich zäme meinen Leib/ und bring ihn in Dienstbarkeit/ auff daß ich nicht/ so ich den andern predige/ selbst verwerfflich werde.

Germanica Piscatoris.

Ich bezwinge meinen Leib/ und bringe ihn in Knechtschafft/ auff daß ich nicht den andern predige/ und selbst verwerfflich werde.

Germanica Photiniana, das N. Testam. gedruckt zu Rackhaw/ im Jahr 1630.

Ich zerblewe meinen Leib/ und bringe ihn in Knechtschafft/ auff daß ich nicht etwa/ der ich andern gepredigt hab/ selbst verwerfflich werde.

SECTIO I.

Textus Lexicographia.

§. I.

I. Ὑπωπιάζω. Vocis hujus primum vindicanda, deinde exponenda *grammatica* λέξις. Varia hic exemplarium λέξις occurrit. Sunt in quibus legas ὑποπιέζω: sunt in quibus ὑποπιάζω. & ὑποπιάζω. *Vetusta exemplaria*, ita Bez. ad h.l. p. 205. *exemplaria legunt* ὑποπιάζω, *id est, subactum seu dejectum premo, & nonnulli rursus ex veteribus* (ut *Clemens lib.* στρωμ. 3. & *Nazianz.* κατ' Εὐνομιανῶν) *legunt* ὑποπιέζω, *id est, dejectum opprimo, eadem translationis ratione. Certe* τὸ ὑπωπιάζειν *convenit pugili, ut* τὸ ὑποπιέζειν *luctatori, & quum Apostolus utraque similitudine sit usus, inde ortam diversam scripturam arbitror. Corn. à Lap.* h.l. mavult, τὸ ὑποπιέζειν. *alii*, inquit p. 269. *omnes generalius accipiunt hic* ὑπωπιάζω, *ut sit idem quod* ὑποπιέζω, *id est, subigo, coërceo, contundo. Nostrum castigo utrique sensui convenit, sed melius secundo, qui planior & simplicior est, & Græco convenientior. Nam juxta priorem sensum* ὑπωπιάζω *non per o micron, sed per ωmega scribendum esset: derivatur enim ab* ὤπας. *Jam autem communiter etiam veteres legunt hic per* ὁ *micron; Theophyl. tamen Oecumen. & Erasmus legunt per ω mega: quæ lectio satis apte pugili congruit. Observat quidem*, ita *Esthius* ad h.l. p. 361. *R. Stephanus exemplar unum quod habebat* ὑπωπιήζω, *id est siccum & squalidum reddo, ut intelligas Paulum fame & inedia corpus suum attenuare & affligere.* Verum *Theophylactus eam lectionem negat: ac revera non perinde congruit metaphora, in qua versatur Apostolus.* Hæc ille. *Heinsio* in exerc. p. 366. *placet* ὑποπιάζειν. *Nam* πιάζειν, *Dorum. pro* πιέζειν: *unde* ὑποπιάζειν. Erudite, *ut omnia, Hesychius*, Ὑποπιαζόμενος, [*ita enim ex literarum ordine scribendum*] ταπεινούμενος, μαραινόμενος· ὑποπιασμὸς γὰρ ταπείνωσίς ἐστι σώματος.

§. 2. At verior lectio ὑπωπιάζω, non solum quia frequentior, sic enim legitur in codd. impressis, & Græcis scholiis, sed etiam quia congruentior. Persequitur enim Apostolus posteriorem figuram à pycta sumptam, cujus est Antagonistam ὑπωπιάζειν. Unde & Latina vulgata transfert, *ego sic pugno; nam vox hæc* [ita Gretſ. l. 1. spirit. Athlet. c. 4. p. 24.] *ut etiam pugna & pugnus, à Græcis* πὺξ *&* πύκτης *originem ducit; quoniam manus, quæ erat antea passa &* μανὴ, *unde vox nostra; Manus, contracta, clausis digitis, effecta est* πυκνὴ *densa, ut notat Jul. Scaliger. lib. 1. Poëtices cap. 22.* Confer obiter de τῇ πυγμῇ Cl. *Ostermann.* in posit. Philol. Gr. N. T. disp. 2. thes. 4.] Idem *Gretſ.* l. cit. pergit p. 25. *Illud* πυκτεύω *pugillatitium esse, admonitione non eget: ut & illud; non quasi aërem verberans, pertinet enim ad* προπύγμην, *seu prolusionem pugilatitii certaminis, de qua Virgilius lib. 5. ubi Daretem* σκιαμαχοῦντα *introducit:*

—— alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Indicat ergo Apostolus, se ictibus, quos libret, non auras, sed antagonistam suum verberare. Jam vocabulum ὑπωπιάζω *ex pugilatitia disciplina desumptum esse, notius est, quam ut verbosam demonstrationem postulet. Nec aliud pugilibus propositum erat quam ut Antipalum seu adversarium sugillarent, hoc est, ictibus impactis lividum redderent; hoc enim est* ὑπωπιάζειν, *ut copiosius in operibus antea nominatis explicavimus. Consentit vetus Glossarium à Stephano vulgatum.* ὑπώπιον, *sugella.* ὑπωπιασμὸς, *sugellatio. Glossarium Latino-Græcum ejusdem Stephani sugillat.* πλήσσει, ὑπώπια ποιεῖ *Sugillatus,* ὑπωπιασθεὶς, *Sugilatio* ὑπωπιασμός. *Et ut ostendat, se aërem non verberare; addit* ὑπωπιάζω, *castigo & verbero corpus meum, & in servitutem redigo. Non dixit Paulus interficio, perimo, tollo, aufero, nec enim caro inimica est; sed sugillo, & in servitutem redigo; quod Domini est, non adversarii. Non laxo ventri & corpori habenas; sed coërceo* illud *& subjicio,* hoc enim *significant illa verba,* ὑπωπιάζω καὶ δουλαγωγῶ, *hoc est,* δαμάζω, καὶ ὡς δοῦλον ἄγω, *Domo, & ut servum tracto.* Unde & *Bened. Justinian.* ad h.l. p. 524. omnium nunc *optime scribit* ὑπωπιάζω. Apud LXX. Interpret. vox hæc eadem nusquam legitur: in N. T. bis tantum, semel Luc. 18: 5. iterum hoc loco. Ad Grammaticam pertinet vocis hujus *origo & sensus* varius. Immediate derivatur ab ὑπώπιον, quod est suboculare aliquid, apud Homer. Iliad. μ. νυκτὶ δὲ ἀτάλαντος ὑπώπια, hoc est, τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς μέρη. Determinatius est *sugillatio*, sub oculo, species ecchymomatis orti ex plaga, à qua sanguis suboculo diffusus, hinc ὑπώπιον, livida oculi nota, ein blawer Striemen. *Pollux* definit τὰ ὑπὸ τοὺς ὦπας τῶν πληγῶν ἴχνη. hinc *Laërt.* in Menedemo, ἐν δὲ ταῖς ζητήσεσιν οὕτως μάχιμος ἦν ὥσθ' ὑπώπια φέρων ἀπῄει.

Scholiastes Aristophanis in Vespis p. m. 529. ὑπώπια τὰ εἰς ὄψιν πλήγματα. notat *Henricus Steph.* etiam Thapsiam dictam esse ὑπώπιον apud *Dioscorid.* fortasse quod sugillationibus & contusionibus medeatur. Dignus est qui hic totus describatur jocosus locus Cynulci apud *Athenæ.* l. 3. dipnos. c. 18. cum enim Ulpianus vibicem in tibia vocasset ὑπώπιον, tum Cynulcus eum egregie exagitat, ἀλλ' ὅτε δὴ, ὦ ἑταῖροι φίλτατοι, πρὸς γὰρ ὑμᾶς εἰρήσεται τ' ἀληθὲς, προσέπταισε λίθῳ καὶ τὴν κνήμην ἕλκος ἐγένετο, θεραπευθεὶς ἂν πρὸς ὀλίγον ... πρὸς τοὺς πυνθανομένους, τί τοῦτο Οὐλπιανέ; ὑπώπιον, ἔλεγε κἀγὼ [ξυνὼν γὰρ αὐτῷ] τότε τὸν γέλωτα φέρειν οὐ δυνάμενος, παρά τινι τῶν φίλων (ἰατρῶν) ὑπαλειψάμενος τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς παχεῖ φαρμάκῳ, πρὸς τοὺς πυνθανομένους, τί δὲ σοί; προσκομμα, ἔφασκον. *Aliàs, ô amici, (quod enim verum est narrare vobis statui) impacto saxo tibia vulnerata, adhibitoque remedio, cum in publicum exiret, rogantibus, quid nam hoc mali est, Ulpiane? hypopion, ajebat: ego vero qui cum illo tum degebam, risum cohibere cum non possem, apud quendam amicum meum partes oculis subjectas crassiore medicamento inunxi, & quanam illa mea foret ægritudo sciscitantibus,* πρόσκομμα, *id est, illisos ac offensos oculos fuisse dicebam.* in quem locum hæc notat *Casaub.* p. 190. *In voce* ὑπώπιον *error perspicuus est, qui deinceps notatur à Cynulco: neque hic quicquam obscuri. Facetus vero nimis censor iste, errorem errore corrigit, & plane quod ait vetus verbum* ἥλῳ τὸν ἧλον, πασσάλῳ τὸν πάσσαλον. *Non enim minus est absurdum,* πρόσκομμα, *appellare plagam sub oculo acceptam, quam* ὑπώπιον *nominare vulnus tibiæ illatum. Gretserus* conatur Ulpiano ferre opem in *agonist. spirit.* cap. 4. sed frustra. si Ulpianus improprie & synecdochice voluisset loqui, scholion admitteret: sed quia voluit propriissime loqui, in mendo jacet. sic enim de illo Cynulc. ib. p. 97. *totum vitæ tempus in eo studio trivisti, ut ex aliis perconteris, hæc aut illa dictio alicubi legitur annon? ab aliquo usurpata est, necne? ad unguem examinans quicquid in medium adduxerint ii, qui tecum disserunt, spinas colligens, perinde ac si semper inter Echnipodas & asperam Ononin verseris, suavissimorum florum nihil coacervans. Mediate* componitur ex ὑπὸ & ὄψ τοῦ ὠπὸς vultus, (vide hic manus dantem Gretser. in agonist. c. 4. pag. 62.) sensus primus ac primore conceptu oblatus, est plagis contundere oculos, ac lividos facere, in quem sensum Henricus Stephani adducit locum ex Laërtio Νικοδρόμον ἐξερεθίσας τὸν Κιθαρῳδὸν ὑπωπιάσθη. Cicero Latine dixit contusionem, *pugiles cæstibus contusi.* Tuscul. qq. frustranea est Bezæ crisis ad Luc. 18: 8. mavult vertere obtundere quam sugillare. vide *La cerda* advers. cap. 96. num. 17.

§. 3. Sensus alter synecdochicus est, quovis modo corpus & membra cætera cruciare. Scholiastes Aristoph. in *Acharnens.* ad verba, Στεφάνων, ταριχίδων, αὐλητρίδων, ὑπωπίων, hæc notat p. m. 397. ὑπωπίων τῶν, τῶν πυλῶν τῶν γινομένων, ἐν ταῖς χερσὶν ἀπὸ τοῦ σιδήρου ἐργασίας. λέγεται δὲ καὶ ὑπώπια, καὶ τὰ ἀφ' οἱασδηποτοῦν πληγῆς τραύματα. Idem de callis manuum ex *Suida* notat *Henr. Steph.* p. 1396. Unde *Aristoteles* lib. 9. probl. sect. 9. 5. Senum totum corpus vocat ὑπώπιον quasi ὑπωπιασμένον vibicatum. confer Septalium ad h.l. Sensus tertius *improprius ac metaphoricus* est, quovis modo affligere, deterere, perdere. Ita enim de reconciliatis urbibus Aristophanes in Iren. p. m. 660. ἴδε νῦν πόλεις, καὶ ταῦτα δαιμονίως ὑπωπιασμέναι ἁπαξάπασαι, *aspice civitates, quæ mire sugillatæ & alto tubere omnes retusæ, quasi contusæ & detritæ per diuturnum bellum, in quibus cladium vestigia tanquam plagarum apparent, sumpta translatione à tumicibus, qui sub oculos contingunt* ὑπώπια *dicunt, dixerim subcilia. nam unde subgillare quasi subcillare.* Atque in hoc metaphorico sensu citra dubium accipitur Luc. 18: 5. B. Luther. in gloss. marg. explicat per plagas und marteren / daß sie mich mit plage und martere / Wie man sagt von den Geilern / Wie plagt mich der Mensch so wol. *Maldonato* placet *de accusatione* exponere ex more judicium periodicorum non perpetuorum, *hoc mihi*, inquit p. 162. *videtur Judex ille, quamvis nec Deum timeret, nec homines revereretur, timuiße, ne forte in novissimo* εἰς τέλος, *id est, cum perfunctus esset officio, à vidua illa coram successore suo accusaretur, quod rogatus ab ea sæpe, ut ipsi jus redderet, non reddidißet. Atque hoc est Latine suggillare, id est, accusare, reprehendere, quo verbo Livius uti solet, Græce* ὑπωπιάζειν, *affligere, perturbare, quasi dicat, ne postquam magistratu abiero, negotium mihi facessat.* Non dubitat *Hug. Grot.* ad h.l. p. 781. quin sit Latinismus, quales multi apud Lucam. nam ὑπωπιάζειν ad verbum est obtundere, *at obtundere Latinis est ad fastidium aliquid repetere. Terentius: Obtundis, tametsi intelligo, Cicero: si meministis obtundam. Bene ergo sensum Syrus expressit: Molesta sit mihi; Et Arabs. Vexet me, ius, inquit, illi reddam ne nunquam desinat mihi molesta esse assiduis flagitationibus.*

hæc

hæc illi. Barbari dicunt, faciam aliquid ad redimendam vexam.

§. 4. II. Σῶμα varie accipitur, nunc proprie & physice alteram hominis partem, nunc metonymice & moraliter pravam concupiscentiam, corpus peccati, veterem hominem spiritui reluctantem, qui per corpus tanquam organum suas vires exerit, maxime in gula, de qua hic sermo. Rom. 6:7. c. 7:27. Col. 2:11. cujus membra percensentur Col. 3:5, 6, 7, 8, 9. significat. vide Flac. in Clav. pag. 243.

III. Δουλαγωγῶ. τὸ ἅπαξ λεγόμενον, Henricus Steph. p. 1043. ex Theophr. notat hunc locum παίζουσι τοὺς ἀνθρώπους οἱ ἔρωτες, καὶ δουλαγωγοῦσι τοὺς ὑπὸ σελλίων παῖδες ὑπόπτεροι. sumta sine dubio metaphora à tractatione herili, qua Dominus servum alioquin rebellaturum in ordinem redigit, ac ut equum recalcitraturum & ferocientem cicurat, verberat, serviliter tractat per σκληραγωγίαν. hinc illæ *Plautinæ phrases*, os *probe, occillare, exossare.* Amphitr. act. 4. sc. 1. *Ulmorum Acheruns.* Amphitr. act. 4. sc. 2. *stimulorum seges.* Asin. act. 1. sc. 1. *vivum hominem* (h. e. bubulis coriis onustum) *mortui incursant boves.* Asin. act. 1. sc. 1. *sementem in ore facere & pugnos obserere.* Menechm. act. 5. sc. 7. *messem in ore facere mergis pugneis.* Rud. act. 3. sc. 4. *tergum stylis ulmeis conscribere.* Pseudol. act. 1. sc. 1. *Guilh. Esthius* hanc δουλαγωγίαν exponit ex Syrac. 33:25. Ubi notat Jansen. *Pro fænatione ergo, quæ asino debetur, tribuitur servo panis, hoc est, cibus necessarius & non delicatus. Pro virga quæ asino debetur, tribuitur servo disciplina, hoc est, castigatio & correptio. Pro onere, quo gravantur asini, tribuitur servo opus, quo premendus est, & in officio continendus. Sensus ergo est: sicut fænatio & virga & onus convenit asino; sic panis & disciplina & opus servo.* Exemplo Francisci rem illustrat Corn. à Lapide ad h. l. pag. 214. *Ita S. Franciscus suum corpus vocabat fratrem asinum, & tractabat ut asinum, quia cogebat illud portare onera gravia laborum & pœnitentiarum, ac comedere parum, & cibos vulgares & viles,* & ibid. in Chron. S. Francisci celebris est *B. Jacoponus, qui cum in seculo esset vir nobilis ingenio, scientia, officio, subito uxoris in nuptiis buccina tabulati oppressæ interitu perculsus & compunctus statuit seculo renuntiare, ac postulans habitum S. Francisci, à fratribus audiit: si inter nos vis vivere, asinus fias oportet, ut quasi asinus inter asinos degas: ilico ergo asini pellem induit, ac manibus pedibusque reptans, En, inquit, fratres, asinus sum, asinum inter asinos admittite. Admissus speculum fuit humilitatis, mortificationis, charitatis omniumque virtutum, hæc ille!* cui Stigeliano illo parentamus,

Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit:
Qui sortem placide ferre scit, ille sapit.

Ben. Justinian. ad h. l. p. 524. hanc phrasin exponit de δουλαγωγίᾳ spectatorum, ex *Plin.* lib. 1. qq. natur. & *Tertull.* lib. de spectac. c. 22. ubi Tertullianus spectatorum levitatem ridet, qui mimos tanquam infames honoribus arceant, iis tamen tanquam Clientes partim animos, partim corpora substernant, sive dum eos quasi latrones comitantur, sive dum se iis dant in disciplinam, & ab eorum voluntate nutuque pendent. & mox: *ad hanc servitutem videtur respexisse Apostolus, neque enim victores suos Antagonistas, quos superassent, quasi mancipia in servitutem ducebant, sed spectatores in amorem sui, & admirationem rapiebant.* hæc ille à scopo Apostolico longius sagittam jaciens. Nihil enim minus voluit ille quam spectatores suos, quibus θέατρον se factum esse alibi perhibet, δουλαγωγεῖν: ac licet victi non semper actu mancipio nexi, jure tamen ac debito fuissent, nisi missionem sublato digito impetrassent, de quo actu *Quintil.* lib. 8. instit. c. 5. *Lips. Saturn.* l. 2. c. 21. *Ramirez de Prad.* ad Martial. amphitheatr. epigr. 29. p. 27. *hinc servus qui servatur, cum occidi potuisset, qui vicerat victum, trahebat adversarium quasi servum,* inquit *Grot.* ad hunc loc. pag. 401.

§. 5. IV. Κηρύξας. Vocis hujus variam acceptionem *Henr. Steph.* p. 198. persequitur. apud solutæ orationis scriptores, ait, Κήρυκες sunt duntaxat, qui Præconum vel Caduceatorum munera obeunt. ib. στρατοκήρυξ est præco exercitus. Quidni hic notet ἀθλοκήρυκα, τὸν Κηρύκειον κηρύξαντα, ἄλλοις τὴν νίκην ἢ τὸν στέφανον κηρύττοντα. vid. *Fabrum* in agon. lib. 3. cap. 13.

V. Ἀδόκιμος. *Beza* contendit hanc vocem simpliciter opponi probo & sincero DEI servo, sicut pecuniam probam vocamus minimè adulterinam, Jerem. 6:30. *Iunius* negat reprobum hic opponi electo, sed probato, eum nimirum, quem experientia ostendit non talem esse, qualem esse oportebat, qui ut alii volunt, sit ἀχρεῖος inutilis suo malo exemplo, qui nihil ædificet: habet hic συγκεντίζοντα Cornelium à Lap. ad h. l. pag. 269. *Unde patet, Apostolum non loqui, uti aliqui volunt, de reprobatione hominum, de qua loquitur epistola 2. c. 13:7. q. d. Quod doceo, hoc facio, nimirum non laute vivo, sed castigo corpus meum, ne ab hominibus rejiciar & reprober, quasi qui non faciam ea quæ doceo.* Vere ista, sed non plene! ad judicium extremum Apostolus respicit supra c. 4:3. & seqq. Unde nihil obstat, quin ut de reprobatione executoria, ita & de decreta reprobatione accipiatur in sensu diviso. Opponitur τὸ ἀδόκιμον minus preciosum τῷ δοκίμῳ precioso: καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Rom. 1:28. ex justa talione, Deum non tanti fecerunt, ut eum agnoscerent, colerent, æstimarent. Ergo nec Ipse eos tanti fecit, ut diligeret, sed in rejiculis habuit, ut scoriam, Prov. 14:4. c. 25:4. Es. 1:22. ibid. τὸ ἀργύριον ἀδόκιμον, Symmachus reddit σκωρίαν. *Piscat.* vertit verwerfflich / h. e. untüglich / untrew in meinem Ampt / dann solche werden billich verworffen / doch hat diß die Meynung nicht / daß die Außerwehlten und die Gläubigen können verworffen werden. Ἀδόκιμος (ita *Grot.* ad h. l. p. 401.) *Rabinis est* פסיל *rejiculus Catoni & Varroni. Opponitur* ἀδόκιμον γενέσθαι, *ei quod supra habuimus* συγκοινωνὸν γενέσθαι εὐαγγελίου, *participem esse præmii in Evangelio propositi.* Accommodatissime ad scopum Apostolicum τὸ ἀδόκιμον, hic notat eum qui brabeio athletico excidit, qui voce præconis à participatione præmii rejectus est. Est enim omnino hæc quoque phrasis agonistica, ut probat Faber l. 3. agonist. c. 3. *Athletarum professioni* (ita *Casaub.* ad Athen. lib. 6. c. 12. p. 432.) *juncta erat* δοκιμασία. *In ea probatione rejiciebantur, qui parum se viderentur exercuisse, aut alias esse imperiti & inepti, Græci id dixerunt* ἐκκρίνειν τοῦ ἀγῶνος: *cujus contrarium est* ἐγκρίνειν. *Verbo* ζημιωθῆναι *alluditur ad pœnas illorum, qui ex legibus recepti, non ex legibus decertabant, fuisse enim κακομαχίας pœnam, & eorum omnium quæ παρὰ τὸν νόμον τὸν ἐναγώνιον peccarentur, testata res est multis idoneorum scriptorum locis.*

SECTIO II.

Textus Parhermenia Papæa.

ALPH. SALMERON disp. XV. ad h. l. notat ista p. 130.

§. 6. VErbum castigandi Græco in textu & in scholiis Græcorum ὑπωπιάζειν est lividum facere, ut Paulinus ad Severum legit. FORTE etiam flagellis, cilicio, & similibus contundere ob peccata præterita, ut pro illis satisfaciamus, vel ob præservationem in futurum, ut saliuntur carnes recentes, ne putrescant. Eandem castigationem sic exponit ex Basilii l. de Virgin. non directe, ait Basilius, castigo vitia carnis, sed indirecte, & ita dæmonem confœderatum cum sensu nostro, qui in lustro carnis delitescit, & tentare solet, peto, & illi plagas infero, ut eleganter ait B. Anshelmus.

GUILHELMUS ESTHIUS ad h. l. p. 361.

Adhuc perstat Apostolus in metaphora pugilum, ac dicit se more boni pugilis adversarium, id est, corpus suum, non leviter ferire, sed usque ad deformationem & VULNERA. & ibidem notandum est Apostolum solius corporis sui hic meminisse, non autem reliquorum duorum hostium, cum quibus nobis pugna est, diaboli & mundi: quia corpus seu caro domesticus hostis est, quo superato facilius sit externos hostes diabolum & mundum debellare: Ut & hoc addam, quod circa diabolum & mundum non id agendum, quod circa corpus, ut castigentur & in servitutem redigantur; sed tantum ut velut hostes arceantur ac profligentur ne noceant.

ROB. BELLARM. l. 4. de pœnit. c. 6. §. de flagellatione.

De flagellatione; ac percussione sui ipsius, quod genus pœnitentiæ præter cætera damnant adversarii, habemus exemplum Apostoli Pauli 1 Cor. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. quo loco verbum Græcum ὑπωπιάζω (ut Theophylactus notat) significat, usque ad livorem contundere. Et quamvis Apostolus similitudinem ducat ab iis, qui in stadio pugnant, ac dicere velit, eo se modo corpus suum male accipere, ac subjicere, quemadmodum Athletæ, cum in stadio adversarium suum pugnis, ac cædibus ad livorem usque contundunt: tamen omnino probabile est, Paulum etiam proprie corpus suum verberibus affecisse; tum quod vox Græca id significet, tum quod hoc genus pœnæ etiam veteribus fuerit usitatum. Nam Luc. 18. Publicanus pœnitens percutiebat pectus suum: & S. Hieronymus postquam dixerat in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis: Horrebant sacco membra deformia. &: Nuda homo

mo vix ossa cohærentia collidebam. & : Repugnantem, hebdomadarum inedia subjugabam, subjungit: Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Jam vero hæc ipsa opera, quatenus quoad certum modum in particulari, divinitus mandata non sunt, ac per hoc indebita dici possunt; grata esse DEO, & sancta, atque utilia ad cultum DEI pertinentia, & quod statim sequitur demonstratum est à nobis in secundo libro de Monachis, ubi de Consiliis Evangelicis, & Operibus supererogationis disputavimus.

JAC. GRETSERUS in Virgidemia, p. 89.

S. Paulum plagis & ictibus carnem suam vi contudisse, & lividam reddidisse, assentior palam scribenti; ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μȣ. & ib. 92. Locus ille de stigmatibus generalis est; nec restringitur ad ea tantum, quæ D. Paulo ab aliis fuere inusta, sed universim de omnibus loquitur, atque adeo etiam illis, quæ ipse sibi per ὑπωπιασμȣ̀ς inussit. Fateor, ait in agonist. cap. 3. p. 42. hæc membra interna non posse, nisi mortificentur membra externa, nam castigatione corporis externi mortificatur & refrænatur libido, & omnis à ratione aversa cupiditas. In præd. vapulante p. 20. nominavi expresse etiam membra externa, tanquam mortificationi obnoxia; non quidem principaliter propter se, sed propter membra illa interna à S. Paulo enumerata; nam si eo in statu versaremur, in quo versantur beati, ubi omnis rebellio & lucta spiritus ac carnis desiit, & omne periculum lapsus plane exclusum est; haud opus haberemus tali mortificatione, & vitiorum una cum concupiscentiis crucifixione.

A pygmachiæ exemplo (ita idem Gretser. l. 1. athlet c. 4. p. 24.) illustrissima extat sententia, 1 Cor. 9. ȣ̃τω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων, seu, (ut alii scribunt, δαίρων) ἀλλ' ὑπωπιάζω μȣ τὸ σῶμα, καὶ δȣλαγωγῶ μήπως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γίνωμαι. Vis audire, ait Cassianus lib. 5. instit. c. 17. & 18. Verum athletam Christi, legitimo agonis jure certantem? Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans, &c. Vides ut in seipso, id est, in carne sua, colluctationum summam, velut in base quadam firmissima statuerit, & proventum pugnæ in sola castigatione carnis, & in subjectione sui corporis collocarit. Sed castigo corpus meum, & servituti subjicio. Quod proprie ad continentiæ dolores & corporale jejunium atque afflictionem carnis pertinet, per hanc se pugilem quendam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum adversus eam ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ, mortificatione sui corporis, acquisivisse, quo verberibus continentiæ castigato, & jejunorum cestibus eliso, victori spiritui immortalitatis coronam, & incorruptionis contulit palmam. Vides legitimum colluctationis ordinem & spiritualium certaminum contemplaris eventum, quemadmodum athleta Christi adeptus de rebellatrice carne victoriam, subjecta illa quodammodo pedibus suis, ut sublimis triumphator invehitur. Et idcirco non currit in incertum, quia confidebat urbem sanctam Hierusalem cœlestem se protinus ingressurum. Sic pugnat, jejuniis scilicet, & afflictione carnali, non quasi aërem verberans id est, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aërem vacuum, sed illos spiritus, qui in eo versantur, castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit, non quasi aërem verberans, ostendit se, tametsi non aërem vacuum & inanem, aliquos tamen in aëre verberare. Et quia hæc certaminum genera superarat, & ditatus multarum coronarum stipendiis incedebat: non immerito robustorum incipit hostium subire luctamina, ac prioribus æmulis triumphatis cum fiducia proclamat & dicit: Ephes. 6. Jam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Et pag. 30. Certe Oecumenio, ut supra attigi, τὸ ὑπωπιάζω, καὶ δȣλαγωγῶ, idem est, quod δαμάζω, καὶ ὡς δȣ̃λον ἄγω, domo, & ut servum tracto. Quid autem usitatius, quam ut servus dometur flagellis?

§. 7. Sunt autem *species hujus pygmachiæ* pugnis analogæ, *Flagra, cilicia, cineres, nudipedalia, chameuniæ, durities strati, sternotypia, jejunia, vepres, nives, circuli, catenæ ferreæ.* Flagellatorum exempla affert *Gretſ.* in athlet. lib. 1. c. 6. p. 41. & seqq. adde agonist. c. 8. & virgidem. c. 5. & spicileg. pro disciplina §. 5. p. 14. Idem *Gretſ.* in athlet. l. 1. c. 8. p. 79. *Immensæ gloriæ spe, multi omnibus seculis impulsi, carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt, non modo per flagra, sive propriis, sive alienis manibus corpori inflicta; sed & per saccos ac cilicia; quod copiose ostensum alibi: ut quilibet ex illis non tantum Hieronices seu Olympionices; sed & πλειστονίκης appellari potuerit, idque longe convenientius, quam olim Alexandrinus ille Apion, cui hoc nomen tributum fuisse, testatur Clemens lib. 1. Stromatum.* Et mox p. 82. *Cilicium indicium est luctus, & divinæ clementiæ promerendæ organum.* Exempla idem commemorat c. 9. & ibid. in c. 10. adde ex ejusdem agonistici appendice illa pag. 255. *Quod autem acceptus sit Christo Domino habitus iste, vel inde colligitur: quod ejus tunica inconsutilis desuper contexta per totum, Joh. 19. quam ne ipsi quidem carnifices diviserunt, illius fuerit, juxta nonnullorum opinionem, quoddam veluti prototypum. Utut sit, certe id negari nulla ratione potest de veste illa alba, qua indutus ab Herode, irrisus, & pro stulto habitus est Salvator noster, Luc. 23. Nos autem nequaquam aspernamur hujuscemodi insignia, quippe qui in nulla re alia hic, quam in crucis stultitia spem defixam habeamus, 1 Cor. 1. cujus proinde amore, & à mundo contemni nos, & eo quo Magister noster loco haberi, minime ægre ferimus. Atque hoc fine traduntur Monachi suos habitus, & cappucia jam olim assumpsisse, uti se Christo crucifixo vel hac ratione conformarent; quippe, quem passim à mollibus, & voluptariis hominibus despici, ac subsannari viderent.* Et p. 257. *Tot publici saccis coopertorum hominum cœtus aliud mihi esse non videntur, quam totidem honestissimæ satisfactiones, quas sordidati, & afflicti mœrore Rei, animo vere Catholico, in conscientiis suis tanquam quodam tribunali, condemnati, Deo & Ecclesiæ exhibeant, non secus, quam in foro externo interdum facere solent publici peccatores, qui nudi ad indusium usque manu facem tenent, rubore suffusi, neque absque insigni ignominiæ nota.* Et p. 258. *Porro quis nesciat, chordas has nobis itidem funes illos repræsentare, quibus constat, Christum Dominum sub initium Passionis à diris carnificibus fuiße ligatum? quorum utique notas, & insignia ferre peroptamus, utpote captivi in ejus amore, circumferentes etiam in nobis ejus quædam symbola ac trophæa. Nudipedalia celebrans Olympionicas ait* p. 105, *voco nostros sacros pyctas, quia certaminibus suis adversus mundum, carnem & dæmonem, cœlum expugnant: (est autem Poëtis tam Græcis, quam Latinis Olympus, cœlum) qui sunt isti violenti, qui per vim cœlum occupant, nisi qui pœnitentiæ operibus, vi quasi corpori illata, appetitiones ejus coercent, edomant & intra honestatis cancellos retinent? In quorum numero illi totidem merito suo numerantur, qui eum in finem nudipedalia usurparunt.* Rem ib. exemplis illustrat in cap. 11. *Chameunias, seu humicubationes, duritiem strati, sternotypiam, pectoris contusionem laudat in exemplis.* & ib. p. 115. *De Jejuniis piorum athletarum aliquid in medium producere, nil aliud ferme esset, quam Soli meridiano facem accendere velle; quis enim tam hospes est in actis & monumentis Ecclesiasticis, qui nesciat, propemodum plures ex priscis reperiri, qui in hac exercitatione propius ab eo, quod nimium est, quam ab eo quod parum est, abfuerint? Exempla eorum, qui se cruciarunt vepribus, nive, gelu, frigore, circulis, catenis ferreis, proponit in agonist.* cap. 16. pag. 189. Conf. Corn. à Lap. ad 2 Cor. 7. p. 376. 377. Juvat hic addere pœnitentiam *Felicis Capuciani apud Valer. Magn.* lib. 8. Judic. cap. 29. p. 377. *Si qui curandæ cuticulæ solliciti sunt, discant à Felice, ut id fieri debeat. Pedum rimas à nuditate, à frigore patiebatur, tam profundas, ut vivum sanguinem redderent. Curavit Felix cuticulam illam, subula: nimirum perforabat diducta rimarum labra, quæ crassiore filo consuebat: considerate quam fuerit delicatus: Imo & hinc conjicite. Ter se flagellabat intra diei naturalis spatium: nocturnæ vero flagellationi deputaverat locum opportunum. Is fuerat antrum subterraneum humandis Fratrum cadaveribus ossibusque defunctorum conservandis destinatum; inter quæ quadam vice delituerat F. Anselmus Appulus, observaturus Felicem se flagellantem. Hic retulit, virum Dei nudatum, cum vellet cædere se flagello, mox erupisse in has flebiles voces. Heus, Fratres, quorum vita olim fuit maxime austera. Vos, ajebat, non occubuistis ignavi, sed legitime certastis: Vicistis carnem, vicistis mundum, vicistis diabolum: Jam munere vestro functi estis: Coronam gloriæ retulistis: Nunc meæ partes incipiunt. His dictis, cœpit tam ferociter flagello desævire in carnem suam, ut Anselmus effunderetur in lacrymas, O crudele, dixerit nonnullus Sapiens, ô irrationabile obsequium! Fuerit crudele &c.*

§. 8. Quo vero hæc omnia fine? audiendus denuo *Gretſer. Hujusmodi sanguis ait* l. 2. de discipl. c. 8. *qui amore Christi veroque desiderio agendi pœnitentiam per disciplinas, h.e. per flagella effunditur, & peccata expiat, & regnum diaboli potenter destruit.* lib. 3. cap. 1. *spontaneam flagellatorum crucem opus meritorium nominat.* lib. 1. per totum flagellationm

Spon-

Spontaneam non modo licitam & concessam, *sed Deo gratam summeque acceptam esse.* lib. ejusd. c. 6. & lib. 2. cap. 2. *eum, qui studio expiandi sua peccata Deoque satis faciendi corpus suum dilaceret, sancte facere* l. 1. c. 6. & 7. *funiculos dorso incussos Dei placandi vim habere.* l. 2. c. 2. *in disciplinis Christo sanguinem pro sanguine reddi.* l. ejusd. c. 11. *Licite aliquem constitui, qui pro alio disciplinam faciat, (seipsum flagellet) eundemque precibus imo & munusculo inductum alteri suam satisfactionem applicare posse.* Conon Presbyter Distinct. 81. hæc habet: Sciendum est, quod secundam feriam unum Psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, si opus est, redimere poterit. Et ibi glossa. Denarium potest dare, ut se redimat à jejunio, ergo multo fortius per alterius jejunium potest liberari. lib. 3. c. 1. & 2. *per flagellationem Deum homini debitorem effici, & ex justitia ad solutionem obligari, eandem æternam beatitudinem certissime afferre.* lib. 2. cap. 3. p. 113. *fructum spontaneæ flagellationis esse dicit salutarem delictorum expiationem*; lib. 2. c. 5. p. 124. *regni diaboli potentem destructionem.* lib. 3. c. 4. *coronam gloriæ.* Similia occurrunt in ejusdem Gretseri Prædicante vapulante & disciplinato, in quo lib. 1. cap. 17. flagellationi spontaneæ tribuit, quod vitæ æternæ *præmia mereatur.* lib. 2. pag. 279. *quod per eam humani corporis victima illi unico sacrificio, quod in ara crucis oblatum est, invisibiliter misceatur.* lib. 3. p. 11. *quod nulla res sit, quæ Deum nobis magis placatum & propitium reddat, quam sponte suscepta disciplina.* pag. 13. *quod eadem sit vitæ æternæ certissime meritoria &c.* Itemque in *Agonistico spirituali* ann. 609. edito, in quo p. 232. *Davidem flagris corpus proprium affecisse ait, Christum vero cingulum in modum flagelli complicatum gestasse, eoque seipsum flagellasse innuit:* Et lib. 1. athlet. spirit. c. 4. p. 30. *Horunce ait verborum usus alio non tendit, quam ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat: Cum igitur disciplina, vel cilicium, vel simile quid asceticum provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit.*

CORN. à LAPIDE ad h. l. pag. 269.

§. 9. Porro castigatio corporis fit per jejunia, cilicia, humiliationes, plagas, aliasque carnis macerationes & afflictiones. Hinc nonnulli censent Paulum corpori suo plagas & verbera inflixisse. Hoc enim proprie significat τὸ castigo, & ὑπωπιάζω, quod Beza, Melanchthon, Castalion, & Henricus Stephanus vertunt, contundo: contusio autem non fit sine percussione & verbere, sive baculo sive flagellis, aliove instrumento & modo illud fiat. Et quia jejunium (quod nonnulli, ut Ambros. Gregor. & Chrysostom. mox citandi putant fuisse hanc Pauli castigationem) non tam pugna & lucta est, quam præparatio ad luctam, de illo enim dixit; Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Pluribus id probat Jacobus Grets. l. 1. de Disciplin. c. 4. Rursum, ut notat Anselm. & S. Gregor. loco mox citando, Apostolus dum carnem castigat & flagellat, hoc ipso simul dæmonem antagonistam suum, cum concupiscentia nostra carnali confœderatum, & in lustro carnis delitescentem, per eamque nos tentantem & oppugnantem, flagellat & verberat. Hinc ergo ib. p. 270. patet, pugili & militi Christiano castigandum esse corpus, ne illius concupiscentiæ eum in perditionem abripiant, adeoque corporis castigationem per vigilias, jejunia, aliasque afflictiones & austeritates rectam esse ad salutem viam, esseque instrumentum aptissimum ad virtutem & perfectionem, plenamque vitiorum victoriam, si sit discreta, & viribus ac valetudini commensurata, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 188. a. 7.

Summa ac Definitio Hypopiasmi Paulini Papæa.

§. 1. Collatis omnibus rationibus hæc Hypopiasmi Papæi definitio exurgit. *Hypopiasmus à Paulo commendatus, est corporis physici ac externi necessaria contusio, facta per flagella, cilicia, cineres, nudipedalia, chameunias, duritiem strati, sternotypiam, jejunia, vepres, nives, gelu, circulos, catenas ferreas, & similia instrumenta usque ad deformationem & vulnera, ordinata ad religiosum Dei cultum, ad peccati futuri præservationem, præteriti expiationem, & satisfactionem præsentis, in membrorum peccati internorum mortificationem principaliter intentam: ad placationem Numinis, regni Diabolici destructionem, permixtionem cum victima Christi, æternorum suppliciorum expunctionem, gloriæ ac vitæ æternæ meritum, salutaris non illis solum qui vapulant, sed etiam aliis pro quibus vapulant.*

SECTIO III.

Elenchus Pseuphermeniæ.

§. 11. Sequitur *Elenchus* pseuphermeniæ, in tria vitia districtus ἀκελσίαν, ἀνακολουθίαν, & ἀσκοπίαν. Ἀκελσίας *est sensus proprii pro improprio captatio: Tropicam* in Apostolico oraculo *expositionem I. cogit summa necessitas, nata 1. è manifesta contradictione*, cum analogiæ Scripturæ S. generatim, tum sigillatim sententiæ Paulinæ alibi propositæ. Ad analogiam Scripturæ S. pertinet *clara lex ac legis dianœa de non ut occidendo, ita vulnerando*, mutilando, flagellando proximo, multo minus semet; nam si vulneratio proximi, licet cum periculo vitæ non sit conjuncta, huic legi adversa est, multo magis vulneratio sui ipsius. *Nemo est Dominus ut vitæ suæ ita membrorum, sed custos.* Est autem αὐτοχειρία hujusmodi, etiam non lethalis, quæ proprio studio, consilio, electione, nullo Dei seu per medicum, seu per magistratum, ac publici boni respectum (quod de Zopyri facinore cogitari potest) præcepto suspicitur, prohibita. Damus alioquin ipsa lubentia lubentius, immedicabile (physice id intelligas an moraliter hic idem est) vulnus ense recidendum, ne pars sincera trahatur. vid. Dominic. à Soto l. 5. q. 2. art. 1. Less. l. 2. c. 9. dub. 14. *Inquies* exceptam à Lege divinam inspirationem, quam secutus sit Apostolus: αὐτοχειρίαν non esse, quæ in foro conscientiæ à Sacerdote imponitur, nec eam quæ studio pietatis suscipitur. *Resp. peti principium.* Nam unde constat de divina inspiratione ad flagellationes corporales? hæ prius probandæ erant, post de inspiratione cogitandum: ac ex qua potestate Sacerdos conscientiæ non tantum laqueos, sed etiam flagella imponit? Unde illa potestas? ex cœlo an terra? esto pietatis studio suscipi hujusmodi corporalem vexationem, tamen non facienda sunt mala ex boni alicujus finis intuitu. *Instat Gretser. in agonist. spiritual. c. 18. p. 214. si hinc sequitur S. Paulum peccasse contra illud: Non occides; quia corpus suum ὑπωπίασε, contudit, lividum reddidit: Ejusdem præcepti reum effici Patrem, qui filium, Magistrum qui discipulum; Judicem quoque, qui furem verberibus castigat, præsertim si usque ad vibices procedat, vel sanguinem eliciat; quia omnes isti lædunt corpus, hoc est, indolentiam quandam ei eripiunt, doloremque incutiunt.* Et tamen B. Luthero in cap. 2. Joh. Tom. 2. Novorum operum longe aliud visum est, ut intelliges ex his ejus verbis: **Wann ein Vater sein Kind/ oder ein** Præceptor **seinen Discipel nicht steupet/ noch zornig wird/ wann er unrecht thut/ keine grössere Ungnad könte er dem Kinde/ und Discipel beweisen.** Resp. 1. ad Exemplum D. Pauli, talem fuisse ejusdem ὑπωπιασμὸν, qualis fuit lucta & cursus: non fuit illa vel ille corporalis, proprius, Olympius. Ergo non hic: Quis credat D. Paulum proprie ὑπωπίοις suos oculos figurasse? qualis fuit ὑπωπιασμὸς iniqui Judicis, Luc. 17; 5. qualis oculorum evulsio, manuum amputatio, Matth. 18. omnia hæc tropum sonant, de (non corporis externi læsione per andabatamachian, cujus plagas vetus Adam ab his non tactus intus quasi ridet, his ipsis superbior factus, sed) veteris hominis refrenatione interiori; Deinde ad instantiam de patria ac judiciali castigatione, mandatam hanc esse, non illam sacerdotalem, aut ultroneam; justam hanc esse, non illam, cum nemo in suamet causa judex esse posset, justo plerumque vel mitior vel severior: hanc secundæ tabulæ obedientia coërceri, illam septa primæ tabulæ transgredi; hanc exemplarem esse, illam insuper hilasticam: denique judicium sacerdotale hæc hujusmodi onera imponens, esse illegitimum.

§. 12. Accedit ad legem expressam *interdictum specialius*, Levit. 18: 28. *super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis.* Videndi de hoc more copiose disserentes Alex. ab Alex. l. 3. genial. c. 7. & Kirchman. l. 2. de funerib. Rom. c. 11. & seqq. legis διάνοια etiam ad analoga extendenda, nam ut στιγμάτωσις, ac incisio corporis vetita; ita & quælibet alia fœda αὐτοχειρία. Nec evadunt *Gretser.* lib. 2. de discipl. c. 2. & apolog. pro discip. l. 2. c. 4. *Lorin.* ad h. l. pag. 609. regerentes, *Non modo talia præcepta judicialia esse, verum etiam hoc ad eos spectare, qui ex impatientia doloris super mortuo istud usurpabant. Quin & pariter minime probandum, si quis hodie propter mortuum disciplinam faceret eo tantum fine, ut luculentam daret doloris, & amoris sui in defunctum significationem daret: deinde vetitam duntaxat incisionem, figuras, stigmata, quæ fierent cultellis, aut lanceolis, seu siromastis, & pugiunculis, quæ laniena nimis crudelis erat præter impium illum finem: Ipsam actionem conscindendi carnes propriis flagris, aut aliter, in lege vetere prohibitam non esse sed pravum, ac irreligiosum finem.* Etenim narrat *Jeremias c. 41: 5. venisse viros octoginta de Sichem, & de Silo,*

& de Samaria rasos barba, & scissis vestibus, & squallentes, munera, & thus habentes in manu, ut offerrent in domo Domini: Ubi pro (*squallentes*) Hebraice est, *incisi, seu lacerati* מתגודדים *mithgodim, quod alii vertunt, se laniantes, aut compuncti, aut scissi, laniative in cute sua aut facie lacera, seu incisa, nempe unguibus, &c. Chaldaice* מתעמנן *mithhamenon, quod etiam exponunt incisa facie; Græce* κοπτόμενοι. *Ex Græco participio colligit idem Gretserus, ac ex verbo* κόπτειν *seu* κόπτεσθαι, *atque ex nomine* τοῦ κοπετοῦ, *pluribus in locis divinarum literarum fuisse planctum usurpatum ab Hebræis cum tonsione, diverberatione, dilaniatione. Aptat præterea vaticinium Zachariæ c. 12: vs. 10, 11, 12. ad universariam flagellationem seu disciplinam, quam viri pii celebrant in memoriam passionis Christi, potissimum in parasceve sub Vesperam: Aspicient ad me quem confixerunt, & plangent cum planctu, quasi super unigenitum* (κόψονται κοπετὸν) *& dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Non inquam evadunt. Nam 1. si lex illa judicialis est ac Judæos tantum obligabat, hujus legis fulmen gentiles non feriet: fuerint hac parte gentiles sine peccato. Cum tamen Dominus Judæis prohibeat κακοζήλωσιν gentilis improbitatis; ac ut Adonidi suo gentiles, ita Papæi Christo de sanguinis sui decimis parentant, videas adhuc hodie in die parasceves nocte sublustri, ac tenebris jam se intendentibus, agmina ad disciplinas publicas damnata, magna pompa & apparatu procedere; videas personas, seminudos, heautontimorumenos, suamet concidere terga, prægrandes crucium moles humeris circumvectare, brachia expandere, ad tormenta alia non horrere, sed rigere, animadvertas conductitios disciplinæ vicarios, qui pro aliis (dulcinistis sc.) cruces sustineant, transcribendas, applicandas ac imputandas illis, qui munusculis hunc sui vicariatum mercati sunt, ita enim fas esse idem (Justitiæ alias imputatæ Sannio) *Jac. Gretserus* l. c. discipl. c. 11. Virgidemiæ c. 3. p. 55. agnostic. spirit. c. 20. p. 241. tradit. Concedo affectum impatientiæ reprehendi, sed cum affectu etiam affectus signum externum; sicut è contra ex ipsorum adversariorum mente Dominus, cum affectum pœnitentis probat, etiam saccos, cineres & alia signa externa probat. Tum finem utrobique Romanos intra muros & extra esse irreligiosum, ut mox patebit. Denique in loco Jeremiano nefas, Latinam vulgatam Hebræo textui posthaberi à tanto Hebræomiso Gretsero: lutum stultum luto purgari: nam ejusmodi cruentatio ex luctu ab Hebræis affectata ipsissima fuit κακοζήλωσις, id quod & notat *Casp. Sanct.* ad Jer. pag. 818. *Erat enim apud Hebræos etiam in usu, ut in luctu se cultris, aut unguibus cruentarent, quod quidem è Gentilium, credo, moribus acceperant. Quod, ne Gentilitio ritu, quod ante soliti, in posterum facerent, severe cavit Deus, Lev. 19: 28. Ita tamen tempore, de quo nunc Jeremias, mores Judæorum Gentilium ritibus erant contaminati, ut in luctu se ad eorum imitationem inciderent.* Εὕρημα Gretserianum de sensu vocis κόπτεσθαι refellit *Lorin.* l. cit. p. 610. *Ubicunque, ait, vocabula illa Græca in sacra scriptura usurpantur, involvi necessario tunsionem, diverberationem, dilaniationem, equidem non persuadeor, sed plerumque solemnitatem, ac pompam luctus, sive in funere, sive in alia mœroris gravi causa. Non opinor assumptam ab Abraham flagellationem sui ipsius, aut quid simile, quando venisse scribitur, ut plangeret & fleret Saram Gen. 23: 2. Nec existimo Davidem cum imperavit scindi vestimenta, accingi saccos, plangi ante exequias Abner 2 Reg. 3: 31. quod habetur verbo Græco* κόπτεσθαι, *exegisse ut id fieret cum verberibus & tonsionibus. Illud præterea Esaiæ c. 32: vs. 12. super ubera plangit,* ἐπὶ τῶν μασῶν κόπτεσθαι, *non video cur oporteat exponere, ubera percutite & verberate. Luctus inducitur ac ploratus pro jactura liberorum & lactantium. Nec arridet valde cani conversum planctum in gaudium Psal. 29: 12. i. e. flagellationem Christi in lætitiam cum resurrexit.*

§. 13. Sequitur *sententia Paulina* alibi declarata, quæ nisi adversa fronte cum glossa Papæa committatur, præsentis loci ῥητὸν non admittit. *Circumcisio nihil est* 1 Cor. 7: 19. *Volunt vos* (sc. Pseudoapostoli) *circumcidi, ut in vestra carne glorientur, ego vero, absit, ut glorier nisi in cruce Domini nostri* JESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nam in Christo* JESU *neque circumcisio quicquam valet Galat. 6: 13. Per Christum circumcisi estis circumcisione* ἀχειροποιήτῳ *dum exuistis corpus peccatorum carnis, Col. 2: 11.* hinc colligas Pseudoapostolos cruentationem carnis ex circumcisione natam proprie dictam ursisse; gloriam crucis Christi hunc in modum evacuasse: Apostoli sententia circumcisionem proprie dictam non amplius in N. T. obligasse; valuisse contra circumcisionem spiritualem ac improprie dictam: de qua etiam nonnulla videas apud Serat. in Jos. cap. 15: vs. 14. Igitur si cruentatio carnis illa etiam quæ Deum auctorem habuit in Nov. Test. abrogata; si circumcisio, quæ cruci Christi detrahit ab Apostolo castigata, commendata contra circumcisio spiritualis: sequitur multo magis cruentationem electitiam, conjunctam cum ignominia crucis Christi esse Apostolo contrariam, adeoque cum sui corporis castigationem proponit, tropice illam accipiendam esse. *Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viventes in mundo decretis tenemini?* Col. 2: vs. 20. h. e. ut δογματίζεσθε Beza p. 416. *si nullus est jam usus earum externarum observationum, quarum Deus autor fuit, ut essent Christianismi rudimenta, quis furor earum loco substituere hujusmodi deliria?* Idem Apostolus in traditiones Pseudoapostolicas invectus inter alia ἀφειδίαν τοῦ σώματος reprehendit, Col. 2: 23. Quæ est illa ipsa incocta crudelitas in quam Salomon etiam scripsit Prov. 11: 17. עכר שארו אכורי h. e. ut melius vertit, quam vulgata *Ariamont. Turbans carnem suam crudelis.* Vulgata sic transfert, *qui crudelis est propinquos abjicit, quia,* inquit Corn. à Lap. *propinqui sunt concarnei.* Sed analogum stat pro significato principaliori. Jansen. ita δογματίζεσθε *crudelis non modo alios, sed etiam carnem suam, h. e. seipsum lædit.*

§. 14. Locum alias Colossæum mire depravat post *Turrianum* L. 5. pro Epist. Pontif. cap. 7. *Hugo Grotius* magnus ille πολυπράγμων. *Turrianus* vult Apostolum hoc dicere: *Abstinentia à cibis licet impietas sit & insipientia, si ob somnia hominum & fabulas angelorum superstitiose fiat; est tamen sapientia, si ad* ἐθελοθρησκείαν, *id est, veram religionem, & Dei cultum referatur, videlicet ad humiliandam animam in jejunio, & ad corpus castigandum; spiritiuque subdendum. Hugonis Grotii* glossa est parallela. *Habent ista,* inquit p. 639. *rationem non stultam, si adsint cautiones:* ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, *si sponte ista suscipiantur, non abominando ea quæ Deus creavit. Addit* καὶ ταπεινοφροσύνῃ, *id est, cum ea modestia animi quæ alios aliter viventes non damnet, Rom. 14: 3, 4. Ephes. 1: 2.* καὶ ἀφειδίᾳ σώματος οὐκ ἐν τιμῇ τινὶ πρὸς πλησμονὴν *eatenus bona sunt, si hoc sibi propositum habeant dure tractare corpus, neque carni obsequi ad saturitatem. Contra istas* ἀποχὰς *Pythagoricas magis noxias esse quam utiles, si velut ad salutem necessariæ suscipiantur, id est, si fiant,* οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυγίαν, *ut loquitur Canon Apostolicus LI. si ob id contemnantur alii; si non minus laute habeatur corpus ex herbis, leguminibus, pomis ad delicias coctis.* Reclamat *Cornel. à Lapid.* ad h. loc. p. 634. *Verum* ἐθελοθρησκεία, *non veram religionem, sed falsam & superstitiosam significat. Componitur enim ex* θέλω: *id est, volo, &* θρησκεία, *id est, religio. q. d. voluntaria, & ex cerebro conficta religio.* Unde *Hieron. ad Hedibiam, falsam religionem interpretatur; Ambros. superstitionem: sic & Chrysost. Theoph. Theodor. Nota secundo. Prorationem, Græce est* λόγον, *quod Vatabl. vertit speciem; Chrysost. sermonem; Noster rationem, q. d. Paulus: Falsa hæc religio, sive superstitio Angelorum, qua abstinentiis & observantiis à se confictis, uti jam dixi, colunt Angelos, quasi mediatores, excluso Christo, videtur afferre rationes, & sermones; & quasi à Deo, vel Angelis profectas, quas in speciem pietatis obtendunt suæ superstitioni: dicunt enim se id facere ad humilitatem, modestiam, corporis afflictionem, & subjectionem. Et hoc est, quod ait, In humilitate, scilicet ficta & superstitiosa:* τὸ *enim* ἐθελο, *hic repetendum est, ut sicut dixit* ἐθελοθρησκείαν, *sic pariter* ἐθελοταπεινοφροσύνην, *id est tam humilitatem, quam religionem voluntariam, & ex proprio cerebro & voluntate confictam intelligat. Et NON AD PARCENDUM CORPORI, Græce* καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, *id est, imparcentia corporis. q. d. Hi Novantes speciem sapientiæ & pietatis prætexunt sua simulata humilitate & abstinentia, ac vitæ austeritate, qua corpori non parcunt, sed illud immoderate & superstitiose affligunt: NON IN HONORE AD SATURITATEM CARNIS*] *id est, negato corpori honore, vel subsidio necessario ad famem exsaturandam. Honor enim Hebræis non tantum verbalis, aut ceremonialis, sed & realis est; qui non est aliud, quam necessariarum rerum, vel opum subministratio. Dicit hæc Paulus reprehendendo Novantium superstitionem & stultitiam ex commiseratione, quod nimirum ob fabulas & somnia sua, quasi Angelos culturi, superstitiose, & sine fructu, imo cum damno corporis & animæ, se jejuniis & pœnitentiis conficerent. Suffragatur Guilh. Esthius* p. 136. *Sensus igitur est, illam consistere insuper in præpostera & insolita quadam abstinentia & afflictione corporis. Hoc enim est corpori non parcere. Taxat autem Judaicas ac Pharisaicas abstinentias, ex quibus, ut ait Hieronymus, debilitates interdum & morbi contrahebantur. Nam Pharisæos immodico studio corporis affligendi, sive per inediam, sive per alias quasdam observationes ab ipsis excogitatas specie religionis, addictos fuisse; copiosus testis est Epiphanius in hæresi Pharisæorum. Quo spectat illud Pharisæi* ejus-

ejusdem apud Luc. 18. Jejuno bis in Sabbatho ; Per carnis saturitatem sive expletionem, intelligit eam cibi potusque sufficientiam, qua corpori necessaria est, ut serviat spiritui, suasque sine impedimento exerceat actiones. Sentit igitur Apostolus sapientiam illam aut praecepta talia esse, per qua corpori debitus honor, pertinens ad expletionem, id est, justam refectionem carnis, subtrahatur; dum videlicet immoderatis & stulte excogitatis abstinentiis corpus exhauritur ; contra illud: nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam. Eph. 5. Idem *Esthius de Turrianica glossa* sic sentit p. 137. *Interpretatio, quod & nova sit, & nimium violenta, & à scopo Apostoli aliena, nobis probari minime potest. Sane ut catera prateream, docere non poterunt* ἐθελοθρησκείαν *usquam accipi in bono.* Excusat quidem idem Esthius ἀσκήσεις Romanenses, ait p. 137. contra *Judaizantium, uti dictum est, abstinentias & jejunia hic agere Apostolum : qua quidem multiplici nomine vitiosa erant ; utpote non solum immoderata, quod jam diximus, verum etiam cum superstitione conjuncta. putabant enim ea per se Deo placere, non relata ad carnis castigationem & punienda peccata; quippe qui in se considerent tanquam justi, & aspernarentur cateros, ne se peccatores coram Deo agnoscerent, sed justitias suas commemorarent, ut habemus Luc. cap. 18. Adde quod ex illis ipsis jejuniis opinionem sanctitatis aucupabantur apud vulgus, exterminantes facies suas ut apparent hominibus jejunantes, Matth. cap. 6. Atque hac erat affectata & ficta religio, quam noster interpres superstitionem vocat. Ab his vitiis aliena sunt jejunia Ecclesiastica, quantum quidem ad Ecclesia intentionem attinet. Nam immoderatas abstinentias & afflictiones corporis semper improbavit Ecclesia. Quo fit, ut tam multos ratione atatis, sexus, agritudinis, laboris, à jejuniis excusatos habeat, nolens jejunio cujusquam valetudinem vexari. Moderatas autem afflictiones exigit, docetque referendas esse ad reprimendam carnis lasciviam & evehendum spiritum in Deum, atque ad punitionem peccatorum ; idque absque ulla externa ostentatione.*

§. 15. Scholia hæc sunt otiosa & incongrua, non enim sequitur, Apostolus Judaizantes damnat. E. non damnat Romanenses. Nam & Papæi Ascetæ sunt Judaizantes, qui immoderate se affligunt, cum corpus cruciant, eo ipso quod corpus cruciant, in quo cruciando si excedunt jam immoderationem immoderatione cumulant. Confer. exempla Gretseriana, præcipue illud, quod supra ex Valerio Magno adduximus. Quid? quod excellum in Gymnasiis etiam Ethnosophi improbarint, nominatim *Aristot.* l. 8. Polit. c. 4. ubi coarguit civitates, in quibus nimia gymnasia puerorum corpora deformantur, ac impeditur augmentatio. & ibid. οἱ δὲ λίαν εἰς ταῦτα ἀνέντες τοὺς παῖδας βαναύσους κατεργάζονται. Confer Bernegg. in Tacit. q. 131. Adde Sanctorum catalogos apud Bozium, ubi videas opinionem sanctitatis ex his asceticis captari.

§. 16. Ejusdem Apostoli hoc extat effatum de (non φιλαυτίᾳ vitiosa sed) ἑαυτοφιλίᾳ naturali: *Nemo unquam suam ipsius carnem odio habuit, imo nutrit ac fovet eam Ephes. 5:29. At* (ita regerit Gretser. in agonist. c. 1. p. 27.) *Deus filios suos flagellat & castigat, salvo amore, quo filios suos complectitur; quod multis scriptura testimoniis confirmatur, ergo etiam homo seipsum, seu proprium corpus flagellare & castigare potest; salvo amore, quo corpus diligere jubetur & obligatur.* Imo Deus pios etiam occidit salvo amore paterno. Ergone eodem tibi amore salvo, teipsum occidere potes? Ita Christus Ecclesiam Martyrum morti dedit, num igitur laudandi Martyres αὐτοφόνοι? Deus ita Pater est ut & Judex. Unde castigat ut Pater & Judex : nemo autem suiipsius vel Pater est, vel Judex. Quanquam nec Deus castigat ipse, sed castigandos permittit. vid. hodosoph. phænom. 4. p. 261.

§. 17. Altera tropici sensus *necessitas* fluit ex *sensus proprii indecentia.* Decantata est Regula hermeneutica *Augustini* l. 3. de doctrin. Christ. c. 16. *si locutio praceptiva flagitium aut facinus videtur habere, aut utilitatem aut beneficentiam vitare, figurata est.* At vero hypopiasmus corporalis facinus est & flagitium lege divina prohibitum, ut jam ostendimus. Ecclesia olim à suo corpore arcuit Lanistas, sic, inquit *Tertull.* l. de Idol. c. 11. *homicidii introductio ostendit mihi lanistam ab Ecclesia arceri, eo quod crudelem rem faciat, licet Reipub. lesa non damnetur.* ita Senec. l. 10. quæst. 4. Saturnalia Romana, ludum non ludum ac immanem carnificinam, quis non horret? vide Lips. l. 1. Saturn. c. 12. Quis hodie Agyrtas suamet membra concidentes, urentes non execretur? at quod illic factum ludi causa, id magnus Lanista Gretserus in suo agonistico & Athletica pietatis colore dilaudat.

§. 18. *Tertiam* tropi *necessitatem* infert Συνάφεια *contextus*, è qua hujusmodi nascitur argumentum: Talis est Hypopiasmus Apostolicus, qualis cursus & lucta: at neque in stadio aliquo Corinthiaco Apostolus cucurrit, nec in Isthmico aliquo certamine luctatus est in sensu proprio. Igitur nec in sensu proprio corpus suum afflixit. Coccyzat *Gretserus* inepte, cum majorem negat, non ratione usus, sed decreto quodam suo, *Ego,* inquit l. 1. athlet. c. 4. p. 28. *dico majorem esse falsam, quia cursus plane accipitur metaphorice, pugillatus autem seu* πυγμὴ *proprie, hac quidem ex parte, quatenus S. Paulus de ictibus & verberibus proprie dictis corpori suo abs se incussis loquitur.*

§. 19. *Quartam necessitatem* imperat *scopus Apostolicus*, qui est immodico libertatis Christianæ usui quandam quasi fibulam imponere, ac modum dare, ex charitatis Christianæ cum fidei scientia attemperandæ respectu, ne in casu scandali teneriores conscientiæ, se idolothytorum conviviis miscerent, sed à licitis alioquin deliciis abstinerent, idque sui Magistri exemplo. Analogismus totus sic habet: Ego Paulus libertatis Christianæ scientissimus: ego dictator vester

Scripturus leges & regia verba Lanista,

ac exemplaris adeoque exemplum vestræ Christianæ politiæ, jure me meo, ac exusia abdico, possem meomet arbitrio vivere ab omnibus hominibus liber, vivo ex alieno, vestro, omnium servus factus spontaneus; nullius laboris, incommodi, damni proprii refuga, quo redimi aliena salus posset. possem à vobis salarium exigere, non exigo : ego Hebræo sanguine nobilissimus, quasi gentilem statum induo, in omnes formas me verto, potior mihi est aliorum utilitas, non mentiendo, sed compatiendo ; non simulantis astu, sed commiserantis affectu, ut exponit Augustin. ego conscientia satis sum firma, at infirmus esse malo, ne lædam infirmos meæ firmitatis usu: mihi utique licet carnibus vesci, at ab his perpetuas ferias quasi esuriales mihimet indicare paratus essem, quam ut vellem alicui infirmiori hinc offendiculum præberi: Capite quæso totum meum institutum in aliqua politiæ meæ figura & imagine. Cursorum primum. quid illi?

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit:
Abstinuit venere & vino.

Deinde pugilum vestratium, quid hi? ἀνέχουσι καὶ ἀπέχουσι. ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται.

Hoc vero quomodo? quomodo in omni historia celebris Athletica gula (vide è nostris Tertull. de spectac. cap. 10. & Martyr. cap. 3. Cyprian. epist. 2. Hieronym. lib. 2. in Jovin. Basil. hom. 2. de jejun. ἐκ τῶν ἔξω Platon. L. 8. de LL. Galen. l. 2. de dignos. puls. Plutarch. de sanit. tuenda. Milonis monstrosam edacitatem memorat Athenæ l. 10. dipnos. c. 2. p. 412. Viginti carnis libras, & totidem panis edebat, congios autem vini tres bibebat. In Olympia quadrimum taurum cum humeris impositum per stadium circumgestasset, & mactatum divisisset, uno die solus comedit. Geminum ibid. exemplum extat Theagenis athletæ voracissimi, si quis, inquit Casaub. ad h. l. p. 704. duabus hisce historiis fidem abroget, meminerit illius phagonis, de quo Vopiscus in Aureliano 1. Lips. l. 1. Saturn. c. 14. p. 45. illustrans locum Arrian. l. 3. dissert. qui Athletam compellans: Δεῖσε, inquit, εὐτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶον ὅτ' ἔτυχεν ἀπλῶς, ἰατρῷ γὰρ παραδεδωκέναι σεαυτὸν, τῷ ἐπιστάτῃ. Oportet te jam in ordinem redigi, ad præscriptum vesci, abstinere bellariis, frigidam non bibere, nec si quid fortuito incidit aut offertur. Medico enim vero obtemperare, sed & præfecto aut doctori. hæc addit, at quæris, cui bono medici mox morituris? Dicam. Primo medicos haud tam arte acceperim, ut hodie; sed incluserim etiam chirurgos, usurpatione prisca. Ii autem opus certe gladiatoribus læsis, luxatisve. Deinde & ratio victus gladiatorii ea, ut salvi esse sine medico non possent. Large enim edebant, bibebant, & dabantur velut in saginam, eo fine, ut Domini valentes eos producerent, &, ut Cicero ait, cum gladiatoria totius corporis firmitate. Cyprianus eleganti epistola ad Donatum, lib. 11. Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & à ruina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat, Quinctilianus: Alebat devotum corpus pravior omni fame sagina. Inde gladiatoria sagina Tacito: Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tanquam gladiatoriam saginam, dividebat. Inde saginæ nomine, ludum ipsum Propertius intellexit hoc versu,

Qui dabit immunda venalia fata sagina,

 id est,

id est, ad gladium se auctorabit, & ad ludum.) Abstinet ab omnibus? nimirum ut miles abstinet ἀπὸ ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, illis scil. quæ cursum militarem impedire poterant. vide ἀντίχριστος. sect. 2. art. 8. p. 780. non macerabantur pancratistæ immodicis jejuniis, sit mihi verna satur, ait Martial. l. 2. epigram. 90. Alacritate in gladiatore opus ac robore, at quomodo sine valido cibo? igitur abstinere coacti sunt ab aliis dapibus, ac potu, qui & quantum fini gymnasii officere poterat, quamvis (in sensu diviso, si athletæ non essent) alioquin licitis & concessis, contenti τῇ (ut vocat Aristot. l. 8. pol. c. 4.) ἀναγκοφαγίᾳ, Colyphiis (ἀπὸ τοῦ κώλου, καὶ ἶφι à robore membrorum) apud Juvenal. hinc proverbium athletice, pancratice, pugilice vivere. Hæc fusius ex Cassiano illustrat Ben. Justinian. ad h. l. p. 522. Componi potest cum hac glossa, nec ei opponi debet illa quam excogitavit Heinsius ad præsentem nodum solvendum, cui in exerc. S. p. 366. πάντα ἐγκρατεύεται, idem est quod cuncta patienter tolerat.

Quid porro *pugiles?* pergit Apostolus. *Hypopiasmos* (non quidem sibimet inferunt, nullum ejus rei uspiam exemplum extat, sed) *sustinent ab Antagonista* illatos. *Quo fine?* non sane temere pugnant, non sunt antabatomachi, non, si sapiant, auras feriunt inani fructu, ut solent, qui solius jactationis causa in ventum brachia jactant, sed hinc cavent, ne cum pudore reprobentur, vel brabeo excidant, illinc æstuant, ut coronam marcessibilem accipiant. Hanc ego Paulus imaginem in me exprimo; Exquisita utor dieta, modice vivo, ἀνέχω καὶ ἀπέχω, non solum aliunde ictus, colaphos à Sathana excipio, sed à me primum facto initio; ut appareat serio me agere non ludere, id ago quod pugiles vestrates non solent, mihimet ægre facio, memet affligo, *quomodo?* mox dicemus, idque non temere sine certo fine, tanquam ἀέρα δέρων (quam enim stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare? removenda lusoria arma, decretoriis opus est) sed studio lucri animarum ædificandi, proximi non offendendi *atque ne egomet alii prædicando ipse fiam reprobus, h. e. ne excidam gratia Dei, ac vita æterna, ad quam alios per Evangelium meum reduxi: sed ut doctrina ac vita respondeat, & tandem ipse ego cum auditoribus meis eundem prædicati Evangelii fructum consequar, vitam nimirum æternam*, ita *D. Balduin.* παραφράζει, p. 453.

Agite igitur, & vos, ô Corinthii, sanctiori auctoramento lecti, meo exemplo condocefacti, gulæ vestræ modum ponite, frenumque, nec cum offendiculo infirmorum idolothytis vescimini; cedite de jure vestro, quoties salus proximi id velle videtur: sobrietati ac temperantiæ studete, non frustra ac solius ostentationis causa, quod est eorum quos scientia inflat, contendite, carnis vestræ desideria edomate, ne dum ordinem, ac dietam divinam, susque habetis, reprobi facti brabeio immarcessibili excidatis. Subscribit sua paraphrasi *Cornel. à Lapid.* ad h. l. p. 268. *Sicut athleta corpus abstinentia, exercitio, labore subigit, exercet, parat ad cursum & luctam, ut in ea legitime & generose decertans vincat, & quasi victor coronam corruptibilem adipiscatur: ita multo magis pro corona æterna nos Christiani, & ego imprimis Apostolus vester corpus meum inedia, labore, fatigatione subigo & exerceo, acerbe à me omnia officia pugilum exigo, quasi athleta certaminis divini; ne corpus meum continentiæ, & severioris vitæ lacertos in delicias mutet, & in imbelliam vanescat licentioris vitæ. Sed ut potius luctaturus cum dæmone, carne & mundo athletici, viribus decertem, vincam, atque coroner. Agite ergo, ô Corinthii, in stadio hoc mecum decurrite, & non tantum idolothytis ob scandalum, sed & deliciis, vino & venere abstinete, ut luctaturi victoriam & bravium reportetis.*

§. 20. Finge nunc hypopiasmum proprie sonare, qua ratione conciliabitur ille cum scopo Apostolico? quomodo sibi constabit analogismus figuræ cum figurato? Quod pyctæ in corpore suo, id ego in meo sustineo; at illi suummet corpus nequaquam proprie ὑπωπιάζουσι, sed sustinent aliunde illatum hypopiasmum. Qui igitur hoc Apostolus de se affirmet, se suimet proprie esse flagrionem? Hujusmodi est Apostoli hypopiasmus, cujus intermissio eum reprobum declarasset. an igitur si semet non flagellitasset, reprobatus fuisset? Hypopiasmus Apostolicus non est sciamachicus, non aëra ferit, sed est utilis. at *γυμνασία corporis parum utilis est*; eodem auctore Apostolo; pietas contra interior illustribus gaudet promissionibus: Item gymnasia corporis potius abducit à fine Apostolico, adque antabatomachiam degenerat: nam dum à corpore pœnas exigit, (aliudque subjectum punit, quam quod peccavit) animam non ferit, sed spirituali superbia, ex meritoria & satisfactoria ad supererogationem usque potestate concepta, inflat, qui proximus est ad τὸ ἀδόκιμον εἶναι gradus. Corpus sane & ejus exterior locomotiva frustra castigatur, frustra in servitutem redigitur, ut quod ἀδιάφορον, servire natum est: in facultatibus animæ tale quid fieri solet, quale in paralysi; καθάπερ (verba sunt Aristot. l. 1. Ethic. c. 13.) τὰ παραλελυμένα τοῦ σώματος μόρια εἰς τὰ δεξιὰ προαιρουμένων κινῆσαι τὸ ἀναντίον εἰς τὰ ἀριστερὰ παραφέρεται, καὶ ἐπὶ τῆς ψυχῆς οὕτως. ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι μὲν ὁρῶμεν τὸ παραφερόμενον, ἐπὶ δὲ τῆς ψυχῆς, οὐχ ὁρῶμεν. Utamur hic parodia ex *Lessio* L. 2. de just. & Jur. c. 9. dubit. 14. p. 101. *Quæritur*, inquit, *utrum ob animæ salutem, v. g. ad carnis tentationes vitandas aut superandas, liceat se mutilare* (flagellare.) *Respondeo, id nunquam licere, ut patet can. 22. Apostolorum, & can. 1. Concilii Nicæni: ubi id expresse cavetur. Ratio est; quia id nunquam est medium necessarium ad animæ salutem. non enim membra adferunt homini perniciem, (alioquin Deus prave naturam instituisset) sed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Unde qui ob hanc causam membrum aliquod secant, tacitam quandam injuriam & blasphemiam Deo irrogant. Adde, neque etiam esse conveniens remedium vel utile. quia abscissio seu castratio (flagellatio) de qua præcipue est quæstio, non tollit tentationes carnis, sed solum impedit generationem* (externum Veneris vel gulæ usum) *quin potius illi qui castrantur, præsertim in virili ætate, magis incitantur libidine. Unde passim reprehenditur Origenes, de quo, vide Euseb. lib. 6. histor. c. 6. & fuse apud Baronium tom. 2. Annal. ad annum Domini* 208.

Rursus Apostoli intentio est lucri facere inconversos, non offendere infirmos conversos. At quomodo illos ad se pertraxisset dira ac truculenta religione, quam gentiles si non horruissent, tamen risissent. plusquam mirum foret, si disciplinæ rigor omnibus, nemine excepto, probaretur. Longe hoc supra communem rerum cursum foret: ac inde tritæ calumniæ de infanticidio Christianis imputato hausissent commeatum: quid enim non auderent in infantibus, qui sibimet non pepercissent? Neophyti etiam infirmi offensi fuissent tam acerba & sæva Christianismi conditione, cujus exteriora blandimenta Evangelia promitterent, interiora mysteria sanguinem sitirent. Quomodo si hujusmodi carnificinam Apostolus suo exegit exemplo, infirmis infirmus factus est. dilaniarit ille suum corpus clam tanquam fide firmior, num tamen palam id facere, vel à Tironibus suis exigere debuit, quibus oneris novi, ex Judæorum lege, ut ajunt, oriundi, impositione paucis exceptis noluit esse gravis, Act. 15:28. nondum inventa tunc ars fuit flagellationis vicaria, ut hodie solemne est in Ecclesia Romana, postquam presbyter alicui post absolutionem injunxit pœnitentias, id est, jejunia, precationes certo numero, flagra &c. conquirere aliquem pauperem, qui mercede conductus, has functiones impleat, & operam suam vicariam alteri addicat. Nondum excogitatus indulgentiarum thesaurus, unde levamentum ex satisfactionibus alienis: nondum Pontifices, ut qui hodie nundinantur, satisfactiones supererogatorias Noæ, Abrahami, Jacobi, Samuelis congesserunt in thesaurum, sed passi sunt intercidere. Esto in Ecclesia adulta ac virili hujusmodi cruento gymnasio opus fuerit, num tamen in illa prima Corinthiaca, tenellula, infantili, martyriis (ubi satis flagrorum aliunde illatorum imminebat, ut domesticorum non fuerit opus) satis duris proxima. Unde *Lælius Zecchius* tractat. de Indulg. & Jubil. *Primi*, scribit p. 65. *Christiani erant valde pii, & justi, ac ferventes in orationibus, jejuniis, vigiliis, & liberales erga pauperes, unde Act. 4. habetur, quod divitias habebant communes, & cor unum, ac animam unam, & peccatoribus gravissimæ & longæ pœnitentiæ imponebantur, quibus Deo pro admissis criminibus satisfaciebant, ideo tunc non multa fit mentio indulgentiarum, ut nunc, cum homines non sint in communi ita ferventes, nec tam graves & longas peragant pœnitentias. Dices* Apostolicum factum consilii fuisse non præcepti, perinde ut victus propria manuum quæsitione comparatus, adeoque non omnes obligasse, ita *Corn. à Lap.* p. 267. at statim sibimet contradicens statuit esse exemplum? Quomodo exemplum à Doctore propositum, si Tyrones non obligavit? cur hodie hoc exemplo hujusmodi satisfactiones urgentur? maneat cruenta religio inter cœnobia, nec ab omni populo in publico spectaculo exigatur: sane si quem Ecclesiæ Doctorem eadem vel analoga necessitas victus propria manu quærendi premat, qualis tunc incubuit Apostolo Paulo, non consilii esset, sed præcepti propria manu victum quærere? si e.g. Pastori Ecclesiæ (quod in nostri temporis necessitatibus non semel factum est) necessitas incumberet aut deserendi gregis, ac lupo tradendi, aut in defectu salarii (quod ex lana ovis, quam hostis non totondisset, sed deglubuisset, redigendum fuerat) propriis manibus ex agro panem excitanti, non sane consilii (Papæi) sed præcepti res esset, hoc posterius præ illo eligere. vide Lorin. ad Act.

Act. 20. p. 837. Proprius quasi & immediatus Apostoli scopus fuit ab *idolòthytorum communione absterrere* Corinthios, eo quod Christiani non debeant *esse consortes dæmoniorum: quod non possint esse simul participes mensæ Domini & mensæ dæmoniorum.* 1 Cor. 10:21. at si hanc syrtim cavisset, in aliam charybdim incidisset κακοζηλώστως moris Ethnici, ab indole Apostoli, puritatis & sinceritatis studiosissimi, alienissimæ, ex cujus consideratione sequitur.

§. 21. *Quinta Topicæ* inflexionis *necessitas nata* ex ἀνηθείᾳ Apostoli, ac nascentis Ecclesiæ, quæ ut de flagellaria heautontimoria nihil quicquam scivit (sero demum excogitata Petri Damiani temporibus, nam antiquius exemplum in Baronio non occurrit, nec allegare potuit antiquius Gretser. l. 2. de discipl. cap. 7. Spond. ann. 1056, 3. *Eodem tempore*, inquit, *etsi non eodem auctore Petro, tamen certo propagatore, atque adversus impugnantes propugnatore, introductus est in Ecclesia Dei ille laudabilis usus, ut voluntariæ pœnitentiæ causa Fideles, non modo viri sed & nobiles mulieres, verberibus se ipsas afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis. Hoc enim testatur idem Petrus in Epist. ad Blancam Comitissam. ep. 4. cap. 14. In Bibl. Patr. ubi & verberationem ipsam vocat disciplinam, sicut & in epistola ad Alexandrum Papam, de qua dictum eadem occasione anno superiori: quod nomen cum actione ad posteros transiit, ut disciplinam agere sit seipsum flagellis cædere. Hoc autem genus pœnitentiæ, etiam ab ipso Henrico Imp. qui hoc anno defunctus est, frequentatum esse, testis est Reginardus in rebus gestis S. Annonis tunc Archiepiscopi Coloniensis ap. Sur. 4. Dec. c. 6. Sicque ingenti Fidelium bono contigit, ut quæ in redemptionem diuturnarum pœnitentiarum à Canonibus injunctarum, in expiationem peccatorum mortalium, flagellorum verberatio fuit primitus introducta; quod vidimus anno superiori; eadem hoc tempore, frequentiori usu sit sponte recepta, inter omnes etiam Christianos nihil debentes ejusmodi Canonum exactoribus, pœnitentiariis presbyteris, imitatores Apostoli dicentis: 1 Cor. 9. Lividam facio carnem meam, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Quod quidem introductum esse his iisdem Petri Damiani temporibus, exemplo B. Dominici cognomento Loricati, à Lorica ferrea, qua corpus perpetuo constrinxit ac domuit, eidem subditi eremitæ, ac magnæ abstinentiæ & austeritatis viri, cujus Res præclare gestas scripsit idem Petrus ad Alexandrum Papam Ext. ap. Lipom. testatur ipse eadem ad Blancam epistola.*) Ita à Syncretismo & κακοζηλωσ͂ hujusmodi prorsus abhorruit. Vid. Christeid. act. 1. Phæn. 4. pag. 166. & seqq. Jam αὐτοχειρίᾳ sacra, h. e. execrabilis obtinuit primum locum inter piacula ethnica Sidonia, Baalitica, Græcanica, Romana, ubi ut sanguis humanus liberorum, ita & proprius prodige effusus ad placanda numina. Vide Christeid. Phænom. 1. p. 15. Baalitas cultris se ac lanceolis incidisse palam est 1 Reg. 18:28. In quem locum hæc notat *Casp. Sanct.* p. 1252. *non aliter in se, quam in victimas sæviunt, cultris se incidunt, & secant, lanceolis se compungunt, donec suo toti sanguine commadeant. Miserabile plane spectaculum videre Sacerdotes suo more infulatos, rubentes, atque stillantes sanguine, rugientes ad Deum inanimatum, & surdum, à quo nihilo magis excipiuntur clementer, & benigne, quam à silice, aut à rudi, atque sylvestri stipite. Notum est gratum esse dæmoni quicquid ab humano corpore expressum, aut desectum est. Neque quicquam magis amant in sacrificiis, quam hominum aut abscissa membra, aut libatum sanguinem. Ita Isidorus citatus ab historia Scholastica in hunc locum. Et quidem humano sanguine delectari dæmones, & humanas sibi victimas exigere docent regiones ævo nostro ultra Oceanum ab Hispanis aperta, in quibus passim immolantur homines, & illorum sanguine occurrunt ubique obviæ rubentes aræ. Gentiles olim aut seipsos, aut filios, aut etiam hospites immolabant Diis, quos sibi placatos & tutelares esse volebant, ut probant Dianæ Tauricæ belluina sacra, & alia his quam simillima, quæ vide apud Alexandrum Neapolitanum lib. 6. Genial. cap. 26. & ibid. Tiraquellum & Lactant. lib. 1. de falsa Relig. c. 21. Sed quod proprius facit ad hæc sacrificia, in quibus sacerdotes non alieno litant sanguine, sed suo, est sacrificium quod offerre consueverunt antiqui quibusdam Diis, quos sibi voluerunt reddere propitios. De quo Lactantius loco nuper citato, cujus verba hic referam. Nam cum egisset de Idææ matris execrabilibus sacris, in quibus Sacerdotes seipsos mutilato corpore turpiter effœminant, de virtutis, seu Bellonæ sacerdotibus dicit. Alia virtutis sacrificia) quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi Sacerdotes, non alieno sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferuntur, insaniunt.* De hac Tibullus, ubi fœminam sacrificantem induxit:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta deam.
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna movet.

Prudentius hujusmodi Gentilium sacrificia deridet in hymno de S. Romano sub finem, ubi multa commemorat his similia, quæ passi tunc sunt in sacrificando Sacerdotes Baal.

Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis
Votivus & cum membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat deam.
Furere, ac notare jus putatur mysticum.
Paria ad secandum dextra fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas,
Quid? cum sacrandus accipit Sphragitidas
Acus minutas ingerit fornacibus.
His membra pergunt urere: ut igniverint
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.

Alia hic in eandem sententiam, & consuetudinem memorat Prudentius, quæ hic repetere prohibet pudor. Ex his constat, quæ hic in suis sacrificiis faciunt Sacerdotes Baal, hisce Gentibus non inusitata, & hunc Baalem fuisse dæmonem crudelissimum, qui hoc tam barbaro ritu sibi litari vult. Hic ego suspicabar Sacerdotes Baalitas altare, quod fecerant, transiliisse, ut habemus sup. vers. 26. ut sanguis, quem cultri, atque lanceolæ ex corporibus expresserant aram imbueret, & cum bove ibidem immolato conjungeretur, ut sanguis ille quoque victima fieret, & Deum magis ad commiserationem flecteret. Confer Polyd. Virgil. l. 7. de rer. invent. cap. 6. Ovumne ovo similius, atque hæc Baalica laniena hypopiasmo Papæo? nisi quod vero Numini se Papæi litare putant, dum Baalitæ falso: at ex ungue agnoscatur Leo; ex sanguinis humani siti sanguisorbus Deaster; ex carnicidio mendaciis roborato Pater mendacii & homicidii.

Quid? quod *Gretserus* de diamastigosi extraneorum argumentum educat in spicileg. pro Discip. pag. 54. §. 13. ex *Tertulliano* (Montanista sc. & Bellarm. Judice, hæresiarcha) *Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum hominum victima placari apud seculum licuit. Et Latio in hodiernum Jovi media in urbe humanus sanguis ingustatur. Nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem Dei sui voluntatem. Si noster quoque Deus propriæ hostiæ nomine martyria sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam religionem & lugubres ritus & aram, rogum, & pollinctorem Sacerdotem, & non beatum amplius reputasset, quem Deus comedisset?* Conf. Gretser. ib. p. 9. Obiter hic advertenda *B. Rhenani* annotatio ad L. Tertull. ad Martyres: Istius, inquit, Διαμαστιγώσε͠ως vestigium videas *apud Italos in Litaniis*, Conf. Gretf. in append. agonist. ex metanœologia Edmundi Angerii. p. 251. Cæterum, ne dicat aliquis (ita in simili materia Bellarm. l. 1. de purg. c. 11.) hoc potius argumentum esse erroris & fabularum, quandoquidem id sentiunt Ethnici & Mahumedani, Donatistæ & Circumcell. Nam illa in quibus omnes fere rationes conveniunt, vix possunt aliunde provenire, quam à naturali lumine omnibus hominibus communi. Quæ enim sunt excogitata, & conficta ab hominibus varia sunt, & diversa pro gentium varietate. At nobis regula est verbum Dei, ab hoc nisi lumen naturale ducatur, aberrat: rationis sed delirantis ac Evangelii solatia nescientis hoc delirium est, peccavi, ergo Diis satisfaciendum aliqua pœna. Ergo proprii corporis pœna. Eadem Heautontimoria à Gentibus ad *Judæos dimanavit apud Joh. Gerson.* part. 1. Thalmud. cap. 2. Gretserus ex Antonio Margarita agente de festo, quod Judæi celebrant 10. Septemb. vocantque den langen Tag/ longum diem, ita scribit; Darnach wann sie sich alle gebadet (nemlich am Abend des langen Tags) gedauchet/ und gessen haben/ stehen sie auf/ und gehen in die Kirchen/ und betten unter anderen vielen/ und langen Gebetten/ ein sehr lange offene Beicht/ darnach gehen ihr je zwen und zwen in die Kirchen/ an ein besondern Ort/ da bucket sich der ein nieder auf das Knie/ und Angesicht/ und schlägt das Höff übern Kopff/ doch daß man ihm kein blosse Haut sehe/ so stehet der ander über ihn/ und schlägt ihn mit einem Riemen/ neun und dreißig Streich. Dieweil er ihn also schlägt/ bettet der da geschlagen wird/ die offene Beicht/ und schlägt sich selbs auch ans Hertz Wan solches geschehen ist/ stehet er auff/ und leget sich dann der ander an sein Statt/ und lässt sich auch also schlagen/ doch beissen die

Fúchs einander nicht hart. Solche grosse Buß geschicht darumb / daß sie gantz rein / und ohn Sünde / an diesem langen Tag vor GOtt erfunden werden. Daß sie aber einander nur neun und dreissig Streich geben / ist im Deut. cap 25. gegründet. De Turcis memorat *Salomon Suiggerus* l. 2. Itinerarii sui cap. 58. p. 197. Es pflegen auch die Türckische Ordensleute ihren Leib zu verwunden mit Messern. Item, Laubwerck und Buchstaben auf die Haut zu ritzen.

§. 22. Nec hic stetit superstitio, nam & *Hæreticis* placuit ac nominatim olim *Montanistis*, de quibus ipse *Gretser*, in dedic. athlet. pag. 5. *Observabant isti quotannis tres Quadragesimas, & quidem severissime: intenti Xerophagiis, seu aridorum esui, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & viridioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel ederent vel potarent.* Vide Christeid. act. 1. Phænom. 2. p. 533. quo pertinent in summo noctis barbaricæ conticinio *secta Flagellantium*, quam post Nauclerum volum. 2. generat. 45. Sebast. Franc. Chron. pag. 399. Joh. Trith. in Chron. Hirsaw. Anno 1349. Aventin. lib. 7. Albert. Argentinens. in Chron. Urstis. in Chronic. Basil. Crantz. Metropol. l. 9. c. 44. copiose describit Hospin. de orig. ac progress. Monachatus, cap. 30. pag. 271. & seqq.

Juvat hic apponere *historiam Flagellantium*, qui olim in hac nostra Argentina apparuerunt, descriptam in MSSto. ἀνεκδότῳ à Jacobo von Koningshoffen / fol. 230. Do men zalte M.CCC.XLIX. Jahr / viertzehen nacht noch Sungichten / do koment gen Straßburg wol CC. Geischlere / die hettent leben und wise an in / als ich hie ein Theil sagen wil. Zum ersten so hettent sü gar kostberen vanen von Samit Tücheren von Baldeken / uff zehen oder acht Vanen / und alls menige gewunden Kertzen / die trug men in vor / wo sü in Stette oder Dorffern giengent / und sturmete alle Glocken gegen in / und die Geischlere giengent den Vanen nach ie zwene und zwene mit einander / und hettent alle Mentelin an / und Hutte uff mit roten Crucen / und zwene sungent vor / und denne die andern alle noch.

Und ir Wiß und ir Gesang war also.

Nu ist die Biedevart also her
Christ reit gen Jerusalem selber /
Er furte ein Cruce an siner Hant /
Nu helffe uns der Heilant /
Nu ist die Biedevart also gut /
Hilff uns HErre durch din heiliges Blut /
Das du an dem Cruce vergossen hest /
Und uns in dem Elende gelassen hest.
Nu ist die Strosse also breit /
Die uns zu unser Frowen treit /
In unser lieben Frowen Lant
Nu helffe uns der Heilant /
Wir süllent die Busse an uns nemen /
Daß wir Gotte desto baß gezemen /
Alldort in sins Vatter Rich /
Deß bitten wir dich alle glich
So bitten wir den vil heiligen Crist
Der aller Welte gewaltig ist.

So sü alsuß in die Kirchen koment / so knúweten sü nieder / und sungend:

JEsus der wart gelabet mit Gallen /
Deß sullen wir alle an Cruce vallen.

Und do vielent sü alle Crucewyß an die Erde / daß es clapperte. Und so sü eine wile alsus gelogen / so hup ir Vorsenger an und sang:

Nu hebent uf uwere Hende /
Daß GOtt diß grosse Sterben wende /
Nu hebent uf uwere armen /
Daß sich GOtt uber uns erbarme.

Und denne stunden sü uf / und das datent sü drei stund / und denne ludent sie die Lüte heim zu imbisse / und eins lut zweinzig / eins zehen / und ieglichs noch süne statten / und bütenß in wol.

Und diß was ir Regel.

Wer in die Bruderschafft wolte / und an die Busse tretten / der muste XXXIIII. Tage darinnen sin und bliben / und muste allso vil Phennige han / daß ime alle Tage vier Phennige an geburtent / das warent XI. Schillinge Phennige / und vier Phennige / und darumbe so entorstent sü nieman heischen. Sü getorstent auch keine Herberge heischen / noch in kein Huß kommen / men lude in denne drin. Sie getorstent ouch zu keiner Frowen gereden / welcher aber das brach / der knúwete vor sinen Meister / und bichtet es ime / so satte ime der Meister Busse / und schlug ine mit der Geischeln uf sinen rucke / und sprach:

Stant uf durch der reinen martel ere /
Und hûte dich vor den Sunden mere.

Sü hettent ouch ein Gesetze / daß sie Pfaffen under in hettent / aber ir keiner solte Meister under in sin / noch an iren heimlichen rot gon. Wenne sü nu woltent bûssen / allso namntent sü das Geischeln / das was zum Tage zwûrent / frûge und spote / so zogetent sü zu Velde uß / so lûte man die Glocken / und giengent ie zwene und zwene / und sungent iren leich alls vor geseit ist. Und wenne sü kommen an die Geischelstatt / so zugent sü sich uß nacket und barfuß / untz in die Bruch / und dotent kittele oder wisse linen cleidere an. Und die giengen an von dem Nabel untz uf die Füsse / und leitent sich nieder an einen witen Creiß / und wie ieglicher gesundet hette / der noch leit er sich. Waß er ein meineidiger Bösewicht / so leit er sich uf eine site / und reckte sine drie Vingere uf. Waß er ein ebrecher / so leit er sich uf den Buch / Suß leitent sie sich in meniger hande wiß / noch meniger hande sunde / doby erkante men wol / waß Sunde ir ieglicher geton hette. So sü sich allsuß hettent geleit / so vieng ir Meister an wo er wolte / und schreit uber einen / und rûrte in mit seiner Geischeln / und sprach:

Stant uf durch der reinen martel ere /
Und hûtte dich vor der Sunden mere.

Suß schreit er uber sie alle / und uber welchen er schreit / der stund uf / und schreit dem Meister noch uber die vor ime logent / untze sü alle uf gestundent / und sungent denne: und geischeltent sich mit Riemen / die hettent vornen Knöpphe / und Nodlen darin gestecket / und sungent meniger hande wiß / die stont in der Croniken uf unser Frowen Huß geschrieben / darumbe lasse ich sü hie underwegen durch Kurtze willen. Und wenne sü sich alsus gegeischeltent / und gesungent / so laß einer under in ein Brief / und sü sprochent der Engel hette in von Himmel brocht / und in dem brieve stunt / wie das GOtt erzürnet wäre uber der Welte Sunde / und wolte sü han underlossen gon / do wurde er gebetten von siner Mutter / und von sinen Engeln / daß er sich solte erbarmen uber die Welt / und vil anders Dingen stunt in demselben brieve geschrieben. Und wenne der Brief gelesen wart / so zogetent sü wider in die Statt / singente ie zwene und zwene / und giengent irem Vanen und kertzen nach Ouch wenne sü sich geischeltent / so wart gar groß zulauffen / und das volck weinte / und hette grosse Andocht / wann das Volck wende und gloupte / daß der Brief von dem himmele herabe wäre kommen / und alles daß sie seitent / das es alles war were. Und wenne die Pfaffen sprochent / wo by men erkennen solte / daß die geischelvart gerecht were / und wer den brief besiegelt hätte. Do antwortent sü / und sprochent: wer die Evangelie besiegelt hätte. Suß brochtent sü die lute darzu / daß man den geischlern me glaubete denne den Priestern. Und wo sü in die stette kommment / do kam gar vil Volckes in ire Bruderschafft / die auch geischlere wurdent.

§. 23. *Crisin* de hac secta suam proponit *Gretser*. l. 2. Athlet. c. 1. pag. 120. *Voco Flagellatores istos Pseudopyctas, seu falsos pugiles; quia licet carnem suam verberibus acriter exciperent, atque adeo lividam redderent; quia tamen charitatem in unitate Catholicæ Ecclesiæ & fidei non habebant, aërem pulsabant; hoc est, frustra corpus suum flagellis macerabant, verissimum enim est illud S. Pauli oraculum 2 Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens &c. Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Qui Ecclesiæ vocem non audit, is non modo à se, sed ab alio flagellari, imo & occidi potest; sed coronari non potest; quandoquidem nemo extra Noëticam arcam ab interitu servatur*, & p. 121. *Ex quibus manifestum evadit, quàm pro ingenio suo, h. e. impudenter, faciant Sectarii, quando eos, qui flagris corpora sua castigant, damnatis hisce*

flagel-

flagellatoribus similes esse maledicis vocibus personant. Quidni veridicis vocibus? esto enim schismatici fuerint, ac aliis quoque erroribus quos idem Gretser. ex Cosmodromio Gobelini commemorat in Virgidem. c. 10. pag. 182. imbuti, tamen in hac præsenti superstitione flagellatrice sub pietatis colore & prætextu devotionis, & agendæ pœnitentiæ, contra Ecclesiæ libertatem, publice sub dio, non privati in hospitiis privatis (ita enim exponit *Albertus Argentinensis* in Chronico ab ipso *Gretsero* adductus in athlet. p. 139. *Papa sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipsis, & omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne de cætero flagellationibus PUBLICIS uterentur; sed pœnitens solus in Camera posset carnem suam sic flagellare.*) uti accusantur in bulla Clementis VI. instituta, non aliis, comparatio à nostris facta fuit. Sane *Joh. Gerson*, qui durante *Concilio Constantiensi* anno 1417. in sectam flagellantium scripsit part. 1. oper. in fine, rationes affert contra sectam flagellantium, quæ non minus quadrant in omnes omnino flagellationes, *lex Christi*, inquit, *dicitur lex amoris, quamque Dominus, sicut dicit Augustinus, voluit paucissimis Sacramentis esse contentam. Et inde culpat reos, qui servilibus eam premunt oneribus conformiter ad illud primi Pastoris Petri Act. c. 15. Quid tentatis Deum, &c. ô pium verbum, certe verbum omni exceptione dignissimum! Profert loca Levitici & Deuteronomii, quæ vetant, ne Judæi corpora sua incidant. Item factum Sacerdotum Baaliticorum, additque Dæmones esse cupidos effusionis sanguinis, præsertim humani. Lex aliqua quanto est iniquior & Dæmoniis obsequentior, tanto semper invenitur crudelior & amarior. Patet in illis, qui filios suos & filias immolabant Dæmoniis. Hinc Dominus ait per Prophetam: Servietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem. Christus autem ex gratia sua, sicut notatur in dicto Petri prius allegato, voluit nos misericorditer salvare per sanguinem suum effusum, per quem factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio.* Iterum *Lex Christi sufficienter ab Apostolis & sacris Dd. explicata non invenitur tales novitates flagellantium se constituisse prædicando, vel aliter; sed potius reprobasse, tanquam suspectissimas & periculosissimas, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum, apud Judæos, Saracenos, & Paganos, tanquam Lex Christi austera, crudelis, & in sanguinibus non in miserationibus enutrita.* Rursus; *Sicut non licet homini seipsum propria autoritate mutilare vel castrare, nisi pro sanitate totius corporis consequenda: sic nec, ut videtur, quod à seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi causa medicinæ corporalis; Alioquin simili ratione posset homo se cauterizare per ferrum ignitum, quod adhuc nemo posuit vel concessit, nisi forsitan idololatræ vel falsi Christiani, quales reperiuntur in India, qui se putant baptizari debere per ignem.* Hæc Gerson.

Suadet Tropum *alleluchia & collatio cum similibus in scriptura figuratis locutionibus*, præcipue Matth. 18: 8. *Si manus tua vel pes tuus offendiculo est tibi*, inquit Dominus, *abscinde ea, &c.* Confer Matth. cap. 5: 29. ad quem locum hæc notat *Maldon.* p. 122. *Quia si oculus, & manus proprie sumantur, & absurda & crudelis videtur esse sententia, plerique veteres interpretes metaphorice sumpserunt.* Et mox: *Non enim vult, ut manus ipsi nobis amputemus, ut oculos eruamus; sed ut in exaggerationibus fieri solet, intelligatur exceptio, si fieri posset, aut liceret. Quemadmodum dixit D. Paulus ad Galat. 4: 15. Testimonium enim perhibeo vobis, quoniam si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Potuit enim utique, sed non licuit.* Quin & votum membri mutilandi damnat *Navarr. Azpil.* in Enchir. c. 15. n. 11. eo quod nemo sit Dominus suorum membrorum. Cur non hic quoque literalem sensum quærunt, ubi Origenes invenit? *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*, vox est Apostoli Gal. 6: 14. an autem Apostolus proprie crucifixus mundo? cur non & hic literam amplectuntur? ibidem dicit Apostolus Gal. 6: 17. *Stigmata Domini in corpore porto*, an proprie dicta? ut illi apud Procopium, quem citat *Lorin.* ad Lev. 19. p. 609. qui pseudhermenia loci Esaiani decepti impresserunt ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. Paulus ut stigmaticum Idolum Franciscus stigmatibus notatus? *negat Lorin.* l. cit. negat Corn. *à Lapid.* ad Galat. 6. p. 469. Cur, denuo quæro, hic non similiter tropum captant?

Agmen claudit propria *improprietatis confessio, non nego*, ita *Gretser. l. 1.* athlet. cap. 4. p. 29. *quoad alia nonnulla metaphoram in istis verbis delitescere: imo & prorsus metaphorice ad jejuniorum certamina, & alia, quæ carni injucunda ac molesta sunt, transferri posse.*

§. 24. Hactenus *Parherminiæ Acrisia*, sequitur *anakoluthia.* Audias enim ex arena funes à specie ad speciem. Apostolus à seipso proprie vapulavit hypopiasmo in oculis accepto? Ergo semet flagellavit. Ergo aliis corporalibus tormentis se cruciavit. Ergo hodienum ejusmodi acerbæ pœnitentiæ subeundæ. Esto vocem ὑπωπιάζειν alias latius extendi, an tamen hic necessario? Ejusdem apædiæ est consequentia à genere ad speciem affirmativa. Apostolus sibi aliquod malum intulit. Ergo pœnale, Ergo satisfactorium, Ergo meritorium, Ergo illius exemplo ejusmodi pœnæ sunt dandæ pro male commissis, omissis, grave est vinciri; gravius uri aut secari. Non ideo tamen pœnas dedisse censendus est, qui ex medici præscripto aliquid istorum perpessus est. Gravis erat olim, ac laboriosa athletarum vita; multus sudor, multæ plagæ; dura & acerba etiam hodie tironum in gymnasiis, militum in castris, in agmine, in acie conditio. Ergone existimandum est alicujus eos peccati pœnas luere? Nihil minus. Hanc isti habent non sceleris aut flagitii mercedem, sed virtutis ac gloriæ disciplinam. *Fatendum est* (ita *Bell.* l. 1. de purgat. cap. 11. §. at frustra.) *flagella justorum esse etiam paternas castigationes, & remedia contra peccata futura.* Rursus *pœnæ sunt, quas hujusmodi flagrio de se ipso expetit.* Ergo proprie dictæ, ac formaliter tales. Ergo satisfactoriæ. Dicantur pœnæ per metalepsin (sicut pyxis aurea pixis, quia pridem è buxo, sicut arma ferrea χάλκεα, quia olim ex ære, ita) quia sua natura pœnæ fuissent, nisi Christus pœnam in medicinam, & utile gymnasium filiorum Dei commutasset, non tamen ideo proprie pœnæ erunt. Cum duo idem patiuntur, non est idem: sanguinis missio castrensis olim fuit pœna, hodie medicina est.

§. 25. Superest *Ἀσκοπία per glossam adversariam Apostolo tributa.* Ajunt suo illum hypopiasmo luisse ac satisfecisse, an pro se ac propriis peccatis, num alienis per supererogationem? Pro se vir tam sanctus, in quo nulla mortalia peccata regnarunt, ut luat non opus habuit, *venialia etiam citra contritionem poterant remitti*, juxta *Tolet.* lib. 3. instr. c. 5. pro aliis suisve (si luit) satis luit suis illis martyriis, quorum ipse Martyrologium concinnavit 2 Cor. 11: 23. & seq. satis illis stigmatibus, quæ ab alia non sua manu accepit: satis colaphis, quos à Sathana tulit. *Confessor potest diminuere pœnitentiam, imponendo illi omnia, quæ facturus est bona, & quæ passurus est patienter mala loco pœnitentiæ. Est enim sciendum, quod opera alias debita Deo, si imponantur à Confessario, vel si à pœnitente Deo in satisfactionem offerantur, valent ultra obligationem, cui etiam satisfaciunt. ita Tolet. l. 3. cap. 11.* Quanquam fabula est omnis vicariatus satisfactorius mere humanus. Quis enim non diceret, Judicem esse mente captum, qui reum furti, aut homicidii liberaret vinculis, aut juberet esse indemnem, sub hoc obtentu, quod ejus propinquus aut vicinus se concidisset loris in ejus gratiam? Cur quæ in homine censerentur ridicula & iniqua in Deo censentur justa? Quam abhorret à communi sensu hæc oratio, me pœnitet tui peccati? quemadmodum societas civium non eo usque extenditur, ut alter pro altero edat, aut dormiat, ita nec communio sanctorum in eo posita est, ut alter pro altero sit pœnitens, & luat pœnas alieni peccati. Sic enim alter pro altero posset servari. Ordinaria ac prudens charitas proximi tam diram in summet corpus sævitiam non exigit. tenetur homo diligere proximum sicut (non plusquam) seipsum, plus autem proximum diligit quam se, qui pro proximo in proprio corpore luit. Martyrum cruces exempla aliorum fuere non lytra, *acceperunt justi non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine nata exempla sunt patientiæ, non dona justitiæ*, ait *Leo M.* serm. 12. de pass. Ipse Apostolus scopum satisfactorium sui hypopiasmi in pseudo-apostolis prædamnat. Illi enim Circumcisionis necessitate imperata merita & satisfactiones Christi adjutum auctumque ibant. at ecce ego Paulus *dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*: Galat. 5: 2. substituatur hic pro circumcisione hypopiasmus corporalis satisfactorius, tantundem dicetur. Ajunt Apostolum satisfecisse pro peccatis præteritis. Quam hoc insane ἄσκοπον? An enim pugiles se continuerunt intra dietam ob præteritas luctas, aut ut sanarent livorem ex iis contractum; num potius ut caverent à futuris plagis? Huic protasi, ut constet sua apodosis, fatendum hypopiasmum Paulinum non fuisse expiatorium, sed cautorium. Sanior hic *Bened. Justinian.* ad h. l. qui pag. 525. *Paulum, scribit, jejunio ac inedia corpus edomuisse, non quod eorum vim atque impetum reipsa experiretur, sed ut earundem motus præverteret, & mox, neque aliter accipio Origenem, Hieronymum & alios, qui hæc Pauli verba ad æstus libidinis sedandos, referunt, non quibus Paulus inflammaretur, sed quos ille abstinentia ac inedia quam longissime arceret. Hoc enim erat Apostolicæ modestiæ, & Christianæ humilitatis, ac solicitudinis, etiam tuta timere.* hæc ille. Ita apud *Athenæ.* l. 8. dipnosoph. cap. 9. pag. 349

pag. 349. Stratonicus Cytharœdus potum sibi à puero afferri jussit, non quod sitiret, sed ne sitiret. Finem meritorium idem Apostolus sibimet denegat, cum coronari negat, nisi qui *νομίμως* ac legitime certarit 2. Tim. 2: 5. at si Apostolus hypopiasmo corporali semet læsit, id fecit ἐ νομίμως. Nam si cædere in faciem alienam illegitimum fuit, ac pseudo-apostolicum. 2. Corinth. 11: 20. quomodo verum ac Apostolicum cædere semet in faciem?

SECTIO IV.

Hermenia vera ac orthodoxa.

§. 26. EGo Paulus Apostolus JESU CHRISTI, vester spiritualis Pater ac Magister, instar pugilis veterem hominem tanquam antagonistam affligo abstinentia, resistentia ac erubescentia peccati, temperantia, castimonia, laboribus, etiam manuariis, vigiliis, patientia, ne quomodo fiat, ut cum aliis prædicarim, ipse tanquam *servus sciens Domini voluntatem*, nec tamen faciens Luc. 12: 47. tanquam Dux gregis in exemplar positus 1. Timoth. 4: 12. ex exemplo scandalum, factus in æternæ reprobationis judicium incidam. *D. Chemnit.* part. 4. exam. de jejunio, p. 749. sic exponit: *Paulus 1. Cor. 9. utitur exemplo athletarum, quorum victus ratio exquisitissima erat. Non enim promiscue quidvis ingurgitabant, sed à multis abstinebant, ut nec corpus gravaretur, nec animi vis obrueretur, sed ut & corpus agile, & vis mentis præsens, alacris & vegeta redderetur, ad circumspectionem, inferendi, excipiendi & præcavendi ictus: Ita & ego, inquit Paulus, corpus meum subigo, coërceo, cohibeo, sugillo, obtundo. Est enim valde illustris metaphora in verbo* ὑπωπιάζω; *sicut enim pugil adversarium suum observat, & ictibus ac plagis cohibet, sugillat & subigit; ita, inquit Paulus, ego corpus meum observo, & ne caro adversaria sua reluctatione Spiritum de statu suo dejiciat, & subjugatum carni servum seu captivum reddat, subigo, obtundo, edomo & subjugo, corpus meum, ut in servitutem animæ seu Spiritus redigatur, ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Illa autem subactio, seu subjugatio corporis, vel mortificatio carnis fit vel temperantia, vel abstinentia, vel jejunio, vel studiis, laboribus, negotiis, occupationibus, curis, cruce, afflictionibus, pavoribus, sensu iræ Dei, &c. hoc fine, ne intemperantia, petulantia, & desidia carnis impediat intentionem animi, in meditationibus, & exercitiis pietatis, neve otium & luxus pariant peccata, excutientia Spiritum Sanctum.*

§. 27. *Sensus hic Hypopiasmi figuratus, consentaneus est.* I. *Phraseologia sacræ*, in qua corpus hominis non raro est corpus peccati, concupiscentia prava vetus homo spiritui gravis, ac rebellis Rom. 6: 6. cap. 7: 14. Col. 2: 11. cap. 3: 5, 6, 7, 8, 9. Hypopiasmus metaphoricus est afflictio & molestia animi Luc. 18. Sicut qui seipsum ferit, abstinet à popismo sui, à stibio, fuco, minio, quo alias facies decorari solet, resistit ei, qui modo nominatis offuciis eum ornatum iret: qui semet ita feriit, ut in oculis hypopiasmus proprie dictus appareat, eum pudet sui: (non minus, quam cui ob maleficia stigmata inusta sunt, aut frontes literis signatæ, unde *homo literatus* joculo apud Plaut. in Casina act. 2. sc. 6. *Zonaras* tom. 3. annal. memorat duos quosdam Monachos, quod Theophylum Imp. liberius monuissent, inscriptos fuisse ita quidem, ut XII. versuum epigramma exciperent illa vultus tabula, videndus exemplorum combajulator *Lorin.* ad Levit. 19. p. 609. somnium de pugillatu, αἰχμώης nota est apud *Artemidor.* Lib. 1. onirocrit. cap. 63. p. 55. *Pugillatu decertare omnibus nocivum est, supra turpitudinem enim etiam damnum significat. Nam & facies indecora inde fit, & sanguis effunditur, qui argentum esse judicatur. Ut sicut pugil temperantiæ & castitati studet, non quibusvis sed certis tantum ac definitis ad gymnasiam dictam, ex arbitrio pœdotribæ restrictis cibis vescitur, vigilat cum opus est, laboribus lacertos firmat, alapas aliunde illatas devorat patienter. Pugiles* (ita *Cicero* l. 2. Tusc. qq. num. 56. p. 204.) *etiam cum feriunt adversarium, in jactatis cestibus ingemiscunt, non quod doleant, animove succumbant, sed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior: atque hæc omnia ferunt gloriæ temporalis studio. Sumus ex natura, ita denuo* Tullius l. c. n. 58. p. 206. *studiosissimi, appetentissimique honestatis, cujus si quasi lumen aliquod adspexerimus nihil est, quod, ut eo potiamur, non patientissimus, & ferre, & perpeti: ex hoc cursu, atque impetu animorum ad veram laudem, atque honestatem, illa pericula adeuntur in præliis. Non sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed mori malunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoveri. Fulgenteis gladios hostium videbant Decii cum in aciem eorum irruebant. his levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis, & gloria. num tum ingemuisse Epaminondam putas, cum una cum sanguine vitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedæmoniis relinquebat, quam acceperat servientem. hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum dolorum)* Ita & Apostolus abstinet, resistit veteri Adamo, erubescit ad αἰσχρᾶ φαντασίαν, jejunat, caste vivit, vigilat, laborat, currit instar irrequieti sideris, fert alapas & satanæ & mundi patienter, καὶ πεινῶμεν ait Apostolus suimet sensus optimus Interpres. 2. Cor. 4: 11. καὶ διψῶμεν καὶ γυμνητεύομεν instar velitum tenuiter vestitorum καὶ κολαφιζόμεθα καὶ ἀστατοῦμεν, sine certo late vagi nostram inopiam passim circumferimus, καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσί. Confer 2. Cor. 6: 4. omnia ista ne brabeio excidamus. Δυλαγωγία *Dominium* est (ex intestina victoria) affectuum, non spiritui solum, sed & rectæ rationi tanquam cives rebelles ac membra paralysi affecta adversorum. vide Rom. 6: 12. & seqq. *Reprobatio* ut intelligi debet, jam supra ostensum est.

§. 28. II. *Scopo Apostolico*, qui est *castigare studium partium Corinthiacum*, natum ex illis vitiis, quæ in iisdem accusat Clem. Romanus in epist. ad Corinth. ut sunt ἀλαζονεία, αὐθάδεια, τόλμη, ὑπερηφανία, ζῆλος, ἔρις, φιλονεικίαι & ex Ethnicismo residuum, inolitum nondum defectum seculi inquinamentum: maxime vero intemperantia epulatorum Corinthiorum, & gula in profecta immolatitia intenta. Igitur isti scopo subordinandus est sensus hypopiasmi & dulagogiæ. Abstinentiam à nominatis vitiis, maxime ab idolothytis intendit Apostolus, ad quam corpus flagellari, cruentari, sauciari nihil opus erat, satis se abstinerent, si cupiditatibus suis frænum injicerent: si labore otio pulvinar subtraherent.

§. 29. III. *Homo Psephismo antiquitatis castioris.* Stet in acie aurei oris Pater, cujus hæc sunt ad 1. Cor. 9. homil. 22. p. 501. *Multum sustineo laborem, ut sobrie vivam. Siquidem intractabilis est cupiditas, ventris voracitas. Veruntamen eam cohibeo, & non trado meipsum affectibus, sed omnem fero laborem, ut ne subvertar. Castigo & in servitutem redigo. Non dixit, perdo & punio: non enim inimica caro est: sed castigo, & redigo in servitutem, quod Domini est, non hostis, magistri non inimici, exercitatoris non adversarii.* Clarius Theodoret. ad hunc locum: Ἀοράτοις ἀντιπάλοις τὴν πληγὴν ἐπιφέρω, invisibilibus adversariis vulnus infero. Τοῦτο γὰρ ἐκ μὲν φορᾶς τῶν παγκρατιαστῶν τέθεικεν. ὥσπερ ἡ τροφὴ τὸν ἀθλητὴν ῥωμαλέον ἐργάζεται, οὕτως ἡ φιλοπονία καὶ ἡ ἐγκράτεια ἐμὲ μὲν ῥώννυσι, τὸν δὲ ἀνταγωνιστὴν καταβάλλει. Hoc est, *Hoc autem posuit metaphora sumpta à pancratiastis. Sicut alimentum robustum athletam efficit, ita labor, & continentia me quidem corroborat, adversarium autem dejicit.* Græcis Latini suffragantur. *Hieron.* ad h. l. p. 313. *Ego igitur &c.: Non in vanum curro vel fingo certamen, sed castigo corpus meum, & servituti subjicio per abstinentiam & afflictionem atque labores, sicut alibi ait: In jejuniis multis, in vigiliis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus, in carceribus, &c. Sicut ad Hebræos Prophetas, & alios Sanctos passos multa talia, memoravit. Ambrosii* (vel quisquis is auctor fuit commentariorum in epist. Paulinas) ad h. l. *castigare corpus est jejuniis illud agere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Optime Faber Stapulens.* in annot. ad Col. 3. *Membra Christi spiritualia sunt, membra carnis carnalia, ut carnales affectus. Et hi mortificandi sunt cum suis actibus. Sed quibusnam hæc mortificantur? Nunquid per præcepta aut doctrinas hominum, per privatas aut publicas carnis macerationes, in quibus homines confidant, & se quodammodo ex operibus justos putent, & deplorent alios, qui non sunt sui aselli carnifices, quasi idcirco eorum timentes saluti? Hæc est humilitas sensus, & terrena humilitas, non humilitas spiritus & divina humilitas, qua etiam altissimæ potestates, quæ circumstant altissimum thronum Dei, procumbunt in conspectu throni ante facies suas. Quid igitur mortificat? certe illa maxime, quæ spiritus sunt, in quibus & auxilium, imo universum robur desuper habemus, non illa quæ exteriora sunt, & è deorsum veniunt. Inter quæ quidem spiritualia, quæ summum & præcipuum locum ad hanc mortificationem carnalium affectuum, ut membrorum carnis, victoriam obtinet Dei caritas & proximi.*

M. EBERH.

M. EBERH. RUD. ROTH
DISSERTATIO
De Velamine capitis virilis ad 1. Cor. XI.

B. C. D.

PRÆFATIO.

Caput hominis inter membra humana principem obtinere locum, haud facile quispiam negaverit. Quippe in hac arce ac propugnaculo mens, tanquam regina, domicilium suum constituit, omnes sensus tam interni, quam externi in eo amice conspirant, ceteris membris solo tactu gustuve gaudentibus. In hoc palatio habitant omnes artes ac scientiæ; heic regalis quædam sapientia sedem fixit, ex qua omnibus corporis partibus vigor prudentiaque defertur. Quid enim robur & firmitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis, veluti principis, ope, auxilio aut regimine adjuvetur? Si caput desit, nulla notitia, scientia nulla, nulla ars consistere potest; jacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Capiti cetera membra, ut regi principive, lubentia lubentius obsequium præstant & ancillantur; alia portant, alia alunt pascuntque; alia defendunt & ministerium suum exhibent. Quibus rebus etiam factum est, ut, judicio gentilium, Jupiter capitis curam in se susceperit; aliis vero numinibus reliquas corporis partes assignaverit. Minervæ oculos, Junoni brachia, pectus Neptuno, cinctum Marti, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio. Quum igitur capitis tanta sit dignitas, quid mirum est, si mortales illud ab omni injuria, damno aut detrimento arceant, defendant, protegant. Quid mirum, si vel honestatis, aut sanitatis caussa veletur? Varro quidem, Hippocrates aliique existimant, longe salubrius esse, si quis aperto sit capite, quam operto. Sed utrum horum opinio sine omni exceptione cum veritate conveniat, non immerito ambigimus. Hannibal, Masinissa, rex Numidiæ, Julius Cæsar, Hadrianus, Severus aliique Summi duces etiam in summis frigoribus & terra gelu rigente; neque non in fervidissima æstate procellisque nudis capitibus iter fecisse leguntur. At quis velit affirmare, ejuscemodi incommoda molestiasve omnes indiscriminatim sine jactura valitudinis sustinere posse? Quem enim fugit, quam mirifice varient hominum temperamenta? Ille fautricem; hic maleficam naturam nanciscitur. Hinc licet quibusdam salubrius sit, non esse tecto capite, in omnibus tamen id procedere, nullam videmus rationem. Sed liticulam hanc fusius disceptandam Medicis relinquimus. Nobis ad ipsum argumentum, quod suasu magnorum patronorum suscepimus, pedem movere placet. Constituimus equidem ab initio utrumque capitis velamen tam virile, quam muliebre uni dissertationi includere; sed vero quum magna rerum copia nobis obvenerit, tantum prius capitis velamen hac vice sub nostram cadet considerationem; posteriori alii tempori reservato. Ut res hæc bene vortat, Numen submissis oramus precibus; Tu vero quisquis placidiore natus es sidere, conatibus nostris faveto.

Sit igitur

Dissertationis Historicæ

CAPUT I.

De Velamine capitis Naturali.

Velamen à velo. velati proprie quinam. velamen duplex, naturale & artificiale. ἄμνιον quid. maritis olim suspectum. refelluntur. infantes ἀμνίῳ nati felices æstimantur. Caussidicorum & obstetricum circa ἄμνιον superstitio. rationes ipsorum adducuntur. ἀμνίȣ felicitas est somnium obstetricum. Chrysostomi judicium de ἀμνίῳ. cur homines ἀμνίῳ felicitatem tribuerint. dubium solvitur. Coma caput condecorat. Synesius refutatur. utrum viro liceat prolixam comam alere disquiritur. duo loca 2 Sam. 14:26. & 1 Cor. 11:14. illustrantur. Capillamenta sunt licita. eorum origo.

§. I.



Velare videtur esse ab Hebræo פלא, quod est latere, absconditum velatumque esse. Sed rectius arbitratur Gerardus Joannes Vossius (a) *velare esse à velo*; ita ut verbum *velare* idem sit, quod *velo tegere*. Illustris Cæsar Scaliger (b) proprie *velatos* dicit esse dictos, qui caput cinctum licio laneo habebant. Quæ sententia vera ne sit an falsa, non multum laboramus.

§. II. Potest autem velamen capitis, quod in mares cadit, dispesci in Naturale & Artificiale.

§. III. Velamen capitis Naturale vocamus, quod statim ab utero materno caput tegit velatque. Artificiale est, quod arte aut aliunde capiti advenit. De illo, non de hoc in præsenti primo capite nobis sermo erit.

§. IV. Inter velamina capitis naturalia primum sibi locum vendicat ἄμνιον, quod est membranula quædam capita & humeros contegens. Constat enim, non paucos infantes prodire ex utero materno, obducto capite, veluti pileo, aut vitta quadam membranosa, vel caputio monachali. Si quis infans olim tali velamine in lucem venerit, mariti suspicabantur, uxores fidem conjugalem violasse, sibique cornua imposuisse: ut id auctoritate Antonii Guainerii confirmat Anton. Mizaldus (c) sed perperam. Nulla enim apparet ratio, ob quam bonæ uxores ita suspectæ haberi debeant; & si hæc suspicio satis fundata esset, qui fit, quod non omnes infantes, qui à feminis, non adeo pudicitiæ leges observantibus, tali ἀμνίῳ seu involucro nascantur?

§. V. Est admodum pervetusta superstitio, quæ multos mortalium animos occupavit, videlicet infantes qui ejusmodi ἀμνίῳ involuti in lucem veniunt, longe feliciorem fortunæ casum habituros, quam qui illo destituuntur, immo eo super-

Zzz stitionis

(a) *In Lexico Etymol. voce* velum *p.* 544. (b) *Conject. ad Festum.*

(c) *Centur. I. memor. n.* 18.

stitionis deventum est, ut Causidici olim Romani tales membranulas, furtim ablatas, multa pecunia ab obstetricibus emerint, credentes, sibi in ea, quam defendendam susceperant, caussa omnia ex animi sententia cessura fore. (d)

§. VI. Neque hæc superstitio hodie penitus exolevit, sed ab eo tegmine obstetrices & deliræ aniculæ ex diversis coloribus diversam fortunam augurari conantur. Quod si enim involucrum rubicundum præ se ferat colorem, infantem filium albæ gallinæ futurum præsagiunt; sin color nigricans appareat, adversam fortunam eundem experturum clamitant. Inde etiam fit, ut, qui vana religione tanguntur, has membranulas intentiori cura servare; easque secum gestare soleant. Et si tale involucrum forte fortuna perdant aut amittant, valde animi discruciantur, ignari, quid de rebus suis faciant. Existimant enim infantes tali ἀμνίῳ natos, non tot malorum plaustris, quibus ceteri homines premuntur, subjici, quum ipsorum nativitas à reliquorum nativitate per hoc singulare privilegium, quod capite velato conspiciantur, distinguatur. Et ut sua opinio eo verior esse videatur, exempla quædam adferunt, quibus rem omnem confectum iri credunt. Quis, inquiunt, ignorat, ad quantam dignitatem accesserit Antonius Diadumenus, & quam felices successus in omnibus ferme rebus, quas exequi statuerat, senserit? ipse fortunam in manibus habere videbatur. Sed quænam fuit caussa hujus imperatoriæ Dignitatis? annon illud velamen capitis naturale tantam felicitatem ipsi portendisse censendum est? Quid? annon æque obvolutum Ferdinandum Davalum ex utero materno prodiisse notavit Paulus Jovius? (e) sed quem fugit, quantos honores, quantam famam gloriamve postidem ille consecutus fuerit?

§. VII. Hæc quidem primo intuitu satis speciosa esse videntur, ita ut etiam credam, Gallicum exinde proverbium originem suam traxisse, *il est né coifé, natus est vittatus seu pileatus.* Quod Galli usurpare solent de iis hominibus, quibus bona magna ultro suppetunt, partumque est amplum à parentibus patrimonium. Enimvero illa felicitas, quæ his ἀμνίοις tribuitur, duntaxat in infirmo cerebro umbilicisecarum hærere videtur, uti optime non ita pridem judicavit amicissimus quidam Amicus in SOCIETATE DISQUIRENTIUM. Nempe sæpius contingit, ut, quæ deliræ aniculæ subinde deblaterant, ea tanquam oracula Sibyllina imperita plebs accipiat, neque à sententia semel recepta facile dimoveri se patiatur. Quæ superstitio etiam B. Chrysostomi ætate in multorum mentibus altas radices egit, adeo ut gravissimus Pater passim in homiliis suis acriter invehatur in eos, qui tum temporis ἀμνίοις seu involucris ad adipiscendos amplissimos honores utebantur. Quin & Clericus quidam, cui Præto nomen, gravissimam censuram subire coactus est, propterea quod ejuscemodi tegmen à quadam obstetrice pecunia sibi coëmerit, ut testis est Balsamon (f) nec immerito. Nam si vulgus cernit, etiam illos, qui in officio Ecclesiastico versantur, aliquid ἀμνίοις tribuere, in sua superstitione magis magisque confirmatur, creditque, rem utique ita se habere. Immo haud raro accidit, ut etiam ii, qui præ ceteris prudentes videri volunt, plebejorum hominum opinionibus adhæreant. Id quod videmus in ἀμνίῳ, quo infantes velati in lucem prodeunt; cujus rei caussam putamus esse hanc; videlicet hominum natura ita est comparata, ut ex iis, quæ fortuna casuve fiunt, ilico generalem regulam legemve faciant, modo unum alterumve exemplum occurrat. Sic quia mortales viderunt, hunc illumve infantem, ἀμνίῳ tectum, secunda fortuna fuisse usum, rati sunt, omnes infantes, qui tali involucro nascuntur, fortunatos fore. Fatemur Antonium Diadumenum, Ferdinandum Davalum aliosque admodum felices fuisse in rebus gerendis; an autem hæc felicitas statim adscribenda est ejuscemodi ἀμνίοις? neutiquam. Quod si hæc ratio valeret, consimiliter dicere possumus, etiam illos infantes, qui sine ἀμνίῳ ex utero materno veniunt, faustos censendos esse, quum & hi sæpiuscule ad magnos honores, dignitates & officia pervenerint. Rectius heic sensit Cornelius Nepos (g) dum ait: *Sui cuique mores fingunt fortunam.*

§. VIII. Certum igitur esse putamus, infantes, ἀμνίῳ natos, non habere peculiare privilegium præ iis infantibus, qui isto carent. Neque obstat, quod quidam in Collegio Curioso, ab initio Gallice conscripto, postea autem in linguam Germanicam translato judicat, (h) ideo infantes pileatos felices esse pronuntiandos, quod mitiorem ac sedatiorem naturam habere videantur, quum non eo, quo infantes sine ἀμνίοις, impetu ex utero materno erumpant. Quis enim nescit, animis temerariis & minime sedatis plerumque suaviorem fortunam adspirare, quam illis, qui tranquille vivere amant. Certe haud rarenter videmus, homines turbidos & cum vehementia agentes in magna auctoritate ac dignitate versari, ad quam nunquam pervenissent, si rem tanto cum impetu non ursissent. E diverso qui sedatam tranquillamque vitam colunt ac diligunt; sæpius negliguntur, neque ad ullum insignem honorem admittuntur. Immo qui cum ἀμνίῳ nascuntur, non tantas corporis vires habere videntur, quantas illi, qui sine ἀμνίοις ex utero materno elabuntur: hi enim ἄμνιον disrumpunt; illi non item, unde si aliquid divinandum esset, videntur infantes sine ἀμνίοις longe expeditiores fore, quam infantes qui cum cucullo monachali nati fuerant. Sed manet illud verum, quod Cornelius Nepos iterato de Attico pronuntiavit; scilicet *suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Hæc fusius edisserere placuit, ut appareret, ἀμνίοις nullam vim felicitatis inesse. Confer Collegium Curiosum (i) Anselmum Solerium, aut ut quidam conjiciunt, Chifletium (k) Martinum Delrio (l) & quem laudat Levinum Lemnium. (m)

§. IX. Ad naturale capitis velamen commode refertur coma. Quæ hominem non solum mirifice condecorat, sed & varias aeris molestias depellit. E contrario quid turpius aut invenustius est, quam caput calvum & capillis orbatum. Synesius quidem omni modo omnique ratione suadere conatur, capitis dignitati aut elegantiæ nihil decedere, utut calvitium in eo conspiciatur. At oculus longe aliter judicat. Certe quod arbor sine foliis, animal cornigerum sine cornibus & aves sine pennis; id caput est sine crinibus. Et hæc etiam fuit caussa, cur olim petulantes pueri in Bethel sanctissimo Prophetæ Elisæo calvitium acerbe exprobraverint, quamvis non sine damno. (n)

§. X. Utrum viro prolixam comam nutrire fas sit, acriter olim fuit disceptatum & adhuc hodie disceptatur. De Gustavo refert Solerius (o) ipsum comatis adeo infensum fuisse, ut cuidam capillos resecuerit, qui etiam ultra mensuram ab eodem definitam non renati fuissent. Simeon Salus petiit à Deo & exoravit, ne cresceret coma capitis sui. Godefridus Ambianensis Episcopus in die quodam Natalis Servatoris nostri coram Roberto Flandriæ Comite, repudiavit omnium eorum oblationem, qui comati ad sacram cœnam advenerant, ut idem Solerius (p) testatur. Nota quoque est illa historia, quæ circa tempora Salmasii contigit. Duo enim Presbyteri Reformatæ religionis in Belgio convivio intererant; unus quidem veteranus; alter vero novellus, ille resectos capillos; hic promissam comam alebat. Qua re visa, veteranus novelli comam carpere & juris naturæ temeratorem appellare cœpit: Licet autem novellus varias in medium adferret rationes, nihil tamen obtinuit, sed veteranus sua, ut fieri solet, auctoritate quam plurimos in suam voluntatem adduxit, ut omnes, qui comam alere perseverabant, ab Ecclesiæ communione arcerentur. Hinc etiam plerique Belgarum capillos resecare coacti sunt. Neque illa rigida censura hodie exspiravit, quum adhuc multis in locis non facile ad officium Ecclesiasticum admittantur, qui longioribus capillis student.

§. XI. Enimvero Sacerdotes in Moscovia prolixos capillos gerere non dubitant, ut oculatus testis est Adamus Olearius (q) Sinenses quoque tam viri quam feminæ intonsis capitibus omnino sunt, & sinunt in eam, quam natura fert, longitudinem crines dimitti. uti memoriæ prodidit Martinus Martinius (r) Sic Sacerdotibus Mexicanis pendebant crines ad poplites usque promissi, quos neque prius tondebant (nisi si quando specialiter iis ob senectutem debilem indultum erat) quam fato fungerentur. vid. Acosta (s) & Robertum Scharrokium (t) Absalonem Davidis filium prolixam comam aluisse, legimus in sacris Pandectis, quamvis pondus capillorum multis prodigiosum fuerit visum. Sed sine caussa; nam crines non sunt referendi ad pondus, sed potius ad pretium, quo

(d) *Vid. Lamprid. in vita Diadumeni.* (e) *Lib. 1. Histor.* (f) *Comment. in canones Apostolorum.* (g) *In Attico cap. XI. n. 6.* (h) *Pag. 438.*

(i) *Part. 2. Colloq. 22. pag. 420.* (k) *De pileo sect. 3. pag. 56. seqq.* (l) *Lib. 4. disquisit. Magic. libr. 2. quæst. 4. sect. 1. pagin. 613.* (m) *Lib. 2. de occult. nat. mirab. cap. 8.* (n) *2. Reg. 2: vers. 23, 24.* (o) *De pileo sect. 3. pagin. 55.* (p) *Loc. cit.* (q) *Libr. 3. Itin. Persici cap. 5. pagin. 179.* (r) *In Historia Sinensium.* (s) *Lib. 5. histor. Ind. cap. 26.* (t) *De officiis secundum Jus naturæ pag. 460.*

quo videbantur; vendidit enim Absalon capillos, qui flavi erant & rutili, mulieribus Jerosolymitanis ad ornatum (u). Scimus equidem, hanc interpretationem nonnullis non esse ad palatum, quum non credibile esse putent, prodigum illum juvenem & regis filium tam turpem quæstum fecisse. verum primo nulli vel avidius vel sordidius quæstum faciunt, quam qui effusissime prodigunt; deinde status istorum temporum & regum ad hodiernos mores non est exigendus, tertio, ipse Absalon non vendidit capillos, sed dono dedit, cui volebat à suis, qui deinde pretium ducentorum siclorum ab istis facile extorquebant. Quomodo in hunc usque diem regum & alimenta & vestimenta & ornamenta, quæ ipsi servis suis gratuito donant, ab iisdem servis venduntur aliis; neque opus est, ut τὸ שָׁקַל *ponderavit* ad Absalon referatur, sed ad alium quemvis, forte ad tonsorem, cui jus capillos domini sui habendi atque vendendi concessum est; ut erudite hunc locum explicant operis Critici commentatores (x) hæc obiter.

§. XII. Nos sine aliorum præjudicio arbitramur, comam alere, esse rem natura sua indifferentem. Quod si enim turpitudinem aliquam moralem involveret, quæso qua conscientia Nasiræi tam in V. quam in N. T. intonsis esse capitibus potuerunt? cur Deus circa Nasiræatum certas leges sancivit? cur Samsonem comam nutrire jussit & postea eidem succensuit, quod crines tonderi permiserit? immo Nicephorus (y) commeminit, ipsum Servatorem nostrum prolixos habuisse capillos. Gravissimus quidem locus exstat apud Paulum, dum Corinthios ita alloquitur (z) Ἢ ὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, ἀτιμία αὐτῷ ἐστι; *annon ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia illi est?* Sed non peccare videmur, si cum magno Theologo Balduino (a) dicamus, gentium Apostolum hoc loco per φύσιν seu naturam non intelligere jus naturæ, sed consuetudinem. Quod enim per φύσιν seu naturam sæpius intelligatur consuetudo, ex multis scriptoribus tam sacris quam profanis ostendi posset, si scopus præsentis argumenti permitteret; v. Cornelium Nepotem (b) vel si hæc expositio non placet, poterit Estii (c) interpretatio arripi, qui naturam sumit pro naturali inclinatione, & illos à Paulo notari putat, qui promissam gestant comam more muliebri.

§. XIII. Huc pertinent capillamenta (vulgo peruquen) quibus hodie viri juvenesque frequentius non tam sanitatis quam decoris ergo utuntur. Sunt quidem qui velamen capitis non adeo benignis oculis aspiciunt, rati, viro illud minime convenire; Sed si heic aliquid pronunciandum est, capillamentorum ascititiorum usum in nemine, sive sit persona Ecclesiastica sive Politica, simpliciter damnare ausim; præsertim si illa sanitatis caussa gerantur, quum nec juri naturæ, nec juri divino adversentur. Quando autem horum usus inceperit, res non liquentis, sed dubiæ fidei est. A Gallis inventa esse, vix solide ex antiquitate demonstrari poterit, sed longe antiquiora esse videntur, quum non solum Romani & Græci, sed & Persæ Medique iis fuerint usi. Conf. Cunr. T. Rangonem (d).

(u) 2 *Sam.* 14:26. (x) *P.* 337. (y) *Lib.* 1. *H. E. c. XI. pag.* 125. *Edit. Paris.* (z) 1 *Cor.* 11: 14. (a) *Comment. in h. l.* (b) *In Milt. c.* 6. *n.* 1. (c) *Comment. in h. l.* (d) *De capillamentis l.* 1. *c.* 2. *p.* 21. *seqq.*

CAPUT II.

De Velamine capitis Artificiali, & quidem toti genti communi.

Velamina capitis varia. Multi populi olim intectis capitibus fuerunt; ut (1) *Romani; solvitur dubium. Lipsius taxatur. exceptio ejus exploditur. aliud dubium excutitur. utrum convivæ apud Romanos capita velaverint, disquiritur. Stukius heic ambiguus est. mos Germanorum hodiernorum affertur.* (2) *Judæi. Abulensis refellitur. Objectio discutitur.* (3) *Ægyptii.* (4) *Græci tecta tamen capita habebant* (α) *Persæ. vett. Justinus carpitur. tiararum differentia. materia* (β) *Persæ hodierni. horum tiara describitur.* (γ) *Parthi* (δ) *Scythæ non omnes.* (ε) *Æthiopes,* (ζ) *Moscovitæ,* (η) *Turcæ,* (θ) *Tartari,* (ι) *Germani, Itali, Galli, Hispani aliique populi Europæi tegmine capitis differunt. imitatio peregrinæ nationis habitus ominosa. Germani notantur.*

§. I.

Posteaquam de velamine capitis naturali ea, qua fieri potuit, brevitate disseruimus, ordo rei postulat, ut jam velamina capitis artificialia contemplemur; quæ quidem non uno se modo habent. Alia enim sunt toti genti usitata; alia Imperatoribus, Pontificibus aliisque hominibus sacris communia; alia in certis casibus adhiberi solent. de quibus in hoc & sequentibus capitibus agere animus fert.

§. II. Fuerunt olim integri populi reperti, in quibus viri plerumque intecto capite incedebant. De Romanis id memoriæ produnt Octavius Ferrarius (a) Henricus Salmuth (b) Kirchmannus (c) Sopranes (d) Lipsius (e) Anselmus Solerius (f). Legimus equidem in historiis, veteres Romanos, in plateis sibi invicem occurrentes, capita aperuisse. Sic id Pompejo fecisse Sullam commemorant Sallustius ac Plutarchus, & observatum fuisse, quotiens Consul aut Prætor alicui obviam venerit, confirmat Seneca. Quod si igitur capite nudo incesserint, non videntur caput aperire potuisse. Sed hoc dubium tanti roboris non est, ut ab auctoribus, modo laudatis, dissentiamus. Nam possumus exempla allata interpretari de iis tantum, qui peregre abierint, aut castra secuti fuerint. At non necesse est, ut eo refugiamus, quum Plutarchus omnem nobis scrupulum eximat, affirmans, Quirites Romanos in more habuisse, ut interdum ob Solis æstum, ventumque & tempestates aut alias aëris molestias capiti togam injecerint, ita ut heic caput aperire nihil aliud sit, quam togæ velamen capiti detrahere, quod tum demum contigit, si vir in magna auctoritate constitutus inferiori occurrerit. Plutarchi verba sunt hæc (g) οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις ἀπαντῶντες κἂν τύχωσι, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες ἀποκαλύπτονται, id est, *Romani si cui obviam facti sunt, cui honor habendus sit, & si forte toga caput velatum habeant, id aperiunt.* Errat autem heic Justus Lipsius, ratus, veteres Romanos, toga caput velaturos, laciniam imamve oram semper in caput rejecisse: etenim pro re nata non inferiorem, sed superiorem togæ partem ad caput attrahere consueverant. Id docet nos Suetonius (h) scribit enim C. Julium Cæsarem, cum se strictis pugionibus à conjuratis peti videret, toga caput obvolvisse, simulque sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis velata. Si jam Lipsii sententia vero consentanea esset, quo pacto sinus ad ima crura deduci, aut inferior pars velata esse potuit, extrema ora in caput rejecta? Reponit equidem Lipsius exemplum Scipionis Nasicæ, de quo Plutarchus (i) testatur, ipsum laciniam togæ in caput rejecisse; at Scipio Nasica non solum togæ laciniam, sed totam pene partem inferiorem, in rugas contractam ac complicatam capiti imposuit, ad suum caput (fustibus enim & saxis à vulgo petebatur) tuendum, & propterea se veluti galea communivit, ut sic subducta toga, promptior foret ac expeditior ad dimicandum. Confer Ferarium (k).

§. III. Sed dicas, legi tamen apud Dionysium Halicarnassæum (l) aquilam Tarquinio pileum eripuisse & in altum secum portasse; mox vero capiti restituisse, idque pro regio omine habitum fuisse. Atqui nos nunquam omne capitis tegmen negavimus, sed ambabus manibus largimur, interdum quosdam ob sanitatem aliasve caussas caput velasse. Id quod & Tarquinium fecisse omnino persuasi sumus. Hinc excipimus heic Sacerdotes, in ludis Saturnalibus ludentes, peregre abeuntes; novos libertos, ægrotos, senes & homines delicatulos mollesque; quibus & Henricus Salmuth (m) addit convivas. Sed de his adhuc ambigere quis potest. Fortean Salmuth ad hæc Plutarchi (n) verba respexit; λέγεται, ὅτι πολλάκις ἐν ταῖς ὑποδοχαῖς τοῦ Πομπηίου προσμένοντος καὶ δεχομένου τοὺς ἄλλους ἐκεῖνος ἤδη κατέκειτο σοβαρῶς ἔχων διὰ ὤτων κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον; *fertur sæpe in conviviis cum Pompejus exspectaret & convivas excitaret, accumbere solitus*

(a) *De re vestiaria lib.* 1. *cap.* 10. (b) *In notis ad Pancirollum pag.* 176. (c) *Lib.* 2. *de funer. cap.* 1. (d) *De re vestiaria Hebr. disput.* 2. *cap.* 1. §. 1. (e) *Lib. de Amphit. cap.* 19. (f) *De pileo pag.* 19. (g) *In quæst. Rom.* (h) *In Julio Cæsare.* (i) *In Oraculis.* (k) *Loco ante citato.* (l) *Lib.* 3. (m) *l. c.* (n) *In Pompejo.*

cum magno fastu habens pallium per caput ad aures adductum. At vero hoc loco tantum describitur Pompeji liberti (Demetrius vocabatur) impudentia, partim quod ante Dominum discubuerit, partim quod caput obvelaverit. Stuckius (o) duas conjecturas excogitavit; quarum prior pro velamine; posterior pro nudatione capitis in conviviis ab ipso adducitur; neutri tamen assentiri audet. Hodie apud Gallos epulantes in diversoriis plerumque tecto sunt capite; in optimatum conviviis id non observatur. In Germania cuilibet liberum relinquitur, si convivæ sint ejusdem ordinis, dignitatis & honoris; verum si unus pluresve auctoritate præ ceteris eminentes præsto sunt, hoc decorum observari solet, ut hi quidem velato sint capite; qui vero iis sunt dignitate, ordine aut gradu inferiores, nudo capite assideant. Id quod & eos, qui mensæ serviunt, imitari videmus. In moribus quoque Germanorum est positum, ut inter epulandum frequentius capita nudentur; ut in precationibus, sternutationibus, propinationibus atque aliis de caussis fieri amat. Galli autem & Itali inter epulandum caput non facile detegunt; hoc enim modo pileos junctis manibus pollui ajunt. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. IV. Non solum autem Romani sed & aliæ gentes nudis capitibus in publicum prodibant. De Judæis id negat Abulensis (p) at Sanctius (q) Sopranes (r) Anselmus Solerius (s) ab eo dissentiunt. Cum quibus & nos facimus. Legitur enim (t) divinum Numen leprosis & Summo Sacerdoti præcepisse, ut capita tegerent. Jam si Judæi omnes, uti Abulensis vult, tectis capitibus incessissent, quid opus fuisset hoc præcepto? Neque nuditati capitis obstabant tæniæ illæ seu vittæ, quibus fluentem Cæsariem extra luctum coërcebant & religabant non feminæ tantum, sed & viri; erant enim admodum angustæ, & vix minimi digiti latitudinem exæquabant, ut bene observavit Solerius (u) Quamvis non penitus inficias eamus, Judæos quandoque in certis casibus togam, ad cervices adhærentem tegendo capiti adduxisse. Id quod Græcos quoque fecisse constat. Licet enim & ipsi nudatis fuerint capitibus, pileos tamen interdum gestasse Brodæus (x) Turnebus (y) Solerius (z) affirmant. Negat quidem id universe Polydorus (a); sed perperam quum Ulyssem pileatum in nummis videamus. Ægyptios intectis capitibus fuisse, in vulgus notum est; idque testatur Herodotus (b).

§. V. Plurimæ tamen gentes olim opertis capitibus in publicum prodiere; & adhuc hodie prodire solent. Persæ ad unum omnes caput tiara tegebant, initio à Semiramide orto, ut scriptum reliquit Justinus (c). ait enim Semiramidem post obitum mariti sui Nini, imperii cupidine flagrasse, sed quod diffideret, tanti molem imperii proceres Assyrios in manibus feminæ esse relicturos, simulasse se pro uxore Nini filium, pro femina puerum, idque purpuratos & clientes populos credidisse, propterea quod utrique statura mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamenta eadem fuerint; item quod brachia quoque ac crura velamentis, caput vero tiara texerit, & ne novo habitu in suspicionem procerum incurreret, eodem ornatu & populum vestiri jussisse. Sed hæc Justini narratio mihi semper suspecta visa fuit. Semiramis tum temporis erat ad minimum annorum viginti; filius vero ejus Ninyas vix tertium annum egressus est. Quis igitur non dicam Satraparum & imperii Magnatum, sed vel ultimæ plebis hominum inter trimum aut quadrimum puerulum ac matronam viginti annorum, & tertio jam partu robustam ac spectatam difficulter distinguat? vestis enim & barbæ defectus sexum fortasse, sed non proceritatem dissimulare queunt. Accedit, quod Semiramis in bello Bactriano eximium jam dederat peritiæ bellicæ documentum, ut majus apud exercitum proprio nomine quam commentitio, & propria persona quam aliena pondus auctoritatis ad res gerendas esset habitura. vide sis Jacobum Salianum (d) & Joannem Bisselium (e). Hæc ideo adducere libitum fuit, ut appareret, in historiarum lectione summam diligentiam judiciumve adhibendum esse. Quod si enim aliquis historias non pensius secum considerat, & tantummodo vulgum historicorum cœco pede sequitur, illum in magnos errores incidere necesse est. Existimamus ergo Semiramidem non astu dolove, sed ex mariti testamento & unanimi Procerum suffragio ad imperium accessisse, adeoque falsum esse, quod tiaræ gestatio Semiramidi sit accepta referenda.

(o) *de Conviviis.* (p) *in cap.* 13. *Lev. q.* 10. (q) *Comment. in Act. c.* 19. (r) *de re vestiar. Hebr. disp.* 2. *c.* 1. §. 1. (s) *de pileo p.* 16. (t) *Lev.* 13. & 21. (u) *l. c.* (x) *lib.* 8. *miscell. c.* 17. (y) *l.* 8. *advers. c.* 4. (z) *de pileo p.* 166. (a) *l.* 3. *de invent. rerum c.* 18. (b) *l.* 3. *sub initium.* (c) *l.* 1. (d) *tomo* 1. *Annal. Eccles. ad A. M.* 2049. *n.* 3. *p.* 204. (e) *tomo* 1. *Ruinarum illustrium p.* 475.

§. VI. Erat autem maxima differentia inter tiaras regum Persarum & hominum plebejorum; illi rectas & sursum elatas, hi obliquas inque frontem propendentes & demissas tiaras usurpabant, quemadmodum id ex multis auctoribus vir in antiquitatibus Persicis versatissimus Barnabas Brissonius (f) ostendit. Quare cum Demarato Lacedæmoniorum regi à Xerxe concessum esset, exposcere quodcunque vellet, id unum petiit, ut sibi equo insidenti Sardeis cum recta tiara intrare liceret, referente ex Plutarcho Suida. Ob eamque postulationem Xerxem ira accensum fuisse, subjicit Seneca (g). videlicet indicare voluerunt magni reges, ut arbitratur Magnus Barthius (h), excelso se & summo imperio uti, nec ulli esse subditos, nec ullius potentiam metuere. Sed de regum tiaris plura infra.

§. VII. Quod ad materiam tiaræ, eam non ex coactilibus, id est, è lanis villisve confectam, sed ex pannis compactam fuisse ex Herodoto edocet Barnabas Brissonius (i). Quanquam Carolus Paschalius (k) ex Statio ostendere conatur, Persarum tiaras etiam ex lana constitisse. Nos opinamur, Persas tam pannosas quam laneas gestasse tiaras. Quarum de forma fusius disserit B. Brissonius (l).

§. VIII. Qualibus hodie tiaris utantur Persæ, exponit αὐτόπτης Adamus Olearius (m) ipsa verba subjicere placet. **Die Männer tragen auf dem Kopff grosse dicke von Cattun oder Seiden Binden übereinander gewundene Bünde/ Mendel genannt/ sind gemeiniglich bundstreiffig gewircket/ deren etlichen mit güldenen Faden durchgezogen/ sind gemeiniglich 16. in 18. Elen lang.** Et ejuscemodi tiaras non solum in hieme, sed & fervidissima æstate capitibus imponunt; ex qua re fit, ut non diu capitibus nudis esse queant. Ita enim Olearius (n): **Solche Mützen tragen sie Winter und Sommer/ und ist zu verwundern/ wie sie des Sommers in so grosser Hitz den Kopff in solchen Mendelen und Mützen so warm halten konnen. Weil die Köpffe also gewehnet/ bleiben sie weichlich/ und können nicht lang bloß bleiben/ und gantz keine kühle Lufft vertragen.** Neque suas tiaras deponunt, licet preces ad Deum fundant, aut coram principibus, aut etiam coram ipso rege appareant. **Solche Mützen nehmen sie nicht ab/** pergit Olearius (o) **weder wann sie beten/ noch wann sie vor fürnehme/ ja dem König selbst erscheinen.** Idem addit: **Ist also jetzt nicht mehr im Gebrauch/ was** Eustathius in Dionys. de situ orbis **schreibet/ daß wann die Perser einen grüssen wollen/ sie den Bund vom Kopff ziehen solten/ an statt aber dessen neigen sie sich/ und legen die Hand ans Hertz**

§. IX. Parthorum vulgus pileatum fuisse, ex historiis constat. Unde Parthos non immerito pileatos nominavit Martialis (p) non tamen eorum pilei instar Phrygum acuminati erant, ut id ex duobus nummis demonstravit vir rei nummariæ peritissimus Ezechiel Spanhemius (q) apud Scythas duntaxat illi pileati conspiciebantur, qui in magno honore versabantur. Qua de re videndi sunt Lucianus & Dionys. Trajanus, quos laudat Solerius (r) Æthiopes tam patens amplumque capitis velamen habent, ut decem hominibus inumbrandis par esse queat, teste Nicolao Godino (s) Nobilissimus autem Jo. Albertus Mandeslo (t) ait, Æthiopum hodiernorum capitis tegmen non adeo multum discrepare à Persarum tiaris. Moscorum capitis involucra hunc in modum depingit A. Olearius (u) **Sie (die Reussen) tragen alle auf dem Kopff Mützen/ die Knesen oder Fürsten/ Bojaren oder Reichsräte/ wann sie in offentlicher Versammlung begriffen/ haben von schwartzen Füchsen oder Zobeln Mützen bey einer Ellen hoch/ sind aber von Sammet nach unserer Art und mit schwartzen Füchsen oder Zobeln gefüttert und verbremet/ ꝛc.** & mox. **Die gemeinen Bürger aber haben Sommers von weissem Filtz und des Winters von Tuch/ und mit gemeinen Rauchwerck gefütterte Schapken oder Mützen.** Neque, ut hoc obiter addam, in præsentia magni Moscorum Ducis optimates regni

(f) *lib.* 1. *de regno Pers. pag.* 28. 29. (g) *lib.* 6. *de benef. cap.* 37. (h) *in Claud. pag.* 608. (i) *lib.* 1. *de regno Pers. pag.* 21. (k) *lib.* 10. *de coronis cap.* 1. *pag.* 667. (l) *l. c.* (m) *lib.* 5. *Itin. Persic. c.* 12. *p.* 586. *seq.* (n) *l. c.* (o) *l. c.* (p) *lib.* 10. *epigramm.* 22. (q) *de præst. & usu Numism. pag.* 430. (r) *de pileo pag.* 171. (s) *lib.* 1. *de rebus Abassinorum cap.* 12. (t) *lib.* 1. *descript. region. Orient. cap.* 35. *pag.* 96. (u) *lib.* 3. *Itin. Persic. cap.* 5. *pag.* 182.

regni caput nudant, nisi forte ipsius titulus legatur; tunc enim solet legens mitram deponere. vide Olearium (x).

§. X. Velamen capitis, quod Turcæ *Turbantem* vocant, non adeo multum distat à tiara Persica populari. Græci recentiores vocant φακεώλιον, quasi fasciam complicatam. Et hi Turbantes, quibus Turcæ utuntur, sunt albi. At Tatari olim virides habuerunt; hodie vero rubros gestant, teste Martino Martinio (y) Persarum velamina capitis esse rubra prodit Solerius (z). Neque mirum, illos coloribus inter se diffidere, qui in se invicem infinito feruntur odio. Caussam hujus rei indicant Joannes de Barros (a) Osorius (b) Sansovinus (c) aliique. Commune capitis tegmen Macedonibus fuit causa; de qua confer Solerium. Hodie Germani, Galli, Itali, Hispani aliique populi Europæi pileis differunt; quamquam Germani nostri, ut in re vestiaria, ita & in pileis gestandis Gallos imitari, nec eandem semper formam retinere soleant. Gestant enim modo parvos, nunc longos; modo latos pileos, & vix unus alterve annus transcurrit, in quo non novum pilei genus videbis. Simulac Galli pileos mutant, statim & nostri Germani sequuntur. Quæ tamen imitatio peregrinarum nationum habitus a cordatioribus non adeo pro fausto omine habetur. Sic cum Darius, ultimus Persarum Rex, in principio Imperii vaginam acinacis Persicam juberet mutari in eam formam, qua Græci uterentur, protinus Chaldæi interpretabantur, Imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus, ut scribit Q. Curtius (d) nec eventus fefellit. Idem quoque de Andronico Duca narrat Gregoras (e) dum ait: *De capitis tegumento apud superiores Imperatores moris erat, ut ætate provectiores aulici proceres pileis turbinatis uterentur, serico tectis, pro dignitate cujusque: adolescentes vero omnes prorsus nudis essent capitibus. Illo vero Imperatore is mos usque adeo obsolevit, ut omnes simul & adolescentes & senes pileis uterentur, non minus in palatio, quam in agris: iisque multiformibus & peregrinis & quales cuique probabantur: alii Latinis, alii Mysiis & Triballicis, alii Syriis & Phœniciis suo quisque arbitratu. Eodem more in vestibus etiam usi sunt, ut prudentiores novitatem aliquam & destructionem imperii, & finem institutorum ac morum illius divinarent.* Quæ præsagia etiam fidem suam in Germanis nostris patrum memoria impleverunt; quum enim hi ante bellum Germanicum tricennale nullius fere nationis habitum non imitarentur, ipsi omnibus prædæ fuere. Et observarunt quidam anno antequam ab Hispanis Spirensium urbs occuparetur, feminas ibi gestasse collaria, quæ Hispanica dicerent. Sed hæc exempla Germanos nostros movere non possunt, ut cautius mercari discant. In omnibus hodie Gallos imitantur; & vix in Gallia novum vestis genus excogitatum est; illud statim prioribus vestibus abjectis, à nobis recipitur. Quæ mira imitatio utrum pro fausto omine habenda sit, sagacioribus judicandum relinquimus. Certe Franconia, Wetteravia, Alsatia aliæque vicinæ regiones, quæ à Gallis infesto nunc animo vexantur, vivo nobis exemplo esse possunt. Sed ad alia.

(x) *l. 1. Itin. Pers. pag. 34.* (y) *in historia de bello Tatarico.* (z) *de pileo pag. 174.* (a) *decade 2. Asiæ lib. 10. cap. 6.* (b) *de rebus Eraman. cap. 10.* (c) *de rebus Turcicis.* (d) *l. 3. cap. 3. n. 6.* (e) *l. 11. in fine.*

CAPUT III.

De velaminibus capitis virorum, potestate sublimiori eaque profana gaudentium.

Persarum Imperatores soli tiara recta utebantur. eorum, qui septem magos percusserant, velamen capitis quale. Cidaris non idem quod diadema. Budæus & Pancirollus notantur. Curtii locus exponitur. Quidam auctores confundunt diadema cum cidari. Brissonius reprehenditur. Alexander M. & cidarim & diadema à Persis mutuatus est. Ejus successores tantum postremum retinuere. Philonis & Tiraquelli lapsus. tiara Persica pavonis alas habuit. Tigranis tiara qualis. Paschalii error. variatio regum circa capitis insignia. Propinqui regum Persarum utebantur tiaris & diademate. inventor diadematis Bacchus. cidarim gestabant reges Ægyptiorum & Armeniorum. eorum pilei quales. cur aspidibus involuti. Ante Alexandrum M. reges Macedonici à diademate abhorrebant. error pictorum sculptorum &c. Romanis Impp. diadematis usus ab initio exosus. ejus caussa. posterioribus temporibus familiaris. Γερτιλιάνειον *quid. Gretserus & Alemannus conciliantur. Curopalates defenditur. Cæsaribus Rom. diadematis usus olim prohibitus: vel saltem discrimen erat inter diademata Augustorum Cæsarumque. Constantinus M. vindicatur contra Dan. Zwickerum. unde luxus in Ecclesiam introivit. Velamen capitis Imp. Russorum quale. Ebræorum reges recens creati velabantur. locus 2 Sam. 12: 30. explicatur. reges Ebræorum diademate seu corona in judiciis utebantur. locus Jobi difficilis ex cap. 29: 26. 27. expensus. cidaris regum symbolum clementiæ.*

§. I. Velamina capitis, quæ in communi usu usurpantur, prosecuti hactenus sumus. Nunc ad virorum, sublimiori eaque profana potestate gaudentium integumenta venimus. Persici Imperatores, ut erat dictum, soli gestabant tiaras rectas. Id quod etiam confirmat Dio Chrysostomus (a) cui addi potest Carolus Paschalius (b) caussam hujus rei jam supra indicavimus; quamvis Dio Chrysostomus (c) aliam adferat, docens; omnem regis curam in eo consumi oportere, ut ipse eum animum prodat, quem omnes præ ceteris experiantur esse rectum. Septem tamen Persis, qui Magos è medio sustulerant, eorumque posteris præmii loco fuit concessum, ut in anteriorem partem capitis prominentem tiaram usurparent, dicente Plutarcho (d) Atque ita tam ab Imperatoribus, quam à privatis discrepasse videntur, propterea quod non ut Imperatores erectam ac velut in perpendiculum in caput elatam, neque ut privati in frontem propendentem ac demissam, sed medio quodam statu in syncipput projectam prominentemque gestabant, uti optime locum Plutarchi exponit Barnabas Brissonius (e) Hoc insigne capitis proprio nomine Citaris seu Cidaris vocabatur. Liquet id ex Q. Curtio (f) ubi Darii vestes describens ait: *Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne*, v. auctores, quos heic anxie collegit Brissonius (g).

§. II. Unde mirari subit Budæum (h) & Pancirollum (i) scripsisse cidarim seu tiaram idem fuisse, quod diadema; nam hoc priscis historicis è diametro adversatur Xenophon (k) de Cyro, *habuit*, inquit, *diadema circa tiaram.* Adest & locus Luciani (l) ubi is exsertim distinguit tiaram à diademate. *Alium siquidem fortuna excipiens*, inquit, *regie ornat, imponens tiaram & satellites tradens & caput diademate evinciens.* Cui loco alter ejusdem Scriptoris similis est; (m) *pro honore isto, ô rex, gratias tibi habeo, ac Persico more procumbens adoro te, adductis post tergum manibus, venerans rectam istam tiaram atque ipsum diadema.* v. C. Paschalium (n) nec aliter Quintus Curtius, dum ait: (o) *Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne. Hoc cærulea fascia albo distincta circuibat.* Et rursus de Alexandro M. (p) *Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.* Curtius heic album & atrum narrat, cum priori loco cœruleum; posteriori vero purpureum ponit. Raderus (q) propemodum σφάλμα ἀμνήμον Curtiumque ἀμνησίᾳ seu immemoria lapsum putat. Sed tamen ut Curtium benignius interpretetur, eum ita scripsisse conjicit: *Hoc cæruleum fascia purpurea albo distincta circuibat*, adeoque librarii vitio vocem *purpurea* præteritam fuisse. Quæ emendatio non plane floccipendenda esse videtur.

Zzz 3 §. III. Non

(a) *Orat. 14.* (b) *lib. 9. de coronis c. 17. p. 623.* (c) *l. c.* (d) *in Politicis.* (e) *lib. 1. de regno Persarum p. 30.* (f) *lib. 3. c. 3. n. 19.* (g) *l. c.* (h) *lib. 1. var. c. 10.* (i) *in deperditis.* (k) *de inst. Cyr. lib. 8.* (l) *Lucian. reor.* (m) *Lucian. navig. seu vota.* (n) *l. 10. de coronis c. 1. pag. 667.* (o) *lib. 3. c. 3. n. 19.* (p) *lib. 6. c. 6. n. 4.* (q) *in notis in Curt. l. 3. c. 3. n. c. 19.*

§. III. Non autem plane inficias imus, fuisse repertos auctores, qui diadema cum tiara seu Cidari confuderint. Confer B. Brissonium (r). Non tamen assentimur Brissonio, diadematis nomine opinanti etiam designari tiaram seu cidarim, ideo quod è Persico luxu mutuatum Alexandrum Persicum diadema Diodorus ac Justinus prodant; Arrianus vero Cidarim Persicam, quæ scilicet idem sonant. Utrumque enim hoc capitis ornamentum à Persis mutuatus est Alexander M. ut proinde non necesse sit, illa inter se confundere. De Cidari aut tiara præter Arrianum fidem facit Lucianus (s), apud quem Philippus pater inter alia filio exprobrat, quod tiaram rectam adsumpsisset. De diademate vero præter Diodorum, Justinum aliosque diserte Curtius verbis paullo ante adductis, quæ de cidari aut tiara intelligi nequeunt. Conjuncta itaque erant in Imperatorio Persarum cultu illa capitis insignia, tiara ac diadema, non tamen ut eadem, sed ut diversa. Unde etiam factum est, ut postremum solum retentum ab Alexandri successoribus fuerit, eorumque vestigiis alii Asiæ ac Europæ reges institerint. Ex quo patet, cur diadema illud, quod Persicum vocatur Diodoro, Herodiano (t) Macedonicum dicatur.

§. IV. Non minus incaute fuit locutus Philo (u) scriptor alias quantivis pretii, reges Orientis Cidari loco diadematis usos tradens: verba ejus hæc sunt: Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑῴων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι. Utrumque enim insigne, ut testantur antiquissimi & probatissimi auctores, ut & nummi, ab iis usurpatum. Vid. Ezechiel Spanhemius (x) quem errorem non observavit Paschalius, sed potius Philonem sequitur. (y) Graviter quoque delapsus est Andreas Tiraquellus, vir ceteroquin doctissimus, (z) cum ex Dionysio (a) observat, diademata regum Persarum & Lydorum fuisse quadrata; Etruscorum vero & Romanorum figura semicirculari; quippe id non de diademate, sed te toga observat Dionysius, neque eo loco ulla apud eum diadematis mentio, vola aut vestigium. Ut silentio premam absurdum illud de quadrato Persarum regum diademate, quod ex nummis antiquissimis demonstravit Ezechiel Spanhemius (b).

§. V. Ceterum Persicas tiaras pavonis alas habuisse, docet Græcus Aristophanis interpres. Tigranes vero Parthorum rex, gestabat tiaram, cui stella ac duæ aves, quæ falcones esse videntur, insculptæ erant, ceu patet ex nummo, quem exhibet modo laudatus Spanhemius (c). Errat autem Carolus Paschalius (d) qui scribit, regem Parthorum laneam tiaram gestasse, fretus verbis, quæ apud Statium (e) hunc in modum leguntur:

Atque is ubi intecto signavit vellere crinem.

Nam heic non sermo est de juvene Parthorum rege, sed de Thiodamante, habitum sacerdotalem assumente, uti optime monet C. Barthius (f) qui addit: allegationes auctorum sæpe apud Paschalium suis scriptoribus absentire.

§. VI. Variabant tamen reges circa capitis insignia; modo unum duntaxat diadema; ut in nummo Arsacis; nunc duplex diadema, ut Artabanus apud Herodianum (g) gestabant. Modo Cidarim cum diademate, ut in nummo Tigranis; nunc aureum capitis arietini figmentum capillis interdistinctum, ceu de Sapore, Persarum rege, tradit Ammianus Marcellinus; modo quoddam regiæ mitræ genus; qualem nummum exhibet Spanhemius (i), usurpabant. Tiaris etiam cum diademate usos fuisse illos, qui regibus Persarum arcta consanguinitate proximi erant, auctor est Xenophon (k) εἶχε δὲ, inquit, καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτοῦ τὸ αὐτὸ τοῦτο σημεῖον εἶχον καὶ νῦν καὶ τὸ αὐτὸ ἔχουσι. *Habebat* (Cyrus) *& circa tiaram diadema, idemque insigne cognatis ipsius erat, sicut & hoc tempore illud retinent.* Cujus consuetudinis morisve vestigium adhuc superfuisse videtur sequioribus temporibus in renovato Persarum dominatu. Certe diadematis usum Persarum Satrapis indultum fuisse tradit Procopius (l). Atque hoc regium insigne, diadema scilicet Liberum Patrem reperisse ait Plinius (m).

§. VII. Cidarim quoque fuisse gestamen regum Æthiopicorum ac Ægyptiorum legimus in vita Æsopi, apud Diodorum Siculum (n) & C. Paschalium (o). qualem autem formam habuerint ipsorum pilei, idem Diodorus Siculus (p) tradit: ait enim Τοὺς βασιλεῖς χρῆσθαι πίλοις μακροῖς ἐπὶ τοῦ πέρατος ὀμφαλὸν ἔχουσι καὶ περιεσπειραμένοις ὄφεσιν οὓς καλοῦσιν ἀσπίδας; h. e. *reges ipsorum gestare pileos longos, quorum apex umbilicum habeat, & serpentium, quos aspides vocant, spiras circumvolutas.* & addit: Τοῦτο δὲ τὸ παράσημον ἔοικε συνεμφαίνειν ὅτι τοὺς ἐπιθέσθαι τολμήσαντας τῷ βασιλεῖ συμβήσεται θανατηφόροις περιπεσεῖν δήγμασι. *Quibus insignibus indicari videtur; eos qui regem insidiis appetunt, morsibus lethiferis obnoxios esse.* Ante Alexandrum M. reges Macedonum à diadematis abhorrebant; ita enim Justinus (q) *Alexander habitum regum Persarum & diadema insolitum ANTEA regibus Macedonicis velut in leges eorum, quas vicerat, adsumit.* Quo respexisse videtur Autor Maccabæorum (r) qui ut novum quid ac insolitum observat, omnes Alexandri successores eorumque filios diademata sibi vindicasse. Id quod non perpenderunt artifices, monetarii, pictores, sculptores in exprimendis Heroibus ac illustribus viris. Unde & vulgo horum capita diademate ornata cernimus. Sic etiam pictores Agathocli diadema tribuunt, quum tamen Diodorus & Plutarchus referant, ipsum plane nullum diadema gestasse. Sed ejuscemodi hominibus est admodum familiare ut sua tempora cum vetustis confundant, aut quidvis pro lubitu depingant. Ita pictoribus sanctum debemus Christophorum magnum, quem nunquam in rerum natura fuisse Villavincentius (s) Theologus Pontificius sua sponte fatetur. Præter hunc confer Rivetum (t) & Chamier. (u) Ita Josephum, Servatoris nostri tutorem, canum ac decrepitum senem depingere solitant, quod tamen neque ex Scriptura S. neque ex historia Ecclesiastica constat.

§. VIII. Vigente igitur tertia Monarchia, non omnes imperantes diadema gestare cupiebant. Qui enim humili loco nati erant, vel imperium condiderunt, vel in libera civitate potestatem obtinuerunt, à diademate abhorrebant quam maxime; propterea quod diadema, tanquam recenter ab Alexandri successoribus è regio Persarum dominatu translatum, tum in omnium oculos incurrens novitate sua vel fastu majori cum invidia conjunctum videretur. Unde nullo non negotio conjicere licet, cur primis Imperatoribus Romanis diadematis usus tam exosus fuerit, aut cur idem oblatum exitium ipsis acceleraverit. Videlicet vulgus existimabat, cum diademate individuo nexu connexam esse superbiam, qua Persarum reges præ ceteris laborasse constat. Apud Josephum (x) Hyrcanus, Judæorum princeps in Pontificatum ac principatum fuit restitutus, ea tamen lege, ne diadema capiti imponeret. Cassander unus fere ex Alexandri M. successoribus, non solum à diademate, sed & à regio nomine abstinuit. Quanquam non pauci reperiantur nummi cum hac inscriptione. ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Sed hæc diversitas facile componi potest, si dicamus; Cassandrum quidem regem appellari noluisse; fuisse tamen ipsi hoc nomen ab aliis, vel ex adulatione, vel ex alia caussa attributum.

§. IX. Licet vero primis Imperatoribus Romanis diadematis usus valde fuerit exosus, posterioribus tamen temporibus familiarem fuisse, tam ex historia, quam ex compluscculis nummis satis superque liquet. Quinam autem primus hoc insigne sibi attribuerit, certo sciri non potest. Victor id alibi Aureliano; alibi Caligulæ illud adscribit. Quod posterius etiam Emanueli Thesauro (z) placuit, dum Caligulam ita alloquitur:

Primus Apollinea commutas fronde metallum,
Cæsar & aurato stringis in orbe caput.
Non sano capiti fragiles per tempora frondes,
Non sat erant, nodo te meliore ligas.

Contra Severus Sulpitius (a) & Philostratus (b) ajunt Vespasianum diadema gestasse. Quos tamen refellit C. Paschalius (c). Jornandes id Diocletiano; Cedrenus vero & Fasti Siculi Constantino M. assignant. Quæ Auctorum discrepantia exinde nata esse videtur, quod Imperatores Romani interrupto ordine diadema gestaverint. Hinc haud dubie posteri illum primum ejus rei auctorem habuerunt, penes quos primitus illius usum viderant. Procopius Cæsariensis (d) prodit in Imperatoris Justiniani veste nescio quid peculiare fuisse, quod vel à barbaris hauserit vel excogitaverit. Certe Ἰουστινιάνειον Justinianeum diadema quoddam fuisse auctor est Georgius Codinus. Quod ejus interpres (e) doctorale fuisse

(r) *lib. 1. de regno Pers. pag. 32.* (s) *Dial. mort.* (t) *in proœmio.* (u) *l. 3. de vita Moys.* (x) *de præst. & usu num. p. 456.* (y) *lib. 10. de coronis c. 3.* (z) *in annotat. ad Alex. ab Alex. l. 1. cap. 28.* (a) *lib. 3.* (b) *de præst. & usu num. p. 470.* (c) *de præst. & usu num. p. 455.* (d) *l. 10. de coronis c. 1.* (e) *VIII. Theb. v. 244.* (f) *in notis in h. l. Stat. p. 853.* (g) *lib. 1.* (i) *de præst. & usu num. p. 429.* (k) *in Cyro l. 8.* (l) *lib. 4. Bell. Goth. cap. 11.* (m) *l. 7. c. 56.* (n) *lib. 4. Biblioth.* (o) *l. 10. de coronis c. 4.*

(p) *l. 3. Biblioth. pag. 145.* (q) *l. 11. cap. 3.* (r) *lib. 1.* (s) *de ratione studii Theologici lib. 3. cap. 7.* (t) *in Jesuita vapulante cap. 3. tom. 3.* (u) *Tomo 1. panstrat. l. 2. cap. 16.* (x) *l. 20. Antiq. cap. 18.* (z) *p. m. 78.* (a) *l. 2. Sacr. hist.* (b) *in vita Apollonii.* (c) *l. 19. de coronis cap. 13. pag. 607.* (d) *in Historia Arcana.* (e) *p. 304. 303.*

fuisse capitium auguratur, ut sæpe in eo libello augurari assolet. Jacobus Gretserus (f) rem acu tetigisse se ratus, profert æreum Numisma Justiniani, cristam Justinianeam dictam credens. Verum ante Justinianum, Theodosius, Marcianus, Leo, Zeno, Anastasius, & Justinus eandem πτερωτὴν cristam in galea usurparunt; uti id in eorum nummis, quos vir inexhaustæ doctrinæ Dn. JO. ANDREAS BOSIUS, studiorum nostrorum summus promotor, benivole conspiciendos dedit, animadvertimus. Deinde illud Justinianeum diadema non bellicum fuit, aut castrense, sed civicum & quo in sacris & in Ecclesiis utebatur. Immo Alemannus (g) exhibet talem formam, quam neminem ante Justinianum usurpasse contendit. Est autem forma rotunda corollis supra & infra ornata. Hæc liticula videtur componi posse, si cum Codino affirmemus, Justinianum varia habuisse capitis tegmina propria; & modo hoc; modo illud pro arbitrio gestasse. Notanda heic sunt Curopalatis verba (h) *Quod nunc appellatur stemma, id olim nominatum fuit diadema. Id autem erat textile aureum cum capillis & margaritis positum ad imperatoris frontem, & pone revinctum cerebrum versus [quam ob rem etiam dicitur diadema] quod ex eo paullatim mutatum effectum est, quale videtur hodie, & nominatur stemma; quod autem nunc vocatur diadema, id olim militaris Zona dicebatur honorem indicans, qua olim Tyranni Christianos milites primum privabant, tum eos tortoribus dedebant.* Sed taxat heic Curopalatem Solerius, quod diadema cum militari Zona antiqua permisceat; ait enim diadema semper notam fuisse supremæ regiæ potestatis. Id quod non simpliciter verum est; nam non solum reges, sed & regum cognatos Satrapasve diademata capitibus imposita habuisse, jam supra vidimus.

§. X. Hoc tamen certum esse arbitramur, Imperatoribus Romanis fuisse diadema concessum; Cæsaribus non item, patet id ex Chrysostomo (k) qui de Juliano ejusque fratre Gallo Cæsaribus appellatis hunc in modum scribit: καὶ δέχεται χωρὶς τοῦ διαδήματος τὴν βασιλείαν οὗτος, τοσοῦτον γὰρ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ τετελευτηκότος ἐξουσίας τὸ μέτρον ἦν, *& accepit ille sine diademate principatum. hæc enim potestatis illius & quam habuerat frater ejus defunctus mensura quædam erat.* Hinc idem Julianus apud Philostorgium (l) dicitur fuisse in habitu Cæsaris per quinquennium: ἐν γὰρ τῷ διαδήματι post Constantium h. e. in *Augusto fastigio duo cum dimidio.* Neque aliter Zosimus diadema vocat imperatoriæ dignitatis, ac refert inter Augustæ potestatis insignia, quibus uti Cæsares non audebant. Sed dicas reperiri tamen loca Auctorum, in quibus diserte Cæsaribus diademata assignantur. Ita Claudianus de Honorio nondum Cæsare, nec dum Augusto à Theodosio M. renuntiato (m)

Et sacro meritos ornat diademate crines.

Confer Nicephorum (n) cui dubio ut satisfaciamus, dicimus, fuisse adhuc discrimen inter diademata Augustorum Cæsarumque, ita ut Imperatores seu Augusti Diadema aureum gemmis interdistinctum gestaverint; Cæsares non item; aut si gestaverint, saltem minoris pretii splendorisve fuerit, sicuti in Byzantinis monumentis legisse se commeminit Ezechiel Spanhemius. (o) Quamvis nolim negare, nummos reperiri, in quibus Crispum ac Constantium adhuc Cæsares diadema gemmis ornatum, æque ac parentem Constantinum M. habuisse deprehendimus. Ad quod reponi potest, Constantinum M. id ex nimio erga liberos amore indulgentiave fecisse, adeoque esse exemplum plane extraordinarium. Quippe postidem filius ejus Constantinus consobrinos Gallum & Julianum Cæsares pronuntiavit, sed tamen χωρὶς διαδήματος sine diademate, ut supra ex Chrysostomo vidimus. De diamematis nolumus plura addere, ne actum agere videamur. Hæc autem ideo fusius considerare visum est, quod C. Paschalius in eximio libro de coronis talia non tetigerit. De diademate Caroli M. & hodiernorum Imperatorum Romano-Germanicorum vide sis laudatum Paschalium (p) & Jacob. Gretserum. (q)

§. XI. Antequam ad alia progrediamur, non possumus non gloriosissimum Imperatorem Constantinum M. ab iniquis accusationibus Danielis Zwickeri Monarchiani vindicare. Hic enim (r) in laudatissimum Imperatorem vehementer invehitur, eumque miris modis traducit, ac si omnium Imperatorum, quos unquam sol conspexerat, esset sceleratissimus. Inter alia ipsi displicet, quod habitum regium gemmis & caput perpetuo diademate exornaverit. Et valde improbat, quod Eusebius (s) scribit, *cum autem*, inquiens, *cuncti data tessera, qua Imperatoris significabatur ingressus, surrexissent, tum & ipse* (Constantinus M.) *medius quasi angelus quidam cælestis NB. splendidam purpuram indutus ac veluti lucis splendore refulgens ignitisque radiis illustris atque auri & pretiosorum lapidum pellucido jubare ornatus introibat, &c.* Ad quæ verba Zwickerus: *en quam verum sit, quod multi auctores prodidere quodque nunquam satis deplorari potest, una cum Constantino M. orbis superbiam & luxum, totumque adeo mundum in Ecclesiam ingressum esse? cum ipsi quoque Episcopi splendorem & fastum illum Imperatoris ab ipsis etiam Ethnicis improbatum in laude ponere cœperint! o tempora! o mores!* Sed noli, mi Zwickere, ita exacerbato esse animo an putas Christianis regibus nefas esse, uti gemmis, diademate & purpura? ita sentire mihi videris. at quo quæso fundamento? ubi Christus vel ejus Apostoli id unquam prohibuerunt? altum hac de re silentium est. An nescis, quam splendidas olim vestes gestaverit rex omnium sapientissimus Salomon? an id vitio ipsi fuit datum? minime gentium. Reges regia decent. Quod Constantinus M. fecit, facit ad magnificentiam aut magnanimitatem, cui principem oportet esse deditum, ut hac ratione in civium subditorumve animis summa reverentia concitetur. Quod si enim id rex omitteret, & vestibus vulgaribus uteretur; aut ejus cultus habitusque non paullulum à privato abhorreret, annon perfacile in contemtum suorum devenire posset? Quare tantum abest, ut Constantinum M. reprehendamus, ut potius eundem cum Eusebio collaudemus, quod magnificentiam suam ita ostenderit. Neque ipse fuit in caussa, quod superbia luxusve ecclesiam Christi intraverit. Verum quidem est, luxum post tempora Constantini M. Ecclesiam occupasse; sed id exinde factum est, quod Christiani ab omnibus persecutionibus immunes quietissimam vitam vixerint: Ubi enim mortales omnibus abundant bonis, nec ullis miseriis molestiisve exponuntur, individuo nexu luxus aut superbia sequi solet. Exempla possent infinita tam ex sacris quam ex profanis historiis adferri, si chartæ angustia permitteret. Quod autem ipsemet Constantinus M. luxum, superbiam, pulum immo totum mundum in Ecclesiam introduxerit, est purum figmentum, nec ex ullo historico fide digno ostendi potest. Non equidem negamus, Constantinum M. ut ceteros homines sua habuisse vitia, ipsumque circa cædem Crispi aliorumque non adeo prudenter sese gessisse; sed eum fuisse tyrannum plane crudelissimum, & ne nomine quidem Christiano dignum, Zwickerus non tam ex amore, quam odio veritatis scripsit. *Neque unus vel alter actus Tyrannicus efficit principem Tyrannum, modo tyrannice non agat, id est, non semper & pro more seu consuetudine sua crudeliter imperet, & in subditos ultra humanitatis officium sæviat*, uti recte judicat Dn. D. Daniel Clasenius. (t)

§. XII. Velamen capitis, quod magnus Dux Moscoviæ habet, Sigismundus ab Herberstein (u) hunc in modum depingit: *Pileus ipsorum lingua Schapka dictus, quo Wolodimerus Monomach usus est, & quem gemmis ornatum, aureis item laminis, quasi quibusdam spirulis subinde se vibrantibus, mire concinnatum reliquit.* Et Adam Olearius (w) Die Krone/ so der Großfürst in Moscau Namens Michael Fedrowiz getragen/ war über einer schwartzen Zobeln Mütze und mit Diamanten versetzet. Apud Ebræos reges & principes recens creati velabantur. Schebhæt Jehuda, uti eum laudat vir Cl. Jo. Saubertus (x) Wann der Naschi gehet/ da ist sein Panim verdecket mit einem seiden Tuch/ daß man ihm das Panim nicht sihet. & post paullo: alsdann bringen sie den Naschi alleröberst auf den Mighdal und sein Panim ist verdecket. Iidem reges gestabant diademata aut coronas, ceu ex multis scripturæ locis patet; sic legimus (y) Davidem diadema regi Ammonitarum ereptum sibi imposuisse, quod fuerat pondo auri talentum. Dicis, immane pondus, cui ferendo caput Davidis par non erat. At quamvis משקל proprie pondus significet, hoc loco tamen pro valore pretiove sumi

(f) *Tom. 2. de cruce l. 1. c. 20.* (g) *in notis ad Procop. p. 77.* (h) *in opere de offic. aulæ Constant. p. 108.* (i) *de pileo p. 182.* (k) *Orat. c. 4. in Babyl. Tom. 5. p. 959.* (l) *lib. 7. H. C. c. 15.* (m) *de III. Cons. Honorii.* (n) *l. 4. H. E. c. 3.* (o) *de usu & praest. Numm. p. 665.* (p) *l. 9. de coron. c. 18. p. 625.* (q) *tomo 3. l. 1. c. 23. p. 183. seqq.*

(r) *In Irenico mastige p. 203.* (s) *lib. 3. de vita Constantini c. 5.* (t) *lib. 2. polit. c. 6. n. 10.* (u) *in Comment. rerum Moscovit.* (w) *l. 1. Itin. Pers. c. 7. p. 33.* (x) *de sacrific. c. 12. pag. 176.* (y) *2 Sam. 12: 15.*

sumi potest. Neque enim ex auro tantum corona constabat, sed ex gemmis, quæ ad pondus ausi non exiguntur. Proinde τὸ שקל Græci quandoque vertunt τίειν, τιμᾷν &c. *solvere, æstimare*; Latine quoque *pendere*, *impendere*, *rependere*, *compensare*, *dispensare* &c. Vel si hæc interpretatio non placet, adi Synopsin Bibliorum Criticorum (z) ubi plures expositiones super h. l. repperies, ut & Dn. D. Abrahamum Calovium. (a)

§. XIII. De cætero, quando reges Ebræorum judicare solebant, præter sceptrum purpuramque diadema in capitibus gestabant. Hæc conjicio ex Philone, (b) ubi de Ægyptiis, qui ut Agrippæ, Judæorum regi, illuderent, Carabam stultum quendam hominem, regio cultu habituve ornatum jus dicere coegerunt: *Capiti*, inquit, *diadema imponunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insigniis & in regem transformatum more histrionico adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alii salutatum accedebant; alii sibi reddi jura petebant: alii consulebant eum de rep. &c.* Quam conjecturam stabilire videtur Propheta Ezechiel (c) ubi Regem Sedechiam jubet diadema de capite ponere, & quidem hanc ob caussam, quod iniquus est judex, & promittitur judici æquiori. Ad hanc veterem judicii consuetudinem respexit Jobus (d) dum ait: צדק לבשתי וילבשנו כמעיל וצניף משפטי *justitiam indui, &* [illa] *induit me: sicut pallium & cidarim* [indui] *judicium meum.* Facit enim mentionem pallii & Cidaris, quæ vestes ab ipso judice usurpabantur; quasi dicat: *quando in forum perrecturus indui corpori pallium & capiti Cidarim imposui; non minus arcte animum meum proposito exercendi judicii indui, & ipsa sede judiciali pertinaciter tenui*; ut accuratissime, more solito, hunc locum exponit celebratissimus Theologus Argentoratensis D. Sebastianus Schmidius (e) Nam Jobum regulum fuisse & caussas pro tribunali cognovisse, tum ea quæ hoc loco dixit, confirmant, tum Auctores quidam ex cap. 19:9. conjiciunt; quamquam Mercerus aliique contrariam foveant sententiam. Confer laudatum Schmidium (f) & Martinum de Roa. (g)

§. XIV. Significabat autem Cidaris cum veste purpurea clementiam cum severitate, justitiam cum misericordia copulatam. Quam adeo sollemne fuit priscis ostentare in judicando, ut in capitis etiam caussis, in quibus pene nullus clementiæ locus, eam præ se ferre voluerint. Hinc illa mutatio vestis, hinc veli ante judicaturos obductio: hinc illi ad mœrorem compositi vultus & misericordiæ simulatio; hinc denique necessitatis significatio non solum in vultu, sed etiam in verbis, quorum acerbitatem studiose cavebant. De velaminibus inferiorum magistratuum præ cæteris legi merentur C. Paschalius (h) Solerius (i) aliique. Nobis ad alia properandum est.

(z) *P.* 320. (a) *in Bibliis illustratis.* (b) *in Flaccum.* (c) *c.* 11. 26, 27. (d) *c.* 29. 14. (e) *Comm. in Jobum* (f) *Comm. in Job. c.* 19. 9. (g) *lib.* 3. *Sing. c.* 7. *p.* 280. (h) *de coronis passim.* (i) *de pileo p.* 196. *seqq.*

CAPUT IV.

De Velaminibus capitis hominum Sacrorum.

מצנפת non est solius Pontificis Maximi gestamen. discrimen inter Pontificis maximi & Sacerdotum gregalium tiaras. Sacerdotum Hebræorum tiara ex Josepho depingitur. Josephus emendatur. Pontificis apud Judæos corona triplex. Baronius, Ribera & Cornelius à Lapide refutantur. Petrus non triplici corona fuit usus. de lamina & inscriptione divini nominis. Cur Sacerdotes in V. T. capita velare debuerint. gentilium Sacerdotum velamen capitis. Locus Gen. 35: 4. *expenditur. error Paschalii. quale velamen capitis habuerint Persarum & Romanorum Sacerdotes. Pontificis Romani triplex corona. ejus origo. significatus. Sacerdotum Russorum velamen. Cardinalium galerus ruber. ejus origo. significatus. Fridericus II. Imperator defenditur contra Solerium. Episcoporum Pontificiorum tegmencapitisforma. significationes. Solerius notatur. Cleri Pontificii & Pastorum Lutheranorum capitis velamen.*

§. I. SEquuntur jam velamina hominum Sacrorum; quæ pro diversitate personarum variant. E quibus capitis valamen, quod Pontifex Maximus apud Judæos usurpabat, præcipue eminet. Dicitur Ebraice מצנפת, quam vocem reddunt *Tiaram* Chaldæus, Syrus, Tirinus. *Cidarim* Emanuel Sa, Arabs, Aquila, Theodotion, Piscator, Arias Montanus, Junius & Tremellius. *vittam*, LXX. interpretes, Munsterus. Sunt qui contendunt, מצנפת solius Sacerdotis Magni gestamen fuisse. at hoc diserte negatur in Joma: (a) verba sunt hæc: הכהן גדל משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתונת ומכנסים ומצנפת ואבנט: *Sacerdos magnus in octo vestibus ministraverit; gregarius quatuor, in tunica & femoralibus & tiara & baltheo.* Hic sane exsertim Sacerdoti gregario מצנפת sive tiara tribuitur. vide Robertum Sheringhamium. (b)

§. II. Non tamen simpliciter negamus, Pontificis Maximi tiaram à reliquorum Sacerdotum tiaris discrepasse. Maimonides fascias quasdam ait Pontificis capiti ita circumdatas fuisse, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur; è diverso Sacerdotum pileos velut galeas fuisse; unde & מגבעות dici eos, quod instar collium exsurgerent. Ab hoc dissentit Rabbi Abraham Ben David, cujus השגות animadversiones exstant in Maimonidem; ait enim, pileos quidem Sacerdotales quasi galeas fuisse. At Pontificum infulas longe altiores extitisse, fasciis in orbem sic circumactis, ut sunt hodie Arabum tiaræ; ita diversas horum Auctorum sententias profert vir doctissimus Petrus Cunæus (c) quicquid sit, hoc tamen certum esse opinamur, fuisse discrimen inter Pontificis maximi & Sacerdotum gregalium tiaras; utrasque autem interdum uno nomine מצנפת vocatas esse.

§. III. Flavius Josephus, clarissimus rerum Judaicarum Scriptor, tiaram suæ gentis Sacerdotum ita describit: (d) ὑπὲρ κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον οὐ διικνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτήν, ἀλλ' ἐπ' ὀλίγον ὑπερβεβηκότα μέσης, καλεῖται μὲν μασναεμφθής. τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτός ἐστιν, ὡς στεφάνη δοκεῖν πεποιημένη παχεῖα. καὶ γὰρ ἐπιπλυαοσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν αὐτὸν ἐκπεριέρχεται διήκουσα μέχρι μετώπου (ms. Cæsareus & epitome Busbequiana μέχρι τοῦ ἄνω) τὴν περιφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα καὶ ὅλῳ δὲ τῷ κρανίῳ γιγνομένη ἐπίπεδον. Ἥρμοσται δὲ ἀκριβῶς, ὡς ἂν μὴ περιρρυῇ ποιοῦντος περὶ τὴν ἱερουργίαν. Quæ Gelenius ita vertit. *Super caput gestat pileum non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paullo plusquam medium. hic vocatur* masnæmphthes. *Est autem tali apparatu, ut videatur vitta linea sæpe in orbem replicata & consuta, quam superne alia tela integit usque ad frontem descendens & per superficiem verticis suturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accurate, ne inter sacrificandum delabatur.* In editione Basileensi & Geleniana corrupte legitur μασναεμφθής, quum sit legendum μασνεφθὴς vel μισνεφθής. Ad quam lectionem propius accedunt epitome Busbequiana (quam una cum aliis Codd. Magnus Bosius à V. CL. Lambecio ex Bibliotheca Cæsarea nactus fuerat) μασναέφθες; & Codex Latinus Noribergensis, in quo exstat *masnephtis*. In Ms. c. Latino Lipsiensi legitur *masnaëmphtis* in Vindobonensi vero, *masnemphtis*. Sed perperam. Josephus tegmen Pontificis accuratius depicturus ait, (e) πῖλος δὲ ἦν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως, εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν. ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνερραμμένος (Cod. Cæsareus & Epitome Busbequiana ὑπ' αὐτὸν δὲ συνερραμμένος) ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τριστοιχίαν κεχαλκευμένος. θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος. *Pileo, quali cæteri Sacerdotes, utebatur, super quem exstabat alius consutilis ex hyacintho variatus. hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectantur calyculi aurei.* Et post paullo: ὁ δὲ κάλυξ μεγέθους ἐστὶ σκυταλίδος τοῦ μικροῦ δακτύλου, κρατῆρι δ' ἐμφερὴς τὴν περιγραφήν; *calyculus autem est quantus articulus minimi digiti circumferentiam habens crateri similem.* Et mox: ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται, ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι. λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ. τελάμων δ' ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐστί. Gelenius reddit: *Ejusmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat: nam frontem isti calyculi non ambiebant: sed ceu lorum quoddam latum aureum quod sacris characteribus DEI nomen incisum habebat.* Hæc Josephus.

§. IV. Ex

(a) *C.* 7. *n.* 5. *p.* 167. (b) *Comment. in Cod. Joma p.* 173. (c) *de rep. Ebr. l.* 3. *c.* 2. (d) *lib.* 3. *Antiq. Jud. c.* 8. (e) *l. c.*

§. IV. Ex quibus patet, Pontificis maximi tiaram tres habuiſſe coronas. Ambigit heic quidem Rivetus (f) utrum Joſephus vera prodiderit. Sed mox ſententiam mutat. Et ſane non videmus cauſſam, ob quam Joſepho hac in re fidem adimere debeamus. Quum enim Joſephus ipſemet Sacerdos fuerit, ſuiſque oculis non ſemel Pontificem maximum viderit; quis vellet credere, eum heic falſa ſcripſiſſe? Fatemur equidem Philonem triplicis coronæ nullam injicere mentionem. cauſſam hujus ſilentii ignoramus. Si tamen aliquid conjiciendum eſt, videtur, in templo primo Pontificis maximi tiaram illas tres coronas non habuiſſe, ſed demum in templo ſecundo fuiſſe additas; quod forte ideo factum eſt, quod Hyrcanus aliique ex ſacerdotali genere ad faſtigium regiæ poteſtatis acceſſerint. In hac triplici corona mirifice ſibi placent Baronius (g) Ribera (h) & Cornelius à Lapide (i) nec quod pueri in faba repperiſſe ſe arbitrantur. nam exinde deducunt, hoc inſigne Pontificis Maximi V. T. triplicem Papæ coronam ſignificaſſe. Sed unde his hominibus conſtat, hanc triplicem coronam Papæ inſignia indicaſſe? tacet Scriptura S. tacent Prophetæ. tacent Apoſtoli. Quid? annon, fatente ipſo Saliano, (k) hæc triplex tiara vel à Joſepho, vel ab antiquioribus præter ſcripturæ auctoritatem introducta dicitur. Quod ſi ergo non divina inſtitutio fuit, ſed humana, quomodo potuit eſſe typus earum rerum, quæ in N. T. fieri debuerant? Hæc videns Ribera, mutata ſententia, ait: (l) *Petrum Apoſtolum inſtinctu Spiritus S. triplici tiara ſeu corona uſum fuiſſe*: At, mi Ribera, hoc eſt merum tuum figmentum. De eo nihil tradit neque ſcriptura neque hiſtoria Eccleſiaſtica. Quod ſi ita fingere licet, quæ quæſo commenta non poſſent excogitari? Petrus ſane non tam corona triplici, quam cruce fuit delectatus.

§. V. Tiaræ fuit impoſita lamina ex auro puro facta, quæ duos digitos lata erat; frontemque ad aures uſque cinxit; ita Salomon Jarchi: ציץ כמין טס של זהב היה רוחב ב׳ אצבעו׳ מקיף על המצח מאוזן לאוזן: Exodi (m) vocatur נזר הקדש *corona ſancta*, aut forſitan magis proprie dixeris *corollarium ſanctum*; Latini enim ejuſmodi laminas non coronas, ſed corollaria nominarunt, uti monet Robertus Sheringhamius (n) & adfert locum ex Plinio (o) *paullatimque & Romæ ſubrepſit appellatio corollis inter initia propter gracilitatem nominatis; mox & corollariis poſtquam è lamina aerea tenui inaurata, nec inargentata dabantur.* Nec dubitat Sheringhamius (p) quin ad imitationem Pontificis Hebræi gentilium Sacerdotes ſacrificaturi coronas capite geſtaverint. Ei adſentitur Tertullianus (q) *ipſæ*, inquiens, *denique fores, ipſæ hoſtiæ & aræ, ipſi miniſtri & Sacerdotes eorum* i. e. gentilium *coronantur.* confer C. Paſchalium. (r)

§. VI. Laminæ inſcriptum erat קדש ליהוה *Sanctum Domino*, ceu id haud obſcure patet Exodi (s) & ſic etiam LXX. interpp. vulgatum & Auctorem Sapientiæ; illos ἁγίασμα κυρίου; iſtum *Sanctum* Domino; hunc μεγαλοσιώνην vertendo, ſenſiſſe conſtat. calculum ſuum libenter adjiciunt Rungius (t) Balduinus (u) Gerhardus (x) Rivetus (y) Buxtorfius (z) aliique; quamquam nonnulli Hebræi ſolum nomen πετραγράμματον in lamina ſcriptum fuiſſe volunt. Diſputant heic, utrum hæc duo vocabula in una continua linea, an disjunctim apparuerint, ita ut una vox alii fuerit ſuperimpoſita. Rivetus (a) probabile putat fuiſſe in una linea ſcriptas voces haſce duas, prout habentur in textu. Nos heic quemlibet ſuo abundare ſenſu permittimus.

§. VII. Hoc velamine, ut volunt, Sacerdotes admonebantur, ſe omnes capitis ſenſus DEO conſecratos habere, ut ait Beda (b) *ne vel oculi viderent vanitatem, vel aures audirent opprobrium adverſus proximum ſuum, vel os abundaret malitia & lingua concinnaret dolum.* Et quia recta ratio præcipuam ſedem in capite habet, ſacerdotibus quoque tacite indicabatur, ne de rebus divinis pro arbitrio diſſererent, ſed ut caput byſſina vitta velarent, i. e. ut intellectum captivarent ſub obſequium fidei. Quod monitum ſi obſervarent mortales, non tot hæreſes ſectæque in Eccleſia exſurgerent, non tot rixæ contentioneſve coorirentur. Alias myſticas ſignificationes repperies apud Franciſcum Riberam. (c)

§. VIII. Sacerdotes quoque gentilium vel vitta operiebantur, vide Lipſium (d) C. Paſchalium (e) & Jo. Saubertum (f) vel corona ornabantur ex ea ratione, quia ſanctimoniam res coronis indicabant, conf. Saubertum (g) vel cidarim ſeu tiaram regum orientis more geſtabant, ut liquet ex Luciano (h) qui auctor eſt, urbis ſacræ in Syria Pontifici ac ſoli quidem conceſſum fuiſſe, purpuram & auream tiaram geſtare, poſteaquam videlicet Sacerdotales coronæ contemtim haberi cœptæ ſint, quibus Patres, præcipue Tertullianum infenſum fuiſſe legimus. Andreas Balenſis, referente Petro Nannio (i) conjicit, inaures, quas Patriarcha Jacob una cum idolis in terram infoderat, non vulgares inaures fuiſſe, ſed tegmen ſeu velamen capitis Sacerdotum in cultu idolorum aures tegens, quales fuerint infulæ apud Romanos. Hoc diſplicet Anſelmo Solerio (k) Nos opinamur, inaures illas fuiſſe inſignia alicujus ſuperſtitionis, dicata alicui fictitio Numini, qui mos olim per Syros Phœnices in Africam pervenit. Unde D. Auguſtinus: (l) *inaures non ad placandum hominibus, ſed ad ſerviendum dæmonibus adhibentur.* Et erant in illis notæ quædam ſiderales, quæ σφαγίδες vocabantur. Tales quoque annuli ad mira perpetranda adhibebantur, partim valere crediti dæmonibus pellendis; partim contra morbos; vide Synopſin Bibliorum Criticorum (*) Lapſus autem eſt C. Paſchalius (m) cum ex his Virgilii verbis:

—— —— *ſacerque tiaras.*

oſtendere conatur, Martis Sacerdotem geſtaſſe tiaram: nam Virgilius non loquitur de Marte Sacerdote, ſed de Priamo, uti cuilibet inſpicienti ad oculum patebit. Sacerdotes Perſarum uſurpabant tiaras πιλωτὰς καθηκύας ἑκατέρωθεν i. e. *filtraceas infulas ex utraque parte dependentes*, teſte Strabone (m) Romani Sacerdotes triplex capitis velamen habuerunt, apicem, tutulum & galerum; de quibus vide Solerium (o) C. Paſchalium (p) Roſinum (q) alioſque. Quod ſi Sacerdotum gentilium inſignia, vittam ſcilicet infulam, & coronam quis ruperit, res mali ominis habebatur. Adi Paſchalium (r).

§. IX. Pontifices Romani non una contenti ſunt corona; ſed triplex in eorum capitibus conſpicitur. Quinam eam invenerit, inter Scriptores non convenit. Ribera, ut ſupra vidimus, putat, Apoſtolum Petrum inſtinctu Spiritus S. ejus auctorem fuiſſe. Alii arbitrantur, hoc capitis velamen eſſe adſcribendum Bonifacio VIII. nonnulli longius progreſſi ejus originem arceſſunt à Paulo II. Si quid heic pronunciandum eſt, autumamus, hoc Papæ inſigne diu poſt Chriſti nativitatem in uſu eſſe cœpiſſe. Nam poſteaquam Pontificum poteſtas paullatim crevit, & Imperatores Romano-Germanici triplici corona uſi fuerant, videntur Pontifices ad ipſorum imitationem idem feciſſe, vel ut aliquod jus, licet fictitium, in tria regna, Romanum, Germanicum & Longobardicum prætenderent; vel ut dominium in tres mundi partes Aſiam, Africam, Europam habere ſe falſo imaginarentur; aut ut poteſtatem ſuam in cœlum, terram & infernum jactarent. C. Paſchalius admodum operoſus eſt in triplici hac corona exponenda; ſed nugas nugis cumulat. Certe triplex illa corona Papæ faſtum ſuperbiamve denotat; de qua ut pluribus agamus, non neceſſum eſſe arbitramur, quum jamdudum hoc de argumento complurimi Scriptores diſquiſiverint.

§. X. Quali velamine utantur Ruſſorum Patriarchæ & ceteri Sacerdotes, refert Adam Olearius (t) Verba quoniam adnotamento digna ſunt, ſubjungere minime piget. **Auf dem Kopff tragen die Patriarchen/ Metropoliten/ Ertz- und Biſchöffe/ wie auch Mönche Schwartze Hauben bey drey Ellen weit/ welche in der Mitte eine harte runde Platte als einen groſſen Teller/ und hinten am Kopff herunter hangend haben.** Et paullo poſt: **in der** veſtitur **wird den** Popa **oder Prieſter ein tuchen Mützgen** Skyffia **genant (ſo gleich**

[f] *In Exod. cap. 28. p. 209.* [g] *Tomo 1. Annal.* [h] *Lib. 3. de templo cap. 14. p. 233.* [i] *In Exod. p. 582.* [k] *Tom. 2. Annal. Eccleſ. ad annum M. 2544. num. 565, 566.* [l] *Loc. cit.* [m] *Cap. 39: 30.* [n] *Joma pag. 179.* [o] *Lib. 21. H. N. cap. 2. pag. 977.* [p] *Loc. cit.* [q] *Lib. 15.* [r] *Lib. 4. de coronis cap. 14. p. 244. & 245.* [s] *Cap. 28: vſ. 30.* [t] *In Exod. p. 959.* [u] *Part. 1. Paſſ. Typ. p. 15.* [x] *Tom. 3. Loc. 16. c. 1. ſect. 1. §. 9.* [y] *In Exod. p. 209.* [z] *In Lex. Talmud. pag. 1907.* [a] *Loc. cit.* [b] *Cap. 8.* [c] *Lib. 3. de templo cap. 14. p. 232.*

[d] *Cap. 12. de Veſt.* [e] *Libr. 10. de coronis cap. 14.* [f] *De ſacrificiis cap. 10. pag. 216.* [g] *Loc. cit.* [h] *De Dea Syria.* [i] *In notis ad S. Ambroſii expoſitiones in Exod.* [k] *De pileo pag. 242.* [l] *Epiſt. 73.* [*] *In Geneſ. 35: 4.* [m] *Lib. 10. de coronis cap. 2.* [n] *Libr. 15.* [o] *De pileo pag. 246.* [p] *Libr. 4. de coronis cap. 15. pag. 253. 621. pag. 273.* [q] *Libr. 3. Antiqq. Roman. cap. 15.* [r] *Libr. 4. de coronis cap. 14.* [s] *Libr. 9. de coronis cap. 27. p. 659. ſeqq.* [t] *Lib. 3. de Itin. Perſ. c. 28. pag. 303, 304.*

unsern Calotten plat an der Haut lieget) auffgesetzet. Diß Müzgen nehmen sie des Tages über niemals ab / es wäre dann das sie den Kopff scheren müssen. Es ist ein Heilig Bannet und hat gros recht / wer einen Popen schläget / und trifft ihn auff das Müzgen / oder machet daß es ihm auff die Erde fält / der ist in grosse Straff verfallen / und muß ihm die Biszestil bezahlen; aber daher bekommen die Popen nicht desto mindere schläge / weil sie gemeiniglich versoffener / unnützer seind / als andere Leute. Dann weil das heilig Müzgen muß geschonet seyn / nimpt mans zuvor ab / schläget den Popen wol ab / und setzt ihm wieder sein auf / darvon wird hernach nicht so gros Wunder gemachet. In tanto honore habentur Russorum Sacerdotes: Festo Palmarum eorum Patriarcha gerit velamen album corona gemmisque distinctum; sic enim Olearius: (u) am Palmtag träget der Patriarch einen mit sehr grossen Perlen besetzten weissen runde Müzgen und eine Crone. Cidaris usus olim ad Ecclesiæ Antistites translatus, ac eadem inter Episcoporum Orientis insignia vulgo recepta est; cujus rei testis est Gregorius Nazianzenus; (x) χρίεις, inquit, τὸν ἀρχιερέα ἢ περιβάλλεις τὸν ποδήρη ἢ περιθεὶς τὴν κίδαριν; *idcirco Pontificem ungis, ac pondere cingis capitique cidarim imponis.* Album quoque velamen fuisse insigne episcopalis & pastoritiæ curæ, non dubitat C. Paschalius. (y)

§. XI. Cardinales, Ecclesiæ Pontificiæ columnæ, in pileis & galeris rubris cernuntur, quos primitus indultos fuisse ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi anno 1244. vel anno 1245. (ut Spondanus in Breviario vult) tradunt Papirius Massonus (z) & Onuphrius. (a) vero totius Germaniæ decus Conringium. (b) Non desunt tamen, qui multo antiquiorem pilei rubri usum contendant, & initio omnibus Episcopis fuisse communem affirment; quorum in numero est Erasmus. (c) Sed hos refellit Solerius (d). Hic pileus ruber autem ideo Cardinalibus à Papa fuit concessus, ut omnes, qui in illum ordinem legerentur, parati essent pro libertate Ecclesiastica propriam, necessitate postulante, vitam exponere morti, uti narrat Onuphrius (e) quem sequitur Solerius. (f) Quamquam hic alias significationes adferat, quæ apud eum videri possunt. Admodum autem injurius est Solerius in Fridericum II. Imperatorem, cum eum malignitatis accusat, *acris*, inquiens, *hyems à Friderici II. Imperatoris malignitate Ecclesiam infestabat, nec deerat Martyrii occasio.* Sane si historiam illorum temporum pensiculatius considerare vellemus, liquido manifestum fieret, illam malignitatem non bono Imperatori, sed Papis, ea tempestate bipedum nequissimis, adsignandam esse. Annon Papa Honorius Veronensibus ac Lombardis se adjunxit, summoque scelere in Fridericum conjuravit, quum nullam habuerit caussam, quam quod Imperator Lombardorum & Saracenorum impeditus turbis, expeditionem factam absolvere non posset? annon Gregorius IX. excommunicationis fulmen in eundem Fridericum, tanquam voti sacri reum, iniquissime torsit? nempe hoc volebant scelestissimi Papæ, ut Imperatoribus Germanicis ad remotas orbis partes velut in exilium transmissis, & spe religionis omnes fortunas suas effundentibus, suas interim veteratorias artes domi libere citraque ullius contradictionem exercere valerent. Et quæso perpendatur scelus Pontificis. Trajicere volentem in Palæstinam inhibuit, minime ex dignitate Augusta instructam classem objectans; at postquam Fridericus rem feliciter gessisset, Pontifex absentis Imperatoris subditos ad defectionem sollicitare non dubitavit. Fridericus suis ad officium redactis, Sardiniam quoque subegit. Quam cum Papa Ecclesiæ reddendam diceret, nec obtemperaret Imperator, eum diris devovit & totum orbem litteris sollicitavit. Ex qua re fiebat, ut ubique tumultus, seditionesve exsurgerent. Sed Fridericus omnes Pontificis molitiones elusit aut oppressit, eoque desperationis adegit, ut morbo, ex dolore contracto, extingueretur. At mox Innocentium IV. sibi inimicissimum persensit; quippe qui principes stimulavit, ut novum Imperatorem crearent. Quum igitur Fridericus Papam nullo modo placare posset, coactus vim vi repellere, sicarios à Pontifice subornatos supplicio affecit, Henricum, Hassiæ Landgravium, Pontificium Imperatorem per Conradum filium vicit, & Thesauros à Papa Wilhelmo Hollando submissos intercepit. Uter hic malignum, mi Soleri, sese præbuit, Papane an Imperator? annon malitia est subditos ad defectionem sollicitare, sicarios subornare, aliquem conari de throno deturbare? Hæc omnia fecerunt Pontifices Romani. Qua fronte igitur scribere potuisti, *acrem hiemem à Friderici II. Imperatoris malignitate Ecclesiam infestasse*, NEC DEFUISSE MARTYRII OCCASIONEM? egregii, si diis placet, martyres. De ejuscemodi martyribus Scriptura nihil habet; neque opus est, ut propterea pileus ruber excogitetur, quo homines admoneantur, sibi pro libertate Ecclesiastica mortem esse oppetendam. Certe si velamen Cardinalium ob nullam rem, tamen ob tam pessimum initium suspectum haberi debet. Et mirandum est, ad hunc diem usque tam multos, etiam illos, qui vera quandoque religione imbuti fuerant, ejuscemodi purpureum pileum anxie ambire. Sed nec illud probari potest, quod huic capitis velamini tantum privilegium tribuatur, ut etiam reum, capitali supplicio dignissimum, à morte liberare queat; de quo consule Solerium. (g)

§. XII. Episcopis apud Pontificios peculiare capitis velamen est viridis galerus & mitra. Mitra est bicornis & patulo curvamine superne hians, nec plane absimilis pileo cornuto priscorum Sacerdotum ethnicorum, de quo vide C. Paschalium. (h) Ejus usum esse in Ecclesia perantiquum censet Solerius, (i) quamvis recentius sit, ut auro gemmisque exornetur, quod non ante annos sexcentos accidisse scribit Onuphrius. (k) Cur autem hæc mitra Episcopalis duo habeat cornua, non adeo liquet. Petrus Gregorius (l) ait, significari scientiam tam V. quam N. Testamenti. C. Paschalius (m) putat, denotari duas dotes, Episcopis convenientes, scientiam & sanctitatem. Ridiculus est Solerius, cum opinatur, (n) subinnui caritatem in DEUM & in proximum, Episcopis propriam in quarto modo. An enim soli Episcopi Pontificii & quidem semper DEUM proximumque amant, diligunt, fovent? Certe ipsa praxis contrarium testatur. Annon plerique ex Episcopis hodiernis Pontificiis turbas & bella cient, subditos infinitis oneribus premunt torquentque, & nec DEUM nec proximum suum curant? Præ ceteris heic eminet Episcopus Monasteriensis; quippe qui tot mala in Germaniam & in propriam ditionem intulit, ut mirandum sit, ipsum ad hanc horam usque impune abiisse. Sed vindictam divinam suo tempore persentiscet.

§. XIII. Reliquus apud Pontificios clerus habet capitis tegmen, quod plerumque est forma quadrata. Cujus de significationibus consule Solerium, (o) in his enim admodum prolixus est. In nostra Ecclesia Pastores non uno capitis tegmine utuntur: in quibusdam locis parva & rotunda bireta gestant; in aliis non item.

(u) *Lib. 2. Itin. Pers. pag. 133.* (x) *Orat. V. pag. 136.* (y) *Lib. 9. de coronis cap. 27. pag. 664.* (z) *Lib. 5. de vit. Pontif.* (a) *Libr. 3. de Pontif.* (b) *Dissert. 4. de Antiq. Acad. pag. 136. 159. 160.* (c) *Lib. 3. de ratione concionandi.* (d) *De pileo S. 13. p. 277.* (e) *Loc. cit.* (f) *Loc. cit. pag. 282.*

(g) *De pileo pagin. 285.* (h) *Lib. 4. de coronis cap. 23. pag. 274.* (i) *De pileo pag. 292.* (k) *Lib. de vocibus Ecclesiast. obscurioribus.* (l) *Lib. 15. Syntagm. cap. 12.* (m) *Loc. cit.* (n) *Loc. cit. pag. 294.* (o) *Loc. cit. p. 300.*

Caput quintum & ultimum.

De Velaminibus capitis, quæ certo duntaxat tempore adhiberi solent.

Hebræi in sacris faciendis capita velant. aliquot caussæ hujus ritus adferuntur. Ecclesiarum Lutheranarum consuetudo in orando. Moysis velamen. duo loca Exodi 35: 33. seqq. & 1. Cor. 3: vs. 13. seqq. collustrantur. Romani itidem in sacris velato erant capite. caussæ. velatio unde orta. quibusdam diis se non velabant. Saturni sive Crodonis effigies apud Germanos capite nudo & cur? Schedius notatur. Christiani quando in sacris nuda habent capita. Papæ Privilegium. Armeniorum consuetudo. Christianorum denudatio capitis ad recitationem Euangelii. Græci quoque in sacris nudata habebant capita. Stuckius notatur. Sinensium mos. infantum baptizatorum capitis velamen olim quale. quamdiu duravit. Velamen capitis Doctorum & Magistrorum. origo.

origo. forma. color. velamen capitis tempore luctus apud Judæos. Piscator, Emanuel Sa aliique refelluntur. formulæ Scripturæ explicantur. dubium solvitur. verbum פרע *quid notet. velaminis etiam particeps fit barba.* שפם *quid. vaticinium Es. 25: 7. illustratur. Romanorum filii itidem tempore luctus capita velant. caussa. Hodiernorum Germanorum mos tempore luctus. Supplicum capitis velamen quale. Qui ultimo supplicio afficiendi sunt velabantur. ratio adfertur. intrantium lupanaria capitis velamen. Christiani hodierni taxantur. Mortuorum capitis velamen. Christi sudarium. Dissertatio finitur.*

§. I.

INter velamina capitis, quæ certo tempore adhiberi solebant, primo loco occurrit velamen in sacris faciendis. Hebræos in sacris capita obvelasse certo certius est, idque ab eis Turcas habuisse scribit Georgevitz (a). De Hebræis fusius id prosequitur Abulensis (b) & putat, eos fecisse ex imitatione Moysis, qui non audebat Dominum in ignito rubo latitantem aspicere, & propterea faciem obvelabat. Id quod imitabatur etiam Elias faciem suam adoperiens pallio suo prophetico piloso (c). Immo hodierni Judæi cottidie ad vesperam in Synagoga oratum venientes, velant faciem, capite in sinistrum latus propendentes, nimirum ne alter alterius audiat forte confessionem, uti narrat celebris Buxtorfius (d). Sunt tamen aliæ causæ, cur Hebræi capita in sacris faciendis velaverint. Nam reperiuntur, qui hunc ritum ad reverentiam ac veluti verecundiam comparendi coram DEO reducant. Nec adeo male: qui enim verecundantur, faciem & caput operire solitant. Sic pueris hoc quasi natura est inditum, ut arte, qua possunt, vultum abscondant, cum plorant, eundem demittendo, avertendo, palmis tegendo. Sic quando pudicæ virgines aliquid obscœnum vident, manibus faciem tegunt. Sic Socrates apud Platonem (e) ad parum pudicam orationem caput operit, quem locum notavit Antonius Julianus Rhetor apud Aulum Gellium (f), quique resupinus, capite convelato, voce admodum quam suavi versus cecinit Valerii Æditui veteris Poëtæ; item Sortii Licinii & Quinti Catulli, quibus mundius, venustius, limatius, pressius nihil quicquam reperiri putat Aulus Gellius. Quin in ipsa Scriptura S. legimus, Cherubim suam faciem velasse (g), ut videlicet suam in ordine ad DEUM imperfectionem & metum cum debita reverentia conjunctum indicarent; uti hunc locum Patres & alii interpretes communiter exponunt. Pari modo quando Hebræi in templis capita velabant, tacite subinnuere voluere, se DEUM non profecto amore prosequi, sed multis infirmitatibus adhuc laborare. Quamvis dicere possimus, fuisse etiam signum subjectionis, quod Hebræi caput obvelaverint; ceu patet ex 1 Cor. 11: 10. quo de loco in alia Dissertatione fusius agemus. Atque exinde Ecclesiarum nostrarum consuetudo deducta esse videtur, qua precaturi viri pileo suam contegere solent faciem; fœminæ autem in templis assidentes eandem ad genua declinare: qui ritus tamen etiam ob hanc caussam est introductus, ne devotio per occursantia sensibus objecta externa turbetur, neve gestus inter orandum in vultu suborti & videri & rideri à profanis queant, uti bene loquitur Summus Theologus Martinus Gejerus (h).

§. II. Velamen illud, quo Moyses faciem suam operire solebat, considerationem meretur. Legimus enim in Exodo (i), Moysem ex monte Sinai reversum, ignorasse faciem suam splendere; populum vero ejus splendorem oculis aspicere nequivisse. Moysem igitur velamen super faciem posuisse, quotiens cum populo loqui voluerit. Illud autem rursum deposuisse, quando cum DEO fuerit locutus. Putant equidem Menochius, & Cornelius à Lapide, Moysem primo locutum esse facie non velata ob majestatem, reverentiam & testimonium legis, deinde velum injecisse, ut liberius cum populo loqueretur. Multi interpretes verba hunc in modum vertunt: *Moyses non posuit velamen, nisi postquam absolvisset loqui.* Sed minus recte. Nam quid opus fuisset velamine, si orationem suam finiverat? unde potius cum iis facimus, qui dicunt, Moysem vultum suum ante sermonem cum populo habendum obvelasse: ut proinde verba Ebræa sic sint reddenda; *& posuit velamen super faciem suam, & tunc complevit loqui cum iis.* Hunc sensum agnoscit Lipomannus: *Consummavit*, inquiens, *Moyses loqui ad populum, quæcunque eis Dominus promulganda promiserat, semper interim obtectam habens faciem suam præ splendore vultus, quem intueri non poterant. Interim Dominum allocuturus deponebat velamen.* Ad quod velamen respexit D. Paulus, dum ait (k): ἄχρι τῆς σήμερον τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει, μὴ ἀνακαλυπτόμενον, (ὅτι ἐν Χριστῷ καταργεῖται) ἀλλ᾽ ἕως σήμερον, ἡνίκα ἀναγινώσκεται Μωϋσῆς, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν κεῖται. *Usque hodie, id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quod in Christo evacuatur) sed usque hodie cum legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est.* Quo loco non intelligitur obscuritas librorum legis & prophetarum, ut quidam volunt, sed mentis hebetudo, quam parit affectio carnalis ac terrena, qua videlicet mens impeditur, ne veritati, quam Scripturæ tradunt, acquiescat, quod est nihil aliud, quam nolle credere. Nam quod obscuritas legis ac prophetarum non sit velamen ab Apostolo intellectum, ex eo liquet, quod illa obscuritate manente, & non oblata, complusculi crediderunt. Videatur Doctissimus Guil. Estius (l). Pergit autem Apostolus: Ἡνίκα δ᾽ ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα; *cum autem conversus fuerit ad dominum, circum aufert velamen.* Non male heic sentire videntur, qui illud ἐπιστρέψῃ *conversus fuerit* ad Moysem referunt, ut hoc loco novum mysterium in ejus persona præfiguratum nobis ob oculos ponatur, ita ut sicuti velata Moysis facies gentem Judaicam, in infidelitate pertinaciter permanentem, significaverit: ita idem Moyses, velamen removens, indicaret eos, qui ex eadem gente tempore N.T. convertendi essent. Sed Estio Paulus non videtur agere de conversione Judæorum ad Deum, aut de Moyse eorum conversionem significante, sed potius de Moyse præfigurante populum Christianum, & vult, Apostoli sententiam esse hanc. Quemadmodum Moyses faciem velatus significavit populum veterem DEO contrarium, & cor habentem obscuratum: ita idem Moyses, retectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad DEUM conversi, & revelata facie cordis mysteria contemplantis. Quæ postrema expositio vero quam maxime consentanea est.

§. III. Sicuti autem Hebræi in sacris faciendis capita habebant velata: ita & Gentiles idem fecisse legimus. Curculio parasitus apud Plautum: *Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?* & alibi Plautus: *Invocat DEOS immortales, ut sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* De Romanis testis est Plutarchus (m). Unde cum Vitellius Caligulam, ut DEUM, adorare vellet, capite velato eum salutavit. Cujus rei plures adfert Plutarchus causas. Prima est, ut mortales animi demissionem profiterentur. Altera; ne vox mali ominis foras accideret. Tertia; ut indicarent genium, qui in nobis est, DEORUM, qui extra sunt, ope indigere, iisque supplicare. Quarta; ut inter Sacra sensus ab omni obtutu securi, soli rei divinæ vacarent. Nec aliter Virgilius (n):

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Qua de caussa per præconem jubebantur, qui sacris intererant, εὐφημεῖν *favere linguis*, & oraculum petituri tinnitu aëris circumsonabantur. Et Ritus hic velandi se in sacrificiis ab Ænea ortum traxit, ut nos edocet Origenes (o) *cum vereretur, ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret, caput velamento obduxisse, atque ita pleno ritu sacra perfecisse, inde posteris traditum morem ita sacrificandi.* Non autem exhibebatur hic honos Herculi; id quod ideo factum esse censet Macrobius (p), ne quis in æde DEI habitum ejus imitaretur: nam & ipse operto erat capite. Neque opi, teste Alexandro ab Alexandro (q): neque veritati; quia veritas occuli obscurarique non potest, ut ait Plutarchus (r): neque etiam Saturno. Hinc ille apud Germanos sub Crodonis nomine in arce Haresburg ad silvam Hercyniam civitatemque Goslariensem colebatur imagine Senis, stantis

(a) *Lib. 1. de cerimoniis Turcicis cap. 1.* (b) *In cap. 13. Levit.* (c) *1 Reg. 19: 13.* (d) *Cap. 8. Synagog. Jud. p. 204.* (e) *In Phædro.* (f) *Lib. 19. cap. 9.* (g) *Esai. 6: vers. 2.* (h) *De luctu Ebræorum cap. 11. pag. 250.* (i) *Cap. 35: 33. seqq.*

(k) *2 Cor. 3: vs. 14.* (l) *In h. l. pag. 454.* (m) *In quæst. Rom.* (n) *3. Æneid.* (o) *Gent. Rom. c. 11.* (p) *Lib. 3. Sat. cap. 6. sub finem.* (q) *L. 2. c. 22. sub finem.* (r) *In quæst. Rom.*

ſtantis in Piſce Perſico, induſio amicti, lineo vinculo cincti, tenentis rotam ac urnam, nudis pedibus, capiteque nudo; ut eum depingit Cl. Saubertus (s). Elias Schedius (t) putat, capitis nuditatem denotaſſe colendum DEUM pectore puro. At eum recte taxat laudatus Saubertus; quum potius indicarunt, veritatem occultari non poſſe, cujus Saturnus parens ac DEUS habebatur; vel quia Saturnus inter inferos terreſtreſque DEOS numerabatur; vel quia velandi capitis ritum tradidit Æneas. Saturni vero ſacrificium multo ſit vetuſtius. Adi, ſi placet, Plutarchum (u) Jo. Henricum Urſinum (x) Stuckium (y) Saubertum (z).

§. IV. Hunc ritum velandi perſtringit D. Paulus & præcipit, ut viri inter Chriſtianos, preces ad DEUM fuſuri, aperto ſint capite. Cui dicto plerique Chriſtianorum hodie ſunt audientes. Non enim facile cœtum Chriſtianum repperies, in quo viri orantes & ad ſacram cœnam accedentes capita non aperiant. Quod autem ad concionatores attinet, ibi aliqua differentia occurrit. In quibuſdam locis, ut v. gr. in dulciſſima mea patria Ulmenſi omnes, qui prælecto textu concionem ad populum ſunt habituri, capita tecta habent, ſive jam in officio Eccleſiaſtico verſentur; ſive minus. In aliis vero ditionibus junioribus, nondum ad dignitatem Eccleſiaſticam evectis, minime conceditur, ut velato capite concionentur. Apud Pontificios fere omnes præ reverentia capita nudant, Sacerdote miſſam celebrante, & ſi quis ex Lutheranis aut Calvinianis miſſæ celebrationi intereſt, neque pileum deponit, illum non adeo benignis oculis aſpiciunt, immo interdum verberibus excipiunt. Pontifex Romanus autem habet hoc privilegium, ut cum pileo miſſam adminiſtret, teſte Solerio (b) Armenii autem heic aliam habent conſuetudinem, nam *eorum Epiſcopi ac Præpoſiti ne dum ſacris operando caput tectum habent; ſed & inter celebrandum duplex capitis operimentum aſſumunt; ſicque duplici pileo rem ſacram peragunt*, ut ait Iſaac. (c) Chriſtianis quoque jam olim ex uſu fuiſſe capita denudare ad recitationem Evangelii, Solerius (d) prolixe ex Hildeberto demonſtravit. Immo cum Evangelia olim in veteri Eccleſia legerentur, fideles aſſurgere ſolebant. Hoc didici ex Philoſtorgio, ubi de Theophilo Indo ita ſcribit: *Inde* [ab Homeritis] *ad aliam Indiam profectus eſt, multaque quæ apud eos haud rite fiebant emendavit. Nam & ſedentes audiebant lectiones Evangelicas.* Qua de re non ita pridem fuſius Amicus quidam cariſſimus in Societate Diſquirentium diſſeruit. Uterque mos in Eccleſiis noſtris hodie obſervari ſolet.

§. V. Fuiſſe hunc quoque uſum conſuetudinemque Græcorum Ethnicorum, ut ſacrificarent aperto capite, refert ex Varrone Gyraldus (e). Id quod & Romanos ante Æneæ adventum feciſſe, ſupra ex Plutarcho vidimus. Unde neſcio, utrum Jo. Guilielmus Stuckius (f) recte culpet Demetrium Triclinium, qui in illud Pindari hymno Olympiorum συνυκτὸς ὑπαιθελος ſic commentatur: δίχα τινὸς ἐν κεφαλῇ καλύμματος. οὕτω γὰρ ἦν ἔθος εὔχεσθαι. hoc eſt, *ſine capitis operculo: ſic enim moris erat ſupplicare.* Ad quæ verba laudatus Stuckius: *falſum eſt, gentiles olim nudatis capitibus Deos ſupplicaſſe.* At Græcos & Romanos ante Æneæ adventum in ſacris faciundis nudata habuiſſe capita, paulo ante oſtendimus. Capita quoque aperire Sinenſium moribus nefas habetur, nec niſi ii, qui ad capitale ſupplicium trahuntur, capita aperire ſolent. Unde qui ex eis fidem Chriſtianam amplexi fuere, eo duntaxat tempore capita nudant, quo peccata coram Sacerdote fatentur, & veniam delictorum petunt: volunt autem tacite indicare, ſe morte dignos eſſe. Nec ſuis Sacerdotibus permittunt, ut ſacram cœnam aperto adminiſtrent capite; & hoc privilegium nacti ſunt à Pontifice Paulo V. teſte Solerio (g).

§. VI. Cæterum olim in Eccleſia hæc conſuetudo vigebat, ut infantum baptizatorum capitibus velamen imponeretur. Cujus conſuetudinis commeminit Rabanus (h), & inſimul rationem ſubjicit; *tegitur*, inquit, baptizatus ſcilicet, *poſt ſacram unctionem, caput ejus myſtico velamine, ut intelligat, ſe diadematis & Sacerdotalis dignitatis portionem, juxta Apoſtolum; vos eſtis* [inquit] *genus Regale & Sacerdotale, offerentes voſmetipſos DEO hoſtiam vivam, ſanctam, DEO placentem &c. Nam Sacerdotes in V. T. quodam myſtico velamine, caput ſemper ornabant.* Gemina ferme tradunt Ivo (i) & Guilielmus Durandus (k). Græci vero adhibebant hoc velamen eo conſilio, ut ſubinnuerent, tutelam militi Chriſtiano in tam inſigni arce ac propugnaculo perquam neceſſariam eſſe; unde & illud *galeam* vocabant. Hoc colligimus ex Nicephoro (l), ubi deſcribit pueros imitantes ritum baptiſmi: *Lacinias veſtis lineæ dividentes in partes, ſimulacra amictus, qui in talibus uſurpabantur, faciebant, & ſuper caput myſticam galeam præclare efformabant.* Huic velamini quidam Chriſtianorum filum rubrum inſeruere, ut docerent, aquam baptiſmi à ſanguine Chriſti rubram quaſi reddi, ut teſtatur Solerius (m). Et hoc capitis velamen recens baptizati per octo dies, æque ac candidam veſtem geſtabant. Hoc innuit Pſeudo Auguſtinus (n): *Hodie*, inquiens, *octava dicuntur infantium: revelanda ſunt capita eorum, quod eſt indicium libertatis. Habet enim libertatem iſta ſpiritalis nativitas; proprie autem carnis nativitas ſervitutem.* Hic ritus per longum temporis intervallum in Eccleſia obſervabatur, quum ejus mentionem fecerit Ivo, qui ſub initium Seculi XII. floruit, ceu ſupra vidimus. Poſt illius tempora videtur deſiiſſe. Unde & apud Hugonem Victorinum, qui non ita multo poſt vixit, altum de eo eſt ſilentium; ut id obſervavit Solerius (o).

§. VII. Qui hodie ad gradum Doctoralem ſive Magiſterialem admittuntur, peculiare capitis velamen habere videntur; cujus uſus pervetuſtus eſt. Non tamen ante Innocentium IV. Papam purpureum galerum doctoralem extitiſſe, cenſet, vir rerum litterarumque peritiſſimus Conringius (p). In quibuſdam locis illi, qui Doctores Theologiæ evadunt, galero nigro; JCti rubro; Medici vero & Philoſophi violaceo aut cœruleo pileo ornantur. Quos diverſos colores exponit Solerius (q). Ait enim Doctorum Theologiæ pileum ideo eſſe nigrum, ut doceantur, ſe eſſe mundo mortuos. JCtorum pileum eſſe rubrum, propterea quod regibus & principibus terræ, quorum ornamentum ſive inſigne ſit purpura, adſint. Medicis vero & Philoſophis galerum violaceum aut cœruleum tribui, ut moneantur, oculos ſuos non declinare in terram. In inclita hac SALANA in promotionibus Doctoralibus & Magiſterialibus galerus non ejuſdem coloris adhiberi ſolet. Donantur autem Doctores ideo pileo, ut diſcant, ſe ex libertate Scholaſtica eripi, & poteſtatem ſive docendi, ſive publica munia exercendi conſequi. Forma pilei doctoralis non uno ſe modo habet; alibi rotunda; alibi quadrata forma in uſu eſt. De qua re vide Solerium (*). Optandum eſſet, ut nulli, qui ejuſcemodi pileis condecorantur, vacuum Doctorum nomen præ ſe ferrent. At quam multi hodie repperiuntur, qui titulo Doctoris accepto, mirifice ſibi placent, rati, ſe cunctos eruditione anteire, quum tamen eorum ruditatem etiam infimæ ſortis homines deprehendere queant, ita ut prudentius facturi fuiſſent, ſi gradum Doctoralem non accepiſſent.

§. VIII. Quibus olim ingens calamitas contigit, illi non ſolum caput demittere, ſed etiam involvere & tegere ſolitabant. Sive quia lugentibus lux gravis, gratæ ſunt tenebræ. Sive quia ſe conſpici & digito notari ægre ferunt. De Judæis eſt res notiſſima. De Davide hoc bis legimus. Quum enim, audita Abſolonis molitione, urbem Jeroſolymam deſeruiſſet, & ad montem Olivarum perveniſſet, ipſe una cum populo, qui aderat, velato capite incedebat (r). Sic nuntiata Abſolonis morte, iterato caput velare ſuſtinuit (s). Ad quem locum diſerte Kimchius: כיכן דרך האבלים להתעטף *quia ſic moris erat lugentium, operire ſemetipſum.* Idem habet quoque R. Jeſchaia ad h. l. Piſcator, Emanuel Sa aliique ex Ezechiele (t) oſtendere conantur, lugentes Ebræos incedere conſueviſſe capite aperto & pulvere conſperſo. Verum quo pacto id ex Ezechielis loco evinci queat, non video. Vox enim פאר non quamlibet promiſcue tiaram deſignat, ſed capitis ornamentum præcipue, ſicut hoc tam ex origine, quam clara oppoſitione liquet Eſai. 61: 3. Licet igitur lugentes ejuſcemodi capitis ornamentum depoſuerint, num exinde quæſo ſequitur, ipſos de novo non ſollicitos fuiſſe velamine? minime gentium. Præterea probe ſunt tempora diſtinguenda. Non enim penitus inficias ire volumus, lugentes quandoque ſub initium luctus caput violenter denudaſſe; ſed tamen hoc etiam verum manebit,

eoſdem

(s) *De ſacrific. cap. 12. pag. 277.* (t) *De Dîs Germanis l. 4. cap. 2.* (u) *Probl. 11. cum notis Boxhornii.* (x) *Vol. 1. Anal. S. pag. 39.* (y) *De conviviis pag. 69.* (z) *Loco ante citato.* (b) *De pileo p. 38.* (c) *In 2. adverſus eos invectiva hæreſi 25.* (d) *De pileo p. 39.* (e) *Syntagm. 17. hiſt. Deor.* (f) *Lib. 2. Antiq. conviv. pag. 230.* (g) *De pileo pag. 44.* (h) *Lib. 1. de inſtit. Cleric. c. 29.*

(i) *Serm. de Sacramentis Neophytorum.* (k) *Lib. 6. Ration. cap. 82. n. 15.* (l) *Lib. 3. H. E. cap. 37.* (m) *Lib. de pileo pag. 67.* (n) *Serm. 160. de temp. cap. 2.* (o) *l. c. pag. 69.* (p) *Diſſert. 4. de Academ. Antiq. pag. 136.* (q) *De pileo p. 206, 207.* (*) *l. c.* (r) *2 Sam. 15: 30.* (s) *2 Sam. 19: 4.* (t) *Cap. 24: 16. ſeqq.*

eosdem successu temporis id aliter altiusque involvisse. Immo & hoc largiri possumus, lugentes quandoque domi nudis sedisse capitibus. at opinamur, si in publicum prodeundum fuerat, ipsos sese peplis obtexisse. Hanc expositionem nobis suppeditavit, vir de Ecclesia Orthodoxa meritissimus Dn. D. Geierus (u). Hinc illæ in Sacra Scriptura frequentes formulæ: *operuit ignominia, operuit confusio faciem; indui, operiri pudore*, & similia, quæ licet ad pudorem ipsum referantur, quo facies, veluti velamine operitur, explicari etiam apte possint in hunc modum: *operui faciem meam præ luctu & pudore.* Sic magnates Judæorum, ne aquam quidem pro levanda siti nanciscentes vultum obvelasse legimus. (y) nisi dixeris hocce חפו *operuerunt* pertinere ad pueros, frustra se missos cum pudore se redire h. m. significantes. Idem quoque agricolas fecisse Propheta Jeremia meminit (z). Sed dicas, quomodo velatio apud Ebræos luctus signum esse potuit, quum tamen capitis opertio diserte præcipiatur iis, quibus lugere prohibitum sit? quippe in Levitico (a) Deus Sacerdotibus mandat: אל תפערו רשיכם, *nolite nudare capita vestra*, vulgatus reddit. item (b) Summus Sacerdos caput suum non יפרע *discooperiet.* Si igitur nudanda non fuerunt. ergo velanda; si velanda, quomodo velatio luctus indicium esse potuit? Huic dubio satisfacere multi interpretes laborant. Targum vertit: in capitibus vestris לא תרבון פירוע *ne nutriatis comam.* Sequitur R. Salomon, & hunc Munsterus, Fagius, Clarius vid. Synopsin Bibliorum Criticorum (d). Verum horum interpretationem non adeo accuratam esse, perdocte demonstravit Dn. D. Geierus (e). Nam verbum פרע plane in aliam significationem detorquetur; si quidem interdum ab Ebræis exponitur per בתל, quod est cessare fecit, irritum habuit, floccipendit. Confer elegantes notas Geieri in Prov. (f) interdum ponitur pro nudare, revelare. Sic usurpatur in Num. (g) de femina adulterii suspecta, quam coram DEO sistebat Sacerdos, ופרע את ראש *nudabatque caput ejus.* & in Lev. (h) de Leprosis, *quorum vestes laceræ caputque ejus* פרוע *nudatum sit.* Sicut igitur tam de femina suspecta, quam de leprosis non capillorum nutritio, sed capitis denudatio velaminumque subtractio per hanc phrasin effertur; ita & de personis sacris eandem merito velaminum sublationem intelligimus interdictam, ne scilicet consueto velamine præ impatientia abjecto, lugubre tegmen capiti imponerent. Immo licet DEUS præceperit Sacerdotibus, ne nudo incederent capite, velatio tamen capitis potuit optime signum esse luctus. nam unius rei plures dantur fines. Sic vestes nigræ hodie sunt indicia luctus. at multi utuntur vestibus nigris, qui tamen lugent neminem. Pari modo opertio capitis fuit signum luctus, sed nihilominus potuerunt Sacerdotes capita sua tegere, utut non luxerint.

§. IX. Velaminis etiam particeps fuit facta barba. Id colliges ex Ezechiele (i), cum DEUS Prophetæ mandat: ולא תעטה על שפם *neque obveles barbam.* Ubi שפם secundum R. Salomonem aliosque Rabbinos idem est atque *mystax*, id est, pilus, qui supra labium sub naso videtur. Verum Dn. D. Geierus (k) magis accedit sententiæ Merceri, *juxta alios*, inquientis, *est totum labritium*, i.e. *quicquid infra nasum continetur, etiam cum mento; non tamen, ut alii addunt, mandibula, meo judicio. Totum tamen barbæ locum complecti videtur.* Cum quo & nos facimus, & per vocabulum שפם totum barbæ spatium, seu oris partes omnes intelligimus in luctu opertas. Vide, quæ loca Dn. D. Geierus tam ex Scriptura S. quam ex Maimonide adducat. Id quoque Flacius Illyricus (l) observavit, *in funebri*, ajens, *luctu os tegebant panno lineo & caput involvebant, præsertim in publicum prodeuntes.* Confer Cornelium à Lapide (m). Atque ex hoc ritu apte ac concinne vaticinium Esaiæ (n) illustrari poterit, ubi Messias dicitur: ובלע פני הלוט הלוט על כל העמים והמסכה על כל הגוים: *amoturus facies veli, velum illud quod operit omnes populos.* Nam secundum B. Lutherum aliosque interpretes hoc loco describitur remotio mortis; siquidem & mortui, & vivi mortuos lugentes velari solebant.

§. X. Tempore luctus alios populos capita velare, ex historiis constat. Sic apud Romanos parentes mortuos filii efferebant capitibus velatis; filiæ nudis & passis crinibus. Cujus consuetudinis has rationes adfert Plutarchus (o): vel quod filiis venerandi sint parentes tamquam dii; (qui operto capite colebantur) filiabus autem lugendi, ut mortui, quos aperto capite luxerunt. Aut, quod luctui maxime congruit, quod est alienum à communi consuetudine. Solebant enim mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum prodire. Ita apud Græcos, si qua calamitas inciderat, tondebantur mulieres; viri comam alebant, cum alioquin hi tonderi: illæ comam gerere consueverint. vide sis Lipsium (p) Jo. Henricum Ursinum (q) Stuckium (r) Geierum (s) Kirchmannum (t) aliosque. De Dario, ultimo Persarum rege legimus apud Curtium (u) ipsum uxorem fato defunctam capite velato flevisse. Et Seneca (x):

Namque ipsa tristis vestis obducta caput
Velata juxta præsides adstat DEOS.

Sic cum apud Homerum (y) cantor quidem à cœna Trojanorum atque Græcorum calamitates cecinisset, sequentia leguntur:

—— —— —— αὐτὰρ ὀδυσσεὺς
Πορφύρεον μέγα φάρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα,
Αἴδετο γὰρ Φαίηκας ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λείβων
Ἤτοι ὅτε λήξειεν ἀείδων θεῖος ἀοιδός.
Δάκρυ' ὀμορξάμενος κεφαλῆς ἀπὸ φάρος ἕλεσκε.

Et non multo post:

Ἂψ δ' ὀδυσσεὺς κατὰ κρᾶτα καλυψάμενος γόασκεν.

—— —— —— *ceterum Ulysses*
Purpurea ingenti veste manibus fortibus
& in caput traxit, obtexit autem pulcram faciem.
Reverebatur enim Phæacas sub superciliis lacrimas stillans,
Sed quando desinebat canens divinus cantor
Lacrimas abstergendo à capite tunicam demebat,
Rursus Ulysses capite obvoluto lugebat.

Non adeo multum ab illis moribus differt hodiernus Germanorum mos, quum non solum uxores virginesve suis peplis linteisque candidis, sed & viri juvenesque nigris faciem velantes tegminibus, honoratum funus comitentur, haud dubie eo consilio, ne lugubres vultus, gestus, viro gravi fortean non convenientes, & contra voluntatem sæpius prorumpentes à vulgo spectante animadvertantur. Quæ consuetudo etiam in dilectissimo patrio solo viget, ita ut viri faciem aliquo nigro peplo tegant. Id quod tamen heic loci observari non solet. Antequam ad alia deveniamus, lubet heic interserere, quæ B. Chemnitius, divo Luthero omnia similis, de priscis Halberstadiensibus memoriæ prodidit: (z) *eligunt*, inquiens, *facinorosum aliquem sordidatum & OPERTO capite templo ejiciunt. Is die noctuque discalceatus urbem templaque salutando perambulat, tantum post mediam noctem in plateis aliquantulum quiescit; neminem alloquitur, quicquid apponunt, taciturnus vescitur &c. usque dum die Dominicæ cœnæ recipiatur.*

§. XI. Supplices olim velato fuisse capite, non semel meminit Livius; scribit enim (a) suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium. Idem ait, (b) Hippocratem & Epicydem duces Syracusanorum ramos oleæ, ac velamenta alia porrigentes orasse Cretenses milites, ut reciperent sese receptosque tutarentur. Sic, eodem teste, (c) legati à Tycha & Neapoli ad Marcellum Rom. Ducem cum infulis & velamentis venerunt, ut ab incendiis & cædibus parceretur. Pari modo legati Locrensium obsiti squalore & sordibus, in comitio sedentibus COSS. velamenta supplicum ramos oleæ (ut Græcis mos est) porrigentes ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. (d) Nec aliter sese gessere quidam populi Romani rebelles; Nam Consule Rom. per Phocidem & Bœoticam exercitum ducente, consciæ defectionis civitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur. (e) Denique Teii, quum in oculis populatio esset, oratores cum infulis & velamentis ad Romanos miserunt. (f) Hæc fere sunt loca, quæ in Livio notavimus. Meminit autem hic Livius, supplices etiam ramos in manibus gestasse. Quo de more pluribus videri potest Martinus de Roa. (g) Supplices quoque vittas laneas gerere solebant, ut ostenderent animum se mollem ac laneum habituros erga eos, quibus se dederunt, ut quocunque hi vellent, facile ducerentur flecterenturque. quippe ovis atque agni innocentiæ Symbola sunt. Quæ de supplicum vittis refert Goropius (h), memo-

(u) *de luctu Ebr. c. XI, p.* 258. (y) *Jer.* 14: 3. (z) *c.* 14: 4. (a) *c.* 10: 6. (b) *c.* 21: 10. (c) *in h. l.* (d) *de luctu Ebr. c. XI, p.* 254. (e) *c.* 1: 25. *c.* 4: 15. (f) *c.* 5: 15. (g) *c.* 13: 45. (h) *c.* 24: 16. (i) *c.* 24: 16. (k) *loco ante citato.* (l) *in Clave voce panis.* (m) *ad Ezech. fol.* 1106. (n) *c.* 25: 7. (o) *quæst. Rom. probl.* 14.

(p) *de Amphith. c.* 19. (q) *vol.* 1. *Anal. p.* 3. (r) *l.* 2. *Antiq. conviv. c.* 23: *v.* 231. (s) *de luctu Ebr. p.* 261. (t) *lib.* 2. *de Fun. c.* 16. (u) *l.* 4. *c.* 10. *n.* 34. (x) *in Herc. Furente v.* 255. (y) *Od.* θ. (z) *P. IV. Ex. Conc. rid. in fine.* (a) *l.* 2. *c.* 2. 39. *edit. Gronov.* (b) *l.* 24 *cap.* 30. (c) *l.* 25. *cap.* 25. (d) *Liv. l.* 29. *c.* 16. (e) *Liv. l.* 36. *c.* 20. (f) *Liv. l.* 37. *c.* 28. (g) *P. I. Sing. l.* 4. *c.* 4. *p.* 374. (h) *in Gigantomachia.*

memoria digna sunt: *Supplices*, inquit, *etiam vittas antiquo more ferre solent, quo ostenderent, se tum petere eam conjunctionem apud eos, quos obsecrabant; quæ omnibus hominibus necessaria est ad salutem & tranquillitatem. Sicut enim homines DEO cupiunt amoris vinculo alligari, quo ejus ope ac præsentia juventur; ita homines quoque supplices iis, quos rogant, se devincere student: quo ipsorum auxilio subleventur.*

§. XII. Qui ultimo destinati erant supplicio, etiam velari solebant. De Persis legimus in historia Esteræ, (i) *& statim operuerunt faciem ejus* Aman scilicet, *ministri.* Quæ verba interpretes non uno modo exponunt: Abenesra ait, id fieri solitum iis, quibus rex iratum se ostenderet. Sed Cornelius à Lapide, Jo. Henricus Ursinus (k), aliique de reis mortis & ultimo supplicio afficiendis illum locum interpretantur. Seditiosos Judæos quendam Romanum captum, revinctis post terga manibus oculisque fascia velatis ad supplicium duxisse, ait Josephus (l). De Atheniensibus testatur Plutarchus & ex eo Ravanellus (m). Philotas Parmenionis filius, læsæ majestatis reus, capite velato coram Alexandro adducitur. (n) Polyxenæ morti destinatæ caput peplis velabatur, teste Euripide (o). Ita casta Susanna κατακεκαλυμμένη sive velata comparet coram judicibus, quod tamen peplum lascivi illi hirci jubebant detrahi, ut pulcritudine ejus exsatiarentur. Carmen ferale apud Romanos notissimum. *I lictor, caput obnubito, infelici arbore suspendito.* Cicero (p) *Cives Romanos capitibus involutis ad necem rapiebat.* Confer Solerium (q). De Vitellii supplicio legi merentur Suetonius (r) & Casaubonus (s). Speciatim hoc obtigisse parricidis, antequam includerentur culeo, testis est Festus (t) ubi sic infit: *obvolvere, quod antiqui obnubere vocarunt; ob quam caussam legem quoque parentem jubere caput ejus obnubere, qui parentem necavisset.* Rationem facti suggerit Quintilianus (u) *Cujus statim ora oculosque à judicio lex jussit abduci, ne hunc jucundum cœli aspectum pollverent tetri oculi.* Interdum tamen in illustrium personarum supplicio observari solebat, ut nudo fuerint capite, quo ab omnibus dignosci possent. Nonnulla exempla adducit laudatus Casaubonus (x). Hodie Ulmæ illis qui gladio sunt puniendi, peplum ante faciem obducitur. In his terris vero oculi morti destinatorum fascia ligari solent. Id quod ideo fieri videtur, ne viso carnificis gladio, nimium terreantur, & proinde caput demittant. Gentiles autem capitis damnatos in supplicio ideo velasse putat Jo. Henr. Ursinus (y), ut indicarent, illis tum maxime cum Diis agendum esse, ad quos jamjam abirent ex hominum consuetudine.

§. XIII. Sed & illi, qui olim apud Gentiles Lupanaria intrabant, capita cucullo vel adducto pallio velare solebant. Quo de more multa Petronii interpretes Wowern. (z) Erhard. (*) *Ludices* (vestes) *à ludis, id est, theatris vocatas quidam existimant. Cum enim egrediebantur de ludi prostibulo juvenes, horum velamento tegebant caput & faciem: quia solebant erubescere, qui lupanar introissent.* Huc pertinet locus Petronii, quem neminem interpp. assecutum esse autumat Octavius Ferrarius (α). Is autem hic est: Anicula, quæ olus agreste vendebat, Encolpium errantem in lupanar produxit. *At subinde,* inquit, *ut in locum secretiorem pervenimus, centonem anus urbana rejecit, & heic, inquit debes habitare.* Rejectis igitur ceterorum interpp. expositionibus, rem ita illustrat. Anicula ipsa suum centonem, i. e. laceras vestes ac pannuceam mille plagis concisam rejecit, & uredine percita, se turpi palæstræ renudavit, ut formoso juvene, quem de industria in eum locum perduxerat, frueretur. Quod non ante fecit, quam in locum secretiorem duxerat, id est, in cellam meretriciam. Huic interpretationi ipse Petronius favet, quum mox subjiciat: Encolpium *cum tarde, immo jam pene sero intellexisset se in fornicem esse deductum, aniculæ insidias execratum operuisse caput, & extra lupanar fugere cœpisse.* Ita Tacitus de Nerone scribit (β) ipsum noctu percurrentem lupanaria atro pallio cum cucullione fuisse adopertum. Quo respexit Juvenalis (γ) Neronem sugillans sub Damasippi nomine.

—— —— Quo si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Nec aliter Capitolinus (δ); quippe ait: *Verum in tantum vitiorum Cajanorum & Neronianorum fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria obtecto capite, cucullione vulgari viatorio.* Id quod etiam de spurcissimo Alagabalo notavit Lampridius. Unde impudentiæ extremæ fuit inoperto capite luxuriari, aperto capite ire ad lenones, & fronte aperta se nequitiæ dare. vid. Jo. Henr. Ursinum (ε). Qua in re multi, qui Christianum nomen ementiuntur, ipsis gentilibus sunt pejores, quum nuda & impudica fronte lupanaria intrare non dubitent, rati, non esse nefas venerem cum ejuscemodi scortis exercere. Sed profecto in novissimo die ab ipsis ethnicis confundentur & damnabuntur.

§. XIV. Antequam huic capiti finem imponamus, velamina capitis mortuorum considerare libet. Nam mortuorum capita velata fuisse, S. Sacra testatur. Cum enim narratur resurrectio Lazari è sepulchro prodeuntis, dicitur (ζ) *fuisse ligatus pedes & manus fasciis, & facies ejus sudario obvincta.* Ex quo loco patet, Judæos suos mortuos fasciis involvisse; faciem vero sudario obtexisse. Nec aliter Moyses Ægyptius apud virum doctissimum Schikardum (η) *Abradunt*, inquiens, *pilos corporis, mox vestiunt involucris, candido filo lineo consutis, neque pretiosis solent sapientes adhibere sudarium, non plus denario constans, ne pudefaciant tenuiores, quibus est res angusta domi. Eadem causa tegunt faciem defuncti, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam plerumque sunt deformiores.* Quo pacto Servator noster fuerit sepultus, edocet nos illustris Salmasius (θ). ait enim ejus caput parvo linteo involutum fuisse, toto interim corpore fasciis religato à pedibus usque ad fauces instar infantis fasciis inclusi. Christi faciem obtectam fuisse sudario, ex Joanne (ι) colligimus. Hoc Christi Sudarium Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Vesontii, Cadonii, Lemovii in Lotharingia & Romæ in Vestalium aliquo Monasterio devote à plebe honoratur, ut docet liber de spoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum, qui exstat in lectionibus memorabilibus Wolfii (κ): rectene an secus ipsi Papicolæ viderint. Nolumus hac de re plura addere, quum Kirchman. & Jo. Andreas Quenstedt omnes fere ritus circa sepulturam veterum exposuerint. Quibus adde Anselmum Solerium (λ) & Chifletium (μ). Et hæc de velamine capitis virili pro re nata disserere visum est. Ab omnibus autem, quibus lucubratiunculas nostras cognoscere voluptas erit, petitum impetratumque volumus, ut, quæ parum plana videbuntur, aut minus plena instructaque, in pejorem partem ne rapiant. Nam exiguitas temporis & negotiorum multitudo obstiterunt, quo minus omnia exquisite exponere licitum fuerit. Quod si DEUS vitam concesserit, hoc argumentum limatius in lucem edere animus fert. Interibi Numini divino pro concessis viribus immortales solvimus grates.

(i) *c. 7. 8.* (k) *vol. 1. Anal. S. pag. 37.* (l) *l. 7. de B. I. c. 14.* (m) *in Biblioth. de capite.* (n) *Curt. l. 6. c. 9. n. 25.* (o) *in Hecuba.* (p) *orat. 7. in Verrem.* (q) *de pileo p. 20.* (r) *in Vitellio c. 17.* (s) *in notis p. 54.* (t) *l. 15. voce obvolvere.* (u) *declam. 298.* (x) *l. c.* (y) *vol. 1. Anal. S. p. 40.* (z) *p. 387.* (*) *in Symb. p. 547.* (α) *l. de re vest. c. 11. p. 37.*

(β) *l. 13. in Annal.* (γ) *Sat. 8.* (δ) *in Vero.* (ε) *vol. 1. Anal. 8.* (ζ) *Jo. 11. 44.* (η) *de jure regio Hebr. cap. 6.* (θ) *ap. Th. Barthol. de latere Christi aperto p. 377.* (ι) *c. 20: vers. 7.* (κ) *cent. 16. p. 233.* (λ) *de pileo sect. 17. p. 344. seqq.* (μ) *de linteis Christi sepulcr.*

M. DAN.

M. DAN. GRADE
DISSERTATIO
De Baptiſmo ſuper mortuis ad 1 Cor. XV: 29.

כל־מעשינו יהיו בשם שמים:

ΠΡΟΛΟΓΟΣ.

CElebravimus paucas ante hebdomadas ſolemnem illum Paſchatos Diem, quo in memoriam nobis mentemque revocavimus glorioſiſſimam Servatoris noſtri O. M. à mortuis Reſurrectionem: nec eam ſolum, verum noſtrorum etiam omnium, olim certo futuram. Sed quemadmodum DIVUS AURELIUS AUGUSTINUS, L. 16. contr. Fauſt. c. 29. *rectiſſime monuit, quod* mortuum eſſe Chriſtum pagani ac inimici ejus credant, reſurrexiſſe autem Chriſtum propria fides ſit Chriſtianorum: *ita mori quoque* Chriſtianos *pagani, vel homines* ἄθεοι καὶ ἄχελσοι *credunt, immo quotidie vident, reſurrecturos autem Chriſtianos eſſe, propria fides, vel, ut* TERTULL. Lib. de Reſurrect. Carnis *vocat, fiducia eſt Chriſtianorum, non nomine, ſed re ipſa talium. Quare* in nulla *etiam* re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentioſe contradicitur Fidei Chriſtianæ, ſicut de Carnis Reſurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiam Philoſophi gentium multa diſputaverunt, & immortalem eſſe animum humanum pluribus & multiplicibus libris conſcriptum memoriæ reliquerunt. Cum ventum fuerit ad Reſurrectionem carnis, non titubant, ſed apertiſſime contradicunt, & contradictio eorum talis eſt, ut dicant, fieri non poſſe, ut caro iſta terrena poſſit in cœlum aſcendere. *vid.* AUGUST. Comm. in Pſal. 88. *Unde non incommode hanc* Fidem *appellamus* σημεῖον ἀντιλεγόμενον, *i. e.* Signum contradictionis, *cui omnibus temporibus vehementer fuit contradictum. Contradixit huic* Fidei *impius ille fratricida* Cainus, *de quo* TARGUM HIEROSOLYMITANUM in c. 4. Gen. *prodit, quod collocutus cum Abele in hæc impia eruperit verba:* לית דין ולית דין ולית עלם אוחרן ולא למתן אגר טב לצדיקיא ולא לאתפרע מן רשיעיא: *vid.* Biblia Buxtorffiana. *Quæ ſic vertit* HORNIUS in Hiſt. Eccl. p. m. 7. Non eſt Judicium, nec eſt Judex, nec Seculum aliud, quo aut merces tribuenda ſit juſtis, aut vindicta de impiis ſumenda. *Contradixit huic ſigno* Eſavus, *de quo in eadem paraphraſi Hieroſolymitana hæc leguntur:* וכפר בתחית מיתיא Et negavit Reſurrectionem mortuorum. *conf.* BUXTORF. Lex. Talm. p. 746. *Contradixerunt, ut plures non adducam, etiam* Sadducæi, *docentes:* שתשכר והעונש הוא גשמי בלבד ובעולם הזה: prœmium & pœnam non alia eſſe, quam corporalia, atque hujus mundi. *conf.* HOTTINGERI Faſcic. Diſſp. Theologico-Philol. p. 13. *Notum hoc hominum genus eſt ex* Matth. 22: 23. *&* Act. 23: 8. *conf. quoque* HOTTING. Theſaur. Philolog. p. 35. *it. Max. Rev.* DN. D. PFEIFFERI Ματαιολ. Jud. Exerc. IV. de Trihæreſ. Jud. Aſſert. IV. th. 2. *Idem, quod Eccleſia V. T. in Doctrina de Reſurrectione habuit fatum, experta etiam eſt Eccleſia N. Fœderis, à contradicentibus Paganis pariter, ac Chriſtianis. Ut prætereeam paganum illum Romanorum Eparchum* Feſtum, *quod de* Act. 26: 24. *Ut taceam quoque* Hymenæum *&* Philetum, *de quibus* 2 Tim. 2: 18. *Conſtat abunde ex* 1 Cor. 15. *temporibus Pauli multos in* Eccleſia Corinthiaca *repertos fuiſſe* Chriſtianos, *de Reſurrectione mortuorum dubitantes. Quos vero Tarſenſis Apoſtolus validiſſimis refutavit argumentis, petitis cum à* Reſurrectione CHRISTI, Clave illa Sepulcrorum noſtrorum, & Pignore noſtræ Reſurrectionis, *ut loqui amat* TERTULL. Lib. de Reſurrect. Carn. *tum etiam à* pio quodam ac laudabili Ritu, eo tempore apud ipſos frequentato. *Animus jam fert,* RITUM *huncce paucis evolvere, & in noſtræ memoriam Reſurrectionis, & in aliquam Textus Paulini illuſtrationem. Faxit Divinum Numen, ut hi qualeſcunque Philologicorum Studiorum Conatus ſuccedant* FELICITER!

Pſal. 118: 25.

אנא־יהוה הושיעה־נא:
אנא־יהוה הצליחה־נא:

Sequitur ergo

I. TEXTUS AUTHENTICUS

1 Cor. 15: 29.

Ex Editione ISAACI CASAUBONI 1587.

Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *vel ut alia habet Lectio,* ὑπὲρ αὐτῶν;

Cui ſubnectimus

II. VERSIONES.

1. Syriacam,

ואלא מנא נעברון הנון דעמדין חלף מיתא אן מיתא לא קימין מנא עמדין חלף מיתא:

2. Vulgatam,

Cum Emendatione ANDR. OSIANDRI.

Alioquin quid facient, qui baptizantur pro (OS. *ſuper*) mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis? (OS. *ſuper mortuis?*)

3. Eraſmi Roterodami,

Primam ab A. 1516.

Alioqui quid facient ii, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? *Cetera omiſſa ſunt.*

4.* Veterem,

Ap. ERASM. SCHMIDIUM in Op. poſth. p. 1099.

Alioqui quid facient, qui ablutione utuntur ſuper mortuis, ſi omnino mortui non excitantur? Cur ablutione utuntur ſuper mortuis?

5. Novam,

Ipſius SCHMIDII l. c.

Alioqui quid facient, qui baptizantur tanquam mortui, ſi omnino mortui non reſurgunt? Cur igitur baptizantur tanquam mortui?

6. Germanicam
B. LUTHERI.

Was machen sonst/ die sich täuffen lassen über den Todten/ so allerdinge die Todten nicht aufferstehen? Was lassen sie sich täuffen über den Todten?

Ἐξήγημα.
§. I.

VExatissimum est, quod in præsenti tractamus, Dictum, ut non inepte judicarit doctissimus HEINSIUS *in Exerc. Sacr. ad N. T. p. 406. alium vix extare locum, ad quem penetrandum plus ingenii ac eruditionis summi contulerunt Viri.* Jam enim disquirunt de τοῖς βαπτιζομένοις, jam de particula ὑπὲρ, jam de tota phrasi, βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν &c. quanquam tanto forsan opus molimine non fuit, siquidem vocibus modo singulis probe inspectis ac percognitis, res ipsa evadit satis clara. Ne vero nos hocce in negotio ἀμεθόδως versari videamur, lubet RITUM ADMINISTRANDI SUPER MORTUIS BAPTISMUM evoluturis, pensitare tria sequentia Membra, nempe I. *Baptismum ipsum.* II. *Baptismi super mortuis administrationem.* III. *Baptismi super mortuis administrati scopum.*

MEMBRUM I.

§. II. Baptismi nomen est πολύσημον, propriis, & impropriis substans significationibus. Opus vero non est, ut hoc loco cum BELLARM. *L. 1. de Purgator. c. 6. loc. 3.* statuamus, Apostolum argumentari à Ritu Judæorum, qui *baptizabantur*, h. e. ut ille torquet, qui *jejunabant pro mortuis.* Etenim tale Jejunium apud Judæos non fuit usitatum, ceu docet R. MOSES BEN-MAJEMON in הלכות תעניות *C. 2. §. 1.* ubi has affert Jejunii Judaici species, scribens: אילו הן הצרות של ציבור שמתענין ומתריעין עליהן על הצרת שונאי ישראל לישראל ועל החרב ועל הדבר יעל היה רעה ועל הארבה ועל החסיל ועל השרפון ועל הירקון ועל המפולת ועל החלאים ועל המזונות ועל המטר: i. e. vertente JOH. BENEDICTO CARPZOVIO, *p. 10. sq. Hæ sunt angustiæ illæ totius populi, propter quas omnes jejunant ac clangunt: propter afflictionem, qua Israëlitarum inimici Israëlitas afficiunt, propter gladium, propter pestem, propter bestiam malam, propter locustam, propter bruchum, propter adustionem segetum, propter rubiginem, propter ruinam, propter morbos, propter alimentum, ac denique propter pluviam.* Sed nihil de Jejunio pro mortuis.

§. III. Majorem speciem Illorum habet sententia, qui de *Baptismo Sanguinis*, seu *Martyrio* sermonem Apostolo esse autumant. Quos inter referimus *Doctissimam Batavam, Virginem Gente & Mente Nobilissimam*, ANNAM MARIAM à SCHURMANN. Quæ cum in Opusculis suis, Trajecti 1652. simul editis, *maluerit aliorum exemplo propriam dicere sententiam, quam alienæ suffragium suum commodare*, placet quoque propria ipsius verba heic adscribere. *Illud*, ait in Epistola ad JACOB. LYDIUM perscripta, p. 96. sq. *inprimis hic tenendum existimo, Apostolum ad probandam Resurrectionem mortuorum gravissimis uti argumentis, quorum singula urgeat acriter, nec non singulis pro pondere cujusque immoretur. Postquam igitur argumentatus est à statu exaltationis Christi, putamus eum commoda transitione descendere ad statum humiliationis Ministrorum ejus: qui, dum propagandis Ecclesiis perpetuo invigilarent, maximis ea tempestate persecutionibus & calamitatibus obruebantur, ut hæc miserrima Apostolorum conditio graphice describitur* 1 Cor. 4: 9. *Nec parum huic connexioni favere videtur particula* ἐπεὶ, *quæ non nisi relate ad antecedentia hic sumi potest. Est autem in his verbis:* Τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *ejusmodi deductio ad absurdum: Si mortui non resurgunt, frustra tot tantosque labores subeunt perferuntque pro mortuis,* i. e. *pro fidelibus, quos sic appellat juxta ipsam Corinthiorum sententiam, quo aliud inde absurdum possit elicere, ut mox pluribus dicemus. Consequentia optima est; quoniam nulla foret harum perpessionum retributio, nulla spes gloriationis in die seu adventu Christi: cujus gratia alias tantopere delectatur Apostolus* Philipp. 2: 16. & 2 Cor. 1: 14. & 4: 14. *Atqui hoc absurdum. E. & antecedens.*

§. IV. Et post pauca *p. 98. seq. Reliquum est*, scribit, *ut ostendamus, huic expositioni neque analogiam fidei, neque phraseologiam Scripturæ, neque ipsum denique contextum adversari. Primum ad verba* οἱ βαπτιζόμενοι, & βαπτίζονται, *quod attinet, satis obvium est, ea per Metaphoram pro gravissimis afflictionibus usurpari*, Matth. 20. 22. & Luc. 12: 50. *Nec desiderari hic poterit verbale* βάπτισμα, *quod alias adjici solet; quia ex more linguæ sanctæ Ellipsis quandoque est nominis conjugati; quod & præter alios observat sapiens Aben Esra ad* Ps. 13: 4. *ubi sic inquit:* השמות בכח הפעלים h. e. Nomina continentur potentia in verbis. *Verba enim Textus sic habent:* פן־אישן המות *pro* שנת המות/ *quemadmodum eadem phrasis integra occurrit* Jer. 51: 49. *Est & frequens hæc translatio in S. Literis, præsertim in V. T. ut scil. per aquas & demersiones, hostes, eorumque persecutiones, pathetice designentur, ut videre est* Ps. 124. Thren. 3: 54. Apoc. 12. *itemque* Ps. 69. *Ubi Sal. Jarchi vs. 2. exponit* מים *per* האומה/ & *Chaldæus sic* περιφράζει: טמעית בגלותה הין במיא דמצולתא: i. e. Demersus sum tanquam in aquam profunditatis. *Nec non vs. 15.* פצא יתי מין גלותא דמתילא לטינא ולא אטמוע אחסצי מן סנאי ודמין לעומקי מוי: *quæ sic vertere liceat*: libera me à captivitate, quæ similis est luto, ut non submergar: redime me ab osoribus meis, qui similes profunditatibus aquarum.

§. V. Hactenus SCHURMANNIA, erudite quidem ad Dictum nostrum commentata, sed mentem Pauli nondum satis assecuta est. Nos extra controversiam ponimus, Apostolum ad probandam mortuorum Resurrectionem gravissimis uti argumentis, qualia sunt, quæ petit v. g. ab *ipsa Christi Resurrectione* 1 Cor. 15: 12, 13. nec non à *Prædicationis inanitate, Fideique vanitate*, vs. 14: 17. &c. Præterea non inficiamur, Apostolum à statu exaltationis Christi commoda transitione descendere ad statum humiliationis Ministrorum ejus. Sed in eo tota rei cardo versatur: *An hæc ipsa Ministrorum humiliatio in nostro, de quo disputamus, Textu describatur?* Id quod negamus, ob duas hasce rationes, (1) quia *in versiculis demum sequentibus* 30. 31, 32. Paulus Apostolorum, Suique ipsius, conditionem graphice depingit, inquiens: Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν. Καθ᾽ ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; (2) quia sic commisisset Apostolus ταυτολογίαν, dum primum verbis usus *impropriis*, ac deinceps *propriis*, *unam* tamen *eandemque rem* descripsit. Quod attinet *particulam* ἐπεὶ, *alioquin*, in verbis: Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι: referenda quidem illa est ad antecedentia, nimirum non *proxime*, sed *remote* antecedentia, vs. 23. Reliqua enim, quæ à vs. 24. usque ad 28. leguntur, sunt quasi παρένθετα.

§. VI. De eo etiam non quæritur: quid verbum βαπτίζεσθαι *significare possit*; sed quid h. l. *significet*. Concedimus, insolitum sacro Codici non esse, ut martyria, gravissimasque piorum afflictiones, nonnunquam μεταφορικῶς Baptismum appellitet, v. g. *Matth.* 20: 22. ubi Christus ad filios Zebedæi: δύνασθε τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι, *potestis baptismate, quo ego baptizor baptizari*, **Könnet ihr wohl so heiß Baden als ich?** Et *Luc.* 12: 50. Salvator de se ipso inquit: βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, *necesse habeo prius Baptismo baptizari*, **Ich habe noch ein heis Bad vor mir.** Sed quilibet videt, has locutiones esse proverbiales, & contextus συνάφειαν longe aliud suadere ap. Matth. & Luc. quam in dicto nostro Paulino. Nisi igitur præter necessitatem verba Apostoli in alienum torquere sensum velimus, à propria verbi βαπτίζεσθαι significatione temere discedendum non est. *Verba* enim *Scripturæ semper sunt accipienda proprie, nisi vel Textus cohærentia, vel clarior explicatio, vel fidei analogia tropicam expositionem requirant.* v. GLASS. Phil. S. L. II. P. I. Tr. II. Sect. I. Art. IV.

§. VII. Sed nec propria acceptio τοῦ βαπτίζεσθαι omni caret ὁμωνυμίᾳ. Generaliter enim *quamvis immersionem, lavandi vel abluendi causa susceptam*, denotat. Quales βαπτισμοὶ in V. etiam T. frequentissimi fuerunt: quos inter טבילת גרים s. βαπτισμὸς προσηλύτων celebris. Unde factum puto, quod *Celeberrimus* LIGHTFOOTUS *in Hor. Hebr. sup. Matth.* 3. novam excogitarit sententiam, Baptismum scilicet in N. T. non cœpisse, sed in V. jam T. fuisse usitatum. Nam p. 43. sq. collationem instituit inter *Baptismum Proselytorum*, cujus primam institutionem *Jacobo Patriarchæ* adscribit ex *Gen.* 35: 2. p. 41. & inter *Sacramentum Initiationis Christianorum.* Quæ duo tamen longe sunt ab invicem distinctissima. Quamvis enim in V. T. גרים/ s. *Proselyti* initiarentur non tantum במילה/ *Circumcisione*, & קרבן/ *Sacrificio*, verum etiam בטבילה/ *Baptismo, in præsentia trium testium administrato*, vid. Buxtorf. Lex. Talmud. p. 407. HOTTING. Thes. Phil. p. 17. LEUSDEN. Philol. Ebræo-Mixt. Disp. XXI. de Proselytis, PFEIFFER. Antiquit. Ebr. p. 5. *Baptismus* tamen non erat Sacramentum, sed purus putus populi Judaici Ritus; siquidem unum saltim habebant initiationis Sacramentum, videl. מילה/ s. *Circumcisionem*, quæ expresse vocatur ברית/ *Fœdus*, *Gen.* 17: 10. *sqq.* Enimvero *Baptismus N. T.* non est ἀπόθεσις τοῦ σαρκὸς ῥύπου, *ablutio sordium corporis*, 1 Petr. 3: 21. sed immersio in aquam juxta

DEI

DEI sanctionem; nec est nudus RITUS, aut Symbolum, quo à Gentibus (sicut Proselyti) distinguimur, sed συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν, 1 *Petr.* 3: 21. sive Sacramentum, quo in Fœdus DEI recipimur, atque in gremium Ecclesiæ insinuamur.

§. VIII. Usurpatur etiam Verbum βαπτίζεσθαι in N. T. de נטילות ידים / *s. lotionibus manuum*, quas נטילות distinguere solent à טבילות / *s. lotionibus totius corporis.* Sic v. g. *Marc.* 7: 4. de Pharisæis legitur, quod à foro redeuntes, non comederint, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, *nisi baptizati fuerint*, i. e. nisi manus abluerint. Ideo miratus est Pharisæus quidam, quod Christus οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου, *non prius baptizatus fuisset ante prandium*, i. e. quod prandium sumeret illotis manibus. Habebant enim Traditionem, quæ affertur in Talmude, Sota *fol. IV.* 2. כל האוכל לחם בלא נטילת ידים כאלו בא על אשה זונה שנאמר כי בעד אשה זונה: i. e. *Quicunque comedit Panem absque lotione manuum, perinde est, ac si rem haberet cum muliere meretrice, sicut dicitur: Propter mulierem meretricem &c. Prov.* 6: 26. item: כל המזלזל נטילת ידים נעקר מן העולם: i. e. *Quicunque vilipendit lotionem manuum exstirpatur ex hoc mundo.* Conf. BUXTORF. Lexic. Talm. *fol.* 1335. Quid quod *res* etiam *inanimatæ* dicantur βαπτίζεσθαι. Hinc βαπτισμοὶ ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν, *baptismi s. lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum.* Marc. 7: 4.

§. IX. Generalem hanc significationem hic mittimus. Neque enim Apostolo in mentem venerunt lotiones istius modi vulgares, ac profanæ. AUCTOR nihilominus *veteris* apud ERASM. SCHMIDIUM *versionis* intelligit *ablutionem emortualem*, qua nempe hominum corpora, antequam terræ mandantur, affici solent. Quod ut plausibile reddat THEODORUS BEZA, illustrat exemplo Tabithæ defunctæ, atque ante humationem lotæ, *Actor.* 9: 37. Rectissime vero monet B. SCHMIDIUS in Animadversi. ad N. T. *f.* 1098. *ibi non esse* βαπτιζόμενοι, *sed* λούσαντες, *&* τὸ ὑπὲρ *plane ibi non haberi; neque* βαπτίζομαι *active usurpari, s. in passiva, s. in media* διαθέσει, *sed semper passive.* Nec satis firmum validumque foret argumentum, judice HEINSIO in Exercit. S. p. 406. *Mortui lavantur à quibusdam, E. qui hos lavant, Resurrectionem credunt, aut in Resurrectionis spem id faciunt, cum à pluribus, qui tale nihil crederent, id fieret.* Plus igitur importat illud à Græcis acceptum verbum Baptizo, quam Latinum *lavo, abluo*, quod præter Auctorem Veteris Versionis SEBASTIANO etiam CASTELLIONI arrisit: da doch solch Baderlatein geistlose Versiones gebe/ ut loquitur laudatus SCHMIDIUS ad *Matth.* 3: 7. *p.* 52. Quare & Megalander noster LUTHERUS non vertit per τὸ baden oder abwaschen/ sed per τὸ täuffen. Non enim hic de ablutione sordium corporis agitur, ist nicht ums Baden und Abwaschen zu thun/ ajente SCHMIDIO *p.* 50. sed divinius quiddam hic subest. Adeoque *Sensu magis speciali atque Ecclesiastico* per τοὺς βαπτιζομένους, de quibus Paulus, eos intelligimus, qui Baptismi Sacramento initiati in Christianæ gremium Ecclesiæ recepti fuerunt, sive è Christianis liberi infantes, sive è Paganismo ad Christianam Religionem conversis κατηχούμενοι, adultique προσήλυτοι.

MEMBRUM II.

§. X. Nunc parum quidem interest, quo in Loco, quibusve Ritibus administretur Baptismus, cum efficaciæ hujus Sacramenti nihil derogent circumstantia Loci, & Ritus: mos tamen in primitiva Ecclesia quondam obtinuit, ut Baptismus administratus fuerit ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *super mortuis*, dicente Apostolo. Maxima hic difficultas oritur ex præpositione ὑπὲρ, quæ cum Genitivo constructa XVI. substat significationibus, adductis atque illustratis à B. SCHMIDIO ad h. l. *f.* 1098. *sq.* Nos potiores, atque in S. Scriptura fundatas, omissis ceteris profanis acceptionibus, recensebimus. (1) Significat PRO, in COMMODUM, vel *defensive* ut *Rom.* 8: 31. εἰ ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν, si DEUS *pro* nobis, quis contra nos; vel *votive*, ut *Matth.* 5: 44. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, orate *pro* illis, qui lædunt vos. (2) JUXTA, ut *Phil.* 2: 13. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, DEUS est, qui operatur in vobis, velle & perficere, *juxta* beneplacitum. (3) VICE, Loco: sic *Joh.* 11: 50. συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, expedit nobis, ut unus homo moriatur *loco* totius populi. Sic Paulus ad *Philem. vs.* 13. ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι, ut tui *loco* serviret mihi. (4) DE, ut *Rom.* 15: 9. τὰ δὲ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάσαι τὸν Θεόν, ut gentes *de* misericordia glorificent DEUM. (5) PER, 2. *Thess.* 2: 1. Ἐρωτῶμεν ὑμᾶς ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Rogamus vos *per* Adventum Domini nostri Jesu Christi. (6) PRO, *compensative*, ut 1 *Cor.* 10: 30. εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ εὐχαριστῶ, quod si ego cum gratia participo, cur ob id mihi maledicitur, *pro* quo ego gratias ago. (7) AD, *Joh.* 11: 4. αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, hæc infirmitas non est ad mortem, sed *ad* Gloriam DEI. Ubi ὑπὲρ & πρὸς, quasi παραλλήλως ponuntur. Consule quoque *Lexicon Pasorianum* in Dictione ὑπὲρ.

§. XI. Ex tanta significationum copia VULGATO, & ERASMO ROTERODAMO, arrisit prima illa, denotans *pro*, vel *in commodum*; qua etiam vehementer delectantur *Papicolæ*, stabiliri hoc loco animarum, à corpore separatarum, Purgatorium existimantes. PETRUS enim CLUNIACENSIS expresse apud BELLARM. *Lib. I. de Purgat. c.* 6. docet, *mortuorum quorundam animas vivorum suffragiis juvari*, quod PRO *iis aliqui baptizentur, i. e. affligant se precibus, jejuniis, fletibus, vigiliis, &c.* Et FEVARDENTIUS *Lib. XI. Theomach.* affirmare audet, *susceptionem talis Lavacri mortuis fuisse utilem & salutarem.* Quod, tanquam à foro nostro alienum, Theologis relinquimus discutiendum. Vide interea *accuratissimas* PRUCKNERI *Vindicias Biblicas Part. V. f.* 418, 419. HIERONYMUS vero EMSERUS, itidem Pontificius, in Germanica sua Bibliorum Versione τὸ ὑπὲρ transtulit per τὸ als für: Was machen sonst/ die sich täuffen lassen/ als für Todten. Cui adstipulatur B. SCHMIDIUS, in Latino idiomate vertens *tanquam mortui*, gleich als wären sie schon todt/ und der Welt abgestorben; putatque Cl. Philologus, hanc suam sententiam fundari cum *Rom.* 6: 3, 4. *Col.* 2: 12. tum in Syriaca μεταφράσει, ubi extat חלף מיתא / *vice mortuorum*, vel *tanquam mortui*, quasi in Græco esset τὸ ἀντὶ, vid. *Ejus* Animadv. *f.* 1097. *b.* & 1098. *b.* *Eruditissima Batava*, SCHURMANNIA, in Epistola supra citata *p.* 99. τὸ ὑπὲρ interpretatur PROPTER. *In hac*, inquit, *significatione sæpissime sumitur vocula* ὑπὲρ, *ut* 2 Cor. 1: 6. Eph. 3: 13. *aliisque locis fere innumeris.* Putamus vero, B. nostrum LUTHERUM non incommode verba Paulina accepisse *localiter*: Was machen sonst/ die sich täuffen lassen über den Todten. Ut adeo particula simplex ὑπὲρ, ex qua Latinum *super* factum, teste AGELLIO *l.* 13. *c.* 9. idem hoc loco significet, quod composita ὑπεράνω, *supra*, oben drüber/ quæ legitur *Heb.* 9: 5. Simplices enim dictiones nonnunquam usurpantur pro compositis, & vice versa.

§. XII. Suadet hanc ultimam expositionem subsequens nomen τῶν νεκρῶν, per quos νεκροὺς intelligi debent *mortua corpora*, etiamsi BELLARMINUS *L. I. de Purgat. c.* 6. *loc.* 3. objiciat: σώματα, *seu corpora, esse Gen. Neutr.* νεκροὶ *vero, seu mortui, Gen. Mascul.* Sciunt enim οἱ τῶν γραμματικῶν παῖδες, in masculino genere τὸν νεκρὸν denotare *cadaver*, seu *corpus emortuum.* Sic LXX. *Metaphrastæ* Ebræum מת / ejusdem notionis, reddiderunt in Masc. Gen. τὸν νεκρὸν, v. g. *Gen.* 23: *vs.* 3. ויקם אברהם מעל פני מתו / *Et surrexit Abraham à conspectu mortui sui*, LXX. τοῦ νεκροῦ. Nam τὸ מתו / *mortui sui*, est Epitheton corporis, הכנוי על הגוף / ceu observat R. SAL. BEN-MELECH, in Michl. Jophi, *fol.* 8. *b.* Eodem *c.* 23: *vers.* 4. legitur: ואקברה מתי / *Ut sepeliam mortuum meum*, LXX. τὸν νεκρόν μου, in *Masculino Genere*, cum tamen de *Fœmina* sermo esset. Conf. PRUCKNERI *Vindic. Bibl. P. V. f.* 419. *a.* Sicque adeo Ebræum מת / & Græcum νεκρὸς, stylo Biblico, pro *Cadavere, seu corpore mortuo*, accipimus.

§. XIII. Dissentit hic iterum *Nobilissima* SCHURMANNIA, dum per τοὺς νεκροὺς intelligit non mortuos, sed *Ecclesiam & Electos.* Placet propria *Virginis* verba, cum integra Ejusdem Opuscula ob defectum exemplarium non terantur omnium manibus, adscribere. Sic vero illa in Epist. jam supra citata, *p.* 99. *seq.* *Sequitur* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *quod jam interpretati sumus*, Propter Ecclesiam, *seu* Electorum causa. *In hac significatione sæpissime sumitur vocula* ὑπὲρ, *ut* 2 Cor. 1: 6. Eph. c. 3: 13. *aliisque locis fere innumeris. Electos vero vocat* mortuos, *per Ironiam scilicet, quia juxta erroneam adversariorum opinionem pro mortuis revera erant habendi. Nec ab ejusmodi figura abludunt iterata hæc verba:* Τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *quasi ingeminaret: Quis velit tanta facere aut pati pro mortuis. Quid autem vetat eos appellare mortuos, qui nunquam sunt resurrecturi; cum Christus viventes dicat* ABRAHAM, ISAAC *&* JACOB, *eo quod aliquando sint certo revicturi.* Matth. 22. *Accedit, quod subjectum principale hujus capitis sunt* mortui; *prædicatum autem, eos esse resurrecturos. Quocirca insolens videri non debet, hanc dictionem* τῶν νεκρῶν *hic quoque retineri. Præterea articulus* τῶν, *cujus rationem haberi volunt Viri doctissimi, optime huic expositioni respondet. Aliud enim est* νεκρῶν, *qua voce intelliguntur quivis mortui; aliud* τῶν νεκρῶν, *quod de certis quibusdam mortuis accipi solet.*

§. XIV. Sed longius hæc petita esse, quis non videt? Durum est, & sacris paginis peregrinum, *Ecclesiam*, nempe militantem illam in terris, sive *Electos* in Ecclesia, vocari νεκροὺς, *mortuos*. Ais: *per Ironiam*. Sed quare hoc? Num juxta erroneam opinionem Adversariorum, qui Electos pro mortuis revera habebant? At quomodo ex hac erronea opinione, falsaque hypothesi, convincere eos posset Apostolus, ut crederent, mortuos aliquando certo esse resurrecturos? Infers: *ideo quod pro Electis aliqui baptizentur*, i. e. *martyrium patiantur*! At hæc significatio huic loco est inconveniens, prout ostensum ivimus §. V. Subjectum quidem principale hujus capitis sunt οἱ νεκροὶ *mortui*. Non autem sequitur. E. sunt Ecclesia, vel Electi in Ecclesia. *A propria* enim *vocis cujuscunque Biblicæ significatione non facile est recedendum*. At vero νεκρὸς denotat hominem quemcunque mortuum, seu Electum, seu non-Electum, seu pium, seu impium. Non enim respicit *personæ qualitatem ac conditionem*; sed tantum *animæ & corporis ab invicem dissolutionem*, λύσιν ἢ χωρισμὸν ἀπὸ τοῦ σώματος, ut SOCRATES apud PLATONEM in *Phæd.* mortem definit. Et si quid dandum foret Articulo Græcorum præpositivo τῶν, quem inprimis urget magnus SCALIGER, vid. HEINS. *Exerc. S. p.* 407. diceremus: Apostolum non quosvis quidem homines, sed pios, fideles, atque electos Christianos, innuere; verum non vivos, aut in Ecclesia militante adhuc degentes, sed mortuos ac sepultos, quoad corpus nempe, cetera in Domino dormientes, quiescentesque. Quamvis *Articulis* non semper insit quædam ἔμφασις.

§. XV. Optima igitur, ut mihi equidem videtur, Sententia *Illorum* est, qui *à Veteri quodam Ecclesiæ primæ Apostolicæ, adeoque & Corinthiacæ, Ritu, argumentari Gentium Doctorem* statuunt. Qui *Ritus* in eo consistebat, quod Baptismum pii quidam Christiani administrare solebant ὑπὲρ τῶν νεκρῶν i. e. ὑπὲρ τάφων τῶν νεκρῶν, *super mortuorum Sepulcretis in Cœmeteriis.* Etenim οἱ νεκροὶ, *mortui*, quandoque per Meton. contenti pro continente, idem sunt, quod οἱ τάφοι τῶν νεκρῶν, *Sepulcra mortuorum*, ceu patet ex *Luc.* 24: 5. ubi Angeli ad Mulierum Trigam: τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν, *Quid inter mortuos quæritis eum, qui vivit? Per* τοὺς νεκροὺς *autem Metonymice Locum mortuorum, h. e. Sepulcrum intelligi* aperte asserit sæpius laudatus SCHMIDIUS *in Animadv. f.* 632. Nonnulli tamen è Patribus v. g. TERTULL. *Lib. V.* contra Marcion. *c.* 10.) censent, Paulum ad *Ritum Marcionitarum* respexisse. Qui vivum aliquem sub lectulo hominis, absque Baptismo defuncti, abscondere soliti sunt, mortuumque interrogare: an baptizari velit. Tum respondens sub lectulo absconditus: Velle; mox ille pro mortuo baptizabatur, in Resurrectionis certitudinem. Sed verisimile non est, Apostolum ad hunc vicarium *Marcionitarum* Baptismum respexisse; etiamsi Patres dicant, *Ritum* illum in Resurrectionis certitudinem ab illis fuisse institutum, adeoque Paulum non approbasse quidem hunc *Ritum*, interim tamen illius *finem* intendisse. Temporibus enim Apostoli Pauli nondum extitit *Marcionitarum* hæresis, sed cœpit demum Seculo post natum Christum II. ideoque ad improbandum illorum *Ritum* respicere minime potuit. Conf. B. BALDUINI *Comm. in Epistolas Paulinas P. II. qu.* 5. *f.* 854. *seq.* & SCHMIDII *Animadv. f.* 1098. *a.* Convenientius igitur est dicere, Apostolum respexisse ad *Ritum Christianorum*, in Ecclesia orthodoxa frequentatum, quo vivos baptizabant, non *pro* mortuis, i. e. *loco* vel *vice* mortuorum, an statt der Verstorbenen/ sed *super* mortuis, i. e. *sepulcris*, über den Todten-Gräbern.

MEMBRUM III.

§. XVI. IDque *ad testificandam de Mortuorum Resurrectione Fidem.* Qui *Scopus* erat Baptismi hujus, super mortuis administrati; ceu innuit Paulus per verbum ἐγείρονται, quærens ex Corinthiis: ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; *Alioqui quid facient, qui baptizantur super mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Ad quæ LUTHERI Glossa sic habet: Die Aufferstehung zu bestärcken liessen sich die Christen täuffen über den Todten-Gräbern/ und deuteten auf dieselbigen/ daß eben dieselbigen würden aufferstehen. Cum itaque ex Corinthiis nonnulli ἀνάστασιν νεκρῶν negarent, *vid. vers.* 12. *cap.* 15. *Epist. ad Corinth.* convincit eos Apostolus ex propria ὑποθέσει, argumentum nectens ac stringens κατ᾽ ἄνθρωπον hunc forte in modum: *Si nulla est Mortuorum Resurrectio, inanis ac plane irritus erit Ritus vester, quo conversos è Paganismo super mortuorum sepulcris baptizatis. At vos minime illum putatis inanem. Ergo de Mortuorum Resurrectione frustra dubitatis. Ergo non negabitis, quoniam* εἰς τὸν θάνατον τοῦ χριστοῦ, in mortem Christi, *baptizamur*, Rom. 6: 3. *Vos Baptismum ideo administrare super mortuis, ut ipso hoc Ritu certam Resurrectionis spem, fidem, ac memoriam baptizandis, præsertim adultis, inculcare eo magis possetis.* Refert insuper D. CHRYSOSTOMUS, Christianos in primitiva Ecclesia neminem ex κατηχουμένοις ad Baptismi susceptionem admisisse, nisi *edita prius de Resurrectione mortuorum Confessione.* Et CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS commemorat, triplici illa in aquam immersione *triduanam Christi Sepulturam* τοῖς κατηχουμένοις baptizandis olim fuisse in mentem revocatam. Ἐρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύοι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. Καὶ ὡμολογήσατε τὴν σωτήριον ὁμολογίαν. Καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε. Καὶ ἐνταῦθα διὰ συμβόλου, τὴν τριήμερον τοῦ χριστοῦ αἰνιττόμενοι ταφήν. Καθάπερ γὰρ ὁ σωτὴρ ἡμῶν τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς γῆς ἐποίησεν, οὕτω καὶ ὑμεῖς ἐν τῇ πρώτῃ ἀναδύσει τὴν πρώτην ἐμιμεῖσθε τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ γῇ ἡμέραν, καὶ τῇ καταδύσει τὴν νύκτα. Ὥσπερ γὰρ ὁ ἐν νυκτὶ οὐκέτι βλέπει, ὁ δὲ ἐν ἡμέρᾳ ἐν φωτὶ διάγει. οὕτως ἐν τῇ καταδύσει, ὡς ἐν νυκτὶ, οὐδὲν ἑωρᾶτε· ἐν δὲ ἀναδύσει πάλιν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἐτυγχάνετε ὄντες, i. e. interprete HEINSIO: *Rogabatur quisque, utrumne in nomen Patris, Filii, credat, ac Spiritus Sancti: confessusque salutarem confessionem est. Mersique ter in aqua, iterum emersistis: quo iterum Symbolo triduanam Christi significastis Sepulturam. Ut Servator enim noster dies tres, noctesque totidem in ventre egit terræ, ita & vos prima in emersione primam Christi, quam in terra egit, imitati estis diem, mersione autem, noctem. Quemadmodum enim, qui in nocte versatur, amplius non videt; qui in die autem est, in luce agit: haud secus in mersione, tanquam in nocte, nihil videbatis, in emersione autem, quasi in ipsa die eratis.* Irrita fuissent hæc omnia, si futuram non sperassent ac credidissent Mortuorum Resuscitationem.

§. XVII. Quid quod credibile ac probabile sit, pios Christianos ad Sepulcreta in Cœmeteriis ideo adduxisse *Suos*, ut hi pie defunctorum, super quorum tumulis baptizandi essent, suscitarent nomen, adeoque & *Infantibus suis* præprimis, τῶν νεκρῶν, quos alias μακαρίους, seu *beatos* salutamus, Nomina spe æternitatis imposuisse. Sic sensus dicti Apostolici emergeret talis: *Quid illis fiet, aut quid respondebunt, si de Resurrectione dubitant, nec eam credunt, qui in mortuorum suos vel baptizant memoriam, vel baptizantur? Resurrectionem enim si non credunt, quare mortuos considerant ut vivos, cum eorum nomina infantibus, aut aliis imponant, aut imponi sibi patiantur. Nam ut DEUS non est mortuorum, ita neque Resurrectio est mortuorum. Et si nulla Resurrectio speratur, ne post vitam quidem vita altera speratur. Quod si verum est, quid tandem spectant illi, qui vel Sanctos, vel Amicos, ita celebrant, memoriamque eorum colunt, ut pro iis* (ὑπὲρ αὐτῶν) *baptizentur, ac baptizent.* Vide doctissimi HEINSII *Exercitationes Sacras* ad *h. l.* Hinc quoque factum, ut *Veteres Christiani*, quia Mortuorum credidere Resurrectionem, Loca condendis sepeliendisve defunctorum corporibus destinata, voce fidei plenissima appellarint κοιμητήρια, *Dormitoria*, quod nempe DEUS *tanta facilitate possit mortuos ad vitam revocare, quanta potest quilibet nostrum excitare dormientem*, ut loquitur PERERIUS in *c.* 1. *Gen. vs.* 13. Confer & CHRYSOSTOMUM *T. V. Opp. Hom. XXCI. p.* 593. Et *Veteres Hebræi* apud SCHICKARDUM *de Jur. Hebr. c. VI. p.* 196. Sepulcra non בית מתים/ *domus mortuorum*, sed בית חיים/ *domus vivorum* dixere, quod videlicet Corpora Piorum in Sepulcris, tanquam in Lectulis, ac Cubilibus suis, requiescant *non mortua, sed data somno.*

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

§. XVIII. NIl jam restat, nisi ut demonstremus etiam, RITUM, de quo hactenus egimus, in *Antiquitate & Historia Ecclesiastica* vestigium aliquod sui reliquisse, quod negat CALIXTUS Senior *L. de Resurrect. Carn. p.* 55. Præsupponimus vero, *Ritum* illum non fuisse *universalem*, seu omnium *Ecclesiarum Christianarum*; sed duntaxat *particularem, unius vel alterius Ecclesiæ*, v. g. Corinthiacæ; neque fuisse *omnibus temporibus*, sed *tempore Pauli*, nec denique *in quavis Baptismi administratione*, sed *à quibusdam saltim Piis peculiariter* observatum. Mirum ergo cui videri non debet, *Historiæ Ecclesiasticæ* Scriptores hujusce *Ritus* ex asse non meminisse. Tum enim procul dubio in *desuetudinem* venit mos ille super mortuis baptizandi. Id tamen ex *Antiquitate* constat, quod, cum primis Fidei Christianæ Cultoribus ob immanes continuasque hostium Ecclesiæ persecutiones, qualis erat tempore Pauli *Neroniana*, non licet Ædes Sacras habere, ubi Sacra administrare sua possent, in *Cœmeteriis* convenire fuerint soliti, quod prolixioribus ostendit ONUPHRIUS, proprio de *Cœmeteriis* Libello. *Cœmeteriorum* namque *usus* (inquit BARON. *T. II. Annal. ad A. C.* 130.) *non modo inserviebat*

humandis

humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis tempore, ad latebras Christianorum. Et MAGDEBURGENSES *Cent. IV. c. 6.* de Ritibus & Ceremoniis *f. 407.* ita recensent: *Quod si Templa aut propter persecutiones frequentare Christianis non liceret, aut alia quadam necessaria ratione deserere cogerentur, in Cœmiteriis, & Locis extra urbes conveniebant: quemadmodum fecerunt in persecutione sub Valente Antiochiæ, ubi extra urbis mœnia ad radices montium Christiani conventus agebant.* THEOD. *Lib. IV. c. 24. Et persecutione sub Georgio Alexandriæ, ubi cum Adversarii, pietatem prævalentes, Templa obtinerent, eorumque conjunctionem Christiani fugere cogerentur, in Cœmiteriis ad orationem conveniebant,* THEOD. *Lib. XXI. c. 1.* Quid quod D. CHRYSOSTOMUS *Homil. XL.* ad Populum dicat: quosdam *in Monumentis & Sepulcris habitasse.*

§. XIX. Quemadmodum igitur Christiani cum ad *Verbi Divini prædicationem*, tum ad *Sacræ Eucharistiæ celebrationem* convenire in *Cœmiteriis* soliti sunt: Vid. HIST. MAGDEB. *Cent. XII. c. 5. arg. 4. col.* 840. HUNN. *T. I. Op. Lat. col.* 1549-1551. GERH. *LL. CC. T. IIX. Loc. XXIX. de Morte §. 268. p. 482-489.* & in Conf. Cathol. *L. II. P. II. art. 9. arg. 13. p. 511-514.* CHAMIER *T. III. Panstr. Cathol. Lib. XXVI. c. 19. p. 594-596.* GLASS. *Lib. III. Philol. S. Tr. VI. Can. 14. m. 2. n. 1. p. 559.* ita & *Baptismum* eos *in publicis super Cœmiteriis conventibus* administrasse, plane nobis habemus persuasissimum. Refert EUSEBIUS PAMPHILI *Lib. IV. Hist. Eccl. c. 15. fol. 86. Edit. Lat. Basil. 1544.* Christianos olim Smyrnenses *solennes egisse celebresque conventus* eo in loco, quo condita *Polycarpi Martyris* ossa ambusta erant. Hinc adeo cum nulli alii fini, quam Cultus Divini exercitio destinati isti conventus essent, & *Baptismum* omni procul dubio, tanquam partem Divini Cultus, solemniter super *Polycarpi Sepulcreto* administrarunt. Quanquam hoc ultimo loco tenendum, illam *Baptismi* administrationem non *ea intentione* fuisse susceptam, qua in *Ecclesia Corinthiaca*, nempe *ad probandam* Mortuorum Resurrectionem. Scriptores enim Historiæ Sacræ id minime silentio præteriissent. Sufficiat vero nobis, RITUM ADMINISTRANDI SUPER MORTUIS BAPTISMUM *ex sola Relatione Apostolica* innotuisse. Atque hic terminus esto! DEO T. O. M. pro concessa Spiritus Sui assistentia gratias persolvimus immortales, Eidemque porro Studia nostra, alibi nunc continuanda, humilime ac devotissime commendamus.

Psal. CXIII: 2.

יהי שם יהוה מברך מעתה
ועד-עולם:

HENR. MULLERI
DISSERTATIO
De Baptismo pro Mortuis ad I. Cor. XV: 29.



R. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. *Syrus & Arabs*; Alioqui quid facient, qui baptizantur pro [*Arabs*; personis] mortuis? *Æthiops*; Alioqui quid baptizant, nonne ut revificent à mortuis? *Vulgatus, Erasmus, Junius*: Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis. *Schmidius*; tanquam mortui. *A. Osiander*; super mortuis. *Beza*; qui ablutione utuntur super mortuis. *Lutherus*; Was machen sonst die / die sich tauffen lassen über die Todten? *Emserus*; als für Todten. *Biblia ante Lutherum edita*; voor de Doden. *Dietenberg*; umb der Todten willen. *Photiniana Nov. Test. Versio*; Was lassen sie sich auch tauffen für die Todten? *Batavi*; Anders / wat sullen sy doen / die voor de Dooden gedoopt worden? *Ita etiam Angli*; For the dead.

§. 1.

Locum hunc, quem inter δυσνόητα Pauli haud immerito refert Jacobus Laurentius (a), *tot fere nactum interpretationes, quot habet interpretes*, B. Calixtus scribit (b). *Sex* earum enumerat Bellarminus (c), Cornelius à Lapide *Septem* (d), Plures alii, alii pauciores. Mihi *septendecim* tam *veterum*, quam *recentiorum* legisse contigit, quas impræsentiarum recensere & ventilare animus est.

PRIMA est AMBROSII, [vel quisquis sub ejus nomine auctor est commentariorum in Epistolas Pauli,] qui hunc locum Pauli explicans (e), *Exemplum*, inquit, *eorum subjicit, qui tam securi erant de futura resurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes ne aut male aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur.* Nimirum existimat Apostolum morem, licet perversum, quorundam respicere, qui, si quis morte præventus absque baptismo decessisset, alium pro illo & illius nomine baptizandum curabant in fidem ac spem futuræ resurrectionis, ut hac ratione se certo credere ac sperare testarentur, mortuum illum cum cæteris extremo die resurrecturum. *Quo quidem exemplo*, ait, *non illorum factum probat Apostolus, sed fixam in resurrectione fidem ostendit. Dicendo enim verbis immediate sequentibus, quid & nos omni hora periclitamur? discrevit personas, ostendens non esse catholicos*, id est, Orthodoxos, *qui pro mortuis baptizabantur.* Morem hunc Epiphanius ex antiqua traditione Cerinthianis tribuit (f), καὶ τὶ παραδόσεως πρᾶγμα ἦλθεν εἰς ἡμᾶς, ὡς τινῶν μὲν παρ᾽ αὐτοῖς προφθανόντων τελευτῆσαι ἄνευ βαπτίσματος, ἄλλους δὲ ἀντ᾽ αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκείνων βαπτίζεσθαι, ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐν τῇ ἀναστάσει ἀναστάσαντας αὐτοὺς δίκην δοῦναι τιμωρίας, βάπτισμα μὴ εἰληφότας. *Ex traditione res quædam ad nos devenit, quod quidam apud ipsos ex vita excesserunt, morte præventi citra baptisma, alii vero pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur, ne, ubi resurrexerint, illi in resurrectione pœnas dent, eo quod non acceperint baptisma.* Idem Marcionitæ factitarunt, exemplum forte à Cerinthianis mutuati. Sic enim de iis Chrysostomus (g), Ἐπειδὰν γάρ τις κατηχούμενος ἀπέλθῃ παρ᾽ αὐτοῖς τὸν ζῶντα ὑπὸ τὴν κλίνην τοῦ τελευτηκότος κρύψαντες, προσιάσι τῷ νεκρῷ, καὶ διαλέγονται, καὶ πυνθάνονται, εἰ βούλοιτο λαβεῖν τὸ βάπτισμα; εἶτα ἐκείνου μηδὲν ἀποκρινομένου, ὁ κεκρυμμένος κάτωθεν ἀντ᾽ ἐκείνου φησὶ, ὅτι δὴ βούλοιτο βαπτισθῆναι, καὶ οὕτω βαπτίζουσιν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ ἀπελθόντος. *Postquam Catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo qui vivit accedunt ad mortuum, alloquuntur & rogant, velitne baptisari? Deinde illo nihil respondente, is qui est absconsus inferius pro illo dicit, se velle baptizari: & sic eum baptizant pro eo qui excessit.* Marcionitarum hoc baptisma *vicarium* vocat Tertullianus (h),

 Si

(a) *In Pauli δυσν. pag.* 434. (b) *Ad h. l. & de Purgat.* (c) *Lib. I. de Purg. c. 6.* (d) *Ad h. l.* (e) *In 1 Cor. 15.*

(f) *Hæres. XXIIX.* (g) *Homil. XL. in 1 Cor.* (h) *Lib. de resurr. Carnis.*

Si autem, inquiens, *& baptisantur quidam pro mortuis, videbis an ratione certa illa præsumtione hoc eos instituisse portendit, qua alii etiam carni ut vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis, quæ nisi corporalis, non alias sic baptismate corporali obligaretur.* Quod hic aliquanto obscurius, *præsumtione institutum* dicit, infra (i) paulo clarius exprimit, quando *vane* illos *pro mortuis baptisatos* dicit, eo quod *habeamus Apostolum alicubi unius baptismi definitorem.* Sententiam hanc Ambrosii suam facit Christophorus Justellus (k), *omnium simplicissimam* vocat B. Calixtus (l), pro eaque strenue militat (m), etsi alibi (n) idem scribat, *de hujusmodi errore, quem Pauli tempore nonnulli foverint, ex historia nihil constare. Neque verosimile esse Apostolum vel argumento tam infirmo usurum fuisse, vel tam insignem baptismi profanationem sine reprehensione præteriturum.* Collaudant quoque explicationem hanc Andreas Hyperius (o), Dn. D. Dreierus (p), D. Calovius (q), D. Danhauwerus (r), Jacobus Laurentius (s). Nec videtur eam rejicere Scaliger (t), qui vult inesse verbis Pauli argumentum κατ' ἄνθρωπον, notarique morem non probum suscipiendi baptismum propter mortuos ad officium refrigerii animarum censura Apostolica vers. 34. quod notandum contra Grotium, qui (u) Scaligerum laudans, & Pauli locum commodius non posse explicari quam hoc modo existimans, ipse in Papæorum castra abiens Scaligero affricat, quasi morem hunc agnoverit probum, quem tamen pro *non probo* habet. Baronio quoque, ut alios prætercam, hæc sententia arridet (w).

SECUNDA est EPIPHANII, qui (x) Καλῶς δὲ, inquit, ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες φάσιν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾶν, ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι περὶ τῶν τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦνται, δεικνύντες, ὅτι ὁ τελευτήσας καὶ ἀναστήσεται, καὶ διὰ τοῦτο ἐπιδέεται τῆς διὰ τοῦ λουτροῦ ἀφέσεως ἁμαρτημάτων, *Bene alii dictum* [Pauli] *interpretantur, quod, qui morti vicini, si fuerint catechumeni, ante mortem lavacro digni habeantur, indicantes, quod moribundus & sit resurrecturus & propterea indigeat, quæ venit per lavacrum, remissione peccatorum.* Morem ille hunc ad clinicorum baptismum refert, quo nonnulli catechumeni, postquam baptismum diu distulissent, moribundi tandem in ipso lecto baptizari postulabant, ut ita sibimet & remissionis peccatorum fiduciam, & beatæ resurrectionis spem obsignarent. Habet hic mos in antiquitate suum fundamentum. De baptizatis in ægritudine meminit Concilium Neocæsariense anno Chr. CCCXIV. habitum (y): Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβυτερεῖον ἄγεσθαι οὐ δύναται, οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀνάγκης. Εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν καὶ πίστιν, καὶ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων. *Si quis in morbo constitutus illuminatus* [baptizatus] *fuerit, ad honorem presbyterii promoveri non potest, fides enim ejus non est ex proposito sed necessitate, nisi forte propter sequens ejus studium & fidem, atque hominum raritatem.* Concilium Laodicenum Anno D. CCCLXIV. (z) Ὅτι δεῖ τοὺς ἐν νόσῳ παραλαμβάνοντας τὸ φώτισμα, καὶ εἶτα ἀναστάντας ἐκμανθάνειν τὴν πίστιν, καὶ γινώσκειν ὅτι θείας δωρεᾶς κατηξιώθησαν. *Quod oporteat eos qui in morbo baptisma accipiunt, & postea convaluerunt, fidem ediscere & nosse, quod divino beneficio digni habiti sint.* Meminit etiam Cornelius Episcopus Romanus in Epistola ad Fabium Antiochenum, quæ apud Eusebium exstat (a) de Novato loquens; Καταλιπὼν γὰρ, inquit, τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾗ πιστεύσας κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου κατὰ χάριν τοῦ ἐπισκόπου, τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον, ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν. Ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐν κλίνῃ διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι. *Ecclesiam Dei reliquit, in qua post fidem receptam Presbyterii honore dignatus fuit, favore Episcopi, qui manus illi ad sortem Presbyterii imposuit: qui quidem Episcopus ab omni clero, & etiam à multis laicis vetitus* [*quoniam minime licebat quenquam in lecto propter morbum baptizatum, sicut huic contigerat, in clerum assumi*] *petiit ut hunc solum ordinare permitteretur.* Cyprianus ejusmodi baptizatos *clinicos* appellatos scribit (b), *Porro*, ait, *quod quidam eos salutari aqua & fide legitima Christi gratiam consecutos non Christianos sed clinicos vocant, non invenio, unde hoc nomen assumant, nisi forte qui plura & secretiora legerunt apud Hippocratem & Soranum* κλινικοὺς *istos deprehenderunt.* Cæterum duo, ut observat Justellus, (c) fuerunt clinicorum genera. Alii qui fidem quidem Christianam amplexi, necdum tamen baptizati, si in morbos inciderent, in ipsa ægritudine καὶ ἐν τῇ κλίνῃ decumbentes baptizabantur, uti Prætorem Arinthæum in ipso vitæ exitu baptizatum memorat Basilius (d). Alii vero, qui professione Christiani & pietatis doctrina imbuti, ad extremum usque ætatis baptismum consulto protendebant, simul & baptizari & mori volentes, ne post illum acceptum rursus peccarent, uti Constantinum Imperatorem extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatum esse, præter Eusebium (e), tradunt Socrates (f), Theodoretus (g), Sozomenus (h), Hieronymus (i) & Nicephorus (k). Referunt huc nonnulli Concilii Carthaginensis A. D. CCCCXIX. celebrati canonem XVIII, quo interdicitur clericis, ἵνα τοῖς σώμασι τῶν ἀποθανόντων βάπτισμα μὴ δίδωται, *ut ne mortuorum corporibus Sacramentum baptismi applicetur.* Verum id ne de moribundis, sed mortuis [quos etiam ex superstitione baptizabant veteres] intelligas, idem canon, qui secundum Græcum interpretem xx est, repetit: ἵνα μὴ τοὺς ἤδη τελευτῶντας βαπτισθῆναι ποιήσῃ ἡ τῶν πρεσβυτέρων ἄγνοια, *ne qua recens mortui ex ignoratione Presbyterorum baptizentur.* Sententiam hanc Epiphanii *cæteris omnibus anteponendam* scribit Guilielmus Estius (l), *simplicissimam* vocant Johannes Calvinus & Marloratus (m), suoque calculo dignantur Nicolaus Hemmingius, Matthias Flacius (n) & Gerhardus Joh. Vossius (o), qui tamen una cum Estio illud ὑπὲρ νεκρῶν non exponit *tanquam moribundi*, vel, *mortuis similes*, sed *pro mortuis*, id est, *pro statu mortuorum*, ut sibi post mortem bene sit.

TERTIA & QUARTA est HIERONYMI, qui ad verba Apostoli ita commentatur (p): *Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, id est, jam quasi commortui cum illo sumus. Quid ergo prodest nos huic mundo mori, si hunc contemtum voluptatum vita non sequitur æterna? item hoc est quod dicit: quia non solum propter remissionem peccatorum baptizantur, sed & propter resurrectionem carnis nostræ. Carnem autem nostram mortuam appellat, quoniam hac morte anima non moritur. Unde increpando ait: Aut quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? i. e. quid baptizari opus est carnem, si non resurgat?* Posterior, quod sciam, à nemine hactenus approbata est. Ast cum priori convenire quodammodo videtur, quæ

QUINTA est CHRYSOSTOMI (q), qui de fide resurrectionis, in quam baptizamur, exponit hoc pacto: ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, τουτέστι, τῶν σωμάτων, καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦτο βαπτίζῃ, τοῦ νεκροῦ σώματος ἀνάστασιν πιστεύων, ὅτι οὐκέτι μένει νεκρὸν, καὶ σὺ μὲν διὰ τῶν ῥημάτων λέγεις νεκρῶν ἀνάστασιν· Ὁ δὲ ἱερεὺς, ὥσπερ ἐν εἰκόνι τινὶ, ὅπερ ἐπίστευσας καὶ διὰ τῶν ῥημάτων ὡμολόγησας, δείκνυσί σοι καὶ διὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν. Πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; διὰ τοῦ ὕδατος. Τὸ γὰρ βαπτίζεσθαι, εἶτα ἀνανεύειν εἰς ᾅδου καταβάσεως ἐστὶ σύμβολον, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἀνόδου. *Super mortuis, id est, corporibus, super hoc enim baptizaris, quod corporis mortui resurrectionem credis. Et tu quidem verbis mortuorum resurrectionem profiteris. Sacerdos vero, tanquam in imagine quadam, quæ credidisti & verbis confessus es, monstrat tibi ipsis factis. Quomodo? per aquam immergi enim & postea emergere Symbolum est descensus in sepulcrum & ex eo reditus.* Sic ille, ad duo respiciens, *primo*, ad ea Symboli verba, quibus mortuorum resurrectionem & vitam æternam profiteri solebat olim baptizandus. Nimirum apud Veteres gratiam baptismi suscepturi publice, fidelium Populo audiente, Symbolum reddebant, & quidem ad interrogationem Episcopi. Concilium Laodicenum (r), ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους τὴν πίστιν ἐκμανθάνειν, καὶ τῇ πέμπτῃ τῆς ἑβδομάδος ἀπαγγέλλειν τῷ ἐπισκόπῳ ἢ τοῖς πρεσβυτέροις. *Quod oportet eos, qui baptizandi sunt, fidem ediscere & quinta feria septimanæ Episcopo aut Presbyteris renunciare.* Vel,

(i) *Lib. V. advers. Marcion. cap.* 10. (k) *Ad Codicem E. univ. Can.* νζ. (l) *De ign. Purgat.* §. 55. (m) *De immort. anim. pag.* 57, 58, 59. (n) *In notis ad* 1 *Cor.* 15. (o) *Comm. in h. l.* (p) *Disp. de igne purgat.* (q) *De meth. doc. & disp. pag.* 452. (r) *Act. I. dram. pag.* 447. (s) *l. c.* (t) *In notis ad h. l.* (u) *Animadv. ad Conf. Cass. p.* 93. (w) *Ad ann. Chr. LVII. n.* 165, 166. (x) *l. c.* (y) *Can. XII.* (z) *Can. XLVII.* (a) *Lib. VI. c.* 43.

(b) *Lib. IV. Ep.* 7. (c) *l. c.* (d) *Epist. V.* (e) *Lib. IV. de V. C. c.* 62. (f) *Lib. I. c.* 26. (g) *Lib. I. c.* 32. (h) *Lib. II. c.* 34. (i) *In Chronico.* (k) *Lib. VIII. c.* 54. (l) *In notis ad h. l.* (m) *Ad h. l.* (n) *Ad h. l.* (o) *Disput. XII. de Bapt. th.* 2. (p) *Comm. ad* 1 *Cor.* 15. (q) *l. c.* (r) *Can. XLVI.*

Vel, ut habet Martinus Bracarensis Episcopus (s); *Oportet ut in ipsis diebus hi qui baptizandi sunt Symbolum discant, & in quinta feria novissimæ septimanæ Episcopo vel Presbytero reddant.* Hinc tam crebra *interrogationis* baptismalis apud Veteres mentio. Cyprianus (t); *Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam cum dicimus, credis in vitam æternam & remissionem per sanctam Ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari.* Hieronymus (u); *Cum solenne sit in lavacro post Trinitatis confessionem interrogare, credis in sanctam Ecclesiam? credis remissionem peccatorum?* &c. Gennadius Massiliensis (w); *Baptizandus confitetur fidem suam coram Sacerdote & interrogatus respondet.* Ejusdem interrogationis atque consuetudinis meminerunt etiam Tertullianus (x), Ambrosius (y), Nazianzenus (z), Cyrillus Alexandrinus (a), Severus Alexandrinus (b), & Beda (c): *Secundo*, ad ritum baptizandi in Ecclesia Apostolica receptum, ubi aquæ immergebantur baptizandi, non ea tingebantur. Quod observavit Cajetanus, super locum Paulinum sic disserens (d); *Ritus baptismi habet, ut, qui baptizantur, mergantur sub aqua, & per hoc repræsentent duas mortes, scil. propriam mortem moralem, & mortem Christi corporalem. Repræsentant enim se mortuos vitæ veteri, sicut Christus mortuus est vitæ hujus mundi. Mersio enim repræsentat sepulturam Christi mortui, ponens hominem, qui baptizatur, sub aqua, sicut corpus Christi positum est sub terra. Repræsentat quoque hominem illum ita recedere à præterita vita, ut sit illi mortuus & sepultus. Similiter surgendo ex aqua repræsentatur duplex resurrectio, & Christi corporalis & hominis spiritualis, ita quod ex hoc, quod homo surgens ex aqua repræsentat Christum à mortuis resurgentem, repræsentat quoque seipsum resurgere in novam vitam spiritualem, nunc quidem quantum ad animam secundum rem; in futurum autem quantum ad corpus in spe, &c.* Eodem respexisse videtur Theodoretus, verba Pauli hoc modo explicans (e); Ὁ βαπτιζόμενος φησι (Παῦλος) τῷ Δεσπότῃ συνθάπτεται, ἵνα τοῦ θανάτου κοινωνήσας καὶ τῆς ἀναστάσεως γένηται κοινωνός. Εἰ δὲ νεκρόν ἐστι τὸ σῶμα, καὶ οὐκ ἀνίσταται, τί δήποτε καὶ βαπτίζεται; *Qui*, inquit Paulus, *baptizatur, Domino consepelitur, ut, cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis. Si autem corpus est mortuum & non resurgit, cur etiam baptizatur?* Chrysostomi sententiam, uti solet, exprimit Oecumenius, qui (f) Εὔδηλον, inquit, ὅτι εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν πιστεύσαντες βαπτιζόμεθα, ὡσεὶ ἔλεγε, τί ποιήσουσιν οἱ ὑπὲρ νεκρῶν μὲν ὡς ἀνισταμένων καὶ πιστεύσαντες καὶ βαπτισθέντες, ψευσθέντες δὲ τῆς ἐλπίδος, ἢ ἄλλό τι εὑρηκότες παρὰ τὰ προσδοκηθέντα; πόσα, φησὶν, ἀδημονήσουσι καὶ ἀποκλαύσονται, καὶ τὴν πίστιν τὴν εἰς Χριστὸν, ὡς ψευδῆ, λοιδορήσουσι; τοῦτο λέγει· τί ποιήσουσι; τουτ᾽ ἔστιν, αὐτὰ ποιήσουσιν ἅπερ εἶπον. *Manifestum est, quod in resurrectionem mortuorum credentes baptizamur, ac si diceret; Quid facient qui pro mortuis quidem tanquam resurgentibus & crediderunt & baptisati sunt, falsi autem spe aliud quidpiam invenerunt præter ea quæ exspectabant? quantum, inquit, dolebunt & deplorabunt, fidemque in Christum, tanquam mendacem, convitiis lacessent? hoc significat, quid facient? nempe hæc facient, quæ dixi.* Eadem habet Photius (g), Ἐπεὶ τί ποιήσουσι, φησὶν, οἱ βαπτιζόμενοι ὥστε μὴ εἶναι διαπαντὸς νεκροὶ, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ κατέχεσθαι; οἷον, τῆς ἀναστάσεως, φησὶ, μὴ οὔσης, οἱ ἐπὶ τοιαύταις ἐλπίσι βαπτιζόμενοι, ὥστε μετὰ τὸν θάνατον ἀναστῆναι, τί ποιήσουσι; *Alioqui, quid facient qui baptizantur, ne semper mortui sint & apud inferos detineantur? hoc est, si non sit resurrectio, quid facient ii, qui ob hujusmodi spem baptisantur, quo post mortem resuscitentur?* Interpretationem hanc *omnium simplicissimam & planissimam* vocat Cornelius à Lapide (h), amplectuntur Hugo de S. Charo (i), Joh. Georg. Grossius (k), & Erasmus Schmidius (l).

SEXTA est SEDULII, qui (m) *Pro mortuis*, inquit, *id est, operibus quæ generant mortem, impetrata scil. eorum per baptismum remissione, abolendis.* Sequitur hanc interpretationem Nicolaus Lyranus, *Pro mortuis*, dicens, (n) *id est, pro peccatis mortalibus, quæ sunt opera mortua, pro quibus abluendis recipitur baptismus, qui tamen non proficeret, si non esset resurrectio. Ad hoc enim recipitur, ut à peccatis mundatus sit vita beata dignus.* Nec aliter Thomas Aquinas (o), *Ut per hoc quod dicit mortuis, intelligantur opera peccati, quæ sunt mortua, quia carent vita gratiæ & ducunt ad mortem. Et secundum hoc plana est litera. Quid scil. facient illi, qui baptizantur pro mortuis, i. e. pro peccatis abluendis, si non sunt vitam gratiæ habituri?* Eandem expositionem approbant Hugo & Contarenus Cardinales (p), Strabus quoque mentionem ejus injicit, quando, *Pro mortuis*, inquit, *id est, pro peccatis delendis* (q).

SEPTIMA est LUTHERI, qui vult alludi abs Paulo ad morem antiquum, quo solebant Christiani in cœmeteriis baptizare super sepulcris mortuorum, ut testarentur ipso facto credere se mortuorum resurrectionem futuram, vel, *quod mori mallent, quam religionem Christianam abnegare*, sicut hanc rationem allegat Andreas Osiander (r). Ipse Lutherus (s); **Die Aufferstehung zu bestärcken liessen sich die Christen tauffen über den Todtengräbern / und deuteten auff dieselbigen / daß eben dieselbige würden aufferstehen.** Sententiam hanc, ut *omnium simplicissimam, maxime literalem & ad scopum Paulinum accommodatissimam*, amplectitur B. Meisnerus (t); ut *analogiæ fidei consonam & historiæ ecclesiasticæ congruam* quam maxime sequitur B. Hutterus (u), approbat B. Frantzius (w), eique robur quoddam ex Eusebio conciliare annititur. *Vide*, inquit, *Lector Eusebium l. 4. Hist. Eccl. cap. 15. Postquam enim ibidem narratio de martyrio Polycarpi combusti ad finem est deducta, adjiciuntur ab Eusebio hæc verba; Cum ergo Centurio contentionem Judæorum cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, combusserunt, atque ita nos tandem ossa illius pretiosis lapidibus pretiosiora & auro probatiora nacti condidimus, ubi id fieri debebat. Ubi etiam quoad fieri potest congregati cum exultatione & gaudio Dominus natalem martyris sui diem, ad memoriam eorum, qui antea certarunt, & futurorum exercitationem ac præparationem celebrare largietur. Hactenus verba Eusebii, ex quibus colligere satagunt docti, quod ad locum sepultorum ossium Polycarpi convenerint cœtus Christianorum, ibique inter alia etiam baptizarint, & sic baptizarint* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Eadem & plura pro hac sententia affert B. Balduinus (x), qui post enumeratas alias, *Quod si propriam*, inquit, *significationem volueris, omnium optima est sententia B. Lutheri, qui locum hunc intelligit de veteri consuetudine primitivæ ecclesiæ, ubi baptismus in cæmiteriis administrabatur ad sepulcra mortuorum, idque non modo in spem resurrectionis à mortuis, sed & ex necessitate quadam. Nam primis ducentis annis à Christo nato Christiani templa adesque sacras non habebant, sed primum in cœnaculis congregabantur, ut constat ex Act. I. & XX. deinde in cœmiteriis, quæ Christianis erant veluti templa & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, Sacramenta administrabant, verbum DEI concionabantur, ut loquitur Onuphrius lib. de rit. sep. mort. c. II. & Exempla hujus consuetudinis leguntur apud Eusebium l. 9. H. E. c. 2. l. 7. c. 10. Etsi vero ex Historiis indubitatum omnino non est, quod & tempore Apostolorum in cœmiteriis convenerint, verisimile tamen videtur ex hoc Pauli loco, neque melior potest dari sensus hujus loci, si proprie baptismum intelligas, quam iste: Si mortui non resurgunt, cur ergo Christiani super sepulcra defunctorum baptizantur in solatium & spem indubiam futuræ resurrectionis?* Joh. Piscatori Professori Herbornensi expositio hæc *omnium simplicissima* videtur (y) ut *quæ nec per se absurda sit, nec etiam verbis Apostoli vim faciat. Certe*, ait, νεκρὸς *significat proprie cadaver hominis, & præpositio* ὑπὲρ *cum Genitivo pro super vel supra ad notandum locum crebro reperitur apud Græcos, Homerum Iliad. B. Platonem in Timæo, Theophrastum lib. 3. de caus. Plant. in hujusmodi exemplis* ὑπὲρ *idem valet, quod* ὑπεράνω. *Præterea huic expositioni favet articulus præpositus.* Idem cum Piscatore sentit B. Gerhardus (z) qui, *Amplectimur*, inquit, *simplicissimam illam expositionem de ritu baptizandi Christianos ad sepulcra mortuorum, qui Symbolum fidei fuit & confessionis*

(s) *Collect. Can. Græc. cap. XLIX.* (t) *lib. I. Epist.* 12. (u) *adv. Lucif. cap. V.* (w) *de Eccl. dogm. cap. LXXIV.* (x) *lib. de cor. mil.* (y) *de iis, qui initiantur cap. II, V.* (z) *de Cyprian. Orat. XVIII.* (a) *Cont. Julian. l. VII.* (b) *de ritib. bapt.* (c) *l. I. in Marc. cap. I.* (d) *Jentac. II. qu. 3.* (e) *ad h. l.* (f) *in h. l.* (g) *apud eundem.* (h) *l. c.* (i) *in Postil.* (k) *in Theatr. Bibl. ad h. l.* (l) *in annot. ad h. l.* (m) *Comm. ad h. l.* (n) *ad h. l.*

(o) *ad h. l.* (p) *ad h. l.* (q) *in gloss. ord.* (r) *in notis ad 1 Cor. XV.* (s) *in not. marg.* (t) *de fict. Pap. Purg. c. V.* (u) *in LL. p. 655, b.* (w) *de Interp. sc. orac. LXXX.* (x) *quæst. V. in 1 Cor. XV.* (y) *in Schol. ad h. l.* (z) *loc. de Sacram. §. 167.*

de reſurrectione mortuorum, ac de collectione & conſociatione baptizatorum vivorum ſpirituali cum membris unius ejuſdemque corporis myſtici, quin & publica profeſſio de morte pro Chriſti gloria & articulo reſurrectionis obeunda. Hunc autem morem in primitiva eccleſia receptum fuiſſe teſtatur Epiſtola eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſebium l. 4. H. E. cap. 15. Auguſtinus l. 20. de C. D. c. 9. & Lutherus in expl. h. l. B. Quiſtorpius (a), poſtquam Ambroſii ſententiam adduxerat, eamque ut *ſimpliciſſimam* collaudaverat, addit; *Vel ſi hæc non placet, hanc illorum reliquis præfero, qui ad mortuorum ſepulcra Chriſtianos eſſe baptizatos volunt. Non adhibeo ad hæc probanda Euſebium & Auguſtinum, qui in dubium à quibuſdam vocantur loci, ſed id verum eſſe ex antiquitate aſſero, quod Chriſtiani primi ſuper ſepulcra martyrum & altaria & baptiſteria ædificarunt. De Baptiſterio Prudentius;*

Electus Chriſto locus eſt, ubi corda probata
Provehat ad cœlum ſanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum Domini pro nomine cæſi
Martyrium pulcra morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte
Ac veteres maculas diluit amne novo.
Ante coronati ſcandebant ardua teſtes,
Atria, nunc lotæ celſa petunt animæ.

Militant etiam pro hac ſententia præter commentatores Bibliorum Vinarienſium (b), B. Glaſſius (c), B. Walterus (d), B. Ægidius Hunnius (e), Menzerus (f), Cundiſius (g), Dorſcheus (h), Geierus (i), qui ei *tamdiu inhæſurum* ſe profitetur, *donec meliora edoceatur.* Adoptant eandem atque à prima fere antiquitate commendant Gerh. Joh. Voſſius (k) & Caſpar Barthius (l).

OCTAVA eſt BEZÆ, qui (m) verba Apoſtoli active transfert hoc modo; *Quid facient, qui ablutione utuntur ſuper mortuis?* exiſtimans hic mortualem illam ablutionem intelligi, quæ non apud Græcos ſaltem & Romanos in uſu fuit, ſed etiam Chriſtianis recepta. De Dardanenſibus Illyricis ſcribit Ælianus (n), Τρὶς λούεσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας, *ter tantum per univerſam vitam lavari, poſt partum, cum nuptias celebrant, & poſt mortem.* De Latinis conſtat ex illo Ennii; *Tarquinii corpus bona fæmina lavit & unxit.* De veteribus Chriſtianis præter ea quæ leguntur Actor. 9: 37. adducuntur etiam verba Tertulliani (o); *Sed ſi Ceremonias tuas non frequento, attamen & illa die homo ſum, non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lavor honeſta hora & ſalubri, quæ mihi & calorem & ſanguinem ſervet.* RIGERE ET PALLERE POST LAVACRUM MORTUUS POSSUM, quæ ultima Beatus Rhenanus & Jacobus Pammelius (p) ad morem Chriſtianorum, quo lavabantur defunctorum corpora, referunt. Expoſitionem hanc Bezæ præ aliis commendant Batavi (q), Eenige verſtaan het van de gene die de Lichamen der doode Wieſchen / alſo de woorden voor de Doode gedoopt worden, ook wel konnen overgeſet worden / over de Doode doopen, dat is / waſſchen / welke wyſe van doen ten tyden der Apoſtelen gebruykelik was / Act. 9: 37. ende het Woort Doopen altemet ook waſſchen betekent Marc. 7: 4. Luc. 11: 38. Hebr. 9: 10. Het welk met het oogmerk des Apoſtels ook niet qualijk over een komt. Et Chamier, *Non dubitem ſane*, inquit, *præferre hanc omnibus aliis, dum nobis aliam certiorem revelet DEUS* (r).

NONA eſt CLAUDII GUILLAUDI, Doctoris Pariſienſis, qui vult Paulum loqui de baptiſmo ſanguinis. *Baptizantur*, inquit (s) *pro mortuis martyres, qui patiuntur & affliguntur pro fide & articulo reſurrectionis mortuorum.* Hunc ſecutus Joh. Maldonatus (t) confert locum Apoſtoli cum verbis Chriſti, *Baptiſmo habeo baptizari*, ac *Mortem*, ait, *& paſſionem ſuam baptiſmum appellare dubium non eſt, & omnes interpretes confitentur. Simile illud eſt apud Paulum 1 Cor. cap. 15: verſ. 29. Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? i. e. qui pro reſurrectione mortuorum defendenda moriuntur.* Eodem modo explicant Gagnejus & Bence Dd. Sorbonici (u). Ex Reformatis adſtipulatur Franciſcus Junius (w), *Altera*, ſcribit, *mihi magis probatur interpretatio de cruce & afflictionibus Chriſtianorum, qui pro defenſione & aſſertione Chriſti piorumque in Chriſto dormientium perpetiebantur omnia ab infidelibus. Alioquin, ait Apoſtolus, ſi non eſt reſurrectio mortuorum, quid facturi ſunt, quid iis futurum eſt, qui baptizantur pro illis mortuis, i. e. affliguntur pro defenſione reſurrectionis Chriſti & Sanctorum omnium, qui jam obdormierunt in Chriſto? ſi omnino mortui non reſurgunt ulli, cur baptizantur pro illis mortuis, & crucem ſufferunt in communione Chriſti pro illis mortuis & fide eorum aſſerenda.* Ab hac ſententia non multum diſcrepat illa Tileni, quæ hunc loci Apoſtolici ſenſum eſſe vult, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *ſuper, præter & ultra* illos, qui jam ante propter confeſſionem Chriſti, vel ſaltem in illa mortui ſunt, Quid cauſæ eſt, quod tot labores, dolores, pericula, mortem denique ipſam perpetiantur, ſi omnino mortui non reſurgunt? cur ſuper & præter illos mortuos eandem ſine ſpe reſurrectionis aleam ſubire, atque ita baptizari & in afflictiones demergi velint (x)? Ex noſtris approbat hanc expoſitionem B. Joh. Tarnovius (y).

DECIMA eſt BELLARMINI (y), cui pro mortuis baptizari idem eſt, ac ſpontaneas afflictiones ſuſcipere pro illis orando, jejunando &c. *Eſt igitur*, inquit, *Sexta expoſitio vera ac germana, quod Apoſtolus loquatur de baptiſmo lacrymarum & pœnitentiæ, qui ſuſcipitur orando, jejunando, eleemoſynas faciendo &c. & ſenſus ſit; Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgent? i. e. quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt ſe pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? Ita exponunt Ephrem in ſuo Teſtamento, Petrus Cluniacenſis in libro contra Petrobruſianos, Dionyſius, Hugo, Gagnejus & alii in h. l. Hæc expoſitio veriſſima eſt 1. quia baptizari paſſim in ſcriptura & Patribus accipitur pro affligi Marc. 10. Luc. 12. Cyprianus in ſerm. de cœn. Dom. & Proœm. libr. de exhort. martyr. Nazianzenus orat. de Epiph. 2. quia ipſa pœna Purgatorii à Scriptura & Patribus vocatur baptiſma Matth. 3. ipſe vos baptizabit in Sp. S. & igne. B. Hieronymus exponit, in Sp. S. in hac vita, igne vero in futura, ſicut ante eum expoſuerat Baſilius lib. de Sp. S. c. 15. & poſt eos Beda in Luc. 3. item Nazianzenus in fin. orat. de Epiph. vocat ignem Purgatorii in alia vita ultimum baptiſma. Itaque elegantiſſime Apoſtolus dixit eos baptizari pro mortuis, qui affligentes ſe oratione & jejunio ſumunt in ſe partem illius baptiſmi ignei, quo animæ baptizantur in Purgatorio. 3. quia hæc expoſitio maxime quadrat cum ſequentibus; Ut quid & nos &c. quaſi dicat, cur quidam ſe affligunt orando pro mortuis, & ego affligo me prædicando Evangelium, ſi mortuorum reſurrectio non eſt? 4. quia iſta ſententia eadem eſt cum illa 2 Maccab. 12. Si mortui non reſurgunt, ſuperfluum eſt & vanum orare pro mortuis.* Eandem interpretationem reperies apud Tirinum, Salmeronem, Emanuelem Saa, Menochium (a), Stapletonum (b), Bailium (c), Tannerum (d), Henricum Henriquez (e), Fevardentium (f), Angelum del Pas (g), Coſterum (h), Becanum (i), Georgium Tyſkivicium (k), Mülmannum (l), Bernhardinum Vetweis (m), & quamplurimos alios.

UNDECIMA eſt HEINSII (n), qui vivos vult dici pro mortuis baptizari, quando *mortuorum nomina in baptiſmo ipſis imponuntur.* Nimirum vetus illa, quæ etiamnum hodie obtinet, erat conſuetudo, ut, quemadmodum in circumciſione, ita etiam in baptiſmo baptizatis nomina, & quidem martyrum ſanctorum, patrum aut ſuorum, qui virtute ac probitate excelluiſſent, imponerent, ut ſic vivere, ſic ſupereſſe viderentur: quo ipſo conteſtabantur Deum, qui cum his vita mortali exemtis æternum in baptiſmo fœdus contraxerat, eorum etiam in morte Deum eſſe

Matth.

(a) *in not. ad h. l.* (b) *in notis.* (c) *lib. III. Gram. ſacr. tr. 6.* (d) *Harm. Bibl. pag. 1419.* (e) *ad h. l.* (f) *Tom. II. Diſp. Gieſſenſ. d. 14 th. 294.* (g) *in Tyſkiv. elench.* (h) *in Myſar. miſſ. pag. 31.* (i) *Diſp. de prec. pro Def.* (k) *Diſp. Theol. de reſurr. carn. th. 18.* (l) *lib. XLIV. adverſ. c. 2.* (m) *in notis ad h. l.* (n) *l. IV. var. hiſt. c. 1.* (o) *Apol. adv. gent. c. XLII.* (p) *in notis ad loc. Tertull.* (q) *in notis ad Bibl. Magna A. XLV. edita.* (r) *Tom. III. Panſtrat. l. XXVI. c. 19. n. 35.* (s) *in h. l.* (t) *in Luc. 12: 50.*

(u) *ad 1 Cor. 15: 29. & in Manuali.* (w) *in Bellarm. contr. VI. de Purgat.* (x) *part. II. Diſp. 65. th. 28.* (y) *Exerc. Bibl. p. 649.* (z) *lib. I. de Purgat.* (a) *ad h. l.* (b) *in Antid. p. 807.* (c) *Catech. cont. tract. II. qu. 44.* (d) *Tom. IV. Th. Schol. d. 6. q. 8. dub. 1.* (e) *Summ. Th. moral. l. II. c. 1. §. 3.* (f) *l. XII. Theom. Calv. c. 5. v. 1.* (g) *expoſ. Symb. Apoſt. T. I. l. 7. c. 12.* (h) *Enchir. c. 11.* (i) *l. I. Man. c. 8.* (k) *Theol. antilog. Luth. qu. 22.* (l) *de Purgat. §. 22.* (m) *in ſpec. ver. & falſ. eccleſ. l. VIII. c. 3. a. 2.* (n) *in annot. ad h. l.*

Matth. 22: 23. vivere ergo hos, in quorum memoriam baptizabantur, & olim in omnis carnis resurrectione resurrecturos confitentur, uti loquitur B. Quistorpius, qui expositionem hanc referens nec probat, nec improbat. (o)

DUODECIMA est LUDOVICI de DIEU, qui hanc affert loci Apostolici interpretationem, (p) *Apostolus*, inquit, *in toto hoc capite agit de beata illorum resurrectione, qui in Christo obdormiverunt. Non alios ergo hic mortuos intelligit, pro quibus frustra ait vivos baptizari, si non sunt mortui illi resurrecturi. In confesso est apud omnes, baptismum esse Sigillum resurrectionis, tum quia corpori fidelium collatus notat, illud quoque ut mortis, ita & resurrectionis Christi particeps esse: tum quia est Sigillum fœderis, cujus promissio est, Ego sum Deus tuus, ex qua Servator resurrectionem potentissime infert. Luc. 20: 37, 38. Præcipue autem tenendum, Baptismum, veluti primum fœderis Sigillum, publice in Ecclesia collatum non singularibus tantum illis personis, quibus confertur, promissiones fœderis obsignasse, sed & universæ ecclesiæ, tum militanti, tum triumphanti, tum viventium, tum mortuorum, quippe qui unam eandemque cum illis constituentes ecclesiam, &, ut illi, spe tantum adhuc salvi facti, complementum promissionum fœderis continenter exspectant. Quotquot ergo in ecclesia baptizantur, non pro se tantum, sed & pro mortuis fidelibus baptizantur: non ad eos juvandos, aut liberandos, aut sublevandos, aut eorum loco, sed ad stabiliendas indesinenter promissiones fœderis, ipsis factas & adhuc implendas, adeo ut, quamdiu & quoties baptismus administratur in ecclesia, tamdiu & toties renovetur facta mortuis promissio, Deum esse Deum ipsorum. Et quia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium, vivere ipsos Deo promissione, quocirca necesse esse, ut aliquando ipsi vivant actu. Unde firmiter concluditur frustra vivos pro mortuis baptizari, si non sunt resurrecturi.*

DECIMA TERTIA est VASQUEZII, (q) qui vult Paulum alludere ad locum Syracidis c. 34: 30. & loqui de iis, qui ex contactu mortuorum immundi aqua purgabantur lustrali Num. 19. q. d. Si nulla resurrectio est futura, ceremonia ablutionis & lustrationis post contactum cadaveris inutilis est censenda, quia per illam nihil aliud significatum, quam carnem morte pollutam & corruptam non perpetuo in morte mansuram, sed aliquando resurrecturam. Sententiæ huic non obscure favere Joh. Coccejum, Professorem Batavum Lugdunensem, verba ejus nos satis edocent, quæ hæc sunt: (r) *Non putandum est, nihil agere eos, qui secundum legem Mosis βαπτίζονται ὑπὲρ νεκρῶν, hoc est, lavantur propter mortuos, ut retineam phrasin Apostoli, quæ est 1 Cor. 15: 29. Syrachides dicit cap. 34: 25. ὁ βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ. Non, inquam, Deus hunc ritum instituit frustra, sed ut aliquid doceret, s. potius ut aliquid in memoriam revocaret. Non potuit autem aliud quid docere, vel in memoriam revocare, quam quod in mysterio fidei continebatur, s. id jam verbis explicatum esset, s. deinceps explicandum esset in posterum. Ergo ex analogia mysterii de significatione statuendum est. Pollutio, qua lex gravat eum qui cadaver hominis tetigit, quid potest significare, nisi communionem mortis? in uno homine moritur natura humana, ut in quovis membro corpus. Mors unius est particula mortis totius generis. Quod moritur, quodque mortuum est, id non aptum est ad regnum Dei. Id enim est regnum vitæ. Mors autem corporis mortis spiritualis argumentum est. Qui agit in medio sanctorum tanquam vivus, quum sit mortuus in peccatis, Deum violat. Neque minus ille, qui spem non habet in Deo vivo & vivificante mortuos: sine qua spe nemo vivit Deo. Atqui inhabitatio Dei in medio populi moribundi testatur, eum qui Deus ipsorum vocari voluit, ipsi sive propter ipsum victuros. Quod morte polluti redeunt ad sanctuarium purificati, quid aliud significare potest quam reditum ex morte in vitam? & quidem illius corporis, quod lavacrum illius παλιγγενεσίας (Matth. 19: 28.), Symbolum susceperit? Quare, qui id Symbolum adspernatur, tabernaculum Dei polluit, non dans Deo gloriam resuscitationis mortuorum: quasi vel abnegaret Dei habitationem in hominibus, vel eam statueret esse in hac tantum vita, quæ est mortalis.* Suam quoque facit hanc sententiam D. Sebastianus Schmidius, Professor Argentoratensis. (s)

DECIMA QUARTA est ALEXANDRI MORI, (t) qui τῶν νεκρῶν per enallagen numeri positum vult pro τοῦ νεκροῦ, intelligens per τὸν νεκρὸν Christum, ut baptizari pro mortuis idem sit ac baptizari baptismo Christi. Verba ejus hæc sunt: *Dixerat Paulus, miserrimos fore mortalium Christianos, si tantum in hac vita sperarent in Christo: quod jam probat exemplo martyrum, deinde suo proprio. Si nulla est omnino resurrectio & spes post hanc vitam, quid illis fiet qui mortem oppetunt pro Christo ita mortuo ut nec ipse resurgat? quid miserius erit illis? aut quid nobis, inquit, fieri poterit stultius, qui pro illo mortuo non quidem oppetiimus mortem, sed tamen, totidem quasi mortes, quotidie discrimina capitis adimus? Annon melius illi vitam redemissent, abnegato illo mortuo? annon prudentius nos jucunde vitam ageremus, Epicuræorum in morem? quam Sectam sibi præ cæteris placitam, cum Christianus non esset, Augustinus confitetur. Ad verba quod attinet, nulla difficultas esset, si Paulus dixisset, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ, vel ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ. Nam baptizari pro Christo nihil aliud significare potest quam quod alibi dicitur, baptizari baptismate Christi. Baptismum sanguinis vocant. Cur autem dixit ὑπὲρ τῶν νεκρῶν pro ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ? non insolenti enallage, ut 2 Paral. c. 14: 25. & Genes. 21: 7. item Exod. 4: 14. & Matth. 2: 20. Accessit causa propria cur Paulus nollet Christum districte vocare τὸν νεκρὸν, quia res erat infanda Christum ita mortuum esse, hoc est, periisse: nam ejusmodi mortuorum Deus non est Deus. Ut igitur mitigaret duritiem ac duritatem rei, quæ nec sine horrore audiri, nec sine blasphemia cogitari potest, in universum dicere maluit.*

DECIMA QUINTA est illustris Fœminæ, ANNÆ MARIÆ à SCHURMAN, (u) quæ vult Paulum admissa ironia, deducere Corinthios ad absurdum hac ratiocinatione: Si mortui non resurgunt, frustra tot tantosque labores subeunt *pro mortuis*, i. e. *pro fidelibus & electis*, per *ironiam*, quia, juxta erroneam adversariorum Corinthiorum opinionem, pro mortuis revera erant habendi.

DECIMA SEXTA est ipsius CLOPPENBURGII, qui per τῶν νεκρῶν intelligit certos quosdam mortuos, nempe eos qui ex quingentis fratribus obdormiverant in Domino, ex quibus nonnulli martyrio coronati, Stephanus Act. 7: 60. Jacobus c. 12: 2. Propter illos baptizatos vult eos, qui, postquam aut viventes illos audivissent aut spectassent morientium in testimonio de Christi resurrectione constantiam, & validissimarum consolationum in morte experientiam; illis Magistris gloriabantur se Christum didicisse, & ad illorum memorias baptismum petebant.

DECIMA SEPTIMA eaque ULTIMA est D. BROCHMANNI (w) qui existimat Paulum suam ipsius mentem explicare 1 Thess. 4: 13. nec aliud quid verba ejus sibi velle, quam negata mortuorum resurrectione non suppetere nobis ullum argumentum solidum, quo firmiter statuminare liceat hos, quos luctus acerbior demortuorum sive parentum sive amicorum prostravit. Hanc esse simplicissimam omnium, quas viderit, expositionum, testatur Joh. Tobias Major. (x)

§. 2. In hoc sententiarum positus divortio cui meum calculum addam etiamnum animi pendeo & ancipitibus distrahor judiciis.

In PRIMAM, quæ sub Ambrosii sese exhibet nomine, utpote & *simplicissimam* & *antiquissimam* propendere me quam maxime ante biennium cum scriberem (y) memini me addidisse: *In ea, quæ proposui hactenus, nonnisi timide & retractanter inclino.* Antiquissimam esse & *in comparatione* simplicissimam necdum nego. Quominus tamen firmiter ei inhæream, duo inprimis me movent, *primo* quia vix credibile, Apostolum in materia tam ardua argumento uti voluisse tam infirmo. Aut enim error ille, ex quo κατ' ἄνθρωπον argumentari Paulum volunt Viri summi, in ecclesia Corinthiaca catholicus fuit atque publicus, aut privatus & particularis. Si particularis, *non videtur probabile, ut recte inquit Lyranus, (z) quod Apostolus in sua probatione procedat ex aliquorum errore, quia non esset probatio simpliciter, sed tantum ad illos errantes, ducendo illos ad illud quod habebant pro inconvenienti.* Gemella plane habent Vasquez, (a) Estius & Heinsius. (b) Catholicum autem non fuisse hunc errorem,

(o) *Loc. sup. c.* (p) *animadv. ad h. l.* (q) *T. II. pag. 3. qu. 69. Disp. 157. c. 3. vs. 51. seqq.* (r) *Comment. in Hebr. 9: 13, 14.* (s) *Disp. de Bapt. sup. mort. membr. III.* (t) *in notis ad h. l.*

(u) *Apud Cloppenburgium Disp. sel. 14. §. 14. seqq.* (w) *Part. III. Syst. Theol. art. de mort. c. 2. qu. 2. dub. 2.* (x) *de Orat. pro defunct. cont. Grotium c. 2. §. 140.* (y) *Semic. 2. qu. 16. §. 6.* (z) *l. c.* (a) *ad 3 Tom. t. 2. qu. 69. a. 10. Disp. 157. c. 1.* (b) *ad h. l.*

errorem, vel exinde constat, quod Paulus leviora graviori perstringens elencho, hunc sine reprehensione solida & prolixa dimittit. At, inquit Vir magnus, D. C. *non opus erat reprehensione. Nempe baptismi susceptionem nequaquam mortuis, sed vivis injunctam fuisse & prodesse posse, aliunde & ex ipsa rei ratione baptismique institutione constabat.* Sed constabat etiam, profana symposia dominicæ cœnæ permiscenda haud esse; nihilominus Corinthiis id facientibus primam Christi institutionem ob oculos ponere necesse habuit Apostolus. Constabat utique, & quidem ut fidei principalis quidam articulus, resurrectionem mortuorum futuram, quam tamen negantibus Corinthiis haud unis obviam ire argumentis opus esse duxit Apostolus. Sed demus, potuisse subticere: quid dum eum nominat? *obsecro, an verisimile est, Sacrilegium, quo baptismus inquinaretur ac traheretur in abusum prorsus magicum, Apostolum protulisse vice argumenti, & non uno saltem verbulo notasse vitium? Cum de rebus non maximis agitur, parenthesin tamen inserit, se loqui secundum hominem: an hic parenthesi non erat aptior locus & opportunior? nunc quod sine ulla reprehensione commemorat, quis non recipiat tanquam licitum?* haud immerito scribit Calvinus. (c) instat Vir Magnus. *Neque vero Apostolus reprehensione penitus abstinuit. Ipse enim sermo & loquentis sive scribentis gestus indignantis & reprehendentis videtur esse.* At plus quam nudum indignantis sermonem aut gestum merebatur insignis adeo baptismi profanatio, inprimis si consideremus, quam graviter quamque solide contra eos egerit Apostolus, qui in levioribus deprehendebantur erratis, *v. g.* qui coram judicibus infidelibus scandalose litigabant, c. 6. qui libertate Christiana abutebantur, & ipsis quoque spiritualibus donis c. 8. & 12. Sive autem Catholicus error iste fuerit, sive particularis, nemo nostrum, opinor, credet facile, ex errore vel Hæreticorum, vel aliorum, quos hæretici postea sunt secuti, confirmare voluisse dogma fidei Christianæ Apostolum. *Secundo*, quia probatum nondum est, vicarium illum baptismum, quem ex suprema antiquitate Tertullianus & Epiphanius afferunt, tempore Apostoli fuisse receptum, quem, si fuisset, nec tolerasset, nec reticuisset Paulus, utpote per quem sacrosancta actio baptismi in ludicrum aliquod spectaculum convertebatur, & Deus ad baptismum præcise alligabatur, quasi in casu necessitatis absque baptismo defunctos in gratiam recipere vel non velit, vel non possit. Unica Ambrosii autoritas rei tantæ probandæ haud sufficit. Imo nec Ambrosius autor est commentariorum illorum, sed Hilarius diaconus Romanus. Epiphanius morem hunc Cerinthianis, Tertullianus Marcionitis tribuit; at nec hi, nec illi, tempore Apostoli vixerunt. Quod abs Cerinthianis factitatum esse creditur, non statim factum est tempore illo, quo cum Apostolis vixit Cerinthus. Et dato, sed non concesso, quod postulant nonnulli, ut saltem vivente Cerintho rarius & magis clam id fuerit factum; tamen non est credibile voluisse argumentari Apostolum ex facto clandestino & apocrypho, de quo palam non constabat, in Epistola catholica inscripta quidem Corinthiis, sed scripta omnibus ubivis locorum invocantibus nomen Jesu Christi, 1 Cor. 1: 2. uti non abs re monet Cloppenburgius. (d)

Nec probabilior multo videtur mihi sententia SECUNDA, quæ est EPIPHANII. Vix enim credibile, quod mos ille perversus baptismi in mortis articulum usque differendi Apostolico illo seculo jamtum inter Christianos invaluerit: & multo minus verosimile, Apostolum morem illum superstitiosum pro confirmando fidei dogmate voluisse allegare, quem sequioribus seculis ab orthodoxis Patribus acriter legimus reprehensum. Tertullianus enim, *Omne præterea,* inquit, (e) *cunctationis & tergiversationis erga pœnitentiam vitium præsumtio intinctionis importat, certe enim indubitatæ veniæ delictorum medium tempus interim furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendi.* Et Nazianzenus; (f) *Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua majori cogamur, ne beneficium tanquam injuriam prorogemus, nec exspectemus, ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur: nec graviori onere premamur, quam vires nostræ ferre queant, ne una cum navi aquis obruamur, ac baptismi gratiam naufragio amittamus, ac, dum plura spe atque animo concipimus, omnia perdamus* &c. Deinde, nec sensum hunc sermonis Græci natura admittit. Νεκρὸς *mortuum* designat, non *morti vicinum.* Et aliud est *mortis causa*, aliud *baptizari pro mortuis.* Non hic mortui, vel moribundi, sed alii pro mortuis baptizari dicuntur. Quod de *statu mortuorum* afferunt Estius & Vossius, subtile magis est quam solidum. Neque enim νεκρὸν mortuorum statum Græcis denotat, nec Paulo quæstio est de statu mortuorum, sed ipsis mortuis defunctis.

TERTIAM, quæ HIERONYMI est, non admittit particula ὑπὲρ, quæ vult, ut alii sint qui baptizantur, alii mortui, pro quibus.

QUARTA autoris EJUSDEM & vim infert textui originali, & eadem cum priori premitur difficultate, quam ob causam à nullo fere allegata hactenus est.

QVINTA eaque CHRYSOSTOMI qua repræsentationem mortis atque resurrectionis typicam in Baptismo fieri solitam ad eundem impingit scopulum. Et certe nimis durum est dicere, eum pro mortuis baptizari qui mortuorum resurrectionem aliquo modo repræsentat. Nec quod de recitatione Symboli initiandis injuncta affertur, ad rem quicquam facere videtur. Aliud certe est, *baptizari in symbolum de resurrectione mortuorum*, aliud *baptizari pro mortuis.* Præterea dubium adhuc est, an ætate Pauli Symbolum fuerit confectum, & à baptizandis requisitum. Non equidem ignoro veterum hac de re sententiam. Citatur Ambrosius, qui *Duodecim*, inquit, (g) *Apostolorum Symbolo fides Sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes clavem suo consilio conflaverunt.* Sed dubitandum omnino, an hi sermones auctorem agnoscant Ambrosium. Reperiri eorum aliquos inter Sermones Augustini certissimum est. Primus inter Ambrosianos est apud Augustinum de Sanctis XXXI. & secundus XXXIII. vigesimus quintus est nonus Augustini, & hic ipse, quem sub manu habemus, trigesimus octavus est inter Augustini sermones de tempore septuagesimus tertius. Citatur ergo Augustinus, (h) cui tamen suppositos esse sermones de tempore non dubitant affirmare Viri magni. At Ruffinus (i) diserte scribit, discessuros ab invicem Apostolos normam prædicationis in commune contulisse & Symbolum communi consensu composuisse. Cui concinit Leo I. Episcopus Romanus ad Pulcheriam Augustam (k) *Ipsius*, inquiens, *Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ est Apostolorum totidem signata sententiis.* Sed probari id non potest, nec ratio est quæ persuadeat, quemque Apostolorum exiguam istiusmodi particulam ad Symbolum illud contulisse. Dubium interim non est, quod prædicatum sit ab Apostolis & exacte cum doctrina Apostolica consentiat, uti probatum dedimus alibi. (l) Id quoque satis certo constat, quid inter omnia Symbola sit antiquissimum. Ac proinde probabile valde est ab Apostolis vel simile quid, vel aliquid ejus promanasse, quod ab ipsorum discipulis, Viris Apostolicis, in hanc formam est redactum, ecclesiæ traditum ut Catechumenis proponeretur, atque sic per manus ad nos quoque propagatum. Sed demus, fuisse ipsis Apostolorum temporibus in usu, ut Symbolum requireretur abs tingendis, exinde tamen nondum conficitur, respexisse Paulum hoc loco ad illam fidei professionem. Primitus enim in ecclesia Apostolica simplex hæc forma à baptizandis exigebatur, *num crederent in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*: post Apostolorum seculum accessit demum illa, πιστεύω εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν, usque dum totum Symbolum, quod Apostolicum dicitur, à candidatis baptismi recitaretur, ut ex antiquitate prolixe confirmat Grotius. (m) Respuit insuper expositionem hanc articulus δεικτικὸς, innuens non pro quibusvis mortuis baptismum susceptum esse, sed certis individuis: at in fidem de resurrectione mortuorum baptizabantur omnes.

SEXTA, quæ SEDVLII est, præterquam quod *contorta* est ac non parum *violenta*, & *literam deserit*, & *Scripturæ* alioquin usitatum *Stylum.* Peccata in sacris literis dici ἔργα νεκρὰ ex Hebr. cap. 9: 14. constat, at nullibi vel νεκροὶ dicuntur *sine addito*, vel *cum articulo* οἱ νεκροί. De *personis* loqui Apostolum, non *operibus*, ex addito verbo *resurgendi* paret, quod operibus nulla ratione convenire potest.

SEPTIMAM, quam LVTHERVS affert, interpretationem utravis ego quidem manu apprehenderem, si consuetudo illa baptizandi super sepulcris mortuorum in cœmeteriis autoritate Veterum satis comprobata esset. *Cæterum* ut verbis B. Calixti utar, (n) *iste mos in nulla omnino historia vel anti-*

(c) *Ad h. l.* (d) *l. c.* §. 5. (e) *lib. de pœnit.* (f) *Orat. in S. baptisma.*

(g) *Serm.* 38. *ad pop.* (h) *serm.* 181. *de Tempore.* (i) *Præf. in Symb. Apost.* (k) *Epist.* 96. (l) *Serm.* 2. *qu.* 35. §. 3. (m) *ad Matth.* 28: 19. (n) *l. c.*

antiquitate sui aliquod vestigium reliquit, nec ullam habet verisimilitudinem. Obtinebat enim cum apud Judæos, tum Græcos & Romanos, ut sepulcra extra urbes essent. De Judæis res nota ex historia Evangelica Matth. 8: 28. Luc. 7: 12. Joh. 19: 14. Ab Atheniensibus M. Marcello, quamvis illustri Viro, qualibus tamen is honor Romæ aliquando habebatur, locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potuit Servius Sulpitius, quod religione se impediri dicerent, neque id antea cuiquam concessissent. Ita enim ad Tullium Ciceronem ipse perscribit Sulpitius 4. ad famil. ep. 12. Et ne de Corintho dubites; testis est Pausanias lib. 2. accedentibus ad eam occurrere in via tumulos cum alios, tum, prope ipsam portam, Diogenis Sinopensis quem canem Græci appellarunt. Nemo itaque sibi persuadeat, Apostolico seculo defunctos, ut hodie fieri amat, à Christianis intra sacras suas ædes vel prope eas (quamvis nec ipsas illas, cum Apostolus scriberet, habebant) humari consuevisse. Sepeliebantur qui lautiore erant fortuna, in suis fundis, hortis vel agris, &, si fieri posset, secundum vias publicas. Christianos hic quicquam innovare vel mutare nihil attinebat; neque vero leges, neque consuetudo permittebant. Quis autem credat, illos baptismum collaturos urbibus exivisse, &, desertis congressibus, quos in domibus instituerant, sub dio & in viis publicis Sacramentum administrasse? Inprimis cum ritus Sacramentorum ecclesiasticorum, si non Apostolorum, aliis tamen proxime subsecutis temporibus, gentiles & profanos, quam maxime possent, celatum irent. Inde totiens Chrysostomus; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Quæ ex *Eusebio, Augustino, Prudentio & Onuphrio* pro confirmando hoc Veterum ritu adducuntur ab auctoribus, aliena sunt, nec probant quod probare debent. Apud *Eusebium* Epistola Smyrnensium de martyrio Polycarpi in Græco (o) ita habet; Ἰδὼν οὖν ὁ ἑκατοντάρχης τὴν τῶν Ἰουδαίων γινομένην φιλονεικίαν, θεὶς αὐτὸν ἐν μέσῳ, ὡς ἔθος αὐτοῖς, ἔκαυσεν. οὕτως τε ἡμεῖς ὕστερον ἀνελόμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμότερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτοῦ, ἀπεθέμεθα, ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν. ἔνθα, ὡς δυνατὸν, ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, εἴς τε τὴν τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἄσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν, hoc est, (p) *Cum ergo Centurio contentionem Judæorum cerneret, positum corpus in medio, sicut mos ipsis est, combusserunt. Atque ita nos tandem ossa illius pretiosis lapidibus pretiosiora & auro probatiora nacti, condidimus, ubi id fieri decebat: ubi etiam, quoad fieri potest, congregatis cum exultatione & gaudio Dominus natalem martyris sui diem, cum ad memoriam eorum qui antea certarunt, tum ad futurorum præparationem celebrare largietur.* Quis hic illius consuetudinis vestigium advertit, qua baptizati olim dicuntur Christiani in cœmeteriis super sepulcra mortuorum? Nihil aliud ex Smyrnensium verbis habemus, quam cœpisse jamtum Christianos *martyrum passiones & dies,* uti Cyprianus loquitur, *anniversaria commemoratione celebrare,* cujus moris hinc inde meminerunt Veteres. Refert de Gregorio Thaumaturgo Gregorius Nyssenus, (q) *instituisse* illum τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνηθληκότων τῇ πίστει πανηγυρεῖς, *conventus in honorem eorum, qui pro fide decertassent:* Καὶ διαλαβόντες ἄλλος ἀλλαχῇ τῶν μαρτύρων τὰ σώματα, κατὰ τὴν ἐτήσιον τοῦ ἐνιαυσιαίου κύκλου περίοδον συνιόντες ἠγάλλιον τοτῇ τιμῇ τῶν μαρτύρων πανηγυρίζοντες, *cumque alius in alium locum corpora martyrum detulissent, per anniversarium annui circuli ambitum congregati exultabant in honorem martyrum diem festum celebrantes.* Consonant, quæ habet Gregorius Nazianzenus, (r) Τοῖς μάρτυσι τῆς ἀληθείας πανηγυρίζομεν, ἵνα ὧν τοὺς ἀγῶνας τιμῶμεν, μιμώμεθα τὴν εὐσέβειαν. *In honorem testium veritatis* (martyrum) *diem festum celebramus, ut, quorum veneramur agones, eorum sectemur pietatem.* Hæc ad Eusebium. Nihilo plus lucrantur his *Augustini* verbis: (s) *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioqui nec ad altare fieret eorum memoria in communione corporis Christi: nec aliquid prodesset ad ejus in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est.* De *baptismo ejus,* h. e. Christi, loquitur Augustinus, non de baptismo pro mortuis, nec vel levissimam *sepulcrorum* aut *baptismi super sepulchris administrati* mentionem facit: sed de regno Sanctorum cum Christo per mille annos sermonem faciens, probare vult Sanctos demortuos pertinere ad illud regnum, quia mysteriorum divinorum participes facti sint. Advertit hoc B. Walterus, quapropter *Ex his,* inquit, *verbis quomodo possit evinci super mortuorum tumbas alios esse baptizatos, & quidem tempore Apostolorum, ipse quoque non video.* Prudentii, *Poëtæ,* auctoritas non cogit. At sit: fuerint tempore *Prudentii,* qui sub finem seculi IV. vixit, baptisteria in martyrum sepulcris exstructa, non licet tamen argumentari à seculo Prudentii ad seculum Apostolicum, in quo usus baptisteriorum nullus fuit. Nam etiam post Apostolorum tempora primitus administratum esse in fontibus & fluminibus baptismum, testis est Walafridus Strabo, qui *Sciendum autem,* ait, (t) *primo simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes.* Postea processu temporis baptisteria instituta fuerunt, sed extra ecclesiam. Cyrillus Hierosolymitanus; (u) *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii.* Paulinus; (w) *Tu vero etiam baptisterium, Basilicis duabus interpositum, condidisti.* Tandem in parochialibus ecclesiis constituta. (x) *Onuphrii,* scriptoris recentioris, verba hæc sunt; (y) *Veteris ecclesiæ primitivæ Patres sua cæmeteria habuerunt. Ea 1 Cor. 15. B. Paulus innuit. Deinde, quia solebant ad sepulcra sanctorum martyrum, quorum Sacrosancta erat memoria, anniversario die passionis eorum convenire, ampla & capacia cœtibus publicis orationum loca cœmeteriis adjuncta etiam cœmeteria appellarunt. Legimus veteres Romanos Pontifices inter martyrum tumulos stationes, i. e. omnes actus publicos Pontificales celebrare consuevisse. Itaque hæc cœmiteria erant Christianis (quod & nunc sunt,) veluti templa & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur.* Non negamus, veteres ad sepulcra martyrum suorum subinde convenisse, ibique sacra celebrasse. Diserte enim Cassiodorus; (z) *Populus jejunans est egressus ad cœmeterium orationis causa,* Æmilianus Ægypti præses ita Christianorum Episcopos alloquitur apud Eusebium, (a) Οὐδαμῶς ἔξεσται οὔτε ὑμῖν, οὔτε ἄλλοις τισὶν ἢ συνόδους ποιεῖσθαι, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. Idem Eusebius memorat, (b) Maximinum aliquando conatum id Christianis adimere, cum eos dissipare vellet atque pessundare. πρῶτον, inquit, εἴργειν ἡμᾶς τῶν ἐν τοῖς κοιμητηρίοις συνόδων διὰ προφάσεως πειρᾶται. Pontius Paulinus (c) de Valeriani edicto contra Christianos loquens, *jussum est,* ait, *ut nulla conciliabula faciant, neque cœmeteria ingrediantur.* Itaque cœmeteria erant iis quædam veluti templa, quibus & postea suam dedere originem. Sed nec baptismum in cœmeteriis super sepulcra martyrum administratum esse apud Veteres usquam legimus, saltem ad preces ibi convenisse Christianos ex adductis probatur, quod non opus habebat operosa adeo demonstratione, qua Theologus quidam magnus D. D. utitur. Nec quæ sequioribus contigere seculis ad primum illud & Apostolicum tempus, quo cæmeteria ejusmodi nondum fuere in usu, referri merentur. Hactenus ergo mos baptizandi super sepulcris mortuorum in cæmeteriis ex certis aliquibus & fide dignis primæ atque purioris ecclesiæ monumentis probatus non est. *At,* inquit Vir summus Dn. D. Dr. *licet hujus ritus in historiis nusquam fiat mentio, tamen eum non obtinuisse in quibusdam ecclesiis inde non sequitur. Ab auctoritate negata in historiis non valet consequentia.* Hac ratione quidlibet pro quolibet ex antiquitate asseruisse laus fuerit, si dicere sufficiet. Ritualia ecclesiæ ex historiis & posse & debere constare alibi Vir summus ipse quammaxime urget, quem hic nulla addita probatione supponere miror, quod in quæstione est, nempe baptizasse Veteres in cæmeteriis, id quod jam supra retudit B. Calixtus. Unum addo; opponit D. Major (d) huic sententiæ inter alia, quod ly ὑπὲρ vix reperiatur apud Græcos, vel etiam Græcienses *localiter* acceptum. Sed in eo, quod pace Viri dixerim, errorem errat haut levem. Contrarium ex Homero, Pindaro & Luciano demonstrant Piscator & Schmidius, (e) quamvis quod adjicit Major; *Loca enim à B. Wolffgango Franzio aliisque adducta locatum & contentum exprimunt, non vero locum aut id quod continet,* non negaverim facile.

OCTAVAM, quæ BEZÆ est, sententiam quo minus admittam, non una sunt quæ obstant. Probabile certe non est, Apostolum à ritu sepulcrali, vel irreligioso, vel indifferente,

Cccc

(o) *Ex edit. Paris. Rob. Steph. an.* 1544. (p) *ex edit. Lat. Grynæi Basileens.* (q) *in vita ejus.* (r) *serm. de am. paup.* (s) *l.* 20. *de C. D. c.* 9.

(t) *De reb. Eccles. c.* 26. (u) *Catech.* 4. (w) *Ep.* 12. *ad Severum.* (x) *de consecr. dist.* 4. *c.* 106. (y) *de rit. sep. & cæmit. vet. c.* 11. (z) *l.* 5. *Hist. trip. c.* 3. (a) *l.* 7. *c.* 10. (b) *l.* 11. (c) *in act. pass. Cypriani.* (d) *l. c. c.* 3. §. 117. (e) *ad h. l.*

rente, ad resurrectionem argumentando consequentiam nectere voluisse tam infirmam. Abluebant enim pagani suos mortuos, qui tamen resurrectionem mortuorum, utpote fidei articulum, juxta cum ignarissimis ignorabant, de qua vix, nisi ex traditione fors, gustum perceperant. Deinde, nec Sermonis Græci natura patitur, ut verbum *βαπτίζομαι active* explicem, quia illud ipsum nunquam, nec in passiva, nec in media διαθέσει active usurpatur, sed semper *passive.* Locus, quem ex Actor. 9: 37. allegat Beza, nec qua phrasin, nec qua rem parallelus est. Ly ὑπὲρ enim plane ibi non habetur, nec βαπτιζόμενοι, sed λούσαντες. Non equidem nego, verbum *baptizandi* pro *ablutione* nonnunquam accipi, ut Marc. 7: 5. at coactum nimis est & à phrasi Apostolica alienum, *super mortuos baptizari* idem esse atque *mortuos* ipsos *abluere*. Nec Syrus voce עמדין tuetur Bezam. Participium enim illud est Conjugationis Cal sive Peal, ubi verbum hoc significat *baptizari*, licet alias in Hiphil sive Aphel significet *baptizare*. Prævidens hunc scopulum Paræus (f) sententiam quidem Bezæ cæteris anteponit, ita tamen ut verbi βαπτιζόμενοι vim & usum passivum retineat h. m. *Quid facient, qui pro mortuis abluuntur*, hoc est, *tanquam jam mortui & sepulcro mandandi*, quemadmodum eos dicere solemus haberi pro deploratis & derelictis, qui revera deplorati sunt ac derelicti; & in sermone vernaculo aliquem *v. g.* qui ex alto ceciderit & eo casu exanimatus fuerit, pro mortuo sublatum dicimus, hoc est, ut revera mortuum. Sed eadem manet in hac sententia argumenti Apostolici debilitas quæ in Bezæ. nec sensum hunc admittit phrasis Græca, imo respuit articulus τῶν. Vide supra (g).

NONA, quam GUILLAUDUS proponit, literam deserit, cui tamdiu inhærendum, quamdiu non obstat fidei analogia. Neque verbum *baptizari absolute* positum ullibi in Scriptura pro afflictione & morte accipitur, sed tantum *cum addito baptismi* nomine Matth. 20. Marc. 10. Luc. 12. Multo minus reperias in sacris literis mortuos poni pro doctrina de resurrectione mortuorum, ut *pro mortuis baptizari* idem sit, quod *pro adserenda doctrina de resurrectione mortuorum afflictiones pati.* Nec de nihilo videtur esse, quod sententiæ huic opponit B. Gerhardus (h); *Distinguit Apostolus factum eorum, qui super mortuos baptizabantur, à tropico illo baptismo crucis & calamitatum de quo vs. 30. agere incipit, ubi novum & à priore distinctum pro resurrectione argumentum profert. Quod si enim de baptismo crucis & mortis vs. 23. egisset, non in tertia persona dixisset; Quid faciunt? sed in prima persona seipsum iisdem annumerasset, cum & ipse periculis mortis propter Christi confessionem quotidie fuerit expositus.* Tileno reponimus, quod ὑπὲρ cum Genitivo in N. T. scriptura vix ullibi *præter, ultra* significet. Videatur Schmidius (i).

DECIMA, quæ BELLARMINI est & Papæorum plerorumque, absurditate omnes superat alias. Certe *baptizandi* verbum *preces & sacrificia* in sacris literis nullibi significat, nec nisi sensu valde absurdo significare potest: in sensu, si quis admitti potest, activo & reciproco nunquam ita usurpatum invenies. Deinde, quomodo in isto sensu, sive ad hominem, sive ad rem, Apostolus probaret resurrectionem? Neque enim sequitur, Christiani offerunt Sacrificium, orant, jejunant in gratiam mortuorum. Ergo erit resurrectio. Ut taceam, quod hæc expositio à non paucis Doctoribus Pontificiis rejiciatur. Videantur Mariana (k), Hugo de S. Charo (l), Cajetanus (m), Estius *non multum probabilitatis habere* dicit hanc explicationem (n) Benedictus Justinianus (o), postquam recitasset nonnullorum sententiam, quasi Paulus agat de sollicitudine illa, qua animæ piorum suffragiis juvantur, addit, *Nomen baptismi valde improprie usurpatur, ut fateri omnino necesse sit, hanc explicationem prorsus esse coactam & violentam.* Et nonnullis interjectis, *Non satis idoneè*, inquit, *hoc argumento mortuorum resurrectio probatur, possunt enim mortuorum animæ Purgatorii pœnis levari, etiamsi nulla futura sit resurrectio.* Hæc satis recte Justinianus. Nam futurus corporum resuscitandorum status, de quo loquitur Paulus, nil facit pro statu animarum intermedio, & quidem in purgatorii flammis expiabilibus. Hac ratione *baptizari pro mortuis* ex mente Pauli esset, se affligere jejunio & precibus, ut mortuorum cadavera resuscitarentur. Quod, si verum omnino esset, ad Purgatorii tamen tormenta vel remedia nihil faceret. Quæ in subsidium vocat Bellarminus, solida non sunt, nec causam ejus multum adjuvant. Primo triumphat autoritate *Ephremi, Petri Cluniacensis, Dionysii, Hugonis, Gagnei.* Sed triumphum canit ante victoriam. *Ephrem* Syrus fuit Edessæ Diaconus, cujus scripta Syriaca ne Hieronymi quidem tempore extitarunt nisi Græce Latineve translata. Quantum autem iis habendum sit fidei, quæ nonnisi per adversariorum manus eduntur multis modis mutata, mutilata, corrupta, testis est hic ipse locus Ephremi, quem absque ulla tali interpretatione Fevardentius vertit hoc pacto: *Et, si non est resurrectionis memoria, audi quid clamat Apostolus, dicens; Si omnino mortui non resurgunt, cur baptizantur pro mortuis?* tantum abest, ut expositionis illius genuinus auctor sit, quam illi affingit Bellarminus. Sed de scriptis Ephremi vide, si placet, Rivetum (p), Cocum (q), & Bellarminum ipsum (r). *Hugonem & Gagneium* pari fide allegat Adversarius. *Ille* enim per *mortuos* intelligit *peccata*, uti supra dictum. *Hic* baptismum quidem de afflictionibus explicat, sed non sponte susceptis. Verba ejus hæc sunt; *Mihi quoque videtur alius esse sensus, ut baptismus pro afflictionibus & supplicio sumatur, sicut Christus filiis Zebedæi dicit* &c. *Hoc modo ergo sensus esset, quid facient, qui baptizantur, hoc est, affliguntur pro mortuis, id est, pro asserta mortuorum resurrectione, pro qua morti se exponere non dubitarunt martyres. Petri Cluniacensis* & *Dionysii* auctoritas apud nos nulla, ut quorum temporibus superstitiones Papales Ecclesiam fere inundarunt. Testimonio humano divinum succenturiatur à Bellarmino ex *Marc.* 10. & *Luc.* 12. in quibus locis de *baptismo sanguinis* agi non negamus: at quid hic ad orationes & jejunia pro mortuis suscepta? Audi Estium, qui, *Refellitur ille Commentarius*, inquit, *quia baptismus iis duobus locis, qui allegantur, non significat afflictionem s. passionem quamlibet, sed vehementem, eamque forinsecus illatam aut irruentem: ut sunt in Scripturis undæ persecutionum ac tribulationum, quibus qui merguntur ac obruuntur, baptizari videntur. Hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut sunt orationes, eleemosynæ, & jejunia, quæ pro mortuis adjuvandis suscipiuntur, accommodari non potest. Quas si Paulus omnino significare voluisset, non dixisset, qui baptizantur, tanquam ab aliis, sed, qui baptizant seipsos pro mortuis: quomodo secundum Scripturam qui voluntaria subeunt jejunia, seipsos aut animas suas affligere dicuntur, ut Levit.* 16, 23. *& alibi.* Aliud omnino est, seipsum macerare jejuniis, vigiliis, lacrymis, atque sic veluti *immergere* operibus laboriosis & molestis; aliud *immergi* adversitatibus, aliunde veluti superinfusis, quomodo in locis adductis verbum *baptizandi* sumitur. Ut nemo seipsum baptizat sacramentaliter, sic Scripturæ stylo nemo seipsum macerando βαπτίζεσθαι dicitur. Auctoritati Scripturæ auctoritate *Cypriani* & *Nazianzeni* succurrere annititur Bellarminus, sed nisu frustraneo. *Cypriani* librum *de Disp. Cœnæ* parum memor sui allegat, quippe quem alibi (s) inter Scripta Cypriani supposititia ipse refert. Quod nos tamen non adeo urgemus. Patres, sicubi *pœnitentiam baptismum* vocant, non afflictionem externam, pœnitentiæ signum, sed ipsam intelligunt pœnitentiam. Et quidni ita vocitent, cum Scriptura ipsa nominet *Baptismum pœnitentiæ* Matth. 3: vers. 11. Marc. 1: vers. 4. *Cyprianus* quando dicit, *pœnitentem se baptizare lacrymis*, quid dicit absurdi? quis negat peccatorem sese tingere, mergere, abluere lacrymis cum ipsum mali vere pœnitet sui? nonne ipsa Scriptura *lacrymarum rivos & fluenta* nominat, quibus in pœnitentia rigantur boni Psalm. 6: vers. 7. Quod *idem Pater* alibi *mortem* pro Christo susceptam *baptisma* vocat, non pœnitentiæ, sed sanguinis confirmat baptismum, quem nos non negamus. *Gregorius Nazianzenus* quando alicubi scribit; Οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος. Οἶδα καὶ πέμπτον ἔτι τὸ τῶν δακρύων. *Novi baptisma quartum, martyrii nempe & sanguinis; novi insuper quintum, quod est lacrymarum, allegorice* loquitur atque *oratorie*, non *simpliciter* & *proprie.* Abs Patribus ad Scripturam recurrit Bellarminus, sed nihil in ea invenit subsidii. Purgatorii pœnam Scriptura nuspiam vocat baptisma; nec etiam ulla inter baptismum & Purgatorii pœnam est analogia. Verba Johannis Matth. 3. *Ipse vos baptizabit igne*, non sunt intelligenda de igne *Purgatorii*, sed *Spiritus Sancti*,

(f) *Ad* 1 *Cor.* 15: 29. (g) *Ad sent. III. & IV.* (h) *Loc. de mort. p.* 268. *Tom. VIII.* (i) *In notis ad* 1 *Cor.* 15: *vers.* 29. (k) *In Schol. ad h. l.* (l) *Ad h. l.* (m) *Ad h. l.* (n) *l. c.* (o) *Ad h. l.*

(p) *Lib. III. Crit. c.* 21. (q) *In Cens. pag.* 239. (r) *De Script. Eccles. n.* 365. (s) *De Script. Eccles. ad voc. Cyprianus.*

Sancti, prout ex adversariis ipsis explicant Conzenius (t), Lorinus, Toletus, Estius, Lapidensis (u), & Vasquesius (w). Baptismus Christi, qui fit igne, pertinet ad statum gratiæ; Purgatorium autem ad statum judicii. *Hieronymum* & *Basilium* hic frustra pro se allegat Bellarminus. *Hieronymus* enim id nunquam dicit, quod eum dicere vult Cardinalis. Ex alieno sensu, postquam probabiliorem adduxerat sententiam, hæc enunciat verba: *Sive, quia in præsenti Spiritu baptizamur, & in futuro igne.* Non dicit, in præsenti aut futuro *seculo*, sed per *præsens* actionem respicit præsentem baptismi administrati; per *futurum* autem efficaciam ex baptismo promanantem. Et si maxime ad præsens referas atque futurum seculum, non tamen, ex mente etiam ipsius Jansenii, alius erit verborum allegatorum sensus quam hic; in futuro igne, sc. judicii, hoc est, exacta probatione & examinatione judicii divini. *Basilii* liber *de Sp. S.* rejicitur à nonnullis inter scripta ejus dubia, vel saltem corrupta, uti videre est apud Perkinsium (x). In ejus medio inserta esse quædam, quæ characterem non redolent Basilii censet Erasmus. Sed quicquid de libro sit, mens auctoris ex verbis patescit. Ita autem scribit: Αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. Τὸ μὲν πυρὸς βάπτισμα τὴν ἐν τῇ κρίσει δοκιμασίαν λέγων, καθὼς φησιν ὁ Ἀπόστολος, Ἑκάστου ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει. καὶ πάλιν, ἡ γὰρ ἡμέρα, δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται. *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne. Baptisma ignis vocans probationem quæ fit in judicio, quemadmodum dicit Apostolus; Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit: & iterum; Nam dies palam faciet, quia in igne revelabitur.* Mireris Basilium, vel quisquis auctor est, locum clarum per obscurum explicare aggressum. Citat verba Pauli 1 Cor. 3: vers. 13, 15. quæ pro igne purgatorio etiam citantur abs Pontificiis. Locus allegoricus est & difficillimus, ut conqueritur Augustinus (y). Origenes quoque de eo disserens (z): *Locus est*, inquit, *difficilis & ad interpretandum nimii sudoris egens, ut cum primis secunda consentiant.* Et Bellarminus ipse, *Nota*, inquit, (a) *locum istum Apostoli 1 Cor. 3. esse unum ex difficillimis.* Patrum omnium non eadem est interpretatio. Tertullianus (b), Origenes (c), Cyprianus (d), Lactantius (e), Hilarius (f), Ambrosius (g), & Sedulius (h) per *diem* intelligunt *diem futuri judicii*, per *ignem* rigorosum illius judicii *examen*, & [quem quidam addunt,] ignem *conflagrationis universi*. Chrysostomus (i) de *igne æterno infernali* accipit, & per *lignum*, *fœnum*, *stipulam* intelligit *peccata mortalia*. Sequuntur hunc præter Theophylactum Græci in Apologia sua Concilio Basileensi exhibita. At Augustinus (k) & Gregorius (l) per *ignem* metaphorice *tribulationem hujus vitæ* intelligunt. Ipse Bellarminus (m) fatetur vers. 13. vocabulum ignis accipi non proprie pro igne materiali, sed examinis judicii divini. Requirit ergo indivulsa textus connexio & series, ut etiam vers. 15. de eodem igne sermo sit. De Purgatorio sermonem non esse satis liquido constat, quia Paulus agit de igne non purgante, sed probante & opera quidem, non operantes, nec operante nisi in die judicii, quem Purgatorium, ipsorum Papanorum sententia, antegreditur; imo nec vere, sed *quasi*, hoc est, metaphorice, ὡς διὰ πυρός; nec in omnes, sed saltem in doctores, architectos, ædificantes, plantantes, rigantes vim suam exserente, cum tamen ignis purgatorius & verus materialis ignis esse dicatur, & pro omnibus cum venialibus culpis decedentibus. Basilium primæ Patrum classi annumeramus, qui per ignem non Purgatorium, sed rigorosum judicii divini examen intellexerunt. *Bedæ*, quem ei adjungit Bellarminus, ignoscendum aliquid, vel potius seculo fumo purgatoriali jam obvoluto. Non negamus enim cœpisse jamtum sub ipsum seculi VII. initium à Gregorio Papa ignem Purgatorium in Ecclesia Occidentali defendi, uti ex ipsius dialogis constat, (n) Bedamque, qui seculo VIII. Cantuariensis fuit in Anglia Episcopus, Purgatorii extremum judicium antecedentis meminisse. Explicans enim locum 1 Cor. 3. (o) *Committunt quidam*, inquit, *venialia peccata, graviora & leviora, & ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est, in Purgatorio igne nunc interim ante diem judicii ponantur, ut, quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextra coronandi sunt, inveniantur.* Ubi tamen Purgatorium non ponit ob relictum aliquod debitum pœnæ temporalis, remissa culpa, sed ob peccata, quæ in hac vita non fuerunt dimissa. Ast *Epiphanius* Purgatorium nullibi succendit ignem. In loco à Bellarmino allegato *oratorie* loquitur de igne non *Purgatorii*, sed *infernali*. Postquam enim Novatianos ad resipiscentiam exhortatus erat, ultro subjicit; Εἰ δὲ μὴ, τὴν ἑαυτῶν πορευέσθωσαν. Τυχὸν ἐκεῖ τῷ πυρὶ βαπτισθήσονται τῷ τελευταίῳ, βαπτίσματι τῷ ἐπιπονωτέρῳ, καὶ μακροτέρῳ, ὃς ἐσθίει ὡς χόρτον τὴν ὕλην, καὶ δαπανᾷ πάσης κακίας κουφότητα. *Sin minus, eant viam suam. fortasse illic baptizabuntur igne illo ULTIMO, baptismate illo laboriosiore & longiore, quod exedit materiam ut gramen, & absumit omnis malitiæ levitatem.* Hæc *qui de igne Purgatorii accipiunt*, inquit Junius, *dum Novatianis impœnitentibus aperiunt Purgatorium, plane sapiunt Origenem, salutem damnatis post tempus promittentes.* Id vero in primis undiquaque falsum est, quod addit Bellarminus, explicationem hanc optime quadrare cum sequentibus. Nam nec Paulus vult, ut alii se affligant pro mortuis orando, nec ipse se afflixit prædicando. In periculis se positum esse profitetur, non autem, quod ipse se in pericula conjecerit. Nam qui amat periculum, peribit in illo. Ut taceam confundi per hanc expositionem argumenta Apostoli, quæ distingui debebant omnino, de quo vide Balduinum (p). Quod denique ad factum Judæ Maccabæi ex 2 *Maccab.* 12: vs. 45. à Bellarmino adductum attinet, notum est, libros illos *Apocryphos* esse & nullius fere in Ecclesia auctoritatis. *Legit quidem eos Ecclesia ad ædificationem plebis, non autem ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*, ut loquitur Hieronymus (q). At, si maxime demus, auctoritatem libri tantam esse, ut probando fidei dogmati sufficiat, Judæ tamen factum recte & ex ipsius mente acceptum nihil omnino favet orationi superstitiosæ pro mortuis. Non enim ille pecuniam illam Hierosolymam misit ad mortuorum delicta per sacrificia inde comparanda expianda, sed ad munera & sacrificia pro viventibus offerenda, & ad iram Dei erga ipsos placandam, ne peccatum ab iis, qui in prælio ceciderant, admissum [quod post ipsorum demum obitum cæteris innotuerat.] toti exercitui imputaretur & fraudi foret. In tali casu enim, cum cœtus Israelis per errorem peccasset, & res occultata fuisset ab oculis populi, legem habebant expressam Levit. cap. 4. de sacrificio offerendo, simulatque peccatum illud Ecclesiæ innotuisset. Quod Judæ consilium non assecutus Auctor hujus libri factum ejus aliorsum detorsit, atque ita curam pro mortuis, fœtum suum, illi sine justa ratione supposuit. Adde, quod Sanctes Pagninus diserte testetur, se clausulam illam de sacrificio pro defunctis non reperisse in autographo. Nec exstat in Josepho Gorionide Hebraice scripto, nec apud Josephum Græcum.

UNDECIMA, quæ HEINSII est, sententia non immerito à Dieu habetur pro *frigida*. Haud ignoramus quidem, infantibus in baptismo nomina data, adultis quoque nonnunquam mutata esse, fors ut ex nominis mutatione vitæ commutandæ argumentum desumerent, quæ conjectura vel ideo non est improbabilis, quod non cujusvis nomen, sed Apostolorum quammaxime, propter suam in eos propensionem, imponebant, ut ex nominis similitudine ad virtutum imitationem permoverentur. Hinc est, quod Dionysius Alexandrinus apud Eusebium (r) suis temporibus nomina Petri, Pauli, & Johannis creberrima fuisse testatur. *Johannis Apostoli*, inquit, *multos fuisse gentiles arbitror, qui propter singularem amorem, quo in illum ferebantur, propter admirationem, quam de eo habebant, & propter æmulationem, qua ad illum imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem amplexati sunt, quemadmodum nomina Pauli & Petri fidelium liberis crebro imposita fuerunt.* Et Nicephorus Callistus de cujusdam Johannis Asiatici scripto dubitatum esse memorans, num Johannis Apostoli esset, rationem addit hanc; (s) Πολλοὶ γὰρ διὰ τὴν πρὸς τοὺς Ἀποστόλους σχέσιν τὰς κλήσεις τοῖς ἑαυτῶν ἐτίθουν παισί. *Multi enim propter suam in Apostolos propensionem, nomina eorum liberis suis imponebant.* Sed nec universalis fuit illa consuetudo immutandi baptizandorum nomina, ut de-

(t) *Ad h. l.* (u) *Ad h. l.* (w) *Disp. CXL. qu. 66. a. 2. §. 21.* (x) *Prob. de Cathol. R. E. ement. pag. 20.* (y) *Ad Dulcitium qu. I.* (z) *Homil. XII. in Jerem.* (a) *Lib. I. de Purg. c. 5.* (b) *Lib. 4. cont. Marc. c. 2.* (c) *Homil. VI. in Exod.* (d) *Lib. IV. Epist. 2.* (e) *Lib. VII. Instit. cap. 21.* (f) *In Psalm. CXVIII. lit. Gimel.* (g) *In Psalm. CXVIII. octon. 8.* (h) *In 1 Corint. 3.* (i) *Homil. IX. in 1 Corint. 3.* (k) *l. c. & lib. XXI. de C. D. c. 26.* (l) *Lib. IV. Dial. c. 39.* (m) *l. c.* (n) *Lib. IV. cap. 25. & 39.* (o) *In Psalm. XXXVII.*

(p) *Loco citato.* (q) *In Prolog. Prov.* (r) *Lib. VII. H. E. c. 20.* (s) *Lib. VI. H. D. cap. 22.*

demonstrat Josephus Vicecomes (t), nec tempore Pauli apud Corinthios recepta. Certe non ex instituto divino, sed humana tantum adinventione baptismati ὀνομαθεσία illa ritualis, quam die lustrico peractam meminit Heinsius, accessit. Saulo Pauli nomen inditum, cum è Judaismo ad Christianismum transiret, sed non inter lustrandum. Vid. Actor. 9: vs. 17. Ponamus autem, fuisse ὀνομαθεσίαν illam Pauli tempore receptam, non tamen illa nisi impraegnans Apostolo suppeditare potuisset pro resurrectione mortuorum argumentum. Quae enim consequentia, surgent mortui, quia eorum nomina baptizandis imponuntur? at non omnia imponebantur nomina, E. nec omnes erant resurrecturi. Vel, si de resurrectione ad vitam sermo sit, etiam impiorum [v. g. parentum] subinde assumebantur nomina, ergo etiam impii ad vitam erunt resurrecturi. Praeterea, nec particula ὑπὲρ explicationem hanc admittit, ut quae nullibi significat, *sub nomine alius sibi indito.* Ingens certe inter has locutiones, *Baptizari pro mortuis*, & *Assumere in baptismo nomina mortuorum*, est discrepantia.

DUODECIMA, quam DIEU proponit, hypothesibus quibusdam superstructa est haud satis firmiter probatis. Supponit ille *primo*, Apostolum *in toto hoc capite agere de beata illorum resurrectione, qui in Christo obdormiverunt.* Quod si exclusive intelligit, uti omnino intelligere videtur, supponit id, quod adhuc est in quaestione, imo vel exinde improbabile est, quod non piorum tantum ad vitam, sed omnem omnino resurrectionem in dubium vocabant Corinthii; at eam adsertum it Paulus, quam illi ibant destructum. Utitur ille quidem argumentis ad resurrectionem fidelium probandam potissimum accommodatis, sed argumenta ea sunt, uti dici solet, *ad hominem*, quia res erat Apostolo cum illis, qui fideles esse & audire cuperent. His demonstrat, abnegata mortuorum resurrectione, & imprimis piorum, fidem everti omnem, atque fundamentum Christianismi convelli. Supponit *Secundo*, Christum contra Saducaeos ex verbis promissionis *Ego sum DEUS tuus*, potentissime inferre resurrectionem. At ego dixerim ex hoc Domini argumento. *Quorum Deus est Deus, illi vivunt. Abrahami, Isaaci, Jacobi* &c. E. &c. magis animae immortalitatem effici, quam corporum resurrectionem. De actuali enim mortuorum vita loquitur Christus, non dicens *vivent*, sed *vivunt.* At, inquis, de resurrectione diserte agebatur. Ita omnino est, sed quis non videt, Servatorem animae immortalitatem directe probando eadem opera indirecte probare resurrectionem corporum? ab illa enim haec pendet, & illam negasse videntur Saducaei, ut commodius hanc negare possent. Sed demus, resurrectionem corporum directe hoc loco probari, non tamen id fit ex verbis promissionis, sed propria Sadducaeorum hypothesi, uti occasio dictorum nos edocet. Dicebant Judaei, אין הקדוש ברוך הוא מייחד שמו על הצדיקים בחייהם: *Deus sanctus benedictus non tribuit nomen suum justis adhuc viventibus*, hoc est, Deus non dicitur esse Deus justi alicujus dum vivit, sed postquam est mortuus. Nimirum hoc volebant, nunquam de aliquo dicere Deum, *Ego sum illius Deus*, nisi post illius mortem in altero demum seculo: Judaei enim promiscue resurrectionem credebant. At Sadducaei contra, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, qui animam exstingui cum corpore docebant, & nihil hominis post mortem superesse, dicebant Deum esse Deum non mortuorum, sed viventium: id quod ex eorum hypothesi necessario sequebatur; alioqui Deus neminis unquam fuisset Deus. Assumit hoc eorum principium Dominus, *Falli Judaeos dicitis vos*, inquit, *cum DEUM dicunt mortuorum esse Deum. Esto; non sit Deus mortuorum, sed viventium: hoc vos ipsi docetis. Atqui Deus est Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi: hoc Deus ipse dixit, postquam erant mortui. Oportet igitur vivant illi: sed [apud vos maxime qui negatis animam extra corpus posse vivere] quo tandem pacto viventes dici poterunt, si nulla sit resurrectio?* Itaque medii tenebantur, ut, nisi vellent aut id verum negare, quod ipse Deus dixerat, aut proprio renuntiare dogmati, resurrectionem confiteri cogerentur. Hoc modo exponit Morus (u), quae rectissima omnium est expositio. Supponit *tertio*, baptismum obsignare promissiones foederis non vivis tantum & qui militant in terris, sed & iis qui post mortem triumphant in coelis. At obsignatio promissionum foederalium fit per fidem: Sicut enim se habet manus accipientis ad manum dantis, ita se habet fides ad promissionem: dat haec, illa accipit: relata sunt haec duo, quorum natura est esse simul. Beati vero post mortem non sunt actu credentes, quia fides hujus vitae est, non illius; viae, non patriae. 1 Cor. 13: vs. 13. Supponit *quarto*, mortuos cum viventibus, triumphantes cum militantibus unam eandemque constituere Ecclesiam, quod certe accurate non est dictum. *Triumphans* enim Ecclesia in coelis jam posita de Sathana, mundo, carne, inferno, hostibus devictis triumphos agit aeternos; at *militans* adhuc in terris in perpetua militia contra Satanam, mundum, carnem versatur. Illa *beatorum* est, haec *beandorum*; illa *perfectorum*, haec *perficiendorum*; illius suo modo concives sunt Angeli, hujus non item. Supponit *quinto*, beatos, qui in Ecclesia vivunt triumphante, ipse tantum adhuc salvos factos, complementum promissionum foederis continenter exspectare. At certe minus accurate etiam haec dicuntur. Nam promissiones foederis baptismalis in iis, qui in Christo obdormiverunt, impletae jam sunt maxima ex parte, non implendae restant. Nec [illegible] *se tantum* illi *salvi facti* sunt, [quod Rom. 8. de iis affirmat Paulus, qui adhuc sub cruce positi erant in militia,] sed re. Spes futurorum est: at beati ab Angelis in sinum Abrahae portati praesenti fruuntur gloria in coelis. Supponit *sexto*, Baptismum vivis collatum prodesse posse mortuis ad id, ut promissiones foederis iis obsignentur, cum tamen justus fide sua victurus sit, non aliena. Sed etiamsi omnes hae hypotheses abs nobis admitterentur, particula ὑπὲρ tamen non fert hunc sensum, quae constructa cum genitivo, ubicunque reperitur in Scriptura N. T. vel notat SUPRA *qua situm*, ut Lutherus h. l. explicat, *qua intervallum*, ut juxta nonnullos idem sit quod ULTRA; *qua excessum*, ut coincidat cum PLUSQUAM; vel PRO *defensive* Rom. 8: 31. *votive* Matth. 5: 44. *modaliter* Phil. 2: vs. 13. *compensative* 1 Cor. 10: 30. *vicario* Joh. 11: 50. *materialiter* Rom. 15: 9. vel PER *obtestative* 2 Thess. 2: 1. vel AD *finaliter*. Joh. 11: 4. Nulla harum ad praesentem explicationem quadrat, nec nobis licet novas particularum significationes pro lubitu effingere.

DECIMAM TERTIAM, quam VASQUESIO dedimus, *coactam* vocat atque *violentam* Justinianus; *ridiculam & explodendam* D. Major; *Frigidiorem & exiliorem videri* sibi *rationem ad probandam resurrectionem* scribit Lapidensis (w), idque non sine ratione. Quis enim persuaderi sibi patiatur Apostolum, qui contra ceremonias Mosaicas multis in locis agit, tempore N. T. quo illae umbrae desierant, haec urgere apud conversos gentiles, quae apud illos nunquam fuerant in usu? Et quae consequentia; Si non resurgunt mortui, cur se lavant, qui mortuos tetigerunt? Fuit ista ablutio etiam apud Ethnicos recepta, ut habet Kirchmannus (x), qui tamen resurrectionem mortuorum non crediderunt. Si cum Vasquesio reponas, etiam Gentiles ex fide resurrectionis aquas lustrales & purgatrices adhibuisse; falleris supra omnem modum. Universalis enim illa resuscitatio ex sola constat revelatione, non quidem ut praecise possibilis, sed ut actu est eventura. Locus *Syracidis* qua phrasin non est parallelus, quia non habet ὑπὲρ sed ἀπὸ. Ut taceam, *articulum* à D. Coccejo *adeo neglectum*, *ut ne quidem* in allegatione loci Paulini additus, fortassis nec in lectione observatus sit, quod tamen morosius haud urgeo, quia cum B. Tarnovio Dn. D. Schmidius articulo non adeo multum tribuit. Palmarium, quod, me quidem judice, obstat, quo minus Paulus respexisse dicatur ad ritum illum purgandi sese super mortuos Judaicum, est argumenti debilitas. Exemplum enim Judaeorum s. conversorum, s. non conversorum non poterat urgere apud Corinthios Apostolus: non horum, ut qui non erant fidei Christianae socii; non illorum, ut qui potius reprehensionem merebantur, quod, post comparitionem corporis, umbris istis atque ritibus typicis, contra Dei, ceremonias istas instituentis, scopum adhaererent. Auctoritas Dei in verbo suo ritum hunc instituentis non poterat movere Corinthios, ut crederent resurrectionem mortuorum, quia probatum nondum erat, necdum jam probatum est, *Deum hunc ritum eo fine*, uti loqui amat Vir Clarissimus D. S. *ut moneret resurrectionis mortuorum, & hac de causa, quia resurrectio mortuorum certo futura erat, instituisse.* Significasse pollutionem atque ablutionem illam legalem immunditiem atque mundationem nostram spiritualem ex Epistola ad Hebraeos edocemur, maxime ex cap. IX. notasse autem mortem & resurrectionem ex Scriptura hactenus nondum est demonstratum. Quae de sepultura eam in rem Vir Cl. affert, aliena sunt. Aliud est ablui ex contactu cadaveris, aliud sepelire mortuum. Ablutio illa spem purificationis spiritualis per Christum, Sepultura resurrectionis faciebat & obsignabat. Neque satisfactum video illi dubio, quod Vir Cl. sibi ipsi movet de cadaveribus bestiarum, ex quorum contactu itidem im-

(t) *Lib. II. de ant. bapt. rit. c.* 13. (u) *l. c.*

(w) *ll. cc.* (x) *Lib. I. de fun. Rom. c.* 7.

immundi reddebantur quondam Judæi, & abluere sese aqua cogebantur. Utut enim non propter bestias, sed homines legem hanc Deus dederit, tamen quomodo ex ablutione super cadaveribus bestiarum, resurrectio hominum inferri queat, fateor, me quidem hactenus penetrare non posse.

DECIMAM QUARTAM, quæ ALEXANDRI MORI cætera doctissimi Viri est, sententiam præ omnibus ego quidem amplecterer, uti simplicissimam & analogiæ fidei congruam; sed obstant *Metaphora* & *Enallage*, ad quas interpreti bono haud recurrendum facile. Nec videtur mihi *Scripturæ stylum* sapere, si per τὸν νεκρὸν, suppresso Christi nomine, intelligamus *Christum*. Ratio suppressi nominis & enallages abs Moro allegata solida non est. Demonstraverat enim jamtum Paulus invictis argumentis Christum resurrexisse, ut nemo facile suspicari posset, eum, licet aut νεκρὸς vocitaretur, aut indigitaretur nomine, ita mortuum esse, uti plane perierit. Nec idem videtur esse, *baptizari baptismo Christi*, & *baptizari* ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ, nisi velimus admittere, Christum ὑπὲρ ἑαυτοῦ baptismo sanguinis esse baptizatum.

SCHURMANNIANA, quæ DECIMA QUINTA est, explicatio, *geminum*, sine necessitate, *tropum* in textum infert, quod directe est contra regulas bonæ interpretationis. Nec facile crediderim, eos, qui ex opinione malevolorum *quasi mortui*, h. e. morte digni censebantur, Græcis dictos νεκροὺς sive mortuos. Ἀποθνήσκοντας *seu morientes*, h. e. qui singulis momentis periculo mortis veluti expositi eam exspectant atque subire parati sunt, eos vocat Paulus 2 Cor. 6: 9. sed non νεκρούς.

In CLOPPENBURGII, quæ DECIMA SEXTA est, sententia quod desideres hoc inprimis est, ut probetur Corinthi quosdam ex quingentis fratribus tempore Pauli ob fidem resurrectionis Dominicæ martyrium passos, & ad eorum memorias baptismum flagitasse vivos, de quo mihi quidem hactenus ex Historia nihil constat.

BROCHMANNI, quæ ULTIMA est, explicatio non una ratione improbabilis est. Deflectit ad Metaphoram, negligit cum antecedentibus & consequentibus harmoniam, nervum argumenti Apostolici infringit, pro Synonymis habet τί ποιήσουσι, & *quodnam admittent solamen*; βαπτίζεσθαι, & *dolere*, quæ juxta vulgarem Scripturæ stylum non sunt Synonyma. Imo vero si dolorem notat & luctum verbum βαπτίζεσθαι, ejusmodi notat, quo quis veluti submergitur, aut in abyssum desperationis rapitur, quem non poterat non in Christianis censura quadam notare Apostolus. Ut taceam, βαπτισμὸν crucem designare, non qua quis seipsum affligit, sed qua affligitur ab alio.

§. 3. Habes, Lector, potiores, si non omnes, loci hujus perobscuri, qui tot tantave torsit & exercuit ingenia, explicationes à Viris doctis datas, tam antiquas, quam recentes. Vellem equidem, si quid mea posset imbecillitas, hunc scrupulum & mihi & tibi eximere, sed *præstat*, quod & alibi scripsi, *loci hujus sensum sine crimine ignorare, quam aliquid cum discrimine definire*. Addam tamen, quæ conjicio.

Per τοὺς νεκροὺς hoc loco omnino intelligendos esse τοὺς κοιμηθέντας ἐν χριστῷ vers. 18. τοῦ χριστοῦ vs. 23. & articulus videtur requirere, & immediate antecedentia cum consequentibus volunt. Particula ὑπὲρ, ut supra dictum, cum genitivo constructa significat PRO, *defensive*. Illi ergo *pro mortuis baptizantur*, qui baptismo suo defendunt mortuos in fide beatæ resurrectionis, cujus baptismus Sigillum est. Nervus argumenti Paulini hic erit: *Si non creditis eos, qui in Christo obdormiverunt, resuscitatum iri ad vitam, cur defenditis eos baptismo vestro, dum eum in finem baptizamini ut promissio vitæ ab ipsis fide apprehensa, etiam vobis per fidem applicetur.*

Appono conjecturam aliam fortassis minus probabilem. Veteres in privatis ædibus, quos ut optimos sibi præ aliis charos habebant, sepeliebant. De Judæis res probatur exemplis Samuelis 1 Sam. 25: 1. & Joabi 1 Reg. 2: 34. De aliis Servius id tradit, (y) *Moris fuit apud Majores, ut qui mortuus esset, domum suam referretur & in illa sepeliretur.* Idem asserit Isidorus, (z) *Prius*, inquit, *quisque in domo sua sepeliebatur; postea vetitum est legibus.* Observat idipsum quoque Turnebus, (a) & illud insuper, *ab hac domestica sepultura ortum habuisse larium, cultum apud Gentiles*, & locum, in quo Dii domestici colebantur, *Lararium* appellatum: omnis enim ferme idololatria à mortuorum veneratione originem suam desumsit. In ædibus quoque privatis ab Apostolis sacra administrata legimus, in quibus baptizatum esse præfectum carceris, constat ex Act. 16. 33. &, uti sepulcrorum, ita quoque baptisteriorum, ubi illa primum ædificari cœperunt, loca privatæ singulorum ædes ac domicilia fuere, quod Imperatores, infensissimi Christiani nominis hostes, in capita fidelium gravissime sævientes, omnem publice construendi occasionem adimerent, ut ex Veterum monumentis id probavit Josephus Vicecomes (b) Hac ratione fieri potuit, ut (accedente superstitione quadam, quam, quia pia esset, dissimulavit Apostolus,) sepultus in ædibus fidelium charissimis ac optimis quibusvis, ὑπὲρ, hoc est, ὑπεράνω τῶν νεκρῶν in congressibus domesticis ecclesiasticis baptizarentur vivi, atque hoc modo Lutheri sententia aliquatenus manebit salva.

Sed vix ipse probo, quæ timide conjicio, ut qui nec montes pollicear, ne mihi forte à nonnullis partus muris objiciatur; nec mihi ullam hinc laudem aut venor aut auguror; nec denique meritas reprehensiones aut vereor, aut deprecor; id solum agere solicitus, ut in ardua hac materia tantum dicerem, quantum satis videretur esse ad aliqualem probationem. Si cui conjecturæ meæ minus placuerint, ipse meliora afferat, quod non solum absque ulla mea invidia, ut cum Spondano in materia haud undiquaque dissimili loquar, verum etiam cum magna gratulatione fuerit. Quapropter verbis hisce B. Calixti finio; *Quicquid sit, quicunque rectiora & certiora docuerit, is profecto magnam à nobis gratiam inibit.* (c)

(y) *In lib. V. Æn.* (z) *Lib. XIV. orig. cap. II.* (a) *Ad Cicer. lib. II. de LL.* (b) *Loc. cit. lib. I. cap. 6.* (c) *De immort. an. & res. carn. p. m. 60.*

TANTUM.

M. JOH. KINDLERI
DISSERTATIO
De ΘΗΡΙΟΜΑΧΙΑ Pauli ad I. Cor. XV: 32.

Σὺν Λόγῳ καὶ λόγῳ!

TEXTUS 1 Cor. 15: 32.

Ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ.

ΑΝΕΥ ΠΡΟΟΙΜΙΟΥ!

§. I.

Θηριομαχίας vox (quæ eſt nomen verbi θηριομαχεῖν in Scriptura N. T., & noſtro quidem loco, ἅπαξ λεγόμενον) duplicem obtinet ſignificationem, *propriam* aliam, aliam *Metaphoricam*, ad modum ſimplicis Θηρίου. Θηρίον *proprie* notat *feram* ſ. *beſtiam*, animal rationis expers, εἰδικῶς *Serpentem* ſtylo Scripturæ (α) & Scriptorum aliorum. (β) *Metaphorice* inter alia (quid enim juvat, ſcrinia Lexicographorum compilare & omnes ſignificationes, nobis hic nihil profuturas, apponere?) hominem, qui vitam tranſigit, veluti pecus, qui ἀταξίᾳ voluntatis, & ἀγνοίᾳ intellectus affectata infamis eſt, & præter faciem humanam vix aliud quid humani vel decori in ſe habet. Ita *Cretenſes* (mendaciis, fraudibus & diſſidiis adſueta luxuique dedita gens, & propterea inter τρία κάππα κάκιστα, numerata) EPIMENIDI, Poëtæ & Prophetæ Cretenſi, Θηρία vocantur, in verſu à Paulo (γ) adducto:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, ΚΑΚΑ ΘΗΡΙΑ, γαστέρες ἀργαί.

Similiter DEMOSTHENES (δ) Ariſtogitonem plus ſimplici vici Θηρίον, & *Demoſthenem* τὸ Θηρίον appellat ÆSCHINES (ε). Sic Hæreticos veritatem cœleſtem impudenter & contra conſcientiam στρεβλοῦντας *IGNATIUS* (ζ) Θηρία ἀνθρωπόμορφα nominat. Et cui non dictus θηρίου ſignificatus notus eſt? Hinc etiam in Pandectis ſacris impii, ob varia, queis vita eorum inquinata eſt, vitia, aliis atque aliis brutis comparantur, & ab his nomen ferunt, ceu noto eſt notius.

§. 2. Duplicem hunc θηρίου ſignificatum imitatur θηριομαχία vel τὸ θηριομαχεῖν. *In ſenſu improprio & metaphorico* indicatur conflictus ſeu concertatio cum hominibus perverſis, vitæque profligatiſſimæ. Hunc habemus apud *IGNATIUM* (η): Ἀπὸ Συρίας, ait, μέχρι Ῥώμης ΘΗΡΙΟΜΑΧΩ διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα. *Proprie* poteſt explicari vel *per* μάχην τῶν θηρίων, ubi feræ cum feris certant. Quo referri poteſt certamen Elephantis & Rhinocerotis (θ), Elephantis & Draconis (ι), Simiarum in India (κ) &c. nec non ſpectacula ferarum inter ſe certantium, quæ adhuc hodie in aulis principum, atque aliis civitatibus majoribus non raro exhibentur; vel *per* μάχην πρὸς τὰ θηρία, qua v. g. Athenienſes Beſtiis in agros irruentibus, iiſque & hominibus damna inferentibus, omnibus modis reſtiterunt, & πὺξ καὶ λὰξ, quod ajunt, contra illas pugnarunt. Quo de ita ISOCRATES (λ): τὸν πόλεμον ὑπολάμβανον ἀναγκαιότατον μὲν καὶ δικαιότατον μετὰ πάντων ἀνθρώπων, πρὸς τὴν ἀγριότητα τῶν θηρίων γιγνόμενον; vel *per* μάχην τῶν ἀνθρώπων μετὰ θηρίων, qua homines olim cum beſtiis, urſis v. g., leonibus, pantheris, canibus, &c. commiſſi, in ſpectaculis negotium habuerunt; Qui ipſi *Beſtiarii* (μ) dicebantur, vel *ad beſtias damnati* (ν) *aut pronunciati* (ξ); Quem ultimum ſignificatum *ex propriis*, ceteris inſuper habitis, nos hic reſpicimus. Et quoniam accuratior hujus θηριομαχίας notitia ſpecialiori noſtræ θηριομαχίας Paulinæ tractationi maximam lucem accendit, nonnulla de ea, ἐν κορυφῇσιν ἀκροχειριζόμενοι, in guſtum dabimus.

§. 3. Obtinuit autem hæc θηριομαχία olim maxime *apud Romanos*, non tam florente, quam inclinata jam Republica, & ab Afris, *P. FABRO* (ο) judice, origine hauſta. Primus illam Romæ introduxiſſe perhibetur *JUNIUS BRUTUS*, Conſul, in honorem Patris ſui defuncti (π). Frequentata autem deinde eſt ſub Imperatoribus Cajo Caligula, Nerone, *Tito*, *Trajano*, &c. ut vel ii norunt, qui vix primis labris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Civilis monumenta attigerunt. Atque his ſpectaculis Romani adeo oculos paverunt, ut non ſine inſigni animi delectatione iis interfuerint, & amphitheatra ſanguine humano plena videntes, quaſi cum Hannibale exclamarint: *O formoſa ſpectacula*, ut *Seneca* (ρ) verba hic mea faciam. Unde & paſſim apud Autores θηριομαχίαι tales *VOLUPTATIS* nomine veniunt (σ). Quo etiam ſpectant illa *PRUDENTII*:

Sanguinis humani ſpectacula publicus edit
Conceſſus, legeſque jubent, venale parari
Supplicium, quo membra hominum diſcerpta cruentis
Morſibus oblectent hilarem de funere plebem.

§. 4. Tria autem *Beſtiariorum* fuerunt genera. *Primum* illorum eſt, qui ſanguinem quaſi venalem habentes, ultro in arenam cum feris deſcenderunt, lucri quæſtuſque causa (τ). Quos *audaciæ* poſtulat *CLAUDIANUS* (υ) canens:

Audaces legat ipſa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula niſu.

Atque hi habebantur *INFAMES* (φ). *Alterum* eorum eſt, qui ob ſcelera & crimina enormia ad beſtias damnabantur, ut cum iis decertarent *armati*. Qui etiamſi unam vel alteram beſtiam proſtraviſſent, *ordinarie* tamen non dimittebantur, ſed tam diu cum feris pugnare compellebantur, uſque dum ab iis duri-

(α) *Actor.* 28: 3. 4. 5. (β) *V.* Joh. Caſpar Suicerus *Theſ. Eccleſ. T.* 1. *p.* 1399. (γ) *Tit.* 1: 12. (δ) *in orat. contra eundem.* (ε) *de Falſ. legat. & contra Cteſiphontem.* (ζ) *Epiſt. ad Smyrnenſes.* (η) *Epiſt. ad Romanos.* (θ) *vid. inter alios* Camerarius *in H. S. Cent.* I. *cap.* 25. (ι) *Conf.* Franzius *Hiſt. Animal. P.* 1. *c.* 4. *p.* 54. (κ) *Ex* Joh. Baptiſta Tavernier. Eraſmus Franciſci in der letzten Rechenſchafft / *p. m.* 1170. *ſeq.* (λ) *in Panathenaico p. m.* 526. *Opp. Iſocratis edit.* Wolfii.

(μ) Alexander ab Alex. *Gen. Dier. l.* 3. *c.* 5. *& adde* Andreæ Tiraquelli *Notas in h. l.* (ν) Salmuth *in Panciroll. P.* 1. *p. m.* 701. (ξ) *ap.* Tertull. *lib. de Reſurrectione Carnis.* (ο) *Semeſtrium lib.* 2. *p.* 88. (π) *v.* Roſinus *Antiq. Rom. p. m.* 489. (ρ) *L.* 2. *de Ira, c.* 5. (σ) *Lege Dn. D.* Zimmermannum *in Anal. Miſcell. p. m.* 108. (τ) *V. P. Faber. l. c. p.* 134. (υ) *De Mallii Theod. Conſulatu Paneg. v.* 290. 291. (φ) *L.* 5. *ff. de Teſtibus.*

duriter vexati & misere prostrati, spiritum emitterent, vel alio modo è medio tollerentur. (χ) *Tertium* denique constituunt, qui *inermes*, itidem ob crimina, ad bestias projecti sunt, ut ab illis dilaniarentur. His duobus modis posterioribus ad bestias dabantur *nequissimi servi*, aut hostes infestissimi, plerumque homines perniciosi & *immanes*, (ψ) ut *sicarii & venefici*, *falsæ monetæ rei*, *parricidæ*, *sacrilegi*, *abigei* (ω).

§. 5. Quemadmodum vero nullum est dubium, primi secundique generis bestiarios recte θηριομάχες dici, ita contra ultro citroque disquiritur, an nomen hoc tertii generis hominibus commode etiam tribui queat. Multi idipsum negant, eo quod objecti feris, ad eas dati sint, non εἰς μάχην, sed εἰς βορὰν, non ut pugnarent, sed ut discerperentur, & dilaniarentur. Verum & hos bene θηριομάχες vocari nobis persuasum habemus, rati, θηριομαχεῖν apud Græcos in genere dici, qui quovis modo cum bestiis in ejusmodi spectaculis rem habent. Favet nobis *SOPHRONIUS* (α), qui, ubi *IGNATII*, omni procul dubio εἰς βορὰν feris projecti, meminit, illum θηριομαχῆσαι κελευσθέντα dicit. Accedit, quod & bestiis objecti, quantum in ipsis fuit, iis restiterint, & sic decertarint; ubi etiam nonnulli interdum illæsi manserunt, ceu constat inter alia exemplo *Marici*, qui feris objectus fuit, sed ab iis non dilaniatus, unde stolidum vulgus inviolabilem eum credidit (β).

§. 6. Bestiis jam & Christianos nascentis Ecclesiæ sæpe & magno interdum numero sub Imperatoribus Romanis Ethnicis objectos esse, quis est, quem fugiat? Sicuti enim illi cœcis gentilibus ludibrium erant, & sudes in oculis, ita mille modis affligebantur, mille modis insidiis petebantur, & ad mortem violentam truculentamque quærebantur. Scilicet intempesta illa nocte procellæ turbinesque persecutionum Ecclesiam recens plantatam turbabant, nec in hoc mari apparebant Διόσκουροι. Inter alia vero mortis genera hoc non postremum erat, ut θηρσὶν αἱματοβόροις, prout EUSEBIUS (γ) loquitur, projicerentur præda. *CHRISTIANI ad Leones*: *Christiani ad bestias*, *TERTULLIANO* (δ) teste, frequens nequissimi Ethnicorum vulgi adversus Christianos eo tempore erat conclamatio. Hinc passim in Historia Ecclesiastica dicuntur ἀνακλιθέντες πρὸς θηρία, item θηρσὶν εἰς βορὰν παραδιδόμενοι &c. Objecti vero feris sunt vel in *Amphitheatris* (ε), locis illis *sanguinis & publicæ impietatis*, prout ea vocat ARNOBIUS (ζ), vel *etiam in ergastulis*, in quibus à Tyrannis fuerant detenti, & ad pœnam reservati. Objecti autem vel nudi vel retibus involuti, & ferarum pellibus induti, vel stipitibus alligati, vel etiam pedibus perforato lapidi & liquefacto plumbo infuso, inserto, subulisque candentibus in digitis manuum defixis. (η) Quin imo antequam objecti bestiis sunt, in *ferrea cathedra*, id est, craticula, suppositis prunis ardentibus, non raro sedere coacti sunt. (θ) Ubi tamen Pronœa divina miraculosa sæpius observata est, utpote, qua multi Christiani, à persecutoribus & blasphematoribus Christiani Nominis, bestiis objecti, omnino salvi & illæsi manserunt, bestiis è cavea emissis & in Christianos immissis, vel in eos, qui emittebant, & ad certamen illas incitabant, irruentibus, vel ad adspectum Martyrum protinus recedentibus (ι).

§. 7. Excludebatur autem à probroso hoc supplicii genere *ordinarie & de jure* apud Romanos *Civis Romanus*, vi Legis *Porciæ*. Quæ tamen Lex nonnunquam insuper habita est, quando scilicet alia causa extraordinaria intervenit. Luculento exemplo est *IGNATIUS*, Episcopus Antiochenus, qui sane Civis Romanus erat, (Antiocheni quippe, ceu notum est, jure civium Romanorum fruebantur) Antiochia tamen Romam pertractus, Leonibus objectus, & θηρίων βορὰ factus est. (κ) Ubi tamen illum in hæc verba erupisse constat: Ἄφετέ με θηρίων εἶναι βρῶμα, δι' ὧν ἐστι Θεοῦ ἐπιτυχεῖν. Σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ (λ). Causa Martyrii hujus fuit victoria quam de Parthis eo tempore reportaverat *Trajanus* Imperator, & qua superbiens populo, eximium hunc Ecclesiæ Doctorem bestiis objiciendo, spectaculum exhibuit. (μ) *Cajum Caligulam* itidem multos Romanos, eosque honesti ordinis non raro ad bestias damnasse testis est *SUETONIUS* (ν). Sic & noto notius est, eandem Legem Porciam virgas ab hominum Romanorum corpore amovisse, teste CICERONE (ξ); Et tamen Paulus, *Civis Romanus natus* (ο), iis subjectus fuit, unde etiam contra jus & fas se cæsum esse queritur (π). Causam fuisse plebis furiosæ tumultum, non male judicant ad h. l. Interpretes.

§. 8. Si de tempore, quo spectacula θηριομαχιῶν apud Romanos exhibita fuerunt, quæras, ex historicis liquet, quod *ordinarie* illa mense Decembri certis statisque diebus populo fuerint præsentata à Munerariis ad ea exhibenda electis & constitutis; Extra quos hujus mensis dies prædictis Munerariis munera exhibere non licuit (ϱ). Patet illud quoque ex Martyrio POLYCARPI, Episcopi Smyrnensis, quo de hæc EUSEBIUS (σ): Ἐπεβόων καὶ ἠρώτων (scilicet πᾶν τὸ πλῆθος ἐθνῶν τε καὶ ἰουδαίων τῶν τὴν σμύρναν κατοικούντων) τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον, ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα· ὁ δὲ ἔφη, μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια. Hoc tamen judicibus majoribus, ad quos jus gladii & ad bestias damnandi spectabat, non obstabat. Illis enim, quoties libebat, spectacula talia edere licebat. *Tempus autem diei ut plurimum* erat *Tempus matutinum.* Unde etiam *feræ matutinæ* dicuntur MARTIALI (τ) in versu: *Matutinarum non ultima præda ferarum.*

§. 9. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ de θηριομαχίᾳ in Genere apud Romanos admodum frequentata. Jam ad θηριομαχίαν Pauli in specie. Ubi evolvenda sunt duo, *primum* quo in loco θηριομαχία Pauli acciderit, & *deinde*, quo sensu veniat illa intelligenda, proprio an Metaphorico?

§. 10. *Locus* est Urbs Asiæ Minoris inclyta EPHESUS. ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ. Colebatur ibidem divino honore *Diana*, non illa venatrix, cincta & arcu armata, sed πολύμαστος sive multi mammia. (υ) Quam quanti Ephesinæ Urbis incolæ fecerint, colligi potest ex Actis Apostolicis (φ), & *PLUTARCHO* (χ) cujus scripta revera sunt, ὡς πλοῦτός τις τῶν ἀρχῶν, qui refert, quod à Pythagora (quem Ægyptios imitatum, Deos numeris appellare solitum fuisse, nemo nescit) Δυὰς vocata sit, & ita aliis Diis Deabusque prælata. Cæterum Ephesii erant inquinatissimæ vitæ homines (ψ), & male inprimis audiebant *propter artes Magicas*, quibus adeo famosi erant, ut & in proverbium abierint, librique Magicorum hominum inde dicti fuerint γράμματα Ἐφέσια (ω). Quisquis horum maleferiatorum Deam DIANAM injuria afficere videbatur, omnibus erat invisus, & cunctorum persecutione premebatur. Id quod Apostolus noster expertus est. Docente enim illo Ephesi Christum, & contra idola gentilium, Demetrius ἀργυροκόπος statim adversus eundem insurgebat, populumque concitabat, Paulum turbarum postulans, & ejusmodi sceleris, quo à vera religione homines abducere conaretur. Unde τάραχος οὐκ ὀλίγος oriebatur (α). Quæ oppugnatio ματαιολογίας Ephesinæ forte etiam causa fuit, ob quam ibi θηριομαχεῖν coactus est.

§. 11. Nunc tandem accessum facimus ad id, in quo cardo dissertationis nostræ versatur, ubi scilicet inquirendum est, propriene an figurate θηριομαχία Pauli sit explicanda? Ubi invenimus quosdam, qui nihil certi definire volunt, alios, qui figuratam locutionem esse contendunt, alios denique, qui proprietatem literæ urgent.

§. 12. Inter illos, qui nihil certi definiunt, referendus est *ERASMUS SCHMIDIUS* (β), cujus hæc verba hoc de loco leguntur: *Historia talis θηριομαχίας Pauli nullibi extat, ipsi tamen, referenti eam, merito creditur; Nisi forte τροπικῶς loquatur, & per θηρία hic intelligat Ephesinorum bestia-*

(χ) Salmuth *l. c. p.* 703. *seq. & Euseb. H. E. l.* 8. *cap.* 7. (ψ) *Alex. ab Alex. l. c.* (ω) Dionysius Gothofredus *ad L. XI. ff. de Pœnis.* (α) *De vita Ignatii.* (β) *Conf.* Petrus Faber. *l. c. p.* 68. (γ) *H. E. l.* 8. *c.* 7. (δ) *Apologet. & Exhort. ad castitatem.* (ε) *v. omnino D. N.* Joh. Fabricii, *Theologi Altorfini, Oratio de* utilitate, quam Theol. Stud. ex itinere capere potest Italico *p.* 19. *seq. ubi meminit Amphitheatri Romani, duabus insignioribus inscriptionibus memorabilis.* (ζ) *l.* 11. *adv. Gentes.* (η) Dilherr. *Elect. l.* 1. *c.* 23. (θ) Zimmermann. *l. c. p.* 110. (ι) Euseb. *l. c. & Centur. Magdeb. Cent. IV. c.* 3. *p.* 17. *& c.* 13. *p.* 837. (κ) Euseb. *Chron. ad A. X. Trajani, & H. E. l.* 3. *c.* 36. (λ) *vid.* Ignatii *Epist. ad Rom.*

(μ) *B. D.* Dannhawerus *Christeid. pag.* 292. (ν) *in vita ejus, cap.* 27. (ξ) *Orat. pro Rabir.* (ο) *Actor.* 22: *vers.* 28. *ubi confer B.* WALTHERI *Centur. Miscell. Theol. Num.* 33. *p.* 356. *& interpretes in h. l.* (π) *Act.* 16: *vers.* 37. *& legesis omnino CL.* I. E. BUTTNERI *dissert. de civitate Romana virgidemiæ exemta.* (ϱ) *Observante hoc ex Calendario Heerwarti Dn. D.* Zimmermanno *l. c. p.* 109. (σ) *H. E. l.* 4. *cap.* 15. (τ) *l.* 13. *Epigr.* 92. (υ) *V.* LAGUS *Comment. in Ephes. Proœm.* (φ) *c. XIX.* (χ) *de Iside & Osiride.* (ψ) *Conf. Alex. ab Alex. G. D. l.* 5. *c.* 18. *& jam laudatas* Tiraquelli *Notas.* (ω) Dilherr. *Eccl. Syr. p. m.* 355. *seq. I. H.* Ursinus *Anal. S. vol.* 2. *l.* 2. *c.* 5. *p.* 61. *seq.* Joh. Prætorius *in Alectryomantia, p. m.* 175. *seq.* (α) *Act. XIX. cap. cit.* (β) *Comment. in h. l.*

bestialem malitiam, cum qua decertandum ipsi fuit Ephesi, præsertim cum addat: κατ' ἄνθρωπον, *notans, se humano more appellare tales homines bestias.*

§. 13. Qui *figurate* hanc θηριομαχίαν exponunt, *certamen intelligi* ajunt *cum hominibus ferinis*, à Diabolo in scelera abreptis, & vitiis quasi coopertis, qui Ephesi Paulum insectati, & nihil non adversus illum moliti sunt. Digitumque sic Apostolum hic intendere volunt, vel ad *fervidas disputationes*, quas per tres menses habuit Ephesi cum incredulis, & duræ cervicis Judæis, vel *ad tumultum*, quem *Demetrius* cum aliis contra illum excitavit. Atque hæc sententia est ex veteribus *TERTULLIANI, HIERONYMI, OECUMENII, THEOPHYLACTI*, aliorum, quorum verba passim recentiores allegant; Ex Recentioribus CÆSARIS BARONII (α) EMANVELIS SAA (β) GAGNEII (γ) THEODORI BEZÆ (δ), WILHELMI ESTII (ε) HVGONIS GROTII (ζ), SVICERI (η), & ex Nostratibus B. D. DANNHAWERI (θ), GLASSII (ι), VRSINI (κ), & ex Helmstadiensibus HORNEII (λ), & aliorum quamplurimorum.

§. 14. Qui vero *proprie* hoc θηριομαχεῖν interpretantur, judicant Apostolum propter propugnationem & defensionem veritatis divinæ religionisque Christianæ, ad instar aliorum Martyrum non paucorum, ad bestias proprie sic dictas damnatum, cumque iis certare coactum fuisse. Huic sententiæ favent VIRI itidem Eruditissimi & Summi, præter *Patres* hinc inde citatos, CORNELIVS à LAPIDE (μ), Fr. FEVARDENTIVS (ν), LIGHTFOOT (ξ), MARLORATVS (ο), PARÆVS (π). Et ex Nostris Megalander LVTHERVS (ρ), B. ÆGIDIVS HVNNIVS (σ), B. FRIED. BALDVINVS (τ), B. WALTHERVS (υ), B. DILHERR. (φ) Magnif. Dn. D. CALOVIVS (χ), JOSVA (ψ) ARNDIVS, & alii, quos brevitatis ergo tacitus prætereo.

§. 15. Jam edisserendum est, cuinam parti sit accedendum. Fatemur omnino, utrobique summam autoritatem præsto esse; Fatemur & hoc, utrobique in medium afferri rationes non contemnendas; Ut facile & nos ἐποχὴν arripere possimus. Attamen quid nobis probabilissimum videatur, salva virorum secus sentientium, ὧν κλέος ὑψιποτᾶ, autoritate eloquemur. Subscribimus scilicet illis, qui θηριομαχίαν Pauli *proprie* intelligendam esse urgent. Militat pro nobis τὸ ῥητὸν textus, quod juxta πολυθρύλλητον illud axioma, sine urgente ratione, qualis hic nulla deprehenditur, deserendum non est. Non suadent contrarium vel antecedentia vel consequentia. Ipse potius contextus rite expensus proprietati favet. (ω) Adhæc Romanis, ut supra ostensum est, hoc supplicii genus insolens non fuit, quo & Christianorum plurimi multati fuerunt. Cur ergo seponamus literam? Et quem fugit, quantopere alias in Apostolos sævierint gentes, ut illi fuerint περικαθάρματα τοῦ κόσμου, καὶ πάντων περίψημα, ut tandem omnes, excepto unico Johanne ἐγκλήτῳ, purpurea morte decesserint ex hac vita? Vnde facile etiam fieri potuit, ut &, per sævitiam Ethnicorum, Paulus noster Ephesi ad θηριομαχίαν sit damnatus. Poterunt forte non male hic applicari illæ loquendi formulæ, quibus Apostoli dicuntur facti θέατρον (α), & θεατριζόμενοι (β), de quibus legi potest CL. DILHERR. (γ)

§. 16. Accedit & hoc, quod *NICEPHORUS* (δ) ex *libro Actorum & profectionum Pauli*, hanc pugnam cum bestiis commemoret, & verbis ἀξιομνημονεύτοις describat. Non ignoro quidem, *Nicephori* fidem tanti non haberi ab Historicis, esse illum, judicio *ISAACI CASAUBONI* (ε) *autorem vanissimum, futilissimum & fabulosissimum, nec συγγραφέα, sed μύθων καὶ λήρων ῥαψῳδόν.* Nec fugit me, librum illum, ex quo pugnam Pauli *Nicephorus* refert, haberi communiter pro Apocrypho & fabuloso; Attamen omnia propterea falsitatis & νοθείας in prædictis libris statim arguere, & cum BEZA (ζ) *nugarum nugacissimarum* nomine hanc in specie narrationem insignire velle, forte nimis durum & temerarium foret.

(α) *Tom. I. Annal. ad A. C. LV.* (β) *in h. l.* (γ) *in h. l.* (δ) *in Annot. Maj. in h. l.* (ε) *ad h. l.* (ζ) *in h. l.* (η) *loc. supra citato.* (θ) *Christeid.* προθέσεως *p. 8. Hermeneut. S. p. 258. & p. 161. seq. ut & Hagiolog. Fest. pag. 167. seq.* (ι) *Rhet. S. Tract. I. c. XI. p. 318.* (κ) *Anal. S. vol. 1. l. 6. c. 6. pag. 443.* (λ) *Hist. Eccles. p. m. 52.* (μ) *Ad Act. XIX. & 1 Cor. XV.* (ν) *in Irenæum, p. 454. b. fin.* (ξ) *Hor. Hebr. ad h. l. p. 249. seq.* (ο) *in Catholica expositione Ecclesiastica N. T. in h. l.* (π) *in h. l.* (ρ) *in Comm. Tom. Jenens. Germ. f. 248. & 249.* (σ) *in h. l.* (τ) *in h. l.* (υ) *Harm. Bibl. in h. l.* (φ) *Tom. I. Disp. Acad. p. 262.* (χ) *in illustr. Bibl. Germ. in h. l.* (ψ) *Lex. Antiq. Eccles. p. 614.* (ω) Walther *l. c. Harm.* (α) *1 Cor. 4: 9.* (β) *Ebr. 10: 33.* (γ) *l. c. nec non Elect. l. 2. c. 25.* (δ) *H. E. l. 2. c. 25.* (ε) *Exerc. I. ad Apparat. Annal. Baronii Num. 25. p. 84.* (ζ) *in Annot. l. c.*

§. 17. Illud vero jam inquirendum ulterius est, *quomodo* hæc θηριομαχία *sit facta?* Communiter nostræ sententiæ Patroni eo inclinant, quod Apostolus *bestiis*, à furiosis Ethnicarum superstitionum basiatoribus, *sit objectus* εἰς βορὰν, id quod sæpe Christianis usu venisse jam monuimus. Quibus tamen dicam scribere voluntalii, observantes, *objici bestiis & pugnare cum bestiis* (quod θηριομαχεῖν *proprie* notat) apud Autores maxime differre. Adducimus inter alios hac vice *MARLORATUM* (η) qui ita scribit: *Pugnabant ad bestias, non qui feris objiciebantur (sicut quidam falso existimarunt) sed qui damnati erant, ut commissi in certamen cum bestiis, populo spectaculum exhiberent. Bestiis objecti protinus dilaniabantur? Qui vero ad bestias pugnabant, armati in arenam prodibant.* Atque hic ipse vir etiam non obscure innuit, probabile sibi videri, vere Paulum cum bestiis pugnasse. Etsi vero hoc pro certo statuere nec possimus, nec velimus, cum, *quomodo* id factum sit, nec *Paulus* exprimat h. l., nec *Lucas* in Actis referat; Nostræ tamen sententiæ eo ipso nihil decedit. Constat enim ex superius dictis, θηριομαχεῖν apud Græcos etiam de iis dici, qui feris projecti sunt ad dilaniandum. Quid? si asseramus, Paulum θηριομαχῆσαι dici posse quod eo ipso, quo bestiis objectus fuit, tempore *precibus* Deum O. M. fatigaverit, iisque velut armis spiritualibus contra θηρία pugnaverit, & victorem egerit? Cave tamen hinc θηριομαχίαν Metaphoricam colligas. Respicimus enim ad θηρία, cum quibus decertavit Apostolus, quæ proprio sensu explicamus, *non ad modum certaminis*, qui potuit esse spiritualis. Facta E. esse potuit pugna armis spiritualibus contra bestias proprie dictas. Lucem huic rei fœnorari potest λεοντομαχία Danielis (θ), ubi Daniel pugnavit armis spiritus, *fide & oratione*, contra Leones proprie tales, nec tamen λεοντομαχία Danielis propterea dicenda est Metaphorica.

§. 18. Non igitur opus est, ut ad sensum Metaphoricum delabamur. Non quidem nego, apud *IGNATIUM* τὸ θηριομαχεῖν *Metaphorice* accipi; Sed hoc τοῖς ἐξ ἐναντίας in nostra controversia parum, quin nihil juvat. Nam θηριομαχίαν Ignatii Metaphoricam esse, vel ipsa ejusdem verba, ἐξηγήσεως ergo addita, & supra allata ὀφθαλμοφανερῶς demonstrant. Sed ubi tale quid invenis in loco nostro? Nec inficior, phrasin illam Apostoli: *Eripi ex ore Leonis* (ι) Metaphorice recte exponi. Sed tropum iterum ipse textus suadet, ut ita locus iste hic sit ὁ προσδιόνυσος. Ad *Disputationes autem Pauli* cum *Judæis agitatas* vel *ad tumultum Demetrii* perperam θηριομαχία Pauli accommodatur. Siquidem *illud* vim argumenti Paulini quasi retundit; *Hoc vero* vel ipsi textui contrarium est, clare testanti, Apostolum cum seditiosis ne verbum fecisse, imo nec comparuisse in ipso tumultu.

§. 19. Cum autem sententiam nostram οἱ ἀντιλέγοντες non paucis rationum momentis aggrediantur, eamque destruere laborent, operæ pretium erit, ea sub examen revocare, & expendere, quid in recessu habeant. Ordinabimus autem illa hoc modo, ut primum in aciem producamus, quæ *ex revelatione* petuntur, deinde quæ extra eam ex aliis causis afferuntur.

§. 20. *Prioris* generis argumenta fere hæc sunt: *Primum*: In aliis N. T. locis ne γρῦ ea de re inveniri, nec in Actis Apostolicis, nec in Martyrologio, quod Apostolus sibi ipsi alio loco (κ) consignaverit. Minime autem probabile esse, vel περιεκτικὸν λόγον, vel Apostolum ipsum (cumprimis, ubi sua duriora fata commemorare ingrediatur,) hoc adversitatis genus facile sævissimum silentio præteriisse. *Secundum* desumtum est, ex verbis textus: κατ' ἄνθρωπον. *SCALIGER* (λ) pro: κατ' ἄνθρωπον, παρενθέσει alias incluso, legi vult: κατ' ἀνθρώπων, ut huc redeat sensus: *Contra homines*, ut *bestias pugnavi.* Alii (μ) retinent τὸ κατ' ἄνθρωπον, sed illud etiam sine παρενθήκῃ legentes, hunc eliciunt sensum: *Contra hominem* (scilicet Demetrium) vel *contra homines* (per enallagen Numeri) *ut bestias* pugnavi. *GLASSIUS* (ν) vero verba hæc nostra παρενθέσει includit, & Elliptica esse statuit, subaudiendumque τὸ λέγω, atque sic ex tota phrasi: κατ' ἄνθρωπον λέγω, Metaphoricam θηριομαχίαν Pauli probare annititur. Verba ejus hæc sunt: Quid autem illud, κατ' ἄνθρωπον? *si verbum* λέγω *subaudiatur (uti illa Ellipsis etiam alibi occurrit 2 Cor. 9: 6. &c.) omnia recte se habent.* (scil. ad Metaphoricum sensum stabiliendum.) *Secundum hominem enim sive humanitus loqui se dicit Paulus, quando similitudinibus utitur, Gal. 3: 15. Rom. 5: 19. qualis & hic sermo est, Metaphorice conceptus.*

§. 21. Sed

(η) *loc. cit.* (θ) *Dan. VI. ubi conf.* DANNHAWERI *Hagiol. Fest. p. 569.* (ι) *2 Tim. 6: 17.* (κ) *2 Cor. 11: 23. seq.* (λ) & (μ) *ap.* Walther. *l. c.* (ν) *loc. alleg.*

§. 21. Sed ad hæc respondere difficile non est. Quod enim attinet *primum*, à silentio scripturæ S. petitum illud est, & eluditur ita: (α) *indirecte* per instantiam: Non meminit Lucas in Actis *trinæ* flagellationis, *trinæ* lapidationis, naufragii *ter* facti, quibus vexatus est Paulus, & quæ ipse memorat alibi. E. hæc certa non sunt? (β) *Directe* [1.] Ut Evangelia non sunt norma adæquata omnium factorum dictorumque Salvatoris nostri, Jesu Christi: (Dubium ex Act. I:1. solutum inter alios vide apud Joh. TOB. MAJOREM: (γ) Ita & Acta Apostolorum non sunt norma adæquata omnium rerum gestarum aut passionum Apostolorum. Non igitur, quia θηριομαχίας illius hæc non meminerunt, ea statim in dubium vocanda vel plane neganda est. [2.] *Martyrologium Pauli*, *quod* ipse contexuit, itidem omnia omnium calamitatum genera *explicite* referre sine fundamento asseritur. [3.] Noluit Apostolus repetere illam θηριομαχίας calamitatem in Epistola ad Corinthios posteriori, quoniam ejus jam fecerat mentionem in priori. [4.] Potest ea bene includi sub communioribus locutionibus, quibus asseverat, se fuisse πολλάκις ἐν θανάτοις, (δ) ἐν κινδύνοις ἐκ θανάτου καὶ κινδύνοις ἐν πόλει. (ε) [5.] Verbo: A silentio rei, uno in loco jam clare assertæ, in altero autem neglectæ, ad negationem ejus N. V. C Rr. *Ad secundum Diffiteri* nolumus, de sensu & interpretatione verborum: κατὰ ἄνθρωπον, magnam & litem & difficultatem esse, ita quidem, ut videantur πάντα τ' ἄναντα, κάταντα, πάραντα καὶ ὄχμια κεῖσθαι; Attamen eo nondum deduci nos patimur, ut à veritatis tramite recedamus. Quod enim *Scaligeri* interpretamentum attinet, frivolum illud est, in cerebello ejus confictum & lectioni omnium antiquissimorum & recentiorum codicum contrarium. *Medii* deseruntur propterea, quia contra fidem Codicum antiquissimorum παρενθήκην, qua verba: κατὰ ἄνθρωπον, includuntur, susque deque habent & removent. B. GLASSIUS τό: κατὰ ἄνθρωπον: recte quidem Ellipticum statuit: & τὸ λέγω subaudiendum esse urgere potest, sed phrasin tamen ipsam, κατὰ ἄνθρωπον λέγω, nimis angustis limitibus constringit, quasi tantum & ubique denotaret rerum momentosarum & captum nostrum transcendentium per similitudines propositionem. Notum enim est ex scholis Theologorum pariter ac Philologorum, phrasin prædictam non tantum in sensu συγκαταβατικῷ occurrere, quem Glassius hic ponit, sed & in μιμητικῷ, (quomodo Paulus κατὰ ἄνθρωπον loquitur, quando loquitur ex hominum indigne loquentium ore (ε) nec non per περιεπίπληξιν usurpari, ad avertendam invidiam, quando nempe quis compellitur quasi de rebus gestis suis dicere, modo ut asserat officii sui authoritatem, vel aliud quid, in cujus defensione multum situm est, stabiliat & confirmet. (ζ) Quam acceptionem ultimam etiam nos hic locum habere asseveramus tamdiu, donec probetur solide contrarium. Atque sic sensum dicti hunc cum *ESTIO* (η) facimus: *Si* [*hominum tamen more loquor, qui suas pugnas, è quibus gloriose evaserunt libenter commemorare solent,*] *cum bestiis pugnavi &c.* Possemus etiam cum LIGHTFOOTO (θ) dicere τό: κατὰ ἄνθρωπον esse idem quod: *ut homines alias cum bestiis pugnant, hoc ipso corpore humano.* Vel etiam τό: κατὰ ἄνθρωπον possumus exponere, ὅσον τὸ εἰς ἀνθρώπους ἧκον, cum CHRYSOSTOMO, (ι) aut cum OECUMENIO, (κ) ὅσον ἦν μοι δυνατόν. Quoc. jam ex his modo phrasis explicetur, non obstat tamen sententiæ nostræ.

§. 22. *Rationes* autem, quæ extra Sacram Scripturam contra sententiam nostram in medium afferri solent, sequentes sunt [A] *LEGEM* Romanorum *Porciam* obtendunt, prohibentem, civem Romanum, qualis & Apostolus fuerit, bestiis objici; Quod argumentum maxime urget RAYNOLDUS, (λ) addens, videri Paulum, si condemnatus fuisset, percutiendum gladio aut capite plectendum fuisse. [B.] MARTYRES ajunt olim bestiis fuisse objectos *inermes*, adeoque illis, consequenter & Paulo, θηριομαχίαν proprie tribui non posse; Quod cum aliis urget HORNEIUS (ν) [C] opponunt, τὸ θηριομαχεῖν apud scriptores antiquos etiam significare idem, quod negotium habere cum male *moratis pessimæque vitæ hominibus*; Quod est inprimis κοσσφύμενον HUGONIS GROTII. (ξ) [D] Observari docent, θηριομαχεῖν *non modo esse ad bestias pugnare, d. usque ad extremum spiritum more bestiarum pugnare*; Quæ explicatio arridet maxime GAGNEIO, (ο) ex toto inde dicto hunc sensum elicienti: *Si secundum hominem, quantum homini est possibile, usque ad extremum spiritum pugnavi pro defensione Evangelii, quid mihi prodest &c.* [E] denique conjiciunt, Authoritatem Pauli, si tali supplicio subjectus fuisset, apud populum facile detrimentum pati potuisse; in quo argumento se reperisse putat BEZA, (π) non quod pueri in Mida, cujus verba sunt: *Ut bestiis objici potuisse demus, at certe nunquam eo adduci potuisset, ut cum bestiis in Theatrum pugnaturus produceretur. Etenim si quid tale vel coactus admisisset, quæ fuisset ejus deinceps apud Ecclesias autoritas?*

§. 23. Verum & hæc argumenta in spongiam incumbere videntur. *Primum* Jus cum facto confundit. Debebat omnino de jure Paulus, ut civis Romanus, ab hac pœna esse exemtus: Sed quid non facit sæpius commota fervens plebecula bile? V. supra. Scilicet, quemadmodum, [non male sic conjiciente MARLORATO α] cum cædendus esset Paulus virgis, jus suum Romanum procul dubio ursit; sed in medio tumultus fervore à populo auditus non est; Ita etiam hic libertatem suam forte vindicare conatus est Apostolus, sed itidem verbis illius à populo, quem jam in transversum egerat furor, vacivæ aures negatæ sunt. *Secundum* (ρ) τὸ κελνόμενον sumit ut διδόμενον, & (σ) θηριομαχεῖν frustra contradistinguit τῷ *bestiis objici*; Quo de itidem supra aliquid monuimus. *Tertium* laborat Elencho consequentis, & concludit à particulari ad universale. *Quartum* nullo idoneo Autoris boni testimonio firmatum videmus. *Quintum* infringitur feliciter hac ἐν στάσει: Sic *nec virgis cæsus erit*, quia si quid tale admisisset, quæ fuisset ejus deinceps apud Ecclesias autoritas? Erat namque & hoc supplicium servorum. Ἀνακόλυθον. *Valeret consequentia Bezæ, si Paulus id fecisset ostentationis gratia, ut sæpe factum à levibus animis, qui venalem habebant sanguinem, & huic certamini suas operas locabant. At hoc fecit coactus à Tyrannis aut seditiosis hominibus; quæ est* ἐπίκρισις Excellentiss. Nostri STOLBERGII. (β) Notandum proinde, quod Autoritas Entheati hujus viri, uti reliquorum sanctorum DEI Hominum, pependerit à sincera & confidenti verbi divini doctrina & defensione, quæ per persecutiones & vexationes Gentilium, ἀπηλλοτριωμένων τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένων τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, καὶ ἀθέων ἐν τῷ κόσμῳ, (τ) inclinari aut convelli apud χριστοφίλους neutiquam potuit.

§. 24. Atque hæc ὡς διὰ βραχέων pro paupertate scientiæ meæ de θηριομαχίᾳ Pauli dicta volui. Omnia pro veritate. Si res eo, quo decebat, modo evoluta non est, teneritudini ingenii id condonetur, si minus recte aut apte quid prolocutus fuerim,

Id fiet indictum, & limam patiatur amicam.

NB.

Verba *Prudentii* §. 3. adducta habentur in ejus *Hamartigenia.*

Ἰησοῦ Κλέος.

(α) *Annot. in Acta Apostolorum pag.* 4. *seq.* (β) *vers.* 23. (γ) *vers.* 25. (δ) *Rom.* 3: 5. (ε) *V.* Dannhawerus *Hodom. Calvin. P. I. pag.* 488. *Adde* Pasoris *Lex. pag.* 64. (ζ) *Comment. in h. l.* (η) *l. c.* (θ) *Hom.* 40. *in h. l. p.* 691. (ι) *in h. l. p.* 574. (κ) *ap. Danh. in Hermeneut. S. pag.* 161. *seq.*

(λ) *loc. supra cit.* (μ) *in h. l.* (ν) *in h. l.* (ξ) *in h. l.* (ο) *l. c. in Act.* 16: 37. (π) *in Colleg. Antiq. Græc. in N. T. voc.* θηριομαχία. (ρ) *Eph.* 2: 12.

M. ELIÆ WEIHENMAJERI

DISSERTATIO

De Paulino Anathematiſmo ad 1 Cor. XVI: 22.

I. N. J.



N ſacro *Novi Inſtrumenti codice* non paucos *Chaldæo-Syriasmos* reperiri hinc inde diſperſos, & lectio ſatis ſuperque docet, & Eruditorum conſenſus firmat. *Exempla* ſi deſideres, evolve ſaltem Euangeliſtarum monumenta, & facili negotio cognoſces: Servator noſter Jeſus Chriſtus cariſſimam Jairi filiam ſubita morte defunctam virtute divina excitaturus: Ταλιθὰ κοῦμι dixit, ut affirmat Marcus *cap.* 5: 41. teſtis fide digniſſimus; *Hanc* vero *phraſin eſſe Syriacam*, nemo, opinor, temere inficias ibit. Sic apud eundem Euangeliſtam *cap.* 7: 34. Syra dialectus jure ſuo ſibi vendicat *miraculoſum*, ut ita loquar, *vocabulum illud* ἐφφαθὰ, quo Chriſtus ſurdum balbutientem allocutus eſt, eoque prolato, è veſtigio auditum & loquelam miſero iſti homini reddidit. Ad eandem linguam, me haud invito, referas licet ex Matth. 21: 9. lætiſſimum illud Ὡσαννὰ, quod populus præ nimio gaudio exultans, ac Meſſiam ſuum aſina vectum, Jeruſalemque ex prædicto prophetarum ita ingredientem fauſtis acclamationibus proſequens, ſemel iterumque ingeminavit. Quin etiam huc omnino pertinent *illa mœrore pleniſſima verba*: Ἐλωῒ ἐλωῒ, λαμμᾶ σαβαχθανί; quæ Soſpitator noſter unicus ob totius mundi peccata ſumma cum ignominia cruci affixus, lamentabili prorſus miſerabilique voce exclamavit. Marc. 15: 34. conf. Matth. 27: 46. Immo neque epiſtolæ Paulinæ ejuſmodi deſtituuntur exemplis, (rarius tamen adhibitis.) Gentium namque Apoſtolus inenarrabiles motus, gemituſque à Spiritu S. in cordibus fidelium excitatos, ac ſummam illam filiorum Dei fiduciam, inſignemque erga patrem ſuum cœleſtem παῤῥησίαν vivis quaſi coloribus quodammodo depingens, Syram vocem ἀββᾶ textui Græco inſeruit, perinde ac ſi nulla alia propemodum Lingua patris nomen poſſet exprimi exactius ac ſignificantius. vid. Rom. 8: 15. Galat. 4: 6. Verum tantum exemplorum adduxiſſe ſufficiat. Omnes etenim Syriacas voces in N. F. occurrentes in medium afferre, nimis longum foret, adeoque reliquas, cum brevitati ſtudendum ſit, conſulto prætereo. Quocirca etiam de phraſibus ac conſtructionibus Syriacum Idioma redolentibus, in præſenti verba facere ſuperſedeo, B. L. ad *Philologiam Sacram* (l. 1. Tr. IV. Sect. II. Can. III. p. 234.) *Glaſſii*, & Dn. D. *Joh. Olearii*, *Theologi Lipſienſis, egregiam de Stylo Novi Teſtamenti diſſertationem a. 1668. habitam*, remittens. *Ego* vero in præſentia, miſſis aliis, *phraſin illam Syriacam* valde perplexam, & diuturna diſceptatione vexatam, atque à Paulo 1. *Cor.* 16: 22. literis mandatam; immo *integrum illum Anathematiſmum*, quem fulminis inſtar, in pertinaciſſimos Chriſti hoſtes Apoſtolus, divino Zelo percitus, emiſit atque evibravit, uberius paulo atque enodatius pro ingenii viribus explicare, animum induxi. Faxit autem Deus T. O. M. ut id ipſum peragatur FELICITER!

§. I.

JUvat in ipſo ſtatim limine textum authenticum una cum verſionibus aliquot præcipuis omnium oculis ſubjicere, quo in promptu habeantur verba, ſi quæ in ipſa ἐξηγήσει vel alleganda, vel ſub examinis incudem revocanda erunt.

Textus Orig.

Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθά.

Syrus.

ܡܢ ܕܠܐ ܪܚܡ ܠܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܢܗܘܐ
ܚܪܡ ܡܪܢ ܐܬܐ ܀

Verſio Latina Bezæ:

Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto anathema, maranatha.

B. Lutheri Verſio:

So jemand den HErren Jeſum Chriſt nicht lieb hat/ der ſey Anathema/ Maharam Motha.

§. II. Quia ad rem aliquam percipiendam non parum conducit ſenſum vocabulorum bene intellexiſſe, non male operam me locaturum arbitror, quando nonnulla commatis noſtri vocabula, ad inſtitutum noſtrum facientia, nonnihil ventilavero. Prius vero quam τὸ μαρὰν ἀθὰ explicemus, vocem ἀνάθεμα, utpote ordine priorem, aliquatenus expoſuiſſe, operæ pretium erit. Ἀνάθεμα igitur derivatur ab ἀνατίθημι (quod interdum ſignificat: removeo, ſepono, ſeparo;) adeoque ratione etymi atque originis ſuæ notat ſeparationem quandam, ſive rem ſeparatam & loco peculiari poſitam.

§. III. Hoc vero vocabulum apud quoſdam ſcriptores Græcos ſatis accurate diſcerni conſuevit ἀπὸ τοῦ ἀνάθημα, quod donarium vel donum Numini conſecratum atque in templo ſuſpenſum non raro ſignificat. Quod diſcrimen probe obſervavit inſignis ille Grammaticus Alexandrinus, Heſychius, quando in Lexico ſuo duobus hiſce vocabulis diverſos ac diſtinctos attribuit ſignificatus, & τὸ ἀνάθεμα quidem expoſuit ἐπάρατον, ἀκοινώνητον. τὸ ἀνάθημα vero κόσμημα. Ex Patribus diſcrimen hoc ἀνάθεμα inter & ἀνάθημα pluribus inculcat Chryſoſtomus, Homil. XVI. in Epiſt. ad Romanos; cujus verba adduxit Cl. Suicerus in Theſauro Eccleſiaſtico ſub hac voce ἀνάθεμα; ubi ſimilia etiam ex Zonara protulit.

§. IV. Præcipue vero accuratam iſtarum vocum diſtinctionem urget Cl. Salmaſius; *Græci*, inquit, *nunquam* ἀνάθημα *dixere pro* ἀνάθεμα, *ut hinc liqueat, aliud eſſe* ἀνάθημα, *aliud* ἀνάθεμα, *licet contra ſentiant viri in his literis doctiſſimi*. vid. B. Calovium in Bibl. Illuſtr. in 1 *Corinth.* 12: 3. ubi totam hac de re ſententiam Salmaſii pluribus verbis propoſuit.

§. V. Enimvero hoc dictarum vocum diſcrimen non ſemper & ubique apud Græcos Scriptores obſervari, tot contraria exempla, quæ apud Auctores occurrunt, ad oculum demonſtrant. Præterquam enim quod Helleniſtæ illas voces ſæpenumero confundunt, (id quod B. Calov. aliquot exemplis probatum ivit; cit. loc.) Patres quoque non pauci id diſcriminis minime obſervant, ut ex Theodoreto aliiſque loca quædam congeſta ſuppeditabit Theſ. Eccleſiaſt. Suiceri cit. loc. Quinimo Suidas quoque illam vocis ἀναθέματος ὁμωνυμίαν agnoſcit in Lexico: Ἀνάθεμα, inquiens, καὶ τὸ ἀνατιθέμενον τῷ Θεῷ, καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον. ἀμφότερα σημαίνει. λέγεται δὲ καὶ ἀνάθημα τῷ Θεῷ ἀνατεθειμένον.

§. VI. Præterea Clariſſ. Salmaſius dictarum vocum ſignificatum nimis anguſtis terminis conſtringit, adeo ut earundem uſus apud pleroſque Scriptores Eccleſiaſticos reclamet. Ne

dicam

dicam nunc de voce: ἀνάθημα, cujus varium apud Græcos usum & significationem multis exemplis monstravit laudatus sæpe Suicerus, c. l. ad quem B. L. remitto.

§. VII. Verum in τοῦ ἀναθέματος significationem ut exactius inquiram, scopo nostro fortean erit convenientius; hanc etiam vocem nimis stricte accipit Salmasius, dum nullam prorsus in ea devotionis vel maledictionis significationem esse contendit, ideoque reprehendit vulgatam versionem, quæ verbum καταναθεματίζειν Matth. 26: 74. *se devovere* vertit. Contrarium vero ex LXX. Interpp. & N. T. demonstravit B. Calovius in B. I. c. l. quod nimirum, τὸ ἀνάθεμα *sæpius pro maledictione, devotione & execratione*; vel etiam *pro maledicto & excommunicato adhibeatur.* Hinc secundum ipsum quoque Grammaticorum Coryphæum, Hesychium, (quem cæteroquin etiam in hac causa pro se allegat Salmasius,) ἀνάθεμα idem est quod ἐπάρατος, i. e. *maledictus.* Damus equidem haud inviti Salmasio, quod *proprie, primario & ratione etymi significet rem separatam & à reliquo corpore semotam.* Verum *tralatitie & ratione rei originem suam ab Hebræis habet*, adeoque *si vocis usum* spectes, ἀνάθεμα vocabulum μέσον est, quod in utramque partem accipitur, notante B. Balduino Com. in 1 Cor. 12: 3. videlicet tum in bonam, tum in malam partem, v. B. Calov. B. I. ad cit. loc. Sane hanc vocem *non solum in bonam*, (qua rem à communi usu segregatam & DEO consecratam, præsertim apud LXX. Interpp. notare suevit,) sed *etiam in malam partem* (qua *execrationem, maledictionem, abalienationem &c.* significat,) & quidem usitatissime sumi; multis exemplis probatum ivit Cl. Suicerus c. l. quem vide sis, si placet.

§. VIII. Convenit namque τὸ ἀνάθεμα cum Hebræo חרם hinc etiam perpetuo à LXX. Interpp. pro hoc adhibetur, teste B. Calov. l. c. eandemque ob causam Syrus τὸ ἀνάθεμα interpretatus est ܚܪܡܐ ut in h. l. aut ܚܪܡܬܐ quod cum Hebr. חרם una eademque gaudet radice, uti in aprico est. Et sumitur quidem vocabulum hoc triplici potissimum sensu in Scriptura Sacra, (quod ex Autore Aruch in voce חרם &c. annotat Johannes Lightfootus in Horis Hebraicis ad h. l. pag. 927.) I. חרמי כהנים, *Anathema vel devotum Sacerdotibus*, h. e. aliquid quod sacratum Deo necessario cesserit Sacerdotibus. II. חרמי גבוה, *Anathema vel devotum Altissimo.* Cujus exemplum habes, Levit. 27: vers. 28. &c. Ubi sic LXX. πᾶν ἀνάθεμα ἅγιον ἔσται τῷ κυρίῳ. III. חרם אשר יחרם מן האדם *Anathema quod anathematizatur ex hominibus*: de hoc Levit. 27: 29. ubi sic iterum LXX. πᾶς ὃ ἐὰν ἀνατεθῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, οὐ λυτρωθήσεται, ἀλλὰ θανάτῳ θανατωθήσεται. Omne Anathema aut devotum ex hominibus, non redimetur, sed morte morietur. Quidnam autem *est Anathema ex hominibus?* Respondit Author Tosaphoth: *Damnatus ad mortem à Synhedrio.* R. Salom. *Cum morti devoverit Israelita servum aut famulam suam Cananæos.* Si ergo primævam & propriam Anathematis hujus naturam inquiramus, fuit certe destinatio hominis alicujus noxii ad certissimam mortem & exitium. Hinc illud Chald. Paraphr. in Isai. 43. ult. ubi pro אתנה יעקב לחרם, *Tradam Jacob in Anathema*, reddit ille אמסר לקטלא, *Tradam ut occidatur.* Hactenus Lightfoot. Cujus verba hic adducere idcirco placuit, quod illa toti huic negotio insignem fœnerari lucem queunt.

§. IX. Quod si itaque ad præsentem, quem tractandum sumsi, locum fiat accommodatio, omnino in commate subjecto τὸ ἀνάθεμα in malam partem accipi, συνάφεια καὶ συνέπεια clarissime docent, ut adeo phrasi ista: ἤτω ἀνάθεμα, *extrema innuatur execratio, qua quis diris omnibus devovetur, à Deo ac communi Ecclesiæ corpore tanquam res execranda & abominabilis separatur, ad exitium destinatur, atque diabolo traditur.* Quemadmodum patres (apud Suic. c. l.) verba hæc Apostoli explicarunt. Ita namque *Chrysostomus* Homil. adv. Anomœos, t. VI. pag. 440. Τί ἐστιν ὃ λέγει ἀνάθεμα, ἀλλ' ὅτι ἀναθέσθω οὗτος τῷ διαβόλῳ, καὶ μηκέτι χώραν σωτηρίας ἐχέτω, γινέσθω ἀλλότριος ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ; *Theodoretus* ad h. l. ἔστω ἀνάθεμα, inquit, ἀλλότριος ἔστω τοῦ κοινοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, ὁ μὴ θερμὸν ἔχων τὸ φίλτρον περὶ τὸν δεσπότην Χριστόν. *Athanasius* Quæst. CV. de Parabolis Scripturæ t. II. pag. 427. verba Apostoli sic exposuit: χωρίσατε αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν πιστῶν, καὶ ἔστω κεχωρισμένος ἀπὸ τοῦ λαοῦ, ὁ μὴ πιστεύων. Loco huic παράλληλον est atque geminum, geminatum illud Apostoli ad Gal. 1: 8, 9. ἀνάθεμα ἔστω: ubi Pseudo-Apostoli atque Evangelii corruptores à Paulo itidem vocantur ἀναθέματα, hoc est, *res execrandæ, ac omnibus diris dignæ*; uti Balduinus loquitur in Comment. ad Rom. 9: 3. Præterea cum hoc & similibus Anathematismis Apostolicis insignem habent analogiam (si non originem inde deducunt,) illa ἀναθέματα, quæ olim in pravorum dogmatum autores & repertores in synodis promulgari solebant. Quo de ut & hinc ortis loquendi formulis consulendi sunt Suicerus c. l. aliique. Et tantum quidem de voce: ἀνάθεμα, annotasse sufficiat.

§. X. Progrediendum nunc quoque erit ad ἀνάλυσιν τοῦ μαρὰν ἀθά. Sic tamen, ut ante omnia de vocum istarum vera lectione solliciti simus, nec non ad quam linguam sive dialectum pertineant, prius dispiciamus; Quandoquidem plerique Interpretes hac in parte inter sese mirum in modum dissident.

§. XI. Quidam enim legendum esse putant, non Maran atha, sed מְחָרָם מוֹתָה *Macharam Motha*, ut sit pure Hebræum ex omni parte, idemque notet, quod alias Hebræum חרם aut Græcum ἀνάθεμα; quasi dicatur: *anathema sit & res addicta* מותה *morti*; hanc vero sententiam Erasmum & Bullingerum fovisse testatur B. Waltherus in Harm. Bibl. ad h. l. pag. 1142. Immo præter Erasmum in eadem opinione Bezam quoque fuisse, adseverat quidem *Cornelius à Lapide*; verum utrumque ab hac accusatione liberat, ipsisque injuriam fecisse Cornelium à Lapide, asserit B. Calovius in Bibl. Illustr. in h. l. ubi horum quoque verba legere licet. At vero hujus sententiæ B. Lutherum nostrum fuisse, nemo temere inficias iverit; id enim ex ipsius versione supra proposita liquido patet, præsertim vero ex scholio, quod subjunxit continuo & ita se habet: Bann auff Teutsch/ Anathema auff Griechisch/ Maharam auff Ebreisch/ ist ein Ding. Moth aber heisset Todt. Will nun S. Paulus sagen; Wer Christum nicht liebet/ der ist verdammet zum Todt. *Sihe Lev. 6.*

§. XII. Verum enim vero si dicendum quod res est, lectio hæc firmo stare talo vix poterit, eo quod longe aliter legatur in textu authentico, quem ut deseramus, nulla nos cogit necessitas, quinimmo ut eidem firmiter inhæreamus, graves sane habemus causas, ut infra patebit. Ne dicam nunc de nomine מְחָרָם quod nusquam in toto V. T. codice Hebræo occurrit, si recte memini. Quo tamen ipso haudquaquam tantum nobis arrogamus auctoritatis, aut eo progredimur audaciæ, ut propterea Theandro Luthero negligentiæ dicam scribere, sive ipsius versionem idcirco criminis falsi postulare præsumamus. Excusari meretur B. Vir, quod ex communi fere tum temporis eruditorum sententia aliter, quam quidem exemplaria Græca habent, legendum esse existimaverint, quemadmodum in rebus quibusdam aliis ipsi quoque evenisse videmus, à quo tamen etiam nostrates Theologi interdum discessionem facere non erubuerunt. Nec enim unquam Lutherus adeo ἀνυπεύθυνος esse voluit, quin ab ipso dissentire quandoque, in rebus præsertim successu temporis accuratius multo & exactius examinatis, liceret. Liceat itaque nobis etiam à Megalandro nostro Luthero, nunquam ob insignia in Ecclesiam DEI merita satis laudato, hac in re dissentire, aliamque commodiorem lectionem investigare.

§. XIII. Alii rursus tantum Hebraice legendum putant: Muharem-attha; quod D. Andr. Osiandro placet in Bibl. Gloss. ad h. l. (nisi forsan hic sphalma typographicum subsit, adeoque Maharem-attha legendum sit.) vel: מְחָרֵם אַתָּה, Meharem-attha, *Tu sis maledictus*, teste B. Walthero c. l. vel מַחֲרֵם אַתָּה Maharem-attha, ut itidem exponendum sit: *Tu sis maledictus.* Sed perperam hæ voces sic exponuntur, quoniam vox ista non *maledictum* sed *maledicentem* significat, adeoque in passivo potius, nimirum in Conjug. Hophal participio, legendum esset מָחֳרָם, si quidem interpretatio illa legitima esse deberet; Et tamen nondum conveniret cum voculis in Fonte positis. Quod dudum observarunt B. Glassius Philol. Sacræ Lib. I. Tr. IV. Sect. II. Can. IV. pag. 236. Waltherus c. l. Calovius B. I. ad h. l. Præterea stante hac lectione & expositione, inconveniens admodum foret constructio, quia videlicet in una oratione osores Christi & in secunda & tertia persona ab Apostolo anathemate percellerentur, in Græcis nempe verbis in tertia, in exoticis autem secunda persona, quod sane minime cohæreret, ut vel hoc quoque nomine repudianda videatur.

§. XIV. Ex adverso quidam *Maranatha* conjunctim legunt, & *unicam vocem Syriacam esse* putant, quæ sonet idem, quod apud Hebræos τὸ חֵרֶם, ac si vocabulum hoc esset τεχνικόν, quo animi execrantis magis notetur gestus, quam exprimatur sensus, uti hanc sententiam ex Beza & Mylio proposuit laudatus sæpe Waltherus c. l. conf. etiam Glassium c. l. Huic sententiæ præter Bezam & Mylium jam allegatos, teste Calvino, ad-

adstipulantur quoque Theodorus Biblianider, Bullingerus, Wolffgangus Capito, & ipse Calvinus; (nisi quod hi ex Chaldaismo potius, quam ex Syriasmo, vocabulum istud deductum malint; interim tamen reapse conveniunt, quoniam maxima dictarum dialectorum harmonia est, uti constat.) Malo istorum opinionem verbis Calvini, quæ leguntur in Comment. ipsius in h. l. p. 227. quam meis recensere: *Admonuit*, ait, *Bullingerus ex authoritate Theodori Bibliandri, Chaldaica declinatione Maharamatha idem esse quod Hebraicum* חרם, *& mihi aliquando vir felicis memoriæ Wolffgangus Capito idem confirmavit. Non est autem novum, Apostolos secus scribere has voces, quam lingua sua pronuncientur. Quum ergo anathemate damnasset Paulus eos qui Christum non diligunt: rei gravitate commotus, quasi sibi non satisfecisset, vocem addidit inter Judæos vulgarem & quam adhibebant in ferenda anathematis sententia; quemadmodum si Latine loquar, dicam: Ego te excommunico; quod si addam: Et anathema pronuncio; expressio erit vehementioris affectus.* Hactenus *Calvinus*. Quem κατὰ πόδα sequitur, & tantum non omnia ejus verba, suppresso quidem nomine, exscripsit *Augustinus Marloratus*, Commentar. ad h. l. Quibus omnibus *Reuchlinum* quoque adjunxit *Nicolaus Hemmingius*, Theologus Danus, Comment. in h. l. pag. 247. Quin immo ipse Hemmingius in illorum castra, rejectis aliorum interpretationibus, transit, insuperque vocabuli hujus derivationem & formationem ostendere conatur c. l. ubi: *Reuchlinus, inquit, Capito, Bullingerus, Calvinus, & alii multi doctissimi viri unam dictionem esse contendunt, eamque Hebraicam* (in quo discrepat à reliquis,) *sed nonnihil corruptam, integre enim dicendum esset Macharamatha; Chet quod Græcus in medio dictionis exprimere non potuit, omisit, & Mem mutavit in Nun* (*nisi forte error sit commissus à librariis,*) *unde Maranatha. Est autem hæc vocis compositio: Primum à Cherem fit Charama, & per reduplicationem finalem* (*quæ vehementiæ caussa fieri apud Hebræos consuevit.*) *Charamatha, ut à Jesu Jesuatha. Præterea præposita Heemantica litera Mem, fit* (מחרמתא) *Macharamatha: quo vocabulo significatur extrema excisio & execratio. Hactenus Hemmingius. confer quoque Balduin. Comm. in h. l. qui etiam huic sententiæ accedere videtur.*

§. XV. Enimvero quum μαρὰν ἀθὰ duas esse voces apertum sit, nullatenus ferendum est, ut unica tantum vox habeatur; etenim *vocem non esse unam, clamare omnes Codices, in quibus fiat diremtio*, testis nobis fide dignissimus est in promptu laudatus sæpe B. Waltherus c. l. unde jure merito castigatur in eo Bezæ sententia in notis Tremellio-Junianis: *Ita divisim in codice Syro scribitur, neque video, cur fides librariorum quibusdam hac in parte suspecta sit, &c.* Vide ap. Calov. c. l. integra verba. Præterea illa vocis hujus mutatio & formatio tortuosa admodum, nimisque insolens haud immerito videri possit, in qua forsan rigidiores Critici facile invenient, quod virgula censoria notandum judicent; nam quod *Mem* in illa voce mutatum fuerit in *Nun*, neque sufficienter probari poterit, nec eo ut confugiamus, est necesse, quum alia vocum forma in textu origin. sensum adhuc alium requirat. Hæc & talia si quis probe observet, sole meridiano clarius apparebit, abludere & à vera lectione & à genuino textus sensu, quæ in contrarium ab hujus sententiæ defensoribus longa serie disseruntur. Et annotabuntur paulo post quædam, quæ responsionis vicem in parte subire, in parte veram lectionem adstruere, ejusque evidentiam explicare poterunt. conf. infra §. XVII.

§. XVI. Tandem vero nostrarum omnino partium esse arbitramur, ut, missis aliorum sententiis, planum faciamus, quænam nobis hac super re arrideat sententia, quæve lectio genuina videatur? Asserimus igitur, omnium commodissime μαρὰν ἀθὰ, ut duas distinctas voces legi; easque, prout hic jacent, ad Syriacam dialectum quam proxime accedere, adseverare non dubitamus, quamvis cum Hebraismo nonnihil, præsertim quoad pronunciationem, convenire haud ægre concedamus cum D. Hieronymo in Ep. ad Marcell. (ap. Calov. c. l.) ubi: *Maranatha*, inquit, *magis Syrum est, quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonat.* Hanc vero lectionem comprobat textus Originalis in editionibus receptioribus; suffragatur Syrus interpres, qui distincte has voces legit; confirmant plurimæ versiones aliæ.

§. XVII. Equidem non nescio, Grotium, aliosque viros doctissimos, etiamsi alias cum nostra sententia faciant, duasque dictiones Syriacas esse τὸ μαρὰν ἀθὰ, libenter agnoscant, nihilominus tamen non ut duas voces, sed ut vocem ex duabus compositam junctim legere. Verum enim vero licet lectionem istam ἀποτόμως rejectam ac proscriptam non cupiam, distincta tamen harum vocum lectio multis parasangis huic anteferenda videtur, quippe quam fides antiquorum codicum muniat, multorumque eruditorum consensus confirmet. Codices quidem MSS. propriis usurpare oculis hactenus mihi non contigisse, ingenue confiteor, at vero hac αὐτοψίᾳ destituto poterit omnino sufficere testimonium oculatorum testium, quibus optimos antiquissimosque codices videre licuit. conf. quæ supra §. XV. ex B. Walthero & Tremell. produximus.

§. XVIII. Has vero voces esse Syriacas, non solum è recentioribus plurimi, verum etiam Patres & vetustiores affirmant, id quod Calvinus ipse fatetur *Comm. in h. l. Veteres*, inquiens, *fere omnes consentiunt, Syriacas esse voces.* ubi Hieronymi interpretationem continuo subjungit. Sic *Ambrosium, Hieronymum, Theophylactum, Augustinum & Haymonem* sensisse, testatur Andr. Osiander *ad h. l.* addantur omnino hisce *Chrysostomus*, & *Anshelmus*; ille à B. Walth. citatus; hic vero à B. Calovio.

§. XIX. Quibus recte constitutis, ipsam τοῦ μαρὰν ἀθὰ, ἀνάλυσιν & explicationem aggredimur; ad priorem itaque quod attinet vocem, nempe μαρὰν, constat illa ex affixo 1. pers. plurali *Nun* sive Syriace expresso: ܢ quod respondet Chaldaico נָא & Hebr. נוּ & *nostrum* significat; atque ex nomine ܡܳܪܝܳܐ quod in suffixi subjunctione τὸ ܐ & ܝ cum Sekopho amittit; hoc namque nomen non assumit affixa, sub hac forma, sed ܡܳܪܳܐ (vero Chaldæo-Syriasmum Excell. Dn. D. Sennerti, Senioris nostri venerandi, pag. 100. n. 5.) & denotat *dominum*, Chaldaice dicitur מָרֵא idemque est quod Hebræum אָדוֹן. & hoc modo μαρὰν rectissime redditur: *Dominus noster.*

§. XX. Grotius quidem nullum hic affixum agnoscit, sed simpliciter vertit: *Dominus.* מרן *Syris*, ait, *est Dominus, unde Syri Maronitæ, quia Christum* מרן *vocant; & Murrani Reges in Veteri Latio, &c. Hinc in Hispania solebat dici, ut historiæ narrant: sit anathema Marano & excommunicatus &c.* vide *Annot. ejus ad h. l.* de qua denominatione, quod obiter notem, etiam ap. Balduin. *Com. in h. l.* Wolffgang. Lazius *lib. I. de migrat. gentium*, nonnihil commemorat, dum; *ab hac*, inquit, *voce Maranitæ apud Palæstinos; Marani apud Hispanos appellati sunt, qui Christum agnoscere nolebant, vel ab eo defecerant.* Verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Quantumvis autem Grotio, utpote LL. Orientalium peritissimo, τὸ מרן apud Syros non minus olim, quam ܡܪܝܐ, in usu fuisse, facile largiamur, adeoque unica voce: *Dominus*, commode verti posse; non tamen idcirco nostra interpretatio: *Dominus noster*, (quam Hieronymus, & hunc secuti complures alii, amplectuntur,) improbanda venit, quippe quæ cum analogia Grammatica pulcre conspiret, nec genio linguæ Syriacæ repugnet, uti vel ex Syriaca N. T. versione abunde patet.

§. XXI. Hanc excipit nunc altera vox ἀθὰ, quam nonnulli Hebræam esse volunt; conf. Walth. *in h. l.* Calov. *in h. l.* Vero tamen similius esse videtur, si hæc quoque vox non minus, quam prior ex dialecto Chaldæo-Syriaca deducenda statuatur, præsertim quum אָתָה in Hebræo V. T. codice rarius occurrat, nec Hebraicum, sed proprie Chaldaicum sit, teste Buxtorf. *in Lex. Hebr.* Est igitur ἀθὰ 3. pers. præt. Conjug. Peal. & Syriacis quidem literis signatur ܐܬܐ quod convenit cum Chald. אֲתָה idemque notat quod Hebr. בָּא *venit*, ex בּוֹא.

§. XXII. Ex hac itaque resolutione Grammatica sensus emergit talis: *Dominus noster venit.* Sic μαρὰν ἀθὰ *Suidas* quoque exposuit in Lexico: τὴν ἑβραΐδα φωνὴν λέγεται, ἀντὶ τοῦ ὁ κύριος ἡμῶν ἦλθε. *Hesychius* vero: ὁ κύριος ἦλθε. sine pronomine ἡμῶν, (uti Grotius,) explicat.

§. XXIII. Ceterum quid sibi phrasi ista velit D. Paulus, potissimum nobis in præsenti erit dispiciendum. Equidem plerique lectionis & interpretationis postremæ patroni in eo consentiunt; *phrasin hanc*: μαρὰν ἀθὰ, *esse formulam, qua extrema quondam excommunicatio peragebatur, quaque Ecclesia indigitarit, de salute hominis hoc maledictionis fulmine percussi desperandum atque idcirco judicio Domini jamjam redituri ad judicandum, committendum esse.* Eamque præterea tertiam anathematis, quod Hebraice חרם dicitur, apud Judæos speciem esse asserunt; anathema namque instar generis distribuunt in נִדּוּי חֵרֶם simplex, (uti vocant,) & Maranatha vel Schamatha; hæc duo etenim vocabula unum

unum idemque sonare, unamque speciem esse, opinantur: Nimirum, quo opinionem istam plausibiliorem reddant, nec omni prorsus fundamento in antiquitate destitutam esse, sed multa ejus vestigia passim reperiri, ostendant, *partim* vocabulum שַׁמְּתָא, quo hujusmodi anathema vocent Thalmudistæ, huic accommodare consueverunt; hoc vero שמתא in eundem cum Maranatha sensum interpretantur שם אתא, *Dominus, sive Deus venit*; vel (quod Tremellio placet,) in imperativo: שֵׁם תא ut idem sit, quod *Domine veni.* (Nam τὸ שֵׁם *nomen* κατ' ἀντονομασίαν pro Tetragrammato, Jehovah, apud Hebræos usurpari, constat.) Ex his igitur duobus vocabulis, propter frequentem ejus usum, ipsis coaluisse videtur. *Partim* ad stabiliendam sententiam illam satis speciose prophetiam Henochi, (*Judæ vs.* 14. Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος, *&c.*) in populo Dei tum non ignotam adducunt, & ex hac prophetia formulam istam anathematis inter Judæos receptam, & à S. Paulo in nostro loco adhibitam, originem cœpisse putant. Hinc Grotium in Annot. ad hunc Judæ locum annotasse animadvertas licet: Pro eo (sc. ἦλθε κύριος,) Rabbini dicunt: שם אתה Syri מרן אתה conf. B. Calov. B. I. in h. l. Totam vero hanc sententiam uberius propositam & explicatam habes apud Drusium lib. VI. Præteritorum ad hunc, quem tractamus, locum pag. 246. Tremell. in not. ad h. l. Glassium Phil. S. c. l. Walther. H. B. ad h. l. Calovium B. I. ad h. l.

§. XXIV. Sed hisce totis viribus opposuit supra laudatus Lightfootus, vir in re literaria, præsertim hoc studiorum genere, consummatissimus, ac omne illud negotium ab ovo arcessens, operosius demonstravit, inanem eorum fuisse conatum, quibus Auctoribus valde speciosum illud εὕρημα in lucem prodierit. *Non comperi*, (inquit in Hor. Hebr. ad h. l.) *inter legendum uspiam locorum, quæsiverim licet sedulo, apud ullos Scriptores Judaicos, quos evolvi, ubi semel occurrat* Maran atha *pro forma Excommunicationis: nec inveni apud ullum Scriptorem Christianum vel minimum indicium, quo monstraretur, ubinam loci aut quo in Authore Hebræo inveniatur ista phrasiologia tali sensu. Imo ut ulterius eloquar, quod res est, non memini me apud aliquem Scriptorem, vel Thalmudicum vel Rabbinicum, phrasin hanc* Maran atha *in aliquo omnino sensu invenisse, unquam usquam. At tacite fatentur Commentatores isti, de quibus mentio,* Maranatha *quidem syllabice non occurrere apud Scriptores Hebræos; at* שמתא *quod idem sonat, occurrere frequentissime; & sic interpretantur* שם אתא, *Deus venit. Verum prætermisso hoc, quod hæc interpretatio ignorationem videtur prodere verbi* שמת, *aliud etymon vocabuli* שמתא *adducunt Thalmudici, quibus vox illa & satis trita & magis nota &c. at nulla apud ipsos mentio τοῦ* שם אתא hactenus Lightf.

§. XXV. Quæ ultimo loco dixerat, ipsimet defensores sententiæ illius acerrimi, Tremellius & Drusius c. l. calculo suo comprobant, dum τὸ שמתא ab expositoribus Thalmud tribus modis aliter, quam ipsi quidem interpretentur, exponi fatentur. Ut adeo exinde illam τοῦ שמתא explicationem novam, & ab ipsis demum excogitatam fuisse, facile subodorari possis, cum admodum dubitanter de ea pronuncient; sic nihil quoque ipsos juvat prophetia Henochi, quam pro se allegant, ex qua τὸ μαρὰν ἀθὰ tanquam formulam excommunicationis solennem, originem cepisse, tantum divinant, non probant. Ex hoc quidem vaticinio, sicut ex aliis quoque Scr. Sacræ dictis, de adventu Christi ad judicium testantibus, non parum lucis explicationi τοῦ μαρὰν ἀθὰ accendi posse, nulli negamus, at vero hinc solennem, nescio quam anathematis formam exsculpi & stabiliri, illud saltem μέγα λίαν αἴτημα esse arbitramur.

§. XXVI. Destructo itaque fundamento lubrico atque satis infirmo, ipsa quoque sententia huic superstructa & innixa ultro corruat oportet, juxta id, quod in proverbio dici suevit: *Subrue fulturam, patitur structura ruinam.* Rejecta igitur ista sententia, aliam nobis viam ad genuinum phraseως hujus Paulinæ sensum inveniendum monstravit *Lightfootus*; cujus sententiam, utpote recentiorem, quæque à mente Pauli propius abesse videtur, mantissæ loco, integram hic adducere placuit. Ita vero ille c. l. *Quid sibi, ait, per* Maranatha *velit Apostolus, facilius investigabimus, cum prius hoc observaverimus, Apostolum in Judæos incredulos, Domini Jesu atque ejus Evangelii inimicos acerrimos, aciem atque ictum istius anathematis ac maledictionis præcipue intendere: quod non possum non opinari quatuor hisce inductus rationibus: I. Quod Judæi præ omnibus mortalibus Dn. Jesum non amaverint, non ament. Docet hoc fusissime Sacra pagina: docet hoc infelix experientia: Pagani Jesum non amant quidem, quia non norunt; at quia non norunt, etiam non oderunt. Jesum quidem non amant Turcæ, eo modo quo Christiani; at non oderunt etiam, eo modo quo Judæi. II. Quod lingua hic loquatur & dialecto Judaica, ista nempe phrasi Syriaca* Maranatha. *Græce loquutus fuerat per totam Epistolam, Græce loquitur per omnes epistolas: quod autem hic Judaice, extra omnem controversiam, ipsum de Judæis loqui, res ipsa loquitur. III. Judæi soli ex omnibus mortalibus dixerunt* Jesum anathema: (*vide cap.* 12: 3.) *merito ergo anathemate eos præ omnibus mortalibus percutit Apostolus, par pari referens. IV. Huc adduco, vel potius huc adducit ipse Apostolus verba illa Isaiæ cap.* 65: 15. *Relinquetis nomen vestrum electis meis in execrationem. Huc etiam adduci potest illud Malachiæ, cap.* 4. *Quo concluditur V. Testamentum:* פן אבוא והכיתי את הארץ חרם: *Ne veniam & percutiam terram Anathemate.* Ne veniam, *hoc idem est quod dicit Apostolus* Maranatha, Dominus venit. Et percutiam anathemate, *idem quod in hoc commate:* Esto Anathema. *In quosnam comminatio apud Prophetam? in incredulos Judæos. In eosdem & comminatio & maledictio hæc Apostoli, & ex ipsissimis (ut videtur,) Prophetæ verbis desumpta. Et jam facillime eruat sensum vocis* Maranatha. *Magna & terrifica loquitur Scriptura S. de adventu Christi ad sumendas pœnas de Judæorum gente ob non amatum, imo exosum Christum, & conculcatum Evangelium. Vocatur adventus ejus in regno suo, in nubibus, in gloria; quod observamus alibi: ut longe promptius mihi sit, phrasiologiam hanc* Maranatha, *hoc est,* Dominus noster venit, *ex communi hoc & Scripturæ usitatissimo loquendi modo in hunc sensum interpretari, quam ad Judaicam nescio quam formulam confugere, quæ & apud Judæos omnino quidem non habeatur.* Hactenus Lightf.

§. XXVII. Cui interpretationi, *ex usitato illo Scripturæ S. loquendi modo de terribili Christi ad judicandos hostes suos adventu, desumtæ*, hac in parte, subscribimus. Etenim cur Drusio, cæterisque μαρὰν ἀθὰ ex שמתא explicantibus non assentiamur, causa in promptu est, quum nimirum non multum in sensu illo sit coloris, uti supra evictum pluribus.

§. XXVIII. Denique illud adhuc περιφραδικῶς nobis annotare integrum sit, comminationem illam ab adventu Domini, seu contestatione judicii divini factam, in Præterito efferri propter certitudinem adventus Domini, adeoque (notante Pasore in analysi voc. Syriac.) præteritum hic poni pro futuro, more prophetico, q. d. *Dominus noster veniendo veniet* & ulciscetur. Hieronymus equidem, Chrysostomus & Theophylactus conspirantes, hæc verba *de primo Christi adventu* accipiunt, q. d. Apostolus: Dominum venisse jam constat; ut incarnationis mysterium confirmaret. (Sic Suidas quoque exposuit; nec non Hesychius in eandem sententiam inclinasse videtur; Quorum verba hic adscribere, angustia chartæ prohibet.) Verum hæc expositio reprobatur à B. Calov. B. I. in h. l. & Walther. H. B. in h. l. ubi insimul Hieronymi verba legere licet. Anshelmus contra *ad utrumque adventum* referre videtur. vid. Calov. c. l. Omnium autem optime, cum B. Walthero & Calov. cc. ll. Paulus *ad secundum Christi adventum* respexisse, & *Dominum ultorem fore pertinacissimorum suorum hostium*, illis verbis subinnuisse creditur. Qualis autem futura sit pœna, (iterum hic observante Walth.) boni ominis caussa, per εὐφημισμὸν Hebræi tacere solent & subintelligere. Sed manum de tabula. Plura namque sanctio legum Academicarum non permittit.

T A N T U M!

M. JOH. RENNERI
M A R A N A Θ A
ad 1 Cor. XVI: 22.

P R Æ F A M E N.



Quod nihil quicquam commercii piis cum impiis unquam intercedere queat, vel ex illo constare sentimus, quod animorum diversitate δὶς διὰ πασῶν *ut ajunt, inter se invicem distent. Sejuncta quippe sunt Merrhæ ac Siloam flumina: & quid quæso commune Christo cum Beliale? Pii, non qui speciem pietatis tantum præ se ferunt, sed ex asse vero cultui sunt addicti, vi debitæ suæ religionis, in eo, quantum quidem in hac mortalitate fieri potest, laborant, quo SUMMUM debita observantia colant, simulque eum ut justum vindicem actionum quarumlibet venerentur. Impii contra licet Deum non ignorent, siquidem effato Ethnici illius firmissimum hoc affertur, ut Deos credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio; attamen vita sua perversissima quid aliud produnt? quam quod se* ἔκδικον *illius* ὄμμα *velut velamento quodam obducere velle sibi persuadeant. Quamobrem congruum erit maxime, ut quid inter æra & lupinos discriminis à prudentibus animadvertatur, malique à piis segregentur, ne ira divina exardescente totus aliquis tollatur Ecclesiæ cujusdam cœtus. Veniet enim imo veniet aliquando tempus illud, docentibus sacris literis, quo, in die Pantocritico quilibet rationem suarum actionum, quid quod & cogitationum exactissimam reddere tenebitur, ut adeo cujuslibet aures vocibus, Venit Judex Dominus ad Judicium merito personare debeant. Hic tanquam* בחן לבות וכליות *quemque nil latet, juste vindicabit Justissimus Judex, bono cuilibet præmium pro bono, malo damnum pro malo retributurus. Ibi ea quæ hic abscondita, luci claræ exponentur, illique qui non coërcendi fuere, manibus extensis istius Judicis non effugient. Id hoc est, quod innuit Apostolus, dum impios à piis segregando excommunicatione horribilissima Maran atha terret, illosque qui nomen Salvatoris nostri ferro & igne persecuturi sint, judicio divino tradit puniendos. Quam Excommunicationis Paulinæ formulam, in quam incidimus hac vice quidem ita sumus tractaturi ut, in prima sectione voces Syriacas singulatim exponamus, in secunda ipsas & prout in Fonte Græcis literis expressæ habentur, cum Ebræorum Schammata conferamus, & denique in ultima speciem hanc Anathem. fusius cum ritibus & aliis usitatam, subjiciamus. Antequam vero auspicemur, propitium istud Numen invocamus, quo nobis SS. præesse velit, atque omne propositum nostrum hoc tempore & posthac dirigat, quo cedat in ipsius Nominis divini gloriam, nostrum Emolumentum ac Ecclesiæ accrementum. Faxit DEUS T. O. M. feliciter!*

SECTIO I.

In qua voces Syriacæ singulatim enucleantur.

§. I.

Antequam hanc ipsam sectionem expediendam aggrediamur, necessarium esse ducimus, ut prius Textum Syriacum in quo voces ipsæ contentæ, Fontem & alias versiones præmittamus, quo eo melius de sensu atque scopo Apostoli constare possit; hic vero ex Trostiano Exemplari (a) primum placuit, atque ita sese habet. 1 Cor. 16: 22. ܡܢ ܕܠܐ ܪܚܡ ܠܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܢܗܘܐ ܚܪܡܐ. ܡܪܢ ܐܬܐ Ex Gutbieriano quantum ad nostrum Thema quidem facit, ubi puncta supposita ita sonat: ܚܪܡܐ. ܡܪܢ ܐܬܐ Hunc Fons ita legit: Εἰ τὶς οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα, Μαρὰν ἀθά. Quem Latina ita transtulit: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum sit Anathema Maran atha: Lutherus vero ita vertit: Wer den HErrn JEsum Christ nicht lieb hat / der sey Anathema Maharamotha. Arabs: (b) sit devotus à spe Domini. Danica Lutheri sequax haud bere Anathema Maharam Motha. Versio qua Anglicana superiori in seculo usa est. Let him behad *in execration, yea excommunicated to* Death. Latina quam Galtherus Delœnus Henrico Angliæ Regi octavo Biblioscopus dedicatam publicavit: Dominus noster venit, &c.

§. 2. Præmissa igitur jam recensione Fontis & Versionum, ad rem ipsam nos accingimus. Et quidem Textum Syriacum Græco præmisimus, ideo quod Voces ipsæ, quæ nobis hac vice loco Thematis alicujus Philologici expendendæ ad Syriacam potissimum accedant linguam atque in Fonte fere materialiter & formaliter ab Apostolo relatæ conspiciantur: Alias quidem non negamus fontem utique N. T. audire Græcum, quemadmodum in V. T. Ebraicus est, quia eo tempore Monarchia Græcorum non ita pridem dissoluta erat & illustres Græcorum scholæ florebant, imo teste Tullio Græca Philosophorum & aliorum scripta ubivis legebantur: nihilominus tamen Christo & Apostolis in concionibus & familiari in Judæa sermone genus quoddam linguæ, quod nec Chaldaicam pure nec Syriacam nec Ebraicam referebat, sed ex his mixtim voces Syriacas atque Chaldaicas adhibebat, Syroque Chaldæum seu Aramæum appellatur, usitatum fuisse, quod ex captivitate Babylonica originem suam traxerit, satis demonstravimus in (c) Disputatione de Lect. πτεαχ. sub Præsidio Excell. Carpzovii ר habita, ex ipsius Isagog. Phil. Sacr. [א״ר] id ipsum illustrantes. Nec opus erit hic prolixe disputari, ut Dilherri verba mea faciam, (d) utrum lingua Syriaca tantum sit Ebrææ aut Chaldææ Dialectus, an vero lingua peculiaris? Bene enim Andreas Masius (e) judicat istam linguam addisci, ut Scriptores oculis atque intelligentia magis audiamus quam auribus.

§. 3. Qua-

(a) *Trostianum Exemplar, Regiam Antverpiensem editionem non ubique punctatam plerumque sequitur. Editiones alias N. T. quæ prostant potiss. sunt: Editio Anglicana & ipsi simillima Parisiensis quarum illa in opere Biblico Londinensi A. Æ. C. 1653. hæc v. in Heptaplis Parisiensibus A. 1645. prodiit Editio Regia contenta in opere Reg. Hisp. 1657. Antverpiæ Autore Guidone Fabricio Boderiano. Emanuelis Tremellii literis & punctis Hebraicis impressa in fol. Heidelberg. 1568. Martini Trostii Cothenis Anhaltinorum A. 1622. Viennensis 1556. Plantiniana Antverpiæ 1575. Parisiensis Minor, &c. Parisiis. 1584. Gutbirii N. T. Hamburg. &c. Primi qui transtulerunt hoc in linguam latinam sunt Tremellius & Guido Boderianus. Vid. Gutbirii N. T. Syriacum cum quo confer Philol. Ebræo-Græc. Leusdenii. pag. 53.* (b) *Has versiones ex Seldeno desumsimus L. 4. c. 9. de Jure N. & G. Ebr. p. 526. Edit. Londinens.* (c) *sub eodem habebamus A. 72. c. 2. θ. 4. Isagog. ad Philol. Sacr. Part. 1. c. 2. Aphor. 4. §. 3.* (d) *in præf. Rudim. Syriac.* (e) *Gramm. p. 10.*

§. 3. Qualis vero egregius usus sit linguæ Syriacæ & versionis hujus antiquissimæ, (f) non opus est, ut pluribus hic agamus, ne ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν videamur. Loquatur saltem Disputationis nostræ ipsum Thema, de quo quæsitum hinc & inde, quod & Jacobus Martini (g) allegat & de nostro asserit, quod multi quæsiverint, pauci invenerint, quid per Anathematismum hunc Paulinum intelligendum? Multi Ebræa verba esse rati modo ita modo aliter explicarunt, nec tamen commode intellexerunt, uti paulo post ipsas opiniones recensebimus. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 4. Insequitur nunc ipsa explicatio vocum ܚܪܡܐ . ܡܪܢ ܐܬܐ . Non enim opus, ut totum versiculum hic examinemus, sed pro ratione instituti harum tantum analysin instituisse sufficiat. Ponitur vero ab Apostolo genus cum sua specie, quemadmodum & ἀνάθεμα generis interdum & speciei vocabulum, significat: adeoque hic obtinet ܚܪܡܐ generalem etiam significatum excommunicationis scil. quæ deinde ut species denominatur, nimirum ut sit summa eaque severissima excommunicatio. Notandum vero, quod hoc vocabulum ܚܪܡܐ aliquod μέσον sit, ut in utramque partem accipi queat. Denotat quippe respectu Etymi rem aliquam separatam, & à conspectu hominum loco peculiari positam. Ratione rei autem personam vel rem Deo obligatam & addictam.

§. 5. Moris quippe fuit apud Ebræos, res bonas vel malas Deo devovere, & quidem quod Corn. à Lapide (h) animadvertit, ut in ejus gratiam consumi possit vel debeat, unde anathemata etiam dicebantur ἀποκείμενα καὶ ἀφιερώμενα. (i) Bonas Deo dicavere, si ad sacros usus essent destinatæ, aut in rei gestæ memoriam in templis suspensæ, ita usurpatur in vers. 28. XXVII. Lev. כל חרם אשר יחרים איש ליהוה Judæi Hispanienses: todo apartiamentoque apartare varon à A. Paraphrasis Hierosolymitana כל אפרשו די יפרש גבר לשמא דיהוה omne separatum s. sacris usibus destinatum, quod separaverit homo nomini Domini: malas vero tanquam justo Judici, quia indigna res vel persona ista ut inter homines amplius versaretur. Hoc pacto anathema est res execranda & abominabilis. Sic Deut. 7: vers. 26. לא תביא תועבה אל-ביתך והיית חרם (k) solebant etiam rem ex devotione perditam ab ipsa perditione nominare חרם quod ex Jud. 7. videtur, ubi spolia Hierochuntina anathemata dicuntur, & ex Jud. 1: 17. ubi Sephar Cananæorum urbs vastata vocatur Herma, liquet. Hinc & Phrasis N. T. non inconsueta, quæ χριστὸν λέγειν ἀνάθεμα, id est, eum blasphemare nomenque ejus ferro & igne persequi, χριστὸν vero λέγειν κύριον (Rom. 9: 3.) eundem celebrare ac pie venerari denotat. Plures modos acceptionum quidem Ravanellus affert, quæ tamen ad priores juste referri possunt. (l)

§. 6. Τὸ ܡܪܢ nomen est, cujus simplex ܡܪܐ cui hic suffigitur pronomen aliquod inseparabile extrudendo tantum Olaph cum Revozo s. Esaia, siquidem suffixio apud Syros vocales Nominum non ita variat, ut apud Ebræos tradente Dillherro (*). ܐܬܐ autem est ipsa Radix, verbum dupliciter Imperfectum, tum primæ ܐ tum tertiæ Radical. quoque quiescentis: quod autem Præteritum sit, punctum sub voce hac infernum, quod in ambobus Exemplaribus conspicitur, quibus uti licuit, clare importat. ܼ sub prima litera Radicali non inconsuetum est Syris, utpote quæ Radicalis modo scheva & quidem regulariter modo ptocho, modo dictam vocalem sustinet. Secundum hanc significationem ergo latine transfertetur: Dominus noster venit, (notabimus tamen quædam in altera sectione,) quod quidem in Perfecto enunciaretur; sed Præteritum pro Futuro ponitur more Prophetico, ad indicandum adventum ejusmodi certissimum, quo Dominus ulciscatur. Sicut & hoc observavit Pasor (m), q. d. Dominus noster veniendo veniet, h. e. tandem certissime veniet.

§. 7. Erravit hic Vir cætera quidem doctissimus quisquis fuet, quem Hakspanius (n) & Dilherrus (o) allegant, qui Syriacum ܡܡܪܢ (cum tamen in Textu sit ܡܪܢ) derivavit præposita litera Heemantica ab Aramo, qui filius Semi fuisset, à quo Aramia s. Armenia, quæ postmodum Syria vocata, ut apparet Gen. 10: 22. ut adeo Syri ad generis sui auctorem respicientes Deum & Dominum Maram sicuti idolum Maram (p) nominarint: Atha vero esse Ebraicum אתא vel אתה idem putavit, quod denotaret, propere accessit, qua formula præsentaneam Dei vindictam impendere significatum fuerit. Est quidem derivatio, quæ optime cum sensu sed non cum lingua congruit, multo minus Syriacæ linguæ gnaris arridet. Hanc derivationem dum adducimus, obiter obelisco notamus eos, qui linguam Syriacam legentes nominari Maroniticam cognomen hoc à nostro ܡܪܢ ܐܬܐ originem traxisse (q) autumant, cum tamen vel à vico Maronia, cujus Hieronymus Tom. I. meminit, vel à Marone Abbate, ceu vult Baronius (r) & Büntingius (s), denominetur. Interim tamen non defuere, quod fatendum, qui respectum aliquem ad Maran Atha habentes, utpote sc. Hispani Christiani Judæos & Mauros, cum à Christianismo resiliissent ad pristinam infidelitatem Maranos & Maranitas, i. e. anathemata & execramenta καθάρματα vocarunt, ut uno ore testantur Johannes Mariana (t) & Wolfgangus Lazius (u).

§. 8. Hoc ܡܪܝܐ Syris & Chaldæis usitatissimum est vocabulum, qui non solum ܡܪܝ מר מרא מרי Sed & ܡܪܢ מרן Dominus noster pro excellenti aliquo viro, quem alias תלמיד חכם vocare solent, usurpant, ut sit is qui in supremo honoris gradu constitutus aliis Rabbinis præest. (w) Inde Marian vel Maram Dominam significare asserit Cornel. à Lap. (x) & adhuc Christianos S. Thomæ in Judæa & Babylonia Prælatos suos vocare Mar Abraham Mar Joseph, &c. demonstrat. Sed de hoc dabitur agendi occasio in sectione subsecutura pro ܐܬܐ. Chald. dicitur אתה & אתא & אתי & pro hoc Ebræi suum בא adhibent, de quo Buxtorf. (y) Hæc de Etymologiæ harum vocum enucleatione Syrarum sufficiant. Sequitur nunc

(m) *Analysi vocab. Hebr. Syr. annexa Lex. p. 81.* (n) *Hakspan. Obs. Arabico Syr. p. 177. §. 9.* (o) *Eccl. N. T. pag. 173.* (p) *Heinsius Aristarch. p. 708.* (q) *Kromayer. in App. l. c. p. 137.* (r) *Baronius Annal. Eccles. A. C. 1182.* (s) *Itin. p. 98. Conf. Micræl. Hist. Eccles. p. 225.* (t) *L. VII. Descript. Hispan.* (u) *Laz. de migrat. gent.* (w) Κύριέ μου. *Heins. Exerc. f. 601.* (x) *Comment. ad Cor. XVI. p. 349.* (y) *Lexicis.*

SECTIO II.

In qua Syriacæ Voces ܡܪܢ ܐܬܐ *& Græcæ* Μαρὰν ἀθὰ *cum* שמתא *conferuntur.*

§. 1. DEvenimus in hac Sectione ad collationem τῶ ܡܪܢ ܐܬܐ cum Ebræorum שַׁמְּתָא. Sententias vero aliorum de Græco Μαρὰν ἀθὰ prius juvat referre, quam illotis quasi manibus ipsam speciem cum specie conferre. Variis igitur varia de his ipsis Vocabulis sunt visa, quæ si singula advocare velimus, ad sex classes abire possunt. (I.) Quidam enim fuere, qui Maranatha junctim ut unicum Vocabulum legi voluerunt, quodque idem cum Ebræorum חֵרֶם conveniret, quave voce generalis quædam execratio notaretur, ac si vocabulum esset τεχνικὸν, quod Beza ait, quale alibi Raka æstimatur, quo animi magis notaretur execrantis gestus, quam sensus, uti recenset Walthetus (z) ex Mylio. (α) Sed vocem non esse unam, Codices omnes reclamant, in quibus fit diremtio, adeoque hos sola Inspectio Codicis refutat. (II.) Quidam vero, ut Erasmus & Bullingerus, idem esse contendunt, quod ἀνάθεμα, ut sicuti dicitur Abba ܐܒܐ Rom. 8: 15. & explicatur addendo Pater, ita è converso dicatur Anathema Maranatha, legendumque proinde esse volunt, non Maran atha, sed מָחֳרָם מוֹתָה ut sit pure

(f) *Antiquissimam esse intermissiones istæ Epistolæ II. Petri, II. & III. Johannis, Judæ, Apocalypseos, Historia de Adultera & v. 7. 1 Joh. V. testantur, quæ singulæ nec in Trost. sed Gutbiriano Exemplari conspiciuntur: editæ v. & additæ sunt priores Epistolæ ab Edwardo Pocockio Apocalypsis à Ludovico de Dieu, &c. Vide alias de vers. Syr. præter B. Kromayerum in Polym. Append. c. 2. p. 137. etiam Magnif. nostrum Scherzerum in MS. Theol. Thet. Thes. XVI. coll. Colleg. Def. Theol. Loc. Script. §. 15. Confer quoque quæ habet Brianus Waltonus in Prolegom. Operis Bibl. Polyglot. & alii, quorum testimonia comportavit Ægidius Gutbirius Præf. super N. T. Leusd. Phil. Ebr. Græc. &c.* (g) *in Præf. ad N. Test. Trostianum.* (h) *Cornel. à Lap. Comment. super Rom. 9: 3. cui junge Balduin. in 1 Cor. 12. & huic Fridlib. Theol. Exeget. l. d. Tom. II. Class. 1.* (i) *vid. Heinsius in Exercitat. ad N. Test. p. 357. de vocum ἀναθέματος ἀναθήματος ap. Hellenistas usu.* (k) *Vid. Seldenus de J. N. & G. Ebr. c. 6. l. c. p. 499.* (l) *Ravanell. Bibl. Sacr. sub Titt. Excommunic. & Anathematis.* (*) *Rudiment. Syr. Lingu. p. 190. & p. 154. & 17. confer. cum hisce Grafunderum p. 15. 52. &c.*

(z) *Harm. Bibl. p. 1142.* (α) *Myl. Comment. h. l. p. 375.*

pure Hebræum, quasi res execranda morti addicta. Librariorum quoque incuria tacite sentit Beza (β) irrepsisse ἀνάθεμα in Textum, quod antea margini Textus fuisset ascriptum. Et prius sequitur B. Lutherus in versione sua Germanica, quam in prima sectione allegavimus. Scilicet Maran atha voluere, uti Seldenus commemorat (γ), sub Lutheri ævum aliqui depravatum esse vocabulum ex eo, quod potius in origine Maharam motha fuisset, sive מחרם מותה quod significat devotus sive anathematizatus usque ad mortem, quemadmodum & in nota Germanica Epistolæ ad Corinth. 1. hoc loco subjecta videtur, quam hic apponere lubet: **Ban auf Deutsch / Anathema auf Griechisch / Maharam auf Hebræisch ist ein Ding; Motha aber heisset Tod. Und will Paulus sagen / Wer Christum nit lieb hat / der ist verbannet zum Tode;** Vid. Lev. 6. sed vocum forma alia sensum quoque alium adhuc requirit, nec locum obtinere potest, quia non opus, ut fontem relinquamus. Nec mirum, quod Lutherus ita verterit, ipse enim eo tempore N. T. Syriacum quod conferre potuisset, nondum conspexerat, utpote quod post ipsius mortem demum in Germaniam translatum. nim. A. C. 1562. (δ)

§. 2. (III.) Alii, quorum meminit Ravanellus (ε), Maran atha Chaldaicam esse vocem putant, scribuntque Marahamatha, quod Chaldæis idem sit ac Ebræis חֵרֶם (IV.) Aliis iterum tantum Ebraice legendum videtur מְחָרָם אַתָּה Tu sis maledictus: Sed quia Participium non est Pahul sed Benoni, maledicentem potius, quam maledictum significat: nec hæ opiniones cum vocibus in Fonte positis ullo modo congruunt. (ζ) Conf. Walth. (η) (V.) Explicatio quoque Hesychii occurrit, qui etsi priori Sententia recte explicaverat, quid sit Maran atha, postmodum altera priorem evertit. Videtur enim altera respexisse ad מַרְאֶה quod visionem significat à Rad. רָאָה vidit, quæ sane nil vel parum ad rhombum facit nisi forsan ad ἔκδικον ὄμμα inclinaverit. Verba ejus sunt: Μαρὰν ἀθὰ, ὁ κύριος ἦλθεν, ἢ εἶδεν κύριος. (θ) Rectius Suidas, allegante Pasore (ι) Μαρὰν ἀθὰ κατὰ τὴν ἑβραΐδα φωνὴν λέγεται, ἀντὶ τοῦ ὁ Κύριος ἦλθε. (VI.) Quidam plane Syriaca Μαρὰν ἀθὰ censent, ut Hieronymus Epistola ad Marcellam: Maran atha magis Syriacum est quam Ebraic. &c. conf. Dilherr. (κ) Sed quomodo enim Græco fonti tunc consuleremus? Non enim metiendus est originalis Textus ad versionem Syriacam, utpote ubi vix ܐܬܐ cum ܐ sed semper cum ܐ occurrit nec in Græco tunc Μαρὰν ἀθὰ sed Μαρὰν ἐθὰ vel ἠθὰ, ita nimirum, ut in Syrorum in η vel ε Græcorum abiret, offenderetur.

§. 3. Restat ultima eaque commodissima atque optima sententia eorum, qui vocem priorem pro Syra, posteriorem vero pro Chaldæa agnoscunt, cui sententiæ & nos nostrum calculum adjicimus. Perstringere tamen nolumus virum aliquem celeberrimum, (λ) qui Ebræam vocem alteram esse existimat. Proprie enim אתה quantum quidem ex Lexicis nobis constat, Chaldaicum pure est, simulque ejus formam, docente Buxtorfio (μ), imitatur. Adhæc quoniam supra demonstravimus, Christum & Apostolos in sua familiari loquela Chaldæo-Syriacam Dialectum adhibuisse, probabile quoque, hasce voces ex Syriaca & Chaldaica lingua desumtas esse, easque postmodum in unam formulam coaluisse. Sensus igitur rursus emergit talis: Dominus noster venit, *qua formula Anathematis*, ut loquitur Tremellius (ν), *extremæ Christi mundi Judicis condemnationi absque spe veniæ addictus fuit peccator.*

§. 4. Ubi tamen nota, nos quidem in Sect. prima §. 7. dixisse, cum in Analysi τοῦ Μαρὰν occuparemur, istud affixum esse, idemque denotare, quod Pronomen noster: verum enim vero pro diversitate respectus habita nihilominus etiam τοῦ Nun Paragogici vicem sustinere poterit, quod in רבן quoque videmus מר enim absque Pronomine de Dominis promiscuis מרן vero cum ן & ptocho, quod uti diximus, simul Paragogicum & Pronominale est, de summo, qui præsit aliis sapientibus, usurpatur. Huic correspondet Rabbinorum מורנו & Chaldaicum רבנא / מרנא uti legitur in titulo libri Aruch de patre R. Nathanis. Qualis igitur ratio est inter Rab Rabbi & Rabban, uti legitur in (ξ) Halichot olam, edito à *Constantino l'Empereur ab* *Oppyk*: גדול מרב רבי וגדול מר רבן וגדול מרבן שמו Talis quoque est inter מר & מרן adeoque non implicat ן hoc Paragogicum & simul Pronominale appellare, cum neutrum hoc modo in additione vocis usurpatum de Christo Domino simpliciter & Domino nostro singulari emphasi careat Conf. Buxt. (ο) Quare si hæc verba Syro Chaldaica Hebraice pure dicenda essent ארונגו בא redderetur, vel יהוה אתה & hoc legeretur Adonai atha, de quo vide Disp. nostr. de πετάχε. (π)

(β) Beza h. l. quem citat Flacius in clave sua sub Maran Atha. (γ) Seld. c. l. f. 526. (δ) Leusden. l. c. p. 52. conf. Gutbirii in N. T. Syriac. (ε) Ravanel. Bibl. sacr. (ζ) Et Glass. lib. I. Phil. Sacr. Tract. IV. sect. II. Can. IV. p. 236. (η) Harm. Bibl. pag. 1142. (θ) cit. Martin. Lex. Phil. (ι) pag. 81. c. l. (κ) Dilherr. Elect. l. 2. c. 19. conf. ejusdem Tom. I. Phil. p. 309. Tom. II. Phil. p. 320. (λ) Walther. l. c. (μ) in Hebr. Lex. (ν) Tremell. Not. ad Cor. 16: 22. (ξ) Constant L'Empereur clav. Talm. p. 25.

§. 5. Audivimus nunc varios varie sentientes atque nostram sententiam subjecimus, jam probanda hæc ipsa erit, antequam Μαρὰν ἀθὰ cum certa specie conferamus. Clara vero lux huic explicationi accedit, quæ ad vivum omnes literas retinet (1.) ex consuetudine Ebræorum, qua quempiam condemnantes id efficiebant cum comminatione divini judicii, ut patet Ps. 9: 20. & Dan. 13: 55. 59. Hinc & Phrasis ista solennis in usu Rabbinis למסור למי שפרע i. e. *Tradere quempiam ei, qui* פרע *s. vindictam sumere* solet, (ϱ) h. e. Deo, justo Judici, ut videre est in Gemara Hierosolymit. (σ) Nata hæc est ex imprecationis formula, si quis pacto sc. non stetisset, cum venditor vel emptor contractum iniissent vel rescidissent, quæ continetur Gemara Babyl. (τ) & sic se habet: מי שפרע מאנשי דור המבול ומאנשי דור הפלגה ומאנשי סדום ועמרע וממצרים ניס הוא עתיד לפרע ממי שאינו עומר בדבריו: Conf. Maimon. (υ) Huic simillimum in Targum Hierosolymitano, (φ) ubi memoratur, Cainum Abelem, fratrem, post diversum illum in sacrificiis eventum, velut opprobrio ejusmodi provocasse לית דין ולית עלם אוחרון ולא למתן אגר טב לצדקיא ולא לאתפרע מן הרשיעיא: Abelem autem eadem ipsa eisdemque vocabulis responso contra asserentem à Fratre paulo post occisum esse.

§. 6. Probatur porro hæc ipsa explicatio partim ex indictione (2.) ipsiusmet DEI, Mal. 4: 6. ubi expresse leguntur אבוא והכיתי את הארץ בחרם partim (3.) ex Prophetia Enochi, Jud. vers. 14. 15. ἰδοὺ κύριος ἦλθε ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ ποιῆσαι κρίσιν &c. & loco, qui forte nobis succurrebat, evolventes Concord. Matth. 24: 46. 48. 50. Ἐλθὼν κύριος, ἥξει ὁ κύριος. Partim denique (4.) ex more Ebræorum, qui ejusmodi Anathema שמתא dixerunt, de quo postea ubi nostrum cum hoc collaturi sumus. Taceo ὁμοψήφους hic celebriores Philologos passim, quorum hinc & inde mentionem fecimus. Hac ratione DOMINUS VENIT pro VENIET, est Elliptica aliqua locutio, ut subintelligatur aliquando ad Judicium: Dominus tibi imminet ultor non solum in hoc, sed & altero seculo, planeque *devotus es à spe Domini*, uti Arabs elegantissime Maranatha transtulit.

§. 7. Poterit autem hac formula respici vel ad Judicium divinum, quod non raro in impios in tempore Deus exercet, dum eorum posteros excidio atque aliis plagis punit; vel ad Judicium aliquando in die novissimo suscipiendum, quo de in Præfamine locuti sumus. Et ad adventum hunc ultimum forsan Apostolus collimavit, quicquid arbitrentur Chrysostomus & Theophrastus, ut juxta Hieronymi verba insinuent, *quod superfluum sit odiis pertinacibus adversus eum velle contendere, quem venisse jam constet.* Forsan hi Patres respexere ad istam potius fabulam quam Historiam, quam Jacobus Simanca (χ) annotavit. scil. Maran atha creditum fuit olim anathematis significationem induisse ex hoc eventu, quia Judæi gloriantes de venturo Messia dicere soliti fuerunt vulgo Maran, h. e. Dominus noster; Contra quos Christiani semper dixerunt: Maran Atha, i. e. Dominus noster venit. Hinc & inimicitiæ ortæ fuerunt inter Christianos & Judæos, quorum in ore fuit Maran, quos per contemptum Christiani Maranitas vocaverunt & illis obtruserunt Maran Atha, i. e. Dominus noster venit vel invitis nobis, irridentes eos & illis male precantes. Hic etiam non possumus non afferre, quod Heins. in suis Exercit. (ψ) affert, antiquos nim. formulam ἔρχεται κύριος non solum, cum sermo fuisset de magno die Dom. novissimoque sed & cum mortem singulorum maturam intelligerent, imo cum aliquod periculum forte fortuna evenisset, vel alius casus instaret, per exclamationem adhibuisse. Recenset quoque ad 1 Cor. 16: 9. Historiam ex Stephano de Gentibus, Pastoris cujusdam: Qui cum fulmine percussus Ῥαμάνθας voce corrupta exclamasse ab aliquo dicatur, quod linguæ Syriacæ autor iste, quem ibi stringit Heinsius, ἀφ' ὕψους

(ο) in Chald. Lex. p. 1248. & Abbrev. sub ר p. 172. (π) c. II. Θεσ. IV. §. 3. (ϱ) Lex. Rabb. Rad. פרע (σ) Gemar. Hieros. ad Misn. Baba Metzia f. 9. halach 2. col. 4. (τ) Baba Metz. f. 48. a. & Obad Bartenorius ad dictum Misn. cap. §. 2. cit. Seldeno de Jur. succ. Prol. f. IX. (υ) Maimonid. Halach. Thesuba c. VIII. (φ) Targ. Hieros. Gen. IV. (χ) Jac. Simanca de Cathol. Instit. Tit. XXVII. §. 8. cit. Seldeno l. 4. c. 10. p. 527. (ψ) p. 417. & 240.

ὑψῶς ὁ Θεὸς expoſuerit, nihil autem aliud quam noſtrum Μαρὰν ἀθὰ fuerit: uti hoc in loco Joh. 21:23. declarat.

§. 8. Certum autem cum ſit Apoſtolum ad anathema aliquod reſpexiſſe, quod tota συνάφεια prodit, adeoque Vocabula Maran Atha æque familiaria fuiſſe ut Amen, Allelujah Zebaoth, &c. (*) diſpiciendum nobis porro erit, ad quamnam ſpeciem Excommunicationis apud Judæos uſitatæ referamus. Tres autem ſpecies præprimis Excommunicationis ut docent Elias in Thesbite & ex eo Buxtorfius, Schindlerus, &c. apud Judæos uſitatæ fuerunt. (a) Primam vocarunt נדוי quæ eſt Excommunicatio Minor, qua ſons à ſocietate uxoris ad 4. usque cubitos, domeſticorum, &c. donec reſipiſceret excluſus fuit. Secunda dicta fuit חרם qua quis ſolenniter in totius Eccleſiæ conſpectu à cœtu ſacro additis maledictionibus ex lege Moſis excerptis, excommunicatus fuit. Hoc modo qui excommunicatus ἀποσυνάγωγος factus eſt, de quo Joh. 9:22. donec reſipiſceret, eaque fuit Major & terribilior Excommunicatio. De quibus utrisque ſpeciebus forſan alio tempore, collato iterum aliquo Scripturæ loco, ſi DEUS vitam conceſſerit, fuſius acturi ſumus. Has inſequitur Maxima, quæ שמתא qua notatus cum infamia relegebatur atque judicio divino committebatur, ſic, ut nunquam etiam reſipiſcenti in cœtum redire liceret. Has ſpecies Moſes Kotzenſis (b) ipſe recenſuit, dum inquit: הורו הגאונים שמי שנתחייב שבועה לבנו אינו משביעו בשבועה האלה כמו שרגלים להחרים באלה ובנדוי בשמתא וכיוצא בזה שהרי זה כא לקללת אביו אלא משביעו שבועה שאין בהאלה: Conf. Druſ. Clarius numerus ternarius ab antea citato Elia Levita aſſeritur qn. ſub שמתא in Thisb. hæc ſcribit: שלשה מיני חרמות הן נדוי חרם ושמתה ונדוי הוא חרחוק ואם לאחיה שב היו מחרימין אותו ואם לאחיה שב היו משמתין אותו ופיו שמתה שם מיתה בס: Huic accedit quod in libro Tanchuma (d) ubi recenſetur Hiſtoria excommunicatorum Cuthæorum expreſſe tres ſpecies denominentur, cum dicitur: Levitæ cantabant & pſallebant ומנגין את הכותיים ומחרימין ומשמתין & anathematiſabant & ſchammatizabant & excommunicabant Kuthæos. Quicquid igitur Seldenus (e) de quatuor aliis ſpeciebus aſſeveret, vel Jacobus Capellus, qui quidem tres recenſet, ſed Cherem & Schammatha pro una habet, primam autem Neſipha appellat, excipiat, (f) nihilominus tamen illius vel ad juramenta Ebræorum, quæ huc non ſpectant, refertur, vel quod ſi apud Talmudicos שמתא pro נדוי interdum uſurpetur, ſemper tamen id fieri & unicam conſtituere ſpeciem non ſequitur, hujus autem ad antecedentem objurgationem, quæ præceſſit aliquando Niddui, accenſeri debet. (g) Adhæc addimus, quod tres quoque determinentur Excommunicationes in iſta formula, qua ex inſtituto Rabbenu Gerſom natione Galli (florentis ſub A. C. 1070. Supput. Jud. 4830.) literis obſignatis Judæi ſuperſcriptioni בנחש per Raſch. Theb. apponunt. Diris quippe devovent eum, qui præter ſententiam mittentis eas reſignaverit; perſonæ & loco ad quem mittuntur, nunc ad hunc nunc ad alium modum verbis devotionis adjunctis: וחרם לור כנדוי חרם שמתא דרבי גרשום מאור הגולה ופתו פת כותיים יינו יין נסך: (h)

§. 9. Recenſitis hiſce tribus ſpeciebus uſitatiſſimis Judæorum & confirmatis, noſtrum Maran Atha ad certam harum eo tempore uſitatarum pertinere declarabimus. Ea autem omnino congruere videbitur, quæ non ſolum cum ipſo nomine, ſed & reipſa cum noſtro conveniet: hæc eſt tertia atrociſſima Schammatha. Cum nomine ipſa convenit, quia correſpondet ex aſſe τῷ Maran atha. Hic quidem non ipſum שמתא à מיתה & שם vel ex אתה & שם uti communiter volunt, derivabimus, (nulla enim alluſio eſt derivatio) ſed ne Seldeno contradicamus, à Radice שמת deducemus: hæc Radix licet non in Scriptura inveniatur, in Paraphraſibus tamen, in Talmude & ſcriptis Rabbinorum habetur, obtinetque ſignificationem excluſionis & ſeparationis (i) Quemadmodum vero in Germanicis quibusdam vocibus ut & Latinis non raro alluſio qq. in aliam linguam transfertur, quæ rei ſane licet non etymologiæ optime favet; ita hic, cum alias Judæi in alluſionibus faciles ſint, quod præprimis ex ipſorum lingua Germanico-Ebræa conſpicitur, ipſam alluſionem Judæorum ex Schammatha, in Aramæam linguam migraſſe certum eſt. Quapropter triplicem alluſionem hujus שמתא hinc & inde ap. Talmudicos factam præprimis deprehendimus. Duplex continetur in Gemara, ubi שמתא ita dicitur qſ. שם מיתה ibi mors שממה תהא deſolatio erit quod nihil ejusmodi homini aliud ſit expectandum quam mors æterna & ſupplicium interminabile (k) verba ita ſunt: מאי שמתה אמר רב שם מיתא ושמואל אמר שממה תהא ומתניא ביה כי שיתיא בת גירא: Tertia eſt communiſſima ubi שמתא idem eſſe dicitur ac שם אתה i. e. nomen venit, quo nomine שם vel השם ipſis DEUS יהוה per אדני lectus & nomine hoc τετραγραμμάτῳ ſignificatus denotatur, ut etiam hoc ex iſto communi patet: Wenn man Tffilla thut / ſoll man ſein Hertz mecaffen ſein leſchen ſchamaim לשם שמים ad DEUM. Conf. Buxt. (m) Et ad hanc alluſionem tanquam communiſſimam eo tempore reſpectu habito ad lectionem τετραγραμμάτε per אדני noſtrum Maran Atha ab Apoſtolo tranſlatum eſt. Non igitur ſpectat ad Niddui, quia neque cum nomine nec re ipſa convenit. De nomine clarum hoc eſt, deducitur enim à נדה ſeparavit, nec ulla litera ad alluſionem faciendam apta eſt cum שמתא. De re conſtat exinde, quia atrocius hic delictum intenditur ab Apoſtolo quam quod ſola ſeparatio per Niddui facta importavit. Jam vero ex jure dependet, ad atrocius delictum commiſſum atrociorem qq. pœnam neceſſario requiri. Nec ad ſecundam ſpeciem τῆς Cherem, quia neutro modo procedit & delictum adhuc pœnam ſuperat: Propterea tertia prædicta ſpecies collatu eſt aptiſſima cum Maranatha eique omnibus modis reſpondet.

(*) *Ravanell. l. c.* (a) *in Thisb.* שמתא *Buxt. Inſtit. Epiſt. pag.* 55. *ſqq. Scind. Lex. Dilh. El. &c.* (b) *Kotz. præc. neg.* 119. (c) *L.* 4. *Prat. p.* 136. (d) *Sect.* וישב *f.* 16. *Col.* 1. 2. (e) *p.* 525. *c. l.* (f) *in Præl. aliqua publ. quam Forbeſio à Corſe audiente Sedani habuit A.* 1616. *cit. eod. Forbeſio Inſtruct. Hiſt. Theol. l.* 12. *c.* 3. §. 14. *pag.* 632. (g) *Joſeph Karro in Schylch. Ar. Jor. c.* 334. §. 10. *p.* 102. בנזיפה אין נזיפה פחות משבעה ימים: *fuit* 7. *dierum. Sic Gemar. Moëd Kat. cap.* 3. *p.* 16. (h) *Buxt. Inſt. Epl. p.* 55. (i) *Schindl. Pent. p.* 1900.

(k) *Buxt. Inſt. Epl. p.* 58. (l) *Moëd. Kat. f.* 17. 1. (m) *Theſ. Gramm. p.* 649.

SECTIO III.

In qua שמתא *ſive* מָרַן אֲתָא *fuſius per ritus & alia declaratur.*

§. I.

Nolumus hic Theologice Excommunicationem ejusque diviſionem in καθαίρεσιν & ἀφορισμὸν, Chriſtianam & Antichriſtianam &c. perluſtrare, de quibus videri poſſunt Gerhardus (n) Hulſemannus (o) Raupius (p) & noſtri temporis Theologi &c. utpote quæ ad cathedram Theologicam ſpectant, quin potius ea, quæ ad ſpeciem hanc Ebræorum rite intelligendam faciunt, tractamus. Deſcripſimus vero antecedenti ſectione τὸ Schammata quod ſit extrema proſcriptio & Excommunicatio &c. hæc igitur ex ipſis Rabbinorum ſcriptis probanda nobis erit, utpote ſine quorum ductu nil veri in ſalebroſa hac via auſimus affirmare.

§. 2. Sciendum vero ante omnia quod interdum horum in libris docente Buxtorfio (q) שמתא vel שבתא uti in Talmud reperitur, non ſit excommunicatio perpetua ſoli judicio & exitio divino commiſſa, ita ut ex ea liberari aliquis & cum Eccleſia reconciliari non poſſit, ſed potius quod ea poſſit ſolvi. Atque hoc modo videtur idem eſſe cum Niddui, prima ſpecie, quemadmodum & ubi permutantur hæ ſpecies inter ſe invicem, ut qn. de נדוי quæratur, de שמתא reſpondeatur, Exemplum Buxt. (r) affert ex Maimon. (s) ביצד הוא הנדוי אומר פלוני יהיה בשמתא ואם נידוהו בפנו אומר פלוני זה בשמתא: Pari modo & verbum שמת pro excludere ſimpliciter ſumitur, ut denotet excommunicationem communem, qua ratione illud in Talmud huc pertinet (t) בי תלתא דשמיתו לא אתו תלתא אחרינו ושרו ליה: Poſtmodum vero etiam ſpecialiter pro modo deſcripta ſpecie ſumitur & τῷ Niddui & Cherem contradiſtinguitur. Id liquet ex hac Juris conſtitutione quam ex Buxtorf. (u) & Elia Thisb. (w) comportavimus מי שישב בנדוי שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנית ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתירו מחרימים אותו: & Elias in Thesb. de eo qui τῷ חרם devotus eſt, pergit אם לא שב היו משמתין אותו ופי שמתא שם מיתה: Sic clare R. Salomon Jarchi qui מפרש תורה audit, non ſolum Schammatha à Cherem ſed etiam à Niddui diſtinxit.

§. 3. A Niddui quidem in Gloſſ. (x) ad Peſachin ita dicens רב תלמיד היו נמנין להלקותו ולא לנדותו משום דשמתא חמורה והששין

(n) *Miniſt. Eccl.* §. 194. (o) *Brev. c.* 19. (p) *Bibl. port.* 21. 126. (q) *Lex. Talm.* 2464. (r) *c. l.* (s) *Maim. in* מרע *c.* 7. *ſect.* 2. (t) *Moëd. Kat. f.* 16. (u) *Inſt. Epl. p.* 57. (w) *ſub* נדוי *&* שמתא *Druſ. quæſt. l.* 1. *qu.* 9. *Ludov. Capell. Spic. ad Joh.* 9:22. *Diatrib. de voto Jephtæ p.* 174. *David de Pomis Lex. p.* 226. *col.* 2. *Corn. Bertram Polit. Jud. c.* 7. (x) *Ad Peſach. f.* 52. *Edit. Ven. c.* 4.

:והששין לכבוד התורהי h. e. *ſapientem qui aliquid commiſerat adjudicabant ad flagellationem & non ad excommunicationem per Schammatha, propterea quod Schammatha res graviſſima, & rationem habebant legis divinæ.* Ad quod Buxt. (y) dicit לנדותו poſitum pro לשמתו ex quo ſequitur quod Schammatha ſit res gravior quam ut ſapienti competat, uti ipſam etiam R. Aſcher. (z) teſtatur :תשמתא היא חמורה מין המלקות At v. τῷ Niddui etiam Legiſperitus fuit obnoxius & licet ratio interdum perſonæ habita fuerit; flagellationi tn. adjudicari non potuit, cum ita graviorem pœnam ſuſtinuiſſet: nam gravior pœna eſt Legiſperitos flagellis cœdi quam excommunicari, cum hoc ob levem quoque culpam fieret uti ex XXIV. cauſis à Buxtorf. (a) etiam allegatis, ob quas Niddui illatum videre poſſemus. Ad hoc idem illius R. Aſch. collimat (b) dum ait :אין משמתין אלה על דבר חמור & præprimis R. Sal. Jarchi in ſupra allegato רשמתה חמורה A cherem vero τῷ Schammatha diſtingui patet ex ejusdem Gloſſ. ad Moëd. Kat. (c) Textum priori ſectione §. 9. habuimus: ſic a. infit משומן שטורין את התגור ונבלע בתורה שאין יוצה לעולם כלומר מכלכל מאן רמשמתינן ליה דלא נפקא מיניה לעולם: At v. per Niddui & Cherem poſſe recipi excommunicatos, formulæ iſtæ ſolvendi, quibus uſi ſunt in anathematibus ꝫ Niddui & ꝫ cherem ſolvendis, & à R. Maimon. (d) annotantur, teſtantur, quæ ſic ſe habent: וכצד מתירין הנדוי או החרם אמרים לו שרוי לך ומחול לך ואם התירוהו שלא בפניו אמרי פלוני שרוי לו ומחול לו: Concludimus ergo שמתה quamvis non ita frequenter, quia raro tam graviſſime excommunicabant, ſed ſemper meliora de ejecto ſperabant, ſubinde tamen ultimam eamque graviſſimam excommunicationem ſignificare.

§. 4. Formulam, qua uſi ſunt in excommunicatione, talem quidem refert Maimon. (e) פלוני זה יהיה בשמתה hæc fiebat, ſi præſens eſſet excommunicandus, ſi abſens & nomen ejus ignoraretur ההוא גברא בשמתה & cum ſic abſenti denunciaretur vel verbis per alium aliquem publicabatur, vel ſcripto aliquo, quod dicebatur כתב של נדוי quo de ſcripto vide שלחן ערוך Joſephi Karro. (f) Verum probabile eſt ut Buxtorf. ipſe ultimo loco cenſet, hæc ſingula de prima ſpecie excommunicationis intelligi, hocque in loco uti interdum alias promiſcue Schammatha & Niddui uſurpari. Quærenda igitur nobis eſt alia formula, quam ipſi in anathematizatione ꝫ Schammatha forſan adhibuere. Ea v. nulla expreſſa uti in prioribus ſpeciebus reperitur, neque in Moëd Katon, neque in modo adducto Schylchan Aruch neque in Comment. R. Aſcher. &c. ea de cauſa forſan quod infrequens, teſte Bonav. Cornel. Bertramo (g) in uſu hoc genus excommunicationis fuerit. Interim tn. vero ſimillimum eſt, formulam quandam ipſos in uſu ejusdem adhibuiſſe, quæ multis diris repleta, qualem etiam prolixiſſimam ex libro Juridico ספר כל בו affert Seldenus (h) in qua Aſtrologica multa, varia nomina Angelorum atque alia Commenta Cabaliſtica occurrunt, cujus tantum initium, cum totam aſcribere tædioſum ſit, nec penuria temporis, in qua Diſputatio imprimenda, ſiquidem & alia omittenda fuerunt, permittat notamus.

§. 5. *Ex decreto civitatum & ſanctorum juſſu nos anathematizamus, adjuramus, exterminamus, excommunicamus, maledicimus & execramur volente Deo & Eccleſia per librum hujus legis, per DC. XIII. pracepta in eo conſcripta per anathema quo anathematizavit Joſua Hierochuntem Joſ. 6: 17. per maledictionem, qua male dixit Eliſa juvenibus 2 Reg. 5: 22. & per maledictionem qua excommunicavit Barak Meroz. Jud. 5: 23. &c. per omnia anathemata imprecationes, excommunicationes, quæ facta ſunt à tempore Moſis Magiſtri noſtri & deinceps, per nomen Acetheriel Jah. Domini Exercit. per nomen Michaël, Mittatron, per nomen 42. litterarum. &c. Maledictus ſit Deo Domino Iſraëlis, Maledictus à Mittatron Sandalipon &c.* (i) Ex ungue Leonem facile cognoſcis, ita ut legenti tibi fere horror incutiatur. Ponamus vero hanc non adhibitam fuiſſe, certe aliam nobis ſuppeditat ex MS. Judaico Buxtorf. (k) quæ videatur; eam vero nulli alii quam per Schammata percuſſo convenire non improbabiliter concludit Conſtant. *l'Empereur.* (l)

§. 6. Quæ de formula hic diximus, de ritu quoque aſſerere non dubitamus. Scilicet abſque omni dubio ſicuti in Cherem & hic candelæ accenſæ & repente extinctæ fuerunt ad indicandum excommunicatum luce hac cœleſti fuiſſe indignum. Hac in ſententia nos confirmat Vir in hac literatura celeberrimus (m) qui ex libro Sanhedrin ritum cornuum & buccinarum inflatarum alias apud Cherem uſitatum, ad majorem tum reis tum cœtui Eccleſiæ horrorem incutiendum, huc refert. Verum enim vero an iſta quidem Excommunicatio, qua Jeſum Nazarenum anathematizarunt quadringentis buccinis ad Schammatha ſit referenda cum Seldeno dubitare poſſemus, (n) niſi forte alibi quam Hieroſolymis contigiſſet cum alias תלמוד חכם non excommunicarint: (o) Verum autem eſt, narratiunculam in corpore Talmudico haberi de J. C. Alexandriæ Ægypti excommunicato à Joſua Ben Perachia, qui illuc ut comes à Jannæi Tyrannide fugerat cum ipſo. Verba Gemaræ ſunt: (p) אזל רבי יהושע בן פרחיה וישו לאלכסנדריא של מצרים Dein ajunt Rabbi Simeonem, cujus ſoror illuc etiam deſcenderat, à Perachiade, qui Præceptor ei fuerat, petiiſſe ut ipſam hoſpitio exciperet: Advenientem autem ſalutaſſe Jeſum, ac de ea dixiſſe כמה יפה אכסניא זו quam pulcra hoſpes hæc? adjeciſſe vero Perachiadem עינה טרוטות oculos ei fuiſſe rotundos: Jeſum ad hæc repoſuiſſe רשע בכך אתה עסק improbe, rebus ejusmodi tu occuparis! (q) ob quod dicterium velut probroſum nec impune in Legis Magiſtrum emittendum (ſecundum cauſam prim. Niddui המבזה את החכם) produxit R. Joſua Ben Perachia quadringentas buccinas & eum excommunicavit. Sed ſi hæc concedenda eſt, ad נדוי magis erit referenda excommunicatio, quam ad ultimam, ideo quod Chriſtus excommunicatus dicitur ob dicterium quod in legis peritum emiſerat. Quod vero uſum buccinarum attinet adhibitum ille non ſolum in Cherem ſed & in Niddui pro ratione circumſtantiarum obſervatus fuit, uti luculentum Exemplum in Kidduſchin (r) de R. Jehuda extat, qui etiam aliquem qui ſe contumelioſe laceſſiverat, tubis excommunicavit. Hos inter ritus referre poſſemus lotionem manuum Judæorum, qua teſtari ſoliti præprimis in Judiciis, ſe juſtam ſententiam pronunciaſſe neque in cauſa fuiſſe, quo Ploni fuerit damnatus, de qua egregia nos olim docuit Excell. Wernerus, jam Diœc. Bitterfeldenſ. Superintend. meritiſſ. (s) ſed hanc allegaſſe tantum ſufficiat.

§. 7. Præterea non prætereundum, quod Capellus notat in ſpicilegio (t) aſſerens illos, qui ap. Judæos puniti Niddui à ſacris excluſos fuiſſe, qui Cherem, multatos bonis, qui Schammatha facultatibus ſingulis imo & vita ipſa per ſupplicium publicum. Id tamen ita uſu Judæis fuiſſe, perſuadere nobis non poſſumus. Demus quod abſque ulla ſpe redeundi excommunicati fuerint ab Eccleſia, quod ex exemplo Cuthæorum à Buxt. (t) allegato videri licet; interim tn. exinde non ſequitur, omnes ſupplicio vitæ punitos eſſe; quid enim ſupplicium ad Eccleſiam? Concedimus hinc qq. quod in commercium Eccleſiæ, ii qui ap. Judæos excommunicati hac ſpecie, non recepti fuerint; attamen Chriſtianis jam non omnis ſpes eſt abſciſſa, adeo ut ſi ſerio quærat peccator pœnitentiam, non adinvenire queat. Proinde verba Apoſtoli non abſolute intelligenda, utpote quæ de γινομένῳ non δυνατῷ loquuntur, quemadmodum, hoc exemplo Pauli ipſius demonſtrare & verba ejusdem cum Matth. 12: 22. de peccato in Sp. S. irremiſſibili conferre poſſemus, ni à ſcopo aberraremus. (u) Juvat enim hic allegare, quæ congeſſit ex Hiſt. Eccl. licet PP. ſcriptor Forbeſius à Corſe (w) ita inquiens: *In quolibet delicto contumaces cenſura premit perpetua & contumacia durante irrevocabilis.* Allegat qq. idem exempla ex Patribus, quod aliis poſt biennium, quinquennium, ſeptennium, poſt triginta annos, aliis in fine vitæ, aliis nec in fine vitæ data ſit communio, abſque præjudicio tamen immenſæ & imperſcrutabilis miſericordiæ DEI.

§. 8. Cæterum Excommunicatio ap. Judæos inde ab initio licet non ſub hiſce nominibus ſemper fuit uſitata: Ita Gen. 4: 14. ejicitur Cain poſt perpetratum fratricidium à conſpectu DEI & Eccleſiæ fidelium. Poſtea ſub Moſe frequens admodum fuit, ut impuri abſtinerent à cœtibus, qualis Mirjam Num. 12: 14. (quanquam hic legalis ἀφορισμὸς typus potius fuerit quam excommunicatio vera) ſub Joſua & aliis uti ex formulæ ex

Kolbo

(y) *Lex. Rabb. pag.* 2467. (z) *Commentar. Peſach. fol.* 134. 3. (a) *Lex. Talm. pag.* 1304. (b) *cit. lib.* (c) *Moëd Kat. fol.* 17. 1. *Geneſ.* (d) *Maimon.* הליכות תלמוד תורה *l.* 6. *cap.* 7. *pag.* 23. 1. (e) *l. c. c.* 7. *p.* 23. 1. (f) *in Choſen Hammiſchpat. num.* 11. *ſect.* 4. *conf. Lexic. Rabb. fol.* 1307. *coll.* 2469. (g) *c.* 7. *de Rep. Ebr. p.* 84. (h) *Seld. c. l. c.* 7. *p.* 506. (i) *Conf. Vois ad R. Iſr. Moſeid. c.* 5. *pag.* 305. *Sepher Cozri p.* 190. (k) *Lex. Rabb. p.* 828. (l) *Annot. ad Bertram. de Rep. Ebr. p.* 377.

(m) *Dillh. El. l. c.* (n) *Seld. p.* 524. (o) *docente Maim. l. Madda Talm. Thor. c.* 7. (p) *Babyl. ad Tit. Sanhedr. c.* 11. *f.* 107. (q) *Sepher. Juchaſin f.* 67. *a. Gloſſ. ad Kidduſch. f.* 66. *a.* (r) *c.* 4. *Conf. Coccej. ad Sanh. p.* 146. (s) *Corpus ſc. Phil. p.* 245. (t) *Lex. Talm.* 2464. (u) *Magn. D. Schetz. in Diſſ. vid.* (w) *Inſtruct. Hiſt. Theol. c. l.*

Kolbo allegatæ initio §. 6. ſatis conſtat. Pari modo, quando poſt reditum ex Babylone apud Judæos Synagogæ erectæ fuerunt, & ſub prophanis principibus major morum licentia ornata, ἀποσυναγώγους fecerunt qui contra leges peccarunt. Et hoc tempore forte Excommunicationis ſpecies hiſce nominibus inſignitas fuiſſe conjicimus: tandem poſtquam ſub Hircano ſectæ apud Judæos irrepſerunt & ſub Herode atque Romanis præſidibus ſacerdotii dignitas ſublata fuit, excommunicatione etiam ad tyrannidem abuſi ſunt. Atque hæc eſt Excommunicatio Judæorum, quam licet Phariſæi abuſu conſpurcaverint, Chriſtus tamen in ſuam Eccleſiam aſſumſit eaque uſi ſunt Apoſtoli. De quibus ſingulis, niſi in campum Theologicum excurreremus, plura proferremus. Poſt Apoſtolorum tempora (quod ad Hiſtor. Eccleſ. facit) uſus qq. hujus in Eccleſia obtinuit, ut ex Hæreſiarchis in tot Conciliis damnatis conſtat, longe potiori jure, quam quo Pontifices Romani tot Henricos, Ottones, &c. ſoliti & adhuc peculiari bulla in die Cœnæ Dominicæ quotannis excommunicare ſolent. De hac vide præter cæteros Micræl. Syntagm. Eccleſ. in indice, qui optime exempla à Papis excommunicatorum congeſſit. Num & ad ſpeciem Excommunicationis aliquam huc ſpectet Provocatio ad vallem Joſaphat morientium, hoc loco nobis non eſt diſquirendum. §. 9. An etiam Excommunicatio ad muſcas extendatur & ad alias res leviori momenti de eo merito dubitamus. Refertur quidem inter alia privilegia, quibus Hieroſolymitanum templum fuit à Deo donatum, quod domus mactationis à muſcis minime ut aliæ alias infeſtata fuerit; ſed hoc ad ſingularia quibus gaviſa domus DEI Eſ. 31: 9. potius referimus. Quæ autem Aloyſius Novarinus de muſcis Fuſcinacenſibus & ſertis roſarum excommunicatis refert ad Papiſtarum Legenda minime legenda relegamus. Nos hic definimus verbis, Corn. à Lap. in Comm. fin. ad Cor. ÆTERNITATEM TU COGITA, ANATHEMA, MARANATHA.

M. ALB. CHR. LUDWIG

DISSERTATIO

De raptu Pauli in Paradyſum ad 2 Cor. XII: 2, 3, 4.

Locus publice examinandus in fontibus 2 Cor. 12. hujus tenoris eſt:

vſ. 2. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων (εἴτε ἐν σώματι, οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα ὁ Θεὸς οἶδεν) ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ.

vſ. 3. Καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον (εἴτε ἐν σώματι οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος οὐκ οἶδα· ὁ Θεὸς οἶδεν.)

vſ. 4. Ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι.

Verſiones obtulerunt ſe nobis ſequentes:

Tigurenſis Latina, Vulgati, & Oſiandri.

vſ. 2. (Novi) *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim: ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus, neſcio, DEUS ſcit*: (an in corpore neſcio, an extra corpus, neſcio, Deus novit) *raptum hujuſmodi (uſque) ad tertium cœlum* (in tertium uſque cœlum.)

vſ. 3. *Et ſcio hujuſmodi hominem, ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit*: (an in corpore, an extra corpus, neſcio, Deus novit.)

vſ. 4. *Quoniam raptus eſt in Paradiſum*, (raptum fuiſſe in paradiſum) *& audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, (& audiiſſe arcana verba, quæ fas non ſit hominem loqui.)

Theod. Bezæ.

vſ. 2. *Novi hominem in Chriſto ante annos quatuordecim*: (*an in corpore, neſcio: an extra corpus, neſcio: Deus novit*) *raptum in tertium uſque cœlum.*

vſ. 3. *Et novi hujuſmodi hominem* (*an in corpore, an extra corpus, neſcio: Deus novit.*)

vſ. 4. *Raptum fuiſſe in paradiſum, & audiiſſe ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui.*

Lutheri

vſ. 2. Ich kenne einen Menſchen in Chriſto vor vierzehen Jahren / iſt er in dem Leibe geweſen / ſo weiß ichs nicht / oder iſt er auſſer dem Leibe geweſen / ſo weiß ichs auch nicht / GOtt weiß es / derſelbige ward entzückt biß in den dritten Himmel.

vſ. 3. Und ich kenne denſelbigen Menſchen / (ob er in dem Leibe oder auſſer dem Leibe geweſen iſt / weiß ich nicht / GOtt weiß es.)

vſ. 4. Er ward entzückt in das Paradieß / und höret unausſprechliche Wort / welche kein Menſch ſagen kan.

Caſp. Ulenberg.

vſ. 2. Ich kenne einen Menſchen in Chriſto vor vierzehen Jahren: (er ſey im Leibe geweſen / daß ich nicht weiß / oder er ſey auſſer dem Leibe geweſen / daß ich auch nicht weiß / GOtt weiß es) das derſelbige biß zum dritten Himmel iſt entzücket worden.

vſ. 3. Ich weiß auch / das derſelbige Menſch (er ſey im Leibe oder auſſer dem Leibe geweſen / daß weiß ich nicht / GOtt weiß es.

vſ. 4. In daß Paradieß entzucket worden / und hat verborgene Wort gehöret / die keinem Menſchen geziemen zu reden.

Tribus autem Sectionibus labor iſte abſolvetur. In *priori* quidem, quæ notatu digna erunt, vocabula evolvemus, adjecta inſimul Logica Analyſi; *Poſterior* Theologicas quæſtiones: *Ultima* vero Poriſmata extrahet. Faxit Jova feliciter!

SECTIO I.

Philologico-Logico-Exegetica.

§. I.



A invaſit mortales libido, ut nihil tam ſimpliciter, nihil tam circumſpecte agatur, quod non rapiant in calumnias. Qui ſeps, quæ aſpis, quæ vipera lethalius habent venenum, quam lingua calumniatrix, inflammata, ut cum Jacobo loquar, igne infernali? nec noſtram ætatem tantum vitio huic deditam putes, cum priſcorum etiam hominum moris fuerit, ut in quoſlibet, inſontes quoque, injurias evomuerint. Quis Salvatore noſtro innocentior? tantum vero abeſt, ut inſidias maledicorum effugerit, ut potius iiſdem irretitus occubuerit. Eadem crudelitate in Apoſtolos ſævitum fuiſſe hiſtoriæ tradunt, quas prolixius adducere inconſultum puto, quæ Paulo ſaltim acciderint relaturus. Is enim omni ſtudio, omni cura in id incumbebat, quo Doctori ſuo, Jeſu Chriſto, quantum quidem per fragilitatem noſtram licet, ſimilis fieret; nulli labori, nullis vigiliis parcebat, vel mille periculis terra marique defunctus, ut ſanctum & immaculatum, quem fidei ſuæ commiſerat DEUS, gregem redderet, non tamen deerant, qui famæ detraherent plurimum, Pſeudo-Apoſtoli.

Ne ergo taciturnitas in præjudicium veritatis, detrimentum honoris divini & suæ salutis interitum vergeret, in posterioris ad Corinth. epistolæ capite decimo apologiam texit pro suo Apostolatu; in undecimo deinde, quod absque arrogantia dictum vult, genere, laboribus, curis, periculis falsos Apostolos antecellere sese ostendit, & in duodecimo revelationum sibi præ æmulis suis factam excellentiam summa modestia explicat. Προθεραπείᾳ autem utitur vs. 1. *Si gloriari*, inquiens, *oportet*, *non expedit*. Sensum expressit interpres, non voces, τὸ *Si* enim non est in Græco; varietas insuper deprehenditur ob similitudinem trium vocularum: δεῖ, δή, δὲ. Καυχᾶσθαι δή *Gloriari sane* [profecto, equidem] *non expedit*. Alii legunt καυχᾶσθαι δεῖ. Hinc Syrus: *Gloriari oportet, sed non expedit.* Alii δὲ. Æthiop. *Et gloriari non expedit.* sc. simpliciter: expedit quidem, sed vobis, ut dignitatem ministerii tuear, non mihi. Causam reddit, cur dixerit: sibi non expedire super his gloriari, *veniam enim ad visionem &c.* Vulgat. discretivam pro causali ponit, *veniam autem*, quasi dicat: quanquam non expediat, coactus tamen à pseudo-Apostolis referam revelationes à Domino mihi factas, quarum præstantissimam comm. 2, 3, 4. exponit.

§. II. SUBJECTUM igitur hujus ἀφροσύνης est Paulus per Enallagen personæ de se, tanquam alio, locutus: οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ vs. 2. καὶ οἶδα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον vs. 3. Testantur hoc Capitis nostri commata sequentia quatuor: Primum scil. ubi se vel invitum de revelationibus suis dicturum promittit, ἐλεύσομαι εἰς ὀπτασίας. Quintum, ubi scribit, ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι, Sextum quo ob falsam pseudo-Apostolorum gloriam, Corinthiis angue noxiorem, reprimendam, de se gloriari non ineptum fore fatetur: & septimum, in quo de palo, carni suæ infixo, ne magnitudine revelationum superbiret, conqueritur. Loquitur autem de se, partim ut soli DEO, non sibi, gloriam tribuat, partim ut dignitatem ministerii, apud Corinthios nimium quantum imminutam, exinde stabiliat. Non enim infrequens in sacris hæc Enallage deprehenditur, loquuntur siquidem de se, tanquam aliis, Prophetæ, Evangelistæ, imo ipse Christus. Jeremias quidem c. 28: 5. ויאמר ירמיה הנביא Johannes cap. 13: 23. ἦν δὲ ἀνακείμενος εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. c. 19: 26. Ἰησοῦς ἰδὼν τὸν μαθητὴν παρεστῶτα, ὃν ἠγάπα. Apoc. 1: 1. -- τῷ δούλῳ αὐτοῦ Ἰωάννῃ. Christus appellans seipsum *Filium hominis* Matth. 19: 20. Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. & *Hominem* Joh. 8: 40. ζητεῖτέ με ἄνθρωπον. Hinc pulchre D. Aurel. August. Tom. IIX. Oper. Tract. LXI. p. 406. ad cap. 13. Joh. *Erat eorum hæc consuetudo, qui S. literas nobis ministraverunt, ut, quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cum ad seipsum veniret, tanquam de alio loqueretur: & sic se insereret ordini narrationis suæ, tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam sui ipsius prædicator. Nam & hoc S. Matthæus fecit, qui, cum in textu narrationis suæ venisset ad seipsum, vidit, inquit, in telonio sedentem quendam publicanum, nomine Matthæum* (Matth. 9: 9.) *Hoc fecit & B. Moyses, ita de se ipso tanquam de alio cuncta enarravit, & ait: dixit Dominus ad Moysen* (Exod. 4: 21. Lev. 21: 1. Num. 3: 40. Deut. 31: 14. &c.) *Insusitatius Apostolus Paulus, non in historia, ubi rerum gestarum suscipitur explicanda narratio, sed in Epistola* (citat autem locum nostrum) *hoc fecit.* Causam indicare videtur B. Bald. Apol. Apost. p. 600. ita disserens: *& hoc ideo repetit, ut excellentia ipsius hominis ex ipso æstimetur, qui admirabili modo ad Deum raptus sit.* Ad hæc Paulum de se loqui confirmat Spiritus S. præterito medio οἶδα ab εἴδω scio, cognosco, Ebr. ידע respondente, & præter complures significationes, quas in scripturis obtinet, (nunc enim idem est ac *possidere* Psal. 50: 11. ידעתי novi (*possedi*) *omne volatile montium* Gen. 39: 6. ולא־ידע & *non noverat herus nisi panem*, i. e. nihil aliorum curabat, omnia erant in Josephi manu, tantum herus fruebatur, quibus opus erat corpori sustinendo, illa possidebat: Nunc idem ac *posse*. Jes. 56: 11. *pastores* לא ידעו *non noverunt* (non possunt) *intelligere* Matth. 7: 11. *Si vos* οἴδατε nostis (potestis Luth. könnet) *bona dona dare &c.* Sic Germanis kennen notat & nosse & posse) non solum *speculativam* notitiam, (ut idem sit quod *expendere* 1 Cor. 7: 16. τί γὰρ οἶδας *qui scis mulier?* q. d. desperas jam de marito, teque ab eo vis separare; sed forsan opinione tua citius convertetur) verum etiam *practicam*, *experimentalem*, *vivam*, *efficacem*, denotante. Et h. m. sæpius legitur, cum idem sit (α) ac *FOVERE* 2 Tim. 2: 19. *firmum fundamentum Dei stat* ἔγνω novit (fovet, custodit) *Deus*, *qui sunt sui* (β) *VERA FIDUCIA AMPLECTI* Joh. 17: 3. *Hæc est vita æterna* ἵνα γινώσκωσί σε *ut* cognoscant, (non nuda speculativa notitia, qualem habent hypocritæ, imo Dæmones, sed notitia vere agnoscente hunc salutis fontem, eumque desiderante, expetente, certaque fiducia in eo acquiescente) *Te & Jesum.* (γ) *APPROBARE* Matth. 26: 72. Petrus jurejurando confirmat: οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον, nunquam approbavi, amavi aut sectatus sum hujus hominis doctrinam aut personam (δ) *REIPSA SENTIRE, EXPERIRI* Marc. 5: 29. Hæmorrhoussa cognovisse dicitur, experimentali utpote notitia, in corpore se sanatam esse Luc. 1: 34. Virum οὐ γινώσκω Gen. 4. & Adam ידע cognovit Evam (ε) *CENSERE PRO EXIMIO QUODAM, ADMIRARI &c.* Sic Paulus in Epistola nostra cap. 5: 16. *neminem*, infit, οἴδαμεν *secundum carnem*, i. e. nullas innatas & velut naturales dotes admiramur. Hic experimentalem sui ipsius notitiam significat, ut 1 Cor. 2: 11. *Quis enim hominum novit* (οἶδεν) *ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo?* Exprimitur autem Enallage vocibus: ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ. Mirandam in Paulo ταπεινοφιλίαν! non enim dixit: οἶδα Ἀπόστολον, nec: οἶδα σκεῦος, ἐκλογῆς, τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομα κυρίου ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ, quo encomio eum mactavit ipse Christus Act. 9: 15. sed: οἶδα ἄνθρωπον, aliquem, fragilem, mortalem, Individuum, ut scholæ loquuntur, vagum. Unde B. Hunnius ad h. l. fol. 319. *facit hoc quoque ad testificandam animi humilitatem, quod non dicit, novi ego quendam Apostolum aut excellentem doctorem, sed HOMINEM, velut unum ex reliquorum hominum vulgo.* Ἀνθρώπου ἐτυμολογίαν si spectes, juxta Platonem in Cratylo, ut testatur Eusebius Præpar. Evangel. l. XI. pag. 304. dicitur παρὰ τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, ἤγουν ἀναλογίζεσθαι ἃ εἶδεν ἢ ἤκουσε, τῶν ἄλλων ζώων μὴ λογιζομένων, *à consideratione eorum, quæ vidit, vel audivit, cum cætera animalia nihil neque considerent, neque provideant.* Juxta alios dicitur ab ἄνω & ἀθρεῖν, Pachymeres c. l. Dionys. Areopag. de div. Nom. p. 394. Ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἄνω ἀθρεῖν ὀνομάζεται *Homo vocatur* ἄνθρωπος *à suspiciendo.* Apud Athanasium defin. l. II. p. 43. Ἄνθρωπος λέγεται διὰ τὸ ἄνω ἀθρεῖν τὸ ὦπα. τουτέστι, διὰ τὸ ἄνω θεωρεῖν τὸ ὀφθαλμῶν ἐνέργειαν. ὁ γὰρ ὀφθαλμὸς ἢ ὁ νοῦς πάντοτε ἄνω ὁρᾷ. *Homo dicitur, quia vultus sursum spectat, i. e. quia oculorum nostrorum actio sursum tendit: oculus enim & mens semper sursum spectant.* Vid. etiam Etymol. M. & Vossii sub voc. *Homo* satis longe petitum etymon, quando apud Athanas. c. l. integrum nomen dicitur ἀνορθοπεριπατητικὸς erecto corpore incedens, & inde per Syncopen Ἄνθρωπος: quicquid interim sit, plerisque ab erecto ad sidera vultu dicitur ἄνθρωπος, juxta illud Nasonis l. Metam. v. 16, 17, 18.

> *Pronaque cum spectent animantia cætera terram,*
> *Os homini sublime dedit (Numen) cœlumque tueri*
> *Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Sin vero ὁμωνυμίαν adspicias (α) generaliter sumitur *de sexu tam nobiliori quam sequiori* Rom. 6: 1. Lex dominatur τοῦ ἀνθρώπου. Hinc Clem. Alexandr. Pædag. l. I. c. IV. p. 84. κοινὸν ὄνομα ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ὁ ἄνθρωπος *Commune nomen viris & mulieribus homo.* (β) Specialius de *Viro* dicitur 1 Cor. 7: 1. καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι *bonum est homini uxorem non attingere.* Juxta quosdam etiam de *fæmina*, cum Christus dicitur υἱὸς ἀνθρώπου, i. e. Deiparæ Virginis Mariæ. (γ) idem est ac *aliquis* Joh. 1: 6. ἐγένετο ἄνθρωπος, vel *Unusquisque* 1 Cor. 11: 28. δοκιμαζέτω ἄνθρωπος (unusquisque ad S. συνάξιν accedens) ἑαυτόν. Quandoque in sensu reduplicativo Ezech. 14: 4. apud LXX. Interpretes Ἄνθρωπος ἄνθρωπος (איש איש) ἐκ τοῦ οἴκου Ἰσραήλ, quicunque Israelita. (δ) *cum quodam contemptu vilitatis ac fragilitatis humanæ accipitur* Hebr. 13: vs. 6. οὐ φοβηθήσομαι, τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος, 1 Cor. 3: 21. μηδεὶς καυχάσθω ἐν ἀνθρώποις, c. 7: 23. μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων. Huc quadrant, quæ apud Ethnicos passim leguntur: *Homo sum*, i. e. qui errare & facile falli possim. Ter. Adel. 4. 2. 41. *Homo bulla*: Cogitans esse properandum: quod (ut dicitur) si est homo bulla, eo magis senex. Varro in Præf. in lib. Agric. Omnes calamitates dixeris, cum hominem dixeris &c. Elegantissima hanc in rem vide apud Chrysostomum Homil. XXX. in 1 Cor. p. 441. & apud Photium Epist. LXXII. p. 121. ubi per omnes ætates hominis *infirmitas*, *vanitas*, *& inconstantia* probatur. (ε) *pro impostore*, Ephes. 4: 14. ἐν κυβείᾳ (per versutiam, imposturam, mendacia) τῶν ἀνθρώπων (Hominum sive Philosophorum, sive Judaizantium, sive Hæreticorum.) (ζ) *aliquando abundat* Gen. 13: 13. apud LXX. οἱ δὲ ἄνθρωποι οἱ ἐν Σοδόμοις ואנשי סדם Sodomitæ, Matth. 22: 2. Ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ *Regi.* (η) *ipsum Cacodæmonem* indicat Matth. 13: 28. ἐχθρὸς ἄνθρωπος superseivit zizania. (θ) *de vulgaribus aut plebejis item miseris dicitur.* Sic Joh. 19: 5. Pilatus Salvatorem vel mille vulneribus dilaceratum, caput corona spinea, corpus vestitu purpureo deformatum producit, atque Ἴδε, inquiens, ὁ ἄνθρωπος! Videtur per Ironiam dicere: Ecce is ille homo, quem vos sceptra affectaturum, vestramque religionem eversurum putatis, quid minus potest, quam

quam tot tantaque moliri? proin missa hac sollicitudine finite miserum, mittite deploratu dignum, absolvite adeo defatigatum ut vix ossibus hæreat, ne vestras manus innocentis sanguine polluatis. Plura invenies in Joh. Casp. Suiceri Thesauro Eccles. b. Ἄνθρωπος p. 350--358. Quanquam vero Apostolus in enarranda visione, quæ sibi contigit, nihil minus quam gloriam captet, in eo tamen non parum laudis positum existimat, quod salva veritate gloriari possit, se fuisse ἐν χριστῷ *quod epitheti vim habet, & professionis tessera est, designans hominem Christianæ professioni devotum & addictum*, verba sunt B. Hunnii ad h. l. & Nic. de Lyra gloss. ordin. & expos. *hominem in Christo: i.e. unitum Christo per fidem, charitate formatam.* Sic Theophylactus illa Rom. 16:7. οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν χριστῷ, *qui & ante me fuerunt in Christo*, interpretatur, οἳ πρὸ ἐμοῦ ἐπίστευσαν τῷ χριστῷ, *qui ante me crediderunt Christo*, & paulo post ad vers. 11. τοὺς ὄντας ἐν κυρίῳ, τουτέστι πιστοὺς, qui sunt in Domino h. e. fideles. Ὁ ἐν χριστῷ ἄνθρωπος notat etiam Hominem divinitus, ope Christi, non dæmonis, ut Simon ille, raptum ac abreptum, quo sensu ἄνθρωπον ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ ab immundo spiritu, Marc. 1:23. 5:2. & Petrum Act. 12:11. γενόμενον ἐν ἑαυτῷ ad se reversum, humana tantum ratione, actos legimus. In compositione enim præpositio ἐν & nominaliter & adverbialiter ponitur. *Nominaliter* 1 Cor. 11:7. loquimur sapientiam Dei ἐν μυστηρίῳ i.e. μυστικὴν. Parem vim habet Ebr. ב Psal. 29:4. Vox Domini בכח in potentia (potens) vox Domini בהדר in decore. (B. Luth. gehet herrlich.) *Adverbialiter*, Matth. 22:16. Magister, viam Domini doces ἐν ἀληθείᾳ, i. ἀληθῶς. Ebræi dicunt: Oro Te בחוקה היד in fortitudine manus, i. quam vehementissime Exod. 1:13. servire fecerunt בפרך i. duritie, i. durissime. Neque tamen Photiniani cum Enjedino Explic. Locor. f. 82. impulsi, opus habent, ut Psal. 110. literalem sensum de Davide solum, mysticum de Christo accipiant, ex eo fundamento, quod Salvator Matth. 22:43. eundem allegans Davidem dicat ἐν πνεύματι, i.e. ex Photini glossa πνευματικῶς, non literaliter se Dominum suum vocare. Obstat inter alia Parallelus Marc. 12:36. quo ἐν πνεύματι legimus, quod est per Spiritum, instinctu Spiritus S. Obstat Apostolus 1 Cor. 15:25. Ebr. 1:13. 10:13. citatum Psalmum literaliter de Christo exponens, vid. Scherz. Fascic. Diss. Theol. *Hic nominaliter* significare paulo ante ostendimus. Sunt etiam qui ad οἶδα ut hoc ἐν χριστῷ addatur, confirmationis vel exprimendi affectus causa, moneant, quasi per parenthesin dicat Apostolus: *quod in Christo dico*, i.e. quod sine ambitione dictum velim, cum solum Christum tantum respiciam. Vel quasi dicat: quod per Christum adsero: cujus affirmationis meæ testem Christum invoco. Sic præpositio ἐν juramentum notans extat Matth. 5:34. 35. 36. Rom. 9:1. vid. Matth. Pol. Syn. Crit. Piscatorem, Erasmum & Schmidium in h. l.

§. III. De circumstantia *TEMPORIS* seu quando raptus acciderit, quærentem vers. 2. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων ante annos quatuordecim contigisse docet. Πρὸ ἐτῶν enim proprie est ante annos. Non ergo quot annis Christo servierit, ut vult Syn. Crit. Poli pag. 648. sed ante quot annos hæc facta fuerint, refert. Solstitiales intelliguntur anni. Datur siquidem annus Lunaris, 30. dierum, Solstitialis 12. mensium, & secundum Tullium l. 2. de nat. deor. 74. magnus 12554. annorum, quales in fastis habemus. Ἔτος quasi ἐν ἑαυτῷ rediens (hinc Servius: Annus dicitur quasi annulus, quod in se redeat, & Poëta II. Georg. v. 81:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus)

vel ἀπὸ ἀνανεώσεως (ab innovatione, quod quotannis innovetur) certum & determinatum tempus significat, quod ex adjuncto δεκατεσσάρων innotescit. Dixi certi temporis notam esse. Alias enim redundat, apud Hebræos præsertim Gen. 35:28. Isaacus erat centum שנה & octoginta שנה. Iisdem etiam (1) *pro longinquo tempore ponitur* Psal. 90:4. אלף שנים mille anni sunt tanquam hesterna dies, i.e. longissimum tempus est Deo perinde ac brevissimum Dan. 11:6. 13. ולקץ שנים in fine annorum, i.e. post aliquos annos; (2) *pro singulis anni temporibus* Psal. 65:12. עטרת שנת coronas annum, i.e. velut circulum quendam suis fructibus & commodis omnia anni tempora ornas: non aliter ac solent puellæ, serta texentes, ligneoque circulo varios selectosque flores circumligantes: (3) *pro eo, quod fit in tempore*, nempe pro usu & experientia, 1 Sam. 19. Achis inquit de Davide, quod fuerit secum dies, imo annos, id est, quod sibi tam perspectus cognitusque fuerit, ac si pluribus annis secum degisset; (4) *pro stato tempore* Psal. 31:11. Dierum annus, i.e. annus completus, omnesque dies habens Gal. 4: vers. 10. indignatur Paulus, quod Galatæ dies observent, & menses, & tempora καὶ ἐνιαυτοὺς & annos, arguendo superstitiosam temporum observationem, quod religionem ad tempora alligent: cum DEUS eam in Novo Testamento prorsus liberasset à Judaicis temporum observationibus. Quantam vero Pauli modestiam! duo lustra prius & quod excurrit labuntur, quam vas illud electionis de sublimitate raptus gloriatur, & profecto tacuisset, ni Pseudo-Apostoli falso visiones de se jactitassent. Faciunt huc, quæ pientissimus Pater Joh. Chrysostomus Hom. XXVI. p. 922. habet: *Ideo factum est, ut ostendat, invitum se ac repugnantem ad id accedere. Ob idque etiam quatuordecim annorum tempus posuit. Neque enim frustra hujus temporis mentionem fecit, sed ut demonstret, quod, qui tot annos tacitum hoc tenuerat, haudquaquam id nunc enunciasset, nisi summa necessitas eum impulisset: verum æque tacuisset, nisi fratres pereuntes vidisset. Quod si jam inde ab ipsis primordiis talis erat Paulus, ut ejusmodi revelatione dignus haberetur, quum nondum tot ac tantis virtutum ornamentis præditus esset, cogita quæso, quantus vir in quatuordecim annis evaserit.* Cujus vestigia premunt Theophylactus, Ambrosius in Psal. XXXVI. Petrus Lombardus f. CXXXVI. Aloysius Novarinus in h. l. p. 223. 910. &c. Tempus vero illius raptus vel subtilissimos Chronologos summo exercuit opere. Thomas, (in cujus sententiam concedunt Nic. de Lyra, Damasus in carmine, Ludov. Capellus Histor. Eccles. l. 38. Guil. Cave in vita Pauli Sect. I. p. 66. H. Grotius Alphons. Tostatus præsul Abulensis Exod. XI. Idephonsus Giro Serm. I. de S. Paulo Claud. Dausqu. Sanct. Pauli l. III. c. IIX. p. 312. & alii,) in ipso conversionis anno factum confirmat, idque ex eo probare conatur, quod quidam asserant, Apostolum has visiones in illo triduo, quo neque videns, neque comedens, neque bibens erat, Act. cap. 9:9. habuisse. Sed hanc sententiam tanquam minus congruam rejicit Fried. Spanhemius in Quatern. Dissert. Diss. II. p. 223. Ipse vero l. c. p. 224. seqq. cum Paulus Hierosolymam comite Barnaba Act. 11:30. in altero itinere reversus medias inter preces in templo ad Deum effusas (ἐν ἐκστάσει ἐγένετο) extra se raptus fuisse dicatur Act. 22:17. adeoque anno à conversione XIX. scriptam esse hanc epistolam calculo suo ex asse respondere opinatur: quo cum conspirat Joh. Cluverus in Orthotomia Apostolica p. 243. Audiamus Spanhemii argumenta nonnulla Thomæ ejusque asseclis opposita. Primum desumit à *disconvenientia temporis illius raptus à Paulo designati.* Siquidem fere decem & quatuor anni expirarint ab illo jejunii & cœcitatis triduo, quo tempore profectus ad Synodum fuit Gal. 2:1. Alterum à *Lucæ silentio*, qui, cum Act. 9:10. 12. visionem Ananiæ, Paulumque ἐν ὁράματι Ananiam videntem retulerit, tantum abest, ut sublimitatis hujus revelationis oblitus fuisset, ut potius, si tunc temporis contigisset, summa cum industria literis demandasset. Tertium à *discrepantia objecti.* Illius enim visionis objectum erant mysteria de Evangelio, & sonora voce & scriptis publicata; hujus ἄρρητα ῥήματα, verba quæ nemini mortalium effatu sunt possibilia. Alii rationem temporis diligentius investigaturi, certioribus argumentis ostendere satagunt raptum hunc Paulo evenisse octennio post ipsius conversionem, Anno Christi XLIV. à morte Salvatoris XII, cum paulo ante à præfecto Regis Aretæ quæsitus & à discipulis per muros dimissus fuisset Act. 9:25. Claudii Imper. II. quum conversio in Annum XXXVI. Domini inciderit. Istas vero ad Corinthios literas An. Dom. LVI. s. LIIX. scriptas esse Neron. II. à morte Christi XXVI. Unde colligunt, anno eo, quo prædicandi munus cum Barnaba accepit Act. 13:3. factam fuisse hanc revelationem. Consentiunt Polus in Synops. Jac. Tirinus p. 1147. Guil. Estius, p. 524. Corn. à Lapide p. 403. Calovius Bibl. illustr. p. 514. Balduinus Apol. Apost. 599. Nicol. Hemmingius f. 302. Joh. Olear. Sen. Bibl. Erklärung p. 1325. in h. l. vierzehen) im achten Jahr nach Pauli Bekehrung. Mihi curtæ supellectilis conscio, spinas has inter rosas occurrentes, quæ vel divina ingenia læserunt, extricare non convenit. Eligat sibi eruditus lector, quæ ad veritatem Chronologicam propriumque palatum propius accedere videbuntur.

§. IV. De LOCO, in quo raptus iste contigerit Paulo, Auctores maxime disceptant. Tarsum nonnulli, caput Ciliciæ & Apostoli genitricem Act. 22:3. constituunt, Antiochiam reliqui. Convenientius posteriores, quia raptus ille circa id tempus, quo segregatum legimus Paulum cum Barnaba ad Evangelium, evenisse videtur. Nobis, tacente S. pagina, tacere magis quam incerti quid definire placet.

§. V. ACTUM exprimit participium ἁρπαγέντα v. 2. & phrasis ὅτι ἡρπάγη v. 4. Ἁρπάζειν quamvis primitus violentiæ vocabulum sit (similiter enim ut Ebr. גזל direptionem violentam justam s. injustam denotat. Usurpatur siquidem vel in genere *causæ efficientis* (α) de ursis, leonibus, lupis, feris quippe rapacibus, omniaque dilaniantibus, lacerantibus. *De lupis*

 Joh.

Joh. 10: 12. ὁ λύκος ἁρπάζει τὰ πρόβατα. Unde vulgo lupus Poëtis rapax & raptor. Virg. II. Æneid. v. 355, 356.

—— inde lupi ceu
Raptores atra in nebula.

Oppianus lupum vocat πολύπλοκον ἁρπακτῆρα, versipellem raptorem vid. Bocharti Hieroz. P. I. l. 3. c. 10. *de leonibus* 1 Sam. cap. 17: 34. Psal. 7: 3. ne quando rapiat ut leo animam meam conf. Ravanell. Bibl. S. b. voc. rapio & leo. (β) de prædatoribus, latronibus. inermes bonis vitaque spoliantibus, jugulantibus; Vel ratione *objecti* (a) *de rebus corporalibus*, ut direptione domus Job. 20: 19. filiarum Gen. 31: 31. lanceæ è manu I. Paral. cap. 11: 23. pupilli ab ubere matris Job. 24: 19. agrorum, putei, gregis, asini, mulierum Mich. 2: 2. Gen. 21: 25. Job. 24: 2. Deut. 28: 31. Jud. 21: 23. &c. (b) *de rebus incorporalibus*, raptu sc. justitiæ Jes. 10: 2.) μεταφορικῶς tamen rei emphaticæ exprimendæ inservit, raptumque citra motum sibi congenitum, ac intensiorem quandam vim extrinsecus subjecto illatam innuit. Hoc modo Philippus à Spiritu S. arreptus dicitur Act. 8: vers. 39. πνεῦμα ἥρπασε rapuit Philippum. Nec frustra hic adhibitum esse ratio connexionis docet. Ἡρπάγη siquidem non ἐξέστη Paulus. Quo ipso Thomas II, 2. qu. 178. a. 8. raptum ab ecstasi simpliciter tali secernit. *Hæc* enim importat excessum quendam à seipso, extrapositionem saltim & concentrationem mentis ad objectum supernaturale; *Ille* vero adhuc aliquid, violentiam scilicet quandam superaddit. Conf. Thomam l. c. Qu. 175. a. 2. Sic Βιάζω Lexicographis est violenter ago, extorqueo, per vim aufero, hostili modo occupo, & ab hoc dicitur quis vir violentissimus: in bona tamen parte emphatice violenti dicuntur, qui ardenti zelo fervent, qui βιασαὶ ἁρπάζουσι βασιλείαν h. e. in regnum cœlorum agmine quasi facto perrumpere satagunt Matth. 11: 12. qui perfosso tabulato ad Christum demittunt grabbatum Paralytici Marc. 2: 4. videsis Ravanel. l. c. b. voce violentus.

§. VI. Actum excipit MODUS, qui hisce verbis nobis sistitur: εἴτε ἐν σώματι οὐκ οἶδα, εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος οὐκ οἶδα, ὁ Θεὸς οἶδεν vers. 2. quod emphatice repetitur: εἴτε ἐν σώματι &c. vers. 3. Bis dicit *nescio*, ut significet, se neutrum affirmare posse (num sc. anima relicto corpore, an cum ipso elevata fuerit in id, quod sensibilia excedit) quia utrumque nesciat. *Dubitavit enim Apostolus*, inquit B. Calovius l. c. *non vivus ne an mortuus fuerit? non: an anima tunc temporis corpus informaverit, nec ne? non: an translato corpore, an vero sine ulla corporis motione ac mutatione in anima hæc senserit? sed: an anima cum corpore an sine corpore admissa fuerit ad cœlestem Dei visionem, & elevata ad perceptionem τῶν ἀῤῥήτων.* Nec aliter ex priscis Ecclesiæ Doctoribus Augustinus T. III. Oper. p. 681. l. XII. d. Gen. ad lit. c. V. *Restat fortasse*, scribens, *ut quoniam mentiri non posset Apostolus, hoc ipsum eum ignorasse intelligamus, utrum, quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, s. vigilantis, s. dormientis s. in ecstasi à sensibus corporis alienata: an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec peracta demonstratione illa membris mortuis anima redderetur, & non quasi dormiens evigilaret, aut ecstasi alienatus denuo in sensus rediret, sed mortuus omnino revivisceret. Proin quod vidit raptus usque in tertium cœlum, quod etiam se scire confirmat, proprie vidit, non imaginaliter, sed quia ipsa à corpore alienatio, utrum omnino mortuum corpus reliquerit: an secundum motum quendam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis abrepta sit, hoc incertum erat, & ideo dixit: sive in corpore s. extra corpus nescio.* Lucas Osiander vero ita παραφράζει: *An vero hominis illius anima tunc in corpore manserit, cum ista videret & audiret; an vero tunc à corpore separata fuerit, & denuo ad illud redierit: hoc Dominus novit, ego sane ignoro.* Cui annumerari possunt Nic. de Lyra in gloss. ord. & expos. h. l. Joh. Cluv. Orthotom. Apost. p. 243. &c. Balduinus, Hunnius, Weinrichius Comm. ad h. l. Ceterum in homogeneis vox εἴτε vel distinguit, vel copulat, imo & exponit, immediate tamen oppositis, sicut h. l. addita disjunctiva est & separativa. Dixi: in *homogeneis* conjunctionem εἴτε vel quasi distinctivam esse. Quæ enim sunt ejusdem conditionis & essentiæ, in illis distinguendi vim obtinet, magis tamen copulandi 1 Cor. 13: 8. εἴτε sive prophetiæ evacuabuntur: εἴτε sive linguæ cessabunt: εἴτε sive scientia destruetur. Luth. copulative reddit: Es müssen auffhörn die Weissagungen/ und auffhören die Sprachen/ und das Erkäntnüß wird auffhören. Uti in illo 1 Cor. 11: 27. qui manducaverit ἢ & biberit, sunt enim hæc institutione copulata, non ergo Paulus disjunctive & separative loquitur (uti Pontificii somniant, communionem Eucharistiæ sub una specie exinde stabilituri) sed unitive & copulative, quod Syrus etiam, ו copulativo utens, attendit. Disjunctivam esse, si *oppositis* jungatur, apparet ex Phil. 1: 18. εἴτε προφάσει εἴτε ἀληθείᾳ. vers. 20. εἴτε διὰ ζωῆς εἴτε διὰ θανάτου modo prædicetur Christus, seu per occasionem, seu per veritatem, seu per vitam, seu per mortem nihil interest. Sic & hic εἴτε ἐν σώματι, seu in corpore εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος seu extra corpus raptus fuerit perinde est. Quod ipsum adverterunt versiones, Tigurensis ac Theodori Bezæ: *num autem in corpore an vero absque corpore.* Arabs habet: *an fuerit cum corpore, an vero fuerit sine corpore nescio.* Σῶμα quasi σῆμα (Theodoret. θεραπευτ. Serm. V. ὁ Πλάτων ἐν τῷ Κρατύλῳ τὸ σῶμα σῆμα κέκληκεν. ὡς ἐν τούτῳ τῆς ψυχῆς οἱονεὶ τεθαμμένης. *Plato in Cratylo* σῶμα (corpus) σῆμα (sepulchrum) *vocat, tanquam anima in corpore sepulta sit.* Quo Etymo commoti alii carcerem animæ appellitarunt corpus, de quo multa Socrates & Ægyptiorum scita ap. Platonem. Et repetunt ex ejus dogmate Christiani Philosophi, ut Nemesius in libr. de Nat. hom. Æneas Platon. & alii Scriptores cum Gentiles, tum Christiani. Prudentius Cathemer. Hym. X. p. 68.

Ut dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.

Idem in Ἁμαρτιγενείᾳ, i. e. de peccati origine contra hæresin Marcion. circa fin. p. 210.

Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente, videbat.

Mitiores alii corporis hanc, quæ animam detinet, mansionem antrum vocarunt, ut Empedocles, cujus opinionem refert Æn. Gazæus in Theophrasto p. 8. pl. rep. in Suic. p. 1212.) hic proprie & physice, pro altera parte hominis essentiali *materia illa proxima, anima rationali contra distincta sumitur*, sic & Matth. cap. 10: 28. ne metuatis ab his, qui occidunt σῶμα: *pro toto homine* Jac. 3: 6. lingua maculat ὅλον τὸ σῶμα metaphorice *cœtum præsertim Ecclesiasticum* 1 Cor. 12: 13. per Spiritum omnes εἰς ἓν σῶμα baptizati sumus; moraliter & metonymice *pravam concupiscentiam, corpus peccati, veterem hominem spiritui reluctantem, qui per corpus tanquam organum vires suas exerit* Rom. 6: 6. 7: 24. Col. 2: 11. (cujus membra percensentur c. 3: vers. 5, 6, 7, 8, 9.) significans.

§. VII. TERMINUS AD QUEM ex vers. 2. & 4. apparet, in quibus ἕως τρίτου οὐρανοῦ & εἰς τὸν παράδεισον raptum se confitetur Apostolus. Instat vero Simon Episcopius Instit. Theol. c. XI. p. 291. *Paulum non dici raptum præcise in tertium cœlum, sed* ἕως τρίτου οὐρανοῦ *usque ad tertium cœlum, ad cœli scilicet vestibulum.* Verum explicatio Episcopii talis est, ut nec ipse in eodem subsistat, mox enim pollicetur: *si quis verba ista interpretari velit in ipsum usque tertium cœlum, se nolle admodum contra contendere*, hinc versiones Tigurensis & Bezæ: *raptum in tertium usque cœlum*, cum ἕως terminum, quem hic indicat, una includat, quod vers. 4. abunde probat. Cœli & paradisi nomine sedes illa Dei & beatorum insignitur, non vero paradisus terrestris, è quo Adam cum conjuge fuit pulsus, ut vult Epiphanius in Epist. ad Joh. Episcop. Jerosol. inter Hieronymi epistolas extante, certum siquidem est periisse illum in diluvio, quem Dominus plantaverat, sed paradisus paradisorum, sinus ille Abrahami, tot tantisque gaudiis, quæ omnes mortalium sensus excedunt, circumfluens, qui ab Apostolo tertium cœlum vocatur, tertium quippe, non tam locorum distantia, quam dignitate, non διατακτικῶς, ratione numeri, sed ἐξοχικῶς ratione perfectionis, quasi in tertium, i. e. perfectissimum, sublimissimum, sanctissimum, præstantissimum cœlum, in quo Christus est & angeli & animæ defunctorum raptum se asserat, phrasi ea in codice sacro non infrequenti, ut: Exod. 20: 5. in tertianos & quartanos, Amos 1: 3. super tribus, i. e. omnibus, iisque maximis Damasci sceleribus, & hic vers. 8. τρίς, sæpius Dominum rogavi. Hinc Poëta VIII. Metamorph. vers. 11. Ter felix, & Maro. II. Æn. vers. 792, 793.

Ter conatus erat collo dare brachia circum,
Ter frustra, comprensa manus effugit imago.

i. e. sæpius cum tentasset, & semper frustra desiit, & triplex unda apud Græcos, Conf. Corn. à Lap. Comm. in h. l. Osiand. p. 520. Nic. Hemming. f. 302. Aurel. August. l. c. p. 703. Ravanell. Bibl. Sacr. p. 222. B. D. Scherz. Syst. Th. Loc. XXIII. §. 1. p. 618. & Kirchm. deliciar. æstivar. Exerc. I. §. 4. J. Cluver. Orthotomia Apost. p. 243. J. Hunn. p. 360. Pruckn. Vind. Bibl. Balduin. Apol. Ap. p. 600. Piscat. ad h. l. Erasm. Schmid. f. 1140. Pol. Syn. p. 649. Calov. l. cit. Flac. Clav. b. voc. ternarii. Ben. Aret. p. 171. Glass. Phil. S. l. 4. t. 2. obs. 17. l. 5. tr. 1. c. 11. Suicer. l. c. Diximus notanter, Cœ-

Cœlum, in quod raptus est Paulus, tertium appellari, non ratione numeri, sed perfectionis ergo. Dantur siquidem, qui de numero cœlorum anxie disputant. Disputat Philosophus, nomine cœli intelligens (*a*) substantiam extremæ universi circulationis (*b*) continuum extremæ circulationis (*c*) totum universum l. 1. de cœlo c. IX. text. 96. in quo ait: *Uno modo cœlum dicimus substantiam extremæ universi circulationis* ἐσχάτης τῆς τοῦ παντὸς περιφορᾶς, *aut corpus naturale, quod in extrema est circulatione universi. Consuevimus enim maxime extremum, & sursum,* τὸ ἔσχατον καὶ ἄνω μάλιστα *vocare cœlum, in quo &* τὸ θεῖον πᾶν, *divinum omne, collocatum esse dicimus. Rursus autem alio modo corpus continuum extremæ circulationis ipsius universi,* τὸ συνεχὲς σῶμα τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντὸς, *in quo luna & sol & quædam astrorum sunt. Etenim hæc* ἐν τῷ οὐρανῷ *in cœlo esse dicimus. Præterea aliter dicimus cœlum, contentum corpus ab extrema circulatione,* τὸ περιεχόμενον σῶμα ὑπὸ τῆς ἐσχάτης περιφορᾶς. *Totum enim & universum* τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν *consuevimus dicere cœlum.* Disputat Angelicus ille Doctor, mira equidem, vana tamen subtilitate de triplici trium cœlorum intellectu. Constituit enim tres cœlos infra animam, tres in anima, totidemque supra eam, atque ad unumquodque istorum ponit peculiarem raptum, quem ipse Estius rejecit Commentar. in h. l. pagin. 525. Disputant Hebræi, qui cœlum in tres regiones partiuntur, quarum prima est nubifera, & dicitur Ebræis עולם שפל aliis רקיע altera astrifera dicta עולם התיכון aliis שמים, ultima angelifera, עולם העליון aliis vero שמי שמים, vocitata. Quod si vero numerus præcise attendendus esset, cœlum, in quod vas illud electionis raptum se perhibet, tertium vocaretur, respectu nonnullarum rerum in Scriptura cœli nomine venientium. (I) namque cœlum accipitur pro regione elementari, seu pro toto illo spatio, quod à circumferentia terræ protenditur usque ad sphæram lunæ, Deuter. 4: 11. *mons ardebat usque ad cœlum*, עד־לב השמים 2. Samuel. 22: 14. *Dominus tonabit*, מן־שמים è cœlo, Matth. 3: 16. Marc. 1: 10. *& ecce aperti sunt Salvatori* οἱ οὐρανοί. In specie vero pro aëre infimo, unde volucres cœli dicuntur, uti Matth. 6: 26. mentio fit τῶν πετεινῶν οὐρανοῦ, *volatilium cœli.* (II) pro regione ætherea h. e. pro corpore illo continuo, in quo sunt sol, luna, & reliqua astra; quod incipit à sphæra lunæ, & pertingit ad primum usque mobile, inclusive, Genes. 15: 5. הבט־נא השמימה *respice in cœlum & numera stellas*, Esai. 34: 4. ונמקו כל־צבא השמים *Tabescet omnis militia*, (i. e. omnes stellæ) *cœlorum:* (III) pro regione spirituali, quæ est extra primum mobile, h. e. pro sede beatorum & ipsius DEI, quæ alibi vocatur *domus DEI, & porta cœli*, Genes. 28: 17. *excelsum cœlorum* Deut. 26: 15. de quo locutus est Dominus in promulgatione legis Exod. 20: 22. οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ cœlum cœlorum, θρόνος Θεοῦ Matth. 5: 34. (vid. Basil. M. ad Jesaiam vis. II. l. I. p. 813. Damascen. l. 1. orthodox. fid. cap. XVI. p. 57. & lib. II. c. VI. p. 83.) & h. m. cœlum tertium nostrum cœlum dici approbat Syrus in version. *raptum ad tertiam usque cœli partem* (Suidas duplex tantum cœlum statuit, *æthereum scil. & Superius*, aëreum vero rejicit, quod pro peculiari cœlo in Scripturis poni supra probavimus.) Nec displicet sententia B. Glass. in Exeg. Epist. Dom. Sexag. Part. II. cujus vestigia pressit Herwart, in rapt. Pauli An. 1671. edito, *respici*, inquientis, *ad templum Salomoneum in VESTIBULUM, SANCTUM, & SANCTUM SANCTORUM tripartitum, in cujus ultima parte propitiatorium cum arca fœderis collocatum erat, & in quo super propitiatorio responsa DEUS populo dabat*, Exod. 25: 22. *ideoque Paulum ad tertium templi adytum respicere, ibique Dominum vidisse se, affirmare.* Restat ut de notione Paradisi pauca proferamus. Illa vero cuinam genti natales debeat suos inter complures disceptatur. Persicam vocem esse contendit Pollux, qui in Onomast. lib. IX. c. III. sic de ea: οἱ δὲ παράδεισοι βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦντες τοὔνομα, ὅμως καὶ μὴ συνήθειαν εἰς χρῆσιν ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν περσικῶν, *Sed Paradisi Barbaricum nomen videtur: consuetudine autem in usum Græcum pervenit, sicut & multa alia Persica.* A Persis itidem esse contendunt Xenophon l. V. Memorab. Hugo in libr. Euang. p. 825. Funger. in Etym. trilingu. Pol. c. l. in Luc. 23: 43. Aut. Trifol. Exeg. Flac. in Clav. b. parad. Nec destitui se rationibus existimant. Persarum siquidem Regibus erant agri consepti ac diligenter consiti, lingua sua παράδεισοι vocati, in quos animi laxandi & remittendi causa secedere & morari consueverunt. Hos autem Persarum μεστοὺς δένδρων καὶ θηρίων fuisse Xenophon lib. III. ἑλληνικῶν docet. His siquidem inclusæ feræ alebantur Xenoph. l. I. παιδ. θηρία περιωκοδομημένα vocatæ, cujusmodi septa Romani *VIVARIA* appellarunt Agell. lib. III. c. 20. *Vivaria quæ nunc dicuntur, septa quædam loca, in quibus feræ vivæ pascuntur.* Et mox: *Vivaria autem quæ nunc vulgus dicit, sunt quos Græci* παραδείσους *vocant.* Ammian. Marcell. l. XXXI. de Gratiano: *Intra septa, quæ appellant vivaria, sagittarum pulsibus crebris dentatas conficiens bestias.* Cujus generis saltus multos in regione, quæ Bazaria appellatur, fuisse Rufus l. VIII. c. I. n. 11, 12. scribit & Brisson. l. I. de regn. Pers. princ. p. 52, 53. 110. Hanc vocem porro Græcam esse Suidæ placet, derivata sibi p. 431. à παρὰ i. e. juxta & δεύω irrigo, unde verbale δεῦσις ut proprie hortum irriguum sonet, & compositum παράδευσις verso υ in ι παράδεισος. Alii παράδεισον dicunt παρὰ τὸ δῆσαι (i. e. βοτανῶν συλλογὴν, herbarum collectionem) πιάζω, cum in Paradiso omnia olerum genera contineantur, falli vero & fallere nulli non Græcæ linguæ vel tantillum perito, patebit. Melius derivatur illud vel ex Hebr. פרח protulit, fructicavit & דשא herba, vel ex פרה & הדס myrtus, quia myrtus odore recreat, & in hortis à vilioribus vulgatisque herbis abhorret. Suffragatur Aut. For. Rom. *Vox*, inquiens, (Paradisi sc.) *deflexa est ab Hebr.* פרדס, *quod hortum domesticum significat s. pomarium*, Corn. l. c. Ravanell. Bibl. S. p. 222. Pasor, Scapula in Lex. & alii. Significatio quoque vocis paradisi & in Scriptura & apud Patres multivaria est. (α) καθ᾽ ἐξοχὴν denotat sedem Protoplastorum, quæ & dicitur hortus Hedenis Gen. 2: 15. 3: 24. hortus DEI Es. 51: 3. Ezech. 28: 13. 31: 8, 9. de quo notandum (1) quod fuerit promptuarium voluptatis, omnisque suavitatis. Philostorgius hist. Eccl. lib. III. t. XI. p. 44, 45. Basilius M. Homil. XXX. quæ est de Paradiso pag. 626. (2) quod fuerit locus terrestris & corporalis contra Manichæos, Philon. Jud. in Alleg. p. 33. qui, quicquid de Paradiso dicitur, in meras allegorias transformant. (β) Metaphorice παράδεισος Chrysostomo est Scriptura Sacra Hom. I. ad pop. Antioch. t. VI. p. 448. Hom. quod Scripturarum lectio utilis sit t. VIII. p. 111. Hom. XVIII. t. V. p. 100. (γ) quivis deliciarum locus, speciatim hortus, ob frugiferas arbores ac viventes aquas amœnissimus Cant. 4: 13. שלחיך פרדס רמונים *plantationes tuæ paradisus malorum punicorum* Eccl. 2: 5. עשיתי לי גנות ופרדסים *feci mihi hortos & Paradisos.* (δ) beatorum habitacula, Paradisus spiritualis, cujus typus fuit ille terrenus. Luc. 23: 43. Salvator animam jam exhalaturus latroni ex cruce pendenti σήμερον, infit, μετ᾽ ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. Intelligi autem per paradisum, in quem latronem Christus invitat, ipsas beatorum mansiones fuse probat Suicerus l. c. in voc. λῃστής, n. III.

§. VIII. Subjungemus *ADJUNCTUM* sive *CONCOMITANS*, visuri quid Apostolo in hac visione contigerit. Textus ait vs. 4. ἤκουσεν ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. *Actum* exhibet τὸ ἀκούειν, audire, auribus percipere, intelligere, ex auditu scire, quod & hic videre significat, (sicut vice versa videre pro audire legitur Exod. 20: 15. וכל־העם ראים את קול השפר *Omnis populus videbat voces tubæ*, qua de causa Luc. Osiand. P. III. Bibl. p. 585. a. ἤκουσεν vidit & audivit vertit) *modo* illius actus prorsus spirituali existente, qualis angelorum & beatorum esse solet, quiescente utpote in ecstasi sensu, animaque supra naturam elevata: *Objectum vero illius auditionis s. visionis* erant ἄρρητα ῥήματα ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Varie autem à variis hæc ἄρρητα ῥήματα explicantur, hinc maxime discordes versiones videas. Syrus reddidit: *Verba non dicenda, quæ non licet homini loqui.* Arabs: *verba ineffabilia, verba, quæ nequit homo proferre.* Æthiops, *Sermones, quos non potest homo loqui.* Vulg. & Erasmus exposuerunt ἀπόρρητα, *arcana, quæ equidem potuerit enumerare, prohibitus tamen non dixerit.* Ulenberg. Höret verborgene unaussprechliche Worte / die sich nicht geziemen / den Menschen zu sagen. His itaque versionibus nullum præbemus assensum, quæ cum Camerone, (quem Georg. Vechn. in Tr. de Scolop. Pauli anno 1678. edito, Sect. XXIX. p. 98. sectari videtur, τὸ ἐξὸν ad potestatem s. jus, non vero ad potentiam restringunt.) Siquidem Paulus ῥήματα illa ἄρρητα vocat, non quod homini solum fas non sit ea eloqui, sed quod humanitus efferri nequeant, quod ex subsequentibus elucescit, ubi ἄρρητα ῥήματα talia dicuntur, ἃ οὐκ ἐξὸν, quod recte Beza per ἀδύνατον vel οὐκ οἷόν δέ ἐστιν, illustrat, *quoniam videlicet ne animo quidem satis complecti ea poterat, nedum ut verbis explicare potuerit.* Hoc sensu Aphrodiseo ἰδιότητες ἄρρητοι proprietates inexplicabiles, Hermeti Deus ἄρρητος, ἀνεκλάλητος, Hebræis τετραγράμματον ἄρρητον, ἀνέκφραστον ineffabile dicitur. Ita & gemitus Spiritus S. ἀλαλήτοις inenarrabiles Roman. 8: 26. ἀνεκδιήγητον 2 Cor. 9: 14. & ἀνεκλάλητον gaudium cœleste 1 Petr. 1: 8. legimus, quia homini ea eloqui & enarrare impossibilia sunt. Nobiscum sentit B. Glass. Exeg. Ep. l. c. p. 317. *Rectius*, inquiens, οὐκ ἐξὸν *non licitum τῷ impossibili æquipollere dicitur. Nam ea minime omnium licent, quæ natura nostræ captum & facultatem superant. Unde* ἐξουσία *non tantum* συγχώρησις *concessio,*

permis-

permissio, sed ipsa potestas & vis aliquid efficiendi dicitur. Nec displicere hic sensus Estio l. c. & Episcopio lib. IV. Instit. Theol. c. XII. p. 253. videtur, qui videantur. Conf. & Calov. l. c. p. 517. & Scherz. Syst. Theol. l. XXIII. §. VIII. (*d*) Mira ergo est Bernhardi sententia, Serm. 82. in Cant. quam & Aloysius Novarinus in Paulo expenso p. 225. b. n. 921. approbat: *Signate Paulum homini arcana appellitasse, i. e. alteri homini. Sibi enim & DEO licuisse eloqui.* Ut enim Paulo præ reliquis singulare aliquid demus, utpote in quo etiam passio Christi abundavit, non tamen licebat, quæ est nostra imbecillitas, Paulo in terris ea proloqui, quorum revelatio ad alterum seculum pertinet, sicut nec Johanni Apocalyptico septem-tonitruum voces scribere licebat Apoc. 10: 4. lege Calov. l. c. ad h. l. Cluv. Orthor. Ap. 244. Luc. Osiand. in h. l. Cui bono itaque, inquies, audivit Apostolus, quæ perpetuo silentio premuntur? Respondeo, & Pauli & nostri bono. Illius quidem ut adversus tot ærumnas, summasque, quæ ipsum manebant, difficultates confirmatus invictus perstaret; nostri bono, ut de sublimi cœlorum gloria & majestate admiranda edocti à nimia scrutatione abstineremus, pia tamen simplicitate ad eam suspirantes & jugiter contendentes. Progredior ad

SECT. II. Polemicam.

IN hac mihi quæstiones Theologicas secundum partes Exegeticæ sectionis exhibituro circa ACTUM se offerunt sequentes:

QUÆSTIO I.

Ad quam revelationis speciem raptus Pauli referatur?

ANsam huic quæstioni ventilandæ συνάφεια textus nostri suppeditat, in quo ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου enumeraturum se pollicetur Apostolus. Eæ autem πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως fiebant. (a) Ordinario siquidem modo utriusque Testamenti populo Deus se revelare solebat *per Naturam* (b) *per Scripturam* (c) *per Gratiam illuminatricem.* (d) Extra ordinem vero multifariam Judæis id contigit, in veteri imprimis fœdere. Aut enim assumto humano corpore quadantenus conspiciendum se præbebat Deus, id quod videre licet in historiis Patriarcharum (e) aut vox saltim ipsius absque visibili forma percipiebatur, (f) aut cum vigilantibus vel dormientibus per simulacra, phantasiæ vi concepta, (g) aut tandem intellectu supernaturaliter ad ea, quæ naturam excedunt, elevato, sensibusque externo & interno exclusis, agebat. Cujus ultimæ revelationis tres species. Prima est *Illuminatio mentis seu visio,* qua Deus sanctis hominibus interno quodam & mystico modo singularique Spiritus S. instinctu secreta ac futura patefecit: (h) Altera *Ecstasis* dicitur, quæ est sensuum materialium ab externis objectis abstractio, & mentis in objecto tantum interno contemplando occupatio: (i) Tertia *Raptus* nomine

(a) *Ebr.* 1: 1. (b) *Quæ est omnium hominum, gentium præcipue, quibus τὸ γνωστὸν Θεοῦ manifestum esse Apostolus ait. Rom.* 1: 19, 20. *de qua & Act.* 17: 27. (c) *Eaque pertinet ad cives Ecclesiæ, qui per sacras literas instruuntur ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu, ut perfecti sint ad omne opus bonum instructi.* 2. *Tim.* 3: 15. *siquidem ibi omne consilium Dei nobis revelatum est Act.* 20. 27. *quare ad Scripturam, infallibilem fidei normam remittuntur Es.* 8: 20. *Joh.* 5: 39. (d) *Spectans electos & vere credentes, quos Spiritus Dei gratia sua singulari* per Verbum *illuminat, quæque ad salutem scitu sunt necessaria, in cordibus ipsorum obsignat juxta Jer.* 31: 33. (e) *Genes.* 18: 2. 32: 24. (f) *Variis autem modis Deum ita locutum esse legimus,* per nubem *Exod.* 16: 10. *Deut.* 31: 15. per rubum ardentem *Exod.* 3: 4. *Deut.* 33: 16. *Act.* 7: 30. de medio ignis in monte Horeb *Exod.* 19: 16. 18, 19. de turbine *Job.* 38: 1. in sibilo 1 *Reg.* 19: 13. de propitiatorio *Exod.* 25: *vs.* 22. באורים ובתמים *Exod.* 28: 30. (g) Cum vigilantibus, *ut quod Deus noctu apparuit Isaaco Gen.* 26: 2. *Balaamo Num.* 6. 22: 20. cum dormientibus: *Abimelecho Gen.* 20: 3. *Jacobo Patriarcha* 28: 12. *Pistore & Pincerna Pharaonis* 40: 8. *Pharaone* 41: 1. *Nebucadnesare Dan.* 2: 1. *Daniele cap.* 7: 1. *Salomone* 1 *Reg.* 3: 5. (h) *Pertinent huc visiones Prophetarum & notitia Mosis de creatione mundi aliisque ipso nondum nato gestis; huc quoque referendum, quotiescunque Prophetæ dicunt: Hæc dicit Dominus &c.* (i) *Tostatus exempli loco adducit Balaamum qu.* 400. *in XIII. Gen. Thyræus Adamum cum à somno excitatus Evam de carne & ossibus suis esse dixerit lib. IV. d. appar. Dei c.* 3. *ubi Tostatus soporem Adami de ecstasi interpretatur qu.* 155. *in cap.* 12. *Genes. vid. Dan.* 10: 7.

venit, qui Thomæ II. 2. qu. 175. in concl. a. I. est elevatio secundum naturam in id, quod naturam excedit, superiori quadam natura agente. (k) Et quamvis in V. T. frequentiores quidem revelationes divinæ extiterint, non tamen in N. plane defuerunt: omnium enim specierum exempla in promptu sunt: *Ocularis* (l) *vocalis* (m) *imaginariæ* (n) *intellectualis, & Ecstaseos* quidem in Johanne Apocalyptico (o) *Raptus* vero in Paulo unicum fere exemplum occurrit. Vid. B. Bald. ad h. l. pag. 735, 736. B. Scherz. Syst. Theolog. Lib. I. §. VII. pag. 7.

Intellectualis revelationis speciei cuidam, raptui scilicet, visionem Paulinam annumerandam esse ex dictis patet. Sed cum alia adhuc subdivisio occurrat inter raptum localem, quo de loco ad locum rapimur, & mentalem, quo intellectui saltem nostro aliquid sistitur, hinc oritur:

QUÆSTIO II.

Qualis raptus Pauli fuerit, localis an mentalis?

QUod alias usu venit, ut in rebus difficilioribus viri docti in diversas partes scindantur, id satis sufficienterque in perplexa hac controversia apparet. Plures illud se nescire lubentes profitentur, quod ipse Apostolus se ignorare testatur (*) alii Paulum cum corpore & anima in cœlum translatum fuisse opinantur, (p) nec desunt, qui mentaliter raptum contendunt,

(k) *Thomas c. l. exempli ergo citat Ezechielem Cap.* 8: 3. *de se disserentem: Spiritus me elevavit inter cœlum & terram adduxitque Jerusalemum* במראות אלהים *& cap.* 11: 24. במראה ברוח אלהים. (l) *In ipso Dei filio, qui carnem indutus secreta Patris æterni nobiscum communicavit, visibilique corpore Paulo in Lystrensibus castris apparuit Actor.* 23: 11. (m) *In baptismo & transfiguratione Christi Matth.* 3: 17. *in conversione Pauli Act.* 9: 4. *in ablegatione Petri ad Cornelium Act. cap.* 10: 13. (n) *In Josepho & Magis Matth.* 1: 20: 2: 12. *&* 19. *in uxore Pilati cap.* 27: 19. (o) *Apocal.* 1: *vers.* 1. (*) *D. Augustinus congerens quæstiones, quæ fidei capita non continent l. XII. d. gen. ad lit. c. III. & d. pec. Or. contra Pelagium & Cœlestinum lib. II. c. XXII. & nostram proponit.* Quanquam, *inquit*, sit ista impudens ac temeraria inquisitio id scire volentium, quod se ille, cui præstitum est, salva utique fide nescire testatur: *& D. Chrysostomus Tom. IV. Oper. Hom. XXVI. p.* 386. Cum Paulus ipse, qui raptus est, & cui tot ac tantis arcanis frui contigit, minime compertum habuerit, multo sane magis id nobis ignotum est. *Consentiunt Nic. Hemming. pag.* 302. Cum autem modum raptus, an in corpore fuerit vel extra corpus, ignorare se dicat Apostolus, nostrum non est scrupulose inquirere, quod ipsi Apostolo ignotum fuit. *B. Bald. p.* 733. *a.* Ignoravit Apostolus, de quo cum ipsi Apostolo nihil certi constiterit, nos quoque curiosi esse nolumus. *B. Friedlib. Theol. Exeg. Obs. in N. T. p.* 494. *c.* 84. In modum non curiose inquirimus, sed Apostoli ἐπέχειν præ curioso ἐπιζητεῖν amplectimur. (p) *Quos inter est Thomas Massutius, Theologus Rainetensis, Corn. à Lap. in h. l. palmarium pro sua hypothesi stabilienda argumentum quærunt in voce ἁρπαγέντα mere & simpliciter non mentaliter sed locali motione raptum abreptumque denotante. Nec vim huic argumento deesse opinatur Th. Reinesius, cujus αὐτόγραφα ex parte Bibliotheca Mauritio-burgica possidet; Ita vero citatus Reines. in N. T. Bez. ad h. l. glossat:* ἁρπαγέντα, vere & realiter, non imaginarie, quia hic & vs. 4. non ἐξέστη sed ἡρπάγη est, quod mere & simpliciter raptum abreptumque fuisse significat. *Hoc excipit aliud, desumtum ab Apostoli dubio, quod Paulo, si imaginaria visio sibi contigisset, in quo non corpus sed sola anima rapitur, non exortum fuisse sibi persuasum habent. Tertio inquiunt animam Pauli necessario cum corpore raptam fuisse in cœlum, quia, si absque corpore raptus animæ contigisset, dubio procul reliquum corpus fuisset exanimale seu cadaver, reducem vero animam non nisi miraculo corpus excepisset, cum ad eam revocandam conjunctionem nulla naturæ via pateat, idoneis ad hoc viribus destitutæ; At miracula congeminare aut multiplicare Theosophi vetant. Insurgunt tandem ex eo, quod Paulum ineffabilia in tertio cœlo audivisse sacræ paginæ doceant, ut scilicet orbis Doctor futurus è cœlo prodire videretur, ibique visa & audita enarraret, cœlestemque quasi sapientiam hominibus afferret.*

tendunt (q) ut ſcilicet per imaginationem viſus ſibi fuerit eſſe in cœlo, manentibus in his terris anima & corpore, & ſola quidem anima non ſimul corpore ad ἄῤῥητα admiſſa, quos melius rem tetigiſſe opinor, nihil moratus effata Patrum aliorumque in notis citata, cum illa de inquiſitione apodictica, & tali, qua certa cognitio quæritur, loquantur, nos vero probabilia ſectemur. Nec obſtant Maſſutii, & quibus paria ſentire placet, ἀντιπίπτοντα. Primum enim laborat ignorantia Elenchi, præſupponens id, de quo litigatur, ſiquidem vocabulum ἁρπαγέντα non tam motum localem, quam vim extrinſecus illatam arguat: verſiculus inſuper primus ἐξηγητικὸς eſt ſequentium, in quo venturum ſe dicit Paulus: εἰς ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις Κυρίου, has autem mentaliter & ἐκστατικῶς non reali quodam motu factas fuiſſe ex Scriptura docemur Dan. 10:7. Ezech. 8:3. Act. 10:10, 11. 22:17. Alterum committit fallaciam conſequentiæ, quodſi enim Maſſutio Paulum de loco ad locum transportatum dederimus, adhuc tamen plane non dubitandum fuiſſet, cum ſenſuum externorum pariter ac internorum ope ſciviſſet, in corpore an extra corpus fuerit, Apoſtolus. Nec tertium & ultimum ſua infirmitate carent. Concedimus omnino Paulum ſecundum corpus, non tamen localiter raptum fuiſſe, quum neque cœlum, in quod Apoſtolus abreptum ſe confitetur, locus ſit, raptusque hic elevationem totius ſuppoſiti ad divinam præſentiam, neque diſſolutionem, ſed quandam animæ concentrationem ad objectum ſupernaturale inferat. Recluſurus ergo DEUS Paulo ſenſus arcanos ſupercœleſtes, ſupergreſſos naturæ vires, ἄῤῥητα ῥήματα, abſtruſiſſima & altiſſima revelaturus, viſa miriſſima oſtenſurus, opus habuit, ut Pauli animæ ferias indiceret in corpore, quo ejus abſoluta miniſterio diviniore imbueretur magiſterio, opus fuit Ecſtaſi non vulgari, ſed in eminentiori gradu, h. e. opus fuit raptu, qualem ipſe commemorat. Notanter dixi, *terminum ad quem hujus raptus non fuiſſe realem, ſed in viſione ſaltem objectum.* Potuit ſiquidem DEUS menti corpori incluſæ eſſentiam ſuam, totum admirandæ illius gloriæ pondus, ſpectandam exhibere, nec opus habuit, ut id fieret anima in cœlum tranſlata, quid quod prærogativa hæc & excellentia, qua Paulus inter reliquos Apoſtolos eminebat, ſi è ſtatu gloriæ in has mundi ærumnas iterum deturbatus fuiſſet, maleficii potius & infelicis exaltationis nomine veniret. Dictum porro: *nullam diſſolutionem partium eſſentialium, ſed elevationem animæ ad Objecta ſupernaturalia contemplanda hic ſubinnui.* Rapta ſiquidem anima Pauli dici poteſt citra interventum mortis, ſi ſc. intelligatur rapta non ſine corpore in ratione partis conſiſtente, ſed ſine corpore ad ἄῤῥητα admiſſo. Quod enim in ecſtaſi naturali fit, ut quæ coram fiunt aut dicuntur, neque viſu neque auditu ab Ecſtaticis percipi queant, ut nonnunquam ſenſuum munere privati videantur (qualis fuit Socrates ap. Plat. qui militares inter turmas aliquando uno gradu diem & noctem ſtetit usque ad ſolis exortum meditabundus. Simile pugnata ad Thraſymenum pugna accidiſſe pugnantium numero, cujus tantum ardorem, adeo intentum animum fuiſſe, ut eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ magnas partes proſtravit, avertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapſu ingenti proruit, nemo pugnantium ſenſerit, Livius auctor eſt. l. 22. vid. Zonaras T. II. Annal. Plin. l. 2. c. 84. Silius Italicus l. 5.) id potiſſimum in hac ſupernaturali, eminentia & magnitudine majore contigiſſe credas. Neque tamen cum Camerone in myrothecio p. 234. facultatem rationalem manente ſenſitiva & vegetante, raptam aſſerimus, hoc enim modo diſtincta ſtatuitur ratio à ſenſu imo diviſa, reclamantibus Concil. Conſtantinop. IV. Can. X. contra Jac. Syr. Eutychiani dogma de duabus animabus, & Auguſtino l. d. duab. anim. contra Manich. c. 41. ſed abſtrahimus ab officiis animæ ſenſitivæ, non ab vegetatione, cum vires animæ vegetabiles non operentur ex intentione animæ, ceu ſenſitivæ, ſed per modum naturæ, ideoque non requiritur ab iisdem abſtractio, ſicut à potentiis ſenſitivis, per quarum operationes minuitur intentio animæ circa intellectivam cognitionem. Legi & meretur Matth. Flac. Gloſſ. Comm. p. 868. a. qui alio, præter adductas rationes, medio termino Maſſurium refellit, *non agi*, ſic extat c. l. *de locali cœlo ac motu facile vel ex eo apparet, quia alioquin, ſi & Paulus vivens & omnes pii poſt mortem, ut iſti aſſerunt, localiter in ſummum cœlum aſcendiſſent, non eſſet Articulus & dignitas aſcenſionis ſoli Chriſto proprius.*

(q) *Thomas II. 2. qu. 1. 5. a. 5. & 6. & Comm. in h. l. Eſtius in h. l. Pol. Syn. Crit. D. Herwart. in Paul. rapt. A. 1671. exhibito. Anton. Gaviſſol. Montalbanenſis Theol. B. Calov. Bibl. illuſtr. M. Kirchm. in Triſ. Exeg. §. 10. &c. M.* Engelman. *Med. Theol. de Ub. anim. §. 26. Claud. Dausqu. in Sanctit. Paul. l. 3. c. 8. & 10. pag. 335. Petrus Gregorius Tholoſanus T. II. in l. 1. Synt. Art. Mirab. c. 12. p. 82. 83.* König. *Caſ. II. pag. 41. Alphonſus Toſtatus in 2. Paral. q. 18.* ſic fuit in beato Paulo, qui elevatus eſt ad divinam eſſentiam videndam, cum dicat ſe audiviſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et quia illa non poterat intelligere, niſi anima totaliter occupata circa illa & deſerente vegetatione corporis, deſeruit ad tempus. Et ſic apparuit corpus B. Pauli tanquam mortuum.

Tom. II.

QUÆSTIO III.

Num duo raptus ex dicto noſtro elici queant?

DIverſam fuiſſe viſionem nonnullis (s) ex eo placet, quod articulus εἰς τὸν παράδεισον diſtinctum eſſe Paradiſum à cœlo tertio velit, Paulus inſuper verſ. textus noſtri primo ad viſiones numerandas accedat; quid quod? raptus in tertium cœlum & paradiſum copula diſtinguatur: unus denique raptus Epiphanio L. II. T. I. contra Hæreſ. Hær. LXIII. p. 188. Theophylacto &c. duos conſtituentibus, refragetur. At fruſtra omne aſſeritur, cum textus manifeſte loquatur, unum tantum fuiſſe raptum, non enim priori parti ἀῤῥήτων perceptionem à poſteriori diverſam, nec ſecundo loco aliud tempus, præter XIV. annorum, quod initio, adjunxit Apoſtolus. Si ergo ejusdem temporis & effectus utraque viſio eſt, conſequenter & locus idem & raptus idem fuit. (t) Adhæc ſibi non conſtant adverſæ partis Autores. Muſculus enim duos primum raptus fuiſſe contendit, unum in tertium cœlum, alterum in paradiſum; mox vero diſtinguenda non eſſe fatetur, *Nolim*, inquiens, *hic inter tertium cœlum & paradiſum, cœleſtem beatorum ſpirituum manſionem, diſtinguere, ut eos, qui in Paradiſo ſunt, à Chriſto ſeparem, cum ad latronem ille dixerit:* hodie mecum eris in paradiſo, *& huc ipſe Paulus diſſolvi & cum Chriſto eſſe in votis habuerit.* Thomas vero, Doctor ille Angelicus, ſecus ſentientes refellit, quem ſequuntur Lyra, Cajetanus, Catharinus, aliive. Ad argumenta Reſp. In [1] eſſe petitionem principii, quippe quod diſtinctionem inter Paradiſum & tertium cœlum (de qua tamen controvertitur) præſupponat. Articulus enim τὸν voci παράδεισον additus, ipſum Paradiſum cœlum tertium eſſe innuit. Ad [2] Paulum ideo plurali uſum eſſe, non quod duas revelationes enumerare voluerit, quarum alias variæ leguntur ap. Lucam Act. 9:3. 16:9. 18:9. 20:17. 27:23. ſed quia viſionem illam, qua ἄῤῥητα audivit, pro excellentiſſima habuerit. Ad [3] Scripturæ non adeo infrequens eſſe unam & eandem rem alibi, immutata non nihil locutione, explicare. Patribus vero oppono Auguſtinum L. 12. d. Gen. ad lit. c. 34. ubi habet: *Paradiſum, de quo Apoſtolus, non niſi de tertio cœlo intelligi.* Hinc vocari paradiſum paradiſorum, neque viſiones diſtingui debere &c. cum quo & D. Herwart. in rapt. Paul. p. 30. 31. & Kirchm. l. c. conſentiunt.

Et hæc ſunt, quæ circa Actum Autores diſceptant, de MODO quæritur:

An eum Paulus vere neſciverit?

Quoad nos, quibus indicare haud potuerit, neſciviſſe (a) Paulum, num in corpore an extra corpus fuerit, exiſtimat Athanaſ. Serm. IV. contra Arrianos; in ſe vero haud ignoraſſe. Minus congrue, ipſa litera, quæ per τὸ *Neſcio* vere & proprie ignorantiam Pauli teſtatur, reclamante.

Poſt Actum & Modum TERMINUS etiam AD QUEM in litem vocatur. Hinc enim

(s) *Luc. Oſiandr. Bibl. p. 3. p. 584. b. ubi explicato Cap. noſtri vſ. 2. ad 3. acceſſurus:* ſequitur, *inquit*, alia viſio. *Nec diſplicet Ambroſiaſtro, Primaſio, Anshelmo, Salmeroni, Haymo &c.* (t) *conf. Guil. Eſtius in h. l. Cornel. à Lap. p. 402. b. unum raptum fuiſſe agnoſcit, quanquam in cœlo Empyreo paradiſum cœli partem nobiliorem nugetur.*

QUÆSTIO I.

Quid per tertium cœlum intelligatur?

QUamvis, ut cum Plinio loquar l. 2. H. N. c. 1. cœli extera indagare nec interſit hominum, nec capiat humanæ mentis conjectura, nullo tamen tempore defuerunt, qui circa præ-

(a) *Quo modo etiam illud Marc. 13:32.* οὐδὲ ὁ υἱὸς *nec ipſe Filius, qua homo,* περὶ τῆς ὥρας (ἐσχάτης) οἶδεν, *nonnulli (quanquam falſo) exponunt. Vid. Scherz.* Syſt. Def. Loc. 8, f. 222. 223.

præsens problema occupati ejusmodi ineptias sibi finxerunt, ut spirituale regnum in aniles fabulas & corporales delitias deploranda μεταμορφώσει commutarint. Sileo φαντασίας Turcarum, nescio quas epulas, quæ sedilia, quas choreas, quas voluptates mundanas in cœlo ridicule sibi imaginantium, miror potius ingenia illa (si Diis placet) Romanæ-Catholicæ religionis columina, reverendos Societatis Jesu Patres, nimium quantum heic aberrare, per tertium cœlum Empyreum intelligentes, illudque secundum totam suam naturam, omnesque qualitates ita delineantes, ac si oculis hisce suis ac auribus percepissent; (a) Nec rem tetigisse Reformatos, ἐπίγεια φρονοῦντες, per tertium cœlum corporeum & materiale concipientes (b) in aprico est, cum quod supra diximus, per tertium cœlum, cœlum gloriæ & sedes illa omnium sanctorum intelligatur, quam qui incolunt, aspectu ipsius Dei fruuntur perenni & beato. Quia vero cum tam numeroso grege congredi haud possumus, seligemus ex illis unum, qui ducis loco jure meritoque suo inter eos esse possit, Zanchium part. I. de Oper. 6. dier. l. 1. c. 4. tanti candoris tantæque perspicuitatis virum, ut ubi cum reliquis, Polano l. 5. Synt. Th. c. 8. Timplero l. 1. Apsychol. c. 3. probl. 1. seqq. in veritatem impingit gravissime, falsitatem aperte proferat ac eloquatur. Primarium argumentum, quo supremum cœli sui situm demonstrare posse thrasonice gloriatur, est: Cœlum Dei est supra cœlos adspectabiles. E. & beatorum. Minorem ex Ps. 113: 5. Luc. 2: 14. probare satagit Resp. (1) negando consequentiam. Absolute enim loquendo, quando ipse Deus in cœlo esse dicitur, non πȣ solum, sed tota ipsius Dei essentialis ac infinita beatitudo intelligitur, quo sensu, cum hac ipsa, qua Deus, beatitudine eodemque modo, quo sanctum Numen, beati non fruantur, Dei & beatorum cœlum idem dici nequit, quamvis si πȣ relative, in oppositione scilicet ad alia omnia creata seu spiritualia seu corporea, spectetur, idem & Dei & sanctorum πȣ dici possit, quia beatorum πȣ est increatum, ut loqui amat acutissimus Theologus B. Scherzerus Brev. Hulsem. c. 16. p. 1100. (2) Negando antecedens. Excelsa enim, in quibus Deus habitare, & ex illis respicere dicitur, non denotant locum quendam creatum, quia hinc puerilia ista & carnalia φαντάσματα sequerentur, acsi Deus circumscriptive, nec repletive & ubique in cœlis esset. vid. Phil. sobr. Meisneri Sect. III. p. 548. Quid quod? *Si cœlum*

(a) *Si vis, B. L. producam quosdam ex iis h. m. differentes. Jacobum Tirinum p.* 1147. Primum sive infimum cœlum est aëreum, secundum sive medium est sydereum, tertium sive supremum est Empyreum, ubi sedes est & paradisus, i. e. locus voluptatis & beatorum, *Johannem Steph. Menoch. Expl. S. Script. T. II. pag.* 362. Usque ad tertium cœlum. Usque ad cœlum Empyreum, nam cœlum aëreum primum est, secundum sydereum, tertium Empyreum, sedes beatorum. *Petrum Lombardum f.* 136. usque ad tertium cœlum sive Empyreum, quod statim factum angelis sanctis fuit repletum, & dicitur Empyreum, i. igneum à splendore, non autem à calore. *Matth. Pol. Syn. Crit. in h. l.* in tertium usque cœlum, id est, cœlum cœlorum, cœlum summum, Angelicum, empyreum. *Corn. à Lapide p.* 403. primum (*sc. cœlum*) est aëreum, secundum sydereum, tertium empyreum. *Estium pag.* 646. Tertium cœlum est, quod Theologi empyreum vocant, sedes beatorum. *Consentiunt Theophyl. Julian. Pomerius ap. Damasc. l. 2. d. Fid. c. 6. Haymo, Nic. d. Lyr. Gloss. ordin. & expos. in h. l. & alii. Est autem ipsis cœlum empyreum orbis cœlestis omnium supremus, subtiliorque quam ut sui densitate radios ex se diffundat, conditus ante primum diem cum angelis, & beatorum pariter ac angelorum delitiis, & locali obambulationi destinatus: quam vero fallant otiosi fabulatores ex S. Paginæ silentio patescit. Qui enim quæso cœlum beatorum lucet, orbesque cœlestes proxime ambit, cum nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint, quæ Deus diligentibus se præparavit?* 1 Cor. 2: 9. *&, quo pacto in cœlo empyreo angeli conditi dicuntur, quia illud cœlum nondum conditum, non nisi Ciphra & purum putum figmentum est? inquit B. Scherz. Th. Syst. l. 4. §. 4. p. 98. Certe si hoc foret, Paulus facile scire potuisset, raptusne fuerit extra corpus an in corpore. Aut quomodo angeli pusilli quoque in terris servientes, vident faciem Patris in cœlo? nec caret emphasi, quod Christus τὸ in cœlis secunda vice repetit, dicens: Angelos eorum in cœlis videre faciem Patris, qui in cœlis sit. Conf. Gerh. in L. L. Th. T. IX. d. Vit. at.* (b) *quod ipsis dicitur locus, qui cœlo stellato sursum patet, qualitatibus quidem spiritualis, substantia autem corporeus: quæ descriptio & structura cœli Calvinistici non super petram cœlestis veritatis, sed arenam terrestris imaginationis extructa est.*

beatorum, in quod raptus est Paulus, talis esset locus, supra sphæras omnes adspectabiles, sublata fuisset dubitandi causa, & statuisset certo Apostolus, extra corpus sibi eam visionem commonstratam, & qua vi corpus ejus ψυχικὸν & infirmum hujusmodi raptum subitaneum, qui in instanti fieret, per innumerabilia milliaria, perque tot obstantia corpora ferre potuisset? Sin vero raptus ille non in instanti, sed quodam temporis successu factus esset, vix aliquot annorum spatio potuisset eo pervenire, verba sunt B. Hunnii, quo cum consentit Brochmandus Tom. I. Syst. Th. Art. de Serv. J. C. Sect. XVI. qu. I. p. 943. Claudius Mammert. l. 2. de stat. anim. Calovius Bibl. illustr. p. 515. & Bernhardus: *Non loco*, inquiens, *sed gaudio, non distantia, sed gloria describendum cœlum est.* Corruit jam ruinosum ædificii Cingliani columen: Contemplemur posterius, quod, corporeum cœlum suum demonstraturus, profert Zanchius d. c. qu. II. thes. I. Cœli nomine etiam cœlum beatorum venit, Ergo à DEO creatum, consequenter corporeum esse sacræ paginæ docent. Resp. Maj. limitando: Quod nomine cœli, cujus Gen. 1: 1. mentio fit (quod ex materia aquosa productum fuisse nec Zanchius diffitetur) venit, id à Deo est creatum. Sic falsa evadit Minor. Pergit antagonista: Cœlum beatorum, quod nos increatum dicimus, aut est nihilum, aut ipse Deus. Resp. (1) Ne hilum quidem consequentiæ apparere. Datur enim tertium, nempe aliquid aliud Zanchio æque ac nobis ignotum 1 Cor. 2: 9. imo quartum, scil. aliquod adhuc creandum cœlum utpote novum Esa. 65: 17. 2 Pet. 3: 13. Apoc. 21: 1. plura insuper actu dari posse, quæ nec Deus, nec proprie dicta creatura, nec nihil sunt, meri Philosophi agnoscunt. Πȣ creaturarum nec Deus, nec nihil, neque tamen creatura proprie talis est. Nec Pauli verba ad nugas istas stabiliendas faciunt. Quid vel quale hoc cœlum sit ipsemet ignorat, nec dicere valet Apostolus, unde igitur Zanchius & ceteri rescivérunt, amplissimum quoddam & corporeum palatium esse? legi merentur Friedlib. Th. Exeg. Obs. in N. T. cl. IV. pag. 483. Augustinus T. III. Oper. l. 12. de Gen. ad lit. c. 4. p. 680. ita disserens: *Nam si cœlum corporeum videbatur, quare latebat, utrum corporeis oculis videretur?* Taceo ultimum Zanchii fulcrum minus fultum firmumque, cum manifeste implicet corporeum substantia & tamen spirituale esse. His probe cognitis & perspectis, quid de superstructo domicilio sentiendum sit, judicatu erit facillimum. Quod ipsum & agnovit Musculus discedens hic ab aliis Reformatis τοῖς ἀεροβαθοῦσιν, *Mihi*, inquiens, *non est dubium, voluisse Apostolum ad interiora se & secretiora sublimioraque cœli secreta fuisse raptum significare. Quare non est, ut anxie de numero cœlorum disputemus.* Contrariatur & ipse Calvinus, qui cœlos non distinguit philosophico more, sed numerum ternarium ponit pro summo & perfectissimo, imo per tertium cœlum beatum & gloriosum Dei regnum intelligit.

QUÆSTIO II.

An tertium cœlum à paradiso differat?

Hugo Grotius (c) paradisum à tertio cœlo distinguit, illum separatis animis ante resurrectionem, hoc post eandem beatis Hominibus assignans. Alii, argute magis quam solide, non ratione loci, sed facultatis rationalis, quæ intellectum & voluntatem complectitur, paradisum à tertio cœlo separant. (d) Verum realiter ea à se abstrahi non posse, è simplici (e) Pauli raptu manifestum est, quanquam abstractio quædam rationis intercedere queat (f).

(c) *in Not. ad h. l. adque Luc.* 23: 43. *cum quo & alii.* (d) *Tomas sc. Cajetanus, & Estius, h. m. probant:* Quod Apostolus raptus fuerit non solum secundum vim intellectivam ad cognoscenda sublimia mysteria quædam, quæ insinuantur per tertium cœlum, verum etiam secundum voluntatem, ad percipiendum ex hujusmodi cognitione specialem quandam & ineffabilem suavitatem, quod intelligitur nomine paradisi. Nam Paradisus hortum significat amœnitatis ac voluptatis (e) *Fuisse vero unum & non duplicem raptum supra probatum dedi.* Nam si distinctæ illæ sedes, (*sunt verba B. Calov. Bibl. ill. p.* 515. *b.*) diversi raptus asserendi erunt. Et prior quidem in tertium cœlum vel mundum supremum, posterior in Paradisum, *quod tamen absonum putat B. Theologus.* Si vero, *pergit*, urgeatur numeri ternarii litera, in quo ergo ἄῤῥητα ῥήματα audivit, num in cœlo tertio, an vero in Paradiso, cujus mentioni subjicitur immediate ἀκοὴ illa? (f) *qua nomine tertii cœli majestas & sublimitas, Paradisi vero felicitas & voluptas innuatur.*

QUÆSTIO III.

Ubinam extiterint resuscitatorum à Christo, Prophetis & Apostolis animæ, antequam cum corporibus redunitæ?

Difficilis est quæstio, curiosa (g) insuper & talis, quæ docte ignoratur: sed cum non quieverit multorum (h) procax industria & scrupulum inde piis mentibus moverit, accedatque adversariorum, præter duo tantum ψυχοδοχεῖα, quæ in sacris reperiuntur, tertium quoddam, purgatorium scil. statuentium, ad exempla separatarum animarum provocatio, nec eam, textu quidem nostro haud invito, intactam relinquendam esse putavi. Dictum supra: Grotium distinxisse tertium cœlum à paradiso, per illud locum gloriæ, quem post resurrectionem pii occupaturi sint; per hunc vero solatii locum post mortem & ante resurrectionem intelligentem, hinc & nostratium (i) nonnulli asseruerunt: fuisse quidem animas resuscitatorum à Christo, Prophetis & Apostolis (k) in cœlo, ut in loco, non vero in eodem, quo ceteræ beatæ animæ, statu. Adducitur pro hac hypothesi stabilienda Paulus 2 Cor. 12. qui etiam fuerit in loco, non in statu beatorum. Verum salva tantorum virorum autoritate, fuisse easdem animas in cœlo, non solum ut loco, verum ut in statu omnium beatorum existimo, lectoris arbitrio, utri sententiæ accedere velit (non enim est Fidei Articulus) relicturus. Nimirum Apoc. 14:13. beati dicuntur mortui, qui in Domino moriuntur, ἀπάρτι, à modo, à nunc & ab hoc tempore, quo anima corpus deserit, ubi particula ἀπάρτι cum verbo præsentis temporis exstructa notat id, quod ab hoc momento & temporis articulo actu se exerit, ut Matth. 11:12. Joh. 13:19. Quod Johannes de ordinarie beatis loquatur, extra ordinem vero nonnunquam haud participare pie mortuos beatitudinem asserat, nugæ sunt; additionem siquidem aut diminutionem Scriptura non patitur Deut. 12:32. Apoc. 22:18. & quicquid præterea assumitur, consequenter hæc limitatio, anathema est Gal. 1:9. Et cur non in cœlo fuerint? admissæ enim sunt ad beatificam visionem, quam pro libertate sua Deus interrumpere potuit & actu interrupit, quia eas corporibus nondum glorificatis redunierat. Inquies: Si in cœlo fuerunt animæ resuscitatorum, & eo quidem statu, quo beatæ, denuo non sunt mortui, sed vivi in cœlum translati, quod ex glorificatorum corporum qualitate probatur. Resp. ita se habet. De Mose res clara est, quod cum Elia ἐν δόξῃ apparuerit Luc. 9:31. De redivivis tempore mortis Christi similiter &c. quia habuerunt glorificata corpora, conspicua per dispensationem non per naturam Matth. 27:52, 53. De ceteris omnibus probatur (I) ex Ebr. 9:27, 28. Ἅπαξ homini moriendum est, sicut Christus ἅπαξ oblatus fuit. Ratio similitudinis manifesta ex pulcherrima ista Apostoli contentione: Sicut Christus *semel* duntaxat mortuus est, ut expiaret peccata sibi imputata; ita hominibus definitum est *semel* duntaxat mori propter peccata ab Adamo in ipsos propagata, & actualium delictorum fœnore aucta, ad stipendium eorum recipiendum Rom. 6:23. Accedit, quod & illi *semel* opponatur πολλάκις *sæpius* vers. 25. seqq. & τὸ *secunda vice* Ebr. 9:28. ut absoluta & illimitata unitas numerica mortis tanto pressius significetur utrinque, vid. Guil. Estius Comm. in h. l. *Obj.* Sermonem esse citato loco de lege ordinaria, at extraordinarie bis esse mortuos, quos cum Prophetis & Apostolis Christus in vitam revocarit. At, ut taceam distinctionem hanc præsupponere id, quod litigatur, nec vola nec vestigium ejusdem in Scriptura reperitur, quæ tamen ἅπαξ homini, sicuti Christo, moriendum esse expresse ait. Favet insuper hæc exceptio Missæ Papisticæ. Pari enim comparationis jure simul ἅπαξ homo moritur scil. ordinarie, extraordinarie vero secunda vice; ita Christus ἅπαξ oblatus est ordinarie, utpote in cruce & cruente, at secunda vice & sæpius offertur in Missa & incruente, inquiunt antagonistæ, quibus tamen ad heterodoxias suas stabiliendas nulla ansa relinquenda est. Dicis: Adhuc posse consistere distinctionem inter mortem ordinariam & extraordinariam, probant Elias & Enochus, plane non decumbentes. Resp. Exempla hæc probant limitationem valere respectu mortis, quod homini statutum sit mori ordinarie, non vero extraordinarie; non tamen probant eam valere ratione unitatis, quæ morti competit, quod mors competat homini semel ordinarie, non vero extraordinarie, quia allegati minime bis, sed plane non videntur mortui Gen. 5:24. Ebr. 11:5. Prob. (II) ex Rom. 6:7. Qui mortuus est à peccato, & sic etiam à peccati stipendio, morte sc. tam naturali quam spirituali (vide Calov. Bibl. ill. ad h. l.) justificatus est. Aut enim pius, qui semel decessit, à peccato justificatus est, aut non. Si prius, liberatus est à morte naturali, quæ est peccati stipendium Rom. 6:23. consequenter ipsi non est moriendum iterata morte. Si posterius, falsum est quod Spiritus S. c. l. inquit. En absurdum! Ex quo (III) sequitur, non habuisse eos corpora peccaminosa & qualitatibus destruentibus instructa, per consequens vivos in cœlum translatos esse. Liberati enim & soluti à peccato, quales nostros esse probavi, amplius non peccant. Aut enim anima aut corpus ipsorum peccat. Non illa, quia post separationem animæ à corpore ἀπάρτι animæ beatæ sunt, quiescentes ab omni labore. E. & peccato Apoc. 14:13. & membra fiunt Ecclesiæ inculpabilis, & non habentis maculam cap. 21:27. Nec hoc, quia peccatum in anima principaliter est, in corpore vero derivative. Instant: Paulum, postquam in tertio cœlo fuerit, de carne sua, legi divinæ reluctante conqueri. E. in vitam revocatos peccato non caruisse, Resp. esse hoc petitionem principii, affirmantem id, cujus contrarium sæpius in hac Dissert. fuit allatum. Porro: cibum & potum cepisse nostros E. habuisse corpora mortalia. Verum subsumo de protoplastis integris, cibo & potu indigentibus, nec tamen mortalia, sed animalia & nondum gloriosa corpora habentibus. Plura suppeterent, quæ pro affirmativa sententia faciant, quas vide ap. B. Scherz. in Brev. Hülsem. c. XVI. p. 1139. & M. Engelm. c. l.

(g) *Refert inter curiosas Lorinus in Act. 20:10. D. Sebast. Nieman. Diss. d. Distinct. Pontif. in Inf. class. c. III. §. 2. Hackspan. not. ad 2 Reg. 13:21. D. Danhauer. Hodosoph. Phæn. XII. p. 1432. & alii.* (h) *Occurrunt (1.) qui cum Epicuræis animas annihilari putant, quæ opinio in Ecclesia Dei invaluit ap. Sadducæos Matth. 22:23. post nat. Chr. Sec. III. ap. Arabianos, & VII. ap. Thnetopsychitas vid. Disp. de bis-mortuis Witt. hab. §. 44. quod & theses Cracoviæ superiori seculo Anno LXIIX. editæ profitentur. (2.) qui somniant animas post mortem circa corpus aliquamdiu dissidere & vetus hospitium non inhabitare quidem, ægre tamen relinquere, atque ita deinceps per morarum spatia in loca alia atque alia devehi atque deportari, donec fixam & duraturam perpetuo sedem sortiantur. Huc vicissim pertinent monachorum quorundam fabulæ, quibus defunctorum animas circa sepulchra proprii corporis vagabundas esse plebi persuadere conati sunt, in qua sententia etiam Conimbricenses Disp. VI. d. anim. separ. art. XI. Gregor. de Valent. Exam. Myst. Calvin. l. II. c. IIX. deprehenduntur. Ut campos Elysios, cymbam Charontis, Cerberum, Lethem cum Styge ap. Poëtas & Sen. taceam. (3.) Patrum aliquot, Justinus in Resp. ad Qu. Orthod. qu. 75. 76. 85. Irenæus l. V. Tertull. l. d. anim. Euthymius in Comm. Luc. 23., transferri easdem in terrestrem Paradisum tradunt. Quæ opinio ex Essæorum somnio ap. Joseph. l. II. d. Bell. Jud. c. VII. orta videtur. (4.) Manichæi animas transsumi in lunam (hinc lunam augeri & deficere) & dein à luna, tanquam scapha minori depletas in solem assumi ap. Epiphan. Hæres. 66. & August. Hær. 46. fabulantur. (5.) de fabrica inferni, purgatorii, limbi Patrum & infantum non-baptizatorum vid. nugas Bapistarum ap. Bellarm. l. II. d. purgat. c. VI. & spissum volumen Eliæ d. S. Theresia in legatione Ecclesiæ militantis ad triumphantem pro liberandis ex purgatorio, quæ allegasse est refutasse. vid. B. Scherz. Fasc. Disp. D. XII. ej. Syst. Th. L. XIX. & cit. Disp. d. bis mort.* (i) *B. Joh. Meisn. Comp. Theol. D. XXI. Th. IIX.* Ubi, *inquit*, non negamus, statum animarum separatarum differre & distingui à consummata felicitate post resurrectionem, *& Diss. d. bis-mort. §. 61. quanquam in hac re* ἐπέχειν *magis quam certi quid definire voluerit autor.* (k) *In V. T.* (א) *Elias sareptanæ viduæ filium vere mortuum in vitam revocavit 1 Reg. 17:21, 22.* (ב) *Elisæus filio Sunamitidis exanimi vitam restituit 2 Reg. 4:34, 35.* (ג) *Ejusdem ossibus contactis mortuus vivit c. 13:21. In N. T. inter illos, qui à Christo in vitam reducti sunt, quosdam quasi gradus observat ex Nysseno Gerhardus*: primo, *inquit*, anno excitavit filiam Jairi modo defunctam, neque dum domo ad sepulturam elatam (*Matth. 9:25. Marc. 5:41, 42. Luc. 8:55.*) secundo excitavit filium viduæ in Nain, qui jamdum ad sepulchrum deferebatur (*Luc. 7:14, 15. nec habetur hæc historia apud alium Evangelistarum, quod ipsi veritati nihil derogat*, tertio anno resuscitavit Lazarum, sepulchro jam illatum, & ante quatriduum mortuum (*Joh. 11:43, 44. nec alibi extat, nam ceteri Evangelistæ vel uno miraculo adeo illustri ad demonstrandam divinitatem Christi contenti esse poterant*) tandem etiam proprium corpus divina virtute ex mortuis resuscitavit, quod est miraculorum maximum & divinissimum, ut nos in fide resurrectionis confirmaret. *Accedunt Moses cum Elia redivivus apparens discipulis tribus Matth. 17:3. sancti itidem mortuo Christo è sepulchro vivi prodeuntes Matth. 27:52, 53. Duo adhuc exempla in sacris supersunt resuscitatorum ab Apostolis: Tabithæ à Petro Act. 9:40. Eutychi tandem à Paulo cap. 20:12. quos omnes physice mortuos fuisse demonstrarunt M. Engelm. in Disp. Ubi anim. sep. & Aut. Diss. d. bis-mortuis.*

Ad probationem ex nostro loco 2 Cor. 12. desumtam, qua statuminare satagunt animas à Christo &c. resuscitatorum in cœlo ut in loco, non vero in eodem, quo cæteræ animæ statu fuisse, respondemus. (1) Ipsum Apostolum nescire, num in corpore an extra corpus fuerit, minime ergo exinde sequi: posse aliquem esse in loco beatorum, nec tamen in statu (2) Paulum in paradysum non localiter sed spiritualiter raptum fuisse, dum ipsi ἐν ἐκστάσει constituto cœlestia interius revelata, tanquam præsentia, divinitus excitata specie, exhibita fuerunt, ut ex superioribus patet.

Sed & ADJUNCTUM istius raptus eruditos disceptare fecit. Occurrit enim hic:

QUÆSTIO I.

Quænam sint illa ἄῤῥητα ῥήματα?

DE illis Apostolus quædam dicturus filum abrumpit, & nihil de his amplius, quam ἄῤῥητα fuisse tradit, quæque nullo sermone explicari queant. Nobis ergo ista expressu difficilia erunt, in cœlesti prius Academia, in ipso S. S. Triados intuitu, & tota beatorum panegyri, ab ipso Paulo instruendis. Ast unde Grotio constat quod Paulus in tertio cœlo omnem dispensationem, qua Christus Ecclesiam gubernat, acceperit? Quæ ex conversatione Mosis cum Deo conjicit, huc non faciunt. Nuspiam enim, quæ Moses à Deo accepit, ἄῤῥητα in Scripturis dicuntur. Apostolum porro in tertio cœlo didicisse, quæ gubernandæ Ecclesiæ sufficerent, non constat. Sine dubio à Christo habuit, quæ in literas redegit, non per raptum illum, sed per θεοπνευστίαν literarum, quas exaravit. (a) Qui sciunt Chrysostomus atque Theodoretus per τὰ ἄῤῥητα ῥήματα sanctissimam Christi humanitatem cum eminentissima gloria, paradisi pulchritudinem, sanctorum choreas & gaudia, numerorum ac modulatam hymnorum cœlestium vocem intelligi? Taceo, quæ de angelorum natura, dotibus, gratia, gloria, ordinibus ab aliis afferuntur (b) Conjecturæ sunt, quibus tamen si aliquis locus est, hæc ἄῤῥητα talia fuisse affirmarem, quæ ad statum vitæ æternæ & beatorum conditionem in cœlo pertinent, ut sunt plenissima beatitudinis demonstratio, forte & mysteriorum DEI sublimiorum explicatio, incredibiles beatorum in glorificanda S. Trinitate conatus &c. de quibus pronunciari potest, quod nec auris audierit, nec oculus viderit, quæ præpararit Deus diligentibus se Jes. 64: 4. 1 Cor. 2: 9. (c)

(a) *Vid. B. Calov. l. c. p. 516. b.* (b) *puta Gregorio M. Hom. IV. in Ezech. unde & Dionysius de cœlesti hierarchia ex Pauli doctrina ordines angelorum describit, quasi oculis omnia spectarit, Corn. à Lap. p. 403. b.* (c) *B. Bald. in h. l. p. 733. b.*

M. SEB. KIRCHMAJERI
DISSERTATIO
De raptu Pauli in Cœlum tertium & palo in ejus carne ad 2 Cor. XII: 2. 3. & 7.

I. N. J.

PRÆLOQUIUM.



Um amplissime Philologiæ Sacræ campus pateat, eum ingredi hac vice, atque dum publicum Exercitium Disputatorium meditamur, tenues ingenii nostri vires in eo exercere placuit nonnihil: Ex innumeris autem, quos decerpere inde licet floribus, hos ex D. Paulo, velut extantiores & luculentiores, præ aliis libuit eligere. Quod si tribulos & spinas has inter rosas largiter occurrentes minus forte dextre extricaverimus alicubi, dandum aliquid sublimitati rei, & virium tenuitati fuerit. Quandoquidem vero & voluntas in magnis laudanda, hoc æquiorem bonorum omnium censuram speramus, quo meliori & animo & fini ad institutum hoc accessimus. Tribus autem distinctis capitibus de triplici etiam & distincta tractare visum est materia. Quod ut Numen suo & auxilio promoveat, & cœlesti gratia secundet, est, quod etiam atque etiam supplices rogamus!

CAPUT I.

De Raptu Pauli in tertium Cœlum.

Vers. 2. Οἶδα ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, (εἴτε ἐν σώματι, οὐκ οἶδα· εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος, οὐκ οἶδα· ὁ Θεὸς οἶδεν) ἁρπαγέντα τὸν τοιοῦτον ἕως τρίτου οὐρανοῦ.

Vers. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore, nescio: sive extra corpus, nescio, Deus scit:) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.*

§. I. ANtequam in ipsam rei arcem penetremus, ante omnia difficiliorum aliquot, & ad institutum nostrum potissimum facientium vocabulorum evolutio viam nobis sternat oportet, ubi primo omnium sese considerandum offert vocabulum ἁρπάζω, quod rapio significat, & *Henr. Stephani* ex nomine ἅρπη, falx, ensis falcatus, derivatur. Usurpatur autem illud proprie de leonibus, lupis, canibus, aliisque animalibus, quæ habent acutos dentes, atque laniant & dilaniant. Proprietatem illam *Eustathius ad Homer.* aliquot in locis exprimit, dicitque, usurpari illud proprie de Carcharis. Est autem carcharus sive καρχαρόδους, (ex κάρχαρος, rapax, & ὀδούς, dens,) ejusmodi animal, quod habet acutos dentes, quibus alia animantia dilacerare potest. Scriptura S. de lupis adhibet, ut videre licet Matth. 11: 12. & Joh. 10: 12. quod certe illis maxime convenit. Unde vulgo lupus Poëtis rapax, & raptor. *Virgilius* l. 2. Æneid.

—— —— inde lupi ceu
Raptores atra in nebula ——

Oppianus vocat lupum

—— πολύπλοκον ἁρπακτῆρα, versipellem raptorem. Vid. *Bocharti Hieroz. P.* 1. *l.* 3. *c.* 10. Deinde quoque de Prædatoribus usurpatur, qui modo violento alicui aliquid eripiunt. Sic ejusmodi prædatores dici possunt milites, quando hostibus domitis sua eripiunt spolia, arma videl. & currus spoliis onustos, signaque militaria, unde talis raptus, imo interdum ipsa

præ-

præda rapta ἁρπαγμὸς appellari solet. Etsi vero verbum hoc in prima significatione vitiosam habeat denominationem, per metaphoram tamen ad rem emphatice exprimendam adhibetur, quod etiam multis aliis verbis accidit. Ita βιάζω, violentia utor, usurpatur alias de stupris, ἐμφατικῶς tamen adhibetur in Scriptura S. de hominibus, qui per præconium Johannis & miracula Christi moniti, magno impetu, & quasi agmine facto in regnum cœlorum (à cujus participatione ante Johannem plurimi propria se excludebant culpa,) perrumpere satagebant. Eodem modo se res habet cum hoc Verbo, hoc enim licet de ferocissimis animalibus adhibeatur, non sine tamen emphasi ad rem aliquam magni momenti declarandam adhibitam legimus. Sic non sine causa adhibitum fuit, cum Philippus Apostolus à Spiritu S. tam subito abriperetur, cum in informando Eunucho occupatus esset, Act. 13: vers. 39. quod vel ex eo constare potest, quia non antea monitus erat de hoc raptu per Spiritum Dei, sed violente quasi, & nullo advertente rapiebatur. Nec frustra illud in raptu Paulino adhibitum fuisse quis negare poterit, quod vel magnitudo revelationum Paulo in isto raptu factarum, satis aperteque ostendit. Ab ἁρπάζω est ἁρπαγὴ, sive raptus, qui proprie nihil aliud est, quam violenta quædam motio alicujus rei contra vel etiam supra modum sibi naturalem & intrinsecum; unde ἁρπαγεὶς, raptus, arreptus, intensiorem agentis alicujus vim exterius subjecto illatam denotat. Et cum unicum fere & solum in Scriptura exemplum raptus, hoc nempe Pauli occurrat, non immerito ab ἐκστάσει, cujus frequentior etiam in Sacris usus est, censemus distinguendum. Ἐκστάσεως autem vox varie accipitur, vel pro dimotione rei alicujus è priori statu, in quo erat; vel pro mentali elatione, sive ea fiat furore sensuum & intellectus stupefactione, in admirationem tractione, sive pavore aliove casu. Nobis neglectis cæteris significatibus, hic est & dicitur passiva mentis elevatio, ab agente superiori, divino potissimum & supernaturali facta, ad objectum aliquod sublime, spirituale ut plurimum contemplandum, cum abstractione & correptione sensuum, potissimum exteriorum. Immo raptum etiam distinguimus ab ὀπτασίᾳ seu visione, & ἀποκαλύψει seu revelatione, vel ideo, quia illa non conjuncta sunt cum aliqua violentia, quam tamen raptus vox importat, utut per eas etiam Deus multa sanctis olim hominibus, Prophetis & Apostolis sæpe manifestaverit. Cujusmodi visionum & revelationum exempla multa recensentur in Scriptura sacra, quæ prolixe tradit *B. D. Glassius in Philol. Sacr. Lib. 2. Part. 1. Tract. 2. Sect. 4. de Typis, Artic. 4. p. 321, 322. seqq.* & ibi videri, si placet, poterunt. Nobis enim brevitati studentibus, primoribus solum labris quæque degustanda sunt.

§. II. Deinde & vox οὐρανὸς, sive *cœli*, ambigua hic occurrit. Quæ cum variis modis, apud Theologos, Philosophos & Philologos accipiatur passim, pauca quædam hic adferre è re forte fuerit. Et cœli quidem nomine monet *Philosophus lib. 1. de cœlo cap. 9. text. 96.* appellari (1.) ultimam sphæram. (2.) totum aggregatum ex orbibus cælestibus. (3.) τὸ ὅλον ἢ τὸ πᾶν, totum universum. Alias cœlum notat (1.) tum corpus cœleste illud extimum, elementa claudens & ambiens, stellarumque omnium receptaculum, constans suis illis omnibus Astronomorum, licet non realibus orbibus, pro explicando omni Stellarum, tam fixarum quam erraticarum motu, Gen. 1: 8, 14. seq. cap. 15: 5. Psal. 8: 4. 19: 5. (2.) tum universam Atmosphæram, quanta illa à stellato inde cœlo ad terram usque per tres suas regiones patet, quæ & supra, & infra, & circa universum globum Terraqueum existit. Et hanc iterum vel conjunctim cum ætherea, seu cœlo stellato, Gen. 1: 6, 7, 8, 9. vel separatim pro sola regione aërea, Levit. 26: 19. Deut. 28: vers. 23. 1 Reg. 8: 35. Matth. 6: 26. Qua ratione & nubes passim hoc nomine indigitantur. *Tralatitie* accipitur I. pro divina gloria & majestate infinita, quæ φῶς ἀπρόσιτον, lux inaccessibilis, 1 Tim. 6: 16. vocatur; Sic Deus dicitur habitare in cœlo, Psal. 2: 4. 1 Reg. 8: 39. Et Deut. 26: 15. *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ è cœlo, & benedic populo tuo.* Sic de Christo quoque usurpatur, quod de cœlo descenderit, Joh. 3: 13. Quibus dictis non tam altitudo loci, quam divinæ majestatis sublimitas exprimitur, ut recte notat laudatus *D. Glassius in Philol. S. L. V. Tract. 1. cap. 10. de Metaph. pag. 223.* II. Pro spirituali ac cœlesti Dei regno, & felicitatis statu, quo Angelis & hominibus se manifestat & communicat. Idque *tum gratiæ*, quod est Ecclesia, quæ in his terris Deo colligitur, de quo Matth. 20: 1. Simile est regnum cœlorum Patrifamilias; *tum gloriæ*, quod est sanctissimum & beatissimum habitaculum, in quo Deus Angelis & omnibus hominibus electis, ex corporis hujus caduco discedentibus domicilio, gloriam suam manifestat atque se fruendum præbet. Et hoc sensu hic à nobis adhibetur.

§. III. *Cœlum* autem *tertium* Apostolus hic nominat. Hoc unde? *Tertium* videlicet dicitur, quia numerus ternarius tanquam rotundus perfectionem & complementum rei significat. Hinc Poëta: O terque quaterque beati! id est, summe beati, τρὶς μέγιστος ter maximus, id est, omnium maximus; & apud Maronem:

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprensa manus effugit imago,

i. e. sæpius cum tentasset, & semper frustra, desiit aliquando. *B. D. Glass. in Exegesi Epist. Domin. Sexag. Parte 2. pag. 300.* cujus vestigia etiam legit *B. Herwartus*, in Pauli raptu, exhibito Anno 1671. dicit, alludere Paulum ad constitutionem templi Hierosolymitani, quod tripartitum erat, vestibulo seu atrio, Sancto, & Sancto Sanctorum constans, in quarum tertia & intima parte, arca fœderis & propitiatorium (insignis ille Christi typus, Rom. 3: 25.) collocata erant, & in quo super propitiatorio inter Cherubim Deus responsa populo suo dabat, vereque singulari modo & illustratione manifestabat, Exod. 25: 22. Vocat igitur Paulus tertium cœlum, ad tertium illud templi adytum respiciendo, & in eo Dominum vidisse se ait. *Idem pag. 316. inquit*: Mihi dubium non est, voluisse Apostolum ad interiora se & secretiora, sublimioraque cœli secreta fuisse raptum, significare. Sitne autem hoc tertium Pauli cœlum illud quorundam Empyreum, nondum hic decidemus; ubi de Nomine & Homonymia adhuc res est.

§. IV. Cum cœlum tertium hic coincidat cum Paradiso, cujus quoque Divus meminit Apostolus, paucis etiam, quid illud sit, inquirendum. Est quidem nomen hoc Græcis satis notum tritumque, origine tamen barbarum esse, eruditorum plurimi recte censent. *Suidas* quidem, & eum secutus *Becmannus*, contendit, Paradisum vocem esse origine Græcam, & derivat à παρὰ juxta, & δεύω rigo, irrigo, proinde Paradisum hortum esse irriguum ac fructiferum. Sed falli eum in Etymologia, quilibet facile videt, cui analogia Græca non est ignota. Alii παρὰ τ̃ δέσμην ποιεῖν à collectione herbarum deducunt, quia nempe Paradisi faciunt herbarum collectiones sive fasciculos, & inde colliguntur fasciculi olerum & herbarum. Sed hoc iterum nimis longe petitum est. Esse autem origine & reipsa ab Hebræorum פרדס, quod trina vice in V. T. usurpatur, bis à Salomone, Eccles. 2: 5. & Cant. 4: 13. ac semel apud Nehem. 2: 8. certum est. Verum, utrum פרדס Hebræis proprium & domesticum sit vocabulum, & non potius aliunde, uti multa alia, acceperint, istud non adeo liquet. Qui Hebræum faciunt, ut *Pasor*, *Scapula in Lexic.* & alii, habent pro composito, & derivant vel ex פרה fructus tulit, produxit, fructificavit, & דֶּשֶׁא herba, quod nempe in Paradisis herbæ crescant; vel ex פרה & הֲדַס myrtus, quod scil. sit locus, in quo myrti crescant. Verum refragari iis videtur & natura hujus linguæ, & ipse quoque usus. Respuit quippe lingua Hebræa omnes ferme compositiones, imo plerique accuratiores Grammatici plane negant, dari in lingua hac compositiones. Propterea cum *Excell. Dn. Stolbergio*, Philologo Clariss. Dn. Patrono & Præceptore nostro ad aras usque religiosissime colendo, in Collegio Antiq. N. T. MS. (ex cujus erudito super hac voce habito discursu hæc depromimus,) statuimus, esse illud origine Persicum, quod probare possumus ex antiquissimo Scriptore *Xenophonte l. 5. Memorabil. pag. 655.* Et hoc jam olim docuit *Jul. Pollux in Onomast. l. 9. c. 3.* qui nomen istud primo barbaricum, deinde Persicum vocat. Consentientes sibi è junioribus habet *Fungerum in Etymol. triling. in h. v. Grotium ad Luc. 23: 43. Vossium in Etymol. Lat.* item *Suicerum in Thes. Eccles.* & alios. Quod vocis hujus significationem attinet, varie eam esse tum apud Ebræos, tum apud Græcos, item Syros, apud omnes in confesso est. Scilicet apud Ebræos notat in genere nunc saltum, silvam aut nemus, ut Nehem. 2: vs. 8. nunc speciatim hortum frugiferis arboribus delectationis causa consitum, ut Cantic. 4: vers. 13. ubi dicitur פרדס רמונים Paradisus malorum Punicorum. Apud Græcos itidem non uno modo capitur. Sed quia vocum significationes optime petuntur, unde diminarunt, & vero vox פרדס è Persia est, ergo apud Persas potius, missis aliorum significationibus, investigandum nobis erit, quo sensu illi eam usurparint. Significat vero apud eosdem in genere quemvis locum opacum, & arboribus consitum, uti illud ex consuetudine communi *Greg. Nyssenus Hom. 9. in Cantic.* & *Olympiodorus Comm. in Cohel. cap. 2.* exponunt; potissimum vero septa illa loca, in quibus feræ vivæ pascuntur, seu vivaria. De Persis enim constat, quod præ aliis gentibus hortos

amœnissimos singulari cura & industria pararint, atque crebris venationibus sese delectarint. Hinc narrat *Philostratus in vita Apollonii*, olim Persarum Reges suos hortos habuisse, in quibus leones, ursos & pantheras inclusas venari solebant, quos Paradisos nominasse ait. Et testatur *A. Gellius N. A. l. 2. c. 20. p. 96.* quæ suo tempore vulgo dicebantur vivaria, ea nominari Græce παραδείσους. Conf. *Brissonius l. 1. de Regn. Pers. p. 51. seqq.* qui è Xenophonte hanc in rem facientia in compendio exhibet. Quia itaque hoc nomen in communi usu latissimis amœnissimisque locis fuit tributum, quibus se Reges Regum (ita Persarum Reges vocabantur, sicque ipsi sese appellabant,) præ omnibus aliis adsueti voluptatibus atque deliciis maximis; propterea LXX. hortum illum amœnissimum in Eden, in quo constituti olim fuerunt Protoplasti, κατ' ἐξοχὴν Paradisum nominarunt, uti enim ille עדן appellatur ab ubertate & deliciis, ita revera talis erat. Est igitur, quasi dicas, plantavit Dominus Paradisum ἐν τρυφερῷ τόπῳ καὶ καλῷ, h. e. in loco delicato & amœno, ut ait Severinus, citante eum *Joh. Hopkinsono*, Anglo, in Synopsi Paradisi, quæ adjecta est Commentario in Epist. ad Hebr. Ludov. de Tena, pag. 848. Et fusius persequitur ejus amœnitatem *Damascenus l. 2. de O. F. c. 11.* ubi sic scribit: *Paradisus est locus Dei manibus in Eden ad Orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, optimâ temperie cœli, aëre subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus, suavissimumque odorem spirantibus, plenus lumine, universæ sensibilis venustatis & pulchritudinis excellens intelligentiam.* Quocirca Propheta Joël cap. 2. terram Israel ob lætam fertilitatem, qua floruit, antequam à Rege Babyloniorum everteretur, Paradiso Dei similem fuisse dicit. Eadem de causa factum est, cur sedes beatorum felicissima ac jucundissima, seu vita æterna, eodem vocabulo in Scripturis designetur, ut Luc. 23: 43. & h. l. quia nimirum majora ibi gaudia erunt, quam quæ dici aut cogitari possunt, & quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Unde Apoc. 2: 7. in medio Paradisi cœlestis arbor vitæ, quæ est Christus Jesus, collocata esse dicitur. Ubi tamen obiter notandum, multos Interpretes explicare hæc de regno gratiæ, sive de Ecclesia in his terris militante. Sed si recte contemplemur Textum, apparebit, sermonem esse de regno gloriæ, quod vel ex Subjecti designatione constat, quod est ὁ νικῶν, VINCENS, quando Spiritus Dei ait: Vincenti dabo ego comedere de arbore vitæ &c. Nam tum demum vincimus, ut hac promissione fruamur, cum ad finem vitæ fideles sumus, coronam vitæ reportantes, vs. 10. c. 7: 19. ut optime observat Theologus de Ecclesia Orthodoxa multis amplissimisque meritis illustris, *Dn. D. Calovius*, Patronus, Præceptor, Evergeta atque Hospes meus ad aras usque religiosissime colendus, *in Bibl. Illust. ad h. l.* Et hujus fructus dubio procul mirifice delectarunt Paulum, mystice eos & intentionaliter gustantem. Bene igitur Gerson: *Quæres*, inquit, *est Paradisus? Resp. Paradisus est, clare videre Deum de facie ad faciem, summe eum amare, & de visione & amore ejus inæstimabiliter lætari.*

§. V. *Grotius* in Notis ad h. l. & ad Luc. 23: 43. cum quo & *Drusius*, & multi alii faciunt, distinguit cœlum tertium à Paradiso, & per illud locum gloriæ, quem post resurrectionem pii occupaturi sint; per hunc vero locum solatii post mortem & ante resurrectionem intelligit. Sed non distingui cœlum tertium, & Paradisum, è raptu Pauli manifestum est. *Nam si distinctæ illæ sedes sint*, sunt verba Summe Rev. *Dn. D. Calovii, ad h. l. diversi raptus Pauli asserendi erunt; & prior quidem in tertium cœlum, vel mundum supremum, posterior vero in Paradisum.* Fuisse vero unum, & non duplicem raptum, infra probabitur. *Si vero*, pergit idem, *urgeatur numeri ternarii litera, in quo ergo ἄῤῥητα ῥήματα audivit, num in cœlo tertio, an vero in Paradiso, cujus mentioni subjicitur immediate ἀκοὴ illa?* Nos porro addimus, posterius vocabulum esse ἐξηγητικὸν prioris. Dictum erat obscurius, hominem illum raptum esse in tertium cœlum, jam clarius dicitur, eundem raptum esse in Paradisum, nam Paradisi translatio & mystica significatio istius sedis, quæ est beatorum, erat usitatissima & communissima. Ubi interim non negamus, statum animarum separatarum differre & distingui (quanquam in hac mortalitate distinctio illa non possit satis ostendi & exprimi,) à consummata felicitate post resurrectionem corporum. Animæ quidem piorum & fidelium, quam primum ex corpore excedunt, statim ad Dei visionem, ac ipsam æternæ beatitudinis possessionem perveniunt, ea tamen & intensive, ratione objecti beatifici, & extensive, ratione corporis, in extremo die augebitur, ut loquitur *B. D. Joh. Meisnerus* in Compend. Theol. Disp. XXI. Th. IIX. Cadit ergo differentia illa, quam adducti autores commenti sunt. *Cornelius* etsi Paradisum & tertium cœlum idem esse agnoscat, nugatur tamen, à cœlo Empyreo vastissimo (ita tertium cœlum vocat cum asseclis,) separatum esse Paradisum, illud locum beatorum, hunc quasi partem cœli nobiliorem & eminentiorem constituens. Distinguunt insuper hæc nomina tertii cœli & Paradisi, *Thomas*, *Cajetanus*, & *Estius*, non quidem ratione loci, sed alio modo, quem imprimis exponere satagit *Estius*, verum argute magis, quam solide.

§. VI. Præmissis his, quæ ad necessariam evolutionem Nominis pertinere videbantur, accessum facimus ad rem ipsam. Ubi initio occurrit *Subjectum*, quis raptus sit in tertium cœlum? Paulus enim ex modestia, & vera animi humilitate, non seipsum, sed vagum aliquod Individuum hic nominat, quemadmodum per Enallagen Personæ, Prophetæ de seipsis sæpius locuti sunt, sic Jer. 28: 5, 10. &c. & Joh. in Apoc. cap. 1: 1. Item Christus, qui de se in tertia persona sæpissime locutus est, vocans se Filium hominis, Matth. 8: 20. cap. 18. 11. Luc. 24: vs. 26. οἶδα, ait Apostolus, ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ, vers. 2. & 3. novi hominem in Christo, hoc est, à Christo fide apprehensum, seu in Christo omnem spem, omneque suum summum in cœlis pariter terrisque Bonum ponentem, Phil. 3: 12. & in fide Christi viventem, Christoque in se vivente fruentem, Gal. 2: 20. Et hoc ideo repetit, inquit *B. Balduinus in Comment. ad h. l. Part. I. pag. 600.* ut excellentia ipsius hominis ex hoc ipso æstimetur, qui admirabili modo ad Deum raptus sit. Ipsum autem fuisse hunc hominem, sequentes hujus cap. probant versiculi, 1. ubi de suis visionibus se quid tradere velle, meminit. Nunc *veniam*, inquit, *ad revelationes.* Item vers. 5, 6. ubi negat, se gloriari velle ideo, aut se aliis præferre, quod tam alta scil. sibi & singularia contigerint, ne forsan aliis ansam præberet sublimius & divinius, quam par erat, de se sentiendi, aut officium admiserat, extra quod laudes suas excrescere nolebat. Et v. 7. ubi fatetur, sibi ideo palum in carne datum, ne excellentia tantarum revelationum extolleretur.

§. VII. Non sicco quoque pede prætereundum *Tempus*, quando nimirum Pauli raptus contigerit. v. 2. habentur hæc verba: Πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, *ante annos quatuordecim.* Tanto ecce tempore de sublimitate sua tacuit, & forte porro tacuisset, si per solum quidem illum citra singularem istum Spiritus Sancti instinctum stetisset, & nisi ab Adversariis suis, Pseudo-Apostolis, revelationes falso jactantibus, necessitate quadam adductus fuisset. Multæ autem eæque graves occurrunt difficultates circa hoc momentum, quæ maximos etiam Chronologos vel distraxerunt, vel morati sunt. *Lyranus*, *Damasus* in carmine, *Ludov. Capellus Hist. Eccles. cap. 38. Guil. Cave in vita Pauli Sect. 1. pag. 66.* & *Grotius* volunt, raptum hunc contigisse in triduo illo jejunii & cæcitatis, adeoque tempore conversionis Pauli. Verum respondet iis *Frid. Spanhemius in Quatern. Dissertat. Diss. 2. pag. 223. seqq.* ita: (1) non convenit tempus illius raptus, à Paulo designatum, siquidem anni XIV. inde ab illo triduo jam fere expirabant, quo tempore profectus ad Synodum fuit, Gal. 2: 1. invicto in contrarium argumento. (2) non tacuisset Lucas similem in tertium cœlum raptum, qui visionem Ananiæ oblatam, & Paulo conspectum ἐν ὁράματι Ananiam refert, Actor. 9: 10, 12. (3) vix hujusmodi raptus obtigerit Saulo nondum aggresso suum munus, id est, corona ante certamen, præmium ante laborem. Et prærogativa hæc verius fuit jam Apostoli, vel Prophetarum, & Petri quoque, Johannis, Stephani &c. exemplis, quibus pridem vocatis visiones cœlitus contigerunt. (4) ἀποκάλυψις facta Paulo, & plena institutio, sub initium Apostolatus, fuit de Evangelii mysteriis, quæ & viva voce, & scriptis publicaret, in raptu autem illo audivit ἄῤῥητα ῥήματα. Res hujusmodi quas revelare nefas (rectius ineffabilia) Paulo, sive etiam citra raptum illum in cœlum tertium constat vocationem Pauli & institutionem immediatam, in triduo illo transacto precibus, jejunio, avocatione mentis ab omni corporeo objecto. Et alii revelationis & inspirationis divinæ modi sunt, præter hujusmodi raptum miraculosum, Deo se πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως servis olim suis manifestando. (6) Frequentibus beatum visionibus Apostolum docet sacra Historia, in via Damascena, Damasci, Hierosolymis, in carcere, in navi. Ut nihil necesse sit præcise definire, quando & ubi hic raptus acciderit, qui præcessisset posteriorem ad Corinth. annis XIV. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων. Ipse vero *Spanhemius l. c. p. 224. seqq.* ex calculo suo, quem fecit, censet, raptum hunc accidisse, quando Paulus Hierosolymis in altero itinere, medias inter preces, ἐγένετο ἐν ἐκστάσει. Fuisse autem tum quadriennium à conversione exactum. Hinc πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων, ante annos XIV.

raptum sese dicere putat, labente scil. anno jam XV. quum ad Corinthios ista scriberet. Igitur anno à Conversione XIX. scriptam esse 2. ad Corinth. cum calculo suo apprime convenire existimat. *Salmero*, *Pererius*, *Cornelius à Lapid. Estius*, *Baronius* ad Ann. LXIV. aliique docent: Cum paulo ante à discipulis Damasci per muros dimissus esset, anno nempe Domini XLIV. Claudii Imperat. II. Quum conversio inciderit in A. D. XXXVI; hæc Epistola autem anno Domini LVI. scripta sit Neronis II. colligunt, anno eo, quo prædicandi munus cum Barnaba accepit, Act. 13: 2. hanc visionem factam esse. Eligat ex his opinionibus B. L. quamcunque velit, quæque ad veritatem Chronologicam proxime accedere videtur: nobis enim in re tam perplexa, certi quid definire, vel prædictos Auctores conciliare, non licet, nec etiam tenuitatis nostræ bene memores tantum negotium in nos suscipimus. Transigant ipsi Chronologi prius invicem, & tum videbimus, cui calculum nostrum adjecturi simus.

§. VIII. *De Loco*, ubi Paulo raptus iste obtigerit, non una quoque est omnibus Interpretibus mens & sententia. Sunt, qui Paulum Tarsi, quæ urbs Ciliciæ est, & ejus Patria, Act. 22: 3. mansisse statuunt: Aliis autem verosimilius, & Chronologiæ magis conveniens videtur, ipsum tum aut Antiochiæ esse debuisse, aut inde non ita pridem cum Barnaba discessisse, ex ea quidem ratione, quia raptus iste circa id tempus, quo segregatus in Euangelium fuit Paulus, Actor. 13. accidisse videatur. Tarsi enim per triennium commoratum esse, antequam ubi à Barnaba inventus, Antiochiam sit profectus. Nituntur hi omnes opinionibus supra recensitis, & pro earum varietate diversum quoque locum adsignant.

§. IX. Majus vero momentum cum positum sit in circumstantia *Modi*, plus laboris eidem tribuendum: Qualis nempe fuerit ille raptus, *realis & localis*, an *mentalis solum & intentionalis*? Priorem qui tuentur, sequentes adducunt rationes: (1) Si, inquiunt, Apostolus se dicit ἁρπαγέντα, raptum esse, sequi, quod non mentali, sed locali motione acciderit. (2) urgent dubitationem Pauli, dicentes, scire utique ipsum potuisse, num anima in corpore, an extra corpus fuerit, quia in raptu mentali solum anima in sua operatione cognoscitiva alienata fuit, quod de locali æque dici nequeat. (3) asserunt, animam Pauli cum corpore fuisse raptam in cœlum, quia sine corpore si rapta fuisset, mori raptu illo Apostolum; & post raptum, anima in corpus revocata, resuscitari debuisse. Quæ argumenta utut prima fronte valde speciosa videantur, videntur tamen, nec firmo pollent robore. Sciendum enim ad I. quod vocabulum ἁρπαγῆς, non tam motum localem in præcisione, quam violentiam & habitudinem ad extrinsecus agens exprimat. Deinde distinguendum inter raptum translationis localis, & inter raptum secundum visionem ecstaticam. Posteriori modo Paulus, priori Philippus, Act. 8: 39. & Christus Matth. 4: 5. 8. translatus fuit. Ad II. Resp. (α) quod nondum inter Patres conveniat, num Paulus nesciverit modum sui raptus. (β) Nulla est consequentia: Si de mentali locutus est raptu, ergo non opus fuisset dubitatione. Imo vero tum non opus fuisset, si de locali est locutus. Scire enim potuisset, sensibus se corporeis fuisse usum, si actum suum exercuissent sensus externi & interni. (γ) Alia subest dubitandi ratio, nempe magnitudo revelationis, & Pauli modestia. Ad III. regerimus, posito, quod Paulus raptus fuerit secundum corpus, non necesse tamen est, eundem localiter fuisse translatum. Posset enim raptus intelligi de elevatione sufficienti totius suppositi ad divinam præsentiam, & objecta supernaturalia apprehendenda, cognoscenda, contemplanda. Deinde limitatio subjungenda, scilicet: Rapta fuit anima sine corpore realiter à corpore divulsa, & seorsim ab illo existens, nego: Rapta fuit sine corpore, cooperante & admisso ad ἄῤῥητα, concedo: Ratio, quia ille raptus conjunctus fuit cum cessatione animalium functionum, in corpore. Nulla quoque est sequela: Si sine corpore modo explicato raptus est, ergo fuit mortuus, raptus enim hic non dicit dissolutionem partium essentialium in Paulo, sed quandam quasi animæ concentrationem in objectum supernaturale, notante laudato *D. Herw. in Disp. de Raptu Pauli pag.* 8, 9, 10. *seqq.*

§. X. Tametsi vero ipsi Paulo non constiterit, fueritne in corpore, an extra corpus, nullum tamen dubium est, intentionaliter seu per ἔκςασιν & in spiritu sibi visum esse raptum in tertium cœlum, & audivisse ibi arcana dogmata: ob rationes: (1) quia inter tot sanctorum Virorum, Prophetarum & Apostolorum visiones & revelationes in Sacris descriptas, nulla unquam conjuncta fuit cum reali & locali translatione in loca superiora aut in cœlum. Ezechieli, cum Babylone exularet, accidit, ut transferretur Jerusalem, tam longe dissitam, & introductus in templum lustraret abominanda, quæ ibi exercebantur, ergo citra realem loci mutationem? Ita est: Ipse indicat, quando testatur Cap. 8: 3. hoc contigisse במראות אלהים in visionibus Dei, h. e. secundum visiones à Deo objectas. Ita idem במראה ברוח אלהים in visione per Dei Spiritum, i. e. in visione illa, quæ facta est illi per Spiritum Dei, Cap. 11: 24. dicit se traductum ex Judæa in Chaldæam. Visionem ejusmodi ecstaticam quoque habuere Daniel, cap. 10: 7. Paulus, Act. 22: 17. Petrus, Act. 10: 10, 11. Simile quid accidit S. Apostolo Johanni isti Apocalyptico, siquidem diserte dicit, se in desertum fuisse abductum ἐν πνεύματι, Apoc. 17: 3. (2) Diserte deinde ipse vs. 1. meminit revelationum & apocalypsium, hæ autem mentaliter & ἐκςατικῶς, ceu vidimus, fiebant. Tres alias revelationum celebriores habentur modi, Naturæ, Scripturæ, Gratiæ. Revelatio Dei per *naturam* est omnium hominum, eamque Apostolus ex professo tribuit gentibus, Roman. 1: 19. quibus ait, manifestum esse τὸ γνωςὸν τοῦ Θεοῦ, Deumque invisibilem per visibilia sua opera in mundo factum fuisse visibilem, Rom. 1: 20. Revelatio Dei per *Scripturam* est omnium civium Ecclesiæ, qui per sacras literas instruuntur ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu, ut perfecti sint ad omne opus bonum instructi, 2. Tim. 3: 15. nam revelatum est nobis ibi omne consilium Dei, Act. 20: 27. Revelatio per *gratiam* est electorum omnium, quos Spiritus Sanctus singulari sua gratia illuminavit, & quæ ad salutem scitu sunt necessaria, in cordibus eorum obsignavit, juxta illud: Dabo legem in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, Jer. 31: 33. Et talis hæc nostra Pauli fuit, eaque singularis prorsus atque extraordinaria. De Revelationibus tam ordinariis, quam extraordinariis, earumque speciebus, legi cumprimis meretur sæpe citatus *B. Bald. ad h. l. p. 606, 607. seqq.* Jactitant quidem adhucdum ejusmodi revelationes, visiones & apparitiones Fanatici varii, Novelli Prophetæ, Erronesque plurimi diversarum Ecclesiarum, quanquam non eodem modo, nec eodem cum fundamento, de quibus quid sentiendum sit, videri poterit Summus Theologus, *Dn. D. Calovius*, *System. Theol. Tom. I. cap. 3. de Revelatione Divina.* (3) Si Paulus localiter fuisset in Paradisum raptus, non bene actum cum eo fuisset, quod è statu gloriæ in has mundi ærumnas & miserias iterum projiceretur & deturbaretur, & sic non tam divinum beneficium, quam maleficium, & infelicissima illa Pauli exaltatio prærogativa seu excellentia fuisset.

§. XI. Sed si mysticus & spiritualis, seu mentalis, ceu probatum, hic raptus fuit, non immerito quæritur, quomodo fiat in spiritu? *Camero in Myrothec. p. 234.* ait, *spiritum, i. e. facultatem rationalem & intelligentem rapi, manente sensitiva & vegetativa.* Sed sic non tantum distincta statuitur anima rationalis à sensitiva, sed etiam divisa, (à quo vero alienum esse *Cameronem* credimus,) & *Jacobi Syri Eutychiani* dogma de duabus in homine animabus, in Concilio Cpolit. IV. Can. X. damnatum, & ab *Augustino* lib. de duabus animabus contra Manich. cap. 41. reprobatum, admittendum erit. Anima enim rationalis à sensitiva & vegetativa non adeo distinguitur, ut separari commode possint in vivo. Aut certe dicendum est, raptum illum fuisse conjunctum cum morte vere tali, quia divulsa anima rationalis à corpore, animaque & sentiente & vegetante fuisset. Ratio hujus manifesta est, quia nisi per mortem naturalem anima hominis corpus suum, forma illa utraque, & sensitiva & vegetativa præditum non deserit, quia ad ejus animationem ex mente Dei Creatoris destinata est, ut separata etiam post mortem reuniri cum eo velit, appetatque appetitu ingenito & prorsus naturali. Mortuum autem Paulum in raptu hoc fuisse, haud quaquam verisimile est. Adhæc *hominem*, inquit, *scio raptum in Christo.* Si homo, intellige perfectus atque integer, ergo non solus ejus spiritus, relicto in terris corpore.

§. XII. Verius autem videtur, raptum illum ecstaticum Paulinum conjunctum fuisse cum cessatione omnium operationum animæ sensitivæ & vegetativæ, elevata interea anima rationali, potissimum qua intellectum ad actum illum supernaturalem audiendi & videndi ineffabilia in Paradiso. Et probamus hoc assertum, quia, ut recte concludit *Thomas II. 2. quæst. 175. art. 5.* anima rationalis à Paulo non fuit separata, ut ei non unita esset velut forma. Manente enim (*inquit*) hominis statu ecstatico, aufertur ab anima actualis conversio ad phantasmata & sensibilia, ne impediatur ejus elevatio in id, quod excedit omnia phantasmata: Non vero ita anima rapiebatur extra corpus, ut vinculum illud naturale solveretur, aut totus mutaretur hominis status. Alias asserendum esset, Paulum raptus tempore mortuum, & anima ad corpus revertente, iterum à morte resuscitatum fuisse, quod ceu falsum & absurdum jam

rejeci-

rejecimus. Insuper, modus existendi animæ, raptusque conditio Paulo ignota fuit, non ipse raptus, inquit laudatus *D. Herwart. l. c. p.* 14. §. 4. Et hic modus tantæ mentis elevationi præ omnibus aliis maxime fuit congruus. Quid enim hic opus fuisset actibus secundis animæ tum sentientis tum vegetantis, ubi res cœlestes, divina mysteria, & occulta docebantur dogmata? Quam parum aptus & dispositus Paulinus animus fuisset, si in his percipiendis impeditus à sensibus, eorumque objectis actionibus, & sensitivo quoque appetitu fuisset? Similis quodammodo hic ejus status beatorum in cœlis fuit. Illi autem carent sensuum cum internorum, tum externorum actionibus. Adhæc singulare quid fuit hic Pauli raptus. Igitur totus intellectualis tum factus, non sensualis quoque, ut ante.

§. XIII. Raptus autem ille diversus fuit ab ecstasi præcise & simpliciter accepta, quod hæc extrapositionem saltem juxta *Aquin. sent.* 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 3. & ut actus supernaturalis, concentrationem aliquam mentis ad objectum supernaturale notet; ille vero ex ejusd. II. 2. *quæst.* 175. *art.* 2. aliquid adhuc superaddat. *Ecstasis*, inquit, *importat simpliciter excessum à seipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur. Sed raptus supra hoc addit violentiam quandam*: quando nimirum rapitur in id, quod est diversum ab eo, in quod ejus inclinatio tendit, & ita patitur violentum, non quidem ex parte termini, sed modi. Fateturque *Estius*: Satis esse huic loco, Paulum idcirco dici raptum ad tertium cœlum, quod animo à sensibus alienato fuerit elevatus ad sublimia quædam & supernaturalia, perfecto quodam modo cognoscenda, quomodo ea cognoscunt Angeli, qui in cœlis sunt, ut ratione hujusmodi cognitionis in tertio cœlo secundum animam aut mentem fuisse dicatur. Raptus ergo hic Apostoli, ecstasin communem eminentiori gradu superat. Dicitur enim ἐμφατικῶς ἁρπαγεὶς, non ἐξέστη, ecstasi correptus, quo intensius quid significatur. Equidem ecstasin non prorsus hic excludimus, quia conjunctissima cum raptu hoc Apostoli fuit, sed vulgarem saltim, quia præter eam vim singularissimam connexam sibi habuit, quod vel inde liquet, quod dicitur audisse ἄῤῥητα, quod ad rei magnitudinem pertinet, ostenditque, ad statum magis gloriæ, quam gratiæ ea spectavisse. Prophetæ alioquin ecstasin passi, sibi & priori statui post restituti, aliis revelata sibi & recensere, & describere ac explicare valuerunt. Johannes ille Apocalypticus monumentis literarum postea tradidit in Ecclesiæ usum, quæ ostensa sibi in spiritu fuerunt. Paulus vero ἄῤῥητα audivit, quæ nec eloqui poterat, nec enarrare aliis debebat, unde admodum secreta, & arcana illa fuisse constat, quæ magis ad qualemcunque beatitudinis cœlestis demonstrationem, quam Ecclesiæ informationem pertinuerunt, ceu recte iterum concludit all. sæpius *Dn. Herwartus.*

§. XXIV. Dictum supra, quod Paulus raptus fuerit in cœlum tertium, & postmodum in Paradisum, vs. 4. hinc non abs re ventilanda est quæstio, *num unus aut diversus ille raptus fuerit?* Non desunt, qui duos hic constituunt, unum in tertium cœlum, alterum in Paradisum, quos inter *Ambrosiaster, Primasius, Anselmus, Salmero, Musculus, &c.* quanquam is postea ipsemet fateatur, hæc distinguenda non esse: *Nolim*, inquiens, *hic inter tertium cœlum, & Paradisum cœlestem beatorum spirituum mansionem distinguere, ut eos, qui in Paradiso sunt, à Christo separem, cum ad latronem ille dixerit*: Hodie mecum eris in Paradiso, *& huc ipse Paulus dissolvi, & cum Christo esse in votis habuerit.* Rationes, quas urgent, sunt sequentes: (1) Quod articulus εἰς τὸν παράδεισον, habeatur, qui distinctum Paradisum à cœlo illo esse ostendat. (2) Quod Apostolus Pluralem adhibeat: Veniam ad visiones & revelationes, vs. 1. (3) Quod raptus in tertium cœlum & Paradisum Conjunctione copulativa distinguatur. (4) Quod unus denique raptus refragetur testimonio Patrum, ut *Epiph.* qui *L. II. T.* 1. *contra Hær. Hæres. LXIII. p. m.* 188. dicit, Paulum duas magnas revelationes vidisse, cum bis assumtus sit evidenter: Semel quidem usque ad tertium cœlum, semel vero in Paradisum. Nam quod dicit, pergit, novi raptum talem usque ad tertium cœlum; privatim revelationem ipsi apparuisse in tertium cœlum assumto, confirmat. Quod vero rursus infertur: Et novi talem hominem, sive in corpore, sive extra corpus, illatum in Paradisum; aliam rursus ipsi manifestatam esse revelationem in Paradiso, ostendit. At frustra hoc asseritur omne. Quod enim adductas rationes attinet, sciendum ad (1.) Articulum τὸν, voci Παράδεισον additum, nihil aliud, quam ipsum Paradisum, cœlum tertium esse, exprimere. Ad (2.) Pauli Plurali ideo usum esse, quia multas & magnas alias habuerat revelationes. Illarum nonnullas describit Lucas (α) qua conversus est Paulus, Act. 9: 3. (β) qua vocatus est in Macedoniam, Actor. 16: 9. (γ) Act. 18: 9. qua Corinthi contra Judæos jussus est constanter euangelizare. (δ) Act. 20: 17. qua ad gentes missus est. (ε) Act. 27: 23. qua dicit, se cum suis naufragium evasurum. Hic vero unius tantum mentionem facit, quia hæc est summa revelationum, qua audivit ἄῤῥητα, quæ non liceat homini loqui. Ad (3.) Scripturæ non adeo infrequens esse, unam eandemque rem & sententiam in sequentibus, vel alibi, immutata nonnihil locutione, explicare. Ad (4) opponere nos Patrum testimoniis testimonia Patrum aliorum, & cumprimis *D. Augustini*, qui de eadem re *libr.* 12. *de Gen. ad lit.* disputat, & tandem cap. 34. concludit, *Paradisum, de quo Apostolus, nonnisi de tertio cœlo intelligi*; hinc vocari *paradisum paradisorum*, neque visiones illas distingui debere opinatur, referente prælaudato *D. Herw. l. c. p.* 30, 31. §. 11. Et quid pluribus opus est? Ipsa textus συνάφεια manifeste loquitur, unum tantum fuisse raptum, nam primo idem tempus, deinde unum eundemque actum, modum, effectumque ponit, quod dubio procul in tertio cœlo & φανερῶς aliqua divinæ majestatis atque gloriæ, non in panegyri solum beatorum factum est, explicante *D. Glass. l. c. p.* 316. Conferri etiam meretur *Estius*, qui pariter unitatem raptus pluribus rationibus confirmat.

§. XV. Tandem paucis etiam *Terminum ad quem* lustrabimus. Hunc ipse Paulus nobis insinuat, quando se raptum dicit, ἕως τρίτου οὐρανοῦ, in tertium cœlum, vers. 3. & mox, εἰς τὸν παράδεισον, in Paradisum, vers. 4. Excipit quidem *Episcopius* in Inst. Theol. c. XI. p. 291. Paulum non dici præcise raptum in tertium cœlum, sed ἕως τρίτου οὐρανοῦ, *usque ad tertium cœlum*, i. e. ad cœli vestibulum. Verum, cum ejus explicatione ita comparatum est, ut ne ipse quidem in ea acquiescere possit. Mox enim ait: *Quanquam si quis verba ista interpretari velit per, in ipsum usque tertium cœlum, ego nolim contra admodum contendere.* Quid vero per cœlum illud tertium intelligendum, inter multos adhuc dubitatur. Scholastici, & eos secuti plurimi, urgent cœlum *Empyréum*, quod ita describunt, quasi illud viderint, quod nempe sit lucidissimum & amplissimum domicilium, aspectabiles cœlos proxime cingens & ambiens, in quo beati localiter obambulent, & bonis divinitus sibi concessis perfruantur. Ast lubricæ & inani huic assertioni opponimus Scripturæ S. phrasin, cum qua cœlum tertium, beatorum sedem, beatitudinem cœlestem & gloriam æternam constanter interpretamur. Qui enim quæso cœlum beatorum locus visibilis firmamento proxime incumbens esse potest, cum nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis descenderit, quid præparaverit Deus se diligentibus, 1. Corinth. 2: 9. Et vero, unde probatur cœlum illud Empyréum, cujus nec in Scriptura, nec Natura ullum fundamentum datur? aut si hoc foret: Paulus facile scire potuisset, raptusne fuerit extra corpus, an in corpore? Aut quomodo Angeli, pusillis etiam in terris servientes, vident faciem Patris in cœlo? Nec caret emphasi singulari, quod Christus τὸ in cœlis secunda vice repetit, dicens: Angelos eorum in cœlis videre semper faciem Patris, qui in cœlis sit. Legi hic pluribus meretur *B. D. Gerh. in LL. Theol. Tom. IX. de Vita æterna.* Calviniani *cœlum tertium* explicant de sede aliqua corporea, immenso locorum spatio ab his terris distante, & supra cœlos stellatos longissime evecta. Qua vero similitudine, inquit *B. Brochmannus Tom. I. Syst. Th. Art. de Serv. J. C. Sect. XVI. q.* 1. *pag.* 943. dicere licebit, corpus Pauli adhuc ψυχικὸν, sursum tendere potuisse velocitate stupenda, & spatium adeo immensum tempore brevissimo emetiri? Tribuunt hac ratione magis corpori mere physico, quam Christo θεανθρώπῳ. Absurditatem hanc agnovit etiam *Musculus*, & discessit hic ab aliis *Reformatis* τοῖς ἀεροβαθέσιν, ut loqui amat summus Theologus, *Dn. D. Calovius, l. c. p.* 515. *a.* dum ait: *Mihi non est dubium, voluisse Apostolum ad interiora se & secretiora, sublimioraque cœli secreta fuisse raptum, significare. Quare non est, ut anxie de numero cœlorum disputemus.* Imo ipse *Calvinus* fatetur, cœlos hic non distingui Philosophico more, sed numerum ternarium καθ' ἐξοχὴν poni pro summo & perfectissimo, imo cœlum per se hic significare beatum & gloriosum Dei regnum. *Thomas* tres facit cœlos infra animam, tres in anima, & totidem supra animam, atque ad unumquodque istorum ponit raptum peculiarem. Sed rejicit hic Doctorem Angelicum ipse *Estius*, ac mira subtilitate de triplici intellectu ipsum philosophari dicit.

§. XVI. Nobis ergo rectius cœlum gloriæ est, quod & Paradisus dicitur, sedes illa beata omnium Sanctorum, quam qui incolunt, perenni ipsius Dei fruuntur aspectu, adeoque unum τοῦ, unusque raptus videtur. Singularissimus enim hic raptus atque extraordinarius prorsus fuit. Cœlum ergo aliquod natu-

naturale & materiale tam sublimi negotio minus congruum fuisset. Vocatur autem *tertium cœlum*, non διαστηματικῶς, *ratione situs*, quasi quemadmodum illud cœlum æthereum, in quo stellæ moventur, i. e. firmamentum est supra cœlum aëreum, in quo & nubes & volucres versantur: Ita & cœlum illud, in quo Christus cum beatis Angelis & Electis versatur, sit proximè supra firmamentum, nec *ratione numeri ac* διαγνωστικῶς, ut à primis duobus cœlis, videlicet cœlo naturæ & gratiæ, distinguatur, sed *ratione excellentiæ, perfectionis*, atque ἐξοχικῶς, ut reliquis cœlis non tam loco, quam dignitate, sublimius statuatur. Nam probe distingui inter beatorum sedem, & statum. Illa est in certo πȣ̃, nobis ignoto. Hic est, ubicunque Deus se & gloriam suam Sanctis manifestat. *Vid. B. Gerh. l. c. pag.* 721. Revera enim non nisi unum cœlum physicum, continuum illud corpus, idque stellarum, præter aërem existit. Ergo in excelsius & gloriosius mente & ἐκστατικῶς Paulus raptus fuerit oportet. Visus enim sibi est raptus in cœlum sublimissimum & perfectissimum. *Paradisum* appellat, per metaphoram, non intelligens locum aliquem terrestrem voluptuosum cum Rabbinis & Pontificiis, cujusmodi nullus vere datur iterum, sed ipsum statum locumque gloriæ, cujus typus ille hortus Eden olim fuit, in quo aliquando percipiemus veram illam & sinceram voluptatem, familiariter cum Deo & S. Angelis conversaturi, esuri de ligno vitæ, bibiturique de fluvio aquæ vivæ, splendido illo, tanquam crystallo, procedente de sede Dei & Agni, Apoc. 9: 7. cap. 12: 1. Et hæc breviter hactenus pro instituti nostri ratione, & leviter, pro ingenii tenuitate, de Raptu Pauli. Progressum nunc facimus ad

CAPUT II,

De ineffabilibus à Paulo auditis.

VS. 4. Ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι.

V. 4. *Quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana, verba, quæ non licet homini loqui.*

§. I. Hic illico videndum, quid acciderit Apostolo sanctissimo in hoc raptu? Textus ait, ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, audivit verba ineffabilia, vel quæ non potuit proferre. Ἀκούειν, quid notet, constat, nempe audire, auribus percipere; item intelligere, ex auditu scire, aut rescisscere, vel discere. Ubi tamen notandum venit, quod auditio Pauli non fuerit ordinaria, aut physica, qualis animalis esse solet: nam sensitiva anima in raptu ecstatico quievit ab omni actione; sed singularis prorsus, & quodammodo cœlestis, seu spiritualis, qualis esse spirituum solet, & qualis nostra aliquando erit in futura vita æterna, scil. intentionalis, qualis etiam aliis sanctis Viris in Visionibus suis passim in Scriptura accidit.

§. II. Ῥῆμα proprie vocabulum, verbum, item dictum vel sententiam notat. Deinde significat etiam cantum, vel orationem, ut poëma, vel canticum, vel hymnum, qui recitatur. Interdum & verba & res generaliter significare potest, uti notum est. Unde est decompositum ἄῤῥητος, quod hic voci ῥῆμα adjungitur. Varie autem a variis hæc ἄῤῥητα ῥήματα explicantur. Camero prolixe de his disputat, & vult probare, ἄῤῥητα dici, ἃ οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι ἀνθρώπῳ, *quæ non licet eloqui ulli homini*, ut τὸ *licet* non *potentiam*, sed *potestatem & jus* denotet. Idem sensisse videtur *Georg. Vechnerus, in Tract. de Scolope Pauli, Anno* 1678. *edito, Sect.* 29. *p.* 98. Sed his nullum præbemus assensum. Nam *certum est*, ut inquit Beza, ἄῤῥητα *proprie dici, non quæ passim dici non debeant, sed quæ non possint dici.* Hoc cum sit, nulla causa videtur esse, cur à propria hac significatione recedamus. Dicit quidem *Camero*, ægre impetrari posse ab iis, quorum aures Græco idiomati assuetæ sunt, ut ἄῤῥητον dicatur, quod nulla lingua exprimi ullo modo potest, atque putat, ἄῤῥητον lingua Græca duo tantum significare, quantum ipsi quidem observare licuit, quod addit, nempe vel *id quod non dicitur*, vel *id quod non licet dicere.* Verum quo jure id dicat, ipse videat, & transfigat prius cum Beza, qui aliud dicit, nempe ἄῤῥητον, ut jam jam audivimus, proprie esse, quæ fando explicari à quoquam homine non possunt. Hoc sensu vocavit Aphrodiseus ἀῤῥήτους ἰδιότητας, proprietates occultas, & quarum ratio non perspici, ac multo minus explicari potest. Ita Hermeti Deus dicitur ἄῤῥητος, ἀνεκλάλητος, Hæbræis Τετραγράμματον dicitur ἄῤῥητον, ἀνέκφραστον, ineffabile. Vulgatus & Erasmus exposuerunt ἀπόῤῥητα, i. e. *arcana*, velut ista explicare quidem potuerit, sed prohibitus fuerit ea enunciare. *Quasi vero*, ut Beza addit, *in religione Christiana sint Eleusinia quædam sacra, ac non potius omnia evulgari jusserit Dominus, & quidem iis præcipue, quos mundus pro indoctis & imperitis habet: adeo populari sermone, qui ab omnibus tum summis tum infimis, viris, pueris, mulierculis intelligi possit; ita tamen, ut ad discentium captum omnia accommodentur.* Episcopius lib. IV. Instit. Theol. cap. XII. pag. 253. b. seq. explicat ita ἄῤῥητα ῥήματα, i. e. *verba continentia tam grandia, tam sublimia mysteria atque arcana, ad cælestem Paradisum & Paradisi gloriam pertinentia, ut ea verbis mortalium statui accommodatis enunciare, tantumdem esset, atque ea depretiari velle, & vilia reddere*, uti apparet ex eo, *quod statim addit*, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, quæ non licet homini eloqui; *quia videlicet infra dignitatem eorum esset, quicquid de iis verbis humanis, ab hominibus in carne hac versantibus, proferretur. Per verba autem intelligo metonymice rem, sive gaudium, quod ex verbis istis perceperat Paulus, non autem sensum ipsum verbis comprehensum. Per* τὸ ἐξὸν *vero, tum potentiam, tum potestatem. Potentiam; quia gaudium istud fando explicari non poterat. Potestatem; quia fas non erat, ut istud aliter quam condigne & pro majestate ei debita enuntiaretur.* Quod vero ἄῤῥητον idem sit atque ineffabile, confirmatur ex eo, quod porro dicitur, ἃ οὐκ ἐξὸν, quæ non liceat, quod Beza iterum recte per ἀδύνατον, vel οὐκ οἷόν δέ ἐστι, explicat, quoniam videlicet ne animo quidem illa satis complecti poterat Apostolus, nedum ea posset verbis explicare. Idem sentit *B. Glassius Ex. Epist. l. c. p.* 317. *Rectius*, inquiens, οὐκ ἐξὸν, *non licitum*, τῷ *impossibili æquipollere asseritur. Nam ea minime omnium licent, quæ naturæ nostræ captum & facultatem superant. Unde* ἐξουσία *non tantum dicitur* συγχώρησις, *concessio, permissio, sed ipsa potestas, & vis aliquid efficiendi.* Nec displicere hic sensus *Estio* videtur, qui ad h. l. legi potest. Dicas: quo fine igitur audiit, quod eloqui nec potuit, nec debuit? Resp. cum laudato modo Viro: *Imo & Paulo maxime profuit hæc* ἀῤῥήτων *auditio, & nobis hominibus. Illi, ut in gravissimis tentationibus, periculis & adversitatibus in Apostolico munere perferendis, contra tot Diabolorum aliorumque hostium cohortes, mira isthac & divina ratione confirmatus perstaret invictus. Nobis, ut de sublimi cœlorum gloria & majestate admiranda edocti, à nimia scrutatione abstineremus, & pia tamen simplicitate ad eam suspiraremus jugiter ac contenderemus.* Vanus ergo Castellio est, & cum ipso Fanatici alii, qui ex hoc loco imperitis persuadere conantur, Paulum tantum rudimenta quædam in Epistolis suis scripsisse, & perfectiora pro perfectis habuisse, quæ perfectos doceret. Verum vix responso hæc opinio digna est. Legantur ejus Epistolæ, & observabit quilibet, non nuda tantum rudimenta, sed totius Christianismi nucleum, summam, atque complementum in illis contineri, quod vel ipse Apostolus satis clare testatus est, 2 Timoth. 3: 16. Omnis Scriptura, inquiens, Θεόπνευστος utilis est, πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν τῇ δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. En rudimenta! His ferme similes erant *Cajani*, (qui Hæresin suam à Caino cognominarunt) qui de his ἀῤῥήτοις peculiarem librum excogitarunt, quem Apocalypsin & Ascensum Pauli appellarunt. De quo ita *Epiphanius L. I. Tom. 3. Hæres.* 38. *p.* 277. ex interpretatione Petavii: *Quin alium* (Cajani) *insuper Pauli Apostoli nomine libellum excogitarunt, præpostera libidine refertum, quem & ii, quos Gnosticos vocant, adhibere solent, quod Pauli Anabaticum vocant: cujus suppositiții operis ansam ex eo ceperunt, quod Apostolus ipse testetur*, se in tertium usque conscendisse cœlum, & arcana ibidem audivisse verba, quæ non licet homini loqui. *Hæc autem, inquiunt, arcana illa verba sunt.* Meminit ejusdem quoque libri *Augustinus, Tit. IX. Op. Tract. XCVIII. in Joh. sub fin. Quidam*, ait, *spiritualium ad ea pervenerunt, quæ non licet homini loqui. Qua occasione vani quidam Apocalypsin Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumtione finxerunt: dicentes hanc esse, unde dixerat, raptum se fuisse in tertium cœlum, & illic audisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Refert *Nicephorus, L. XII. Hist. Eccl. c.* 34. fama increbuisse, repertam esse Apocalypsin Pauli, tempore Theodosii, in patria, paternaque domo Pauli, Tarsi Ciliciæ, in arca marmorea repositam, & in terra defossam. Refutat autem hanc fabellam testimonio Presbyteri cujusdam Tarsensis admodum

dum grandævi, qui nihil ejusmodi suo tempore evenisse confirmarit. Paulum autem scripsisse talem librum, ex textu nostro probari nequit: Ea enim, quæ in tertio cœlo audivit, nemo hominum effari potuit vel debuit: quomodo ergo Paulo Apostolo hujusmodi arcana peculiari revelare libro in mentem venire potuit? inquit *B. Balduin. l. c. p.* 613. 614. *seqq.* Meræ ergo nugæ sunt & fraudes! Dionysius Areopagita, qui plerisque Pontificiorum creditur Pauli discipulus, dicit, vidisse & audivisse Paulum mira de Angelorum natura, dotibus, gratia, gloria, ordinibus. Unde in cælesti sua Hierarchia Ordines Angelorum ex S. Pauli doctrina ita describit, acsi oculis omnia spectarit. Sed qui ejus Præceptor hæc revelare potuit Discipulo, cùm ipse ἄῤῥητα vocaverit? Scripsisse autem verum illum Dionysium Areopagitam, Pauli discipulum, cujus mentio fit Act. 17:34. librum illum, non scioli solum & hæretici, quod Bellarminus putabat, sed summæ eruditionis, & antiquitatum callentissimi viri negant, quod pluribus exsequitur *Rivetus, in Crit. Sac. lib.* 1. *cap.* 9. 10. 11. & non ita pridem etiam erudite illud contra *Schelstratium*, Doctorem Theologum Antverpiensem, demonstravit Vir Cl. *Dn. M. Tentzelius*, Fautor & Amicus meus ἐξαιρέτως ἄλλων honoratissimus, æstimatissimusque, in Disput. de Disciplina Arcani §. XVI. Accedit, si hæc à vero Areopagita vel ex revelatione, vel ex Pauli doctrina fuissent reserata, non certe mansissent prorsus incognita post quadringentos à C. N. annos, nec ausi fuissent, qui postea secuti sunt, à Dionysio dissentire, si persuasi fuissent, talia à vero Areopagita scripta esse.

§. III. *Objectum auditionis* non omnibus idem Interpretibus videtur. Et tacente ipsomet Apostolo, id nobis difficile, si non impossibile expressu profecto erit, adeoque plenariam ejus cognitionem ad cœlestem aliquando Academiam differre cogimur, ubi in ipso SS. Trinitatis intuitu, & tota beatorum panegyri ὀφθαλμοφανερῶς καὶ αὐτακρεστῶς à Paulo edocebimur. *Grotius* conjicit, Paulum omnem illam dispensationem, qua Christus Ecclesiam suam gubernat, accepisse, ut olim Moses intellexerit omnem illam dispensationem, qua Deus populum Israëliticum tuebatur & regebat. *Sed, conjectura illa,* sunt verba Magnif. Dn. D. Calovii, *quam petit* (Grotius) *ex conversatione Mosis cum Deo, huc non facit. Nam quæ Moses à Deo acceperat,* ἄῤῥητα ῥήματα *fuisse nusquam dicitur, & ex consignatione illa colligi possunt; Apostolum vero in tertio cœlo accepisse, quæ ad gubernandam Ecclesiam facerent, nullo indicio constat. Accepit sine dubio ea, quæ in literas redegit, à Christo, sed per θεοπνευσίαν literarum, quas exaravit, non vero per raptum in tertium cœlum, vel Paradisum. - - Porro* ἄῤῥητα ῥήματα *non sunt, quæ vetitus fuit enunciare, sed ineffabilia, vel quæ non potuit proferre.* Ex hac ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων colligunt nonnulli cum *Augustino, Clemente Alexandrino, Anselmo, Thoma,* & aliis, Apostolum ipsam Dei essentiam vidisse. Si enim eo beatitudinis non venisset, revelationum excellentia minime contigisset. Neque contradictio involvi videtur, si dicatur, vidisse essentiam divinam *intuitu temporario*, sive per *collustrationem luminis gloriæ*, sive sine lumine gloriæ *elevata mente* per *absolutam Dei potentiam*, ad beatum ejusmodi intuitum, per modum actus transeuntis. Neque ex eo deterioratio status competentis sequitur post raptum Apostoli. Est enim non *degradatio incompetens*, sed *gratiæ extraordinarie* ad breve tempus collatæ, & gloriolæ ecstaseos cessatio. Sed aliis non placet hæc assertio vel ideo, quia alioqui Apostolus dixisset, vidit ineffabilia, vidit Deum. Ipse vero ait: audivit ineffabilia. Deinde, ipse 1 Tim. 6:16. de Deo dicit: Deum nemo vidit unquam. Porro, si Deum vidisset, novisset & statum suum, utrum in corpore fuerit, nec ne, quod tamen hic negat. Adhæc, parce suas hic recenset visiones, majoresque se subticere ex humilitate & animi modestia docet, v. 5. Idem sentiunt *S. Gregorius, Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus*, passim & alii Patres ac Scholastici, quos citat *Corn. à Lap. ad h. l. pag.* 132. *Chrysostomus* putat, vidisse sanctissimam Christi humanitatem, ejusque inter beatos gloriam eminentissimam. At si Christum vidit, vidit Θεάνθρωπον, vidit in majestate gloriosum. Addit *Theodoretus*, vidisse Paradisi pulchritudinem, Sanctorum choreas & gaudia, numerorum ac modulatam hymnorum cœlestium vocem audivisse. *Alii* opinantur, percepisse quædam de Christo Redemtore, ac Evangelii mysteria: hoc enim per revelationem, in hoc sibi facto raptu accepisse se à Christo, dicere Gal. 1:12. At si revelatio hæc & visio ad statum gratiæ pertinuisset, non utique reticuisset; quia vero ad statum gloriæ spectavit, ideo ineffabilis prorsus fuit propter inexplicabilem ejus magnitudinem, de quo pluribus videantur *D. Herw. l. c. pag.* 42. 43. *seqq. Corn. à Lap. l. c. p.* 447. *aliique.*

§. IV. Si conjecturæ aliquis est concedendus locus, nostra hac de re ἐπίκρισις est: Audivisse Paulum talia, qualia beatorum solent esse propria, demonstrationem nimirum plenissimam cœlestis beatitudinis, & forte mysteriorum etiam divinorum sublimiorum explicationem, ineffabiles Angelorum concentus, Beatorum incredibilem conatum in concelebranda & glorificanda SS. Trinitate, & Jesu Christo Θεανθρώπῳ, omne humani ingenii acumen, omneque flumen eloquentiæ longissime excedentia, de quibus jam dictum, quod nec auris audiverit, nec oculus viderit, nec in cor hominis descenderit, quæ Dominus præparaverit diligentibus illum, Esa. 64:4. 1 Cor. 2:9. & ipse subjiciat, verba ἄῤῥητα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Notandum hic adhuc obiter est, quod ἄῤῥητα ea nequaquam ad doctrinam Pauli, ut quidam volunt, pertinuerint, quasi eam tum demum acceperit, cum raptus esset in tertium cœlum; sed quod omnia ea, quæ ad doctrinam Christianam scitu necessaria erant, jam pridem in conversione sua à Christo edoctus sit. Ideo statim ex illo tempore ingressus in Synagogas prædicabat Jesum, quod sit Filius Dei, & confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, Act. 9:20.

§. V. Subnectendus tandem *auditionis* quoque *Modus* est, quem dicimus spiritualem prorsus fuisse, qualis vel Angelorum, vel hominum electorum esse solet. Non enim auribus audivit, (quæ vacabant & quiescebant quiescente anima sensitiva) sed intellectu, modoque interno atque mystico secreta sua Deus ipsi patefecit, eique singulari prorsus instinctu futura aperuit. Et quia hic sola intellectus operatio locum habuit, hinc recte intellectualis quoque dici posse videtur. Restat

CAPUT III.

De Palo Pauli in Carne.

v. 7. Καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

v. 7. *Et ne excellentia revelationum efferar, datus est mihi stimulus carni, Angelus Satan, ut me colaphizet, ut ne efferar.*

§. 1. Ne forsitan Paulus, (quod alias apud eos, qui ad sublimitatem aliquam majorem digniorem admissi sunt, aut qui præ aliis singulari scientia se præditos norunt, fieri solet) ob tantas istas revelationes se efferret, atque arrogans fieret, ecce, cœlestis Medicus, contra elationis illud periculum, remedium eidem singulare ceu Alexipharmacum quoddam spirituale applicuit, quod ita edisserit: καὶ τῇ ὑπερβολῇ τῶν ἀποκαλύψεων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκὶ, ἄγγελος Σατᾶν, quæ verba *Vulgatus Latinus Interpres* ita reddidit: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ. Erasmus* & *Castellus* stimuli quidem nomen retinuerunt, sed ille reddidit tamen: *ne excellentia revelationum supra modum efferrer, datus fuit mihi stimulus per carnem, nuncius Satanæ.* Hic: *ne ob patefactionum præstantiam me nimis efferam, appositus est mihi stimulus carni, angelus Satanæ. Beza*, in primis verbis Erasmum secutus, pro stimulo, *surculi* nomen (translatione ducta à surculis, qui vestigiis pedum infensi sunt, si per cœduas est ambulandum silvas,) addidit, atque olim reddidit: *Datus est mihi surculus infixus carni & angelus Satan.* Posterioribus annis, pro & reposuit, *nempe. B. Lutherus*, ut & *Tigurini*, item *Polanus*, *Pali* nomen (ein Pfahl) ceu convenientius prætulerunt, & verba τῇ σαρκὶ, reddiderunt, ins Fleisch/ quod *Tigurini* tamen reddidere: Meinem Fleische/ qui etiam habent: des Teuffels Bote/ ubi Lutherus & alii habent: des Satans Engel. Emserus: der Stachel des Fleisches/ nemlich der Engel des Satans. *Joh. Camero in Myroth.* σκόλοπα exponit per *assulam*, vel etiam, *quicquid acuminatum corpori humano infigitur*, unde nascitur dolor acutissimus. Est autem σκόλοψ à σκάζω, claudico, (ut & σκῶλος & σκάνδαλον quia incurrentibus in via pedibus impedimento & offendiculo esse solet. *Henricus Stephanus*, Lexicographorum celeberrimus, item *Scapula* σκόλοπα explicant palum præacutum, vallum, assulas, surculos acutos: Aculeos item ac stirpem, exemplo è Dioscor. lib. 4. c. 176. notato, ex interpretatione *Ruellii*: Quam

Quam utramque vocem, in simili re describenda, Plinium quoque adhibere observant, l. 24. c. 11. ubi de arundine inquit: *Pelicis stirpem corpori extrahit arundinis radix, contrita & imposita:* Et paulo post: *Foliis ejus ad extrahendos aculeos utuntur. Crispinus*, ut & *Autores Lexici Basileensis* stimulum etiam notare asserunt, qui ex usu Latinorum fustis est acutæ cuspidis, quo rustici boves suppungunt. Vid. *Martinus in Lex. Phil.* Unde Glossarium *Philoxeni* quoque vocem *stimulus* explicat per Synonym. *Incitamenta.* Quocunque autem sumatur modo, certum est, hic per Metaphoram molestissimum quid ac dolorificum, urgensque valde à Paulo denotari, notante *B. Balduino l. c. p. 602. seqq. Glassio in Ex. Ep. l. c. p. 319. seqq. Cornelio à Lap. l. c. p. 449.* aliisque.

§. II. Quid autem per verba illa, σκόλοψ τῇ σαρκὶ, designetur, magnam hic Doctorum pariter & Interpretum deprehendere licet sententiarum varietatem. De quibus proinde, quod spero, non absque re erit, videre, quæ sint, quidque in recessu habeant, si ad lancem veritatis modeste examinentur, ut sic tandem ex difficultatibus istis emergere, atque germanum loci nostri sensum eruere queamus. Et ut ordine procedamus, I. Σκόλοψ Pauli ab aliis ad *cruciatum quendam*, seu *morbum corporis* refertur, sed eundem iterum diversum. *Augustinus in Expos. Psal. 130. Tertullianus lib. de Pudicit. c. 13. Hieronymus, ad h. l. & ad Gal. 4: 13.* item *Chrysostomus Hom. 26. ad hanc Epist.* it. *Hom. 6. de laudibus Pauli*, memorant, fuisse jam ante ipsos, qui stimulum carnis de *dolore capitis*, vel *auriculæ* fuerint interpretati, sed suam sententiam non designate ponunt; imo *Augustinus lib. de Nat. & Grat. contra Pelagian. c. 27.* quid sit ille Pauli stimulus, sibi non constare, indicat. *Basilius M. in Ascetic. cap. 55.* stimulum hunc putat fuisse morbum Paulo æque ac S. Jobo, itemque Lazaro immissum. *Gregorius Nazianz.* Orat. in laudem Basilii, sub fin. cum nihil certi de hoc stimulo definire ausus esset, ejus Scholiastes, *Nicetas Serronius*, signanter expressit, *renum infirmitatem*, atque *articulorum debilitatem*, *sive Podagram* significari. Hugo de S. Charo, *Cardinalis*, *Thomas Aquinas*, it. *Liranus in Gloss. dolorem lateris*, sive *passionem iliacam* intelligunt. *Petrus Molinæus in Vate suo l. 2. c. 12. p. 118.* meminit *morbi comitialis*, aut *Incubi*, vel *vertiginis capitis*. Nonnulli etiam per *stomachi ægritudinem* exposuerunt, quod *Salmero* Disp. XIII. in 2 Cor. Vincentio Dominicano tribuit. Verum σκόλοπος nomine frustra hic aliquis morbus, quicunque tandem ille sit, intelligitur. Morbi mala sunt naturalia, non extra ordinem à Satana immissa. Deinde, si Paulus ejusmodi morbis obnoxius fuisset, dubio procul nec ipse eos reticuisset, (meminit enim Epistolæ hujus c. 6: 5, 6. *tribulationum, necessitatum, angustiarum, plagarum, carcerum, seditionum, laborum, &c.*) nec Lucas in Actibus Apostolicis. Taceo, quod morbi ejusmodi, præsertim iteratis paroxysmis, in propagando & prædicando Evangelio ipsi maximo fuissent impedimento. Breviter, ut ἀποκάλυψις Apostolo facta, rara fuit & insolens; ita remedium quoque rarum ac insolens, imo plane singulare adhibitum fuit. II. Alii existimant, hac voce *Afflictiones* seu *Adversitates & Hostilitates*, ærumnasque & *injurias* varias ab *Adversariis*, Paulo illatas intelligendas esse. Et ita sentiunt *Cyprianus, L. de mortalit. p. 210. & l. 3. de Testimon. ad Quirin. s. 6. Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Oecumenius, Hieronymus, Athanasius, in quæstionibus, q. 119. Hugo Cardinalis, Faber Stapulens. in Canonib. Epistolar. Paulin. Erasmus in Paraphr. & in Annot. Bullingerus, Musculus, Dusanus, Beza in Annot.* ex Nostris *B. Franzius de Interpret. Script. Orac. 78.* & alii. Affinis huic sententiæ videtur esse *Alex. Morus*, qui *in Not. ad h. l.* σκόλοπα crucem interpretatur, & miratur, ita non verti, cum perpetuo Paulus afflictiones suas instar crucis Christi depingat, & se crucifixum dicat mundo, & una crucifixum cum Christo, & portare Domini stigmata in corpore suo, &c. deinde addit, *quid proclivius est, quam ut cum dixit* σκόλοπα τῇ σαρκὶ, *de persecutione similiter interpretemur.* Hæc expositio, utut valde probabilis, & veterum autoritate probe munita, videtur tamen non satisfacere scopo proposito. Et juxta *Estium* obstare videtur, non modo quod ratio, propter quam dicunt Apostolum, cum de multis loqueretur, non tamen dixisse angelos, sed angelum, coacta sit, & longe petita; sed etiam quod ait (Paulus) stimulum hunc carni, sive in carne sua, datum; quod quomodo convenienter de adversariis Evangelii dicatur, prædictos autores non explicare. Ac sane, *pergit*, quamvis multa Paulus in carne, i. e. in corpore passus fuerit, ab adversariis, magis tamen illi Paulo resistentes, spiritum ejus affligebant, quam carnem. Adde, quod non solus Paulus, verum etiam Petrus, ac cæteri Apostoli, atque insignes Evangelii præcones, passi sunt ejusmodi adversarios, velut Simonem Magum, Diotrephetem, atque alios; Imo & Christus ipse Pontifices Judæorum, Scribas & Pharisæos; nemo tamen illis propter istiusmodi causam attribuit stimulum carnis. Jam nec ignorabat Paulus, egregios Christi & Evangelii ministros nunquam carere adversariis à Satana suscitatis; idque adeo ad gloriam Evangelii pertinere, ut inter adversariorum oppugnationes ac bella, magis etiam efflorescat; proinde nec orandum fuisse, ut (quemadmodum dicunt) Evangelica prædicatio sibi sine periculis & adversariis procederet. III. Nonnullis libuit referre ista Pauli verba ad *stimulos venereos*, nempe *fœdas carnis libidines*, & *importunas cogitationes.* Sic *Nicol. de Gorram, Abulensis ad Exod. 12. q. 48. Guil. Bailius, in Catech. Controvers. quæst. 14. Bellarminus, lib. 1. de Monach. cap. 30.* qui etiam in eam sententiam citat *Augustinum* atque *Theophylactum*, sed quo jure, aut qua fronte, erudite indicarunt *Chamier, Panstr. Cath. Tom. 3. pag. 397.* item *Franc. Junius in Animadv. ad l. c. Bellarm. & Georg. Vechnerus, Theol. Reform. loc. cit. Sect. 5.* (cui etiam in præsenti materia multum acceptum ferimus,) quorum uterque, ille Augustinum, hic Theophylactum explicavit & vindicavit. Atque id tuentur omnes ferme ii, qui vitam monasticam agunt, fortasse non alia de causa, quam quod ejusmodi tentationibus se divexari subinde sentiant, atque etiam, ut cœlibatum suum inde quocunque modo suffulciant. Imo Hugo Cardinalis ille carnalis certam personam ex sexu sequiore, nempe Theclam nominare non veritus, unde stimulus ille in Apostolo exstiterit, *in Postill.* ubi *in Epistolam hanc* commentatur. Verum σκόλοψ, quod Græcis σταυρὸς alias, & Latinis crux, non incitamentum ad peccandum, quin potius prophylacticum adversus peccatum ex scopo Apostoli est, quem si considerate explanatores hi observassent, in illam opinionem fortasse non incidissent. Unde ipse *Erasmus, in Annotat. ad h. l.* demiratur, ulli docto Theologo expositionem hanc placere. *Quid enim absurdius*, inquit, *quam putare, tantum Apostolum, jam senem, adhuc sollicitari urtica libidinis, & ita sollicitari, ut hac gratia coactus sit, ter interpellare Dominum? Movet istos mentio carnis, ac statim putant de Venere verba fieri, &c.* Et ante ipsum *Jacobus Faber*, in Comment. jam ista monuit, quando inquit: *Sunt, qui id*, datus est mihi stimulus carnis Angelus Satan, qui me colaphizet, *pro titillatione luxuriæ, & tentatione carnis intellexerunt. Et arbitror maxime apud nos, i. e. Latinos, veterem Interpretem ejus rei præbuisse occasionem, quod pro palo, sude aut flagello, verterit stimulus. Et id de Paulo, tam spirituali, sanctoque Viro, sentire, indignum & nefas puto. Neque unquam, (arbitror, id nostri scripsissent, nisi vetus interpretatio ad id sensus eorum torsisset: Et venia dignos censeo. Nam si Paulum in Paulo legissent, ipsi pro sua pietate & miti ingenio, intelligentiaque etiamsi superior gratia defuisset, aliter sensissent. Quomodo enim hujusmodi tentatio carnis, seu motionem, sive impetum, sive titillationem dicas: apte pallus, sudesve dicitur? hoc n. designat* σκόλοψ, *quo vocabulo Paulus utitur. Quomodo Angelus Satan? Quomodo colaphizare, i. e. cedere, & percutere?* Ac tandem: *Indignum est audire nonnullas, quas quidam, absque Deo (arbitror) & spiritu, homines de hoc loco finxere fabellas, & novas, quæ nunquam Paulum attigerunt, infirmitatum præstigias. Faxit Deus*, (ad ultimum addit) *spiritualiora & veriora cogitent, & non ex infirmitate damnatæ naturæ judicent spiritualium infirmitatem, quæ est ad Christi Jesu Salvatoris omnium, & illuminatoris omnium, imitationem.* Adhæc, si vir sanctissimus stimulis Aphrosidiacis obnoxius fuisset, quo jure de dono continentiæ, à Deo sibi singulariter concesso, tanta audacia gloriari potuisset, *velim omnes homines essent, ut ipse sum?* ex 1 Cor. 7: 7. loquitur autem ibi de cœlibatu suo, proinde quia istum non omnes imitari possunt, permittit liberum cuique vel ducere, vel non ducere uxorem, modo in Domino fiat. Posito denique, nunquam tamen concesso, Apostolo tali oestro cupidinum agitatum fuisse, annon justum remedium adhibere potuisset? En, quanta cum emphasi 1 Cor. 9: 5. dicat? *Numquid non habemus potestatem mulierem* (γυναῖκα) *sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Non dicam, quod propter concatenatos labores, fatigationes, vigilias, in quibus panem suum se manducasse testatur, 2 Thess. 3: 8. Veneris ustiones vix sentire potuerit? Si enim veri quid alias inest verbis Poëtæ:

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:

periere certe apud Paulum penitus, utpote nunquam otiosum,

sum, sed semper laboriosum. Multis etiam rationibus insulsum hoc Monachorum commentum refutarunt *B. Hülsem.* it. *B. Hunnius*, quas vide in Magnif. Dn. D. *Calovii* Bibl. Illust. ad h. l. Licet v. explanationis hujus inanitas & falsitas ex dictis satis superque ostensa sit, nihilo tamen minus Bellarminus, atque cumprimis Cornelius à Lap. eam aliquot rationibus propugnare annituntur, quas una cum fabula Theclæ solide refutatas vide apud D. Vechnerum, l. c. Sect. XV. seq. Nos interim aliorum etiam audiemus sententias. Quapropter V. *Calvinus*, *Beza in Notis minoribus An.* 1595. *& in not. majorib.* à Rob. Stephano An. 1556. editis, *Marloratus* item, & *Flacius in Cl. S.* in nomine *Palus*, σκόλοπα ad *concupiscentiam* in genere, seu *reliquias Pecc. Orig.* nonnulli, recensente Molinæo, l. c. cap. 12. præcipuead *superbiam* referunt. Sed verba Apostoli, ut dicit *Rivet.* in Cath. Orth. T. 1. Tr. 4. q. 14. p. 452. loquuntur, *non de tentatione, quam pateretur ab aliquo principio natura inhærente, qualis est concupiscentia, quæ etiam omnibus hominibus communis est & ordinaria, sed de extraordinaria vexatione, non innata, sed data. Molinæus l. c.* fatetur, hanc sententiam longissime à vero abesse. *Nam*, inquit, *nec stimulus ille* (scil. reliquiæ peccati,) *datus est Paulo à Deo: nec ei datus est post raptum in tertium cœlum, utpote quem Paulus habuit ab ipso ortu. Nec Deus eum à tam sancta & necessaria precatione revocasset. Nec potest per stimulum in carne intelligi stimulus in concupiscentia, cùm ipsa concupiscentia sit stimulus. Præcipue vero id, quod de superbia dicitur, pergit, evidenti contradictione intricatur. An enim aculei superbiæ fuissent ejus cordi infixi, ad retundendam ejus superbiam, & ne revelationibus intumesceret? an data ei esset à Deo superbia, ne superbiret?* VI. *Glossa interlinearis* σκόλοπα per *defectum*, (qui vero, & qualis ille defectus sit, non exprimit) & *Flacius* in Cl. in voc. *Stimulus*, per *Imperfectionem* spiritualem exponunt. *Heinsius* in Exercit. S. p. 439. σκόλοψ, inquit, *est* σκόλοψ σκανδάλε, sive, ἀσθενείας. Forte & πικρίας, ut Ezechielis c. 28: 24. respiciat locum. Sed nec hæc explicatio ad veritatem proxime accedit. Non negamus quidem, Paulum defectibus quibusdam laborasse, sed quid opus erat, eos hoc loco singulariter σκόλοπος nomine appellare? Cur Angelum Satan diceret? Cur rem, quam simplicibus verbis proponere potuisset, figurarum involucris data opera implicasset? Quid quod defectum istum gratia Christi, de qua gloriatur 1 Tim. 1: 14. in Paulo abundanter pensarit? VII. Quidam, ut *Erasmus in Paraphr. in N. T.* & qui ipsum in multis κατὰ πόδα sequitur, *Conr. Pellicanus*, atque ante hos *Primasius*, *Episcopus apud Africanos*, in Comment. ad h. l. explicant & describunt stimulum Pauli ita, ut dicant, eum talem *afflictionem corporis* fuisse, *quæ hominem ipsum esse commonuerit.* Sed non video, an mortalitatis recordatio eo faciat, ut gloriari, ut efferre se Paulus ob Revelationes divinas, quæ ipsi contigere, abhorruerit? imo ceu morti magis obnoxius affectasset potius, ut gloriatione sua immortalitatem aliquam sibi conciliaret. VIII. *B. Mathesius* in Homil. super Epist. Pauli ad Corinth. & *B. Mamphrasius*, in Praxi Theolog. seu Panoplia & militia Christiana, p. 101. suspicantur, per stimulum istum notari posse vel *blasphemam cogitationem* aliquam, Paulo à spiritu maligno subinde injectam, à qua nec expediri potuerit, vel *sensum mortis*, de quo graviter queratur Rom. 7: 24. vel *subitam* quandam *animi consternationem*, qualem Christus sensisse refertur, *Joh.* 12: 27. Quod vero attinet *blasphemam cogitationem*, dicimus, eam vix locum invenire apud Paulum, ipse enim in epistolis suis, ut Rom. 2: 24. c. 3: 8. c. 14: 16. severissime amolitur, quicquid cum blasphemia conjungi, vel illi affini esse animadvertit. Si tamen Satanas ejus animo ejusmodi cogitationes blasphemas injectasset, num eo ipso caro, ante hac ad blasphemias prona à gloriatione cohiberi potuisset? Taceo, quo deprecatio cogitationis blasphemæ minime talis sit censenda, quam Deus voluerit exauditam. Ad sensum mortis regeri idem potest, quod paulo ante ad mortalitatem. Quod consternationem subitam concernit, dicimus, non significari in Paulinis verbis momentaneum aliquid, sed longo tempore duraturum, adeoque incongrue etiam affertur consternatio Christi, utpote quæ ad certum tantum monumentum duravit, Pauli autem consternatio, si talis fuit, cum perpetuo quodam terrore ac metu conjuncta ex Textu colligitur. IX. Multi σκόλοπα interpretantur ad *singularem, nec satis explicabilem tentationem*, ut Joh. Piscator, B. Luc. Osiander in Paraphr. & alii, aut *genus quoddam afflictionis intolerandum*, ut *Camero in Myroth.* vel ad tentationem quandam animi, seu internam, ut *Rudol. Gualterus*, *Hom. LV. in hanc Ep.* it. M. *Matth. Judex in Epistolis Domin. ad h. l.* aliique. Et hæc interpretatio magnam habet speciem veritatis. Tentationes enim facere omnino poterant ad prohibendam elationem. Tentationes præbere Paulo materiam poterant, tum indignitatem suam magis atque magis agnoscendi, tum gratias Deo tanto majores & uberiores dicendi. Multi plane hic τὸ ἐπέχειν sustinent. Unde *B. Danhauerus in Dram. Sac. Act.* 1. *Phæn.* 3. *p.* 128. inquit: *Quis ille* stimulus sc. Pauli) *fuerit? Deus novit, nihil nobis, nisi conjectura relicta, quæ ducit ad palum, quo per posteriorem corporis partem immissum olim cruciati sunt supplicium promeriti: ad palum exquisite cruciandum, oppositum fastui, qui ex revelationum excellentia nasci poterat, ut tantum demeret de superbia, quantum addere potuisset magnitudo donorum: ad palum continuo cruciantem, quem deprecari non poterat: ad palum probrosum, qui ei incuteret ruborem quem alias colaphi in corpore: ad palum Sathanicum, qui est ipse Angelus* (*non Sathanæ sed*) *Sathan per appositionem. Is palus est, ejus opera sunt colaphi. Etenim quod Paulus tropice dixit in voce* σκόλοπος, *id illico exponit proprie de Sathana. Denique ad palum medicinalem, debuit namque hic per accidens Sathan fieri medicus.* Atque hæ sunt potiores tum Antiquiorum, tum juniorum sententiæ de stimulo Pauli, reliquis aliis recensendis lubentes supersedemus. Sed de his expositionibus omnibus judicium tale fert *Vechnerus*, l. c. Sect. XII. & dicit: *Si pressius Pauli verba spectentur, non satis plane per omnia aliqua videntur congruere; vel generatim nimis rem, quæ denotetur, indigitant, quæ ipsa autem ea sit, pro vi verborum Apostolicorum, parum dilucide quædam explicant: vel sumunt etiam aliquid, quod de Paulina Historia minus vere constat, aut ejus etiam conditioni ætatique vix existit consentaneum.* Hinc verborum Paulinorum hunc vult esse sensum, & hanc cohærentiam: Ἐδόθη μοι ἄγγελος Σατᾶν, (ὡς) σκόλοψ (ὢν) τῇ σαρκί, *h. e. Datus est mihi Angelus Satan*, (*tanquam*) *Surculus seu Palus* (*existens*) *Carni meæ*; adeoque σκόλοπα proprie accipit. Et hanc sententiam ex contextu pluribus evincere conatur. Quicquid autem sit, videtur nihilominus ordini verborum in Textu vim inferre, utpote in quo non ita legimus: Datus est mihi ἄγγελος Σατᾶν, σκόλοψ τῇ σαρκί, sed; datus est mihi σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος Σατᾶν. Deinde nondum probatum, nedum concessum est, *Subjecti* loco hic esse, Ἄγγελος Σατᾶν, & *Prædicatum* ejus *Appositivum* (ut loquitur ipse,) id, quod præmittitur, σκόλοψ τῇ σαρκί.

§. III. Utut autem difficile sit, in re difficili certi quid definire, quinam σκόλοψ ille Pauli fuerit, cum ipse Apostolus eum non exprimat; probabile tamen est, & ad veritatem maxime accedere videtur, si non plane cum B. Megalandro τὸ ἐπέχειν sustinere velimus, indigitari *tentationes spirituales* inter tot persecutiones, & afflictiones externas, quas Apostolus ἀνάγκας vocat, v. 10. non corporis solum, sed animi, & intervalla spei, de quibus 2 Cor. 4: 8. & 1 Cor. 4: 9. seqq. Quales tentationes ex nimia intensione & duratione externarum afflictionum Eliæ, 1 Reg. 19: 4. Davidi, Psal. 30: 8. aliisque perfectissimis hominibus contigere. Quæ vero speciatim illæ fuerint, quales item, ac quantæ, cum ipse nos nescire voluerit, nolumus adeo solicite rimari, ut habeamus aliquando, quod ab ipso Paulo in cœlo illo tertio doceri possimus. Et hanc sententiam cum summe Rev. Dn. *D. Calovio* tenent B. *Hülsemann.* B. *Hunnius*, aliique plurimi. B. *Danhauerus* l. c. hæc ita effert: *Relinquitur sensus talis, in Paulum id permisisse Deum, quod olim in Jobum, quem Sathanas foris ulceribus, intus inæstimabilibus tentationibus afflixit: Ita hic Paulum colaphis foris, ut solet suas squamas, excepit, intus jugi refricatione memoriæ sævissimarum persecutionum ejus virtutem exercuit.*

§. IV. Atque hunc stimulum carnis vocat ἄγγελον Σατᾶν. Personam hic intelligendam esse, & quidem ex genere spirituum, non illorum tamen, qui in concreata veritate & sanctitate perstiterunt, sed qui proprium suum domicilium relinquentes turpiter à Deo defecerunt, perspicuum est: Angeli enim nomen quid significet, notissimum est, & ubivis ferme obvium, nempe notat ministrum quendam, qui à Domino suo mandata excepta celeriter exequendi mittitur. Et quia Spiritus illi cœlestes sunt πνεύματα λειτουργικά, emissi ad eos, qui futuri heredes sunt vitæ æternæ, atque ad tales expeditiones natura aptissimi, hinc in Scriptura Angelorum nomine veniunt. Cum autem hic *Angelus Satan*, seu *Angelus Satanæ* dicitur, vel *Angelus malus* quispiam sic denotatur simpliciter, vel describitur ille ab Antesignano, cui suberat, nempe Diabolo, qui Ebræis *Satan* κατ' ἐξοχὴν salutatur. Sunt, qui nomen *Satan* in generali significatu hic accipi posse, statuunt, atque idem denotare volunt, atque Adversarium, שטן enim, unde Satan est, significat adversari, seu odio habere,

bere, ficuti Angelum in genere nuncium. Verum, repugnare ipfis videtur partim Ebræum nomen, quod Diabolum defignat, partim quoque ufus linguæ: vix enim oftendi poterit locus, ubi Satanæ nomen cum Angeli nomine fic appofitive connectatur, fenfu, ut vocant Grammatici, Appellativo, feu Adjectivo. Saltem in Græco Apoftolorum fermone id eft infolens. Adeoque probabiliffime interpretantur illi, qui *Angelum Satanæ* interpretantur, atque per eum quendam ex malignis fpiritibus intelligunt. In *Scaligerianis alteris*, ex edit. T. Fabri, p. 2. hæc leguntur: *Angelus Satan, qui dicitur colaphifare Paulum, intelligitur tentatio aliqua. Veriffimum eft, nos habere duos homines, ut quando aliquid vellem, poftea recta ratio non vult, ibi funt duo homines.* Sed Angelus Satan non eft tentatio ipfa, quin potius tentationis autor & architectus. Deinde falfum eft, nos in nobis duos habere homines, hæc enim eft opinio fanaticorum, quos Scaliger incaute fequitur; Ii enim putant, in quovis homine duos effe homines, alterum carnem, alterum fpiritum. Sed eam Theologi noftrates dudum refutarunt.

§. V. Ufurpatur vero in S. L. nomen Diaboli in genere, pro quolibet fpiritu maligno, vel pro proprio unius, qui fit in genere illo Dæmonum Dux atque Choragus, fic enim ipfe Chriftus diftinguit Diabolum ab Angelis ejus, Matth. 25: 41. Ubi tamen fabulofa effe cenfemus, quæ de malorum fpirituum novem ordinibus alias traduntur. Hic Satellitem aliquem Satanæ intelligendum effe, modo indicavimus: an vero ille præcife intelligendus fit, qui Bileamo obftitit, ut *Vechnerus* exiftimat, an alius, curiofe magis, quam fructuofe inquiritur. Ubi obiter notari poteft, nomen Σατᾶν in toto N. T. nunquam alibi, quam h. l. occurrere, fed perpetuo Σατανᾶς, quod ideo factum effe nonnulli cenfent, ut eo facilius animadverti poffit, refpectum hic haberi ad Antefignanum illum Dæmoniorum, qui nomen illud in populo Dei κατ' ἐξοχὴν habet.

§. VI. Quis itaque dedit hoc remedium Paulo contra tumorem animi? Hoc in verbis quidem non ῥητῶς habetur, ex συναφείᾳ tamen Textus patet, non hominem aliquem, aut Angelum, fed hominibus & Angelis majorem & fublimiorem fuiffe, nempe Deum, feu Chriftum, unigenitum Dei Filium, ad quem etiam trinam fuam deprecationem direxit, ut ifte tam invifus infeftufque comes abs fe abfifteret. Unde recte *Gloffa interlinearis* fubaudiendum, *à Deo*, effe notat, dum dicitur: *Datus eft mihi:* ut cogitetur explicate, id, quod datum hic effe fignificatur, effe datum à Deo. Dum vero Angelus Satan datus Paulo dicitur, nonnulli dicunt, vim verbi *dandi* parum congruere perfonæ, de qua hic agitur; effe enim ex eadem moleftiarum non parum, fed dolorum & cruciatuum affatim, unde quidam illud ἐδόθη verterunt *additus, adjunctus, adftitutus, appofitus*, alii per permiffionem non nudam, fed cum directione in utilitatem Pauli conjunctam explicant. Sed nihil caufæ obeffe videtur, quo minus verbi *dandi* communis & ufitata fignificatio retinenda fit. Etfi enim δῶρον hoc videatur potius fuiffe ἄδωρον, dum Paulo Angelus talis à Deo pro fapientiffimo fuo confilio datus eft, pro dono nihilominus reputandum, non aliter atque medicamentum, hoc quamvis ob amarorem injucundum & invifum, falutare tamen eft, quia amiffam fanitatem reftituit.

§. VII. Pofteaquam hactenus nobis de Perfona, quæ Paulo data eft, conftitit, de ejufdem etiam operatione non præter rem fumus folliciti. Ita autem porro infit Apoftolus: ἵνα με κολαφίζῃ, ut me colaphis cædat, feu, ut me colaphizet. Quid κόλαφος, unde verbum κολαφίζειν, dicatur, notum eft, nimirum *plaga, quæ palma in maxillam alicujus incutitur.* Etymologicum Gr. ita exponit, ἡ διδομένη διὰ τῶν μέσων δακτύλων πληγή, feu, ut κολάφισμα in *veteri Lexico* exponitur, τὸ διὰ κοίλης ἀφῆς ῥάπισμα. Ejufmodi pœnæ genere afficiebantur olim miniftri, five exactores, fi quid ore procaci in judicio peccaffent: nec non ii, qui mendacio alios fefellerunt, unde fortaffe tritum illud Germanorum proverbium; **Auff eine Lügen gehöret eine Maulſchelle**, dimanavit. Sed hic alaparum ufus huc non pertinet. Sunt quidem, qui hanc colaphi rationem de exteriore aliqua plaga feu percuffione, quocunque tandem modo circa faciem illata, intelligendam effe volunt, à qua fententia non adeo alienus effe videtur fæpe citatus *Vechnerus*; aft rectius alii tralatitie hæc accipiunt. Nempe Paulus fæpe vehementiori tentatione afflictus eft ab Angelo Satan, ut colaphos fibi vifus fit accipere, qui miris ipfum & indignis excarnificarent modis. Non autem putandum eft, Deum infenfiffimo huic fpiritui conceffiffe, ut Paulo vim continuo inferret, & impetu quafi bruto, citra feu ante omne meritum eum contunderet, atque tentationibus graviffimis vexaret, id enim pietati contrariari videtur: æquitatis omnino memor fimul Deus fuit, atque limites licentiæ maligno ifti fpiritui fixit, quod vel vis *Modi Potentialis*, quæ in κολαφίζῃ eft, flagitare videtur. Unde B. Lutherus optime vertit: **Der mich mit Fäuſten ſchlage/** non **ſchlägt/** in quibus enim exemplaribus τὸ **ſchlägt** legitur, σφάλμα irrepfiffe cenfendum eft. Et hæc colaphizatio Angelo illi divinitus commiffa non alia fini confiliove facta eft, quam ut ne Paulus fe nimium efferret, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ipfe inquit, quæ verba bis repetuntur, non autem ut *Grotius, Beza*, aliique volunt irreptitia aut temere repetita funt, (nullum enim horum quid Spiritui S. cujus inftinctu Scriptores S. Sacras literas confignarunt, tribuendum eft) fed fingularis emphafeos gratia pofita, ut nimirum Angelus Satan intelligatur non tantum in id, ne fefe Paulus ob revelationes fuas efferret, caftigator appofitus illi fuiffe: Sed ut fimul cogitetur, quonam, & quam idoneo atque efficace modo, idem velut accinctus extiterit ad hoc prohibendum, ne Paulus fe efferre auderet, ut loquitur *Vechnerus* l. c. p. 179.

§. VIII. Nonnulli conferunt τὸ κολαφίζειν hujus loci cum illo κολαφιζόμεθα, quod reperitur 1 Cor. 4: 11. atque exiftimant, illud per hoc exponendum, & utrumque de colaphis ob Evangelii prædicationem & propagationem, quandoque & alicubi inflictis, intelligendum effe. Verum enim vero, fi finis utriufque colaphizationis paullo accuratius attendatur, diverfitas ipfius rei facile patebit *Colaphizatio illa*, cujus in adducto loco fit mentio, contigit Apoftolo ob annunciationem Evangelii, fuitque ad conftantiam ejus & præfentem animum in fubeundo martyrio comparata; *Hæc* v. velut φόβητρον feu terriculamentum quoddam adhibita fuit, & eo fpectavit, ne Apoftolus ob revelationum illatarum divinarum excellentiam fefe aliis anteferret, fuper alios fefe eveheret, aliofque præ fe defpiceret, contemneret, deprimeret. *Illa* æque communis erat reliquis Apoftolis ac Paulo, nam & hi varias afflictiones & tribulationes pro vero Dei nomine, & prædicato Evangelio paffi funt, uti ea propter χαίροντες (quo verbo internum animi gaudium infinuatur,) *à confpectu concilii iverunt, quoniam digni habiti funt, pro nomine Jefu, contumeliam pati*, tefte Luca, Act. 5: 41. *Hæc* vero fingularis prorfus tam ratione *occafionis*, quam etiam ratione *finis* & *directionis* fuit, & ad folam Pauli perfonam fpectavit.

§. IX. Non temere hic quæri poffe arbitror, num Angelus Satan *finem ufumque* hujus colaphizationis Paulinæ cognitum perfpectumque habuerit? Ratio dubitandi videtur effe, quia callidiffimus ille Spiritus, fi vidiffet, ufum illorum colaphorum eo tendere debere, ut efferre fefe Apoftolus exhorrefceret, ab iftis colaphis facilius lubentiufque abftenturus fuiffet, fperans fore, ut hac ratione Apoftolus fe ipfum in perniciem præcipitaret, & per fuperbiam falutis æternæ jacturam faceret. Aft vero fimilius eft, nec divinæ Providentiæ ac Sapientiæ eo ipfo aliquid decedit, quando dicimus, Angelo Satan plus fatis conftitiffe, ob quid, & quamdiu jus haberet, Paulo infligendi colaphos, id enim vel ex fagacitate intellectus fui Angelici è circumftantia rei fcire potuit. Deinde, Paulus finem illum ufumque colaphorum jam literis quoque iftis tradiderat, unde certe Satan, ceu perfpicaciffimus Spiritus, confilium Dei ignorare non potuit.

§. X. Sed quid effecit malignus ifte Spiritus? Nihil certè. Licet quidem trina vice requifiverit Paulus à Chrifto, ut ifte tam invifus caftigator abs fe recederet, & vero repulfam ab eo fit confecutus, refponfum tamen petenti fibi plane accommodum reportavit, dum Chriftus ipfum erexit, dicens: ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μȣ, q. d. Experieris quidem multas tentationes & afflictiones, quæ in profectu Evangelicæ prædicationis magno tibi erunt impedimento, fed recole, quantum tibi gratiæ largitus hucufque fim, quidque gratiæ in præfens præftem, agnofce & firmiter crede, eadem me tibi in futurum quoque minime defuturum. Exaudiit ergo Deus Paulum, dum erudiit, obtinuitque, quod maxime expediit: dum refponfo divino ipfi fuit negatum, quod ex appetitu potiffimum humano erat flagitatum. Et hoc ipfum Diaboli venenum ei in præftantiffimum alexipharmacum converfum eft, fecundum illud Rom. 8: 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nos finimus, & ficubi in argumento hoc difficillimo hallucinati fuimus, veniam denuo à B. L. decenter rogamus, quam impetraturos nos effe, non tam fperamus magis, quam plane confidimus.

Μόνῳ Θεῷ δόξα.

Unicum J. C. Evang.

A

PAULO APOSTOLO

adverſus oppugnantes & deſerentes Anathemate defenſum ad Galat. I: 6, 7, 8, 9.

CHRISTIANI BOSEN

SECTIO PRIMA,

Quæ tradit textus Analyſin.

CAPUT PRIMUM.

§. 1. *Proœmium de ſtudio Satanæ Syncretiſtico.* 2. *Verba Pauli Græca.* 3. *Verſiones variæ.* 4. *Galatæ qui fuerint.* 5. *Horum converſio.* 6. *Pſeudo-Apoſtolorum deſcriptio.* 7. *Conatus.* 8. *Scopus Apoſtoli.*

§. 1.



Uemadmodum à primis jam Eccleſiæ incunabilis id unum molitus eſt totius humani generis adverſarius, ut unicam illam æterni verbi veritatem vel penitus ex animis hominum eriperet, vel mendaciis tamen ad ſeducendas incautorum animas miſerrime fœdaret: ita nec hodie quieſcit infauſtus ille ſpiritus, cum præſertim circa extremam hanc mundi ſenectam parum ſibi temporis ſupereſſe noverit. Ut enim de illo technarum genere nihil jam proferam in medium, quo in certiſſimam Eccleſiæ perniciem impudentiores excitat hæreticos, qui orthodoxæ fidei manifeſto adverſati, velut in publico bella gerunt, veritatemque conſcripto quaſi exercitu & oppoſitis caſtris impugnant, quis non piorum infelix illud injuſtæ pacis ſtudium pro infernali quodam molimine aſtuque Cacodæmonis nefandiſſimo cum dolore agnoſcit? Quis non Prudentiorum Eccleſiæ ſoporifera parari & tranquillitatis glaucomata objici conqueritur ut, cum ſecuritate velut ſepulta jacuerit fides, ne unum quidem inveniat hoſtis, qui non veneno imprudenter accepto æterna morte obdormiſcat? id enim omnino intendit communis ille omnium inimicus dum ſententias ſententiis conciliare, de nimio rigore remittere, opiniones aliorum cœtuum tolerare, & ea omnia ſuadet, quæ tenebrarum atque lucis combinationem, fidei atque hæreſeos amicitiam Chriſtique cum Beliale ſymphoniam introducere queunt. At vero cum unum tantum ſit Evangelium & una fides, quæ alieni nihil admittit, ac velut oculi pupilla illæſa ſemper exiſtere deſiderat, cavendum omnino eſt, ne vel redivivi Pſeudo-apoſtoli, vel *Pacificatores Ariminenſes* (A. 364.) ab inferis reſuſcitati, quicquam in Eccleſia conturbent. Ac illorum quidem induſtria cum olim in hunc fere ſtatum traducta eſſet Eccleſia Galatarum, in quo hodienum & noſtram videre haud pauci cupiunt, operæ pretium futurum duxi, ſi ex aurea Pauli contra hos adverſarios Epiſtola quædam ſeligerem, quæ in iſto rerum ſtatu publice diſcutienda proponerem, quod Jeſus feliciter cedere jubeat.

§. 2. Verba Pauli Galat. 1: 6, 7, 8, 9. in Græco ſic ſe habent:

V. 6. θαυμάζω, ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ, εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον.

V. 7. ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο· εἰ μή τινες εἰσὶν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ.

V. 8. Ἀλλὰ καὶ ἐὰν ἡμεῖς, ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ, εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐαγγελισάμεθα ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω.

V. 9. ὡς προειρήκαμεν, καὶ ἄρτι πάλιν λέγω, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω.

§. 3. *Vulgata Verſio.*

V. 6. Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium.

v. 7. Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti.

v. 8. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.

v. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Junii & Tremellii.

V. 6. Miror quomodo celeriter averſi eſtis à Chriſto, qui vocavit vos per gratiam ſuam, ad Evangelium aliud.

v. 7. Quod nequaquam eſt, ſed ſecundum illos homines eſt qui conturbant vos, & volunt pervertere Evangelium Chriſti.

v. 8. Etiamſi autem nos aut Angelus è cœlo evangelizaverit vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, ſit anathema.

v. 9. Quemadmodum ante dixi, & nunc rurſus dico, quod ſi quis evangelizet vobis præterquam quod accepiſtis, ſit anathema.

Ex Syriaca verſione tranſlatio latina Bibl. Anglic.

v. 6. Miror quomodo tam cito converſi fueritis à Chriſto illo, (*Troſtius: miror quomodo celeriter averſi eſtis à Chriſto*) qui vocavit vos per gratiam ſuam, ad Evangelium aliud.

v. 7. Quod non exſtat: (*Troſt. quod nequaquam eſt*) ſed quidam ſunt qui perturbant vos, (*Troſt. ſed ſecundum illos homines eſt, qui conturbant vos*) & volunt invertere (*Troſt. pervertere*) Evangelium Chriſti.

v. 8. Enim-

v. 8. Enimvero sive nos, sive Angelus è cœlo annuntiaverit vobis (*Trost. Etiamsi autem nos, aut Angelus è cœlo evangelizaverit vobis*) præter id quod vobis annuntiavimus, (*præterquam quod vobis evangelizavimus*) anathema sit.

v. 9. Quemadmodum prædixi, (*Trost. ante dixi*) & nunc iterum dico (*Trost. & nunc rursus dico*) si quis annuntiaverit vobis præter id quod accepistis, (*Trost. quod si quis Evangelizet vobis præterquam quod accepistis*) anathema sit.

Ex Æthiopica translatio latina.

V. 6. Miror vos, quomodo tam cito migratis, ab illo qui vocavit vos in gratia Christi, in aliam doctrinam.

v. 7. Et non est alia, nisi illorum, qui conturbant vos, & volunt subvertere doctrinam Christi.

v. 8. Sed vos, angelus è cœlo, si edocuerit vos aliam ab illa quam edocuimus vos, anathema sit.

v. 9. Sicut dixi, & nunc iterum dicam, si fuerit qui edocuit vos aliam ab illa, quam edocuimus vos, anathema sit.

Ex Arabica.

V. 6. Equidem miror quod tam cito desciveritis à Christo qui vos gratia sua vocavit, ad aliam annuntiationem.

v. 7. Res, quæ nihil aliud est nisi quidam turbant vos, & volunt invertere annuntiationem Christi.

v. 8. Verum si nos, aut angelus è cœlo annuntiet vobis quicquam diversum ab eo quod annuntiavimus vobis, sit segregatus.

v. 9. Ut ante dixi; & nunc iterum dico; quicunque annuntiaverit vobis quod adversatur iis quæ accepistis à nobis, sit segregatus.

ARIÆ MONTANI Versio interlinearis.

V. 6. Miror, quod ita cito transferimini ab eo, qui vocavit vos, in gratia Christi, in alterum Evangelium.

v. 7. Quod non est aliud, si non quidam sunt turbantes vos & volentes invertere evangelium Christi.

v. 8. Sed & si nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

v. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; si quis vobis evangelizaverit, præter quod accepistis, anathema sit.

B. Lutheri.

V. 6. Mich wundert / daß ihr euch so bald abwenden lasset von dem / der euch beruffen hat in die Gnade Christi / auff ein ander Evangelium.

v. 7. So doch kein anders ist / ohne daß etliche sint / die euch verwirren / und wollen das Evangelium Christi verkehren.

v. 8. Aber so auch wir / oder ein Engel vom Himmel / euch würde Evangelium predigen / anders / denn das wir euch geprediget haben / der sey verflucht.

v. 9. Wie wir ietzt gesagt haben / so sagen wir auch abermal / so iemand euch Evangelium prediget / anders denn das ihr empfangen habt / der sey verflucht.

Ex Bibliis Moguntinis.

V. 6 Mich wundert / daß ihr euch so gar bald absüren lasset / von dem / der euch zu der Gnade Christi beruffen hat / auff ein ander Evangelium.

v. 7. Das doch kein anders ist / als daß etliche seynd / die euch unruhig machen / und wollen das Evangelium Christi verkehren.

v. 8. Aber wann schon wir / oder ein Engel vom Himmel / euch ein anders predigen würde / ausser dem / das wir euch gepredigt haben / der sey verflucht.

v. 9 Wie wir zuvor gesagt haben / also sage ich ietzt abermal: so euch iemand ein anders prediget ausser dem / das ihr empfangen habt / der sey verflucht.

Ex Bibliis Vetustis germanice scriptis Noribergæ. 1442.

V. 6. Mich wundert daß ir als schyr scheidet von im der euch gevordert hat in di Gnad Christi in ein ander Evangelium.

v. 7. Das nicht ist ein anders dann es sint etlich di euch betrüben und wollen vorkeren das Ewangelium Christi.

v. 8. Sunder und ob wir oder der Engel von dem Himel ewangelizirt euch an das das wir euch geewangelisirt haben der sey vorflucht.

v. 9. Als wir vor gesprochen haben und nu aber sprich ich welcher euch ewangelisirt on das das ir empfangen habt der sey vorfluchte.

Ex vetustis Bibliis sine impressionis loco & anno.

V. 6. Mich wundert daß ir sind als schyer übertragen von dem der uch hat geruffen in die Gnad Christi in ein ander Ewangelium.

v. 7. Das nit ist anders. Nur es sind ander die uch betrüben und wöllen verkeren das Ewangelium Christi.

v. 8. Aber ob wir oder der Engel von Himel uch predige on das das wir uch warlich verkundet haben daß sye verflucht.

v. 9. Als wir uch vorsagten und nun aber sage ich. Ob uch yemand predige on das ir empfangen habent. Der sye verflucht.

Ex Versione Photiniana.

V. 6 Mich wundert / daß ihr euch so bald versetzen lasset von dem / der euch (a) in Gnaden beruffen hat / nemlich Christo / zu einem andern Evangelio:

(a) Od. in Christi Gnaden beruffen hat / zu einem &c.

v. 7. Welches (b) nichts anders ist / ohn daß etliche sind / die euch verwirren / und wollen daß Evangelium Christi verkehren.

(b) Od. kein anders ist &c.

v. 8. Aber so auch wir / oder ein Engel vom Himmel euch ein Evangelium verkündigte / ausser dem / das wir euch verkündiget haben / der sey (c) verflucht.

(c) G. ein verfluchtes / Od. verbannetes.

v. 9. Wie wir zuvor gesaget haben / so sage ich auch ietzt abermal: so iemand euch ein Evangelium verkundiget / ausser dem / das ihr empfangen habet / der sey verflucht.

Ex Bibliis Belgicis.

V. 6. Ick verwondere my dat gy so haest (wykende) van den genen die u in de Genade Christi geroepen heeft / over gebracht word tot een ander Evangelium:

v. 7. Daer der geen ander en is: maer daer zijn sommige die u ontroeren / ende het Evangelium Christi willen verkeeren.

v. 8. Doch al waer't ook dat wy / ofte een Engel uyt den Hemel u een Evangelium verkondigde buyten het geene wy u verkondigt hebben / die sy verbloeckt.

v. 9. Gelijk wy te voren gesegt hebben / (soo) segge ick oock nu wederom / indien u yemand een Evangelium verkondight buyten het gene ghy ontfangen hebt / die sy verbloeckt.

D. Dietenbergii.

V. 6. Mich wundert / daß ir euch so bald abwenden lasset von dem der euch beruffen hat zur Gnad Christi / auff ein ander Evangelion.

v. 7. Welchs doch kein anders ist / on daß etlich seynd / die euch verwirren / und wollen das Evangelion Christi verkeren.

v. 8. Aber ob gleich auch wir / oder ein Engel vom Himel euch wurd predigen anders / denn das wir euch gepredigt haben / der sey im Bann (oder von der Gemeyn abgesondert.)

v. 9. Wie wir zuvor gesagt haben / und ietz sage ichs wiederumb / so iemand euch prediget anders / denn das ir entpfangen habt / der sey im Bann.

§. 4. Hæc antequam ad eruendum genuinum sensum accuratius intueamur, de *occasione Epistolæ & scopo* Apostoli aliquid præmittendum videtur. Erant nimirum *Galatæ* populi Asiæ minoris, inter Cappadociam & Halym fluvium, Pamphiliam & Pontum Euxinum siti, orti primum à Galata filio Herculis, qui ante Trojanam expeditionem in Galliam venit, & in Burgundia urbem Alexandriam condidit, teste *Dionysio Halicarnassæo*. Postmodum vero Duce Brenno è Patria profecti, aque Rege Bithyniæ in communitatem regionis assumti, cui dehinc Gallo-Græciæ nomen impositum fuit, videantur *Justinus l.* 25. *c.* 2. *& Plinius Sec.* de hac regione *lib.* 5. *c.* 32. Historicique & Geographi alii *Merula*, *Vadianus*, *Schröterus*, *Ortelinus*, Bün-

Büntingus, *Mercator*, *Ferrarius &c.* hodie dicitur *Pera* apud Carol. Stephanum hac voce. *Lingua* eorum præter Græcam propria, eadem pene fuit quæ Trevirûm, notante Hieron. *l.* 2. *Comm. ad Gal. p. m.* 172. *seq.* Ingressus autem illorum in Asiam non factus est ante an. M. 3672. Unde prælium illud, cujus mentio extat 2 Macch. 8: 20. durante adhuc captivitate Babylonica factum esse nequit, ut censet B. Hunnius *præfat. in Epist. Galat.* sed hæc obiter.

§. 5. Hi igitur, cum hactenus, ut reliquæ gentes, Ethnicis superstitionibus immersi fuissent, à Paulo conversi sunt, juxta historiam Actorum cap. 16: 6. cap. 18: 23. & testimonium *hujus Epistolæ* cap. 4: 11, 13, 19. quanquam iisdem & Petrus priorem suam Epistolam inscripserit atque dedicaverit. 1 Petr. 1: 1. quod aliqui tantum ad Judæos Galatas pertinere censent. Fuerunt autem Urbes in Galatia plures, quæ Evangelii doctrinam susceperant, velut *Ancyra* metropolis, ubi & Concilium Ancyranum celebratum est, non diu ante Nicænum.

§. 6. Sic autem solet Satanas ingenia recipiendis fraudibus suis exquirere aptissima, qualia cum & inter Galatas invenisset, non feriatus est diu, sed venenata Pseudo Apostolorum dogmata etiam illic sinceræ fidei admiscere conatus est. Videbatur enim hoc hominum genus ad detrimentum primitivæ adhuc Ecclesiæ ex Orco ascendisse; & procul dubio faustissimum Evangelii cursum non parum impediisset, nisi ferventior Doctorum Zelus huic malo tempestivum quæsiisset remedium. Nomen Sectæ nullibi adhibet Apostolus, nisi quod bis terve vocat *turbatores*, *inquietatores*, *h. l. v.* 7. *Cap.* 5: 10. 12. semel *falsos fratres emissarios Cap.* 2: 4. in historia Apostolica autem *Cap.* 15: 1, 5. describuntur, quod Antiochiam primo venerint ex Judæa, docentes, ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως οὐ δύνασθε σωθῆναι. & paulo infra; ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων πεπιστευκότες, λέγοντες: ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωϋσέως.

§. 7. Præcipuus eorum traditur fuisse *Cerinthus* totaque hæresis *Nazaraeorum* nomine quibusdam appellatur. Qui quamvis in Concilio Apostolorum publice essent condemnati, occasione vinculorum Pauli tamen nihilominus per Ecclesias hinc inde discursitabant, fidelesque ad rituum Mosaicorum cum Evangelio admistionem persuadebant. Argumentis usi (1). *à persona Pauli*, quod non esset legitimus Apostolus, id enim refutatur *Capitibus* 1. *&* 2. quod ipse sibi non constet, quippe qui Timotheum circumciderit, Titum circumcidi vetuerit, votum ipse juxta legem solverit, Galatis iisdem interdicat, *cap.* 2. quod ex mero studio contentionis liticulam de re nihili movisset, *cap.* 1. *v.* 7. (2.) *à persona Apostolorum* qui legem ceremoniarum Mosaicarum non abjiciant & à Paulo dissentiant, contra quæ *cap.* 22. (3.) *à dignitate legis*, quam fore perpetuam multi plane erant persuasi, contra hæc disputat Apostolus c. 3. & 4. (4.) ab *utili*: Confer *Galat.* 6: 12. hoc enim dogmate cum ad Judæorum religionem proxime accederet, Religionem Christianam absque periculo posse propagari; Judæis enim per leges Romanas libera erat religionis functio, non item Christianis. Videantur de his fusius Commentatores *Grotius*, *Castalio*, *Paræus &c.*

§. 8. Hanc itaque nactus occasionem Apostolus Ecclesiis Galatarum, quod illæ hoc fermento potissimum essent infectæ, præsentem hanc scribit Epistolam, ut famam æque ac doctrinam adversus Calumniatores assereret, seductosque ab unica Evangelii veritate in viam quam velocissime revocaret. His ergo breviter præmissis ad ipsam analysin commodius pergemus.

CAP. II.

§. 9. θαυμάζω vehementis Zeli indicium: sensus loci: Causa Zeli, juxta Tertullianum, Hunnium. Quidam lenitatem subesse censent. 10. *ὅτι οὕτω ταχέως. lectio Vulgatæ quam defendit Justinianus, qui refutatur.* 11. *Sensus loci. Hieronymi & Chrysostomi conciliatio. Tempus defectionis. Imbecillitas Galatarum.* 12. *τοῦ μετατίθεσθε significatio passiva, reciproca, Emphasis: tempus.* 13. *allusiones.* 14. *Sequentium verborum lectio. Vocans quis? an hyperbaton hic statuendum?* 15. *Vocatio qualis? ἀπὸ quid notet?* 16. *ἐν χάριτι an legendum in gloriam? τοῦ ἐν varia acceptio. quid notet?* 17. *in aliud Evangelium quid? Constructio, sensus. τὸ ἕτερον quid?*

§. 9.

ΘΑυμάζω inquit Apostolus v. 6. Quod verbum omnino vehementis animi Zelum non exiguum notat, id quod agnoscunt è Commentatoribus Hunnius *T.* 4. *opp. p.* 386. Bald. *Com. in Gal. p.* 29. Esth. *Com. Gal. h. l.* Salmeron. *T.* 15. *opp. Disp.* 19. *p.* 73. Himm. *Com. methodico disp.* 2. *p.* 17. Justinia. & ex antiquis *Chrysost. Ambr.* Hinc Gregorius *homil.* 2. *in Ezech.* Videamus Paulum, qui tanta modestia atque mansuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui à fide discesserant, erigitur? Nulla enim modestia in Exordio invehendo redarguit, nam præmissa salutatione, sic cœpit; *Miror &c.* quibus etiam in aperta increpatione post cætera adjungit: *O insensati Galatæ &c.* Mentes enim duræ, nisi aperta essent increpatione percussæ, nullo modo malum cognoscerent, quod egissent. Quibus gemina habet *Anshelmus*, citante Novarino, *Pauli expensi pag.* 236. *n.* 958. Alias *Mirari* est stupere res vel facta vel eventus, quæ inopinato nobis obveniunt & quorum causas ignoramus, idque vel cum gaudio vel cum dolore: exempla occurrunt in sacris passim Genes. 43: 34. Dan. 8: 27. Matth. 8: 10, 27. cap. 9: 8, 33. cap. 27: 14. Marc. 6: 6. Luc. 2: 33. Actor. 2: 7. Id ergo h. l. intendit Apostolus se revera obstupuisse, idque cum ingenti animi dolore, quod apostasiam Galatarum percipere eum oportuerit, quæ sibi omnino sit inopinabilis, cujusque veram causam vix queat indagare. Hic itaque in causas inquirunt Commentatores, cur nempe tam ex abrupto hic proponat Apostolus, cum alias à gratiarum actione aut commendatione eorum, ad quos scribit, exordiri soleat; ubi quidem Tertull. *lib.* 1. *advers. Marcionem*, qui hanc epistolam inter primas Pauli fuisse existimat, hanc fovet sententiam: Paulum tum adhuc in gratia rudem, trepidantemque fuisse; igitur tanquam adhuc Neophytum ferventer adversus Judaismum insurrexisse, postmodum vero & ipsum, ut omnia omnibus esset, studuisse, ut omnes lucraretur. At vero cum hanc Epistolam paucis annis ante mortem Pauli scriptam esse subscriptio testetur, non spero quenquam fore, qui huic opinioni accedat. Rectius igitur B. Hunnius l. c. *Quod Chirurgis*, inquit, *solenne est, ut alligandis ac sanandis vulneribus medicinam adhibeant, quæ dolorem afferat, sic Paulus sanaturus Galatas, acrioris objurgationis adhibet remedium. Solent enim indignati & justo aliquo Zelo permoti à longiori benevolentiæ captandæ sermone abstinere, ut cito Adversarii, in quos indignantur, resipiscant:* Sunt tamen *Gomarus*, *D. Hoet. Selneccerus*, *Hyperius*, *Wigandus*, *Marloratus* & plurimi Commentatores alii in Comm. in h. l. qui hic insignem quandam animi lenitatem latere censent, eo quod non amentes & fascinatos appellet Galatas, sed affectum adhuc paternum, quasique condolentem verius quam indignantem exprimat, adeoque verecundiam iis ingerat, & præclaram, quam de iis conceperit opinionem, indicet, cum nunquam existimaverit, eos in morem vulgi viliorumque animorum tam inconstantes fore tamque mutabiles.

§. 10. ὅτι οὕτω ταχέως. Vulgata legit *quod sic tam cito*, eaque lectio etiam apud antiquos quosdam occurrit, *Ambrosium*, *Augustinum*, imo *Tertullianum h. l.* ubi tamen alterutrum harum vocularum è margine forte in textum intrusum esse, plerique agnoscunt commentatores, *Erasmus* imprimis, *Esthius*, *Valla*, *Salmeron &c.* Iustiniano excepto, qui suum Vulgatum hic defendere conatur, etiam cum Græcorum Codicum accusatione, verba ejus hæc sunt: *Ait noster interpres, sic tam cito, græce est οὕτω ταχέως, quod Ambrosius latine reddidit adeo cito: Hieronymus tamen, Augustinus, & ante utrumque Tertull.* l. de præscript. cap. 27. *cum nostro Interprete legerunt, ut mihi veniat in mentem suspicari, olim in græcis codicibus fuisse scriptum, ut Apostolus non solum facilitatem sed lapsus turpitudinem reprehendat, &c.* At 1. suspicio de Græcorum codicum corruptione est sine omni fundamento, adeoque temeraria valde, cum sit circa textum sacrum & originalem. 2. *Hieronymus* à Iustiniano immerito citatur, ex ejus Commentariis enim Erasmus subodoratus est, adverbium *sic* non fuisse additum; unde & *Salmero*: *particulam sic nec Hieronymus legit nec Chrysostomus.* 3. Iustinianus nec quod omissum sit aliquid demonstrat, nec particulam omissam quæ vix invenietur, restituit. 4. Turpitudo facti, quam ab Apostolo intendi censet, etiam sic è textu promanat. Potius ergo, ni placeat suspicio mendi, dicendum vulgatum Interpretem duas particulas conjunxisse Synonymas, ut rem magis exaggeraret.

§. 11. Rem

§. 11. Rem ipsam quod concernit, Apostolus hac phrasi vel respicit tempus à conversione, vel tempus ab impugnatione hæreticorum, illud intellexit *Hieronymus*, hoc *Chrysostomus*. Non incommode tamen utrumque denotari potest. Unde & Justinianus dictos patres conciliare studet, dum, *Chrysostomus*, inquit, *videtur verba Pauli, tam cito, ad extremam animi imbecillitatem referre, & excedendi facilitatem, quippe cum prima tantum ac levi incursione pulsati, illico se seduci passi sint. Non multum à Chrysostomi interpretatione discrepat Hieronymus, qui verba illa refert ad tempus, quia non ita pridem fuerant ab Apostolo fidei præceptis imbuti.* Et post citata prolixius Hieronymi verba, pergit: *hæc tam fuse libuit recitare, ut ostenderem, nullum esse discrimen, quod recentiores confingunt inter Hieronymi & Chrysostomi interpretationem. Uterque enim nimiam deficiendi facultatem ab Apostolo significari affirmat.* Diversa tamen revera est horum Doctorum sententia, quamvis non contraria. *Hieronymus* enim de tempore intelligit Apostolum: *Chrysostomus* vero id, quod ex tempore illo perseverantiæ brevissimo recte colligitur, imbecillitatem nempe turpissimam. Et ad tempus quidem quod attinet, quantum post conversionem ad defectionem usque censetur, effluxisse, illud certe tam breve esse nequit, ut collegisse videtur Hieronymus; imo sexennii spatio vix videtur includi posse, ut visum est Theophylacto atque Theodoreto vid. *Cornel. à Lap. p.* 430. Justinianus *prologo Com. h. l.* Paræus *p.* 22. *Proœm.* Beza *ad Gal.* 2: 1. Balduinus h. l. Friedlieb. *Proœm. h. l.* Si enim (1.) certum est hanc Epistolam Romæ scriptam, ut docet subscriptio, testanturque Athanasius & Theodoretus, quamvis alii Ephesi compositam esse censeant. Si (2.) probabile est, eandem per Crescentem esse missam, 2 Tim. 4: 10. qui paulo ante scriptam posteriorem ad Timoth. adeoque paulo ante Pauli obitum (2 Tim. 4: 6, 23.) Galatiam petierat. Si (3.) probabile est, Paulum cognita defectione Galatarum statim prædictam Epistolam exarasse: id quod exinde colligo (cum primum conversi censeantur Galatæ circa *Ann. post Christum natum* 51. *Actor.* 16: 6. & confirmati circa *ann. Chr.* 55. juxta Act. 18: 23. Epistola autem sit exarata circa *an. Chr.* 66. *vel* 67. (Dorncreillius apud Raup. *Prolegom. in Acta p.* 1110. Paræus *Proleg. ad Gal. p.* 23.) spatium intercedens conversionem & defectionem esse plus minus 15. annorum, quod vero confirmationem & scriptionem Epistolæ intercessit esse annorum circiter undecim vel 12. consentaneum est,) non necesse est tam stricte exponere tempus, ut vix digresso Paulo dicatur eos descivisse: sed sufficit, si consideretur, quod adhuc vivente Paulo, quod viventibus iis, qui primi Evangelium receperunt, quod ipsi illi primi, qui acceptarunt Evangelium, defecerint; id enim culpam satis superque aggravat, quicquid dicant alii, Salmeron T. 15. p. 73. qui censet hanc expositionem non aggravare, sed allevare culpam Galatarum, eo quod minus mirum sit, si recens ad Christum conversus in fide fluctuet, quam si Christi veterano militi idem contingat. Alia enim longe erat ratio Galatarum, qui non inter infirmos, sed inter perfectissime institutos numerandi erant, siquidem Christus ipsis ob oculos præscriptus erat, tanquam inter ipsos crucifixus cap. 3: 1. merito igitur objurgandi erant vehementissime. Præsertim si & altera explicatio accedat, quod scilicet tam parum restiterint, tamque cito seductoribus præbuerint aures. Post longum tempus enim & valde graves tentationes paululum remitti animos à primo fervore aliquando contingit: at statim primo impetu adversæ Parti se dedere, id omnino mirandum est, nec vacat nota inconstantiæ & pusillanimitatis. Hinc recte Hieron. *Non est ejusdem reatus transferri ab aliquo difficulter & cito transferri, ut in martyrio non eadem pœna plectitur, qui absque colluctatione & tormentis statim prosiluit ad negandum, ut ille qui inter aculeos, fidiculas, ignesque distortus compulsus est, quod credebat, negare.* Pudendum ergo revera erat facinus harum Ecclesiarum, quod ad primam statim Pseudo-Apostolorum prædicationem & qualemcunque de summis Apostolis jactantiam, ne consulto quidem Paulo, nova dogmata susceperint.

§. 12. μετατίθεσθε. Circa hoc verbum 1. notanda est genuina significatio. Ad verbum sonat, *transponimini*; Vulgatus (qui, quod non retinuerit istud, laudatur ab Erasmo) reddit *transferimini*, Syrus *mutamini* s. avertimini, à radice הפך *Luth.* daß ihr euch abwenden lasset. Rectius Æthiops & significantius habet: *migratis*, & Arabs, *desciveritis*; & MS. vetusta Germanica, das ihr als schyr scheidet. Plerique fateor, passive exponunt, *Paræus*, *Gomarus*, *Beza*, *Selneccerus* & ex ipso *Himmelius*, *Justinianus*, *Corn. à Lap. Esthius*, *Hyperius*, *&c.* ut sensus sit; miror vos tam cito transferri à Pseudoapostolis in aliud Evangelium; atque hujus expositionis causas ponunt sequentes; quod 1. culpa hac ratione transferatur in Pseudo-Apostolos, appareatque quam prudenter se Paulus hoc exordio simul insinuet, quamque paterne cum Galatis agat. 2. quod delineetur vis falsæ doctrinæ quæ etiam fideles quasi nolentes transferat in perversam opinionem. Ubi quidem fatendum omnino est, hoc verbum passivum, quamvis interdum & active significet (vid. Selneccer. *Comm. h. l. p.* 363. Himmelius p. 17, 18.) sæpissime passivam significationem obtinere, v. g. Act. 7: 16. translati sunt in Sichem Hebr. 7: v. 12. mutato, translato i. e. avulso Sacerdotio Hebr. 11: 5. Henoch fuit translatus &c. Commodius tamen exponitur si significationem reciprocam habere intelligatur, hoc modo: Miror vos tam cito transferri, transire, desciscere, deficere; sic enim actio verbi transit reciproce in Galatas, non transitive in seductores, idque ad sensum Germanorum, quibus frequentissima sunt sich verendern / mutari, sich färben / colorari, sich erheben efferri: & sic quoque sich ablencken / sich abwenden / sich abkehren / transferri; qui mos Hebræorum quoque est, apud quos verba Conjug. Passivæ Niphal non raro reciprocam habent significationem. Exempla ex N. T. sunt varia Joh. 12: 36. ἐκρύβη occultabat se. Act. 2: 41. προσετέθησαν adjungebant se. cap. 13: 46. στρεφόμεθα vertimus nos. Confer 1 Cor. 7: 10, 11, 15. separare se Rom. 10: 3. cap. 13: 1, 5. subjicere se. Rom. 13: 2. Jac. 4: 6. c. 5: 6. opponere se. Iacob. 4: 10. 1 Petr. 5: 6. humiliare se &c. & hoc sensu verbum μετατίθεσθε reddiderunt Interpretes Æthiops Arabs & Germanus antiquior. Confer ea quæ habet *Joh. Crellius h. l.* Ratio hujus expositionis est, quod probabile non sit Apostolum adulari Galatis, & crimen ab ipsis in hæreticos transferre; totus enim hic ardet, ut per totam Epistolam, præ Zelo, nihilque intendit aliud, quam ut Apostatis illis delictum quam citissime quamque apertissime ostendere, eosque ad agnitionem deducere quam commodissime queat. Hinc cum insigni Emphasi eos *transferri* dicit, id est mutato penitus fidei statu in alia quasi castra transgredi quemadmodum apud Athenæum quidam dictus fuit μεταθέμενος, quod ex Stoica Secta transfugisset ad Epicuræam retractata priore sententia, citante *Selnecc. p.* 363. Nec est, quod omnes fere (vide supra citatos, item Luth. Kunadum h. l. Salmeronem p. 74. Novarini *Paulum expens. n.* 959. qui citat Theophylactum & Chrysostomum) connotationem temporis præsentis exaggerent, quasi eo ipso apertissime ostendat, se bene adhuc de iis sperare, cum adhuc in fieri esse cognoscat apostasiam: Est enim Enallage præsentis pro præterito in sacris communissima; vid. Hebr. 2: 16. Matth. 2: 13. Marc. 2: 4. c. 3: 19, 20. ap. Glass. Phil. S. l. 3. tr. 3. Can. 48. Qua tamen simul levitatem ingenii Galatici gravissime tangit, quasi hoc ipso iis perpetuam inconstantiam attribuat, illudque inculcet, quod jam Cæsar in sympatriotis reprehenderat, Gallos nimirum in consiliis capiendis esse mobiles, & novis plerumque rebus studuisse, notante *Grotio h. l.* Hinc Lutherus quoque de levitate Galatarum: *Quidam*, ait, *putant, nos Germanos oriundos esse ex Galatis, neque vana est forsan ea divinatio, non enim valde dissimili ingenio sumus Germani, & cogor etiam in nostris aliquid requirere gravitatis & constantiæ. In omnibus enim rebus sub initia prima valde calemus, at ubi deflagravit ille ardor primorum affectuum, mox sumus remissiores &c.*

§. 13. Deinde quoque de *allusionibus* illis aliquid adjiciendum, quibus uti plerumque solent commentatores h. l. *Hieron.* enim Paulum allusisse putat ad nomen Galatarum, quasi hoc ex Hebraismo hic derivari liceat, ut *Galatæ* sint *Golim* homines, qui se facile mutent; quod & Erasmo placet, qui tamen, cum Galatarum nomen tralatum sive deductum significare ait desumta similitudine à rotis aut rotundis, quæ facile alio devolvuntur, confundere videtur diversas Hebr. radices גלה *transferri*, *migrare*, & גלל *volvere*, unde גלגל *rota*, *sphæra*. Iustinianus allusionem fingit ad Hebr. גֻּלְּתָה deportabitur, ex Nah. 2: 7. Idem cum aliis ad Græcum γάλα alludit, ratione hac addita, quod ut infantes, qui lacte vescuntur, facile fascino corrumpantur, ita quoque corrupti & fascinati fuerint Galatæ. Vide & Salmeronem p. 73. & *Cornel. à Lap.* in h. l. qui Galatas revera *à lacte* olim denominatos censet ob corporis candorem. Hæc tamen omnia, si serio à quoquam dicta sunt, refutationem vix merentur, cum non probabile sit, Apostolum ad Gallo-Græcos scribentem, allusionibus Hebraicis usum esse, quas ipsi non intellexissent, vel per metaphoram longissime petitam voce transferendi ad fascinationem infantum respexisse. Quidam (ut *Salmero Commen. p.* 74.) allusionem ad plantas hic tradunt, quæ etsi sint unius speciei cum aliis, tamen quia alio succo pascantur, aliam quodammodo naturam induant. Sed ea ad scopum nostrum nihil faciunt.

§. 14. Ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ. Quoad lectionem hic notandum est, non legendum esse ἐν χάριτι θεοῦ, in quibusdam Codicibus inventum esse *Beza* notat; namque

& Syrus & Arabs legunt משיחא: ut igitur eo facilius ad genuinum horum verborum intellectum perveniamus, notandum 1. Quid per *vocantem* intelligatur? Circa hanc quæstionem in partes ſcinduntur Interpretes. Ita ut quidam *Chriſtum*, quidam *Deum Patrem*, quidam Apoſtolum *Paulum* intelligant. Inter eos, qui *Chriſtum* ab Apoſtolo indigitari volunt, princeps eſt *Hieron.* quem ſequuntur ex recentioribus non pauci, *Eraſmus*, *Calvinus*, *Cornel. à Lap.* & ex interpretibus Syrus, Arabs, *Junius*, *Hyperius*, *Himmelius &c.* quorum omnium ſententia eſt, in verbis Apoſtoli eſſe hyperbaton, vocemque Χριστοῦ conſtruendam eſſe cum participio καλέσαντος, hoc ſenſu: miror vos tam cito translatos eſſe à Chriſto, qui vos vocavit in gratiam. Altera ſententia eſt eorum, qui hyperbaton nullum agnoſcunt, ſed verba juxta ſuum ordinem conſtruunt; quod faciunt ex antiquioribus & recentioribus doctiſſimi fere, *Theodoretus*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *OEcumenius*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Haymo*, *Salmero*, *Beza*, *Juſtinianus*, *Eſthius*, *Quiſtorpius*, *Cajetanus*, *Novarinus &c.* atque ſic ſubintelligi volunt Deum Patrem, hoc ſenſu: miror, vos tam cito transferri à Deo Patre, qui vos vocavit &c. Ubi *Eſthius* notat, *Eraſmum* quoque in paraphraſi ſententiam mutaſſe; *Juſtinianus* vero, neſcio quo errore, Codices Hieronymi aliter cenſet habuiſſe ac noſtrates; quod ſtatuere non eſt opus, cum ille conſtructionem ſaltem aliam adhibeat, verbis manentibus iiſdem: Argumentum horum primarium eſt; quod in Apoſtolicis ſcriptis vocatio potius Deo Patri tribuatur vocanti ad Chriſtum, vel per Chriſtum, quam ipſi Chriſto, ita ut Chriſtus ſit vocationis vel terminus, vel inſtrumentum primarium: cui addi poteſt (1.) hoc, quod ſit quædam oppoſitio inter τὸ ἐν χάριτι Χριστοῦ & τὸ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, quaſi Paulus dicat; juxta meum Evangelium vocabamini à Deo in gratia Chriſti, jam vero defeciſtis ad Pſeudo-Apoſtolos, qui vos vocant in aliud Evangelium; quæ oppoſitio juxta priorem ſententiam æque manifeſta non eſt. 2. Quod juxta hanc expoſitionem magis exaggeretur Galatarum facinus. Si enim convicti eſſent, ſe à Deo penitus defeciſſe, convictos quoque, fuiſſe neceſſe eſt, ſe defeciſſe à Chriſto, & à gratia, cum ille vocationis ſit prima omnino & ſumma cauſa, qua negata negantur & tolluntur omnia. Inter eos qui *Paulum* intelligendum cenſent, B. quoque *Balduinus* eſt, & *Beza* locum ſic exponi poſſe ſtatuit, ſi pro Chriſto legatur Deus. At vero non probabile eſt, Apoſtolum ſeipſum intellexiſſe; cum miniſtris tam abſoluta phraſi vocatio in ſacris vix tribuatur, & circumſtantiæ textus gravius quid omnino requirere videantur. Ex ſententiis prioribus igitur alterutra eligi poteſt, quamvis utroque modo appareat, amentiam Galatarum perſtringi, ipſiſque terrorem incuti. Vid. *Paræus h. l.*

§. 15. Per *vocationem* igitur non intelligitur nuda illa, quæ per externum miniſterium contingit externe & viſibiliter, ſed imprimis interna externi verbi virtus, qua Deus efficaciter hominum corda tangit, movet, & ad Chriſtum trahit, quæ alias dicitur *vocatio efficax* ratione eventus, & omnes hic liberi arbitrii vires excludit, quod contra Pelagianos & Semipelagianos notandum. Præpoſitio vero ἀπὸ terminum à quo translatione ſignificat, nec incommode à *Vulgato* retenta eſt, quem *Beza* quidem ambiguitatis accuſat, eo quod quis opinari queat, efficientem vocationis eadem notari; ſed immerito, cum circumſtantiæ textus omnem ambiguitatem tollant.

§. 16. ἐν χάριτι Χριστοῦ. *In gratia Chriſti.* Pro gratia Auguſtinus habet *gloriam*; Cujus lectionis apud Græcos, Syros, Arabes, Æthiopes, ne ſuſpicio quidem occurrit, ideoque nec attenditur. Cæterum particula ἐν ab Interpp. varie exponitur; Vulgatus enim illam habet pro εἰς vertitque cum accuſativo, *in gratiam*, ut gratia ſit vocationis terminus: cum quo non pauci tam è patribus quam è modernis conſentiunt v. g. *Tertull. de præſcript. cap. 27. Iuſtinianus*, *Eſthius*, *Beza*, *Paræus.* nec negari poteſt hanc particulam aliquando cum iſta ſignificatione occurrere, 1 Cor. 7: 15. ἐν εἰρήνῃ, *in pacem*, Hebr. 4: 11. ἐν ὑποδείγματι, *in Exemplum*, Conf. Gomar. p. 115. Eraſmus v. vertit, *per gratiam*; ſic & *Cornel. à Lap. Calvinus* & *Iunius*, ut τὸ ἐν idem ſit quod διὰ, quemadmodum 1 Cor. 12: 3, 9, 13. ἐν πνεύματι, eſt διὰ τοῦ πνεύματος, juxta v. 8. atque ſic quoque Syri præfixum ב explicat *Troſtius* cum Bibliis Anglicanis. *Crellius* more Hebræorum per *cum*, interpretatur, ut Luc. 4: 32. ἐν ἐξουσίᾳ, ut ſenſus ſit; qui vos vocavit *cum gratia vel gratioſe.* Mihi videtur in litera permanendum, unde diſcedere nihil cogit, adeoque τὸ ἐν χάριτι ſtatum & reſpectum ſignificare videtur, quomodo nimirum Deus Pater eos vocaverit, & qualem ie ipſis in vocatione ſtiterit, & obtulerit. Unde oppoſitio illa inter *gratiam* & *Evangelium*, iterum egregie patet; Pſeudo-Apoſtoli enim urgebant opera legis i. e. volebant hominem juſtificari non ſola fide, ſed facienda eſſe renatis bona opera per quæ juſtificentur & ſalventur. Contra docebat Apoſtolus hominem non juſtificari ex operibus ſuis legi præſtitis, ſed ſola fide propter meritum Chriſti per eam apprehenſum, à Deo Patre meritum filii ſui gratioſe amplectente gratiamque ſuam ſ. amorem in hominem derivante. Id tamen notandum, per *gratiam Chriſti* h. l. non proxime intelligi ejus meritum, ſed potius gratioſam ejus in nobis operationem ipſiusmet merito acquiſitam, ut 2 Cor. 13: 13. ad quem locum videatur Flacius, qui citat hh. ll. Rom. 16: 20, 24. 1 Cor. 16: 23. 1 Tim. 1: 14. Tit. 3: 7. ut hic ſenſus ſit: Cum Deus Pater vos vocaret, gratia Chriſti pleniſſimus erat, inque eo totus occupabatur, ut gratioſam illam virtutem filii ſui merito vobis acquiſitam vobis communicaret; atque illa imperfectioni virium veſtrarum ſuccurreret, voſque vivificaret atque animaret, cum per naturam eſſetis mortui; illius gratiæ operatione vos quoque Evangelio credebatis, atque ita in gratia faciebatis initium: Jam vero perverſo plane ordine progredimini, atque operum merita in intentione Dei vocantis primum obtinuiſſe locum perſuaſi eſtis, adeoque operationem veſtrarum virium operationi gratiæ Chriſti opponitis, quod abſonum omnino. Unde iterum apparet, quanto ſtudio nitatur Apoſtolus facinus Galatarum detegere, ſceluſque Apoſtaſias tam vivis coloribus depingere, ut ſingula verba Epiſtolæ ſuæ aculeos relinquant in animis lectorum.

§. 17. εἰς ἕτερον Εὐαγγέλιον *in aliud Evangelium.* Hic *de Conſtructione* primo aliquid notandum. Ambroſius enim hæc verba connexuit cum participio καλέσαντος, hoc ſenſu; *qui vos vocavit in aliud Evangelium*; verba ſeqq. vero, *quod non eſt aliud*, penitus omiſit. Hieronymus vero Chryſoſt. Theophylactus & reliqui tantum non omnes, hæc verba conſtruunt cum verbo, *transferemini*, quæ expoſitio ut communiſſima, ita & optima omnino eſt. Id ergo vult Apoſtolus, Galatas tranſlatos eſſe à vero Evangelio, quod erat de gratia, ad aliud Evangelium, quod erat de operibus. Vox enim *Evangelii* hoc l. non accipitur *generaliter*, ſed *in ſpecie* pro doctrina de juſtificatione; quod & B. Balduinus notat *pag. 30. h. l.* & Wigandus *Comm. h. l. p. 58.* & tota, quæ inter Apoſtolum & Adverſarios intercedebat Controverſia oſtendit. Et notanda omnino eſt Mimeſis, vel Ironia potius, quam alii minus commode Catachreſin nominant, (*Salmero pag. 74.*) in voce *Evangelii*, qua Apoſtolus acerbe illudit ſeductoribus iſtis: Vid. *Iuſtinianus ex Chryſoſtomo.* Circa vocem ἕτερον vero conſentiunt fere Commentatores, quod illa idem ſit ac *falſum*, ut denotetur doctrina Pſeudo-Apoſtolorum oppoſita doctrinæ Apoſtolicæ, idque illuſtrari ajunt phraſi Hebræa, qua τὸ אחר quando cum voce אלהים conjungitur, ſignificet falſos; fictitios, adulterinos, alienos Deos. Verum enimvero non videtur hæc expoſitio commode quadrare cum verbis Pauli ſequentibus, quibus negat, *Evangelium eſſe aliud*; id enim nemo exponit, quod non eſt falſum. Notanda ergo eſt *vis illius vocabuli*, quæ duplex eſt, 1. *Inferens*, quod Evangelium Pſeudo-Apoſtolorum ab Apoſtolico tota ſubſtantia differat, ne Galatæ leve ſibi imaginentur diſcrimen. Quemadmodum enim optimum vinum, ſi aliquo liquore aceſcat vel corrumpatur, non eſt vocandum vinum, ita nec idem Chriſti Evangelium manet, ſi aliquid adjungas. 2. *Illudens adverſariis* qui ſuum *alterum* pro perfectiori & meliori venditaverant, ut ſenſus ſit: miror vos tam cito transferri à Deo, & quidem in Evangelium plane diverſum, perfectius procul dubio! *Paræus* ſubaudit ad vocem *aliud*, verba, *ab eo quod ego vobis prædicavi*, *quodque prius amplexi eratis*, *&c.* quod relinquimus ſuo loco.

CAPUT III.

§. 18. *Varia lectio*, *ſenſus referentium relativum ad Evangelium.* 19. *ad totum Complexum.* 20. τὸ ἄλλο *quid notet?* 21. *an hic particula* ὅτι *ſubintelligenda? an ad verbum miror ſit reſpectus?* τὸ εἰ μὴ *exponendum per* ἀλλά. 22. *quid notet* τὸ τινές? 23. ταράσσειν *quid?* 24. μεταστρέψαι *quid?* 25. *Circa verſionem Syriacam animadverſio.* 26. *Evangelium cur à Chriſto denominetur?*

§. 18.

Ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο *quod non eſt aliud.* Hæc verba *Ambroſius* plane non habet. *Hieron.* vero omittit τὸ ἄλλο, quod & de *Syro* notandum, qui cum *Arabe* hæc verba quoque ad verſum præcedentem refert; ſed quicquid de hoc, in ſenſum verborum inquirendum. Alii enim pronomen relativum ad τὸ εὐαγγέλιον referunt, ut *Græci* omnes, *Beza*, *Eſthius*, *Juſtinianus*,

nianus, *Salmeron*, *Gomarus*, *Paræus* & *ex parte Hunnius* &c. Ut sensus sit: Cum nullum sit aliud Evangelium quam meum, quicquid Seductores jactent. Quæ expositio videtur contra simplicitatem verborum pugnare: Si enim vox Evangelii præcessit in significatione Evangelii falsi, aut necessum erit eandem significationem particula relativa quoque indigitari, adeoque sensus erit: *quod falsum Evangelium non est aliud*; (at hoc dictum esset contra veritatem, doctrina enim Pseudo-Apostolorum omnino erat aliud quid:) aut si vox Evangelii sub alia significatione hoc versu accipiatur, ac in priori, sic resolvenda erit sententia: transferimini in aliud Evangelium falsum, quod verum Evangelium non est aliud; quam expositionem quis ferat?

§. 19. Alii ergo, ut *Erasmus*, *Calvinus*, *Grotius*, relativum ὃ referunt ad totum Complexum superioris orationis, ac si *aliud* ponatur pro *aliare*, hoc sensu: Quid afferunt isti? quid causæ habent? cur impugnant doctrinam à me traditam? hæc res nihil est aliud nisi quod vos turbant & Evangelium evertunt &c. Sed hoc refutat *Beza* propterea quod in seqq. non legatur, εἰ μὴ ὅτι τινές εἰσιν, sed εἰ μὴ τινες εἰσὶν, ut satis appareat, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο cum superioribus cohærere.

§. 20. Rectius igitur sensus relativi elucescet, si vocabulum ἄλλο recte explicetur, eodem sc. modo, quo τὸ ἕτερον. ut iste oriatur sensus: Transferimini in aliud à meo plane dissentiens, sed præstantius sc. purius, perfectius, verius Evangelium, quod tamen reipsa non est tale aliud, meum, à quo dissentit, superans eoque præstantius, perfectius, purius & verius, sed est doctrina turbulentorum hominum, & corruptio veri Evangelii, ut ex subseqq. clarum est.

§. 21. εἰ μή τινές εἰσιν. Hæc verba nihil in se difficultatis continent, si priora recte intelligantur. *Erasmus* quidem, quique ipsum sequuntur, particulam ὅτι inferunt ad complendum sensum; sed absque ulla necessitate. Omnia enim fluunt planissime? Quod Evangelium in quod transferimini nullo modo est aliud verius & perfectius Evangelium: Sed contra quidam sunt qui conturbant vos, & pervertere volunt Evangelium Christi, adeoque Evangelium istud est turbulentorum hominum doctrina, est veri Christi Evangelii quædam perversio & corruptela. *Ambrosius* hoc ad verbum *miror* refert, quem sequitur *Salmeron* & *Justinianus* his verbis: dicit, *nihil esse mirandum, si à suscepta doctrina defecerint, id enim propterea accidit, quod veteratores quidam illis imposuerint.* Verum & id contortum esse, procul dubio omnes vident. Plerique ergo alii, ut *Beza*, *Gomarus*, *Paræus*, *Esthius*, *Quistorpius*, τὸ εἰ μὴ exponunt per ἀλλὰ, ut sæpe in scriptura; 1 Cor. 7: 17. & *infra* c. 2: 16. in eo tamen displicent, quod veram superioribus cohærentiam non attingant, & omnes supplemento quodam opus habeant, quo tamen juxta nostram expositionem penitus non est opus, ut apparet ex sensu, §. *præced.* adducto. (nisi malis, *nisi essent*, &c.) Loquitur autem in concreto, cum dicere potuisset οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μὴ ταράξις ὑμῶν, &c. atque sic melius cohærere videntur sequentia, in quibus σὺν ἕτερον εὐαγγελίζοντας Apostolus anathematizat, qui iidem sunt ac οἱ ταράσσοντες καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον χριστοῦ.

§. 22. Cæterum cum τινές εἰσιν inquit suppresso nomine, intelligit eos, quos Cap. 2: 4. subintroductos falsos fratres appellat, qui Act. 15: 5. de secta pharisæorum fuisse dicuntur, Pseudo-apostoli videlicet, quos nescio qua de causa *Grotius* Judæos fuisse neget, sed alienigenas, qui in Iudæa tantum vixerint, cum *locus Actorum* clarus sit satis, quem abunde illustrat 2 Cor. 11: 22. *Ebræi sunt.* Quidam putant, Apostolum eos nomine sensuisse indignos. Sed longe aliud videtur mihi velle istud, τινὲς. Pseudoapostoli enim jactitabant, suam istam doctrinam Petri, Iacobi, Iohannis, totius Ecclesiæ Hierosolymitanæ, imo Catholicæ, doctrinam esse: Istud respicere videtur Apostolus, & asserere, falsissimum id esse, sed propria commenta prædicare turbatores illos non Galaticarum tantum, sed & aliarum Ecclesiarum, qui non nisi nomine Individuorum vagorum digni sunt. Quod vero *Salmero* nomina supprimi vult, ne ex invidia agere videatur Apostolus, & ut Christianam ostenderet modestiam & charitatem, & ne aditum occluderet pœnitentiæ, si forte resipiscerent, id quidem Paulo tanto Zelo adversus ipsos hæreticos accenso, ut paulo post anathemate eos feriat, vix videtur tribuendum.

§. 23. οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς *qui conturbant Vos.* De Conscientia exponunt plerique Commentatores. Sic *Aretius h. l.* ταράσσειν *hic est perturbare conscientias, anxias reddere, incertas de Salute ut nesciant auditores, quid tutissime sequantur.* Idem habet *Paræus h. l. hoc agunt, ut fidem & conscientias vestras conturbent.* Confer. *Chrysost. Justinianus.* De seductione in falsas opiniones alii. Ast egregie hic Selneccerus: *Turbant, inquit, commovent, agitant, pendulos, dubios & incertos reddunt, ex vero ordine exturbatos in pavorem & fluctuationes animi quasi vento hinc inde agitatos conjiciunt, perinde ac exercitus ταράττεται, cum turbatus institutum ordinem non servat, sed Panico terrore perculsus fluctuat & hosti expositus est. Deinde* ταράσσουσι, *confundunt alios, non tantum ordine turbato, & certitudine fidei & doctrina sublata, sed etiam licentia commiscendi & fingendi hæc & illa pro arbitrio, & lucem manifestam convertendi in tenebras, non secus ac* τάραξις *oculorum morbus* (ista similitudo *Chrysostomi* est) *ex fumo, pulvere, Sole, oleo, aut alia causa extrinsecus ortus, vetat lucem, & aliud pro alio oculis objicit. Postea* ταράσσουσι *perterrefaciunt conscientias, contristant plurimos, & multis inextricabilibus labyrinthis involvunt.* Quæ eadem iisdem verbis repetit Himmelius h. l. Exemplum hujusmodi turbarum adduci potest ex Actor. 15: 2. γενομένης οὖν στάσεως. Insurrexerant enim tum adversarii contra Paulum & Barnabam præsentes, remque modestissime procul dubio gerentes. Exinde quid his absentibus contra alios, tanta scientia modestiaque non instructos, machinati sint hæretici, facile colligi potest. Tam generatim igitur omnino accipiendum est vocabulum turbandi, ut de maximis tumultibus in Ecclesia Dei explicetur, in quibus supra allegata mala concurrunt omnia.

§. 24. καὶ θέλοντες μεταστρέψαι. *Et volunt invertere, evertere, convertere.* Est enim verbum, quod Pseudo Apostolos atrocissimi criminis reos facit. Quicunque enim volunt conciliare justificationem ex gratia, & justificationem ex operibus, magis sunt inepti, quam si quis lucem cum tenebris, mortem cum vita conjungere conetur, ut *Beza* inquit. Chrysostomus, quod plerique Commentatorum observant, hoc verbum pro καταστρέψαι vel ἀναστρέψαι poni putat, sumta metaphora ab iis, qui pecuniam & numismata corrumpunt & adulterant. Notatque Theophylactus ex hoc Chrysostomi Simili, etiam exiguum quiddam, Evangelio repugnans, universum Evangelium invertere, perinde ac si quis regii numismatis aliquantum depravarit, is totum numisma adulterinum reddidit. Hieronymus alio Simili utitur. *Omnis*, inquiens, *qui Evangelium alio interpretatur spiritu & mente, quam scriptum est, credentes turbat, & convertit Evangelium Christi, ut id quod in facie est post tergum faciat, & ea quæ post tergum sunt vertat in faciem &c.* qua explicatione & Dn. D. Quistorpius utitur. Videtur autem Apostolus hac voce Pseudo Apostolorum *ingenium* innuere, & *scopum.* *Ingenium* eorum tanquam subdolum & fraudulentum, quo subingressi in Ecclesias jactitabant verbis Evangelium Christi quod tamen revera transmutabant in legem, inversoque ordine opera bona, quæ sunt effectus justificationis, constituebant ejus causam, ut habet *Bald. pag.* 30. *Scopum* vero qui erat ad suum ingenium contemperare doctrinam de justificatione, sibique nova hac prædicatione gloriam quærere & lucrum. Hinc Apostolus addit participium θέλοντες, intentionem eorum denotans.

§. 25. Syrus juxta Tremell. & Trostium habet: *sed secundum homines illos est qui conturbant vos*, juxta *Cornel. à Lap. sed prout sunt aliqui illud est:* quasi dicat quales sunt Doctores nempe Apostatæ, Iudaizantes, mendaces, fallaces, tale est eorum Evangelium scilicet Apostaticum &c. juxta Biblia Anglicana: *Sed quidam sunt qui perturbant vos.* Sed Corneliana & Anglicana lectiones dubiæ sunt. Trostio-Tremelliana nostram sententiam egregie adjuvat. Nam *secundum hominem esse* est ab homine autore esse non à Deo, ex carnis perversitate natum, non à revelatione divina. Ita enim *infra ver. 11. & 12.* τὸ κατὰ ἄνθρωπον exponitur per παρὰ ἀνθρώπου.

§. 26. τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. Ubi *Evangelio à Christo* denominari censet Calvinus propterea quod vel à Christo autore sit vel Christum pure ostendat; cum tamen de art. justif. potissimum sermo sit Apostolo, probabilius est denominationem illam desumtam esse ab objecto. Circa Christum enim à Iustificando per fidem apprehendendum, Evangelica hæc doctrina potissimum versatur. Videtur tamen Paulus hoc ipso simul Encomium quoddam tribuere suæ prædicationi, quippe qua primario auditoribus proposuerit doctrinam de Christo, cum qua nefas sit commiscere quicquam quod non unicam prædicet gratiam.

CAPUT IV.

§. 27. Ad particulam καὶ *annotatio. quid sit* ἀλλὰ καὶ *? 28. an hyperbolice loquatur Paulus? quæ sit consequentia? 29.* ἡμεῖς*, an enallage? quis sensus? cur seipsum execretur? 30. quis Angelus intelligatur? 31. In verbo evangelizare an sit Catachresis? quis sensus? 32. Casus omissus. Significatio* τοῦ παρὰ. *33. anathema quid? qua autoritate dicatur? 34. apparens contradictio removetur.*

§. 27.

Ἀλλὰ καὶ. Plerique Commentatores minus attente considerarunt particulam καὶ, ex qua tamen potissima ratio connexionis petenda est. Vel plane omittunt, vel cum sequenti vocula conjungunt, quasi esset ἐὰν καὶ ut cap. 6: 1. significetque *etiamsi*. At vero illa omnino construenda est cum præcedenti ἀλλὰ, ut fiat; *Sed &*, *verum etiam*, subaudiendo οὐ μόνον δὲ. Ita enim in Scriptura frequenter usurpatur, idque vel cum expresso illo suo relativo Rom. 1: 32. cap. 4: 12, 16. cap. 5: 3: 11. cap. 6: 5. cap. 8: 23. cap. 9: 10. vel etiam subintellecto eodem, ut Phil. 1: 18. vel præcedente simplici negatione, Phil. 2: 4. Ubi exponitur per *quinimo*, *imo vero*, Confer 2 Cor. 11: 1, 2. Phil. 3: 8. Hoc loco igitur sensus vel talis erit: *Non solum autem istud* (sc. eorum Evangelium aliud) *præstantius non esse dicere audeo*, *sed etiam hoc audeo*, *si vel nos*, ego sc. & Barnabas & Titus, quorum meminit Cap. seq. 2: 1, 4, 5. *aut Angelus è Cœlo* &c. vel talis: Quod illorum Evangelium non est præstantius, sed quidam sunt qui vos conturbant &c. adeoque eorum Evangelium est veræ doctrinæ de justificatione perversio, imo vero à quocunque demum prædicetur anathemate digna.

§. 28. Ἐὰν ἡμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν, ἀνάθεμα ἔστω. Hyperbolice hic Paulum loqui ajunt *Erasmus*, *Justinianus*, *Salmeron*, *Cor. à Lap. ex Hieronymo*, *aliique*. At vero hyperbolen hic statuere non est opus, non quidem ex ratione, quam Paræus affert, hyperbolen sc. cum dicat aliquid supra rei veritatem & fidem, Sacris literis temere affingi non debere: Hoc namque modo, ut cæteris tropis uti solere Scripturam, nullus qui eam didicit, ambigit; inquit *Augustinus lib. 16. de Civitat. Dei*, *cap. 21.* videatur *Glassius Tr. I. Rhet. cap. 19.* aliique: sed quod Apostolus nihil falsi enunciet neque supra rei veritatem aliquid asserat. Loquitur enim hypothetice, & enunciatio hypothetica vera omnino esse potest, etiamsi conditionem habeat impossibilem: veritas namque illius non consistit in veritate partium sed in earum recta connexione & consequentia necessaria. Nec frustra sic argumentatur, valet enim consequentia à minori, hoc sensu: Si anathema erit Angelus aut Apostolus aliter prædicans, multo magis anathema erit Pseudo-apostolus Evangelium Christi pervertens. Atque hæc de conditionali ἐάν.

§. 29. ἡμεῖς. Multi hic statuunt Enallagen numeri, ut *Justinianus*, *Esthius*, *Gomarus*, ut Paulus dicatur seipsum intelligere solum, quia solus Galatis Evangelium annunciaverit, juxta Galat. 1: 11. cap. 4: 13, 14, 19. At vero rectius h. l. statuitur numerus pluralis, sub quo primario quidem Paulus, cum eo tamen partim ipsi Apostoli, partim ejus collaboratores intelliguntur, & quod Apostolos simul hac voce comprehendat, ad id videtur compulsus per calumniam Adversariorum, qui nullibi non vociferabant Apostolos primarios à Paulo in hoc articulo dissentire, legemque & operum merita in articulo de justificatione admittere. Probabile ergo omnino eum adversus illas calumnias hoc anathemate simul insurgere, veritatemque Evangelii etiam infallibilium Apostolorum autoritati anteponere. Quod vero etiam cooperatores suos intelligat à veritate non est alienum; historia enim Apostolica Act. 15. & 16. aperte testatur Silam & Timotheum Paulo per Phrygiam & Galatiam iter facienti comites fuisse; Ex Apostolis quoque Petrus Iudæis Galatis Evangelium prædicaverat, ut colligitur ex 2 Petr. 1: 1. nec non Andreas illas regiones peragraverat, teste historia Ecclesiastica. Quod ergo objiciunt alii loca hujus Epistolæ aliquot, ex quibus evincere conantur Paulum solum convertisse Galatas, id cum limitatione intelligendum est; inter Apostolos enim primum, inter collaboratores autem primarium fuisse Paulum, qui Evangelium Galatis annuntiaverit, nemo negabit, at hoc sufficere ad excludendos à significatione hujus vocabuli omnes alios, vix affirmabit quisquam. Cur vero Apostolus se quoque ipsum execretur, rationes dant seqq. 1. Quam insinuat *Augustinus*, ut indicet Evangelicam fidem non à sua pendere autoritate sed veritate divina niti. 2. quæ *Chrysostomi est*, ut ostendat se non inanis gloriæ studio inflammatum suæ doctrinæ impensius favere. 3. ut ostendat mentiri Pseudo Apostolos, qui Paulum alias aliter docuisse calumniabantur, quod observant *Hieron.* & *OEcumenius*, forte ex Gal. 5: 10, 11.

§. 30. ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ. Angelum malum intellexit *Tertullianus* adversus Apellis Philumenam. Et hunc nemo quod sciam sequitur, cum determinatio adjecta satis indicare videatur de Angelo bono sermonem esse, id quod & auxesis phraseos postulare videtur. Suntque qui Apostolum propterea Angelorum mentionem facere statuunt quod Pseudo Apostoli soliti sint jactare revelationes Angelicas. Conf. *Baron. ad ann. 60. n. 18, 19.* Nec Angelis facit injuriam, cum non categorice loquatur, & dignitas Angelica autoritati doctrinæ Evangelicæ omnino sit inferior. Plura videantur apud *Calvinum h. l.*

§. 31. Εὐαγγελίζηται ὑμῖν. potius reddendum est per imperfectum, *prædicaret*, quam futurum *prædicaverit*, ut eo apertius pateat vis conditionis. Cæterum in verbo Evangelizandi *Estius h. l.* Catachresin annotat, quippe quod positum sit loco generis, *annunciet*. At vero hac ratione omne id, quod annunciatur præter Euangelium, erit anathematizandum cum ipso nuncio, nec licebit tractare bonas literas. Ergo limitata ista annunciatio potius intelligenda est, quæ fit sub nomine & ratione Evangelii, quæ etiam prædicatione Pseudo-Apostolorum competit; sub notione tamen ita generali, ut abstrahat à vera & falsa doctrina, alias Apostolus non commode possit limitare verbis subsequentibus. Sensus igitur est hic: si vel ego & συνεργοὶ collaboratores mei, vel etiam Angelus è cœlo ad vos deveniens, doctrinam aliquam sub Evangelii nomine annuntiaret, illa examinanda vobis esset juxta doctrinam à me jam traditam; atque si non conveniret cum ista, anathematizandus esset, si vero consentiret, doctrina illa pro vero Evangelio accipi posset. Atque hic non possum non adducere absurdam penitus explicationem *Wiliami Amesii Angli* è numero Anabaptistarum Trementium, quos *Quakeros* vulgo appellant, qui contra *Lasenium* hunc locum expositurus sic inquit: Diese Zeugnis von dem Apostel ist die Warheit / von welcher Warheit wir Zeugen sind: und das Evangelium / welches sie predigten / war die Krafft Gottes zur Seligkeit / allen die daran gläubten: welches Evangelium geprediget war in allen Creaturen in der gantzen Welt / ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, wiewohl fälschlichen übergesetzt unter alle Creatur / * welches die Verborgenheit ist / welche von Alters her verborgen ist / &c. Christus in ihnen die Hoffnung der Herrligkeit / welche der Apostel predigte: Sie predigten Christum in ihnen die Hoffnung der Herrligkeit / welche die Verborgenheit war / die verborgen gewest war von Alters und Geschlechten her: Und sie erklärten diejenigen verworffen zu seyn / die sich selber nicht kanten / daß Jesus Christus in ihnen wäre / und sie sagten / daß ein jeder / der den Geist Christi nicht hat / ihm nicht zugehöre: Und dieses war das Evangelium / das sie predigten / ohne welch Evangelium alle wahren verworffen / dan dieses war das einige Evangelium zur Seligkeit / Christum inwendig zu kennen / creutzigende das Fleisch mit den Lüsten und Begierden: und umb sie zu säubern und zu waschen von der Verderbligkeit / ohne welche sie keine Gemeinschafft konten haben. Darumb die jenigen / die ein Evangelium predigen / wodurch die Menschen nicht gebracht werden in Gemeinschafft mit Gott / die predigen ein ander Evangelium / und ist verflucht: Und die jenigen / die dieses Evangelium predigen / die predigen ein inwendig Liecht / den Christus ist das Liecht / die Hoffnung der Herrligkeit. (d) Aber die jenigen / die das Liecht inwendig verleugnen / welches die Apostel geprediget haben. Und wiewol sie Christum in Worten predigen / dieweil sie aber das inwendige Liecht verleugnen / welches die Apostel geprediget haben / und da die Schrifft von zeuget / so predigen sie ein ander Evangelium / als das jenige / welches die Apostel predigten / welches war Jesus Christus in ihnen geoffenbahret / und darumb seyn sie verflucht. Huc usque *William Ames in Responsione ad hist. Joh. Lassenii*, von der neuen Quacker Secte. *pag. 41.* Quæ omnia cum somnia tantum de speciali quodam interno lumine extraordinario occultent, & spiritum fanaticum manifeste prodant, ulteriori discussione non sunt digna.

* *Col.* 1: 23. (d) *Joh.* 8: 2. *cap.* 9: 5. *Col.* 1: 28.

§. 32. Παρ' ὃ Εὐαγγελισάμεθα ὑμῖν. Casus verbi Εὐαγγελίζεται omissus est. Subintelligendum igitur vel Εὐαγγέλιον, hoc sensu; si prædicaret vobis Evangelium præter id &c. Vel τὸ τὶ, quicquam commodius: sic enim apparet, nihil omnino superaddendum esse sub ratione art. fidei, Evangelio jam plene revelato. De voce *Evangelizandi*, deque numero jam dictum est supra. De significatione vocabuli παρὰ cum Pontificiis disceptant, quicunque traditiones rejiciunt. Illi enim (vide *Thomam Carthusianum, Lyram, Gagneum, Titelmannum, Salmeronem, Esthium, Justinianum &c.*) stricte id accipiunt pro *contra*, hi vero in debita sua latitudine pro *præter*, quod τὸ *contra* simul sub se involvit. Atque hæc sententia probatur 1. ex eo, quod à consueta vocis significatione recedendum non sit, nisi manifeste id urgeat textus. Jam vero omnes textus circumstantiæ legitimam vocis amplitudinem requirunt, Apostolus namque ad summum usque progreditur, inculcatque, adeo certum esse, quod Evangelium Pseudo Apostolorum suo non sit præstantius, ut ne Angelus quidem è cœlo præstantius afferre possit: ad quod asserendum non sufficiebat dicere, non posse suo Evangelio contrarium dari, sed necesse erat ut Paulus assereret, nihil quicquam Evangelio suo addi posse, quo fiat præstantius, quove perficiatur magis. Altera ratio nostræ assertionis est, quod Paulus voce illa strictius accepta non feriisset adversarios; illi quippe negabant se aliquid contra Paulum proponere, sed addere saltem quædam ad perficiendum Evangelium prius, opera sc. & legis ceremonias, fide non negata; de quo latius videatur *Paræus Comm. h.l.p.* 41. 44. Plura enim, cum hæc infra contra Pontiff. latius deducenda sint, hic non addo.

§. 33. Ἀνάθεμα ἔστω. Hebr. חרם respondere recte notant Interpretes, & *Syrus* & *Arabs* habent h. l. radicem חרם Et intelligitur proprie fulmen excommunicationis comminatoriæ, cum execratione & diris omnibus, quæ sceleratum ad ima quoque tartara devovent. Quo sensu hac quoque voce usa sunt *Concilia* adversus hæreticos, quæ latius ex *Gomaro P. II. p.* 117. *Salmerone Comm. h.l.p.* 75. *Selnecc. Comm. p.* 177. aliisque deducta sunt in nostra de Anathemate habita lectione. Potuitque Paulus hac execratione omnino uti, posita sc. conditione, quam tamen h. l. pro impossibili omnes merito agnoscunt. Non loquitur enim ex authoritate propria, sed divina & in Spiritu S. quam autoritatem merito sibi arrogat 1 *Cor.* 7: 40. 2 *Cor.* 13: 3, 10. quaque h. l. judicat secundum Evangelium suum quod omni etiam Angelica autoritate superius est. Quanquam alias Excommunicatio personalis, qua certum quoddam individuum ob hæresin vel scelera Satanæ tradendum est, propriè unico cuidam Individuo, nisi sit infallibile, non competat. Christus enim expresse *Matth.* 18: 17. circa extremum hunc correptionis gradum, multitudinem requirit & ut quis pro Ethnico aut publicano habeatur totius Ecclesiæ suffragio opus esse ait. Vid. *Hülsemanni Breviar. Cap.* 19. *Th.* 15.

§. 34. Videntur autem hæc verba, quibus omnibus qui prædicaverint aliud Evangelium Anathema dicit, contraria esse iis, quæ scripserat 2 Cor. 11: 4. *Enimvero si veniat, qui alium Jesum prædicet, quem non prædicavimus &c. aut Evangelium aliud, quod non accepistis, recte toleraretis.* At contradictio saltem esse apparet, quæ facillime solvitur, si recte explicentur termini. In loco enim 2 *Cor.* 11. per *aliud Evangelium* tale intelligitur, quod perfectius & verius sit revera; hoc loco vero per *aliud Evangelium*, ut supra jam notatum est, tale intelligitur, quod per Ironiam verius & perfectius appellatur. Cum igitur voces non sumantur eodem modo, contradictio nulla est metuenda. Hæc autem explicatio, cum ex cujuslibet loci circumstantiis propriis ipsa fluat, non opus habet h.l. ut pluribus prolixe probetur. Commentatores quidem plerumque distinguunt inter aliud Evangelium adulteratum & corruptum, cum autem jam superius ostensum sit τὸ ἕτερον Εὐαγγέλιον commodius explicari per perfectius & absolutius, omnino decuit ejusdem explicationis vim quoque hermeneuticam ostendere; Hæc loca enim juxta nostrum sensum se egregie illustrant.

CAPUT V.

§. 35. *Cur Paulus repetat idem. Canon tradi videtur. Esthius notatur.* 36. *Prædixi quo sensu intelligendum.* 37. *Intelligit vices temporis.* 38. *Cur in indicativo loquatur.* 39. *Accipiendi vox quid importet*, 40. *fides explicita innuitur.* 41. *an separatio ab Ecclesia tantum Galatica intelligenda sit.*

§. 35.

Interpretes communiter repetitionem tantum hic esse volunt, eamque propterea institutam ut Paulus veram & constantem animi sententiam demonstret justoque illius terrore Galatas ab errore seductos revocet. Videri enim poterat, inquit *Gomarus*, acriori potius affectu quam constanti animi judicio protulisse hanc hortationem, unde futurum erat ut parum à Galatis curaretur, &c. Videntur tamen hæc verba majus quippiam in se comprehendere; nimirum Apostolum dictis superius nunc formalem anathematismum subjicere, complectentem normam & regulam, secundum quam Galatæ (& nos) hanc & quamcumque aliam controversiam judicare & decidere in Ecclesiis suis debeant. Rectissime igitur hic extruitur Canon: Si quis Evangelizaverit præterquam quod Paulus Galatis tradidit, hique ab ipso receperunt, anathema sit. Quem Canonem omnino videtur jam pridem ab Apostolo Galatis traditum fuisse; quia vero eundem oblivioni dederant, aut licentiosius transgressi erant, hic cum autoritate Apostolica eum renovat. *Esthius* aliquid hujus subodorari videtur, dum inquit: *Notandum ex hac & superiori Apostoli sententia, sumi posse generalem quandam rationem, explorandi doctrinam religionis. Ea ratio s. regula est, omnem doctrinam, quæ præter doctrinam antiquitus traditam affertur, rejiciendam esse, &c.* At vero subdole & insidiose nimis rem explicat, idque more Pontificiorum, ut cuivis facile appareat quid animo volverit, dum hæc scriberet.

§. 36. Ὡς προειρήκαμεν. Hoc verbo vel versum proxime præcedentem respicit Apostolus, vel id, quod pridem Galatis, quum Evangelium ipsis annunciaret, dixerat. Illam sententiam plerique Commentatorum sequuntur, huic vero, quæ *Hieronymi* est, assentiri nos posse seqq. rationes suadere videntur. 1. quod vis vocabuli videatur urgere repetitionem eorundem verborum prius traditorum, qualis repetitio è versu præcedente h.l. non instituitur; hæc enim verba per modum canonis efferuntur, non pariter priora. 2. Apostolus loquitur plurali numero, ut iterum digitum intendat in suos coadjutores quondam in Galatia secum præsentes. 3. subito mutat numerum, seque solum jam in singulari ea repetere ait, quæ olim cum aliis dixerat. Et si per enallagen priora dicta essent, cur non eadem figura continuaret? Hebraismi certe pauca sunt vestigia. Probabile ergo est Apostolum in ipso à Galatis discessu, hæc verba prolocutum, ut nempe contra quoscunque Pseudo Apostolos eos præmuniret, imprimis occasione eum monente, cum jam post exortam cum Pseudo Apostolis controversiam Galatiam peragraret fratres confirmans. *Act.* 18. 23.

§. 37. Καὶ ἄρτι πάλιν λέγω. Vices non sermonis sed temporis esse intelligendas, superius jam est ostensum.

§. 38. Εἴ τις, &c. in Indicativo loquitur, ut clarius appareat canonem tradi; & generalissime quidem verba concipit, cum de possibili sit sermo, non ut antea, cum sub impossibili conditione aliter argumentaretur. Suum enim usum in Ecclesia Dei habiturum hunc canonem optime noverat.

§. 39. Παρ' ὃ παρελάβετε. Recte τὸ à nobis subintelligendum censet Esthius, nam correlatum ejus est εὐαγγελισάμεθα ὑμῖν. quod notandum contra nugas Pontificiorum, imprimis *Cornel. à Lap.* de traditionibus non scriptis hic simul intelligendis. Si enim acceperunt Evangelium, acceperunt traditiones, sed quæ dehinc scriptæ sunt, quicquid enim de Evangelio traditum est quondam, id plenarie comprehenditur scriptura Veteris & Novi Testamenti. Atque hoc sensu nostrates etiam aliis in locis intelligunt vocem παραδόσεως. Confirmatque nos *Esthius* ipse, qui supra allegato loco dicit, *rudes Galatas fuisse, traditionumque incapaces.*

§. 40. Latet autem adhuc aliquid in voce παρελάβετε, explicita nimirum cognitio articulorum fidei, quod contra Pontificios observandum. Hinc *Paræus* recte hoc contra fidem implicitam Pontiff. notavit. Ita enim Apostolus informavit Galatas, ut potuerint examinare secundum Evangelium doctrinas & tam accurate, ut juxta eam authoritate Apostoli illas anathematizare possent. Et talis quidem acceptio plerumque alias connecti solet cum traditione 1 *Cor.* 15: 1. *Matth.* 11: 14. Confer *Joh.* 3: 11, 32. & *v.* 12. & 33. *Ioh.* 12: 47, 48. *cap.* 17: 8. in quibus locis τὸ *accipere* semper per *credere* explicatur.

§. 41. Ἀνάθεμα ἔστω. *Calvinus* ut supra ita & hic subintelligit τὸ *vobis*. At vero cum excommunicationem & separationem execrandam hic urgeat Apostolus, non de sola Galatica Ecclesia id intelligi potest, sed de Catholica, à qua per anathema semper separantur, quos major ferit excommunicatio.

CAPUT VI.

Analysin Logicam exhibens.

§. 42.

POstquam Exordium Epistolæ finiisset Apostolus, nunc *v.* 6, 7, 8, 9. propositionem subjicit eorum, quæ tractaturus est. Quæ si nude & ut in se est proponatur, ita habet: Turpe est vos defecisse ab unico & immutabili Evangelio, ad doctrinam Pseudo Apostolorum. Quanquam enim Interpretes plerique propositionem vel sexto, vel 6. & 7. versiculis contineri autument, è connexione tamen verborum non minus, quam sententiæ clarum est, huc omnino pertinere octavum quoque & nonum versiculos, Unde *Gomarus* quoque eosdem huc refert cum inquit *Part. II. operum p.* 115. *Propositio objurgationem Galatarum, ob violatum ab iis officium, & hortationem ad officium præstandum complectitur, objurgatio describitur v. 6. & explicatur v. 7. &c. & postmodum hortatio ad officium subjicitur v. 8, 9. p. 116. apud Gomarum l. c.*

§. 43. Duo autem sunt quæ hac propositione involvit Apostolus; Defectio nimirum ejusque termini; quæ omnia suis coloribus egregie exornavit, ut affectum exprimeret ubique, & stimulos relinqueret in animis legentium. Defectionem autem appellat 1. admiratione dignam atque inexpectatam; dum inquit; *miror*. Miramur autem quæ præter spem & præter opinionem accidunt, quorumque causæ non satis nobis sunt perspectæ. 2. Subitaneam: quo crimen apostasias gravissime exaggerat, & impotentiam animi exprobrat acerbissime. 3. Spontaneum, quod transferantur, non abripiantur inviti: sed velut arundo aut stipula, vel levissimis seductorum flatibus obsequantur.

§. 44. Termini defectionis sunt 1. terminus à quo 2. terminus ad quem. Ille est Evangelium Christi, hic doctrina Pseudo Apostolorum. Illud describit (1.) à subjecto utente vel Deo Patre, vel Christo, quorum utrique adscribitur vocatio per Evangelium; (2.) ab adjuncto utentis, aut si mavis attributo ejusdem, nempe gratia. (3.) à fine interno, ipsa nempe vocatione, quippe quæ est in potestate Evangelizantis, secus atque conversio, justificatio, salvatio quæ quasi externus Evangelii finis existunt. (4.) ab affectione primaria, unitate nimirum, qua in se est indivisum, & consequenter divisum à quovis alio, anathemate notando, etiamsi ab Angelo vel Apostolo prædicetur.

§. 45. Terminus ad quem defectionis s. doctrina adversariorum describitur 1. tropice, cum illam per Ironiam appellet aliud Evangelium 2. proprie, idque vel negative, cum negat Apostolus ullum aliud Evangelium dari; vel positive, cum ab effectu illud describit, tam proximo, qui est conturbare conscientias, quam remoto, qui tanquam finis in intentione describitur, & est pervertere Evangelium Christi.

THEOD. DASSOVII DISSERTATIO

De suspendio hominis lapidibus obruti, ad Gal. III: 13. & Deut. XXI: 22.

I. N. J.

§. I.

TAmetsi intempestive obruebant lapidibus reos homines nonnunquam, ut vel ante Synedrium, vel ante ædes patrias malæ frugis liberos invaderent, tamen si in loco solito extra urbem, solenni ritu peterentur lapidibus malefici, ex loco edito dejiciebantur, & si nondum morerentur, prægrandi saxo, à testibus præcipitato, confringebatur pectus, aut si nondum conciderent exanimes, imbribus quasi lapidum postrati succumbebant. Ita traditur in *Mischna de Synedrio cap. 6. sive nigmar haddin.* ac in Scholiis *Maimonidis & Bartenoræ in h. l. edit. de Triento in fol. ut & in Tosepheth Iom. Tobh. in h. l. edit. Wülmersd. in 4.* Eandem doctrinam repetit *Maimonides in suo tract. de Synedrio cap.* 15. ejusque sententiam confirmant, *Schem Toph in Commentario Migdal OS primæ editioni Maimonidis Venetæ subnexo & Ioseph, Karo in Commentario Ceseph Mischne, alteri editioni Maimonidis Venetæ adjecto; Idem asseritur in Tanchuma edit. Mantuanæ fol. 49. col. 1. & 2. ita etiam Chaldaicum verbum Regam intelligitur in Eliæ Meturgeman edit. Spirens. fol.* 142. *col.* 2.

§. II. Hæc pœna à synedrio summo infligebatur, licet facile concedamus, alias urgente necessitate etiam in synedrio minore criminaliter adverti in reos potuisse, fidem faciente libro *Schylchan. Aruch. in Choschen Hammischp. Hilch. Dajanim fol. 2. edit. Venet.* hac tamen lege, ut à synedrio minore ad summum possent appellare, ut docetur *ibidem* §. 14. Quæ appellandi ratio ut sese habuerit explicat *Mardochai Iaphe in Lebhuschir Susan hilch. Dajanim* §. 14. *edit. Pragens.*

§. III. Ex quo autem exhalarant animam obruti lapidibus suspendebantur cadavera eorundem ex ligno, non quasi collo constringerentur, sed quod manus colligatæ ligno appenderentur, vultu si esset Vir ad populum, si esset fœmina ad lignum converso; Non tamen ex arbore, sed ex ligno pendebant, quod una cum homine reo sepeliebatur, ut docetur in *cap. 6. Mischnæ citato*, & in *Gemara Babyl. Sanhedr. c. 6. f. 45. col. 2. edit. Amstel.* idem asseritur *in Alschech Thorath Mosche edit. Prag. in sectione Ci Teze in h. l. conf. Raymundus in pugione fidei edit. Lips. p.* 856. Lignum quoque non arborem intelligit *Franciscus Tayler in versione Targum Hierosolymitani edit. Londin. fol.* 87.

§. IV. Accuratius adhuc suspensionem illam delineat *Codex Manuscriptus, qui Seder Möed, Seder Naschim & Sederischut explicat, ubi in capit. Nigm. haddin hal. 2. tituli de synedriis hæc* leguntur verba: כיצד עושין משקין את הקורה בארץ ועץ יוצא ממנה וסומך שתי ידיו זו על גבי זו וקושרין ותולה אותו בידיו ומתירין אותו מיד ואם לא עובר בלא תעשה שן לא תלין נבלתו על העץ Quomodo faciunt? *infigunt palum terræ, ex quo lignum egreditur, ambaque manus sibi* invicem *imponuntur,*

tur, liganturque & suspendit illum (carnifex) manibus, solvuntque illum statim; Quod si non fiat, præceptum negativum transgrediuntur, quia dicitur, non pernoctabit cadaver ejus in ligno. Ibid. legitur : אחד קושר ואחד מתיר כדי לקיים בו מצות תלי׳ Unus ligat, & unus solvit, ut confirment præceptum suspensionis.

§. V. Idem quoque confirmatur à *Salomone Iarchio* in Deut. 21. qui aperte fatetur, veteres Hebræos in eo consentire, quod lapidati fuerint suspensi. A qua sententia nec *Aben Esra* in h.l. alienus est. *Quod autem per noctem* non relinquerentur cadavera in ligno, patet ex *Beth Iacob edit. Pragens. fol.* 108. *col.* 4.

§. VI. Itaque qui lapidum ictu moriebantur suspendi publice solebant, licet suspensos etiam illos fuisse non inficiemur, qui strangulatione finiebant vitam. Unde facile apparet emendari debere *Alphonsum Tostatum, qui operum Tom. 3. edit. Colon. p.* 197. *ad locum Deut.* 21. ita commentatur : *Sed intelligendum est, in casibus illis, in quibus peccatum non est tantum, ut specialem exigat pœnam, & hinc datur ista (suspensio) tanquam minor (pœna.)* Quæ verba nullum veteris historiæ consensum habent.

§. VII. Nec assensum merentur verba *Iohannis Cocceji, in Gal. 3. edit. Francof. refutantis Kimchium*, negantisque solos improbos, & qui Deum blasphemassent, apud Judæos factos esse execrabiles. Nam expresse affirmat *Abarbanel in Perusch Hattora edit. Venet. fol.* 379. *col.* 2. solos blasphemos & idololatras post lapidationem suspensos fuisse, tanquam præcipuos & execrabiles peccatores; Licet enim alii judæi suspensionem ad omnes lapidatos, extendant, tamen illa blasphemis & idololatris imprimis competebat. Nec præteriri debet, *Clariss. Coccejus in excerptis Gemaræ in Sanhedrin & Maccoth. edit. Amstel. A.* 1629. *p.* 256. & 257. ubi de sepultura hominis lapidati agit, non assecutum Gemaræ sensum esse, & pleraque non recte transtulisse, nec illa emendata in iterata ejus editione esse, ut, quæ ex ingenio supplevit, deleri fere omnia jure meritoque debeant.

§. VIII. *Iacobus quoque Bonfrerius in h.l. edit. Antverpiensis* p. 992. non satis caute *Burgensem, Vatablum & Emanuelem Sà* refutat, blasphemos & idololatras suspensos fuisse, rectissime sentientes. Opponit enim, istos fuisse lapidibus obrutos, cum tamen lapidatio suspensioni non obstet, siquidem iidem, qui petebantur lapidibus, post mortem suspendebantur, ut *Iosephus lib. 4. Antiq. cap. 8. & Philo lib. de specialibus legibus* cum aliis judæis testatur. Imo inter supplicia quatuor capitalia à Rabbinis annotata incongrue suspensionem recenset *Bonfrerius*, cum inter illa strangulatio, qua vivi plectebantur, non vero suspensio, quæ cadaverum erat mortuorum, referatur.

§. IX. *Rectius Cornelius à Lapid. in h. l. Deut. 21. edit. Antverp. p.* 992. commentatur, suspendium ad maxime facinorosos pertinuisse; si illos, qui lapidibus petebantur, per facinorosos intelligat; quamvis ex remotione cadaverum ad criminis atrocitatem nequeat concludere, cum omnium facinorosorum cadavera, etiam non suspensorum, apud judæos removerentur & sepelirentur.

§. X. Album etiam meretur calculum *Johannis Nicolai glossa in Carolum Sigonium, de Rep. Ebræorum p.* 491. *edit. Helmstad.* qui maleficos ait non è collo sed ex utroque brachio fuisse suspensos, ut suspensio non tam supplicium, quam supplicii esset consequens.

§. XI. Nec sua destituendus laude est *Hugo Grotius*, qui in locum Deut. 21. *edit. Francof. p.* 594. aperte scribit lapidatos fuisse suspensos; cumque addit: *strangulabantur enim stantes apud Hebræos, non suspendio*; sequitur *Mischnam de Synedriis cap. 7. §. 4.*

§. XII. Sed vix conjicimus, quid in mentem venerit summo *Viro, Davidi Chythræo, ut in Deut. 21. edit. Wittenb. p.* 100. ita commentaretur: *Tantopere enim Deus abominatur homicidia, & omnia peccata, æterna & immota justitiæ ejus adversantur, ut non solum vicissim interfici & destrui homicidas, & aliis sceleribus pollutos velit, verum etiam cadavera illorum, velut abominabilia homicidii spectra, ex conspectu & oculis removeri & tolli velit, ne contagione illorum aër ipse polluatur.* Nam homicidæ non obruebantur lapidibus, nec eorum cadavera suspendebantur; sed gladio illis capita amputabantur; unde nec in classe lapidatorum homicidæ recensentur. Vid. *Mischna de Synedriis c. 7. §. 4. & c. 9. §. 1.* Nec verba Hebræa, ut putat Vir Clarissimus, hunc admittunt sensum : quia contumeliose Deus suspensus est, sed ita verti debent ; quia maledictio Dei s. maledictus suspensus est.

§. XIII. Melius sentit doctissimus *Philippus Heinricus Friedlibius qui in Theolog. Exegetica Tom.* 1 *edit. Francof. p.* 303. explicat, quomodo maledictus sit, qui pendet in cruce, & dicit hominem suspensum ob infame genus supplicii Deo quodammodo esse abominabilem, quia Dei ipsius judicio tali infamia notetur. Quæ verba bene sese habent, & confirmantur *ab Abarb. in Per. Hattora fol.* 379. *col.* 3. qui hominem suspensum præ ceteris fuisse maledictum asserit; Sed, cum in sequentibus & ipsa mors, ait, per suspendium in ignominiam Deo quodammodo cedebat &c. indicat, quod suspensione ereptam fuisse vitam arbitretur, cum tamen suspensio cadaveribus tantum competeret, non vero viventibus, ut Hebræi diligentissime inculcant.

§. XIV. Itaque lapidati post mortem suspensi vocabantur maledicti, fidem faciente *Abarbanele, loc. cit. fol.* 379. docenteque nihil suspenso fuisse abjectius & contemptibilius. Hinc etiam *Jarchi in Deut.* 21. קללה *dicit esse summam* contemptionem, cum homo vilissimo loco habeatur, & nullius sit pretii. Nam vult קללה esse זלזול, quam vocem de contemptu explicat *Elias Thisbites in Lex. edit. Bas. fol. 29. col. 2. init.* Ita etiam *Kimchi in R.* קלל *edit. Venet. fol.* 439. explicat קללה de contemptu, quod, si quis intueretur hominem suspensum, dixerit illum blasphemasse & contempsisse Deum, & propterea esse suspensum ; Monet tamen in præcedentibus etiam lapidatum supsensum fuisse vocatum maledictum. *Conf. Aben Melech. edit. Amstel. fol.* 40. *col.* 1. unde patet, ita suspensum fuisse maledictum, ut propterea valde contemneretur & subsannaretur, tanquam homo vilissimus. Idem confirmat *Joseph Bar Isaschar in Joseph Daath. edit. Pragens. fol.* 43. qui exemplaria impressa cum Manuscriptis hac super re diligenter contulit.

§. XV. Quamvis autem in Græco textu ad Gal. 3: 13. non vertatur vox Elohim, quæ in Hebræo legitur, neque legatur maledictus Dei, sed maledictus; inde tamen *Hieronymus colligere* non potuit corruptos esse Hebræos codices. De quo videatur *Heinsius in Exercit. sacris edit. Lugd. Bat. fol.* 446.

§. XVI. Non autem suspensus vocatur maledictus, quia pateret publico conspectui post mortem, cui alii facinorosi, alia affecti pœna non exponerentur ut commentatur *Franciscus Carrier in Commentario in universam Script. edit. Lugd. fol.* 114. Sed potius ut maledictionem & contemptum sustineret, suspendebatur; neque illa maledictio illi occasionaliter inferebatur, sed illam facinoris atrocitate promerebat, & sustinere debebat.

§. XVII. Nec Hebræi cum maledictionem suspensioni tribuunt ad cruciatum crucifixionis sævissimum respiciunt; quasi illum malam rem, vel maledictionem nuncupent, ceu arbitratur *Ferdinandus Quirinus de Salazar in expositione in Proverbia Salom. T. 1. edit. Paris. p.* 319. *col.* 1. Nam suspensio fiebat post mortem, ubi nulli amplius cruciatus sentire poterant.

§. XIIX. Adumbravit autem homo lapidatus suspensus, suspensionem Christi in Cruce. Unde Athanasius *Tom. 1. operum edit. Paris. pag.* 77. *Nam, inquit, si ideo venerat Christus, ut piacula execrationesque portaret, quomodo alia ratione execratio aut piaculum fuißet, nisi execrabilem mortem in se reciperet? Est autem hoc ipsum crux, quemadmodum scriptum est : execrabilis quicunque in ligno pendet : Deut.* 21. Ita quoque docet Theophylactus *in Comment. in Epist. Paul. edit. Londin. p.* 464. *scribens: indicat igitur solutam esse per Christum execrationem. Dato enim pretio, per hoc quod ipse factus est maledictio, redemit nos à maledictione Legis, quam ipse quidem evasit &c.* Et Epiphanius *Tom. 1. operum edit. Colon. p.* 700. *quoniam maledictus omnis qui pendet in ligno (Deut. 21.) itaque cum ob crucis supplicium constituta sit maledictio, Christus porro veniens in cruce peccata nostra sustulerit, ac semetipsum nostra causa tradiderit, Ejus nos sanguis redemit, ipsiusque corpus execrationes nostras discussit, cum scilicet pœnitia crucis, adventuque suo peccata nostra dißolvit.*

§. XIX. Itaque ad hanc suspensionem lapidati alludi videtur, cum Christus cum suspenso maledicto comparatur ad Gal. 3.

§. XX. Non autem ibidem conferri *Christum cum serpente æneo* in ligno suspenso probabile est, cum varia sint, quæ hanc sententiam impugnent, ut descendere in eam nequeamus, licet facile largiamur, illum serpentem typum gessisse Christi.

§. XXI. Nec Deut. 21. verbis, quia maledictus à Deo est suspensus in ligno, significari, quantum detrimenti per impium vitæ inferatur religiosæ clarum est ; ut nedum vivus illi maxime obsit, in qua degit, Religioni, sed & per apostasiam mortuus illam & pravorum exemplorum reliquiis & fœtore pessimi contaminet nominis, quemadmodum explicat *Michael Ghislerius Romanus Tom. 1. in Jerem. edit. Lugdun. p.* 130.

§. XXII. Lon-

§. XXII. Longe melius commentatur *Josua Arndius in manuali Legum Mosaicarum* in domo undecima §. 7. cum scribit; Lapidati primo, deinde suspendebantur; *Joseph. lib.* 4. c. 8. Lex jubet ut tollatur cum solis occasu; Ratio; ne contaminet terram, quia est maledictum Domino. 1. quia talis mors erat probrosissima & 2. quia respiciebat Christum.

§. XXIII. His ita expeditis, videndum quoque est de filio rebelli & contumaci, cujus mentio Deut. 21. injicitur, quique ibidem lapidandus dicitur, suspendique debuit, si parentibus non obtemperaret.

§. XXIV. Illum Filium nonnulli existimant petitum lapidibus fuisse ob solam obedientiam parentibus denegatam? *Unde Piscator edit. Herborn. p. 435. in h. l.* filios contumaces esse capitis supplicio afficiendos concludit, & ea de causa ab aliis refutatur.

§. XXV. Quamvis autem minime inficiemur, hunc filium rebellem obsequium parentibus denegasse, tamen non propterea tantum obruebatur lapidibus, sed aliæ accedebant causæ gravissimæ, ob quas hæc ipsi pœna atrocissima jure meritoque infligebatur. Nam ille homo *in Mischna de Synedrio cap.* 8. §. 2. *edit. Tridentinæ in fol.* 189. *pag.* 2. *& edit. Menasse Ben. Israel Amstel.* 137. *pag.* 2. *in* 8. ita describitur, quod comederit carnes in constitutione novilunii, (quo tempore tantum pane & leguminibus vescebantur) quod comederit decimas secundas Hierosolymis, quod comederit morticina & lacerata, sive morti proxima, res abominabiles & reptilia, quod comederit res nondum decimatas, & decimas primas antequam auferretur Teruma (sive pars 40. vel 50. vel sexagesima danda sacerdotibus, priusquam decimæ separarentur pro Levitis) & decimas secundas, & res sacras nondum redemptas; quod comederit tempore prohibito v. g. comederit in jejuniis publicis, & præterea §. 3. dicitur, quod hic filius rebellis furatus sit bona patris, ut haberet quod devoraret extra ædes patrias: Quæ omnia explicantur *in Commentariis Maimonidis, Bartenoræ, edit. Trid. & Jom. Tobh, edit. Wülmersd. in hanc Mischnam.*

§. XXVI. Cum quibus consentit *Ralbag in Peruschal Hattoræ edit. Venetæ, in charta cœrulea fol.* 230. *col.* 1. qui itidem hunc filium rebellem simul fuisse furem scribit, qui bona Patri clam surrepta dilapidarit, ut cibo & potui indulgeret, ac præterea monitus à Synedrio minore, & punitus ab eodem, flagellatusque noluerit redire ad frugem, ut Parentes coacti fuerint ducere illum ad Synedrium, ut gravius in eundem animadverteretur. Conf. *Jephe Mareh. edit. Venet. fol.* 592.

§. XXVII. Fatetur quoque *Moses Nachmanides Gerundensis, in Biur al Hattora edit. Venetæ, sine textu Biblico impressæ, fol.* 146. *col.* 2. hunc filium rebellem non modo contempsisse Parentes & iis repugnasse, sed & epulonem ac helluonem fuisse, qui Legem Dei, sanctitatem præcipientem, proterve transgrederetur, affectumque fuisse Lapidationis pœna, ut alii inde exemplum caperent, legemque divinam venerarentur.

§. XXVIII. Hinc etiam *Bechai in Biur al Hattora edit. Cracov. fol.* 127. *col.* 3. scribit, hunc filium rebellem divina præcepta transgressum esse, & hinc à parentibus debuisse duci ad Synedrium, ut ostenderetur, parentes magis amare Deum, ejusque præcepta debere, quam filium, licet amor parentum in liberos sit fortissimus.

§. XXIX. An autem uterque parens, vel solus tantum pater hunc filium rebellem adducere ad Synedrium debuerit disputatur. *Theodoretus Tom.* 1. *operum edit. Paris. p.* 168. existimat, & Patrem & Matrem consentire in accusatione filii hujus debuisse, antequam potuerit occidi. Quæ sententia albo approbatur calculo in *Mischna de Synedriis c.* 8. *cit.* §. 4. ubi dicitur: *si pater ejus velit (accusare illum) mater autem nolit, vel si pater noluerit, mater autem velit, non fit filius rebellis & contumax donec ambo voluerint.* Deinde subjungitur: *Si unus illorum (parentum) sit mutilus, vel claudus, vel mutus, vel cæcus, vel surdus, non fit filius rebellis & contumax: quia dicitur: & prehendent illum pater & mater ejus: ergo non debent esse mutili, & educent illum, ergo non debent esse claudi, & dicent, ergo non debent esse muti, hic noster filius, ergo non debent esse cæci, non audit vocem nostram, ergo non debent esse surdi.*

§. XXX. *Sed nova oritur Quæstio: an Deut.* 21: 22. *&* 23. *Cum autem fuerit in viro peccatum quod mereatur mortem, & occidatur, & suspendas illum in ligno, non pernoctabit cadaver ejus in ligno, sed sepeliendo sepelies illum eo die, quoniam maledictus Dei est suspensus, & non immundabis terram tuam, quam Jehova Deus tuus dat tibi in possessionem,* an in quam illi versus referri ad filium rebellem & contumacem debeant? Sane veteres Hebræi in ea sunt sententia, & dicunt, si parentes filio parcant, illumque accusare nolint, quod tum occidatur à Synedrio, sive obruatur lapidibus, suspendaturque, quia si notorius peccator est, inquiritur in illum à senatu. *Vid. Jarchi in h. l. & Elias Misrachi, diligentissimus Jarchii interpres, in h. l. edit. Cracov. fol.* 304. *col.* 4.

§. XXXI. Restat ut de pernoctatione in ligno aliqua adjiciamus. Hoc certum est, suspendio post mortem fuisse punitos reos apud veteres Hebræos, ut inter alios testatur *Obadias de Saphorno in Biur al Hattora edit. Venet. f.* 73. *col.* 1. ubi suspendium vocat contumeliam illatam post mortem. Cum quo paria facit *Abarbanel, qui in Per. al. Hattora p.* 379. *col.* 2. hanc sententiam strenue defendit. Conf. quoque *Aruch. edit. Venet. fol.* 93. *col.* 1. *inf.* Pœnam enim fuisse suspendium patet, ut docet *Calovius in Deut.* 21. Cur autem non debuerint relinqui cadavera in ligno, inquirendum est.

§. XXXII. *Jacobus Bolducius Tom.* 2. *in librum Job. edit. Paris. p.* 132. *ex Andrea Masio* refert rationem, cur lex supplicio crucis affectos sepeliri voluerit, esse hanc, quoniam ex diutino in cruce spectaculo facile deduci quis in extinctæ animæ opinionem posse videretur, minusque recte de futura corporum resurrectione cogitare.

§. XXXIII. Sed potior videtur fuisse ratio, ne tactu cadaveris immundarentur homines, inprimis cum immundities ex mortuo contracta in gente Hebræa inter omnes immundities esset maxima. Quo tendit expositio *Lucæ Osiandri in Deut.* 21. *in fi.*

§. XXXIV. Atque sic suspendium excussum est, quomodo se apud judæos habuerit. Licet autem lignum in quo rei suspendebantur, vocari possit patibulum, ut illud vocat *Jeckuthiel in versione bibliorum Germanica in Deut.* 21. *edit. Amstelod.* & lignum quoque sumatur pro patibulo docente *Flacio, in clave tit. lignum, edit. Ienensis p.* 587. tamen supplicium crucifixionis apud Hebræos usitatum non fuit, quia non inter supplicia crucifixio tanquam peculiare supplicium recensetur, sed tantum suspensionis, tanquam alterius supplicii consequentis, mentio injicitur. Nec verbum תלה præcise significat suspendere vivum hominem, vel in crucem agere, cum etiam de illis rebus usurpetur, in quas crucifixio non cadit; v. g. suspendi dicuntur in clavo ligneo carnes vel pisces, vel panes, quæ non dicuntur crucifigi. Vid. *Nathan Benjechiel in Sepher Herauch edit. Venet. fol.* 162. *col.* 4.

SOLI DEO GLORIA.

M. TOB.

M. TOB. EKHARDI

Ad Ephes. II: 2.

Q. D. B. V.

I.



De eo, qui Princeps est in aëre, secundum Apostoli ductum commentaturus primam merito curam hanc suscipio, ut inquiram atque definiam, quis ille sit, qui ita dicitur, quo justo bonoque ordine commentatio decurrat. Magno vero labore hic opus non est, cum consentiant interpretes, unoque ore asserant, *malum esse spiritum*; id enim suadent cum ea, quæ antecedunt, tum quæ consequuntur in serie orationis.

II.

Vocatur is ἄρχων, *princeps*, *præfectus*, *qui cum imperio præest.* Cum autem varii sint ἄρχοντες, non una ipsis est imperandi ratio. Sic Deus cum dicitur ἄρχων, imperium absolutum intelligitur habere, cui præter justitiam atque sanctitatem suam nil quicquam leges præscribit, limitesque ponit. Reges etiam generaliori notione vocantur ἄρχοντες, quorum alii κατὰ τὴν αὐτῶν βούλησιν, pro suo arbitratu cuncta moderantur ac regunt; alii certis legibus adstricti sunt. Singulari prorsus ratione appellabantur ἄρχοντες, qui Rempublicam Atheniensium administrabant. Quum enim Medon, Codri filius, in regno succederet, sublato regni titulo nomen ἄρχοντος assumsit, teste Vellejo Paterc. *L.* 1. Pausanias institutum hoc Theseo adscribit, haud tamen sibi constans, in *Atticis.* Primo quidem hi ἄρχοντες Reipublicæ præerant, quoad ipsi viverent, postea vero surrogabantur decennales, tandem annui creabantur. Seriem illorum vide contextum apud B. D. Ægid. Strauchium *in Breviar. Chron. p.* 495. E veteribus qui pertractarunt hoc argumentum, Vossius recenset, *Lib.* 1. *de Hist. Græc. p.* 116. Ἄρχοντες porro dantur in rebus sacris, & ad religionem spectantibus. Sic Nicodemus ἄρχων τῶν Ἰουδαίων, unus illorum erat, penes quos jus atque potestas judicandi in negotio religionis erat, & excommunicandi, si qui à fide deflecterent ac deviarent. conf. *Joh.* 3: 1. & *c.* 7: 45, 48, 50. Similiter etiam Aristoteles quosdam memorat, quibus cura communium sacrificiorum commissa fuit, ἄρχοντας propterea nonnullis, aliis autem βασιλεῖς, vel etiam πρυτάνεις, vocatos, *Lib.* 6. *Politic.* 8. Huc pertinet ἀρχιερεὺς τῶν ἱερέων apud Ægyptios, quem hominem præ reliquis justum ac parcere nescium esse oportebat, quique circa collum imaginem ex sapphiro confectam, quæ ἀλήθεια vocabatur, gestabat, ut refert Ælianus *Var. Hist. l.* 14. *c.* 34. Animalis figuram simulacrum illud habuisse, Diodorus Siculus videtur innuere, dum ζῴδιον dicit τῶν πολυτελῶν λιθῶν, vid. *Notat. Aut* fallor ego, aut ritum Judæorum hæc sapiunt, atque eum speciatim, quo summus Sacerdos *pectorale judicii*, in quo posita erant Urim & Thummim, ex instituto divino in pectore gestabat; maxime cum LXX. Seniores Thummim per ἀλήθεια reddant, conf. *Exod.* 28: 29, 30. Quæ vero sit principatus ratio, imperiique forma, dum spiritus malus ἄρχων hoc loco dicitur, eam nec Aristotelis Politica aliave profanorum monumenta norunt; nec tabulæ sacræ definiunt, si scilicet rationem sui generis subjectorum habeas. Alias etiam ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, *princeps hujus mundi* vocatur, *Joh.* 14: 30. *cap.* 16: 11. Neque latet principatus ratio; siquidem per *mundum hunc* non universi hujus structura significetur, quod olim Manichæi volebant; sed modo dicendi, scriptoribus sacris proprio, homines impii, & ea tantum, quæ ad hunc mundum spectant, sapientes intelligantur, quippe qui morem illi gerunt, ac sponte serviunt, conf. Fesselius *Advers. Sacr. lib.* 3. 2. *pag.* 203. Nonnus hæc loca bene παραφράζει: αἰενάου κόσμοιο ἀρχὸς ἀγήνορ, in posteriore πολύτροπος addit, *æterni mundi* versutus *princeps superbus*, nisi, quod pronomen, cum emphasi positum, non expressum sit.

III.

Alibi ἀρχαὶ *principatus* πληθυντικῶς memorantur, abstracto posito pro concreto, *Eph.* 6: 12. Id enim frequens etiam apud profanos est, ut ἀρχαὶ dicantur, & intelligantur ἄρχοντες, vid. passim Aristoteles in *Politicis*, cumprimis *lib.* 6. *cap.* 2. ubi μισθοφορεῖν dicit πάντας, ἐκκλησίαν, δικαστήρια, ἀρχάς, *omnes*, *qui concionibus intersunt*, *judicia exercent*, *magistratus gerunt.* Alibi ἄρχοντας καὶ δικαστήρια conjungit. Syrus tamen Interpres ἑνικῶς reddit, idque vocabulo concretivo, ut ex voce sequenti constat, dum ܐܪܟܘܢ interpretatur, voce, ut patet, à Græcis transsumpta. Multas enim voces Græci Syris dederant, quum his inde à temporibus Alexandri M. dominarentur atque imperarent, sicut è contrario multas à Syris acceperant, uti vel ex tabulis Novi Fœderis patere satis potest, quæ tamen non obstant, quo minus Græca dicendi ratio pure fluat atque decurrat. Licet vero plures sint ἄρχοντες, causa tamen haud est, quare non unus præ cæteris eximius sit atque emineat. Pseudo-Hermes Trismegistus diabolum δαιμονιάρχην appellat, apud Lactantium *Lib. II. cap.* 14. *Divin. Instit.* Cui forte occasionem dedit Sanctus Evangelista Matthæus *cap.* 25: 41. Porphyrius, Philosophus non Christianus, Origenis condiscipulus, Hecaten dicit dæmonibus dominari, eosque continere in triplici elemento, aëre scilicet, aqua & terra, apud Vossium *de Orig. & progress. Idolol. L.* 2. *c.* 29. *p.* 453.

IV.

His adversari videtur, quod Judas Apostolus in Epistola catholica scribit, nimirum Angelos τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν minime servasse, sed deseruisse suam habitationem, *com.* 6. Verum hæc conciliari possunt facile, si vocem ἀρχῆς per *originem* reddas, ut fecerunt Erasmus, Beza nosterque Schmidius, alii. Hoc enim significatu dicta vox tum alibi, tum in sacris Scripturis sæpe venit. Sic Marcus: ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, *ab origine rerum conditarum*, *inde à quo res cœperunt existere*, *c.* 10: 6. conf. 2 *Petr.* 3: 4. Ut adeo per Metonymiam hoc loco idem sit, ac status, conditio, quam cum origine sua sunt consecuti. Sunt tamen Interpretes, qui *de principatu* locum hunc exponunt, utpote Syrus, qui ܪܝܫܘܬܗܘܢ *principatum* habet, ut Gutbirius explicat, *in Lexico p.* 136. item Vulgatus, Lutherus, aliique. Enimvero res adhuc est in integro. Dicit enim Judas, quod Angeli non servarint τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, *principatum*, puta quem ante habuerant, atque possederant, ex gratia conditoris concessam, eminentem illam, cum eximia dignitate, maximaque felicitate conjunctam; nec tamen propterea negat, nullum ipsos principatum mansisse, aëris etiam, aut tenebrarum, de quo deinceps dicitur. Nisi quis eos ἀρχὰς velit appellari, quod tales fuerint, antequam stationem suam desererent, atque adeo nomen, quamvis sine re, cum reliquis bonis retinuerint, conf. *Ephes.* 1: 21. *cap.* 3: 10. *Col.* 1: 16. Num autem hi sic dicantur, quod Deus eorum ministerio utatur in regnorum gubernatione, ceu Pasor asserit in Lexico, dubitari potest; siquidem Deus in aliis etiam rebus eorum utatur ministerio, unde peculiaria ipsis deberentur nomina. Putarim ego ob excellentem naturam, præstantesque dotes sic eos vocari.

V.

Venio nunc ad vocem ἐξουσίας, quæ plures habet significationes, quas recensere omnes, nec instituti est, nec operæ pretium foret. Frequens admodum est *potestatis* notio, quæ in ἄρχοντας apprime convenit, quippe qua instructi sint oportet. Sic Gelonem quendam laudat Ælianus, quod popularior fuerit, ἢ κατὰ τὴν τῶν μονάρχων ἐξουσίαν, *quam pro potestate monarchæ, lib. 6. Var. Hist. cap. 11.* Et apud Aristotelem legamus licet, quod Respublicæ τοῖς ἐν ταῖς ἀρχαῖς τὴν ἐξουσίαν, conferant, *Politic. lib. 5. cap. 3.* Hinc etiam οἱ ἐπ' ἐξουσίας iidem sunt, qui ἄρχοντες. Significationem hanc interpretes plerique omnes præsenti loco vindicant, eo quidem sensu, ut ἄρχων τῆς ἐξουσίας idem sit, ac ἄρχων ἐξουσιάζων, quod loquendi genus alias frequens est: Quam ob causam Erasmus sic reddit: *juxta principem, cui potestas est aëris.* Bene quidem hæc transferuntur; sed quomodo cum sequenti commate cohæreant, nondum est explicatum. Erasmus, Beza, aliique copulandi particulam interserunt, ac πνεῦμα eidem potestati subjiciunt. Eodem fere modo Syrus Interpres, qui post πνεύματος vocem distinctionem ponit, ac ita reddit: *juxtaque arbitrium ejus, qui princeps potestatis aëris Spiritus.* Vulgatus verba magis reddit, quam sensum exprimit. B. Franzius parenthesin facit, eique medium comma includit, ut vox πνεύματος cum vocabulis κόσμου τούτου connectatur, *de Interp. S. Scripturæ p. m. 253.* Alii casuum immutationem statuunt, ac gignendi casum pro accusandi positum existimant, ut κατὰ præpositio πνεύματος vocem quoque respiciat.

VI.

Nihil horum videtur opus esse, si vocem ἐξουσίας de malis geniis interpretemur, ac singularem pro plurali positum dicamus. Neutrum vero novum aut inusitatum est. Quamvis enim scriptoribus profanis incognita sit hæc notio; Novi tamen Fœderis scriptores propriam sibi eam fecerunt, & de bonis pariter ac malis mentibus enunciaverunt. conf. *Ephes. 1: 21. cap. 3: 10. 1 Cor. 15: 24. Eph. 6: 12.* Neque id ipsis vitio verti potest; siquidem gentiles etiam scriptores, quoties novam procuderunt sectam, certas quasdam voces, è communi consuetudine sumptas, arti suæ destinarunt, iisdemque peculiares significationes indiderunt, non nisi ex arte propria intelligendas. Sic Peripateticorum sectæ vox κατηγορίας, quæ alias speciatim *accusationem* notat, generatim vero *indicium*, significat classem seriemque rerum, quæ possunt enunciari de aliis. Par ratio vocum συλλογισμοῦ, τοπικοῦ & aliarum est. Similiter in schola Platonicorum λόγος atque νοῦς substantias spirituales significant, quod ostendunt B. Stolbergius *in dissert. de λόγῳ & νῷ Platonico*, & Patronus noster, Polyhistor. Schurzfleischius, *in diss. de λόγῳ Johanneo.* Vocem tamen Latinam *potestates* eodem sensu Apulejus adhibuit, *in lib. de Deo Socratis.* Hugo Grotius causam sic vocandi mentes spirituales arcessit è Persia; rectius, opinor, eximiam illarum potentiam ac potestatem allegaveris, aut cum Chrysostomo profiteris ignorantiam. Nec exempla desunt, ubi singularis pro plurali ponitur, ut peculiarem etiam ea de re Canonem præscripserit B. Glassius, quod singularis numeri vocibus scriptura sacra quandoque collectam multitudinem, vel totam etiam speciem exprimat, estque XXII. *Lib. 3. Tr. 1. Philol. S.* Idem si de πνεύματος voce dixeris, optime respondebit antecedentibus: sic enim comma posterius erit ἐξηγητικὸν prioris. Simile quid alibi quoque videre licet, conf. 2 Tim. 4: 6. ubi καὶ per *id est* commode exponitur. Hinc Theophylactus, τινὲς, inquit, ἄρχοντα τοῦ ἀέρος τῶν ἐναερίων δυνάμεων νοοῦσι, *nonnulli principem aëris aërearum potentiarum intelligunt, Com. in h. l.*

VII.

Cur autem ἐξουσίαι ἀέρος, *potestates aëris*, dicantur, disquiri nunc debet. Quod si Philosophi, qui è schola Platonis prodierunt, sententiam juberentur dicere, responderent haud dubie, fieri hoc propter aërea corpora, quibus instructi sunt dæmones. Hanc enim illorum sententiam Apulejus, ipse Platonicus, edisserit, dæmonum corpora, dicens, ex illo purissimo aëris liquido & sereno elemento coalita, *in Libro citato.* Idem etiam Varro statuit, quum *inter lunæ gyrum & nimborum ac ventorum cacumina* aëreas dicit esse animas, *sed eas animo, non oculis videri, & vocari heroas, & lares, & genios*, apud Augustinum *de Civ. Dei lib. 7. cap. 6.* Consentit è Christianis Michael Psellus, Platonicæ disciplinæ studiosissimus, (ut editori audit,) & Basilium pro se citat, *in lib. de Oper. dæm. p. 44. seq.* Alios jam prætereo. Enim vero spiritus eos esse, & ab omni materia semotos atque alienos, Theologi pariter ac Philosophi probant atque demonstrant.

IIX.

Duplex omnino videtur hujus appellationis esse causa, altera, quod in aëre cumprimis versentur & obeant: altera, quod in aëre perque aërem potestatem suam plurimum exerceant. Illam D. Chrysostomus indicat, κατὰ τὴν ἐξουσίαν, dicens, τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦτο πάλιν φησὶν, ὅτι τὸν ἐπουράνιον ἔχει τόπον, *hoc denuo dicit, quod locum sub cœlo obtinet, Homil. 4. in Ephes.* Augustinus *societatem* vocat, *inde* (de cœlis) *dejectam, in hoc infimo aëreo cœlo tumultuantem, de Civ. Dei l. 11. c. 33.* Ad eum fere modum, quo Empedocles, Pythagoræus οὐρανοπετεῖς δαίμονας appellat, apud Plutarchum *de non fœnerando*, Psellus ἔκπτωτον γενόμενον dicit ψεύδους ἄρχοντα, *loc. cit. p. 21.* Et ante utrumque Tertullianus: *habent de incolatu aëris, & de vicinia siderum, & de commercio nubium cœlestes sapere paraturas, ut & pluvias, quas jam sentiunt, repromittant, in Apol. adversus gentes.* Graviter ac eleganter in hanc rem canit Aurelius Prudentius, cujus locum non possum quin adscribam. Ita autem ille in *Hamartigenia. p. m. 201.*

Scilicet hoc medium, cœlum inter, & infima terræ,
Quod patet, ac vacuo nubes suspendit hiatu,
Frena potestatum variarum sustinet, ac sub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.

Insinuat hoc etiam B. Lutherus in versione sua, nach den Fürsten/ der in der Lufft herrschet. Alibi id ipsum explicatius edisserit, ita scribens: Er drücket aber auch aus/ wo sie wohnen/ und ihr Wesen haben/ als er spricht: Mit den bösen Geistern unter dem Himmel/ das ist droben in der Lufft/ da schweben sie / wie die Wolcken über uns rc. *Tom. 5. Altenb. p. 997.* Hugo Grotius huc arcessit locum *Ephes. 6: 12.* ubi dicuntur esse ἐν ἐπουρανίοις, *loca vero*, inquit, ἐπουράνια *sunt loca aërea.* Allegari posset pro hac sententia Syrus Interpres, qui ܬܚܝܬ ܫܡܝܐ *sub cœlo* reddit. Consentit etiam B. noster Lutherus. Etsi vero ἐπὶ præpositio non facile notat *sub* in compositione, quandoque tamen abundat, quod in hac voce fieri B. Stolbergius observat, *de Soloec. p. 229.* Chrysostomus ἐπουράνια non de loco, sed de rebus cœlestibus explicat, hinc ἐν pro ὑπὲρ positum asserit, τὸ ἐν, dicens, ὑπέρ ἐστι, καὶ τὸ ἐν διά ἐστι, *in Homil. 22. Ephes.* Verum de his Theologi statuant.

IX.

Tale quid in Platonicorum scholis etiam sonabat; Isti enim tres mundi partes ita distribuebant, ut superiorem Diis, hominibus inferiorem, mediam vero dæmonibus vindicarent. Hinc Augustinus de sententia illorum inquit: *Deorum sedes in cœlo est, hominum in terra, in aëre dæmonum, de C. D. lib. 8. c. 14.* & cap. sequenti, *dæmones*, inquit, *in aëre habitant.* Aut si Platonicum audire placet, Apulejus denuo prodeat. Sic enim is in citato Libro: *sunt quædam divinæ mediæ* potestates, *inter summum æthera & infimas terras in isto intersita aëris spatio.* Sententiam hanc sectæ istius magister in Ægypto procul dubio didicit, quippe qui eo profectus est, ut divinam cumprimis sapientiam addisceret. Neque illud obscurum est, unde Ægyptii talia hauserint, ex consuetudine scilicet cum Israëlitis, quæ per multos annos primis statim temporibus utrisque intercessit, & posterioribus instaurata fuit. Retinuit istam sententiam Platonis in Academo successor, Xenocrates, quum dæmones dicit esse *naturas* in aëre *grandes & robustas, morosas tamen & tetricas*, apud Plutarchum *de Iside & Osir.* Hesiodus tamen etiam ante hos simile quid habet, quum illi dæmones dicuntur ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν, *aëre vestiti passim oberrantes per terram, in Operibus, vers. 124.*

X.

Video, quid dictis obverti possit, Petrum scilicet Apostolum in tartarum eos præcipitatos, & catenis insuper tenebrarum vinctos esse dicere, in epistola posteriore *cap. 2: 4.* Tartarus autem apud scriptores profanos infimus sub terra locus est, tenebris & caligine refertus, unde βάθιστον ὑπὸ χθονός βέρεθρον, *profundissimum sub terra barathrum* Homero dicitur, Iliad. θ. *vers. 13.* tantumque distare terra, quantum hæc cœlo distat, Hesiodo fingitur, *in Theogon. v. 720.* Apulejus tamen terram hanc tartara vocat, loco jam allegato. Vocatur etiam χῶρος εὐρώεις, *locus squalidus, in Theogon.* Hesiodi, *vers. 731.* νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινά, *noctis obscuræ domus horrenda, vers. 744.* χάσμα μέγα *hiatus magnus, v. 740.* quæ verba sanctus Lucas etiam historiæ suæ priori inseruit, *c. 16: 26.* Plutarchus *injustitiæ & ultionis carcerem* appellat, *in Cons. ad Apollon.* In tartarum hunc Titanes, adversus Deos, rebelles,

belles, à Jove præcipitatos apud Hesiodum legimus, quibus sub involucris illud latere, quod hic ab Apostolo dicitur, & ex veteri Ecclesia ad gentes per famam aut traditionem pervenisse, vero est simile. Hoc interim certum est, verbum ταρταρόω inde sumptum esse mutuo. Verum ne dicam, esse, qui tartarum de ipso aëre caliginoso interpretantur, forte, quod ἠερόεις apud Poëtas sæpe dicitur; hoc tantum addo, nihil obstare, quo minus in tartarum præcipitati etiam in aëre permittantur versari, id quod Theologi expediunt, vid. B. Calovius *Bibl. Illustr. ad 2 Petr.* 2:4. & D. Pomarius *Comm. in ep. Judæ p.* 219.

XI.

Quod ad potestatem attinet, quam in aëre dixi, perque aërem spiritus malos exercere, ut ἐξουσίας ἀέρος propterea dicantur, confirmant eam Interpretes, quotquot reddiderunt: *Secundum principem, cui potestas est aëris.* Nec aliud obstat, quod ad principem potestatem restringant; sic enim gradus differentia tantum intercedet. Huc facit egregie locus Prudentii, quem ex *loco citato* adscribere juvabit:

Sed cum spiritibus tenebrosis, nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iste
Et prigis densus nebulis obtemperat aër.

Hinc eruditissimi soceri eruditissimus gener, si πολυπραγμοσύνην excipias, Caspar Peucerus *præcipua*, inquit, *est dæmonum in aëre potentia, in qua circumvolitant, & versantur, in Comment. de divinat. pag.* 25. & paulo ante: *cient in aëre sævas tempestates, insuitatos ventorum flatus ac turbines.* Recte vero potestatem despoticam in aërem ipsis Theophylactus derogat, siquidem μόνος δεσπότης Deus sit, teste Juda Apostolo *in epist. com.* 4.

XII.

Specimen insigne hujus suæ potestatis, quam in aërem habet, edidit dæmon, quum permittente Deo Jobum affligeret atque vexaret, ventisque excitatis domum disjiceret ac liberos ipsius obrueret, cap. 1: 17. Neque difficile admodum hoc ipsi erat, ut aërem collidendo ventos excitaret ac impressionem faceret. Cum enim facile sit artifici, ope aëris varia miranda perficere, quidni spiritus ille experientia multorum millium annorum abunde confirmatus, & in omni rerum naturalium scientia perfecte edoctus, & quod maximum est, tanta insuper potentia præditus, paria sive majora posset efficere? Nec fere dubitaverim, quin idem ille spiritus adversarius tempestatem concitaverit, quum Christus Servator navi veheretur in mari, atque dormiret, eo consilio, ut eum aqua submergeret, ac in mari sepeliret, quem exitio sibi futurum ex indiciis non dubiis divinare poterat, conf. *Marcus cap.* 4: 37.

XIII.

Plura licet apud gentes, à vera religione alienas, reperiamus exempla, quibus potestatem suam in aërem declaravit dæmon, quod magis eam inter υἱὲς ἀπειθείας exercere potuit. Huc referendum illud existimo, cum Brennus, dux Gallorum, templum Delphicum invaderet, illud deprædaturus, ac tantus oriretur terræ motus, qui Gallorum exercitum sterneret, tempestas etiam insequeretur, quæ grandine & frigore saucios ex vulnere absumeret, ut refert Justinus *lib.* 24. *cap.* 8. Huic geminum est, quod Valerius Maximus de Pyrrho, Epirotarum Rege, tradit, quod, cum onustus nefaria præda, à Locrensibus è Deæ templo coacta, navigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis Deæ littoribus allisus sit, *lib.* 1. *cap.* 1. Nescio, annon huc referam, quod apud Curtium lego, repente obductas cœlo nubes condidisse solem, largumque imbrem procellas excussisse, cum Alexander M. Ammonis oraculum aditurus, cum suis in desertis vastisque locis constitutus, ac æstu fatigatus esset; ipse certe historicus dubitat, num Deorum munus, an casum interpretari debeat, in *lib.* 4. *cap.* 7. Illud vero spurium est, nec in censum hic venit, quod Dio Cassius scribit, magi cujusdam artibus factum, ut temporibus Marci Antonini Imperatoris, cum adversus Marcomannos & Quados bellum gereret, pluvia milites æstu sitique afflictos reficeret, ignis vero fulminaque in hostes sævirent eosque delerent; cum Christiani potius milites, qui in exercitu Romano erant, votis precibusque suis hoc obtinuerint, ut observat Præceptor noster Schurzfleischius in Colleg. MS. Hist. Eccles.

XIV.

Ad potestatem hanc pertinet, quando spiritus ille malus aëre utitur, ad corpus inde formandum, sibique adaptandum, ut in eo appareat, id quod hic tanquam certum alibique probatum suppono. Quorsum Peucerus etiam illud refert, quod aërem dæmones venenatis halitibus impleant, ut homines, haurientes aërem, simul virus illud absorbeant, *loco supra citato.* Idem Plutarchus observaverat, quod pestilentias civitatibus invehant, *in lib. de oracul. defectu*; & Tertullianus asserit, quod venenatos haustus aëri offundant, *loco jam citato.* Verum Christus Servator aboleat πᾶσαν ἀρχὴν, καὶ πᾶσαν ἐξουσίας καὶ δύναμιν.



M. HEINR. TRIERENBERGII
DISSERTATIO
De Barbarorum Scytharumque Oppositione ad Col. III: 11.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Barbarus. Vocis Origo atque usus. Aves barbaræ. βάρβαρ. *Strabo laudatur. Orbis divisio* εἰς τὸ ἑλληνικὸν *&* τὸ βαρβαρικόν. *Romani, Judæi barbari. Phryges, Persæ barbari.* βαρβαρίζειν. Σκύθης. *Nominis origo. Scythæ optimi Sagittarii. Darius & Scytharces arcus commutant. Amazones Scythiæ.* Σκύθης *&* Γέτης *Salmasio idem. Duplex juxta Antiquos Scythiæ significatio, latior & angustior, ut & Indiæ, Æthiopiæ, Celticæ, &c.*

§. I.



Nominibus ordimur merito eaque enodamus prius, quam rem ipsam consideremus. Duo sunt, Βάρβαρος & Σκύθης. De utroque seorsum. Barbarus è Chaldæorum בר quod valet *extra, foras*: & quicquid est foris, *ager, sylva, campus, desertum.* Ex voce hac geminata ברבר, quod Ebræis familiare est, fit barbarus, eoque notatur admodum extraneus vel peregrinus. Conf. Voss. de vitiis Sermon. lib. 1. c. 1. & Martin. in Lex. Philolog. Tales qui sunt sermone, nec intelligunt, nec intelliguntur. Unde canit Ovidius lib. 5. Trist. Eleg. 11. cum in Ponto ageret:

Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli. Et Epops apud Aristophanem ait, Aves, antequam eas loqui docuisset, barbaras fuisse: quod Suidas exponit, μὴ εἰδότας ἀνθρώπων τὴν φωνήν, nescientes humanam vocem. Sic & Paulus 1 Cor. 14: 11. Nisi igitur sciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus, & qui loquitur, in me erit barbarus.

§. 2. Alii inde natum volunt hoc vocabulum, quod peregrini homines Athenis linguam græcam discentes, cum aliquid ex ea proferre conarentur, in hanc vocem *Barbar*, βάρβαρ, subinde incidere soliti sint. Strabo existimat hanc vocem ab initio per Ὀνοματοποιΐαν factam de his esse, qui non plane nec expedite verba pronunciant, sed pinguiore sono & aspero: cujusmodi alia multa habemus ficta vocabula, quæ rem ipsam sono quodammodo repræsentant. Verba ejus sunt lib. 14. *Existimo vocem Barbarus ab initio ita fuisse attributam his, qui nonnisi difficulter, duriter, aspereque possent pronunciari, ut* βατταρίζειν, τραυλίζειν, ψελλίζειν. *Quum omnes, qui sic crasso ore loquuntur, barbari appellarentur: existimatum est alienigenarum ora esse talia, eorum, inquam, qui non sunt Græci. Hos igitur initio vocabant Barbaros, tanquam diductionem asperitatemque eis exprobrantes: deinde tanquam communi quodam gentili nomine abusi sumus in nationum divisione, Barbaros Græcis opponentes.* Hæc ille.

§. 3. Itaque principio Barbari appellabantur, etiam Græci ipsi, si Linguam suam male pronunciarent, παχύστομοι ἢ τραχύστομοι. Quia vero putabant alienigenarum ora esse talia, ut non possent recte pronunciare, ideo postmodum omnes alias gentes à Græcis diversas ac distinctas hoc nomine appellarunt. Verum quidem est, exteros prope omnes locutiones linguæ alienæ & non vernaculæ difficulter ac corrupte efferre: sed hoc commune etiam cum iisdem habent Græci, qui non melius proferunt voces peregrinas, quam cæteri extranei enunciant græcas. Hoc satis probant nomina innumera, quæ è Linguis peregrinis desumta corruperunt Græci. Itaque Anacharsis Scytha dicebat: Ἐμοὶ ἢ πάντες ἕλληνες σκυθίζουσιν. Ut Scytha Atheniensi barbarus: Sic Scythæ Atheniensis.

§. 4. Ita vero Græci totum terrarum orbem in duo genera quasi partes dividebant, εἰς τὸ ἑλληνικὸν ἢ τὸ βαρβαρικόν. Neque Romanos excipiebant; moreque Græcorum loquitur Plautus prologo Asin. cum barbaram vocat Linguam Latinam. Judæi etiam in ea parte censebantur, quæ habebat barbaros. Eadem namque divisio apud Philonem legitur, qui in Barbarico collocavit τὸ ἰουδαϊκόν.

§. 5. Speciatim Phryges Barbari. De quo sic scribit Turnebus Advers. lib. 9. cap. 18. *Cum ex antiquo Poëta affertur* (Tusculan. l. 1.) *stante ope barbarica, barbaricum interpretor Phrygium, ut sit, stante Phrygum imperio. Sic apud Horat. lib. 1. ep. 2. Græcia barbariæ lento collisa duello, id est Phrygiæ. Et apud eundem epod. 9. sonante mixtum tibiis carmen lyra, his Lydium, illis barbarum, id est, Phrygium. Et apud Maron. lib. 2. Æneid. Barbarico postes auro spoliisque superbos, id est Phrygio.* Ideo in Modis Musicis, qui Phrygius, idem etiam Barbarus dicitur, teste Rhodig. Lection. Antiq. lib. 9. c. 3. p. 442. Sunt & qui Persas peculiariter sic dici annotarunt. Tandem ad mores feros asperosque nomen hoc accommodatur. Unde βαρβαρίζειν est barbaros imitari, sive in moribus & cultu, sive sermone & lingua, sive etiam barbaris favere.

§. 6. Pergimus ad alterum, quod est Σκύθης. Quidam à σκύζεσθαι *irasci* derivant, quod sint iracundi, ut est apud Cœl. Rhodig. l. 18. c. 24. p. 1011. Alii à Scytha Herculis filio denominatos volunt. Etenim, ut Herodotus tradit lib. 4. sive Melpemone, Hercules cum Geryonis vaccas ageret, in eam pervenisse terram dicitur, quam Scythæ postmodum incoluerunt, & cum obdormiisset ibi, equas, quas habebat, interea aufugisse. Has cum quæreret, Virginem invenit ancipitis naturæ, humanæ & serpentinæ, cum qua congressus tres genuit filios, & in his tertium nomine Scytham, à quo porro progenerati sunt, qui deinceps Scytharum reges fuerint. Nec desunt, qui Scytharum nomen deducunt à Germanico Schieten vel Schießen/ id est, jaculari. Scythæ namque optimi fuerunt Sagittarii, quorum arma perpetua Sagittæ & arcus. Hinc Orpheus in Argonaut. τοξοφόρους τε Σκύθας, ἄρεος πιστοὺς θεράποντας, arcus ferentes, fidos Martis famulos nominavit Scythas. Herodotus l. c. & Lucianus in Toxari Equites Scytharum Ἱπποτοξότας. Nempe à teneris jaculari assueverant, ideoque tantam peritiam consequebantur, ut raro à scopo aberrarent. Unde etiam est, quod Anacharsis in Plutarchi Symposio dicit, animalia Dei motionibus non minus obsequi, ἢ Σκύθαις τόξα, λύραι ἢ ἕλλησι ἢ αὐλοί, quam Scythis arcus, lyræque Græcis ac tibiæ obsequuntur.

§. 7. Apud

§. 7. Apud Herodotum lib. 1. Mediæ Rex Cyaxares filium suum Scythis committit, ut ab iis addiscat τὴν τέχνην τ̃ τόξω sc. χρωμένων, artem arcu jaculandi. Et in Ctesiæ Persicis Darius & Scytharces, hic Scytharum Rex, ille Persarum, arcus sibi misere mutuo, sed Scythicus prævalebat; quod Darium ita perculit, ut fuga sibi consuleret. Amazones, quæ Scythiæ fœminæ, ab infantia dexteram mammam inurebant, ne sagittarum jactum impediret. Quod fabulosum non esse prorsus, colligere est ex Platone lib. VII. de Legib. Hippocrate lib. de aquis & locis. Nicolao Damasceno apud Stobæum serm. 5. Æliano var. Histor. l. XII. 38. aliis. Præterea & Plinius testatur, Scytham Iovis filium invenisse arcum & sagittam. lib. VII. Nat. Hist. c. 56. A Scythis vero Germanos ortos, indeque suam linguam mutuatos esse multi tradunt.

§. 8. Cl. Salmasius Comment. de Lingu. Hellenist. p. 368. 369. varie ait à Græcis enunciari nomen Σκύθης & multas μεταπλώσεις incurrere. Nam Σκύθης, Γέτης & Γοτθὸς idem ipsi sunt. *Antiqui & primi ἕλληνες, cum adhuc vicinas Thraciæ Macedoniam & Thessaliam tenerent, populos Thraciæ sibi ex vicinitate notiores, qui Juti vel Guti ipsorum lingua vocabantur, præposito Σ, qui mos est Æoliorum in plerisque vocabulis, appellarunt Σγύθας ut Σκύθας. Quod nomen postea generaliter hæsit omnibus Septentrionalibus gentibus apud Græcos, quamvis habitu & lingua moribusque differrent, sed & situ.* Hæc ille. Constat de Æoliis, eos consuevisse Sigma præponere vocibus à consonante incipientibus, μῦς, σμῦς, mus, μυδρὸς, σμυδρὸς, candens ferrum, μέρδω, σμέρδω, video, oculos obverto.

§. 9. Usurpatur vero Scytharum nomen duplici modo, late plerumque, & anguste aliquando. Stephanus, Σκύθαι ἔθνος Θρᾳκιον, Scythæ gens Thracia. Postmodum generale evasit nomen, usurpariqne cœpit de omnibus ad Septentrionem gentibus. Prodidit Ephorus Strabone teste in primo, juxta antiquos mundum dispesci in quatuor partes, versus Subsolanum habitare Indos, versus Austrum Æthiopas, versus Occasum Celtas, versus Boream Scythas. Et ipse Strabo, *Plerique Scytharum, qui à Caspio Mari incipiunt, Daæ appellantur; Orienti viciniores Massagetæ & Sacæ: reliquos communi nomine Scythas dicunt, quanquam singuli populi etiam sua nomina habeant.* Idem observare licet in aliis gentium nominibus, quæ pressius interdum, nonnunquam etiam laxius sumuntur. ἕλληνες primo appellabantur, qui Thessaliæ partem Phthiotim incolebant. Postmodum commune factum est nomen omnium Græciæ populorum, & omnium dialectorum. Celtica nunc presse accipitur pro Gallia, imprimis Lugdunensi, nunc laxe pro gentibus cunctis ad occasum sitis: potissimum quinque illis Hispania, Gallia, Britannia, Germania, & Illyride. Ptolomæus Scythiam facit duplicem, utramque in Asia, unam intra Imaum montem, alteram extra eum. Præter hanc Scythia Europæa est Sarmatia. Sed de Nomine satis.

CAP. II.

ARGUMENTUM.

Genus humanum in duo genera quasi partes divisum. Aliter à Judæis: aliter à Græcis. Græci olim etiam illi, qui Græcorum doctrinas hauserunt. Isocrates notatur. Galeni in Germanos injuria. Gentiles quare Græci dicti. Interpres Syrus & Arabs. Gentiles Aramæi dicti. Rationes Schindleri & Mayeri expenduntur. Præter Judæos & Colchi, Ægyptii, Æthiopes circumciduntur. Scythæ barbari. Grotii interpretatio examinatur ac rejicitur. Ἕλλην an proselytus? Crojus refutatur & Heinsius. Salmasii interpretatio contra Schotanum defenditur. Scytharum virtutes. Testimonia pro ipsis Herodoti, Æschyli, Homeri, aliorum. Homeri versio latina corrigitur ex Arriano & Hesychio. Justinus exponitur. τὰ πάντα quid? Camerarius & Portus laudantur. Hæreses IV. Epiphanii, perperam ex hoc loco constituuntur, &c.

§. 1.

QUi Barbari dicantur, qui Scythæ, ex antecedentibus liquet. Et quoniam Barbarorum nomen tam late patet, ut omnes comprehendat populos, exceptis Græcis; mirum videtur omnino, nec expediri facile potest, quare ab Apostolo Scythæ Barbaris opponantur. Et enim in verbis Pauli oppositionem esse, tam ea quæ præcedunt, quam quæ sequuntur, confirmant. *Ubi non est Græcus neque Judæus*, priora Pauli verba sunt. Frequens hæc oppositio in sacris Literis. conf. Actor. 14: 1. 18: 4. 19: 10. 20: 21. Rom. 1: 14, 16. 2: 9, 10. 3: 9. 10: 12. 1 Cor. 1: 24. 10: 32. 12: 13. Gal. 3: 28. Nec medium ea admittit, alterumque per alterum directe excluditur. Scilicet universum genus humanum apud antiquos in duo genera quasi partes dividebatur; sed à Græcis aliter, aliter à Judæis. Græci sapientiam & eruditionem humanam respiciebant, ideoque distinguebant inter τὸ ἑλληνικὸν & τὸ βαρβαρικόν. *Catam, doctam, politam Orbis partem constare volebant in Græcis totam: alteram ferocem, rudem, impolitam, tam sermone, quam moribus, in reliquis consistere gentibus; quas omnes præter se Barbaras appellabant*, verba sunt Cl. Salmasii Ossileg. p. 353.

§. 2. Quantum sibi tribuerint Græci, satis nos docet Isocrates, quando superbe admodum de Græciæ nomine declamat, asseritque audacter, non esse illud nationis & gentis, sed rationis ac mentis argumentum, potiusque Græcos vocari, qui eandem cum ipsis hausissent doctrinam, quam qui in eadem Græcia nati essent, Orat. Panegyr. p. 99. edit. Wolf. in 8. Quin & soli aliis volebant imperare, soli vincere. Unde apud Aristotelem dicitur, βαρβάρων δ' ἕλληνας ἄρχειν εἰκός. Barbaris imperare Græcos par est. Galenus vero nostræ genti imprimis est iniquus, cum de arte sua ait, *Nos neque Germanis, neque aliis quibusdam agrestibus atque Barbaris ista scribimus, haud magis atque ursis aut leonibus, aut alii cuidam bestiarum.* Sed hæc prosequi non est instituti nostri. Attamen Philo, quamvis Iudæus sequitur hac parte Græcos, & duo hominum genera in mundo agnoscit, Græcos atque Barbaros, atque in his censet etiam Iudæos, tract. de confus. Ling. & l. 2. Vit. Mosis. Ac B. Paulus, cum dixisset, se debitorem esse Græcis atque Barbaris, mox subjicit, σοφοῖς καὶ ἀνοήτοις, sapientibus & insipientibus Rom. 1: 14.

§. 3. Alias Judæi majorem rationem & curam habuere divini cultus & veræ religionis, quam prudentiæ civilis & cultioris literaturæ, eaque propter divisione alia usi sunt. Nam genus humanum & ipsi secuerunt in duas partes, ut Græci, Græcisque alteram dederunt, alteram sibi assignarunt. Sed illi per Græcos intellexerunt omnes gentes, quæ Idolorum cultum & Deorum multitudinem adstruerent. Unde etiam ἐθνικοὶ, id est gentiles appellabantur, quia omnia ἔθνη, quæ ἑλλήνων nomine vocabantur, ei idololatriæ dedita erant. Propterea autem cæteras gentes omnes in universo mundo idololatricas nominarunt Græcos, quia hi in eo errore erant præcipui, & magnam habebant nominis atque eruditionis famam præ reliquis, qui Idolis venerationem exhibebant. Et huc pertinent illa loca, quæ supra laudavimus, è Scriptura Sacra N. Testamenti. Nec magnopere causa suberat, cur Grotius hunc nostrum eximeret, in quo, ipso judice, vox Græcorum sumitur strictius, pro iis, qui Græci erant sermone. Addit sequentia hoc indicare. Nec tamen probat, qua id fiat ratione. Qua de re postmodum.

§. 4. Interpres Syrus pro Græco habet Aramæus: Arabs pro eodem Syrus posuit. Syrus & Aramæus idem. In Paraphrasi Chaldaica Vet. Testam. Aramæus sive Syrus denotat Gentilem sive Ethnicum, qui nunquam factus fuit Proselytus. Hunc Paraphrastem videtur imitari Syrus interpres Nov. Testam. qui omnes Gentiles sive Idololatras vocat Aramæos s. Syros. Non ideo, quia Syri primi idololatræ commemorantur in S. Literis, (quam rationem reddit Schindlerus in Lex. Voc. ארם) sed quia Iudæi viciniores non habebant Gentiles & Idololatras, quam Syros, à quibus etiam contagio Idolomaniæ inficiebantur ante captivitatem Babylonicam, docente Mayero P. 2. Philolog. Sac. p. 7, 8, 9.

§. 5. Posthæc opponuntur περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία, *Circumcisio & Præputium.* Videntur hæc paria facere cum præcedentibus, & ea explicare. Sed possunt tamen distingui ab istis, ut suam & ipsa habeant peculiarem χώραν, sicuti cætera. Non enim omnis Gentilis habebat præputium: nec soli circumcidebantur Judæi. Præter Iudæos enim & Colchi & Ægyptii & Æthiopes pudenda circumcidebant, uti tradit Herodotus Lib. 2. Qui porro falsus est, cum scribit, Phœnices & Syrios, qui sunt in Palæstina, fateri se didicisse hunc morem ab Ægyptiis. Addit & alios Syrios, qui fluvium Themodontem & Parthenium accolunt, & horum conterminos Macrones, eandem circumcidendi consuetudinem accepisse à Colchis l. c. Sic & postrema intelligenda sunt, δοῦλος & ἐλεύθερος, servus ac

ac liber; & in Epist. ad Gal. 3:28. ἄρσεν καὶ θῆλυ, mas & fœmina, quæ sunt generales hominum distinctiones.

§. 6. Pergamus ad Barbaros & Scythas. Barbari sic dicuntur tum ob linguam & sermonem, tum etiam ob mores & cultum, quoties opponuntur Græcis. Scythis utrumque convenit, quorum & lingua est barbara, & mores sunt ferissimi. Unde Ovidius lib. V. Trist. Eleg. 8.

Vox fera, trux vultus verissima mortis imago,
Quamque lupi sævi plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum.

Moris his erat, inter epulas honoris causa mortuos vorare, uti testatur Rhodigin. lib. 17. cap. 19. pag. 928. Hugo Grotius ad h. l. per ἕλληνα intelligit eum, qui est græci sermonis: eique tam Barbarum opponit quam Scytham, qui inter barbaros erant barbarissimi, homines semiferi, ut sic Oratio crescat. Addit hoc nomine tanquam probroso in Demosthenem usum esse Æschinem. Scilicet Demosthenes matrem habuit generis Scythici, ideoque ab Æschine dicitur *Scytha, barbarus, græca Lingua utens*, Orat. contr. Ctesiphont. p. 299. Ubi tanquam Synonyma conjunguntur Scytha & barbarus, non ut diversa & pugnantia opponuntur. Et est hæc interpretatio communior. Estius ad h. l. ideo distingui Scythas à Barbaris scribit, quod Scythæ inter Barbaros eminerent, ut præ illis cæteri, ne viderentur quidem barbari. Et Cornel. à Lapide in h. l. eadem habet. Clarius exposuit hanc sententiam Schotanus de secunda Mundi ætate pag. 161. *Putant Græcis priore jugo positis utrumque vocabulum* (Barbarus & Scytha) *ut ἰσοδυναμοῦν opponi. Non opponi Judæum religione, sed moribus & cultu: cumque obscurius Judæi voce barbarismus notatus esset, ideo subjici duas voces evidentiores* (barbarus & Scytha).

§. 7. Quo sensu Græcus hic opponatur Iudæo, nondum ipsi consentiunt. Cornel. à Lapide Græcum vocat gentilem. Cæteri tamen, qui per Græcum intelligunt eum, qui est lingua & gente talis, per Iudæum intelligere debent barbarum. Iudæi enim in ea mundi parte censentur, quæ habet Barbaros. Cum autem hæc oppositio sit obscurior, declaratur melius juxta ipsorum sententiam per Barbarum ac Scytham. B. Chrysostomus ἕλληνα exponit Proselytum Homil. VIII. ad h. l. sed affirmaverim nusquam in Novo Testamento poni hoc nomen, nisi pro incircumcisis, & iis, qui Græcorum erant imbuti superstitionibus. Quæ enim loca adduxit doctiss. Crojus Observat. in Nov. Testam. cap. 31. pag. 232. seqq. pro significatione Proselyti, id minime probant. Plus audet Heinsius, qui aliquando ἕλληνας de ipsis Iudæis, qui genere tales essent, & græce loquerentur, exponi posse censuit. Cui vero salse admodum respondet Salmasius funer. Hellenist. pag. 99. *Hoc si est, jungendi jam sunt gryphes equis, nec quicquam vetat, quin omnia vel medium fiant mare, vel in antiquum chaos redigantur. Certe in posterum, si id obtineret, nox diei nomen locumque occuparet, Æthiops indifferenter album & atrum hominem significaret. Sacrilegus pro Sacricola posset sumi, & idolorum venerator transiret in appellationem ejus, qui Deum unum pura colit mente. Nec enim minus quam illa quæ posuimus inter se pugnantia sunt & contraria*, Ἰουδαῖος & ἕλλην.

§. 8. Quo sensu opponantur hoc in loco Iudæus & Græcus, in præcedentibus expositum est. Cæterum Grotii interpretationem, quæ etiam Doctissimo Vossio placet de Idololatria Origen. & progress. lib. 1. cap. 3. pag. 17. contextus non admittit, in quo diversæ ac generales hominum distinctiones proponuntur, quæ σχέσιν tantum inter se habent, non cum sequentibus aut præcedentibus. Id quod agnoscit Clarissimus Schotanus: *Apostolus*, ait, *oppositionum juga accurate disterminat.* Deinde Græcus opponitur Iudæo ut Gal. 3:28. ubi ipse Grotius scripsit, Græcos esse omnes non Iudæos. Hoc si verum, non potest dici, per Græcos intelligi, qui græci sunt sermonis. Num omnes non Iudæi græci sunt sermonis? Et tamen juxta Ipsum per Græcos notantur omnes, qui non sunt Iudæi. Et quare insereretur ἀκροβυστία καὶ περιτομή, si Græco tam Barbarus & Scytha, quam Iudæus opponeretur? Hac ratione, qua removetur Barbarum & Scytham esse à Græcis, etiam separandum ab iisdem servum & liberum, imo masculinum & fœmininum: quorum utrumque tam apud barbaros, quam Iudæos, tam apud Scythas quam Græcos fuit.

§. 9. Putamus itaque constare, varia in hoc loco proponi opposita quæ sunt è diverso genere inter se contraria, & non habent σχέσιν cum aliis contrariis, similiter sibi invicem oppositis. Ἕλλην opponitur Iudæo, nec σχετικῶς ad barbari vel Scythæ appellationem dicitur; quæ duo nomina & ipsa sic sibi opposita sunt, ut nihil pertineant ad σχέσιν Græci & Iudæi. Solus religionis intellectus ἕλληνα contra Iudæum ibi consistere facit. Alio respectu opponuntur in duabus extremitatibus Barbarus & Scytha. Quis ille sit, quæritur? Salmasius Ossileg. pag. 359. vult eandem hanc Oppositionem esse cum illa, qua Græcus opponitur Barbaro. Hic enim inter barbaras gentes nominari eam, quæ minime omnium barbara sit, & quæ sapientia ac prudentia humana cæteris præcellat, ideoque etiam opponatur. Scilicet Apostolus cum ratione religionis adversis frontibus pugnantes constituisset Iudæum & Græcum, h. e. sapientiam divinam & ignorantiam rerum divinarum, poterat porro in oppositis lancibus collocare græcum & barbarum, ut sic contendere faceret prudentiam humanam, cum rerum humanarum inscitia. Verum quia vox ἕλλην in causa religionis Iudæo opposita, sedem jam occuparat, vitandæ ambiguitatis vel obscuritatis gratia posuit Scythas, qui quidem inter barbaros numerantur, quanquam barbari haud sunt.

§. 10. Non placent hæc Schotano. Quanquam enim Salmasium merito meritissimo inter suos Præceptores veneratur, quem & virum summum, & in eruendis scriptorum sensibus perspicacissimum appellat, ejus tamen expositionem probare nequit. *Scytham*, ait, *Barbaro opponi, quis unquam audivit?* Esto, à nemine id factum esse: si cum ratione id fecerit Apostolus, quamvis sit primus, culpari haud debet. Ut gentes ipsæ sua habent initia, ita nomina aliquando cœpisse, & varium loquendi usum necesse est. Quis Judæum & Græcum eo sensu, quo Apostolus, opposuit? Nec tamen ea oppositio caret ratione; quod vel Isocratis constat loco, quem supra notavimus. Verum Scytham posse opponi Barbaro, ex Herodoto probavit Salmasius. Ὁ δὲ πόντος ὁ Εὔξεινος, χωρέων πασέων παρέχεται πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεα ἀμαθέστατα, Melpom. sive Lib. IV. Valla vertit: *Pontus autem Euxinus nationes exhibet omnium imperitissimas, Scythica duntaxat excepta.* Scythica gens opponitur τοῖς ἔθνεσιν ἀμαθεστάτοις. Scythæ igitur εὐμαθεῖς & periti disciplinarum. Addit Herodotus: *Nullius enim nationis eorum, quæ sunt intra Pontum, aut aliquid ad sapientiam pertinens proferre possumus, aut aliquem virum pro erudito habitum novimus, præter Scythicam gentem & Anacharsin.* Græca habent, οὔτε γὰρ ἔθνος ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίης πέρι. Sapientia igitur, quæ à cæteris removetur, his verbis Scythis tribuitur. Quod frustra negat Schotanus. *Mores probos natura finxerit: sed nihil hoc ad Sapientiæ laudem.* Opponit, quæ non erant opponenda. Ut alii Scytharum mores, justitiam, temperantiam aliasque virtutes laudant: ita Herodotus eorundem prædicat sapientiam atque doctrinam. Æschylus εὐνόμους vocat, & Euphorus asserit, τῇ δικαιοσύνῃ πάντων διαφέρειν, eos justitia omnes homines superare. Etiam illa de Scythis interpretatur Arrianus de expedit. Alexand. Magn. lib. IV. principio, quæ Homerus habet ιλ. V. vers. 5.

—— —— ἀγαυῶν ἱππημολγῶν,
Γλακτοφάγων, ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

—— —— *Illustrium Hippomolgorum*
Lacte vescentium, longævorum, justissimorum hominum.

Sed ἀβίων non est appellativum, sed proprium gentis nomen, ut constat ex Arriani loco laudato. Quod tamen ut appellativum varie exponit Eustathius ad h. l. notatque idem dubitari de voce ἀγαυῶν, sitne Epitheton, an ipsum gentis nomen proprium. Posterius hoc Hesychius habet, tueturque Nicolaus Blancardus animadvers. ad Arrianum l. c. Alia plura de hoc argumento videre licet apud Chærilum, Strabonem, Nicolaum Damascenum & Lucianum, quæ collegit Clarissim. Bochartus Lib. III. Phalec. cap. 9.

§. 11. Instat Schotanus, Herodotum scribere, *Scythas inter barbaras gentes eminere: sed non eximere illos è barbarie.* Quod quidem nullam nobis videtur habere difficultatem. Eximit Scythas è barbaris ratione nimirum cultus, morum & ingeniorum, quamvis non eximat à communione nominis barbarorum. Hoc jam sufficit. Non enim hic nuda nomina sibi opponuntur. Res comprehensa & significata considerari debet. Dicantur Scythæ Barbari, modo ne sint tales, id est, agrestes, feri, rudes, inculti. Hoc removet ab ipsis Historicus antiquissimus. *Anacharsis sapientiæ professionem retulerit in patriam, non intulit, ut ipse ille Trogus incul-*

tam Barbariam Scythis impingit, verba sunt Schotani. Scilicet Iustini verba laudaverat Salmasius, cum Lib. II. scribit, *prorsus admirabile videri, Scythis naturam id dedisse, quod Græci longa sapientum doctrina, præceptisque Philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbariæ collatione superari.* Ubi clarum est, Iustinum κατ' ἄνθρωπον loqui & κτ̀ δόξαν. Pro barbaris vulgo habebantur Scythæ, & sic vocabantur; sed tales non erant. Ipsorum enim barbaries, quæ credebatur ac dicebatur talis, cultior politiorque per se erat, quam Græcorum elegantia, omni doctrinarum artiumque studio quam diligentissime comparata. Pergit: *Alias Scythis incultos mores & feritatem tribui vulgatum est.* Nos de hoc supra. Sed officit nihil causæ nostræ. Id etiam exposuimus, quam varie usurpetur Scythiæ nomen. Atque quos Scythas nunc intelligamus, è dictis patet.

§. 12. Phryges, quod à nobis etiam in præcedentibus observatum est, quasi κατ' ἐξοχὴν barbari, & Phrygia Barbaria dicitur. Nec videtur incommodum, Phryges sub barbarorum nomine opponere Scythis, quæ gentes diversæ. Sed obstat, quod hoc in loco generales hominum instituantur divisiones ac distinctiones, non autem alicujus partis orbis, & certarum duntaxat gentium. Omnis enim aut Iudæus aut Græcus, aut recutitus aut cum præputio, aut servus aut liber, aut mas aut fœmina: qui tamen in regno Christi atque Ecclesia non distinguuntur. *Talium quippe externorum statuum & circumstantiarum nulla hic habetur ratio, utpote quæ nihil vel addunt vel adimunt Christianæ fidei & pietati*, docente B. Glassio tract. I. cap. 3. Rhetor. Sac. Ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι χριστός, sed Christus est omnia in omnibus i. e. juxta Camerarium, *Fideles nihil sunt nisi Christiani.* Τὰ πάντα Græcis frequenti in usu est, & Porto interprete Lex. Ionico de eo dicitur, *qui de nobis est optime meritus, ita ut quodammodo bonorum omnium, quibus fruimur, nobis autor fuisse videatur.* Et in Lex. Dorico scribit idem: *Hoc de illis dici, qui apud aliquem sunt in maximo pretio & honore, ita ut in eorum ore sint perpetuo, quasi summa rerum ex hujusmodi viris gratiosis pendeat.* Exemplum habemus apud Demosthenem Orat. contra Ctesiphontem pag. 319. A. edit. Wolfii. Οἱ Θηβαῖοι φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα τὸν Φίλιππον ἡγοῦντο. Πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς, καὶ οὐδὲ φωνὴν ἤκουον, εἴ τις ἄλλο τι βούλοιτο λέγειν, *Thebani amicum, bene meritum, Servatorem Philippum ducebant. Is eis erat* τὰ πάντα, *Omnia. Neque vocem ferebant ejus, qui aliquid aliud vellet dicere.* Vere itaque Christus τὰ πάντα est Christianis in omnibus, quæ ad salutem pertinent. Factus ille nobis est sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio I Corinth. I: 29. Quem locum hic confert Maximè Reverend. Dn. D. Calovius, Præceptor noster ad manes pie devenerandus, annotat. Antiq. Grot. ad h. l. p. 841.

§. 13. Ex his Apostoli verbis, quatuor hæreses constituit Epiphanius, Barbarismum, Scythismum, Hellenismum, & Iudaismum, quas Matres vocat, è quibus aliæ omnes hæreses sint prognatæ; initio Panari & Anacephalæos. Barbarismus ab Adamo ad diluvium: Scythismus à diluvio ad Serugum obtinuit, cujus ætate cœpit Hellenismus, & Abrahami tempore Iudaismus, licet nondum hoc nomine appellaretur. Barbarismum sic vocatum ait Epiphanius, *quod ejus temporis homines sine duce vitam agerent & consensu, cum unusquisque sibi incederet, & lex esset juxta arbitrii sui propositionem.* Scythismus in moribus quidem agreste quoddam ac sævum habebat, communem tamen vitæ societatem servabat, & Magistratum agnoscebant plures, cui subjiciebantur. Verum neque nomina huic rei idonea, neque interpretatio menti Apostoli conveniens videtur. Quippe Paulus non signat variam de Deo sententiam: sed solum ait, in renovatione Christiana non meliorem aut deteriorem esse conditionem Iudæi, quam Græci, nec barbari quam Scythæ &c. Nolumus tamen his immorari. Nec è re nostra est ea fusius prosequi, cum de iis, quæ ad præsens Argumentum præcipue facere videbantur, nostram hactenus dixerimus sententiam, &, ut modeste speramus, ex Benevoli Lectoris sententia, cujus proinde candorem ac, si merebimur, favorem obtestamur. Cæterum plura, quæ forte restarent, pagellarum hæc angustia haut permittit. Legum ergo reverentia admoniti hic facimus finem.

T. Θ. Δ.



M. TOB.

M. TOB. ECKHARDI

DISSERTATIO

De ΣΗΜΕΙΩ Epistolarum Pauli ad 2 Thessal. III: 17.

I. N. J.

PRÆFAMEN.



Arias equidem easque nefarias malorum architectus post homines natos machinatus est artes, quibus istos multo se feliciores circumveniret, suæque calamitatis socios redderet; omne tamen consilium, omne studium, omnemque fraudem ac insidiarum vim reservasse videtur in tempora Novi Fœderis, quibus cœtum ex toto terrarum orbe DEO colligi intellexit, magnamque jacturam se cum agmine suo facturum vidit. Principiis igitur mox obstitit. Duplici enim imprimis agmine stipatus, tyrannorum videlicet, falsorumque Doctorum invasit sacrum cœtum, omnibusque modis turbavit & afflixit. Judæis primum usus, qui suæ fidelitatis specimen edituri sanctum Christi testem Stephanum, velut insania perciti, obruebant lapidibus, alios carceribus, neci alios dabant, alios alio modo affligebant, ut scriptores tum sacri, tum ecclesiastici testantur abunde. Deinde falsos excitavit doctores, qui veros Apostolos simulantes falsa & à Christo abducente doctrina novos Ecclesiæ cives cum viva voce, tum fictis epistolis imbuebant, & vel hac ratione eos ibant perditum, uti de isto conqueritur gentium Doctor Paulus 2 Corinth. 11: 13. Galat. 1:7. &c. *de hoc vero testatur* 2 Thess. 2: 23. *Verum ut afflictiones ærumnæque Christianos non fregerunt, sed magis erexerunt atque confirmarunt: ita Christi mox Apostoli Pseudapostolorum conatus represserunt. Insignem vero præ reliquis operam præstitit Apostolorum Coryphæus; quippe qui suis epistolis errantes ad meliorem revocavit frugem, ac ne subdititiis, tanquam à se scriptis, epistolis ulla specie & prætextu imponi possit Christianis, certum suis* 2 Thess. 3: 17. *signum, quo facile quasvis alias dignoscere possent, assignavit. Quo de signo constitutum nobis est uberius paulo pro ingenii nostri modulo disserere, quod ut feliciter fiat, summum supplices rogamus Numen.*

I.

NEmo nobis, opinamur, vitio dabit, si, quod ultimum fere in commate nostro locum tenet, vocabulum ἐπιστολῆς in limine statim paucis expendamus, ut vel tanto melius instituti nostri ratio sibi constet, cæteraque persequi nobis liceat. Originem vox dicta trahit ab ἐπὶ, & verbi στέλλω præterito med. ἔστολα, idemque notat, ac sic diceres *missoriam*, quod est nuncius animi ad absentes missus. Quum vero sæpius ac fere semper ii, qui sunt cum imperio, animi sensa atque decreta sibi subjectis per ἐπιστολὰς indicare consueverint, factum, ut usus per vocem ἐπιστολῆς induxerit significationem jussi mandative, (unde ab Hesychio pariter atque Suida per ἐντολὴν, & illo insuper ἐπιταγὴν exponitur) æque ac verbum, cui natales debet, ἐπιστέλλειν; quippe quod prætermittere, ac deinde literis certiorem facere, etiam mandare, jubere notat. Illius significatus passim reperiuntur exempla: istius vid. apud Ælianum *Var. Histor. lib.* 14. *cap.* 1. nec unum apud Lucianum *in Apologia pro lapsu inter salutandum*, add. Appianus *Bell. Civil.* 1, 2. *pag.* 467. ac *in Nov. Testam. Ebr.* 13: 22. &c. hujus vero apud Lucian. *l. d.* & Appian. *lib.* 5. *Bell. Civ. prope fin.* Insignior tamen est altera notio, quam quisque lecta voce statim concipit, & nos paulo ante notavimus. Qua hoc in loco veniat significatione, cuilibet in proclivi est cognoscere. Non enim D. Paulus mandans jubensque suas exarabat epistolas; siquidem etiam cum posset ἐπιτάσσειν, παρακαλεῖν malebat, *Philem. com.* 8, 9. sed consilii tantum Dei Christianos absens certiores reddebat.

II.

Cæterum in ætatem originemque epistolarum inquirentes nil habemus certi pronunciare; antiquum tamen hoc esse institutum, variis receptum gentibus, documenta cum sacra, tum profana satis firmant, parumque literarum origini cedere, vero est simile. Apud Persas epistolarum olim floruisse commercium dubitari nequit. Nehemias enim ab Rege Persarum in Judæam abiturus literas ad regios satrapas rogat & impetrat, *Nehem.* 2. *comm.* 7, 8, 9. conf. *Esther.* 3. *comm.* 12, 13, 15. ubi רָצִים simul fit mentio, qui Persis erant Angari, Græcis ἡμεροδρόμοι, vel etiam γραμματοφόροι, appellati, quibus de vid. B. Stolbergius in *Dissert. de Angariis Veterum*, *annexa Tract. de soloecismis &c. pag.* 149. *seqq.* Medos quoque ante constitutam firmatamque Persarum monarchiam per literas cum absentibus fuisse collocutos, auctor est Justinus *Histor. lib.* 1. *cap.* 5. De Græcis præstat tacere, quam quicquam dicere, quum omnium illorum epistolæ expositæ sint oculis, quibus secretum præterea genus epistolarum, quod *scytalam* vocabant, in usu erat, cujus mentionem facit Nepos *in Pausania*. De Romanis forsitan dubium suboriri posset, num & illis ante C. Cæsarem epistolæ fuerint frequentatæ, quod Plutarchus, τὸ διὰ γραμμάτων, scribit, τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, *in vita Cæsaris.* Enimvero locum intuenti Plutarchi facile est perspicere, quod ad Urbem de Cæsare dictum restringat, principem videlicet illum fuisse, qui, cum in Urbe non esset copia amicos conveniendi, epistolarum instituerit colloquia, *v. J. Lips. Instit. Epist. p. m.* 6. Alias enim ante natum Cæsarem P. Scipio Numantia deleta cum literis Jugurtham, quas Micipsæ redderet, domum dimisit, v. Sallustius *Bell. Jugurth. p. m.* 52. Ante hos vero Rex Judæorum Hiskias Israëlitas ad celebrandum Domino Pascha per literas invitabat, 2 Paral. 30: 1. & epistolam ab Assyriorum Rege missam in æde sacra explicabat coram Domino Es. 37: 14. Verum altius epistolarum originem repetere nobis est integrum. Ante belli enim Trojani tempora Prœtus Bellerophontem dicitur misisse in Lyciam, eique dedisse

σήματα λυγρὰ,
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

apud Homerum *Il.* ζ. 169. 170. codicillos hic intelligi, quibus veteres ante usum chartæ uti fuerunt soliti, nemo non videt,

conf. Pancirollus *Memorab. l. II. tit.* 13. & notas Salmuthi *in d. l.* Neque negotium nobis hic facessit Josephus *in I. Antiquitatum* contra Appionem affirmans, Græcos omnino ante belli Trojani tempora literis caruisse, ea ductus ratione, quod apud Græcos nullum inveniatur scriptum poëmate Homeri vetustius, & hunc post bella Trojana fuisse constet. Contrarium enim ex Cicerone atque Eusebio demonstravit Polyd. Vergilius *de rerum invent. l.* I. *cap.* 6. Adhæc Cadmum longe ante bellum Trojanum literas ex Phœnicia in Græciam attulisse, multis probatum ivit Ger. Jo. Vossius *de arte Grammatica lib.* I. *cap.* X. *pag.* 43. *seqq.* Quin imo nec Iliacorum temporum circumscribi terminis epistolas, testis est Diodorus Siculus *lib. II. Bibl.* de rege quodam Indorum, Stabrobate dicto, memorans, quod ad Semiramidem post Ninum, primum Assyriorum regem, regnantem legatos miserit, πολλὰ δὲ ἢ ἀρρήτα κατ' αὐτῆς εἰς ἑταιρείαν βλασφημήσας διὰ τῶν γραμμάτων, & paucis interjectis, ἡ δὲ Σεμίραμις, inquit Diodorus, ἀναγνοῦσα τὴν ἐπιστολὴν, καὶ καταγελάσασα τῶν γεγραμμένων. Semiramidem vero, qui temporum ineunt rationes, Abrahamo faciunt æqualem. Id igitur manifestum est, quod diximus, epistolarum commercia parum aut nihil literarum origini cedere.

III. Verso nunc pede progredimur ad vocabulum, ἀσπασμὸς, quod à verbo est ἀσπάζεσθαι. Deduci verbum hoc solet ex α συναθροιστικῷ, & σπάομαι traho, ut idem sit, ac ad se trahere, amplecti. Id quod etiam indicat Aristophanis Scholiastes, κυρίως, inquiens, ἀσπάζεσθαί ἐστι τὸ περιπλέκεσθαί τινα, διὰ τὸ ἄγαν σπᾶσθαι εἰς ἑαυτὸν τὸν ἕτερον, *in Pluto.* Secundariis vero multis venit significationibus, quarum præcipuas in præsens tangere juvabit. Primo enim quod in amplexus ruere mos fuit amicis, amanter aliquem amplexari atque complecti signat, idemque est ac φιλοφρονεῖσθαι, interprete Suida, vel secundum Aristophanis Scholiasten: περιβάλλειν τὰς χεῖρας ἐν τῷ φιλοφρονεῖσθαι *l. d.* deinde quoque sumi suevit pro osculari. Sic Plutarchus J. Cæsarem, scribit, ἀσπασάμενον αὐτὴν (μητέρα) abiisse ad comitia, rogatum maximum pontificatum, *in ejus vita.* In Novo Fœdere additum semper habet nomen φιλήματι, interjecta ἐν præpositione, vid. *Rom.* 16: 16. *&c.* unde mos manavit in Ecclesia primitiva, ut mutuo sese fideles osculo exciperent, hæreticos & infideles eo non judicantes dignos. Idem porro dicit ac salutare Latinis, id est, appellare, apud Plutarch. *l. d.* ἐτόλμησαν αὐτὸν (Καίσαρα) ἀσπάσασθαι βασιλέα. Tum vero frequentissima est significatio salutandi, tam in accessu, quam discessu, amplexu tamen omni non semper excluso. Ea enim plerunque notionum secundariarum est natura, ut à primaria sua non prorsus degenerent. In accessu si adhibetur, salutandi; in discessu vero valedicendi potius significatum obtinet. Illo occurrit *Matth.* 10: 12. *Luc.* 1: 40. & idem est, ac quod Johannes dicit: χαίρειν τινὶ λέγειν 2. *Epist. comm.* 10. hoc *Act. cap.* 20. *cap.* 1. 21: 6. nec dubium nobis est, quin idem hoc loco nomen derivatum significet. Salutaverat enim Apostolus Thessalonicenses in fronte statim epistolæ *cap.* 1: 2. jam in calce illius Græcorum ἔῤῥωσθε, atque Latinorum valete expressurus, ἡ χάρις, inquit, τοῦ κυρίου &c. quod votum ἀσπασμὸν modo dixerat. Hinc Theodoretus apud B. Calov. *Bibl. Illustr.* in h. l. Hinc ergo discimus, inquit, quod hoc: Gratia Domini &c. pro eo, quod est vale, scribere consueverit.

IV. Neque tamen omnino paria facere censemus ἀσπάζεσθαι ac χαίρειν τινὶ λέγειν; siquidem posterius id, quod salutis impertimur loco alteri, determinat, ut χαίρειν ex ἀσπασμῷ fluat. Non enim uno sese modo Græci veteres salutabant, aliis arridebat χαίρειν, ὑγιαίνειν aliis, pars εὖ πράττειν malebat. Illud Isocrates, Philippus Macedo, alii; istud Pythagoras, Epicurus cum Discipulis; hoc vero Plato eligebat, vid. Lucianus *loco supra citato*, & schol. Aristoph. *in Pluto ad Act.* 2. *sc.* 2. atque ille simul tradit, antiquissimam salutandi rationem esse χαίρειν, τὸ μὲν δὴ χαίρειν, inquit, ἀρχαία ἡ προσαγόρευσις, conf. Aristoph. *in Pluto Act.* 2. *sc.* 2. Primus auctor, qui χαίρειν epistolis præposuit, Cleon laudatur. Is enim, quum Lacedæmonios in Pylo superasset, hanc Atheniensibus victoriam primis statim epistolæ verbis insinuare voluit, sic exorsus illam: Κλέων Ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν, ut auctor est Dionysius quidam *in scholiis ad Aristoph. locum proxime citatum.* Verum *in Nubibus* Scholiastes sæpe laudatus contra ea observat, jam ante Cleonem id obtinuisse: ἀρχαῖον, inquit, ἦν ἔθος προστάσσειν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς χαίρειν· οὐ γὰρ ὥς τινες Κλέων οὗτος πρῶτος ἀπέστειλεν Ἀθηναίοις ἐκ σφακτηρίας. χαίρειν istud etiam usurpant Apostoli atque Seniores Hierosolymis congregati in literis ad gentes, quæ Christo dederant nomen. Sed Platonem si audiamus, votum est δεξιοῖς ἀνθρώποις εὖ πράττειν, vid. Lucian. *l. d.* Enimvero gaudium non corporis S. scriptores precabantur, quum nec profani semper illud intenderent, sed quod longe divinioris est ordinis, χαίρειν ἐν κυρίῳ, *Phil.* 4: 4. ut adeo hoc quoque vocabulum inter ea mereatur locum, quæ Spiritus S. omni procul habita imperfectione ad usum sanctiorem traduxit. Quod ad ὑγιαίνειν attinet, illud in valedicendo potius, ac epistolarum calce adhibeant; Philippus tamen Macedo in principio quoque legitur usurpasse, quum Menecrati scripsit: Φίλιππος Μενεκράτει ὑγιαίνειν. Sed joco id fecerat, fastum exprobraturus Menecrati, qui scripserat ante: Φιλίππῳ Μενεκράτης ὁ Ζεὺς εὖ πράττειν, apud Ælian. *V. H. l. XII. c.* 51. ubi lepidam refert historiam, quam huc transcribere modo non vacat. Illud tamen notasse præter rem haud fuerit, quod Gilb. Cognatus, Plutarchum secutus, *in argum. super Apolog. Luciani* Agesilao tribuat, quod Ælianus Philippo, vid. etiam *Heidmann. not. ad Instit. epist. Lipsii pagin.* 49. Sed idem de Philippo memorare Athenæum & Suidam, observat Schefferus *not. ad Ælian.* Cum vero Lucianus in congressu aliquando id usurpasset verbi, male quosdam habebat, ut ansam inde sumeret *apologiam scribendi sæpe laudatam*, atque è monumentis antiquioribus ostendendi, non minus in principio congressus usurpari, quam in fine ac discessu; uti χαίρειν è diverso æque in valedicendo, ac salutando, quare Hesychius: τὸ χαίρειν, inquit, ταῖς ἐπιστολαῖς προστίθεσαν. ἔστι δὲ καὶ ἀπαλλασσομένων προσαγόρευσις, conf. 2 *Corinth.* 13: 11. vid. B. Stolberg. *Coll. Antiq. Græc. MS. tit.* χάρις.

V. Sed redeundum è diverticulo in viam est, & quæ sequuntur verba, brevibus expendenda, ut eo felicius consequamur metam. Manu sua Paulus ait, citraque operam scribæ ἀσπασμὸν scripsisse, verbis τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, indicaturus: hactenus se in describenda epistola manu scribæ usum fuisse, hæc vero sua manu scripsisse, ut Hugo Grotius *in h. l.* annotat, & Anselmus apud *Corn. à Lap. Commentar. in Col.* 4: 18. salutationem, inquit, vobis propria mea manu ego Paulus subscribo. Hinc patet, Paulum hucusque dictasse hanc epistolam, & scripsisse aliena manu. Id enim in usu Paulo fuisse, sola testari potest ad Romanos epistola, *cap.* 16: 22. Quamvis non opus exclusive intelligi verba, cum intelligi possint inclusive, notante B. Calov. *Bibl. Illustr. in h. l.* Integras enim epistolas sua quoque manu Paulum amore motum erga eos, ad quos scribebat, exarasse, ipse testis est *Galat.* 6: 11. conf. Theophylactus *Enarr. in alleg. loc.* Idem observat Polyhistor noster Schurzfleischius de Epistola ad Philemon. *Prælect. in eam MS.* idque prudenti, ait, fecisse consilio, ne palam & aperte cum Philemone expostulare videretur.

VI. Venimus nunc ad vocem, σημεῖον, forte non indignam, quæ curatius paulo expendatur. Σημεῖον generatim describit Suidas, σημεῖον inquiens, δι' οὗ τὰ ἄδηλα καταλαμβάνεται. Solicitos alias vox σημείου habet Grammaticos, ejus discrimen à vocabulo τεκμηρίου indicaturos. Illud enim dicunt notare argumentum vero simile atque conjecturam; hoc autem indicium fide dignum, veramque rei notam indicare. Sed quod commune fere omnium regularum Grammaticarum fatum est, & hæc subire tenetur observatio. Usus enim docet, σημεῖον non minus quandoque indubitatæ fidei argumentum signumque non fallens significare, quam τεκμήριον. Exemplum nobis præsens, quem tractandum sumsimus, suppeditat locus. Tantum enim abest, ut D. Paulum signum aliquod probabile innuisse dicamus, ut quoque certum indubitatumque suis epistolis apposuisse credamus. Neque tamen id propter sacer scriptor vim voci σημείου intulisse censendus est. Ipse enim Philosophus *Anal. Prior. Lib. II. cap.* 27. εἰκὸς distinguit ac σημεῖον, illud, dicens, esse πρότασιν ἔνδοξον; hoc vero ἀποδεικτικὴν ἢ ἀναγκαίαν, ἢ ἔνδοξον. Conf. *Anal. Post. Libr. I. cap.* 28. Hinc Peucerus, quum de signis Medicorum agit, σημεῖα, inquit, Græci vocant, & generatim quævis signa, sive τεκμήρια, certa & necessaria judicia sint, sive, ut à Dialecticis vocantur, εἰκότα, probabilia, *de divinat. pag.* 466.

VII. Aliud nobis dictarum vocum discrimen Ammonius suppeditat lib. περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, τὰ παρεχόμενα, dicit, σημείοις πιστεύεται, τὰ δὲ μέλλοντα τεκμηρίοις. Sed vero denuo sic designasset Paulus, signum hoc loco dans epistolarum omnium abs se scriptarum, & deinceps scribendarum. Primam enim omnium Pauli epistolarum esse priorem ad Thessalon.

Theſſalon. illamque proxime noſtram excepiſſe poſteriorem, conſenſu tam veterum, quam recentiorum comprobatur, ac ſi fides habenda ſubſcriptionibus, facili negotio confici poſſet, vid. B. Calov. *B. I. Præf.* 1. *Theſſ.* Id vero, quod Eraſmus *argum. in* 1. *Theſſal.* aſſerit, miſſam utramque eſſe per Tychicum atque Oneſimum, calculum mereri minime videtur. Oneſimum enim Παῦλος πρεσβύτης ἐν τοῖς δεσμοῖς Romæ genuit, *Philemon.* 9: 10. In id autem ætatis non cadere dictas epiſtolas, Actuum Apoſtolicorum hiſtoria cum 1 *Theſſ. cap.* 3. collata quemque docere poteſt. Sed num quid alieni à Græcæ linguæ indole commiſerit Paulus, fidem σημείῳ futurorum faciens, diſpiciendum. Cauſam perorabit Ariſtoph. *in* Θεσμοφορ. ἐκαπευδε, inquit, ταχέως, ὡς τὸ τῆς ἐκκλησίας σημεῖον ἐν τῷ Θεσμοφορίῳ φαίνεται. Hinc Voſſius σημεῖα cenſet ab Ariſtot. appellari propoſitiones aliquid demonſtrantes ab iis, quæ vel antecedunt, l. conſequuntur, *Inſtit. Orat. l.* 1. *c.* 2. *n.* 3.

VIII. Non poſſumus nobis temperare, quin aliam adjiciamus differentiam, Ammonio *l. d.* obſervatam: τέρας, inquit, σημείου διαφέρει· τὸ μὲν γὰρ τέρας παρὰ φύσιν γίνεται, σημεῖον παρὰ συνήθειαν, eandem repetit Theophyl. *in Roman. cap.* 15: 19. & exemplo declarat. At vero nullam minus N. F. ſcriptores, quam hanc obſervarunt regulam. Præterquam enim, quod non raro τέρατα καὶ σημεῖα conjungant, *Matth. cap.* 24: 24. *Actor.* 6: 8. manifeſto de rebus non ſolum præter ſuetum naturæ ordinem factis, ſed etiam ſupra omnem naturam poſitis efferunt, *Marc.* 16: 17. *Johann.* 2: 17. *c.* 6. *verſ.* 14. Pleni ſunt exemplorum omnes ferme libri, plena ſingula fere capita, ut recenſendis illis ſupervacuum ſit immorari. Obſervatu tamen non indignum, non ſolos ſcriptores Spiritu divino tactos ſic adhibuiſſe vocem, ne quid illis vertatur vitii, verum etiam τοὺς ἔξω. Unus ſufficere poſſet Ælianus, eodem modo conjungens τέρατα καὶ σημεῖα, *Vid. Hom. XII.* 57. & cum ovis peperiſſet leonem, σημεῖον appellans, *l.* 1. *cap.* 29. Jungimus tamen illi Plutarchum *in V. Cæſaris:* σημείων δὲ, inquit, πολλῶν γενομένων τῆς νίκης, *hujus victoriæ multa prodigia fuerunt*, ſicut è diverſo An. Florus *l. IV. c.* 2. de partibus Pompeji, *nunquam*, inquit, *imminentis ruinæ manifeſtiora prodigia fuerunt.* Præterea nec Heſychius, neque Suidas illud noverunt diſcrimen, σημεῖον per τέρας ſecure exponentes.

IX. Speciatim vox, σημεῖον res varias diverſaſque ſignificat. Signum enim militare ſeu vexillum notat apud Appian. *Bell. Civ. l. II. paſſim*, hinc Suidas: σημεῖα τὰ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενα σίγνα. Frequens deinde nomen eſt in divinationibus gentilium, quum ſigna fauſta vel ſiniſtra, in extis præſertim, obſervabant aruſpices, v. Plutarch. *l. d.* quæ cauſa, quare Suidas σημεῖον & μάντευμα juxta ſe ponat. Σημεῖα quoque dicuntur literæ initiales, quas pro integris ponebant vocibus veteres, ceu διὰ σημείων ſe ſcripſiſſe dicit Cicero *XIII. epiſt.* 32. *ad Attic.* v. Ger. Joh. Voſſ. *de Arte Gramm. l. I. cap.* 40. Mavult tamen Salmuthus ad Panciroll. *memorab. lib. II. tit.* 14. de dictionum compendiis, qualia memorantur tradidiſſe Tyro atque Seneca, & Juſtiniani Imp. ætate *ſigla* appellaſſe, locum Ciceronis interpretari. At vero Voſſius *l. d.* pluribus oſtendit, per *ſigla* quoque non intelligi niſi literas initiales, cui fert ſuffragium M. Anton. Muretus *obſervat. Juris lib. ſingul. cap. X.* Ariſtoteli quid ſignificet, ſupra patuit. Σημεῖα porro majeſtatis inſignia notant, qualia Romanis erant lictores, qui faſces præferebant. Huc & illud pertinet, quod Salmaſ. *not. ad Trebell. Poll. de Herode pag.* 772. obſervat, σημεῖον notare clavum auri purpuræ, qui veſti adſui ſolet. Nec illa prætereunda eſt τοῦ σημείου notio, qua punctum ſignat apud Mathematicos, v. Jamblich. *in Nicomachi Arithmet. pag.* 81. Tandem vero ſignum ſigillo expreſſum notat apud Lucian. *in Timon. T.* 1. *pag.* 100. ubi πλοῦτος ſe σημείων ἐπιβολαῖς indignatur aſſervari, *v. etiam pag.* 107.

X. Quod ad ultimam vocis σημείου notionem vox ei σφραγὶς reſpondet, niſi quod præter ἀποσφράγισμα inſtrumentum etiam, quo quid obſignamus, notet, ut ſit τὸ ἐπισημαῖνον διὰ χαρακτῆρος τὰ φυλαττόμενα ſecundum Suidam. De illo locus extat apud Lucian. *in Pſeudomante T.* 1. *p.* 544. De hoc legitur apud Ælian. *loco mox citando.* Inſtrumentum vero non unum omni ætate fuit uſurpatum. Græci veteres, inprimis Lacones, ſigillorum loco lignis à veteribus exeſis, quæ σφραγίδια θριπήδεστα dicebantur, res ſuas leguntur ſignaſſe, quorum meminit Ariſtoph. *in* Θεσμοφορ. ubi gravem mulieres Euripidi ſcribunt dicam, quod maritos ἐδίδαξε θριπήδεστ' ἔχειν σφραγίδια ἐξαψάμενος, v. Kirchman. *de annulis c.* 2. *p.* 5. Poſtea vero quam ſimplicior ætas in luxum degenerare cœpit, lignis metallum, idque nobiliſſimum, ſucceſſit, in formam annuli maxime redactum. Locum hic liceat adſcribere ex Ælian. *V. H. lib. XII. c.* 30. εὐτελέστατος σφραγῖδας εἶχε δέκα μνῶν πρίασθαι ἢ θαυμάζεσθαι καὶ τοὺς διαγλύφοντας τοὺς δακτύλους. Major in σημείοις extitit diverſitas, quod fere quilibet peculiare σημεῖον habebat. Recenſuit pleraque Kirchmann. *l. c. pag.* 56. *ſeqq.*

XI. Miſſis aliorum ſignis in eam nunc curam incumbamus oportet, ut planum faciamus, quo ſigno ſuas gentium Doctor agnoſci voluerit epiſtolas. Signum autem iſtud non in externa complicatarum epiſtolarum facie fuiſſe impreſſum, ut antiquitus fieri moris erat, hodieque obtinet, aſſerere non dubitamus, vel eo moti argumento, quod impreſſo forinſecus in cera vel creta ſigno convolutas obligataſque lino epiſtolas muniebant, ne à tabellariis aperirentur, vel alteri cuivis paterent. At vero D. Pauli epiſtolæ non ejus erant generis, ut ab earum lectione quiſquam arceretur. Spiritus enim Sancti Paulus afflatu haſce conſignaverat epiſtolas, ut omnes ad ſalutem mortales informarent, nemine per invidiam excluſo. Atque hæc etiam cauſa eſt, cur Coloſſenſibus ſuis ſerio Paulus injungat, ut ſcriptam ad ſe epiſtolam Laodiceæ quoque legendam curarent, Coloſſenſ. 4: 16. Inutilem igitur putamus eſſe laborem, qui in externo declarando ſigno ſuſcipitur.

XII. Neque tamen idcirco omnem cum Eſtio deſpondemus animum, illud inveſtigandi σημεῖον. Signum enim putat intelligi, nobis incognitum, quale quiſque pro arbitrio ſibi ſumit ad ſubſignandas epiſtolas, *Comm. in h. l.* aut cum H. Grotio *annot. in h. l.* certum quendam literarum nexum, quo nomen ſuum Paulus ſcripſerit, intelligi aſſeveramus. Quamvis enim ipſum ad nos minime pervenerit ſignum, quale tamen fuerit, ſatis expreſſiſſe Paulum, mox ſumus declaraturi. Id vero, quod Grotius autumat, omni aliorum deſtituitur ſuffragio, nec niſi conjectura nititur. Adhæc nomen ſuum Paulus in ἐπιγραφῇ jam ſcripſerat, nec opus erat certo lyterarum gyro, quem imitari forte humanæ ſagacitati non adeo difficile fuiſſet factu.

XIII. Contra ea Anton. Evonymus ſignum non ſolum determinat, ſed ipſos etiam characteres antiquitatem nobis tradidiſſe putat. Is enim referente B. Eraſm. Schmidio annotat. *in* 1. *Corinth.* 16. *fin.* & ex eo B. Stolbergio *Diſſert. de ſtichometria veterum* §. 4. *l. d. pag.* 410. adductus ſubſcriptione τῶν στίχων, hiſque adjectis literis ſtatuit, egiſſe Paulum tanquam ex compoſito cum Corinthiis, & cum aliis, (h. loc. Theſſalonicenſibus) certoſque characteres eis deſignaſſe, ex quibus ſubſcriptis ſuam γνήσιον epiſtolam agnoſcere deberent propter falſos quoſdam fratres & Pſeudapoſtolos, qui ſub Pauli nomine etiam illis ſcripſiſſent. Enimvero quo minus hoc credamus Pauli fuiſſe σημεῖον, obſtare videtur, quod, ut B. Schmidius l. cit. monuit, ὁ στίχος pro litera non facile inveniatur. Præterea vero obſervamus, quod D. Paulus hoc modo à ſe ipſo diverſus fuiſſet, idem ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ ſignum hoc loco conſtituens, cum tamen nec eoſdem omnibus ſuis epiſtolis στίχους ſubſcripſiſſet, nec, quæ agmen ducit epiſtolarum, (non quidem temporis ratione, id quod ſupra conſtitit, ſed doctrinæ gravitate, myſteriorumque multitudine) epiſtolam ad Romanos ſigno ullo munivisſet, ut quemque collatio τῶν στίχων docere poteſt, vid. Glaſſ. *Lib.* 1. *Tr. IV. ſect. IV. pag.* 245. Tantam vero inconſtantiæ notam divino Doctori, penes quem non erat ναὶ καὶ οὔ, 2 *Cor. cap.* 1: 18. inurere, nobis ſit religio. Tum nec illud ſilentio prætereundum, multos eruditos ſubſcriptionum iſtarum auctoritatem in dubium vocare. Additi igitur, inquit, laudatus Schmidius *l. cit.* hi characteres numerales haud dubie fuerunt à diligente quodam deſcriptore, qui etiam lineas in numerato habere voluit, ne quid per incuriam omitteretur. Beza aliique στίχους in ſuis Editionibus non alia de cauſa prorſus omittunt. Denique ſi vel maxime στίχοι iſti D. Paulum agnoſcerent auctorem, vix tamen adduci nos poſſemus, ut crederemus, ſignum eos conſtituere deſignatum ab Apoſtolo. Alio enim fine eos eſſe ſubjectos dudum nobis perſuaſit, & ex inſtituto hoc argumentum pertractavit B. Stolberg. *l. c.*

XIV. Id vero tandem nobis negotii datum eſſe arbitramur, ut, quæ à mente Pauli propius abeſſe videatur, exponamus ſententiam. Aſſerimus igitur, ſignum à Paulo non aliud notari, niſi τὸν ἀσπασμοῦ ἰδιογραφίαν, ſeu votum propria Pauli manu perſcriptum. Id enim indicat textus; ingeminant Patres; confirmant recentiores. Ἀσπασμὸν Paulum ſua ſcripſiſſe manu, ſupra diximus; quibus jam addas licet emphaticam Syri paraphraſin: ſalutationem ſcriptura manuum

manuum mearum ego Paulus ſcripſi, add. Theophyl. *Comm. in Galat.* 6. Atque hæc ſatis erant ad indicandum σημεῖον, quum manus ſuum indicet auctorem, vel Cicerone judice Orat. III. Catilin. mihi quidem, inquit, illa certiſſima ſunt viſa argumenta atque indicia, tabellæ, ſigna, *manus*. Sed magis hoc, quod diximus, firmat relatum τὸν ἀσπασμόν; vel integram etiam orationem reſpiciens, verbaque hujus commatis ultima: οὕτω γράφω, quibus quaſi digito monſtrat, ſua quæ ſit ſcriptionis forma, quam niſi epiſtolæ ſubjectam adverterent, pro ſua nolebat illam agnoſci. Nec male quenquam habere debet, quod relativum neutrum ἀσπασμὸν reſpicere diximus, quum infrequens non ſit, ut relativum genere diſcrepet à ſuo antecedente, & cum ſequente conveniat, vid. Glaſſ. *l. c. Lib. III. Tr. II. Can.* 18. *p.* 207.

XV. E Patrum cœtu h. l. nominaſſe ſufficiet auctoritate munerum, juxta ac ſanctitate vitæ præſtantes epiſcopos, Athanaſium dico atque Chryſoſtomum. Ille enim *in Synoſi T.* 2. *Op. pag.* 148. καὶ λοιπὸν, inquit, ἐπιδεξάμενος αὐτοῖς εἰρήνην πλειοῖ τὴν ἐπιστολὴν, τὸν ἀσπασμὸν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ γράψας, ὅπερ σημεῖον εἶναι πάσης ἐπιστολῆς οἰκείας δεδήλωκεν. Hic vero *Hom. I. in 2 Theſſ.* quum ἀσπασμὸν recitaſſet ſubjicit: οὐ τοῦτό φησιν, ὅτι τοῦτο σημεῖον, (τοῦτο γὰρ εἰκὸς καὶ ἄλλοις μιμήσασθαι,) ἀλλ᾽ ὅτι τὸν ἀσπασμὸν τῇ ἐμῇ χειρὶ γράφω. καθάπερ καὶ νῦν ἐφ᾽ ἡμῶν ἐστιν. ἀπὸ γὰρ τῆς ὑπογραφῆς δῆλα γίνεται τὰ γράμματα τῶν πεμπόντων, conf. *Hom. V. in h. l.* Eadem habet iſtius epitomaſtes Theophyl. *Enarr. in 2. Theſſal.* Huc quoque facerent, quæ Ambroſius habet *Comm. in h. l.* niſi ſubdititium eſſe demonſtraſſet Cocus *in Cenſ. Patrum* pag. 252. ſqq. liceat tamen adſcribere illius verba: Propter interpolas, inquit, & adulteratores ſcripturarum, ſemper ſe manu ſua ſalutationem ſubſcribere teſtatur, ut ſub nomine ejus epiſtola accepto ferri non poſſit, quæ non fuerit manu ejus ſubſcripta. E recentioribus vid. B. Calov. *Bibl. illuſtr. in h. l.* Balduin. *Commentar. in h. l.* Eraſm. Schmidius *annot. in h. l.* Corn. à Lap. *Comm. in h. l.*

XVI. Illud forte quempiam offendere poſſet, quod non in omnibus idem reperiatur votum epiſtolis, ſed prolixum alibi, non item. Verum id ne repetamus, quod de ἰδιογραφίᾳ monuimus, illud tantum obſervamus, eo ſemper redire voti ſummam, quod gratiæ divinæ Chriſtianos commendet, eoque doctrinam Pſeudopoſtolorum, Legem præſertim urgentium, evertat. Quo facit obſervatio B. Balduini *Commentar. in h. l. fin.* votum, inquit, ſummam præcipuam ſcriptorum Paulinorum indicat, eaque à doctrina Pſeudapoſtolorum diſcriminat. Sed hæc Theologorum ſcholis ſunt relinquenda.

TANTUM!

CHR. THEOPH. SAVER
OBSERVATA
ad loca quædam prioris Ep. ad Timotheum.

בהנו״א

PRÆLOQUIUM.



On minus vere, quam ſcite illud à Judæorum Doctoribus dictum eſſe exiſtimo: אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויין בה *h. e.* Non eſt in Lege vel una littera, à qua non dependeant magni montes. *Hoc ipſo namque ſingularem Verbi Divini ſublimitatem ac difficultatem ſapientiſſimi Ebræorum Magiſtri indicaturi, ad diligentem & veram ſenſus & verborum ejuſdem indagationem diſcipulos ſuos inſtigare, atque innuere voluiſſe videntur, eos tantum ſummum reconditæ in Sacris Litteris cœleſtis doctrinæ culmen rite conſcendere poſſe, qui radices ipſius ſæpius deguſtare haud negligant. Quod equidem eorum inſtitutum tanto majori laude, noſtraque imitatione dignum cenſeri debet, quoniam id ipſum Servator noſter verbis expreſſis approbat, quando omnes, vitæ æternæ hæreditatem conſequi cupientes, ad ſedulam Scripturæ S. evolutionem ejuſque verborum ac ſenſus inveſtigationem his verbis apud Euangeliſtam Johannem (prout quidem ex noſtratibus Theologis verba accipiunt multi) adhortatur:* Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *c.* 5: 39. *Quamvis enim ſacrum Verbi Divini Codicem, in quo nobis cœleſtis veritatis Oracula & myſteria panduntur, quod res ad ſalutem noſtram ſpectantes attinet, ſatis abunde clarum & perſpicuum eſſe, earumque in ſe conſideratarum reſpectu, nil prorſus difficultatis aut obſcuritatis involvere, unanimi conſenſu noſtri tradant Doctores, Spiritu S. diſertis verbis illum vocante Lucernam pedibus & lumen ſemitæ noſtræ, lucernam ſplendentem in obſcuro loco, Pſ.* 119: 105. 2 *Petr.* 1: 19. Et ſumma quidem Providentia ideo carere fuco voluit ea, quæ Divina ſunt, ut omnes intelligerent, quæ omnibus loquebatur, *ceu pulchre Lactantius inquit, Lib. VI. Div. Inſt. cap.* 21. *Quem ſecutus Auguſtinus:* In iis, *ait*, quæ aperte in Scriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moreſque vivendi, *Lib. II. de Doct. Chriſt. cap.* 9. *Et Iſidorus Peluſiota:* Sacra oracula, *inquit*, quoniam ad univerſi generis humani utilitatem pronunciata ſcriptaque ſunt, perſpicuitate ſunt temperata, *Libr. IV. ep.* 19. *Sententiarum tamen & verborum non ubique & ſemper eandem reperiri facilitatem ac perſpicuitatem, in propatulo eſt. Et Petrus ipſe in epiſtolis Paulinis reperiri* δυσνόητά τινα *fatetur,* 2 *ep.* 3: 16. *Quam ob cauſſam erudite non minus quam eleganter Gregorius M. in epiſtola Moralibus ſuis præfixa:* Divinus ſermo, *infit*, in myſteriis prudentes exercet, & plerunque in ſuperficie ſimplices refovet, habet in publico, unde parvulos nutriat, ſervat in ſecreto, unde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat, quaſi quidam fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet & elephas natet. *Vult dicere, & doctos & ſimplices in Scriptura invenire, quod ad genium & ingenium eorum faciat; doctos myſteria profundiſſima & latentes figuratorum verborum & parabolarum cortice ſenſus: ſimplices ea omnia, quæ ad fidei & vitæ informationem ipſis neceſſaria ſunt, invenire; quemadmodum ergo multi quidem (ut cum B. Chemnitio loquar part.* 1. *Exam. Conc. Trid. de Interp. Script.)* in Scriptura loci ſunt planis & perſpicuis verbis expoſiti, qui interpretatione procul petita non indigent, ſed ſe ipſos explicant, ad quos, ut Auguſtinus loquitur, acceſſus patet doctis & indoctis: ſunt tamen præterea multæ difficiles ſententiæ in Scriptura, quarum ſenſus non poteſt à quovis primo ſtatim aſpectu deprehendi, & tamen ne vel fruſtra in Scriptura eſſent poſitæ, vel anſam præberent erroris, DEUS voluit extare in Eccleſia donum interpretationis, quod donum DEUS non vult vel contemni vel abjici, ſed reverenter uſurpari, tanquam organon & adminiculum ad inveniendum & intelligendum verum & ſanum Scripturæ ſenſum.

Inter legitimæ vero interpretationis media (à Viris de Ecclesia Christi meritissimis B. Dn. D. Franzio, Glassio & Gerhardo, aliisque recensita) non ultimum locum Ebraicæ & Græcæ Linguæ cognitio occupat, quas quidem fontes nuncupare, & hoc nomine sæpius laudare & commendare Doctores sunt soliti; sic enim de iis Hieronymus in epist. ad Suniam & Fretelam: Sicut in N. T. recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum, ita in V. Test. ad Ebræam recurrimus veritatem. *Et in Epist. ad Lucinium:* Ut veterum librorum fides de Ebræis Voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis normam desiderat. *Et post ipsum Augustinus:* Ad Exemplaria Ebræa & Græca recurrimus, si quos scrupulos moveat Latinorum Interpretum infinita varietas. *Lib. I. de Doct. Christ. c. 11. Quo etiam pertinent Megalandri Lutheri nostri notatu & lectu dignissima verba:* Die Sprachen sind die Scheiden / darinn das Messer des Geistes steckt / sie sind der Schrein / darinn man dieses Kleinod trägt / sie sind das Gefäß / darinn man diesen Getranck fasset / sie sind die Chemnet / darinn die Speise liegt / und wie das Evangelium selbst zeigt / sie sind die Körbe / darinn man diese Brocken und Fisch behält / ja wann wir es versehen / daß wir (da Gott vor sey /) die Sprachen fahren lassen / so werden wir das Evangelium verlieren. *Tom. 6. Germ. Witteberg. p. 326. Quemadmodum vero harum linguarum cognitio ad obscuriorum Scripturæ textuum interpretationem, & occurrentium in iis difficultatum resolutionem maxime conducit, sic earum ignorantia & neglectus, varia opinionum divortia, quin & quandoque inanes sæpe altercationes parere solet. Nos in præsenti nostras etiam in Scripturæ interpretatione vires experturi priorem Divi Pauli ad Timotheum ad manus sumemus epistolam, locosque ex ea pro nostra tenuitate proponemus vindice dignos. Quod negotium, ut feliciter succedat, Deum T. O. M. à quo tanquam Patre Luminum omne bonum & perfectum donum proficiscitur, ex intimis cordis penetralibus imploramus & veneramur.*

LOCUS I.

1 *Timoth.* 2: *vers.* 14, 15.

Καὶ Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη· ἡ δὲ γυνὴ ἀπατηθεῖσα, ἐν παραβάσει γέγονε. Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης.

Et Adam non fuit deceptus: sed mulier seducta, obnoxia facta est transgressioni. Salva tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. (ex versione Erasm.)

§. I. LOcum præsentem quod concernit, duo inprimis in eo, quæ multo pariunt maximam difficultatem, observanda veniunt. I. quomodo Adam dici possit fuisse non seductus, cum tamen prævaricationis incusetur? Rom. 5: 14. Nemo autem juxta accuratissimum verborum interpretem Laur. Vallam Lib. VI. Eleg. cap. 50. prævaricetur, nisi spe commodi inductus sit, ut à præscripto officii sui declinet atque aberret. II. Quomodo mulier salvetur per τεκνογονίαν; & quo pertineat verbum μείνωσιν, ad mulierem ne? atque sic caussalitas aliqua salvationis adscriberetur generationi liberorum: an ad τέκνα? quo pacto sensus loci plane videtur esse incongruus, aliisque Scripturæ locis repugnans, salvari nempe matrem propter liberorum fidem ac sanctitatem.

§. II. Primum quod attinet membrum, in illius interpretatione varii in varias abierunt sententias, quas omnes adducere in præsenti non necessarium fuerit fortassis, quum id de Ecclesia & Universitate hac quondam præclarissime meritus, beatissimus DN. KONINGIUS in suis Vindiciis sacris jam olim egregie præstiterit. Vulgatissima inter cæteras est ea, quam Epiphanius, & cum ipso sententiarum Magister Lombardus, L. II. dist. 22. inprimis defendunt, qui particulam πρῶτος *prior* ex vs. 13. trahendam esse putant in vs. 14. ut sensus emergat talis: *Adam non prior est seductus, sed Eva.* Quam vero infirma sit hæc illorum assertio, minusque Apostoli menti conveniens, exinde apparet, quod seductionis ordinem tantum exprimat, non vero ipsam seductionem, de qua Apostolo sermonem tamen esse, ipsa verba clare ac diserte indicant: Quin & Apostolus sic parum valide ad probandam thesin suam videretur concludere, quæ est, viris permitti, ut doceant, mulieribus non item: Quamvis enim prior non seductus fuerit vir, seductus tamen atque deceptus fuit non minus quam Eva, idque pariter sua culpa.

§. III. Diversam ab his, cum nonnullis aliis, fovet sententiam Chrysostomus, Adamum non à serpente seductum fuisse, sed ab uxore duntaxat, statuens. Quam secutus fuit etiam Cornelius à Lapide, Comment. in h. l. fol. 721. prout ex sequentibus ejus verbis constat: *Adam non fuit seductus, id est, à serpente deceptus: serpens enim non ausus fuit virum aggredi; sed mulierem, quam facilius se decepturum sciebat.* Cui quoque adstipulatur Musculus Comment. in h. l. fol. 392. hæc proferens: *Quomodo Adam non fuit deceptus? Non credidit verbis serpentis, quibus credidit Eva.*

§. IV. Ut adeo omnes hi conveniunt in eo, cum Eva ad transgressionem interdicti Divini non invitaverit Adamum animo fallendi, non posse id dici seductionem, sed meram potius fuisse persuasionem. Quam opinionem acriter olim etiam defendit Augustinus Lib. XIV. de Civ. Dei. cap. 11. & ipsum secuti Bellarminus Estius, & alii. At enim vero hæc fortassis doctissimorum Virorum sententia quadantenus levaret dubium, si non plane tolleret, sicubi de activa seductione contentio esset, & Paulus diceret: Eva non seduxit, sed serpens seduxit. Atqui geminatum verbum passivum passive exponitur ab interpretibus istis, & hoc modo innuit ex mente saltim eorum non activam, sed seductionem passivam, quæ jam est error, in quem incidit, aliquis sive malitia & intentione alterius seducentis, sive propria sua culpa, quando eum videlicet devitare sive potuisset, sive debuisset; at neutrum horum fecit. Esto jam, quod facile conceditur, Evam non perinde, ut serpentem se, Adamum seduxisse, ex proposito nempe & προαιρέσει; vere tamen Adam ἠπατήθη (ut verbum cum istis Interpretibus simpliciter passive accipiamus) passiva scil. inductione, cum in errorem inciderit, quem amoliri potuisset pariter ac debuisset, & ut seduceretur, ita blanditiis aut persuasionibus muliebribus dederit aurem, quod viro sane erat indignum.

§. V. Ex quibus facile jam constat, ad istum modum vere quin verissime Adamum fuisse seductum. Unde Johannes Gerson, adductæ, quam laudat, Augustini sententiæ subjungit: *Ecce Adam, qui etsi non seductus sit, sicut mulier, prout dicit Apostolus, seductus tamen in hoc fuit secundum doctores, quia nolens contristare delicias suas sive conjugem, credidit veniale, & quasi pro nihilo esse illud, quod erat mortale. Sic habemus, quod superbia & quædam sensualis complacentia inducunt errores.* De sensu litterali Scr. S. Tom. I. fol. 17. lit. G.

§. VI. Proinde ex allata expositione scrupulus jam multo hæret maximus in loco Apostoli, ut jam taceam tametsi Paulo sermo esset de activa seductione, vim argumenti ipsius, quod his verbis infert, videri elumbem, neque satis validam emergere caussam potestatis docendi, Evæ denegatæ, propter solam seductoris serpentis, quam sane ipsa ad instar Dei nequivit prospicere, malitiosam intentionem.

§. VII. Ad hos autem & alios, qui plerorumque hujus dicti Apostolici Interpretum explicationes urgent, scrupulos eximendos, melius & certius remedium maxime Reverendus atque Excellentissimus DN. D. PRÆSES, ante laudati DN. D. KONINGII in cathedra tam Ecclesiastica quam Academica hodie Successor longe dignissimus, in Observationibus suis singularibus ad selectiora N. T. dicta, suppeditat, ubi verum & genuinum horum verborum sensum quam accuratissime his verbis exponit: Mea sententia est, significationem verborum ἀπατάω & σώζεσθαι probe excutiendam esse, & verbum μείνωσιν referendum ad τικτομένους sive υἱοὺς, sensu inde emergente planissimo, totique contextui aptissimo. Ubi I. notandum est, apud Ebræos 3. Conjugationis tam activum quam passivum simul involvere caussam efficientem, impulsivam, coadjuvantem &c. Ut si in prima Conjugatione radix sit, erravit, & construatur in tertia, exponi debeat in activo, errare fecit, seductor fuit, &c. In passivo factus est seductor, sive caussa erroris; vel sensu intransitivo, seductor evasit, seductorem se præstitit, quod tyronibus notum est. Hoc verbum tertiæ passivæ Conjugationis exprimit (cum Græci una voce commode non possint) passivum ἠπατήθη & ἀπατηθεῖσα, hoc sensu: Et Adam non seductorem se gessit, sed mulier seductrix facta fuit, &c.

§. VIII. Hanc expositionem confirmant plurima exempla, ubi Græci verba tertiæ Conjugationis Ebræorum tantum simplicibus thematibus exprimunt, notantibus id Augustino Lib. I. de Trinit. c. 12. Beza ad Philipp. c. 4. v. 10. Glassio Grammatica sacra de verbo Can. 27. Casaubono annot. ad v. 53. c. 11. Luc. Hackspanio ad Marc. 13. v. 32. Calixto, Camerone, aliisque pluribus. V. g. Matth. 5: 45. *Qui solem suum ἀνατέλλει oritur,* i. e. oriri facit. Joh. 19: 1. *assumsit Jesum Pilatus & flagellavit,* i. e. flagellare jussit, vel fecit. 2. ad Cor. 2: 14. *Gratia Deo semper nos θριαμβεύοντι triumphanti,* i. e. triumphare facienti.

cienti. Ad Philipp. 4: 10. ἀνεθάλετε *reviruistis vestram pro me solicitudinem*, i. e. revirescere fecistis.

§. IX. Huc refert quoque verbum ἀποστοματίζειν Luc. 11: vers. 53. doctissimus Casaubonus, l. c. atque tales loquendi modos profanis Auctoribus Græcis perinde usitatos esse, contendit h. v. *Conjugationis Ebræorum, quam vocant Hiphil, defectum non uno modo compensant Græci. Interdum præpositione addita. Sic dicunt* ἐλπίζειν, *sperare*, ἐπελπίζειν, *facere ut alius speret.* ψηφίζειν *suffragium ferre*, ἐπιψηφίζειν *mittere in suffragium, sive facere ut alius ferat suffragium? Sæpe eidem verbo & τῷ* Kal, *& τῷ Hiphil significationem tribuunt. Dicunt enim &* πιστεύω ἐγὼ *&* πιστεύω σε. *Sic* καθίζω, *& sedere significat, & facere ut alius sedeat: ut* καθίζειν δικαστὰς. *Atque hoc modo pleraque verba poëtæ præsertim tragici usurpant: itemque Sacrorum Bibliorum Græci Autores. Sic* ἀνατέλλειν *Matthæus usurpavit, pro facere oriri; Paulus* θριαμβεύειν, *pro facere triumphare, & alia passim. Ejusmodi est* ἀποστοματίζειν *isto loco: quod & memoriter recitare significat, & facere, ut alius recitet. Itaque & discipulus, qui recitat aliquid,* ἀποστοματίζειν *dicitur: & præceptor quoque, qui facit, ut ille recitet. Utriusque significationis exstant exempla. Docet hoc manifestissime Suidas: qui postquam exposuit* ἀποστοματίζειν, ἀπὸ μνήμης λέγειν, *subjicit,* καὶ ἀποστοματίζειν φασὶ τὸν διδάσκαλον, ὅταν κελεύῃ τὸν παῖδα λέγειν ἄττα ἀπὸ στόματος. *Atque hac fere in significatione hic accipitur. Significat enim facere, ut quis loquatur, sive ad loquendum allicere, ut doctissimus Interpres vertit.*

§. X. Verbum σώζεσθαι autem in passivo cum διὰ constructum, significat aliquando active spem, sive confidentiam, sive solatium habere in aliquo. Ita sumitur apud LXX. Interpretes Jesaiæ 14: 32. Καὶ δι' αὐτοῦ σωθήσονται οἱ ταπεινοὶ τοῦ λαοῦ. Lutherus: **Und daselbst werden die Elenden seines Volcks Zuversicht haben.** Simile fere significatum hujus verbi vide Joh. 11: 12.

§. XI. Totus jam contextus est expeditissimus. Ponit I. Apostolus v. 12. hoc thema: Mulieri docere non permitto, neque auctoritatem usurpare in viros, sed esse in silentio. Ei confirmando duo statim subjungit argumenta: prius v. 13. Adam enim prior formatus est, deinde Eva: alterum vers. 14. Adam non exhibuit se seductorem, sed mulier seductrix facta fuit. Ne igitur etiam nunc homines seducat, secluditur à munere docendi. Addit tamen vs. 15. spem sive solatium habebit in generatione filiorum, ut si manserint in fide, dilectione, sanctitate, Doctores evadant ipsi, à quorum celebritate laus etiam in matrem possit redundare.

§. XII. Denique notari potest, quod Apostolus v. 14. dicit, idem plane legi in Paraphrasi Chaldaica cap. 7. Ecclesiastis: לחוד חזי דין אשכחית די עבד יי אדם קדמאה תקיף קדמוי זכאי וחויא וחוה אי אינהו אטעיו: *Solummodo ecce hoc inveni, quod Dominus fecit Adamum Protoplastum coram se justum; serpens autem & Eva facti fuerunt seductores.* fol. 368. col. 2. edit. venet. A. C. 1541.

§. XIII. Unde sponte pariter jam concidit fictitium, quod ex hoc quoque loco violenter nimis exsculpere conantur Romanensium nonnulli, de Bonorum Operum merito dogma. Ita quippe Cornelius à Lapide: *Præpositio* per *significat hic causam & meritum sc. laborum, quos patitur mulier in partu & educatione liberorum in fide, & moribus Christianis, per quod salvabitur.* Comment. in h. l. fol. 722. Et quid præterea insulsis istis argutiis possit reponi, dicemus alias, si fors ferat. Videsis tamen interea ex multis Musculum in h. l. & D. Nicol. Arnoldi part. 2. Lucis in tenebris.

LOCUS II.

I. ad Timoth. cap. III. vers. ult.

Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι.

Deus manifestatus est in carne, justificatus est in Spiritu. (Ex versione Erasm.)

§. I.

QUod locum præsentem attinet, Interpretes pridem enixe in eo explicando laborarunt, ut expositionem congruam inde eruerent. Plerique equidem quoad prius membrum rectissime sentiunt, *Deum in Humana Natura, eaque miseriis obnoxia, à se assumta, palam ab hominibus visum, & cum iis conversatum esse*, juxta illud Joh. 1: 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus; uti præclare loquitur Estius Comment. in h. l. fol. 790. Quibus ad amussim respondent verba Cornelii ita ad h. l. fol. 733. Pauli ad Timotheum scribentis: *En magnum quod dixi pietatis sacramentum, scilicet quod Verbum æternum in se invisibile in carne apparere, viderique dignatum sit.*

§. II. Quod posterius vero attinet, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, locutio videtur intricata, ad quam olim enormiter impegisse nonnullos, Veterum scripta legenti, non potest esse obscurum. Neque enim hic *justificari* simpliciter significare potest sine gravissima blasphemia, & errore inexcusabili, *justum fieri.* Igitur primum quæritur de Verbi ἐδικαιώθη h. l. sensu, deinde quid vox πνεῦμα notet.

§. III. Plerique prius illud ex significatione 3. Ebræorum Conjugationis transferunt, justus, declaratus, sive ostensus, aut agnitus fuit: per hanc vero tertiam Divinitatis intelligunt personam. Ita inter plurimos Estius in h. l. fol. 790. *Per Spiritum declaratus est justus & verax in operibus & doctrina; atque ab omnibus Judæorum calumniis absolutus. Nam in Scriptura frequentissimum est justificari, pro eo, quod est justum declarari, & in judicio absolvi. Ita Christus justificatus est in spiritu multipliciter; ut per testimonia divinitus exhibita in ejus nativitate & baptismo, & alias, sed præcipue per innumera miracula, quæ fecit virtute Spiritus S. id quod ipse ait; Si ego in Spiritu Dei ejicio Dæmones*, Matth. 12: 28. Cui ferme iisdem subscribit Corn. à Lapide Comment. h. l. fol. 734. *Gentes rident Verbum incarnatum, & in carne manifestatum, sive Deum hominem factum, quasi stultum: Judæi habent pro scandalo: Sed Spiritus S. per rationes convenientissimas, per miracula, per efficacem prædicationem &c. declaravit & comprobavit hoc Dei de Verbi incarnatione consilium esse justum, sanctum, sapiens, Deoque dignum.* Beza: *Justificari ex Ebræorum idiotismo significat debita justitiæ laude affici, quum justus comprobatus fueris (ut Luc. 7: 35. dicuntur Publicani DEUM justificasse) atque adeo justum, id est, perfectum & omnibus numeris absolutum declarari ac agnosci*, &c. Comment. in h. l. f. 328. col. 2.

§. IV. Quin & pridem ita Beatissimus Lutherus in Margine annotavit: **Der heilige Geist preiset Christum im Evangelio und glauben / welchen sonst alle Welt verdammt und lästert.** Similiter Hunnius Comment. in h. l. pag. 144. *Reprobavit Judæorum natio Christum, & in crucem egit, ut hominem sceleratum, seditiosum, blasphemum, & quidem ipse, licet peccatum non fecisset, & in ore ejus non fuisset inventus dolus, crucifigi tamen sustinuit propter peccata nostra, quæ Pater cælestis in illum conjecerat. Et videbatur ipsius innocentia aliquandiu pene oppressa: sed per Spiritum S. justificatus, h. e. justus declaratus est, imo justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. Declaratus autem est justus non uno modo. Primo enim per miracula, quæ fecit virtute Spiritus, cujus plenitudine sine mensura erat ad edenda illa unctus, Actor. 10. palam innotuit, ipsum esse justum illum æternumque Filium Dei. Præterea in gloriosa ejus resurrectione, per Spiritum sanctificationis perfecta, rursum apparuit, eum, quem ut sceleratum interemerant Judæi, esse unigenitum Dei Filium, omnis justitiæ fontem, auctorem & reparatorem. Quin & missione Spiritus S. super Apostolos hoc testimonium luculentissime confirmatum est, Actor. 2. & 5. Præcipue vero per divulgationem Evangelii in orbem terrarum solenniter ac publice in universo mundo id innotuit.*

§. V. Quæ sententia longe est expeditior, quam complurium in h. l. Veterum: qui, quam conciliando ei miris allaboraverint & se torserint modis, vide modo apud Theophylactum Comment. in h. l. 577. Et præterea quod spectat ad rhombum, verbum Ebræum צדק. h. e. δικαιόω, à LXX. Græcis vertitur aliquando per δίκαιον ἀποφαίνω. Job. 27: 5. δίκαιον κρίνω. Prov. 17: 15. δίκαιος ἀναφαίνομαι. Job. 13: 18. 40: 3. imo ἄμεμπτός εἰμι τοῖς ἔργοις. Job. 22: 3.

§. VI. Quicquid tamen hujus sit, quanquam expositio hæc, ut jam dictum, satis sit apta, neque vel à scopo Divinæ Veritatis latum discedat unguem, vel à Divi Scriptoris mente videatur quadantenus abludere, inveniri tamen posse aliam, contextui, si non magis, perinde tamen congruam, existimo, ex verbo videlicet בחן, quod exponitur exploravit, probavit, manifestum fecit &c. & in passivo constructum, à LXX. Interpretibus indiscriminatim modo per δικαιόομαι, modo per φαίνω, modo per φανερὸς γίνομαι vertitur, e. g. Genes. 21: vers. 13. *quia probatus est*, ὅτι δεδικαίωται. Gen. 42: 15. *in hoc probabimini*, ἐν τούτῳ φανεῖσθε. vers. 16. *& probabuntur verba vestra* ἕως τοῦ φανερωθῆναι τὰ ῥήματα ὑμῶν. Est vero jam prope in vulgus notus interpretationis Scripturæ Canon: Sicubi in V. T. verbum aliquod unum aut plura habeat significata, fieri interdum in N. T. ut unum ponatur pro altero.

§. VII. Ex quibus concludimus, cum toto versiculo & contextu hoc Paulus inprimis videatur velle prædicare revelationem sacrosancti Mysterii Personæ Redemtoris nostri, θεανθρώπε, propterea verbum ἐδικαιώθη hic per expositionem esse positum, atque idem notare, quod antecedens verbum ἐφανερώθη, ut sit sensus: Deus conspicuus factus est in carne, i. e. sensibus corporeis hominum juxta humanam naturam revelatus, quando assumta carne humana versatus est, atque conspectus in terris. Huic manifestationi in carne subjungitur jam statim manifestatio in Spiritu, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, justificatus, i. e. probatus seu manifestus factus est etiam in Spiritu, sive secundum Divinam Naturam, quasi dicat: Gloria Divinitatis sese in illa infirma carne ita exeruit, ut Christum, quamvis hominem infirmum, tamen palam etiam factum sit, esse verum Deum, quod universa historia Evangelica abunde prodit. Ab hac expositione non omnino abhorret Theologorum Vinariensium Glossa in B. Lutheri versionem: Gerechtfertigt im Geist) Er ist wider seinen Lästerer für den warhafftigen GOtt und verheissenen Messiam in allen Stucken / welche von dem Messia durch die Propheten geweissaget waren / erkläret und bewähret worden vom heiligen Geist / zum Römern 1: 4.

§. VIII. Per Spiritum vero forte non tertia Divinitatis persona, uti plurimi volunt, hic intelligitur, sed Divina Christi natura (quemadmodum ante per ἐν σαρκὶ humana ejusdem natura indigitabatur) seu quicquid in Christo Divinum & supra carnem, h. e. supra hominem fuit, innuitur. Deus est Spiritus; atque hoc appellato in Scripturis alicubi, quanquam non semper, opponitur hominibus, sive carni. Rom. 1: 3. Christus dicitur factus ex semine Davidis κατὰ σάρκα, i. e. secundum humanam naturam: v. 4. autem declaratus filius Dei κατὰ πνεῦμα &c. i. e. secundum divinam naturam. Unde simul patet, locum hunc ad Romanos ab adversæ sententiæ asseclis pro ea tanquam parallelum præpostere citari. Nobiscum Erasmus Schmidius in N. T. quoque facit, quantum ad vocem πνεύματι attinet: θεὸς ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, i. e. *quod debita laude affectus est in Spiritu, i. e. in Deitate, per Deitatem suam, quam aliquoties exeruit, & doctrina miraculisque comprobavit.* Nec refragatur Beza, quamvis in præced. verbo cæterorum tramitem calcet. Ita nimirum scribit: *Justificatus est in Spiritu, i. e. justitiam habuit non humano more, sed Divina puritate*, l. c. Quibus addatur Hornejus Compend. Theol. pag. 12. & Glassius Phil. Sacr. Lib. III. Tract. III. can. 15. p. m. 573.

§. IX. Photiniani quidem verbum ἐδικαιώθη plane uti plerique Nostratium libenter accipiunt, sed suo inhærentes luto suas hic quoque inde canere nænias non desistunt. Ita inter multos de h. l. Paulino Johannes Volkelius: *In carne manifestari, carnem fieri, aut carnem assumere, significare, nulla ratione demonstrari potest. Interim cum perpetua Scripturæ veritate congruentius est, DEUM per homines infirmos, mortis afflictionibusque obnoxios, qui ideo hic carnis nomine appellantur, sese mundo patefecisse. Talis autem fuit Christus, ejusdemque Apostoli, qui divinæ voluntatis mysterium hominibus annunciarunt. Hinc talis loci istius sensus emergit: Deum seipsum voluntatemque suam à seculis reconditam, per Christum Apostolosque varius ejus rei gratia perpessionibus vexatos, clarissime proposuisse: interim tamen, etiamsi hominum adeo infirmorum opera eam revelarit, virtute sua Divina, quam in illis exeruit, effecisse, ut justus ac verax agnosceretur, ejusque voluntas approbaretur. Eo demum tempore ab ipsis angelis divinam hanc voluntatem revera agnitam perspectamque fuisse, & multiplicem illam Dei sapientiam, quæ in ea elucet, ipsis patuisse. Eandem Dei voluntatem Gentibus extraneis, quæ à Deo untea prorsus alienæ fuerant, ac divinis patefactionibus destitutæ, prædicatam esse; eique in toto terrarum orbe passim fidem esse habitam; eam denique summa cum gloria ab hominibus palam fuisse receptam.* De vera Religione Lib. V. cap. 11. de duabus naturis in Christo, fol. 463. Apage ineptias!

LOCUS III.

I. ad Timoth. IV. vs. 1, 2.

Ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως Προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν.

Descīscent quidam à fide, attendentes spiritus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum. Per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam. (Ex versione Erasm.)

§. I. RECtissime locum hunc de nefariis, quibusdam traditionibus Pontificiorum à nostrarum Ecclesiarum Doctoribus exponi, quis non videt? cum id eventus rerum satis abunde comprobet. Dubium tamen Interpretibus suboritur multo maximum de Genitivis ψευδολόγων καὶ κεκαυτηριασμένων, qui, quorsum referendi sint, inter eos disceptatur. Quod si forte quispiam ad præcedentem Genitivum δαιμονίων, quo inclinare videtur Vulg. Latinus, spectare dicat, atque vocem illam in sensu simplici accipiat, judicantibus aliis, prodigiosum fuerit dicere, dæmonia loqui mendacia in hypocrisi, & habere conscientias cauteriatas, quod tamen Cornelio à Lapide minus absurdum videtur, licet aliam foveat sententiam.

§. II. Est equidem, qui διδασκαλίαις δαιμονίων vertit doctrinas de dæmoniis (quemadmodum dicitur διδαχὴ βαπτισμῶν, doctrina de Baptismis. Ebr. 4: 2. πίστις τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, Fides in filium, sive de Filio Dei. Gal. 2: 20.) & dæmonia exponit idola, ut innuantur δαιμονίζοντα, sive res, quæ immolantur Dæmonibus, non quidem spiritibus impuris, sed geniis & idolis Heroum, adeoque hic perstringantur doctrinæ de imaginibus & cultu Sanctorum. Verum ne sic quidem omnis exemptus fuerit scrupulus.

§. III. Estius clariorem putat fieri constructionem, si priorem Genitivum intelligat more Ebraico positum, pro epitheto, sive adjectivo, q. d. Attendentes spiritibus erroneis, & doctrinis dæmoniacis, seu diabolicis hominum in hypocrisi loquentium mendacium. Comment. in h. l. fol. 792.

§. IV. Alii nodum hunc solvere nescientes, truculenta rupere manu, statuendo, geminos Genitivos ψευδολόγων & κεκαυτηριασμένων referendos esse ad præcedentis versiculi voces τινὲς προσέχοντες, uti vult Cornelius à Lapide; *Melius*, (inquit) *referes hos Genitivos non ad dæmoniorum, sed ad nomen, quidam, quasi illius distributivos, q. d. Discedent à fide quidam hominum, puta Apostatarum, loquentium mendacium, cauteriatam habentium conscientiam &c. Hoc enim proprie ad homines pertinet. Unde commodius & clarius dixisset in Nominativo: Quidam loquentes mendacium & cauteriatam habentes conscientiam: Sed per Ebraismum maluit dicere in Genitivo, quia præcessit Genitivus dæmoniorum, etiamsi ad eum proprie non pertineat: Sic enim Ebræi concordant nomen vel verbum subinde cum propinquiore nomine, non autem cum eo, quod proprie respicit, & cum quo in Latina & Græca Syntaxi concordare debet.* Comm. in h. l. fol. 736. Sed hoc absque manifesta Syntaxeos læsione, cujus quoque non occurrit exemplum simile in omnibus Pauli epistolis, fieri nequit. Jesuita in miros circumflectitur gyros, modo intendens aliquam ellipsin nominis ἀνθρώπων post τινὲς, modo Ebraismum nescio quem obtorto huc rapiens collo.

§. V. Beza autem adhuc frigidius Solœcismum Paulo hic impingit, statuitque, cohærere Genitivos istos cum antecedentibus Dativis, πνεύμασι πλάνοις, addita denique hac epicrisi: *Major est habita sententiæ, quam Constructionis ratio.* Comment. in h. l. fol. 330. col. 1.

§. VI. Absit vero his ut præbeamus assensum, quin salva omnino res fuerit, si & hi, & qui vers. 3. sequitur, Genitivi regi existimentur ab ἐν ὑποκρίσει, atque ἐν hoc loco significare causam vel modum actionis, adeoque sensus sit iste; quod posterioribus temporibus desciturі quidam sint à fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinisque dæmoniorum, atque desciturі equidem per hypocrisin hominum falsiloquorum (quales sunt indulgentiarum Institores, omnisque larvarum Papisticarum fæx) qui homines falsiloqui conscientiam habent cauteriatam, prohibentque matrimonium & cibos, quos DEUS creavit ad participandum cum gratiarum actione. Sic ἐν accipitur Rom. 5: vers. 9. δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. Coloss. 2: vers. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ. Vid. Glass. L. III. Phil. Sacr. Tract. VI. Can. VI.

§. VII. Eadem sententia Erasmo Schmidio fere arridet, verba ejus sic sonant: ψευδολόγων ὑποκρίσει, *doctrinas δαιμονίων, i. e. Papisticam religionem introductum iri, Apostolus hoc loco prædicit.* Et paulo post: *Quod adeo vere impletum fuit, ut verius non posset; quum constet, totum Papatum & ψεύδεσιν & ψευδολόγων ὑποκρίσει scatere. Legatur liber ille utilissimus, qui inscribitur* Brotkorb / *ibi invenientur mira & stupenda, quæ ne ipsi quidem Pontificii negare possunt.* Et iterum post pauca: *Non videtur necesse esse ἀντίπτωσιν fingere* (hic Bezam perstringit) *quum ostendatur potius Medium, quo seducantur homines ad τὸ προσέχειν πνεύμασι πλάνοις: Nempe per hypocrisin hominum ψευδολόγων falsiloquorum, quales præter alios sunt, Indulgentiarum Institores, qui hoc egregie præstant.* Hæc ille.

§. VIII. Joa-

§. VIII. Joachimus Camerarius hanc facit ellipsin διδασκαλίαις δαιμονίων (ταῖς ὄσαις) ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, Comment. in h. l. fol. 139. Sed ea opus non est, ceu hactenus patet.

LOCUS IV.

I. ad Timoth. IV: vs. 3.

Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων.

Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis. (Ex versione Erasmi.)

§. I.

HAnc S. Spiritus prædictionem, si quis ad experientiam, Magistram rerum, conferat, Pontificiis quam maxime convenire, liquido asseverabit. Quare cum locus iste Romanensium cohorti validissime fuerit objectus, traditionum Promachus, Franciscus Costerus, telum in eandem vibratum in nostra protendere viscera fuit ausus. Cum enim mentio fiat hic κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων, h. e. si vertas κατὰ πόδα, prohibentium abstinere à cibis, inde infert, hoc Lutheranis potius, quam Pontificiis posse tribui: hos enim præcipere abstinere à cibis, illos vero prohibere talem abstinentiam sive jejunium: & cum nota hæc Pontificiis sic non conveniat, reliquas etiam hoc loco commemoratas, ad eos pertinere, Lutheranosque per consequens esse ψευδολόγους καὶ κεκαυτηριασμένους, attendentes spiritibus, deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum, non Pontificios. Ita nimirum inter alia Jesuita: *Verbum abstinere cum ab alio nullo regatur, quam à participio prohibentium, videbuntur potius designari hæretici, qui prohibent abstinere à cibis, quam Catholici, qui jubent abstinere.* In Enchirid. cap. XVI. pag. 583. & seqq.

§. II. Veruntamen deseritur in hac expositione Costerus, non solum à Thoma Guillaudo, Cardinale Cajetano, Emanuele Sa, Gagnæo, Tirino, aliisque innumeris tribulibus, sed & cæteris Interpretibus, qui de præcepta à cibis abstinentia hic agi magno profitentur consensu, quanquam verba ipsa videantur refragari, atque locutio sit obscura ac vindice digna. Cui explanandæ varia à diversis conquisita fuere media ac argumenta.

§. III. Sententia I. Auctorem habet Epiphanium, adstipulatores vero Erasmum, Bezam, Cornelium à Lapide, Guilielmum Estium, aliosve plures, statuentes, ante verbum ἀπέχεσθαι subintelligendum esse per ellipsin verbum κελευόντων, quomodo locum hunc adversus Cataphrygas citat Epiphanius, ut sensus emergat talis: Prohibentium contrahere matrimonium, præcipientium abstinere à cibis, &c. Verum inaudita hæc est ellipsis, & exempla, quæ ad eam confirmandam ab Auctoribus proponuntur, admodum sunt dissimilia, & ab Apostoli scopo aberrant.

§. IV. Alii II. ad Ebraismum confugiunt, eumque ex verbo צוה fingunt, quod & significat proprie quidem præcepit, quid sit faciendum, & etiam vetuit, à quo sit abstinendum, ut Deut. 2:37. Quem probationis loco adducit Beza. Atque hujus quoque rei non reperitur exemplum, verbum unum, quod diversis locis oppositos habet sensus, uno eosdem simul inferre.

§. V. Alii III. ad Syrum Interpretem provocant, quasi legerit, ἀπεχομένων, & reddiderit in sensu Conjugationis Hiphil, q. d. Per hypocrisin hominum falsiloquorum, prohibentium contrahere matrimonium, facientium abstinere à cibis. Quæ expositio quidem admitti posset, si in fonte esset, ἀπεχομένων: at cum legatur, ἀπέχεσθαι, omnis conatus redditur irritus.

§. VI. IV. Antiquis quoque temporibus alii desperato ausu affinxerunt Apostolo σφάλμα καλλιγραφικὸν, quasi is in momenta rerum potius intentus, quam in verba, à genuina loquendi norma per incuriam & inadvertentiam discessisset, ac in analogiam grammaticam impegisset. Quæ sententia licet deinceps ad nostra hæc usque tempora suos invenerit Patronos, tanquam plane intolerabilis, imo impia, est repudianda & execranda.

§. VII. Expositio V. est Oecumenii aliorumque (v. g. Salmeronis in h. l. Danielis Chamierii Tom. 3. Panstratiæ Catholicæ l. XIX. c. 5. Nortoni Knatchbull in h. l.) Qui κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων ex genio loquendi Græcis usitato exponunt, Prohibentium vesci cibis. Mens eorum clarissime effulget ex his Oecumenii verbis, quæ cap. 7. de hoc ipso loco, & hac ipsa quæstione leguntur: Οὐκ ἔστι σφάλμα καλλιγραφικὸν, τὸ ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ὡς ἐνίοις ἔδοξεν, οὐδὲ παρόραμα ἀποστολικὸν, ἀλλὰ καὶ ὀρθῶς εἰς τὴν Ἀτθίδα συνήθειαν διαπεφρασμένον ὥσπερ τὸ, Ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα· οὐ λέγεται ὡς εἰς ἀτοπίαν αὐτὸν προὔτρεπεν· Καὶ τὸ, Ἀπέτρεπεν αὐτὸν μὴ προσκρούειν φίλοις· οὐχὶ φίλοις προσκρούειν, ἀλλὰ τοὐναντίον· Καὶ πάλιν, Ἐκώλυσε μὴ κλέπτειν· οὐχ ὅτι ἐπέτρεπε τὴν κλοπήν· Καὶ, Ἐκώλυεν ἀπέχειν ἀῤῥητοποιΐας· ἀντὶ τοῦ, Ἀπῆγεν ἀπὸ τῆς τοιαύτης πράξεως· Οὕτως καὶ, Ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἀντὶ τοῦ, Ἐκώλυον ἀπὸ τῆς βρώσεως· Quæ verba Latine ita sonant: *Non est Erratum Calligraphicum aut Scriptionis, quando dicitur;* κωλυόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *ut nonnullis visum fuit; neque est inadvertentia Apostolica: sed recte & quidem secundum consuetudinem Atticam dictum. Cujusmodi illud,* Ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα; *Prohibuit eum, ne faceret absurda vel indigna: non hoc vult, quasi eum ad indigna adhortatus esset. Sic* Ἀπέτρεπεν αὐτὸν, μὴ προσκρούειν φίλοις, *Prohibuit eum, ne offenderet amicos: Non hoc vult, quasi velit illum offendere amicos. Sed contrarium. Et rursus,* Ἐκώλυσε μὴ κλέπτειν, *Prohibuit eum, ne furaretur: Non quod furtum ei concesserit. Et* Ἐκώλυεν ἀπέχειν ἀῤῥητοποιΐας, *Prohibuit abstinere à nefandis facinoribus, Pro, Abduxit à talibus factis. Sic etiam,* Ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *Prohibebant abstinere à cibis: Pro, Prohibebant ab esu?* Atque hic expeditissimus videtur Interpretationis modus, & genuinus hujus loci sensus.

§. VIII. Nihilominus tamen VI. Vir quidam Clarissimus, & de Scripturæ explanatione non solum, verum etiam universa Republica literaria longe meritissimus, hanc modo allatam explicationem penitus proculcat, afferendo aliam, & verbum ἀπέχεσθαι transferendo per Gerundium, hoc modo; Prohibentium vel Impedientium nubere, abstinendo à cibis &c. h. e. dum abstinentiam à cibis urgent, tanquam cœlibatus altricem & conservatricem, neque Sacerdotibus & Monachis, imo universis Clericis, solum τὸ γαμεῖν interdicunt, sed & jejunium Ecclesiasticum, ut vocant, h. e. abstinentiam à carnibus, & aliis certis cibis, certis temporibus, ideo urgent, ut per eam Cœlibatum tueri possint, atque ita τῷ ἀπέχεσθαι βρωμάτων pro medio utuntur, quo Nuptias κωλύωσι vel impediant.

§. IX. Verum enim vero quod tanti pace manium Viri dixerimus, nondum sententia ejus libera ab omni dubio, neque quod ad subvertendam Oecumenii expositionem docte magnoque molimine in medium affert, firmo stare videtur talo. Quod enim priorem illam attinet, fortassis nemo facile concesserit, hanc jejunii vel unicam vel primam esse caussam, ut per illud carnales edomentur illecebræ, cum vulgo cognitum sit, prætendi & alias pariter non postremas, quales sunt: Ecclesiæ veteris exemplum, Pontificis præceptum, votum certum, imitatio Christi jejunantis, luctus in memoriam passionis ipsius, consecratio decimarum temporis totius, vitæ DEO debita, præparatio ad S. Eucharistiam, meritum pro se & pro aliis apud DEUM, atque ut intellectus graviori cibo minime impeditus atque oppressus, ad sua munera, preces puta, meditationes, & hujus generis alia obeunda promptior reddatur, vegetiorque. Vide inter multos hac de re Bellarminum Lib. II. de Bonis Operibus cap. 5. Costerum c. 16. Enchirid. p. 575. & seqq.

§. X. Et putaverim, ex mille Pontificiis vix decem hoc medium Cœlibatui servando adhibere unice, aut verum etiam credere: abstinerent enim alias in jejunio perinde à salacibus herbis, quas petunt ex hortis, melle, pineis, nucibus, tuberibus, pipere, caryophyllis Indicis, Arabicisque aromatibus, salsamentis, reliquisque maris copiis, oleo inprimis vino & hujusmodi aliis, quæ fervores libidinis suscitant, fovent, incendunt. Quid imo de aliis in ipsorum Ecclesia fiet, qui jejunii præcepto tenentur, Cœlibatus non item?

§. XI. Quid si aliquis oggesserit, si unum alterumve excipias Monachorum ordinem, reliquis Castitatis voto obstrictis, non nisi in Quadragesima, cæteroquin per pauculos dies interdictum esse cibis, quomodo servaverint illi castitatem diebus cæteris, quibus cibi promiscue sunt liciti? si hic modus fuerit hypocritici illius cœlibatus? Quid si quis porro objecerit; Non videri Paulum ita simpliciter improbare, Prohibitionem Conjugii, sed restricte tantum, & respectu ad modum illum habito?

§. XII. Accedit si quis omnia, ut Vir Clarissimus in refellenda Oecumenii sententia satagit, ad vivum velit rescindere, nondum ab ipso fuisse comprobatum, si duo infinitivi à finito verbo regantur, alterum duntaxat eorum, (præsupposita ellipsi articuli, quam statuit ille) in Gerundio esse exprimendum. Exempla enim, quæ ipse affert, eo non congruunt, ut pariter ea liceat vocare dissimilia.

§. XIII. Versa

§. XIII. Versa vice Oecumenii expositio adhuc videtur esse inconcussa. Nam quem scrupulum ipse initio de ἀσυνδέτῳ inter duo incisa movet, is facile vel ex proprio ipsius confesso eximitur. Deinde quod circa quædam ab Oecumenio allata exempla distinguit inter negationem & prohibitionem, & illa proinde dissimilia reputat, neque id nervum videtur exhaurire.

§. XIV. Largiamur autem ex abundanti, recte se omne id habere, quod in contrarium fuit allatum, geminum adhuc obstabit, quo minus Oecumenius sit de ponte dejiciendus. Est nimirum in Ebræo radix חדל, quæ à LXX. Interpretibus non solum vertitur per ἀπέχω, Prov. 23:4. (quod verbum prohibitivum esse, jam concedamus Viro Clarissimo) sed & per ἐ θέλω, Deut. 23:23. Quod verbum jam liquido negativum est. Quod si ergo huc applicetur communissima Interpretum regula: Si verbum unum in V. T. duo aut plura habeat significata, fieri quandoque in Novo, ut unum eorum ponatur pro altero; non videmus, quo minus phrasis allatis ab Oecumenio pro expositione sua exemplis respondeat.

§. XV. Et vero si ne hoc quidem salvando interpretamento isti facere possit satis, ad quartum ab Oecumenio allatum exemplum, quod scopum hunc ferit ad amussim, nihil habuit Vir Clarissimus, quod afferret, nisi quod plane perverterit mentem Oecumenii, quasi Phrasis illa ab ipso allata, ἐκώλυσεν ἀπέχειν ἀῤῥητοποιΐας, significare debeat, prohibuit ne abstineret à nefandis, h. e. coëgit facere nefanda, vel præcepit, facere nefanda, quæ Oecumenii mens nunquam fuisset, nisi illa scripsisset ebrius, aut ex cerebro non sano. Vir Clarissimus autem hunc Phraseως sensum ita fingit, sed non probat. Ait equidem: *Quartum exemplum Oecumenii principium petit. Quæritur enim, an unquam aliquis ita dixerit, hoc quidem sensu? Prohibuit, ne faceret nefanda?*

§. XVI. Verum enim vero præsumendum aliter utique est de homine, cui Græca Lingua erat vernacula, & quotidiani ac triti in vulgus loquendi modi optime perspecti cognitique, & de quo ipse Vir Clarissimus in antecedentibus non potest non fateri, eum, cum natione Græcus fuerit, fidem de proprietate Græcæ Linguæ præ aliis videri posse meriturum.

LOCUS V.

I. ad Timoth. V: vs. 2, 3.

Μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν στόμαχόν σου, καὶ τὰς πυκνάς σου ἀσθενείας.

Non posthac bibas aquam, sed vino paululo utere propter stomachum tuum, & crebras tuas infirmitates. (Ex versione Erasm.)

§. I. Locum hunc planum & sine omni difficultate reputarunt fere omnes interpretes veteres & recentiores. At enim vero Calvinus Apostolum, uti in aliis, ita in hoc loco arguere conatur, eum minus fuisse curiosum in texenda Orationis serie, nec infrequens ei esse, ut diversas sententias absque ordine permisceat. Quin etiam suspicatur, hanc partem scripta jam epistola appositam fuisse extra ordinem versuum, ac deinde Librariorum errore in hunc locum irrepsisse.

§. II. Dubium hoc idque non leve observavit quoque Nortonus Knatchbull, Eques & Baro Anglicanus, quod pariter ipsi è connexionis ratione est subortum. Præcipit enim Apostolus Timotheo capite hoc, primo quo pacto seipsum gerere debeat erga senes ac viduas, deinde erga Ecclesiæ Presbyteros bene meritos: Inde progreditur & vs. 22. præscribere incipit rationem ordinandi, & constituendi Ecclesiæ Episcopos, atque Pastores. Versu quidem 22. sic infit: *Cave ne temere cuiquam manus imponas, nec communicaveris peccatis alienis, serva te ipsum purum.* Versu 24. & 25. subdit deinde causam sobrii hujus judicii, quod in isthac manuum impositione requirit: *Quorundam*, ait, *hominum peccata, &c.* Proinde versus illi 22. 24. & 25. nexi sunt invicem, & luculentum constituunt contextum.

§. III. Hunc ita nodum animadvertens, mirum ipsi visum fuit, qui vs. 23. prorsus alia de re agens, hic fuerit insertus, & quum eum solvere nesciret, sic violenter nimis ipsum disrumpit. Verba ejus sunt: *Versus iste videtur irrepsisse in hunc locum præter mentem Apostoli, quo fato, incertum; forte appositus erat in margine, & incuria Apographi non suo loco insertus. Vicesimus enim secundus & quartus invicem cohærent,* χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις, σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει, τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι &c. *Quasi diceret: Cave ne temere cuiquam manus imponas, nec communicaveris peccatis alienis, serva te ipsum purum, id est, insontem vel inscium? Ne sis peccatorum aliorum conscius, & ut tibi melius caveas, monitorium addit, quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, id est, quæ impositionem manuum præcedunt, de quibus ideo judicare potest, qui imponit manum, unde & excusari non potest, si imponat manum; quosdam vero subsequuntur peccata, i. e. manifesta fiunt post judicium & impositionem manuum, tum demum incipientia se exerere, unde & de iis judicare certe non potest, & idcirco nec eorum fiet particeps, qui imposuit manum. Atque hic videtur esse sensus Chrysostomi.* Hæc ille in suis Paradoxis Animadvers. in N. T. pag. 254. & 255.

§. IV. Est sane dubium. Absit vero ut sic Commentatoribus illis jugulemus & subvertamus S. Apostolum, atque in re sacra, ut cum Estio loquar, futiliter nugemur, qui sanctius ac reverentius hac in re sentit, dum Calvino his sequentibus ordinis rationem ostendere allaborat: *Timotheus, ut castum semet ipsum servaret, carnis lasciviam aqua potu reprimebat, & ita quidem, ut à vino prorsus abstineret, non sine dispendio sanitatis sui corporis. Dicit ergo ei Apostolus: Quamvis castitatis te admoneam, nolo tamen, ut in alteram partem pecces, & aqua potu valetudinem lædas.* Comment. in h. l. fol. 812.

§. V. Quanquam vero nondum totum exhauriat dubium, & connexio versiculi tantum cum antecedenti, non vero sequenti textu sic constet: displicet præterea & hoc, quod Vulgatum secutus, & ex præconcepta opinione vocem ἁγνὸν simpliciter ad castitatem restringat, nec obscure isthac conjectura sua ad monasticum votum, mediumque quod putat, jejunii à Timotheo quasi conceptum abhibitumque digitum intendat: cum & Paulus phrasi isthac *colendam animi totiusque vitæ puritatem & castimoniam* (verba sunt B. Hunnii in h. l. pag. 243.) præcipiat, quemadmodum & Theophylactus *de Temperantia, Modestia, & Pudicitia* agere hoc monitum agnoscit in h. l. fol. 583. Et præterea dictio ἁγνὸς in genere puritatem, & quicquid impollutum est notet. Quare præter plures alios generali eam vocabulo transtulit Interpres Syrus: ܠܕܟܝܘܬܐ.

§. VI. Nos quoque meliora edocti calculum isti, quem diximus, Baroni (aut adeo Calvino ipsi) addere nequimus. Neque enim conjectura ipsius unius est assis; appositum nimirum versum hunc in margine & incuria Apographi non suo loco insertum: siquidem quo inseri loco debuisset, non ausus fuit monstrare Criticus, nec aperte exposuit, an de primo apographo loquatur, de quo tale divinare nimis incertum esset pariter ac durum; & si de aliis apographis strictura ipsius id suspicetur, vero minime videtur simile, non constitisse passim, & ad diversas Ecclesias Christianas pertigisse apographa alia, in quibus h. l. defuerit versiculus iste, & insertus loco alii. Atque talium Codd. MSS. quorum plures tamen, iique vetustissimi & probatissimi in Christianorum versantur manibus, nullus omnino extat.

§. VII. Pergit equidem & instat παράδοξος Commentator: 22. & 24. *invicem cohærent.* Bene habet: Et Paulo tritius nil est, quam prolixas sermoni intexere, quas vocamus, parentheses, cujus rei ipse alibi plurima allegat exempla. Et B. D. Glassius, similem hic statuit parenthesin, & comma 23. privatum reputat esse monitum, quod in familiaribus epistolis fieri assolet, ubi non semper exactus rerum scribendarum ordo observatur. Potuerunt ergo & illi versus arcte cohærere, interveniente tamen admonitiuncula hac, quæ 23. constituit.

§. VIII. Sed quorsum illa, inquiet quis, hoc in speciem plane ἀπροσδιονύσῳ loco? Nimirum absimile vero non est Apostolum, quod scripto in hac epistola monuerat Timotheum, eorum illi vel multa vel quædam saltim περὶ στόμα inculcasse. Et vero monuerat cap. 3:2. Episcopum oportere esse sobrium, & v. 3. non vini potorem. Fortean igitur Timotheus ex hoc monito à vino prorsus ad detrimentum valetudinis usque abstinuit. Aut esto, ne illud quidem conjiciamus, scripto monuisse Paulum, quod ore inculcaverat: cum citatis versiculis cap. 3. enormem vini potum & abusum vetuerit Timotheo, hic quando postliminio ἀκρίβειαν in judicando, qui, ut manus imponantur iis, sint digni deposcit, videtur metuere fidelissimus magister, ne discipulus propter judicium in ordinatione Episcoporum sobrium, quod requirit, ex præcepto paulo

paulo antecedenti vino abstineat omni, & mero aquæ potu imbecillitatem corporis sibi consciscat. Hinc jam est, quod quasi in parenthesi hunc interjiciat versiculum, ne, quod antecesserat, monitum de abstinentia à vino, Timotheus perperam accipiat, aut si jamtum accepisset, ut mutet sententiam, & ipsius mentem luculentissime teneat.

LOCUS VI.

I. ad Timoth. VI: vs. 5.

Ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων.

Erasmus:

Sejungere ab iis, qui ejusmodi sunt.

§. I.

IN vulgus notum esse existimaverim impium illud Concilii Tridentini decretum, quod Vulgata Latina, quam vocant, non solum reliquis versionibus, sed ipsi etiam fonti præponi, & pro authentica norma venditari debeat. Quod absurdum Pontificiorum dogma adhuc quoque in eorum passim viget Scholis, atque fere dominatur, licet fons ipse, & Patrum suffragia, sanaque ratio aliud suadeant æque ac dictitent, ceu allatus hic à nobis locus quadantenus etiam ostendit.

§. II. Verba enim hæc: Ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων: *Sejungere ab iis, qui ejusmodi sunt*, in Græco Textu constanter leguntur, & multorum Patrum testimoniis confirmantur: attamen cum in Vulgata Latina desint, ex margine vel Commentario alicujus in Græcum Textum translata fuisse statuunt. Sic enim expresse Cornelius à Lapide Comment. in h. l. fol. 762. *Græci hic addunt, Discede à talibus; & ita legit Syrus, Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecum. Ambros. sed Latina & Latini ita non legunt. Verisimile est, ea ex margine vel Commentario alicujus in Græcum Textum irrepsisse.* Ab hac Romanensium sententia non alienus est Hugo Grotius, cujus hæc sunt verba: ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. *Hoc non est in MS. optimo.* (intelligit MS. Codicem vetustum Anglicanum) *Deest & in aliis multis. Addiderunt ii, qui sensum putarunt sine his non plenum: cum contra se res habeat. Nam* τετύφωται, *quod præcesserat, non erat descriptio subjecti, sed prædicatum, ut loquuntur.* Hæc ille.

§. III. Longe rectius meliusve Alphonsus Salmero sentit, qui contra Vulgatam Latinam sic disserit: *Græci Codices habent, Secede ab his, qui sunt hujusmodi, quæ non sunt in Latinis. Græcum sequitur Chrysostomus cum suis: etiam Ambrosius & Haymo notant, hoc subaudiendum esse in Textu Latino.* Disp. XVI. in h. l. Et cum eo Estius: Comm. in h. l. fol. 816. & 817. *Græci Codices addunt hoc loco, quod in Latinis hodie non legitur, Abscede, sive Sejungere à talibus. Pro quo Ambrosianus habet, Discede ab ejusmodi. Unde liquet, vetustam esse lectionem hujus partis, quam & omnes Græci Interpretes exponunt, admonentes, non dicere Apostolum, disputa cum illis, & è diverso contende, sed recede, scilicet post unam & alteram admonitionem.* Grotio Pricæum opponimus, ita annotantem: *Abest hoc* κείμενον *in Vulgata Versione, Vetustissimoque, quod in Britannia, MS. nec tamen respuendum puto: Nam & alibi sub similibus loquendi formulis monet, malos dubitandos. Infra 2 Tim. 3: 5.* τούτους ἀποτρέπου. *Et ibibem 4: 15.* ὃν σὺ φυλάσσου. *Rom. 16: 17.* ἀπ' αὐτῶν ἐκκλίνατε. *Vide & 1 Thess. 3: 6.*

ΘΕΩΙ ΔΟΞΑ.

JOH. MICH. LANGII
DISSERTATIO
De Genealogiis nunquam finiendis & Fabulis Judaicis, quarum Paulus Apostolus passim meminit.
COMMENTARIUS
Ad Tim. I: 3. coll. Tit. I: 5.

§. I.



COnstat, inter Doctos non constare, quos directe feriat Paulus, quando præcipue in duabus ad Timotheum, & una ad Titum Epistolis contra Genealogias, fabulas Judaicas, quæstiones stultas, profanas vocum innovationes & oppositiones falso dictæ Cognitionis insurgit. Veteres enim æque ac recentiores dissentiunt; nec temere quis dixerit proditam esse hactenus expositionem, quæ omnibus satisfacere queat dubiis, quorum plurimis quidem premitur sententia Interpretum receptissima. Operæ pretium itaque faciemus, si quæ circa asserta Variorum in quæstione hac vexata moneri debeant, breviter exposuerimus, & modeste rogaverimus Doctiorum sententiam.

§. 2. Feliciter autem progressuris ante omnia audiendus est ipse Paulus, ne divortia Interpretum præconceptas pariant opiniones, antequam satis vel ipsius Pauli mens percepta fuerit. Mihi certe videtur plerumque vexatas quæstiones ex Scripturis moveri solitas oriri demum ex Interpretum commentis, quæ varia eruditione, variis opinionibus & rationibus conquisitis, quæ plana erant in se, eruditione & dubiis suis difficilia reddunt. Audito igitur prius ipso Paulo Apostolo, &, quantum fieri potest, mente Pauli ex paulo intellecta, vela dabimus interpretum ventis, qui mira opinionum vicissitudine nos circumagent, donec, ubi subsistendum sit, tandem liceat perdiscere.

§. 3. Paulum autem ex Paulo æstimaturis fatendum est, Apostolum duabus ad *Timotheum* & una ad *Titum* epistolis excitare voluisse ad muneris sacri omnes numeros solicite explendos, utrumque Episcoporum, quorum alterum Ephesi reliquerat, ad coërcendos ἑτεροδιδασκαλοῦντας, uti docet 1 *Timoth.* 1: *vers.* 3. alterum vero in Creta, ut ordinaret omnia, quæ ad illius Ecclesiæ statum pertinere viderentur, maxime autem constitueret oppidatim Presbyteros, *ad Titum* 1: *vers.* 5. Hoc ut alacriter, caute & gravi consilio Timotheus & Titus, quisque loco suo præstaret, placuit Paulo exaggerare tam officia Boni Pastoris, quam ingentia pericula, quæ Ecclesiis non tam tunc temporis imminebant, quam hinc inde jam tristi clade affligebant, cumprimis per ἑτεροδιδασκαλοῦντων vafritiem ac temeritatem, quibus ideo non levi brachio, sed omni potius consilio, industria atque πνεύματι & ἀποδείξει obviam procedendum. Certe Tito imprimis cap. 1. graviter injunxit Apostolus, ut in constitutione Ecclesiarum, Episcopos deligeret viros, non modo in Positivis, ut hodie loquimur, sed etiam in Polemicis exercitatos, qui scirent os obturare adversariis, maxime autem iis, qui ex circumcisione ad Christi fidem vix semiconversi, in Ecclesia tunc temporis tumultuabantur, & totas subvertebant familias sermone quidem, qui, ut Paulus 2. ad Timoth. 2: 17. loquitur, ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει h. e. contagiosus quasi est & animabus, quas semel invasit, fere semper fatalis & exitiosus.

§. 4. Neque Paulus in his subsistit. Uti enim in utraque Epistola ad Timotheum, & ista quoque, quam ad Titum dederat, subinde ferit & castigat illius temporis ἑτεροδιδασκαλοῦντας, ita occasione data, passim explicat, quos sectarios, quæ dogmata intelligat, contra quorum pestem, Timotheum ac Titum, imo omnes alios Ecclesiæ Christi Episcopos probe munitos esse velit. *In genere* quidem ad *Titum* 1: 10. vaniloquos istos fabularum Patronos cumprimis ex Judaismo ortum traxisse, diserte monet: unde alibi dogmata, contra quæ insurgit, væsana nuncupat μωρὰς ζητήσεις, καὶ γενεαλογίας, καὶ ἔρεις, καὶ μάχας νομικάς &c. *Stultas quæstiones & genealogias*, *& contentiones ac pugnas legales*, ad *Titum* 3: *vers.* 9. Et ne quis putet, tantum Epistolam ad Titum ferire Hæreticos ex Judaismo & lege Judaica ortos, idem confirmare libet ex Epistolis ad Timotheum, in quarum *priore* statim Apostolus monet, se Timotheo quoque dedisse id negotii, ut Ephesi ineptos Legis Doctores coërceret, quos suis cum dogmatibus ita depingit: *Denuncies quibusdam, ne diversam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & genealogiis nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis, quam ædificationem DEI, quæ est per fidem. Porro finis præcepti est Charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata: à quibus quod aberrarunt quidam, deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse* νομοδιδάσκαλοι, *Legis Doctores, non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus asseverant*, 1 Tim. 1: 3, 4, 5, 6. & 7. Vides, Lector Benevole, eosdem esse fabularum & Genealogiarum patronos, contra quos disputat Paulus in Epistolis ad Timotheum, cum iis, quibus exitium denunciat in Epistola ad Titum: scil. utrobique Hæreticos Judaizantes & Legis quæstiones jactitantes & singularem crepantes Cognitionem Mysteriorum, quæ Fabulas vero & Genealogias nuncupat Paulus, & quidem 1 Tim. 4: 7. dicit βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους, *Prophanas & aniles fabulas*: cap. 6: 20, 21. appellat βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν, *Prophanas vocum inanitates*, *& oppositiones falso nominatæ scientiæ: quam nonnulli profitentes, circa fidem aberrarunt.* Egregia autem delineatio hominum illorum ἑτεροδιδασκαλοῦντων sive *diversam sectantium doctrinam* occurrit 2. ad Tim. cap. 3. ubi Apostolus eos dicit *Homines sui amantes, avaros, fastuosos, superbos, maledicos, parentibus immorigeros, ingratos, impios, carentes affectu, nescios fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorum, proditores, præcipites, inflatos, voluptatum amantes potius, quam amantes DEI, habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarint.* Nec est, quod quis putet, ex versu 1. capitis citati patere, loqui ita Paulum de ultimis temporibus & illorum sectis, ut nondum istæ viguerint, cum hæc scriberet Paulus: nam huic suspicioni occurrit Apostolus addens: *Istos*, quos modo descripsi, *aversare, ô Timothee: ex his enim sunt, qui subeunt in familias & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentiis variis, semper discentes, nec unquam ad cognitionem Veritatis venire valentes.* Quæ sane verba ultima haud obscure docent, habere eosdem Paulum Apostolum in mente, quos 1 Tim. 1. item cap. 6: vs. 20. nec non ad Titum 1: 10, 11. graviter redarguerat. Cumprimis autem gemella sunt verbis modo citatis, ista, quæ loco ultimo, scil. ad Titum 1: vs. 10. & 11. legimus: *Sunt multi intractabiles & vaniloqui, & mentium seductores, maxime ii, qui sunt ex circumcisione, quibus oportet obturare os, qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri causa.* Dogmata illorum nuncupat ideo vers. 14. μύθους Ἰουδαϊκοὺς καὶ ἐντολὰς ἀνθρώπων, ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, *fabulas Judaicas & præcepta hominum aversantium veritatem*; nec non (ut paulo ante monuimus) cap. 3: 9. μωρὰς ζητήσεις, *stultas quæstiones*, γενεαλογίας, *Genealogias*, καὶ μάχας νομικάς, *& pugnas legales.* Est vero & locus in his Epistolis Paulinis, ubi *in specie* & nominatim quosdam Hæreticorum illorum citat & exemplum quoddam hactenus in genere damnatarum fabularum producit, scil. 2 Tim. 2: 16, 17, 18. ubi inquit: *Prophanas vocum inanitates prætermitte; ad majorem enim proficient impietatem, & sermo illorum, ut cancer morbus pastionem habebit: quorum de numero est HYMENÆUS & PHILETUS, qui circa veritatem aberrarunt, dicentes, resurrectionem jam esse factam, & subvertunt quorundam fidem.*

§. 5. Hæc sunt, quæ Paulus ipse de Genealogiis nunquam finiendis & Fabulis Judaicis contagiosoque sermone, Gnoseos sive *Cognitionis* nomine superbo, Ecclesiam Christi misere olim affligentibus tradit: quæ, si sola nobis ob oculos posuerimus, indeque conceptum illarum Genealogiarum & Fabularum petierimus, sequentia nobis suggerent Effata:

I. Judæos, utpote ex Circumcisione, Christi fidem amplexos, præ aliis seductoribus & Hæreticis, eos fuisse, qui Ecclesiæ corpus misere Pauli tempore afflixerint.

II. Dogmata illorum *in genere* quidem fuisse fabulas aniles & profanas verborum inanitates, & Genealogias infinitas, pugnas super Legem, infinita quæstionum ex quæstionibus ortarum vanitate divites: quorum dogmatum hæreticorum *Attributa* fuerint, quod (1) venenum quoddam, contagiosis morbis, & cumprimis carcinomati, comparandum secum vexerint; indieque magis majorem ad impietatem seduxerint eos, quos semel occupaverant. (2) Quod quæstiones pepererint tantum, non autem ædificationem ullam, quæ fidem Christi deceret. (3) Quod potens fuerint malum, quo integræ familiæ, & velociter multorum subvertebatur fides, cui adeo opponendi erant Episcopi exercitati, qui malo funesto graviter obviam ire novissent, atque potentes, qui istius furfuris hominibus os obturarent. *In specie* autem unam ex istis κενοφωνίαις fuisse, Hymenæi & Phileti dogma, quod jam facta sit resurrectio, & ineptos esse, qui sensu literali nitentes, resurrectionem die demum extremo futuram perhibebant.

III. Liquet ex Pauli locis, hæretica ista dogmata fuisse, à sectatoribus suis maximi habita & cumprimis superbo Γνώσεως sive *Eruditionis*, *Cognitionis* & *Scientiæ* titulo celebrata.

Hæc omnia ex ipso Paulo sunt plana, nec egent ulteriore probatione.

§. 6. Quæritur jam, quinam fuerint isti inter hæreticos & sectas, de quibus quoque alias ex antiquitate Ecclesiastica, vel si Ecclesiastici Scriptores desint, saltem ex Judæorum documentis, aliquid ulterius constet! Hæc vero vexata est illa quæstio, quæ etsi à multis sit tacta, an tamen ab ullo sit satis liquide soluta? equidem dubito; certe mihi saltem non constat, qui huic satisfecerit quæstioni.

§. 7. Antiquissimi Patres, *Gnosticos* hic loci à Paulo damnari, partim illorum dogmatibus, partim eo ipso, quod Paulus 1 Timoth. 6: vers. 20. expressis verbis, hanc hæresin, γνῶσιν ψευδώνυμον sive *falso dictam Gnosin*, nuncupet, alibique passim satis indicet, se istos pungere, qui singularem Gnosin crepare soleant, freti inductique affirmant. Testes adducam aliquot, qui nomen ingens non modo faciunt in Hæreticorum antiquiorum historia explicanda, sed qui omne punctum quasi ferunt, ac utramque in hoc doctrinæ genere paginam faciunt.

§. 8. Primus est *B. IRENÆUS*, secundi à N. C. seculi scriptor, primus inter eos, qui ex Hæreticorum Historiographis supersunt, quem, merito suo *Tertullianus adverf. Valent.* (Edit. Basileens. Anno 1550. adornatæ) pag. 389. *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* vocat. Opus ejus, quod Græce quondam ἐπιγραφὴν gesserat ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, observante *B. Thomasio* in Schediasmate Historico pag. 21. & Pl. Reverendo *Dn. Ittigio* in Præfat. ad opus de Hæresiarchis pag. 2. hodie præter fragmenta Græca, Latine tantum possidetur, & variis modis citari amat. In fronte autem operis statim exponit Irenæus, quid putet, Paulum intellexisse per Genealogias vanas, & sermones profanos, qui quæstiones magis pariant, quam ædificationem DEI in fide.

Ita

Ita enim opus ipsum auspicatur: *Quidam emissi ad veritatem introducunt sermones falsos & Genealogias vanas, quæ sane quæstiones magis exhibent, velut Apostolus dicit, quam ædificationem DEI in fide: & per improbe collectam vim persuadendi, mentem imperitorum seducunt, ipsosque captivos ducunt, malitiose tractantes eloquia DEI, pravi expositores probe dictorum facti: & multos subvertunt, abducentes ipsos prætextu Cognitionis ab eo, qui universa creavit & ornavit: velut, qui altius quid & majus habeant, quod ostendant, DEO, qui cœlum & terram & omnia, quæ in ipsis sunt, fecit.* Nec est, quod quis dicat, *Gnosticorum* nomen Apostoli tempore nondum innotuisse. Etsi enim Gnosticorum nomen serius aliquanto sit ortum; hæresis tamen Gnosticorum, quam Paulus γνῶσιν ψευδώνυμον dixisse Irenæo judicabatur, non erat Pauli ætate amplius ignota, siquidem diserte noster contendit Irenæus, libr. I. cap. XX. (sub finem Edit. Basileens. in octavo Anno 1571.) pag. 84. *A Simonianis, falsi nominis scientiam accepisse initia*: ad quem Irenæi locum etiam provocat Thomasius in Schediasm. §. 30. lit. U. pag. 17. aliique.

§. 9. Alter, qui Pauli loca de Gnosticis accipienda docet, inter antiquos est *TERTULLIANUS*, auctor, inter eos, qui de Hæresibus ex professo scripserunt ac hodie adhuc leguntur, ab Irenæo proximus, cujus ætas in finem secundi & principia tertii à N. C. seculi incidit. Hic in libro contra Valentinianos, §. præcedent. citato, pag. 388. postquam multa contra Valentinianos disseruisset, *Qui*, ait, *ex alia conscientia venerit fidei, si statim inveniat tot nomina æonum, tot conjugia, tot genimina, tot exitus, tot eventus, felicitates, infelicitates dispersæ atque concisæ divinitatis: dubitabitne ibidem pronunciare, has esse fabulas & Genealogias indeterminatas, quas Apostoli spiritus* (1 Tim. 1: vers. 4.) *his jam tunc pullulantibus seminibus hæreticis damnare prævenit?* Erant autem Valentiniani inter eos, qui γνῶσιν jactabant, velut principes, nulli saltem Gnosticorum quicquam cedentes, sive famam, sive subtilitatem nugarum æstimes.

§. 10. *THEODORETUS* quoque seculi V. scriptor, in suo ad Pauli locum 1 Timoth. 6: vers. 20. Commentario, Apostolum *Gnosticos* (quos Simonianos fuisse, Theodoreto persuasum erat) perstringere contendit. Sic enim ejus verba habent apud *Thomasium* in Schediasm. Histor. ad §. 30. lit. X. pag. 17. *Qui à Simone processerunt, appellati sunt* γνωστικοὶ, *quasi dicas, agnitione & scientia præditi. Quæ enim Scriptura divina tacuit, ea DEUM sibi dicit revelasse: Sunt autem plena omnia impietate, & petulantia ac libidine. Jure ergo eam vocavit* falso nominatam scientiam, *ut quæ ignorationis habeat caliginem, non autem lucem divinæ cognitionis.* Putavit, (addit Thomasius cit. loc.) Theodoretus, etiam primos statim Simonis discipulos, qui Pauli hæc scribentis tempora tetigerunt, Gnosticos fuisse appellatos, qua de re plura porro Thomasius more suo perquam erudite disputat, qui videatur.

§. 11. Inter recentiores, Paulum de Gnosticis, fere sine omni fronte, tantum non ubique interpretatur, imo & alia N. T. loca violenter in Gnosticos torquet *HENRICUS HAMMONDUS*, in Dissertatione procemiali de Juribus Episcopalibus; qui vero omni suo conatu vix aliud meruit, quam ut Usserio aliisque doctis ludibrium deberet, *qui illo accedente, se vereri significabant, ne illis frequenti & importuna Gnosticorum memoria aures obtunderet*, quod ex Moynei notis ad Varia sacra refert Celeberrimus Dn. Ittigius Dissert. de Hæresiarch. sect. II. cap. IX. §. VI. pag. 168. Alios, qui Paulum Gnosticos pungere autumant, non attingam.

§. 12. Enimvero pati hanc opinionem suas difficultates, non potest negari. Nam (1) objici solet, quod Thomasius monet in Schediasmate §. 32. pag. 19. scribens: *qui* ψευδώνυμον *illam* γνῶσιν *directe interpretantur de* Gnosticis, *nisi Gnosticorum nomine cum Theodoreto intelligant, quicquid Simonianæ prosapiæ Apostolum viventem attigit, eos refellit ratio temporum.* Quod si exceperis ad hoc objectamen, lusum esse in voce, & rixam non de re, sed nomine, cum negari nequeat, Gnosin jactitasse omnem prosapiam Simonianam, à qua γνώσεως temporum lapsu subortus sit Gnosticorum titulus, qui forte Pauli ætate nondum fuerit nomen sectæ; recte tamen urgebitur (2) novum hocce dubium, quod Paulus γνῶσιν illam ψευδώνυμον, contra quam ipse disputat, satis aperte Judaismo tribuat, eandemque ex circumcisionis populo derivet, cum legalibus pugnis subinde jungat, ac diserte fabulas Judaicas appellet: quæ in Gnosticos illos, quibus ex γνώσεως ψευδωνύμου tandem hoc nominis inditum fuit, non satis quadrent. Platonis enim schola, non Judaismus, Gnosticos veteres genuisse dici debet, si rem ex iis monumentis dijudicemus, ex quibus hactenus de Hæreticorum antiquiorum fabulis judicium ferre consuevimus. Videant ergo, qui Genealogias nunquam finiendas, prophanas vocum inanitates & quæstiones stultas de Gnosticorum deliriis exponunt, quomodo suam sententiam cum Pauli dictis concilient: quod qui hactenus præstiterit, mihi non constat.

§. 13. Alii igitur aliter sunt hanc rem aggressi, & reculas Judæorum excutientes, inde annisi sunt aliqua colligere, quæ lucem Paulinis Epistolis, dum de γνώσεως ψευδωνύμου & γενεαλογίαις ἀπεράντοις, aliisque Judæorum fabulis disserunt, lucem adferrent. Magnum inter hos Nomen est *B. HIERONYMI*, qui seculo floruit IV. atque in suo ad Titum Commentario perquam prolixus in eo est, ut ex Judaismo ostenderet, quæ sint fabulæ Judaicæ? quæ stultæ quæstiones? quæ pugnæ legales? quæ genealogiæ nunquam finiendæ? Audiamus, quæ ipse commentatur tam ad *versum* 14. *cap.* 1. *Epistolæ ad Titum*, quam ad *ejusdem Epistolæ cap.* 3. *versum* 9. Utor autem *editione Basileensi* An. 1526. impressa, quæ Commentarium Hieronymi ad Epistolam Pauli citatam Tomo IX. Operum exhibet.

§. 14. Prior locus legitur Edit. cit. fol. 156. lit. B. qui sic habet: *Acquiescamus paulisper Judæis: & eorum, qui apud eos Sapientes vocantur, patienter ineptias audiamus: & tunc intelligimus, quæ sunt fabulæ Judaicæ sine auctoritate Scripturæ, sine ulla assertione rationis, anilia quædam & fabulosa fingentium, de quibus Esaias prophetavit dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Quod testimonium Salvator in Evangelio comprobans, arguit eos legi DEI mandata hominum prætulisse. DEUS quippe ait: Honora patrem & matrem. Illi vero tradiderunt: quia quicunque dixerit patri & matri: munus quodque est ex me tibi proderit: & non honorificavit patrem suum & matrem. Si quis post adventum Christi conciditur, & non circumciditur, Judaicis servit fabulis & mandatis hominum aversantium veritatem. Non enim qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto, & circumcisio cordis in spiritu, non litera. Si quis Pascha agit, non in azymis sinceritatis & veritatis, ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ & nequitiæ, iste attendit fabulas & umbras sequitur, veritate neglecta. Si quis non resurgens cum Christo, nec quærens ea, quæ sursum sunt, sed quæ deorsum, dicit: ne tetigeris: ne gustaveris: ne tractaveris, quæ sunt in corruptione, ipso usu secundum præcepta & doctrinas hominum, iste sequitur justitias non bonas & præcepta non bona. Ubi autem est veritas & lex spiritualis, ibi justificationes bonæ & præcepta sunt optima: quæ qui fecerit vivet in iis.*

§. 15. Locus Hieronymi, ad quem provocavimus, *posterior* occurrit Edit. cit. fol. 160. lit. D. E. & F. *Quod ait Paulus, Genealogias & contentiones & rixas, quæ veniunt ex lege, devita, proprie pulsat Judæos, qui in eo se jactant & putant legis habere notitiam, si nomina habeant singulorum: quæ quia barbara sunt, & etymologias eorum non novimus, plerumque corrupte proferuntur à nobis. Et si forte erraverimus in accentu, in extensione & brevitate syllabæ, vel brevia producentes, vel producta breviantes: solent irridere nos imperitiæ: maxime in aspirationibus & quibusdam cum rasura gulæ literis proferendis. Hoc autem evenit, quod LXX. Interpretes, per quos in Græcum sermonem Lex divina translata est, specialiter ח heth, literam & ע ain & cæteras istiusmodi, qui cum duplici aspiratione in Græcam linguam transferre non poterant, aliis literis additis expresserunt. Verbi causa, ut Rahel, Raphel dicerent; & Hieriho, Hiericho; & Hebron, Chebron; & Seor, Segor. In aliis vero eos conatus iste deficit. Nam nos & Græci unam tantum literam S. habemus: illi vero tres, ס Samech, צ Sade & ש: quæ diversos sonos possident. Isaac & Sion per צ Sade scribuntur. Israel per ש Sin, & tamen non sonat hoc, quod scribitur. Seon rex Amorræorum per Samech literam & pronunciatur & scribitur. Si igitur à nobis hæc nominum & linguæ idiomata, ut videlicet barbara, non ita fuerint expressa, ut exprimuntur ab Hebræis, solent cachinnum attollere, & jurare, se penitus nescire, quid dicimus. Unde & nobis curæ fuit, omnes veteris Legis libros, quos vir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis au-*

authenticis emendare, in quibus & ipsa Hebræa propriis sunt characteribus verba descripta: & Græcis literis tramite expressa vicino. Aquila etiam & Symmachus, LXX. quoque & Theodotio suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri & maxime hi, qui apud Hebræos versu compositi sunt, tres alias editiones additas habent: quam quintam & sextam & septimam translationem vocant, autoritatem sine nominibus Interpretum consecutas. Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit: ut non magnopere pertimescamus supercilium Judæorum, solutis labiis, & obtorta lingua & stridente saliva & rasa fauce gaudentium. Est & illis alia occasio superbiæ: quoniam, sicut nos, qui Latini sumus, Latina nomina & origines de lingua nostra habentia facilius memoria tradimus: ita illi à parva ætate, vernacula sui sermonis vocabula penitissimis sensibus imbiberunt, & ab exordio Adam usque ad Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos putes suum referre nomen. Hoc nos, qui aut alias literas didicimus; aut certe sero credidimus in Christum; aut etiam si infantes sumus Ecclesiæ mancipati; magis Scripturarum sensum, quam verba sectamur: si forte non ita novimus, putant, se in nominibus referendis, & in supputatione annorum, & in nepotibus & abnepotibus, avis, proavis & atavis doctiores. Audivi ego quendam de Hebræis, qui se Romæ in Christum credidisse simulabat, de genealogiis domini nostri Jesu Christi, quæ scripta sunt in Matthæo & Luca, facere quæstionem: quod videlicet à Salomone usque ad Joseph, nec numero sibi, nec vocabulorum æqualitate consentiant: qui cum corda simplicium pervertisset, quasi ex adytis & oraculo deferebat quasdam, ut sibi videbatur, solutiones: cum magis debuerit justitiam & misericordiam & dilectionem DEI quærere: & post illa, si forte occurrisset, de nominibus & numeris disputare. Satis forsitan de Hebræorum supercilio, & plus, quam necesse fuerit, diximus: sed occasio nobis data est, de genealogiis & contentione & rixis, quæ ex Lege veniunt, disserendi. Hactenus Hieronymus.

§. 16. Videntur hæc primo intuitu magis facere ad Pauli mentem explicandam: & assensum meruêre apud plerosque Interpretes, qui in textus sacros B. Apostoli incidunt. Unde plurium colligere nomina & testimonia, supervacuum fuerit. *D. Abrahamus* CALOVIUS in Bibliis Illustratis ad 1 Tim. 1: vers. 4. pag. 933. ex re & vero scripsit: *Si plerosque omnes Interpretes audias, non de emanationibus divinis hic Apostolus agit, sed de genealogiis humanis, de quibus infinitas quæstiones movebant Judæi, quas Judaizantes etiam Ecclesiæ obtrudere satagebant.* Avos & proavos, *inquit* THEOPHYLACTUS, connumerabant, ut gloriam ex historia vendicarent. Interminatis autem dixit genealogiis, vel quia altius illi genealogias repeterent, vel quia nullam demum attulissent utilitatem, nec utilem aliquem & compendiosum essent eventum sortiti, sed ea adferrent, quæ & difficulter memoria repeti possent, & admodum essent perplexa. *Subjungit quidem* Theophylactus, *quod de fabulis* Gentilium & Generationibus Deorum, *quas commemorant, intelligi possint: sed quum Apostolus Judæos aperte designet, nominans* νομοδιδασκάλους, *priorem sensum præferunt alii: quibus genealogiarum indagatio in pretio erat, quum etiam à prophetis editæ fuerint in libris Chronicorum: utpote quibus distinctio tribuum & familiarum olim necessaria ostendebatur, tum ob non confusionem tribuum & familiarum, tum ob hæreditates adserendas, tum ob primogenitos ab aliis cum descendentibus dignoscendos, tum ob lites ex prætensione jurium & possessionum oriundas decidendas, tum imprimis ob genealogiam & prosapiam Christi rectius agnoscendam: quarum vero studium post exhibitum Christum & sublatam Politiæ Judaicæ formam, tribuumque ac familiarum distinctionem inutile est, nec ortum aut exitum in plerisque invenit, ideo* ἀπεράντους *dixit Apostolus.* Hæc Calovius.

§. 17. Etsi vero insignia censeri debeant, quæ adduximus ex Hieronymo & Calovio; nihilominus tamen, si conferantur cum effatis, quæ superius §. 5. ex ipsius Pauli textibus eruebamus, contorta videbuntur, & longe infra pondus posita, quod controversiis istis Pauli Spiritus adsignat. Nihil enim habent istæ controversiæ & genealogiæ humanæ, quod dici mereatur sermo contagiosus gangrænæ comparandus, qui latius jugiter serpat ac enecet animas, subvertatque fidem credentium: nihil, quod requirat, ut Episcopi & pastores deligantur, qui malo huic, tanquam funesto plane & integras domos subvertenti, obviam ire dicerint; quod Paulus tamen utrumque nos docet. Sane per se istæ quæstiones adeo nihil valent ad fidem evertendam, ut ne fidem quidem attingant, sed grammaticæ sint, pueriles, ac historico-politicæ, non ad fidem Christi, sed ad Judaicæ gentis historiam & linguam spectantes. Inhiet iis, qui vult; desudet in illis pertractandis, cui vacat: adeo nihil hoc ipso detrimenti adferet fidei Christianæ, ut per se, nullum quidem fidei caput tangat, nedum fidem & domos fidelium totas pervertat, vel Episcopo & Pastori necessitatem imponat, ut studium istud tanquam hæreticum & pestiferum damnet, confutet, & Cultoribus illius sese ex officii ratione opponat. Nec est, quod *dicas*, quæstiones de Genealogiis Judaicis saltem per accidens fidem de Christo potuisse evertere, quatenus nimitum Judæi jam tunc in dubium vocarint Salvatoris nostri ex domo Davidis ortum, ac inde negarint, Christum Jesum esse verum Messiam; vel commiserint inter sese genealogias apud Matthæum & Lucam, exemplo Hebræi illius, cujus meminerat Hieronymus loc. cit. qui hoc pacto simplicium corda pervertebat. Nam repugnat huic exceptioni (1) quod Paulus expresse dicat, Judæorum genealogias ἀπεράντους *nunquam finiendas*, quibus absit, ut Christi genealogiam accenseamus. Recte inquit Calovius loc. cit. hoc, *quod* de Genealogiis nunquam finiendis dictum est, *minime ad* γενεαλογίαν *Christi, utpote in Scripturis definitam, adeoque nec* ἀπέραντον *vel interminabilem, extendendum est. Ejus enim indagatio propter Scripturæ mentem necessaria est; quum ex adverso aliarum nec necessaria sit nec possibilis, nullisque finibus terminata, & incertis narrationibus implicita, quemadmodum jam Esdræ & Nehemiæ tempore indicari non poterant Genealogiæ, Nehem. 7: vers. 62.* (2) Absit, ut dicamus, Apostolum, gravissimam de Christi ex Patribus ortu, quem Spiritus S. bis exposuit, quæstionem, fabulis anilibus & stultis quæstionibus copulasse; quod fecisse dicendus esset, si ad Christi genealogiam & controversias de eadem oculum reflexisset, dum conatus Judæorum genealogicos castigat.

§. 18. Viderat hoc sine dubio vastum illud & monstrosæ prorsus eruditionis pariter atque religionis Ingenium, *HUGO GROTIUS*, qui Genealogias Judaicas expositurus, in suo ad 1 Timoth. 1: vers. 4. Commentario, Interpretum plerorumque omnium opinionem deserit, & contendit, Paulum, hoc in textu non ad genealogias humanas, sed divinas, quas tradere soleant Judæi, respicere. At enimvero ipsum audiamus Grotium, sic scribentem: γενεαλογίας *vocat* Paulus, *quas Judæi* ספירות, *ideo quod fingebatur harum alia ex alia emanare & quasi gigni hoc modo:*

כתר

Corona

בינה ἔννοια *Intelligentia:* חכמות ἀχαμὼθ *Sapientia:*
פחד vel גבורה *Timor, Potentia:* גדולה vel חסד *Magnificentia vel Misericordia:*

תפארת *Decus*

הוד *Majestas:* נצח *Victoria:*
יסוד *Fundamentum, quod*
& כל *omnia:*
מלכות *Regnum, quod &*
שכינה *Præsentia*
DEI.

A Platonicis hæc desumta, docet nos Tertullianus in Præscriptione: quod verum est, sed quibusdam nominibus retentis, quibusdam mutatis. Sed jam olim apud Persarum Magos tales fuisse γενεαλογίας, *docet nos Plutarchus in Iside, & meminere eorum Platonici, qui* περὶ ἀρχῶν *scripsere. Zoroastris tamen nomine, quæ circumferuntur, ea à Gnosticis, quos hic notat Paulus, esse facta deprehendit, & ostendisse se ait Porphyrius. Et puto eum verum dicere:* Βυθοῦ, σιγῆς, ἐννοίας *mentionem habes apud Proclum ad Timæum, &c.*

§. 19. Habes hic, quæ Grotius docuit de Genealogiis nunquam finiendis, quæve inter omnia ista, quæ hactenus tetigimus, Interpretum commenta proxime ad veritatem accedunt. *Gnosticos* ferire Paulum, Grotius dicit, quo nomine tamen intelligendi sunt non solum isti, qui post Pauli tempora hoc nomine demum famosi facti sunt, sed omnes illi, qui

qui γνῶσιν τῶν ὄντων, h. e. Pythagoricam & Platonicam Philosophiam sacris dogmatibus miscebant, & ad Gentilium illorum Sapientium indolem, sublimius aliquid in sacro codice & fide à DEO in utroque fœdere revelata ostendere nitebantur, quam nuda litera Prophetarum & Apostolorum præ se ferret. Quæ quidem Gnosticorum secta, si rem potius, quam nomen æstimare velis, vetustissima est, & diu ante Christi tempora jam inter Judæos viguit, à quibus etiam nugas istas sive Theologiam sublimiorem Judaico-Paganam, Simon & Simonianæ hæreseos nepotes & consanguinei magnam partem acceperant, atque ad Euangelii doctrinam accedentes, nugas istas Platonico-Judaicas sublimissimas, (quæ hodie inter Judæos KABBALÆ nomine prostant) adeo libere & varie (more illorum nugatorum perpetuo) adplicuerunt, ut temporis lapsu, hæreses multiplices inde enascerentur, quæ tamen omnes *Gnosticorum* titulum sive acceperant, sive affectaverant, eo quod *γνῶσιν τῶν ὄντων*, *Cognitionem rerum*, in Theologia sua & religione profiterentur: nec mihi dubium est, respexisse huc quoque Paulum, qui, uti *Timotheo* dixerat 1. Epistol. cap. 6: 20. *O Timothee, depositum serva, devitans prophanas vocum inanitates & oppositiones τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, falso nominatæ scientiæ* sive *Cognitionis*; ita ad *Colossenses cap.* 2: 8. aliis modo verbis, sed sensu eodem scribit, *Videte, ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, juxta constitutionem hominum, juxta elementa mundi, & non juxta Christum.*

§. 20. Neque tamen dixerim, adeo per omnia sibi constitisse Grotium, ut distincte omnia ista & accurate perceperit, quæ in ipsius defensionem dici possunt. Certe observavit *B. Thomasius* noster in Schediasmate sæpius laudato ad §. 32. litera d. num. 4. & 5. Grotium à Grotio dissensisse; Sic enim ait, *Modestus initio & Grotius fuit ad cap. 24. Matthæi. Nam ibi fol. 403. de Carpocrate loquens, qui Gnosticorum princeps credebatur, cum memoravisset, quemadmodum ille ad αἰῶνας suos transtulerit omnem Theologiam Orphei, Hesiodi & Pythagoræ*: Et hæc, *inquit*, est, NI FALLOR, illa ψευδώνυμος γνῶσις, cujus ad Timotheum Paulus meminit. *Sed postea majore cum fiducia ad hunc ipsum Pauli locum commentans, ita scribit*: Vides hic, quam vetus nomen Gnosticorum, quod isti Philosophi Christianis cœtibus se admiscentes sibi indebant. *Putabat, evinci ex hoc textu Pauli posse, jam ipsius ætate nomen fuisse Gnosticorum. Atqui Paulus non γνωστικοὺς memoraverat, sed γνῶσιν. Sequitur ergo, fuisse tunc Hæreticos, qui falso γνῶσιν jactarent; non sequitur statim, fuisse, qui nomen quasi proprium inde sibi sumerent.* Ergo ex hoc errore jam confusa Grotii assertio eruditis vapulare cœpit. Porro, cum Grotius alibi monstra aleret, ipsiusque eruditio jam iis, qui ὀρθοδοξίαν profitebantur; judicaretur suspecta; facile erat in re paucis perspecta & ne ipsi quidem Grotio satis cognita, fingere dubia, quæ Grotii εὕρημα premerent, ac tantum non supprimerent. Dicebatur quippe (1) *quæ ex istis decem proprietatibus cabbalistice deducuntur, sine dubio recentiora esse Epistolis Paulinis.* (2) Provocabant Docti ad Reuchlinum, aliosque, qui in sensum commodum illas decem Sephiroth pertraxerant: unde, forte ex Grotii odio magis, quam ex merito causæ, eo usque nonnulli Kabbalisticæ vanitatis non satis periti, progressi sunt, ut contra Grotium excipere non vererentur, *Illas decem Sephiroth suo usu non destitui, quum Proprietates divinæ illis contineantur, nec posse eas dici inutiles & vanas.* Addit nonnemo (3) Kabbalam potius sistere *γενεὰς* sive *Generationes*, quam *γενεαλογίας* sive *Generationum enumerationes*; Paulum autem non dicere *γενεὰς*, sed *γενεαλογίας*. Unde porro infertur, temere Grotium in expositione Genealogiarum nunquam finiendarum Judaicas Sephiras adduxisse. Desertus ergo fuit Grotius etiam tantum non ab omnibus Interpretum juniorum, quorum paucis videbatur, superari posse istas Grotio, qui vel ipse sibi non satis constare deprehendebatur, oppositas difficultates.

§. 21. En igitur fluctus, quibus nos Interpretes immergunt in expositione locorum Pauli de Genealogiis nunquam finiendis & fabulis Judaicis. Mihi certe non constat, qui textus illos Scripturæ expositurus, aliquid attulisset aliud, quam quæ hactenus proposita fuere: quorum vero neutrum ingenio satisfaciet certa compertaque amanti.

§. 22. Post hos omnes autem, doctiorum pace, mihi ultimo nunc accedere liceat, &, uti non tam spero, quam plane confido, ista de textibus Paulinis monere, quæ doctorum & æquorum lectorum assensum utique mihi polliceri queant. Ab ovo autem rem auspicabor, &, DEO juvante, ista meæ assertionis adferam fundamenta, ut nemo forte, qui ista expenderit, à me dissentire possit. Neque tamen omnia dicam, quæ dicere possem, sed quæ necessaria tantum videbuntur: nec ea dicam mente, quasi me vellem omnibus illis præferre, quorum hactenus audivimus opiniones; (ineptæ enim & turpissimæ insolentiæ istud esset) sed bonitate causæ, non mea fretus eruditione, mihi polliceor, quicquid hanc arenam ingressus, mihi pollicitus fui.

§. 23. Eloquar igitur unâ paragrapho ista, quæ secuturis pluribus, σὺν Θεῷ παλάμῃ evincam. *Fabularum & Genealogiarum Judaicarum à Paulo damnatarum rationem genuinam peto ego ex antiqua Judæorum γνώσει, h. e. Theologia Judaica, ad Platonismi indolem jam olim temporibus Templi secundi reficta, quæ hodie inter Judæos prostat sub titulo Kabbalæ, quæve tantæ antiquitatis est, ut non modo sit aperte satis Gnosticorum ab Irenæo descriptorum deliriis prior, sed etiam adeo fundamenti loco iisdem substrata, ut ne quidem Gnosticorum pseudo-Christianorum dogmata sine Kabbala h. e. Gnosticismo Judaico intelligi queant. Unde infero, Paulum in suis ad Timotheum & ad Titum Epistolis ex professo contra Kabbalam Judaicam sive Judæorum Theologiam, ex Platone & Pythagora olim refictam, hujusque fabulas & Genealogias vere ἀπειράντους disputare*; etsi nolim adfirmare cum *Paulo Fagio*, quod Apostolus Paulus, dum 1. ad Timoth. cap. 1: vs. 15. concionem de Christo λόγον πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον vocat, hoc ipso ad Kabbalam Judæorum alluserit. Sed ipsa *Fagii* verba producam, quæ habentur *in nota ad Paraphras. Chald. Onkelos Latine versam, Deuteron. cap.* 5: 27. *Ad Kabbalisticam illam rationem*, inquit Fagius, *allusit quoque Apostolus Paulus prima ad Timoth. 1. cap. ubi & voce KABBALA usus est: sic enim scribit, πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ΑΠΟΔΟΧΗΣ ἄξιος, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν Κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, id est, Fidelis sermo & omni Acceptione sive Kabbala dignus, quia Christus Jesus venit in mundum, peccatores salvos facere &c. Quasi dicat: Si quis cupiat audire KABBALAM, ego veram, certam & indubiam indicabo. Ea autem est, quod JESUS CHRISTUS venit in mundum, ut peccatores salvos faceret. Hoc verum dogma Kabbalisticum est, de quo plane nihil ambigendum.* Nimirum *Kabbala* id significat apud Hebræos, quod ἀποδοχὴ apud Græcos. Est enim קַבָּלָה à radice קבל *Acceptio*, sicut Ἀποδοχὴ, à verbo ἀποδέχομαι *Acceptionem* notat. Qui cupit, in hæc rectius inquirat, dispiciatque, cum Paulus Fagius diversa ratione motus adfirmet, Paulum Apostolum in epistola ad Timotheum oculum ad Kabbalam reflectere, utrum meæ assertioni Fagius? an ego Fagii asserto lucem fœneremur? Mihi saltem nondum res adeo videtur liquida, ut in eadem pedem figere velim.

§. 24. Alia σὺν Θεῷ producam, quæ meo asserto lucem adferant: & quibus perceptis, spero, neminem facile à me amplius dissensurum. Sunt autem fere *sex* rerum *capita*, sine quibus nemo satis ista, quæ sentio, percipere, illorumque fundamenta perspicere potest. I. Est exhibenda Theologiæ Platonicæ Idea. II. Exponi debent Platonismi natales. III. Fata Theologiæ Platonicæ inter Judæos antiquos. IV. Sisti debet Synopsis Theologiæ Kabbalisticæ. V. Gnosticorum aliquot hypotheses ex antiquitate Ecclesiastica erui merentur: & VI. ostendenda erunt Stamina Gnosticorum ex Kabbalismo pendentia. Quibus omnibus h. l. rudi tantum Minerva exhibitis (accuratior enim tractatio reservatur iis Tractatibus, quos in præfatione partis I. operis German. **Kern vom wahren Christenthum** pollicitus fui, atque, si Dominus vitam & vires & otium dederit, suo tempore publici juris facturus sum) tandem licebit solvere nullo negotio objectiones, Grotio factas & superius §. 20. recensitas; simulque solvere quæstionem, *quid de illorum conatibus sit sentiendum, qui existimant, pro convertendis Judæis capita Theologiæ Christianæ debere revocari ad Kabbalæ methodum & ἀποδείξεις?*

§. 25. Erudite *B. Thomasius*, Vir, cui in Historiæ Philosophicæ peritia pauci comparandi sunt, nullus anteponendus, in Schediasmate Historico §. 37. lit. S. pagin. 29. postquam de errore Gentilium, qui crediderant, pure impossibile esse, ut ex pure nihilo aliquid fiat, egerat, scribit: *Ab hoc dogmate, tanquam ab stirpe videtur universæ gentilis Philosophiæ per varias diductæ sectas propago delineari posse. Libet hic breve periculum facere tantum in quatuor Græcanicæ Philosophiæ familiis, præter cæteras celebribus, quarum capita fuerunt* Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus. *Semel admisso, quod materia DEO coæva fuerit, quoniam mundus hic sensibilis ex materia certe constat, è duo-*

bus alterum fuit necessarium, ut exsisteret mundus (unus, an plures nihil hic refert) ex commistione materiæ aut secum ipsa, aut cum DEO. Prius Epicuro *placuit, qui mundum absque cura DEI ex fortuita coitione atomorum conflavit. Posterius in novos ramos funditur. Mixtus enim materiæ DEUS fuit aut libero connubio, quod* Platoni *visum, aut necessario, quod* Aristoteli *&* Stoicis. *Hos ab Aristotele rursum illud dissociavit, quod cum mundo DEUM* ille *formam daret assistentem; ipsi maluerunt informantem dare.* Hæc sunt prima, quatuor inter Græcos Philosophicarum factionum lineamenta, fuse & eruditissime diducta in opere majori, quod idem Vir celeberrimus inscripsit: *Dissertationes ad Stoicæ Philosophiæ & cæteram Philosophicam historiam facientes*, quibus præmissa est *exercitatio de Stoica mundi Exustione*, Dissert. II. quæ est de *quatuor Græcorum Sectis* p. 29. & seqq. Ad quam, qui cupit, recurrat. Nec enim omnia ista huc trahere, nostri instituti est.

§. 26. Solus *Plato* sua cum Philosophia nobis venit paulo rectius hoc loco explicandus, utpote sine cujus Theologia nemo poterit vel Gnosin Hæreticorum vel Kabbalam Judæorum recte capere. Hic vero Philosophus, præter communem Gentilium errorem de materia æterna & increata, etiam alium errorem circa *naturas rerum communes* erravit: has enim pro rebus veris & citra mentis operationem exsistentibus habens, incidit ipse in errores plurimos, qui apud Fanaticos eidem *Divini* titulum, apud cordatiores vero *Fanatici* & *Enthusiastæ* notam pepererunt. Certe enim frivola sunt commenta Platonis, quæ de Ideis, Rationibus & Seminibus rerum inculcavit, nuspiam extra Platonis cerebrum & rempublicam concipienda. Devenit vero ad ista sua deliria observatione quapiam male intellecta & adplicata. Nimirum in mundo hoc sublunari videmus omnia esse interitui obnoxia, dum, ut Ecclesiastes ait, generatio abit, generatio venit & nova subinde oriuntur individua, prioribus interea pereuntibus & ex statu suo excidentibus. Utut autem sic individua sint in perpetuo fluxu; non tamen ideo exspirant species & genera sive naturæ communes rerum. Homines moriuntur; sed superest hodienum natura humana: sic intereunt equi, boves, oves, aves, plantæ, lapides, metalla &c. at horum omnium communes naturæ perennant, pereuntibus individuis, prout experientia testatur. Digna igitur res. Platoni visæ sunt *communes naturæ*, quas subjecti loco suæ substerneret γνώσει, utpote immutabiles, perpetuas, æternas; rejectis & neglectis sensibilibus, tanquam caducis, vanis, incertis, nec rerum titulo, nisi æquivoce dignis. Ne vero aerem verberare videretur Plato & vanis substituere vaniora, si naturæ communes dicerentur ne quidem eo exsistentiæ & realitatis gradu gaudere, quo sensibilia exsistunt, dum hæc saltem ad tempus vere extra intellectum cogitantem, reperiuntur; naturæ communes autem per solam mentis operationem ab individuis vere exsistentibus abstractæ, prorsus nullam extra intellectum cogitantem exsistentiam unquam vel uspiam habent; credidit divinus hic, si Diis placet, Philosophus cum Pythagora, quem hic præeuntem habuerat, naturas rerum communes pro rebus non modo realitate vera gaudentibus, sed etiam pro entibus participialibus, ut Ontologi loqui solent, h. e. pro talibus, quæ nemine cogitante, etiam extra individua sensibilia, vere & realiter in mundo quodam æterno & immutabili, quem noster Plato *Intelligibilem* vocat, exsisterent, venditandas esse: quo mundo semel jam confícto, Plato fanaticus omnem mentis aciem in id, quod nullibi est, h. e. Mundum Intelligibilem, convertit, atque omnem γνώσεως sive *Scientiæ*, *Eruditionis* & *Cognitionis* laudem in speculatione ista supervacua non-entium, quæ ipse divinitatis plena omnibus sensibilibus prætulit, ponendam esse censuit.

§. 27. Enimvero ne rei facilitas proderet commenti vanitatem, si concessisset Plato, naturas communes per abstractionem tantum exsistere, ornatu, nescio quo? opus erat. Tot enim nugis vanissimis & sublimibus hypothesibus abortum illum suum involvit, ut nemo facile, nisi multa patientia, nudum & insipidum errorem in re facili admissum deprehendere posset. Habuerat quippe Plato ex duplici errore triplex principium rerum, *Deum* scilicet & *Materiam*, cum omnibus paganis communia, & tertium, *Ideas* suas sive naturas communes, æternas, divinissimas ac beatissimas, sine omni mutatione in mundo Platonis Intelligibili exsistentes, quas *Seneca* erudite *Platonis propriam supellectilem* dixerat, Epist. 58. Jam vero cum materia iners, omnis mali & imperfectionis & fugacitatis in sensibilibus esset principium, nec DEUS Platonicus posset plura ex materia efficere, quam ipsa pateretur; noluit Plato immediate combinare opificem perfectissimum, & Materiam, tanti opificis artem, elusuram. Opus ergo DEO ipso dignum judicabatur mundus intelligibilis, perfectus, divinus, æternus, quem Plato & asseclæ ejus divinis prorsus honoribus afficiunt, & titulis ornant tam sublimibus, ut nihil sublimius videatur quandoque excogitari posse. Plato hunc mundum vocat Intelligibilem, qui DEI supremi opus immediatum censetur, τὸν πάντων θειότατον, ὃς κόσμον ἔταξεν ὁρατὸν, *omnium divinissimum, qui mundum hunc visibilem constituit.* Alias vocant eum Λόγον, Νοῦν, ἰδέαν, ἀρχὴν, δημιουργὸν, τὸν πρωτόγονον Θεοῦ λόγον, & quæ id genus alia sunt, eruditissime collecta à Viro in literis Græcis versatissimo, *B. Balthas. Stolbergio*, in aurea dissertatione de λόγῳ & νῷ Platonico cap. II. §. 3, 4. seqq. ut & cap. III. lectu dignissimo, ubi sanctissimam de Christo doctrinam Johannis docte à Sandii torsionibus vindicat. Hunc ergo Νοῦν sive Λόγον, sive Mundum Intelligibilem, in quo omnes omnium rerum ἰδέαι divinissimo & æterno quodam modo, tanquam in opere, DEO supremo & ejus perfectione digno exstare fingebantur, alterum à DEO, Deum non modo Plato effinxit, sed etiam eidem dedit in commissis, ut ipse mundum hunc produceret, unde & *Demiurgus* seu *opifex mundi* salutatur: quanquam ne hic quidem Deaster sine magno apparatu mundi visibilis productionem sit aggressus, & duobus Deastris interjectis habuerit opus, donec tandem mundus hicce visibilis, caducus, fugax, miser, & indignus, qui τοῖς νοητοῖς sive *intelligibilibus* accenseretur, prodiret.

§. 28. Nimirum vix quispiam adeo fuerit in historia Philosophica & hæresiologia hospes, cui nihil unquam sit auditum de Trinitate Platonica. Sane enim verum est, præter DEUM supremum, quem Platonici τὸ ἓν, αὐτάγαθον, τὸ αὐτὸ &c. adpellant, & præter hujus opificium immediatum, quem λόγον & νοῦν, & ἰδέαν &c. dixerant, etiam eosdem inter τὰ νοητὰ, & ista, ad quæ γνῶσις illorum adsurgere debebat, retulisse tertium quoddam principium, quod *Animam mundi* vocarunt, τοῦ λόγου sive mundi intelligibilis sobolem, quemadmodum λόγος τοῦ αὐτοῦ sive DEI supremi proles tradebatur. In hoc mundo, quem etiam *Animalem* vocant, itidem reperiuntur res omnes, sed jam imperfectius & modo ad materialitatem magis accedente. Nuncupantur ergo *Res*, prout in tertio hoc principio exsistunt, non amplius ἰδέαι, sed λόγοι sive *Rationes*, quas cave confundas apud Platonicos cum λόγοις σπερματικοῖς sive *Rationibus Seminalibus*, qui ultimus & quartus rerum, antequam plane in sensibilitatem decidant, apud Platonicos gradus est, quem *Naturæ* nomine exprimunt: de quo post paulo dicemus. Platonici ergo Philosophi hactenus nihil non divini habent, nihil quod non æternum sit, eo tamen modo, quo pagana Philosophia æternitatem limitat. Unde has tres substantias, nempe τὸ ἓν, λόγον & ψυχὴν, salutarunt ἀρχικὰς ὑποστάσεις, *Principales substantias*, ita tamen, ut una altera sit inferior & conditionis pejoris: id enim principium, quod τὸ αὐτὸ vel τὸ ἓν vocant, sub se habet inferiorem λόγον, & hic denuo sub se habet ψυχὴν vel Animam mundi. Recte ergo Augustinus libr. X. de Civit. DEI, cap. XXIII. contra Porphyrium disputans, se non intelligere, ait, hominem, quando inter DEUM Patrem & filium, quem Intellectum paternum vocat, aliquem medium somniat. *Si enim*, addit, *sicut Plotinus, ubi de tribus Principalibus substantiis disputat, Animæ naturam, etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum medium i. e. Patris & Filii medium. Postponit quippe Plotinus Animæ naturam Paterno intellectui: iste autem cum dicit medium, non postponit, sed interponit.* Cæterum pluribus vide de Anima mundi Platonica agentem B. Thomasium Dissert. cit. XIV. §. 19. pag. 182. seqq.

§. 29. Post has tres ὑποστάσεις ἀρχικὰς & DEOS Platonicos, male à pluribus Christianorum cum sanctissimo Trinitatis mysterio commissos, quartum quoque Deastrum habebant Academici, Φύσιν sive *Naturam*, de qua ex Proclo lib. I in. Timæum, B. Thomasius cit. loc. §. 48. pag. 188. egregium adducit locum, quem huc transferre juvat: Ἡ τοίνυν φύσις ἐσχάτη μὲν ἐστι τῶν τὸ σωματοειδὲς τοῦτο καὶ αἰσθητὸν δημιουργούντων αἰτίων καὶ τὸ πέρας τοῦ τῶν ἀσωμάτων οὐσιῶν πλάτους· πλήρης δὲ λόγων καὶ δυνάμεων, δι᾽ ὧν κατευθύνει τὰ ἐγκόσμια.

σμια. Καὶ Θεὸς μὲν τῷ ἐκθεῶσθαι, ἢ οὐκ αὐτόθεν ἔχουσα τὸ εἶναι Θεός. ἢ γὰρ τὰ Θεῖα σώματα Θεοὺς καλοῦμεν, ὡς ἀγάλματα τῶν Θεῶν. h. e. *Natura itaque est ultima inter causas, quæ producunt hæcce corporea & sensibilia, atque finis totius latitudinis substantiarum incorporearum, plena vero rationum & potentiarum, per quas constituit mundana. Et Dea quidem est per Deificationem, non autem quod ab ipso DEO supremo haberet hoc, quod DEA est, prorsus quemadmodum statuas divinas DEOS dicimus, tanquam Deorum simulachra.* En itaque quartum Idolum Platonicum, quod tamen non est Numen natum, ut Mundus Intelligibilis & Animalis Mundus erant, sed factum, quippe non à DEO, ut λόγος & Anima, sed aliunde essentiam suam sumens & rationem tituli divini derivans, in quo vero res, nec per Ideas, nec per Rationes proprie dictas, sed per semina sive λόγους aut Rationes, cum apposito tales, h. e. Λόγους σπερματικοὺς aut *rationes seminales* exsistunt, atque infra quod Principium non datur ex Platonicorum Theologia, causa alia propior mundi sensibilis, in quo *quintus* rerum gradus est, sed adeo inconstans & imperfectus, ut noluerit Academia ad hunc ultimum gradum in sua τῶν ὄντων γνώσει respicere. Nimirum negat Plato, negat Pythagoras, negant alii hujus Philosophiæ patroni & sectatores, quod τὰ αἰσθητὰ sive *sensibilia* sint vere Entia sive Res, sed appellant ista γιγνόμενα, μὴ ὄντα, τὰ μεταξὺ τῶν παντελῶς ὄντων ἢ μὴ ὄντων. Vid. B. Thomasius Schediasm. Histor. §. 14. pag. 5.

§. 30. Factum est ex his somniis Pythagorico-Platonicis, ut mira varietas oriretur in enumeratione principiorum, quæ mundum hunc producere dicuntur sensibilem. Qui enim ad generationem divinam respiciebant, *Tres*; qui ad expressionem quamcunque, nunc *Quatuor*, nunc *Quinque* rerum Gradus; qui ad alia attendebant; nunc *Unum*, nunc *Duos* mundi opifices dicebant. Ipse Proclus alicubi quatuor numerat principia, & Naturam pro ultimo venditat, materia neglecta: alibi vero quinque Gradus rerum Platonicos tam ingeniosis expressit terminis, ut demonstrationem parturiisse B. Thomasio judicetur Dissert. cit. XIV. §. 49. pag. 188. Nominat (1) DEUM τὸ αὐτό. (2) Mentem τὸ αὐτοῦ. (3) Animam τὸ αὐτοῦ ἢ ἄλλου. (4) Naturam τὸ ἄλλου, & (5) Materiam τὸ ἄλλο. Orti etiam hinc fuere Mundi multiplices, *Divinus*, in quo omnia eminentissime: *Essentialis*, qui & *Intelligibilis* dicitur, in quo omnia formaliter per Ideas: *Rationalis*, in quo omnia per Rationes sive λόγους: *Naturalis*, in quo omnia per Semina sive λόγους σπερματικοὺς, & tandem *Materialis* atque *Sensibilis* noster mundus infimus, in quo res habentur velut umbra per imitationem. Plura, si placet, lege apud B. Thomasium cit. Dissert. XIV. & in Dilucid. Stahl. ad Reg. VI. num. 8. pag. 23. alibique passim. Ubi fusius hæc diducta invenies.

§. 31. Illud adhuc notari meretur, quod omnia hactenus enumerata, Deorum instar, multis modis variantium, Theologia Platonica considerare soleat. Erudite hac de re disserit Celeberrimus *Colbergius in Specimine Historico de Origine & Progress. Hæres.* cap. II. §. IV. pag. 65. seq. cujus verba ipsa producam. *In vulgus*, ait, *nota est Platonicorum sententia de Diis supracœlestibus & subcœlestibus, quibus varias tribuit generationes & propagationes, quanquam de iis, sine inspiratione divina nihil certi asseri posse in* Timæo *ingenue profiteatur. Hisce diis non modo multiplicationem sui tribuit, sed & hujus mundi fabricam & regimen largitur.* Conferri possunt ea, quæ de Diis illis junioribus erudite disceptat *B. Thomasius* Dissert. III. cit. quæ est de *Platonica Mundi Æternitate*; §. 22. pag. 40. seqq. Sed audiamus porro *Dn. Colbergium*, qui cit. loc. ita pergit: *Sectatores ejus* (Platonis) *has Deorum generationes diverse, pro cujusque captu & ingenio explicant*, *PROCLUS* apud FICIN. in Jamblich. de Mysteriis *sequentem divisionem Deorum instituit*: Primo est *Unum ipsum supra Ens, & intelligibile totum. Secundo Unum Ens, seu Unitas entis, in quo unitas sua suo Enti præponitur, potest & Intellectus Intelligibilis vocari. Tertium est Intellectus intelligibilis & Intellectualis simul, &* Unitus Intellectus, *& expressio prima Jethon: Quartus Intellectus Intellectualis, Cœlestium Dux Deorum Emeph: Quintum Intellectus Opifex, proximus dux opificii mundanorum, qui sunt Dii cœlestes, Empyreique & ætherei, hic forsan Intellectus est Anima mundi. Quæ Ficinus ad Duo genera revocat, primum illorum, qui supra cœlum corporeum exsistunt: alterum eorum, qui in cœlo corporeo degunt intellectuales & intelligibiles. Illos vocat Ideas, hos vero intellectus omnes æterna idearum contemplatione beatos.*

§. 32. En Synopsin Theologiæ Platonicæ sublimioris, quam γνῶσιν definiere Veteres: ut enim laudatus toties Thomasius in Schediasm. Histor. §. 10. & 11. p. 4. ostendit, fuerat definitio Philosophiæ Platonica γνῶσις τῶν ἀληθῶς ἢ ὄντως ὄντων. *Pythagoræ autem rotunda magis placuerat hæcce:* τῶν ὄντων γνῶσις. Erat vero Philosophis illis γνῶσις non qualiscunque Notitia, sed eximia & exquisita; neque etiam rerum quarumlibet, sed maxime honorabilium h. e. divinarum; plane ut ἐπιστήμη & σοφία & νόησις. Confer Thomasium cit. loc. §. 25. p. 14, 15. Magnum ergo γνῶσις nomen est & turgidum satis, si quis illo superbire poterat.

§. 33. Illud adhuc quoque monendum venit, de hac γνώσει pagana & nugamentis philosophicis Platonicorum, quod pro feliciore praxi quotidiana, & usu, in religionis paganæ exercitio vulgari, Platonici Divini hæc sua monstra non modo aluerint domi & in foro Philosophico, sed etiam eadem ista figmenta applicuerint religioni, quam profitebantur, h. e. *Ethnicæ*, quæ ex Poëtarum fabulis conflata deprehenditur. Probationis loco adducit *Celeberr. Colbergius* cit. loc. pag. 66. verba FICINI *in Plat. Phædrum pag.* 10. quæ eadem ex Colbergio huc transferre placet. *Deos Platonici multiplicant* (inquit Ficinus) *quatuor modis. Primus est per substantias varias, ut quando primum nominamus ipsum bonum, vel ipsum unum: Secundum, Saturnum i. e. Intellectum, boni filium, qui est intellectus primus, sic Intelligibile primum, intelligibilisque mundus: Tertium mundi animam, Saturno genitam, Jovem magnum in cœlo ducem. Sed inter animam mundi & intellectum primum tres supramundanorum Deorum ordines collocant Platonici, alios mundo Intelligibili; alios huic sensibili mundo proximos, alios medios; supernos vocant Intelligibiles, extremos Intellectuales, medios mixtos. Sequuntur duodecim Sphærarum Dii, & mundani Dii Intelligentiæ summæ progenies, in cujus intellectu sit virtus Intellectualis & vitalis. Succedunt animæ Stellarum, distinctæque per duodecim Sphæras invisibilia numina, quæ duces particulares cognominantur Dii, Dæmones, & Heroës. Secundus modus est per Ideas. Tertius per generaliores, amplioresque proprietates incedere, quam species. Quartus est particularia numina in quibuslibet mundis pluries plurima; inter quæ sunt Dæmones, & inter Dæmones non solum est Saturnus & Jupiter unus, sed multi in qualibet Sphæra Saturni, Joves, Jovis & Saturni ministri.* Addit porro ex FICINO Colbergius, quod Platonicis *Rhea* sit Virtus vitalis, cui incubat *intellectus Saturninus*, ut pater: *Jovius*, ut filius: *Juno* vivifica Virtus, quæ comitatur Intellectum; primæ Intelligentiæ filia, secundæ Soror & conjux: *Neptunus* motrix: *Pluto* & *Vesta* firma proprietas: *Venus* Virtus vivifica & Gratia: *Apollo* splendor: *Pallas* Virtus &c.

§. 34. Statim nunc pateret via ad Theologiam Judaicam sublimiorem, quæ Kabbala vocatur, & ad Gnosticorum deliria: nihil enim *Kabbala* est aliud, quam γνῶσις sive Theologia Platonis divini, terminis ex lege & Prophetarum operibus inepte petitis; aliisque undiquaque confictis vocabulorum monstris vestita; *Gnosticorum* autem Theologia ulterius progreditur, & quod à Platone & Judæis Platonicis sive Kabbalistis acceperat, ex *Euangelio Johannis & aliis Scripturis Novi Testamenti* porro sacrilegio novo auget atque perficit; quanquam inter Gnosticos, pariter atque Platonicos & Kabbalistas, nullus sit consensus perpetuus, sed, uti constans fingendi refingendique libertas omnibus illis grata est; ita in solo fere fundamento conveniunt; in elaboratione autem nugarum immane quantum dissident & in varias sectas, vel certe sectarum umbras abeunt. Enimvero quominus ista nunc statim aggredi queamus, illorum vafrities impedit, qui audent affirmare, Platonem sua dogmata, ut & Pythagoram, qui in deliriis istis Platonis antecessor erat, à Judæis petiisse: unde porro, nescio, quam auctoritatem Platoni, omnium hæreticorum Condimentario, conciliare student, & vel ipsum DEUM & revelationem supernaturalem fundamenti loco ineptissimæ Theologiæ Platonicæ adsignare. Sed, ne dicant, nos multa dicere, pauca probare, age, inquiramus rectius in Philosophiæ Platonicæ natales. Quod superius *caput II. nostræ opellæ* §. 24. dixeramus.

§. 35. Qui Pythagoram & Platonem suas opiniones & deliria potius, quam philosophemata, à Judæis hausisse ajunt, aliud fabularum illarum de Pythagoræ & Platonis cum Judæis conversatione intimiore dare non possunt, quam, si verum velint fateri, insanum amorem quorundam

Veterum,

Veterum, qui primis post N. C. seculis Platonem ac huic vicinum in dogmatibus Pythagoram furiose deperibant. Futilitatem commenti vel ipse immanis arguit dissensus illorum, qui Pythagoram vel ex Judæorum gente ortum, vel proselytum saltem Judæorum, aut certe Judæis præceptoribus usum credunt. Sane quidem aliquid dicendum erat iis de ratione, qua Pythagoras sua à Judæis acceperit, qui illum credebant mysteriorum fidei Judaicæ, imo doctrinæ cœlestis supernaturaliter revelatæ totius conscium. Hinc quilibet suas conjecturas, vel aliorum commenta & omni fundamento carentes suspiciones arripiebat, donec tandem, quod commentorum istiusmodi fatum esse solet, fama dubia fidem, qualemcunque, aut potius suspicionem aliquam possibilitatis, narratiunculæ, incertis auctoribus natæ, conciliaret. Erudita sunt, quæ hanc in rem disputat Dn. D. *Samuel Andreæ*, in opere alibi quoque laudato, quod titulum gerit: *Examen Generale Cabbalæ Philosophicæ D. Henrici Mori*, *Theologi & Philosophi Angli*, Herbornæ Anno 1670. pag. 7. 27. 67. 70. ubi tandem recte infertur, *præter famam dubiam, nihil certi de genere, ætate ac præceptoribus Pythagoræ Judæis* (addo etiam Platonis) *constare.* Certe mihi nullum est dubium, neminem inter Patres dicturum fuisse antiquos, quod vel Pythagoras vel Plato Judæos habuerit præceptores, nisi Gentilibus, contra quos ista tempora pugnabant, annisi fuissent persuadere consensum Philosophorum Gentilium, maxime autem Platonis cum doctrina Christiana: Huic enim effato substernenda erat ostensio vel possibilitatis saltem alicujus, quod Pythagoras & Plato sua potuerint accipere à Judæis. Atque hoc quidem mihi videtur unicum illius, quam hactenus diximus, famæ fundamentum.

§. 36. Rectius longe & verisimilius judicant magisque cum monumentis veterum & tota historiarum compage consentiunt, qui, uti internum Platonicæ & Pythagoricæ Theologiæ fundamentum est geminus error, quem utrumque superius §. 25. & 26. exposuimus; ita ejusdem externum principium in Theologia Ægyptiorum quærunt. Nimirum constat ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Laërtio*, *Clemente Alexandrino*, aliisque, quod Ægyptii symbolica philosophia & mysteriorum involucris maxime sint delectati: unde eorundem Doctores dicebantur Prophetæ, Sacerdotes, ἱερογραμματεῖς, Hierophantæ &c. eo quod non modo varios vitæ humanæ casus prædicerent; sed & sacra simul & Sapientiæ arcana, ex more gentis, quæ eadem reverentia & religionem & sapientiam habebat, tractarent. Præcipue vero quod ad literarum & characterum mysteria attinet; certum est, præter popularem scripturam, ipsos quoque sacras quasdam literas agnoscere. *Herodotus Halicarnassæus*, in Euterpe, h. e. secundo Historiarum libro, (Edit. Basileens. 1559.) pag. 117. ex versione *Laurentii Vallæ* ait: *Literis bifariis utuntur* (Ægyptii) *quarum unas Sacras vocant*, *alteras populares*: quod nimirum harum apud omnes promiscuus esset usus; sacris autem tantum sacerdotes uterentur pro involvendis suis mysteriis, à quorum intellectu & curiosa lectione vulgum arcere jubebat fastus sacerdotum & sanctitatis opinio. Cæterum quæ indoles fuerit hujus scripturæ mysticæ, ex Clemente Alexandrino aliisque docet erudita industria *Augustus Schraderus* in disput. de ortu & progressu Philosophiæ Anno 1663. sub præsidio *B. Durrii* Altdorfii habita, pag. 7. qui porro pag. seq. addit de Ægyptiis: *in tantum crevit eorum auctoritas apud indigenas & exteros*, *ut celebratissimi quique inter doctos huc proficisci non dubitarent*, *quo in literis hisce* vere literatis (*ut Cælio Rhodig. dicuntur*) *interioribus*, *si qua fieri posset*, *mysteria pernoscerent*. *Orpheus nimirum*, *qui & Græcos his impertiit*: *Pythagoras*, *qui μετεμψυχώσιν doctrinam ibidem addicit*: *Solon*, *qui & leges eorum Athenienfibus tulit*, *& Græcorum quamplurimi*, qui multas ab Ægyptiis disciplinas accepere, *teste Theodoreto*. Hæc Schraderus.

§. 37. Et profecto si audiamus, quæ de Ægyptiorum Philosophia vel ipse *Diogenes Laërtii* in procemio libri pag. 78. (Edit. anno 1615.) refert, v. gr. quod dixerint, *Materiam fuisse principium rerum*; *ex ea deinceps quatuor elementa discreta*, *perfectasque complures animantes*: *Solem & Lunam esse deos*. *Mundum genitum mortalemque & ad sphæræ similitudinem rotundum*. *Stellas ignem esse*, *quarum temperata commixtione cuncta super terram nascantur*: *lunam deficere*, *cum in terræ incidit umbram*: *animam perdurare & subinde migrare &c.* Hæc, inquam, Ægyptiorum dogmata, si æstimaverimus paulo attentius & contulerimus cum principiis & dogmatibus Pythagoræis, facile quidem deprehendemus, quod Pythagoras hæc Ægyptiaca dogmata fecerit sua, & methodo quadam matheseos admixtionem redolente proposuerit. Ut enim docet idem Diogenes Laërtii lib. VIII. in cit. Pythagoræ pag. 582, 583, 584. statuit hicce Philosophus, *Principium omnium esse Unitatem*, *ex qua indefinita dualitas*, *veluti materia prodeat*; *ex hoc & unitate numerum gigni*; *ex numeris puncta*; *ex punctis lineas*; *ex lineis superficiem*; *ex superficie corpus solidum*; *cujus etiam quatuor sint elementa*, *quæ per omnia se mutent & vertant*; *ex quibus mundus fiat animatus*, *intelligibilis*, *rotundus*. *Solem & Lunam & reliqua sidera esse deos*, *quippe in illis superare calorem*, *qui sit vitæ auctor &c.* Hæc sine dubio altius repetita est Philosophia Ægyptiorum, acroamatice sic ab hominibus, geometriæ & arithmeticæ deditissimis, Pythagoræ, discipulo Ægyptiorum solertissimo tradita. Certe Pythagoram nullis pepercisse sumtibus, ut rectius in Ægyptiorum dogmata sublimiora penetraret, ex *Diogene Laërtii* itidem constat. Tres calices argenteos suos, quos à Zoilo patruo Pherecydi commendatus fecerat, non dubitavit singulis in Ægypto Sacerdotibus dono offerre, quos inter etiam diu vixerat, ut illorum quoque addidicerit linguam. Vid. *Diogen. cit. loc. pag.* 568. Hinc ubique sublimiora Ægyptiorum dogmata, imo & methodum sapientiæ Ægyptiacæ mysticam hic exprimit Philosophus, ubique more Ægyptiaco usus symbolis, ænigmatibus, harmoniis, mysteriis occultandis &c. Imo adeo sedulo mysteria sua occultavit, suamque Philosophiam, præceptorum more, à publico & promiscuo omnium usu removit, ut, Diogene sæpius citato pag. 577. referente, dogma Pythagoricum usque ad Philolai tempora fuerit ignotum; qui primus tres illos Pythagoricos libros evulgavit, quos Plato centum minis sibi emi per literas oraverit.

§. 38. Patet simul jam ex dictis, undenam sit insignis ista inter Philosophiam Pythagoricam Platonicamque harmonia? Imo non solum Pythagoram & ejus asseclas est secutus Plato; sed quoque, Pythagoræ exemplum æmulans, se contulit tandem ipse in Ægyptum, Sacerdotes & Prophetas Ægyptiacos auditurus, à quibus etiam, cum in morbum incidisset, curatione marina restitutus est. Summam itaque manum suæ sapientiæ impositurus Plato, postquam aliis pluribus usus esset præceptoribus, concessit primo in Italiam ad Pythagoricos; à quibus in Ægyptum, velut à rivulis ad fontem, trajecit, illud ibi assecuturus, quod Pythagoras inter Ægyptios fuerat venatus. Confer *Diogen. in Vita Platonis lib. III. pag.* 190. Nec Pythagoras & Plato tantum tanti fecerant sapientiam Ægyptiacam; sed profecto alii quoque ante eos ita Ægyptios sunt admirati, ut ab his sapientiam petendam esse crederent. Notatu digna sunt verba *B. Rittershusii*, quæ citat laudatus supra aliquoties Schraderus in disp. de Ortu & Progressu Philosophiæ pag. 25. *Thales*, inquit, *Pythagora ad se venienti studio discendi*, *extremam senectutem causatus & virium imbecillitatem*, *per quam sibi operam dare non posset*, *auctor exstitit profectionis in Ægyptum suscipiendæ ad Sacerdotes Memphiticos & Diospolitas*: *à quibus nimirum ipse quoque quicquid haberet sapientiæ*, *quasi viaticum abstulisset*. En igitur Ægyptiacam, non Judaicam, Pythagoricæ & Platonicæ Philosophiæ originem.

§. 39. Illustrare placet hoc de natalibus Philosophiæ Platonicæ caput insigni loco *Epiphanii*, qui in Panario suo omnes omnium populorum hæreses à mundi origine ad sua tempora usque descripturus, postquam succincte, quid ab origine mundi ad Israëlitarum ex Ægypto exitum usque sit gestum, edocuisset, atque monuisset, in illud tempus incidere Inachi apud Græcos ætatem, cujus filia fuerit *Io*, quam & dicant alii *Atthin*, Ægyptii vero *Isin*, hancque velut Deam, à Jove in vaccam quippe mutatam, adorent, pag. 11. editionis Græcæ, quæ Basileæ Anno 1544. prodiit, ita pergit: Ἐκεῖθεν γὰρ ἀρχὴν ἔσχε τὰ παρ᾽ ἕλλησι μυστήρια τε καὶ τελεταὶ, πρότερον παρ᾽ αἰγυπτίοις καὶ παρὰ Φρυξὶ καὶ Φοίνιξι καὶ βαβυλωνίοις κακῶς ἐπινενοημένα, μετενεχθέντα τε εἰς Ἕλληνας ἀπὸ τῆς τῶν αἰγυπτίων χώρας ὑπὸ Κάδμου, καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰνάχου, Ἄπιδος πρότερον κληθέντος καὶ οἰκοδομήσαντος τὴν μέμφιν· ἀλλὰ καὶ παρ᾽ Ὀρφέως καὶ ἄλλων τινῶν τὴν ἀρχὴν λαβόντα καὶ εἰς αἱρέσεις συσταθέντα ὕστερον ἐν Ἐπικούρῳ, καὶ ζήνωνι τῷ στωϊκῷ καὶ Πυθαγόρᾳ καὶ Πλάτωνι ἐξ οὗπερ ἤρξαντο χρόνου κρατυνθῆναι ἕως τῶν Μακεδονικῶν χρόνων καὶ Ξέρξου τοῦ Βασιλέως τῶν Πέρσων μετὰ τὴν ἅλωσιν τῶν Ἱεροσολύμων, τὸ πρῶτον, καὶ Ναβουχοδονόσορ αἰχμαλωσίας καὶ τῶν κατ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν μακεδόνα χρόνων. Πλάτων γὰρ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἐγνωρίζετο καὶ οἱ περὶ αὐτοῦ Πυθαγόρας τε καὶ Ἐπίκουρος ὁ μετέπειτα.

h. e. *Inde ortum traxere Græcorum Mysteria & Teletæ* (quam vocem alii Interpretum servant ipsam, alii exponunt *Ritus*, Hesychius apud *D. Sam. Andreæ* cit. Exam. Gener. Kabb. Philos. Mori pag. 67. interpretatur ἑορτὰς, θυσίας, μυστήρια, h. e. *festa, sacrificia, mysteria*, & pag. 163. laudatus aliquoties Andreas in Addendis ex *Suida* monendum duxit, τελετὰς dici ἀπὸ τοῦ τελεῖν h. e. δαπανᾷν, à *sumtibus faciendis*, & proprie mysteria in sacrificiis eorumque ritibus designare) *primitus apud Ægyptios & apud Phryges & Phœnices & Babylonios male excogitata, traducta vero in Græciam ex Ægyptiorum regione à Cadmo & ipso Inacho, qui Apis antea dictus Memphin ædificaverat. Sed & Orpheo & aliis quibusdam ista suum debebant ortum, quæ tandem in Epicuro, & Zenone Stoico, & Pythagora & Platone in sectas abibant, quippe ex quo tempore incipiebant acquirere vires usque ad tempora Macedonica & Xerxem, regem Persarum, post primum Hierosolymæ excidium, & Nabuchodonosoris captivitatem, & Darium & tempora post Alexandrum Macedonem. Plato enim circa illud tempus inclaruit, & qui ante eum erant, Pythagoras quidem & hoc posterior Epicurus.* Hactenus Epiphanius.

§. 40. Video equidem, esse *quosdam*, qui convicti ex genuinis Historiarum documentis, quod nec Pythagoras nec Plato sua à Iudæorum Prophetis, sed potius ab Ægyptiorum sacerdotibus acceperint, id effugii quærant, scil. ipsam Ægyptiorum sapientiam sine dubio à Iudæis diu in Ægypto degentibus & servientibus derivandam esse; unde porro colligunt, Pythagoræ Platonisque Philosophiam, etsi non immediate, mediantibus tamen Ægyptiis saltem, ex Prophetarum & Patriarcharum Sanctorum dogmatibus deduci debere. Obviam vero ivit exceptioni vel potius figmento huic temerario ipse Spiritus S. per Stephanum, Proto-martyrem, qui docet, Iudæos neutiquam esse sapientiam & literas in servitute Ægyptiaca professos, sed potius, cum Moses in aula Pharaonis deberet cultior reliquis evadere Iudæis, eum fuisse non in literatura & sapientia sui populi, sed πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *omni sapientia Ægyptiorum* eruditum: ex quo loco evidens est, frustra esse, quotquot putant, sapientiam suam Ægyptios à Iudæis tempore servitutes accepisse: nihili enim habebatur Iudaica religio, collata cum Ægyptiorum sapientia; & adeo non agnovere Ægyptii Iudæos præceptores, ut potius hi illis abominationi fuisse legantur *Genes. 43: vers. 32. & cap. 46: vers. 34.* Undecunque igitur sua sacra & nugas petierint Ægyptii: hoc saltem certum est, quod Ægyptiaca sacra & superstitiones & sapientia ortum non debeant Iudæis.

§. 41. *Dicis*: Undenam vero est, quod Iudæorum sublimior Theologia, quam Kabbalam vocant, adeo conspiret cum sapientia & literis Pythagoræ, Platonis aliorumque, quæ Ægyptios habuerant præceptores? Respondeo, esse hoc nobis III. hic loci vi §. 24. agendum, ut *fata Theologiæ Platonicæ inter Judæorum antiquos ex probatis auctoribus exponamus.* Dico igitur, nihil horum dogmatum, quæ Platonismum sapiunt, in Scripturis sacris occurrere, sed ecclesiam Iudæorum à Philosophia Græcorum demum corrumpi cœpisse, cum, durante imperio Græcorum, Iudaismus, Græcorum sacra, ritus & dogmata aperte sectaretur, & eruditionis laudem in literis græcis cumprimis quæreret. Obtigit scil. Iudæis post captivitatem Babylonicam, quod *Horatius lib. III. Odar. Oda VI.* de Romanis & corruptionibus seculorum apud eosdem cecinerat:

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

quod Horatii verbum, si bene memini, *Hulsius in Medulla Prophetiæ* ad Iudæos commodat; & recte quidem, teste historia. Maxime vero post Alexandri Magni tempora, mirum in modum pietas & doctrinæ sinceritas inter Iudæos deficere incepit; atque è contrario Græcorum paganismus Iudaismo impudenti audacia miscebatur. Testem adduco vetustissimum Auctorem librorum de *Maccabæis*, qui *cap. IV. lib. II. vers. 7, 8. seqq.* scribit: *Post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis adpellabatur, ambiebat Jason, frater Oniæ, summum sacerdotium, adito Rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus aliis talenta octoginta: super hoc promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati ejus concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Hierosolymis erant, Antiochenos scribere. Quod cum Rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit, & amotis his, quæ humanitatis causa Iudæis à Regibus fuerant constituta, & per Johannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, civium jura destituens, prava instituta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam & profectus gentilis & alienigenæ conversationis, propter impii & non sacerdotis Jasonis nefarium & inauditum scelus, ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent: sed, contemto templo & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ & præbitionis ejus injustæ & in exercitiis disci, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur.* Confer de hoc gymnasio Græcanico, inter Iudæos per Iasonem erecto, *librum* quoque 1 *Maccab. cap. 1: vers. 15. seqq.* ubi ad dies Antiochi Nobilis, qui anno centesimo tricesimo septimo Græcorum regni imperasse ibidem dicitur, refertur insignis illa defectio Iudæorum ad Græcorum mores & placita, ita ut petierint atque impetraverint à Rege *potestatem, ut facerent justitiam gentium & ædificaverint gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum, & fecerint sibi præputia & recesserint à testamento sancto & juncti sint nationibus, & venundati sint, ut facerent malum. Christianus Adrichomius Delphus* in descriptione Urbis Hierosolymorum breviori num. 49. pag. 71. ita describit gymnasium illud Græcum, Hierosolymis erectum: *Gymnasium, id est, schola gentilitatis, quam Judæorum pseudopontifex Jesus, qui gentilium more Jason vocari maluit, aliique apostatæ Judæi, Antiochi Epiphanis permissu, sub ipsius arce contra templum ædificaverunt, in qua populus leges & ritus gentium docebatur & juventus in GRÆCORUM PHILOSOPHORUM studiis ac disputationibus instituebatur.* En habes hic indubia testimonia, Iudæorum gloriam, temporibus Antiochi Epiphanis, in Græcorum literatura & ritibus non modo fuisse positam, sed etiam ἑλληνισμὸν *Græcitatem* vel *Gentilitatem* publice inter Iudæos doceri cœpisse.

§. 42. Videamus nunc Fata Græcismi inter Iudæos. Ipsos si consulimus Iudæos, in ipsa *Mischna* isti nobis suggerent testimonia, literaturam Græcam floruisse inter eosdem. Certe enim in *Massechet Schekalim* cap. III. Mischna II. adducitur *R. Ismaël*, qui *de Arcis illis, quibus inscriptum erat Aleph, Beth, Gimel*, tradidit: יונית כתיב בהן אלפא ביתא גמלא *Græce inscriptum iis fuit, Alpha, Bῆta, Gamla*: ad quæ verba Mischnæ ita commentatur max. Venerabilis *Dn. Joh. Wülferus*, Antistes ad Spirit. S. & Professor apud Noribergens. celeberrimus, in Annotatis ad hunc tractatum Talmudicum, quem seorsim ante hæc tria lustra & quod excurrit, edidit, pag. 75. *Græcis literis*, ait, *strenue quondam Judæos operam dedisse, ac imprimis sub templo secundo ejus linguæ gnaros fuisse, certum est è Rabbinis, quibus Tphillin & Mesusot & librum legis etiam græce scribere licebat*, Mass. Megilla pag. 9. *teste*. Et postquam Bartenoræ ad Mischnam nostram commentantis testimonio hoc firmasset adsertum, insignem plane locum adducit è cap. XXXV. R. Abrahami Harophe, quem huc transferre placet: והאמת הוא כי היו כותבים על הרוב בלשון יוני מפני העם שהיו בבית שני יותר בקיאים בלשון יוני ממה שהיו בלשון הקדש׳ והראיה על זה הוא ידידיה הנקרא פילוני היהודי והוא היה בסוף בית שני שכתב ספרים הרבה ונכבדים מאד על דברי התורה בלשון יון והם מתורגמים גם כן בלשון לאטינו׳ וכל כן היה גדול ההלצה בלשון ההוא עד שהיה למשל ואמרו או פילוני הוא מדבר בלשון אפלאטון או אפלאטוי הוא מדבר בלשון פילוני: h. e. *Verum est, Judæos maximam partem, in lingua Græca, plebis causa scripsisse, quæ sub templo secundo in eadem promtior erat, ac in sermone nativo. Fidem autem verbis nostris Jedidia faciet, dictus Philo Judæus, qui circa finem templi secundi vixit, & multos libros eosque maxima doctrina refertos, in legem scripsit idiomate græco, qui etiam in latinam linguam postea translati sunt: & tanta quidem erat linguæ illius eloquentia, ut in proverbii consuetudinem abierit, dictusque sit aut Philo Platonis lingua locutus esse, aut Plato Philonis.* Alludit R. Abraham ad dicterium Græcorum apud Suidam, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει, *aut Plato philonizat, aut Philo platonizat.* Notior est *Flavii Josephi* eruditio in literatura græca, quam ut ista hic commendari debeat. Imo non desunt, qui putent, scholarum Philosophicarum Græcarum inter Iudæos exsistentium mentionem haberi vel in ipsis *Actis Apostolicis* cap. 6: vers. 9. ubi legi-

legimus: *Exorti sunt quidam ex synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenensium & Alexandrinorum & Cilicum & Asianorum, disputantes cum Stephano.* Haberi hic mentionem hominum scholasticorum, eruditionem & disputandi peritiam profitentium, certum est; an vero etiam sectarum Philosophiæ Græcæ, equidem non adeo liquet. *B. Adamus Tribbechovius* in libro singulari de *Doctoribus Scholasticis* cap. I. pag. 5. ait, *Antiquiores Judæos Philosophiæ operam navasse, Gemara Babylon. ad Tit. Menach. cap. 6. f. 642. docet, dum testatur, ex una Abbæ schola quadringentos exivisse Græcanicam literaturam & sapientiam condoctos. Scholarum harum mentio fit Actor. 6: vers. 9. ubi per Libertinos, Academicos; per Cyrenæos, Cyrenaicam sectam, per Alexandrinos, Peripateticos quis intelligeret.* Etsi autem nihil determinare liceat in sectarum nominibus, saltem illud extra dubii aleam satis speciose ponit Vir beatus, Græcanicæ Philosophiæ deditos fuisse illos, qui cum Stephano in disputationis arenam descendere ausi erant. Sed nec Vir in Philosophica historia subactissimus, *Vincentius Placcius*, dubitat in suo *ad Verulamium de Morali Scientia augenda Commentario cap. I. Text. II. num. 28. pag. 52.* simile quid affirmare: *Ipsi Judæi, inquit, quamvis initio valde repugnarent, adeo ut, teste Drusio, maledictos voluerint eos, qui filios suos docerent Philosophiam Græcam, tandem tamen Maccabæorum tempore cum Romanis Græcisque fœdera pangentes Philosophiæ quoque sectas varias receperunt. Nam Pharisæos quidem Stoicæ, Saducæos vero Epicureæ fuisse doctrinæ sectatores, in aperto est.*

§. 43. Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Ipsa doctrina Kabbalistica satis ostendit, quanta audacia & quibus successibus Judæi antiquiores incubuerint Philosophiæ Platonicæ. Qui enim existimant, librum *Sohar*, qui quidem Kabbalisticæ doctrinæ corpus & regula est, recentius quoddam figmentum esse, sine dubio falluntur. Pater omnium Kabbalistarum, *R. Schimeon Jochaides*, ante & post excidium Hierosolymitanum vixit, prout è variis locis Sopharisticis colligit Vir quondam Illustris & Kabbalismi scrutator summus, *Dn. Christianus Knorrius à Rosenroth*, in doctissima præfatione ad Kabbalæ denudatæ Tomum secundum, quem librum *Sohar Restitutum* nuncupat, §. 4. pag. 3. seq. ubi prolixe disputat de ætate hujus libri & dubiis satisfacere laborat. Equidem verum est, serius paulo hunc librum innotuisse: verum etiam est, non posse ita librum Sohar R. Simeoni Ben Jochai adscribi, ac si ipse omnia ista, aut saltem pleraque, quæ Sepher Sohar habet, consignasset calamo: sed hæc omnia nondum evincunt, quod hoc scriptum adeo musteum sit, ut quidam volunt. Quemadmodum enim Pythagoræ dogma usque ad Philolai tempora ignotum mansit, qui primus tres libros Pythagoricos evulgavit, quos Plato centum minis sibi parari oravit; ita non est mirum, si hi discursus Platonici Simeonis & aliorum quorundam Judæorum Platonicorum diutius inter doctos sine nomine & laude manserint. Omnis semita apud Judæos fervebat post excidium Hierosolymitanum alterum in Talmude condendo, cujus partem primariam postquam R. Iehuda Sanctus publica collegisset auctoritate, equidem Hierosolymitani Talmudis corpus, à Palæstinæ Iudæis collectum, seculo tertio à N. C. dicitur prodiisse; sed Babyloniorum Rabbinorum, qui fere omnem eruditionis laudem secum in Babyloniam traxerant, longe major erat industria in Mischna illustranda. Adeo enim ipsi continuis lectionibus & disputationibus Mischnæ suæ insudabant, ut tandem insigne illud opus, quod sine apposito TALMUD dicitur, & quo etiamnum hodie universa Iudæorum natio, tanquam corpore Iuris Iudaici regitur, in sex partes principales & 63. libros distinctum, seculo VI. à N. C. prodiret. Satis ergo habuerant Rabbini, quod agerent, dum ista illustrare solenni opera nitebantur, quæ ad Iura Iudaica spectabant, etsi vel maxime lusus Kabbalisticos negligerent, qui certe solenni more Kabbalistarum sedulo premi, occultari & à luce publica omni modo cohiberi solent. Præterea arguit ipsa dictio & stilus libri non modo indolem antiquitatis, sed etiam, (quod ego palmarium argumentum existimo) ipsa Gnosticorum deliria, quæ *Irenæus*, secundi à nato Christo seculi scriptor, recenset, referunt satis aperte (ut, volente DEO, inferius videbimus) vestigia Kabbalismi, non tantum dogmatibus, sed etiam terminis Ebraicis & magnam partem in Kabbalæ studio receptis: id quod evidenter evincit, Kabbalam esse Gnosticorum, maxime autem *Nicolaitarum* hæresi antiquiorem, si fundamentum potius, quam ornatum, qui subinde à cultoribus fingi refingique solet, æstimare velis.

§. 44. Transirem statim ad Kabbalæ hujus synopsin superius promissam, nisi aliquid adhuc respondendum esset *Richardo Simoni*, famoso illi & audaciori quam feliciori Critico Gallo, qui Kabbalisticam Judæorum Philosophiam ex Chaldæorum scholis haustam & post captivitatem Babylonicam una cum Iudæis in Palæstinam devenisse haud obscure conjectat; imo ipsam quoque Pythagoræ & Platonis Philosophiam ex iisdem lacunis haustam adfirmat *Crit. Sacr. Vet. Test. lib. I. cap. VII.* pag. 44. seqq. (Usus autem ante hoc decennium, & quod excurrit, eram versione latina *Alberti de Versé*, Parisiis 1681. edita: ex qua jam nihil præter excerpta ex libro famoso tunc temporis facta mihi ad manus sunt.) Postquam enim mentionem fecisset sectæ cujusdam, *Sabaitarum* dictæ, secundum plerosque à priscis Chaldæis derivatæ, quæ libros jactet Adami nomine scriptos, jam divagatur ad Kabbalistas & horum fabulas de vetustissimis ejusmodi literis, nomine Patriarcharum scriptis, quas quidem confutare non putat esse opus, *cum satis adpareat, Chaldæos somniorum istorum auctores esse.* Præterea cum Iudæos ex Talmude testes alleget, Angelorum & mensium nomina in usu apud eos non fuisse, nisi post reditum è Babylone; conjicit porro, forte ideo Sadducæos Angelos non credidisse, nec fidem habuisse iis, quæ Scripturæ de Angelis referunt, tanquam quæ sint à Iudæis Doctoribus addita & instar allegoriarum intelligenda. Addit tandem: *Pythagoras & Plato ab eodem fonte hauserant; eorum enim scripta valde hac in parte cum Kabbalisticis conveniunt, figmentorum allegoricorum plena & ingeniosis de numeris & literis alphabeti subtilitatibus referta.*

§. 45. Cum ad *Sabaitas* provocet Richardus, & hos Kabbalæ velit auctores constituere, imponit nobis necessitatem de Sabaitis & illorum religione nonnihil disserendi. Sunt autem Sabæi vel Sabaitæ idololatræ antiqui, quorum primarium tribunal & delubrum erat in urbe Harran, cujus occasione *Jacobus Golius*, alter post Erpenium Europæ in Arabicis communis præceptor, in suis doctissimis ad *Elementa Astronomica Muhammedis fil. Ketiri Ferganensis*, quem vulgo *Alfraganum* dicunt, Notis pag. 251. sequentia monet. *Omaris II. Chalifæ, circa A. H.* (i. e. Annum Hegiræ) 17. *Ijad Ibn Ganam cum aliis Mesopotamiæ locis deditione capta fuit* (Harran urbs.) *Dicebatur autem* مدينة الصابية Urbs Sectæ Sabaicæ *sive* الصابة Sabarum: *qui nempe exercitum cæli & sidera colebant, tanquam numina seu divinis animata mentibus; religionis suæ antiquitatem à Noacho repetentes. Nimirum ab eo inde tempore initium illa cepit, mater omnis alterius idololatriæ. Lege tamen Muhammedis in clientelam pendendi tributi pacto recepti sunt, uti &* المجوس Magusæi, *non minus quàm Christiani & Judæi, quod* اهل الكتاب *essent, id est,* religionem sectarentur libro comprehensam. *In urbe Harran primarium ipsis erat tribunal & delubrum in editiore colle; ita ut gentile nomen* حراني Haranita *sæpe usurpari soleat pro* صابي, Sabius *seu* Sabita, *qui est* Stellarum cultor. *De eorum doctrina, sacrificiis, aliisque ritibus, festis & ad Septentrionem ipsorum* قبلة Kibla, *i. e. tractu, quem inter precandum respiciunt, pluribus tractat Ibn Nedim in postrema Bibliothecæ suæ parte; qui etiam, uti quoque Ibn Kafta, complures recenset Harranitas, scientia imprimis mathematica & Philosophica præstantes.* Ipse *Alcoranus* sura sive cap. II. (ex editione *B. Hinkelmanni*) *versu* 59. meminit Sabaitarum, (qua voce vulgo omnes idololatras indicari autumant) perquam modeste, & non desperat de illorum salute, uti nec de Iudæorum, nec de Christianorum cœtu durius pronunciare audet, modo crediderint in DEUM & diem ultimum, & operentur probitatem. Sed juvat audire ipsa Mohammedis verba:

ان الذين امنوا والذين هادوا والنصاري والصابيين
من امن بالله واليوم الاخر وعمل صالحا فلهم اجرهم
عند ربهم ولا خوف عليهم ولا هم يحزنون ۞

h. e. *Profecto quicunque credunt, & ii, qui Judæi, & Christiani & Sabæi sunt, quisquis credit in Deum & diem ultimum, & operatur probitatem, sua utique ipsis merces apud Dominum suum, nullus eis imminebit timor, nec ipsi dolebunt.* Nimirum largus est hic loci & facilis Pseudo-propheta in salute æterna promittenda omnibus omnium religionum hominibus, modo in Deum & diem judicii credant studeantque probitati: de cætero, parum interesse putat Syncretista hoc in textu (nam alibi sui ipsius oblitus omnes, qui fidem Mohammedicam non amplectuntur, diabolo tradit & igni æterno adjudicat) sive quis *Mohammedismum*

dissimum fuerit professus (Musulmannos enim intelligit, more suo, per *eos, qui credunt*) sive *Judaicam* sive *Christianam* religionem sequatur, vel denique *Sabæum* egerit, h.e. *paganum* cultum & *idololatriam* fuerit amplexus: omnes & singulos bene sperare jubet, modo ne plane fuerint Athei vel theoretici vel practici. Hos igitur ad paganos in Mesopotamia quondam non incelebres audet noster Criticus, Richardus Simon, Kabbalismi & Platonismi natales alligare: sed male.

§. 46. Sane enim male consuta sunt, nec cum historiæ compage cohærent, quæ hic loci Criticus sibi imaginatur & temere fingit. Nam si historiam consulimus sacram iis de temporibus, quibus Judæi inter Chaldæos gemebant captivi, adeo non fit probabile, Judæos arcanam sapientiam aliquam à Chaldæis & Sabæis astrologis didicisse, ut potius Judæi fuerint per omnia Chaldæis superiores, & ideo Chaldæorum scholis & sapientiæ cultoribus præfecti, ut hos sapientiam Judaicam edocerent, prout disertis verbis legimus apud *Danielem*, quod ipse cum sodalibus, *Misaël*, *Chanania* & *Asaria*, non modo decies sit sapientior inventus omnibus genethliacis & astrologis & sophis in omni regno Regis Babyloniorum, *Daniel* 1: *vers.* 20. sed etiam cap. 2: vers. 48. expresse dicitur Daniel omnibus sapientibus Babel præfectus &c. Unde patet, Chaldæos & sapientes Babyloniorum potius à Judæis captivis fuisse doctos, quam quod hi ab illis sapientiam petierint vel petere voluerint. Rectius ergo dixisset Criticus noster, Magos, ex Oriente ad natum Christum adventantes, hoc ipso ostendisse semina quædam residua veræ religionis, quam à Daniele, communi Chaldæorum sapientum præceptore, acceperint, quam quod Judæos dicit Kabbalam didicisse à Sabæis & astrologis Chaldæorum, eamque una cum reculis suis ex captivitate Babylonica in Palæstinam retulisse. Præterea, nec probabile est, Viros Θεοπνεύστους quorum auspiciis Judæi in terram promissionis reducti sunt, passuros fuisse, ut dogmata pagana una ex captivitate secum deportarent in Judæam. Isti profecto Judæorum, qui in captivitate versabantur Babylonica, & maxime, qui inter astrologos & sapientes Chaldæorum degebant, alienissimi erant à peregrino cultu & Chaldæorum superstitionibus, quod vel ex Danielis historia æque ac ex actis sodalium ipsius satis patet. Nec alia mens erat Esdræ & Nehemiæ, qui maximo studio, quicquid gentilismum sapiebat, ex reparata Judæorum republica ejurarunt. Vid. *Nehem. cap.* 13: *vers.* 23. *seqq.* Quomodo autem sacra hæc historiarum compages quadrat ad Simonis conjecturas criticas? Quicquid ergo docuerint Sabæi; & undecunque fuerint; saltem hoc dici non potest, quod ab iis dogmata pagana tempore captivitatis Babylonicæ didicerint Judæi, & postea in reparatam rempubl. Judaicam introduxerint atque in hunc usque diem servarint. Et bene est, quod ipse fatetur Richardus Simon, maximam partem earum rerum, quæ hodie referuntur de Sabæis, sine dubio esse falsam, etsi putet, suppostitiis illis scriptis inesse quædam veteris Sabæismi vestigia: sed quis Oedipus ausit vera à fictis discernere, adeoque occasionem subministrare judicandi de Kabbala & ejus ex Sabæis ortu. Alia & certiora docuimus ex *Diogene Laërtii* de Origine Pythagoricæ & Platonicæ Philosophiæ: certiora etiam ostendimus de fatis & receptione Philosophiæ Græcæ apud Judæos, tempore Templi secundi, ut adeo possimus tuto Critici famosi commenta rejicere atque ridere.

§. 47. Nunc, quod IV. loco, vi §. 24. nobis agendum est, sistemus, Divino auxilio, synopsin qualemcunque Theologiæ Kabbalisticæ, quæ inter Judæos floret, atque libro Sohar cumprimis innititur. Monendum autem ante omnia est, quod vulgo soleat Kabbala Judaica *triplex* sisti, I. *Artificialis atque literalis*, quæ nihil aliud est, quam Hermeneutica sacra sublimior Judæorum, cujus ope nullo negotio è diabolo DEUS & ex DEO diabolus fieri potest. Literalis hujus Kabbalæ synopsin omnium brevissimam dedit celeberrimus Rabbi, *Menasse Ben Israël*, in Conciliatore, quæst. in Exod. L. (Edit. Latin. Amstelod. 1633.) pag. 170. seqq. Nec aliud fere hanc præter Kabbalam literalem tractat *B. Hackspanius* in Kabbala Judaica, quam Miscellaneis Sacris ipsius attextam orbis literatus legit. Prolixius autem & justa methodo, hanc Kabbalæ partem delineavi in opere peculiari, cujus titulus, *Synopsis & Examen Hermeneuticæ Kabbalisticæ*, quod quidem opus ἀνέκδοτον adhuc meas inter schedas delitescit. II. Alia Kabbalæ pars, (aut quocunque termino uti velis) est Kabbala, quam *Inartificialem* nominant, & quæ absolute loquendo καὶ ἄνδρα παραθήκης, *Kabbala* dici solet. Hæc est ipse Gnosticismus Judaicus sive Theologia Platonica, ex Moseos & Prophetarum scriptis reficta, quam nostra ætas demum rectius intelligere & ex Judæorum manibus extorquere cœpit. Equidem novi, quod *Joh. Capnion, Phortzensis*, vulgo *Reuchlinus* dictus, (quem Buxtorfius *inter hos, qui studium Ebraicum inter Christianos illustrarunt, post Hieronymi tempora primum* vocat) libros tres de Arte Cabalistica ediderit; novi etiam, quid conatus sit *Joh. Pistorius Nidanus*: sed omnia ista longe adhuc à vera & genuina indole Kabbalismi abludunt, quem nemo inter Christianos ante Virum multiplici nomine Illustrem quondam, *Dn. Christian. Knorrium à Rosenroth* rectè satis penetravit: cujus industriæ & operi insigni, quod sub titulo *Kabbalæ denudatæ* ab orbe erudito admirationem est consecutum, me notitiam Kabbalismi intimiorem debere, ingenue fateor. Atque hoc ex opere sistam post paulo Synopsin Theologiæ Kabbalisticæ, quo uno obtutu benevolo pateant lectori, quæ per duos tomos satis diffusa alias miro & singulari studio conquirere teneretur. Præter hanc Kabbalam Inartificialem, etiam III. famosa est facta, *Kabbala Practica*, quæ magicis meris operationibus & abusibus literarum sacrarum, nominum divinorum, siglarum, characterumque & aliis istiusmodi rebus constat, atque Platonismi quoddam quasi consectarium jam olim habebatur. Qui enim rerum divinarum erat conscius, etiam divinas & supernaturales aut saltem præternaturales sectabatur operationes. Ipse Pythagoras γοητείᾳ sive *magia insignis* erat, & Varroni apud Augustinum *hydromanticus* dicitur. De *Simone Mago* erudite scribit *Dn. Colbergius oper. cit. de Origin. Hæres. cap. I. §. 1. p. 3. Magiam exercebat, quæ eo tempore Platonicis familiaris erat & in laude posita.* Paulus fortasse ideo istos etiam, contra quos disputat in epistolis suis ad Timotheum & ad Titum, vocat γόητας *impostores, incantatores, præstigiatores*, 2 Timoth. 3: vers. 13. Et non tantum *Simon Samarites* dicitur in *Actis Apostol. cap.* 8: *vers.* 9. Samariæ artem magicam exercuisse, & gentem Samariæ dementasse, unde etiam vulgo *Simon Magus* dicitur; sed eidem arti plures impune operam dedisse inter Judæos legimus. Certe *Actor.* 19: *vers.* 13, 14. narratur, Judæos exorcistas, & quidem Scevæ Judæi summi sacerdotis septem filios circumivisse, cumque vidissent, quid nomine Jesu præstarent Apostoli, magicam virtutem nomini inesse credentes, annisos esse, sed malo suo, adjurare dæmonas per nomen Jesu: unde porro vers. 19. additum legimus, *multos ex iis, qui curiosas artes exercuerant*, cum vidissent exorcistarum illorum fata, *comportatos libros suos exussisse coram omnibus: & supputatis preciis librorum; reperta fuisse pecuniæ quinquaginta millia.* Vides, lector cordate, quam vetusta sit Kabbala practica, & quo in pretio fuerit Apostolorum tempore, inter Judæos & Gentiles, qui ultra vulgus sapiebant, Magia sive ars incantandi?

§. 48. Sed transeat Kabbala Practica una cum Kabbala literali. Nos nunc Kabbalæ inartificialis diviniora sistemus theoremata, παχυλῶς tamen, hic loci tantum, non autem ista cura, quam reservamus operi peculiari ibidem in Præfat. ad Nucleum nostrum Christianismi loco superius §. 24. citato, promisso. Exhibebo autem Kabbalæ summam brevissime, adducto textu ex *Siphra de Zeniutha* sive libro Occultationis, quem præfatio in tomum II. Kabbalæ denudatæ pag. 5. *compendium omnium brevissimum totius Kabbalæ* nuncupat, & alibi istius esse putat antiquitatis, ut vel ipsi Simeoni Ben Jochai recte, tanquam auctori, tribui posse existimet. Liber hic in fronte statim, si quis paulo rectius Gnosticorum deliria perspexerit, argumentum suum infausto omine exprimit his verbis: ספרא דצניעותא ספרא דשקיל במתקלא, h. e. (vertente auctore Kabbalæ denudatæ tom. II. part. II. pag. 348.) *Liber Occultationis est liber, qui describit librationem Bilancis.* Pergit Kabbalista: דעל לא הוה מתקלא לא הוו משגיחין אפין באפין ומלכין קדמאין מיתו: h. e. *Antequam Bilanx esset, non respiciebat facies ad faciem, & Reges primi mortui sunt.* Ænigma loqui videbor: & certe ænigma est Kabbalisticum, quod vero explicatum summam totius Kabbalæ continet, & in infinitas genealogias, fabulas & pugnas legales abit.

§. 49. Est vero ante omnia sciendum, quod Kabbalistis sit *Bilanx* id, quod Gnosticorum alii *Syzygiam* vocant, h. e. fœminam viro vel masculo junctam. Audiamus aquilam Kabbalistarum, *R. Jizchak Lorjensen, Germanum* (cujus commentarius in Siphra de Zeniutha latinitate donatus exstat tom. II. Kabb. denudat. part. II. tract. IV. pag. 3. seqq.) textus adducti Kabbalistici interpretem. Sic vero ille: *Bilanx vocantur*

tur mas & fœmina: sicut scriptum exstat in Sohar sectione Pekude: Qui matrimonium contrahunt, dicuntur constitui per modum Bilancis, cum scil. mas & fœmina invicem coalescunt &c. *Et sic quoque reperimus in Idra minore in Deutr. col. 562.* Cum senex sanctissimus occultissimus omnium occultorum, restaurationem instituere vellet, omnia conformabat per modum maris & fœminæ: tali nempe loco (& modo; ut continerent marem & fœminam: (Priora enim) non subsistebant (*in naturis suis solitariis*) sed statu alio (*dandi & accipiendi subsistebant*) ceu mas & fœmina. Hæc sapientia, continens omnia, cum prodiret & elucesceret à Sene sanctissimo; non eradiabat nisi ceu mas & fœmina; Hæc sapientia extendebatur & inveniri poterat, quæ mas & fœmina erat. Sapientia (*enim dicitur*) Pater: Intellectus informatio (*dicitur*) Mater. (*Ita tamen ut*) sapientia & mater intelligendi in unam conformarentur Bilancem maris & fœminæ: & per illos omnia subsistunt sub androgyneitate (simili) quod, nisi fieret, non permanerent.

§. 50. Obscurissima hæc sunt iis, qui non sunt in his literis subacti, & prima etiam fronte non videbuntur adeo cum Platonismo consentire. Sed observari debet, esse quoddam inter Platonismum & Kabbalismum discrimen. Nam Plato, præter αὐτοαγαθὸν sive Principium *Boni*, aliud quoddam Principium *Mali*, Deo coæternum, à Deo tamen independens, materiam scilicet, quam alias Platonici τὸ ἄλλο dicunt, agnovit. Non ita Kabbalistæ, qui in tantum deseruere Platonem, ut unitatem principii primi custodirent, quam sustulerat Plato. Conveniebat autem inter Platonem & Kabbalistas de eo, quod ex pure nihilo aliquid condere, pure sit impossibile. Unde igitur materia? Respondeo, Kabbalistis, si rem ipsam suis terminis eloquaris, illud obtigisse in schola Platonis, quod *Davidi de Dinanto*, qui seculo XIII. famosus fuerat hæreticus, atque, ut juxta errorem de Creatione ex nihilo, quam negaverat, custodiret unitatem principii primi, Deum habuerat simul pro *causa efficiente & materia prima omnium rerum*: de quo utique videndus est incomparabilis *Thomasius* dissert. XIV. sæpissime citata, cujus titulus: *Stoicus Deus, mundi forma informans* §. 97. pag. 199. seqq. nec enim ratio instituti tot patitur digressiones, alias potuissent plurima inde huc trahi. Itaque aliter paulo erat Kabbalistica Gnosis concipienda, quam Gnosis Platonica, maxime, cum, quantum fieri poterat, in illam curam Judaicus Gnosticismus sive Kabbala incubuerit, ut errorem, quod Deus sit omnium rerum materia simul & efficiens causa, dissimularet atque mitigaret. Voto huic strenue aderat ipsa Philosophia Platonica, quæ etsi DEUM nollet venditare pro principio materiæ hujus sensibilis & crassæ; tamen re ipsa Deum statuit materialem: nec enim ex nihilo eduxit iste suas Ideas & λόγον & reliqua producta & causata divina, superius enumerata, sed EMANANDO h. e. ita, prout aranea ex se sua educit fila. Observavit hoc ante me Thomasius, quem nunquam sine veneratione Viri cogito, cit. loc. §. 94, 95. ubi ait: *Secundum Stoicos, si mentem eorum potius, quam linguam observes, quicquid est universi, duabus è materiis conflatur: crassa, quam tangimus: subtili, quam intellectu & cogitatione comprehendimus, Deo. Atrox Philosophia: sed à qua ne cæteræ quidem sectæ Græcorum penitus abhorruerunt. Quicquid enim Deorum præter primum colebant, (colebant autem ingentia Deorum examina) id omne ex primo, tanquam fœcundissimi seminis materia prorupisse, persuasi erant. Quod autem immaterialem Deum profitebantur, id eo tantum pertinebat, ut ab illa crassa corporis materia, tanquam ab altero rerum omnium principio distinctum quid esse, intelligerent.* Verissima hæc omnia sunt. Atqui Kabbala hoc tramite paulisper, ingeniose tamen, mutato, id obtinuit, ut nec Deum videretur statuere materialem; nec præter Deum etiam more Paganorum agnoscere materiam quandam Deo coæternam & à Deo independentem. Nimirum contendit Kabbala, unum esse Deum, ac præter eum nihil, quod non ab ipso sive mediate sive immediate dependeat. Vocant hunc אור אין סוף *lumen infinitum.* Hic Deus etiam nihil commercii habet cum materia crassa, nec eandem produxit ipse, sed uti Platonicus Deus sive τὸ ἓν produxit mundum intelligibilem vel λόγον emanando, generando, ex se educendo, ita, ut λόγος vere esset divinus & Dei filius, utpote ex ejus essentia factus; ita secundum Kabbalistas אור אין סוף sive *lux infinita* produxit emanando, ex essentia divina sua causatum suum primum, quod Kabbalistæ ארם קרמון sive *primum hominem* vocant, mundo Platonicorum intelligibili per omnia parem. Ecquid vero hic Demiurgus vel opifex creaturarum omnium produxit? Dicunt Kabbalistæ, produxisse hunc Hominem primum uno effluxu vel emanatione, ex sua essentia & luce, quicquid creaturarum uspiam est in mundo, sed ita, ut illæ omnes essent primo spiritus meri, veri, boni, non tamen ejusdem ordinis, sed per *decades Sephiroticas*, hoc est, secundum loculamenta, quæ in arbore Kabbalistica ex decem circulis, quos Sephiras vocant, conflata exstant, dispositi atque digesti, quibus jam influxus è supernis fuerat concedendus atque impertiendus. Sed quo successu præbebatur ipsis influxus? Infausto! nimirum singulæ classes aliquam mutationem sunt passæ, sed diversa ex causa. Septem inferiores classes & ordines spirituum ab Homine primo productorum, tanquam ferendo lumini impares, miserrima fata sunt experti. Nam Sephirarum, *Daath* (supernumerariæ sephiræ) ut & *Gedulæ*, *Gebburæ*, *Thiphereth*, *Nezach*, *Hod* & *Jesod*, spiritus omnes in cortices & malos dæmonas abierant: ultima autem Sephira, *Malcuth* sive *Regnum*, dicta, in suis spiritibus illud fati experiebatur, ut classis & ultimus spirituum ordo plane in statum materialitatis & potentialitatis delaberetur ex prima sua activitate: atque hisce ambagibus tandem ad materiæ productionem apud Kabbalistas itum est, quæ itaque nihil aliud est, quam infinitarum atomorum, h. e. spirituum, sua activitate spirituali exutorum & in potentialitatem delapsorum, congeries. Opus ergo fuerat Kabbalistis plurimis nugis, quibus Plato poterat carere. Sed hisce nunc distincte expositis, redeamus ad Kabbalæ involucra, quæ jam facilius percipientur.


§. 51. Divina igitur suo illustraturi ingenio nugaci Kabbalistæ ajunt, antequam mundus conderetur, nihil fuisse, præter Deum, quem ipsi concipiunt tanquam *lumen* quoddam, pari modo ac æquali ratione omne πᾶν sive singula loca explens, quem ideo adpellant, ceu diximus, אור האין סוף, *lumen Infinitum.* Enim vero cum hujus Domini Deique supremi tituli & nomina sint יהוה, item ארני, item אלהים &c. non poterat iste his vere nominari nominibus ante conditum mundum, & ante creaturas, quibus dominaretur, in actum ex potentia eductas. Facile igitur ipsi istius venire poterat in mentem, par esse, ut mundos conderet, quo vere esset Adonai & Elohim & quicquid titulorum alias ejus majestati & perfectioni competit. Sed cum vellet condere mundos, prima statim secundum Kabbalistas occurrebat difficultas: nam nullus inveniebatur locus, ubi mundi potuissent locari, cum ipse Sanctus Benedictus omnia luce substantiæ suæ repleret. Quid vero ad hæc Deus Kabbalisticus? Consilii non erat inops, siquidem, referente *R. Iizchak Lorja* in *Sepher Druschim* Kabb. denud. tom. I. part. II. pag. 32. seqq. *Cum in mentem veniret Extenso huic, quod vellet condere mundos & emanando producere emanantia, atque in lucem proferre perfectionem potentiarum suarum activarum & nominum atque cognominum suorum, quæ erat causa impulsiva creandi mundi; tum pressa quadantenus lux ista, à puncto quodam medio circumcirca ad latera recessit; atque sic relictus est locus quidam vacuus, dictus spatium inane, æqui distans à puncto illo exacte in medio ejus constituto.* Conf. Kabb. denud. Tom. II. Part. I. Tract. II. p. 152. seq.

§. 52. Facto hoc spatio, quid porro molitus est Deus Kabbalisticus? Respondet Kabbalistarum aliqua cit. loc. priore pag. 33. *Produxit lineam quandam è luce Concavi sui a summis partibus deorsum vergentem illamque derivavit atque demisit intra spatium modo dictum: quæ aucta ampliori facie exstitit. Summum autem initium istius lineæ deductum erat ex ipso Infinito, hoc ipsum proxime attingens: Finis vero deorsum pergebat intra spatium illud inane; & hoc mediante, Emanatione produxit, creavit, formavit atque fecit omnes mundos: & linea hæc vicem sustinebat canalis cujusdam, per quem defluerent exundationes lucis illius supremæ Infinitæ in mundos intra hoc spatium constitutos. —— Quamvis autem linea istius summum initium proxime attingat Lucem Infiniti, in partibus concavi ejus supremis, finis tamen ejus non protrahitur ad tantam profunditatem, ut ipsam quoque lucem Infiniti subter mundis gyratam attingat, illique adhærescat; —— Sed sensim illuc derivatur, adeo ut datis primis cursus Rectilinei* (quo de post paulo) *initiis, mox deflectat ad figuram circularem, orbemque illico constituat circumcirca tenuem, qui circulus tamen luci Infinitæ in circuitu suo non usquequaque adhærescat: quippe quod si fieret, res sane ad pristinum recideret statum, & circulus iste per lucem Infiniti destrueretur, nec adparere posset ejus orbita, & omnia tantum ipsa lux illa infinita forent, sicut antea: unde circulus iste propinquus quidem erit concavo Infiniti, non tamen adhærebit eidem ullo nexu, adeoque emanatio Infiniti tantum sub tenuitate lineæ procedit, qua via lumen*

men ejus immanans circulo isti infunditur. —— *Jamque iste circulus propinquior Infinito* Coronæ (כתר) *nomine indigitatur. Postmodum vero hæc linea ulterius adhuc protenditur, paululumque promanans in orbitam agitur ad constituendum circulum alterum intra primi circuli concavum: atque iste circulus* Sapientiæ (חכמה) *nomen habet. Porro quoque protensa deorsum & circumvoluta in gyrum, tertium circulum constituit, intra secundi concavum, qui dicitur circulus* Intelligentiæ (בינה) *atque sic simili itinere linea provolvitur continuata sua extensione per vices circumgyrata* (constituens scil. circulum quartum intra tertii concavum, quem vocant *Magnificentiam* (גדולה) & intra hunc, quintum, qui est (גבורה) *Severitas*; & intra hunc sextum, qui est (תפארת) *Pulchritudo*; & intra hunc septimum (נצח) *Victoriam*; & intra hunc octavum (הוד) *Gloriam*; & intra hunc nonum, qui est (יסוד) *Fundamentum*: *usque ad circulum decimum, quem* Regni (מלכות) *circulum nominamus. Et hac ratione doctrina de decem* numerationibus (ספירות) *ob oculos posita est, in quantum illæ emanant per modum* circulorum homocentricorum: *idque generatim repetita scil. simili plane emanatione per omnes mundos. Notum autem atque perspicuum nobis est, quot mundorum species emanent, creatæ & formatæ & factæ sint millies nempe mille & myriades myriadum: quæ omnes simul subsistunt intra locum hunc vacuum supra dictum, quippe extra quem nihil est horum. Quilibet autem mundus decem habet numerationes speciales, & qualibet numeratio specialis cujuscunque mundi composita est è decem numerationibus specialioribus, quæ omnes figuram habent circulorum homocentricorum, & sic IN INFINITUM.* Hactenus noster *R. Iizchak Lorja.* Credisne autem, mi lector, jure doctrinam Kabbalisticam γενεαλογιῶν ἀπεράντων postulari? ἀλλὰ μείζω τούτων ὄψῃ.

§. 53. Vidimus hactenus generationes nunquam finiendas Sephiroticas homocentricas; nec eas tamen hactenus totas; multo minus *Rectilinei* conformationem. Nimirum de Sephiris homocentricis, hactenus recensitis, est sciendum, concipi in Kabbalæ dogmatibus per omnia rerum genera, in singulis duo, *lumina & vasa*: itaque descripti hactenus circuli nonnisi notionem habent vasorum, quibus singulis *partes Internæ & Externæ* adsignantur, & singulis porro partibus addita concipiuntur lumina duplicis generis, *lumina Interna*, quæ partes vasorum interiores, & *Ambientia*, quæ exteriores vasorum partes penetrant: atque hæc lumina in his circulis homocentricis concipiuntur instar נפש vel *Psychæ*, ubi denuo nova genealogia nunquam finienda exoritur, siquidem secundum Kabbalistas luminum dantur in se mutuo in infinitum multiplicati gradus quinque, quos dicunt נפש vel *Psychen*, רוח *spiritum*, נשמה *animam*, חיה *vitam* & יחידה *singularitatem*, quæ si exponere vellemus, liber justæ molis consignandus veniret. Qui cupit, consulat Kabbalæ denudatæ Tom. II. Part. III. Tract. II. p. 244. seqq.

§. 54. Nobis jam est tendendum ad conformationem *Rectilinei Sephirothici*, quod in Λόγῳ Kabbalistico, h. e. *Adamo Primo*, sive Adamo Kadmone considerandum restat. Ita autem pergit noster Kabbalista R. Iizchack Lorja in Sepher Druschim Tom. I. Part. II. pag. 42. *Manifestatis*, ait, *his decem numerationibus Adami Primi sub notione Nephesch seu Psyches forma circulari; mox aliæ prodeunt numerationes sub notione Ruach seu Spiritus istius Adami primi forma Rectilinea, ad instar hominis erecti, constantis* 248. *membris, per caput, brachia, manus, corpus & pedes divisis: atque hic incipit emanare ab Infinito per lineam, & recta deorsum protenditur sub figura trium linearum, quarum una est dextra, altera sinistra, tertia media, per quas decem ipsius numerationes distribuuntur* hoc modo:



En hæc est Rectilinea ista numerationum dispositio vulgo passim obvia, quæ in conformatione Adami primi quoque locum habet, & excellentius quid est, quam Homocentrica Sephirarum in eodem dispositio. Pergit autem Kabbalista: *Quamvis linea ista figuræ Adami primi initium capiat ab Infinito & inter omnes circulos scissis ipsorum summitatibus descendat; tamen putandum non est, ipsam produci usque ad imum omnium circulorum sub pedibus Adami primi circumvolutorum: nam extensio illius tantum durat usque ad imum concavum circuli ꝫ Attik Jomim seu Antiqui dierum, quæ est notio personæ competens Coronæ in mundo emanationis.* Nimirum hoc vult Kabbalista. Cum in spatio illo, quod intra se reliquit dispositio illa circulorum homocentricorum Adami primi, locandi essent mundi producendi, & spiritus Adami primi, quatenus sub notione personæ alicujus, dispositus in rectilineari forma, jam summitates illorum circulorum non modo scindat quasi, & per eas, velut diameter concavi descendat; sed & infra hunc Adamum rectilinearem locandi essent plurimi mundi & personæ aliæ Adamo primo inferiores, quæ sese mutuo superinvestiunt, hoc est, una in altera successive descendendo, quoad partes inferiores, occultatur; non poterat rectilineum Adami primi sub notione Axeos perfecti per omnem intercapedinem circulorum primorum homocentricorum pergere, sed mox, ubi aliquantillum ex supernis scissuris circulorum illorum axeos vices expleverat & versus inferiora sese demiserat, jam rectilinearis illa figura exspiraverat, desinens in aliam personam inferiorem, quæ עתיק יומים sive *Antiquus dierum* nuncupatur, & in mundo emanativo, Adamo priori subjacente, persona omnium suprema, adeoque Adamo primo proxima est, quippe in systemate mundi emanativo, sustinens notionem sephiræ supremæ, quæ כתר vel Corona nuncupatur.

§. 55. Nondum tamen licet de hoc systemate mundano, quod אצילות sive *emanationem* vocant, quodque pro hodierno mundorum Cabbalisticorum statu, ab Adamo primo proximum est, hic loci agere; nam systemata mundana omnia sunt pro hodierno statu per *modum Bilancis*, h. e. sub notionibus maris & fœminæ: sed *antequam Bilanx*, h. e. hicce mundorum status præsens, *oriretur, non respexit facies ad faciem, & reges primi mortui sunt.* Quid hoc ænigmatis tandem erit? inquies. Jam exponam. Dicunt nimirum Kabbalistæ, quod *Adam Kadmon* sive λόγος Platonicus & Dei filius, producturus ista, quæ infra ipsum sunt, omnia & singula emanantia, creata, formata & facta, primitus intra sese & intra partes corporis sui intentionalis inferiores, constituto quodam quasi diaphragmate, ad superiora elevarit substantiam lucis suæ: qua contractione lucis factum fuerat, ut illico præ lucis copia, quæ nunc in superioribus Adami primi partibus ob dictam elevationem geminata erat, lumina varia prorumperent & emicarent, ex cranio, oculis, auribus, naso & ore Adami hujus Kadmonis, inter quæ lumina h. l. præ cæteris nominanda sunt *lumina Punctata* sive Necudica vel נקודים, quæ concipiuntur egredi ex oculis Adami Kadmonis, de quibus prolixe agitur in Kabbala denudata Tom. I. part. I. sub titulo נקודים pag. 591. seqq. item in vocibus נפל *Decidit* & נפילה *Lapsus* p. 579. *seqq.* ubi fabulæ de lapsu & confractione vasorum, quibus lumina destinabantur Nekudica, egregie recensentur. Summaria h. l. saltem referam, quo ænigmaticus noster textus ex libro de Zeniutha paulo rectius percipiatur. Sciendum itaque est de hoc mundo Necudico & ejus Sephiris, quod primo producta sint vasa; deinde lumina omnia decem Sephirarum sive numerationum in una Sephiræ Kether contenta. Et quidem vas coronæ sive Sephire *Kether* non est fractum, etsi aliquantillum sit post mortem inferiorum regum vel Sephirarum concussum: quemadmodum etiam duæ Sephiræ proximæ, Chochma & Binah post mortem inferiorum demum, ביטול seu *corruptionem* atque *perditionem* aliquam, quoad posteriora sua, senserunt, etsi mortuæ non dicantur, quia quæ ex Chochma & Bina delabebantur, etsi loco suo sint mota, non tamen deciderunt in aliud systema mundanum, sed manserunt in iis, ex quibus אצילות formabatur. Mors autem plena obtigit Sephiris sequentibus omnibus, à supernumeraria *Daath*, quæ intercalatur post Chochma à Binah, usque ad infirmam Malcuth h. m. Primo prodibat *Daath* Rex primus, & in ipso comprehensi erant omnes septem. Rex Daath autem confractus delabebatur in systema Briathicum, & sex Reges reliqui, qui cum illo erant, intrabant in vas Regis sequentis, qui dicitur *Chesed* seu Benignitas, alias etiam *Gedula* sive Magnificentia. Cum vero & hic moreretur, itidem delapsus est in locum Briæ. Interim quinque lumina sequentia descendebant in regem tertium, qui est *Gebhura*; sed

ſed & hic mortuus eſt & decidebat in Briam: ſimili modo prodibant & decidebant ordine ſuo reges reliqui, *Thiphereth*, *Nezach*, & *Hod*: (Hi duo poſteriores alias pro rege uno numerari ſolent, prout videre eſt in Kabbala denud. Tom. I. Part. I. in voce נפילה num. 12. p. 583.) *Jeſod* regnavit & decidebat; quo mortuo, rex ultimus *Malcuth* prodiit, de quo canon Kabbaliſticus, *Malcuth non frangebatur*, *ſed vas ejus compreſſum eſt*. Hi ſunt reges mortui, de quibus ænigma Kabbaliſticum ſuperius adductum loquebatur. Fabula autem tota alludit ad hiſtoriam Regum Edomiticorum, *Gen.* 36: 32, 33. *ſeqq.*

§. 56. Quod ſi quæras, quem in finem hæc ſint conficta? reſpondeo, factum eſſe, ut haberetur origo omnis mali, omniumque defectuum, qui ſunt in mundo, & qui alias in operibus DEI locum habituri non fuiſſent. Fractis enim tot Sephiris & compreſſa infima, jam mali cauſa prodibat, ita quidem, ut quod *compreſſum*, non vero fractum, ſed lumine ſuo tantum orbatum fuit, *materiam ſenſibilem* ſubminiſtraret, ex qua mundus hic noſter infimus, craſſus & tot anomaliis laborans fingebatur ortus, cujus adeo materia ſunt meri ſpiritus, ſed activitate ſua exuti, & inſtar punctorum phyſicorum interea temporis jam oberrantes, donec reſtitutione facta reddi queant ſuæ ſpirituali origini & nativæ activitati, id quod olim adhuc futurum ſperant Kabbaliſtæ. Enimvero quod ex regibus Edomiticis reliquis *fractum* eſt, id *malos Dæmonas* dedit: facta enim poſt mortem regum, ſegregatione delapſorum, non omnia poterant tam accurate ſequeſtrari, & quædam ſcintillæ ſcoriis permixtæ manſerunt, unde ק׳ קליפות ſive *corticum* & *Dæmonum* varia genera, quorum alii craſſiores, alii ſubtiliores, alii magis luminoſi, alii obſcuriores ſunt: de quibus philoſophantem lege Kabbalam Chriſtianam Roſenrothii c. 5. pag. 28. 29. quæ adhæret calci Tomi II. Kabb. denud. Plura vide ſis in Kabb. denud. Tom. I. Part. I. in vocibus מות p. 517. ſeqq. נפילה p. 579. ſeqq. & alibi paſſim, maxime Tomo II. Part. III. quæ tota occupatur in Pneumatica Kabbaliſtica illuſtranda. Nobis enim non licet hac vice, ad iſta evagari.

§. 57. Orto ſic Malo per lapſum & mortem ſeptem Regum Edomiticorum, utique par erat, ut ſuperiores rerum gradus de *Reſtitutione* cogitarent, quam Kabbaliſtæ vocant תיקון h. e. *correctionem*, *reſtitutionem*, *diſpoſitionem*, *reſtaurationem* &c. Atque hic ortum accepit *Bilanx* Kabbaliſtica, ſive talis rerum confirmatio, ut omnia jam inciperent ſubſiſtere ſub androgyneitate, quam alias Gnoſtici ſyzygias vel conjugationes vocabant, conf. ſuperius §. 49. *Nimirum, cum in mentem veniret* emanationum auctori, *exſuſcitare* mortuos *& reſtituere* Reges *in integrum*, *qui* confracti *erant atque delapſi in ſyſtema* Briathicum, *decreto facto elevabantur* Maim. Nukbim *ſive Illecebræ ab Inferioribus ad ſuperna*: *unde proveniebat congreſſus ſupernus*, *ut poſſent reſtitui reges. Sicut autem alibi jam dictum eſt*, *quod ſeptem lumina Regum elevata fuerint & ſuperinveſtita tribus lineis Kether*, *Chochmæ & Binæ*, *quæ ſeſe extenderant usque ad locum* ח״גת *Cheſed*, *Gebhura & Tiphereth*: *ita hæc extenſio nunc iterum ceſſabat*, *vaſis nempe ſurſum recollectis in ſtatum priſtinum*, *ita ut tres ſuperiores ultra locum ſuum non excederent. Hoc modo tamen ſecum elevabant ſeptem illa lumina inferiora*: *ſicut hæc omnia nunc conſiſterent in loco Binæ*; *quæ eſt mater filiorum*; *ibique adeo reperiebatur locus* Conceptus & Imprægnationis. *Aſcendentibus autem ſeptem luminibus*, *pariter in ſyſtema Aziluthicum aſcendebant vaſa*, *quæ deſcenderant in Briam*: *non tamen copulata invicem. Sed ſicut lumina ſeptem ſub notione* Impregnationis, *ita ut terna includerentur ternis*, *& Malcuth cum ipſis*; *ſic & vaſa terna innectebantur ternis & Malcuth cum ipſis. In ſpecie autem vaſa Nezach & Cheſed aſcendebant in Aziluth latere dextro*, *& ambo ſubſiſtebant quo pertinet Nezach Aziluthica. Vaſa autem Hod & Gebhurah in Aziluth aſcendebant per latus ſiniſtrum & ſubſiſtebant in loco Hod Aziluthicæ. Porro Vaſa Daath & Tiphereth aſcendebant linea media è Bria in Aziluth*, *& ſubſiſtebant in loco Jeſod Aziluthici. Tandem & vaſa Jeſod & Malcuth de Bria aſcendebant in Aziluth & ſubſiſtebant in loco Malcuth Aziluthicæ. Sic & vaſa per triades locabantur & cum eis. Diſtantia autem inter lumina & vaſa non erat major quam trium Sephirarum vacuarum*, *quæ ſunt Cheſed*, *Gebhura & Tiphereth*: *Lumina enim omnia erant in Binah. Septem autem hæc vaſa non aſcendebant ſimul omnia*, *ſed ad analogiam dierum*, *quibus embryo formatur in utero*: *quolibet enim decendio aſcendebant duæ Sephiroth*; *adeoque decendio primo*, *Cheſed & Nezach*; *ſecundo*, *Daath & Tiphereth*; *tertio Gebhura & Hod*; *& quarto Jeſod & Malcuth. Majim Nukbim autem*, *quæ elevatæ erant ad procurandum congreſſum ſupernum*, *nihil ſunt aliud*, *quam elevatio ſeptem luminum in Binam*, *quod probe notandum. Quia autem redintegratio facienda erat toti decadi à Kether usque ad Malcuth*, *hinc elevatio illa pertingebat usque ad ſummitatem in* ע״ב *&* ס״ג (ſunt ſymbolici numeri duarum plenitudinum Tetragrammati יהוה) *Adam Kadmon. Et per congreſſum iſtum* ־ ע״ב *&* ס״ג *& per impragnationem ſupra dictam*, *reſtaurabatur totum ſyſtema Aziluthicum ab Attik Jomin usque ad Malcuth*. Hæc Kabb. denud. Tom. I. part. I. in voce תיקון p. 733. 734.

§. 58. Longa fabula eſſet, ſi vellem exponere jam ſingularum perſonarum & ſyſtematum conformationem, quæ in hac reſtitutione fiebat non una vice, ſed paulatim & per gradus primo in ſupernis, & nunc adhuc in inferioribus eadem tentatur mundis, in quibus tamen res magis eſt deſperata, & inſignem adparatum, temporum periodos, & dexteritatem poſtulat. Hoc hic loci tantum addam, quod in reſtitutione ſyſtematis emanativi, quod Aziluth vocant, & reſpondet *Platonico mundo ideali*, conformatus ſit primo *Attik Jomin*. Deinde factum eſſe congreſſum ſecundum Antiqui dierum cum uxore ſua pro conformatione *Arich Anpin & uxoris ejus*. Poſtea factum eſſe congreſſum Arich Anpin cum uxore ſua, pro redintegratione *Patris & Matris*: deinceps ſequebatur congreſſus Patris & Matris pro redintegratione *Seir Anpin & uxoris ejus*, & tandem congreſſum eſſe Seir Anpin ſua cum uxore (quæ ultima in ſyſtemate emanativo ſyzygia eſt) pro conformatione omnium mundorum ſeu ſyſtematum cæterorum, quæ ſunt (1) Bria ſive Creatio, Ebr. בריאה, quod ſyſtema reſpondet mundo Platonico *animali*; quem ipſe ψυχὴν vel *Animam* dixerat; (2) יצירה ſive *Formativum* mundi ſyſtema, quod eſt Platonis mundus *Naturalis* ſive φύσις; ac tandem craſſus noſter *materialis*, quem Kabbaliſtæ עשיה vel Factivum Syſtema nuncupant. Omnibus hiſce ſyſtematibus ſunt ad analogiam ſupernorum, nomina ſua, Perſonæ, Sephiræ, imo in quolibet Syſtemate mundano ipſa quatuor Syſtemata mundana analogice recurrunt: quippe omnia in Kabbaliſticis in infinitum abeunt & reſolvuntur ſinguli mundi in multas myriades mundorum, in quibus omnibus myſteriorum Kabbaliſticorum continua & nunquam exhaurienda nominum, ordinum Sephiroticorum, ſyſtematum mundanorum, perſonarum, itemque graduum animæ, qui ſunt Nepheſch, Ruach, Neſchamah, Chaja & Jechida, propago & ſeries, adeoque ex re & vero γενεαλογίαι ἀπέραντοι.

§. 59. Quod ſi quæras, undenam probent iſta Judæi? Reſpondeo, eſſe hæc deliria ipſis legis ſuæ arcana diviniſſima, ex quibus rationes ſtatutorum, præceptorum, rituum, idque genus aliarum rerum lege Moſaica definitarum unice recte dari poſſe autumant, atque omnes nodos ex Kabbala tandem ſolvendos eſſe, contendunt. Neque hoc ex meo ingenio profero: teſtem adduco *R. Menaſſem Ben Iſraël*, qui in conciliatore ſuo, quæſtione ſuperius §. 47. citata, *Kabbaliſtas* ſive מארי קבלה comparat doctoribus medicinæ, qui medicamenta intelligant atque præſcribant; מארי משנה autem ſive *Talmudicos doctores* apothecariis tantum ſimiles pronunciat, qui doctorum præſcripta in compoſitione medicamentorum teneantur ſequi, etſi ipſi rationes ſuarum operationum pharmaceuticarum & medicamentorum ignorent, מארי מקרא vero ſive *Scripturarum ſectatores* tantum non *aſinos* nuncupat, certe *ſtupidiores* illos diſerte appellare nullus veretur. Unde palpabile eſt, quodnam damnum animabus adferat Pſeudonymos illa Gnoſis, quæ ubi ſemel quem infecit, hoc ipſo ſtatim fidei ſimplicitatem exſtinguit, & omnes fidei articulos, dicta, præcepta & monita divina in meras allegorias, nugas, & deliria convertit: quod ſane animarum certum eſt exitium. *Trinitatem* Scriptura edocet, ſed Gnoſis Kabbaliſtica totum articulum pervertit, hoc myſterium tam inepte explicat, ut vel Platonicam nobis Trinitatem, vel neſcio quam reductionem perſonarum in ſyſtemate Aziluthico, Trinitatis nomine commendet. Chriſtus *Dei filius* dicitur; Gnoſis ψευδώνυμος rem omnem profano auſu exponit vel de Λόγῳ Platonico, vel de *Seir Anpin* in ſyſtemate emanativo, vel alio quodam commento Gnoſtico. Chriſtus *paſſus* dicitur; ſed omnia hæc allegorice exponenda ducit γνῶσις ψευδώνυμος: certe antiqui Gnoſtici ajunt, deceptos eſſe Judæos, qui putarunt, ſe crucifixiſſe Jeſum, cum iſte aſſumta forma Simonis adſtiterit potius & deriſerit eos, transfiguratum Jeſu loco crucifigentes Simonem Cyrenæum. Ita *Baſilides* apud Irenæum l. 1. c. 23. Alii aliter nugantur. Promittit fidei Chriſtianæ ſimplicitas *reſurrectionem mortuorum*: rident hanc; ſi in litera capiatur, Gnoſtici, & ſublimius aliquid indicari contendunt, quod vulgus fidelium non aſſequatur. Certe *Hymenæus* & *Philetus* docuerunt, *reſurrectionem jam eſſe factam*, huncque articulum *prophana* κενοφωνίᾳ vel *vocum inanitate* eluſerant, docente ipſo Paulo II. Tim. 2: 16, 17, 18. Quod ſi placuerit,

cuerit, pluribus Kabbalistarum pugnas legales & fabulas in universam contueri legem Mosis, oppido utilis erit Kabb. denud. Tom. II. Part. I. Tract. I. qui est *Synopsis celeberrimi illius codicis Kabbalistici, qui vulgo dicitur liber Sohar, per novendecim titulos generales distributa, auctore R. Iisaschar F. Naphthali, sacerdote.* Nostri enim instituti non est, pluribus hæc hac vice persequi.

§. 60. Ad historiam ecclesiasticam nunc nos tendimus, & quod V. nos acturos esse superius §. 24. eramus polliciti, etiam nunc, qua fieri poterit, brevitate porro adjicere adnitemur. Scil. *Gnosticorum aliquot hypotheses, pro collatione instituenda, afferri debent.* Supponimus autem h. l. quod celeberrimum Theologorum par, *Dn. Ittigius* differt. de Hæresiarch. sect. II. c. 9. num. 4. p. 165. & *Dn. Colbergius* de Origin. & Progress. Hær. cap. 2. §. 1. p. 48.*monuerunt, Gnosticorum videlicet nomen generale esse, & omnibus illis competere, qui γνῶσιν h. e. Platonicas nugas suæ Theologiæ prætexere solebant; quamvis tandem sit temporis lapsu factum, ut, cum sectarum nomina, quæ ab hæresiarchis petebantur, valde essent exosa, γνώσεως ψευδωνύμε sectatores fere hæresiarcharum suorum nomina repudiarint, & maluerint à γνώσει, quam profitebantur, *Gnostici*, quam *Simoniani*, vel *Menandriani*, vel *Nicolaitæ*, vel *Cerinthiani*, vel *Carpocratitæ*, vel *Marcionitæ* &c. nuncupari: id quod sub *Aniceti* pontificatu cumprimis invaluisse, Docti passim ostendunt. Nos hic loci non erimus adeo anxii de eo, qui sese Gnosticos dixerint, vel dici voluerint? nec disquiremus, quo tempore ortum sit Gnosticorum nomen? Steriles sunt hæ controversiæ, quæ de nominibus sine fundamento in re agitantur. Gnostici mihi sunt, quicunque Gnosin τȣ̃ ὄντων, h. e. *Philosophiam Platonicam & Pythagoricam* sive Scripturis Veteris Testamenti, sive Evangelio Christi impudenter admiscuerant, aut (ut alios inter Patres, Platonis admiratores, in tantum excludam ex Gnosticorum colluvie) qui ausi erant doctrinam cœlestem in Scripturis sacris revelatam, secundum Philosophiæ Platonico-Pythagoricæ placita, refingere, non vero potius Platonem & Pythagoram subjicere Fidei decretis. Deliria illorum hominum cumprimis ex Philosophia Platonica egregie passim exposuit laudatus Colbergius, qui in opere citato illud ex professo agit, ut *bona fide*, non *deleat* quidem cum Tertulliano, sed *demonstret*, *Platonem omnium hæreticorum condimentarium esse factum.*

§. 61. Placet autem ex omnibus Gnosticorum sectariis nunc illos cumprimis seligere, qui alio nomine etiam *Nicolaitæ* sunt dicti atque in Scripturis Canonicis hoc ipso nomine aliquoties damnantur. Non enim hos tantummodo ob opera carnalia & pudenda, Christianorum consortio indignos judicat antiqua historia, sed etiam eosdem Gnosticorum; aut, si malis, Simonianorum aliarumque vicinarum αἱρέσεων dogmata fuisse amplexos, antiquitatem ecclesiasticam scrutanti certum est. Summam dicendorum magna eruditione collectam invenies in Differt. *Ittigiana* de Hæresiarch. sæpius laudata *sect. I. c. 9. §. 1. p. 87.* Quibus, si placet, junge specimen Colbergianum c. 2. num. 4. p. 60. seqq. ubi plura de *Gnosticorum Nicolaitarum* doctrina docte collecta deprehendes. Equidem quo jure, vel injuria, Nicolaus, Diaconus, hæreseos hujus dicatur auctor? jam non libet aut licet disputare. Quæstio enim perplexa est, & doctissimos in hac literatura viros in divortia rapit. Vide, quæ in hanc rem prolixe disputant *Dn. Ittigius* cit. loc. num. 2. 3. 4. & 5. p. 88. seqq. & Dn. *Colbergius* loc. cit. c. 3. §. 3. p. 54. 55. seqq. qui nec ipsi in eandem sententiam abeunt: quanquam putem, Ittigianam definitionem majori pondere ad movendos animos gaudere. Cæterum in eo sequor facile Colbergium, quod *Irenæi caput 34. lib. 1. adversus Hæref.* de Nicolaitis agat: id enim omnia suadent, quæ de Nicolaitis apud alios auctores legimus.

§. 62. Describam itaque Gnosticorum horum dogmata portentosa & somnia, ipsis Irenæi verbis: *Alii autem*, inquit, *rursus portentuosa loquuntur, esse quoddam primum* lumen *in virtute Bythi beatum & incorruptibile &* interminatum, *esse autem hoc Patrem omnium & vocare* primum hominem. *Ennœam autem ejus progredientem, Filium dicunt Emittentis, & esse hunc Filium hominis, secundum hominem. Sub his autem Spiritum sanctum esse, & sub superiora spiritu segregata, elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos, super quæ ferri Spiritum dicunt, primam Fœminam eam vocantes. Postea dicunt, exsultante primo homine cum filio suo super formositate Spiritus h. e. Fœminæ, & illuminante eam, generavit ex ea lumen incorruptibile tertium Masculum, quem Christum vocant, filium primi & secundi hominis, & Spiritus Sancti primæ fœminæ. Concumbentibus autem Patre & Filio Fœminæ, quam & matrem viventium dicunt, cum autem non potuisset portare nec capere magnitudinem luminum superrepletam & superebullientem secundum sinisteriores partes dicunt, & sic quidem Filium eorum solum Christum, quasi dextrum & in superiora allevatitium, arreptum statim cum matre in incorruptibilem æonem. Esse autem hanc & veram & sanctam Ecclesiam, quæ fuerit appellatio & conventio & adunitio patris omnium, primi hominis & filii secundi hominis, & Christi filii eorum & prædictæ fœminæ. Virtutem autem, quæ superebullit ex fœmina habente humectationem luminis, à patribus decidisse deorsum docent, sua autem voluntate habente humectationem luminis, quam & Sinistram, & Pronicon, & Sophiam & Masculofœminam vocant, & descendentes simpliciter in aquam, cum essent immobiles, & ne movisse quoque eas petulanter agentem usque ad abyssos, & adsumsisse ex iis corpus. Humectationem enim luminis ejus omnia accurrisse & adhæsisse dicunt, & circum tenuisse eam, quam nisi habuisset, tota absorpta fortasse fuisset & demersa à materia. Deligatam igitur hanc à corpore, quod erat à materia, & valde gravatam repsisse aliquando & conatam esse fugere aquas & adscendere ad matrem. Non potuisse autem propter gravedinem circumpositi corporis. Valde autem male se habentem machinatam esse abscondere illud, quod erat desuper lumen, timentem, ne & ipsum læderetur ab inferioribus elementis quemadmodum & ipsa: & cum virtutem accepisset ab humectatione ejus, quod erat secundum eam lumen, resiliit & in sublimitatem elata est, & facta in alto dilatavit & cooperuit & fecit cœlum hoc, quod apparet, à corpore ejus, & remansit sub cœlo, quod fecit, adhuc habens aquatilis corporis typum, cum accepisset concupiscentiam superioris luminis & virtutem sumsisset per omnia, deposuisset corpus & liberatam ab eo. Corpus autem hoc exuisse dicunt eam, fœminam à fœmina nominant, & filium autem ejus dicunt habuisse & ipsum aspirationem quandam in se incorruptelæ à matre relictam ei, per quam operatur & potens factus emisit & ipse, ut dicunt, ab aquis filium sine matre, neque enim cognovisse matrem eum volunt, & filium ejus, secundum Patris imitationem, alterum emisisse filium. Hic quoque tertius quartum generavit, & quartus ipse generavit filium, de quinto sextum filium generatum dicunt, & sextus septimum generavit: sic quoque hebdomada perfecta est apud eos, octavum matre habente locum, & quemadmodum generationibus, sic & dignitatibus & virtutibus præcedere eos ab invicem: & nomina autem mendacio suo talia posuerunt. Eum enim, qui à matre primus sit,* Jaldaboth *vocari; eum autem qui sit ab eo,* Jao; *& qui ab eo,* Sabaoth Magnum; *quartum autem* Adoneum; *& quintum* Eloheum; *& sextum* Oreum, *septimum autem & novissimum omnium* Astaphæum. *Hos autem cœlos & Arotheas & Virtutes & Angelos, & conditores subjiciunt per ordinem sedentes in cœlo secundum generationem ipsorum, apparentes regere quoque cœlestia & terrestria.* Nugarum satis: cui plura placent, is evolvat ipsum Irenæum loco citato; nam prolixum est hoc caput, quod integrum describere piguit. De vita & moribus Gnosticorum Nicolaitarum nihil addimus h. l. quia ista extra propositi nostri sphæram sunt. Possemus autem meliori jure huc reducere elenchum errorum & nugarum, quibus alii Gnosticorum famosi erant: nam conferenti ubique Kabbalæ vestigia patebunt. Atenim vero cum, quæ hactenus de Gnosticis Nicolaitis dixi, sufficere queant ad id evincendum, quod demonstrare h. l. laboro, nempe quod ψευδώνυμ@ γνῶσις per Judæos Kabbalistas sive Platonicos nugatores ex circumcisione saltem, aliqua ex parte, Ecclesiæ illata recte dicatur; nolo addere plura de Gnosticorum deliriis.

§. 63. Potius nunc agam, quod §. 24. me VI. acturum dixi, h. e. *ostendam stamina Gnosticorum ex Kabbalismo pendentia.* Equidem vel sola collatio illorum, quæ supra §. 48. ad §. 58. usque adducta sunt, cum iis, quæ §. præcedent. ex Irenæo de Gnosticis Nicalaitis docueramus, evidenter evincit, aut Kabbalistas Nicolaizare, aut Nicolaitas Kabbalizare: sed nihilominus operæ pretium fuerit, paulo rectius hæc excussisse & velut ad certa revocasse capita. Dominus *Colbergius*, Vir certe doctus & acie mentis pollens, hæc, quæ Nicolaitæ tradunt, ex Platonismo derivat cit. loc. p. 63. seqq. & erudite quidem adplicat; sed non assentior, quod pace doctissimi Viri dixerim, ejus conjecturis. *Bythi* nomine materiam Platonicam indicare Nicolaitas, existimat: ego malim intelligere τὸ ἓν Platonicum, sive Kabbalistarum lumen infinitum, quod *Or Ænsoph* alias vocant, de quo superius §. 51. Sane enim *Profundus* seu *Bythus* est in γνώσει ψευδωνύμῳ, *mentis* pater & origo omnium. Unde Irenæus, Gnosticorum expositurus nugas, lib. 1. cap. 1. sic statim orditur: *Dicunt, in invisibilibus ac innominatis altitudinibus quoddam esse seculum perfectum præexistens. Hoc vero etiam* primum Patrem *&* Profundum *appellant. Esse*

autem

autem ipsum incomprehensibile & invisibile sempiternumque ac ingenitum & in quiete ac requie multa per infinita temporum secula fuisse. Cum ipso autem esse & intelligentiam, quam sane etiam Gratiam & silentium nominant, & cogitasse aliquando hoc Profundum, à seipso omnium rerum principium producere & emittere. Vides, Βυθὸν seu Profundum non esse materiam, sed ipsum αὐτάγαθον vel causam causarum, sive אור אין סוף Kabbalistarum. Nec obstat, quod Nicolaitæ tradunt, *in virtute Bythi hujus esse quoddam primum lumen, beatum & incorruptibile & interminatum*, quæ verba videntur ostendere aliquod inter Bythum & lumen infinitum, discrimen. Nam iis, qui in Kabbalistico studio bonas horas perdiderunt, constat, nomen אין סוף vel *Infiniti* & *interminati* luminis quoque competere *coronæ* sive primæ numerationi aut Sephiræ: *quia hæc est thronus Infiniti, id est, sedes prima atque summa, qua nulla est superior, & quia Æn-soph in illa residet, atque occultatur: hinc eodem gaudet nomine.* Verba sunt petita ex Kabb. denud. Tom.I. Part.I. in voce אין סין p.81. Confer ejusd. Tom.I. part.II. p.7. ubi itidem videbis, inter cognomina Sephiræ Kether, primum occupare locum, *lucem*, addita ratione, quod אין סוף *infinitum* & אור *lumen*, *literis æquipolleant.* Neque hoc à Platonismo aliquid alieni est. Certe solent Platonici de λόγῳ & *mundo intelligibili* talia enunciare, quæ cui facile persuadere possent, si quis minus in Platonicorum nugis fuerit exercitatus, eos, dum λόγον dicunt, vel ipsum Deum supremum indicare. Confer, quæ hanc in rem egregie prorsus congessit *B. Stolbergius* in disp. alibi laudata de λόγῳ & χωριςῷ Platonico, quæ tota lectu dignissima est. Itaque *Bythum* ego expono de Deo innominato, imperceptibili, infinito, qui est Platonicis τὸ ἓν vel αὐτάγαθον, Kabbalistis אור אין סוף. Id autem, quod in γνώσει Nicolaitarum sequitur de *lumine quodam primo, beato & incorruptibili & interminato, quem ipsi Patrem omnium* & primum hominem *vocarunt*, accipio de λόγῳ & ἰδέᾳ sive mundo intelligibili Platonicorum, qui Kabbalistis אדם קדמון sive *Homo prior* vel *primus*, dicitur, quam Kabbalistarum vocem etiam ipsi Gnostici Nicolaitæ servarunt & satis dextre adplicuerunt.

§. 64. Pergunt Nicolaitæ apud Irenæum, *Ennœam hujus Adami Kadmonis vel Primi Hominis progredientem, Filium dici Emittentis, & esse hunc filium hominis, secundum Hominem.* Hæc autem vel exponi possunt de Luminibus aliquot, quæ ab Adamo priore effulserunt, postquam ipse pro emittendis mundis elevaverat lucem ex partibus inferioribus corporis sui intentionalis versus superiora; vel dicas, intelligi אדם קדמון שני sive *Adam Kadmon secundum*, qui emanasse dicitur ex Corona Coronæ, de quo vide Kabbalæ denud. Tom.I. part.IV. Figur.12. p.233. quod posterius malim, etsi ordo rerum nonnihil pervertatur, & fabularum quædam oriatur interpolatio. Nam per *Spiritum sanctum*, in statu illo primævo, omnium rectissime intelligi influxum ex Adamo primo versus inferiora, vel ipsi Auctori *Kabbalæ Christianæ* aut potius Catecheseos Gnosticæ, visum est c.3. §.2. p.7. Prorsus enim *Nicolaitas* habebit consentientes, qui ajunt, sub Adamo primo & ejus filio esse *Spiritum sanctum, primam fœminam*, dicendum: forte autem quoque eidem præbebunt assensum, quando idem Compilator Kabbalæ denudatæ Tom.II. Part.III. Tract.II. p.247. Trinitatis mysterium, quale post restitutionem sit factum, ita exponit, *Ideas luminosas ab Messia à simplicissimo nativi conceptus statu, qui naturæ producta fuerat incomprehensibilis, reformatas, esse inconceptus plures minutiores repræsentativos quarundam personarum, quas Cabbalistæ alias duodecim, deinde contractiori numero sex, communissime quinque numerant, Christus autem pro commoditate studii practici* ternario *absolvit, non facta mentione Longanimi (Arich Anpin) nisi à Paulo 2 Cor.1:3. Ephes.1:3. & Petro 1 Petr. 1:3. &c. Alias autem omnibus gradibus sublimioribus sub* Patris *nomine comprehenso; cui etiam matris notio indissolubili unionis vinculo involvitur: ita ut hæc exhibeant personam novi fœderis* Primam; *brevi Irascens* (Seir Anpin) *Ps.2:12,13. quem communiter Cabbalistæ* Filium *vocant*, secundam; *& Uxor ejus, ad quam, tanquam ad regnum Dei, Cabbalistæ* Spiritum sanctum *referunt*, Tertiam. Putet aliquis, qui Cabbalam nescit, hæc ex Nicolaitarum, Simonianorumque aliorum deliriis excerpta esse: sed Compilatoris Cabbalæ denudatæ hæc sunt commenta Cabbalistica cit. loc. Certe si *Nicolaitæ* ex orco redirent, utique haberent, quod gratias agerent Viro illi, (cujus stupendam, imo monstrosam eruditionem & illustria dona merito alias veneror) quod tanto conatu Scripturas N. T. ad indolem Cabbalæ refinxerit.

§. 65. Sed pergamus in collatione Gnosticismi Nicolaitici & Cabbalistici. Fabulantur *Gnostici Nicolaitæ*, cum Pater & Filius concubuerint Fœminæ, tanta luminum copia hanc obrutam fuisse, ut iis capiundis impar fuerit, & superebulliendo sinisteriores partes decidere sit passa. Hanc virtutem ex fœmina decidentem sua voluntate humectationem habuisse porro contendunt, unde eandem & *Masculofœminam* (Bilancem Cabbalistæ dicerent) & *Sophiam* & *Pronicum*, & *Sinistram* vocant. *Cabbalistæ* inquiunt, esse hunc descensum paulo operosius explicandum, cum plura hoc lapsu juxta Cabbalam nitantur, quam juxta Gnosticismum Nicolaiticum. Nimirum Nicolaitæ cum Platone videntur materiam aliquam increatam & ingenitam, Deo coæternam, agnovisse, quæ secundum Nicolaitas dicebatur Aqua, Tenebræ, Abyssus, Chaos, super quæ ferebatur Spiritus, pro inducendis rerum formis. Non ita Cabbalistæ, qui, ut §.50. ostendimus, ex lapsu hoc ipsam quoque materiam & omne malum in mundis omnibus & singulis deducere annitebantur. Suffecerat ergo Nicolaitis, dixisse, quod ex Fœmina deciderint tantum Sinisteriora; (*Achurajim* seu *Posteriora* appellant Cabbalistæ, quæ secundum Cabbalam decidebant ex Patris & Matris notionibus h. e. ex Sephiris Chochmah & Binah) non autem hoc descensu ד Achurajim seu Posteriorum (quem ביטול appellat Cabbala, & sedulo à מות vel *Morte*, quam Reges tantum Edomitici h. e. septem inferiores Sephiræ patiebantur, distinguit) Cabbalistæ poterant esse contenti, sed opus ipsis erat fingere quoque *mortem* & *fractionem* Regum septem inferiorum, qua de re superius §. 55. 56. dictum fuit. Nimirum non suffecerat *Bilancis* tantum origo in Cabbala Judaica; sed etiam fingendum erat aliquid, ex cujus vitio omne malum & ipsa materia commode poterat derivari. Quamvis nolim adserere, eodem prorsus sensu, Nicolaitas Virtutem decidentem in inferiora *Masculofœminam* nuncupasse, quo Cabbalista vocem מתקלא sive *Bilancem* exponunt. Tutius de voce *Pronicon* vel *Prunicum* affirmo sine dubio eos errare, qui dictionem hanc Græcam esse contendunt, cum potius ista sit *Syriaca*, vel, ut vulgo loquuntur, *Hebraica*. Nimirum פרק Syriace est *separatus fuit ab aliquo, recessit, discessit*, ut v. gr. Matth. 26:39. dicitur de Christo, ܦܪܩ ܩܠܝܠ *abiit paululum & procidit in faciem suam.* Et Act. 1:4. dicitur Christus Apostolis præcepisse, *ut à Jerusalem* ܠܐ ܢܦܪܩܘܢ *ne discederent*: dixeris itaque virtutem hanc delapsam dici *Prunicon*, quasi *Separatum.* Sane enim ita Cabbalistæ naturas separatas ex lapsu Regum Edomiticorum derivant, & ista, quæ in systematibus Briathico, Jezirathico, & Asiathico locantur, appellant עולם הפרוד *Olam Happarud, systema separatum.* Vid. pluribus de hoc systemate disceptantem Compilatorem Kabb. denud. Tom.I. Part.II. sub finem p.312. Neque tamen interea negarim, posse aliam reddi quoque hujus vocis, *Prunicon*, rationem. Certe notum est, פרק frequenter etiam significare *redemit, salvavit, servavit.* Unde ܦܘܪܩܢܐ *Purkono* Syris est ἀντίλυτρον, *salus, redemtio*; quam vocem legimus in versione Syriaca usurpatam, 1 Tim.2:6. Nituntur hoc fundamento, qui *Prunicon* reddunt *Redemtorem, Salvatorem*; de quibus videatur *Danæus* in Comm. ad *August. de Hæresibus* c.6. quod est de Gnosticis, (Edit. Helmst.) p.71. Sed transeant ista. Puto, ex dictis satis patere consensum Cabbalistarum & Nicolaitarum in rerum destitutione. Nunc quoque videamus, quid de statu restitutionis utraque hæresis doceat?

§. 66. Ex lapsu Regum Edomiticorum factum esse, ut *Bilancis* h. e. Androgyneitatis vel Masculo-fœminarum status induceretur rebus, & divinitas in multo plures minores conceptus discerperetur repræsentativos, notum est, & quidem systema emanativum ex duodecim personis esse efformatum, quæ vulgo ad quinarium numerum solennem reducuntur, & appellantur *Arich Anpin* seu Macroprosopos, *Abba, Ima* (Pater & Mater) *Seir Anpin* seu Microprosopos, & *Uxor ejus*, quarum *prima* Persona refertur ad *Cether*; *secunda* ad *Chochman*; *tertia* ad *Binah*; *quarta* ad *reliquas sex Sephiras*, & *ultima* ad *Malcuth*; ex superius dictis satis liquere potest: sed & illud supra §. 58. paucis indicatum fuit, sensisse hanc restitutionem systemata mundorum inferiora, quorum conformatio eidem principio & gratiæ debetur. Nostri vero Nicolaitæ quid quæso hi fabulantur? Constat ex loco, quem §. 62. ex Irenæo dedi, bonos hosce viros hic quidem omnium apertissime prodere, se ex Cabbalismo prodiisse, & suas nugas Judæis Platonizantibus debere. Hebraizant enim egregie, & terminos in Cabbala receptos, etsi non sine interpolatione, tuto tamen satis usurpant. Nimirum cum Virtus delapsa in aquas restituta esset, ac virtute ex superioribus accepta ad superna rediisset, produxit ex corpore suo cœlum; Filius autem ejus emisit filium, & hic secundum, secundus tertium usque ad

septimum

septimum & novissimum: quibus singulis indita sunt nomina Ebraica, quorum maximam partem frequens in Cabbala usus, etsi non omnes eo modo & ordine serventur, & exponantur, quo hodie Cabbala solet. Nec impossibile est, corrupta esse aliquot eorum; siquidem Irenæus, cui hæc debemus, Ebraicarum rudissimus erat literarum. *Philastrius* de Nicolaitis. c. 33. *de Hæresib.* refert, eos dogmatum suorum portenta *barbaris* vocibus involvisse. *Augustinus c.* 6. de Gnosticis ait, eos Principum vel Angelorum *terribilibus nominibus* infirmas animas capere. *Theodoretus* testatur, istos Hebraicis nominibus sua figmenta obscurasse. Nominum horum aliquot recenset Irenæus, quæ audiamus. *Primus* Deus, qui restituta Sophia natus erat, dicitur apud Irenæum *Jaldaboth*, quæ vox composita est ex ילד *Natus, Filius*, & אבות *Patres.* Est igitur ילדאבות *Chara Patrum Soboles.* Alias ילדים seu *Pueri* nuncupantur Sephiræ *Nesach* & *Hod* in Sohar Sect. Vajischlach; & quidem ob mysterium Cherubim, quorum facies sunt ut puerorum. Vid. Cabbal. denud. Tom. I. Part. I. in voce ילדים p. 434. *Secundus* Deus est *Jao*, quomodo sæpius Græcos nomen Tetragrammaton יהוה efferre solere constat: quæ vox in Cabbala tantum non utramque paginam facit, quippe de qua observandæ sunt plenitudines, numeri, literæ, apices, puncta & id genus plura. Nomen יה compendium hujus vocis est & idem notat, quod Tetragrammaton. *Tertius* Nicolaitarum *Deus* post Sophiam restitutam ortus est *Sabaoth magnus*: nota vox, qua Deus etiam in Bibliis sæpius dicitur, צבאות. Cabbala denud. Tom. I. Part. I. à pag. 651. ad 655. de voce hac disserit: & prout jam nomini Elohim, jam Tetragrammato juncta legitur, ita ad varia refertur notionum genera apud Cabbalistas. *Quartus* Deaster est *Adoneus*: vocem esse Ebraicam, אדני, quæ *Dominum* notat, in propatulo est. Vide, quid de hac per sex fere paginas moneat Cabb. denud. cit. loc. in hac voce p. 32. seqq. Sequitur *Quintus* Natus Deorum, quem Nicolaitæ adpellant *Eloëum* h. e. אלהים vel in singulari numero אלוה, quæ *Deum* significat: in quam vocem vide differentem Cabbalam denudatam cit. loc. à p. 98. usque ad 114. *Sextus* apud Nicolaitas, dicitur *Oreus* h. e. אור *lux* & refertur ad plurima in Cabbalisticis, ceu videre est Cabb. denud. cit. loc. p. 59. seqq. *Novissimus* tandem inter hos deastros, quos ex Nicolaitarum deliriis Irenæus nominat, salutatur *Astaphæus*, quæ vox, si recte legit Irenæus, *Inundatorem* vel *Inundationem* notat. שטף enim est *inundare, exundare*, & nominaliter *Inundatio, diluvium*, forte sic dictus est, quia hunc excipiunt cœli & Arotheæ & virtutes & Angeli & conditores &c. velut undæ innumeræ.

§. 67. Miror, non observasse hunc parallelismum, Virum in hac literatura curiosissimum & Indagatorem antiquitatis non infelicem *Dn. Colbergium*, qui sane alibi, capite I. §. XI. p. 34. seqq. jam didicerat ad Cabbalistarum dogmata ex Cabbala denudata, ad hæreses veterum *Ebionitarum*, maxime vero rivi cujusdam impietatis Ebioniticæ, qui *Elcesæorum* vel *Helschesaitarum* nomine prostabant, explicandas provocare, & conatu primo (qui quod non usque adeo accurate successerit, nemo harum rerum peritus mirabitur) recurrere. Pace enim tanti Viri dixerim, conceptibus paulo confusioribus eundem usum esse, qui non satis illa exprimebant, quæ Cabbala intelligit, unde porro sequebatur imperfecta & aliquando incongrua adplicatio. Sed hæc obiter: nec enim nunc disputabo de talibus, quæ facile in multas paginas abirent. Mihi abunde satisfecit Vir doctissimus in eo, quod Cabbalæ vestigia in veterum Hæreticorum deliriis satis aperte monstravit: quanquam putem, serius eundem venire, dum cit. loc. p. 33. putat, Cabbalam ortam fuisse circa Elxei vel Elcesæi tempora. Ita enim vir doctissimus loquitur: *Indicat* Theodoretus lib. 2. Hæret. Fabul. *tantum, successu temporis Ebionæos suos errores nova accessione, quod hæreticis familiare est, auxisse praeunte Elxeo homine Judæo & Cabbalæ nugis infecto. Nam circa illa tempora ortam fuisse Cabbalam, alibi ostenditur.* At enim vero nullus dubito, quin Vir ingeniosissimus, rectius Cabbalismi natales evolvens, sit concessurus, longe eam antiquiorem esse; nisi putet, Cabbalam aliquo modo saltem istis temporibus ortam dici posse, cum nequeat negari, *R. Schimeonem Ben Jochai*, qui ante & post excidium Hierosolymitanum vixisse dicitur & vulgo pro Patriarcha Cabbalistarum habetur, ista circiter attingere tempora. Sic etiam Mischnam referimus ad Judæum, *Jehudam Sanctum*, non quod ille Mischnæ dogmata demum excogitaverit, sed quod dogmata Mischnica satis vetusta ipse primus in Mischnæ redegerit corpus. Alias bene est, quod Vir Clarissimus c. 1. §. 2. pag. 3. de Simonis magi nugis disserens, scribit, *Credibile judico mihique habeo persuasum, fuisse Simonem* Platonicæ Philosophiæ *deditum, eamque miscuisse cum Judæorum ac Samaritanorum religione. Nam magiam exercebat, quæ eo tempore Platonicis familiaris erat & in laude posita, simulque ejuscemodi dogmata proponebat, qualia Platonici. Judæi etiam ista ætate jam receperunt Philosophiam Græcanicam, cujus primaria secta tunc habebatur Platonica. Homo itaque Platonicus & Samaritanus, suscepto Christianismo, reprobatus à Petro, ad vomitum rediit, & cum antea Philosophiam & Judæorum religionem miscuisset, in societatem perniciosæ mixturæ pertraxit Christianismum.* Plane erudita hæc sunt & sine dubio verissima, nisi quod ita mixtionem Philosophiæ Platonicæ ac Judaismi tribuant Simoni mago, ut reliqui Judæi hoc tempore videantur adhuc ab isto crimine absolvi. Ego potius confidenter assevero, Platonicorum magiam, uti Simonianis & reliquis Judæis familiaris & in laude posita erat, testantibus hoc *Actis Apostolicis c.* 19. *vs.* 13. 14. *ut & vs.* 17. 18. *&* 19. ita has Simonianis & Judæis communes curiosas artes Platonicas, etiam communem in Theoria doctrinam apud Judæos æque ac Samaritanos secum traxisse, atque esse istam doctrinam parum sanam postmodum Cabbalæ titulo insignitam, nisi cum *Paulo Fagio*, quem superius §. 23. loquentem audivimus, dicere velis, jam tunc fuisse hanc vocem usu receptam. Certe in nullum doctrinæ genus rectius quadrare Apostoli verba, *stultas quæstiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales omitte*, quam in Cabb. planum esse credo.

§. 68. Puto, hæc pro adstruendo meo adserto, quod Paulus Apostolus in epistolis suis ad Timotheum & ad Titum detonet in Judæos Platonizantes, qui pseudonymon Gnosin Ecclesiæ præ aliis obtruserant, sufficere posse. Adeo enim plana sunt & perspicua & certa, ut vix arbitrer, esse posthac quenquam, qui ista expendit, aliter judicaturum, quam *à Spiritu Sancto*, dum damnatæ sunt fabulæ & genealogiæ Judaicæ & vocum inanitates vel innovationes, & id genus alia, *damnatam esse Cabbalam Judaicam cum arbore sua Platonica*, quæ ex γνώσϵι τῶν ὄντων ortum trahit & in Ecclesia γνῶσιν ψευδώνυμον, tanquam carcinoma quoddam & animarum pestem, progenuit. Quibus ita se habentibus, jam facile fuerit, respondere ad ista, quæ vidimus supra §. 20. Grotio à *nonnullis* pro defensione numerationum Cabbalisticarum objecta fuisse. I. Dicebatur, sine dubio recentiora esse epistolis Paulinis illa, quæ Cabbalistice ex decem illis educi soleant Sephiris. Nihili esse hanc conjecturam, vel Nicolaitæ in Apocalypsi jam damnati, & ex Irenæo hactenus depicti clamitant, è quorum nugis jam satis aperte ista pleraque, quæ Cabbala ex decem Sephiris deducit, refulgent, ut quid porro excipi possit, non videam. II. Videant isti, qui contenderant hactenus contra Grotium, *illas decem Sephiroth suo usu non destitui, nec posse eas dici inutiles & vanas*, an velint porro ita sentire? Nimirum imposuere ipsis figmenta varia Christianorum aliquot, quibus solenne erat, nihil non conquirere, quod poterat videri Judæorum literas commendare: cumque Cabbala sit, paucis intellecta ac cereus nasus & tota Gnosticismus, fingi refingique aptus natus, effinxere quilibet pro suo captu, quicquid placuerat. Horum princeps superiori seculo facile erat *Reuchlinus, Capnodochius* propter Cabbalam suam, in Synagog. Judaic. Buxtorfio dictus. Majori vero adhuc, etsi parum felici, industria nostra ætate Cabbalismum refinxit *D. Henricus Morus*, cujus aliquot scripta invenies inserta tomo I. Cabbalæ denud. Part. II. quale est pag. 14. seqq. *Aditus tentatus rationem reddendi nominum & Ordinis decem Sephirotharum in duabus tabulis Cabbalisticis, ex Scriptura, Platonismo, rationeque libera.* Item p. 62. seqq. *Quæstiones & considerationes paucæ brevesque in tractatum primum libri Druschim.* Maxime vero in *visionis Ezechieliticæ sive Mercavæ expositione ex principiis Philosophiæ Pythagoricæ, præcipuisque Theosophiæ Judaicæ reliquiis concinnata*; ac tandem maximo conatu in *Catechismo Cabbalistico sive Mercavæo, quo in divinis mysteriis, Mercavæ Ezechieliticæ explicandis & memoria retinendis, decem Sephirotharum usus egregie illustratur*, vim phantasiæ, ad Gnosticismum refingendum maxime aptæ & pronæ, orbi literato exposuit, cit. loc. pag. 274. seqq. Adeo enim Vir hic, ad omnis generis figmenta illustranda totus quasi natus & factus, operam lusit, ut ejus audaciam compescere passim coactus sit vel ipse Auctor Cabbalæ denudatæ. Nimirum omnia Cabbalistica confundit & liberrime ex sua indole miscet, fingit & refingit, ut Cabbalistis & Gnosticis sine dubio novus hæresiarcha visus fuisset, si illorum ætate floruisset: quanquam, ut, quod res est, dicam, Henrici Mori figmentum potius, quam Cabbala aliqua longe saniora tradat, quam Gnosticorum, qui vel Judaismum vel Christianismum exterius professi sunt, commenta Platonica

tonica suggerunt. Sed mea parum refert, sanane sint? an insana? quæ Reformata Mori Cabbala & Gnosis falsi nominis reficta exhibet: majoris enim facio Paulum, exclamantem: *O Timothee, depositum serva, devitans* (non vero refingens) *prophanas vocum inanitates & oppositiones* τῆς ψευδωνύμου γνώσεως! Quod III. objicitur Grotio, Cabbalam potius sistere γενεὰς, quam γενεαλογίας, solutu facile est. Nimirum frustra h. l. urgetur discrimen inter γενεὰς & γενεαλογίαν, cum evidens sit, eum γενεαλογίαν sistere, qui γενεὰς recenset, & quod γενεαλογιῶν textura in eo consistat, ut quis γενεὰς, sive deinde divinæ illæ, sive humanæ dicantur, exponat.

§. 69. Superest nunc solutio Quæstionis, *quid de illorum conatibus sit sentiendum, qui existimant, pro convertendis Judæis, capita Theologiæ Christianæ debere revocari ad Cabbalæ methodum atque hypotheses?* Equidem soluta satis hæc quæstio videri potest, si Paulum secutus absolute quis dixerit, improbum esse illorum laborem, omnibusque piis Ecclesiæ Doctoribus, imo singulis Christianis, commendandas esse Pauli admonitiones: *Denuncia quibusdam, ne diversam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis & Genealogiis nunquam finiendis*, 1 Tim. 1:4. Item: *Prophanas & aniles fabulas rejice*, 1 Tim. 3:7. Item: *Stude teipsum probatum exhibere Dei operarium, non erubescentem, recte secantem sermonem veritatis. Cæterum prophanas vocum inanitates prætermitte: ad majorem enim proficient impietatem, & sermo illorum, ut cancer morbus, pastionem habebit.* It. ad Tim. 2: 15, 16, 17. Item: *Redarguito illos severiter, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis & præceptis hominum, aversantium veritatem*: ad Tit. 1: 13, 14. Nec non ad Col. 2: 8. *Videte, ne quit sit, quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem, juxta constitutionem hominum, juxta elementa mundi & non juxta Christum.* Quæ sane loca evidenter satis docent, quid in genere debeamus de illorum conatibus sentire, qui, etsi præter consilium sine dubio γνῶσιν ψευδώνυμον ex orco revocant, & nugas fabulasque Platonicas, sive ab hæresibus olim sive à Judæis interpolatas, mysterio Evangelii improvide adplicant, denuoque de paxillo, inscii quamvis, suspendunt. Etenim, dum quidam, qui suæ indoli & genio suavissime indulgentes contra Pauli monita ausi sunt sua nobis commenta Gnostica specialius commendare & publicis etiam scriptis viam facere ad sublimiorem aliquam Theologiam, Judæis perceptibilem; operæ pretium fuerit, horum infelicia commenta sub incudem vocare. Sunt autem, qui Cabbalismo & γνώσει ψευδωνύμῳ favent, non unius generis. Fuerat seculo hoc post tria prima lustra non incelebris fanaticus, *Johannes Hornerus* von Dinckelspühl / cujus Problema summum, mathematicum & Cabbalisticum, ut & Introductorium oder Wegweiser zur geheimen Theosophischen Cabbalæ und Mathematic, dieselbe was sie sey / erklärende / samt einem Colloquio und Discurs die Fraternität R. C. betreffend / publice prostant, anno 1619. impressa. Sed hic Cabbalæ amasius cum Stiffelio, quem sequitur, interiora γνώσεως plane ignoravit, unice intentus nugis illis, quæ ad Cabbalam Artificialem sive Hermeneuticam Judæorum sublimiorem spectant. Castigandus ergo hujus error veniet in Examine nostro Hermeneutices Cabbalisticæ. Propius ad Gnosticorum placita accessit Celeberrimus Anglus, *Henr. Morus* in suis scriptis passim; ob quæ tamen doctis & cordatis viris subinde vapulat. Præter ista, quæ in Cabbala denudata leguntur superius citata, diu antea innotuerat *conjectura Cabbalistica*, quæ prophano ausu tria priora capita Geneseos juxta *triplicem Cabbalam, Literalem, Philosophicam* & *Moralem* tractat & torquet. Princeps autem omnium horum, qui Cabbalam Christianismo ausu deplorando miscuerunt, facile fuerit *Compilator* quondam Illustris, Operis celeberrimi, quod sub titulo *Cabbalæ Denudatæ* prostat: qui non modo passim consilium suum satis prodidit in variis tractatibus, quos dictum opus complectitur, sed ex professo Tom. II. adjecit opusculum peculiare, cujus titulus: *Adumbratio Cabbalæ Christianæ, id est, Syncatabasis Hebraizans sive brevis adplicatio doctrinæ Hebræorum Cabbalisticæ ad dogmata Novi Fœderis pro formanda hypothesi ad conversionem Judæorum proficua.* Sunt & alia, quæ idem Auctor (etsi fere semper lucem publicam nomine suppresso subire voluerit) pro גלגול נשמות sive *Animarum præexistentia & revolutione* adserenda publici juris fecit. Helena enim Viri erat Μετεμψύχωσις Pythagorico-Cabbalistica. Hoc eodem auctore Novum Testamentum Syriacum characteribus Ebraicis impressum fuit: quo ipso opere credidit Judæorum conversionem perquam promoveri posse. Imo aggressus est opus aliud, publice dudum in Catalogo Francofurtensium, ceu mihi narratum fuit, promissum, cui tamen immortuus est, in quo annitebatur Novum Testamentum suum Syriaco-Ebraicum perpetuo commentario Cabbalistico illustrare: quo conatu? quo successu? alii dicant. Usus fui ego, Amici cujusdam favore, opere isto MSto imperfecto: sed fateor, vel opus illud nostrum non meruit calculum, vel calculus noster illud non meruit opus. Sed transeant ista. Ad rem ipsam.

§. 70. *Henrici Mori* Cabbalistici conatus meo quidem judicio, (loquor hæc, rem ex se ipsa, non autem ex auctorum Illustrium fama & eruditione, quam veneror, æstimans) minori veneno, majori autem vanitate, atque ausus compilatoris Cabbalæ denudatæ, laborant. In genere quidem utrumque horum à Paulo jam rejectum puto, dum ipse Genealogias, fabulas Judaicas & aniles, nec non verborum innovationes & inanitates damnavit & serio doctoribus piis interdixit: in specie vero Henricum Morum duplici nomine ludibrium debere, non dicam, gravibus & Spiritu Dei potentibus viris, sed vel ipsis etiam seculi Doctoribus cordatis & ab impressione atque Phantasia (quæ apud Morum plane intemperans est) Platonica alienis.

§. 71. Nimirum Morus adeo spiritum suum Platoni & Pythagoræ dedit sublimandum, ut ignis Cabbalistici & philautiæ virtute accedente tantum non ipse totus abierit in fumum & ventos. Posset illud forte tolerari, si solus Morus in hanc vanitatem abire voluisset: volenti enim, ex veteri proverbio, non fit injuria. Sed certe minime tolerandus est Morus, dum in Cabbalisticis suis speculationibus omnem religionem sublimare, & in fumos & nugas morosophicas convertere voluit. Neque tamen idem scopus ab eodem intentus, vel meditationibus Cabbalisticis Morianis præfixus est, qui præfigebatur Compilatori Cabbalæ denudatæ. Angustior hic est; augustior ille. Compilator Cabbalæ denudatæ solis Judæis convertendis operam navat; Morus autem adeo sibi placet, ut vel omni orbi, Judæis, Persis, Turcis, quid? vel cumprimis Atheis convincendis suam Cabbalam proficuam putet. Quippe Moro nostro, commentis Platonicis, Pythagoræis, Cabbalisticis & Mystico-Mysticis turgido, straminea judicatur Scriptura, nisi Cabbala suffulciatur. Jejunus Moses, misellus David, spiritu destituti omnes Prophetæ & Apostoli, uno verbo, inepta tota Scriptura Sacra, si præter literam & id, quod verba sonant, nihil mystici, nihil Cabbalistici, nihil Moriani contineant.

§. 72. Certe Morus eo usque est progressus, ut, cum alias notæ sint controversiæ, quæ nos inter & Reformatos intercedunt de efficacia externorum mediorum salutis, nihilominus castigatus fuerit ab ipsis Reformatis, qui haud raro longe commodiores sunt, quando contra communes hostes nobiscum agunt, quam quando alendis dissidiis & infelicibus controversiis, quæ jure nostram & ipsorum dirimunt Ecclesiam, operam navant. Docti & cordati Viri nomen meruit post celeberrimum *Heideggerum*, inter plures, *D. Samuel Andreæ*, qui adeo non poterat ferre Mori insolentiam in deprimenda Scripturæ litera, ut quoquo modo putarit potius vindicandam esse literam Mosis contra Morum, in *Examine Cabbalæ Mori* supra laudato, quod certe plura continet, quæ & ingenium & eruditionem & indolem ingenuam sapiunt. Nempe vim phantasiæ Morianæ non sine sale ridet, quæ sibi poterat persuadere, *parum illos in negotio religionis cernere, qui non evidenter observent id summum esse, quod ab Atheis intendatur, concedi videlicet, nullum alium esse spiritualem scopum in Scriptura aut Sacramentis, qui ulterius tendat, quam merus Grammaticus sensus in ista, & in his sensibilis, crassa & externa administratio*: quam egregiam assertionem Mori notat *Andreæus p. 5.* & pluribus interjectis, phantasiæ Morianæ, quæ sua Cabbala Philosophica omnes Atheos in stuporem & admirationem abreptum iri plane confidit, hæc opponit p. 6. *Quid si Atheus illa ipsa mysteria magnæ matris rideat & arbitretur, se tale quid in infantia inter somni difficultates à nutricula audisse, Lamiæ turres & pectines Solis?* Graviter & ex re atque vero concludens, *Prius Atheo multa persuadeantur oportet, antequam ab istis gentilium mysteriis vel minimum liceat majestatis contextui Mosaico arcessere.*

§. 73. Videlicet risurus est Morum quisque cordatus, nisi melancholia correptus, prius in stuporem ex admiratione Pythagoræ, Platonis aliorumque famosorum sapientiæ paganæ principum datus fuerit: horum enim nugas & phantasmata pro mysteriis habeat oportet, qui non vult ridere Morianam Cabbalam. *Deinde* credat oportet, Pythagoram & Platonem Moseos & Prophetarum discipulos fuisse & quidem non vulgares, sed privatissimæ admissionis, utpote qui talia docent, quæ nemo vel per somnium alias in Scripturis Prophetarum & Moseos deprehendere posset, nisi mysteria ista

Cab-

Kabbalistica prorsus privata & peculiari opera alicui traderentur. *Tertio* credat hoc quoque oportet noster Moro, qui eum Moriæ non est damnaturus, quod Moses & Prophetæ non modo talia, quæ Plato & Pythagoras docent, olim tenuerint, sed etiam omni studio occultarint, nec ausi fuerint in scriptis suis illa aperte tradere. *Quarto*, spurium dicat Apostolum Paulum vel maxime, qui in epistolis suis quasi ex professo sapientiam mundi & sublimia gentilium Philosophorum dogmata à fidei prædicatione sedulo removet ac damnat. Sic enim ille: *ubi Sapiens? ubi Literatus? ubi disputator seculi hujus? Nonne infatuavit Deus sapientiam seculi hujus? Nam postquam in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum: visum est Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quandoquidem & Judæi signum postulant, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem offendiculum, Græcis vero stultitiam*, 1 Corinth. 1: vers. 20. seqq. Et cap. 2: vers. 1. seqq. *Ego cum venirem ad vos, fratres, non veniebam cum eminentia sermonis aut sapientiæ annuncians vobis testimonium Dei. Non enim me judicavi quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum. Et ego per infirmitatem & cum tremore multo apud vos versatus sum, & sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus ac potentiæ: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* Imo 1 Cor. 1: vers. 17. ait, *erudito sermone inanem reddi crucem Christi.* Itaque Morus vel se spurium sapientiæ Pythagoricæ & Platonicæ præconem credat, vel Paulum accuset, quod damnando paganam Græcorum sapientiam, quam adeo deperit Morus, male meruerit de fide & gloria Christi, nostramque causam prodiderit Atheis ridendam. Has Mori angustias ubi Atheus videt, nonne in atheismo confirmabitur? Nam reum confitentem habet, dum Morus, ostensione spiritus plane vacuus & gloriæ crucis nescius, sponte contendit, jejunam, imo stramineam esse Scripturam futuram, nisi Pythagoricis & Platonicis mysteriis animetur: habet vero adversarium etiam Paulum, cujus epistolæ non ultima pars Scripturarum divinarum sunt, multis testantem testimonium Dei plane nihil commercii habere cum Græcorum & omnis seculi hujus sapientia. Conficta igitur esse, violenta, contorta, insana omnia ista, quæ Morus pro majestate Scripturarum urget, nemo non videt, adeo, ut si quis antea Atheus non fuisset, sed Paulo habuisset fidem, jam Kabbalistæ nostræ fabulis & melancholicis commentis fascinatus omnino in atheismum prolapsurus esset. Non didicit à Mose, non à Paulo, non ab ullo Prophetarum vel Apostolorum, Scripturæ auctoritatem è mysteriis & sensibus Pythagoricis, Platonicis, Kabbalisticis esse æstimandam, sed à Judæo forte excæcato. Sane *Menassen, filium Israëlis* in quæst. L. in Exod. Conciliator. pag. 169. præeuntem habet, qui nugarum Kabbalisticarum patrem, *R. Simon ben Jochai* ex libro Sohar, quem sacrum vocat, prorsus cum Moro lirantem ac delirantem, adducit his verbis: *Quemadmodum lex provenit ex suprema atque infinita sapientia, ita singula illius verba maxima mysteria continent, quæ cuncta assequi nullus mortalium potest. Hinc divinus R. Simhon ben Jochai in sacro libro Zoar ait, Væ homini existimanti, legem nihil præter ea continere, quam quæ prima fronte verba ejus significare videntur. Etenim id si verum foret, reperirentur hodieque homines, qui præstantiora, quam illa, narrarent.* Hæc digna sunt Judæo, qui, ex Dei judicio cœcitate percussus, adeo perspicax est, ut videat quod nusquam est, & non videat quod revera est. Sic enim Judæos nos considerare jubet *Jesaias* c. 6. vs. 9. 10. *Vade & dices populo huic: Audite audiendo, & ne intelligatis: & videte videndo, & ne cognoscatis. Impingua cor populi hujus & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur & medeatur ei.* Item c. 29. vs. 10. seqq. *Miscuit super vos Dominus spiritum soporis & obstrinxit oculos vestros: prophetas & capita vestra, quæ vident, operuit, & erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem dabunt scienti literas, dicendo, Lege quæso istum, & dicet, non potero, quia obsignatus est. Et dabitur ei, qui nescit literas, dicendo: Lege quæso istum, & dicet, non novi literas: & dixit Dominus, pro eo quod appropinquavit populus iste ore suo & labiis suis honoraverunt, & cor ejus se elongavit à me, & fuit cultus eorum, quo me coluerunt, mandatum ab hominibus edoctum, ideo ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus ejus & intellectus prudentium ejus abscondetur.* Confer nunc, quæ hæc in verba commentatur Christus Matth. 13: 14. 15: 7. Marc. 7: 6. &c. Et Paulus, Rom. 11: 8. seqq. Sic enim facile intelliges, frustra esse omnes, quotquot à Judæis genuinum Scripturæ sensum & explicationem peti posse sperant: certe Kabbala & lusus allegorici & traditionum commenta sunt veli instar, quo qui involvitur, Christum & Spiritum Dei amittit.

§. 74. Sed nondum satis vanitatis est, quam Kabbala Moriana alit. Accedit & alterum incommodum, quod Morum plane suis cum conatibus (dixerim pene) insipidum reddit. Nimirum talia fingit sua in Kabbala, quæ, uti nullus Christianorum, nisi prius à Christo & Paulo defecerit, laudare potest, ita ne ipsis quidem Judæis ad palatum esse deprehenduntur. Observavit hoc Illustris *Compilator Kabbalæ denudatæ*, cui Judæi Kabbalistæ sunt, quod Moro Pythagoras & Plato. Hinc Tom. I. Part. II. quæ scripta Henr. Mori & Compilatoris catallactica aliquot continet, conciliationem Kabbalæ & Christi tam diverso spiritu & conatu aggrediuntur, ut Compilator passim Judæis intolerabiles ostendat meditationes Morianas, v. g. pag. 80. Morus Adamum primum pro λόγῳ Platonico & Arianorum ex indole pro secunda Persona Trinitatis habens hæc ab illustri Compilatore responsi loco accepit: *Ex ista hypothesi, nisi insignis fiat notionum confusio, id non posse deduci. Cum nempe juxta Scripturæ verba in divinis omnino retinenda sit appellatio Filii; hæc sane, si Judæorum vulgo reddi debet tolerabilis, nulli personarum Judaicarum applicari poterit, quam* ꝫ *Seir Anpin, qui secundum generalem numerationum conceptum reperitur in Tiphereth, & à Kabbalistis proprie atque constanter Filius appellatur.* Non indigna sunt scripta illa Henrici Mori & Compilatoris, quæ legantur; egregie enim velut Cadmæi fratres sese mutuo ibidem jugulant & mutua opera conatuum suorum defectus detegunt.

§. 75. Alia igitur methodo hypothesin Hebraizantem pro convertendis Judæis formandam censuit Illustris *Compilator Cabbalæ denudatæ*: qui ut tolerabilior evaderet Gnosticis Judæis, tantum non omnem Theologiam funditus, etsi præter voluntatem, evertit, atque loco Dei Triunius, nescio quæ Idola & figmenta abominabilia commendavit. Nimirum tolerabilis ut esset Judæis, ita exposuit SS. Trinitatis mysterium, ut sola retineat nomina, mysterium ipsum vero reipsa eludat. Quid de Trinitate sentiat, jam superius §. 64. expositum fuit. Scilicet duplicem eam fingit, *unam* ante statum destitutionis & mortem Regum Edomiticorum, ubi Pater est *Æn-Soph*: Filius, *Adam Cadmon*: & Spiritus S. *Influxus Adami Cadmonis versus inferiora*; quæ quidem in Mori gratiam sine dubio suis assuebat commentis. Sed cum post mortem Regum dictorum alia facies rebus indueretur, ipsa etiam Trinitas est mutata & in systema Aziluthicum translata, sic, ut Trinitate hac fictitia, non modo prior & superior sit Æn sophus cum Adamo Kadmone & omnibus mundis Ansophicis, sed etiam Trinitas conciperetur talis, quæ tantum propter commoditatem studii practici à Christo sit reducta ad ternarium Personarum numerum, cum alias sint Personæ duodecim, & deinde numero contractiore sex, communissime quinque. Quæ horrenda inde sequantur, quilibet vel mediocriter cordatus, me tacente, satis intelligit. Non possum mihi persuadere, vigilanti tanto viro istas incidisse fabulas. Certe si Vir, alias doctissimus, memor tantum fuisset *Symboli Athanasiani*, jam potuisset videre, omnes illos, qui hoc Symbolum receperunt, somnia ista Cabbalistica exsecraturos esse, utpote quæ è diametro Symbolo dicto repugnant. Nihil dicam de eo, quod, si Irenæum aliosque, qui contra Gnosticos disseruerunt, consulere voluisset, apertissime potuisset observare, Gnosticorum hæresin se revocare, dum terminos Cabbalisticos & horum γνῶσιν barbaram adplicarat ad dogmata fidei Christianæ.

§. 76. Nondum tamen satis αἱρέσεων, (liceat de re dura dure loqui) quas Syncatabasis Hebraizans habet. Præter Gnosticorum commenta, incidit etiam suis cum Cabbalistis in hæresin *Davidis de Dinanto*, qui itidem ab omnibus Ecclesiis, quæ aliquod inter Christianos nomen faciunt, damnatus est. Nimirum negarat hic Creationem ex nihilo cum omnibus paganis & ipsis etiam Gnosticis: enimvero abiit rursus ab his, dum noluit, ne quidem pro sensibilium productione, Deo jungere materiam quandam increatam & Deo coæternam, sed Deum omnia ex se eduxisse contendebat, ita ut reapse Deus esset omnium rerum simul materia & efficiens causa. Lege quæso & expende, quæ profert cit. loc. c. 5. quod est *de Statu Destitutionis* pag. 27. & seqq. atque conf. quæ diximus supra §. 50. Vidit hoc monstrum ipse Henricus Morus, adeoque pro sua dicendi libertate concinnavit opusculum, quod exstat Tom. I. Cabb. denud. part. II. p. 293. sub titulo: *Fundamenta Philosophiæ sive Cabbalæ Aëto-Pædo-Melissææ, quæ omnem Creationem proprie dictam negat, essentiamque supponit divinam,*

quasi

quasi corporeo-spiritualem mundumque materialem aliquomodo spiritum: ubi prolixe hunc errorem castigat. Equidem defendit Cabbalistarum hypothesin Compilator Illustris in dialogo addito p. 308. seqq. sed ita, ut, dum sese extricare laborat, majoribus saltem tricis implicetur, nec ullo modo satisfaciat conscientiæ à præjudiciis liberæ. Materialismum tollunt ita, ut materialismum perpetuum inducant. Nihil uspiam rerum concedunt, quod non sit vel essentia divina, vel ex essentia divina etsi diversimode emanando productum. Ipsa materia hæc sensibilis ortum trahit ex spiritibus, quos Deus per Adamum Cadmonem ex sua essentia produxit emanando, qui vero lapsi in statum potentialitatis, materia facti creduntur. Esto, quod Cabbala neget, vel materiam hancce, vel cortices, vel quicquid in tribus inferioribus mundis est, & vel ad Briam, vel ad Jeziram, vel ad Asiam spectat, & עולם הפרוד sive *Mundus separatorum* dicitur, amplius *essentiam divinam* esse. Nam nihil aliud volunt, quam quod in istis systematibus inferioribus, essentia divina non amplius sit *formaliter*, quemadmodum v. gr. in pane non amplius est *farina* vel *aqua*, puta formaliter: materialiter autem adesse farinam & aquam in pane, nemo negarit, qui cogitat, panem non ex nihilo, sed ex farina & aqua, tanquam ex materia præjacente esse coctum. Simili ratione *seculum separatorum* h. e. systemata mundana, *Briah*, *Jezirah & Asiah*, formaliter amplius non sunt Dei essentia; nec etiam, quod separata à Deo sint entia, id habent ab emanatione divina, sed à lapsu & destitutionis statu, quemadmodum panis, quod sit formaliter panis, non habet à molitore, sed à pistore: esse autem materialiter omnia illa systemata, Dei essentiam, aperte Cabbalæ dogmata evincunt. Ludit ergo Compilator suo in dialogo, non vero eludit ista, quæ Morus ipsi objecerat. Unde forte injuriam ei nemo inferet, qui ejus Syncatabasin principiis Spinosianis superinstructam esse dicet. Nimirum notum est, palmarium suppositum *Spinosæ* esse, nullam esse substantiam præter divinam, & reliqua omnia tantum esse modos quosdam illius substantiæ. Prorsus *Dinantiana* ista sunt, *Cabbalistica* sunt, &c. si ultimam æstimes radicem, *Platonica*; quod jam non licet prolixius ostendere: fiet autem fortasse alio tempore. Horrent ad Spinosæ mentionem plures: adorant eundem aliquot clam: irrefutabilem illum nonnulli existimant, qui nimirum Platonicis nugis & Moresophiæ paganæ sunt immersi. Ego certus sum, confutatu facilem esse, si hominis principia ex fontibus ejus æstimentur. Nimirum, quod nolo, data hac occasione intactum relinquere, sciendum est iis, qui Spinosam recte & intelligere & confutare cupiunt, hominem sine dubio fuisse Cabbalistam, &, ut sui capitis religionem, atque philosophiæ genus sibi confingeret, lepido quodam casu inductum. Referam Historiam, prout eam ante aliquot lustra, ex ore Celeberrimi *STURMII*, Professoris Altdorfini famigeratissimi, Præceptoris mei ætatem venerandi, qui ipse cum homine verba quondam miscuit, in collegio quodam Geographico consignavi. Erat Spinosæ pater, Judæus, cui fuerat libellus scriptus, quem summi fecerat, utpote turgidum aliquot magicis & ad Cabbalam practicam pertinentibus processibus. Hos inter erat quoque ostensus modus resuscitandi mortuos. Spinosa post patris fata, maxime inhiabat libello, quem tanti fecisse patrem sciverat: cumque didicisset modum resuscitandi mortuos, fecit homo rei periculum, sed nullo successu. Commotus hoc casu, à Judaismo defecit, atque nulli religioni addictus omnem deinde religionem pedibus conculcare cœpit. Hæc est *causa illa ridicula*, ob quam de religione avita, dubius primum, deinde è Synagoga transfuga factus est, quam tacite indicat laudatus *Dn. Sturmius* in Philosoph. Eclectica disp. de Cartesianis & Cartesianismo n. 12. p. 164. Multum lucis autem adferre ista potest historia ei, qui rectius cupit partim Cabbalæ venena, partim Spinosædeliria capere. Plura, σὺν Θεῷ, alias.

§. 77. Præterea plurimas ἑτεροδοξίας alias paucæ illæ continent pagellæ, quibus suam συγκατάβασιν Hebraizantem Vir, cujus in fide lapsus bona fide doleo, circumscripsit. Præexistentiam animarum & Metempsychosin πὺξ καὶ λὰξ adstruere laborat, Purgatorium quodammodo adserit, quanquam ipsam Gehennam Purgatorium statuat, & pœnas infernales omnes correctivas, nullas exterminativas Judæis concedat; contra fidei analogiam loquitur in articulo justificationis nostræ coram Deo; & innumera continet effata alia, quæ partim cum libris symbolicis Evangelicorum, Reformatorum, imo & Pontificiorum, aperte ex æquo pugnant, partim autem satis arguunt, Virum nimie suo genio indulgentem nostræ Ecclesiæ dogmata, quibus addictus esse volebat, non satis vel curasse vel percepisse: id quod cuique rectius illa ponderanti evidens esse futurum plane confido. En tot modis vapulat Christianis Syncatabasis Hebraizans.

§. 78. Equidem Judæis Cabbalistis Syncatabasin ejus Gnostico-Hebraizantem magis gratam futuram sperare poterat: nihilominus tamen, quod quis miretur, sibi diffisus, ita auspicatur suum ad alloqutionem Cabbalistæ Judæi primum responsum. *Vereor, ne vel in limine te absterreat scopus meus, qui eo tendit, ut non tantum infinita Dei erga genus humanum propensio atque bonitas illustretur; sed etiam persona illa, quæ nobis Messias dicitur, ejusque vita, quoad ejus fieri queat, exaltetur; nec non sincera ejusdem imitatio cultusque Dei purus promoveatur; adeoque hypothesis ista omnia sublimiorum studiorum & actuum sectatoribus commendabilis fiat.* Videat ergo, quam gratiam sit apud Judæos initurus? Christianorum nemo ejus ὑπόθεσιν recipere potest, utpote quæ tota Apostolicis Scripturis est adversa, & meras fabulas infert doctrinæ fidei, tandemque tota in profanas vocum inanitates, innovationes & pugnas legales resolvitur, nihilque aliud generat, quam γενεαλογίας ἀπεράντους.



IMM.

IMM. WEBERI

PARERGA PHILOLOGICA

Ad 1 Tim. III: 15. & hypolimæa iſtius Epiſtolæ ſubſcriptio.

PARERGON PRIMUM,

Ad Interpunctionem 1 Timoth. III. Capitis, Commat. 15.

I.



Eſtilens dogma, quod recoctus è Scriba Philoſophus (a) Nic. Machiavellus viris Principibus ſuggeſſit, (b) ut religionem quidem præ ſe ferant, ſed eam ubique ſtatui convenientem, exploſum dudum eſt à Politicorum filiis, quibus corculis eſſe datur. At enim ex amuſſim quadrat Pontificiorum Religioni, quippe cujus ultimam analyſin in hoc Pſeudo-Politicorum idolum fieri multi noſtratium ſatis ivere demonſtratum. (c) Et ſane ejus inſigne ſpecimen in ipſo Theologiæ veſtibulo exhibent, (d) dum eam ab Articulo de Eccleſia auſpicantur, cujus vel una Eccii cum B. Megalandro diſputatio teſtis eſt. (e) Hoc nimirum ſtratagemate curiam ſui Præſulis, quem Eccleſiæ nomine venditant, ſtabilire ſatagunt, cui ideo de ἀναμαρτησίας privilegio proſpicere neceſſum erat, ut poſtea errores obvenientes facilius poſſint palliari.

II. Qua in cauſa haud parum ſibi videntur juvari loco Paulino *Prioris ad Timotheum Epiſtolæ cap.* 3, Comm. 15. ubi Eccleſiæ elogium στύλου καὶ ἑδραιώματος τῆς ἀληθείας, *columnæ & firmamenti veritatis* tributum legitur, quo tanquam aheneo muro Eccleſiæ ſuæ, hoc eſt, Papæ autoritatem non ſolum tueri, ſed & Scripturæ autoritati præferre conantur, ceu nobis, qui inſtar omnium eſſe poteſt, Bellarminus Cardinalis mentem ipſorum explicat: *Eccleſia,* inquiens, *vocatur firmamentum veritatis, quia veritas fidei nititur veritate Eccleſiæ ut verum ſit, quicquid Eccleſia probat, falſum, quicquid ea improbat.* (f)

III. Brutum, hoc fulmen ut extorquerent è manibus τῶν ἐξ ἐναντίας, hactenus nonnulli, maxime è Reformatorum Scholis, nova via quæſiverunt, dum præſidium hic à Papæis prætenſum nova textus modo dicti ſacri diſtinctione haud difficulter tolli poſſe cenſuerunt, inadvertentiam, neſcio quam, ſibi imaginantes, qua contra mentem Apoſtoli verba ita, ut communiter Codices diſtinguunt, corrupte evaluerint, ut στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ſub finem commatis XV. prædicativè de Eccleſia enuncientur; quam tamen rectius ad initium ſequentis verſus XVI. ad τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, i. e. *pietatis myſterium debeant referri, quo facto Thraſonicæ* Pontificiorum de ſua Eccleſia gloriationi obex facile conſtitueretur.

IV. Huic ſententiæ novæ ac ingenioſæ an tuto per omnia liceat adſtipulari non injuria quæritur? Quare non operam nos luſuros arbitramur, ubi *nobiliſſimum iſtum, & qui multorum hactenus ingenia exercuit, Paulinum locum* (g) pro viribus nonnihil excuſſerimus. Ita autem habet

(a) *Sic ſalut. à Buchnero, Programm. Vol. I. p.* 510. (b) *de Princip. c.* 18. *p.* 95. (c) *Præter Mart. Chemnit. Exam. Concil. Triden. D. Henrici Epit. Theol. Papiſt. maxime Ep. dedicat.* (d) *Dn. L.* Rechenberg/ *Append. Libb. Symbol. part. II. c. XVI,* §. 1. (e) *Habit. Lipſiæ. A.* 1519. *cujus Acta vid. Tom. I. Opp. Latt. B. Lutheri, f.* 241. (f) *l.* 3. *de Eccleſ. milit. c.* 14. *f.* 187. *& Tom. II. Opp. L.* 2. *de Concil. cap.* 2. *fol.* 69.

(g) *Elogio Heinſii, Exerc. ad N. T. l.* 12. *c.* 3. *f.* 514.

Textus Originalis Græcus ſecundum receptam Diſtinctionem.

Verſ. 15. Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

Verſio Lat.

Si autem tardius venero, ut noris, quomodo oporteat te in domo DEI verſari, quæ eſt Eccleſia DEI viventis columna & ſtabilimentum veritatis.

Textus Græcus ſecundum novam diſtinctionem.

Verſ. 16. (Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς ἐφανερώθη.)

Verſio.

Columna & ſtabilimentum veritatis, & citra controverſiam magnum eſt pietatis myſterium, DEUS manifeſtatus eſt.

V. Ut igitur eo rectius de diſtinctionis ſede judicare, & inoffenſo pede per novatorum tricas progredi valeamus, conſultum erit, paucis interpretum Oracula de textus ipſius genuino ſenſu admittere. Duæ autem ſe ſe obferunt ſententiarum diſtinctæ claſſes. PRIOR eorum eſt, qui ad ipſum Timotheum Apoſtoli verba referunt, & quidem per Allegoriam *à domo*, cui Eccleſiam, & *columna*, cui Timotheum comparet, petitam. Sed hi, cum præter aliquot Patrum autoritates omni fundamento deſtituantur, nunc non ſunt audiendi. Mittimus potius, qui de hac re pluribus informari cupinat, ad doctiſſ. Thomam Gatakerum, Londinatem, qui quidem & ipſe ſuum huic ſententiæ calculum adjicit. (h)

VI. POSTERIOR, quæ de Eccleſia enunciat, ſola placet. In ea melioris doctrinæ ergo ſeorſim notamus *Subjectum*, quod eſt ἐκκλησία, & *Prædicatum*, quod abſolvunt verba reliqua, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Eccleſia, cui tam ſplendidum elogium tribuit Apoſtolus innuitur hoc loco vel *univerſalis*, quæ licet toto orbe diſperſa, per intrinſecam ta-

 men

(h) *Adverſ. Miſcell. l. II. c.* 20. *p.* 388. *ſeqq. ubi hanc ſententiam ex Guilhelmo Chiliasvortho tr. de tuta & ſalutari Proteſtantium religione adverſus Pontificium non neminem Part. I. c.* 3. §. 6. *hauſiſſe profitetur.*

men unionem, (juxta quam & est *invisibilis*) cum Christo capite & reliquis membris unitur, (quo respectu etiam *indeficiens* est,) quo de prolixius Dnn. Theologi, maxime ὁ νῦν ἐν ἁγίοις Scherzerus. (i) vel etiam *particularis Ephesina*, cui eodem tempore Timotheus tanquam vicarius à Paulo, in Macedoniam proficiscente, relictus fuerat. Non tamen aliter isti tituli eidem Competere possunt, quam in sensu reduplicativo & conditionato, inquantum scilicet talis est atque permanet.

VII. Ad Egregia Ecclesiæ Prædicata accedimus. Salutatur στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, h.e. *Columna & fundamentum veritatis.* Multi hic multa. Metaphoram à Columnis desumtam subesse apud omnes fere in confesso est, sed à quibus variant sententiæ. Sunt qui ad Columnas ὁδηγοὺς Israëlitarum, ad στύλον πυρὸς καὶ νεφέλης Apostolum respexisse, & hoc subinnuisse adserunt, quod, quemadmodum DEUS olim in istis involucris viatoribus Israëlitis præsens fuerat, ita hodie etiam in Ecclesia sua commoretur. Non obscure hanc opinionem præ se fert Dan. Heinsius, sed omnino istud limam meretur, quod in gratiam hujus sententiæ, & quo inanis illa, quam putat, τοῦ θεοῦ repetitio: ἐν οἴκῳ θεοῦ ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, tollatur, ita distingui mavult: ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία, θεοῦ ζῶντος στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. (k) Sic ergo voces θεοῦ ζῶντος non ad Ecclesiam sed, στύλον referrentur, quæ positio Commatum contra omnium Codicum fidem est, & à Jacobo Gothofredo, tacito licet nomine, merito castigatur. (l) Sunt alii, qui ad typicas columnas Templi Hierosolymitani *Boas & Joachin* (m) quæ postmodum in Babyloniam delatæ (n) allusisse existimant, quorum sententia apud Interpretes fere regnat. (o)

VIII. Jacobus Gothofredus, J. C. & Polyhistor Genevensis, inter alia δυσνόητα & hunc D. Pauli locum ex profanæ antiquitatis penu vel maxime illustrandum judicat, quod & felicissime, nisi fallor, præstitit. (p) Non infrequens fuisse, ait, cum ipsimet sanctissimo Servatori, qui plurima è medio vulgi, rebusque humanis ad divina accommodarit; tum maxime D. Paulo, ut in Græcia constitutus Græcæ superstitionis voces, mores, quin & dogmata in meliores usus transferret, & translatis inde allusionibus tacitisque Antithesibus, quasi in re præsenti arcana fidei Christianæ Gentilium oculis subjiceret. Quemadmodum, e. gr. inscriptionem Athenis fortuito oblatam hoc artificio torsit in argumentum fidei, atque ex ara ignoti DEI occasionem sumsit verum Deum prædicandi, (q) Et hoc sane adeo certum est, ut, nisi ab interpretibus probe teneatur, multorum locorum sensa vel infeliciter, vel prorsus non erui possint, ceu inter alia in ejus rei exemplum adduci potest vexatissimum illud 1 Cor. 15. Commat. 29. quod tantam crucem fixit, ut etiam nonnulli Papicolarum pro evincenda sacræ scripturæ obscuritate adduxerint, ideo, quod tam varias Dd. interpretationes subierit, donec tandem Joh. Camero (r) & D. Calixtus (s), ex hac arte & usu Paulum superstitiosos Cerinthianorum & Marcionitarum ritus respexisse, & argumento κατ' ἄνθρωπον insurrexisse, deprehenderint. (t) Plura, quæ juxta morem urbis & Provinciæ suæ locutus est, videri possunt apud B. Hieronymum (u). Non ergo inviti adsentimur Gothofredo, quando etiam hoc in loco θεορήτορα Paulum de Gentilium sacris quid immiscuisse statuit. Elegantem & solidam expositionem ejus audiamus.

IX. Arbitratur ergo, instituturum οἰκονόμους τοῦ οἴκου καὶ μυστηρίων θεοῦ Apostolum respexisse ad Templum vel Eleusinium, vel Ephesinum, & ad mysteria, quæ in iisdem celebrabantur, toto videlicet orbe decantatissima; Idque ei fini, ut vel inde de Ecclesiæ sibi demandatæ dignitate, & mysteriorum ibidem occurrentium majestate, tanquam oppositis ad se positis & collatis, cogitarent. Templa enim sua frequentissime οἴκων nomine Ethnici insigniebant, uti de οἴκοις Dianæ Ephesinæ & Cereris Eleusinæ notissimum est; quare etiam ad differentiam, & ne quis χειροποίητον ναὸν Dei alicujus fabulosi, vel idoli turpissimi concipiat, addit θεοῦ vocem & mox ἀντιθέσεως explicationem subjicit: ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος. Adhæc sacrorum profanorum peritioribus insigniter notum est, quam gentilium Templa στύλοις ad stuporem usque superbierint, qui variis usibus destinebantur, *ex gratia*, idolis portandis, sustinendis legibus, oraculis, elogiis, fœderibus. Ad hos non improbabili conjectura digitum intendit idem Apostolus, ubi ipsi nec minus Ecclesiæ Christi, per aliquam similitudinem elogium hoc est impertitus.

Ἑδραίωμα ex eadem idololatrica antiquitate explicandum, & οἴκῳ θεοῦ ζῶντος applicandum venit. Quo, indice velut digito ab ipsa vocis notatione seu origine, in Gentilium sacris sat celebri, ducimur. Est enim ἑδραίωμα ab ἕδρα, quod inter alia *sellam* & consessum denotat, & eadem voce sacer concessus Senatus olim in Eleusinio à Solone institutus exprimitur, ceu ex Antocide videre est. (w) Alios vocis hujus significatus tacemus, quos πολυμαθέστατος Gothofredus ex Gentilismo accersitos huic loco erudite & copiosius applicavit. Sufficere hæc poterunt, quæ ne omnia quidem attulissemus, nisi ejus libelli copiam paucissimis fieri posse, sciremus.

X. Hactenus Philologorum interpretatio, audiamus nunc, quomodo cum Theologorum adsertis ea conveniat, quorum est magis ad rem, quam voces, magis ad nucem, quam corticem attendere. Abeunt autem ne latum quidem unguem ab expositione translatæ à στύλοις, καὶ ἑδραιώμασι petita, sed Ecclesiam ejusdemque titulos cum iisdem convenire ἀπὸ μιᾶς fatentur. Columnæ fundamento innituntur; Ecclesia, fundamento duplici gaudet, *uno doctrinali*, quod sunt Prophetæ & Apostoli, hoc est, doctrina Prophetica & Apostolica, per Metonymiam causæ, quam viri illi primum viva voce annunciarunt, post vero, Deo sic jubente, in scripturis nobis tradiderunt, *fundamentum & Columnam fidei futuram*, ut habet Irenæus, (x) *Altero Reali*, quod est ipse Jesus Christus, ἀκρογωνιαῖος τὸ θεμέλιον τῶν Ἀποστόλων καὶ προφητῶν, *angularis lapis*, *fundamentum Apostolorum & Prophetarum* (y) Porro columnæ usum præstant *vel architectonicum*, sustentando superimposita; vel *Politicum & forensem*, monumentis ab interitu vindicandis & edictis publicandis, quemadmodum Prophetæ, dubio procul, visiones suas Columnis Templi Salomonæi supra memoratis affixere; (z) quos columnarum usus Josephus (a), Dion. Halicarnassæus (b), Plinius (c), & Alexander ab Alexandro (d) prolixe demonstrarunt. Sic Ecclesia divinam veritatem *priori modo* (e) quidem inter homines sustentat, sed non αὐθεντικῶς & absolute, quasi ab ea dependeat; hac ratione enim *Ecclesia non est fulcimentum veritatis sed potius veritas est fulcimentum Ecclesiæ*, ut innuit B. Gerhardus (f) sed κατά τι, quatenus videlicet & ipsa veritati in scriptis Prophetico-Apostolicis comprehensæ super incumbit. *Posteriori* autem, quatenus ad illam, tanquam ad propylæum aliquod tabulæ divinarum legum publice sunt appensæ, uti de iis perhibeat testimonium, eas interpretetur, custodiat, ab interitu vindicet, & ad posteros fideliter transmittat. Siquidem *hi sunt illi quinque modi*, quibus Ecclesia cœlesti veritati ministerialem operam præstat, & cujus ratione στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας potest appellari. Huncque potissimum usum Ecclesiæ Politicum locationibus suis metaphoricis Apostolum innuisse apparet exinde, quod sequenti statim commate XVI. SACROSANCTUM illud PROGRAMMA, quo salus universo mundo indicitur, subnectit, & publice quasi ad Ecclesiæ valvas affigit: καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ h.e. *Et citra controversiam magnum est pietatis mysterium, Deus manifestus est in carne, justificatus est in Spiritu, visus est Angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria.* Cæterum & hic ἓν διὰ δύο (vulgo barbare Hendiadys) occurrere nonnulli non male statuunt, cum H. Grotio (g). cujus aliqua multa exempla Glassius (h) Gerh. Joh. Vossius (i) & Joh. Pricæus (k) collegerunt; Ut adeo juxta hanc Ecclesia dicatur στύλος καὶ ἑδραίωμα, quasi

(i) *System. Theol. loc. XXV. §. 16. p. 702. seqq.* (k) *loc. cit. Exerc. ad N. Test.* (l) *Exerc. I. ad h. l. de Eccles. pag. 24.* (m) *1 Reg. 7: 21. seqq.* (n) *2 Reg. 25: 16. Jer. 52: 17. 20. 21.* (o) *V. pro eâ imprimis D. Seb. Schmid. Colleg. Bibl. poster. Loc. XVI. dist. 2. pag. 301. Dn. Calov. Bibl. Illustr. ad h. l. p. 962. Crauser. Phosph. N. T. pag. 280. 281. Cornel. à Lapid. Comment. super h. l. f. 726.* (p) *Dissert. I. per totum.* (q) *Act. 27: vers. 23. conf. Heins. Exercit. S. inc. 17. Actor.* (r) *Myrothec. pag. 226.* (s) *de resurrect. Carn. cap. 6.* (t) *conf. D. Major. Dissert. de Orat. pro Defunct. contra Grot. cap. II. §. III. & 114.* (u) *Epist. ad Aglasiam, qu. 10. add. B. Glass. Ph. S. l. 1. tr. 4. sect. 4. p. 224. & Casaubon. Exerc. XVI. Anti Baron. n. 43. p. 389. seqq.*

(w) *Orat. I. d. Eleusiniis.* (x) *l. III. advers. hæres. c. 1. p. 169.* (y) *Ephes. 2: 20.* (z) *docente Glass. Rhet. sacr. tr. 1. c. 13. pag. 1352.* (a) *Antiqq. Jud. c. 49.* (b) *l. X. Antiqq. Roman.* (c) *L. VI. Hist. Nat. cap. 29.* (d) *L. III. Genial. Dier. cap. 7.* (e) *vid. B. Gerh. Tom. V. Locc. Theol. §. 116. fol. 801. Meisner. de Eccles. sect. 4. cap. 7. Walther. Harmon. Bibl. ad h. l. pag. 1218.* (f) *Confess. Cathol. part. I. pag. 539.* (g) *Comment. ad h. l.* (h) *l. III. tr. 1. Can. 6. & 42.* (i) *Part. II. Instit. orator. l. S. c. 4. p. 313. 314.* (k) *annott. ad quosdam N. T. libb. fol. 778.*

quasi στύλος ἑδραῖος *columna firma*, seu Grotio d. l. interprete, *columna basin habens.* Et optima est etiam hæc expositio, quia πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, καὶ ὁ χριστὸς μετ᾽ αὐτῆς ἔσεται πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, i. e. *portæ inferorum non valebunt adversus eam sed Christus cum ea est futurus, omnibus diebus, usque ad consummationem seculi* (l). Ad eum sensum quoque Paulus voluit Corinthios esse ἑδραίους καὶ ἀμετακινήτους FIRMOS ET IMMOBILES in Evangelica veritate (m) & Colossenses τεθεμελιωμένους καὶ ἑδραίους *fundatos ac firmos in fide* (n).

XI. Sensus hic est loci Paulini, ad receptam Codicum fidem distincti, haustus è limpidissimis Theologorum pariter atque Philologorum fontibus. Num adversus eum tantum valeant Pontificiorum, ad stabiliendam Papæ eminentiam, concepta phantasmata, quantum sibi metuunt, qui ideo textus sacri vincula rumpunt, partemque aliorsum rapiunt, dispicere non opus est, cum id ab instituto nostro sit prorsus alienum, & terrorem eum plane esse Panicum, Theologi nostri jam olim satis ostenderint. Tuti ergo ab insultibus Papæorum videamus, quid sacrorum circulorum turbatores machinentur, quos eo ordine, quo quidem deprehendere licuit, primum admittemus, & deinceps responsione solida profligabimus.

XII. Primus quantum nobis constat, bellum hoc movit *Abr. Scultetus.* Quanquam & alios ante se hanc tubam inflasse profiteatur. Audiamus ipsum suis verbis. *Magni*, inquit, *viri sunt*, (sed quinam illi? Nobis sane è literarum monumentis publicis hactenus incogniti;) *quibus suspectum est* κῶλον ὁλόκληρον, post verba στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *positum. Sic enim putant, à veteribus, qui jam olim columnam & firmamentum veritatis Ecclesiæ tribuerunt, hunc locum minus recte* intellectum, ac proinde etiam minus recte *distinctum, vel confusum potius fuisse. Verba igitur ista,* στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *existimant non ad præcedentia & Ecclesiam, sed ad sequentia, adeoque ad Christum referenda hoc modo:* Quod si tardius venero, ut noris, quomodo oporteat in domo DEI versari, quæ est Ecclesia DEI vivi: NB. Columna & stabilimentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium, DEUS conspicuus est, &c. (o).

XIII. Excipit hunc toto armorum cumulo, quo reliqui postmodum adversus nos omnes utuntur, instructus *Joh. Camero, Scoto-Britannus* (p). *Propius*, ait, *intuenti seriem Orationis Apostoli, planum est, verba ista* στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας *non pendere à præcedentibus, sed esse conjungenda cum sequentibus h. m. Columna & fundamentum veritatis, & sine controversia magnum est pietatis mysterium &c. sensu aperto & plano*: nam idem vocat Apostolus mysterium pietatis, (*summam nempe Evangelii,*) & columnam ac fundamentum veritatis. *Atque ita se rem habere, hinc probari potest, quod alioqui erit oratio Apostoli hiulca & subsersa, si sic legatur*: ut scias, quomodo sit tibi versandum in Ecclesia, quæ est domus Dei, columna & fundamentum veritatis. Et sine controversia &c. ἀσύνδετον *non cohærent. Deinde non solet Apostolus novi argumenti tractationem inchoare à conjunctione Et*; *itaque illud*: Et sine controversia magnum est pietatis mysterium, *necessario cum præcedentibus cohæret, nempe cum columna &* fundamento veritatis. *Tertio hæc est usitatissima formula inter Judæos cum quis profitetur, se traditurum præcipua dogmata religionis, ut illud præmuniat: Columnam esse, & fundamentum veritatis, vel sapientiæ, id, quod traditurus est. Nam e. g. celeberrimus ille R. Moses Ben Maimon statim initio nobilissimi operis quod Misna dicitur, seu* י״ *sic habet*: יסוד היסוד ועמוד החכמות *hoc est:* fundamentum, fundamenti, & columna sapientiæ hæc est, ut sciamus, quod sit Ens primum, &c. *Nempe solent Apostoli uti phrasibus in Ecclesia Judaica receptis seu accommodatis ad rem, quam agunt, quæ ratio docendi accommodata est imprimis. Itaque Apostolus more suo formulam hanc qua Judæi utuntur, adhibuit hoc loco, cui proprie convenit.* Adhuc Camero.

XIV. E Reformatorum grege eandem fovet sententiam *Ludovic. Crocius*, iisdem ferme Cameronis argumentis pugnans. (q) Et quod mirari subit, amplectitur eam *Erasmus Schmidius* (r), *vir alioquin de Scripturæ explicatione non solum, verum etiam universa republica literaria longe meritissimus* (s). Itemque *Joh. Heinrich Ursinus*, qui postquam in medium attulisset Cameronis opiniunculam, hanc subnectit ἐπίκρισιν: *Placet profecto explicatio ejus loci minime coacta qua nervus Pontificiorum argumento, quod hinc pro infallibilitate Ecclesiæ petunt, prorsus inciditur.* (t) Valde etiam huc inclinasse Quistorpium, ex eo apparet, quod, cum eandem Cameronis sententiam recensuisset, mox addit: *probarem nisi interpunctio apud Apostolum repugnaret.* (u) Cum Camerone etiam ante Cameronis Myrothecii editionem *D. Höpfnerum*, ex ore alterius, refert πολυΐστωρ Reinesius (w).

XV. Census hic est Adversariorum, qui nobis nunc succurrunt. Unus ferme pro omnibus militavit Camero, cujus tres rationes, duas scilicet ex particula καὶ, tertiam ab Exemplo Rabbi, vulgo Rambam dicti, quamvis tanti non videantur, ut cordatiores movere possint, brevissimarum tamen aliquot responsionum cuniculis suffodiemus, quo facto non poterunt non simul & cæteri concidere. Primum ὁ καθ᾽ ἡμῶν ἀσυνθεσίαν objicit, secuturam, si more recepto distinguamus. Est ἀσύνδετον, ait, *non cohærent ista.* At enim vero ὦ γαθέ.

Istud non satis est uno te dicere verbo;
Sed facere, ut quivis sentiat, & videat.

Abunde expeditam dedimus jam in instituta verborum explicatione commatum cohæsionem, quam, qui citra præconceptam opinionem pensitaverit, longe arctiorem & aptiorem esse, confitebitur, quam poëmatum Homeri, quibus, propter firmissimam connexionem, vel unicum versum eripere inter impossibilia retulerunt. Diversis nimirum vocula καὶ, quæ tantopere Cameronem ussit, gaudet usibus, quos eum non satis penetrasse inde liquet, quod pro nuda copula habuit, quo ipso non potuit non has angustias incidere. Est vero ex mente Gothofredi (x), hoc loco καὶ vel ἐξηγητικόν, aut declarativum, pro ID EST, ut ita voluerit Apostolus ostendere, quænam sit illa veritas, cujus στύλον καὶ ἑδραίωμα prius Ecclesiam dixerat; aut in quo consistat, nempe præprimis in mysterio Oeconomiæ, & reliquis, quæ sequente Versu 16. enumerantur, doctrinæ Evangelicæ præcipuis capitibus. Vel αὐξητικῶς sumitur, atque ad antecedentia novæ alterius rationis adjectæ nota est; vel etiam rerum licet diversarum, similium tamen in aliquo negotio, conjunctionem notat, *Ecclesiæ* nimirum & *mysteriorum*, deinde *veritatis* & *pietatis*, prout hæc laudatus autor, *cit. loc.* uberius declarat. Vel potius, denique, quod B. Himmelio alicubi, ubi Cameronis opinionem tangit, visum (y) *Particula* καὶ *hoc loco est nota certitudinis, sicut Joh. 3: vers. 13. ita & alibi, ut non tantum conjungat, sed etiam certitudinem importet, h. m.* & certe magnum est pietatis mysterium, &c.

XVI. Videamus, quid machinetur amplius. *Deinde*, pergit, *non solet Apostolus novi argumenti tractationem inchoare à Copula* ET. Perperam! Aut enim cum larvis pugnat, aut contra manifestam veritatem hæc adferre non erubescit. Si τὸ ET hoc loco pro mera Copula habet, concedimus ambabus manibus, copulativam particulam in sensu formali positam novam paragraphum inchoare non posse. Sed talem hic loci eam esse, id negamus, atque pernegamus, quippe cum in antecedentibus de ejus significatione jam dictum. Quare frustra hæc nobis objicit, & sibi primo copulam confingit, ut habeat, cum quibus de ea possit postmodum litigare. Sin vero in genere de Particula καὶ loquitur, prout ea varios usus passim admittit (quod tamen grande παρόραμα de tam docto viro cogitare vix possumus) vim apertissimam infert Scripturis. Propinamus ipsi ex Ep. ad Roman. cap. 13: vers. 2. καὶ τοῦτο, εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι ex 1 Cor. 2: vers. 1. κἀγὼ ἐλθὼν πρὸς ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, ἦλθον οὐ καθ᾽ ὑπεροχὴν λόγου, ἢ σοφίας, ut alia innumera loca scientes prætereamus, ubi conjunctio hæc vel redundat, vel alio quovis sensu posita reperitur. Quod enim de Chamæleonte & Proteo illo Ebræorum tradunt Grammatici (z), eum esse nonnunquam *principium sermonis*, illud etiam de Græco καὶ verissime dici potest (a). Adhæc fallit, & fallitur ἀντιμεβάτης, quando novum argumentum in versiculo XVI. tractari pronunciat, siquidem stupidum plane & bardum esse oportet, qui non viderit, quam firmo nexu hic antecedentem XV. insequatur. Instruit Paulus Ecclesiæ ministrum, ad munus suum

(l) *Matth.* 16: 18. *cap.* 28: 20. (m) *I. XV*: 85. (n) *I*: 23. (o) *Observat. in epist. D. Pauli ad singular. c.* 18. *pag.* 26. 27. (p) *in Myrothec. Evang. ad h. l. p.* 278. *quod* δοξάριον *eum à D. Andrea Melvino, comprovinciali suo hausisse perhibet Th. Gatakerus, l. sup. cit. p.* 399. (q) *Syntagm. Theol. l. IV. c.* 2. *de Grat. Redemt. pag.* 988. (r) *Annot. ad N. T. f.* 1243. 1244. (s) *Judicium est Sauberti, observat. ad II. quæd. prior. Epist. ad Tim. v.* 18.

(t) *Analect.* 5. *vol.* 1. *L.* 6. *c.* 35. *p.* 403. (u) *Annot. Bibl. in N. T. p.* 364. (w) *Farrag. Epp. ad Nester. p.* 26. (x) *Exerc. II. ad præsentis textus commat.* 16. *de myster. Pietat. p.* 78. *seqq.* (y) *Disputat. ad h. l. h. b. A.* 1656. (z) *Camium libr. Rodd. & init. Josuæ, atque Buxtorff. l. II. c.* 21. *Thes. Gram.* (a) *Dn. D. Olearius, dissert. de stylo N. Test. sect. exeg. memb.* 1. *§.* 1. *pag.* 5.

suum recte obeundum, quare opus fuerat tum de Ecclesiæ qualitate, cum de præcipuis ejusdem dogmatibus disserere, quod ut eo dilucidius fieri possit, singulari artificio in Vers. XV. *Ecclesiam* cum *columna publica*, & in subsequente *dogmata* cum *edictis divinis ad eandem appensis* comparat, quemadmodum n. X. planissime ostensum. Quæ igitur hic diversitas thematum, quando in instituto pergitur? Non autem credo, eum *argumenti* vocem ita cavillari, ut pro quocunque alio ac diverso à præcedente verborum Grammatico sensu accipiat, hoc modo enim utrosque versiculos ab invicem differre quis sanus inficiabitur?

XVII. Ultimo à Rabbinis subsidium petit, quod an ei præstent, dispiciant, queis arctior cum hisce magistris intercedit familiaritas. Quod multa sacri Scriptores ab Ebræis petierint, Is. Casauboni, Buxtorffii, Drusii, Lud. Capelli, Cocceji, Hackspanii, Ligtfoothi aliorumque μυρίων πλῆθος autoritates nos dubitare non sinunt. Sufficiat vero hoc loco ἀσυλλόγιστον adnotasse λόγον. *Judæi tradituri præcipuum dogma præmittunt hanc formulam*: Columna est & fundamentum veritatis, vel sapientiæ &c. *Ergo ea hic, ubi Paulus Græcus, ad Græcum, Græce præcipuum fidei dogma perscribit, eidem in versu XVI. præfigatur necessum est*, obstantibus licet quibuslibet difficultatibus. A baculo ad angulum. Deinde ab unius (plures enim non recensuit) & quidem profani Judæi stylo ad Paulum θεόπνευστον inepte argumentatur. Ἀπὸ μέρους collectio vel nulla, vel infirma, probante veritatis Philosopho (b). Ut nihil de ipso exemplo Apellæ dicam, quod impertinens plane est, & cum Apostoli verbis non nisi unica *columnæ* voce coincidit. Straminea ergo hæc argumenta sibilo potius & posticis sannis, quam ulteriore responsione excipi merentur nec quicquam adversus receptam distinctionem à cordatioribus impetrabunt.

XVIII. Hactenus Cameroni. Ne quid desit rationum ἐπιδαψιλεύων licet, ἐρίσμιος ille, quem modo adduximus, superaddit, consentire cum nova interpunctione editionem N. Test. Basiliensem, Anni cIↃ Ic XL. Sed quid inde? *Ver non una dies, non una reducit hirundo.* Unum exemplar veritati omnium ne hilum potest præjudicare. Unico isti nos possemus innumera propemodum opponere. Nec ipsa vetustas habet, quod hic probet, quidpiam. Quod si enim in antiquissimis quibusdam exemplaribus Hæreticorum, Veritatis exulum, depravationes inveniri compertum sit, quod quidem Thomas Morus, Anglus, negat (c) sed hæc contra liquidissima Doctorum veterum testimonia; (d) quidni ex eorum quoque numero potest esse Basiliense? Sane jam olim Socrates (e) priscorum interpretum testimoniis probat, fuisse, qui primam Evangelistæ virginis D. Johannis epistolam depravarint, cujus impietatis Manichæos maxime, Helvidium & Anabaptistas arguit Sixtus Senensis. (f) Quin & paria quondam cum nostro versu fata habuisse *tertium* Joh. 1. *ultimum* Actuum Apostolicorum 2. *tricesimum tertium & quartum* 1. ad Corinth. 7. *ultimum* ad Galat. 4. aliosque haut exiguo numero B. Glassius adnotavit. (g) Taceo typographorum, *Mæcenatum ignorantiæ*, ita Heinsio alicubi dictorum, ἀπαιδευσίαν. Unde, quam varii in unum alterumve Codicem errores irrepserint, ad nostra usque tempora per traducem quasi propagati, si opus foret, prolixius percensere possemus.

XIX. Sed nolumus his diutius operam impendere, potius paucissimis cogitandum dicendumque est, quid sit πρῶτον illud ψεῦδος, quod ad tantam temeritatem osores receptæ distinctionis adeo proclives atque faciles reddiderit. Id vero, nisi omnia nos fallunt, est illa falso concepta licentia textus sacros pro lubitu in versus, commata & cola secandi atque distinguendi, quam probavit & sibi sumsit haud raro H. Grotius *unicuique in his liberum relinquens judicium.* (h) quæ etiam ex nostratibus occupavit nonnullos, ut docere non dubitent, sicut olim fuerit liberum, quamvis partitionis speciem sequi, sic hodie quoque integrum esse, ab ea aliquando recedere. Cum enim hunc Cerebelli humani partum existimant, idem & sibi eo, quo primis ἁγιογράφοις, jure liberrimo licere arbitrantur.

XX. Et hoc quidem certum est, neque modernas capitum, neque versuum, neque alias minores distinctiones cum ipsis statim fontibus N. T. cæpisse, siquidem Anglus in hac literatura doctissimus, Joh. Crogius testatur, *se Codices scriptos vidisse, in quibus nulla extiterit vocum distinctio, sed singulæ lineæ uno tenore scriptæ fuerint, ac unicam vocem constituere visæ sint.* (i) Quem B. Kromeyerus, (k) Waltherus (l) Morinus (m) Hottingerus, (n) Leusdenus (o) *aliique calculis suis juvant.* Nec, quo postmodum autore cæperint, satis compertum habemus. CAPITUM sectio utplurimum Stephano Longthono, Episcopo Cantuariensi in Anglia adscribitur. (p) Matth. Westmonasteriensis & Serarius, *in Prolegom.* eandem tribuunt Hugoni de S. Caro, Cardinali, circa A. 1254. qui & inde *pater Concordantiarum* dictus fuit. Sed quod hæc divisio Hugone sit vetustior, probat supra laudatus Crojus, qui *vidisse se*, ait, *aliquot Codices ante octingentos & plures annos juxta nostram distinctionem descriptos.* (q) Hæc dirimere nostratum nunc non est, cupidus Lector præter supra nominatos, Brochmandum, (r) Dannhauerum, (s) Osiandrum (t) Scherzerum (u) Rivetum, (w) Salmasium (x) & Stolbergium (y) consulere potest. Versuum origo æque tenebris tegitur, ea scilicet, qua hodie conspiciuntur, ratione sectorum. Nam de vetere, qua patres usi sunt, dicere non attinet, quæ quantum à nostrate distiterit, passim monstrant citati Philologi. Multa quidem in vulgus Roberto Stephano accepta referuntur, etiam ab ipsius filio Henrico Stephano. (z) is tamen, quod dudum viri docti monuerunt, revera non nisi *arithmeticæ distinctionis* autor est, & numeros versibus, quibus hodie utimur, adjecit, uti vulgo perhibetur, inter equitandum, Parisiis Lugdunum proficiscens.

XXI. Quamvis ergo ex dictis certo conficiatur, *distinctionem* sacri *textus non esse θεόπνευστον*, illud tamen admitti nullo debet modo ut quilibet in eam sibi liberum sumat judicium, vel alibi, vel etiam in præsente nostro, quo de disquirimus, loco. Veremur enim, ne tales in divinam Pronæam injurii sint, quam dato hoc, & concesso, quod per universalem Codicum corruptionem separanda conjuncta, & conjungenda separata fuerint, dormitasse non possunt non admittere. Ἀκοίμητος sane θεῦ ὀφθαλμὸς, quo cautum erat, ne ullo modo sancta dicteria violarentur: & ne ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία intereat, (a) sic primis istis divisoribus, quicunque demum fuerint, prospexit, ut ad sensum Spiritus S. ubique exactissime collinearint. Temere enim non introductæ sunt ex quorumcunque describentium judicio, sed dubio procul à doctissimis quibusdam Ecclesiæ Doctoribus juxta regulam & normam genuinæ interpretationis constitutæ. Quatuor alias modi sunt, quibus vera scripturæ sacræ lectio possit cognosci; *Primus est* exemplarium antiquorum & probatorum fides; *Secundus* doctorum veterum allegatio & interpretatio; *Tertius* Scripturæ conformitas; *Quartus* versionum, si non omnium certe potiorum consensio. Et hæc media non solum in textus cujuscunque explicatione, sed & in distinctionum controversiis, cum exinde sensus verborum dependeat, adhibenda esse docet inter alios B. Dannhauerus, *judicium*, inquiens, *de cohærentia, aut disjunctione membrorum, fiat citra analogiam fidei & scopum, aliaque interpretandi media adhiberi debent.* (b) Quod si ergo salubri consilio eo utimur, vix ullius mustea distinctio hæc examen sustinebit. Pugnat namque cum omnium, quotquot inspicere licuit, Interpretum ac Codicum, quousque quidem distinctos habemus, fide. Ut è multis paucos commemoremus: convenit cum *lectione antiqua* Chrysostomi, Hieronymi, Theophylacti, Oecumenii, Anshelmi; *Recentioribus* Roberti Stephani (qui collatis sedecim exemplaribus N. T. libros A. M.DXLVI. & denuo, A. MDL. edidit;) Theod. Bezæ, qui veteres Codd. novendecim habuit, plerosque MSCtos, unde N. T. restituit; (c) Erasmi, Joh. Camerarii, Casauboni editionibus, Bibliis Regiis; nec cum *Versionibus* Syriaca, Arabica, Ebræa, vulgata Latina &c. consentit, in quibus omnibus punctum post verba τῆς ἀληθείας positum reperitur. Præterea quando venerandd. Patres tum Græci, tum Latini, aliique anti-

(b) *l. 1. prior. Analyt. c. 7. & 24.* (c) *Epist. ad M. Dorpium pro defens. Erasmi. p. 411.* (d) *vid. Gass. Ph. S. I. 1. tr. 2. p. 146.* (e) *l. VII. Histor. Eccles. c. 32.* (f) *Biblioth. S. l. VII. hær. 1. f. 576.* (g) *Ph. S. l. I. tr. 2. p. 130.* (h) *Annot. ad N. T. Marc. 6: 14. conf. Dn. Calov. ad h. l. Bibl. illustr. f. 496.*

(i) *Observ. in N. T. c. 2. p. 7.* (k) *Comm. in Apoc. p. 270. & in apparat. Theol. p. 2. c. 5. p. 114.* (l) *officin. Bibl. p. 240.* (m) *de Ebr. & Græc. Text. in legr. p. 196.* (n) *Thes. Phil. p. 224.* (o) *Phil. Græc. pag. 17. seqq.* (p) 1. *Balæus, de Script. Anglic. sec. 13.* (q) *l. c. p. 55.* (r) *Comm. in Ep. Jac. Proleg. sect. 3. f. 6. seqq.* (s) *Hermeneut. f. p. 148.* (t) *ad Grot. J. B. & P. p. 423.* (u) *Animadv. Isag. arc. Philol. & l. 1. animadv. 6. p. 137.* (w) *Isagog. ad script. S. c. 29. pag. 506. seqq.* (x) *Exercit. Plin. in Solin. maxime præfat.* (y) *Exercit. de distinctionibus N. T. in capit. & vers. Witteb. 1672. §. 13. seqq.* (z) *Præfat. Concord. Græc. N. T. & in Ep. dedic. ad Phil. Sidneum, Not. in N. T. præfix.* (a) *Matth. 5. 18.* (b) *Hermeneut. f. pag. 148.* (c) *vid. ejus præfat. præmissam Annot. Major. in N. T.*

antiquiores, recentiores Dd. atque interpretes in hoc textu explanando vel adducendo occupantur, omnes τὸν στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας non ad mysterium œconomiæ, ſed ad Eccleſiam conſtanti conſenſu referunt, cui quidem probando cum pace τῶν ἀντιμάχων hic ſuperſedere poſſumus, donec demonſtrent ipſi contrarium.

XXII.

Peſſima ergo hæc libertas eſt, & plurimum malorum non leviſſimorum infauſta mater. Duo tantum recenſebimus. PRIMUM Photinianis, *hæreticiſſimis omnium, quantum ubique gentium eſt*, (quo titulo eos, meritiſſimo ſuo, mactat Hackſpanius, [d] licentiam, quam obtendunt, conciliat, ſacrum Codicem pro cupedine ſua diſtinguendi & diſtinctiones immutandi; quo cacoëthe peſtilentiſſimo quam laborent Chriſt. Becmannus, [e] & Philologus inſignis, quondam Præceptor noſter in Electorali Gymnaſio Grimmenſi Dn. Joh. Schüzius. [f] quamplurimis docent. Et igitur ob ſolutionem unius quadrantis oppido ineptum foret, talento ſe obſtringere, quod adagio dicitur. DEINDE Scripturæ ἀσφάλειαν præſentiſſimo periculo exponit. Quod ſi enim ad ſuum palatum, ac præconceptam, quam quiſque ſecum fovet opinionem Codd. interpungere licebit, brevi hæc audaciſſima licentia vires majores eundo acquiret. Inde quis non ſcripturæ . . . . ῥόθος ἑλκομένης, ᾗ κ' ἄνδρες ἄγωσιν [g] erit metuendus? Ecquid certi demum ex ullo loco habebitur, ſi iis, quæ vel evidentiſſima ſunt, novis interpunctionibus novum ſenſum, quomodocunque adfricare integrum fuerit? Novitati equidem, ſi non excogitata abſque ingenio, in ſtudiis, quæ hoc præcipue conſtant & ornantur, ſuus debetur honos; ſed ut alibi, juxta ſapientum effatum,

Eventus varios res nova ſemper habet;

Ita plerumque in rebus ſacris ea periculo haut vacat, & facile Scillam incidit, Charybdim aliquam evitaturus. Non adſurgas, amico aliquo dicente, *habeo aliquid novi, quod dicam*. Reſpondeas: *malim utile aliquid & conducibile*, Plutarchi aureum monitum eſt, [h] quo etiam noſtros novarum diſtinctionum aucupes dimitimus.

[d] *Syllog. Diſp. Theol. Philol. p.* 196. [e] *Exerc. Theol.* 2. *integr. contra Photin. à pag.* 16. *ad* 143. [f] *Prælect. Logg. MSCT. rub. de Sophiſt. Elench.* [g] *Heſiod.* ἔργ. καὶ ἡμέρ. *v.* 218. [h] *l. de Curioſit. p. m.* 211.

PARERGON II.

Ad

Hypobolimæam Subſcriptionem.

1 ad Tim. Epiſtolæ.

SUMMARIA.

De Subſcriptionibus Epp. Paulinarum *judicium generale, & in ſpecie* de 1 ad Timoth. *ſuppoſititia. n.* 1.
Ex Macedonia, & quidem in primo Pauli itinere *ſcriptam eſſe ex* 1 *Tim.* 1: 9. *adſeritur.*
Quod confirmatum ex hiſtoria & ordine iſtius itineris, n. 3, 4, 5.
Oſtenditur, quod nec ex ſecundo, *nec* tertio *itinere Macedonico mitti potuerit. n.* 4.
Refutantur ſecus ſentientium opiniones, Chryſoſtomi, *qui poſt Epiſtolam ad Epheſios*, & Büntingii, *qui ex Phrygia Scriptam putant, n.* 7.
Huic anſam dedit vulgaris ſubſcriptio, *quæ rejicitur, n.* 8.
Decepit ea & Theophylactum, ut per τὴν ἐκ Λαοδικίας, *Coloſſ.* 4: 16. *priorem ad Timoth. intellexerit. n.* 9.
Reſpondetur illis, qui ex ſecundo & tertio itinere Macedonico *miſſam volunt, n.* 10.
Gottii ſingularis opinio rejecta. n. 11.

I.

UT multa ad modum ſunt in Scriptis Pauli δυσνόητα, nondum explanata ſatis atque pervia; ſic circa *Subſcriptiones Epiſtolarum Paulinarum* non una ſollicitis mentibus dubia ſe obtulerunt. Tria enim reperimus, in quæ autores abeunt, ſententiarum divortia; Quidam ab ipſo Spiritu Sancto ſpecialiſſime Paulo inſpiratas; Quidam ab Apoſtolo, citra tamen hanc θεοπνευστίαν; alii ne quidem ab hoc, ſed longe poſt, à quibus neſcio, adjectas contendere. Nos Apoſtolum quidem ὑπογραφὰς epiſtolis ſuis ipſummet annexuiſſe, quo credamus, facile adducimur, quum maxime illorum, quibus miſſæ interfuerit, & ita temporum conſuetudinem tuliſſe, compertum habeamus. EAS autem SUBSCRIPTIONES, quæ in noſtris Codicibus hodienum extant, tantum abeſt, ut omnes pro primis & genuinis Pauli agnoſcamus, ut magnorum potius Theologorum, atque Criticorum confeſſione, gravibuſque rationum momentis inducti, ἐν πλείοσι falſas & longe poſt Apoſtolorum tempora ſuppoſitas cenſeamus. Hac vice id ipſum de ſola PRIORIS AD TIMOTHEUM demonſtrare nobis propoſitum eſt, quod ſi bene ceſſerit, τοῦ τῆς ἀληθείας πνεύματος διδόντος hunc Prodromum integer & plenior de HYPOBOLIMÆIS EPISTOLARUM PAULINARUM SUBSCRIPTIONIBUS labor ſubſequetur.

II.

De TEMPORE ET LOCO ſcriptæ hujus ad Timotheum Prioris, quemadmodum & cæterarum Pauli Epiſtolarum quamplurima diſquirunt Interpretes. Et ſane cum cardo totius negotii inde dependeat, operoſius ea nobis ſunt expendenda. Aliqui minus, longius aliqui aberrarunt. Miſſis autem aliorum opinionibus infra paſſim adducendis, nos eam *ex primo itinere Macedonico* Epheſum tranſmiſſam argumentis ex ipſa epiſtola depromptis, & curatione tot itinerum Paulinorum computatione inſtituto adſerimus. Fundamentum adſertionis ſuppeditat ipſius Epiſtolæ *caput primum, commate tertio*, Ubi Paulus ad Timotheum: Καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, *Quemadmodum rogavi te, ut remaneres Epheſi, quam proficiſcerer in Macedoniam.* Exinde colligimus *Primo*, quod Epiſtola Timotheo Epheſum fuerit miſſa, & quidem *Secundo* ex iſto itinere, quo, relicto Epheſi Timotheo, Paulus in Macedoniam abierat. At enim vero quum ter eo fuerit profectus, de quo itinere hæc verba audienda ſint, magna lis inter Doctores oritur, aliis *de Secundo*, aliis de *tertio* exponentibus? Sed minus, ut putamus, iſthi omnes commode. Quare ſi rem exactiſſime perpendimus, omnino dicendum, quod non niſi *primo itineri* quadrent, quo poſt acceptum Troades nocturnum monitum, [a] in Macedoniam perrexit, brevi poſt Timothei receptionem, & cum adhuc valde juvenis eſſet, quod Paulus ipſe diſertis verbis innuit, [b] Μηδείς, inquiens, σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, *nemo tuam juventutem deſpiciat*, qua certe ætate tum non fuit, quando *Secundum* multo minus cum *tertium* ad Macedones tenderet Apoſtolus.

III.

Maximis quippe laboribus recens in Aſia conditam, nec ſatis adhuc confirmatam Eccleſiam tanto temporis intervallo, quod iter Macedonicum exigebat, poſt ſe relinquere Apoſtolo, propter ἀποστασίας καὶ ἑτεροδιδασκάλων pericula, non ſatis tutum videbantur, quæ propter, ne Doctore fido prorſus deſtitueretur, interea Timotheum γνήσιον ἐν πίστει τέκνον, Epheſi, in celeberrima iſtius regionis urbe, tanquam in ſpecula quadam religionis curam ſuſcipere voluit, quippe cujus fidem, doctrinæ puritatem, vitæque & morum integritatem, non ipſe ſolum, ſed & alii Aſiæ populi ſatis jam perſpectam haberent, quemadmodum hac de cauſa ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν, hoc eſt: *bonum teſtimonium habebat apud eos, qui Lyſtriis erant*, & Iconii fratres. [c] His itaque inter Paulum atque Timotheum compoſitis (num in ipſa Epheſiorum, vel alia Aſiæ urbe, Troade fortaſſis, ſacer Hiſtoricus non exprimit, & noſtra parum refert?) quo juſſus fuerat, longiſſimum & varium iter per Ægæum mare & Samothraciam Paulus inſtituit, Neapolinque, Philippos & Theſſalonicam, nobiliſſimas Macedonum urbes, cum Sila peragrat. Hunc enim ſecum habuit viæ malorumque comitem, cujus ideo & frequens, nulla vero prorſus Timothei mentio injicitur, propterea, quod hic, uti dictum, per id tempus Epheſi in Aſia ſubſtiterat. Licet autem corpore diſſitus longe & remotus fuerit à νεοφύτῳ ſuo vicario Paulus, nullum tamen dubium eſt, quin animo ſemper habuerit præſentem, & quem cura tum ipſius, tum Eccleſiæ demandatæ valde angebat, de fide & conſtantia admonere, deque amore ſuo certiorem reddere exoptaverit. Non igitur poterat ſe continere, quin epiſtolam

[a] *Act.* 16: 19. [b] 1 *Tim.* 4: 12. [c] *Act.* 16: 2.

Iam hanc nostram in Macedonia exararet, transmitteretque, qua id cum primis agere videtur, ut Timotheo ea, quæ εἰς Μακεδονίαν πορευόμενος tradiderat, in mentem revocaret, aliaque insuper doctrina & morum præcepta, sub abitum non sufficienter tradita planius & uberius inculcaret.

IV.

Hoc itaque Macedonicum iter est, quod citatis verbis innuitur, & ex quo ad Timotheum Epistola Pauli accessit, quod eo magis & evidentius constabit, si in subsequentibus ostenderimus, de nullo reliquorum itinerum Macedonicorum ea posse explicari. Optimus ergo Codex ille vetustissimus est, quem Beza vidit, cujus hæc fuerat subscriptio: ἐγράφη ἐκ Μακεδονίας, scripta est (*scil. epistola prior ad Timotheum*) *ex Macedonia:* teste Friedlibio, [d] & optandum, ut ad hunc nostrates emendarentur. Ast ex qua urbe Macedoniæ? Athanasius, Baronius, Beza, quibus etiam accedit Leusdenius [e] Philippis aut ex alia Macedonum urbe missam autumant; Sed autumant. Nos, quum, scriptura tacente non nisi conjecturis agendum sit, tantum nobis non tribuimus, ut quicquam in re dubia definiamus.

V.

Aliquo post acceptam hanc epistolam tempore, cum dubio procul maximi momenti res variæ Timotheo in Asiæ Ecclesiis obvenissent, longissimumque in Macedonia Paulus tempus traheret, ipsemet in Macedoniam proficiscendi consilium iniisse & Paulum Berrhoæ convenisse videtur, ibidem enim post longa silentia primam historicus sacer istius mentionem injicit [f] Deinceps in reliquo itineris Macedonici Græcique tractu adsidue operas suas Apostolo navavit, factus inter alia ejusdem ad Thessalonicenses legatus, [g] donec tandem cum eo Ephesum in Asiam reverteretur. [h]

VI.

Post hæc bis equidem denuo in Macedoniam abiit, non amplius Apostolus; *Primum* Epheso discedens, postquam ibidem per integros duos annos substiterat, [i] *Dein*, ex Græcia reversus per Macedoniam, γενομένης αὐτῷ ἐπιβουλῆς ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων *cum essent illi structæ insidiæ à Judæis*, [k] Atqui vero ex neutro horum itinerum Timotheo Epistolam Ephesum venire potuisse facili negotio ostendemus. *Prima* enim *vice*, antequam, Epheso Paulus discederet, Ἀπέστειλε εἰς Μακεδονίαν δύο τῶν διακονούντων αὐτῷ, Τιμόθεον καὶ Ἔραστον, *Misit in Macedoniam duos ex iis, qui ministrabant sibi, Timotheum & Erastum* [l]. Altera vero in reditu, per Macedoniam transiens, secum in Asiam Timotheum reduxit. [m] Quod si ergo duobus hisce itineribus eum Epheso in Macedoniam præmisit, & postmodum tam diu secum habuit donec ex Macedonia in Asiam reverteretur, non videmus, quomodo εἰς Μακεδονίαν πορευόμενος ei de manendo Ephesi mandatum dare, & missa abhinc Ephesum epistola ejusdem eum commonefacere potuerit.

VII.

His ita positis nunc facile est, eorum opiniones diluere, qui *de Loco & tempore* scriptæ hujus Epistolæ secus senserunt. Ac primo quidem Chrysostomus [n] toto plane aberrat cœlo, qui eam ad Ephesios scriptæ epistolæ posteriorem facit, sed refutatione ulteriori non opus habet, quum cap. 6: 20. *ep. ad Ephes.* vinculorum suorum mentionem Paulus injiciat, unde apparet, eam Romæ, longe post priorem ad Timotheum esse conscriptam, qui grandis error neminem, quod scio, Patronum invenit. Aliorum sententia est, tum, quum post exantlatum primum iter Macedonicum Epheso abiens Apostolus, [o] Cæsaream, hinc Hierosolymas, relicta Antiochia, porro Galatiam & Phrygiam permearet, in hujus aliqua urbe Laodicea epistolam nostram esse exaratam. Ita enim Paulo Heinr. Bünting. (p) Von Antiochia ist Paulus durch Galatiam gezogen / biß gen Laodicaem in Phrygiam, und hat da die erste Epistel ad Timotheum geschrieben / wie es D. Major in Vit. Pauli, dafür hält. Sed quemadmodum in depingendis, maxime ultimis Pauli itineribus non semel hallucinatus est Büntingius, ita certe & hic humani quid patitur. PRIMO enim secum ipse non habitat, nam alibi [q] adserit, quod Paulus Epheso discedens & iter Macedonicum secundum suscepturus (r) quamdiu post illud Phrygicum Timotheum Ephesi permanere admonuerit, Da nun / *l. c.* die Empörung zu Epheso auffgehöret / rieff Paulus die Jünger zu sich / und segnet sie / Timotheum vermahnet er zu Epheso zu bleiben / und gieng aus / zu reisen in Macedonien. Si ergo hic demum *iter Macedonicum secundum* aditurus de manendo Timotheum Paulus hortatus est, quomodo multo antequam hoc factum, ex itinere Phrygico Laodiceæ horum verborum eum commonefacere potuit? SECUNDO. Phrygium iter [s] his depingitur: Διερχόμενος (scil. Paulus) καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν *Perambulans ex ordine Galaticam regionem, ac Phrygiam*, & inde peragratis aliis superioris Asiæ locis Ephesum rediit [t] Laodiceæ urbis hic nec vola, nec vestigium in itineris percensione comparet. Quis revelavit Büntingio? Conjecturis equidem absit ut nullum in hoc negotio locum tribuamus, *quum* censente Flacio, aliisque summis viris, *à Luca non omnia itinera & acta Pauli conscripta sint*, [u] Sed aptas eas esse oportet, & narrationi sacræ convenientes. TERTIO, quam frivola hæc sint & gratis dicantur, ex supra dictis jam liquido patet, & statim sæpius citatis cap. 1: v. 3. verbis evertuntur, quæ non ex Phrygico, sed Macedonico itinere Timotheo accessisse nostram Epistolam ὀφθαλμοφανερῶς ostendunt.

VIII.

Nimium quantum, nisi fallimur, confisus est bonus vir subscriptioni vulgatæ, quæ ex Laodicea Phrygiæ Pacatianæ perscriptam præ se fert;

Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς.

Ad Timotheum prima scripta est ex Laodicea, quæ est Metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

Approbant hanc versiones Syriaca & Arabica, quare posterior Laodiceam vocat *Matrem urbium Phrygiæ.* Sed satis hactenus demonstratum, quum locus hic cum ipsis epistolæ verbis, scriptionis tempore & itineribus Pauli plane non consentiat, adeoque sublestæ sit, & nullius omnino autoritatis. Quo etiamnum accedit istud, quod non in omnibus Codicibus ea reperiatur, quin & ipsa Phrygiæ *Pacatianæ* appellatio Apostolorum ætate multo sit recentior, & apud istius ævi Scriptores nullibi occurrat; quare etiam Chytræus confitetur, *se nec apud Geographos uspiam, nec apud alios idoneos autores invenisse* [w] similiter Theod. Beza in Commentariis [x] *nusquam*, ait, *hoc epitheton apud illius ætatis scriptores legitur, sed apud recentiores illos, qui Rom. Imperii jam inclinantis Provincias descripserunt, adeo, ut ex hoc etiam loco constare possit, multo post has scriptas epistolas tempore istiusmodi subscriptiones additas fuisse ab aliquibus, plerumque vel indoctis, vel certe non satis attentis.*

IX.

Decepit eadem subscriptio vulgata, cum plures alios, tum quoque Theophylactum, ut per τὴν ἐκ Λαοδικείας ἐπιστολὴν cujus lectionem Apostolus Colossensibus injungit, ad Col. 4:16. hanc ad Timotheum Priorem intellexerit. *Quæ vero fuit*, inquit, *epistola ex Laodicea? Ad Timotheum prima; nam ista ex Laodicea scripta est*, & teste *Hieron. Zanchio* [y] Qui sane pudendus & multiplex error est. Laodicea enim, de qua Paulus ad Colossenses, in Caria ad Lycum amnem sita Colossensibus vicinior, longe alia ab illa est, unde prodiisse debuit epistola ad Timotheum, quas urbes diversissimas Theophylactus pessime confundit. Deinde τὴν ἐκ Λαοδικείας ἐπιστολὴν Theophylactus exponit de epistola à Paulo ad Laodicenses scripta; sed perperam, & contra constantem optimorum Græcorum Patrum atque Interpretum autoritatem, qui potius, juxta planum & simplicem textus Græci sensum, de epistola ἐκ Λαοδικείας ab

[d] *Theol. ex Exeget. N. Test. ad h. l. Quæst. 62. fol. 621.*
[e] *Philol. Græc. Disputat. 22. pag. 184.* [f] *Actor. 17:14.*
[g] *1 Thess. 3:2. Act. 18:5.* [h] *Act. 18:19.* [i] *Act. 19:10.*
[k] *Actor. 20:3.* [l] *Actor. 19:22.* [m] *Actor. 20:4.*
[n] *Homil. 1. cap. 1. Epist. prior. ad Timoth.* [o] *Actor. 18:21.* [p] *in Itinerar. S. p. 83.*

[q] *In Harmon. Evangel. p. 143.* [r] *de quo Act. 20:1.*
[s] *Act. 18:23.* [t] *Act. 19:1.* [u] *ap. Dn. Calov. Bibl. Illustr. annot. ad 1 Timoth. Proœm.* [w] *Onomast. pag. 656.*
[x] *citante Glass. Phil. s. l. I. tr. 4.* [y] *in comm. p. 481.*

ab ipsis Laodicensibus ad Apostolum, alicujus dubii vel consilii ergo, scripta exponunt, ad exemplum scilicet Corinthiorum, [z] quorum quæsitis etiam tota ad eosdem epistola Apostolus respondit.

X.

Sunt & aliqui, qui ante *secundam profectionem Macedonicam* [a] hancce adhortationem Timotheo datam, & post ab Apostolo, in eodem itinere constituto, Epistolam transmissam censent, à quibus non secederemus, nisi obstaret, *primo*, quod Ephesi persistens Paulus Timotheum cum Erasto præmisisse in Macedoniam legatur Act. 19: 22. non ergo potuit eum inde abiturus de manendo admonere. Consentientem habemus Dn. Calovium, qui contra Grotium: *Persistente*, inquit, *Paulo in Asia Timotheus cum Erasto missus ab Apostolo est in Macedoniam. Non ergo adfuit Ephesi Paulo, quum tumultus à Demetrio excitaretur, aut quum sedato tumultu discipulis Ephesi valediceret, Actor.* 20: 1. *proficiscens in Macedoniam, quo præmissus jam erat Timotheus.* [b] *Secundo*, quod post in toto eo itinere Timotheum secum habuerit, usque demum eo & Macedonico Tertio confectis, cum Apostolo in Asiam fuerit reversus. [c] Denique eorum sententia, qui *in Tertia profectione Macedonica*, quam vid. Act. c. l. admonitionem Timotheo hanc datam credunt, facile rejicitur, vel ex eo solo, quod, uti crebrius dictum, Timotheum Paulus tunc secum habuit. Nec est, ut forte quispiam opinetur, *potuisse Timotheum, in Macedoniam licet præmissum, post tamen rediisse Ephesum, ibique admonitum aliquandiu mansisse, & Pauli epistolam post ejus ex Græcia discessum, ubi tribus mensibus substiterat* [d] *accepisse, atque tum demum Epheso ad Paulum rediisse, eique in profectione tertia Macedonica adfuisse. Primo* enim hæc narrationi Lucæ non congruunt, per dicta in antecedentibus. *Secundo* temporis angustia & itinerum longinquitas obstat, quo minus ex Græcia in Macedoniam ire ad Timotheum Epistola, ipseque Timotheus Epheso ad Paulum in Græciam redire potuisset. *Tertio* repugnat & hoc, quod Paulus promittit, se Ephesum brevi rediturum, quod tamen tum temporis ipsum non habuisse in animo ex hinc patet, quia ex Græcia in Syriam & recta via procul dubio Hierosolymas profectus fuisset, nisi ex urgente necessitate, & ob Judæorum insidias consilium mutare opus habuerit.

[z] 1 *Cor.* 7: *v.* 1. [a] *qua v. Act.* 20: 1. [b] *l. p.* 929. [c] *Act.* 20: 4. [d] *Actor.* 20: 2.

XI.

Grotius singulare quid habet, ut fere solet, *adsentior, inquit, putantibus, indicari per iter Macedonicum*, de quo scil. Paulus d. l. *iter illud, quod Actor.* 20: 3. *Ut ex Epheso Timotheus Troada venerit Pauli videndi causa, redieritque mox Ephesum, ubi creditur reliquum vitæ egisse.* Paulo obscurior est, & nescio certe, an Interpretes, quos consuluimus, ejus mentem recte adsequuti sint. Nobis id innuere videtur, *quod ante tertium iter Macedonicum Paulus Timotheo, mandatum in Græcia dederit, Ephesum abeundi, ibique permanendi; quod etiam Timotheus fecerit, & advenitante in Asia Paulo Troadem ad ipsum videndum pervenerit, vers.* 5. *redieritque mox Ephesum, ubi reliquum vitæ egisse credatur.* Ast vero quemadmodum hoc ultimum, quod adserit Hugo, prorsus falsum, & à Dn. Calovio [e] solide confutatur, ita etiam hic quis non στρεβλότητα Grotianam deprehendit? Ea, quæ in superioribus adducta, pro responsione sufficere possent, quibus hæc pauca subjungimus: *primo*, Timotheum indivulsis in itinere hoc Macedonico Pauli comitibus accenseri, cæterisque, qui hos προσελθόντες ἔμενον ἐν Τρῳάδι contra distingui. Actor. 20: 4, 5. Pronomen enim, οὗτοι, quod versum quintum inchoat, [f] proxime præcedentes, Tychicum & Trophimum solos respicit. *Secundo*, quod si adeo brevi ante instantem Pauli reditum Ephesum pervenisset Timotheus, quid opus fuerat, interea tam prolixam epistolam eo præmittere, aut quomodo tam angustum tempus huic missioni sufficere potuisset? *Tertio*, numquid non in Epistola spem facit Paulus ἐλθεῖν πρὸς Τιμόθεον τάχιον *cito venire ad Timotheum*, [g] eo scil. quo tunc commorabatur. At enim vero Actor. 20: 16. expresse habetur: ἔκρινε ὁ Παῦλος (nimirum *in tertio, hoc itinere Macedonico*) παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον, ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι ἐν τῇ Ἀσίᾳ. Ἔσπευδε γὰρ, εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα. *Proposuerat Paulus præternavigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia; Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis.* Quo ergo in itinere non destinaverat Ephesum proficisci, eo etiam adventus sui spem Paulus facere non potuit. Plura addere non opus est, hoc unum restat, ut gratias agamus illi, ὃς δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸ ἀληθινόν!

[e] *l. c. ad h. l. pag.* 931. [f] *Actor.* 20: 5. [g] 1 *Tim. cap.* 14.



M. GEORG.

M. GEORG. HEN. GOEZII
DISSERTATIO
De Magno pietatis Myſterio ad 1 Tim. III: 16.
D. I. C. P. A.

Textus Originalis ex 1 Tim. III: 16.

Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ.

Verſio Theodori Bezæ:

Et ſine dubio magnum eſt pietatis myſterium: Deus conſpicuus factus eſt in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt Gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam.

Verſio B. Lutheri:

Und kundlich groß iſt das gottſelige Geheimnüß / GOtt iſt offenbahret im Fleiſch / gerechtfertiget im Geiſt / erſchienen den Engeln / geprediget den Heyden / gegläubet von der Welt / auffgenommen in die Herrligkeit.

§. 1.



Stenderat hactenus Gentium Doctor, Paulus v. antec. 15. (ad quem vid. *Jac. Gothofredi pec. Exercit. Genevæ 1649. edita, Sebaſt. Schmid. in Coll. Bibl. Poſter. pag. 297. Immanuël Weberus in Diſſert. ad h. l. Lipſiæ 1681. conſcripta*) Eccleſiæ Dei dignitatem, dum illam columnam ac firmamentum veritatis nominaverat, atque inſimul ejuſdem miniſtros ad ſedulam officii curam excitaverat: Nunc in ſubſequenti v. 16. de Magno Pietatis Myſterio agere incipit: Ubi ſtatim non levis difficultas circa connexionem cum antecedentibus oritur. Sunt enim, *dicente Gothofredo, Exerc. in h. l. 1649. Genevæ edita*, qui verba hæc præcedentibus continua ſerie annectenda putant h. m. στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως &c. eo, quod novi argumenti tractatio à Conjunct. καὶ non ſit inchoanda: Hinc *Theodoretus*, in h. l. Apoſtolum iſtud neceſſario tanquam ſermonem dogmaticum ſubjunxiſſe exiſtimat, ἀναγκαίως, inquiens, τὸν δογματικὸν παρεισήγαγε λόγον. Sunt etiam, qui voculam καὶ hic ἐξηγητικὴν, declarativam ſ. explicativam, in ſenſu tamen conjuncto poſitam, putant, & h. m. ad vocem ἀληθείας referunt, at ſi nunc Apoſtolus iſtius veritatis excellentiam oſtendere velit, cujus στύλον καὶ ἑδραίωμα ante dixiſſet Eccleſiam. Sunt denique voculam καὶ hic ſubordinatorum ἑνωτικὴν ſ. unitivam, & prioris αὐξητικὴν ſive auctificam ſtatuentes, eam non verborum filo præcedentibus annectendam, ſed iiſdem, ut integri novique axiomatis initium, rerum ordine tantum ſubſtituendam eſſe aſſerunt, ut ſic Doctores & doctrina, ceu עֵץ וְלַחְמוֹ *arbor eſt ejus eſca*, juxta Adagium Propheticum Jer. 11: 19. conjungerentur. Et hæc quidem ſententia videtur eſſe omnium optima, quoniam evidentem hujus & præcedentis verſus per commata & cola diſtinctionem habet oppido congruentem. Et præterea poſt arduam Epiſcopalis Officii commendationem Religionis Chriſtianæ vel aliqua ſaltem neceſſario facienda erat mentio, cum hæc illius præcipua cura ac unicus ſcopus eſſe debeat. Deinde merus quoque Paralogiſmus eſt, velle ſtatuere, verſiculum à vocula καὶ incipientem non novum axioma inchoare, ſed jam tum inchoatum modo continuare poſſe, quia ejus contrarium vel ex unico loco parallelo Joh. 1: 14. pateſcit ad oculum, ubi hæc particula καὶ myſterio Deitatis ſive Theologiæ, myſterium Incarnationis ſive Oeconomiæ addit. In Scriptura S. inſuper non ex nuda verborum ſerie debita periodorum ac commatum connexio eruenda, ſed ex evidenti potius rerum ac doctrinarum ordine dijudicanda eſt, qui & hic nonnullis ſuppeditavit cauſam, cur hunc 16. cap. 3. verſiculum voluerint eſſe initium cap. 4. In Novi tandem Fœderis libris vel mediocriter verſatos minime latet, Græcorum καὶ æque ac Latinorum &, ac Hebræorum ו, varie efferri atque accipi, cum unumquodque ſit promiſcuum vocum ac rerum vinculum. Uti proinde ex diverſa commatum & colorum diſtinctione, ita & ex diverſa vocum ac rerum qualitate hujus vinculi vis deſumenda eſt, an ſc. ſit διαζευκτικὴ, ſive *disjunctiva*; an ἐναντιωτικὴ ſive *adverſativa*; an ἐξηγητικὴ, ſive *explicativa*, an ſit denique ἑνωτικὴ, ſive *unitiva*, & prioris αὐξητικὴ, ſive *auctifica*; an vero ſit alia, *ex Flacii Clavi Script. & Paſ. Lex.* facili negotio cognoſcenda. Id ſi & hic fiet, patebit ſtatim, voculam ſive particulam, καὶ, nunc non eſſe ſimplicem & vulgarem illam copulam ſive σύνδεσμον nec meram eſſe ἐξηγητικὴν τῆς ἀληθείας, ſed eſſe ſpeciali ratione συνδετικὴν, ἑνωτικὴν, & antecedentis αὐξητικὴν, adeoque κώλου ὁλοκλήρου novique axiomatis initium. Hac Textus cohæſione & ſignificatione particulæ, καὶ, oſtenſa, jam porro contemplemur ponderoſa prorſus atque emphatica Apoſtoli verba, quibus Magnum iſtud Pietatis Myſterium exponit.

§. 2. Eſt vero illorum nunc primum ὁμολογουμένως, quod compoſitum Adverbium Philologus non incelebris, *Eraſmus Schmidius in Not. ad h. l. pag. 1244.* à compoſito verbo Activo ὁμολογέω per Paſſivum ὁμολογεῖσθαι & Participium ὁμολογούμενος derivat, idque, autoritate *Xenoph.* convenienter ac conſentaneè ſignificare dicit, da man nichts darwieder zu reden habe. Eadem Adverbii iſtius derivatio non modo in *Lex. Paſ.* apparet, ſed & ibi p. m. 433. nervoſe atque eleganter de ſignificatione verbi ὁμολογέω ſcribitur, quod ea in mutua ſtipulatione proprie obtineat, eam certa reſponſione ratam faciendo, quod eſſet ὁμολογεῖν, quaſi, ὁμοῦ λέγειν, ſimul dicere, affirmare, aſſentiri, & confeſſione ſua ſe ad præſtandum obligare; deinde vero per Speciei Synechdochen generalis fiat, & promittere, confiteri ac profiteri, denotet. Quam Synechdochicam ſignificationem & ab iſto verbo derivatum adverbium h. l. retinet, dum certiſſimæ ac indubitatæ rei index eſt, & à *Johan. Caſp. Suicero in Theſ. Eccleſ.* Tom. 2. p. 479. redditur: *omnium confeſſione, manifeſte, citra controverſiam, indubitanter, liquido, profecto*; & à veteribus Gloſſis: *ſane, vero, confeſſo.* Quoad ſenſum proinde ὁμολογουμένως idem eſt cum ἀναντιῤῥήτως, ἀναμφιβόλως, οὐ ζητουμένως, ut explicat Chryſoſtomus in h. l. dicendo ἀναμφίβολον ἐστιν, abſque ulla quæſtione indubitatum eſt. Iſtud vero adverbium hoc in loco ab Apoſtolo ſecretiori ſenſu fineque eſſe poſitum pro ἀξιοχρέω εἰς πίστιν, ad diſcrimen videlicet eorum, quæ de ſacris ac myſteriis ſuis ſcriptores Græci afferebant, doctiſſimus *Gothofredus loc. cit.* ex *Diodoro Siculo, Pauſania, Luciano, Ariſtide, Iſocrate* ivit demonſtratum. Quod igitur in præſentiarum Apoſtolus dicit: ὁμολογουμένως, tale eſt, ac ſi dixiſſet, veritatem eſſe certiſſimam, omniumque conſenſu receptam ac approbatam, atque ſic vere magnum pietatis adeſſe myſterium: nam ad utrumque ὁμολογουμένως referri poteſt, & ad myſterii certitudinem ſ. veritatem, & ad ejuſdem magnitudinem ſ. majeſtatem. Græcas quidem Religiones, *Greg. Nazianz. Orat. 39.* quæ eſt εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων, *p. 625. temporis præſidio ac ope fulta & fabulis furtim obtecta myſteria* nominat: Hoc autem Pietatis Myſterium Apoſtolus Paulus non ex antiqua quadam temporum traditione, ſed ex unanimi totius Chriſtianæ per orbem terrarum ſparſæ Eccleſiæ conſenſu ὁμολογουμένως verum dixit. Traduntur quidem & in humanis artibus ac diſciplinis ὁμολογούμενα, *i. e. prima evidentiſſimaque principia* ἀναπόδεικτα ſ. *indemonſtrabilia*, quæ, ob nimiam evidentiam, omnium aſſenſum merentur, qualia Mathematici dignitates & pri-

primas veritates vocant. Est insuper & Theologiæ certissimum atque integerrimum cognoscendi principium; & tamen de aliquibus istius partibus etiam à magnis quibusdam Patribus interdum fuit dubitatum, unde & vetus illa ap. *Eusebium* reperitur distinctio inter libros ὁμολογουμένους, & ἀντιλεγομένους, quibus aliquando sic contradictum est, ut non ab omnibus referantur inter βιβλία ὁμολογούμενα: Hoc autem Magnum Pietatis Mysterium nunquam ullis fidelibus fuit ἀντιλεγόμενον, sed semper ὁμολογούμενον, & tale, quale ap. omnes certa, integra, communi, constantique veritate mansit in confesso; uti id etiam *August. Varenius, Disp. in h. l.* 1681. *Rostochii edita*, adducit. Hinc & noster Paulus 1 Tim. 1:15. & cap. 4:9. pulcherrimum hujus ὁμολογουμένου parallelismum faciendo dicit: πιστὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, & statim dicto v. 15. ὅτι ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον. It. πιστὸς λόγος, 1 Tim. 3:1. 2 Tim. 2:11. ad Tit. 3:8. quibus locis omnibus proscribuntur tum inanis Philosophorum veritas, qua una cum virtute ζωῆς ἀνθρωπίνης κάθαρσιν καὶ τελειότητα perfici volebant: tum incertæ Gentilium traditiones & narrationes, adeoque Theologia Gentilitia omnis sive Physica ea sit, Philosophorum ἀλλήλοις μὴ συμφωνούντων, sive Mythica, sive Politica, (*de qua Theol. Gentilis distinctione conf. Aug. lib. 6. c. 5, 6, 7. de Civ. Dei, & J. Conr. Dannh. in Hodosoph. p. 12.* aliique) Hæc enim, cum omni plane veritate careat, contradictionem admittit, & passim ab Apostolis aliisque Ecclesiæ Christianæ Doctoribus eadem ratione, ac hic voce, ὁμολογουμένως, tacite reprehenditur atque rejicitur.

§. 3. Μέγα ἐστὶ. Egregio hoc orationis incremento rem hanc σεμνύνων merito commendat atque amplificat Apostolus dum μέγα pro μέγιστον μυστήριον, nominat, (uti μεγάλη ἐντολὴ, pro μεγίστη, est ap. Matth. 22:36, 38.) priusquam veritatis hujus ὁμολογουμένης specialiorem explicationem ac demonstrationem ingreditur. Et hic quidam existimant, Apostolum hoc Pietatis Mysterium appellare Magnum respiciendo ad ritus gentilitios, ubi non tantum *Numina quædam* μεγάλα, seu *magni Dii*, ut in Eleusiniis mysteriis *Ceres & Proserpina*, μεγάλαι θεαὶ, & in ipsis Athenis μεγάλη *Diana*, Act. 19:27. verum etiam varia sacra solennia ἱερὰ μεγάλα dicta fuerunt. Cum vero hoc Pietatis Mysterium Gentilia illa Sacra ac Numina infinitis parasangis post se relinquat, utpote de vero magnoque Deo agens, qui *juxta Rom.* 9:5. sit ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, imo μέγας Θεὸς, *ad Tit.* 2:13. ideoque id Apostolum insigni laude ac magnitudinis elogio efferre, atque ab illis fictitiis falsisque mysteriis hic discernere voluisse autumant, *uti hæc & alia plura hac de re Jac. Gothofredus loc. cit. & Joh. Meursius in pec. de Mysteriis Eleus. libro* all. à *Joh. Jac. Müllero* in dissert. *de Veterum Lychnokaa atque Lampadephoria*, Jenæ 1667. ventilata §. 17. adducunt.

§. 4. Τὸ Μυστήριον. Variæ atque distinctæ istius vocis derivationes passim apud Autores, *Clem. Alex. in Protreptico, Eusebium lib. 2. Præpar. Evang. Vossium in Etymolog.* occurrunt: genuinam tamen atque optimam ejus originem petendam esse vel à μύω, *os claudo, comprimo*, vel à μύζω, *mussito, labiis occlusis per nares vocem edo*, vel denique à μυέω, *in Sacris instituo, arcanam doctrinam trado*, nos præter *Paf. in Lex. p.* 474. *Joh. Casp. Suicer. in Thes. Eccles. Tom.* 2. *p.* 381. *Erasm. Schmid. in Not. ad h. l. p.* 1246. inprimis docuit *Celeber. Dn. D. Olear. in Exerc. Philolog. super Epist. Dom.* 3. *Adp. posit.* 4. *p.* 19. Sic autem à μυέω derivatum μυστήριον Latine haut inconvenienter per Sacramentum reddi potest, quia & hujus etymi respectu omne mysterium est sacramentum, & hæc vox nec Latio barbara, nec à Græcorum μυστηρίῳ aliena est, cum & in illo *juramentum militare* appelletur, *sacramentum*, & Græcis tale juramentum, s. ὅρκος στρατιωτικὸς, dicatur σεμνὸν μυστήριον, *venerabile mysterium*. Nec minus, quia in omni mysterio involvitur arcanum, μυστήριον secundariam arcani significationem obtinere potest, uti illud Monarchicum Regis Somnium, & ejus interpretamentum, in quo & ipso dabatur arcanum s. *mysterium Evangelicum*, quod à *L X X. Virali* μυστήριον, & ab *Interp. Vulgato sacramentum* dicitur; *vid. Dan.* 2:18, 19, 27, 28, 29, 47. *cap.* 4:6. His tamen duabus appellationibus præstat *Mysterii* vocabulum, quod Latina Lingua à Græca jam dudum mutuo accepit. Omne enim mysterium arcanum est, & sic sacramentum: sed non contra omne arcanum & sacramentum est mysterium. Et hæc quidem vox ap. priscos gentiles de reconditis quibusque sacris, altoque oris silentio tegendis, imo κατ' ἐξοχὴν de occultissimis Eleusiniorum sacrorum ritibus actibusque paucis innotescentibus, adhibebatur, cujus rei testes *Gothofredus loc. cit. Clem. Alex. ad Gentes Stephan. in* ἄγρας, *Eustathium in Iliad.* β adducit. Cum igitur & in eadem Attica, ubi Paulus hanc suam Epistolam scribebat, ejusmodi mysteria celebrabantur: hinc ab ista gentili superstitione hanc vocem in rem ac religionem Christianam transferebat sæpius; Præter hunc enim locum eadem hæc vox, (si quibusdam manuscriptis credimus) nam vulgo ibi est vox μαρτυρίου) & *cap.* 2:6. & hoc ipso *cap.* 3:9. imo ap. unicum Paulum viginti, & in toto Novo Test. septem supra viginti locis reperitur. Est, ubi hæc μυστηρίου vox rem sacram, latentem, humanumque sensum & intellectum excedentem, innuit, ut λαλεῖν μυστήρια, 1 *Cor.* 14:2. λέγειν μυστήρια, 1 Cor. 15:51. Sic *Rom.* 11:25. de Excæcatione Judæorum, & *Ephes.* 1:9. *c.* 3:3, 4, 9. de Prædestinatione hominum extat. Est &, ubi hæc eadem μυστηρίου vox, occulta ac mystica ratione, aliquid aliud innuit; uti enim Matth. 13:11. Marc. 4:11. & Luc. 8, 10. in parabola, è re rustica petita, rem arduam & ad Cœli regnum pertinentem denotat, & *Eph.* 5:31, 32. conjugio maris ac fœminæ mysticam Christi & Ecclesiæ unionem designat: ita vicissim 2 *Thess.* 2:7. τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας velatam atque occultam iniquitatem Anti-Christi indicat, cujus, tanquam meretricis Babylonicæ, fronti nomen, μυστήριον inscriptum dicitur *Apoc* 17:5. Sic & *Josephus lib.* 1. *de Bello Judaico, cap.* 17. de Antipatro, filio Herodis, bipedum sceleratissimo dicit: τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας μυστήριον, h. e. non erraverit, qui dixerit, vitam Antipatri fuisse malitiæ mysterium, i. e. malitiam occultam, profundam, altissimisque radicibus fixam. Est denique, ubi eadem totam Evangelii Christi doctrinam denotat, e. gr. *Rom.* 16:25. 1 *Cor.* 2:7. *Eph.* 6:19. *Col.* 1:26, 27. *c.* 2:2, 3, 4. 1 *Tim.* 3:9. ut & hoc ipso præsente loco, ubi incarnatio Christi, & quæ sequuntur, appellantur Magnum Pietatis Mysterium. Quod ut ab aliis, quæ vel *juxta* 1 *Cor.* 13:2. varia sunt, mysteriis eo facilius atque accuratius possit discerni, signatur in Græco Textu Articulo τὸ, qui, uti ab Orientalibus Interp. in translatione; ita & à nobis in expositione merito attenditur, ceu maximæ dignitatis ac sublimitatis indicium. Licet enim dignitas atque sublimitas hujus Mysterii in *Prædicato* per illud ὁμολογουμένως μέγα satis expressa videri poterat, in *Subjecto* tamen quoque erat indagitanda, ut constaret, proponi hic illud eminentissimum τὸ τοῦ Χριστοῦ μυστήριον, Col. 4:3.

§. 5. Τῆς Εὐσεβείας. Est hæc vox à σέβω l. σέβομαι, *veneror, colo, adoro*, derivatu non difficilis. Uti enim ab illo 2 Thess. 2, 4. τὸ σέβασμα, *numen*, Act. 17:23. τὰ σεβάσματα, *sacra*, & σεβαστὸς, *venerandus*, quod Act. 25:21. Imperatori Romano tributur, quem Latini ex Luc. 2:1. *Augustum* vocant: ita & mediantem Adverbio εὖ, *bene*, εὐσεβὴς, εὐσέβεια & εὐσεβέω dicitur. Qua igitur ratione Paulus ad Tit. 1:1. agnitionem veritatis dicit κατ' εὐσέβειαν: eadem & hic præcipuas Christianæ Religionis partes τῆς εὐσεβείας μυστήριον vocat. Id vero iterum, *juxta Gothofredi Exercit. in h. l.*, facit tacita quadam ἀντιθέσει (1) ad eximias Gentilium virtutes respiciendo, quarum fons καὶ ἀρχηγὸς erat εὐσέβεια, qua, uti & ἀλήθεια, perfici volebant Pythagorici τῆς ζωῆς ἀνθρωπίνοις κάθαρσιν καὶ τελειότητα. (2) Ad multiplicia eorundem mysteria, quæ falsa, vel nullius pietatis erant, ut *Sophocles* ipse Tragicus ap. *Clem. Alex. Admonitione ad Gentes*, agnoscebat. Et tandem (3) in specie ad Mysteria Eleusinia, quibus & ipsis nulla veræ pietatis ratio, nullusque veri Dei cultus inerat, sed quæ, *teste Cic. lib.* 2. *de legibus*, tantum ad vitam & humanitatem corrigendam facere debebant. His nimirum Mysteriis omnibus, quæ ad pietatem ducere falso tradebant Gentiles, & quidem amplius, quam ulla alia, Apostolus opponit ac præfert magnum veræ εὐσεβείας Mysterium, quod in Ecclesia Dei obtinet, & hæc isto in loco εὐσεβείας vox *Objective* solius Dei, *Subjective* vero hominis est, ipsius autem mysterii (1) *efficienter*, quatenus id in Evangelio propositum, non nudam μόρφωσιν εὐσεβείας, 2 Tim. 3:5. sed ipsam εὐσέβειαν operatur, 2 Pet. 1:3, 6. 1 Tim. 5:6. (2) *materialiter*, quatenus e. c. Deus *in carne manifestatus*, materia circa quam vel objectum est talis εὐσεβείας. (3) *formaliter*, quatenus in se adeo sublime arcanum & venerabile est, ut cognoscibile non sit illis, qui sunt ἀσεβεῖς. conf. Judæ vers. 4. & seq. 1 Cor. 2:14. sed solis, qui sunt εὐσεβεῖς 2 Petr. 2:9. qui sectantur εὐσέβειαν 1 Tim. 6:11. imo *ambulant* ἐν εὐσεβείαις s. veris & seriis *pietatis & cultus religiosi* exercitiis, 2 Pet. 3:11. (4) *finaliter*, quatenus finis, prout *gratiæ salutaris*, ita & hujus *mysterii & φανερώσεως* Dei *incarnati* est, *impietatis* s. ἀσεβείας *abnegatio* & παιδεία τοῦ εὐσεβῶς ἐν Χριστῷ ζῆν s. *institutio ad vitam piam in Christo* conf. Tit. 2:12, 14. 2 Tim. 3, 12. Id quod & *Varenius in h. l.* observavit. Est enim hoc Pietatis Mysterium, ratione finis, fructus & effectus, veræ εὐσεβείας, πίστεως, τοῦ θελήματος, τοῦ εὐαγγελίου, τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν quæ omnia ad sincerum pietatis cultum, fructumque exinde longe maximum pertinent & perducunt.

§. 6. Θεὸς. Multiplices vocis hujus derivationes, cum angustæ hæ pagellæ non capiant, ap. *Vossium, Joh. Fungerum, Martinium*,

nium, *Christian. Becmannum*, *Suicerum*, *Pasorem* aliosque Scriptores Etymologicos, possunt videri. Ut ut vero multipliciter deducatur, Philologo tamen haud incelebri, *B. Dieterico in Antiquit. Bibl.* N. T. p. 373. videtur probabile, vocem hanc esse primitivam, ac statim in Babylonica linguarum confusione suam habuisse originem. *Cum enim*, inquit, *ædificatores illius turris non essent plane athei*, *in confusione ante omnia mentionem Dei propter admirationem ejus*, *qui ipsis hanc pœnam immiserit*, *fecisse credibile est*, *ut qualibet natio in sua lingua vocem Dei acceperit ab eo Autore*, *qui confusionem pœnæ loco imponebat*. Et hoc quidem Θεὸς *proprie nomen Dei essentiale* est, uti *Magnif. Dn. J. A. Quenstedius in System. Theol. pag.* 181. ostendit; quandoque tamen *improprie* variis rebus ac creaturis tribuitur. Sic Dii falsi s. idola 1 Cor. 8: 5. οἱ λεγόμενοι Θεοὶ, ad Gal. 4: 8. οἱ μὴ φύσει ὄντες Θεοὶ, & 1 Cor. 10: 20. disertis verbis δαιμόνια appellantur; quandoquidem & ipsimet diabolus 2 Cor. 4: 4. per Metaphoricam Catechresin Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου appellatur, quoniam à reprobis, uti & venter ipsorum, Phil. 3: 19. pro Deo habetur & colitur. Sic & Magistratus, non quidem natura, sed ratione divini, quod gerunt, officii, in plurali numero Dii appellantur, quando Christus ex Ps. 82: 6. Joh. 10: 34. inquit: ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε. Hoc vero loco idem vocabulum *proprie*, non quidem essentialiter κοινῶς, sed relative ὑποστατικῶς pro ipso Dei filio, vel pro natura divina, in solius Filii Dei persona relate considerata, accipitur, indicatque personam hanc perfectam Dei habere essentiam, *uti Joh.* 1: 1. Vice autem versa *nomen aliquod Personale* interdum *essentialiter* accipitur, & unam veramque ex tribus Deitatis personis, unam essentiam & mutuam περιχώρησιν habentibus, personam nominando omnes insinuat, uti nomen *Patris* in Oratione Dominica. Quo autem essentiale hoc *Dei* nomen in nostro Textu Deitatis Christi evidentissimus Character atque index esset, Satanas perferre non potuit; hinc omnibus id egit viribus, ut vocabulum, Θεὸς Textui ab aliquo male insertum, & inde eradicandum esse, Christianis persuaderet. Ad quod obtinendum mira quædam in vocis istius omissione interpretum veterum, Occidentalium & Orientalium, conspiratio magnam suggessit præsumptionem. Ex qua non levis deinceps Ecclesiæ Dei concussio atque tentatio orta est, dum & aperti hæretici, acerrimique deitatis Christi hostes, Sociniani, & post Erasmum Grotius, hinc inde Socinianorum collusor, ille antecessor, hanc præsumptionem valde exaggerabant, eaque renascituræ hæresi sternebant viam; uti id *ex Varenii Disp.* 1681. *Rostochii in h. l. edita*, liquet. Præsumendum vero haud est, insertionem istam à Macedonio vel Nestorio fuisse susceptam, cum nomen, Θεὸς, hoc in loco ipsorummet jugulum petere potuisset: sed potius credendum est, vocabulum hoc sive ab his, sive à Photino, utpote cujus hæresi maxime obstabat, in quibusdam Codicibus fuisse expunctum, aut saltem de fide & veritate lectionis suspectum redditum; ut adeo non insertio, sed expunctio istius vocabuli debeatur mysterio ἀνομίας jam inde ab Apostolorum temporibus in adulterandis Classicis Scripturæ locis operoso. Ad obtinendum enim, hic *magnum pietatis mysterium* dici *in carne manifestatum*, aut expungendum erat in primo versus membro illud ἐστὶ, ut legeretur: καὶ ὁμολογουμένως μέγα τὸ εὐσεβείας μυστήριον ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, vel inserendum illud, ὃ, Articuli postpositivi, in neutro genere, character, velut vicarium nominis μυστήριον, ὃ ἐφανερώθη, s. *quod apparuit in carne*, quorum cum illud durius videretur, placuit posterius, & sic cum hæretice expungendo, tum perfide inserendo, vis illata Textui est. Præter istum vero verborum positum huic Textus depravationi non modo ipsa res, verum etiam subsequentium prædicatorum, præcipue primi & sexti, natura obstat. *Apparere* enim *in carne*, & *sursum recipi in gloria*, non potest non personæ Filii Dei competere, quia 1 Joh. 4: 3. *omnis Spiritus, J. C. in carnem venisse, negans, habetur Spiritus Antichristi*; & Marc. 16: 19. de Christo *ascendente* idem ἀνελήφθη extat: imo & collatio vetustissimorum manuscriptorum Græcorum, quorum XVI. (*B. Colov. Tom. 2. Bibl. Illustr. dicit XVII.*) consonantia, & vocabulum Θεὸς hic exprimentia è Bibliotheca Regia Parisiensi habuit, & in editione Græca regia expressit *Henr. Stephanus*. Textus nostri integritati favet; quandoquidem & *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus* aliique Patres Græci Θεὸς hic semper legerunt, & constanter retinuerunt. Quot & quantæcunque igitur contrariæ versiones reperiuntur, easdem tamen omnes Textui Authentico oportet cedere. Sic enim *August. l. 1. de doctr. Christ. Ad exemplaria Hebræa & Græca recurrendum, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Et Hier. Ep. ad Lucin:* Ut Veterum Librorum fides de Hebræis voluminibus est judicanda: ita Novorum Græci sermonis normam desiderat. Cum proinde in aureolo hoc Apostolico vocabulum Θεὸς Textui Græco non ab aliquo hæretico inditum, sed genuinum atque Apostolicum sit, hæc evolvendi opera hic non frustra erit suscepta.

§. 7. Ἐφανερώθη. Pulcherrime mysterio incarnationis hæc Græca vox militat, parallela Hebrææ, גלה, & alibi quoque in Scriptura S. peculiari quodam modo Christo attributa, ut 1 Joh. 1: 2. eodem incarnationis respectu, & c. 3: 5. 8. quando de causa finali apparitionis & manifestationis istius in carne agitur, it. Marc. 16: 12, 14. & Joh. 21: 1, 14. respectu resurrectionis. In *laxiori* quidem significatione φανερόω manifestationem cujuslibet rei a Deo factam indigitat, ut etiam illa à Deo *revelata* dici queant, quæ lumen naturæ ostendit, e. gr. γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, ad Rom. 1: 19. in *strictiori* autem significatione denotat *manifestationem divinam supernaturalem*, alias absolute *Revelationem* dici solitam. Apostolus igitur Magnum hoc Pietatis mysterium sex τεκμηρίοις καὶ ἀποδείξεσι, quoad magnitudinem, majestatem ac veritatem, specialius & καθ' ἕκαστα in sequentibus ostensurus, in eadem strictiori significatione ἐφανερώθη concretive de Filio Dei adhibet, eoque elegantem orationis partitionem ac gradationem incipit. Facta autem est hæc φανέρωσις s. manifestatio per unionem hypostaticam divinæ & humanæ naturæ ad unum idemque ὑφιστάμενον, ut à nobis per hanc hypostaticam unionem, ceu per factum collyrium, oculis pene ipsis divinitas cerneretur; *quam præclaram similitudinem B. August. in Tract. 3. in Evang. Joh. habet.* Hæc proinde φανέρωσις, peculiari hoc modo solius Christi, prout illa φανέρωσις ἀγάπης in hac φανερώσει, vel *missione Filii in carnem*, οἰκονομικῶς character Dei Patris est, 1 Ioh. 4: 9.

§. 8. Ἐν σαρκὶ. Peculiaris sc. istius φανερώσεως, s. ἐπιφανείας & παρουσίας modus, quo Deus sui videndi copiam fecit mortalibus, consistit ἐν σαρκὶ, *in carne*. Variis vero modis vox σαρκὸς s. *carnis*, in Scriptura S. solet accipi; mox ponitur κυρίως pro *solo corpore*, *Luc.* 24: 39. mox pro *carne ossibus ac nervis contradistincta, Ioh.* 10: 11. *Hebr.* 12: 9. mox μεταφορικῶς pro *corrupta hominis natura, Ioh.* 3: 6. *Rom.* 8: 1, 3. Hic vero æque, ac *Ioh.* 1: 14. συνεκδοχικῶς pro *toto homine*, s. pro *natura humana individua, integra, anima & corpore organico constante*, ad admirandam Filii Dei συγκατάβασιν adumbrandam ponitur. Atque hæc vocabuli istius significatio in Utriusque Fœderis Libris haud rara est, uti è collatione Gen. 6: 13. Es. 40: 5. Ioël. 2: 28. Ps. 65: 3. Rom. 3: 20. 1 Ioh. 4: 23. apparet. Dicit quidem *Servius in Not. ad lib. 7. Æneid.* de Diis Gentilium, quod se propter mortalium oculos corporibus induerint, cum voluerint videri: id vero absque vera carne factum esse, testatur turba Lystris in Lycaonia, viso Pauli miraculo, Act. 14. 11. exclamans: οἱ Θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. Hinc Christi in carne ἐπιφάνεια ab hujusmodi apparitionibus omnibus plane diversa est, quia non in nudo quodam corporis *schemate*, nec in assumta ad tempus per quandam παράστασιν externa corporis humani specie, nedum in *nube*, vel *rubo ardente*; (quales ὀπτασίαι vel φανερώσεις in V. T. fiebant) sed in carne ita manifestatus est, ut sese è divinæ majestatis suæ solio in carnis humanæ vilitatem quasi demiserit, juxta Hebr. 2: 14. cap. 4: 15. Phil. 2: 7. Præsenti igitur in loco ἐν σαρκὶ cum quadam mortalitatis, atque miseriæ insinuatione ponitur; inde & D. Petrus 1 Epist. cap. 3: 18. & cap. 4: 1. Christum carne passum ac mortuum dicit; & D. Paulus ad Statum Exinanitionis Christi respiciendo Hebr. 5: 7. de Christo ita loquitur, ac si jam non amplius sit in diebus carnis suæ. Sensus proinde Apostoli talis est: Deum in humana natura, eaque miseriis obnoxia, à se assumta, palam ab hominibus visum, & cum iis conversatum esse, juxta illud Joh. 1: 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ.

§. 9. Ἐδικαιώθη à δίκη, δίκαιος & δικαιόω descendens hic itidem de Filio Dei *concretive* prædicatur, uti superius ἐφανερώθη. Cum enim Deum & hominem simul ἐν σαρκὶ esse viderentur ἀσύστατα, Apostolus hoc dubium remoturus, Deum vere in carne manifestatum, externisque hominum oculis ac sensibus exhibitum esse, aliis insuper argumentis confirmat, inter quæ primum est δικαίωσις. Quemadmodum vero verborum in όω, ex nominibus in os formatorum, ea est vis, ut significent efficere id, quod nomen significat: ita & δικαιόω ex originali sua proprietate significat, *justum efficio*, sive *justifico*, quod diversis modis fieri potest. Sic, hoc loquendi modo è foro petito, hominem peccatorem *imputative* coram Deo *justificari*, sive *justum effici*, idem Apostolus, cum alibi, tum in specie Rom. 4. edocet. Sic ab intentata actione atque accusatione; sive à δίκη scripta liberari, i. e. von der Anklage loßgesprochen / *justus ac innocens pronunciari*, Matth. 12: 37. Luc. 18: 14. Act. 13: 39. Rom. 6: 7. idem, ac *justificari* significat. Sic semetipsos

metipsos opinione sua falso justos reputare, Luc. 16:15. Pharisæi dicuntur. Sic denique Deus per justitiæ suæ laudationem & approbationem Luc. 7:29. & Rom. 3:4. ex Ps. 51:6. & Ps. 116. 11. justificari dicitur. Nec alio quoque sensu Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ hic ἐδικαιώθη appellatur, quam quia veræ divinæque justitiæ laudes in mundo per miracula sua consecutus est, dum adversus varias hostium calumnias & machinationes in omnibus circumstantiis pro vero Messia fuit agnitus. Varias cæteroquin diversasque Patrum in hunc locum sententias vide in *Jac. Gothofredi Exercit. p.* 113. & 114. prolixe recensitas. Quod vero hic breviter à Paulo recensitum est, id omne Petrus Act. 2: 22. expressit plenius. Hæc nimirum est illa Christi justificatio, de qua in ipsius persona jam olim Es. 50. 8. dixerat: juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi?

§. 10. Ἐν πνεύματι vero justificationis istius modus ab Apostolo constituitur, addita præpositione ἐν, pro simplici πνεύματι, vel more Hebræorum, vel pro διὰ, *per*, ut alibi, vel pro κατὰ, i. e. *secundum spiritum*. Τὸ πνεῦμα τοῦ Homonymiam ac varias significationes proposuit, inquit Tabula Synoptica expressit *Erasmus Schmidius* ad Lucæ cap. 24: 37. à p. 637. ad 640. Non autem Christus sic ἐν πνεύματι justificatus est, quod ab initio statim suæ conceptionis à Spiritu S. justus effectus nullum unquam admiserit peccatum, uti *Theodoretus, Primasius, Sedulius*, aliique in hunc locum commentati sunt. Neque sic, quod totum incarnationis mysterium, ceu eximiæ charitatis opus, Spiritui S. tribuendum sit; multo minus autem, quod Christus in Spiritu Deus, & in carne homo sit, quia hæc quorundam veterum interpretatio aperte falsa, imo hæretica est? Sed ἐν πνεύματι Christus per testimonia ipsi in nativitate, baptismo, innumerisque miraculis, virtute Spiritus S. editis, de cœlo perhibita, sic justificatus est, ut undique vera ipsius deitas hominibus à Spiritu S. afflatis atque illuminatis innotuerit. Ita enim (*juxta B. Colov. sententiam in Bibl. Illustr. Tom. 2. p.* 963. per Metonym. Causæ Effic. pro Effectu, πνεῦμα h. in l. sumendum est, uti 1 *Cor.* 2:4. ab eodem Apostolo, ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως dicitur. Et ad hunc justificationis modum Christus ipse *Matth.* 12:22. provocat, dicendo; Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια. Sic etiam *Rom.* 1:4. dicitur, Christum declaratum esse Filium Dei ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, & 1 *Petr.* 3:18. Christus dicitur ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι, φανέρωσις quidem, s. ἐπιφάνεια Dei ἐν σαρκὶ corporeis oculis fuit exposita; δικαίωσις vero ejusdem ἐν πνεύματι, non nisi mentis oculis fuit aspicienda, sic, ut incarnatus Deus ab iis tantum recte fuerit agnitus, quorum intellectui gratiosum Spiritus S. lumen affulsit. Quamvis enim saniores Ethnici de Deo scirent ac prædicarent quod is oculos effugeret, cognitioneque visendus esset, uti satis sapienter *Sen. lib.* 7. *Natur. Quæst. cap.* 30. *p.* 795. scripsit, rectum tamen integrumque intellectus à Spiritu Dei afflati judicium ipsis deerat, quo minus ἐν πνεύματι justificatum Deum recte agnoscerent. Sic igitur Deus in diebus carnis suæ per & secundum Spiritum justificatus est, ut neglecta omni rationis subtilitate, per supernam illuminationem ab hominibus agnosci potuerit.

§. 11. Ὤφθη ab inusitato ὄπτω, pro quo usitate ὀπτάνω vel ὄπτομαι active dicitur; at ὄμμαι & ὤφθην passive usu veniunt, significat *visus est, apparuit*; & in translatione ad animum ac spiritum facta, ὀπτεσθαι, ὀφθῆναι, sicut ὁρᾶσθαι & θεωρεῖν, est *liquido agnoscere, scire & intelligere.* Uti vero ap. Hebræos videre non ad visum tantum, sed ad omnem cognoscendi modum refertur: ita & hic, juxta *B. Calov. Bibl. Illustr. Tom.* 2. *p.* 967. Emphasis vocis ὤφθη plus, quam meram & puram mentis notitiam infert, & non tantum cognitionem Dei notat, sed & visionem Dei in carne conspicui facti indigitat.

§. 12. Ἀγγέλοις autem hæc tertia Magni istius Mysterii testificatio, tanquam αὐτόπτοις s. oculatis testibus, attribuitur. Est vero nomen Ἄγγελος valde ambiguum, ac in *genere* modo quemvis *Nuncium*, vel *Legatum*, ut Luc. 7:18, 24. cap. 9: 52. Jac. 2:25. modo in *specie* certas personas, ratione singularis officii, denotat, ut *Actor.* 7:30. *cap.* 27:23. *Matth.* 11:10. *Marc.* 1:2. *Luc.* 7:27. Imo deinceps quascunque personas, in Ecclesia docendi officium gerentes, designat, ut *Apoc.* 1:20. *cap.* 2:1, 8, 12, 18. *cap.* 3:7, 14. quæ tres significationes ex propria vocis istius natura relativæ sunt. Tandem vero κατ᾽ ἐξοχὴν & absolute pro persona spirituali accipitur, quam Germani ex Græca voce nominarint Engel; quo respectu appellatio non tam est officii, quam ipsius harum creaturarum speciei. Et hinc merito dispiciendum est, quonam sensu Ἀγγέλων appellatio hic veniat accipienda. *August. in Enchirid. ad Laurent. cap.* 41. per Angelos intelligit Ecclesiæ ministros, quasi Apostolus velit, eos indies plura cognovisse, quibus hoc Mysterium de Christo illustraretur; cum quo consentit *Gregor. Moral. lib.* 33. *cap.* 4. & *lib.* 34. *c.* 7. Sunt & præter istum Gregorium alii, qui hanc ὀπτασίαν de Prophetis, Apostolis, aliisque propositis Ecclesiæ Doctoribus interpretantur, & quidem nonnulli his nixi rationibus: *Primo*, mirandum non esse, quod Messias Angelis apparuerit; magnum vero Novi Fœderis esse mysterium, quod Ecclesiæ pastoribus sese exhibuerit videndum, quod fideli ipsorum opera gentibus innotuerit, ac in toto orbe sit prædicatus. *Secundo*, quod Johannes Baptista, Malach. 3: 1. Angelus Domini, & Hebr. 2: 2. Doctores Angeli vocentur. *Tertio*, quod 1 Joh. 1: 2. imprimis, perspicue dicatur, Christum visum fuisse Apostolis. *Quarto*, addunt, Filium Dei non ideo venisse, ut ab Angelis, sed ut à suis conspiceretur. Verum omnes istæ rationes sua sponte cadunt, dum id, quod in hoc quærunt, in sequenti demum colo adducitur. Rectius itaque hanc ὀπτασίαν Angelis proprie sic dictis contigisse, asseritur, dum illi non modo incarnationis Filii Dei testes, præcones & satellites extiterunt, sed & cum maxima admiratione pleniorem ipsius notitiam adepti sunt. Id enim, quod ipsis olim è divina revelatione generatim duntaxat fuit cognitum, tunc novo quodam cognitionis gradu, præsentique intuitu conspexerunt. Hinc illud in campis Bethlehemiticis Angelorum gaudium, & Dei incarnati annunciatio! hinc assiduum eorum ministerium! Nam nunciantibus Angelis Christus conceptus, cantantibus natus, ministrantibus tentatus, consolantibus passus, apparentibus suscitatus, comitantibus denique ac testantibus in cœlum assumtus est. Viderunt autem Angeli (ut *Guil. Estius p.* 790. *in h. l.* commentatur) Deum hominem non tantum *oculis intellectualibus*, quando conspexerunt nascentem, esurientem, docentem, patientem, resurgentem, ascendentem: verum etiam, quando postea incarnationis & passionis ejus fructum in vocatione & conversione Gentilium clare cognoverunt, juxta *Eph.* 3: 10. Et sic nullum superest dubium, quin iste θεάνθρωπος peculiari quodam ac glorioso aspectu ab Angelis visus agnitusque sit, licet illi adhuc 1 *Petr.* 1: 12. quoad cognitionis gradum, in hæc arcana introspicere desiderent.

§. 13. Ἐκηρύχθη. Observante doctissimo *Christoph. Justello ad Can.* 2. *Concilii Ancyrani p.* 179. κηρύσσειν Diaconis tributum, sin significet *verbum prædicare*, sed illud declarat ministerium, quo, dato orarii signo, actionum sacrarum ritus & ordinem moderabantur. Hi enim sacrorum ministri hostias mactabant, & circa Sacrorum initium jubebant populum favere linguis, clamantes: εὐφημεῖτε σιγῇ πᾶς ἔσω λεώς, peractis vero religionis solennibus, populum dimittebant his verbis: λαῶν ἄφεσις! i. e. *exemplo*, vel, *ite*. Missa est. In Novo autem Testam. τὸ κηρύσσειν, κήρυγμα & κῆρυξ semper de præconio verbi divini atque operum divinorum accipitur, vel in *genere*, Matth. 10:27, Luc. 12:3. Rom. 10:14, 15. 2 Tim. 4:2. Vel in *specie* de prædicatione ac doctrina Legis, Actor. 15:21. Rom. 2:21. Gal. 5:11. vel iterum in *specie* de prædicatione Evangelii, Matth. 10:7, 24:14. 26:13. Marc. 13:10. 14:9. 16:15. Luc. 24:47. Act. 19. 13. 20:25. 28:31. Rom. 10:8. 16:25. 1 Cor. 1:21. 15:11, 12, 14. 2 Cor. 1:19. 4:5. 11:4. Gal. 2:2. Col. 1:23. Phil. 1:15. 1 Thess. 2:9. 2 Tim. 1:11. 4:17. Tit. 1:3. & ita etiam hoc in loco ἐκηρύχθη in specie de prædicatione Evangelii accipiendum est, qua Magnum hoc Pietatis Mysterium per Apostolos, atque eorundem successores promulgatum fuit.

§. 14. Ἐν ἔθνεσιν vero hæc Evangelii prædicatio facta dicitur; quæ vox dici putatur ab ἔθος, consuetudo, quod certis Gentibus certæ sint consuetudines. Significat autem τὸ ἔθνος in genere πλῆθος ὁμοφύλων, *cœtum s. agmen ejusdem generis rerum*, e. g. ἔθνος περδίκων, quod Germani ein Volck Rapphüner/ In *specie* vero τὸ ἔθνος significat *gentem, nationem, populum*, ut Matth. 24:7. & Marc. 13:8. Luc. 7:5. Act. 10: 22. Et sic deinceps in plurali, τὰ ἔθνη, vocantur gentes extra Ecclesiam, quæ Eph. 2:12. Gal. 4:8. 1 Thess. 4:5. describuntur, & in V. T. Iudæis, in N. autem Christianis opponuntur. His enim hominibus nihil olim erat, Iudæis abominabilius, qui & illorum regna, provincias, ac domus, in quantum id fieri poterat, vitabant, ne impuri fierent; imo Samariam, Regni Israelitici metropolin, Iudæi, ceu impurum Gentilium hospitium ac stabulum, adeo despiciebant, ut & pessimam alicui notam inusturi, Samaritanum dicerent, quod & *Iohan.* 8:48. exemplo Christi, & aliis subinde exemplis ap. *G. E. Tenzelium in Dissert. de Proseuchis Samaritanorum*, §. 1. *seq.* & *Guil. Seldenum in otiis Theol. p.* 563. cognoscitur. Non minus igitur in hoc, ac in superioribus magnum pietatis mysterium contentum est, quod Christus ἐν ἔθνεσιν annunciatus fuit. Hinc & *Chrysost. in Ep. ad Col.* dicit, in hoc apparere maxime hujus mysterii gloriam, quod Christus antea prorsus infidelibus & à Deo alienis ac derelictis Gentilibus fuerit prædicatus. Et istud sane mysterium adeo

adeo erat magnum, ut & ipsos Apostolos diu lateret. Non enim Judæis modo, promissionem Messiæ sibi unice vendicantibus, videbatur injustum, Gentes ad eandem cum iis perventuras gloriam, sed & ipsemet Petrus aliquandiu hærebat dubius, an sibi cum Gentibus conversari liceret; donec Act. 10. in peculiari Ecstasi hac de re erudiretur, visibilique Spiritus S. in Gentes effusione confirmaretur. Hac itaque visa, credebat, peregrinos etiam atque hospites ad hoc Pietatis Mysterium esse admittendos, quos ideo Paulus *Ephes.* 2: 13 ἐγγὺς ἐγενήθητε *prope factos* adpellat: unde & hoc pietatis mysterium Rom. 16: 26. εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθὲν, & Col. 1: 16. παρεῖναι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, & ad Rom. 1: 8. fides Romanorum ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ prædicata dicitur. Istud enim Magnum Pietatis Mysterium nulli certo loco adstringendum, sed undique Gentium evulgandum ac prædicandum erat, tum juxta prædictionem Christi, Matth. 24: 14. tum juxta ipsius mandatum, Matth. 18: 19. Marc. 16: 15.

§. 15. Ἐπιστεύθη nunc in aureolo nostro Apostolico sequitur, quoniam non sola de Filii DEI incarnatione prædicatio omnes in terras pervenit, sed insimul etiam fides Christiana. Varias vero hujus verbi significationes & *Petrus Ravanellus* in Biblioth. S. p. 89. & vulgata Lexica exibent, e. gr. (1) *nosse, persuasum habere, consentire in rei alicujus veritatem*; sic Jac. 2: 19. dæmones credunt, unum esse Deum: (2) *rem aliquam fidei alicujus commendare*; sic Rom. 3: 2. Judæis eloquia Dei dicuntur concredita; (3) *credere*, seu *fidem adhibere alicui*; ita credimus Deo, Prophetis, &c. (4) *Religionem Christianam amplecti*, atque adeo *fidem salvificam habere*: idque est hujus loci. Uti enim alias sequi solet Effectus causam: ita & Apostolus nunc præcedenti prædicationi subsequentem subjungit fidem. Quæ certe adhibita fides, atque admirabilis religionis Christianæ propagatio ad confirmandam Mysterii hujus veritatem non parum momenti affert. Scilicet in rebus sacris ac divinis ap. Gentiles quoque necessario requirebatur fides, quam & Philosophi citra ullam ἀπόδειξιν inculcabant, de quo prolixe *Theodoretus, Græcarum affectionum Serm. 1. de fide.* Hinc & extabant quædam fidei Symbola, & de Eleusiniis præcipue mysteriis certa quædam fidei capita erant, quæ non modo fidem historicam de Cerere, deque frugibus ab ea repertis, feritate abolita, humanitate invecta, acceptis legibus; sed & fidem salutiferam videbantur innuere, quando sc. initiati credebant (a) recta sibi à Deabus Eleusiniis consilia immitti; (b) se iis ad virtutem esse obstrictos; (c) se inde cum lætitia vivendi rationem accipere, atque sic vitæ hujus felicitatem possidere; (d) se optimam inde moriendi spem nancisci, cum post mortem à peccatis liberari atque absolvi debeant; (e) se denique in inferiis s. inter mortuos superiorem locum & consessum occupare, imo ap. Deos habitare in æternum, cum ex adversa parte non initiati in cœno & luto sese voluntaturi sint; & quæ præterea inanis falsæque istius fidei capita, à *Jac. Gothofredo l. c.* prolixe enumerata erant. At enim ea, qua de nunc agimus, fides melius fundata est tum in Evangelistis, Actisque Apostolicis, tum in Epistolis Canonicis, aliisque scriptis Ecclesiasticis cum his congruentibus. Est vero juxta *Augustinum*, aliud credere Deo, credere in Deum, & credere Deum; hoc est scientiæ historicæ, istud fidei salvificæ, illud approbationis veridicæ. Quando igitur hic de Christo inter Gentes prædicato ἐπιστεύθη dicitur, id non de nuda scientia historica, neque tantum de approbatione veridica, sed de firma animorum fiducia venit accipiendum.

§. 16. Ἐν κόσμῳ autem fides illa Christo perhibetur habita, quando mysterii istius prædicatio in omnis generis, sexus, ætatis, status, conditionis hominum assensum adeo efficaciter pertractata est, ut ex illis multi vere in Christum crediderint. Est vero κόσμος à κοσμέω, *ordino, compono*, &, cum omnis ornatus, in decenti ordinatione consistat, *orno*; nihil sc. ornamento existente pulchrius, & mundo ornatius:

Non alio Mundus *debebat nomine dici*
Nomen ab ornatu convenienter habet.

Alios enim 1 Tim. 2: 9. κόσμιος & κοσμεῖν, uti & 1 Petr. 3: 3. κόσμος Etymologicam & nativam suam significationem obtinent. Hæc igitur vox, ob perfectam absolutamque elegantiam ac pulchritudinem, ex justa partium proportione provenientem, initio à Pythagora, *juxta Plutarchum*, ad totam rerum creatarum universitatem translata, æque late patet Scriptoribus Græcis, ac Latinis Mundus. Significat enim (1) *Imperium Romanum*, ap. *Gelasium Cycizenum in exordio lib. 1. Actor. Conc. Nicæni, edit. Paris.* 1599. 8. p. 1. (2) *Terram, in qua homines vivunt*; & ita in N. T. est satis frequens, ut 1 *Tim.* 1: 15. 6: 7. *Hebr.* 10: 5. *Jac.* 2: 5. & quidem utramque per Synechdochen Totius pro parte. Significat (3) *homines in mundo viventes, Joh.* 14: 22. 16: 18. *Rom.* 3: 19. ac si quis civitatem dicit, qui totam aliquam urbem incolunt. (4) *Reprobos ac infideles rebusque tantum mundanis addictos, Joh.* 1: 10. 7: 7. 12: 31. 15: 19. 17: 9. 1 *Cor.* 6: 2. & alibi, tales sc. *dicente August. Tract.* 2. *in Joh. amando mundum, dicti sunt mundus*; *ipsi enim corde habitant in mundo: nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed corde inhabitant cœlum.* Sic per malam domum *inhabitantes malos*; per bonam domum, *inhabitantes bonos* intelligimus. (5) *Res terrenas, ad Gal.* 6: 14. ubi mundus *res & negotia, gloriam, divitias ac voluptates hujus seculi* denotat. (6) *Multitudinem s. turbam*, Joh. 7: 4. 12: 19. Ex his ad nostrum nunc locum tertia potissimum τοῦ κόσμου significatio quadrat, dum Christus à fidelibus in mundo viventibus creditus perhibetur. Siquidem non omnes homines prædicato Christo dederunt nomina sed & multi perrexerunt in idolorum cultu. Hinc præter illam significationem vocabulum τοῦ κόσμου, hic strictius & Synechdochice pro generibus singulorum, non vero pro singulis generum debet accipi, quod sc. ex omnium terræ nationum incolis saltem aliqui Christo firma fide adhæserint. Uti enim superius ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν omnes terrarum oras atque provincias respiciebat, ita & hic, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, omnium in istis oris ac provinciis credentium personarum respectu dicitur.

§. 17. Ἀνελήφθη, quasi ἄνω ἐλήφθη *juxta Prückn. Vind. Bibl. p.* 656. *receptus est*, ab ἄνω & λαμβάνομαι, *sursum assumor, sursum recipior*, de Christi in cœlum ascensione usurpatur *Act.* 1: 2. 11: 22. 10: 16. additur ei *Marc.* 16: 19. εἰς τὸν οὐρανὸν, & *Act.* 2: 34. εἰς τοὺς οὐρανοὺς; unde & hæc Christi in cœlos ascensio Luc. 9: 51. appellatur ἀνάληψις, non, ac si sit ἀπόληψις τῶν μενόντων ἐν τῇ γῇ, neque gloriæ cujusdam restrictio, sed potius ἡ τῆς δόξης μεγίστη κατάληψις. Minime enim gloriosæ Salvatoris ascensioni damnosum est, quod Scriptura non ἀνέλαβε, *ascendit*, sed ἀνελήφθη, *assumptus est*, dicat, cum, ut non nemo observat, Christus (1) à tota S. S. Trinitate illam assumptionem faciente; (2) à se ipso, cum corpus glorificatum sit in potestate animæ, cui ad nutum obediat; (3) à nube obsequium ei præstante in cœlum assumtus sit. Hinc ἀναλαμβάνεσθαι h. l. non notat externa vi agi, uti Elias, 2 Reg. 2. 11. externo ministerio adjutus in cœlum pervenit; sed interna quadam ac propria virtute moveri, uti ἀναλαμβάνειν *ad se ipsum redire, sese ex metu colligere* denotat. Est manetque igitur Magni istius Pietatis Mysterii clausula Christi exaltatio, ad quam nubis ministerio, ipsius gloriam confirmante, visibiliter, virtute tam humana, quam divina, è monte oliveti sublatus, assumptusque est.

§. 18. Ἐν δόξῃ vero, *s. in gloria* ista ἀνάληψις facta est, & *juxta Prückn. Vind. Bibl. p.* 659. parum refert sive *in gloriam*, sive *in gloria* Christus sursum sublatus dicatur. Est autem ἡ δόξα à δοκέω, *puto, existimo*, & distinguitur à τιμὴ, uti ap. Latinos gloria ab honore. Latine enim dicitur: *Habendus est honor parentibus*, non vero: Habenda est gloria. *Honorem præfamur auribus* non *Gloriam.* Sic Exod. 20: 12. *Honora Patrem & Matrem*, ap. LXX. Interp. est τίμα, non δόξαζε, & *Lev.* 19: 32. *Honora personam senis*, τιμήσεις est, & Ps. 8: 6. conjunguntur hæc duo: δόξῃ καὶ τιμῇ, & 1 Tim. 5: 17. inepte δόξης pro τιμῆς poneretur. Græcis enim ἡ τιμὴ, debiti officii persolutio est, ἡ δόξα vero, magnifica æstimatio, unde & autoritate valentes δοκοῦντες audiunt; uti id *Magnif. Dn. D. Olear.* Præceptor noster pie colendus, *in Exerc. Philol. p.* 12. erudite monet. Usurpatur hæc vox in *Humanis* (1) *pro gloria & majestate interna* Matth. 6: 29. 4: 8. 1 Cor. 15: 41. (2) *pro gloria externa*, qua aliunde afficimur, 1 Thess. 2: 6. & 20. 1 Cor. 11: 7. & 15. (3) Metonymice δόξαι dicuntur personæ ἐν δόξῃ constitutæ, 2 Pet. 2: 10. Jud. vers. 8. uti nos pro Käyser / König / Käyserliche und Königliche Majestät / dicere solemus. Usurpatur etiam in Divinis, & quidem (1) οὐσιωδῶς *pro Gloria ac Majestate Dei*, quando Deus ipse Esa. 42: 8. dicit: Gloriam meam alteri non dabo; ubi Hebræum כבוד essentialem Dei Majestatem denotat, quæ, ut omnia in Deo, ipsa ejus essentia est: unde & eadem, qua essentia, ratione Exod. 33: 18. invisibilis asseritur; (2) σχετικῶς pro majestatis istius revelatione & glorificatione, quæ fit per Scripturam in Ecclesia, quando Act. 7: 2. vocatur ὁ θεὸς τῆς δόξης i. e. *Interprete Oecumenio in Acta.* θεὸς δεδοξασμένος, *Deus glorificatus*, vel *gloriosus*; ὁ πατὴρ τῆς δόξης, *Pater gloriæ, ad Eph.* 1: 17. ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης, *Rex gloriæ Ps.* 24: 7. Uti igitur Filius Dei hanc divinam gloriam, utroque modo considerata m, in primo incarnationis momento humanæ naturæ communicaverat, ejusque plenarium usum Joh. 17: 5. à Patre cœlesti expetierat: ita & tandem, exantlato redemtionis opere, secundum utramque naturam in eadem hac gloria iterum in cœlum receptus est, ibique in æterna nunc gloria cum Patre & Spir. S. dominatur ac regnat. Ad quam æternam gloriam quando & nos pervenerimus, tunc circa Magnum hoc Pietatis Mysterium majori versabimur solertia. S. D. G.

BENED.

BENED. PICTETI
DISSERTATIO IV.
De Magno Pietatis Mysterio ad 1 Tim. III: 16.

DISSERTATIO PRIMA.

THESIS PRIMA.



On abs re Patrum Græcorum disertissimus, totiusque antiquitatis Os aureum, *Scripturarum lectionem cœlorum apertionem esse*, τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν τῶν οὐρανῶν εἶναι ἄνοιξιν, alicubi dixit. Verum ut in cœlo non eodem fulgore micant sydera, siquidem, ipso referente Paulo, *alia Solis, alia Lunæ, alia Stellarum gloria*, Ita non omnia Scripturæ loca eodem modo coruscare certum est; dum enim quædam minus fulgent, alia radios suos undique spargunt, & suo jubare debilem oculorum aciem perstringunt. Inter ea quæ magis splendent, non ultimas tenet locus eximius, quem explanare animus est, ex 1 ad Tim. cap. 3. vers. 16. desumptus; dum etenim legitur, cœlum aperiri diceres, quot verba, tot radii, imo tot ignes, quibus mens non minus illustratur, quam perstringitur. *Sine controversia magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne, justificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.*

II.

In superioribus versiculis Divus Gentium Apostolus spem adventus sui fecerat Timotheo, partim ut ei animos adderet, partim ut eorum proterviam comprimeret, qui absente Paulo, magis insolescebant. At continuo addiderat se ideo epistolam scripsisse, ut si forte sibi contingeret moram facere opinione longiorem, videret Timotheus quomodo se in domo Dei gerere par erat, ne quid in Ecclesia sua vel imperitia vel socordia pessum iret. Ut ad officium dilectum hunc discipulum potentius hortaretur, duas subjungit rationes. *Prima* desumpta est ab Ecclesiæ, cui operam locaverat, dignitate, quam summo encomio ornat. Etenim 1. οἶκον θεοῦ *Domum Dei* vocat, alludens vel ad templum Hierosolymitanum, vel ad *Gentilium templa*, quæ Deorum ædes dicebantur, vel nominatim ad *Dianæ Ephesinæ* ἱερὸν, quod inter mundi miracula numerabatur, & quo, teste Callimacho, οὔπι θειότερον ὄψεται ἠὼς, οὐδ' ἀφνειότερον, vel ad Cereris Eleusiniæ sacellum, quod ab omnibus Græcis, quasi commune orbis delubrum habebatur, in quo magna quotannis peragebantur mysteria. 2. *Domum Dei viventis* nominat, opposite scilicet tum ad *Templa Ethnicorum*, quæ ut observat Clemens Alexandrinus, τάφοι τῶν θεῶν, καὶ τῶν νεκρῶν ναοὶ, Deorum Sepulchra & mortuorum Templa erant; tum ad *simulachra*, quæ quamvis mortua in ædibus Deorum stabant, & ab ignara plebe pro Diis nuncupabantur. 3. Columnam & firmamentum veritatis esse asserit, στῦλον, καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, alludens, sive ad *Columnam* quæ Israëlitarum exercitum præcedebat, & in qua Deus habitare dicebatur, sive ad *Columnas* quæ in Templo Hierosolymitano conspiciebantur duas scilicet æreas ante Templi vestibulum à Salomone erectas; sive ad *Columnam* Regiis usibus destinatam, quam veluti suggestum conscendebant Reges, quoties vel populum alloquebantur, vel solenne aliquid præstabant; sive ad *Columnas*, quas excidisse dicitur Sapientia Prov. 9. vers. 1. sive ad Gentilium Templorum, Ephesini inprimis, & Eleusinii columnas, in quarum fastigiis statuæ & simulachra Deorum aliquando imponebantur & quibus inscribebantur elogia, fœdera, narrationes, & traditiones historicæ, Leges & decreta, morum seu virtutis præcepta, hieroglyphica & Oracula: quæ omnia Ecclesiæ applicari posse satis omnes vident, nec opus est ut referam. Veritatis autem, τῆς ἀληθείας, dum meminit Paulus, opponit tum *inanibus Deorum oraculis*, quæ ex tripode vel aliter reddebantur, & quidem ab Apolline, qui speciatim τῆς ἀληθείας prædicere ferebatur, tum *Gentilium falsæ Theologiæ*, quæ mera erat μυθολογία, tum *falsis Deorum simulachris*, *statuis*, *signis*, *idolis*, *imaginibus*, quæ supra columnas exhibebantur, & quas *mendacii magistras* vocat Spiritus Sanctus, tum speciatim *Eleusinianorum fabulis atque commentis*, in quibus omnia ficta narrabantur.

III.

Atque hæc est prima ratio quam affert Gentium Doctor; Ea solent abuti Pontificii ad suos errores de authoritate summa & infallibilitate Ecclesiæ Romanæ tutandos. Sed frustra; præter quam quod enim, quod de Ecclesia vera dicitur, male transfertur ad Ecclesiam Romanam, ubi non modo sepulta jacet veritas, sed horrendum in modum diruta & eversa pedibus calcatur; Satis superque patet columnam & firmamentum Veritatis dici Ecclesiam, quia in ea tanquam in columna prostat veritas, omnibusque se conspiciendam præbet, & ab ea vindicatur à strophis atque cavillis adversariorum, ac sarta tectaque servatur, quod recte observarunt Veteres, qui eadem verba usurpabant de iis, qui vel eruditione, vel morum sanctimonia, vel constantia cæteris præstabant, quique veritatem vel scriptis tuebantur, vel sanguine obsignabant: sic Ecclesia Lugdunensis & Viennensis apud Eusebium Attalum Martyrem nominat στῦλον καὶ ἑδραίωμα: eodem elogio Athanasius, Basilius magnus, aliique à Gregorio Nazianzeno insigniuntur, & Basilius Episcopum Neocæsariensem vocat ἔρεισμα πατρίδος, ἐκκλησιῶν κόσμον, στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, *columen patriæ, Ecclesiarum decus, columnam & firmamentum veritatis, firmamentum fidei in Christum*; quæ ratio quosdam impulit interpretes, ut hæc verba non ad Ecclesiam, sed ad Timotheum referenda esse crederent.

IV.

SECUNDA ratio quæ à Paulo subjungitur, à mysteriorum, quæ in Ecclesia docentur, & à Pastoribus prædicantur, sublimitate ac præstantia deducitur. Ne enim minoris quam decebat ab hominibus æstimaretur veritas, cujus Ecclesia columna est, extollit ejus pretium Divus Apostolus, quum admonet

monet magnum esse pietatis arcanum. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὤφθη ἀγγέλοις, Ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Ita totam Evangelii doctrinam sex verbis exhibet Paulus, & totius Oeconomiæ salutis vivam tabellam cœlesti penicillo depingit. De hoc Magno pietatis Mysterio agere jam instituimus, Procul este profani, ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός.

V.

Verum antequam rem aggrediamur, observandum esse censemus quibusdam nec infimi subsellii viris placuisse, verba præcedentia στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ad magnum pietatis mysterium referre, ut scilicet mysterium illud dicatur *columna & firmamentum veritatis*, & quidem juxta usitatam inter Judæos formulam; Cum enim quis profitebatur se præcipua Religionis dogmata traditurum, *columnam esse veritatis* solebat præfari. Ita R. Moses Ben Maimon. initio nobilissimi operis, in quo Judæorum dogmata est complexus, sic habet יסוד היסוד ועמוד החכמות *fundamentum fundamenti, & columna sapientiarum*, imo & Arabes peregrinationem religionis causa esse dicunt ex *columnis & fundamentis*, hoc est, ex præcipuis & nobilissimis articulis, qui doctrinæ sublimiori veluti subjiciuntur. Ad quam consuetudinem forsan allusit Paulus, Hebr. 6: 1. dum sex articulos fidei vocat θεμέλιον, Ingeniosa sane hæc est opinio, nec levi fundamento nixa; à recepta tamen sententia, quam Versiones Syriaca, Arabica, Latina sequuntur, nihil nos recedere cogit. Minimeque insolens videri debet, si à copulativa καὶ novum argumentum inchoet Paulus, cum liber Esdræ & Jonæ ita incipiant, imo cum sæpe Gentium Apostolus sic scribere soleat, ut 1 Cor. 2: 1. & 3: 1. Eph. 2: 1. 1 Tim. 5: 7. Missis itaque his omnibus, absque ullis ambagibus ad rem ipsam recta pergimus.

VI.

Ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον τηλαυγές, postulat verbum vetus; *Sine controversia magnum est pietatis mysterium*, ita incipit Paulus. Μυστήριον vox satis frequens apud authores tum sacros, tum prophanos, nec opus est ut ea quæ de vocis ejus etymo observant Eustathius, Vossius, Casaubonus, imo Clemens Alexandrinus in protreptico, & Euseb. lib. v. præparat. Evang. expendamus; sive enim à μύσος, quod est, μίασμα, sive ἀπὸ μυοῦντος τινὸς Ἀττικοῦ, sive ἀπὸ τοῦ μυεῖν καὶ θηρεύειν, sive ἀπὸ τοῦ μύειν, sive ab Hebræo מסתור deducatur, parum curamus, nec decet Theologum in hisce immorari. Annotasse sufficit, designare hanc vocem rem occultam, sacram, τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόῤῥητον, καὶ πολὺ μὲν τὸ θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον, ut ait Chrys. hom. xix. in epist. ad Romanos, *quod ignoratur & arcanum est, quodque summopere mirandum est, & insolens atque inopinatum*. Hæc vox usurpatur à N. T. scriptoribus 1. de *spirituali Christi cum Ecclesia conjunctione* Ephes. 5: 32. τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν, ex quo loco male Pontificii eliciunt matrimonium esse Sacramentum. 2. De Vocatione Gentium Eph. 3: 3, 9. 3. De restitutione seu de conversione Gentis Iudaicæ ad fidem Christi, Rom. 11: 25. 4. De immutatione eorum qui in adventu Christi superstites erunt, 1 Cor. 15: 51. 5. De doctrina Antichristiana, 2 Th. 2: 7. Unde meretrix Babylonica dicitur habere in fronte nomen scriptum μυστήριον Apoc. 17: 5. quo referendum est, quod de corona triplici Pontificis R. quæ regni nomine venit, testantur quidam, huic scilicet insculptum fuisse nomen μυστήριον, sed Iulium III. reconcinnari curasse, suumque nomen substituisse, hoc modo, *Julius Pontifex Maximus*: quod Lessius negare non potuit, at imbelli defensione defunctus regessit, *frustra in mysterio mysterium requiri*. 6. De tota Evangelii doctrina, ac speciatim de Christi incarnatione, & hoc in sensu intelligi debet locus quem exponimus: quibus hoc addimus, somnium Nebucadnezaris dici à LXX. μυστήριον Dan. 2: 19. & meminisse Iohannem mysterii septem stellarum Apoc. 1: 20.

VII.

Vulgatus interpres per Sacramentum vertit vocem μυστήριον, hoc in loco, ut & passim alibi, sed parum accurate, quamvis enim Sacramenta possint dici μυστήρια, & vocentur à Patribus ζωοποιὰ, φρικτὰ, ἄχραντα, ἅγια, θεῖα, θαύμαστα, τελεστικὰ μυστήρια, *vivifica, tremenda, impolluta, sacra, divina, admirabilia, & vim perficiendi habentia mysteria*; imo quamvis sacramenti vox latissimo sensu sumpta, pro re sacra & occulta aliquando sumatur, unde Suari Sacramentum est *res divina hominibus occulta, eorumque cognitionem superans*; accuratius tamen illi verterunt, qui vocem Græcam Latinitate donantes, ita reddunt, Magnum est pietatis mysterium; quia scilicet Sacramenti vox hic obscuritatem parit, & aliam in mente generat ideam, toto enim cœlo errare illos Pontificios clarum est, qui hoc mysterium de Eucharistia exponunt.

VIII.

Non mirum est, si voce mysterii utatur Paulus; præter quam quod enim sua habuit *Judaicum Templum* mysteria, *Arcam*, scilicet, *Propitiatorium*, *Cherubinos*, Cum ad Templa Gentilium allusisse Apostolum jam observaverimus, non est quod quis miretur, si ad eorum mysteria quoque nunc alludat. Notum est quippe apud eos, de Gentilibus loquor, fuisse sacra opertanea, ut ait Plinius, reconditosque sacrorum ritus, qui paucis innotescebant, & oris silentio tegebantur: Celebrabantur inter alia, mysteria Matris Deûm in Samothracia, Hecatæ variis in locis, Cereris & Proserpinæ Eleusine in Attica, Bacchi in Bœotia, Mithræ in Asia, Orphei in Græcia, Isidis in Ægypto: Erantque alia majora, alia minora; qui parvis initiabantur *mystæ* dicebantur, qui magnis *epoptæ*. Per varios gradus ea pandebantur mysteria, quod & variis Apollinis nominibus expressere, *Pythii*, *Delii*, & *Phanei*, *Ismenii*, *Leschenorii* &c. imo anni tres, aut quinque effluebant antequam ad occultiores sacrorum ritus admitterentur mystæ, *aditum*, ut utatur verbis Tertulliani initio libri adversus Valentinianos, *prius cruciabant, diutius initiabant, quam consignarent, ut opinionem suspendio cognitionis ædificarent*. Plura non refero, ne vagari nimis videar, alias multa dicenda essent 1. de hierophantis & μυσταγωγοῖς, 2. De præconibus qui profanos arcebant. 3. De daduchis qui facem ferebant, 4. De quinque gradibus qui observabantur, purgatione scilicet communi, purgatione interiori, συστάσει, initiatione, ἐποψίᾳ; quod vetus Ecclesia imitata aliquatenus videtur, quando in admittendis lapsis ad sacram communionem quinque gradus servavit, προσκλαυσιν, ἀκρόασιν, ὑπόπτωσιν, σύστασιν, & μέθεξιν. 5. De nova veste quam induebant initiati, & quam nondum exuebant, μέχρις ἂν τελέως ἀφανισθῇ διαῤῥυὲν, aliisque quæ tum à Diodoro Siculo, Plutarcho, Aristophanis scholiaste, Isocrate, Aristide, Pausaniaque referuntur.

IX.

Si jam à nobis quæratur cur Evangelium, totamque τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίαν vocet mysterium Paulus, variæ rationes afferri possunt, præcipuas attingam tantum. PRIMA sponte sese offert, & à Christo Pauloque ipso dictatur, quia scilicet Evangelium veritates complectitur carni & sanguini incognitas, & quæ semper homines latuissent, nisi filius qui in gremio Patris recumbit, revelare dignatus fuisset. *Loquimur* ait Paulus 1 Cor. 2: 7. *Dei sapientiam in mysterio, quæ est recondita, quam nemo principum hujus sæculi cognovit, si enim cognovissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent, sed quemadmodum scriptum est, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis qui ipsum diligunt*. Ac revera quamvis ingenium humanum sagacissimum sit in humanis, fatendum tamen multum cæcutire in rebus, quæ ad religionem pertinent, non obtusa & pebleia modo ingenia, sed præclarissima, & singulari alioqui acumine prædita. Pluribus hoc evincere possem, nam eos qui soli videbantur sapere inter populos, quales erant Ægyptii, ultra humanitatis stultitiam desipuisse pridem observatum.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat, crocodilon adorat, &c.

At missis hisce, quis mortalium fingere potuisset, Deum incarnatum iri, infinitum & æternitatis Patrem in utero infirmæ Virginis includendum esse, Deum gloriæ non alias cunas quam præsepe & stabulum habiturum, ac in cruce moriturum vitæ Principem, ab illius hominis crucifixi morte vitam petendam, illum è cœlo Judicem vivorum ac mortuorum expectandum, & ab ipso corpora nostra mortalia suscitatum iri credendum. Quis talia comminisci unquam potuisset, nemo sane, imo ne Angeli quidem, hinc Paulus Ephes. 3: 10. ait *principatibus & potestatibus patefactam fuisse per Ecclesiam multiplicem Dei sapientiam*. Quandoquidem itaque doctrina Evangelica ante revelationem rationi incognita est, jure *Mysterium* dicitur à Paulo.

X.

SECUNDA ratio petitur ex eo quod non omnibus ab omni tempore revelatum est Evangelium, & sic respectu multarum gentium mysterium fuit absconditum, unde à Paulo dicitur χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον: sub veteri œconomia Abrahami posteris tantum innotuit, saltem rari inter gentes fuerunt,

runt, quibus speciali Dei favore patefactum est: hinc cum Evangelium promulgari cœptum ridebatur ab Ethnicis tanquam aniles fabulæ, & ut delirantes ac insani Christiani traducebantur; *Quid sibi vult*, ajebant Gentiles cum Paulum de resurrectione loquentem audirent; *Quid sibi vult iste σπερμολόγος* seminiverbius ille. *Aniles fabulas*, inquiebat de Christianis Cæcilius, *adstruunt & annectunt, renascise ferunt post mortem & cineres & favillas: & nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt* &c. Nec tantum sub Veteri Oeconomia compluribus gentibus fuit occultum Evangelium, sed & sub Nova: quot enim adhuc in orbe videntur, quibus plane Evangelium ignotum est, & qui in cimmeriis jacent tenebris: Equidem Numen aliquod esse ex variis colligere possunt; *Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam aliquod esse Numen præstantissimæ mentis quo hæc reguntur*. At de Christo ejusque Evangelio nihil intelligunt; eorum igitur respectu mysterium recte vocatur. TERTIO *Mysterium* dicitur Evangelium, quod ante adventum Messiæ multis velis opertum erat ipsis Judæis, ita ut ab iis vix cognosceretur; quippe in *sanctuario mundano* latebat. Equidem & nativitas Christi, & ejus resurrectio, & vocatio Gentium, & alia quæ ab Apostolo jam recensentur, Judæis prædicta fuerant Is. 7. Is. 53. Ps. 16. Ps. 97:7. Ps. 18. Deut. 32. Is. 11. Ps. 68. alibique; sed umbris & figuris hæc omnia erant involuta, hinc Greg. Nazianz. Vetus Testamentum vocat διαθήκην ἐν τῇ σκιᾷ, addere potuisset τὴν ἐν μυστηρίῳ, Novum vero τὴν διαθήκην ἐν ἀληθείᾳ; & in Sacris codicibus V. T. confertur nocti ob nondum exortum Solem justitiæ, ac N. T. diei in quo Oriens ex alto ortus est. Imo recte observatum *hoc mysterium* eo obscurius fuisse propositum, quo tempora ab adventu Christi longius abfuerunt, quia Ecclesia fuit tum in infantia & rudis, proindeque rudiori forma fuit instituenda. Nec mirum est si Evangelium post revelationem dicatur adhuc mysterium, præter ea enim quæ infra à nobis sunt observanda; Notandum commune esse linguis & populis propemodum omnibus, ut rei mutationem non continuo sequatur nominis mutatio, sed antiquum nomen obtineat: Is. primo Hierosolyma dicitur urbs plena judicii, quia jam olim talis fuerat, etiamsi, cum Propheta loquebatur, talis esse desierat; ita futurum sæculum in N. T. designat ut plurimum tempus Evangelii, sive dies Messiæ, quia ita vocabantur à Judæis ante Christi adventum: pari modo, mysterium vocatur à Paulo Evangelium, quia hoc tacitum retro sæculis fuerat, & sub lege velatum, licet jam aperta luce revelatum fuerit.

XI.

QUARTO *Mysterium* vocatur doctrina Evangelica, quod ab omnibus, quibus illud annunciatur, non intelligatur: multi enim oculos habent, nec vident tamen, aures, nec intelligunt, quia scilicet multis præjudiciis, quibus ab infantia quasi obsidentur, & quæ in ipsa senectute relinquere nolunt, vel potius pravis affectibus laborant, superbia inprimis, quæ impedit, quo minus ea credant mysteria, quæ bellum ipsorum cupiditatibus indicunt; *homo animalis*, ait Paulus, 1 Cor. 2: 14. *non capit ea quæ sunt Spiritus Dei, nam ipsi stultitia sunt, nec potest nosse, quia spiritualiter dijudicantur*. Hinc Christus gratias Patri agit *quod absconderit mysteria sua sapientibus* (quales erant Scribæ & Pharisæi, & eorum similes tota domus Hillelis & Sammeæ) *& revelarit parvulis*, rudibus scilicet & indoctis, imperitis rerum humanarum, idiotis, qui nullo sapientiæ titulo inclarescebant, quales erant discipuli &c. Pauci sunt quos Spiritus sua luce irradiat; lux gratiæ ad instar est stellæ illius quæ paucis Magis apparuit. Unde patet esse adhuc Evangelium mysterium etsi hominibus prædicetur, nisi arcana & ineffabili luce ac potenti virtute, victricique gratia, Spiritus Sanctus tenebras mentis dispellat, & cordis duritiem frangat. TANDEM *Mysterium* dicitur Evangelium, quia etsi multa à nobis intelliguntur, multa adhuc obscura sunt, Deo sic volente, primo ad fidelium studium excitandum, eorumque diligentiam acuendam, ne languescat & remittatur ardor ille, quem Dominus in scripturis suis vult adhiberi. Secundo ad domandam superbiam, & deprimendum humani ingenii fastum & tumorem. Tertio ad fastidium detergendum, quod alias ex nimia facilitate subboriri poterat. *Magnifice*, inquit Augustinus lib. 2. de doctrina Christian. cap 16. *& salutariter Spiritus Sanctus Scripturas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret*. Quarto ad pretium veritatis augendum, quinto ad desiderium cœlestis vitæ accendendum. Sic parum est quod scimus, multa adhuc ignoramus, multa quæ Deus, dum in hisce terris versamur, nos latere voluit, expectarique in futura beatorum sede, ubi se toto fulgore suo æternitatis candidatis aliquando indulgebit, *ex parte enim tantum cognoscimus*; etsi *facie retecta gloriam Christi contemplari* dicimur à Paulo, opposite ad patres V. T., subjungit Apostolus hoc fieri *in speculo* opposite scilicet ad beatorum sortem. Rursus multa sunt quæ mens humana capere nequit, ut Mysterium Trinitatis, & alia quæ nesciri cogimur propter naturæ nostræ modum, divinæque infinitatem;

Multa etenim bene tecta latent, nescitaque prosunt,
Dum mansueta fides quædam dilata modeste
Sustinet, & nullo ignorat non edita damno.

Atque hæ sunt præcipuæ rationes, cur mysterium appelletur Evangelica doctrina, alias addit Chrysostomus hom. 7. in 1 ad Corinth. Ait enim mysterium dici; quia ἑτέρως ὁρῶμεν, ἑτέρως πιστεύομεν, ἑτέρως οἶδ' ἐγώ, ἑτέρως δὲ ὁ ἄπιστος περὶ τούτων διακείμεθα *alia videmus, alia credimus, aliter illis afficior ego fidelis, aliter infidelis, fidelis audit Christum in cruce passum & bonitatem illius admiratur, infidelis putat esse infirmitatis argumentum*; Cætera non persequor, quæ apud disertissimum authorem legi possunt.

XII.

Verum etsi Evangelium quædam continet mysteria, quæ aliqua ex parte nobis occulta sunt, & quæ omnibus non revelantur à Deo, minime tamen credendum esse sordida, ac pudenda mysteria. Equidem afflicta Christianis fuerunt à Paganis Thyestearum epularum, & Oedipodeorum incestuum crimina, multæque calumniæ ferebantur de promiscuis eorum stupris, de humanæ carnis manducatione, de infanticidiis, & quidem partim à male intellectis Christianorum mysteriis ac ritibus, ut osculo pacis, pœnitentium gestibus &c. partim ex nefandis Carpocratianorum & Simonianorum dogmatibus, aut potius sceleribus, quæ Christianis imputabantur. At fuse & valide calumnias hasce refutarunt Patres. *Quis*, ait Tertullianus Apoc. c. 7. *taliter vagienti infanti supervenit? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reservavit? quis vel in minoribus immunda aliqua vestigia, quis talia facinora, cum invenisset, celavit*, &c. Fateor conventus suos religiosos, suaque sacra noctu & antelucanis temporibus in remotis & abditis locis habuisse, sed id factum non quod eos mysteriorum puderet, aut quod abscondere vellent quod colebant, ut ipsis exprobrabatur, sed quia Principum adversantium iniquitate & sævitia prohibebantur; hoc patet tum ex Iustino, qui apud Cæsares & Senatum Romanum verba faciens, mysteria Christianorum sine ullis ambagibus aut involucris apertissime enarrat; tum ex Tertulliano, qui adversus Valentinianos disputans, eorum vafritiem suggillat, qui sua abscondebant, neque aliis, quam iis, quos jam sub jugum suum miserant sectæ suæ mysteria pandebant. *Nihil magis curant quam occultare quod prædicant; si tamen prædicant qui occultant*: Et eosdem hac de causa *serpenti* comparat *lucifugæ bestiæ, per anfractus seriem suam evolventi, ac tortuose procedenti*; cui Ecclesiam statim opponens, *nostra*, inquit, *columbæ domus simplex, in editis semper & apertis & ad lucem: amat figura Spiritus Sancti orientem Christi figuram: nihil veritas erubescit nisi solummodo abscondi*. Ac revera mysteria Christianorum sacra sunt, sancta, & honesta, *Mysterium pietatis*, inquit Paulus, &c.

XIII.

Quum vocat doctrinam Evangelicam *Mysterium pietatis* Divus Apostolus, opponit primo Mysteriis Ethnicorum, quæ ut plurimum pudenda erant, cruenta, & execranda, impia & fœda, aut quæ erant nudæ ἐκπλήξεως, id est quæ attonitos spectatores vel auditores redderent, sed in quibus nulla veræ pietatis ratio. Quid magis pudendum, quam colere reptilia, plantas, semideosque canes, ut ab Ægyptiis fieri solebat, quam ob rem ridebantur ab aliis gentibus, βοῦν προσκυνεῖς, inquit Anaxandrides apud Athenæum Ægyptios compellans, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς, τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα, ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ, κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγώ, *Tu bovem adoras, illum ego Diis sacrifico, maximum esse numen anguillam putas; obsonium vero nos multum lautissimum; canem veneraris, ego verbero*; Rursus quis aliorum populorum sacra non horreat, qui se Diis inferis vivos devovebant, ut aliquando Romani, & Galli imprimis

—— quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Plura non refero, alias dicenda multa essent de Britannis, qui hospites mactabant pro hostia; de Babyloniis, qui filias proprias in templis prostituebant, teste Herodoto lib. 1. & Strab. Geog. lib. 16.

lib. 16. aliisque quorum non minus execranda sacra erant. Equidem Gentiles sua mysteria ἁγιώτατα & σεμνὰ vocabant, finemque eorum dicebant esse perductionem animæ ad illum statum in quo erat prius, quam descenderet in corpus; ita Olympiodorus refert initiatos post mortem cum Diis esse habitaturos, at vero non initiatos in cœno & luto, aut, ut amat lo qui vetus Poëta βορβόρῳ ἐν τρωχοῖς se se esse volutaturos; & Tullius, *Nihil melius*, ait, *illis Mysteriis, quibus ex agresti, immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus, ac neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* Imo Mystagogi magnum sanctitatis amorem jactabant, castimoniam ad certum tempus initiandis indicentes, humicubitiones & à certis cibis abstinentias præscribentes, confessiones peccatorum graviorum exigentes, &, ut refert Libanius, monentes ut manus puras, animumque sibi servarent purum ἢ τὴν φωνὴν ἥλληνας εἶναι: sed hæc omnia præstabant, ut populo illuderent, & ut eorum mysteria magni penderentur ab ignara plebe, at quis eorum mysteria sancta crederet, qui Deos adulteros, fures, parricidas, omniumque flagitiorum reos colerent. Fusius hoc probarem, nisi ad alia vocaret Paulus Apostolus.

XIV.

II. Opponit Paulus Mysterium pietatis, *Mysterio* AntiChristiano; quod ab Apostolo dicitur τῆς ἀσεβείας μυστήριον, 2 Thess. 3:7. Utrobique sane sunt βάθη, & abstrusa, at in mysterio pietatis βάθη θεοῦ, in mysterio vero impietatis sunt profunditates Satanæ; Primum mysterium sub velo carnis humanæ, quam Christus induit, imo sub crucis ignominiosæ velo, quæ scandalum Judæo, & Græco stultitiæ erat, miranda nec satis miranda tegit. Secundum mysterium sub pulcherrima specie, abominanda & execranda occultat. In primo cernitur Deus in carne conspicuus factus; in secundo conspicitur homo, qui se gerit quasi esset Deus, & qui sacrilega audacia cultus divinos usurpat, claves in abyssum, infernum & purgatorium sibi vindicat, Divinam Majestatem sibi arrogat, leges à Deo latas refigit, conscientias à divinæ legis jugo per Christum liberatas suarum legum laqueis constringit, & se contra Apostolos dispensare posse affirmat, imo qui summos orbis terræ Principes ad spurcissimorum pedum oscula adigit. In primo conspicitur verus Deus & verus homo, qui fratribus suis similis factus est in omnibus, excepto peccato. In secundo homo peccati, de quo audet ita loqui Glossa.

Nec Deus est, nec homo, sed neuter & inter utrumque.

In primo videtur ille, qui corpus suum obtulit in cruce, ut ex morte sua sempiternam ad mystici corporis sui membra transfunderet vitam, & qui unica oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur, quique consummato in terris redemptionis nostræ mysterio, cœleste sacrarium ingressus, in conspectu Patris apparet pro nobis, & omnia nobis à Patre impetrat. In secundo conspicitur Pontifex, qui totum sacrificium Christi in histrionicum drama transformans, peccatorum veniam promercalem habet, & animarum salutem immani sacrilegio cauponatur, quique licet Romanæ glebæ & Tarpeiæ rupi adfixus novos subinde mediatores Ethnica ἀποθεώσει consecrat, publicoque cultu affici præcipit. Utrumque Mysterium non unico temporis momento perfici potuit, aut debuit revelari. Mysterium pietatis paulatim & per varios gradus manifestatum fuit; diu enim fuit promissus Christus antequam nasceretur. Ita sub variis gradibus Antichristum spectare possumus, vel ut conceptum, Satana ei præludente, vel ut nascentem & revelatum, vel ut adultum jam factum, vel ut florentem, & ἐν ἀκμῇ. Sed de diverticulo in viam, à mysterio impietatis ad mysterium pietatis redeamus.

XV.

Mendacium, quia cum veritate pugnat, pugnare itidem cum vitæ & morum ea regula, quam probat lex naturæ, à multis observatum est, at e contra veritas cum pietate arctissimo vinculo juncta est. Doctrina autem Evangelica *Mysterium pietatis* dicitur, non quod ut quibusdam placuit, in mysterio incarnationis Deus suam pietatem testatus est, aut quod pii illud norunt, ut alii vertunt. Sed 1. quia omnes veritates quas complectitur & docet hoc mysterium, ad pietatem nos impellunt, nec alium in finem à Deo in sacris literis docentur, quam ut à peccatis absterreant, *Hæc scribo vobis*, ait Johannes, *ne peccetis.* Gratiam quidem nunciat, sed illa gratia *nos erudit, ut ablegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobrie, juste, & pie vivamus in præsenti sæculo* &c. iniqua igitur est adversariorum gratiæ criminatio, quasi per eam pietatis ac virtutis studium extinguatur, pulvinaria sub peccatorum axillis consuantur, & fibula carni ad omnia vitia laxetur. 2. Quia nulla est doctrina, quæ potentiora motiva ad sanctitatem & pietatem suggerat; & motiva sunt hæc α. descriptio virtutum Dei, & in primis ejus severissimæ *justitiæ* & immensæ *misericordiæ*, β. incarnatio Christi, γ. ejus mors, δ. resurrectio, ε. mortis nostræ certitudo, ζ. judicium ultimum. 3. Quia nulla est quæ perfectiora sanctitatis exempla suppeditet, non homines tantum, sed Angelos; non Angelos, sed Christum; non Christum tantum qua hominem, sed qua Deum. 4. quia nulla est quæ peccatum magis horrendum nobis repræsentet, & pulchriorem veræ pietatis ideam ac effigiem proponat; imo nulla est quæ luculentiora pietati præmia sperare jubeat, & polliceatur. Non exigit Evangelium, ut pectus tundamus, aut ut flagellis corpus laceremus, aut ut ab esu carnis abstineamus, aliorum ciborum Apicianis artibus conditorum lautitiis contenti, quod præstant Pontificii; Manichæorum illorum instar, de quibus Augustinus, qui à carnibus abstinentes, exquisitissimis aliis dapibus, ac exoticis pretiosissimorum aromatum condimentis utebantur, & cum vinum fastidirent, ex pomis quibusdam expressis potionibus, quæ vinum specie imitarentur, suavitate vincerent, gulæ blandiebantur. Verum vult Evangelium, ut corpus peccati contundamus, & secundum Deum vitam instituamus. In hoc enim sita est vera pietas; unde à Clemente Alexandrino definitur πρᾶξις ἑπομένη, καὶ ἀκόλουθος θεῷ, & ab Eusebio ἡ πρὸς τὸν ἕνα καὶ μόνον ὡς ἀληθῶς ὁμολογούμενόν τε καὶ ὄντα θεὸν ἀνάνευσις, καὶ ἡ κατὰ τοῦτον ζωή *quando quis ad unum & solum Deum, quem verum esse confitemur, & qui revera est, respicit, & secundum eum vitam instituit.*

XVI.

Atque ex dictis patet 1. Theologiam veram non esse tantum Theoreticam, sed practicam; mysteria enim quæ docet, pietatis sunt mysteria, nec tantum Deum cognoscendum, sed amandum ac colendum proponit. Non raro observatum est de disciplinis humanis, eas, dum errores mentis dispellunt, cordis corruptionem sæpe augere: at Theologia Christiana mysteria habet, quæ non minus sanctificant quam illustrant; cordi satisfacit, sed mortificat; mentem illuminat, sed confundit; rationis præjudicia amovet, at ne intumescat, sublimia mysteria, quæ ejus superant captum, proponit; cor nostrum mira dulcedine implet, at ne lasciviat, tristia & difficilia præcepta injungit. 2. Verum Christianum eum esse qui jungit conscientiam cum scientia, fidem & charitatem, *veritatem & pietatem*, ac in quo hæ virtutes elucent, *Humilitas in conversatione*, verbis utor Cypriani, *stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, qui injuriam facere non novit, & factam tolerare potest, cum fratribus pacem tenet, Deum toto corde diligit, amat in illo quod Pater est, timet quod Deus est, Christoque nihil omnino postponit.* οὐδεὶς χριστιανὸς πονηρός, inquiebat Athenagoras *Legatio pro Chr.* τίς ἐστι χριστιανός, ajebat veterum nonnemo, ὁ κατὰ θεὸν ζῶν, καὶ εὐσεβῶς, καὶ θεαρέστως, καὶ χρηστῶς πολιτευόμενος. *Quis est Christianus? qui secundum Deum vivit, & pie & ex præscripto divino, atque probe vitam instituit.* Revera ita se gerebant primi Christiani, ipso Plinio teste, ac referente, *summam vel culpæ vel erroris esse* (ita vocat Christianorum dogmata Ethnicus ille) *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere, secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod adstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum promiscuum tamen & innoxium.* Equidem impietatis sæpe accusabantur, & ut irreligiosi habebantur; At quis nescit id factum, quia scilicet, ut Arnobius docet lib. 6. *neque ædes sacras venerationis ad officia construerent, non altaria fabricarent, non aras, non cæsorum sanguinem animantium darent, non thura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum infusionibus inferrent.* 3. Doctrinam Evangelicam divinam habere originem, & supra alias omnes eminere, quis enim divinam esse negaret, quæ perfectam sanctitatem ac pietatem à suis sectatoribus exigit, imo quæ pios auditores reddit? ut facunde Christianus, Cicero, Lactantius docet lib. 3. institut. cap. 26. *Quod ergo illi præeunte natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque à Philosophis fieri posse viderunt, sola hæc efficit doctrina cœlestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam poterunt,* qui

qui nihil persuadent etiam sibi: aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cum & ipsi cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam. Dei autem praecepta, quia & simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experientia demonstrant. Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis, jam cruces & ignes, taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem, videbis: Da crudelem & sanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur &c.

XVII.

Ex superioribus quis jam non colligat quantum sit pietatis mysterium; Ideo dum Dianae sectatores Ephesii ad aures Timothei saepius illas importunas voces ingeminant, *Magna Ephesiorum Diana*, has opponit Christi discipulus, *Magnum est pietatis mysterium.* Nolo hic repetere, quod jam observavimus fuisse apud gentes *magna & parva mysteria*; Sed animadvertendum censemus Mysterium pietatis dici magnum 1. ob sublimitatem, agitur enim de *Deo*, quid majus in mundo? de *Deo incarnato*, de *Deo moriente*, de *Deo crucifixo*, *ab Angelis conspecto*, *& à Gentibus agnito*: Revera Mysterium hoc magnum est, siquidem rationem superat, mentisque oculos perstringit;

Quippe minor natura aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi,
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatae mentis sub pectore parvo
Turbari? invalidisque hebetem succumbere curis?

Quis caperet quomodo Majestas cum infirmitate, gloria cum ignominia, finitum cum infinito in una sede morentur, & arctissimo vinculo jungi potuerint; quis tales scrutaretur abyssos? sane non licet mortalibus haec arcana penetrare, & nescire juvat: duo sunt infensi verae Religionis hostes, increduli, & nimium curiosi. Scrutari temeritas est, credere pietas, ait Bernardus,

Non operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed prudenter praeteri.
Nescire velle quae Magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Non constat sine arcano Majestas, nubes Dei gloriam obumbrat, Arca oppanso velo tegitur; & in sacrarium temerarios vibrare oculos hominibus nefas. Quae in mysteriis Deus manifestavit, nequaquam sunt negligenda, at occulta Deo relinquenda, ne in his illicitè curiosi, & in illis damnabiliter inveniamur ingrati. Ut ad ignem Solemque, sic ad Deum accedere juvat, hactenus ut calore foveamur, non voraci flamma, aut radiis aestuantibus hauriamur. *Praestat*, inquit Tertullianus, *per Deum nescire, quia ipse non revelaverit, quam per hominem scire, quia ipse praesumpserit, cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti.*

Verum quamvis mysteria pietatis rationem superent, rationi tamen minime adversantur, imo cum principiis rationis optime congruunt, & cum iis quorum notitiam aliquam ex ipsa natura hausimus; verbi gratia, Mysterium Trinitatis cohaeret cum opere nostrae Redemptionis per incarnationem Entis infiniti, opus Redemptionis cum necessitate satisfactionis justitiae divinae, necessitas satisfactionis cum corruptione hominum universali, at hanc corruptionem agnoscit & confitetur Ratio; Mysteria itaque sunt supra, non contra rationem, eam non evertunt, etsi ab ea non perfectè capiuntur. Illa autem Mysteria rejicere velle, quia à ratione capi nequeunt, ita absurdum est, ut nihil absurdius, quamplurima enim dantur, quae certissima esse novimus, quae tamen capere neutiquam valemus. Rejicere mysterium, quia est rationi ἀκατάληπτον, est ipsi rectae rationi adversari, quae se finitam esse novit, Deum vero infinitum, & infinitum à finito comprehendi non posse probe judicat. Non est audienda ratio, nec quoties sub mysteriorum fidei praetextu, proprios errores vult stabilire, nec quoties se non posse capere mysteria fidei queritur; Nobis itaque vapulant tum Pontificii qui transsubstantiationis portentum tanquam magnum mysterium obtrudunt, tum illi qui mysterium Trinitatis, Incarnationis, aliaque ideo suggillant, ac iis fidem adhibere recusant, quod ab ipsis non comprehendantur, qui ab Orthodoxis damnantur merito, non minus ac illi qui de historia Evangelica, de nativitate Christi, miraculis, morte, resurrectione, dubitant, quia propriis oculis non viderunt quae narrantur, quamvis luculenta testimonia super hac re referantur, & ipsi Christi infensi hostes, Lucianus, Celsus, Porphyrius, Julianus, Mahummedes, aliique haec inficiari non ausi sint.

XVIII.

II. Mysterium dicitur *magnum* ob ejus originem. Non Aegeria, non Gabriel Angelus, non mortalium aliquis hujus mysterii author est,

Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi.

Quicquid autem à Deo est, magnum est. A Deo autem esse, non modo sanctitas hujus doctrinae, de qua in superioribus verba fecimus, evincit, sed & sublimitas; nam nequiverunt *divina homines*, *excelsa viles*, *infacundi subtilia*, ut bene Junilius Africanus lib. 2. de p. D. l. ad P. Rursus III. *Magnum* est siquidem in eo omnes Dei virtutes elucent, potentia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia, veritas: *bonitas & misericordia* quae unigenitum in nostras terras misit, ut salutem perduellibus, vitam perditis indulgeret; *justitia*, quae huic unigenito non pepercit, sed morti cruentae & ignominiosae dedit, ut à morte nos liberaret, & immortalitatem pareret: *Sapientia*, à qua inter se consociata sunt, quae aeterno divortio à se invicem dissociata videbantur, justitia scilicet & misericordia, quarum altera omnes perdidisset, altera omnes servasset, nisi sapientia tanquam moderatrix & arbitra intercedens hanc inivisset viam, qua utrique locus honosque suus constaret: *Potentia*, quae in resurrectione Christi, populorum conversione, &c. se se omnibus conspiciendam praebuit; omnes uno verbo aliae virtutes. IV. *Magnum*, quippe complura complectitur mysteria, mysterium Trinitatis, mysterium Incarnationis, mysterium resurrectionis Christi, mysterium vocationis Gentium. V. *Magnum* utpote miraculis confirmatum, & Martyrum imo Christi sanguine obsignatum. *Magnum* denique *ob effecta*. informat enim ita mentem humanam, ut inexpleta illa aviditas discendi quae illi à natura insita est, conquiescat, facessat modo humani ingenii malignitas, idque patefactione summi boni: rursus sedat animi motus, conscientiam tranquillat, affectus compescit, fidem, spem, charitatemque generat, illuminat, sanctificat, solatur, confirmat, intrepidos sustinet, invictos reddit, terrores & vitia fugat &c.

XIX.

Ὁμολογουμένως itaque Mysterium hoc magnum est, ut ait Divus Apostolus, id est ἀναντιρρήτως, ἀναμφισβόλως, ἀναμφηρίστως, citra controversiam: alludit scilicet Gentium Doctor ad mysteria gentium, & ad ea quae de sacris suis Graeci scriptores praedicabant; Enim vero alia erant, & narrabantur de his οὐχ ὁμολογούμενα, nudae scilicet incertaeque narrationes, alia erant ὁμολογούμενα, quae notissima erant, & apud omnes in confesso: sic docere vult Paulus, certissimum esse pietatis mysterium, veritatem esse exploratissimae fidei, eventu ipso probatam, nec eodem modo de hoc mysterio, ac de incertis Gentilium traditionibus esse judicandum, rem esse extra omnem dubitationis aleam positam, πιστὸν τὸν λόγον, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον, ut alibi loquitur 1 Tim. 1: 15. At unde fit ut Paulus pronuntiet, sine controversia mysterium pietatis esse magnum, cum Simeon vaticinetur signum fore Christum cui contradicetur, & cum tot contradicere, ac contradixisse experientia testetur, Judaeos, Paganos, Turcas, Libertinos, Deistas, haereticorum numerosam catervam; sane non est quod quis miretur; ideo enim ὁμολογουμένως mysterium esse magnum docet Apostolus, quia etsi multi contradicunt, nullus tamen contradicere debeat, & quia multorum contradictio hujus mysterii certitudini neutiquam obstat, ut quamvis à multis idiotis credatur Sol minor terra, nihil tamen de magnitudine hujus Astri detrahitur. Imo varii hostes & infensissimi quos habuit hoc mysterium, magnum esse invictè demonstrant; quis enim non magnum diceret esse mysterium, quod tot adversarios nactum est, & vicit, imo quod brevi temporis spatio terrarum orbem pervasit & perdomuit. Scandalosum erat Judaeis, Graecis insanum, Religionibus aliis infestum, patriis ubique legibus dissonum, inveteratis moribus & affectibus adversum; Attamen ubi prius auditur & resonat, rapiuntur animi, corda liquescunt, Sacerdotes, Proconsules, Judices, Philosophi fasces submittunt, Sophistae retunduntur, oratores obmutescunt, ringuntur Tyranni, silent oracula, etsi non Alexandrei duces adsint, non instructae Caesarum acies, non Demosthenis suada, vel Tullii facundia, non Periclis fulmina, non Muhammedis copiae.

XX. Hic

XX.

Hic sisto gradum, quamvis ista omnia diffundi prolixius possent, & de his ramis fibræ innumeræ duci; in sequentibus dissertationibus fusius, pietatis mysterii præstantia demonstrabitur, dum singulæ ejus partes enucleabuntur. Hoc unum addo, felices inter mortales esse, qui hujus mysterii facti sunt ἐπόπται.

> ὡς τρισόλβιοι
> Κεῖνοι βροτῶν οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
> μόλως ἐς οὐρανὸν τοῖς δὲ γὰρ μόνοις ἐκεῖ
> Ζῆν ἐστι, τοῖς δὲ ἄλλοισι πάντ᾽ ἐκεῖ κακά.

DISSERTATIO THEOLOGICA SECUNDA.

De Magno Pietatis Mysterio.

THESIS I.

MYSTERIA sua occultasse Ethnicos iis tantum ignotum est, qui de Ethnicis nihil audiverunt. Eleusinia in vulgus efferre capitale erat, & cum illis, qui istud perpetraverant facinus, versari periculosum. Verum longe aliter se gessisse Christi discipulos illi omnes norunt, qui sacra Volumina haud plane ignorant. Equidem quarti & quinti seculi Patres Eucharistiæ & Baptismi sacramenta, ac si quid erat his non absimile, in arcano inter solos initiatos peregisse confitemur, atque de iis parce ac sobrie apud exteros mentionem fecisse, ut tanto *ardentius*, Verba sunt Augustini, *à Catechumenis Mysteria concupiscerentur, quanto honorabilius occultabantur:* At nec Apostolorum, nec primorum post Apostolos Doctorum eam fuisse praxim probant utrorumque scripta, & docet Tertullianus: *Lib. de Præs. cap.26.* postquam enim monuit Christum discipulis præcepisse, ut *si quid in tenebris & in absconditò audissent, in luce & in tectis prædicarent, nec unum Verbum sine fructu in abdito reservarent*, Apostolos his Domini mandatis obtemperasse subjungit. *Neminem*, inquit, *quod scio verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum; quo magis Utique in Ecclesia libere prædicabant; qui in synagogis & in locis publicis non tacebant. Imo neque Judæos convertere neque Ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent &c. etsi quædam inter domesticos ut ita dixerim disserebant, non tamen ea fuisse credendum est quæ aliam regulam fidei superducerent diversam & contrariam illi quam catholice in medium proferebant, ut alium Deum in Ecclesia dicerent, alium in hospitio, aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto; aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos.* Pluribus non opus est, ut Africani Doctoris sententiam confirmemus. Textus quem exponimus hoc invicte probat. Mysterium pietatis magnum esse præfatus fuerat Gentium Apostolus, ut in superiori dissertatione vidimus: Jam omnes hujus Magni Mysterii partes pandit, nec ullam nos latere vult. *Deus*, inquit, *in carne conspicuus factus est, justificatus in spiritu* &c.

II.

Antequam hujus textus penetralia subeamus, de varia horum verborum lectione quædam dicenda sunt. Vetus interpres vertit, Magnum est pietatis mysterium, quod manifestatum in carne; quasi legisset, ὃ ἐφανερώθη. Sic commentarii Ambrosio & Hieronymo adscripti. Nec aliter cæteri Latini Patres, Hilarius, Augustinus &c. Hanc sententiam amplectitur Erasmus, & sibi subolere ait Vocem *Dei* additam fuisse adversus hæreticos Arianos. Eam avide & cum Erasmi laude arripit Socinus in responsione ad Volanum, ut sensus sit, *pietatis mysterium quod Evangelio continetur, in carne, hoc est per carnem, per homines scilicet mortales, & multis calamitatibus obnoxios, initio ab ipso Christo facto publicatum fuisse &c.* Verum hanc lectionem quominus probemus non pauca obstant. I. Fere omnes Græci Codices, tum veteres tum recentiores, tum impressi, tum manuscripti, quod ipsi agnoscunt Sociniani; Nam Smalcius de verbo Inc. omnia Exemplaria Græca hactenus constanter vocem Dei habere fatetur, & ibidem se Græcum Textum Vulgatæ anteponendum esse censere refert. II. Omnes Græci Patres, tum illi, qui hunc locum exposuerunt, tum illi qui simpliciter allegant, ut probare facile esset; Unde Bezæ non dubium est Dei nomen sublatum fuisse ab iis qui vel Deitatem Christi, vel utriusque naturæ *Unionem* jam inde ab ipso conceptionis momento negabant. III. Græcorum Codicum & Patrum authoritati accedunt aliæ rationes. Quis enim concoquere potest, mysterium dici *manifestatum in carne*, quia ab hominibus mortalibus & infirmis, quales erant Christus & ejus discipuli, prædicatum est, *justificatum in spiritu*, quia justitiam in Christo proponit, & *receptum in gloriam*, quia gloriosum fuit. Quid est scripturas torquere, si hoc torquere non est? Sane, si ut ajebat Varro, nemo ægrotus quicquam somniavit tam infandum, quod non aliquis dixerit Philosophus. Verius asserere possumus, nihil somniari posse adeo absurdum, quod non aliquis dixerit hæreticus. Hæc lectio adeo dura est, ut ipsi Patres Latini, qui eam admittunt, de Christo ipso, non de Evangelio exponant, & ita hæc verba interpretentur, quasi legeretur, Deus est in carne manifestatus: Unde Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Domini Nostri J. Christi cap. 2. hunc textum primo loco collocat inter testimonia, quibus duas in Christo naturas probat. Manet itaque illibata antiqua lectio Græca, Mysterium pietatis magnum θεὸς ἐν σαρκὶ ἐφανερώθη. Non dicit ὡς θεὸς quam corruptelam Anastasius Imperator Macedonio Episcopo Constantinopolitano apud Liberatum in brev. cap. 19. tribuit, ut & Hincmarus opusc. 55. capit. quod tamen certo non assererem, siquidem ut memorat Baronius ad A. 510. N. 9. incertum est an Surius recte Voces græcas quæ non erant expressæ suppleverit. Ita vindicata lectione græca, ad locum ipsum pergimus.

III.

Mysteria Ethnicorum dicebantur ὑπὲρ τῶν θεῶν, καὶ περὶ τῶν θείων. Ita in Eleusiniis acta Cereris legebantur, & revelabantur, laudabaturque Dea quod prima

> *Ferro mortales vertere terram*
> *Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacræ*
> *Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.*

Mysterium Christianorum de Deo etiam est, at non de Cerere Thesmophoro, hoc est *Legum Latrice*, aut μαλλοφόρῳ ut vocat Pausanias; non de Iside Ægyptiorum Dea, non de Turrigera, & Berecynthia Cybele; non de montium Domina Diana, quæ οὐρανοπετὴς dicebatur; non de aliis Ethnicorum falsis numinibus, Verum de Deo summo, ac vero, & de Deo incarnato. *Deus est in carne conspicuus factus.*

IV.

Hic 1. disquirendum est, quid per *Deum* intelligendum veniat. Nonnullis placet Patrem primam SS. Trinitatis personam designari, ita Socinus, Enjedinus, Smalcius, Schlichtingius, *Nihil impedit*, ait Smalcius, de verbo Inc. *quominus omnia illa quæ ibi commemorantur de Deo Patre accipiantur, qui solus voce* Deus, *quando Subjecti locum habet, insignitur, & præter eum nemo alius. Is* manifestatus est, *hoc est ejus voluntas patefacta est*, in carne, *hoc est per infirmitatem tum Christi, tum Apostolorum.* Is justificatus est in spiritu, *hoc est pro vero habitus est per virtutem divinam, quæ in iisdem se potenter exeruit.* Visus est angelis, *quia nulli Creaturarum ista Dei voluntas de salute humani generis antea fuit cognita quam per Christum revelaretur &c.* Receptus in gloriam *hoc est gloriose, quatenus non tantum in uno atque altero loco, sed ubique locorum, modo omnium gloriosissimo, ista Dei voluntas à multis scilicet alacriter recepta & constanter retenta fuit.* Hactenus Smalcius. Cui ut respondeamus. R. Negamus 1. vocem Dei, quando subjecti locum habet, designare *solum* Patrem; & hoc agnovit Episcopius, qui alias satis Socinianis favet; ac sententiam nostram probant loca Hebr. 1:8, 9. *Ad filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi &c. Propterea unxit te, ô Deus. Deus tuus &c.* Actor. 20:28. Deus dicitur (filius scilicet, nulli enim præter eum Deo sanguis tribuitur) *acquisivisse Ecclesiam suo proprio sanguine* & Joh. 20: 28. Respondit Thomas & dixit ὁ Κύριός μου καὶ ὁ θεός μου quæ verba ad Christum referri fatentur Servetus, Smalcius, Theophilus Nicolaides, ipse Socinus, qui pluribus hoc probat adversus Franciscum Davidis. Nec dicat Schlichtingius nomen Dei, quum articulus adest, nuspiam Christo tribui, nam & loca

loca citata & alia quæ afferri nullo negotio possent, contrarium evincunt; quibus addenda est ipsius Enjedini observatio, qui in Tit. 2. notat *Magnam varietatem & licentiam esse Græcis in articulis addendis, omittendis, transponendis.* II. R. Nullibi legi Patrem apparuisse in carne, sed semper hoc de Christo referri, ut ex sola sacrorum codicum inspectione constat. III. Scripturam nunquam voce carnis absolute posita Christum & Apostolos designare, ac proinde nullo fundamento niti Smalcii expositionem. IV. si per carnem nihil aliud intelligat Paulus, quam homines infirmos, non dixisset Apostolus, Magnum esse pietatis mysterium; nec enim insolita res fuit Deum suam voluntatem hominum infirmorum ministerio revelasse, quum sub V. T. eo modo se manifestasse Deum hominibus satis superque notum est. V. Nullibi in Sacris Deus Pater ἀναληφθῆναι ἐν δόξῃ dicitur, & nusquam hoc de voluntate Dei legitur. In Filium itaque hæc tantum quadrant, qui, ut in sequentibus probabitur, in carne conspicuus factus est, justificatus in spiritu, evectus in gloriam, &c. & de quo non absimiles phrases leguntur, tum apud Joh. qui cap. 1. Evangelii sermonem factum esse carnem, docet, tum apud Paulum, qui Rom. 1. factum esse Christum ex semine Davidis secundum carnem asserit. Sed hæc fusius in sequentibus.

V.

Christus igitur ille est Deus, de quo jam Gentium Doctor hæc fatur, Deus *est manifestatus in carne.* De ejus Divinitate dubitare non patiuntur Codices Sacri. Quî Deum esse negaremus eum quem Isaias describit cap. 6. gloriosissimum in Majestate sua omnibus Angelis stipatum; qui juxta Paulum magnus Deus & Salvator est. Tit. 2:13. & qui secundum eundem cum esset in forma Dei οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο esse Deo parem; qui à Johanne dicitur ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος; Apoc. 1. Verus Deus & vita æterna 1 Ioh. 5:20. Rex Regum, Dominus Dominantium Apoc. 17:14. & 19:16. cui divina tribuuntur attributa, Immutabilitas, Ps. 102:27, 28. Hebr. 1:12. Æternitas, Iohan. 1:1. Hebr. 7:3. Omnipræsentia seu immensitas Ioh. 3:13. Sapientia & omniscientia Ioh. 21:17. Apoc. 2:23. ac Omnipotentia Apoc. 1:8. Ioh. 10:28. qui cœlos & terram fundavit, ac omnia quæ in Cælis sunt & in terris condidit, Iohan. 1:3. Coloss. 1:16. Hebr. 1. qui providentia & virtute mundum administrat, nutuque solo omnia moderatur, qui corda & renes scrutatur, & quem Angeli omnes adorant. Hæc nolumus fuse persequi ne nimium crescat dissertatio, indicasse sufficit adversus hæreticos tum veteres, tum recentiores, qui Christum Deum esse negarunt; quorum agmen ducunt Iudæi, sed quos secuti sunt, proh dolor, innumeri, qui sub Christiano vocabulo & professione, Iudaicam de Christo sententiam amplexi in varias abierunt hæreses, quales fuerunt, *Cerinthus,* qui Christum merum fuisse hominem docebat, & qui Petro & Iohanni restitisse fertur, imo de cujus cum Iohanne congressu memorabile narrat Irenæus, Johannem scilicet, cum se lotum ad balneas venisset, animadverso Cerintho, statim se inde proripuisse, ne balneum, inquiebat, subito cadens cum Cerintho nos opprimat. *Ebionitæ*, quorum teste Origene duo erant genera, alii enim Christum ex virgine natum fatebantur, alii communi cum cæteris satu procreatum dicebant, sed utrique Deum esse Christum negabant, licet Irenæus lib. 1. c. 16. hoc de ipsis neget. *Nazaræi* qui, teste Theodoreto, quamvis contradicente Augustino, Christum tantum ut hominem justum honorabant. *Carpocrates* qui Iesum ex Iosephi & Mariæ conjugio cæterorum more progenitum, ac nudum esse hominem, in quem tamen per Baptismum Christus illapsus erat, credebat. *Elcesaitæ* qui Christum quidem esse magnum Regem prædicabant, qui ab initio procreatus identidem appareret, & in varia se indueret corpora, sed creaturam esse affirmabant; nimirum virtutem quandam esse cœlestem ajebant, quæ Christus vocabatur, cujus sororem esse spiritum sanctum delirabant, ac utrumque se in Iesum Iosephi & Mariæ filium insinuasse dicebant. *Theodotus Byzantinus* qui sub finem seculi secundi Ebionitarum renovavit insaniam. *Artemon seu Artemas* qui Prophetis tantum excellentiorem esse Christum fatebatur. *Paulus Samosatenus* qui seculo tertio Artemonis vestigia pressit, ψιλὸν ἄνθρωπον Christum agnoscens, quamvis aliud sensisse pertendat Celeberrimis & πολυμαθέστατος Le Moyne in notis, ad Polycarpum, filii scilicet carnem factam ὁμοούσιον Patri. *Arius* qui seculo quarto, Christum Deum quidem fatebatur, sed Deum existentiæ principium habentem, Deum factum, ἐκ μὴ ὄντων ante rerum omnium primordia creatum, & *Photinus* Sirmiensis in Illyrico Episcopus, qui Pauli Samosateni revocavit errores. Alios hæreticos, qui in sequentibus seculis Christianam Ecclesiam afflixerunt, non refero, nec recenseo nomina eorum qui superiori seculo Christi Divinitatem impetiverunt, & qui hodie impugnant. Nota sunt omnibus heu satis Michaëlis Serveti, Francisci Davidis, Lælii & Fausti Socini, Georgii Enjedini, Smalcii, Ostorodii, Crellii, Wolzogenii, Schlichtingii, Wolkelii, aliorumque nomina; quibus accedunt nonnulli inter Remonstrantes. Sed de diverticulo in viam; ab hæreticis ad Paulum redeamus. *Deus est in carne conspicuus factus.*

VI.

Variis modis se se Deum, alias invisibilem, hominibus revelasse satis superque notum est omnibus. Ac revera non modo sui notitiam hominum mentibus indidit, sed ita se in toto mundi opificio patefecit, ut aperire oculos nequeant, quin aspicere eum cogantur. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης inquit Paulus Rom. 1:20. Ideo, ut verbis incomparabilis Calvini utamur, *Optimo jure Propheta exclamat, luce quasi vestimento Deum esse amictum, ac si diceret cœpisse tum demum visibili ornatu insignem prodire, ex quo in mundi Creatione sua insignia protulit, quibus nunc quoties oculos huc vel illuc circumferimus, decorus apparet, & elegans author Epistolæ ad Hebræos secula nuncupat invisibilium rerum spectacula, quod nobis vice speculi sit tam concinna mundi positio, in quo invisibilem alioqui Deum contemplari liceat.* Rursus se se hominibus conspiciendum præbet per opera providentiæ, dum scilicet cœli ac terræ molem suo verbo sustentat, solo nutu cœlum concutit, ac modo fulgetris aërem accendit, modo variis tempestatum formis conturbat, modo eundem uno momento serenat, Mare quod assiduam terræ vastationem, sua altitudine minari videtur, coërcet, & nunc horrendum in modum tumultuoso ventorum impetu concitat, nunc sedatis undis pacatum reddit: aut potius dum impiorum ferociam omnium opinione insuperabilem momento uno retundit, arrogantiam domat, validissima præsidia diruit, tela & arma comminuit, vires infringit, machinationes evertit, & quæ supra cœlos se efferebat, audaciam in centrum terræ usque prosternit: è contra è pulvere humiles erigit, è stercore inopes suscitat, oppressos ab extremis angustiis eruit, deploratos in spem bonam restituit, & nihil non optima ratione attemperat. Tertio, se manifestavit Deus in verbo, quæ revelatio longe perfectior revelatione per naturam; rudi enim penicillo se in Creaturis adumbraverat Deus, at vivis & lucidioribus coloribus suam in verbo expressit imaginem. Quarto, se variis modis Patriarchis atque Prophetis revelavit, dum varia suæ præsentiæ symbola iis objecit, tum somniantibus, tum vigilantibus; At de iis *Manifestationibus* hic non quæritur; sed de alia longe luculentiori & admiratione nostra longe digniori, de incarnatione scilicet Dei filii: non de manifestatione in rubo aut in columna, sed in carne humana; & hoc jam exponendum est.

VII.

Ac prius observandum, hic opponere Paulum φανέρωσιν Dei veri, apparitionibus variis Deorum fictitiorum, quos Pagana coluit Antiquitas; Gentiles enim non tantum fabulantur Deos hominibus invisibiles civitates oberrare, factisque publicis interesse, sed & mortalibus revera conspicuos se se & præsentes quandoque præbere ἐπιφανείᾳ sua prædicabant, ut ex Cicerone, Diodoro Siculo, Dionysio Halycarnasseo, Claudiano, Clemente Alexandrino, Isiodoro, Pausania, aliisque quorum verba non recito, constat.

Præsentes namque ante domos invisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant.

Hinc in ipsis Eleusiniis mysteriis quotannis exhibuisse se Cererem simul & Proserpinam & Iacchum dicebant Ethnici; Equidem apparentes Deos ab impiis non cerni credebant; sed talem Deorum præsentiam salutarem esse piis arbitrabantur; iisque numinibus præsentibus statuas & Templa erigebant, ut docet inscriptio ista quæ Romæ legitur. *Præsentiæ Matris Deum P. Septimius Felix ob Coronam Millesimo urbis anno*; & nihil frequentius cernitur in antiquis marmoribus; eum in finem Cajus Caligula Ζεὺς ἐπιφανὴς dici voluit, quod male à quibusdam redditur, per Iovem illustrem, cum potius per Iovem præsentem reddendum foret. Hæc non persequor ne extra scopum aberrem, & attendisse satis est. Iam illis falsis apparitionibus (non enim in vera carne apparebant, sed ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις, ἑαυτοὺς εἰδοποιοῦντες εἰς ἀνθρώπους, ut loquitur Heliodorus) opponit divus Apostolus veram Christi apparitionem in carne, in qua naturam nostram assumendo vere sese hominibus

bus aspectabilem fecit, ut pro ipsis mortem crudelissimam subiret, & iis immortalitatem pareret, Deus, inquit ἐν σαρκὶ ἐφανερώθη.

VIII.

Variis nominibus appellata est, Christi incarnatio à Veteribus ἀνάληψις, ἀνδρικὴ θεουργία, ἐνανθρώπησις, ἡ ἐν σαρκὶ διαγωγή, ἡ περίπλησις, ἐνσωμάτωσις, θεοφανεία, περίβασις εἰς σῶμα, θεοπλασία, φανέρωσις &c. Variis etiam modis loquendi utitur Sanctus Spiritus, ut eam designet, modo enim ait Christum *factum esse carnem*, modo se se exinanivisse, modo in *forma peccati venisse*, *modo in carne conspicuum esse factum*, & ea utitur formula nunc Apostolus. Nec abs re incarnatio per φανέρωσιν designatur; cum Christum aliquatenus hominibus ante temporum plenitudinem absconditum fuisse certum sit. Equidem aliquando Antiquis Patriarchis sub humana forma apparuit; Ille enim est Angelus, qui ab Abrahamo conspectus, ipsi numerosam prolem in Isaaco pollicitus est, & Sodomæ ultimum exitium revelavit, ac qui cum Jacobo luctatus ab ipso vinci voluit. Ille est, quem Josue vidit evaginato gladio stantem, ut & ipsi Judæi agnoverunt, à quibus, referente Masio, observatur istum Angelum qui Josuæ apparuit esse Angelum Redemptorem, qui est facies Dei, id est ipse Deus, de hoc enim dicitur, nomen meum in eo est; Rursus ille est quem tentarunt Israëlitæ in deserto, docente Paulo, 1 Cor. 10. Hoc probat eximie Justinus, adversus Triphonem disputans, imo ulterius evincit Christum illum fuisse qui ἐν πυρὶ φλογὸς ἐκ βάτου πεφάνται καὶ ὡμίλησε τῷ Μωυσεῖ, eundem qui se Deum Abrahami, & Jacobi vocavit, quique populum Israëliticum ex captivitate eruens in gloriosam libertatem asseruit. Hoc confirmat in apologia quæ vulgo ordine secunda, sed quæ revera est prima, *Prius*, inquit ille Imperatores compellans, *per ignis formam & imaginem incorpoream* Mosi ac cæteris *Prophetis apparuit; nunc vero imperii vestri temporibus ex virgine homo genitus juxta Patris consilium & voluntatem propter salutem ei credentium* ἐξουθενηθῆναι *& passionem subire perseveravit* &c. *eo autem quod Mosi è rubo dictum est, Ego sum, qui sum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Jacobi, &c. Deus patrum tuorum, significatum est mortuos quoque illos exstare & ipsius Christi* εἶναι ἀνθρώπους. Hæc verba refero adversus illos qui Iustinum de divinitate Christi male sensisse asserunt, ob duras quasdam & inconditas voces quæ ipsi exciderunt. Quid enim quæso expressius dici potest ad Divinitatem Christi asserendam, quam verba jam allegata; nam si Iustinus Christum verum & supremum Deum esse non credidisset, an esse Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi pronuntiasset? verum hæc per transennam dicta sufficiant; Apparuit itaque Christus Patriarchis, imo sub forma visibili, quo ut loquitur Septimius, futuræ incarnationis præludium daret; At momentaneæ erant apparitiones; Etenim raro formam induebat corpoream; & pauci fuerunt inter veteres, quibus eum oculis corporeis intueri datum fuit; latebat Christus in umbris Mosaicis, & per cancellos tantum eum cernere sponsæ mysticæ licebat; Promittebatur Christus, sed nondum manifestatus erat, hinc servator beatos discipulos prædicat, quod ea audiant & videant, quæ multi Prophetæ & justi cernere & audire non potuerunt, quamvis avide expectaverint; Ad ultima igitur tempora reservata est Dei in carne manifestatio, & soli œconomiæ novæ fideles in hæc verba erumpere possunt, *Deus est in carne conspicuus factus*.

IX.

Quum Paulus Christum manifestatum fuisse in carne affirmat, supponit fuisse in mundo, antequam conspicuus fieret, & hoc disertius divus Apostolus docet Phil. 2: 6, 7. ubi in forma Dei extitisse asserit, priusquam formam servi assumserit & 2 Cor. 8: 9. Christum divitem factum esse pauperem Corinthiis declarat; hoc etiam Iohannes affirmat Ioh. 1: 1. *in principio*, inquit, *sermo erat &* v. 14. ait *factum esse carnem*, imo ipse totius orbis Redemptor hoc de se pronuntiat, Iohan. 8: 58. *Priusquam Abrahamus existeret, ego sum*. Taceat itaque Socinus cum ejus infaustis sectatoribus, qui non extitisse Christum existimant, antequam in utero beatæ Virginis conciperetur, & qui Deum esse quidem confitentur, sed nomine tantum, aut munere, aut repræsentatione, aut communicata potestate, aut participata excellentia, & quidem partim ob conceptionem miraculosam, partim ob munus præstantissimum, quod veluti legatus Dei in terris gesserit, partim ob munus regium, quod summa cum authoritate in cœlis exercet. Mirabilem Deum (absit blasphemia) qui cum antea nihil fuerit, in terris cum Christo cœperit, in morte rursus cum eo evanuerit, deinceps vero post resurrectionem reproductus fuerit, ex nihilo factus homo, ex homine Deus, rursus factus nihil in morte, atque inde reproductus homo, Quem tantæ impietatis non pudeat. Sileat itaque Socinus; solus audiatur Paulus, *Deus est in carne conspicuus factus*.

X.

Vox carnis varias significationes in scriptura sortitur, omnes recensere non opus est, notasse sufficit, non raro sumi pro hominibus, ut quando Gen. 6. omnis caro dicitur corrupisse viam suam, & Galat. 4: 16. ait Paulus nullam carnem, id est nullum hominem ex operibus legis justificatum iri; Ita Ioël. 2: 28. 1 Cor. 1: 29. & alibi. Non mirum est itaque si de natura humana Christi verba facturus divus Apostolus vocem carnis adhibeat, & si plerumque eo sensu usurpetur à scriptoribus θεοπνεύστοις. ut Iohan. 1: 14. Act. 2: 30. Rom. 1: 3. 1 Petr. 3: 18. Sic perinde est ac si gentium Doctor dixisset Deum conspicuum factum esse in natura humana, in forma consimili carni peccato obnoxiæ, ut Rom. 8: 3. divo Apostolo placet exprimere mentem suam. Verum quæret hic aliquis, cur ea voce utatur Paulus, & cur non alias dicendi formulas minus obscuras adhibeat; plures afferunt rationes Ecclesiæ Patres subtiles magis quam solidas. Cyrillus ait solam carnem commemorari, quod Deus olim in Adamum sententiam ferens, eam pœnam indixerat quæ ad carnem illam pertinere videbatur, *Terra es & in terram reverteris*; Aliis placuit dicere id factum ut medicina morti responderet; nulla pars, inquiunt, magis opus habebat restauratione quam ea quæ maxime depravata erat; nulla pars manum abstergentem magis requirebat, quam illa in qua labes præcipue hærebat; erat autem pars illa affecta caro, illa igitur assumenda erat. Alius dixit ideo carnis voce uti Apostolum, ut pateret carnem quæ venenum nobis extiterat factam fuisse veneni antidotum, & remedium inde ortum fuisse unde morbus ortus erat. Caro te cœcaverat, inquit Augustinus, Caro te sanat; Carnis instrumento, ait Cyprianus, contra nos usus fuerat Diabolus, jam quibus armis Diabolus nos oppugnavit, per eadem salvati sumus. Ceteras non recito Veterum rationes. Malumus dicere id factum à Paulo, 1. ad distinctionem naturarum designandam, Iudæi enim carnem & sanguinem Deo opponebant. 2. ad humilitatem Christi ostendendam, qui propter nos abjectam carnem assumpsit, & hanc rationem afferunt Gregorio Nazianzeno, Augustinus Theophrast. 3. ad ostendendum Christum naturam nostram assumsisse cum infirmitatibus suis ἀδιαβλήτοις scilicet, peccatum eum non agnovit & labis communis plane expers fuit. Quibus rationibus addere possumus, sic Paulum nos sensim adducere voluisse ad finem adventus Christi, nempe mortem ejus & sacrificium, caro enim in sacrificiis offerebatur. Verum ex eo quod carnis tantum meminit Paulus, non credendum anima caruisse Iesum Salvatorem, ut somniabant *Ariani*, qui docente Epiphanio, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, & Nysseno, Clemente Alexandrino, Augustino, Leontio, Fulgentio, Phylastrio, assumptum dicebant esse corpus, divinitatem vero animæ partes obisse, adeo ut corpus nihil aliud nisi divinitatis involucrum fuerit, ut eorum explicat sententiam Theodoretus L. 15. contra hæreses cap. 11. licet adversus eos à nullo de hac re fuisse certatum invenisse Augustinus fateatur. 2. *Apollinaris*, qui ut narrat Leo hom. 4. de nat. fidei soliditate privatus filium Dei, ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, ut in illa carne diceret animam non fuisse, quia vicem ejus expleverit ipsa divinitas: Equidem Apollinaristæ victi testimoniis scripturarum animam in Christo fuisse negare non audebant, sed mentem, qua rationalis est anima hominis non fuisse in anima Christi, asserebant, referente Augustino in lib. de hæresibus. Adversus illos hæreticos tuentur Orthodoxi Christum corpus & animam habuisse, & sic similem esse nobis in omnibus excepto peccato.

XI.

Ex dictis patet Apostolum duas Christo tribuere naturas, juxta quas & Deus & homo est, *Deus*, inquit, in *carne manifestatus est*. Verum ut clarius hoc capiatur varia observanda sunt; 1. I. Christum verè carnem humanam assumpsisse, non apparenter & δοκησικῶς, & hoc tuemur adversus illos hæreticos, qui non vere sed sola specie natum, passumque esse Christum defendebant, quales fuerunt Saturnilus, Basilides, Secundus, Epiphanes, Isidorus, Marcus & Marcosii, Ptolomæus, Ophitæ, Cerdo, Marcion, & Manes, sive Manichæus, omnium hæreticorum pessimus, magister falsitatis Diabolicæ, & conditor superstitionis obscœnæ, ut ait Leo, putri-

putridum ulcus Ecclesiarum, ut Basilius vocat; Ac revera si caro Christi fuit merum Phantasma, Tota Evangelii historia merum est drama, scriptura tota in scœnam & fabulam commutatur, & opus omnium admirandum in fumum convertitur; Virgo nihil concepit, nihil peperit, & phantasma fuit Christi incarnatio, umbra ejus exinanitio, umbra satisfactio. Quale ergo tergum dedit pro nobis, quam maxillam cædentibus præbuit, quale latus perforarunt milites, quem sanguinem effuderunt. Igitur inanis est fides nostra, non est mortuus Christus, quomodo enim umbra moreretur, non surrexit Christus, umbra enim à morte teneri non potuit. *Quid dimidias*, ait Tertull. de carne Christi c. 5. *Christum, totus veritas fuit. Maluit* (Christus scilicet) *nasci*, quam *ex aliqua parte mentiri, & quidem in semet ipsum, ut carnem gestaret sine ossibus duram, sine musculis solidam, sine sanguine cruentam, sine tunica vestitam, sine fame esurientem, sine dentibus edentem, & sine lingua loquentem*; 2. carnem assumsisse non ex elementis confectam, quod Apelles docebat, non ex nihilo factam ut somniarunt alii, non ex cœlesti materia efformatam, indeque per uterum Beatæ virginis instar aquæ per tubulum, aut canalem traductam, ut deliravit Valentinus; non ex *supercreaturali* ac spirituali, ut Swenkfeldiani, non ex Spiritus sancti essentia decisa, sed ex Beatæ virginis substantia desumtam, Alioqui nec Mariæ filius, fructusque ejus ventris diceretur, nec Maria mater vocaretur, nec Davidis, aut Abrahæ filius, nec mulieris semen appellaretur, nec ab Adamo genealogia ejus duceretur, quæ omnia tamen disertis verbis in sacris codicibus leguntur.

XII. III. Christum ita assumsisse naturam humanam, ut inde tamen non sequatur duas esse in Christo personas, quod credidisse Nestorium docent Leontius lib. de Sectis; Paulinus Aquileiensis, lib. 3. contra Felicem, Harmenopulus, Vigilius in 2. libro contra Eutichem, & Vincentius Lirinensis; *Nestorius* inquit contrario Apollinari morbo, *dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas*; quamvis certum sit; nunquam duas in Christo personas, verbo professum fuisse Nestorium; imo Nestorianus quidam acerrime negat apud Maxentium duos se constituere filios in uno eodemque Christo. Verum quicquid crediderit Præsul ille Constantinopolitanus, rejicimus eorum sententiam qui duas in Christo personas esse asseruerunt, & asserunt. Ac revera Scriptura ubique de Christo tanquam de una persona loquitur; ille idem qui dicitur factus ex semine Davidis secundum carnem filius Dei vocatur secundum spiritum sanctitatis; Ille idem qui ut ex Patribus secundum carnem oriundus proponitur, Deus super omnia in secula, benedictus appellatur; Idem nuncupatur Dominus, & semen Davidis, filius Mariæ & Dominus Elisabethæ & Dominum gloriæ fuisse crucifixum, Deum acquisivisse Ecclesiam proprio sanguine; ac illum qui in forma Dei erat sese exinanivisse docent Apostoli. IV. Deum ita manifestatum esse in carne, ut caro, id est, natura humana, cum divina arctissime conjuncta sit in unitate personæ, quod iterum negasse Nestorium docent, tria Concilia œcumenica, Ephesinum, à quo damnatus est A. C. 431. & Constantinopolitanum II. Duodecim capitula, seu Anathematismi Cyrilli à synodo Ephesina approbati, & ipsæ leges Cæsareæ, c. de summa Trinitate l. 5. 6. & 7. quæ Nestorii libros comburi jubent, quamvis reperiantur nonnulli, qui Nestorium pium & orthodoxum tenent, & qui eum injuste ac per vim in Consilio Ephesino oppressum pronuntiant; Nolumus hanc litem nostram facere, & pro Nestorio aut adversus eum disceptare, forsan multa Nestorio affica, quæ nunquam credidit, forsan etiam multa credidit quæ ignorata sunt. Dixisse ferunt v. g. bimestrem, vel rimestrem vocandum, esse Deum. 2. incarnationis mysterium esse ἐνοίκησιν εἰς ἄνθρωπον, habitationem Dei in homine, velut in domicilio suo, vel in templo, ut in Mose ac Prophetis habitasse dicitur. 3. θεόφορον esse Christum κτήτερα θεότητος non vere Deum, sed hominem potius cum Deo tanquam dignitatis æqualitate conjunctum: 4. naturarum in Christo ambarum junctionem, sive ut vocabulum usu contritum est, *unionem* non veram & propriam, aut hypostaticam esse ita ut ex una persona conficeretur, sed, vel unionem σχετικὴν & externam quam συνάφειαν vocabat tum κατὰ παρέστασιν, & simplicem habitationem, quatenus verbum in Christo homine ut in templo habitabat, tum κατὰ χάριν & εὐδοκίαν, quatenus Deus in hoc homine sibi admodum placebat; tum κατὰ τὴν ἀξίαν μόνην *solius dignationis*, quatenus homo assumtus in communionem majestatis & dignitatis adhibitus est à verbo, tum κατ᾽ ἐνεργείαν per operationem, quatenus ὄργανον Dei erat in admirandis illis operibus quæ filius Dei patrabat; tum κατὰ ταυτοβουλίαν respectu consensus, inter voluntatem hominis & Dei in Christo. 5. Virginem negasse dici posse θεοτόκον seu Deiparam; sed χριστοτόκον & illud sæpius ingeminasse; *Quid gloriaris Judæe! hominem Crucifixisti non Deum.* Quicquid sit, de fide enim Nestorii nolumus contendere, errorem à Concilio Ephesino damnatum; pariter damnamus & recte hujus synodi authoritate confossum fuisse pertendimus; nec enim credimus Christi naturas esse separatas, ita ut duæ sint personæ, nec unionem illam naturarum in Christo talem esse censemus; qualis est conjunctio Dei cum fidelibus, qui etiam Dei sunt tabernaculum in spiritu; Longe magis esse intimam pertendimus ac tuemur, quamvis ineffabilem esse ac ἀκατάληπτον concedamus, arctissimamque esse patet ex eo quod de Christi persona vere prædicetur quicquid alterius est naturæ proprium, & hæc est communicatio idiomatum, ἀντίδοσις, ἐναλλαγὴ, ἐπίδειξις ὀνομάτων de qua disserunt Theologi.

XIII. Verum quamvis existimemus unionem hanc non esse simplicem inhabitationem, sicut nauta est in navi, aut conjunctionem qualis est amicorum, & quamvis censeamus non esse *naturalem*, qualis animæ & corporis; ex quibus tertia quædam natura constituatur, non *Carnalem*, sicut vir & uxor fiunt una caro; nec *spiritualem* qualis est Dei cum fidelibus; Non somnianda tamen est quæpiam confusio naturarum, quasi vel ex duabus naturis altera in alteram conversa sit, vel ambæ abierint in tertiam, quæ neutra sit illarum, & utramque aboleat. Hæc erat sententia Eutichis Archimandritæ, qui pro fide Catholica contra Nestorium strenue dum dimicabat in alium errorem incidit, credebat scilicet, ut refert Liberatus, ante adunationem duas in Christo fuisse naturas, post adunationem unam factam esse; corpus Christi post unionem, neque virgini Mariæ matri, neque nostro esse consubstantiale, sed in ipso incarnationis momento carnem fuisse mutatam in divinitatem, aut potius absorptam à Divinitate; ut Eranista respondet apud Theodoretum dialog. 2. exemplum absorptæ naturæ deterioris hoc addens, Ut si *in mare mellis gutta fundatur, nam gutta illa statim evanescit aquæ maris immixta.* Adversus hunc errorem Eutichis & sectatorum habita est Synodus Chalcedonensis A. C. 451. Marciano Imperatore, Leone Episcopo Romano, & Anatolio Constantinopolitano. Verba Patrum in synodo congregatorum recitare placet. &c. Ἑπόμενοι &c. *Sanctos Patres sequentes, unum & eundem confiteri filium Dominum N. J. Christum concorditer omnes docemus; perfectum in Divinitate, & eundem perfectum in humanitate; verum Deum & verum hominem, eundem ex rationali anima & corpore; coessentialem Patri secundum divinitatem, & coessentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem demto peccato, ante secula quidem genitum ex Patre secundum Divinitatem, postremis vero diebus propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine Deipara, secundum humanitatem; unum & eundem Christum filium, Dominum unigenitum in duabus naturis*, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, inconfuse, inconvertibiliter, indivulse, & inseparabiliter manifestatum, haud *quaquam differentia naturarum propter unitatem sublata, sed magis utriusque naturæ in unam personam & unam hypostasin concurrentis proprietate servata, non in duas personas bipartitum & divisum, sed unum & eundem filium unigenitum &c.* Eandem sententiam & nos profitemur, neutiquam enim existimamus naturas inter se confundi, & frequens est earum in scriptura oppositio; utraque suas proprietates retinuit, *salva*, inquit Leo, *proprietate utriusque naturæ & in unam coeunte personam suscepta est à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas &c. tenet sine defectu proprietatem suam utraque natura*, & sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit. Pluribus hoc evinceremus, scilicet naturas in Christo haudquaquam confundi posse, siquidem nulla est inter eas proportio; & rursus, hanc confusionem non posse defendi facile esset probare, quin assereretur vel Divinam naturam esse mutabilem; vel Christum Hominem non amplius esse, quæ duo adversus scripturam arietant, in qua hæc duo docentur, Divinam naturam esse plane ἄφθαρτον; & apud Deum ἐκ ἔνι παραλλαγὴν; ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα 2. Christum esse verum hominem ut & verum Deum. Sed hæc fusius persequi non opus est, nec enim de unione personali naturam in Christo locum communem exhaurire sedet animo; addam hic tantum eximia magni Leonis verba, in Epistola ad Flavianum. *Qui verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est in hac unitate mendacium dum invicem sunt humilitas Hominis & altitudo Divinitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita Homo non consumitur Divinitate, agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod*

verbi est, & quod carnis est carne exsequente. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis: & sicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est, quod sæpe dicendum est, vere Dei filius & vere Hominis filius, Deus per id quod in principio erat verbum, & Homo per id quod caro factum est, & habitavit in nobis. Deus per id quod omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil: homo per id quod factus est ex muliere, factus sub lege. Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ. Partus Virginis divinæ est virtutis judicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo altissimi declaratur vocibus angelorum &c. quamvis Domino Jesu Christo Dei & hominis una Persona sit, aliud tamen est unde contumelia, aliud unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre Divinitas. Sed redeamus ad Paulum. *Deus est in carne manifestatus.*

XIV. Hic quæret non nemo, qua de causa Deus incarnatus est. Absque ulla ratione id factum qui assereret, ad Anticyras relegandus foret, quo enim quisque est sapientior artifex, & perfectius nititur opus, eo dum agit nobiliorem finem intuetur. Quinam, ergo, inquies, finis est. Certum est finem omnium Dei operum esse virtutum suarum exercitium; at in incarnatione omnes illæ virtutes elucent; ac primo bonitas emicat: Hoc enim proprium est bonitatis in commune commoda sua conferre, & sese in aliorum utilitatem communicando diffundere; Sed nulla plenior atque largior communicatio summæ bonitatis, quam quæ in suscipienda natura Hominis spectatur; Hoc facile esset illustrare, bonitatem hanc comparando cum aliis bonitatis testimoniis; verum non tantum Dei *bonitas* elucet, sed & ejus *veritas, misericordia, justitia* quæ sibi obviam iverunt & se se osculatæ sunt ut canit Psaltes *Ps.* 85. *sapientia* quæ hanc stupendam & ipsis Angelis suspiciendam satisfaciendi rationem invenit, ac tandem *potentia. Non tantopere* cœlum, ait Basilius, *libro de Spiritu Sancto, Nec terra neque Marium immensitas, nec ea quæ degunt in terris, aut in aquis Animantia, neque stirpes, neque astra, neque aër, nec annuæ tempestates, nec illa admirabili varietate distincta rerum universitas excellentem vim Dei commendat, quantum illud unum, potuisse Deum, qui comprehendi ab ullo nequit, citra passionem aliquam per carnem cum morte congredi, ut propria passione nobis impatibilitatem tribueret*; Huic rationi alia subjungenda est, non aliam scilicet fuisse viam salvandi Homines. Ac revera nec Angelus, nec Homo, nec ulla creatura tantæ dignationis esse potuit, ut invisum Hominem conciliaret, & pro eo satisfaceret. Deo injuriis hominum læso quam perfectissima imo infinita debebatur satisfactio. Peccati horrenda labes non alio condigno piaculo, quam infinita satisfactione dilui poterat. Deus itaque solus opus redemptionis nostræ aggredi valebat; Solus vincere mortem, peccatum abolere, justitiam seculorum adducere, de Diabolo triumphos agere, spiritum in corda nostra mittere, vitam æternam conferre, inferni claudere fores, cœleste reserare Sacrarium, ac nos Deo similes reddere poterat: At Deum illum in carne manifestari oportebat. Mortem peccatoris exigebat irati Numinis justitia: Sed nemo mortem perpeti poterat nisi natura mortalis, imo neque mortalis quælibet natura illi instituto idonea erat, sed humana tantum, justitia enim Divina postulabat, ut ea natura pro nobis plecteretur quæ peccaverat, quæque erat redimenda. Oportuit itaque esse hominem, ut victimæ in locum nostrum suffectæ partes ageret. Rursus Mediatorem nostrum decebat miseriæ nostræ sensu affici, iisdemque moveri affectibus ut μετριοπαθεῖν nobis posset; necesse itaque ut per omnia similis nobis fieret, qui tentatus ipse tentatis succurrere posset. Duas addunt rationes Ecclesiæ Patres. Si Deus, inquiunt, non sese in carne manifestasset, omnes perdidisset ejus aspectus; cum nullus inaccessum lucis æternæ appulsum tolerare queat; nam si Mosis splendorem Judæi ferre non poterant, quomodo nudam Divinitatem ac vel supernis inaccessam virtutibus ἡμεῖς οἱ πήλινοι, καὶ γηγενεῖς ἠδυνήθημεν ἂν ἐνέγκειν ut ait *Chrysostomus.* Oportuit verbum in carne latere, lumen in testa, solem in nube, ut verbis utar *Bernardi*, alias nemo Mortalium ad ipsum accedere ausus fuisset; Dei nomen terrorem incutit; sed cum audimus Deum factum carnem, Christum sanguinem & carnem participasse, nec modo esse Dominum nostrum, sed & factum גאל proximum imo sponsum, metus omnis ex mentibus expellitur, magna consolationis seges nascitur, & summa cum παῤῥησίᾳ talem Redemptorem compellamus, ut ex ejus plenitudine χάριν ἀντὶ χάριτος hauriamus. Diabolum, inquiunt alii, per ipsam carnem quam vicerat, vinci convenientissimum erat; *melius judicavit Deus*, ait Hipponensis Præsul, ut de ipso quod victum fuerat, genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum. Alia non addo quæ ubique prostant.

XV. Non opus est, ut probem solum Deum filium in carne esse conspicuum factum. Hoc enim tota scriptura ubique docet; nec de alia persona hæc leguntur. Hoc etiam docuit Orthodoxa antiquitas. Quamvis tres personæ, inquit Concil. Toletanum, cooperatæ fuerint incarnationi, solus tamen filius suscepit humanitatem, in eo quod proprium est filii, non quod commune est Trinitati. Damnamus itaque 1. *Praxeam*, & Patripassianos; qui & Sabelliani dicuntur, quorum insanus error à Mario Victorino recte est expositus in primo libro adversus Arium, & adversus quos ita loquitur Fulgentius lib. contra serm. Fastidiosi Ariani, qui Patripassianorum errores Catholicis exprobrabat. *Non tota Trinitas*, inquit, *carnem assumpsit, nec tota Trinitas passionum injurias sensit, nec tota Trinitas in sepulchro jacuit. &c.* 2. Petrum Gnapheum sive Fullonem Antiochenum Episcopum, & ejus sectatores Fullonianos, & Theopalchitas, qui totam Trinitatem passam esse asserebant; Ille enim Gnapheus in hymnum, qui Τρισάγιον dicitur, ad verba ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος intrusit has voces ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς *qui crucifixus est pro nobis*, & si credamus Baronio, huic Fulloni debentur publicæ Litaniæ ad sanctos, speciatim invocatio virginis θεοτόκου. 3. Improbamus factum Cornelii à Lapide Jesuitæ, qui commentarios suos in 12. Prophetas minores inscripsit. *Sanctissimæ Trinitati increatæ & creatæ in Christo Jesu.* Verum ne quis à nobis quærat, cur filius potius sit incarnatus quam Pater aut Spiritus Sanctus; Hic enim malumus silentium servare, quam nimis subtilia proferre. Si Gennadio, Fulgentio, Bernardo, Hugoni Victorino, Lombardo, Anselmo, Johanni Damasceno credamus, id contigit ne filii appellatio transiret ad aliam personam, ex quo in sanctissimam Trinitatem promiscua quædam redundaret atque indecora confusio. Si Athanasio, Cyrillo, Augustino, Leoni fides sit, id factum, quia per eundem refici, crearique denuo decebat omnia à quo initio creata fuerant. *Magna misericordia* Domini *Nostri Jesu Christi*, ait Hipponensis Præsul, *factus est is propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora: factus est inter omnia, per quem facta sunt omnia; factus est quod fecit. Factus enim est quod fecerat: factus est homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat.* Alii dixerunt, cum homines scelerum ac libidinum immanitate sic efferati essent, ut omnem humanitatem ac rationem exuisse viderentur, & in brutorum animantium transisse sortem, merito λόγον ipsum mitti opportuisse, qui miseros illos ἀλογωθέντας & superstitionis impiæ tenebris occæcatos ad lucem & rerum cœlestium notitiam impertita veri Dei scientia, cultuque revocaret. Alii æquum fuisse, ut ad eandem effigiem, quæ peccati labe deformata, corruptaque fuerat, instaurandam & reficiendam ipsa adhiberetur primigenia Patris imago, cujus imitatione pristinum in statum per eadem lineamenta reduceretur. Sed missis hisce ad alia transeamus.

XVI. Nolumus hic inquirere, cur Christus post longa seculorum curricula senescenti mundo & jam occidenti advenerit, ac sese manifestaverit; An, ut Eusebio placet, quod homines minus idonei essent ob morum feritatem; & ante legibus, institutisque Mosis ac Prophetarum aliorum & sanctorum virorum exemplis, monitisque firmatos prius oportuit, ut barbarie illa domita, paulatim ad cœlestis magistri commercium aptarentur; An, ut Augustinus refert, quia non oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur homo, nisi tempore juventutis Ecclesiæ; an quod credidit Leo, ut hac salutiferi operis mora capaciores nos suæ vocationis efficeret; ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot secula fuerat prænuntiatum, in his diebus Euangelii non esset ambiguum, & nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus antiquior præcessisset. Nolo etiam disquirere, quare ex virgine natus Christus; cur ex tribu Juda; quo anno, qua die, quo Consule, in qua orbis parte, quid ipso nascente contigerit, an ad ejus præsentiam Templa & tecta mota sedibus & collucentes ignes visi sint; quod Ethnici de suis falsis numinibus fabulantur; An in carne conspicuus factus fuisset, etsi nullus fuisset peccator, quod asseruerunt nonnulli, nos vero negamus; Quid ad ejus conceptionem contulerit Spiritus Sanctus; Quot annis inter homines versatus sit. Mittimus has quæstiones, aliasque innumeras, quæ formantur & agitantur; Præstat 2. hæc breviter demonstrare 1. manifestationem hanc esse mysterium & quidem magnum 2. pietatis esse mysterium.

XVII. Tres

XVII. Tres uniones (sit venia verbo) docet Euangelium quæ summa sunt mysteria. 1. Unitatem numericam Essentiæ divinæ in tribus Personis numero distinctis. 2. communionem fidelium cum Christo in unum corpus mysticum; *Mysterium*, inquit Paulus Eph. 5:35. *hoc magnum est, loquor de Christo & Ecclesia.* 3. unionem hypostaticam naturarum in verbi persona. Hæc tria summopere inter se connexa sunt; Incarnatio enim verbi supponit distinctionem personarum in essentia divina, & est fidelium cum Christo conjunctionis fundamentum. Unitatem personarum in una essentia, & fidelium cum Christo communionem magna esse mysteria non est quod probemus. Ut de unione hypostatica tantum loquamur; Quis incarnationem Dei, mysterium esse summum non videt? hactenus sane nihil tale conspectum, nec auditum fuerat, nec ullus hominum, aut Angelorum, quicquam simile excogitare potuisset. Exempla hujus mysterii nulla exstant, & similitudines quas ex natura aut ex arte deducunt veteres ad hoc mysterium adumbrandum, & illustrandum, obscurant potius quam elucidant. Alii quidem cum unione animæ & corporis in homine comparant, alii cum unione lucis cum aëre, vel ignis cum gladio candente, & alii surculi arboris sylvestris insiti hortensi majori ac proceræ similitudine utuntur; sed quis non novit has comparationes esse umbratiles & multis infuscatas discrepantiis; Ne quærat itaque ratio humana, cum quare hoc mysterium comparet, omni est comparatione, ut & omni admiratione majus. Mirandum fuit olim solis cursum retardari, mortis hebetari falcem, stupendum de cœlo pluere panem Angelorum, cursum suum fluvios sistere, rupes in aquarum fontes mutari, petras sudare rivos olei, amaras undas ligno injecto dulcescere, aridam florescere virgam. Mirum fuit, solem stare, umbram retrocedere, maxillam asini aquas fundere, ferrum instar paleæ supernatare, ignis flamma socios Danielis refrigerari; à corvo Prophetam nutriri; Verum quid hæc obsecro præ Deo in carne conspicuo facto; *Non jam, inquit* Cyprianus, *Mundi hujus structuram admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum, non Lunæ defectum, non solem semper integrum & perpetuum ejus cursum, non temporum vicissitudines in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ modo mortua videntur deinceps reviviscunt; sed miror Deum in utero virginis, omnipotentem in cunabulis. Miror quomodo verbo Dei adhæserit caro, quomodo incorporeus Deus corporis tegumentum induxerit. Hic me complectitur stupor.* Non miror Mosem in canistro positum, sed Regem cœlorum in virginis utero collectum; non miror Deum in columna ignis & nubis absconditum populum per deserta ducentem, sed miror humanitatis nebula occultatum hujus totius orbis Rectorem. Non miror Elizæum exiguo puero commensuratum; at miror magis divinam majestatem in exiguo puero incurvatam. *Videte*, ait Augustinus, *quantum se vir ille provectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo & jacenti congrueret, quia parvuli eramus, parvulum se fecit Christus; quia mortui incedebamus, prius se Medicus inclinavit; Lectus in quo jacebat ægrotus, humi erat stratus, ipsa caro; verbum quod afferre medicinam vitamque poterat apud Patrem celsissimum erat; ut igitur mederetur celsissimum abjectissimo demisit se, & caro factum ad lectum usque ægroti in terra jacentis accessit.* Oh rem miram. Quæsitum olim Athenis, quodnam maximum & minimum esset; In varias iverunt sententias Philosophi, at hic est maximum, hic minimum; *Deus manifestatus in carne.* Quis unquam hoc excogitasset; Deus qui erat, fit homo, immensus capitur, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, cœli & terræ creator, & Pater æternitatis sub cœlo nascitur, & in terra jacet. Intrat mundi artifex angustias ventris humani, gravida efficitur mater intacta, de Mariæ utero procedit sponsus Mariæ, summus fit imus, immensus fit parvulus, & maximus minimus. *Magnum itaque mysterium est Deus in carne conspicuus factus.*

XVIII. Ridere hoc mysterium Judæi, Ethnici, aliique non debent; Non *Judæi*, nihil enim in tempore contigit, quod non Prophetæ prædixerint. Ostendant nobis isti recutiti & apellæ quid Christo salvatori acciderit, quod non prius vaticinati sint Isaias, Micheas, cæterique; si igitur vaticinio respondit eventus, cur mysterium incarnationis non agnoscit nobiscum obstinata & incredula gens; & cur Christi jugo colla non subjicit? Non *Ethnici*, etsi enim quidam ex ipsorum vatibus dixerint, mortale cœlo non posse jungi genus.

Quippe etenim mortale æterno jungere & una
Consentire, putare, & fungi mutua posse
Desipere est.

Alios alia credidisse certum est; *Julianus* ipse ait, *Jovem de se Æsculapium genuisse, eundem terris cerni dedisse, per solis vitam genitabilem. Hunc vero ex cœlo in terram progressu facto unica specie apud Epidaurum apparuisse; & Porphyrius*, referente *Cyrillo*, *genus quoddam deorum esse qui suo tempore in homines mutentur.* Adde his quod Lystrenses dicunt Act. 14. Quidni Ethnici adorandum incarnationis mysterium, etsi ἀκατάληπτον admitterent, qui ridiculas Deorum metamorphoses credebant, qui distinguebant Deos suos in intellectuales & visibiles, qui heroas, partim Deos, partim homines fingebant, aut ut definit Lucianus, μήτε ἀνθρώπους, μήτε θεούς, ἀλλὰ συναμφοτέρους; quique toties Deos sub specie humana terram lustrasse, & cœtibus mortalium interfuisse narrant. Virginem parere qui mirarentur, dum statuas Isidi, ut virgini partui proximæ erigunt, Platonem ex quadam Apollinis figuratione, (Ut loquitur Apulejus) quæ se matri immiscuit, prosatum fabulantur, aliaque innumera excogitant. Mortalem immortalem parere, quare inficiarentur, cum idem asseruerit Hesiodus in Theogonia. In præsepi recumbentem Jesum cur spernerent, qui antra & speluncas Diis suis sacrabant, ut ex innumeris authoribus constat, imprimis Porphyrio, & Strabone; Cætera mitto, alias, multa adjungere facile esset, ut illa Senecæ Epistol. LXXXI. *Miraris hominem ad Deos ire; Deus ad homines venit, imo quod propius est in homines venit*; & illa Ovidii, lib. 11. de Ponto Eleg. 8.

Fœlices illi qui non simulachra, sed ipsos
Quique DEUM CORAM CORPORA VERA vident.

XIX. Nec dicat prophanus, Mysterium hoc rejiciendum, *quia illud ratio assequi non valet*; Imo ideo mysterium est, quia captum rationis superat; si rationis sphæram haud excederet, mysterium nec vocaretur nec esset; non perfecte intelligitur animæ cum corpore conjunctio, quis tamen eam negaret? Non regerat *infinitum haud quaquam posse cum finito jungi*; nam è contra eo quod infinitum ens Deus est, eo magis talis conjunctionis capax est; unde inter omnes eos, qui de Deo disseruerunt, si solos Epicureos excipias, nullus fuit, qui non agnoverit inter Deum & creaturas aliquam esse conjunctionem. Non addat, *Virginis partum plane ἀδύνατον esse*, Nam an virginem fœcundam reddere difficilius est, quam ex nihilo totam hanc universi machinam educere, aut ex limo terræ Adamum fingere, aut ex Adami costa Evam condere; Alias exceptiones non affero, quæ ex dictis facile refelluntur, & quas referre refutare est.

XX. Hic unum itaque superest, ut tale mysterium pietatis mysterium esse evincamus, & hoc nullo negotio præstabimus. Ac revera ex isto mysterio magna ad amandum Christum incentiva elicimus. Quis enim eum non ex toto pectore diligeret, qui cum Deus esset in secula benedictus, carnem nostram haud dedignatus est, quique eam in hunc finem assumpsit, ut malis nostris mederetur, justitiam Patris adversus nos iratam placaret, imaginem Dei deletam in cordibus nostris renovaret, & ad vitam æternam jus largiretur, imo qui factus est homo, ut naturæ divinæ participes fiamus; Quis tam ineffabili amore non tangeretur? Quis adeo amantem Christum non redamaret? Rursus ad sanctitatem impellit hoc mysterium, nec enim tantum Dei filius factus est filius hominis, ut omnia pro nobis patiendo à condemnatione liberaret, sed ut nos quos sanguine redemit, ad studium sanctitatis accenderet; voluit quidem nasci, sed & nos renasci, & renovari, voluit à peccatis servare, sed & nos peccatis mori; voluit in carne manifestari, sed ut carnem nostram corruptam crucifigamus & ipsius cupiditatibus nuntium remittamus. Tertio ad humilitatem maximum ex hoc mysterio emergit motivum. Quis enim Christum, aut in præsepi recumbentem, aut in navi dormientem, aut in cruce morientem intuens, humilis non fieret? Profecto Dæmone superbior est, quem hæc meditatio non deprimit. Ista non persequor, ne concionem videar scribere potius quam dissertationem; hæc duo tantum addimus, ex hoc dogmate summam consolationem ad nos redundare, adversus legis tonitrua, conscientiæ terrores, satanæ molimina, omnes calamitates, & mortem ipsam. 2. eundem Deum, qui in carne humili & infirma manifestatus est, in eadem aliquando manifestatum iri: sed gloriosa erit hæc caro, & luce æterna tunc coruscabit. Gloria & majestate tunc redimitus erit Salvator, & ante ejus thronum coget omnes ultima tuba; *Tunc* ut loquitur Hieronymus ad Heliodorum *judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient, Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt &c. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & dices, Ecce crucifixus meus, ecce judex qui involutus pannis in præsepio vagiit; hic est operarii & quæstuariæ filius: hic qui à matre gestatus*

gestatus sicut Deus homo fugiit in Ægyptum: hic vestitus coccino, hic sentibus coronatus: &c. *Cerne manus Judæe, quas fixeras; cerne latus Romane quod foderas; videte corpus an idem sit quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos.* Hunc supremum judicem veneremur omnes, ejus adventum votis nostris maturemus, & cum sponsa hoc quotidie ingeminemus. Veni Domine Jesu. Etiam Domine Jesu veni.

DISSERTATIO
THEOLOGICA TERTIA.

De Magno Pietatis Mysterio.

THESIS I.

NON abs re Simeon, *Senex ille famosus, probatus & coronatus, tam plenus virtutum, quam dierum* (ut amant loqui Augustinus & Bernardus) de Christo vaticinans, *in signum positum fuisse* ait, *cui contradicatur.* Ac revera mirum est & pene incredibile, quot & quantos hostes habuerit generis humani Redemptor. Alii aperto Marte adversus eum certare non erubuerunt; alii oblique & quasi per cuniculos impugnarunt; alii in eum execrandas adeo & portentosas blasphemias evomunt, ut ab earum commemoratione piæ aures abhorreant; Alii Christiani nominis obtentu, in ipsius Ecclesiæ sinu grassantes doctrinam Christianam ex insidiis evertunt. *Alii* (sunt verba Leonis serm. 8. de Nat. Christi.) *Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere Deitatem. Alii veram quidem in ipso Divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alii professi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non habuisse naturam; & Deitati ejus, quæ erant humanæ substantiæ deputantes, majorem sibi Deum minoremque fixerunt, cum gradus in vera Divinitate esse non possint &c. Alii cognoscentes Patris filii nullam esse distantiam, quia non poterant Unitatem Deitatis intelligere nisi in unitate personæ, eundem asseruerunt esse Patrem quem filium, ut nasci & nutriri, pati & mori, sepeliri & resurgere ad eundem pertineret, qui per omnia & hominis personam impleret & Verbi. Quidam putaverunt Dominum J. Christum non nostræ substantiæ corpus habuisse, sed ab elementis subtilioribus ac superioribus sumptum. Quidam æstimaverunt in carne Christi animam non habitasse, nec fuisse, sed partes animæ ipsam Verbi implesse Deitatem &c.* Nestorius *beatam Mariam virginem hominis tantummodo ausus est prædicare genitricem, ut in conceptu ejus & partu nulla Verbi & Carnis facta unitio crederetur, quia Dei filius non ipse factus est hominis filius; sed creato homini sola se dignatione sociavit.* Eutyches *unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsa unitione id dicit effectum, ut ex duabus una remaneret, nullatenus alterius existente substantia, quæ utique fieri nisi aut in consumptione, aut in separatione non posset.* Hactenus Leo, qui non omnes tamen Christi Servatoris recensuit adversarios, & quis recenseret? Cœli stellas & littoris conchas numerare facilius. Verum quamvis adversus Dominum frendeat Satanas, & quotidie novos in eum hostes excitet ex orco. Manet tamen Salvatoris illibatus honos, & ringente Diabolo ac mundo à piis omnibus semper agnitus est Christus, ut Dei unigenitus.

Vera Patris magni soboles, nec honoribus illi,
Nec Regni splendore minor, de lumine lumen,
Verus homo, verus pariter Deus, unus utrumque,
Virginis intactæ castam qui venit in alvum,
Mortalesque auras hausit puer, ut genus ultus
Humanum eriperet tenebris, & carcere iniquo
Morte sua, manesque pios inferret Olympo.

Sic sapientia justificata est à filiis suis, sic Deus manifestatus in carne, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, & hoc docet in præsentiarum Divus Apostolus in textu quem exponere pergimus. Superiori exercitatione de Dei manifestatione disseruimus. Jam ordo postulat, ut *de ejus justificatione in spiritu* verba faciamus, quod absque longiori præfatione præstabimus, & quidem postquam ipsos terminos exposuerimus.

II. Vox δικαιοῦν apud Authores Profanos quandoque sumitur pro *justum & æquum censere*, ita Glossa, Suidas, Sophocles & Thucidides, δικαιοῦσι Αἰγύπτιοι θύειν *æquum censent Ægyptii sacra facere.* Imo Patres eo sensu non raro hac voce utuntur, ita c. 17. Concil. Niceni ἐδικαίωσεν ἡ ἁγία ἡ μεγάλη σύνοδος, quod Balsamon & Zopernaras explicant δίκαιον ἡγήσατο; quandoque significat idem ac *purgo, excuso*, ἀθῶω̃ *Budæus*; aliquando *Condemno*; *Thucid.* ὑμᾶς ἢ αὐτοὺς μᾶλλον δικαιώσετε, unde δικαίωμα Budæo est quæstio juris; aliquando *punio*; unde Hesychius, Pollux, Budæus vertunt δικαιοῦν, per μαστιγοῦν, νουθετεῖν; δικαιοῦσθαι apud Aristotelem dicitur is *cui pro illata injuria ab inferente fit compensatio.* Apud LXX. Interpretes respondet vocibus Hebræis 1. בחן Ezech. 21: vs. 13. probare, explorare, periculum facere. זכך purificare, mundare. Ps. 73:13. & זכה Mich. 6: 11. 3. הצדיק absolvo, justifico Gen. 38 26. & 44: 16. Exod. 23: 7. Deut. 25: 1. 4. ריב contendit, litigavit, Es. 1: 17. Mich. 7: 9. In Novo Testamento hæc vox ut plurimum sumitur in sensu forensi apud Paulum, quod pluribus adversus Pontificios probaremus, si hoc ageremus, & quod non pauci inter Romanenses agnoverunt, ita Toletus in c. 8. Rom. vs. 33. observat justificandi verbum in hoc loco ea significatione accipi quæ est opposita antitheto, nempe condemnationi. Idem antea docuerat Adamus Sasbout & Dominicus à Soto; nec negat Bellarminus justificationem accipi pro declaratione justitiæ, modo concedamus id non semper fieri. Ad hanc significationem proxime accedit illa qua justificare idem est ac *declarare & agnoscere veritatem rei de qua est contentio, aut quæ antea latebat*, approbare, justum aliquem & veracem agnoscere, ὁμολογεῖν δοξολογεῖν, quod in sequentibus evincemus. Atque hæc de 1. voce; Quoad secundam, vox Spiritus in scriptura variis modis sumitur, aliquando pro Spiritu hominis, aliquando pro Spiritu Dei tertia persona scilicet adorandæ Trinitatis, aliquando pro ea parte hominis regenita quæ opponitur carni, aliquando pro natura divina Christi, aliquando pro donis extraordinariis: alias mittimus significationes, & loca scripturæ, quæ hoc probant, utpote plusquam notissima.

III. Juxta varios illos sensus utriusque vocis, variantes sunt sententiæ circa locum quem exponimus. Quidam ut Primasius, & Sedulius vocem ἐδικαιώθη pro *justus effectus est* accipiunt, & vocem πνεύματος pro Spiritu S. atque ita hunc locum exponunt, quod scilicet Christus assumpta licet carne, non assumpserit carnis vitia, sed momento incarnationis statim justificatus fuerit, id est, liber ab omni culpa; in eadem sententia fuerunt Augustinus, Cyrillus, Theodoretus, qui & aliud addit, nempe ideo dici Christum justificatum in Spiritu, quod per Divinum Spiritum miracula præstiterit, quibus ostensum est eum esse Deum verum & Dei filium. Socinus qui ad Patrem refert dicit justificatum fuisse in Spiritu, quia per Spiritum Sanctum effusum in populum Judaicum & gentes per Christum justus ac promissus Servator apparuerit: Smalcius contra Graverum de Incarnatione non multum dissentire videtur; ait enim nihil aliud sonare hæc verba, nisi quod pro vero sit agnitus per virtutem illam divinam, quæ se tum in Christo, tum in Apostolis exerebat (Mitto aliam Socini expositionem de Euangelio, quod, inquit, divina virtute confirmatum est, ut & illam Erasmi, qui Euangelium dicit justificatum ob vim justificandi datam Christo per fidem sine Lege Mosaica) Theophylactus justificatum dici Christum in Spiritu, quia abrogata Legis justitia quæ servituti & metui obnoxia erat, adoptionem filiorum Dei induxit, vel hoc dici censet, quia cum omnia fecerit ad salutem mortalium, licet aliquibus non persuaserit, ipse tamen justificatus sit, utpote qui quod suum erat fecerit; vel quoniam peccatum non fecerit, sed omnem justitiam impleverit in Spiritu sancto, habens eum naturaliter secum & per illum nobis communicans omnem justitiam. Hugo dicit justificatum per ostensionem Spiritus sancti in baptismo. Alii alia, piget enim recensere, & has omnes sententias expendere non animus est, sufficit ut eam quæ nobis magis arridet, indicemus & probemus.

IV. Ut hoc à nobis præstetur, Observamus 1. patere ex superiori Disputatione, non de Patre nec de Euangelio agi, ac proinde Socini, Smalcii & Erasmi explodendam esse sententiam. 2. Vocem *justificari*, vel δικαιοῦσθαι, idem hic sonare, ac *declarari, probari, demonstrari* δείζεσθαι, ὁμολογεῖσθαι prout hæc vox non raro sumitur. Ita Luc. 7: 29. dicuntur Publicani justificasse Deum, quia scilicet, dum Pharisæi, qui singularem atque eminentem sanctimoniam pollicebantur, Dei consilium aspernabantur, imo calumniis proscindebant, Publicani vitæ impurioris & minus probatæ crediti, Deum ut justum, bonum, fidelem & misericordem prædicarunt, ejus consilium probarunt, & admirati sunt, ac à Pharisæorum cavillis & calumniis asseruerunt, Christi Dei filii doctrinam recipientes. Sic Matth. 11: vers. 19. dicitur sapientia justificata à filiis suis;

Quamvis

Quamvis enim quibusdam placuit eo modo explicare hæc verba, quasi sensus esset, Christum qui est sapientia Patris condemnatum iri & morti tradendum ab iis quibus maxime probandus erat, qui scilicet laudem sapientiæ affectabant; Aliter tamen exponendum esse locum censemus, & arbitramur ideo justificatam dici sapientiam à filiis suis, quia dum Pharisæi Dei sapientiam probris, & dicteriis incessebant, Johannem Baptistam ut malesanæ mentis hominem, passione hypocondriaca laborantem, imo dæmonium habentem ridentes, & Christum ut comessatorem, οἰνοπότην, & scelestorum amicum rejicientes; à veris electis agnita est hæc sapientia, & non sine admiratione probatum sapientissimum Dei consilium Judæos & Johannis severitate, & Christi comitate ad pœnitentiam revocantis, illum rara neque imitabili vitæ ratione, hunc miraculorum vi maxima commendantis, ne quid inexpertum relinqueret. Sic & δικαίωμα dicitur apud authores profanos justum & legitimum experimentum, & probatio causæ. Hoc modo Deus manifestatus in carne, dicitur justificatus, id est legitime, juste probatus, declaratus, demonstratus nec fallacibus signis agnitus Deus, & ab adversariorum cavillis assertus & vindicatus.

V. 3. Vocem *Spiritus* hic designare non Spiritum hominis, non ejus partem regenitam, non tertiam Sacrosanctæ Trinitatis personam, non dona extraordinaria, sed Divinam Christi naturam. Nec raro hæc vox ita sumitur, sic Hebr. 9: 14. dicit Apostolus Christum semetipsum διὰ Πνεύματος αἰωνίου obtulisse inculpatum Deo; Jam autem Spiritus ille æternus nihil aliud denotat hoc in loco quam Christi Divinitatem, quæ victimæ corporis & sanguinis sui æternam virtutem indidit: Opponit enim hic Paulus Christum Sacerdotibus Leviticis, isti cum mortales essent, offerre nihil poterant quod divinum esset & ἀντίδωρον justitiæ Dei; at Christus, cum Deus fuerit & per Spiritum æternum se obtulerit, utique potuit dignam Deo victimam offerre, ejus justitiam perfecte placare, & conscientias purgare. Ita Marci c. 2: vs. 8. dicit Evangelista Christum Spiritu suo cogitationes Scribarum cognovisse, jam per Spiritum non anima Christi intelligenda est, siquidem ea virtute non pollet ut scrutetur corda; Non afflatus Propheticus, ut olim Prophetæ, non enim de ullo Propheta dicitur suo Spiritu cognovisse futura, sed ἄκρᾳ μετοχῇ τοῦ αὐτολόγου ut loquitur Orig. adversus Celsum, id est, θεία φύσις, Divina natura; Nec aliter eam vocem intellexerunt Veteres, ut recte observat Grotius in Marci locum citatum, ita Justinus Apol. 2. *Per Spiritum*, ait ille, *& virtutem Dei nihil aliud intelligere licet quam* τὸν λόγον, & Tatianus Sermonem cœlestem esse *Spiritum genitum ex Patre*, asserit. Tertullianus adversus Praxeam iisdem verbis utitur, & hæc apud Cyprianum leguntur de Idolorum vanitate, *Carnem spiritus sanctus induitur*; sic & Lactantius de Vera Sapientia lib. IV. c. 6. ait, *Deum incorruptibilem spiritum genuisse quem filium nuncupavit*, & cap. 8. dicit, *Christum bis esse natum primum in spiritu, postea in carne.* Etiam post ortam cum Arianis controversiam & multis Synodis excussam, ita locuti sunt hi qui adversus Arianos scribebant, ut Phœbadius, *Apparet*, inquit, *unum eundemque venisse, nunc in nomine spiritus, nunc in vocabulo sermonis, nunc in appellatione sapientiæ.* Mansit adhuc hoc loquendi genus post natum cum Macedonio certamen; scriptor dialogi adversus Apollinaristam ait Christum esse Spiritum vivificum ratione Deitatis suæ. Nec mirum si iis vocibus utantur Patres, præterquam quod enim hac in parte à stylo scripturæ non recedunt, vocatur ab iis Divina in Christo natura Spiritus, non tantum quod incorporea sit, quomodo Patri id nomen convenit, sed etiam quia quod ad distinctionem verbi & Spiritus Sancti Latinis vocatur generare, Græcis interdum & ἀπαυγάζειν, id laxiori vocabulo etiam spirare appellabant, qualemcunque emanationem, aut ut loquitur Tertullianus προβολὴν eo nomine indicantes. Sic autem esse exponendum locum quem illustramus, duo evincunt, 1. quidem, quod hic manifeste spiritus opponatur carni, jam autem caro hic notat humanam naturam, unde colligere est per Spiritum, Divinam naturam intelligendam esse. 2. idem probant duo loca parallela, in quibus pariter fit eadem oppositio. Rom. 1: vs. 3, 4. docet Paulus filium factum esse ex semine Davidis *secundum carnem*, declaratum autem Filium Dei κατὰ Πνεῦμα ἁγιωσύνης *secundum spiritum sanctitatis*, per resurrectionem mortuorum & 1 Petr. 3: 18. dicitur Christus θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ Πνεύματι, mortificatus *carne & vivificatus Spiritu, per quem*, addit, *Spiritibus qui sunt in carcere prædicavit*; quæ verba aliter quam de Divina Christi natura explicari non possunt; Christus enim ut homo non potuit iis prædicare qui Noachi tempore vivebant; Itaque verborum Pauli sensus est evidens & perspicuus, Christum scilicet licet in carne infirma hominibus manifestatum, agnitum fuisse & declaratum, qualis est in sua natura Divina, ad veritatem Spiritus illius æterni, qui in ipso est, demonstratam fuisse certis ac evidentibus argumentis; nihil infirmam & humilem formam ejus derogasse gloriæ, ac virtute Deitatis suæ in Doctrina & Operibus se exerentis palam comprobatum esse, non tantum justum & sanctum hominem, sed & promissum Messiam, imo verum & æternum Deum.

VI. Atque hæc est vera hujus loci juxta nos expositio; neutiquam enim assentiri possumus magno Gothofredo in hunc textum erudite commentanti, qui existimavit Christum dici justificatum in Spiritu, *quia non corporeis oculis Deus probatus fuit*, φανέρωσις, inquit seu ἐπιφάνεια *ejus* ἐν σαρκὶ *oculis fuit exposita, verum oculis mentis, sicut* Christus *incarnatus Deus agnitus fuit ab iis tantum qui rectum intellectum habent, quomodo alioquin proxime de Deo* Seneca 7. Natur. 30. *effugit oculos, cogitatione visendus est; nec ulli aditum dat nisi animo:* Quod & confirmare vult per hasce phrases sacris Scriptoribus usitatas; λατρεύειν ἐν πνεύματι, περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, δοξάζειν θεὸν ἐν πνεύματι, προσεύχεσθαι ἐν πνεύματι, aliaque id genus. Ac sane dissimilia comparat Vir ille Magnus, ut patet attendenti; quis enim non videt *justificari in Spiritu & precari in Spiritu* &c. diversa esse admodum; nec verosimile adeo obscure locutum fuisse Paulum, ut Christum justificatum esse in Spiritu dixerit, ad designandum Christum esse spirituali modo demonstratum Deum, Nec etiam existimamus, ut ille Vir Doctus credidit, alludere Paulum ad id quod Gentiles de Deo dicebant, νοητῶν scilicet omnium esse præstantissimum, ut solis νοεροῖς patere; sed potius ad inania & vana argumenta, quibus Divinitatem falsorum suorum Numinum adstruebant Gentiles, (ut subjungit Summus ille Jurisconsultus) *Omnis*, inquit, *in Eleusiniis Mysteriis* δικαίωσις *vel* δικαίωμα *consistit intra inania quædam spectacula, objecto marmoreo simulachro, luce coruscante & nube, nulla veriore vel uberiore Divinitatis probatione* ἄνευ τεκμηρίων *absque certis argumentis.* Alia longe est ratio Christi Salvatoris, qui Divinitatis fidem meritus, ut Lactantius loquitur, non fallacibus signis, non falsis relationibus, aut supposititiis vestigiis quibus Deos suos apparuisse Gentiles prædicabant, sed certis atque indubitatis argumentis. Hisce jam positis ad Paulum redeamus, & ejus verba paulo fusius explanemus.

VII. Quum Paulus justificatum Christum esse docet, supponit à multis accusatum fuisse, & de ejus divinitate plures dubitasse, atque hoc 1. ostendendum. Mirum est ac omnium ætatum stupore dignum, quot calumnias, & quot dicteria, Judæorum Gens Deo quondam sacra, Mosis in disciplinam tradita, Propheticis scriptis innutrita, de Messiæ persona, adventu, officioque edocta, in Christum Salvatorem evomuerit, statim ac in mundo apparuit. Cum enim abjectissimos natales viderunt, procul externo splendore, gloria, majestate, procul regiis thalamis, Imperatorio paludamento, præfracte negarunt Messiam esse illum tot promissum oraculis, tot votis ac desideriis expetitum, alium se expectare dicentes Regia Majestate, Victoriis, triumphisque conspicuum. Accusarunt blasphemiæ in Deum, injuriæ in Mosis Legem, seditionis in Cæsarem ac summæ impietatis; Miracula ejus inferorum Principi Beelzebul, & Magicis artibus adscripserunt, & ideo supplicium de eo ut facinoroso sumserunt. Nec posteri fuere sapientiores, qui quotidie ad hanc usque diem Christum conviitiis proscindunt, dicteriis incessunt, ejus doctrinam cavillantur, actiones fodicant, miracula eludunt, Jesum Salvatorem, horresco referens, vocantes תלוי *suspensum*, כשפן vel חרשא *magum vel maleficum*, ממזר *spurium* בז נצר quod nomen fuit impii latronis, נוצרי חמקולל *Nazaræum maledictum*, *Matrem ejus* זונה *meretricem*, *crucem* תועבה *abominationem*, *Evangelium*, *revelationem iniquitatis* און גלון *Apostolos* הופחים לרע דברי אלהים *verba Dei pervertentes*, aliaque quæ ex tractatu Berachot, Sanhedrim, Avoda Zarah, Schabbath, ex Kimchio, Abarbenel aliisque collegerunt viri magni complures. Verum quicquid dixerit gens illa pervicax, & duræ cervicis justificatus est Christus, & quidem tum quando inter mortales degebat, tum post ejus gloriosam ascensionem; quod ex sequentibus patebit.

VIII. Ac 1. in genere hoc observandum est Christum, quamvis sub vili servi forma hominibus apparuerit, non tamen ita divinitatis suæ radios occultasse, ut non aliquando emicuerit, unde judicare potuerunt homines, non merum esse filium Davidis, sed & Dei unigenitum, Patris sapientiam, Davidis Dominum. Ac revera si Matris paupertas, cunabulorum obscuritas, sordidum præsepe hominem fuisse docent; non esse merum hominem evincunt Magi qui adorant, stella quæ

Magos invitat, Angeli hymnos canentes; *Nativitas carnis*, inquit Leo ep. ad Favianum, *manifestatio est humanæ naturæ, Partus virtutis divinæ est indicium. Infantia ostenditur humilitate cunarum. Magnitudo altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere, sed Dominus est omnium, quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare.* In aquis Jordanis tingitur ut homo, sed aperiuntur cœli, & Pater hanc emittit vocem, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est.* Jejunat in deserto, & à Diabolo tentatur ut homo; sed de Diabolo triumphat, & quem sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo Angelica famulantur officia. Esurit, sitit, fatigatur, in navi dormit, quod evidenter humanum est; sed & de quinque panibus, quinque hominum millia satiat; supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulat, & elationes fluctuum increpata tempestate consternit. Flet miserationis affectu amicum mortuum, sed eundem ad vocis imperium excitat redivivum. Didrachma solvit, sed illud à pisce exigit. In cruce pendet, & clavis transfixus est, at in morte Sol deficit, dies in noctem convertitur, monumenta aperiuntur, velum Templi scinditur, dissiliunt rupes, resurgunt mortui, Latro convertitur, & Centurio exclamat, *Hic est Filius Dei.*

IX. Verum ut res clarius pateat; Observamus 2. Christum Deum esse tria imprimis demonstrasse, dum inter homines commoratus est, *Doctrinam, & Prædictiones, Miracula, ac Resurrectionem.* Et ut hoc 1. de Doctrina & Prædictionibus evincam; Quis nisi Deus adeo sublimem, adeo perfectam, adeo sanctam Doctrinam revelare hominibus; quis voluntatem Patris enarrare ita perspicue & diserte potuisset, nisi Unigenitus qui in sinu Patris recumbit? *Nemo vidit Patrem*, inquit Christus ipse, Joh. 1: 18. *Unigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Prædicit orbis Servator suas passiones, crucifixionem, mortem, resurrectionem, discipulorum fugam & scandalum, Petri abnegationem & martyrium, Judæ proditionem, Pseudo-Christorum adventum, Hierosolymæ excidium, Gentium vocationem, cultus ceremonialis abrogationem &c. Quis nisi Deus hæc vaticinari potuisset? θεοῦ ἔργον ἐστιν πρὶν ἢ γένεσθαι, εἰπεῖν, καὶ οὕτως δειχθῆναι γινόμενον, ὡς προείρηται. *Dei est opus, prius promulgare quicquam quam fiat, atque ita factum exhibere sic ut est prædictum*, ut dicit Justinus Apol. 2. *Proponant & indicent nobis*, ait Deus ipse de Idolis Gentium verba faciens, *ea quæ obventura sunt. Prioraque quænam sint indicate &c. Indicate quæ eventura sint in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos.* Hæc nolo diffundere, sed quædam hic sunt resolvenda dubia. Primo, à Judæis objicitur, Doctrinam Christi non esse sanctam & Divinam, quandoquidem Mosis doctrinæ directe repugnat, & Legem ipsam abrogavit. Verum facile est hoc telum retundere. Falleris Judæe, dum Mosi Christum opponis, admiranda est inter utrumque consensio, ut inter Dominum & servum. Non ad dissolvendam Legem venit Christus, sed ad implendam. Pharisæorum detorsiones, & falsas expositiones Legis rejicit Christus, non Legem repudiavit, ut patet ex Matthæi c. 5. Equidem benedictus iste Redemptor à Moralis Legis maledictionibus fideles liberat, & ab ejus fulminibus tutos præstat; sed eam nunquam abrogavit, imo contra inculcat non raro hanc faciendorum normam, officii regulam, & vitæ magistram; Neminem eximit ab hujus observatione, imo hanc exigit ut gratitudinem debitam Redemptori nostro, ut nostræ adoptionis signum, electionis firmamentum, fidei minime simulatæ argumentum, & consequendæ salutis medium. Quod si à jugo ἀβαστάκτῳ Legis Ceremonialis nos liberavit, & Ceremonias illas abrogavit; Judæis mirum esse non debet 1. quia hoc prædictum fuerat à Prophetis Isa. 19: 18. Dan. 9: 27. Malach. 1: 11. & hoc significabat Novi Fœderis promissio Jerem. 32. &c. 2. quia ipsi Judæi docent operosas & in speciem ludicras Cæremonias non fuisse אל הכונה הראשונה de intentione Dei prima, atque adeo referendas fuisse ad res meliores iis adumbratas; Nec obligare Legem Cæremonialem extra terram promissionis, ex qua per tot secula divinitus exulant. 3. quia Templum Hierosolymitanum cultui Levitico assignatum eversum fuit, & irriti fuerunt Judæorum conatus ad illud reparandum, eorumque Rempublicam instaurandam, seu per Pseudo-Messiam *Barcocab* sub Hadriano, seu per *Mosem Cretensem* sub Theodosio juniore, seu per alios sub Justino seniore & sequentibus; imo narrat Ammianus Marcellinus, cum recutiti isti de novo extruere Templum Hierosolymitanum tentassent favore Juliani emansoris, globos flammarum è terra prorumpentes inchoatum opus una cum operariis absumpsisse. 4. Natura ipsa Legis Ceremonialis docet abrogari debuisse. Christo exhibito nihil opus est Pædagogo ad Christum; Sublato per Christum gentium discrimine nullus est amplius parietis intergerini usus; soluto per Christum debito chirographum deletur; præsente Sole umbræ evanescunt, ac relinquuntur figuræ, ubi datur expressior rerum imago. Nec regerat Judæus Apella, Christum ipsam Legem Moralem abrogasse, cum mulierem adulteram non damnavit Joh. 8: 11. Nam observandum duplicem esse condemnationem, aliam quæ nihil aliud est quam improbatio facti, aliam quæ punitionem ipsam criminis includit. Haud quaquam Christus probat adulterium, imo satis alibi docet, quantum non faveat adulteris, & adulterium cum aliis criminibus mulieri interdicit, *Vade & ne amplius pecces*; At non vult illis jus suum præceptum, quibus ex officio incumbebat animadvertere in facinorosos, & gladios stringere in adulteros. Rursus clarum est ideo Dominum non ferre sententiam in mulierem adulteram ne videretur ignarus decipulæ, quam illi tetenderant homines captiosi. Perstringit Christus, non Mosem, sed illos, non qua osores adulterii vel vindices Mosis, sed qua histriones & Sycophantas, qui schema falsum sibi aptaverant, & illum fallere volebant penes quem arcana cordium. Aliam expositionem affert Lightfootius, quæ nobis minus arridet, agere Christum secundum traditionem & opinionem gentis; ajebant enim Judæi; *Si quis* (maritus) *illicite unquam coierit cum aliqua, aquæ amaræ non explorant ejus uxorem, nec eam putrescere faciunt &c. Adulteram*, inquit vir Doctus, *non damnat Christus, quia accusatores damnandi erant.*

X. Secundum dubium quod proponitur, est Doctrinam eandem Apostolos docuisse ac Christum; Sic à doctrina Christi non valere consequentiam ad ejus Divinitatem. Sed duo reponimus. 1. Neminem Apostolorum de se ipso dixisse, quod Christus de se affirmabat. Nullus jactare ausus est se unum esse cum Patre & se æqualem Deo præstitit. Nullus de se hæc verba protulit. *Qui me vidit, vidit Patrem*; Nemo homines in seipsum credere, & à se salutem ac vitam æternam expectare jussit, nullus se resurrectionem ac vitam vocavit. Nemo dixit se esse unicum Doctorem, nec alium audiendum; Nullus ab aliis adorari voluit. Nullus se filium Dei viventis esse gloriatus est. Tandem nullus sibi hanc arrogavit authoritatem peccata remittendi aliis, quæ soli Deo competit, Solus Deus hæc de se dicere poterat. 2. Non sejungendam esse Doctrinam Christi ab ejus modo docendi. Docebat Christus ea cum authoritate, quæ supremum decet Doctorem, & quæ aliis Doctoribus est insuitata, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, inquit Matth. 8: 28, 29. Non sicut Scribæ, quorum doctrina erat frigida, torpida, elumbis, diluta fucataque, sine Majestate, quandoquidem fidem doctrinæ suæ mutuabantur à Traditionibus atque earum Patribus, alii Samæam, alii Hillelem laudantes. Non dictis suis hæc verba præfigebat Christus Prophetarum adinstar, *Hæc dicit Dominus*, sed, *Ego dico vobis.* Rursus docebat *tanta cum facundia* ut omnes in admirationem raperet, qui fateri cogebantur neminem ita locutum esse; Gratia enim in ejus ore erat & Πειθὼ sedebat ἐπὶ χείλεσιν; *tanta verborum simplicitate & gravitate, tanta* denique *Spiritus efficacia*, ut dicta in hominum pectoribus imprimeret; Unus hic orator aculeos in Auditoribus relinquebat; Tonitrua loquebatur & fulmina; lingua erat ignea, quæ corda accendebat, & λόγος ipsius erat μάχαιρα δίστομος animas trajiciens; Hisce adde Divinam illam scientiam qua se καρδιογνώστην testabatur, & admirabilem sapientiam qua Doctrinam suam ita temperabat, ut à cavillis adversariorum eam vindicaret, & sæpe eos proprio gladio jugularet.

XI. *Tertium dubium* oritur, ex eo quod multi inter homines futura prædixerint, & Dæmon præscius sit futurorum; unde inquiet nonnullus, à prædictionibus Christi ad ejus Divinitatem neutiquam valet argumentum. Verum hic multa observamus, 1. Plures narrari prædictiones hominum quæ falsæ sunt; prædictiones ubi scriptorem credulum invenerunt, pluribus placent, veneratione crescunt, vetustate commendantur. 2. Prædictiones illas quae vulgo jactabantur ab Ethnicis fuisse plerumque ambiguas; Unde eas ita ridebat Cicero, lib. de Divin. *Utrum eorum accidisset, verum oraculum fuisset.* 3. Aliquando fieri potuisse, ut eventus responderit praedictionibus, sed id casui esse tribuendum, sæpissime enim prædictiones illas non eventum sortitas fuisse ipsi Gentiles fassi sunt. Phavorinus apud Gellium ait, millesimam partem eorum quæ quotidie prædicuntur, veram non esse: & Cicero l. 2. de Divin. infit. *Promiserunt Astrologi Pompejo, Crasso, & Cæsari lætissima omnia, non nisi jam senes domi cum summa gloria morituros, at quisque eorum infeliciter & immature periit.* Si cœcus vim lapidum spargat, aliquando tangit meram, & si crebræ in scopum jaciantur sagittæ, una aliquando tangit, aberrantibus centenis. 4. Falsum esse, Dæmones esse præscios omnium rerum futurarum. Fateor quidem longe plura de rebus futuris aliisque oc-

occultis cognita habere quam homines; seu quia longam habent experientiam, ita ut millies observaverint quid ex aliqua re sequi in causis liberis soleat, & quibus rebus voluntas humana huc vel illuc impellatur, seu quia exacte prævident non modo omnes causas naturales, & vim earum; sed etiam temperamenta, mores, clandestina consilia, studia hominum plerumque; unde solerter conjicere possunt quid eventurum est, si hæc aut ista ponantur, (quod observat Chalcidius ad Timæum, dum Dæmones comparat experientissimis Medicis, qui *juxta disciplinam medendi dicunt vel exitium vel sanitatem*;) seu quia in remotis mundi Regionibus causas vel effectus inchoatos vident; seu quia Deus Dæmoni ut lictori aut carnifici quædam exequenda concedit. Sic credit Episcopius Dæmonem Apollonio Thianæo (Si scilicet historia vera est) Ephesi in Asia tanto terrarum & marium ab urbe Roma abjuncto, atque in publico disserenti, suggessisse ea ipsa hora qua Stephanus Cubiculariorum primus Domitianum occidebat, eum occidi: quin & eum veluti mente mota aliquot passus exilire, atque exclamare fecisse, *Euge, Stephane, recte, percute Tyrannum, percute homicidam. Bene est, percussisti, vulnerasti, occidisti.* Sed pertendimus inter prædictiones illius hominum hostis & eas quas protulit ἀνθρώπων σωτὴρ infinitum esse discrimen; Ea enim prædixit Christus, quæ nunquam prædixisset Satan; nec unquam iste benedictus Orbis Redemptor in suis Vaticiniis erravit, quod de Dæmone dici nequit. Narrat quidem Suetonius Ascletarionem Mathematicum genus mortis suæ prædixisse, à canibus scilicet vorandum, sed nec conjicere potuit, quid à Domitiano præstandum erat, ab ipso scilicet Imperatore ad mortem damnandum, extra urbem via Latina comburendum, nimbum ortum rogum extincturum, Ministros semiustum relicturos, Canesque tandem odore ac nidore carnis excitos voraturos; quod unicum prædixerat *Ascletarion*, Deo hujus Mathematici prædictionem ratam esse hac in re volente, ut iste profanæ artis pœnas daret & simul ad cædem scelesti Imperatoris animarentur, qui jam in eum conjuraverant. At Christus omnia prævidet, non tantum mortis genus, sed & tempus & à quo prodendus erat; Imo, quod maxime attendendum est, ab Apostolo ter abnegandum esse, ac tertia die resurrecturum & in Galilæa appariturum. Rursus, ea quæ prædixit talia fuerunt, quæ verisimilia non erant, & tamen reipsa & ad unguem evenerunt. Sic prædixit factum mulieris istius, quæ in domo Simonis leprosi ipsum pretioso unguento perfuderat, celebratum iri per universum orbem. Quis credidisset factum fœminæ, uti videtur, vulgaris, coram paucis præstitum, magnifice celebratum iri; & tamen quem latet adeo celebre hoc redditum esse, ut pauca sint in historia, quæ tanto præconio celebrata sint. Atque hæc de 1. hoc argumento, quo Divinitas Christi justificata est & probata, dum in hisce terris degebat, dicta sufficiant. Ad secundum transeamus.

XII. 2. Argumentum quo Christus θεὸς ἐδικαιώθη, petitur ab ejus miraculis. *Illustriora* non poterant esse; facta enim sunt, non in angulo, non in recessu; sed in triviis, in compitis, in festis, frequente foro; *Infinita* prope erant, & si libris comprehenderentur, ne totus mundus, referente Johanne, istis capiendis sufficeret: Omnia quippe miracula à Prophetis patrata non excedunt centum & quinquaginta; & quidem à condito mundo ad Templi primi destructionem. Quantula præ iis, quæ intra triennii, aut ut aliis placet, quinquennii edidit Salvator orbis; pleraque pene in instanti verbo solo, fimbriæ vestimenti contactu, vel à præsente, vel ab absente Christo. Ea præstita sunt, quæ nonnisi divina virtute fieri poterant, ut repentina morborum, nullis Medicorum remediis cedentium, curatio, qualis αἱμοῤῥοούσης à duodecim annis, & paralytici ab annis 38. decumbentis, cœcorum à nativitate illuminatio, unigeniti viduæ jam feretro impositi, & ad portam urbis delati, imo Lazari τεταρταίου suscitatio. Non fuerunt signa certæ rerum speciei adstricta, sed in omnes fere Creaturas egit; in Dæmonas, in mare, in pisces, in ventos, in arbores, porcos &c. Miracula hæc non horrida & nociva, qualia fuerunt Miracula Mosis; sed omnia, si pauca excipias, non nisi beneficia, à quibus videndis non abhorrebant homines, è contra ad quæ conspicienda turmatim advolabant populi. Perfecta tandem erant Miracula, Sic ut nec à morbo curatis ulla infirmitas, nec mundatis à lepra ulla impetigo, nec cœcis sanatis ulla oculorum debilitas, nec mortuis ulla imperfectio adhæreret. Jam quis ex illis Miraculis Christum, non modo verum esse Messiam juxta Oracula, sed Deum esse verum non judicaret; quis enim hominum propria virtute Dæmoniacos, immundos, lunaticos, cœcos sanare solo verbo potuisset? quis nisi Deus mari, ventis & fluctibus, imo morti imperare valuisset? Sane nemo est qui ad nutum Christi mare coërcitum, fluctus sedatos, pisces in retia confluentes, & cum pecunia necessaria in littus se dantes, panes multiplicatos, arborem exarescentem, omnigenos morbos sanatos, mortuos resurgentes intuens, non statim exclamet, Hic digitus Dei est, Deus hæc præstitit. Verum hic varia excipi possunt, quæ paucis resolvenda sunt.

XIII. Excip. 1. Profanus, incertum esse an Christus Miracula ea patrarit, quæ ipsi adscribuntur, famam non raro esse mendacem. Resp. Verum hoc frustra excipitur: nam si Miracula Christi negare licet, omnibus testimoniis fides erit deroganda. Christus sua Miracula, ut jam observatum, non clam patravit; sed in propatulo, in media turba; coram enim oculis pene totius populi, cœci visum, mortui vitam recuperarunt, & ipsi infensissimi hostes non inficiabantur; Scripta sunt hæc Miracula ab ipsis αὐτόπταις, qui ea testantur quæ oculis viderunt, & qui appellant testes Miraculorum eos ad quos scribunt. Fama itaque est prisca & constans, & qui fidem illi non adhibet, eodem modo excipiendus, ac qui Julium Cæsarem vicisse aliquando Pompejum inficiari auderet. *Instat ille & ait*; Si fama est constans & verax, cur scriptores hujus ætatis præter Evangelistas & Apostolos eorum Miraculorum non meminerunt; Apostoli sunt testes *de domo producti*, quos non interrogandos censent Jurisconsultorum filii, prout & Jurisconsultis non videntur testes idonei quibus imperari potest ut testes fiant. Resp. 1. Nullum quidem testem de domo productum idoneum in re sua, in re incomperta, dubia, privata, obscura; at quivis testis idoneus in re publica, nota, obvia, qui non sibi, sed fidei publicæ fidem haberi vult: nam provocatio hæc ad fidem publicam probat testem non esse lucifugam, tenebrionem, quadruplatorem, sed integræ frontis hominem. 2. Non debere cuipiam mirum videri, quod in Scriptis illius ætatis libris nulla fiat mentio Christi Miraculorum, siquidem qui ea ætate scribebant in rebus Judaicis adeo ignari erant, ut nihil referant, quod non ridiculis & ineptis commentis sordident, fœde & turpiter hallucinantes in iis quæ nemo fuisse gesta negat. Tacitus v. g. de Judæis prodigiosa & absurda narrat, *Judæos dici quasi Idæos ab Ida Cretæ monte, eos Hierosolymo ac Juda ducibus in proximas terras exoneratos, Solymos Hebræorum carminibus celebratam gentem conditæ urbi Hierosolymæ nomen è suo fecisse; &c. Effigiem animalis* (asini) *quo monstrante, errorem sitimque depulerint ab iis penetrali sacratam: sue abstinere memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat*, & alia quæ recitare pudet. Nec aliter Suetonius, qui *Claudium Judæos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulisse ait.* Quod ἀνιστόρητον plane est. 3. Monumenta historicorum nobilissimorum hujus temporis excidisse, ut Baronius in Annalibus observat. 4. à silentio Paganorum non debere suspendi fidem Christianam; Divina enim humanis præsidiis nec nituntur, nec opus habent. Æmylius Scaurus quum pro rostris à Vario accusaretur, nulla alia apologia sibi utendum esse censuit, præter nudam sui cum accusatore comparationem. *Varius Sucronensis*, inquiebat, *Marcum Æmylium Scaurum regia mercede corruptum Imperium populi Romani perdidisse ait. M. Æmylius Scaurus huic se affinem culpæ esse negat, Utri creditis?* Annon etiam potiori jure commisso Scriptore Sacra cum profanis, sufficit dicere apud bonos omnes, *Utri creditis?* 5. Tertullianum in Apologetico narrare Tiberium postquam audivisset de Christo tot stupenda, Senatui proposuisse ut in numerum Deorum cooptaretur. *Tiberius*, inquit, *cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui.* Jam an vero simile adeo scriptorem eximium, suæ famæ vel Orthodoxorum causæ prodigum fuisse, ut falsa narraret, & ad Archiva Romana provocaret. Huc accedit quod Gentes usque adeo hic rumor permovit, ut nobis nescio cujus Apollonii Thyanæi vitam descripserint, nempe ut haberent quem opponerent Christo, commento plane ridiculo. Adde 6. hanc famam Miraculorum Christi adeo indubitatam habuisse originem, ut nempe Celsus, neque Julianus negare ausi fuerint. Verba Celsi refert Orig. lib. 2. ἐνομίσατε αὐτὸν εἶναι υἱὸν θεοῦ, ἐπεὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς ἐθεράπευσε. & Julianus verbis recitatis à Cyrillo lib. VI. hoc tantum probare conatur non inter maxima opera reputandum claudos & cœcos integritati restituere, & & δαιμονῶντας ἐφορκίζειν &c.

XIV. Excip. 2. Judæus, per Principem Dæmoniorum ejecisse Dæmonia, & Miracula alia præstitisse Christum. Verum, 1. unica Christi responsio sufficit Matth. 12. *Omne*, inquit, *regnum dissidens adversus sese vastatur &c. sed si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum dissidet, quomodo ergo stabit regnum ejus?* Collusionem fuisse, *instat Judæus.* At collusio locum non habet, ubi colludentes capitales hostes sunt, & alter in alterius per-

perniciem conjurat; Amicorum est colludere, non hostium: sed infensiorem hostem non habet Dæmon quam Jesum, cujus præcepta regnum Diaboli funditus evertunt. Quis credat Principem Diabolorum, qui homicida ab initio est, voluisse tot opera præstare, quæ nonnisi mera fuerunt beneficia generi humano præstita? Et quis suspicetur Dæmonis ope patrata quibus ejus imperium ruebat penitus? nam Porphyrius ipse agnoscit apud Euseb. præp. lib. V. c. 1. *ex quo Jesus coli cœptus est, publicam Deorum opem neminem sensisse.* 2. Cur credat potius Judæus Magicæ artis beneficio Jesum nostrum Miracula præstitisse quam Mosem in Ægypto Magorum schola innutritum ad adultiorem ætatem, ac si credamus Plinio penitissima artis Magicæ cognitione imbutum. 3. Si Magus erat Christus, cur Magiæ accusatus non fuit in Judicio, cur criminis istius reus convictus non fuit à Venerandi Sanhedrim Senatoribus, quos artis magicæ peritissimos fuisse docent Judæi. Aliam exceptionem Judæorum non refuto, quæ furto nominis יהוה & virtuti שם המפורש hæc Miracula adscribunt; Nomen istud arcanum fingentes à Salomone in Templo positum, ac à duobus Leonibus per mille & amplius annos custoditum, atque à Jesu sublectum; Nam hæc responsio adeo putida est, ut solis recutitis digna sit. Sed *instabit Appella & dicet*, nonne & Pseudoprophetæ imo Diabolus Miracula præstant; An ergo ex Miraculis Divinitas Christi probari potest? Respondemus 1. Miracula à doctrina non esse sejungenda; Quæ Miracula fiunt ad confirmandam veritatem in Scriptura revelatam admittenda sunt, alias repudianda. *Si surrexerit*, inquit Moses, Deut. 13:1, 2. *Propheta aut qui somnium se vidisse dicat, aut ediderit signum aut portentum, & evenerit, ac dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos & serviemus iis, non audies verba Prophetæ &c. quia tentat vos Dominus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non.* Ex hac nota patet magnum esse discrimen inter Miracula quæ Pseudoprophetis imo Diabolo tribuuntur, & ea quæ Christus præstitit; Pseudoprophetarum Miracula rejicienda erant, quia falsa docebant; At nihil aliud docuit Christus, nisi quod Moses & Prophetæ prædixerant, 2. multa Miracula narrari, quæ falso conficta fuerunt astu Sacerdotum, & eo facilius conficta, quod coram uno aut altero teste tantum contigerunt. 3. Neutiquam posse Miracula patrare Dæmonem; Mirabilia equidem & vires humanas superantia edere potest & edit, sed Miracula nequaquam. Quatuor præcipue ad verum Miraculum præstandum, & ad illud à falso dignoscendum requiruntur, 1. ut sit opus creatæ naturæ vires excedens, sic ut vel natura ipsa nullo modo concurrat ad ejus productionem, sed sola tantum supernaturalis vis immediata sit ejus causa; aut si naturæ vires concurrant, ut non sufficiant ad id producendum, nisi supernaturali virtute adjutæ. 2. ut effectus ejus sit patens & sub sensus cadens, ut v. g. mortuum vivere. 3. ut fiat vel in instanti, vel celerius saltem aut citius quam per naturæ vires fieri potest. 4. ut mutatio fiat talis quæ ex omni parte perfecta sit, & nova quasi creatio videatur. Talia fuerunt Miracula Christi, & facile esset evincere; sed talia vires Diaboli superant. At instabit non nemo. Quid ergo de Magorum Ægyptiacorum Miraculis censendum; an meræ præstigiæ fuerunt? Non opinor; nam captu difficile est qui Dæmon momento temporis in tot hominum imo Mosis cerebrum & oculos adeo efficaciter egerit. Quid ergo? An mirabilia tantum? Vix crederem. Quid igitur? Sane difficile est quicquam certi pronuntiare: si tamen vera Miracula fuerunt, certo asserimus à Dæmonibus minime præstita; sed à Deo ipso cui cor superbi Pharaonis flectere nondum placuit. Apage, regeret nonnullus; An verosimile Deum voluisse Miraculis veris confirmare malitiam impii Regis? Sed varia ad hoc reponimus. 1. non levem etiam difficultatem premere omnes sententias, nam sive dicatur Miracula ista præstitisse Dæmonem, sive hæc fuisse præstigias, semper petetur, quare Deus talia Miracula, tales præstigias, quæ confirmabant Regis impietatem, fieri passus est; Cur non impedivit. 2. Facilius esse reddere rationem cur Deus ad præsentiam Magorum Miracula præstiterit, quam explicare modum quo Diabolus potuit superare vires naturæ. Qui alias sententias tuentur, reponunt id à Deo permissum quia cor Pharaonis emollire noluit; Idem & nos respondebimus. Ostendatur nobis cur Deus indurare voluit Pharaonem & ostendemus cur Deus hæc Miracula edidit. 3. Deum satis distinxisse Mosem à Magis, nam deglutivit baculus Aaronis baculos eorum Exod. 7: vs. 15. nec passus est Deus à Magis pediculos produci. IV. Sepositis illis Miraculis, æquæ Mosis petitioni acquiescere debuisse Pharaonem, & inquirere in Deum & Religionem Israelitarum, ac proinde per accidens tantum hisce Miraculis confirmatam esse Tyranni impietatem.

XV. Excip. præterea Christum Matth. 12:27. confiteri discipulos Scribarum & Pharisæorum ejecisse Dæmonia, *Si ego per Beelzebulem ejicio Dæmonia filii vestri per quem ea ejiciunt, propterea erunt ipsi vestri Judices.* Resp. Varie hunc locum interpretantur Docti. Quidam ita intelligendum esse existimant, ut sit sensus, Judicabunt filii vestri male vos fecisse, quod Miracula mea per collusionem cum Principe Dæmoniorum facta esse mihi exprobraveritis; ajent enim se id omni studio tentasse, ut Diabolus hac ratione vellet colludere, & se tamen id impetrare non potuisse. Alii ita exponunt. Si filios vestros vobis addictos creditis ejicere Dæmonia, non in nomine Principis Dæmonum, sed in nomine Dei Abrahami, Dei Isaaci, Dei Jacobi; quid est cur me accusetis per Beelzebulem Dæmonia ejicere, cum ego non minus quam illi sim cultor veri Numinis. Juxta hanc sententiam, Christus alludit ad Exorcistas Judæorum qui in nomine Dei Israelis Dæmonia ejiciebant, de quibus Justinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes. Alii existimant Christum eos indicare velle qui in nomine suo exorcizabant Dæmones, de quibus Lucas c. 20: vs. 49. *Domine, vidimus quemdam sub nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum.* At quoquomomo explicetur locus, sententiæ nostræ minime adversatur: Nam si primam expositionem sequamur, nihil inde probabitur; si tertiam inde evincetur invicte Christum esse Deum; quis enim Deum esse non agnosceret, ad cujus nomen tremunt Dæmones, & cui obtemperant? Si secundam, nihil facit contra nos; Nos enim non negamus ad præsentiam hominum posse Miracula præstari in nomine Dei, ita ad præsentiam Mosis & Discipulorum Christi. Sic est, instabit nonnullus, Apostoli Miracula ediderunt, Ergo ex Miraculis, Christum Deum esse non sequitur. Respond. maximum discrimen inter illos & Christum intercedere. I. Apostoli, in nomine Christi Miracula edunt, at Christus propria sua authoritate ac virtute agit; *Ego tibi præscribo, surge, Exi foras.* II. Apostoli Miracula præstabant, non ut sibi assererent ullam dignitatem, sed ut doctrinæ Christi authoritatem conciliarent; Christus vero ut suam assereret dignitatem, ut se Filium Dei probaret, qui remittendi peccata potestatem habebat, & ut se unum cum Patre evinceret, *Ut sciatis*, inquit, *Filium hominis potestatem habere remittendi peccata, dixit Paralytico, surge & ambula* Matth. 9:6. ut omnes honorent Filium quomodo honorant Patrem Joh. 5:23. III. Christus non tantum Miracula fecit, sed & ea faciendi *δύναμιν* dedit Luc. 10:19. Matth. 10:5. Marc. 16:17, 18. At hoc creatas vires superat. IV. Christus potuit ad lubitum Miracula edere, at non ita Apostoli, sæpe iis virtus defuit, ut v. g. in Paulo apparuit, qui Timotheum discipulum suum quem tanquam germanum suum filium diligebat à stomachi *κακεξία* liberare non potuit 1 Tim. 5:13. & Epaphroditum fidelem suum coadjutorem ad mortem usque ægrum sanitati non potuit restituere, cum tamen ejus opera uti optaret & sanitatem ejus animitus cuperet. At instabis, Christus Marc. 6:5. dicitur aliquando virtutem ullam edere non potuisse: Ita est, sed ibi *non* posse denotat, non impotentiam, sed animum à faciendo alienum, propter incredulitatem eorum; eo sensu quo sæpe dicimus nos ab animo nostro impetrare non posse; Ita exponit Chrysostomus, *οὕτως οἶδε πολλαχοῦ δύναμιν τὴν προαίρεσιν λέγειν, τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ φυλαττόμενον ἴδοι τις ἄν, ὡς ὅταν λέγῃ τις οὐ δύναμαι ἀγαπῆσαι τὸν δεῖνα, τὸ σφοδρὸν τῆς βουλήσεως δύναμιν λέγων.* At regeres, Luc. 5:17. Christus dicitur sanasse aliquos, quando virtus Domini ad sanandum ei aderat. Fateor, sed dicit Lucas virtutem Domini adfuisse, non quia aliquando aberat, sed quia nullum obstaculum tunc erat, & luculenta occasio illustre aliquod faciendi miraculum se offerebat; idem ergo est ac si diceret hanc virtutem Domini ad eximie se exerendum in oculis Pharisæorum paratam fuisse. Atque hæc de miraculis Christi satis.

XVI. 3. Argumentum quo Christus justificatus est Deus, fuit ejus resurrectio, & hoc docet Paulus Rom. 1:4. *declaratum fuisse filium Dei per resurrectionem ex mortuis &c.* Ac revera inter opera & miracula à Christo edita hoc sane est *ἀποδεικτικόν*, quod molestissimis & infensissimis hostibus os obturavit, Apostolorum fidem confirmavit, spemque Ecclesiæ fulsit; Ideoque Judæis post innumera miracula edita signum aliquod petentibus è cœlo, Christus calumniæ os occlusurus, non aliud signum affert quam resurrectionem Matth. 12. *Ex cœlo*, inquit orbis servator, ut *ὁ θεοφόρος* vir Doctus, *miracula poscitis, ex terra contemnitis; Non me decet vestræ morigerari protervia; Dabo unum pro cunctis, maximum miraculorum, non quale vos optatis, sed quale me dignum est, cui simile nullum Prophetarum quisquam edidit, Resurrectionem scilicet mei corporis, non ex terra tantum; sed ex visceribus terræ, ut vos vestri pudeat qui signa è terra putatis aspernanda.* Equidem ut observavimus, alia à Christo præstita prodigia Divinitatem ejus evincunt, sed infirmitates quibus obnoxius erat, & mors quæ subsecuta est, ejus Divinitati videbantur repugnare; At post resurrectionem & per eam summa illa gloria & Majestas quæ videbatur antea latere, nec nisi subobscure

per

per scintillas & radios emicabat, enituit & emersit, ita ut nullus amplius vel dubitationi vel contradictioni sit locus. Tunc enim cessit potentiæ infirmitas, gloriæ ignominia, fœlicitati miseria, & mors vitæ nunquam intermorituræ. Tunc Christus radios quos comprimebat antea, ne suo lumine officeret officii, cujus gratia venerat, præstationi, remoto omni infirmitatis velo retexit, & conspiciendos præbuit. Hoc modo vere agnitus est ab hostibus, creditus à fidelibus, à Deo probatus; potentiam senserunt victricem hostes, promissionum veritatem sunt experti fideles, & Deus justitiæ suæ satisfactum abunde declaravit, & agnovit Christum pro suo filio, de quo dixerat, *Tu es filius meus, hodie te genui*; unde Act. 13. dicitur tunc adimpletum fuisse oraculum Psalmi secundi, quia tunc filium esse Dei Christum vere apparuit; scripturæ enim mos est, ut res tum dicantur fieri vel nasci, quando manifestantur, ut Prov. 17. Amicus dicitur nasci in die malo, quia tum se prodit; & rursus ita fert usus linguarum fere omnium, ut id dicant nasci quæ redeunt in lucem & dignitatem, sic *diem natalem reditus* Cicero dixit eum diem quo ab exilio revocatus est; sic aliquis Patrum diem quo Sacerdos electus est, sui natalem Sacerdotii vocavit, & apud Hebræos dies natalis dicebatur is quo Rex creabatur. Huc accedit quod per resurrectionem Christus retudit illa dicteria quibus incessebatur in cruce; *Si es filius Dei*, ajebant, *de cruce descende*, *Alios servavit*, *semetipsum servet*; & calumnias eorum confudit, qui eum blasphemum & impium vocitabant. Antea lis adhuc pendere videbatur de divinitate Christi: sed resurrectione tanquam decreto publico definita est; post eam adhuc ἐπέχειν stupenda pertinacia. At quædam hic excipiuntur, quæ paucis sunt resolvenda.

XVII. Non moror hic exceptiones quorumdam Atheorum, qui existimant naturalibus viribus aut mediis, defunctis vitam restitui posse; Adeo enim hæc quæ asseruntur insulsa sunt & inepta ut ne fungus quidem crederet. Nolo etiam diutius immorari refutandis illis qui eam resurrectionem negant, nam si de ea dubitare licet, nihil in historia certi erit, & pari jure negabo fuisse aliquando Alexandrum, aut devictum à Scipione Annibalem; ac Constantinum Magnum Christianismum amplexum fuisse. Sane vel nullis testibus credendum vel Apostolis fides adhibenda. Quis de eorum testimonio dubitaret, qui non id narrabant quod in alio orbe præstitum fuerat, quodque proinde nonnisi ex aliorum fide compertum habebant, sed quod oculis suis viderant & omnibus quasi sensibus palparant; nec uno tantum alteroque momento sed per XL. dies, idque variis experimentis, nec leviter aut perfunctorie, sed diu admodum cum scrupulo ambigentes: Quis de eorum testimonio dubitaret, *Quibus* nihil objicitur ab hostibus Veritatis præter solam simplicitatem, & quos amentes non fuisse & vita & scripta testantur; *Qui* statim ab iis falsi argui potuissent, à quibus Christus cruci affixus fuerat, & quorum intererat ut à Deo non suscitatus crederetur; *Qui* ex mendacio nec honores sperare poterant, cum omnis penes Judæos ac Paganos honos esset; nec alia vitæ commoda, cum Evangelium laboribus, fami, siti, verberibus, carceribus ac diræ morti eos objecerit; & quibus utpote hominibus simplicibus fama tanti non erat ut tantam vim malorum subire vellent. *Qui*, si Christus non resurrexisset, in ejus memoriam insurgere debuissent, quandoquidem se misere delusos agnovissent, Qui hanc religionem propugnabant quæ mendaces pœnis æternis adjudicabat; *Qui*, idem testimonium non semel, sed ad mortem usque coram omnibus perhibuerunt, & quidem per totum terrarum orbem, imo qui hoc testimonium proprio sanguine obsignarunt, ac multis miraculis confirmarunt. Alia non addo quæ ubique prostant, nec iis immorari jam necesse est. Non etiam opinor ullum esse qui cum Judæis dicat Christi cadaver fuisse ab Apostolis surreptum. Quis enim hoc crederet, de illis timidis homuncionibus, qui cum caperetur Christus aufugerant, & quorum unus, qui alios zelo exsuperare videbatur, viventem abnegaverat. Verum, hic opponet aliquis, multos alios suscitatos fuisse qui non sunt filii Dei, suscitatum quidem fuisse Christum à Deo, sed inde nullatenus sequi Deum esse. Resp. Imo sequitur, sive dicamus à Patre suscitatum, sive semetipsum suscitasse; Ac primo si à Patre suscitatus est, quin verus ejus sit filius dubitare non possumus; nam quando se tanquam filium Dei gesserat, imo æqualem se Patri præstiterat, Quis eum à Patre suscitatum videns, ut prædixerat, non statim inferat eum fuisse revera talem qualem se dixerat? Si enim falso titulum filii Dei sibi vindicasset, & gloriam Deo debitam rapuisset; an verosimile Deum qui adeo severe in Herodem animadvertit, quod se Deum vocari passus fuisset, tanta gloria istud sacrilegium coronaturum, & ad tantæ fraudis confirmationem potentiam exerturum fuisse? An non potius vindictæ fulmina in eum contorsisset, & ut malum Sycophantam perdidisset: Cum vero res contra contigerit, & gloriose præter & contra Judæorum expectationem, eo tempore quo se resurrecturum prædixerat, suscitatus sit, quis de ejus Divinitate dubitaret? Sed 2. semetipsum suscitasse tuemur, & hoc docet Christus Joh. 2: 19. *Destruite Templum hoc & triduo illud ædificabo.* Templum enim vocat corpus suum; quod Judæis mirum videri non debet, qui *Sanctuarium Sanctuariorum esse ipsum Messiam sanctificatum de filiis Davidis* dicebant. Ita Joh. 10: 17. *Se potestatem habere ponendi animam & resumendi* testatur; & alibi, *se eadem opera cum Patre facere*, *& quoscunque vult*, *suscitare*, ait. Nec hæc verba aliis contradicunt locis, ubi Patri Filii resurrectio tribuitur; *nam* 1. *quæcunque Pater facit*, *filius pariter facit* Joh. 5: 19. Et rursus ideo adscribitur Patri Christi resurrectio, quia in opere salutis Pater velut summus Judex spectatur, qui ut Christum morti propter peccata tradiderat, eum suscitare ad nostri justificationem debuit, ut testaretur sibi plene satisfactum. Jam si filius se suscitavit, quis Deum esse negare auderet; cum resurrectio sit infinitæ opus virtutis, & ex iis quæ omnem rationis captum excedunt, ac sola fide creduntur. Atque hæc sufficiant de resurrectione & de iis argumentis, quibus dum in his terris degebat Christus ἐδικαιώθη. Succedunt alia quibus post ascensionem justificatus est.

XVIII. Ac primas tenet Missio admirabilis & inaudita Spiritus Sancti, quem prædixerat venturum Christus ante mortem, & de quo dixerat Joh. 16: 8, 9, 10, 11, 14. *Quum venerit ille arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio: De peccato quidem eo quod non credant in me; De justitia vero eo quod ad Patrem abeam, & amplius non conspicietis me: De judicio autem eo quod Princeps hujus mundi condemnatus sit. Ille me glorificabit.* Ac revera missio hæc publicum fuit testimonium I. Christum esse illum Deum qui per Zach. 12. dixit, *Effundam super domum Davidis & super habitatores Jeruschalaimorum Spiritum gratiæ & deprecationum*, *respicientque ad* ME QUEM TRANSFIXERUNT; quæ Rabbi Hadatsan in Gen. 28. de Messia filio Davidis intellexit, observante Grotio. 2. Christum secundum humanam naturam in qua mortem acerbam perpessus fuerat, fuisse ad dextram Dei exaltatum, ut ait Petrus Act. 2: 33. *Dextera Dei*, inquit, *sublatus*, *& promissum Spiritum Sanctum adeptus à Patre effudit hoc quod vos nunc cernitis & auditis.* II. Justificatus fuit Christus ab Apostolis, qui adversus Judæos decertarunt pro Domino, & ipsum ab omnibus dicteriis quibus impetebatur, vindicarunt, & quidem probando 1. Christum esse verum illum Messiam qui à Prophetis describitur, modo ut Deus Fortis, Pater æternitatis, Dominus Templi sui; modo ut venturus in carne, nasciturus ex virgine, Bethelemi, transfigendus, spoliandus; verum Semen mulieris, Semen Abrahami, Schilo, de quo Jacobus, Christum de quo Daniel. cap. 9: 24. Desiderium Gentium, cujus meminit Haggæus cap. 2: 6, 7. Angelum Fœderis & Dominum cujus mentionem injicit Malach. 3: 1, 2. 2. Quoad Doctrinam consensisse cum Mose & Prophetis, licet à corruptelis & traditionibus Pharisæorum dissenserit. 3. Inculpatæ fuisse vitæ, nullius peccati convictum, omnigenarum virtutum choro instructum. 4. Ejus regnum non esse debuisse terrenum, ut opinabantur Judæi, carnalibus armis comparandum, post bellum contra Gog & Magog feliciter gestum, Reges terræ subactos, Rempublicam Judæorum instauratam, Templum tertium ædificatum; sed spirituale cœleste, nulla Regis in primo adventu specie Zach. 9. Esai. 53. per Evangelii præconium, ac effusionem Spiritus quibus fuerunt Gentes conversæ Ecclesia propagata. 5. Exinanitum fuisse juxta prædictiones Psalm. 22. 40. & 110. Esai. 53. Zach. 9. 6. Mortis circumstantias à Divinis Vatibus fuisse prædictas & in Sacrificiis præfiguratas. 7. Hanc mortem necessariam fuisse ad expiationem criminum, quæ sacrificiis veteribus neutiquam elui poterant, siquidem nulla est proportio inter atrocitatem flagitiorum & viles hostias, irrationales victimas, fœdumque cruorem. 8. Illum resurrexisse & virtute propria suscitatum ac videntibus Apostolis ascendisse in cœlos. 9. Illum esse verum Deum & vitam æternam, Deum Israelis, orbis Servatorem. Nec tantum ita sua prædicatione Christum justificarunt Apostoli, sed & hæc omnia dogmata sua morte obsignarunt, & eorum exemplum non pauci secuti sunt ac imitati sunt. Manet itaque ratum & fixum DEUM in Carne esse conspicuum factum & in SPIRITU JUSTIFICATUM. Huic ut Patri & Spiritui Sancto, sit honos εἰς αἰῶνας AMEN.

DISSERTATIO QUARTA & Ultima.

De Magno Pietatis Mysterio.

THESIS I.

MESSIAM orbis Redemptorem, Dei Unigenitum, vocatum iri *admirabilem* praedicit μεγαλοφωνότατος Isaias. Ac Revera nihil est in Christo & nihil à Christo præstitum; quod admirationem hominum atque Angelorum summopere non mereatur. *Miror* ut *Lumen de Lumine, Deum de Deo*, qui radiantis Olympi sceptra tenet, orbis habenas moderatur, & cujus fulmen excussum manu utræque Phæbi sentiunt domus. *Miror* ut *Deum manifestatum in carne*, & ut Virginis intactæ sanctam progeniem. *Miror* nasci in tempore eum qui ab æterno est; in præsepi recumbere, qui cœlum numine complet, Virginem habere Matrem, qui rerum omnium Conditor est & mundi melioris origo; ab hominibus morte affici vitæ Principem, in quem nil Juris habet Libitina, & cujus obtutu commota tellus tremiscit: *Miror* propria virtute è tumulo resurgentem ac *vivificatum in spiritu*, qui *mortificatus erat in carne*; ab humana Gente despici quem omnes *Angeli* colunt, & à Gentibus excipi, quem Judæi rejiciebant. Tandem *miror* in cœlos ascendentem, qui ad Infimas terræ descenderat partes, & summa *gloria* coronatum qui fabula vulgi, & Magnatum opprobrium fuerat. Hæc omnia miranda pandit divus Gentium Doctor, quum ait. *Sine controversia magnum est Pietatis Mysterium, Deus in carne conspicuus factus est, in Spiritu* ἐδικαιώθη, *ab Angelis conspectus, Gentibus prædicatus, ipsi in Mundo fides habita est, sursum receptus est in Gloriam.* Ea attente expendere juvat, & quandoquidem in supeririobus Exercitationibus Deum in carne φανερωθέντα & in spiritu justificatum suspeximus; Jam reliquæ hujus Mysterii partes enucleandæ sunt, favente & auspice Christo.

II. Non dissimulandum à limine in quibusdam legi Codicibus ὤφθη ἀνθρώποις, *conspectus est ab hominibus*, quæ verba multum accedunt ad illa Johannis c. 1: vs. 14. *Sermo*, inquit, *Caro factus est*, & spectavimus gloriam ejus, *gloriam*, inquam, *ut Unigeniti egressi à Patre.* Verum etsi nil habet hæc lectio quæ tectæ adversetur fidei, haud tamen existimamus à vulgari, quæ fere omnium est exemplarium recedendum, quandoquidem optime cum toto Paulini sermonis contextu cohæret, nec parum Majestatem seu Magnitudinem Mysterii Dei incarnati adstruit. Neque etiam arbitramur per Angelos, Ecclesiæ præpositos atque Doctores designari, ut Gregorio Magno placuit, quamvis enim Pastores aliquando hoc nomine indigitentur, præstat nihilominus hic intelligere substantias illas cœlestes, ac nobilissimas, ratione praeditas, Dei administras atque interpretes, *primi splendoris Ministros, Divinæ Majestatis Præcones & Gloriæ æternæ spectatores*, ut amat loqui Nazianzenus, Spiritus illos Immortales, verbo, Angelos Lucis, Angelos Electos, de illis enim hic agi credimus.

III. De eorum Natura nolumus hic disserere, nec animus est adversus eos contendere, qui dari Angelos negant, quales fuisse Sadducaeos docet Lucas *Act.* 17. per Angelos, de quibus Moses meminit, intelligentes vel Deum humana specie apparentem; vel instinctus bonos menti à Deo impressos; vel inseparabiles Dei virtutes, quas Deum quandoque emittere & rursus in se recipere forte opinabantur, quod Judaeorum nonnullos sua aetate sensisse Justinus affirmat; vel spectra quibus Deum voluntatem suam hominibus significasse quidam docebant. Nolumus etiam hic anxie disquirere à quibus conspectus fuerit Angelis Orbis Redemptor, an ab Angelis qui Principes aulae cœlestis, Ecclesiarum omnium Praesides, hominum Mediatores & praepositi à Pontificiis male dicuntur, quibus μετὰ πολλῆς φαντασίας consecravit Pius IV. anno 1561. in thermis Diocletiani templum, quod novis privilegiis ornarunt Pius V. & Gregorius XIII? an ab aliis inferioris ordinis? an ab hominibus, an ab aliquibus tantum? non definit Paulus, neque nostrum definire est. Nec est instituti nostri de eorum Ordinibus & Hierarchiis disserere adversus Judaeos aut Pseudo-Dionysium ejusque asseclas, in hisce magis temeraria praesumptio, quam cauta ignoratio culpanda. *Esse sedes*, inquit Augustinus in Libro contra Priscillianistas, *Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo: sed qui me contemnas quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint & quid inter se differant, nescio.* Caetera etiam quae de Angelis quaeri solent non attingo, hoc unum nosse jam sufficit, ab *Angelis conspectum* Deum incarnatum, seu illis *apparuisse*, ut quibusdam vertere placet.

IV. Priusquam Christus in hasce descenderet terras, Angelos habuisse servos ignorari non potest. Eos coram ejus solio adstantes vidisse se refert Esaias c. 6. & clamantes audivisse, *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehova Exercituum*: tunc enim observante Johanne, Christi Gloriam intuebatur Propheta. Verum ex quo in hoc orbe inferiori se hominibus sub humana carne patefecit, Angelicas cohortes superas deseruisse oras, ut Christum incarnatum intuerentur & ei ministrarent, docet Historia Sacra. Ac revera non modo ejus Conceptionem annuntiarunt Angeli, sed & nascentem festis acclamationibus celebrarunt, suis clamoribus Bethlehemiticos campos pulsantes, *Gloria sit in exelsis.* Obscurum ejus praesepe in terris circumdare erubuisse quis judicaret eos, qui in cœlis coram ejus Throno adstabant; fugientem in Ægyptum comitatos esse quis negaret, silentibus licet Evangelistis, cum omnium fidelium custodes esse doceat Scriptura, quod ita tamen non intelligendum, quasi unicuique suus Angelus assignatus fuerit custos. Jordani proximos fuisse cum tingeretur Christus à Baptista, ita verosimile est, ut nihil magis, quomodo enim ad hoc insolitum non accurrissent spectaculum. Tentationis ejus testes fuisse etiam credibile est; quamvis ad Dominum accesserint tantum absoluta tentatione, ne Angelorum opera victoria parta videretur; transfigurato in monte non adstitisse quis crederet, quamvis Apostoli Mosem & Eliam tantum viderint: ab Angelo in Agone versantem corroboratum fuisse, quis, Luca referente, inficiaretur; imo nec credibile est ab ejus cruce recessisse Angelos; nisi dicamus prae horrore abiisse, nec tantam Judaeorum saevitiam ac furorem, quem ne ipse sol conspicere voluit, sustinere potuisse. Tandem primi Christo resurgenti gratulati sunt, & illorum numerosa cohorte stipatum cœlos ascendisse mox sumus dicturi; illis itaque revera *apparuit* & ab illis *conspectus est*.

V. Verum, ne credas unicum hic scopum Pauli docere Angelos Nativitatis, Vitæ, Mortis, Resurrectionis & Ascensionis Christi fuisse testes ac spectatores; aliquid aliud voluisse dubium non est; *agnitum* scilicet ab Angelis Christum, aut, si magis placet, Christum se illis manifestasse, ut illum supremum Deum, cujus Divinitatem à Mundi incunabulis suspexerant & venerati erant, & ut illum orbis Redemptorem à Prophetis promissum, à Judæis expectatum, à Patriarchis expetitum. Ut hoc recte capiatur, observandum Angelos quidem non ignorasse Messiam in ultimis temporibus venturum, qui genus humanum à morte æterna liberaret, & à servitute Diaboli atque peccati redimeret; nec enim credibile est hoc eos latuisse, qui cœlestium vaticiniorum administri aliquando ac Interpretes fuere, & qui in ea mysteria παρακύψαι exoptabant, ut loquitur Petrus, alludens ad Cherubinos, qui explicatis alis Propitiatorio incumbebant; Verum, etsi Mysterium Pietatis ipsos plane non fugerit, multa tamen ignorasse certum est, quæ Christo incarnato ipsis patefacta sunt. Obscura primum fuerat notitia, sed Christo nascente quidquid hactenus latuerat, aperte revelatum est; antea Christi incarnationis prælludia viderant, sed nunc incarnatus ipsis apparet, & absque ullis involucris se conspiciendum præbet: una dies ipsos docet quod per longam sæculorum seriem intelligere non poterant, & ad primum Christi Nascentis, Baptizati, Morientis, Resurgentis ac in Cœlos Ascendentis conspectum, eum esse agnoscunt, quem toties prædixerant Vates & cujus adventum Patres votis ferventibus efflagitaverant: hoc confirmat Paulus Eph. 3: 10. quando ait, *Notam fuisse factam per Ecclesiam* πολυποίκιλον σοφίαν Θεοῦ imperiis ac potestatibus quæ in Cœlis sunt, quod Judæis mirum videri non debet, *Angelos enim proficere per homines*, vetus est Hebræorum sententia. *Hactenus*, inquit Greg. Nyss. Hom. 8. in Cant. Cant. *simplicem* καὶ μονοειδῆ *potestatem Dei & efficientiam intelligebant*, αἱ ὑπερκόσμιοι δυνάμεις (Angeli scilicet) *qui una & simplici Dei voluntate ac solo verbo, omnem illam conditarum rerum varietatem extitisse viderant. Varium* autem *illud & multiplex genus sapientiæ, quod ex contrariis rebus invicem nexis aptisque constat, per Ecclesiam manifeste cognoverunt, quomodo Verbum factum est Caro, quomodo vita cum morte miscetur; quomodo livore suo nostra vulnera persanat; quomodo Crucis infirmitate vires hostis evertit, quemadmodum id quod aspectabile non est in carne manifestatur, utque Captivos redimit idem ille, qui & emtor est & pretium, tum quemadmodum mortem sic obiit, ut à vita non recederet.* Hactenus Nyssenus. Quis fuerit Angelorum stupor eloqui ne Angelus posset, quum in terris sub humana forma intuiti sunt, quem suis à condito mundo laudibus celebrabant; quum in gremio Virginis recumbentem conspexerunt, quem ne cœli cœlorum capere possunt; quum ad ultimas angustias redactum esse animadverterunt,

runt, qui omnia in cœlo & in terris possidet; & quum ejus suspiria ac lugubres planctus audiverunt, ad cujus vocem nutant montes, colles fremunt & summa consolatione afficiuntur fideles: Sed quantum etiam fuerit ipsorum gaudium quis diceret, quum scilicet eum propius contemplati sunt in terris, cujus Majestate adeo perstringebantur in cœlis, ut suis alis faciem tegentes viderit Esaias: Nec tamen credas ideo lætatos esse, quia Christus ipsorum Mediator fuerit, non enim Mediatore indiguerunt, qui adversus Deum non peccarunt: At lætati sunt ea conspicere quæ nulla mens Angelica excogitare potuisset; lætati sunt totum genus humanum flammis æternis non periturum, sed multos ex tanta miseria per Christum eripi, & æternæ felicitatis fieri compotes; lætati sunt ampliari Regni Christi fines totiusque Trinitatis gloriam promoveri. Tandem lætati sunt ea cognoscere quæ irrito conatu penetrare tentaverant, & Christi tanta demissione ac in Deum flagrantissimi amoris atque devotionis exemplo stupefacti, nova & extraordinaria luce collustrati sunt, quæ mirificum in illis amoris impetum & Deo placendi studium ingens excitavit.

VI. Verum, inquies, cui bono conspectum esse ab Angelis subjungit Paulus? quid ad Mysterii Pietatis magnitudinem demonstrandam hoc faciebat? Imo maxime, 1. quis enim de præstantia mysterii dubitaret, quod ipsi Angeli admirati sunt, & de Divinitate Christi incarnati, qui ut Deus ab Angelis agnitus, imo adoratus est? ut docet Paulus Hebr. 1. *Quum*, inquit, *inducit Primogenitum in orbem terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* 2. apud Gentes cultos fuisse Angelos nemo nescit, tanquam precum suarum apud Deum Interpretes, divinæ voluntatis Internuncios & humanarum rerum custodes, ita censebant Platonici, & hic cultus vigebat in Phrygia & Pisidia in primis. Jam ab illis Angelis quos colebant Gentes, conspectum fuisse Christum & agnitum ut Deum manifestatum in carne asserit Paulus, forte ut Ephesiis quorum conversioni Timotheus incumbebat, & apud quos ut & apud Colossenses Angeli sub Geniorum aut Dæmonum nomine colebantur, persuadeat, Jesum illum quem nuntiabat summum esse Deum, siquidem ipsorum quondam Deos, Angelos scilicet, Ministros & servos habuerit. 3. Traditio erat apud Judæos Messiam evehendum esse non modo supra Abrahamum & Mosem, sed & supra Angelos ministratores; non mirum itaque, si & hic & alibi Apostoli de Christo verba facientes, de Angelis etiam mentionem injiciant, imo supra eos extollant, quod invicte præstat Author Epistolæ ad Hebræos. 4. Nihil etiam impedit, quominus dicamus allusisse Paulum non quidem ad ἀγγέλους quos sublimes Gentium Theologi agnovere ἐκφαίνοντας ἢ διαγγέλλοντας ἡμῖν τοῦ θεοῦ πρὸς εὐζωίαν κανόνας; sed & ad Varios Sacrorum Mysteriorum ἀγγέλους; erant quippe non tantum ἱεράγγελοι, quos θεωροὺς ἀγγέλλοντας τὰς πανηγύρεις interpretatur Hesychius, sed & erant ἄγγελοι seu Nuntii, qui renuntiabant sibi visos Deos. 5. Tandem quidni addamus per ista verba ὤφθη ἀγγέλοις respicere divum Gentium Doctorem ad ἐπόπτας magnorum Mysteriorum Eleusiniorum; ita enim vocabantur, qui ad majora Mysteria admittebantur, & quibus nihil occultabatur: Non statim ἐποπτεύειν licuisse omnibus notum est: primum enim initiabantur per aliquod tempus, antequam sacrorum occultiores ritus inspicere daretur; unde in Demetrio notata est exempli raritas, qui sine ulla temporis intercapedine minora majoraque Mysteria ἐποπτεύειν voluit. Idem Angelis contigit, primum initiati fuerunt, & quidem ante Christi adventum: At, inquit Paulus, jam Epoptæ facti sunt, ὤφθη ἀγγέλοις. Ex eo tamen, quod ad tantorum Mysteriorum ἐποπτείαν admissi sunt, ne eos colendos esse quis deliret, ut pertendunt hodie Pontificii; qua in re non Scripturæ tantum, sed & puriori antiquitati adversantur, ut facile esset evincere ex Irenæi, Origenis, Basilii, Theodoreti scriptis; imo ex Concilii Laodiceni Can. XXXVI. quem locum librorum depravatores mire corruperunt, dum Angulos pro Angelis stupenda & ridicula libros adulterandi prurigine substituerunt: hæc fusius probaremus, nisi alio vocaret Paulus. Non apparuit tantum, inquit Divus Apostolus, Angelis, sed & hominibus; nec modo Judæis se conspiciendum præbuit, at & gentibus prædicatus est, ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσι.

VII. Per Gentes, omnes populos præter Judæos intelligit, quos alibi Scriptura vocat alienigenas, Gentes sine Deo, sine spe, sine Christo, Gentes præputiatas, quæ ante Christi adventum in cimmeriis jacebant tenebris, deasciato supplicabant stipiti, & aris nefanda consecrabant crimina quæque.

Impia thuricremis placabant marmora flammis.

Equidem non omnem antea sui notitiam ipsis denegaverat Deus, & cognoscere poterant Deum esse; Deum nihil esse eorum quæ videntur & corrumpuntur; sed aliquid omnibus istis sublimius; Deum esse Creatorem omnium extra se; à Deo res humanas curari, & esse colendum ac ei gratias agendas; eum solum ut omnium Opificem adorandum esse, & alia quæ vel rationis lumen dictare poterat, vel ex operibus naturæ ac providentiæ colligere facile erat. At innumera eos latebant quæ Genti Judæorum Deo dilectæ revelata erant, & de Christo ac Messia nihil audiverant. Nec enim eos moramur qui Sibyllina oracula objiciunt, in quibus Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ vocatur, totaque fere Historia Evangelii legitur: adeo enim obtusa non gestamus pectora, ut pro Sibyllinis fœtibus habeamus, libros circa Antonini Pii tempora editos, ex Montani officina, ut à multis Doctis probatum. Verum quod ipsis occultum fuerat post Christi ascensionem patefit, & Deus manifestatus in carne iis prædicatur. Prædixerant hanc Gentium vocationem Prophetæ, & loca sunt notissima Genes. 49. Deut. 32. Psalm. 2. & 70. Is. 2: 2. & 9. & 44. & 52. & 65. Jer. 3: 17. Os. 1: 10. Joël 2: 28. Amos. 9: 12. Mich. 4: 1, 2. &c. Imo hujus vocationis præludia quædam viderat Gens Judaica, ut omnibus notum, sed hoc tandem plane adimpletum est post Christi gloriosam assumptionem, quando scilicet, Judæis relictis, Apostoli ad Gentes se converterunt. Primus Apostolorum Petrus illis prædicasse fertur, & quidem postquam conspecto linteo in quo erant quævis animalia, vocem hanc audivit. *Quæ Deus purgavit tune pollui-to*: tunc enim cum à Cornelio accerseretur & à Deo ad eum ire juberetur, μηδὲν διακρινόμενος, intellexit quid hic esset mysterii. Non Cornelio tantum, sed innumeris aliis prædicasse Petrum, tum in Judæa, tum in Antiochia in qua primo natum Christianorum Nomen, tum aliis in Regionibus, imo Romæ (quod dubium admodum est) dixerunt Veteres. *Paulum* ab Urbe Hierosolyma ad Illyricum usque docuisse gentes apud omnes est in confesso; de cæteris tum Apostolis, tum Discipulis incertior fama est. A Johanne Asiam perlustratam fuisse multa probant. *Andreas* Scythiam nactus juxta Eusebium Achajam accepit, & juxta Nicephorum iterum peragravit Cappadociam, Galatiam & Bithyniam usque ad mare Euxinum, ac primus Byzantii præco fuit; imo ab eodem Russi & Moscovitæ religionem se hausisse Christianam gloriantur. Cætera non persequor, pauca certa, falsa multa. Unicum hoc addo, non verisimilem videri nobis sententiam eorum qui per totum Terrarum Orbem prædicasse Apostolos existimant, & magis placere illorum opinionem, qui nec in Americam, nec in Africam Meridionalem, nec in Insulas innumeras maris Barbarici, Chinensis, Indici, Athlantici, Hyperboreique &c. pervenisse pertendunt. Non ab Apostolis tantum, sed ab eorum Discipulis prædicatus est Gentibus Deus in Carne manifestatus: nomina eorum & quibus prædicaverint ne quis expectet, omnia fabularum plena; Si quibusdam credere fas sit Vindelicis, Rhætis, *Lucius Cyrenensis.* Moguntinis *Crescens*; Dalmatis *Titus*; Metensibus *Clemens*; Tolosanis ac Burdegalensibus *Martialis*: Trevirensibus, Coloniensibus &c. *Maternus* & *Valerius*; Arelatensibus *Trophimus*, Parisienbus *Dionysius*, sed tædet incerta referre.

VIII. Hic Notare præstat. I. admirandam esse summam Dei erga Gentes benignitatem, quas noluit pati amplius ut in suis incederent viis, & quas post depulsas tenebras ad beatam æternæ pacis & gloriæ spem Evangelicæ Gratiæ præconio invitare voluit. Quis enim sanæ mentis crederet tantum beneficium meruisse Gentem densa caligine mersam, tetraque mortis umbra sepultam; *ut insereretur, quid meruit Oleaster amaritudine Baccarum, sterilitate sylvestri*, inquit Augustinus. II. Jesum nostrum verum esse Messiam, cum fere nunquam adventum Messiæ prædicant Prophetæ, quin statim gentium vocationem commemorent, imo ad Messiæ adventum lætari jubentur Insulæ omnes, *quas vagus Oceanus refluis complectitur undis*, omnesque Orbis Coloni, incognitis ab usque terræ finibus. III. mysterium esse magnum *vocationem Gentium*, quæ & Petrum ipsum latuisset, nisi signo quodam & ostento Deus id manifestasset. Revera quantum Mysterium, rejici posteros Abrahami, Isaaci & Jacobi Gentem; circumcisam, & admitti præputiatos, Barbaram Gentem; Israelis filios ad famem redigi & panem canibus porrigi; Semum à suis tentoriis expelli, & Japhetum introduci; Saræ progeniem amandari, & Agaræ stirpem servari; sterilem fœcundam fieri & fœcundam fieri sterilem, quis talia credidisset; *o rem miram!* Qui Populus erat desinit esse Populus, qui Populus non erat incipit esse Populus; Goscen in tenebris jacet, Ægyptus luce gaudet, Vellus Gedeonis aridum manet & exsuccum, totus Orbis rore cœlesti irrigatur. IV. hic opponi mysterium pietatis mysteriis Ethnicorum. Non promulgabantur illa Mysteria, ut alibi indicavimus, nec ξένοις *peregrinis* patebant; ξένους μὴ μυεῖσθαι Lex erat, & profanum vulgus ab iis arcebatur; rursus Mysteria cognita prodere nefas erat, imo & præmium publice proponebatur ei qui vulgantem Mysteria interfecisset:

at longe alia Mysterii Pietatis ratio, ad illud omnes admissi; ξένοι καὶ πάροικοι; & Christus disciplinæ Christianæ Dominus jubet Apostolos prædicare Evangelium per omnes Gentes. Quibus addere possumus aliam Gothofredi conjecturam, alludere scilicet Apostolum ad id quod memorabant Gentilium fabulæ, fruges datas à Cerere populis, διὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσιν ἀνθρώποις per Triptolemum, idque Eleusinium Mysterium erat. V. & tandem *observ.* per homines prædicatum fuisse Gentibus Christum, nec alios voluisse sui Evangelii præcones. Equidem per se ipsum sine alio organo Gentes vocare potuisset de cœlo, aut per Angelos illud exequi facile erat, ut voluit suam per Angelos Nativitatem nuntiari, sed selegit homines, tum ne ad primum ipsius Majestatis aspectum prosternerentur Gentes, aut immenso ejus confunderentur fulgore; tum ut dignationem erga homines suam declararet ex hominibus sumendo eos qui pro se in mundo Legatione fungerentur, qui arcanæ voluntatis essent Interpretes, ac Personam suam repræsentarent.

IX. Non sine fructu audita fuit prædicatio Gentibus facta; nam, ut subjungit Paulus, *Christo fides adhibita est in mundo.* Prædicatio fidem præcessit: quomodo enim, ut ait Gentium Doctor, credent ei de quo non audierint, & quomodo audient absque prædicante, at prædicationem subsequuta fides; Revera ex quo Evangelium per universas orbis plagas auditum est, statim hominum Myriades eum sermonem admiserunt, & omnes fere Populi Christi Jugum subierunt, Idola conciderunt, Græcus & Romanus, Parthus & Indus, Maurus & Æthyops, Dacus & Scytha, Iberus & Britannus Crucis erexerunt vexillum, *totius Mundi una vox fuit Christus. Ne unum*, inquit Justinus in Dialogo cum Triphone, *est genus mortalium, sive Barbarorum sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium quocunque appellentur Nomine, sive Amaxobiorum vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per Nomen crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.* Idem refert Tertullianus libro adversus Judæos cap. 7. & pluribus probat coram Christo omnium civitatum portas fuisse apertas & seras ferreas comminutas. *Deposuit*, inquit Hieronymus, *Pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei, Getularum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria.* Plura non refero ex Patribus: satis enim ex dictis constat adimpletum fuisse tunc temporis quod Prophetæ prædixerant. Hanc totius orbis conversionem quis meditans non obstupesceret, & non exclamaret, *sine Controversia magnum est Pietatis Mysterium*: Hoc evidenter patebit, si sequentia observentur.

X. Ac Primo si expendamus quinam fuerit ille Mundus, quænam Gentes à quibus fides adhibita Christo. In crassissimis ac plusquam Ægyptiacis jacebant tenebris, omnia fere tanquam Numina colentes, non Angelos & Animas tantum, non modo cœlestia corpora, ut Solem & alia Sidera, non Elementa solum, sed & Lapides, Allia, Cepas, Canes, Crocodilos, Serpentes, Sues, Simias, Mustelas, imo Morbos, *Febrem, Tussim, Scabiem, Mortem* ipsam. Quis credidisset populos adeo rudes, saxorum, herbarum, morborum Cultores, ita divinam & sublimem amplecti potuisse Doctrinam, quale erat Evangelium. Equidem si ipsarum Gentium mentes tantum obtenebratæ fuissent, facilius potuisse converti, suspicari posset aliquis, sed tenebras mentis morum depravatio comitabatur: nec dubitabit qui semel de Ethnicis disserentem audiverit Paulum, *oppleti erant*, inquit Rom. 1. *omni injustitia, scortatione, improbitate, avaritia, malitia, pleni invidia, cæde, contentione*, &c. quanta crimina! quantam corruptionem! Eousque eruperat, ut ipsa crimina colerent. Pro Numine contumeliam fuisse docent Theophrastus & Cicero; Calumniæ aram erexerunt Athenienses; Momus maledicentiæ Deus fuit; Comessationes ac conviviorum luxus sub Comi nomine in pretio fuere; Et quis Veneri Priapoque sacra fecisse ignorat. Jam ita perditas Gentes, ita depravatos populos aliquando colla Christo submissuros, & Sancto Evangelio fidem adhibituros, quis ominari potuisset. Si iis tantum fuisset prædicatus Christus, quorum mores minus corrupti, & qui se ab immanibus sceleribus puros & immunes præstabant, qualis fuit Aristides ὃς οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι ἠθέλησε ut loqui amat Æschylus, haud ita difficilis visa fuisset conversio; Sed prædicatur Evangelium *Romanis*, quorum qui crimina nescit, Juvenalem adeat; *Corinthiis* qui scortis ita indulgebant, ut publicis precationibus adhiberent meretrices, & precarentur Deos numerum proventumque meretricum in dies augeri, quique incestos concubitus in se nihil habere mali (quæ fuit Diogenis sententia) existimabant; *Ephesiis* idololatriæ ac Magiæ deditis, & apud quos, si quibusdam credamus, vivebant Gnostici, quorum vita flagitiosissima erat; *Colossensibus, Galatis* aliisque inter Gentes corruptissimis: Horum populorum conversionem quis inter summa miracula non numeraret. Crescet admiratio, si attendatur II. quænam Doctrina ipsis proponitur. Jesum Nazarenum Regem esse Gloriæ, Redemptorem orbis, Dei Filium, Deum benedictum, Angelorum & hominum Dominum, Cœli & Terræ Monarcham ipsis nuntiatur; sed statim additur natum in præsepi, in summa egestate vixisse, mortuum in cruce; subjungitur ejus morte, ignominia, passionibus partam nobis esse salutem & vitam æternam, immortalemque gloriam, peccata remissa, mortem devictam, Diabolum profligatum, Justitiam Dei placatam, Paradisum reseratum. Quanta carni paradoxa. Hanc doctrinam comitabantur præcepta ingrata, molesta; carnalibus cupiditatibus directe opposita, absque ulla vitiorum populis illis ante permissorum indulgentia; incredibilia promissa addebantur, scilicet eos post mortem resurrecturos, in Cœlum evehendos, & in æternum cum Deo mansuros; Quis Gentes cæcas ea dogmata credere potuisse suspicari potuisset; & quis ea credidisse audiens non obstupesceret?

XI. Dabitur magis stupori locus si III. observemus quinam fuerint à Christo ad Gentes missi Præcones. Fere omnes Natalibus abjecti, quos nec Domus sua illustres, nec fortuna claros, nec potentia suspiciendos, nec Magnatum favor gratos, nec eruditionis gloria inclytos reddiderant, quibus nec aderant instructæ Cæsarum acies, nec Muhammedis copiæ; quorum docendi modus non erat elaboratus, verborum cæromate aut purpurissa fucatus, sesamo aut papavere sparsus; qui non pigmentis Rhetoricis aut fictionibus ad fallendum compositis utebantur; nec vim adhibebant, ut dissentientes cogerent, nec dolum, ut deciperent imprudentes, nec minas ut terrerent reluctantes. A talibus viris conversum orbem quis conjecisset; infantes ad disertissimos mittuntur, & infantia facundiam superat; simplices ad astutos & simplicitas de astutia triumphat. Imbelles ad armatos & ab imbellibus armati vincuntur. Ipsi Piscatores & Publicani totum orbem immutant, & ad Christum adducunt. Rem stupendam! Nec enim in Christum credunt seducti tantum è trivio tonsores, & lippi, de ultima fæce collecti, mulieres credulæ, & sexus sui facilitate labentes, sed viri sapientes, authoritate conspicui, Nobiles & Natalibus illustres. In aula ipsa Cæsaris suos habuit Discipulos Paulus, inter quos tamen nollem numerari Senecam, quamvis in catalogo Sanctorum quidam ipsum recenseant, & multa jactentur de ejus cum Paulo amicitia & literis ultro citroque missis: Nam has Literas suppositítias esse jampridem ostenderunt viri in rebus antiquis versati, *& hæc omnia*, ut verbis Bezæ utar, *sunt conficta ab iis qui Stoica quædam ut graviter dicta non possunt à Christianis & vere Divinis placitis discernere; quæ Stoicis nunquam in mentem venerunt omnium Philosophorum superbissimis.* Sequentibus temporibus Imperatores ipsi facti sunt Christi subditi, nec ad ejus pedes sua diademata ac sceptra deponere detrectarunt; Quis talia non miraretur; Mirari perget qui IV. attendet quid ista fides importet. *Credere Christo* erat omnes Religiones ab omni fere retro ævo receptas, patrias, & usu longo inveteratas damnare, soli Christianæ adhærere; nullum Numen agnoscere præter unicum Orbis Conditorem *Patrem, Filium, Spiritum Sanctum*, alia omnia execrari; suis præjudicatis abrenuntiare opinionibus, suisque vitiis ac pravis affectibus; virtutum omnium, nulla neglecta, praxi incumbere; nihil admittere in Religione, nisi quod cum verbo Christi consonat, & nihil præter Christum diligere. Quomodo id factum est, ut ea à Gentibus fuerint præstita? Si tantum de mutando vel Principe vel Domino actum fuisset, res adeo non mira fuisset, nec caruisset exemplis. Si hoc ab ipsis tantum efflagitatum fuisset, Christum cum aliis colere numinibus, ut si quibusdam fides, Tiberio non displicuit, res illa tantum non excitaret stuporem; Qui omnia fere pro Numinibus habebant, imo Monstra, quidni & Christum inter suos Deos numerassent, qui tot gestis inclaruerat, & tantam de se ubique terrarum existimationem excitaverat. At ita credunt Gentes in Christum, ut soli Christo adhærescant, Religionibus suis valedicant, & quasi toti transformentur ac fiant novi homines. Miretur cœlum & stupeat terra.

XII. Mirari non desinet, qui V. animadvertet, quanta fuerit illa fides; Tanta fuit sane ut laudibus nostris major sit. Corda ita immutabat, ut qui perditissimis ac profligatis moribus prius erant, fierent Sancti, & ipsorum vita Cœlestis & Angelicæ haud absimilis esset. Vidisses eos postquam Baptismalis unda & gratiæ Divinæ sensus perfuderat, soli Christo addictos pectora Divini amoris ignibus inflammata gerentes, assidue orantes, sursum habentes corda, caste loquentes, ægris medicamina, alimoniam pauperibus, auxilia egenis, peregrinis hospitales tesseras, viduis

viduis solatia, orphanis tutelam afferentes & præbentes, Christi vitam & virtutes exprimere summo studio tentantes, & ad perfectionem totis viribus contendentes. Adeo firma erat fides, adeo solido suffulta fundamento, ut qui credebant ex omni sexu, ex omni ætate, ex omni conditione, imperterrito animo sævientium Tyrannorum impetum sustinerent, nec pertimescerent exilii calamitates, carcerum tenebras, pediculárum vincula, equuleorum cruciatus, corporum lanienas, flammarum ignes, aut supplicia qualia nullus vel Busiris vel Phalaris atrociora reperire potuit; Imo sanguinem suum pro fide Christiana effundere summo honori ducerent. Nec enim dicendum atra bile percitos fuisse hos Martyres; nec imputari debet hæc constantia barbaræ cuidam consuetudini, ut de Indis referunt quod se præcipitent vivos ad modulamina tibiarum; nec ferociæ aut arrogantiæ id adscribendum; Nam præter varia quæ reponi possent, hæ exceptiones locum forte haberent in uno aut altero, sed hoc dici nequit de innumeris Myriadibus hominum, in quibus nihil culpabant veritatis hostes præter constantiam in asserenda veritate; qui in iis locis educati erant, in quibus nihil fuit barbarum, & quorum patientia cum summa animi demissione conjuncta erat, quique tota vita ediderant Pietatis, Modestiæ, & Mansuetudinis exempla. Miranda itaque omni ex parte est fides Gentium, & hic iterum exclamandum; *Sine Controversia magnum est Pietatis Mysterium, Deus manifestatus in Carne, creditus Mundo.*

XIII. Verum hic varia observanda sunt, ac 1. quidem ex illa mundi conversione ad Christum non leve oritur argumentum pro Euangelii Divinitate ac veritate. Sane non mirum est Muhammedis doctrinam admitti, aderat vis terrorque gladii quo reluctantes subigebat, aderat carnalium voluptatum effrænis licentia, in promptu erant opes. At quod armatus Orbis, ab inermibus, infirmis, nullaque potentia aut authoritate præditis Apostolis subigatur & ad Christum adducatur, ringentibus Principibus, Imperatoribus, Oratoribus, Philosophis; quod ipsi Philosophi, Oratores, Principes Christo fasces submittant; quod evertantur templa, Dæmonibus sacrata, ab iis qui in iis templis quotidie sacra faciebant; quod destruantur Idola ab Idolorum cultoribus; quod vetus superstitio eradicetur; rideantur Castaliæ aquæ, fons Colophonius, lebes Thesprotius, tripus Cirrhæus, Dodonæum tintinnabulum, quercus Pelasga, Apollo Clarius, Delius &c. aliaque Ethnicis veneranda; quod tot Gentes Christum ut verum Numen adorent, relictis suis avitis Religionibus, & quod ad Euangelium profitendum, ad calamitosam virtutem, miserasque optimæ vitæ ærumnas sine ullo voluptatum illicio cum præsentissimo rerum omnium sibi gratissimarum damno pellici se patiantur, hic certe digitus Dei est agnoscendus, & divinam doctrinam esse fatendum Celebratissimæ inter Philosophos Sectæ fundatores habuerunt clarissimos, qui omnem ingenii atque industriæ suæ vim adhibebant, ut per totum orbem sua placita spargerent; & multi ex illis, Regibus ac Monarchis erudiendis præficiebantur, quam paucos tamen præ Apostolis habuerint sectatores quis ignorat? sane si non possumus intueri solem, qui uno momento totum illustrat hemisphærium, & cujus *ad primos Hecate vapores lassa nocturna levat ora biga*, quin statim Dei opus esse agnoscamus; quomodo divinum opus esse Euangelium inficiaremur, quod ferè uno momento totum orbem implevit, nec implevit tantum, sed immutavit. Quæ à nobis non observantur quasi vellemus plane Gentilismum abolitum fuisse primis illis temporibus; qui enim id factum esse in primordiis Ecclesiæ Christianæ assereremus, cum nostris temporibus Paganæ superstitionis tenaces maneant Gentes plurimæ, quibus Euangelica doctrina plane inaudita est. Rursus hæc à nobis non dicuntur, quasi existimaremus omnes qui tunc temporis fiebant Christiani fuisse credentes: longe enim plures impii erant, quam vere pii, ut conqueruntur non semel Apostoli; Imo quo facta est ætate adultior Ecclesia, quo dignitatibus aut divitiis major, eo virtutibus minor, & ad paucos rediit, qui Christianis virtutibus inclarescerent. Nec à nobis requiras, cur non omnes à Deo vere conversi sint, cur sol Justitiæ omnes tenebras ignorantiæ atque errorum & superstitionum non dispulerit atque fugarit, cur tot impii in orbe cernantur, quos ad meliorem frugem non adducit Christus: Nam, ut ait Paulus, *Miseretur quorum vult, indurat quos vult*, Omnipotentis voluntati acquiescere nostrum est; adversus ejus volita ringere, inutile, temerarium, impium. 11. observandum non propriis viribus credidisse Gentes absque ope gratiæ: nam qui credidissent illi Populi, quos non modo ut Gentes sine Deo, ut servos diaboli, ut peccati mancipia describit Spiritus sanctus, sed & ut mortuos? an enim mortuus propria virtute è tumulo resurgeret. Media adhibita ad conversionem gentium fuerunt potentissima & suavia simul. Ita semper Deus agit potenter, sed suaviter, & quidem sapientissime: Nam cum peccati servitus ineluctabilis, quæ peccatorem aheneo veluti jugo illigatum tenet, cum deliciis tamen suis conjungatur, remedium huic malo consentaneum opponi decebat, potens sed suave; nisi enim potentia summa polleret ea qua convertimur gratia, peccatum non vinceret, nisi vero eadem suavis esset, non utique volentem traheret: Omnino igitur par erat à Deo gratiæ robur immensum, sed ineffabili voluptate conditum exeri, quo peccati destrueretur immanis potentia, ejusque delectatio fœdissima contraria delectatione sanctissima vinceretur. Quanta potentia requirebatur ut Gentes è mortuis excitarentur nec non vastum illud inane quod eas à Deo separabat quasi nova creatione impleretur, simulque diabolus cum satellitio suo expugnaretur, ac veteri possessione depelleretur; at quanta suavitate opus fuit, ut lubentes Jugo Christi se subjicerent, & summa cum voluptate Dei mandata implerent. Non sola prædicatione Verbi Gentiles ad Christum adducti, sed & vi vorticordia & interna Spiritus, ineffabili quidem, sed non minus certa. Si homo esset innocens, sola propositio objecti sufficeret; Adamum gratia sic adjuvabat, ut lumen oculum bene sanum, sed peccatoris oculus sanandus, ut possit luce Euangelii gaudere; frustra cæco Sol luceret, nisi sanaretur oculus; frustra voce compellaretur mortuus aut surdus, nisi vivificaretur prius, & aures ipsi aperirentur. Hæc duo itaque necessaria sunt. Neque Spiritus sine Verbo operatur, nec potest convertere sine Spiritu Verbum. Verbo hortationes, promissiones, minæ proponuntur; At quod apud nos ea omnia sint efficacia à Spiritu totum proficiscitur; cum homo vel amore, vel odio, vel spe, vel metu impellatur ad agendum, vel ab agendo revocetur, nec amare possit, vel odisse, nec sperare vel metuere rem incognitam; hinc fit ut monitis, hortationibus, promissis, minis compelletur; sed quoniam ea mentis animique humani cæcitas & pravitas est, ut monitis divinis, hortationibus, promissionibus, interminationibus minime commoveatur, adhibetur vis & efficacia Spiritus. Ita conversæ sunt Gentes. Atque hæc de hac parte Mysterii Pietatis satis. Hoc unicum addam, conjecturam scilicet Gothofredi, opponere scilicet Paulum Mysterium εὐσεβείας Gentili sive Civili Deorum Theologiæ, qua, ut Salse vereque Tertull. Lib. 2. ad Nationes, quidam Dii erant municipali adoptatione velut decuriones cujusque Municipii, quibus honor inter muros suos determinabatur; vel alludere ad fidem quæ in Mysteriis Eleusiniis exigebatur; Credere enim non modo tenebantur historica quædam de Cerere, deque frugibus ab ea repertis feritate abolita, humanitate invecta, Legibus acceptis, sed & alia multa v. g. Consilia recta à Deabus Eleusiniis immitti, εἰς εὐσέβειαν hæc Mysteria ἥκειν, se iis ad virtutem obstrictos, inde se accipere spem meliorem moriendi; se post mortem peccatis absolvi, aliaque quæ recensere non opus est. Hactenus Gothofredus, subtiliter forte nimis. Ad ultimam περικοπὴν pergimus, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ *assumptus est in gloriam.*

XIV. Nolumus hic diu hærere in refutandis quibusdam Socinianis, qui ut hunc locum nobis adimant, hæc ultima verba ut & superiora de Euangelio exponunt seu Mysterio Pietatis, quod evectum esse in gloriam dicunt, quia, inquiunt, gloriosum fuit, ut pote quod multo majorem attulit sanctitatem quam ulla antehac dogmata; huc referentes quod Paulus ait 2. Cor. 3: 8. *Ministerium Spiritus fuisse gloriosius Ministerio Mosis.* Nam præter ea quæ in superioribus dissertationibus observavimus, quis crederet adeo obscure mentem suam expressisse Paulum, ut receptum in gloria diceret Mysterium quod gloriosum fuit, & in summo pretio, ac alacriter receptum, ut explicat Smalcius. Nonne satis id indicaverat Apostolus, dum fidem à mundo ipsi adhibitam dixit. Ministerium Spiritus gloriosius fuisse Mosis Ministerio, nemo nostrum negat, at de illo hic agi non existimamus; sed de Christo de quo non absimiles phrases leguntur; Ita Marcus 16: 19. ait quod ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Idem ait Lucas Act. cap. 1: 2. & vs. 22. De Elia eandem vocem usurpat Syracides, ὁ ἀναληφθεὶς ἐν λαίλαπι πυρὸς ἐν ἅρματι ἵππων πυρίνων, & Author Libri Maccabæorum Ηλίας ἐν τῷ ζηλῶσαι ζῆλον νόμου ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Nolumus hic cum Socino contendere num vox ἀνελήφθη per *receptus est* vertenda sit, an per *resumptus est*, ut placeret Budæo, qui observat Græcis ἀναλαμβάνειν παῖδα opponi ἀποκηρύττειν, & ἀνάληψιν Christi per ejus agnitionem à Patre antea quasi abdicati explicat. An per *sursum est receptus*, ut venerabilis credidit Beza; Observabimus tantum non fuisse quod adeo inveheretur Socinus adversus venerandum hunc Senem, quod ἀναλαμβάνειν *sursum recipere* vertat, ut ἀναβαίνω *adscendo*, ἀνακηκίω *sursum feror*, ἀνακύπτω *sursum erigo*, ἀνασπάω *sursum traho*; Cum omnes fere Interpretes ἀναλήψεως vocem Luc. 9. de *ascensione Christi* intelligant, & Græci ἀναλήψιμον diem vocent diem Ascensionis, unde & meminerunt Veteres Libri cujusdam Ascensionis Mosis, quæ vocabatur ἀνά-

ληψις

ἀνάληψις Μωσέως de quo in Actis Nicenis, & cujus meminit Origenes. Nec causa erat etiam Socino Bezam carpendi quod verterit in gloriam, cum sit ἐν δόξῃ, non εἰς δόξαν, promiscue enim illas sumi præpositiones omnibus notum, ut ἐν χερσὶ πεσεῖν, κάππεσεν ἐν Λήμνῳ, κάββαλε πολυλύσῳ ἐνὶ πόντῳ. apud Homerum & apud sacros Authores Joh. 5: 14. ἐν κολυμβήθρᾳ, ἐν τῇ θαλάσσῃ Marc. 16. ἐν εἰρήνῃ. 1 Cor. 7: 15. pro εἰς κολυμβήθραν, &c. Nolumus etiam diu immorari in aliorum Socinianorum sententiæ refutatione, qui de Deo Patre explicant; Nam nullibi legitur Patrem esse in carne manifestatum, & nullibi receptum esse in Gloriam; è contra de Christo parallelæ voces ubique leguntur, etenim præter ea quæ iam citavimus, quis non videt *recipi in gloriam* idem esse ac *ingredi in gloriam* quod de se affirmat Orbis Servator Luc. 24: 36. *Nonne hæc Christum oportebat pati & ingredi* εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ. Duo tantum hic sunt resolvenda dubia, quæ à Socino ejusque asseclis proponuntur. *Quid insulsius*, ait, I. Socinus, *esse posset, quam prius dicere Christum prædicatum fuisse Gentibus illique in Mundo fidem adhibitam, postea, vero addere eum in cœlum fuisse assumptum, cum non modo hoc illa antecesserit, verum etiam eorum causa quædam aut certe ad ea præparatio fuerit.* At facile est reponere. I. prolepses, ὕστερον πρότερον, hypallagas, &c. in Scriptura non esse insolitas, & ipse Smalcius contra Graverum disputans fatetur; Etsi igitur concederemus aliquid simile hic occurrere, insulsum hoc Socino videri non debet. sed II. facile est conjicere cur id à Paulo præstitum, Gothofredus suspicatus est, alludi ad id quod observabatur in Mysteriis Eleusiniis, nam post ἐπιφάνειαν & ὀπτασίαν Numinum κήρυξις sequebatur, inde Initiatorum πίστις, tandem ἀνάληψις, ἀφάνεια, ἀφανισμός: Existimat igitur respicere Paulum ad ἀνάληψιν Deorum, postquam inter homines versati fuerant; vel ad ἀνάληψιν illorum Deorum, qui ex hominibus facti Dii post mortem in Cœlum recepti seu Cœlestibus adscripti credebantur; vel peculiariter ad ἀνάληψιν Triptolemi, cum immortalis à Cerere factus fuisset, curru ei à Dea parato quo ab alatis Draconibus in sublime tractus fuit; quæ ἀνάληψις Triptolemi Eleusiniorum Mysteriorum pars magna fuit. Alii in aliam eunt sententiam & id factum volunt, quia antequam Christus ascenderet multi crediderant in eum, non modo Judæi, sed & Gentiles. Sic Christi fama dicitur emanasse in totam Syriam Matth. 4: 24. Multi Samaritanorum in Christum credidisse feruntur Joh. 4: 39. & primitiæ vocationis Gentium in Centurione cæperant Matth. 8. Verum si hæ Responsiones non satisfaciant, alteram addimus, dicimusque hunc ordinem Pauli verborum esse accuratum. *Deum manifestatum in Carne* dixerat; at ne quis crederet carnem ita occultasse Divinitatem ut non apparuerit, addit *Justificatum in Spiritu* & cognitam fuisse ejus Divinitatem, tum ab Angelis à quibus conspectus est, tum ab hominibus quibus prædicatus est, & qui in eum crediderunt. At ne quis autumaret in ea infirmitate mansisse Christum, addit exaltatum fuisse, nec minorem fuisse Carnis Christi gloriam, quam Doctrinæ, imo ascensionem Christi, præcedere debuisse fidem Gentium, siquidem in cœlos evectus inde misit Spiritum à quo istæ gentes omni anima quasi carentes, ad instar ossium quæ vidit Ezechiel, vivificatæ sunt. Secundum dubium proponitur; Qui, inquiunt nonnulli, dici potest Christum receptum in gloria, si Deus jam est. At nullo negotio hoc à nobis resolvitur. Cum enim in Christo duas agnoscamus naturas, quid obstat quominus dicamus Naturam humanam gloria qua antea caruerat ornatam fuisse? Nec objicias de Deo manifestato in Carne hic dici receptum esse in gloriam; Nam juxta nostram sententiam hoc mirum nobis non videtur: pluribus enim probamus de Christi persona dici quidquid alterutrius naturæ est proprium; Non naturam divinam receptam esse in gloriam asserimus, sed Christum Deum receptum esse in Gloriam, secundum Carnem quam sibi assumpsit & in qua manifestatus est. Quibus addimus tamen aliquo sensu dici posse *glorificatam* Naturam Divinam, non quasi gloriam quam antea non habuerat acceperit, sed quia ea gloria quam habebat ab æterno & quæ sub velo carnis infirmæ latuerat manifestata ac celebrata est.

XV. Hæc ἀνάληψις ἐν δόξῃ *receptio in gloriam* duo complectitur. I. ascensionem Christi in cœlum, 2. sessionem ejus ad dexteram Patris; de utraque verbum sufficit. Quoad primam non opus ut disputem tum adversus Apellitas, quibus ascensio Christi nihil aliud erat quam Corporis ipsius in quatuor Elementa dissolutio, tum adversus Manichæos & Seleucianos, qui Christi in Cœlum recepti corpus syderibus, atque imprimis solis globo adfigebant; tum adversus Carpocratianos, qui animam, non corpus Christi adscendisse contendebant, tum adversus Ubiquitarios, qui ascensionem Christi sola Corporis Invisibilitate definiunt. Non opus etiam est ut explicem modum ascensionis Christi: Cui enim ignotum in cœlos ivisse orbis Redemptorem Nube vectum; nec ut inquiram an vera sint quæ referunt quidam Christum scilicet terras relinquentem sua vestigia ita impressisse ut adhuc impressa cernantur, & quum quotidie confluentium fides certatim à Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, & eandem adhuc sui speciem impressis signata vestigiis terra custodiat; hoc crediderunt quidam docti veteres & recentiores, nobis fabula videtur, ut & illud Hieronymi, qui retulit, quum Ecclesia rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur, summum cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi & concamerari potuisse; sed transitum illum à terra ad cœlum usque patere apertum. Satis est observasse I. Christum ita in cœlum ascendere fuisse necesse, tum ut post prolixos labores suaviter requiesceret, & gloria parta frueretur, quemadmodum enim Terra laborum, Miseriæ, & opprobrii sedes, ita cœlum quietis, felicitatis ac gloriæ domicilium; tum ut de hostibus solenniter triumpharet, tum ut largius de cœlo spiritum effunderet, & quidem triumphantium ad instar, qui dona spargebant populis, tum ut locum nobis pararet, tum ut fidem ac spem nostram confirmaret, ne dubitationum æstu jactati diceremus in cordibus nostris, *Quis ascendet in cœlum*; tum ut omnes ad cœlestia traduceret affectus. *Prophetæ* tanti Cathedra in sublimi loco collocari debebat, ut inde totum orbem doceret, ad instar solis qui in cœlis collocatus est ut inde suis radiis omnes universi plagas illustret: Qua *Sacerdos* cum sanguine suo intra velamen, & in cœleste Sacrarium debuit ingredi, nec in alio sedere decebat Throno *Regem Regum & Dominum Dominantium.* II. observ. gloriosam hanc fuisse ascensionem. Ac sane dies hic fuit dies triumphi Salvatoris nostri quo non albis quadrigis aut curru eburneo vel aureo, sed nube vectus, non in Capitolium, sed in Dei Sacrarium æternamque sedem ascendit præeuntibus ipsis Angelis & acclamantibus.

Eja aditus reserate, fores age pandite portæ.
Portæ perennes, sempiternæ, Regiæ.
Claustra revellite, Limina pandite, magnus ut intret
Rex ille multa clarus ille gloria.

Homo nascendo factus fuerat, (verba sunt Gregorii alludentis ad 4. Cap. Apocalyps. animalia.) *Vitulus moriendo, Leo resurgendo, at ut aquila ascendit*; quod nobis in memoriam revocat morem quo Imperatores consecrabantur, & inter Deos referebantur. Nam eorum cadavera ad rogum flammis voranda efferebantur, Aquila in aërem emittebatur, quæ præpeti penna alta petens, caputque inter nubila condens animam Imperatoris in cœlum transferre credebatur. Non quod Christi ascensionem illis ritibus assimilare velimus. Absit ut fictitias illas ascensiones cum vera comparemus; Aquila enim Christus vere cœlum penetravit, & solium Majestatis occupavit. Nec dies hæc fuit tantum dies Triumphi Christi, sed & dies qua coronatus est & Regis ad instar Palatium suum ingressus. Alia non addo quæ Concionatoribus relinquimus.

XVI. Non fuit Ascensio Christi ultimus Ejus exaltationis gradus, alius successit, Sessio scilicet ad dexteram Patris, quæ Sessio notat. I. Summam Christi Dignitatem quam consequutus est post absolutum Redemptionis opus. 2. beatum & quietum Christi statum post exantlatos labores, 3. summum Imperium ac summam Potestatem quam Christus in omnes creaturas exercet, & ita explicat hanc vocem Paulus. 1 Cor. 15: 25. Atque hæc omnia comprehendit idem Apostolus cum receptum esse in gloriam infit. Ea gloria fuit tanta, quanta fuerat Christi exinanitio, & Angelorum gloriam longe superavit. *Collocavit*, inquit Gentium Doctor Eph. 1: 20, 21. *ad dextram suam in cœlis longe supra omne imperium ac Potestatem, & Potentiam, & dominationem, & omne Nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed & in futuro.* Vultis ejus gloriæ radios quosdam intueri, legite quomodo Johanni apparuerit. Cap. 19. Apocal. 20: 11. *Oculi*, ejus inquit ille, *erant ut ignis, & in capite ejus diademata multa, habebatque nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse, & amictus erat veste tincta sanguine, vocaturque nomen ejus Sermo ille Dei. Exercitus autem qui sunt in cœlo sequebantur eum equis albis, veste bysso alba & munda. Et ex ore ejus prodibat gladius acutus, ut eo gentes percuteret: Ipse enim reget eas virga ferrea, & is est qui calcabit lacus vini excandescentiæ & iræ Dei omnipotentis; Habebatque in vestimento & in femore suo Nomen scriptum, Rex Regum & Dominus Dominantium.* Oh quantam mutationem! qui ad ima terræ descenderat Christus jam supra omnes cœlos evehitur; qui formam Dei sub forma servi occultaverat, & infra Angelos & homines depressus fuerat, agnoscitur tanquam Rex Angelorum & hominum, ac ut Caput Ecclesiæ, forma servi sub forma Dei absconditur; qui in Terris non habebat ubi caput reclinaret, in Cœlis Thronum habet, non manu hominum factum, sed Dei dextra fabricatum, non antiquo ebore candicantem, sed corusco lumine rutilantem, & quem non Leones

sed

ſed Cherubini circundant. Ei qui ad ſummam hic paupertatem videbatur redactus, omnia traduntur in manus à Patre Cœleſti; illi qui judicabatur hic ab hominibus, datur omne Judicium, Poteſtas omnis in cœlo & in terra; qui ſuis veſtibus nudatus fuerat in cruce, apparet cœlitus Johanni veſte pretioſa indutus; Nihilque ad ejus ornatum fuit vel Salomonis ſplendor cum regiis veſtibus indutus ad judicandum ſederet, omniumque oculos perſtringeret, vel Herodis luxus, qui tanquam ſe Deum adorari paſſus eſt, vel Caligulæ magnificentia, qui Deorum veſtimenta induebat. Is in quem hoſtes quotidie nova machinabantur, jam habet eos *ſcabellum pedum*, & ut ſceptro ſuo regit Univerſum, ita virga ferrea omnes illos perdet & conteret, qui adverſus ejus Regnum inſurgunt. Tandem qui ignominioſo in patibulo mortem obierat in gloriam recipitur. Quis non exultaret illum intueri *gloria coronatum, qui pauliſper fuerat inferior Angelis factus propter mortis perpeſſionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret.* Quis non exultaret, mortem exſalcatam eſſe, Draconem exungulatum, peccatum devictum, mundum ſubactum & Chriſtum victorem. Exultemus ergo, in Cœlis enim habemus Amicum, Advocatum, Interceſſorem, Mediatorem, Fratrem, Servatorem, Sponſum; fremant improbi, frendeat ſatanas, ringat mundus, regnabit Chriſtus & ejus ſolium nunquam dimovebitur. Aliorum Principum, Alexandri, Cæſaris, &c. Gloria evanuit, ſed Chriſti Gloria ſempiterna erit, nec unquam obſcurabitur. Tranſibit Cœlum, tranſibit Tellus. Annorum ſeries cætera deteret, ut veſtis teritur vetus: Abit & redit, & mutat facies Mundi Dædala machina, at Chriſtus ſemper permanebit, *nec eum brevibus clauſa recurſibus Aſtrorum ſenio conficiet dies.* Huic ſummo & æterno Regi benedicto & beato Servatori Deo in Carne manifeſtato, & in Gloria recepto ſit Honor & Gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

JOH. ANDR. BOSII

DISSERTATIO

De ΝΕΩΤΕΡΙΚΑΙΣ ΕΠΙΤΥΜΙΑΙΣ, ſive juvenilibus cupiditatibus ad 2 Tim. II: 22.

LECTORI BENIVOLO SAL.

Viceſimus nunc annus labitur, ex quo in patria Lipſienſi Academia propoſitæ exercitationi hiſtoricæ de Pontificatu maximo Romæ veteris, inter alia Corollaria hoc primo loco ſubjeci: Non opus eſſe 2 Timoth. 2: 22. νεωτερικὰς ἐπιθυμίας CUPIDITATES RERUM NOVARUM exponere cum Salmaſio de primatu Papæ pag. 58. Nec in adlatis ab eo exemplis ita vocem νεωτερικοῦ accipi. Et falſum eſſe, nunquam eam JUVENILE ſignificare. *Eam exercitationem cum ad Amicum, cujus nomini hæc diatribe inſcripta eſt, tum peregre agentem miſiſſem, is rogare, ut exponerem ſibi rationes atque exempla probatæ auctoritatis, quibus inductus ita exiſtimarem. Jam peculiare de ea re caput conſcripſeram libris* VARIARVM OBSERVATIONVM, *quos tum parabam, inſerendum; in quo quæ adverſus receptam loci illius Paullini expoſitionem cum Salmaſius, tum vir doctus alter adtulerant, expenderam ac refellere conatus eram. Id igitur caput, ut homini tam amico, cui quidquam denegare nefas ducebam, gratificarer, paullum immutatum, ac uberius pertractatum, forma epiſtolæ publicare, ac ad eum deſtinare conſtitui; cum ut animo illius obſequerer, tum ut gratularer paullo ante, ſuperata itinerum difficultate, ſalvo atque incolumi ad ſuos reverſo; gaudiumque teſtarer quod ex illius reditu tanto majus tum capiebam, quanto tenerrimæ valetudini ejus à peregrinatione metueram ante, quantoque plus acceſſurum ſperabam amicitiæ noſtræ, imminuta locorum, quibus antea ſejungebamur, intercapedine; quanto denique magis confidebam fore, ut in eccleſiam remque publicam patriam brevi commoda longe plurima ex ſolida eruditione ceteriſque quibus animum egregie ornaſſet virtutibus redundarent: præſertim ex ſingulari pietate, qua pleroſque etiam ſui ordinis, idemque vitæ genus profeſſos, vel duum præclariſſimorum Theologorum, communiumque Doctorum noſtrorum, D.* JOANNIS SCHMIDII, *& D.* JO. BENEDICTI CARPZOVII, τῶν νῦν ἐν ἁγίοις, *(qui eum ex aliquot annorum convictu & conſuetudine domeſtica penitiſſime cognitum idcirco tenerrime diligebant, inque oculis ferebant) teſtimonio antecellebat. Cujus quod nondum ſperatos eccleſia fructus plene percipit, partim valetudini illius, partim ac præcipue iniquitati temporum, ſummæque illius modeſtiæ tribuendum eſt. Ceterum eam epiſtolam cum apud me unus alterque amicorum vidiſſet, auctores fuere ut potius ritu juſtæ diſſertationis ederem. Magnus autem Theologus, & præclare de ſtudiis noſtris meritus, D.* JOANNES HULSEMANNUS, ὁ μακαρίτης, *cum cenſuræ ſuæ oblatam perlegiſſet, forma exercitationis Academicæ pro cathedra propugnandam cenſuit. Ei conſilio ne tum obſequerer, cum alia prohibuere, tum quod paullo poſt in Academiam hanc evocarer ad obeundum munus Profeſſoris Hiſtorici. In quo cum nondum annum integrum exegiſſem, petiit à me elegantiſſimo juvenis ingenio,* JO. BENEDICTUS CARPZOVIUS *F. hodie SS. Theologiæ Licentiatus, & in Academia patria Linguæ Ebrææ Profeſſor clariſſimus, Eccleſiæque ad D. Thomam Diaconus fideliſſimus, ut exercitationem aliquam conſcriberem, quam diſceſſurus ille ſub umbone meo in cathedra publica defenderet. Oſtendi ei partem præſentis priorem, quatuor capita complexam, jam prælo penitus paratam. Hanc ille ſecum adſportare, typographo tradere, ac paullo poſt, (ut erat bonis litteris ac philoſophia probè*

probe imbutus, nec minus disertus) mascule magnoque cum adplausu tueri. Ut jam in ista ætate non tam sperare, quam confidere liceret, talem in eo virum olim ecclesiam pariter ac rem litterariam habituram, qualem utraque nunc cognitum judicat ac pene cotidie experitur. Altera pars, in ista humaniores litteras colentium paucitate, in abdito latuit, donec post triennium, & quod excurrit, ab eximio juvene, DANIELE SCHOENIO, Ratisbonensi, postea Verbi divini in Marchionatu Durlacensi, si recte memini, Ministro, pariter in cathedram adducta est. Quo tempore & pars prior, cujus exempla jam distracta erant, recusa & alicubi interpolata atque aucta fuit. Nuper cum is, cujus sumtu nunc denuo prodit, rogasset ut aliquid meorum ipsi recudendum traderem; quod nossem jam à decennio ferme nusquam eam prostare, eam ante alias concessi homini, sed, dum exculditur, recensitam, emendatam, ac haud paucis accessionibus locupletatam. Eamque ob caussam denuo in publico auditorio ventilandam censui, præsertim cum Defendentis partes susciperet JO. GEORGIUS MIRUS, juvenis solidæ eruditionis cupidus, bonorumque omnium favore dignus. Hæc Te, si quis futurus es, Lector benivole, celare nunc nolui, ut cognosceres qua occasione & quas ob caussas hanc diatriben & conscripserim ediderimque, & auctiorem nunc denuo publicari voluerim. Absque his enim fuisset, per me quidem sitæ depositæque esse licuisset. Neque enim tanti nostra facimus, ut Orbi Litterato ea obtrudamus, aut qualiacunque sint, haud displicitura confidamus. Etsi nonnulla præter spem nostram etiam maximis viris placuisse intelligimus. Quod pene effecerit, ut pluscula, etsi nondum satis elaborata, in publicum protrudere deinceps ausuri simus: tantoque magis, quanto plura ex iis quæ olim extemporanea opera chartæ calamove commisimus, nunc ab aliis, addito alicubi nomine auctoris sui, alibi dissimulato, publicari animadvertimus. Ea igitur utcunque elimata, ipsi vulgare constituimus; ne forte & ipsa, aliave nostra pariter nondum expolita, sive me superstite, ut jam fieri cœpit, seu defuncto, alii pro suis, aut inter sua, edant. Vale, & conatis nostris fave.

C. B. D.

EXERCITATIO PHILOLOGICA

ad 2 Timoth. II: 22.

CAPUT PRIMUM.

Quid sint 2 Timoth. 2:22. νεωτεϱικαὶ ἐπιθυμίαι ex recepta Interpretum sententia; quid Salmasio & viro docto alteri. Utriusque laus, & scopus. Notæ in N. T. à Salmasio promissæ. Præfertur recepta loci Paullini expositio, & delectus argumentorum habetur. Alucinatum aliquem dicere, nulla injuria. Quanti heic faciendus consensus interpretum. Veteres Ecclesiæ doctores sæpe à vero sacrarum litterarum sensu aberrasse: idque à pluribus recentiorum ostensum. Syriaca hujus loci versio. ܛܠܝܘܬܐ in N. T. semper designare juventutem. Æthiopici & Arabicorum interpretum cum vulgata expositione consensus. ወሬዛዊት፡ شباب. شبابي. صبي. صبين.

I.



QUod inter alia Paullus Timotheo suo præcipit, *τὰς νεωτεϱικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε;* id de ejuscemodi adfectibus, quibus juvenes abripi præ cæteris hominibus solent, plerique omnes interpretes, veteres juxta ac novi, acceperunt. Primus, quod sciam, aliter explicare conatus est princeps ingeniorum nostræ ætatis, omnique eruditionis genere non minus, ac prolapia, illustris, Claudius Salmasius in Apparatu ad libros de primatu Papæ, anno labentis sæculi XLV. in lucem edito. Cum enim exposuisset verba Ignatii (sive alterius cujusdam, qui, illius opinione, epistolas istas sub Ignatii nomine composuit) quibus episcopalis dignitas ipsi (etsi perperam, ut infra docebimus) videtur appellari *νεωτεϱικὴ τάξις*; dixissetque *νεωτεϱικὸν* non significare *juvenilem*, sed *novum*; inter alia, quibus id firmare nititur, hunc quoque locum adducit. *In Epistola*, inquit (a), *Paulli ad Timotheum 2. cap. 2: 22. νεωτεϱικαὶ ἐπιθυμίαι non sunt juveniles cupiditates, sed novæ vel novarum rerum, ut alibi explicabimus.* Quæ postrema haud dubie notas illius in Novi Fœderis libros, totiens ab ipso promissas, ac tamdiu ab erudito orbe, sed frustra, exspectatas respiciunt. Quæ si prodiissent in lucem, fortasse non parum rei litterariæ adlaturæ erant commodi; quoniam, ut ipsum amico cuidam sciscitanti aliquando respondisse memini, non solum Critica in hoc opere consectaturus erat, ut, illius judicio, Grotius ac Heinsius fecerant; sed plurima contra Pontificios, adhibito antiquitatis consensu, urgere constituerat. Sed hæc omnia vereor, ne cum auctore suo, ut alia multa, quæ ab eo exspectabantur, interciderint. Certe nondum, quod sciam, in lucem prodierunt: etsi spem earum edendarum Orbi litterato fecit, qui Epistolarum ab eo scriptarum partem publicavit, Antonius Clementius.

II. Salmasium postea sequutus est vir doctus alius, cujus etsi jamdudum perspeximus ingenium excellens, ac eruditionem haud vulgarem, (familiarissime enim cum eo versati sumus:) meritoque magni facimus; nunc etiam præcipuam in Ecclesia, celeberrimaque Academia dignitatem, merita in utramque egregia, & scripta elaboratissima, variaque doctrina referta, veneramur ac suspicimus: tamen hac in re non possumus probare sententiam. Neque veremur, ne is ægre ferat dissensum nostrum: quippe qui non contendendi criminandique libidine dissentimus, sed solius studio veritatis, quam amicitiæ antehabendam esse, & ipse, sat scio, judicat, & exemplo suo pridem ostendit. Et cur vereamur ne id sinistre accipiat; cum norit, nos etiam à nobismetipsis nunc dissentire? quippe quibus adeo primo intuitu Salmasiana interpretatio se probaverat, ut eam ipsi commendaremus. Is igitur principio eruditæ Diatribes de Feria passionis Dominicæ, anno sæculi hujus LI. Lipsiæ editæ, pariter existimabat Apostolum *novas* vel *novarum rerum cupiditates*, & vana innovandi desideria, vitari mandare, non vero principe instituto juveniles cupiditates prohibere, quomodo id plerique Patres, & vulgus interpretum, communiter acceperint. Idque aliquanto prolixius demonstrare conatus est, adductis in eam rem compluribus scriptorum veterum locis, quibus novam expositionem firmari credebat posse.

(a) *Pag. 57.*

III. Quam-

III. Quamquam autem, quantum in nostra situm est manu, neutrius horum virorum auctoritati ac famæ quidquam detractum volumus, nec improbamus scopum & propositum, quo uterque noviter hunc locum interpretari conatus est; (alter enim id fecit, ut illustraret hac ratione firmaretque expositionem loci Ignatiani suam, è quo demonstrare conabatur, episcopatum non esse juris divini, nec ab institutione Apostolorum: alter, ut inde ostenderet, non esse novas opiniones temere excogitandas, inque publicum proferendas:) tamen non videmus quidquam caussæ, cur à recepta illius expositione recedendum sit. Neque enim, quod sine cujusquam injuria dictum velim, (neque enim injuria est, dicere aliquem hallucinatum esse. *Sciant omnes*, inquit alicubi Ios. Scaliger (b), *cum aliquem hallucinatum esse dicimus, hoc ad ullam ejus contumeliam non pertinere. Hallucinationes enim per incogitantiam, errores per inscitiam, reliqua per audaciam committuntur:*) ulla ratione valida recens interpretatio nititur, & plura suadent, ut eam, quæ hucusque obtinuit, tueamur. Ac initio quidem possem urgere consensum veterum juxta ac recentium interpretum, qui, quoad nobis constat, ad unum omnes de juvenilibus concupiscentiis verba hæc acceperunt. Ab horum enim sententia, nisi graves caussæ subsint, temere recedendum non est. Sed hoc argumento nunc quidem uti nolo; cum negari nequeat, subinde occurrere interpretationes Scripturæ sacræ, plerisque interpretum traditas, quæ, si ipsa penitius inspiciatur, ferri non possunt. Ac priscos quidem Ecclesiæ doctores manifestum est sæpe ignorantia linguarum, & securitate sequendi, velut agmine facto, à vero sacrarum litterarum sensu, præsertim in iis, quæ non ad fidei dogmata, sed ad historiam, philologiam, ac philosophiam, vel etiam ad mores externos pertinent, aberrasse. Quod dudum à gravissimis aliquot Theologis ostensum est; nec negare audent, qui vel maxime auctoritatem Patrum, quos vocamus, extollunt. Videndi, præsertim B. Gerhardus noster libro I Confessionis Catholicæ, parte II, capite XIII; D. Jo. Botsaccus in Patrologia; Andr. Rivetus tractatu de auctoritate Patrum à cap. II ad XI usque; Jo. Dallæus lib. II de usu Patrum, cap. III; & lib. II de scriptis Dionysii & Ignatii, capite XXXVII; Jac. Laurentius in Reverentia Ecclesiæ Rom. erga SS. Patres subdola articulo VI, & XI; & Edm. Albertinus in præfatione operis sui de Eucharistia. Exempla ejuscemodi παροραμάτων passim etiam suppeditabunt Scaliger in libris de emendatione temporum, in prolegomenis ad Eusebium, in elencho Trihæresii, Casaubonus in exercitationibus, Drusius passim in scriptis suis, sed præsertim in libris observationum, aliique plures. Neque mirum. Vix enim quisquam Patrum Ebraice doctus fuit, præter Originem ac Hieronymum; immo ne quidem ille satis bene. Græce autem, Latinorum paucissimi: quos & vulgata versio Bibliorum sæpius seduxit. Utrique vero plerumque se priores magna securitate sequuti sunt. Hodie vero quot loca Scripturæ, nemine orthodoxorum improbante, immo laudantibus plerisque, secus quam ante solebant, exponuntur! Et merito quidem, si novas interpretationes textui atque analogiæ fidei magis, quam quæ receptæ sunt, consentaneas esse constet. Quis enim non præferat expositionem genio Scripturæ sacræ & indoli linguarum congruentem, etsi opinione intermediorum sæculorum novam, his omnibus adversæ, ac solo consensu plurium se tuenti?

IV. Quare, uti dixi, nunc nolo ad consensum Interpretum provocare. Cujus tum demum habebitur ratio, cum ostensum erit, vulgarem interpretationem niti consuetudine & usu sacrorum profanorumque scriptorum, & proposito Apostoli; contra eam quæ nuper admodum excogitata est, non solum nulli horum inniti, sed præterea adversa fronte cum iis omnibus pugnare. Sed neque de Syro interprete dicam, sane, si plerisque viris doctis credimus, vetustissimo, & magnæ alioquin auctoritatis; qui non parum sententiam nostram juvare videtur. Sic enim verba Apostoli transtulit: ܥܪܘܩ ܡܢ ܟܠܗܝܢ ܪ̈ܓܝܓܬܐ ܕܛܠܝܘܬܐ ܡܢܗܘܢ *Ab omnibus concupiscentiis juventutis fuge.* Atqui ܛܠܝܘܬܐ (ut apparet è Lexico Trostiano, quod instar Concordantiarum est; quanquam, ut alibi ostendemus, nonnulla in eo loca omissa sunt:) nusquam aliud in universo Novo Fœdere, quam *pueritiam, adolescentiam, juventutem*, hoc est, quamcunque ætatem minorem designat. Respondetque Græco νεότης Matthæi 19: 20. Marci 10: 20. Lucæ 18: 21. Actor. 26: 4. 1 Timoth. 4: vers. 12. Sicut integra phrasi ܡܢ ܛܠܝܘܬܐ exprimuntur Græca παιδιόθεν Marci 11: vers. 21. ac ἀπὸ βρέφους 2 Timoth. 3: 15. & altera ܕܛܠܝܘܬܐ ܡܢ ܛܠܝܘܬܟ τὰ τοῦ νηπίου, 1 Cor. 13: 11. Sed hujus interpretis vix erit major auctoritas, quam reliquorum in eundem sensum conspirantium. Idem dictum volo de Interprete Æthiopico, & Arabico tam Erpeniano, quam altero, quem Biblia polyglotta Waltoni exhibent: qui omnes vulgatam interpretationem confirmant. Æthiops enim verba Paulli sic transtulit: ጕየይ፡ በፍትወት፡ ውርዛት፡ hoc est, *Fuge concupiscentiam juventutis.* Nam postremam vocem ውርዛት፡ *juventutem* sive *juvenilem ætatem* designare, constat è Psalm. 42: 4. 102: 5. 143: 13. 1 Tim. 4: 12. Arabs Anglicanus: الشهوات الشبابية اهرب منها *Cupiditates juveniles fuge ab iis*: noto Orientalium idiotismo. Erpenianus vero: اهرب من جميع شهوات الصبي *Fuge ab omnibus cupiditatibus adolescentiæ.* Utrumque nomen *adolescentiam* sive *teneriorem ætatem* designat. صبي enim eo significatu occurrit, ut Castellus (c) adnotavit, in Romana Psalterii editione Psalm. 24: 7. 70: 6. 77: 16. 128: 1. itemque in Anglicana Vet. Testamenti 1 Sam. 12: 2. & in Erpeniana Novi, 2 Tim. 3: 15. respondetque Ebræo נְעוּרִים, & Græco βρέφος. Est autem à radice صبا, *puer, juvenis fuit*: unde & صبي, *juvenis, puer*; quod habetur in versione Erpeniana 1 Cor. 13: 11. Matth. 2: 8. Hebr. 11: 23. itemque in Anglicana Gen. 4: 23. 21: 8. Proverb. 1: 4. ac in reliquis quidem locis *puerum* vel *infantem*; in illis autem Geneseos & Proverbiorum, *juvenem* seu *adolescentem* designat; & in prioribus locis Ebræo יֶלֶד, & Græcis νήπιος ac παιδίον: in his autem duobus posterioribus nunc eidem יֶלֶד, nunc τῷ נַעַר, respondet. Alterum autem شبابية, femininum, ut videtur, plurale Adjective possessivi شبابي, formæ الاهي, (orti sive à substantivo شباب, *adolescentia*; seu potius à شباي, cujus plurale fœmininum شبايات pro *juvenculis* legitur, respondetque Græco νεώτεραι, 1 Tim. 5: 2. in versione Erpeniana; radicem agnoscit شب, *adolevit, juvenis evasit.* Ac proinde شبابي idem erit ac *juvenilis, ad adolescentiam pertinens.* Sed hæc alterius instituti sunt. Nunc ostendemus, quod recepimus, receptam loci hujus expositionem sacrorum profanorumque scriptorum consuetudini, & Apostoli proposito magis, quam nova illa, congruere.

(b) *in prolegom. ad Euseb. p. 4.*

(c) *in Lexico heptaglotto col.* 3114.

CAPUT II.

Prima ratio pro recepta expositione verborum Apostoli. Vox ἐπιθυμία *quot modis usurpetur in N. Test. Quibus formulis objecta* ἐπιθυμιῶν *soleant aut non soleant designari. Descriptionem voci* ἐπιθυμιῶν, *eo loquendi modo quo Paullus heic usus est additam, nunquam solum objectum, semper subjectum denotare.* Ἐπιθυμίαι σαρκικαὶ, κοσμικαὶ, σαρκός; *itemque Pharisæorum* σωματικαὶ *&* ψυχικαὶ; *Stoicorum* φυσικαὶ *&* ψυχικαὶ; *Aristotelis* φυσικαί. ܕܟܝܢܐ ܪ̈ܓܝܓܬܐ. Σὰρξ *pro natura hominis corrupta.* Caro *&* Corpus *promiscue in sacris literis usurpata.* Κόσμος *pro impiis.* 1 *Petri* 2: 11. *& Tit.* 2: 12. *illustrantur. Josephi locus è membranis vett. emendatus, & integra periodo auctus.* Νεανικὴ ἐπιθυμία. *Locus Aristotelis illustratus.* Νεανικὸς *idem ac magnus.*

IGitur, ut à consuetudine sacrarum litterarum incipiamus, non parum juvat receptam interpretationem, quod ἐπιθυμίαι in Novi Fœderis libris, eo quidem loquendi genere, quo Apostolus heic usus est, nusquam à solo objecto, ut Scholæ loqui amant, ubique vero à subjecto & caussa denominantur. Quod ut ostendamus, res paullo altius repetenda est. Vox ἐπιθυμίας in Novo Fœdere vel *absolute* usurpatur, vel cum *descriptione* aliqua adnexa. *Absolute* vel *in bonam partem*, cum Chri-

Christus per Ebraismum (a) ait se ἐπιθυμίᾳ ἐπιθυμῆσαι (hoc est, valde desiderasse) ut pascha cum discipulis comederet, Luc. 22: vers. 15. vel *in malam*, cum quascunque concupiscentias pravas designat, ut Rom. 7: 8. 13: 14. 1 Petri 4: 3. & 11 epist. 1: 4. Quo sensu & verbum ἐπιθυμεῖν usurpatur Rom. 7: 7. 13: 9. Galat. 5: 17. Jacobi 4: 2.

II. *Descriptio* addita vel *objectum* ἐπιθυμιῶν indicat; vel *naturam, qualitatem, effectumque*; vel denique *subjectum*, cui insunt, & *caussam*, à qua proficiscuntur. OBJECTUM denotatur praepositione περὶ vel εἰς. Sic Marci 4: 19. αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι συμπνίγουσι τὸν λόγον. Sic Paullus Philipp. 1: 23. ait se ἐπιθυμίαν ἔχειν εἰς τὸ ἀναλῦσαι. NATURA vel EFFECTUS aut QUALITAS duobus modis indicatur. Primo per Nomen Adjectivum aut Participium. Sic legimus ἐπιθυμίαν κακήν, Coloss. 3: 5. συλλαβοῦσαν τὴν ἁμαρτίαν, Jacobi 1: 15. ἐπιθυμίας ἀνοήτους καὶ βλαβεράς, 1 Timoth. 6: 9. ποικίλας, 2 Timoth. 3: 6. & Tit. 3: 3. Deinde Substantivo, sive gignendi casu, vel ut Grammatici loquuntur, in regimine posito; quomodo Paullus Ephes. cap. 4: 22. ἐπιθυμίας ἀπάτης, id est, concupiscentias seducentes; Petrus 2 epist. 2: 10. ἐπιθυμίας μιασμοῦ, hoc est immundas, dixit: sive praepositioni juncto; qua ratione ad τὰς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ἐπιθυμίας reverti suos vetat idem Petrus 1 epist. 1: 14. Nisi malis hoc exemplum referre inter ea, in quibus vox ἐπιθυμίας absolute usurpatur, ita ut illa, ἐν τῇ ἀγνοίᾳ, ad vocem πρότερον pertineant, ac non tam naturam cupiditatum, quam tempus & statum τῶν ἐπιθυμούντων, designent. Quod nobis congruentius videtur.

III. Denique SUBJECTUM & CAUSSA similiter Genitivo Nominis Substantivi, aut Adjectivo in Casu recto posito, indicatur. Ad priorem classem pertinent ἐπιθυμίαι τοῦ πατρὸς impiorum, hoc est, Diaboli, Joannis 8: 44. τῶν καρδιῶν, Rom. cap. 1: 24. τοῦ θνητοῦ σώματος, Rom. 6: 12. σαρκός, Gal. 5: 26. Ephes. 2: 3. 2 Petri 2: 18. τῆς σαρκός, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, 1 Joan. cap. 2: vers. 16. ἀνθρώπων, 1 Petri 4: 2. κόσμου, 1 Joan. 2: 17. (sunt enim eaedem, quas commate 16. τῆς σαρκὸς καὶ τῶν ὀφθαλμῶν dixit:) ἀσεβῶν, epist. Judae commate 16. τῆς ψυχῆς, Apoc. 18: vers. 14. Ad posteriorem, κοσμικαί, Tit. 2: vers. 12. σαρκικαί, 1 Petr. 2: 12. &, de quibus in praesenti controversamur, νεωτερικαί. Quibus addi possunt, quae vocantur ἴδιαι, vel eorum qui tentantur, Jacobi 1: 14. vel improborum & empaectarum, qui novissimis temporibus futuri dicuntur, 2 Tim. 4: vers. 3. 2 Petri 3: 3. ep. Judae comm. 18. Quae duo posteriora loca simul ad praecedentem classem revocari possunt, quia additur pronomen αὐτῶν vel ἑαυτῶν.

IV. Praeter haec loca, quae adduximus, nusquam, quod sciam, vox ἐπιθυμία in Novo Foedere legitur. Jam, ut ista proposito nostro accommodemus, tria hinc elicimus. Primum est; *Nusquam nomine Adjectivo designari solum objectum ἐπιθυμιῶν; semper autem subjectum earum aut naturam vel qualitatem indicari.* Quod constat inductione locorum omnium, quibus voci ἐπιθυμία nomen Adjectivum additur. Sunt autem sequentia; Jacob. 1: 14. 2 Tim. 4: 3. 2 Petri 3: 3. ep. Judae 18. Tit. 2: 12. 1 Petri 2: 1. Coloss. 3: 5. 1 Tim. 6: 9. 2 Tim. 3: 6. Tit. 3: 3. Alterum est: *Quotiens objectum indicandum est, rem circumscribi nomine substantivo objectum significante, cum praepositione juncto*: ut liquet è Marci 4: 19. & Philipp. 1: 23. Si scilicet Nomen ἐπιθυμία, de quo heic sermo est, denotandae cupidini adhibetur. Alias enim & Verbo ἐπιθυμεῖν saepe adjungitur Nomen objectum designans; ut Matth. 5: 28. Lucae 17: vers. 22. cap. 22: 15. Actor. 20: 33. 1 Corinth. 10: 6. (ubi ἀπὸ κοινοῦ supplenda vox κακῶν) 1 Timoth. 3: 11. Aut etiam verbum rem cupitam denotans; ut Matth. 13: 17. Lucae 15: 16. cap. 16: 21. 22: 15. Hebr. 6: 11. 1 Petr. 1: 12. Apocal. 9: 6. Est & ubi Nomini verbali objectum additur. Sic 1 Cor. 10: 6. Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγένετο εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν.

V. Tertium eorum, quae ex dictis elicimus, hoc est; *Ubique subjectum, vix ullibi objectum denotari, cum voci ἐπιθυμίαι jungitur nomen in κὸς terminatum, ex eo genere, quod Grammatici Denominativa, vel etiam Possessiva, vocant.* Videamus loca ipsa. 1 Petri 2: 11. Παρακαλῶ ὡς παροίκους, καὶ παρεπιδήμους, ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς. Heic σαρκικαὶ ἐπιθυμίαι non tam sunt, quae circa carnem versantur, quam quae carnis sunt, & à carne proveniunt. Syrus reddidit ܪ̈ܓܝܓܬܐ ܕܦܓܪܐ *concupiscentias corporis*. Non ac si σὰρξ hoc loco corpus notet, ac τῇ ψυχῇ, ut est altera pars essentialis totius hominis, opponatur (nam uti ψυχῆς nomine intelligitur homo interior, seu pars hominis re-generata, sic σὰρξ accipienda est de natura hominis corrupta; & in peccatum proclivi; quo sensu etiam Rom. 8: 1. & deinceps, & cap. 13: 14. Coloss. 2: 18. 2 Corinth. 10: 3. Galat. 2: vers. 20. & iis locis, quae mox adlegabimus, usurpatur; ac modo ψυχῇ, modo πνεύματι opponitur:) sed quoniam *caro* & *corpus*, σὰρξ & σῶμα, in sacris litteris permisceri solent. De quo vide Psalm. 16: 9. Actor. 2: 26. 30. 31. Psalm. 38: 4. Gal. 5: 24. Rom. 7: 5. & 24. 1 Cor. 15: 39. (collatum cum Lucae 22: 19.) 2 Cor. 7: 1. & Graecos interpretes vulgatos Sophoniae 1: 17. Ezech. 10: 12. Levit. 10: 10. 14: 10. 15: 2. 3. 13. 16. 16: 4. 24. 26. & alibi saepius. Quemadmodum & profani scriptores voce σὰρξ de toto corpore utuntur; ut ex Arriano, Metrodoro, Diogene Laërtio, & Euripide recte, etiam clarissimi Vorstii (b) judicio, ostendit Pfochenius in diatriba de N. Test. puritate, sectione 56.

VI. Bene vero Syrus, quod de subjecto, non de objecto, verba Apostoli accepit, hoc est, de cupiditatibus, quae à natura peccato infecta oriuntur, quasque idem Apostolus Gal. 5: vers. 19. ἔργα τῆς σαρκός; Divus autem Jacobus cap. 2: 14. ἐπιθυμίας ἰδίας & συλλαβούσας καὶ τικτούσας ἁμαρτίαν appellavit. Certe quin eaedem sint ἐπιθυμίαι σαρκικαί, & quas Paullus ac Petrus ἐπιθυμίας σαρκὸς vocant Ephes. 2: 13. Gal. 5: 16. 2 Pet. cap. 2: 18. Joannes vero 1 epist. cap. 2: 16. plenius ἐπιθυμίας τῆς σαρκὸς καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, dubitari nequit. Atqui illae sunt, quibus σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, Gal. 5: 17. (quod Petrus h. l. dixit στρατεύεσθαι κατὰ τῆς ψυχῆς) & juxta quas facimus θελήματα σαρκός, Ephes. 2: 3. Quas descriptiones non ad objectum, sed ad subjectum & principium ἐπιθυμιῶν pertinere, manifestum est. Similiter, ut apud S. Joannem *concupiscentiae oculorum* non sunt, quae circa oculos occupantur, aut oculos pro objecto habent; sed quae ab oculis proveniunt, & per oculos sese exserunt: ita, quae cum illis conjunguntur, *concupiscentiae carnis* non aliae erunt, quam quae à carne oriuntur. Jam hae sunt eaedem, quas Petrus σαρκικὰς dixit. Ejusdem igitur generis & illae erunt, hoc est, à subjecto & principio suo denominatae.

VII. Eodem modo Tit. 2: 12. κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι non tam dicuntur, quae circa mundum & mundana occupatae sunt, (quamquam vulgo, etiam à Graecis interpretibus, sic accipi solent: nisi quod Oecumenius exponit ψυχικὰς καὶ σαρκικάς, καὶ ἁπλῶς μὴ διαβαινούσας μεθ' ἡμῶν εἰς τὸν ἕτερον:) quam quae mundo, hoc est, impiis & incredulis, sunt usitatae. Hos enim quandoque κόσμου appellatione insigniri, apparet è Joann. 15: 18. cap. 17: 9. Ebr. 11: 7. 1 Joann. 3: 1. 13. 17. 4: 4. 5. Quare & cum ἀσεβείᾳ *mundanas cupiditates* conjunxit Apostolus. Iubet enim Cretenses suos ἀρνήσασθαι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας.

VIII. Apud Pharisaeos quoque, in quorum schola Paullus (c) educatus erat, quorumque aliquando Apostolus & quaestionarius fuerat, eadem ratio denominandi ἐπιθυμίας videtur obtinuisse. Nam Josephus, eorum placitis, ut ipse in vita sua (d) testatur, addictus, σωματικὰς & ψυχικὰς ἐπιθυμίας dixit, non quae circa corpus & animam versantur, sed quae à corpore & ab anima proveniunt. Locus est libro περὶ λογισμοῦ αὐτοκράτορος, seu, (ut vulgo appellatur) *de Maccabaeis*; quem recitabimus, ut in membranis veteribus bibliothecae Augustae Vindobonensis, & Academicae Lipsiensis, è quibus aliquando, si DEUS vitam viresque & ocium tanto operi necessarium nobis concesserit, cum reliquis Josephi operibus eum librum infinitis locis auctiorem & emendatiorem daturi sumus, longe correctior, & integra periodo auctior, quam in editis, habetur. Sic ergo haud longe à principio legimus: Σωφροσύνη δὴ τοίνυν ἐστὶν ἐπικράτεια τῶν ἐπιθυμιῶν. Τῶν δὲ ἐπιθυμιῶν αἱ μέν, εἰσὶ ψυχικαί, αἱ δὲ σωματικαί· καὶ τούτων ἀμφοτέρων ἐπικρατεῖν φαίνεται ὁ λογισμός. Ἐπεὶ πόθεν κινούμενοι πρὸς τὰς ἀπειρημένας τροφὰς ἀποστρεφόμεθα τὰς ἐξ αὐτῶν ἡδονάς; οὐχ ὅτι δύναται τῶν ὀρέξεων ἐπικρατεῖν ὁ λογισμός; Ἐγὼ μὲν οἶμαι. Τοιγαροῦν ἐνύδρων ἐπιθυμοῦντες, καὶ ὀρνέων, καὶ τετραπόδων, καὶ παντοίων βρωμάτων, τῶν ἀπηγορευμένων ἡμῖν κατὰ τὸν νόμον, ἀπεχόμεθα διὰ τὴν τοῦ λογισμοῦ ἐπικράτειαν; ἀνέχεται γὰρ τὰ τῶν ὀρέξεων πάθη ὑπὸ τοῦ σώφρονος νοῦ ἀνακοπτόμενα, καὶ φιμοῦται πάντα τὰ τοῦ σώματος κινήματα ὑπὸ τοῦ λογισμοῦ. Καὶ τί θαυμαστόν, εἰ αἱ τῆς ψυχῆς ἐπιθυμίαι πρὸς τὴν τοῦ κάλλους μετουσίαν ἀκυροῦνται; Vulgo initium sic editur: Σωφροσύνη δέ ποι. Sed hoc leviculum est. Gravius peccatum in sequentibus. Tota enim illa interrogatio Ἐπεὶ πόθεν, usque ad illa ἐπικρατεῖν ὁ λογισμός, omissa est, haud dubie culpa librarii, è cujus codice vulgatae editiones propagatae sunt: qui, quod

(a) *vide Gen.* 31: 30. *Num.* 11: 4.

(b) *Philolog. sacr. cap.* 4. *p.* 126. (c) *vid. Act.* 23: 6. 26: 5. *Phil.* 3: 6. (d) *pag.* 999. *edit. Genev. anni* 1634.

quod vox λογισμὸς duas continentes periodos clauderet, posteriorem omisit, ultimam illius vocem pro postrema prioris accipiens. quod sæpius in hoc libro factum esse, jam alibi (e) monuimus. Sane, præter scriptos quos diximus codices, eam interrogationem agnoscunt etiam rhapsodiæ à nescio quo circa finem sæculi Christiani undecimi (f) congestæ, quæ subjiciuntur quæstionibus in S. Scripturam Anastasii Sinaitæ nomen præferentibus, à J. Gretsero primum Græce editis quæstione VIII (g). Videturque eandem in suo codice legisse vetus interpres Latinus, seu potius abbreviator hujus libri, qui sub titulo *Passionis sanctorum Maccabæorum majoris* in bibliotheca Cæsarea & alibi reperitur, ac ab Erasmo varie interpolatus cum reliquis Josephi operibus edi solet. Denique vel illa, ἐγὼ μὲν οἶμαι, satis indicant interrogationis aliquid præcessisse. quod miror non observatum nupero editori ac interpreti Franc. Combefisio. quamquam is nec alia hoc genus animadvertit: facturusque melius fuisset, si scriptos codices in auxilium adhibuisset. Mox vulgati habent: ὑπὸ τοῦ σώφρονος λογισμοῦ ἀνακαμπτόμενα: membranæ Lipsienses à prima manu, ὑπὸ τοῦ σώφρονος ἀνακοπτόμενα: sed suprascriptum jam olim, νοῦ. Anastasius ὑ. τ. σώφρ. λογισμοῦ, omisso verbo. Sed de his ad ipsum Josephum plura, DEO dante. Nunc illud ex his illius verbis elicimus, etiam Pharisæis ἐπιθυμίας à subjecto, non ab objecto denominari consuevisse. Nam quas Josephus initio ψυχικὰς ἐπιθυμίας dixerat, sub finem τὰς τῆς ψυχῆς ἐπιθυμίας; & quas ante σωματικὰς ἐπιθυμίας, in postremis τὰ τοῦ σώματος κινήματα vocat, earumque objecta non alia, quam quæ solum corpus adficiunt, hoc est, cibos vetitos, adducit. Quemadmodum & in sequentibus ψυχικῶν ἐπιθυμιῶν ejuscemodi exempla recenset, quibus animus tantum delectatur, puta φιλαρχίαν, κενοδοξίαν, βασκανίαν, ἀλαζονίαν, & similes cupiditates alias.

IX. Denique & apud profanos scriptores, Stoicos imprimis (quorum sectæ Pharisaismus, eodem Josepho (h) teste, παραπλήσιος ἐστὶν) ἐπιθυμίαι ψυχικαὶ appellantur, quæ ab anima sensu prædita, hominum puta, vel brutorum animantium; φυσικαὶ, quæ ab anima plantarum, & natura sensus experte proveniunt. Stoici (i) enim, ut testatur Galenus libro VI de dogmate Hippocratis & Platonis, solum animam sensitivam & rationalem ψυχῆς nomine dignabantur; Vegetativam vero, Aristoteli τὸ θρεπτικὸν dictam, appellabant φύσιν & δύναμιν φυσικὴν. Porphyrius & τὸ φυσικὸν dixit. Alia ratione Aristoteles III Ethic. XI φυσικὰς ἐπιθυμίας dixit communes omnibus hominibus, ut cupiditatem cibi sicci vel humidi.

X. Hæc cum ita sint, quidni de cupiditatibus juvenum ac adolescentum, sive à juventute proficisci solitis, verba Apostoli exponamus? Ut fere eum in modum dixerit νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, quo Aristoteles VII Ethic. Nicomach. cap. IV vocavit νεανικὴν ἐπιθυμίαν, qua abrepti quidam immoderatas voluptates sectantur; hoc est, non eam qua feruntur in juvenes, sed vehementem, quales juvenum adfectus esse solent. Sic enim eum locum accipiunt interpretes, Michaël Aspasius, Ant. Riccobonus, Jo. Argyropylus, Dion. Lambinus, & in sua Andronici versione Dan. Heinsius: dictamque volunt νεανικὴν ἐπιθυμίαν, ut apud Aristophanem νεανικὸν κρέας pro carnis frusto magno; apud Athenæum IV νεανικὴν λοπάδα, pro magna patella; apud Demosthenem Olynth. III νεανικὸν φρόνημα pro generoso & strenuo animo; & apud Plutarchum lib. de sera numinis vindicta, νεανικὸν πνεῦμα pro vento vehementi, ac lib. περὶ παιδίας, νεανικώτερα κακὰ pro majoribus flagitiis. Quamquam nil prohibet eo loco νεανικὴν ἐπιθυμίαν proprie pro *cupiditate juvenili* accipere: quomodo & Donatus Acciajolus, & in sua versione Riccobonus, transtulere. Neque enim incongruum est *juvenili cupiditate* impulsum opponi ei qui μηδ' ἐπιθυμιῶν ἢ ἠρέμα διώκῃ τὰς ὑπερβολάς. Eadem igitur ratione dicamus, Apostolum dixisse νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, cupiditates quales juvenum esse solent. Hoc enim magis congruit sacrorum pariter ac profanorum Scriptorum consuetudini, ut liquet ex iis quæ attulimus, quam si propensionem in res novas intelligamus. Sic enim ab objecto, non à subjecto denominarentur. Atqui ostendimus supra (k), hac loquendi ratione semper subjectum potius, quam objectum ἐπιθυμιῶν, indicari. Si Paullus voluisset designare objectum, dixisset; φεῦγε τὰς περὶ τὰ νεώτερα, vel τὰς εἰς τὰ νεώτερα, vel τὰς τῶν νεωτέρων ἐπιθυμίας; aut etiam: μὴ ἐπιθυμήσον νεωτέρων; aut denique: μὴ γινέσθω ἐπιθυμητὴς τῶν νεωτέρων. His enim loquendi modis solent objecta cupiditatum in Novi instrumenti libris describi, ut (l) diximus. At nullo istorum modorum usus est, sed eo, quo magis subjectum, quam objectum, innui solet. Itaque magis subjectum, quam objectum, designare voluisse videtur. Ergo neque nos decet à recepto verborum sensu recedere, ac pro illo, qui sacrarum litterarum consuetudini congruit, substituere alium, ab earum genio diversum. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

(e) *in notis ad Nepot.* 7: 3. 2. (f) *vid. Blondell. libro Gall. de Eucharistia cap.* 12. *extr. Salmas. de transsubstantiat. contra Grotium p.* 375. *Albertin. lib.* 2. *de eucharistiæ sacram. p.* 893. (g) *p.* 94. *edit. Ingolstad. an.* 1617. (h) *in vita sua l. c.* (i) *vid. Salmas. comm. in Simplicium pag.* 122. 133. 147. (k) §. 3. 4. *& seqq.*

(l) §. 4.

CAPUT III.

Alio argumento vulgata interpretatio loci Paullini firmatur. Νεώτερος *nusquam in N. Test. notare* novum, *semper* juniorem. *Quinam* οἱ νεώτεροι *Actor.* 5: 6. *Juvenes mortuos efferre soliti. Suetonius explicatur.* Juvenes, νεανίσκοι, *pro militibus. Casauboni & Grotii sententia super loco Marci* 14: 51. *rejecta. Quid* ὁ νεώτερος *Lucæ* 22: *vers.* 26. Μείζων, major *pro seniore:* minor *pro juniore.* נַעֲרָה ,צָעִיר & צְעִירָה *de ætate minori. An* νεώτεροι *interdum iidem ac idiotæ.* Laicorum *appellatio antiquissima. Grotius iterum notatur.* 1 *Tim.* 5: 21. *illustratur. Laus Joachimi Camerarii, ejusque notæ in N. Test.*

ADferamus nunc aliud argumentum, pariter ab usu & consuetudine sacrorum scriptorum desumtum. Νεώτερος (unde νεωτερικὸς deductum est, ac cujus è significatu, quippe primitivi respectu τοῦ νεωτερικὸς, de derivati acceptione, nisi gravis caussa aliud requirat, judicari debet) Paullo & aliis Novi Fœderis scriptoribus nusquam aliud, quam *juvenem*, *juniorem*, *adolescentem* denotat. Percurramus loca singula, in quibus reperitur, ut appareat verum esse, quod diximus. Lucæ 15: 11, 12; Ἄνθρωπός τις εἶχε δύο υἱούς. Καὶ εἶπεν ὁ νεώτερος αὐτῶν τῷ πατρί· πάτερ δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. Commate sequenti: Καὶ μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας συναγαγὼν ἅπαντα ὁ νεώτερος υἱός. Joannis 21: 18. ὅτε ἦς νεώτερος (Petrum Dominus adloquitur) ἐζώννυες σεαυτόν. -- ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου. 1 Tim. 5: vers. 1, 2. πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα. νεωτέρους, ὡς ἀδελφούς· πρεσβυτέρας, ὡς μητέρας· νεωτέρας, ὡς ἀδελφάς. Comm. 9. & 11: χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα. -- Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ. Et comm. 14: Βούλομαι οὖν νεωτέρας γαμεῖν. Tit. II: 1. 2. 6. Σὺ δὲ λάλει -- πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι. -- τοὺς νεωτέρους, ὡσαύτως παρακάλει σωφρονεῖν. 1 Pet. 5: vers. 5. Νεώτεροι ὑποτάγητε πρεσβυτέροις.

II. His omnibus locis manifestum est νεωτέρους & νεωτέρας esse vel juvenes & puellas simpliciter; vel comparative, qui aut quæ aliis sunt juniores. Nec aliter accepit Lucas Actor. 5: 6. cum ita scribit: Ἀναστάντες οἱ νεώτεροι συνέστειλαν αὐτὸν, (Ananiam subito morte exstinctum) καὶ ἐξενέγκαντες ἔθαψαν. Οἱ νεώτεροι sunt, quos comm. 10. νεανίσκους dixit, id est, juvenes. Horum namque erat componere & efferre mortuos. Plutarchus in Æmilio Paullo (a), ubi, quomodo elatus sit, narrat: Ὅσοι οὖν κατὰ τύχην παρῆσαν Ἰβήρων, καὶ Λιγύων, καὶ Μακεδόνων, οἱ μὲν ἰσχυροὶ τὰ σώματα καὶ ΝΕΟΙ διαλαβόντες τὸ λέχος, ὑπέδυσαν καὶ παρεκόμιζον. οἱ δὲ πρεσβύτεροι συνεκολούθουν. De funere imaginario in apotheosi Severi Imperatoris ducto Herodianus IV capite II: Τὴν μὲν κλίνην αἰράμενοι τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος οἱ εὐγενέστατοι, καὶ τῆς συγκλήτου ἐπίλεκτοι ΝΕΑΝΙΑΙ, κατακομίζουσι διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, εἴς τε τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν. Sic quoque capio Suetonium (b), de Augusto morituro ita scribentem: *Unum omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit, quod subito pavefactus, à quadraginta JUVENIBUS se abripi, questus est.* Nempe mortuum se efferri imaginabatur. Unde idem Suetonius mox subjicit, *id magis præsagium, quam mentis deminutionem fuisse: siquidem totidem milites prætoriani extulerint eum in publicum.* Possis tamen apud Suetonium haud incommode milites intelligere. Hos enim *juvenes* dictos,

(a) *tomo* 1. *Oper. p.* 276. *edit. Paris. anni* 1624. (b) *in Augusto cap.* 100.

ctos, dudum observatum doctis, inter hos Lipsio libro I Epistolicarum quæstionum epistola I. Polybius aliquotiens hac ratione usus est Græco νεανίσκοι. Quam vocem summi viri (c) Isaacus Casaubonus, ac Hugo Grotius, & Marci 14: verf. 51. hoc sensu exponendam esse censebant, quod illi articulus οἱ præponatur. Atque sic & Jo. Deodatus in notis Italicis interpretatur. Et è militum eos fuisse numero, adnotatum video in Bibliis Gallicis Maresianis. Sed recte animadvertit magnus Gerhardus noster ὁ μακαρίτης (d), commodius intelligi *adolescentulos*, qui cohortem militarem ex urbe promiscue sectati fuerant. Erasm. Schmidius *juniores ex turba ministrorum*, vel *comitatu militum Rom.* fuisse censet. Atque sic transtulere etiam, post Lutherum, recentissimi accuratissimique interpretes Gallici, Belgici, Anglici, Germani Sociniani; & ipse, etsi aliter exponit, Deodatus. Et jam olim Æthiops vertit ወሬዛት፡ i. e. *adolescentes*. Syrus, Arabs uterque, & Persa cum Latino vulgato plane non habent: credo, quod in quibusdam codicibus olim lectum non fuit. Neque officere Articulus debet, qui etiam hoc in loco Actuum Apostolicorum additur; nec tamen quisquam, quod sciam, certum genus hominum, aut certum ordinem, heic commentus est: nisi quod interpres Æthiopicus vertit: ወሬዛተ፡ጾር፡ *juvenes oneris*: quos magnificus Ludolfus noster, (e) cui hujus linguæ studiosi plurimum debent, *bajulos* interpretatur. Videntur enim juvenes promiscue adstantes intelligi. Sed etsi ponamus, apud Lucam νεωτέρες esse certum hominum genus, sive milites illi sint, sive ministri; tamen illud concedi debet, *novos* non designari.

III. Superest locus Lucæ 22: verf. 26. quo Euthymius, eumque sequuti viri doctissimi magno numero, νεώτερον exponunt *minimum*, *infimum*, *postremum*; nemo tamen *novum* vel *recentiorem*. Verba Servatoris, discipulos ad humilitatem hortantis, hæc sunt: Ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς νεώτερος. Equidem haud negarim, convenire proposito Domini, si infimum designari hac voce dicamus; sed dubito, an id consuetudini Scripturæ N. Test. congruat, in qua non alibi hac significatione occurrit. Nec video, cur relinquenda sit propria, & sacris Novi Fœderis scriptoribus usitata, vocis acceptio. Quid vetat de ætate accipere, ut ὁ νεώτερος idem sit, quod *junior*? quomodo & Erasmus id transtulit. Non certe, quod τῷ μείζονι, quo heic *digniorem*, *primum*, *maximum* designari volunt, opponitur. Nam etiam hoc de ætate licet accipere, ut in illo Rom. 9: 12: Ὁ μείζων δελεύσει τῷ ἐλάττονι. Quod recte vertas: *Major natu serviet juniori.* quomodo nunc video & Anglos in versione novissima sive regia vertisse: *the elder shall serve the younger.* De Esavo enim primogenito, & Jacobo natu minore, Apostolus loquitur. Ac reddidit & Syrus interpres τὸ Μείζον per ܪܒܐ, quod idem est ac *senior*. Et passim seniores sacris profanisque scriptoribus vocari μεγάλες & μείζονας, norunt, qui primis saltem labris Græcas litteras attigere. Quomodo & Latinis *majores* ac *minores* dicuntur, qui ætate distant. Plautus Truculento (f):

> —— *Nunquam ædepol mihi*
> *Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit,*
> *Ni ista ego vestro hero majori facta denarravero.*

Hero majori, id est seniori, patri. Priscianus libro VIII (g), qui est de constructione: *Attici* (dicunt) ἐλάττων πόσον καὶ πόσοις. *Similiter nos: MINOR TOT ANNOS. Nam MINOR TRIGINTA ANNORUM cum dicimus, ad genitivum deest ILLO QUI EST TRIGINTA ANNORUM,* ἥττων τϋτε τριάκοντα ἐτῶν, *& similia. Horatius MAJOR NERONUM dixit in IV Carminum:*

> *Dejicit acer plus vice simplici*
> *Major Neronum.*

Subaudiendum enim est ÆTATE. Idem MINOR FRATRUM dixit, pro unus fratrum qui minor est. Beda de Orthographia (h): *Solent junior & senior ad se invicem dici MINOR & MAJOR.* Ut Plautus pro patre *herum majorem* dixit, sic Augustinus IX Confessionum capite VIII, numero V, filiam vocavit *dominam minorem*. *Illa irata* (de ancilla loquitur) *exagitare cœpit minorem dominam.* Et paullo ante: *Ancilla litigans cum domina minore.* Quod si maxime μείζων apud Lucam idem esse velis, ac *dignior*, (quomodo & comm. XXIV & XXVII accipitur) nihilo tamen secius νεώτερος potest esse *junior*. Ut indicetur, etiam dignitate superiorem sese ut juniorum aliquem gerere debere.

IV. Qui apud Lucam νεώτερον *viliorem*, *inferiorem* esse volunt, Syrum quoque interpretem advocant, à quo Græca vox Syriaco ܙܥܘܪܐ expressa est: quod illi exponunt *minimum*, *infimum*, *vilissimum*. Sed frustra. Nam ea vox quandoque & de ætate usurpatur. Respondet enim Græco νεώτερος loco modo laudato, Rom. 9: 12. ubi Syrus: ܐܡܝܪ ܓܝܪ ܕܪܒܐ ܢܗܘܐ ܥܒܕܐ ܠܙܥܘܪܐ *Dictum est enim, quod senior erit servus minori.* ܠܙܥܘܪܐ, hoc est *juniori*, Jacobo scilicet. Item Lucæ 15: 12. & 13. ubi de prodigo filio juniore agitur. Interdum & τῷ Μικρός, cum ætatem designat. Ut Matth. 28: verf. 6. 10. Ibi enim μικρὲς notare pueros, è commate 2. & seqq. videtur colligi. Eadem enim in prioribus, quæ hoc commate, formula loquendi, & ejusdem sermonis continuatio est. Ac proinde non alii heic intelliguntur μικροὶ, quam qui in præcedentibus παιδία vocantur. Et Marci 15: 40. Nam Jacobus iste dictus est *minor*, quia junior. Sed & Chaldæis, affini Syris dialecto, eadem vox זְעֵירָא, frequentissime *pueritiam*, *adolescentiam*, *juventutem* denotat. Exempla habes in Targumis 2 Sam. 19: 7. Jerem. 3: 25. 22: 21. 32: 30. 48: 10. Denique cognatum Ebræorum (affines enim sunt literæ ז & צ, sæpeque permutantur) צָעִיר cum feminino suo צְעִירָה *juniorem* designant Genes. 19: 31. 34. 35. 38. cap. 29: 26. 43: 32. 48: 14. I Regum cap. 16: 34. Jobi 32: 6. Psalmo 68: 29. Nil ergo juvat Syrus, quibus apud Lucam νεώτερος *dignitate minorem* seu *inferiorem* notare videtur.

V. Nec magis officere debent, quæ ad eum locum vir summus Hugo Grotius commentatus est. *Sicut presbyteri*, inquit (i), *vocantur qui Ecclesiæ præsunt, ita* νεώτεροι, *qui sunt ἐν τάξει ἰδιωτῶν. Act. 5: 6.* ἀναστάντες οἱ νεώτεροι. *I Tim. 5: I.* πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα· νεωτέρες ὡς ἀδελφές. *Vult ergo Christus præpositos Ecclesiis nihil splendoris aut commodi sibi præcipuum super cæteros adsumere.* Non inficior, prohiberi eo loco superbiam & Dominationem Apostolorum, quique his successuri erant, ministrorum Ecclesiæ. Imo his ipsis verbis, de quibus agimus, vetari aio. Nam cum juniorum sit, ut ille ait, majores natu vereri; sane qui cum sit senior, jubetur ut junior fieri, hoc ipso jubetur revereri potius alios, quam iisdem cum imperio præesse. Illud nego, μείζονα heic præcise & immediate notare *digniorem*, νεώτερον *viliorem* & minoris existimationis. Recte Lutherus: **Der Grösseste unter euch soll seyn wie der Jüngste.** quæ verba & Sociniana versio retinuit. Nec aliter Anglica: *he that is greatest among you, let him be as the younger.* Et Latina Er. Schmidii: *qui maximus est inter vos, sit tanquam junior.* Erant haud dubie inter Apostolos, cum contentio oboriretur, qui putarent sibi, ob ætatem grandiorem, prærogativam deberi, atque æquum esse, ut primatus in futuro Christi regno (quod politicum fore existimabant) illis præ cæteris deferatur. Quod adeo fieri non debere Dominus innuit, ut etiam, tamquam juniores essent, venerari debeant eos, quos annis antecellerent. Loca, quæ Grotius adduxit, nequaquam evincunt, νεωτέρες ullibi in Novo Fœdere esse *idiotas*, vel, ut inde à primordiis Ecclesiæ Christianæ vocari solent, (quod loco Clementis epistola ad Corinthios (k), ubi λαϊκὲ ἀνθρώπε, & λαϊκῶν προσταγμάτων fit mentio, contra personatum Walonem Messalinum aliosque evincunt Blondellus in apologia pro sententia Hieronymi de episcopis & presbyteris, sub initium sectionis II (l), & Henr. Hammondus dissertatione II contra Blondellum (m):) *laicos*. Nam Act. 5: 6. commode intelligi *juvenes*, apparet ex iis, quæ paullo ante diximus. I Tim. 5: I. non magis dignitate & ordine distinguuntur νεώτεροι & πρεσβύτεροι, quam sequenti commate πρεσβύτεραι & νεώτεραι, ac comm. 9. & II. χήρα μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα & χῆραι νεώτεραι: quæ non sunt aliæ intelligendæ, quam ætate majores minoresque. Quod etiam ipse Grotius alibi fassus est. Sic enim, tanquam sui oblitus, ad ea verba commentatur (n): *Vox πρεσβυτέρε hic de ætate sumenda est, non de functione: monstrant id sequentia.* Et paullo post, ad comma proximum: *Vult idem discrimen ætatis in feminis observari.* Ac ita Græcos quoque illa Paulli verba interpretari, pridem adnotavit ingens patriæ meæ, totiusque Germaniæ decus, Joachimus

(c) *Cas. exercit. I. adv. Baron. sect. 34. & exercit. 16. s. 65. Grot. annot. ad Evang. p. 583.* (d) *Harmon. Pass. c. 4. p. 189. edit. Jen. A. 1617.* (e) *in Lexico Æthiopico-Latino, p. 57.* (f) *act. I. sc. 2. v. 52. & deinceps.* (g) *pag. 1180. ed. Putsch.* (h) *pag. 2338. ed. Putsch.*

(i) *annot. in libb. Evang. p. 813. edit. Amstelod.* (k) *p. 53. edit. Oxon. anni 1633.* (l) *pag. 12.* (m) *cap. 6. §. 18.* (n) *annot. ad N. T. tom. 2. pag. 721. edit Paris.*

mus Camerarius, in Notatione figurarum orationis & mutatæ simplicis elocutionis in Apostolicis scriptis (o): quem libellum, una cum ejusdem similibus in Euangeliorum Libros notis, atque Vita Christi & Apostolorum, ac forsan & aliis doctissimi prudentissimique viri scriptis, brevi, ut spero, denuo excudi curabimus, ut à pluribus sacrarum litterarum studiosis comparari legique possint. Diserte Chrysostomus (p): Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς. Ἆρα τὸ ἀξίωμα νῦν φησιν; οὐκ ἐγὼ οἶμαι, ἀλλὰ περὶ παντὸς γεγηρακότος. Sequitur, ut solet, Theophylactum (q): οὐ περὶ τοῦ ἐν ἐκκλησίᾳ τὸ ἀξίωμα ἔχοντός φησιν· ἀλλὰ περὶ παντὸς γεγηρακότος. Et Oecumenius (r): Οὐ τὸ ἀξίωμα φησὶν, ἀλλὰ πάντα γεγηρακότα.

(o) *Pag.* 141. *edit. Lips. anno* 1572. (p) *in I. ad Tim. serm.* 15. *p.* 300. *edit. Savil.* (q) *pag.* 777. *edit. Græco-Lat. Londin. anno* 1639. (r) *pag.* 753. *edit. Veron. Græc. anno* 1532.

CAPUT IV.

Etiam in Græca vulgata Vet. Testam. versione vocem νεωτερικὸς *vix unquam* novum, *sed ubique* juniorem, *aut* junioribus similem, *designare. Utrum septuagintaviralis Bibliorum versio hodie supersit. Variæ super ea quæstione doctorum sententiæ, singularumque præcipui auctores enumerantur. Usserii nova sententia, eam periisse incendio Alexandrino. Ea à plerisque rejecta. Aliis tota ejus versionis historia suspecta. Plerisque adeo corrupta & interpolata visa, ut alia videri queat. Nonnullis contra genuina integraque superesse credita. Nostra ea de re epicrisis. Quibus Ebræorum vocabulis vox* νεώτερος *in Græca versione respondeat. Quomodo Roboamus* 2 *Chronic.* 13: 7. *dicatur* νεώτερος. *Quot annos natus fuerit, cum regnare inciperet. Ebræi codicis lectio* 1 *Reg.* 14: 21. *&* 2 *Paralip.* 12: 13. *adversus Grotium, summumque virum alium adserta. In Sulpicio defensa recepta lectio. Lacinia Græcæ versioni adsuta, rejecta.* נַעַר, יֶלֶד, παιδάριον, puer, *de adultioribus.* Νεανίσκοι, κομιδῇ νέοι, juvenes, *de viris & adultiori ætate.* Νεώτερος *quandoque nonnisi comparativum esse, ac de provectioribus quoque dici: quemadmodum & Latinum* junior, *Job.* 24: 5. *explicatur, & Græca ejus loci versio emendatur. Theodotio, & quinta ac sexta Bibliorum editiones notantur.* אִישׁ *per* νεώτερος, אֱנָשׁ *per* νεανίσκος *redditum. Græcorum Interpretum fragmenta quædam nondum edita indicantur. Pentateuchi codex Græcus Lipsiensis. Baruchi* 3: 12. *illustratur, & Hugo Grotius refellitur. Conclusio è dictis hoc & præcedenti capite.*

§. I.

ID ergo manifestum est, in toto Novi Fœderis codice vocem νεώτερος semper ætatem, nunquam certe novitatem designare. Quod sufficere poterat, ut inde verisimiliter concluderemus, non aliter & τὸ νεωτερικὸς, quod ab ea derivatur, accipi debere. Addamus tamen, ὡς ἐν παρόδῳ, etiam Græcos Veteris Instrumenti interpretes vulgatos (quorum dictionem stylo N. T. non admodum dissimilem esse, dudum summi viri observarunt) ferme eodem significatu hac voce uti. Vulgatos autem Interpretes voco, quorum versio vulgo τοῖς ἑβδομήκοντα in editis manuque exaratis codicibus adscribitur: rectene, an secus, nondum inter eruditos convenit. Nam Jacobus Usserius, vir doctus & gravis imprimis, minimeque partium studiis deditus, adeo non existimabat, eam quæ hodie hunc titulum præfert, pro genuina τῶν ό versione habendam esse, ut etiam affirmaret, *Interpretationem divinæ legis, quam LXXII. viri è Judæis selecti rogatu Ptolemæi Philadelphi adornasse dicuntur, semper in Alexandrina ejusdem Regis bibliotheca delituisse, eaque incendio consumta, & ipsam periisse: illam vero totius Ebræi codicis translationem, quæ à Justino Martyre, Origene, Hieronymo, Augustino, Patrumque aliis, pro LXX. virali est habita, hodieque, sed valde corrupta, superest, paullo post tempora Philadelphi, inter annum IV. Philometoris & XXXVIII. Evergetæ, in Ægypto nescio à quibus confectam; & mox à Judæis Hellenistis in Ægypto & alibi receptam, inde cum Græcis ad Christi fidem conversis communicatam, denique in LXX. viralis nomen irrepsisse: inque duas editiones, quarum altera sincera τῶν ό habita, altera κοινὴ appellata sit, abiisse, quarum prior & ipsa cum hexaplis Origenis perierit, sola relicta κοινῇ, eaque variis deinde modis interpolata*, &c. Vide eruditi syntagmatis ejus de Græca LXX. Interpretum versione, capita priora IV. Atque ab hac doctissimi viri sententia seu potius conjectura, non admodum abhorrere videtur Anton. Hulsius in Authentia absoluta sacri textus Hebræi vindicata, ut vocat, cap. 32. & Rob. Bailius lib. 1. operis Chronolog. c. 3. quæst. IV. Verum eam ut *tantum non parum verisimilem, sed etiam impossibilem*, nec immerito, rejicit Is. Vossius, ὁ πάνυ, in præfatione Castigationum ad objecta Hornii; ut *commentum omnino temerarium* explodit Rein. Vogelsangius exercit. Theolog. 8. sectione 43. prolixe vero confutarunt, statim quidem, ac eopse quo prodiit anno, Henr. Valesius, ingens Galliæ sæculique decus, peculiari ad Usserium epistola, quæ notis illius in Eusebium subnexa est, idque Vossii (a) judicio *tam feliciter, ut alter quod reponeret nihil penitus habuerit*: paullo post autem Brianus Waltonus, vir, ob procuratam editionem Bibliorum Polyglottorum, æterna memoria dignus, prolegom. 9. in Biblia polyglotta, numero 18. ac deinceps; qui & num. 48. *puerilem & responsione seria vix dignam* vocat; ac nuperrime celeberrimus Theologus, D. Abr. Calovius prolegomenis in Genesin cap. 7. brevius autem Vossius loco jam laudato, ac libri de LXX. interpretibus c. 27. & Jo. Henr. Hottingerus dissertat. Theologico-philologica III. canone XVI. (b)

II. Alii totam, quæ apud Aristeam & Josephum legitur, de lege Moysaica jussu Ptolemæi Philadelphi per LXXII. seniores, Hierosolymis ab Eleazaro pontifice missos, Græce reddita, narrationem pro figmento aut saltem suspectam habent; eamque versionem malunt Judæis Alexandrinis transscribere. Inter quos agmen, non minus ac inter eruditos, ducit Jos. Scaliger epistola XIV. ad Eusebii numerum CIↃ IↃC CXXXIV. sequuntur Jo. Wowerius syntagm. de Græca & Lat. Biblior. interpretatione, c. 11. & deinceps; Andr. Rivetus c. 10. Isagoges ad scripturam S. numero 8. & deinceps; Jo. Mich. Dilherrus in historia LXX. interpretum MSta, §. 7. & deinceps; Arn. Bootius in indice auctorum, Animadversionibus sacris præfixo voce *Græci*; Jo. Henr. Hottingerus lib. 1. Thesauri Philolog. cap. 3. sect. III. quæst. III. vs. 8. D. Jo. Conr. Danhauerus actu 1. Christeidos, theatro 1. phænomene 11. (c) & metamorphosi 11. (d) Frid. Spanhemius parte 1. dubiorum Euangelic. dubio 23. num. 21. Dan. Heinsius parte 1. Aristarchi sacri, c. 10. Alex. Morus in Caussa DEI, sive exercitationibus de Scriptura S. parte 11. quæst. V. (e) Jo. Owenus libro v. Θεολογεμένων, digressione 11. R. Vogelsangius loco modo laudato, num. 4. ac deinceps, & denuo num. 38. Christ. Schotanus tomo 11. Bibliothecæ historiæ S. Veteris Testamenti (f); & Jo. Leusden in Philologo Hebræo-mixto dissert. 11. sect. 1. & deinceps.

III. Rursus alii contendunt, multisque rationibus demonstrant, Versionem Græcam hodie superstitem, (etiam Pentateuchi Mosaicæ, quam solam jussu Ptolemæi conversam esse, plurimi censent:) à quibuscunque demum confecta fuerit, aut omnino non esse eam, quæ sub nomine τῶν ό veteribus tempore Christi & Apostolorum ac proxime secutis seculis apud Judæos Christianosque frequentissimo in usu fuit; aut, si est, in omnibus codicibus, qui quidem hucusque nobis innotuerunt, cum editis, tum manuscriptis, etiam Romano & Alexandrino, (quorum textum, multo, quam reliquorum codicum, puriorem, Biblia polyglotta Anglicana exhibent) admistione versionum aliarum, omissione obeliscorum, aliarumque notarum ab Origene adpositarum, malitia hæreticorum ac Judæorum, audacia correctorum & negligentia librariorum, sic ubique luxatam, interpolatam, perturbatam, corruptam ac immutatam esse, ut merito alia ac diversa videri queat, nemoque hodie judicare possit, quid in ea versione

(a) *Append. ad librum de* 70. *interpret. p.* 73. (b) *p.* 98. *& deinc. edit. Heidelb. an.* 1660. (c) *p.* 60. 61. (d) *pag.* 108. (e) *p.* 132. *&* 142. *edit. Mediob. anni* 1653. (f) *p.* 1229. *& deinc.*

sit τ̃ ό, quid Theodotionis, aut alterius vel interpretis vel correctoris. Quæ sane plurimorum doctissimorumque virorum sententia est: è quibus nunc præter jam nominatos, Usserium c. 12. Vogelsangium sect. 41. & 43. Wowerium c. 11. & 12. Rivetum num. 29. & tractatu 1. Catholici orthodoxi, quæst. 12. Hottingerum quæst. 12. & 15. & can. 16. lib. 1. systemat. Theolog. Loco 3. (g) Dannhauerum loco priori; Leusdenum dissert. 4. quæst. 18. & in Philologo Hebræo, dissert. 16. sect. 7. Spanhemium, Hulsium, Morum, Bailium, locis adlegatis, laudare possum, qui fere hæc scribenti ad manus fuere, Santem Pagninum c. 9. Isagoges in sacras litteras; Rob. Bellarminum lib. 11. de verbo Dei c. 6. Alph. Salmeronem tomo 1. commentar. in S. Scripturam proleg. 6. Jo. Drusium libro 6. observationum cap. 9. Nic. Serarium in prolegomenis Biblic. cap. 27. quæst. 21. Guil. Whitakerum (h) disputat. de S. Scriptura, controversia 1. quæst. 11. cap. 3. Jac. Bonfrerium præloqui in Pentateuchum cap. 22. sect. 8. Wilh. Schikardum in prolegom. in Bechinath Happeruschim, sectione 3. numero 11. Dan. Chamierum tomo 1. Panstratiæ Catholicæ, libro 13. cap. 8. Jac. Tirinum controversia 11. de verbo Dei, num. 6. Cl. Salmasium commentario de lingua Hellenistica, parte 1. quæst. 6. (i) Jo. Buxtorfium F. in tractatu Lud. Capello opposito de vera punctorum antiquitate, part. 1. c. 9. & parte 11. Anticriticæ, c. 11. (k) ac alium ejusd. Cappelli adversarium, Ez. 5. (id est, Ezech. Vaillantium) in epistolis (l) ad Cappellum, & dissertatiuncula, qua probare nititur, varios locos, quos Apostoli è Prophetis citant, ex Apostolorum scriptis in versionem Græcam ad verbum illatos esse, non, ut vulgo creditur, primum ab Apostolis è versione Græca prolatos: itemque Wilh. Langium lib. 2. de annis Christi, cap. 4. Henr. Altingium in Theologia historica, Loca 2. Jo. Hoornbeck in prolegomenis librorum octo pro convincendis & convertendis Judæis, sectione 21. membro 4. (m) Geor. Hornium præfat. dissertationis de vera ætate mundi; Chr. Schotanum diatrib. de auctoritate versionis Græcæ, c. 7. (n) Matth. Wasmuthum parte 1. vindiciarum S. Hebrææ scripturæ, sect. 3. antithesi 1. num. 2. &, qui, si merita in Ecclesias nostras, ac partim & in nos ipsos, spectes, ante reliquos nominandi erant, D. Jo. Gerhardum in exegesi Loci de Scriptura sacra, num. IↃ VII. & lib. 11. Confess. Cathol. cap. 4. thesi. 4. D. Sal. Glassium lib. 1. philologiæ sacræ, tractatu 1. parte 2. sectione 1. articulo 2. D. Jo. Ge. Dorscheum in vindiciis ad Exod. 11. 22. num. 5. D. Jo. Hulsemannum in prælectionibus nondum editis in librum Concordiæ, articulo 1. c. 6. D. Conr. Horneium disp. 7. de sacris scripturis, quæst. 3. D. Mich. Waltherum in Officina Bibl. num. CCCXL. D. Abr. Calovium tractatu 11. Critici sacri, num. CCII. & in dissertatione περισυνδυαστικῇ de præfatione Grotiana in adnotata ad V. T. §. 5. (o)

IV. Contra ea alii, sed pauciores, (nam quod Waltonus (p) *plerosque viros graves & doctos, qui in hac arena desudarunt, & partium studiis non abrepti nudam veritatem quærunt, ita sentire* scripsit, id falsum esse, docent tot magna nomina, quæ modo laudavimus:) doctissimi tamen & ipsi; in his auctor præfationis editioni Romanæ præfixæ; & Pet. Galesinius in commentario de Bibliis Græcis interpretum 72. Romæ eopse anno, quo Biblia Sixtina prodierunt, edito; itemque Andr. Masius in præfatione in notas ad librum Josuæ; Cæs. Baronius in apparatu ad Annales Eccles. numero CXIX. Jac. Salianus tomo 5. annalium sacr. ad annum mundi MMM IↃCC LXXV. Jo. Morinus in præfatione Bibliorum Græc. à se editorum; in exercitationibus ecclesiasticis ad Pentateuchum Samaritanorum; & in Biblicis, præcipue exercitatione 9. ac in diatriba elenchtica contra Arn. Bootium, & Franc. Taylor scripta; Ludov. Capellus libro 4. Criticæ sacræ, cap. 1. & l. 6. cap. 10. tum in responsione ad epistolam priorem Ez. 5. num. 2. ad epistolam alteram numero 9. & seqq. ac ad dissertatiunculam ejusdem, numero 3. & deinceps; denique Br. Waltonus in dissertatione de Linguis Orientalibus, sectione 63. & in proleg. 9. ad Biblia polyglotta, à num. 35. ad 52. usque, non verentur adfirmare, in editione Bibliorum Græca, primum anno superioris sæculi 87. Romæ, jussu Sixti 5. Papæ, Antonio Carafa Cardinale procurante, è Vaticano potissimum codice MS. excusa; dein Jo. Morini opera Parisiis anno CIↃ IↃ CXXVIII. cum Latina versione, ac notis Flaminii Nobilii; inde Londini cum separatim ter, in charta quadruplicata, octuplicata, ac forma minori; tum in augustissimo Bibliorum polyglottorum opere repetita, (cum qua magnam partem consentit codex Alexandrinus, cujus variæ lectiones in eodem opere subjiciuntur; & qui olim Venetiis penes Cardin. Bessarionem fuit, ac membranæ item Lipsienses, infra memorandæ;) ipsissimam τ̃ ό versionem, qua vetustissimi Patres ipsique Apostoli usi sunt, eamque quam fieri potest ab omnibus mendis & irreptionibus castigatam & puram, nobis exhiberi; aut saltem non aliam aut majorem sensisse calamitatem, quam plerique melioris notæ libri & veterum scripta, (ut Ciceronis, Virgilii, Ovidii, Demosthenis;) aut Ebræi Veteris, Græcique Novi Federis codices, experti sunt: hoc est, tantummodo glossematis & mendis librariorum conspurcatam, neque propterea diversam ab illa veteri dicendam esse. Idque saltem de Pentateuchi versione verum esse, tam confidenter adfirmat Is. Vossius (q), vir & ipse longe eruditissimus, ut *minime sanos sibi videri* profiteatur, *qui negant versionem τ̃ LXX. quam Origenes tetraplis & hexaplis suis inseruit, eandem fuisse atque nunc sit.* Immo ipsissimam nos hodie translationem illam, quæ jussu Ptolemæi facta sit, habere, pro certo adseverat. Audiamus ipsum. *Sic*, inquit, *sentio, si quid in rebus mortalium sit, quod à quoquam possit adfirmari, jam quoque audere me absque ulla cunctatione adfirmare & certo statuere, versionem Pentateuchi Græcam, quæ hodie etiamnum exstat, toties recusa, illam esse genuinam LXX. interpretum versionem. Hoc sic efficio, quod quamvis jam olim Judæi & Origenes hanc interpolare conati sint, pluraque contaminarint exemplaria Judæi admixta Aquilæ versione, Origenes verò illa Theodotionis; integra nihilominus hæc translatio à Ptolemæi temporibus ad nostram usque ætatem perstiterit, & quamvis ævo omnia mutentur & corrumpantur, mutationem tamen quæ in his exemplaribus facta sit, adeo levem esse & non magni momenti, ut si vere adfirmare possimus nos habere scripta Virgilii aut Officia Ciceronis, qui libri maxime ad nos incorrupti pervenere, multo potiori jure jactare possimus, nos habere genuinam LXX. Interpretum translationem.* Provocat dein ad *testimonia & loca ex hac versione jam à bis ferme annorum millibus depromta, hoc est à tempore ipsorum LXX. Interpretum*, quæ *in numeris, in annis, in nominibus propriis, in omnibus denique cum hodiernis editionibus ad unguem convenire* ait.

V. Nostri instituti non est, heic pronunciare, quænam ex variis, quas adduximus, sententiis verior haberi debeat. Non dissimulavimus tamen, cum hanc diatriben abhinc annos 17. conscriberemus, videri nobis justas ac sufficientes de translationis hujus cum αὐθεντίᾳ, tum integritate, dubitandi caussas habiturum, qui vel codices hodiernos cum fragmentis, quæ apud veteres scriptores habentur, comparaverit; vel cum cura expenderit, quæ à doctissimis viris, quos supra laudavimus, in hanc rem scripta sunt. Quod judicium nostrum & placuisse video Ludolpho Georgio Lundenio lib. 2. de αὐθεντίᾳ Verbi divini, extremo c. 4. Neque nunc multo aliter sentire possumus. Græcam aliquam, saltem legis Mosaicæ, translationem tempore Ptolemæi, ac forsan & illius sive jussu sive permissu, adornatam fuisse Alexandriæ, facile concesserim. Sed nec illud præfracte negaverim, Judæos quosdam à Ptolemæo Hierosolymis accitos pentateuchum (nam reliquos libros ab aliis conversos fuisse, manifestum est:) magno consensu, lætante Ptolemæo, & adprobantibus Judæis Alexandrinis, Græce vertisse, & quæ præterea à Josepho ex Aristæo referuntur; fateor tamen, multis eam narrationem magnisque difficultatibus premi. Denique nec id pertinaciter inficiari ausim, illam sive Ptolemæi auspiciis, sive à Judæis Alexandrinis sponte & privato ausu confectam, & à veteribus pro LXX. virali habitam versionem, non omnino periisse incendio bibliothecæ Alexandrinæ; sed conservatam à Judæis ad Ecclesiam Christianam pervenisse, ac adhuc superesse; sed varie ac infinitis locis corruptam, interpolatam, & glossematis, admistioneque aliarum versionum & notarum marginalium fœdatam. Ea enim omnia etsi certo demonstrari nequeunt; valde tamen similia vero esse, apparet ex iis quæ postremo à nobis loco recensitæ sententiæ adsertores, ac præsertim cum valesio, & D. Calovio, cum loco §. 5. laudato, tum in Critico sacro, tractatu 2. num. CXCVII. Salianus, Morinus, Waltonus, & Is. Vossius; itemque Jac. Gretserus lib. 1. defens. Bellarm. cap. 6. & Dion. Petavius in animadvers. ad Epiphanium de mensuris & ponder. in eam rem disputant. Sicut è diverso magnam veri speciem præ se ferunt, cum quæ contra narrationes Aristeæ,

(g) *Pag.* 224. (h) *pag.* 224. (i) *pag.* 243. *& seqq.* (k) *pag.* 552. (l) *apud Capell. in append. Critic. sacr. pag.* 458. * *ibid. pag.* 491. *&* 492. (m) *pag.* 164. (n) *pag.* 49. 50. (o) *tom.* 1. *Biblior. V. T. illustrat. pag.* 198. (p) *proleg.* 9. §. 36.

(q) *In præfat. castigation. Hornii.*

ſteæ, & Joſephi, auctores ſecundæ ſententiæ, maxime Scaliger, Morus, Schotanus, Vogelſangius, & in Critico ſacro l. c. D. Calovius; tum quæ, ut periiſſe eam qua pro LXX. virali uſa eſt eccleſia primitiva, evincant, alii adlegant. Sed ut tam miraculoſe, & tanta cum ambitione ac pompa, tantoque conſenſu interpretum ſigillatim per cellulas diſpoſitorum, & tanta fidelitate, uti plurimi veterum factum tradunt, confectam; ut item non majorem, quam Ciceronis, Virgilii, Ovidii, Demoſthenis opera, mutationem corruptionemque paſſam eſſe, aut in ullo codice ullave editione puram & ſine gloſſematis plurimiſque corruptelis, & laciniis aliarum verſionum, hodie ſupereſſe credam, induci nequeo. Nam illa priora nimium fabulas olent: interpolatio autem, & admiſtio aliarum verſionum, & diſcrepantia ab iis quæ veteres tanquam τοῦ ό laudant, etiam in Rom. Alex. & Lipſ. codicibus, plane manifeſta, majorque & crebrior eſt, quam ut negligentiæ librariorum unice adſcribi poſſit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ in gratiam hiſtoriæ ſacræ ſtudioſorum. Nunc in viam revertamur.

VI. In ea igitur verſione, (quorumcunque demum fuerit) ut ante hos annos 66. Francofurti, opera ſive Friderici Sylburgii, ſeu, quod alii volunt, Franciſci Junii, ad exemplum Aldinæ editionis excuſa eſt, iis quidem in locis, quos in Concordantiis V. T. Conr. Kircherus adnotavit, quoſque nos ipſi præterea obſervavimus, & qui iiſdem verbis (exceptis quæ adnotavimus) habentur in edit. Romana, νεώτερος nunquam aliud, quam vel ætate minorem, vel, ut hæc ætas ſolet, rudem contemtumque ac vilem, nullibi vero novum, deſignat. Reſpondet enim Ebræis נַעַר, צָעִיר & צְעִירָה, atque קָטֹן & קְטַנָּה; ſemel & τῷ יֶלֶד. Sicut & alibi ab iiſdem per voces cognati ſignificatus, παῖς, παιδίον, παιδάριον, νήπιος, νέος, νεανίας, νεανίσκος, μικρὸς, exprimuntur. Ea vero omnia quotiens à Græcis interpretibus per νεώτερος ſunt reddita, minorem annis, aut talem quales juniores eſſe ſolent, ſignificant.

VII. Ac τῷ יֶלֶד quidem reſpondet τὸ Νεώτερος 2 Chronic. 10: 14. ubi de junioribus conſiliariis Roboami: καὶ ἐλάλησε (Roboamus rex) πρὸς αὐτοὺς (ad populum ſcilicet; in Aldina tamen editione deſunt hæc duo verba:) κατὰ τὴν βουλὴν τῶν νεωτέρων. Ubi de ætate accipi, in aperto eſt.

VIII. Τῷ נַעַר autem, Jud. 8: 20. Ἐφοβήθη, ὅτι ἔτι νεώτερος ἦν· De filio Jetheris, ob timorem juvenilem, gladium nudare non auſo. Et 2 Chron. 13: 7. Καὶ Ῥοβοὰμ ἦν νεώτερος, καὶ δειλὸς τῇ καρδίᾳ, hoc eſt, erat junior, & propter ætatem non ſatis inſtructam experientia, imperitus ac hæſitans, qui non auderet decernere, quomodo reſiſtendum Jeroboamo eſſet. Agebat quidem id temporis Roboamus annum ætatis unum & quadrageſimum, ut apparet è 1 Reg. 14: 21. ac 2 Chronic. 12: 13. Nam altero loco 40. altero 41. annorum fuiſſe dicitur, cum regnare inciperet, cum in Ebræo, tum in verſione Chaldaica Jonathanis, Syriaca, Arabica, ipſaque Græca τοῦ ό. Quamquam eadem verſio 1 Reg. 12. in Veneta & Rom. edd. quæque eas ſequuntur, ei ſolummodo 16. annos tribuit: καὶ ἐβασίλευσε Ῥοβοὰμ, —— υἱὸς ὢν ἑξκαίδεκα ἐτῶν ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. quæ verba & Lucifer Calaritanus libro de regibus apoſtaticis ſic laudat: *Et erat ſedecim annorum, cum regnare cœpit.* Atque ſic & Sulpicius Severus (r): *Cum Roboam filius* (Salomonis ſcilicet) *anno ætatis ſexto & decimo regnum patrium tenere cœpiſſet.* Quem locum Sigonius ac Druſius mendoſum cenſent (s), mendumque ex notis ortum, L. in V. verſo: eoque corrigendum audacter, *uno & quadrageſimo.* quos etiam ſequitur Jac. Salianus, in annalibus V. T. (t) Non ignoro, ſæpius has litterarum notas permutari, cum in ſcriptis editiſque codicibus, tum præſertim in ſaxis veteribus. Attamen cum codices Sulpicii ad unum omnes conſtanter habeant *anno ſexto & decimo*; eumque numerum jam ante eum ex Græca τοῦ ό verſione repræſentarit Lucifer; potius dixerim Sulpicium, aut hunc, aut ipſam Græcam tranſlationem ſequutum, ita ſcripſiſſe. Cæterum vir ſummus in chronologia ſacra (u) loco 1 Reg. 12. inductus, exiſtimabat, *olim in codicibus Hebrais quoque pro QUADRAGINTA ET UNUM ſcriptum fuiſſe SEDECIM: ſane pro minore numero plurimum illud facere, quod Roboamus adoleſcens admodum fuiſſe videatur, cum rex fieret, utpote qui puerorum & æqualium ſuorum conſilia dicatur prætuliſſe conſiliis ſeniorum.* Videtur tamen mox ipſe huic conjecturæ diffidere. Sed & vir maximus alius (x) adnotavit, 1 Reg. 14: 22. *putaſſe viros doctos errorem eſſe numeri, & ſcriptum fuiſſe VIGINTI: adferreque in argumentum ſuæ ſententiæ cap. 3: 7. 1 Paralip. 22: 5. & cap. 10: verſ. 8. & cap. 11: verſ. 17.* Quoſnam viros doctos deſignet, fateor me ignorare; vellemque nominaſſet: nam chronologiam ſacram, à nobis modo laudatam, videre non potuit. Id ſcio, nulla in locis adductis correctione textus Ebraici opus eſſe; quippe cujus lectionem tot verſiones, ipſaque LXX viralis confirmant. Agnoſcitque & Joſephus, cum VIII Antiquit. Jud. cap. IV ait, *Roboamum vixiſſe annos LVII, regnaſſe XVII.*

IX. Neque aliud evincunt, quæ adverſus eam lectionem adlegantur. Nam quod 1 Reg. 12 Roboamus υἱὸς ἑξκαίδεκα ἐτῶν fuiſſe dicitur, neutiquam à verſionis illius auctoribus eſt. Totaque illa pars capitis à verſu 24. uſque ad illa, καὶ ᾠκοδόμησεν Ἰεροβοὰμ Σίκιμα, à quibuſdam codicibus, ac editione Complut. & quæ ex ea expreſſæ ſunt, abeſt; ac Waltono *è diverſis aliarum verſionum locis conſarcinata videtur.* Teſtaturque Nobilius (y), *in aliquo libro ſignis quibuſdam eſſe notata, quibus indicetur ea multis modis eſſe repetita, tranſpoſita, confuſa, male cohærentia.* Neque in Anglicano codice, uno in loco ſimul habentur. Æquales & σύντροφοι Roboami, *pueri* quidem, יְלָדִים, παιδάρια, & à Joſepho μειράκια vocantur. Sed inſolitum non eſt tam ſacris, quam profanis ſcriptoribus iis vocibus etiam adultiores deſignare, ſive per μείωσιν & contemtum; ſeu propter ruditatem & imperitiam; ſeu denique conſuetudine loquendi. Sane David cum Goliatho pugnaturus, 1 Sam. 17: 33. Abſolom, jam quattuor liberorum pater, 2 Sam. 18: 5. 12. 29. 32. Iſaacus annos XXV. ut volunt, Gen. 22: 5. 12. & Joſephus jam annos XXVIII. natus, Gen. 41: verſ. 12. נְעָרִים ſive *pueri* appellantur. Et Ruth. 1: 5. filii Elimelechi, Machlon & Chilion, qui annos decem in matrimonio tranſegerant, יְלָדִים vocantur. Denique Gen. 43: 8. Benjamin decem liberorum pater, in Græca verſione παιδάριον dicitur. Non itaque mirum eſt, æquales Roboami, rerum ob ætatem imperitos, per contemtum *pueros* dici. 1 Reg. 3: 7. Salomo jam rex *parvum* quidem *puerum* נַעַר קָטֹן, ſe vocat; & à Davide paullo ante mortem, 2 Paral. 21: 5. נַעַר וָרָךְ, *puer & tenellus* appellatur. eoque videri poſſit nondum pater factus; quod tamen factum oportet, ſi Roboamus anno regni ipſius XL, annum XLI egit. Verum idem jam ante & *vir ſapiens* à patre dictus fuerat, 1 Reg. 2: 9. Igitur à patre ac ſemetipſo per extenuationem *puer* appellatus videtur. 1 Paralip. 10: 8. & 11: 17. nihil invenio, quod correctionem ſuadeat; imo nec quidquam, quod ulla ratione huc trahi poſſit. Fortaſſe Grotius reſpexit locum 2 Paral. 10: 8. ubi æquales Salomonis *pueri* vocantur. de quo jam diximus.

X. Stat igitur hactenus inconcuſſa veritas Ebraica, quæ Roboamum, cum regnum adipiſceretur, annos XL natum fuiſſe dicit. Nihilominus tamen recte νεώτερος ſive *junior* dici potuit: quomodo & Syrus ܛܠܝܐ, *adoleſcentem*, & Arabs طفلا قليل الايام, *parvulum paucorum dierum*, vocat. Nec aliter recentiores. Lutherus: **Rehabeam war jung.** Atque ſic & Gallica Genevenſis, Anglica regia, Belgica noviſſima, & Italica Diodati. Junio quoque & Tremellio *puer* eſt. Nempe ſolent ſacri profanique ſcriptores nominibus illis, quibus vulgo *adoleſcentiam & juventutem* deſignamus, interdum *adultam* quoque ac *virilem ætatem* denotare. Sane Polybius T. Flamininum, annos XXX natum, & Hieronem annorum XXXV, & Philippum Macedonem annum agentem trigeſimum, κομιδῇ νέους, hoc eſt *valdè juvenes*, appellavit. Joſephus quoque Alexandrum regem annos XXX ſuperantem, & Davidem anno ætatis undetrigeſimo cum Goliatho pugnaturum, νεανίσκους vocat. De quo videndus Caſaubonus exercitatione I adverſus Baronium ſectione XXXIV, & commentario poſthumo ad librum I Polybii (z); ac Jo. Dallæus lib. I de ſcriptis Dionyſii & Ignatii, cap. XXIX. Immo ipſæ ſacræ litteræ, ſecundum Græcorum interpretationem, Ierem. 50: 44. Cyrum annum regni XIX agentem, πάντα νεανίσκον: Ioſuam vero, XLV minimum annos natum, Exodi 32: 10. νέον appellant. Iam ſi νεανίσκοι, imo κομιδῇ νέοι, dici poſſunt, qui non ita longe abſunt ab annis XLI; quidni νεώτερος appellari queat, qui vix annos XL habet? Præſertim ſi comparative vox iſta accipiatur; quomodo ſæpe eam accipi, ac non abſolute juvenem vel adoleſcentem, ſed tantum alio juniorem notare, obſervo. Ut in illa Menelai apud Homerum (a) adloquentis Antiochum:

Ἀν-

(r) *Hiſt. ſacr. l. 1. cap. ſec. Schotan. 72. ed. Vorſt. 41.* (s) *in adnot. ad Sulpicium.* (t) *ad ann. M. 3060. ſcholio 1.* (u) *c. 6. pag. 122.*

(x) *H. Grot. in not. ad eum locum.* (y) *in not. ad verſ. LXX. interpr.* (z) *pag. 86. edit. Pariſ. anni 1617.* (a) *Iliad.*

Ἀντίλοχ᾽ ὅτις σεῖο νεώτερος ἄλλος Ἀχαιῶν.

Et in altero (b) Antilochi ad Menelaum:

—— Πολλὸν γὰρ ἔγωγε νεώτερός εἰμι
Σεῖο ἄναξ Μενέλαε.

Sic in sacris litteris sæpissime πρεσβύτεροι & νεώτεροι simpliciter & immediate opponuntur, ac omnem ætatem comprehendunt: ita ut νεώτεροι sint quicunque non sunt senes. Quomodo & Latini interdum *juniorum* appellatione omnes, qui senectutem nondum attigere, comprehendunt. Ut in illo Taciti, annali 1. cap. 3. *Juniores post Actiacam victoriam; etiam senes plerique inter bella civium nati.* Quo pertinent ex iis quæ superiori capite adduximus, Joann. 21: 18. 1 Tim. 5: 1, 2, 9, 11, 14. Tit. 11: 2, 6. 1 Pet. 5: 5. ex illis vero, quæ mox adferemus, Psalm. 148: 12. Nec aliter quam comparative accipitur, cum solum ordinem nascendi notat, opponiturque vel πρωτοτόκῳ, ut Gen. 43: 33. 3 Regum. 16: 34. vel ἀδελφοῖς fratrum aut sororum natu majoribus, ut Gen. 19: 31. 34, 35, 38. cap. 29: 26. 48: 14. Psalm. 151: 1. & in omnibus illis locis, ubi τῷ קָטֹן, aut קְטַנָּה respondet. Certe nec vetulæ fuere major filia Lothi ac Lea; neque fratres Jacobi, qui cum Rubeno in Ægyptum venerant, adolescentes; & tamen illæ πρεσβύτεραι, hi νεώτεροι appellantur. Sic viduæ omnes, quæ non attigerunt annum ætatis sexagesimum, à Paullo νεώτεραι vocantur: quarum tamen multæ hauddubie annum ætatis quadragesimum egressæ erant. Ut nemini incongruum videri debeat, Roboamum 40. annos natum vocari νεώτερον. Quod si tamen absurdum alicui videbitur, sic vocari tot annos natum; saltem illud concedet, νεώτερος eo loco instar juvenis *rudem*, (qua voce Latina vulgata heic utitur) & consilii expertem, militiæque imperitum, designare. Vel, ut notæ Maresianæ exponunt, *juvenem animo, ratione vivendi, & promtitudine: h. e. qui neque animo nec experientia bellator erat.* Quod satis est adserenti, hanc vocem nunquam antiqui Fœderis Interpretibus *novum* significare, sed semper respectum involvere ad juventutem.

VII. Eidem נַעַר respondet etiam locis sequentibus. Jobi 24: 5. de agrestibus pauperibus (de quibus Franc. Junius ac Jo. Coccejus, etiam posteriora hæc commatis hujus verba accipiunt) qui similes dicuntur onagris, ad cibum catulis suis parandum egredientibus; sive potius, si Lutherum, Deodatum, notas Maresianas, & D. Seb. Schmidium, nuperrimum accuratissimumque ejus libri interpretem sequimur, de impiis & raptoribus pauperes adfligentibus: ἡδύνθη αὐτῶν ἄρτος εἰς νεωτέρους; seu, ut est in vetustissimo codice Alexandrino ad Regem Angliæ misso, ἡδυνήθη ἡ αὐτοῦ ἄρτος εἰς νεωτέρους. Ubi tamen pro ἡδυνήθη legendum ἡδύνθη; ut recte Patricius Junius conjecit. Symmachus reddidit: ἡδὺς ἑκάστῳ αὐτῶν ἄρτος εἰς νεανίσκους. Bene utrique, quantum ad posteriora commatis ejus; male quod ad priora, in quibus videntur respexisse verbum עָרֵב *dulcis fuit*. At in Ebræo est: עֲרָבָה לוֹ לֶחֶם לַנְּעָרִים: *Campus* (vel *solitudo*) *ei panis pro pueris.* Hoc est, si de pauperibus accipias, cum ipsi nil habeant quod dent catulis suis, cibus illis in campo quærendus est: Vel, si de impiis, homines in deserto laborantes coguntur cibum præbere, vel cibi loco sunt pueris eorum. Nisi velis ante τὸ לַנְּעָרִים copulam subaudiri. Quomodo Angli reddiderunt: *the wildernis yeeldeth food for them end for their children.* i. e. *desertum suggerit cibum ipsis & pueris eorum.* Et Belgæ: *'t vlacke velt is hem tot spyse, [ende] den jongeren.* Psalm. 36. (juxta Græcos, sed juxta Ebræos 38.) commate 25. Νεώτερος ἐγενόμην, καὶ γὰρ (Ed. Rom. καὶ Symmachus: ἀλλὰ καὶ) ἐγήρασα. Psalm. 118. (Ebræis 119:) 9. Ἐν τίνι κατορθώσει νεώτερος (Symmachus: λαμπρυνεῖ ὁ νεώτερος) τὴν ὁδὸν αὐτοῦ; Psalm. 148: 12. Νεανίσκοι καὶ παρθένοι, πρεσβύται μετὰ νεωτέρων, αἰνεσάτωσαν τὸ ὄνομα κυρίου. Ecclesiastæ 10: 16. Οὐαί σοι πόλις, ἧς ὁ βασιλεύς σου νεώτερος. Jesaiæ 40: 30. Πεινάσουσι νεώτεροι, καὶ κοπιάσουσι νεανίσκοι. Jeremiæ 1: 6. Ἰδοὺ οὐκ ἐπίσταμαι λαλεῖν ὅτι νεώτερος ἐγώ εἰμι. Et commate sequenti: Μὴ λέγε ὅτι νεώτερος ἐγώ εἰμι.

VIII. Τῷ צָעִיר & feminino צְעִירָה in istis respondet. Genes. 19: 31. εἶπε δὲ ἡ πρεσβυτέρα πρὸς τὴν νεωτέραν. De filiabus Lothi: quarum junior similiter νεωτέρα vocatur comment. 34: 35. 38. Cap. 29: 26. Laban: Οὐκ ἔστιν οὕτως ἐν τῷ τόπῳ ἡμῶν, (ed. Compl. τόπῳ τούτῳ) δοῦναι τὴν νεωτέραν πρινὴ τὴν πρεσβυτέραν. (ed. Compl. πρὶν τῆς πρεσβυτέρας.) Cap. 43: 32. Ἐκάθισαν ἐναντίον αὐτοῦ (Josephi) ὁ πρωτότοκος κατὰ πρεσβεῖα αὐτοῦ, καὶ ὁ νεώτερος κατὰ τὴν νεότητα αὐτοῦ. De fratribus Josephi secundum ætatem collocatis. Cap. 48: 14. de Ephraimo: οὗτος δὲ ἦν ὁ νεώτερος. 3 Regum. 16: 34. de Achiele Hierichunta ædificante: Ἐν τῷ Ἀβειρὰν πρωτοτόκῳ αὐτοῦ ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, (Compl. αὐτῇ) καὶ ἐν τῷ (Rom. καὶ τῷ) Σεγοὺβ τῷ νεωτέρῳ αὐτοῦ ἐπέστησε τὰς θύρας αὐτῆς. Jobi 32: 6. Νεώτερος μέν εἰμι χρόνῳ· ὑμεῖς δὲ ἐστε πρεσβύτεροι. Ps. 118. (Ebr. 119:) 140. Νεώτερος ἐγώ εἰμι καὶ ἐξουδενωμένος. Jerem. 14: 3. οἱ μεγιστᾶνες αὐτῆς ἀπέστειλαν τοὺς νεωτέρους αὐτῶν ἐφ᾽ ὕδωρ.

IX. Denique τὸ קָטֹן ejusque femininum קְטַנָּה passim per τὸ νεώτερος exprimitur, cum id è fratribus sororibusve natu minorem designat: usurpaturque de Chamo, Genes. 9: 24. de Jacobo, cap. 27: 15: 42. de Rachele, cap. 29: 16. & 19. de Benjamine, cap. 42: 13, 15, 20, 34. 43: 29. 44: 2, 12, 20. 23, 26. de Ephraimo, cap. 48: 19. de Othoniele, fratre Calebi minore, Judic. 1: 12. 3: 9. de Joathamo, minimo natu filio Jerub Baalis, cap. 9: 5. de sorore minore uxoris Simsonis, cap. 15: 2. de fratribus minoribus inter Levitas, 1 Paral. cap. 24. (Ebr. 25.) 31. de Sodoma, minore sorore Hierosolymæ urbis, Ezech. 16: 45. (Ebr. 46.) & 60. Semel etiam, cum ἀδελφοῖς opponitur senioribus, sive adultioribus; 2 Paral. 15: 13. ἀπὸ νεωτέρου ἕως πρεσβυτέρου; i. e. omnis ætatis homines; tam juniores, quam seniores.

X. In his omnibus, ut dixi, νεώτερος nunquam *novum*, sed plerumque juniorem καθ᾽ ἡλικίαν, sive absolute, sive comparative; semel atque iterum juvenem καὶ ἦθος, hoc est, juvenis instar rudem & contemtum, significat. Διαφέρει δ᾽ οὐθὲν νέος τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεαρός, ait, etsi alio sensu, Aristoteles 1. Ethicorum (c). Etiam Theodotion hac voce sic usus est. Nam Jobi 30: 1. quod in Ebræo est צְעִירִים לְיָמִים, quodque Aquila βραχεῖς ταῖς ἡμέραις; Græca vulgata, cum qua & codex Alexandrinus consentit, male transtulit ἐλάχιστοι: ipse reddidit, νεώτεροι ταῖς ἡμέραις. Nec alio significatu accepit idem, cum initium Psalmi primi sic transtulit: Τέλειος ὁ νεώτερος, ὃ οὐκ ἀπῆλθεν ἐν βουλῇ ἀσεβῶν. Quod etiam Quinta & Sexta editiones retinuerunt. Nescio vero quid illis in mentem venerit, ut Ebræum אִישׁ per νεώτερος redderent. Neque enim memini id vel heic vel alibi sic exponi. Nisi quod duo exploratores in Palæstinam missi Josuæ 11: 1, 3, 23. & cap. 6: 22. in Græca vulgata δύο νεανίσκοι vocantur, cum in Ebræo sit שְׁנַיִם אֲנָשִׁים, & שְׁנֵי הָאֲנָשִׁים, *duo viri*, quod etiam Chaldæus, Syrus, & Arabs vocibus idem significantibus expresserunt. Immo in MS. Oxon. & ed. Compl. cap. 11: 1. diserte pro νεανίσκοι scriptum ἄνδρες. abestque vs. 2. τὸ νεανίσκοι. Sed ibi Græcus interpres ad sensum potius, quam phrasin, videtur respexisse.

XI. An alibi vel idem Theodotion, vel Symmachus, Aquila, aut quis alius Græcorum interpretum, sive in iis reliquiis quæ in Romana, Francofurtensi, Parisiensi, & Londinensi editionibus, ac fragmentis à Drusio collectis habentur; sive in illis quæ præterea in MSS. codicibus reperiuntur (nam in his non est dubium, quin multa dictorum Interpretum fragmenta adhuc inedita lateant: & proferemus aliquando ipsi, εἰ θελήσει ὁ ὑπὲρ ἡμᾶς, non pauca hujus generis, quæ neque dictæ editiones, neque Drusius habent, ex vetustis admodum membranis bibliothecæ Academicæ Lipsiensis, quæ partem Exodi, cum Levitico & Numeris, ac principio Deuteronomii, discrepantesque lectiones, fragmenta aliarum versionum, variaque scholia, adscriptis etiam sectionum majorum minorumque, in quas libri singuli dispescuntur, numeris, majorumque lemmatis sive titulis, continent:) an, inquam, hi alibi voce νεώτερος hoc aliove modo usi sint, viderint quibus plus ocii est. Nobis non vacat cuncta eorum perquirere, nec fortassis operæ pretium facere mus.

XII. Id unicum addo; etiam in Apocryphis V. T. libris hanc vocem eodem sensu usurpari. In Oratione Siracidæ cap. 41: 18 (d): Ἔτι ὢν νεώτερος πρινὴ πλανηθῆναί με, ἐζήτησα σοφίαν. In historia Susannæ comm. 44. de puero Daniele: ὁ θεὸς (editio Rom. κύριος) ἐξήγειρε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον παιδαρίου νεωτέρου. Psal. 151: 1. (quem locum in indice Concordantiarum omisit Kircherus:) Μικρὸς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου, καὶ νεώτερος ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρός μου. Imo & Baruchi 3: 19, 20. (quem locum, pariter à Kirchero neglectum, olim ὁ πάνυ Reinesius nobis indicavit) non necesse est aliter accipi. Verba

(b) *Iliad.*

(c) *Cap. 1. edit. Casaub. & Du-Vallii, sed juxta alios cap. 4.* (d) *edit. Camerar. vs. 19. edit. Hoeschel. vs. 17.*

Verba ſunt de magnatibus loquentis, quibus mortuis ſucceſſerunt alii: ἠφανίσθησαν καὶ εἰς ᾅδου κατέβησαν, καὶ ἄλλοι ἀνέστησαν (Codex Angl. & ed. Compl. ἀντανέστησαν) ἀντ' αὐτῶν. Νεώτεροι εἶδον φῶς, καὶ κατῴκησαν ἐπὶ τῆς γῆς. Ad quem locum (e) Hugo Grotius: Νεώτεροι, inquit, *videtur ad hunc ſenſum pertinere, ut ſignificet, non juniores; ſed novos reges illis ſucceſſiſſe.* Sed quæ neceſſitas nos adigit, ut recedamus à proprio & recepto vocis ſignificatu? Quidni juniores eſſe potuere, qui ſucceſſerunt; nempe filii priorum aut poſteri, (quomodo Lutherus, die Nachkommen; & Belgæ, de nakommelingen:) & fortaſſis illi ipſi, quos mox comment. 13. υἱοὺς αὐτῶν vocat, cum ait; Οἱ υἱοὶ αὐτῶν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν πόῤῥωθεν ἐγενήθησαν? Et quid vetat eosdem & ἄλλους eſſe, & juvenes atque priorum principum poſteros? Sane vulgata Latina verſio *juvenes* reddidit; ſicuti Syrus, ܛܠܝ̈ܐ; Arabs, شباب: quorum utrumque *adoleſcentem* deſignat. Etiam Junio ac Tremellio ſunt *juniores*; ſicuti Genevenſibus *jeunes*; Anglis, *young men*; Danis, de unge; Deodato, *giovani*.

XIII. Sed non eſt cur ea cura nunc valde nos teneat, ut ex apocryphis ſcriptoribus teſtimonia congeramus. Nam ad vim ac pondus argumento noſtro conciliandum ſatis eſt, ſi in libris Canonicis, imo ſi in ſolo N. F. numquam *novum* τὸ νεώτερον deſignat, ſed ubique juniorem aut καθ' ἡλικίαν aut καὶ ἦθος. Semper autem hoc ſenſu uſurpari, id puto manifeſtiſſimum eſſe ex inductione tot locorum, quæ idcirco prolixius adduximus, ut etiam illi, quibus non vacat textum ſacrum evolvere, de veritate adſertionis noſtræ poſſint ſtatuere. Jam æquum eſt nos credere & præſumere, non alia ſignificatione Paullum derivato uſum, quam qua primitivo ipſe, aliique ſcriptores ſacri, uſi ſunt. Unde ſequitur, commodius νεωτερικὰς ἐπιθυμίας de juvenilibus concupiſcentiis, quam de ſtudio rerum novarum accipi: præſertim cum ipſius derivati uſus id ſuadeat, ut in ſequentibus oſtendemus.

(e) *Annot. ad V. T. Tomo 3. p. 310.*

CAPUT V.

Tertium argumentum ab uſu ipſius vocis νεωτερικὸς *deſumtum. Eam quandoque* juvenilem *ſignificare, è Joſepho, libro de virginitate Athanaſio adſcripto, & Gellio oſtenſum: eaque in re inſignis error Salmaſii & viri docti alterius. Adoleſcentes plerumque arrogantes, creduli, adulatoribus obnoxii, & lingua intemperantes. An Athanaſius auctor ſit libri de virginitate. Locus in eo leviter emendatus. Gellius illuſtratus. Non videri* τὸ νεωτερικὸς *usquam id deſignare, quod circa res novas verſatur; ſed, ad ſummum,* recens *ac* novum. *in exemplis vero à Salmaſio adlatis ne id quidem neceſſario deſignare.* Neoterici *Scriptores unde dicti. Suas etiam ſcriptoribus ætates eſſe.* Νεωτερικὴ τάξις *apud Ignatium.*

§. I.

Νεωτερικὰς ἐπιθυμίας apud Apoſtolum commodius exponi *juveniles cupiditates*, quam *novas*, clariſſime evincit uſus ipſius vocis νεωτερικὸς; quæ ſubinde profanis & eccleſiaſticis ſcriptoribus *juvenilem* deſignat. Quod miror negaſſe Salmaſium, virum in Græcis ſcriptoribus aſſidue verſatum, & in eo literarum genere ſuæ ætatis haud dubie principem. Νεωτερικὸς *quoque*, inquit (a), *non juvenem ſignificat, vel juvenilem, ſed novum, quod* καινὸν *deſignat. Unde* νεωτερίζειν, *&* νεώτερα ποιεῖν, *& unico verbo* νεωτεροποιεῖν, *innovare, res novas moliri. Hinc NEOTERICI auctores ac ſcriptores Servio novi ac recentes, qui opponuntur antiquis.* Similiter vir doctus alter (b), improvide Salmaſium ſecutus; *Vox* νεωτερικὸς, ait, *à* νεώτερον, *ſicut* ἐσωτερικὸς *vel* ἐξωτερικὸς *ab* ἐσώτερον *&* ἐξώτερον, *deducta, NOVUM ſeu NOVATURIENTEM melioribus Græciſmi auctoribus conſtanter deſignat: ubi autem JUVENILEM notet, nusquam reperio.* Mox, ubi Grotium νεωτερικὰς ἐπιθυμίας *juveniles gloriolas* exponentem notat (c): *Cur autem*, inquit, *Grotius non ullo exemplo oſtendit, eam vocis* νεωτερικὸς *ſignificationem, quam ipſe vult, à Græcis admitti? ipſi hoc* ἀδεσπότως *aſſerenti fidem habeat, cui volupe eſt; nobis non licet eſſe tam credulis.* Denique paullo inferius (d): *Aliud eſt* νεανικὸν, *aliud* νεωτερικὸν. *Hoc omnino novitatem complectitur. Unde & in Latium traducta voce NEOTERICI autores Servio ſunt NOVI ac RECENTES, qui opponuntur antiquis; & eodem ſenſu Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium NEOTERICOS laudat.* Subjungit deinde, idem confirmari eximio Ignatii in epiſtola ad Magneſios loco, ubi νεωτερικὴ τάξις ſit idem, quod *novus ordo, novellum inſtitutum.* Quomodo & Salmaſius illum locum expoſuerat. De quo prolixe dicemus cap. ſequenti.

(a) *Appar. pag. 58.* (b) *diatrib. hiſtorico-theolog. pag. 1.*

II. Equidem H. Grotio non erat vitio vertendum, quod nullo exemplo oſtendit, νεωτερικὸς *juvenilem* deſignare: cum compertum habuerit, non ſolum idoneos ſcriptores ſic ea voce uſos eſſe, ſed etiam Lexicographos & Gloſſaria vetera Græcolatina (e) paſſim eam hoc modo exponere. Nobis autem omnino exempla adducenda ſunt, poſtquam ea vocis ſignificatio ab adverſæ ſententiæ auctoribus in dubium vocari cœpit. Confirmabimus ergo, quod diximus, loco uno & item altero, qui nobis ultro, & aliud agentibus, ſe obtulerunt. quanquam non dubitamus, plura apud idoneos auctores inventurum, qui cum cura eos evolvere voluerit. Ut omittam exempla, in quibus νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι, alluſione ad verba Apoſtoli, pro juvenilibus cupiditatibus ſunt poſitæ, (quale eſt, quod in Græcis aliquot codicibus Euſebii in appendice lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ (f) legitur, ubi Apphianus, adoleſcens & mox martyr, τῶν νεωτερικῶν ἐπιθυμιῶν ὑπέρτερος γενόμενος dicitur) inprimis illuſtris eſt locus Joſephi extremo 16. (g) antiquitatum Judaicarum, ubi cum de Alexandro & Ariſtobulo ab Herode patre interfectis expoſuiſſet, ſubjicit; *merito dubitari poſſe, ſitne in adoleſcentes ea culpa conferenda; an in patrem durum, & ſocium regni non ferentem; an denique in fortunam, omni ratione validiorem. Ac de fortuna quidem, ſufficere leviter attigiſſe rem arduam & difficilem: è duabus autem reliquis cauſſis, quod filios attinet, horum juvenilem arrogantiam & faſtum regium accuſari poſſe, patris vero plane pudendum & inexcuſabilem errorem eſſe.* Τῶν δὲ ἄλλων δύο, τὴν μὲν ἀπὸ παίδων μέμψεται ἄν τις αἰτίαν, ὑπὸ αὐθαδείας νεωτερικῆς, καὶ βασιλικῆς οἰήσεως, κτλ. Recte recentior interpres (nam in antiqua verſione, quæ vulgo Ruffino tribuitur, tota illa poſtrema capitis ejus pars, tam in editis, quam MSS. codicibus, quos vidimus, omnibus, quemadmodum & in Germanica Hedionis, deeſt) tranſtulit: *accuſare quis poſſet eorum JUVENILEM ARROGANTIAM & faſtum regium.* Genebrardus etiam: *l' arrogance leur jeuneſſe.* Antonius de la Faye: *leur arrogante jeuneſſe.* Et noviſſime Andilius: *cette audace qui n' eſt que trop ordinaire aux perſonnes de leur age.* Recte, inquam, omnes. Neque enim aliud intelligi poteſt. Propria ſcilicet ei ætati eſt αὐθάδεια; ac, ut ait Metrodorus apud Stobæum (h):

Τὸ νέον ἅπαν ὑψηλόν ἐστι καὶ θρασύ.

Et ab eadem juventute profecta ſunt, quæ Joſephus addit: quod nempe *calumniatoribus patris faciles aures præbuerunt*, quodque *maligni in ſuſpicando, ſed in dicendo intemperantes, ac ob utrumque obſervatoribus & indicibus fuere obnoxii.* Διαβολῶν ἠνείχοντο κατὰ τοῦ πατρὸς, κακοήθεις μὲν (aberat hæc particula à MS. codice Schleuſingenſi, ab editore addita) ὑπονοεῖν, ἀκρατεῖς δὲ λέγειν δι' ἃ ἁλωτοὶ δὲ δι' ἀμφότερα τοῖς ἐπιτηροῦσιν αὐτοὺς, καὶ πρὸς χάριν καταμηνύουσιν. Nam hos adoleſcentiæ nævos eſſe, ſubinde prudentes monent. De credulitate Plurarchus Catone minore (i): Πείθονται μᾶλλον νέοι γερόντων. Ariſtoteles quoque 2 Rhetoric. 12. ait εὐπίστους eſſe juvenes, quia nondum in multis decepti ſunt. Præcipue adulatoribus obnoxii ſunt: quales haud dubie fuere, qui Herodem apud filios calumniabantur. Plutarchus de pueror. educatione (k): Γένος οὐδέν ἐστιν ἐξωλέστερον οὐδὲ μᾶλλον καὶ θᾶττον ἐκτραχηλίζον τὴν νεότητα, ὡς τῶν κολάκων. Vide ibi plura

Tttt in

(c) *Pag. 2.* (d) *pag. ead.* (e) *vid. Jo. Dartes de Ordin. Eccleſ. 1: 14. pag. 80.* (f) *pag. 93. edit. Rob. Steph. ſed Valenſianæ, 323.* (g) *cap. 17. pag. 580. edit. Græcolat. Genev.* (h) *ſerm. 30.* (i) *p. 760.* (k) *p. 13.*

in hanc rem. Unde ſubinde ab illis adliciuntur. De Severi Imp. filiis Herodianus (l): Νεανίας σφελγόντας ἑκάστου τῶν κολακευόντων ἀνθεῖλον πρὸς αὐτούς. Denique linguæ intemperantia paſſim libere effundunt quidquid ſub pectore ſervant.

III. Eodem ſignificatu uſus hac voce eſt auctor libri περὶ παρθενίας ἢ περὶ ἀσκήσεως inſcripti, qui tomo 1. operum Athanaſii habetur. Non ille quidem S. Athanaſius (nam inter dubia aut ſuppoſita ejus recte hunc librum recenſent Eraſmus, Cocus, Perkinſus, Scultetus, Rivetus: itemque Chamierus tomo 11. panſtratiæ libro 19. cap. 4. & Ger. Jo. Voſſius in epiſtola (m) ad Salmaſium, quæ ſub finem epiſtolæ de Coma legitur: meminit enim τοῦ τρίτου τάγματος τῶν ἀγγέλων; quod ſuſpicionem injicit, eum juniorem fuiſſe Pſeudodionyſio, Hierarchiæ cœleſtis fabricatori, quem plerique cordatiores ſæculo quinto, aut Theodoſii junioris, vel extremis B. Hieronymi, temporibus; recentiores quidam demum initio ſæculi ſexti vixiſſe cenſent:) valde tamen antiquus, & florente Græcia ſcribens. Cujus inter præcepta ſacris virginibus data hoc legitur (n): ἐπιλάθου τὰ νεωτερικὰ σχήματα, ἵνα λάβῃς τιμὴν τῆς καλῆς χήρας. Mox ſubjicit: οὐδὲ εἰ μὴν οὐ ποιεῖς τὰ νεωτερικὰ σχήματα, οὐκ ἀκούεις νεωτέρα, ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέρα. Sic legendum è Baſilienſi & Cantabrigienſi codicibus, pro eo quod in editis eſt νεώτερα & πρεσβύτερα. Νεωτερικὰ σχήματα vocat habitum, quo puellæ ac adoleſcentulæ uti ſolent. Quod manifeſtum eſt ex iis, quæ adduntur. *Ut honorem*, inquit, *bonæ viduæ accipias*. Et: *Non audies juvencula, ſed vetula.* Idemque patet ex deſcriptione veſtium, quæ ibidem ſubjecta eſt. Ne quis, novum ac recens natum genus veſtium notari, exiſtimet.

IV. Denique & apud Gellium νεωτερικώτερος idem eſt, quod *juvenilior*. Ejus cap. 25. lib. 13. ſic habet: *Parthenii Poëtæ verſus eſt:*

Γλαύκῳ καὶ Νηρῆϊ καὶ Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ.

Eum verſum Virgilius æmulatus eſt. itaque fecit duobus vocabulis venuſte immutatis parem:

Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Sed illi Homerico non ſane re parem neque ſimilem fecit. Eſſe enim videtur Homeri ſimplicior & ſincerior; Virgilii autem νεωτερικώτερος, *& quodam quaſi ferrumine immiſſo fucatior:*

Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Recte viri docti, qui Græca ejus ſcriptoris vocabula expoſuerunt, νεωτερικώτερος explicant *audacior*, *juvenilior*. Nam & *ſimpliciori* ac *ſinceriori* opponit: & *fucatioris* voce, tanquam idem ſignificante, declarat. Quorum neutrum *recentiori*, utrumque vero *juvenili* optime congruit. Nam juniorum ac adoleſcentum, & tironum eloquentiæ, veluti proprium eſt genus dicendi lætum, luxurians, floridum, & fucatum; ſicut ex adverſo ſenes ſevera, ſimplexque ac gravis dictio decet. Quintilianus 11. inſtitut. orator. cap. 1. *Ipſum etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum & erectum & audax, & præcultum ſenibus convenerit, quam preſſum & mite & limatum, & quale intelligi vult Cicero, cum dicit, orationem ſuam cœpiſſe caneſcere: ſicut veſtibus quoque non purpura coccoque fulgentibus illa ætas ſatis apta ſit. In juvenibus etiam uberiora paullo & pæne periclitantia feruntur. At in iiſdem ſiccum, & ſolicitum, & contractum dicendi propoſitum plerumque affectatione ipſa ſeveritatis inviſum eſt: quando etiam morum ſenilis auctoritas, immatura in adoleſcentibus creditur.* Atque hoc ipſo laudati Homeri Virgiliique verſus diſtant. Ille enim ſimpliciſſime ac breviſſime, ſineque ornatu ullo ac fuco, compoſitus eſt: at Virgilianus ei non ſolum impar, quippe duabus vocibus auctior; ſed & florentior ac fucatior; cum & *pulchri* epitheton ſit additum, & genus orationis per apoſtrophen commutatum. quo utroque plena & erecta, ac quodammodo adfectata redditur oratio.

V. Id ergo liquet, vocem νεωτερικὸς *juvenilem* idoneis ſcriptoribus deſignare. Contra eadem vix unquam id quod Salmaſius & vir doctus alter volunt, hoc eſt, eum qui verſatur circa res novas (nam *rerum novarum cupiditates* intelligi ajunt) ſed, vel ipſorum ſententia, tantummodo *novum* deſignat: ſaltem in iis exemplis, quæ pro nova expoſitione adlegantur. Quippe *neoterici* ſcriptores non illi ſunt modo, qui res novas tractant, ſed quicunque nuper, de antiquiſſimis quamlibet rebus, ſcripſere. Etiam νεωτερικὴ τάξις apud Ignatium, ſi maxime, ut illi volunt, accipiatur, tantum erit *recens inſtitutum*, *nuper natus ordo*. At quemadmodum aliud eſt *carnalis*, aliud *caro*: *mundus* aliud, aliud *res mundanæ*: ita diſtant pariter *novum* & *quod eſt rerum novarum*, ſive *quod in res novas fertur*. Ex adductis exemplis, ad ſummum, illud elicias, poſſe νεωτερικὰς ἐπιθυμίας exponi *novas cupiditates*; non item, etſi fidiculas adhibeas, *ſtudia rerum novarum* indicari. At quis dixerit, *novas* cupiditates hoc loco vetari? An nil amplius appetere deinceps Timotheus, quam quod ante concupierat, debuit? Et cur ſolum novæ vetarentur? num veteres, & quæ tam frequentes inter juvenes erant, innoxiæ Paullo videbantur? Credo, ne ipſos quidem, qui diverſum heic ſentiunt, hæc conceſſuros.

VI. Dicam amplius. Ne id quidem neceſſe eſt admittere, adductis exemplis liquido demonſtrari poſſe, νεωτερικὸς unquam *novum* deſignare. Quinimmo fidenter adfirmo, utrobique de ætate poſſe accipi. Nam quod ſcriptores quidam *neoterici* vocantur, id non opus eſt *recentes* exponere. Poſſunt & ideo ſic dici, quod ſint *juniores*. Certe veteribus, & qui hodie purius loquuntur, *juniores* appellantur; ut notavit Varro ſæculi noſtri, Ger. Jo. Voſſius, in 1. de vitiis ſermonis cap. 18. Sunt enim ut aliis rebus, ita & ſcriptoribus ſuæ velut ætates; à quibus, ut quisque teneræ vel adultæ eſt, *vetuſti* vel *juniores* vocantur. Unde paſſim videas, in certas ætates diſtribui nunc ſcriptores Latinos, nunc Græcos; modo Eccleſiaſticos, quorum antiquiores ideo & *Patres* dicimus) modo Scholaſticos, aliosque. In epiſtolis quoque Ignatii tantum abeſt, ut putem νεωτερικὴν τάξιν cum Salmaſio (o), Andr. Riveto (p), & D. Blondello (q) exponi debere *novellum ordinem*, ut pæne auſim adfirmare, *juvenilem*, ut apud Paullum, ea voce deſignari. Operæ precium erit locum eum non ſolum integrum adſcribere, ſed etiam, quia paullo obſcurior eſt, & ſummis ac doctiſſimis viris crucem fixit, aliquanto prolixius expendere: quo cunctis pateat; non de ordinis origine aut novitate, ſed de ætate exponendum; nec verum eſſe, quod dicitur, *hunc locum eximium inſigniter novam expoſitionem firmare.*

(l) *L.* 3. *c.* 13. *adde* 3. 10. 5: 1, 6, 1. (m) *p.* 743. (n) *p.* 827. *ed. Comelin. anni* 1601.

(o) *Apparat. pag.* 57. 58. (p) *dialyſ. diſcuſſ. Grot. ſect.* 2. §. 2. (q) *apolog. pro ſentent. Hieronymi pag.* 40. *& deinceps.*

CAPUT VI.

Quid ſit apud Ignatium νεωτερικὴ τάξις, *prolixe diſquiritur. De editione epiſtolarum Ignatii Voſſiana, diverſa eruditorum judicia. Epiſtola ad Magneſios, ejusque interpres vetus, varie illuſtrantur ac emendantur; hic etiam notatur.* Ζωτίων Conuti. *Gloſſema veteris interpretis: ejusque occaſio.* Οὖ ὀναίμην, *vovendi formula. Prolixe oſtenſum,* νεωτερικὴν τάξιν *non eſſe* novellum ordinem. *Inſtitutum Ignatii.* Videre Eccleſiam ἐν ἀγάπῃ, *de abſentibus.* Συγχρᾶσθαι, *pro mutuo accipere. Proprie idem eſſe ac* ſimul cum alio uti. *Lexica Græca ſupplentur.* σύγχρησις ἀρετῶν. συγχρᾶσθαι μαθήμασιν. *Clemens Alexandrinus illuſtratus, & leviter correctus. Quid ſit* οὐ συγχρᾶσθαι Σαμαρίταις. *Joh.* 4: 9. *explicatur. Judæorum cum Samaritanis convictus interdictus; & cur, ac quam late id interdictum patuerit. Rabbinorum ea de re traditio. Laus Jo. Buxtorfii F.* ἑτοιμάζειν, γεύσασθαι, παρασκευάζειν, *elliptice poſita. Lucæ* 9: 52. *& Act.* 10: 10. *illuſtrata. Quatenus communio Gentilium Judæis prohibita. Samaritas videri voluiſſe Iſraëlitas. An fuerint idololatræ. Non fuiſſe inter Gentiles computatos. Quomodo dicantur* οὐκ εἶναι ἔθνος. גוי *de ethnicis: & de*

& de populis maledictis. Syrac. L. 27. 28. emendatur ac noviter exponitur. Quid sit apud Ignatium μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου. *Salmasii ac Blondelli, itemque Hammondi & Dartis expositiones verborum Ignatii rejiciuntur, novaque adfertur. Quæ sit Ignatii collectio.* τάξις *pro officio, ordine, dignitate. Glossæ Cyrilli leviter emaculantur.* Ταξιῶται. Νεωτερικὴ τάξις *pro* τάξει τοῦ νεωτέρου Ἀσσύριον αὔχημα, βίη Ἡρακλείη, vis flammea, *& alia hoc genus.* Τάξις Φαινομένη *quid.* Φαίνεσθαι, φαινόμενος, *de re manifesta.* τάξιν προσλαμβάνειν. *Nova translatio loci Ignatiani. Eo receptam loci Paullini expositionem confirmari.*

I.

SIc ergo in epistolis S. Ignatii, uti à Cl. V. Isaaco Vossio anno hujus sæculi 46. Amstelodami, annoque sequente à Jac. Usserio, Archiepiscopo Armachano, cum veteri translatione, Londini, ope Medicæi codicis, & versionis antiquæ multo puriores incorruptioresque, quam ante, & expunctis variis glossematis ac interpolationibus quibus priores editiones & vulgati codices passim fœde inquinati sunt, publicatæ fuere, (genuinæne sint Ignatii, quod adfirmant ac tuentur editor in præfatione & passim in notis ad eas conscriptis; Jo. Dartes libro 1. de Ordinibus Ecclesiasticis cap. 18. Dionysius Petavius tomo 4. de dogmatibus Ecclesiasticis, parte II. in appendice; Jac. Usserius in epistola appendici Ignatianæ præfixa; Andr. Rivetus lib. II. Critici sacri, editionis novissimæ, cap. II. Henr. Hammondus dissertatione II. adversus Blondellum, à c. 1. ad 15. usque, & D. Calovius in Confessione martyrum de SS. Trinitate, cap. 1. §. 5. an confictæ omnino & suppositititiæ, uti contendunt Salmasius in apparatu (a); D. Blondellus in præfatione apologiæ pro sententia Hieronymi de episcopis & presbyteris (b), & in epistola ad Usserium (c); Edmundus Albertinus lib. II. de Eucharistia (d); Josua Arndius in Lexico Antiquitatum ecclesiasticarum (*) Jo. Dallæus lib. 4. de jejunio & quadragesima, capite 5. multoque prolixius lib. II. de scriptis Dionysii & Ignatii à cap. 4. ad 39. usque, ubi sex & sexaginta argumentis id ostendere conatur, ac demum præcipiti sæculo tertio, aut initio quarti, confictas putat; nunc nihil attinet dicere: exponemus de eo fortassis alibi; interim ut Ignatianas in præsenti adlegabimus:) In illarum, inquam, epistolarum ea, quæ ad Magnesios scripta est, haud longe ab initio (e) sic legimus: Ἐπεὶ οὖν ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρων ἀξίων, Βάσσου καὶ Ἀπολλωνίου, καὶ τοῦ συνδούλου μου, διακόνου Σωτίωνος, οὗ ἐγὼ ὀναίμην, ὅτι ἐπιτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χάριτι θεοῦ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν, καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους, οὐ προσειληφότας τὴν νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ. Οὐκ αὐτῷ δὲ, ἀλλὰ τῷ πατρὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ πάντων ἐπισκόπῳ. Εἰς τιμὴν οὖν ἐκείνου τοῦ θελήσαντος ἡμᾶς πρέπον ἐστὶν ἐπακούειν κατὰ μηδεμίαν ὑπόκρισιν, ἐπεὶ οὐχ ὅτι τὸν ἐπίσκοπον τοῦτον τὸν βλεπόμενον πλανᾷ τις, ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται.

II. Hæc in Latina translatione veteri, quam è duobus MSS. codicibus Anglicanis primus anno hujus sæculi 44. doctissimus Usserius in lucem produxit, postea suæ editioni, sed ad textum Græci codicis Medicæi emendatam, inseruit Vossius, ita reddita leguntur: *Quia igitur dignificatus sum videre vos per Damam, dignum Deo vestrum episcopum, & presbyteros dignos, Bassum & Apollonium, & conservum meum Diaconum Zononem, quo ego fruar, quoniam subjectus est Episcopo ut gratiæ Dei, & presbyterio ut legi Jesu Christi. glorificato Deum patrem Domini nostri Jesu Christi. Sed & vos decet non concuti ætate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris, omnem reverentiam ei tribuere, sicut & agnovi sanctos presbyteros, non adsumentes apparentem juniorem ordinem, sed ut prudentes in Deo concedentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu Christi omnium episcopo. In honorem igitur illius volentis nos decens est obedire secundum nullam hypocrisin; quia nequaquam episcopum hunc conspectum seducit quis, sed invisibilem paralogizat.*

III. In quibus verbis illa duo, *Zononem & concuti*, haud dubie librariorum vitio irrepserunt. Interpres ipse scripsit *Zotionem* (quomodo & in Græcis aliquot MSS. vulgaribus est Ζωτίωνος, alternantibus, ut sæpe alias, Z & Σ literis) & *conuti.* Quo posteriore vocabulo solum idcirco usus est, ut plane exprimeret Græcum: quod illi in tota ista translatione fuisse propositum, cuivis legenti in aperto est. Unde alibi usurpavit voces *multibonus*, *dignificatus sum*, *conquisitor*, *dignenominabilis*, *superglorifico*, & ejus monetæ plures, ac hoc ipso in loco *dignus Deo*, *decens est*, *paralogizat:* ut melius exprimeret Græca πολυεύτακτος, ἠξιώθην, συζητητὴς, ἀξιονόμαστος, ὑπερδοξάζω, ἀξιόθεος, πρέπον ἐστὶ, παραλογίζεται. At quæ sequuntur, *Glorificato Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi*, quorum nec vola nec vestigium, neque in vulgatis codicibus Græcis, nec in Medicæo reperitur, ab ipso interprete videntur esse. Qui cum conjunctioni ἐπεὶ nil in sequentibus respondere animadverteret, hæc aliunde desumta (f) infersit, ut sensus sibi constaret. Ne autem sensus esset integer, fecit vox ὑποτάσσεται, quæ jam olim pro ὑποτάσσεσθε culpa scioli cujusdam irrepsit, qui putabat, comma hoc ad proxime nominatum Sotionem pertinere, cum ad Magnesios universos referendum sit. Hoc enim postulat connexio sententiæ, ac collectio Ignatii quæ, quantum ego perspicere possum, hæc est; Cum, ut ipse intellexerit, Magnesii subsint episcopo & presbyteris, etiam decere eos, ut obediant illis, nec inconsultis illis quidquam agant, aut tantum nominetenus Episcopo subsint. Plane ut in ea ad Trallianos (g) concludit: Ὅτ' ἂν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ Χριστοῦ, φαίνεσθέ μοι οὐ κατὰ ἀνθρώπινον ζῶντες, &c. ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν, ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς. ἀλλ' ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, κτλ. In quorum extrema parte, simili errore, idem interpres Usserianus, & cum eo Antiochus, (qui sermone 24. hæc verba adduxit) legerunt ὑποτάσσεσθαι. Quomodo & in epistola ad Ephesios in illo, Ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ πάντα πράσσετε, male πράσσεται legit. Vertit enim: *In Jesu Christo omnia operata sunt.* Ac norunt, qui MSS. codices tractarunt, quam sæpe terminationes istæ permutentur.

IV. Equidem fateor, utcunque sibi constare sensum, si sequentia omnia per sesquipaginam, usque ad illa, ἐπεὶ οὖν ἐν τοῖς προγεγραμμένοις προσώποις τὸ πᾶν πλῆθος ἐθεώρησα, dicantur continere parenthesin longiorem, quod genus παρεκβάσεως non solum alios scriptores antiquos, sed etiam sacros, in his Paullum Apostolum, operibus suis inseruisse, dudum eruditis observatum (h). Sed cur solum Sotionem episcopo subjectum dixisset? Quin eandem laudem impertitur presbyteris, quorum exemplo mox hortatur Magnesios, ut obsequantur episcopo? Cur non iisdem frui similiter optat, quia & ipsi Episcopo subjecti? Cur non dixit ὯΝ, sed ΟὟ ὀναίμην? Quæ verba, ut hoc obiter addam, perperam accepit Salmasius, cum ita transtulit: *Qui mihi gratus est & acceptus.* Debebat: *Quo liceat mihi gaudere* vel *frui!* vel: *A quo utinam fructus percipiam!* aut: *Det Deus ut eo fruar!* Is enim sensus est ejus formulæ, quæ voventis est, usurpata ab Apostolo in ea ad Philemonem (i), & hujus imitatione cum alibi à genuino scriptore harum epistolarum, tum sæpius à plano illo, qui misere eas interpolavit. De quo videndus Usserius in prolegomenis in Epistolas Ignatii (k) ac notis in eas ad (l) Magnesios & (m) Romanos, & Jo. Dallæus lib. II. de scriptis Dionys. & Ignat. extremo cap. 28.

V. Hæc aliquanto prolixius persequuti sumus, quia non parum lucis fœnerantur illis, quæ deinceps dicenda sunt. Nunc ostendamus, quod recepimus, per νεωτερικὴν τάξιν non posse intelligi *novellum ordinem.* Institutum Ignatii est, hortari Magnesios, ut ne spernant episcopum suum ob juventutem, sed debitam ei venerationem tribuant, respicientes potius eum, cujus vice fungatur, Episcopum omnium, patrem Jesu Christi, quam juventutem episcopi sui, oculos incurrentem. Hoc enim volunt illa: οὐχ ὅτι τὸν ἐπίσκοπον τοῦτον τὸν βλεπόμενον πλανᾷ τις, ἀλλὰ τὸν ἀόρατον παραλογίζεται, & quæ illis præmittuntur. Ait itaque, se vidisse per episcopum, pres-

(a) *Pag.* 56. *& seqq.* (b) *pag.* 40. *& seqq.* (c) *apud Hammond. diss.* 2. *c.* 9. (d) *p.* 283. (*) *p.* 869. (e) *p.* 32. 33. *edit. Vossii.*

(f) *Vid. not. Vossii pag.* 272. *&* 276. (g) *pag.* 47. *edit. Voss.* (h) *v. D. Glassii Rhet. sac. tract.* 2. *cap.* 7. *p. m.* 567. *edit. Jen. anni* 1645. (i) *comm.* 20. (k) *c.* 5. *p.* 32. (l) *not.* 82. (m) *not.* 46.

presbyteros, & diaconum eorum (qui, ut opinor, ad eum ablegati fuerant) tanquam in exemplaribus totum cœtum repræsentantibus, Ecclesiam eorum, regimini Episcoporum & presbyterorum concreditam. Nam ita mox (n) ipse explicat se, cum ait: ἐν τοῖς προγεγραμμένοις προσώποις τὸ πᾶν πλῆθος ἐθεώρησα ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ. Quomodo & in ea ad Ephesios (o) scribit, *se per Onesimum, & Burrhum, & Euplum, & Frontonem, omnes Ephesios* κατ' ἀγάπην *vidisse*, ac Crocum ἐξεμπλάριον τῆς ἀπ' αὐτῶν ἀγάπης vocat. Quod utrumque & de Polybio, Trallianorum episcopo, in epistola ad eos scripta (p) adfirmat.

VI. Porro non sufficere ait, quod habeant episcopum, sed etiam decere eos μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου. Quæ phrasis fortassis obscurior est, quam quibusdam visa. Interpolator substituit μὴ καταφρονεῖν τῆς ἡλικίας. Vetus interpres Usserii reddidit *conuti*, seu *couti*. qua voce idem verbum vulgatus Bibliorum interpres, non quidem in Actis Apostolorum, ut vir doctus ait, sed Joann. 4: 9. expresserat. Sed neuter vim vocabuli adsecutus est. Salmasius (q) exponit, *non nimis familiariter cum episcopo agere, quod videatur junior.* Hammondus (r): *non abuti familiariter (& deposita reverentia) ætate episcopi.* Proxime vim vocis Vossius (s): *non tanquam commodato accipere & ad se pertrahere* ἐπισκοπὴν *juvenis istius episcopi.* Συγχρᾶσθαι enim quandoque idem est, ac mutuo accipere. Ut apud Polybium lib. 1. cap. 20. (t) de Romanis in Siciliam trajicientibus: παρὰ Ταραντίνων καὶ Λοκρῶν, ἔτι δὲ καὶ Ἐλεατῶν καὶ Νεαπολιτῶν, συγχρησάμενοι πεντηκοντόρους καὶ τριήρεις. Quia scilicet qui rem commmodato accipit, ea veluti simul utitur cum eo, cujus illa est. Proprie enim, & principe significatu, συγχρᾶσθαι idem est, quod uti re aliqua cum alio aut aliis, pariter aut utentibus aut usurpatis. Ejus rei aliquot exempla producemus in præsenti, quia fere silent Lexicographi, qui proinde ex iis quæ dicemus, suppleri possunt. Clemens Alexandrinus in 1 Stromateon (u): Ἑκάστη ἀρετὴ, εἴτε καὶ ἀλήθεια συνωνύμως καλουμένη, μόνου τοῦ καθ' ἕκαστον ἀποτελέσματός ἐστιν αἰτία. κατὰ σύγχρησιν δὲ τούτων γὰρ τὸ εὐδαιμόνως ζῆν. Bene Interpres: *Per conjunctum earum usum fit beate vivere.* Disputat enim Clemens, Philosophiam Græcorum conferre quidem aliquid ad veram sapientiam, non tamen ideo dicendam αἰτίαν καταλήψεως τῆς ἀληθείας, sed solum σὺν τοῖς ἄλλοις αἰτίαν, σύνεργον, & αἴτιον συναίτιον; cum præterea requiratur, ut instituamur παρὰ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, quemadmodum non qui unam & alteram virtutem exercet, sed is demum beate vivere dicendus sit, qui omnibus simul utitur: plures enim virtutes esse caussas τοῦ εὐδαιμονεῖν. Hoc σύγχρησιν ἀρετῶν dixit. Σύγχρησις igitur, vox adhuc ignota Lexicis, usum conjunctum notat, sive cum res aliqua cum aliis usurpatur. Passive enim, ut alia plura, quæ *Verbalia* dicimus, accipienda est.

VII. Idem Clemens 6. Stromateon, ubi ostendit Gnosticum suum disciplinis Græcorum ut præparatione ad veram & divinam sapientiam uti, sic (x) scribit: Οὐκ οὖν, ὡς ἀρεταῖς, ταύταις (scil. Musica, Arithmetica, Geometria, Astronomia, & Dialectica, de quibus paullo ante loquutus erat) συγχρώμενος ἡμῖν ὁ γνωστικὸς (forsan leg. ἡμῶν ὁ γνωστικὸς i. e. *Gnosticus noster*) πολυμαθὴς ἔσται. ἀλλὰ συνεργοῖς τισι κἂν τῷ διαστέλλειν τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια, προσοίσεται τὴν ἀλήθειαν. Mox (y): τὴν πολλὴν δὲ ἀχρησίαν παραιτητέον ἀπασχολοῦσαν περὶ τὰ μηδὲν προσήκοντα. οἱονεὶ δὲ συναιτίοις προγυμνάσμασιν, εἴτε τὴν ἀκριβῆ παράδοσιν τῆς ἀληθείας, ὅσον ἐφικτὸν, καὶ ἀπερίσπαστον συγχρωμένους τοῖς μαθήμασι τοῦ γνωστικοῦ. Ubi malim legi: συγχρωμένου τοῦ γνωστικοῦ. nam id postulare videtur, quod mox sequitur: Οὐκ ἀπολειφθήσεται τοίνυν τῶν προκοπτόντων περὶ τὰς μαθήσεις τὰς ἐγκυκλίους, καὶ τὴν ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν. E quo patet, & singularem numerum debere præcedere (ait enim: οὐκ ἀπολειφθήσεται) & Græcorum, non autem Gnostici, quem ibi describit, μαθήματα ea dici. Mox enim eadem μαθήσεις ἐγκύκλιοι, & ἑλληνικὴ φιλοσοφία vocantur. Porro his μαθήμασι συγχρώμενος Gnosticus, idem est quod simul utens philosophia Græcanica vel cum Græcis sive gentilibus, vel cum sacris literis & præter Scripturam sacram, qua ad veram sapientiam, ut Clemens docet, instituitur.

VIII. Verbo συγχρᾶσθαι eodem sensu usus est S. Joannes Euangelista cap. 4: 9. Ubi mulier Samaritis ad Servatorem nostrum: Οὐ συγχρῶνται, inquit, Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. Hoc est, ut optime omnium Beza reddidit, *non utuntur cum Samaritis*: subintellige, iis quæ ad vitam tolerandam sunt necessaria; nempe eodem domicilio, vasculis, ac in primis cibo & potu. nam de his agi hoc in loco, manifestum est. Miratur enim mulier, à Judæo se rogari, ut potum illi præbeat; cum Judæi non soleant cibum aut potum cum Samaritanis capere. Idque ab Ezra & Zorobabele ac Josua sancitum Judæi tradunt, cùm à Samaritanis ædificatio templi novi impedita esset. Scriptum est enim in capitulis Eliezeris, vetusto & celebri Judæorum libro, cap. 38. (z), atque inde in Tanchuma sive Jelammedenu sectione וישב translatum; Ezram, Zorobabelem, & Josuam, toto populo in templum congregato, excommunicasse Cuthæos (ita Samaritas vocant) ac inter alia decrevisse, ne quis unquam ex Israële fructum vel buccellam Cuthæi comedat: dixisseque: כל האוכל פת כותי כאלו אוכל בשר חזיר: *Quicunque comedit carnem Cuthæi, is vescitur quasi carne porcina.* Verba ipsa habes apud Drusium 3. de sectis Judaicis cap. 11. ac Morinum exercitatione 1. ad Pentateuchum Samaritanum, sed plenius apud doctissimum, ac, quod ipsi ante hos annos 26. cum ab eo in instructissimam & plurimis veterum ecclesiæ doctorum MSS. codicibus, (quos optandum esset cum editis conferri, ineditos autem publicari) refertam publicam Basileensium bibliothecam deduceremur, coram experti sumus, humanissimum virum Jo. Buxtorfium F. dissertatione de litteris Ebræorum thesi 49. Quanquam de ea narratione subdubitare videtur Guil. Henricus Vorstius in notis (*) ad eum capitulorum Eliezeris locum. Utcunque fuerit, è contextu Euangelistæ certum est, non licuisse Judæis eodem cibo & potu, quo Samaritani, uti: idque phrasi μὴ συγχρᾶσθαι significari. Neque enim novum est, voces ad victum pertinentes ἐλλειπτικῶς subintelligi. Lucæ 9: 52. de nunciis à Christo præmissis: καὶ πορευθέντες εἰσῆλθον εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ Ἑτοιμάσαι, id est, ut pararent cibum vel hospitium. Confer & Lucæ 22: 12. Marc. 14: 15. Integra phrasis est τὸ ἄριστον ἑτοιμάζειν Matth. 22: 4. Sic Actor. 10: 10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος, καὶ ἤθελε γεύσασθαι. id est, volebat gustare cibum. Mox: παρασκευαζόντων δὲ ἐκείνων, hoc est, cum pararent prandium. Ad hunc itaque modum & Samaritis dixerit, οὐ συγχρῶνται h. e. non una utuntur cibo & potu. Scio, hoc ita vulgo accipi, ac si omne commercium cum Samaritis interdictum Judæis fuerit. Sed vereor ut hoc ostendi possit. Videntur enim solum à communione sacrorum, civitatis, matrimoniorum, convictus, aliarumque rerum, è quibus Judaicæ religioni damnum inferri sive poterat, sive posse credebatur, exclusi fuisse. Non item à commerciis, contractibus, & aliis, quæ ad civilem vitam pertinent. Nam ab his ne quidem Ethnici excludebantur. Poterat enim Judæus à gentili emere quæ sibi necessaria; poterat vendere res mobiles, ædes locare, & alicubi etiam agros. Denique pleraque commercia permissa erant, quæ nec idololatriæ adjumento, nec libertati Israëliticæ, sacroque ipsorum cultui, detrimento fore putabantur. De quo vide Jo. Seldenum lib. 2. de jure N. & G. secundum disciplinam Ebræorum cap. 5. (a). Quanto magis licuit eadem cum Samaritis agere! qui ortu & sanguine maximam partem Judæi erant. Immo universe videri volebant cum Israëlitæ ortu, tum etiam pietate orthodoxi: ut docent Rich. Montacutius apparatu 7. ad Origines Ecclesiasticas, num. 86. & 87. & B. Waltonus prolegom. in Biblia polyglotta 11. num. 3. Unde quamvis ἀλλογενεῖς dicantur Luc. 17: 18. tamen Matth. 10: 5. diserte distinguuntur ab ἔθνεσι. Ipsique Judæorum magistri, quanquam multa atrocia crimina, in his idololatriam, (à qua tamen immunes fuisse, docent Jo. Henr. Hottingerus exercit. Antimorin. §. 16. & 17. Pet. Cunæus de Rep. Ebr. 11. cap. 16. Jac. Gaffarellus libro quem inscripsit (b) *Curiositates inauditas*, cap. 1. num. 6. & 8. Gisb. Voëtius append. ad disp. de Judaismo (c), quæ parte 11. disputationum Theologicarum exstat; Waltonus l. c. num. 6. & 7.) illis impingant: negant tamen inter Gentiles, saltem antequam columba in monte Garizim, ut ipsi fingunt, reperta esset, fuisse recensitos. Diserte Maimonides super Berachoth cap. 8. §. 8. והוחזקו שהיו מאמינים בדתינו ומיחדים יעבדו ע"א עד אשר הקרו עליהם הכמים ומצאום מכבדים הר גריזים: *Et habiti fuerunt quod essent credentes in legem nostram, & unientes* (i. e. in unum Deum credentes) *& non servientes cultui idolorum, donec inquisierunt in illos sapientes, & invenerunt illos colentes montem Garizim.* &c. Eadem tradit Obadias de Bartenora cap. 7. sect. 1. cujus verba habes

(n) *Pag.* 32. 33. (o) *pag.* 18. (p) *pag.* 47. 48. (q) *l. c. p.* 57. (r) *diss.* 1. *c.* 9. (s) *notis ad epist. Ignat. p.* 276. (t) *p.* 29. *edit. Amstelod. anni* 1671. (u) *pag.* 318. *edit. Paris. anni* 1642. (x) *pag.* 655. (y) *p.* 656.

(z) *Prope finem.* (*) *p.* 126. (a) *p.* 182. *ed. Londin.* (b) *Curiosites inouyes.* (c) *p.* 153.

habes apud Cl. Hottingerum loco modo laudato §. XVI. Rabbi quoque Levi ad 2 Reg. 17: 23. non audet absolute negare, eos fuisse proselytos; sed solum ait, *non reputari* לגרים אמיתיים *inter proselytos veros, quia veri proselyti sunt eodem loco cum Israëlitis.* Atque inde factum, ut subinde indicaretur in Talmude, *Cuthæos esse præstantiores idololatris, viliores tamen Judæis*, ut ait Maimonides loco quem diximus. Quæ lucem adferre possunt verbis Siracidæ cap. 50: 27. 28. Ἐν δυσὶν ἔθνεσι προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος. οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σηεὶρ, Φυλιστιεὶμ, καὶ ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις. Ita enim legi cum vulgato interprete volunt viri docti, non ut in plerisque editionibus legitur, ἐν ὄρει Σαμαρείας. Quæ vox forsan è margine, in quo ab aliquo adscripta fuerat, ut Sichem Samariæ urbem esse significaret, ab alio in textum intrusa est, qui putabat pro Σηεὶρ substituendam esse. Nam si legas Σαμαρείας, non tres, sed duæ solum gentes erunt. iidem enim, qui Sichem incolunt, ac Samaritæ fuere; quorum, ab excisa Samaria, metropolis Sichem fuit. Porro quod tertia οὐκ εἶναι ἔθνος dicitur, non satis cepisse videntur, qui exponunt, *indigna est, quæ gens vel populus dicatur.* Ἔθνος enim h. l. idem est quod גוי: quo nomine à Judæis & in ipso sacro codice, designari, quos Christiani *Gentiles*, *Ethnicos*, *Paganos* dicimus, notum est. Tales vero erant *inhabitantes montem Seir*, id est Idumæi, & *Philistæi*; utrique hostes acerrimi Judæorum: non item *Sichemitæ* seu Samaritani, quippe semijudæi, & legem Dei pariter ac idola colentes. In Ebræo videtur fuisse: בִּשְׁנֵי גוֹיִם קָצְרָה נַפְשִׁי וְשְׁלִישִׁי לֹא גוֹי׃ Possis & vocem ἔθνος specialius accipere, ut solum eos populos denotet, qui peculiariter maledicti habebantur. E quibus Samaritanos fuisse, negant Judæi. Sic enim Capitula Elieseris loco supra laudato: הכותים אינן נחשבין לגוי משבעי אומות אלא מיתר חמשה יוים חשובים למלך׃ hoc est: *Cuthæi non reputantur pro gente inter septem populos, sed reputantur inter reliquias quinque gentium à rege*, &c. Sed hæc obiter. Non omne commercium cum Samaritis fuisse vetitum, vel ex eo colligere est, quod discipuli Christi vicum Samaritanorum ingressi sunt, ut supra diximus: quodque Servator noster Samariam in media Judæa (in qua utraque urbs sita erat) Hierosolyma inter & Hierichunta iter facientem memorat: quod non fecisset, si gentes illæ mutuo omni conversatione fuissent prohibitæ. Vide Lucæ 10: vers. 30. 33. 34. 35.

IX. Horum itaque exemplorum analogiam si respiciamus, apud Ignatium μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου idem erit ac non uti iisdem quibus utitur juventus episcopi, (h. e. juvenis episcopus) scilicet muniis, & directione, ac prærogativis, quibus ille gaudet; sive non uti una cum episcopo juvene dignitate episcopali, & quæ ad eam pertinent. Hoc enim magis quadrat, quam si dicas, idem esse ac *commodato accipere* ἐπισκοπὴν *juvenis istius.* Primo enim non dixit auctor, Magnesios non debere συγχρᾶσθαι τῇ ἐπισκοπῇ, sed τῇ ἡλικίᾳ. Hanc vero ut aliquis commodato accipere, & ad se pertrahere possit, non video. Deinde commodato accipere est συγχρᾶσθαί τι παρά τινος, non συγχρᾶσθαί τινι. Polybius enim dixit συγχρησάμενοι παρὰ Λοκρῶν τριήρεις, non συγχρησάμενοι τριήρεσι vel Λοκροῖς. At optime congruit phrasis Joannea & Clementina. Ut enim Joannes dixit, Judæos, non utentes una cum Samaritanis illis quæ ad victum pertinent, οὐ συγχρᾶσθαι Σαμαρείταις; ut Clemens Alexandrinus σύγχρησιν ἀρετῶν, quando plures virtutes simul exercentur: ita hoc loco, cum Magnesii vetantur συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, haud male dixeris, præcipi illis, ne una cum juvene episcopo usurpent, quæ hujus sunt, & huic soli, vel præcipue, permittenda. Saltim convenientius est, quam si exponas *nimium familiariter cum episcopo agere*, aut *ætate ejus familiariter abuti.* Neque enim ejuscemodi quid heic reprehenditur aut vetatur; sed, quod aliqui omnia sine ipso, ac inconsulto eo, agant, ut mox dicemus. At quibuscum familiarius versamur, hos adeo non celamus consilia nostra, ut potius anxie sententiam eorum anquiramus, vixque clam illis aliquid perpetremus. Quanquam mallem simpliciter Ignatii verba interpretari: *Vos non decet abuti ætate episcopi*, si usquam hoc sensu verbum id accipi constaret. Ac haud scio, annon ita accipi queat apud S. Basilium in Catena Græcorum Patrum in Joannem, à Balthasare Corderio edita, ad cap. 1: 1. (d): Συγχρησάμενος, inquit, τῇ τοῦ λόγου φωνῇ πρὸς τὴν παράστασιν τῆς κατὰ τὴν γέννησιν ἀπαθείας, ταχὺ καὶ τὸ ἐκ τοῦ λόγου βλάβος ἐγγινόμενον ἡμῶν παρεμυθήσατο, καὶ οἷον ἀφαρπάζων αὐτὸ τῆς συκοφαντίας τῶν βλασφημούντων. Nisi & hoc loco idem est, ac *simul usus.* Interpres transtulit simpliciter: *Ubi VERBI vocabulum usurpavit.* Utcunque sit, è contextu certum est, vetari contemtum atque neglectum juvenis episcopi, quo omnia eo inconsulto peraguntur. id enim ostendit, quæ mox sequitur, oppositio, cum Magnesios episcopo πᾶσαν ἐν τροπὴν ἀπονέμειν jubet; itemque, quod eos reprehendit, qui ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσι, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν. Et quod paullo inferius (e) hortatur: Μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε: subintellige, τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ut ipse in epistola ad Smyrnæos (f) restringit. Quod præceptum & in reliquis epistolis (g) inculcat. Loca pleraque congessit Dallæus lib. II de scr. Dion. & Ign. cap. XXXI.

X. Cæterum ut hoc persuadeat Magnesiis, utitur, inter alia, argumento ab exemplo presbyterorum ejusdem ecclesiæ (nam hos intelligendos esse, articulus docet) desumto: quos ait pariter οὐ προσειληφέναι τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν, ἀλλ᾽ ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωρεῖν αὐτῷ. Finge nunc, νεωτερικὴν τάξιν esse recens institutum: quæ sequela erit; *sicut presbyteri vestri non acceperunt novum ordinem, ita vos decet obedire episcopo, quamvis juveni, nec juventute illius abuti?* Scilicet quia isti non probarunt episcopi unius supra cæteros eminentiam, ideo hi adprobare debent? Stultus, blennus & omnis omnino judicii expers sit, qui sic colligat. Iam quomodo opponet invicem hæc duo; *Non accipere apparentem novum ordinem, & eidem* συγχωρεῖν sive *concedere?* Nec προσλαμβάνειν *accipere* ea notione significat, qua idem est ac *recipere cum adprobatione*, sed *adsumere*, *adsciscere.* Hoc cum animadverteret Hammondus, præferendam putabat (h), *sic suadente* (ut ait) *tota epistolæ serie*, vulgatam Pseudignatii lectionem, quæ sic habet: οὐ πρὸς τὴν φαινομένην ἀφορῶντας νεότητα, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἐν Θεῷ φρόνησιν. *Magnesiorum enim*, inquit, *Episcopus Damas tunc fuit, ætate quidem junior, quem ideo ab iis contemni posse (ut Timotheum Paulus) verebatur. Monet igitur non decere aut* καταφρονεῖν *aut* συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ ἐπισκόπου. Nugæ! hæc substituta sunt ab interpolatore, eoque non præferenda lectioni genuinæ, quam puri & incorrupti codices exhibent. Non intellexit homo vanissimus, quid esset οὐ προσλαμβάνειν τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν; Itaque suo more substituit, quæ sibi planiora videbantur. Quomodo paullo ante pari audacia pro συγχρᾶσθαι, quod similiter non intellexerat, καταφρονεῖν supposuit. Nec tollitur difficultas, si cum eodem (i) Hammondo & Ioanne Dartes (k) νεωτερικὴν τάξιν *Damæ junioris ordinationem* aut *episcopalis dignitatis in adolescentem collationem* interpreteris. Nam idem dubium permanet. Quomodo enim non acceperunt eam ordinationem presbyteri? Et cur φαινομένη dicitur? Annon vere Damas fuit ordinatus?

XI. Illustris Salmasius peculiare genus fraudis heic repperisse sibi visus est, Ait enim (l) auctorem hujus epistolæ, quem post excessum S. Ignatii vixisse credit, *primum plebi ipsi commendare suum novum Episcopum, & petere, ut non nimis familiariter cum eo agant, quod videatur junior, sed ut reverenter cum eo se gerant. Deinde ad presbyteros conversum, quibus durum fuerit hominem se natu minorem sibi superpositum videre, eos alia arte aggredi. Itaque petere ab his, ut sine præjudicio adprobandæ & recipiendæ novellæ hujus institutionis, qua unus Episcopus, & quidem junior, omnibus presbyteris, id est, senioribus qui præerant Ecclesiæ, præponebatur, sed tanquam in DEO prudentes viri, honorem ei deferrent & concederent. Non enim ipsi tantum hunc honorem habituros, sed DEO Patri Jesu Christi. Sic magna arte ipsis insinuare, Episcopum tenere locum DEI in Ecclesia, presbyteros vero esse Apostolorum loco.* Atqui, primo Ignatius, seu quicunque auctor est (nam eam controversiam à nobis heic seponi, supra (m) indicavimus) non hortatur presbyteros, ut episcopum recipiant; sed eorum exemplo totum Magnesiorum cœtum, ad quem epistola hæc scripta est, officii admonet. *Decet vos*, inquit, *non couti juventute episcopi &c. SICUT & cognovi sanctos presbyteros* οὐ προσειληφότας τὴν νεωτερικὴν τάξιν. An qui adlegat aliquem in exemplum, quod respiciant alii, dici potest eum, quem laudat, hortari, & ab eo petere, ut faciat, quod jam facere dicitur? Non certe. Nullus itaque arti oratoriæ, erga presbyteros usurpatæ, heic quidem locus est. Deinde nusquam dicit *presbyteros se cognovisse NON UT accipientes eam, quæ nova videtur, institutionem, sed cedentes ipsi &c.* uti quidem Salmasius hunc locum transtulit. Nullum vestigium particulæ *UT*, aut illius respectus, in textu monstrari potest. Si mens Ignatii fuit, presbyteros

(d) *pag. 13. ed. Antverp. anni 1630.*

(e) *pag. 32.* (f) *pag. 6.* (g) *epist. ad Smyrn. p. 7. ad Polyc. p. 12. 13. ad Philad. p. 43. ad Trall. p. 47. & 50. &c.* (h) *dissert. 8. § 3.* (i) *l. c. §. 4.* (k) *lib. 1. de ord. Eccl. cap. 18.* (l) *in Appar. pag. 57.* (m) *§. 8.*

byteros non accepisse quidem episcopalem gradum, sed cessisse tamen ei prudenter, quomodo eorum exemplo potuit hortari Magnesios, ut ipsi reciperent? quomodo laudare Sotionem, vel potius Magnesios omnes, quod episcopo subjecti essent ut gratiæ DEI? Et quid hoc ad juventutem episcopi, de qua illi sermo est? Denique vocis προσλαμβάνειν usus hanc expositionem non admittit.

XII. Ingrediamur ergo aliam viam, & tentemus, an verum hujus loci sensum possimus eruere. Τάξις interdum idem est ac *officium*, *munia*, *partes*, *ordo*, *dignitas* alicujus. Demosthenes περὶ τῆς τῶν Ῥοδίων ἐλευθερίας, (n) ubi de iis, qui sententiam de negociis Reip. dicunt: Τοῦ μέντοι πολλοὺς ἀδεῶς τὴν τάξιν αἱρεῖσθαι τῆς πολιτείας, ἴσως μὲν αἱ παρὰ τῶν μισθοτῶν αὐτοῖς ὠφέλειαι μάλιστ' αἴτιαι. Idem περὶ τῆς παραπρεσβείας (o): Βούλομαι ὑπομνῆσαι, εἰς τινὰ τάξιν ἔταξεν ἑαυτὸν Αἰσχίνης ἐν τῇ πολιτείᾳ. Utroque loco τάξις munus, quo quis in Rep. fungitur, denotat. Eadem oratione (p): ὅν τινα ὑμεῖς εἰς ταύτην τὴν τάξιν κατεστήσατε: *quem vos isti muneri præfecistis.* De legatione Æschinis ad Philippum regem, loquitur Oratione pro Ctesiphonte (q): Τὸ μὲν παρεληλυθὸς ἀεὶ παρὰ πᾶσιν ἀφεῖται, καὶ οὐδεὶς περὶ τούτου προτίθησιν οὐδαμοῦ βουλήν. τὸ δὲ μέλλον, ἢ τὸ παρόν, τὴν τοῦ συμβούλου τάξιν ἀπαιτεῖ. Recte interpres: *Futura aut præsentia consiliarii munus requirunt.* Sic Diodorus Siculus (r) sacerdotes in Meroë, Ægypti insula, μεγίστην καὶ κυριωτάτην τάξιν ἔχοντας, id est *maximo & præstantissimo munere præditos* dixit. Idem qui alibi τὴν τῆς ἰδίας τάξεως ἐπιμέλειαν vocavit proprii officii curam. Hinc cum *officium* quandoque denotet ministerium publicum, λειτουργίαν, apparitionem, & quandoque ipsos apparitores ac ministros; eodem sensu & voce τάξις Græcia inferior usa est. Glossæ (s) Cyrilli: Τάξις ἄρχοντος, *officium*, *apparatio.* Legendum: *apparitio.* Glossæ Basilicorum (t) à Carolo Labbæo editæ: Ὀφφίκιον, λειτουργία. Ὀφφίκιον, τάξις. Indeque ταξεῶται in eclogis Juris Græco-Romani, Novellis Justiniani, Chronico Alexandrino, & alibi (u), pro officialibus & ministris, qui magistratibus & Adsessoribus præsto sunt. Ad hunc modum & νεωτερικὴ τάξις fortasse non male exponetur *officium* sive *munus juvenile* vel *juvenis.* Νεωτερικὴ vero τάξις, ut etiam Jo. Dartis (x) observavit, dictum pro νεωτέρου τάξις, modo loquendi Græcis pariter ac Latinis admodum usitato, quo adjectivum nomen loco substantivi, gignendi casu positi, adhibetur. Ut cum Darium Medum Abydenus in nobili fragmento Assyriacorum, quod apud Eusebium (y) legitur Darium Medum, τὸ Ἀσσύριον αὔχημα, id est, *spem Assyriorum*; & auctor Liturgiæ, quæ sub nomine S. Jacobi circumfertur, sanctam Deiparam παρθένιον καύχημα, hoc est, *virginum gloriam*, appellavit. Sic passim apud Græcos βίη Ἡρακλείη & Ἰφικλίη, quod est *Herculis & Iphicratis fortitudo*, celebratur. E Latinis parili modo Ovidius II Fastorum:

Quod tamen Herculeæ sustinuere manus.

Pro, *manus Herculis.* Et Lucretius II de rerum natura:

—— —— *Cadit in terras vis flammea.*

Hoc est, flammæ. Et ita passim loquuti alii. Sic ergo & νεωτερικὴ τάξις, pro τάξις νεωτέρου. Id suadet, quod statim apud Ignatium sequitur, συγχωροῦντας αὐτῷ. Nempe νεωτέρῳ. Neque enim video, ad quid aliud pronomen illud masculinum referri possit. Quæ res denuo argumento est, hunc locum de persona, non de qualitate ordinis accipiendum esse. Quo enim referes illud αὐτῷ, si νεωτερικὴ τάξις idem erit, quod *novellum institutum* aut *novus ordo*? Non sane ad vocem ἐπισκόπου, quæ paullo ante præcesserat. nam eo referri, structura sermonis prohibet.

XIII. Porro ἡ φαινομένη νεωτερικὴ τάξις dicitur, non quasi reipsa non sit talis, sed quod manifestum sit, talem, id est, juvenis istius episcopi, esse. Nam, ut Græci sermonis periti adnotant, φαίνεσθαι haud raro idem est ac *constare*, *liquere*, *manifesto comperiri.* Estque hoc verbo sæpius in eo significatu usus Josephus libro non admodum magno περὶ λογισμοῦ αὐτοκράτορος; unde supra (z) locum attulimus, in quo hujus rei exemplum habes. Plura ex aliis scriptoribus congessere Guil. Budæus in commentariis Græcæ linguæ (a), Henr. Stephanus in Thesauro (b), & Franc. Vigerius in eleganti ac perutili libello de idiotismis Græcæ linguæ cap. V, sectione XIII, regula I. E veteribus quoque Eustathius ad illud Homeri Odyss. Δ. versu IↃCXCV & seq. (c)

Ἀλλ' ὁ μὲν ὑμέτερος θυμὸς καὶ ἀεικέα ἔργα φαίνεται·

Τὸ φαίνεται, inquit, ἀντὶ τοῦ, φανερώτατός ἐστιν. Idem ad Iliad. γ versum CCCCLVII (d);

Νίκη μὲν δὴ φαίνετ' ἀρηϊφίλου Μενελάου:

Ἔστι δὲ τὸ φαίνεται, οὐ δικαστικόν, ὡς ἀντὶ τοῦ ἔοικεν· ἀλλὰ μάλιστα βεβαίωσιν δηλοῖ, εἰλημμένον ἀντὶ τοῦ, φανερόν ἐστι καὶ ἐκφανές. τοιοῦτο καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ τὸ, τὰ ὑμέτερα ἀεικέα ἔργα φαίνεται. Ipso participio φαινόμενος, sic usus idem, quem modo laudavi, Josephus est, apud quem libro I ἁλώσεως cap. III (e); ubi de servulo sanguinem Aristobuli regis in loco, ubi frater ejus occisus erat, effundente, tam in MSS. codd. quam in vulgatis hæc leguntur: τοῦτο (αἷμα) τις τῶν περὶ τὴν θεραπείαν παίδων ἐκφέρων, δαιμονίῳ προνοίᾳ σφάλλεται καθ' ὃν τόπον ὁ Ἀντίγονος ἐσφακτο, καὶ φαινομένοις ἔτι τοῖς ἀπὸ τοῦ φόνου σπίλοις τὸ αἷμα τοῦ κλείναντος ἐπεξέχεεν. Φαινομένοις ἔτι τοῖς σπίλοις, hoc est, *adhuc manifesto apparentibus*, quæ à cæde erant, *maculis.* Ruffinus reddidit, *super exstantes adhuc cædis maculas.* Sic enim recte editi scriptique meliores, ut Portensis, & Lipsiensis: male vero Cæsareus, & uterque Noribergensis; *super æstuantes adh. mac.* Nec satis apte Genebrardus: *sur les traces du sang fraternel, qui estoit encores toutes freches.* Paullo melius Andilius: *Ou il paroissoit encore des marques de celuy* (du sang) *d'Antigone.* Optime Fayus: *où apparoissoient encor les taches du meurtre d'Antigonus.* Similiter Synesius φαινόμενας προσβολὰς dixit apparatum belli apertum & manifestum, seu, ut Josephus eodem loco vocat, φανερὸν πόλεμον: opposuitque τῷ λοχῆσαι ἐν φάραγγι, h. e. insidiis in loco præcipiti, vel in valle. Ἀλλὰ νομίμῳ πολέμῳ καὶ φαινομένοις προσβολαῖς πληθὺν πρὸς πλῆθος ἀγωνισαίμεθα. Et quid aliunde exempla conquirimus? Ipse harum epistolarum auctor in ea ad Polycarpum (Ignatio adversus doctiss. viros adserit (f) Vossius) ea voce sic usus est, cum (g) τὰ φαινόμενα opponit τοῖς ἀοράτοις. En verba ejus: ἵνα τὰ φαινόμενά σου εἰς πρόσωπον κολακεύῃς (Vossius emendat, κολακεύῃ) τὰ δὲ ἀόρατα αἴτει ἵνα σοι φανερωθῇ. Atque sic accepit vetus Interpres Usserii, cum reddidit: *Ut manifesta in tuam faciem blandiaris.* Itemque vulgatus, cujus translationem exhibuit Nic. Vedelius. Vertit enim: *Ut ea quæ palam oculis subjiciuntur, corrigat.* Legerat scilicet in Græco, ut etiam nunc vulgatæ editiones habent: ἵνα τὰ φαινόμενά σοι εἰς πρόσωπον ἐπανορθώσῃς. quod haud dubie ab interpolatore profectum est.

XIV. Sic ergo & φαινομένη νεωτερικὴ τάξις videtur esse *manifestum juvenis officium*, sive *partes*, *quas juvenis* (episcopi) *esse*, *in aperto est.* Has οὐ προσειληφότες πρεσβύτεροι laudantur, id est, *non adsumentes*, *adsciscentes*, *ad se trahentes*, *aut rapientes*, quæ manifesto ad officium junioris episcopi pertinerent. Ut προσλαμβάνειν τὴν τάξιν ferme idem sit, quod apud Isocratem, locis supra laudatis, αἱρεῖσθαι τὴν τάξιν, & ἑαυτὸν τάττειν εἰς τάξιν.

XV. Totus itaque locus Ignatii, mea sententia, sic vertendus distinguendusque est. *Quoniam itaque dignus sum habitus, qui vos viderem per Damam, Deo dignum episcopum vestrum, & dignos presbyteros, Bassum & Apollonium, ac conservum meum, Sotionem diaconum,* (*quo utinam ego fruar!*) *quod subjecti estis episcopo tanquam gratiæ DEI, & presbyteris ut legi Jesu Christi: etiam decet vos non couti juventute episcopi* (vel, *non una uti illis, quibus juvenis episcopus utitur*) *sed secundum virtutem DEI patris omnem reverentiam ei tribuere: sicut cognovi & sanctos presbyteros non adsumentes* (ad se trahentes) *ea, quæ manifesto juvenis* (episcopi) *sunt munia; sed ut prudentes in DEO, concedentes ipsi. Non ipsi vero, sed patri Jesu Christi, cunctorum episcopo. In honorem igitur ejus volentis, decet vos obedire sine hypocrisi. Neque enim hunc, qui videtur, episcopum quis decipit, sed invisibilem illum fallit.*

XVI. Hæc expositio quanquam (quod diffiteri nolo) paullo coactior alicui, præsertim Ignatii lectioni non satis adsueto, videri possit: nihilominus, si quid video, cæteris omnibus, quæ à doctissimis viris hucusque excogitatæ sunt, haud paullo commodior, verbisque Ignatii accommodatior est. Proinde non dubitamus eam cæteris præferre. Quod si quis commodiorem attulerit, ei lubentes adsurgemus. Illud autem, nisi me omnia fal-

(n) *p.* 148. *ed. Francof. anni* 1604. (o) *p.* 295. (p) *p.* 298. (q) *pag.* 505. (r) *lib.* 3. *Biblioth. cap.* 6. *p.* 146. *ed. Hanou anni* 1604. (s) *pag.* 629. *edit. H. Steph.* (t) *pag.* 83. *edit. Parif. anni* 1606. (u) *v. Meurs. Glossar. Græcobarb. p. m.* 549. (x) *l. c.* (y) *lib.* 9. *præpar. Evang. pag.* 349. *ed. Græcolat. Vid. Scalig. append. oper. de emend. tem. pag.* 4 *edit. noviss.* (z) *cap.* 2. §. 8. (a) *pag.* 285. *edit. Basil. anni* 1556. (b) *tomo* 4. *col.* 12.

(c) *pag.* 194. *ed. Basil. an.* 1560. (d) *pag.* 330. (e) *pag.* 713. *F. ed. Græco-lat. Genev.* (f) *in not. p.* 265. (g) *pag.* 11. *ed. Voss.*

fallunt, ex iis quæ diximus, totoque contextu Ignatii, plane certum eſt, non de novitate ordinis, ſed de juventute epiſcopi, ſermonem heic eſſe. Ex quo ſequitur nil juvari hoc loco eos, qui νεωτερικὸς idem eſſe volunt, quod *novus*, vel *circa nova verſans*. Quinimmo ſi noſtra expoſitio loci Ignatiani vera eſt, is plane una cum iis quos ſuperiori capite adduximus, evincet, idem eſſe νεωτερικὸς, quod *juvenilis*, vel *quod ad juvenem pertinet*; adeoque non parum receptam interpretationem loci Paullini juvabit. Nam ſi νεωτερικὴ τάξις idem eſt, quod *officium juvenis*, manifeſtum erit, vocem νεωτερικὸς quandoque de ætate accipi, ac ſubjectum connotare. Id quod novæ expoſitionis auctores acerrime inficiantur.

CAPUT VII.

Quarto, ex ipſo contextu loci Paullini oſtenditur, juveniles cupiditates intelligi debere. Νεωτερικαῖς ἐπιθυμίαις *eas ab Apoſtolo virtutes opponi, quibus vitia & adfectus juventutis adverſantur. Quænam illa, & à quibus accuratius deſcripta. Quas cupiditates Apoſtolus heic deſignet. Grotii, Theodoreti, Corn. à Lapide, aliorumque rejectæ interpretationes. Sententia ea de re S. Chryſoſtomi, Oecumenii, Theophylacti, Hilarii diaconi Rom. An hic auctor ſit commentariorum in epiſtolas Paullinas, Ambroſio adſcriptorum. Timothei perſonæ non congruere expoſitionem Salmaſianam. Confirmata Timothei fides & doctrina. Hammondi lapſus, & quorundam Interpretum* ἀκρισία. *An juvenis fuerit Timotheus, cum hæc ad eum ſcripſit Apoſtolus. De tempore, quo utraque ad Timotheum epiſtola ſcripta eſt, variæ doctorum virorum opiniones. 1 Tim. 3: 14. illuſtratur. Uſſerii nova ſententia exploſa. Videri priorem epiſtolam circa initia Neronis; poſteriorem minimum ſeptimo poſt illam anno ſcriptam. Quot annorum tunc fuerit Timotheus.*

OStendimus hucuſque, conſuetudini ſacrarum litterarum, veterumque ſcriptorum uſui, convenientius eſſe, ſi νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι de cupiditatibus juvenilibus, hoc eſt, ejuſmodi quales plerumque illæ adoleſcentum ac juvenum eſſe ſolent, quam, ſi de novarum rerum ſtudiis accipiantur. Nunc eandem vulgatam expoſitionem ex ipſo contextu ſermonis Apoſtolici, ſed breviter, confirmabimus. Quales igitur Apoſtolus ἐπιθυμίας intellectas velit, docent quæ ſtatim ſubjicit eodem & ſequentibus commatibus. Δίωκε δὲ, inquit, δικαιοσύνην, πίστιν, ἀγάπην, εἰρήνην μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων (ſeu ut cod. Angl. πάντων ἀγαπώντων) τὸν κύριον ἐκ καθαρᾶς καρδίας. Τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας. δοῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον, ἐν πρᾳότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. Vides, non conſtantiam, aut ſtudium tuendi conſervandique ea, quæ uſu recepta ſunt, νεωτερικαῖς ἐπιθυμίαις opponi, (quod fieri debebat, ſi per eas innovandi cupidinem deſignare Apoſtolus voluiſſet) ſed illas virtutes, quas in pleriſque junioribus fruſtra quæras; hoc eſt, ut interpretes exponunt, juſtitiam, vitæque innocentiam; fidem, quæ ſine curioſa diſquiſitione recipit myſteria à Deo revelata; caritatem, quæ non æmulatur, non inflatur, non eſt ambitioſa; concordiam item; manſuetudinem in ferendis, qui diverſum ſentiunt; patientiam in tolerandis convitiis & infirmitatibus aliorum; abſtinentiam à rixis & quæſtionibus ſtultis, immodeſtis, immodicis, & inutilibus: denique, ſi credimus (a) Cypriano, Anſelmo (b), & aliis, docilitatem, h.e. ut libenter doceri ſe patiatur. Quibus omnibus adverſantur injuſtitia, nimia curioſitas, æmulatio, ſuperbia, ambitio, jactantia, iracundia, contendendi rixandique libido, impatientia, temeritas, impetus juvenilis, immodeſtia, ſtudium inutilium quæſtionum, & opinio ſingularis eruditionis: quæ plerumque juvenum animis inhærere ſolent, præſertim eorum qui aut præſunt aliis, aut docendi diſputandique munus ſuſceperunt; qualis & Timotheus fuit. Singula idoneis veterum ſcriptorum teſtimoniis & exemplis confirmare, neque tempus, neque modus diſſertationis hujus patitur. Videndus Ariſtoteles II Rhetor. cap. XII, & qui commentarii ad eum loco eſſe poteſt, Gerh. Joan. Voſſius lib. II Inſtitut. Orator. cap. XIV, ſectione V; tum ex iis, qui characteres ingeniorum ex inſtituto deſcripſerunt, Barclaius cap. I Iconis animorum, & Neuhuſius lib. I Theatri Ingenii humani; cap. VI; ſed maxime Tobias Magirus in eximio Collectaneorum opere, quod *Polymnemona* inſcripſit (c), & celeberr. Dilherrus, peculiari diatriba de moribus ætatum. De ardore juvenili, ſtudio inutilium quæſtionum, & opinione ſingularis ſcientiæ, olim aliquid & ipſi diximus ad cap. IV Agricolæ Taciti (d); dicemuſque, DEO dante, plura in diatribis, quas ad totum iſthunc librum jamdudum adornamus.

(a) *in epiſt. ad Pompeianum.* (b) *ad h.l.*

II. Non igitur *novarum rerum ſtudium*, cui nulla virtutum ab Apoſtolo recenſitarum directe adverſatur: quemadmodum nec ſolæ *glorioIæ, quibus qui ſtudent,* νεανιεύεσθαι *Græcis dicuntur*, ut Grotius (e) voluit; aut ſola *curioſitas; ambitio, & inanis gloria, quam juvenes ambiunt, ut velint videri ſubtiles, ſapientes, ceteriſque doctiores*, quæ Cornelii à Lapide (f) ſententia eſt; nec ſolummodo τρυφὴ, γέλως ἄμετρος, δόξα κενὴ, καὶ τὰ τούτοις παρόμοια, ut Theodoretus (g) interpretatur; i.e. *deliciæ, riſus immoderatus, vana gloria, & quæ his ſunt ſimilia:* nec denique ſolæ libidines; ſed omnia vitia, omnes adfectus illi, in quos juvenes propendere ſolent; immo, ſi S. Chryſoſtomo credimus, πᾶσα ἐπιθυμία ἄτοπος, intelligi debet. Sic enim eloquentiſſimus Pater homilia VI in hanc epiſtolam (h) ſcribit: Νεωτερικαὶ οὐκ αὗταί εἰσιν αἱ τῆς πορνείας μόνον, ἀλλὰ πᾶσα ἐπιθυμία ἄτοπος, νεωτερική. Et mox: κἂν ὑβριστὴς ᾖ τις, κἂν δυναστείας ἐρᾷ, κἂν χρημάτων, κἂν σωμάτων, κἂν ὅτου οὖν (ὅτου legebat in notis ad h.l. (i) Andr. Dounæus;) δήποτε, νεωτερικὴ ἡ ἐπιθυμία, ἀνόητος. (quid. codd. ἀνόητος.) οὔπω τῆς καρδίας βεβηκυίας, οὐδὲ τῶν φρενῶν ἐν βάθει τεθεισῶν, ἀλλ' ἠωρημένων· ἀνάγκη ταῦτα πάντα γίνεσθαι. ἵνα οὖν μηδεὶς τούτοις ἁλῷ, τί παραινεῖ; φαντασίας νεωτερικὰς φεῦγε. Quomodo fere & Oecumenius (k): Νεωτερικὴ δὲ ἐπιθυμία οὐχ ἡ πορνεία μόνη, ἀλλὰ καὶ πᾶσα ἄτοπος ἐπιθυμία, κἂν δυναστείας ἐρᾷ τις, κἂν χρημάτων. ἀνόητοι γὰρ αὗται αἱ φαντασίαι, καὶ φρενῶν ἀβεβαίων. Ὅθεν πῶς καὶ γέρων νεωτερίζεται. Quæ totidem verbis & apud Theophylactum (l) leguntur: niſi quod initio habet, ut Chryſoſtomus, Νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι οὐχ αἱ τῆς πορνείας μόνον; quodque in fine quidam codd. legunt νεωτερικεύεται. Similiter qui Damaſi epiſcopi Rom. tempore commentarios in epiſtolas Paulli, ab annis pluſquam Iↄccc, aut fortaſſe cIↄc, falſo pro Ambroſianis habitos, ſcripſit: Hilarium, Romanæ Eccleſiæ uſque ad annum Chr. CCCLV diaconum, eſſe, hodierni plerique cenſent, docentque Bellarminus in lib. de ſcript. Eccleſiaſticis, Salmaſius in Apparatu (m), Blondellus ſect. I. Apologiæ (n) ſæpius laudatæ, & Voſſius lib. I hiſtor. Pelag. parte I; de quo tamen dubitant, nulloque eam ſententiam idoneo argumento niti cenſet, immo homini ex Luciferi ſchiſmate & rebaptizanti, qualis Hilarius ille fuit, tam bene cum eccleſia Rom. convenire potuiſſe, ut ejus epiſcopum, Damaſum, *eccleſiæ domuſque Dei rectorem* vocarit, negat Dion. Petavius lib. X Dogmatum Theolog. cap. IV, num. V; ſuffragantibus Jo. Dallæo in apologia pro ſynodo Gallicana (p), & Labbeo tomo I de ſcript. eccl. (q); cujus tamen ratio mihi parum probabilis videtur. Is igitur hæc verba interpretans: *Juvenilia*, inquit, *deſideria ſunt voluptates mundanæ, quæ omnibus illecebris mancipatæ ſunt, ideoque fugiendæ.*

III. Jam, ſi perſonam ejus reſpicimus, quem Apoſtolus fugere τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας jubet, apparet, nullam fuiſſe cauſſam, cur eum à novarum rerum ſtudiis dehortaretur. Sciebat enim, Timotheum in doctrina fidei bene inſtitutum; quippe qui (r) *à ſeipſo* ὑγιαίνοντας λόγους *audierat*; cui (s) *firma fides facta fuerat eorum, quæ à ſe didicerat*; (ſic enim illud ἐπιστώθης exponi vult (t) Nicol. Fullerus:) qui *adſecutus erat* (παρηκολούθηκε) *ſuam doctrinam, vitæ rationem, propoſitum, fidem, longanimitatem, caritatem, patientiam* (u), *&c.* Itaque non erat, cur metueret, ne quid novarum rerum agitaret. Neque tota

(e) *ſub tit. Adoleſcentia.* (d) *§. 25. & 31.* (e) *in annot. ad h.l.* (f) *comment. in h.l.* (g) *tomo 3. operum edit. Græcolat. Pariſ. anni 1642.* (h) *pag. 1658. edit. Comelin. ſed Saviliana tomo 4. pag. 354.* (i) *tomo 8. ed. Savil. pag. 532.* (k) *pag. 775. ed. Veron. anni 1532.* (l) *pag. 826. ed. Græcolat. Londin.* (m) *pag. 39.* (n) *pag. 47. & 48.* (o) *pag. 176. edit. nuperr.* (p) *pag. 786.* (q) *pag. 484.* (r) *cap. I, 13.* (s) *cap. 3, 14.* (t) *I Miſcell. 19.* (u) *cap. 3, 10.*

tota hac epiſtola ullum ejus metus veſtigium deprehendere eſt. Nam quod alicubi eum hortatur, ut (x) *maneat in illis, quæ didicerit*, id non ad vitandum innovandi ſtudium, ſed conſtantiam in fide Chriſtiana & *pietatem*, cujus nonnulli *vim*, ſola *ſpecie* retenta, *abnegaturi erant* (y), pertinet.

IV. Henricus Hammondus (z) etiam ab ætate Timothei argumentum petit, quo novam Salmaſii expoſitionem confutet. *Cur non*, inquit, *juveniles cupiditates* (*aut quæ in juvenes cadere ſolent*) νεωτέρῳ *Timotheo fugiendæ cenſerentur*? Non parum equidem tribuerem huic collectioni, ſi certo conſtaret, νεώτερον fuiſſe Timotheum, cum hæc ad eum Paullus ſcriberet. Nunc id adeo certum non eſt, ut potius probabile ſit, ætate aliquanto provectiorem fuiſſe. Seduxere, credo, virum ceteroqui perſpicacem unus & alter interpretum, qui his verbis *juventutem Timothei* (a) *reſpici*, volunt, &, *quia juvenis erat, idcirco eum Apoſtolum hortari, ut juvenilia fugiat.* Quos, ut ita ſentirent, non aliud videtur induxiſſe, quam quod prioris epiſtolæ cap. IV, (b) νεότητα Timotheo tribui viderent. At non, ſi prior epiſtola, ſtatim & poſterior ad juvenem adhuc ſcripta eſt. Multis enim hæc annis poſt illam miſſa videtur. Saltem nondum ſatis exploratum eſt, quo unaquæque earum anno ſcripta ſit. Jacobus quidem Uſſerius, vir eruditiſſimus, & de ſacra profanaque hiſtoria præclare meritus, priorem epiſtolam demum anno periodi Julianæ quater milleſimo ꟾↃCC LXXIIX, æræ Dionyſianæ LXV, Neronis XI finiente; poſteriorem autem extremo anno ſequente ſcriptam (c) putavit; ſed ejus ſententiæ ſuæ nullum argumentum adduxit. Videtur tamen inductus fuiſſe verbis Apoſtoli 1 Tim. 3:14. ubi Paullus *ſperat brevi ſe ad Timotheum venturum.* Id enim factum vult exacta hieme, anno Chr. LXVI, cum Troade pænulam, Mileti Trophimum reliquiſſet, ut legitur 2 Tim. 4:13. & 20. Sed ea verba quid prohibet cum Lud. Capello (d) de illo reditu accipere, quo Paullus, Hieroſolymam profecturus, in tranſitu Epheſi aut Mileti vidit Timotheum? vide Actor. 20:17. Aut, ſi id nolis, unde conſtat factum fuiſſe, quod Apoſtolus, ut bene Græci interpretes obſervant, non promittit, ſed ſperat tantum, idque, ut ex adjecto, *ſi tardavero*, apparet, dubitanter? Taceo, quod hæc Uſſerii opinio (ut multa illius alia ad res Paulli pertinentia) valde παράδοξος, ac fortaſſis & nova eſt. Nam plerique omnes, quos vidi, accuratiores Chronologi priorem epiſtolam in itinere Macedonico, de quo Act. 20, aut circa tempus illud, ſcriptam volunt: hoc eſt, pro diverſa eorum computatione, ſive extremis Claudii temporibus, ſive ſub initia Neronis. Jam poſteriorem plerique veterum, ut liquet ex ſubſcriptionibus Græcis & Arabicis, tam in ſacro codice, quam apud Theodoretum fine commentariorum (*) in hanc epiſtolam, (à quibus quod diſſentiunt interpres Æthiopicus, & Græcus codex Anglicanus, qui Laodiceæ ſcriptam perhibent, manifeſto errore factum eſt, ex ſubſcriptione prioris epiſtolæ orto:) Euſebio item II hiſt. Eccleſ. cap. XXII; Hieronymo in lib. de ſcript. Eccleſ. cap. V; Chryſoſtomo homilia in eam I; Theodoreto in argumento; & comment. ad cap. IV; Primaſio, Anshelmo, Oecumenio, Theophylacto in explicat. ejuſdem capitis; Nicephoro II hiſt. Eccl. cap. XXXIV; hosque ſequuti Centuriatores Magdeburgici centur. 1. lib. 1. cap. 10; Coſmas Magalianus in præfat. commentarii ſui, ſectione III; Cornelius à Lapide ad cap. IV: 4. 6. 16. & 20; Ben. Pererius proleg. in epiſt. ad Rom. num. XLII; Jac. Cappellus centuria I hiſtor. Eccleſ. ad annum Chr. LXIV; & in Tab. Chronologica hiſtoriæ Apoſtolicæ (e); Lud. Cappellus in appendice (f) ad hiſtoriam Apoſtolicam; Fr. Balduinus & Jo. Gerhardus noſter in præfationib. commentariorum ſuorum; D. Dorſcheus in Chronotaxi Actuum Apoſtolicorum MS. ad ann. mundi ∞ ∞ ∞ ∞ XVII; D. Danhaverus parte I Chriſteidos (g); D. Jo. Tob. Major parte II exegematum in Acta, ſub finem (h); Jac. Uſſerius parte II Annalium, ad ann. Chr. LXVI; Chronologia Mareſiana, Bibliis Gallicis præfixa, ad ann. Chr. LXII, aliique plures, in ſecundis Paulli vinculis, paullo ante quam martyrio coronaretur, ſcriptam exiſtimant: nixi præcipue verbis Apoſtoli cap. IV, 6. & 7. quibus mortem ſibi imminere ſignificat; quodque Trophimum, quem Mileto una cum Apoſtolo Hieroſolymam profectum eſſe, ex Actor. 21: verſ. 4. 15. & 29. colligitur, *Mileti ſe reliquiſſe infirmum*, ſcribit (i), quo tamen, antequam denuo Hieroſolymis Romam deduceretur, non eſt reverſus. Quibus addi ſolent alia ex ejuſd. capitis comm. 10, 12. 13. 16. 17. & 20. Atqui martyrium Paulli Hieronymus (k), & alii veterum anno Neronis quartodecimo; Euſebius, Simeon Metaphraſtes, Onuphr. Panvinius, Baronius, Corn. à Lapide (l), & plerique juniorum, tertiodecimo; Epiphanius (m) duodecimo; Cappelli fratres (Jacobus quidem locis paullo ante laudatis, Ludovicus autem in hiſtoria Apoſtolica, inque Chronologia ſacra, quæ Apparatui Biblici operis Anglicani inſerta eſt, tabula XI) anno XI contigiſſe cenſent: vix quiſquam, quod ego quidem ſciam, ante decimum. Igitur minimum anno ſeptimo aut octavo, juxta quorundam calculum etiam undecimo aut XII, poſt priorem epiſtolam ſcripta fuerit poſterior. Timotheum autem, cum prior ad eum mitteretur, XXX annos, aut amplius, natum fuiſſe, cenſet Gregorius Magnus homil. in cap. I Ezechielis, & cum eo multi interpretum. Itaque cum poſterior exarata eſt, jam virilem ætatem ingreſſus erat. Scio, Salmeronem, Juſtinianum, Eſtium in comm. ad hanc epiſtolam; Lorinum in cap. ult. Actorum (n); Baronium ad annum Chr. LXIX; Vedelium lib. I de cathedra Petri cap. XIII; & præcipue Maſſutium lib. XII de vita Paulli cap. VI, (cum quibus etiam faciunt Oſiander cent. 1. hiſt. Eccl. lib. III cap. XVIII, Horneius compend. hiſt. eccl. lib. I, cap. XI, num. XVI, aliique plures:) poſteriorem epiſtolam è prioribus vinculis, anno III aut IV Neronis, miſſam velle, idque multis, ac ſpecioſis, argumentis propugnare. Sed ea tam robuſta non ſunt, ut veteris Eccleſiæ, ac plerorumque doctorum ſententiam poſſint evertere. Adde quod ea opinio defendi nequit, niſi multa præter rationem, & ſacrarum literarum, veterumque ſcriptorum auctoritatem, fingantur. De quo fortaſſe plura, Deo dante, alibi. Prolixe enim cuncta excutere, inſtituti ratio nunc non patitur. Properandum enim nobis ad finem, & concludenda tandem iſthæc diſſertatio eſt, ne tædium ultra lectori nimia prolixitate creemus, poſtquam ad ea quæ pro nova interpretatione adlegantur, pauca repoſuerimus.

(x) *cap.* 3, 14. (y) *ibid. v.* 5. (z) *loco ſupra cit.* (a) *Vid. Coſm. Magalian. & Corn. à Lapide in comm. ad h. l.* (b) *comm.* 18. (c) *part.* 2. *Annal. V. T. pag.* 188. & 691. (d) *Append. ad hiſtor. Apoſtol. p.* 75. (*) *tomo* 3. *ed. Græcolat. Pariſ. pag.* 507. (e) *præfixa hiſtoriæ Apoſt. Lud. Capelli fratris.* (f) *pag.* 82. (g) *pag.* 151. (h) *pag.* 382. (i) *c.* 4, 20.

(k) *in Chron. add. eund. de ſcr. Eccl. cap.* 5. *Bedam in Act. cap. ult. alioſque.* (l) *Euſ. H. E.* 2. 24. *Metaphr. in vita Paulli; Panv. in chronico: Bar. ad an.* 69; *Perer. proleg. in ep. ad Rom. Eſtius ad* 2 *ep. ad Tim. Corn. à Lap. in argum. ejuſd. epiſt.* (m) *hæreſi* 27. *cap.* 6. (n) *pag.* 983.

CAPUT VIII.

Diluuntur objecta. An νεωτερικὸς *conſtanter deſignet NOVUM, nuſquam JUVENILEM. J. Schlichtingii & Dan. Brenii explicatio loci Paullini.* Νεώτερος *pro novo.* Νεωτερίζειν *quid.* Νεωτεριστὴς, *& ſimilia.* Καινὸς *de eo qui res novas molitur. Harpocration emendatus. Confundi à viro docto objectum* ἐπιθυμιῶν *earum ſubjecto.* Νεανικὴ ἐπιθυμία. Νεανικὸν φρόνημα, *& hoc genus alia.* Νεανικὸν *&* Iuvenile *pro magno & vehementi. Statius illuſtratus.* Νεανίας. Νεανιεύεσθαι. Νεωτερικὸν *an & quomodo ſemper novitatem complectatur. Neoterici ſcriptores.* Νεωτερικὴ τάξις. *Reliqua viri docti expenduntur.*

VIdeamus igitur, quibus argumentis novam verborum Apoſtolicorum expoſitionem ſtabilire, veterem & receptam evertere vir doctus nitatur, & breviter ea expendamus. Cum igitur dixiſſet (a) *Apoſtolum non JUVENILES CUPIDITATES principe inſtituto prohibere, quomodo id plerique Patres & vulgus Interpretum communiter acceperint: ſed NOVAS vel NOVARUM RERUM CUPIDITATES & vana innovandi deſideria vitari mandare*; ſubjicit, *ſuadere hoc genuinam* φράσεως *Apoſtolicæ vim paullo penitius conſideratam. Vocem enim* νεωτερικὸς, *à* νεώτερον, *ſicut* ἐσωτερικὸς *vel* ἐξωτερικὸς *ab* ἐσώτερον *&* ἐξώτερον, *deductam, NOVUM ſeu NOVATURIENTEM melioribus Græciſmi auctoribus conſtanter deſignare. Ubi autem JUVENILEM notet, nuſquam ſe reperire.* Similia habes apud Salmaſium, jam in ſuperioribus (b) adducta.

Jonas

(a) *diatrib. hiſt. theol. cap.* 1. *pag.* 1. (b) *cap.* 5. §. 1.

Jonas quoque Schlichtingius [c], quem & ipsum *νεωτερικὰς ἐπιθυμίας cupiditates novitias*, aut *rerum novitiarum* interpretari, dum hæc recenseo, animadverto: *Νεωτερικὸς*, inquit, *non significat JUVENEM aut JUVENILEM, sed NOVITIUM. Unde SCRIPTORES NEOTERICI. Monet ergo Timotheum, ut fugiat cupiditates rerum novitiarum, noviter repertarum & proditarum, quarum homines, juvenes præsertim, solent esse cupidi, fastidientes antiqua. Novas amant opiniones, quo ceteris videantur esse sapientiores, sicuti nunc prodit nova Philosophia. Hoc in Christiana religione, ad quam Apostolus monitum istud refert, maxime cavendum est, in qua illud optimum, quod primum & antiquissimum. Hoc si Christiani omnes meminissent, nunquam in novitia dogmata & hæreses delapsi essent.* Falso hæc dici, manifestum est ex iis quæ de usu vocis *νεωτερικὸς* in superioribus [d] prolixe diximus. *Novum* seu *novaturientem designare* eam, nullo adhuc exemplo ostensum est: *constanter* autem id *melioribus Græcismi auctoribus designare*, falsissimum est. *Juvenilem* enim denotat Josepho, Gellio, & auctori libri de Virginitate, ac haud dubie & antiquis scriptoribus aliis, quorum loca nobis nondum sunt observata. Ipsa Schlichtingii interpretatio facile refelli potest ex iis, quæ in superioribus, præsertim c. 7. n. 1, 2, 3. diximus. Desertusque hic est à socio suo, Daniele Brenio, qui [e] *νεωτερ. ἐπιθυμίας* de *juvenilibus cupiditatibus* accipit, aitque esse *carnales vitiorum concupiscentias, quibus juvenes maxime sunt obnoxii.* Quæ vero de *Christianis in novitia dogmata & hæreses prolapsis* sub finem addit, melius in ipsum, reliquosque Socinianos, quam in eos quos ipse perstringit, congruunt.

II. Pergit [f] vir doctus: *Suidæ νεώτερον idem est quod καινόν; unde νεώτερον κακὸν, NOVUM MALUM. Τὰ νεώτερα apud eundem RES NOVÆ sunt, & Phalaridi in epist. νεώτερα φρονεῖν dicitur, qui nova meditatur: Isocrati autem vice versa apud Suidam καινὸς vocatur, qui τοῖς νεωτέροις ἁρμόττει πράγμασι, res consectatur novas. Hinc verbum νεωτερίζειν, quod Hesychio & Suidæ est καινὰ πράττειν, nova moliri, novis rebus studere. Thucydides illud aliquoties pro INNOVARE usurpavit, ut cum lib. 7. anni tempus hominem εἰς ἀσθένειαν νεωτερίζειν dicit, nempe novis morbis invectis. Sic lib. 2. ὤμοσαν μηδὲν νεωτεριεῖν περὶ τὴν ξυμμαχίαν. i. e. Jurarunt se nihil innovaturos circa societatem militarem. Idem apud Suidam: τὴν τύχην νεωτερίζουσαν τὰ πράγματα, i. e. FORTUNAM RES INNOVANTEM appellat. Eodem modo Herodianus lib. 1: δεδιὼς τοῦ δήμου κίνησιν, μήτι καὶ περὶ αὐτοῦ νεωτερίσειεν, i. e. populi motum veritus, ne & circa ipsum aliquid innovaret. Et Philo lib. 3. de vita Mosis: ὑπὲρ τοῦ μὴ δοκεῖν ἰδίᾳ γνώμῃ νεωτερίζειν, ne videretur privatim nova consectari. Inde νεωτεριστὴς Plutarcho in Phoc. novarum rerum studiosus; & νεωτερισμὸς eidem in Galba innovatio. Erunt ergo procul dubio νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι, quæ circa τὰ νεώτερα versantur, & NOVITATIBUS adficiuntur; sicuti κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι eidem Apostolo ad Tit. 2: 12. sunt illæ, quæ MUNDO & MUNDANIS adglutinantur, & σαρκικαὶ ἐπιθυμίαι Petro 1 ep. 2: 11. quæ CARNI & CARNALIBUS adhærent.*

III. Summa argumenti, si recte vim ejus perspicio, hæc est: Uti *κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι* sunt, quæ mundo & mundanis; *σαρκικαὶ*, quæ carni & carnalibus adhærent; ita *νεωτερικὰς* esse quæ circa *τὰ νεώτερα* versantur, sive *τῶν νεωτεριζόντων*, *τοῖς νεωτέροις πράγμασι ἁρμοττόντων*, ac *νεωτεριστῶν*. Jam *τὰ νεώτερα* esse *nova* sive *res novas*; *νεωτερίζοντας*, sive *νεωτεριστὰς*, qui iis student sive ea sectantur, aut aliquid innovant. Quare & *νεωτερικὰς* esse rerum novarum, ac eorum qui nova sectantur aut moliuntur.

IV. Equidem haud inficior vera esse, quæ de significatu atque usu vocis *νεώτερος*, indeque orti Verbi *νεωτερίζω*, Nominisque Verbalis *νεωτεριστὴς* adlegantur. Fateor iis omnibus *novitatem* designari. Derivantur enim à Nomine *νέος*, quod tam *novum*, quam *adolescentem* seu *juvenem* denotat. Utrumque significatum Comparativus retinet; immo quandoque Positivi locum implet. Nam, ut Grammatici tradunt, *Νεώτερον οὐ μόνον συγκριτικὸν, ἀλλὰ καὶ νέον Ἀττικοί*: hoc est, *Νεώτερον non modo Comparativum, sed etiam idem ac νέον est Atticis.* Suidas: *Νεώτερος τὸ συγκριτικὸν ἀντὶ ἁπλοῦ, ἀντὶ τοῦ Νέος.* Et paullo ante: *Νεώτερον, καινόν. ὁ δὲ, ἔλεγε, δεδιέναι ἂν ἀδόκητόν τι καὶ νεώτερον κακὸν ἀπαντήσειν.* Sed & de Verbo *νεωτερίζω* diserte Hesychius & Suidas: *Νεωτερίζει,* *καινὰ πράττει.* *Καινὰ* vero *πράττειν* idem est quod *καινοτομεῖν, καινουργεῖν, καινουργίζειν, καινὰ φρονεῖν, νέα φρονεῖν, νεωτεροποιεῖν, νεώτερα πράττειν, νεοχμοῦν, τοῖς νεωτέροις ἁρμόττειν πράγμασιν*, &c. quibus omnibus eodem sensu Græci utuntur, sed ita, ut vim quandam involvant; quemadmodum Latinorum *res novas moliri*. Unde apud Suidam [g] nescio quis vetus scriptor: *Τοῦτον δὲ ἀνεῖλον, ὡς νεώτερα κατὰ Ῥωμαίων πράττοντα.* Qui hoc faceret, vocabatur *νεωτεροποιός, νεωτεριστὴς, νεωτερίζων, νεωτεριστικὸς, νεωτέρων πραγμάτων*, (vel & ἐλλειπτικῶς & simpliciter, *νεωτέρων*) *ἐπιθυμῶν, καινὸς γνώμην, καινῶν ἔργων ἐγχειρητὴς*, ut è Polluce [h] & Suida [i] cognoscimus. Interdum etiam, ut recte vir doctus observavit, absolute *καινός*. Suidæ ea de re verba hæc sunt: *Καινός. Ἰσοκράτης ἀντὶ τοῦ ὃς τοῖς νεωτέροις ἁρμόττει πράγμασιν. οὕτω δὲ καὶ Ἔφορος.* Quæ hausit ex Harpocratione, cujus corrupta *ῥῆσις* (quod miror non observasse doctissimum illius editorem Maussacum) sic emendanda est: *Καινός. Ἰσοκράτης πανηγυρικῷ. οἷον ὃς τοῖς νεωτέροις ἁρμόττει πράγμασιν. Ἔφορος δὲ τρόπον τινὰ ἐξηγήσατο αὐτὸ ἐν τῇ πρώτῃ.* sic Suidam legisse, manifestum est. Vulgo editur *Καινῶς, & οἷον ὡς τ. ν. ἁρμόττειν πρ.* Inepte, & nullo sensu. Quid enim? An *καινῶς* idem est ac *ἁρμόττειν τοῖς νεωτέροις πράγμασιν*. Scilicet Adverbium Verbi significatum obtinebit? Nugæ. Legendum ergo, ut diximus. Sic omnia sibi constant.

V. Verum ex his omnibus nondum efficitur, quod vir doctus vult, *νεωτερικὰς ἐπιθυμίας procul dubio esse, quæ circa τὰ νεώτερα versantur.* In exemplis enim modo adlatis *νεώτερα* objectum actionum cupiditatumve indicant. At alia ratio est, cum *ἐπιθυμίαι νεωτερικαὶ* dicuntur. Nam hujusmodi formulas in Novi Fœderis libris semper subjectum, non objectum designare, supra docuimus; ubi & de *σαρκικαῖς* & *κοσμικαῖς ἐπιθυμίαις* diximus, ab Apostolo sic vocari, non quæ circa carnem ac mundum versantur; sed quæ à carne ac mundo proficisci solent [k]. Id secus esse, quo argumento ostendet vir doctus?

VI. Sed pergamus ad reliqua. *Idem quoque*, inquit [l], *erit τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεύγειν, quod τὸ νεωτέρων μὴ ἐπιθυμεῖν. Hoc autem quid sit, è Jul. Polluce lib. 3. cap. 7. patet, ubi post plura τοῦ φιλοπόλεως epitheta, ejusdem quoque τὰ ἐναντία recensentur, ac inter hæc νεωτεριστὴς & νεωτέρων ἐπιθυμῶν conjunguntur. Vitium itaque φιλοκαινίας ab Apostolo his verbis vetari quis ambiget?* Verum iterum confunditur cum objecto subjectum *ἐπιθυμιῶν*. Cum quis *νεωτέρων ἐπιθυμῶν* dicitur, objectum desideriorum illius; cum vero *νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι* prohibentur, subjectum, cui insunt, ut diximus, indicatur. Quæ profecto valde diversa sunt, eoque ab uno ad alterum argumentari non licet. Recte dixeris eum qui carnem adpetit, *σαρκὸς*; qui ignorantiam, *ἀγνοίας* vel *ἀνοησίας*; qui mundum *κόσμου ἐπιθυμεῖν*. Male vero hinc concludas, Apostolo *ἐπιθυμίας σαρκικὰς* esse eorum qui carnem; *ἀνοήτους*, qui ignorantiam; *κοσμικὰς*, qui mundum adpetunt. Subjectum enim, ut diximus, non objectum earum formulis illis innuitur.

VII. Quæ sequuntur apud virum doctum, Grotii interpretationem loci Paullini impugnant, & jam supra [m] à nobis sunt recitata: nos autem neutiquam feriunt, quippe qui eam & ipsi [n] rejecimus. Nisi quod ratio, quam subjicit, nostram quoque sententiam quodammodo impetere, eoque refellenda nobis videri possit. *Certe*, inquit [o], *si juveniles ejusmodi gloriolas vitare intendisset θεόπνευστος Doctor, non νεωτερικὰς, sed νεανικὰς sine dubio dixisset. Sic enim Philosophus Eth. Nicom. lib. 7. cap. 4. νεανικὴν ἐπιθυμίαν diserte dixit, juvenilem impetum designaturus. Sic quoque νεανικὸν φρόνημα Demosthenes, νεανικὸν φόβον Euripides, νεανικὴν φορὰν Theophrastus dixere. Sed aliud est νεανικὸν; aliud νεωτερικόν. Hoc omnino novitatem complectitur.* Egregia vero ratio! Quia Aristoteles juvenilem cupiditatem vocat *νεανικὴν ἐπιθυμίαν* idcirco Paullus etiam ejusmodi *ἐπιθυμίας* debuit *νεανικὰς* appellare, immo sine dubio ita vocasset? Quidni vero licuerit Apostolo de re eadem voce diversa, sed idem significante, uti? Cumque *νεώτερος* æque *juvenem* denotet, ac *νεανίας*, (ut cap. III. & IV prolixe docuimus) cur *νεανικαὶ ἐπιθυμίαι juveniles* erunt, *νεωτερικαὶ* non erunt? Præterea *νεανικὴν ἐπιθυμίαν* apud Aristo-

Vvvv

[c] *in comm. ad h. l. pag. 271. operum exegiticorum.* [d] *cap. 5. & 6.* [e] *in Notis in Vet. & Nov. Testament. fol. 92.* [f] *pag. ead. & 2.*

[g] *in Νεώτερα.* [h] *lib. 1. Onomast. c. 1. n. 21. l. 3. c. 6. n. 1. lib. 4. cap. 4. n. 2.* [i] *in Καινὸς & Νεωτεροποιός.* [k] *vide cap. 2. §. 4. & deinceps.* [l] *pag. 2.* [m] *cap. 5. §. 1.* [n] *cap. 7. §. 2.* [o] *pag. ead.*

Aristotelem plerique interpretes non *juvenilem*, sed *magnam* seu *vehementem* interpretantur: qui & νεανικὸν φρόνημα apud Demosthenem exponunt *generosum ac strenuum animum.* Qua de re diximus capite II, numero X. Ac observat Henr. Stephanus in Thesaur. Græcæ linguæ (a), νεανικὸν metaphorice ut plurimum capi pro *strenuus*, *animosus*, *virilis*, vel etiam *audax*, qualis juvenilis esse animus consuevit. quomodo & νεανίας aliquando idem est ac *audax*, *ferox*, *protervus*: & νεανιεύεσθαι, *ferociter*, *temere*, *petulanter agere*; ut ab eodem Stephano (q) adnotatum est. Nec aliter accipi debent νεανικὴ φορὰ, & νεανικὸς φόβος, quam pro *magno motu*, & *metu vehementi*: quo sensu utrumque exponit & Stephanus, qui & alia illius significatus exempla adducit: quemadmodum & Casaubonus animadvers. in Athenæum lib. IV. cap. XXI, ac Franc. Vigerius de præcipuis Græcæ dictionis idiotismis cap. III (r). Ac Latinis etiam, Græcorum imitatione *juvenile* idem esse ac *magnum*, observat doctor olim noster, Aug. Buchnerus lib. I. de commutata ratione dicendi cap. XIX, firmatque illo Statii lib. I. Sylvarum carmine IV:

Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati
Terruit, & subiti praceps juvenile pericli.

Nam *juvenile praceps* ait eum dixisse pro magno præcipitio, sive ingenti periculo. Porro *aliud esse* νεανικὸν, *aliud* νεωτερικὸν, facile largior, si νεανικὸν illo quem diximus sensu accipiatur: non item, si proprio, à quo ad metaphoricum istum transfertur. Est enim à νεανίας, quod principe significatu idem est ac *adolescens* aut *juvenis.* Denique falsum est, νεωτερικὸν *semper novitatem complecti*; si *novitas* stricte, & tanquam diversum quid à *juventute* accipitur. Ostendimus enim supra, non nunquam *juvenile* ea voce designari. Quamquam alias ipsa tenerior ætas novitatem ortus connotat; cum adolescentum recentior sit nativitas, quam aliorum. Sicuti *novitas* vicissim aliquando ætatem rei notat; ut cum *ver novum* opponitur *adulto.*

IIX. At *in Latium traducta voce* (sic pergit (s) vir doctus) *NEOTERICI auctores Servio sunt novi ac recentes, qui opponuntur antiquis: & eodem sensu Hieronymus in epistola ad Pammachium NEOTERICOS laudat.* Ad hunc vocis significatum etiam Salmasius & Schlichtingius provocant (t). Sed ostendimus supra (v), illo loquendi modo æque posse ætatem scriptorum, ac novitatem, indicari: ac si *novitas* illo significetur, non eam objecti, ut in verbis Apostolicis illi fieri censent, sed scriptorum ipsorum, significari.

IX. Tandem Ignatii loco sententiam suam stabilire (x) conatur. *Insigniter*, inquit, *nostram expositionem firmat eximius Ignatii in epist. ad Magnesios locus, ubi in vetustissimo bibliotheca Laurentiana MS. Codice, è quo recens Ignatiana Cl. Isaaci Vossii editio expressa est, nova ista Episcopi unius supra Presbyteros reliquos in majore gradu constitutio, qua tum in Ecclesiam introducebatur*, φαινομένη νεωτερικὴ τάξις *appellatur, quasi dicas, NOVUM ORDINEM, NOVELLUM INSTITUTUM.* Ita quidem & Salmasius, cum eoque Rivetus ac Blondellus hunc Ignatii locum interpretati sunt. Sed perperam id ab iis factum, nec de novitate Episcopi accipiendum esse supra cap. IV. prolixe, &, nisi fallor, solide evicimus. Idque & eruditissimus Dallæus videtur agnovisse. qui cum undique corraserit argumenta, quibus αὐθεντίαν epistolarum Ignatianarum impugnaret, hunc tamen locum adlegare non est ausus.

X. Addit (y) vir doctus: *Alias forte pro hac interpretatione sua roboranda rationes adferre in proclivi esse, nisi è modo dictis satis ea superque declarata videretur. Se enim commentarium jam non scribere. Arbitrari autem cuivis id liquido ostensum esse, inanes novandi cupiditates, monito hoc Apostolico serio esse interdictas.* Vellem adjecisset & illas rationes, ut eas quoque ad examen vocare, aut, si validiores iis quas adduxit esse deprehenderemus, in illius sententiam concedere potuissemus. Nam quas jam ab eo adlatas expendimus, nos quidem tam firmas validasque neutiquam deprehendimus, ut illius interpretationem *satis superque iis declaratam* confirmatamque nobis persuadere queamus. *Inanes novandi cupiditates monito hoc Apostolico serio interdictas* libens concesserim; quatenus scilicet etiam illæ sub cupiditatibus juvenilibus comprehenduntur: nam & novitatis studium, æque ac inconstantia, inter mores juventutis recensetur. Sed ut vi vocis νεωτερικὸς, & solas, atque explicite, ut scholæ loqui amant, ac speciatim hoc loco prohibitas credam; hactenus à me impetrare non possum. Nondum enim, meo quidem judicio, id *cuivis liquido ostensum est*, uti quidem vir doctus existimabat. Immo potius, non tam *innovandi cupidine*, quam universe cunctis *cupiditatibus juvenilibus* Timotheo aliisque episcopis interdictum esse, ex iis quæ in superioribus capitibus fuse disputavimus, si non certo evidenterque evincitur, saltem admodum verisimile esse efficitur.

(p) *Tomo* 2. *col.* 1036. (q) *Ibid. col.* 1035. *& seq.* (r) *Sect.* 7. *regula* 13. (s) *Pag.* 2. (t) *Vide supra* §. 1. *& c.* 5. §. 2. (v) *C.* 5. §. 5. *&* 6.

(x) *Pag.* 2. *&* 3. (y) *Pag.* 3.



HECT.

HECT. GOTHOFR. MASII
DISSERTATIO
De pallio Pauli ad 2 Tim. IV: 13.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
H. G. MASIUS.

QUemadmodum herbæ etiam exiguæ & ſæpius neglectæ arcana ſanandi virtute pollent; ita docendi virtutem obtinent illæ etiam Scripturæ voces, quæ obiter legentibus exiguæ parvique momenti eſſe videntur. Ab ignaris rerum Botanicarum ſæpe pedibus conculcantur herbæ, quæ capiti proſunt, quaſque ſollicita manu Medea colligeret, balneo longævitatis inſerendas; & fieri facile poteſt, ut ſtyli Scripturæ imperiti ſterilitatis accuſent vocem, quæ fœcunda doctrinæ ſemina ſpargit. Negligat vero Æſopi Gallus latentem in ſterquilinio margaritam; qui Scripturæ ſacræ profunditates rimantur in quovis Scripturæ loco & in quavis voce latitantem invenient veritatem. Pauperis eſt numerare pecus, inquit ille; Sed ingenii pauperis & cognitione rerum Theologicarum deſtituti eſt, ſapientiam divinam vel in ulla Scripturæ voce, nedum phraſi deſiderare. Qui ſterile judicat vel minimum Scripturæ vocabulum, næ ille ignorat divini eloquii abundantes divitias.

Non defuere quidem & noſtro & ſuperioribus ſeculis, qui nonnullas Scripturæ phraſes ſimplicitatis reas agerent; alii etiam longius eoque impietatis progreſſi ſunt, ut Scripturam in rebus Phyſicis, Mathematicis, Chronologicis cum vulgo errare contenderent; nihil quicquam veriti θεοπνευστίας præjudicium, modo Spiritum Sanctum ad captum vulgi ſeſe accommodaſſe dicerent, inani effugio, quo ipſo erroris arguitur Spiritus Sanctus, dum aliorum errorem ſecutus eſſe perhibetur. Sunt illi Philoſophi in Scripturæ autoritatem injurii, qui phænomena phyſica vel Mathematica præpoſtero judicio divinæ veritati anteponunt. Nec minus hoc ſeculo reprehenſionem illi merentur, qui omnia in Scripturis divinitus inſpirata eſſe negant: Solvere quidem videtur illa hypotheſis difficultates plurimas hinc inde obortas; ſed enſe Alexandri ſecat potius nodum Gordium, quam ſolvit. Ut mirari ſatis nequeam Theologos quoſdam intra pomœria noſtra eandem voluiſſe adoptare hypotheſin, quæ ſacri canonis autoritatem vel infringit, vel ſaltem dubiam incertamque relinquit. Nec ſatis illi certitudini Sacrarum literarum conſulunt, qui ſingula verba divinitus inſpirata negant, cum enim ſenſus Scripturæ à vocibus pendeat, ſi verbis deeſſet θεοπνευστία, ipſis quoque rebus deerit divina autoritas.

Ex eorum vero numero, quæ divinitus dictata negantur, etiam Pauli pallium eſt, ſed immerito; nam ſi vel maxime pallium vox Græca ſignificaret, palliando tamen errori non ſufficeret. Sed nec pallium præciſe indigitari, gravis conjectura eſt. Quibus illa rationibus innixa ſit, prolixe ſatis & erudite expoſuit hujus diſſertationis Autor. Cum enim autor ſuaſorque ei eſſem, ut de præſenti materia nonnihil conſignaret, arripuit conſilium, & quo fertur in bonas literas ſtudio quaque diſcendi cupiditate, proprio Marte & opinione mea citius exſecutus eſt. In eo autem quam bene eleganterque verſatus ſit, harum rerum periti, niſi forte iniqui Cenſores fuerint, facile exiſtimabunt. Illud perſuaſum habeo, nec orthodoxiam in his pagellis, nec judicii maturitatem deſiderari. Quam alias laudem mereantur Eximii Autoris ſtudia, quibus tanta animi contentione quotidie incumbit, dicerem uberius, niſi me cognationis vinculum & domeſticæ fidei ſuſpicio revocaret. Nec v. alieno præconio indigent ſtudia, quorum ipſe quotidie & teſtis & præco eſt. Illud tamen citra panegyrin affirmare poſſum, eſſe hunc noſtrum eo ingenio, ea indole atque induſtria, ut ad incrementa bonarum artium veræque Religionis commoda natus eſſe videatur. Ubi autem ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere, ſi Tullio credimus. Atque hinc ſatis cauſæ mihi eſt, cur Reip. literariæ ſingularem operam, Eccleſiæ ornamentum, Parenti vero optimo ſeni provectæ ætatis ſolatium à filio pollicear, non vanus Augur futurus, ſi vitam illi DEUS vireſque animi & corporis porro ſervarit incolumes. Eundem ſupplex veneror, ut labanti & tantum non oppreſſæ religioni ejuſmodi ingenia plura ſufficiat, quibus inniti orthodoxia & ab inſultibus hoſtium vindicari poſſit. Corruunt ubique Reip. Literariæ Atlantes, & qui humeros iſti oneri pares ſpondeant, pauci omnino in noſtris ſeminariis reperiuntur. Minantur paſſim ruinam ſtudia, & qui barbariem ſeculi redivivam timent non vano metu ducuntur. Non poteſt enim ille literarum contemptus, illa plurimorum deſidia, illa denique ſtudiorum egeſtas, niſi craſſam parere ignorantiam, & vix proſtratam barbariem poſtliminio in orbem revocare. Sed de eo conquerantur alii, qui literas amant, & communem ſortem bonarum artium deplorant; nos

pro-

propior cura ſollicitat, qui in foro Theologico eadem fata & indigna magis experimur. Fuit quondam tempus, cum optima quæque ingenia noſtris ſacris initiarentur, & è flore juventutis velut ex equo Trojano certatim confluerent, qui Theologiæ operam, bona & fortunas conſecrarent; vix autem hodie niſi humili loco nati aut tardioris ingenii, ſaltem inopes & nervo rerum gerendarum deſtituti animum ad noſtra ſtudia applicant. Qui ultra communem ſortem nati, vel bonis inſtructi, vel excitatæ mentis ardore inflammati ſunt, à ſacris quidem muneribus plerumque abhorrent, quaſi nobiliſſimum illud ſanctiſſimumque ſtudium indignum ſit nobili loco & ingeniis præſtantioribus. Sed manum de tabula. Sint hæc etiam Pallio involuta, ne adverſarii nuditatem noſtram cognoſcant. Ad noſtrum autem BRÆMERUM *ut redeam, dum de Pallio Pauli agit, ipſe pallium vel togam candidam, ſaltem ſacram veſtem meretur. Augeat in ipſo* DEUS *χαρίσματα, & majoribus incrementis indies exornet, ut vas electum gratiæ* DEI *& utiliſſimum gloriæ ejus inſtrumentum evadat,* AMEN!

בב״

SECTIO I.

PHILOLOGICA.

Notantur (1) Variæ lectiones (2) approbatur lectio τȣ͂ φελόνȣ ſive φαιλόνȣ (3) diſquiritur an voces hæ origine Græcæ an Latinæ? (4) an adjectivæ an ſubſtantivæ? (5) cujus denique generis ſint.

§. I.



Ommentaturi quædam in locum 2 Tim. 4:13. potiſſimum occupabimur circa vocis φελόνȣ explicationem, de qua Paulus Timotheum ſuum monet, ut eum veniens afferat. Verba textus hæc ſunt: Τὸν φελόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε. Notamus hic ſtatim primo in limine, non exiguam occurrere difficultatem circa variantes lectiones vocis φελόνȣ, ita enim diſcrepant exemplaria, ita variant, ut dubitem, an decem reperias exemplaria quæ illam eodem modo proferunt. Notabimus breviter potiores lectiones. Itaque (1) quod φαιλόνην attinet, ita expreſſum reperimus vocabulum in vetuſtiſſimo exemplari, impreſſo ſecundum manuſcriptum quod habetur Pariſiis in bibliotheca Regia, anno 1550. φαιλόνην quoque legi vult Bœclerus, in Novo Teſtamento edito Argentorati anno 1660. Eodem modo hanc vocem ſcriptam exhibet Nov. Teſtamentum Schmidii, quod anno 1658. in lucem prodiit, licet in margine addat: *alii* φαιλόνην. Eandem vocem habet Eraſmi exemplar infra citandum, uti & aliud ex officina Froſcher. Tiguri 1559. impreſſum. Plura exemplaria φαιλόνην legentia non reperi. Sed major eſt eorum numerus, quæ φελόνην ſive φελώνην legunt, inter quæ non immerito primum locum obtinet Nov. Teſt. vetuſtum, ex bibliotheca Regia Pariſiis editum, anno 1546. cui jungo editionem Rob. Stephani 1568. adornatam. Eodem modo, licet facta metatheſi literarum ο & ω, ſcriptum exſtat hoc vocabulum in alio exemplari, Pariſiis anno 1560. edito, & cum calci ejuſdem affixæ ſint variæ lectiones, quas editor in manuſcriptis pluribus animadvertit, hæc omittitur. Editio Hiſpan. in Fol. Antwerpiæ A. 1571. impreſſa, eodem literarum ordine hanc vocem effert. Iterum legit φελόνην Nov. Teſtam. Syr. Græc. Latin. cura Tremellii anno 1669. editum. Beza in Nov. Teſt. quod 1589. lucem conſpexit, eodem prorſus modo, vocabulum hoc legi voluit; cum quo concordat exemplar Johannis Janſonii Anno 1639. Amſtelodami impreſſum; nec ab his diverſum eſt Nov. Teſtam. Curcellæi, licet in margine addatur; alii φαιλόνην, alii φαιλώνην. Eraſmus in exemplari (quod inter prima eſt, quæ cura Eraſmi cum diſtinctione in verſus & capita publicata ſunt, cura Eraſmi dico, nam jam anno 1558. adornaverat Robertus Stephanus edit. talem in capita & verſus diſtinctam) edito Anno 1586. legi etiam vult τὸν φελόνην. (Licet in Exemplari An. 1518. in Fol. Baſileæ edito legat τὸν φαιλόνην.) Cum quo conſentit Ariomontani N. T. Critica Magna Anglicana T. 4. ubivis legit τὸν φελόνην. Plures adhuc ſunt hujus vocabuli lectiones, utpote φενόλης, & quod primo loco memorandum nobis erat φαινόλης, item φαινώλης, aut ſi quæ forſan aliæ forent voces, quæ hic unam alteramve literam inter ſe commutant, quæ cum in pauciſſimis exemplaribus mihi viſæ ſint, illas annotare vix operæ pretium cenſui.

§. II.

In tanta ſcriptionis diverſitate quænam vox ſit retinenda, quænam atro notanda calculo, ambiguum eſt, nullam ex his lectionibus eſſe authenticam nemo dixerit, niſi injurius ſimul eſſe velit in Scripturæ Sacræ integritatem, quæ non ſolum in iis quæ fidei articulos concernunt, ſed in reliquis etiam, ad minimum uſque jota integra & ſine menda eſt; Variantes ſiquidem lectiones dubium quidem lectorem reddunt, vocem autem ipſam, quæ ita varie legitur periiſſe, non arguunt. Licet itaque ignoremus quænam vox in ipſo authentico reperta fuerit, hoc tamen certum plane eſt, unam ex his vocibus, quas adhuc ſuperſtites codices exhibent, retinendam eſſe: Quis enim (ut exemplo rem illuſtrem) negaret, inter illos clypeos, quos Roma ad exemplar cœlitus delapſi Ancilis fabricavit, ipſum clypeum ad quem cæteri formati erant, interfuiſſe? quia propter eorum copiam non licuit conjicere quiſnam ἀρχέτυπος fuerit? Non permittet enim unquam divina providentia, ut vel minimum ex epiſtola illa mortalibus miſſa pereat & plane intercidat; Egregium ſcilicet foret principium fidei, quod immutare & plane corrumpere poſſet adultera quævis manus. Quamvis proinde dubium non ſit unam ex illis vocibus eſſe autenticam, incertum tamen manet, cuinam ex illis palma ſit deferenda, meo quidem judicio lectio τȣ͂ φαινόλȣ plane eſt reproba, contra τȣ͂ φελόνȣ aut φαιλόνȣ genuina. Plura ſiquidem ſunt, quæ conjecturam hanc plus quam conjecturam eſſe mihi perſuadent. Non quidem pertinaciter urgebo, quod in pleriſque impreſſis exemplaribus φελόνην aut φαιλόνην legerim, notum ſiquidem eſt, omnia ferme exemplaria, quæ nunc habemus, nonniſi ad decem, plus minus, codices MStos eſſe impreſſa, uti recte obſervat P. Simonius Criticæ ſuæ Nov. Teſtam. cap. 18. pag. 215. Unde ridiculus ſane eſt Sandius, qui ut colorem figmento ſuo de ſuppoſititio verſu ſeptimo, 1 Joh. 5. inducat magno apparatu innumera ferme citat exemplaria, ſed omnia impreſſa, atque hinc merito cenſuram incurrit Simonii l. c. licet, quod una manu demit, altera liberaliter nimis largiatur, concedens verſum illum ſuppoſitum eſſe.) Longe itaque fortius concluderem pro lectione φελόνȣ &c. ſi auderem aſſerere, hanc vocem in vetuſtiſſimis MStis iiſque probatis reperiri; certe Eraſmus accuratiſſimus

mus manuscriptorum codicum scrutator, Beza, Curcellæus, omnes fere accurati editores Nov. Test. prætulisse hanc lectionem cæteris videntur, quam ego eo lubentius arripui, quo propius sententiæ atque menti Apostoli accedere ejus expositionem credidi. Patrocinari quoque haud parum videtur huic lectioni versio Syriaca, nam nullum dubium est quin in codice ad quem illa versio adornata est lecta fuerit φελόνου sive φαιλόνου vox, probabimus id Sectione II. §. 18.) en magnum sane pro sententia nostra testimonium! Ego quidem illis calculum meum non adjicio, qui textum ipsum ex vetustis versionibus in omnibus corrigi posse autumant (à quo errore maximi hujus seculi Critici non sunt immunes;) nam sane non raro rectam lineam ad curvam efformaret, qui textum ad versionem sæpius mendosam corrigeret; Attamen ubi variantes sunt lectiones, ubi ambiguum quam vocem divina manus consecraverit, secure ad versiones recurri posse certissime persuasum mihi habeo; Consentit mecum hac in re Ambrosius (verius Hilarius Diaconus Romanus, non Arelatensis aut Pictaviensis, uti credit Bellarminus de Script. Eccles. p. 76. edit. in 4to. Conf. Labbæi Biblioth. Tom. I. p. 454. Cave Cartophl. p. 66.) qui Comment. in Rom. 5:14. cum variantes reperiret lectiones, eam amplexus est, quæ cum antiqua Latina versione conveniebat. *Constat*, inquit, *hoc* (scilicet ita legendum esse) *per quosdam Latinos de veteribus Græcis olim translatos codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & servat.* Quanto, itaque vetustior quinimo accuratior Syriaca Latina versione est, tanto major vis argumento nostro accedit. Militat denique pro lectione hac, ipse Hieronymus accuratus, si quis unquam, criticus, quique tanto animi fervore ad textum Græcum provocare solet. *Si*, inquit, *veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græc. originem revertentes, ea, quæ vel à vitiosis interpretibus male reddita, vel à præsumtoribus imperitis emendata perversius, vel à librariis dormitantibus, aut addita sunt, aut mutata, corrigimus.* Præfat. in IV. Evangel. ad Damas. Hic inquam cui vera lectio adeo curæ fuit, in quæstione secunda ad Damasum Tom. 3. pag. 55. edit. Basileensis, φαιλόνην legit. Nec Hieronymus tantum, sed & Chrysostomus, Oecumenius, quinimo omnes Patres Græci, qui hujus vocis meminerunt. Loca infra citabimus. Puto itaque ex dictis clarum esse, lectionem φελόνου aut φαιλόνου esse approbandam (nam quænam ex his alteri præferenda sit nulla conjectura assequi possum.) Dicis; Unde igitur φαινόλου vox in non paucis exemplaribus; Respondeo cum Origine Tom. 15. Comment. in Matth. Πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ, εἴτε ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων &c. Si vero conjecturæ hic quoque locus dandus, putarem hunc errorem in quosdam codices librariorum Latinorum culpa irrepsisse. Notum siquidem est hunc morem obtinuisse in Ecclesia antiqua Latina ut describerent N. T. ita, ut ex altera parte exhiberetur Græcus textus, altera vero paginæ facies Latinam sisteret versionem. (Provoco enim ad exemplaria codicum MStorum vetustissimorum Cantabrigiense, ejus altera pars habetur in Bibliotheca Regia Paris. item ad simile plane Bibliothecæ Benedictinorum. Vid. D. Simon. Critique du N. T. c. 30.) Cum itaque antiqua versio Latina φαιλόνην per pænulam verterit, quid quæso erat facilius, quam ut scriptor Græci textus, altero oculo ad Latinam versionem respiciens, juxta eam Græcum textum corrumperet, & literas λ. & ν. transponeret? Non videbitur hoc mirum illi, qui novit quam misere codices tempore præprimis Hieronymi fuerint depravati, non solum ex oscitantia librariorum, sed & eorundem malitia, uti sæpius & tragice satis ea de re conqueritur Hieronymus, maxime in præfat. ad 4. Evang. ad Damasum, quin imo testantur hoc adhuc vetusta illa superius allegata exemplaria, quæ adeo corrupta sunt, ut ipse Beza in Epist. ad Acad. Cantabrig. codicem illum publicari vetuerit, ad evitandum scandalum. (conf. etiam epistolam Colomesii ad Justellum, quæ addita est Vossii Appendici ad Pompon. Melan.) Cum itaque tot tantisque modis tum corruptus esset fons, quidni facile hic levissimus error in quædam exemplaria irrepere potuisset, præprimis cum eundem non tam malitiæ, quam negligentiæ atque oscitantiæ scriptorum, *qui non quod inveniunt; sed quod intelligunt, scribunt*, (juxta Hieronymum epist. 28. ad Lucin. T. 1. Opp.) tribuendum credam. Sed conjecturæ hæ sunt.

§. III.

Ad certiora progressuri, de origine vocum harum φαιλόνου φελόνου ut & φαινόλου pauca brevissimis annotabimus. (de iis enim præsertim in sectione hac conjunctim agemus) Non autem hic idem sentiunt Philologi. Sunt, qui eas ab Hebræo originem trahere autumant, inter quos est Heinsius, qui in Exercitationibus suis sacris ad 2 Tim. 4:13. p. 527. ita loquitur: *B. Hieronymus secunda quæstione ad Damasum, Volumen inquit, replico Hebræum, quod Paulus φαιλόνην juxta quosdam vocat*, annotat ad hæc Heinsius; *Forte φελόνην, ut à* פלא *deducatur* (*unde &* פלוני) *ab occultis scilicet quæ inscribuntur.* Acciperemus ista libenter dummodo de veritate hujus conjecturæ persuasi essemus, probandum siquidem adhuc incumbit Heinsio, ita sacrum codicem unquam appellatum fuisse, nam sane vix hac in re fidem habeo viro, cujus alias autoritas magno in pretio mihi est. Nec Hieronymum eam derivationem in animo habuisse probabile mihi videtur, nisi dicere velis, cum aperte hic hallucinatum esse, si enim φαιλόνης ab occultando deducitur, quo quæso jure vestimentum posset significare? quod sane non occultatur, cum tamen hanc significationem & Suidas & Etymologicum magnum voci huic tribuant (conf. dicenda §. 18. Sect. 2.) sed plures adhuc & non infimæ autoritatis Critici originem omnium harum vocum à Latinorum pænula deducunt. Cui sententiæ, uti fere omnes Philologi, ita etiam ipse Grotius suffragatur, Commentario suo super posterioris ad Tom. Epist. cap. 4. ita scribens: *Vox Græca facta est ex Latina, idque jam olim, cum & Rhetor Comicus Ptolomæorum temporibus ea sit usus &c.* Addam alium adhuc magni nominis hominem, Bezam scil. qui itidem in comment. super eund. locum è Latio vocis originem derivat. Ast & hæc sententia mihi minus arridet. Caussa est quod vix probabile videatur; Græciam, quæ vestitum illum Pænulæ Romanis dedit, non simul nomen, quo illud vestimentum appellarent iis tradidisse, quidni Latini pallii illud genus eorum appellarent lingua, quibus ipsum hoc vestimentum debebant? Quænam nobis Gallia suppeditavit vestimentorum genera antea nobis ignota? quænam India aut Italia? quorum nomina non simul nostra civitate donata sint? Exemplis quotidianis hoc satis superque constat, ut in re plane aperta ulteriori probatione opus non sit. Pænula à Lacedæmoniis inventa primum est, teste Tertull. in Apologetico. *Ne*, inquit, *vel hyeme voluptas impudica frigeret*, (non uti Claudius Salmatus in notis ad Spartanum legit, *cessaret.* Vide Lacerdam loco mox citando. *primi Lacedæmonii Pænulam in ludis excogitarunt.* Item Nonius, citante Ludovico de la Cerda in Tertulliani Apol. cap. 6. p. 73. *pænula est vestis, quam supra tunicam accipimus, à Laconibus reperta est, ne frigore contingerentur.* Hunc postea morem Græcia, ut & plura alia, Romam transmisit, quod conjicere licet ex Ælio Lampridio in Commodo Antonino, qui ita scribit: *Contra consuetudinem pænulatos jussit spectatores non togatos ad munus venire, quod funeribus solebat, ipse in pullis vestimentis præsidens.* Similem locum suppeditat nobis Dio Libro 57. *Ludis, cum plueret, nulla ipse pænula indutus, effecit, ne quis etiam aliam vestem inconcessam usurparet.* Non deforent mihi plura hac de antiquitatis testimonia si ea cumulare animus esset. Nec obstat nobis locus Suidæ, ubi φαινόλην ῥωμαϊκὴν στολὴν appellat, nam Romana dicitur hæc vestis non origine sed usu, non quod Romæ inventa, sed quod ejus usus Romæ frequens fuerit. Absurdum igitur mihi videtur, vestimenti genus Romanos à Græcis accepisse, & deinde nomen illi indidisse, imo ulterius Græcos nomen illud à Latinis mutuatos esse, quo appellarent vestimenti genus inter ipsos natum atque inventum. Quæ caussæ etiam movere Doctiss. & de re literaria optime meritum Salmasium, ut in Commentario in Augustæ historiæ scriptores ita pro nobis scribat: *φελόνην recentiores Græci imo & vetustiores dixerunt, quæ Latinis pænula est: detortum esse ex φαινόλης transpositis elementis quidam arbitrantur, sed non ita est, φελλόνης & inde φελόνης tunicæ genus Cretensium esse vocem notatum inveni apud Hesychium ἀμφινώτους φελλόνας. Κρῆτες χιτῶνα φελλόνην καλοῦσιν.* Apertum hic habemus Hesychii locum, ubi φελόνην Græcam vocem dicit. Cui sententiæ etiam suffragatur Nobilissimus *Dn. Barth. Bartholinus in tractatu suo de pænula pag. 5. Nec minus peccant*, inquit, *qui Romano fonte φαινόλης vocem cadere dicunt, cum origine, Græcam esse argumento sit, quod παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον dicatur. Ejus quoque citante Euripidis Scholiaste in Oreste mentio apud Sapphonem exstet:*

Ἔσπερε πάντα φέρων ὅσα φαινολὶς ἐσκέδασ' αὔως.

Est etiam Rhinthonis apud Pollucem locus. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ φαινόλης ἐστὶν ἐν Ῥίνθωνος Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Ταύροις, ἔχουσα καινὸν φαινόλαν. *Quod si quis vero eam Latio infercire velit, risumque eruditis movere, pænulam dicat quasi pæne nullam.* Et quid multis? unus nobis sufficiat testis *Athenæus*,, *qui Lib. III. Onomastic.* negat esse vocem Latinam.

§. IV.

Nec minus injurii in vocem nostram φαιλόνην sive φαινόλην sunt, qui eam substantivam esse autumant, non quidem negamus substantive hanc vocem usurpatam esse, sic enim & omni-

bus

bus Philologis, & ipsi huic loco 2 Tim. 4: 13. ubi etiam substantive ponitur contradiceremus, sed hoc tantum contendimus, idem fatum expertam esse hanc vocem, quod plurimæ aliæ apud Græcos habuerunt, nempe ut ex adjectivis in nomina substantiva degenerarent. Non infrequens hoc in lingua Græca esse ostendit vocabulum πυῤῥός, quod primò adjective sumptum (πυῤῥὸς χιτὼν) postea absolute πυῤῥὸς vocabatur, possent addi plura alia exempla, quæ brevitatis studio prætterimus. Audiatur modo Dn. Salmasius, qui in Commentario in Aug. Historiæ Scriptores. *Φαινόλης dicitur*, inquit, *nunquam Φαινόλη, nam id Græcum non esset, ὁ Φαινόλης Adjectivum τοῦ χιτῶνος, Φαινόλης χιθὼν translucens & pellucida tunica, quod postea in substantivum transiit, & absolute dictum est ὁ φαινόλης pro illo genere vestis &c. Videatur ipse.* Sed Salmasio de φαινόλῃ sermo est, cujus originem ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ὅλον derivans vix dubium cuiquam relinquit, an hoc nomen adjectivum sit, nec ne. Sed aliter se res habet cum τῷ φελόνῃ sive φαιλόνῃ ubi cuiquam forsan nasci posset dubium, num etiam hoc adjectivum sit, an vero uti ejus origo diversa ab illa τοῦ φαινόλου, sic hæ binæ voces in eo quoque distinguantur, quod hæc substantiva illa vero adjectiva sit. Nostra ti desideratur ἐπικελοις apertum plane credimus atque irrefragabile φελόνην derivari ἀπὸ τοῦ φελλοῦ *pergamo*, ut ita dicatur φελόνης χιτὼν, vestis sive tunica pellicea. De φαιλόνου autem voce, intricata magis res est. Reperimus quidem vocem aliquam τῷ φελλῷ fere synonymam nempe φλοιός, à qua primo intuitu non absurde deduci vocem φαιλόνου videtur: Attamen ingenue fateor derivationem hanc plane esse inusitatam, nam vix ac ne vix quidem in omnibus Lexicis talem derivationem reperies, ubi binis prioribus consonis thematis e. gr. hic φλ interferatur diphthongus sequens, & οι in αι mutetur. Corruptam hinc mallem, quam derivatam ἀπὸ τοῦ φλοιοῦ hanc vocem dicere, integrum interea cuivis relinquens aliunde hanc vocem derivandi, dummodo talem derivationem faciant, quæ significationi vocis ipsius non repugnet. Hoc interea manet indubium, à quocunque demum deducantur themate hæ voces, eas esse adjectivas, quod & terminatio & continuus earum usus comprobant.

§. V.

Statum hujus vocis postquam consideravimus, pauca quoque de ejus genere notanda erunt. Certum itaque est & extra omnem dubitationem positum, esse generis masculini, pro qua sententia militant omnia hactenus visa exemplaria Novi Testamenti, in nullo enim unquam vidi τὴν φαιλόνην sive φελόνην, sed in omnibus τὸν φαιλόνην s. φελόνην. Comprobat hoc saniorum Philolog. fere omnium consensus. Non me latet dari in profanis scriptoribus quædam exempla contraria e.g. apud Rhintonem, Hesychium & in Etymologico magno, sed cum ipsum autographum eorum nobis visum non sit, quare statim concluderemus illos hac in re diversos fuisse à cœteris hujus linguæ peritis? unde magis oscitantiæ Typographorum, quam ignorantiæ authorum vitium illud imputandum est, quod satis superque evicere passim Philologi, ut si hanc rem prolixe mihi hic tractandam sumerem, post Homerum Iliada scriberem. Audiamus supra laudatum Salmasium, qui citato in loco ita hac de re disserit: *Semper ὁ Φαιλόνης dicitur, nunquam ἡ Φαιλόνης, nam id Græcum non esset*, & mox: *apud Rhinthonem legendum: ἔχουσα καινὸν φαινόλην non καινὰν, ut perperam habetur apud Hesychium & Pollucem, & in Etymologico magno τὴν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, male hodie legitur ibi τὴν φαινόλαν, fœmininum à φαινόλης non est φαινόλη, sed φαινολὶς, ut φαινολὶς αὔως, Sapphoni.* Idem etiam perplacet Doctissimo nostro Bartholo Bartholino in tractatu de pænula pag. 6. Et sane extraordinarium hoc esset exemplum, vocem substantivam, (uti ab adversariis quibusdam esse creditur) Græcam in ης terminatam, aut etiam adjectivam, (scil. tantum, cum sit generis communis) esse fœminini, quod Grammaticis pariter ac Philologis ridiculum foret. Unde sane non leviter errant, qui in nominativo pro φαιλόνης aut etiam φαινόλης legunt φαιλόνη, nam id primò, judice Salmasio, Græcum non esset, secundo aliis erroribus ansam daret, ut hanc vocem non pro adjectiva sed substantiva haberem, cum adjectivum in η terminatum Græca lingua ignoret, quin imo genus immutarem, & fœmininam facerem vocem quæ masculina est, cum in η desinentia substantiva fœminina sint. Malo itaque hunc errorem, quem tamen non solum apud Bezam, sed & nostrum Calovium in Bibliis magnis illustratis deprehendi, oscitantiæ magis Typographorum, tribuere, quam id tantis viris vitio vertere. Hæc omnia quæ hactenus dicta sunt, tantum eum in finem afferre placuit, ne prorsus ignari de qualitatibus vocis nostræ simus, sed his jam breviter expeditis nos ad ipsam vocis explicationem vertimus. Sit ergo

SECTIO II.

HERMENEUTICA.

Ubi diversæ explicationes hujus vocis exponuntur, & (1) versiones Bibliorum, (2) Sententiæ Commentatorum, quæ in tria genera dividi possunt, (1) eorum qui putant hic designari vestimenti genus, ubi iterum alii *faciunt pro vestitu ad arcendam pluviam aptato, sive pænula Romanorum,* alii *pro toga consulari, qua Pater Pauli donatus sit,* alii *pro pallio Episcopali sive cucullo.* (2) *Eorum, qui vocem hanc explicant per thecam, qua recondebantur libri* (3) *Eorum, qui librum aliquem κατ' ἐξοχὴν dictum, sive Vetus Test. hic designari volunt, quæ sententia* 3) *probabiliter asseritur* (4) *Testimoniis quibusdam corroboratur.*

§. I.

IN versionibus hujus vocis non tantam diversitatem ac in lectionibus notavimus, siquidem plerique vocem hanc à Pænula Rom. oriundam rati, vertere per pallium sive pænulam, hinc etiam in omnibus versionibus Germanicis, certe iis, quæ opera Lutheri prodiere, mihique visæ sunt leges: Den Mantel/ in Belgicis Bibliis, den Reiß-Mantel/ sed additur in margine: sommige verstaen daer door een Koffer om Boeken in te leggen. Resenius noster in versione Danica reddidit Vandre-Kiortel/ addens in margine: lidet Skrin. Vulgata versio ubique reddit *pænulam*, cujus vestigia premens Gallica, legit: *la manteline*. Ast versio Syriaca, quæ præprimis sententiæ nostræ favet, φελόνην exposuit per ܒܝܬ ܟܬܒܐ.

§. II.

Versionibus recitatis, ad Commentatores super locum nostrum, 2 Tim. 4: 13. ordo nos vocat, & quidem prima classe recensebimus eorum sententiam, qui φελόνην & φαινόλην confundentes utramque exponunt de illo vestium genere, cujus non infrequens mentio fit apud profanos, Græcos pariter ac Latinos Auctores. Scilicet erat hæc vestis, quam pænulam Latini, Græci φαινόλην appellabant, pallii genus cœteris super injectum vestimentis. Non hic prolixi erimus in describenda ejus forma, nec eam litem nostram faciemus, an laxa fuerit & sinuosa, an ita confecta, ut corpus arcte presserit, hæc omnia ad Philologorum remittimus censuram, contenti hic annotasse, tale fuisse vestimentum quod humeris injiciebatur, ad genua usque se extendens. Ora illa, quæ collum cingebat modicæ quamvis latitudinis, tam laxe tamen patebat, ut in caput induci potuerit, quod colligimus ex illo Pomponii in Penicea: *Pænulam in caput induc ne te noscat.* Qui plura de forma & materia hujus pænulæ legere desiderat, adeat supra laudatum *Bartholinum, in peculiari tractatu de Pænula, Salmasii Commentarium in historiæ Augustæ Scriptores, item Annotationes ejusdem super Tertullianum de Pallio passim, Johannis Baptistæ Donii dissertationem de pænula. Baysium de re vestiaria, & plures alios.*

§. III.

Erat autem duplex hujus pænulæ usus, primus atque maxime frequens apud Græcos pariter ac Romanos fuit, ut ea uterentur ad arcendam pluviam, atque hinc vix iter unquam ingrediebantur nisi hac veste tecti, quæ utpote ex corio confecta depellendis pluviis imprimis apta erat, quo etiam respiciens Martialis in Epigrammate, cujus Lemma *pænula scortea*, viatori auctor est, ne unquam hanc omittat iter facturus:

Ingrediare viam cœlo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Atque is usus pænularum longo tempore obtinuit, unde illud Galbæ apud Macrobium & Quintilianum lib. 6. cap. 4. respondentis amico pænulam roganti, *non pluit, minime eges, si plueret*

plueret ipse uterer. Unde facile videtur, usum pænulæ tunc temporis nullum fuisse alium, nisi ut in itineribus se à pluviis defenderent, quod etiam videre licet ex Cicerone, ad Atticum XIII. Epist. 33. conf. Quintil. Instit. Orat. VI. & Senecam Epist. 87. Sed quid multis? audiamus sæpius jam laudatum Bartholinum, qui pag. 35. cap. 6. ita ait: *Pænulæ usum nemo adhuc in dubium vocavit. Nec quenquam tam exhausti pudoris esse crediderim, ut neglecta antiquitate, quæ nobis in hisce rebus præit, suo abundare velit ingenio &c.* Cui plura de hoc usu pænulæ legere volupe est, consulat *Lampridium in Severo.* Et post authores supra citatos, Commentatores fere omnes in Tertulliani Apol. c. 6. & loca mox citanda, ut & omnes illos, qui de vestitu veterum quædam consignarunt. Nobis hic multum extra oleas vagari nec lubet nec licet.

§. IV.

Fuit autem & alius hujus pænulæ usus, qui notantibus Philologis & antiquitatis Studiosis, non multum ante Alexandri Severi tempora receptus est, hic enim (ut auctor est Æmilius Lampridius) constituit, ut senes pænulis intra urbem frigoris causa uterentur. Atque ita vestimentum, quod antea ad sola itinera erat adstrictum, intra urbis pomœria ad arcendum frigus accommodari cœpit, obtinuit hic mos quidem ante illud Alexandri Severi edictum, & pænulis jam tum, licet rarius, in ipsa urbe utebantur. Erant autem hæ pænulæ ex diversa ab illis materia confectæ, utpote quæ non ex corio, sed ex lana contexebantur, putat tamen Salmasius in notis sæpius citatis super Augustæ Historiæ Scriptores, honestiores Romanos vix pænulis intra urbem esse usos, sed potius Lacernis, pænulas autem non nisi in itineribus & extra urbem sumpsisse.

§. V.

Sed ut tandem è bivio in viam redeamus, hæc fuit illa pænula, quam Apostolum sibi apportari velle magna commentatorum nubes vult; Et sane si quæ sententia veri speciem habet, hæc erit; urgent enim, qui pro ea pugnant usum vocis φαινόλου communem & perpetuum, φαιλόνου quoque & φελόνου significatione huic expositioni non reclamare asserunt. Putant pallio suo indigere Apostolum instante hyeme, quod Troade media æstate reliquerat. Ex Patribus plures hic nominare possemus cum vix quisquam eorum sit, qui non φαιλόνην NB. *etiam* de pallio exponat, sed præterimus eos libenter nominantes tantum Tertullianum, hic enim Libro 15. qui est de corona militis Tom. 1. Op. cap. 8. §. 2. pag. 673. edit. Lacerdæ, *habebat*, inquit, *& pænulam Paulus*, procul dubio ad loc. 2 Tim. 4. respiciens, Idem Tom. 1. Opp. Lib. 6. sive de oratione Cap. 12. p. 316. impugnans eos, qui oraturi pænulas deponebant, ita loquitur: *Ut est quorundam, positis pænulis orationem facere, sic enim adeunt ad idola nationes. Quod utique, si fieri oportet, Apostoli qui de habitu orandi docent, comprehendissent, nisi si qui putant Paulum pænulam suam in oratione penes Carpum reliquisse; DEUS scilicet non audiat pænulatos &c.* Inter Recentiores vero Beza, in Commentario super 2 Tim. 4. acriter pro eadem pugnat, lubet hic ejus verba adscribere: *Volunt quidem φελόνην non esse pænulam, sed scriniolum, quam explicationem sequutus est Syrus interpres, quidam vero volumen. Ego non modo existimo pænulam esse, qua iter facientes & pluviæ tempore utebantur veteres, sed etiam φελόνην Romanum esse vocabulum metathesi literarum corruptum, adeo quidem ut etiam φαινόλης, & quidem rectius scribatur.* Huc usque Beza: cui in omnibus suffragatur Hieronymus Sopranes in digressione prima de re vestiaria antiquorum Judæorum pag. 458. qui cæteras opiniones præter hanc, ut absurdas, detortas, & textui non convenientes ridet. Sed si liceret auctoritates auctoritatibus opponere, & plures & probatiores pro nobis stare facili opera demonstrare possemus. At enim vero rationibus hic pugnandum est. Videamus itaque quid hujus sententiæ Patroni contra nos urgeant. Sane primum apud eos occupat locum argumentum, ab ipsa vocis significatione fere perpetua desumtum. Nam cum φαινόλου & φαιλόνου aut φελόνου voces invicem confundant, & pro iisdem habeant, φαινόλης autem *pallium* semper (quantum ego quidem scio) significet, non poterit non hoc nobis objici dubium, quod tamen facili solvitur negotio. Negamus enim & pernegamus (1) vocem φαινόλου esse authenticam, probet contrariam qui quicquam contra nos obtinere vult, nego (2) voces hasce esse easdem, legant dicenda §. 18. hunc interea nodum iis solvendum trado: si φενόλης & φαιλόνης coincidunt, dent quæso derivationem aliquam, quæ significationi illi, quam φαιλόνη tribuunt authores infra citandi; conveniat? Edisserant quo jure φαινόλης significet εἴλητον τομάριον μεμβράινον, aut enim negent necesse est φαιλόνην significare *thecam librariam*, aut concedant φαινόλην id quoque significare, prius autem esset contra authores probatissimos, posterius derivationem vocis φαινόλου absurdam redderet. *Dicis*; Ast concedam has voces non esse easdem, negari tamen nequit φαιλόνην sive φελόνην quoque significare *pallium*. Resp. quid inde? id nemo negat, de eo vero disquiritur, an hoc loco per *pallium* sint exponendæ hæ voces. Quis enim feret ita colligentem: φαιλόνης & φελόνης aliquando significant *pallium*, E. hoc in loco hæc vox eodem modo est exponenda. Nam ubi una vox binas admittit *significationes* æque frequentes, illa demum eligenda est, quam συνάφεια textus eligendam suadet. Nec hoc prætereundum est, dubium adhuc esse an φαιλόνης sæpius *pallium* an frequentius *thecam librariam* significet, posterius sane facilius quam prius sibi persuadebit, qui æquo animo perpendet, quæ §. 18. à nobis prolixe dicentur. *Instas*; at pro *pallii* explicatione militant omnes versiones, si unam excipias Syriacam. *Regero* verbis Augustini Epist. ad Hieron. quæ est XIX. Tom. II. fol. 14. *Alios* (substituo, Versiones) *ita lege ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant* (earum authores) *non ideo verum putem, quia ipsi* (ipsæ) *ita censuerunt, sed quia mihi vel per ipsos authores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint.* Versiones, ut verbo rem expediam, nil veritati præjudicant. Quinimo vulgatæ (quam postea hac in re plures modernæ secutæ sunt) præponenda longe est Syriaca versio, ut ita nil plane obtineant adversæ sententiæ Patroni. Supersunt denique nobis quoque rationes non plane improbabiles, quare hanc sententiam & explicationem loci nostri rejiciamus. Nam 1) indignum illud sane putamus Apostolo, qui noverat Christi præceptum: *Ne sitis solliciti de vestitu* &c. quid autem hoc aliud esset quam nimis esse sollicitum de vestitu, ubi tam anxie illum sibi apportari desiderat? Numquid putas propterea Apostolum festinationem Timotheo injungere, ut sibi copia fiat vilis cujusdam pænulæ, & quæ, nescio quam exiguo pretio, de novo comparari poterat? Dicis Christus Matth. 6: 25. seq. non vetat curam vestium licitam, sed talem quæ curæ de salute æterna præponitur, conferatur versus 33. Respons.: Indignum tamen adhuc mihi videtur Apostolo, tantam curam pallii sui demandare Timotheo, quantam librorum, quorum eodem versu meminit, τὴν φαιλόνην, inquit, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι, παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα δὲ τὰς μεμβράνας, conjungit libros procul dubio sacros cum φελόνῃ suo, sed quid pallium inter libros sacros & membranas forsan Manuscriptas Pauli? vix meliori loco, quam Turca leprosus inter Principes sanos. Sed premam eos fortius. (2) Talem φελόνην intelligit Paulus, quem iter facturi relinquimus, at pallium aut Romanorum pænulam non relinquimus iter facturi, Ergo eam non intelligit Paulus. Erat siquidem usus Pænularum tunc temporis vix alius (ut in antecedentibus evictum) quam in itinere, & hanc semper ad manus sibi habebant iter facturi, quid igitur causæ putas subfuisse, quare Apostolus, qui iter 183. milliarium meditabatur, (tot enim milliaribus Romam Troade abfuisse tradunt Geographi) eam reliquerit? Ridiculum sane est, Apostolum omisisse pœnulam tunc temporis, ubi ejus usus erat maxime necessarius, & confecto itinere eam repetere. Sed excipies: Erat tunc temporis æstas, ubi multis onerari vestimentis molestum est. Paulus igitur utpote qui procul dubio pedes iter faciebat, ea molestia se liberaturus pænulam Troade reliquit, repetendam ubi hyemis vis instabat. At enim vero testis sit hodierna experientia, num quis vel media æstate iter faciens pallium omittat? non eadem semper cœli serenitas, & tum maxime timendus est imber & aëris mutatio, ubi intentissimo fervore æstuat. Quin imo si non imber certe frigus timendum erat? adeamus illos, qui orientales mundi plagas obierunt, unanimiter quippe statuunt, simul cum vespera in illis Regionibus tantum ingruere frigus, ut ab ejus vehementia vix sub pallio tutus esse possis, id quod ipsi, licet non tanta vi, in his Regionibus experimur. Numquid igitur Apostolus, ne æstus ei molestus sit, frigere voluit? num se imbribus exponere, ut aliquando ab æstatis vehementia tutus esset? haud credibile est, Paulum fuisse immemorem illius Martialis jam citati:

Ingrediare viam cœlo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Nec est, quod cum Lorino hic sentias, qui in Commentario suo in Actor. 20: 13. pag. 594. propterea Paulum pallium suum Troade reliquisse, putat, ut eo expeditior ad pedestre iter esset, verba ejus hæc sunt: *Non est dubium, quin quibus aliarum rerum magis necessariarum interdictus est usus à Christo, cum eos prædicatum misit, multo sit prohibitum magis jumento vehi.* Et mox: *Idcirco fortasse Paulus reliquit Troade libros, membranas*

branas & pænulam: *Cui enim sunt pauca, quæ circumferat, onus ferre pedestris itineris facilius valet.* Scilicet Jesuita, ut Ordini suo & ejus institutis majorem conciliet sanctitatem, Paulum in itinere pænula exuit, somniat enim Apostolis in præceptis fuisse, ut semper pedites incederent, & non nisi in statu necessitatis curru, navi, aut equo veherentur, quia id Jesuitis imposuit ordinis hujus author. Prodit hoc ipse Lorinus, suoque perit indicio *in regula*, inquiens: *B. Francisci, quæ Apostolicum vivendi modum exactius exprimit, cavetur sub gravissimis pœnis, ne quis obequitet, nisi gravis cogat necessitas, aut valetudo. Idipsum NB. societatis nostræ hominibus, qui Apostolorum ritu obeunt Provincias, graviter ac serio commendat Canon quidam III. adhibita cautione necessitatis &c.* Sed dicat Lorinus; numquid igitur & hoc Apostolis mandatum sit, ut se frigori & pluviæ exponerent? si Paulo omne id omittendum fuisset, quod impedimento ei esse posset, quidni togam ipsam relinqueret? Sed hæc forsan negaret Jesuita, quia inter statuta sui ordinis id non reperit. Videat autem annon injurius sit in JESUM, cujus tamen nomine falso superbit, dum equo aut alio animali vehi, si non indignum Sacerdote aut Clerico, certe non ita sanctum esse putat, quam peditem incedere, & dicat quæso, quare ergo Apostolus Timotheo imperet, ut pallium secum sumat, & quare voluerit Episcopum in id incurrere vitium, quod ipse nolebat committere? si enim illicitum est curru aut equo vehi, quare Apostolus (dum plura afferenda vult) id Timotheo imponit? nisi forte dicat cum Jacobo Fabro Stapulensi: (sed satis ridicule) *Arbitror eam pænulam, quam Beatus requirebat Apostolus è levioribus fuisse,* (dixerat siquidem antea fuisse graves levesque pænulas) *quæ Timotheo venienti cum membrana, magnum non attulisset ex pondere fastidium.* Si enim fuit ex levioribus quidni eam ipse Paulus secum sumsit, quare eum Troade reliquit? (3) Dicant mihi qui pro pallio pugnant; in quem usum Paulus illud petat, nam aut petebat ut eo in itinere uteretur, aut in urbe eo tectus incederet, aut à frigore se muniret, non *primum*, Majori enim de jure de pænula hic quærere possum, quod de libris quærit Chrysostomus Homil. X. ad epistolam posteriorem ad Timotheum cap. 4. pag. 1010. edit. Basileensis. Oecumenius Comment. in locum nostrum pag. 280. edit. Morelli &c. *Sed quid pænula opus cum brevi ad DEUM erat migraturus?* jam enim omnem peregrinandi spem deposuerat, scripserat hanc epistolam testamenti instar 2 Tim. 2:9: cap. 1:8. cum instaret beatæ ἀναλύσεως hora cap. 4:6. cum jam non solum immolandus esset, sed immolaretur, versu eodem, & breviter dixerim, cum in eo esset ut moreretur, quid igitur pænula indigebat? aliud meditabatur iter, ubi nulla hyemis vis timenda, in quo non erat pænula opus, ut à pluviarum & hyemis injuriis securus esset, instabat vitæ & simul itineris finis, cum igitur tempus immineret, ut statum viatorum relinqueret, num putas de viatorum vestitu fuisse sollicitum? ambiebat cœli Candidatus candidam gloriæ stolam, hanc ut adipisceretur, cum Elia illa abjicienda erat. Eo annitebatur, ut ita tabernaculum Kedar relinqueret, ne coram summo Judice palleret, in quem usum igitur pallium petit? Indigna sane illa vox: (*affer mihi pallium,*) quæ pars sit testamenti Apostolici. Nec *secundum*, nugatur enim Cajetanus in Commentario super 2 Tim. 4. dum putat propterea Apostolum pallium suum petere, ut eo uteretur iter per urbem facturus, in illo enim detinebatur carcere Apostolus, ex quo non nisi morte se liberandum esse noverat, sane diligentissima custodia Christianos ab Imperatoribus ethnicis asservatos esse historia Ecclesiastica tradit. Unde probandum prius est Cajetano, adeo benigne Paulum esse tractatum, ut per urbem obambulare ei licuerit, non id ex hac falsa hypothesi est inferendum, uti p. 151. loc. cit. facit: *Apparet,* inquit (unde quæso?) *Paulum non sic arctatum fuisse carcere, ut non graderetur per civitatem.* Melius longe, Erasmus in Paraphrasi ad 2 Tim. 4. p. m. 315. rationem redditurus cur adeo festinare velit Timotheum Apostolus, *Carcer enim,* inquit, *obstat quo minus liceat huc & illuc obambulare, in obeundis Evangelii negotiis &c.* cum quo sane omnes fere Patres concordant, præprimis Chrysostomus, qui non aliam potest invenire rationem, cur Apostolus Timotheum suæ Ecclesiæ, cui erat præfectus, quasi eripiat, nisi, quia ipsi carceri incluso non permittebatur Evangelium per Urbem prædicare, & Christianos sub persecutione Neroniana gementes consolari atque in fide confirmare. Sed ut suo telo Cajetanus pereat, argumentum κατ' ἄνθρωπον faciamus ad demonstrandum, hic in loco nostro per Φελόνην non intelligi pallium. Si enim Apostolus in ipsa urbe Roma pallio non poterat carere, quomodo potuisset illud omittere tam longinquum iter Troade Romam ingressurus. Nec *tertium*, numquid enim ad vitandum frigus pallium sibi Troade apportari curaret? sane non crediderim adeo pretiosam fuisse hanc pænulam, quæ mereretur à loco fere 200. milliaribus Roma dissito advehi. Pauper erat Apostolus, & proinde proculdubio vile ejus pallium, numquid igitur rem nullius pretii tanta cura Romam vehi desideraret? Si frigus timebat, putasne defuturos fuisse pios homines, qui vel in ipso carcere, liberalitatis suæ specimina darent? Sane illi in quibus accenderat Apostolus pietatis igniculos, haud perpessi fuissent illum exponi brumali sævitiæ, non deerant illi, licet jam ultimis atque lethalibus catenis vincto, fideles discipuli, qui miseriam ejus tam vili impendio levarent; iniqui sane essemus in primorum Christianorum fidem atque pietatem si crederemus, illos permisisse frigori exponi Apostolum, ad cujus pedes salutarem doctrinam, & simul præcepta de liberalitate hauserant. Sed absurdior adhuc est Jacobi Fabri Stapulensis l. c. conjectura, qui ideo Apostolum pallium suum petere somniat, ut id alicui fidelium moriturus relinqueret in sui memoriam. Ita enim fol. 170. loquitur: *Phelonem memoriale sui voluit alicui ante mortem relinquere,* idem quoque de membranis respondet, cum quæsivisset quare eas Apostolus apportari vellet: *ut scilicet Lucæ & Marco electis à Spiritu Sancto divinis scribis relinqueret, ad reponendum Evangelium.* Inutiliter immoraremur huic sententiæ refutandæ, quam adeo absurdam credimus, ut eam proposuisse sit eam refutasse.

§. VI.

Hæ sunt rationes, quibus moti vix probabile credidimus, in loco nostro intelligi pænulam illam Romanam, cujus brevem descriptionem supra dedimus. Non quidem putamus, nec à quoquam credi volumus, argumenta quæ proposuimus ad illam sententiam dejiciendam, esse apodictica, sed hoc saltem contendimus, non ita probabilem eam esse, ac illa quæ mox exponetur: & quidni hic argumenta probabilia sufficiant, cum non sit quæstio de articulo aliquo fidei, sed ubi ea de re disceptatur, quam & affirmare & negare sine piaculo possis, præsertim cum plurimorum Theologorum consensum pro me habeam, & nullis fere usus sim argumentis, quæ non passim apud eos reperias. Nolo omnium eorum verba hic repetere, sufficiat citasse Nobiliss. Dn. Osiandrum, qui in Syst. Theol. loco I. de Sacra Scriptura pag. 57. *hæc*, inquit, *sententia* (scilicet φελόνην significare pallium) *non videtur verisimilis: Quia* (α) *absurdum est Romæ non fuisse, qui ejusmodi pænulas facerent vel venderent, ut opus fuerit Apostolo è Troade afferre;* (β) *maxime mirum videtur & præposterum, Paulum vestem itinerariam reliquisse iter facturum, & eandem repetere itinere jam peracto;* (γ) *res hæc à Trojade offerenda non videbatur mereri operæ pretium. Quanta enim quæso distantia inter Romam & Trojada sive Trojam? quam exiguum pretium requirebatur ad ejusmodi pænulam de novo conficiendam?* Ex his & iis, quæ antea monuimus facile patet frustra esse, quæ non nemo ad hunc locum commentatur: *Paulus iter æstate facturus vestimentum, quod præcipue pluviæ causa sumebatur, pænulam videlicet, ne esset oneri, Troade reliquerat apud Carpum, quam iterum instante hyemis tempore exspectabat. NB. Quocirca Timotheum precibus urget, ante hyemem venire festinet,* (egregiam scilicet rationem, cur Apostolus Timotheo tot milliarium iter imponat.) *pænulamque cum libris ac membranis ad se perferat.* Cui opponimus ea, quæ Weinrichius in Commentario super hunc locum 2 Tim. 4. scribit. *Quidam per φαιόλην intelligunt thecam sive capsulam librariam, in qua Paulus libros habuerit repositos, & hæc posterior sententia, si statum Apostoli attendas, videtur esse verisimilior, quid enim magnopere pænulam sive vestem itineribus commodam affectaret Apostolus, cum probe sciret, sibi ulterius peregrinandi spem plane abscissam esse.* Confer hac de re non male disserentem Calvinum in Commentario super 2 Timoth. 4. & alios.

§. VII.

Nec desint, qui vocem φελόνην exponunt per vestem consularem, qua donatum esse Pauli Parentem, cum Tharsensium caterva stipatus Romanis cum pace & coronis obviam iret. Credo primam hanc sententiam fovisse Ambrosiastrum sive potius Hilarium, qui in Explanatione, (ut vocat) in Epist. ad Tim. 4:13. p. 2. Opp. edit. Basileensis, ita commentatur: *Apostolus natura Judæus fuit, nec quicquam habuit alienum; unde ergo illi pænula, sed quia erat ex Tarso, quos constat in societatem Romanorum receptos, ut de cætero appellarentur cives Romani, idcirco necesse est & curiam habere in quam more Romanorum pænulati conveniunt. Quicunque enim illo tempore cum muneribus obviam ivissent Romanis immunitate perpetua donati, cives Romani & fratres eorum nuncupabant &c. potest ergo fieri, ut si non suam, quia totum se legi dederat, Patris sui haberet pænulam.* Ast tuam fidem L. B. quamvis colligendi

ligendi vis hisce verbis inest? quomodo quæso sequitur: Apostolus erat nativitate Judæus, E. nil alieni habuit, totus se legi dederat, E. non habebat propriam vestem. Pater ejus pænula donatus erat, (concedamus hoc) E. hæc est illa, quam afferri sibi vult. Nugæ! Secutus tamen est Ambrosiastrum Haymon, Episcopus Halberstadiensis Comment. in h. l. post alia ita disserens. *Pater E. Pauli de Giscalo oppido terræ promissæ, ubi natus fuerat, translatus est in Tharsum Ciliciæ. Quodam autem tempore venientibus Romanis per Ciliciam, occurrit ipse cum aliis Tharsensibus utpote nobilis, exceperantque eos cum pace. Tunc Romani concesserunt eis prædicta, ibique Pater Pauli pænulam accepit: post cujus mortem ob recordationem ejus, hanc vestem Paulus sibi retinuit.* Huc usque ille, satis audacter, dummodo satis bene, probet enim primo omnia ea, quæ hic verbose recitavit, & respondebimus ei. Judicet interea Lector cordatus, an memoria Patris Pauli adstricta fuerit ad pallium ejus, certe dum Haymo putat se aliquam pietatem & amorem in Patrem mortuum Paulo adscribere, hanc ei demit, nam sane illa pietas, ille in parentes amor nondum firmas radices egit, qui non nisi ad conspectum alicujus externi signi evigilat. Sed quid multis hac de re, risum magis quam responsionem meretur hæc sententia.

§. VIII.

Prædictis Authoribus suffragantur ex Scriptoribus Seculi XI. Anselmus Cantuariensis, Comment. in 2 Tim. 4. & Bruno Episcopus Herbipolensis in expositione ad Epistol. Pauli Tom II. edit. Paris. antiquæ. Glossa ordinaria quoque hanc approbat sententiam, aliique non pauci. Quibus omnibus opponimus ea quæ habet Benedictus Justinianus Genuensis Explanationum in omnes Epistolas Pauli Tom. II. pag. 562. qui hic consulatur. Dicant interea mihi hujus sententiæ fautores, quem in usum hanc petat consularem vestem? an ut ea se exornet, & hoc vestitu superbiat, Absit hoc de sancto Apostolo vel cogitasse! num quid igitur eum in usum hanc petit, ut se eo civem Romanum ostenderet? neque hoc veri speciem habet, ad aliam enim Paulus tendebat Patriam, ubi verum dignumque civem se esse, non pallio sed fide demonstrandum erat. Brevi sumenda ei erat toga, sed mortuo, (Vide Juven. Satyr. III.) hinc illam vivus non desiderabat. Mortem exspectabat cruentam, quid igitur pallio opus erat? an ut sub hoc vestimento pallidam mortem exciperet? sane qui à gloriatione abstinuerat antea, numquid in extremo vitæ momento hanc vitæ integritatem immutaret? Non in id temporis inciderat Apostolus, ubi civem Romanum occidere nefas putabatur, judicem habebat Neronem Leone crudeliorem. 2 Tim. 4: 15. qui manus impias toties Romano sanguine conspurcaverat, à cujus sævitia, cum ipsa innocentia eum non defenderet, quis putet pænulam defendere potuisse? præsertim cum ex annalibus & albis, quibus inscribebantur civium Romanorum nomina, facili negotio potuisset cognosci an civitate Romana donatus fuerit. Frustra hic cum Primasio in Commentario super locum nostrum (quem vide in Bibliotheca magna Patrum Tom. I.) inquies: *Pænulam hanc fuisse suam non dicit Apostolus, potuit eam ad pedes ejus inter cætera aliquis conversus ad fidem Christi posuisse vendendam.* Scilicet egregia erat occupatio, atque dignum Apostolo munus, togam consularem vendere. Quomodo hic circumstantiæ concordant? Paulus, qui in carcere vinctus jacebat, vestem petit ut vendat, si egeret pecunia Apostolus, nonne id muneris potuisset dare Timotheo, ut Troade illam venderet, & pretium ejus secum afferret, sed quid multis hac de re dicam, adeo absurda est hæc opinio, ut eam prolixe refutare sit abuti lectoris patientia.

§. IX.

Inter eos, qui pro vestimenti genere φελόνlω accipiunt, non postremo loco memorandi sunt illi, qui hic volunt intelligi vestem illam sacram, qua Sacerdotes Sacramenta dispensantes cinguntur, nostra lingua vocamus Messehagel / Germanice Meßgewand / scil. Commentatores videntes illam difficultatem quam supra movimus: indignum hoc esse Apostolo de terrenis adeo esse sollicitum, vestem hanc sacram volunt, ut simul sacrum reddant Apostoli desiderium, & ut omnem nimiæ sollicitudinis notam ab Apostolo tollant, veram hujus vocis significationem tollere non reformidant, dum enim per planetam (ita vestis illa sacra apud Pontificios nominatur) φελόνην exponunt, veri fiunt πλανῆται.

§. X.

Reperit tamen hæc sententia fautores non exiguos, præsertim eos, qui aulæ Pontificiæ addicti sunt: inter quos est Cornelius à Lapide, qui in Commentario super hunc locum prolixe id probare conatur, pro sua sententia allegans Tertullianum lib. de orat. cap. XII. Eidem etiam opinioni faventem lege Sedulium Scotum, qui in Commentario super 2 Tim. 4. (quem vide in Bibliotheca magna PP. Tom. I.) *Pænula*, inquit, *est lacerna in modum cucullæ, item lacerna stola, aut genus cuculæ subtilis.* Ast hic iterum quærere licet, quem in usum vestem hanc velit sibi apportari? non dicent ut ea utatur in dispensandis Sacramentis, nam (1) non videtur mihi probabile permissum fuisse Apostolo, ut in carcere sacra administraret, propter veritatem enim Evangelicam in squalido jacebat carcere, num putas igitur Neronem tantam gratiam ei concessisse, ut signa divinæ gratiæ (exhibitiva puto) dispensaret? nolebat Tyrannus latius serpere hanc doctrinam, quam angue pejus abominabatur, atque exinde quis non concluderet, illum haut permissurum fuisse publicum conventum à Paulo convocari? At videtur mihi obstare consuetudo pristinæ Ecclesiæ, qua donis magnaque sæpius pecuniæ summa corrumpere consueverant custodes martyrum. Exstant ea de re testimonia illustria; ita enim Lucianus in epistola de morte Peregrini: Οἱ δ' ἐν τέλει αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας, εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο. Quæ verba ita interpretatur Pearsonius: *Magistratus autem eorum* (puta sacris ordinibus initiati, qui ἄρχοντες tum dicebantur) *etiam intus cum eo condormiebant, custodibus corruptis: dein cœnæ variæ introducebantur, & Sacri eorum sermones dicebantur.* Victor itidem Vitensis de Carthaginensibus in persecutione Africana: *Sed populus memorata urbis in Domino semper fidelis, dato munere Carcerariis, die ac nocte Christi martyres frequentabat.* Idem asserit Tertullianus Libro de Jejuniis Catholicorum, & ad Martyras cap. I. cujus verba hic allegare nolumus, uti nec Cypriani, Dionysii, aliorum, quos citat Doctissimus Joh. Pearsonius Vindiciarum Epistolarum Sancti Ignatii Parte II. cap. XI. pag. 136. 137. 138. seq. Ut autem de hac objectione quid sentiam ingenue aperiam, credo (etiamsi id fieri potuisset) non permissurum fuisse Apostolum ut Christiani ære corrumperent milites, & fidem eorum quam jurejurando Imperatori desponderant, sollicitarent, etiamsi bonus finis hinc sperari potuisset. Siquidem non facienda sunt mala, ut inde eveniant bona. Quinimo, quis sibi persuaderet, non arctius observatos fuisse ipsos custodes, quam ut illis licuerit tantam turbam Christianorum ad captivum Paulum admittere. Sane nemini sententiam meam obtrudo, attamen fateor plane non probabilem illam conjecturam mihi videri, qui crudelitatem Neronis, atque persecutionis tum temporis exorsæ maximum fervorem considero. Hinc merito dicimus. Paulus nec potuit, nec voluit, sacra ibi administrare, non potuit per hactenus dicta, nec voluit, ut credere nos jubet sanctitas Apostoli, quid hoc enim aliud fuisset, quam Christianos ideo convocare, ut notum faceret, quinam sint hujus doctrinæ asseclæ, quo eo facilius ad supplicia traherentur. Noverat quidem Apostolus non esse reformidandam mortem, quam patimur Evang. veritatis causa, sed & hoc didicerat, nil esse nisi magnam temeritatem seipsum prodere, & supplicii capitalis periculo exponere. Non equidem vult DEUS disharmoniam illam externæ confessionis & internæ convictionis, & anathema illi dictum à Salvatore Matth. 10: 33. Marc. 8: 38. qui eum abnegaret, nondum incassum abiit, attamen hoc non mandavit divina pagina; Ecclesiam pressam seipsam debere tradere hostibus crucis Christi, vel ipse Christus fugiebat Judæos Ioh. 8. & Petrus ex carcere liberatus aliam quærit terram, ubi à Tyrannide Herodis securum esse liceret, & verbo dixerim: detrectare non licet persecutiones, sed in eas temerarie se præcipitare, DEO adversatur. (Egregia de prudentia tempore persecutionis adhibenda ex antiquitate habes in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, quam consule) Hæc igitur causa est, quare Apostolus noluerit sacra in carcere administrare. Non quidem affirmaverim adeo arcte custoditum fuisse Paulum, ut non licuerit ei admittere amicos suos, hoc enim satis testatur desiderium, quo flagrabat conveniendi Timotheum, quare enim desiderasset illum advenire, nisi permissum fuisset illum admittere? ast hoc tantum contendo, non permissum fuisse ei administrare sacra & in magno Christianorum cœtu publice prædicare Evangelium. Sed (2) etiam si hoc voluisset, & posito Apostolo licuisse ibi sacra administrare, quid ad hoc pœnula sive cucullo opus erat? numquid exterior vestis doctrinæ veritatem aut authoritatem potuit conciliare? non legimus Apostolos antequam concionarentur aut Sacramenta dispensarent, primum vestem sacram induisse. Quanam veste putas indutum fuisse Petrum, tum cum ad Centurionem verba faceret Act. 10. quanam cum baptizaret Philippus, Act. 8. itinere erat, ubi sacram vestem non ad manus habebat. Ceremonia hæc tantum est singulari veste ornari in dispensatione sacrorum, quæ nil addit nil demit ipsi Sacramento, de ceremonia autem indifferenti religiosam superstitionem facere religio nobis esse debet.

Poterat igitur & Paulus verbum prædicare, poterat dispensare sacra sine hac veste, & ne multa dicam de re plane aperta, Paulus nullo modo ea veste indigebat, E. nec eam apportari voluit. Præterea si Moscopulum (citatum Suicero in Thesauro suo pag. 1423. ex Meursii Glossar. p. 597.) aliosque paucos excipias qui φελόνην interpretantur, ἱερατικὸν ἔνδυμα, vix quemquam Lexicographorum invenies, qui vestem hanc sacram φελόνην vocent, sed omnes φαιλόνιον sive φαινόλιον habent: ita enim Typicum Sabæ cap. XLV. p. 87. Ἀνιστάμενοι οἱ ἱερεῖς, ἀποδύονται τὰ μαῦρα φελόνια &c. Chrysostomus in Liturgia p. 71. Εἶτα λαβὼν τὸ φαιλόνιον; plura loca habet Meursius loco citato. Denique nec hoc tacendum credo, non posse probari ullo idoneo loco, quod mos obtinuerit in Ecclesia Apostolica, simplici illa, vestitu aliquo singulari in administratione sacrorum indui. Habemus quidem testimonia plura ex Patribus (quæ hic adducere non vacat) unde patet Episcopos quinimo Diaconos singulari veste fuisse indutos juxta Meursii Glossar. l. c. & p. 113. in voce Δαλματική. Hoc tamen probari nullo modo poterit Apostolorum temporibus tales vestes NB. cum sacra administrarent sacerdotes sumsisse, cum nondum reperire mihi licuerit aliquod testimonium de ritu ante tempora Hieronymi. Tandem, si prædicaturus Apostolus adeo necessariam hanc sibi credidit vestem, quomodo quæso ea carere potuit, Troade Romam tendens, sane in itinere quoque verbum prædicavit, Romæ etiam diligenti cura Christianam religionem latius disseminavit sine hac veste, numquid ergo demum in carcerem conjectus tantopere ea indiguit? Adde & hoc Paulum aperte testari 1 Cor. 17. se non tam ad baptizandum (& sacramenta administranda) quam ad prædicandum Evangelium missum esse; sed quis adeo absurdus erit, ut credat ab eo Evangelium sine tali veste prædicari non potuisse?

§. XI.

Superest, ut pauca adhuc moneam de eorum sententia, qui hic volunt designari involucrum sive thecam aliquam librorum, ast illi qui huic sententiæ favent, aut intelligunt thecam sine libro eamque ligneam cum Salmerone Disp. V. super 2 Tim. 4. aut una cum libro. Si illud, non poterunt absolvi à crimine absurditatis; quare enim thecam afferre curaret, nonne Romæ erant fabri lignarii, aut num ibi deficiebat lignum ex quo illa construeretur? aut quid denique erat, quapropter hanc thecam apportari vellet? Si voluit Apostolus eam advehi, quare illam singulari modo petit, & libris contradistinguit, non enim eos poterat apportare Timotheus, nisi ope hujusmodi scrinioli. Sed si dicunt thecam hic intelligi talem qua reconditi erant libri, nobiscum sentiunt, nec litem hic illis movebimus, sed potius hanc sententiam, ambabus (quod ajunt) manibus amplectimur.

§. XII.

Ut denique ad nostram deveniamus sententiam, breviter ea primum exponenda, & postea probationibus roboranda erit. Putamus itaque hoc in loco nostro 2 Tim 4:13. intelligi talem thecam librorum, cui inclusus fuerit liber quidam, sed procul dubio sacer, quin, (cum à cœteris libris omnibus hanc thecam distinguat) hic putamus designari talem librum, qui præ cœteris curæ esset Apostolo, nempe sacrum codicem Veteris Test. Quam sententiam probamus. (1) inde, quia nulla alia explicatio nostræ vocis quadrat, non enim facile de veste hyemali & itineribus apta expones, nec de toga consulari, nec de sacra veste sine absurditate interpretari eam licet; Rejectis ergo omnibus aliis sententiis hæc sola superest probabilis, & quam maxime verisimilis. (2) Quia optime conveniebat Apostolo esse sollicitum de tali libro, in quo tradebatur vera via eo ducens, quo iter meditabatur. Cupiebat liber esse ab hisce vinculis, & librum petit, sacrum sc. codicem ex quo veras potuit haurire consolationes in vinculis suis, poterat videre martyres illos Vet. Test. (Prophetas puta) qui una cum eo ludum illum tragicum cœperant, cujus non exigua pars futurus erat. (3.) Sic obviam itur objectionibus, quas reperimus apud Pontificios, quasi hic versus non sit inspiratus, qua de re consule Sect. Theol. III.

§. XIII.

Sed objiciunt: Si Paulus desiderasset Vet. Test. non defuturos fuisse, qui hoc illi commodarent, superfluum igitur esse, hoc ex tam dissito loco repetere. Sed Resp. (1) à potentia ad actum n. u. c. (2.) non sequitur; quia Apostolus potuisset mutuo accipere alienum exemplar Bibliorum, E. suum non desiderat. Non exigua cura asservabant veteres, Judæi pariter ac Christiani exemplaria Bibliorum, si quæ iis suppetebant, cum enim multum in eo situm sit, ut hujus libri, in cujus verba juravimus, omnes omnino voces sint accurate ad exemplar ἀρχέτυπον exaratæ, cavendum maxime est, ne quid spurii intermisceatur divino verbo, neque palea inter triticum oscitantium Scriptorum incuria irruat. Si quis igitur habebat exemplar, quod noverat bene descriptum, eo majori cura hoc asservabat. Videmus Viros doctos, qui manu nocturna atque diurna volvunt S. Biblia, ubi primum memoriam localem sibi acquisivere in aliquo exemplari, id non facile mutare. Si id hodie accidit, cum tanta memoria non requiratur, quanta tunc, (ubi nondum in capita & versus distinctus erat sacer codex) maxime eo tempore hujusmodi exemplar erit necessarium, quod cum Timotheo à pueris notum & familiare sibi reddiderit. (Confer omnino Baronium ad A. C. LVIII. p. 548.) Paulus itaque Pharisæus antea (qui sedulo Scripturam Sacram evolvebant) mox Pharos in doctrina Evangelica, ad pedes Gamalielis eruditus in lege patria Act. 22:3. quique tanto pro DEO zelo fervebat, proculdubio id fecerat, quod tantopere in Timotheo laudat, atque diligenti cura pervolverat sacras paginas, quid igitur mirum, illum eo tempore, quo ex hoc peccaminosi corporis carcere exitum parabat, in carcere, quo clausus tenebatur, desiderasse unicam hanc supellectilem, unicum thesaurum, Sacrum nempe codicem, quem sibi continua lectione familiarem reddiderat.

§. XIV.

Neque (4) hic illa absurditas nos premit, quam eos incurrere, qui vocem nostram pro pallio accipiunt, superius docuimus, quare nempe omiserit hunc φελόνην, hane thecam Troade, pedes enim iter metiebatur Apostolus, ubi molestia & onere librorum impediri nolebat, relinquit ergo thecam hanc, sive sacrum codicem, ubi tot discipulos totque doctrinæ suæ asseclas reliquerat, qui lapidis lydii instar iis foret, ad quem probarent Spiritus, an ex DEO essent, reliquit S. Biblia quoad formale externum, sed quoad materiale sive sensum, secum semper habebat, ubicunque semina verbi divini spargere conabatur. Primaria quidem causa quare reliquerit hanc thecam, cui inclusus desideratus adeo liber erat, ne molesto onere gravaretur, sed simul egregie monet Timotheum aut Carpum cœterosque discipulos, ad quam regulam dirigere debeant doctrinam atque vitam suam, ad quem Pharum cœlo exules, cœci, palantes lucis veræ summique boni ignari ante conversionem, doctrinam suam examinarent, ne igne planetico atque fatuo se abduci paterentur.

§. XV.

Sed posset quis hic opponere (5) nos textui ταυτολογίας vitium affingere; cum ex nostra ὑποθέσει Paulus ita scribat: *Affer mihi librum theca inclusum, & libros.* Sed quicquid hic difficultatis esse videtur, φαινομένου tale est; Sicut enim ille non errat, nec Tautologus est, qui ita dicit: *Affer mihi Tacitum meum & libros*, sic multo minus Paulus in hoc loco nostro, siquidem hoc moris nobis est, rem, quam singulari modo diligimus, etiam singulari appellare nomine, teste non indigemus, cum verum hoc esse quotidiana experientia satis clamitet. Paulus proinde separat hic sacrum codicem à cœteris libris, utpote cujus præ cœteris meminisse vult Timotheum. Quinimo ut antea monuimus, probabilitatem quandam nos inde deducere possumus, quod hic sacer codex intelligatur, quia ejus separatim meminit, ut libri præ cœteris dilectis, quem autem librum putas Apostolo præ cœteris tantæ curæ fuisse, ac sacrum codicem? In eadem hac epistola tam perspicue & egregie nobis usum S. Scripturæ tradiderat 2 Timoth. 3. usum dico ostenderat, dum dicit eam esse utilem πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, voluit igitur proculdubio eadem hac epistola ostendere suo exemplo, quantæ curæ nobis debeat esse hoc fidei nostræ θεμέλιον, voluit suo exemplo virtutem scripturæ comprobare, quæ valeat addere afflictis ἐπανόρθωσιν, & cor exhilarare ex Psal. 19.

§. XVI.

Facit præ nobis (6) authoritas Syri Interpretis, qui hanc vocem vertit per ܒܝܬ ܟ̈ܬܒܐ. Nolumus hic prolixi esse in asserenda auctoritate hujus versionis, contendimus saltem, magnam sententiæ nostræ probabilitatem, magnumque testimonium inde nasci, siquidem est vetustissima hæc versio, est prima, quin illa, quæ (ex ore plurimorum Philologorum loquor. Vide quos citat Gutbier in prooemio N.T. Syriaci.) statim post obitum Christi, cum superstites adhuc essent viri θεόπνευστοι conscripta est. Conf. Dn. D. Pfeiffer. Critic. Sacram pag. 282. §. 3. nec non Dn. D. Kortholt de Versionibus. Non quidem affirmamus, à DEO esse inspiratam, absit hoc dixisse, hoc privilegium Græcum Nov. Test. unice sibi vendicat, (quod dictum sit omnibus, sive modernis sive antiquioribus, qui versionem τῶν LXX. pro authentica venditarunt cum Joh. Morino, Joh. Vossio pluribusque aliis.) fontium hoc est non rivulorum tanto gaudere

dere auctore, sed testimoniis plurimorum Philologorum moti, credimus, hanc primam esse versionem, & ausim contendere esse optimam omnium.

§. XVII.

Cum igitur non contemnenda sit authoritas hujus versionis Syriacæ, ei confidere optime possumus, ubi nullam vim textui Græco infert, sed saltem quæ ibi ob variantes lectiones, ob exponentium diversitatem, dubia relinquuntur decidit, hic etiam variantes reperis lectiones, hic magnum Commentatorum dissensum, en igitur medium ex hoc Labyrintho elabendi, utere hoc Ariadnes filo, & intelliges in hoc loco nostro nil aliud designari, quam thecam, cui inclusus erat liber, aut volumen aliquod (per meton. continentis pro contento) proculdubio sacrum. Nemo enim, qui Syriacam linguam atque ejus matrem Hebræam summis (quod ajunt) labiis delibavit, dubitare poterit, quin hic per ܒܝܬ ܟܬܒܐ intelligatur theca librorum. Τὸ בית enim Hebræi & Syri tam late extendunt, ut receptaculum cujuscunque tandem rei eo nomine veniat, sic apud Hebræos בית אפי domus vultus audiebat, quod nos communiter velamen dicimus, videatur Exod. 34: 33. apud Rabbinos quoque tales loquendi formulæ in usu fuere, sic בית החצים pharetra, בית הרגלים calceus dicebatur. Hunc loquendi morem imitata lingua Syriaca, sepulchrum vocabat ܒܝܬ ܩܒܘܪܐ Matth. 23: 29. c. 26: 52, 60. &c. Proxime igitur per illam domum librorum nil nisi thecam librorum voluit designari Syrus. Sed ut nobis non infrequens est nominare continens pro contento, ita & in verbis cum בית constructis faciebant Hebræi, sic Esdræ 6: 1. sumitur בית ספריא domus Archivorum, pro ipsis Archivis (Judice Buxtorfio in Lexico Chaldaico Talmudico) sic etiam vocabatur בית בהתתא locus pudoris, cum intelligeretur pudendum. Deut. 25: 11. 2 Sam. 10: 4. Num. 25: 8. Præprimis autem hic tropus in familiari sermone obtinet, sic quid frequentius est quam petere scrinium, cum res eo contentas desideres? ipse Salvator in ultima cœna vinum designaturus poculum nominat. Unde nemini mirum videatur, si sub φαιλόνῃ etiam librum aliquem intelligamus.

§. XVIII.

Sed tandem eò deveniendum est, in quo hujus controversiæ cardo fere solum vertitur, an nempe Græcorum illud φαιλόνης sive φελόνης significet thecam talem librorum. Non erimus prolixi in re indubia, loquatur pro nobis atque causam nostram agat Etymologicon magnum, quod ita loquitur: Φελόνης εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, idem reperimus in Suida: Φαιλόνης εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ἢ χιτώνιον, cui adstipulatur Hesychius, φαιλόνην, εἰλητάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, appellans. En Triada Testimoniorum, quæ satis superque demonstrant φαιλόνην tam frequenter, ne dixerim sæpius, sumi pro theca tali sive involucro membranaceo, quam pro pallio (de φαιλόνης loquor, quod bene observatum volo.) Non enim diffitemur nos hac in re discedere à Philologis plerisque, asserentibus voces φαινόλης & φαιλόνης sive φελώνης easdem esse. Dubium hoc primo mihi movit Nobilissimus Bartholinus in sæpius laudato tractatu, cujus verba talia pag. 3. invenies: *Fuit cum existimarem, diversas esse voces φαινόλην & φαιλόνην, illam videlicet vestem, hanc involucrum membranaceum. Postea mutata sententia, φαινόλην ad originem suam rettuli.* Non quidem putamus φαιλόνην nil notare nisi involucrum membranaceum, obstante illo Hesychii Ἀμφινώτους χιτῶνας, ἢ φελόνας, item supra citato Suida, atque omnium Græcorum P. P. testimoniis; sed vice versa φαινόλην unquam denotare involucrum, hoc est quod negamus. Utrumque nomen, sed ob diversas rationes competit pallio, ὁ φαινόλης derivatur παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, Teste Auctore Etymologici magni, quæ denominatio ad formam Pænulæ quadrat, siquidem adeo angusta erat vestis illa, ut in nullos sinus se deflecteret, sed tota appareret, confer Barth. l. c. pag. 19. Ast φαιλόνης seu potius φελλόνης aliam ob causam nomen dedit pænulæ, scilicet quia pænulæ, ut supra monuimus, plerumque ex scorto sive vellere conficiebantur, appellarunt hoc vestimentum φελλόνην, eodem plane modo, quo hanc eandem vestem Scorteam appellabant Latini. Aperte hanc differentiam indicat Etymologicon magnum, ubi enim περὶ τοῦ φαιλόνου sive φελόνου quæstio est, dicit hanc vocem significare involucrum, sed ubi de τοῦ φαινόλου loquitur, Φαινόλης χιτὼν, inquit, (sc. ἐστι) & mox Τὰν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, τοῦτ᾽ ἔστι τὸ ἱμάτιον: sic etiam Suidas φελόνην dicit esse, εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, sed φαινόλην, ῥωμαϊκὴν στολὴν appellat. Ostendant mihi Philologi ullum exemplum contrarium, ubi φαινόλης nomine involucrum tale designatur, & corrigemus mentem. Multo igitur latius patet φαιλόνης quam φαινόλης, illo potuit denotari omne id, quod ex scorto sive pergamenis confectum erat, sic dicebant φελλόνην βίβλον, volumen antiquorum; quod ex velleribus confectum convolvebatur, habet enim originem suam hæc vox ἀπὸ τοῦ φέλλου sive φλοιοῦ Græcorum; Indicant hoc aperte loci citati Etymologici magni, & Suidæ, dum illam vocem significare ajunt γλωσσόκομον μεμβράϊνον, μεμβράϊνον appellant, ut ostendant nomen illud propterea inditum involucro; quia ex pergamenis s. velleribus conficiebatur. Sed quod φαιλόνην & φελλόνην attinet, an sint eædem nec ne, aliis disputandum relinquo, meo judicio non sunt diversæ, & φελλόνης temporum injuria in φαιλόνης degeneravit. Cum igitur φαινόλης nullo modo, nullo loco, nullo jure (quantum huc usque nobis constat,) involucrum aliquod possit significare, aut unquam significarit, quid opus est dubitare, quænam vox reperta fuerit in authentico, sive in eo exemplari, quod secutus est Syrus Interpres? quomodo enim possent φαινόλην exponere per involucrum libri, cum φαινόλης hoc nunquam denotet, argumentor: Quæcunque vox nunquam significat involucrum, illa nec reperta est in authentico, sive exemplari, ex quo transtulit Syrus, sed vox φαινόλης nunquam significat involucrum, per hactenus disputata. Ergo &c. Sed Syrus Interpres. nos diutius æquo detinuit, ignoscat tamen huic vitio (si quod est) B. L. cum hoc non exiguam lucem videatur attulisse sententiæ nostræ, postquam enim probavi vocem, quæ in authentico proculdubio reperta est, propria & maxime communi acceptione significare involucrum, & secundario tantum atque abusive pænulam, recte inverto argumentum, quod supra proposuerunt qui pro pallio pugnant, asserentes vocem φαιλόνης sive φαινόλης proprie & sæpius significare togam, quod de φαιλόνῃ sive φελόνῃ aperte negamus, etenim semper primo in citatis Authoribus Græcis reperies hanc vocem explicatam per illud involucrum, & tantum appendicis instar adjecta est altera significatio, nempe pallii, quin Hesychius plane omittit hanc explicationem, & vocem nostram solum exponit per involucrum libri.

§. XIX.

Sed cum veritas ipsa sæpius novitate suspecta sit, probandum adhuc nobis superest, hanc sententiam non esse fœtum nostri cerebri: sed esse eandem, quam magna tum Patrum tum Criticorum optimorum nostri atque Pontificii pariter ac Calviniani gregis approbarunt. De Patribus primo loco dicendum erit, hi cum vel Græci vel Latini sint, ideo quoque ferme in binas abeunt classes; Græci Commentatores in epistolas Paulinas si non approbant sententiam nostram, certe semper annotant, esse tamen aliquos qui hanc foveant sententiam. Chrysostomus Homil. 10. ex 2 Tim. 4. pag. 1010. edit. Basil. Latinæ anni 1536. *Pallium*, inquit, *hic pænulam dicit* (Apostolus) *alii loculos putant, in quibus libri condebantur.* Oecumenius quoque Comment. in h. l. p. 280. edente Morello Paris. 1630. *quidam*, dicit, *thecam significari volunt, in qua libelli reponebantur.* & subjicit: *quæ autem ipsi erat libellorum necessitas, qui brevi ad DEUM erat migraturus certe tunc maxime opus erat*; ἢ μάλιστα ἔδει *ut eos fidelibus commendaret.* Nescio igitur qua fronte Benedictus Justinianus Genuensis Explanat: in Epistolas Tom. 2. p. 562. asserere audeat. Oecumenium & Theodoretum nostram sententiam ridere, nam ut taceam Theodoretum ne vel γρῦ de hac sententia habere, in Oecumenii verbis ego quidem ne lynceis quidem oculis tale quid deprehendere potui. Græcis succedat Hieronymus Latinorum omnium doctissimus quique paucis Græcorum cedit, judice Dallæo) hic binis in locis φαιλόνου meminit, sed id quod uno in loco asserit in altero destruere videtur. Primus locus exstat in quæstione 2. ad Damasum, ubi, *Volumen*, inquit, *replico Hebræum, quod Paulus juxta quosdam φαιλόνην dicit*; dicit quidem *juxta quosdam* (simul innuens hanc sententiam, aut certe controversiam de hujus vocis expositione tum quoque viguisse) attamen, quantum ego quidem intelligo, hanc sententiam approbat, nam quamobrem alias eam adduxisset; sane si licet liberius paulo de hoc Patre censere; putarem plane nil ad scopum ejus hanc observationem facere, (evolvat textum, qui ambigit!) sed eum ostentationis ergo tantum hanc observationem inspersisse. Alter locus ubi φαιλόνου meminit exstat Diologo III. contra Pelagium Tom. 2. OO. p. 298. ubi diversa plane Hieronymi quasi facies est, hic enim cum Pelagio disputat, & pio zelo quasi fervet, cum in quæstionibus ad Damasum præprimis ostendere conetur, quantum

in Scripturæ S. lectione & interpretatione sit versatus; hic omnia corradit ut adversario suo noceat, ibi nil nisi selecta quævis proponit: Verba Attici contra Pelagium hæc sunt: *Putasne Apostolum Paulum eo tempore quo scribebat: Lacernam sive Penulam, quam reliqui Troade veniens affer, ac libros ac maxime membranas, de cœlestibus cogitasse mysteriis & non de his quæ in usu vitæ communis, vel corpori necessaria sunt.* Hic φαιλόνης ei Lacerna vel pallium & aliquid profani est, ut contra Pelagium obtineat; etiam sanctissimo homini subrepere aliquando cogitationem de re mundana. Quænam itaque tandem erit Hieronymi mens? Sane, meo quidem judicio, non alia fuit Hieronymi sententia, quam illa, quam in quæstione II. ad Damasum prodit; Facilius siquidem, quin & certius, de mente alicujus Patris constabit ubi θετικῶς & dogmatice, quam ubi polemice progreditur, hic enim sæpius Patres id, de quo tamen aliter sentiebant, certe dubitabant, tanquam verum præsupponebant, ut eo fortius premerent adversarium; Quod idem etiam Hieronymum fecisse quam maxime mihi probabile est. Prodit alibi Hieronymum Hieronymus, ita enim ipse de methodo hac Patrum disserit Epistola ad Pammachum Tom. 2. p. 136. A. *Dicimus plura esse genera dicendi, & aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. In priori vagam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet,* NB. *aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti* (quali stylo conscriptæ sunt quæstiones ad Damasum) *autem aperta frons, &, ut ita dicam ingenuitas necessaria est. Aliud est quærere aliud definire, in altero pugnandum in altero docendum est, & mox ad* alios provocat Patres: *Origenes, Methodus, Eusebius, Apollinaris multis versuum millibus scribunt adversus Celsum & Porphyrium. Considerate quibus argumentis, & quam lubricis problematibus Diaboli spiritu contexta subvertant, & quia NB. interdum coguntur loqui, non quod sentiunt; sed quod necesse est, dicunt adversus ea, quæ dicunt Gentiles, &c.* (Confer alia Patrum loca apud Dallæum de Vero Usu Patrum Cap. VI. p. 158. seqq.) Hæc adducere necessum credidi ut Hieronymum, cujus authoritas tanta est, nobis vindicaremus. De Cæterorum Latinorum Patrum suffragiis parum sumus solliciti, quorum etiam paucissimos habemus consentientes. Tertullianum, Haymonem, Pseudo-Ambrosium aliosque in eadem hac sectione hinc inde recensuimus. Inter ipsos tamen Scholasticos non defuit sententiæ nostræ Patronus: Thomas scilicet de Aquino, qui in Commentar. in Epistolas Pauli, & quidem 2 Tim. 4. ita post plura scribit: *Pænula dicitur mantica, ubi erant libri; quod videtur* (sc. verum) *quia sequitur: & libros.*) Inter recentiores Pontificios præter *Massutium, Salmero* aliique sententiæ nostræ subscribunt. Desinat itaque mirari *Julius Cæsar Bulengerus System. Opusculorum Lib. I. de vestibus Pontif. Episc. & Sac. p. 22. cap. 20.* cur Baronius nobiscum consentiat. *Illustrissimus,* inquit, *Baronius anno LIX. de Sancto Paulo agens,* φαιλόνιν (dic quæso, quo authore φαιλόνιν per ι legas?) *de volumine Pauli, non de pænula accipit, non video quo authore;* Sed ut verum fatear non videtur Bulengerus Baronium ipsum evolvisse, qui non ad A. C. LIX. scilicet pag. 595. Tom. 1. edit. Anton. (ubi vix verbum de hoc loco habet) Sed anno LVIII. pag. 547. non solum egregie suam nostramque sententiam probat, sed & plures Patres citat, atque illam sententiam, quæ Bulengeri est p. 548. accurate refutat. *Magis placet,* inquit, *ut volumen sacræ legis intelligi debeat; tum quod Græce legatur* φαιλόνιν (pro φαιλόνην) *& non* φαινόλιον, *tum etiam quod haud magni videretur negotii, vel impensæ alias sacras vestes eiusdem generis Romæ conficere, absque eo quod ex Asia eam velit per Timotheum ad se deferri. Non sic quidem de legis volumine, quod haud facile librario describendum committeretur &c.* Inter Calvinianos unicum Calvinum nominasse sufficit, qui in Commentario suo ad 2 Timoth. 4. nobis non parum favere videtur. Nostratium magnum Catalogum adducere hic possemus, sed quo tot citationes? consulat eos cui vacat; nobis sufficit probasse sententiam nostram non esse plane novam.

§. XX.

Concludimus tandem hanc Sectionem Syllogismo, cui omnis vis eorum, quæ dicta sunt pro stabilienda sententia nostra, includitur: Quæcunque explicatio vocis maxime frequens est apud Græcos Auctores, proxime accedit ad mentem Apostoli, convenit circumstantiis textus, atque conditioni Pauli, viam præcludit objectionibus Pontificiorum & aliorum adversariorum, Patribus denique quam plurimis optimæ nostræ, & fere omnibus nostratibus Theologis probatur, illa erit optima atque probanda. Hæc nostra sententia, nempe intelligi in loco illo Paulino, 2 Tim. 4: 13. involucrum libri, aut etiam volumen Vet. Testamenti) est talis. Ergo est optima atque probanda. Sed fere diutius æquo morati sumus in indagando vero sensu τοῦ φελόνε, missa tandem Dialectica, ubi probabilibus pugnatum est argumentis, accingimus nos ad id tractandum, ubi non amplius palpando inter tenebras probabilitatem quærere, sed ipsam veritatis lucem deprehendere licebit. Sit igitur.



IMM.

IMM. TÖGEL

DISSERTATIO

De ΟΡΘΟΔΟΞΙΑ & ΟΡΘΟΤΟΜΙΑ in Ecclesiæ Ministro requisita ad Tit. I: 9.

I. N. J.

PRÆFATIO.

1. Duo Presbyteri requisita, ὀρθοδοξία *&* ὀρθοτομία. *2. Utrumque necessarium, nec unum ab altero divellendum. 3. Quid* ὀρθοδοξία*? 4. Quid* ὀρθοτομία*? 5. Summa dicendorum. 6. Textus Apostolicus è fontibus & Versione Lutheri.*

§. I.



CUm multa sint fidelis Ecclesiæ ministri, circa doctrinam pariter & vitam, requisita, tum vero ea, quæ doctrinam concernunt, ad duo summa capita possunt reduci, ὀρθοδοξίαν & ὀρθοτομίαν, quarum utraque *rectum quid* circa doctrinam salutarem, & altera quidem *rectam ejus cognitionem*, altera *rectam cognitæ tractationem* notat.

§. II. Neutra ab altera sejungi potest, cum tractare doctrinam nemo recte queat, qui non recte cognitam perspectamque habeat. Et quamvis unumquemque Christianorum oporteat esse ὀρθόδοξον, qui ad ὀρθοτομίαν æque non adigitur; alia tamen ratio est Doctorum, quibus ὀρθοδοξία eatenus competit, quatenus hoc vocabulum præter solidam doctrinæ cognitionem *omne* etiam *studium* includit *in illa unicè pureque propaganda collocandum.*

§. III. Quo sensu Theodoretus in *Dialogis*, quos contra quasdam hæreses scripsit, inter Collocutores ὀρθόδοξον introducit, cujus ipse in *Præfatione* hanc reddit appellationis rationem: τῷ ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν ἀγωνιζομένῳ δογμάτων, ὀρθόδοξος ὄνομα, *illi, qui pro Apostolicis decertat dogmatibus, Orthodoxus nomen est.* Et Justinus Martyr in *Libro quæstionum & responsionum ad Orthodoxos, quæst. C. fol. 126.* dona administrantia, inter quæ & miraculorum edendorum gratia olim erat, τὰ πρὸς τὴν αὔξησιν τῆς ὀρθοδοξίας ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δωρηθέντα, *ad incrementum Orthodoxiæ à DEO concessa munera* vocat. Atque sic Ecclesiasticis Scriptoribus frequentissime usurpata vox est, etsi in Scriptura S. quæ tamen rem ipsam satis docuit, non expressa.

§. IV. Alterius vero conjugato diserte eodem hoc, quo accipimus sensu, usus est Apostolus 2 Tim. 2: 15. cum Timotheum jubet esse ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, hoc est, ut bene Vulgatus transtulit, *recte tractantem verbum veritatis*, licet id Drusio *in Præteritis lib. 8. p. 320.* minus placeat, ac malit pro eo: *recte secantem*, præeunte Erasmo *Annot. in h. l.* eo, quod τέμνειν, ex quo τὸ ὀρθοτομεῖν componitur, non tractare, sed secare & dividere sonet. At frustra urgetur Etymologia, ubi usus respiciendus, juxta quem, uti καινοτομεῖν non est, *res novas secare*, sed *res novas moliri*, h. e. νεωτερίζειν ἢ τὰ καθεστηκότα κινεῖν ἢ τοῖς ἐν τέλει, vel τοῖς πολιτευομένοις ἐπιτίθεσθαι, & καινοτομία est νεωτερισμός, observante Budæo *in Comm. Ling. Græc. fol. 846.* ita similiter ὀρθοτομεῖν est *recte tractare* & ὀρθοτομία est *tractatio rectè, & ceu decet, instituta.* Undecunque enim metaphoram deducas, quam hic latere omnes, & alii quidem cum Theodoreto *ab agricolis rectos sulcos scindentibus*; alii cum Chrysostomo, Theophylacto & OEcumenio *à coriariis superflua resecantibus*; alii cum Beza *à ritu secandi sub lege victimas*; alii cum Pricæo *à marmorariis seu lapidicidis*, petitam contendunt; genuinam tamen verbi tractationem intendere Apostolum, fateri tandem tenentur, qua & *ratione methodi*, omnia facili & concinno ordine proponantur; & *ratione rei tradendæ*, verum à falso, divinum ab humano, pretiosum à vili, Lex ab Evangelio, vetus à novo, discernatur; & *ratione auditorii*, quæ libet suo loco ac tempore dicantur, nec vel porcis margaritæ objiciantur, vel contritis denuo terror incutiatur legalis &c. Unde prorsus ad mentem Apostoli Syrus Interpres ܕܡܟܪܙ ܬܪܝܨܐܝܬ ܡܠܬܐ ܕܫܪܪܐ *recte prædicantem sermonem veritatis.* conf. B. Dannhaw. *in Idea Boni Interp. part. 1. sect. 1. Artic. 5. p. 29.* & quæ diligenter congesserunt Nic. Fullerus *Lib. 3. Miscell. sacr. toto cap. 16. p. 369.* Abrah. Schultetus *Observat. in hoc Caput, cap. 5. fol. 3886.* Eduard. Leigh *Critic. Sacr. Nov. Test. fol. 230.* Jo. Conr. Dietericus *Antiq. Nov. Testam. fol. 69.* Jo. Casp. Suicerus *Thes. Eccles. T. 2. fol. 508.*

§. V. Nos utrumque illud Ministri verbi requisitum nervose ab Apostolo Tit. 1: 9. traditum intelligemus, si, quod animo meditamur, Comma hoc speciminis Academici loco exposuerimus, rem omnem *tribus Capitibus* absoluturi, *Exegetico, Porismatico, Problematico.*

§. VI. Antequam vero ista fiant, præmittenda erunt ipsa Pauli verba, in cujus enucleatione tota hæc dissertatio occupabitur.

Textus Originalis Tit I: 9.

Ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

Versio B. Lutheri:

Und halte ob dem Wort / das gewiß ist / und lehren kan / auff daß er mächtig sey zu ermahnen / durch die heilsame Lehre / und zu straffen die Wiedersprecher.

Reliquas versiones in ipsa Exegesi videbimus.

CAPUT I.

EXEGETICUM.

1. *Scopus textus.* 2. *Ejusdem Argumentum.* 3. *Subjectum ex antecedentibus cognoscendum, ubi quæstio de Episcopis & Presbyteris.* 4. *Analysis Logica.* 5. *de Voce* ἀντεχόμενον, *aliorum interpretationes.* 6. *Nostra.* 7. *de verbis*: τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *aliorum expositiones.* 8. *H. Grotius notatur circa vocem* πιστοῦ. 9. *Nostræ Observationes de iisdem verbis.* 10. *de illis*: ἵνα δυνατὸς ᾖ. 11. *de Copula* καί. 12. *quid sit* παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, *ex aliorum sententia.* 13. *Disputatio cum Jo. Coccejo de sensu verbi* παρακαλεῖν. 14. *Nostræ observationes de iisdem verbis.* 15. *quid sit*, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *ex sententia aliorum.* 16. *quid ex Nostra.* 17. *Textus Paraphrasis.*

§. I.

DE *Scopo*, quem Apostolus sibi hoc Commate propositum habuit, ut rectius dijudicari queat, in partes vocandum erit *Comma* 5. quo generalem totius Epistolæ ad Titum scriptæ Propositionem complectitur: *Hujus rei gratia reliqui te in Creta*, inquit, ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ, *ut reliqua porro corrigas*, καὶ καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, *& constituas oppidatim presbyteros.* Duo itaque demandati Tito videmus ab Apostolo; ἐπιδιόρθωσιν τῶν λειπόντων, *ulteriorem emendationem residuorum*, & κατάστασιν τῶν πρεσβυτέρων, *constitutionem Presbyterorum.* Utrumque hac Epistola sic persequitur, ut de posteriori primo, de priori secundo loco agat, adeoque verba Textus nostri ad *demandatam Presbyterorum* constitutionem spectant. De qua non erat, cur multum circa *modum agendi* occuparetur, qui parum habebat difficultatis; at longe majorem circumspectionem exigebat *Subjectum constituendum*, ut tales nempe Presbyteros Cretensi Ecclesiæ Titus præficeret, qui digni essent officio, eoque non tantum sine scandalo, sed etiam cum fructu & emolumento Ecclesiæ defungerentur. Eorum igitur *ideam* tradit, & *requisita Presbyterorum* exhibet tum quà *vitam v.* 6, 7, 8. tum qua *doctrinam v.* 9.

§. II. Atque hinc *de argumento* jam constat. Agit nimirum Apostolus de *requisitis Presbyterorum circa doctrinam*, quæ non minus necessaria sint, quam ea, quæ modo circa ipsorum vitam exposuerat. Cohærent enim verba inde usque à v. 7. Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον εἶναι *oportet Episcopum esse* quæ huc similiter trahenda sunt, cum sensus pendeat: *Oportet Episcopum esse* sicuti ἀνέγκλητον, h. e. *integrum vitæ, scelerisque purum*, ita & ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *tenacem ejus, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis*, adeo quidem, ut ipse non modo doctrinam istam probe cognitam, mentique non minus & intellectui, quam memoriæ, altius infixam habeat; sed etiam sit δυνατὸς παρακαλεῖν καὶ ἐλέγχειν *potens exhortari & convincere.* Et ista quidem requisita circa doctrinam propria sunt Presbyteris, cum priora illa circa vitam cum auditoribus habeant communia, ceu pulchre Chrysostomus *Homil.* 2. *in h. l. fol.* 1703. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα καὶ ἐν τοῖς ἀρχομένοις εὕροι τις ἄν. οἷον τὸ ἀνέγκλητον, τὸ τέκνα ἔχειν ἐν ὑποταγῇ, τὸ φιλόξενον, τὸ δίκαιον, τὸ ὅσιον. ὃ δὲ μάλιστα χαρακτηρίζει τὸν διδάσκαλον, τοῦτό ἐστι, τὸ δύνασθαι κατηχεῖν τὸν λόγον. *Nam alia quidem*, inquit, *& in subditis sive Auditoribus invenire facile est: puta, esse sine crimine, filios habere morigeros, hospitalem esse, justum & sanctum: Cæterum, quod maxime doctorem exprimit, hoc est, posse instillare verbum.*

§. III. *Subjectum* ergo, ab officio ipsi imponendo denominatum *Episcopus*, qui Apostolorum ætate ejusdem cum *Presbytero* officii & dignitatis erat. Nam quem *Presbyterum v.* 5. eum *v.* 7. *Episcopum* appellat, eodem prorsus modo, quo accersitos *Presbyteros* Ecclesiæ Ephesinæ de cura pro grege adhibenda admonebat, cui eos Spiritus S. *Episcopos* præfecisset *Act.* 20: 17. 28. Quod tum contra *Pontificios*, maxime vero *Jesuitam Dionysium Petavium*, Bellarmino succenturiatum, quem Cl. Salmasius ficto Walonis Messalini nomine in *Dissertatione de Episcopis & Presbyteris*, *Lugduni Batavorum Anno MDCXLI. edita*, tum contra *Anglos Hierarchicos* vestigia *Hadriani Saraviæ* legentes, nominatim *Jo. Prideauxium*, *Episcopum Wigorniensem*, quem Samuel Maresius *in Examine* 4. *qq. Disp.* 1. confutavit, saltem obiter, quando expressa ejus mentio non fit in Commate nostro, observamus. Conferatur post B. Gerhardum *L.* 2. *Conf. Cath. part.* 2. *Art.* 6. *c.* 3. Magnif. Zieglerus *in Comm. de Episcopis c.* 3. §. 17. *p.* 39.

§. IV. In *Prædicato* quod solum Textus tractat, duo requisita exprimuntur, quorum alterum nos ὀρθοδοξίαν *rectam verbi cognitionem*, alterum ὀρθοτομίαν, *rectam verbi tractationem*, dicimus. *Illam* arguit Apostolus, quando Episcopum vult esse ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *tenacem illius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis*; ubi observa (1.) *habitum cognoscendi*, qui assiduo studio per Dei gratiam acquisitus sit, ἀντοχὴν sive ἀνθεξιν. (2.) *Objectum*, circa quod habitus ille versatur, quod est λόγος, *sermo*, h. e. Verbum DEI Scriptura sacra comprehensum, commendatum partim *à veritate*, quia est πιστὸς, *fidelis sermo*, partim à *fine revelationis*, quia est κατὰ τὴν διδαχὴν, *secundum doctrinam*, utpote qui in doctrinam & ædificationem Ecclesiæ cedere debeat. *Istam* innuit, cum laudatam ἀνθεξιν eousque in Episcopo requirit, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *ut potens sit & exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes convincere.* Ubi iterum observa (1.) *habitum tractandi* pari ratione probe acquisitum, δύναμιν. (2) *Objectum personale*, cum quo Episcopo Verbum Divinum tractanti res est, quod sunt aut *fidei domestici*, & in his quidem morigeri; aut ἀντιλέγοντες, *Adversarii & refractarii.* (3.) *Officium* in tractando verbo declarandum, idque pro ratione gemini illius objecti geminum; respectu domesticorum fidei morigerorum, παράκλησις ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ *adhortatio per doctrinam sanam*; respectu adversariorum & refractariorum, ἔλεγχος, *redargutio sive convictio.* Hæc summa & Analysis est dicti Apostolici.

§. V. Nunc voces singulas expendemus. Harum prima est ἀντεχόμενον, quam varie reddunt. Syrus ܐܚܝܕ *curam habentem*, Vulgata *amplectentem*; ejusque interpolatio ab Andrea Osiandro facta *firmiter tenentem.* Erasmus Roterodamus, & Theodorus Beza, Ambrosium secuti, *tenacem.* Erasmus Schmidius, *firmiter adhærentem.* Sebastianus Castalio *defensorem.* Victorinus Strigelius *propugnatorem.* Tremellius Syrum exprimens *sollicitum.* Coccejus *affixum.* Lutherus, der da halte/ cui explicando Vinarienses addunt, standhafft und vest/ und gebe weder aus Furcht / noch iemand zu gefallen / das geringste nicht nach. Dietenberger, der (rede) führe/ prout & Eccius der (Wort) führe. Belgæ, die vest houdt. Conferamus & Commentarios. E Veteribus Chrysostomus fol. 1702. quem pro more Theophylactus fol. 601. sequitur: Ἀντεχόμενον, φροντίζοντα, ἔργον τοῦτο ποιούμενον. *Tenacem*, i. e. *curantem, opus hoc agentem.* Hieronymus *Tom.* 9. *Opp. f.* 319. *Amplectentem, i. e. diligentem doctrinam & semper inde loquentem.* E Nostris Ægidius Hunnius *Tom.* 4. *Opp. fol.* 828. *Fidelis sermonis vult Episcopum esse tenacem, ne vel Satanæ fraude sibi illum patiatur ex corde rapi, & opiniones à veritate dissentaneas instillari, vel in hominum gratiam veritatem abjiciat, aut eundem metu quid immutet, aut silentio premat, & coram auditoribus veritatem prodat ac reticeat; sed constanter illam ex Scriptura sacra profiteatur.* Balduinus: *In Græco est* ἀντεχόμενος, *tenax & fideliter firmiterque inhærens sanæ doctrinæ: est enim* ἀντέχεσθαι, *mordicus retinere & affixum esse. Tria ergo requirit hoc Epitheton* (1.) *assensum sanæ doctrinæ, in qua nihil sit adulterini.* (2.) *donum proponendi eam &c.* (3.) *Constantiam in ista doctrina, cui mordicus adhærere vult Ecclesiæ ministrum.* E Pontificiis Guil. Estius fol. 865. nihil habet præterea, quæ ex Erasmo descripsit. Hic vero *Tom.* 7. *Critic. Lond. f.* 3935. *Ambrosius elegantissime expressit Græcam vocem* (tenacem.) *Nam* ἀντέχεσθαι *dicitur proprie, qui adhæret alicui velut unguibus affixus, nec se sinit avelli.* Calvinus *Tom.* 5. *Opp. Part.* 3. *f.* 1065. *Doctrinæ tenacem vult esse Episcopum, ut non modo probe sit institutus, sed constantem in ea asserenda se gerat; sunt enim quidam leves. Eos itaque eligi Paulus jubet, qui veritatem DEI utroque brachio amplexi, & mordicus tenentes, nunquam sibi excuti patiantur, aut ab ea divelli possint. In summa, non tantum requiritur in Pastore eruditio, sed tale doctrinæ puræ studium, ut ab ea nunquam discedat.* Io. Crocius: *Requirit Apostolus bonam voluntatem, dum ait: ut sit tenax sermonis. Non dicit, oportet esse eruditum, & tamen hoc exigit, tanquam necessarium: plus enim dicere voluit, cum non satis sit egregie nosse veritatem, nisi eandem teneas firmiter. Ego uno verbo tria postulari existimo. Primum, ut sit in vera doctrina bene institutus; deinde, ut firmiter illi adhæreat, nec unquam ab ea discedat, vel sibi eripi patiatur à satana è corde & intellectu, à mundo ex ore; tertio ut omne studium in illa unice pureque propaganda collocet.* Hugo Grotius:

tius: Ἀντέχεσθαι *cum Genitivo respondens Ebræo* החזיק *est firme aliquid amplecti, ut apparet Jes. 56. 2, 4, 6. Prov. 3: 18. Est vox vere Græca. Utuntur enim sic Euripides & Plato.* Jo. Coccejus *Tom. 5. Opp. Comm. in h. l. f.* 24. non aliud observat, quam *ostendisse doctos viros, τὸ ἀντέχεσθαι probe Græcum esse.*

§. VI. Ex ista Interpretum collatione apparet, plerosque agnovisse emphasin hujus verbi, quosdam etiam de λέξεως puritate fuisse sollicitos. Quæ posterior quidem curæ nobis adeo non est, etsi agnoscimus probatissimis autoribus Græcis verbum ἀντέχεσθαι hac structura usurpatum. Nam & Thucydides *Lib. 1. de Bello Pelopon. & Athen.* rei nauticæ summopere addictum ἀντεχόμενον τῆς θαλάσσης, *tenaciter adhærentem mari*, vocavit; & Xenophon serium virtutis studium per τὸ ἀντέχεσθαι τῆς ἀρετῆς, *firmiter adhærere virtuti*, expressit. Sufficit nobis usus Biblicus de fideli servo, spretis aliis dominis ἑνὸς ἀντεχομένῳ, *uni unice adhærente Matth.* 6: 24. *Luc.* 16: 13. denique officio Christianorum erga infirmos, ὧν ἀντέχεσθαι, *quos cum cura suscipere & amplecti* jubet Apostolus 1 Thess. 5: 14. Præterea interpretes Græci Veteris Testamenti usi sunt hoc verbo cum Gignendi Casu ad exponendas radices Hebræas, quibus singulare studium, assidua cura & sollicitudo, diligens investigatio, tenax adhæsio, & constans fiducia innuitur, ut ad eruendam emphasin hic latentem non parum conferant. Adhibuerunt quippe nunc loco τοῦ דרש quod est *cum cura & sollicitudine inquirere*, quando Judæis idololatricus astrorum cultus exprobratur: אשר דרשום ὧν ἀντείχοντο, *quæ inquisiverunt*, Jer. 8: 2. nunc pro הלך quatenus præceptis divinis junctum *sollicitam legis observantiam* notat, cum de apostasia populi sui DEUS queritur: לא ולתי בתורתי ובחקתי *non ambulaverunt in lege mea, & in statutis meis*, οὐκ ἀντείχοντο τῶν προσταγμάτων μου, *non adhæserunt firmiter præceptis meis, Jer.* 44: 10. nunc pro החזיק quod *arduam apprehensionem & conservationem* designat, v. gr. fœderis divini, à qua Deus fideles laudat, מחזיקים בבריתי ἀντεχομένους τῆς διαθήκης αὐτοῦ, *firmiter servantes religionem fœderis sui, Jes.* 56: 2, 4, 6. item sapientiæ, omnibus addiscendam & excolendam commendatæ; *Lignum vitæ est* למחזיקים בה πᾶσι τοῖς ἀντεχομένοις αὐτῆς, *omnibus serio amplectentibus illam, Prov.* 3: 18. nunc pro שמר *custodire*, quatenus Sapientiæ tribuitur sui studiosum conservanti: *ne dimittas eam*, ותשמרך *& custodiet te*, Prov. 4: 6. nunc pro חסה quod *spem & fiduciam* infert, in illis DEI: והחוסה בי οἱ ἀντεχόμενοί μου (quidam Codices habent ἐν ἐμοὶ) *qui fiduciam habent mei*, hæreditate accipient terram Ies. 57: 13. Potissimum vero huc spectat locus, Ier. 2: 8. ubi Sacerdotes per ἐπεξήγησιν vocantur תפשי התורה LXX. οἱ ἀντεχόμενοι τοῦ νόμου *tenentes* (de jure) *firmiter legem*, quippe quorum est sententiam custodire, ut legem ex ipsorum ore requirant Mal. 2: 7. Quæ verbi per parallela discussio serium Theologiæ studium in Presbytero requisitum, & oratione, meditatione, tentatione per omnem vitam continuandum, velut ὑποτύπως oculis subjicit atque monstrat, quomodo doctrina sana in Scripturis inquirenda, Ioh. 5. 39. (en! radicem דרש, inquisita apprehendenda & firmiter tenenda (en! תפש) apprehensa animo probe infigenda (en! החזיק infixa ad usum transferenda (en! הלך) translata pro unico Religionis principio ac regula, cui innitendum, habenda (en! חסה) atque sic fideliter custodienda & conservanda (en! שמר ut talis scientia Theologica hac phrasi significetur, qua Ministrum Ecclesiæ partes docentis suscepturum instructum esse oporteat; quæque adeo non accuratior tantum & solidior sit ea rerum divinarum notitia, qua etiam simpliciores docendi facultate destituti pollent; sed & in hunc finem acquisita & directa, ut instituendis ad salutem æternam consequendam aliis inserviat. Adde, qua etymologiam, verbum componi ex ἀντὶ *coram*, vel *contra*, & ἔχειν *habere* ac *retinere* quasi *contratenere* dicas, ut ἀντεχόμενος h. l. sit ὀρθόδοξος ἀμετάπτωτος, vir sana doctrina imbutus, qui nulla ratione ab ea degeneret, aut in aliam sententiam se trahi patiatur, mori pro ea potius, quam deserere aut non defendere paratus. Atque adeo plane idem est, ac ἄρτιος ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, *Homo DEI perfectus ad omne opus bonum instructus*, 2 Tim. 3: 17. Quæ porro huc faciunt ex usu vocis Ecclesiastico, diligenter congessit Suicerus in *Thesauro hac voce f.* 371.

§. VII. Sequuntur in Textu ea, quæ *Objectum* cognitionis illius designant, τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, *ejus, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis*, quæ junctim prius consideranda sunt, quam singula explicentur, quia structuram & ordinem alii aliter exposuere. Syrus: ܥܠ ܡܠܦܢܘܬܐ ܕܡܠܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ h. e. ex versione Tremellii, *super doctrina sermonis fidei.* Vulgatus, *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem.* Erasmus Roterodamus: *Tenacem ejus, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis*, vel ut à Flacio emendatur: *illius fidelis sermonis, qui secundum doctrinam est.* Beza & Erasmus Schmidius: *fidelis sermonis, qui ad doctrinam facit.* Castalio, *fidi sermonis, qui in docendo adhibetur.* Coccejus, *sermoni fideli vel fide digno, qui est secundum doctrinam.* Lutherus, ob dem Wort / das gewiß ist / und lehren kan / i. e. juxta Vinarienses, welches die unfehlbare Warheit / und die Menschen etwas Tüchtiges und Richtiges zu lehren / dienlich ist. Dietenberger & Eccius, Rede / Wort die der Lehre vom Glauben ähnlich seyn. Belgæ, het getrouwe Wort / dat na de Leere is; & in Glossa, het Wort / dat ghe-loofweerdig is / ende met Geloove wert aangenommen / na de suyvere Leer der H. Evangeliums. Hæ Versiones in duas classes digerendæ, quarum una τὸ κατὰ διδαχὴν refert ad λόγον, quasi sermo dicatur esse non tantum πιστός, *fidelis*; sed & κατὰ διδαχὴν, *secundum doctrinam*; ita Syrus, Beza, Erasmus à Flacio emendatus, Erasmus Schmidius, Castalio, Coccejus, Lutherus; altera eundem προσδιορισμὸν cum τῷ πιστοῦ construit, quasi *sermo* dicatur esse ὁ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστός, *secundum doctrinam fidelis*, h. e. analogiæ fidei conformis; ita Dietenberger & Eccius, quibus & Belgæ accensendi videntur. Vulgatus & Erasmus, prout hic communiter habetur, ambigui sunt, & huic æque atque illi Classi possunt applicari. Porro qui ejusdem etiam sunt Classis, non consentiunt. Nam Syrus à fontibus plane recedit, & *sermonem secundum doctrinam* accipit pro *doctrina sermonis*; & *sermonem fidelem* pro *sermone fidei*, quasi præter *doctrinam Evangelicam* (hæc enim est doctrina sermonis fidei) nihil aliud indicetur. Inter cæteros id intercedit discriminis, quod προσδιορισμὸν ad λόγον relatum Lutherus, Beza, Erasmus Schmidius, & Coccejus *de fine, fructu & efficacia verbi:* Castalio *de autoritate ejus divina*, vel certe *de materia* exponunt, Erasmo etiam hic, quatenus à Flacio emendatus est, ambiguo, non diffitente ipso Flacio in Glossa compendiaria: *Hunc sermonem*, inquit, *vult esse secundum doctrinam, seu ad doctrinam directum, non ad silentium, aut inutilem nugacitatem. Posset etiam significare sermonem ad doctrinam Christianam pertinentem, seu religiosum.* Posteriori sensu interpretatur Vulgatum suum Alphonsus Salmero (*T. 15. Opp. f. 724.*) *Fidelem sermonem*, inquit, *qui secundum doctrinam est tantum à DEO acceptam.* Nec fontes aliter debere accipi, ex Hebraismo censet Hugo Grotius: κατὰ τὴν διδαχὴν, i. e. *ut ab Apostolis accepere*, על למד. Consentit Io. Pricæus, sic tamen, ut audaci conjectura pronomen μου contextui inserendum judicet, ad solum Paulum restringens, quod Grotius cœteris quoque Apostolis acceptum ferendum cupiebat, *quasi legeretur:* τοῦ κατὰ τὴν διδαχήν μου πιστοῦ λόγου, *quemadmodum Rom.* 2: 16. 16: 25. 2 *Timoth.* 2: 8. κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου. Verum Coccejus contradicit, ad Grotium haud dubie atque Pricæum intendens, cum *viros doctos ostendisse* scribit, τὸ ἀντέχεσθαι *probe Græcum esse*, sed τὸ κατὰ διδαχὴν *non ita bene expendisse. Nempe* (ita pergit Coccejus,) *id simile ejus, quod extet v. 1.* ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *veritatis, quæ est secundum pietatem*, h. e. quæ potest pietatem *animis inserere. Ita hic* λόγος κατὰ διδαχὴν, *significat sermonem, qui potest præstare doctrinam, & aptum facere ad docendum, qui est idoneus ad discendum, hoc est, ut auditor fiat sapiens & prudens.* Quod sane aliis viris doctis non observatum fuisse, dici non poterat. Ipse Calvinus certe id pridem scripserat in Commentario, etsi ad constructionis parallelismum non provocabat: *Quid sibi vult, secundum doctrinam?* inquit, *nempe qui in Ecclesiæ ædificationem sit utilis. Quicquid enim nullo cum pietatis fructu scitur ac discitur, doctrinæ nomine censere Paulus non solet: quin potius speculationes omnes, quæ nihil utilitatis afferunt, quamlibet alioqui sint acutæ, vanitatis damnat.* Idem planissime reperierat Io. Crocius: *Qui ad doctrinam facit, i. e. qui vergit in ædificationem Ecclesiæ, cujus beneficio faciet populus DEI progressus simplicis veritatis agnitione solida & sincera pietate.* Sed & è Pontificiis Guil. Estius structuram parallelam allegaverat: *Sicut ibi* (cum ad Timotheum scriberet Apostolus) *doctorem intellexit, non cujuscunque scientiæ, sed ejus, quæ secundum pietatem est; ita & hic doctrinam vult intelligi pietatis Christianæ.* Noster etiam Ægidius Hunnius: *Hunc*, inquit, *sermonem Paulus scribit esse secundum doctrinam, h. e. ita comparatum, ut homines ad confirmandam fidem, pietatem alendam, & recte instituendas vitæ rationes, quinimo ad vitam æternam hinc utiliter edoceri possint.*

§. VIII. Pro epitheto πιστοῦ, notat Grotius, Ambrosium legisse ἀνθρωπίνου. Verba hæc sunt: *Etiam hic Ambrosius legit ἀνθρωπίνου λόγου, quem errorem ex scribendi compendio natum diximus ad* 1 Tim. 1: 15. & 3: 1. Sed ad 1 Tim. 1: 15. nihil prorsus de hoc dixerat; ad alterum vero locum 1 Tim. 3: 1. ista scribit; *Quidam Codices hic habent ἀνθρώπινος λόγος, ac sic*

sic etiam in quibusdam Codd. fuisse loco superiore, cap. 1: 15. *notavit Hieronymus. Nimirum natus hic error ex scribendi compendiis non distinguentibus* πς & ἀς. Hæc ille, in quibus multa offendimus reprehensione digna, utrobique tamen Grotium sine animadversione *B. Calovius* minutiora sæpe castigans dimittit. Primo enim, quantum ad nostrum locum, falsum est, Ambrosium à communi lectione recessisse, quin legit potius: *tenacem ejus sermonis, qui secundum doctrinam fidelis est*, in altera Classe Versionum à nobis modo constituta reponendus. Sic habet Ambrosii editio Frobeniana Basileensis de anno MDXXVII. *Tom.* 4. *fol.* 1011. & Episcopiana itidem Basileensis de anno MDLXVII. *Tom.* 5. *fol.* 419. Deinde quod loca Epistolæ prioris ad Timotheum attinet, legit quidem Ambrosius utrobique: *Humanus sermo*; sed unde Grotio constat, Codicem ejus Græcum habuisse ἀνθρώπινον λόγον? sane Commentarius, quem loco 1 Tim. 1: 15. *f.* 991. addit: *Quid tam gratum tamque jucundum, quam peccatoribus indulgentiam prædicare?* aliud ipsum in mente habuisse arguit, quam τὸ ἀνθρώπινος. Quod porro scribit, quosdam Codices, 1 Tim. 3: 1. habere ἀνθρώπινος λόγος, id nondum credimus, donec illos Codices quis produxerit. Neque Hieronymum ullibi notasse credo, in quibusdam Codicibus sic etiam fuisse, 1 Timoth. 1: 15. In ejus quippe Commentariis ad hæc loca ejusmodi quid non comparet. Equidem ad Marcellam scribit Epist. 102. (quæ ultima est *in Tom.* 2. *Opp. f.* 250.) in quibusdam Latinæ Versionis Codicibus 1 Tim. 1: 15. lectum fuisse *humanus sermo*; sed tantum abest, ut è Græco ἀνθρώπινος in ullo Græcorum Codicum obvio id judicarit dimanasse, ut potius Latinorum vitium à constanti Græcorum lectione voluerit emendari. Nam cum *homunculis*, quos vocat, *sibi studiose detrahentibus, quod de Græcis & Hebræis literis quædam tum recepta mutasset*, animose responderet, *se nihil de dominicis verbis aut corrigendum putavisse, aut non divinitus inspiratum; sed Latinorum Codicum vitiositatem, quæ ex diversitate librorum omnium comprobetur, ad Græcam originem, unde & ipsi translata non denegent, voluisse revocare*; inter exempla objectæ sibi ab illis obtrectatoribus mutationis hoc quoque refert: *illis placeat: humanus sermo & omni acceptione dignus; nos cum Græcis, i.e. cum Apostolo, qui Græce locutus est, erremus: Fidelis sermo & omni acceptione dignus.* E quibus Hieronymi verbis planum est, ipsum de Græca voce ἀνθρώπινος ne cogitasse quidem, neque in ullo Codice aliam agnovisse, quam πιστός. Unde vero in Latinam Versionem τὸ *Humanus* irrepserit, nostrum quidem hariolari non est h.l. ubi nec Ambrosius, nec alius Veterum ita legit; ad geminum tamen locum Epistolæ ad Timotheum placet *Erasmi* conjectura, Grotiana longe felicior, Ambrosium pro πιστὸς legisse χρηστός. Et eam satis asserere nobis videtur citata antea Ambrosii glossa, qua *humanum* sermonem *gratum & jucundum* interpretabatur: est enim χρηστὸς non modo *utilis*, sed etiam *suavis, gratus, jucundus*, quo facile & nulla cum molestia utimur, Matth. 11: 30. Rom. 2: 4. Ephes. 4: 32. Unde & χρηστότης *bonitas, suavitas, jucunditas*, Deo Servatori nostro tributa, Tit. 3: 1. quo alterum illud vocabulum nec qua sonum, nec qua sensum quadrat. Qua sensum forte utcunque quadraret interpretatio Augustini, (qui & ipse *humanus* ibidem legit *Serm.* 8. *de verbis Apost. Tom. X. Opp. f.* 97.) nisi sola Versione Latina niteretur, fontibus insuper habitis, de quo vide Dn. Præsidis *Part.* 2. *Funebrium, p.* 7. 8. ubi Augustini locum ex instituto discussit. Tandem de scribendi compendiis, è quibus error Grotio natus videtur, quasi τὸ πιστὸς compendiose olim πς scriptum in ἀς, hoc est ἀνθρώπινος degenerarit, plenior reddenda foret ratio, & ostendendum, pari modo in nostro quoque textu πς & ἀς à Librariis confusa; imo disquiri amplius potest, an in MSS. Græcis Novi Testamenti Codicibus id genus compendia unquam adhibuerint? Verum satis ista hactenus ad retundendam Grotii falsam & ineptam crisin, cæteroqui non male ad illustrandam Pauli formulam, πιστὸς ὁ λόγος, Hebræorum illud אמת הדבר conferentis. Idem valet & in nostro loco, atque sic Interpretes plerique omnes. Theophylactus: πιστοῦ, ἤ τοι ἀληθὴς, ἢ τοῦ διὰ πίστεως παραδεδομένου. καὶ οὐκ ἀπὸ συλλογισμῶν, *fidelem dicit, h.e. vel verum, vel per fidem traditum, & non à rationibus.* Ægidius Hunnius noster: *Periphrasi quadam V. D. describit, appellans* πιστὸν λόγον, *non tantum qui eminet supra rationis captum, ut potius sit* πιστὸς quam νοητός; *verum etiam, quia is respectu autoris sui certus, fidelis, & indubitatus sermo est, ex Dei ore prolatus, ideoque fide etiam dignus, fide religiose suscipiendus.* Guil. Estius: *Fidelem sermonem suo more vocat eum, qui est certæ & exploratæ veritatis.* Calvinus: *fidelem sermonem vocat puram & ore Dei proditam doctrinam.*

§. IX. Vidimus aliorum interpretationes; jam nostram distincte expediemus. (1.) Objectum tenacissimæ cognitionis per *genitivum* (τοῦ λόγου) indicari, ex structura verbi ἀντέχεσθαι cum hoc casu, antea demonstravimus §. 6. (2.) λόγος *sermo* dupliciter sumitur in sacris, nunc pro ὑποστατικῷ Joh. 1: 1. nunc pro προφορικῷ & quidem vel humano, vel divino 1 Thess. 2: 13. Hoc loco significat verbum DEI, quod tamen non aliud agnoscimus, quam scriptum, quod revera est λόγος Θεοῦ, *sermo Dei* principiative ἀπὸ τοῦ Θεοῦ 2 Tim. 3: 16. objective περὶ τοῦ Θεοῦ Joh. 5: 39. terminative πρὸς τὸν Θεὸν Joh. 20: 31. Et sicut eo *voluntas Dei* cum *legalis* tum *Evangelica* revelatur: ita & ipse hic λόγος intelligendus de *sermone* tam *legali*, quam *Evangelico*, Ies. 8: 20. Ioh. 1: 17. Hic DEI sermo (3.) commendatur tum à *fidelitate & veritate* in voce πιστοῦ, tum *ab utilitate* in istis κατὰ τὴν διδαχὴν. Sic enim resolvimus hæc verba, etsi Articulus τοῦ ad πιστοῦ spectans istum προσδιορισμὸν, κατὰ τὴν διδαχὴν soli epitheto vindicare videatur, quasi sermo dicatur *secundum doctrinam fidelis esse*, hoc est, in iis, quæ ad doctrinam faciunt, in quibus nihil heterodoxi tradat. Atqui epitheton solum sine isto προσδιορισμῷ illud per se indicat. Itaque articulum τοῦ ad epitheton πιστοῦ referimus quidem, sed non ad solum, verum etiam simul & quidem principaliter ad substantivum λόγου, cui illud epitheton jungitur, quæ duo vocabula respectu illius προσδιορισμοῦ habentur pro uno sic tamen, ut substantivum tanquam principalius prædominetur. Alias enim, si alterum sensum intendisset Apostolus, dixisset haud dubie: ἀντεχόμενον τοῦ λόγου, κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ, vel certe, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ τοῦ λόγου. Sola ergo structura: τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, hoc vult, λόγον, cujus cognitio in Episcopo requiritur, esse πιστὸν, & hunc πιστὸν λόγον *fidelem sermonem* esse κατὰ τὴν διδαχὴν *juxta vel ad doctrinam*; quem sensum dilucide expressurus Lutherus noster recte copulam inseruit: **das Wort/ daß gewiß ist/ UND lehren kan.** (4.) πιστὸς, *fidus* vel *fidelis* dicitur sermo divinus, *objective*, cui fides debetur, æque ut ipse ejus auctor DEUS, qui est verax, mentiri nesciens, fide dignus 1 Corinth. 10: 13. 2 Thess. 3: 3. Hebr. 10: 23. Ita & illius sermo, amanuensibus ipsius inspiratus, & ab iisdem ejus mandato literarum monumentis fideliter consignatus, est verus, solidus, indubitatus, fallere nescius, 1 Tim. 1: 15. 3: 1, 2. 2 Tim. 2: 2. Tit. 3: 7. cui qui fidem adhibet, & DEI verbo credit, πιστὸς *fidelis* dicitur *subjective*, ut cum Christus ad Thomam: μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστὸς, *ne sis incredulus, sed fidelis*, h.e. credens Ioh. 20: 25. quo uno exemplo contra Henricum Stephanum recte pro hac notione vocis pugnat Nicol. Fullerus *lib.* 1. *miscell. sacr. c.* 19. *p.* 126. (5.) Διδαχὴ generale est, & tam *actum docendi* 1 Cor. 14: 6, 26. 2 Tim. 4: 2. quam *dogmata à doctore tradita* Rom. 6: 17. 16: 17. notat, & quidem doctrinam cum orthodoxam, ut est διδαχὴ τοῦ χριστοῦ 2 Ioh. vs. 9. Ioh. 7: 16, 17. Matth. 7: 28. 22: 33. Marc. 1: 22, &c. διδαχὴ τῶν ἀποστόλων Actor. 2: 42. 5: 28. διδαχὴ βαπτισμῶν, Hebr. 6: 2. tum heterodoxam, ut διδαχὴ τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων Matth. 16: 12. διδαχὴ βαλαὰμ Apoc. 2: 14. διδαχὴ τῶν Νικολαϊτῶν *ibid. vs.* 15. διδαχαὶ ποικίλαι Hebr. 13: 9. Verbum ergo DEI ab utilitate commendatur, quam affert *ad docendum* ea, quæ tradit, & quæ non possunt non esse vera, tecta, salutaria; uno verbo *orthodoxa*, sive ὀρθοδοξία hæc *fidem*, sive *mores* pro objecto habeat. Nam in hunc finem, ut salutari doctrinæ instillandæ serviat, revelatum esse fidelem sermonem Apostolus dicit, unde (6.) vocula κατὰ rectius *ad*, quam *juxta*, vel *secundum* redditur, & causam finalem designat, quo sensu eandem bis adhibuit statim initio Epistolæ vs. 1. cum se vocat *servum Dei & Apostolum Jesu Christi* κατὰ πίστιν *ad fidem electorum DEI & agnitionem* ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *veritatis ad pietatem* ingenerandam revelatæ. Sic 2 Tim. 1: 1. Paulus Apostolus I. C. per voluntatem DEI κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ *ad promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu* scil. annunciandam. Atque adeo ὁ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστὸς λόγος *est sermo DEI verax ad doctrinam revelatus*, ut prorsus hæc commendatio verbi divini cum illa scripturæ 2 Timoth. 3: 16. conveniat: πᾶσα γραφὴ *Omnis Scriptura* (quæ hic dicitur λόγος) est θεόπνευστος *divinitus inspirata* (adeoque juxta nostrum comma λόγος πιστὸς) καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, *& utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia* (en! plenius & per distributionem expositum, quod hic tantum κατὰ τὴν διδαχὴν *sonat.*) (7.) Verbum sic commendatum laudatur solum, tanquam *objectum adæquatum* cognitionis Theologicæ, & ab hoc Presbyterum communiter *Ministrum verbi* appellamus non quod omnis

omnino

omnino secularis eruditio damnetur, sed quia si hæc absit, solius verbi divini notitia sufficit. Pulchre Chrysostomus h. l. τί οὖν, ἂν λόγων ἄπειρος ᾖ τῶν ἔξωθεν; διὰ τοῦτο εἶπεν τὸ κατὰ διδαχὴν πιστοῦ λόγου. ὥστε οὐ χρεία κόμπου ῥημάτων, ἀλλὰ φρενῶν, καὶ γραφῶν ἐμπειρίας, καὶ νοημάτων δυνάμεως. *Quid ergo, si secularis eloquentiæ fuerit imperitus? Nihil inde penitus læditur, idcirco ait: eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Non itaque illis fastuosis verbis, sed summa illa opus est peritia scripturarum, ut absconditos sensus & intelligentias rimetur.* Theophylactus h. l. εἶπε, τὸ κατὰ τὴν διδαχὴν, δεικνύων, ὅτι καὶ χωρὶς τῆς ἔξω σοφίας διδάσκειν δύναται. οὐ γὰρ χρεία κόμπου, ἀλλὰ γραφῶν ἐμπειρίας καὶ νοημάτων δυνάμεως. ἐκ τούτων γὰρ ἡ διδαχὴ εὐοδοῦται, ὥσπερ καὶ ἡ τοῦ Παύλου αὐτοῦ. *Dixit: Qui est secundum doctrinam, judicans, quod citra externam sapientiam docere possit; non enim opus est fastu verborum, sed scripturarum peritia, sententiarumque gravitate & potentia. Ex his enim doctrina melius & felicius procedit, quemadmodum & ipsius Pauli.*

§. X. Pergit Apostolus: ἵνα δυνατὸς ᾖ, *ut potens sit.* Tremellius, Beza, Piscator, Castalio, alii: *ut possit*; nam putant, quod & Grotius observat, δυνατός ἐστι simpliciter esse idem, quod δύναται. Sed emphasin phraseos non expendunt, à qua non erat recedendum. Rectissime Lutherus & Belgæ, auff daß er mächtig sey. Estius: *ut potens*, h. e. *sufficiens & idoneus sit, qui &c.* Nos observamus. (1.) Connexio alterius requisiti cum priori hactenus tradito fit per causalem ἵνα, *ut*, quæ non simpliciter τελικῶς, sed inprimis εἰδικῶς & explanative cum intensionis connotatione accipitur, reddenda, *adeo ut*, quemadmodum *Joh.* 15: 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ἵνα *adeo ut* animam suam ponat pro amicis, i. e. tantam dilectionem, qua etiam ponat. Sic *Apoc. cap.* 8: 12. percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, ἵνα *adeo ut* obscuraretur tertia pars eorum, i. e. tanta erat astrorum percussio, qua etiam obscurabantur. Sensus ergo & hic est, non vulgarem rerum divinarum cognitionem ex verbo acquisitam in presbytero requiri, sed omnino tantam, qua etiam docere possit alios. (2.) δυνατὸς *potens* epitheton est DEO proprie conveniens, cum absolute & κατ' ἐξοχὴν, prout dicitur ὁ δυνατὸς *Luc.* 1: 4. utpote qui solus est עזוז וגבור κραταιὸς καὶ δυνατὸς *Ps.* 24: 8. tum respectu certæ actionis divinæ, ut cum dicitur δυνατὸς ποιῆσαι ὃ ἐπήγγελται *Rom.* 4: 21. δυνατὸς ἐγκεντρίσαι *Rom.* 11: 23. δυνατὸς στῆσαι *Rom.* 14: 4. δυνατὸς περισσεῦσαι 2 *Cor.* 9: 8. δυνατὸς φυλάξαι 2 *Tim.* 1: 12. δυνατὸς ἐγείρειν ἐκ νεκρῶν *Hebr.* 11: 19. Inde ad homines translatum ipsorum virtutem & facultatem aliquid faciendi indicat, v. g. repellendi hostem, quæ exploranda est *Luc.* 14: 31. resistendi Deo, quam nemo habet *Act.* 11: 17. atque sic in specie tribuitur Ecclesiæ Ministris v. g. Apollo, qui erat δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς *Actor.* 18: 24. item Mosi, qui similiter δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις dicitur *Act.* 7: 22. ipsi Christo, qui erat ἀνὴρ προφήτης δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ *Luc.* 24: 19. In quovis ergo presbytero requiritur, δυνατὸς (3.) ᾖ *sit*, & quidem ὄντως *reapse*, non φαινομένως *apparenter*, quomodo interdum ventosi ostentatores δυνατοὶ *potentes videntur, sed non sunt.* Non tamen opus est, ut eodem omnes gradu tales sint, cum dentur διαιρέσεις χαρισμάτων, καὶ διαιρέσεις διακονιῶν, καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων 1. *Corinth.* 11: *vs.* 4, 5, 6.

§. XI. Copulam καὶ &, quæ sequitur, Vulgatus atque alii omittunt, quod non probamus. Syrus ܐܦ Erasmus, *etiam*, quasi cum intendendi notione ad ἵνα referendum, sensusque sit, exquisitam requiri eruditionem in verbi ministro ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ *adeo ut etiam potens sit*; non male. Hanc enim emphasin habet copulativum καὶ, ut *Apoc.* 1: 7. *Videbit eum omnis oculus*, καὶ *etiam qui eum transfixerunt.* Quia tamen isto sensu dicendum potius fuisset, ἵνα καὶ δυνατὸς ᾖ, malumus ad sequentia referre, præsertim cum in altero membro repetatur, ut ista repetitione copulativæ notetur distributio, eique Latinorum *tum* æquipolleat. Duo quippe actus δυνάμεως requisitæ exprimuntur, καὶ παρακαλεῖν *tum exhortandi*, καὶ ἐλέγχειν *tum convincendi.* Atque sic bene quoad copulam Beza & Castalio: *ET exhortari ET convincere.* Belgæ vero omnium optime: Beide om te vermanen / ende om te wederleggen.

§. XII. Prior itaque actus δυνάμεως hujus est παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, pro quo Syrus habet: ܠܡܒܝܐܘ ܒܝܘܠܦܢܐ ܚܠܝܡܐ hoc est ex Tremellii versione, *consolari per doctrinam sanam.* Vulgatus: *exhortari in doctrina sana.* Erasmus: *Exhortari per doctrinam sanam.* Beza & Erasmus Schmidius: *exhortari doctrina sana.* Castalio: *sana doctrina cohortari.* Coccejus: *Rogare in doctrina salutari.* Lutherus: Zu ermahnen durch die heilsame Lehre. Eccius: Zu vermahnen durch rechtgeschaffen Leer. Dietenberger: Zu vermahnen durch rechtgeschaffene heylsame gesunde Lere. Belgæ: Om te vermaanen door de gesonde Leere. Diversimode igitur τὸ παρακαλεῖν accipiunt. Syrus tantum pro *consolari*, quomodo & Hieronymum vertisse Erasmus notat; nempe sic Hieronymus in prolixiori Commentario, *Tom. IX. fol.* 199. *D. Potens quoque sit eos, qui seculi hujus turbinibus exagitantur, consolari.* Et paulo post: *Potens sit consolari in doctrina sana.* Alibi vero, dum ad hanc Apostoli autoritatem provocat, diserte vulgatam versionem legimus, idque binis locis, *in Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum Tom. I. fol.* 9. *H.* & *in Epistola ad Paulinum Tom. III. fol.* 5. *G.* Hugo Grotius observat, pro verbis istis, ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ Manuscriptum habere τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει. *Quod si recipiamus*, addit, *jam* παρακαλεῖν *non erit HORTARI, sed CONSOLARI.* Sed recipienda hæc lectio contra fidem cæterorum Codicum non est. E contrario Guil. Estius tantum pro *exhortari* sumit, quasi Episcopus requiratur idoneus, *qui exhortetur ad pietatem & ad omne genus virtutis.* Idem noster Hunnius censuit: *Polleat*, inquit, *dono hoc necessario, ut nervose & graviter ad omne officium pietatis & honestatis suos auditores exhortari valeat.* Utramque significationem post Erasmum conjungendam statuunt è Nostris Balduinus, & è Reformatis Crocius. Ille tamen alternative scribit: *Exhortatio pertinet ad segniores in studio veritatis & pietatis, qui sunt excitandi, ut teneant, quod habent, ne quis auferat coronam ipsorum; VEL ad infirmos & afflictos, qui solatiis sunt erigendi.* Hic vero sic duo illa conjungit, ut prorsus ad credenda etiam exhortationem extendat: *Necessarium*, inquit, *est donum, quo pastor errorum nexibus inundatos recte explicet, velut in quoddam opinionum falsarum lutum demersos extrahat, atque excitet ad amplectendam simplicem veritatem, qui infirmiores confirmet, quo segniores impellat ad currendum alacrius inpietatis honestatisque stadio, quo denique, si qui sint abjectioris animi, propter res adversas, & seculi hujus turbinibus agitati, eos consolatione sic fulciat, ut quasi nova luce exorta animum sumant, &c.* Porro etiam circa διδασκαλίας epitheton Interpretes discrepant, eamque ὑγιαίνουσαν dictam volunt, alii quidem subjective, quasi *integram incorruptamque*: ita Estius; alii effective, quæ *sanet conscientias peccato vulneratas, sensum quoque & judicium hominis in rebus salutis integrum servet, quod hæreses instar pestiferi alicujus morbi corrumpant*, quæ verba sunt Balduini *ad* 1 *Tim.* 6: 3. alii denique subjective & effective simul quasi *sana sit, quæ & in se incorrupta est, & hominem sanum reddere potest in fide & vita*; ita Crocius. Hieronymus in Commentario succincto alternative; *Doctrina sana est, quæ sanat audientes, sive, quæ nulla falsitate corrupta est*; & in altero prolixiori commentario: *Sacra doctrina dicitur ad distinctionem languidæ infirmæque doctrinæ.*

§. XIII. Joh. Coccejus à cæteris omnibus discedit, & τὸ παρακαλεῖν novo quodam commento non de *actu*, sed *agendi modo* interpretatur: παράκλησιν, inquit, *hic non tam de* παραμυθίᾳ *CONSOLATIONE accepimus, vel de* παροξυσμῷ *sine INHORTATIONE, quam de* ἤθει *&* τρόπῳ τοῦ διδάσκοντος, *quod nempe debeat ROGARE*, δεῖσθαι, *ut est* 2 *Cor.* 5: 20. Et post pauca: *Hæc ROGATIO facit tum ad* παραμυθίαν, *tum ad* παροξυσμὸν τῆς ἀγάπης: *quia per eam commendantur illa, quæ possunt movere & incitare ad charitatem, ut divinæ consolationis scripturarum participes fiamus.* Idem quoque διδασκαλίαν saltem ab effectu ὑγιαίνουσαν *sanam & salubrem dici scribit, quæ sit ut cibus sanus ac salubris, qui corpus sanum non corrumpit, ut venenum; sed potius ægrotum sanat ut medicina, corroborat ut panis de adipe tritici; & lætitia atque alacritate implet ut vinum. Cum his enim emblematis scriptura doctrinam sanam & sermones sanos comparat.* Sic ille. Cujus hæc de doctrina ὑγιαινούσῃ non plane rejicimus, etsi nec exclusive sumta probemus plane, ceu postea è nostris observationibus constabit. At quæ de verbo παρακαλεῖν commentatur, prorsus non admittimus. Res ipsa clara est & extra dubium posita *in thesi*, eamque argumentis suis egregie Coccejus illustrat. Concedimus etiam, *rogandi* notionem verbo isti competere, imo plus esse παρακαλεῖν, quam δέεσθαι vel δεῖσθαι, quod loca non pauca evincunt, *Matth.* 8: 31, 34. 14: 36. 18: 29, 32. 26: 53. *Marc.* 1: *vers.* 40. 7: 32. *&c.* Negamus autem *in hypothesi*, Apostolum in Textu non consolandi & exhortandi *actum*, sed *adjunctum* solum

ſolum illius actus, ſive agendi *modum* intellexiſſe, cum, quod Coccejus negat, aperte doceat contextus. Nam [1.] quæ mores Epiſcopi concernunt, quo ſane ſpectat ἦθος καὶ τρόπος τοῦ διδασκάλου, ut nempe ſit πρᾶος καὶ μακρόθυμος, *mitis, manſuetus & langanimis*, blandiſque petitionibus magis, quam rigidis exactionibus urgeat, ea prius Apoſtolus abſolverat, quam ad requiſita circa doctrinam accederet hoc commate, in quo hæc ſola explicat, & ita quidem, ut ſolidam eruditionem cum docendi habitu tantum requirat. Id quod ipſe Coccejus §. 196. bene agnoverat: *In hoc verſu*, inquit, *explicat requiſitum Epiſcopi, quod neceſſarium eſt ad opus Epiſcopi. Opus Epiſcopi eſt* παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ *&* τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. *Requirit, ut ſit* δυνατὸς τοῦτο ποιῆσαι. *Et, ut ſit* δυνατὸς, *requirit, ut ſit* ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ διδαχὴν πιστοῦ λόγου. (2.) Primarium requiſitum hoc verſu expoſitum eſt, ut ſit ἀντεχόμενος τοῦ λόγου h. e. tanta rerum ſacrarum cognitione probe imbutus, ἵνα *ut etiam* valeat παρακαλεῖν. Ergo τὸ παρακαλεῖν h. l. non eſt actus virtutis moralis, ſed intellectualis, ex ſcientia Theologica provenienś, adeoque non de argumentis ethicis in exhortatione & conſolatione accipiendum. (3.) Idem de requiſito altero tenendum, quod δυνατὸς *potens & validus* eſſe debeat. Hæc enim δύναμις priori requiſito includitur ſuo modo, ad cognitionem Theologicam ſpectat, adeoque non prudentiam notat in doctrina auditoribus inſtillanda adhibendam, ſed facultatem exerendi ipſum actum inſtillandi. Ergo δύναμις τοῦ παρακαλεῖν non eſt *facultas rogandi* in exhortatione & conſolatione; ſed *facultas exhortandi & conſolandi.* (4.) Conjungit Apoſtolus τὸ παρακαλεῖν & τὸ ἐλέγχειν tanquam bina Epiſcopi *officia*, ſeu, ut Coccejus vocat, duo *opera*. Ergo ſicuti τὸ ἐλέγχειν non notat officii aut operis adjunctum aliquod, ſed actum ipſum, & idem eſt, ex ipſius Cocceji interpretatione, ac *contradicentibus demonſtrare, quod veritati contradicant, & mendacio ac errori patrocinentur, atque ita male contradicant, ut pudefiant, & deſiſtant contradicere*: ita τὸ παρακαλεῖν ſimiliter non poteſt non ipſum exhortandi aut conſolandi actum innuere, atque idem eſſe, ac auditoribus demonſtrare, quod doctrina, quæ traditur, ſana & propterea non tantum animo apprehendenda, ſed & in fide & vita exprimenda ſit.

§. XIV. His poſitis obſervamus. (1.) Verbum παρακαλεῖν, quod præter *rogandi* ſignificationem, de qua diximus, alias & *conſolari*, *Actor.* 16: 40. 2 *Cor.* 1: 4. 2: 7. *Eph.* 6: 22. & *hortari*, *Actor.* 27: 33. *Rom.* 16: 17. 1 *Corint.* 1: 10. 16: 12. *Eph.* 4: 1. 1 *Theſſ.* 2: 11. notat, hoc loco per *hortari* quidem exponi poteſt, non tamen in ſtricta hac notione, qua conſolationi ac fidei informationi contradiſtinguitur, & τὴν ἐπὶ τὴν ἀρετὴν προτροπὴν *exhortationem ad virtutem* ſignificat, prout παράκλησιν *Rom.* 12: 8. Theodoretus *Comm. ad illum locum*, interpretatur; ſed in ea latitudine, ut pro *objecto* habeat tum *dogmata & articulos fidei*, tum *bona opera*, & *virtutes Chriſtiano dignas*, tum denique, *ſolatium in cruce & calamitate capiendum*. Id fortaſſe *inculcandi* verbo exprimere licebit. Quemadmodum enim non ſufficit è ſcriptura demonſtraſſe, quænam opera bona ſint ac Deo placeant, ſed inſuper exhortari oportet ad ea diligenter excolenda: ita nec ſufficit expoſuiſſe myſteria fidei, & conſolationum aperuiſſe fontes, niſi etiam auditores admoneantur excitenturque, ut & fidei myſteria bene diſcant, inque iis confirmati perſeveranter confidant, & è ſolatiorum fontibus hauriant, ſeque cruce & calamitatibus preſſi erigant. Quæ demum vera doctrinæ, fidei ac morum eſt applicatio à Verbi miniſtro ad auditores inſtituenda. Atque hic uſus verbi παρακαλεῖν frequens eſt in Scriptura, modo loca rite expenduntur, v. g. cum de Johanne Baptiſta dicitur: *Multa quidem & alia* παρακαλῶν εὐαγγελίζετο *exhortans Evangelizabat*; h. e. Evangelium de Chriſto non annunciabat modo, ſed & ad fidem in Chriſtum amplectendam, ad pœnitentiam & fructus pœnitentiæ edendos, ad crucem patienter ferendam excitabat *Luc.* 3: 18. Similiter de Petro legitur: *Verbis plurimis* διεμαρτύρετο καὶ παρεκάλει *teſtificatus & exhortatus eſt*, illud quidem doctrinam fidei & morum atque crucis proponendo, hoc propoſitam inculcando, *Actor.* 2: 40. conf. *Actor.* 11: 23. 14: 22. 15: 32. 20: 2. *&c.* (2.) *Medium* inculcandi dogmata, bona opera, ſolatium, non vult extra Scripturam ſacram quærendum eſſe, ſed ἐν *in* doctrina ſana; atque ideo hæc particula cum παρακαλεῖν conſtructa valet *per*, ut *Matth.* 5: 34. jurare ἐν τῷ οὐρανῷ *per cælum*; *Rom.* 5: 9. juſtificati ἐν τῷ αἵματι *per ſanguinem*; *Gal.* 1. 16. revelavit Filium ſuum ἐν ἐμοὶ *per me*; *Col.* 2: 18. ne quis vos decipiat ἐν ταπεινοφροσύνῃ *per humilitatem* &c. & ſic h. l. *exhortari* ἐν διδασκαλίᾳ *per doctrinam ſanam*, ut excludantur tum aniles fabulæ & vana hominum commenta, tum acutæ ratiocinationes Philoſophorum etiam ſubtiliſſimorum, quæ ad unicum Scripturæ verbum evaneſcunt. Chryſoſtomus h. l. οὐχ ὁρᾷς Παῦλον τρεψάμενον τὴν οἰκουμένην ἅπασαν, καὶ μείζονα ἰσχύσαντα καὶ Πλάτωνος καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων; *Nunc vides, ut Paulus orbem converterit univerſum longeque majora perfecerit ſana doctrina, quam & Plato & cæteri omnes Philoſophi ſuis ratiocinationibus?* (3.) Διδασκαλία idem ſonat, quod præcedens διδαχὴ, quatenus informationem juxta Verbi divini regulam inſtitutam ſignificat generatim, & non in iſto rigore ſumitur, quo 2 *Tim.* 3: 16. ubi τῷ ἐλέγχῳ & τῇ παιδείᾳ τῇ ἐν δικαιοσύνῃ, τῇ ἐπανορθώσει contradiſtincta tantum circa myſteria & dogmata fidei verſatur, ſed prout eſt interprete Oecumenio *ad h. l. f.* 787. ἡ καὶ δόγματα ἀληθῆ καὶ βίον ὀρθὸν διδάσκουσα, *quæ ſimul & dogmata vera & vitam rectam docet.* Hæc dicitur (4.) ὑγιαίνουσα, *ſana*, ceu alibi ſæpius 1 *Tim.* 1: 10. 2 *Tim.* 4: 3. *Tit.* 2: 1. Sic λόγοι ὑγιαίνοντες *ſani ſermones*, 1 *Tim.* 6: 3. 2 *Tim.* 1: 13. qui iidem ſunt cum διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ *doctrina ſana*, cui qui adhærent, ſunt ὑγιαίνοντες τῇ πίστει *ſani fide*, *Tit.* 1: 13. 2: 2. Alias ὑγιαίνοντες ſunt *bene valentes*, qui bona valetudine fruuntur, nec morbo aliquo laborant, quales non opus habent medico *Luc.* 5: 31. qualem Centurionis ſervum offendebant reverſi, qui ipſum reliquerant ægrotum *Luc.* 7: 10. qualem Pater recipiebat filium deperditum, *Luc.* 15: 27. Unde in ſalutationibus epiſtolarum τὸ ὑγιαίνειν *bene valere*, quod Gajo dilecto precatur Johannes 3. *Epiſt. verſ.* 2. Ex qua inductione conſtat, verbum hoc, cum *proprie* ſumitur, uſu Biblico tantum competere iis, qui morbis carent & commoda valetudine utuntur, neque unquam metonymice uſurpari de eo, quod ſanitatem affert, quo ſenſu Syneſius *Epiſt. LXXIX.* γῆς ὑγιαινούσης χυμοὺς *terræ ſalubris ſuccos* dixit: qui ipſe tamen uſus apud profanos & Eccleſiaſticos Scriptores admodum rarus eſt. *Metaphorice* ergo ad *doctrinam* tranſlatum, nullis eam errorum morbis laborare, ſed ſinceram atque integram innuit, non corruptam, nullis hæreſibus infectam, verum in ſacris literis natam, ipſiſque prorſus conformem. Et hic primus & *literalis* vocis ſenſus eſt, cui alter *huic ſubordinatus* accedit, quod ſana dicatur doctrina ab effectu, quod veram animæ ſanitatem afferat. Utrumque ſenſum commode conjungimus, *metaphoricum* & *metonymicum*, quorum illum *formaliter*, hunc *conſequenter* habet.

§. XV. Reſtat poſterior δυνάμεως requiſitæ actus, τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Syrus: ܠܡܟܣܘ ܠܐܝܠܝܢ ܕܡܬܚܪܝܢ id eſt, ex Tremellii verſione, *arguere eos, qui ſunt contentioſi.* Vulgatus: *eos, qui contradicunt, arguere.* Eraſmus uterque & Beza: *Contradicentes convincere.* Caſtalio: *Contradicentes refellere.* Coccejus: *ad redarguendum Contradicentes.* Lutherus, Eccius, Dietenberger: zu ſtraffen die Widerſprecher. Belgæ: Om de Tegenſpreekers te wederleggen. Conſentiunt fere Interpretes, agi de confutatione adverſariorum, *qui*, ut verba Eſtii habent, *ſanæ doctrinæ reſiſtunt & obloquuntur, quales hæretici illo tempore erant Judaizantes; hos tum Scripturæ teſtimoniis, tum firmis rationibus revincere oportet.* Addit Grotius: *qui poſſit Judæos convincere per veteres prophetias & miracula; Græcos vero partim per miracula, partim per eruditorum inter ipſos teſtimonia.* Neuter placet, licet Grotio melior ſit Eſtius. Uterque enim objectum convincendum nimis coarctat, qua parte Hieronymum ſequuntur; qui & ipſe in Commentario prolixiori: *Talis quoque ſit, ut contradicentes arguat Hæreticos ſive Judæos, & ſeculi iſtius ſapientes.* Grotius vero convincendi medium ad miracula quoque, haud dubie in Pontificiorum gratiam, latius extendit, cum de utroque ipſe nos contextus rectius edoceat, prout conſtabit ex iis, quæ notabimus.

§. XVI. Notamus autem iſta. (1.) Οἱ ἀντιλέγοντες ſunt *quivis contradicentes*, non adverſarii tantum & hæretici, qui potiſſimum *doctrinam fidei* impugnant; ſed etiam in ipſo auditorum cœtu immorigeri, qui ſi non verbis, certe facto & perverſa vita *doctrinæ morum* reſiſtunt. Erant ſane Judæi olim, cum Apoſtolus ſcriberet, λαὸς ἀπειθῶν καὶ ἀντιλέγων, *populus non credens & contradicens*, *Rom.* 10: *verſ.* 21. *ex Eſ.* 65: 2. cujusmodi ſunt hodie omnes non tantum infideles extra Eccleſiam, Judæi, Mohammedani, Gentiles, Sociniani; ſed & in Eccleſia hæretici, quibus Chriſtus eſt σημεῖον ἀντιλεγόμενον *Luc.* 2: 34. Verum nec inter fidei domeſticos tales deſunt, qui cum de rebus divinis recte ſentiant, peſſime tamen vivunt, & doctrinæ morum morem gerere renuunt *Jer.* 6: 10. 44: 16. Utrumque ἀντιλεγόντων genus ſe intelligere, ipſe teſtis eſt Apoſtolus, cum in ſequentibus de priori qui-

quidem *verſ.* 10, 11, 12, 13, 14. de poſteriori vero *verſ.* 15, 16. agit. Hinc non male Lombardus apud Jo. Crocium: *Contradicentes non uno modo intelligendi ſunt. Pauciſſimi quippe nobis contradicunt loquendo; ſed multi male vivendo. Quis enim audet apertiſſime contradicere veritati? Non contradicunt multi lingua, ſed vita, quos redarguere magnum opus eſt, grandis ſarcina, clivus arduus.* (2.) Ut duo ſunt ἀντιλεγόντων genera: ita & ἐλέγχειν tam late hic ponitur, ut ad utrumque referri queat. Solet alioquin ἐλέγχειν & ἐπανορθοῦν ſic diſtingui, ut *illud* in refellendis falſis dogmatibus, *hoc* in perverſis moribus emendandis occupetur, 2 *Tim.* 3: 16. 4: 2. ſed perinde uti τὸ παρακαλεῖν ampliori conceptu non facienda tantum, ſed & credenda pro objecto habere vidimus: ita & ἐλέγχειν in eadem amplitudine hic pro objecto habet non tantum errores circa fidem, ſed & fugienda; ſiquidem de morum etiam correctione uſurpatur: τοὺς ἁμαρτάνοντας ἔλεγχε, *peccantes argue* 1 *Tim.* 5: 20. Unde ἔλεγχος erit geminus, *Theoreticus*, qui heterodoxiam, & *Practicus*, qui perverſam vitam corrigit. Si perfectus ſit, tria concurrunt, primo *manifeſtatio* erroris vel delicti, de qua conſulenda dicta *Joh.* 3: 20. *Eph.* 5: *vſ.* 11, 13. deinde *convictio*, pro qua inprimis faciunt *Joh.* 8: *vſ.* 9, 46. 1 *Cor.* 14: 24. denique *objurgatio*, de qua expende loca *Luc.* 3: 19. *Matth.* 18: 15. (3.) Medium redarguendi ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum. Eſt enim idem, quod exhortationis, διδασκαλία ὑγιαίνουσα. Conf. *Jeſ.* 8: 19. *Sir.* 34: 8.

§. XVII. Ex iſta explicatione hactenus tradita hæc procedit *Commatis noſtri paraphraſis*: Non ſatis eſt, Epiſcopum, quo nomine quemlibet Eccleſiæ miniſtrum intelligimus, illibatæ vitæ & bonis operibus ſtudere; ſed oportet eum inſuper cum Orthodoxiæ, tum Orthotomiæ deditum eſſe; illi quidem, ut de DEO ac rebus divinis cognitionem ex Scriptura Sacra ad docendam ſalutis conſequendæ viam revelata ſibi compararit, qua & ſibi ipſi & aliis prodeſſe queat; huic vero, ut habitum & facultatem docendi ſibi acquiſiverit talem, quo non auditores modo ſuos & in fidei capitibus confirmare, & ad morum culturam excitare, & in cruce ac calamitate efficaciter erigere; ſed etiam quoſcunque à Verbi divini norma, ſive per erroneam dogmatum depravationem & hæreſes, ſive per ſcandaloſam vitæ impuritatem & peccata aberrantes ad agnitionem errorum & peccatorum perducere, convincere, redarguere, ſicque in viam veritatis & virtutis revocare valeat, idque per doctrinam Orthodoxam è ſolo DEI verbo hauſtam, atque in hunc finem animo tenaciter infixam, tanquam per ordinarium informandi, exhortandi, conſolandi, refutandi & corrigendi medium.

M. CHR. SCHMIDT

DISSERTATIO

De Cretenſium vituperio ad Tit. I: 12.

Mediante Chriſto Salvatore!

PRÆFAMEN.



NOn hodie demum aut nudius tertius, ſed multis abhinc annis extiterunt, qui Poëtas vel plane rejecerunt, vel lectione ad minimum indignos judicarunt, illud, quod pueri ferme in triviis cantillant, obvertentes: Platonem (a) Poëtas è Republica exegiſſe. Sed quis ille Plato, boni viri, qui in Poëtas tale quid auſus fuit? Nonne ille ipſe, qui Poëtarum ſtudia tantopere commendat (b)? qui rationem, quomodo juventuti Poëtæ ſint tradendi, monſtrat (c)? qui Poëtas Duces & patres ſapientiæ vocat (d)? qui virtutum genitores appellat (e)? qui Deorum interpretes & filios nominat (f)? qui, Cælio Rhodigino atteſtante (g), Mimorum Poëtam Sophrona tanti æſtimavit, ut moriens libros ejus capiti ſubjectos habuerit? Et ſi hodienum Poëtas ejiceret, Platonem ipſum è Republica ſua ejiceremus. Ita enim Princeps ille Senatus Poëtici Scaliger autumavit, qui (h) ſcribit: *Si Plato Poëtarum libellos aliquot damnat, non propterea carendum eſt nobis cæteris partibus, quæ ab ipſo quoque ad ſuorum argumentorum confirmationem ſæpenumero recitantur. Reſpiciat ipſe ſeſe, quot ineptas, quot ſpurcas fabellas inſerat: quas Græcanicum ſcelus olentes ſententias identidem inculcet. Certe Sympoſium & Phædrum atque alia monſtra operæ pretium fuerit nunquam legiſſe.* Non ergo curamus illos, qui Poëtas vel deſpicatui duxerunt, vel quidvis in eos temere effutiverunt; οὐ τῇ χειρὶ ἀλλὰ ὅλῳ θυλάκῳ potius Poëtas, Chriſtianos tamen inprimis, extollimus. Ethnicos quod concernit, ut ἡδύσμασι ſive condimentis, non ut ἐδέσμασι ſive quotidianis cibis illorum carminibus, h. e. parce, tecte & moderate utimur (i), gemmas excerpimus, fimum relinquimus (k), audimus Ethnicos ut ranas, Chriſtianos ut luſcinias (l); præcipue cum & Paulus Doctor ille gentium gentilium Poëtarum teſtimoniis ex Arato (m), Menandro (n) & Epi-

(a) *Sic enim Plato lib. 2. de Rep. An ergo, inquit, concedemus, ut quaslibet fabulas à quibuſvis confictas audiant pueri, & animis plerumque contrarias ſententias imbibant, quam quales in ætate adulta ipſis ineſſe debere putamus? Nequaquam concedemus. Cum qua ſententia & Synodus Theſſalica facit, quæ, ut in Eccleſiaſtica hiſtoria Nicephori lib. 12. cap. 34. legimus, Heliodoro Triccenſi Epiſcopo Epiſcopatum abrogavit, quod Æthiopica ſua, quæ juvenis compoſuerat, & quibus amores juvenum accendebantur, abolere recuſaſſet.* (b) *In Jone.* (c) *In VII. de Legibus.* (d) *In Lyſide.* (e) *In Sympoſio.* (f) *In Libr. de Charactere Poët. & lib. 2. de Rep.* (g) *Lection. Antiquar. lib. 7. cap. 1.*

(h) *In Hiſtor. Poët. lib. 1. pag. 10.* (i) *Melchior Junius in Method. Eloquent. cap. 10. pag. 106.* (k) *Hubmeyerus in quæſt. illuſtr.* (l) *Imperatoris olim Maximiliani I. de Scriptoribus fuit effatum.* (m) *Actor. 17: verſ. 18.* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *ipſius ſcilicet Dei genus ſumus; quod hemiſtichenium in Phænomenis Arati legitur.* (n) 1 *Corinth. 15: verſ. 33.* φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *corrumpunt bonos mores colloquia mala: quem Jambicum Senarium Menander in Thaide (referente Flacio in Gl. Compend.) poſuit; unde male nonnulli Euripidi adſcribunt, Vide Glaſſium Rhetor. Sacr. Tract. 2. c. 7. p. 595. Edit. nov. p. 1478.*

& Epimenide (o) uti non dubitaverit. Quare & hac vice Epimenidis versiculum à Paulo Tit. 1:12. adductum censuimus dignum, cujus brevis pro ingeniolorum modulo instituatur διάσκεψις: quæ ut ex animi sententia & feliciter procedat, summus Jehova annuat atque ex alto benedicat!

§. 1.

QUemadmodum Pauli alias (p) est monitum, ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν instituantur; ita ordinem in loco hoc Paulino maxime observandum arbitramur. De tribus autem de Vituperante, Vituperatis & Vituperio ipso dicere in præsenti ordo jubet.

§. 2. Primum quod attinet, quis nempe sit vituperans, nomen non exprimit, sed indefinite loquitur Paulus Tit. 1:12. hoc modo: εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί· quæ verba juxta Versionem vulgatam ita explicata leguntur: Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: Et juxta θεοπνδυστογλωσσοπύρσδυτον Lutherum: **Es hat einer aus ihnen gesagt/ ihr eigen Prophet die Creter sind immer Lügner/ böse Thiere/ faule Bäuche.** Sic enim Scriptura in more habet, ut Nomina propria vel nominetenus exprimat, vel omissa variis modis (q) circumscribat. Paulus ipse, cum concionaretur ad populum, & in Areopago (r), quæ est curia Atheniensium, disputaret, similem in modum loquitur, & inter cætera (s) ait: ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus.

§. 3. In bivio autem hic versantur Autores; quidam Callimachum Poëtam Cyrenensem, quidam Epimenidem Cretensem intelligunt.

§. 4. Qui Callimacho hunc versiculum attribuunt, falsa nituntur persuasione. Allusionem enim iste saltem instituit, non secus ac Ascræus Vates Hesiodus, qui hanc ipsam sententiam ad pecudum pastores translatam (t) canens introduxit:

Ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἶον,
Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,

Id est,

Pastores in agris pernoctantes, mala probra, ventres veluti,
Scimus mendacia multa dicere veris similia.

§. 5. Allusionis hujus à Callimacho factæ rationem exponit Origenes (u) cum scribit: *Callimachus Cyrenæus cum infinita poëmata perlegisset, percurrissetque Græcam fere omnem historiam, nihilque prorsus de Jove & ejus sepulchro mystice dictum intellexisset, Cretenses disticho quodam, quod in Jovis laudes scripsit, incusat, & inquit:*

(o) *Tit. 1:12. ille ipse locus est, in quo enucleando præsens occupata erit Dissertatio. Hisce tribus alii addunt 1 Cor. 5:6. Senarium Jambicum ex Comico quodam:* μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, *paulum fermenti totam massam fermentat, Mullerus* εὐδαιμονολογίας *disp. 1. §. 22. Et quid verbis opus est? Salvator ipse in Paulo convertendo tribus in locis apud Tragicos Poëtas (scilicet apud Æschylum in Prometheo, & apud eundem in Agamemnone, & Euripidem in Bacchis) extans Proverbium* πρὸς κέντρα λακτίζειν *Actor. 9: vs. 5. usurpavit. Videatur B. noster Kromayerus Polymath. Theolog. part. 1. cap. 6. pag. 115. Waltherus Centur. Miscell. Theolog. num. XCIV. pag. 632. & Harm. Bibl. Libell. prior. cap. 5. pag. 48. Bachmanus Exercit. Theol. cent. 2. quæst. 99. pag. 512.*
(p) *1 Corinth. 14: vers. 40.* (q) *Vide Glassium Gr. Sacr. Tract. 3. Observat. 8. pag. 787. seq. Edit. nov. pag. 950.*
(r) *Erat Athenis celeberrimus collis, qui cum curia sua dicebatur Græce* Ἄρειος πάγος, *nimirum ab* ἄρης, *quod est Mars, &* πάγος, *quod non vicum sed colliculum significat; ut Areopagus ita nihil sit aliud, quam curia Atheniensium, à Marte nomen sortita, quod Mars primus cædis causam illibi dixerit. Vide Walther. Centur. Miscell. num. XC. pag. 615.* (s) *Actor. 17: vers. 28.* (t) *In Theogonia.* (u) *In 3. Volum. adversus Celsum, qui dixerat, ea, quæ Cretenses de Jovis apud ipsos sepulchro narrarent, mysterium continere, & juxta allegoriam oportere intelligi.*

O Jupiter, te quidem in Idæis montibus natum
Homines ferunt,
Te inquam, & in Arcadia ortum dixere plerique.
Utrinam istorum, ô Pater mentiuntur?
Cretenses semper mendaces, sepulchrum tibi
O Rex condiderunt.
Tu vero mortem nondum obiisti, es enim
Æterne permansurus (x).

§. 6. Qui Epimenidem è regione hic intelligendum esse demonstrant, Patrum sanctorum ὁμοθυμαδὸν hac in parte convenientium id faciunt autoritate.

§. 7. Divus Hieronymus hac de re omnium clarissime locutus est, indicans hunc versiculum repertum in Epimenidis Poëtæ Cretensis oraculis. *Sunt*, (y) inquit, *qui putant hunc versum de Callimacho Cyrenensi Poëta sumptum, & aliqua ex parte non errant. Siquidem & ipse in laudibus Jovis adversus Cretenses scriptitans, qui sepulchrum ejus se ostendere gloriabantur, ait: Cretenses semper mendaces, qui & sacrilega mente sepulchrum ejus fabricati sunt. Verum integer versus de Epimenide Poëta ab Apostolo sumptus est, & ejus Callimachus in suo poëmate est usus exordio.*

§. 8. Nec aliud in se continent aurei vere oris Chrysostomi verba: *Quis ille*, (z) ait, *& unde fuerit, qui hoc dixerit, necessario ad vos dicendum est. Epimenides hic est, qui hoc protulit, Cretensis & ipse. Ea autem hujus dicti occasio. Cretenses sepulcrum habebant ita inscriptum:*

Ἐνθάδε κεῖται, ὃν Δία ἐπικαλοῦσι,

Id est,

Hic jacet, quem Jovem appellant.

Propter hanc inscriptionem Poëta eos mendacii perstringens ait:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

§. 9. Quare & nos firmiter concludimus, Apostolum in loco allegato intelligere Epimenidem, & quidem Philosophum & Poëtam (a) illum vetustissimum, Solonis, Thaletis Milesii & Pherecidis Pythagoræ magistri σύγχρονον & coætaneum (b), Templi Mithræ sive Solis apud Cretenses Sacerdotem (c), florentem Olympiade quadragesima quinta (d), vel quinquagesima (e).

§. 10. Peculiare quid de eo annotavit Diogenes Laërtius (f) scribens: *Epimenides missus aliquando à Patre, (quem alii Phæstium, alii Dosiadem, alii Agesarcum vel Agesarchum faciunt,) ut ovem è rure deferret, meridiano tempore divertit ex itinere, atque in spelunca quinquaginta & septem*

(x) *Sixtus Sinensis lib. 1. Biblioth. Sanct. titul. Epimenides pag. 75. & Natalis Comes Mythol. lib. 1. cap. 9. pag. 19. Callimachi versiculos ita exprimunt:*

Ζεῦ, σὲ μὲν Ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσί φασι γενέσθαι,
Ζεῦ, σὲ δ' ἐν Ἀρκαδίῃ. πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο;
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. Σὺ δ' οὐ θάνες; ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Jupiter Idæis ajunt te in montibus ortum,
Jupiter Arcadicis: utri sunt falsa locuti?
Cretenses semper vani, struxere sepulchrum
Cretenses, Rex alme, tuum, succumbere morti:
Sed nunquam poteras, qui cuncta in secula vivis.

(y) *In Comment. super caput primum Epistol. ad Titum.*
(z) *Sermon. 3. in hanc Epistol.*
(a) *Fuerunt enim & alii duo Epimenides, genealogiæ Scriptores, & tertius, qui Dorice Rhodi historiam conscripsit, de quibus Diogenes Laërtius lib. 1. de Vita Philosophor. pag. 82. Noster inclutus fatiloquus & Poëta est Apulejo lib. 2. Florid. pag. 352.*
(b) *Benedictus Pererius de Comment. Rer. Natur. Princip. lib. 4. cap. 4. pag. 201.*
(c) *Epiphanius hæres. 42.*
(d) *Ita Vossius de Historicis Græcis l. 3. pag. 363. & lib. 4. p. 431. seq. & Sixtus Senensis l. c. p. 74.*
(e) *Benedict. Pererius loc. alleg.*
(f) *Loc. cit. pag. 78. seqq.*

septem annos (g) *perpetuos obdormivit. De hinc somno excitatus quærebat ovem, putabat enim se parum obdormivisse. Quam cum non invenisset, in agrum revertitur. Cum vero rerum omnium faciem immutatam cerneret, agrumque in alterius jus concessisse, stupore attonitus & dubius rediit in oppidum. Ibi cum domum suam vellet ingredi, quisnam esset interrogatus, vixque agnitus à juniore fratre jam vetulo omnem ex illo didicit rei veritatem.*

§. 11. Hunc Epimenidem Paulus vocat ἴδιον αὐτῶν προφήτην, proprium ipsorum Prophetam, quo autem sensu & significatione variant Autores.

§. 12. Græciæ nomen Prophetæ natales debet, descendens vel à verbo πρόφημι prædico, vel à προφητεύω præsagio, prænuncio, vaticinor, ut Propheta vi originis denotet homines arcana futuraque tum prædicentes tum exponentes. Plura tamen adhuc involvit. Est enim ratione variarum significationum ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Dicuntur Prophetæ homines amotæ mentis, inepta effutientes & fanatici (h), idolorum ministri & vates Diaboli (i), libri Prophetarum (k), librorum Scriptores, Doctores & ministri Ecclesiæ (l), ἐξαιρέτως καὶ μονοτρόπως Messias, qui est Prophetarum Dominus, & Propheta ille magnus (m).

§. 13. Propheta vero Epimenides appellatus, vel per jocum, quod scilicet tales Christiani, quales erant Cretenses, tales habere mererentur Prophetas (n); vel ob argumentum libri περὶ χρησμῶν sive de Oraculis & responsis, quæ & ipsa futura prænunciant, & ea, quæ ventura sunt, multo ante prædicunt, (o); vel δοξαστικῶς, quia fuit Cretensis, & ab ipsis pro Propheta, futurarumque rerum præscio habitus (p); vel, quod τοῖν ἀμφοῖν apprehendimus, communi loquendi consuetudine Veterum, qui Poëtas Prophetas dicere solebant, non ob afflatum duntaxat ἔνθεον, quo Poëtæ gaudent (q); sed & ob vaticinia, quæ sæpenumero aperire student; ferme ratione eadem, qua Vates olim dicti hodie Prophetæ audiunt. Unde (r) Isidorus: Quos gentilitas Vates appellat, hos nostri Prophetas vocant, quasi præfatores, quia porro fantur, & de futuris vera prædicunt. Hoc de Vituperante.

§. 14. Vituperati, sive illi, qui ab Epimenide vituperantur, sunt Cretenses, ortum sumentes ex mendaciorum patria Cureta (s), vel Creta, quæ nobilissima olim erat insula in medio Ponto sita, sive à Creta nympha Hesperidis filia, sive à Crete quodam Jovis filio Curetum Rege nomen sortita (t), & fama centum urbium clara; quam ob causam Homerus eandem ἑκατόμπολιν vocavit (u), dicens:

> Ἄλλοι θ' οἳ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφενέμοντο,
> *Aliique qui Cretam centum urbium habitabant.*

§. 15. Nec laude carent hi ipsi, qui vituperantur. Optimas quippe leges habebant (x), in liberorum educatione erant celebres (y), sagittarii nobilissimi (z), luctatores & saltatores

(g) *Variant hic quamplurimi, aliis* 47. *aliis* 75. *annos, aliis plane non dormivit. Unde Plinius lib.* 7. *cap.* 52. Magna fabulositate, quam & in Gnosio Epimenide simili modo accipio, puerum æstu & itinere fessum in specu septem & quinquaginta dormisse annis, rerum faciem, mutationemque mirantem, velut postero experrectum die: huic pari numero dierum, senio ingruente, ut tamen septimum & quinquagesimum atque centesimum vitæ duraret annum. *Et Hadrianus Junius in Adagiis Erasm. annexis sub loco, frugalitas, proverb.* ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη *Anima sicca sapientissima p.* 268. Nec aliud sibi voluit Epimenidis Cretensis commentum, quod de altissimo suo somno in plures annos extracto finxit, quam crapulam & corporis saginæ studium [cui annis ipse aliquot addictus, atque adeo immersus vivum quodammodo sepulchrum circumtulerat] animæ Lethæam quandam cœlestium rerum oblivionem, & altissimum ab altioribus cogitationibus soporem propinare. *Lucianus in Timone proverbii loco usurpat,* ὑπὲρ τὸν ἐπιμενίδην κεκοίμησαι, *ultra Epimenidis somnum dormisti, & quadrat in eos, qui vel nimium sunt somnolenti, vel qui diuturno in otio versantur, mollem feriatamque agentes vitam. Vide Adagia Erasmi loco somnolentia p.* 665. (h) *Quemadmodum Saul ita quibusdam prophetasse dicitur* 1. *Sam.* 10: 10. (i) *Quales fuerunt Prophetæ Baalitici* 1. *Reg. cap.* 18: 19. 22. (k) *Matth.* 22: 40. *Luc.* 16: 29. (l) *Exempla vide apud Calovium Systemat. Locor. Theol. Tom. I. Gener. cap.* 3. *Sect.* 1. *p.* 273. *seqq. Waltherum Officin. Bibl. Reposit. poster. Thec.* 4. §. 938. *pag.* 999. *Ravanellum Bibliothec. Sacr. part.* 2. *pag.* 375. *seqq. Flacium Clave Scriptur. part.* 1. *p.* 994. *seq.* (m) *Deut.* 18: 15. *Luc.* 7: 16. *Joh.* 6: 14. (n) *Hieronymus ad h. l. & Erasmus in Adagiis loco similitudinis & congruentiæ p.* 643. (o) *Hieron. & Erasm. ibid.* (p) *Hinc teste Laërtio p.* 81. *sacrificia illi ut Deo obtulerunt, ob varia, quæ ediderat oracula. Prædixerat enim Cretensibus exitum belli, quod inter Arcades & Lacedæmonios agebatur: Lacedæmoniis prænunciaverat captivitatem, quam passuri erant ab Arcadibus. Et cum apud Athenienses* μουνυχίαν *(portum Atticæ & templum Dianæ) vidisset, ignorare eos dixerat, quantarum cladium locus ille futurus esset, quod si scirent, dentibus illum discerpturi essent. Vide citatum Laërtium, Flacium in Glossa Compendiaria ad h. l. Johannem Pricæum in Annotatis ad hunc locum, & Ciceronem, qui lib.* 1. *de Divinat. Epimenidem inter eos refert, qui per furorem vaticinati sunt.* (q) *Quorsum respicit Ovid. lib.* 3. *Art. Amator. canens:*

> Est Deus in nobis, & sunt commercia cœli,
> Sedibus ætheriis Spiritus ille venit.

Et libr. 6. *Fastor.*

> Est Deus in nobis: agitante calescimus illo,
> Impetus hic sacræ semina mentis habet.

(r) *Lib.* 7. *Etymol. c.* 8. *Vide Benedictum Aretium in h. l.* (s) *Ita enim antiquitus dicta ab incolis Curetes appellatis, hi autem vel* ἀπὸ τῆς κουρᾶς, *quod sinciput raderent, vel à* κόρης, *quod more puellarum vestes gererent, vel* ἀπὸ τοῦ κορύπτειν, *quod caput inter saltandum jactarent, vel quod* κόροι καὶ νέοι *Rheæ servirent, vel quod* κοῦρον *Jovem educaverint. Natalis Comes Mythol. lib.* 9. *cap.* 7. *p.* 981. *seq. & Becmannus Origin. Lat. Ling. Edit. nov. p.* 386. (t) *Natalis Comes natales ita describit lib.* 5. *cap.* 13. *p.* 511. *Ammonem (inquit) annonæ penuria laborantem in Cretam necessario confugisse, duxisseque filiam unius Curetum tunc imperantium Cretam nomine, atque insulam prius Ideam nominatam ab uxore Cretam vocasse. Plura de hac insula reperies apud Plinium lib.* 4. *hist. nat. c.* 12. *Strabonem lib.* 10. *Geograph. Aristotelem lib.* 2. *Politic. cap.* 10. *Philippum Cluverium Introduct. Geograph. lib.* 4. *cap.* 12. *pag.* 446. *seqq. Benjam. Priolum Rer. Gallic. Histor. libr.* 2. *sect.* 37. *pag.* 71. *&* ἰσοελκώτατον *Nostrum Franckensteinium in Notis ad Benjam. Priol. Indic. posterior. sub titulo Candia. Hodie vulgo la Candie ab urbe primaria vocatur.* (u) *Iliad.* β. *vs.* 649. *Quem imitatus Virgilius lib.* 3. *Æneidos:*

> Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto:
> Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostræ,
> Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Et Barclajus, qui part. 2. *Argenid. l.* 2. *vocabulum Græcum Latina civitate donavit, vocans Cretam Ecatompolin. Nec obstat, quod alio in loco Homerus nonaginta saltem urbes Cretam habere dicat. Solvi enim potest hæc discrepantia eo pacto, quod tempore belli Trojani nonaginta tantum habuerit oppida, sed Homeri tempore amplior fuerit reddita numero decem urbium, quemadmodum idipsum Didymus & Benedictus Aretius conciliare conantur. Sic autem miles Odyss.* τ. *vs.* 172. *de Creta loquitur:*

> Κρήτη τις γαῖ' ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
> Καλὴ καὶ πίειρα, περίρρυτος· ἐν δ' ἄνθρωποι
> Πολλοὶ, ἀπειρέσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόληες, *i. e.*
> Creta quædam terra est medio in nigro Ponto,
> Pulchra & pinguis, circumflua: in hac autem homines
> Multi, infiniti, & nonaginta civitates.

Plinii tempore adhuc 40. *urbes florebant, hodie quatuor tantum principes urbes notæ sunt, Canea, Rethimo, Candia & Sittia, ut non amplius* ἑκατόμπολις *sed vix* τρίπολις & τετράπολις. (x) *Unde Cluverius loc. cit. scribit, optimis legibus usos esse Cretenses, quas Minos ab ipso Jove acceptas Cretensibus tulerit. Et Cælius Rhodiginus lib.* 18. *c.* 26. *qui Cretensium laudes in peculiari hoc capite collegit. Ælianus Var. Histor. lib.* 12. *c.* 12. *recenset, quod adulteros deprehensos & in judicium adductos criminisque convictos, lana coronaverint, & certa pecuniæ summa solvenda puniverint.* (y) *Ælianus lib.* 2. *c.* 39. (z) *Hinc Xenophon lib.* 4. *Rer. Græc.* κρῆτες τοξόται, *& l.* 4. *de Cyri minoris expeditione,* ἄριστοι τοξόται. *Ælianus lib.* 1. *c.* 10. οἱ κρῆτες εἰσι τοξεύειν ἀγαθοὶ *Cretenses sagittandi periti sunt. Vide Apulejum l.* 9. *Metamorph. Pomponium Melam lib.* 2. *de Orbis Situ, Lucanum lib.* 3. *qui canit:*

> Creta vetus populis, Gnossasque agitare pharetras
> Docta.

Et Natalem Comitem Mythol. lib. 5. *cap.* 14. *p.* 520. *qui ait:* Acies instruere, & navibus longis uti, & sagittis eminus pugnare, primi invenerunt Cretes.

res optimi (a), & in re nautica versatissimi (b). Sed inficias ire haut possumus, majorem esse apud Cretenses numerum vitiorum, quam virtutum, ut proinde non immerito à quibuslibet variis proscissi fuerint convitiis, ut qui perversissimis forent moribus, improbitate, perfidia, mendacio, ignavia & aliis insignes.

§. 16. Mali alias sunt commatis Lerii incolæ cujusdam insulæ, quæ fuit una ex Sporadibus, unde etiam Leriorum populus ob egregiam morum improbitatem in proverbium abiit (c): Mali nominis sunt Argivi, unde Ἀργεῖοι φῶρες, Argivi fures (d): Malæ notæ sunt Lydi, Ægyptii & Cares, secundum illud Diogeniani:

Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.

Id est,

Lydi improbi, post hos secundi Ægyptii,
Tertiique Cares perditissimi omnium.

Sed quid hos accusamus? Cretenses adsunt, utpote in quos jamdudum ænigmatis vice jactatum dicterium: τρία κάππα κάκιστα, tria cappa pessima. Licet enim Augustinus (e) idipsum in tres homines pessimos, Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam & Cornelium Leutulum tortum fuisse indicet, aliique (f) ad tria κ initialia respicientes, intelligant κεκράκτην, κλέπτην, κόλακα, clamatorem, furem, adulatorem; cum iis tamen sumus ὁμόψηφοι, qui adagium hoc de totidem populis, Cappadocibus, Cilicibus, &, (qui primum obtinere debebant locum) Cretensibus explicant.

§. 17. De infami Cretensium pæderastia (g) refert Strabo (h), moris apud ipsos fuisse, ut in pueros insanirent, quos etiam quantumvis nobiles illibi licuerit rapere, & apud se duos menses retinere, & sic donatos muneribus domum remittere, & hac de causa priscis Cretensium legibus esse cautum, ut Cretenses omnes statim à pubertate matrimonium inirent, & sic vagas libidines restinguerent. Eorundem avaritiam exprobrat Cornelius Nepos (i); alia numero plurima Polybius (k), scribens, quod terrestribus ac navalibus prælüs ad insidias, furta, rapinas, nocturnos insultus & omnia doli genera promptissimi fuerint, in prælio autem segnes, timidi ac prorsus inutiles.

§. 18. Sed redeamus ad Vituperium ipsum, quo Cretensium mores Epimenides sugillavit, in versiculo à Paulo adducto, quem carmine Latino reddidit Faber Stapulensis (l):

Gnosius usque loquax, mala bestia, viscera pigra.

Et Erasmus, advertens, loquacem non esse idem ac mendacem, nec viscera idem valere, quod ventres, hoc est gulosos, unice ventri deditos, ita:

Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.

Vel:

Cres mendax, mala bestia, ventrem pascit inertem.

§. 19. Tria vero, quæ vituperium hoc in sese continet, videmus; mendacium, bestialitatem & pigritiam sive luxuriam.

§. 20. Quemadmodum Pœni perfidi, Scythæ asperi, Parthi vani, Thraces bibaces, Sybaritæ & Campani fastuosi, Milesii & Regini effœminati, Arcades stolidi, Galli leves & vani, Hispani jactabundi (m); ita Cretenses Epimenidi primo sunt mendaces sive ψεῦδος ἀπὸ τοῦ ψεύδειν, quod est fallere, frustrare. Cretensium enim in mentiendo facilitatem prospiciebat, non secus ac illi, qui Cretensem pro mendace posuerunt; unde ὁ κρὴς τὸν κρῆτα, Cretensis Cretensem, πρὸς κρῆτα κρητίζειν, cretizare cum Cretensi, κρὴς πρὸς Αἰγινήτην Cretensis cum Ægineta, idem sunt, ac mentienti mentiri, fallentem fallere, decipientem decipere (n).

§. 21. Secuti Epimenidem sunt alii. Ita enim Ovidius (o):

Nota cano, non hoc, quæ centum sustinet urbes,
Quamvis sit mendax, Creta negare potest.

Et Statius (p):

——— ——— ——— *mentitaque manes*
Creta tuos.

Et Plutarchus (q): πρὸς κρῆτα δὲ ἄρα τὸ τοῦ λόγου κρητίζων, *Adversus Cretensem cretizans.* Et alibi (r): Τοὺς μὲν ἐπισταμένους ἀκριβῶς αὐτὸν οὐκ ἔλαθεν κρητίζων πρὸς Κρῆτας i. e. *Eos quidem, qui hominem penitus norant, haut latuit, quod cum Cretensibus arte Cretica uteretur.*

§. 22. Causam autem hujus denominationis communiter quærunt in Jovis sepulchro, de quo supra §. 5, 6, 7, 8. diximus. Quapropter & in Græca Anthologia satis argute:

Τὸν ψεύστην Δεμέτυμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο (τί θαῦμα);
Κρῆτες, ὅπῃ ψεῦσαι καὶ Διός ἐστι τάφος.

Alia tamen plura à Cretensibus commissa mendacia de Rhadamanto, de Minoë Rege, ejusque Minotauro, de Dædalo ejusque labyrintho ostendit Natalis Comes, quem vide (s).

§. 23. Nec ἀπροσδιόνυσον, quod Plato (t) observavit, urbes & regiones maritimas, (qualis & Creta insula) solere male esse moratas, causam hanc annectens: *Nam cum mercibus* (inquit) *& pecuniis cauponando talis civitas repletur, dolosos animos, instabiles & infidos mores parit: unde parum ipsa ad se ipsam & minus ad alias gentes fidem & amicitiam stabilem colit.*

§. 24. Et quamvis alias omnes (u) homines sint mendaces juxta Scripturam (x) veritati tamen studere καθ' ἄνθρωπον laborant;

(a) *Rhodigin. lib. 5. cap. 4.* (b) *Unde proverbium: Cretensis mare ignorat.* (c) *Apud Strabonem lib. 10. Geogr.* Λέριοι κακοὶ, *Lerii mali; qui Phocylidæ cujusdam verba adducit:* Λέριοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ· Πάντες, πλὴν Πατροκλέης, καὶ Πατροκλέης Λέριος, *Lerii mali, non unus quidem, alter vero minime; omnes excepto Patrocle, & Patrocles quoque Lerius. Vide Cal. Rhodig. lib. 18. c. 26. & Erasmum in Adagiis loco Improbi pag. 307. qui dicit: Apud Strabonem Græcum Scriptura mendosa est, quum* προκλέης *legendum sit, non* πατροκλέης. (d) *Furacitatis enim infamia Argivi laborabant more Ægyptiorum, qui, referente Diodoro Siculo, artem factitabant clepticam, & ibi nomina sua dediti huic studio discipuli dabant* πρὸς τὸν Ἀρχιφῶρα *sive apud Archifurem aut principem furum.* (e) *Lib. 3. de Grammat. Creditur enim, in libris Sibyllinis horum virorum nomina tribus hisce literis KKK fuisse designata.* (f) ἐν τῇ τῆς Ἑλλάδος φωνῆς θύρᾳ Ρυακάνδρου. (g) *Quid sit pæderastia explicat Elmenhorstius in Emendat. ad Apulej. lib. IX. Metam. p. 278. & Fesselius Advers. Sacr. lib. 2. cap. 19. §. 6. pag. 149.* (h) *Lib. 10. Geogr. & Cælius Rhodigin. l. 15. c. 9. & l. 18. c. 26.* (i) *Cornel. Nep. in Vit. Excellent. Imperator. in Hannibale.* (k) *Allegante Rhodigino loc. cit.* (l) *Refert idipsum Cornelius à Lapide Comment. in h. l.*

(m) *De quibus vide Adagia Erasmi in Prolegom. pag. 5. Alexandrum ab Alexandro l. 4. Genial. dier. c. 13. & Tertullianum cap. 20. de Anima, qui dicit: Vulgata res est gentilium proprietatum: Comici Phrygas timidos illudunt, Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat, mendaces Cretas etiam Apostolus inurit.* (n) *Aliter* κρητίζειν *exponit Suidas, dicens, Idomeneum Cretensem, cum illi negotium esset datum, ut æs, quod è spoliis ab hostibus detractis collectum erat, distribueret, sibi partem longe optimam delegisse, unde in illos potius congruere, qui alios fraudarent, suisque commodis impensius ubique studerent. Erasmus in Adagiis l. c.* (o) *Lib. 1. de arte amandi.* (p) *Lib. 1. Thebaidos.* (q) *In vita Lysandri.* (r) *In vita Pauli Æmilii.* (s) *In Mytholog. lib. 6. c. 5. p. 566. seqq. & lib. 7. c. 9. p. 740.* (t) *Lib. 4. de Legibus. Quorsum illud vulgo jactatum: Omnes insulani mali, S. autem pessimi. Cornelius à Lapide in h. l.* (u) *Nisi exceperis Bellarminum; cujus Iconi hæc Epigraphe subjecta est:* Nullius sibi mendacii per vitam conscius, *cum tamen mendacia innumera commiserit, quemadmodum idipsum* πολυμαθέστατος *Dn. D. Scherzerus in Collegio* ἀνεκδότῳ *Bibliothecario Codice VI. pluribus demonstravit.* (x) *Ps. 116: 11. & Rom. 3: 4. Nec abludunt profani Scriptores. Ut omni malo Punico granum inest putidum: ita juxta Homerum:*

Ἀνθρώπων ἄψεκτος ἐπὶ χθονὶ γίνεται οὐδείς.

Nemo hominum in terra, quem non reprehendere fas sit.

Casparem Schlikium in simulatores & hypocritas contumeliose multa loquentem, & affirmantem sese abiturum aliquando in loca, quæ illis hominum monstris vacua essent, sapienter coarguebat Imperator Fridericus IV: Ultra Sauromatas ergo, *inquit,* & glacialem Oceanum tibi eundum est: sed cum eo veneris, non omnino carebit hypocrisi locus: si modo & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus, fucatusque sit. *Lansius in Oration. pro Germania.*

laborant; Cretenses autem mendaciis ita erant involuti, ut magis de fallaciarum incrementis quam decrementis essent solliciti, non absimiles Cappadocibus, qui studium naturale ad falsa testimonia proferenda habebant, quoniam nutriti à pueritia in tormentis aculeum sibi fecerant, ut in eo se invicem torquerent, &, cum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent (y).

§. 25. Alterum, quod in vituperio hoc continetur, est bestialitas, cum Cretenses κακὰ θηρία bestiæ malæ dicuntur.

§. 26. Θηρίον alias idem quod θὴρ, (dictum παρὰ τὸ θέειν ῥᾷον) & proprie de feris belluis (z), improprie vero de hominibus bestialibus, indomitis & malitiosis usurpatur. Et hæc significatio ita frequens apud Scriptores, ut locum ob eandem inter proverbiales hæc vox acceperit. Ita enim Plato (a): ὁ δὲ παῖς πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον, puer omnium ferarum est minime tractabilis. Arrianus in Epictetum: οἱ μὲν ἡμῶν μεγάλα θηρία εἰσὶν, οἱ δὲ θηρίδια κακοήθη, quidam ex nobis sunt magnæ bestiæ, quidam vero bestiolæ malignæ. Achilles Tatius (b): ὦ κακὸν θηρίον, ô mala bestia! Demosthenes contra Aristogitonem: οὕτω τοῦτο τὸ θηρίον ἡμᾶς ἐξορίσαι, καὶ ῥίψαι ἐκ τῆς πόλεως, Ita vos omnes oportet bestiam hanc exterminare, & ex urbe ejicere (c). Quam loquendi consuetudinem & Latini observarunt. Apud (d) Plautum enim Pistoclerus adolescens meretricem mulierem malam alloquitur, dicens:

> *Magis illectum tuum, quam lectum metuo, mala tu es*
> *bestia.*

Et Catullus (e):

> *Hunc metuunt omnes; neque mirum, nam mala valde est*
> *Bestia.*

Et Ammianus (f): *Quietis impatiens malefica bestia.* Nec aliud indigitarunt, qui de Orpheo (g) scripserunt, quod citharæ suavisonæ concentu bestias mitiores reddiderit, hoc est, homines rudes & belluino more viventes ad mansuetiorem vitæ cultum redegerit. Explicat id ipsum Lyricorum Princeps Horatius (h) canens:

> *Sylvestres homines sacer interpresque Deorum*
> *Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,*
> *Dictus ob hoc lenire tigres, rapidasque leones.*

§. 27. Per Metaphoram (i) igitur & Epimenides suos Cretenses vocavit κακὰ θηρία, malas bestias, propterea quod feris similiores quam hominibus, & bestiarum ritu sanguinem sitirent ab ipsis deceptorum, multoque magis, quasi in animos grassarentur, falsa ob lucrum docentes & persuadentes & in ruinam & perditionem pertrahentes. Tales bestias & Paulus habebat, unde θηριομαχῆσαι cum bestiis se pugnasse, vel cum bestialibus hominibus dicebat (k). Scaliger enim in Notis ad istum locum ita: *Feros & præfracti ingenii viros, quibus cum illi negotium & contentio fuit, vocat θηρία* (l).

(y) *Annotante Ramirez Pentecont. cap. 9. pag. 92. ex Persii prisco Commentatore ad Satyr. 6. vs. 75.* (z) *Hinc ἄλκιμα θηρία, ἀγριώτατα θηρία, ἀπηνέστατα θηρία apud Xenophontem, Isocratem & Plutarchum invenies.* (a) *lib. VII. de LL.* (b) *Lib. 6.* (c) *Hic ipse extorris & in exilium pergens cum suspirio dixit: O Pallas, quæ tribus infestissimis bestiis delectaris, noctua, dracone & populo, tanquam populus inter κακὰ θηρία sive malas bestias sit numerandus: observante Gilberto Cognato in Adagiis Erasm. p. 313.* (d) *Bacchid. Act. 1. sc. 1.* (e) *In Epigrammate, quod fecit in Rufum.* (f) *Lib. 28.* (g) *Fuerunt tamen, qui Orpheum nunquam fuisse docuerunt, ob diversas variorum Scriptorum de illius parentibus sententias. Invenies autem parentes apud Natalem Comitem Mythol. lib. 7. cap. 14. pag. 765.* (h) *Art. Poëtic.* (i) *Basilidiani enim per vitia homines converti in bestias existimarunt, Baronius in Annalib. Eccles. T. I. p. 192.* (k) *1. Cor. 15: 32.* (l) *Sunt tamen alii, qui bestias proprie ita dictas intelligunt, quos vide apud Waltherum in Harmonia Biblica p. 1135. & apud Glassium R. S. Tractat. 1. cap. 11. p. 318. Edit. nov. pag. 1274. seq. qui hanc ἐπίκρισιν annectit:* Qui proprie verba Pauli intelligunt, ac si revera bestiis objectus fuisset, videntur ex eo posse redargui, quod 1. Cor. cap. 11: 23. seqq. ubi potiores & omnium maximas suas calamitates Apostolus enumerat, hujus pugnæ & periculi nulla fiat mentio; omnino autem id palam indicasset, [utpote omnium inter externa difficilimum & maximum] si revera contigisset.

Et quidni bestiæ sint homines? *Qui impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? qui præceps ad vindictam ultionemque fertur, nonne est vipera gravissima? quid avarus ipse? nonne est lupus rapacissimus? nulla in nobis bestia non invenitur,* inquit Gregorius Nyssenus.

§. 28. Ultimum, quod vituperium complectitur, est pigritia, vel, si mavis, luxuria; vocantur enim Cretenses γαστέρες ἀργαὶ ventres pigri, hoc est, ejusmodi homines, qui non nisi ventri saturando & pingui aqualiculo infarciendo student instar suum.

§. 29. Primum vocabulum, quod est γαστὴρ, per Synecdochen partis seu membri (m) ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ pro toto homine solet usurpari, & omnibus illis, qui simul ignavi & helluatores tuburcinantes (n) sunt, quorum Deus venter est (o), qui non nisi ventri suo serviunt (p). Unde Ælianus (q): Τόνγε μὲν εἰς τὰ κρέα σπεύδοντα, ὡς φορτικὸν καὶ γάστριν διαβάλλουσι Ῥόδιοι, cui magis arridet esus carnium, is agrestis & venter calumniæ causa apud Rhodios audit.

§. 30. Rationes hujus appellationis in facili excogitari possunt. Ejusmodi quippe homo nil nisi venter est, similis cancro, de quo Plutarchus (r): οὗτος ἄπειρος ἦν κόλακος, ὁ νομίζων τὰ ἰαμβεῖα ταυτὶ τῷ καρκίνῳ μᾶλλον, ἢ τῷ κόλακι προσήκειν.

> Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῆ βλέπων
> Ὀφθαλμός, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.

Hic ignarus erat adulatoris, qui existimabat, hos Jambicos versus cancro magis quam adulatori convenire:

> *Est venter omne corpus, undique obtuens*
> *Oculus, suisque bestia repeat dentibus.*

§. 31. Exempla hujus locutionis ad satietatem usque apud Græcos & Latinos ostendimus. Ita enim Suidas de Sibaritis: γαστέρες ἦσαν καὶ τρυφηταί, *ventres erant & helluones.* Longus (s): ὁ δὲ Γνάθων οἷα μαθὼν ἐσθίειν ἄνθρωπος καὶ πίνειν εἰς μέθην, καὶ οὐδὲν ἄλλο ὢν ἢ γνάθος καὶ γαστὴρ. i. e. *Gnatho utpote qui homo didicerat vorare solum & potare ad ebrietatem usque, quique quantus quantus nil nisi gnathos (bucca) & venter erat.*

Terentius (t):

> *Taceam? nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.*

Et Lucilius (u):

> *Vivite lucrones, comedones, vivite ventres.*

§. 32. Alterum vocabulum, Cretensium luxuriam & pigritiam exponens, est ἀργὸς, quod Interpretes longe doctissimos exagitavit, ut proinde in varias abiverint partes.

§. 33. Quidam illorum γαστέρας ἀργὰς explicant per γαστριμάργους

(m) *Glassius R. S. Tract. 1. cap. 17. pag. 461. Edit. nov. pag. 1380.*
(n) *Vocabulum hoc non natura sed opinione quadam vulgi obsoletum est. Explicat idipsum Erycius Puteanus Amœnit. Human. Diatrib. 1. pag. 39.*
(o) *Phil. 3: 19.*
(p) *Rom. 16: 18. Hinc illud B. Hieron. verissimum:* Unusquisque adorans vitia sua atque peccata, Deum cœpit habere, à quo victus est, avarus aurum, gulosus ventrem, hæreticus dogma, quod finxit.
(q) *Var. histor. lib. 1. cap. 18. & lib. 10. cap. 9. adducit Philoxenum loco exempli:* φιλόξενος, inquit, λίχνος ἦν καὶ γαστρὸς ἥττων, *Philoxenus gulosus erat & ventri serviebat. Meminit hujus & Aristoteles libr. 3. Ethic. cap. 13. quod ita gulæ deditus fuerit, ut gruis collum sibi optarit, quo longiorem voluptatem persentisceret. Et Rhodiginus lib. 13. cap. 25. citat Erasmum de illo scribentem, quod conviviis adhibitus emungere se in paropsides solitus fuerit, ut abstinentibus cæteris solus frueretur epulis.*
(r) *Lib. de discrimine amici & adulatoris. Et Rigaltius in Appendice Funeris Paralitici.*
(s) Ποιμενικῶν *sive Pastoralium de Daphnide & Chloë lib. 4. pag. 153. seq.*
(t) *Act. V. Sc. 8. in Phormion. ubi, Donato animadvertente, venter pro toto parasito positus.*
(u) *Citante Tullio in Oration. pro Cœlio.*

μάργους (x) helluones, ventri ad insaniam usque indulgentes (y): Quidam ἀφαιρετικῶς ἀργαὶ pro μάργαι positum esse volunt (z): Quidam vocabulum quidem retinent, sed in significatione variant, modo pigros, modo veloces, modo albos ventres facientes.

§. 34. Qui priorem significationem eligunt, putant ἀργὸς dici quasi ἀεργὸς sine opere otiosus, ignavus, iners, ut ῥῆμα ἀργὸν, verbum otiosum (a), ἀργὸς γῆ terra inculta (b). Qui alteram amplectuntur sententiam, eo inclinant, ἀργὸς dici à pedum velocitate παρὰ τὸ ἀργῶ, unde Homerus (c) canes appellavit ἀργοὺς veloces: Nam parasiti & voraces finguntur veloces, quia quicquid glutiunt, cito digerunt (d). Qui ἀργαὶ per λευκαὶ exponunt, inquiunt, ἀργὸς deduci potest mutatis aliquot literis ab αἰγλὸς & ἀγλαὸς splendidus ab αἴγλη i. e. splendor (e). Ingeniose de hujus vocis notione in convivio aliquando collocuti Viri ingeniosissimi (f). Quæstio enim erat, quæ vocabuli ἀργὸς significatio Cretensium γαστέρσι esset convenientissima? Barlæus dicebat, *γαστέρες ἀργαὶ idem esse, quod ἀεργοὶ, h. e. inertes, pigri, ut vulgo in Versionibus.* Vossius eligebat aliam significationem, dicens, *ἀργὸς idem est ac λευκὸς venter albus.* Tertius, qui erat Prof. Theol. Pontif. ex Sorbona, præferebat ταχὺς, *inquiens: ἀργὸς idem ac ταχὺς velox, quia Cretenses tanquam duabus rotis innixi currebant ad convivia præcipites.* Jam nemo erat, qui non miraretur sententiam Vossii, qui solus sine ratione Cretenses volebat ventres albos vocari, quasi reliqui homines extra Æthiopiam nigros ventres haberent. Premebatur ergo undique, quod hoc non convitium Cretensibus futurum esset, si album ventrem haberent, non magis ac convivantibus ipsis; cum tamen Apostolus tanquam infames hoc nomine eos traduxisset. Ille imperteritus: *Nisi hoc probavero*, inquit, *non ero animal, quod Vossius vocatur.* Cœpit igitur fuse exponere, non modo pallorem Romanis in vitio fuisse, sed etiam alborem. Alba enim membra plerumque desidiam, luxuriam & ingluviem denotasse, unde etiam ventos, qui languorem inducerent, hoc nomine diffamatos esse.

§. 35. In prima significatione nos acquiescimus. Ἀργαὶ enim γαστέρες, ventres pigros, inertes solet ingluvies, quæ & Cretensibus innata, facere. Hinc Apulejus (g): *Nec vos memoria deseruit utique, quod jamdudum decreveritis de isto asino, semper pigro quidem, sed manducone summo, nunc etiam mendaci, fictæ debilitatis, & virginalis fugæ sequestri ministroque.* Juvenalis:

Montani quoque venter adest abdomine tardus.

Et Virgilius (i):

—— —— ille horridus alter,
Desidia latamque trahens inglorius alvum.

§. 36. Sed manum de tabula, ne ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν videamur. Te vero, Benevole Lector, ut lineolas hasce, si non ubique expectationi tuæ satisfaciant, boni consulas πὺξ καὶ λὰξ καὶ ὀδὰξ obtestamur.

Sit ergo hic PAUSA,
DEO AUTEM GLORIA!

(x) *Descendit enim, à γαστὴρ venter & μάργος insanus. Unde & Aristoteles lib. 3. Æthic. c. 13.* Διὸ καλοῦνται οὗτοι γαστρίμαργοι, ὡς παρὰ τὸ δέον πληροῦντες αὐτὴν, (γαστέρα) *Ideo hi vocantur ita, quoniam præter modum explent ventrem.* Ἀξιομνημόνευτον *quid refert Erasmus in Adagiis, loco* luxus & mollities tit. venter. *pag. 459. dicens.* Libet obiter commemorare ridiculum quiddam, quod per hujus loci occasionem comperi. Qui Græcum Etymologicum nobis contexuit, negat à quoquam vel Grammaticorum vel Rhetorum explicatum, unde dictus sit gastrimargus: verum id esse factum ab Aristotele in opere de Animalibus. Equidem hactenus inhiabam, reconditum quiddam expectans. Margos, inquit, animal est, quod ex putrefactione nascitur inter terram & aquam. Id quemadmodum è terra nascitur, ita non desinit vesci terra, donec ea perterebrata emergat in auras. Quo simul ut emersit, moritur triduum, donec veniat humida nebula: qua madefactum animal reviviscit, nec dein amplius terra vescitur. Atque hinc, qui veteres Philosophos secuti sunt, homines impendio voraces appellarunt γαστριμάργους. Jam hoc somnio quid ineptius? (y) *Canterus lib. 1. Novar. Lection. cap. 15.* (z) *Wyssius in Dialectologia Sacra p. 291. & Pasor in Lexic. N. T. sub voce* ἔργον *p. m. 277.* (a) *Matth. 12: 36.* (b) *Aristotel. 2. Oconom.* (c) *Iliad. α.*


οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς.

Id est,

Mulos quidem primum invasit, & canes veloces.

(d) *Unde & Alciatus parasitis pernices pedes tribuit, Emblem. 92.*

(e) *Vide Laurentium Ramitez in Pentecont. cap. 18. p. 166. seqq. & Johannem Pricæum in Annotatis Epist. ad Tit.* (f) *Refert idipsum Franc. Martini Ep. CCXIV. p. 400. seqq.* (g) *Metamorph. lib. 6. p. 186.* (h) *Satyr. 4. v. 107.* (i) *Lib. 4. Georg.*



M. FRID.

M. FRIDERICI KOERBERI
MELCHISEDECUS,
SIVE
DISCURSUS PHILOLOGICO-THEOLOGICUS
De Melchiſedeco in Typo & Antitypo ex Geneſ. 14. vſ. 18, 19. & Ebr. 7: 3.

בש״ש

PROOEMIUM.



Ptume dictum, quod Hipponenſis olim dixit Epiſcopus in Pſal. 71. Omnia, quæ ſcripta ſunt in Sacris Literis, ad Chriſtum eſſe referenda. Chriſtus ſcilicet τέλος σκοπιμώτατον, ultimus ſcopus, totiuſque Scripturæ nucleus eſt ac centrum. Pſal. 40: 8. Joh. 5: 39. *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, quotquot loquuti ſunt, annunciaverunt dies Chriſti.* Act. 3: 23. *Ipſe Salvator à Moſe incipiens & ab omnibus Prophetis interpretatus fuit diſcipulis in omnibus Scripturis, quæ de ſeipſo erant.* Luc. 24: 27. Adeo ut ſicuti homo epitome totius univerſi, naturæque creatæ centrum dicitur: Sic Chriſtus epitome ac centrum totius Scripturæ, α & ω, à quo omnia incipiunt, in quo omnia deſinunt, ad quem omnia referuntur, non immerito venit appellandus. Non quidem, ac ſi omnia omnino Scripturæ Verba, omneſque ſententiæ *proxime* de Chriſto Mediatore agerent, quod olim exiſtimarunt nonnulli, quos refellit Iſidorus l. 2. Epiſt. 195. Sed *partim*, quod omnia in Scripturis Sacris prolata manibus quaſi nos deducant ad amorem & beneficia Salvatoris noſtri beneficentiſſimi, à quo tanquam principio & largifluo fonte omnia in Verbo Divino benigniter promiſſa abunde ad nos profluunt, *partim etiam*, quod effata Scripturæ, Veteris cumprimis Inſtrumenti, aliud quidem prima facie præ ſe ferre videantur, rectius tamen & intimius penſitata Salvatorem noſtrum benigniſſimum, modo quoad Perſonam, modo quoad Officium, omniaque exinde ad nos promanantia beneficia vel κτ̀ τὸ ῥῆμα, ſeu expreſſe, vel κτ̀ τὸν τύπον, ſecundum typum referant. Exemplorum, queis ſcatet univerſa Scriptura, ſiſtemus unicum. Quis putaret prima fronte hiſtoriam MELCHISEDECI, cujus accidentariam quaſi mentionem injicit Moſes cap. 14. Geneſ. tanti momenti, tantique Myſterii eſſe, quantum in ea delituiſſe non Iſacides tantum adhuc in Veteri; ſed Paulus quoque in cœleſti edoctus Academia in Novo Teſtamento præclare exponit, & ad oculum qs. demonſtrat Typus ſcilicet fuit maxime egregius & illuſtris laudatus MELCHISEDECUS à Spiritu ſancto aliquot mille abhinc annis propoſitus, ut tum *Perſonam*, tum *Officium* Salvatoris noſtri bene merentiſſimi repræſentaret. Videbimus id ipſum haud obſcure, ſi ductum Moſis, Davidis & Pauli ſequuti MELCHISEDECUM paulo propius erimus acceſſuri. Accedamus igitur illum abſque ulteriori ambage tum in TYPO, tum in ANTITYPO intentioribus paulo ocellis eundem contemplaturi, quod ut feliciter cedat, faxit TRIAS beatiſſima!

CAPUT I.
Typi expoſitionem continens.

§. I.

OCcaſionem autem & περιερχόμενα hujus MELCHISEDECI hiſtoriæ ante omnia quod attinet, tam Sacræ quam Profanæ Literæ tradunt ſequentia: Aſſyriorum Monarchia, quæ Aſſurem, ſive ut Orientalibus dicebatur, Belum, filium Semi ſecundo natum communiter gloriatur Originem, ſub Nino Beli filio, pharetrataque, ut Juvenalis loquitur, ejus uxore Semiramide in immenſum fuerat adaucta, ſubjugatoque Regno Babylonico, (uti ex Diodoro Siculo tradit Joh. Cario l. 1. Chron.) quod Nimrod cum Poſteris per breve aliquod temporis ſpatium tenuerat, longe lateque in Oriente Imperii fines produxerat, uſque ad Ninum Juniorem Nini & Semiramidis Filium, qui, ut Cluverus in Epit. Hiſtor. univerſ. l. 2. p. m. 7. recenſet, abjecto armorum ſtudio, ad otium & voluptatem ſeſe contulit, quibus ut eo commodius poſſet inſervire, regnum inter Satrapas diſtribuit, qui poſtmodum Præfecturarum iſtarum Reges fuerunt nuncupati, adeo ut Amraphel Babyloniæ, Ariochus Elaſſari, h. e. Ponti, Kedor Laomor Elymæorum, Thideal Pamphyliorum Reges fuerint. Quod idem ſentire videtur Joſephus in Antiquit. Jud. l. 1. c. 17. qui quatuor hoſce Reges uno nomine vocat Aſſyrios, qui quatuor inſtruxerint phalanges, cuilibetque illarum ſuum præfecerint Ἀρχηγέτην (Quamvis nonnulli ſint, qui per Amraphelum h. l. ipſum Ninum Juniorem, qui Beroſo Zameis Nynias vocatur, intellectum velint; Nimrodum autem fuiſſe ſententia, quæ à Lyrano Ben Uziel & reliquis Ebræis tribuitur, improbabilis eſt, nec Chronologiæ conſentanea.) Quatuor ergo iſti Reges, vel ſi mavis, Duces mutuis inter ſe pactis convenientes Regi Sodomorum. Ejuſque Sociis bellum movent graviſſimum. Cauſam clare exponunt Sacræ Literæ, quod fuerit rebellio Regis Sodomæ, vicinorumque Ejuſdem ſociorum, qui per duodecennium tributarii Cedarlaomori Regi Elimæorum h. e. Perſarum, ſed felici rerum ſucceſſu elati jugum iſtud excutere aque ſervitio Regibus indigno ſeſe vindicare fuerant annisi. Rebelles hoſce Regunculos ad frugem reducere, dictus Cedorlaomor cum Sociis terram petunt Sodomiticam, victricibuſque armis hinc inde pervagati, illiſque, quibuſcum rebelles fœdus inierant, prius profligatis, mox plenariam ab ipſis Sodomorum Gomorrhæorumque Regibus victoriam reportant, captiſque hominibus, inter quos & Lothus, eorumque bonis in terram ſuam abeunt. Nunciatur infelix hæc Sodomorum clades Abrahamo alienigenæ, qui adverſam Agnati ſortem & captivationem ægre admodum ferens, adſumta parva ſervorum manu conjuncta cum Aner, Eſcol, Mamre, eorumque ſervitiis, victrices hoſtium catervas, & de parta victoria ſecure jam triumphanteis heroico auſu aggre-

ditur,

ditur, incautosque gravi & cruenta clade disjiciens captivos cum manubiis pretiosissimis recepit, Sodomamque reduxit. Redeunti cum felici Victoria Abrahamo obviam se ferunt tum Bera Sodomorum, tum Melchisedecus Solymorum Reges, eumque mutuis accipiunt gratulationibus. Melchisedecus præ cæteris de Abrahami, quippe sui in fide συμοικέτε, victoria tam illustri lætus, panemque ac vinum, h. e. phrasi Ebræa varia tum esculenta tum potulenta fessis & esurientibus militibus producens fausta à DEO omnia Abrahamo adprecatur.

§. 2. Sic fuit Occasio. Ipsam autem Melchisedeci historiam breviter, tribusque saltim paragraphis complectitur Divinus Historiographus supra citato cap. 14. Genes. vs. 18, 19. Verba Textus authentici habentur ista: וּמַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם הוֹצִיא לֶחֶם וָיָיִן וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן׃ וַיְבָרְכֵהוּ וַיֹּאמַר בָּרוּךְ אַבְרָם לְאֵל עֶלְיוֹן קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ׃ וּבָרוּךְ אֵל עֶלְיוֹן אֲשֶׁר־מִגֵּן צָרֶיךָ בְּיָדֶךָ וַיִּתֶּן־לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל׃

Chaldaica Versio hæc est:

וּמַלְכִּי צֶדֶק מַלְכָּא דִירוּשְׁלֵם אַפֵּיק לְחֵם וַחֲמַר וְהוּא מְשַׁמֵּשׁ קֳדָם אֵל עִלָּאָה׃ וּבָרְכֵיהּ וַאֲמַר בְּרִיךְ אַבְרָם קֳדָם אֵל עִלָּאָה דְּקִנְיָנֵיהּ שְׁמַיָּא וְאַרְעָא׃ וּבְרִיךְ אֵל עִלָּאָה דִּמְסַר סָנְאָךְ בִּידָךְ וִיהַב לֵיהּ חַד מִן עַסְרָא מִכּוֹלָּא׃

LXX. Viralis hæc est.

Καὶ Μελχισεδὲκ Βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν αὐτῷ ἄρτους, καὶ οἶνον. Ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου. Καὶ εὐλόγησεν αὐτὸν Μελχισεδέκ. Καὶ εἶπεν, εὐλογημένος Ἄβραμ τῷ Θεῷ ὑψίστῳ, ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς ὕψιστος· Ὃς παρέδωκε τοὺς ἐχθροὺς σου ὑποχειρίους σου. Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ Ἄβραμ δεκάτην ἀπὸ πάντων.

Hieronymus ita vertit:

At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos DEI altissimi. Benedixitque ei & ait: Benedictus Abraham DEO excelso, qui creavit cœlum & terram. Et benedictus DEUS excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

Junius & Tremellius ita:

Malci-tzedek autem Rex Schalemi proferens panem & vinum: prout hic erat Sacerdos DEO forti, excelso. Benedixerat illi, dicens: Benedictus Abram DEO forti, excelso, Possessori cœli ac terræ: & benedictus DEUS fortis excelsus, qui tradidit hostes tuos in manum tuam: dabatque ei Abram decimam de rebus omnibus.

Xantes Pagninus ita:

Et Melchisedek Rex Salem, eduxit (protulit) panem & vinum, & ipse (sc. erat) Sacerdos DEO Altissimo: & benedixit ei & dixit: Benedictus Abraham DEO Excelso, Possessori cœli & terræ, & benedictus DEUS Altissimus, qui tradidit hostes tuos in manu tua: & dedit ei decimam de omnibus.

§. 3. Iisdem fere verbis hanc ipsam Melchisedeci historiam repetit Auctor Epistolæ ad Ebræos cap. 7: 1, 2, 3. cujus Verba authentica hæc sunt: οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ, βασιλεὺς Σαλὴμ; ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου, ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ, ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων, καὶ εὐλογήσας αὐτόν· ᾧ καὶ δεκάτην ἀπὸ πάντων ἐμέρισεν Ἀβραάμ. Πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι, βασιλεὺς εἰρήνης· Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων· ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές.

Versio Syriaca.

Hic Malkizedek fuit Rex Scholim, Pontifex DEI Excelsi, & ipse factus est obviam Abrohom, dum rediret à cæde Regum, & benedixit ei: & ei impartitus est Abrohom decimas ex omnibus, quæ secum erant. Exponitur autem nomen illius, rex Justitiæ: & rursum, rex Scholim, quod est Rex Pacis. Cujus neque Pater neque mater scribuntur in generationibus, nec initium dierum ejus, neque finis vitæ ipsius, sed in similitudinem Filii DEI permanet Pontificatus ejus in æternum.

Versio Hieronymi.

Hic enim Melchisedek, rex Salem, Sacerdos DEI summi, qui obviavit Abrahæ egresso à cæde Regum, & benedixit ei: Cui & decimas omnium divisit Abraham. Primum quidem, qui interpretatur rex Justitiæ: deinde autem & rex Salem, qui est rex pacis. Sine Patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, adsimilatus autem Filio DEI manet Sacerdos in æternum.

Versio Tremellii.

Hic Melchisedek Rex erat Salem, Sacerdos DEI altissimi, qui occurrit Abrahamo revertenti à cæde Regum, & benedixit ei: (Cui & decimas ex omnibus impartitus est Abrahamus) qui primum ex interpretatione dicitur Rex Justitiæ; deinde vero etiam Rex Salem, quod est rex Pacis: Cujus neque Pater neque mater scripti sunt in Genealogiis, neque principium dierum ejus, neque finis vitæ ejus: sed in similitudinem Filii DEI manet pontificatus ejus in æternum.

§. 4. Tria autem cumprimis Verbis jam laudatis ponderanda nobis sistuntur. I. *Est Melchisedeci tum quoad Personam, tum quoad Officium descriptio.* II. *Duplex Ejusdem actio, regia una, panis & vini prolatio, Sacerdotalis altera, pia videlicet benedictio.* III. *Abrahami Melchisedeco facta decimatio.*

§. 5. De *Persona* Melchisedeci quod attinet, miranda hic statim sententiarum occurrit discrepantia, quæ melioris μεθόδου καὶ ἐξηγήσεως ergo *in duas classeis* dispesci poterunt. Et *prior* quidem classis illorum sit, qui supra communem hominum sortem Melchisedecum evehunt, quin omnino mortalium numero excipere satagunt, quorum primas teneat *Hierax* (quem Augustinus Hieracham, Hilarius Hierarcham vocitat, quemque sub Severi imperio vixisse nonnulli statuunt, vid. Cent. Magdeb. Cent. III. c. V. p. m. 118. & c. XI. p. m. 295. Sectatores ejus Hierachitæ fuerunt cognominati, de quibus Alstedius videatur in Chronol. hæres. p. m. 244.) hæreticus quidam Ægyptius, Virque (ut Epiphanius hæres. 55. l. 2. de eo loquitur) de cæteris non exiguæ eruditionis, & Græcæ totius doctrinæ studiis exercitatus, in Ægyptiaca etiam lingua egregie, in Græca non modice clarus, omnibusque modis actus, inter cæteros, quos fovit errores, nomen hoc Melchisedeci de SPIRITU SANCTO exponit, statuens, *Melchisedecum Abrahamo occurrentem fuisse ipsum Spiritum Sanctum, qui eo, quod intercedat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Sacerdos in æternum, quod similis sit Filio in terris Patre, in cœlis matre carenti, ab Apostolo ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος nominetur.* Sed præterquam, quod inauditum sit in Scripturis, Spiritum Sanctum sub forma humana, regio seu Sacerdotali habitu indutum unquam apparuisse, aut inter homines versantem fixum alicubi locum habuisse, quod quidem verba textus ῥητῶς innuere videntur, decimas præterea ab Abrahamo, aut quovis alio accepisse, nec ex hoc, quod intercedat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, nomen Sacerdotis jure ipsi convenire, colligi tuto poterit. Notandum enim, qualiter pro nobis intercedere dicatur Spiritus Sanctus, nempe *non formaliter, non in semetipso, apud semetipsum in Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate Substantiæ, uti loquitur Augustinus Tract. 6. in Joh. Tom. 9. Col. 49.* qualismodi formalis intercessio Sacerdotibus competit, qualiter etiam Christus, summus ac unicus noster Sacerdos pro nobis apud Patrem suum Cœlestem intercedit; *sed causaliter & effective,* gemere scilicet nos faciendo, preces & gemitus ἀλαλήτους in nobis efficiendo seu excitando. Ebraismus quippe hic est non ita ratus in Sacris literis, quo id ipse facere dicitur, quod facit, ut præstemus. Sic dicitur clamare in cordibus nostris, Abba Pater, Galat. 4: 6. quoniam Ipse efficit, ut clamemus, id quod docetur etiam Rom. 8: 15. ubi id ipsum clamare in illo & per illum exponitur. Ita dicitur loqui in nobis Matth. 10: 19. quia suggerit piis in tempore, quid loqui debeant. Quod ipsum vidit August. Ep. 121. c. 15. *interpellat,* inquiens, *pro sanctis, quia interpellare sanctos facit.* Et ἀλάλητοι porro dicuntur gemitus isti, non tam, quod nec mente comprehendere, nec verbis exprimere possimus, quo pacto excitentur à Spiritu Sancto, quam quod eorum calorem & vehementiam ipsa lingua nequeat unquam sufficienter exprimere, & veræ preces non ex verbis & labiorum sono æstimentur apud DEUM, sed ex mentis fervore & cordis desiderio, juxta illud πολυθρύλλητον:

Non vox, sed votum; non musica chordula, sed cor;
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Nec similis dicitur Melchisedecus Filio DEI; sed ἀφωμοιωμένος, adsimilatus, seu comparatus, quod vocabulum *non omnimo-*

omnimodam similitudinem, (qualis respectu attributorum horum inter Filium DEI & Spiritum Sanctum concedi potest; nisi quod Spiritui sancto absolute; Filio DEI autem σχετικῶς, seu in respectu ad duas, quæ in ipso sunt, naturas tribuantur) sed *quandam saltim analogiam inter rem & signum, seu repræsentationem figuræ, seu similitudinis alicujus cum aliquo importare videtur*, ut sensus adeo sit: Melchisedecum inibi recensitis rebus omnibus figuram & similitudinem Filii DEI gessisse. Spiritum vero Sanctum typum Filii DEI dicere, incongruum esse, quotusquisque non videt? Quomodo præterea Melchisedecus ἀπάτωρ ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος dicatur prolixius infra videbimus. Videatur omnino hæresis hæcce exposita apud *Epiphan. l. 2. hæres. 67. p. 318. & 320.*

§. 6. Adfinis huic Hieracis errori est *Melchisedecianorum hæresis, ita seipsos vocantium, qui Melchisedecum locis supra citatis relatum maxime glorificant, magnam quandam Virtutem eum esse putantes. Esse autem ipsum superne in locis innominatis, & non solum Virtutem quandam; sed etiam majorem Christo adserunt; Christum vero simpliciter venisse putant, & illius ordine dignum factum esse, nimirum ex dicto illo: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci, ut sit ipse adhuc inferior Melchisedeco*, sunt iterum verba Epiph. l. 2. hæres. 55. p. 210. Auctor hujus hæreseos juxta Sixtum Senensem Bibliothec. S. Lib. V. Annot. XC. creditur Theodorus Argentarius, (quem Alstedius in Chronol. hæres. p. m. 243. & Magnif. Dn. D. Geierus in prælect. ad Psal. 110. vocant Theodotum) quod idem etiam credidit Tertullianus lib. de præscript. sub finem. Eadem quoque adscribitur opinio Auctori illi in quæstionibus ex utroque Testamento quæst. 109. quem nonnulli statuunt Augustinum; sed Bellarmin. Tom. 3. lib. II. c. 10. de effectu Sacramentorum p. m. 220. hoc ipsum negat, & hæretico cuidam multa contra fidem, contraque Augustinum statuenti tribuit. Quin Alphonsus de Castro, quem judiciosissimum Hispaniæ Theologum Hotting. vocat, in Biblioth. p. 187. l. 10. adv. hæreses ex hoc ipso, quod hanc sententiam in libro de hæresibus ad QUODVULTDEUM hæreticis sub nomine Melchisedecianorum tribuat, nec unquam, si quidem aliquo tempore errasset, errorem huncce in libris retractationum recantasse legatur, ἁπλῶς negat, librum huncce esse Augustini.

§. 7. Et ad *duo quidem membra* referri optime poterit Melchisedecianorum sententia: *Prius est, quod δύναμις seu virtus quædam magna & cœlestis, posterius quod Christo major sit ac sublimior. Prius* ex eo, quod in Novo Testamento sine Patre, sine matre, sine genealogia, *posterius* ex hoc, quod ad ejus ordinem Christus Sacerdos dicatur, statuminare satagunt.

§. 8. Verum enim vero quis non primo statim intuitu videt argumentulorum horum ἀνακολουθησίαν? *Priorem* enim consequentiam quod concernit, sine Patre, sine matre, sine genealogia Melchisedec ab Apostolo dicitur non *absolute*, quasi nullos omnino parentes habuerit, sed *secundum quid*, quod non sint manifestissime in Scriptura nominati. Eos autem, quorum genealogia in Sacris non exstat, supra hominum sortem extollere, aut tumide admirari indecens erit & incongruum. Sic enim de Sadracho, Mesacho & Abodonogo, aliisque idem foret forte judicium ferendum, quum nec Patres nec matres nec genealogia eorum ullibi in Sacris Literis διαῤῥήδην occurrant. Ad *posterioris* vero membri probationem respondemus, negando, quod ordo ille, ad quem Christus Sacerdos dicitur, ullam importet in Christo minoritatem vel inferioritatem, quum non de successione, quasi Melchisedeco successerit Christus; sed de comparatione debeat intelligi, quod ἀφωμοιωμένος, h. e. adsimilatus seu comparatus fuerit Filio DEI, adeoque, sicut Melchisedeci Sacerdotium æternum, & non per canalem successionem in alios derivatum fuit, qualiter juxta Aaronis ordinem fieri olim consueverat, (nullibi enim in Sacro Codice nec finis nec successorum ejusdem mentio fit:) Sic Christi etiam Sacerdotium æternum est ac perpetuum, omni carens successione. Unde patet, tantum abesse, ut major & superior Melchisedecus Christo, ut potius non tantum non æqualis; sed inferior quoque eo sit habendus, quippe cui non Christus; sed qui Christo comparatus Sacerdos demum est in æternum. Videri de hoc prolixius poterunt præter *Epiph. l. c. August. ad Quodvultd. c. 34. Alph. de Castro l. 10. adv. hæres. Tit. Melchisedec. Sixtus Senensis in Bibl. S. l. 5. annot. 90. p. 33. Hieron. in Ep. ad Evagrium.*

§. 9. Alii *Angelicam* Melchisedeco naturam tribuunt, quæ sententia teste Hieronymo in Epist. ad Evagr. complacuit olim & probata fuit Origeni & Didymo Alexandrino. Verba Hieronymi, prout refert Sixtus Senensis l. c. hæc sunt: *Statim in fronte Genes. in 1. homil. Orig.* (forte tomum primum intelligit, cum in prima Origenis homilia, quæ nunc in Genesin habetur, nulla fiat Melchisedeci mentio) *reperi scriptum de Melchisedeck, in quo multiplici sermone disputans, illuc devolutus est, ut eum angelum dixerit, iisdemque pene argumentis, quibus scriptor tuus, qui Melchisedek Spiritum Sanctum facit, transivi ad Didymum, sectatorem ejus, & vidi hominem pedibus in Magistri isse sententiam.* Hæc Hieronymus. Sed & hæc sententia infirmo admodum talo perstat, quin eo ipso, quo Rex Salem & Sacerdos DEO altissimo dicitur, omnino sua sponte cadere videtur.

§. 10. Nota quoque est præterea illorum sententia, qui Melchisedecum *de ipso unigenito Patris æterni Filio, qui in specie humana Abrahamo sese conspiciendum præbuerit*, exponere satagunt. Tribuit hanc sententiam Hieronymus in Epist. ad Evagr. anonymo cuidam Scriptori, in quam etiam ex Patribus Ambrosius discedere videtur l. 1. de Abr. c. 3. Acrem præ cæteris hujus sententiæ defensorem nostris temporibus se sistit Petrus Cunæus in tractatu de republ. Ebr. miræ alias eruditionis ac venustatis opusculo, & quidem l. 3. cap. 3. p. 273. seqq. *Ego*, inquit, *sic existimo Melchisedecum non hominem utique ex hominibus genitum; sed divinioris naturæ fuisse, majoremque homine, & digniorem certe, qui tanto benedixit Patriarchæ.* Et quod obscurius hactenus proposuerat Cunæus, clare jam & expresse in subsequentibus de ipso Filio DEI exponit, ita pergens: *Forte tunc in itinere obvium se tulit Abrahamo Filius DEI specie humana, habitu Sacerdotis regisque indutus, ejusque animum ad omnia ingentia erexit. Quin eundem dicit fuisse, qui paulo post ad quercum Mamre duobus comitatus sociis Abrahamo adparuerit, cibum cum illo sumserit, amiceque fuerit collocutus.* Argumenta, quæ pro adstruenda sua sententia prolixe in medium adfert, quibusque certam contra quosvis dissentientes victoriam promittit, paucis videbimus, brevibusque observationibus, queis confringi facile poterunt, rem omnem expediemus. Notandum igitur (I.) *Nomen Melchisedeci esse nomen proprium, non appellativum*, quod quidem Enjedinus in Locis ad Ps. 110. & Cunæus l. c. volunt. Notum enim est, literam Jod in voce מלכי esse non adf. 1. pers. sed formativam ejuscemodi nominum propriorum, ut in אבי־גיל אבי־מלך & aliis. Adhæc præter necessitatem & frustra urget Cunæus vocabulum צדק, ac si cum Salem quoque pro loco seu urbe quadam terræ Cananææ à quodam ab Auctoribus venditetur, quod nullus neque veterum antea, neque ex recentioribus quisquam vel per somnium dixit, sibive est imaginatus. Quin vel nominis proprii Regis illius Salemensium particulam, vel cognomentum aliquod commune Regibus Hierosolymitanis à plerisque communiter exponitur. Quomodo sub eodem fere nomine alius Hierosolymarum Rex circumfertur in Scriptura notus, qui Adoni Zedek h. e. Dominus justitiæ fuit appellatus, Jos. 10: 1. innuentes fortassis hoc ipso Regibus suis addito cognomine, justitiam reliquarum quippe virtutum omnium ἐπιτομήν, maximum ac præcipuum Regum ac Principum esse debere ornamentum, quippe qua juxta Lipsium 2. Polit. cap. 10. stabilitur principatus, si nempe Magistratus in se inque aliis firmiter jus & æquitatem servet, quin hæc ipsa ea sit virtus, sine qua nihil in Imperii administratione laudabile efficiatur Cic. 3. Offic. Qualismodi cognominum Regibus facta impositio non priscarum solummodo gentium recepta fuit moribus; sed hodiernæ quoque adhuc est consuetudinis. Sic Geraris seu Philistæorum Reges dicti quondam sunt Abimelechi, Ægyptiorum Pharaones. Sic hodie quoque Romanorum Imperatores communiter Cæsares salutantur & Augusti à Cajo Julio Cæsare, ejusque sororio Octavio Augusto. Sic Turcarum Imperatores Soldani, Tartarorum Chami vel Chani, Moschorum Czari, Persarum Sofi, Abyssinorum (sive ut Jobus Ludolphus in Epist. de libris eorum scribit Habessinorum seu Habassinorum apud Hotting. in Prompt. Orient. p. 320.) Negi seu Belul Giani h. e. præpotentes Principes, adhuc hodie dici adsolent. Nec obstat, vocabulum מלכי־צדק & שלם ab Apostolo in N. T. ut Appellativum explicari, quod præ cæteris tanquam solidum suæ sententiæ fundamentum urget Cunæus. Hanc enim nominum propriorum in appellativa resolutionem in accommodationibus talismodi typorum ad suos antitypos, seu traductionis sensus literalis ad sensum mysticum usitatam esse, nemo nescit, nisi ignarissimus. Quo ipso tamen natura eorum neutiquam evertitur, id quod satis luculenter ex aliis nominibus v. g. שאול אברהם בן־ימין קין &c. dispalescit, quæ passim etiam ad sensum mysticum traducuntur, nec tamen ideo naturam nominum propriorum unquam exuunt. (II.) Vivere dicitur Melchisedecus & Sacerdos æternus, non *in se & respectu personæ*, quasi ipse vere fuerit æternus, initii ac finis expers, *sed juxta hypothesin typi*, quod de fine sacerdotii ejus nihil in Scripturis habeatur, quo videlicet eo commodius ἀφομοιοῦσθαι h. e. adsimilari, seu typum Christi, Sacerdotis nostri summi ac unici

unici gerere valeat. Quo simul & instantia Cunæi, quod, si *Melchisedec & Messias duæ distinctæ essent personæ, duo quoque esse æterna sacerdotia*, illico exspirat. Nec etiam est, quod porro regerat Cunæus: Si Melchisedecus ideo ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, Sacerdos item in æternum dicatur, quia in Scripturis expresse ejus nec genealogia, nec mors exponatur, sequeretur tot esse typos figurasque Christi, quot sancti & illustres homines in Scriptura referrentur, quorum nec genus nec mors descripta fuerit. Negamus etiam statim consequentiam, quum non tam ex eo, quod nec genus nec mors Melchisedeci exposita exstet in Scriptura; sed quod ipse Spiritus Sanctus, optumus quippe Verborum & mentis suæ interpres, manu quasi nos per ἐκλεκτὰ sua Organa, Davidem scilicet ac Paulum in hanc ipsam typi hujus explicationem & accommodationem deducat, Melchisedecum figuram ac typum Messiæ dicimus. Ut adeo Melchisedeci persona & actio Gen. 14. breviter descripta *typus* Salvatoris nostri sit *non illatus, nedum contortus* seu *extortus*; sed *innatus & expressissime in Scriptura Novi Fœderis à Spiritu DEI traditus atque ostensus*. Alios vero præter mentem & intentionem Spiritus Sancti ex aliis proprio ausu effingere vel extorquere typos, merito cuivis debet esse religio. Nec (III.) vocabulum ἀφωμοιωμένος omnimodam denotat personæ, seu externi corporis habitus ἰσότητα *seu æqualitatem*, quasi externa corporis forma, quam Melchisedecus, h. e. juxta Cunæum, Filius DEI t. t. gessit, eidem formæ humanæ, qua postmodum in diebus carnis suæ visus est mortalibus, ex asse responderit; adeoque in illa ipsa Abrahamo facta fuerit apparitio; sed ὁμοιότητα *saltim quandam, seu ἀφομοίωσιν h. e. similitudinem officii*, id quod patet ex Psal. 110. ubi Messias Sacerdos dicitur דברתי מלכי־צרק ad morem, h. e. juxta rationem & consuetudinem Melchisedeci, seu quemadmodum Melchisedec, uti quidem recte ex Aben Ezra explicat Cunæus, adeo, ut sicut Melchisedecus licet non ἁπλῶς; sed κατά τι, ita & Christus vere ac realiter Sacerdos sit ac maneat εἰς τὸ διηνεκὲς, in æternum. Quid quod expressa hic & inevitabilis ταυτολογία, si Melchisedecus ipse fuerit Messias, ultro sese offerret hoc sensu: Messias erit Sacerdos ad ordinem Messiæ, seu quemadmodum Messias. Ex quo simul apparet, falsum etiam esse, quod ulterius subjungit Cunæus, in ea ipsa apparitione vidisse Abrahamum diem Messiæ, cujus ardentissimo videndi desiderio Vir iste insignis hactenus flagrasset, mireque de eo gavisum fuisse, Joh. 8. Incertum enim probatur per æque incertum, falsum per æque falsum. Visionem autem hanc ipsam diei Christi Abrahamiticam breviter & ὡς ἐν παρόδῳ ut tangamus, per diem Christi August. tract. 44. in Joh. p. 133. Beda in Comm. Glossa Ordinaria, & alii intelligunt ipsam æternam ejus Divinitatem, vel quod idem est, diem Domini, qui nescit ortum; nescit occasum. Chrysost. in c. 8. Joh. hom. 54. p. 222. Theophylactus in Enarrat. Joh. cap. 8. fol. 1333. de tempore crucis & passionis Christi, alii denique, & hi quidem optume, de tempore adventus Filii DEI in carnem, Ejusque conversationis in hoc mundo visionem hanc exponere satagunt, id quod facit ex Patribus Orig. hom. 10. in Gen. Hilar. lib. 5. de Trinit. Bernh. Serm. 6. in Vigil. Natal. Dom. Ex Pontificiis Jansenius Gandavensis & Jansenius Yprensis Episcopus, Maldonatus, Barradius, è Reformatis Calvinus, Musculus, & Marloratus p. m. 441. è nostratibus Brentius, Chemnitius, Tarnovius & alii. Visionem autem ipsam quod spectat, sunt, qui vel ad typos & figuras, in quibus Abraham vidit ἡμέραν τοῦ χριστοῦ, quo respicere videtur B. Dn. D. Dorscheus in Theol. Zachar. part. 1. c. 5. p. m. 40. vel ad visionem fidei, vel ad apparitionem illam peculiarem sub quercu Mamre Genes. 18. de quibus vid. Joh. Ferum in Comm. ad h. l. p. m. 222. & Ludolph. Carthus. in Meditat. de vita Christi part. 1. c. 84. Vel denique ad revelationem quandam singularem, seu visionem Propheticam eandem referunt, quarum postrema tanquam probabilissima complacuit præ cæteris magnæ nostrorum Theologorum bigæ Franzio & Glassio נ״ע illi in Tract. Theol. de interpr. Scripturæ orac. 47. p. m. 451. huic in Rhet. Sacra tract. 1. c. 4. n. 3. p. 59. & in Notis suis exeget. ad Euang. Dom. Jud. p. m. 680. Peculiaris est sententia D. Mart. Miri, Concionatoris Aulici Dresdensis in serm. de Angelis anno 1594. habito, qui putat, Abrahamum eo tempore vidisse diem Christi, quo Angelus in monte Moria eidem fuerit colloquutus, (IV.) *Major fuit Melchisedec Abrahamo*, non quod divinioris cujusdam naturæ fuerit, aut quod omnino ex mortalium numero venerit excipiendus, uti putat & colligit Cunæus; sed *partim*, quod singularem quendam typum & figuram Christi Sacerdotis repræsentaverit, quam Abrahamus illustris quippe Propheta, facile in eo, agnovit, idque propter veneratus eum fuit oblatione decimarum & acceptione benedictionis; *partim* quod non tam Sacerdos fuerit, qualis etiam Abraham Patriarcha fuisse dicitur Genes. 15: 10. cap. 22: 2. sed Ἀρχιερεὺς, summus Sacerdos Ebr. 6: 20. quin non Sacerdos tantum; sed etiam Rex. Abraham autem נשיא quidem אלהים Princeps Domini, non vero Rex dicitur Genes. 23: 5. *Partim* quoque respectu ipsius benedictionis, ad quam præcipue collimat Apostolus dicens cap. 7: 7. Ebr. Χωρὶς δὲ πάσης ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται, h. e. absque contradictione, id quod minus est ab eo, quod majus est, benedictionem accipit, *benedictionem* scilicet *non charitatis*, qua æquales mutuo sibi bene precantur, v. g. Luc. 6: 28. 1 Petr. 3: 9. *sed auctoritatis*, qua Superior inferiori h. e. vel parentes liberis, vel Sacerdotes populo non temporalia solum, sed æterna quoque bona ex officio precantur ac denunciant, qualis benedictio Sacerdotalis præcipitur Numer. 6: 23. seqq. qualismodi etiam fuit hæc à Melchisedeco Abrahamo impertita benedictio. Cæterum vid. breviter quidem; sed graviter tamen hac de re differentem *B. Dn. D. Joh. Bugenhagium Pomeranum in cap. 7. Ebr.* (V.) Quando dicitur Ebr. 5: 11. περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν, accipiendum id est *non de Melchisedeco*, prout Cunæus explicat; *sed de Christo Melchisedeci antitypo.* Quin posito, dici id ipsum de Melchisedeco, dicetur tamen de eo non absolute; sed secundum quid, in quantum scilicet de ejus genealogia nihil effabile vel effandum in Veteri Testamento habeatur. *Confer Lampert. Alard. in Epiphyllid. Philolog. c. 7. p. 34. seqq.*

§. 11. Altera classis eorum est, qui Melchisedecum quidem hominibus annumerant, sed quinam ex illis fuerit, mire iterum disconveniunt. Et hominem quidem fuisse præter supra nominatos contradicentes fatentur Eruditi fere omnes, quod ipsum etiam tum συνάφεια Textus, tum omnes circumstantiæ satis superque loquuntur, ut actum fere agere videatur, Phœboque lumen mutuari, qui prolixius id ipsum statuminatum eat. Taceo historiolam, quæ circa hoc ipsum argumentum de Daniele Abbate quodam Ægyptio, cui per visionem ostensum fuerit, Melchisedecum fuisse hominem, in vitis Patrum p. m. 203. seq. recensetur. Quis autem inter homines fuerit, non levis inter Doctores orta olim est sententiarum discordia. Targum Hierosolymitanum, R. Salomo, Aben-Ezra, Baal Hatturim, & plerique Ebræorum *Semum* fuisse volunt, (quem Aug. l. 16. de Civ. DEI c. 3. Vincent. de Burgund. in Spec. hist. l. 1. c. CIV. Hyperius in Comment. ad c. 7. Ebr. Scaliger, aliique primogenitum Noachi Filium statuunt; alii autem rectius ex Genes. 10: 21. secundo natum putant. Vid. B. Gerh. in Genes. p. 169. & cum illo Excellent. Dn. Mitternachtium in Notis ad Hist. S. Fabricii p. 17.) quod inter alia per ראשי תיבות (*est modus apud Judæos, cujus hanc ponunt regulam: quando diversarum dictionum literæ initiales aliam vocem, vel plures etiam pariunt sensu salvo; tunc notatur mysticum quid*) probare satagunt. Unde scribunt מלך שלם ראשי תיבות שם לומר לך שם בן נח: hoc est: quum Genes. 14: 18. legimus מלך שלם ubi initia dictionum constituunt שם, quo te doceat, hunc fuisse Sem, Filium Noah. Quorsum etiam abire videtur Auctor Schalschel. Hakkab. (catenæ traditionis) p. 93. a. יש אומרים מלכי צדק והוא היה ראשון להתחיל בנין חומות ירושלם: Sunt, qui dicunt, illum fuisse Melchisedecum, adeoque primum, qui inceperit exstructionem murorum Hierosolymitanorum. Et pag. 7. אומר המדרש שהוא היה מלכי צדק מלך שלם: Midrasch ait; Eum (sc. Semum) fuisse Melchisedecum Regem Schalemi. Pirke Eliez. cap. 8. Noah tradidit Semo, qui ingressus secretum embolismi annum intercalavit, & vocatus fuit Sacerdos, eo quod esset primogenitus, & ministerio fungeretur die & nocte, hinc appellatus est Sacerdos, juxta illud: Et Melchisedec Rex Salem, &c. Genes. 14: vs. 18. vid. Hotting. Smegm. Orient. p. 256. Nec improbabilis eadem plurimis Christianorum videtur, Hieronymo in Epist. ad Evagr. & in Lib. de Trad. Ebr. huncque sequutis Nicolao Lyrano & Alph. Tostato sive Abulensi in c. 14. Genes. p. 56. Thomæ de Vio Cajetano Comment. in Genes. p. 36. Aug. Torniello in Annalibus V. T. ad annum mundi 2118. §. 19. p. 184. Eugubino, Villalpando, Genebrardo, & è nostris Rungio in Comment. ad h. l. p. m. 34. Gerhardo ad h. l. pag. 315, 316. Chytræo ad h. l. pag. m. 332. Victorino Strigelio in notis ad h. l. pag. m. 71. ut & in Orat. de Abr. pag. 375. Hieron. Wellero in Anal. pag. mihi 20. Ipsique Megalandro nostro Luthero in Comment. ad cap. 14. Genes. pag. 364. Edit. Altenb. qui nomen hoc ab eventu Semo à subditis fuisse impositum putat, eo quod, grassante passim tyrannide, idololatria & impietate, solus hic Senex non modo juste inter homines imperaret; sed doctrinam quoque de vera coram DEO justitia sincere traderet. Nec Chronologia quoque seu temporis supputatio ab hac sententia adeo est aliena. Quanquam enim ex hac ipsa Epiphanius loco supra citat. eam confringere conetur, Ebraica tamen Veritas & accuratior temporis observatio

Semum

Semum t. t. imo post id tempus superstitem adhuc fuisse firmiter evincit. Contigisse enim hanc Melchisedeci & Abrahami historiam testantur Chronologi vel circa annum Mundi 2118. uti Jac. Salianus in Ench. Chronol. p. m. 11. & Aug. Torniellus in Annal. ad hunc annum: Vel circiter annum mundi 2030. & 2034. quod quidem Chytræus in Chronologia explicationi Genes. præmissa, Fridl. in Theol. Exeg. p. 69. & Alstedius in Chron. p. m. 29. volunt. Semum autem, in quo conveniunt plerique, demum anno creati orbis 2158. adeoque plusculos post hanc Abrahami Victoriam annos mortalium numero fuisse ereptum.

§. 12. Quantumvis autem, uti dictum, plures amasios sortita sit hæc ipsa sententia, non tamen æque omnibus eadem arridet. Hinc fusius eam alii refellunt, maxume ex hoc, quod Sacræ Literæ de Semo expresse testentur, quando, ubi & quibus parentibus natus sit ac progenitus; de Melchisedeco autem expresse dicat Spiritus Sanctus, quod careat initio ac fine dierum, quod sit sine Patre, sine matre, sine genealogia. Ad responsionem, quæ forte ad hanc rationem depromi posset, scilicet habere patrem & matrem *sub nomine Semi*; non autem *sub nomine Melchisedeci*, quam etiam urget Lyra ad cap. 14. Gen. instant & reponunt, nondum clare & evidenter fuisse probatum, Semum fuisse binominem, quin quod Apostolus in Epist. ad Ebr. agat *non de nomine*, *sed de homine*, seu persona Melchisedeci, in qua potius, quam nomine tam grande rimatus sit mysterium. Rationes porro addunt sequenteis. (1) Ex Ebr. 7. ubi genetatio Melchisedeci non annumerari dicitur Sacerdotibus Leviticis, E. genus Ejus diversum fuit à gente Ebræorum, quæ Semum stirpis suæ gloriatur Originem. (2) Situm quoque loci urgent. Sem enim cum posteris occupavit Orientem, & trans-Euphratem posuit habitacula, nec ullum apud Mosen transmigrationis Semi in terram Canaan apparet vestigium, qui tamen tanto cum studio Abrahami memoravit peregrinationem; Cham vero, minimus Noachi Filius, cum posteritate occupavit terram Canaan, in qua Salem, regia Melchisedeci sedes sita fuit. Fallitur enim hic non parum R. Salomo, qui Cananæos ex Semi posteritate prognatos censere non dubitat. Tantum etiam (3) abest, ut Moses tanto honore, qui ex tam insigni encomio, illustrique facto accrescere Semo potuisset, eundem defraudare voluerit, ut potius maxume sit probabile, illum nominis ejus vel unico verbulo fecisse mentionem. Nec Chronologia (4) aliquid importare videtur, ex qua tamen Pelargus vel maxume nititur probare, Semum fuisse Melchisedecum. Invalida enim est consequentia: Semus t. t. vixit, E. Semus fuit Melchisedecus. Pluribus vide. *Walt. in Offic. Bibl. pag. 753. seqq. Corn. à Lap. in Pentateuch. p. 156. aliosque.*

§. 13. Hinc plerique Veterum, *Theodoretus* in quaest. *Commentator Nazianz. Irenæus*, *Eusebius Cæsariensis*, *Hippolytus* aliique *Cananæum* eum fuisse adserunt. *Josephus lib. 7. de Bello Jud. c.* 18. cum quo & Philo facit, expresse eum Dynastam Cananæum dicit, einen mächtigen in Cananæa, uti vertit *D. Caspar Hedio l. c. p. m.* 124. *Suidas*, referente Hornio in notis ad Sulpitii Severi historiam Sacram, cum quo facit etiam Cedrenus in Annal. p. 22. oriundum illum vult à Side Filio Regis Lybiæ. Ejus Patrem Heraclam, matrem vero Astaroth seu Asteriam Epiphan. l. 2. hær. 55. appellitat; quam sententiam autem tanquam dubiam, incertam, quin fabulosam rejicit Ravanellus in Bibl. S. Laudatus Hornius supra c. l. regulum eundem dicit Cananæum, qui pie inter illos & sancte vixerit, seu Præconem Orthodoxum & Sacerdotem DEI Altissimi inter Jebusæos t. t. florentem, ut idem inquit, in Hist. Eccles. p. 12. Videantur *Hunnius in Ep. ad Ebr. Benedictus Pererius*, *Cornel. à Lap. in Gen. Calvinus*, *Pareus*, *Rivetus & alii.*

§. 14. Peculiares sunt sententiæ Abul Pharagii (sive ut ab Hotting. in Comp. Theatri Orient. hinc inde scribitur Abulfaragi) qui Melchisedecum Semi Filium dicit, & illa quam referente Seldeno de Jure Gent. & nat. juxta disc. Ebr. p. 278, 279. Saidus Batricides (quem laudatus Hotting. in Cippis Ebr. passim scribit Patricides) Patriarcha quondam Alexandrinus, & Chronici Arabici scriptor, ex traditione quadam è vetustissimis Orientalium monimentis accepta refert, in qua Melchisedecus dicitur *Filius Phalegi*, qui fuit Filius Eberi, adeoque Semi ἀπέγγονος seu abnepos. Cui consentit Elmacinus, scriptor itidem Arabicus, *vixit autem*, inquiens, *Peleg*, *postquam genuisset Rehu*, *annos ducentos & novem*, *postea genuit Melchisedecum Sacerdotem*, qui etiam referentibus iisdem Scriptoribus Arabicis comite Semo sepelivit Adamum, primum hominem. Verba Elmacini hæc sunt: *Et memor fuit Schem Testamenti Patris sui de tollendo corpore Adami. Cumque præsens fuisset Melchisedecus*, *Filius Phalegi*, *vir pius & DEO devotus*, *dixit ei*: *Noachus præcepit*, *ut acciperes corpus Adami*, *illudque sepelires in meditullio terræ. Eamus igitur*, *ego & tu*, *illudque sepeliamus. Abiit ergo Schemus & Melchisedecus*, *ut tollerent Adami corpus*: *Et apparuit iis Angelus Domini*, *qui prævit ipsis*, *usque dum pervenerunt ad locum Calvariæ*, *ubi sepeliverunt ipsum*, *quemadmodum præcepit iis Angelus Domini.* Vid. Laud. Hotting. in Smegm. Orient. p. 257. & 269.

§. 15. In tanta sententiarum varietate, quæ sit amplectenda, pene nescio. Quum olim quoque tantum hæc ipsa quæstionis de Melchisedeci Persona decisio laboris pepererit, ut Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. & Bakius in Comment. ad Psal. 110. aliique mentionem faciant Scythici cujusdam Abbatis, quem COPREN vocitant; qui, quum discipuli ejus litigarentur, quis Melchisedecus fuisset, negotiumque ad Præceptorem devolveretur, conticuit aliquandiu meditabundus; tandem autem seipsum his allocutus est: Miser Copres, cur à DEO mandata negligeres, & illa scire allaborares, quæ DEUS tibi non commisit? Desistas ab hisce! Præstat hinc forte τὸ ἐπέχειν arripere, quam tacente Scriptura certi quid determinare. Melchisedecum ex hominum genere fuisse nulli ambigimus; sed qua stirpe, quibusve Majoribus ortus fuerit, dicimus cum Prudentio præf. ψυχομαχ. ignotum esse, unique cognitum DEO. Ita sentiunt *Glassius in Grammat. Sacra. pag.* 817. *Edit. 2. p.* 971. *Edit. 3. Fridl. ad c. 7. Ebr. p.* 692. *Gesn. q. 3. in c.* 14. *Gen. Bald. disp.* 8. *in Ep. ad Ebr. aliique.* Nec temere rimandum, quod occultum voluit ipse Spiritus Sanctus.

§. 16. Ad Personæ Melchisedeci descriptionem referendum adhuc est, quod Ebr. 7:3. dicitur: ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μηδὲ ἀρχὴν ἡμερῶν, μηδὲ ζωῆς τέλος ἔχων, quæ prædicata, quo jure Melchisedeco, mortali quippe homini, conveniant, varia est inter Auctores sententia. Impia vero & scurrilis est sententia Judæorum, qui referentibus Eph. hær. 55. l. 2. p. 212. & Centur. Magd. cent. IV. c. XV. p. 1465. dicunt, aut fabulantur potius, ipsum Melchisedecum quidem fuisse justum & bonum Sacerdotem Altissimi, ut Divina habet Scriptura; Verum eo quod fuerit filius Scorti, matrem ipsius nec scriptam, nec Patrem ejus unquam notum fuisse, quam ipsam sententiam refutat Torniellus ad annum Mundi 2118. n. 7. *hæc*, inquiens, *modicam præ se ferre videntur probabilitatem*, *quemadmodum & illud*, *quod* (*Irenæo existimante*) *semper virgo fuerit*, *Quis enim*, *seclusa DEI revelatione*, *de qua nihil prorsus constat*, *hæc scire potuit? Aut unde ea desumere? cum neque ullus alius ex antiquissimis Scriptoribus hæc prodiderit*: *Et in Sacris Libris non semel facta sit mentio parentum*, *etiam illorum*, *qui de illicito concubitu sunt geniti*, *puta de Moab & Ammon*, *Phares & Zarah*, *de Jephte*, *de Abimelech*, *filio Gedeonis & aliis.* Hæc ille. Futilis etiam est opinio, quam Cunacus Athanasio tribuit, Melchisedecum ideo sine parentibus & genere fuisse ab Apostolo dici, quod ejus imprecationibus effectum sit, ut terra ima dehisceret, patremque illius & cunctos absorberet consanguineos. Nugæ quoque sunt, quas Eustachius Antiochenus profert, ideo genus Melchisedeci taceri, quia Majores ejus indigni fuerint, qui cum Viro tantæ virtutis nominarentur. Nec ideo sine Patre & Matre dicitur, quod revera nec Patrem nec Matrem habuerit, & instar Veneris apud Poëtas è spuma maris subito prodierit, vel ut homines facti ex lapidibus, quos juxta Poëtarum fabulas post tergum jecit Deucalion. Nec ἀγενεαλόγητος dicitur, ac si nunquam contraxisset nuptias, virgoque vitam transegisset, uti Suidas, Ignatius Epist. ad Philadelph. & juxta Torniellum, Irenæus tradunt, quod idem vult Georg. Cedrenus in Annal. p. 22. Vel quod sine prole fuerit, uti Hugo Cardinalis ad c. 7. Ebr. vult. Nec fine dicitur carere, quasi nunquam mortuus, sed vivus raptus, vel translatus fuerit, instar Enochi & Eliæ. Sed hæc omnia dicuntur de eo, quod Scriptura nec parentes ejus, nec genus, præterea nec vitæ initium, nec finem, & mortis genus commemoraverit, ut scilicet eo commodius Christi Salvatoris tum Personam tum Officium referre & adumbrare posset, juxta idiotismum Ebræis non ita inusitatum, quo ipsa verba rerum pro notificatione ponuntur. Unde & Syrus vertit: *cujus nec Pater nec Mater scripti sunt in genealogiis.* Quo facit propria vocabuli ἀγενεαλόγητος significatio, qua propriè significat non talem; qui nullum habet genus, sed cujus origo generis memoriæ prodita non est, ut pluribus ex vocabulo γενεαλογεῖν deducit CL. Smidius in notis ad cap. 7. Ebr. p. 1311. Quam ipsam significationem etiam ponit Scapula in Lexico Græco-Lat. p. 940. Nec ab hac ipsa expositione historiæ Orientalis & Arabum monimenta omnino exulantur. Ita enim Patricides: *qui vero*, *inquit*, *dicunt Melchisedeco neque esse initium dierum*, *neque finem vitæ ejus*, *& argumentantur verbis Apostoli Pauli*, *id ipsum adserentis*, *dictum Apostoli Pauli non recte intelligunt. Schem enim*, *filius Noachi*, *postquam accepisset Melchisedecum*, *& à parentibus ejus avulsisset*; *non retulit in chartas tot habuisse annos*,

annos, quum ab Oriente adscendisset, neque tot fuisse natum annis, cum mortuus esset. Erat autem Melchisedecus filius Phalegi, filius Eberi, filius Schalechi, filius Kenani, filius Arphachsadi, filius Schemi, filius Noachi, & tamen ex his Patriarchis nemo appellatur Pater ejus. Hoc tantum vult Paulus Apostolus, neminem ex prosapia ejus templo serviisse, neque etiam filios ac tribus ipsi adsignari. Matthaeus enim & Lucas Evangelistae referebant capita tribuum tantum: Proinde non scripsit Paulus Apostolus nomen Patris ejus, neque nomen matris ejus. Neque dicit Paulus Apostolus, (in hoc errat, expresse enim Paulus verba ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ ponit Ebr. 7: vs. 3.) *neque Patrem habuisse, neque Matrem; sed tantum, non retulisse eos in genealogias.* Hæc Patricides prout recenset Hott. l. supra c. p. 306. Addo insuper, Melchisedecum ita dici tantum *respectu genealogiæ Leviticæ*, cum Levitæ non potuerint esse Sacerdotes, nisi genus suum ad stirpem Levi referre scirent. At quum in hujusmodi Successorum Aaronis censu genealogiam nesciat Christus, oriundus quippe ex stirpe Juda; ideo Melchisedeci quoque genealogiæ nulla in Scriptura habetur ratio, quia illa ad sacerdotium, quo fungebatur, nihil pertinebat, uti clare patescit ex vs. 5. & 6. cap. 7. ad Ebr. ubi differentia constituitur inter utrosque Sacerdotes, quorum illi, Levitæ scilicet, à fratribus suis egressis è lumbis Abrahæ acciperent decimas; hic autem Melchisedec decimas acceperit ab ipso Abrahamo μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν non genealogizatus ex eis. Unde recte quoque B. Dn. D. Franzius in disp. de Pers. Christi §. 46. Melchisedecum dicit omnino Patrem, Matrem, initium ac finem dierum habuisse, tamen ab Auctore ad Ebræos *QUASI* sine patre, sine matre cœlitus delapsum, sine principio, sine fine vitæ, & *QUASI* æternum proponi. Et huic sententiæ, de hac attributorum Melchisedeci expositione, præter citatos calculum adhuc addunt, *Aug. Cypr. Epiph. Chrysost. Tremellius, Vatablus, Beza, Marloratus, Camero, Hyperius, Chamier, Gerhardus, Fridlibius, & nostrates reliqui omnes.*

§. 17. Hactenus Persona Melchisedeci. Nunc quodnam inter mortales *officium* obierit, breviter quoque videbimus. *Duplex* autem id ipsum sistit nobis Sanctus Historiographus, *Regium* videlicet & *Sacerdotale*. Regium Melchisedeci officium clare innuunt S. Literæ, dicentes eum מלך שלם Regem Salem, ubi regia ipsius sedes dicitur שלם, quam referente Isidoro l. 15. Orig. c. 1. ab ipso hoc Melchisedeco, quem, uti dictum, communiter Semen Noachi filium statuunt, exstructam conditamque fuisse, Judæi dicunt, mox post infausta diluvii tempora, quæ postea sequentibus temporibus Jerusalem dicta fuit. [*Notandus hic obiter error Taciti, scriptoris alias prudentissimi, qui l. 5. histor. refert, quosdam Judæos, Hierosolymo & Juda ducibus, ex Ægypto, regnante Iside, velut exundantem multitudinem in proxumas terras se exonerasse, & hinc nomen civitati factum, quod, tanquam apertam antiquitatis ignorantiam sapiens, atrum non injuria calculum promeretur.*] Consentiunt in hoc Josephus lib. 7. de Bello Jud. c. 18. Irenæus, Egesippus, Eusebius Cæsariensis, & Emissenus, Apollinarius, Procopius, Andr. Masius, Ribera, omnesque adeo Doctores Christiani, uti loquitur Hieron. ad Evagr. Conf. Ps. 76: 3. Quod idem etiam exstat in traditione illa antiquissima, quam ex Orientalium monimentis acceptam refert Patricides apud Seld. loco supra §. 14. cit. Alii tamen negant Salem hanc eandem esse cum Hierosolymis, *sed aliud esse oppidum statuunt juxta Scythopolin, seu Nysan*, ut olim vocabatur, prope Jordanem, de quo refertur, quod Johannes baptizaverit in Ænon prope Salin Joh. 3: 23. Cujus etiam meminit Bunting. in Itiner. S. Script. p. 74. Quin, referente Primasio, vestigia quædam regalis Melchisedeci palatii in illo loco monstrari dicuntur, Vid. Hieron. l. c. & ex illo Sixt. Sen. in Bibl. S. l. V. annot. XC. Quanquam rectius forte alii malint pro Jeroboamitici, quam Melchisedeciani palatii ruderibus illa ipsa quæquæ sint, agnoscere vestigia. Vid. prolixe de hac re disserentem sæpius laudatum *Dn. D. Waltherum in Off. Bib. p. 759. seqq.*

§. 18. Cunæus ut reliqua Melchisedeci nomina, sic hoc etiam vocabulum שלם putat esse Appellativum l. supra cit. quomodo etiam idem vocabulum שלם Gen. 33: 18. accipiunt Chaldæus, Cajetanus, Pagninus, Tremellius & Junius, vertuntque sanum, salvum, incolumem. Sed præter id, quod supra §. 10. Observ. 1. Cunæo fuit responsum, adhuc dicimus, quod, si ut Appellativum accipi deberet, dicendum fuisset non שָׁלֵם sed שָׁלוֹם: hoc enim, non illud pacem denotare docent Lexicographi. Confer *Hakspan. in Notis ad h. l. & Gerh. ad c. 14. & 33. Genes. p. 316. q. 7. & 629. q. 3.*

§. 19. *Sacerdotem* etiam præterea Melchisedecum fuisse, clare nobis ostendunt verba: והיא כהן לאל עליון & *ipse Sacerdos DEO altissimo.* Et vocabulum quidem כהן, quod radici כָּהַן Sacerdotem egit, Sacerdotio functus est, sua debet incunabula, proprie Sacerdotem sacris servientem, seu sacra ministrantem denotat, quod deinceps etiam ad primarios ministros in rebus Politicis & secularibus transfertur, & extenditur. Unde filii Davidis כֹּהֲנִים dicuntur, 2 Sam. 8: vs. 18. quod LXX. vertunt; αὐλάρχαι, & 1 Paral. 18: 17. exponitur per הראשנים ליד המלך primos ad manum Regis. Conf. Job. 12: 19. Gen. 41: vers. 45. Exod. 2: 16. Unde etiam in Targum tunc redditur רבא Princeps & in Plur. רברבין Principes, aulæ magnates. Et hinc factum, ut hic etiam aliter atque aliter ab Auctoribus illud ipsum exponatur. Calvinus exponit per Principem, sequutus forte Judæos, qui eodem modo illud Psalm. 110. accipiunt אתה כהן לעולם h. e. ut R. Kimchi explicat: הוא ראש לעם ישראל על־דבר שאתה מלך צדק כמו הכהן כלומר עבד יי וראש: *Tu es caput populi Israel, propterea, quia rex justus es, prorsus, ut Sacerdos summus populi caput est, seu eminet in populo.* Contra quam Calvini expositionem recte dicit Enjedinus, Photinianorum recentiorum alias audacissimus, in Resp. ad Psal. 110. hanc Judæorum interpretationem sequi, neque tutum nobis est, neque fas: Auctor enim Epistolæ ad Ebr. voce כהן ἱερέα, seu sacerdotem denotari adfirmat, id quod sufficere puto ad refellendam Calvini expositionem. Confer *Hakspan. in notis ad h. l. Ejusd. Misc. S. l. 1. c. 5. §. 14. Syllog. p. 505. Tarnov. in Comment. ad Ps. 110.* Ipsumque *Rivetum*, qui contra Calvinum duobus argumentis, quorum unum ex Psal. 110. alterum ex Ebr. 7. profert, Melchisedecum Sacerdotem fuisse, evincit, in Exercit. LXXVI. in Gen. p. 367. Cæterum notetur, quod non simpliciter כהן, sed cum adjuncto כהן לאל עליון dicatur, quod Apostolus per ἱερέα τοῦ Θεοῦ ὑψίστου exposuit. Significatur scilicet, Melchisedecum veri illius DEI, qui solus est עליון Altissimus, Sacerdotem, adeoque non idololatricum quendam sacrificulum, sed γνήσιον veri DEI cultorem fuisse.

§. 20. *Rex* igitur fuit *simul ac Sacerdos*, idque vel *ex jure forsan primogenituræ*, quam sub Semi nomine quidam tribuunt Melchisedeco, de qua re vide supra §. 11. Primogenitis quippe & regnum competebat, & sacerdotium, uti ad locum Gen. 49. vs. 3. recte monet Chaldæus interpres. Vel etiam alias *ex consuetudine Veterum*, qui Sacerdotibus, summis præcipue, quorum scilicet probitas, prudentia, vitæque sanctimonia explorata satis erat, clavos imperii, seu gubernacula rerum politicarum & religionis simul concredebant. Sic Eli & Samuel Sacerdotes simul erant & Judices, Maccabæi & Sacerdotium tenebant & Imperium. Sic etiam apud alios populos moris erat. Cosinga apud Thracas Junonis simul erat Sacerdos & belli Dux & Imperator. Numa Pompilius Reipublicæ simul & Religioni præerat. Crassus Licinius Consulatum gerebat & Pontificatum maximum. Sic Reges apud Lacedæmones, quamprimum ad Regiam adspirarant dignitatem, Sacerdotio Jovis fungentes, porcellos pro more immolabant. Apud Ægyptios moris erat ex Philosophis Sacerdotes, ex Sacerdotibus probatissimum in Regem eligere. Unde Mercurius Τρισμέγιστος h. e. termaximus cognominatus fuit, quod nimirum Philosophus maximus, Sacerdos maximus, & Rex maximus esset. Testatur quoque id ipsum Servius, Majorum, inquiens, erat hæc consuetudo, ut Rex etiam esset Sacerdos vel Pontifex. Hinc etiam Virgilius domum, cui Pontifex inhabitabat, regiam dicit 8. Æneid. Idemque de Anio l. 3. Æneid. canit:

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique Sacerdos.

Conferatur quoque Aristoteles l. 3. Polit. c. 10. Quo etiam juxta Joh. Manlium in Collect. Loc. Com. p. 583. spectat, quod Homerus Principes vocat concionatores, quia, ut citatus auctor loquitur, prima potestas antiquitus fuit regia & Sacerdotalis.

§. 21. Sic fuit descriptio, ad *actiones* Melchisedeci II. progredimur, quarum *unam regiam*, panis & vini prolationem, *alteram Sacerdotalem*, benedictionem scilicet fuisse, supra diximus.

§. 22. Prior Melchisedeci actio proponitur in textu hisce verbis: הוציא לחם ויין *Extulit, seu protulit panem & vinum*, in honorarium scilicet & refectionem militum. Oblationem siquidem talismodi panis & vini venientibus ex bello pacis ac benevolentiæ signum seu Symbolum fuisse apud Pererium in cap. 14. Gen. Hugo Victorinus contestatur. Quod ipsum etiam apud Paulum Fagium ab Ebræis confirmatur. Exempla insuper talismodi oblationum in profanis simul & Sacris prostant hinc inde Deut. 23: 24. Judic. 8: vs. 5. & 15. Sic Imperatoribus bellicis cum exercitu appropinquantibus commeatum in viam delatum fuisse ex Annibalis exemplo Livius lib. 31. & Polybius l. 3. contestatur. Vid. CL. Ursinus in Anal. S. Vol. 1. pag. 369.

Facit pro hac nostra sententia Josephus l. 1. Antiq. Jud. c. 18. *Hic*, inquiens, *Melchisedecus milites Abrahæ hospitaliter accepit, nihil iis ad victum deesse passus, simulque ipsum Abraham mensæ adhibitum meritis laudibus excepit.* Philo etiam lib. de Abr. prolationem hanc panis & vini *splendidum dicit epulum*, quod hoc loco à Melchisedeco fuerit institutum.

§. 23. Pontificii ex hac panis & vini prolatione sacrificio suo missatico præsidium quærentes Melchisedecum fingunt ad propinquante Victrici Abrahami cohorte sacra fecisse & consecrasse DEO panem & vinum loco sacrificii, adeoque hac ipsa actione significatum & præfiguratum fuisse sacrificium istud missaticum, quod incruentum vulgo vocant, quo panem & vinum offerunt & consecrant DEO pro vivis simul & mortuis. Et ita favent huic loco, quem invictam Missæ suæ putant ἀκρόπολιν, ut Conciliabulum Tridentinum missis aliis argumentis in hoc solo Melchisedeco hæreat Sess. 6. Bellarminus etiam in loco de Missa c. 6. p. m. 1308. præ cæteris prolixius urgeat hoc ipsum argumentum. Quod idem facit etiam Becanus in Manuali lib. 1. c. 10. p. m. 201. Petrus Coton, Jesuita & Regis Galliæ confessionarius Instit. l. 3. Eccl. milit. c. 51. Jesuita Colowrat, nobilis Bohemus, qui collocuturus cum Helvico Garthio hanc ipsam de Melchisedeco sumsit materiam, certam inde sibi victoriam pollicitans. Lyranus in cap. 14. Gen. graviter irascitur Judæis, sacrificium in hac prolatione panis & vini agnoscere nolentibus. Confer Pistor. in Hodeget. p. 428. Blanchot in indice Controversiarum fidei pag. 674. Bellarminus in Comment. ad Psal. 110. pag. 654. reliquosque fere omneis. Cui Pontificiorum sententiæ favere videtur vetustissima illa traditio, cujus ex Patricide supra mentionem fecimus, in qua inter alia mandati verba, quod Noachus à Lamecho Parente de corpore Adami condendo, & Melchisedeci habitaculo accepisse dicitur, etiam hæc habentur: *Impera autem Melchisedeco ei dicens, quod in illo loco (ubi scilicet condendum erat corpus Adamiticum) sedes sibi ponat, nec uxorem ducat, sed ut religiosus reliquos vitæ suæ dies transigat, quoniam DEUS eum elegit, ut ministret coram eo. Nec ædificet sibi templum, nec sanguinem effundat, seu pecoris, seu volucris, sive alius cujusspiam animalis, nec offerat illic oblationes alias præter panem & vinum, quæ DEO offerendæ sunt, quoniam inde erit salus, seu Salvator Adæ.* Traditio autem cum sit, præter, quin contra Scripturam data, merito venit rejicienda.

§. 24. Rationes Pontificiorum, quas pro statuminanda hac sua sententia adferunt, quod breviter concernit, non adeo sunt urgentes, ut ad ipsorum castra transire ulla nobis ratione persuadeant. (1) desumta est à *significatione vocabuli* הוציא, quod plerique eorum per *offerre, seu sacrificare* explicant, adducuntque præ cæteris locum Judic. 6: 18. Verum brevissimis negamus omnimode sacrificalem hanc vocis הוציא significationem, quicquid etiam blaterent gerrones pontificii. (α) *enim generale est vocabulum* descendens à rad. יצא *exiit, prodiit, progressus* vel *egressus est*, adeoque generaliter significans *produxit, protulit, extulit, exire fecit.* Unde etiam (β) Chaldæus pro הוציא ponit. אפיק, quod in Aphel significat *exire fecit, emisit, protulit*, & apud Syros *expendit, sumtus fecit*, nuspiam autem sacrificium obtulit, & LXX. per ἐξήνεγκε *extulit, exportavit, depromsit*, transtulere. Addo (γ) quod in plurimis Scripturæ locis non nisi absurdissime de sacrificandi actione possit explicari, v. g. Gen. 19: 13. Exod. 8: 18. Psal. 104: 14. &c. (δ) hoc loco vocabulum הוציא non *physicam*, sed *moralem causam in jussione & procuratione* constantem more verborum in Hiphil, quæ sæpe mandatum, seu procurationem alicujus rei inferunt, innuit, scilicet Melchisedecum non ipsum panem & vinum protulisse; sed à ministris suis ut proferatur, curasse ac præcepisse. Præterea (ε) *panis & vini* nomine more Ebræorum, *variatum esculenta, tum potulenta*, multaque adeo rerum opportunarum abundantia κτ̀ συνεκδοχὴν comprehenduntur, de quo videatur Hakspan. in notis ad h. l. Meisn. Philos. sobria part. 2. p. m. 414. Magnif. Dn. D. Geierus in Proleg. ad Ps. Part. 2. p. 507. Nec (ζ) adductus ex Judic. 8. locus aliquid causæ pontificiæ patrocinabitur. Distinguimus enim cum Riveto in Exerc. 76. in c. 14. Gen. p. 367. inter *acceptionem vocis per se*, & sic nunquam sacrificandi significationem obtinet, & inter *acceptionem vocis cum certo adposito sacrificium denotante*, quo casu tamen adhuc cum B. Meisnero l. c. distinguimus inter *ipsam hostiæ ad- seu productionem*, & ejus *immolationem.* Quid quod Tremellius & Jun. in Schol. p. m. 227. n. 11. prolatum illud munus explicent non de sacrificio, sed de *cibo*, *qui ad vescendum Angelo fuerit præpositus.*

§. 25. Nec (2) est, quod instent Pontificii, particulam ו in voce sequenti והוא, *& ille*, h. l. sumi *causaliter*, ita ut causam prioris denotet h. m. *obtulit panem & vinum, quia erat Sacerdos Deo.* (1) enim negamus sumi heic *causaliter*: sed potius *copulative*, uti explicuit & transtulit Hieron. tom. 3. in Trad. in Gen. vel *adversative* pro autem, ut idem Hieron. tom. cod. & in Epist. ad Evagr. vertit. (2) posito sumi *causaliter*, tunc referendum erit non ad *antecedentia*, sed potius ad *consequentia*, benedictionem scilicet Melchisedeci, hoc sensu: & *quia ille erat Sacerdos Dei benedixit Abraham.* Cui succurrit collatio cum c. 7. Ebr. ubi clarissime benedictio ad Melchisedecum tanquam ad Sacerdotem refertur. Regerit ad hoc Bellarminus urgendo *accentum distinctivum Soph Pasuk*, qui verba hæc: *erat Sacerdos Deo*, à sequentibus distinguit, & cum antecedentibus connectit. Sed breviter cum Hakspan. in notis ad h. l. & in Misc. S. l. 2. c. 5. §. 12, 13. respondemus, non semper & ubique procedere, accentus distinctivos distinguere, maxime Silluk & Soph Pasuk, id quod multis è Scriptura exemplis probat jam laudatus Auctor l. c. sed dici distinctivos *non ratione actus*, quod semper distinguant, sed *ratione officii*, quod est distinguere, ubi & quando distinctione opus est. Quid quod plerique Pontificiorum, quos vide apud Gerh. in Conf. Cathol. Epit. l. 2. tom. 2. p. 1033. statuant, *puncta esse recens inventum Rabbinorum.* Unde ex eorum collocatione juxta hanc illorum hypothesin non potest in articulis fidei firmum ab iis argumentum desumi.

§. 26. Urgent ulterius (3) vocabulum כהן, quod Maldonatus, mire de hoc sibimet ipsi blandiens, in Comment. ad Ps. 110. non *nominaliter*, sed *participaliter de actu sacrificandi* exponit, ut non Sacerdotem, sed sacrificantem denotet, & sit participium præsens in Kal. Verum, præterquam, quod radix Ebræa כהן in Kal non sit in usu, sed saltim in secunda Conjug. Piel, Epistola ad Ebr. c. 7. loco כהן ponens ἱερεὺς, voculam hancce כהן *non ut participium, sed ut nomen* esse interpretandam, clarissime ostendit. Vulgata præterea, quam sub anathematis pœna refutare Papicolis interdictum, bis exponit non per participium, sed per nomen: *erat Sacerdos DEI Altissimi.*

§. 27. Nec (4) obstat auctoritas Patrum, quorum dicta favere aliquantulum videntur causæ pontificiæ, v. g. quando August. l. 16. de C. D. c. 22. *ibi*, inquit, *primum sacrificium, quod nunc à Christianis offertur DEO in toto terrarum orbe, impleturque dictum Prophetæ: Tu es Sacerdos, &c.* Hieron. ad Marcellam tom. 1. p. 123. *Melchisedec in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine dedicavit.* Similis est sententia Ambrosii l. 4. de Sacram. cap. 3. Basilii in Psal. 110. aliorumque, quos plures pro parte sua adducit Bellarm. Tom. 3. l. 1. cap. 6. de Missa. Videndum enim est, quæ sit vera Patrum horum in hac collatione sententia. Nimirum, tertium collationis, seu comparationis Melchisedeci & Christi ponunt in hoc, quod sicut Melchisedecus lassis & fessis Abrahami militibus panem & Vinum in refectionem obtulit: Sic Christus offerat sub pane & vino sanctissimum suum corpus, & sanctissimum suum Sanguinem in refectionem & recreationem animarum, onere peccati oppressarum, tantumque non confectarum. Nefas autem erit contra mentem SS. Patrum, quin ipsius Spiritus S. cujus divina Veritas & auctoritas in talismodi fidei controversiis præprimis est respicienda, ac observanda, similitudinem ultra suum tertium extendere, & ad sacrificium talismodi incruentum, quod missam vocant Sacrificuli, verba hæc torquere. Vid. Aret. Felinus in Explanatione Psalm. 110. Quo (5) accedit ipsa Oleastri, Inquisitoris Hispanici, confessio, altum hic de missa esse silentium, & minus recte Vulgatum per *enim* particulam ו in voce והוא fuisse interpretatum, ingenue confitentis. Idem etiam Cardinalis Cajetanus in Comment. ad h. l. fatetur, *nihil*, inquiens, *scribitur de sacrificio, vel oblatione, sed de extractione, seu prolatione, quam scribit Josephus factam ad reficiendos victores. Quod autem in Vulgata Editione subditur ut causa oblationis: erat enim Sacerdos &c. in Ebræo non habetur ut causa, sed ut separata particula.* Quas in parteis etiam ire videtur Gabr. Vazquez disp. 87. cap. 3. art. 6. qui concedit, hoc etiam loco verbum *proferre non significare idem quod offerre, sed solum simpliciter depromere & in medium adducere*, quo sensu Chrysostomum & Epiphanium hic accepisse nullus negat. Videant hic Romanenses, quid ipsi suis in religione συνοικέταις respondeant. Cæterum de hac controversia graviter & prolixe disputant *B. Gerh. in Comment. ad h. l. & in Conf. Cath. l. 2. part. 2. pag. 1028. seqq. Rungius ad eundem locum, Bakius & Tarnovius in Ps. 110. Chemnit. in Exam. Conc. Trid. pag. 340. seqq. Chamier in Supplem. Panstrat. Cathol. Tom. 4. cap. X. pag. 41. Rivet. in Exercitat. in cap. 14. Gen. aliique.*

§. 28. Alteram Melchisedeci actionem, quam ut Sacerdos peregit, *Benedictionem* fuisse diximus. Vir enim venia Rex

pius

pius & munificus exhibuerat cohortibus Abrahamiticis, ecce bona & prospera quævis Abrahamo Victori apprecans, DEOQUE pro concessa illustri hac victoria laudes exsolvens, sacerdotis quoque munere fungitur. Duæ autem solennissimæ hujus benedictionis partes sunt, una quidem *votum devotum*, seu piam precationem; altera vero *devotam erga Deum gratiarum actionem* comprehendens.

§. 29. Prior pars continetur his verbis: *Benedictus Abraham DEO excelso, Possessori cœli & terræ*: quæ partim sunt *gratulatoria*, quod Abraham in tanta sit apud DEUM gratia, ut singulariter præ cunctis mortalium electus sit ac vocatus hæres seminis benedicti: partim *confirmatoria*; confirmare scilicet annititur Rex piissimus piissimi Patriarchæ, peregrinantis jam, & extra paternos Lares exulantis fidem, ostendens, victoriam, quam DEUS ipsi concesserat, esse τεκμήριον & signum evidentissimum, ex quo certo posset colligere, se curæ cordique Supremo Numini esse, promissionique adeo sibi ab eo factæ eventum ipsum certo certius fore responsurum. Cæterum notetur circa hanc partem (1) *usitata benedictionis seu voti formula*, quando dicitur ברוך לאל *benedictus* (scil. sis) *DEO*, seu *beet te DEUS*, tanquam benedictionis Auctor, Dominus ac defensor tuus, qui Te sibi habet commendatissimum, felicitate non vana aut umbratili, sed solida, vera & omnigena, qualisnodi votorum formulæ plures in V. T. hinc inde occurrunt, v. g. 1 Sam. 25: vers. 32. 2 Sam. 2: vs. 5. Psal. 115: 15. (2) *Philologica vocularum quarundam enodatio.* Et quidem (α) ברך est vocabulum μέσον, significans tum *benedicere*, tum etiam *maledicere*. Et posteriorem quidem significationem obtinet *non per antiphrasin*, uti putat Schindl. in Lex. Pentagl. pag. 251. nec quia ברך idem est *ac valedicere, renunciare, abnegare*, uti vult Martinus de Roa l. 1. Sing. cap. 9. in Append. sed *ex idiotismo linguæ*, quomodo apud Latinos etiam sacrare, imprecari bona simul & mala significatione gaudere notum est. Quanquam accuratius forte juxta Seldenum de Jure N. & G. pag. 253. propria ejus significatio statuitur esse, *ardentiori quodam animi adfectu homini optare & imprecari sive salutem sive exitium, & DEO tribuere sive laudes & gratias, sive probra & contumelias.* Quando autem vocula hæc ברך *de DEO* dicitur, tunc intelligitur *benedictio non tantum in λόγῳ seu voto*, sed præprimis *in ἔργῳ seu ipsa collatione consistens*, quæ ideo etiam à Theologis *benedictio potestatis* dici adsolet, & sic idem est ac benefacere, seu beneficia conferre, quo sensu etiam h. l. sumitur. De *tertia vocis hujus significatione, qua per genua flectere* vertitur, videbimus §. seq. (β) קנה Possessor seu possidens, particip. à קנה, quod proprie significat acquisivit, seu acquisitum possedit, vel *jure emtionis* Gen. 24: 10. *paternitatis* Gen. 4: 1. *generationis* Prov. 8: 22. *creationis* ut h. l. & Psalm. 139: 13. ubi vocabulum קנית explicatur, possides renes meos, id est, imperium semper habuisti, habes & habebis plenum in ea, quæ apud me sunt arcanissima, unde & Lutherus vertit, du hast meine Nieren in deiner Gewalt. Quando ergo DEUS hic dicitur קנה שמים והארץ possidens cœlum & terram, innuitur solum DEUM plenum, summum & unicum in cœlum & in terram, & per Synecd. in omneis in cœlo & in terra viventes, vigentes, & existentes creaturas ex jure creationis obtinere. Male LXX. h. l. ut Prov. 8: 22. vocabulum קנה exponunt per ἔκτισε creavit, id quod contra antiquos notandum adversarios, Divinitatem Filii DEI ex hac ipsa versione Prov. 8: 22. impugnare conanteis. (γ) שמים. Unde vocabulum hoc descendat, variant Rabbini & Philologi. Nonnulli putant esse *compositum ex* שם *ibi & מים aquæ*, quod Munstero, alii unico *vocabulo* שם *terminationem dualem adjectam* esse ad innuendam *polorum duplicitatem*, aut *duorum Hæmisphæriorum æqualitatem*, quod Schindlero in Lex. Pentagl. vel propter *duplices aquas*, quod Forstero in Dictionario, alii deducunt *ab* אש *ignis & מים aquæ*, quod Rabbinorum nonnullis, alii *à* שאה *stupere, quod homines stupescant de mirando ejus opificio*, quod iterum pluribus Rabbinorum placet, quorum sententiæ videri possunt apud Buxt. in Lex. Ebr. p. 820. CL. Hottingerus convenientissimam dicit esse deductionem *à rad. obsoleta & Arabicæ originis* שמה *altus, sublimis, elatus fuit*, quia est sublimior mundi pars, id quod bene observavit Aben-Ezra scribens: טעם שמים גובה ומעלה וכן בלשון ישמעאל שרבו על מתכינת לשון הקדש: *Significatur Schamajim est altitudo & eminentia, uti est in lingua Ismaelitica, quæ in plerisque linguæ Sanctæ conformis est.* Vid. Meisn. part. 1. Sect. 3. c. 4. q. 1. p. m. 524 Phil. Sobr. D. Maukisch in notis Philol. Theol. circa not. DEI natur. p. 37. Hottin. in præf. ad Thes. & in ipso Thes. Philol. p. 232. Smegm. Orient. p. 70. ut & in hist. Creationis f. Εξαημ. q. 12. p. 24. Notandum etiam obiter de hoc vocabulo שמים est, quod Rabbini eodem pro ipso DEO utantur, teste Elia in Thisbi לפי מהם מכון שבתו *quia cœlum est sedes Ejus.* Unde communiter quoque dicere solent כל לשם שמים *omnia ad cœlum* i. e. propter DEUM, תנוחמו מן השמים *consolationem accipiatis è cœlo* i. e. DEO, Majem. in Hilchos Evel c. 13. Et fortassis etiam hinc nata Ebræorum phrasis, *peccare* בשמים *in cœlum* h. e. contra DEUM ex Midrasch Kohel. c. 9. v. 12. Quo referunt nonnulli loca illa N. T. Matth. 21: 25. Luc. 20: 4. & c. 15: 18. *Vid. Dissert. Philol. de Nom. DEI M. Aug. Pfeifferi, Adversf. S. Fesselii l. 4. c. 6. §. 2. p. 349. Hotting. dissert. 4. de Nom. DEI Orient. p. 284. Theol. Zachar. Dorsch. part. 1. p. 199.* (δ) ארץ, quod nonnulli derivant à rad. רצץ trivit, quod ab incolis suis teratur & conculcetur, quomodo à Latinis terra dicitur à terendo. Alii à rad. רוץ deducunt, quod *super terram currant*, quod Forsterus in Diction. putat. M. Marcus Marinus in Arca Noæ p. 48. *ipsam* statuit *radicem* significantem locum inferiorem, vel partem infimam cujuscunque rei, cum quo facit etiam D. Maukisch l. supra cit. pag. 103. Hotting. iterum *ab Arab. rad.* ארץ *humilis, depressus fuit*, vocis hujus accersit originem, recteque ait, Chaldæis ארעא (mutato unico צ in ע, quod juxta Buxt. in Lex. Syro Chald. p. 41. nihil infrequens est in Chaldaica lingua) quasi *imam* dici. כי היא למטה מהכל *quia*, ut iterum Aben-Ezra scribit, *omnibus rebus inferior est.* Unde etiam Scripturæ phrasis est *deprimere* לארץ *ad vel in terram*, i. e. infime, abjectissime. Notandum præterea juxta Pagninum in Thes. cum notis Merceri p. 175. ארץ cum 6. punctis esse nomen commune comprehendens terram universaliter tam habitabilem, quam inhabitabilem, & distingui à vocula תבל, quæ orbem tantum significat habitabilem. Unde quando DEUS dicitur קנה הארץ, innuitur, nullam terræ dari, vel cogitari etiam posse particulam, cujus non possessor, Rex ac Dominus, DEUS esset. Ex qua eleganti Divini Numinis descriptione ὀφθαλμοφανῶς iterum patescit, Melchisedecum non fictitia Cananæorum idola; sed eundem, quem Abraham, verum DEUM, Creatorem & Possessorem cœli terræque fuisse deveneratum.

§. 30. Posterior pars absolvitur hisce verbis: *Et benedictus DEUS altissimus, qui tradidit hostes tuos in manu tua.* Gratias scilicet persolvit DEO pro tam insigni victoria, quam reportavit ab hostibus suis Abraham, quam, solius quippe excelsi & veri DEI munus & beneficium, publice ita deprædicat. Notetur insuper circa hæc, aliam ab ea, quam §. præced. adduximus, significationem h. l. obtinere voculam ברך benedictus. Nimirum ברך benedixit unum est ex *quatuor illis vocabulis, queis Ebræi honoris cultum describunt*, v. g. (1 השתחוה *corporis totius prostrationem* denotat ex more Orientalium, quod Græci reddiderunt προσκυνεῖν, Latini adorare. Sic sumitur Psal. 95: 6. & 96: 8. (2) קדד *quod verticis incurvationem* juxta R. Salom. Gen. 43: 28. significat, quomodo sumitur Gen. 24: 26. & 48. Unde etiam inde descendit קדקד quod notat verticem, seu supremam corporis partem plantæ pedis oppositam. (3) כרע quod juxta R. Kimchi proprie *capitis incurvationem cum quadam corporis parte*, seu *demissionem capitis, cum superiore corpore usque in genua.* Sic sumitur Esth. 3: 2. 2 Reg. 19: 18. 2 Paral. 29: 29. Psal. 22: 30. Et (4 ברך quod *genuflexionem* denotat. *In Kal* quidem *absolute* significat *genuflectere*, in *Piel* autem *genu flexo laudes & beneficia alterius extollere, deprædicare.* Sic sumitur Psalm. 95: 6. Tradit hanc distinctionem ex Thalmud in Lib. שבועות fol. 16. 2. & Megill. fol. 22. 2. CL. Buxtorf. in Lex. Ebræo-Chald. pag. 89. Qua in significatione vocabulum ברך etiam h. l. sumendum & explicandum esse textus clare innuit. Humiles enim gratias, quarum τεκμήριον est genuflexio, agit Melchisedech Deo, pro concessa Abrahamo, suo τῆς πίστεως οἰκείῳ victoria tam præclara & mirabili.

§. 31. Hactenus Melchisedecum tum quoad personam, tum quoad Officium consideravimus, restat adhuc III. *Abrahæ Melchisedeco facta decimatio*, quam breviter etiam discutiemus. Describitur autem pauculis hisce verbis: *Et dedit ei decimas omnium.* Quæ locutio ambigua est, cum tam ad Abrahamum, quam ad Melchisedecum hæc ipsa decimatio referri possit. Judæi Abrahami gentis suæ conditoris philtro quasi inebriati, ad Melchisedecum decimationem hanc referre gaudent, ac si Abrahamo Patriarchæ decimas bonorum omnium dederit. Sed, præterquam, quod talisnodi *Enallage Personæ*, qua sæpe ab una tacito nomine transitur ad aliam, quæ ex circumstantiis cognoscenda relinquitur, in Sancta lingua non sit infrequens, nec ignota Doctoribus Rabbinicis, contrarium nobis Christianis patescit ex ipsa ad Ebræos scripta Epistola, ubi ῥητῶς dicitur, Abrahamum Melchisedeco decimasse de omnibus. Cui nostræ sententiæ è Judæis quoque calculum addit R. Josua Filius Karcha, de quo in Pirke Eliez. c. 27. ita dicitur: *R. Josua, Filius Karcha* ait *Abra-*

Abrahamus primus incepit offerre decimas in mundo. Accepit autem omnes decimas Sodomæ & Gomorrhæ atque Lothi Filii fratris sui, deditque Semo, Filio Noachi, juxta illud: atque obtulit illi decimam de omnibus. Gen. 14:20.

§. 32. Decimas ipsas quod attinet, quæritur, *quarum rerum decimas exsolverit Abraham?* מעשר, quod in textu authentico exstat, & à rad. עשר decimavit, decimas accepit, suam deducit originem, *generale est*, & decimam partem de re quacunque denotat. Eadem generali loquendi formula utitur Chaldæus: *dedit ei unum de decem ex omnibus.* Eandem latam significationem obtinet vocabulum Græcum δεκάτης, *decima* scilicet pars. Unde & Scriptores Arabici, Elmacinus & Patricides decimas porrexisse scribunt Melchisedeco de *omnibus suis facultatibus, seu de omnibus, quæ secum haberet.* Epistola ad Ebr. cap. 7:4. exponit per ἀκροθίνια, quod descendit ἀπὸ τοῦ ἄκρου & θινὸς, quasi τὰ ἄκρα τοῦ θινὸς, *summitates acervi*, seu *primitiæ ex summo acervo*, sive ex summitate acervi excerptæ. Hinc proprie à nonnullis pro *primitiis frugum* sumuntur, quæ alias dici solent ἀπαρχαὶ, quasi ab ἀρχῆς γεννημάτων τῆς γῆς. Homero vocantur θαλύσια, παρὰ τῷ θάλλειν Iliad. ι. Ebræis sunt ראשית קציר initium seu primitiæ messis, quod LXX. vertunt πρωτογεννήματα Lev. 23:10. Vid. Pas. in Lex. Ab aliis sumuntur pro *primitiis manubiarum*, Herod. l. 1. & 8. Thuc. l. 1. Eurip. in Phœniss. Philostr. Sophista, aliique. Moris enim erat ad Veteres non primitias frugum solummodo; sed spolia quoque ab hoste reportata, imprimisque eorum decimas DEO offerre, quod inter alia ex 1 Sam. 15. probari posse videtur. Et ex historia Romanorum, aliorumque notum est, quod decimam prædæ partem sæpius Jovi aut aliis Diis nuncupaverint, quo factum, ut & Jovi nomen *Prædatoris* accreverit. Et à Posthumio quidem id ipsum factum esse obtenta belli Latini victoria, nec non ab aliis Romanorum ducibus, Dionys. Halicarnas. l. 1. Livius, aliique referunt. Sic Xenophon in Cyro l. 5. *hic etiam*, inquit, *pecuniam de captivis collectam partiti, eamque, quam decimæ nomine aut Apollini aut Ephesiæ Dianæ voverant, consecrandam Prætores accipiunt.* Idem in Agesil. *Hostium*, inquit, *ita fruitus agro est, ut duobus annis centum talenta & amplius DEO apud Delphos decimam dedicaret.* Quum igitur h. l. ipsa historiæ ratio poscat, quæ satis luculenter edocet, Abrahamum feliciter à cæde hostium reversum, recuperata omni Sodomorum substantia, quin præter hancce optumis etiam spoliis hostibus ereptis, decimas obtulisse Melchisedeco Sacerdoti DEI Altissimi; ideo non difficulter inde colligimus, hoc loco in specie agi *de decimis non bonorum Sodomiticorum*, hæc enim recusavit magnanimus Abraham; sed *manubiarum à victis & fugatis hostibus reportatarum, quæ jure belli legitimi propriæ cesserant Abrahamo*, quomodo plerique interpretum & Commentatorum explicant, & ipse *Megalander noster Lutherus* cit. cap. VII. Ebr. interpretatus est. Hinc etiam *CL. Smidius in Vers.* cap. VII. Ebr. vers. 4. τὰ ἀκροθίνια specialiter vertit per Spolia hostium. Confer etiam *Joseph. Antiquit.* Jud. l. 1. cap. 18. & ex illo *Polydorum Virgil.* de rerum Invent. l. 6. cap. 14. p. m. 583.

CAPUT II.

Typi ad Antitypum accommodationem continens.

§. 1. HActenus Typus, sequitur nunc Antitypus, quem egregie refert non regius tantum Psalmista David in Psalm. 110. sed præterea etiam Epistola ad Ebræos (cujus auctor non absurde creditur Paulus σκεῦος istud ἐκλογῆς Act. 9. & ab ipso DEO in tertio cœlo edoctum instructumque 2 Cor. 12.) hinc inde, præcipue vero in cap. 7.

§. 2. Antitypus autem ille nemo alius est, *quam Christus* Θεάνθρωπος, Μεσίτης καὶ ἱκέτης *noster unicus*, id quod probatur (1) *ex supra cit. Psal.* 110. ubi Messias (*non enim nec de Abrahamo, uti Talmud Massechet* נדרים *& R. Lipmannus, de quorum sententia videatur Christ. Gerson Judæus conversus in Tractatu suo Chelek, seu* Talmudischer Jüdenschatz *dicto p.* 277. *nec de Davide, uti Aben-Ezra, Kimchi, & hisce pollicem premens Calvinus volunt, nec de Ezechia, uti iterum Judæorum nonnulli putant de quibus vide Justinum in Dial. cum Tryph. p.* 241. *nec de Zerobabele, aut Angelo Davidis tutelari, prout iterum Recutitorum quidam sentiunt, quos refutatos vide apud Bak. in Comment. Exegetico-Pract. in Psal. part.* 3. *pag.* 145. *sed de Messia, Filio non tantum, sed etiam Domino Davidis, de quo tum Targum Jonathan, Filii Uziel tum alii Rabbinorum Judæorum ipsa Divina* ἀληθείᾳ *convicti exponere satagunt, quos vide apud Petrum Galat. de arcanis Cathol. Verit. lib.* 3. *cap.* 5. *lib.* 8. *cap.* 34. *lib.* 10. *cap.* 5. *Psalmum hunc exponimus:*) Vocatur כהן לעולם דברתי מלכי־צדק *Sacerdos in seculum juxta ordinem Melchisedec*; non quidem ea ratione, ac si Melchisedeco successerit in sacerdotio, qualiter Aaroni succedentes Sacerdotes secundum ordinem Aaronis dicebantur, sed ad rationem vel conditionem Melchisedeci, quod Melchisedec fuerit ἀφωμοιωμένος τῷ τοῦ Θεοῦ Υἱῷ, adsimilatus Filio DEI, seu quatenus Filius DEI tanquam antitypus comparatur cum Melchisedeco tanquam typo. Nec quicquam circa hunc locum moramur vel Judæorum, & ex iis primario R. Dav. Kimchi, quippe corda gerentium & oculos præconceptis opinionibus, ceu velamento quodam, obnubilatos, vel aliorum etiam eximium huncce locum alio torquentium φλυαρίας, (quæ videri possunt apud Hakspan. in notis Philol. Theol. ad h. l.) sed instar fili Ariadnei sequimur (2) ductum & explicationem Apostoli in supra laudata Epist. ad Ebræos, satis scilicet clare Melchisedeci historiam ad Christum Θεάνθρωπον tum quoad *singularem ejus Personam*, tum quoad *sublime Officium* accommodantis. Quod enim perduelles Christi, Sociniani, hunc Apostoli locum perverse explicent, ac si esse sine patre & sine matre, idem sit ac esse inceptorem & consummatorem fidei, nugæ sunt inanesque gerræ, quæ eadem facilitate, qua in medium afferuntur, etiam auferuntur. Vid. *Krom. Theol. Pos. Polem. pag.* 172.

§. 3. Et *Personam* quidem quod attinet, elegantissime ipsam refert Melchisedecus noster, quando dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος, quæ nomina, seu prædicata, quo jure, quaque ratione ipsi competant supra cap. 1. §. 15. exposuimus, scilicet non κατὰ τὸ εἶναι, sed κατὰ τὸ λέγεσθαι, non *ratione generationis* ac si nunquam habuisset patrem ac matrem, sed *ratione commemorationis*, quia in Scripturis S. nec parentum nec generis ejus ulla fiat mentio, quo scilicet eo commodius figuram Christi Salvatoris nostri referre valeat, qui Servator noster & κατὰ τὸ εἶναι est ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος, quibus attributis diversæ in Christo naturæ, *Divina & Humana* non obscure nobis innuuntur.

§. 4. Et *Divina* quidem *Salvatoris natura* clare satis nobis ostenditur, quando dicitur ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Quoad hanc enim naturam vere dicitur ἀμήτωρ, *carens matre*, quum Pater æternus ab omni æternitate *immediate & sine officio matris*, uti loquitur *Lactantius l.* 4. *de vera sap. cap.* 13. Filium suum ex sua essentia, *non tanquam ex materia*, sed tanquam *principio producente, non essentiæ divisione*; sed *ejus communicatione* produxerit. Modus autem æternæ hujus γεννήσεως anxie quidem, frustra tamen à plurimis inquiritur, cum sit ἄῤῥητος ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν. Notæ quidem sunt Patrum hac de re locutiones, Patrem Filium *cogitatione* genuisse, quod probant ex nominibus quando dicitur Λόγος Joh. 1. Imago Ebr. 1. Splendor Patris Col. 1. Sed cogitationes ipsæ sunt, magis ad illustrationem, quam plenam & perfectam modi generationis determinationem facientes. *Et quid magni haberet Filii DEI generatio, si angustiis intellectus tui comprehenderetur, qui suam ipsius generationem vel in totum nescit, vel quandam cognitionem ejus ita exiguam habet, ut dicere etiam sit pudor*, inquit, *Nazianzenus lib.* 3. *de Theol.* Credimus igitur, etsi non sciamus modum, moti variis Scripturæ dissertis enunciationibus, quarum palmaria fere est illud Psalmi 2. *Tu es Filius meus, hodie genui te.* Ubi per Filium, non Davidem, sed ipsum DEI Filium intelligi, constanter contra Photinianos adserimus, tum ex ipso ipsius Psalmi contextu, maxime ultimis ejusdem verbis; beati qui confidunt in eum. Maledictus autem qui fidit in *hominem* Jerem. 17:5. Beatus contra, qui fidit in *DEUM* Psalm. 84: vers. ult. tum ex testimonio Novi Testamenti Actor. 4:25. seq. cap. 13:33. Ebr. 1:5. ad Christum illud effatum unice applicantis. Nec *metaphorice* Christus Salvator Filius DEI dicitur, sed maxume proprie, juxta illud *Athanasii in Epist. ad Serap. Pater æternus proprie est Pater, & Filius proprie est filius*, & *Damasc. l.* 3. *de orthod. fid. c.* 9. *nomina Paternitatis, filiationis, & processionis non sunt ex nobis ad beatam illam divinitatem translata, sed contra inde ad nos traducta.* Nec vocabulum היום hodie *certum & definitum diem*, quod Ostorodus contra Tradel. part. 2. cap. 7. p. 145. Smalzius contra Smiglec. c. 11. p. 105. volunt; sed *infinitum æternitatis* νῦν, seu durationem præsentem in æternitate, ubi nihil est præteritum, nihil futurum, denotat. Nec est quod neget Smalz. l. c. voculam יום dies, tribui æternitati, vel æternitatem describi per dies, contrarium enim evincit locus Mich. 5:2. ubi egressus Filii DEI dicuntur מקדם *à quondam*, מימי עולם *à diebus æternitatis.* Plura pro æternitate Filii DEI ex h. l. vid. apud B. Dorsch. in Theol. Zach. part. 2. p. 242. seq. Sic Ps. 102:26. שנות, h. e. *anni* per similem ἀνθρωποπάθειαν, sive ut Ebræi loqui amant בלשון בני אדם *hominum more loquendo*, tribuuntur DEO, &

& nihilominus ipsa infinita DEI æternitas ibidem describitur ac confirmatur. Vid. Glass. Rhet. Sacra tract. 1. c. 7. p. 152. seq. Addo ipsos Ebræos nomine æternitatis proprio destitutos nominibus certum tempus denotantibus illam ipsam æternitatem περιφραστικῶς describere. Sic *R. Joseph Albo l. 11. c. 18. Ikkarim definit æternitatem* המשך חבלתי משוער המדומה במחשבה שהוא נמצא תמיד קודם בריאת העולם ואחר העדרו אלא שלא היה באותו המשך חסרר הנראה מצד תנועת הגלגל: *Tractus vel duratio immensurabilis, quæ intelligitur existere perpetuo, sive ante mundi creationem, sive post interitum ejus, sed ita, ut in illa duratione nulla sit vicissitudo, quæ deprehenditur ex motu cœli.* Quid quod R. *Moses Maimonides l. 2. More cap. 13. æternitatem*, quæ המשך אין תבלית לה *infinita est duratio*, vocet דמות זמן *similitudinem temporis, vel tempus imaginarium.* Vocabulum *genui* porro quod attinet, nec hoc impuris arrodere dentibus desistit impurus ille *Socinus*, explicans istud per suscitare, *in defens. animadv. p. 239.* & impletum esse adserens eo tempore, quo resuscitatus fuit à DEO Patre, adeoque Christum Filium DEI factum esse demum per resurrectionem. Sed R. à positione *declarationis*, quod sit Filius DEI, ad negationem æternæ *generationis* N. V. C. Largimur sponte per resurrectionem declaratum fuisse Christum Filium DEI; sed exinde inferre: E. ante resurrectionem & ab æterno non fuit DEUS, seu DEI Filius, plane est ἀνακόλουθον. Contrarium enim non saltim jam allata, breviterque enodata Spiritus S. elogia, sed præter ea caput quoque 3. Matth. vers. 17. & cap. 17: 5. non solum ab æterno Filium DEI fuisse; sed etiam in tempore incarnationis ante resurrectionem ita vocatum fuisse, satis luculenter comprobant.

§. 5. Nihili etiam sunt ac nauci, quas Turcæ, seu, ut vocari gestiunt, Musulmanni contra Divinitatem Christi, æternamque ejus generationem ex essentia Patris, ex Alcorano suo in proscenium adducunt, ἀντιλογίας Surat. 72. *DEUM* scilicet, *cum non habeat sociam, seu uxorem, nec etiam habere posse filium, perire, si præter DEUM in illis alius esset DEUS*, [in quo ὁμόψηφος & ὁμόφωνος eidem Alcorano est *R. Bechai in lib.* חובות הלבבות *ubi agit de unitate DEI c. 7.* si plures, inquiens, essent creatores, vel quisque solus posset condere mundum, vel non nisi auxilio socii sui? Si illud, altero non est opus, sed abundat, eo quod unus id præstare potest, nec altero opus habet. Quin si possibile est, ut sint plures; foret etiam possibile, ut orirentur dissidia inter eos circa productionem creaturarum.] *Nec opus habere DEUM filio, cum solo mandato effectum reddere possit, quicquid productum velit*, & quæ sunt talismodi inanes objectiunculæ, quas ad unam omnes egregie refutarunt Auctor Fortalitii fidei, (quem nonnulli Barthol. de Spina, alii Guilielmum Totanum vocitant) Albertus Widmanstad. in not. ad Theol. Moham. Ludovicus Vives, & ex illis CL. Haksp. in tract. de fide & legibus Mohammedis, quo, ne falcem in aliorum messem immittere videar, benivolum Lectorem amice ablegatum volo.

§. 6. Nec infirmiter Divinam Salvatoris nostri naturam subjunctum *æternitatis* αὔχημα stabiliminat. Vere enim & maxume proprie de eo dicitur, (quod, ut sæpius monitum, de Melchisedeco ejusdem typo tantum secundum dici, seu ea de causa dicitur, quod nec ortus, nec finis illius in Scriptura recenseatur) μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχει, *non initium dierum, nec finem vitæ habet*, quo ipso æternitas Christi tum *à parte ante*, tum *à parte post* ἀκριβῶς καὶ διαφανῶς describitur. Unde pro Divinitate Christi ita argumentamur: *Quicunque est æternus, ille est verus Deus. Sed Christus est æternus. E.* Major sua luce radiat, & ab *Ostorodo* etiam acerrimo alias χριστομάχῳ, conceditur, ita *c. 8. Inst. Germ. scribente: Si demonstrari posset, Christum fuisse ab æterno, simpliciter ex eo concludi posset, quod habeat Divinam naturam.* Minor ex dictis clara est. Quid enim aliud est, non habere initium dierum, nec vitæ finem, quam esse æternum? Queis succurrit ipsum Salvatoris Optumi de seipso elogium, quod sit *α & ω, principium & finis* Apoc. 1: 8. Nec levi fulcimento hanc ipsam Christi æternitatem sufflaminare videtur egregium illud nomen ab ipsius Patruo Jesaia Messiæ nostro inditum, quo inter cætera dicitur אבי־עד *Pater æternitatis* cap. IX. Quod, sicut & cætera Epitheta, non de Hiskia, Judæorum Rege, de quo totum istud Jesaiæ caput communiter Judæi, & ex iis præcipue *R. Lipm. in libr. Nizzach.* & *R. Jacob Abendana in annot. ad Michlal Jophi* exponere satagunt, nec etiam de DEO benedicto, de quo ex mente R. Jonathanis, R. Salomonis aliorumque interpretum quinque priora epitheta explicant *R. Abarbenel & Auctor Michlal Jophi*, (quem R. Salomon Ben Melech Buxtorf. in Bibl. Rabb. pag. 368. dicit) ultimum autem; nempe שר שלום seu *principem pacis* dicunt esse שם הילד *nomen pueri* h. e. *Hiskiæ*; sed de solo Messia enunciari debent, quod pluribus hic demonstratum ire nostri non est propositi. Messias enim, cætera ut taceam epitheta, vere est אבי עד h. e. explicante B. Glassio in ὀνομαλ. Mess. pag. 182. auctor, inventor, scaturigo, origo, עד æternitatis, sive ἀφθαρσίας, καὶ ζωῆς αἰωνίου h. e. immortalitatis & vitæ æternæ, quomodo vocabulum עד explicat supra cit. *R. Abarbenel*, vocabulum עד inquiens ימי חיים נצחיים *indicat vitam æternam.* Unde laudatus B. Glass. in Rhet. S. Tract. 1. cap. 7. pag. 149. hoc ipsum nomen explicat; quia credentes beata æternitate glorificat. Confer 1 Joh. 5: 20. Joh. 10: 28. 2 Timoth. 1: 10.

§. 7. *Humana* porro Christi Servatoris *natura* non obscure innuitur, quando dicitur ἀπάτωρ *sine Patre*, ita ut sicuti ratione divinæ naturæ matre, sic ratione humanæ patre careat, quomodo hunc ipsum humanæ Christi naturæ typum adducit *B. Brentius in Expl. Catech. pag. 124.* Non enim *ex officio patris*, uti iterum loquitur *Lactantius* loco supra cit. hoc est:

> *Non ex virili semine,*
> *Sed mystico Spiramine,*
> *Verbum DEI factum est Caro,*
> *Fructusque ventris floruit.*

Ex mirando scilicet Spiritus S. superventu concepit Filium DEI Maria ἀπειρόγαμος, uti de magno hoc conceptionis opere μαλακιέως loquitur Angelus Gabriel Luc. 1: 35. *Spiritus S. superveniet te, & Virtus Altissimi obumbrabit te, quapropter & quod nascetur ex te* (quæ verba ἐκ σοῦ, ex te, licet in codicibus nonnullis non exstent, merito tamen singularis, quam afferunt, ἐμφάσεως ergo cum Syro, Complutensibus, Luthero, Beza, Erasmo & aliis retinenda sunt, i. e. ex tua substantia, semen quippe tuum mulieris, vid. CL. Smid. ad h. l.) *sanctum, vocabitur Filius DEI.* Ubi vocabulum ἐπελθεῖν, uti alias importat, *non πλαστουργίαν illam ordinariam*, h. e. generalem illam rationem, qua in conceptione & formatione omnium hominum operatur Job. 10: 8. Psal. 139: 15. *sed θαυματουργίαν quandam, h. e. actionem aliquam extraordinariam* & operationem cœlestem, à communi naturæ cursu segregatam. Actor. 1: 18. alibique; sic etiam h. l. *actum* denotat *Spiritus S. plane singularem & extraordinarium*, quo massam ad carnem Christi deputatam sanctificavit, à peccato mundavit, & humanam naturam, quoad animam & corpus ex ea in Virginali Mariæ utero sine ullo virilis seminis concursu efformavit. Vid. præclare de præclara hac materia disserentem *Excell. Dn. Zopfium, Superatt. Ger. in Proleg. MSS. ad Symb. Apost. Art. 2. Sect. 2. cap. 3. Aph. 4. §. 1. seqq.* Nec tamen exinde cum Photinianis statuendum, Spiritum S. ob hanc conceptionis operationem dici debere *Patrem* Christi; cum non *ex essentia Spiritus S.* humana Christi natura sit producta, quippe, qui ut *Damasc. l. 3. c. 2.* loquitur, *egit non σπερματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς, non seminaliter, sed actualiter*, h. e. massam sanguinis Mariæ ad humanæ naturæ creationem sufficientem in locum generationis deducendo, deductam sanctificando, & ex ea individuum illud, quod Filius DEI adsumsit, creando & efformando. Ut autem pater quis sit ac dicatur in statu naturali σπερματικῶς concurrat, necessum est. Nec Maria quoque *Uxor DEI* erit nominanda, quomodo quidem *Stifelius contra Pisc. p. 310.* illam vocitavit, tum ob adductas jam rationes, tum quia omnino τῇ τῶν ὑγιαινόντων λόγων ὑποτυπώσει adversari videtur. Nec denique est, quod excipiant Photiniani ἀπάτορα h. l. Christum vocari *non ratione personæ; sed ratione officii*, sc. quoad sacrificium, & circa hoc rectissime adsimilari Melchisedecum Filio DEI, cujus sacerdotium non more sacerdotii Aaronici à certa quadam familia initium sumpserit, & in eum derivatum sit, sed in ipso cœperit & desierit: Sic etiam Sacerdotium Christi sese habere. R. enim negando, quod ratione officii sive Christus, sive Melchisedecus, sive alius quispiam dicatur ἀπάτωρ, quum Sacerdotes *non ratione officii* ut Sacerdotes; *sed ratione naturæ*, ut homines sunt, *patrem & matrem habere* censeantur. Vid. Steg. disp. 16. Photin. q. 1.

§. 8. Et in hoc grande illud Ἐνσαρκώσεως μυστήριον consistit, quod Filius DEI ab æterno ἀμήτωρ, h. e. ex ipsissima Patris essentia modo ineffabili & imperscrutabili genitus, in tempore factus fuerit Filius Mariæ ἀπάτωρ, h. e. absque virili concursu ex semine matris mirabili ratione homo prognatus, adeoque Λόγος, seu Filius DEI humanam nostram naturam arctissime & insolubiliter cum Divina unitam in unitatem suæ personæ gratiose adsumpserit. Id quod non temere rimamur, sed devote credendo humiliter miramur, nequicquam moti blasphemis Verpulorum ἐγκλήμασιν & ludibriis, qui stupendam hancce stupendi hujus mysterii doctrinam veluti erroneam, & ut ipsi ex Jerem. 10: 15. loquuntur מעשה תעתעים h. e. *opus errorum* accusare & deridere, quin nos Salvatorem nostrum, quippe non ψιλὸν ἄνθρωπον, sed etiam φύσει Θεὸν colentes, tanquam

quam המשתחוים להבל וריק ומתפללים ללא יושיע *invocantes vanitatem & stultitiam, & eum adorantes, qui non potest salvare*, extreme detestari & execrari non verentur.

§. 9. Hactenus personam Salvatoris non rudiuscule, sed ad vivum quasi adumbravit nobis Melchisedecus, ad *officium*, quod non minus egregie & eleganter nobis repræsentat, tum *Regium*, tum *Sacerdotale*, quod utrumque gessit unus Melchisedecus, quod utrumque etiam in una Salvatoris nostri persona adinvenimus, paucis accessum facimus.

§. 10. *Regium Christi officium* satis clare proponit Apostolus, quando in typi translatione nomina Melchisedeci explicat, explicataque ἐξαιρέτως ad Christum accommodat. *Melchisedek* enim dicitur quasi *Rex justitiæ*, *Melech Salem* dicitur quasi *Rex pacis*. Utroque titulo summo jure gaudet Salvator Optumus, quem pacis & justitiæ Regem passim salutat Scriptura Θεόπνευστος. Et *Rex* quidem est legitimus institutus à DEO ipso in montem Sanctitatis suæ Psal. 2: 6. Est itidem & Rex gloriæ i. e. gloriosissimus Psal. 24: 7. Rex Regum & Dominus Dominantium Apoc. 19: 16. *Pacis autem & justitiæ* Rex non immerito dicitur, non tantum ratione *acquisitionis*, quatenus per solutum ἰσόῤῥοπον λύτρον, præstitamque plenissimam satisfactionem, pacem inter DEUM & nos constituit, ut jam per fidem justificati pacem habeamus cum DEO per dominum nostrum JESUM CHRISTUM Rom. 5: 1. quatenus etiam justitiam agendo & patiendo nobis promeruit, adeo ut fide illam amplectentes δικαιωθῆναι, h. e. justi coram DEO reputari, quin nos ipsi dici possimus in ipso facti justitia, quæ coram DEO valet 2 Cor. 5: 21. Unde egregie etiam יהוה צדקנו *Jehova justitia nostra* vocatur à Jeremia cap. 23. & 33. Sed etiam *ratione administrationis*, quam graphice perquam delineavit Evangelista V. Test. Esaias cap. 11: vers. 4. seqq. quæ Prophetæ verba cum Proleg. & discursu Dn. D. Musæi, Theologi judiciosissimi MSS. adducere operæ fortassis pretium erit. Et de justitia quidem, qua Melchisedec hic noster, seu Rex justissimus regnum suum in hac mundi palæstra administrabit, ita edisserit grandiloquus Propheta: *Judicabit in justitia pauperes, & arguet in rectitudine humiles terræ, & percutiet terram in virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus & fides cingulum renum ejus.* Significans Christum Regem nostrum per prædicationem Verbi afflictos erecturum, humiles, sicubi titubent, congrue correcturum, securos peccatores objurgaturum, & Antichristum, quem sub nomine Impii κατ' ἐξοχὴν intelligi ex 2 Thess. cap. 2: 8. volunt interpp. efficacia Verbi sui oppugnaturum. Quo officio Salvator noster partim in propria persona, quando in diebus carnis suæ ipsemet Verbum justitiæ prædicavit inter Judæos, partim per Apostolos, aliosque fideles ministros, functus est, & etiamnum egregie fungitur. Ipse enim adest & cooperatur ministris suis, Verbumque suum ita vivum reddit ac efficax, ut adflicti eo erigantur, titubantes corrigantur, securi peccatores objurgentur, & impiissimi illius homuncionis Antichristi falsæ doctrinæ & detegantur & impugnentur. Elegans autem præprimis in descriptione hac justitiæ Christi administratoriæ est locutio illa metaphorica: *justitia erit cingulum lumborum ejus, & fides cingulum renum ejus*, significans ipsum in administratione regni sui undique justitia & fide fore cinctum, & sicuti cingulum tum utilitatis, ut hominem reddat promtum & expeditum ad opus perficiendum, tum ornamenti quoque causa ab hominibus adhiberi adsolet, sic nihil futurum fore remissum in Rege nostro Messia, seu eripiendi sint ex ærumnis pauperes per justitiam, seu fideles juvandi beneficiis, quin justitiam & fidem nunquam non ei adhæsuram instar cinguli, eique peculiare ac perpetuum fore ornamentum. De pace porro, qua sub regno Christi fruentur fideles, non minus eleganter hoc ipso loco vers. 6. seqq. loquitur Propheta: *Et commorabitur vel habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, & vitulus & leunculus, seu leonis catulus, & pecus pingue simul, & parvus puer ducens in eis. Et vacca & ursa pascentur simul, accubabunt nati eorum, & leo sicut bos comedet paleam.* Ubi notandum, convenire partim de his verbis, partim dissentire Interpp. sententias. Consentiunt Judæi cum Christianis & conveniunt in hoc, quod sermo sit de statu regni Messiæ; dissentiunt autem in explicatione. Judæi literaliter intelligunt verba hæc, quod alia tempore Messiæ futura sit bestiarum conditio, quam nunc est, ita ut ferocissima animalium deposita ferocitate mansuescant plane, ac cicures cum cicuribus commorentur & conversentur. A qua Judæorum sententia tantum non fabulosa non multum abludit Lactantius lib. 7. Instit. cap. 24. qui chiliastica etiam somnians insomnia, de, nescio quo, aureo seculo verba hæc exponit, tali scilicet, ubi inter reliquas felicitates, queis cumulandi essent t. t. homines, etiam hæc futura sit, ut bestiæ mites efficiantur ac mansuetæ. Alii Christianorum interpp. de martyriis exponunt, ubi non raro contigerit, ut ferocissimæ etiam bestiæ martyres non læserint, licet à persecutoribus ad hoc incitatæ, iisque fuerint immissæ. Rectius autem, magisque contextui & scopo prophetico congrue de qualitatibus moribusque civium regni Christi, per allegoriam à brutis animantibus desumtam, descriptis, explicare poterunt verba hæc Prophetica: Fore scilicet tempore Messiæ, ut quando per Verbum ad Christum gentes fuerint conversæ, immutentur hominum animi & mores, ut gentes feroces & barbaræ charitate, cæterisque Christianis virtutibus imbutæ mitescant, fiantque ut agni, hœdi ac vituli, & cum simplicibus, innoxiis, infirmis ac pauperibus Christianis sancte conspirent, pacemque Christianam cum illis colant. *Ursa & vacca pascentur simul, leo sicut bos paleam comedet* vers. 7. i. e. in regno Christi pacifico Principes & Magnates non minus erunt passuri sese pasci verbi Divini pabulo, quam plebeji, vulgares ac simplices, & utrique simul commoraturi in Ecclesia tanquam ejusdem corporis membra, sancteque conspiraturi in pace in unam fidem Christianam. Leones i. e. barbari ac feroces homines, deposita ferocitate sua non amplius damnum inferent piis; sed charitate & mansuetudine perinde ut alii sese erunt gesturi.

§. 11. Et ad hanc de pacifico hoc Messiæ Imperio dissertationem non incommode referendum erit egregium istud ἐγκώμιον, quando Esai. 9. dicitur שר-שלום *princeps pacis*, seu ut Arabs reddit, *Dominus pacis*. (Non enim duo distincta sunt Messiæ nomina שר & שלום, quod juxta Galat. de A. C. V. lib. 3. cap. 9. Rabbinorum nonnulli volunt, ut ita dicatur princeps & pax; sed unum est nomen, id quod lineola Makkaph unum alteri conjungens clare satis demonstrat.) Nec de Hiskia Judæorum Rege explicandum erit, quod, uti supra monuimus, plures, pene dixerim omnes, putant Magistri Judaici, quam sententiam, cætera ut sileam, vel unicum de turbulento Hiskiæ Imperio, quod per bene longum tempus egit inter homines, desumtum argumentum satis refellere auctumo: Sed de solo Messia, seu de Jesu nostro Nazareno egregium hocce encomium exponimus. Hic enim solus est שר-שלום, hic solus est Fridericus ille, seu pacis princeps, qui pacem promeretur, pacem efficit, pacemque gratiose mortalibus confert. Non autem ita dicitur respectu pacis externæ, terrestris seu corporalis, ac si Ecclesiæ militanti, & in hac mundi machina sub Divino Ejus imperio adhuc degenti pace talismodi externa semper perfrui liceat, cujus contrarium non plura solum Scripturæ testimonia; sed luctuosa quoque experientia, quin ipsum Ecclesiæ militantis nomen, abunde proh dolor! contestatur; sed respectu pacis æternæ, cœlestis ac spiritualis, quæ juxta *B. Dorsch. in Theol. Zach. part.* 1. *pag.* 46. §. 29. *ex Esai. cap.* 8. & 9. consistit in sanctificationis Dominicæ communicatione, in religiosæ erga DEUM adorationis excitatione, sapientiæ cœlestis à DEO imputatione, Verbi Divini meditatione atque observantia, in auroræ cœlestis suavissimæ exceptione, in tenebrarum & umbræ mortis depulsione, lucisque magnæ Spiritualis irradiatione, in lætitiæ & exultationis cordialis auctione, in sceptri exactoris h. e. legalis terroris comminutione. Et hæc ipsa pax est, quam tanto cum tripudio, lætissimoque concentu Angelica cohors sub ipsam nativitatis Dominicæ noctem gratulatur mortalibus Luc. 2: 14. Hæc ipsa pax est, quam Princeps ille pacis mundo jam valedicens, discipulis offert, animitusque apprecatur Johan. 14: vers. 4. Quum igitur pax externa tantum inter homines bonum æstumetur, quin rerum omnium, quas homini novisse datum est, optimum, uti Silius Ital. lib. 11. bel. Pun. loquitur, unde etiam Hebræis שלום à rad. שלם perfici, compleri, quasi ultimum felicitatis humanæ complementum dicitur; quid de pace hac æterna & Spirituali, vera & unica conscientiæ ac cordis requie dicendum erit ac prædicandum?

Non enim gazæ, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Solus hic pacis Princeps pacem suam augustissimam desperabundis nostris mentibus acclamans ex desperationum abysso eripere, veraque tranquillitate easdem potest componere.

§. 12. Et hoc, quod de regno Melchisedeci nostri Optumi, maxumi, Jesu Christi jam diximus, intelligendum erit de regno Christi, quod instituit & administrat in hoc seculo, quod partim est *regnum potentiæ*, quod consistit in dominio universali, quo cœlum & terram gubernat, omnesque creaturas pedibus

bus suis subjectas habet. Psalm. 8:7. Dan. 7:14. Ephes. 1:27. Ebr. 2:8. & in medio inimicorum suorum dominatur, Ps. 110: vers. 2. 1 Cor. 15:25. partim *gratiæ*, quod regnum quanquam sit in mundo, non tamen est de mundo seu mundanum, sed mere spirituale, Joh. 18:36. quo cives suos Verbi ministerio usque ad finem mundi colligit, eosque præclaris donis ornatos contra hostes potenter defendit. Præter hoc vero, quod heic administrat, datur aliud adhuc regnum in futuro seculo, quod incipiet demum in resuscitatione mortuorum, & universali judicio, quo Christus præerit electis in perpetua gloria & felicitate constitutis, quod quidam Theologorum specialiter dicunt *regnum gloriæ*, & quo impios æternum cruciandos ex justo judicio in infernum detrudet, quod dicunt *regnum justitiæ*; quanquam illud magis proprie regnum Christi appellari potest, quam hoc, quod potius est exclusio à regno Christi, quam ipsum regnum. In regno enim proprie dicto Rex maxime & primario respicit ac quærit subditorum salutem & utilitatem, omniaque ad eandem referre satagit. Quoniam igitur in regno illo, quod *justitiæ* vocant, Christus non amplius est de damnatorum salute sollicitus, ideo nec eorum Rex, nec regnum illud proprie regnum Christi dici poterit.

§. 13. *Sacerdotale* etiam denique quod concernit Salvatoris nostri officium, eleganter id ipsum repræsentat Melchisedecus, Sacerdos DEI Altissimi, ad cujus quippe morem seu rationem Sacerdos etiam Christus dicitur in æternum Ps. 110. Ebr. 6. & 7. Non autem eo in termino, quem Pontificii communiter fingunt, institutione scilicet oblationis sacrificii incruenti. Non enim sacrificasse Melchisedecum panem & vinum prolixius supra contra illos fuit demonstratum. Unde quoad sacrificium, seu sacrificii actum non poterit cum Christo comparari. Meliorem Christi & Melchisedeci convenientiam *Epiph. hæres. 55. l. 2.* nobis suppeditat: *Ordinem*, inquiens, *Melchisedec corroborans Scriptura, & Spiritus S. expresse docens, translationem sacerdotii ostendit à veteri Synagoga & consuetudine ad consuetudinem optimam ac summam, & carnalem successionem non habentem ac unitam Melchisedec etiam sanctus hic non amplius post se successionem habuit; sed neque sacerdotii ablationem. Mansit etiam ipse Sacerdos per omne tempus vitæ suæ, & adhuc in Scriptura celebratur Sacerdos, ita ut nemo ipsi successerit, aut ministerium Sacerdotii in tempore ipsius subverterit. Sic & Dominus noster, non homo existens, sed ex DEO sanctus DEUS, Verbum, Filius DEI, genitus sine principio, & sine tempore, semper cum Patre existens, natus propter nos ex Maria homo, & non ex semine Viri. Sacerdotium autem Patri offert ex humana natura massâ acceptâ, ut pro nobis Sacerdos constitueretur secundum Ordinem Melchisedec, qui non habet successionem. Manet enim pro nobis in perpetuum dona offerens. Et primum quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium Veteris Testamenti, quum perfectius & vivens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse DEUS, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret, & sacerdotii sui immutabile firmamentum in secula efficeret, non amplius secundum semen successiones dividens, sed secundum justitiam servari in Spiritu S. largiens.* Hæc Epiphanius.

§. 14. Quem igitur ad modum Melchisedec Sacerdos fuit non *improprie & metaphorice*, sed *proprie* dictus, id quod vocabula כהן in Veteri & ἱερεὺς in N. T. utraque Sacerdotem, proprie dictum significantia satis evincunt: Sic Christus quoque Salvator noster Sacerdos erit *non figurato quodam loquendi modo*, sed *proprie dictus*. Confertur enim cum Sacerdotibus Veteris Testamenti non quoad generalem illam solum actionem causæ nostræ coram DEO; sed potissimum respiciendum est ad modum, quo causa agebatur, videlicet victimas offerendo, pro peccato orando & intercedendo. Hinc frustra sunt Photiniani, infensissimi Sacerdotii Christi hostes, quod Salvatorem nostrum non *proprie* sed *figurate & analogice* nostrum esse Sacerdotem, dicant, blasphemisque buccis clamitent. Quomodo statuit *Smalzius de Divin. Christi cap. 23. Primum igitur omnium*, inquit, *considerandum venit, per Jesu Christi Sacerdotium aliud nihil significari, quàm quod Christus nostri curam gerere velit, & gerat. Et hoc tantum à regno ejus differt, quod Christus quatenus Rex est, potest nostri curam gerere, quatenus vero Pontifex, gerere etiam vult & gerit.* Similem in modum *Volkelius l. 3. de Relig. Christ. c. 37. animadvertendum nobis est*, inquit, *Pontificium Christi munus ab Ejusdem officio Regio, si in rem ipsam mentem intendas, non multum differre. Quum Divinus Spiritus figurato hoc, analogicoque dicendi genere, quo pacto Christus regni functionem administret, ante oculos nostros constituere potissimum voluerit, nobisque ostendere, illum non solum salutem nostram procurare posse, sed etiam nos juvare velle, & porro id omnino facere, in eoque totum esse, ut peccata nostra penitus expiet, hoc est tum ab ipsis peccatis, tum vero præcipue ab eorum reatu ac pœna nos liberet.* Quod idem etiam vult *Catechism. Racov.* contendens, *liberationem Christi, qua nos liberat, vocari sacrificium figurato modo loquendi, non quod sit sacrificium, sed quod cum eo, quandam similitudinem habeat.* At vero dicat quæso Smalzius cum hisce suis adseclis, ubinam Scripturarum ita describatur Christi sacerdotium. Nonne ludum facit & jocum ex Scripturis, dum sine urgente necessitate & prægnanti ratione ea Scripturæ testimonia, quæ de Sacerdotio Christi agunt, à proprio sensu ad figuratum & metaphoricum detorquet? Nonne DEUS Pater curam nostri gerit, nonne nobis vult opitulari; sed quis eum ideo diceret Sacerdotem? Quin & amicis nostris, parentibus, Magistratibus τὸ liberare velle, aut curam gerere competit, nec tamen ideo Sacerdotes sunt dicendi. Adhæc contrarium ex Scriptura luculentissime & ad oculum patet, unde sic contra Photinianos argumentamur: *Cuicunque competunt (1) proprium nomen, (2) propria requisita, (3) propria opera, (4) propria effecta Sacerdotis, ille est Sacerdos proprie dictus. Atqui Christo Θεανθρώπῳ competunt hæc omnia E.* Major sua luce radiat. Minor quoad singula ex Scripturis probari poterit. Et (1) quidem *proprium nomen* Christo tribuitur hinc inde in Sacris Psalm. 110. Ebr. 2:17. 5:5. 6:20. 7:11. 17. 26. 9:21. (2) *Requisita* etiam Sacerdotis *propria* Christo competunt. Sicuti enim Sacerdotem decet esse placabilem ignorantibus & errantibus Ebr. 5:2. Non sibi usurpare honorem, sed vocatum esse à DEO vs. 4. Sic etiam Christus non semetipsum glorificavit, ut Pontifex fieret, sed is, qui dixerat ei, Filius meus es tu &c. Ebr. 5:5. Similis ille debuit reddi per omnia nobis fratribus suis, ut misericors esset & fidelis Pontifex, Ebr. 2:17. Nec minus (3) *Opera* quæ Sacerdotibus peragenda incumbebant, & ipse peregit. Sacerdotum olim erat docere & informare populum Lev. 10:11. Deut. 33:10. Neh. 8:7. seqq. Mal. 2:7. Sacerdotali hocce officio Salvator noster optume etiam & maxume proprie functus est tum in propria Persona & immediate in diebus carnis suæ ad nos loquendo, arcanum DEI consilium de redemtione & salute nostra nobis revelando, homines reformando, legem Divinam à corruptelis Pharisaicis repurgando, Evangelium prædicando, discipulosque ad evangelizandum ablegando; tum etiam hodienum mediate Doctores in Ecclesia sua adhuc constituendo, conservando, & per eorum ministerium in cordibus hominum efficacissime operando Ebr. 1:1. 2:3. 3:1. Eph. 4:11. 12. Sicuti porro Sacerdotes in V. T. constituti erant, ut orarent pro populo Num. 6:24. 27. Sir. 50:22. Sic Christus etiam in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad potentem servare eum à morte cum clamore valido & lacrymis obtulit. Ebr. 5:7. Ille adhuc est semper vivens ad interpellandum pro nobis Ebr. 7:25. Confer 1 Joh. 2:1. Rom. 8:34. Uti etiam denique à Sacerdotibus sacrificium DEO debebat offerri pro delicto Lev. 6:6. Constituebantur ad offerendum donaria & victimas Ebr. 8:3. Sic Christus seipsum obtulit victimam pro totius mundi peccatis, justitiamque & vitam æternam generi humano acquisivit, Ebr. 9:10. seqq. 10:10. 14. (4) Tandem etiam *propria effecta* Sacerdotis proprie dicti de Christo possunt pronunciari. Sacerdotes expiabant peccata populi Lev. 5:6. Sic Christus plenissima sua satisfactione præstitit & exsolvit ἰσόῤῥοπον λύτρον pro peccatis totius mundi; est enim propitiatio pro totius mundi peccatis 1 Joh. 2:3. Confer Ebr. 2:17. Sicut sanguis hircorum & taurorum per Pontificem oblatus sanctificare dicitur ad carnis purificationem; Sic Sanguis illius, qui seipsum pro nobis obtulit, purgat conscientias nostras ab operibus mortuis. Ebr. 11:14.

§. 15. Sicuti etiam porro *Regium & Sacerdotale* in Melchisedeco officia *distincta fuerunt*, id quod distinctæ inter alia arguunt actiones, aliud enim qua Rex, aliud qua Sacerdos egit Melchisedecus. Sic quoque duo hæc in Christo officia, Regium scilicet & Sacerdotale non plane eadem sunt, aut non multum differunt, quod Ostorodus pag. 382. adfirmat, *Sacerdotium Christi & administrationem Regii ipsius officii unum & idem esse, sive Sacerdotale Christi munus nihil aliud esse, quam administrationem regni sui spiritualis, quatenus ea concernit nostram salutem, proindeque figurate ita dici.* Quod idem dicunt Smalzius & Volkelius locis supra cit. Sed accuratissime unum ab altero juxta ipsius Scripturæ ductum erunt distinguenda, uti prolixius contra dictos Photinianos deducit B. D. Jacobus Martini in Synopsi totius Relig. Photin. novorum. c. 32. §. 3. p. 604. seqq.

§. 16. Nec *æternitas* tandem Sacerdotii Christi hic erit reticenda, qui Salvator noster, quod de Melchisedeco κατὰ τὸ λεγόμενον saltim dicitur, vere æternus Sacerdos est, & appellari potest, non quidem quod semper seipsum offerat, hoc enim expresse negat Scriptura Ebr. 9: vers. 25. & absurdi sunt & heterodoxi Pontificii, qui ideo Christum æternum Sacerdotem dici fingunt, quia

quia se ipsum indies offerat per suos successores, sacrificulos sc. missaticos, & quod duraturum sit hoc ipsum Sacrificium usque ad finem seculi; Sed tum *ratione Personæ*, quia æternus est, uti supra demonstratum, tum etiam *respectu Officii Sacerdotalis*, quod nunquam deponit, nec in quo ullum habet successorem, in quo ipso juxta cap. 7. Ebr. etiam differentia inter Sacerdotium Aaronis seu Leviticum, & Christi consistit, tum etiam *ratione æternæ Sacrificii sui semel peracti applicationis.* Sive ut *B. Chemn. in Exam. Conc. Trid. part. 2. p. m. 339. & Chamier in Supplem. Panstr. Cathol. Tom. 4. c. 10. p. 41. loquitur:* Spiritus S. Sacerdotium Christi perpetuum esse tradit, quia (1) Sacerdos in æternum vivit, (2) quia virtus unicæ oblationis ipsius in æternum durat, (3) quia semper pro nobis Vultui DEI apparet, & interpellat. (4) quia per ipsum habemus accessum ad Patrem. (5) quia in perpetuum salvare potest ac salvat.

§. 17. Unde patet, quod Christus Sacerdos sit *tam ante, quam post incarnationem.* Ante incarnationem quidem Sacerdos fuit *notitia, destinatione, promissione, adumbratione, operatione & applicatione* sacrificii olim præstandi; post incarnationem autem tum in *statu exinanitionis*, ratione *executionis & actualis impletionis* per intercessionem & deprecationem apud DEUM Ebr. 5: 7. & per oblationem certo tempore factam; in *statu exaltationis* vero ratione *applicationis, efficaciæ, & fructus meriti per sacrificium præstitum acquisiti* omnibus vera ac viva fide amplectentibus.

§. 18. Aeternitatem hanc Sacerdotalis Christi officii negant iterum Photiniani, ex quibus *Volkelius l. 3. de vera Relig. c. 36. Christus*, inquit, *per eandem dicendi figuram* (qua usitatum est Divinis Scriptoribus æternitatis vocem ad rem, de qua agitur, restringere, nec semper pro æternitate absoluta; sed pro certo tempore sumere probat ex Eccl. lib. 4. Psalm. 10: 11.) *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci futurus esse perhibetur Psal.* 110: 4. *Ebr.* 5: 6. *cap.* 6: 20. *cap.* 7: 17, 21. *Quibus verbis seu ad ipsum Melchisedeci ordinem, sive ad scopum Christi Sacerdotii respicias, nequaquam absolutam illam, omnisque seu principii, seu finis expertem æternitatem significari comperies. Neque enim Melchisedeci sacerdotium simpliciter æternum fuit. Scopus autem seu finis istius Christi muneris non nisi salutis nostræ procuratio est, qua peracta & ad exitum perducta, Sacerdotio isti amplius locum minime fore, quis non animadvertit? Manifestum igitur est, eam Verborum istorum mentem sententiamque esse, ut Christum perpetuo, dum quidem salutis nostræ ratio id requiret, Sacerdotis officio functurum esse intelligatur.* Verum enim vero quamvis vocula עולם in Scriptura Sacra interdum sit *periodica*, nec semper æternitatem, sed זמנים ארוכים ut Kimchius ad Psalm. 77: 6. loquitur, h. e. tempora longissima seu longam quandam temporis seriem periodo tamen aliqua terminatam significet, uti non modo ex adductis à Volkelio, sed aliis quoque Scripturæ locis patescit; illud tamen semper pro aliquo temporis spatio exponere, est Scripturæ contradicere, cum maxime ubi loca parallela & ipsæ Spiritus S. explicationes, res etiam præterea ipsa, substrataque materia aliud suadeant. In sensu igitur *absoluto*, seu pro *æternitate proprie dicta* voculam עולם h. l. accipiendam esse expressis verbis docet Spiritus S. in Epist. ad Ebr. ubi id, quod Psal. 110. dicitur לעולם, exponit non tantum per εἰς τὸν αἰῶνα *in æternum*, sed etiam per esse Sacerdotem κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, *secundum virtutem vitæ insolubilis* vers. 16. & διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, habere quoque ἀπαράβατον τὴν ἱερωσύνην vs. 24. adeoque esse εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον vs. 28. Quæ omnia tam graphice absolutam Sacerdotii Christi æternitatem exprimunt, ut talpa etiam cœcior sit, quisquis id non videat, quin apertus Christi hostis, indignusque qui per æternum huncce Sacerdotem in æternum Deo repræsentetur, qui id negatum eat. Nec aliud scopus Sacerdotii Christi importat. Quum enim per hunc Sacerdotem simus DEO repræsentandi, eique æternum conjungendi, quis non videt æternum quoque ad id requiri sacerdotium. Quod si etiam αἰωνίαν λύτρωσιν æternam redemtionem invenit Ebr. 9: 12. necesse utique erit, ut efficaciter illam conferat, collatamque in æternum conservet. Non equidem in vita æterna vel nova satisfactione vel intercessione Christi indigebunt Electi; debebit tamen in æternum continuari vis & influxus satisfactionis pro illis semel in ara crucis præstitæ, & intercessionis ad dextram Patris hactenus continuatæ, quamdiu peregrinabantur à promissa vitæ æternæ hæreditate, hacque ratione per Christum Mediatorem cum DEO aduniti in æternum maneant.

§. 19. Nec tantum æternum dicendum est Sacerdotium Christi *à parte post*, quomodo statuit *Maresius in Hydra Socinianismi expugn. p.* 360. sed etiam à *parte ante*, scilicet ratione *tum decreti*, quo DEUS jam inde ab origine mundi, imo ab omni æternitate redemtionem humani generis per passionem ac mortem Christi efficiendam decrevit, quod nimirum in plenitudine temporis velut agnus immaculatus pro peccatis mundi in Θυσίαν seu sacrificium deberet offerri, tum *virtutis & efficaciæ*, quam eandem habuit hinc à prima mundi origine. Unde dicitur agnus occisus ἀπὸ καταβολῆς κόσμου Apoc. 13: 9. Electi dicimur à DEO in Christo πρὸ καταβολῆς κόσμου Eph. 1: 4. Gratia nobis in Christo JESU data dicitur πρὸ χρόνων αἰωνίων. 2 Tim. 1: 9. Conf. Rom. 16: 25. Col. 1: 26. Tit. 1: 2. 1 Pet. 1: 20. Quo facit etiam communis Theologorum regula: *Meritum Christi valet antrorsum & retrorsum.*

§. 20. Cæterum cur ad Ordinem Melchisedeci, & non Aaronis Sacerdos dicatur, tum ex dictis, tum etiam κατὰ τὸ ῥητὸν fere ex c. 7. Ebr. satis patescit. Eusebii adhuc addam sententiam quam tradit Polyd. Virg. p. m. 423. de rerum Invent. *De pontificatu*, inquit, *Christi David tale quid arcanis designat eloquiis, tanquam ex persona Patris de Filio pronunciatis: De ventre*, inquit, *ante luciferum genui te. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hic autem Melchisedech sacerdos fuisse DEI Summi refertur, sed quia non oleo communi perunctus, neque ex successione generis susceperit sacerdotium, sicut apud Ebræos mos erat, ideo secundum ordinem ejus sacerdos futurus dicitur Christus, qui non olei liquore, sed virtute cœlestis Spiritus consecretur.* Videantur etiam de hoc plura in disp. Theol. B. D. Hulsem. de officio Christi Sacerdotali Witebergæ olim habita.

§. 21. Nos heic subsistimus, & cum quo initium laboris fecimus, DEO ter Optumo Maxumo, etiam finem eidem imponimus. Ipsi sit laus, honor & gloria in sempiterna secula.

MARTINI van REIN
SUB PRÆSIDIO
FRID. BECHMANNI
DISSERTATIO
De Melchiſedecho ad Hebr. 7.



SAcras veteris Fœderis paululum diligentius perluſtrans Pandectas, innumeros in illis figurararum reperiet numeros, atque umbras rerum futurarum quam plurimas, quibus Spiritus DEI Chriſtum verum Meſſiam in typo priſcis fidelibus adumbrare voluit: nam quicquid fere in Chriſto myſteriorum invenitur, typum inveniet ſuum in V. T. inſinuatum; & pene nullus V. Teſtam. typus erit, qui Chriſtum non habebit verum antitypum. Gaudet certe divina, gaudet humana Chriſti natura certis typorum præludiis. Ipſa nomina Salvatoris, quæ partim eſſentialia, partim perſonalia, partim officialia, multis in V. Teſtam. typice fuerunt impoſita. Omnia dicta, omnia facta, omnia benefacta ejus ſuas ibi habent figuras illuſtres. Officium quoque ejus ter geminum, Propheticum pariter ac Sacerdotale & Regium multi codicis veteris Libri nobis oſtendunt. Quod omnino etiam affirmandum de utroque & Humiliationis & Exaltationis ſtatu: ut adeo non immerito dicere queamus, omnium typorum V. Teſtam. Chriſtum optimum & maximum eſſe antitypum. Omnia autem hæc in præſenti probare, nec pagellarum harum anguſtia, nec inſtituti jam ratio permittit. Sufficiet igitur, intricatum ſaltem illum accuratoque examine dignum typum, (uti dignum eum indicat Sam. Mareſius in Syllog. Diſput. pag. 662.) de *Melchiſedeco* ſcilicet, obviam Abrahamo procedente, eique de victoria impetrata gratulante perquiſitius, breviter tamen, quantum nimirum DEUS facultatis ſuppeditaverit, conſideraſſe, & præeuntibus Moſe, Gen. 14: 18, 19. Davide, Pſalm. 110: 4. & Paulo Hebr. 7: 1. ſeqq. oſtendiſſe primum, *An fuerit unquam verus quidam homo Melchiſedecus dictus?* Deinde vero, ſi fuit, *quiſnam fuerit, tum ratione Nominis, tum ratione Generis, tum ratione Muneris, tum etiam & quidem vel maxime ratione Ominis, ſeu Typi.* Divinum autem ante omnia ſupplex veneror Numen, ut piis hiſce meis conatibus gratia ſua cœleſti clementer adeſſe velit, ſubmiſſe precans:

Jova juva cœptos bene continuare labores,
Adque bonum finem ducere, Jova juva!

§. I.

PRiusquam animum applicamus quæſtioni: *Quis fuerit Melchiſedech*, poſcit tractandi modus inquirere, *An fuerit unquam verus quidam homo Melchiſedecus dictus?* Non enim una omnium hic eſt opinio. Nam quidam plane impias, quidam admodum erroneas, quidam denique veritati omnino conſentaneas fovent ſententias.

§. II. Impie certe admodum, judice Guil. Eſtio, (a) judicant, qui judicant Melchiſedecum, de quo Spiritui S. per Moſen ſermo eſt, non hominem fuiſſe, ſed ipſum Spiritum S. vel virtutem quandam DEI, Chriſto tamen majorem, humana & regia forma apparentem. Huic vero errori inprimis addicti olim fuere *Melchiſedeciani*, peculiare hæreticorum genus, quorum Autor, vel Fautor tamen Theodotus Argentarius fuit, ut obſervat Sixtus Senenſis. (b) Vixit autem hic Theodotus tempore Imperatoris Severi Secul. 2. & Diſcipulus fuit peſſimi Præceptoris Theodoti ſcilicet Byzantii coriarii, quem Auguſtinus (c) quoque Theodotionem appellat, de quo plura ſuppeditat D. Joh. Meiſner. (d) Deinde eundem errorem ſecutus eſt *Hierax* apud Epiphanium, (e) à quo deinceps *Hieracitæ* denominati ſunt; nec non *Autor Anonymus* Quæſtionum V. & N. T. Nam impium certe eſt dicere, virtutem quandam DEI increatam Chriſto majorem fuiſſe, qui tamen eſt verus & æternus DEUS.

§. III. Deinde vero erroris vocabulo utitur Eſtius l. c. quando illorum ſententias recenſet, qui Angelum creatum fuiſſe autumant, it. qui filium ipſum DEI, Abrahamo quaſi in præludio futuræ ſuæ incarnationis ſeſe oſtendentem, dicunt. Illius ſententiæ præ aliis fuerunt duo iſta magna Antiquitatis lumina Origenes & Didymus teſte Hieronymo. (f) Hujus autem innominati quidam Hæretici, quorum Epiphanius l. c. meminit, citante Gerhardo, (g) quibus hodie inprimis etiam adſtipulatur Petrus Cunæus, (h) qui quoque ut, quod ſentit, probet, decem potiſſimum profert argumenta, quæ etiam omnia D. Conr. Hornejus (i) ordine recenſet, & ad ſingula breviter accurateque reſpondet, cujus quoque rationes nos movent, ut hominem potius illum fuiſſe credamus, atque adeo iis aſſenſum præbeamus, qui hac in parte Hieronymo, Irenæo, Euſebio utrique & Cæſarienſi & Emiſſeno, Hipolyto, Apollinari, Euſtadio, Antiocheno, aliisque ex veteribus minime contraëunt. Sequuntur autem eorum judicium magno conſenſu, quod ipſe fatetur Cunæus, hodie cuncti eruditi. Cauſæ autem noſtræ, cur hac in re à Cunæo diſſentiamus, potiſſimum ſunt duæ ſequentes.

§. IV. Prima eſt narratio Moſis de Melchiſedeco, quæ mere hiſtorica eſt, nec ſinit dubios nos hic hærere, cum à Viro DEI ipſius nomen, ſedes, locus in Palæſtina notiſſimus, officium, tandemque actiones omnes tam articulate deſcribantur. Nam ſi totum hoc 14. Gen. caput adſpicimus, nil niſi quæ ad hiſtoriam pertineant, videmus, neque ullo verbo apparitionis cujuſdam in eo fit mentio, vel ſenſus aliquis allegoricus inſinuatur. Qui igitur negare vult, recte monet Mareſius. (k) Melchiſedecum verum hominem fuiſſe, & ex hominibus genitum, is pari ratione negare debebit veros homines fuiſſe reliquos omnes Moſi in eadem deſcriptione commemoratos, Lothum, Regem Sodomæ, tres Abrahami fœderatos & hiſtoriam ſacram commutare in Drama theatricum, cui quaſi ἀπὸ μηχανῆς derepente perſona quædam vel divina, vel Angelica interveniat. Et certe vero, ſi Melchiſedeci hiſtoria allegorica eſt, cæterorum, quorum jam mentio facta, talis etiam ſit

(a) *in Comment. ad Epiſt. Ebr. c.* 7.

(b) *Bibl. S. Lib.* 5. *Annot.* 90. (c) *Hæreſ.* 33. (d) *in Tract. de Origine Arianiſmi, p.* 6. (e) *in Panar. Hæreſ.* 55. *p.* 388. (f) *in Epiſt.* 126. *quæ eſt ad Evagrium.* (g) *comm. in Gen. ad h. l.* (h) *de Repub. Ebræor. L.* 3. *c.* 3. (i) *in comm. ad Ebr. c.* 7. (k) *l. cit. p.* 662.

sit, necesse est: Verbum enim verbo, periodus periodo per totum caput historice respondet. Conjungemus saltem locum hunc præsentem, qui de Melchisedeco testatur, cum proxime præcedenti versiculo, ubi ita se verba habent juxta Junii & Tremelii versionem: *Egressus est Rex Sodomi obviam Abrahamo, postquam rediit à cæde Cedorlahomeri & eorum Regum, qui fuerant cum eo: ad vallem Schavæ, quæ jam dicitur vallis Regis. Melchisedek autem Rex Schalemi proferens panem & vinum: prout hic erat Sacerdos &c.* Aperte hic narratio ista de occursu Regis Sodomorum cum liberalitate Melchisedeci connectitur, ita ut dicatur, non tantum Regem Sodomorum Hierosolyma usque & ad vallem Regis Hierosolymorum Abrahamo obviam processisse, (vallis enim ista prope Hierosolymam erat & tempore Davidis adhuc ita vocabatur, quippe in qua Absolon monumentum sibi erexisse legitur, 2 Sam. 18: 18.) sed eodem tempore ipsum etiam civitatis illius Regulum panem & vinum eidem obtulisse, & insuper benedixisse. Sicut igitur narratio illa de occursu Regis Sodomorum historica, non autem allegorica est, ita & ista de Melchisedeco. Et hoc quoque argumentum illud est, quod adeo S. Hieronymus urget, reveraque stultum esse ait, propter id, quod in typo dicitur, sic ad ἀναγωγὴν omnia referre, ut historiæ ipsius auferatur veritas.

§. V. Altera ratio est Melchisedeci, tanquam veri hominis à Davide & Apostolo Paulo facta repetitio. David enim non dicit, Christum esse Melchisedecum; sed esse Sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech; quibus verbis clare typum ab antitypo distinguit. *Hæc namque oppositio relativa* (verba sunt Maresii) *inter Melchisedecum & Christum tam evidentem adstruit distinctionem inter utrumque, ut nequeant ulla ratione confundi in unum.* Pari quoque modo Paulus inquit: *Melchisedecum assimilatum esse Filio DEI*, it. *Christum exortum esse Sacerdotem ad Similitudinem Melchisedeci.* Quomodo autem Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, vel talis, qualis Melchisedecus fuit, aut quomodo Melchisedech assimulatus Filio DEI, si ipse DEI filius Melchisedech est; aut Melchisedech filius DEI; nec enim sibi ipsi assimilare quis potest. Hæ sunt causæ motivæ, quibus etiam utuntur Hornejus (l), Maresius (m), Bonfrerius (n), Estius, Cornelius à Lapide (o), aliique. Et quæ nos nunc etiam eo adducunt, ut Cunæi argumentis nequaquam assentiri queamus. Objicit quidem iste Davidem *Melchisedeci Sacerdotium dicere æternum, ut Christi; Paulum: assimilatum cum Filio DEI: Filium DEI igitur fuisse imaginem corporis ipsius gerentem, quod olim re ipsa assumturus erat.* It. *Sacerdotium Melchisedeci neque initium neque finem habere; sed jugiter Sacerdotem manere.* Talem autem Sacerdotem nullum esse præter Christum. It. *Paulum ipsum stupere ad magnitudinem personæ Melchisedeci, cum ait: De quo nobis multa sunt dicenda*, id quod nunquam alias faciat, quando de umbris typisque Messiæ loquatur, &c. Verum verba textus dextre considerantes longe aliud edocemur; David enim non Melchisedeci, sed Christi Sacerdotium æternum nuncupat, distinguens illud simul à Sacerdotio Levitico: quod dicit initio atque fine carere; hoc non simpliciter intelligendum; sed prout illud à Mose descriptum invenimus: Quod vero Apostolus stupet, illud fit ob Sacerdotium Christi tanquam antitypi, non vero typi seu Melchisedeci. Et ita quoque ad reliquas ejus objectationes commode responderi potest, quæ tamen nunc relinquimus, ad alterum statim membrum cogitationes nostras convertentes, quod est: *Quis fuerit hic Melchisedecus?*

§. VI. Verum ipsum hominem fuisse, satis probatum, nec quicquam difficultatis adhuc superesse putamus. Ut autem in altera hac parte justo quoque ordine procedamus, quatuor inprimis perquirenda nobis erunt: tum *Nomen* ejus; tum *Genus*; tum *Munus*, tum etiam *Typus*, quem gessit: circa singula enim aliter atque aliter sentientes reperiemus.

§. VII. *Nomen* Melchisedeci *Proprium* esse firmiter statuimus; quamvis sint multi & magni quoque nominis Viri qui pro *Appellativo* illud habeant. Ita certe Cajetanus monet Melchisedech non fuisse Nomen proprium illius Viri; sed honorificum saltem Epitheton & commune Regibus illius Civitatis, sicut etiam *Cæsaris* vel *Augusti* nomina Romanis Imperatoribus & *Pharao* Regibus Ægypti olim fuit. Simile tenent judicium Abulensis (*), Masius (p), & alii. Habet quoque pro Appellativo Jonathan Uzielides, Hellelis discipulus, de quo alias nonnulli volunt, quod Paraphrasin Chaldaicam in Psalmos confecerit, quam alii tamen rectius R. Joseph Cæco adscribunt, vid. Barthol. Mayer, Part. II. Philol. S. pag. 85. 86. Hic Ebræum מלכי־צדק interpretatur מלכא צדיקא Rex justus. Nec ab illorum sententia quoque Megalander noster discedere videtur, dum in Comment. suo supra Genes. ita scribit: *Publicus consensus Ecclesiarum & populi ornavit eum hoc nomine & appellavit Melchisedech, quod sonat justum Regem, ab officio, quod gessit.* Idem ibid. *Justitiæ nomen per Ministerium Ecclesiasticum ei contigit.* Et paulo post: *Consensu Patrum & piorum dicitur Melchisedech ab officio & Rex Salem à loco: sicut Petrus Noah Patriarcham vocat Præconem justitiæ, 2 Petr. 2: vers. 5.* Verum enim vero his non obstantibus, Proprium potius esse certo putamus, sensumque mentis nostræ nunc probamus, tum ex genio Linguæ Hebraicæ, quæ ejusmodi gaudet formationibus in Nominibus Propriis; tum ex vetustissimis Versionibus, tum quoque ex rationum monumentis.

§. VIII. Exempla pene multa principio nos docent, ejusmodi formationem Nominum Propriorum apud Ebræos non adeo esse infrequentem: scilicet, ut ex duabus vocibus, priori in fine Jod, quasi copula vocem unam cum altera cohærente, adjecto, punctisque legitime mutatis, componant Nomen aliquod Proprium. Ita cum Israëlitæ jam per aliquot secula Palæstinam tenuissent, Saulus suo filio indidit nomen מלכי־שוע 1 Sam. cap. 31: vers. 2. Inter Jechoniæ Regis filios fuit מלכירם 1 Paral. cap. 3: vers. 18. Inter filios Ascher fuit מלכיאל Genes. 46: 17. Sic Jerem. 21: 1. habetur מלכיה, quorum nominum primum interpretamur *Rex Salutis*; alterum Rex excelsus; tertium & quartum, DEUS Jah sive Jehova Rex est: non secus atque Epistola ad Ebr. nomen מלכי־צדק interpretatur *βασιλεὺς δικαιοσύνης*. Apparet igitur in Nominibus Propriis ita fieri solere, ut sive in unam vocem coëant duæ alioquin separatæ, quæ nomen illud Proprium constituunt, sive separatim quandoque ponantur. Non enim tunc litera paragogica י vim Pronominis Possessivi habet, primam alias personam denotans, sicut nonnulli fatente Estio exponendum hoc loco censent, ut idem sit ac *Rex meus justitiæ*. Ast hi non attenderunt, apud Ebræos usitatissimum esse, ut in medio compositionis duarum vocum Jod nonnunquam quasi per gluten interpositum inveniatur: non quidem, ut Estius loquitur, ad justificandum aliquid; sed Euphoniæ gratia duntaxat, ut observare quoque est in עביעזר, אדנירם, אבגיל, אחימעץ &c.

§. IX. Versiones quod attinet fere omnes Orientalium, sola forte Versione Christianorum Arabica, quam Alexandrinam appellitant, excepta, quæ in Genesi idem nomen appellative exprimit, Proprium esse consentiunt. Textus pariter Samaritanorum atque Targum habent: מלכיצדק; Paraphrases Chaldaicæ Onkeli & Hierosolymitana מלכיצדק; Syrus ܡܠܟܝܙܕܩ; Æthiopica: *Malcazedeksa*: LXX. nec non Apostolus Paulus Μελχισεδὲκ, &c. Et licet has non adeo attendamus, quandoquidem ex autoritatibus argumenta desumta non semper adeo valida; aliud tamen statuere urget nos vocum constructio: nam si Appellativum credere velimus, prius in statu constructo, sive Regimine, ut alii loqui amant; posterius in absoluto juxta Ebræos positum sit, necesse est, & tunc haudquaquam מלכי־צדק sed מלך צדק legendum; quia nullibi, quod ex Concordantiis patet, ejusmodi nominis formatio, quod Appellativam retineat significationem, invenietur, cui Jod paragogicum sit interpositum. Deinde etiam, cum certissimum sit, totum hoc caput Genes. historicum esse, ideo quoque *historiæ scopus est*, quod observat Clariss. Hackspan. (q) *ut suo quodvis nomine lectori innotescat.* His nunc ita explicatis, firmum putamus, Proprium esse Nomen, nomen Melchisedech.

§. X. Procedimus nunc ad alterum, ubi Melchisedecum ratione *Generis* seu *Familiæ* considerabimus. In hac autem parte, multi multa fabulantur, alii plane absurda proferunt, alii vero suas fovent conjecturas, pias tamen, quæque probabilius quid sentientibus nihil præjudicant.

§. XI. Certe fabulas esse, quæ Epiphanius habet (r), (sed ex qua dubiæ fidei traditione non addit) Melchisedeci Patrem Heraclam fuisse vocatum, matrem vero Astaroth, sive Asteriam, nemo facile inficias ibit. Astaroth quidem nomen fuit celebre Abrahami jam tempore, juxta Genes. 14: 5. ubi de Astaroth Karnajim dicitur: idolumque illud fuit fœminarum apud Sidonios & Syrios, summæ venerationis, de quo Seldenus de Dîs Syris cap. 2. verum quis credat Melchisedeco adhuc superstite ejus matrem cœlo adscriptam & pro Numine cultam fuisse. Ita fabularum fines non excedunt, ii, qui volunt, à quibus etiam

(l) *in comment. cit.* (m) *in Disp. cit.* (n) & (o) *commut. ad h. l.* (*) *super Genesin.* (p) *in Josuæ Lib.*

(q) *Not. Philol. part. 1. pag. 165. in h. l.* (r) *Hæres. 55. & 67.*

etiam non abhorrere videtur Genebrardus (s), Thamarem Judæ nurum, cujus fit mentio, Genes. 29. Melchisedeci Sacerdotis & Regis filiam fuisse. Pari modo figmentum putat Maresius (t) quod Suidas in voce Melchisedech scribit: *Eum genus duxisse à quodam Side, Rege Ægyptiorum & Lybiæ, & quod, cum esset Chananæorum Rex & Sacerdos, Urbem condiderit in monte, qui Sion vocabatur, eamque nominaverit Jerusalem, quod est Pacis urbs, in qua regnarit* 113. *annos.* Sed respondet ille statim, Sidis Regis cujusdam Ægyptiorum & Lybiæ nulla fit mentio apud Veteres, nisi ex illo Side facias Osiridem, quem ajunt coævum Abrahamo plurima ab eo didicisse &c.

§. XII. Absurdum autem parumque ad fidem est illud, quod ex Judæis nonnulli affirmare audent, *ex fornicato concubitu ignoto Patre natum fuisse Melchisedecum, quare etiam Moses nihil de eo scripserit.* Maxime autem ineptus, imo omnes pene pudicitiæ limites superans est Græculus ille ὑποβολοῦς qui inter Opera Athanasii (u) & adscito ejus nomine tractatulum edidit, cum hoc lemmate: *Quare dictus sit Melchisedech sine Patre, sine matre, sine genealogia?* Fingit enim extitisse olim Reginam quandam nomine Salem, cujus Filius Salaad Melchi genuerit; Melchi vero ex alia Salem filios duos sustulisse Melchi alterum, alterum Melchisedecum: Hunc autem cum Patrem monuisset, ne Idolis sacrificaret, ejus iram concitasse, destinatumque ideo in victimam matris sollicitudine hoc periculum evasisse, Melchi altero fratre in ejus locum substituto; & cum audiret, eum mox offerendum, precibus suis ad DEUM consecutum fuisse, ut terra dehiscente homines, delubra, aræ, bestia & tota civitas momento absorberentur; atque exinde post vitam agrestem in sylva transactam toto septennio, in Sacerdotem ab Abrahamo fuisse consecratum, ac Patriarchæ denunciatum, quod cum nemo ex illius genere superesset, imposterum vocandus esset sine Patre, sine Matre, sine Familia. Recenset etiam hunc Apologum Rivetus *in Crit. S. Lib.* 3. *cap.* 6. Maresius *loc. cit.* Scultetus (x) & Sextus Senensis l. c.

§. XIII. Præterea sunt alii, qui paulo aliter de Melchisedeco nostro judicant, ipsum scilicet fuisse Semum, Noæ Filium, atavum Abrahami; & hoc Targum inprimis Hierosolymitanum tradit; cujus quoque sententiæ Rabbi Salomon Ezra & Baal Turim referente Glassio meminere. Et hæc inquit Chemnitius est fere omnium Hebræorum sententia communis, nec ei etiam reclamat Lutherus ita inter alia scribens, (y) *Ex communi sententia Ebræorum concluditur, hunc Melchisedecum esse filium Noæ Sem; etsi autem in eo non tantum sit positum, recte ne an secus sentiant; tamen libenter accedo illorum sententiæ; siquidem supputatio temporum historica comprobat, non solum vixisse tempore Sem, sed etiam superstitem fuisse Abrahæ, nec ita multum ante ingressum Jacob in Ægyptum extinctum esse.* Id. ibid. *Placet mihi communis sententia, quod Melchisedech sit Sem, quia eo tempore nullus præsertim in rebus Spiritualibus fuit major Patriarcha.* Ibid. *Sem est Melchisedech, i. e. Rex justus.* Et huic quoque sententiæ ob eandem rationem subscribit alter post Lutherum in Castris Domini Martius Heros, Martinus ille Chemnitius. (z) Videntur etiam huc accedere Rungius & Gerhardus, ut & plures alii, quos enumerant Bonfrerius & Estius ll. citatis, in quorum sententiam, quippe quæ pia satis videtur, & nos nunc facile pedibus veniremus, nisi illud obstaret, quod in Genesi legitur, Melchisedecum excepisse Abrahamum à pugna revertentem &c. quod sane liquido innuit, rem longe aliter sese habere. Quis enim crederet, avum à nepote Decimas accepturum, aut in avi patria & sub illius oculis Patriarcham peregrinum dici potuisse. Deinde vero istorum opinioni oppido adversum est illud, quod in Epistola ad Ebr. cap. VII. Melchisedecus hic dicitur: Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, id est, *cujus nec pater, nec mater scripti sunt in genealogiis, neque principium dierum ejus, nec finis vitæ ejus*, uti Tremellius Græca exprimit, vel ut Beza vertit: *Sine patre, sine matre, sine genere: nec initium dierum, neque vitæ finem habens.* Non quod talis fuerit; sed quod hæc omnia rectissime vulgo sic intelligantur, talia de Melchisedeco in Sacris literis non esse annotata, atque ita eum introducere Scriptura, ut nec Patris, nec matris, nec familiæ ejus ullam faciat mentionem. Quod ipsum etiam non tantum Apostolus ipse clarius explicat vers. 6. dum ait: cujus genealogia non recensetur in Scripturis; sed & Syrus inprimis ita reddit, ut omnia connectat; nimirum

ܕܠܐ ܐܒܘܗܝ ܘܠܐ ܐܡܗ ܐܬܟܬܒܘ ܒܫܪ̈ܒܬܐ܀

i. e. *cujus nec Pater, nec mater scripti sunt in generationibus, sive genealogiis.* Nunc vero de Semo contrarium constat, cujus quippe genealogia in sacris literis satis manifeste est exposita; initium item ac finis vitæ, vid. Gen. 11:10. Porro, ut verbis utar Bonfrerii l. cit. quis credat, Sem inter Chananæos ex Cham progenitos, qui regionem illam totam occupabant, regnasse, & publico sacerdotio functum fuisse, cum tamen quod etiam Glassius (a) ex aliis refert, Sem cum posteris suis occupaverit orientem; Cham vero cum suis terram Canaan, in qua erat Salem, cujus etiam Rex fuit Melchisedech. Quæ autem à quibusdam ex Chronologicis adducuntur, illa sententiam falsitatis non possunt convincere, quoniam supputationes eorum inter se non conveniunt. Et quod nonnulli, quod Judæi præsertim faciunt, affirmare volunt, vixisse Sem tempore Abrahami adhuc, ipsique annos 35. supervixisse, illis cum Estio ex Epiphanio & Ribera, qui ambo dudum horum sententiam refutarunt, respondemus, nullam esse consequentiam ita probare velle, Sem vixit tempore Abrahami, atque ei supervixit, ergo fuit idem cum Melchisedeco.

§. XIV. Probabilior itaque aliis eorum videtur opinio, qui ex posteris Chanaan, filiis Cham ipsum fuisse statuunt. Quæ sententia etiam Veterum fuit, quorum pene multos Estius l. c. Bonfrerius (b) Hornejus (c) aliique producunt; item Josephi. Sed licet horum conjecturæ aliquo modo præ cæterorum arrideant alicui; satius tamen putamus cum B. Glassio sentire, qui loco cit. hanc in rem ita ait: *Merito tacente Scriptura & nos de persona isthac, quænam fuerit, taceamus*, & cum Gesnero ita dicente: *In Medio relinquamus, quod ἀναντιρρήτως demonstrari nequit.* Et bene huc etiam quadrat, quod sæpe laudatus Maresius pag. 663. scribit: *Specialius quærere, quis ille Melchisedecus fuerit, est in illud inquirere, quod DEUS à nobis sciri noluit.* Neque etiam sive sciamus, sive nesciamus, quodnam verum ejus genus fuerit, illud cum aliquo nostro damno conjunctum esse credimus, cum *docta potius*, dicente summe laudato Gerhardo, *inscitia sit, nescire ea, quæ omnis sapientiæ Doctor nescire nos voluit.*

§. XV. Non immerito autem hic quærunt aliqui, quam ob causam factum sit, quod DEUS tanti Viri, quem tamen ipse elogio hoc ornat, quod Sacerdos sit DEI altissimi, genus, nativitatem & vitæ exitum describi noluerit, cum tamen Scriptura S. alias soleat, quando Sacerdotum aut Prophetarum DEI meminit, eorum patriam ac genus designare; maxime cum res narratur alicujus momenti? Suidas hic sequentem in modum respondet: *Ideo factum est*, inquit, *quia Melchisedech prorsus non erat ex Abrahami semine; sed ex gente Cananæa, & ex detestando semine ortus; quamobrem etiam genealogiæ honore caret; neque enim decorum fuisset, eum, qui summæ justitiæ compos erat, conjungere cum summo injustitiæ genere.* Estius vero ex consuetudine Scripturæ S. rationem reddi posse autumat, ut *quæ non soleat eorum scribere genealogias, de quibus obiter ac velut in transitu loquitur, uti nec eorum, qui ad genus Abrahæ*, (in quo cum Suidæ verbis convenit) *non pertineant, velut Jobi & Regum alienigenarum.* Enim vero rationibus his præferenda illa, qua utitur Apostolus, factum nimirum illud fuisse ob speciale mysterium, cum alioquin, si notum hoc perspectumque fuisset, typo & mysterio non opus fuisset. Et tantum nunc etiam de Genere Melchisedeci, ejusque familia.

§. XVI. Ad Munus nunc ejusdem atque dignitatem transeuntes, jure ipsum meritoque, præeunte Mose, & Regem, & Sacerdotem salutamus.

§. XVII. Regem ipsum fuisse, non est, quod dubitemus: siquidem Spiritus DEI per Mosen & Apostolum talibus vocabulis ipsum insigniri voluit, quæ & Regem alias significant, & totum quoque Regum officium simul exprimunt. Sunt autem ista Ebr. מלך & Græcor. βασιλεὺς. Illud est à Rad. מלך i. e. Regnavit. Hoc vero compositum ex βάσις, *fundamentum* & λαὸς *Populus*, quia, qui hoc nomine gaudet βάσις τοῦ λαοῦ, quasi fundamentum populi esse debeat. Versiones quædam aliæ, inprimis Arabica, Syriaca & Chaldaica in sua lingua Ebræum מלך retinent, & observatu non indignum est, quod in Chaldaica lingua מלכא & Syriaca ܡܠܟܐ quod Regem denotat, etiam consilii significationem exprimat, unica saltem vocali mutata, ad indicandum forte, Regis munus nihil aliud esse, quam & consulere aliis & consulere quoque alios. Hinc

(s) *in Chronico.* (t) *in Syll. Dispp. pag.* 665. (u) *t.* 1. *oper. edit. Commel. pag.* 484. (x) *Medul. Pat. part.* 2. *c.* 1. (y) *in Comment. in Genes.* (z) *Disput.* 6. *in Gen. ad h. l.*

(a) *Philol. S. Tract.* 3. *lib.* 4. *p.* 97. (b) *Comment. in Gen.* (c) *Comment. ad Epist. Ebr. cap. VII.*

Hinc quoque Ebræum נמלך Nehem. 5:7. in Niphal est Consilium iniit. Et hoc quoque Gentiles olim probe intellexere: quare *beatas Respublicas* dixit Sapientissimus Plato, *quas Philosophi & sapientes Viri regnarent, aut Reges ipsi philosopharentur*; & primus ille doctrinarum & antiquitatis Parens Homerus scilicet propterea *Regem Agamemnonem nominavit* βουληφόρον i.e. Consilio pollentem, quod & aliis consilio esset, & ipse aliorum consiliis uteretur. Et ejusmodi Agamemnonem, in quo labor in negotiis, industria in agendo, in providendo consilium, & celeritas in conficiendo, quæ bonum Ducem efficere Cicero affirmat, conjuncta fuerunt, Melchisedecum quoque fuisse nostrum, facile ex eo patet, quod ab ipso Spiritu S. præter Regis appellationem, etiam vere regiam Nominis, alioquin Proprii, expositionem obtinuit, ut Rex justus appellaretur, tam quoad nomen, quam quoad rem ipsam. Hic titulus autem, quo dignior nullus Regi aut Magistratui, qui à DEO ad justitiam exercendam est constitutus, à nemine unquam obtineri poterit, nisi curam pro salute Populi in se suscipiat, regno suo prudenti consilio prospiciat, nec unquam bona suorum Consilia despiciat: & qui talem se gerit, is, eo ipso, quo juvat, quo consulit quod legi divinæ & humanæ consonum, justitiam exercet, & Rex justus appellandus est.

§. XVIII. Ne autem Melchisedecum Regem sine Regno putemus, ideo ipse nobis describitur tum à Regia Sede, tum etiam à regiis ejus actibus.

§. XIX. Regia Sedes SALEM vocatur. Salem hanc Jerusalem esse omnium fere & probabilis quoque est sententia. Sunt quidem inter paucos adhuc alios Hieronymus & Cunæus, qui contrarium omnino statuunt: hic plane nullam, iste vero longe aliam, quam Jerusalem fuisse affirmat. Credit autem Hieronymus oppidum fuisse quoddam non procul à Scythopoli remotum, Salim alias appellatum, uti videre est Gen. cap. 33: vers. 18. Joh. 3: vers. 23. fatetur etiam suo adhuc tempore juxta Salim prope Sichemum, visas fuisse reliquias palatii, quod Melchisedeci fuit dictum. Verum hæc, inquit Bonfrerius, credula sparsit fama Melchisedeci Palatium ibi fuisse, cui temere non est credendum, & Cornelius à Lap. (d) probabiliter conjicit, Palatium id non ab ipso Melchisedeco fuisse conditum; sed à Jerobæamo, aut alio quodam Samariæ Rege, sub Melchisedeci nomine, ut hac arte Melchisedeci Sedem in Hierosolymorum odium Samaritani sibi vindicarent. Quod autem Cunæus Sedem hanc regiam, & regnum universum Melchisedeci in utopiam relegat, quod nullus, uti fatetur Maresius, Interpretum unquam tentavit, id ex eo venit, quia Historiam hanc prorsus vult inversam, nec ullum hic loci admittit Nomen Proprium: quare etiam multa in contrariam partem nunc afferre, opus non erit, quandoquidem habentur nonnulla supra §. IV. quæ huc etiam commode applicari poterunt. Ad rationes potius nos convertimus, quibus Interpretes utuntur, ad probandum, non aliam fuisse Sedem hanc, quam Jerusalem.

§. XX. Primo enim hæc sententia constanti traditione hactenus tam à Synagoga veteri Judaica, teste Josepho (e), quam ab Ecclesia Christiana recepta fuit. 2. Onkelos, apud Mosen Salem hanc Hierosolymas expresse interpretatur. 3. Postquam Urbs hæc nomen Hierosolymæ accepit, adhuc appellata fuit Salem: nam pro eo, quod in Psalm. 76: vers. 3. dicitur: *Et factus est locus ejus in Pace*, ut quidam vertunt, legitur in textu originali שלם, sive Hierusalem: hanc enim significari declarat alterum membrum ejus versiculi: Et habitatio ejus in Sion. 4. Facit pro hac sententia, quod in Libro Josuæ inter alios Reges à Josua victos commemoratur Rex Jerusalem; sed de Rege Salem alterius nihil legitur, ergo illa quoque non habuit Regem. 5. Vallis Regis propinqua fuisse videtur Hierosolymis. 2 Reg. 18: vers. 18. imo vero duobus tantum stadiis ab ea dissitam testatur Josephus (f). 6. Reges Hierusalem antequam Canaan possiderent Israëlitæ, videntur vocari Melchisedech, vel æquivalenti nomine à צדק desumto, nam Josuæ 10: vers. 1. Adonisedek, i.e. Dominum Justitiæ legimus, quod sane non multum & pronunciatione & significatione discedit à Melchisedech, vid. etiam R. Leo, Ben. Gerson, & R. Dav. Kimchi. Tandem hac ratione melius congruit Figura Figurato, si in ea Urbe Melchisedech Abrahamo benedixit, in qua omnium benedictus se nobis revelavit, &c. Hæc sunt præcipua argumenta, quibus utuntur Hottinger. (g), Maresius, Gerhardus, Hornejus, Estius, Bonfrerius, & alii loc. cit.

(d) *Comment. ad Ebr. c. 7.* (e) *Antiq. L. 1. c. 11.* (f) *ibid. L. VII. c. 9.* (g) *Ennend. Disp. 8. p. 162. & in Append. Grammat. Harm. p. 209.*

Tom. II.

§. XXI. *Actiones ejus Regiæ* in eo consistunt, quod Abrahamum in epulum excepit Regium militibusque ejus panem & vinum in commeatum protulit juxta vers. 18. Gen. 14. de quo Josephus (h) ita scribit: *Melchisedecus milites Abrahami hospitaliter habuit, nihil eis ad victum deesse passus, simulque ipsum adhibitum mensæ laudibus extulit.* Et observant hoc loco interpretes, quod, cum dicatur obtulit ipse panem & vinum, & non panem & aquam, quæ formula alias quoque in Sacris frequens, solemne epulum significetur.

§. XXII. Alterum *munus*, quod gessit Melchisedecus, *Sacerdotale fuit.* Ita enim Moses de ipso meminit, quod fuerit כהן לאל עליון i.e. Sacerdos DEI altissimi. Vox כהן in genere quidem quemvis denotat, qui publico quodam officio fungitur, sive in Choro illud sit, sive in Foro. In hac enim posteriori significatione reperimus illud 2 Sam. 8: 18. ubi de filiis David dicitur, quod fuerint כהנים Principes. Sacerdotes enim esse minime poterant, quandoquidem DEUS ipse ita dispensaverat, ut Tribus tantum Levi Sacerdotio fungeretur, atque sacra curaret; ideoque recte Principes fuisse redditur. Hinc Targum quoque hunc locum exprimit per vocabulum רברבים, primarios ministros in Politicis, Magnates denotans; sicut & R. Levita idem vocabulum exponit per τὸ שרים ומושלים, Principes & Gubernatores & R. David Kimchi illud כהן 2 Sam. 20: vers. 26. reddit per בעל עצה, quod directorem consiliorum sive Præfectum denotat. Et quod probe notandum ipse Spiritus Sanctus 1 Paralip. 18: 17. (in German. Vers. est cap. 19.) supra citatum locum ex 2 Sam. 8. ita exponit: ובני דויד הראשנים ליד המלך, quod Lutherus ita: Und die ersten Söhne David waren dem Könige zur Hand. Sie waren / inquit D. Wellerus, Fürsten und geheime Räthe / welche dem Herrn Vater die schwere Regierungs-Last hulffen tragen. Sed primario & vi nativæ suæ significationis כהן Sacerdotem in Sacris indicat, qui Sacris servit, qui sacra ministrat; Est enim à כהן quod est Sacerdotem egit, Sacerdotio functus est.

§. XXIII. Dicitur autem non nude כהן: sed additur præterea quod fuerit כהן לאל עליון, h.e. Sacerdos DEI Excelsi, DEI Supremi. Ex quo satis iterum superque liquet non de Viro quodam Politico; sed in Sacerdotium vere constituto sermonem esse, & qui à DEO ipso, tanquam autore, sacerdotii sui dignitatem acceperit. Illud enim Particula inseparabilis ל voci אל præfixa subinnuit. Sicuti etiam videre est in Psalmis sæpius: quoties enim Psalmi cujusdam autor memoratur, tunc ejusmodi Lamed adhiberi solet, quod etiam fit Habac. 3: 1. Hinc quoque Paulus Ebræor. 7: vers. 1. reddit ita: ἱερεὺς Θεοῦ ὑψίστου, non vero Θεῷ ὑψίστῳ, sicut volunt Maldonatus & Lorinus ad Psal. 110. cum quo etiam conveniunt aliæ Versiones, inprimis Syriaca, quæ habet ܟܘܡܪܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܝܡܐ Pontifex sive Sacerdos DEI altissimi, ubi itidem voci ܐܠܗܐ τὸ ܕ quod Genitivi, non autem ܠ Dativi nota, est præpositum. Et licet non expressis verbis in Scripturis exprimatur, unde Melchisedecus Sacerdotii sui dignitatem acceperit, tamen, verba sunt B. Gerhardi (i) quia Spiritus S. ejus Sacerdotium approbat, ex eo colligitur, quod à DEO ipso illam acceperit.

§. XXIV. Ast describuntur etiam porro præter claram Sacerdotii appellationem Actus quoque ejus vere Sacerdotales, qui sunt: *Benedicere & Decimas accipere.*

§. XXV. Prius quod pertineat ad officium Sacerdotale, non erit, ut multis probemus. Testatur ipsa Scriptura Num. 6. quod non tantum ad sacrificandum, verum etiam ad benedicendum populo constituti fuerint olim Sacerdotes. Testatur hoc ipsum etiam ipsa Benedictionis formula à Melchisedeco vers. 19. Gen. cap. 14. adhibita, quando ait: *Benedictus Abraham DEO forti excelso possessori cœli & terræ*: hoc ipso enim nomen DEI imponebat Abrahamo, non secus atque DEUS deinde Levitis mandabat, ut benedicentes, nomen suum imponerent filiis Israëlis, & se ipsis benedicturum esse. Erat itaque Benedictio Melchisedeci non tam Charitatis, qua etiam par pari, imo inferior superiori benedicere potest, quam authoritatis, & quidem Sacerdotalis, quamobrem etiam à Spiritu S. in Epist. ad Hebr. *Superior Abrahamo* vocatur.

§. XXVI. Alter actus, ex quo Sacerdotii Melchisedeci dignitas prælucet Decimarum acceptionem esse diximus. Decimæ enim etiam ante promulgatam Legem Sacerdotibus atque Ministris DEI debebantur, sicut ex Genes. 19: vers. 2. apparet, ubi

Bbbbb

(h) *Antiq. Lib. 1. c. 11.* (i) *Comment. ad Genes. 14.*

ubi Jacob DEO votum vovit, exsoluturum se Decimas ex omnibus &c. quod ipsum Gentilibus etiam non ignotum erat, uti bene observat Rossæus in der Beschreibung der gantzen Welt-Religion. Verba ejus in Lingua nobis vernacula ita se habent: Die Zehenden wurden gegeben noch vor dem Gesetz / durch das Licht der Natur; alldieweil die Menschen durch selbiges Licht wusten / daß ein GOTT wäre / dem Sie zur Danckbarkeit schuldig wären / zu bringen den Zehenden von iedem Gewächs / als von dessen Güte Sie alles empfiengen. Sie wusten auch / daß der Gottesdienst und die Religion nicht kunten behalten / noch die Priester unterhalten / noch die armen Leute erquicket werden / ohne die Zehenden ꝛc. Atque hæc etiam sufficiant de gemino Melchisedeci Officio, Regio scilicet & Sacerdotali.

§. XXVII. Reliquum est, ut, qua brevitate fieri poterit, adhuc dicamus de ultimo Propositi nostri membro, in quo Melchisedecus ratione typi se nobis considerandum offert.

§. XXVIII. Ut autem distincte & circa hanc ultimam Exercitii nostri partem rem agamus, sciendum ante omnia, ad quodnam Genus Typorum hic ipse referendus sit, an ad Prophetiam, utrum vero ad Historiam? Ita namque omnem Typum optime distinguendum putat celeberrimus Glassius, (k) ut alius sit *Propheticus*, alius *Historicus*. *Propheticus typus*, inquit, est, quo Prophetæ divinitus inspirati suis in concionibus partim commonitoriis, partim vaticinatoriis crebro utuntur, quando videlicet symbolis externis res occultas sive præsentes, sive futuras per Spiritum S. figurant & significant. *Historicum* autem describit, quod sit sensus Scripturæ mysticus, quo res gestæ, vel factæ V. T. & præsertim Sacerdotii & cultus Judaici constitutio præfigurant & adumbrant res in N. T. gestas & præsertim Christum omnium legalium ceremoniarum antitypum & Scripturæ universæ nucleum. Ex his itaque nunc videmus, non prioris esse, sed posterioris generis, quem in præsenti exhibemus.

§. XXIX. Sicuti autem, uti idem monet Glassius cit. loc. Historicus typus iterum diversus, qui distingui recte potest in innatum & illatum; & hic posterior rursus in oblatum, & extortum sive contortum; ita & hunc typum à diversis diversimode explicatum reperiemus. Alii enim innatum sectantur sensum, alii oblatum inferunt; alii plane extorti sunt & contorti in explicando illum.

§. XXX. Verum, innatum atque in Scripturis ipsis perspicue traditum sensum amplectuntur illi, qui Christum ejusque Sacerdotium æternum præfiguratum dicunt, verbis insistentes Apostoli, qui Ebræor. 7. διαῤῥήδην docet, Historiam hanc Melchisedeci vere typicam fuisse, & Christum Sacerdotem typice adumbrasse: Emphatice enim admodum Melchisedecum vocat vers. 3. ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ assimilatum Filio DEI, id est, Typum Christi, quemadmodum hoc ipsum clare exprimit Syrus, quod fuerit ܒܕܡܘܬܐ ܕܒܪܗ ܕܐܠܗܐ *in similitudine, in imagine atque Typo Filii DEI.*

§. XXXI. Nam sicuti de Melchisedeco constitit, quod Rex fuerit; ita Christus verus Rex atque Princeps est Exercitus DEI, & Dominator unicus in Israël. Rex autem est & dicitur, non tantum propter officium regium in genere spectatum, verum etiam & præcipue quidem propter Ecclesiam suam, quam ad hunc usque diem potentissime regit atque tegit. Quare etiam in Sacris hinc inde variis ornatur encomiis, quæ officium ejus regium respiciunt: nunc enim גבור vocatur, quod Heroem denotat, ut Psal. 24: 8. Psalm. 45: 4. nunc נגיד Dux, Daniel. 9: 25. Esa. 55: 4. nunc שר Princeps, Jos. 5: 14. nunc מלך h. e. Rex prædicatur, ut Ps. 2: 6. Ps. 47: 3. & alibi passim.

Melchisedech porro *Justi Regis* titulo gaudebat, non solum quod nomen ejus ita ferebat, verum etiam, quia ipse justitiæ studebat; ita etiam Christus verus est Rex justitiæ, imo ipsa justitia nostra, prout à Jeremia laudatur cap. 23: 6. & 33: 16. quod sit יהוה צדקנו *Jehovah Justitia nostra.* Ipse enim non solum perfectam nobis reparavit justitiam, quam in Adamo omnes amiseramus, sed eam etiam *per fidem nobis applicat, sicque imputat, ut sancti & justi coram DEO Patre reputemur, & æternam salutem consequi queamus*, uti Formula Concord. loqui amat pag. 585. quo spectant inter alia dicta Zach. 9: 9. Rom. 14: 17. 1 Cor. 1: 30.

3. Audivimus *Melchisedecum Regem fuisse Salem i. e. Pacis vel Pacificus*, sicut ipse Apostolus exponit. In hoc itaque nomine Civitatis Regni sui magnum iterum aliquid de Christo, cujus erat Figura, significat. Verissime enim & excellentissimo quodam modo Christus, ut antea Rex justitiæ dicebatur, ita nunc Pacis Rex dicendus, tum propter felicem regni sui statum, quod pacifice administrat, Ecclesiam suam adversus quosvis hostes tuendo, tandemque ad æternam pacem eam transferendo, qua quidem ratione potissimum per Salomonem, ipso etiam nomine præfiguratus est; tum quoque quia Pacificator noster est reconcilians nos Deo, & Angelis veramque Pacem cœlestem nobis reparans. Ob has causas igitur ab Esaia cap. 9: 6. nominatur etiam שר־שלום *Princeps Pacis*, h. e. *qui Pacem parat, affert, offert, confert & confirmat*, Luc. 2. Pacem autem non mundi, sed suam, Pacem inter DEUM & hominem, inter corpus & Spiritum; inter Judæos & Gentiles, ut Chrysostomus ad h. l. Esaiæ scribit. Hinc etiam Pacis hic Princeps sub Augusto Pacis semper studioso Principe nasci voluit, quo pacem cum DEO conficeret, juxta Rom. 5: vers. 1. Ephes. 2: vers. 14, 15. Coll. cap. 1: 20, 21.

4. Ut Melchisedech una fuit Rex & Sacerdos, ita etiam Christus utroque munere fungi debuit & voluit pro suorum salute. Unde & Regis Zach. 9: 9. & Sacerdotis Psalm. 110: 4. nomine introducitur, ac in ipsa Cruce, in qua præcipue sui Sacerdotii actu defungebatur, seipsum offerens in Sacrificium εὐωδίας pro peccatis nostris Ephes. 5: 2. titulus ei superadditus ipsum *Regem Judæorum* esse designabat.

5. Quemadmodum Melchisedecus à DEO ipso in Sacerdotem constitutus erat, de quo §. 23. Ita causam constituentem Christum Sacerdotem esse DEUM, & speciali quidem ratione Patrem, qui fons est Deitatis, probari potest ex verbis Psalmi 110: 4. quando Psalmista inquit: *Juravit Jehova & non pœnitebit eum; Tu Sacerdos &c.* nam quod jurans in hoc versu idem sit, qui vs. 1. dixit Domino Davidis: *Sede ad dextram meam*, nempe *DEUS Pater*, patet ex subjuncta statim relatione Filii Domini Davidis, sedentis ad dextram Patris. Hic enim qui constituitur Sacerdos, is idem est, qui à dextris sedet. Quod inprimis etiam Apostolus testatur Ebr. 7: 16, 17. ubi docet DEUM Patrem Sacerdotii Christi causam esse; quod pluribus etiam demonstrant B. Glassius in Christol. sua Davidica, & Brochmann. Syst. Theol. T. 1. p. 384.

6. Melchisedecus fuit Sacerdos alterius ordinis quam Levitici, idem sane de Christo etiam affirmari potest. Levitæ enim ex tribu erant Levitica; Christus autem ex Tribu Judæ, Ebr. c. 7: 14. Levitæ Peccatores erant, & propterea pro se & suis peccatis Sacrificia offerre necessum habebant: ast Christus *purus & absque malitia & labe erat, segregatus à peccatis*, juxta verba Apostoli vs. 26. l. c. *pro se ipso necesse minime habens sacrificium offerre*, vs. 27. Levitæ alienas hostias offerebant, sæpius eas iterantes; *Christus autem seipsum & semel quidem obtulit, unaque oblatione æternam acquisivit redemtionem*, Ebr. 9: 12. cap. 10: 11, 12. *Levitæ quoque in terra & certo loco, certoque tempore administrabant*, Ebr. 9: 10. cap. 10: 1. at vero, quanquam Messiæ officium in terra cepit, tamen in cœlo non cessat, & æternum nunc durat, cap. 7: 3. & 24. adeoque ut paucis hæc comprehendamus; Christus novo prorsus Sacerdotio functus est, simul vices Sacerdotis & victimæ in morte sua pro nobis sustinens, quam in rem digna utique erunt verba Leonis (l) ut hic adscribantur, cordique imprimantur; dum ita inquit: *Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam in odorem suavitatis? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod Pontifex verus altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa fuerit mors, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine nata sunt exempla patientiæ; non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus noster Dominus Jesus Christus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam suscitati sunt &c.*

7. Introducitur ulterius Melchisedech, *quod Abrahamo benedixerit; sic fons & scaturigo omnis benedictionis factus est nobis Christus* Eph. 1: 3. cujus induti odorifera veste h. e. merito & justitia, sumus ad instar Jacobi paternam & æternam benedictionem consecuturi.

8. Melchisedech est ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, id est, ut supra explicatum, *parentum & generis ejus nulla fit mentio*; ita Christus qua divinitatem est vere ἀμήτωρ, qua humanitatem ἀπάτωρ, qua generationem vero sive divinam, sive humanam

(k) *Philol. S. L. 2. Part. 1. Tr. 2. p. 320.*

(l) *Serm. 12. de Passione.*

manam ἀγενεαλόγητος, quippe quam nemo ſatis explicare poterit.

9. Tandem delineatur Melchiſedecus à Paulo nec initium, nec finem dierum habens: ſic Chriſtus manet Sacerdos in æternum ratione perſonæ, officii & effectus. Perſonæ ratione, quandoquidem ἀπαράβατον Sacerdotium habet, ita ut nec ipſi quiſquam alius, nec ipſe cuiquam alii ſucceſſerit. Semper enim vivit, nec futurum, ut transferatur ejus Sacerdotium. Officii ratione, quia & ipſe nos tempore carnis ſuæ docuit, & per Apoſtolos ſuos docuit, & adhuc docet per Eccleſiæ Doctores, quos daturus etiam erit uſque ad finem ſeculi Epheſ. 4: vſ. 11. ſeqq. Deinde quia ſemper pro nobis apud Patrem ſuum cœleſtem orat & interpellat: Eſt enim Sacerdotis officium interpellare DEUM pro ſalute eorum, quibus datus eſt Sacerdos; Rom. 8: 1. Joh. 2: 1. Tandem, quia officio ſacrificandi, quo ſemel, offerens ſe Patri in ara crucis victimam, Ebr. 9: verſ. 14. functus eſt, adhuc hodie & uſque in æternum perfungitur, illud per fidem omnibus credentibus ſalutariter applicando. Ratione fructus & effectus, quia per ſacrificium, quod ſemel obtulit in cruce factus eſt nobis cauſa redemtionis & ſalutis æternæ.

§. XXXII. Hæc eſt convenientia illa Chriſti tanquam antitypi cum Melchiſedeco vero ejus typo. Quod autem hic verus, genuinus, atque Hiſtoriæ Melchiſedeci, itemque verbis Apoſtoli innatus ſit ſenſus, omnes fere fatentur Interpretes, ipſi etiam Pontificii, qui tamen alium ex hoc typo extorquere ſenſum, ac verum adeo plane invertere conantur; dum Miſſam ſuam iſta Hiſtoria inprimis præfiguratam putant, ac firmiter credunt, de qua mox quædam.

§. XXXIII. Sunt quidem non tantum ex Patribus; ſed & ex noſtratibus quidam, referentibus Gerhardo, (m) Hottingero (n) & aliis, qui typum hic faciunt illatum, & illud, quod de Melchiſedeco traditur, quod Pane & vino Abraham, ejusque milites refecit, applicant ad S. Euchariſtiam, in qua Chriſtus verus ille Melchiſedecus corpore & ſanguine ſuo mediantibus panis & vini ſymbolis in S. Synaxi exhibitis ſpiritualem noſtram ſitim & famem tollit, nos à ſpirituali pugna feſſos, imo penitus defunctos reficit, æternæque beatitudinis reddit participes. Nec diſſentit ab his etiam Lutherus noſter. (o) Etſi enim hic ipſe Typus nuſpiam in Scripturis ita ad S. Cœnæ uſum accommodatur, commodiſſima tamen ratione fideique analogia ita quoque explicari poteſt. Et refert plura hujus rei Exempla B. Glaſſius Philolog. S. Libr. 2. Tr. 2. Part. I. pag. 326.

§. XXXIV. Longe autem alium ex hoc typo faciunt Pontificii, qui probaturi in Miſſa ſua verum Sacrificium offerri, probationis apicem in hac Melchiſedeci hiſtoria plurimum ponunt; quo ipſo tamen toti à ſenſu literali diſcedunt, & loco antitypi veri ψευδαντίτυπον fingunt.

§. XXXV. Omnia & ſingula autem huc referre, quæ pro ſtabiliendo hoc articulo, qui quaſi arx totius illorum regni, ipſi afferunt, inſtituti noſtri nunc non eſt. Sufficiat ſaltem in præſenti primarium eorum; ſed male fundatum fundamentum attrectaſſe; dum ex eo, quod Melchiſedech figuram Chriſti peculiari quadam ratione geſſit, & vero panem & vinum, ut illi dicunt, ſacrificavit, concludunt, neceſſum eſſe, ut & Chriſtus panem & vinum ſacrificarit &c. Talis enim eſt eorum argumentandi ratio:

Quale Sacrificium obtulit Melchiſedech, tale etiam Sacrificium Chriſtus obtulit in N. T. *Atqui*
Melchiſedech obtulit Sacrificium Panis & vini,
Ergo etiam Chriſtus in N. T. tale offerre ſacrificium debuit, & per conſequens Chriſtus in inſtitutione cœnæ obtulit corpus ſuum in ſpecie panis & vini.

Ita certe argumentantur Eſtius, Bonfrerius, Cornel. à Lap. in Commentariis ſuis, Bellarminus de Miſſa Lib. I. cap. 6. Pererius ad 3. part. Thomæ & alii plures Eccleſiæ Pontificiorum Atlantes.

§. XXXVI. Et ne invalidum ſit argumentum hocce adverſus aliorum objectiones, aliquot rationibus illud confirmare conantur; & quidem Majorem Propoſitionem ex eo, quod Melchiſedecus fuerit typus Chriſti, Chriſtus autem Sacerdos non ſecundum ordinem Aaronis, ſed Melchiſedeci, hoc eſt: More & ritu, uti explicat Eſtius loco ſæpius cit. qui ſimilis ſit illi, quem Melchiſedech obſervaſſe legitur, qui is eſt, quo panem & vinum obtulit, cui ritui ſimillimum fuerit, quod Chriſtus egit in ultima cœna, quando ſub panis & vini ſpeciebus corpus & ſanguinem ſuum obtulit. Minoris vero probationes exinde deſumunt: quia (1) in Textu Ebræo dicatur הוציא. quod ſit ſacrificiale Verbum. (2) Quia à Moſe adhibeatur vox כהן, quæ non tam Sacerdotem in actu primo, quam ſacrificantem in actu ſecundo denotet, cum formæ ſit Participialis; non autem Nominalis. (3) Quia in Textu inveniatur והוא *Erat enim Sacerdos altiſſimi*, τὸ ו cauſaliter exponentes. (4) Quia *Sacerdotium Chriſti dicatur æternum*, quod proinde etiam ſacrificium requirat quotidie offerendum. (5) Quia hæc ſit communis ſententia Patrum. Ad ſingula itaque nunc ſingulatim, ſed breviter reſpondebimus.

(m) *Comment. in Geneſ. cap. 14.* (n) *Ennend. Diſp. 8. p. 169.* (o) *In Explic. Pſ. 110. Tom. I. Jen. Germ. p. 96.*

§. XXXVII. Majoris demonſtrationem igitur quod concernit, concedimus utique, uti etiam ſuperius oſtenſum eſt, Melchiſedecum fuiſſe typum Chriſti; concedimus etiam fuiſſe typum Sacerdotii ejus æterni, ita etiam aliquo modo, ſi ſano ſenſu illud accipiatur, concedere poſſumus, quando prolationem panis & vini à Melchiſedeco factam Patrum quidam ad ſanctiſſimam Salvatoris Pontificis noſtri unici accommodant εὐχαριστίαν; ratio eſt, quia tunc non tam typus, quam allegoria ſaltem aliqua tractatur, *quæ* tamen juxta ipſius Pererii verba in Commentar. in Geneſ. cap. 1. pag. 5. *nec docet aliquid, nec probat quippiam; ſed illuſtrat tantum*; verum quod in loco iſto typus contineatur Sacrificii illius miſſatici, quod Pontificii volunt, illud eſt, quod negamus & pernegamus. Præterquam enim quod ex typicis accommodationibus, niſi Scriptura ipſa typum ita vel ita explicet, fidei articuli non probentur, & quidem primario; certum eſt, quod nec Apoſtolus Paulus, nec alius quidam Scriptor ſacer vel vocabulo typi hujus ſecundum Pontificiorum expoſitionem mentionem faciat, cum tamen in reliquis omnibus Apoſtolus diligentiſſimam inſtituat collationem inter typum & antitypum. Excipit quidem Bellarminus & ex eo Eſtius *feciſſe illud Paulum ob myſterii ſublimitatem, quæ Ebræis, qui ſub ſacerdotio adhuc fuerunt, difficilior fuerit, quam ut doctrinam iſtam perciperent*; verum hoc ipſum non immerito ſic invertunt Theologi noſtri: ſi difficilior fuit doctrina, ergo eo diligentius eam pertractaſſet, ſi tempore ſuo frequens fuiſſet, quo facilior Ebræis redderetur: nam illud in ſcribenda hac Epiſtola Apoſtoli propoſitum erat, (quod ex fine capitis 5. & initio 6. hujus Epiſtolæ apparet,) ut doctrinam de Chriſti Sacerdotio cæteris tum paulo difficiliorem prolixius & accuratius perpenderet. Deinde vero ſi vel maxime cum Pontificiis aliquod Melchiſedeci ſacrificium hoc in loco ſtatuere velimus, nulla tamen ulibi juſta præſto eſt applicatio inter Sacrificium illorum atque hujus, quæ in aſſenſum nos adducere poſſet. In Sacrificio certe Pontificiorum Miſſatico rei oblatæ vera & realis eſt transmutatio, ſive tranſſubſtantiatio; aſt quænam in Sacrificio Melchiſedeci ſit, nec Pontificii ipſi norunt. Hinc ne plane mutus videatur Puteanus, (p) inquit: *De mutatione panis & vini per actionem ſacrificandi à Melchiſedeco dubitare nefas eſt, licet hac de re nihil habeamus in Sacris literis.* Miſſa Pontificia eſt actus Sacerdotalis; at vero actus Melchiſedeci fuit regius, ut adeo inter Melchiſedeci actum & Pontificiorum Sacrificium comparatio hic plane nulla ſit.

§. XXXVIII. Verum quod perhibent, Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem non Aaronis ſeu Levitici, ſed Melchiſedeci; hoc facile iterum concedimus, diſtinguentes tamen inter ordinem & Sacrificium: ſecundum ordinem Melchiſedeci fuit Sacerdos; aſt non ſecundum Sacrificium Melchiſedeci, uti iſti exponunt.

§. XXXIX. Minor fuit: Melchiſedecus obtulit Sacrificium Panis & Vini. Hujus primum probationis membrum fuit, quod in Textu Ebræo dicatur הוציא, quod ſit Sacrificiale Verbum, ſignificationem offerendi, ſive ad Sacrificium proferendi obtinens, quemadmodum Genebrardus & poſt eum Pererius, Eſtius aliique exponunt; enim vero ut ſtatim ad hoc reſpondeamus, dicimus: hanc vocis הוציא expoſitionem nec ulli Scripturæ S. loco, nec vetuſtiſſimis Verſionibus, nec etiam ipſis Pontificiorum religioni addictis omnibus, inprimis iis, qui Linguæ Sanctæ bene gnari fuerunt, judiciis eſſe convenientem: primo enim in aliis Scripturæ locis Verbum הוציא à Rad. יצא Sacrificandi ſignificatu non gaudet, id quod Concordantiæ Ebraicæ, itemque Lexica oſtendunt. Urgent quidem Adverſarii locum Judic. 6: 18. ubi hæc habentur verba: והוצאתו את־מנחתי & *eduxi munus meum*; Sed negamus, quod verbum הוציא Judic. 6. ſignificatum ſacrificialem habeat; nam potius generalem tantum obtinet, ita ut æque atque

(p) *Ad l. 3. Thom. quæſt. 83. dub. 2.*

aliis nominibus, ubi circumstantiæ & Objecti ratio illud requirunt, operam suam Sacrificiali quoque actui præparatorio omnino præstare possit. Ita certe ad populum restringitur Ebræum eductum ex Ægypto, Exod. 20: 1. sic Psal. 68: 8. determinatur ad vinctos: Psal. 37: 6. ad lucem, Exod. 8: 18. ad pediculos, quos Magi Ægyptiaci producere ausi sunt, Psal. 31: 5. ad rete vel sagenam piscatoriam, &c. si igitur juxta Genebrardum, Pererium & alios Verbum הוציא Sacrificiale est, credere jubemur & pediculos, & vinctos homines, & Sagenas piscatorias fuisse Sacrificatos, quod tamen absurdum. Præterea vero Versiones quoque vetustissimæ per proferendi sive producendi vocabulum eandem vocem exprimunt. Onkelos, Jonathan & Syrus per τὸ אפק, quibus etiam respondet quoad significationem Arabs. Textus Samaritanus retinet Ebræum: הוציא inprimis autem se nobis offert LXX. Viralis Versio, quæ legit ἐξήνεγκε, id est, Protulit, ut nihil dicamus de ipsa Versione Vulgata, item Ariæ Montani, Junii & Tremellii, aliorumque. Quid quod ipse Cajetanus, qui tamen Cardinalis quoque fuit, fateatur, *nihil hic scribi de Sacrificio, vel oblatione; sed de Prolatione sive extractione, quam scribit Josephus factam ad reficiendos Victores.*

§. XL. Alterum, quo utuntur pro Minoris probatione, est vox כהן, quod Sacrificantem denotare dicunt, non Sacerdotem in actu primo spectatum. Ita enim Maldonatus expresse scribit, (q) *Verbum Ebraicum* כהן *esse Participium activæ vocis, quod Sacrificantem notet.* Verum enim vero quod hac in re Versionibus iterum antiquissimis, qui instar optimorum Interpretum esse nobis possunt; imo unico Apostolo Paulo nominaliter illud vertenti per τὸ ἱερεὺς, non major fides habenda sit, quam mille Maldonatis, aut omnibus Pontificiis, nemo erit, qui negabit. Et quod crebrius Participia tum Activa, tum Passiva pro Nominibus usurpentur, seu in Nomina ipsa degenerent, hujus rei Exempla pene multa collegit B. Glassius in Philol. S. Lib. 3. Tr. 4. Can. 2. p. 672. seq. in nihilum igitur & hoc abit probationis membrum.

§. XLI. Tertium est, quod copulam ו in voce והוא causaliter reddere volunt: *nam cogit nos*, inquit Bellarminus, *vox Enim, quam hic Vulgata habet, ut intelligamus Panem & vinum prolata fuisse in Sacrificium Missæ.* Mirum profecto quod unica hæc copulandi litera ו tanti roboris esse possit, ut mentem Bellarmini, antea in vocibus integris nempe הוציא *protulit*, & כהן *Sacerdos*, à Vulgatæ sensu prorsus sejunctam, ei nunc iterum copulare valeat. Ast dicimus, quod Copulandi litera & nunc copulandi vim retineat, licet quandoque jubente sic necessitate modo disjunctiva sit, modo etiam causalis, quandoquidem nihil nos jam cogit, cur à significatione primaria recedere debeamus. Id quod probe etiam viderunt Cajetanus & Hieron. ab Oleastro, qui tamen magni inter Pontificios Doctores sunt. Ille enim ita scribit: *Quod autem in Vulgata editione subditur, ut causa oblationis, erat enim Sacerdos, in Ebræo non habetur, ut causa; sed ut particula separata.* Hic vero, *Adverte*, ait, *quod licet LXX. & Vulgata vertunt, Erat enim*, quasi *sequens sententia prioris causam reddiderit*: *In Ebræo tamen est, ut vertimus scilicet & ipse erat Sacerdos.* Ita ut copula hæc ad sequentem adhuc versum respectum habeat.

§. XLII. Quartum est, quod loco Minoris urgent, quod Christi Sacerdotium à Psalmista & Paulo æternum dicatur: Sacerdotium autem requirere Sacrificium, necessum ergo esse, ut quoddam Sacrificium in terris quotidie offeratur. Sed respondemus, hoc esse Apostolum mendacii arguere, qui Ebr. 7: vs. 26, 27. cap. 9: 25, 26. cap. 10, 11, 12. serio affirmat *Sacrificium Christi in perpetuum oblatum*, nempe in ara crucis, *semel tantum esse factum.* At vero si necesse est, ut quotidie adhuc illud offeratur, Christi sacrificium in perpetuum oblatum non est: sin autem Christi Sacrificium ejusque fructus & effectus perpetuus est, sicut verissime etiam est, quid juvat igitur hodie actus ejusdem à Pontificiis facta repetitio?

(q) *Comment. in* 110. *Psal.*

§. XLIII. Ultimum probationis membrum fuit, quod dicunt, Patrum etiam olim eandem de Melchisedeci historia fuisse opinionem; sed ut paucissimis nos expediamus, reddimus, agnovisse quidem eosdem hic loci typum aliquem illatum S. Cœnæ, non autem panis & vini Sacrificii, qualem Pontificii somniant: id quod pluribus ostendunt Chemnitius in Concil. Trident. de Missa. Danhauerus in Christiade p. 255. 812. 943. seq. Lutherus Tom. 3. Jen. Germ. p. 269, 270. addi quoque his potest **ein Haupt-Vertheid. des Röm. Augapff.** c. XIX. 339. seqq.

§. XLIV. Hæc & alia ejusdem generis sunt fulcimenta, quibus magnum illud Sacrificii Missatici ædificium est impositum; quam fixa autem illa sint & stabilia, vel cœcus ex his vidit Samson. Verum ne diutius contradicere necessum habeamus, mittimus hæc, quæ Theologi nostri diu everterunt, & materiæ huic nunc summam imponimus manum, duobus tantum adhuc verbis addentes, quæ forte ex his vel ad confirmandam fidem nostram vel ad conformandam vitam facient.

§. XLV. Confirmant itaque fidem non immerito sequentia:

1. Melchisedecus dictus fuit *Rex justus*, ex quo colligimus, quod, prout Deus nunquam se reliquit testimonii expertem, Actor. 14: 17. ita medios inter Cananæos, atque ut probabile diximus, ex eorum stirpe, voluerit in Melchisedeco, & testimonium exhibere benignissimæ suæ voluntatis, qua omnium omnino salutem non solum serio expetit & vult, sed & omnibus ad obtinendum hunc finem sufficientia atque efficacia constituit media, & simul etiam testem habere divinæ suæ veritatis.

2. Quando dicitur Melchisedecus Rex Salem, non immerito animadvertimus, Jerusalem DEO sacratam fuisse & ejus cultui addictam primum ab homine Gentili sive peregrino, ut Judæi loquuntur, incircumciso, & quo cum nulla cognatio aut consanguinitas, (nisi fidei,) intercedebat Abrahamo, ut omnes adeo discerent, etiam nobis antea Gentilibus & advenis Eph. 2: vs. 12. jus civitatis Hierosolymis competere, nec plus illic obtinere circumcisionem, quam præputium.

3. Melchisedecus Abrahamo obviam procedens eique una cum militibus ejus fessis à pugna cibum ac potum proferens, suo Exemplo Christum verum Melchisedecum ante oculos nobis ponit, se etiam, (sicut etiam antea audivimus,) à pugna cum Diabolo, mundo, carneque propria defatigatos & gratia sua cœlesti in hac miseriarum valle, & gaudiis æternis, in æterna aliquando patria refecturum.

4. Quod Melchisedecus Abrahamo in nomine Domini benedixit, hoc exemplo nobis est, non aliunde veram benedictionem, quam ab illo omnis veri boni fonte esse precandam aut expectandam.

§. XLVI. Denique conformat vi tam illud, quod Abrahamus decimas omnium obtulit Melchisedeco. Hoc sicut per totam vitam nostram, ita & nunc inprimis observandum est nobis, ut Christo summo nostrum sospitatori, Regi & Pontifici primitias atque Decimas omnium bonarum nostrarum cogitationum, omnium deliberationum, omniumque actuum offeramus & consecremus, nos totos ejus obsequio dicantes, & addicentes.

IPSI IGITUR SIT LAUS.

JOH.

JOH. WILKENS

SUB PRÆSIDIO

JOH. ANDR. DANZII

FUNCTIO PONT. MAX.

In Adyto anniverſaria ad ductum Hebr. IX: comm. 7.

DISSERTATIO PRIMA.

בש״ש

COgitanti mihi ecquomodo pro exiguis ingenii mei viribus ſcitum illud explerem effatum *Talmudicum* (*) לא יפטר אדם מחברו לא מתוך שיחה ולא מתוך שחוק ולא מתוך קלות ראש ולא מתוך דברים בטלים אלא מתוך דבר הלכה שכן מצינו בנביאים הראשונים וכן תנא מרי בר בריי דרב הונא בריה דרי׳ ירמיה בר אבא אל יפטר אדם מחברו אלא מתוך דבר הלכ׳ שמתוך כן זוכרהו וכו׳ i.e. *Ne ſecedat quiſpiam à ſocio ſuo nec intra confabulationem, neque intra ludicra, nec intra levitatem, neque intra verba futilia; Verum intra verba deciſum aut ritum aliquem continentia. Ita enim apud Prophetas priores invenimus. Atque ſic docuit MARE nepos Rab Hunnæ filii R. Jeremiæ Abbæ filii: nunquam ſeparet ſe homo à ſocio ſuo, niſi cum ſermone de deciſo, aut ritu aliquo; per hunc enim efficiet, ut ſui recordetur*; caſu accidit, ut tum temporis in quotidiana Lectione Biblica ordo me deferret ad *caput IX. Epiſtolæ ad Ebræos.* Ubi multa deprehendebam, quæ ſine cognitione rituum inter Ebræos in Eccleſia antiqua receptorum, vel vix, vel difficulter, vel non plene percipi poſſe exiſtimabam. Cumque eodem tempore Collegium haberem in decantatiſſimi iſtius Ebræorum *Maimonidis* Opus יד חזקה dictum: in cujus libr. VIII. *de rebus miniſterium templi concernentibus* multa offenderam, quæ etiam lucem aliquam memorato capiti clarius intelligendo videbantur accendere. Conſtitit apud animum meum conſilium, quædam *divino adjutus auxilio* conſcribere in verſum ejus ſeptimum, cujus hæc ſunt verba: εἰς δὲ τὴν δευτέραν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς, οὐ χωρὶς αἵματος, ὃ προσφέρει ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων. Ea quidem lege, ut in citandis Ebræorum autoribus *Maimonidi* primas concederem. Utpote qui non ſolum tantæ eſt inter Chriſtianos auctoritatis, ut celeberrimis Viris *Caſaubono* ac *Scaligero*, à quibus multi alii deinceps hoc mutuarunt encomium, *primus Judæorum* viſus ſit, *qui deſierit nugari.* Ejus quoque ſtatuta paſſim à Noſtratibus citantur, ac ſuſcipiuntur ſatis reverenter. Stylus ipſius terſus eſt, ac conciſus, integras ſæpe numero *Talmudis* paginas paucis exprimens lineolis. Sed etiam, quod maximum mihi fuit incitamentum, quia in eo legendo, ac cum *Talmude* conferendo totus tunc eram occupatus. Ut autem innoteſcat, è quibus fontibus ſuos derivarit rivulos, *Talmudis* loca, unde ſua pro more decerpſerit, hinc inde allegavi; quo, cui facultas ac otium, folio, pagina, ac linea etiam expreſſis, nullo impedimento quilibet ea conferre poſſit. Faxit vero Numen Benigniſſimum, ut oculis animi apertis, juſto incedam tramite.

(*) *tit.* Berachoth *Babyl. cap.* 5. *fol.* 31. *a. lin.* 26. *ſeqq.*

CAPUT I.

Quo Perſonæ miniſtrantis exhibetur dignitas.

§. I.

PErſona miniſtrans vocatur in textu noſtro ἀρχιερεύς. In templo Dei talis ordo conſtitutus erat, ut quiſque ſuum obire deberet munus; alterius vero adminiſtrare miniſterium ſub pœna mortis, aut (a) pro ratione perſonæ alius cujusdam mali, prohibitum erat. כי המלאכות והעסקים המסורים לרבים אם לא ייוחד כל איש למלאכה מיוחדת יפול ההתרשלות והעצלה מן הכל *quoniam*, Maimonide (b) dicente, *ſi negotia pluribus committantur, nec quilibet ad certum deſtinetur officium, negligentia ac pigritia facile occupat omnes.* Unde quemadmodum nulli Levitarum, Sacerdotum, & contra nemini Sacerdotum Levitarum licitum erat obire munus; ita & Levitis, & Sacerdotibus gregariis, officio Pontifici Maximo proprio fungi fuit prohibitum.

§. II. Levitis Sacerdotum adminiſtrare miniſterium interdictum fuiſſe, *Maimonides* (c) è Talmudis tit. *Erachin* (d) adſtruit verbis ſeqq. וכל הלוים מוזהרין על עבודת המזבח שנאמר אך אל כלי הקדש ואל המזבח לא יקרבו ולא ימותו׃ לא יקרבו לעבודה אבל ליגע מותרין׃ i.e. *Et omnes Levitæ prohibentur, ne cultum circa altare peragant, quia dicitur* (e): *Verum ad vaſa ſanctuarii, & ad altare non accedant* (Levitæ, coll. v. 2.) *ut ne moriantur, non accedant ad offerendum, tangere tamen illud ipſis licitum* (f). Quam male ceſſerit *Koræ* Levitæ, Sacerdotum cultum ſibi arroganti (g), comprobat miſerabilis ejus ſociorumque interitus, deſcriptus Num. 16: verſ. 1. ſeqq. Et ne quis ſimilem cum ipſo erraret errorem, quo eandem ſibi contraheret internecionem; juſſit divina benignitas (h) in perpetuam rei geſtæ memoriam, thuribula prævaricantium, quibus cultus perficere ſuſceperant aliorum, in laminas diducta, anathematis loco altari ſuſpendi, eum in finem, למען אשר לא יקרב איש זר אשר לא מזרע אהרן הוא להקטיר קטורת לפני יהוה ולא יהיה כקרח וכעדתו׃ *ut ne accedat quiſpiam peregrinis* (i), *qui non fuerit è poſteritate Aaronis, ad adolendum ſuffitum coram Domino; ne fiat ei ſicut Koræ, ac cœtui ſuo.* Hinc in tantum non male infert laudatus *Maimonides* (k): לוים שעברו עבודת

(a) *Videatur* Maimon. *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 3. §. 11. (b) *in* More Nebuchim *Part.* 3. *cap.* 45. *fol.* 164. *b. l.* 24. 25. *Edit.* Sabionet. (c) *hilc.* Cele hammikd. *c.* 3. §. 9. 10. (d) *Babyl. cap.* 2. *fol.* 11. *b. l.* 3. *ſeqq. item è* Siphri, *Sect.* Koræ. *fol.* 70. *col.* 1. (e) *Num.* 18: *verſ.* 3. (f) *ex* Mechilta, *ubi confer.* (g) *Num.* 16: 9. 10. (h) *Num.* 17: 5. *confer. c.* 3. 38. *c.* 18. 7. (i) *ad ſenſum genuinum* Peregrini *cognoſcendum conf. omnino* Maimon. *in hilc.* Biath hammikd. *cap.* 9. §. 1. (k) *l. c.* §. 11. *conf.* Moſes Kotzenſis *Præc. Neg.* 297. *fol.* 82. *col.* 4. *circa fin.*

עבודת הכהנים או שסייע לוי במלאכה שאינה מלאכתו חייבין מיתה בידי שמים *Quicunque Levitarum administrant ministerium sacerdotum, aut qui opem tulerit Levitæ alii, in opere, quod suum non est, rei mortis per Deum immittendæ fiunt.* De quorum tamen membro posteriori disceptantes vide in citato *Talmudis* tit. (l), ac *Joseph Karo* in *Ceseph Mischne* (m).

§. III. Sacerdotibus quoque prohibitum fuisse Levitarum fungi officio, docet idem *Moses Ægyptius* (n) verbis superiora immediate sequentibus: וכשם שהלוים מוזהרין שלא לעבוד עבודת הכהנים׃ כך הכהנים מוזהרין שלא לעבוד עבודת הלוים שנאמר גם הם גם אתם i.e. *Et quemadmodum Levitæ prohibentur, quo minus obeant munus sacerdotum; ita etiam sacerdotibus inhibitum, ne Levitarum fungantur officio, quia dicitur* (o): *SICUT ILLI, ITA VOS.* in eodem quoque capite vers. 7. specialis sacerdotum cultus reliquorum Levitarum ministerio oppositus exprimitur, ut sit לכל דבר המזבח ולמבית לפרכת *In omni re altare concernente, ac quæ sunt intra velum*, i.e. ut *Abarbanel* (p) explicat: הם יקריבו הקרבנות על מזבח העולה והם ישרתו בהיכל בהדלקת הנרות ובקטורת *offerant sacrificia super altare holocausti, ac ministrent in templo in accensione candelarum ac in suffitu* (q). Nec dubitandum, quin, cum generatim asserat à Sacerdotibus peragendum cultum, qui post velum, ac ad altare perfici debet, etiam ille h.l. comprehendatur simul, qui post velum secundum in Sanctissimo semel quotannis exhibendus. Cum Universale sub se comprehendat Speciale: quod & h.l. verbis *intra velum* clare est expressum.

§. IV. Neque vero hi libera uti poterant potestate quodcunque munus sacerdotale pro arbitrio obeundi; sed sorte (r) inter eos diversa distribuebantur munia. Et quamvis Pontifici Maximo obeundi munus sacerdotum quorumlibet licentia fuerit data, uti patet ex verbis *R. Maimon.* (s) seqq. כל עת שירצה כ"ג להקריב מקריב כל מה שירצה *quocumque tempore voluerit* (Pontifex Maximus) *offerre, offerat quicquid voluerit.* Attamen nulli Sacerdotum (si solum *Sagan* in casu necessitatis excipias), nedum Levitarum, fungi officio Pontificis Maximi die Expiationis peragendo licuisse manifeste præter varia V. Test. Loca (t) ostendunt textus nostri verba, cum dicitur Μόνος ὁ ἀρχιερεὺς; voce composita ex *ἄρχων princeps*, & *ἱερεὺς Sacerdos*, q.d. *princeps Sacerdotum.* Talem enim proprie denotat; per Synecd. Generis vero *Pontifici Maximo* tribuitur: ut h.l. & alibi; quamvis non ubivis. Siquidem sæpius eum designat, qui *Princeps* dicitur non ratione omnium in universum *Sacerdotum*; sed istorum saltem, qui sub una vel *liturgia hebdomadali* (si ita vocare liceat משמר, quo nomine מעמד olim expresserat *Scaliger*), vel *Ephemeria* comprehenduntur; aut ratione alterius cujusdam præfecturæ reliquis præsunt.

§. V. Quippe sciendum omnino est, quod *Maimon* (u) asserit: שנמצאו הכהנים תמיד שמונה מעלות זו למעלה מזו *inveniri Sacerdotum continuo gradus dignitatum octo, quarum una altera sit superior.* Hos generatim distribueres in הדיוטות *Idiotas* sive *Privatos* ac *Gregarios*, atque ראשים vel ממונים *Principes*, sive Duces aut Præfectos. Atque Principum horum septem sunt ordines, recensiti ab eodem *Maimonide* (w) è cod. *Horajoth* (x) Babylonici, ac *Schekalim* (y) Hierosolymitani Talmudis in hunc modum: וממנין כהן גדול הוא ראש לכל הכהנים׃ ממנין כהן אחר יהיה לכהן גדול כמו המשנה למלך והוא הנקרא סגן והוא הנקרא ממונה ויהיה עומד לימין כהן גדול תמיד׃ וזה כבוד הוא לו׃ וכל הכהנים מתחת יד הסגן׃ ועוד ממנין קתיקולין להיות לסגן כמו הסגן לכהן גדול׃ ואין פוחתין משנים׃ וממנין אמרכלין אין פחות משבעה׃ ומפתחות העזרה בידם רצה האחד לפתוח אינו יכול עד שיתכנסו כל האמרכולין ויפתחו׃ וממנין גזברין מתחת ידי האמרכולין ואין פיחתין משלשה גזברין׃ והגזברין הן שגובין כל ההקדשות ופודין את הנפדה מהן ומוציאין אותן בדברין הראויין להן להוציאן. *Præficiunt Pontificem Maximum, qui caput omnibus Sacerdotibus. Deinde constituunt aliquem Sacerdotem, qui sit Pontifici Maximo, qualis secundus à Rege Majestati regiæ. Atque hic ille est, qui dicitur SAGAN, nonnunquam PRÆFECTUS. & stat Pontifici M. perpetuo à dexteris: id quod magno ipsi ducitur honori. Omnes autem Sacerdotes potestati Sagan istius subsunt. Præterea etiam*

(l) *sc.* Erachin. *fol.* 11. *b. l.* 6. *seqq.* (m) *ad* Maimonidis *l.c.* (n) *l.c.* §. 10. (o) *Num.* 18: *vers.* 3. *ad quem confer.* Ab. Esra. (p) *Comment. in l.c. fol.* 301. *col.* 2. *l.* 20. *seqq.* (q) *vide sis etiam* 1 *Chron.* 23: *vers.* 13. (r) *vide* Rambam. hilc. Tmidim. *cap.* 4. §. 1. *ad* 9. (s) *l.c. cap.* 5. §. 12. (u) *l.c. cap.* 4. §. 19. (w) *l.c.* §. 12. 16. 17. 18. (x) *c.* 3. *fol.* 13. *a. l.* 21. *seqq.* (y) *cap.* 5. *Gemaræ ad* §. 2. *fol.* 49. *cap.* 1. *med. ad Babyl. v.f.* 8. *cap.* 1. *post med.* Tosaphoth. *l.c. fol.* 7. *c.* 2. *med.*

constituunt CATHOLICIANOS ad minimum duos, qui ita se habent ad Sagan, quemadmodum hic ad Pontificem. Item ordinant CAMERARIOS, non infra septem. in quorum manu claves Atrii, ut volente uno aperire, non possit, donec congregatis omnibus aperiant. Tandem Potestati Camerariorum subordinant THESAURARIOS, ad minimum Tres. Thesaurarii autem illi sunt, qui exigunt omnia consecrata: de quibus redimunt redimenda, ac impendunt rebus convenientibus.

§. VI. Hisce adjunguntur ראשי משמרות *Principes Liturgiarum*, ac ראשי בתי אבות *Principes Ephemeriarum*; quorum illos voco, qui præerant classibus istis 24. in quot David ac Samuel Sacerdotes distribuisse dicuntur 1 Chron. 24: 4. (z). quarum semper una hebdomadam integram administrabant, altera in fine hebdomadis priori succedente. Hos, qui præerant Sacerdotibus uno die administrantibus. Ita enim commodius Metonymice existimo vocari, quam *Principes domuum paternarum.* cum ἐφημερίαν tam *Suidas* quam *Hesychius* munus diurnum exponat, quod uno obimus die, ac ἐφήμερος πυρετὸς Galenos sit febris diaria, ἐφήμερος τροφὴς Jacobo (a) victus quotidianus, sive dimensum καθ' ἡμέραν, atque μισθὸς ἐφήμερος in *Epigr.* merces diurna. Et vers. בית אב Talmudicis nil sit aliud, quam cætus certorum Sacerdotum aut Levitarum uno septimanæ die ministrantium. quandoquidem unaquælibet Liturgia hebdomadalis in septem בתי אבות dicente Glossa ad tit. *Taanith* (b), ac *Maimonide* (c), subdividitur: ac *Joseph Karo* (d) inquit: ראש המשמר מחלק אנשי המשמר לבתי אבות וכל בית אב עובד יום א׳ מיוחד בשבוע׃ראש משמר מחלק אנשי משמר שלו לשבעה בתי אבות ואף על פי שיהיו במשמר אנשים רבים אינו מחלקם אלא לשבעה חלקים כל חלק נקרא בית אב *Princeps cujuslibet liturgias distribuit viros istius liturgiæ in* בתי אבות *Ephemerias, ut unaquæque Ephemeria uno certo septimanæ die ministret.* Et mox: *Princeps liturgias dividit viros liturgiæ suæ in septem* בתי אבות *Ephemerias. Quamquam enim in una liturgia plures sint viri, non tamen distribuit eos, nisi in PARTES septem: Pars unaquæque vocatur* בית אב. Quam, ut ex jam dictis patet, satis bene *Ephemeriam* vocamus. quo ipso tamen diversum in scriptura usum tam ἐφημερίας, quam בית אב minime negaverim. Liceat ab hoc Profanis nonnunquam recedere. Quod si nunc hos duos *Principes* Sacerdotum superioribus quinque annumeres, septem habebis species principum sacerdotalium. Quos è *Pandectis Talmudicis* supra citatis, hoc ordine recenset *Maimonides* (e): כ"ג המשיח קודם למרובה בגדים העומד לשרת קודם למשוח שעבר מחמת קרי והעובר מחמת קרי קודם לעובר מחמת מום׃ והעובר מחמת מום קודם לכהן משוח מלחמה ומשוח מלחמה קודם לסגן וסגן קודם לקתיקול׃ וקתיקול קודם לאמרכל׃ ואמרכל קודם לגזבר וגזבר קודם לראש משמר׃ וראש המשמר קודם לראש בית אב וראש בית אב קודם לכהן הדיוט משאר הכהנים i.e. *Pontifex M. unctus præcedit initiatum vestibus; Hic in ministerio subsistens, eum, qui ob pollutionem nocturnam suspensus est. Qui ob hanc suspensus, eum præcedit, qui propter maculam remotus est. Qui propter maculam, potior est Sacerdote ad bellum uncto. Unctus vero belli potior est Sagane. Sagan potior Catholiciano; Catholicianus Camerario; Camerarius Thesaurario; Thesaurarius Principe Liturgias; ac Princeps Liturgias potior est Principe Ephemerias; Et hic Sacerdote Gregario è reliquis.*

§. VII. Quicunque unius fungitur officio ex illis, qui commemorati hactenus sunt, absque dubio dici potest *Princeps Sacerdotum*, Græce ἀρχιερεὺς. Quibus ex sententia *Cl. Lightfooti* (f) conjungantur illi, *qui in summum Synedrium* (quod, si *Maimonidi* (g) credimus, fidem sibi è tit. *Kidduschin* c. 4. concilianti, è Sacerdotibus ac Levitis maximam sui partem constabat,) *fuerunt cooptati. Variis vero officiis in templo Præfecti*, de quibus tit. *Schekalim* cap. 5., aut sunt iidem, qui §. 5. recensiti; aut, si diversos ab illis, eos indigitat, qui l. c. in *Mischna* 1. enumerantur, à *Maimonide* hilc. *Cele hammikd.* toto cap. 7., minime cum eo facere potero. Cum incertum admodum sit, omnes Præfectos ibi recensitos fuisse è Sacerdotibus. Quin imo res ipsa reclamat. Siquidem Præfectorum istorum quindecim recensentur classes, cum Sacerdotum in universum non nisi octo constituantur ordines.

§. VIII. Quic-

(z) *vide codice* Taanith. *cap.* 4. *f.* 27. *a. l.* 8. *l.* 22. *seqq.* Rambam *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 4. §. 3. (a) *c.* 2. 15. (b) *fol.* 15. *b. l.* 10. (c) *l. c. cap.* 3. §. 9. (d) *in* Ceseph Mischne *ad* Maimonidis *l.c. fol.* 179. *col.* 3. *l.* 6. *fin.* (e) *l.c. cap.* 4. §. 19. (f) *Hor. Hebr. ad Matth.* 2: 4. (g) *Hilc.* Sanhedrin *cap.* 2. §. 2.

§. VIII. Quicquid hujus sit, ex dictis sufficientissime patet, vocabulum ἀρχιερέως, sive *Principis Sacerdotem* pluribus esse commune, nec soli Pontifici Maximo proprium. De hoc eo minus dubitabit, quicunque conferet Actor. 5:24. ubi dicitur: ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους τούτους, ὅ τε ἱερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς &c. Ex συναφείᾳ enim textus, ac oppositione ἱερέως ac ἀρχιερέων liquet, per ἱερέα *Pontificem Maximum* esse intelligendum, qui in singulari effertur, ac in Cod. Complutensi dicitur ἀρχιερεὺς; per στρατηγὸν vero τοῦ ἱεροῦ eum, qui Ebræis סגן vel הממונה *Præfectus templi*: per ἀρχιερεῖς autem, non nisi Sacerdotes ordinis à duobus jam memoratis inferioris; sive uni officiorum supra indicatorum præfuerint, sive ob id, quod in Synedrium magnum cooptati erant, tali vocentur honoris titulo. Confer è quam plurimis Matth. 2: vers. 4. cap. 26: vs. 47, 59. Ex V. T. 2 Paral. 36: 14. coll. cum 1 Par. 24: 5. manifestum redditur, שרי הכהנים *Principes Sacerdotum* dici tantum eos, qui Talmudicis, ac generatim scriptoribus profanis שרי המשמרות *Capita Liturgiarum Hebdomadalium vocantur*; non Pontifices Maximos. Atque hinc est, ut ἀρχιερεῖς tam sæpe in plurali efferatur (h); cum tamen, ut iterum recte *Rambam* (i) è tit. *Sanhedrin* (k), ac *Torath Cohanim*: אין ממנין שני כהנים גדולים כאחת *Non constituant simul duos Pontifices Maximos*. Atque Talmud Hieruschalmi (l): אחר מושחין ואין מושחין שנים hoc est, *Unum ungunt, non vero duos*. Quamquam enim Sacra Scriptura nullibi (quod sciam) disertis verbis illud doceat, tamen exinde id haud obscure colligi posse existimo, quod nuspiam invenimus duos vel plures simul ad Pontificatum Maximum fuisse unctos; sæpius vero unicum, & post ejus obitum tunc demum alterum (m). Quod si res ita sese habuit temporibus Aaronis & Eleazaris, quid vetat, ita de reliquis concludere temporibus, cum contrarium probari nequeat?

§. IX. Nec quispiam urgere poterit, quod, sicuti per S. Scripturam, *Josephum* aliosque introducuntur ἀρχιερεῖς in plurali: ita diserte duorum Pontificum M. fiat mentio apud Joh. cap. 18: vers. 13, 24. item Luc. 3: 2. Quoniam vel ordines inferiorum Principum supra allegati intelligi possunt; Vel Pontifex M. cum suo Vicario: sive qui Pontificatu jam erant destituti. Quid enim obstat, nisi quidem cum *Cl. Seldeno* τοὺς ἀρχιερεῖς ad dignitatem civilem, qua *Annas* Synedrii princeps, *Caiphas* vero Synedrii pater (*) statuitur, trahere velis; quo minus *Caiphas* habeatur Pontifex M. *Annas* vero Exautoratus, vel vice-Pontifex, qui Pontifici in eventum possibilis immunditiei pro more surrogatus, ejus illo anno functus fuerat officio. Siquidem hujusmodi Vicarius ob dignitatem ac officium, quo in casu necessitatis semel functus est, etiamsi pro ipso Pontifice Maximo Primario, cultu suo finito, haberi amplius non posset, ad invidiam declinandam; sed medius quodammodo inter Maximum ac reliquos: cum in officiis Sacris neminem, ut *Talmudici* (n) volunt, in statum dejiciant deteriorem. Nomen tamen Pontificis Max. hinc inde accipit apud *Josephum*, atque in *Scriptis Talmudicis. Maimonides* (o) inquit è tit. *Joma* (p): ומתקינין לו כ"ג אחר שאם יארע בזה פסול יעבוד האחר תחתיו־עבר יום הכפורים הרי הראשון חוזר לעבודתו והשני עבר וכל מצות כהונה גדולה עליו אלא שאינו עובד ככ"ג: *Et subordinant ei* (Pontifici M.) *Pontificem Maximum alium, ut, si incidat quædam in illum profanatio, alter iste administret loco ipsius. —— Præterlapso vero die Expiationis, tunc primus ille ad munus suum redit, secundo ipsi ministrante. Cui tamen omnia injuncta sunt præcepta Pontificatus Maximi, præterquam, quod non ministret ut Pontifex M. Joseph filius Ellem* (q) è *Zipporim* functus officio in locum Pontificis Maximi [qui Matthias vocatur à Josepho l.c.] gonorrhæam passi, jussus est à Rege [secundum Talmud Babyl. *à sapientibus*] hoc honore contentus esse, quod ministrare potuerit coram eo, cujus verbo mundus factus est. Ex quo intellexit ille, שהוסע מכהונה גדולה *quod remotus sit à Pontificatu Maximo.* Quod vero nomen Pontificis Maximi retineat, non solum claret è superioribus verbis *Maimonidis*; sed & historia sequenti, descripta in titulis Hierosolymitani *Joma*, *Megilla*, ac *Horajoth* ll. cc. Babylonici, tit *Joma* (r), in h. m. שמעון בן קמחית שיצא עם מלך ערבי ערב יום הכפורים עם חשכה ונתזה צינורה של רוק מפיו על בגדיו וטימאתו ונכנס יהודה אחיו ושימש תחתיו בכהונה: וראת אימן *שני בניה כהנים גדולים ביום אחד: *Cum Simeon* [Bab. R. Ismael] *Filius Kemchith egressus fuerat* deambulatum (s) *cum Rege Arabiæ, nocte ingruente, vespera diei Expiationis; diffluebat canalis salivæ ex ore hujus in Vestes illius, eumque contaminavit.* quo facto *ingressus est Juda* [Bab. (*) Jischbab.] *ejus frater, atque in Pontificatu ministravit loco ipsius. Sic vidit mater ipsorum duos filios suos in die uno Pontifices Maximos.* Hæc è *Megilla* Hierosolymitani. Cui Babylonicum *Joma* (t) subjicit alteram. שוב אמרו עליו על ר' ישמעאל בן קמחית פעם אחת יצא וסיפר עם הגמון אחד בשוק ונתזה צינורא מפיו על בגדיו ונכנס יוסף אחיו ושמש תחתיו וראתה אמן שני כהנים גדולי ביום אחד: i.e. *Iterum accidit cum eodem R. Ismael filio Kemchith, ut aliquando egrederetur confabulatum in foro cum aliquo Episcopo, ex cujus ore diffluebat saliva super vestes illius.* Quo facto, *ingressus Joseph frater ipsius ministrans pro ipso. Sic vidit iterum Mater ipsorum in uno die duos* filios suos *Pontifices Maximos.*

§. X. En vides, quod non modo vocetur כהן אחר *Sacerdos* [voce secundum excellentiam sumta] *alius* (u), כהן משנה *Pontifex secundarius* (x), כהן שני *Pontifex Secundus*, &, quia, dicente *Roberto Sheringhamio* (y), solus princeps reliquorum sacerdotum, qui *Sagan* dicebatur, in talem substitui potest Vicariatum, [de quo tamen frustra (z). Nonnemo dubitat]: dicitur etiam סגן הכוהנים *Antistes Sacerdotum*, id quod primatum ejus designat inter Sacerdotes reliquos. Sed etiam simpliciter כהן גדול *Pontifex M.* vel כהן גדול אחר, à *Josepho* (a) ὁ ἕτερος Ἀρχιερεὺς *alter iste Pontifex M.* & apud eundem *Josephum* (*) *Manasses* dicitur μέτοχος τῆς ἀρχιερωσύνης *Pontificatus particeps* cum Jaddua.

§. XI. Enim vero quando in nostro textu ἀρχιερεὺς introducitur, dignitas politica penitus exulat; nec *Exautoratus* intelligi potest, aut *Vicarius*, vel ullus è Principibus Sacerdotum supra memoratis alius, præterquam Pontifex M. è posteritate Aaronis mascula. Id quod manifeste probat *officium ab ipso obeundum.* Quod mere Sacrum est, nec ab ullo poterat perfici, nisi qui ad munus Pontificis legitime ordinatus. Confer h. l. cum Exod. 30: 10. Lev. 16: 2, 12. seqq. in quibus idem ille actus describitur; & de veritate mea non dubitabis. Cum ibi Aaroni, absque dubio Pontifici, republica adhuc incorrupta, sacris occupato negotiis, ejusque in hoc legitimis successoribus tribuatur, quod hic τῷ ἀρχιερεῖ. Et ne cui scrupulus oriatur, quasi alii Pontificem sublevare potuissent, manusque præbere auxiliatrices, notanter addit Spiritus S. ut Lev. 16: 17. כל אדם לא יהיה באהל מועד בבאו לכפר בקדש עד צאתו: i. e. *Nullus homo sit in tentorio conventus, cum ingreditur ille ad expiandum in Sanctissimum, donec egrediatur*: Ita & in textu nostro Μόνος ὁ ἀρχιερεὺς. Et ἀρχιερεὺς quidem opponitur omnibus sacerdotibus reliquis, cujuscunque sint ordinis, descriptis vs. 6. ubi horum functiones delineantur quoad quidditatem, locum, tempus, ac personas. Quibus quoad singula membra nunc vs. 7. contradistinguit Apostolus functionem Pontificis M. Vox Μόνος vero duplicem includit significationem. Nam tam personam determinat, quam actionis circumstantiam. De persona sumta idem est ac *unicus*; de circumstantia vero actionis à persona peragendæ idem quod *solus*. Persona ingrediens non alia sit, quam Pontifex præcise omnium Maximus: præter quem nemo omnium hac dignus erat functione. In circumstantia vero actionis istius observetur, quod nemo quoque pontificem ullo modo potuerit comitari; sed ipse solus aliis destitutus omnibus, eam perficiat. Quemadmodum de suffigatione quotidiana *Maimon.* (b) è tit. *Joma* (c) asseverat: בעת שמקטירין הקטורת בהיכל בכל יום פורשין כל העם מן ההיכל ומבין האולם ולמזבח לא יהיה שם אדם

(h) *Vide Matth.* 16: 21. *c.* 20: 18. *c.* 21: 15: 23, 45. *c.* 26: 3. 14, 47, 59. *c.* 27: 1, 3, 6, 12, 20, 41, 62. *c.* 28: 11. *Marc.* 14: 1, 10, 43, 53, 55. *c.* 15: 1, 3, 10, 11, 31. *ac passim.* (i) *Hilc.* Cele Hammikd. *c.* 4. §. 15. (k) *Hierus. fol.* 29. *col.* 1. *l.* 23. (l) *Tit.* Horajoth. *cap.* 3. *fol.* 47. *col.* 4. *l.* 4, 5. *Vide ibid. tit.* Joma *c.* 1. *fol.* 38. *col.* 3. *fin. ac tit.* Megilla *cap.* 1. *fol.* 72. *col.* 1. *l.* 23. *à fin.* (m) *Exod.* 28: 3. *sqq. c.* 29: 29, 30. *Num.* 20: 26. (*) *De quibus conf.* Maimon. *Sanhedr. c.* 1. (n) *Tit.* Joma *Babyl. c.* 1. *fol.* 12. *b. l. penult. c.* 7. *fol.* 73. *a. l.* 8, 9. *tit.* Horajoth. *c.* 3. *f.* 12. *b. l.* 6, 7. Menachoth. *c.* 11. *f.* 99. *a. l.* 23. *b. l.* 20. Schekalim. *cap.* 6. §. 4. (o) *Hilk.* Avodath jom haccippurim *c.* 1. §. 3. *Ed. min. A. M.* 5334. *à qua Major A. M.* 5310. *nonnihil discrepat.* (p) *Babyl. c.* 1. *fol.* 12. *b. l.* 9. *fin.* (q) *Hier. titulis* Joma *c.* 1. *f.* 38. *c.* 4. *l.* 1. *seqq.* Megilla *c.* 1. *f.* 72. *c.* 1. *l.* 21. *à fin.* Horajoth. *c.* 3. *fol.* 47. *c.* 4. *l.* 7. *seqq. Babyl.* Joma *c.* 1. *f.* 12. *b. l.* 5. *à fin.* Horajoth. *fol.* 12. *b. l.* 4. *seqq.* Josephus *Antiq. lib.* 17. *c.* 8. *p.* 597. *D.*

(r) *Cap.* 5. *f.* 47. *a. l.* 28. *sqq. Conf.* Vajjikra Rabba *Sect.* 20. *fol.* 120. *col.* 1. *lin.* 22. *seqq. Edit. Ven.* (s) *Quod additur Hier.* Horajoth *l. c.* (*) Joma *fol.* 47. *a. l.* 29. (t) *l. c. fol.* 47. *a. l.* 30. *sqq.* (u) *Vide Babyl. tit.* Joma *c.* 1. Mischna 1. Hierus. *tit.* Horajoth. *c.* 3. *fol.* 47. *col.* 4. *l.* 3. (x) 2 *Reg.* 25: 18. (y) *Cod.* Joma *p.* 7. (z) *Quia contrarium tit.* Sota *c.* 8. *f.* 42. *b. l.* 4. *f. in* Joma *c.* 4. *fol.* 39. *a. l.* 10. *fin.* (a) *l. c.* (*) *Antiq. l.* 12. *c.* 8. *vid.* Seldenus *de success. in Pontif. l.* 1. *c.* 12. *p.* 168, 188. (b) *Hilc.* Tmidin Umusaphin. *c.* 3. §. 3. (c) *Cap.* 4. Gemara *f.* 44. *a. tot.*

אדם עד שיצא זה שהקטיר הקטרת׳ וכן בשעה שיכנס בדם חטאות הנעשות בפנים פורשים הכל מבין האולם ולמזבח עד שיצא שנ׳ וכל אדם לא יהיה באהל מועד בבואו לכפר בקודש וגו׳ בניין אב לכל׳ כפרה שבקודש שלא יהא שם אדם: i.e. *Quo tempore suffitum faciunt in templo quotidie, subducit sese totus populus à templo, & spatio quod inter pronaon & altare; nemo hominum ibi invenitur, donec exeat ille qui adoleverit suffimentum. Et sic qua hora ingreditur cum sanguine sacrificiorum pro peccato intus faciendorum subducunt se omnes à spatio quod inter pronaon ac altare. donec exeat. quia dicitur* (d): *Et nullus homo sit in tentorio conventus, cum ingreditur ille ad expiandum in Sanctuario &c. ad Genus à specie argumentantur ad unamquamque expiationem Sanctuarii, ne sit ibi ullus homo.* Ita idem alibi (e) ex eod. loco Talmudico idem statuit de cultu diei expiationis, quo de etiam proprie agit textus Biblicus ad quem provocant, quando scribit: בשעת הקטרת הקטורת בקודש הקדשים כל העם פורשים מן ההיכל וכו׳: *Qua hora suffitus adoletur in Sanctissimo, totus populus subducit sese à templo* (f). Et ne putes talem secessum tum demum fieri, quando Pontificem M. ad velum usque Sanctissimi comitati sunt, quæ necessaria ipsi in Adyto, porrigentes; præter textum sacrum בבואו *quando ingreditur*, l. c. expressè monet *Maimon.* (g), unumquemque se subtrahere, quamprimum quis à Præfecto jussus fuerit, ut adoleat. Hæc enim verba ipsius legas: ואין המקטיר מקטיר עד שהממונה אומר לו הקטר ואם כהן גדול הוא אומר לו הממונה אישי כהן גדול הקטר ואחר שאימר יפרשו כל העם ויקטיר המקטיר וישתחוה ויצא: i. e. *Suffitum facturus antea adolere non potest, donec Præfectus ipse dixerit: adole. Quod si sit Pontifex M. inquit ei Præfectus: mi Domine Pontifex Maxume, adole. Et ex quo dixit hoc, subducit se omnis populus, & suffitum facturus adolet, incurvat se, ac egreditur.* Quod si jam nulli Pontificem licuit comitari, aut manus ei præbere auxiliatrices; sequitur omnino, unicum Pontificem, qui tali officio h. l. fungi jubetur, in præsenti esse intelligendum. Quin imo ipsa vox ἀρχιερεὺς secundum famosiorem suam significationem accepta in nullum quadrat melius, quam Pontificem M. utpote status ipsius naturam optime exprimens. Quamvis enim latius sumta denotet *Principem Sacerdotum qualemcunque*; nemini tamen melius convenit, quam Pontifici M. Siquidem hic κατ' ἐξοχὴν *Princeps & caput est* non tantum Vulgarium Sacerdotum, sed ipsorummet capitum ac principum reliquorum. Josephus (h) τῷ γὰρ πάντων ἀρχιερεῖ πάλιν αὖ πεπιστευκὼς τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν [quæ lex justior, inquit, quam ea, quæ] *Summo omnium Pontifici aliorum Sacerdotum principatum competenter injungit?*

§. XII. Quid quod non solum introeundi actus Pontifici unice proprius sit; sed ministeria potiora istius diei in sanctuario peragenda omnia. In toto capite 16. Lev. ubi ex instituto agitur de functionibus die Expiationis obeundis, nullum agens primarium aliud exprimitur, quam Aaron Pontifex Maximus, aut *Sacerdos ille quem unxerit ungens, & cujus repleverit manum, ut Sacerdotio fungatur loco patris sui*, ut verba sonant vers. 31. capitis citati. Hinc non male infert acutissimus *Abarbanel* (i): ואמר שעבודת בית המקדש ביום הזה היתה על ידי הכ״ג ולכן תלה הכתוב תמיד באהין בזאת יבא אהרן אל המקדש ונתן אהרן והקריב אהרן: *Omnino assero, quod cultus domus sanctuarii in hoc die peragendus, per Pontificem M. fieri debeat; propterea attribuit eum Scriptura perpetuo Aaroni*, V. G. *cum hoc veniat Aaron in Sanctuarium: item & ponat Aaron, & offert Aaron* &c. Et clarius adhuc *R. Moses Ægyptius* (k): עבודת כל חמשה עשר בהמות אלו הקרבין ביום זה אינה אלא בכ״ג בלבד׳ ואם היתה שבת אף מוסף שבת אין מקריב אותו אלא כ״ג׳ וכן שאר העבודות של יום זה כגון הקטרת הקטורת של כל יום׳ והטבת הנרות׳ הכל עשוי בכ״ג נשוי: i. e. *Cultus circa omnes 15. istas bestias, quæ hoc offeruntur die, non peragitur nisi à Pontifice M. tantum. Et si in Sabbathum inciderit dies Expiationis, etiam supererogatorium Sabbathi nemo offerat nisi Pontifex M. Atque sic ministeria reliqua hujus diei, V. G. adoletio suffimenti quotidiani, ac aptatio lucernarum, singula perficiuntur à Pontifice M. uxorato.* Rem in compendium redigit *Gemara* Babyl. Codicis *Horajoth* (l), inquiens: כל עבודת יום הכפורים אינה כשרה אלא בו: *Nullus cultus diei Expiationis legitimus est, nisi qui ab ipso perficitur.* Quod si jam omnes cultus diei Expiationis à solo Pontifice M. peragendi; utique & ingressus in Sanctissimum unice suscipiendus fuit à Pontifice. Quo ipso tamen in casu necessitatis ipsius Vicarium nequaquam volo exclusum; sed, ne dies prorogandus, omnino huc accersendum.

§. XIII. Cæterum qualis requiratur Pontifex, & quæ ejus necessaria sit conditio, notum nobis fecit Deus verbis Lev. 16: vs. 32. הכהן אשר ימשח אתו ואשר ימלא את ידו לכהן תחת אביו ולבש את בגדי הבד בגדי הקדש: *Sacerdos ille quem unxerit ungens, & cujus repleverit manum, ut sacerdotio fungatur loco patris sui, & induerit vestes lineas, vestes sanctitatis.* Quorum requisitorum alia natales ejus concernunt, inaugurationem alia. NATALES quod attinet, referat originem suam ad Aaronem: *Loco patris sui* h. l. dicitur, subintellige Pontificis. Hinc Josephus (m) πρῶτον μὲν οὖν πάντων λέγουσιν Ἀαρῶνα τὸν Μωϋσέως ἀδελφὸν ἀρχιερατεῦσαι τῷ θεῷ. τελευτήσαντος δὲ ἐκείνου διαδέξασθαι τοὺς παῖδας εὐθὺς, καὶ ἀπ' ἐκείνων τοῖς ἐκγόνοις αὐτῶν διαμεῖναι τὴν τιμὴν ἅπασιν. ὅθεν καὶ πάτριόν ἐστι μηδένα τοῦ θεοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην λαμβάνειν, ἢ τὸν ἐξ αἵματος τοῦ Ἀαρῶνος, ἑτέρῳ δὲ γένους οὐδ' ἂν βασιλεὺς ὢν τύχῃ τεύξεσθαι τῆς ἀρχιερωσύνης. *Primus igitur omnium hoc Dei Sacerdotium gessisse fertur Moysis germanus Aaron Pontifex: quo defuncto, successisse mox filios, ac deinde illorum posteritati mansisse hunc honorem perpetuum. Unde consuetudo obtinuit accepta à majoribus, neminem Dei Pontificem fieri, nisi descendentem ab Aaronis sanguine, nec eam dignitatem concedi vel regibus oriundis alio genere.* Maimonides (n): כשימות המלך או כ״ג או אחד משאר הממונים מעמידין תחתיו בנו או הראוי ליורשו וכל הקודם לנחלה קודם לשררות המת והוא שיהיה ממלא מקומו בחכמה או ביראה אף על פי שאינו כמותו בחכמה שנאמר במלך הוא ובניו בקרב ישראל׳ מלמד שהמלכות ירושה והוא הדין לכל שררה שבקרב ישראל שהזוכה לה זוכה לעצמו ולזרעו: Quæ optime reddidit *Cl. Seldenus* (o). *Mortuo Rege aut Pontifice aut alio quovis in dignitate constituto, loco ejus substituitur filius ejus, aut is qui jure hæreditario est proximus. Nam quisquis in hæreditate anteferendus est, etiam is in defuncti dignitatibus est anteferendus: modo ejusmodi fuerit, ut locum ejus sapientia suppleat, aut saltem quantum ad timorem, tametsi ei sapientia sit dispar. Secundum id quod scriptum est* Deut. 17: 20. *de Rege: ipse & filii ejus in medio Israel. animadvertendum est inde, Regnum esse hæreditarium. Atque hoc etiam jus est universis dignitatibus, quæ sunt in medio Israelis, ut, qui in earum aliquam fuerit evectus, is eam non sibi solum, sed & posteris suis retineat.*

§. XIV. Quod si plures cuidam filii fuerint, prærogativa spectat ad primogenitum, הבן הגדול קודם לקטן ממנו *filius natu major*, inquit *Maimonides* (p), *potior est eo qui minor ipso.* Hinc est, ut jus primogenituræ tantopere affectaret Jacob Gen. 25: 31. In *Rabboth* (q) ajunt: מה ראה אבינו יעקב שנתן נפשו על הבכורה דתנינן עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות משהוקם המשכן נאסרת הבמות ועברה בכהנים אמר יהיה רשע זה עומד ומקריב לפיכך נתן נפשו על הבכורה הה״ד כי לדם אעשך ודם ירדפך אם לא דם שנאת ודם ירדפך ועשו הוא שונא את הדם רבי שמואל בר נחמן אמר זה דם בכורה בקרבנות רבי לוי בשם רבי חמא אמר ולא חפץ בברכה ולא חפץ בבכורה רבי הונא אמר זה דם הקרבנו׳ שהוא קרוי ברכה: *Quid vidit pater noster Jacob, quod mentem suam applicaret ad primogenituram? quoniam docetur* (r): *antequam tabernaculum erigeretur, excelsa fuerunt concessa, ac munus Sacerdotii penes primogenitos. Erecto vero tabernaculo, excelsum quodlibet prohibebatur, ac functio sacra penes Sacerdotes. Cogitabat enim, hiccine impius consistat ac offerat? Itaque suam applicavit animum ad jus illud primogenituræ. Atque hoc est illud, quod dicitur* Ezech. 35: 6. *quia in sanguinem aptabo te, & sanguis te persequetur: Numquid non sanguinem odisti? Igitur sanguis te persequetur. Scilicet Esau odio habebat sanguinem, h. e. interprete R. Samuele f. Nachman, sanguinem primogenituræ in Sacrificiis. R. Levi sub nomine R. Chammæ verba* Psal. 109: 17. *& non voluit* ברכה [benedictionem], *exposuit, quod non voluerit* בכורה *primogenituram. R. Hunna dixit esse sanguinem sacrificium, qui vocetur benedictio* (s). Cum Patriarcha Jacob morti vicinus testamentum suis constitueret filiis, in legato *Rubenis* adstruit Gen. 49: 3. Quia *primogenitus meus es, robur meum, ac principium potentiæ meæ*, יתר שאת ויתר עז *Excellentia dignitatis, ac excellentia roboris* tibi competeret. Ubi

(d) *Lev.* 16: 17. (e) *Hilc.* Jom. haccippurim *cap.* 4. §. 2. (f) *Conf. omnino Luc.* 1:10. *ad eumque Cl.* Lightfootus *p. m.* 716. *item quæ in* Tosaphoth *ad tit.* Celim *cap.* 1. §. 9. *in fin. ac apud* R. Obad. de Bartenura *ad tit. cit. Part.* 2. *fol.* 268. *a. Edit. Ven.* (g) *Hilc.* Tmidin. *cap.* 3. §. 9. (h) *Lib.* 2. *contra Appionem p. m.* 1073. *c.* (i) *Comment. in l. c. fol.* 249. *col.* 1. *l.* 16. *à fine.* (k) *Hilc.* jom. Haccippur. *c.* 1. §. 2. (l) *Cap.* 3. *fol.* 12. *b. l.* 15. *ita etiam tit.* Joma *fol.* 73. *a. l.* 17.

(m) *De Antiq. Jud. l.* 20. *pag.* 700. *a.* (n) *Hilc.* Cele hammickd. *c.* 4. §. 20. (o) *De Succ.* in Pontif. *l.* 2. *c.* 1. *p. m.* 187. (p) *Hilc.* Melachin *c.* 1. *post med.* (q) *Sepher* bereschith *sect.* 63. *fol.* 40. *col.* 1. *lin.* 3. *final. Edit. Ven.* (r) *Tit.* Sebachim *cap.* 14. Bab. *fol.* 112. *b. l.* 19. *seqq.* (s) *Conferatur* Jalkut *Sect.* Toleroth Jitzchack *fol.* 32. *col.* 4. *post med. Ed. Crac.*

Ubi *Onkelos*: לך הוה חזי למסב תלתא חולקין בכירותא כהונתא ומלכותא i.e. *æquum fuerat, dare tibi tres portiones: Primogenituram, Sacerdotium, ac Regnum.* Targum *Hierosolymitanum*, quo cum quoad sensum coincidit illud *Jonathani* filio *Usiel* tributum, ad eundem modum: חמי הוה לך ראובן ברי למסב תלתא חולקין יתיר על אחיך בכורותא כהונתא מלכותא ועל דחטיית ראובן ברי איתיהיבת בכורותא ליוסף ומלכותא ליהודה וכהונתא רבתא לשיבטא לוי *Æquum fuerat, tibi mi fili Ruben! dare tres portiones super fratres tuos: Primogenituram, Sacerdotium, ac Regnum. Quandoquidem vero deliquisti, mi fili Ruben! tradita sit primogenitura Josepho* (t), *ac Regnum Judæ, atque Pontificatus Maximus tribui Levi.* Joramo Josaphat pater regnum tradidisse dicitur (u), *quia erat primogenitus.* Defunctis duobus majoribus Aaronis filiis *Nadab* & *Abihu* sine posteris Levit. 10: 2. seqq. Num. 3:4., in Pontificatu demum Patri surrogatur *Elasar*, tanquam πρὸς ὃν διὰ τ ἡλικίαν ἡ ἱερωσύνη περιγίνεται *ad quem* (ut Josephus loquitur (x), ceu inter residuos maximum *jure ætatis successio pertinebat.* Quam indigne tulerit Joseph Patriarcha, filium suum *Ephraim* à Jacobo prælatum primogenito Manassi, videre est Gen. 48: 17. 18. *Rabban Gamaliel* fratri suo Simeoni, qui ipsum sapientia longe superabat, non aliam ob causam à parente in dignitate occupanda præfertur, quam, ut è tit. *Cethuboth* (y) discimus, *quia primogenitus.* Cujus præcepti ratio Deut. 21: 17. descripta כי הוא ראשית אונו *quia est principium potentiæ paternæ.* Abarbenel (z) in Oratione Jacobi ad filium *Ruben* observat: לפי שנולדת בבחרותי בהיותי במבחר כחי ומפני זה היה ראוי להיות לך יתרון במעלה וכו' *quia natus es in juventute mea, cum in optimo vigore essem constitutus, ideo æquum fuerat, ut te maneat excellentia dignitatis.* Sc. quo quid est melius, eo ad dignitatem aptius; quæ in re quaque amet optimum. Atqui credibile ad minimum est, eo præstantiores esse filios, quo vegetiori parentum nati sunt ætate. Plura tamen dari vitia, tam corporis, quam animi, quæ eum, quem ætas idoneum fecerat, reddant inidoneum, alibi docebitur. Ruben ante allegatus evidens nobis præbet exemplum. Caino Deus prærogativam sartam tectam promittebat sub conditione pietatis, Genes. 4:7. De Vitiis corporis vide *Seldenum* de Succ. in Pontif. lib. 2. c. 5. de animi *Eundem* l. c. cap. 6.

§. XV. In INAUGURATIONE secundum ductum loci supra citati Tria observanda: *Amictus*, *Inunctio*, ac *Manuum impletio.* Quod ipsum quoque innuitur Exod. 28: 41. *Et induas eas* (Vestes) *Aaroni fratri tuo, ejusque filiis cum eo; & ungas eos, ac impleas manum ipsorum, cum consecras eos, ut apud me fungantur Sacerdotio.* Cap. 21: vers. 1. dicitur: *Hæc est res, quam facies illis, dum consecras eos, ut Sacerdotio fungantur mihi.* vers. 5. *capies vestes istas, & induas Aaroni, sc. Tunicam &c.* vers. 7. *& accepto oleo unctionis, effundas illud super caput ejus, ac ipsum inungas* —— vers. 9. *& impleas manum Aaronis, & manum filiorum suorum.* Ejus exsecutionem vide Levit. 8: 4. seqq. vers. 7. seqq. vers. 10. seqq. vers. 25. seqq. STOLÆ ARCHIERATICÆ (ut à *Josepho aliisque* vocantur) seu vestes, quibus pontifex inauguratur, quibusque deinceps in functione sua utitur, aliæ ipsi cum reliquis sacerdotibus sunt communes, aliæ propriæ. Communes sunt *Camisia*, *femoralia*, *Tiara*, *ac baltheus*: nisi quod Tiara, quæ de Pontifice usurpata מצנפת dicitur, formam obtinuerit paulisper diversam ab ea qua Sacerdotes ornantur, מגבעת vocata. שכ"ג צונף בה כמי שלופף על השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפיכך נקראת מגבעת *Pontifex*, inquit *Maimonides* (a), caput *sua circumvolvit, sicut qui vulnus obligat. Gregarii v. Sacerdotes ea obvelantur ceu* כובע *Galea, inde etiam* מגבעת *dicta est.* Ad hunc in animadversionibus suis tradit *R. Abr. f. David*: מצנפת ארוך הרבה וכורך אותו בריכות הרבי ככרוכוי הישמעאלים אבל מעשה המגבעות כעין הכובעין שלנו חדין מלמעלה והן קצרין *Pontificis tiaram valde fuisse prolixam, quam multis convolutionibus capiti circumplicarit in figuram pilei Turcici. Sacerdotum vero non dissimilem nostris galeis superne acuminatis; quæ breviores.* Ut autem longitudine Pontificia fascia superabat Sacerdotum; sic latitudine horum longe excedebat illius: ut, cum illius tantum partem capitis superiorem involveret, fronte immuni; horum undique caput galearum instar plicaturis incluserit. *E Codice Sebachim* (b), ac *Rabbenu Isaac f. R. Ascher Levita* observat *Moses Kotzensis* (c): המצנפת שלכ"ג היתה קצרה יותר כדאמרינן בזבחים שערו היה נראה בין ציץ למצנפת ששם מניח תפילין שהרי מקום יש בראש להניח שני תפילין והציץ והתפילין היו שם רק שהציץ לצד המצח והתפילי' לצד המצנפת ומגבעת כהן הדיוט היתה מכסה את הראש לבד מקום תפילין tam contractam fuisse *Pontificis tiaram, ut inter eam ac laminam apparuerit capillus ipsius, quo Philacteria alligare soleat. Siquidem locus in capite immunis relinquendus, ad alligandum illic duo philacteria & laminam; hanc quidem à parte frontis, illa vero ad extremitatem tiaræ: quæ in Sacerdote gregario totum operiebat caput, solo Philacteriorum loco relicto.* Quæ Vestes propriæ erant Pontifici, vel *Aureæ* dicebantur, quibus ad superiores quatuor species adjectis, ordinarie in sua utitur functione: vel *Candidæ*; quibus vestitus, sola sacra peragit diei Expiationis propria. De quibus inferius cap. IV. In *Gemara* Babylonica dicitur * בשאר ימות השנה כ"ג משמש בשמונה אלא לאו ביום הכפורים *In reliquis anni diebus Pontifex M. ministrat 8. indutus vestibus; verum non ita in die Expiationis.* In Mischna 5. Cod. *Joma* c. 7. כ"ג משמש בשמונה כלים וההדיוט בארבע בכתונת ומכנסיים ומצנפת ואבנט מוסיף עליו כג חשן ואפוד ומעיל וציץ. i.e. *Pontifex M. 8. indutus vestibus cultui vacat; Sacerdos gregarius vero non nisi 4: sc.* CAMISIA, FEMORALIBUS, TIARA, *ac* BALTHEO. *Quibus Pontifex superaddit* PECTORALE, EPHOD *seu* EPOMIDA, PALLIUM, *&* LAMINAM (d).

§. XVI. Ordo qui inter induendum observari visus est, talis describitur à *Maimonide* (e): לובש המכנסים תחלה וחוגר אות המכנסים למעלה מטיבורו מעל מתניו ואחר כך לובש הכתונת ואחר כך חוגר את האבנט כנגד אצילי ידיו ומקיפו כרך על כרך עד שגומר וקושר ועל האבנט מפורש בקבלה ולא יחגרו ביזע במקום שמזיעין — כ"ג אחר שחוגר באבנט לובש המעיל ועל המעיל האפור והחושן וחוגר בחשב האפוד על המעיל מתחת החושן ולפיכך נקרא מעיל האפוד שחוגרו באפוד ואחר כך צונף במצנפת וקושר הציץ למעלה. *Primum induat femoralia* (quia, ut in tit. *Joma* (f), è quo sua hæc desumsit *Rambam*, asserunt, scriptum est (g): *& femoralia linea induat super carnem suam* בעורו ערום *nudam*, ut Glossa (h) habet): *Quæ ultra umbilicum producta, constringat supra lumbos. Deinde induat Camisiam, ac postmodum baltheum accingat circa axillas manuum suarum, quem continuis plicaturis circumliget, donec consumetur. Non tamen, ut constat è παραδόσει, accingat eum in sudorem* (i), h. e. ut *Abaj* exposuit in tit. *Sebachim* (k), *in locum quo sudare solent*: qui, dicente *Raschio* ad cit. Codicem (l), est sub axillis, carne nuda invicem conduplicata ac attrita: idque ideo, ne sacræ vestes sudore inde attracto inquinatæ fierent, & maleolentes. His rite peractis, *Pontifex pallium induit, cui imponitur Ephod seu Epomis, & Pectorale, ita ut cingula Ephodi pallium sub pectorali constringat: idcirco enim pallium Ephodi vocatur, quod Ephodo illud constringat. Tandem Tiaram capiti circumvolvit, cui superne alligatur lamina seu corona aurea.*

§. XVII. Atque hic vestium ornatus septem diebus contiguis in Pontifice consecrando iteretur, utut in casu necessitatis unico indutu tam aptus fiat, ut sacra ab ipso peracta ministeria non fierent illegitima. *Maimonides* (m) è tit. *Joma* (n): לובש שמנה בגדיו ופושטן וחוזר ולובשן למחר שבעת ימים יום אחר יום שנאמר שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו — ואם עבד קודם שיתרבה בבגדיו כל שבעה — עבודתו כשירה הואיל ונתרבה פעם אחת נעשה כ"ג לכל דברי *Induat 8. Vestes, easque exuat, ac rursus die crastino illas induat per 7. dies continuos, quia dicitur* (o): *septem dies induat eas, qui ex filiis ejus loco ipsius Pontifex. Quod si tamen sacra fecerit antequam omnibus 7. diebus vestibus fuerit initiatus, ministerium ejus non est illegitimum. Quandoquidem ex quo vice unica sacris initiatus est vestibus, Pontifex factus est ad rem quamcumque* ab hac dignitate rite peragendam. Non vero latius quis negotium extendat, ut existimet, in casu necessitatis legitimum ab eo fieri cultum, si vel maxime omnibus 8. indutus vestibus non sit. Tam necessarium æstimant supra citatum vestium numerum, ut aliqua ipsarum deficiente,

Ccccc non

(t) *Vid.* 1 *Chron.* 5: 1. (u) 2 *Chron.* 21: 3. (x) *Antiq. l.* 4. *c.* 4. *p. m.* 110. *c.* (y) *cap.* 12. *fol.* 103. *b. l.* 15. *seqq. it. l.* 4. *fin.* (z) *ad Gen.* 40. *fol.* 120. *col.* 4. *l.* 17. *fin.* (a) *hilc.* Cede hammik. *c.* 8. §. 2. (b) *cap.* 2. *fol.* 19. *b. l.* 78. (c) *in* ס"מג Præc. Affirm. 173. *fol.* 212. *col.* 1. *l.* 23. *seqq. Conf. omnino l. c. col.* 3. *l.* 7. *seqq.*

* *Cod.* Joma *cap.* 1. *fol.* 12. *b. l.* 8. *seqq.* (d) *confer præter Scripturæ loca* Josephum *Antiq. l.* 3. *cap.* 8. *tit.* Joma *cap.* 1. *f.* 12. *b. cap.* 7. *f.* 69. *a. ad eumque* Sheringhamium *p.* 167. *seqq.* Maimon. *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 8. *&* 9. *totis* Mos. Kotzensem *præc. Affirm.* 173. *f.* 212. *col.* 1. 2. 3. Seldenum *de Succ. in Pontif. l.* 2. *cap.* 7. (e) *l. c. cap.* 10. §. 1. 2. 3. *conf.* Moses Kotzensis *l. c. col.* 3. *ante med.* (f) *cap.* 2. *fol.* 23. *b. l.* 27. 28. (g) *Lev.* 6: 3. *cap.* 16: 4. (h) *ad loc. Talmudis cit. lin.* 11. *fin.* (i) *Ezech.* 44: 18. *ubi conf.* R. Dav. Kimchi. (k) *cap.* 2. *fol.* 19. *a. l.* 4. *seqq.* (l) *lin.* 3. (m) *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 4. §. 13. (n) *cap.* 1. *fol.* 5. *c. l.* 24. *seqq.* (o) *Exod.* 29: 30. *confer. Lev.* 8: 33.

non modo cultum habeant pro illegitimo; sed ipsum Pontificem quoque reum judicent Excisionis. Iterum *Maimon.* (p), ac *Moses Kotzensis* (q), è titulis *Sanhedrin* (r) ac *Sebachim* (s): כ"ג ששימש בפחות משמנה בגדים אלו הוא הנקרא מחוסר בגדים ועבודתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים כזר ששימש שנאמר וחגרת אותם אבנט והיתה להם כהונה בזמן שבגדיהם עליהן כהונתם עליהן אין בגדיהן עליהן אין כהונתם עליהן אלא הרי הם כזרים ונאמר והזר הקרב יומת: *Pontifex M.* inquit, *qui Sacra fecerit minus 8. vestibus istis indutus, est ille, qui* in Talmudicis *vocatur* DESTITUTUS VESTIBUS. *ac ministerium ejus censetur profanum, & ipse non secus ac peregrinus sacra faciens reus est mortis per Deum inferendæ, quia dicitur* (t): *& accingas illis Baltheum, ut sit illis sacerdotium.* Ex quo inferunt, *quo tempore Vestes super illis, Sacerdotium quoque super iis; quibus deficientibus, non inhæret illis Sacerdotium: sed sunt instar peregrinorum, de quibus dicitur* (u): *Peregrinus qui accedit morte afficietur.*

§. XVIII. Vestiendi ritum accepit UNCTIO. Aaroni Vestibus jam ornato jubetur Moses, ut oleum in caput effundat, Exod. 29: 5. confer vers. 29. Quod eodem ordine exsecutus legitur Levit. 8: 7. seqq. vers. 10. seqq. ὡς δὲ τῇ ἐσθήσεσιν ἤσκησεν αὐτοὺς χρίσματος εὐωδεστάτου λαβὼν, ὃ μυρεψικῇ τέχνῃ κατειργάσθη. *Postquam vero*, inquit *Philo* (x), *instruxit eos sacratis vestibus, sumsit unguentum suaveolentissimum, confectum arte unguentaria.* Nec alium ordinem decorum exigebat, ac unguenti dignitas. Unguentum ipsum cum speciebus ad id pertinentibus à Mose describitur Exod. 30: 22. seqq. cujus verba quomodo intellexerit *Josephus*, patet è sequentibus (y): σμύρνης ἐπιλέκτου σίκλους πεντακοσίους, καὶ ἴρεως ἴσους, κινναμώμου δὲ καὶ καλάμου, ἔστι δὲ καὶ τοῦτο εἶδος θυμιάματος, ἡμίσειαν τοῦ προτέρων ὁλκὴν κεκομμένα δοῦναι ἐκέλευσεν. ἐλαίου δὲ ἐλατίνου εἶν, μέτρον δ' ἐστὶ τοῦτο ἐπιχώριον, δύο χόας ἀττικοὺς δεχόμενον, ἀναμίξαντας καὶ καθεψήσαντας σκευάσαι τέχνῃ μυρεψῶν χρίσμα εὐωδέστατον. κἄπειτα τοῦτο λαβὼν αὐτοὺς τοὺς ἱερέας, καὶ πᾶσαν τὴν σκηνὴν χρίων ἐκαθάρισε. *Myrræ electæ siclos quingentos, ireos tantundem, cinnomomi & calami [est & hæc odoramenti species] dimidium dicti ponderis, concisa ac contusa jussit macerari in olei olivarum Hin: mensuræ nomen est, quæ capit duos choas atticos: quibus permixtis, & arte unguentariorum decoctis, factum est unguentum suavissimum: quo & sacerdotes & totum tabernaculum unguens purificavit.* Quocum quadantenus etiam facit *Abarbanel* (z). *Talmudici* vero absque sufficienti causa non nihil ab his discrepant; cum suffixum ו vocis מחציתו vs. 23. non ad מר דרור *Myrrham puram* referunt, sed ad immediate præcedens קנמון *cinnamomum.* ut sensus evadat, in tanto pondere *cinnamomum* addendum esse, ut ejus dimidium 250. siclos æquet, & per consequens totum contineat siclos 500. haud secus ac duæ species aliæ. Ita horum depromit sententiam *Maimonides* (a) è tit. *Cerithuth* (b): לקח מן המור והקנמון והקדה מכל אחד משלשתן חמש מאות שקל בשקל הקודש ומקנה הבושם חמשים ומאתים וזהו שנאמר בתורה וקנמון בשם מחציתו חמשים ומאתים ששוקלין אותו בשני פעמי' חמשים ומאתים בכל פעם · ושוחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כחן במי' ונתן על המי' שמן זית הין והוא יב לוג כל לוג ד' רביעית · ובשל הכל על האש עד שאבדו המים ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות: Moses, inquit, *accepit de Mirrha, Cinnamomo, ac Casia, æquali mensura 500. siclos, secundum siclum sanctitatis; de Calamo Aromatico v. 250. Id enim quod in lege dicitur: & Cinnamomi aromatici* [verto ad mentem ipsorum (c) *dimidium sit 250. indicat, quod appenderint illud duabus vicibus, singulis 250. Unaquaque specie seorsim contusa, omnes commiscuit, ac aqua pura ac dulci tamdiu maceravit, donec omnis ipsarum vis in eam exierit. quo facto, indidit aquæ olei olivarum* HIN, *continens* LOGOS *duodecim; ac horum quilibet quartam quartæ. Omnibus ad ignem sensim eousque decoctis, donec aqua defecerit; id quod relinquitur oleum in vase seposuit, in secula futura* (d).

§. XIX. Atque de hujusmodi oleo non solum primus Pontifex Aaron ab ipso Mose unctus fuit; sed quicunque ipsi ex posteris suis in tali dignitate succederet, eodem erat ungendus. In titulis *Cerithuth* (e) ac *Horajoth* (f), è quibus desumsit *Maimonides*, quæ l. c. cap. 1. §. 7. profert in medium, legimus: ואפילו כ"ג בן כ"ג טעון משיחה דכתיב והכהן המשיח תחתיו מבניו · נימא קרא והכהן מתחתיו מבניו מאי המשיח קמ"ל דמבניו דכ"ג אי הוי משיח הוי כ"ג ואי לא לא הוי כ"ג כו': *Pontifex etiamsi Pontificis filius inunctione opus habet, quia scriptum est* (g): *& Sacerdos ille qui* UNCTUS *ex filiis ejus in locum ipsius. Diceret scriptura, & Sacerdos ex filiis ejus loco ipsius. Quid sibi vult* id adjectum *qui unctus? indicat nobis, quod, qui ex filiis Pontificis Maximi unctus fuerit, sit Pontifex M. qui minus, neutiquam.*

§. XX. Ipse vero ungendi actus *die* perficiatur, non *nocte*: atque per 7. dies continuos, eadem tamen lege, qua indutus vestium, repetatur. *Rambam* (h) è tit. *Joma* (i), כשם שרבוי בגדים שבעה כך משיחה בשמן שבעה יום אחר יום: id est, *Quemadmodum inauguratio per vestes septidua; ita unctio per unguentum per septem dies continuet.* Et mox (k) è *Torath Cohanim* (l): ואין מושחין אותו אלא ביום שני ביום המשח אותו: *Non autem ungunt eum nisi interdiu, quia dicitur* (m): *In die, quo ungitur ille.* Modus unctionis in titulis *Horajoth* (n) ac *Kerithuth* (o), unde recentiores v. g. *Maim.* (p), *Moses Kotzensis* (q), *Raschi* (r), *Obadias de Bartenura* (s), *Ralbag* (t), *Abarbanel* (u), aliique sua excerpserunt [paucis hinc inde mutatis], describitur; quod olei ductu in fronte Pontificis, seu intra ejus oculos repræsentaverit figuram *crucis*, quam vocant *Andrææanam*: תנו רבנן מושחין את המלכים כמין נזר ואת הכהנים כמין כי מאי כמין כי אמר רב מנשיה בר גדא כמין כף יוני · תניא חדא בתחלה מוצקין שמן על ראשו ואחר כך נותנין לו שמן בין ריסי עיניו ותניא אוחרית בתחלה נותנין לו שמן בין ריסי עיניו ואח"ך מוצקין לו שמן על ראשו וכו': *Reges, inquit totus Rabbinorum consessus, ungunt ad formam coronæ; Pontifices vero in speciem Chi. quid est illud in speciem Chi? Respondet Rab. Menasses f. Gidda: instar elementi Græcanici C. Una Mischna tradit, quod oleo primum in caput ejus profuso, deinceps nonnihil ei inter supercilia apposuerint,* [quod Ungens, uti *Kotzensis* explicat, ita in utramque partem diduxit, donec fieret instar χ Græcanici]; *Altera vero, quod oleo primum inter supercilia posito, deinceps plus ei in caput suum effuderit.* Certe in caput ita fusum esse, ut in barbam quandoque descenderet, liquet è Psal. 133. Quanquam id factum anxie admodum ferant *Talmudici* in ll. cc. *Philo Judæus* (x) τὸν ἀρχιερέα πολλῷ λίπει τὴν κεφαλὴν ἀλείψας, *Pontificem, ait, unguento largiter in caput ejus profuso, inunxit* Moses.

§. XXI. Cæterum cum à temporibus Josiæ *Arca* cum aliis quibusdam rebus sacratioribus abscondita, *oleum* illud iisdem *Talmudicis* (y) dicentibus, simul in Ecclesia ipsorum defecerit: ab eo momento per omnem templi secundi durationem, Pontifex M. inunctione omissa, vestibus modo secundum superius dicta, fuit inauguratus. *R. Obadias de Bartenura* (z): כהנים ששימשו בבית שני ואף בבית ראשון מימות יאשיהו ואילך שנגנזה צלוחית של שמן המשחה בימיו ולא היו כהנים גדולים אלא בלבישת הבגדי' בלבד: id est, *Pontifices qui sacra fecerunt in templo secundo, atque etiam qui in templo primo à temporibus Josiæ & deinceps, quoniam vasculum olei sancti in diebus hujus est absconditum, non facti sunt Pontifices, nisi indutu vestium tantum* (a). Existimant enim *Judæi* (b), nefas fuisse ulli homini, aliud præparare oleum, præter id, quod ab ipso Mose est confectum. Id quod post *R. Mos. f. Nachman* contra *Aben-*

(p) *l. c. cap.* 10. §. 4. (q) *l. c. fol.* 112. *col.* 3. *lib.* 28. *sqq.* (r) *Cap.* 9. *fol.* 83. *b. lin.* 20. *seqq.* (s) *Cap.* 1. *fol.* 17. *b. l.* 11. *seqq.* (t) *Exod.* 29: 9. (u) *Num.* 3: 10. *c.* 18: 7. (x) *De* Vita Mosis *l.* 3. *pag.* 522. *D.* (y) *Archeol. lib.* 3. *c.* 10. *p. m.* 88. *D.* (z) *Comm. ad l. c. fol.* 206. *col.* 2. *lin.* 21. *fin.* (a) *l. c. cap.* 1. §. 2. (b) *Cap.* 1. *fol.* 5. *a. lib.* 36. *seqq.* (c) *Quam propugnat* R. Levi Ben Gerson *ad l. c. fol.* 111. *col.* 2. *lin.* 20. *fin.* (d) *Conferatur* Mos. Kotzensis. *Præc. Affirm.* 166. *fol.* 211. *col.* 1. *Edit. Venet.* Ralbag. *l. c. lin.* 7. *fin.* Abarbanel *l. c. lin.* 17. 16. 15. *à fin.* è Cera ara *Babyl.* Horajoth *cap.* 3. *fol.* 11. *pag. b. lin.* 16. 17. *ac* Cerithuth *capite* 1. *fol.* 5. *a. lin. penult.*

(e) *l. c. pag. b. lib.* 11. *lin.* 16, 17. (f) *Cap.* 3. *Babyl. fol.* 11. *b. lin.* 1, 3, 4. *Long.* Hierus. *fol.* 47. *col.* 3. *lin.* 37, 38. (g) *Lev.* 6: *vers.* 15. (h) *l. c. cap.* 4. §. 13. (i) *Cap.* 1. *fol.* 5. *a. lin.* 24. *seqq.* (k) *l. c.* §. 15. (l) *Sectione* Zav. (m) *Lev.* 6: 13. (n) *Cap.* 3. *f.* 12. *a. lin.* 10. *seqq.* (o) *Cap.* 1. *f.* 5. *b. l.* 11. *fin.* (p) *l. c. cap.* 1. §. 9. (q) *Præcept. Affir.* 166. *fol.* 211. *col.* 2. *l.* 5. *seqq.* (r) *Ut alibi, ita ad Exod.* 29: 7. (s) *Comment. ad tit.* Cerithuth *c.* 1. *Mis.* 1. *fol.* 145. *b. l.* 4. *sqq.* (t) *Comm. ad l. c. f.* 108. *col.* 4. *lib.* 13. *fin.* (u) *Comment. ad Exod.* 29: 7. *fol.* 202. *col.* 2. *l.* 15. (x) *De Vita* Mos. *l.* 3. *p. m.* 522. *E.* (y) *Babyl. tit.* Cerithuth *c.* 1. *fol.* 5. *b. l.* 29, 30. Horajoth *cap.* 3. *f.* 12. *a. l.* 1. *Hierus. tit.* Maccoth *cap. penult. f.* 32. *col.* 1. *l.* 7. *sqq.* Horajoth *c.* 3. *f.* 47. *col.* 3. *l.* 8, 9. *fin.* Abarbanel *ad Hag. cap.* 1. *fol.* 278. *col.* 1. *l.* 19. (z) *Comm. ad tit.* Megilla *c.* 1. *Misch.* 9. *f.* 143. *b. initio Edit. Ven.* (a) *Conf.* R. Sal. Jarchi *ad l. c. fol.* 9. *b. lin.* 13. *item* Rambam *ad l. c. f.* 143. *b. init. atque in hilc.* Cele hammikd. *c.* 1. §. 8. (b) Maimon. *l. jam cit. c.* 1. §. 5. *è tit.* Cerithuth, *ac* Horajoth *ll. cc.*

Aben-Esram prolixissime defendit *Abarbenel* (c), multis rationibus hinc inde è textu conquæsitis. quas tam speciose proponit, ut parum absit, quin suis persuaserit, procedere Majorum suorum sententiam, etiamsi ad miracula Talmudistarum, tit. *Horajoth* (d) ac *Cerethuth* (e) recensita, non confugiant. Qui plura de ungendi ritu desiderat, adeat Cl. Seldenum l. c. p. m. 240. seq.

§. XXII. Duobus istis rite peractis, accessit tandem quædam quasi consecrationis consummatio, MANUUM IMPLETIO. Hac clarum illi reddebatur, quodnam sit illud officium, in quo deinceps occupatus sit, & ad quod tanto initietur præparatu. Non enim hic audiendi sunt *Talmudici*, qui *implere manum* cum actione vestiendi videntur confundere, quando passim (f) pronunciant: מרובה בבגדים מניין תלמוד לומר אשר ימלא את ידו: i. e. *undenam probari potest, vestibus Pontificem esse initiandum? ex eo quod dicitur* (g): *Et cujus manum impleverit.* Ubivis *impletio manuum* à Spiritu S. proponitur, ut actio *ab indutu vestium* distinctissima; nec vestes concavitatem seu volam manuum complent, sed totum corpus tegunt ornantque. Moses quoque, postquam in consecratione Aaronis, vestibus primum indutis, inunctionem quoque interseruerat, tandem ejus *complet manus*, processu à præcedentibus penitus diverso (h). Et quis unquam in Sacra Scriptura deprehendit *Vestes impletionum*? quemadmodum offendimus *arietem*, ac *canistrum* (voce Metonymice accepta) *impletionum*. Neque istorum approbare queo sententiam, utut priore saniorem, qui statuunt *implere manum* in scriptura nil significare aliud, quam *consecrare*, *sive initiare ad officium Sacrum rite obeundum*. Cum nec sola *manuum impletio* consecrationem perficiat, ut ex dictis patet; nec signum pro re signata poni potest, nisi actu exhibeatur. Etiam Vestes sacras induere, atque inungere, signa ac media erant Pontificis consecrandi; nec tamen hactenus quisquam tam temerarius fuit, ut propria ipsorum significatione repudiata, idem ea significare dixerit atque *consecrare*. Conjunctim consecrationem designant, unaquaque interim parte in significatione sua propria retenta ac exhibita. quod ni statuas, tandem in arbitrio cujuslibet situm erit, quodcunque pro sua voluntate substituere signum, quod opinione sua rem signet intentam. Deinde si quædam consecrationis actio pro consecratione ipsa sumi potest, ea procul dubio erit, cujus præ reliquis tantum est momentum, ut etiam, cæteris omissis, ea sola sufficiat; non autem quæ absque aliis insufficiens est. At h. m. actui vestes sacras induendi tale quid adscriberes, in Pontificibus Deo rite consecrandis; non impletioni manuum. Quid Idololatræ & Electitii de facto fecerint, non constituit regulam. Omnibus his justa judicii lance examinatis, non dubium mihi est, quin verbis in sensu proprio retentis, per *impletionem manuum* talis intelligatur actio, quæ Exod. 29: 20. præcipitur, & expleta legitur in Aarone Lev. 8: 25. sqq. Sc. is qui consecrantis fungitur officio, adipem arietis cum cauda, reticulo jecoris, renibus, ac dextero armo acceptam, superimponat eis è canistro azymorum placentam, ac collyram panis oleosi, laganumque: omniaque volæ consecrandi Pontificis imposita, suis manibus illius suppositis, coram Deo sursum, deorsum, atque in diversas mundi plagas agitet; re ipsa exhibens, quod quis diceret: En Virum! qui dignus judicatus est, ut talia quæ manibus suis tenet, atque hujus generis alia tibi offerat sacrificia. Ipse quoque Pontifex hoc actu admoneri poterat, quid sui imposterum futurum sit officii, cui totus vacare debeat, omnibus ad id applicatis viribus.

§. XXIII. Verum quousque hic inaugurandi ritus duraverit, ego quidem differere non valeo. Facile crederem, quemadmodum descripti tres inaugurandi ritus in filiis Aaronis adhibiti sunt, in Sacerdotes gregarios ordinatis, pro omnibus suis posteris; ita ut omnes in parentibus consecrati, sufficienter ad sacra circa altare obeunda idonei censeantur, utut in illis memorati actus non repetantur: ita etiam Pontificem M. quia ex Aaronis posteritate, cui semel manus impletæ, non opus habuisse, ut denuo sibi in propria persona hic actus applicetur. Modo non disertis verbis Spiritus S. Lev. 17: 32. ac alibi (*) impletionem manuum ritui vestiendi ac inaugurandi adjungat, in descriptione eorum, quæ Pontificem officio suo imbuunt. Fateor tamen, me nec in *Scriptura*, nec apud *Talmudicos*, aut *Josephum*, sive *Philonem*, ullum deprehendisse vestigium, è quo tuto inferri possit, etiam in legitimis Aaronis successoribus quemquam fuisse ad Pontificatum inauguratum per hanc, quam descripsi, manuum impletionem.

(c) *Ad Exod.* 30. *fol.* 205. *col.* 4. *lib.* 14. *fin. item fol.* 206. *col.* 1. 2. (d) Hierus. *fol.* 47. *col.* 3. *lib.* 31. Babyl. *fol.* 11. *b.* *l.* 11. *sqq.* (e) Babyl. *cap.* 1. *fol.* 5. *b.* *l.* 1. *seqq.* (f) *Vid.* Hierus. *tit.* Joma *fol.* 38. *col.* 4. *l.* 39, 40. *tit.* Horajoth. *cap.* 3. *fol.* 37. *col.* 4. *l.* 42, 43. (g) *Levit.* 16: 32. (h) *Levit.* 8: 25. *sqq.* (*) *Lev.* 21: 10.

§. XXIV. Restabat nunc, ut etiam determinetur *Persona*, quæ Pontificem vestiendo, ungendo, & si quid aliud ad ejus requiritur consecrationem, in suam evehat dignitatem. Qui eligebant, erant membra Synedrii Magni: אין מעמידין כ"ג אלא בב"ד של אחד ושבעים: *Non constituunt*, inquit *Maimonides* (h) è tit. *Sanhedrin* (i), *Pontificem nisi Synedrium LXXI.* Verum qui electum jam memoratis ritibus ordinaret, quantum recordor, non offendi in Talmude verbis disertis expressum. In *Aarone* ac *Eleasare* id peregit *Moses* (k). Hinc, quia Moses in *Talmudicis*, quantum ad hunc actum, passim dicitur סגן לאהרן *Sagan Aaronis*, existimem, id officii *Sagani* vel Pontifici Vicario, qui & Præfectus dicitur, incubuisse: præsertim cum inter functiones ejus non minima fuerit, ministrare Pontifici. Utut enim concesserim, vestes ab ipso Pontifice potuisse indui; ac multa occurrere loca, partim apud *Josephum*, partim apud *Talmudicos*, quæ id innuant. Dubium tamen non est, *unctionem* &c. ab alio quodam fuisse peractam. Cum ordinarie nemo se ipsum ordinet, aut signa inaugurationis sumat; sed ab alio tradita modeste suscipiat.

CAPUT II.

Locum Ministerii exhibet.

§. I.

POsteaquam in versu præcedenti 6. per Apostolum locus declaratus fuerat, in quem ingrediebantur Sacerdotes gregarii, sc. *tabernaculum prius*, quod *Sanctum* vocari asserit vs. 2. hic, vs. 7. exprimit quoque locum, ad quem soli Pontifici Maximo aditus patuit, nim. τὴν σκηνὴν δευτέραν, quæ dicta sit ἅγια ἁγίων vs. 3. Quamquam autem extra controversiæ aleam positum sit, *Sanctum Sanctorum* eum esse locum, in quem ingredi debuit: non immerito tamen dubitari potest, ac reapse à quamplurimis in disceptationem trahitur, utrum de *Sanctissimo templi secundi* sermo sit, num vero *tabernaculi à Mose exstructi*. Utraque sententia suas habet rationes satis prægnantes.

§. II. Pro templo secundo post captivitatem Babylonicam exstructo militant (I.) Tempus quo hæc scripta sunt. Valde probabile est, de tali templo locutum fuisse Apostolum, cujus structura ac cultus omnibus innotuit, ad quos faciebat verba: Cum h. m. & melius intelligeretur, & facilius suæ orationi conciliaret fidem, omnibus, de quibus dissereret, ad oculum positis. At cum hæc scriberet Apostolus, templum secundum viguit, non tabernaculum à Mose exstructum. (II.) καταπέτασμα, quod h. l. adhibetur, in N. T. Syracide, ac Maccabæorum libris, tantum de Velo Sanctissimi usurpatur: quod nec in tabernaculo, nec templo à Salomone ædificato erat geminum; sed in solo templo secundo post exilium exstructo. Ita de hoc *Maimonides* (l) è Cod. *Joma* (m): בבית ראשון היה כותל מבדיל בין הקדש ובין קדש הקדשים עביו אמה וכון שבנו הבית שני נסתפק להם אם עובי הכותל היה ממדת הקדש או ממדת קדש הקדשים לפיכך עשו קדש הקדשי' עביו עשרים אמה תמימו' ועשו הקדש ארבעים אמה תמיתו' והניחו אמה יתירה בין הקדש ובין קדש הקדשים· ולא בנו כותל בבית שני אלא עשו שתי פרכות אחד מצד קדש הקדשי' ואחר מצד הקדש וביניהן אמה כנגד עובי הכותל שהיה בראשון אבל במקדש ראשון לא היתה שם אלא פרכת אחת בלבד שנאמר והבדילה הפרכת להם וכו': i. e. *In templo primo paries erat intergerinus inter Sanctum ac Sanctissimum, cujus densitas erat unius cubiti. Cum vero templum secundum exstruentibus dubium foret, utrum crassities istius parietis ad Sanctum pertineat, an vero ad mensuram Sanctissimi: ideo confecerunt Sanctum Sanctorum viginti cubitorum completorum; Sanctum quoque cubitorum quadraginta integrorum, cubito uno inter Sanctum & Sanctissimum vacuo relicto. Non enim exstruxerunt in templo secundo parietem intergerinum; sed confecerunt duo Vela, quorum alterum à parte Sanctissimi, alterum vero à parte Sancti: inter quæ cubitus erat vacuus, correspondens crassitiei parietis istius, qui fuit in templo primo. Quippe in Sanctuario primo non fuit nisi unum tantummodo velum, quia dicitur* (n): *& separet velum illud vobis inter Sanctum ac Sanctissimum.* Cum itaque talis Sanctissimi h. l. recordetur Apostolus, quod μετὰ τὸ δεύτερον καταπέτασμα vs. 3. plurimi vel hac sola ratione ducti

(h) *Hilc.* Cele hammikd. *cap.* 4. §. 15. (i) *Cap.* 3. *in* Tosaphot. (k) *Lev.* 8. & *Num.* 20: 28. (l) *Hilc.* Beth habbechira *cap.* 4. §. 2. (m) *Cap.* 5. *pag.* 51. *b.* *lin.* 11. *cum sqq.* Gemara. (n) *Exod.* 26: 33.

sunt, ut statuerent de templo secundo h. l. sermonem fore; non de ullo alio. III.) Quod si vero καταπέτασμα de aliis quoque Velis usurpari dicas, quam quæ Sanctissimum dirimunt à Sancto, prouti in V. T. apud LXX. interpretes adhiberi certum est (o); dicendum tunc potius Apostolo fuisset: *post tertium velum*, quam *post secundum*. Cum & atrium tabernaculi Mosaici velo aliquo in introitu fuerit instructum, Exod. 27: 16.

§. III. Porro talis intelligitur structura, quæ habuit τὸ ἅγιον κοσμικὸν vs. 1. per quod *Chrysostomus* & *Theophilactus* locum intelligunt, ad quem non solum Israelitæ ob mortuum polluto, sed etiam cujusvis nationis, ac totius mundi hominibus patebat aditus (p), quem in tabernaculo extitisse, nemo probare poterit unquam: De templo secundo vero res est in confesso. Non tantum tota civitas Hierosolyma erat sancta (q), in qua licitum erat comedere *consecrata leviora*, atque *decimas secundas* (r); Leprosus vero, ne sanctum polluat, ex ea erat excludendus: Sed, cum hæc in tria distingueretur castra: *Israelitarum* sc., *Levitarum*, ac *Majestatis divinæ* (s); etiam in Levitarum castra Gentiles poterant ingredi. quæ, *Talmudicis* definientibus, ab extremitate montis, cui templum superstructum erat, incipiebant, & ad portam usque *Nicanoris* (t) protendebantur, ac, secundum Codicem *Celim* (u), multo sanctiora habebantur *Israelitarum*; ut etiam qui ex Israelitis fluxu sanguinis laborarent, item menstruatæ mulieres, ac puerperæ pedem illuc inferre non habuerint integrum. Et ex lege Divina quidem concessum fuerat Gentibus, pervenire ad *atrium* usque *Israelitarum*, atque sic in ipso etiam mulierum Judaicarum consistere atrio: ex Magistrorum vero statutis factum, ut, cum *castra Levitarum* subdividerent in *atrium commune* seu *profanum*, *antemurale*, ac *atrium mulierum*, Gentilibus speciale *Sanctum* assignaretur, quod *montem domus* vocant, sive *profanum*, ut hic Apostolus *mundanum*; Nostrates *atrium gentium*. Ultra quod non licuit illis progredi. In eo autem constituti adeo à nemine prohibebantur, ut de *Rabban Gamaliel* memoriæ prodat *Gemara Hieros.* tit. *Aboda Sara* (x): שהיה מטייל בהר הבית וראה אשה אחת גויה ובירך עליה *Quod in atrio gentium ambulans mulierem Ethnicam benedictione beaverit.* (V.) Talis intelligitur structura, in qua tempore Apostoli & dona ac sacrificia offerebantur vs. 9., & quæ duravit ad tempus usque correctionis, h. e. quo Christus emendavit errores humani generis, atque corruptelas vs. 10. Per quam Tabernaculum Mosaicum intelligi non potest: quippe quod nec ad tempora Christi duravit, nec consequenter in eo Apostoli tempore dona potuerunt offerri. (VI.) Si Tabernaculum Mosaicum intelligeretur, è vs. 8. quis inferret, ab ejus destructione jam manifestata ac re ipsa exhibita fuisse media sanctitatem ex se & sua virtute conferentia, & sic in templo primo jam venisset antitypus: quod contra omnem scripturam, ac scopum Apostoli, qui hoc unice attribuit Christo & temporibus N. Test. (VII.) Quandoquidem Christus cum eo comparatur, eo plus videtur accedere ejus Majestati, quo splendidior est structura, qua cum conferri placuit. Atqui nemo ignorat, templum secundum, præcipue *Herodis* opera exornatum, externa specie ac pompa portatile illud Mosis ædificium modis superasse infinitis.

§. IV. Quicquid horum sit, pro *Tabernaculo Mosis* nihilominus afferri debet. I. Quod ab Apostolo h. l. introducatur σκηνὴ vs. 2. 3. 6. 8. 21. seqq. non ναός. at vero σκηνὴ apud *LXX. interpretes* ponitur pro Ebræorum משכן, quod *Tabernaculum Mosis* denotat: nec in N. T. ullibi de templo usurpatur. II. Tale intelligitur ædificium, quod secundum exemplar Mosi in monte ostensum fuit exstructum, cap. 8: 5. item quod ab ipso Mose cum oleo unctionis, & aspersione sanguinis est dedicatum, cap. 9: 18. 21. Quod de nullo potest intelligi, nisi Mosis tabernaculo; cujus structuræ exemplar in monte ipsi non modo oblatum legimus Exod. 25: 40. Actor. 7: 44. Sed & juxta id ipsum consummatum Exod. 39: 42. At tempore templi secundi nec extitit Moses, nec ejus vasa debuerunt inungi: Universalis est Ebræorum sententia, proposita in *Pandectis Talmudicis*, titulis *Sanhedrin* (y), *Schebuoth* (z), ac *Joma* (a): כל הכלים שעשה משה משיחתן מקדשן מכאן ואילך עבודתן מחנכתן דאמר קרא וימשחם ויקדש אותם אותם במשיחה ולא לדורות במשיחה ואימא אותם במשיחה ולדורות או במשיחה או בעבודה אמר רב פפא אמר קרא אשר ישרתו בם בקדש הכתוב תלאן בשירות אלא אותם למה לי אי לאו אותם הוה אמינא לדורות במשיחה ובעבודה דהא כתיב וכן תעשו כתב רחמנא אותם אותם במשיחה ולא לדורות במשיחה i. e. *Omnia vasa, quæ à Mose aptata sunt, sua consecravit unctio; ab isto tempore & deinceps ipsorum ministerium eadem initiat, quia dicitur* (b): *& unxit eadem, cum consecraret ista. i. e. ISTA in unctione consecranda fuere, non quæ seculis subsecuturis. Quid si dicerem, ista per unctionem; quæ autem reliquis temporibus, vel per unctionem, vel per ministerium? respondit Rab Pappa, scriptura* (c) *inquit: in quibus ministrent in Sanctuario. Ad ministerium eadem suspendit hic textus Biblicus, non ad unctionem. Quare itaque vocem ISTA addidit? si ISTA scriptum non sit, existimassem, in seculis futuris* consecrationem vasorum fieri debuisse *per unctionem pariter ac ministerium: cum ecce scriptum sit* (d): *& sic vos facietis. Igitur scripto expressit misericordissimus Deus* vocem ISTA, ut innuat ISTA *inungenda fuisse, non autem quæ seculis secuturis* consecranda forent. Quod autem sanguinis aspersionem attinet, cujus hic meminit Apostolus, eam in vasibus tabernaculi consecrandis inunctioni fuisse adjunctam, non solum inferri potest ex conspersione vestium Sacerdotalium Lev. 8: 30. descripta, quippe quæ ad vasa tabernaculi pertinebant: sed conceptis verbis traditum est à *Josepho*, quando (e) τήν τε σκηνὴν, καὶ τὰ περὶ αὐτὴν σκεύη ἐλαίῳ τε προεθυμιωμένῳ καθὼς εἶπον, καὶ τῷ αἵματι τῶν ταύρων καὶ κριῶν σφαγέντων, καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἑνὸς κατὰ γένος. *Item tabernaculum*, ait, *& ejus vasa ungento, sicut jam dixi, confecto, &* SANGUINE TAURORUM ET ARIETUM *alternis diebus juxta genus suum mactatorum*, aspersit. de quo nil quicquam circa vasa templi secundi traditur.

§. V. Id h. l. intelligitur sanctuarium, in cujus III. altera parte, quæ *Sanctum* dicitur, *candelabrum* duntaxat *unum*, ac *mensa unica*, vs. 2.: quod optime quidem convenit cum illo, quod de *tabernaculo Mosis* Exod. 25: vs. 23. 31. dicitur; Verum ad *templum* (*Salomonis* quidem) ægre accommodari poterit. Siquidem in quo præter Mosis mensam ac candelabrum, decem mensas alias totidemque candelabra aptari curavit Salomon, ante Sanctissimum in eadem templi parte, quæ *Sanctum* vocatur, collocata. Id quod clare dicitur 2 Chronic. cap. 4: 7, 8. coll. vs. 19, 20. 1 Reg. 7: 49. ac prolixe examinatur in tit. *Menachoth* (f): apud *Josephum* (g) vero numerus iste augetur nimium. An vero hoc etiam contra templum secundum valeat, subdubito. Utut enim 2 Chronic. 26: 18. it. 2. Reg. 25: 13. sqq. sacra pagina asserat, omnia templi vasa majora pariter ac minora transportata fuisse in Babyloniam; Atque alibi (h) referat, Cyrum vasa domus Dei per Nebucadnezarem ablata Judæis restituisse, Hierosolymam perferenda. Nullam tamen nec candelabrorum nec mensarum expressam offendo mentionem, minoribus ac vilioribus vasis nominetenus interim indicatis. Equidem *Josephus* (*) mille ista vasa, quæ Esr. l. c. cap. vs. 10. determinata non sunt, restringit ad σκεύη μεγάλα *majora*: ac *Aben Esra* (i) לפי דעתי כן הוא הפרטים שהם אלפים ותצ"ט בכללם הם הכלים הגדולים / *Ex mea quidem*, inquit, *sententia, sub numero vasorum speciatim recensitorum, quæ 2499. fuerunt, continentur etiam vasa majora.* Propius tamen nullus accessit, ad ipsas determinandas species. Et vix probabile est, Spiritum S., pelvibus ac cultris speciatim expressis, candelabrorum ac mensarum neglexisse mentionem: si quidem inviolata suo restituta fuerint loco. Cum, dicente *Raschio* (k): החשובין הוא מונה *præstantiora quæque numeraverit.* De Mosis mensa ac candelabro expresse id negant *Ebræi* (l). *Talmudici*, & *Josephus*

(o) *Vide Exod.* 26: 37. *cap.* 35: 11. *cap.* 38: 18. *cap.* 40: 5. 8. 20. (p) *Videatur* Maimon. *hilc.* Beth habbechira *cap.* 7. §. 15. *è tit.* Pesachim *cap.* 3. Sota *cap.* 3. *ac* Celim *cap.* 1. §. 8. (q) *Videatur* Maimon. *loc. jam cit.* §. 14. *prolixe.* (r) *Videatur tit.* Celim *cap.* 1. §. 8. *conferatur* Maimon. *loc. jam cit. atque hilc.* Maase Korbanoth. *cap.* 1. *circa fin. it. hilc.* Maasar *cap.* 1. §. 1. *ac* Maasar Scheni *cap.* 1. §. 1. (s) Maimon. *hilc.* Beth habbechira *cap.* 7. §. 15. (t) *De qua vide tit.* Middoth *cap.* 2. *Mischna* 3. Schebeth jehuda *fol.* 69. *b. libr.* 15. *seqq.* L'Empereur *ad Middoth. p.* 57. (u) *Cap.* 1. *hal.* 8. *f.* 6. *b. conferatur* Raschi, R. Obad. de Bartenura, *ac* Rambam *ad l. c. & hic hilc.* Beth habbechira *cap.* 7. §. 15. *item* Jacob jud. Leo *de templo Hieros. l.* 1. *p.* 22. *in vers.* Sauberti. (x) *Cap.* 1. *fol.* 40. *col.* 1. *lin.* 3. *fin. conferatur* cl. Lightfoot *cent. Geog. Matth. cap.* 28. *p. m.* 58. *seqq.*

(y) *Babyl. c.* 1. *f.* 16. *b. l.* 13. *seqq.* (z) *Cap.* 2. *f.* 15. *a. l.* 1. *seqq.* (a) *Cap.* 1. *f.* 12. *b. l.* 1. *sqq.* (b) *Num.* 7: 1. (c) *Num. cap.* 4: 12. (d) *Exod.* 25: 40. (e) *Archeol. lib.* 3. *cap.* 9. *p. m.* 89. *B.* (f) *Babyl. c.* 11. *fol.* 98. *b. ac fol.* 99. *a. & b.* (g) Archeol. *lib.* 8. *c.* 2. *p. m.* 262. *a. & b. vid.* Bechai *Sect.* Truma *f.* 107. *col.* 4. (h) *Esr.* 1: 7. *seqq.* (*) *Archeol. l.* 11. *c.* 2. *p. m.* 358. *f.* (i) *Ad Esr. l. c. Bib.* Buxtorfii *fol.* 897. *a. lin.* 14. *fin.* (k) *Ad Esræ loc. cit.* (l) *Videatur Abarbanel Comment. ad Hag.* 1. *fol.* 278. *col.* 1. *lin.* 16. *seqq.*

sephus Flavius (m) pariter ac Ebræorum *Gorionides* (n), egregii alioquin buccinatores istorum, quæ aliquo modo faciunt ad splendorem templi Hierosolymitani exaggerandum, nuspiam, quantum ego quidem recordor, mensas ac candelabra in ipso *Sancto templi secundi* collocata, in numero multitudinis memorant. *Maimonides* vasa templi secundi recensens, quælibet propriæ suæ tribuendo sedi ומזבח לקטורת ומנורי ושולחן ושלשתן בתוך הקדש לפני קדש הקדשים *Altare*, inquit (o), *suffitus, item candelabrum, ac mensa, TRIA ista erant intra Sanctum, ante Sanctum Sanctorum.* Quod si vel maxime è Babylone rediisse, dicas; potuerunt à Judæis alio templi loco reponi, quam qui *Sanctum* dicitur. Ad utrumque latus candelabri, cujus fabricam prolixe describit *Maimonides* (p) è tit. *Menachoth* (q), non collocant 10. alia, ut *Salomon*: sed in tit. *Tamid* (r) Lapidem aliquem tribus excisum gradibus ante illud statuunt, per quos ascendat lucernas accensurus. Tredecim vero mensas ita distribuunt per diversas templi partes, ut non nisi *Unica* ei relinquatur loco, qui *Sanctum* dicitur. *Octo* enim in titulis *Middoth* (s) atque *Tamid* (t), quas marmoreas vocant, è regione altaris, in latere ejus septentrionali collocant, in receptaculo Poparum, apud octo istas columnas humiles, è quibus sacrificia suspendebant: *Duas*, Marmoream alteram, alteram argenteam, Cod. *Tamid* (u) ponit ad latus altaris meridionale, in occidente Clivi: & *duas* alias, unam marmoream, auream alteram tit. *Menachoth* (x) rejicit interius ad portam templi. Ut adeo non nisi *unica* supersit, quæ in *Sanctum* constituatur. De singulis conjunctim legimus in tit. *Schekalim* (y): שלשה עשר שולחנות היו במקדש שמנה של שייש בבית המטבחים שעליהן מדיחין את הקרבים ושנים במערב הכבש אחד של שייש ואי של כסף על של שיש היו נותנין את האברים על של כסף כלי שרת ושנים באולם מבחוץ על פתח הבית אי של שיש ואי של זהב על של שיש נותנין לחם הפנים בכניסתו ועל של זהב ביציאתו שמעלין בקדש ולא מורידין ואי של זהב מבפנים שעליו לחם הפנים תמידי *Tredecim mensæ erant in Sanctuario: Octo marmoreæ in receptaculo Poparum, super quas intestina lavabant. Et duæ ad occidentem Gradus altaris, altera marmorea, argentea altera. Illi membra imponebant, huic autem vasa ministerii. Duæ præterea mensæ erant in porticu, foris ad ostium domus, altera è marmore, ex auro altera. Marmoreæ panem propositionis imponebant, cum is inferretur: aureæ autem, cum exportaretur. Augeri enim honor rei sacræ solebat, non minui. Una autem mensa aurea erat interius, in qua perpetuo panis erat propositionis* (z). Quæ si vera sunt, hoc quidem membrum, utut contra templum Salomonis valeat, contra secundum urgeri non poterit.

§. VI. At maximi ponderis est, quod IV. mentionem facit Apostolus vers. 4. *Arcæ fœderis*, quæ una cum *urna aurea, cui Manna inclusum*, item *Virga Aaronis* germinante, ac *tabulis legis* præsto fuisse dicitur in ea, de qua loquitur, fabrica. At hæc omnia cum multis aliis in templo secundo defecerunt. אמר רב שמואל בר איניא מאי דכתיב ארצה בו ואכבד וקרינן ואכבדה מאי שנא דמחוסר ה"י אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני אלו הן ארון וכפורת וכרובים אש ושכינה ורוח הקודש ואורים ותומים *Quid speciale indicat, inquit Rab. Samuel f. Inja*, in Cod. *Joma* (a), Sacer Scriptor, *quod in voce* ואכבד (b) *deficiat in fine* ה? *Quinque istas res, quæ differentiam constituunt inter sanctuarium primum, ac secundum; ac sunt sequentes:* ARCA, *Propitiatorium, ac Cherubini; item* IGNIS, *ac* MAJESTAS DEI *conspicua, &* SPIRITUS S., *atque* URIM *&* THUMMIM. Cui sententiæ subjicit *Abarbanel* (c): אך אמנם ראוי לדעת שלא לבד אלה הדברים חסרו שמה כי גם המנורה והשלחן וכל כלי המשכן ויריעותיו וקרשיו ושאר הדברים שעשה משה במדבר וצנצנת המן ומקלו של אהרן ושמן המשחה כולם נגנזו ולא שבו בבית שני וכו' *Verum enimvero omnino æquum est, ut scias, non istas solas res ibi defecisse; sed etiam candelabrum, ac mensam, & omnia vasa tabernaculi, cum cortinis ipsius, atque asseribus, reliquisque rebus à Mose in deserto præparatis. v. g.* URNAM CUI MANNA INDITUM, VIRGAM AARONIS, *ac oleum unctionis. Quæ omnia recondita fuere; nec in templo secundo redierunt* &c. Certe hæc ratio tanti momenti est, ut vel sola sufficienter monstret, non *de templo Secundo* sermonem esse Apostolo; *sed*, cum ob alias rationes superius recensitas neque *Salomonis templum* queat intelligi, *de tabernaculo Mosis*, quod hæc omnia in summo vigore exhibuit. Præterea plus illustrat Christi honorem, cum ædificio purissimo ac sanctissimo comparari, quam cum polluto toties, ac per gentiles contaminato: utut cæteroquin structura ejus splendore externo alterum superet.

§. VII. Quæ cum ita se habeant, non dubito, quin posteriori huic sit subscribendum sententiæ. Præcipue cum rationes pro priori adductæ plus numero valeant, quam pondere; & ne quicquam contra posteriorem obtineant sententiam. Quippe responderi potest ad I., Apostolos passim etiam de illis fuisse locutos, quæ circa prima Ecclesiæ antiquæ primordia gesta sunt. Nec Judæos structuram tabernaculi Mosaici ignorasse; cum ejus fabricam in Scriptura S. descriptam continuo legerint, Mosis opera semper in ore habentes. II. Apud LXX. Interpretes καταπέτασμα de aliis quoque usurpari Velis, quam quæ Sanctum dirimunt à Sanctissimo, §. 2. Nr. 3. fuit concessum: Ex quibus proinde, non è paucissimis N. Test. locis, usus ejus venit æstimandus. Nam etiam מסך, quod in ostio sancti (d) adhibebatur, eo effertur nomine, ut videre est Exod. 26: 37. cap. 40: 8. &c. ac cum velo Sanctissimi qualitate ac quantitate conveniebat, in eo solum ab eo differens, quod hoc à quinque columnis penderet, illud à quatuor; hujus bases æneæ, illius argenteæ fuerint: si quidem *Josepho* (e) credimus, aut secundum *Maimonidem* (f), qui *R. Nehemiæ* in tit. *Joma* (g) propositam sententiam amplectitur, quod etiam hoc ab uno saltem latere figuras expresserit, illud ab utroque, & forte etiam diversas (h). Præterea si ad duo Vela Sanctissimi respexisset Apostolus, *post duo illa vela* potius dixisset, quam *post secundum*. Id quod tabernaculo melius convenit: Velo in porta *sancti*, post quod deprehendebantur, quæ vers. 2. recenset Apostolus, connumerato. Cum intra duo Sanctissimi vela templi secundi nil fuerit aliud, quam intervallum aliquod cubiti unius vacuum, quod in titulis *Middoth* (i) *Joma* (k) &c. (l) טרקסין vocant, h. e. τάραξιν. III. Apostolus de tabernaculo stricte sumto loquitur, quod in duas tantummodo partes erat divisum: & sic quoque duo modo Vela habuit. Atrii nullam facit mentionem, ut hinc ejus posses connumerare Velum. Ad IV. Resp. 1. Atrium gentium nullibi vocatur ἅγιον; sed, eo ipso quod gentibus patuit, חול dicebatur, sive *profanum*. 2. Ex voce κοσμικὸν nil aliud inferri potest, quam quod illud ἅγιον sit terrenum & caducum, utpote ex materia terrena constructum; in oppositione cælestis, & æterni. Verum ideo ita dici, quod gentibus patuerit, nimis est coactum; ac, si oculum, ut dicebatur, ad Ebræam flectas denominationem, *sanctum profanum* oppositum exprimit in apposito. 3. Nuspiam fit mentio in hac collatione, nisi duarum partium tabernaculi, Sancti nim. atque Sanctissimi: cum tamen, illa assumta interpretatione, atria opportuerit connumerare simul. Neque enim 4. huic nostro scriptori propositum est, integram tabernaculi descriptionem persequi; sed ea duntaxat, quæ ad functionem pertinebant sacerdotalem. idque quatenus Christus per eam adumbrabatur. V. Contrarium potius è vers. 9. elucet. Cum tabernaculum (ad quod ἥτις refertur) typus tantummodo dicatur ejus, quod tum præsens erat; & per consequens olim evanuerat. Quandoquidem umbra perit, corpore exhibito. Deinceps tabernaculum metonymice sumi potest pro functionibus ac ritibus seu ceremoniis in eo peragendis, quæ durarunt ad tempus usque correctionis. VI. Ex vers. 8. nil aliud probari potest, quam quod illo tempore, quo prius tabernaculum statum suum habebat, nondum via sanctorum esset manifestata. Verum quod illud tabernaculum necessario consistere deberet, usque dum via sanctorum manifestaretur, id inde non sequitur. Plurimæ dantur in Scripturis propositiones, quas minime licet invertere. Ad VII. responsum est supra §. 6. Nr. 5.

§. VIII. Cæterum hoc ipsum *Tabernaculum*, quo de h. l. agi probavimus, dictum *Josepho* (m) ναὸς μεταφερόμενος & *Templum* Por-

(m) *Archeol. lib.* 15. *cap.* 14. (n) *cap.* 65. (o) *hilc.* Beth habbechira *cap.* 1. §. 6. (p) *l. c. cap.* 3. §. 1. *ad* 10. (q) *cap.* 3. §. 7. *f.* 28. *a. seqq. it. cap.* 10. *f.* 88. *b. cap.* 11. *&c.* (r) *cap.* 3. §. 9. *in fin. Vid.* Maimon. *loc. jam cit.* §. 11. (s) *cap.* 3. §. 5. *in fin. cap.* 5. §. 1. (t) *cap.* 3. §. 5. *in fin. conferatur* Rambam *l. c. cap.* 5. §. 14. (u) *cap.* 6. §. 4. *vid.* Maim. *l. c. cap.* 2. §. 15. (x) *cap.* 11. §. 7. *fol.* 99. *b. lin.* 19. *seqq.* (y) *cap.* 6. §. 4. (z) *quæ versio est Doctiss.* Wulferi *p.* 140. (a) *cap.* 1. *circa fin. fol.* 21. *b. lin.* 18. *seqq. Conf.* Rambam *hilc.* Beth habbechira *cap.* 4. §. 1. Joseph Gorion *l.* 1. *cap.* 17. (b) *Hag.* 1: *vers.* 8. (c) *Comment. ad Hag.* 1. *fol.* 278. *col.* 1. *lin.* 14. *seqq.*

(d) *vide Exod.* 26: 36. (e) *Archeol. lib.* 3. *c.* 5. *p. m.* 82. *b.* (f) *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 8. §. 15. (g) *cap.* 7. *f.* 72. *lin.* 4. *fin. conferatur* Moses Mikkotzi, *Præcept. Affirm.* 173. *f.* 212. *col.* 1. *lin.* 32. (h) *Conf.* R. Levi Gerson, *ad Exod.* 26: 36. *fol.* 102. *col.* 4. *l.* 31. *seqq. Edit. Venet.* (i) *cap.* 4. §. 7. (k) Gemara *cap.* 5. *fol.* 52. *a. lin.* 10. (l) *Vid.* Raschi *ad* Mischnam *l. c. fol.* 51. *b. lin.* 11. (m) *Archeol. lib.* 3. *cap.* 5. *p. m.* 80. *D.*

Portatile, in duas divisum erat partes, Velo invicem distinctas. Ita enim non modo ex Exod. 26. docemur; sed & ex hoc ipso capite 9. *Epist. ad Ebræos* abunde cognoscimus. Nec dissentit *Josephus* (n); quando εἰς τρία μέρη *in tres*, ait, *partes* fuisse divisum. Cum annumeret Atrium, quod nos h. l. cum Apostolo seponimus. Ipsius vero Tabernaculi *Longitudo* erat cubitorum 30.: tot enim efficiunt 20 asseres conjuncti, quorum quilibet sesquicubitalis est; quales huic fabricæ adhibendos Deus præscribit, Exod. 26: 16. 18. &c. *Altitudo* 10 cubitorum, in quot quilibet nominatorum asserum assurgebat, l. c. vers. 10. *Latitudo* claris literis expressa non est. Ex *Longitudine* tamen *Cortinarum*, quæ in tabernaculi latitudinem fuit extensa, *Pariete Occidentali*, ac Analogia templi Salomonis (o), atque Veli Sanctum à Sanctissimo dirimentis adscripta à *Josepho* atque *Talmudicis* figura quadrata, &c. inferri facile potest, *Latitudinem* tabernaculi totius, in capacitate sua, sive quoad aream internam, 10. continuisse cubita. *Densitas asserum*, quantum ex collatione versuum 22. 23. 24. cum vers. 16. 17. 19. 25. conjicio, circa basin cubitalis fuit: quæ supra basin inter ascendendum ab exteriori superficie, aut secundum sententiam *R. Judæ* tit. *Schabbath* (p) propositam, continuo magis magisque decrescebat, donec in summitate sua pro proportione totius corporis duos circiter æquaret digitos; Vel statim post bases argenteas, quarum longitudo asserum cardines includens, cubitalis æstimatur, in aliquo veluti arcu excisa, æqualem deinceps, ac (respectu sc. basis) tenuem servavit crassitiem, ad summum usque fastigium. Quo modo & firmius contra ventorum vim consistebat, commodiusque à Levitis de loco in locum portabatur. *Paries* Occidentalis lateralibus non fuit insertus, sed extrinsecus applicatus: ut hinc dimensio omnis ad internam ubivis spectet aream vel capacitatem, densitate asserum semper exclusa. *Vectium* in uno quoque pariete *tres* erant *ordines*, è quorum medius unico Vecte continuato parietem per reliquos duos Vectium ordines in duas modo partes compactum, conjungit atque unum efficit.

§. IX. Asseribus in mensura delineata, per Vectes ac Bases erectis, atque conjunctis ac coaptatis invicem; Aulæa l. c. quoad longitudinem ac latitudinem suam evidentissime descripta, ita super eosdem expandebantur, ut aulæorum longitudo protraheretur in tabernaculi latitudinem, & in hujus longitudinem ipsorum latitudo. Quo facto, & tecti simul vices explebant, atque amictus parietum, de quibus propendebant. Et ne vento propellerentur, paxillis in terram fixis erant munita (Exod. 27: vers. 19. coll. *R. Sal. Jarchio, ac Abarbanele*,) funibus ad eos alligata.

§. X. Atque ex hac aulæorum in Tabernaculum expansione simul elucescit capacitas utriusque Partis Tabernaculi, *Sancti* pariter, atque *Sanctissimi*. Quandoquidem enim Pars una ab altera distincta erat per Velum aliquod, è quatuor suspensum columnis; & vero Velum illud expandi jubetur Exod. 26: 33. *sub ansulis aureis* utriusque juncturæ aulæi picturati: Clarum inde redditur, longitudinem *Sancti* fuisse cubitorum 20., *Sanctissimi* vero non nisi 10; densitate tamen Veli ad alterutram partem connumerata. Siquidem totius aulæi latitudo cubitorum erat 40; quot efficiunt decem cortinæ, quarum singulæ 4. latæ cubita, Exod. 26. 1. Hæ decem Cortinæ ita erant distributæ, ut quinæ conjunctæ aulæum efficerent dimidiatum, l. c. vers. 3. Utraque autem aulæa dimidiata, quorum quodlibet in latitudine sua 20 continebat cubita, conjungebantur invicem loramentis hyacinthinis in ansulas aureas inditis, intimeque coarctatis, l. c. vers. 4. 6. Quæ commissura per ansulas, Aulæo isto à facie tentorii ad ejus tergum extenso, præcise in cubitum Vigesimum incidit; post quem tertia Tabernaculi pars relinquitur pro *Sanctissimo*. *R. Sal. Jarchi*, cum quo & reliqui faciunt Ebræorum, v. g. *Ralbag* (q), *Abarbanel* (r) &c. והפרכת ארכה עשר אמות לרחבו של משכן ורחבה עשר אמות כגבהן של קרשים פרוסה בשלישי של משכן שיהא הימנה ולפנים עשר אמות והימנה ולחוץ עשרים אמה / נמצא בית קדשי הקדשים עשר על עשר שנאמר ונתת את הפרכת תחת הקרסים המחברים את שתי חוברות של יריעות המשכן רחב החוברת עשרים אמה / וכשפרשה על גג המשכן מן הפתח למערב כלתה בשני שלישי המשכן והחוברת השנית כסתה שלישו של משכן והמותר תלוי לאחוריו לכסות את הקרשים / *Velum id*, inquit (s), *cujus longitudo 10. cubitorum latitudini tabernaculi respondet, & latitudo ejus cubitorum 10. altitudini asserum, expansum erat ad tertiam partem tabernaculi; ut ab eo & interius 10. sint cubita, ab eo vero & exterius 20. Atque sic capacitas Sancti sanctorum quadrata est, 10. in singula latera cubitorum* (t). *quia dicitur: & appones Velum illud sub ansulis istis utramque juncturam Cortinarum Tabernaculi conjungentibus. Latitudo enim unius juncturæ 20 cubitorum, si extendatur super tectum tentorii ab ejus ostio ad Occidentem, absolvitur post duas Tabernaculi tertias, & junctura altera* reliquam *Tabernaculi tertiam operit; ut quod* de latitudine ejus *restat, post tergum ejus suspensum, obtegat asseres.*

§. XI. Atque similem servavit cum hoc proportionem sapientissimus Regum *Salomon*, in suo, quod fabricavit, Templo. Cum enim longitudo totius domus esset 60. cubitorum 1 Reg. cap. 6: 2.; eam in tres tertias ita distribuit, ut 20 cubita Sanctissimo cederent, quot etiam in latitudine continuit, ac altitudine, l. c. v. 20.; duabus tertiis, h. e. 40. cubitis Sancto attributis, l. c. v. 17. Nec ab ea recesserunt Judæi è captivitate Babylonica reduces, nisi ob dubitationem suam in pariete inter Sanctum & Sanctissimum intergerino. Totum Fanum, inquit *Maimonides* (u), è tit. *Middoth* (x) &c. מן המערב למזרח מאה אמה וזהו חשבונן ארבעה כתלים זה לפנים מזה וביניהן שלשה מקימות פנויין בין הכותל המערבי ובין הכותל שלפנים ממנו חמשה אמות ובין כותל שני ושלישי שש אמות ובין כותל שלשי ורביעי שש אמות ואלו המדות הן של עובי הכותל עם המקום הפנוי שבין שני כותלים׃ ואורך קדש הקדשים עשרים אמה ובין שתי הפרוכות המבדילות בינו ובין הקדש אמה / ואורך הקדש ארבעים אמה / ועובי הכותל המזרחי שבו השער שש אמות והאולם י״א אמה / ועובי כותל האולם חמש אמות נמצא הכל מאה אמה / *ab Occidente ad Orientem in 100 protenditur cubita, quorum hæc est supputatio. Quatuor parietes, quorum semper unus altero est interior, intra quos tria intervalla vacua: intra parietem occidentalem quidem ac eum, qui illo est interior, spatium cubitorum 5; Inter parietem v. secundum ac tertium 6. cubitorum; ac totidem inter tertium ac quartum: densitate tamen parietis ubivis cum intervallo vacuo connumerata.* LONGITUDO AUTEM SANCTI SANCTORUM EST CUBITORUM *XX. Inter utrumque vero Velum, Sanctissimum à Sancto dirimens, cubitus unus. Et Sancti longitudo est 40. cubitorum. At densitas parietis orientalis, in quo Porta, 6 complet cubita; ac Pronaon 11., ejusque Paries 5. Quæ universa computata, 100. efficiunt cubita.*

§. XII. Sed forte vix opus est, ut in hac *Sanctissimi* mensura dimetienda sim prolixior. Obliviscuntur enim hypotheseos suæ, qui ea alioquin statuunt, cum quibus hæc forma cubica minime poterit consistere; ac nobiscum conspirant quadantenus. *Josephus* (y): μετὰ δέκα πήχεας ἡρμοσμένους ἐκ τοῦ μυχοῦ τέσσαρας ἴσησι κίονας, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις εἰργασμένους καὶ βάσεσιν ὁμοίαις, ἐπικειμένους διαλείποντας ἀλλήλων κατ᾽ ὀλίγον. τὸ δ᾽ ἐνδοτέρωθεν αὐτῶν ἄδυτον ἦν, *Post 10. cubita intima*, inquit, *statutæ sunt columnæ 4. eodem opere & ex eadem materia factæ, similibus basibus impositæ, paribus intervallis per transversum dissitæ: ultra has fuit Aditum &c. Ab Ezra* (z) מקום קדש הקדשים היה בחשבון מעוקב *Locus Sanctissimi fuit in figura Cubica.* Cum itaque altitudo per ipsum Spiritum S. ad 10. restringatur cubita, l. c. v. 16.; aliter fieri non potest, quam tam latitudinem, quam longitudinem similiter 10. fuisse cubitorum.

§. XIII. Major videtur difficultas circa ea, quæ in *Sanctissimo* fuere conservata. Exod. 26: 34. præcipitur *Propitiatorium cum arca testimonii illic collocandum.* In hac solæ quidem tabulæ Decalogi fuerunt inclusæ, 1 Reg. 8: vs. 9. 2 Chron. 5: 10. *Josephus* (a) εἶχε δὲ ἡ κιβωτὸς οὐδὲν ἕτερον, ἢ δύο λιθίνας πλάκας, αἳ τοὺς δέκα λόγους τοὺς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λαληθέντας ἐν Σιναίῳ ὄρει ἐγγεγραμμένους αὐταῖς ἔσωζον. *Continebat arca nihil aliud, quam duas tabulas lapideas, quæ 10. præcepta, Dei ore in Monte Sinai prodita, insculpta eis conservabant.* ac alibi (b): ταύτῃ τὰς δύο πλάκας ἐν αἷς τοὺς δέκα λόγους συγγεγράφθαι συμβεβήκει —— καὶ ταύτην ἐν τῷ ἀδύτῳ κατατίθησιν. *in hanc* (de arca Tabernaculi loquitur) *reposuit tabulas, 10 præcepta continentes, —— ipsamque intra Adytum recondidit.* Penes eandem vero, in receptaculis ad ipsius latera, non modo jubentur Levitæ librum legis recondere, Deut. 31: 26.; ac Philistæi vasa quædam aurea diu post Mosis tempora Israëlitis remiserunt: sed & Moses Aaroni jubet, ut *urnam Mannæ* seponat ibi coram Domino, Exod. 16: 33.; quod etiam executus dicitur v. 34., *collocans eam coram Testimonio*, h. e., ut *Raschi* inquit (c), לפני הארון *coram*, vel *ad arcam*; quæ Dominum repræsentabat, ac quæ Decalogum, testimonium fœderis inter Deum

(n) *l. c. p.* 81. *F.* (o) *Vid.* 1 *Reg.* 6: 20. (p) *cap.* 11. *fol.* 98. *b. l.* 1. *seqq.* (q) *fol.* 102. *col.* 4. *l.* 25. (r) *fol.* 196. *col.* 1. *l.* 15. *seqq.* (s) *Comment. ad Exod.* 26: 33. *Bibl.* Buxt. *fol.* 95. *a. l.* 8. *fin.*

(t) *vide de hac phrasi Cl.* L'Empereur Cod. Middoth. *cap.* 2. §. 1. *pag.* 36. (u) *bilc.* Beth habbechira. *cap.* 4. §. 4. (x) *cap.* 5. §. 1. (y) *l. c. p. m.* 81. *F.* (z) *ad Exod.* 26: 2. *B. B. fol.* 93. *b.* (a) *Archeol. l.* 8. *c.* 2. *p. m.* 263. *E. F.* (b) *Archeol. l.* 3. *c.* 6. *p. m.* 83. *A.* (c) *ad l. c. B. B. f.* 78. *b. l.* 18.

Deum & Iſraelitas initi, incluſum habebat. *R. Lev. f. Gerſon* ait (d): לפני יי׳ ר״ל לפני העדות והוא בקדש הקדשים i. e. verbis: coram Domino *vult innuere, coram arca teſtimonii, idque in Sancto Sanctorum.* Nec aliter *Abarbanel* (e), לפני העדות שהוא ארון ברית יהוה והיתה הצנצנת מונחת לפני לפנים במקום המקדש׃ *Per teſtimonium,* inquiens, *intelligitur Arca fœderis Domini. Fuit itaque Urna iſta ſepoſita in intimum locum conſecratum.* Quod autem & *Virga* Aaronis *efflorеſcens* illuc ad arcam fuerit repoſita, non dubitare nos ſinunt verba Num. 17: 22. 25. contenta. Quæ, quia eadem cum præcedentibus, eundem quoque cum illis pariunt ſenſum.

§. XIV. His omnibus cum verbis Apoſtoli noſtri verſ. 4. ἐν ᾗ ςάμνῳ χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαςήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, diligenter collatis; ipſa rei evidentia nos cogit, ut præpoſitionem ἐν non reddamus *in*, verum *una cum.* Sive nunc in ipſa arca quid fuerit incluſum, ſicut tabulæ legis; ſive penes eam, aut etiam in eodem ſaltem cum ipſa loco ſepoſitum: quemadmodum reliqua apud Apoſtolum enumerata. Utut enim non ignorem, *Relativa*, apud ſacros Scriptores, *non ſemper ad præcedens ſubſtantivum propinquius referri; ſed ſæpe etiam ad remotius:* cujuſmodi *B. Glaſſius* (f) noſter multa tibi profert exempla. Ad quorum imitationem dicere poſſes, apud Apoſtolum ᾗ referri debere ad σκηνὴν verſus præcedentis; non κιβωτὸν ejusdem verſus. ut talis evadat ſenſus oppido congruus: „in Tabernaculo, quod Sanctum Sanctorum dicitur, Urnam „Mannæ ac Virgam Aaronis fuiſſe ſepoſitam. Neque multum curem, quæ contra hanc expoſitionem produci ſolet, rationem mutati ſermonis, ſi ſola foret: cum haud infrequens ſit *in Scriptura* aſyndeton, juxta quod diceres: in *qua etiam* &c. Inſuper verbum *eſt & habere*, conſtructione leviter variata, idem exprimant: Unde & apud *Syrum* nihil h. l. mutatum eſt, dum reddidit: ܐܝܬ ܗܘܐ ܒܓܘܗ ܒܝܬ ܒܣܡ̈ܐ ܕܕܗܒܐ ܘܩܒܘܬܐ ܕܕܝܬܩܐ ܕܡܚܦܝܐ ܟܠܗ ܒܕܗܒܐ ܘܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ ܩܣܛܐ ܕܕܗܒܐ ܗܝ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ ܡܢܢܐ ܘܫܒܛܐ ܕܐܗܪܘܢ ܗܘ ܕܐܦܪܥ ܘܠܘܚ̈ܐ ܕܕܝܬܩܐ ܀ quæ, aptatis vocalibus convenientibus, vertere licet: *Et erat in eo Thuribulum aureum, & arca fœderis tota auro obducta. Præterea ei inerat Urna aurea, in qua Manna erat, item Virga Aaronis, quæ floruit, ac Tabulæ legis.* Nollem tamen huic ſubſcribere ſententiæ: quia ſtatim verſ. 5. ſequitur ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης. ubi pronomen αὐτῆς neceſſario ad arcam referri debet, non Tabernaculum. Quippe non ſuper hoc, ſed illa Alæ Cherubinorum erant expanſæ.

§. XV. Qui *Arcam* latius ſumunt, prouti & receptacula lateralia includit; præſupponunt, quod adhuc erat probandum. Philiſtæi quidem, in capſulam lateri arcæ appoſitam, vaſa quædam aurea incluſerant, dono Iſraeli miſſa; quæ propterea etiam una cum arca à *Talmudicis*, ll. ſupra cc. per Joſiam (è 2. Chron. 35: 3.) dicitur abſcondita. At id ſimiliter de *Urna Manna*, ac *Virga Aaronis* expreſſum non eſt; ſed tantum, quod *ante eam*, vel *coram ea* fuerint collocatæ, h. e. ſimul cum ea in Sanctiſſimum repoſitæ. Quid quod ſi omnia ſcrupuloſe rimeris, vix dici queat, eas receptaculis lateralibus fuiſſe recluſas. Si enim & librum legis tali capſulæ laterali incluſum dicas, ex Deuter. 31: 26., cui lateri tandem adjiceres *Urnam* ac *Virgam*? cum alterum ad minimum Philiſtæi vacuum deprehenderent, cui ſua recluſere dona. Ad hæc Ebraice de *Urna Manna*, ac *Virga Aaronis* in ll. cc. dicitur לפני: quod partem denotat anteriorem, non lateralem; quæ per צד exprimitur. *Arcam* autem nimis late pro toto quaſi Sanctiſſimo velle ſumere; & coactum eſt nimium, ac vix fert contextus Apoſtoli. Quippe in quo *continens* & *contentum* caute diſtinguuntur: ac Cherubini Arcam obumbrabant, neutiquam totum Sanctiſſimum.

§. XVI. Atque ſic vix ſatisfeceris rigido adverſario, ſi præpoſitionem ἐν reddideris *juxta, prope, ad* &c. ut non impoſitio ſignificetur, ſed appoſitio. Quanquam enim hæc ſignificatio particulæ quidem non denegetur; cum paſſim ſeſe offerat, ac Viri *Celeberrimi*, *Bochartus* (g), & *Noldius* (h), multis exemplis probatam dederint: ea tamen in tabulis Decalogi locum non invenit. quippe quæ non extrinſecus arcæ fuerunt adjectæ, ſed eidem inſertæ intrinſecus. Uni vero eidemque particulæ in eodem loco diverſas velle adſcribere notationes, id eſt, quod ægre admittent. Diſpar eſt ratio, quando, licet raro admodum, uni voci pro varietate objecti, varia attribuenda ſignificatio, propria altera; altera impropria; ut in illo Joel. 2: 13. *Scindite cor veſtrum, nec veſtes veſtras.* Cum tropica ex propria ſemper fluat, ab eaque ita dependeat, ut ſine ea non poſſit concipi; hic autem quælibet ſeorſim conſideretur, ac objectum retineatur unicum. Quod ſi autem, ut fecimus, ἐν pro particula *ſocietatis* exponas *una cum*; in omnibus ſubjectis communis eidem manet interpretatio; nec quicquam Apoſtolus aſſerit, quod Scripturæ V. T. ſit contrarium. Quandoquidem *una cum* Arca non modo tabulæ Decalogi in Sanctiſſimo ſepoſitæ fuerint; ſed & *Urna Mannæ*, ac *Virga Aaronis.* uti jam ante in ſuperioribus fuit demonſtratum. Nec infrequens ea eſt in Scriptura hujus præpoſitionis ſignificatio. In hoc ipſo capite, inferius verſ. 25. dicitur: *Pontifex ingreſſus in Sacrarium quotannis* ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ non *in*, nec *per*, ſed *una cum ſanguine alieno.* Confer Luc. cap. 14: 31. Act. 20: 32. cap. 26: 18. 1 Cor. 4: 21. 2. Cor. 13: vſ. 4, 5. 1 Theſſ. 4: 16. 2 Petr. 1: 5, 6, 7. Jud. vſ. 17. 1 Joh. 5: vſ. 6. Atque ſic Ebræorum ב, pro quo ἐν uſurpatur, paſſim ſumitur. Ex innumeris confer Levit. 1: 16. Numeror. 20: 20. 1. Reg. 10: 2. Jerem. 11: 19. Pſalm. 99: 6. Quæ vel ſola tantam afferent lucem, ut de veritate hypotheſeos non amplius dubitare opus habeas.

§. XVII. Enim vero nondum tamen omnis ſuperata eſt difficultas; & quæ ſublata, levis videri poterat reſpectu ejus, quæ reſtat. Quoniam clara veſtigia in V. T. deprehendebamus *Urnæ Manna* repletæ, ac *Virgæ Aaronis* in Sanctiſſimum repoſitarum: de *Thuribulo aureo* vero ibi collocando, ne apicem quidem; ſed contrarium. Hinc tanta crux interpretibus, ac anſa, cur plurimis hæc Epiſtola fuerit ſuſpecta. Et θυμιατήριον hic quidem non eſt Menſa; quæ θυσιαςήριον dicitur θυμιάματος, nec in Sanctiſſimum unquam inferebatur, ſed ante illud conſiſtebat (Exod. 30: 6.) perpetuo: verum impoſitum menſæ *Batillum.* Quod à LXX. πυρεῖον dicitur; ac in textu Ebræo מחתה: quomodo & *Arabs* illud accepit, atque *Syrus*, qui ܒܝܬ ܒܣ̈ܡܐ ܕܕܗܒܐ, ſeu *Vaſculum aromatis aureum*, reddidit. Hoc *habuiſſe* dicitur *Sanctiſſimum*, non ratione *Situs perpetui*, ſed vel *ad tempus id reſtricti*, de quo h. l. agitur: quod eſt Dies Expiationis, in quo id continebat; vel ratione *uſus*, quem nuſpiam, niſi in Sanctiſſimo hoc *Thuribulum* præſtare debebat. Τὸ ἔχειν λέγεται πολλαχῶς. ἕνα μὲν τρόπον, τὸ ἄγειν κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν, ἢ κατὰ τὴν αὑτοῦ ὁρμήν. διὸ λέγεται πυρετὸς τε ἔχειν τὸν ἄνθρωπον, καὶ οἱ τύραννοι τὰς πόλεις, καὶ τὴν ἐσθῆτα οἱ ἀμπεχόμενοι. ἕνα δ', ἐν ᾧ ἄν τι ὑπάρχοι ὡς δεκτικῷ; οἷον ὁ χαλκὸς ἔχει τὸ εἶδος τοῦ ἀνδριάντος, καὶ τὴν νόσον τὸ σῶμα. ἕνα δ', ὡς τὸ περιέχον τὰ περιεχόμενα. ἐν ᾧ γάρ ἐστι περιεχόμενόν τι, ἔχεσθαι ὑπὸ τούτου λέγεται· οἷον, τὸ ἀγγεῖον ἔχειν τὸ ὑγρὸν φαμὲν, καὶ τὴν πόλιν ἀνθρώπους, καὶ τὴν ναῦν ναύτας. *Habere*, inquit Philoſophus (i), *multipliciter dicitur. Uno modo, cum quid ſecundum ſuam naturam, aut ſuum impetum agat. Quare dicitur, quod febris hominem habeat, & tyranni civitates, & induti veſtem. Alio modo, in quo quid tanquam ſuſceptivo exiſtit: ut æs habet ſtatuæ ſpeciem, & corpus ægritudinem. Alio modo, ut continens ea, quæ contenta ſunt. in quo namque contentum quiddam eſt, haberi ab eo dicitur: ut vas habere humidum, dicimus, & urbem homines, & navem nautas.* Veſtem non ſemper indutam quis ſecum apportat, aut ſervum herus, vel dominus ſatellites: quos nihilominus recte dicitur *habere.* Plures templum *habet* miniſtros. qui tamen quam minimo vitæ ſuæ tempore eidem interſunt. ſufficit, quod hora poſtulante ſuum ipſi præſtare debeant uſum. Quod ſi quid adhuc impedire poteſt, quo minus aliquid pro ſuo agat arbitrio; ſed ipſi ſoli ſuum ſervet uſum: hoc ipſum multo magis *habere* dicitur. cum extra id omne *ejus eſſe operativum* ceſſet.

§. XVIII. Atqui tale quod *Thuribulum aureum* Sanctiſſimum *habuiſſe*, cujus uſus ipſi ſoli ſit dicatus, fallor, aut ex ſequenti *Miſchna* Cod. *Joma* (k), tradita ex parte à *Maimonide* (l), redditur perſpicuum. בכל יום היה חותה בשל בכסף

(d) *Ad l. c. fol. 70. col. 3. lib. 17. 16. fin.* (e) *Ad l. cit. fol. 162. col. 3. lib. 7. 6. 5. fin.* (f) *Philol. Sacr. l. 3. Tract. 2. Can. 10. p. m.* 513. (g) *Hierozoic. Part. 1. l. 2. cap. 50. col. 590.* (h) *Concord. Particul. p. 144, 145.*

(i) 4. *Metaphyſ. 23. pagin. 686. ſqq. Edit. Caſaub.* (k) *Cap. 4. §. 4. fol. 43. b. lib. 22. ſeqq.* (l) *Hilc.* Jom. haccipurim, *cap. 2. §. 5. vid.* Jalkut, *Sect.* Achare Moth *fol. 165. col. 2. lib. 7. ſeqq.*

כסף ומערה בתוך של זהב והיום חותה בשל זהב ובה היה מכניס/ בכל יום חותה בשל ארבעת קבין ומערה לתוך שלשת קבין והיום חותה בשלשת קבין ובה היה מכניס / רבי יוסי אומר בכל יום חותה בשל סאה ומערה בתוך שלשת קבין והיום חותה בשלשת קבין ובה היה מכניס/ בכל יום היתה כבדה והיום קלה/ בכל יום היתה ידה קצרה והיום ארוכה/ בכל יום היה זהבה ירוק והיום אדום/ i. e. *Omnibus diebus reliquis suffitum facturus, prunas de altari cepit in thuribulo argenteo, è quo intra aureum eas evacuavit; hoc vero die depromsit prunas Thuribulo aureo, in eoque eas in Sanctissimum introduxit. Omni alio die prunas cepit thuribulo 4. Caborum, quas in aliud effundebat trium modo Caborum; & hoc die depromsit thuribulo 3. continente cabos: in quo eas etiam in Sanctissimum intulit. R. Jose statuit, quotidie prunas cepisse in thuribulo Seah continente, è quo in aliud evacuarit 3. Caborum; at hoc die in thuribulo 3. Caborum cepisse, atque in eodem etiam eas intulisse. Quo quotidie utebantur, grave erat; sed quo hoc die, levius. Quotidiani manubrium curtum erat, sed hujus Diei prolongatum* [ut eo minus Pontificem defatigaret, aut in retinendo pareret molestiam (m)], *Quotidianum ex auro erat viridi; sed quod huic Diei appropriatum, ex auro rufo* (n) *&c.* Quæ singula demonstrant, extitisse aliquod *thuribulum* Diei Expiationis proprium.

§. XIX. Atque ejus usus genuinus adeo Sanctissimo erat dicatus, ut vespera Diei Expiationis Pontificem Maximum juramento obligarent, ne ausit in eo suffitum accendere, antequam in ipsum Sanctissimum venerit, Thuribulo ante arcam collocato. Ita enim *Maimonides* (o) è tit. *Joma* (p): בימי בית שני צץ האפיקורות בישראל ויצאו הצדוקין מהרה יאבדו שאינן מאמינין בתורה שבעל פה והיו אומרין שקטורת של יום הכפורים מניחין אותה על האש בהיכל חוץ לפרוכת מפי השמועה למדו חכמים שאין נותן הקטרת אלא בקדש הקדשים לפני הארון שנאמר ונתן את הקטרת על האש לפני יהוה/ ולפי שהיו חוששין בבית שני שמא כ"ג זה נוטה לצד אפיקורות היו משביעין אותו ערב יום הכפורי' ואומרין לו אישי כ"ג אנו שלוחי בית דין ואתה שלוחינו ושליח בית דין / משביעין אנו עליך במי ששכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל דבר שאמרנו לך i. e. *Cum temporibus templi secundi, invalescentibus inter Israelitas Sadducæis, qui subito pereant, legem oralem non amplectentibus, statuerent illi, suffimentum Diei Expiationis igni imponendum esse extra velum* Sanctissimi, *dum adhuc in templo consistat* Pontifex. —— *Et vero ex* πατροπαραδόσει *didicerint Sapientes, non imponendum esse suffimentum, nisi in ipso Sanctissimo ante arcam, quia dicitur* (q): *& imponat suffimentum igni ante Dominum. Igitur, quia suspicabantur in templo secundo, Pontificem forte inclinare ad partes Sadducæorum, adjurarunt eum vespera diem Expiationis præeunte, dicentes ipsi: Domine Pontifex M.! cum nos legati simus Synedrii, tu vero noster pariter atque Synedrii; juramento te obstringimus per eum, qui nomen suum in hac domo habitare voluit, ne immutes quicquam ex omni, quod tibi diximus.* Alibi (r) idem Autor è Cod. *Sebachim* (s) tradit: הקטיר מן הקטרת של קדש הקדשים כזית בהיכל חייב מיתה: i. e. *Adoleverit in templo de suffimento Sanctissimi ad quantitatem olivæ, reus est mortis.* Ex quibus simul patet, quod, si *Situs* ad certum diem, sc. Expiationis, restringatur, omnino Sanctissimum *habuerit* hoc *Thuribulum aureum*, haud secus ac Philosopho *Continens habere* dicebatur *contentum.*

§. XX. Si quidem ut *Talmudici* (t) docent, postquam circa initium functionum, in primordio diei, in Sanctissimum semel Pontifex introduxerat hoc *Thuribulum*, suffitu accenso, id ibi relinquebat, ac alios interea perficiebat cultus omnes, non tantum huic diei proprios, sed ipsum etiam sacrificium *vespertinum juge*; & sic circa vesperam demum, Sanctissimum denuo ingrediens, id ex illo efferebat. ולפי שאין ראוי שיוציא משם הכף והמחתה טרם השלם העיכול לקטרת ולאש אשר במחתה והיה זה ממה שלא יתאמת שישלם נכמו זה העת הנה יצטרך להמתין לסלק הכף והמחתה עד הערב וראוי שיהיה זה בעת שיצטרך לבא אל אהל מועד להקטיר קטרת הסמים ולהעלות את הנרות קודם שיקטיר קטרת הסמים ויעלה את הנרות כדי שלא יהיה ענן הקטרת לפנים מאהל מועד ולפני לפנים יחד כי ההערה בו באלו השני מקומות קרובה להיות אחת כמו שנבאר ולזה אין ראוי שתהיה בשני המקומות ובכלל הנה אז ישלם בלי ספק העיכול לאש ולקטרת ואין ראוי שיכנס שם הכהן אם לא אחר שיתברר לו שישלם זה כדי שלא יכנס שם שלא לצורך ויתחייב מיתה בידי שמים וכו/ *Quandoquidem*, ut *R. Lev. f. Gerson* (u) loquitur, *inconveniens erat, ut efferat exinde acerram atque thuribulum, antequam suffitus ac ignis in thuribulo totaliter fuerint consumti: & vero certum tempus, intra quod consumerentur, stabiliri non poterat, ideo necesse habuit, ut, ad acerram ac thuribulum auferendum, ad vesperam expectaret usque. Atque optime conveniebat, ut fieret id eo tempore, quo opus habebat ingredi in tentorium conventus, ad adolendum suffitum aromatum, ac accendendas Lucernas, antequam hæc duo efficiat; ut ne nubes sit suffimenti in tentorio pariter conventus, atque ejus intimo simul. Nam quæ ex hoc doctrina elicitur, de duobus istis locis tam vicina sibi invicem est, ut haberi queat pro unica, sicut interpretabimur. Atque ideo minime erat conveniens, ut fiat in locis istis duobus. Et quanquam valde probabile sit, quod tunc absque dubio ignis ac suffimentum sit consumtum: Non tamen licitum est, ut ingrediatur illuc Pontifex, nisi postquam clare ipsi constiterit, omnia ista esse consummata. Ne, extra urgentem causam illuc se ingerens, reus fiat mortis per Deum inferendæ.* Quæ si vera sunt, prouti communi ore Ebræi statuunt; quamdiu *esse hujus Thuribuli operativum*, sive *usus* ipsius durat, ad quem unice erat destinatum, nulla alia templi pars *id habuit*, quam ipsum Sanctum Sanctorum. Atque sic neque in hoc aliquid continet hæc Epistola, quod auctoritatem ejus Canonicam infringeret.

§. XXI. Quandoquidem in Cap. IV. dicetur, ante Arcam ea fieri debere, quæ in Sanctissimo sunt peragenda, v. g. suffigationem, ac aspersionem sanguinis hircini pariter ac vitulini: Et vero notum sit, nullam in Templo secundo extitisse Arcam, antequam hæc collocarentur. Non immerito scrupulus cuidam oriri poterit, ecquomodo hæc omnia Pontifex perficere potuerit? *Eo non amplius in Sanctissimo existente*, ante quod cultus isti erant peragendi. Ne itaque inferius denuo ad contenta Sanctissimi opus habeam recurrere, placet h. l. adjicere, quod in *Mischna* 2. tit. *Joma* (x), unde reliqui sua desumserunt, legimus, verbis sequentibus: משניטל ארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה הותה נקראת גבוהה מן הארץ ג' אצבעות ועליה היה נותן/ i. e. *Ex quo ablata est Arca, Lapis ibi fuit, inde à diebus Prophetarum priorum, dictus* LAPIS FUNDATIONIS, *qui tres super terram prominebat digitos; super quem* thuribulum &c. *collocabat.* Quæ fabulosa de hoc *Lapide* fingunt (y), non operæ precium judico, quæ hic recenseantur. Usus genuinus fuit, qui jam determinatus: ut sc. vel locum Arcæ antiquum ostendat, vel Sacro inserviat ministerio. Cujusmodi in Gentilium quoque Templis olim fuisse usitatum, *Apollonius Rhodius* (z) testatur, quando de templo Martis in hunc modum loquitur:

εἴσω ἦ μέλας λίθος ἠρήρειστο
ἱερὸς, ᾧ ποτε πᾶσαι ἀμάζονες εὐχετόωντο.

Id est,

Erat autem intus NIGER *defixus* LAPIS
SACER, *ad quem omnes aliquando Amazones vota*
nuncupabant.

Quo ipso tamen neutiquam asseruero, æqualem utrinque per omnia utriusque fuisse rationem. Sint sua cuique cultui propria. Sufficit nobis, utrinque in *Fano* aliquem consecratum fuisse *Lapidem*.

(m) *Ut* Maimon. *exposuit ac* Bartenura *ad l. c. f.* 124. *a.* è Gemara *l. c. fol.* 44. *b. lib.* 7. *fin.* (n) *Quo de vid.* Gemara *ad l. cit. fol.* 44. *b. in fin. & fol.* 45. *a. init.* (o) *Hilc.* jom haccippurim *cap.* 1. §. 7. (p) *Cap.* 1. §. 5. Bab. *fol.* 18. *b. circ. fin. fol.* 19. *b. lib.* 6. *sqq.* Hierus. *fol.* 39. *col.* 1. *l.* 45. *sqq. Vid.* R. Simeon *in* Jalkut *sect.* Achare moth *fol.* 164. *col.* 3. *fin. col.* 4. *Edit. Cracov.* (q) *Lev.* 16: 3. (r) *Cap.* 5. §. 26. (s) *Cap.* 13. (t) *Cod.* Jomæ *cap.* 7. §. 4. *Babyl. fol.* 70. *a. lib.* 25. 26. *b. lin. ult.* Maimon. *l. c. cap.* 4. *in fine. it.* More Nebuchim *Part. III. cap.* 45. *idem* Rambam, *ac* R. Obad. de Bartenura *Commentar. ad tit.* Celim *cap.* 1. §. 9. *fol.* 268.

(u) *Comm. ad Lev.* 16. *f.* 165. *col.* 3. *l.* 1. *sqq.* (x) *Cap.* 5. Gemara *Babyl. fol.* 53. *b. lib.* 24. *sqq.* (y) Gemara *l. cit. fol.* 54. *b. vid.* Sheringhamius *Cod. Joma p.* 103. *sqq.* (z) *Lib.* 2. Argonaut.

DIS-

DISSERTATIO II.

CAP. III.

De Tempore Ministerii.

§. I.

EQuidem *Mosi* concesserat Numen Benignissimum, ut, quocunque vellet tempore, ac necessitas consulendi Deum exigeret, libere in Interiora Sanctissimi introiret, certum exinde deportaturus consilium. Ipse Deus, fabrica Arcæ ac Propitiatorii cum Cherubinis prolixe descripta, ac cuique sede sua cum contentis, assignata; tandem ipsorum usum declaraturus, subjicit[a], ad Mosen verba faciens: *Conveniam tecum IBI, & loquar tecum à superiore parte Propitiatorii, quod inter duos Cherubinos, super Arcam testimonii collocatos, omne quod tibi mandaturus sum ad filios Israël.* Alibi [b] vocat *ipsum fidelem in tota domo sua.* Ex locis his ac similibus idem colligit *Abarbanel*[c], quando inquit: מר"עה להיותו מוכן לנבואה בכל עת היה הרצון האלהי והפצו שיכנס בכל עת אל קדש הקדשים לדבר אתו שם וכמו שאמר ובבוא משה אל אהל מועד לדבר אתו וישמע את הקול מדבר אליו ולכן היה שכאשר מתו שני בני אהרון שהיתה מיתתם בקרבתם לפני יי' רוצה לומר שנכנסו לפני לפנים אשר לא כרת לא נפסק הדבור ממשה שנכנס ונתקרב אז שמה אבל וידבר יי' אל משה אחרי מות רוצה לומר שהיה מדבר עמו מיד אחרי מות שני בני אהרון שמתו בקרבתם לפני יהוה שבסבת אותה קריבה מתו / המקום חהוא גורם למשה הדבור ומעלת הנבואה וכו/ i. e. *Divina erat voluntas, ejusque beneplacitum, ut Moses Doctor noster pacificæ memoriæ, quia semper ad Prophetiam erat præparatus, quocunque tempore ingrederetur in Sanctum Sanctorum, ad sermonem ibi cum ipso habendum; sicut dicitur*[d]: *Ingrediente Mose in tentorium conventus, ut cum eo loqueretur, audivit vocem loquentis ad ipsum de Propitiatorio, quod super Arcam testimonii inter duos Cherubinos, & respondit ei. Propterea etiam accidit, ut defunctis duobus Aaronis filiis, quorum mors ipsis allata est ob accessum suum ad facies Domini, i. e. quod ingressi fuerant præter æquum in ipsum Adytum, non ideo cessarit sermo à Mose, qui tunc similiter illuc fuerat ingressus, ac appropinquarat; sed nihilominus locutus est Dominus ad Mosen post mortem duorum filiorum Aaronis, qui mortui sunt propter accessionem suam ad facies Domini. quæ accessio causa mortis illis extitit; Eadem Mosi causa fuit alloquii Divini, ac Dignitatis Propheticæ, &c.*

§. II. Enim vero nec Aaroni, aut ulli Pontificum, nedum Sacerdotibus Gregariis licitum erat, ut pro arbitrio suo illuc se ingererent; sed ipsorum ingressus ad certum tempus erat restrictus ac determinatus. *Ne veniat omni tempore in Sanctuarium intra velum ante Propitiatorium Arcæ superimpositum, ut ne moriatur*[e], verba sunt Dei per Mosen Aaroni deferenda. Apostolus noster *Semel*, inquit, *quotannis* illuc licet *ingredi.* An cum Prophetis, quorum munia erant extraordinaria, in hoc etiam aliquid extraordinarii Deus egerit, Ego certe vix ausim determinare. Utut enim tale quid inferat Ebræorum hypothesis, qua ר' אליעזר אומר לימות ירמיהו שבשעה שאמר ירמיהו לישראל מפני מה אין אתם עוסקין בתורה אמרו לו אם אנו מתעסקין בתורה במה נתפרנס באותה שעה הוציא להם ירמיהו צלוחית של מן ואמר להם הדור אתם ראו דבר יי' וגו' אבותיכם שהיו עוסקין בדברי תורה ראו במה נתפרנסו אף אתם עסקו בתורה והנה מפרנס אתכם מזה/ i. e. *R. Elieser* [f] *statuit, quod, cum Israëlitæ Jeremiæ increpanti, quidni operam darent legi, respondissent: si in lege addiscenda occupamur, quo nutriemur? eodem tempore Jeremias urnula Mannæ* in Sanctissimo recondita [g] *producta, allocutus eos sit*[h]: *Heus qui nunc vivitis! videte* (non audite) *factum Domini &c. i. e. videte, quo Patres vestri, qui in lege erant assidui, sustentati fuerint. Etiam vos legi date operam, & hoc ipso vos sustentabit Dominus.* Eidem tamen utpote lubrico ac vacillanti superstructæ fundamento, inniti admodum esset periculosum. Id vero aperte falsum est; quod in *Vajikra Rabba*[i] statuit *R. Juda fil. R. Simonis*: בכל שעה שהוא רוצא ליכנם יכנם בסדר הזה i.e. *In omni momento, quo voluerit Aaron ingredi, ipsi hoc licitum fuisse, modo fieret ordine decenti*: quem scil. Deus Lev. 16. præscribit operose. Vim infert hæc sententia verbis antea è Scriptura allegatis, nec, quocunque modo torqueatur, ad ea applicari poterit hæc explicatio.

§. III. Multo sanior est recepta Talmudicorum lex, quam ob rationes in principio indicatas, proponam verbis *Maimonidis*[k]: אין כהן גדול נכנס לקדש הקדשים אלא מיום הכפורים ליום הכפורים וכהן הדיוט נכנס לקדש לעבודה בכל יום / והוזהרו כל הכהנים שלא יכנסו לקדש או לקדש הקדשים שלא בשעת עבודה שן ולא יבא בכל עת אל הקדש זה קדש הקדשים מבית לפרכת להזהיר על כל הבית / כהן שנכנס לקדש הקדשים בשאר ימות השנה בין כהן הדיוט בין כהן גדול או כהן גדול שנכנס לו ביום הכפורים שלא בשעת העבודה חייב מיתה בידי שמים שנ ולא ימותו וכמה פעמים הוא נכנס לשם ביום הכפורים ארבעה כמו שיתבאר במקומו ואם נכנס המישית חייב מיתה בידי שמים / i. e. *Non licet Pontifici M. in Adytum ingredi, nisi ab uno Expiationis die ad alterum. Sacerdos vero gregarius ingredi potest in Sanctum ad ministerium obeundum QUOTIDIE. Gravi autem admonitione prohibentur omnes Sacerdotes, ne ingrediantur in Sanctum, aut in Sanctum Sanctorum extra horam ministerii, quia dicitur* [l]: *ut ne veniat omni tempore in Sanctuarium; per quod intelligitur Adytum intra velum: ut prohibitionem afferat de tota domo. Si quis Sacerdos ingrediatur in Sanctissimum reliquis anni diebus, sive Sacerdos sit gregarius, sive Pontifex M.; aut Pontifex M. qui ingreditur die quidem Expiationis, non tamen tempore ministerii, reus est mortis per Deum inferendæ, quia dicitur*[m]: *ut ne moriatur. Quot tandem vicibus ingredi illuc licet in die Expiationis? QUATUOR. Quod si quinquies ingreditur, reus est mortis per Deum immittendæ*[n].

§. IV. Quod priora hujus Doctoris attinet, quibus alteram Sanctuarii partem omnibus Sacerdotibus liberam pronunciat, quotidie frequentandam; in Sanctissimum vero soli Pontifici M. permittit introitum: tam bene cum Apostolo nostro conveniunt, ut eundem etiam videantur illustrare. Siquidem diem determinant Pontifici, quem Apostolus tanquam notum præsupponit. Erat is *Expiationis.* Qui ex præscripto Divino[o] *Decimus Mensis septimi*, anni nimirum sacri, seu *festorum*: qui in anno politico, seu civili *Primus* est. Siquidem Judæi pro varietate rei numerandæ varia constituunt anni Principia. In tit. *Rosch haschschana* [p]: ארבעה ראשי שנים הם באחד בניסן ראש השנה למלכים ולרגלים · באחד באלול ר"ה למעשר בהמה ר"א ור"ש אומרים באחד בתשרי · ב'א בתשרי ר"ה לשנים ולשמיטין וליובלות לנטיעה ולירקות · בא' בשבט ראש השנה לאילן כדברי בית שמאי בית הלל אומרים בט"ו וכו' i. e. *Quatuor sunt anni principia: in primo die mensis NISAN* (Martii) *principium anni constituitur Regibus* sc. Israëlitarum, *ac festis. In primo ELUL* (Augusti) *decimationi pecoris: Quod tamen R. Elieser, ac R. Simeon in primum TISRI* (Septembris) *rejiciunt. In TISRI* (novilunio Septembris) *principium anni constituitur annis* (Regum gentium [q] ac mundi computandis), *dimissionibus, Jubilæis, plantationi, ac oleribus. In primo die SCHEBATH* (Novembris) *schola Schammæana ponit principium anni arboribus; quod tamen Hilleliana rejicit in diem ejus* 15. Quæ ideo adjicienda fuere, ne, cum passim apud Talmudicos *Expiatio* hæc solennis in 10. à novo anno diem, & sic consequenter in 10. mensis *primi* occurrat collocata, quis exinde opinetur, ac si *Traditionarii* terminum à Deo solennitati isti constitutum transtulerint in alium. Nulla inter eos ac Scripturam hac in parte est dissensio. Hæc menses numerat anni Sacri, isti vero civilis.

§. V. Cæterum mensis iste *TISRI*, in cujus 10. die hic, de quo loquitur Apostolus, introitus erat permissus, multis Solennibus ac extraordinariis, veris partim, partim imaginariis fuit nobilitatus[r]. ר' אליעזר אומר בתשרי נברא העולם בתשרי נולדו

[a] *Exod.* 27: 22. [b] *Num.* 12: 7. [c] *Comment. ad Levit.* 16: 1. *fol.* 250. *col.* 3. *lin.* 32. *seqq.* [d] *Numer.* 7: 89. [e] *Levit.* 16: 2. [f] *in* Mechilta *Sect.* Vajehi beschallach. *Vid.* Jalkut *c. fol.* 75. *col.* 2. *post med.* R. Salm. Iarchi *ad l. c.* *Bibl. Buxt. fol.* 78. *b. l.* 4. *seqq.* [g] *Exod.* 17: 23. [h] *Jer.* 2: 31.

[i] *Sect.* 21. *fol.* 120. *col.* 2. *lin.* 5. *fin. col.* 3. *init. Vid.* Ialkut. *Sect.* Achare Moth *fol.* 164. *col.* 2. *lin.* 6. *seqq.* [k] *Hilc.* Biath. hammikd. *cap.* 2. §. 1, 2, 3. *Conf.* R. Moses Kotzensis *Præcept. Negat.* 350. *fol.* 83. *col.* 2. [l] *Levit.* 16: 2. [m] *l. c.* [n] *idem tradit in* More Nebuchim. *Part.* 3. *cap.* 45. *fol.* 164. *b. l.* 7, 8, 9. *Edit.* Sabionet. [o] *Lev.* 16: 29. [p] *statim ab initio cap.* 1. *Misch.* 1. [q] *Vid. Gemara l. c. fol.* 8. *a. l.* 9. 7. *fin.* [r] *Cod.* Rosch haschschana. c. 1. *Babyl. fol.* 10. *b. l.* 4. *fin. fol.* 11. *a. l.* 1. *seqq.*

נולדו אבות בתשרי מתו אבות בפסח נולד יצחק בראש השנה נפקדה שרה רחל וחנה בראש השנה יוצא יוסף מבית האסורים בראש השנה בטלה עבודה מאבותינו במצרים בניסן נגאלו ובתשרי עתידין ליגאל וכו׳ i. e. *R. Eliefer ftatuit : in menfe TISRI creatus eft mundus* (propterea ab eodem adhuc hodie Iudæi annos fuos inchoant): *in TISRI Patriarchæ nati funt; & in TISRI quoque mortui: in Pafchate natus eft Ifaac; in principio anni*, feu primo anni menfe, qui *TISRI* dicitur *vifitata fuit Sara, Rahel, & Anna: In PRINCIPIO ANNI egreffus eft Jofephus è carcere: in TISRI ceffavit fervitus Patrum noftrorum in Ægypto, cum in menfe NISAN liberati fint*; & vero juxta *Gloffam* l. c. fex ante redemtionem ipforum menfibus fervitium defierit: *in TISRI quoque per Meffiam liberabuntur.* Quomodo unumquodque horum è Scriptura S. prolixe probet, in cit. tit. Talmudico fol. 11. a. l. 8. feqq. qui volet, conferre poterit. Obfervatu dignum eft, quod, etiamfi *R. Jofua* in plerifque *R. Eliefari* contradicat, redemtionemque Ifraëlitarum confummatam, ut è captivitate Ægyptiaca, ita temporibus Meffiæ in menfem *NISAN* rejiciat; in eo tamen cum ipfo confpiret placide, quod & *Jofephi egreffum è carcere, & ceffationem jugi Pharaonici ab Ifraëlitis* in eundem menfem *TISRI* collocat. quafi is ex fpeciali Dei Providentia liberationi hominum corporali pariter ac fpirituali fit deftinatus. Autor *Tofaphoth* [s] adducit è *Pirke Eliefer* דביום הכיפורים נמול אברהם אבינו *quod in die Expiationum circumcifus fit Abraham Pater nofter*, eo ipfo die; quo hoc Sacramentum fuit inftitutum.* Quo applicat etiam ea, quæ in tit. *Bava Mezia* [t] leguntur, fub nomine *R. Chammæ filiæ Caninæ*: אותו היום יום שלישי של מילה של אברהם היה ובא הק״בה לשאול באברהם וכו׳ *quafi dies, quo Deus Abrahamum falutaverit*, promittens fe ad tempus hoc determinatum ad ipfum reverfurum, *tertius fuiffet à circumcifione Abrahami.* In eodem menfe *TISRI* cenfent Iudæi fingulos homines à Deo judicari [u], cujus in die Expiationis obfignata pronuncietur fententia. Hinc uti *Rabbenu Jacob* [x], è *Talmude* afferit: בכל הימים שבין ר״ה ליום הכפורים מרבים בתפילות ובתחנונים i. e. *Omnibus illis diebus, qui interfunt inter novum annum ac diem Expiationis, multas ad Deum fundunt precationes ac obfecrationes*, atque affidue jejunantes in perpetua vivunt pænitentia. A qua etiam dies ifti vocati illis funt עשרת ימי התשובה i. e. *decem dies pœnitentiales.* Quippe exiftimant illi, ut *Maimon* [y] è Cod. *Rofch hafchfchana* [z] afferit: אף על פי שהתשובה והצעקה יפה לעולם בעשרת הימים שבין ראש השנה ויום הכפורים היא יפה ביותר ומתקבלה היא מיד שני׳ דרשו ה׳ בהמצאו׳ *quod pænitentia ac vociferatio quamvis femper accepta foret, ac bona; intra* 10. *tamen iftos dies, qui à principio anni ad diem Expiationis, multo fit melior ac ftatim acceptata. quia dicitur* [a]: *requirite Dominum quo tempore vult inveniri.* Quinimo: [ut taceam, in hunc menfem figi [b] *reparationem tabularum Decalogi* [c], *dedicationem templi Salomonæi* [d], ac præter memorata fefta *Novi anni* atque *Expiationis*, etiam *feftivitatem Tabernaculorum*:] in eodem menfe *TISRI* redibant fundi, aliæque opes abalienatæ, ad Proprietarios fuos; & qui hactenus in fervitute duros fæpe numero perpeffi fuerant Dominos, liberabantur, ac fuæ reftituebantur ingenuitati. *R. Ifmaël f. R. Johannis f. Broka* docuit [e]: מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרים לבתיהן ולא משתעבדין לאדוניהם אלא אוכלין ושותין ושמחין ועטרותיהן בראשיהן כיון שהגיע יום הכפורים תקעו בית דין בשופר נפטרו עבדים לבתיהם ושדות חוזרות לבעליהן וכו׳ *A PRINCIPIO anni usque ad diem Expiationis equidem fervi domum non redibant; neque vero ferviebant Dominis fuis: fed comedebant, bibebant, ac lætabantur, fertis coronati capite. Poftquam autem ingruente die Expiationum, buccina clangebant Synedrium, fervi ad fuas redibant domos, & agri ad fuos proprietarios.* Quid quod, fi *Salvator nofter* in his terris 32. annos egit cum dimidio, cum baptizatus fit poftquam 29. annum jam compleverat, tricefimo nunc recens inchoato, Luc. 3: 16. *atque in medietate feptimanæ abrogare deberet facrificium atque oblationem* Dan. 9: 27., mortuus quoque fit circa feftum Pafchatis, quod poft baptifmum fuum quarta tum celebrabat vice Johan. 2: 13. c. 5: 1. c. 6: 4. c. 13: 1., aliter dici non poteft, quam *Eundem* in hoc ipfo menfe *TISRI & natum* fuiffe atque *baptizatum* [f]. Singulari procul dubio Dei providentia. Ut in ipfo revera impleatur, quicquid in præcedentibus vel liberationis vel Expiationis hoc menfe contigiffe dictum fuit: corporali faltem redemtione ad fpiritualem applicata.

§. VI. Verum quod in citatis fupra *Maimonidis* verbis amplius annectitur de *quadruplici in Aditum introitu*, id eft quod primo intuitu Apoftolo noftro è diametro videtur oppofitum. Siquidem apud hunc dicitur, ingreffum fuiffe Pontificem ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, *femel quotannis.* Nec aliter apud *Jofephum*, five *Flavium* confulas, five *Gorionidem.* In illo quippe legimus [g]: εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος ὁ ἀρχιερεὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ, ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμῖν πάντας τῷ θεῷ. *Solus autem atque femel in anno intrabat, quo die cunctos jejunare Deo mos erat*: in hoc vero [h]: וגם הכהנים לא נגשנו אל קדש הקדשים כי אם הכהן הגדול היה בא שם פעם אחת בשנה׳ i. e. *Atque etiam Sacerdotes non debebamus accedere in Sanctum Sanctorum; fed folus Pontifex M. illuc venit vice una in quolibet anno.* Quid quod & V. Teft. cum his confpiret: cum vice plus fimplici de hoc Expiationum fefto אחת בשנה, pro quo LXX. Interpretes ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, adhibeat. Exod. 30: 10. jubet Deus: *Et expiationem faciat Aaron in cornibus ejus* אחת בשנה *SEMEL QUOTANNIS, de fanguine facrificii pro peccato expiatorii* אחת בשנה *SEMEL QUOTANNIS expiationem faciat fuper eo in generationibus veftris* &c. Similiter Levit. 16: 34. *Efto hoc vobis ftatutum æternum, ad expiandum filios Ifraël ab omnibus peccatis fuis* אחת בשנה *SEMEL IN ANNO.*

§. VII. Præterea II. Urgent nonnulli, Ipfam *typi rationem* introitum requirere non nifi unicum. Comparatur enim Chriftus cum Pontifice Aaronico, cœlum cum Sanctiffimo. Itaque ficuti Chriftus femel tantum per fanguinem fuum in cœlum introivit, æterna redemtione inventa Ebr. 9: 12.; ita quoque Pontificem Aaronicum, qui ejus typum gerebat, neceffe eft, femel tantum introiviffe quotannis in Sanctiffimum. III. Cum abfque dubio Apoftolus verbis fuis refpiciat ad cultum Lev. 16. defcriptum; in hoc ipfo capite poft primum Pontificis introitum clare non meminit Scriptura, eum è Sanctiffimo egreffum fuiffe (ut alia illuc inferre poffet), nifi poftquam fanguinem Hirci non minus quam juvenci in illo fparferit, Lev. 16: 8. IV. Nec valde urgeri poterit, quod v. 15. inter fanguinem juvenci fparfum atque Hirci, hujus inferatur mactatio; quæ certe in Sanctiffimo peracta non eft. Siquidem abunde conftat, in Scriptura non eum femper dicendi ordinem fervari, qui fuit actionum; fed fæpius occurrere מוקדם ומאוחר, ut, quod tempore præceffit, in oratione locum obtineat pofteriorem. Quod nec ipfi Talmudici in hoc capite factum denegant. ut videre eft in Codice *Joma* cap. 7. fol. 71. a. l. 1. [i] V. Quæ Judæos coëgit neceffitas, ut iteratos ftatuerent ingreffus, Excellentiffimo *Dn. Frifchmuthio* [k] judice, tanta non eft, ut idcirco claram Scripturæ N. Teft. literam deferamus, ac Antiquiffimos teftes oculares: præcipue cum alio modo tolli ea poffit penitus.

§. VIII. De quo ut B. L. libere judicet, non gravabor caufas toties repetiti ingreffus ex Judæis ipfis hic tranfcribere. In *Mifchna* Cod. *Celim*, poftquam diverfarum Sanctuarii partium diverfi delineati fuerant Sanctitatum gradus, tandem additur [l]: קדש הקדשים מקודש מהם שאין נכנס לשם אלא כהן גדול ביום הכפורים בשעת העבודה i. e. *Adytum Sanctius eft reliquis templi partibus omnibus: quia non ingreditur illuc nifi Pontifex M. in die Expiationum, tempore minifterii.* In quæ verba *Mofes Ægyptius*, cæteris contribulibus fuis confentientibus ac approbantibus [m], commentatur: אזהרת כהן גדול מהיכנס לקודש הקדשים זולת ביום הכפורים אמר ואל יבא בכל עת אל הקדש וגו׳ בזאת יבא אהרן וגו׳ והוא יכנס בזה המקום ביום צום כפור ד׳ פעמים הראשונה בקטורת שיקטיר שם בקדש הקדשים׳ והפעם השנית בדם הפר׳ והפעם השלישי בדם השעיר׳ והפעם הרביעי יכנס להוציא את הכף ואת המחתה מקדש הקדשים כמו שהתבאר שם ובתוספת כ״ג נכנס לשם בכל שנה לשנה לעבודת יום הכפורים ד׳ פעמים ביום ואם נכנס חמשה חייב מיתה׳ i. e. *Prohibitionem Pontificis M. ab introitu in Sanctum Sanctorum lex indicat, quando inquit* [n]: *Ne veniat omni tempore in Sanctuarium &c. hoc modo veniat Aaron &c. Cæterum ingredi hic poteft in die jejunii*

[s] *ad tit. cit. fol.* 11. *a. circa fin.* * *Gen.* 17: 20. [t] *c.* 7. *fol.* 86. *b. lin.* 8. *fin.* [u] *tit.* Rofch hafchfchana *cap.* 1. §. 2. *fol.* 16. *a. l.* 2. 3. 15. *feqq.* [x] *in* Orach Chajim §. 602. *fol. m.* 72. *col.* 3. *l.* 17. *fin.* [y] *hilc.* Tefchuba *cap.* 2. *poft. med.* [z] *cap.* 1. *fol.* 18. *a. l.* 32. *feqq.* [a] *Jef.* 55. 6. [b] vid. Lightf. *Hor. Hebr. ad Matth.* 2. 1. *pag. m.* 199. [c] *Exod.* 34. 1. [d] 2 *Reg.* 8. 2. [e] *tit.* Rofch hafchfchana *cap.* 1. *Gemara* Babyl. *fol.* 8. *b. l.* 24. *feqq.*

[f] *Vid.* Cl. Ligtfoot. *l. c. p. m.* 998. 239. 240. [g] *lib.* 6. Bel. Iud. *c.* 15. *p. m.* 919. *c.* [h] *lib.* 6. *cap.* 65. *fol.* 69. *col.* 1. *l.* 19. *feqq.* Edit. Crac. [i] *Vid.* Rambam *Comment. ad* Mifch. 4. *cap.* 7. *tit.* Ioma. [k] *Præfat. Difput.* 1. *de Hirco Emiffario ex Lev.* 16. [l] *cap.* 1. §. 9. [m] *Vid.* de Bartenura *ad l. c.* Abarbanel. *l. c. fol.* 249. *col.* 4. *lin.* 11. *feqq.* [n] *Lev.* 16: 2.

jejunii expiationis in locum istum quatuor vicibus: prima vice cum suffimento, ut adoleat illuc in Sanctissimo. Secunda vice cum sanguine juvenci. Tertia vice cum sanguine hirci. & quarta vice ingrediatur ad educendum Acerram & Thuribulum è Sanctissimo, quemadmodum explicatur in tit. Joma. Et in Additamentis quidem dicitur: Pontifex M. ingreditur illuc quotannis ob ministerium diei Expiationis quatuor in die vicibus; quod si quinquies ingressus fuerit, reus est mortis.

§. IX. In eadem Talmudis parte priore *Mischna* dicta, tit. *Joma* cap. 5. recensetur §. 2. quomodo Pontifex primum suffimentum in Sanctissimum intulerit, deinde §. 3. sanguinem juvenci ablatum ab eo, qui ne concresceret, in Scamno templi exterioris quarto [o] miscuerat, in idem Sanctissimum illatum modo decenti sparserit. E quo egressus, §. 4. hircum sibi adductum mactaverit, ejusque sanguinem in Adytum illatum, eodem modo quo sanguinem juvenci sparserit; ac denuo ex eo fuerit egressus. Quibus in eodem capite tandem §. 7. subjungitur: כל מעשה יום הכפורים האמור על הסדר אם הקדים מעשה לחברו לא עשה כלום-שכולן כפרה בפני עצמה וכו׳ i. e. *Omne opus diei Expiationis ordine suo recensitum est. quod si unum Pontifex præponat alteri, est ac si nil egerit; quia singulorum Expiatio seorsim facienda.* Atque hæc omnia quæ hactenus fieri dicta sunt, horis peragebantur matutinis. Post quæ cap. 6. toto, cit. tituli, atque principio cap. 7. plura alia recensentur ministeria, quorum multa à Pontifice vestibus aureis induto perficienda traduntur. Donec tandem circa vesperam diei [p] ונכתפג ועלה וטבל וירד ופשט ורגליו ידיו קדש הביאו לו בגדי לבן ולבש וקדש ידיו ורגליו נכנס להוציא את הכף ואת המחתה׳ i.e. *Consecratis manibus pedibusque, vestes aureas exuat, descendat ac lavet, ascendensque se abstergat, atque rursus vestibus albis indutis, manibus pedibusque consecratis, ingrediatur in Sanctissimum, ad educendum ex eo Acerram atque Thuribulum.* Quæ verba sunt Mischnæ l. c. c. 7. §. 4.

§. X. Existimant nimirum Ebræorum Doctores, cum hæc singula, quæ ordine hactenus enumerata sunt, à Deo ipso Lev. 16. clare jubeantur per Pontificem M. in Sanctissimo peragenda; Ordinem, qui in cit. cap. delineatus est, servandum esse: ac ea propter fieri non potuisse, ut introitu uno perficiantur omnia. Quot manibus enim instructus requireretur Pontifex, qui peculiari vase *suffimentum*, alio *prunas*, ac rursus alio *sanguinem juvenci*, ac diverso *sanguinem hirci* inferret in Sanctissimum? Potissimum, quia priora prius inferri debuerint, per eaque Expiatio peragi, quam hircus mactatus fuerit à Pontifice, cujus sanguis in Sanctissimum erat inferendus. Nec Thuribulum cum Acerra è Sanctissimo auferri prius potuerit, quam circa vesperam, igne atque prunis in eo penitus consumtis [q], & tot interea ministeriis aliis peractis. Post quæ siquidem absoluta demum Lev. 16:23. dicatur, *ut in tentorium conventus ingrediatur*; nullo certe alio fine, quam ut Thuribulum ex Adyto repetat, atque sic omnem cultum diei huic proprium, ac vestibus candidis peragendum, perficiat. Cum præter id auferendum nil amplius h. m. obeundum restet [r].

§. XI. Verum enim vero (1.) supra monuimus, ordinem rerum agendarum non semper in Scriptura fuisse observatum; ut inde inferas, inter aspersionem sanguinis juvenci atque Hirci, hujus intercessisse mactationem. Et qui ordinem actionum supra non observasse à Judæis concessus fuit, est hic ipse v. 23., quo eductionem thuribuli è Sanctissimo adstruunt. *R. Salom. Jarchi* [s], & ex eo *R. Moses fil. Nachman.*, אמרו רבותינו שאין זה מקומו של מקרא זה ונתנו טעם לדבריהם במסכת יומא ואמרו כל הפרשה כולה נאמרה על הסדר חוץ מביאה זו שהיא אחר עשית עולתו ועולת העם והקטרת אמורי פר ושעיר שנעשים בחוץ בבגדי זהב וכו׳ *Doctores*, inquit, *nostri statuunt, quod hic, quo legitur, non sit locus huic versui debitus. Atque rationem verborum suorum afferunt in tit. JOMA* [t], *dicentes. Tota hæc sectio secundum ordinem, quo geri singula debebant, est conscripta, præter ingressum hunc, qui fieri debebat post oblationem holocausti Pontificis, & holocausti Populi, atque adoletionem membrorum juvenci ac hirci comburendorum, quæ foris peragebantur vestibus aureis* &c. Quod si in uno ordinem turbatum concesserint, ilico totum argumentum ab ordine desumtum in reliquis actionibus omnibus suspectum redditur. (2.) Si dixeris sanguinem utriusque sacrificii *Juvenci* scilicet atque *Hirci* permistum fuisse, atque in unico saltem vase in Sanctissimum illatum; prout talem permixtionem statuunt Judæi, cum altare aureum interius aspergi debuit. De quo ne dubites, en ipsa *Maimonidis* [u] verba è codic. *Joma* [x] desumta: ואחר כך מערה דם הפר לתוך דם השעיר ומחזיר הכל למזרק שהיה בו דם הפר כדי שיתערבו יפה יפה׳ ועומד לפנים ממזבח הזהב בין המזבח והמנורה ומתחיל להזות מדם התערובת על קרנות מזבח הזהב וכו׳ i.e. *Deinceps effundit sanguinem juvenci intra sanguinem hirci, ac refundit denuo omnem in craterem, in quo fuerat sanguis juvenci, ut QUAM OPTIME INVICEM PERMISCEANTUR. Quod facto, stans ex opposito intra altare aureum ac Candelabrum, incipit spargere de SANGUINE PERMIXTO ad cornua altaris aurei* &c. Quod argumentum propositum vide apud *Abarbanelem* l. c. quæst. 13. fol. 250. col. 1. Item (3.) si asseveres, suffimentum prunis imponendum fuisse, antequam Pontifex in Adytum se conferat, ut *Sadducæos* statuisse certum est [y]. Hisce admissis, nil obstat, quo minus solus *Pontifex M.* omni destitutus comitatu, qui manum ipsi præberet auxiliatricem, omnia in Adyto peragenda uno absolvat introitu. Una quippe manu Thuribulum tenuisset, cui suffimentum jam erat impositum, atque altera Craterem sanguine juvenci ac hirci adimpletum. Quæ vasa utraque ex Adyto egrediens statim una secum abstulisse censendus esset. Unde enim probabunt Iudæi, thuribulum è Sanctissimo auferri non licuisse citius, quam prunæ penitus sint consumtæ, nec suffimentum amplius extollat fumum? Si Ratio *R. Levi f. Gerson* supra (z) allata omni exceptione major foret, etiam in Sanctissimo suffimentum adoleri prius non potuisset, quam fumo atque igne suffimenti in Sancto accensi penitus evanescente: quod tamen propriam Iudæorum impugnat hypothesin.

§. XII. Quod si minus placet cum Sadducæis in suffitu faciendo conspirare; neque permixtionem sanguinis approbas, antequam in Adyto aspersus fuerit; quia dicitur [a]: *& faciat Aaron cum sanguine hirci, quemadmodum* jan ante *fecerat sanguini juvenci, ut aspergat eum* &c. (4.) Aliam tamen viam demonstravit *Abarb.* qua si incedas, rursus necessitatis telum, quod Iudæos adeo urgere diximus, enervabitur penitus, nec ad quam collimabat metam, sine offendiculo poterit attingere. Siquidem audacter ille statuit [b]: והיה כ״ג ליקח מאותו כלי מלא חפניו קטורת ונותן לכף שלפניו ומוליך מחתה בימינו והכף בשמאלו והולך להיכנס בבית קדש הקדשים׳ והסגן שהיה בימינו וראש בית אב שהיה בשמאלו היו מגביהין הפרוכת או הפרוכות מלפניו ונכנס הכג בקדש הקדשים וכו׳ i. e. *Pontifici M., qui accepto è vase sibi allato suffimenti pugillo pleno, Acerræ ante ipsum positæ indito, thuribulum fert dextera sua, & acerram sinistra, dum incedit ad ingrediendum in Sanctum Sanctorum, Saganem, qui à dexteris ipsius, & Principem Ephemerias, qui ab ejus sinistris, retraxisse velum, aut* (in templo sc. secundo) *vela, ante ipsum; ut, iis expansis, aditum introëundi habeat.* Quæ si vera sunt, unus ipsorum sanguinem juvenci peculiari contentum vase apportare potuit, alius sanguinem hirci, & ipsum suo inclusum cratere. Quem Pontifici, ex quo thuribulum cum acerra in loco decenti constituerat, potuerunt porrigere, ac rursus se, antequam ille adoleret, è Sancto ad mandatum Divinum subducere. Atque h. m. vocem בבואו Lev. 16:17. redderes: *ex quo venit ille*, in Præterito; vel *postquam jam ingressus est.* quam significationem litera ב Infinitivis præfixa habet Gen. 33:18. Exod. 3:12. Lev. 11:31. Esth. 2:7. 1 Reg. 13:31. Ies. 20:1. Ps. 52:12. &c. (c), ac requirere h. l. videtur vox opposita צאתו; quam, res ipsa efflagitat, ut vertas *egressus fuerit*, in præterito. Unde enim cognoscerent, quando in actu egrediendi occuparetur? aut, si ex sono Veli rursus attracti atque expansi id sensisse dicas, cur ad suspicionem mortis illatæ præscindendam, ne quidem in Sancto constitutus Pontifex M. sustinuit paulo prolixiorem precationem ad Deum fundere [d]? cum accurrentes Sacerdotes salvum eum ex Sanctissimo jam evasisse cognoscerent. Quam insolitum autem fuerit, ut reliqui Sanctum ingrederentur, antequam egressum suum penitus absolverit Pontifex, conjici potest ex historia recensita in Gemara Babylonica l. c. quo brevitatis studio Lectorem ejus cupidum remitto.

[o] *l. c. cap. 4. §. 3. Confer.* Maimon. *hilc.* jom haccippurrim. *c. 4. §. 1.* [p] *Vid. Gemara* Hierusol. *tit.* Ioma. *fol. 44. col. 2. l. 25. seqq.* [q] *Vid. Disp. 1. cap. 2. §. 20.* [r] *Vid.* R. Moses bar Nachman. *Comm. ad l. c. f. 196. b.* [s] *Comm. ad l. c. Bibl. Buxtorf. f. 133. a. l. 4. seqq.* [t] *cap. 8. fol. 71. a.*

[u] *hilc.* Abodath jom haccippurim *c. 4. §. 2.* [x] *c. 5. §. 4. in fin.* Gemara *Babyl. fol. 57. b. l. 23. seqq. f. 50. a.* [y] *Vid. tit.* Ioma *cap. 1. fol. 18. b. circa fin.* Hierus. *l. c. f. 39. col. 1. l. 45. seqq.* Maimon. *hilc.* Abodath jom haccippurim. *c. 1. §. 7. conf. Disp. 1. c. 2. §. 19.* [z] *Disp. 1. c. 2. §. 20.* [a] *Lev. 16:15.* [b] *Comment. ad Sect.* Achare Moth *fol. 249. col. 2. l. 33. seqq.* [c] *vid. Cl.* Noldii *Concord. Partic. pag. 157, 158.* [d] *Vid. Cod.* Ioma *cap. 5. §. 1. in fin. fol. 52. b. l. 15. seqq. fol. 53. b. l. 13. seqq.* Maimon. *l. c. cap. 4. §. 1. in fin. item Comm. ad* Mischnam *cit. fol. 90. col. 2. circa fin.*

§. XIII. Præter ea, quæ huc usque dicta sunt, multa adhuc alia impedire videntur, ne quis cum Judæis *quadruplicem* statuat *ingressum*. Siquidem VI. si suffitus seorsim, prout illi asseverant, inferatur in Sanctissimum, nulla foret causa, cur ante illius incensionem juvencus Pontificis mactatus dicatur Lev. 16. 11. Cujus Sanguis interea temporis, quo adoletur suffitus, facile coagulatur: quo facto, non tam aptus est aspersioni, quam si animali recens mactato, adhibeatur ad eam, calidus. VII. Nuspiam in Levitico legitur sanguis Juvenci seorsim in Sanctissimum illatus; & tamen, suffitu facto, statim subjicitur l. c. v. 14. *Et capiat de sanguine juvenci, ac spargat:* quod fieri non potuisset, nisi sanguis una cum suffimento fuerit illatus. VIII. Sin minus, sed solus suffitus aperuisset introitum; non exigua laborarent difficultate verba Apostoli, quibus asserit, χωρὶς αἵματος Pontifici non licuisse ingredi. IX. Aut Scripturam evertunt, aut se ipsas in hoc argumento impugnant Judæorum hypotheses, quibus statuunt, ab altera quidem parte, omnia in Sanctissimo peragenda, & sic quoque eductionem thuribuli ex eodem, à Pontifice fieri debere candidis induto vestibus: in quo quidem Scripturam habent consentientem, Lev. 16: 4. & tamen à parte altera unanimiter asseverant, introitum quartum ad thuribulum ex adyto auferendum susceptum, circa vesperam demum fieri, post oblationem non modo sacrificiorum istius diei Supererogatoriorum; sed & sacrificii jugis vespertini [e]. In *Gemara Hierosolymitana* [f] legimus: אמר ר' אלעזר יש לך עבודה אחרת שהוא עובדה בבגדי לבן ואי זו זו הוצאת כף ומחתה / אמר ר' יוחנן הכל מודין בהוצאת כן ומחתה שהיא לאחר תמיד בין הערבים / id est, *R. El-asar docuit, est alius quidam cultus, quem candidis indutus vestibus perficit. qualisnam ille est? Eductio acerræ ac thuribuli. R. Johannes dixit: de eductione acerræ ac thuribuli fatentur omnes, quod post Sacrificium juge vespertinum fiat.* At vero jam ante oblationem holocausti, ac accensionem adipis &c. Sacrificiorum istius diei supererogatoriorum Deus jusserat, ut Pontifex, exutis vestibus, ac in tentorio conventus sepositis, deinceps vestes induat alias usitatas Levit. 16: 23. seqq.

§. XIV. X. Tandem frustraneum est, & verbis Scripturæ contrarium, quod Iudæi ad *quartum introitum* probandum provocant ad Lev. 16. 23. *Talmudis* [g] est interpretatio: ובא אהרין אל אהל מועד מאיכן בא מקריית הפרשה ולהיכן הוא הולך להוציא כף ומחתה / *Quando dicitur: ET VENIAT AARON IN TENTORIUM CONVENTUS, quid intelligitur à quo reversus sit? à lectione sectionis Biblicæ, ad quod autem tendat? AD EDUCENDUM ACERRAM AC THURIBULUM.* Cui conformia sunt, quæ *Raschi* (h) habet: בא אל אהל מועד להוציא את הכף ואת המחתה שהקטור בה הקטורת לפני ולפנים / i. e. *Ingrediatur in tentorium conventus, ad educendum acerram ac thuribulum, in quo adoleverat in Adyto suffimentum.* Tantum fidit versui huic *Moses Gerundensis* [i], ut non veritus sit tradere: על כרחנו יבא אהרן אל אהל מועד לעבוד עבודה לא הוצרך הכתוב להזכירה והיא הוצאת הכף והמחתה כי מלבד זה לא נשאר לעשות בבגדים האלו / i. e. *Vel nobis invitis dicendum est, quod venerit Aaron in tentorium conventus ad aliquod obeundum ministerium: cujus ut mentionem faciat Scriptura, non opus habuit. Est autem eductio acerræ ac thuribuli. Præter quod nil amplius his vestibus restabat peragendum.* Enim vero vel invito *Mose Gerundensi*, omnibusque ejus assentatoribus ringentibus, dicendum, hunc versum Biblicum nullo modo ad ipsorum mentem trahi posse. (1.) Non jubetur in eo ingredi Pontifex in Sanctissimum; sed in *tentorium conventus.* quod hoc ipso versu, item v. 16, 17, 20. contradistinguitur *Sanctissimo*, atque pro priori tabernaculi parte sumitur, quæ *Sanctum* dicitur. (2.) In eam jubetur ingredi tabernaculi partem, in qua vestes reconditæ asservabantur. at ridiculum foret, hunc locum velle constituere in Sanctissimum; quo nemini præter Pontificem introire fas. Res ipsa aliud suadet, atque ea quæ superius [k] dicta sunt de iis, quæ in Sanctissimo fuerint contenta. (3.) finis hujus introitus claris verbis in textu est expressus: *& exuat vestes lineas, quas induerat cum ingrederetur in Sanctuarium, easque ibi recondat.* at hic longe alius est, quam quem Iudæi somniant: detractio sc. vestium, non vero eductio Thuribuli.

§. XV. Quicquid horum sit, existimat nihilominus *Magnus* ille *Grotius*, verba Apostoli nostri non ita esse intelligenda, quasi non aliquoties exierit & rursus intrarit. *Primum enim, ait, intrare eum oportuit, Batilli inferendi causa: Deinde suffitus, deinde sanguinis vitulini primum, deinde & hircini. Itaque quater illo die eum intrasse ait Moses Mikkotzi, & recte.* Concludit ergo ad conciliandum Apostolum cum iis, qui plures introitus statuunt, ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ idem esse ac *uno anni die.* In quo quidem omni fundamento non destituitur. Quippe Græca hæc verba ex LXX. Interpretibus desumta videntur: qui per ea, ut supra monui, semper expresserunt Ebraica אחת בשנה, quibus in hoc argumento usus est Spiritus Sanctus. Hæc si per *hypallagen* intelligas, pro באחת השנה ut Iud. 1: 8. Esth. 1: 2. Ios. 2: 6. Deut. 2: 34. Gen. 18: 11. [l], reddere licet: *in uno anni* sc. tempore. Voce עת partim ob Genus fœmininum, partim ob Lev. 16: 2. subintellecta. An hoc ipsum in animo habuerit *Syrus*, quando vertit: ܚܕ ܗܘܐ ܒܫܢܬܐ ܒܠܚܘܕܘܗܝ *unum erat in anno tantum* sc. tempus &c., judicent alii. Certe in iis, quæ versu præced. his opposuit, vocem *temporis* adhibuit, dicendo: ܒܟܠܙܒܢ *in omni tempore:* quam ideo exinde non incommode per *zeugma* hic repetendam duceres. *Ellipsis* autem numerati post numerale Ordinale necquicquam ullum movere poterit. cum ea ante Genitivos *Anni* vel *Mensis* tam sit usitata, ut pro ordinaria sermonis elegantia haberi queat. Vide Gen. 8: 5, 13. &c. Nihilominus si animi mei sententiam depromam, huic quidem conciliationi non multum tribuo. Illustraveris enim quantum volueris, manebit tamen coacta expositio. *Hypallagen* nollem applicare, nisi quando evidentissime eam contextus suppeditat. Ad hæc procul dubio non frustra fœmininum אחת est adhibitum, quod nomina numeralia convertere solet in adverbia. *Ellipsis* numerati ante nomina *Anni* atque *Mensis* est membrorum propriorum ac immediatorum, non Generis ante speciem, vel totius aggregati ante partem integralem. h. e. ante genitivum *anni* desiderari potest numeratum *mensis*, ut non incommode dicerem: *in primo anni primi* sc. mense; ac ante genitivum *Mensis*, numeratum *diei*, ut in illo l. c. *in primo istius mensis*, subintellige *die.* At tale quid h. l. statuere nec res admittit, quia falsum, integro mense Adytum ingredi unquam fuisse licitum, nec fœmininum אחת; cum Nomina & *Mensis* & *Diei* apud Ebræos sint masculina.

§. XVI. Neque eam approbare possum conciliationem, qua contendunt, apud Apostolum nil aliud dici, quam eum ingressum in Sanctissimum, qui cum sanguine fiebat, fuisse modo unicum; quo tamen non negetur, alios, qui absque sanguine, plures fuisse licitos. Nec scopus Apostoli, nec verborum ordo, aut historia V. T., quam respicit, neque antitypus, hanc admittunt detorsionem. Utrum vero plus valeat, si aut *Actum introeundi continuum* intelligas, quemadmodum *tribus vicibus quotannis coram Domino comparere* jubetur [m] *omnis masculus.* cum certum sit in uno festorum istorum majorum aliquoties in templo eos comparuisse, ex eoque egressos rursus in id fuisse reversos. vel quemadmodum is in vulgari usu *semel* per diem edisse aut bibisse dicitur, qui actum bibendi aut edendi toto continuavit die. Aut, si hoc minus placet, *ingredi* sumas ceu medium loco finis, per Metonymiam Antecedentis, pro *toto Expiationis actu.* Id extra omne dubium positum est, de tali cultu loqui Apostolum, qui, licet non ex se & propria virtute, ex instituto tamen & virtute aliena efficax erat ad Sanctitatem remissionemque peccatorum conferendam, utut modo annuam. Atqui id solus ingressus præstare non potuit; sed quæ per eum in Sanctissimo agebat amplius. Præterea Apostolus, ut opinor, verbis suis ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ eundem exprimere voluit sensum, quem in V. T. de hoc ipso argumento Spiritus S. indigitaverat vocibus אחת בשנה. Enim vero quicunque loca, in quibus occurrunt, supra citata conferet, ipsa rei cogetur evidentia, ut fateatur, *totam actionem Expiatoriam* quotannis *semel* ibi mandari instituendam, non solum ingressum. *Erit hoc*, inquit Deus, quod sc. in præcedentibus prolixius fuit enumeratum, *vobis statutum perpetuum ad expiandum filios Israël ab omnibus peccatis suis semel in anno* &c. Deinceps bene observandum est, in vs. 7. vocem *ingredi* expressam non comparere, sed ex præced. versu esse repetendam. In præcedente vero versu non ea sola dicitur, sed ei subjungitur τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες. Quod si jam omnino aliquid repetendum est, uti diversa esse nemo negabit, quidni integram phrasin repetimus? aut, præter σκηνὴν, sola posteriora? vel, si hoc ob præpositionem εἰς minus arrideat, cur non phrasi integra quidem ad meliorem orationis nexum repetita,

[e] *Vid.* Raschi *ad* §. 11. *citatus.* [f] *tit.* Ioma *c.* 7. *f.* 44. *col.* 2. *l.* 35. *seqq. col.* 1, 27, 28. [g] Hierus. *tit.* Ioma *c.* 7. *f.* 44. *col.* 2. *l.* 25, 26. [h] *Comment. ad l. c.* Bibl. Buxt. *fol.* 133. a. *l.* 9. *seqq.* [i] *l. c. ad* §. 10. [k] *Disp.* 1. *c.* 2. §. 13. *& seqq.*

[l] *Vid. B.* Glass. *Phil. Part.* 1. *l.* 3. *tr.* 1. *can.* 43. *p. m.* 495. [m] *Exod.* 23: 17. *c.* 34: 23, 24. [n] *Lev.* 16: 34.

tita, influxum tamen τῆς ἅπαξ plus applicamus *ministeriis*, quam *ingressus*? h. m. *in alterum vero tabernaculum ingressus est solus Pontifex, semel quotannis ministeria completurus non absque sanguine* &c. An, inquam, hæc conciliationi aliquod præstent momentum, Senioribus, qui ob insignia sua in Ecclesiam merita jam pollent autoritate, deliberandum relinquo ac decidendum.

§. XVII. Ea certe sententia, quæ plures uno statuit Ingressus, rationibus prægnantibus minime destituitur. Nam (1) Lev. 16. talia jubentur introducenda in Sanctissimum, quæ vix ac ne vix quidem ab uno viro unico actu illuc inferri potuerunt. (2) clare prohibet textus biblicus, ne quisquam sacerdotum in toto tentorio conventus existat, Pontifice in Adytum introeunte, donec ex eo fuerit egressus, Lev. 16: 17. Id quod in causa fuit, ut Judæi à Pontifice suo juramento obtinere coacti fuerint, quod alioquin *Sagan* atque *Princeps Ephemeriæ* absque eo prohibere potuissent, si quidem his licitum fuisset ad Sanctissimum usque comitari Pontificem. Recte *Maimonides* (o): ומשביעין אותו על דבר שאי אפשר לאדם שיראהו זולתו וזה כי הצדוקים מאמינים שהוא היה נותן הקטרת על האש בהיכל ואחר כן מכניס את המחתה לפני קדש הקדשים והקבלה האמתית באה כי אין הדבר כן אלא כמו שבאר ואמר ונתן את הקטרת על האש לפני ה׳ ובאותה שעה לא יוכל שום אדם לדעת מה שהוא עושה כמו שנ׳ וכל אדם לא יהיה באהל מועד בבואו לכפר עד צאתו וכו׳ *Adjurant autem eum, IDEO QUOD NON POSSIBILE SIT ULLI HOMINI, UT ASPICIAT ILLUD, PRÆTERQUAM IPSE SOLUS. Idque, quia Sadducæi credunt, quod imponere debeat aromata super ignem in templo; ac deinceps thuribulum introducere in Sanctissimum. Atqui ex vera traditione percepimus, rem non ita se habere, verum uti* ipse Spiritus S. *exponit, inquiens* (p): *imponet suffitum super ignem*; *ante Dominum* constitutus. *Cum igitur ista hora NON POTERAT ULLUS HOMINUM SCIRE QUOD ILLE FACERET, ex eo quod dictum est* (q): *& nullus hominum sit in tentorio conventus cum ingreditur ad expiandum in Sanctuarium, donec egressus fuerit*; *idcirco adjurarunt eum* &c. Tam obstinati erant Pharisæi in sua defendenda sententia, ut, si ullo modo prohibere potuissent, nunquam concessissent, ut *Sadducæus* ille, de quo in utroque *Talmude* (r) relatum legimus, contra morem receptum in templo adhuc constitutus aromata igni imponeret, ac tum demum inferret in Sanctissimum. Crinibus potius eundem è Sanctuario extraxissent duo ejus Comites, quam permisissent, ut tam immane (ex ipsorum ad minimum opinione) facinus committeret, quo, ut ll. cc. statuunt, intra paucos dies exitium sibi attraxit, in fumetum projectus. *Abarbanelis* autoritas tanta non est, ut contra Scripturam valeat, omnesque Talmudicos.

§. XVIII. Neque de nihilo mihi videtur (3) quod Aromata non imponenda statuant prunis ignitis, antequam, utrisque seorsim in Sanctissimum illatis, jam ante Arcam Domini aut ejus sedem, sit constitutus. Non aliter habetur in textu Sacro Lev. 16: 12, 13. (4) Ordinem actionum à Spir. S. positum absque evidentissimo ac arctissimo necessitatis telo ægre putarim turbandum. Quod nec Judæis concesserim v. 23; nec ab omnibus, ut in loco Talmudis supra citato videre est, id approbatur. Potuit efferri ex Adyto thuribulum statim post aspersionem sanguinis Hirci, vel ante oblationem holocausti, eorumque quæ v. 24. seqq. jubentur peragenda; vel si post hæc omnia rejicias, literam ו vocis יצא redderes per כאשר, *postquam egressus fuerat*. Quæ tamen saltem ex hypothesi profero, non statuo. (5) Hircus nondum erat mactatus, cum sanguis juvenci in Sanctissimo spargeretur. non negligenda *B. Lutheri* versio v. 15. Darnach soll Er den Bock des Volcks Sündopffer schlachten. Aut si contra ordinem in Scriptura observatum mactatum asseras; ejus sanguis in speciali asservabatur cratere, ut eidem seorsim in Adyto fieret, quemadmodum sanguini juvenci jam factum erat l. c. v. 15. finis utriusque erat diversus. sanguis juvenci expiabat pro Pontifice, Hirci pro populo. Quæ *Abarbanel* adducit (s) ad probandum, sanguinem Hirci cum sanguine Vitulino commisceri non potuisse, utut dubium meum confirment, parum curo. cum præsupponat, quibus negatis, sententia ejus ultro corruit. (6) Valde probabile est, cultum circa juvencum Pontificis Expiatorium præcessisse eum, qui circa Hircum pro populo expiatorium. Pontifex enim erat quasi Mediatoris loco inter Deum ac Populum, huncque apud illum expiare suscipiebat. Quantum enim valeat intercessio viri, qui ipse exosus est, nemo nostrum nescit. Vide quæ de hisce extant in tit. *Joma* (t) ac Cod. *Horajoth* (u)

(o) *Comment. in* Misch. 5. *cap.* 1. *tit.* Ioma, ad Gemaram *Babyl. l. c. fol.* 89. *col.* 1. *circa fin.* Mischn. *cum Comm.* Rambam *ac de* Bartenura P. 1. fol. 122. (p) *Lev.* 16. *v.* 13. (q) *l. c. vers.* 17. (r) *Cod.* Ioma *cap.* 1. *ad* §. 5. *Babyl. f.* 19. *b. l.* 7. *seqq.* Hierusol. *fol.* 39. *col.* 1. *l.* 19. *seqq. à fin.* (s) *Fol.* 252. *col.* 2. *l.* 35. *seqq.*

§. XIX. Quod si (7) aliquid momenti habet *auctoritas*, præsertim quæ est totius Collegii, rationibus inter se communicatis, merito veneror quadantenus sententiam *Rever. Facult. Theol. Jenensis*, quam tuetur in Bibliis Glossatis, quæ prodierunt auspiciis Incomparabilis Principis ERNESTI PII gloriosissimæ memoriæ, verbis seqq. Weil aus dem Texte klar/ daß unterschiedene Verrichtungen vorgehen/ und ohne das diß Opfer für den Hohenpriester und sein Haus/ und darnach für das Volck musten unterschiedliche Opfer seyn; wil sichs nicht wohl leiden/ daß wir solche Vermischung mit dem Blute zulassen. Sonderlich/ weil die Epistel an die Ebræer diesen nicht zuwider ist: weil das Wort EJNMAHL auf den gantzen Tag gezogen wird/ und auf die einige Verrichtung desselben gantzen Tages/ ob es schon zu — — unterschiedlichen mahlen hat müssen verrichtet werden/ wie hier der Text hell und klar ist.

§. XX. Atque hæ sunt rationes, quæ dignæ visæ sunt pro ea adduci sententia, quæ *plures* [numero non determinato, tot ad minimum, quot rebus inibi peragendis fuerunt necessarii] *statuit Introitus*. Ea enim parum me movent, quæ ex sola Iudæorum hypothesi fluunt, scripturæ testimonio destituta: cujusmodi sunt *Duratio Thuribuli in Sanctissimo usque ad vesperam*, & *ingressus Pontificis in Sanctuarium Albis induti vestibus*, *in nullum alium finem*, *quam thuribuli è Sanctissimo efferendi*, & si quæ sunt alia, ad quæ partim in superioribus responsum, partim, quia ex vitiosa Scripturæ interpretatione orta sunt, ultro corruunt. Cui harum, quisque velit subscribere, esto penes Lectorem judicio pollentem.

(t) *Cap.* 4. §. 2. *fol.* 43. *b. l.* 13. *seqq.* (v) *Cap.* 3. *fol.* 13. *a. l.* 13. *seqq.*

CAPUT IV.

Functiones ipsas explicat.

§. I.

IN superiori capite demonstratum fuit, ad sensum integrum versus nostri septimi exhibendum repeti debere ex versu præcedenti 6. *ingrediebatur MINISTERIA COMPLETURUS*, τὰς λατρείας ἐπιτελῶν. sive hæc idem valeant ac Ebræorum למלא את ידי חובתו, cum hoc esset officium Pontifici propriissimum; sive idem quod עושה העבודה *Sacrificiorum cultus facturus*. Qualia ista sint *ministeria*, in ipso, quem tractamus versu per Synecdochen partis compendiose indicatur, verbis: οὐ χωρὶς αἵματος ὃ προσφέρει, *non absque sanguine, quem offert*. Modus loquendi Sacris Scriptoribus est usitatissimus (a), ut, haud secus ac in familiari ac vulgari colloquio fieri solet, negationibus utantur *ad contrariam affirmationem pressius indicandam*. Quod bene intellexit interpres Syrus, affirmative reddens ܒܕܡܐ ܗܘ ܕܡܩܪܒ ܗܘܐ *in* vel *per sanguinem istum*, *quem offert* &c. Solius *sanguinis* mentionem facit, non ut reliqua ibi peragenda excludat, sed (cum non proposuerat exacte recensere omnia) quia id ad scopum suum, qui erat precium ac efficaciam sanguinis Christi in Sanctitate nobis acquirenda demonstrare, præ reliquis cultibus omnibus faciebat maxime. Quod si enim (arguit) sanguis hircinus ac vitulinus sub V. T. à Pontifice & ipso peccaminoso oblatus, Pontificem & totum cætum Iudaicum sanctificare poterat, multo magis præstabit Christi sanguis oblatus à Pontifice omnis peccati experte.

§. II. Verbum προσφέρειν haud secus ac Ebræorum הקריב, quo h. l. usus est interpres *Syrus*, significat generatim *rem* vel *personam quocunque modo*, *& ad finem quemcunque admovere* sive *afferre*. Sic e. g. Iudic. 3: 18. ויהי כאשר כלה להקריב את מנחה *& accidit cum absolvisset* Ehud *afferre munus illud*, Regi

(a) 1 *Cor.* 11: 11. *Ebr.* 7: 20. *c.* 9: 18, 22. *c.* 11: 6. *c.* 12: 14. *confer Hos.* 13: 13. *Psalm.* 43: 1. *Prov.* 18: 5. *c.* 30: 25. 1 *Sam.* 20: 25. *Jes.* 14: 6.

Regi Moabitarum *Eglon* ab Iſraelitis miſſum. Quæ LXX. expreſſerunt: καὶ ἐγένετο ἡνίκα συνετέλεσεν Ἀ'ὼδ προσφέρον τὰ δῶρα, cap. 5: 25. הקריבה חמאה LXX. προσήνεγκε βούτυρον Exod. 28: 1. הקרב אליך את אהרן אחיך ואת בניו אתו *admove ad te* (fac accedant ad te) *Aaronem fratrem tuum ac filios ejus cum ipſo*. Matth. 4: 24. προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις &c. (b) Per Synecdochen generis vero idem eſt ac rem Deo conſecratam offerre, ac exhibere, ſive mactata ea fuerit atque holocauſti loco vel ſacrificii cujusdam alterius igne aſcendat; ſive alias ad facies Domini collocetur: illud communiter *offerre* dicunt, hoc *afferre*. Nollem hic ſubtilis videri nimium. Multo minus ut eum damnem, qui *afferre* reddidit. Allatus in Sanctiſſimum ſanguis, Deo eſt oblatus. Hinc non dubitem Dn. D. Schmidii (*c*) verba mea facere: *quemadmodum OFFERT non culpamus, ita AFFERT malumus. Nam ſanguis oblati ſacrificii inferebatur quidem in Sanctum Sanctorum, ibidemque ſpargebatur: non autem demum offerebatur; niſi OFFERRE ſignificet FERRE ANTE ALIQUEM, & illi proponere de ſacrificio, ad placandum, & exorandum.*

§. III. Quandoquidem v. exhibitio ſanguinis præſupponit animalia mactata, quorum ſanguis eſſe dicitur: Verba quoque *non abſque ſanguine* neutiquam eum fovent ſenſum, ac ſi ſolus ſanguis ad cultum in Sanctiſſimo perficiendum ſuffecerit, id quod foret contra expreſſam Dei inſtitutionem Lev. 16: 3. coll. v. 12, 13. Sed quod ſi vel maxime alia ad eum requirantur, legitime tamen peragi non potuerit, niſi etiam *ſanguis* tanquam potius expiationis medium adhibeatur. Ideo ad ſingula rectius percipienda, ordinemque cujuslibet dijudicandum, omnia hic miniſteria recenſenda erunt, quæ die iſto expiatorio à Pontifice, ſive in Sanctiſſimo ſive extra illud perficienda fuerunt: ut tota opera ante oculum poſita, manifeſtius eluceat, quidnam præ reliquis eximii habeat ſanguis, cui tantus adſcribitur effectus, qui Pontificem ac populum potuerit à delictis mundare.

§. IV. Miniſteria autem illa, quæ die memorato à Pontifice peragi debent, pro varietate reſpectus, quem quis ſibi proponit, varie poſſunt ſubdividi. Nam I. ratione *Objecti* alia verſantur (1) circa *holocauſta* tam ſuo quam populi nomine offerenda. Cujusmodi ſunt *duodecim*: *Duo* nim. agni pro ſacrificio jugis, *Septem* agni pro ſacrificio diei hujus ſupererogatorio, ejusdemque generis Iuvencus *unus*, ac *Duo* Arietes, quorum alter pro Pontifice, pro Eccleſia ſeu populo alter (d). (2) Deinceps alia exſerunt ſe circa *Sacrificia pro peccatis* offerenda. quæ *Tria* ſunt: *Unum* juvencus Pontificis, ac *Duo* explebant *Hirci duo*, quorum alter foris præparatus in veſpera diei Expiationis à Sacerdotibus quoad membra debita comedebatur, alter una cum juvenco, quorum ſanguis in Sanctiſſimo ſpargitur, comburebatur (*e*). Præterea varie occupatus ſit (3). circa *Hircum Emiſſarium*, partim ejus per ſortem electione, partim peccatorum in ipſum impoſitione, ac dimiſſione in deſertum. (4) Ad hæc quædam ſubeat munia circa *ſuffitum* faciendum, tam ordinarium omnibus diebus *communem*, in ea templi parte peragendum, quæ *Sanctum* dicitur; quam ſpecialem huic Diei proprium, qui fiebat in *Sanctiſſimo*. (5) Circa *lucernarum aptationem*, atque (6) *lectionem* ſectionum quarundam Biblicarum: quam tamen è numero Functionum eximit *Maimonides* (f).

§. V. Quod ſi II. rationem *Loci* habere velles, Miniſteria Pontificis. 1. Alia in *Sanctiſſimo* erant peragenda, ut ſuffitus Diei Expiationis proprius, ac aſperſio Sanguinis Vitulini atque Hircini. 2. Alia in *Sancto*, cujusmodi ſunt Suffitus quotidianus, Aptatio lucernarum, Precatio, Aſperſiones ſanguinis ad velum ac altare aureum. 3. Alia in *Propylæo*, ac ad altare magnum; cujusmodi varii actus erant, partim in aromatibus ad ſuffitum eligendis, ac prunis ad adolendum depromendis, partim in ſacrificiis tam holocauſtis quam pro peccatis rite offerendis, atque Hirco Emiſſario commode dimittendo. Et 4. alia in *Atrio mulierum*: ubi lectionem biblicam, cujus ſupra facta fuit mentio, monent peragendam (g).

§. VI. Aſt omnium receptiſſima eſt iſta functionum Pontificalium diviſio, qua III. diſtribuuntur in 1. *Communes* Diei expiationis cum aliis anni diebus. 2. *Supererogatorias*, ſive vel ob hunc diem communibus *Superadditas*, vel ſimul ob diem Sabbathi in Expiationis feſtum incidentem. Atque 3. *Proprias* Expiationi ac Reconciliationi. Quæ diſtinctio paſſim à Talmudicis inculcatur. Ut ut v. ab ipſo *Maimonide*, quem ducem alioquin in hoc argumento mihi propoſueram, tradatur: malo tamen ob perſpicuitatem evidentiorem proponere eam h. l. verbis *Abarbanelis* (h): הנה העבודה הנעשית במקדש היום הזה היתה מג׳ סוגים הא׳ עבודה תמודית והם ב׳ כבשים התמידין בבקר ובערב/ והב׳ עבדה מוסף היום שהוא פר אחד איל אחד כבשים בני שנה שבעה תמימים ושעיר אחד לחטאת/ ואם חל יום הכפירים בשבת היה עושה כהן גדול מוסף שבת שהם שני כבשים ומנחתם ונסכיהם/ וג׳ היא העבודה המיוחדת לכפרה ולסליחה והיא פר אחד לחטאת ואיל לעולה מהכהן גדול ושני שעירי עזים לחטאת הקהל מהם נעשה אחד לחטאת והאחד משתלח לעזאזל המדברה ואיל לעולה/ i. e. *Ecce cultus in Sanctuario hoc die peragendus eſt triplicis generis. Primo alius eſt quotidianus, circa duos agnos Sacrificiorum jugium, matutini ac veſpertini. Deinde cultus eſt Sacrificii ſupererogatorii iſtius diei; cujuſmodi juvencus unus, aries unus, agni annales integri ſeptem, & Hircus unus pro peccato. Quod ſi dies Expiationis in Sabbathum incidat, Pontifex etiam ſupererogatorium ſabbathi faciat, quod conſtituunt duo agni, cum donis frumentaceis, ac libaminibus eo ſpectantibus. Tertii Generis cultus Expiationi appropriatus eſt, atque propitiationi: & peragitur circa juvencum unum in Sacrificium pro peccato, ac arietem in holocauſtum offerendum nomine Pontificis M., atque duos hircos caprarum, pro peccato Eccleſiæ; quorum unus in Sacrificium pro peccato offertur, alter vero emittitur* πρὸς ἀναχωρήσεις *ad receſſus* (k) *in deſertum, itemque circa Arietem in holocauſtum.*

§. VII. His ita diſtributis, non ἀμεθοδικῶς proceſſiſſe videri poteram, ſi juxta aliquam iſtarum diviſionum, ſingulas ſua ſerie exponerem ſpecies. Verum quoniam ex tribus recenſitis claſſibus nulla datur, in qua ſingula ad unum Partitionis membrum ſpectantia in exſecutione ſe invicem immediate conſequantur; & vero decens cujuslibet functionis intus ac in veſtibus albis peragendæ Ordo tam neceſſarium ſolennitatis hujus Ebræis cenſetur Requiſitum, ut eo vel leviter inverſo, omnia acta reputentur irrita: Ita enim *Maimonides* (l) è Cod. *Jom* (m): כל עבודות שעיכד בבגדי לבן בפנים בהיכל צריך לעשיתן על הסדר שביארנו ואם הקדים בהם מעשה לחבירו לא עשה כלום קטרת שחפנה קודם שחיטת הפר לא עשה כלום אף על פי שהחפינה בעזרה צורך פנים בעבודה היא וכן שעיר ששחטו קודם מתן דמו של פר לא עשה כלום אף על פי שהשחיטה בעזרה הרי דמו נכנס לפנים/ איל ושעיר המוספין שעשה אותן קודם עבודת היום אינן כלום: i. e. *Omnia miniſteria quæ veſtibus albis intra templum facienda, neceſſe habet, ut eo, quem expoſuimus ordine, peragat. Quod ſi unum iſtorum alteri præpoſuerit, nil fecit quicquam. Ceperit pugillum ſuffimenti ante mactationem juvenci, non egit quicquam. utut enim ea pugilli repletio in Atrio fiat; ad conſummationem tamen ejus requiritur, ut inferatur intus. Atque ſic ſi Hircum jugulaverit ante ſparſionem ſanguinis juvenci, nil fecit quicquam: quia licet jugulatio fiat in Atrio, ejus ſanguis intus introducitur. ita ſi Arietem & Hircum ſupererogatoria paraverit ante cultum diei huic proprium, non egit quicquam &c.* Ideo ut una, quod dicitur, fidelia duos dealbarem parietes, nec opus habeam, omnibus prolixe jam explicatis, rurſus ſingula ſecundum ordinem repetere ac recenſere denuo, quo & faſtidium lectori crearem, cramben bis coctam illi proponendo, paginaſque re una ſæpius repetita otioſe complerem; neglecta ſerie ſupra in diſtributione propoſita, ſingula enumerabo munia eo ordine, quo, cunctis diligenter obſervatis, Ebræi tradunt peragenda: non neglecta tamen emendatione; quæ, ſi caſu forſan ſecus ac debebat, unum alteri præpoſitum fuerit, neceſſaria fuit judicata, ut obſervetur.

§. VIII. „ *Primum* omnium iſtius Diei *munus* à Pontifice „ peragendum fuit *Sacrificium juge* matutinum; quod, alta- „ ri circa mediam noctem per ſacerdotem gregarium ſorte ad id „ electum repurgato (n), primo mane mactat, ejusque San- „ guinem ad altare holocauſti ſpargit. Quale hoc fuerit ſacrificium,

(b) *Vid. Plura Lev.* 21:8. *Num.* 17: 4. *Exod.* 28: 1. *cap.* 40: 12. *Num.* 3: 6. *cap.* 8: 9. *c.* 16: 9. *c.* 18: 2. *Matth.* 8: 16. *c.* 9: 2, 32. *c.* 12: 22. *c.* 14: 35. *c.* 19: 13. *&c.* (c) *Comment. in h. l. p.* 906. (d) *Vid.* Maim. *hilc.* jom. haccippurim *c.* 1. §. 1. Abarbanel *fol.* 249. *col.* 3. *l.* 6. *ſeqq. fin.* (e) *Conf.* Maim. *l. c.* Abarbanel *l. c. & col.* 4. *init.* (f) *l. c. cap.* 3. §. 9. (g) *Vid.* Maimon. *l. c. cap.* 3. §. 8.

(h) *Hilc.* Abodath jom haccippurim *c.* 2. §. 1. (i) *Comment. ad Sect.* Acharemoth *fol.* 249. *col.* 1. *l.* 9. *fin.* (k) Bockartus Hieroz. *Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 54. *col.* 653. *fin. col.* 654. *ſeqq. Excell. Dn.* Friſchmuthius, *Diſp.* 2. *de hirco Emiſſario c.* 2. §. 1. *circa fin.* (l) *l. c. cap.* 5. §. 1. 2. 3. (m) *Cap.* 5. §. 7. *ſeu ultimo.* Gemara *Babyl. fol.* 60. *a. ſeqq.* Hieruſ. *fol.* 43. *col.* 1. *l.* 18. *ſeqq. à fin.* (n) Joma *c.* 1. §. 8. Maimon. *l. c. cap.* 4. §. 1. *& inprimis* Rabbenu Aſcher *tit.* Joma *fol.* 91. *col.* 3. *l.* 18.

ficium, tam clare patet è Scriptura, verbi gr. Num. 28: 3. seqq. Exod. 29: 38. seqq. ut non opus sit ei illustrando lucem accersere aliunde. Tempus autem, quo aptatio ejus incipiat, in scriptura aliter restrictum non est, quam voce בבקר *Mane.*

§. IX. Hæc cum interdum pro toto sumatur die, nocti opposita, ut Gen. 1: 5. c. 8. 13, 18, 23, 31. &c. vel ad minimum, si contraponatur vesperæ, nocti contradistinctæ, pro parte diei antemeridiana, sicut *R. Sal. f. Melech* inquit (o): היום כולו לא נקרא בקר אלא עד חצי היום *totus dies non vocatur MANE, sed* id modo tempus, *quod ad dimidium usque diei sese extendit.* Ideo certum temporis punctum demonstrative vix exprimit. Ad hæc ambigo, utrum rem acu tangas, si probabile fore præsumseris, ut initium intelligatur totius tractus istius, qui *Mane* dicitur. Quod in quo constituendum, subobscure è *vocis origine* elici potest; si quidem ratam habeas, quæ à *R. David Kimchio* (p) est allata, approbata à *R. Sal. f. Melech* (q), verbis: בקר מענין דרישה ובקור כי בבקר יתבקר כל דבר לאור היום/ i.e. *MANE Ebraice nomen habet ab inquirendo, ac explorando; quia mane facto, unaquæque res explorari potest ad lucem diei.* Quibus verbis videtur innui, tunc initium temporis *matutini* esse constituendum, cum incipit homo rem unam ab altera, ac colorem à colore, ope lucis diurnæ *secernere*: ut contra ערב *vespera* incipit, quando hæc omnia videntur מתערבין *permixta.* Idem temporis momentum videtur innui, quando *Mischna* tit. *Berachoth* (r) sciscitatur: מאימתי קורין את שמע בשחרית משיכיר בין תכלת ללבן ר"ל אומר בין תכלת לכרתי מאי בין תכלת ללבן אילימא בין גבבא דעמרא חיורא לגבבא דעמרא דתכלתא הא בליליא נמי מידע ידעי אלא בין תכלת שבה ללבן שבה תניא ר"מ אומר משיכיר בין זאב לכלב ר"ע אומר בין חמור לערוד ואחרים אומרים משיראה את חברו רחוק ד' אמות ויכירנו אמר רב הונא הלכה כאחרים/ i. e. *Quando incipiunt recitare sectionem AUDI tempore matutino? ex quo dignoscere potest inter hyacinthinum ac album, vel secundum R. Elieser inter hyacinthinum ac porrinum seu viride* (s). In quam Thesin *Gemara* l.c.: *quomodo verba INTER HYACINTHINUM AC ALBUM sunt intelligenda? numquid ex quo dignoscere potest inter vellus lanæ albæ, ac inter aliud vellus lanæ hyacinthinæ? atqui hæc etiam nocte inter se discerni possunt.* Igitur non h. m. verba sunt intelligenda, *sed ex* quo dignoscit *inter hyacinthinum ac album velleris ejusdem. Traditio exotica habet: R. Meir dixit, ex quo dignoscere potest inter lupum ac canem. R. Akiva vero, inter asinum ac onagrum. Alii vero, ad quorum sententiam secundum R. Hunna stat decisum, ex quo Socium suum 4. ab ipso cubitis dissitum videre potest, atque agnoscere.* Quæ pleraque citius fieri possunt, quam Sacrificium Iuge erat mactandum (t).

§. X. *Abarbanel* mactationis tempus ponit בזריחת השמש in ortu solis. quo curiosius id determinant Talmudici in titulis *Jom* (w), *Tamid* (x), atque *Menachoth* (y), quando inquiunt: אמר להם הממונה צאו וראו אם הגיע זמן השחיטה אם הגיע הרואה אומר ברקאי מתיא בן שמואל אומר האיר פני כל המזרח עד שבחברון והוא אומר הן ולמה הוצרכו לכך שפעם אחת עלה מאור הלבנה ודימו שהאיר/ i.e. *dicente illis Præfecto: ite* ad locum istum altum qui in sanctuario, *& circumspicite, utrum adsit tempus mactationis; quam primum illucescit, clamat speculator: CORRUSCATIONES,* i.e. incipit lux fulgorem seu corruscationem emittere. *Matthias f. Samuelis,* in cujus sententia, ex mente Maimonidis ac Bartenuræ, ratum habebatur decisum, *inquiebat,* quæsitum fuisse à speculatore, *num totus Oriens tam serena luce fulget, ut Hebron quoque in aspectum tuum cadat?* qua agnita, *respondisse eum, omnino. Quare autem hoc ipsis necesse fuit? quia aliquando* [non in die expiationis, quo hoc fieri nequit (z),] *luce Lunæ ascendente existimarunt, jam diem illuxisse, atque mactarunt Sacrificium Juge, illudque ad locum quo combureretur curarunt adduci,* quod tamen noctu erat illicitum Lev. 19: 16. Quæ si accurate observata fuerunt, procul dubio tardius offerendum fuit *sacrificium Juge,* quam ea quæ superius dicta sunt, potuerunt agnosci. Siquidem citius agnosces hominem tibi notum quatuor modo cubitis à te dissitum, quam in templo Hierosolymitano constitutus civitatem Hebron, aliquot ab Hierosolymis distantem milliaribus. Tam clara requirebatur lux; ut lunæ splendorem, ad quem omnia superius indicata exanimari poterant, longe superaret. Ad mactationem *sacrificii jugis,* ut inquiebat *Abarbanel,* ortus Solis requirebatur, ad reliqua dignoscenda sufficiebat vel sola auroræ eruptio. Quæ illuminationem orientis tanto anticipabat intervallo, ut intra illud, ex mente *Gemaristarum* (a) quidem, homo 4. milliaria emetiri queat. Sed satis de tempore.

§. XI. „ Mactationem ipsam antequam aggrediatur, Agnus „ mactandus denuo in conclavi suo ad lucem faculæ explora- „ tur, ac integer & absque vitio deprehensus, aqua potatur „ è calice aureo, ut pellis detrahatur facilius (b). Quo facto, „ tempore jam illucente, in domum poparum defertur, ibique „ in angulo boreozephyrino mactatur, ad Annulum secun- „ dum (c). Mactationem ipse peragit Pontifex, Agni gulam „ atque arteriam asperam, aut earum partem saltem maximam „ persecat, sanguinemque exinde, cratere ad collum pecudis „ moto, exceptum ad Altare extimum spargit; dum interea „ alius integram absolvit mactationem, pellem detrahendo, cor- „ pusque in partes dividendo (d).

§. XII. Aspersio talis non est, qualis victimæ Piacularis. In lege jubetur fieri ad altare *circumcirca.* quam Phrasin Iudæi ita exponunt, ac si Sanguis victimæ singulis Aræ lateribus sit aspergendus. In eo autem exsequendo, via usi sunt compendiaria. duabus enim aspersionibus in duobus aræ angulis decussatim sibi oppositis, euroboreali nempe & notozephyrino peractis, ita ductum direxisse suos putant, ut omnia aræ latera imbuerentur. *R. Sal. Jarchi* (e) ad hanc phrasin annotat: בכלי אוחז במזרק וזורק כנגד הקרן כדי שיראה לכאן ולכאן ואין קרבן טעון מתנה באצבע אלא חטאת בלבד אבל שאר זבחים אינן טעונין קרן ולא אצבע שמתן דמם מחצי המזבח ולמטה ואינו עולה בכבש אלא עומד בארץ וזורק סביב כך מפרש בשחיטת קדשים שאין סביב אלא שתי מתנות שהן ארבע האחת בקרן זוית זו והאחת שכנגדה באלכסון וכל מתנה נראית בשני צדי הקרן אילך ואילך נמצא הדם נתון בארבע רוחות סביב לכך קרוי סביב/ i. e. *Sanguinem aspergillo haustum ita spargit è regione cornu, ut utrinque videatur. nullum autem sacrificium opus habet, ut ejus Sanguis digito indatur, præterquam Piaculare. Reliquæ autem victimæ nec cornu opus habent, nec digito; sed aspersio sanguinis ipsarum fit ad dimidium altaris ac inferius. Neque in Clivum ascendit* (Sacerdos aspersurus), *sed in terra constitutus spargit circumquaque. Ita explicatur in loco, qui de mactatione sacrorum agit* (f), quod Biblicum *CIRCUMQUAQUE nil notet aliud, quam duas aspersiones, quæ sint instar 4. Quarum una fiat juxta cornu anguli unius, altera in eo, qui huic è diametro* seu decussatim *est oppositus. Ita ut unaquæque aspersio in duobus cornu lateribus ab hac & ista parte videatur, Sanguisque inditus deprehendatur in 4. plagis circumcirca. Ideo enim dicitur CIRCUMQUAQUE.* Quæ in hanc sententiam prolixe & intricate disputantur à Talmudicis in Gemara ad *Mischnam* cit. tit. *Sebachim,* in compendio ac perspicue proponuntur à *Maimonide* (g), verbis seqq. העלה והאשם והשלמים בין של יחיד בין של ציבור זריקת דם שלשתן על גבי המזבח שוה לעולם וכיצד הוא עושה כשלוקח הכהן הדם במזרק וזורק ממנו במזרק שתי זריקות על שתי זויות המזבח באלכסון מחצי המזבח ולמטה על קרן מזרחית צפונית ועל קרן מערבית דרומית ומתכוין כשיזרוק הדם על הקרן שיהיה הדם מקיף על הזויות כמין גמא כדי שימצא הדם על שתי מתנות על ארבע כתלי המזבח לפי שנאמר בעולה ובשלמים סביב והוא הדין לאשם ושירי הדם נשפכין על היסוד הדרומי/ i.e. *His tribus Sacrificiorum speciebus: Holocausto è quadrupedibus lecto,) victimæ pro noxa, ac Eucharisticæ idem semper modus est aspergendi sanguinem ad altaris superficiem, sive ab unico offerantur, sive ab Ecclesia. At quomodo facit? Sacerdos de sanguine in Cratere excepto, spargit Aspersorio aliquo duas aspersiones ad duos altaris angulos è diametro sibi oppositos, à dimidio altaris ac inferius, ad euroborealem scil. ac notozephyrinum. Operam autem dat inter aspergendum, ut sanguis circumcingat angulos ad formam Gamma elementi* Græcanici, quæ figura est *Daleth* Ebræorum, vel Caph finalis inversi; *adeo ut post aspersiones Sanguis deprehendatur in 4. Aræ*

(o) *In* Michlal Jophi *fol. 2. col. 2. l. 4. fin.* (p) In Sopher Schoraschim. *Rad.* בקר (q) *In* Michlal. Jophi *l.c. l. 18. fin.* (r) *Cap. 1. §. 2.* Gemara *Babyl. fol. 9. b. l. 24. seqq.* (s) *Conf.* Maimon. Raschi, *ac* de Bartenura *Comment. ad l. c.* (t) *Conf.* Hierus. Joma *fol. 40. col. 2. l. 26. seqq.* (v) *Comment. ad Sect. Achare Moth. fol. 249. col. 2. l. 5.* (w) *Cap. 3. §. 1. 2.* (x) *Cap. 11. fol. 100. a. l. 19. seqq.* (y) *C. 3. §. 2.* (z) *Vid.* Maimon. *ad* Mischnam *cit.*

(a) *Hierus. tit.* Joma *cap. 3. fol. 40. col. 2. l. 26. seqq.* (b) Maimon. *hilc.* Tmidin. *cap. 1. §. 9. è Cod.* Tamid. *cap. 3. §. 3. 4.* (c) Maimon. *l. c. §. 11. cap. 6. §. 1.* (d) Maim. *l. c. §. 3. hilc.* Abodath jom haccippurim *c. 4. §. 1. hilc.* Maase Korban. c. 4. §. 8. *hilc.* Schechita, *c. 1. ante med. è tit.* Cholin. *cap. 2. §. 1.* Joma *c. 3. §. 4. fol. 32. b. circa fin.* (e) *Comment. ad Exod. 29: 16. Bibl. Buxt. fol. 99. a. l. 10. seqq.* (f) *Tit.* Sebachim. *cap. 5.* Misch. 4. Gemara *Babyl. fol. 53. b. l. 5. seqq.* (g) *Hilc.* Maase Karbanoth. cap. 5. §. 6.

Ara parietibus. quia de Holocauſto & ſacrificiis ſalutaribus, quorum mos quoque ſervatur in ſacrificiis pro noxa, dictum eſt CIRCUMQUAQUE. Quod reſtat ſanguinis ad fundum effunditur meridionalem.

§. XIII. „ Poſt peractam convenienter ſanguinis aſperſionem ſtatim ingrediebatur Pontifex in priorem templi partem, „ quæ *Sanctum* vocabatur, incenſurus ibi in ara aurea ſuffitum, „ lucernasque in candelabro aptaturus (h). Suffitus iſtius materiam quod concernit, Scriptura Aromatum 4. recenſet (i) genera : nim. Stacten, Onychem, Galbanum, & Thus. Quibus Ebræi non contenti, 11. enumerant. Ita enim *Maimonides* (k) è tit. *Cerithuth* (l) ac *Joma* (m): הקטורת נעשית בכל שנה ושנה ועשייתו מצות עשה שנאמר ואתה קח לך סמים וגומר/ ונתפרשו בתורה ארבעה מסממניה והן נטף ושחלת וחלבנה ולבונה ושאר סממניה הלכה למשה מסיני/ אחד עשר סממנים נאמרו לו למשה מסיני והם שעושין אותם במשקל מכוון ומוסיפין עמהן בלא משקל מלח סדומית וכפת הירדן ועשב אחד שמעלה עשן ולא היו יודעים אותו אלא אנשים ידועים והוא היה הלכה בידם איש מפי איש/ וזהו משקל אחד עשר סמניה נטף ושחלת וחלבנה ולבונה מכל אחד משקל שבעים מנה והמנה מאה דינרין ומר וקציעה ושבולת נרד וכרכום מכל אחד ששה עשר מנה קושט שנים עשר מנה קנמון תשעה מנים קלופה שלש מנים משקל הכל שלש מאות וששים ושמנה מנה שחוקין הכל הרק מוסיפין לה רובע הקב מלח סדומית וכפת הירדן ומעלה עשן כל שהוא/ i. e. *Suffimentum quotannis de novo præparatur, ejusque præparatio fit ex præcepto quodam affirmativo, quia dicitur* (*), *& tu cape tibi aromata &c. Equidem in ſacris literis 4. modo ex aromatibus iſtis exponuntur ſpecies, quæ ſunt Stacte, Onyx, Galbanum, ac Thus; reliqua vero aromata per traditionem à Moſe acceperunt, cui in Sina undecim determinatæ ſunt ſpecies, quas certo quamlibet pondere præparent. quibus, abſque certa tamen menſura, ſuperaddunt ſal Sodomiticum, ambram Jordanis, & herbam aliquam fumum extollentem. Eam certi modo viri cognoverunt, per traditionem iſtis propriam, quam unus ex ore alterius accipit. Cæterum hæc eſt menſura undecim memoratarum ſpecierum : Stactis, Onychis, Galbani, ac Thuris, uniuscujuslibet pondus erat 70. Minarum : Mina autem 100. continet denarios. Mirrhæ, Caſiæ, Spicæ Nardi, ac Croci, cujuslibet 16. Minarum. Coſti pondus 12. Minarum. Cinamomi 9., ac calami odorati 3. Pondus omnium 368. Minæ. Omnibus bene comminutis, ſuperaddunt quartam cabi de ſale Sodomitico, ac ambram Jordanis, atque herbam fumum elevantem, quantum libuerit.*

§. XIV. „ Atque de hoc ipſo ſingulis diebus pondus centum „ denariorum adolebatur, 50. *mane*, totidemque *veſpera* (n): „ quantum etiam nunc Pontifex offert. Proceſſus ſuffitionis quotidianæ à *Maimonide* (o) è tit. *Tamid.* (p) in h. m. deſcribitur: מי שזכה בדישון המזבח הפנימי נכנס בכלי קודש וטני היה שמו ושל זהב היה ומחזיק קביים וחצי/ מניח הטני בארץ לפניו וחופן בידיו האפר והפחם שבתוך המזבח ונותן לתוך הטני/ ובאחרונה מכבד את השאר לתוכו ומניחו שם בהיכל ויוצא/ ומי שזכה בקטורת נוטל כלי מלא קטורת גרוש וכסוי היה לו ובזך היה שמו ונותן הבזך בתוך כלי אחר וכף היה שמו/ ומכסה את הכף כבגד קטן ואוחז הכף בידו ונכנס עמו אחד במחתה של אש בידו/ וכיצד חותה זה שזכה במחתה לוקח מחתה של כסף ועולה לראש המזבח ומפנה את הגחלים אילך ואילך ונוטל מן הגחלים שנתאכלו במערכה שנייה ויורד ומערן לתוך מחתה של זהב/ אם נתפזרו מן הגחלים כמו קב או פחו' מכבדן לאמה ובשבת כופה עליהן הפסכתר ואם נתפזר יתר על קב חוזר וחותה/ ומקדים לפניהם זה שדשן המזבח הפנימי ונוטל הטני שבו דשון המזבח ומשתחוה ויוצא וזה שבידו המחתה צובר את הגחלים על גבי המזבח הפנימי ומרדדן בשולי המחתה ומשתחוה ויוצא/ וזה שבידו הכף נוטל את הבזך מתוך הכף ונותנו לאוהבו או לקרובו ורואה אם נתפזר מן הקטורת מעט בכף אוהבו או קרובו נותן לו לתוך חפניו זה שנתפזר עם הקטורת שבבזך ומשתחוה ויצא/ ואומרין לזה המקטיר הזהר שלא תתחיל מלפניך שלא תכוה/ ומתחיל ומשליך הקטרת על האש בנחת כמי שמרקד סולת עד שתתרדה על כל האש/ i. e. *Qui ſorte electus fuerat ad decinerationem altaris interioris, ingrediebatur cum vaſe aliquo Sancto, quod* טני *vocabatur, atque aureum erat, continens 2. cabos cum dimidio. Quo in terram ante ſe collocato, cava manu hauriebat cinerem ad carbonem, qui in altari iſto, cumque iſti indebat Calatho, ac poſtremo intra illum converrit reſiduum, &, calatho ibi repoſito, egreditur. Cui autem ſorte obtigerat munus ſuffitum faciendi, tollit vas aliquod plenum ſuffitus in acervum cumulati. Vaſi iſti operculum erat* בזך *phiala dictum; quam impoſuit vaſi alii, quod* כף *Acerra dicebatur. Hanc panniculo tectam manu ſua apprehendit, atque ingreditur, comite alio, qui manu tenet pateram carbonariam. Quomodo vero carpunt carbones? is cui ex ſortitione Thuribulum obtigerat, arrepto thuribulo argenteo, aſcendit ad verticem altaris, atque carbonibus hinc inde disjectis, tollit de illis, qui bene excanduerunt è ſtrue ſecunda, atque deſcendit, effundens eos in thuribulum aureum. Si diſpergerentur de carbonibus his circiter cabum aut minus, converrebat in foveam, Sabbatho autem obtegebat Aheno: quod ſi plus diſpergeretur, quam cabus contineat, denuo alias ex altari depromebat prunas. Enim vero qui cineres ex altari intimo removerat, antevertebat hos duos, atque calatho, in quo decineratio altaris, arrepto, poſtquam, corpore adytum intimum verſus ſumma reverentia inclinato, Dei Numen adoraverat, exibat. Is autem in cujus manu Thuribulum, prunas in ſuperficiem altaris interioris coacervatas diffundit extremitate thuribuli, ac corpore inclinato egreditur. Iſte vero qui Acerram manu tenet, phialam è medio acerræ ſumtam tradit Amico ſuo, aut qui proximus ipſi, & circumſpicit, utrum diſperſum quid ſit de ſuffimento in Acerram, quod Amicus ſuus aut proximus ipſi tradit in pugillum ſuum, cum eo quod in phiala adolendum; &, poſtquam inclinato corpore adoraverit, egreditur: Commonefacto prius ſuffitum facturo, ut caveat, ne in ea altaris parte incipiat ſuffitum effundere, quæ ipſi proximo, ut ne uſtuletur. Igitur incipit, ac ſenſim effundit ſuffimentum in ignem inſtar ejus qui cribrat ſimilaginem, donec ſuper totum expandatur ignem.* Tres omnino erant, qui ad integrum ſuffitionis actum complendum concurrebant. Quorum omnium vices in Die Expiationis Pontifex ſubſtinebat, ſi vera ſunt, quæ paſſim à Talmudicis (q) inculcantur, *nullum cultum in die Expiationis cenſeri legitimum, qui non perficitur à Pontifice.*

§. XV. Ad aptationem lucernarum, Ebraice הטבת הנרות dictam, quod attinet, *Maimon* autor eſt tam in Commentario ſuo ad *Miſchnam* tit. *Tamid* (r), quam in *Jad Chaſaka* (s), *per eam intelligi* הדלקת הנרות *lucernarum accenſionem*, quaſi etiam mane lucernæ fuiſſent accendendæ; quia ſcriptum eſt (t): *& adoleat in eo Aaron ſuffimentum aromatum* בבקר בבקר *unoquoque mane* בהטיבו i. e. ex mente ſc. ejus, *dum accendit lucernas* &c. Verum ab aliis in hoc deſeritur. *R. Obadias de Bartenura* inquit (v): ודברי רמ"בם במשנה זו תמהים מאד וגם מה שסובר שהטבת הנרות היא הדלקתן ושהיו מדליקין הנרות של מנורה כלן בבקר כדרך שמדליקין בערב פליאה נשגבה בעיני ולא שמעתי ולא ראיתי לאחד מרבותי שסובר כן/ *Verba R. Moſis f. Maimonidis in Miſchnam hanc valde ſunt mirabilia, atque etiam iſtud, quod opinatur, per* הטבת הנרות, *lucernarum intelligendam eſſe incenſionem, quaſi omnes candelabri lucernas mane accenderint eodem modo, quo accendunt veſpera, plus quam admiratione dignum mihi videtur, nec audivi neque vidi quemquam è Doctoribus meis qui ita ſentiret.* Sic *R. Joſeph Karo*, utut alioquin pro virili defendat *Maimonidem* contra inſultus *R. Abraham f. Davidis*, in hoc tamen non auſus eſt ipſi Apologiam ſcribere, ſed aperte fatetur (x): והאחרונים חולקים עליו ואומרים שאין הדלקת הנרות אלא בין הערביים ופירוש בהטיבו אינו הדלקה אלא תיקון הפתילות/ quod *Recentiores ab eo diſcrepent, dicentes non dari accenſionem lucernarum, niſi veſpera, nec voce* בהיטיבו *notetur accenſio, ſed aptatio ellychniorum.* Quomodo *Onkelos*, *Aben Aſra*, *R. Abr. f. David*, *R. Sal. f. Addereth*, *R. Obadias de Bartenura*, ac infiniti alii, & recte, capiunt. Nec in diverſum abeunt *R. Sal. Jarchi*, atque *Abarbanel*, quamvis aliis uſi ſint verbis; è quibus ille (y) לשון נקוי הבזיכין של המנורה מדשן הפתילות שנשרפו בלילה/ *ſignificat mundationem phialarum Candelabri à ce-*

(h) Maimon. *hilc.* Abod. jom haccippurim. *c.* 4. §. 1. *è tit.* Joma *c.* 3. §. 4. Abarbanel, *l.c. fol.* 249. *col.* 2. *l.* 10. 11. (i) *Exod.* 30: 34. *ſeqq.* (k) *Hilc.* Cele Hammikd. *c.* 2. §. 1. 2. 3. (l) *Cap.* 1. *fol.* 6. *a. l.* 29. *ſeqq.* (m) *Cap.* 4. Hier. *fol.* 41. *col.* 4. *l.* 23. *ſeqq. item cap.* 3. *circa fin.* Babyl. *fol.* 38. *a. l.* 23. *ſeqq.* (*) *Exod.* 30: 34. (n) Maimon. *hilc.* Themidin Umuſaphin, *c.* 3. §. 2. (o) *l. c.* §. 4. 5. 7. 8. (p) *Cap.* 3. §. 6. 9. *c.* 5. §. 4. 5. *c.* 6. §. 1. 2. 3.

(q) *Vid.* Joma *cap.* 3. *fol.* 32. *b. l. penult. conf. Diſp,* 1. *c.* 1. §. 12. (r) *Cap.* 3. §. 9. (s) *Hilc.* Temidin Umuſaphin *cap.* 3. §. 12. (t) *Exod.* 30: 7. (v) *Comment. ad* Tamid, *cap.* 3. §. 9. *fol.* 159. *b. circ. fin.* (x) *Comment. ad hilc Temidin Umuſaphin. c.* 3. §. 12. *fol.* 234. *cap.* 2. *circ. fin.* (y) *Comment. ad Exod.* 30: 7. *Bibl. Buxt. fol.* 100. *b. l.* 12. *ſeqq.*

à cinere ellychniorum , quæ per noctem combusta sunt &c. Hic (z) מיטיב את הנרות להסיר לכלוכם ולטהרם כדי שיאירו היטב *aptat lucernas, dum removet ipsarum sordes, easque mundat, ut melius deinceps luceant* &c. Quando scil. circa vesperam demum sunt accendendæ. Ad quid enim opus erat, ut per totum diem omnes arderent, luce solari multo clarius illuminante? *Mischna* (a) unius meminit lucernæ, quæ *Occidentalis* dicitur, & miraculose non extincta Judæis creditur, nisi post mortem *R. Simeonis Justi*, in eum finem per integrum etiam diem ardentis, ut ab ea reliquæ circa vesperam accenderentur. Hinc *de Bartenura* asserit (b): רשאר נרות אפילו דולקין מכבן ומדשנן *quod si* (*Sacerdos mane ad Candelabrum accedens*) *reliquas lucernas adhuc ardentes inveniat, eas extinguat, atque à cinere suo purget.*

§. XVI. Cæterum decineratio hæc ita se habebat, ut satis bene descripta est à *Maimonide* (c): מסיר הפתילה וכל השמן שבנר ומקנחו ונותן בו פתילה אחרת ושמן אחר במידה והוא חצי לוג/ וזה שהסיר משליכו במקום הדשן אצל המזבח עם דישון המזבח הפנימי והחיצון׳ i. e. *Removebat ellychnium* cum cinere, *& omne oleum quod adhuc lucernæ inest, eique abstersæ indit ellychnium novum, atque oleum aliud in decenti mensura, quæ est dimidium Logi: hoc autem quod removit, abjicit in locum cineris penes altare una cum decineratione aræ interioris ac exterioris.* Huc usque. nam quæ sequuntur, errorem involvunt.

§. XVII. Ne vero cuidam scrupulum figant verba Mischnæ: (*) מי שזכה ברישון המנורה נכנס ומצא שתי נרות מזרחיים דולקי׳ מרשן את השאר ומניח את אלו דולקין במקומן מצאן שכבו מרשנן ומדליקן מן הדולקים ואחר כך מרשן את השאר וכו׳ i.e. *Is cui obtigerat munus removendi cineres à candelabro, intrabat, atque reperiens duas lucernas orientales ardentes, reliquas decinerabat, has autem in suo loco relinquebat ardentes. Si autem istas exstinctas reperisset, illas primum decinerabat, & deinde ex iis quæ ardebant istas Orientales accendebat, postea cæteras quoque decinerans* &c. Quasi non una modo lucerna, sed ad minimum duæ per totum diem dicantur ardere. Observandum est, quod, ut *Maimon* (d) habet, è tit. *Tamid* (e), atque *Joma* (f): לא היה מטיב כל הנרות בפעם אחתי אלא מטיב חמשה נרות ומפסיק ועושין עבורה אחרת ואחר כך נכנס ומטיב השתים׳ *Non aptaverit omnes lucernas vice una, sed, istarum aptatis, abruperit, ac* interea temporis *alium præstiterint cultum* (g); *quo peracto, denuo ingressus sit, aptans duas* lucernas reliquas. Et paucis interjectis, כיצד סדר ההטבה זה שזכה בדישון המנורה נכנס וכלי בידו וכוז שמו ושל זהב היה דומה לקיתון גדול מרשן בו את הפתילות שכבו ואת השמן הנשאר בנר ומטיב חמשה נרות ומניח הכוז שם לפני המנורה על מעלה שנייה משלש מעלות שלפניה ויוצא/ ואחר כך נכנס ומטיב שני הנרות ונוטל הכוז בידו ומשתחוה ויוצא׳ i. e. *qualis est ordo*, inquit, *aptationis istius? is qui sorte electus est ad decinerationem Candelabri, ingreditur manu tenens vas aureum* כוז *dictum seu Cyathus, quod simile fuit Cantharo magno* (h); *in quod removit ellychnia extincta, atque oleum in lucerna residuum, ac aptat lucernas* 5; *Cyathum vero tunc ibi relinquit ante Candelabrum in Gradu secundo ex tribus istis Gradibus ante Candelabrum positis* (i), *atque egreditur: quod denuo deinceps ingrediens, duas aptaturus lucernas, manu sua secum aufert, quando post pronam corporis incurvationem egreditur.* Quibus diligenter notatis, nulla deprehendetur inter utramque *Mischnam* (k) repugnantia. Duæ ardentes dicuntur relictæ, cum prima vice ingrederetur ad repurgandas 5 Occidentales; una tantum, quæ inter duas Orientales magis ad Occidentem vergebat, cum post aspersionem sanguinis, *secunda vice* repugnationem lucernarum perageret. Et quod hæc sola (ex sententia Talmudicorum loquor) ardens per diem fuerit relicta, ex illis *Maimonidis* verbis è tit. *Tamid* (l) desumtis colligi potest, quibus statuit (m): נר מערבי שכבה אין מדליקין אותו אחר דשונו אלא ממזבח החיצון quod *lucernam hanc Occidentalem si extincta fuerit, post ejus decinerationem non accenderint nisi de altari exteriori.* Quare hoc? מפני שלא היה במנורה נר דולק שכבר הטיב את כולה והתורה אמרה אש תמיד תוקד על המזבח־אבל בזמן שיש נר דולק במנורה ומצא המערבי כבה מדליקו מן הדולק *Quia*, ut rectissime infert *R. Abraham f. David* (n), *non fuit in toto Candelabro lucerna* alia *ardens, omnibus jam dudum repurgatis, è qua accendere posset; lex vero præceperat* (o), *ut ignis continuo in altari isto aleretur.* —— *Quod si enim lucerna quædam adhuc arderet in Candelabro, hanc occidentalem extinctam deprehensam, ex ista ardente accendebat.* Sicuti claris verbis hoc concessum, & usitatum prædicatur, in *Mischna* circa initium hujus §. allegata: quæ hic conferatur.

§. XVIII. Atque hæc ex sententia *Talmudistarum*. Quæ utrum undiquaque vera sit, non immerito quis ambigeret. Quid enim opus erat, ut vel unica lucerna per diem arderet? Unde hæc extincta accendenda dicitur, nil obstat, quo minus & reliquæ circa vesperam accendantur: aut si omnino de hac reliquæ, ea ipsa circa vesperam demum igne ab altari sumto accendi potuit. Quæ de ea nunquam extincta ante mortem *R. Simeonis Justi* traduntur, si quid veri habent, intelligenda existimem de tempore cujuslibet diei matutino (p). Alioquin & sacræ Scripturæ contrariarentur, asserenti (q) simpliciter, *temporibus Hiskiæ lucernas à Majoribus suis fuisse extinctas*; atque rei veritati. quoties enim vel calamitate vel malitia Regum omnis cessavit cultus templi, & sic quoque lucernarum? Samueli Deus apparuisse dicitur 1 Sam. 3: 3. *Nocte, antequam*, mane facto, *lucerna Dei extingueretur.* Quod circa candelabrum peragendum mandatur Exod. 30: 7. circa suffitionem matutinam, indicatum voce בהיטיבו, opponitur clare v. 8. *accensioni*; & sic nil aliud notare potest, quàm ardentis antea *reparationem*: quæ si illa adhuc arderet, institui non poterat, priusquam ea extingueretur. Vox ipsa ad literam accepta nil aliud sonat, quam iterum *bonam* h. e. *puram, mundam facere* à sorde, quam, dum arderet, contraxerat. Ubi ex instituto Deus cultum circa Candelabrum peragendum præcipit (r), accendere lucernas tantummodo jubet מערב עד בקר *à vespera ad tempus usque matutinum*: non מערב עד בקר ומבקר עד ערב vel מערב עד ערב / *ab una vespera ad alteram*, aut sicut *vespera ad tempus matutinum*, ita amplius *à matutino ad vespertinum.* Vocabulum תמיד ibi occurrens non continuationem denotat absque ulla interruptione, sed, ut *Raschi* exponit, atque *R. Aben Esra*, כל לילה ולילה *unaquaque nocte.*

§. XIX. Non minus infirmo consistunt talo, quæ de iterata atque distincta opera circa lucernas tradunt *Traditionarii.* In scriptura nullum ejus invenio vestigium. Idiotismum linguæ non intelligit aut dissimulat R. *Jochanan*, (s) à *de Bartenura* approbatus (t), quando vocem בבקר Exod. 30. vers. 7. repetitam ad hoc probandum trahit non sine detorsione: Cum usitato linguæ genio *distributionem* denotet *ad unumquodque tempus matutinum.* Quam alter [sc. *Risch Lakisch* (v)] adducit rationem, frivola est, nec opus habet refutatione. refutatam tamen qui desiderat, videat *Glossam* lib. 17. 16. 15. fin. ad *Joma* fol. 33. b. l. 23. Sic dubia etiam sunt quæ de *Ordine* dicuntur, prolixissime examinata in *Gamara* Babyl. tituli *Joma* (w). Inter quæ ea quadantenus non displicent, quæ sub nomine *Abaj* proponuntur (x), *reparationem lucernarum* ante *suffitionem* collocantia. quia Exod. 30: 7. dicitur: בהיטיבו את הנרות יקטירנה. Utut enim cum Talmudico isto non urgerem positum verborum, quod *reparatio lucernarum* prius recenseatur, quam *Suffitio*; Significatio literæ ב infinitivis præpositæ, qua *postquam* denotat (y), tam trita est, ut iniquum sit de ea dubitare. Cum *antequam* non significet, nisi rarissime. Sed satis de his. progrediemur ad alia.

§. XX. Pontifice hæc quæ dicta sunt in templo peragen-
„te, interea temporis Sacerdotum, qui forte ad id electi, in
„domo mactatoria, alius agnum excoriatum in sua dissecaverat
„membra. quæ alii in Clivum Aræ, eo ordine, quem sors cui-
„quam assignaverat, detulerant, à medio ejus atque inferius
in

(z) *Comment. ad l. c. fol.* 204. *col.* 2. *lib.* 24, 25. (a) *Tit.* Tamid. *cap.* 6. §. 1. (b) *Comment. ad* Tamid. *cap.* 3. §. 9. *fol.* 159. *a. l.* 9. *fin.* (c) *Hilc.* Temidin Umusaphim. *c.* 3. §. 12. (*) *Tit.* Tamid. *cap.* 3. §. 9. (d) *Hilc.* Tmidin Umusaphim *cap.* 3. §. 16. *Comment. ad* Tamid *cap.* 3. §. 9. (e) ll. cc. (f) *Cap.* 3. *fol.* 33. *a. b. fol.* 34. *&c.* (g) *Qualis iste sit vid.* Gemara *tit.* Joma *fol.* 33. *a. lib.* 8, 9. *b. l.* 8. (h) *è tit.* Tamid *cap.* 3. §. 6. (i) *Conf. Diss.* 1. *cap.* 2. §. 5. *pag.* 33. (k) *Tit.* Tamid *cap.* 3. §. 9. *& cap.* 6. §. 1. (l) *Cap.* 6. §. 1. (m) *Hilc.* Tmidin Umusaphin *cap.* 3. §. 13.

(n) *Animadversionibus ad* Maimon. *l. c.* (o) *Lev.* 6: 2. 5. 6. (p) *Vid.* R. David Kimchi *ad* 1 *Sam.* 3: 3. (q) 2 Chron. 29: 7. (r) *Exod.* 27: 20, 21. *Lev.* 24: 2, 3. (s) *Tit.* Ioma *fol.* 33. *b. l.* 23. (t) *Comment. ad* Tamid *cap.* 3. §. 9. *fol.* 159. *a. l.* 5 *fin. edit. Venet.* (v) Ioma *fol.* 33. *b. l.* 21. *conf.* Maim. *Comment. ad tit.* Tamid *cap.* 3. §. 9. *it. in hilc* Tmidin Umusaphin *cap.* 3. §. 16. (w) *C.* 1. *f.* 14. *b. it. cap.* 3. *f.* 33. *a. b. seqq.* (x) *l. c. f.* 33. *a. l.* 9. 10. *b. l.* 32. *seqq.* (y) *Vide supra c.* 3. §. 12.

„in latere occidentali collocantes, atque Sale ibi inſpergen-„tes (z). Quo etiam *Similam* ſale conſperſam (a); *Frixa*, „atque *Vinum* libaminis collocaverant. * Ritum in excoriatione Victimæ, membrorum ejus profectione, atque electione per ſortem cujuslibet Sacerdotis ad hæc vel iſta membra victimæ deferenda obſervatum, prolixiſſime deſcriptum vide in Codice *Tamid* (b), atque apud *Maimonidem* (c). Quem, quia non ſpectat ad munia ab ipſo Pontifice peragenda, jure meritoque hic prætereo. At quantum *Similæ* atque *Vini*, quæ conjunctim ſumta נסכים *Libamina* vocantur (d), adhibitum fuerit, claris verbis expreſſum eſt Exod. 29:40. Num. 28: 5,7. ſcil. ibi *decima Ephæ*, *quarta Hin olei contuſi permixta*; Hic vero in Vino *quarta Hin* (e), quæ menſura 12. continet *Logos* (f). *Frixorum* menſura Lev. 6:13. declarata, ſimiliter eſt *decima Ephæ* Similaginis; cujus tantum dimidium tempore matutino offerebatur, altero dimidiato ad juge veſpertinum reſervato. quæ omnia ſunto ex ſumtibus Pontificis. Quomodo in Sartagine frigantur, & quid amplius circa ea veniat obſervandum, prolixe deſcribit *Maimonides* (g) è tit. *Menachoth* (h); ubi cui placet, integrum eſt legere.

§. XXI. His ita peractis, atque aliis electis, qui membra victimæ diſſecta à medio *Clivi*, ubi conſtituta erant, amplius „attollerent ad altare ipſum (i): *Pontifex M.* è templo rever-„ſus omnia Deo offert ככל סדר התמיד של כל יום *penitus*, ut „*Maimon* (k) aſſerit, *ſecundum ordinem Sacrificii jugis cu-„juslibet Diei*. Scil. ut alibi (l) idem ſtatuit, approbante, in „hoc etiam die, *Miſchna* Cod. *Joma* (m), primum *membra* „*diſſecta*, deinceps *Similam libaminum*, ac porro *Frixa*, tan-„demque *Vinum libaminis*. Ad ritum illuſtrandum faciunt, modum queipſum diſtinctius coguoſcendum, quæ *Maimon* (n) è tit. *Tamid* (o) proponit verbis ſequentibus: בזמן שרוצה כהן גדול להק יב היה עולה בכבש והסגן מימינו׳ הגיע למחצית הכבש אחז הסגן בימינו והעלהו והושיט לו הכהן שהוא מוליך את ראש העולה האיברים שבידו וסומך עליהן וזורקן לאשי וכן היו מושיטין לו שאר האברים כל אחד ואחד נותן האברים שבידו לראשון והראשון נותן לכהן גדול והוא סומך וזורק לאשואין שם סמיכה על האברים אלא לכהן גדול בלבד מפני כבודו אבל כל הסמיכות על בעלי חיים הם׃ i.e. *Quo tempore vult* (quod in hoc die velit, neceſſe eſt) *Pontifex M. offerre ſacrificia, per Clivum* medium (p) *aſcendit, dexterum latus Ei claudente Vicario. Cum ad medium Clivi pervenerit, Vicarius dextera ejus apprehenſa, in aſcendendo ſuſtentat eum amplius. Ubi Sacerdos iſte, qui caput holocauſti attulerat, porrigit Ipſi Membra, quæ manu tenet. Quibus ad ampliationem honoris ſui manus imponit* (*utut alioquin omnis manuum Impoſitio* (q) *fiat beſtiis adhuc viventibus*,) *atque in ignem ea projicit. Reliqua autem membra ita ipſi porrigebant, ut unusquisque ipſorum ea quæ manu tenebat, huic Primo traderet*, qui reliquis ordine decedentibus, ideo in loco ſuo ſubſiſtens (r), *Ea amplius porrigebat Pontifici*; *& Hic, manibus illis impoſitis, projiciebat in ignem.* „Quo facto, in igne, quantum fieri potuit, „ita ea diſpoſuit, ut quem quodque in viva pecude ſitum ha-„buit, eundem quoque in Ara obtineret (s).

§. XXII. „*Vinum libaminis* in ignem non effunditur (t); „ſed in *Simpullum Orientale*. quorum duo poſita erant penes cornu Aræ Notozephyrinum, vicina ſibi invicem, ita excavata, ut humidum illis infuſum per foramina, quæ habebat, ad fundamentum uſque Altaris deſcenderet (v). Quæ circa ejus oblationem ſecundum morem receptum perficiendam Ebræi annotant, verbis proponam *R. Obad. de Bartenura* (w), quibus inquit: בא לו להקיף את המזבח כ״ג שהיה בראש הכבש׃

(z) Maimon. *hilc.* Tmidin Umuſaphim *cap.* 6. §. 3. *coll. cap.* 4. §. 6. *Vid. tit.* Ioma *cap.* 2. §. 3. (a) Maimon. *hilc.* Maaſe Korbanoth, *cap.* 2. §. 1. * Maimon. *l. c. cap.* 6. 16. (b) *Cap.* 4. *a.* §. 2. *ad fin. capitis.* (c) *Hilc.* Tmidin Umuſaphin *cap.* 4. §. 6. *&c. cap.* 6. §. 5. *ſeqq.* (d) Maimon. *hilc.* Maaſe Korbanoth, *cap.* 2. §. 1. (e) Confer. Maimon. *l. c.* §. 4. (f) Maimon. *l. c.* §. 7. (g) *Hilc.* Tmidin Umuſaphin, *cap.* 3. §. 18. *ſeqq.* (h) *Cap.* 4. *fol.* 50. *b.* (i) Miſchna 4. *cap.* 2. *tit.* Ioma *fol.* 26. *a in fin.* (k) *Hilc.* Abod. jom haccipp *cap.* 4. §. 1. (l) *Hilc.* Tmidin Umuſap. *cap.* 3. §. 5. (m) *a cap.* 3. *fol.* 31. *b. l.* 11. 12. (n) *Hilc.* Cele hammikd. *cap.* 5. §. 13, 14. (o) *Cap.* 7. §. 3. (p) *Vid.* Ioma, *c.* 4. §. 5. *coll.* de Bartenura *in eum loc.* (q) *Qua de Vid.* Rambam *hilc* Maaſe Korbanoth, *cap.* 3. §. 6. *uſque ad* 14. (r) *Vid.* Tamid, *l c coll. ad eum* de Bartenura. (t) *Vid.* Maimon. *hilc.* Maaſe Korbanoth, *cap.* 6. §. 4. (t) Maimon. *l. c. cap.* 2. §. 1. (v) *Vid. tit.* Succa *cap.* 4. §. 9. (w) *Comment. ad tit.* Tamid. *cap.* 7. §. 3. *fol.* 161. *b.*

שהוא בדרום מקיף דרך ימין דרל פונות שאתה פונה לא יהו אלא דרך ימין׳ לכך היה הולך למזרחית דרומית ומשם לצפונית מזרחית עד שמגיע למערבית דרומית מקום הנקבים שהיין והמים שמנסכים יורדים בהן ומשם הולכים לשתין שהן היסודות ושם עומד כהן אחד ומושיט לו היין לנכסים אבל כג לא היה נושא היין עמו שמא יתקלקל היין בעשן המערכה כשמקיף את המזבח וכו׳ i.e. *Pontifex M. in vertice Clivi, qui ad Meridiem Altaris, conſtitutus, Aram circuiturus, ad dexteram declinat*, [*quo uſitate te convertere ſoles* (x)] *tendens ad* angulum *Euroauſtralem, à quo ad Euroborealem, donec pervenerit ad Zephyroauſtralem, ad locum duorum foraminum* (y) [*per quæ Vinum ac Aqua, quæ libant, deſcendunt, atque hinc decurrunt ad Schitthin ſeu fundamenta* (z)]. *Ubi ſtat Sacerdos quidam, qui porrigit ipſi Vinum ad libamina. Neutiquam enim Pontifex ſecum deportat Vinum illud; ne, dum altare circuit, fumo Pyræ Vinum corrumpatur.* Cum jam in eo eſt, ut Vinum in Simpullum iſtud infundat, *Sagan* cornu illi aſſiſtens ſignum fertur dediſſe Sudario: ut quid nunc acturus ſit Pontifex, innoteſcat reliquis (a).

§. XXIII. „Integro cultu circa *Sacrificium Juge* matuti-„num h. m. conſummato, perficit deinceps Pontifex *quædam* „*ex* Sacrificiis *Supererogatoriis*. Et hoc quidem temporis ar-„ticulo offert *JUVENCUM* ac *VII. AGNOS*, ſin-„gulos *Holocauſta* (b). Unde Aſperſio Sanguinis, atque combuſtio partium cum ſuperiori Holocauſto coincidit. In Libaminibus vero id modo àpriori recedit, quod ad Iuvencum *Tres decimæ Similaginis* requirantur, *dimidio Hin olei contuſi permiſtæ*, *Vinique Hin dimidium*, Num. 15:9. (c) earumque Libamina, plures requirantur perſonæ, quam ſi holocauſtum ex Agno conſtiterit, neſcio an ſit hujus loci, multa de eo diſſerere. Cui ad palatum hæc ſunt, adeat *Maimonidem* (d) è tit. *Joma* (e). Quæ à Pontifice ipſo erant peragenda, hactenus eo uſque producta erant, ut ſine mora nunc aggrederetur victimas huic Diei proprias; niſi ſi quando *Expiationis dies* in *Sabbathum* incideret. Quo caſu antea *duo Agni* in honorem Sabbathi *Supererogatoria* (f) ab ipſo ſunt offerendi, cum ſuis libaminibus. De quibus, quia extraordinarii ſunt, ac de cætero leges Holocauſti ſupra memorati ſequuntur, nil attinet h. l. monere amplius.

§. XXIV. „*In cultu diei Expiationis appropriato*, quem „Pontifex *Albis* indutus *veſtibus* peragat, primo loco recen-„ſent *Confeſſionem*, manibus in Iuvencum ſuum impoſitis, pro „ſe ſuaque familia edendam. Deinde *Sortitionem* in utrum-„que Hircum, ac ea peracta commodam cujusque (*) con-„ſtitutionem, alligato etiam Emiſſario panni fruſto in formam „linguæ cocco tincti. Ac tum *Reditum ad Juvencum* itera-„tum, ob *Confeſſionem* pro fratribus ſuis, Sacerdotibus in „eum edendam. Ac tandem ipſam ejus *Mactationem*. De „quibus ſingulis ita *Maimonides* (g) ובא לו אצל פרו ופרו היה עומד בין האולם ולמזבח ראשו לדרום ופניו למערב והכהן עומד במזרח ופניו למערב וסומך שתי ידיו על ראש הפר ומתודה וכן היה אומר אנא השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך אני וביתי אנא השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאתי ושעויתי ושפשעתי לפניך אני וביתי ככתוב בתורת משה עבדך לאמר כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו׳ ואחר כך מגריל על שני השעירים וקושר לשון של זהורית בראש המשתלח ומעמידו כנגד בית שלוחו ולנשחט כנגד בית שחיטתו ובא לו אצל פרו שניה וסומך שתי ידיו על ראשו ומתודה וידוי שני וכן הוא אומר אנא השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך אני וביתי ובני אהרון עם קדושיך אנא השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאתי ושעייתי ושפשעתי לפניך אני וביתי ובני אהרון עם קדושיך ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה וכו׳ ואחר כך שוחט את הפר וכו׳ i. e. *Poſtea accedit ad Iuvencum ſuum, conſtitutum ad angulum Altaris Boreozephyrinum* (h), *in eo ſpatio quod Propylæum inter atque Altare, capite ad Meridiem, facie vero verſus Occidentem verſa.*

Ipſe

(x) *Vid.* Gemara *tit.* Ioma *cap.* 4 *fol.* 45. *a. lib.* 10, 11. (y) *Vid. tit* Middoth *cap.* 3. §. 2. (z) *Vid. tit.* Meila *cap.* 3. §. 3. *coll. in eum* Rambam, *ac* Bartenura; *itemque in tit.* Succa, *cap.* 4. §. 9. *fol.* 130 *b.* (a) *Vid. tit.* Tamid *cap.* 7. §. 3. Succa *cap.* 4. §. 9. *coll. ad utrumque* R. Obad. de Bartenura. (b) Maimon. *hilc.* Abodat jom haccipp. *c.* 4. §. 1. *coll. c.* 1. §. 1. Abarbanel *fol.* 249. *coll* 2. *l.* 12. *ſeqq.* (c) *Conf. Num.* 28: 12, 20, 28. *c.* 29: 3, 9, 14. Maim. *hilc.* Maaſe Korbanoth *cap.* 2. §. 4. (a) *Hilc.* Maaſe Korb. *c.* 6. §. 16. *ſeqq.* (e) *Cap.* 2. §. 7. (f) *Num.* 28:9. *Conf.* Maim. *hilc.* Timidin Umuſaph. *c.* 4. §. 9. Abarb. *l. c. l.* 13. (f) *Secundum* Abarbanelem *l. c. fol.* 249. *col.* 2. *l.* 25. (g) *Hilc.* Abod. Jom. haccipp. *cap.* 4. §. 1. (h) *Vid.* R. Aſcher, *tit.* Ioma, *f.* 91. *col.* 4. *l.* 5.

Ipse Pontifex autem in Oriente consistit, facie ad Occidentem prospiciente, atque utraque manu sua capiti Iuvenci imposità, confitetur, inquiens: Obsecro Domine! peccavi, inique egi, prævaricatus sum coram Te Ego ac domus mea: Obsecro Domine! expia quæso peccata ac iniquitates & prævaricationes, quæ peccavi, & inique egi, ac prævaricatus sum coram te Ego ac Domus mea. Scriptum enim est in lege Mosis Servi tui, dicendo (i): *quia hoc ipso die Expiationem recipiet de vobis, purificando vos ab omnibus peccatis vestris, coram Domino puri eritis. Quo peracto,* (ad Orientem Atrii se confert, in Septentrionem Aræ, stipatus à dexteris Vicario, à sinistris vero Antesignano Ephemerias (x), ubi duo Hirci erant) *in quos sortes projicit, ac linguam ligat coccineam in caput Emissarii, ad locum è quo emittitur* [Portam sc. Orientalem (l)] *constituti; Mactando vero* [si ita ad mentem *Gemaræ* (m), *Rabbenu Ascher* (n), ac *Bartenuræ* (o) vertere licet] *ad Gulam suam, locum quo jugulatur* (p). *Deinceps revertitur ad Iuvencum suum, & impositis ejus capiti duabus manibus suis, confitetur Confessionem secundam, atque ita inquit: Obsecro Domine! Peccavi, inique egi, Prævaricatus sum coram te, Ego ac Domus mea, & FILII AARONIS POPULUS SANCTORUM TUORUM. obsecro Domine! expia quæso peccata, ac iniquitates, & prævaricationes; quæ peccavi, & inique egi, & prævaricatus sum coram te, Ego ac Domus mea, & filii Aaronis populus sanctorum tuorum, scriptum enim est in lege Mosis Servi tui, dicendo* (q): *quia hoc ipso die &c. Quo peracto, mactat Juvencum suum &c.*

§. XXV. *Juvencus* hic dicitur *Pontificis*, non tam quod ipsius erat expiatio, quam quod proprio ære eum necesse habebat acquirere. De eo ita *Moses Ægyptius* (r): פר יום הכפורים אע"פ שכ"ג קונה אותו משלו שני פר חטאת אשר לו המקום הפקיר ממונו בו לכל אחיו הכהנים שאילו לא היה להן בו שותפות לא היו מתכפרין בו לפיכך אם מת כ"ג קודם ששחט הפר הכהן שעומד תחתוי אינו מביא פר אחר אלא שוחט את של ראשון וכו' i. e. *Quanquam Iuvencum diei Expiationis Pontifex de suo emat, sicut dicitur* (t): *Iuvencus piacularis qui suus est. In eo Deus opes ejus publicas quasi facit omnibus Sacerdotibus, ipsius fratribus. Si enim nulla ipsis in eo participatio, non expiarentur per eum. Propterea, defuncto Pontifice M. antequam Iuvencum istum mactat, Sacerdos in istius locum surrogatus non offert Juvencum alium, sed mactat Prioris* &c. Cur præcise Iuvencus sit assumtus, victimis piacularibus alioquin è fæmellis existentibus, neque de armento (t); examinatum vide ab *Abarbanele* (v); si salivam tibi movet.

§. XXVI. Vicibus vero duabus distinctis, distinctas (ob *additamentum* aliquod in secunda superadditum) in *Iuvencum* effatur confessiones; quia parum efficacem existimarunt intercessionem, factam à persona exosa ei apud quem intercedit pro altero: nisi, ea antea à peccatis suis mundata, jam in gratiam fuerit recepta. צריך שיבוא זכאי ויכפר על החייב i. e. *Necessarium erat*, inquit Rabbenu Ascher (w), *ut purus sit, qui in se suscipit, expiare pro reo.* Quod ipsum *Gemaristis* quoque in mente fuit, quando in Cod. *Ioma* (x) inquiunt: מאי שנא בוידוי ראשון דלא אמר ובני אהרון עם קדשך ומאי שנא בוידוי שני דאמר ובני אהרון עם קדשך תנא דבי רבי ישמעאל כך היא מידת הדין נותנה מוטב יבא זכאי ויכפר על החייב ואל יבא חייב ויכפר על החייב i. e. *Quæ causa est variationis, quod* Pontifex *in Confessione prima* super Iuvencum habenda *hæc verba*: & *FILII AARONIS POPULUS TUUS SANCTUS, omittat, quæ in altera confessione addidit? talis circumfertur traditio Scholæ R. Ismaelis: Mensura æquitatis suppeditat, bonum esse, ut purificatus veniat, expiatum pro reo; non vero pro reo expiet, qui ipse reus sit.*

§. XXVII. *Hircos* illos *duos* populi sumtibus acquisitos quod attinet, monent de illis uno ore Ebræi, לכתחלה *re integra* omnino æquum fuisse, ut *æquales* sibi invicem eligerentur, *colore* pariter, ac *statura*, itemque *pretio*, atque *tempore* separationis. Quæ æqualitas pretii ac staturæ ideo non inconvenienter acceptata præsumitur, quod sorte jubentur dirimi: Cum alioquin probabile videatur, absque sortitione optimum fuisse electum; qui Deo mactaretur (y) in altari, & cujus sanguis inferatur in Sanctissimum. Concedunt tamen, quod, בדיעבד si hæc minus observata sint, vel observari potuerint, cultus circa eos exinde non reddatur illegitimus. Ita *Maimonides* (z), è Codice *Joma* (a: שני שעירי יום הכפורים מצוותן שיהיו שוין במראה ובקומה ובדמים ולקיחתן באחת א"עפ שאינן שוין כשרין/ לקח אחד מהם היום ואחר למחר כשרים/ מת אחד מהם אם עד שלא הגריל מת יקח זוג לשני. ואם משהגריל מת יביא שנים ויגריל עליהן בתחלה ורואה אי זהו שמת אם היה של שם אומר זה שעלה עליו הגורל לשם יתקיים תחתיו ואם היה המת של עזאזל יאמר זה שעלה עליו הגורל לעזאזל יתקיים תחתיו/ והשני מן השנים שהגריל עליהן בסוף ירעה עד שיפול בו מום וימכר ויפלו דמיו לנדבה שאין חטאת הצבור מתה/ i. e. *Præceptum* à Majoribus *est, ut duo Hirci diei Expiationis sibi sint æquales colore, statura, & pretio, atque ut simul recipiantur. Legitimi tamen habentur, utut æquales non sint. Sic illegitimi non fiunt, quamvis unus hodie accipiatur, alter cras; Uno ipsorum mortuo, si antequam sors jacta fuerit, extinctus sit, comparem capiat alteri: sed si sorte jam jacta mortuus sit, duos alios adduci curet, de quibus sortietur de novo; bene observato eo, qui mortuus est. Si enim is fuerit, qui Deo, inquit: ille, in quem sors cum inscriptione DOMINO ceciderit, substituatur loco istius. eo autem mortuo, qui Asaselis fuerat, dicat iste in quem sors ASASELI ceciderit, stet pro illo. Alter vero ex duobus istis, in quos postremo loco facta sortitio, libero fruatur pascuo, donec macula aliqua inficiatur, & vendatur, pretio ejus ad munera voluntaria collato* (b); *non enim moritur Piaculare Ecclesiæ totius.*

§. XXVIII. Sortitionem ipsam quoad instrumenta, locum, modumque sufficienter è Cod. *Ioma* (c) descriptam invenimus apud *Maimonidem* (d), verbis seqq. שני הגורלות אחד כתוב עליו להשם ואחר כתיב לעזאזל והן כשרין מכל דבר בין מן העץ בין מן האבן בין מן המתכת אבל לא יהיה אחד גדול אחד קטן אחד כסף ואחד זהב אלא שניהם שוין/ ושל עץ היו ובבית שני עשו אותם של זהב ומניחין שני הגורלות בכלי אחד המחזיק שתי הידים כדי שיכניס שתי ידיו ולא יתכוין/ וכלי זה חול הוא ושל עץ היה וקלפי שמו. היכן מגריל במזרח העזרה בצפון המזבח מניחין שם הקלפי ומעמידין שני השעירים פניהם למערב ואחוריהם למזרח וכ"ג בא לשם והסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושני השעירים לפניו אחד לימינו ואחד לשמאלו/ טרף בקלפי והעלה שני הגורלות בשתי ידיו לשם שני השעירים ופותח ידיו אם של שם ע"ה בימינו הסגן אומר אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם בשמאל עלה ראש בית אב אומר לו אישי כהן גדול הגבה שמאלך/ ונותן שני הגורלות על שניהם של ימין על ימין ושל שמאל על של שמאל i. e. *Duæ sortes, quarum uni inscriptum erat DOMINO, alteri ASASELI, idoneæ sunt è re quacunque, sive ex ligno factæ fuerint, sive ex lapide aut metallo: modo non sit una major altera, vel una argentea, aurea altera; sed ambæ æquales. ligneæ* olim *erant, at in templo secundo fecerunt argenteas. Has duas sortes in vas unum congerunt; quod* arcte (e) *duas comprehendat manus, ut utramque manum suam illuc possit immittere, neque animadvertere, (quænam sors nomen Dei habeat inscriptum, & quænam Asaselis.) Vas ipsum vero profanum est, è ligno constans,* κάλπη (f) *seu Urna dictum. Quomodo sortitur? Urna ista in plaga Orientali Atrii, ad septentrionem Altaris collocata, constitutisque duobus Hircis facie sua ad Occidentem, posterioribus vero ad Orientem versis; accedit illuc Pontifex, Vicario à Dexteris suis, & Principe Ephemerias à Sinistris stipatus: ita ut oppositos sibi habeat duos istos hircos, alterum è regione dexteræ suæ, & alterum adversus sinistram. Sortibus in urna huc illuc agitatis, utramque producit exinde ambabus manibus suis in gratiam hircorum duorum, manusque aperit. Si sors cui DOMINO inscriptum erat, dextera* Pontificis *ascendisset, Sagan alloquebatur ipsum: Domine mi! Pontifex M. extolle dexteram tuam. quod si sinistra, Princeps Ephemerias dicebat ei: Domine Pontifex! attolle in altum sinistram tuam.* Quo facto *duas istas sortes duobus imponit Hircis, dexteræ quidem, Hirco dextræ suæ opposito; sinistræ vero, qui eidem è regione erat.*

Eeeee 2 §. XXIX. Quale

(i) *Lev.* 16:30. (k) *Hæc ex* Mischna 9. *cap.* 3. *tit.* Joma. (l) *Vid.* Rabbenu Ascher *ad tit.* Joma, *fol.* 91. *col.* 4. *l.* 23. *fin.* (m) *Tit.* Joma *f.* 41. *b. l.* 18. *seqq.* (n) *l. c. l.* 22. *fin.* (o) *Comment. ad* Mischn. *tit.* Ioma, *c.* 4. §. 2. *f.* 124. *a. l.* 3. (p) *Conf.* Glossa. *l.* 11. *ad tit.* Menachoth. *fol.* 93. *pag. b.* (q) *Lev.* 16:30. (r) *Hilc.* Abod. jom haccipp. *c.* 5. §. 13. (s) *Lev.* 16:11. (t) *Vid. Maimon. hilc.* Maase Korbanoth. *c.* 1. §. 15. (v) *Comment. in h. l. f.* 251. *col.* 1. *l.* 23. *seqq.* (w) *Ad tit* Ioma *fol.* 91. *col.* 4. *lin.* 19. *fin.* (x) *C.* 4. §. 2. *fol.* 43. *b. l.* 13. *seqq.*

(y) *Confer* Bochart. Hieroz. *part.* 1. *l.* 2. *c.* 54. *col.* 655. *l.* 55. *seqq.* (z) *Hilc.* Abod. jom haccipp. *cap.* 5. §. 14, 15. (a) *Cap.* 6. §. 1. (b) *Confer* Sheringhamius *tit.* Ioma, *p.* 130. 131. (c) *Cap.* 3. §. 9. *cap.* 4. §. 4. (d) *l. c. cap.* 3. §. 1, 2, 3. (e) *Vid.* Gemaram *Babyl. tit.* Joma, *cap.* 4. *fol.* 39. *a. lib.* 18. (f) *Conferat.* Dn. Frischmuthius, *Disputat.* 1. *de* Hirco Emissario, *c.* 1. §. 1. Scheringham. Joma p. 69. *Bochart. l. c. col.* 656. *l.* 14. *seqq.*

§. XXIX. Quale Divini favoris signum fingant *Gemaristæ* (g), in sortitione ista ipsis accidisse totis 40 annis, quibus officio Pontificis functus *Simeon Justus*; sorte scil., cui *DOMINO* inscriptum erat, constanter dextera Pontificis educta: ob veritatem ambiguam, & quod nil faciat ad *functiones* ipsas *Pontificis* declarandas, recensere hic supersedeo. Fabellam qui scire gestit, ex R. *Arama* allegatam refutatamque videat apud *Excell. D. Frischmuthium* (h). ubi (i) plura quoque inveniet de particula illa coccinea ad linguæ formam facta, quam Hircis supra dixerunt fuisse alligatam. Id unicum adjicio à *Maimonide* (k) allatum, *pondus panni* istius exsecti, quem capiti imposuerint Hirci Emissarii, *duorum* fuisse *Siclorum*. id quod è *Gemara* desumsit tit. *Joma* (l).

§. XXX. „ Sanguinem Juvenci jugulati non ilico ad lo„cum debitum aspersisse ajunt; sed quia inter ejus Mactatio„nem Sanguinisque aspersionem in Sacris (m) recensetur „*suffitus in Sancto sanctorum adoletio*, hanc prius perfe„cisse, sanguine juvenci cuidam Sacerdotum tradito, qui in„terea temporis eum continua agitatione misceat, ac à coa„gulatione servet immunem. Placet de hoc rursus audire *Maimonidem* (n), è tit. *Joma* (o) in h.m. loquentem: מקבל את דמו של פר ונותנו למי שהוא מנדנדו שלא יקרש על הרובד הרביעי של היכל מבחוץ ונוטל את המחתה וחותה בה אש מעל המזבח מן הסמוך למערב שני מעל המזבח מלפני יי ויורד ומניחת על הרובד שבעזרה/ ומוציאין לו את הכף וכלי מלא קטורת דקה מן הדקה וחופן ממנה מלא חפניו לא מחוקות ולא גדושות אלא טפופות הגדול לפי גודלו והקטן לפי קוטנו ונותן לתוך הכף/ מפני כובד המחתה ועוד שהיא חמה אינו יכול לסיכלה בשמאלו עד הארון לפיכך נוטל המחתה בימינו וכף הקטורת בשמאלו ומהלך בהיכל עד שהוא מגיע לקדש הקדשים/ מצא הפרוכת פרוכה נכנס לקדש הקדשים עד שהוא מגיע לארון/ הגיע לארון נותן המחתה בין שני הבדים/ ובבית שני שלא היה ארון היה מניחה על אבן השתייה/ i. e. *Sanguinem Juvenci recipit* in cratere aureo (p), *ac tradit cuidam, qui extus* (q) *in quarto Templi scamno agitet, ne coaguletur. Ipse vero accipit Thuribulum* allatum sibi ab aliis. *ac depromit eo ignem ab Altari* exteriori *ea parte, quæ occidenti erat vicinior; quia dicitur* (r): *desuper Altari coram Domino. Descendens autem, collocat illud super scamnum, quod in Atrio. Praterea producunt quoque ad ipsum Acerram aliquam, & vas plenum suffimenti semel iterumque contusi: è quo plenos capit pugillos suos, non rasos, nec accumulatos, sed planos, quilibet pro capacitate staturæ suæ* (s), *eosque acerræ isti indit. Ob gravitatem Thuribuli, ejusque calorem, non potest id portare in sinistra sua ad Arcam usque, ideo accipit Thuribulum dextera sua, & Acerram Suffimenti sinistra, atque progreditur per templum, donec pervenerit ad Sanctum Sanctorum. In quod, Velo allevato, ingreditur ad Arcam usque. quo si accesserit, ponit Thuribulum inter duos ejus Vectes. in templo secundo vero, ubi non extitit Arca, id posuit super Lapidem istum fundationis* (t).

§. XXXI. Cujusmodi fuerit *Thuribulum*, quo hoc die in Sanctissimo usi sunt, supra (v) jam fuit indicatum. Suffitus non alius fuit, quam quem adolent quotidie matutino pariter atque verspertino tempore (w): nisi quod tres istæ Minæ, de quibus pugillos suos plenos capit, in Mortario de novo comminuantur, vespera diem Expiationis præcedente (x). *Modus* ipse suffitionis inter omnes Sanctuarii cultus censetur difficilimus (a). Estque talis à *Maimonide* (b) tit *Joma* (c) descripta: אוחז שפת הכף בראשי אצבעותיו או בשיניו ומערה הקטורת בגודלו לתוך חפניו עד שמחזירה למלוא חפניו כשהיתה/ וצובר את הקטורת על גבי הגחלים בידו לפנים במחתה כדי שתהיה הקטורת קרובה לארון רחוקה מפניו שלא יכוה/ i.e. *Oram Acerræ arripit extremis digitis suis, aut* juxta alios *dentibus, & pollice suo corradit suffitum intra pugillos suos, donec denuo eos impleat, quemadmodum foras fuerat. deinde Suffimentum supra prunas in cumulum coacervat* (ut fumus ejus duret longius) *manu sua ad partem Thuribuli anteriorem: ut suffimentum sit Arcæ vicinum, ab ipso autem remotum, ne uratur* (d).

§. XXXII. Quod Aromata igni prius imponere non licuerit, quam cum jam in Sanctissimum ipsum pervenerit, supra (e) è *Talmudicis* fuit allegatum. Iis super prunas jam coacervatis, vel juxta alios, quod & probabilius, dispersis ac late diductis (f), „ tamdiu in Sanctissimo Pontifex præstolatus „dicitur, donec fumus velut densa nube istum compleret lo„cum. Quo facto, retrorsum egressus, facie ad Arcam con„tinuo versa. Et extra velum constitutus, brevem ad Deum „fudisse precationem. E. tit. *Ioma* (*) ממתין שם עד שיתמלא הבית עשן ויצא והיא מהלך אחורנית מעט מעט פניו לקדש ואחוריו להיכל עד שיצא מן הפרוכת/ ומתפלל שם בהיכל אחר שיצא תפלה קצרה/ *Expectat ibi*, inquit *Maimonides* (g), *donec impleatur domus ista fumo, & egreditur. Incedit vero retrorsum, sensim se subducendo, facie ad Sanctissimum, & tergo ad templum obversis, donec è Velo sit egressus. Ubi orat in Templo, postquam egressus jam est, precationem brevem.*

§. XXXIII. Precationis istius summa fuisse dicitur, pro æquali Anni temperamento, conservatione imperii, secundatione negotii singulorum, ac idonea pluviarum irrigatione (h). Formula ipsa talis exhibetur à *Maimonide* (i): יהי רצון מלפניך יי אלדינו שאם תהיה שנה זו שחונה תהיה גשומה ולא יסור שבט מבית יהודה ולא יהיו עמך בית ישראל צריכין לפרנסה ואל תכנס לפניך תפילת עוברי דרכים/ i. e. *Complaceat Tibi Domine Deus noster! ut anno incalescente, pluviis refrigeretur; neque removeatur, qui gerat Imperium, à Familia Iudæ; nec populus tuus, domus Israel, sentiat penuriam victus; neque coram te veniant preces iter facientium* (sc. pro continua cæli serenitate.) Brevitati monent ideo studuisse in hac precandi formula, ne, omnibus à Templo, in quo orabat, ex quo in Sanctissimum fuerat ingressus, secedentibus, mora sua suspicionem præberet necis sibi illatæ. quia, ut vult *Maimonides* (k) cum suis, הרבה כהנים גדולים היו מתים בקדש הקדשים אם לא היו ראויים או אם ישנה דבר במעשה הקטורת שלא תראה וכו" i.e. *Multi Pontifices extincti sunt ad Sanctissimum, si aut idonei non fuerunt, aut quicquam mutarunt in Suffitu, quod fieri non debebat.*

§. XXXIV. „ Peracto vero legitime suffimento, post „preces has fusas reversum dicunt è Templo Pontificem ad „eum, cui sanguinem Iuvenci antea tradiderat, in quarto „constitutum areolo. A quo Sanguinem repetitum intulerit „in *Sanctissimum*, quem *Octies* inter Vectes Arcæ asperserit; „eoque facto, exierit in templum, sanguinem Iuvenci ibi„dem super columnam aliquam auream collocato. Dum ipse in„terea ad locum Poparum egrederetur, ibique Hircum „Piacularem populi mactaret, cujus Sanguinem in pate„ra aurea susceptum similiter in Sanctissimum intulerit, „atque inter Vectes Arcæ Octies sparserit; reliquo, „post egressum suum, in alteram templi columnam colloca„to. (m).

§. XXXV. Numerum hunc *Octonarium* eliciunt Iudæi è verbis (n): *Et de sanguine Iuvenci sparget digito suo ad superficiem Propitiatorii versus Orientem, & ante Propitiatorium sparget septem vicibus de sanguine istius digito suo.* Cum præter Aspersiones *Septem* ante Propitiatorium faciendas, de *Aspergere* dixerit, nullo adjecto numero; id de unica exponunt asper-

(g) *Tit.* Joma, *cap.* 4. *init. fol.* 39. *a. l.* 9. *seqq. à fin.* (h) *l.l.* §. 7. (i) *l. c.* §. 4. *seqq. quo cum conf.* Buxt. *Recens. Oper. Talmud. p.m.* 218. *seqq.* Bochart. *l.c. col.* 656. *l.* 50. *seqq.* (k) *l. c. cap.* 4. §. 1. (l) *Cap.* 4. *fol.* 41. *b. l.* 3. *seqq fin. fol.* 42. *init.* (m) *Lev.* 16. *v.* 12, 13. (n) *Hilc.* Abod. jom haccipp. *cap.* 4. §. 1. (o) *Cap.* 4. §. 3. *fol.* 43. *b.* (p) *Vid.* Abarbanel, *l.c. fol.* 249. *col.* 2. *l.* 29. *seqq.* (q) *Vid.* Middoth, *cap.* 1. §. 8. L'Empereur, *pag.* 30, 31. (r) *Lev.* 16: 12. (s) *Vid. Mischn.* 1. *cap.* 5. *tit.* Joma. (t) *De quo vid. Disp.* 1. *cap.* 1. §. *ult.* (v) *Disp.* 1. *c.* 2. §. 18. (w) *Vid. supra* §. 13. (x) Maimon. *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 2. §. 3. *Shering. l. c. pag.* 91, 92. *ex* seder Maamadoth. (a) Gemara *Babyl. Cod. Joma, fol.* 49. *b. l.* 57. *quo de tn. dubitat.* (Maimon. *Comment. ad l.c. cap.* 1. *fol.* 89. *col.* 1. *l.* 14. *fin.* (b) *Hilc.* Abod. Jom haccipp. *c.* 4. §. 1. (c) *Fol.* 49. *b. l.* 1. *seqq.*

(d) *Vid. Cod.* Tamid, *cap.* 6. §. 3. (e) *Cap.* 2. §. 19. *c.* 3. §. 17, 18. (f) Joma *fol.* 49. *b. l.* 4. (*) *Cap.* 5. §. 1. *circa fin.* (g) *Hilc.* Abod. Jom. Haccipp. *c.* 4. §. 1. (h) *Vid.* Rambam, *Comment. ad* Joma. *cap.* 5. §. 1. *fol.* 90. *col.* 2. *lib.* 14. *seqq. à fin.* (i) *Hilc.* Abod. Jom Haccipp. *cap.* 4. §. 1. *in fin.* Gemara *Babyl. tit.* Joma *fol.* 53. *b. lib.* 14. *seqq.* Vajikra Rabba, *fol.* 119. *col.* 3. *post med. Edit Venet.* (k) *Comment. ad* Mischn. 1. *cap.* 5. *Cod. Joma.* (m) *Vid.* Maimon. *hilc.* Abod. jom Haccipp. *cap.* 4. §. 2. *è tit.* Ioma, *c.* 5. §. 3, 4. Abarban. *l. c. fol.* 249. *col.* 2. *l.* 51. *seqq.* (n) *Lev.* 16: 14.

aſperſione, conjectura non improbabili (o). Quomodo autem verba עלפני & לפני *ad ſuperficiem*, & *ante* Propitiatorium intelligant, cape è ſeqq. verbis *Maimonidis* (p), rationem computandi, ac Aſperſionis modum ſimul inculcantibus: מזה מדם שניהם ביום הזה שלש וארבעיי הזייה ואלו הן מזה תחלת מדם הפר שמונה הזיות בקדש הקדשי' בין בדי הארון קרוב לכפורת בטפח שנ' ולפני הכפירת יזה וגו ומזה שם אחת למעלה ושבע למטה מפי השמועה למדו שזה שנ' שבע פעמים יזה יתר על הזייה ראשונה / וכך היה מונה אחת אחת ואחת אחת ושתים אחת ושלש אחת וארבע אחת וחמש אחת ושש אחת ושבע / ולמה מונה ככה שמא ישכח וימנה הזייה ראשונה מכלל השבע / ואחר כן מזה מדם השעיר בין בדי הארון שמונה אחת למעלה ושבע למטה ומונה כדרך שמונה בדם הפר / וחוזר ומזה בהיכל על הפרוכת מדם הפר שמונה אחת למעלה ושבע למטה שכן נאמר בדם הפר על הכפורת ולפני הכפורת ומונה כדרך שמונה בפנים / וחוזר מזה מדם השעיר כן על הפרוכת שמונה הזיות אחת למעלה ושבע למטה שנ' בדם השעיר ועשה את דמו כאשר עשה לדם הפר ומונה כדרך שמונה בפנים / וכל אלו ההזיות אימו מתכוין בהן להזות לא למעלה ולא למטה אלא כמצליף / id eſt, *De ſanguine duorum iſtorum hoc die ſpargit Aſperſiones 43, quæ tales: Initio ſpargit de ſanguine Iuvenci 8 aſperſiones in Sancto Sanctorum inter Vectes Arcæ, circiter palmum à Propitiatorio; quia dicitur* (q): *& ante Propitiatorium ſparget &c. Spargit autem illic ſemel ſurſum, & ſepties deorſum. Per traditionem didicerunt, illud, quod l. c. dicitur: ET SEPTEM VICIBUS SPARGAT, ita intelligendum eſſe, ut prima Aſperſio non connumeretur. Cæterum ita numerabat; ſemel, ſemel & ſemel, ſemel & bis, ſemel & ter, ſemel & quater, ſemel & quinquies, ſemel & ſexies, ſemel & ſepties. At quare h. m. numerabat? ne forte ex oblivione aſperſionem primam ſub numero ſeptem reliquarum comprehendat. Deinceps conſpergit de ſanguine Hirci inter Vectes Arcæ Octies; ſemel ſurſum, & ſepties deorſum. & numerat eodem modo, quo numeraverat in ſanguine Iuvenci. Atque rurſus de ſanguine juvenci in Templo ſpargit ad Velum Octies, ſemel ſurſum, atque ſepties deorſum. quia dictum eſt de ſanguine Iuvenci* (r): *ſuper Propitiatorium, & ante Propitiatorium. Et numerat, ſimiliter quemadmodum intus numeraverat. Atque etiam rurſus de ſanguine Hirci ſpargit h. m. ad Velum Octo aſperſiones; unam ſurſum, & 7 deorſum. quia dicitur* (s) *de ſanguine Hirci: & faciat ſanguini ejus quemadmodum fecerat ſanguini Iuvenci. Unde rurſus eodem modo numerat, quo numeraverat intus. In omnibus autem conſperſionibus illis non intendit* ſanguinem *ſpargere NEC SUPRA, NEC INFRA*, h. e. (t) nec ſuper culmen ipſum ſeu faſtigium Propitiatorii ſupremum, nec infra ejus medium. quia ad Propitiatorium ipſum, nil pervenit de ſanguine, ſed in terram decidit omne: *Verum ad modum flagellantis.* qui ab humeris incipit, ac magis magiſque deſcendit inferius. q. d. proponit ſibi, ita 8. iſtas conſperſiones in terra delineare, ut una conſpiciatur ſub altera.

§. XXXVI. Nimirum על exponunt per *juxta*, *prope*; veriti forſan, ne, ſi in ipſam Propitiatorii ſuperficiem ſanguinem aſperſerit, progreſſu temporis elegans iſta ſtructura contaminaretur. Abſque cauſa prægnanti. Quantulum enim erat ſanguinis, quod unico digito aſpergi poterat? Dudum abſumi id potuit, antequam anno ſequenti recens ſuperadderetur. Sic valde titubat *Maimonides*, ac incerto incedit gradu, in explicatione לפני *ante* Propitiatorium. Quod enim vix traxerat ad conſperſiones *in ipſo Sanctiſſimo* deorſum faciendas, mox applicat ad eas probandas, quæ extra *Sanctiſſimum* in templo fiant, prope Velum, è regione ſaltem Expiatorii. Quod ipſum tamen *Maimonides* non fert acceptum πατρoπαραδόσει. Aliter has probat Aſperſiones exteriores *Gemara*, & ex eadem *R. Sal. Iarchi*, atque *R. Obad. de Bartenura.* Ita enim ibi (u) legimus: תני רבנן וכן יעשה לאוהל מועד מה ת"ל כשם שמזה לפני לפנים כך מזה בהיכל מה לפני לפנים אחת למעלה ושבע למטה מדם הפר כך מזה בהיכל וכשם שלפני לפנים אחת למעלה ושבע למטה מדם השעיר כך מזה בהיכל / id eſt, *Totus Doctorum Senatus docuit, quidnam innuunt verba iſta* (x): *ET SIC FACIET TENTORIO CONVENTUS? quemadmodum intus ſparſit, ſic quoque ſpargat extus in Templo. Quomodo igitur intus? ſemel ſurſum, ac ſepties deorſum, è ſanguine Iuvenci; ſic ſpargat quoque in Templo: & quemadmodum intus ſemel ſurſum ac ſepties deorſum de ſanguine Hirci; ſic quoque ſpargat in Templo.* Atque hanc verſus expoſitionem approbat quoque *Aben Eſra*, qui Traditionibus incertis alioquin nimium addictus non eſt. Id obiter obſervari poteſt, non velle Ebræos, ac ſi ſanguis ad Velum ipſum *de induſtria* aſperſus fuerit; ſed in locum aliquem ipſi vicinum. In cit. *Gemara* dicitur (y): כשהוא מזה אינו מזה על הפרוכת אלא כנגד הפרוכת / כשהוא מזה לא היו נוגעין בפרוכת ואם נגעו נגעו / id eſt, *quando conſpergit, non fit ſuper Velum ipſum, ſed coram eo.* Et mox (z), *ſpargente Eo, ſanguis ad ipſum Velum non attingit, niſi caſu fieret* (a).

§. XXXVII. Hactenus Aſperſiones Sanguinis utriuſque beſtiæ, *Hirci*, atque *Iuvenci* ſeorſim fuſi. „Quibus peractis, „quæ reſtant ad Aram thymiamatis faciendæ *Conſperſiones Undecim*, ſanguine utriuſque beſtiæ invicem commixto, di- „cunt, factas. In quo quidem non male ad Scripturam provocare poſſunt, quæ verbis (b), *& capiet de Sanguine Iuvenci atque de Sanguine Hirci, & dabit* &c. haud obſcure talem permixtionem innuit: cum nulla omnium Phraſium Ebræarum h. l. occurrat, quæ *diſtributionem* denotet; ſed de utriuſque ſanguine conjunctim prædicetur *Poſitio* ad cornua Aræ, ejuſque medium. *Modus* permiſcendi ſanguinem, ſupra (c) traditus eſt; aſpergendi vero talis refertur à *Maimonide* (d), è tit. *Ioma* (e) deſumtus: כשהוא נכנס עומד בין המזבח למנורה והמזבח לפניו והוא מסבב והולך ומזה על הקרנות מבחוץ ומתחיל מקרן מזרחית צפונית לצפונית מערבית למערבית דרומית לדרומית מזרחית ועל כולן הוא נותן מלמטן למעלן חוץ מן האחרונה שהיתה לפניו שהוא נותן מלמעלן למטן כדי שלא יתלכלכו כליו / וחותה הגחלים והאפר שבמזבח הזהב הילך והילך עד שמגלה זהבו ומזה מדם התערובת על טהרו של מזבח שבע פעמים בצד הדרום במקום שלמו מתנות קרנותיו ויוצא ושופך שירי הדם על יסוד מערבי של מזבח החיצון / id eſt, *ingrediente Pontifice, ſtat inter Aram iſtam, atque Candelabrum, ita ut Ara ipſi ſit oppoſita. quam circuit, abiens, ac ſpargens ad Cornua ab exteriori. Incipit enim à Cornu Euroboreali, tendens ad Boreozephyrinum,* & ab hoc *ad zephyroauſtrale, donec in Auſtro orientali deſinat. Ad ſingula autem apponit ab inferiori ſurſum dirigendo, excepto ultimo; cui cum ipſe à fronte ſit, imponit à ſuperiori, deorſum deſcendendo: ne* ſanguine *ejus conſpurcentur veſtes. Deinceps prunas atque cineres in altari iſto inaurato exiſtentes tamdiu huc illuc disjicit, donec aurum ejus præbeatur conſpicuum. quo apparente, ſpargit de ſanguine invicem permixto in locum mundum Aræ Septies, in latere Auſtrali, eo in loco, ubi aſperſiones in Cornua deſierant. Atque peracto eo, egreditur, quod reliquum eſt ſanguinis, effundens ad fundum Occidentalem Altaris Exterioris.*

§. XXXVIII. Singulas has ſanguinis conſperſiones tam neceſſarias Iudæi judicant, ut, una ipſarum omiſſa, totum opus irritum cenſeant; nec delicta expiata, ni ad præſcriptum corrigatur. In Codice *Sebachim* (f) dicitur: מתנה אחת מהם מעכבת *Una harum Aſperſionum impetit* (totum Expiationis opus). Alibi (g) אם חסר אחת מן המתנות לא כפר לפיכך אם נתן כולן כתקנן ואחת שלא בתקנה פסול וכו' / id eſt, *Si, ex omnibus aſperſionibus, quæ ad Aram indi debent, una deficiat, nulla eſt Expiatio. Propterea, ſi omnibus decenter ſparſis, Una ordinationem non ſervet,* victima *eſt vitiata.* Quam anxie, ſi quod in ſanguine ſpargendo erratum fuerit, errorem ſtudeant corrigere, è tot caſibus facile eſt colligi, quos paſſim formarunt Talmudici, ſtrictim recenſitis à *Maimonide*, hilc. *Abod. Jom haccippurim* cap. 5. §. 4. ad 13. uſque.

„ §. XXXIX. Apoſtolus noſter de functionibus Pontificis „Expiatoriis ſermonem faciens, *ſolius ſanguinis* meminit, ut „propoſito ſuo inſerviens, neceſſitatem ſanguinis Chriſti fun- „dendi, ejuſque precium inculcaret clarius. Quod ſi enim „אין כפרה אלא בדם *non datur Expiatio niſi per ſangui-* „*nem*, ut paſſim *Talmudici* aſſerunt (h), nec Sanctiſſimum „adiri legitime potuit, niſi ſanguine jam fuſo, qui illuc dein- „ceps eſt illatus; eo autem legitime fuſo atque aſperſo, ex in- „ſtitutione ad minimum aditus patuit, totique populo inde „facta

(o) *Vid.* Maimon. *Comm. ad* Ioma, *cap.* 5. §. 3. (p) *Hilc.* Abod. Iom. haccip. *cap.* 3. §. 5. *è tit.* Ioma, *cap.* 5. §. 3. Gemara *fol.* 55. a. *l.* 1. ſeqq. (q) *Lev.* 16: 14, 15. (r) *Levit.* 16: 14. (s) *l. c. v.* 15. (t) *Ex Interpretatione* R. Salm. Jarchi, *ac* R. Obad. de Bartenura. *ad tit.* Joma, *cap.* 5. §. 3. *conf. Gloſſa ad* Gemaram *cit. tit. fol.* 55. 2. *init.* (u) *tit.* Ioma, *cap.* 5. §. 4. *fol.* 56. *b. l.* 6. *fin.* (x) *Lev.* 16: 16.

(y) *fol.* 57. *a. l.* 8, 9. (z) *l. c. l.* 14, 15. (a) *vide* Rabbenu Ascher *ad l. c. fol.* 92. *col.* 1. *l.* 26. *ſqq.* (b) *Lev.* 16: *vſ.* 18, 19. (c) *cap.* 3. §. 11. (d) *hilc.* Maaſe Korbanoth, *c.* 5. §. 14. *hilc.* Abod. jom Haccippurim. *c.* 4. §. 2. (e) *cap.* 5. §. 5, 6. (f) *cap.* 5. §. 1. (g) *cap.* 4. §. 2. (h) *vid. tit.* Menachoth, *fol.* 39. *b. l.* 16. 20. *&c. conſentiens cum Ebr.* 9: 22.

„ facta eſt reconciliatio. Et vero per Chriſtum perfecta præſta„ri debuit Reconciliatio: neceſſe omnino fuit, ut ejus profun„datur ſanguis, quo aditus in Cælum aperiatur. Nec etiam „ulla pars ſacrificii Piacularis tantæ eſt præſtantiæ, quantæ ſan„guis, aut ad finem, quem Deus tali victimæ conſtituerat, „magis apta. Homo peccator ſcelere ſuo meruerat, ut à Deo „exſcinderetur. In ejus locum ſuccedit beſtia immolanda. Cu„jus vitæ ſedes cum in ſanguine ſit, Lev. 17: 11. animæ vehicu„lo [i]; eo ad locum à Deo deſtinatum profuſo, Supremo Iu„dici quaſi offertur vita animaque peccatoris, in ſuo ſc. Vicario. „qua acceptata, eo reſpectu nil amplius eſt in homine quod „morte plectatur; alterius anima pro ſua jam tradita. Ad Chriſtum locus nunc foret prolixe hæc applicandi, ſed, ne cuiquam anſam præbeam conquerendi, quaſi falcem in alienam meſſem immiſiſſem, applicatione hac in aliud tempus locumque reſervata, ad ea ſtrictim recenſenda me accingam, quæ, cultu in Sanctiſſimo peracto, amplius Pontifici eo die reſtabant peragenda.

§. XL. Sanguine Vitulino atque Hircino, poſt cultum in Sanctiſſimo atque Sancto circa ipſum præſtitum, ad fundum Aræ exterioris effuſo, unde in torrentem Kedron excurreret [k]. „Pontifex ad Hircum Emiſſarium revertitur, &c, „utraque manu capiti ipſius impoſita [l], confitetur in ipſum „totius populi peccata, eumque per virum tempeſtive ad id „præparatum dimittit, in deſertum abducendum.

§. XLI. Formula Confeſſionis à *Talmudicis* deſcripta cum præcedentibus in omnibus coincidit; niſi quod pro *ſe* ſuaque *familia*, aut *ſtirpe Aaronis* ſubſtituat *populum*, hunc in modum [m]: אנא השם חטאו ועוו ופשעו לפניך עמך בית ישראל אנא השם כפר נא לחטאים ולעונות ולפשעים שחטאו ושעוו ושפשעו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה יכפר עליכם וכו׳ id eſt, *Obſecro Domine! peccarunt, & inique egerunt, ac prævaricati ſunt coram Te POPULUS TUUS DOMUS ISRAEL: Obſecro Domine! Expia quæſo peccata, ac iniquitates, & prævaricationes; quæ peccarunt, & inique egerunt, ac prævaricati ſunt coram Te POPULUS TUUS DOMUS ISRAEL. Scriptum enim eſt in lege Moſis ſervi tui* [n]: *quia hoc ipſo die Expiationem recipiet de vobis &c.* In ſingulis Confeſſionibus *ter* occurrit Nomen *Domini*. quod monent Iudæi [o], hic efferendum fuiſſe ſecundum literas ſuas, quæ *Schem hamphoraſch* exprimunt; quemadmodum etiam cum ſortem Hirco imponit, inquiens: *DOMINO Piaculare.* ut adeo in univerſum hoc die *decies* pronuncietur, voce olim elata; adauctis vero latronibus, tam ſubmiſſa, ut vix à Sacerdotibus adſtantibus dignoſci potuerit. Nihilominus omnes Sacerdotes atque Populus in Atrio ſtantes dicuntur à *Maimonide* [p] è diverſis locis tit. *Ioma* [q], quamprimum animadverterint nomen Dei ex ore Pontificis prodiens, flexis genibus adorantes proni in faciem in hæc erupiſſe verba: ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד id eſt, *Laudatus ſit Dominus, Majeſtas Regni ejus ſit in ſeculum ſeculi.* Idque ad imitationem Deut. 32: 3. quod reddunt: *cum Nomen Dei pronunciavero, attribuite vos Majeſtatem Deo noſtro.*

§. XLII. Ratio manus Victimæ imponendi haud obſcura fuit. Præterquam enim quod hoc ritu offerens quaſi *manumittebat* beſtiam, Deoque dicatam tradebat, ſuo, quod in ipſam habebat, juri renuncians: iram Dei h. m. deprecabatur, *immittendam ad ſui reconciliationem in caput hujus victimæ, quam ſuo loco poſuit.* Sicut *Ægyptii*, *teſte Herodoto* [r]: καταρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴτε μέλλοι, ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. Victimarum *capita execrantur in hæc verba, ut ſi quid mali aut ipſis immolantibus, aut toti Ægypto immineat, id in hoc caput convertatur.* Hinc *bajulare* dicitur talis victima pœnam peccati ejus, in cujus ſurrogatur locum, Lev. 16: vſ. 22. ut adeo optime *Dn. Friſchmuthius* l. c. §. 9. *videtur fuiſſe ritus, ex quo intelligi debeat, tranſlationem peccati vel reatus in illud ſubjectum, cui manus imponebatur, eſſe factam.* Propterea conſuetam confitendi formulam finiunt verbis: זי כפרתי *hac* Hoſtia *ſit Expiatio mea*, q. d. ſit hoſtia hæc meum in locum ſubſtituta, ut quod ipſe malum merui, id in ejus caput recidat [s]. Id quod naturæ rei multo magis eſt conſentaneum, quam, quæ à *Philone* hujus affertur Ratio [t]: τὰς δ' ἐπιτεθειμένας τῇ τοῦ ζώου κεφαλῇ χεῖρας, δεῖγμα σαφέστατον εἶναι συμβέβηκε πράξεων ἀνυπαιτίων, καὶ βίου μηδὲν ἐπιφερομένου τῶν εἰς κατηγορίαν, ἀλλὰ τοῖς τῆς φύσεως νόμοις καὶ θεσμοῖς συνᾴδοντος. quaſi *manus capiti victimæ impoſitæ evidens ſint indicium innocentiæ, vitaque ſine culpa exactæ, juxta naturæ leges, & divina oracula.* Si omnis peccati eſſent expertes, quare adducerent ſacrificia, quæ pro ipſis expiarunt? ubi non datur delictum, locum non invenit Expiatio.

§. XLIII. Per quem abducitur Hircus in deſertum, in Sacris (*) vocatur איש עתי i. e. מזומן, vel καίριος, εὔκαιρος. Quod *Vir* dicatur, factum eſſe utrumque *Talmud* [u] annotat, להכשיר את הזר *ut etiam EXTRANEUM ad id muneris obeundum pronunciet legitimum.* Ubi cave per *Extraneum* intelligas Gentilem. *Laicus* indigitatur ſeu Iſraëlita, in oppoſitione ad *Clericum* ſeu Sacerdotem. Talis enim eſt uſus hujus vocis apud *Talmudicos*, potiſſimum, ubi agitur de ſacris faciendis. איזהו זר כל שאינו מזרע אהרון הזכרים *Quinam eſt ille*, inquit, *Maimon* [x], *dictus EXTRANEUS? quicunque non eſt ex poſteritate Aaronis maſcula.* Et alibi [y]: כל מי שאינו כהן נקרא זר שנ׳ וזר לא יקרב אליכם והזר הקרב יומת׳ i. e. *quicunque non eſt Sacerdos, vocatur EXTRANEUS; quia dicitur* [z]: *Et Extraneus non accedat ad Vos.* item [a]: *Extraneus vero accedens morte afficietur.* Numquid credibile eſt, crediidiſſe Ebræos munus tanti momenti Ethnico, & qui ipſorum religioni non fuerit addictus? Quid etiam opus habuiſſet Gentilis, ut poſt Hircum hunc abductum veſtes ſuas totumque corpus lavaret, antequam in Caſtra ingrederetur, ſive *Levitarum* ſive *Iſraëlitarum* [b]? prouti à Deo juſſum eſt [c]. Cum qui legi obnoxius non eſt, juxta eam nec pollui poſſit, nec purificari. Sed quorſum occupatus ſum in rationibus aliunde adducendis? *Miſchna* [d] ſe ipſam ſatis clare explicat, dummodo ad membra oppoſita attendas. מסרו למי שהיה מוליכו הכל כשרין להוליכו אלא שעשו הכהנים גדולים קבע ולא היו מניחים את ישראל להוליכו א״ר יוסי מעשה והוליכו ערסלא מצפורי וישראל היה׳ id eſt, *Tradit eum (Hircum) cuidam, qui abduceret. Omnes idonei ſunt ad eum abducendum*, etiam Extranei; *niſi quod Pontifices decretum fecerint, quo non permiſerunt ISRAELITÆ* ex lege ad hoc idoneo, *ut eum deduceret. R. Joſe tamen aſſeruit, factum, ut Arſela Zipporenſis eum abduceret, qui fuit Iſraëlita.* Hiſtoria hæc contraria fuit ſtatuto Pontificum, conveniens vero cum primis *Miſchnæ* verbis, quæ *Extraneum* admittunt. Cum itaque expreſſe *Iſraëlitam* nominet, non *Gentilem*; quis inde non arguit? illum, non hunc per *Extraneum* eſſe intelligendum [e].

§. XLIV. Hircum ipſum in deſertum abductum, non comitabimur; ſed quamprimum è Templo egreſſus eſt, committemus eum *Maimonidi* [f], *Moſi Kotzenſi* [g], ac *Rabbenu Aſcher* [h]: qui, quid cum eo actum ſit amplius, è Cod. *Joma* [i], rationem reddent ſciſcitanti. Hos qui audire non poteſt, adeat *Dn. Friſchmuthium* [k]; ubi, quantum neceſſe eſt, abunde intelliget. „Ego vero in Templo me contine„bo, reliquas quoque Pontificis Functiones cogniturus. Re„vertebatur hic (ex mente Ebræorum), Hirco dimiſſo, in lo„cum Poparum, ad *Juvencum* atque *Hircum*, iſtos, quo„rum ſanguinem in Sanctiſſimo aſperſerat; iiſque in membra „fiſſis, *Ablegmina* ipſorum educit, atque in Vas aliquod in„dit,

[i] *Conf. ad h. l.* Abarbanel, *fol.* 254. *col.* 2. *lin.* 20. *ſeqq. col.* 3. *med.* [k] *vid. tit.* Ioma *cap.* 5. §. 6. *in fin.* [l] *utut alioquin victimæ totius Eccleſiæ* χειροθεσίαν *non admitterent*, Maimonid. *hil.* Maaſe Korbanoth, *cap.* 3. §. 10. *è tit.* Menachoth, *cap.* 9. §. 7. *fol.* 92. *a. l.* 3. *ſeqq.* [m] Maim. *hil.* Abod. jom haccipp. *cap.* 4. *poſt med. è tit.* Ioma, *cap.* 6. §. 2. [n] *Levit.* 16: 30. [o] Maimon. *hilc.* Abod. jom Haccipp. *cap.* 2. §. 6. *è tit.* Kidduſchin, *cap.* 4. *fol.* 71. *a. l.* 31. *ſeqq.* [p] *l. c.* §. 7. [q] *cap.* 3. §. 8. *cap.* 4. §. 2. *cap.* 6. §. 2. [r] *lib.* 2. *c.* 39. *vide Clem.* Bochart. *Hieroz. Part.* 1. *cap.* 54. *col.* 657.

[s] *Vid.* Guil. Outram, *de Sacrificiis*, *lib.* 1. *cap.* 15. §. 10. *pag.* 159. 155. [t] *De Animal. Idon. Sacrifi. p. m.* 648. *in fin.* * *Levit.* 16: *vſ.* 21. [u] *tit.* Ioma. *Babyl. fol.* 66. *a. lin. ult.* Hieruſ. *fol.* 43. *col.* 3. *l.* 35. *confer.* Rambam, *Comment. ad* Miſch. 3. *cap.* 6. *l. c.* [x] *hilc.* Biath hammikd. *cap.* 9. §. 1. [y] *Comment. ad tit.* Sebachim, *cap.* 2. §. 1. *ubi etiam conferatur* R. Obad. de Bartenura. [z] *Num.* 18: *vſ.* 4. [a] *Num.* 3: *vſ.* 10. 38. [b] *Conf. Diſput.* 1. *cap.* 2. §. 3. *pag.* 30. [c] *Levit.* 16: *vſ.* 26. [d] 3. *cap.* 6. *tit.* Ioma; *in quam* Gemara *ſupra allegata erat conſcripta.* [e] *Conf. omnino* Gloſſa Raſchi, *ad* Miſchnam *cit. fol.* 69. *a. l.* 9. *à fine Gloſſæ.* [f] *Hilc.* Abod. Iom. Haccippurim. *cap.* 3. §. 7. [g] *Hilc.* Abod. Iom. Haccippurim, *fol.* 222. *col.* 2. *l.* 28. [h] *ad tit.* Ioma, *fol.* 92. *col.* 2. *lin.* 3. *ſeqq.* [i] *cap.* 6. §. 4, 5, 6. [k] *l. c.* §. 16. *ſeqq.*

„dit, suo tempore in Altari comburenda. Interea carnem „ipsorum reliquam prosecat in Segmenta magna, inter se in„vicem cohærentia, catenæ, seu retis instar. quæ nondum „abrumpit; sed per alios educenda curat in locum combu„stionis, ubi illis dissecant ea in pellibus suis, atque „comburunt [k]. Ipso, dum hæc aguntur, in Atrium „Mulierum secedente, recitatum Sectiones quasdam Bi„blicas.

§. XLV. Juvencus hic atque Hircus ad Victimas spectabant *Piaculares*: de quibus certa tantummodo membra in Ara Holocausti comburebantur, אימורים Ebræis dicta, nobis *Ablegmina*; reliqua carne vel sacerdotibus ad comedendum in Atrio tradita [l], vel in loco convenienti combusta. Quænam talia *Ablegmina* sint, discimus è Levit. 4. vs. 8, 9. v. 26. coll. cap. 3. v. 3, 4. v. 14, 15. atque ex seqq. verbis *Maimonidis* [m]: אלו הן האימורין של שור או של עז החלב אשר על הקרב ובכללו חלב שעל גבי הקבה ושתי הכליות וחלב שעליהן עם החלב אשר על הכסלים ויותרת הכבד ונוטל מן הכבד מעט עם היותרת / ואם היה הקרבן ממין הכבשים מוסיף על אלו האליה תמימה עם החליות מן השדרה עד מקום הכליות שנאמר לעומת העצה יסירנה / id est, *Hæc sunt in Bobus caprisque Ablegmina; Adeps intestina operiens, comprehensa simul adipe Ventriculum tegente; item Ambo Renes, ac adeps illis obducta, cum adipe Ilibus adhærente; atque Reticulum Jecoris, particula hujus cum eo simul ablata. Quod si oblatio è Genere Agnorum fuerit, superaddit his Caudam integram, cum Articulis, à Spina dorsi usque ad renes. quia dictum est* [n]: *adversus spinam dorsi auferet eam.*

§. XLVI. Locus in *quo* membra reliqua comburuntur, in Sacris [o] fuisse dicitur *extra castra.* hinc, Templo exstructo, rejecerunt eum etiam extra Castra extima, quæ Israëlitarum vocantur [p], hoc est, extra ipsa mænia urbis Jerusalem. Longius fuisse à templo remotum, vel ex hoc conjici potest, quod *Maimon* [q] è Cod. *Joma* [r], asserit: הרואה כהן גדול כשהוא קורא אינו רואה פר ושעיר הנשרפין id est, *Videns Pontificem in Scriptura legentem, combustionem Juvenci atque Hirci non potuit aspicere.* Idque, ut addit *Mischna* citata: לא מפני שאינו רשאי אלא שהיתה דרך רחוקה ומלאכת שניהן שוה כאחת / id est, *non quasi illicitum ipsi fuißet, sed quia intervallum erat longius dissitum, & utriusque opus peragebatur simul* [s]. Alias generatim triplex Ebræis statuitur Locus combustionis, quos *Maimon* [t] describit verbis seqq. è tit. *Sebachim* [u] desumtis: אחר בתוך העזרה ובו שורפין פסולי המוקדשין ואימורי קדשים קלים שנפסלו ופרים ושעירים של חטאות הנשרפות אם אירע בהם פסול בין לפני זריקה בין לאחר זריקה כגון שנטמאו או שיצאו חוץ לעזרה עד שלא הגיע זמנן לצאת או שלן הבשר או לנו האימורין שלהן / והמקום השני בהר הבית ושמו בירה ובו שורפין חטאות הנשרפות אם אירע בהן פסול אחר צאתן מן העזרה / והמקום השלישי חוץ לירושלים והוא הנקרא בית הדשן ושם שורפין חטאות הנשרפות בזמן שהן נשרפות כמצוותן / *Unus*, inquit, *est intra ipsum Atrium, in quo comburunt, quæ ex consecratis vitiata sunt: item Ablegmina Consecratorum levium vitiata: porro juvencos atque Hircos Piaculares comburendos; si quidem vitium illis acciderit ante sparsionem, vel post eam. v. g. cum polluuntur, aut extra Atrium proferuntur tempore egressus sui nondum instante: aut quando caro, vel Ablegmina per noctem duraverint. Alter locus est in monte, cui templum superstructum est, & vocatur* בירה *PYRA. in quo comburunt Piaculares comburendas; si vitium illis acciderit, ex quo jam extra Atrium sunt abductæ. Locus vero tertius est extra urbem Hierosolymam, ac communiter vocatur DOMUS CINERIS. ubi comburunt Victimas piaculares comburendas, quando juribus circa eas legitime observatis, comburuntur.*

§. XLVII. Lectionem ipsam cum Judæi à functionibus Pontificalibus eximant [x], nec præcipiatur Lev. 16., ubi longa serie cultus ab ipso præstandi recensentur; tempori etiam admodum dubio adjudicetur: Silentio eam præteribo, contentus Auditurum ad *Maimonidem* [y] atque *Joma* [z] ablegasse. ubi & rem, & rei modum sufficienter percipiet. „Finita le„ctione, Pontifex dicitur ea persecisse Sacrificia, quæ ex *Su„pererogatoriis* hujus Diei supersunt, *Hircum* nim. Piacu„larem, extus conficiendum; item *Arietem* suum, atque „Arietem Populi, utrumque *Holocausta.* Præterea incen„sionem *Ablegminum* Juvenci atque Hirci combustorum. „Iisque omnibus absolutis, oblationem Sacrificii Iugis vesper„tini [a].

§. XLVIII. Quæ circa *Holocausta* veniunt observanda, è supra dictis pateant; nec minus quæ *Hirci piacularis* sint *Ablegmina*, in Ara, absque Libamine [b] tamen, comburenda. Sanguinis vero de eo aspersio discrepat ab ea quæ de Holocaustis. Scriptura de *Piacularis* sanguine jubet digito addi cornibus Altaris Holocaustorum. Id quomodo Ebræi intellexerint, cognosce è seqq. verbis *Maimonidis* [c], è Cod. *Sabachim* [d] compositis: כיצד הוא עושה כשלוקח הכהן הדם במזרק מוליכו אצל המזבח וטובל אצבעו הימנית הסמוכה לגודל בדם וסומך באצבעו הגדול מיכאן ובגידל מיכאן ומחטא ויורד כנגד חודה של קרן עד שיכלה כל הדם שבאצבעו / וכן הוא עושה בכל קרן וקרן / ואם נתן סמוך לקרן באמה אחת מיכאן או מיכאן כפר / וצריך לטבול אצבעו על כל קרן וקרן וכשגומר הנתינה על הקרן מקנח אצבעו בשפת המזרק ואחר כך טובל פעם שנייה ששירי הדם שבאצבעו פסולין ליתן מהן על קרן אחרת / וצריך שיהיה שם דם כדי טבילה לא שיספג אצבעו מדם / ומניין הוא מתחיל עולה בכבש ופונה לימינו ומהלך על הסובב ונותן בקרן דרומית מזרחית תחלה ואחר כך בקרן השנייה הסמוכה לה שהיא מזרחית צפונית ואחר כך בקרן שלישית הסמוכה לה שהיא צפונית מערבית ואחר כך בקרן רביעית הסמוכה לה שהיא מערבית דרומית / ועל יסוד אותה הקרן שהשלים בה המתנות הוא שופך שירי הדם שני ואת כל הדם ישפך אל יסוד מזבח העולה זה יסוד דרומי / id est, *Quomodo facit? Sacerdos sanguinem in Patera acceptum defert ad Aram, & intincto in sanguinem digito suo dextero, qui pollici vicinus, fulcit* sanguinem [e] *ab altera parte digito suo medio* [f], *ab altera autem pollice, atque aspergit* [g], *ut descendat adversus cuspidem Cornu, donec omnis, qui in digito suo, sanguis consumatur. Et sic se gerit in unoquoque Cornu. quod si indiderit prope cornu in fossam aliquam, sive ab hac sive ab illa ejus plaga, sufficienter expiavit. Necesse autem habet ad unumquodque cornu digitum suum intingere. Peracta vero ad singula cornua aspersione, abstergit digitum suum ad oram pateræ; ac deinceps demum digitum intingit vice secunda; quod enim in digito suo sanguinis remanserat, ineptum est, ut de eo indatur cornu alteri. Tantum vero adsit sanguinis, quantum intinctioni sufficit, non spongiæ instar digitus sanguinem attrahat. At undenam ille incipit? In Clivum ascendens, ad dexteram suam se convertit, & incedit per Circuitum* [h] (vel Retractionem Aræ), *ac indit cornu Austroorientali primum; ac deinceps secundo, quod huic vicinum est, Euro-Boreali; tum tertio huic vicino, sc. Boreo-Zephyrino; ac tandem cornu quarto, isti vicino, Zephyro-Australi. ad cujus cornu, in quo conspersiones perfecerat, fundum profundit sanguinem residuum. quia dicitur* [i]: *& omnem sanguinem profundat ad fundum Altaris holocausti*, hoc est, *ad fundum meridionalem.*

§. XLIX. Quæ, sacrificio Iugi vespertino oblato, amplius tradunt Ebræi *de Eductione Acerræ ac Thuribuli* è Sanctissimo, ita comparata sunt, ut non ausim certi quid determinare. Id certum est, textum Biblicum, qui à Iudæis ad eductionem hanc probandam detorquetur, minime omnium eam ad-

[k] Maimon. *hilc.* Abod. Iom Haccippurim, *c.* 3. §. 7. *in fin. cap.* 4. *circa fin.* Moses Kotzensis *l. c. fol.* 222. *col.* 2. *l.* 10. *à fin.* Rabbenu Ascher *ad tit.* Ioma, *fol.* 92. *col.* 2. *l.* 15. *seqq. è Cod.* Ioma, *cap.* 6. §. 7. Gemara *Bab. fol.* 67. *b lin.* 29. *seqq. Abarbanel, l. c.* [l] *vid.* Maimon. *hilc.* Maase Korbanoth. *cap.* 7. §. 1. *cap.* 1. §. 16. [m] *l. c. cap.* 1. §. 18. [n] *Levit.* 3. *vs.* 9. [o] *Levit.* 16. 27. *cap.* 3. 12. *&c.* [p] *Vid Diss.* 1. *cap.* 2. §. 3. *p.* 30. [q] *hilc.* Abod. Iom. Haccipp. *cap.* 3. §. 8. [r] *cap.* 7. §. 2. [s] *vid.* Moses Kotzensis, *fol.* 222. *col.* 3. *l.* 32. *seqq.* [t] *hilc.* Maase Korbanoth. *cap.* 7. §. 3. 4. [u] *cap.* 12. §. 5. *seu ultimo.*

[x] Maimon. *hilc.* Abod. Iom Haccippurim. *cap.* 3. §. 9. [y] *l. c. cap.* 3. §. 10, 11. [z] *cap.* 7. §. 1. *conferatur* Moses Kotzensis *l. c. f.* 222. *col.* 2. *lin.* 3. *fin.* [a] *Vid.* Maimon. *l. c. cap.* 4. *circa fin.* Abarbanel, *l. c. fol.* 249. *col.* 3. *l.* 31. *seqq.* R. Moses Mikkotzi, *l. c. col.* 3. *l.* 37. *seqq.* [b] *Vide* Maimon. *hilc.* Maase Korban. *c.* 2. §. 2, 3. [c] *l. c. cap.* 5. §. 7, 8, 9, 10. [d] *cap.* 5. §. 3. *fol.* 53. *a.* [e] *Conf. omnino* R. Ioseph Karo, *in* Celeph Mischne, *ad* Maimon. *l. c. fol.* 215. *col.* 3. *l.* 5. *seqq.* [f] *In* Gemara *tit.* Sebachim. *cit. l.* 17. *dicitur* parvo. [g] *Vid.* Glossa Margin. *lib.* 9. *fin. ad* Gemaram *cit.* [h] *Vide Codic.* Middoth. *cap.* 3. §. 1. *conf.* L'Empereur, *pag.* 92, 93. [i] *Lev.* 4. *v.* 18. *v.* 25.

adstruere; sed diversissimum quid, jam supra cap. 3. indicatum. Verum nec minus certum & illud est, quod *Thuribulum* in Sanctissimo non fuerit relictum, sed hoc ipso die ex eo rursus ablatum. Cæteroquin & dedecori fuisset loco, cineribus esse refertum; & necesse habuisset Pontifex, subsequente Anno, ad id repetendum in Sanctissimum se ingerere, contra omne Dei institutum: nisi dixeris, Vasa huic suffitioni inservientia, adfuisse dupla; ut uno quolibet Anno, suffitioni peracta, secum ea auferret, quæ anno præterito remanserant. De quo v. ne minimam apud ullum scriptorem Ebræorum reperio conjecturam. Quid si dicerem, in sinistra Pontificis manu Thuribulum cum Acerra jam evacuata ablatum fuisse, postquam sanguinem Hirci asperserat? potuit interea, dum reliquas in *Sancto* faceret aspersiones, Aræ suffitus imponi, aut hujus cineribus ejus superadditi cineres, & si quod fortasse ignis & suffimenti reliquum. Hæc solum pono, non statuo.

§. L. Seposito hoc, quod & ipsum *Mosi Gerundensi* [k], אינה עבודה non videtur *Cultus* vel *functio* dici posse; nil amplius obeundum restabat Pontifici M., quod huic diei proprium sit. „Sed *Suffitum* facit unaqualibet *vespera ordinarium*, atque *Lucernas*, prouti quotidie usitatum erat, *accendit*: &, exutis vestibus sacris, domum abit, toto populo ipsum comitante. Ubi diem hunc cum Amicis sumit hilarem, in sinum sibi gratulatus, quod idoneus ad tanta subeunda Munia & tam sacra, salvus evaserit è Sanctissimo; reparata sibi populoque apud Deum offensum Reconciliatione. quæ omnium Ministeriorum ab ipso hoc die peractorum *Effectus* erat exoptatissimus.

CAP. V.

Ministerii proponit effectum.

§. I.

Effectus autem hujus ministerii exprimitur ab Apostolo, verbis: ὃ προσφέρει ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων: quæ *Syrus* interpres reddidit: ܗܘ ܕܡܩܪܒ ܗܘܐ ܚܠܦ ܢܦܫܗ ܘܚܠܦ ܣܟܠܘܬܗ ܕܥܡܐ i.e. *quem affert pro se ipso, & pro delictis populi.* Homines per utriusque sacrificii, *Vitulini* scil. atque *Hircini*, Sanguinem, tanquam partem Piacularium principem, expiandi, in binis distinctis hic nobis proponuntur classibus; quarum unam vox ἑαυτός, alteram λαός exhibet. Ἑαυτός, cum idem sit ac illud בעדו (l), non denotat Pontificem h. l. solum; sed illum una cum *Domo* sua: si quidem וכפר בעדו Levit. 16: 24. ac וכפר בעדו ובעד ביתו v. 6. unum & idem significent, ac æque late pateant. Vox בית Metonymice pro *familia* h. l. sumta, quousque aut ad quosnam sese extendat, Interpretes unius non sunt sententiæ. Per familiam Aaronis nonnulli intelligendam esse ducunt uxorem, ejusque liberos. Alii omnes etiam Sacerdotes eorumque liberos, Levitis exclusis. Alii vero latius illam ad omnes omnino ejus contribules Sacerdotes ac Levitas, utrorumque liberos extendunt. & recte quidem.

§. II. Nam manifestum est [m], Deum homines Die Expiationis expiandos in duas duntaxat divisisse classes: quarum unam repræsentabat Pontifex cum domo sua, alteram Populus Judaicus. Igitur vel ad hanc, vel ad illam Sacerdotes alii ac Levitæ sunt referendi. Non ad hanc; cum tum Sacerdotes [n], tum Levitæ [o] ab ea exemti sint ac separati. Ergo ad illam: ad quam Spiritus S. ipsemet illos refert, cum ביתו per הכהנים interpretatus est. Nam quod sæpius dixerat [p]: *expiationem faciet pro se & domo sua*, tandem hisce exprimit verbis [q]: *expiabit Sacerdotes* &c. Sub quibus, voce late sumta, etiam Levitæ, utpote ex Sacerdotali stirpe orti, ac Aaronis fratres [r], continentur.

§. III. Etiam non ignotum est [s], unamquamque classem per proprium suum Sacrificium expiandum fuisse. Si itaque Sacerdotes & Levitæ à cætu populi fuerunt separati, etiam per illius Sacrificium non poterant expiari. Cum autem specialis cujusdam pro Sacerdotibus ac Levitis, offerendi Sacrificii non fiat mentio; necesse est, si sunt expiandi, prouti sunt, ut id per Sacrificium Pontificis fieret. Si hoc, sequitur sub voce בית h. l. non tantum Aaronis Uxorem & liberos, sed & omnes omnino Sacerdotes contineri ac Levitas. Hic *Ebræi* statuunt [t], Pontificis fratres ita de ipsius sacrificio participasse, ut una per illud expiati fuerint. ac Pontificis & Sacerdotum peccata in unum, Populi vero in alterum imposuerunt animal; prouti *Maimonides* tradidit [u], נמצאת למד שהוא מתודה ביום זה שלשה וידויים אחד על ידי עצמו תחילה/ וידוי שני על ידי עצמו עם שאר הכהנים ושניהם על פר החטאת אשר לו/ והוידוי שלישי על ידי כל ישראל על שעיר המשתלח/ *Deprehendis*, inquiens, *quod hoc die 3. confiteatur confessiones; unam pro se ipso primum; secundam pro se ipso una cum reliquis Sacerdotibus, & utramque quidem super Juvencum piacularem suum; tertiam vero confessionem pro toto Israële super Hircum Emissarium.* Quo posito, nulla amplius erit difficultas, ad cognoscendum eos, qui per λαὸν intelligantur apud Apostolum. Omnes scilicet Israëlitæ, qui è tribu Levi non fuerunt. Quod si vero ne nimium reflectas oculum in Lev. 16., sed per ἑαυτὸν apud Apostolum *solum Pontificem* intelligas, aliis omnibus contradistinctum: non minus ad singulos Israëlitas ista se extenderet Expiatio. Siquidem sub voce λαοῦ, præter Pontificem, alios comprehenderes omnes, Clericos pariter atque Laicos. Vide Luc. 1: 10.

§. IV. *Peccata*, quæ *expianda* sunt, vocantur hic ἀγνοήματα. Quæ *Socinianis* [x] haud alia sunt, quam *quæ vel ex ignorantia sive oblivione juris alicujus divini, vel ex ignorantia facti & circumstantiarum, vel etiam ex humana quadam imbecillitate proficiscuntur.* Equidem concedendum omnino est, ἀγνοήματα hinc inde in scriptis sacris ac profanis pro hujus generis exstare peccatis. Quod autem & *voluntaria* ac *graviora* haud raro denotet, satis superque docent dicta Ps. 25: 7. ubi פשע (quod quam magnum designet peccatum, mox dicturi sumus) LXX. reddiderunt per ἀγνοίαν. Hoseæ 4: 15. spiritualis Israëlitarum scortatio per verbum ἀγνοέω, pro Ebraico זנה positum, exprimitur; quæ sane leve ac ex ignorantia commissum peccatum non fuit. prouti ex toto hoc capite satis clare apparet. Etiam Iud. 5: 19, 20. pro quibusvis delictis idem vocabulum ponitur. Hinc & *Syrus* Interpres h. l. pro ἀγνοήμασι Apostoli, posuit ܣܟܠܘܬܐ: qua voce quævis designantur peccata [y], etiam illud ab Adamo perpetratum [z]; quod certe nec leve fuit, nec ex ignorantia commissum.

§. V. Imo ex collatione Loci Lev. 16. sole lucidius patet, hic sub voce τῶν ἀγνοημάτων omnis generis contineri peccata. Siquidem ibi [a] satis perspicue docetur, *omnia* [p] peccata, in anniversario isto Sacrificio expiari. Et quidem omnia *illa*, quæ supra vocibus עון, פשע, ac חטאת erant expressa. Atque sub se continent quidquid omnino venit sub *peccati* nomine. Vox enim עון, [quæ formatur ab עוה *curvus, pravus, perversus fuit, iniquus fuit, inique ac perverse egit*, cum contra Deum [c] tum proximum [d]:] denotat vitiositatem non modo naturæ, seu peccatum innatum [e], iniquitatem, perversitatem; sed & graviora peccata, quæ inde oriuntur. ut *abnegationem Dei* [f], *Idololatriam* [g], *adulterium* [h], ac quævis alia [i]. Et quidem non ex errore, sed ex malitia, seu destinato proposito commissa, cum sc. mens quidem quid rectum quid æquum sit, videt & agnoscit; deteriora tamen sequitur. פשע [cujus origo est verbum פשע *transgressus est*, voluntatem scil. ac mandatum ejus cui quis ad obediendum est obstrictus, *defecit* [k], *seditiosus, rebellis fuit* [l],] designat transgressionem, *defectionem* ac *rebellionem* malitiosam: ut ex citatis perspicuum evadit. חטא [à verbo חטא erravit, aberravit à via, vel scopo [m], metaphorice *peccavit*; siquidem peccando à lege divina aberramus.] significat peccatum, prouti aberratio seu digressus

[k] *Comment. in* Pentateuch. *fol.* 196. *b.* [l] *Lev.* 16: 24. [m] *l. c. v.* 6. 15. 33. [n] 1 *Chron.* 23. *v.* 13. *Exod.* 28: 1. [o] *Numer.* 1. *vs.* 47. 49. *cap.* 3. *vs.* 9. 12. 41. *cap.* 16. *vs.* 9. *cap.* 18. 2. *seqq. Deut.* 10. *v.* 8, 9. *Conf.* Rambam, *hilc.* Cele hammikd. *cap.* 3. §. 1. *it. cap.* 4. §. 1. [p] *Lev.* 16. *vs.* 6. 11. [q] *l. c. v.* 33. [r] *Numer.* 18. *v.* 2. [s] *Levit.* 16. *vs.* 5, 6, 11. *seqq.*

[t] *vid. Disp.* 2. *cap.* 4. §. 25. [u] *hilc.* Jom haccippurim. *cap.* 2. §. 6. [x] *vide* Crellius *in Comment. in Epist. ad Ebræos, h. l.* [y] *Matth.* 18. *vs.* 35. [z] *Vide Rom.* 5. 16. *seqq.* [a] *Levit.* 16. [b] *l. c. v.* 34. [c] *vide* 2 *Sam.* 24. 17. *Ps.* 106. 6. *Num.* 14. 19. *coll. v.* 15. [d] *Vid.* 2 *Sam.* 19. 20. *Esth.* 1: 16, 17. *Num.* 5: 15. *Jer.* 9: 5. [e] *Psal.* 51: 7. [f] *Job.* 31: 28. [g] *ibid. Jes.* 65: 7. [h] *Job* 31: 11. *Psal.* 51: 4. [i] *Ps.* 69: 27. *Ps.* 78: 38. *Jer.* 3: 8. *Ezech.* 18: 19. *seq. Jes.* 59: 2, 3. *seqq.* [k] *Hos.* 8: 1. *Jerem.* 2: 8. *cap.* 3: 8. *Hos.* 7: 13. *Amos* 4: 4. *Zeph.* 3: 11. [l] *Jes.* 1: 2. *Ezech.* 2: 3. *Jer.* 2: 29. *Jes.* 59: 13. [m] *vide Jud.* 20: 16.

digressus à recta via est. Ac vox hæc tam late patet, ut non tantum notet peccatum originale (n), ac actualia illa quæ per errorem (o) sunt commissa; sed & quævis alia graviora (p). Ut non incommode *Generis* loco habeas, cujus *species* sint duo superius allegata.

§. VI. Sane opinor, nullum posse concipi peccatum, quod hisce vocibus efferri nequeat. Delicta pro quibus Salvator noster Jesus Christus satisfecisse dicitur (q), פשע ac עון vocantur: quæ omnia omnino fuerunt. Deus immensam suam declaraturus commiserationem ac benignitatem erga peccatricem Israelem, dicit (r): *Dominus fortis, misericors, & gratiosus, Longanimis, & multus benignitate ac fide, custodiens benignitatem millibus, condonans INIQUITATEM, & DEFECTIONEM, & PECCATUM* &c. tantum tribus hisce utitur nominibus; cum vellet innuere, suam misericordiam omni omnino peccato esse majorem, ac nullum fore delictum, quantumvis gravissimum, quin condonare velit; modo convertat sese. His ipsis vocibus prædicitur (s), magna illa peccatorum remissio, sub tempore Messiæ consequutura. sub hisce comprehenduntur omnia Judæorum delicta (t), capp. præced. recensita. Ac David coram Deo suam innocentiam, persecutorum vero impietatem ac justitiam testaturus, inquit (u): *conveniunt contra me robusti, nulla DEFECTIONE mea, nulloque PECCATO meo,* ac *nulla INIQUITATE* mea &c. q. d. si per nullum horum, inimicis ansam me persequendi præbui, penitus insons ac immunis sum: cum peccatorum species illa designent omnes. Cum idem David (x), ac Ecclesia Judaica (y) Deo confessi sunt *omnia Delicta*, haud alia adhibuerunt nomina. quod si autem illis omnia peccata, ut vere pœnitentibus, sunt remissa; nequaquam putandum est, eos ullum reticuisse.

§. VII. Hanc & Ebræi (z) retinuerunt confessionem. quam, ut peccata in universum omnia imponeret anniversario isti Sacrificio, hunc in modum edidit Pontifex M. אנא השם חטאתי עויתי ופשעתי לפניך/ אנא יי' כפר נא לחטאים ולעוונות ולפשעים שחטאתי ושעויתי ישפשעתי וכו: *Obsecro Domine! peccavi, inique egi, ac prævaricatus sum coram te. Obsecro Domine! expia quæso peccata, & iniquitates, & prævaricationes, quæ commisi, & quibus inique egi ac prævaricatus sum* &c. Cujus rationem reddit *Maimonides* (a), cum inquit: זה שתראה כתוב בשלש הודוין. עון פשע וחטאת היא דעת ר"מ והוא סומך על מה שאומר הכתיב והתודה עליו את כל עונות בני ישראל ואת כל פשעיהם לכל חטאתם/ ואין הדבר כן לפי שכוונתו בזה אינו אלא שיכלול מיני עונות כי עונות הם העונות שאדם עושה במזיד/ וחטאים הם הנעשים בשוגג/ ופשעים הם מיני הכפירה והמרד בהשם וכו: i.e. *Quod vides scriptum in tribus istis confessionibus INIQUITATEM, PRÆVARICATIONEM,* ac *PECCATUM, R. Mejer putat, factum id esse unice, quia scriptura dicit: & confiteatur in eum omnes iniquitates filiorum Israel, & omnes prævaricationes ipsorum, secundum omnia peccata sua. Sed non ita se res habet.* Verum *hoc ipso non intendit aliud, nisi ut comprehendat species iniquitatum. quia per INIQUITATES delicta intelliguntur, quæ homo perpetrat ex deliberato consilio: PECCATA vero fiunt per ignorantiam: PRÆVARICATIONES autem species comprehendunt abnegationis, ac rebellionis contra Deum &c.* Si igitur tres illæ voces omnis generis designant peccata, ac omnia Expiationis Die dicuntur expiata (b); nemo non videt, voce ἀγνοημάτων h. l. Apostolum non levia duntaxat, sed & gravissima intellexisse Peccata. Siquidem hic & illic unus & idem describitur cultus.

§. VIII. Nec unquam aliter docuit Ecclesia Judaica. Non diu post Christum natum hanc fovebant sententiam Doctores Mischnici (c): על זדון טומאת מקדש וקדשיו שעיר הנעשה בפנים ויום הכיפורים מכפרין/ על שאר עבירות שבתורה הקלות והמורות הזדונות והשגגות הורע ולא הורע עשה ולא תעשה כריתות ומיתות בית דין שעיר המשתלח מכפר/ אחד ישראלים ואחד כהנים ואחד כהן משוח וכו: i.e. *De Pollutione sanctuarii ac ejus Consecratorum ex deliberato consilio facta, Hircus qui intus conficitur, atque Dies Expiationis expiant; de reliquis contra legem transgressionibus, levibus ac gravibus, sive studio sive per errorem commissis, sive innotescant sive minus, omissionis sint seu commissionis, Excisionem item mereant seu mortem per Synedrium inferendam, Hircus Emissarius expiat, Israelitas pariter atque Sacerdotes, itemque Pontificem* &c. In priora hujus Mischnæ verba *Gemaristæ* annotant (d): תנו רבנן וכפר על הקדש מטומאת בני ישראל וגו' יש לי בענין זה להביא שלש טומאות טומאת ע"ז וטומאת גילוי עריות וטומאת שפיכות דמים וכו: i.e. *Docet Doctorum Senatus, quando* Lev. 16: 16. dicitur: *& Expiabit Sanctuarium de pollutione Israel &c. in hanc rem afferri possunt Pollutiones Tres: pollutio Idolatriæ, & pollutio incestuum, atque pollutio Homicidii &c.*

§. IX. Judicet quis, an hæc peccata inter levia sint censenda, & non multo magis inter gravissima? Sanctuarium Salomonæum, Ebræis Autoribus, tamdiu poterat subsistere, quamdiu à tribus hisce peccatorum speciebus erat immune. Iis verò inter Israelitas invalescentibus, absque condonatione devastabatur (e). *Abarbanel* (f) אין חטא חמור מעכום *nullum*, inquit, *peccatum gravius est Idolatria.* Et mox hic ipse Doctor (g), distinctione inter peccata voluntaria, atque per ignorantiam commissa, quorum hæc expiare censet Hircum extus oblatum, allata, subjicit: שעיר חטאת הכיפורים שנכנס דמו לפני לפנים לא היה בא על השגגה אלא על המזיד לכפר על מי שעבר בזדון וכו: i. e. *Hircus victima diei Expiationis piacularis, cujus sanguis in interiora introducitur, non de peccato per ignorantiam commisso offerebatur; sed de eo, quod ex deliberato consilio, ad expiandum eum, qui* ἐκ προαιρέσεως *fuerat transgressus.* Paucis interjectis, idem ait: כמו שהיה ההבדל עצום בין חטא השוגג וחטא המזיד בכוה תיה הבדל גדול בין חטאות אלו השעירים שאחד מהם והוא שעיר חטאת המוסף הבא על השוגג הוה נאכל לכהנים ונזרק דמו על מזבח החיצון כפי קלות החטא/ אבל שעיר חטאת הכיפורים המורה על המזיד מפני חומרת העון ההוא היה כולו נשרף וחוץ לחומה סחוב והשלך מהלאה לשערי ירושלים ונכנס דמו לפני לפנים להתחנן לאלוה הכפורים על כטרת רשעת העון ההוא כי רבה היא: i. e. *Quemadmodum ingens est differentia inter peccatum delinquentis ex ignorantia, atque ex deliberato consilio: ita quoque magna observata est differentia inter victimas piaculares istorum Hircorum. Quia istorum unus, qui sc. piacularis Supererogatorius, ob delinquentem per errorem oblatus, comedebatur à Sacerdotibus, ejusque sanguis spargebatur ad Aram modo exteriorem, propter levitatem peccati, pro quo expiat. Verum Hircus piacularis Expiationi proprius, ob delinquentem ex deliberato consilio oblatus, propter gravitatem iniquitatis hujusmodi totus fuit igne combustus, & extra mœnia abjectus, atque projectus exinde ad portas Hierosolymæ; ejus sanguis vero in intimum allatus est, ad conciliandam Dei Expiationum autoris gratiam, in Expiatione malitiæ hujus iniquitatis, quæ maxima est.*

§. X. Vides, quid populus veteris fœderis prædicet de Victimis hujus [Expiationis] diei Piacularibus. A quo antequam discedam, non possum, quin prius ea recenseam verba *R. Simeonis f. Jochai* (h), quibus aliud Suis declarat expiationis remedium, inquiens: כד הוו ישראל בארעא קדישא באינון פולחנין וקרבנין דהוו עבדי הוו מסלקין כל אינון מרעין ויסורין מעלמא/ השתה משיח מסלק לון מבני עלמא וכו' i.e. *Equidem existentibus Israelitis in terra sancta, per cultus istos, & sacrificia, quæ fecerunt, abstulerunt morbos istos omnes: Hac vero hora Messias eos aufert à filiis hujus mundi &c.* Istius quippe sanguis, *Sanguis S. Jesu Christi filii Dei emundat nos ab OMNI PECCATO* (i). Cui, Ara gratitudinis pro concessis hucusque viribus exstructa, Precum ardentissimarum odoratissima adolemus aromata; ut, in quod proprio sanguine suo introivit Sanctum, æterna redemtione inventa, in illud etiam nos suo intromittat tempore, supremo Patri reconciliatos plenissime.

(n) *Psal.* 51: 7. (o) *Videatur Levit.* 4: 2, 3, 8, 14, 20, 21, 23, 26, 27, 28. *&c.* (p) *Ps.* 2 *Sam.* 12: 13. (q) *Jes.* 53: 5. (r) *Exod.* 34: 7. *conf.* 33: 8. (s) *Dan.* 9: 24. (t) *Exod.* 21: 29. (u) *Ps.* 59: 4, 5. (x) *Ps.* 51: 3, 4. (y) *Jes.* 59: 12. (z) *Vid.* Maimon. *hilc.* jom haccippurim, *c.* 2. §. 6. *c.* 4. §. 1. (a) *Comment. ad cap.* 4. §. 2. *tit.* Joma. (b) *Lev.* 16: 16, 21. *coll. vs.* 34. (c) Schebuoth, *cap.* 1. §. 6. [*alii* §. 9.]

(d) *l. c. fol.* 7. *b. l.* 8. *sqq.* (e) *Tit.* Joma *fol.* 9. *b. l.* 10, 11. (f) *Fol.* 251. *col.* 3. *l.* 2. (g) *l. c. l.* 14. *seqq.* (h) *In* Sepher hassohar, *ad Exod. col.* 380. *init. Conf. tit.* Berach, *fol.* 55. *a. l.* 9, 10. (i) 1 *Joh.* 1: 7.

IMMANUEL. WEBER

DISSERTATIO

Ad Hebr. XIII: comm. 16.

Τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός.

ΠΡΟΠΥΛΑΙΟΝ.



Abet non plane nulla sacer Codex, fateor, quæ non cuivis aperta statim sunt atque plana; sed hoc pessimum, quod Interpretum culpa locis evidentissimis spissæ sæpius tenebræ obfunduntur. Est inter alia hujus censûs locus Ebr. 13:16. Τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, adeo intellectu facilis, ut Græca non plane nescienti non possit non facillime patefacere; sed accessit illota Vulgati Interpretis (quem Verpi etiam *Interpretem errantem & errantium* dicunt; v. *Hackspan. de Scriptor. Judaic. in Theolog. usu*, cap. III. n. 12. p. 410.) manus, quæ inepta versione Disputationibus non unis atque dubiis suppeditavit ansam. Quicunque enim sint istius demum, sive unus, sive plures, qui compilarint, auctores, diffiteri sane nemo potest, quin Solœcismorum atque barbarismorum περιτίσματα plurima intra sese alat, à quibus nec Albericus Gentilis, non incelebris alioqui Jurisconsultus (*in pecul. Dissert. de Latinitate Veteris Bibliorum Versionis male accusata*,) nec quisquam alius eam sufficienter hactenus potuit absolvere. (*v. præter alios Sixt. Amam. Anti-Bar. Bibl.* l. I. cap. 4. *seqq.*) Et, quod præsentem locum attinet, ejus quidem Versionis ex instituto, quod ajunt, defensionem ante annos non admodum multos in se suscepit Cl. Joh. Vorstius; sed frustraneo, nisi omnia me fallunt, conatu. (*Miscell. Academ.* c. VII. pag. 69. seqq.) Calcar hoc mihi subdidit, ut & aliorum sententias in hanc rem conferrem; idque eo magis, quod Papæos etiam inde argumentum, pro adstruendo B. Operum merito, sibi sumere animadvertebam. (v. *Bellarm. Tom. IV. Opp.* l. 5. *de Justif.* cap. 2. col. 1254 *Edit. Ingolst.*) Cumque re exactius paulo examinata vim originario textui Græco inferri, Vorstium vero nihil fere solidi pro ea in medium attulisse vidissem, ipsius ἀντιπίπτοντα, quod à nemine hactenus factum scio, non-nihil refellere, ac Versionis hoc in loco barbariem ex Grammatica ad oculum monstrare operæ precium duxi. Inde igitur præsens Disputatio mihi subnata, quæ Grammaticam licet potissimum spectet, tamen etiam ex Grammatica hac ἀναλυσι momentum haud leve ad eruendum sensum Orthodoxum haberi posse arbitror; ut vel hanc ob caussam *& amandam & magnifaciendam esse Grammaticam*, sapienter jam olim censuerit Θεολογικώτατος Mart. Chemnitius, Loc. Theolog. de Justif. cap. 3. p. m. 246.

Textus Orig. Græcus.

Τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός.

Vulg. Latin.

Talibus hostiis promeretur DEUS.

I.

TRibus de caussis hæc versio impugnatur. *Quidam enim*, ut Vorstii verbis utar, d. l. p. 70. *contendunt eam & à fontibus alienam esse, & barbaram, & analogiæ fidei adversam.* Nos de prioribus tantum in hac Cathedra constituti; ultimum venerandis Dnn. Theologis linquimus. Erit tamen & ipsa fides in salvo, ubi iniquam isthanc esse vim, & fontibus illatam evicerimus.

II. Fontes primum hauriamus, quo de sensu constet, qui utique purior inde, quam è versionum rivulis manare creditur, secundum illud πολυθρύλλητον:

Purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Cæterum omnia heic aperta sunt & facilia, nec ulla jubet ratio, cum Reinesio hypallagen confingere, ut ita explicemus textum sacrum: Τοιαύτῃ θυσίᾳ εὐαρεστοῦνται Θεῷ. *Epistol. X. ad Johan. Vorstium*, p. 29.

III. Græcum εὐρεστεῖται alii pro Medio, pro Passivo alii haberi volunt. Salva priorum auctoritate posterius nobis placet, ac plus satis bene apud Latinos reddi posse videtur per τὸ *delectari.* Παθητικὸν hoc semel reperire est in Novi Fœderis Codice, sed τὸ ἐνεργητικὸν εὐαρεστεῖν duabus, ni fallor, vicibus, Ebr. 11: vers. 6. sine casu personæ, χωρὶς πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι, ib. vers. 5. cum casu, μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ. Similiter & LXX. Interpretes Gen. 5: vs. 22. εὐηρέστησε δ' Ἐνὼχ τῷ Θεῷ, Gen. 17: vers. 1. εὐαρέστησεις ἐναντίον ἐμοῦ, καὶ γίνου ἄμεμπτος, Genes. 39: vers. 14. εὐηρέστησεν αὐτῷ. Ubique construitur cum Dativo personæ, εὐαρεστῆσαι τινι, *placere alicui*, excepto uno Genes. 17. loco, ubi εὐαρεστῆσαι ἐναντίον τινος, phrasi singulari, nec apud profanos facile obvia, eodem fere modo, uti primitivum ἀρέσκω construitur, Actor. 6: 5. ἤρεσεν ὁ λόγος ἐνώπιον παντὸς, ubi ἐνώπιον παντὸς, pro παντὶ *per Ebraismum poni* pertendit diligentiss. Pasor, Lex. Græc. pag. 76. a. Quamvis ergo *inter* εὐαρεστεῖν & εὐαρεστεῖσθαι, h. e. *inter placere & delectari permultum sit*, monente Vorstio (l. c. pag. 72.) *cum res placeat, homo delectetur*; possunt tamen hæc duo per se invicem facile explicari. Quemadmodum enim apud Latinos perinde erit, sive dicas, *placet hic mihi*, sive *hoc delector*; ita & apud Græcos phrases esse æquipollentes: εὐαρεστεῖ οὗτος ἐμοὶ, & εὐαρεστοῦμαι τούτῳ, ecquis non animadvertit? eoque Activum (Neutrum) Passivi, & hoc contra illius sensum induit; & qui placet, eo delector, & quo delector, ille placet. Idem id voluit B. Hulsemannus Manual. A. C. Disput. XI. anti-Hager. pag. 466. ubi, *allegato*, ait, *loco* (intelligit præsentem Ebr. 13: vers. 16.) εὐαρεστεῖσθαι ponitur pro εὐαρεστεῖν, *placere, delectari*, i. e. explicari debet per εὐαρεστεῖν, non per τὸ *promeretur*; quo passivo sensu Pontificii hoc volunt intellectum. Εὐαρεστεῖσθαι enim (addit) *apud probatos auctores passive usurpari* (scilicet sensu Pontificio) *Papistæ nunquam probabunt.* Male ergo πολλ' εἰδὼς Reinesius, & ejus adsecla Vorstius ll. cc. Virum optimum perstringunt, quasi duo hæc, εὐαρεστεῖν & εὐαρεστεῖσθαι simpliciter & in conceptu specialissimo posita prorsus eadem esse & significare senserit; cum tamen non aliter, quam ut modo dixi, explicari debeat ac possit.

IV. Ex dictis satis, opinor, constat de significatione hujus Græcæ vocis; & è profanis auctoribus exempla quoque facili negotio proferrem, unde ea ulterius posset dijudicari, nisi exploratissimum foret, perpetuum esse, ut non nisi *placere*, *delectari*, *acquiescere*, & his æquipollentia denotet.

V. Objectum exprimunt verba: Τοιαύταις θυσίαις, *in casu* scilicet *sexto*, non *tertio*, quod plerisque visum hactenus. Exulat enim merito eorum sententia, (quibus etiam Gerh. Joh. Vossium de analog. l. I. cap. 44. p. 636. se adjunxisse miror,) qui hunc è Græcia casum exulare volunt; grande profecto spolium, hoc ex omnibus linguis unam Græcam disertissimam spoliare. Prostant demonstrationem, quæ eundem liquido vindicant. Ut alia taceam, in confesso est, quod Dativus significet acquisitionem sive com-

commodi, ſive incommodi, nunquam autem inſtrumentum, ſeu cauſam, modumve agendi, qui caſus ſexti unius ſignificandi modus eſt. Tot ergo caſus ſunt, quod officia ſignificandi, v. c. φθονῶ σοι, *invideo tibi*, Dativus eſt; at in συλλαμβάνω σοι χρήμασι καὶ σώμασι, *ſubvenio tibi re & corpore*, Dativus quidem eſt τὸ σοι, caſus autem ſextus τὸ χρήμασι, apud Demoſth. περὶ στεφάν. Sic apud Ariſtotelem βοήθησόν μοι καὶ ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ, *opitulare mihi auro & argento*. Adhæc etiam caſibus ſextis Latini utuntur, apud quos apertius conſpiciuntur. Cic. l. 1. ad Attic. ep. 11. *quas hiſtorias de* ἀμαλθείᾳ *habes?* Id. l. 4. ep. 15. in πολιτείᾳ, & l. 10. ep. 17. *à* ζηλοτυπίᾳ *mea*, lib. 16. ep. 15. *nunquam in majori* ἀπορίᾳ *fui*. Plin. Sec. l. 1. epiſt. 2. *eodem* ζήλῳ. Nemo, opinor, tam abſurdus eſt, qui dicat, Latinis Præpoſitionibus additos eſſe heic Dativos; aut Syntaxin Solonis urbem ſapere. Prolixiora qui cupit in hoc argumento, adeat Nic. Friſchlinum, in Demonſtratione, quam vocant, Grammat. *Græcos non carere Ablativo*, excuſ. Argentor. 1586. & in ſcriptis amæbæis contra ἀντίπαλον Mart. Cruſium paſſim. Conferendus etiam Dannhauer. Hermeneut. S. p. 215. Oſtermann. Pentad. Qq. Græc. l. 3. Vorſt. Philol. S. part. I. cap. 4. p. 134. alii. Quare ad inſtitutum revertor, concludens: τὸ θυσίαις omnino caſum eſſe ſextum, *qui licet à tertio externa forma non differat, vim tamen & ſignificationem habet diverſam*, Vorſt. l. c. pag. 71, 72. Emergitque adeo horummet verborum: Τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, hæc genuina interpretatio: *Talibus hoſtiis delectatur DEUS*, & quæ eodem recidit B. Lutheri noſtri Verſio: Solche Opffer gefallen GOTT wohl. A qua longiſſime, aut prorſus abeunt Vulgata: *Talibus hoſtiis promeretur Deus*; ac Simiæ, Emſerus, Mit ſolchen Opffern verdienet man ſich wohl umb GOTT/ & Dietenberg. Mit ſolchen Opffern verdinet man GOTT.

VI. Inde, qui ſtupor meus, non video, qua ratione Vulgatus hæc per vocem *promereri* voluerit exprimere, aut qua fronte quiſpiam eum defendere ſuſcipiat. *Mereri & promereri* Latinis proprie ſignificant *facere aliquid, quod non debes, & propter quod abs te præſtitum tibi aliquid, ceu merces debeatur, ſi non ex pacto ſingulari, tamen ex lege humanitatis & gratitudinis, quæ unumquemque conſtituit debitorem iis, à quibus beneficium accepit*, B. Gerh. Tom. IV. LL. CC. n. 124. p. 233. Sed hæc ſignificatio plane huc non quadrat, cum quicquid nos præſtamus DEO, agamus ex debito, ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, Luc. 17: 10. nec quicquam nobis DEUS debeat ex obligato, *qui, proprie loquendo, nobis ad nihil obligatur*, Dn. D. Thomaſ. in *Philoſoph. Jur.* cap. 1. §. 9. Deinde idem etiam eſt *mereri* apud Latiniſſimos, quod Græcorum ἀξιοῦσθαι & καταξιοῦσθαι, *dignum fieri, dignum reputari*; quod cum Latini uno verbo exprimere vellent, nec ſatis commode poſſent, *mereri* dixerunt. Conf. iterum Gerh. l. c. p. 234. Sed & hunc ſignificatum huc pertinere nemo fortean affirmabit.

VII. Id autem, ni fallor, volunt ineptæ Verſionis defenſores, *ſenſum Apoſtoli potius, quam verba reddidiſſe Vulgatum*; ita enim Reineſius l. c. pag. 29. & Bellarminus planius mentem ſuam explicans: *At certe*, ait, *propriiſſime dicimus Latine, unum apud alterum mereri, & eum ſibi obſtringere, qui facit aliquid, quod ei placeat, eumque delectet*. Tom. IV. l. V. de Juſtif. c. 2. & Tom. I. l. II. de Verb. DEI, c. 14. *Latine*, inquit, *recte dici, bene mereri de aliquo eum, qui facit rem ei gratam, nemo eſt, qui neſciat*.

VIII. Sed male Apoſtoli mentem tetigit, qui terminis cum ipſius ſententia plane non cohærentibus conatur explicare. Falſiſſimum eſt, Bellarmine, eum, qui placet alteri, ſtatim de eo bene mereri, vel reddere ſibi obſtrictum. Fatetur hoc ipſe Vorſtius: *Nos id*, ait, *negamus plane, ſi quis faciat, quod placeat alteri, quoque alter delectetur, eo iſtum, qui facit, ſemper mereri, & alium ſibi obſtringere. Nimirum multi, qui tale quid faciunt, quod alteri placet, ad id faciendum ſunt obligati, & alterum minime obſtringunt ſibi. Exempli cauſa: Filii honorant parentes, id quod parentibus placet; qui tamen bene de parentibus ideo non merentur, nec parentes obſtringunt ſibi. Sane parentes alunt liberos & curant, non autem propterea, quod à filiis honorantur, ſed quod lex naturæ, adeoque ipſe DEUS jubet. Non id ſpectare ſolent parentes ac liberi, ut certa propoſitio ſit inter honorem, quo parentes afficiuntur, & beneficia iſta, quibus afficiuntur liberi. Tantum abeſt, ut id fiat, ut contra parentes ſæpe liberos alant, ac tenerrime etiam ament, qui debitam reverentiam non exhibent; ut item filii parentes honorare debeant, ſi vel maxime ab ipſis, ut par erat, non alantur*. l. c. pag. 73, 74. Eodem modo reſpondet Jacob. Capellus: *Quis indolis bonæ filius dixerit, ſe toties apud Patrem bene mereri, quoties ipſi gratus eſt, aut omnes ſuos, quibus delectatur pater, actiones eſſe totidem merita. Quanto id minus licet dicere de Patre cœleſti, inter quem & nos nulla eſt proportio?* Obſervatt. N. T. in h. l. pag. 294. Habemus ergo, quod volumus; abſurda hæc Verſio tantum abeſt, ut Apoſtoli mentem adſequatur, ut ab ea potius ſecedat quam longiſſime.

IX. Nihilo ſecius in defenſione perſiſtit Vorſtius, & ne nihil agere videatur, repudiata hac, tanquam ſpuria, Bellarmini acceptione, alium atque alium τῷ *promereri* ſenſum tribuit, quem ipſum & Interpres Vulgatus intenderit. Sed, quemnam ergo? Duo dicit. Primo: *De vocabulo* mereri *res nota eſt, id notare ſeculi tertii, quarti & ſequentium Scriptoribus ſimplicem conſequutionem, ſive adeptionem de facto*. pag. 75. Conſentimus & nos quoad hoc, tum propter exempla, quæ ipſemet ex hiſtoriæ Auguſtæ aliiſque Scriptoribus ibidem allegat; tum propter auctoritates innumeras ſummorum virorum, idem iſtud ſtatuentium. Adducere poſſumus Caſaubonum, qui ad lib. I. Plin. epiſt. Mereri *veteribus ſæpe* τυγχάνειν *conſequi ſimpliciter, & factum notat, non jus*. Stapleton. Serm. 5. Prompt. Catech. poſt Paſſ. Dom. *Si aliquis veterum vocabulo promerendi uſus eſt, non aliter intellexit, quam conſequutionem de facto*. Addantur pluribus Gerhard. l. c. p. 234, 235. item Confeſſ. Cathol. l. II. ſpec. part. III. artic. 23. cap. 8. pag. 825. Meiſn. Philoſoph. Sobr. P. II. Sect. I. cap. 4. quæſt. 3. pag. 320. Chamier. Panſtrat. Tom. III. l. 14. per totum, præ reliquis c. 12. pag. 478. ſeqq. Gronov. Obſerv. in Script. Eccleſ. c. 7. pag. 76. Joh. Arnd. Lexic. Antiqq. Eccleſ. pag. 625. ſub voc. *merces, meritum*; unde imprimis apud Latinos Patres ita ἀκυρολόγως vel καταχρηστικῶς *meriti & mereri* voculas fuiſſe adhibitas, prolixius patebit. Sit ergo huic ſignificatui per nos ſuus honor; ſed cum exinde non niſi abſurda dictio naſcatur, ſi interpretemur: *DEUS conſequitur* (paſſive) *hoſtiis*, neque huncce ſignificatum urgeat Vorſtius, age, miſſum & nos faciamus.

X. Deinde, pergit Vorſtius, l. c. τὸ promereri *ſignificat etiam aliquid facere, quod alteri placeat, eique gratum ſit, & ſic itidem cum quarto caſu perſonæ, non rei conſtruitur. Promereri DEUM ſignificat facere, quod DEO placeat, & gratum ſit, & ſimpliciter quidem, non ita, ut DEUS obligetur ad aliquid viciſſim præſtandum*. Et hunc ſenſum vult eſſe hujus loci. Probat adſertum hoc ſuæ Latinitatis ex Auguſtino, qui Lib. I. de Doctr. Chriſt. c. 33. *Martyres*, inquit, *uſi ſunt ſcelere perſequentium ſe, quo tamen uſi ſunt*, ad promerendum DEUM; quæ ita exponit Vorſtius: *Non fuiſſe hanc B. Patris mentem; Martyres varias ærumnas perferendo Deum obſtrinxiſſe ſibi ad vitam æternam donandam, cum S. Patrem non patrocinari operum meritis maxime ex Epiſt. CV. ad Sixtum conſtet; ſed hanc, ut facerent, quod DEO placeret, ac gratum eſſet*, pag. 76, 77. Quemadmodum ergo, concludit, illud Auguſtini intelligimus; ita intelligamus quoque Verſionem Latini Interpretis.

XI. Tædet fere, talia prolixius percenſere; quare quæ in his ſit noſtra ſententia, demum proferamus. PRIMO, locus Auguſtini, in quo unice ſuæ cauſæ patrocinium quærit Noſter, anceps eſt & dubius; & neſcio certe, annon poſterior ille, ex quo hunc vult explicatum, adſtruat magis, quam deſtruat operum merita. Quid enim iſthæc ſibi verba, quæ expreſſe ibidem habet S. Pater: *Ut ſtipendium peccati mors; ita juſtitiæ ſtipendium vita æterna? Et verum eſt, ſicuti merito peccati, tanquam ſtipendium redditur mors; ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium, vita æterna*. Sane vitam æternam dicit *ſtipendium juſtitiæ humanæ*; & paullo poſt, *mercedem appoſitam morti, tanquam ſtipendio peccati*. Et licet circa finem paullulum temperet ſtylum, propter appoſita Spiritus S. verba, dicentis: *Mortem quidem eſſe ſtipendium peccati, ſed vitam æternam DEI gratiam*; inde tamen non abſolute negare videtur D. Pater, vitam æternam in ſe poſſe dici ſtipendium & mercedem juſtitiæ; ſed ideo tantum, *ne juſtitia de humano ſe extollat bono merito*. Inde potius inverterem Vorſtii verba: Quemadmodum Pater in h. l. loquitur de meritis ex obligatione, ita & in priori, adeoque ipſius mens hæc eſt: *Martyres perſequutionibus, tanquam ex merito DEUM eſſe conſequutos*. Et ſic fruſtra hic locus pro ſignificatu eo probando adduceretur. Sed, ut dixi, hæc dubium quidem fecere, ita conſtanter tamen adſerere adverſus auguſtiſſimum Patrem nolo, cum forte & bonis expoſitionibus juvari poſſit. Scio enim, quomodo εὐλαβέστατοι Dnn. Theologi in negotio fidei vocabula *juſtitiæ, mercedis, meriti* ad mentem Sacræ Scripturæ limitare atque diſtinguere ſoleant. Quicquid ergo ſit de poſteriore loco, inde apodictice ad alterum concludi non poteſt; cum contradicere ſibimet ipſis hominibus, qui humani abs ſe nihil alienum putant, non ſit adeo infrequens.

XII. DEINDE (potiora, maxime properantes, conflictui reservamus,) omni ratione & auctoritate solida destituitur, quod adserit Vorstius, *promereri cum Accusativo personæ constructum significare*, aliquid alicui gratum præstare. Gratis, inquam, isthæc. Quod si enim dixisset, cum ablativo, mediante Præpositione De, facilius adsensum impetraret. Qui enim *meretur de aliquo*, non dubium est, quin ei gratum faciat.

XIII. Hactenus de priori; videamus nunc etiam de Barbaro. Barbarismi meritissimo suo Vulgatum incusamus, qui Deponens *promereri*, cujus, ut cæterorum ejus generis, significatio Activa est, passive usurpavit. Non nescimus equidem, afferri exempla deponentium modo active, modo passive significantium, quæ ideo communia dixere veteres. Qualia sunt: *Sector*, *delargior*, *meditor*, *interpretor*, *auxilior*, *aggredior*, *adspernor*, *comitor*; & quæ hisce versiculis circumferuntur apud Grammaticos:

Osculor, *amplector*, *dignor*, *consolor*, *adhortor*,
Depeculor, *frustror*, *criminor & stipulor*;

queis de pluribus Priscian. L. IIX. de Signif. & Gen. verb. Gell. N. A. l. XV. cap. 12. Verum recte monent iidem Grammatici, horum & similium significationem Passivam succedentibus subinde Seculis etiam apud ipsos Latinos desiisse, unde & verba ejusmodi parcius seculo Augustæo, quam ante in usu fuerint; & plerumque participia tantum, rarissime ipsa verba ita inveniri; à participiis autem ad verba ipsa per omnia non valere consequentiam. Quare notanda isthæc talia, sicubi apud auctores occurrunt, tanquam minus probata, minime vero in exemplum trahenda sunt. Quis enim, si quid analogiæ penitus adversum vel apud Ciceronem ipsum facundiæ parentem inveniat, ei ab auctoritate statim dabit veniam? Quasi vero, quod quaque lingua loquentibus usu venit, optimo Oratorum non aliquando vel vox, vel flexio nimis Latina excidere potuerit. Præterea nullum scio, poterit hujus cumprimis verbi passive constructi ex auctore probo afferri exemplum; ut adeo, quod ante cœpi dicere, ab uno & altero deponenti passive constructo ad quodvis ita libere construendum nullatenus procedat collectio. Alias Grammaticis tyronibus Priscianum, bonum senem, impune cædere jugiter erit integrum.

XIV. Sed videamus, quo se prorepat Vorstius, ut Barbariei crimen à Vulgato, si fieri posset, avertat. *Porro*, inquit, *de flexione quod objicitur veteri Interpreti*, *quod τὸ* promeretur *dixit passive*, *id itidem dicitur objectari immerito. Sane si exigere id velis ad Tullii dictionem*, *qua uti nostræ ætatis doctis decretum est*, *parum id ei congruet*; *& si in cujusspiam nostrum deprehenderetur scriptis ea vox*, *in solœcis & barbaris maxime numeraretur*; *at in Vulgata eadem solœca ac barbara minime est. Sane Versio ista jam extitit seculo V. quique eam confecit*, *sacras literas ea fere dialecto expressit*, *quæ istius ætate obtinuit. Neque id ab ipso postulari potuit*, *ut Tullii exprimeret dictionem.* Vult, quantum ariolor, distinguendas esse Scriptorum ætates, & pro harum diversitate diversimode etiam sentiendum. Eo, quo lucem adspexit Vulgata, ævo Vetusto aliam impuriorem Latinitatem obtinuisse, aliam vero puriorem hodie. Eam igitur & exigi debere ab interprete, quæ tum satis bona obtinuerit; nec ad nostram, Tullianam, examinari.

XV. Mitto Vulgatæ auctoris ætatem, aliaque quæ heic disputari possent, sane nescientia puræ castæque Latinitatis, quæ propria istius ætatis culpa adolevit, veniam & miserationem haud merebitur. Numne ideo, quia isti barbari barbariem foverunt, mitiori, quam barbarorum nomine tractabuntur? Non equidem Tullii dictionem ab eis exigimus, sed Latinam tamen satis. Certe adeo acriculi non sumus, ut, quæ apud Ciceronem Mar. Nizolius inventa non perhibet, ea, ut barbara statim culpemus; sed & alia toleramus, modo non sint adversus linguæ analogiam. Sunt enim duo, ad quæ exigenda Latinitas, analogia scilicet & auctoritas; utrobique tamen cautione maxima opus. Non quidvis statim, quod analogiæ convenit, arripiendum; quod facere amant aliqui, qui ea ad quidvis non Latine fingendi licentiam abutuntur. At nec ab auctoritate usque abest suspicio, quando nimirum cum analogia pugnat. Quo de planius & prolixius disserentem (neque enim pœnitebat,) vide, sis, Cl. Christoph. Cellar. Prolegom. ad Barbarism. & Idiotism. Sermon. Letin. pag. 8. seqq. Neque igitur auctoritati sine analogia, neque analogiæ sine auctoritate quidquam tribuimus; neutra sine altera prodest, aut sanam salvamque Latinitatem præstat. Hinc non adeo bene Vorstius ad nudam auctoritatem provocat, cum analogia plane reclamet, & vim patiatur.

XVI. Quid? quod & morbosa sit ea auctoritas, seculi scilicet quinti, quod ferreum Latinitas experta est, quo non vergebat in casum, sed ruebat, cum post Honorii & Valentini III. tempora barbarorum res in Italia & provinciis Romanis invalescerent. At, instat, *Hieronymi*, *Augustini*, *aliorumque auctoritates obvertendo.* Respondemus, & hos in æneo Latinitatis seculo vixisse, h. e. Honorii & Arcadii temporibus, quis ignorat? Quod si vero ex auctoritate debet admitti judicium, ex aureo, hoc est, Augusteo, & argenteo eam adferre cumprimis licebit. Conferri de hisce IV. seculis meretur iterum Cellarius, d. l. p. 11. 12. 13. seqq. Sed objicit idem Noster; *hoc ipso quoque ævo*, *& ab optimis L. L. auctoribus passive quandoque usurpata Deponentia.* Ad quod reponimus; nec eo quidem ævo universos ita puritati studuisse, uti non subinde aliquis barbarismus, vel solæcismus, ipsis invitis & non satis attendentibus, irrepserit. Hodie Germanica Lingua ad istud fastigium adscendit, ut vix videatur posse altius; sed quis tamen negare sustinuerit, aliquando etiam purissimos Scriptores barbarismum unum alterumve committere? Ita in purissimis fontibus etiam lapilli atque aliquæ sordes reperiuntur. Sicuti & vicissim maxime barbarum seculum Scriptores quosdam tulit, nequaquam barbaros ac contemnendos, videlicet Boëthium, Cassiodorum, Priscianum, alios, quorum libri multiplici doctrina referti prostant, & in precio apud eruditrs habentur.



JOH.

JOH. GEORG. OTHONIS
DISSERTATIO
De Sacerdotio Christianorum Regio ad 1 Petr. II: 9.

Auxiliante Divina Gratia.

§. I.



Magnifica & antiquum Gentis splendorem sapiens propositio illa est, quam ad Israelitas, quorum oculis tanti, quod evaserant, periculi imago adhuc oberrabat, Deus per Mosen fieri voluit. *Exod.* 19. Se scilicet esse, qui eos Aquilinis velut alis evectos, longe supra Ægyptiorum potentiam & vires collocaverit: Atque huic insigni beneficio adhuc istud se additurum, ut ex omnibus sub sole populis selecti, peculium sibi & ממלכת כהנים constituant, modo audire suum Imperium, idque strenue exequi voluerint. Nihil apud populum in jucunda superatæ abjectissimæ servitutis memoria defixum splendido titulo sive ad confirmandum aptius, sive ad movendum efficacius. Sequitur omnium uno ore tanquam ingentis exercitus alacer clamor, nullo detrectante, quod Deus exegisset, obsequium. Eodem jure omnes Christiani insigni perfunduntur lætitia, quando Spiritus Sanctus verba sua ad populum Israeliticum rotunde & nervose complectens, ita ad eos transfert.

1 *Petr.* 2: 9.

Ὑμεῖς δὲ γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν. Ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς.

§. II. Ad hanc itaque vere auream materiam Speciminis Academici loco pertractandam breviter quidem, ceu modus pagellarum ex Superiorum mandato habendus præscribit, seligere impræsentiarum placuit verba secundo commati inclusa, cætera per sua quæque vasa digesturis.

§. III. Ut promissis exacte & presse stare possimus, commodissime visum est, prius de termino conjuncto Sacerdotii Regii in genere, seu quoad ea, quæ Sacerdotio Christianorum cum Regno eorundem sunt communia, agere, & tum demum ad specialem Sacerdotii Christianorum Spiritualis tractationem descendere; Ut scilicet nonnihil de Regno Christianorum dicamus: utut quoad specialem ejus tractationem vacare nos jusserit disputatio in eandem materiam sub Moderamine Dn. D. Præsidis proxime habenda.

§. IV. Hisce præmissis, ordine nunc Rubrum disputationis percurremus, ut scilicet mori recepto pareamus, magis ea, quæ ad rem ipsam, quam vocum etymologiam spectant, attenturi. Quod ut feliciter fiat, Deus faxit!

CAPUT I.

De Subjecto Enunciationis Petrinæ.

Christianorum nomen Græciæ suos debet natales, impositum fidelibus Antiochiæ, Syriæ Metropoli, quæ alias Epidaphes vocabatur: à quo? in contextu expresse non dicitur, probabiliter tamen à Paulo & Barnaba. vid. *Act.* 11: 25. Descendit vero immediate quidem à nomine *Christus*, Græce Χριστὸς, ceu occasio appellationis *l. c.* expresse addita: *Et annum totum conversati sunt in ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita, ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani*: (quæ VV. versio est) docet, illos ita fuisse appellatos, qui doctrinam de Christo receperunt in eumque crediderunt, ut hoc modo à quavis alia secta, ipsisque imprimis Judæis discerni possent: mediate autem derivatur hæc vox à Græcorum verbo χρίω, *ungo*; sunt enim Fideles quicunque Socii illi, *præ* quibus *unctus* dicitur *oleo gaudii* & lætitiæ Christus (אלהים) à Patre suo. *Psal.* 45: 8. quiqui participes fiunt in regeneratione unctionis Domini sui Christi. 2. *Cor.* 1: 21. Hi intelliguntur in enunciatione Petri virtuali, ubi copula, *estis*, latet in pronomine: ὑμεῖς, more scilicet omnibus linguis usitatissimo. De veritate autem hujus assertionis nemo dubitabit, qui vel solam inscriptionem hujus epistolæ consideraverit; in qua expresse *Catholica* dicitur: Catholica scilicet, non solum ratione doctrinæ, sed imprimis etiam ratione objecti personalis catholici, quia non ad certos cœtus; sed omnes omnium locorum fideles ex Judaismo conversos exarata fuerat, vi pacti Paulum inter & Barnabam ex una, & Petrum ex altera parte initi: de quo vid. *Galat.* 2: 9. Eadem vero ratio Christianorum ex Gentilismo conversorum. Ad Statum conversionis enim pertinet, quod Paulus scribit *Galat.* 4: *vs.* 28. & *Coloss.* 3: 11. *ibi non esse Græcum & Judæum, Circumcisionem & Præputium, Barbarum, Scytham, Servum, Liberum, masculum aut fœminam: omnia & in omnibus* (esse) *Christum: quatenus omnes unus sunt in Christo, Ipse enim fecit ex utrisque unum, & interstitium maceriæ diruit.* Eph. 2: 14. *ita ut sint Unum corpus, unus spiritus; quemadmodum & vocati sunt in una spe vocationis suæ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium.* cap. 4: 3. Eandem itaque doctrinam Judæorum Doctor Petrus in hac proponit epistola, quam Paulus Gentium Lumen in suis. Uterque quid de Christo credendum sit ac sentiendum; uterque, qua ratione fides per opera demonstranda, & functiones nostræ spirituales exequendæ sint, monstrant: uterque in corroborandis & muniendis contra quasvis persecutiones, à Diabolo excitandas, fidelium animis occupantur.

CAPUT II.

De Sacerdotio Regio Christianorum in Genere.

§. I. Sequitur prædicatum, nempe Sacerdotium Regium, vel Regnum Sacerdotale. Sunt enim termini convertibiles. Tribuitur autem hoc prædicatum Fidelibus collective sumtis. conf. *Exod.* 19: 6. Alias Christianos Scriptura in concreto quoque Sacerdotes & Reges vocat vid. *Apocal.* 1: 5, 6. *cap.* 5: 10.

§. II. Cæterum quid Petrus per hunc terminum indicet, forsan non una erit Theologorum sententia. Magnus quidam Theologus (a) responderit forte, indicari Sacerdotium Nobilissimum: quemadmodum dicit per Regnum Sacerdotale *Exod.* 19: 6. intelligi regnum nobilissimum (Regum enim & Sacerdotum semper summa gloria apud omnes populos) &c.

§. III. Neque injuriam faciemus B. Doctori, si quod is ad locum Mosis annotavit, ex ejusdem mente ad loci Petrini interpretationem referamus: cum non possit non idem de utroque judicium ferri, ex addita ratione, quæ utrique communis. Sunt enim reciproca: Regnum Sacerdotale, & Sacerdotium

(a) *B. Dn. D.* Danh *ap. hod. Christ. phæn. II. p. m.* 71.

dotium Regium. Quid? quod manifeste ex toto contextu apparet, Petrum ad locum *Exod.* 19: 6. tanquam parallelum respicere; imo Sacerdotium Christianorum Regium Regno Ebræorum Sacerdotali ut typo antitypum præferre?

§. IV. Certum est, ἐξοχὴν insignem hac ipsa appellatione Christianis tribui, adeoque sano sensu Sacerdotium Regium dici posse idem, quod nobilissimum: ob rationem, quam addit Autor cit. Credimus autem, non tantum excellentiam (velut in se, generaliter & indefinite) sed peculiarem, qualis nomine in significatu proprio accepto denotatur, hic agnoscendam esse. Scilicet quando Moses dicit, *Regnum Sacerdotale*; *regni* vocem pro societate eorum, penes quos est imperium, accipi, extra dubium est. Et quando Petrus *Sacerdotium regale* dicit, *Sacerdotii* nomine, societatem eorum qui sacris funguntur, haud dubie designat. Neque ergo causa est, ut, cum nomina illa sic permutantur, ut, quod nunc subjectum erat, fiat alterius epitheton aut adjunctum, adjective enunciandum, & vice versa; nihil, nisi excellentiam qualemcunque subjecti significari putemus. Magis opinor, convenit, ut utrinque dicamus indicare excellentiam duplicem ex conjuncta ratione Regni & Sacerdotii. Summa enim gloria Regum & Sacerdotum qua talium apud omnes fuit populos. Constat, nullam ferme gentem esse, quæ non aliquid Religionis servaverit; probe sc. judicantes cum *Cic.* princ lib. de Nat. deorum, *Haud scio, an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus Justitia tollatur.* Adde *Lactant.* de ira Dei cap. XII. Hinc factum, ut falsam potius, quam nullam, amplecti maluerint religionem. Non potuerunt ergo non eadem ratione in summo pretio haberi tam necessarii Reipubl. vinculi fabri, Sacerdotes: ita ut Sacerdotium dignum fuerit habitum, quod diademati Regio splendorem fœneraretur; quod hic paucis ostendere nec prorsus inutile fuerit, nec injucundum: magnam certe lucem præsenti materiæ commodaverit.

§. V. Igitur, ut à Sacris ordiamur, decantatissimum est exemplum Melchisedeci: (quod nomen *Regem Justitiæ* sonat. vid. *Ebr.* 7: 2. idem honorificum justi Regis epitheton fuisse volunt *Corn. à Lap.* & *Cajet.* sed incerto) de quo vid. Gen. 14: vers. 18. seqq. ubi de eo dicitur I. quod fuerit *Rex Salem*, s. Hierosolymorum. conf. Psalm. 76: 2. Epistola ad Ebræos cap. 7: 2. hoc nomen proprium in appellativum mutat: rationem vid. inf. II. De hoc ipso expresse dicitur, quod fuerit Sacerdos לאל עליון Numinis supremi vel Altissimi. Altissimi, inquam, non idoli, utut Chananæus forte fuerit. vid. Dn. D. *Gerh.* Comm. p. 316. Quæ occasio appellationis fuerit, aut in quo officium ejus Sacerdotale constiterit, equidem expresse non dicitur c. l. & nihil minus ex textu elicias, quam illum Abrahamo obviam factum: sacrificium peregisse, quod Pontificiorum ad sacrificium Missaticum stabiliendum, confictum figmentum est: Non sane ex voce הוציא nam hæc *Exod.* 8. de pediculis productis usurpatur, nisi & illos sacrificatos fuisse forte velint Adversarii: (ceu recte instat Dn. D. *Pfeiff.* in dub. vex. p. 101.) nec ex voce לחם quæ h. l. nihil aliud significat, quam epulas (conf. *Genes. cap.* 18: 5. *cap.* 43: 31. *Esai.* 58: *vers.* 7.) exercitui victorioso Abrahami amicitiæ & victoriæ gratulandæ ergo à Melchisedeco ut Rege oblatas ex more usitatissimo: de quo vid. *Deut.* 23: 4. *Jud.* 8: 5. *Isidorus* lib. 20. Etym. cap. 3. *Cic.* in Pisonem. *Liv.* lib. 31. *Polyb.* lib. 3. Causa igitur mentionis de Melchisedeci Sacerdotio factæ videtur ea esse: Scilicet epulo excipiebat Abrahamum ut Munificus Rex: benedicebat eidem ut Sacerdos. Vid. Celeb. Dn. D. *Pfeiff.* in D. V. p. 100.

§. VI. Insigne, inquam, præ reliquis Sacerdotii cum Regno in uno individuo conjuncti exemplum est Melchisedecus. Fuit Abraham Rex & Sacerdos, sed Melchisedeco decimas dabat. Eli, Maccabæi, Assamonæi Levitæ in Reges potius degenerarunt, quam profecerunt; itidem cum Melchisedeco non conferendi. Sed id longe maximum est, quod ipse Spiritus S. testatur, eum gessisse typum unici Sacerdotis Regisque Jesu Christi, *Ebr.* 7. per totum: Dum scilicet Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος fuit, non quod Patre, Matre &c. caruerit, sed quod à Spiritu Sancto in Scriptura S. non definiantur, nec à quopiam alio designari possint: refert typum Christi ratione humanæ Naturæ Ἀπάτορος, (Luc. 1.) ratione Divinæ Naturæ ἀμήτορος, atque per consequens hactenus ἀγενεαλογήτου. Dum dicitur fuisse sine principio & fine (ob eandem jam memoratam rationem) gessit typum Christi vitæ principium (juxta Divinam naturam) & finem verissime non habentis; juxta l. c. vers. 28. Si, ut quibusdam placet, Chananæus gente fuit, etiam hac in parte Christum adumbrat, dum scilicet genere Sacerdotium ejus à Levitico distinguitur, prout de Christo dicit Apostolus: ex Juda ortum esse Dominum nostrum (secundum Humanitatem) cum qua tribu nihil de Sacerdotio (eidem conferendo) locutus sit Moses v. l. c. vers. 14. Dum Rex Salem sive Solymæ fuit, typum gessit illius, qui *Psalm.* 24. *Rex Gloriæ* vocatur, quique ideo denunciandum curat filiabus Zion & Jerusalem, se esse earum Regem: *Zach.* 9. h. e. Christi, qui etiam in summo ignominiæ statu nihilominus amat *Rex pacis* salutari, *Cant.* 3. Rex dicitur Salomo, Salomo autem dicitur à שלום, quasi Pacificus; en! quo mutatio nominis proprii Salem in denominativum facta ab Apostolo l. c. tendat!) Dum benedixit Abrahamo, occasionem forte sumens ex promissione seminis, in quo omnes populi essent benedicendi, *Gen.* 22; dumque intercessit oravitque pro Abrahamo ut Sacerdos, præfiguravit officium Christi Sacerdoticum, quod juxta Alphonsi symbolum, futurum erat pro Lege & Grege, satisfaciendo legi, salutem acquirendo Gregi.

§. VII. Ne quis vero putet, hanc Sacerdotii ἐξοχὴν intra terminos populi Ebræi conclusam fuisse; facile probatum dabimus, Sacerdotii Regii nec apud profanos ignota esse nomina, aut rem ipsis obscuram. Sic *Plato* in Polit. scribit: Περὶ μὲν Αἴγυπτον οὐδ᾽ ἔξεστι, βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν, ἀλλ᾽ ἐὰν ἄρα καὶ τύχῃ πρότερον ἐξ ἄλλου γένους βιασάμενος ὕστερον ἀναγκαῖον εἰς τοῦτο εἰσελθεῖν αὐτὸν τὸ γένος ἤδη μένον. Et *Clemens Alexandr.* (qui vixit sec. III. ineunte) Id observatum apud eos esse, qui doctissimi essent ex Barbaris, ut genus Sacerdotale ad regnum proveherent. lib. VII. Strom: Et cui non nota sunt, quæ de Trismegisto Ægyptio Scriptores, quod maximus Rex, maximus Sacerdos, & maximus Philosophus atque ita quasi Τρὶς μέγιστος fuerit: quanquam eum alii ob tres potius potentias in Divina Natura primum ab eo observatas, ita dictum putent: Vid. *Kirch.* in Obel. Pamphil. Lib. I. & *Beyerlink.* in Theatro vitæ hum. sub tit. Philos. in voce Hermes: item de Zoroastre Bactrianorum Rege, Magorum i. e. Sacerdotum Præside, scribunt.

§. VIII. Apud Romanos conjunxit hæc Famosissimus Numa Pompil. secundus à C. U. Rom. Rex. Referas huc forte verba *Corn. Tacit.* lib. III. Annalium: *Nobis Romulus, ut libitum imperitavit, dein Numa Religionibus & Divino jure populum devinxit &c.* It. Luc. An. Florus L. I cap. II. *Ille* (Numa Pompilius) *sacra & ceremonias, omnemque cultum Deorum immortalium docuit: Ille Pontifices, Augures, Saltos, cæteraque Sacerdotia, annum quoque in duodecim menses descripsit.* Et post pauca interjecta: *Eo denique ferocem populum redegit, ut, quod vi & injuria occupaverat, imperium religione & justitia tueretur.* Quod Elegantissimi Scriptoris judicium Clarissimus *Boxhorn.* Dissert. II. de Rom. Imp. verum quidem de Numa, iniquum autem de Romulo vocat: de quo ipse viderit.

§. IX. Cui hæcce talia non videntur probanda probare, eum audire pervelim Historiæ Romanæ facile Principem Tit. *Liv.* hist. lib. I. *Tum Sacerdotibus creandis animum adjecit, quanquam ipse sacra plurima obibat, ea maxime, quæ nunc ad Dialem Flaminem pertinent.* Quibus verbis nihil clarius aut manifestius. Sed nimis longum foret, si non supervacaneum, hoc pluribus deducere, & undiquaque accersitis documentis confirmare: Interim (quod unicum hanc in rem monere placet) ordinarie post latam legem divinam, statum ministerialem ecclesiasticum cum Politico Regimine in uno individuo esse incompossibilem, orthodoxis Theologis una cum lubentissimis concedimus, facilesque imus in *Synesii Cirensis* Episcopi (Scriptoris V. sec. Celeb.) sententiam, quæ exstat in epist. 57. συνάπτειν τὴν βασιλείαν τῇ ἱερωσύνῃ, συγκλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα. Quod ipsum etiam sinisterior, qui ejusmodi Regiminibus cum sacro munere conjunctis respondit, eventus satis comprobat; vid. de *Usia* 2 *Chron.* 26: 18. de *Heraclito* V. Dan. Rege *Sax. Gramm.* lib. 11. hist. Dan. &c.

§. X. Ex hisce interim prono tandem amne fluit Autoris supra indicata sententia: Sacerdotium Regium esse idem ac Sacerdotium cum Regio charactere conjunctum, atque hoc ipso Nobilissimum: quam explicationem forsan non incommode definitionem nominalem diceremus. Cum enim in re quacunque describenda ab eo fiat denominatio, quod præstantissimum; negari profecto nequit, præstantiam Sacerdotii majorem dari aut fingi non posse, quam si ad fastigium Regium ascendat: Ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Profecto si nomine βασιλικόν, excellentiam denotari dicas, utut vera sit sententia, conceptum tamen Sacerdotii Regii minime exhaurit: quemadmodum ex intimiore & penitiore ejus per causas tractatione patebit. Ex causis enim de effectu judicamus; & ut JCtorum verbum habet: Dignitas causæ ostendit dignitatem effectus

§. XI. Causa itaque Efficiens Sacerdotii Regii, sive regni Sacerdotalis Christianorum, est tota individua S. S. Trinitas. Est

Eſt enim opus ad extra, & terminatur ad effectum extra Deum, penes hominem & in eo productum, tribus Perſonis communem. Per appropriationem Chriſtus cauſa ejus eſt: de quo tamen obſervandum, illum non ſolum ut cauſam efficientem ad hunc effectum concurrere, verum etiam per modum cauſæ meritoriæ; ceu infra videbimus. Conf. interim loca *Apoc.* 1: 5. 6. cap. 5: 10; in quo utroque loco ipſi tribuitur ποίησις, effectio & cauſalitas cauſæ efficientis in ordine ad Sacerdotium Regium. In quo vero iſta conſiſtat, altioris erit indaginis.

§. XII. Id primo omnium quidem neceſſe eſt, diſtinguamus inter Sacerdotium Regium, prout modo ſtatum vel jus agendi; modo actus ipſos ſive functionem muneris, importat. Et ſi conſideretur, ut jus involvit, diſcernamus juris hujus acquiſitionem & applicationem. Quibus præſuppoſitis dicendum, ſi Sacerdotium Regium Chriſtianorum ſpectetur, quatenus ſignificat jus & quidem ratione acquiſitionis, facile verum eſſe deprehendas, quod paulo ante diximus, Chriſtum per modum cauſæ meritoriæ reſpectu hujus effectus concurrere: Ratione ſcilicet paſſionis & mortis ſuæ, uno verbo, meriti, cujus intuitu Deus decrevit hominibus omnibus jus hoc Sacerdotii concedere, quotquot vera fide in Meſſiam illud ſibi eſſent applicaturi. Dicimus vero per modum cauſæ meritoriæ: prout uſus obtinuit penes orthodoxos Theologos, ut agens liberum, præſertim ubi de Chriſto ſermo eſt, cauſam meritoriam appellent, in quantum operis meritorii principium eſt, idque ſcriptura & uſu loquendi præeunte non plane deſtituti. Exemplo rem declarabimus: Sic quando Paulus ait *Eph.* 1: 4. Sicut Deus elegit nos in ipſo (Chriſto) ante jactum mundi fundamentum: Noſtrates Theologi particulam ἐν αὐτῷ, in ipſo, exponunt per τὸ *propter* ipſum: quæ particula, cum hic non cauſam finalem denotet, nota utique cauſæ meritoriæ cenſetur. Quo tamen non obſtante, etiam recte dicitur, Chriſtum in ordine ad hunc effectum; nempe jus Sacerdotii acquirendum, habere ſe, ut cauſam moralem: cujus cauſalitas ipſa mors eſt aut paſſio, quatenus, ut per eam peccata nobis remittantur, & jura filiorum Dei adipiſcamur, moriendo & patiendo intendit.

§. XIII. Quod ut rectius intelligatur, notandum eſt (1); Doctores quoſdam cauſam *Merentem* & cauſam *Meritoriam* diſtinguere; ita ut *illa* quidem ipſis ſit agens morale & ſimul cauſa moralis, quæ per motionem moralem conferat, quod ſuum eſt, ad id, cujus reſpectu cauſa dicitur: *hujus* autem nomine fere actionem vel factum aliquod deſignent, quod movet ad volendum & faciendum vel dandum aliquid, ſive in modum præmio ſive pœna digni ſive ſatisfactorii operis. (2) Tale factum impræſentiarum eſſe quoque paſſionem & mortem Chriſti, quæ terminatur ad voluntatem Dei, in ordine ad concedendum Jus Sacerdotii Regii hominibus, movendam. (3) Conſiderari poſſe dupliciter (α) quatenus infinito ſuo valore Deum movet ad remittenda peccata, & pœnitentes credenteſque in filios, juraque filiorum, quale eſt, quod impræſentiarum conſideramus;) adoptandos, ſic eſſe & vocari cauſam meritoriam. Si autem ex vitio ſubjecti hæc adoptio non ſequatur actu, meritum potius, quam cauſa meritoria dicenda fuerit) (β) qualiter comparatur ad Chriſtum patientem ac morientem, ſive paſſum ac mortuum, ut ex ejus æſtimatur intentione; ſic eſſe ipſius, ut cauſæ moralis cauſalitatem.

§. XIV. Hoc itaque modo acquiſitum jus Sacerdotii Regii actu illis tantum confertur, qui fide per verbum prædicatum vel per baptiſmum concepta meritum Chriſti amplectuntur, ſive quod idem eſt, unctionis, quæ per Spiritum S. fit, participes redduntur. Ut enim ſup. cap. I. dictum, omnes Chriſtiani & fideles ſunt ſocii illi, præ quibus Chriſtus à Patre ſuo, oleo gaudii & lætitiæ unctus (unctione non gradu ſolum aut intenſione,* ſed ipſa ſpecie differente ab illa, quæ μετόχοις αὐτοῦ tribuitur. Conf. *Pſal.* 45: 8. *Ebr.* 1: 9.) dicitur. Hæc igitur unctio eſt Chriſti, tanquam cauſæ efficientis, in ordine ad Sacerdotium Regium fidelibus applicandum cauſalitas. Vid. 1. *Johann.* 2: 27. ubi Chriſtiani dicuntur *unctionem* accepiſſe *à Chriſto.* Quo referas etiam teſtimonium *Leonis* Papæ ſerm. 3. in Anniv. die aſſumt. ſuæ ad Papatum: *Omnes in Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges; Sancti vero Spiritus unctio conſecrat Sacerdotes, ut propter iſtam ſpecialem miniſterii ſervitutem univerſi ſpirituales & rationales Chriſtiani agnoſcant, ſe Regii generis, & Sacerdotalis officii eſſe conſortes.* Hact. Leo. Sicuti namque ipſe Chriſtus unctus eſt in unione Perſonali per Spiritus S. ἐπῆλθεν, à qua ſtatim *Chriſtus* audit, *Luc.* 4: 18. & quidem ad officium tergeminum, Sacerdotale, Regium & Propheticum; unctione enim in munera ſua immiſſi olim Sacerdotes (b) Reges (c) & Prophetæ (d). Ita & ſuos fideles gentem ſanctam hujus unctionis facit participes.

§. XV. Hæc vero unctio non immediate, prout Quakeri (ab artuum tremore ita dicti quaſi Querqueri) etiamnum novas, poſt Scripturam S. editam revelationes ad cognoſcendum ſalutariter Deum & res Divinas, Chriſtianis obtingere docentes, ſomniant; Vide *Rob. Barcl.* Apol. Theol. vere Chriſt. p. 4. & 16. &, qui nuper huic ſuppetias tulit, *Georgium Keilhium*, in amica, quam vocat, reſponſione ad diſſert. Dn. D. Præſidis I. Quakeris oppoſitam; ſed mediate fidelibus obtingit: Mediante ſcilicet verbo Dei, prout ipſum verbum externum balſamo aut oleo comparatur *Pſal.* 141: 5. per hoc Spiritus S. *oleum* illud *gaudii & lætitiæ*, *Pſ.* 45: 8. concipitur, qui fidem in cordibus fidelium operatur: hac corpori myſtico morali Eccleſiæ, cujus caput Chriſtus eſt, tanquam membra inſeruntur: inſertis Chriſtus primogenitus *Col.* 1: 15. *Matth.* 1: *vſ.* 25. nomen & privilegia ſ. jura primogenituræ, Regnum ſcil. Sacerdotium &, quod in hoc involvitur, munus Propheticum impertitur. Unde recta à Celeb. Dn. D. *König* in Comp. Theol. poſ. p. 213. jus Sacerdotii (Regii) ad effectus unionis myſticæ ſ. Spiritualis refertur. Huc pertinet, quod *Auguſt.* Lib. XX. de Civ. Dei, cap. 10. egregie inquit: *Sicut omnes Chriſtianos dicimus, propter myſticum chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt unius Sacerdotis. De quibus Apoſt. Petrus* 1 *Petr.* 2. *Plebs, inquit, ſancta, Regale Sacerdotium.*

§. XVI. Atque inde eſt, quod Chriſtiani in Scriptura *Filiorum Dei Joh.* 1: 12. *Rom.* 8: 14, 15, 16, 17. 1 *Johann.* 3: 1. & *primogenitorum, primitiarum* (ἀπαρχῶν) nominibus vocantur; ſcilicet propter iſtam capitis cum membris communicationem, qua (non ſecus ac propter eam, quæ membris inter ſe intercedit, *unus panis, unum corpus* 1 *Cor.* 10: 17.) primogeniti vocamur, quia per eam, ut alia *Goëlis* noſtri αὐχήματα, ita & hoc indipiſcimur.

§. XVII. Ex hac Fidelium Primogenitura, immediate fluunt inſignia ejuſdem jura, diverſis ſubnixa Scripturæ locis; ſcilicet *Sacerdotium*, *Regimen*, atque, quæ his in Veteri Eccleſia accedebat, *dupla hæreditatis pars:* Quæ ſingula Primogenitis in Vet. Eccleſia ſub primogenituræ juris titulo cedebant; vid. impr. *Geneſ.* 49: 3. *Deut.* 21: 17. Unde etiam cum hæc primogenituræ privilegia avellerentur à Rubeno propter inceſtum; Dominium Judæ, Sacerdotium Levi, duplex hæreditas Joſepho cedebat; quippe cujus filii Ephraim & Manaſſe non in ſtirpes, ſed in capita ſuccedebant, ac ſi filii fuiſſent ipſius Jacobi, non Nepotes: Verba ſunt B. Dn. D. *Kromayeri* in Theol. poſit. Polem. p. 174. Atque hic locus præcipuus eſt, quo ſimul probari ſolet, jura hæc competiiſſe primogenitis, & ab iiſdem ablata eſſe in tantum, Levitarumque tribui collatum Sacerdotium: unde etiam impoſterum regnum & Sacerdotium in homine uno incompoſſibilia fuerunt.

§. XVIII. Alii tamen altius, inde à Caini temporibus, originem horum privilegiorum repetere ſatagunt. Qui ideo virulentæ illius indignationis Caini cauſam reddunt, quod viderit fratrem ſibi primogenituræ jure gaudenti præferri: hinc verſ. 7. cap. 4. hunc urgent ſenſum: Annon ſi bene feceris, שְׂאֵת *præſtantia* tibi eſt (confirmabitur, te manebit, adeo, ut non ſolum prærogativa illa, quæ ex generationis ſorte tibi obvenit; gaudeas, ſed etiam in oculis meis acceptus ſis: quæ vocis ſignificatio *Xanti Pagnino* & *Ariæ Montano* quoque arridet: nec negari poteſt, ſæpius eam in Pſalmis occurrere, eſtque inſuper ſignificationi radicis נשא convenientiſſima, de qua conf. *Num.* 24: 7. *Eſ.* 57: 15.) *& ſi ſecus feceris, quieſcit ante januam peccatum* (metonymice peccati pœna, qua, utut natura præſtantiam quandam tibi præ fratre conceſſerit, tamen afficieris ob peccatum: *cujus apud te* (in tuo arbitrio) *appetitus, & tu ei dominator.* Quam tamen ſententiam in medio relinquimus; atque è diverticulo in viam revertimur.

§. XIX. Ad horum igitur analogiam & in reſpectu ad jus primogenituræ, cujus per unionem cum Chriſto myſticam participes fiunt, Chriſtianis tribui videntur Sacerdotium & Regnum Spirituale: quamvis omnino una eademque numero quoad rem ſit actio, qua cum Chriſto uniuntur, qua primogenituram, & qua ejus jura accipiunt; ſolummodo ordo in omnibus rebus obſervandus, hanc diſtinctionem formalem requirere videbatur. Manifeſtiſſime autem patet, quod dicimus, ex collatione loci noſtro paralleli *Exod.* 19: 6. Ubi ſi altius rem expenda-

(b) *Exod.* 29: 7. *c.* 30: 30. *c.* 40: 3. *Lev.* 8: 12. *cap.* 21: 10. & 12. (c) 1 *Sam.* 16: 12. *c.* 10: 1. (d) 1 *Reg.* 29: 16.

expendamus, ſine dubio ſermo eſt de ſtatu Iſraëlitarum futuro, in quo Regnum Sacerdotum ſ. Sacerdotale conſtituebant, tribu Judæ regnum, Levi autem Sacerdotium tenente, utraque autem Primogenituræ titulo ſeu in ordine ad jus primogenituræ. Quamvis enim Juda primogenitus Jacobi non eſſet, regnum tamen primogenituræ jure gerebat, non aliter ac Jacob, pater ejus, cum primogenitus Iſaaci non eſſet, Primogenituræ tamen titulo, Deo ita dirigente dominium in fratres *Geneſ.* 27: *verſ.* 29. & 37. accipiebat: modo ſaltem, quo diverſi diverſimode hoc jus accipiebant, variante: Jacob enim juſculo lenticularum emtum ab Eſavo (vid. *Gen.* 25: 29. ſeqq.) Juda à Jacobo moribundo, Rubeno, ob inceſtum, ablatum indeptus eſt: Eadem ratio eſt tribus Levi; præterquam, quod Deus ſpeciatim loco primogenitorum ex omni Iſraël ſibi offerendorum eos ſibi vendicavit, ut & hac ratione, cum κτ φύσιν non omnes eſſent primogeniti, morali tamen æſtimatione pro talibus haberentur: Quod autem ad duplam hæreditatis partem attinet, quæ in Vet. Eccleſ. ad reliqua primogenituræ jura acceſſiſſe dicebatur, nobis non licet nec opus eſt eſſe ſcrupuloſioribus, quibus omnino collectione ſatis affini præſenti materiæ, quam ipſe D. Paulus format *Rom.* 8: 16. & 17. *Ipſe*, inquiens, *Spiritus teſtimonium reddit* (συμμαρτυρεῖ) *ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei: Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*: acquieſcere, ſatis eſt.

§. XX. Ita ergo uncti Fideles in alios evadunt viros. Sicut Reges, Prophetæ & Sacerdotes ſimul ac uncti in alios evaſerunt Viros. vid. 1 *Sam.* 10: 6. Ita Chriſtiani ſtatim poſt unctionem, torpore, quo hactenus ſupini & exanimes quaſi jacebant, velut animalia quædam, quæ amiſſo ſtimulo torpent, dimiſſo, novos ſentiunt impetus ad actus Spirituales Regni & Sacerdotii myſtici exercendos, in quibus ipſa ratio, ſive cauſa formalis utriuſque conſiſtit. Sed hic diſputatio noſtra in bivium abit: Hactenus enim Generalia, & formam quaſi genericam Sacerdotii Regii contemplatis, ceu promiſimus, deſcendendum foret ad ſpecialiorem utriuſque tractationem; ſed jubemur altera parte, nempe Regni Chriſtianorum tractatione ſuperſedere, ob rationem ſupra allatam.

§. XXI. Non poſſumus tamen, quin vel tribus verbis tangamus craſſas (e) Anabaptiſtarum & Chiliaſtarum de regno Chriſtianorum cogitationes. Qui quidem in duplici ſunt differentia: quidam enim docuerunt, Chriſtum poſt reſurrectionem mortuorum regnum terrenum eſſe inchoaturum; in quo homines Hieroſolymis concupiſcentiæ & voluptatibus ſervituri ſint. Autor pinguis hujus figmenti fuit *Cerinthus* Hæreticus, Johanni Apoſtolo coævus, quem ſecutus eſt *Nepos* quidam Ægyptiorum Epiſcopus, quem refutavit *Dionyſius Alexandr.* Vid. *Euſeb.* hiſt. eccleſ. de illo lib. 3. c. 25. de hoc lib. 7. cap. 22. Alii vero Chiliaſtæ vitam in regno Chriſti millenario tranſigendam eſſe docuerunt ſpiritualibus deliciis. Et hæc *Papiæ* ſententia fuit, qui brevi poſt Apoſtolorum tempora, utpote Johannis Apoſtoli Auditor, Polycarpi vero ſodalis, (teſte *Irenæo*, quamvis ipſe contrarium teſtetur) protuliſſe dicitur hanc, quam *Auguſtana Confeſſio* vocat art. 17. *Judaicam opinionem*. Judicium *Euſebii* lib. III. hiſt. eccleſ. cap. 36. de eo eſt: *Fabuloſa hæc eum hauſiſſe ex Apoſtolicis diſputationibus non rite intellectis, cum fuerit Vir admodum modico præditus judicio.* Interim antiquitate ejus permoti Viri Graviſſimi ex Græcis Patribus *Irenæus*, *Apollinarius*; Ex latinis *Tertullianus*, *Lactantius*, & alii, ejus ſententiam ſecuti ſunt: Ex recentioribus, poſt Anabaptiſtas, eundem errorem *Weigelius* amplexus eſt & alii multi. Conf. Diſp. ſub moderamine Dn. D. Præſidis de Regno Eccleſiæ Glorioſo habitam.

§. XXII. Utriuſque ſententiæ Patroni tanquam Achillem in acie ponunt locum. *Apoc.* 10: 3. 4. ubi dicitur: *qui non adorarunt beſtiam &c. vixerunt* (vivent) *& regnarunt* (regnabunt) *cum Chriſto mille annos.* Quamvis vero difficilem ſatis fieri ſciam reſponſionem ob divortia Interpretum, itemque contextum, quando quorundam reſuſcitatio aut reſurrectio poſt decurſum horum 1000. annorum futura dicitur; & mox illi, qui hujus primæ reſurrectionis participes futuri ſunt, dicuntur cum Chriſto regnaturi mille annis. Attamen non poſſum, quin modeſte acquieſcam in reſponſione Summe Rever. Viri Dn. D. *Bechmannii* colleg. publ. manuſcripto in Aug. Conf. artic. 9. antith. §. 7. Scilicet per mille memoratos annos numerum definitum debere intelligi, contra ac quidam, inter quos *Auguſtinus*, pro indefinito pugnarunt, quos refutet articulus in Græco aliquoties non ſine emphaſi additus. Millenarii autem hujus terminum à quo eſſe tempora Conſtant. M. terminum vero ad quem eſſe tempora regni Ottomannici; Incidere enim tempora Conſtant. M. quando ſcilicet ad fidem Chriſtianam fuit converſus, in initium ſec. IV. Imperii autem Ottomannici originem referri ad ſec. XIV. Ubi quivis videat, inter hæc duo tempora periodum 1000. annorum interjacere. Dixit vero Johannes per hoc temporis intervallum Chriſtianos quidem pace & tranquillitate, à gentilium, Satana excitante ferocientium, violentia eſſe fruituros, nec diris adeo perſecutionibus, ut ſeculis anterioribus, ſubjectos futuros; donec poſt horum 1000. annorum decurſum, i. e. ſub initium ſec. XIV. ſolutus iterum Satanas, gentem Ottomannicam adverſus Chriſtianos concitarit; *animas* vero Martyrum & Confeſſorum *regnaturas dicit cum Chriſto*, his ipſis mille annis, ſcilicet quod dum alii homines in terris ſuperſtites, ab oppreſſionibus Ethnicorum ſecuri manſerint; confeſſores illi, licet quoad corpora vitamque temporalem deſtructi, & ab hoſtibus conculcati; ex parte animarum tamen omni periculo ſublimiores ſint futuri: quippe ad cœleſtem beatitudinem evehendi: quamvis finitis hiſce 1000. annis regnum eorum deſiſſe, minime cenſendum ſit. Qui hac reſponſione acquieſcere non poteſt, meminerit, conjecturam potius, quam certam ac definitam ſententiam allatam eſſe, adverſarios autem nunquam, quod volunt, obtenturos. Sed ad Rhombum! Sit itaque.

(e) *Apoſtolus* 1 Cor. 5: 16. *vocat*; Chriſtum cognoſcere ſecundum carnem; *à qua cognitione omnes dehortatur fideles.*

CAPUT III.

De Sacerdotio Chriſtianorum Spirituali.

§. I. SAcerdotium h. l. Chriſtianis collective in ordine ad caput eorum, Regem & Sacerdotem, Chriſtum tribui; Alias vero de ſingulis quoque in concreto Sacerdotium prædicari, ſupra ex collatione locorum *Apoc.* 1: 5. 6. & cap. 5: verſ. 10. demonſtratum dedimus. Idem ergo h. l. erit: Vos eſtis Sacerdotium ſpirituale: &, vos eſtis Sacerdotes ſpirituales.

§. II. *Sacerdotes* ab *offerendo* vel *dando ſacra*, nomen ſortiti ſunt. Erunt igitur Chriſtiani Sacerdotes, quia ſacra dant vel adminiſtrant. Quæ adminiſtratio potiſſimum in hiſce tribus conſpicitur, nempe (1) in ſacrificando. (2) prædicando verbum Dei. (3) benedicendo atque orando pro aliis: à quibus modo ſingulis, modo omnibus, Sacerdotes denominari in Scriptura videas. Sic à benedictione Melchiſedech Sacerdos vocatur, quia Abrahamo benedixit; Sacrificii enim ab eo peracti ne verbo quidem meminit Epiſt. ad Ebr. cum tamen typicas rationes diligentiſſime evolvat, non oblitura ſacrificii, typi fere primarii, ſi jactatum illud, quod in gratiam Abrahami factum putatur, alibi quam in Pontificiorum cerebro, unquam extitiſſet. Ab officio prædicandi quivis Pater & Mater familias Eccleſiaſtico ſeu Theologorum uſu loquendi Sacerdotes (in ſua domo) vocantur. In appellatione Sacerdotum Vet. Teſtamenti omnia hæc attenduntur. In loco autem noſtro Petrino primum & ſecundum potiſſimum attendi obſervamus. Quibus proinde hac vice firmiter lubet inſiſtere, ut quibus propoſitum eſt, non quocunque modo de Sacerdotio Chriſtianorum agere, ſed præciſe occaſione l. c.

§. III. Quod autem Petrus l. c. per Sacerdotium intelligat Sacerdotium ſpirituale, ex antecedentibus patet, quando verſ. 5. hujus capitis Chriſtianos vocat ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας &c. Talis ſcilicet eſt ſacerdos, qualia ejus ſacrificia. Externa illa ſacrificia umbratile illud & Leviticum Sacerdotium conſtituebant: ſpiritualia ſpirituales decent Sacerdotes: cum quibus optume conſentiunt, quæ *Ambroſius* (IV. Sec. vixit) IV. de Sacram. c. 1. *Unuſquiſque*, inquit, *ungitur in Sacerdotium, in Regnum: Sed ſpirituale regnum eſt & Sacerdotium.* Hanc ipſam tamen vocis Sacerdotii acceptionem eſſe metaphoricam, quivis facile videt, & ex evolutione analogiæ, quam ipſe Spiritus S. in plurimis Scripturæ locis, inprimis quoque in Noſtro ſectatur, inter ſacrificia fidelium Novi Teſtamenti & Veteris Eccleſiæ manifeſtius patebit.

§. IV. Scilicet aperte Apoſtolus alludit ad locum *Exod.* 19: *verſ.* 6. quo loco uti certum eſt, ſermonem eſſe de Sacerdotio, quod circa terrena & externa verſabatur ſacrificia, ita in propatulo eſt, eundem Sacerdotium Chriſtianorum opponere illi, de quo l. c. ſermo eſt, quando expreſſe in antecedentibus locum noſtrum, ſacrificia ſpiritualia Chriſtianis commendat: ut adeo oppoſitio pronunciatione ſit juvanda: quaſi dicat: Vos eſtis vere Genus electum, vos vere Regium Sacerdotium; quod quippe obſervante *Joh. Coccejo* tenendum quoque in explicatione loci *Jerem.* 31: 33. & *Pſalmi* 51: verſ. ult. quam ejus obſervationem laudat Clariſſ. *Friſchmuth* ὁ νῦν ἐν ἁγίοις diſp. poſter. de fœdere novo in l. c.

§. V. Cæ-

§. V. Cæterum ex communi Orthodoxorum consensu h. l. Sacerdotium Christianorum opponitur Sacerdotio Vet. Ecclesiæ, ut typo antitypus. Facile autem constat, non esse sermonem de antitypo primario, sed secundario, quando uti omnium sacrificiorum, ita & ipsius Sacerdotii Vet. Testamenti duplex ille antitypus communiter ab Orthodoxis asseritur. Ille enim solus Christus est. vide *Psalm.* 40:7. cujus loci sensum Laudatus Dn. *Frischm.* disp. super h. l. breviter & concinne ita sub finem exhibet: *Voluntas tua, ô Pater,* (inquit Messias) *ab æterno erat, ut genus humanum in peccata prolapsum non sacrificiis tibi expiaretur, justitiæque & Majestati tuæ læsæ per ea satisfieret; sed ut tantum essent typus mei, tanquam veri & unici pro totius mundi peccatis sacrificii. Hinc quoniam ipse poscor, ut, qui dederam consilium, feram etiam auxilium, assumptaque humana natura profundissime exinanitus, tibi tanquam servus fidelissimus, obediens fiam usque ad mortem crucis; En! adsum. Ecce venio, arduum redemtionis humani generis opus sponte suscepturus, voluntatemque tuam observaturus & completurus.*

§. VI. Cæterum hanc provinciam egregie exornarunt Patres, quorum commentationes in hanc rem legere licebit in *Lyrano* & in *Glossa ordinaria.* Ut eo meliori ordine res à nobis tradatur, præmittendum aliquid erit de sacrificiis Veteris Ecclesiæ, prout de iis ex Scriptura S. constat.

§. VII. Tria sunt vocabula, quæ frequenti Scripturæ usu in negotio sacrificiorum eminent, קרבן זבח מנחה, quæ uti tam de vulgaribus & domesticis, quam de sacris & sacrificialibus oblationibus, mactationibus & donationibus, perinde ut Græcorum hisce respondentia προσφορά, θυσία, δῶρον usurpantur, ita observandum, in negotio sacrificiorum stricte dictorum, primam vocem per modum generis in ordine ad duo reliqua adhiberi; Et promiscue tam de mactatione, quam donatione sacra usurpari. Arbiter in hisce talibus contextus.

§. VIII. זבח de tali usurpatur oblatione, ubi animalia Deo offeruntur munda & integra, mactantur, & comburuntur, tam quadrupeda: ut filius bovis aut juvencus sive vitulus, hircus sive hœdus, & capra, aries & ovis, agnus & agna; quam volatilia; turtur & columba: ceu passim in Scripturis legere & videre est. Non male dicta complectitur R. *Moses Maimon.* cap. I. Hilkoth. sic de sacrificiis scribens: כל הקרבנות שלמיני נפש חיה באו בחמשה מינין בלבד מן הבקר ומן הכבשים ומן העזים ומן התורים ומן בני היונה ופרבנות בין של צאור בין של יחיד ערבעה מינין עולה וחטאת ואשם ושלמים: *Sacrificiorum, quæ animalibus constant, tantum quinque species sunt: nempe de bove, ovibus, capris, turturibus & pullis columbæ. Sacrificia vero sive publica sive privata quadruplicia sunt: holocaustum, sacrificium pro peccato, pro delicto, & pacifica.* Bene, inquam: subdividitur enim זבח in holocaustum, in sacrificium pro peccato, & pro delicto, & in pacificum. De quorum forma & effectu hinc inde in *Lev. Num. & Deut.* legere est.

§. IX. מנחה (cujus radix ex lingua Arabica Ebreæ filia fœcundissima repetenda, significat dedit, donavit) græce δῶρον, latine donum & donatio in Scriptura, quando de oblationibus sermo est, fere de oblationibus dapalibus usurpatur: unde recte B. *Lutherus* vocem hanc vertit Germ. Speisopffer. Hæc, inquam, prioribus sacrificiis à Deo adjuncta est, ut significaret omnimodum mortis ab offerentibus promeritæ reatum: utpote quos non solum sanguis, anima animatorum (metonymice vehiculum animæ: αἷμα γὰρ πρώτως ἐμψύχεται, ait *Aristot.* statuens scilicet animam in corde esse, unde sanguis oritur) loco offerentium fusus *Levit.* 17: 11. sed inanimata etiam, unde vita conservari debuerat, combusta expiare debeant. Ea vero in duplici differentia est: Alia enim ex farina triticea, alia ex frugibus nondum commolitis. Quæ ex farina triticea, iterum fuerat vel ex incocta, vel cocta; hacque vel in clibano, vel sartagine vel craticula. Utrique oblationum generi communia sunt requisita:

(1) Ne fierent ex ullo admixto fermento.
(2) Ne fierent ex ullo admixto melle.
(3) Ne fierent absque sale, sed ut omnibus admisceretur aliquid salis.
(4) Ut affunderetur ipsis oleum.
(5) Ut aliquid superadderetur thuris.
(6) Ut fierent ex admixta materia purissima.

§. X. Hisce jam sacrificiis opponimus totum chorum θυσιῶν πνευματικῶν, quas vocat *Petrus* 1 epist. cap. 2: 5. i. e. totum cultum Religiosum Christianorum, quo pertinet, quod dicitur *Psalm.* 4: 6. *Sacrificate sacrificia justitiæ; quod* quidem à Chaldæo Interprete ita transfertur Chaldaice כבשו יצרכון ויתחשיב לכון בנכסת צדקא h. e. edomate concupiscentiam vestram, & reputabitur vobis in sacrificium justitiæ. Putamus autem cum D. *Salom. Glass.* Philol. sacræ Lib. V. Tract. 1. cap. 13. p. 1354. & 1355. satius esse totum spiritualem cultum & fidem cum fructibus suis hic intelligere; id, quod immediate subsequens verbum בטחו non raro de universo Fidelium cultu accipiendum evincit; & pertinet huc versus Theogn. Ἔν τε δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι. Clarius se explicat Spiritus S. *Rom.* 12: *vers.* 1. ubi expressis verbis testatur se per *hostias* Christianorum λογικὴν αὐτῶν λατρείαν intelligere.

§. XI. Quod igitur attinet זבחים (hostias Christianorum,) audiri meretur *August.* in *Psalm.* 51. *Noli*, inquiens, *extrinsecus quærere, quod mactes, habes in te, quod occidas. Si superbiam resecas, immolas vitulum; si iracundiam, arietem; si libidinem, hircum; si vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem.* Hact. August. Gravius adhuc *Desid. Erasmus*, paraphr. in Epist. ad Rom. 12. cujus proinde verba huc transferre lubet: Ita vero ille: *Hactenus indulsisse sat est crassis istiusmodi sacrificiis, posthac longe alios ritus, alium cultum, alias victimas Deus à vobis requirit, nimirum, ut offeratis illi vestra ipsorum corpora, non mutilandis membris, sed subigendis malis affectibus: h. e. non mortuas pecudes, sed viventem hostiam, vere puram & sanctam, Deo gratam & acceptam, sacrificium rationale, victimam animæ, non brutæ pecudis. Dum lex durabat carnalis, patiebatur Deus sibi corporeas immolari pecudes: Postquam cœpit esse spiritualis, spiritualibus illi victimis litandum est. Pro vitulo immola illi superbiæ affectum, pro ariete iram effervescentem jugula, pro hirco exure libidinem, pro columbis & turturibus lascivas & lubricas animi cogitationes Deo sacrifica. Hæc demum sunt Christianis digna sacra, hæc Christo gratæ victimæ. Deus est animus & animi donariis conciliatur. Nec ceremoniis, sed affectibus puris coli postulat.* Hact. Erasm. Conf. omnino disput. in locum Rom. 12: vers. 1. sub Præsidio Dn. D. Præsidis habitam.

§. XII. Hinc illustratur, quod Christus *Matth.* 18: 8. 19: 12. docet, *membra*, quæ *scandali* causa existant, *præcidenda & projicienda* esse; & quod loco posteriore *Eunuchos*, qui *propter regnum cœlorum seipsos castraverint*, laudare videtur; id, quod quibusdam miseri erroris, ut crederent, mutilanda esse membra, ipsique *Origeni*, seipsum non sine vitæ periculo castrandi ansam (licet invito textu) dedit. Vid. *Euseb.* Lib. V. hist. Eccles. cap. VII. Quamvis enim non diffiteamur, ejusmodi homunciones, qui immaturo quidem judicio, simplici tamen castitatis amore, & quasi Salvatoris nostri verba (sinistre & juveniliter intellecta) impleturi rem aggrediuntur, quod de *Origene* testatur *Eus.* l. c. non tam culpandos esse quam miserandos, nosque adeo *Demetrii* Episcopi Alexandr. de facto Origenis judicium prius, quo audaciam quidem vehementer admiratus, propositum tamen illius & mentis sinceritatem approbans, bono illum esse animo jussit; posteriori ejusdem judicio mutata sententia lato, quodque ex ambitione potius, animoque sugillandi, quam simplicis veritatis & caritatis Christianæ amante profectum videtur; quamvis, inquam, prius posteriori longe præferamus, culpa tamen non caruisse tantam audaciam confidenter asserimus: quippe cui verba Salvatoris cit. neutiquam patrocinantur. Nempe vult Christus *ll. cc. corpora*, ut loquitur *Desid. Erasmus*, *sibi offerri, non mutilandis membris, sed subigendis malis affectibus; sine quibus præstet introire in regnum cœlorum, quam cum illis & propter illos in infernum præcipitari.* Probat Christus in Eunuchis, se ipsos propter regnum cœlorum castrantibus, voluntatem, non vim naturæ vult illatam.

§. XIII. Apparet etiam ex dictis, cur Christiani vocentur ἔθνος, ἅγιον, γένος ἐκλεκτόν. Scilicet in Vet. ecclesia pecora sacrificialia talia debebant eligi, quæ immaculata sine omni vitio, non cœca, non fracta, non habentia cicatricem, non papulas, non impetiginem, non aurem aut caudam amputatam; non contrita, non contusa, non secta, non carentia testiculo, non emta de ethnicis, non aliis constantia insanabilibus defectibus vel excessibus, vel improportionalia. Hic sane solicita requirebatur electio, electique cauta observatio, adeo, ut etiam, (quando adducebantur) debuerint custodiri ab omni contactu rerum in lege immundarum pronunciatarum, & munda custodiri debuerint usque ad ipsam immolationis horam. Vid. *Exod. cap.* 12: *vers.* 3. 4. 5. 6. Ita eodem modo Christiani à mundo separati diligentissime caveant, ne ab ejus illecebris inficiantur irretiti. Quo spectat Pauli *Rom.* 12: 2. admonitio: *ne configuremini seculo huic*: & 2 *Corinth.* 6: 4. *Ne alienum jugum trahatis cum incredulis &c.* & vs. 17. *Quapropter exite ex medio eorum, & separate vos, dicit Dominus, & immundum ne tangatis*: Conf. *Jacob.* 1: 27. ubi docet, hunc *Deo vere placentem cultum* esse, *si quis se immaculatum à mundo conservet*; quasi dicat:

dicat: Solis radii impuriſſima quæque loca colluſtrant, ſed nulla contracta labe recedunt: ita cum omnis ſortis hominibus etiam profaniſſimis verſari, & ſanctam tamen ſervare mentem, hoc labor, hoc opus, hoc gratus Deo cultus eſt. Dicuntur ergo Chriſtiani *gens ſancta*, quia electa & ſeparata: (omnis enim ſanctitas ſeparationem involvit:) ſeparata & electa, quia à mundi illecebris aliena. Conf. *Tit.* 2:12.

§. XIV. Sicuti vero ſuperius diſtinximus Scriptura præeunte זבחים ſ. ſacrificia cruenta in *holocauſtum*, *pacificum*, *pro peccato*, *& pro delicto*, ita quod holocauſtum attinet, huc forſan pertinet præceptum illud ſummarium Decalogi quoad primam tabulam: *diliges Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus & ex tota mente. Deuter.* 6:5. *Matth.* 22:37. *Luc.* 10:27. qs. d. totus quantus, quantus es, amore Dei ardeas, & in gratum quaſi holocauſtum & εὐωδίαν te illi offeras: ſicut in holocauſto pecus igne totum abſumebatur; ita totum te, depoſito Vetere Adamo, igni illi Pentecoſtali Spiritui S. per ignem illum cœleſtem & inextinguibilem adumbrato, permittas, ne martyrium quidem, ita neceſſitate exigente, declinaturus. Amoris enim depereuntis aliquem ea eſt indoles, ut in ſuo corpore mortuus, in alio vivus videatur; igitur, qui Deum deperit, ſuam carnem abnegat, crucifigit, Deo conſecrat ad victimam.

§. XV. Cæterum ad analogiam *ſacrificii jugis*, quod holocauſtorum ſpecies fuit, quatenus geminus agnus in ſingulos dies offerendus erat: unde & עולה תמיד בדורותיכם *Exod.* 29:42. vocatur: examinanda & ponderanda forſan dicta illa, ubi contritio fidelium ſ. pœnitentia ſtantium quotidiana vocatur ſacrificium: ut *Pſ.* 51:19. In quo loco, ſi non præciſe de dicta ſtantium ſ. quotidiana pœnitentia agitur, ſane tamen non excluditur. Referas etiam huc veram, quæ Chriſtum apprehendit, hominique peccatori applicat, fidem in Chriſtum; qui per agnum paſchalem & juge ſacrificium adumbratus fuit, tanquam agnus ille, ἄμωμος καὶ ἄσπιλος 1 Petr. 1:29. & ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου *Joh.* 1:29. quem ſuo tempore

—— ὀξυόδουσιν ἱμάσθλαις
Σταυρῷ λωβηθέντι μετήορον ὀξέσι κέντροις
Χεῖράς τε καὶ σφυρὰ πεπαρμένον. ——

—— rigidiſque flagellis
Mactatum, claviſque manus & crura foratum
In cruce ſublimem damnoſa ——

omnes Chriſtiani, qui Spirituales Dei Sacerdotes ſunt, vera fide oblaturi erant, nuncque offerunt. Vide priorem typum egregie perſequentem Dn. D. Præſidem in Theol. Poſit. part. III. cap. VIII. p. 643, 44, 45. ubi inter alia docetur, per amara ſalſamenta ad agnum paſchalem adjungenda ſignificatam eſſe contritionem; qualis fuit Petri πικρῶς flentis, *Matth.* 26. ult. item peccatricis *Luc.* 7:38. Talis etiam eorum eſt, quorum oculi ſeu temperamenti conditione, ſ. miſeriæ magnitudine rigent. *Curæ enim leves loquuntur, ingentes ſtupent.*

§. XVI. Refert de Ægyptiis *Plutarchus* de Iſide & Oſir. quod miniſtraverint illis Sacerdotes *Sphragiſtæ* dicti, quibus conſuetudini erat, boves & vitulos; quos ſolebant ſacrificare, rubros poſt accuratam eorum ſcrutationem ſignare. Sigillo conſpiciebatur impreſſa imago hominis flexis genibus & manibus poſt tergum revincti, gladio gutturi ejus imminente. Rudera hæc ſunt traditionum à Patriarchis acceptarum, quibus docebant, promeruiſſe quidem hominem, ſi Deus ſecundum infinitam ſuam juſtitiam cum eodem agere vellet, mortem; pro ſua tamen immenſa miſericordia eum deſtinaſſe pecora ad ſacrificia pro delictis, vices hominis ſubitura. Cæterum egregia hæc hominis vere pœnitentis imago fuit, quam tamen ob brevitatis ſtudium prolixius excutere non licet. Hoc juge ſacrificium.

§. XVII. Si verum, quod quidam putant, חרם *Lev.* 27:28. eſſe ſpeciem holocauſti, quod velle videtur *Capellus*, qui votum Jephtæ de holocauſto (עולה) vid. *Judic.* 11:31.) conceptum חרם fuiſſe dicit, (quamvis חרם occiſionem non immolationem importarit) hic forſan non inepte analogiam inter illud & veterem Adamum quæreremus. Etſi forte non adeo interſit, ad quod ſacrificiorum genus referas.

§. XVIII. Huc itaque ſpectat 1. quod objectum τοῦ חרם non quævis, ſed jure tantummodo belli in poteſtatem redactæ perſonæ fuerunt. Addit *Maimonides*, attinuiſſe id ſaltim עברים ושפחות הכניים *ſervos & ancillas* ſ. familias *Chananæorum*, probarique id ex *Deut.* 20:17. poſſe videtur. Hoc poſito elegantiſſima detegitur analogia. Hoſtes ibi Cananæi, hic caro belluina & ſupplantatrix, juxta illud *Jer.* 17:9. עקוב הלב, Ibi hoſtes Iſraelis ſecundum carnem: hic Iſraelis ſecundum ſpiritum, ſive ſpiritualis. Ibi verſuti & in inveniendis machinis calidiſſimi, hic ſecundum loc. cit. מי ידענו Ibi hoſtes aſſidui, perpetui; Hic ἀκατάπαυστος 2 *Petr.* 2:14. εὐπερίστατος, *Ebr.* 12:1. hoſtis, qui undique hominem circumſtat, & obſidione quaſi nunquam ſolvenda inceſſanter premit. Hinc enim illa, quam ratio ignorat, lucta carnis & ſpiritus *Rom.* 7:15. *Gal.* 5:17. Egregia quidem ſunt, quæ legimus apud *Ariſtotelem* lib. 1. Eth. c. 13. Sed tamen quicquid id eſt, ad pugnam rationis & appetitus pertinet, quæ etiam in irregenitis apparet. Admiranda in Ethnicis, quæ idem habet lib. 3. Nic. c. ult. & *Pythagoras* in carmine aureo: quorum ille (Ariſtot.) commemorat *malum congenitum*, quod, niſi cohibeatur, immenſum in modum excreſcat, & rectam rationem non raro de ſolio ſuo deturbet: Hic vero malum congenitum, quod tecte lædat: Intelligere enim omnino per tale malum imperfectionem ſive depravationem naturæ noſtræ rationalis videntur, quæ tanta in nobis eſt, ut ubicunque dictamen ſanæ rationis honeſta ſuadet, pravus & corruptiſſimus appetitus extemplo ſeſe opponat, nec raro renitentia primæ integritatis rudera ſupprimat. Atque hic non apparet, quomodo ipſis omnis pugnæ inter malum congenitum ſive Peccatum O. materialiter & ex parte ſpectatum & ſuperſtitia Divinæ imaginis laxius ſic dictæ veſtigia, denegari poſſit notitia. Quanquam enim in verbis Pauli *Rom.* 7:23. βλέπω νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου; non dicamus per νόμον τοῦ νοὸς intelligi præciſe principia rationis rectæ: honeſtas actiones eſſe faciendas, turpes vero omittendas, Deum e. g. ſuper omnia eſſe amandum, tanquam ſummum noſtrum bonum &c. dictitantia; pugna tamen rationis, quæ in mente eſt, cum affectibus, qui in corpore ſe exerunt, non hinc prorſus aliena eſt: Inde autem non V. C. ad cognitionem naturalem luctæ carnis & ſpiritus, prout vox ſpiritus accipitur de iis, quæ hominibus demum gratioſe ac ſupernaturaliter accedunt.

§. XIX. Huc pertinet II. quod de lege Divina חרם humanum occidendum fuit; ita enim habent verba Dei: *Omne* חרם, *quod quis devovebit ex hominibus, non redimetur, morte morietur, Levit.* 27:28, 29. Et de Cananæis expreſſum habet mandatum, *Deuter.* 20:17, 18. *Ne ex urbibus illorum populorum, quos dabit tibi Dominus Deus tuus in poſſeſſionem hæreditariam vivere permittas* כל נשמה *ullam animam*; ſed החרם תחרימם *devovendo devovebis illos.* Jam conferamus, quid Scriptura S. Novi Teſtamenti de vetere Adamo ſtatuat: *Gal.* 5:24. inquit Spiritus S. *Qui ſunt Chriſti, crucifigunt carnem cum affectibus,* (παθήμασι) *& concupiſcentiis: ſcimus enim* juxta *Rom.* 6:6. *quod vetus noſter homo una (cum Chriſto) crucifixus ſit, ut aboleatur corpus peccati* (Hellen. peccaminoſum) *ne amplius ſerviamus peccato.* Conf. *Coloſſ.* 3:5. Modus abolendi in §. §. proxime præcedentibus traditus eſt.

§. XIX. Fatendum tamen non minus, ac olim ex Dei permiſſione factum, ut ſemper adverſarii ad probandos Iſraelitas, periculumque faciendum, an in cultu Dei vero permanſuri, nec ad idololatriam declinaturi eſſent; ſuperarent, & velut Hydræ capita ex ſucciſis pullulaſcerent, vid. *Joſ.* 2:22. Ita nobiſcum quoque agi per totam vitam. Nunquam enim adeo affligi poteſt vetus Adam, ut Tyrannica ejus juſſa, ſi non exequi, ſaltim audire non cogantur pii; in tantum, ut ipſe, in quo ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, Paulus conqueri neceſſum habeat. *Rom.* 7:23. *ſentio aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis.* Unde ſequitur, dicta cc. quæ de *actuali* abolitione veteris Adami loqui videntur, *de conatu* explicanda eſſe, ex uſu loquendi Scripturæ S. conf. *Gen.* 37:21. ubi Rubeno tribuitur liberatio Joſephi ex manibus fratrum, quæ mox ſeq. v. de conamine explicatur. Plura dabit *Sal. Glaſſ.* in Phil. Sacra. Et tantum quoque de חרם.

§. XX. Secunda Sacrificiorum cruentorum ſpecies erat ſacrificium *pacificum*, idque triplex (1) *votum*, quod fiebat pro conſequendo novo beneficio; unde Græcis θυσία σωτήριος eſt, quia pro pace, incolumitate, ſalute ac beneficiis accipiendis Deo offerebatur. Huc ſpectat, quod David & ipſe Sacerdos ſpiritualis dicit: *Pſalm.* 50:14. *Solve Altiſſimo vota tua. Conf. Pſal.* 116:18. Innuens, acceptiſſimum Deo ſacrificium fore, ſi votis, ut decet, ſtemus, ſervemuſque promiſſa. (2) Sacrificium *laudis*, ſive *gratiarum*, ubi Deo gratias agebant, & laudes pro hactenus conceſſa felicitate: unde *Schindlerus* in lex. Pentagl. ſacrificium *retributionis* vocatum eſſe dicit, quia Deo pro beneficiis acceptis retribuebatur. Huc pertinet, quod iterum David *Pſal.* 50:14. ait; *Sacrificia Deo laudes, hoc eſt: fructum labiorum confitentium nomen ipſius*: Interprete Apoſtolo *Ebr.* 13:15. conf. *Pſalm.* 69:31, 32. *Pſ.* 27:6. *Pſal.* 107:21, 22. *Pſ.* 116:17. (3) *Sacrificium Confeſſionis*; quod quia quoad rem cum modo memoratis coincidit, eo loca

jam

jam allegata, imprimis vero locus epist. *Ebr.* 13: 15. pertinebunt.

§. XXI. Sacrificium denique *pro delicto* & *pro peccato* tantum abest, ut ex propriis Deo offerre possimus, ut potius Salvatoris nostri unicum sacrificium pro totius mundi peccatis præstitum, quo totum Sacerdotium Leviticum cum suis sacrificiis primario collimabat, eoque præstito tanquam prima lineamenta vivis superinductis coloribus cessabat, blasphememus, de alio præter illud sacrificio pro nostris peccatis Deo offerendo, vel animum inducentes vel præsumentes: *unica* enim *oblatione* Christus *consummavit in æternum eos, qui sanctificantur*, *Ebr.* 10: 14. Si consummavit, ergo non aliis opus est, tanquam quibus consummandi, remissione peccatorum ipsis impetrata, sint sancti.

§. XXII. Atque hic *Pontificiis* blasphemiæ dicam omnes scribunt Orthodoxi Theologi: Dum enim illi confitentibus suis certas imponunt satisfactiones (non solum illas, quas laudamus, deprecatorias, quæ fiunt, propter scandalum admissum, Ecclesiæ, sed etiam) expiatorias, quibus fingunt, Deo pro pœnis temporalibus, quas, nisi his intercedentibus, Deus non remittat, satisfieri; cujusmodi opera tria vulgo statuunt: jejunium (quo flagellationem, humicubationem, cilicium referunt) orationem tot vel tot rosaria percurrendo (unde vulgo dicitur: **Im Pabstthum straft man das Volck mit Vater-Unsern**) & eleemosynam: Dum, inquam, hoc faciunt, non possunt non statuere sacrificia satisfactoria & expiatoria, quæ modo rejecimus. Opera enim illa, quæ imponunt suis satisfactionis loco, si in se spectentur, sive absque intentione illa, quam assuunt, & quatenus ex vera fide procedunt, sunt & vocantur à Scriptura S. actus sacrificiales Christianorum (a). Jam si accedat iste, quem illi vano ausu prætendunt, effectus, ut pro pœnis temporalibus satisfaciant, & sic homo coram Deo expietur, quid superest, quam ut ex eorum sententia & secundum analogiam sacrificiorum Vet. Testamenti (nam & suis operibus, ut vocant, satisfactoriis, vim satisfactoriam Christum sua promeruisse satisfactione dicunt) vocemus eas, quas dicunt, satisfactiones sacrificia expiatoria? Quamvis omnino actus illi analogiam in veteri Ecclesia non inveniant. Volunt quidem eam inde stabilire, quod similes in veteri Ecclesia satisfactorii actus usu venerint, e. g. Cilicium, cineris aspersio, aquæ effusio, scissio vestium, percussio pectoris, lumborum, femorum, humicubatio, nudipedalia (Davidis) & jejunium. Verum respondetur, κακοζηλία est, non vera imitatio, quando similia à Pontificiis fieri cernimus: valet hic quoque illud Philosophorum: Quod duo faciunt idem, non statim est idem: Contritionis signa hæc & similia fuerunt: satisfactiones fuisse, probandum erat, non supponendum.

§. XXIII. Quod tandem ad מנחה attinet, jam supra diximus, ei respondere Græcorum δῶρον, adeoque generatim *doni* significatum habere; quod uti ex significatione radicis demonstratum dedimus, ita præterea videri poterunt loca, *Ps.* 72: 10. & (quæ conferantur) *Gen.* 32: 14, 19. *c.* 43: 11. *Judic.* 3: 15. Addimus impræsentiarum, quod Syrus hanc vocem reddit per ܩܘܪܒܢܐ quod proprie *oblationem*, i. e. quicquid ad Deum ab hominibus accedit, adeoque illi offertur, denotat; Est enim à radice ܩܪܒ *accessit*, *propinquus fuit*: cui non plane tum quoad literas, tum quoad significationem absimile est Græcorum κάρπωμα donum, quod in honorem Dei ad declarandum ei subjectionem & charitatem; quanquam simul cum spe placituri Deo talis cultus, & inveniendæ, (non quidem ex merito aut operis dignitate; vi promissionis tamen) apud eum gratiæ & beneficiorum, offertur. Quibus præsuppositis, jam huc referimus ex Novo Testamento loca, in quibus *eleemosynæ* à Paulo vocantur θυσίαι δεκταί, εὐάρεστοι τῷ Θεῷ vid. Phil. 4: vers. 18. item προσφοραί (qua voce & alias Græci Interpretes & ipse etiam Autor Epist. ad *Ebr. c.* 10: *vers.* 5. Ebræam מנחה vertunt) vid. *Actor.* 24: 17. vocantur, collata cum *Luc.* 21: 1, 4. ubi eadem, quæ ll. alleg. θυσιῶν & προσφορῶν nominibus venit, eleemosyna δῶρον bis vocatur.

§. XXIV. Nulli etiam dubitamus, quin huc sano sensu eoque triplici referri possit ipsa sacra Synaxis sive Cœna Dominica; Et I. quidem, quatenus illa olim in primitiva Ecclesia instituta, dona, quæ sacrificiorum nomine Spiritui S. ipsi venire jam tum demonstravimus, mitti solebant; unde & *missæ* & *Sacrificii* nomina hoc sensu antiquitus tributa esse videmus ipsi sacræ Synaxi per meton. adjuncti. II. Mediante voce Syri, & Græcorum κάρπωμα quo posteriore nomine ipsa quoque Eucharistia Christiana, utpote quæ sigillum est omnino certissimum placati Dei, ejusque gratiæ, venit. Vid. *Castell.* in rad. קרב. III. Quod Nobilissimus Dn. *Ludolf.* in Lex. Æthiop. p. 159. testatur, Æthiopum voce, qua alias in genere oblationem, sacrificium aut donum quodvis, quod Deo offertur, denotatur, vulgo quoque panem & vinum benedictum in S. Cœna significari. Pontificio vero sensu, quo Sacerdotes eorum corpus & sanguinem Christi proprie sacrificare Deoque offerre dicuntur, omnino negamus, Eucharistiam Christianam vel Cœnam Dominicam sacrificium esse.

§. XXV. De Minehah porro explicanda esse videntur illa Scripturæ S. loca, ubi gentiles *sacrificandi*, eorumque conversio *sacrificium* vocatur: e. g. *Rom.* 15: 16. & *Esa.* 60: 7. collato loco *Malach.* 1: 11. ubi Deus per Prophetam inquit: *A Solis ortu usque ad occasum ejus, nomen meum magnum inter Gentes, & omni in loco suffitus offeretur nomini meo & oblatio* (מנחה) *pura, munda.* Obtinet autem h. l. significatus vocis מנחה *laxior.*

§. XXVI. *Strictior* paulo vocis hujus significatus, quo nempe recte Germ. à *B. Luthero* versam esse vocabulo **Speißopffer**/ supra diximus, observandus esse videtur in loco Pauli *Rom.* 15: *vs.* 16. ubi *Evangelium sacrificari* dicitur: Id, quod clarius patebit ex collatione eorum locorum, ubi doctrina Evangelii cum cibo tam solidiori, quam molliori, lacte comparatur, 1 *Petr.* 2: 2. *Ebr.* 6: 1. Scilicet cibus est, quia nutrit, nutrit autem animam, potiorem hominis partem; hoc est, quod Christus intendit *Matth.* 4: 4. *Homo*, dicens, *non ex solo pane vivit*, *sed unoquoque verbo prodeunte ex ore Dei*: Hic cibus vere לב יסעד *Psal.* 104: 15. Hisce collatis, nullo negotio Germ. **Speißopffer** composueris.

§. XXVII. Cæterum, sicut supra jam diximus, oblationes hasce cibatorias in Vet. Ecclesia non tam seorsim offerendas, quam cæteris sacrificiis adjungendas fuisse: Ita analogicæ Christianorum oblationes non tam à reliquis eorum, quæ jam memoravimus, sacrificiis Spiritualibus adæquate distinguuntur, quam nexum potius indissolubilem cum iisdem ex Dei voluntate habent, si illa Deo placere debeant.

§. XXVIII. Requisita המנחה Vet. Ecclesiæ §. 9. hujus capitis vidimus: per singula virtutis alicujus sectandæ vel vitii fugiendi, si sacrificia nostra Spiritualia supra memorata rite velimus peragere, imponitur necessitas; per primum requisitum, ipso Apostolo Interprete admonemur, aut simus ἄζυμοι, *sine fermento* h. e. malitia & vitio, omni studio incumbendum esse, omnesque animi nervos intendendos, ut quantum per infirmitates nostræ corruptæ naturæ licet, simus irreprehensibiles, *nova quasi massa*, εἰλικρινείας, *sinceritatis & veritatis* azyma, 1 *Cor.* 5: *vs.* 7, 8.

§. XXIX. Per (2) admonemur de hypocrisi cane pejus & angue fugienda. *Mel* quantum, quantum dulcoris in ore habet, immoderate comestum bilem & tormina ciere solet, nec sanitati conducit. *Prov.* 25: 26. Ita quantamcunque etiam sanctitatis speciem præ se ferat hypocrita, intus tamen, dicente Christo, *sepulchro ossium & cadaverum simillimus*, abominatio in oculis Dei omniscii est: prohibetur itaque mel, prohibetur hypocrisis, stabilitur illa Paulo commendata εἰλικρίνεια.

§. XXX. Per (3) admonentur Christiani, ceu Spirituales Sacerdotes, pacifica Sacrificia Deo offerentes, de pace mutuo fovenda; interprete ipso Christo *Marc.* 9: 49. *habetote in vobis ipsis sal*, & *pacem colite mutuam.* Imprimis vero, sal *prudentiæ* symbolum monet eos, ut de vita digno Christianis modo gerenda sint soliciti, irreprehensibiles; juxta illud Pauli ad *Coloss.* 4: 5, 6. *Ambulate prudenter in oculis eorum*, *qui sunt extra* (Ecclesiam) *tempus redimentes. Sermo vester semper gratiosus*, *sale conditus esto* &c. Admonet eos constantiæ in sanctitate vitæ, idque ex ratione officii eorum. Sunt enim, ut Apostoli, ita quivis Christiani sal, (si non mundi, saltem) suorum, & inter se mutuo. Sal dat rebus saporem, & per acrimoniam à putredine conservat: ita illi ex docendi officio in Sacro baptismate omnibus Sacerdotibus Spiritualibus h. e. Christianis collato, homines cœlesti doctrina & vitæ innocentis exemplo imbuendo reddere debent sapidos & Deo ac piis gratos, qui ante erant insipidi; eosdemque redarguendo à vitiis deterreant ac præservent. Jam *si sal*, ait Christus, *Marc.* 9: 49. *fiat insulsum*, (ἄναλον) *quo salietur?* quasi dicat: Necessarium in communi vita sal est; magis necessarii Ecclesiæ doctores, & qui alios aberrantes redarguendo in viam reducant, & à vitiis præservent. Si sal fiat insulsum, potissimum ciborum condimentum periit: si illi, qui alios vitæ innocentis exem-

(a) *Vid. Rom.* 12: 1. 1 *Cor.* 9: 27. *Gal.* 5: 24. *Col.* 3: 5. *Ebr.* 13: 16. *Actor.* 24: 17. *Phil.* 4: 18. *Luc.* 21: 1, 4.

exemplo sapidos debent reddere, ipsi indulgent vitiis, quis tunc saliet i. e. quis homines à vitiis continebit? frenum omni licentiæ laxabitur.

§. XXX. IV. Requisitum hortatur ad colendam *mansuetudinem*; optimum illud humanæ vitæ condimentum; illud enim vere instar *olei* super capite effusi *Psalm.* 141: 5. ubi David: *percutiat*, inquit, *me justus placide*, *& objurget me*, *hoc erit oleum capitis ad caput meum:* Admonet itidem de colenda pace, vitandisque rixis & contentionibus. Vittas & ramos olivarum apud quosdam populos eundem obtinentes locum, quem apud nos vela candida erecta, finem belli fecisse testatur *Grot.* libr. III. de Jur. Bell. & P. cap. 24. V. Et quamvis populos illos non definiat, probabile tamen est, omnino quibusdam hoc ipsum usu venisse, qui illum morem forsan ex traditione Noachi ejusque filiorum in memoriam diluvii receperunt. Ita enim *Genes.* 8: 10. *&* 11. *Et perrexit* (Noah in arca constitutus, & an aquæ decrescerent, resciturus) *mittere columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, & ecce! folium olivæ decerptum in ore suo. Intellexit ergo Noë, quod eessassent aquæ super terram.* Non ergo mirum, illud in signum pacis cessisse, ex quo primum cognoscebatur, Deum terræ, cum qua hactenus bellum quasi internecivum gesserat, reconciliatum finem bello fecisse. Alias *oleum* in Vet. Ecclesia *lætitiæ* insigne fuit hieroglyphicon: unde cum David suis Aulicis tergiversantibus, & mortem filii ex Bathseba suscepti mœrenti ipsi indicare nolentibus metu gravioris mali exinde orituri, ne scilicet Regem luctu plane sepelirent; demonstrare vellet, quam in sua opinione fallerentur, surrexit de terra, se lavit ויסך *& effudit* (effundendo se inunxit) quo ipso etiam inopinato facto, quippe quo, qui totus paulo ante luctui deditus erat, nunc hilari animo esse videbatur, omnium oculos & admirationem in se convertit. vid. 2. *Samuel.* 12. Hinc etiam Spiritus S. *oleum* illud *gaudii & lætitiæ* (effectivum) *Psalm.* 45: 8. potissimum sub hoc symbolo Regibus, Sacerdotibus, & Prophetis communicari voluit. vid. sup. cap. 2. §. 14. Inde est, quod David Saulis in profundissimam (hoc ablato) melancholiam prolapsi exemplo perterritus solicite à Deo contendit, *ne spiritum* suum *à se auferat*, sed porro potius se sustentari permittat à *Spiritu lætitiæ & alacritatis* (נדיבה *ingenuo*) Hinc illa in Davide in subeundis periculis bellicis heroica alacritas vid. *Psalm.* 91: 7. 108: 8. seq. Inde effusa illa lætitia 2. *Sam.* 6: 14. Dicendum ergo forsan, hoc præceptum divinum de oleo affundendo monere Sacerdotes spirituales, ut, quisque ea, qua par est, alacritate sine fastidio exequatur, quod à Deo sibi demandatum est, officium pro varietate χαρισμάτων: juxta epist. Pauli ad *Cor.* 1. *cap.* 12: 8, 9, 10.

§. XXXI. Inter thurificandum in Vet. Ecclesia populum, qui adstitit, orasse, vel solum cap. *Luc.* 1: *vs.* 10. 13. docet: non ergo est, quod multum laboremus edocturi, quo hoc præceptum de addendo *thure* collimet? Id ipsum nempe sunt *preces* per thus significatæ; vid. *Apocal.* 5: 8. *Psalm.* 141: 2. Grana, quæ sursum mittenda, sunt precum quasi species, δεήσεις, προσευχαί, ἐντεύξεις, εὐχαριστίαι, 1. *Timoth.* 2: 1. quæ per Angeli increati *Apocal.* 8: 4. oblationem in nomine ejus factæ ad Deum assurgunt εὐωδία naribus ejus.

§. XXXII. Juxta ultimum requisitum, ut scilicet adhiberetur materia purissima, Christiani ad studium sanctitatis intemeratæ commoneri videntur; juxta quam eorum est, ut *ponderent* quasi *semitam pedum suorum*, *& stabiles* sint *viæ eorum*, *ne deflectant vel ad sinistram vel ad dextram*, *ut abstrahant à malo pedes suos:* juxta monitum *Sal. Proverb.* 4: *vers.* 26. ut *ambulent* ἀκριβῶς, *Ephes.* 5: 15. decet eos ὀρθοποδεῖν *Galat.* 2: 14. *sternere pedibus suis* τροχιὰς ὀρθάς. *Ebr.* 12: *vs.* 13.

§. XXXIII. Hactenus igitur sacrificia moralia & spiritualia Christianorum, cum ceremonialibus & corporalibus Vet. Ecclesiæ conjuncta, uni conspectui stitimus: progrediendum nunc esset ad secundum Sacerdotum spiritualium officium, quod est *verbum Dei prædicare:* de quo ita in loco nostro: Ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε (en non jus solum ad annunciandum tribuit, sed actum ipsum imperat) τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς. Sed quia hæc peculiarem & prolixam requirunt disputationem, nosque jamjam modum pagellarum præscriptum supergressi esse videmur, pedem hic figimus. Videri interim poterunt prolixius de præsenti materia disserentes B. Dn. D. Lutherus in Postillis Ecclesiasticis & Tomis Altenb. passim. Dn. M. Joh. Vilizius tribus in hanc rem editis concionibus: Dn. D. Spenerus im Geistlichen Priesterthum: it. Joh. Jacobus Otho, vocatus Concionator Aulicus Limburgicus, Patruus desideratissimus in fœtu posthumo: cui titulus: Das Königliche Priesterthum: qui maturitate donatus à Viro Clarissimo Dn. Vito Hollino, Pastore Sommerhusano, Ministerii Limburgico Spekfeldt. Seniore, proximis nundinis Francof. in lucem prodibit. Nobis satius est, unius tractatione sufficienter defungi, quam plurium tralatitie. An scopum præfixum attigerimus, tuum est, Lector benevole, judicare: sin minus, favebis tamen juvenis conatibus; interimque mecum pro immenso & stupendo hoc Sacerdotii Regii beneficio Messiam devota gratiarum actione coles

יתעלה שמו לעולם עולמים א"א



JAC. TIESLER
DISSERTATIO
De malorum Angelorum ΤΑΡΤΑΡΩ'ΣΕΙ ad 2 Petr. II: 4.

B. C. D.



Um hominem Christianum literas professum vel maxime deceat, ut in iis artium & linguarum partibus sese cumprimis exerceat, quæ vel ad sacrarum literarum meliorem intelligentiam faciunt, vel alias usum in vita manifestum præbent; non abs re fore putavi, si & ego specimen qualiumcunque studiorum PATRONIS exhibiturus, argumentum, quod illustrandæ phrasi divinæ *S. Petri* Epistolæ, *de malorum Dæmonum pœna* inserviret, ex S. Philologia deligerem. Quod institutum, cum & DN. PRÆSIDI Dissertationis meæ probaretur, eo promtius mihi libros, pariterque observationes de TARTARO à se passim collectas, suppeditavit. Quas divina gratia nixus, absque ulteriori ambage, in ordinem redigere, simulque argumentum hocce uberius explicare aggrediar.

SECTIO I.

Epitome.

(§. 1.) Ταρτάρωσις *à verbo* Ταρταρῦν, *ejus significatio & usus.* (2.) *hoc* ἀπὸ τῦ Ταρτάρυ *derivatur, cujus etymologia varia recensetur.* (3.) *usitatior & receptior confirmatur autoritate Græcorum.* (4.) *Tartari varia significatio.* (5.) τῦ Ταρτάρυ *Gr. descriptiones.* (6.) *Quæ ex Homeri versibus illustrantur.* (7.) *Cur* Τάρταρος ἠερόεις *dicatur.* (8.) *Cur profundus & probe munitus.* (9.) *Distantia* τῦ Ταρτάρυ *à cœlo.* (10.) *Tartari qualitas & situs.* (11.) Τάρταρος *& abyssus videntur æquipollere.* (12.) *Cur his vocabulis infernus describatur & quomodo cœlo opponatur.* (13.) *an Angeli mali in Tartaro jam pœnam sensus sustineant:* (14.) *an sub voce* ᾅδυ *Tartarus comprehendatur.*

§. I.

CUm Dissertatio nostra ad Philologiam pertineat, non incongruum plane fuerit, paululum vocis non ita alias tritæ explicationi immorari, ut dein sententiæ Petrinæ sensus felicius erui queat. Quod dum præstare molior, monendum esse primum censeo, Ταρτάρωσιν à Grammaticis derivari καλ' ἀναλογίαν aliorum nominum, à Gr. verbo ταρταρῦν, quod semel in S. codice, nempe *2 Petri* 2: 4. legitur, ubi nihil aliud, quam *abjicere in Tartarum* significat. Sicut καζαταρταρῦν apud *Apollodorum* in *Bibliotheca* legitur de Centimanorum & Titanum ausis immanibus ac stultis, ob quæ etiam hosce Ætnæos fratres cœlo capita alta ferentes, ad ima Tartari dejecisse Jovem, fingitur. v. *Windet de vita functorum statu Sect. XIII. pag.* 249. Usurparunt etiam alii hanc vocem, ut vetus Scholiastes Homeri: Ζεὺς τὸ μὲν Εὐρυμέδοντα καταταρτάρωσε, καὶ τὰ ἑξῆς, in Iliad. ξ. pag. 235. edit. Aldinæ. *Parthenius*, vel quisquis autor libri περὶ ποταμῶν, qui in operibus *Plutarchi* habetur, ita scribit: ζεὺς ἐπιφανεὶς, τὸ μὲν πατέρα, δήσας πλεκτῷ ἐρίῳ, καταταρτάρωσε. *Phurnutus* libro de *Nat. Deorum*, de Saturno, ζεὺς, ἐκβαλὼν αὐτὸν τῆς βασιλείας, κατεταρτάρωσεν. Scilicet ubi fabula ista occurrit, verbum καζαταρταρῦν plane usitatissimum est, pro ῥίπτειν ἢ ἐμβαλεῖν εἰς Τάρταρον: Quos enim ῥιφθέντας εἰς τάρταρον appellarat *Apollodorus*, etiam (ἀπὸ δυσὶ) καταταρταρωθέντας vocat. Fuit autem iste *Apollodorus*, teste Heraclide Pontico, ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινὸς, scriptor celebratissimus *A. Gellio*, habeturque Ptolomæo Philometori coævus, Atheniensis, *Asclepiadæ* filius, *Panætii Rhodii* & *Aristarchi* Grammatici (istius qui tantum sibi in Homero permisit,) discipulus.

§. II. Quandoquidem vero Ταρτάρωσις descendit ἐμμέσως à voce Τάρταρος, opus esse reor, hujus præcipue vocabuli originem & notionem indagare. De qua tres diversæ φιλολογέντων sententiæ occurrunt. *Una* est *D. Windet Angli Scriptoris*, qui ex Chaldaica lingua, nempe voce דרדר *decidit*, derivare mavult: quia Τάρταρος pro *eo*, quod *subdit ac fundum petit*, accipiatur; hinc ἔσχατα γαίης & τάρταρα γαίης ad infima terræ significanda posuisse *Hesiodum in Theogonia*: Sicut Ebræos ארץ תחתיות *infima terra* pro Gehenna. *Altera* est eorum, qui ab *Indefin.* 2. ἔταρον, à τείρω *affligo, vexo*, deducunt: quia *Tartarus* sit locus afflictionum gravissimarum. Verum plerisque Græcis Etymologistis *tertia* probatur sententia, qua Τάρταρος ἀπὸ τῦ ταράσσειν nominatur, propter tenebras & turbas aëris infesti; unde horror & tremor nascuntur, Germani dicunt Heulen und Zänklappen. Nam ut Ebræi *Gehennæ*, ita Græci Tartaro & Cocyto frigoris ac caloris summam vehementiam tribuunt. Quod *Nonnus* in Gregor. Nazianz. pag. 171. advertit. ὁ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδωνι περὶ τῆς λήξεων καὶ ἀποκληρώσεων τῆς ψυχῶν, λέγει, ὅτι οἱ ἀδίκως βεβιωκότες κολάζονται ἐν τῷ Κωκυτῷ καὶ ἐν τῷ Πυριφλεγέθοντι, —— ποταμοὶ δὲ ὗτοί εἰσιν, ὁ μὲν Κωκυτὸς ψυχρότατος, ὁ δὲ Πυριφλεγέθων θερμότατος. Quod & *Suidas* in voce Ἠλύσιον advertit, οἱ δὲ κολάσεων ἄξιοι, ἐν τῷ Κωκυτῷ καὶ τῷ Πυριφλεγέθοντι ἀπελάυνονται· ποταμοὶ δὲ ὗτοι, ὁ μὲν Κωκυτὸς ψυχρότατος, ὁ δὲ Πυριφλεγέθων θερμότατος. *Maximus* etiam *Tyrus* ex Platonis sententia fluviorum infernalium meminit ἄνω καὶ κάτω ῥεόντων ὕδατι καὶ πυρὶ *sursum deorsumque fluentium aqua & igne.* Confer *Windet. libr. cit. p.* 220.

§. III. Atque hanc Etymologiam Græci Scriptores passim confirmant. *Antiquus Homeri Scholiastes*, (quem aliqui *Didymum* χαλκέντερον nominant,) ad Iliad. θ. pag. m. 278. Ὠνόμασαι δὲ (ὁ Τάρταρος) διὰ τὸ ἐκτεταράχθαι καὶ συγκεχύσθαι ἐν αὐτῷ πάντα, οἱ δὲ τὸ ἀφώτιστον μέρος τῆς οἰκυμένης ἀπεδέξαντο. In *Etymologico Magno*, quod *Marcus Masurus Cretensis* Scholasticis Paduanis inscripsit, similia leguntur: Τάρταρος ὁ κατώτερος τῦ ᾅδυ τόπος, οἱ δὲ τὰ περὶ τὰ νέφη, τόπον ὗτω λέγυσιν· ἄλλοι δὲ τὸν σκοτεινότατον τόπον. παρὰ τὸ ἐκτετάρχθαι καὶ συγκεχύσθαι τὰ ἐν αὐτῷ πάντα. Conf. etiam *Suidam fol. m.* 868. Obiter hic observari meretur *Strabonis* opinio, qui cum Tartessum urbem Hispanicam circa lacum Avernum describit, ad *Tartessum* alludere nomen *Tartari* credidit: Εἰκάζοι ἄν τις, inquit, ἀκύων τὰ περὶ Ταρτησσῦ, τὸ Τάρταρον ἐκεῖθεν παρονομάσαι τὸ ἔσχατον τῦ ὑποχθονίων τόπων. *Audiens*

diens aliquis de Tartesso, existimare possit, Tartarum inde ab Homero nominatum extremum eorum, qui infra terram sunt locorum, v. ejus *Geograph. l. III. fol. m.* 158.

§. IV. Visa Etymologia simul adparet, quæ significatio Tartari hujus sit loci, nempe accipitur pro loco apud inferos tristissimo, quo mali æternum cruciantur. Alias ex *Taciti Hist. III. 9.* constat, flumen Italiæ oram Veronensem alluens, hoc nomine adpellari. Et Medicorum filii *Tartarum*, in sua arte vocant *materiam mucilaginosam & feculentam cum sale permistam*, quam *Sennertus Instit. Medic.* p. 211. describit. Sed hæ notiones heic non attenduntur, quando explicare instituimus Ταρταρȣ̃, Ταρτάρωσιν, & Τάρταρον.

§. V. Si ipsam denique *descriptionem* τȣ̃ Ταρτάρȣ adferre debemus, ut rectius declaretur significatio ταρταρώσεως, eam & brevem quidem *Hesychius* in *Dictionario* exhibet: Τάρταρος, ὁ ὑπὸ τῆς γῆς κατώτατος τόπος. *Tartarus est infimus sub terra locus. Suidas* fol. 868. in descriptione sua addit quædam: τάρταρος, ὁ κατώτερος τȣ̃ ᾅδȣ τόπος καὶ Τάρταρον τὸ περὶ τὰ νέφη τόπον. ὅτω λέγȣσι καὶ περὶ ψυχῆς, ἢ Ταρτάρειος βόθρος, h. e. *Æmilio Poëta Cretensi* interprete: *Tartarus est infimus inferni locus*, itidem *circa nubes deprehensus. Sic etiam vocant animabus apud inferos assignatum locum. Dicitur & Tartarea fossa.* Sensu fere simili describit *Scholiastes Homeri* supra laudatus: τάρταρον. τὸ ὑπὸ τῆς γῆς ἐσκοτισμένον μέρος κατώτατον τȣ̃ ᾅδȣ καὶ ἐν βαθυτάτῳ κείμενον τόπῳ. ἢ τὸ χαλεπὸν καὶ δυσχερῆ λέγει. *Stephanus Byzantinus* Tartarum definivit τόπον συνέχοντα τȣ̀ς περὶ Κρόνον. Nam gentiles commenti sunt de Saturno, ipsum à Jove in Tartarum fuisse abjectum. Ita *Phurnutus* libro de Nat. Deor. Ζεὺς ἐκβαλὼν αὐτὸν τῆς βασιλείας, κατεταρτάρωσεν. Et apud *Nonnum Historiarum συναγωγέα ad S. Gregorii Nazianzeni Steliteuticon in Julianum Emansorem* habetur, Ζεὺς καταταρταροῖ αὐτὸν (τὸν Κρόνον) μετὰ τῶν Τιτάνων. v. *Windet Sect. XIII. pag.* 249. *sequ.*

§. VI. Scilicet in hoc conveniunt Scriptores antiqui, quod Τάρταρος locum infimum, eumque caliginosum notet. Ita enim *Homerus Iliad.* θ. *vers.* 13. *seqq.* Jovem Ταρτάρωσιν Diis inferioribus comminantem, ni parere velint, introducit:

Ἤ μιν ἑλὼν ῥίψω ἐς Τάρταρον ἠερόεντα,
Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος ὀδός,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον ȣ̓ρανός ἐς' ἀπὸ γαίης.

Aut ipsum prehensum projiciam in Tartarum caliginosum procul admodum, ubi profundissimum sub terra est barathrum, ubi & ferreæ portæ, & æreum pavimentum, tantum infra infernum, quantum cœlum distat à terra.

§. VII. In his versibus *quatuor* occurrunt explicanda, quæ ad descriptionem Tartari faciunt. *Primum* est illud ἐπίθετον τȣ̃ Ταρτάρȣ satis emphaticum, ἠερόεντος, quod *Hesiodus in Theog.* Tartarum descripturus subinde usurpat, ut *vers.* 721. 736.

Ἐνθάδε γῆς δνοφερῆς, καὶ Ταρτάρȣ ἠερόεντος,

id est,

Ubi terræ caliginosæ & Tartari obscuri.

Ἠερόεις enim *tenebrosus* significat, ab Ἠὴρ, quod pro ἀὴρ apud Poëtas pro caligine & tenebris usurpatur. Hinc *Jo. Tzezes* doctissimus Græculus in *Annot.* in *Theogon. p.* 221. ἠερόεντα exponit σκοτεινά, *tenebrosa*. Quare ῥίψεις ἐς Τάρταρον ἠερόεντα apud *Homerum* & *Hesiodum*, videtur idem esse, quod apud *Matth. cap.* 8: 12. ἐκβάλλειν εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσαι ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Ut enim lux grata mortalibus est, & ad gaudium excitandum apta; ita tenebræ contra tristes sunt, ac mortis imaginem aut metum notant. Inde apud *Strabonem l. III. Geog. f.* 158. Ἡ δὲ νὺξ ὅτι δύσφημον, καὶ τῷ ᾅδῃ πλησιάζον δῆλον, ὁ δὲ ᾅδης τῷ Ταρτάρῳ· h. e. *constat autem noctem esse mali ominis & Plutoni propinquam, Plutonem Tartaro.* Conf. *Theogon. vers.* 757. *seqq.*

§. VIII. *Deinde* βάθιστον βέρεθρον ab *Homero*, (aliis βάραθρον dicitur) & Latine *barathrum* (τροπῇ τȣ̃ α εἰς ε ut à βάθος, βένθος, à πάθος, πένθος) quod profunditatem Tartari denotat. Βέρεθρον enim apud *Suidam f.* 550. βάθος h. e. profunditatem, seu voraginem significat. *Hesychius in Dictionario* suo significantius describit, βέρεθρον. βάθος, βάραθρον, κατώτατον, ἔσχατον, ἢ πηλώδης τόπος, ἢ κοίλωμα καταχθόνιον. Specialiter eadem vox profundum carceris locum apud Athenienses notum, in quem κακȣ̃ργοι detrudebantur denotat. *Aristophan. Plut.* ȣ̓κȣ̃ν ἀπόλοιτʼ ἂν σοι τὸ βάραθρον. Ubi *Scholiastes*, βάραθρον χάσμα τι φρεατῶδες καὶ σκοτεινὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τȣ̀ς κακȣ́ργȣς ἔβαλλον. v. *Suid. f.* 533. Scilicet innuitur lacus à *D. Johanne in Apoc. c.* 19: 20. 20: 10. 21: 8. descriptus. Hunc *Homerus tertio*, ut satis munitum depingit, cum *portas* ejus *ferreas & æreum pavimentum* nominat. Quod *Hesiod. Theog.* hoc *vers.* confirmat:

Τὸν (Τάρταρον) περὶ Χάλκεον ἕρκος ἐλήλαται,

hoc est,

Circa Tartarum ferreum septum ductum est.

Hoc ideo fingi videtur, ut innuatur, Tartaro mancipatos, non posse inde elabi. Nam etsi aliqui existiment, improbos in Tartarum aliquando detrudi, ut emendentur ac post lustrationem Tartaream ad campos Elysios pervenire; tamen firma hujus assertionis testimonia nondum legimus adducta. *Socrates* certe *in Phædone ait insanabiles incidere in Tartarum*, ὅθεν ȣ̓́ποτε ἐκβαίνȣσιν. *Turris Vocalis* ad *Psychen*; *si spiritus tuus corpore tuo semel fuerit sejugatus, ibis quidem profecto ad imum Tartarum, sed inde nullo pacto redire poteris.* Apud *Apulejum Metam. VI.* hinc Alecto è furiis una audit, quod ἀλήκτως καὶ ἀπαύσως commissorum pœnas exigat, ut *Phurnutus* observat. Homerus *quarto*, distantiam *Tartari* à cœlo descripturus addit:

Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον ȣ̓ρανός ἐς' ἀπὸ γαίης.

Quod *Hesiodus in Theogonia* vers. 720. Titanum receptaculum descripturus, ita reddidit:

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον ȣ̓ρανός ἐς' ἀπὸ γαίης.
Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.

§. IX. Occasione hujus descriptionis Grammatici de sphærica mundi figura philosophari cœperunt. Τοσȣ̃τον φησὶ τὸ Τάρταρον ἀφεστάναι τȣ̃ ᾅδȣ, ὅσον ὁ ȣ̓ρανὸς ἀπὸ τῆς γῆς· Διὰ δὲ τȣ́τȣ σφαιροειδῆ τὸν κόσμον συνίστησι, κέντρȣ λόγον ἐπέχȣσαν εἰσάγων τὴν γῆν, καὶ τὰς ἀπ' αὐτῆς ἐκβαλλομένας εὐθείας εἰς ἑκάτερα τὰ πέρατα ἴσας λέγων εἶναι. *Scholiastes* Hom. Eadem fere legas apud *Heraclidem Ponticum* (vel ut alii nominant *Heraclitum*.) *Allegor. Homer.* confer Jac. Duporti Gnomol. Homer. pag. 40. Virgilius Æneid. VI.

——— tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps, tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

§. X. Ex hac poëtica descriptione forte est, quod aliqui *Tartarum* per *aërem crassum frigidum & tenebrosum circa polos* descripserunt. Ita *Crates* apud *Stephanum*: Τάρταρος, Κράτης, τὸ ὑπὸ τοῖς πόλοις ἀέρα παχύν τε καὶ ψυχρόν τινα, καὶ ἀφώτιστον. Nam penetralia septentrionis Veteres descripserunt tanquam loca tenebricosa, & perpetua nocte damnat. *Plin. l. IV. c.* 12. *fol. m.* 60. pars mundi damnata à natura rerum, & densa mersa caligine. Et *Solinus c.* 15. Damnata pars mundi & à rerum natura in nubem æternæ caliginis mersa. *Tibullus* de Zona frigida in *Panegyrico ad Messalam*:

Illic & densa tellus absconditur umbra.

Et apud *Homerum Odyss. I. vers.* 25. πρὸς ζόφον *ad caliginem*, idem est, quod πρὸς ἄρκτον *ad septentrionem*. Ita interpretatur *Strabo l. I. & X.* Rursus: ȣ̓ γάρ τ' ἴδμεν, ὅπῃ ζόφος, *neque enim scimus, ubi sit caligo*, Odyss. K. v. 190. i. e. *nescimus*, ubi *sit septentrio*, eodem *Strabone* interprete. Confer *Sam. Bocharti Geograph. part. post. lib. I. c. XL.*

§. XI. Nos, ubi *Tartarus* seu infernus sit, equidem determinare nescimus. Interim cum ille, Diabolorum receptaculum, in S. Codice *Luc.* 8: *vers.* 31. nominetur ἄβυσσος, certum est imum esse atque profundissimum locum. Nam *Homero Iliad.* ω. βυσσὸς est profundum mare. Inde ἄβυσσον est vel πλεονασμῷ ἐπιτατικῷ *immensum, profundum*; vel μετὰ στερητικȣ̃ μορίȣ, *altitudo expers fundi.* Cæterum Græcis, (*Camerario animadvertente in Not. ad N. T. pag. m.* 169.) ἄβυσσος nomen adjectivum, sub quo χώρα intelligendum, ita ut sit ἄβυσσος χώρα *locus absque fundo*, seu imperscrutabiliter profundus, & ideo inaccessus. *Euripides Phæniss.* conjungit Tartaro: Ταρτάρȣ ἄβυσσα χάσματα. Quod etiam Ebræorum Magistri videntur velle, quando cum R. *Eleasare in Pirck. cap. V.* Abyssos sub terra, & terram super abyssum ponunt. Confer *D. Windet Sect. XII. pag.* 242. *sequ. Plato in Phædone f. m.* 44. *seq.* Homeri versum modo explicatum adducens, *Tartarum* ut ejusmodi fluvium profundum describit: Ἄλλως τε μέγιστον τυγχάνει ὂν καὶ διαμπερὲς τετρημένον δι' ὅλης τῆς γῆς. Τȣ̃το ὅπερ Ὅμηρος εἶπε λέγων αὐτό. Τῆλε μάλ' ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον· ὃ καὶ ἄλλοθι καὶ ἐκεῖνος, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν, Τάρταρον κεκλήκασιν· εἰς γὰρ τȣ̃το τὸ χάσμα συῤῥέȣσι τε πάντες οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐκ τȣ́τȣ πάλιν

πάλιν πάντες ἐκρέουσι· γίγνονται δὲ ἕκαστοι τοιοῦτοι, δι' οἵας ἂν καὶ τῆς γῆς ῥέωσιν· ἡ δὲ αἰτία ἐστὶ τοῦ ἐκρεῖν τε ἐντεῦθεν καὶ εἰσρεῖν πάντα τὰ ῥεύματα, ὅτι πυθμένα οὐκ ἔχει, οὐδὲ βάσιν, τὸ ὑγρὸν τοῦτο. αἰωρεῖται δὴ καὶ κυμαίνει ἄνω καὶ κάτω. h. e. *Marsilio Ficino interprete fol.* 352. *Unus aliquis ex terra hiatibus est profecto quam maximus, perque universam terram trajectus & puteus, de quo Homerus: longe nimis barathrum stat sub tellure profundum. Quod & ipse alibi & multi Poëtarum* Tartarum *appellarunt. In hunc enim hiatum omnia confluunt flumina, atque inde rursus effluunt. Talia vero sunt singula, per quales labuntur terras. Quod autem hinc effluant omnia & rursus refluant, hæc est causa, quod hic humor nec fundum habet nec fundamentum*; itaque *elevatur & sursum deorsumque fluctuat.*

§. XII. Nobis Christianis *Tartarus & Abyssus* secundum S. Scriptorum sermonem est Πῦρ illud horribile, quo Dæmones & pravi homines à conspectu Dei amœnissimo longe remoti, æternum torquentur. Nam Spiritus S. ad captum mortalium sermonem flectens, piis *superiorem* ceu digniorem in cœlo lucis & gaudiorum pleno, locum assignat; improbis vero *infimum*, & quidem squalore & tenebris fœdum. Inde Gentiles probos ὑπὸ ζηνὸς sub Jove vitæ præside perpetuo bono in tranquillitate frui finxerunt: malos autem ὑπὸ Πλούτωνος ἢ Αἴδου sub mortis *arbitro Summano* in infima terræ parte, dira caligine obnupta, vitam trahere miserrimam. Conf. *Windet l. c. p.* 44. *seqq. Aristoteles ipse l.* 1. *de cœlo c.* 3. Divino Numini cœlum tribuit & quidem ex mente barbarorum & Græcorum. *Plato* in *Phædro fol. m.* 203. eidem super cœlestem locum adscribit, τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον inquit, οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητής, οὔτε ποθ' ὑμνήσει καθ' ἀξίαν. Quem *nullus adhuc poëtarum Græcorum celebravit, aut unquam sit digne celebraturus.* Et D. Paulus testatur Christum adscendisse ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, Eph. 4: 10. Huic è diametro opponitur *Tartarus* ceu infimus locus, quem *Orpheus* apud *Proclum* πυμάτην βάσιν vocat. Et *Anacreonti* Αΐδεω δεινὸς μυχὸς dicitur. Ubi σκότος τὸ ἐξώτερον extremæ illæ tenebræ, in quas animæ profligatæ αἰωνίῳ ἐξορίᾳ multatæ mittuntur. Confer *Cyrilli librum de exitu animæ.* Contra cœlo ut omnia bona, ita lux tribui solet, αἰθέρος ἄβατον φῶς vocat *Euripides Phœnissis:* S. literæ Deum φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον 1 *Tim.* 6: 16. perhibent. In cœlo grata quies ac Ἡρεμία: in *Tartaro* ærumnosissima ταραχή. Paraphrastes Chaldæus *rabiem* sive *tumultum Gehennæ* dixit in *Job.* 3: 17. cœli beatitudinem, epulari festivitate; Τελκυμίαν τῆς ἐν Ταρτάρῳ ἀθλιότητος, λιτῇ καὶ κενῇ διαίτῃ situ fameque describunt. In cœlo omnibus numeris absoluta εὐπορία: in *Tartaro* ἀπορία penitus exspes. cœlum ut jucundissimum palatium lapidibus pretiosis constructum: Tartarum ut carcerem scrupeum, sentum situ atque horridum pædore, unde nullus exitus conceditur. Hoc gentilibus notum. vid. *D. Windet. l. c. p.* 224.

§. XIII. *Quæstio* heic agitatur; an mali Angeli ταρταρωθέντες ante extremum judicium tantum pœna *damni* afficiantur; an vero etiam *sensus? D. Windet Tract. cit. Sect. X. p.* 229. priorem quæstionis partem affirmat, quia dæmones *Matth.* 8: *vs.* 29. exclamassent, creari sibi *importunam molestiam* (πρὸ καιροῦ,) Matth. cap. 8: 29. quam sententiam *S. Irenæi, Justini, Hilarii, Lactantii,* & *Eusebii* autoritate niti addit. Verum cum hæc disputatio in Scholis Theologorum jam occupata sit, malumus τοῦ μακαρίτου *Hulsemanni* judicium sequi, in *Prælection. Formul. Concord. Artic. XX. Sect. III.* §. 3. *ad argumentum D. Windet & aliorum* respondentis, phrasin illam, *detrudi in Tartarum, ligatum esse vinculis tenebrarum,* nequaquam significare *impunitatem* seu libertatem *à sensus pœna.* Quod, Græce intelligentibus clarum est. Et, si ex mente *Chrysostomi Orat. II. in Lazarum,* in Tartaro ἅπας ὁ τῶν ἁμαρτημάτων ἑσμὸς ἀνανεοῦται καὶ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἵσταται, καὶ τὴν διάνοιαν κεντεῖ, *universum examen peccatorum renovatur, atque ob oculos sistitur, & animum pungit*; utique tormenta ex peccatorum conscientia etiam Diaboli sentient, quæ tamen post extremum diem futura sunt graviora, Theologis id passim docentibus.

§. XIV. Cæterum quando *D. Windet Sect. VI. p.* 110. *sq.* Tartarum sub voce ᾅδου comprehendi docet, ita ut partem ejus solum notet, sequitur Rabbinorum aliquot & Græcorum opinionem, qui ᾅδης & שאול pro loco vita functorum communi accipiunt, quem deinde in *Paradisum & Gehennam,* vel stylo Græcorum in *Elysium* & *Tartara* dividunt. Inde auctor operis *Josepho* adscripti, quod edidit *Hæschelius,* in notis ad *Photium pag.* 9. ἐν ᾅδου συνέχονται ψυχαὶ δικαίων τε καὶ ἀδίκων. Verum utut aliquando ᾅδης statum mortuorum significet, non tamen *Paradisum & Gehennam* sive *campos Elysios & Tartarum* æqualiter notare probari poterit, quod alibi docetur. Nobis properandum est ad *alteram Sectionem.*

SECTIO II.

De Abjectione in Tartarum.

epitome:

§. 1. *Abjectio in Tartarum proponitur.* 2. *Dominus abjiciens.* 3. *peccatores abjecti Angeli mali, gentilibus Titanes dicti.* 4. *fabula de Titanibus & eorum abjectione à Vossio explicatur physice de Ventis:* 5. *nos civiliter de malorum Angelorum abjectione, cum aliis Græcis interpretamur.* 6. *Angelorum lapsus videtur gentilibus innotuisse.* 7. *Delictum illorum in S. literis generaliter exprimitur, Theodoreti & aliorum de eo opinio:* 8. *grave admodum fuisse ex* Ταρταρώσει *colligitur, ubi Platonis sententia allegatur.* 9. *cruciatus Diabolorum post extremum judicium an graviores futuri:* 10. *Dissertatio finitur cum voto.*

§. I.

Consideravimus *descriptionem Tartari*, nunc etiam *abjectionem in Tartarum*, quæ voce ταρταρώσεως innuitur, expendamus oportet.

§. II. Ubi *primo* Dominus ὁ Ταρταρῶν, nominatur à *D. Petro,* ὁ Θεός. Triunus scilicet, conditor spirituum & rerum omnium quæ videntur. An Angelorum bonorum ministerio usus sit, non legitur annotatum. Gentiles *Jovem* vocant, quem è cœlo *Titanes* deturbasse comminiscuntur. Ita *Hesiodus Theogon. p. m.* 182.

Αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς.

§. III. *Deinde peccatores abjecti*, in loco *D. Petri* sunt ἄγγελοι ἁμαρτήσαντες, seu mali, horum principem *Apocrypha* Enochi Σεμιαζᾶν vocant. Talmudistæ *Asmodæum*, item *Samael*: alii cum Alcorani Surata II. *Beelsebub*, aut cum Christianis *Satanam* vel *Luciferum* ἑωσφόρον Græce, quam *Greg. Nazianz.* Ὁρ. Παχυμ. vers. 7. describit σκότους δυσειδοῦς εὑρετὴν καὶ προστάτην, *informium tenebrarum inventorem & antistitem.* Qui huic subjecti sunt *Synesius* τιμωροὺς δαίμονας. *Origenes* Δαίμονας δημίους, *Genios carnifices l. VIII. adversus Celsum dicit.* Hi inquam omnes ἐκτραπέντες τοῦ καλοῦ (ut loquitur *Greg. Nazianz. l. c. vers.* 5.) in Tartarum missi fuerunt. In gentilium Scriptis à Poëtis dicuntur *Titanes*, vel ἀπὸ τῆς τίσεως, i. e. ultione, vel ἀπὸ τοῦ τιταίνειν, quod est *extendere* item *punire*: vel ut *Diodorus* vult, à *Titea* matre. Hi, ut in fabulis est, fuerunt filii Titani fratris Saturni Cœli & Vestæ filii, qui cum à paterna hæreditate Opis dolo se & liberos suos dejectos videret, una cum filiis suis Titanibus bellum adversus fratrem suscepit. Quo factum, ut Saturnum prælio victum cum matre in potestatem suam redigeret, arctissimæque custodiæ manciparet; donec adultus Jupiter eum liberaret; victis solenni pugna & in Tartarum dejectis Titanibus, ut pœnas luerent æternas. Commenta illa *Hesiodus* describit *in Th. p.* 136.

Τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκεν,
Παῖδας νεικείων.

Et *pag.* 170. describit:

Μαρναμένους Τιτῆσιν ἀνὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Mox *pag.* 174. subjungit, ut à Jove victore Titanes in Tartarum missi fuerint. Ex *Hesiodo* postea Latinorum poëtæ fabulam mutuati Gigantum pugnas & θεομαχίας describere cœperunt. Maro Georg. l. I. vers. 279. seqq.

—— —— tum partu terra nefando
Cœcumque Japetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter pater extructos disjecit fulmine montes.

Ovid. *lib. I. Metam.*

Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Ex

Ex horum θεομαχέντων sanguine, qui in terram defluxit, varia serpentum genera exorta esse, scribit *Nicander in Theriacis*:

'Αλλ' ἤτοι κακόεργα, φαλάγγια, σιὺ ἢ ἀνύγρες
'Ερπηστὰς, ἐχίας τε ἢ ἄχθεα μύρια γαίης
Τιτήνων ἐνέπεσιν ἀφ' αἵματ⊕.

§. IV. Et cùm secundum Varronem *Augustino* dicente *lib. VI. de C. D. cap.* 5. tria genera Theologiæ gentilis sint *Mythicon*, *Physicon* & *civile*; hanc fabulam aliqui *Physice*, alii *civiliter* explicant. Quorum illi, cum *Eustathio* Homeri *Scholiaste* de *ventis* intelligunt, qui ex cœlo, i. e. aëre ad terram demissi, occultentur in ea, atque ita terræ motus generent, qui non raro urbes & homines opprimerent conficerentque. Hanc interpretationem suam facit *Joh. Gerh. Vossius de Orig. & Progress. Idol. l. II. c.* 2. *p.m.* 739. Per *Titanes* inquit, *intelliguntur venti & cætera exhalationes, etiam igneæ. His quoque Titanum, h. e. lutigenarum, nomen convenit, quia terra quidem est mater ventorum, sed inprimis lutosa. Sane terra imbri rigata, macerataque, magis idonea est, quæ à Sole calefacta exhalationes emittat. Jure igitur Titanes dicuntur filii Cœli, & Terræ, cum ventorum causa efficiens sit cœlum: terra autem sit, unde prodeunt. Hesiodo dicuntur* ὑπερήφανα τέκνα, *superba proles. Quid enim vento levius? Unde Ventus pro ostentatione: & Maroni ventosa lingua, pro superba, & ostentatrice. Centum iis manus tributa, quia omnia rapiunt: manus autem rapina instrumentum, dextra inprimis: nam sinistra furtis accommodatior, unde tagax dicitur: dextra rapinis; unde Horatius lib.* 3. *od.* 3.

Omne sacrum rapiente dextra.

Ex ventis tres isti Hesiodo memorantur in Θεογονίᾳ; Γύγης, Βριαρεὺς, Κόττος. *Latent in terra obscuri; unde nomen* Γύγης. Nam γυγαῖ⊕ *est* σκοτεινὸς, *interprete Hesychio.* Validi sunt, & inde *vox* Βριαρεὺς. *Nam* βριᾶν, *validum reddere* ἀπὸ τῆ βίας *à vi. Terram feriunt. Unde vox* Κόττ⊕. *Siquidem* Κόττειν *valet* τύπτειν, juxta *Hesychium. Fere similiter vetus Hesiodi Scholiastes*: Κόττον μὲν φησι τὴν κινητικὴν δύναμιν, παρὰ τὸ κοττεῖν· Βριάρεων δὲ τὸν ἰσχυρὸν· Γύγην, τὴν δύναμιν. ἤτοι δὲ λέγονται ἐννέφεοι ἄνεμοι· εἰσὶ δὲ ἁρπακτικοὶ πάντες· διὰ τοῦτο ἢ ἑκατόγχειρες μυθικῶς, διὰ τὸ ὁρμητικὸν τῆς μάχης. *Cottum ajunt vim habere motricem, indeque Cottum dici, quia* κοττεῖν *notet ferire. Briareum autem signare validum; ac Gygen, vim sive potestatem. Et hi dicuntur venti è nubibus delati. Ac universi sunt raptores. Idcirco etiam Centimani sunt, secundum fabulas: nempe propter impetum bellicum. Atque hi tres vocabantur* Τριτοπάτορες *tertio loco parentes: puta post Solem & Lunam: de quo ex Philochoro Etymologus: quemadmodum tradidit olim is, qui in Physicum Orphei est commentatus. Et favet Demon in Atthide: qui ventorum hanc ait appellationem. De utroque testis Suidas in* Τριτοπάτορες. *Porro etsi* Τιτανομαχία *sit, quando venti inter se confligunt, atque, ut Poëta I. Æn. ait*:

Una Eurusque, Notusque, ruunt, creberque procellis
Africus:

non tamen omnes obnubilant Cœlum, quod Jovis nomine signatur: sed quidam illud serenum reddunt. Ideo in Titanum conflictu aliqui dicuntur stetisse à partibus Jovis: nempe proxime memorati; Cottus, Gyges, Briareus, venti Cœlum reddentes serenum. Qualis est *Aquilo*: *unde ipse de se apud Nasonem VI. Metam. ait*:

—— —— hæc tristia nubila pello.

Hinc Theophrasto de ventis ὁ βορέας εὐδιεινὸς, *boreas serenus: quia nempe, frigidus licet, serenus tamen. Unde & Aristoteles in VII. Polit. cap. XI. ait, post urbes eas, quæ Orientem spectant, proxime, ut salubriores, esse laudandas, quæ respiciunt Aquilonem; quia magis* εὐχειμέριοι *hieme convenientes. Mirum autem, quam hic varient Interpretes; Aretinus, Perionius, Strebæus, Sepulveda. Sed vide, quæ hoc de loco scripsit, non modo Franciscus Valleriola libr. II. Locorum Comment. cap.* 5. *sed & Federicus Bonaventura Urbinas, in Theophrasti librum de Ventis, in textum* 32. *sive pag.* 165.

Serenus etiam est Leuconotus, de quo Vitruvius l. I. cap. 6. *& Vegetius lib.* 4. *de re militari, cap.* 38. *è Latinis Ausonius in Monosyllabis*:

Velivolique maris constrator Leuconotus Libs.

Et ante eum Horat. lib. I. Od. 7.

Albus ut obscuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.

Imo ante hos omnes Theophrastus, lib. περὶ ἀνέμων *de ventis, sic scribit*: οἱ γὰρ ἠελνοὶ νότοι, καθάπερ ἐτησίαι τινές εἰσιν, ὓς καλῦσι λευκονότυς· αἴθριοι γὰρ καὶ ἀσυννεφεῖς. *Verni Austri sunt velut Etesiæ quidam quos Albos vocant Notos. Sunt enim sereni & absque nubibus. Nempe* λευκόνοτοι *dicuntur, quia ab iis* λευκαίνεται ἀὴρ, *aër redditur albus. Ut appellatio sit,* διὰ τὸ αἰθρείας ποιεῖν, quia faciunt serenitatem; ut ait *Alexander Aphrod. in II. Meteorolog. sive* διὰ τὸ ἀπάρεχον ἢ γαλήνιον τῆ πνοῆς, *propter placiditatem, & tranquillitatem aëris; ut est apud Olympiodorum. Verni etiam Favonii sunt sereni: unde eos, ut recte visum eidem Federico Bonaventuræ Urbinati* in Theophrastum de ventis, pag. 122. *candidos vocat Horatius lib.* 3. *Od.* 7.

Quid fles Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii?

Nam quod Dionysius Lambinus arbitrabatur, candidos poni pro jucundis, quomodo Catullus, Carm. 8. *ait*:

Fulsere quondam candidi tibi soles:

Id *eo facile refellitur, quod, ut Theophrastus lib. de Ventis* text. 40. *ait, Favonii primo vere spirantes (de quibus apertum est loqui Horatium) frigore suo sint molesti; nec nisi adulto vere sint lenes ac jucundi: quod etiam liquet ex Aristot. Sect.* 26. *probl.* 31. *&* 55. *Scio, & putare Lambinum, posse nihilominus Favonios dici jucundos, quia virum restituent uxori desideratissimæ. Sed omnino hoc longius quæsitum, ut eo recurrere opus non sit, si favonii primo spirantis vere ea sit natura, quam dicebamus. Et hæc de Titanibus Jovi amicis. At cæteri Titanum adversabantur Jovi. Quo significatur, ventos prope omnes aëra reddere nubilum, & turbidum, sic ut cœlum ipsum suis impetere tempestatibus videantur. Cum vero ad terras depressisse eas dicitur Jupiter, per hoc itidem significatur* εὐκρασία, *temperies bona, quæ requirit, ut, quæ levia sunt, adscendant, graviaque omnia petant inferiora loca.* Hæc *Vossius*.

§. V. Sed salva Viri hujus doctissimi auctoritate, magis sese nobis adprobat altera fabulæ explicatio, qua Titanum dejectio, isti Angelorum dicitur συςοιχεῖν. Abunde enim constat ex Græcis Christianorum Scriptoribus, & supra laudato Windeto *Sect. XIII.* fabulosos Titanes in fastigio suo constitutos, Angelis respondere ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρχῇ, priusquam τὸ ἴδιον οἰκητήριον (dicente *Juda Ep. vs.* 6.) deseruissent; istamque ἐξέλασιν τῶν Τιτάνων ἐξ ὀλύμπε συςοιχεῖν τῇ τῶν ἀγγέλων ἐξελάσει ἐξ ὀρανῦ. Inde Angeli mali etiam Τιτανικοὶ ἢ Γιγάντιοι appellantur apud *Origenem* adversus *Celsum libr. IV.* verba in *Philocalia Orig.* quam *Jo. Taurinus* ex Bibliotheca Regia Parisiis ann. 1618. edidit, *cap. XIX. pag. mihi* 250. ita habent. Κατὰ δὲ ἡμᾶς δαίμονες τινες φαῦλοι, καὶ ἵν' ὕτως ὀνομάσω Τιτανικοὶ, ἢ γιγαντικοὶ ἀσεβεῖς πρὸς τὸ ἀληθῶς θεῖον καὶ τὰς ἐν ὀρανῷ ἀγγέλους γεγενημένοι· καὶ πεσόντες ἐξ ὀρανῦ, ἢ περὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων ἢ ἀκάθαρτα ἐπὶ γῆς καλινδέμενοι ἔχοντές τι περὶ τῶν μελλόντων διορατικόν. h. e. interprete *Taurino*: *sed Christianorum sententia mali quidem dæmones, &, ut ita dicam Titanici & Gigantæi, in verum Deum & cœlestes Angelos impii, è cœlo deturbati circum crassiora & impura corpora in terra volutantur, & futurorum quandam habent perspicientiam.* Præterea utrique & *Angeli* in sacris, & *Titanes* in profanis literis, *Dii* dicti, utrique è cœlo ceciderunt, utrique vincti, utrique Ταρταρωθέντες. Homerus Iliad. ξ. de Titanibus:

—— —— θεὺς ὀνόμηνεν ἅπαντας
Τὺς ὑποταρταρίυς, οἳ τιτῆνες καλέονται.

Empedocles Δαίμονας θεηλάτυς ἢ ὀρανοπετεῖς dixit apud *Plutarchum* libro περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. *Ælius Aristides* in *Romæ Encomio* pag. 396. Titanum ταρτάρωσιν sic exposuit: τὺς Τιτᾶνας εἰς τὺς κατωτάτυς μυχὺς τῆς γῆς ἀπελθεῖν, συνωθέντας ὑπ' αὐτοῦ τε (Διὸς) ἢ τῶν σὺν αὐτῷ θεῶν. *Hesiodus* in Θεογονίᾳ allegata eam rem facundissime declarat. Et *Homerus*, qui βατραχομυομαχίας auctor creditur, introducit Martem Jovi persuadentem, ut fulmine uti velit, his verbis:

—— —— —— τὸ σὺν ὅπλον
Κινείσθω μέγα Τιτανοκτόνον, ὀβελομοεργὸν
ᾧ Τιτᾶνας πέφνες.

Virgilius Æneid. lib. VI.

—— —— —— Titania proles,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Forte ipse Christus *Luc.* 10: 18. ad casum Angelorum allusit dicendo, ἐθεώρυν Σατανᾶν, ὡς ἀςραπὴν, ἐκ τῦ ὀρανῦ πεσόντα.

Ebræi certe Angelorum casum ita describunt, ut Titanum non videatur dissimilis. Recitabo versionem ex libello Cabalico Chaldaice exarato *Medrasch Ruth* inscripto, qui *Zohari Cremonensi* inseritur p. 184. *R. Chanina* infit: *& viderunt filii Dei*, &c. *Aza & Azaël duo Angeli fuerunt, qui accusarunt Dominum suum: atque illos Deus O. M. præcipites egit è loco sancto suo è supernis: Cumque descenderent, circumdederunt se aëre, factique sunt instar hominum.* His parallela sunt verba *Zohar in Geneseos cap.* 2. p. 131. de Angelis malis: Deus *O. M. ad inferiora præcipites egit concatenatos, illi autem sunt Aza & Azaël; à quibus traducta est anima illorum, qui erant ex multitudine promiscua.* Nam Rabbini *Azan* & *Azaëlem* principes rebellium Angelorum faciunt, qui in Genes. 6. Jonathani dicuntur שמחזאי ועזאל *Schamchazai & Uziel*, qui ceciderunt è cœlo.

§. VI. Ex hac explicatione non ita obscura & longius petita (ut erat *Vossii*,) cognoscitur, gentiles fando quoque percepisse de Angelorum lapsu, qui paucis in s. literis describitur. Forte ex relatione Judæorum non-scripta, aut libris Apocryphis plura audivere. Extat enim *de vinculis Angelorum lapsorum* supposititius liber *Enochi*, ex quo, *censente Scaligero* in Notis in *Græca Eusebii*, omnia, quæ de Angelis veteres diverse locuti sunt, desumta putantur. Et hic quoque diserte Angelos malos vinctos describit: πορεύου Ῥαφαὴλ καὶ δῆσον τὸν Ἐξαὴλ χερσὶ καὶ ποσὶ συμπόδισον αὐτὸν καὶ ἔμβαλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Et mox etiam: πορεύου Μιχαὴλ, δῆσον Σεμιξᾶν. Confer *Windet. l. c. D. Petrus* in loco allegato, vincula malorum Angelorum phrasi Metaphorica σειραῖς ζόφου vocat.

§. VII. *Delictum*, ob quod Tartaro mancipati fuerunt mali Dæmones, generali notione τῷ ἁμαρτάνειν innuit *Apostolus*. Quale autem istud ἁμάρτημα fuerit, in S. historia nuspiam describitur, *Theodoretus de Græcar. Affection. curat. Serm. III. de Angel. Diis, & Dæmon. f.* 54. ubi memorat, Angelos τῇ παρατροπῇ τῆς γνώμης, ἀπὸ τῶν ἀμεινόνων εἰς τὰ χείρω μεταπεσεῖν h. e. *Vitio voluntatis à melioribus ad pejora præcipites corruisse*; mox subdit, *illos datis sibi muneribus non contentos fuisse*, ἀλλ' ὀρεχθέντας μειζόνων, εἰς δέξασθαι μὲν τοῦ τύφου τὸ πάθος, ἐκπεσεῖν δὲ, καὶ τῆς ἀρχῆθεν δοθείσης γυμνωθῆναι τιμῆς, *sed majora appetentes contraxisse labem superbiæ, ita ut ab ea quoque dignitate cassi prorsus exciderint, qua honestati ab initio fuerant.* Hanc sententiam inter Latinos Doctores *Augustinus* quoque *in Quæstion. V. Test.* & post eum alii amplexi sunt. Quæ inde fit probabilis, quod ipse Diabolus hoc malo Protoplastorum animos sollicitavit, Divinitatem, si mandatum Dei transgressi fuerint, promittendo. Sed hæc Theologis consideranda permittimus, cum Scriptura S. nihil definiat.

§. VIII. Illud interim *Plato* & ejus asseclæ crediderunt, neminem in Tartarum exquisitissimis cruciatibus plenum detrudi, nisi qui gravi scelere vitam contaminarit. Locus apud *Platonem* Dialogo περὶ θανάτου, hac de re notus est, cujus *verba fol. m.* 650. hæc sunt: Ὅσοις δὲ τὸ ζῆν διὰ κακουργημάτων ἤλαθη, ἄγονται πρὸς Ἐριννύων, ἐπ' ἔρεβος καὶ χάος διὰ Ταρτάρου. Ἔνθα χῶρος ἀσεβῶν καὶ Δαναΐδων ὑδρεῖαι ἀτελεῖς. Καὶ Ταντάλου δίψος, καὶ Τιτυοῦ σπλάγχνα, καὶ Σισύφου πέτρος ἀνήνυτος. οὗ τὰ τέρματα αὖθις ἄρχεται πόνων, ἔνθα θηρσὶ περιλιχμώμενοι, καὶ λαμπάσιν ἐπιμόνως πυρούμενοι ποινῶν, καὶ πᾶσαν αἰκίαν αἰκιζόμενοι, ἀϊδίοις τιμωρίαις τεύχονται. *At illi quibus per scelera vita fuerit peracta, per TARTARUM à furiis ad Erebum chaosque rapiuntur, ubi impiorum est locus, inexplebilesque Danai filiarum urnæ, ubi Tantali sitis, præcordia Tityi, Sisyphi inexplicitum Saxum, cujus finis ab alio incipit rursus labore. Ibi circumlambentibus eos feris, indesinenter lampadibus adusti & omnium pœnarum afflicti cruciatu tormentis laniantur immensis.* Et in *Phædone de Anima* fol. 45. οἳ δ' ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων, ἢ ἱεροσυλίας πολλὰς καὶ μεγάλας, ἢ φόνους ἀδίκους καὶ παρανόμους πολλοὺς ἐξειργασμένοι, ἢ ἄλλα ὅσα τυγχάνει ὄντα τοιαῦτα, τούτους δὲ ἡ προσήκουσα μοῖρα, ῥίπτει εἰς τὸν Τάρταρον, ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν, hoc est, *qui vero scelerum magnitudine insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetraverant, hos omnis conveniens sors mergit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur.* Hunc *Platonis* locum *Theodoretus Cyrenensis Episcopus* περὶ ἑλληνικ. παθημ. θεραπευτικῆς Serm. XI. fol. 155. allegat, ac ab Ebræis & Prophetis ipsum in itinere hanc sententiam de impiorum suppliciis apud inferos, & piorum præmiis in beatorum insulis hausisse, docet.

§. IX. Ex his colligere est, Angelos malos gravissimum scelus patrasse, ob quod in Tartarum sceleratissimorum carcerem fuerunt conjecti. Ubi docente *B. Hulsemanno*, *Theologo* non vulgari, jam ante extremum Judicium pœnas luunt debitas, graviores sensuri aliquando, cum Christus Judex omnium judicaverit orbem. Quod *Casauboni* & *Curcellæi* editiones in margine innuunt, quando 2 *Petr.* 2: 4. (pro εἰς κρίσιν τετηρημένους εἰς κρίσιν κολαζομένους τηρεῖν habent. Pro qua sententia etiam Doctores alios & quidem Græce doctos, allegat Vir modo laudatus *Prælect. supra Sect. I. §. XII. annotatis.*

§. X. Nos commentationi huic colophonem impositúri, Deum precamur, ut exemplo Dæmonum evadamus cauti ac probi, quo cum Christo, qui pro nobis Tartareos sensit dolores, ac ex morte resurrexit, in cœlo læti aliquando triumphemus!



JOH. GODEF. BACHMAN
DISSERTATIO
De certamine circa corpus Mosis ad Jud. vs. 9.

* * * * * * *

§. I.



Ostquam DEUS gratiosam de restitutione hominum lapsorum voluntatem per Proteuangelium, quod secutarum promissionum quoddam compendium est, aperuit, hujus quoque mox varii effectus, non uno modo conspicui fuerunt: Inimicitiæ fuerunt exercitæ, castra castris opposita, & in succedentibus sibi temporum periodis, velut in campo quodam Martio acriter utrinque decertatum fuit. Firmare tyrannidem, & cum generis humani multiplicatione eandem dilatare sategit Serpens: Allicere autem vel supprimere atque penitus de medio tollere, clam, palam, blandimentis atque terriculamentis conatus est eos, quos tanquam semen mulieris sibi vindicabat DEUS; Sed irrito molimine: Hi enim ab altera parte niti constanter in contrarium, turpissimum jugum cum successu excutere, & late grassanti serpentis dominio obicem audacter ponere visi sunt; donec tandem DEUS certamini, quod hactenus dubie videbatur geri, istum daturus erat modum, qui victoriosus mulieri, Serpenti autem ejusque gregi fatalis, reliquam in hoc facturus erat vanam tantum sine viribus iram. Primum hujus conflictus editum fuit specimen in primo diversa indole succrescentium fratrum pare, idque eo cum eventu, qui Serpentem nihil sibi posthac metuere, sed læta quæque sperare jubebat, sublato quippe cum Abele, ut videbatur, omni justo semine. Verum succurrebat afflicto mulieris statui promissionis suæ memor DEUS, *ponendo* in locum Abelis *semen aliud*, Seth inde dictum: Piorum iste in posterum agmen ducturus erat, non denuo supprimendus, sed Pater futurus illius seminis, quod cum omnimoda Serpentis contritione pugnam omnem terminaturum erat.

§. II. Verum antequam eo res devenire adhuc poterat, acerrimi sustinendi erant conflictus; Non enim quiescere Serpens, neque ferre perstringentes pietatis radios tenebræ potuerunt. Et quamvis postmodum ex hac nova stirpe multiplicati in unum coirent pii, *nomen* quoque sibi *facientes* in distinctione Serpentini gregis, à JEHOVAH vero *DEO*, *Gen. 4. ult.* In ipsum tamen piorum cœtum impetum facere ausus fuit Diabolus, disseminata tali corruptione, quæ ipsos quoque *Filios DEI* abripuit, *Gen. 6.* & vires novas indies acquirens, tandemque immedicabilis facta, universalem in terram cataclysmum provocavit, cumque eo omnimodum fere generis humani naufragium: Sed & in ipso mundi renascentis exordio, quando ex meris piorum capitibus constare videbatur genus humanum, suis tamen partibus non defuit Sathanas, exerente mox improbitate caput in Chamo, firmata quoque deinceps in successiva ejus impia progenie, hæc enim nequicquam reluctante pia Semi posteritate, ad ejusmodi corruptionis monstrum in Religionem invehenda conspiravit, quo pestilentius nullum Deoque magis exosum excogitare unquam potest Diabolus; Nefarium innuo consilium Babelis structorum, quippe molientium unitatis fidei per humanum nomen conservationem, quod adeo displicuit Deo, ut cum ipso ortu istud supprimendum judicaret, confusis eorum labiis & dispersis in varias terras machinatoribus Gen. cap. 11.

§. III. Ab eo tempore fortius urgere negotium suum non desiit humani generis hostis, facile enim erat hominibus Religionem de suo jam nutu pensitantibus, eripere omnem, si quæ hactenus vera solidaque superaverat, atque sic postliminio in Gentilismo, quem occupaverat, abjecta jam larva thronum sibi erigere. Sed reservaverat tamen sibi Deus hinc inde, quos exorbitanti impietati opponeret, qui licet in paucioribus familiis subsisterent, tanto tamen illustriores fuerunt & ad excruciandam Diaboli invidiam, Dei autem gloriam magis extollendam comparati. Adstringebat tandem DEUS, gentibus reliquis paullatim sibi relictis, Ecclesiam suam ad familiam Abrahæ, post consilii sui apertionem huic prius factam, & initum super ea re cum ipso fœdus. Ita jam novam nactus occasionem virulentiam suam varie circa Israelem exercendi, istud præcipue egit inimicus, ut corrumpere illum, seducere ad idololatriam, ad superstitionem, ad murmura, concitare in eum DEI judicia, Gentes vicinas irritare, exturbare terræ possessione & opprimere eum quovis modo posset, quod qua fortuna tentaverit, copiose narrant Historici sacri. Imprimis vero notabilis est ultimus ille conatus, quem Judæis ob continuas prævaricationes in Babyloniam abductis, operose adeo & ipse & instrumenta ejus impenderunt ad eos in captivitate detinendos, impediendamque urbis, templi atque integri cultus restitutionem. Atque eo putamus referendum esse certamen illud Michaëlem inter & Diabolum super corpore Mosis, cujus mentionem injicit Judas in Epistola sua, & circa cujus verum sensum nos hac vice paulo accuratius examen instituemus; Materiæ elegantia, & momentum rei, utpote circa quam non satis convenit inter Interpretes aliquod saltem operæ pretium promittunt.

§. IV. Verba quibus Judas certamen istud exprimit, inveniuntur in Epistolæ ejus commate 9. atque ita habent:

Ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ Ἀρχάγγελος ὅτε τῷ Διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, ἀλλ᾽ εἶπεν, ἐπιτιμήσαι σοι κύριος.

Michaël vero Archangelus, quando cum Diabolo disceptans loquebatur de corpore Mosis, non ausus fuit inferre judicium blasphemiæ, sed dixit, increpet te Dominus!

In quem finem Apostolus ista adducat, non potest esse obscurum ei, qui & antecedentia & consequentia, itemque huic nostro parallelum Petrum Apostolum consideraverit 2 Epist. 2. nempe inserviunt ista scopo generali totius Epistolæ; Corroborare scilicet vult Apostolus credentium animos in fide semel tradita, & munire contra doctrinæ corruptorum seductiones vers. 3. Quem in finem ob oculos iis ponit, quam periculosum istud sit, si seduci se patiantur, quandoquidem jam ante descripta sit seductorum & eorum, qui cum iis faciunt, pœna vs. 4. quod illustrat & confirmat similibus exemplis, in quibus singulis ἀπιστίαν secutum fuerit singulare supplicium, vs. 5, 6. Verum cum cavere sibi non satis posse viderentur fideles ab ejusmodi hominibus, nisi certa criteria haberent, ex quibus eos dignoscere possent, in antecessum præmittit signa duo generalia quibus se proditurі erant vs. 8. quod *carnem videlicet*, per scortationem *polluant*, *Dominatum autem criminentur*, & *blasphement majestates*, cujus ultimi criminis absurditatem obiter ostendit argumento ducto à majore ad minus, quod ne quidem Michaël, qui Archangelus sit, sustinuerit in justa etiam causa judicium blasphemiæ ferre, sed superiori. DEO judicii istud vindicaverit, *dicendo increpet te Dominus*.

§. V. Qui-

§. V. Quivis facile videt nihil ex illo scopo Apostoli pro sensu horum verborum colligi posse: Solet quidem alias sapiens consideratio nexus cum præcedentibus & sequentibus ad verum sensum assequendum manuducere Lectorem, verum istud in hac allegatione historiæ non obtinet, sufficiebat enim Apostolo, si historia in medium prolata istud probaret, quod ipse intendebat, ipsum autem sensum aliunde ex historiæ recensione hauriendum relinquit: Atque hic proximum videretur esse ejusmodi rem circa corpus Mosis gestam quærere in illa descriptione mortis ejus, quam Deuteronomio addidit sapiente consilio Author incertus, sed θεόπνευστος. Verum frustra quæras, quod non adest; Cum itaque altum de hoc certamine silentium ibi sit, itemque in reliqua V. Test. scriptura nihil eo pertinens se videatur offerre, in diversa abierunt Interpretes.

§. VI. Sunt qui non obstante hujus concertationis in ultimo Deuteronomii capite omissa mentione, narrationi illi tamen constanter inhærent, judicantes inde nihilominus historiam istam repetendam esse; Et certe cum circa mortem & sepulturam Mosis istud peculiare memoretur, quod DEUS ipse eum sepeliverit, & sepulturæ locum postea nemo rescire aut explorare potuerit, istud frustra factum aut annotatum esse non facile quis dixerit; Ratio autem ob quam DEUS rem ita ordinaverit, cum ea commodissime statui debere videatur, ut eriperet omnem idololatriæ & superstitionis occasionem populo illi, qui ex Ægypto recens eductus ad utramque malesano impetu per se ferebatur, quique uti passim ita singulari in hoc ipso itinere μοσχοποιΐας documento prodiderat, qua præcipite dementia ruiturus esset in venerationem reliquiarum illius viri, cujus vivi familiare cum DEO commercium tot tantisque experimentis compertum habuerant: Atque hinc jam porro conjecturæ videretur posse dari locus, Diabolum ad idololatriam, quam avertere DEUS absconditis Mosis exuviis voluerat, incitare populum iisdem detectis laborasse; obstitisse vero hisce ejus conatibus, advocato in causæ suæ præsidium DEO, Michaëlem Archangelum: Apostolum Judam porro ex constanti traditione, cujus certitudinem à DEO immediate acceperit, istud inseruisse Epistolæ suæ, ex eoque adeo tanquam tum temporis in vulgus noto validum satis potuisse ducere argumentum.

§. VII. Verum incerta ea omnia sunt, & satisfacere non possunt animo veritatis studioso, cum negari eadem facilitate possint, qua ponuntur: Quicquid enim sit de ratione, ob quam DEUS ita singulariter ipsemet occupari voluit in sepeliendo & abscondendo corpore Mosis, sive ea avertere idololatriam, sive fideli huic in universa domo ejus servo in ipsa quoque morte per ejusmodi tractationem corporis ejus attestari, vivo forte alias, ut aliis contigit, in cœlum assumendo, nisi ἀπιστία intercessisset, sive alia quæcunque sit, nulla per se ullam de tali certamine suspicionem suggerere valet. Et certe si res recte consideretur, minus quoque istud probabile occurret: Non enim ita à bona mox mente penitus relictos fuisse Israelitas credendum facile est, ut moliturі fuerint rem, de cujus absurditate ex ipsa τῦ λειψάνων Mosis corruptione & ipsis frequentissimis detestationibus Mosis primo mox obtutu potuissent convinci; neque istud ex nupera μοσχολατρεία præsumi potest, hæc enim aliam habet faciem: Per ipsam potius absentiam & subtractionem corporis ejus venerationem majorem de Mose concipere, & facilius induci posse Israelitæ ad divinos ei honores tribuendos videbantur. Et vigilaturum utique strenuum Mosis designatum successorem Josuam sciebat Diabolus; Et si abscondere volebat DEUS Mosis corpus, in eos procul dubio recessus reponere istud poterat, qui ipsius etiam Diaboli vel exquisitissimam in quærendo operam eludere potuissent.

§. VIII. Sed & si hoc modo quam facillime se contaminare Israelem posse judicavit Diabolus, mirum est quod istud circa alia objecta non tentaverit; præsto utique erant varia, nec quædam forte ex iis minus notabilia quam hoc ipsum: Non abscondita certe erant Patriarcharum μνήματα, & imprimis Abrahami illud, capitis Gentis, à DEO & suavissima quæque commercia admissi, & *longiore* jam temporis intervallo rebus humanis exemti: Hujus autem reliquiæ non opus erat ut prolixo labore ex loco ignoto protraherentur, cum monumentum, quod ipse sibi comparaverat, & in quo istæ compositæ erant, cognitum omnibus esset: Præterea res adeo memorabilis digna procul dubio erat, quæ non præteriretur sed in historia mortis Mosis exprimeretur, imprimis cum res minoris momenti ibi annotentur, & magnopere istud facere posset ad absterrendos ab idololatria Israelis, si audirent & legerent, quemnam idololatriæ iste abortus genitorem habeat, & quam subdole sibi per eam insidias pararet Sathanas.

§. IX. De Traditione porro quod additur, eadem jam incertitudine laborat: Neque facile ad traditiones recurrendum est; scriptura potius cum scriptura prudenter conferenda est & meditanda, quod si factum ab omnibus debite fuisset, pauciorem forte ejusmodi locorum numerum deprehendissent, quorum sensum statuebant ex scriptura indeterminabilem. Certe non erat, ut nuperus famosus ille *Mundi fascinati* Author derogaturus certitudini sensus hujus nostri loci, quem juxta cum aliis ex V. T. sibi obstare videbat, in istum censum tam arroganter reponeret 1 Cor. 15: vers. 29. hic enim quid velit Apostolus, discere potius ex Lege Numer. 19: vers. 12, 13. debebat, quam suggerere Lectori, morem peculiarem apud Corinthios tum temporis obtinuisse, cujus notitia postmodum interciderit: Interim negandum tamen non est, esse loca, quæ historiam obiter tangunt, cujus prolixior narratio cum in reliqua scriptura non compareat, ex traditione repetenda videtur, quod ut in aliis, ita forte obtinet Actor. 7: vers. 16. & hujus nostræ Epistolæ versu sequente 14. Quæ enim hic recensetur prophetia Enochi, apud Mosen non legitur; unde verisimillimum videtur, extitisse tum temporis hujus prophetiæ per traditionem conservatæ universalem notitiam, de cujus indubitata veritate à Spiritu Sancto edoctus fuerit Apostolus. Nullum tamen propterea per ejusmodi traditiones periculum imminet causæ Orthodoxæ contra Pontificios, nam & historicæ illæ sunt, & consignatæ postmodum, & in ipsa Scriptura fundamentum habent. Cæterum quod hanc, quam præ manibus habemus, historiam attinet, non putamus ejus allegationem ab Apostolo factam traditioni deberi, sed ipsi potius Scripturæ Canonicæ Veteris Testamenti. Et cum Vulgata illa hypothesis istis prematur incommodis, & nata sit ea occasione, quod circa sensum verborum Judæ hærerent Interpretes, non ita pro certa habenda est, quin præteriri possit, si alibi major se certitudo offerat.

§. X. Non majorem fidem merentur ea, quæ alii producunt ex Scriptore Apocrypho, qui apud nonnullos veteris Ecclesiæ Patres mox sub Ἀναλήψεως, mox sub Ἀναβάσεως Μωσέως titulo occurrit, & ex quo putant Apostolum ista depromsisse: observarunt enim jam dudum Docti, dubitari merito posse, an tum temporis ejusmodi liber extiterit: Saltem ex Patribus Epiphanius & Athanasius eum rejiciunt; Et videtur post Judæ tempora scriptum istud irrepsisse, cum dubitaretur unde historiam istam petiisset Apostolus, uti & alterum illud, quod sub nomine Enochi circumferebatur, quod insuper varias continet ineptias; Neque desunt, qui ab hæreticis Sethianis utrumque confictum esse conjiciunt, quod nos suo loco relinquimus. Cum itaque illa, quæ hactenus examinavimus, utpote dubia, eam præstare non possint certitudinem, quæ ad verum sensum requiritur, restat ut certiora nunc indagemus.

§. XI. Ad ea autem assequenda ipse Apostolus manu quasi nos ducit, quando allegationi hujus historiæ miscet verba, quæ ῥητῶς in Veteris Testamenti Scriptura leguntur: memorat Michaëlem ad Diabolum dixisse, Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος, quod iisdem verbis reperitur Zach. 3: vs. 2. יִגְעַר יהוה בְּךָ. Atque hinc jam præjudicium aliquod sponte nascitur, in Zachariæ loco forte integram historiam quærendam esse. Dicamus amplius: In plerisque circumstantiis descriptio utriusque convenit: Negotium quod apud Judam agitur, forense est, causa aliqua coram Judice disceptatur, simile negotium Zacharias sistit: Judex ille apud utrumque DEUS est: Partes litigantes, *hic* sunt Angelus JEHOVÆ, & Sathan, *illic* Michaël Archangelus & Diabolus, quæ utique sibi respondent; In eadem tandem verba utrinque certamen desinit. Verum magna videtur esse differentia in materia litis, quæ apud Judam dicitur fuisse, Corpus Mosis, apud Zachariam vero umbratilis cultus restitutio: Atque ex hac differentia est, quod plerique interpretes ulteriorem collationem Prophetæ & Apostoli tanquam frustraneam neglexerint, ac proinde à difficilibus ad incerta transitum fecerint: Nos putamus hac etiam parte nihil in consensu desiderari posse, & compendiose exprimere Apostolum, quod fusius apud Prophetam describitur, ut mox in comparatione utriusque ostendemus. Lustremus nunc præcipua accuratius, singula enim pertractare non fert nunc instituti nostri nec temporis ratio.

§. XII. Partes itaque litigantes juxta Apostolum fuerunt ab una parte Michaël Archangelus, ab altera Diabolus. *Michaelem Archangelum* vocat Apostolus, qui apud Zachariam in ge-

genere *Angelus Jehovæ* audit, ut designet, hunc eum ipsum esse, qui alias sub nomine Michaëlis occurrit, & cum is apud Prophetam ferat nomen ה ה י simul eo indigitatur, quis ille sit, ipse nempe FILIUS DEI, cui & in reliquis locis, in quibus hoc nomine insignitur, ejusmodi tribuuntur prædicata, ut mirum sit eum non mox omnibus in mentem venisse: Certe reliquos Angelos & homines imprimis pios *pro suis* habere, Apocal. 12:7. coll: &, quod cum hoc fere coincidit, *Principem Israëlis esse*, Dan. 10:21. talia sunt, ut alii, quam Creatori & Redemtori competere minime possint, ut jam taceam ipsam quoque vim nominis istud innuere, מִי כָּאֵל enim est, *quis* vel *qui*, (מִי enim sæpe idem valet, quod אשר conf. Jud. 7:3. Eccles. 5:9.) *sicut DEUS fortis*, ut notetur hunc esse DEO PATRI ὁμοούσιον; Neque obstat, quod apud Judam sequitur, *non ausum fuisse* Michaëlem ferre judicium blasphemiæ, hoc enim quomodo de Christo dici possit, deinceps monebimus. Eum jam porro vocant *Archangelum*, i. e. Principem Angelorum; occurrit etiam hæc vox similiter de Christo usurpata 1 Thess. 4:16. *Angelus* est Christus, siquidem juxta œconomiam legatione varia functus est; sub Veteri Testamento sæpius hominibus apparuit prælusurus suæ ἐνσαρκώσει, quam quando subivit opus salutis nostræ perfecturus, voluntatem Patris vere implevit, unde מלאך הברית & Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας ἡμῶν appellatur: Interim tamen etiam *Archangelus* est, Angelos reliquos utpote Creator & Dominus tanquam *suos* possidens, atque pro nutu eos adhibens in administratione regni sui. Hebr. 1.

§. XIII. Patet inde, quam temere atque imperite Pseudo-Dionysius ille, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, in ordinanda Hierarchia cœlesti versetur, quando integrum ordinem ex meris Archangelis constantem comminiscitur, cum Scriptura nonnisi unum Archangelum, eumque D. N. J. C. agnoscat. Eadem quoque Authoris illius inscitia in reliquis ejus temerariis definitionibus patescit; Quanquam jam dudum suppositionem illorum scriptorum, quæ sub nomine Dionysii Areopagitæ circumferuntur, ex certis indiciis detexerint Eruditi, qualia e. gr. sunt, quod stylus minime conveniat primis seculis, quod Timotheum vocet puerum, qui tamen ipso Dionysio, si non major, certe par fuit, quod Pauli tanquam sui præceptoris non meminerit, sed obscuri cujusdam *Hierothei*, & quæ ejusmodi plura sunt. Ut jam non dicam, quod omnes primorum quatuor Seculorum Scriptores libros istos ignoraverint.

§. XIV. Accedamus ad alteram disceptantium partem, Michaëlis antagonistam, Apostolus *Diabolum* vocat. Qui Zachariæ in visione stans contra Angelum Jehovæ occurrit, שָׂטָן dicitur. Utroque nomine Scriptura describere solet DEI & humani generis hostem infensissimum, cujus perpetuum negotium est, *calumniari* homines apud DEUM, & vicissim, *resistere* Regno DEI & ejus incremento; utrumque strenue apud Zachariam præstat, unde, uti passim, ita & h. l. absolute & simpliciter הַשָּׂטָן & ὁ διάβολος appellatur. Bonus ille primum creatus fuit à DEO, sed à bonitate ista deflexit, ex Angelo bono factus pessimus & malitiosissimus, quam status ejus & sociorum immutationem descripserat Apostolus noster vers. 6. & Petrus 2 Epist. 2:4.

§. XV. Operationes Diaboli & Angelorum ejus, quin & omnium Angelorum circa res alias creatas imprimis corporeas quod attinet, negare eas proximis ab hinc annis cum ingenti strepitu ausus fuit Bekkerus: In iis autem, quæ didicisse sibi videbatur Mundus ex Scriptura & experientia, cœcæ credulitatis *præstigiis* delusum esse persuaderi ei conatus est. Sed *majore* ipsum *fascino* teneri, ostenderunt cum alii, tum imprimis Celeberrimus Waienus, qui præ reliquis mascule receptam sententiam ab omnibus ejus sibilis vindicavit, adeo ut prostrata nunc jaceat omnis illa sine nervis moles. Cæterum neque hunc nostrum locum à solita sua στρεβλώσει intactum relinquere potuit: per השטן enim suggerit apud Zachariam commode intelligi posse Thatnæum & Starbosnæum, quorum ut adversariorum populi DEI, mentio fit, Esr. 5. Quare vero istud? propterea, quia ei ita videtur. Itaque nos majori ratione videmur insistere posse & debere sententiæ communi, cum & absolute השטן nominetur, & nullam textus suppeditet occasionem de hominibus istis, Judæorum hostibus cogitandi. Sed, inquit, hi diserte Josuæ & Zorobabeli restitisse dicuntur. Esr. 5:2.3. Esto! quid tum? Indene sequitur, eos h. l. per השטן intelligendos esse? Minime, sed hoc potius; Eandem rem egisse Diabolum & homines istos; Et hos quidem tanquam Illius instrumenta, ipsum Diabolum vero tanquam consilii hujus & machinationis autorem, qui hic coram tribunali DEI compareat, causæ sibi cum illis communi patrocinaturus.

§. XVI. Succedat nunc ipsa causa, quæ disceptatur: *Circa Corpus Mosis* dicit Apostolus, certasse Michaëlem cum Diabolo. Quid autem hic Zacharias? nihil ille Mosis Corpori respondens introducere videtur! Anne ergo hic abrumpendum est conciliationis filum? Non putamus: Sed figenda paulisper est meditatio in visione Zachariæ, atque ita quod satisfacere possit, facile inveniemus: Scilicet, res quæ apud Zachariam inter partes controvertitur, eo recidit, an cultus cerimonialis, quem Mosis instituerat, quique hactenus per captivitatem interruptus erat, restituendus esset, nec ne? Stante pro negativa Sathana, sed contranitente Angelo JEHOVÆ. Istud esse τὸ κρινόμενον apud Zachariam, dubitare nos non sinunt, & scopus totius prophetiæ (qui est, excutere Judæis torporem, & incitare eos ad alacriter promovendam structuram Templi) & manifesta in hac ipsa visione occurrentia indicia, quæ non obscure istud arguunt. Quid si ergo omnem istum complexum præceptorum in placitis, quæ a Mose introducta sunt, & quorum tunc temporis restitutio agebatur, ab Apostolo summatim *Corpus* appellari dicamus, & *Mosis* quidem, quia ipse ea præscripsit Israëlitis, & in justum ordinem redegit, ita ut corporis haberent rationem.

§. XVII. Certe non magis mirum istud videri debet, quam quod potestas ista inculcandi & urgendi cum authoritate eam œconomiam, quam Moses introduxerat, dicatur *Cathedra Mosis*, Matth. 23:2. Hæc autem certe non erat materialis aliqua, quam ipse aliquando vivus occupavisset. Huc quoque referri potest *Velamen Mosis*. Sed neque aliena est hoc sensu accepta phrasis, solent enim ea, quæ aliquem variarum rerum complexum habent, cum hoc considerata *Corpora* appellari, quod notum est. Insuper alibi quoque sæpissime ut unum totum considerantur ista præcepta. E. gr. quando *Lex Mosis* occurrit, hæc continere procul dubio innumera ista diversissimi generis præcepta censenda est. Si cui jam forte porro placuerit Legibus istis addere ipsum populum, ex ea ratione, quod is sub notione *Corporis* venire possit, & actu veniat libr. 2. Maccab. itemque quod Ecclesia corpus Christi dicatur, & quod denique in isto singulare quid ad illam œconomiam pertinens, observari possit, per nos licebit, quanquam posterius tamen minus commodum videatur. Saltem non putamus istud postulatum, quo compages ista præceptorum corporis notionem inducit, tantum esse, ut propterea locum Zachariæ prætereundum esse, & contra potius conjecturis variis indulgendum esse censeri debeat.

§. XVIII. Deferimur tandem ad certaminis hujus exitum; is & apud Judam & apud Prophetam eodem modo describitur, quod scilicet victoriam reportaverit Michaël, dicendo ad Diabolum *Increpet te Dominus*. Ubi mirum videri posset, quare si Christus per Michaëlem intelligatur, ipse ad Jehovam provocaverit, & uti Judas dicit, *non ausus fuerit* ferre judicium blasphemiæ: Sed hæc difficultas tollitur, si consideretur Christum ante præstitam actu satisfactionem non ita plenarie Judicis partes obivisse, neque ademtum tum adhuc fuisse omne jus & potestatem Diabolo, quam vi Legis habebat hactenus. Sed hæc latius nunc prosequi non licet.

M. ZACH.

M. ZACH. HENSEL.

DISSERTATIO

De certamine Archangeli Michaëlis cum Diabolo de corpore Mosis ad Jud. vſ. 9.

ביהוה

PROOEMIUM.



ERTAMEN meditamur. Non umbratile aliquod fictumque à Poetis aut Pictoribus, quibus mentiri bona plerumque Venia jureque ſolis licet. Nec Amphitheatra Veterum aut pulverem Olympicum ſiſtimus impræſens. Mittimus etiam ſolennes illos Apollinares Circenſesque Ludos, quibus Romani quondam popularem Lætitiam alebant. Longe graviora domi ſunt; quæ & Ingenium & Pietatis ſcholam deceant quam maxime. Arma Virumque canat grande Prælium depicturus Maro; nos nobile illud & ab Eccleſia decantatum cantabimus Certamen, quod Princeps Angelus ſubiiſſe legitur, cum de Corpore Moſis diſputaret cum Dracone Infernali. Dabimus tamen imprimis Operam, ut intra Limites Philologorum maneamus. Non enim Animus eſt, Falcem in alienam meſſem imprudenter mittere. Cæterum nulla forte Apologia opus erit, qua deprecemur Veniam. Inſedit quippe & inveteravit Conſuetudo, qua certum Tempus memoriæ Angelorum deſtinatum quotannis celebratur. Priſtino mori nos quoque inſiſtimus, ne ſoli fortean deliteſcere videamur, dum Templa, Chori & ſuggeſta perſonant. Eamus ergo Bono cum Deo, quo Rei nos ſublimitas & Inſtitutum vocat. Ampliora per nos offerant, quibus ampliora. Nos Farre ac Ficella religioſi erimus: & cum Thura non ſuppetant, Ceſpitem & molam falſam ad Aram deponemus. Huc parvi properamus & ampli. Quod quiſque pius poteſt, conferre debet; & qua poteſt. Quid autem Momus ad hæc noſtra, linquimus in medio. Sandalium plerumque culpat, cum ipſam Venerem non poteſt. Speramus tamen meliora. Fortaſſe & ipſe ſecum habitabit, & ante quam taxatum veniat, explorabit ſedulo, quam ſibi quoque ſit curta ſupellex. Interim ἀνθρώπινον noſtrum libenter agnoſcimus & cum illis profitemur Nomen, qui ERRARE poſſunt; imo debent, ob hanc communis Naturæ Imbecillitatem, qua ſat magnum alter alteri Theatrum ſumus. Pertinaciam pro Opinione nunquam induemus. Quin potius, ſi quando Errores quoſdam odorati fuerimus, ſponte illos indicabimus. Et ſic decenti Confeſſione parcemus labori Aliorum; quibus in memoriam revocamus vulgatum Rabbinorum: אל תהי בז לכל אדם ואל תהי בז לכל דבר שאין לך אדם שאין לו שעה ואין לך דבר שאין לו מקום: Sed mittimus iſta ad Rem ipſam propius accedimus.

שלח יהוה אורך ואמתך המה ינחוני:

§. I.

CHryſoſtomum accepimus in tanta olim Celebritate Nominis fuiſſe apud ſuos, ut divinam ejus Facundiam perſpicuamque Brevitatem admirati Diſcipuli, *Os aureum & æternarum Artificem Paginarum* nominarint Illum. Rectius hæc Elogia dixeris de Juda, Apoſtolo Jeſu Chriſti, qui & ſanctitate Doctrinæ & grata Brevitate cuivis pio placet; quippe qui ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενος ἐλάλησε. Certe adeo clara atque perſpicua ſunt illa Verba, quibus *Certamen Michaelis cum Diabolo* exponit, ut omnes facile nebulas diſſipare valeant, quas per Glaucoma vident Adverſarii. Fatendum hic equidem, hanc Hiſtoriam, quam verſ. 9. ſuæ Epiſt. introducit Apoſtolus, non paucis è Veteribus anſam præbuiſſe de Autoritate ipſius dubitandi. Teſtantur illud *Euſebius*, *Hieronymus* & alii, quod adulterina olim fuerit habita. *Amphilochius* etiam, qui tempore *Hieronymi* adhuc vixit, meminit *in Jambis ad Seleucum*: *ab aliis recipi hanc Epiſtolam*; *ab aliis rejici*. Quod autem ab ipſo Juda hoc ſcriptum fuerit profectum, non adeo obſcure innuere videtur *Clem. Alexandrinus*. Quicquid tandem hujus ſit, ſufficere nobis poteſt, quod illa ſuam Autoritatem ab ipſo Scripturæ Autore principali Spiritu S. poſſideat. Ad alia hic equidem deveniendum nobis eſſet. Verum, cum non in Bivio quodam aut Trivio ſtemus; ſed centenæ fere exſpaciandi ſeſe viæ ſiſtant, nolumus committere, ut extra oleas hinc inde divagemur. Nuſpiam eſt, qui ubique eſt. Recte itaque facere videbimur, ſi quod inſtituti ratio permittit noſtraque refert maxime, id percontemur ſedulo, remiſſis, quæ dici adhuc poſſent, ad illorum ſcholas, ubi noſtrum inter Diſcipulos profitemur Nomen.

§. 2. Μιχαὴλ). Quod attinet *Perſonas ſive Adverſarios*, qui Certamen hocce nobilitant, ſunt iſti diverſarum Qualitatum Spiritus. Alter Lucis, Michael; alter Tenebrarum, Diabolus. Ille Græcis vocatur Μιχαὴλ; Ebræis מִיכָאֵל. Occurrunt in hoc nomine, *docente Kimchio*, Pronomen, Particula & Nomen Subſtantivum. מִי, non interrogandi ſaltem vocula eſt; ſed etiam pro אשר ſæpius uſurpatur, *de quo Glaſſius Philol. S. de Pron. Buxtorf. Theſ. Synt. pag. m. 392. ſ. Michl. Jophi f. 152. & alibi paſſim.* Latinus vertit dupliciter: *quis*, ſicut Deus? & *qui* ſicut Dominus. אֵל juxta nonnullos decurtatum eſt ab אֱלֹהִים; ſicut à יְהוָה fit יָהּ *Buxt.* L. E. *pag.* 21. *Hottingerus* ad illorum ſententiam Animum inclinat, qui Natales ſuos Arabibus debere hanc vocem aſſerunt. Plerique derivant ab אול vel איל *virtus*, *poteſtas*. Unde אל, quod abſolute ſumptum *fortem* notat Ezech. 31: 11. ubi tamen Arabs, exemplo LXX. ἄρχοντα vertit. Per Antonomaſiam & κατ' ἐξοχὴν *Deum Omnipotentem* denotat. Frequentem inſuper in Compoſitione uſum habet; maxime autem in Nominibus Angelorum. Hinc in *Schemoth Rabba*: שמו של אלהים היה מעורב עם כל אחד ואחד מיכאל גבריאל i. e. *Nomen* אל *eſt compoſitum cum unoquoque illorum, ut Michael, Gabriel &c.* Cum igitur Μιχαὴλ utrumque vi Etymologiæ denotet: *Quis* & *Qui*, in diverſas itum eſt Sententias ab Interpretibus; quiſnam hic intelligi debeat? Sed expediant hæc aliaque Theologorum ſcholæ. Nos retinemus Literam, à qua ut diſcedamus, nulla nos Neceſſitas cogit.

§. 3. Ἀρχάγγελος) Id ſaltem afferre lubet, cum Rabbinis non ſtatuendum eſſe, Michaelem *Archangelum*, ſeu ut vocant, אחד השרים הראשונים non ideo dici, *quod habeat imperium in cæteros. Hinc vocant eum Paradiſi Præpoſitum & Moderatorem Angelorum, qui vices Dei in Cœlis gerat, eo quod ſit proprius ipſius Angelus. Baal Turim ad Exod. cap.* 32: 34. ita commentatur: מלאכי אותיות מיכאל שהוא מלאכי המיוחד לי h. e. *dictio* מלאכי *eaſdem habet literas, quas vox* מיכאל / *q. d. quod Michael ſit proprius ejus* (*Dei*) *Angelus.* Et ad Gen. 14. hanc notam habet: ויבא הפליט בפרקי דברי אליעזר בשעה שהפיל הק"בה לסמאל ממקומו אחז בכנפיו מיכאל להפילו עמו והק"בה פלטו המלאך המיוחד לו מידו h. e. cum ſcribitur Geneſ. cap. 16: 13. *Et venit, qui evaſerat, notari debet, quod legitur in Capitulis R. Elieſer in hunc ſenſum: cum Deus B. Samaelem* (*Dæmonem*) *loco ſuo deturbaret, hic apprehenſis alis Michaelem ſecum deorſum trahere nitebatur, quem tamen Deus tanquam Angelum ſuum è manibus ejus eripuit.* Id certum, quod Michael ex primario quodam Ordine Angelorum

ſit; attamen an omnes & ſinguli iſtius Ordinis Angeli Michaelis veniant Nomine, quod cum plerisque judæis Scholaſtici quidam volunt, id nondum ſatis probatum eſt ab Adverſariis. Appellativa hæc Nomina; Michael, Gabriel, Raphael, eſſe, quæ Angelis illis ad tempus fuerunt impoſita, propter munia ipſis demandata, ac propter diverſos Apparitionis & Executionis modos, docent Theologi. Cæterum, quæ Judæi de Angelorum Nominibus & Ordinibus ſolent afferre, eandem pleraque fidem merentur, quam illa, quæ in ſpurio Enochi Libro ejuſque Fragmentis de illis nugaciſſime traduntur. *Maimonides* recenſet illa Nomina *l.* 1. *Miſchn. Tr. de Fund. Leg. c.* 2. §. 7. שנוי שמות המלאכים על שם מעלתם הוא ולפיכך נקראו חיות הקדש והם למעלה מן הכל ואופנים ואראלים וחשמלים ושרפים ומלאכים ואלהים ובני אלהים וכרובים ואישים כל אלו עשרה השמות שנקראו בהן המלאכים על שם עשרה מעלות שלה הן: *Variatio Nominum Angelorum iſta eſt pro Varietate Graduum; & inde vocantur Animalia Sanctitatis, quibus ſummus gradus competit; deinde Rotæ; item Erellim & Chasmallim; poſt Seraphim, & Malachim, Elohim & Bene Elohim; denique Cherubim & Iſchim. Iſta decem Nomina, quibus denominantur Angeli, propter decem gradus in iis inveniuntur.* Ad quæ Verba *Scholiaſtes ipſius* ita commentatur: שנוי שמותם זה מזה לפי שמעלתם כמו שידע בוראם וגם ישתנה שמם לפי השליחות שישתלחו בה: כיצד כשישלחו מלאך לרפאת אדם קורא אותו רפאל ואם לעזור אותו קורא שמו עזריאל: i. e. *Diverſitas Nominum illorum eſt juxta ipſorum gradus, prout novit Creator ipſorum. Nomen etiam ipſorum ratione Legationis, quam obeunt, mutatur: E. g. Si Angelus ad medendum homini mittitur; vocat ipſum Raphael; ſi ad ferendum auxilium, nominat Eum Eſriel.* Prolixe poſtmodum exponit illa Nomina Angelorum, quæ ex Maimonide recenſuimus. Nos Operæ pretium duximus inde pauca quædam delibare. Quod *Ophannim* concernit, dicit judæus: זהשם משותף למעלה השנית ממעלת המלאכים והגלגלים על דעת מקצת המפרשים וגו׳ ולכל דבר אגול קורא אופן׳ ויתכן שנקראו אופנים מלשון פנים שהוא לשון גדולה שכן החשובים נקראו פנים: i. e *Hoc nomen videtur eſſe æquivocum ratione gradus ſecundi in Gradu Angelorum & Sphærarum, juxta nonnullos Interpretes. &c. Quicquid vero eſt rotundum, vocant Ophan. Nec incommode dicuntur Ophannim quaſi Panim, quod magnitudinem denotat; nam Magnates vocari ſolent* פנים. Sed nondum à judæo evictum eſt, Ophannim eſſe Angelos, nedum Ordines diſtinctos. Sic de אראלים & חשמלים tam incerta res eſt, quam quæ incertiſſima. Imo, tantum abeſt, ut ſuis rationibus ficulneis aliquem permoveat judæus,

— *ut riſum forte peritis*
Conciteι, ut Mendax Aretalogus,

quemadmodum Venerandus Senex & Præceptor Cl. M. Joh. Fechnerus, Vir de me totaque Sileſia jam dudum optime meritus, loqui amat. Judæus inter alia allegat. verſ. 7. Eſai. 33. quod *Erilim clamaſſe foris & amare fleviſſe* dicantur. Sed certe, ſi à Lacrymis ad Angelos & ipſorum Ordines argumentari licet, quid dicet impudentiſſimus Verpa de Vetulis illis, quæ juxta Poëtam

Ut flerent, Oculos erudiere ſuos?

Sed audiamus quid de Seraphim & Cherubim! נקראו כן לפי שהם נוראים במראיהם שהמביט בהם נשרף: *nuncupantur ita, quia formidabiles erant in ſuis Apparitionibus, adeo ut adſpiciens ipſos, adureretur.* Hoc tam verum eſt, quam illud quod de כרובים fabulantur. Nobis non licet eſſe adeo prolixis, alioquin apponeremus quædam ex Rabbinis, quibus vel tetricum Catonem ad riſum invitare poſſent. Qui tamen plura deſiderat, adeat *Schalſchelet Hakk. Maimon. More Nev. Seder Olam. M. & L. Juchaſin.* Obiter ſaltem notamus illos, qui putant כְּרוּבִים idem eſſe ac כְּרַבִּים, tanquam multi, Magiſtri, h. e. ſapientes, potentes, honorati; adeo ut hæc vox habeat לשון מלכות ſignificationem *Dominii*, quæ mens eſt Lorini, Corn. à Lap. Hectoris Pinti &c. ſed rectiſſime reſpondet ipſis *Majerus Prod. Chald. S. cap.* 7. *quod ſic Synagogæ papanæ Rabbini & ipſos Cherubim Rabbinos faciant, miro ſane Artificio acutiſſimis & Synagogæ judaicæ Rabbinis incognito.* Sunt etiam, qui hanc Vocem derivari cenſent à רכב per Literarum Metatheſin in L. S. circa Etymologiam ſat frequentem. Sed quid de his habendum ſit vide Adm. Rev. Dni Liebentantz/ Patroni noſtri colendi, Diſput. de Cherubim. Hos excipiunt juxta Judæos מלאכים, quod ipſis Nomen generale eſt, ſeu שם כולל לכל מלאכים. Hinc מלאך nuncius illis שליח קרוי מלאך dicitur; לפי שהם שליחי השם בהנהגת העולם: eo quod ſint λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα. Quidam contendunt, hoc Nominis convenire etiam Angelis Apoſtatis, & quædam Loca è Veteri Inſtrumento in Speciem producunt; Sed ad ea jamdudum reſponſum ipſis eſt à Theologis. Succedunt אלהים & בני אלהים quod itidem Nomen generale eſſe multi volunt cum Judæis. Druſium cum Zanchio hac de re certaſſe Vorſtius Autor eſt. Quare autem אלהים dicantur exponit itidem *Maimonidis Commentator*: לפי שהם מושלים ושליטים בעולם *eo quod & ipſi Dominium habeant in Mundo & Nomen commune cum Deo B. Angelis, Prophetis & Judicibus.* Sed mittimus hæc aliaque quæ de אישים proferunt, talia enim ſunt pleraque, ut, ſi forte illa recitari audias, pandiculari te oporteat, metuendumque ſit, ne in ſomnum incidas Epimenideum. Vid. interim, ſi lubet, Talmud. Hieroſol. in Maſſechet. ראש השנה; *Maim. ll. cc. Abarben. in Geneſ. & Exod. paſſim. B. D. Michael in Arce Fidei. Adm. Rever. Dn. Lic. Pfeiffer, Præceptor meritiſſ. in Henoch. Dn.* Liebentantz/ *l. cit. Caſp. Sanctius in Ezechiel.* 10. *pagin.* 213. *Delrio in cap.* 3. *Geneſ. Villalpandus in cap.* 28. *Exod. vſ.* 14. *Corn. à Lap. in cap.* 1. *Exod. pag.* 957. *Dieu in cap.* 3. *Geneſ. p.* 12. *Uchtmann. in E. M. p.* 357. *Buxtorf. L. T. ubi de Angelorum Nominibus* 10. *generalibus, p.* 1115; *de muneribus eorundem; imprimis Gabrielis* 1776. *Michaelis*, 1386. *Surielis* 1453; *de Præceptore Moſis pag.* 646; *de Præfectis Regnorum pag.* 1097; *de Angelo Conceptionis pag.* 1140; *Aquæ, pag.* 1594; *Panis pag.* 1386. *Pluviæ pag.* 2213; *Grandinis p.* 986. *viarum p.* 940. *de aliis quibuſdam* p. 160. 449. 634. 836. 891. 1140. 1181. 1493. 1593. 2324. 2329. 2579. 2606. 2674. *copioſiſſime diſſerit.* Nobis hic placet *Gregorii Nazianzeni* decens modeſtia *Orat. de Theolog. pag.* 77. *Ordo aliaque Angelorum nota ſunt Ei qui ipſos creavit.* Et illud *Auguſtini*: *Quomodo ſe habeat beatiſſima illa & ſuperna Societas, quæ ibidem ſint differentiæ, quæ ſedes, dominationes, Principatus & Poteſtates, dicant qui poſſunt; Si tamen poſſunt probare, quod dicunt*: EGO ME ISTA IGNORARE CONFITEOR.

§. 4. Τῷ Διαβόλῳ) Paucis nunc Antagoniſtam Archangeli Michaelis conſideremus. Dicitur fuiſſe ὁ Διάβολος, Calumniator, à διαβάλλεσθαι; eſt enim mendax & Calumniator ab Initio *Johann.* 8: *vſ.* 44. Calumniatur Deum ejuſque Opera apud Homines, *Geneſ.* 3: *verſ.* 4. & 5. Calumniatur Homines apud Deum, ut Hiſtoria Jobi teſtatur cap. 3: 9, 10. hinc *accuſare nos* dicitur *in Conſpectu Dei noſtri die ac nocte Apocal.* 12. Æolice vocatur ζάβολος & ζάβελος à dictandis pravis Conſiliis, ut *Hilario* placet. *Eſt enim Angelus per ſuperbiam à Deo ſeparatus, à ſemetipſo deceptus, alios decipiens, Autor mendacii, radix malitiæ, Caput Scelerum, princeps omnium Vitiorum*, dicente *Auguſtino in Vigil. Nativ. Domini Serm.* Prolixe de hoc Cacodæmonis Nomine diſſerunt *Servius ad Æneid.* 3. *Lactantius Lib. II. Chalcidius in Tim. Platon.* unde Crambem toties coctam nolumus apponere. Ebræis audit iſte Michaelis Antagoniſta שָׂטָן ſeu Adverſarius κατ᾽ ἐξοχήν; Syris & Chaldæis ܐܟܠܩܪܨܐ: Rabbini cum Mohammedanis appellant eum מלאך המות ſive מלאך/ מותא de quo miranda & ridicula paſſim in Commentariis ipſorum. Ne autem impudentiſſimi Verpæ temere aliquid dixiſſe videantur, ad Sacrum Codicem provocant. Ira enim Regis *Proverbior.* 16: *verſ.* 14. dicitur eſſe מלאכי מות quod ר״שי cum *Aben Eſra* exponunt בחסרון כף הדמיון ſubaudito Caph. Similitudinis, quod alias ſæpe omittitur בדבר שהוא מבואר שתבין בו חסרונו מעניינו quando ſcilicet ex ipſo Contextu facile deprehendi poteſt ipſius abſentia; ut *Kimchi* p. 17. & cum eo *Michlal Jophi* paſſim loquitur. Hunc textum miſere torquent miſeri judæi & varia exinde ſibi monſtra fingunt. De Angelo Mortis ita ſentiunt *in Beth. Iſrael pag.* 156. *col.* 3. אמרו אליו על מלאך המות שכלו מלא עינים ובשעה פטירתו של אדם עומד מעל מראשותיו וחרבו שלופה בידו וטפה תלוי בה כיון שרואה אותה החולה מזדעזע ופותח את פיו וזורק טיפה של מרה לתוך פיו וממנה מת ממנה מסריח ממנה פניו מוריקות: *De Angelo Mortis accepimus, quod ſit totus oculatus; & quum quis in Agone eſt conſtitutus, ſtet ad ægroti Cervicale ſtricto gladio, unde gutta Fellis dependet. Simulac vero ægrotus ipſum videt, trepidat aperitque os ſuum in quod ei guttam illam inſpergit. Ab ea itaque gutta moritur, fit fœtidus atque palleſcit.* Sed hæc acerbiora ſunt, jucunda nunc accipe. Fabulam quandam enarrat liber שבילי הלקט f. 55. *de R. Joſuæ in Paradiſum Ingreſſu*: כששמע ר׳ יהושע כך אמר לו מבקש אני כמך שתראני מקומי בגן עדן אמר לו לך עמי ואראהו לך אמר לו רבי יהשע תן לי החרב שלך שלא

שלא תבהילני בו מיד נתן לו החרב והלכו שניהם עד שבאו אצל החומות גן עדן וכשבאו אצל חומות גן אדן חוץ לחומה לקח מלאך המות את רבי יהשע והגביהו והגיחו על חומה גן עדן אמר לו ראה מקומך בגן מיד קפץ ר׳ יהושע בן לוי מן ההומה נופל בגן עדן ואחז מלאך המות מכנף אמר לו צא משם נשבע ר׳ יהושע בשם שאינו יוצא מכאן ולא היה רשות למלאך ליכנס שם וכו׳ : Quia omnia sunt perfacilia, nolumus hæc impræsentiarum vertere; parcendum enim Chartis est. Merito hæc usurpare posses quod in Nidda Legimus: תא חזי כמה חכימי יהודאי דילמא כסומא בארבע : *vide quam sapientes sint judæi, quantum forte cæcus in fenestra*: qui plura desiderat, adeat *Haksp.* l.c.

§. 5. Περὶ τοῦ Μωσέως Σώματος] Materia hujus Certaminis fuit *Corpus Mosis*, Prophetæ illius sanctissimi, cujus Elogium in Maimonide habes משה היה איש גדול ולא קם נביא בישראל כמוהו כי הוא בנבואה היה גדול מכל הנביאים כי הם היו מתנבאים מנבואתו ובתורת משה כלולים כל דברי הנביאים כי הוא אביהם של כל הנביאים הקדומים לפניו והבאים אחריו ובזמנו : והוא מבחר בריאת י״ת מכל בני אדם והוא המשיג מסוד הבורא י״ת יותר ממה שהשיג או ישיג כל אדם שנמצא או שעתיד להמצא : הוא הגיע לתכלית רום האנשית עד אשר הגיע למעלת מלכות שמים ונכלל בכת המלאכים הוא גדול היה במעלת וכו׳ הגבורה והכות כמו שראינו מה שעשה לפרעה : i.e. *Moses fuit Vir longe maximus; neque surrexit in Israël Propheta, qualis ille; nam in Prophetia major fuit omnibus Prophetis; illi enim prophetarunt ex illius Prophetia, inque Mose continentur omnia verba Prophetarum; Ipse est Pater omnium Prophetarum, antecedentium, subsequentium & coëtaneorum. Ipse electissima Creatura summi Dei præ omnibus Hominum Filiis. Ipse assecutus est de Arcanis B. Creatoris plus quam ullus mortalium qui invenitur aut invenietur unquam. Ipse attigit Terminum Celsitudinis humanæ, ita ut pervenerit ad Sublimitatem Regni Cælorum & cooptatus fuerit in Cœtum Angelorum. Ipse maximus fuit in Excellentia Roboris & Potentiæ, quemadmodum videmus in eo quod in Pharaone patravit.* Unde subit mirari, quid *Abarbenelem* moverit, ut Testimonium ejus de eximio illo Propheta, uni *Jeremiæ* adaptet quem tamen alias Esaiæ postponunt? Sic enim habet Judæus *in Præf. Jeremiæ*: והנה הדברים אשר ראיתי שבהם נתדמה ירמיהו לאדון הנביאים ע״ה הם אלה שאזכור לך אחד לאחר האחד שכמו שהיה משה משבט לוי כן היה ירמיהו משבט לוי מן הכהנים אשר בענתות ה״ב כמו שמר״עה סרב בשליחותו כמ״ש מי אנכי וגומ׳ כך ירמיהו סרב בשליחותו שנאמר הנה לא ידעתי דבר חג׳ מ״רעה ניבא לישראל מ׳ שנה וירמיהו ניבא מ׳ שנה כמו שיתבאר ה״ד מרע״ה עמדו בני שבטו כנגדו קרח ועדתו וירמיהו גם כן עמדו בני שבטו אנשי ענתות כנגדו ה״ה מ״רעה הושלך ליאור בידו קריביו וירמיהו הושלך לבור בידי קרוביו ה״ו מרע״ה ניצל ויצא מהיאור ע״י שפחה אחת של בת פראה וירמיהו ניצל מהבור ע״י עבד מלך הכושי ה״ז מרע״ה הוכיח לישראל פעמים רבות על עונותיהן וירמיהו ג״כ ה״חי מל״עה ייע״ד לישראל בגלותם וגאולתם מהגלות וירמיהו ג״כ ייעדם בגלותם וגאולתם מהגלות ה״ט מר״עה הוכיח לישראל על חלול שבת וירמיהו ג״כ הי׳ מרע״ה בקש מהק״בה קושית צדיק ורע לו רשע וטוב לו במאמר הוריעני נא את דרכיך וירמיהו בקש זה באמרו צדיק אתה ה׳ וגו׳ מדוע דרך רשעים צלחה הי״א מרע״ה הזהיר לישראל שלא ישובו עוד למצרים וירמיהו ג״כ הי״בי מרע״ה אמר מעצמו אם כמית כל האדם ימותון אלה וגו׳ ופצתה הארץ וגו׳ וירמיהו גם כן אמר מעצמו לחנניה בן עזור לפי שהכחיש נבואתו השנה אתה מת וגו׳ הי״ג מרע״ה שבר את הלוחות וירמיהו כמו שקבלו חז״ל גנז הארון והלוחות ה״יד מרע״ה לא זכה למות ולהקבר בארץ ונקבר חוצה לארץ וירמיהו ג״כ מת ונקבר חוצה לארץ הרי לך י״ד דברים שנתדמה בהם ירמיהו למר״עה ולא היה זה אלא מפני היות מדרגת נבואת ירמיהו יותר קרובה ומתדמה למדרגת ארון הנביאים משאר נביאי ישראל וגומר : quod ita vertimus: *Ecce, ego illa Attributa, ob quæ Jeremiam video comparari Prophetarum Domino (Mosi) ordine commemorabo tibi. (1) quemadmodum Moses ex Tribu Levi ortus est; sic Jeremias quoque eidem Tribui & Sacerdotibus qui Honothotis erant, natales suos debet. (2) quemadmodum Moses (requiescat in Pace!) Legationem recusavit, uti apparet Exod. 3: 11. & 6: 11. quis ego sum? &c. ita etiam Jeremias detrectavit munus variis subterfugiis, dicendo: ego nescio loqui Jer. 1: 6. (3) Moses Propheta fuit ipsos quadraginta annos Populo Israëlitico: idem dices de Jeremia, uti notum est. (4) Quemadmodum ipsi Contribules contra Mosen insurrexerunt, Korah scilicet cum Cœtu suo; ita se quoque opposuerunt Contribules & Sympatriotæ Jeremiæ. (5) Moses a Cognatis in Rivum conjicitur; Jeremias in Cisternam. (6) Moses inde extrahitur ab Ancilla Pharaonis; Jeremias à Servo Regis Æthiopiæ. (7) Moses sæpiusculè increpavit Populum ob Scelera sua; Jeremias itidem. (8) Moses vaticinatur de Exilio pariter & Liberatione ex eadem; paria facit Jeremias. (9) Moses reprehendit populum ob Profanationem Sabbathi; Jeremias itidem. (10) Moses petiit, ut Deus hunc sibi scrupulum eximeret: cur justus male se haberet; improbus autem ex Animi Sententia viveret? ita enim dicit Exod. 33: vers. 13. Indica, quæso, mihi Vias tuas; Jeremias hoc itidem expetit, dicendo: Tu, Jehova, justus es: veruntamen judicia tua eloquar: cur via Improborum succedit? cur tranquilli sunt, qui perfide agunt? (11) Moses dehortatur Populum, ne revertatur in Ægyptum; Jeremias itidem. (12) Moses furens in hæc verba poterat erumpere: Si, ut moriuntur reliqui homines, morientur & ipsi &c. & absorpsit illos humus aperiens Os suum &c. Num. 16: 29. idem quoque Jeremias præstitit, cum diceret Chananjæ: hoc ipso Anno moriturus es, &c. Jer. 28: vers. 16. (13) Moses fregit Tabulas; de Jeremia idem tradunt Sapientes p.m. Quod absconderit Arcam cum Tabulis. (14) Mosi non licuit mori & condi intra Terram (Promissionis;) sed extra eam sepultus est; idem Jeremiæ obtigit. Habes ergo 14. illa Attributa, propter quæ Jeremias comparatur Mosi. Nec alia dari ratio potest, quam illa, quod gradu & Excellentia Prophetiæ suæ propius accedat Mosi, quam reliqui Prophetæ Israël.* Alia deinde adducit Abarbenel, quæ ibi legi possunt.

§. 6. Num autem per *Corpus Mosis* Cadaver illius defuncti Viri debeat intelligi, לא כל אצבעות חכמים שוות. *Junius in Parall. pag. 586.* τὸ σῶμα *figurate exponit de Corpore aliquo mystico.* Huic assentitur *Joh. Georg. Grossius in Theatro B. p. 1982. Beda* sua δύο λεπτὰ adjicit, & Corpus hocce explicat *de Synagoga Judaica.* Alii aliter statuunt. Nos retinemus literam. Anima enim jam recepta erat in sinum Abrahæ. Risum proinde & ludibrium Sanioribus debet *H. Grotius*, qui Materiam hujus Certaminis Animam fuisse asserit; non autem Corpus. *Oecumenius* putat: *Michaëlem cæterosque Angelos voluisse Corpus Mosis splendida honorare sepultura ut eo magis lata ab Eodem Lex commendaretur; Diabolum vero idipsum omnibus modis prohibuisse. Epiphanius & cum eo Glycas statuit: Diabolum voluisse Mosen ut Mancipium sibi soli vendicare, eo quod Ægyptium occidisset.* Alii ortam existimant Pugnam, *quod Moses præter fas raptus in Cælum fuerit Corpore & Anima, in qua Opinione sunt Philo, Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, alii.* Farraginem aliarum sententiarum suppeditabunt Lectori *Cornel. à Lap. in h. l. & Deut. cap. 34. Serrarius in Epist. Jud. Cappellus Spic. p. 128.* seq. imprimis autem digna legi est *Disputatio de Sepultura Mosis Celeberrimi nostri Philologi & Præceptoris Dn. Sennerti.* Nugas vero, quas Judæi & Muhammedani vendunt de sepulcro Mosis & Abitabil vide refutatas à *Zwingero Theat. & Camerario H.S. pag. 26. Cent. 3.* Si dicendum hic quod Animus Vero quam proxime videtur accedere: Diabolum sui Ipsiusmet Cultus Patronum, aut non tulisse juxta se reponi Corpus tam sancti Viri; ne à Phagor & Moab, in quo Diabolus colebatur, pelleretur & obmutescere cogeretur; sed voluisse, ut inferretur in Terram Promissionis, ne ab eo damnum acciperet; aut, ut aliis placet, noluisse manifestari Locum Sepulcri Mosaici, quo Judæi religiose illius reliquias colerent, atque ita Idololatriæ rei fierent, *quæ sententia est Chrysostomi, Ambrosii, Theodoreti & Procopii.*

§. 7. Διακρινόμενος διελέγετο] Tandem etiam de Forma hujus Certaminis aliquid dicendum esset; sed cum Scriptura hic taceat Verbisne illud fuerit expeditum an Factis; cohibenda erit omnis Ingenii Curiositas. Si tamen audendum aliquid, Textus probare videtur Dialogum quendam seu Disputationem; sed sine dubio acerrimam. Michaël enim hic introducitur διακρινόμενος τῷ Διαβόλῳ. Et Apostolus affirmat quod disputarit διελέγετο περὶ τοῦ Μωσέως σώματος. Nec aliud volunt subsequentia. Interea nolumus eo audaciæ provehi, ut certi quid statuamus, ubi involuta Veritas in alto jacet. Satius est, suam in Arduis confiteri Ignorantiam, quo sc. modo, quo loco, Tempore, quibus Verbis & Circumstantiis hæc Pugna fuerit peracta, quam periculose Curas ad Secreta Poli extendere, quo Animus non pertingit. Imo nescire velle, quæ Magister Maximus nescire nos vult, erudita est Inscitia. Nos manum de Tabula. Circumspicimus equidem, quid non dixerimus, & quid dicendum adhuc restet; verum ob imperatas pagellas non licet progredi ulterius. Tuum est, Benivole Lector, si quid præter spem evenit, nobis IGNOSCERE.

חוש״לבע׃

BALTH. STOLBERGII

DISSERTATIO

De Agapis ad Jud. vers. 12.

J. J.

PROOEMIUM.

Antiquitatem profanam confert.

§. I.



Frequens in Veterum scriptis Συσσιτίων nomen. Convictum & sodalitatem plurium, si vim vocis: communes civium Epulas, si usum spectes, significat.

§. II. Primam harum institutionem à Cretensibus petitam Lycurgo tribuit Aristoteles. * Cum Cretensibus & ipsam rem & rei nomen ** Lacones aliquandiu commune habuerunt. Hoc alii quoque Græcorum maxime Athenienses imitati sunt, quorum Δεῖπνα φυλετικὰ, Δημοτικὰ, Φρατριακὰ & Ὀργεωνικὰ huc referenda esse Athenæus Autor est. lib. V. Δειπνοσοφιστῶν, statim ab initio.

§. III. Nec solis Græcis hæc fuere usitata. Habuerunt & Carthaginenses, Afrorum Gens sua Συσσίτια τῶν ἑταιρειῶν παραπλήσια τοῖς φιδιτίοις, docente Aristotele lib. II. cap. XI. Imo Pagani plerique omnes conjungere sacris * suis convivia ejusmodi publica: Judæi ** peractis iisdem celebrare solebant.

§. IV. His non incommode accenseri possunt, quæ primos inter Christianos frequentatæ sunt Epulæ, Veteribus AGAPÆ dictæ. De quibus juvante Deo plura in sequentibus.

ADDITAMENTA

Ad §. 1.

Nominis compositionem Lexica tradunt. Usum ejus præ aliis ostendit Plutarchus in Lycurgo pag. 45. Imo & ipsam rem exponit, & instituti fines adcurate observat. Locus adscribi meretur. Ita autem ille: ἔτι δὲ μᾶλλον ἐπιθέσθαι τῇ τρυφῇ καὶ τὸν ζῆλον ἀφελέσθαι τοῦ πλούτου διανοηθεὶς, καὶ τὸ τρίτον πολίτευμα καὶ κάλλιστον ἐπῆγε τὸ τῶν Συσσιτίων κατασκευὴν, ὥστε δειπνεῖν μετ' ἀλλήλων συνιόντας, ἐπὶ κοινοῖς καὶ τεταγμένοις ὄψοις καὶ σιτίοις. Breviorem adhuc nominis circumscriptionem in sequentibus suppeditat. Κοινότητα τῶν δείπνων vocat. Hanc adeo strictæ observationis fuisse ostendit, ut præsumta domi cœna non licuerit βαδίζειν ἐπὶ τὰ συσσίτια. Necessitate corporis solandæ parabantur mensæ. Cupediis hic nullus locus. Illas qui fastidirent, deliciis domi operatos fuisse credebant, & temperantiæ nuntium misisse aperte dicebant. Cibus quem quisque singulis mensibus huc conferebat, parabilis: pecunia modica erat. Cæterum omnes interesse conviviis istis lege tenebantur. Iis solum liberum erat domi cœnare, qui vel venati erant vel sacra fecerant. Pueri ideo admittebantur, ut quasi innutrirentur temperantia: doctorum sermones exciperent; & jocis assuescerent innoxiis. Facile hinc apparet quam sobrias, quam doctas, quam hilares has fuisse mensas credendum sit.

Apparebit adhuc clarius, si reliqua quæ huc pertinent, legeris apud Plutarchum l. c. Athenæum lib. IV. &, qui sua ex his collegerunt, Keckermannum Tom. II. Syst. pag. 1655. nec non Cœlium Rhodig. pag. 1615.

Ad §. 2.

Is lib. II. Pol. cap. 10. satis longum refert Catalogum eorum, in quibus Lacedæmoniorum Respubl. ipsam Cretensem imitata est. Multum scilicet temporis in Insula Creta diversatus fuerat Lycurgus. Nec otiosus spectator exstiterat. Deteriora multa; nec tamen non utilia quædam notaverat. Cautionem illis adhibere, hæc usu exprimere didicerat. Sub horum censum publicæ illæ commessationes ipsi veniebant. Hinc multum eas collaudat. Imo in civitate sua constituit. Sed non respondit eventus.

Cretenses facile quidem ex communibus reditibus suas adornabant mensas: Lacones ex privatis quisque bonis non sine molestia poterant. Non eadem omnibus fortuna: non sumtus sufficientes suppetebant. Uno verbo. Ipsa hominum conditio non admittebat hoc institutum. Et respuebant ingenia. Ita fine suo excidit Legislator. Contra vero divitum odia in se derivat: & instituti pœnam, altero oculorum amisso, insontissimus luget. Adcurate illud observat Aristot. l. c. cap. IX. Hoc Plutarchus l. c. prolixe recenset. ** Ἀνδρεῖα olim, vel ut Plutarchus scribit, Ἀνδρια dicebantur. Paulo post Φιδιτίων nomen Laconibus adsumtum est. Cujus originem vel ἀπὸ τῆς φιλίας, (facta tum necessaria literarum λ, δ, inter se permutatione) vel à nomine subst. φειδώ, Plutarchus derivat. Illa scilicet ad ipsorum finem primarium, Amicitiam puta & benevolentiam mutuam conciliandam; hac ad frugalitatem & parsimoniam, observari in iis solitam, respicit. vid. ll. cc. Nec desunt qui φειδίτια scribere malunt. Vid. Hesych. in Lex. Sed nihil mutandum. Pro communi φειδίτια Lacones φιδίτια scripsisse crediderim. Sic dialectorum diversitati variam Ἀνδρίων scriptionem tribuerim. Sed quidquid horum sit. Utrumque tandem in desuetudinem venit, inque eorum locum Συσσιτίων nomen communi usu receptum est. vid. Keckerm. Syst. pag. 1655.

Ad §. 4.

Provoco ad testimonium Athenæi supra à me citati, qui omnes ad convivia congressus, Deorum causa fieri, paganos existimasse asserit. Inque hanc rem ex eo cito Persas, Arcadas, Naucratitas, alios.

** De Judæis Josephus tradit lib. XIV. cap. 17. p. m. 398. Liberrimum iis, minimeque interdictum esse volebat, C. Cæsar, patriis uti sacrificiis & ritibus. Permittebat itaque illis pecunias, ut conferrent, & convivia instituerent. Verum hæc alia fuisse ab iis, quæ post oblata sacrificia instituti sueverunt, probabile est. Horum exemplum pete ex 1 Sam. 9: 12. 13. 22. Ubi inter alia hunc maxime observo ritum quo Propheta decoctum pecoris mactati armum, non sine insigni excellentiæ cujusdam, Saulo offerri jubet. Simile quippe apud Athenæum lego. Morem fuisse inter priscos refert, ut, appositis pecudum artubus, femur non nisi strenuissimus acciperet. Alia è scripturis loca videre licet apud Fessel. Advers. sac. p. 1. l. 1. c. 13.

CAPUT I.

Nomen exponit.

§. I. NOmen quo argumentum ſeſe effert, dicitur Ἀγάπη. Satis quidem tritum. Sed non uno modo cum conjugatis ſuis ab omnibus acceptum. Maxime Scriptoribus Eccleſiaſticis.

§. II. Vel ipſum eſt à verbo ἀγαπᾷν, vel hoc ab illo deductum. * Proprie amare ſignificat. Hoc ut plus eſt quam diligere: ** ita ἀγαπᾷν longe magis efficacem amoris affectum, quam ipſum φιλεῖν *** infert. Ἀγάπη amorem prorſus ſingularem atque intenſum: Ἀγαπητὸς, tali amore dilectum notabit.

§. III. Tribui hoc amoris inſigne in primis iis ſolet, in quibus unica amplificandæ familiæ ſpes parentibus reſidet. Adeo, non ſine excellentia quadam, nomen ἀγαπητῶν ſortiti ſunt, quos vel μονογενεῖς ipſa natura fecit, vel unicos fortuna parentibus hæredes reliquit.

§. IV. Abſit vero hanc Helleniſtis ſolummodo uſitatam eſſe nominis uſurpationem. Imo Antiquiſſimis puriſſimiſque ſcriptoribus ſic adhibetur. Homerum fortaſſe nominaſſe ſufficiet. Sed addo etiam Heſiodum. Alios lubens prætereo. Illum ipſe Heinſius, procul dubio immemor cauſæ ſuæ, allegat in Ariſtarcho Sac. f. 762. Hunc à Polluce citatum oſtendimus ad §. 3.

§. 5. Ita quidem recte hactenus vocabulum ἀγαπητοῦ de filio Dei Chriſto, in quibuſdam Scripturæ locis pro μονογενεῖ uſurpari evincit. Contra vero multum aberrant illi, qui plane voces confundunt, & μονογενῆ quidem vocari Chriſtum, intelligi vero non niſi ἀγαπητὸν, docent, ceu Sociniani faciunt. Atqui vero ſic æternam illam, ex Eſſentia Dei Patris, Chriſti unius & unici filii factam generationem negant, & ipſum Sacro S. Trinitatis myſterium evertunt.

§. VI. Cæterum aliena & prorſus abuſiva vocabuli præſentis ſignificatio eſt, qua quibuſdam ſcriptoribus Eccleſiæ uſu venit. Cælibes, illicite cum aliis conſueſcentes, nomine plus honeſto quam ejuſmodi fœdæ rei convenienti, ἀγαπητοὺς dici, quis negabit?

§. VII. Redimus ad fontem & tranſlatam thematis rationem ſpectamus. Hac Paulus eo utitur. Ἀγάπην nominat, & ipſos compellat Ἀγαπητούς. Egregia blandiendi formula. Græcis Patribus frequentiſſima. Et uſu noſtris Eccleſiis recepta. Præſenti tamen argumento aliena.

§. VIII. Succedit ea, qua Cœnam Dominicam notat. Ignatio uſurpata. Nec aliis ignota.

§. IX. Quæ vero hujus maxime loci eſt, vel dona Chriſtianorum gratuita, vel ipſa convivia publica, ex donis illis adornata, & uno tempore cum S. Cœnæ adminiſtratione celebrata, notat.

Ad §. 2.

* Dictum Grammatici volunt παρὰ τὸ ἄγειν πᾶν. Quod amor omnia contrahat, & conjungat omnia. Sicut contra odium dirimit ac diſſipat. Alii ex ἄγαν & σπάω: nonnulli ex παύομαι componunt. Illi efficaciter amore trahi; hi placide in rebus amatis acquieſcere amantes indicant. Sed & ab ipſa matre Hebræa vocis natales deduci poterunt. Nota eſt Hebræorum vox ענג. Huic, ſi communem Grammaticorum Regulam accommodaveris, & terminationem Græcam addideris, naſcetur, quod nunc ſub manibus eſt, thema. vid. Weller. Grammat. pag. 39. & Gerh. Gramm. Harm. pag. 302.

** Sic Cicero in Epiſtola quadam dicit: *antea tantum mihi dilexiſſe, nunc demum amare videor.* Et lib. de Amic. *Amare nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſitum: ita ut omnibus horis, oculis, auribus, complexu ipſum teneas.* vid. Nizol. in Lex. Goclen. Analect. Gramm. Becan. de Orig. Lat. Ling.

*** Verbi valorem Wolfius Annotat. in Iſocratem pag. 22. Nominis Emphaſin Baſilius in Pſalm. 114. his verbis exponit: Ἀγαπητὸν ὁρίζονται εἶναι, οὗ πάντα ἐφίεται.

Ad §. 3.

Pollucem hac de re audiamus, qui lib. III. cap. 2. Καλοῖτο δ' ἂν υἱὸς ἀγαπητὸς, ὁ μόνος ὢν πατρὶ, ἢ μητρί. ὥσπερ καὶ ἀγαπητὴ θυγάτηρ, καὶ μονογενὴς καθ' Ἡσίοδον. Suidas: Ἀγαπητὸν, τὸ ἠγαπημένον, ἢ τὸ μονογενὲς, Amabile, charum, aut unicum dixit.

Ad §. 4.

Helleniſtis proprium eſſe, ut unigenitum vocent ἀγαπητὸν Heinſius l. c. dicit, & Homerum allegat. Recte quidem hactenus. Sed non ſatis pro ſe: niſi Helleniſtam & ipſum Homerum dicere velit. Sed aſſerit, fuſius hoc à ſe alibi probatum eſſe. Fortaſſe lib. II. cap. 1. Exercit. Sac. f. 102. Ita autem ibi. *Sive paganos videas, ſive Helleniſtas, idem eſt quod* μονογενής. Verum hoc. Sed contra Ariſtarchum. Quomodo namque proprium Helleniſtis, quod commune cum ipſis habent Pagani. Nobiſcum potius loquitur Homerus, quando canit:

> παῖδ' ἐπὶ κόλπῳ ἔχουσ', ἀταλάφρονα, νήπιον αὔτως
> Ἑκτορίδην, ἀγαπητόν. ——

de Andromacha, Hectoris conjuge loquitur Poëta. Filius ei erat unicus Aſtyanax. Hunc ipſe ἀγαπητόν: Scholia exponunt μονογενῆ. Eodem prorſus modo, notante & ipſo Heinſio, Philoſophorum Princeps oculum Monoculi ἀγαπητὸν dixit. Quo referri meretur Theocrit. Idyll. 6. verſ. 22. Hic Damœtas ſub perſona Polyphemi ἑτεροφθάλμου, per ſuum oculum, quem habebat unicum, jurat, eumque τὸν ἕνα γλυκὺν vocat. Conf. Idyll. XI. verſ. 53. Hæc, ut & alia Claſſicorum ſequutus exempla, doctiſſimus Vir, recte hactenus illa Scripturæ loca Joh. 1. & 3. itemque Matth. 3. de *unigenito* expoſuiſſe nobis creditur. Id quod vitio ipſi Hakſpanius vertiſſe videtur in Annot. ad Matth. 3: verſ. 17. quando pro ſynonymis habere vocabula μονογενοῦς & ἀγαπητοῦ ipſum autumat. Nos verius de Socinianis dicimus. Allegant & illi citata Autorum profanorum loca pro ſe. Et nituntur Scholiaſtæ interpretatione. Verumenim vero non quod Sociniani, idem & Scholiaſtæ & Grammatici volunt. Non quævis Synonyma, mox idem ſimpliciter ſignificant & adæquata ſunt. At hoc de citatis vocibus ipſi expreſſe ſtatuunt. Ita enim Socinus contra Bellarm. cap. 5. claſſ. 3. Argum. I. regerit: μονογενῆ non ſane reſpicere nativitatem, ſed idem prorſus eſſe, quod dilectus. Verba Enjedini prolixe Feuerbornius citat in Enjedino Refutato pag. 95. Ultima ſaltem huc repoſuiſſe ſufficiat. *Ex quo*, poſt multa inquit, *apparet, hæc duo vocabula eſſe* ἰσοδυναμοῦντα. De utroque Feuerbornium l. c. audiamus. *Falſum eſt*, ait, *quod* μονογενὴς *idem ſit atque* ἀγαπητός. *Nam Deus Pater amatur à Filio, ut & Spiritus S. Nec tamen vel Pater vel Spiritus S. dicitur* μονογενὴς *Filii. Nullibi dicitur Chriſtus* μονογενὴς πατρὶ, ſed πατρός. *Sponſus Sponſam amat, & hæc illum. Nec tamen Sponſus dicitur* μονογενὴς *Sponſæ, vel hæc illius. Certe AMOR non eſt ipſa GENERATIO; quia eſt inter ipſos, qui ſe non generant. Vel ſonus ipſius Græcæ vocis* μονογενὴς *diſerte docet, quod non notet* ἀγαπητόν. *Componitur enim ex adjectivo* μόνος *i. e. ſolus & unicus, &* γίνομαι *naſcor & generor. Quare* μονογενὴς *dicitur propter* μόνην γένησιν, *ſolam generationem.* Hactenus de vocabulo μονογενής. Nunc de voce ἀγαπητός. De hac ita: *Filius unigenitus & filia unigenita à parentibus amatur intenſe. Hinc fit ut omnis* μονογενὴς *ſit* ἀγαπητός. *Sed non ſemper vice verſa. Proinde quando unigeniti dicuntur* ἀγαπητοὶ, *fit denominatio non à re SIMPLICITER EADEM, ſed ab adjuncto. At adjunctum accedit præter eſſentiam ad ſuum ſubjectum. Amari igitur & amatum eſſe, eſt diſtinctum ab ipſa quidditate τοῦ* μονογενοῦς *unigeniti. Si quando ergo profani ſcriptores* τοὺς μονογενεῖς *UNIGENITOS, vocant* ἀγαπητοὺς *DILECTOS, tum epitheton illud eſt nota ADJUNCTI ACCESSORII, non autem eſt QUIDDITATIS unigenitorum* γνώρισμα. *Unigenitus Filius quando degenerat, & evadit latro &c. tum non amplius diligitur, ſed odio habetur. Non tamen deſinit eſſe unigenitus, ſicut ceſſat eſſe dilectus.* Quid ad hæc Socinus? Quid Engedinus ad eadem? Verum adhuc inſtant, & LXX. Interpretes pro ſe allegant. Hi Ebræum יחיד ubique fere per ἀγαπητὸν exponunt. Magis libere quam vere. Dictio Ebræa formaliter quidem unigenitum non importat. Neque tamen dilectum proprie ſignificat. Integer textus in expoſitione vocum ſingularium conſulendus & conferenda loca clariora ſunt. Geneſ. cap. 22: verſ. 2. Interpretes LXX. ſimpliciter vertunt ἀγαπητόν. Epiſtola ad Hebr. per μονογενῆ exprimit. Major ſane nobis hujus autoritas, quam Græcorum libertas Interpretum eſſe debet. Imo ſe ipſam ταυτολογίας vitio prodit LXX. Virorum Verſio. Ἀγαπητὸν juxta textus ſeriem deſcribunt ita, ὃν ἠγάπησας. Idem plane per idem. Movit hoc Aquilam, Interpretem quendam Græcum, qui יחיד reddit μονογενῆ quatenus generationem vox infert. Eſt quippe μονογενὴς Chriſtus, Filius nempe unus & ſolus, ex ſubſtantia Dei Patris genitus. Eſt idem etiam ἀγαπητὸς, unice dilectus, ſicuti unicus

unicus & unigena. Utrumque de eodem optime dici potest, non tamen eadem prorsus ratione.

Ad §. 6.

Quem hactenus strinximus vocis usum, eruditorum ingenia nobis finxerunt. Qui nunc sequitur, ex hominum malitia demum enatus est. Observat id Theod. ad vs. 2. Epist. ad Philem. quando sic scribit. Ὁ μακάριος παῦλος ἀγαπητὴν ὀνόμασε τοῦ Φιλήμονος τὴν ὁμόζυγα, ὡς τῇ πίστει κοσμουμένην. Θαυμαζέτω δὲ μηδεὶς, εἰ καὶ προσαπίπτουσι νῦν τινες τῷ προσρήματι τούτῳ. Οἱ γὰρ κακῶς κεχρημένοι τῷ πράγματι, τῇ προσηγορίᾳ τὴν λοιδορίαν προσῆψαν. πάλαι δὲ σεμνὸν τὸ ὄνομα καὶ ἀξιέπαινον ἦν. Hæc de vocis usu Theodoretus annotat. In ipsam rem graviter invehitur Hieronymus Epist. XXII. ad Eustochium de Custod. Virginit. *Unde* inquit *in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo ubi novum concubinarum genus? Plus inferam: Unde meretrices?* Qui plura de hoc cupit, evolvat Suicerum Observ. Sacrarum cap. XII. p. 300.

Ad §. 7.

Epist. ad Philipp. cap. 1: 9. ἡ ἀγάπη ὑμῶν. Per Metonymiam Adjuncti pro subjecto, ita explicandum: *Vos dilecti mei.* Huc pertinent Patrum usitatæ formulæ: ἡ σὴ εὐλάβεια, ἡ σὴ εὐσέβεια, ἡ σὴ φιλανθρωπία & plures aliæ. Ita, cum de se loquerentur; ἡ ἐμὴ βραχύτης. vid. Heins. Galat. 6: 18. Hinc procul dubio vulgata illa Homiliarum formula originem suam traxit, qua ita auditores suos compellant. **Eure Liebe/ Eure Christliche Liebe.**

Ad §. 8.

Ignatii hac de re in Epist. ad Smyrnenses hæc circumferuntur verba: οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε Ἀγάπην ποιεῖν. Ita quidem Cl. Salmasio citantur, ex Autographo Florentino. Vulgata Orthodoxographorum editio p. 43. ita habet: οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. Quid vero hac congerie Synonymorum erat opus? Crediderim sane otiosorum Monachorum manibus inserta esse. Suicero non sine suspicione malitiæ. θυσίας vocabl. ad designandum cœnæ Dominicæ mysterium, adhibitum quidem olim à Patribus esse, multis testimoniis confirmat, cap. IV. Obs. Sacr. p. 96. Explicat quoque ibidem appellationis rationem. Sed & abusum ejus apud Pontificios annotat, quo ad sacrificium Missæ defendendum, sensu Patribus prorsus alieno, detorquent. Idem etiam de vocabulo Δοχὴ observat p. 92. Exin facile apparet, quid de integro loco, imo quid de omnibus, quæ Ignatio tribuuntur, Epistolis sit sentiendum. Mediam cum Sculteto aliisque sententiam amplectimur. Esse quidem illas Ignatii non negamus. Esse tamen maxime adulteratas & interpolatas adserimus vid. Sculteti Medulla Theol. Pat. pag. 350. Conf. Præfat. Orthodoxographorum.

Ad §. 9.

Ab *Amore* merito nomen acceperunt, quæ ex amore profecta, & ad eundem ulterius fovendum inventa fuerunt. Vox est Ἀγάπη, quæ observante Fessel. Adversar. Sac. p. 72. interdum ipsa dona oblata, Apostolo 2 Cor. 8: 24. ἔνδειξις τῆς ἀγάπης dicta; & denique decantatas illas primævæ Ecclesiæ epulas, ex donis illis instructas, nobis in præsenti significat. Quod vero de ipsa quoque cœna dominica adhibetur, id secundario tantum fieri, dicendum est. Scilicet uti Suizerus observat, ἀγάπην ποιεῖν interdum idem est, ac Cœnam Dominicam celebrare, quia tunc solebat in ejusmodi conviviis, quæ Ἀγάπαι dicebantur, à cœnantibus una sumi & adhiberi.

CAPUT II.

Rem definit.

§. I.

Significationem nominis constituimus. Nunc de re sumus soliciti. Convivia primorum Christianorum publica, nomine Ἀγάπης, proponimus. Conviviorum istorum plerasque circumstantias hodie ignoramus. Difficilem hoc atque nonnihil intricatam *rem efficit. Non tamen desunt omnino veterum de hac re testimonia. Et quid fuerint Agapæ nonnulla Scripturæ indigitant loca. Scilicet *certa quadam, inter primitivæ Ecclesiæ homines exstiterunt convivia publica, partim communibus sumtibus, partim collationibus ditiorum, adornata, ad sublevandam egenorum indigentiam, & conservandam conjunctionem animorum mutuam.*

§. II. Varia horum potuit esse occasio. Vel ipsa gentibus profanis recepta, & Judæis usitata, consuetudo, exemplo Christianis fuit. Vel eadem fere observantis Christi autoritas ipsos permovit, adjungere sacris suis vulgares quasdam mensas, in subsidium ipsorum pauperum, & commune omnium amoris vinculum.

§. III. Digna sane, hominibus Christianis, consuetudo. Sed & pro temporis conditionisque ratione perquam necessaria. Sub uno capite Christo amice conspirare membra, pietatis officium. De communibus bonis victum parare universis; ipsa æquitatis & necessitatis lex postulabat.

§. IV. Hoc inter alia dubium: an ab omnibus Christianis æque in omnibus locis hic Agaparum mos fuerit receptus. De Ecclesia Hierosolymitana fortasse res certa erit. Nec dubitari de Corinthiis poterit. De omnibus idem certo adfirmare, vix licebit. Tacet de eo Justinus. Nec quidquam ejus Autor Hierarchiæ Ecclesiasticæ meminit.

Ad §. 1.

* Jamdiu id observavit D. Lucas Osiander ad Can. XI. Concilii Gangrensis. Observabit adhuc, quisquis Veterum scripta evolverit. Hæc, præterquam quod priscis Christianis in more positum fuisse ipsum Agaparum ritum referunt, nihil fere de eo amplius tradunt. Clarissime omnium hac de re Tertullianus scripsit in Apologet. cap. 39. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim AGAPE id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumtibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumtum: siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem sibi adorandum Deum esse. Ita fabulantur ut qui sciant dominum audire. Oratio convivium dirimet.* Ex his, ut & aliis Patrum dictis, clara est quam supra dedimus definitio. Similem suppeditat Cornelius à Lapide ad 2. Petr. 2. f. 379. *Apagæ* inquit, *vocabantur olim convivia, sive mensæ communes Christianorum, post Sacram Synaxin institutæ in Symbolum amoris communis & charitatis fraternæ fidelium.* Certam aliquam temporis differentiam nominat. Nos plane illam subticuimus. Incertum Agaparum tempus, certe instabile fuisse cap. sequenti ostendemus. Nec etiam fines omnes definitio Corneliana memorat. Ad mutuam sane benevolentiam, fraternamque, inter Christianos, servandam concordiam, instituta fuisse hæc convivia, vel ipsum eorundem nomen indicat. Et testantur id maxime ritus & Ceremoniæ, quibus peragi illa consueverunt. Scilicet mutuis amplexibus atque osculis terminabantur. Docet enim Justinus in Apol. 2. *moris fuisse ut Christiani sub finem publicæ liturgiæ sese invicem oscularentur, dicentes: PAX TIBI FRATER.* His plane similia tradit Cyrillus quæ videri possunt ap. B. Wellerum ad Rom. 17. pag. 652. conf. Fessel. Tom. I. lib. 3. cap. 7. pag. 283. At vero non plane reticendus erat finis Agaparum primarius. Hunc ministrorum Ecclesiæ, juxta & ipsorum pauperum sustentationem fuisse, crediderim. Imo ipsa testatur Historia. Quod vero partim communibus sumtibus, partim collationibus ditiorum, seorsim quasi factis instructas has fuisse cœnas diximus; in eo nitimur tum authoritate Historiæ Sacræ, tum quoque Patrum testimoniis. Illuc pertinet Actorum cap. 2: vs. 44, 45. itemque cap. 11: 29. Huc Chrysostomi locus Homil. 27. super hanc Epistol. ubi dicuntur *Veteres in statutis diebus communes mensas fecisse & cibos quidem contulisse divites, invitasse tamen huc quoque pauperes, & tandem una omnes discubuisse.*

Ad §. 2.

Paræum hic pro me loquentem induco. Commentar. ad cap. XI. Prioris ad Corinthios fol. 115. & 116. Ita autem ille *Probabile est, eos ad exemplum Christi respexisse, qui Eucharistiam inter cœnandum instituit. Nescio annon etiam Judæorum & gentilium imitatione id fecerint. Constat enim Christianos Gentilium & Judæorum consuetudines, quantum poterant, similitudine aliqua sequutos esse. Qua de re Theodoreti sermo octavus ad Græcos sub finem, & Epistolæ multæ Gregorii legi possunt, præcipue Epist. 71. l. 9. Judæi, sacrificia sua epulis finiebant. Gentes etiam in Idolis convivia luxuriosa plerumque agitabant. Christiani rem sibi alio titulo sequendam,*

vitia

vitia & luxum vitandum exiſtimantes, ſobrias & frugales Agapas ipſi quoque ſacris peractis, eo quo dictum eſt modo, celebrabant.

Ad §.4.

De ipſis Agapis teſtimonium nobis Epiſtola Petri poſterior exhibet. At vero id demum ſequenti capite, ulterius enucleandum ſervamus. Nunc id ſaltem dicimus; non poſſe illud incommode ad univerſalitatem ipſarum Agaparum oſtendendam trahi: Si quidem Gerhardum hac in parte ſequi velimus. Ad omnes quippe Eccleſias hanc deſtinatam eſſe Epiſtolam vult Beatiſſimus vir. pag. 176. Pari fortaſſe ratione, qua Paulus illam Coloſſenſium etiam ad Laodicenos perferri voluit. Coloſſ. 4. Hinc fortaſſe colligere licebit apud omnes in uſu fuiſſe illud, cujus abuſum omnibus objicit. Sed nihil nunc definimus. Et quis certi aliquid de omnium Eccleſiarum veterum inſtitutis ac ritibus affirmare præſumat? Pluribus equidem Juſtinus ille Martyr qui Romæ vixit, teſte Euſebio lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. II. ritus in primæva Eccleſia uſitatos, & ſacrorum ordinem, in Conventibus Chriſtianorum obſervatum, nobis deſcribit. Sed nullam hujus in ſpecie mentionem facit. Nec meminit ejus Autor Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quem vulgo Dionyſium Areopagitam eſſe, credunt. Cæterum de Eccleſia Hieroſolymis congregata, ex Hiſtoria Sacra res certa eſt. Et de Corinthiis ex cap. XI. Epiſtolæ prioris, infra conſtabit. De Africanis, informat nos Tertullianus in Apologetico. In Juſtini interim Eccleſia non minor pauperum, quam alibi, habita fuit cura. Nam poſt peracta ſacra colligebantur eleemoſynæ, & inter pauperes diſtribuebantur. Sic enim Juſtinus circa fin. Apol. 2. οἱ δὲ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὃ βούλεται δίδωσι. καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται.

CAPUT III.

Circumſtantias quaſdam tradit.

§.I. CÆteroquin ut vel integræ Eccleſiæ ſtatus; vel particularium diverſi cœtus: ſic circumſtantiæ ipſarum agaparum quoque variant.

§.II. De *TEMPORE*, quo illæ inſtitui conſueverint, quæritur. Sacrum illud erat, & prædicationi verbi, adminiſtrationique ſacrorum myſteriorum dicatum.

§.III. Utrum vero participationem illorum præceſſerit, an potius ſequutum ſit hoc convivium; æque non liquet. * Multum hic juvabit Eccleſiarum tempora & loca probe diſtinxiſſe. Quid dicam? Nondum certum ſatis, qua demum diei parte inſtitui ſueverint. ** Pro veſpertino tempore quidam vocem δεῖπνον; Salmaſius *** Plinium: (poſſemus & nos Act. 20: verſ. 7. &c.) urgent. Sed vero audaciæ foret, generatim adſerere de omnibus, quod in quibuſdam ſaltem ita uſu veniſſe deprehendimus. Obſtant loca, in quibus mane, vel etiam alio tempore celebrata fuiſſe Cœnæ ſacra, celebratas ſimul & Agapas legimus. Quod vero demum Eccleſia ſanxit, ut Euchariſtia non niſi à jejunis ſumeretur, id ſequioris temporis eſſe notamus.

§.IV. Cæterum ipſum Sabbathi vel Dominicam diem iis adſignare haud dubitamus. Certe magis ſolennes hoc ipſo fuiſſe aſſerimus.

§.V. Non minor difficultas circa *LOCI* circumſtantiam oritur. Publicus is eſſe debebat. Vix concedebatur privatus. Templa initio Chriſtiani non habebant. Templorum loco privatorum domus frequentabant. Liberiore tamen poſtmodum Eccleſiæ aura ſpirante, etiam in templis conventum eſt.

Ad §.2.

Parum fortaſſe intererit, ſive Agapas cum ipſis ſacris, ſive hæc cum illis, connexa fuiſſe dicamus. Patres ſane unum utriſque tempus tribuunt. Unum utriſque fuiſſe, infra quoque prolixius oſtendemus.

Ad §.3.

Chryſoſtomus ad 1 Cor. 11. & Zonaras ajunt, myſteria præceſſiſſe, ſequutum eſſe convivium. Scilicet in Græcia tunc temporis ſic fuit uſitatum. Idque ait Grotius 1 Cor. 11. pag. 425. *conveniſſe magis Græcorum moribus; apud quos præcedebat ſacrificium, ſequebantur Epulæ.* Idem ex aliis probat Feſſelius pag. 72. Non poteſt tamen negari, alicubi etiam in fine ejus convivii factam eſſe diſtributionem panis & vini. Id enim congruum dicit Grotius mori Judaico l. c. Et qui hac lege vivebant; potuerunt Chriſti inſtituentis allegare exemplum. Nam hæc nova cœna poſt penitus peractam paſchalem; fuit inſtituta; ita tamen, ut continuo ei & uno quaſi actu, menſis non ſublatis, ſubjuncta fuerit. Nam ut Buxtorf. obſervat, ex recepta tum conſuetudine, Judæorum ea erat cœnæ Paſchalis ratio, ut agnus in illius fine על השבע hoſpitibus aliquomodo ſaturis; comederetur, ita ut nihil quidquam poſt agnum cibi capere licitum ac permiſſum fuerit, idque ut ſapor agni in ipſorum ore remaneret. Quæ hactenus diximus, omnia invertit Dilherrus Tom. I. Diſp. Acad. pag. 417. Quo jure quilibet facile videbit. Verba ſane Evangeliſtarum clara ſunt. Luc. 22: 10. Μετὰ τὸ δειπνῆσαι. Eadem verba repetit Paulus 1 Cor. 11: 25. Nec obſtat quod Matth. 26: 26. Marc. 14: 22. dicitur ἐσθιόντων αὐτῶν. Unde colligit Grotius illis adhuc cœnantibus inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam. Nam poteſt illud participium in Aoriſto 2. accipi, de quo Calov. ad Matth. l. cit. contra Grot. & Prückner. vindic.

** Scilicet certum aliquod & determinatum Agapis, in genere, aſſignare tempus nonnulli tentant. Hinc ad vocem Δεῖπνον provocant. *At vero de hac voce Chryſoſtomus obſervat, Paulum eo loco appellaſſe* Δεῖπνον *Cœnam, quod erat potius (ſi temporis rationem habeas* ἄριστον, *prandium,* verba ſunt Caſauboni Exercit. XVI. ad Annales Baronii p. 450. ſeq. qui addit. *Cœnam fuiſſe dictam in honorem primæ inſtitutionis.* *** Ex Salmaſio Walæus ad Actor. 2: 42. hæc citat verba: *Primo Eccleſiæ Seculo matutinum tempus dabatur orationi, veſpertinum cœnæ inter fratres communi, in qua & Euchariſtiam celebrabant.* Nititur in eo Plinii Junioris teſtimonio Salmaſius. At vero is de cœtu aliquo Chriſtianorum certi loci lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum ſcribit, eo ſcilicet, qui in Civitate iſta agebat. Salmaſius de omnibus in genere adfirmat. Ut taceam, non ſequi ex verbis Plinii, quia poſt factum ſemel diſceſſum coibant iterum Chriſtiani, veſperi idcirco rediiſſe. Potuerunt enim & redire meridie, & tunc una prandere. Cæterum locus Actorum à nobis allegatus huc potius faceret, ſi à particulari ad univerſale argumentari liceret. Tutiſſima interim incedemus via, ſi confitebimur, aliis aliud tempus uſu obſervatum fuiſſe. Exempla ſuppeditat Sozomenus lib. 7. cap. 29. Item Concil. Carthag. III. can. 29. & Caſaubonus ad Baron. pag. 452.

Ad §.4.

Quo jure Apoſtoli diem Sabbathi, cum ipſa Dominica Die mutarint, nunc non diſquiremus. Diſquirit Balduinus Qu. 1. Comment. ad 1 Corinth. cap. 16. & alii. Nobis in præſenti demonſtraſſe ſufficit, hoc inprimis die ſacra celebrari & Agapas inſtitui conſueviſſe. De illis expreſſe Juſtinus tradit Apol. 2. *Solis qui dicitur die, omnium, qui in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum leguntur &c.* de his idem fortaſſe dixiſſe videbimur, quod conjunctas eaſdem cum ipſis ſacris fuiſſe, jam certum eſſe putamus, & infra prolixius oſtendemus.

Ad §.5.

Idem etiam hic, ubi de loco Agaparum agimus obſervandum venit. In templo quidem, intellige Hieroſolymitano, conveniſſe primos Chriſtianos Hiſtoricus Sacer tradit Actor. 2: verſ. 46. ſed ſaltem, ut orationi vacarent. Quod vero Euchariſtiam quoque ſacram, & cœnas ſuas communes, in eo inſtituerint, inde non liquet. Imo nec licebat vid. Major. Annot. ad Acta pag. 138. Jam vero templa ipſi Chriſtiani tum non habebant. κατ' οἶκον ergo id factum fuiſſe remanet. Et ſane longo tempore manſiſſe hunc morem, panem Euchariſticum benedicendi & ſumendi κατ' οἶκον, obſervamus ex Canone 57. Concil. Laodiceni, quod anno 346. actum fuiſſe Salmaſius dicit. Recte admodum hoc ipſo cautum eſt à piis Concilii Patribus, ut cum, per Dei gratiam, ſuppetant nunc Ædes ſacræ, ſacra quoque in iiſdem rite tractarentur, quæ vero à veteri pietatis lege ad profanum deflexerant uſum, contra penitus ejicerentur, juxta Canonem 28. ejuſdem Concilii, cap. ſequenti allegandum.

CAPUT IV.

Abusum ostendit.

§. I. INnoxia hactenus, & laude digna consuetudo. Nunc deflectere ab institutis, & vitium contrahere cœpit. Refici corpus cibo modico, & excitari ad laudem divinam mens pia debebat. Sed usque ad lasciviam deventum est. Quod mutuæ fovendæ concordiæ datum erat, in pauperum contemtum, in rixas, in jurgia desinebat.

§. II. Gravissima in hunc abusum D. Judæ invectiva exstat vers. 12. Epistolæ suæ. Conferri cum hoc Petrus meretur, in poster. Epist. cap. 2: vers. 13. Uterque pestilentissimum hominum genus notat; ut errorum tenebris involutum; ita perversitate morum maxime conspicuum. Commessationum jucunditatem ipsos quærere ait, quum necessitati inventæ essent Agapæ. Hinc luxum & voluptatum cupiditates invaluisse, emersisse vero, simul & innotuisse, vitia quævis, valde conqueritur.

§. III. Quid si Gnosticorum hæresi, & Carpocratianorum spurcitiei, hos quasi prælusisse dicamus? Antiquior equidem Agaparum abusus, quam horum origo est. Non tamen inconveniens prorsus erit, adserere, semina malitiæ jam tum posita fuisse.

§. IV. Omiseram prope vulgatum illum Pauli locum ex 1 Cor. 11: 20. huc allegandum. De salutari cœnæ Dominicæ Epulo agere in eo Apostolum facile quidem concedo. Facere tamen quoque eundem ad Agaparum abusum ostendendum, ex ipso Textu evinco. Profanari à Corinthiis Cœnæ Dominicæ Sacra ostendit. Et subtrahi pauperibus, non animæ solum, sed & corporis alimenta, conqueritur. Illud ad Epulas sacras; hoc ad vulgares illas pertinere, nemo non videt. Has vero ideo hic oratione complectitur Apostolus, quod tempore quidem alias, more recepto, illas conjungi, nunc vero, pravis Corinthiorum moribus, earum usum plane confundi, & pessum dari videret. Nec enim salutarem sacri cibi fructum percipere poterant, qui à vulgari non satis discernebant. Et victu suo utique privabantur, quos aliorum temperantia prævorterat. Hinc deterrima divinæ Cœnæ profanatio; Et Agaparum abusus longe maximus. Hunc penitus tolli, dum illæ adhuc salvæ essent, propter perversos hominum mores, non posse, facile quidem animadvertebat: Sed & ejici illas una vice ex Ecclesia, non satis tutum autumabat. Efficacissimum morbo huic sanando medium ipsi visum fuit, sublimitate Mysterii S. ejusque divinitate exposita, reverentiam animis induxisse, atque à ventris cura nimia hominum avocasse mentes. Interim hic fortasse terminum nobis figere licebit, quo & male audire Agapæ, & usus eorum intercidere paulatim cœpit. Ultimam vero earum ejectionem Concilii Laodiceni canones docent.

§. V. Sed videbitur fortasse, his ipsis abrogatis, felicitati Ecclesiæ nonnihil decessisse. Ministri Ecclesiæ necessariis vitæ alimentis; Pauperes stipe sua, privati videbuntur. Imo vero hac fini Eleemosynæ colligi, & olim consueverunt, & adhuc hodie laudabiliter solent.

Ad §. 2.

Conjungere loca citata & invicem conferre licebit. Est enim magna in iis, & ipsius rei, & verborum, convenientia. Indicio hæc forsan esse poterit, non plane abs re esse, quod B. Lutherus præfat. ad Epist. Judæ statuit: *transcriptam illam ex ipsa Petri posteriore, & à Discipulo quodam Apostolorum, paulo post illorum ætatem, compositam esse.* Neque tamen hoc ipso Autoritati ipsius Epistolæ Petrinæ quidquam detrahit Beatissimus Vir; Quod cum Eusebio fecisse nonnullos, recenset Gerhardus Præfat. ad eandem. Facit idem quoque Grotius, statim ab initio hujus Epistolæ, quam non Simoni Petro, sed cuidam Simoni, Episcopo Hierosolymitano, Jacobi Apostoli post multos alios successori, adscribit. Sed quidquid hujus sit, nostram hanc litem nunc non facimus. Sensum vero loci utriusque unum eundemque esse, ita ostendimus. Perversos falsorum Doctorum mores corripit Apostolus. Libertatem ipsi proculdubio vocabant. Quasi vero obsequi cupiditatibus; explere gulæ libidinem; & quidvis libere per vinum ac crapulam animo permittere, libertas, ac non potius procacitas & petulantia, imo fœdissima servitus sit. Hac eo devenisse homines impurissimos ait, ut per lasciviam vel soli profuderint, quod ad sublevandam necessitatem omnium congestum erat; & pessime præterea illuserint illis, quos ita nefarie defraudarant. Hinc dedecori esse cœtui Christianorum, & scandalo præsentissimo fidelibus, verbis durissimis objurgat. Σπίλους, Epistola Petrina: Σπιλάδας, Judas vocat. Non sine peculiari Emphasi in simpliciori nominis forma. Terminatione quidem, non tamen significatione, vocibus distinctis. Utramque harum *impuras in veste maculas* vel *scopulos* etiam communiter notare, Lexicographi observant. Autores consentiunt. Idem plane de vocabulo μῶμοι Grotius ad hunc l. annotat. Et cum Epiphanio textui præsenti perapte accommodat Cornel. à Lapide, comment. ad h. l. Conf. de his omnibus Gerh. ad 2 Petr. 2: vers. 13. pag. 231. seqq. Et sane labem corpori Christiano non minimam aspergebant impurissimi isti homines. Imo, tanquam noxii quidam lapides, offensioni erant plurimis. Quis enim non detestatur maxime & odio prosequitur eum, quem nefario corrumpere abusu videt ea, quæ fini diviniori destinata sunt? Quis non in pia rerum spiritualium meditatione turbatur, dum alium delitiis operari, & genio strenue indulgere videt? Maxime eo tempore, dum animi salus procuranda: corpori non nisi necessaria prospicienda sunt. Ad *AGAPAS* digitum intendo, quibus conjunctam cænæ Dominicæ administrationem fuisse supra diximus. Has expresse Judas nominat, Petrus participio συνευωχούμενοι, quasi ex obliquo notat. Nomen est εὐωχία. Plerique ab ἐχὴ cibus. Athenæus ab εὖ & ἔχειν derivare mavult. Commodissima huic loco Pollucis est descriptio. Δημοσίαν ἑστίασιν, *convivium publicum* esse dicit. Ex hoc nomine formatur verbum εὐωχοῦμαι Latine, *convivio excipior, convivor*: compositum συνευωχοῦμαι, *una epulor.* Participium συνευωχούμενοι Augustinus lib. de Fide & operibus cap. 25. *coëpulantes* reddit. Ita quidem generaliter alias *epulari*, interdum tamen, uti & h. l. *luxuriose* id fieri, significat. vid. Gerh. l. c. pag. 254. Non igitur est, ut pro ἀπάταις cum Vulgato, & aliis, substituamus ἀγάπαις. Siquidem nec pronomen αὐτῶν id ipsum permittit. Multo minus licet, ut idcirco cum Grotio violentas Textui manus inferamus, & quidlibet inde auferamus pro lubitu. Legamus ex Codice Græco ἀπάταις, & nihilominus de Agaparum abusu Apostolum loqui planum erit. Ostendit id Gerhard. l. c. pag. 253. Sive enim *erroris* notione, sive *deceptionis* vocabulum accipias: quælibet negotio præsenti optime respondebit. Hocne maxime *decipere* erat, sub Eleemosynarum nomine, pecunia alios emungere, eamque per lasciviam nequiter absumere? Imo vero, non multum à furto alienum! Et quid de *errore* dicam: Gravissimus sane erat, existimare, saginæ corporis inventas esse, quæ necessitati ipsius solandæ parabantur, cœnæ. Neque id saltem privatim ita existimasse sufficiebat. Quin etiam in eundem errorem, pestilentissimo exemplo suo alios, inducebant. *Pro voluptate*, inquit Petrus, *ducebant* τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν i. e. *quotidianas delicias.* Ita enim hunc construendi modum Glassius interpretatur, in philol. Sac. pag. 406. & Gerh. pag. 250. Non possum tamen hic silentio præterire conjecturam Hugonis Grotii, qui τρυφὴν pro τροφὴν positum esse existimat. Non sane incommoda hæc foret lectio, si codices adstipularentur. Sed contra has nihil mutandum, nisi gravior quædam causa subsit. Judas paulo aliter exprimit: συνευωχουμένους, ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντας vocat. Eodem plane sensu, saltem vocabulis distinctis. De voce συνευωχούμενοι jam diximus. ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες ex Cornelio à Lapide itemque Paræo ita explico: Sine Dei hominumque reverentia, intrepide & impudenter, se carne infarciebant; vino ingurgitabant & gestibus verbisque lasciviebant. Itaque suam tantum curabant cuticulam: De reliquis Ecclesiæ membris parum solliciti. Hæc scilicet omnis mali fons: Nulla in ipsorum animis Numinis reverentia; nullus timor erat. Hoc vero præ cæteris accumbentem mensæ opus habere, commode Dionysius monet. *Hunc identidem in se excitare unumquemque epulantium jubet. Siquidem multas gulæ, lasciviæ multas, impudicitiæque in mensa ingeri occasiones, observat, quas sine timore Dei vix quenquam superare posse ait.* Hanc in rem Chrysost. Homil. 32. in Matth. Clemens Alex. 2. Pædagog. cap. 1. & 2. Ambros. apud August. 6. Confess. cap. 2. Hieron. Epist. 22. Gregorius lib. I. Epist. 71. egregia tradiderunt monita, quæ hic conferri merentur.

Cæterum hunc Judæ locum Thomas Angelicus, citatus apud Cornelium à lapide, breviter ita exposuit & accommodavit. Dicuntur, ait, *MACULÆ quoad impudicitiam, CONVIVANTES quoad crapulam, SINE TIMORE quoad ineptam lætitiam, PASCENTES SEMETIPSOS*

non

non pauperes, *in communi menſa.* Simili prorſus ratione & Petrinus ille locus, ad hujus imitationem, à quolibet facile diſponi poterit.

Ad §. 3.

Impurum equidem hominum genus deſcripſimus. Non tamen propterea idem cum Gnoſticis, aut Carpocratianis. Ad hos maxime pertinere locum præſentem, imo univerſam Epiſtolam, Grotius adſerit. Sed non ſatis conſentiente Hiſtoria. Recentior hæc hominum ſecta, quam ut peti ab Apoſtolo potuerit. Majori cum cautione, propter vitiorum exactam paritatem, ad utroſque accommodavit ſaltem, Cornelius à Lapide Commentar. ad h. l. pag. 380. Gerhardus ad plures alios adhuc extendit, & Prophetam agere Apoſtolum h. l. cenſet, motus ipſius loquendi ratione, qua mera futura ſpectare videtur: παρεισάξουσι ait, ἔσονται, ἐξακολουθήσουσι, ἐμπορεύσονται &c. Deinde ex ipſis Apoſtoli verbis verſ. 15. cap. 1. evincit; Catholicam hanc eſſe Epiſtolam, in uſum totius Eccleſiæ ſcriptam, ut non ſolum de præſentibus certa eſſe, ſed & de futuris omnium temporum hæreticis, olim aliquando judicare poſſit. Hinc non ſolum de Simonianis, Nicolaitis, Gnoſticis, Borboritis; ſed etiam de noſtrorum temporum Hæreticis accipi locum poſſe, imo debere etiam, ait p. 176. & 185. Eodem modo & Beda ad Photinum, Manichæum, Apollinarium, & Pelagium eundem applicat. Cæterum Gnoſticorum perverſitati, & Carpocratianorum impuritati in primis convenit. Patrum de his, hoc loco, audire dicta, fortaſſe non incommodum erit. Ita vero de illis Minutius Felix refert: *Ad Epulas ſolenni die coeunt cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines & omnis ætatis. Illis poſt multas epulas ubi convivium caluit, & inceſtæ libidinis fervor exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur. Sic everſo atque extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus nefandæ cupiditatis involvunt.* Scilicet ut Epiphanius Hæreſ. 26. de iis obſervat: *Saturi uxores ſuas aliis concedebant & dicebant: SURGE, ET FAC AGAPEN CUM FRATRE.* De Carpocratianis conferri meretur idem Epiphanius Hæreſ. 27. Philaſtrius item atque Theodoretus lib. de Hæreſ. nec non Tertullianus Apolog. cap. 7. Clemens Alexandrinus l. 3. Stromat. notat, *ad hanc promiſcuam & infandam libidinem ſacrilege ipſos abuſos illo Chriſti dicto, OMNI AUTEM PETENTI TE TRIBUE* Luc. 6: 30. &, ſumma cum indignatione, obſervat, *quod etiam ex præſcripto & lege Hæreſiarchæ ſui ad hanc impuritatem obligati fuerint.* Unde merito *canibus, porcis atque hircis talia præcepta danda fuiſſe* exclamat.

Ad §. 4.

Variant in expoſitione hujus loci Autorum ſententiæ. Quidam tantum de Cœna Dominica agere adſerunt: Nixi expreſſa Δείπνου κυριακοῦ mentione, itemque verbis inſtitutionis, poſt pauca quædam ſubnexis. Alii, inprimis Pontificii, Bellarminus lib. 2. de Miſſa cap. 10. non niſi de Vulgaribus Epulis, nobis Agapas dictis, loqui Apoſtolum fingunt. His quoque annumerarem Cornelium à Lapide, ſi quidem is ſibi ipſi ſatis conſtaret. Quum libere ex rei veritate loquitur fol. 287. aliud prorſus ſubinnuit, quam fol. ſequenti, ubi nobiſcum, tanquam adverſariis, in arenam deſcendit. Tunc enim expreſſe ait: *non de Cœna Euchariſtica ſed vulgari & communi, ſive Agape, Apoſtolum loqui.* Eo impudentius, quo magis vel contra ipſum externum oculorum ſenſum. Nos quid impedit, quominus de utroque Apoſtolum h. l. agere dicamus. De illo Myſtico expreſſe tradit. Sed & vulgaris illius, & qui in corporis alimentum vergit, mentionem injicit. Nec poterat aliter. Conjunctum, primis primitivæ Eccleſiæ temporibus, utriuſque uſum in Agapis, fuiſſe Patres oſtendunt. Oſtendit quoque ex iis Cornelius à Lapide fol. 287. Eundem vero, malitia hominum, ſucceſſu temporis invicem plane confundi cœpiſſe, ipſe Apoſtolus h. l. conqueritur. Tum igitur ab uno horum excludebantur aliqui, altero quoque non poterant non privari. Hinc neque Myſterio divino ſua amplius conſtabat dignitas. Et ipſarum Agaparum omnis prope exſpiraverat uſus. Illam reſtituere conatur Apoſtolus, quando ad primævam ejus inſtitutionem provocat, & ſalutaria quædam præcepta tradit. Has, ſi propter perverſos hominum mores in ordinem redigere non valeat, plane abrogatas velle oſtendit. Nec id ſine prægnanti cauſa. Erat certe res ipſa ad abuſum admodum proclivis. Cum enim in aliis rebus difficile eſt ingenio humano ſervare modum: id fere obtinet in cibo & potu: maxime dum ad hunc invitamur ab aliis, & quaſi exemplo trahimur. Dubium itaque nullum eſt, abrogatas ipſas etiam Agapas cupiiſſe Apoſtolum, ſi abuſus ſine iiſdem non penitus poſſet. At vero plenum periculoſæ aleæ opus erat, quæ longo invaluerunt uſu, uno quaſi ictu ferire atque ejicere. Levius ergo rem tangit & molliora adhibet media, quibus nihilominus temporis ſucceſſu intercidant, & in ſe quaſi collabantur. Hac fini dictum ab ipſo crediderim, ut ſi quis eſuriat, domi manducet imposterum. Eadem de h. l. B. Danhaweri eſt ſententia in Hodoloph. Phæn. X. p. 1126. & Hugonis Grotii ad h. l. Cui adeo non veremur ſubſcribere, quando ait, Δεῖπνον κυριακὸν h. l. *vocari totum illud Convivium, cujus partem aut primam, aut poſtremam, faciebant myſteria*, ſiquidem id ipſum Textui maxime conveniens deprehendimus. Secus quando verba illa; ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει hyperbolice & per Hebraiſmum dicta eſſe ait. Quo ipſo vult, ut quemadmodum Hebræorum שכר & רוה non ſemper proprie inebriari ſignificat, ſed vel ad hilaritatem, vel ſatietatem bibere; ita & hæc noſtra idem h. l. inferre dicamus. Sed plane citra neceſſitatem. Longe ſane ſecurius ex Petri Judæque mente verba Pauli interpretamur. Atqui vero deteſtandum illud ebrietatis ac temulentiæ vitium hos ipſos maxime notare, ſupra demonſtravimus. Sufficientiſſime igitur ipſum Agaparum abuſum, ex locis citatis, oſtenſum eſſe puto. Aliena fortaſſe qui deſiderat, unicum Clementis Alexand. locum audiat: *perdita perdenſque vita eſt, quam Agapen nonnulli, lingua effreni, vocare audent: cum nihil aliud præter convivia, quæ nidorem ac jus redoleant, ſic dicant, atque ita pulcrum ac ſalutare verbi inſtitutum, ſacram agapen, ollis, neſcio quibus & liquido jure dedecorant, potuque, deliciis ac fumo nomen illud traducunt.* Hæc cum ita perperam geſta ſint primos inter Chriſtianos: cum tam fœdo conſpurcari abuſu ipſæ Agapæ conſueverint; quid mirum quod & in ſe peſſime audire, & ipſum quoque earum nomen quaſi infame reddi cœperit. De hoc ſupra nonnulla diximus. Illud occaſionem antiquis Patribus dedit, ut Agapas ex Eccleſiis plane voluerint ejectas. Extat de hoc Canon Concilii Laodiceni 28. qui ita habet: ὅτι οὐ δεῖ ἐν κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθίειν, καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν. Huc pertinet Clemens Alexand. Pædag. l. 2. cap. 1. & Tertullianus de Jejuniis adverſus Pſychicos cap. 17.

Ad §. 5.

Inſignis de Eleemoſynarum collationibus extat locus 1 Cor. cap. 16: 1. & 2. Patet ex hoc, non nudius demum tertius inventam in noſtris Eccleſiis illam colligendi conſuetudinem eſſe. Quin imo antiquiſſima illa eſt, & à primis Apoſtolorum temporibus petenda. Facta vero ipſa dominica die, ideo, quod admodum conveniens eſſe deprehenderunt Beatiſſimi Patres, beneficia erogare in pauperes, dum beneficiorum, divinitus nobis collatorum, meminiſſe datur occaſio vid. Chryſoſt. ad h. l. & conf. Paræus ad eundem. Cæterum ipſe modus colligendi communis ab illo veterum hodie nonnihil variat, & ex quotidiana obſervatione inter omnes conſtat. Sed datur adhuc nobilius aliquod Eleemoſynarum genus, quo vel Pii olim Principes, vel civitatum proceres, vel ipſi etiam cives, pio verbi ſacri zelo, & ſtudiorum amore, ducti, ampliſſimas pecuniarum ſummas contulerunt, quibus publica illa pietatis atque ſtudiorum ſeminaria hactenus vigere, & myſtica ſalvatoris noſtri vinea ſarta tectaque ſervari potuit. Servabitur quoque imposterum, dum ſua Muſis conſtabit dignitas; ſuus Religioni zelus ſervabitur.

JOH. BASEL

DISSERTATIO

De A & Ω, ad Apoc. I: verſ. 8, 11.

I. N. J.

I.



It Dominus, Apoc. 1:8. Idque repetit, vſ. 11. itemque c. 21:6. & c. 22:13. Ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω. *Ego ſum* A *&* Ω. Quibus vocibus ſe innuit, eſſe *principium & finem: primum & ultimum*, quemadmodum hæc explicatio citatis locis adjecta legitur, apud Johannem. Initio namque τὸ Ἄλφα *Principium*; τὸ Ω vero, *finem* denotat: quod Alpha ſit prima inter literas Alphabeti Græci: Omega autem, poſtrema. Similiter ut apud Hebræos quoque, prima litera eſt א *Aleph*, & principium notat: ultima vero eſt ת *Thau*, & ſignificat finem. Unde etiam, proverbiali locutione dicunt: מאלף ועד תו *ab Aleph uſque ad Thau*, *à principio uſque ad finem*, quod occurrit apud R. Jonam in Corban Thamid *Juge ſacrificium*, in Jalkuth, ad 2 Sam. & apud Iſaac Benarima, in Lev. 26. Contracte item ſcribitur א״ת ad idem exprimendum in Zohar, libro pervetuſto, in libro item Schaare orach *Porta lucis*, Schaare Zedek, *Porta Juſtitiæ*, & libro Bahir antiquiſſimo, prout obſervarunt Druſius, Crocius, & Capellus, in Opere Biblico Critico, in h. l. Pariter autem & Syrus Paraphraſtes, in allegatis Apocalypſεως locis poſuit: *Olaph & Thau.* Excepto vſ. 11. cap. 1. in quo apud Syrum non repetuntur voces: *Ego ſum* A *&* Ω. ſicut nec in Verſione Vulgata Latina; nec in Æthiopica: quamvis legantur in Arabica Verſione ſic: *Ego ſum Aleph & Te.* Quamobrem videtur Johannes, hanc Hebræorum locutionem aptaſſe, ad Alphabetum Græcum, quia ipſe Græce ſcribebat. Si alioqui conjecturæ locus ſit, Chriſtum è cœlo locutum ad Johannem, Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, id eſt, *Hebraica lingua* ſicut hac ipſa, poſt aſcenſionem ſuam uſus erat, cum è cœlo loqueretur ad Paulum, eumque ad Apoſtolatus officium vocaret, Actor. 26:14. Oſtendunt autem hinc, Veteres Eccleſiæ Doctores, æternitatem Chriſti. Primaſius ſane, Epiſcopus Africanus, Sect. VI. in 21. cap. Apoc. ſcribit: *Ego ſum* A *&* Ω.) *Sicut in initio libri* (cap. ſcil. 1:8. *hoc eſſe teſtatus eſt, in hoc tertio oportuit repeti, ut neque ante eum Deus ſicut Eſaias dicit* (c. 41:4. 44:6.) *neque poſt eum alius credatur.* Sic & Beda, Presbyter Anglicanus, qui floruit Sec. VIII. poſt Chriſtum natum, Tom. V. Op. in Apoc. l. 8. Ego ſum A & Ω, initium & finis) *Initium*, ait, *quem nullus præcedit: finis cui nullus in regno ſuccedit.* In cap. autem 21. Apoc. verba Primaſii repetit. Ante utrumque vero Auguſtinus Sec. V. Serm. II. in Natali Domini, Tom. X. qui eſt VI. inter Serm. de Tempore: *Si*, inquit, *fides adſit, aperta eſt ratio, quia Chriſtus nunc minor, nunc æqualis Patri ſacris voluminibus aſſeratur. Sicut ipſe de ſe dicit;* Ego primus & noviſſimus. *Indubitanter. agnoſce, quod priorem non poteſt habere, qui primus eſt. Item,* Ego ſum Alpha & Ω. *Et ſicut Alpha literam nulla præcedit, ita & filium Dei nullum ſecundum conſtat eſſe, quia Deus eſt.*

II. Deinde etiam dici poteſt, quod Alpha & Ω, prima & ultima litera inter Græcas, idem ſignificent quod *ſummam* rei: quia ſunt veluti complementum totius Alphabeti Græci. Eodem modo, quo alias proverbiali locutione dicitur: *Prora & puppis*, pro ſumma totius rei, & omni momento ac præſidio: propterea, quod à prora & puppi, tanquam à capite & calce pendeat tota navis. Sic Cicero, lib. ult. Epiſt. familiar. XXIV. *Mihi prora & puppis, ut Græcorum proverbium eſt, fuit à me tui dimittendi, ut rationes noſtras explicares.* Id eſt, ſumma conſilii mei fuit. Philoſtratus in Heroicis: ἀλλὰ δεῖ, inquit, προσδεδέσθαι τῇ νηΐ, καθάπερ τὸν Ὀδυσσέα. Εἰ δὲ μὴ καὶ τὰ ἐκ πρώρας, φασὶ, καὶ ἐκ πρύμνης, ἀπολεῖται: i. e. *Oportet Ulyſſis in morem alligatum eſſe: alioqui & prora, quod dici ſolet, & puppis perit.* Similiter autem, & Theocritus, in Encomio Ptolemæi, Idyll. XVII. v. 3. primi, & medii, & ultimi vocabulum, tribuit Ptolemæo:

> Ἀνδρῶν δ᾽ αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω
> Καὶ πύματος, καὶ μέσσος, ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν.

> *Ex hominibus vero Ptolemæus inter primos commemoretur,*
> *Et poſtremus & medius. Nam is præſtantiſſimus virorum eſt.*

Quod Virgilius imitatus, Ecloga VIII. Auguſtum laudans, dixit: *A te Principium, tibi deſinet.* Et Plato lib. IV. de Legibus, Deum ita circumſcribit: Ὁ μὲν δὴ θεὸς ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε, καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων. i. e. *Jam Deus quidem ipſe, quemadmodum vetuſto verbo dicitur, tum initium tum finem, tum medium rerum omnium complectens.* Orpheus, de eodem Deo:

> Ζεὺς κεφαλὴ, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ᾽ ἐκ πάντα τέτυκται
> Ζεὺς βασιλεὺς, Ζεὺς ἀρχὴ πάντων, ἠδὲ τελευτή.

> *Jupiter eſt caput, & medium: Jove cuncta creata.*
> *Jupiter eſt Rex: hoc pendent primordia, finis.*

Nec alio ſenſu, Plutarch. de liberis educandis, ait: ὅτι ἓν πρῶτον καὶ μέσον καὶ τελευταῖον ἐν τούτοις κεφάλαιον, ἀγωγὴ σπουδαία καὶ παιδεία νόμιμός ἐστι. *Quod una res primum, medium ac poſtremum hic caput eſt, proba inſtitutio, legitimaque eruditio ſeu informatio.* Conf. Eraſm. Roterodam. Chiliad. l. Centur. l. Adag. VIII. itaque ſicut Alpha eſt veluti prora; Ω autem, tanquam puppis Alphabeti Græci, quia omnes alias literas complectantur quaſi ac teneant: ita Chriſtus dicitur, omnia tenere omnipotenti ſuo verbo. φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, inquit Apoſtolus, ad Hebr. 1:3. *Moderetur omnia verbo potentiæ ſuæ.* Ad Coloſſenſes, item 1: vſ. 17. Τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισαι -- καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. *Omnia per illum & in illum creata ſunt -- & omnia per illum conſiſtunt.* Unde mox ὁ παντοκράτωρ *Omnipotens* dicitur, in Apocalypſi 1: vſ. 8. Et veteres has ipſas literas *Alpha* & Ω, ad omnipotentiam, inter alia, Chriſti referunt. Idacius Clarus, Sect. IV. lib. IV. adverſ. Varimadum Arianum: *Omnipotentiam ejus, qui miſſus eſt, ex ſubſequentibus diſce, qua nunc mihi videris ignorare; Apocalypſi dicente: Ego ſum* A *&* Ω, *dicit Dominus, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens.* Primaſius in 8. verſ. cap. 1. Apocalypſ. *Ego ſum* A *&* ω, *dicit Dominus Deus, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens. Per quem facta ſunt tempora, nullo defuiſſe tempore prædicatur. Hinc etiam docetur omnipotens.* Quibus addi poteſt, quod Chriſtus vocetur *lux* Joh. 1:9. cap. 8:12. *& perfectio noſtra*, ad Coloſſ. 2:1. Quorum utrunque & ultima litera Hebræorum complectitur, ac præfiguratum eſſe videtur in אורים *Urim* & תמים *Thummim*, pectorali Aaronis inſerto, Exod. 28:30. Urim enim Latine ſignificat *luces*: Thummim *perfectiones.* Illud incipit à litera *Aleph*: Hoc à Litera *Thau*, poſtrema Hebraicarum. Referatur etiam huc locus ad Hebr. 12:2. Ubi Salvator noſter dicitur, ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως, id eſt, *auctor & conſummator fidei.*

III. Por-

III. Porro, cum Alpha prima sit inter literas, janua velut est, atque introitus ad cæteras, totamque adeo lectionem. Unde discentes, per Alpha, quasi per januam ad cæteras admittuntur. Ob quam causam Hebræorum Aleph *à discendo* nomen habere videtur. אלף *Aleph* enim idem est, quod Latine *Didicit*. Et mos inde præceptorum, dicendi: *Dic Alphe*. quem Epiphanius, Hæresi XXXIV. & Irenæus, lib. I. adv. Hæres. c. XXII. notant, dum Valentinianorum Hæreticorum, de Christo puero adhuc, literas addiscente fabulam recitant & dicunt: *Adjungunt præterea* (Valentiniani) *fallax, & suppositum hoc commentum. Quod cum puer esset Dominus, & literas addisceret, dicente Præceptore,* Καθὼς ἔθος ἐστὶν, *ut moris est: Dic Alpha, respondisse Alpha: rursum jubente Præceptore, ut diceret Beta, respondisse Dominum, Tu mihi prius dic quid est Alpha, & tunc dicam tibi, quid sit Beta. Atque id enarrant* (inquit,) *quod ipse solus sciat, quod ignotum est. Id quod demonstravit in figura Alpha* H. I. Quo referendum illud Juvenalis Satyr. XIV. v. 208. *Hoc discunt omnes ante Alpha & Beta puelli.* Omega vero, literarum est veluti clausula, & terminus. Habetque adeo vim sistendi, suo quo pollet, sonu. Quæ facile applicari possunt ad Christum quippe qui ipse se vocat *januam*, Joh. 10: 15. Et referri huc potest, quod Christus ab Apostolo vocetur τέλος h. e. *finis* seu *terminus legis*, Rom. 10: 4. Ita Ambros. (vel Ansbertus) Comment. in c. l. Apocal. T. 5. op. Ego sum α & ω.) *Quod sit α & ω, sequentia manifestant. Id est principium & finis. Sicut ipse dixit Judæis: Ego sum principium, qui & loquor vobis* (Joh. 8) *Potest Salvator noster principium ideo dici, eo quod ipse sit principium, id est, creator generis humani & auctor salutis. Finis autem potest dici, quia ipse est finis legis, finis mortis, omnisque prævaricationis.* Item, quod Esai. 9: 6. appelletur, *Pater futuri seculi*, id est principium æternitatis; ac proinde finis (consummator) & terminus temporis. Beda in 21. Apocalyps. *Quia de fine mundi sermo est, potest ipse* (qui scilicet dicit: Ego sum Alpha & Ω) *seculi consummator, qui creator dictus, intelligi.* Aurell. Prudentius, Hymno IX. cujus inscriptio est: *Cathemerinon* seu omnes horæ, v. 10. de Christo locutus:

> *Corde*, ait, *natus ex parentis, ad te mundi exordium*
> *Alpha & ω cognominatur, ipse fons &* clausula,
> *Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque futura sunt.*

Denique Theodoretus, Sec. IV. Comment. in Habacuc 4: 2. Christum inter præsentem & futuram vitam medium appellat. Cum enim LXX. ibi legant: *In medio* δύο ζώων *duorum animalium cognosceris*: Ipse pro voce ζώων, ζωῶν *vitarum* (quod Hebræo codici videtur convenientius) legendum arbitratur, ac dicit: *Mihi videtur, non animalia, sed vitas Prophetam dixisse, præsentem & futuram: quarum melius judex justus existit.* H. I.

IV. Præterea notum est, quod Græci numerantes, literas Græcas, loco numerorum adhibere soleant, quemadmodum rursus & ipsi Hebræi. Isidorus Hispalensis, Sec. VII. lib. I. Orig. cap. III. *Omnes*, inquit, *literæ apud Græcos, & verba componunt, & numeros faciunt. Nam Alpha literale, apud eos vocatur in numeris unum. Ubi autem scribitur Beta, vocantur duo. Ubi scribunt Gamma, vocantur in numeris ipsorum tria. Ubi scribunt Delta, vocantur quatuor, & sic omnes literæ apud eos numeros habent.* In quo & ipsi se Græci, Hebræis accommodarunt, dum loco Senarii, ς inseruerunt. Nam, sicut apud Hebræos *Jod*, valet decem; ita *Jota*, apud Græcos, indicat numerum denarium. Proinde, quemadmodum, in numeratione A ad Ω devolvitur; & inde rursus Ω ad A replicatur: Sic Christus dicitur à Veteribus continere initii ad finem decursum, & finis recursum ad initium. Isidorus Hispal. loc. jam jam allegato: *Summam & ultimam* (literarum) *sibi vendicat Christus. Ipse enim principium & finis, dicens: Ego sum* A *&* Ω. *Concurrentibus enim in se invicem,* A *ad* Ω *usque devolvitur: & rursus* Ω *ad* A *replicatur: ut ostenderet in se Dominus, & initii decursum ad finem; & finis recursum ad initium.* Hieronymus, in lib. I. advers. Jovinian. c. X. *Docet Apostolus scribens* ad Ephesios: 1: 10.) *Deum proposuisse in adimpletione temporum, recapitulare omnia, & ad principium retrahere, in Christum Jesum, quæ sunt super cœlos & super terram. Unde & ipse Salvator in Apocalypsi Johannis: Ego sum, inquit, α & ω, initium & finis.* Utriusque, licet prior sit, interpres est Tertullianus, qui libro, de Monogamia, sic loquitur: *Dicit & Apostolus scribens ad Ephesios, Deum proposuisse in semetipso ad dispensationem adimpletionis temporum, ad caput, id est,* ad initium reciprocare *universa in Christo, quæ sunt super cœlos & super terras in ipso. Sic & duas Græciæ literas summam & ultimam sibi induit Dominus, initii & finis concurrentium in se figuras; uti quemadmodum α ad ω usque volvitur, & rursus ω ad α replicatur, ita ostenderet in se esse & initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium: Ut omnis dispositio in eum desinens per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei, qui caro factus est proinde desinat, quemadmodum & cœpit. Et adeo in Christo omnia revocantur ad initium: ut & fides reversa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit, & libertas ciborum & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit & postremo totus homo in Paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* H. I. τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι autem verbum, quo utitur Apostolus in Epist. ad Ephes. 1: 10. (ad quem locum adducti Ecclesiæ Dd. respiciunt,) in significatione Arithmetica, accipi docet Hieronym. in Comment. hoc exemplo: *Verbi causa*, inquit ille, inter alia, *Viginti denarios erogavi, rursum quinque, & alios quindecim, triginta quoque & terdecies, per diversa tempora dedi. Hæc si in unum voluero supputare, centenarii mihi numeri summa succrescit, & in uno numero habebo omnia quæ ante descripsi.*

V. Ulterius, hinc facta translatione ab iisdem notulis literarum, quibus Græci numerum indicant, Alpha idem aliquando, proverbiali figura denotat, quod præcipuum aliquem & primatem. Sicut Martialis dixit, lib. II. Epigrammat. LVII.

> *Quem non lacernis Publius meus vincit,*
> *Non ipse Codrus, Alpha penulatorum.*

Id est, præcipuus ac quasi primas & antesignanus inter eos, qui penulas sumunt. Itemque Lib. V. Epigramm. XXVII. jocatur in Codrum offensum, quod eum dixisset Alpha, monetque ut hujus injuriæ talionem faciat, seque vicissim Beta, si velit, appellet:

> *Quod Alpha*, ait, *dixi, Codre, penulatorum*
> *Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:*
> *Si forte bilem movit hic tibi versus,*
> *Dicas licebit Beta, me togatorum.*

Hoc est, secundum, ac minus præcipuum. Quod & illa proverbia exprimunt, quæ à partibus histrionum in fabula videntur desumpta: *primas tenere, primas deferre* sive tribuere; item, *non posteriores feram*; quæ Græcis sonant, πρωτεύεσθαι, τὰ πρῶτα δοῦναι, τὰ πρῶτα φέρειν. Illi namque inter fabularum actores, primas agere dicuntur, qui maximam fabulæ partem sustinent: secundas aut tertias, qui illis sunt inferiores. Ex quo porro factum esse videtur, quod primum, idem quandoque significet, quod præstantissimum, seu quod primæ dignitatis est: ultimum vero, seu extremum, quod ejus est conditionis, qua nulla sit inferior. Hac ratione apud Horat. in Arte Poët. dicitur:

> *Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est.*

Rursus, primæ classis vocantur, qui cæteris præferuntur; postremæ vero classis, seu ultimæ sortis homines appellantur, qui viles sunt ac contempti; quales olim Æginetæ aut Megarenses habebantur, quos iccirco Græcia hoc proverbio circumferebat, quod citatur à Plutarcho, lib. V. Sympos. Quæst. VII. Αἰγιέων ἢ μεγαρέων, ἀριθμὸς οὐδεὶς οὐδὲ λόγος: *Æginensium aut Megarensium nullus numerus, neque ratio* seu respectus. Sic etenim edocta erat Pythii Oraculo, quod Dinias, apud Scholiastem Græcum Theocriti, in Idyll. XIV. circa fin. Megarensibus, Stephanus autem, Mneas & Jon, de Æginensibus, editum testantur hoc modo:

> Ὑμεῖς, δ᾽ αἰγιέες, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι;
> Οὐδὲ δυωδέκατοι, οὔτ᾽ ἐν λόγῳ, οὔτ᾽ ἐν ἀριθμῷ.

> *At vos Æginei, neque tertius accipit ordo,*
> *Neque quartus, neque bissemus, neque denique vestri;*
> *Ulla usquam ratio est, nusquam numerusve, locusve.*

Rursus & Theocritus, Idyll. XVIII. v. 4. dixit, Δώδεκα ταὶ πρᾶται πόλιος λακαινᾶν. id est, *Duodecim primæ urbis* (virgines) *Lacænarum*, hoc est, primariæ ac præcipuæ. Itaque sicut Alpha, hoc sensu præcipuum ac summum: ita ω, infimum atque vilissimum significabit: ac proinde eleganter Veteres Ecclesiæ Doctores, hinc adstruunt & divinitatem, & hu-

& humanitatem, in qua *novissimus & contemtissimus hominum* factus est, teste Esa. 53:13. & Davide, Psal. 22:7. Primasius in 22. Apocalyps. *In A, Verbi divinitatem, in Ω susceptam humanitatem assignans, principium sine termino.* Beda, vicissim in 22. cap. Apocal. hæc verba. Ego sum Alpha & Ω) *In A,* inquit, *verbi divinitatem, in Ω susceptam humanitatem designat. Principium sine termino, quod crebra in hoc libro repetitione firmatur --- propter unius Christi divinitatem & humanitatem sæpe insinuandam.* Ambrosius, qui ante utrumque floruit Seculo IV. in Lib. de Inst. Virgin. c. XI. *Vide,* ait, *clementiam Christi. Ipse est primus & novissimus. Qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Primus quia per ipsum omnia: novissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim, & projicit se ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes jacentes levaret.* Et iterum ait: *Christus est α & ω, primus & ultimus: primus æternitate, ultimus humanitate.* Nec aliud indicat Hieronymus, his suis verbis, quibus utitur, Comment. in cap. 48. Esai. vs. 12. *Ego sum* (*inquit* Christus) *α & ω, primus & novissimus, qui vivo & fui mortuus: ut vitam ad principium referas, novissimum ad eum, qui mortuus est. Qui se exinanivit formam servi accipiens, & factus est obediens patri, humiliavit seipsum usque ad mortem, & mortem crucis.* Epist. ad Philippens. 2:8.

VI. Denique, haud oportet latere, quod non raro numeri literarum, in se contineant aliquid mystici, quod pauci intelligunt: Dum aliis sæpe sunt Ἰσόψηφα nominibus, id est, ejusdem valoris quantum ad numerum. Sic ipse Johannes in Apocalypsi, cap. 13:18. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Et Heliodorus, lib. IX. Æthiop. docet, Nilum idem esse, quod annum; literis enim, quæ nomine ΝΕΊΛΟΣ continentur, in numeros distributis, consurgunt 365. Quippe, N. valet 50, E. 5, I. 10, Λ. 30, O. 70, Σ. 200. Item, in Anthologia cap. XLIII. Epigramm. XII. false pariter & acute ostenditur, Damagoræ cujusdam nomen, eundem numerum continere, quem vox λοιμὸς, id est, *Pestis.* Nam & vocabul. ΔΑΜΑΓΟΡΑΣ & ΛΟΙΜΟΣ utrumque, sum-
4. 1. 40. 1. 3. 70. 100. 1. 100. 50. 70. 10. 40. 70. 100.
mam complectitur 420. Epigramma est tale:

Δαμαγόρην, καὶ λοιμὸν, ἰσόψηφόν τις ἀκούσας,
Ἔστησ' ἀμφοτέρων τὸν τρόπον ἐκ κανόνος.
Εἰς τὸ μέρος δ' ἧ καθείλκετ' ἀνελκυσθὲν τὸ τάλαντον.
Δαμαγόρου λοιμὸν δ' εὗρεν ἐλαφρότερον.

Id est,

Demagoram & pestem ejusdem valoris quis audiens,
Constituit utriusque mores in libra.
In latus vero trahebatur sursum tracta trutina,
Demagora vero pestem invenit leviorem.

Extant etiam talia oracula Sibyllæ Erythrææ, inter ea vero & hoc ipsum, quod de Christo edidit, lib. I. Oraculorum, magni utique faciendum:

Δὴ τότε καὶ μεγάλοιο Θεοῦ παῖς, ἀνθρώποισι
ἥξει σαρκοφόρος θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ
Τέσσαρα φωνήεντα φέρων, τὰ δ' ἄφωνα δὶ αὐτῷ
Δισσῶν ἀγγέλων. Ἀριθμὸν δ' ὅλον ἐξονομήσω.
Ὀκτὼ καὶ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις:
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτώ: ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Τοὔνομα δηλώσω. Σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον.
Ἀθανάτοιο Θεοῦ Χριστὸν παῖδ' ὑψίστοιο.

Tunc magni Dei filius carne vestitus, & mortalibus,
Qui sunt in terra similis factus veniet,
Quatuor vocales ferens
Et duas consonantes duorum Angelorum: numerum totum declarabo.
Octo unitates, & super his totidem decades, & octo centenarii,
Incredulis hominibus nomen ostendent.
Tu autem mente comprehende,
Eum esse Christum immortalis & altissimi Dei filium.

Numeri hi simul collecti faciunt octingenta octoginta octo, quem numerum complectitur vox Ἰησοῦς, in qua sunt quatuor vocales, & duo consonantes. I, decem significat. H, octo, Σ, ducenta. O, septuaginta. Y, quadraginta. Et rursus Σ, ducenta. Quæ collecta in summam, efficiunt 888. Igitur si & hic simile quid observetur, τὸ *Alpha* constituet unitatem: Τὸ ω vero 800. Unde Repertus dicit: A significat unum; ω, 800, quia Christus homo factus octingentos, id est innumerabiles sanctos & electos sibi adoptavit in fine seculorum, eosque octo (hoc est, perfectis, quia octonarius numerus est perfectionis symbolum) beatitudinibus, per diversas mansiones in cœlo dispertiendo, renumeratus. Primasius autem Commentarior. in 22. cap. Apocalyps. observat, quod eundem numerum 801. cum A & Ω, comprehendat vocabulum π ε ρ ι σ τ ε ρ α, quod Latinis sonat *Columbam:*
80. 5. 100. 10. 200. 300. 5. 100. 1.
Idque ad præsens institutum applicat his verbis: *Ipsa,* ait, *elementa Græci Alphabeti A & Ω, ejusdem numeri conficiunt summam, quam Columbæ nomine in Græco novimus comprehendi. Columba enim dicitur π ε ρ ι σ τ ε ρ α. A quo nomine octingentesimus & unus numerus subsumatur, quem etiam α & ω adimplent. In columbæ autem specie recte nobis sancti Spiritus novimus significari personam, in cujus specie descendens voluit apparere: Ut scilicet Arrianorum aliorumque Hæreticorum frustraretur insania, qui eum à Patris & Filii natura asserunt alienum, cum etiam per hujus convenientiam numeri, his quoque revelatio cœlestis consubstantialem, & coæternum Patri & Filio sanctum Spiritum manifestet.* Cujus rei quædam etiam habentur vestigia jam Seculo II. in Hæresi Colarbasii & Marci Magi, quos Tertullianus tradit, novam Hæresin ex Græcorum Alphabeto composuisse, quod negarent veritatem, sine illis literis posse inveniri: Sed totam plenitudinem & perfectionem veritatis in iis esse dispositam, ob idque Christum A & Ω esse pronunciatum, in divina Scriptura. Sic illi apud Irenæum lib. I. adv. Hæres. cap. X. & ex eo apud Epiphan. Hæresi XXXIV. *Habet in se omnem elementorum numerum, quem manifestavit, cum ipse venisset ad baptismum, columbæ descensio, quæ est A & Ω. Numerus enim ipsius unum & octoginta.* Et rursus, secundum Epiphan. ex cap. XII. Irenæi; lib. I. c. *Quapropter dicit* (Scriptura) *eum esse A & Ω ut, περιστερὰν indicet, id est, columbam, eo quod nomen illius avis numerum hunc contineat.*

VII. Atque hinc etiam factum esse videtur, ut Christiani Orientales, in primitiva Ecclesia, tempore gliscentis hæreseos Arianæ, literas A & Ω, sepulcrorum suorum monumentis atque Epitaphiis insculpi curarint, ad ostendendum se esse veros ac catholicos Christianos. Testari hoc Ambrosium Moralem, lib. XI. Histor. cap. XLI. dicit Cornel. à Lapide, Commentar. in Apocalyps. 1:8. qui tamen nondum ad manus nostras pervenit. Fuit autem is Ambrosius Morales, Corduba-Hispanus, Historicus Regius, Eloquentiæ Professor in Academia Complutensi. Scripsit Annales & Antiquitates Hispaniæ. Obiit Anno 1590. Estque ille Morales, qui ut Thuanus ait. lib. LXXXXIX. extremo, Origenis exemplo se eviravit. Circumfertur etiam nummus Magnentii, in quo una parte ipsius effigies, cum inscriptione tali: DN. MAGNENTIUS. P. F. AUG. Altera vero parte, medio habetur Litera Græcanica P, scissa per medium litera X: ab uno vero latere extat A: & ab altero ω, cum inscriptione orbiculari: SALVS. DD. NN. AVG. ET. CAES. Figura ejus expressa videri potest, apud Godeschalc. Stewech. Commentar. ad lib. II. Veget. cap. XVII. & Joh. Weizium, in Notis, ad Lib. I. Prudentii, adversus Symmachum vs. 487.

Christus purpureum gemmati textus in auro
Signabat labarum pag. 744. Just. Lips. libr. III. de Cruce, cap. XV. & XVI. ubi & Constantinopoli adhuc tale quid videri ait, in monumentis clypeorum Constantinianeorum militarium. Quo & πένταλφα, illud memorabile, Antiochi Soteris hoc est, *quintuplex Alpha* ex quinque angulis Pentagoni prosiliens, cujus apud Lucian. habetur mentio, referri potest, de quo videatur Pierius, Hieroglyph. XLVII.

VIII. Quæ causa autem sit, quare Alpha inter literas Græcas primum, Ω vero ultimum locum obtineat, vix satis liquet. Plutarchus, libr. IX. Sympos. Quæst. III. varias profert Philosophorum sententias, ut causas reddat, quare Alpha prima sit inter literas. Nimirum, dicit ibi Protogenes, primum vocales ancipites merito præferri longis ac brevibus, quod utriusque generis vim complectantur. Inter ancipites autem, recte primam haberi Alpha, quod conficiendis syllabis, jota & ypsilon sequatur Alpha, velut in ἄυρων, αἴαι: Alpha nunquam sequatur illas duas, ut eandem efficiant syllabam, sed resilit, ac proprium tuetur principatum. At Ammonius, dicit, Cadmum ob id Alpha primum inter literas assignasse, quod Phœnicum lingua *Bos* Alpha vocetur: quem non secundum aut (ut fecit Hesiodus, vs. 403. Oper. & dier.) tertium, sed primum inter res necessarias existimavit. Quibus Plutar-

Plutarchus, aliam causam addit, quam dicit se à Lampria suo avo didicisse. Primam vocem naturalem & articulatam reddi per Alpha, propterea quod spiritus, qui est in ore, potissimum formatur ac fingitur motu labiorum, quibus diductis primum hic egreditur sonus simplex, & nullius indigens negocii, ut neque linguæ requirat auxilium, sed eo, suo se loco continente, emittatur. Unde & pueri, ait, nascentes, prius hanc edunt vocem. Cui rationi, suum quoque calculum subjicit Terentius Maurus, dum in Carmine suo de Literis, ait:

A prima locum litera sic ab ore sumit.
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamque necesse est ita pendulam reduci,
Ut nisus in illa valeat subire vocis,
Nec partibus ullis aliquos ferire dentes.

Hæc si ratio valeat, Ω ideo numerum literarum claudet, quod sicut Alpha, diductis labris ex antro oris emittit, sic Ω, velut ex opposito labris compressioribus, sub ipso oris antro, sonum formet. Unde rursus Terent. Maurus:

(Ω) *Longior alto tragicum sub oris antro*
Molita, rotundis acuit sonum labellis.

Quæ, si & ipsa parum firmitatis habeant, valebit hic forte Zopyrionis Grammatici sententia, quam tandem ipse Plutarchus, citato loco subjungit, statuentis, Συντυχίᾳ h. e. *fortuito*, non λόγῳ seu *ratione* atque instituto hominum; literarum numerum & ordinem, qualis est, extitisse: sicut hoc quoque temere evenerit, quod primus Iliadis versus, totidem constet, quot primus Ulysseæ Syllabis: Id quod ipsis etiam, extremis eorum Operum versibus contigerit H. I. Quibus addi potest, quod ex simili Συντυχίᾳ, omnes XXIV. literæ Græcorum, extent in 1 Petri, cap. 3: vs. 19. & 20. Cæterum hoc verum esse, inde magis apparet, si attendatur inventio literarum. Neque enim illæ simul ac semel sunt inventæ, atque hoc ordine dispositæ, sed temporis successu. Cujus rei causa est, linguæ ac vocum variatio & diversimoda inflexio, quæ ex usu hominum constant:

Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi,

prout inquit Hor. in lib. de Arte. Quapropter etiam à nonnullis creditur Ἄλφα appellationis rationem esse sortitum ἀπὸ τοῦ ἀλφεῖν, quod *invenire* significat, ex quo ἀλφὴ, & dialecto Jonica ἄλφα, dicitur *inventio*, quod hæc literarum omnium prima sit inventa, idque ex prima humanæ vocis naturalisque soni pronunciatione observata. Proinde similiter & Ω, ultimo videtur inventa, cum ultima sit inter longas vocales, quæ ipsæ postremæ omnium sunt inventæ. Sicut his testatur Irenæus, lib. I. adv. Hæres. cap. XII. & ex eo Epiphan. Hæresi XXXIV. *Et heri & ante Græci confitentur ab æstimatione prima sedecim accepisse* (literas). *Post deinde præcedentibus temporibus semetipsos adinvenisse, aliquando quidem aspiratas, aliquando autem duplices. Novissime autem omnium Palamedem ajunt longas eis apposuisse.* Tametsi discrepantes extent Autorum sententiæ: Plinii, lib. VII. Nat. Hist. cap. LVI. Taciti, lib. XI. Annal. Isidor. Hispalens. lib. I. Orig. cap. III. Johannis Tzetzæ, Chil. V. Hist. XXVIII. & aliorum, quorum plerique Simonidi Melico tribuunt τοῦ Ω inventionem; ac postremo collocant. Sed, unde hujus rei petetur certitudo? Hoc videtur esse certum, quod Græcæ literæ, ab Hebræis fuerint ortæ, quamvis aliter persuasi fuerint ipsi Græci. Isidor. Hispal. a. l. *Literæ*, inquit, *Latinæ & Græcæ, ab Hebræis videntur exortæ. Apud illos enim prius dictum est Aleph, deinde ex simili enunciatione apud Græcos tractum est Alpha, item apud Latinos A. Translator enim ex simili sono alterius linguæ condidit, ut nosse possimus linguam Hebraicam, omnium linguarum ac literarum esse matrem.* Confirmat hoc & Suidas, in voce Ἄλφα dum ait: ὅτι ἡ τοῦ ἄλφα φωνὴ, τοῦ πρώτου στοιχείου καὶ ἄρχοντος, ἀπὸ τοῦ ἄλεφ Ἑβραίου τὴν ἐπίκλησιν ἔλαβεν. ὥστε τὰ ἱερὰ γράμματα εὑρήματα εἶναι τοῦ Ἀβραὰμ, κἂν ἄλλως καὶ ἄλλως ἑαυτοὺς διαπαίζοντες ἀναγράφωσιν Ἕλληνες. *Vox autem Alpha, quæ primi & principis elementi locum tenet, ab Hebræo Aleph appellationem accepit. Quamobrem sacræ literæ sunt Abrahami inventum, quamvis aliter atque aliter se ipsos deludentes Græci, eas sibi adscribant.*

IX. Quod scriptionem & lectionem attinet, harum vocum, in Apocalypsi: *Ego sum* τὸ A & τὸ Ω, notandum, quod τὸ A, sæpius integre habeatur in ipsa tum scriptione, tum lectione, apud Veteres, hoc modo: *Alpha.* Τὸ Ω, raro, aut nunquam cum addito μέγα occurrit; sicut apparet ex iis, quæ passim supra adducta sunt, testimoniis: Expresse vero, in isto Prudentii v. XI. Cathemerini:

Alpha & Ω cognominatur, ipse fons & Clausula.

Ubi Ω unum facit sonum, sicut O Latinum, & parvum alias Græcorum, nisi quod productiori sono efferatur. Pariter ut in nota cantione Natalitia (cujus initium est *In dulci jubilo*): *Alpha es & O.* Itemque apud Ausonium, dicentem:

Et suprema notis ascribitur Argolicis Ω.

Nimirum, epitheton illud μέγα, (*magnum*), tum demum adjectum est, postquam, litera ω posterius inventa, inter ο & ω distingui cœptum est: sicut & υ. contigit, postquam distingui inciperetur, à simplici: itemque ε, postquam distingui inciperetur ab ει, tum enim utrumque demum elementum cognominabatur ψιλὸν, id est, *tenue.* Et Veteres quidem τὸ ε, vocabant ει, sicut τὸ ο, ου, quemadmodum ostendit Homeri Interpres Græcus, Eustathius, init. in Iliad. E. verbis sequentibus: Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ ε στοιχεῖον ει ἔλεγον οἱ παλαιοὶ, προστιθέντες τὸ ι. ἵνα τῇ διὰ διφθόγγου ἐκτάσει δύνωνται περισπᾶν καὶ αὐτὸ καθὰ καὶ τὰ ἄλλα στοιχεῖα. Τοῦτο δὲ ποιοῦσι, καὶ ἐπὶ τοῦ μικροῦ ο. καὶ ἐκεῖνο γὰρ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν ου λέγουσι. Id est, *Sciendum vero, quod Veteres ε elementum ει dicebant, apponentes ι, ut diphthongi extensione illud possent producere ac circumflectere, pariter atque alia elementa. Hoc vero etiam faciunt circa ο. Nam illud ipsum quoque propter eandem causam, dicunt* ου. Nigidius idem, in eo reprehendens Græcos, apud A. Gellium, lib. XIX. Noct. Atticar. cap. XIV. *Græcos,* ait, *non tantæ inscitiæ arcesso, qui* ου *ex* ο *&* υ *scripserunt; quantæ, qui* ει *ex* ε *&* ι. *Illud enim inopia fecerunt; hoc nulla re subacti.* Quod Latini à Græcis mutuati, dixerunt: EI pro I. Ut in Triumphis Romanorum: DE. SABINEIS. VOLSCEIS. ÆQUEIS. ETRVSCEIS. TARENTINEIS. LVCANEIS. BRVTTIEIS. HERNICEIS. &c. Item in Agrariis, & Judiciariis vetustissimis tabellis: QVASEI, SIBEI, VBEI, SEINE. Rursus, pro O longiori, OV scripserunt. Utpote, quod est ap. Festum: OVFENTINA. TRIBVS. Legitur etiam, in veteri Tabula: ANIMVM. NOSTRVM. NON. INDOVCEBAMVS. Et alibi: ET. SIBI. ET. SOVEIS. Sed usu posteritatis hæc explosa sunt. Nihilominus vocales istæ quatuor ε, υ, ο, ω, nude ac simpliciter pronunciabantur, neque addebantur voces ψιλὸν, μικρὸν, μέγα, prout docet Plato, in Cratylo, f. 261. scribens: ἀλλ' ὥσπερ τῶν στοιχείων οἶσθα; ὅτι ὀνόματα λέγομεν, ἀλλ' οὐκ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα. Πλὴν τεττάρων, τοῦ ε, καὶ τοῦ υ, καὶ τοῦ ο, καὶ τοῦ ω. Τοῖς δὲ ἄλλοις φωνήεσί τε καὶ ἀφώνοις οἶσθα, ὅτι περιτιθέντες ἄλλα γράμματα, λέγομεν, ὀνόματα ποιοῦντες. *Scis enim, quod elementorum nomina dicimus, ipsa vero elementa nequaquam: quatuor duntaxat exceptis. Dicimus enim,* ε, υ, ο, ω. *Cæteris autem tam vocalibus, quam non vocalibus, alias addentes literas, eas proferimus, nomina facientes.* Idem vero & ipse Plato, in eodem Dialogo, f. 277. utrumque cum addito dicit, ο σμικρὸν (*parvum*), & ω μέγα (*magnum*). Verba ejus sunt hæc: Διαφέρειν δ' οὐδὲν, ἐάν τέ τις σωθῆται, ὥσπερ νῦν σύγκειται, ἐάν τε καὶ τοὐναντίον; Ἐπὶ μὲν ο νῦν σμικρὸν, μέγα καλεῖν, ἐπὶ δὲ ω μέγα σμικρόν; *Neque intersit, utrum quis ita, ut nunc statutum est, decernat, an contra: ut videlicet* ο, *quod nunc parvum vocatur,* ω *magnum cognominetur:* ω *vero quod modo magnum,* ο *parvum dicatur?* Sed hoc ibi distinctionis gratia, dictum esse videtur, ne docendi ratio esset immanifesta.

X. Postremo, illa omnia, quæ de Christo Salvatore nostro, ex illustratis locis Apocalypseωs sunt ostensa, magis confirmat Articulus Præpositivus, qui appositus legitur in 1. cap. vs. 11. & cap. 22: 13. Ἐγώ εἰμι τὸ α, καὶ τὸ ω, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος. quasi diceretur: *Ego sum* illud A, & illud Ω: Ille *primus* & ille *novissimus.* Item, cap. 21: 6. Ἐγώ εἰμι τὸ α, καὶ τὸ ω, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος: quasi: Illud *principium* & ille *finis.* Quod Hebræus Translator imitatus, similiter vertit: *Ego sum* Ha Aleph & Ha Thau, cum ה (*He*) Emphatico, veluti: Ille, quem indicabant ac præfigurabant Scripturæ V. T. Item, qui revera talis est, & talis etiam cognoscitur. Mira enim sæpe vis est, Articuli præpositivi apud Græcos: quippe per quem contrahi solet, vocis alicujus significatio, ad unam rem certam ac determinatam, quæ excellenter talis sit, nec communis. Sic Epiphanius, in Hæresi Samaritanorum: *Ubicunque, ait, articulus adjungitur, certa ac perspicue definita res intelligitur. Sine articulo de quolibet accipi infinite solet.* Addit insuper exemplum: *Si,* inquit, βασιλεὺς (Rex) *dixero*

dixero, nomen quidem ipsum declaro: quis ille sit, de quo loquor, aperte non significo. Regem enim tam Persarum, quam Medorum atque Elamitarum appellamus. Quod si articulo etiam adhibito ὁ βασιλεὺς (*hic* vel *ille* Rex) *dicimus, nemo, quem velimus, ignorat. Hic enim Rex eo articulo notatur, de eo quæstio vel sermo aliquis inciderit; denique qui sit cognitus, ac certo imperio denominetur. Similiter* (pergit), *cum* Θεὸς *simpliciter usurpamus, quemlibet Deum dicimus, nec minus eum, qui à Gentilibus colitur, quam qui vere Deus est. At cum* ὁ Θεὸς *dicimus, eum scilicet exprimimus, qui verus & est, & esse cognoscitur Deus. Similiter cum* ἄνθρωπος (Homo), *vel* ὁ ἄνθρωπος (ille homo) *dicitur.* Idem observavit & Cyrillus Alexandrinus, Commentario in Euangel. Johannis, cap. 4. dum ita disserit: *Cum nominibus divina Scripturæ præponit Articulos, tunc unum quiddam significat, quod solum proprie ac vere est, cujusmodi esse dicitur. Cum autem Articulum non præponit, generaliter quidvis designat.* Subdit etiam inter alia exempla, locum ex Johannis cap. 1:1. *In principio erat* ὁ λόγος, illud *Verbum*, præmisso Articulo. Sed omnium manifestissimum hujus rei exemplum potest peti, ex Epistol. 2. ad Thessalonicenses, 2:3. in quo agitur de Antichristo illo, proxime ante mundi interitum venturo: Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον. ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. i. e. *Ne quis vos seducat ullo modo. Quoniam nisi venerit discessio* (illa) *primum: & revelatus fuerit homo* (ille) *peccati, filius* (ille) *perditionis.* Quibus verbis, & notabilem Gentium defectionem à Romano Imperio, plerique inter Veteres indicari statuunt, & dicunt designari certum atque individuum subjectum, hoc est, unum de hominibus, in quo totus Satanas sit habitaturus: vel, ut B. Irenæus, libro III. adversus Hæreses, cap. VII. loqui amat, *cujus adventus* erit, *secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis & portentis mendacii.* Consimiliter autem & Beda, in 2. Thess. 2. *Præsentia ejus,* (Antichristi,) *erit secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacii, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt. Tunc enim solvetur Satanas, & per illum Antichristus in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur.* H. I. Sic & versiculo 4: 2. ad Thessalonicenses, cap. 2. diligentissime distinguitur vocabulum Θεὸς sine Articulo & cum Articulo; ita, ut priori modo acceptum, sit commune: Posteriori vero significatu, scilicet cum Articulo præpositivo, proprium soli Deo vero. Apostoli verba sunt hæc ipsa, quibus adhuc illum Antichristum describit: ὁ ἀντικείμενος, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ Θεός. *Qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: Ita ut in templo* (illius veri) *Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Quibus simile quid observarunt etiam Philosophi, & inter eos præprimis Aristoteles, in lib. Prior. c. XL: (vel secund. alios XXXVII), distinguendum docens inter terminos cum Articulo, & sine Articulo: Ἐπεὶ δὲ, ait, οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν, ἀγαθὸν, καὶ τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν. οὐχ ὁμοίως θετέων τοὺς ὅρους. ἀλλ' εἰ μὲν ἐστὶν ὁ συλλογισμὸς, ὅτι ἡδονὴ τὸ ἀγαθὸν, ὅρον θετέον τὸ ἀγαθόν. εἰ δ' ὅτι ἀγαθὸν, ἀγαθόν. οὕτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Quia vero non idem est, voluptatem esse* ἀγαθὸν, i. e. *bonum &, voluptatem esse* τὸ ἀγαθὸν, i. e. *ipsum bonum: non similiter poni termini debent. Verum si syllogismo probetur, voluptatem esse* τὸ ἀγαθὸν, *terminus constituendus est* τὸ ἀγαθὸν: *sin probetur esse* ἀγαθὸν, terminus constitui debet, ἀγαθόν. *Sic & in aliis.* Quæ verba suis hisce illustravit Alexander Aphrodis. in Commentario: ὁ μὲν ἀγαθὸν ἡδονὴν λέγων ἁπλῶς αὐτῆς κατηγορεῖ τὸ ἀγαθόν. Ὁ δὲ τὸ ἀγαθὸν λέγων, αὐτὴν τὴν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ὑπεροχὴν αὐτῆς κατηγορεῖ. Id est, *Qui voluptatem* (ἀγαθὸν,) *bonum dicit, simpliciter de ea bonum affirmat: at qui ipsum bonum* (τὸ ἀγαθὸν, cum Articulo præpositivo) *dicit, id quod excellit inter omnia prædicat.* Propter ἔμφασιν nimirum Articuli præpositivi. Sic in Ethicis, τὸ ἀγαθὸν denotat, ipsum summum ac perfectissimum bonum. Et lib. I. Posteriorum, cap. XIII. §. 7. τὸ αἴτιον, significat *causam* non quamvis, sed *primam, propriam* & (ut vocant) *adæquatam.* Cæterum hoc non semper observari, ut articulus præpositivus adhibeatur, ad declarandam ἔμφασιν, qua non raro pollet, vel ex multis Scripturæ Sacræ locis posset ostendi. Similiter autem, & ipsum *He* Hebræorum, non raro luxuriat. Verbi gratia: Matthæi cap. 4: 4. dicitur sine articulo: οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ: *Non de pane solo*, vivet homo. Cum tamen Deuter. 8: 3. idem locus sic extet, ut habeatur in eo *Halechem.* Et cap. 10. ad Rom. vs. 5. per ἄνθρωπον, sine Articulo redditur, quod Levitic. 18: vers. 5. legitur cum *He, Ha Adam, homo: Qui fecerit ea* (*Ha Adam*) *homo, vivet in illis.*

TANTUM.

Ἐπίμετρον.

Vox κάμηλος, Matth. 19: 24. Marc. 10: 25. Lucæ 18: 25. *Camelum* animal denotat, non funem nauticum crassiorem, quo nautæ ad suspendendas ac projiciendas anchoras utuntur.



M. JOH.

M. JOH. BALTH. BEYSCHLAG

DISSERTATIO

De Sigillo Dei-hominis ad Apoc. I: 8. & 11.

A. καὶ Ω.

PRODROMUS.



LOnga seculorum serie traductum ab *Ægyptiis* ad *Celtas*, *Græcos*, *Arabes*, *Latinos*, & *Germanos* est sigillum *Trismegisti*, quod *Hermeticum* Philosophorum filii vocare solent. Sive $\overset{H}{\underset{R}{\text{MES}}}$ ipsemet excogitaverit, quocunque capiendum sensu; sive hieroglyphicum quid potius sigillo illo indicetur? Parum nostra refert, quale vel *Hermetis* fuerit, vel *Salomonis* Regis etiam nobilitatum adeo sigillum? Numinis requirimus sigillum, Dei-Hominis potissimum. Sigillum DEUS ipse sibi vindicat; Apocal. 7:2. & Angelo ab Oriente ascendenti Sole. Solus de tribu *Juda Leo*, & *Davidis Radix* dignitate ista gaudet, sigillis VII. consignatum aperire librum ἀγιόγραφον καὶ ὀπισθόγραφον; Apocal. 5:5.8. *Sigillator* ipse DEUS Pater dicitur Johann. 6:27. & Christus 2. Corinth. 1:22. conf. Eph. 1:13. & Spiritus S. Ephes. 1:13. conf. 2. Timoth. 2:19. (& Apostolus *Paulus* Roman. 15:28.) Credentes etiam habentur pro sigillo. 1 Corinth. 9:2. De Tyriorum Rege memorabilis apud *Ezech.* locus est 28. cap. vs. 28. seq. quem sic reddidit *Lutherus* noster: Du bist ein reinlich Sigel / voller Weißheit und aus der massen schöne. Du bist im Lust-Garten (Paradiß) GOttes / und mit allerley Edelsteinen geschmücket / nemlich mit Sarden / Topaser / Demanten / Türckis / Onychen / Jaspis / Sapphir / Amethist / Smaragden und Gold ꝛc. O quanto rectius hæc prædicantur de sigillo JESU! qui conatibus his nostris adsit!

CAPUT I.

De Sigillo Divino, in Genere.

§. I.

VOx etiam sigilli diligens scrutinium meretur. Sigillum scilicet diminutivum oritur à signo: signum vel à seco; sicuti à tego tignum, lego lignum, rego regnum; vel à Græco στιγμὴ, τ ablato per aphæresin, mutato μ in ν. Ut igitur tigillum est à tigno, pistillum à pisto; sic sigillum pariter à signo. Signum ipsum equidem significare plura solet; inprimis symbolon aut characterem; sed & epistolicam σφραγῖδα denotat. Hinc *Ciceroni*, *Senecæ*, & aliis tabularum passim usitata signa. Signa insuper pro tesseris ponuntur militaribus. (das Wort / Parol /) Plerumque uno alteroque verbo signum dabant Cæsares: hinc *Virtus*, *Palma*, *Jupiter*, *Victoria*, *Triumphus*, *Venus*, *Mars*, *Cupido*, *Mater optima*. *Tib. Claudius*, (*Suetonio* in ejus vita referente cap. 42.) integrum *Homeri* versum Tribuno dederat excubitori. In Digestorum aliquam multis locis signa & signacula, nec non sigilla, sæpe pro iisdem adhibentur. Nota denique sigilla sunt & sigillaria deorum; testimonio *Arnobii* adversi. gent. lib. 6. Germanice ein Sigel / Secret, Signet, Zeichen; à secando i. e. separando. Unde Gothica vox *Teke*. Erit itaque *sigillum nota, charactere certo gaudens, personæ, rei, actioni ad faciendam fidem, solita imponi.*

§. II. In sigillo hæc potissimum consideranda: (1) *figura seu imago*; individualem inferens respectum; jam impressa nummis, literis, subscriptionibus contractuum &c. (2) *nomen*, jam explicitum per siglas, (ut vocantur à *Justiniano*,) jam indigitatum ductibus implicite: (3) *hieroglyphicum*, ad sensum pertinens interiorem: (4) *harmonia & convenientia* inter signum, seu sigillum, ac signatum. Mutuus nimirum intercedere respectus debet inter hæc extrema duo.

§. III. Sigillorum alia (1) *Divina*, alia *humana*; (2) *Naturalia*, aliaque *artificialia*. De humanis & posterioribus non agimus ex instituto nunc; exposuit illa erudite *Dn. D. Sam. Reyherus*, Kiloniensium Decus, in *Mathesi Mosaica* Tit. XVI. p. 349. Divina vel à Numine indigitata ipso sunt, vel ab Ecclesiasticis Dd. imposita divinis rebus aut personis; vel ab artificibus ingeniosioribus repræsentata. Ad priorem ordinem referimus sigillum (1) Nominis Tetragrammati יהוה in excellentiori significatu ita dicti; quod ipsam æternam ac immutabilem DEI essentiam, juxta radicem הוה vel היה exprimit, ejusdemque duraturam semper perpetuitatem manifeste arguit; quemadmodum summus ipse Jehova Mosi de nomine divino quærenti, respondendo hanc significandi rationem confirmavit. *Exod.* 3:14. אהיה אשר אהיה. Et mira profecto inter nomen hoc essentiamque divinam harmonia. Ut illa enim immutabilis est & una tantum, sic ipsum hoc nomen ei proprium, mutationis omnis expers. Licet enim literarum ordinem vel duodecies transponas, nullam significationis variationem, sed unam potius perpetuamque divinæ essentiæ expressionem deprehendes. *Vid. Stephan. Rittangelius in Tract. de solennit. & Precat. Judæorum.* Legi Tetragrammaton non posse, aut pronuntiari, Judæi pertinaciter asserunt; quorum superstitionem Mahummedana superat vanitas, dum chartam etiam, cui nomen DEI sui est inscriptum, affectu pietatis tractandam esse asserunt; quemadmodum *Busbequius* describit *in Epistolis*, Patrum Græcorum, inprimis *Clementis Alexandr. Theodoreti*, *Eusebii* &c. quibus ἀνεκφώνητον, ἀλάλητον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ineffabile & non investigabile audit, pius quidem non culpari zelus debet, ne profanetur sanctissimum hoc nomen; quanquam *B. Glassius* ex *Hieronymo* ignorantiam Hebrææ linguæ in Patribus nonnullis satis magnam accuset; qua adacti olim legerint scripserintque nomen יהוה, *Pipi*; rationem allegatam videas in *Oratione Glassii de Linguæ Hebr. necessitate & util. lib. II. Phil. sacr. adjecta p. m. 365. 366.* Plura de hoc hic afferre opus non est: hauriri ea possunt ex *B. Franzii Tract. de Interpr. script. p. 622. &c. & 640. 657. ex Sixtin. Amamæ, D. Wasmuthi* Diss. de Jehova. Ea vero, quæ Mathematice explicari debent, annotavit *Dn. D. Reyherus l. 6. tit. XIII.* Commemorandum maxime sigillum est, quod DEUS frontali Sacerdotis imprimi jussit, eratque קדש ליהוה Sanctitas Domini Exod. 28:36. 39:30. (2) Alphabethi Hebræorum primam ultimamque literam א & ת. Illa non modo fundatur in Græcorum α *Apoc. 1. & 22.* de quo in sequenti capite; sed etiam in Hebræorum voce אורים, sicut ת in nomine plur. תמים. Sigillum hoc in Veteri fœdere summi sacerdotis affixum pectori divino mandato fuit, *Exod. cap.* 28:30. Incipit à litera א illa vox, à ת hæc; lucem אור significat & in multitudinis numero lumina atque splendorem, quem duodecim gemmæ Apostolorum fortasse in N. T. typi, sacerdotis insertæ pectorali emittebant, ad præfigurandam, citra dubium, veram essentialemque (*JESUM Christum*) & in-

inaccessam, in qua DEUS habitat, Lucem. *Joh.* 1: *vers.* 9. 1 *Timoth.* 6: *vers.* 16. Quod perfectiones notat & integritates, vocabulum תמים memorabile etiam est, & internam modisque omnibus absolutam dicit perfectionem; quod prædicatum Christo quoque *Paulus* tribuit *Coloss.* 2: *vers.* 2. 3. Huc inprimis pertinet insignis locus *Ezechiel.* 9: *vers.* 4. *signa* ת *super frontes virorum gementium.* De quo quid judicetur in communi, *Alexander Morus* docuit *in Axiom. Theol.* ax. 34. Ubi non tantum consummationis signum ת sed Crucis pariter apud *Ægyptios & Græcos*, ex *Tertulliano* atque *Hieronymo* ostenditur. De litera T. quid olim hæc significarit, *Casaubonus contra Baron. Exerc.* 16. *sect.* 78. *docet.* Quantumvis pro communi nomine *Alexander* positum existimet. Ut non sit, cur præcise ת vel T. intelligi oporteat *Matth.* 24: *vers.* 30. dum signum filii hominis appariturum aliquando prædicatur: Illi quoque, qui de signo crucis explicant, sine ratione *Bezæ* videantur loqui, in *Annot. ad* h. l. (3) *Ebræorum & Græcorum* voculam Ἀμὴν; quæ *Christo* DEO homini καθ' ἐξοχὴν ἀντονομαστικῶς tribuitur Apoc. 3: vers. 14. Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ. In CHRISTO JESU enim promissiones DEI Amen sunt & ita. 2 Corinth. 1: vers. 10. *Vid. Erasm. Schmidius in Apoc. cap.* 1: 18. *pag.* 1421. & *Dn. D. Spener* in Concion. Pœnit. P. I. Conc. 1. pag. 7.

Ab Ecclesiasticis etiam Doctoribus sigilla DEI, Christi maxime, varia excogitata sunt, de quibus infra commodior dabitur dicendi locus.

Ab ingeniosis artificibus, mechanica & optica subtilitate, in Theatro artificialium Phænomenorum Saxon. Dresdensi, duæ prostant Tabulæ; in quarum una nomen JESU informibus configuratum characteribus; in altera Saxoniæ Electoris Serenissimi *Joh. Georg.* II. per tubulorum colliguntur atque cognoscuntur artificia. Taceo ingeniosos ductus, quibus peracutus artifex, *Elias Noscius* divina & humana adornavit nomina, à D. Reyhero adducta cit. loc.

CAPUT II.

De Sigillo Dei Hominis, in Specie.

§. I.

IN limine laboris hujus allegandus locus, qui huic fundamentum meditationi ponit, cui sequentia eo facilius superstruentur. Non uno tantummodo in capite habetur atque commate, sed quatuor potissimum in locis offenditur apud Apocalypticum *Johannem*; ita tamen, quod emphasi minime caret, ut semper vel articulus adjectus, vel plenior adscripta priorum explicatio verborum, legentium oculis objiciatur. Et capite quidem primo. vers. 8.

Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ κύριος, ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. Juxta *Erasmum.*

Ego sum α & ω. principium & finis, dicit Dominus; qui est, qui erat, & qui venturus est, Omnipotens. Et hæc repetita deprehenduntur *cap. eod. vers.* 11. ubi illa adjecta videas. Πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, *primus & ultimus. Capite vero* 21: *vers.* 6. præpositivus conspicitur articulus ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος, ad certum quid definiendum individualemque inferendum respectum. Omnium clarissime denique & conjunctis verbis de se pronuntiat Λόγος æternus. *Apocal.* 22: *vers.* 13. Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος, καὶ ἔσχατος.

§. II. Diffiteri equidem haud possumus, *cap.* 1. *Apoc. vs.* 11. citata in omnibus Codicibus nequaquam legi: *Arethas Cæsariensis*, Interpres ex Patribus Apocalypticus, non habet, neque etiam *Complutensis* editio, *Ariæmontani*, aliique vetusti legunt Codices; multo minus apud *Syrum Paraphrasten* repetuntur hoc numero voces: Ego sum Α & Ω secundum originalem linguam, nec in *Æthiopica translatione* deprehenduntur. Inde factum etiam, quod ab interprete vetusto quoque in Latinum translata non fuerint sermonem eadem; observante *T. Beza* in *Annotat. ad h. l. pag.* 452. *edit. Par. f.* Ast omnes reliqui Codices *Cæsariensis*, *Tigurinus*, *Argentoratensis* 1524. *Bezæus*, *Wolderianus*, *Lugdunensis*, *Parisiensis*, aliaque probata legunt exemplaria, quod docet *Joh. Cluverus in Comment. ad Apocal.* Ipseque *Beza* calculum suum, de repetitione sigilli hujus authentica, adjicit. *Mihi tamen ista repetitio*, inquiens, *videtur Johannis stylo convenire*; quam repetendi consuetudinem amasse gratiosum illum Apostolum ex versu quoque 4. & 8. *hujus cap.* integro Evangelio ejusdem, Epistolisque Catholicis satis perspicitur. A vero igitur alienum vix creditur, temere hæc vocabula ab aliquo vel hæretico, ad obscurandam Christi divinitatem, expuncta; vel alio audaculo, cui visa est supervacua repetitio, ut *Prücknerus* ait. Versus, qui allegatus est ex *cap.* 22. tertius & decimus, propter subjectum loquens, mutandus videbatur *Bezæ*, ne Angelo, in antecedentibus *Johannem* adorationis cultum præstare sibi contendentem, corrigenti, inque viam reducenti rectam, quasi in mittentis Christi persona proferret hæc, adscribat; sed depravatum hunc ab Arriano, divinitatis Christi hoste (quod & ex *Cluvero* tuetur *Matth. Polus Synops. Critic. & al. Comment. in Apoc. h. l. Vol. IV. post. part. pag.* 1683.) eo asserat felicius. Conjecturæ tamen instar hæc proponit, Ecclesiæque judicium de eadem re committit *l. c. pag.* 487. ubi ordinem insuper commatum à 12. ad 17. usque adducit.

§. III. De scriptione sigilli hujus soliciti, inprimis observatu dignum esse censemus, differre eam in nonnullis Codicibus. Manuscriptum citat *Polus*, qui ita legit: Α καὶ τὸ Ω. Neque id male crediderim positum: siquidem Alpha eo sensu totum pronuntiari solebat, Ω autem sic pronuntiabatur ut O simplex: distinctione tamen ratione figuræ, pronuntiationis, valoris item, & quantitatis observata. Α etiam integre sæpius ponitur, & legitur, Alpha; Τὸ vero Ω nunquam additum habet μέγα, quod *locis Scripturæ S. cit. Patrum* testimoniis & *Prudentii versu in IX. Cathemerini* confirmatur.

Alpha & Ω cognominatur, ipse fons & clausula.

Ausonius quoque citatus ab *Anglo* idem docet.

Et suprema notis ascribitur Argolicis Ω.

De cautione natalitia, *In dulci jubilo*, hoc ipsum probante *Alpha es & ω*, nihil addo, vel de alio quodam communi hymno. Nec definiam in præsens, quo assertio hæc & loquendi consuetudo nitatur fundamento? Utrum origo literarum Græcarum atque inventio singularum non uno prodita tempore, nec uni tantum Autori vindicata sententiam hanc reddat firmiorem? Si fides *Herodoto*, *Plinio*, *Tacito*, *Lucano*, *Plutarcho*, *Melæ*, *Curtio*, recentioribus item *Polyd. Virgilio*, *B. Andr. Sennerto*, *Ursino* aliisque probati nominis Scriptoribus, (ut omnino debet,) habenda, certum est, inter sedecim literas à *Cadmo Phœnice* illatas in Græciam O quoque fuisse; ω demum à *Simonide* juxta cum aliis tribus additum recentiorem esse literam; majusculas etiam, quibus expressum quoque nostrum sigillum, antiquioribus in usu fuisse; minusculas vero subsequentibus demum adhibitas temporibus.

§. IV. Res omnis eo redit, ut dicamus, epitheton illud magnum additum tum esse, postquam inter duplex O, ω posterius inventa litera, facta fuit distinctio; υ etiam ut ab ι, ε ut discerneretur ab αι dictum tum tenue ψιλόν. *Eustathius*, optimus *Homeri* Scholiastes, sub initium *Iliados E.* disertis id verbis asserit, cum quo conf. *Gellius Noct. Att. Lib. XIX. c.* 14. Philosophorum autem Alpha in *Cratylo*, nostram de nuda quatuor vocalium pronuntiatione, illorum neglectis epithetis, roborare ulterius videtur: Verba ejus sunt sequentia: ἀλλ' ὥσπερ τῶν στοιχείων οἶσθα, ὅτι ὀνόματα λέγομεν ἀλλ' οὐκ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα. Πλὴν τεττάρων, τοῦ ε, καὶ τοῦ υ, καὶ τοῦ ο, καὶ τοῦ ω. Τοῖς δ' ἄλλοις φωνήεσί τε καὶ ἀφώνοις οἶσθα, ὅτι προστιθέντες ἄλλα γράμματα, λέγομεν ὀνόματα ποιοῦντες. *Scis enim, quod elementorum nomina dicimus, ipsa vero elementa nequaquam: quatuor duntaxat exceptis. Dicimus enim* ε. υ. ο. ω. *Cæteris autem tam vocalibus, quam non vocalibus, alias addentes literas, eas proferimus, nomina facientes.* Licet idem in subsequentibus, distinctionis causa & doctrinæ, utrumque dicat. Profundiora de hoc argumento qui desiderat, Excellentissimum adeat KIRCMAIERUM, Academiæ Seniorem Venerandum, Promotorem nostrum, Hospitem, imo Parentem, filiali prosequendum semper pietate, in *dissertatione de Origine Lit. Græc.* olim *conscripta. Cluverum* quoque, *Augustini* sententiam pro se allegantem *in Epit. Hist. Tot. Mundi pag.* 16. & *Historiam Græcæ Linguæ* ab *Elingio* editam nuper *Lipsiæ*, qui tamen Scriptor *Runicis* Gothorum literis & characteribus Græcarum speciose vendicat originem.

§. V. Sigillum atque characterem Servatoris JESU, Dei-Hominis omnino nominamus Alpha & Omega: cum non solum diversis hoc ipsum locis profiteatur sed &, quia quam optime eidem convenit, qui ἀρχὴ καὶ τέλος, principium & finis creaturarum omnium est, fuit, erit,

Ut

Ut α enim prima, sic ω Græcarum literarum ultima; quod in nulla alia observari lingua solet; cum omnes quidem ad Hebrææ matris imitationem A initialem habeant literam, *B. Schmidio* non refragante *in doctissimis ad N. T. notis*; nullum tamen prorsus ω ultimam salutet, quam Atticum idioma literam. De Hebræo charactere res salva; in quo τὸ Aleph א πρωτοκαθεδρίαν habet primamque dicit literam principium notantem; postremum vero locum occupat ת finem significans. Hinc in proverbium abiit apud Eberi posteros eorumque Magistros: מאלף ועד תו *Ab Aleph ad Tau*, à principio ad finem usque; quod in *Rabbinorum* libris sæpius occurrit *apud R. Jonam in Corban Thamid Juge sacrificium*; in *Jalcuth ad 2 Sam.* quem citat laudatus supra *Polus in h. l.* conf. & *Buxtorf.* de Abbreviatur. Hebræor. p. 12. de lit. א. Contractam adagii scriptionem & picturam א' ת' juxta cum auctoribus *Drusio*, *Crotio*, *Capello* affert *Dn. Pfeifferus Regiomont. Prof. Celeb. in Dissert. Philol.*

§. VI. Quare vero Alpha prima deinceps reliquarum literarum constituta? An ἄλφω, quod inveniendi significationem assumit, originem pariter ei dedit ac dignitatem, quasi primum inventa fuerit illa? Non videtur equidem hoc cum veritate regulisque Grammaticis consentire, sed nugari illos, qui ad verbum hoc natales suos referre principalem ajunt literam, fatetur *E. Schmidius cit. l.* qui originem juxta ac ordinem & nomen Græcarum quodammodo ex Hebraicis derivat literis; ut Alpha ab Aleph, Delta à Daleth, Lambda à Lamed &c. denominationem sortita sint, procul dubio Isidori Hispalensis. Lib. I. Orig. cap. 3. & Suidæ in voce Ἄλφα adstipulatus sententiæ, quæ Hebræis Argolicorum elementorum adjudicat originem: Inprimis *B. D. Dieterici* nobis arrident verba, quæ sub initium Antiquit. N. Testam. extant. Aleph Ebræis quasi Princeps dicitur, quod primarium locum obtinet, unde & Græci suum Alpha mutuati sunt, nam א adjectum τῷ אָלֶף ut fiat אַלְפָּא producit ἄλφα, uti ex בֵּיתָא βῆτα. Græca lingua suam sæpe originem refert ad Ebræam, & literarum nominibus atque formis, & dictionibus multis, & loquendi etiam formulis non paucis. Litera A & α suo modo א exprimit non tam ductu, quam denominatione, Alpha enim & Aleph leviuscula transpositione vix senseris differre sono. Solent quidem Græci dictiones sibi etiam ab exteris traditas, quasi domi natas exponere; quod interdum faciunt ex industria, interdum ex inscitia; sed ab Ebræorum inventis, quum τὸ Alpha originem habeat, Græci nihilominus, ne exteris cessisse videantur in onomasia, in suo fundo positum fuisse decernunt, seque ὀνοματοθέτας faciunt: sic enim Auctor Etymologici Græci: Ἄλφα, τὸ στοιχεῖον παρὰ τὸ ἄλφω, τὸ εὑρίσκω πρῶτον γὰρ τῶν ἄλλων στοιχείων εὑρέθη. Hæc *Dietericus.* Causas vero & rationes, propter quas Alpha primum obtinuerit locum, evolvit *Chæronensis Scriptor in Synops. Quæst. Lib. IX. pag.* 3. Græcum igitur ad Alphabetum Doctor Apocalypticus locutionem hanc aptavit Hebræis usitatam; cumque Græco ipse idiomate scriberet, hoc exaravit modo. Ego sum α & ω. Alioquin ad genium sanctæ literaturæ dicendum *Johanni* fuisset: Ego sum Aleph & Thau; qua etiam ratione *Syrus* reddidit Paraphrastes Olaph & Thau, & *Arabica* expressit versio Aleph & Te. Nonnulli etiam per σχηματισμὸν in sacris fundatum concludunt literis, Omnipotentissimum θεάνθρωπον ad Johannem, à *Domitiano* in Pathmum Ægei maris insulam relegatum, Ebræa è cœlo verba fecisse, atque eodem, quo Hebræi pronuntiasse modo. Certum siquidem est, Christum, postquam gloriose ascendit in cœlum, ἑβραΐδι διαλέκτῳ Paulum allocutum esse, atque ad Apostoli vocasse obeunda munia, teste ipso Gentium Doctore Actor. 26: vers. 14.

§. VII. Hæc στοιχεῖα divina α & ω, æternitatis Christi sunt σημεῖα, & per metonymiam primum notant atque ultimum, πρῶτον καὶ τὸ ἔσχατον; non temporali initio & fine ita dictum, sed æternitatis sigillo, quæ ante omne initium fuit, & post omnem rerum finem manebit, munitum. Sancti Patres Græci æque ac Latini, quibus hoc ἄλφα ἱερογλυφικῶν ἁπάντων Hieroglyphicum semper sanctum fuit & venerabile, de æternitate Christi explicant id ipsum & interpretantur. Prodeat ex Græcis *Arethas Cæsariensis*, *qui in locum Apocalypticum* sequentia scribit: ἐγώ εἰμι τὸ Ἄλφα καὶ τὸ ω. Ἄλφα διὰ τὸ ἀρχὴν εἶναι, ὅτι καὶ τὸ Ἄλφα ἀρχὴ τῶν ἐν γράμματι στοιχείων, ω διὰ τὸ τέλος τῶν αὐτῶν. Ἀρχὴν δὲ καὶ τέλος τίς οὐκ ἂν ἐννοιήσοι τὸ πρῶτος σημαίνεσθαι καὶ τὸ ἔσχατος; διὰ τοῦ πρῶτος δὲ, τὸ ἄναρχος εὐνοεῖται, ὡς καὶ διὰ τοῦ ἐσχάτου τὸ ἀτελεύτητος. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἔστι παρὰ ἀνθρώποις ἄναρχόν τι καὶ ἀτελεύτητον, τῇ παρ' ἡμῖν, ἀρχῇ τε καὶ τῷ τέλει ἀντὶ τοῦ ἄναρχος καὶ ἀτελεύτητος κατεχρήσατο. Quæ laudatus ante *Dietericus* eleganter illustrat, quod hoc explanationis sensu Christum hic consideret, de se loquentem, ut DEUM æternum; qui omni rerum principio sit anterior, & qui sit omni fine posterior; ut sit, secundum *Aretham*, esse ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον, principio carere, atque fine. *Primasius*, Latinus Ecclesiæ Doctor, qui à quibusdam *Augustini* discipulus, & circa annum 440. floruisse creditur, à *Bellarmino* vero ad seculi IV. annum circiter quinquagesimum refertur, paria cum *Aretha in caput* 21. *Apocal.* docet. *Ego sum α & ω sicut in initio libri hoc esse testatus est, in hoc tertio oportuit repeti, ut neque ante eum* DEUS, (*sicut Esaias dicit*) *neque post eum alius credatur.* Ab hisce lucem mutuantur, quæ, post *Bedam* (qui sub *Leone Isauro seculo VIII.* decessit adulto, & triginta sex edidit volumina, si fide *Engelhusii in Chronico*, elegantem de nomine ejus venerabili recensentis fabulam, standum esset *pag. m.* 146.) *Beza* loco sæpius jam citato tradit; miratus; quod licet hoc dicendi genus ab Alphabetico Græco desumptum Latine explicari nequeat; significatio tamen ejus potuerit à quoquam ignorari; dum ipse explicet *Johannes Esaiæ* vestigia secutus cap. 41: vers. 4. cap. 43: vers. 10. &c. ubi DEUS de se: *Ego sum primus & novissimus ante me & post me non est* DEUS. Christus igitur hic loquitur, ut æternus DEUS, ac si diceret: Ego is sum, ante quem nihil est; imo per quem factum est, quicquid factum est; quique, ut omnia intereant, superstes illis omnibus maneam. Sicut Alpha se vocat, quod omnium rerum principio sit antiquior; ita accipiemus omega, pro eo, qui sit omni fine posterior; ut vere sua illi constet æternitas. *Suffragantur B. Schmidius*, *Matth. Polus*, juxta cum aliis, qui ad h. l. sunt commentati.

§. VIII. Si singulas Patrum Ecclesiæ super sigillo DEI-Hominis ἐμφατικωτάτῳ meditationes exponere, conciliareque propositum nobis atque constitutum, difficile haud esset, *Clementem Alexandrinum*, per modum circuli α & ω de Christo explicantem, in quo attributa sapientiæ, bonitatis, veritatis & reliqua tanquam in quodam circulo ἀδιαστάτως καὶ ἀδιασπάστως coëant, *Strom. IV.* adducere. Alpha enim qui tenet & ω. intermedias quoque, & quæ sunt in toto Alphabeto, literas comprehendit tanquam in circulo. Hinc *Hermes*, cujus in prodromo jam facta mentio, DEUM circulum esse enuntiavit, habito ad perfectissimam πλείωσιν respectu, cujus *centrum sit ubique*, *peripheria nusquam.* Allegaremus *Tertullianum*, qui ad θεάνθρωπον omnia instaurantem per se, restaurantem in se, ad initia primumque reformantem statum retulit, de *Monogam. cap.* 5. cui pollicem, ut ajunt, premit *Hieronymus* à *Theodorico*, ἐν ἁγίοις citatus. In medium sisteremus eos, qui has notulas α & ω ad Omnipotentiam Christi exprimendam adscriptas persuasum sibi habent; quos inter *Idacius Clarus*, seculi V. Scriptor *lib. IV. adversus Varimadum Arianum*: *Primasius* insuper in *Comment. Apocal.* robur hi sententiæ suæ desumunt à voce connexa παντοκράτωρ. Alios etiam proponeremus, qui ad Scripturam S. hæc sigilla divina applicarunt, quasi Filius DEI contemptas vulgo tantum dignatus literas voluerit innuere, se, & Auctorem & Finem totius Scripturæ Sacræ esse, & hanc tot tantaque imo innumera de se edere testimonia, à se eam incipere & in se desinere; nec quenquam absque eadem, Servatoris sui cognitionem posse adipisci, indicare simul etiam Λόγον substantialem ἐνυπόστατον, quod agnitio illa salutaris ex nulla lingua verius elici possit, & felicius ad eam perveniri quam per eam, quæ α & ω agnoscit primam literam & ultimam, videlicet Græca, qua Novum à Viris ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος φερομένοις exaratum fœdus est. Sed cum hanc sibi operam jam alii datam esse putarint, in colligendisque Doctorum testimoniis strenui fuerint, nobis non licebit esse tam prolixis. Vix temperare tamen possumus, quin sententiosa *Ruperti*, Abbatis Muitiensis verba in Apoc. Lib. I. cap. 1. adscribamus. Duæ literæ Græcorum, quibus & cujus linguæ Ecclesiis hunc librum scripsit; duæ inquam, literæ illius linguæ summa & ultima istæ sunt. Ut ergo dubium non sit, quale, vel cujus rei principium sit, vel finis: per Alpha commoniti, quæ prima est, ad Sacræ Scripturæ exordium respiciamus, ubi scriptum est: In principio creavit DEUS cœlum & terram. Et per Omega, quæ ultima est, item commoniti, ad finem ejusdem Scripturæ in Evangelico Volumine respiciamus, ubi scriptum est: Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, ut veraciter credamus, & confiteamur, hunc esse principium, in quo omnia facta sunt: & finem, sive consummationem, qua omnia restaurata & perfecta sunt. Quæ

Prudentius quoque in 9. de Christo hymno Cathemer. confirmat:

> *Alpha & Ω cognominatur, ipse fons, & clausula*
> *Omnium quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.*

§. IX. A & Ω cum velut complementum sint totius Alphabeti Græci, & summam rei signent, Christum nobis, tanquam proram indicant & puppim, salutis nostræ auctorem & consummatorem, ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς πίστεως Hebr. 12:2. proponunt. Fallor? an Alpha januam ad cæteras pandens à discendo nomen sortitum, Omega vero clausula & finis Jesu Christo quoque, qui janua dicitur, & finis legis, applicari queant? Constat porro inter omnes, literas numerorum vices apud gentes non paucas sustinere; Hebræis id commune esse, atque aliis, qui horum matrem salutant linguam, nemo eat facile inficias. Nec à veritate prorsus alienum esse crediderim, Græcos modum per literas numerandi & supputandi, ab iisdem, à quibus plerosque accepere characteres, didicisse; rationem addo, quod Græci Hebræos & in eo imitati fuerint, ut Jod denarium inserto ς, diceret numerum æque, ac apud Hebræos: *Isidorus* certe *Hispalensis Episcopus* sec. celebris septimo, expressis testatur verbis, Græcos numerum ineuntes facere id per literas: ita enim *Orig. I. cap. 3.* docet: *Omnes literæ apud Græcos & verba componunt & numeros faciunt. Nam Alpha literale apud eos vocatur in numeris unum, ubi autem scribitur Beta, vocantur duo &c. Et sic omnes literæ apud eos numeros habent.* Poëtarum Pater Princepsque *Homerus* Iliados pariter & Odysseæ libros per literas distinxit Alphabeticas, ut alia in præsens taceam. Quemadmodum igitur α ad ω devolvitur & inde rursus ω ad α replicatur. Pari modo Christus dicitur continere initii ad finem decursum, & hujus recursum ad illud. Ne sine auctoritate scripsisse hæc videar, regredior ad *Isidorum*: *summam & ultimam vendicat sibi Christus. Ipse enim principium & finis dicens: Ego sum α & ω. Concurrentibus enim in se invicem, α ad ω usque devolvitur, & ω rursus ad α replicatur, ut ostenderet in se Dominus, & initii decursum ad finem, & finis recursum ad initium. Lib. I. cap. 3.* Paria ex *Tertulliano* & *Hieronymo* laudatus recenset *Dn. Pfeifferus diss.* cit. ubi *Primasium* refert etiam, qui observavit vocabulum columbæ, (quæ Græce περιστερὰ audit) eundem, quem sigillum Christi, numerum referre, videlicet 801, applicatione ad Spiritum Sanctum specie columbæ descendentem facta; qui per convenientiam numeri quoque Patri Filioque consubstantialis sit, & essentiæ ejusdem cum utroque.

§. X. Cæterum improbamus merito abusum *Marci Magi*, & *Colorbasi*, qui, ex ordine literarum Alphabeti, lusu quodam anagrammatico, inepta multa extruxerunt & periculosa dogmata, exemplo Christi hoc ad vanitatis suæ præsidium impudenter abusi; negarunt etiam veritatem sine illis inveniri posse literis, de quibus agit *Tertullianus de Præscript. cap. 50. Irenæus lib. I. adv. Hæres. cap. 10. & ex eo Epiphanius Hær. XXIV. Dn. D. Dietericus* maxime invehitur in μεταμόρφωσιν hanc Alphabeticam & νόημα hæreseως *Marco-Colobasiano Valentinianæ* malitiosa & veteratoria στρεβλώσει dicti hujus limpidissimi explodendum esse, imo hæc στωμύλματι διασυρμῷ, elevatione & contemptu debere refutari graviter existimat, in *allegatis N. T. Antiquit. pag. 4. b.* Addo præterea & illud, quod proverbiali apud Latinos figura τεχνικὸν Græcorum Alpha, pro primo ponatur & præcipuo, præeunte Poëta *Martiali*, qui divitem vocavit Alpha penulatorum, primas tenentem inter illos, qui sumunt penulam, quem mendicissimum *Paræus* vocat: Ita vero *Martialis II. Epigramm. 57.*

> *Hic quem videtis gressibus vagis lentum,*
> *Amethystinatus media qui secat septa,*
> *Quem non lacernis Publius meus vincit.*
> *Non ipse Codrus, Alpha penulatorum;*
> *Quem grex togatus sequitur & capillatus.*

Sicut *Beta Togatorum* ut se appellitat ipse *Martialis Epigramm. 27. lib. V.* est non æque præstans & præcipuus. Et *Eratosthenes* Polyhistor eo, quod in scientiarum omni genere secundas ferret velut singulariter edoctus, aptato meritis nomine *Beta* nuncupatus est. *Erasmus* in *Adagiis* hanc etiam amplectitur sententiam dicendo, eum qui in re quapiam primus sit, id est præstantissimus, Græco proverbio dici Alpha. Convenit certe hoc Christo optime; qui summus est, & nomen, quod supra omne nomen est, accepit. Sed qua ratione postremus diceretur? Alpha enim si appellatur, qui dignitate præstat reliquis; Omega absque dubio nominandus erit ille, qui locum tenet ultimum, & ita, summam illud dignitatem, in ordine ad reliquos; hoc vero conditionem infimam notabit. *Beza* hærere videtur, &, quid statuat, fluctuare. *Polus* ait, qui summus est idem & infimus, infra omnes humiliatus, Phil. 2:6. Eph. 2: 16. crucifixus 1 Cor. 2: vers. 8. Fit videlicet ad utramque naturam & divinam & humanam respectus, & Omega maxime ad exinanitionis passionisque statum refertur, in quo novissimus est factus, contemptissimusque, *Esaia*, *Davide*, *Evangelistis* pariter & *Apostolis* luculenter comprobantibus. Antiqui Ecclesiæ Antistites huc suas meditationes direxerunt, *Primasius* non solum atque *Beda*, sed *Ambrosius* inprimis, Præsul Mediolanensium, *in lib. de Institut. Virgin. cap. XI. Christus est α & ω primus & ultimus, primus æternitate, ultimus humanitate. Hieronymi* etiam succi plena sunt hac de re in *Comment. ad Esaiæ XLVIII.* verba. *Ego sum* (inquit Christus) *α & ω primus & novissimus, qui vivo & fui mortuus, ut vitam ad primum referas, novissimum ad eum qui mortuus est. Qui se exinanivit formam servi accipiens, & factus est obediens Patri humiliavit se ipsum usque ad mortem, ad mortem crucis.*

§. XI. Sanctissimum hoc symbolum & Dei-Hominis sigillum à Veteribus Christianis tanto in honore habitum est semper, ut sepulchris suis atque Epitaphiis insculperent, ad indicandam fidei suæ in divinitatem Christi ejusque meritum, contra hæreticos, constantiam. Comprobant id cœmeteriales tabulæ, & monumenta sepulchralia, in quibus hæ apparent literæ α & ω; quas crucis figura obsignabant quandoque; adducit has tabulas variis in locis *Paulus Aringhus Romanus Congreg. ejusd. Presbyter: in Romana subterranea Tom. II. lib. VI. maxime cap. 22, 23. pag. 298, 299. edit. Parisiens. 1659.* easdemque notulas vasculis & urnis Martyrum incisas, inscriptionibus quandoque adjectas sepulchralibus observat *Tom. I. libro III. cap. 22. Tom. II. Lib. IV. c. XVIII. pag. 58, 59, 60. &c.* inprimis vero *Cornelius à Lapide in Comment. ad Apocalyps.* ex *Ambrosio Morali Hispano Historiæ Conditore*, docere idem laborat. Sufficit nobis sepulchralis lapis in Cœmeterio *D. Agnetis* repertus Romæ, figuram exhibens in sequentibus descriptam; & numus *Magnentii*, cujus figuram expressit *Stewech. in Comment. ad Lib. II. Vegetii cap. 18. pag. 113. Joh. Weizius in Notis ad Lib. I. Prudentii* adversus *Symmach. pag. 744.* Videlicet, ut ex *Dieterico* & *Pfeiffero*, eandem hic describamus figuram, in una numi parte effigies Imperatoris sec. IV. moderantis brevi tempore imperium, cum inscriptione: DN. MAGNENTIUS. P. F. AUG. Altera vero parte, in medio habetur litera Græca P scissa per mediam lit. X. ab uno vero latere extat α ab altero ω, cum inscriptione hac orbiculari. SALUS. DD. NN. AUG. ET. CÆS. Eadem propemodum signa numi referebant Augustorum, *Valentiniani* & *Constantii*, Ravennæ reperti, è quibus α & ω pro principio & fine X & P autem pro Christo accipiuntur; prout Hieroglyphica signa explicat *Joh. Ciampinus Romanus*, *in Monumentis Veterum cap. 23. fol. 225. edit. R.* In Cœmeterio *Pontiano* Romæ gemmata crucis imago rosarum sertis nobiliter undique exculta, & notis insuper venerandi nominis Christi α & ω, hinc inde è cruce pendentibus super sacrum altare contemplanda intuentium oculis exhibetur, testante *Aringho*, Lib. VI. cap. 4. 22. Neque solum hoc sigillum α & ω piis in primitiva Ecclesia hominibus memoriam Christi ejusque æternitatis renovabat & divinitatis certitudinem, sed multa alia insuper habebant symbola, nomen & officium Servatoris optimi referentia, in capite primo strictim allata à nobis. Mentionem eorundem facit *Aringhus* Lib. II. cap. 10. pag. 202. & inter signa Christianæ religionis numerat illa reperta in tumulis, qualia sunt literæ Græcorum Chri, & Rho nexæ inter se nomen Christi referentes, figura crucis, I ut & H Græcum, quæ JESU sanctissimi appellationem significabant, & Lojoliticæ societatis, quæ à JESU nomen, propter insolentiam & opes inconvenienter admodum sortita est, sigillum omnibus, ut credo, innotuit.

§. XII. Breviter etiamnum de illo per X & P expresso Christi sigillo dispiciendum nobis est; in primis cum Labaro *Constantini Magni*, & vexillo aliisque militaribus signis, scutis, galeis postmodum inscriptum illud fuerit; postquam Imperatori nempe è cœlo præmonstratum crucis signum est, in quo victoriam æternum Numen ei pollicebatur, ut ipse *Eusebius in Vita Constantini Magni*, à quo se hæc audivisse jure jurando affirmat, prolixe docuit; ubi labarum etiam hoc describit copiose: In compendium redacta hæc accipe verba

Cæ-

Cæsariensis: (Labarum) *Hastile oblongum erectumque, undique auro circumductum fuit, quod cornu habuit transversum ad formam crucis constructum, supra in fastigio ejus operis corona affixa lapidibus pretiosis & auro polite circumtecta: In eo salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est è duabus primis literis nominis Christi erat* P *in medio litera* X *curiose & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicue significarunt, quas quidem literas deinceps semper Imperator in galea gestare consuevit.* Hæc *Eusebius* cum quo consentit *Prudentius priori adv. Symmach. L.* 488. *v. sequ.*

Christus purpureum gemmanti textus in auro,
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Justus quoque *Lipsius lib. III. de Cruce cap.* 15. & 16. ait, Constantinopoli adhuc tale quid videri in monumentis clypeorum militum quondam Constantini M. *Baronius* equidem ex *Eusebio* eadem recenset, aliam tamen insuper figuram recentiorem seculo suo XVI. inventam, affirmat, ubi Græcorum Rho majusculum in medio per lineolam divisum crucis similiter referebat signum: cum illa ipsa in numo argenteo *Friderici II. Imper.* sub sec. XIII. initium fasces imperii tenentis, reperiatur, docente id ex *Chaulerio Dn. D. Reybero libr. supr. alleg. pag.* 391. Causam, quare *Constantinus M.* labarum imperii Rom. in crucis formam mutarit *Sozomenus* commemorat *Hist. E. Lib. I. cap.* 4. verbis in Latinum translatis. *Ut videlicet assiduo ejus adspectu & reverentia ipsius subditi pedetentim à patriis ritibus desvescerent, eumque solum DEUM existimarent, quem Imperator coleret, & quo duce & adjutore contra hostes uteretur.* Ad usum igitur symbolicum & pædagogicum, non ad cultum hoc signum militibus Imperator proposuit; quod contra *Jodoc. Keddium*, Jesuitam acriter defendit atque erudite *B. D. Andr. Kunadus in Constantino Evangelico pag. m.* 182. Nolim interim asserere audacter, temporibus hujus Imperatoris introductum demum hoc esse sigillum; cum *Aringhus* indubitatum esse credat, longe ante *Constantini* tempora hanc ipsam, apud Christianos, notam fuisse in usu; & in sepulchris *Marii*, qui martyrium subiit sub *Adriano*, *Alexandri*, sub *Antonino* mortis supplicio affecti, nec non *Caji Papæ*, Martyris sub *Diocletiano*, hæc deprehensa signa, probet *l. c. pag.* 299. Id certum, *Imperatores* sequentibus seculis hoc Servatoris signum non vexillis tantummodo impressisse, & labaro; sed monetis clypeisque suis olim inscripsisse; uti ex numis Impp. *Valentis, Valentiniani, Arcadii*, aliorumque apparet. Quo conferantur *J. Lipsius de Cruce*, *G. Chaulerius in Chronico Cæsareo*, & *Celeb. D. Reyberus in Mathesi Mosaica*; qui ex *Francisco Mennonio in Delit. equestr.* concludit Ordinem Equestrem sepulchri Christi in Hierosolymitano regno, idem insigne habuisse: crucem nempe, in cujus oblonga parte X & P inter se connexa, in collaterali vero A & Ω conspiciatur.

§. XIII. Ad extremum non definimus, quid figura eadem apud Ethnicos & maxime Ægyptios, qui his Hieroglyphicis oblectabantur, indigitaverit plerisque æneis Regum Ptolemæorum adscripta numismatibus. *Gretserus Jesuita Tr. de Cruce Tom. I. Lib. II. cap.* 28. hoc signo χρηστὸν denotari pronuntiat, quod idem est ac bonum, benignum, clementem atque utilem & gloriosos ejuscemodi Ptolemæorum Ægypti Regum titulos, quos recenset *Tertullianus in cap.* 3. *Apolog.* Huic explicationi subscribit *Georgius Longus de signatoriis antiquorum annulis*, his quidem verbis: *Arbitror cum Jac. Gretsero nota illa in antiquis numismatibus vocem* χρηστὸς *significari, hoc est bonus, benignus, clemens, quemadmodum & Ptolomæi nummum, principis bonitatem ea nota indicasse, perspicuum est ex eo, quod alii etiam honorificis cognomentis à virtutibus ipsis desumptis, ornati fuerint: Ptolomæus Evergetes, Philadelphus, & Philometor.* De quibus plura adducto loco *Aringhus.* Ne vero illius, quod supra memoratum, sigilli nullam prorsus mentionem faciamus, tribus saltem ex *Macri Hierolexico* ad vocem *Gammadia*, observamus, Γ symbolum in vestibus Apostolorum esse, quæ figura quater adaptata plures format cruces, olim Episcoporum vestibus, nunc sacerdotum indusiis (*Casal*) angularibus characteribus, innexas artificiose. Conferatur inpr. *Joh. Ciampinus Romanus*, *Magister Brevium Gratiæ*, *ac lit. Apost. Major. part.* 1. *Veterum monumentor. de sacrar. æd. operibus Musicis, cap.* 13. *fol.* 225. & *Albertus Rubenius lib. I. de Re vestiaria. cap.* 18. *ed. Antw. quarto.* Usum si respicias denique hodiernum sigilli nostri, α & ω deprehendes in fronte librorum, scriptorum, & inprimis apud Medicos, qui in formulis, (quas recipe appellant) plerumque figuram illam pingunt, α & ω, piæ recordationis ergo: Hoc etiam divino sigillo nostram obsignamus Dissertationem & æterno DEI Λόγῳ, sanctissimo Servatori, qui A & Ω ἀρχὴ καὶ τέλος πρῶτος καὶ ἔσχατος, cum Patre Spirituque sancto, humilimas & devotissimas decernimus grates.

A & Ω.



M. EBERH.

M. EBERH. RUD. ROTHII

DISSERTATIO

De Nicolaïtis ad Apoc. II: 15.

Σὺν τῷ Θεῷ!

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



Vere dixit Asceta Antonius: εὔκολον τῷ διαβόλῳ εἰς κακίαν σχήματα ἐξευρεῖν, transponit David Hœschelius, Vir Eruditissimus: *Diabolo alias atque alias malitiæ formas excogitare non est difficile.* Condigne vocitat σχήματα εἰς κακίαν, larvas sive species ad malitiam. Agit enim hostis Christiani nominis juratissimus fere eandem in mundo fabulam, mutatis tantum personis. Sic hodie Pharisaismum, magnamque veteris Paganismi partem, in Papicolis, Samosatenianismum atque Photinianismum, multasve alias hæreses in Neo-Photinianis, Chiliastarum somnia, & Enthusiastarum deliramenta in Weigelianis, præcipue Epicureismum & Atheismum in plerisque mundi incolis resuscitat, refingit, atque in orbis theatrum producit. Ita & olim Pergami exoletam Bileami impietatem, *Apostolis adhuc in seculo superstitibus, adhuc apud Judæam Christi sanguine recenti*, uti loquitur Hieronymus epistola adversus Luciferianos tom. 3. fol. 66. C. ab orco, adhibitis Nicolaitis, revocavit. De quibus in præsens, quantum frons tenera permittit, disserere arridet, ut constet, quantas in tenebras, quam pudendos in errores, etiam illi, qui Christianum nomen ementiuntur, inciderint; potissimum vero, ut impudicum Pontificiorum mendacium in lucem deveniat, qui, dum culpa redarguit ipsos, uti postmodum videbimus, disseminare haud erubuere, nos videlicet Nicolaismum de novo introducere, eo quod Sacerdotum conjugium approbemus, quod quam sit à vero alienum, mox ostendemus. Tu ergo, Christe, dirige calamum mentemque, quo omnia in summam tuam gloriam cedant vergantque.

CAPUT I.

De Nicolaitarum Origine, atque Auctore.

§. 1.

Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ὃ μισῶ, *ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi.* Verba sunt τοῦ ἔχοντος τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον τὴν ὀξεῖαν, *habentis rompheam utraque parte acutam.* Per quem citra dubium nemo alius, nisi noster Dominus Jesus Christus, intelligitur, qui præcedenti capite 1: 8. dicebatur ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Quæ phrasis quoque passim locorum occurrit apud Rabbinos, qua DEUM æternum significatum volunt. Sic enim R. Salomon F. Gavirol in כתר מלכות, hymno, cujus initium est ארון עולם ubi agit de DEI æternitate, ait: והוא היה והוא הוה והוא יהיה בתפארה *ipse fuit, ipse est, & ipse erit gloriose.* Quis itaque quæso inficietur, Salvatorem nostrum esse consimiliter verum, essentialem & æternum cum Patre DEUM, qui una cum ipso eodem mactatur titulo, eadem insignitur appellatione, aliisque isti æquipollentibus, quibus omnibus DEI æternitas exprimitur?

§. 2. Hac objurgatione incessit ὁ Παντοκράτωρ Christus Angelum sive Episcopum Pergamensem, quod nefandæ Nicolaitarum hæresi nimium quantum conniverit. Ipsi sane gregi attendere incumbebat, ne lupi rapaces, in ovile sese ingerentes, oves, Christi cruore redemtas, dilaniarent atque discerperent, præsertim, quum *sedes Satanæ* ibi esset, hoc est, uti explicat Brightmann. comment. in Apoc. pag. 32. & 33. *Proconsul aut præfectus Cæsareus Pergami sederet, edictis suis idololatriam sanciens*, vel, ut putat Aretas, *Pergamum supra ceteram Asiam idololatriæ esset dedita.* Propugnatores enim idololatriæ ipsos Christianos facinore tanto pollutos conspicientes, suo in errore confirmabantur. Unde peste hac Pergami maxime invalescente, magna opus erat prudentia Zeloque, ne tota ecclesia Pergamensis ejuscemodi veneno inficeretur. Quæ vero non Ilium seu ipsa Troja, sicuti Paræus, Cornelius à Lap. aliique communiter volunt, sed distincta, diversaque ab ea erat. Id quod, aliis Historicorum ac Geographorum testimoniis omissis, liquido patet ex Herodiano l. 4. c. 8. n. 8. cujus verba ipsa adducimus: Ταῦτα ποιήσας (Ἀντωνῖνος) τά τε ἐν ταῖς πόλεσι διοικήσας ὡς ἐνεδέχετο, ἠπείχθη εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείαις τοῦ Ἀσκληπιοῦ· Ἀφικόμενος δὴ ἐκεῖ, καὶ ἐς ὅσον ἤθελε τῶν ὀνειράτων ἐμφορηθεὶς ἧκεν εἰς Ἴλιον. *His actis, atque urbibus, prout quamque potuerat, ordinatis, Pergamum adit, (Antoninus) Asiæ civitatem, ut Æsculapii curationibus uteretur. Quo postquam pervenit, somniis, quamdiu voluit, captatis Ilium mox petiit.* ita vertit Angelus Politianus, qui græca tanta felicitate, judice Degoreo Whear in methodo leg. hist. sect. 22. pag. 145. est interpretatus, ut non transtulisse, sed ipse composuisse videri posset. Hic Herodianus diserte dicit, Antoninum Αὐτοκράτορα primum concessisse Pergamum, dein Pergamo relicta, Ilium seu Trojam venisse. Quo pacto autem hoc dicere potuisset, si Ilium seu Troja & Pergamum una eademve urbs fuisset? conf. Cluv. introduct. in Geogr. cum notis Jo. Bunonis l. 3. pag. 298. & 299. & l. 5. c. 18. pag. 525. & 526. Hic locus, teste laudato auctore Herodiano, infamis erat ob Æsculapii delubrum, in quo, referente Aristophane in Plut. Act. 3. sc. 2. p. m. 50.

—— ἐκεῖνος ἐν κύκλῳ τὰ νοσήματα
Σκοπῶν περιῄει πάντα κοσμίως πάνυ.

Ille morbos circum explorans admodum composito & magnifico omnia lustrabat gradu. Quo facto, prosiliebant serpentes morbosque curabant. Celeberrimus quoque fuit miraculoso puteo, quem oratione panegyrica laudavit Aristides tom. 1. p. 440.

§. 3. Hæc urbs igitur Nicolaitarum receptaculum erat, quorum hæresis quando coorta sit, auctores non plane inter se conveniunt. Collocat enim eam post Cerinthum & Ebionitas Irenæus. Eusebius autem lib. 111. hist. Eccles. c. 26. eodem tempore, quo Cerinthianam edocet initium cepisse. Tertullianus, Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Honorius Augustodunensis, Damascenus, Genebrardus & Bellarminus in Chronologia sua p. 39. ante Cerinthianos constituunt. Quæ postrema ratio temporis & series videtur esse verior, circaque initium imperii Domitiani, annum autem à Christo passo LII. ante D. Joannis Apostoli & Evangelistæ in Patmo Insula (hæc una ex Sporadibus in mari Ægæo est Plin. l. IV. cap. XII.) exilium, impuram hancce hæresin incrementa sumsisse. Id quod ex ipsa Apocalypsi elucet. Culparat namque Christus Episcopum Pergamensem, laudarat autem Episcopum Ephesinum, quod ille Nicolaitarum doctrinæ indulgeret, hic vero summo eam prosequeretur odio. In insula autem Patmo exulem istum librum consignasse, ipse Joan-

Joannes cap. 1: 9. de se testatur. Itaque ante exilium ipsius Nicolaitas tum fuisse præsupponitur, quum in cap. 2. & 3. de præsenti Ecclesiæ statu adhuc agatur. A qua nostra sententia nec Bartholomæus Platina (id enim prænomen ei indit Volaterranus, & argumentis satis liquidis probat doctissimus Vossius, licet à plerisque aliis vocetur Baptista) de vitis Pontificum dissentit, sub Cleto Rom. Episcopo, qui, ut nonnulli putant, ante Clementem vixerat, hæresin illam ponens. Conf. Jo. Horatii Scoglii hist. Eccles. pag. 93.

§. 4. Sed enim de hoc non est tanta lis dissensioque, hæresibus supra adductis haut longo intervallo inter se discrepantibus, quanta de Auctore Nicolaitarum. Ipsos quidem à Nicolao, (quam vocem mere græcam esse vult Drusius ad voces N. Test. p. m. 126.) cujus in actis Apostolicis cap. 6: 5. mentio fit, suum ducere nomen, omnes ferme consentiunt, ab ipso autem Nicolao fœda horum dogmata adinventa excogitataque esse alii ajunt, alii negant.

§. 5. Irenæus Nicolaum hujus hæreseos auctorem constituit, ejus verba l. I. cap. 27. p. 49. hæc sunt: *Nicolaitæ Magistrum quidem habent Nicolaum, unum ex VII. qui primi ad Diaconium ab Apostolis ordinati sunt.* Idem indicat Tertullianus de præscript hæres. cap. 46. & 47. pag. 220. edit. Lutetiæ Parisiorum anno 1664. à Nicolao Rigaltio JC. *alter*, inquiens, *hæreticus Nicolaus emersit: hic de septem diaconis, qui in actis Apostolorum allecti sunt, fuit. hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, & quidem fœda & obscœna fuisse. Ex hac permixtione pudor est dicere, quæ fœtida & immunda sunt, & cetera obscœna. Æones* (ita emendat Nic. Rigaltius, Danæus in Augustin. ad Quodvultdeum legendum esse dicit, *homines.* vulgo legitur *omnes.* sed prior emendatio accuratior est) *refert quosdam turpitudinis natos, & complexus, & permixtiones execrabiles obscœnasque conjunctas, & quædam ex ipsis adhuc turpiora. Natos præterea dæmones Deos & spiritus septem, & alia satis sacrilega pariter & fœda, quæ referre erubescimus & jam præterimus.* Cui adstipulatur Philastrius Brixiensis hæres. 33. *Nicolaus Antiochenus sub Apostolis fuit, atque ab eis est delectus diaconus septimus, ut scriptum est in actibus Apostolorum. Posteaque recedens ab eis, atque à sana doctrina, diversis erroribus atque fallaciis pessundatus est.* Hieronymus, Patrum ille, judicio Seldeni, doctissimus, epistola, quam admodum adolescens ac pæne puer, uti ipse testatur, scripsit, ad Heliodorum de vita Eremitica tom. 1. fol. 2. b. edit. Erasmi Roterodami, *Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum* (nonnulli codd. habent Neophytorum & Ophitarum) *hæresis ex illa radice nascatur.* & fol. 104. d. ad Sabinianum Diaconum: *Nicolaus Antiochenus immunditiarum omnium & Nicolaitarum hæreseos auctor extitisse refertur.* Idem Pater Magnus tom. 3. epist. adversus Luciferianos fol. 66. d. *Nicolaus, qui unus de septem diaconis fuit, die noctuque nuptias faciens, obscœnos & auditu quoque erubescendos coitus somniavit.* Erasmus in scholiis: *Nicolaus uxores voluit esse communes, unus fuit ex septem diaconis, ut habes in actis Apostolorum.* Denique fol. 115. c. ad Ctesiphontem adversus Pelag. *Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos.* & Erasmus in scholiis: *Nicolaus unus è septem diaconis uxores fecit communes, exorsus à sua, quam habuit formosissimam.* Hilarius can. 25. in Matth. pag. 420. appellat Nicolaum *falsum prophetam.* & Honorius Augustodunensis hæres. 20. *Nicolaitæ à Nicolao Diacono, Stephani socio, dicti, qui uxores suas communes fecerunt.* Quos sequuntur Thomas Aquinas in Summa contra gentiles, Bell. l. 1. de cler. cap. 5. §. *Secundo* &c. Tannerus T. IV. Th. Schol. d. 7. q. 3. dub. 3. n. 56. Becan. Th. Schol. de sacram. in specie c. 26. q. 5. n. 5. Petavius in rationar. temporum part. 1. l. 5. c. 5. p. 279. Christian. Massæus Chron. l. 9. p. 114. Sixtus Senensis Bibliotheca S. l. 2. p. 110. b. Danæus in Augustin. c. 5. p. 15. Brightmannus in Apocal. p. 26. Lucas Osiander in Epit. eccles. hist. Cent. 1. l. 1. c. 36. p. 58. Hospin. de Orig. Monach. p. 31. aliique.

§. 6. Quamquam autem Auctores jam recensiti Nicolaum hæreseos principem faciant, caussam tamen, sive qua occasione ea obtigerit, reticent, quem defectum hac in parte duo non incelebres Patres supplent. Joannes quidem Damascenus paucis rem declarat, sic enim de hæresibus pag. 458. interprete Joachimo Perionio, inquit: *Nicolaitæ nominati sunt à Nicolao, quem viduis Apostoli præfecerant, hic suæ uxoris odio turpitudinem eam, quam alii, agendam discipulis tradidit, atque in mundum invexit quædam barbara nomina.* Sententia igitur Damasceni odium in uxorem in caussa fuit, ut Nicolaus in tam fœdam hæresin delapsus fuerit. Epiphanius autem lib. I. Panarii tom. II. hæres. 25. pag. 72. edit. Parisiis anno M. DC. XXII. à Dionysio Petavio Aurelianens. Viro, cui veterum literarum pleraque omnia quæsita, meditata evigilataque erant, historiam prolixe denarrat. Ipsius ergo illius egregii Patris, uti verbis, quæ ad rem faciunt, libet. Νικόλαος, inquit, γέγονεν εἷς ἀπὸ τῶν ἑπτὰ Διακόνων, τῶν ἐκλελεγμένων ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων ἅμα Στεφάνῳ, τῷ ἁγίῳ καὶ πρωτομάρτυρι, καὶ Προχόρῳ, καὶ Παρμενᾷ, καὶ τοῖς ἄλλοις. οὗτος ἀπὸ τῆς Ἀντιοχέων ὁρμώμενος, προσήλυτος γίνεται. μετέπειτα δὲ καταδεξάμενος τὸν περὶ τοῦ κηρύγματος λόγον τοῦ Χριστοῦ, καὶ αὐτὸς συνήφθη τοῖς μαθηταῖς, ἔντε τοῖς προκειμένοις τὰ πρῶτα ἐξεταζόμενος. Ἐντεῦθεν καὶ ἐν τοῖς (Petavius corrigit, ὅθεν καὶ ἐν τοῖς) ἐκλεγεῖσιν εἰς τὴν τῶν χηρῶν τότε ἐπιμέλειαν ἐγκατηριθμήθη. ὕστερον δὲ τοῦτον ὑπέδυ ὁ Διάβολος, καὶ ἐξηπάτησεν αὐτοῦ τὴν καρδίαν, τῇ αὐτῇ πλάνῃ τῶν προειρημένων παλαιῶν, κατατρωθῆναι μειζόνως ὑπὲρ τοὺς πρώην. Γυναῖκα γὰρ οὗτος ἔχων εὔμορφον καὶ ἀπὸ τῆς γυναικὸς ἐγκρατευσάμενος, ὡς κατὰ μίμησιν, ὧν ἑώρα Θεῷ προσανεχόντων, μέχρι τινὸς ἐκαρτέρει. οὐ μὲν εἰς τέλος ἤνεγκε κρατεῖν τῆς αὐτοῦ ἀκρασίας, ἀλλὰ βουληθεὶς ὡς κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον ἐπιστρέφειν, προφάσεις τινὰς οὐκ ἀγαθὰς ἑαυτῷ θηρώμενος ἐπενόει πρὸς ἀπολογίαν τοῦ ἰδίου τῆς ἀκολασίας πάθους, ἃ μᾶλλον συνέφερεν αὐτῷ. Εἶτα οὖν τοῦ σκοποῦ ἐκπεσών, τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ συνήφθη (Petavius emendat, συνέφερεν τοῦ ἰδίου σκοποῦ ἐκπεσόντι τῇ ἰδίᾳ γυναικὶ συναφθῆναι) ἀπεροέργως· Οὗτος δὲ αἰσχυνόμενος τὴν ἑαυτοῦ ἧτταν, καὶ ὑφορώμενος φωραθῆναι, ἐτόλμα λέγειν· ὅτι εἰ μήτις καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαγνεύει, ζωῆς οὐ δύναται μετέχειν τῆς αἰωνίου. ἐκ προφάσεως γὰρ εἰς πρόφασιν μετηνέχθη ἑτέραν. Ὁρῶν γὰρ τὴν ἑαυτοῦ σύμβιον κάλλει μὲν διαπρέπουσαν, ταπεινότητι δὲ φερομένην, ἐζηλοτύπησε ταύτην, καὶ κατὰ τὴν ἰδίαν ἀσέλγειαν τοὺς ἄλλους εἶναι νομίσας, τὰ πρῶτα μὲν ἐμπαροινῶν εἰς τὴν ἰδίαν γαμετὴν διετέλει, καὶ διαβολάς τινας αὐτῇ ἐπιφέρων διὰ λόγων. Τὸ δὲ πέρας ἑαυτὸν κατέσπασεν οὐ μόνον εἰς τὴν χρῆσιν τῆς σαρκὸς τὴν κατὰ φύσιν τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ εἰς βλάσφημον ὑπόνοιαν καὶ βλάβην κακοτροπίας καὶ πλάνην παρεισδύσεως πονηρᾶς. Καὶ ἐντεῦθεν ἄρχονται οἱ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως κακῶς τῷ κόσμῳ ἐπιφύεσθαι, i. e. transferente Dionys. Petavio, *Nicolaus è numero VII. Diaconorum fuit, qui ab Apostolis delecti sunt, una cum S. Stephano Protomartyre, ac Prochoro, Parmena sociisque ceteris. Hic oriundus Antiochia sese ad Judæorum sectam aggregavit. Postea Christianum dogma complexus ad discipulos adjunctus, atque inter primarios adnumeratus est. Inde in eorum ordinem relatus est, qui ad viduarum præfecturam electi sunt. Verum postea in eum se Diabolus insinuavit, ejusque mentem veterum illorum,* Simonis videlicet, Menandri, Saturnili, Basilidis, *quos commemoravimus, erroribus imbuit, ut etiam majus ipsi, quam iisdem illis vulnus infligeret. Nam cum uxorem haberet eleganti specie mulierem, ab ea sibi aliquandiu temperavit, ut eos,* cœlibes puta nonnullos, *imitaretur, quos DEO pariter addictos cerneret. Sed non intemperantiam suam perpetuo coërcere potuit. Quippe canis instar ad vomitum redire cupiens, & malos quosdam colores excusationesque prætexens, ac ad libidinis suæ patrocinium excogitavit, quæ magis ex usu sibi esse viderentur. Qua spe cum excidisset, tum demum sine ulla tergiversatione cum uxore consuetudinem habere instituit. Verum suæ sibi ignaviæ conscius, ac ne deprehenderetur, verius jactare illud ausus est; nisi qui singulis diebus luxuriæ vacet, sempiternam salutem neminem posse consequi. Ita ab excusatione una in alteram delapsus est. Cum enim conjugem suam præstanti esse formæ videret, humilemque sese præstare,* conspectum & alloquium suum aliis familiariter impertire, *zelotypia commotus, ac de libidine sua ceterorum mores interpretatus, primum uxorem suam contumeliose est aggressus, eique certa crimina per calumniam objecit. Demum vero non solum ad usitatum inter homines ac naturalem usum corporum prolapsus est, verum etiam in plenum illud in DEUM contumeliæ dogma improbitatisque damnum atque errorem pravitatis omnis conciliatorem erupit. Ab hoc fonte derivati, ac pessime in mundum introducti sunt hæretici illi, qui eam sibi, quam falso nominant, cognitionem vendicant.*

§. 7. Quantopere vero Annalium Conditor Baronius, cujus ingentia alias in Ecclesiam, judice Clarissimo Casaubono in proleg. ad exerc. merita immoderato partium studio fuere corrupta, Epiphanii narrationem detorserit, ut nuperis suæ sectæ opinionibus eam adaptaret, operæ pretium est cognosci. Cognoscetur autem, si ipsa verba hominis hic legenda subjiciamus. Solitaverat alias ipsa auctorum loca, prolixa licet, integre describere & charactere distinguere; sed hic, ut lectori fucum faceret, aliter rem instituere, & Epiphanii verbis

sua miscere maluit. *Irenæus*, ait ad annum 68. n. 9. p. 831. *Tertullianus*, *Hilarius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *& alii complures adserunt*, *Nicolaum ab Ecclesia Catholica descivisse*, *& in sordidissimas hæreses turpiter lapsum esse*: *ea nimirum ex caussa*, *quod ordinatus Diaconus*, *quum ad imitationem eorum*, (*inquit Epiphanius*) *quos DEO addictos videbat*, *ab uxore*, *quam formosam habebat*, *se continuisset*, *& à concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset*, *argueretur que ab Apostolis*, *quod uxore*, *quam antea dimisisset*, *uteretur*; *indignum nimirum ratis*, *ut sacris jam officiis atque ordinibus mancipati*, *adhuc carnis tenerentur illecebris*: *illum mox hæresin excogitasse*, *necessariumque ad salutem consequendam esse affirmasse*, *quotidie inquinari luxuriis*. Sed ubi obsecro, dicit Epiphanius, magnus & vehemens alias cœlibatus præco, Nicolaum, quod usum uxoris repetiisset, ab Apostolis reprehensum fuisse? ubi, quod indignum rati Apostoli, sacris officiis ordinibusque mancipatos adhuc uti conjugio, hoc enim est Baronio carnis teneri illecebris? at enim Baronius narrat, quasi ab Epiphanio omnia ista dicerentur, immo quasi ab omnibus prius laudatis veteribus. Sane, si ex constitutione Apostolica, aut quia Diaconus esset, Nicolao ab uxore sua abstinendum fuisset, Epiphanius id non tacuisset. Sed disertis dicit verbis, Nicolaum fecisse, ὡς κατὰ μίμησιν, ὧν ἑώρα θεῷ προσανεχόντων, quasi ad imitationem cœlibum, qui dono continentiæ prædití, ut toti & sine distractione DEO vacarent, conjugio abstinebant, quales in primitiva Ecclesia complusculi extitere. Sua itaque sponte & ex temerario quodam proposito abstinuit Nicolaus, cupidus paria cum illis facere, queis tamen donis, quibus ad id propositi opus est, impar erat. Dono quippe continentiæ ornatum neutiquam fuisse, Epiphanius edissertat. Quid? evidens potius, si Epiphanii quidem narrata admittimus, illa nobis suggerunt exemplum, quo admoneamur, quam intempestivum & insubidum sit, supra vires & dona sua audere, votisque temerariis certare, ut adeo Apostoli ejus rei auctores, præsertim Scriptore, qui historiam memoriæ tradidit, silente, haberi non debeant.

§. 8. Hæc equidem Patres antehac memorati, quique ipsorum vestigia presserunt, de Nicolao scripta reliquere. Verum alii vetustissimæ antiquitatis Scriptores, dignitate fideque graves, plane contrarium habent, Nicolaum culpa vacantem pronunciantes. Ansam vero occasionemque hæreseos Nicolaitarum præ cæteris Clemens Alexandrinus, qui & de Stromateus dicitur, lib. III. στρωματ. p. m. 436. c. d. prodidit. Subjungo, quæ apud eum leguntur. Ὡραίαν, φησὶ, γυναῖκα ἔχων οὗτος (Νικόλαος) μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος, πρὸς τῶν Ἀποστόλων ὀνειδισθεὶς ζηλοτυπίαν, εἰς μέσον ἀγαγὼν τὴν γυναῖκα, γῆμαι τῷ βουλομένῳ ἐπέτρεψεν. Ἀκόλουθον γὰρ εἶναί φασι, τὴν πρᾶξιν ταύτην ἐκείνῃ τῇ φωνῇ, τῇ ὅτι παραχρήσασθαι τῇ σαρκὶ δεῖ. καὶ δὴ κατακολουθήσαντες τῷ γενομένῳ, τῷ τε εἰρημένῳ ἁπλῶς καὶ ἀβασανίστως ἐκπορνεύουσιν ἀναίδην οἱ τὴν αἵρεσιν αὐτοῦ μετιόντες. Πυνθάνομαι δ' ἔγωγε τὸν Νικόλαον μηδεμιᾷ ἑτέρᾳ, παρ' ἣν ἔγημε, κεχρῆσθαι γυναικί. τῶν τ' ἐκείνου τέκνων θηλείας μὲν καταγηράσαι παρθένους, ἄφθορον δὲ διαμεῖναι τὸν υἱόν. ὧν οὕτως ἐχόντων, ἀποβολὴ πάθους ἦν, εἰς μέσον τῶν Ἀποστόλων ἡ τῆς ζηλοτυπουμένης ἐκκύκλησις γυναικός. Καὶ ἡ ἐγκράτεια τῶν περισπουδάστων ἡδονῶν τὸ παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ ἐδίδασκεν. Οὐ γὰρ οἶμαι, ἐβούλοντο κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος ἐντολὴν, δυσὶ κυρίοις δουλεύειν ἡδονῇ καὶ θεῷ. Λέγουσι γ' οὖν καὶ Ματθίαν οὕτως διδάξαι, σαρκὶ μὲν μάχεσθαι καὶ παραχρῆσθαι, μηδὲν αὐτῇ πρὸς ἡδονὴν ἀκόλαστον ἐνδιδόντα. ψυχὴν δὲ αὔξειν διὰ πίστεως καὶ γνώσεως. Vertit Hervetus, *Cum formosam*, *inquiunt*, *haberet uxorem*, *& post Servatoris assumtionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata Zelotypia*, *in medium adducta muliere permisit cui vellet eam nubere*. *Ajunt enim hanc actionem illi voci consentaneam*, *quæ dicit*, *quod carne uti* (potius abuti) *oporteat*: *ejusque factum & dictum absolute & inconsiderate sequentes*, *qui ejus hæresin persequuntur*, *impudenter effuseque fornicantur*. *Ego autem audio*, *Nicolaum quidem nulla unquam alia*, *quam ea*, *quæ ei nupserat*, *uxore usum esse*, *& ex illius liberis filios quidem consenuisse virgines*, *filium autem permansisse incorruptum*. *Quæ cum ita se habeant*, *vitii erat depulsio atque expurgatio in medium Apostolorum circumactio uxoris*, *cujus dicebatur laborare zelotypia*: *& continentia à voluptatibus*, *quæ magno studio parantur*, *docebat illud*: *uti carne*, *hoc est*, *exercere carnem*. *Neque enim*, *ut existimo*, *volebant convenienter Domini præcepto*, *duobus Dominis servire*, *voluptati & Deo*. *Dicunt itaque Matthiam quoque sic docuisse cum carne quidem pugnare & ea uti* (abuti) *nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem*, *augere autem animam per fidem & cognitionem*.

§. 9. Hic tam Auctores, qui Clementem sunt imitati, quam interpretes variant, maxime vero hi, ut Clementis mentem non omnino adsecuti fuerint. Quæ proinde, præsertim cum hic locus illustris sit, transire nefas ducimus.

§. 10. Theodoretus lib. 3. fab. hæretic. pro γῆμαι τῷ βουλομένῳ ἐπέτρεψεν, legit καὶ ἐπιτρέψαι κοινωνῆσαι αὐτῇ τὸν βουλόμενον. Nicephorus autem, γῆμαι παντὶ τῷ προὐτρέπετο. Augustinus hæres. 5. *ut ea*, *qui vellet*, *uteretur*. Prateolus lib. 12. cap. 7. pag. 353. *ut*, *qui vellet*, *ea uteretur*, *contra illud Domini præceptum*. *Quos DEUS conjunxit*, *homo non separet*. Ruffinus vertit; *si quis vellet eam habere permisit*. Christophorsonus, *cuique cupienti ducendam permisit*. Sequentia vero verba ἀκόλουθον γὰρ εἶναί φασι, τὴν πρᾶξιν ταύτην ἐκείνῃ τῇ φωνῇ τῇ ὅτι παραχρήσασθαι (Eusebius lib. 3. Eccles. Hist. cap. 26. & Nicephorus lib. 3. Eccles. Histor. cap. 15. habent παραχρῆσθαι) τῇ σαρκὶ δεῖ, transfert Ruffinus: *ex qua occasione isti consequens putaverunt*, *ut secundum hoc factum vel dictum Nicolai unusquisque carne sua*, *eo quod delectaret*, *abuteretur*. Christoph. *Atque illi dicto*, *carne numpe abuti oportere*, *hoc ipsorum factum congruere asseverant*. Atque ita relinquunt dubium interpretes, cujusnam sit dictum illud, *carne abuti oportere*, Nicolai, an hæreticorum, vel potius, quodnam factum intelligant, Nicolai uxorem circumgyrantis vulgantisque, an Nicolaitarum, communes exinde habentium uxores.

§. 11. Sed si verba Clementis anquisitius animis volvissent, hoc dubio supersedere quivissent: dilucide quippe ac liquido & factum & dictum, quod & Ruffinus vidit, Nicolai fuisse ex Clemente constat. Illud, quia dicit ταύτην πρᾶξιν, hoc, quod scil. in uxore accidit, factum. Verba enim hæc immediate proximeque ad præcedentia, requirente etiam id particula γὰρ, spectant. Hoc, quia statim dicitur, quod dictum, *carne abuti oportere*, Nicolaitæ consectati fuerint. At hoc ipsius Nicolai apophthegma fuisse, docet Clemens in libro II. Strom. sub finem. Sensus ergo hic emergit: *dicunt enim hanc actionem Nicolai illi voci*, *qua uti solitus erat*, *esse convenientem*, *nempe carne abuti oportere*. Cui sententiæ nostræ lucem insignem præbet Nicephorus libro III. Eccles. Histor. cap. 15. pag. 244. edit. Lutetiæ Parisiorum anno M DC XXX. à Frontone Ducæo, qui, quæ de Nicolao refert, ex Clemente habet, ita enim ait: καὶ ῥῆσιν τῇ τοιᾷδε πράξει κατάλληλον ἐπῆγεν (Νικόλαος) ὅτι παραχρήσασθαι δεῖ σαρκί. *Ei facto congruens adjecit* (Nicolaus) *dictum*, *abutendum esse carne inquiens*. Quod dictum postmodum adsectatores ejus ita interpretati sunt, quasi Nicolaus unumquemque carne sua ad omnem voluptatem & lasciviam abuti oportere præcepisset; cum tamen, Nicephoro teste, Nicolaus plane contrarium hoc dicto intellexerit, nempe carni haudquaquam indulgendum, sed eam perdomandam, & assidua virtutis exercitatione fatigandam. Id quod Clemens, Pater antiquissimus, libro II. Strom. pag 411. clarissime inculcat, τοιοῦτοι, ajens, καὶ οἱ φάσκοντες ἑαυτοὺς Νικολάῳ ἕπεσθαι, ἀπομνημόνευμά τι τἀνδρὸς φέροντες ἐκ παρατροπῆς τὸ δεῖν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί, ἀλλ' ὁ μὲν γενναῖος κολούειν δεῖν ἐδήλου τάς τε ἡδονὰς τάς τε ἐπιθυμίας. Καὶ τῇ ἀσκήσει ταύτῃ καταμαραίνειν τὰς τῆς σαρκὸς ὁρμάς τε καὶ ἐπιθέσεις, *tales* (sc. ut Aristippus Cyrenæus, qui cum Laide Corinthia assidue versabatur) *sunt*, *qui dicunt*, *se sequi Nicolaum*, *adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum*, *sed ab eis detortum*, *nempe oportere carne uti* (abuti) *sed ille quidem vir præclarus significabat*, *oportere voluptates arcere & cupiditates & hac exercitatione marcidas flaccidasque reddere carnis appetitiones & insultus*. Et paulo post: ἡ ψυχὴ αὐτῶν ἐν βορβόρῳ κακίας κατορώρυκται, δόγμα ἡδονῆς αὐτῆς, οὐχὶ δὲ ἀνδρὸς Ἀποστολικοῦ μεταδιωκόντων, *anima ipsorum* (Nicolaitarum) *infossa est in cœno vitii*, *ut qui decretum ipsius voluptatis*, *non autem viri Apostolici sequantur*. Quod ad verba: ἡ ἐγκράτεια τῶν περισπουδάστων ἡδονῶν τὸ παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ ἐδίδασκεν, ea per enallagen, observante doctissimo Henrico Valesio in annotat. Euseb. pag. 54. non autem advertentibus Herveto, Ruffino & Christophorsono, dicuntur, & ita accipienda sunt: τὸ παραχρῆσθαι τῇ σαρκὶ τὴν ἐγκράτειαν ἡδονῶν ἐδίδασκεν. Quod vero apud Clementem est, οὐ γὰρ οἶμαι ἐβούλοντο, emendandum esse putamus ex Eusebio ἐβούλετο, ut hoc intelligendum sit non de Nicolaitis, sed Nicolao. Insuper quod Clemens fatur, filium Nicolai permansisse incorruptum, ἄφθορον διαμεῖναι, Nicephorus ἐν ἀφθαρσίᾳ dicit, & ejus interpres Langius, *in incorrupto cœlibatu permansisse*. Christophorsonus minus commode vertit: *filium vitam puram & nulla labis contagione aspersam traduxisse*. Potest sane & labe carere

thorus

thorus immaculatus conjugii. Theodoretus Nicolaum ait τὰ τέκνα τὴν ὑπὲρ φύσιν ἁγνείαν ἐκπαιδεῦσαι, καὶ τὸ μὲν υἱὸν ἤθεον διαμεῖναι. Vult itaque Clemens Nicolaum suam uxorem publicantem id factitasse ὡς νομοθετοῦντα, ut loquitur Theodoretus, *non lege aliqua decernentem sive jubentem*, sed ut accusatores redargueret; hæreticos vero ἄθεσμον γυναικῶν κοινωνίαν usurpantes, Nicolai nomen falso prætexuisse, & cum dictum tum factum nominis, contra ipsius animi sententiam alio, quam quo spectaverat, detorsisse.

§. 12. Verba Clementis exscripserunt ὁ τοῦ Παμφίλου (quemadmodum propter amicitiam cum Pamphilo martyre, teste Hieronymo de Illustr. viris vocitabatur) lib. III. Histor. Eccles. cap. 29. & Nicephorus l. d. Quamvis hic sibi contradicere videatur, quum ab initio Nicolaum ἀρχηγὸν τῆς αἱρέσεως τῶν Νικολαϊτῶν appellitet, postea vero ipsum excuset. Ille vero, *vir πολυμαθέστατος & qui pæne*, judicio Magni Polyhistoriis DN. JO. ANDR. BOSII, Fautoris atque Præceptoris mei ex summa ope colendi, in Exercitatione Προπαρασκευαστικῇ ad testimonium Flavii Josephi cap. 2. num. 1. *Omnes Græcorum haud tantum, sed etiam Ægyptiorum ac Phœnicum Bibliothecas excusserat*, significantissime dicit ab initio: ὅσοι Νικόλαον ηὔχουν, hi scil. Nicolaitæ, Nicolaum auctorem suum jactabant, vel habere gestiebant. Laudat etiam & sequitur Theodoretus in de Αἱρετικῇ κακομυθίᾳ Tom. 4. lib. 3. pag. 226. edit. Jacobi Sirmundi anno M D C XLII. ait Nicolaum: εὔοπτον ἐσχηκότα γυναῖκα ἀντιπαθέναι παρὰ τοῖς Ἀποστόλοις, ὡς ζηλοτυπίας εἰσδεξάμενον πάθος. Τοῦτον δὲ ἀποτρέψασθαι τὴν δὲ τὴν δόξαν πειρώμενον, εἰς μέσον ἀγαγεῖν τὴν γυναῖκα καὶ ἐπιτρέψαι κοινωνῆσαι αὐτῇ τὸν βουλόμενον, οὐ τοῦτο νομοθετοῦντα, ἀλλὰ τὴν τῶν κατηγορηκότων συκοφαντίαν ἐλέγχοντα. Nec aliter sentit Haymo, Episcopus Halberstadiensis lib. 3. H. E. c. 20. & 21. In eandem sententiam Augustinus ad Quodvultdeum hæres. 5. *quum de zelo pulcerrimæ conjugis culparetur, velut purgandi sui caussa permisisse, ut ea, qui vellet, uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum, in qua placet usus indifferens feminarum.* Quæ Augustini verba apud Isidorum Hispalensem lib. VIII. cap. V. Originum sive Etymolog. & C. *Quidam autem* 39. XXIV. q. 3. reperiuntur, sed pro verbis, *quod ejus factum in sectam turpissimam versum*, legitur ibidem, *versa est in stuprum talis consuetudo.* Hinc Danæus comment. in Augustin. existimat, mendum hic esse, eo quod stuprum de vidua vel virgine dicatur, non vero de conjuge aliena. At quum stuprum de qualibet re turpi apud veteres, clare id ostendente Clarissimo Vossio in Etymolog. usurpatum fuerit, utraque lectio Isidori & Augustini bene sese habent.

§. 13. Cæterum aperte dicit Theodoretus l. d. nefandos Nicolaitas ψευδῶς σφᾶς αὐτοὺς ἐκ τῆς τοῦδε προσηγορίας ἐπωνομάζεσθαι. Eodem respicere videtur Ignatius ψευδωνύμους appellans Nicolaitas; sic enim scribit ad Trallianos p. m. 168. φεύγετε καὶ τοὺς ἀκαθάρτους Νικολαΐτας, τοὺς φιληδόνους, τοὺς συκοφάντας, *fugite illos impurissimos falsi nominis Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores*: addit vetus vulgatus interpres: *non enim talis fuit Apostolorum minister Nicolaus.* & ita Jac. Usserius in notis ad h. l. ex codice Magdalenensi & Petaviano veram lectionem restituit. Et in Epist. ad Philadelph. pag. 183. τέλος εὐδαιμονίας ἡδονὴν τίθεται, οἷος ὁ ψευδώνυμος Νικολαΐτης, *finem beatitudinis ponit, qualis ille falso nomine Nicolaita.* Ex quibus omnibus concludit Stephanus Gobarus in Photii Bibliotheca, n. 232. Ἰγνάτιος μέν τοι ὁ Θεοφόρος, καὶ Κλήμης ὁ Στρωματεὺς, καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου, καὶ Θεοδώρητος ὁ Κύρου, τῶν μὲν Νικολαϊτῶν καταγινώσκουσιν αἵρεσιν, τὸν δὲ Νικόλαον μὴ τοιοῦτον εἶναι ἀποφαίνονται. *Ignatius Theophorus, & Clemens Stromateus, & Eusebius Pamphili, & Theodoretus Cyri Episcopus, Nicolaitarum damnant hæresin: sed ipsum Nicolaum talem fuisse negant.* Hisce Patribus adstipulantur Centuriatores Magdeburgici cent. I. l. 2. cap. 5. de hæres. p. 485. Baronius ad annum Christi 68. n. 10. D. licet hic satis inepte ex Episcopatu Samaritano Nicolai suam sententiam, ex ignobili de LXXII. discipulis Hippolyti libro, & fabulosa, ut Bellarminus de Script. Eccles. appellat, Dorothei synopsi depromto confirmet, Henr. Spondanus Annal. Eccles. ad annum Chr. n. 4. Naucl. part. II. Gen. 3. Pol. Virg. lib. IIX. de rer. Invent. B. Mart. Chemnit. part. III. Ex. Concl. Trid. Jo. Pappus epitom. Histor. Eccles. pag. 285. Josua Arndius in Lexico antiqq. Eccles. pag. 452. & alii.

§. 14. Verum nostram sententiam qua in parte defigamus, res difficilis est judicatu; in utramque enim, uti jam perspeximus, partem à viris, fide dignissimis, quæstio est arbitrata, nec si quispiam auctores conciliare conaretur, una consistere queunt. Alcasar in Apocal. 2: vers. 6. conciliationem instituere adlaborat, *licet*, inquiens, *Nicolaus illius hæreseos auctor constiterit, potuit Ignatius vere & eleganter dicere, illos falso Nicolaitas appellari, quia nomen hoc sonat victoriam. Qui vero carnis illecebris sese totos dedunt, illi quidem non victores sunt, sed victi atque servi peccati, & fortasse excusatio Nicolai orta est ex eo, quod verba Ignatii non intelligerentur.* Verum hæc conciliatio magis subtilis videtur quam vera; immo licet hæc Ignatiana ita exponi possint, tamen Clementina cum Epiphanianis stare nequeunt. Epiphanius sane clare dicit, Nicolaum cœlibum æmulatione usum uxoris repudiasse, sed postea repetiisse, suique expurgandi caussa venerem promiscuam ad salutem necessariam docuisse; Zelotypia porro ardentem criminatum esse uxorem suam, & deinceps omni nequitiæ turpissimisque libidinibus se mancipasse. Clemens vero narrat, eum Zelotypiæ, qua uxorem prosequeretur suam, ab Apostolis arcessitum, amovendæ illius de Zelotypia suspicionis ergo, uxore se abdicasse, conjugio ejus alteri, qui ducere discuperet, concesso, posteaque nunquam non castam vitam vixisse. Hic, inquam, unum alterum tollit. Paræus quidem comment. in Apocal. p. m. 76. conjectat, *Nicolaum aliquem alium ab Apostolico Diacono tam turpis sectæ auctorem extitisse: hæreticos vero sancti viri nomine ad scelestam suam sectam palliandam abusos fuisse.* Qui cum convenit Alstedius Chronolog. hæres. XXXVIII. p. m. 394. Sed Epiphanius cæterique Patres plane contrarium testantur, dicentes, eum Nicolaum principem, vel minimum ansam occasionemve pessimæ huic hæresi præbuisse, qui ab Apostolis una cum Stephano ad curam viduarum fuit delectus, cujus mentio fit in Actis Apostol. qui ortus ab Antiochenis proselytus erat. Quæ prædicata alii Nicolao nuspiam attribuuntur. Quamquam non diffitear, si hujus conjecturæ ullum vestigium in Patribus, præcipue in Epiphanio appareret, ea probari posset. Sed enim quum nullus eorum, quantum ego novi, ita senserit, temere ei inhærere vereor. Alia via rem aggreditur Ph. Priorius in notis ad Tertullian. pag. 200. existimans *auctorem hujus sectæ non fuisse Nicolaum Diaconum*, & probat *ex Ignatii loco præcedent. §. 13. à nobis producto.* Insimul addit, *plerosque illorum Patrum dubitanter loqui de Nicolao illo, in quem facile fuit illud rejicere propter vitæ sordes & mores corruptissimos.* At & hoc pugnat cum Clemente, cui heic præ cæteris aliquid tribuimus, is eum ἄνδρα γνήσιον καὶ Ἀποστολικὸν, *virum insignem & Apostolicum* vocat, quo pacto igitur vitæ sordibus moribusque corruptissimis esse potuit? attamen nos cum B. Dn. D. Dannhawero in Christeide pag. 528. certi nil pronunciamus. Si vero de prima origine aliquid est conjiciendum, tum, si vers. 6. cap. 2. Apoc. & vers. 20. conferamus, videtur à temeraria & insubida συγκαταβάσει ortus hic error, ratis Nicolaitis, connivendum & concedendum aliquid gentium infirmitati, quibus duæ res obstaculo erant maximo, ne prompte fidem receptarent, quod per eam se viderent ab inveteratis occupatisque voluptatibus venereis, & civium suorum congressibus arceri, cum antehac omni ἀκαθαρσίᾳ libere, atque adeo publica cum συνοδοκίᾳ, ut & deplorat Doctor gentium Roman. I: 24, 32. gauderent, ut *comitas haberetur vulgati corporis vilitas* Curt. lib. 5. c. 1. n. 38. atque *publicæ sacræque illæ*, quandoquidem ita diis ipsorum placuit, *in idolis epulæ nervi quasi rerum publicarum viderentur.* Quinam vero primus suasor hujus nefandæ rei fuerit, an Nicolaus Antiochenus nec ne? judicium nostrum suspendimus, atque rem cujusvis judicio permittimus.

CAPUT II.

De Nicolaitarum erroribus in Apocalypsi depictis.

§. 1.

ORiginem Nicolaitarum, quoad fieri potuit, jam tractavimus, nunc vero negotium nobis erit, eorum errores, qui *plenissime*, ut loquar cum Irenæo, per Johannis Apocalypsin manifestantur, inspicere intuerique. Maxima autem inter illos competentia erat, & Balaamum, ut Græci (Joseph. l. 4. Antiq. c. 6. p. m. 98. habet Βάλαμον) seu Bileamum, ut Ebræi lectitant ariolum magum Mesopotamiensem, adeo, ut Spiritus S. hujus διδαχὴν cum Nicolaitarum doctrina con-

 jun-

junxerit. Mirari itaque ſubit, quid Paræo in mentem venerit, quod hæreticos Nicolaitas fuiſſe carnalia inſectantes ad inſtar Balaami, filii Boſor, in dubium vocarit. Immo comm. in Apocalypſ. pag. mihi 75. prorſus inficias ire videtur, mœchari & idolothyta comedere Nicolaitarum fuiſſe doctrinam, at poſtea pag. 103. diſertis indicat verbis, ſcortationes commerciaque paganorum in idoliis & idolothytorum ſympoſiis Nicolaitarum ſectam habuiſſe, quin & ibidem ingenue fatetur, mulierem Jezabelem, de qua infra faciemus verba, inſignem ejus ſectatricem extitiſſe. At vero cap. 2. Apoc. vſ. 20. de illa extat, quod docuerit πορνεῦσαι καὶ εἰδωλόθυτα φαγεῖν. Nonne, Paræe, hæc ipſiſſima erat Balaami doctrina, quam Nicolaitæ quoque tenebant? Nec eſt quod Paræus inferat, verſu nimirum 15. non dici, Nicolaitarum ſectam hæc habuiſſe, ſed διδαχῇ Balaami adſignari attribuique. Enimvero neutiquam neceſſum fuerat, ut rurſum horum mentio fieret, quum verba, οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ſatis hæc importent. Senſus quippe, explicante Dionyſio Carthuſiano, viro in divinis Scripturis (ut commemorat Trithemius) ſtudioſiſſimo, eſt hujuſcemodi: *ita hæreticos quoſdam inter tuos eſſe permittis, nec eos expellis, ſeu idoneè reprobas; qui inſtar Balaam docent, cum illegitimis commiſceri* atque idolothytis veſci. vel, obſervante Brightmanno in hunc locum; *ut olim habebant Iſraelitæ doctrinam Balaami, ſic tu habes, qui tenent doctrinam Nicolaitarum.*

§. 2. Nec ſane ovum ovo ſimilius eſſe poteſt, quam doctrina Nicolaitarum διδαχῇ Balaami. Hic enim præclare ſe gerere, nec DEUM offendi autumabat, etiamſi deterrimo ſuo conſilio tot virginibus ſtupra inferrentur, populus vero DEI ſcortatione & idololatria ſe fœdiſſime pollueret. Cum enim Iſraelitas in deſerto degentes devovere non valeret, tum id conſilii dedit Balaco, ut proſtitueret Moabitidas feminas filiis Iſraelis, quibus poſtidem illecti, ſacrificiis DEI ſui Peor vacarent. Quod Numen, ut communis fert ſententia, non multum à Priapo diverſum erat; qua de cauſſa etiam Peorem dictum volunt à פער aperiendo, nudando, diſtendendo, notatione vel à ſimulacro ejus, vel à cultu deſumta. A ſimulacro, quod erat idolum ignominiæ, oculis abominandum, rude puta & indolatum lignum, nudam, apertam diſtentamque naturam, terribile membrum oſtendens. A cultu, quod cultores ejus coram eo ſe turpiter detegerent. Liras & gerras germanas hanc etymologiam, quæ alias Rabbinorum eſt, Seldenus Syntagm. l. cit. 5. pag. 162. habet. At minus recte in totum repudiatur, num mos denudandi ſe adeo abſurdus atque apud gentes inſolens Seldeno videtur? nonne ſacra earum ita conſtabant? nonne Deam, quam Gnidiis fecerat Praxiteles, nudam fuiſſe, auctor eſt Lucianus in amoribus tom. 4. vide ſis Diodorum, Clem. Alexand. in Protrept. Arnobium, Urſini Anal. S. Volum. 1. pag. 236. alioſve. Balac itaque rex Moabitarum Bileamo obſequibilis erat, immiſſis virginibus, quæ juvenibus ad inceſtos ſui amores pellectis corporis facerent copiam, ſi prius, ut Joſephus lib. 4. Antiq. c. 6. p. 100. habet, diis ſuis ſacrificia feciſſent, atque idolothyta comediſſent. Dictum, factum. Invitati quippe ad Moabitidas & Midianitidas juvenculas Iſraelitæ, cum vino incaluiſſent & concubitum peterent, illecebris muliebribus inducti fuere, ut Peorem colerent, ſacrificiis, ut Pſalmiſta habet, fruerentur mortuorum & promiſcuas ſuas libidines explerent. geminum hoc modo ſcandalum & Ethnicis & populo DEI exhibentes, geminæ quoque ſcortationi, ſpirituali ſimul & corporali implicati. Hæc erat διδαχὴ Bileami, hæc ſuggeſtio, quam & Nicolaitæ egregie æmulati ſunt. Quippe qui Apoſtolis Flaminis divini nutu inſtinctuque Chriſtianæ genti ſcortationes & idolothyta interdicentibus, nullo pudore ducti, non eſſe flagitium docebant ſcortari, & carne, uti ipſi loquebantur, abuti, aut idolothytis veſci. Unde ſummo Chriſtianis offendiculo erant. Gentiles enim, Iſidi, Priapo, Adonidi, Veneri aliiſque impudicitiæ patronis ſacris peractis, à conviviis ſollemnibus ad fœdas conſuetudines prolabebantur, idque vel leviſſimi vel nullius vitii nomine cenſebant, ſed Chriſtianos eodem ſecum luto volutari videntes, nihilo illos ſe meliores æſtimabant. Infirmi vero Chriſtianorum, quorum maxima nunquam non abundantia eſt, cernentes eos, qui ſingularem præ ſe ferrent religionis ſcientiam, iiſdem probris inquinati, nulli ducebant crimini, ſi & ipſi iis operam dare pergerent.

§. 3. Primus igitur error Nicolaitarum, qui nobis in Apocalypſ. depingitur, eſt, ſcortari non eſſe ſcelus, vel, ut Auguſtinus hæreſ. 5. recenſet, promiſcuum, more pecudum, feminarum uſum in Eccleſia DEI eſſe licitum, qui error ex Platonicorum dogmatis ortus videri poteſt, quemadmodum etiam ſcriptitat Clemens Strom. l. 3. quem errorem refellit Ariſtoteles libr. 2. πολιτικῶν & Mahummedanis ad polygamiam probandam & ſequendam profuit. Ad laſciviam autem ſuam impudiciſſimi hæretici Scriptura impie abutebantur, cujus rei exemplum narrat laudatus Clemens l. cit. *dicunt ex iis quendam, cum ad noſtram virginem vultu formoſam acceſſiſſet, dixiſſe, ſcriptum eſt: da omni à te petenti; illam autem honeſte admodum reſpondiſſe, ut quæ non intelligeret hominis petulantiam,* ἀλλὰ περὶ γάμου τῇ μητρὶ διαλέγου, *at tu matrem conveni de matrimonio. O impietatem!* exclamat Clemens, *etiam voces Domini ementiuntur iſti intemperantiæ communicatores, fratreſque libidinis, non ſolum probrum Philoſophiæ, ſed etiam totius vitæ, qui veritatem, quantum in eis ſitum eſt, adulterant, ac corrumpunt, vel potius defodiunt.* Quare eo tandem delapſi ſunt impuritatis, ut candelæ lumine paullo longius remoto, in publicis ſacriſque, ut inter ipſos erant ſcilicet, conviviis, quiſque, in quamcunque inciderat, cum ea coiret, hancque corporum conglutinationem vocarent ſacram ſive myſticam, quæ ad regnum DEI ad orcum) deducat, communionem, meretrices vero in lupanaribus impudenter quoſlibet, qui volunt, admittentes majori in ſpe eſſe arbitrarentur vid. Clem. l. d. & Epiphanium.

§. 4. Id objectum olim ab Ethnicis fuit nomini Chriſtiano, hinc illa Tertulliani in Apolegetico cap. 7. *dicimur ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii & pabulo inde* (editio Veneta habet *pabulo Judæ.* Latinius legit *pabulo crudæ.*) *& poſt convivium inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſc. tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiam procurent.* (Scriptum exiſtimat Deſiderius Heraldus *& libidinum piarum inverecundia procurent*) Minutius Felix Octavio p. m. 12. *ad epulas ſolemni die coeunt cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines & omnis ætatis: illic poſt multas epulas, ubi convivium caluit, & inceſta libidinis ebrietatis* (Gelenius edidit *ebrietate*) *fervor exarſit, canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum & ſaltum provocatur. Sic everſo & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis.* Conf. Deſid. Heraldi notas in h. l. p. 77. Condigne itaque Clem. Alexand. lib. 2. Strom. pag. 411. ait, eos inſtar hircorum eſſe effuſos in voluptatem, nec differre à Sardanapalo, opulentiſſimo Syriæ rege, cujus vitam ſignificet epigramma:

Ταῦτ᾽ ἔχω, ὅσσ᾽ ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ᾽ ἔρωτος
Τέρπν᾽ ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Cicero l. 5. Tuſcul. p. 485. ita reddidit.

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa jacent multa & præclara relicta.

Tales quoque impuriſſimos canes, immo pejores D. Petrus 2. Epiſt. 2: 13, 14. inſectatur, ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν, σπῖλοι καὶ μῶμοι, ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις. (Nic. Hemmingius, Zegerus, Grotius, Eraſmus Schmidius malunt ἀγάπαις) αὐτῶν, συνευωχούμενοι ὑμῖν, ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας. *Voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ, oblectantes ſeu placentes* (id enim hic eſt τὸ ἐντρυφῶντες) *in fallaciis ſuis* (vetus interpres *in conviviis ſuis*, Syrus vero *in refectionibus ſuis*) *laute viventes de veſtro, oculos habentes plenos adulterii* (Horatius *putres* vocat, dicens, *omnes in Damalim putres deſignent oculos*) *& inceſſabilis delicti.* Conf. Epiſt. Jud. vſ. 12.

§. 5. Ex quibus patet Petri Damiani de Nicolaiſmo mendacium. *Nicolaus*, inquit, *dogmatizabat, Clericos cujuſlibet ordinis nuptialibus fœderandos eſſe conjugiis. Symbolice,* ait Cornelius à Lap. *& tropologice.* Idem ad Hildebrandum tunc Archidiaconum, poſtea Papam exponit, quomodo Legatus à Nicolao Pontifice ad Mediolanenſes una cum Anſelmo Lucenſe Epiſcopo miſſus, ut Simoniacorum & Nicolaitarum, quos ita vocabant, hæreſes ejurarent, effecerit. *Erat*, fatur, *inter Clerum & populum propter duas hæreſes, Simoniacam videlicet & Nicolaitarum ſatis turbulenta ſeditio. Nicolaitæ autem dicuntur Clerici, qui contra caſtitatis eccleſiaſticæ regulam feminis admiſcentur. Qui plane tunc fornicatores ſunt, quam fœdi commercii copulas ineunt, tunc Nicolaitæ jure vocantur, quum hanc lethiferam peſtem velut ex auctoritate defendunt.* vid. compluria ibidem. Hæccine, Petre, Nicolaitarum hæreſis (in Simoniacam nunc nos non inquirimus) fuit, *ſacri altaris miniſtros debere vel poſſe uti conjugibus, quemadmodum poſſint Laici?* non

puto.

puto. Unde enim hoc probas? ex Epiphanio? Sed si res Græcas eruditus fuisses, ex Epiphanio male intellecto eam sententiam Nicolaitis non affinxisses, vel si Epiphanium aliosve è Græcis adire & legere non licebat, potuisses tamen Latinos, si non Tertullianum, saltim Augustinum consulere, & quæ Nicolaitarum doctrina & turpitudo fuisset, certioribus testibus, quam Humberto (hic enim illi, uti alia, id ipsum procul dubio persuasit) Sylvæ Candidæ Episcopo, discere. Sed longe virulentius in Lutherum ejusque adsectatores invehitur Franciscus Feu-Ardentius notis in Irenæum pag. 132. *quis* inquit, *Nicolaita, quis Carpocratianus, quis Ganeo, quis adulter, quis corruptor juventutis isto* (Luthero) *turpior & pestilentior oriri posset?* & pag. 48. *Lutherani Sacramenti matrimonii vincula solvunt, & qui cœtibus eorum præsunt, omnes fere deserto continentiæ voto incestas nuptias amplexantur.* Sed increpet te, Satan, DEUS! quis tuam virulentiam non cernit? quis maledicam tuam linguam non advertit? Lutherus noster plus castitatis habuit, quam, omnes vestri, maledice Feu-Ardenti, monachi & monachæ. Num Lutherus est Nicolaita, num Carpocratianus, num Ganeo, num adulter, corruptor juventutis, quod uxorem duxit? num pastores Lutherani incestas nuptias amplexantur, quod ad nuptias animum appellant? Ita hypocrita judicas. At pessime. Ubinam quæso Scripturarum conjugium Sacerdotum vetitum legitur? nonne *ὁ γάμος τίμιος*, i.e. *honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus* Ebr. 13: 4. dicitur? ergo etiam in Sacerdotibus, seu Doctoribus ministrisque Ecclesiæ.

§. 6. Verum cum ex Patribus, & non ex Scripturis, vestram doctrinam probare satagitis, audi P. Damiane, audi Corneli à Lap. S. Ignatium, (pluria hac de re videri possunt in Excellentiss. Viri ELIÆ VEIELII SS. Theol. D. ejusdemque Prof. Publ. celebratissimi, Gymnasii Ulm. Directoris gravissimi, Fautoris mei atque Compatris, maxime venerandi, Defens. de Eccles. Græc. contra Leonem Allatium pag. 159.) aliter, quam vos sentientem, *cujus*, ut vester Baronius ipsemet ad annum Christi 57. n. 55. pag. 598. loquitur, *epistolarum firmissima semper in Ecclesia fuit fides; nec ab aliquo umquam vel in dubitationem levem adducta.* Quæque, sc. epistolæ, Philippo Labbe de Scriptor. Eccles. tom. I. pag. 501. dicuntur *copiosa Apostolicarum traditionum apotheca, fortisque adversus hæreticos armatura.* Sic autem ille scribit ad Philadelphenses p. m. 178. οὐ ψέγω (ita Cod. Nydpruccian. cum vetere vulgato Latino interprete; Augustanus οὐ ψέγων) τοὺς λοιποὺς μακαρίους, ὅτι γάμοις προσωμίλησαν, *non detraho ceteris beatis, qui nuptiis copulati fuerunt.* & paullo post: ὡς Πέτρου καὶ Παύλου καὶ τῶν ἄλλων Ἀποστόλων τῶν γάμοις προσομιλησάντων, *utpote Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam dederunt.* Pauli nomen in antiquioribus Vaticanæ & Sfortianæ bibliothecarum codicibus non exstare dicit Baronius ad ann. 57. n. 64. pag. 602. Cui adstipulatur Bellarminus l. 1. de Cler. cap. 20. Marianus quoque Victorius in epistolam vicesimam secundam Hieronymi: *in antiquissimo Ignatii Græco codice, qui Matthiæ Ungarorum regis erat, hoc non inveniri, Ambrosius Camaldulensis, qui librum legit, testatur.* Conf. Mich. Medin. de Sacror. hominum continentia l. 2. cap. 14. Lindanus de Virgin. voto. l. 4. cap. 5. Turrian. Defens. Canon. Apostol. cap. 2. Idem de Anglicanis Codicibus Hieronymus Verlenius Sylvius, cujus ad has epistolas scholia in Bibliotheca Patrum Margarini Bignæi leguntur. Quod tamen non de omnibus verum est. Quippe ille Anglicanus, qui extat ac etiamnum videtur in Bibliotheca Collegii Balliolensis apud Oxonienses, referente Thoma Jamesio in doctissimo illo scripto de corruptelis Scripturæ, Conciliorum, Patrum, part. secunda corrupt. 13. contrarium testatur, ubi ait, *manuscriptum id excurrere 700. & 800. annos: & Papistam quendam aut alium erasisse vocem Pauli, ac locum reliquisse vacuum. Sed fraudem protinus deprehendi, ubi membrana luci opponatur: tum enim evidentissime apparere litteras ac vocem Pauli. Addit ex eadem hac Ignatii sententia erasam similiter esse in Codice illo vocem Apostoli, ubi dicitur à Patre*, ET ALII APOSTOLI. Quin & tam in aliis vetustis Latinis Ignatii exemplaribus, quæ in Bibliothecis extant, quam in iis, ex quibus vulgatæ editiones expressæ sunt, quas in ipso papatu excusas nobis dederunt Faber Stapulensis, Judocus Clichtoveus & Symphorianus Champerius, non alii modo *Apostoli*, sed etiam *Paulus* ipse inter conjugatos recensetur. Licet vero nos ponamus, nondum tamen concedemus, illud καὶ τοῦ Παύλου à temeraria manu perperam insertum esse, nihilo tamen secius, etiam ipsorum Pontificiorum calculo, cetera Ignatii verba incorrupta sunt: sic enim disserte Gabr. Vazquez disp. 249. in tert. cap. 8. *quod*, inquit, *spectat ad alios Apostolos in universum, non video, quo pacto Scriptura Ignatii falsitatis insimulari possit. Sed neque Baronius, nec alius quisquam in eo textus corruptionem aut depravationem ostendunt.* Habemus ergo liquido & manifeste Petrum aliosque Apostolos in conjugio esse versatos. Nam id fuerit γάμοις προσομιλεῖν, ita προσομιλεῖν τῷ πολέμῳ l. 1. apud Thucydidem. num ergo P. Damiane & Corneli à Lap. Petrus ceterique Apostoli in Nicolaitarum censu hærent?

§. 7. At maxime vereor, ne ipsi vos hæreseos Nicolaitarum anquiri queatis. Audite enim Rupertum ordinis Benedictini Abbatem Tuitiensem, qui sub initium duodecimi seculi floruit, commentantem in Apocal. quumque in mentionem Nicolaitarum incidisset, eorum de promiscuo feminarum usu doctrinam suæ ætatis Clericis l. 2. accommodantem, *annon*, inquit, *illi doctrinæ vicinum hoc est, quod isti legitimum non volentes habere conjugium, utpote legibus Ecclesiasticis* (non dicit Apostolicis) *interdictum, ut sint sancti & mundentur, quia portant vasa Domini, nihilominus incontinentes sunt? immo deterius eo proruunt, imitantes connubia, quoties volunt, & qui nullum habent thorum licitum, dum sic evagantur, nullum confidunt rupisse conjugii vinculum. Fornicantur autem cum illis, & imitantur Beelphegor, quicunque exemplo talium ad incesta vel adulteria audaciores fiunt. Et tunc quidem miraculum fuit, quod aperuit Dominus os subjugalis muti, & animal hominis voce loquens redarguit Prophetæ insipientiam, qui hujusmodi consilium dedit: sed & nunc pæne illi simile fit, quando turba plebeia rectores Ecclesiæ clamoribus suis coarguit atque objurgat.* His affinia ibidem pluria leget, qui volet. *Symbolice* sane, reclamo Corneli à Lap. & *tropologice!*

§. 8. Sententia namque Ruperti, qui Clerici conjugio abstinent, & vagis libidinibus sese contaminant, suove exemplo quamplurimos ad patria perpetranda perpellunt, atque adeo præcipue, qui Clericos conjugio arcent, & interibi vagis libidinibus indulgere permittunt, quod apud Pontificios fieri nulla indiget probatione, Nicolaitarum doctrinæ quam proximi sunt. Nempe quemadmodum Nicolaitæ à legitimo conjugio adhorrebant, & interim scortationes promiscuosque congressus admittebant: ita quoque Papæ cultores devotissimi docent, sanctius esse, Clericos scortationibus operam dare, quam matrimonium capessere? ita Pontifex illarum indulgentiam passim, & in ipsa quidem sanctitatis arce & religionis, si diis placet, concedit, adeo, ut Mantuanus apposite de urbe Roma cecinerit:

I pudor in villas, si non patiantur easdem
Et villæ vomicas: urbs est jam tota lupanar.

Hoc vero, matrimonium scil. legitimum, ferre neutiquam potest spiritus hypocrita, etiamsi intercedant & obtestentur principes, reges & Imperatores, lasciviamque & turpitudines cœlibum lamentetur & detestetur universim populus Christianus. Vid. Frid. Spanhemii dubia Evangel. Dub. CXLV. p. 876. seqq.

§. 9. Alter error Nicolaitarum, qui nobis in Apocalypsi delineatur, est, idolothyta à Christianis sine ulla διακρίσει, nullave idololatriæ detestatione facta, citra aversationem idoli, comedi posse. Id quod tamen pernegat sacra pagina Actor. 15: vers. 29. Apoc. 2: 20. de qua tum temporis quæstione interrogatus Doctor gentium 1 Cor. 8. responsum dedit: quamquam idolum per se nihil sit, neque, quæ idolis immolata fuere, diis sint proprie dicata (nullus enim est præter unum illum verum DEUS) sed enim quum infirmiorum fratrum conscientiæ ante omnia ratio sit habenda, & mensæ Domini mensæque idolorum sive dæmoniorum participes fieri nequeamus, idolothytis h. e. immolatitiis sive carnibus sive aliis rebus, ut loquitur Augustinus contra Adimant. c. 14. abstineamus. Nec obstat, quod Christiani iis rebus bona vescebantur conscientia, quas Julianus apostata in macello diis suis & idolis lustrali aqua consecraverat. Nam, ut auctor est Theodoretus lib. III. cap. 15. vaferrimus ille homo, ut aliquos Christianis laqueos indueret, eosque idola deveneratos persuaderet, jussit Antiochiæ fontes omnes & omnia edulia, quales panes, carnes, olera, lustrari & diis consecrari, ut vel idolothytis vesci Christianos, vel fame interire cogeret. Itaque iis cibis, quia δι' ἑαυτοῦ οὐδὲν κοινόν, Rom. 14: 14. & salva quidem conscientia utebantur Orthodoxi, etsi, ut ait Theodoretus, *lugentes & gementes.* Addit Danæus notis in Augustin. cap. 5. de hæres. quod ista consecratio universalis ciborum omnium differat ab εἰδωλοθύτῳ, & re idolis proprio specialique sacrificio dicata.

§. 10. Et hi sunt errores potissimi Nicolaitarum, quos ex Apocal. petere licet. Antequam vero ad alios invisamus, notare allubescit de muliere, cujus in Apocal. c. 2: vers. 20. mentio fit, Jezabele, quænam illa sit. Fueritne femina una, an gens vel secta, interpretes variant. Epiphanius vult, hoc esse de Priscilla, Maximilla & Quintilla, fatidicis mulierculis, impuris Montani, qui se paracletum illum promissum mentiebatur, scortis vaticinium. Sed epistola sat aperte de Jezabele tunc grassante in Thyatirensi Ecclesia, non de olim grassatura loquitur. Et quæ ratio esset, ut hoc in loco agatur de rebus futuris, cum tamen ad ceteras omnes Ecclesias in hisce tribus capp. primis præcipue de præsentibus sermo sit? Andreas Commentator Græcus per tropum hæresin Nicolaitarum intelligit. Sed nec heic urgens aliqua caussa nos cogit à littera deviare. Quid enim opus erat, sectam Nicolaitarum tropo obscurare, quæ bis antehac verbis perspicuis à Filio DEI taxata fuerat? Neque hujus feminæ & illius, quæ cap. 17: vers. 18. dicitur magna civitas, est par ratio. Illa enim diserte dicitur significare multitudinem, immo Romam; de hac ne gry quidem. Alcasar Judæorum synagogam intelligit, at conjecturas habet frivolas, nec facile excogitatu est, cur Christus Judæos in feminam Jezabelem transformare nunc voluerit, quos prius vers. 9. nominatim condemnaverat. & cap. 3: 9. nominatim rursum perstringit.

§. 11. Verum duæ adhuc restant sententiæ, quæ rei propius accedunt. Una est, quam, Dionysio Carthusiano in Apoc. fol. 211. referente, aliqui tenuere, quod Jezabel fuerit hujus Episcopi uxor, quæ hæresi Nicolaitarum adhæserit, utpote quæ mulier audacius jactitare potuit, se esse prophetissam, tanquam Antistitis, & quidem tam sancti Antistitis conjunx. Quæ sententia confirmatur illâ Novi Testamenti, quam Henricus Stephanus procuravit, editione, ibi enim in margine vers. 20. legitur: ὅτι ὁ φεῖς τὴν γυναῖκα σου Ἰεζαβὴλ &c. (forsitan est σφάλμα typogr. ita ut pro ὁ φεῖς legendum ἀφεῖς, de quo tamen v. Grot. inter Criticos S.) Unde & translatio Alberti: *habeo adversus te quod sinis uxorem tuam &c.* Sed quum optimi Codices ita non lectitent, altera illa sententia, quæ est Cluveri, Paræi aliorumque præ omnibus verior nobis videtur, statuminans, præpotentem quandam, divitiisque abundantem fuisse feminam Thyatiris (dictis à Seleuco ob lætum natæ sibi filiæ nuncium) quæ Nicolaitis non tantum hospitium & vires suppeditarit, turpissimos suos errores disseminandi, sed & ipsa feminarum promiscuum usum, & idolorum festivitates licitas esse libertate Evangelica Christianis mentita fuerit, ac ne verbis fides deesset, aut aniles fabulæ censerentur, divinitus sibi revelatam esse harum abominationum indulgentiam, miraculis absque omni dubio adjectis, prætenderit. Dono sane prophetandi in Ecclesia vigente, (id quod Tertulliani adhuc ætate perduravit) feminisque etiam eo conspicuis, facile fuit fanaticis, sub prætextu prophetiæ muliebris, simpliciores captare. Ita enim Simon magus, testibus Irenæo l. 1. c. 20. p. 45. & Hieronymo tom. 3. fol. 115. c. ad Ctesiph. adversus Pelag. Helenam (Augustinus c. 1. hæres. vocat Selenen) mulierem quæstuariam, Montanus Priscillam & Maximillam Euseb. l. V. Histor. c. 16. prophetissas jactitarunt, spiritus maligni inspirationes & fallacias pro divinis oraculis venditantes.

§. 12. Vocatur autem hæc impostrix Jezabel propterea, quod Jezabeli Achabicæ malitia par esset. Uti enim hæc pessima venefica tyrannide plurimos Domini prophetas trucidavit populumque DEI seduxit. Sic impostrix ista prophetissam se mentiens & divinas revelationes jactitans, ad paganos cultus atque impuritates complures à pietate abducebat, atque saniora docentes procul dubio suis infestabat odiis, & si quæ sunt alia. Quæ Brightmannus in hunc locum disserit, possunt pluria ibidem videri. Nos tantum ea, quæ ad rem nostram spectant, sensumque litteralem exprimunt, producere voluimus.

CAPUT III.

De Ceteris Nicolaitarum erroribus.

§. 1.

Duobus Nicolaitarum erroribus, quorum in Apocalypsi mentio fit, collustratis, mulierque Jezabele perspecta, ceteros errores, qui passim à Patribus consignati fuere, brevibus perstringere haut abs re esse videtur, οὐκ εἰς τὸ χρᾶναι ἀκοὰς τῶν ἀκουόντων ἢ ἐντυγχανόντων, ἀλλ' εἰς τὸ τοῖς συνετοῖς ἀπέχθειαν μᾶλλον ἐργάσασθαι πρὸς αὐτοὺς, καὶ ἀποτροπὴν τῆς τῶν κακῶν ἐργασίας, *non ut audientium legentiumve sensus inquinemus, sed ut prudentioribus vehementius adversus illos odium, pessimorumque facinorum detestationem injicere possimus*, uti verbis utamur Epiphanii hæres. 25. l. 1.

§. 2. Statim autem ab initio notandum duximus, falsi quid Nicolaitis ex S. Ignatii epistola ad Philippenses p. m. 182. à nonnullis attribui; verba ejus ita se habent: ἐάν τις ταῦτα μὲν ὁμολογῇ, καὶ ὅτι Θεὸς λόγος ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι κατῴκει, ὢν ἐν αὐτῷ ὁ λόγος, ὥσπερ ἡ ψυχὴ ἐν σώματι (διὰ τὸ ἔνοικον εἶναι θεὸν, ἀλλ' οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχήν.) λέγῃ δὲ τὰς παρανόμους &c. Heic, inquam, putant Verlenius, Mæstræus aliique, introduci hæresin Nicolaitarum, quæ senserit, Christum habuisse divinam naturam, ἀλλ' οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχὴν sed *non humanam naturam.* Unde verba Ignatii ita ab illis acceptantur: *Si quis hæc confiteatur, & quod DEUS in humano corpore habitabat, verbum existens in ipso, sicut anima in corpore, & propter inhabitans verbum Christum esse DEUM, sed non fuisse in Christo animam humanam, & dicat illegitimos.* Sed falso ex hoc loco tale quid Nicolaitis adsignatur, verbave Patris minus accurate transfunduntur. Ignatius quippe hac in epistola dinumerat hæreses diversas, & condemnat eos, qui quidem in quibusdam articulis optime, in aliis vero pessime sentiebant, sicuti quædam exempla hujuscemodi mixtarum hæresium paullo prius præcesserunt. Ita & heic damnat hæresin Nicolaitarum, qui profitebantur quidem Christum esse DEUM, & in eo non hallucinabantur, docebant tamen illegitimos concubitus, & in hoc hæretice loquebantur. In quibus recte sentiebant hæretici illi, ostendit Ignatius his verbis: Ἐάν τις ταῦτα μὲν ὁμολογῇ καὶ ὅτι Θεὸς &c. usque ad hæc ἀλλ' οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχὴν inclusive. In quibus autem perverse, edocet his, λέγῃ δὲ τὰς παρανόμους &c. Quæ itaque præcedunt τὸ λέγῃ δὲ τὰς, ea omnia veram doctrinam, quam & Nicolaitæ κατά τι sive *secundum quid* tenebant, continent, atque oppositio veræ & falsæ doctrinæ semper indicatur ab Ignatio his voculis, μὲν & δὲ, verba igitur eum in modum sunt vertenda: *si quis hæc quidem confessus fuerit, & quia DEUS verbum in humano corpore habitavit, ita ut verbum in eo esset, sicut & anima in corpore est, quia scilicet DEUS inhabitabat illud, non autem quasi* (DEUS) *fuisset anima humana: dicat autem illegitimos &c.* Sic liquido patet, verba illa, διὰ τὸ ἔνοικον εἶναι Θεὸν, ἀλλ' οὐχὶ ἀνθρωπείαν ψυχὴν, esse declarationem illius, quod dixerat, verbum habitasse in humana natura, ut anima in corpore, ne videlicet verbum in corpore Christi loco animæ dixisse videretur, sed ut divinæ naturæ quandam similitudinem cum anima humana intercedere ostenderet. Taceam jam huncce errorem, Deitatem videlicet Christi loco animæ vel mentis (variant enim, teste Histor. Ecclesiast. pro Gymnasio Gothan. lib. III. cap. 3. sect. 3. p. m. 336. hac in re auctores) fuisse, primos Apollinaristas (dictos ab Apollinari, viro alias eruditissimo) demum seculo quarto fovisse. Quomodo igitur Nicolaitæ eum habere potuerunt, cum ipsorum tempestate nulla lis de isto fuerit? Qua de re videsis Notas Criticas Nic. Vedelii in h. l. p. m. 132. & 133. Sed & v. Usserii Diss. præfixam Ignatii ep. cap. 15. pag. 198.

§. 3. Multa tamen sunt, eaque gravissima, quorum Nicolaitas Irenæus anquirit lib. III. cap. XI. p. m. 155. inibi Nicolaitas multo prius Cerinthi errorem hominibus inseminasse commeminit, *nempe alium esse fabricatorem, alium autem patrem domini, & alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus Christum, quem & impassibilem perseverasse descendentem in JESUM filium fabricatoris, & iterum revolasse in suum pleroma, & initium quidem esse monogeni, λόγον autem verum filium unigeniti, & eam conditionem, quæ est secundum nos, non à primo DEO factam, sed à virtute aliqua valde deorsum subjecta & abscissa ab eorum communicatione, quæ sunt invisibilia & innominabilia.* Heic Irenæus præter ceteros Nicolaitarum errores refert, etiam hunc fuisse, videlicet, Jesum prius extitisse, dein Christum de superis in eum devenisse, rursum vero, puta tempore passionis, sive mortem Jesu moriente, revolasse in suum pleroma, atque adeo Christum impassibilem fuisse. Quod vero quam alienum sit à Christiana fide, nemo non videt. Si enim Christus fuit impassibilis in opere redemtionis, mors autem Christi est justificatio & vita peccatoris, & habemus redemtionem per sanguinem ipsius. E. nos non vere redemti sumus. Si non sumus vere redemti. E. nostræ miseriæ tantum illudetur, *vana erit prædicatio & exinanita fides nostra* 1 Cor. 15: 14. Nil dicam jam de hoc errore, quasi alius sit Jesus, & alius Christus, utpote qui jam dudum explosus est.

§. 4. Ni-

§. 4. Nicolaitæ hisce erroribus non contenti fuere, sed & alia, ut Epiphanius loquitur, *histrionica* de mundi ortu prodidere; sic enim Epiphanius libr. I. hæres. 25. de illis scribit: Λέγουσι (Νικολαῖται) ὅτι σκότος ἦν καὶ βυθὸς καὶ ὕδωρ, τὸ δὲ πνεῦμα ἀνὰ μέσον τούτων διορισμὸν ἐποιήσατο αὐτῶν. Τὸ δὲ σκότος ἦν χαλεπαῖνόν τι καὶ ἐγκοτοῦν τῷ πνεύματι, ὅπερ σκότος ἀναδραμὸν περιεπλάκη τῷ πνεύματι. Καὶ ἐγέννησέ φησι, τινὰ Μήτραν καλουμένην, ἥτις γεννηθεῖσα ἐνεκίσσησεν ἐν αὐτῷ τῷ πνεύματι. Ἐκ δὲ τῆς μήτρας προεβλήθησάν τινες τέσσαρες Αἰῶνες, ἐκ δὲ τῶν τεσσάρων Αἰώνων ἄλλοι δεκατέσσαρες, καὶ γέγονε Δεξιά τε καὶ Ἀριστερά, φῶς καὶ σκότος. Ὕστερον δὲ μετὰ πάντας τούτους προβεβλῆσθαι τινα αἰσχρὸν αἰῶνα, μεμίχθαι δὲ τοῦτον τῇ μήτρᾳ τῇ ἄνω προδεδηλωμένῃ. Καὶ ἐκ τούτου τοῦ Αἰῶνος τοῦ αἰσχροῦ καὶ τῆς μήτρας γεγονέναι θεούς τε καὶ τοὺς Ἀγγέλους, καὶ Δαίμονας καὶ ἑπτὰ πνεύματα, i. e. Interprete Dionysio Petavio, *dicunt initio tenebras ac voraginem & aquam fuisse, quæ à se invicem Spiritus secreverit. Verum tenebræ contra spiritum iracundia ac furore percitæ, sursum excurrentes, cum eo congressæ sunt. Inde matrix nescio quæ genita prodiit, quæ ejusdem spiritus consuetudinem appetiit. Ex eaque IV. Æones producti sunt. Ab iis XIV. alii procreati. Item dextra sinistraque, nec non lumen ac tenebræ. Secundum hos omnes turpem quendam Æonem editum narrant, eumque cum ea, quam paulo ante diximus, Matrice coiisse: & ab utroque Deos atque Angelos & Dæmones ac septem spiritus ortum habuisse.* Gemina ferme habent Philastrius, Episcopus Brixiensis hæres. 33. pag. 16. & Tertullianus de præscript. hæres. cap. 46. conf. Augustinum de hæres. ad Quodvultdeum, Carthaginiensis Ecclesiæ Diaconum cap. 5. neque non Irenæum l. c. queis absurdis postmodum compluria adjecit hæreticus Valentinus. Hinc si Æonum genealogia conferatur cum genealogia gentilium Deorum, maxima elucebit similitudo, quam Micrælius in Syntagm. Histor. Eccles. l. II. sect. 1. p. 156. per schema aliquod expressit.

§. 5. Nicolaitas itaque πολυθεΐαν neutiquam aversatos, sed, uti gentes eo promtius ipsorummet διδαχὴν deoscularentur, de novo in Ecclesiam DEI eam introduxisse, ex Epiphanio liquet. Idem vero eos egregie refutat demonstratque, quam absurda sit istorum sententia. Ejus verba, quia illustria sunt, simulque hic error refellitur, ipsa adducimus. Alloquitur autem Nicolaum ita: Τί εἴπω πρὸς σε, ὦ Νικόλαε; τί διαλεχθήσομαι; πόθεν ὦ οὗτος ἥκεις φέρων ἡμῖν αἰσχρὸν αἰῶνα, καὶ ῥίζαν πονηρίας, καὶ Μήτραν γεννητικὴν, καὶ θεοὺς πολλοὺς καὶ δαίμονας; ὁ γὰρ Ἀπόστολος φήσας. Εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, οὐκ εἶναι τούτους ὑποφαίνει. Ἐν τῷ γὰρ εἰπεῖν, λεγόμενοι, ἔδειξεν αὐτοὺς ἐν τῷ λέγεσθαι μόνον εἶναι, μὴ ὄντας τῇ ὑποστάσει, ἀλλὰ διὰ τῆς τινῶν ὑπολήψεως. Ἡμῖν δὲ φήσιν, εἷς Θεὸς, δηλονότι τοῖς τὴν γνῶσιν τῆς ἀληθείας ἐπισταμένοις, καὶ οὐκ εἶπε λεγόμενον Θεὸν, ἀλλὰ ὄντα Θεόν. εἰ δὲ ἡμῖν εἷς Θεὸς οὐκέτι πολλοὶ θεοί. Καὶ ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ φησίν. ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, ἵνα ἀνατρέψῃ τὴν διάνοιαν τῶν τὰ μυθώδη λεγόντων, καὶ νομιζόντων εἶναι πολυθεΐαν. Εἷς γὰρ ἡμῶν ἐστὶν ὁ Θεὸς, Πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα. Τρεῖς ὑποστάσεις, μία κυριότης, μία θεότης, μία δοξολογία, καὶ οὐ πολλοὶ θεοὶ, hoc est: *quid tibi, Nicolae opponam? quidnam disputabo? unde nobis turpem illum nescio quem Æonem ac nequitiæ radicem, & fœcundam illam Matricem, ac denique plures Deos ac dæmones invehis? nam quod ad Apostolum attinet, cum iis verbis utitur: si sunt, qui appellantur Dii, eos nusquam esse significat. Cum enim qui appellantur, dicit, sola illos appellatione constare, cum re ipsa minime subsistunt, nec aliter, quam quorundam opinione docuit. Nobis vero Deus, inquit, unus est, nobis, inquam, qui veritatis sumus cognitione præditi. Nec, qui appellaretur, sed qui revera esset Deus, adjunxit. Quod si unus nobis est Deus, plures omnino esse non possunt. Accedit & Christi in Euangelio dictum illud: ut cognoscant te solum verum Deum. Quo istiusmodi hominum, qui fictas fabulas ac multiplicem divinitatem commenti sunt, sensus ac cogitationes everteret. Unus enim nobis est Deus, Pater, Filius & Spiritus S. personæ tres, una dominatio, divinitas una, una laudis omnibus gloriæque prædicatio: proinde nequaquam plures dii sunt.* Aurea sane verba!

§. 6. Angelos quoque, non Deum, testibus Augustino l. d. & B. Dn. D. Dieterico in Catech. p. m. 311. hæc inferiora condidisse, atque ab iis denominari deblaterant iidem hæretici. Hos autem diverso modo & gradu distribuunt, quod notent sibi ii, qui nobis Angelorum Hierarchiam describunt, unde suæ matæologias initia hauserint. Atque eosdem peregrinis nominibus atque barbaris primi appellitarunt, qualia sunt: *Barbelo, Jaldabaoth, Prunicum, Caulaucauh* (Philastrius nominat hunc *Caulæcaum*) de quibus ductum Epiphanii secuti, ne quid omisisse videamur, ordine dicturi sumus.

§. 7. Βαρβηλὼ putant Nicolaitæ, τινὰ, ἣν ἄνω φάσκουσιν εἶναι ἐν ὀγδόῳ οὐρανῷ. ταύτην δὲ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς προβεβλῆσθαί φασι. Μητέρα δὲ αὐτὴν εἶναι οἱ μὲν τοῦ Ἰαλδαβαὼθ λέγουσιν, οἱ δὲ τοῦ Σαβαώθ. Vertit Petavius, *Barbelonem esse quandam celebrant, cui in octavo cœlo domicilium attribuunt. Hanc à patre productam affirmant: Matremque alii Jaldabaoth, alii Sabaoth faciunt.* Et post paullo: Ταύτην (Βαρβηλὼ) ἀεὶ φαίνεσθαι τοῖς ἄρχουσιν ἐν εὐμορφίᾳ τινὶ, καὶ ἀποσυλᾶν τὸ ἐξ αὐτῶν σπέρμα διὶ ἡδονῆς καὶ ἐκχύσεως, ἵνα δῆθεν τὴν αὐτῆς δύναμιν τὴν εἰς διαφόρους σπαρεῖσαν αὖθις πάλιν ἀνακομίξῃ. *Eandem* (Barbelonem) *porro venusta specie principibus apparere, ab iisque semen per voluptatem ac profluvium auferre; nimirum ut vim suam in diversos distractam iterum recuperet.* Ἕτεροι δὲ, inquit porro, Ἰαλδαβαὼθ δοξάζουσι φάσκοντες αὐτὸν εἶναι πρῶτον υἱὸν τῆς Βαρβηλώ. Καὶ διὰ τοῦτο, φησι, δεῖν ἄγειν αὐτῷ τὴν τιμὴν, ὅτι πολλὰ ἀποκάλυψεν. Ὅθεν καὶ βιβλία τινὰ ἐξ ὀνόματος τοῦ Ιαλδαβαὼθ ποιητεύοντες ἐκτυποῦντες καὶ ὀνομασίας μυρίας βαρβαρικὰς ἀρχόντων, φησὶ, καὶ ἐξουσιῶν καθ' ἕκαστον οὐρανὸν ἐναντιουμένων τῇ τῶν ἀνθρώπων ψυχῇ, *Alii autem Jaldabaoth colunt, eumque esse Barbelonis priorem natu filium prædicant, ideoque habendum ei esse honorem, inquiunt, quod recondita multa patefecit. Hinc est, quod certos libros Jaldabaoth nomine inscriptos ac commentitios habent, nec non barbaras principum, ut asserunt, ac potestatum per unumquodque cœlum appellationes innumeras, qui omnes hominum animis sunt contrarii.*

§. 8. Verum Lambert. Danæus Commentar. in Augustin. cap. 5. rem aliter exponit, verbisque Epiphanii, modo à nobis adductis, plane contrariatur. Verba ipsa apponimus: *Barbelo esse, qui octavo cœlo præsit ex Peripateticorum decretis. Est autem Barbelo filius veteris vel vetustatis, cujus mater sit Jaldabaoth. Est autem Jaldabaoth mater patrum, vel genita à Patribus. Eandem Sabaoth appellant, est autem exercitus.* Hic Danæus usurpat vocem Barbelo in genere masculino, cum Epiphanius semper in feminino eam ponat, eique tribuitur filius septimi cœli. Deinde ait Danæus, Barbelonis matrem esse Jaldabaoth: at nec hoc Epiphanii verba admittunt; sunt autem hæc: μητέρα δὲ αὐτὴν εἶναι οἱ μὲν τοῦ Ἰαλδαβαὼθ λέγουσιν, οἱ δὲ τοῦ Σαβαώθ. Nam in Græco vox Jaldabaoth non respondet voci *matrem*, sed ab hac dissona ponitur in casu genitivo, nempe τοῦ Ἰαλδαβαὼθ, & potius, contrarium patescit, ipsam nimirum Barbelonem esse matrem Jaldabaothi, seu Sabaothi, non vero Jaldabaoth, seu Sabaoth matrem Barbelonis. Immo ipse Epiphanius commemorat, Nicolaitas quosdam dixisse, Jaldabaoth esse πρῶτον υἱὸν τῆς Βαρβηλώ. Quæ diversitas est, opinor, ex diversis Codicibus.

§. 9. De Prunico eadem absurda Nicolaitæ, quæ de Barbelone habuere, fovent: sic enim inquiunt, τῆς Προυνίκου (Petavius legit Προυνείκου) τὴν δύναμιν συλλέγομεν ἀπὸ τῶν σωμάτων διὰ τῶν ῥευστῶν. Φημὶ δὲ γονῆς καὶ καταμηνίων, *Prunici vires ex corporibus profluviisque colligimus: ex semine nimirum ac menstruis.* Vocabulum *Prunicum* Epiphanius (præter quem neminem ejus notionis, quod sc. idem sit, quod πορνεύεσθαι vel φθείρειν mentionem fecisse vult Petavius in notis Epiphanianis) ipsemet enodat. Προύνικον, inquiens, ἐὰν εἴπωσι, τὸ ὅλον ἐστὶν ἡδυπαθείας καὶ ἐκκαρίας ἐξεύρεσις. Πᾶν γὰρ τὸ προυνικευόμενον λαγνείας ὑποφαίνει τὸ ἐπώνυμον, φθορᾶς δὲ τὸ ἐπιχείρημα. Ἐπὶ τοῖς γὰρ τὰ σώματα διακορεύουσιν, ἑλληνική τις ἐστὶν ἡ λέξις τὸ ἐπρουνίκευσε (Petavius mavult προυνικεῦσαι) ταύτην, ὅθεν καὶ ἐν μύθοις ἀναγράφουσιν, οἱ τὰ Ἑλληνικὰ συγγραψάμενοι Ἑλλήνων ἀπατεῶνες, περὶ κάλλους λέγοντες οὕτως, ὅτι κάλλος Προύνικον. id est, *Cum Prunicum nominant, nihil ea vox aliud, quam voluptatum excogitatas illecebras indicat. Nam quicquid προυνικευόμενον dicitur, id venereæ libidinis significationem & tentatam ab aliquo corruptelam demonstrat. Nam ad eorum facinus, qui puellis stuprum offerunt, Græcorum usitata vox est,* ἐπρουνίκευσε ταύτην, h. e. *stuprum huic obtulit. Unde etiam impostores illi, qui de rebus Græciæ scripserunt, cum de pulchritudine mentionem faciunt,* κάλλος *προύνικον appellant.* Hæc Epiphanius. Ceterum Προύνικον vulgo à πρὸ & ἐνείκω deducunt, aut à πρὸ & νεῖκος. Hesychio autem & Suidæ *bajulum* & *mercenarium* significat. Pro re venerea quoque apud eundem Hesychium accipi videtur. Quæ posterior significatio cum Epiphanii notatione convenit.

§. 10. Superest Caulaucauch, vox sane ridicula, quam ex Esaiæ cap. 28: vers. 10. 13. desumtam existimat Epiphanius: verba ipsius notatu digna sunt: Καυλαυκαὺχ ἐν τῷ

Hoxita

Ησαΐα γέγραπται, λέξις τίς ἐστι ἐν τῇ δωδεκάτῃ ὁράσει, ἔνθα λέγει. θλίψις, ἐπὶ θλίψει (LXX. interpretes habent θλίψιν) ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι. ἔτι μικρὸν προσδέχου. Ὡς καὶ αὐτὰ τὰ Ἑβραϊκὰ ῥήματα πλειότατα ἐνταῦθεν παραθήσομαι αὐταῖς λέξεσιν, ὡς ἐστὶ γεγραμμένον. Τὸ γὰρ σαυλασαυ ἑρμηνεύεται θλίψις ἐπὶ θλίψιν. Καυλακαυκ καυλακαυ (procul dubio legendum καυλακαυκ) ἐλπὶς ἐπ' ἐλπίδι. Ζιηρσαμ, ζιηρσαμ, ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρὸν προσδέχου, h. e. *vox illa Caulaucauch apud Esaiam scripta legitur in duodecima visione, cum ita loquitur: Tribulationem super tribulatione, spem super spe: adhuc paululum, paululum adhuc expecta. Quare ipsamet Ebraica verba totidem, ut illic leguntur descripta, syllabis hoc loso subjiciam. Quippe Tsaulatsau, Tsaulatsau tribulationem super tribulationem significat, Caulacau spem super spem, Zeerscham, Zeerscham, adhuc paululum, paululum adhuc expecta.* Quam deductionem rejectat Danæus in Augustin. cap. 4. sed minus recte. Non solum enim Epiphanius hanc notationem adfert, sed & Hieronymus illis ipsis Esaiæ verbis abusos hæreticos Nicolaitas esse testatus, *Hisque verbis*, ait, *abuti solet immundissima hæresis apud simplices quosque atque deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod sc. qui hæc verba cognoverit, & in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna cœlorum.* Ebraica quidem in Esaia à LXX. Senioribus, quorum interpretatione Epiphanius utebatur, discrepant, sic enim leguntur: צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם *præceptum ad præceptum, spes ad spem &c.* vel *manda remanda, expecta reexpecta.* Quod de sacrilega mimesi ac dicacitate Judæorum interpretatur laudatus Hieronymus. At LXX. θλίψιν ἐπὶ θλίψιν προσδέχου, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρὸν, videntur autem צר pro צו legisse. Alii censent, Nicolaitas impurissimi Dei sui nomen Καυλαυκαυχ è Psalm. 29. sumsisse, ubi scriptum est קול הכח *vox robusta.* Sed prior derivatio nobis probabilior videtur. Etiam hunc Caulaucauch juxta Prunicum mulierem veneratos esse Nicolaitas, prodit Nicetas Choniates, magnus olim, ut Possevinus in Apparatu S. habet, Logotheta secretorum. Adhibebant autem hæc nomina, *ut auditoribus suis*, veluti loquitur Philastrius hæres. 33. *terrorem incuterent*; *quæ tamen*, uti refert Augustinus, *prudentibus risum potius facerent, quam timorem.* Consule Baron. ad annum Christi LXVIII. num. 12. pag. 832. Centuriat. Magdebb. Cent. I. l. II. cap. 5. pag. 485. & 486.

§. 11. Denique Nicolaitæ, ut enarrat Philastrius, Psalterium Davidis, ceu Cantica humana habuerunt. Euangelium insuper consummationis suas visiones inanes, plenasque fallaciæ, & somnia diversa stolide putarunt: quemadmodum hodiernum in diem Anabaptistæ jactare talia solitant. Et tantum de fœdis Nicolaitarum erroribus.

CAPUT IV.

De Nicolaitis Gnosticis.

§. 1.

QUanquam hæresis hæc Nicolaitarum in primitiva Ecclesia tanquam gangræna longe lateque serpserit, ejusque jam Pauli tempore sparsa fuerint semina, uti ex Rom. 14: 15. 2 Cor. c. 4: 2. & 2 Tim. 3: 6. haut obscure colligitur, tamen non diu, intellige sub hoc titulo, narrante Eusebio l. III. Histor. Eccles. c. 26. permansit, quippe Ecclesiæ in refutandis & excommunicandis hæreticis, sicuti Centuriat. Cent. I. l. II. c. 7. p. 158. perhibent, mutuas navarunt operas, & adversum eos nominatim Irenæum, Hippolytum Martyrem, Clementem Alexandrinum, & Origenem Adamantium pennas suas evibrasse Theodoretus l. III. fabul. hæretic. affirmat. Hoc conspicientes callidi Nicolaitæ, nil aspernabantur magis, quam Nicolai cognomen, eo quod facile imposturæ convinci potuerint, inde rursum ad rem turpissimam obtegendam, omnium pulcherrimo quæsito nomine, *Gnosticos* sese κατάγνωσι, ut eis apprime nomen indit Epiphanius, appellarunt. Gnosticorum enim appellatio eximium quendam, atque exquisitum animi statum ac sanctitatis significat, ut ex Clemente Alexandrino, aliisque colligere licet. Namque apud illum lib. I. Strom. pag. m. 298. d. κυρίως Gnosticus sumitur, qui παντοδαπῆς σοφίας ἔμπειρος, *omnigena multitudine sapientiæ præditus est.* Γνωστικῆς δυνάμεως autem lib. VII. Strom. pag. m. 701. c. ubi imprimis de Gnosticis illi sermo est, tria ἀποτελέσματα constituit laudatus Pater: nimirum τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα. δεύτερον, τὸ ἐπιτελεῖν ὅ, τι ἂν ὁ λόγος ὑπαγορεύῃ. καὶ τρίτον, τὸ παραδιδόναι δύνασθαι θεοπρεπῶς τὰ παρὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐπικεκρυμμένα, *primo res nosse. secundo, id efficere, quod verbum seu ratio dictaverit: tertio, ea quæ occulta fuerant apud veritatem, prout DEI majestati convenit, tradere posse.* Gnostici itaque sunt homines perfecta ac singulari quadam virtute ac divinarum rerum scientia imbuti, nec ea quidem vulgari, sed abstrusa reconditaque. Unde illi, qui Nicolai nomen aversati arcanas quasdam nugas & execranda, nescio quæ, figmenta, veluti mysteria traderent, Γνωστικοὶ se ab exquisita illa rerum profundissimarum notitia dici voluerunt. Quo spectant Augustini verba; *Gnostici*, inquientis, *propter excellentiam scientiæ sic appellatos esse vel appellari debuisse gloriantur.* Erant autem hi inscientissimi ita scientia inflati, ut præ se ceteros omnes rudes esse & agrestes prædicarent, quin & super ipsum Apostolum Paulum sese extollerent. Quo de audiendus est Clemens Alex. lib. I. Pædag. cap. 6. sub finem p. m. 107. c. Ἐμοὶ, dicit θαυμάζειν ἔπεισιν, ὅπως σφᾶς τελείους τινὲς τολμῶσι καλεῖν καὶ γνωστικοὺς ὑπὲρ τὸν Ἀπόστολον (Παῦλον) φρονοῦντες, φυσιούμενοί τε καὶ φρυαττόμενοι. *Mihi subit nonnunquam admirari, quomodo audent quidam seipsos vocare perfectos & Gnosticos, h. e. cognitione præditos, plus de se quam Apostolus* (Paulus) *sentientes, inflati & exultantes.* Quare iidem ἀληθῶς Christianorum doctrinam puerilem abjectamque nominarunt, prout rursum testatur laudatus Pater ab initio cap. 6. lib. I. Pædag. οὐ παῖδες ἡμεῖς καὶ νήπιοι πρὸς τὸ παιδαριῶδες καὶ εὐκαταφρόνητον τῆς μαθήσεως προσηγορευόμεθα, καθὼς οἱ εἰς γνῶσιν πεφυσιωμένοι διαβεβλήκασιν. i. e. *non nos pueri & infantes appellati sumus, quod sit puerilis & contemnenda nostra disciplina, ut nos calumniati sunt, qui sunt inflati scientia.*

§. 2. Quos tamen nonnulli ex Carpocrate natos putant. Hieronymus vero de Script. Eccles. & tom. 3. fol. 115. epist. ad Ctesiph. advers. Pelag. à Basilide Gnosticos esse vult; sicut & Eusebius in Chronico. Alii Valentinum fuisse volunt auctorem. Sed omnes hæ sententiæ, si velimus loqui de Gnosticis in universum, stare queunt; quippe, uti eruditissimè observat Dionys. Petavius in notis Epiphan. Gnosticorum hæresis non una simplexque fuit, sed universi fere, quos *fabulones* Augustinus vocat, quique, ut idem ait, fabulas vanas, easque longas & perplexas contexuerunt, Gnosticorum appellatione censentur. Unde Epiphanius hæresi XXXI. sub initium decem genera facit, à totidem illorum propagata ducibus, quos partim eodem illo loco, partim hæresi XXVII. percenset, sunt autem hi, *Simon, Menander, Saturnilus* (alii *Saturninus*) *Basilides, Nicolaus, Carpocrates, Valentinus, Colorbasus, Ptolemæus & Secundus.*

§. 3. Hi quibusvis aliis hæreticis vaniores & turpiores extitere, atque ab aliis per diversas terrarum partes aliter atque aliter nuncupati sunt, *Phibionitæ* scilicet, *Stratiotici, Zachæi, Levitici, Coldiani*, nonnulli eos *Borboritas* vocitarunt, quasi *cœnosos*, ob nimiam illam, quam in suis sacris dicebantur exercere fœditatem atque turpitudinem. Damasceno vocantur ἠθικοπρόσκοπτες, quasi *morum & honestatis irrisores.* Et licet scortari ipsis indifferens fuerit, id tamen non procreandorum liberorum, sed libidinis suæ explendæ caussa factitarunt. Unde si præter sententiam acciderit, ut prægnans facta fuerit mulier, detractum fœtum accipientes in mortario quodam pistillo tutudere, admixtoque melle, pipere & aliis quibusdam aromatibus ac unguentis, ad avertendam nauseam, sic congregati devorarunt contusum infantem, atque sic humanæ carnis esu peracto, dein preces fuderunt ad DEUM, & hoc perfectum pascha nominarunt: vel, ut Nicetas in Thesauro lib. IV. cap. 2. habet, gratias DEO egerunt, quod à principe concupiscentiæ delusi minime fuerint. ô cœli pudor! adeo homines potuisse sui dememinisse! cum nec barbarissimi gentici, (uti loquar cum Tacito) quemadmodum hi sceleratissimi, tale quid meditari, ne dum perpetrare ausi fuerint.

§. 4. Enimvero, quæ de Nicolaitarum Gnosticorumque fœditate atque immanitate ex Clemente Alexandrino, Eusebio, Epiphanio, Augustino, Philastrio, aliisque attulimus, ea non modo in dubium vocat, sed etiam falsa esse judicat Desiderius Heraldus notis ad Minutium Felicem pag. 76. & in odium Sectarum illarum ab hominibus perverse religiosis, qui DEI opus mendaciis provehi posse existimarent, conficta. Argumentum ejus est, quod cum calumnia ista omnibus Christianorum apologiis sit confutata, nemo tamen inventus sit, qui ejus immanitatis sectam ullam hæreticorum vel levissima suspicione asperserit: neque enim futurum fuisse, ut de hujusmodi Pseudo-Christianis plane tacerent scriptores Apologeticorum. Eandem caussam copiosius prosequitur, & defendit pl. Reverendus atque Excellentissimus Auctor

Diatrib.

Diatrib. de Calumniis in veteres Christianos §. 34. pag. 65. seqq. Longe tamen modestior est, quam Desiderius Heraldus; quippe qui sententiam suam judicio ac decisioni aliorum lubentissime commissurum se profitetur.

§. 5. Et primo quidem ait Auctor Diatr. notum esse, iis, qui pro veteribus Christianis Apologetica scripserint, in more positum esse, ut, quoties flagitii alicujus rei agantur fideles, ad quod ipsis impingendum ansam dederint hæretici, fateantur, esse quidem nonnullos, qui ejusmodi sceleribus se contaminarent, sed illos non nisi nomen cum veris Christianis commune habere, nec pro fratribus ab iis ullo modo agnosci, quin potius pro Diaboli organis & mancipiis haberi. Jam si Gnostici Thyesteas cœnas agitassent, si Oedipodeos concubitus admisissent, quid caussæ, quod ex omnibus, qui Christianorum susceperint patrocinium, ne unus inveniatur, qui ejusmodi scelera in Gnosticos transferre ausus fuerit? Neminem vero commodius id præstare potuisse, quam Justinum Martyrem in Apologia ad Antoninum Pium; at tantum abesse, ut id fecerit Justinus, ut potius conceptis verbis profiteatur, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carnium vorationem se nescire. Cæteros quoque Apologetas, ut Minutium Felicem, & Tertullianum, haud obscure in scriptis suis innuere, de infanticidio, aut nefandis hæreticorum epulis sibi nihil innotuisse.

§. 6. Porro contendit idem, Ecclesias Lugdunenses & Viennenses in epistola quadam testari, se non credere ἀνθρωποφαγίαν & incestos concubitus ab hominibus unquam perpetratos fuisse, quales objiciebantur Christianis. Si vero Gnostici & Nicolaitæ ista scelera admisissent, fideles in Gallia nunquam scripturos fuisse ad Ecclesias per Asiam & Phrygiam, se non credere, tale quid unquam ab hominibus esse perpetratum.

§. 7. Denique & illud considerandum proponit, quod auctores illi, qui tanta scelera hæreticis assignant, voculis *perhibentur, dicunt*, in historia sua utantur. At his voculis haud obscure indicari, se nonnisi ex vulgari rumore accepisse, quæ de infanticidio & nefario concubitu ad posteros transmiserint. Immo reperiri è quarto quintoque seculo Scriptores, eosque non pœnitendos, qui plane in dubium vocent, quod de nefandis Gnosticorum cœnis narretur. Et hanc in rem laudat Hieronymum, Theodoretum, & Auctorem quendam anonymum.

§. 8. Hæc sane argumenta quum initio legerem, adeo me affecerunt, ut fere in sententiam eandem pedibus quasi ivissem. Unde etiam ante triennium corollarium quoddam Disputationi illi, quam de Reservationibus Mentalibus adversus Jesuitas conscripseram, adnexi, in quo Thyesteas epulas & Oedipodeos concubitus, qui Gnosticis ab Epiphanio, Augustino aliisque adscribuntur, exercitii gratia, in dubium vocavi, eo quidem consilio, ut quid solidi contra speciosa illa argumenta Kortholtiana excipi posset, exinde perspicerem. Qui scopus tum temporis arrisit aliis, aliis displicuit. Postea quum à quibusdam rogarer, ut præsentem Dissertationem de Nicolaitis, quam ante decennium & quod excurrit Jenæ ventilaveram, denuo typis exprimendam curarem, hanc sententiam pensius curatiusve perquirere in animum induxi. Sed si, quod res est, dicendum, diu heic hæsitavi. Id quod & Incomparabili Viro DN. JACOBO THOMASIO, in Schediasmate Historico pag. 34. accidisse animadverti. Nihilo tamen secius quum animum ad omnes cogitationes verterem, quum Irenæum, Epiphanium, Clementem Alexandrinum, Justinum, Tertullianum anquisitius evolverem, quum argumenta opposita secreta æstimatione diligentissime mecum perpenderem, scelera illa, quæ Nicolaitis, Gnosticis, aliisque ejusdem farinæ hæreticis ab Epiphanio aliisque patribus adjudicantur, minime in dubium vocanda esse judicavi. Ea tamen, quæ dicturus sum, lubentia lubentius doctiorum judicio committo, nec quicquam de insigni illa fama, qua laudatus Auctor Diatribes claruit, detrahere expeto. Non ea præditus sum indole, ut in dissentientes gravius invehar, ut eos immitius tractem, aut conviciis proscindam.

§. 9. Et quidem durum esse videtur, de sceleribus illis, quibus Nicolaitæ Gnostici, aliique hæretici collutulati leguntur, tot seculorum fidem temere sollicitare. Etenim nemo fidelium facile fuit olim repertus, quum spurcissimi hi hæretici tam scelestam vitam vixerint, qui de ipsorum nefandis flagitiis dubitaverit, aut eadem falsa esse dixerit. Jam vero quod per tot secula universus orbis Christianus pro vero habuit, quod tot gravissimi juxta & sanctissimi patres unanimi ore testantur, quod tot vetustissimi monumenta perspicue indicant, facilius eludere, quam evertere quis potest. Quid tandem quæso in universa historia certum censeri poterit, si tot Christianorum, tot seculorum consensum, hinc inde conquisitis ratiunculis oppugnare liceat? nonne maxime injurii in sanctissimos Patres esse videmur, quod ipsos mendacii anquirere velimus? num ita mentiendi libidine abreptos esse credemus? num tam spurcissima facinora ab ipsis excogitata dicemus? nonne fidem habere solemus iis, qui rem oculis suis lustrarunt, si modo homines sint digni fide? Atqui Epiphanius non solum sub initium operis sui pronuntiat, ea, quæ de hæreticis conscripserit, partim ab ipso è doctrina ac lectione hæreticorum cognita, partim auditione hominum fide dignissimorum percepta, partim etiam auribus ipsis oculisque subjecta fuisse; sed nominatim quoque de Gnosticorum hæresi & libris pag. 99. & 100. edit. Petavii testatur, se horum immania scelera & vivendi rationem ex ipsorum ore, eadem usu ac consuetudine hausisse, se accurate didicisse, se hominum, fide dignissimorum, testimonio usum fuisse; sibi sæpe numero, cum florenti adhuc ætate esset, à fœminis impudicis, Gnosticorum hæresi infectis, insidias fuisse præparatas. Quid quæso heic caussæ est, ut Epiphanio fidem derogemus? nonne malitiosissimum egisset obtrectatorem, si talia facinora Gnosticis affinxisset? nonne impudentissimi mendacii convinci ab omnibus potuisset? nonne summa fuisset malitia, quod scripserit, se ἐκ σώματ@ τῶν ταύτῃ ἐπιχειρέντων φύσέ αὐτὰ αὐτοπροσώπως ἐνηφθῆσθαι, i. e. *ex ipsomet eorum, qui hanc hæresin ex instituto tractant, ore ac magisterio didicisse.* At quis bonæ mentis ejuscemodi quid de sanctissimo & veritatis amantissimo Patre Epiphanio suspicari, ne dum dicere vellet? Præsertim quod hæresi 48. pag. 416. exsertim moneat, se minime talem esse virum, qui prava quædam & absurda eo confingat studio, ut ad hæreticorum invidiam iis adscribat, eodemque, quo illi crimine, teneatur, qui veri nihil adferunt, sed quæ nunquam aut audierint, aut viderint, in medium adducunt. Equidem Epiphanii credulitatem Casaubonus, licet in alia re versans, notat; *quem res*, inquit, *arguit ipsa, levibus auditiunculis, nescio unde acceptis, facile nimis aliquando finem habuisse.* Exerc. XV. ad Baron. sect. 7. p. 251. Sed num hæ leves auditiunculæ sunt censendæ, si quis hæreticorum flagitia ex ipsorum monumentis à se lectis perspexerit, aut viros fide dignos adduxerit, aut ipsos insuper talium patratores, in quos incidens, & per lubricam ætatem ab eorum fœminis ad societatem scelerum invitatus, ex ore sua facinora narrantium αὐτοπροσώπως hæc audierit? Num ejus relatio in dubium vocanda est, qui accurate cuncta ordine cognovit? Quoties Epiphanius dicit, se pudore affici, si Gnosticorum scelera commemoret? quoties DEUM rogitat, ne quis in cœnum illud demergatur; neve animum suum fœdissima hæc impuritatis labes inficiat? quoties protestatur, se invitum hæc Gnosticorum flagitia recensere? se quadam dicendi necessitate constringi, ne quid eorum, quæ insunt revera, dissimulasse videatur; veteri tamen, ne Gnosticorum detestandis flagitiis patefactis, quenquam aut inficiat, aut exstimulet, & ad illa curiosius indaganda, faces iis subjiciat, qui voluptatum ac cupiditatum illecebris adducuntur? quoties ait, se magno adfici dolore, se trahi in admirationem, quod Diabolus Gnosticorum mentes, & corda, manus, ora, corporaque pariter atque animos adeo inquinare possit? Quæ omnia satis superque indicant, Epiphanium Gnosticorum flagitia bona fide recensuisse, ac ne minimam quidem mendacii in ipsius verbis speciem deprehendi posse.

§. 10. Immo & ipse Tertullianus haud obscure immania Nicolaitarum facinora taxare videtur; Etenim libro de nuptiis Tomo 3. edit. Moreau. pag. 221. vocitat eos *assertores libidinis atque luxuriæ.* Qui ergo sunt assertores libidinis atque luxuriæ, qui promiscuum fœminarum concubitum docent; num illos ab Oedipodeo vel incesto concubitu immunes esse arbitramur? Præterea docet Tertullianus, de præscript. Hæreticorum Tom. I. cap. 46. pag. 415. quam doctrinam foverint Nicolaitæ, scilicet ipsos dixisse, tenebras in concupiscentia luminis & quidem fœda & obscœna fuisse. Hinc Æones, quondam turpitudinis natos, & complexus, & permixtiones execrabiles obscœnasque conjunctas, & quædam ex ipsis adhuc turpiora; natos præterea dæmones & deos, spiritus septem, & satis sacrilega pariter & fœda, quæ referre erubescat. Gemina tradit Epiphanius hæresi XXV. & XXVI. ac insimul indicat, ex nefanda hac doctrina tam turpissimos mores promanasse, ut Thyesteas epulas celebraverint, & Oedipodeos concubitus admiserint. Hinc etiam factum, ut γνησίοις Christianis hæc scelera à paganis tribuerentur. Hoc patet ex querela illa, quam Tertullianus T. I. Apol. c. 7. p. 56. instituit: *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi de Sacramento infanticidii, & pabulo, inde post convivium in æstu, quod eversores luminum canes, lenones scilicet,* tene-

tenebras, tum & libidinum impiarum inverecundiam procurent. Dicimur tamen semper, nec vos, quod tam diu dicimur, eruere curatis. Eandem querelam reperies apud Athenagoram & Theophilum Antiochenum in Apologiis suis. Reponit autem Auctor Diatr. mox subsequentia verba Tertulliani: *Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum & Sirenarum ora judici reservavit? quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? quis talia facinora, cum invenisset, celavit, aut vendidit, ipsos trahens homines? si semper latemus, quando proditum est, quod admittimus? immo à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis. Non utique; cum vel ex forma, omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia & Eleusinia reticentur: quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur? si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei: & unde extraneis notitia? cum semper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caveant: nisi si impii minus metuunt? Natura famæ omnibus nota est. Vestrum est fama malum, quo non velocius ullum.* Existimat heic celeberrimus Vir, Tertullianum non tantum manifestum facere, de nefandis istis hæreticorum epulis nihil ad aures ipsius pervenisse, sed & argumentum suppeditare, quo illos, qui illis tale quid tribuant, oppugnatum ire possis. Omnia enim, quæ heic pro liberandis à tali suspicione Christianis urgeat Tertullianus, etiam pro purgandis ab eadem hæreticis militare. Sed, quod pace tanti Viri dixerim, hæc minus recte se habent. Nam Tertullianus in verbis modo laudatis non loquitur de hæreticis, sed de γνησίοις Christianis, quibus à paganis tam enormia flagitia objiciebantur. De his contendit Tertullianus, se nunquam tale quid vel vidisse, vel audisse. De hæreticis vero altum apud ipsum est silentium, nec illos nominare, ne dum defendere dignatur. Nec videre possum, quomodo Tertulliani argumentum pro γνησίοις Christianis allatum, pro spurcissimis istis hæreticis militare possit. Etenim Epiphanius horum promiscuos concubitus & infanticidia ex ipsorum ore & monumentis didicerat: ex horum conversatione & usu hauserat, viros fide dignissimos, tanquam testes, producere potuerat, ipsemet ab ipsorum feminis ad societatem scelerum invitatus fuerat. Qua fronte igitur hæretici dicere potuissent? quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? quis cruenta Cyclopum & Sirenarum ora judici reservavit? quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? nonne hæretici ipsi sui proditores fuere? nonne suis ex libris, & testimonio virorum fide dignorum convinci poterant? Si γνήσιοι Christiani ejuscemodi sceleribus obruti fuissent, quam turpiter Tertullianus impudentiæ notam incurrisset? si pagani excepissent; nonne hæc scelera apud Gnosticos & Nicolaitas, qui etiam nomen Christi præ se ferunt, reperiuntur? potuisset Tertullianus haud difficulter respondere, quid Gnostici, quid Nicolaitæ ad nos pertinent? illi à nobis sunt egressi? illos non pro veris Christianis habemus; si tam enormia scelera illi admittant; cur vos pagani eos non ad ultimum supplicium rapitis? cur ea toleratis? cur ad ea tacetis? cur illa, quæ patrant alii, nobis affingitis?

§. 11. Neque à Tertulliano ac Epiphanio dissentiunt, sed amice concordant, Clemens Alexandrinus & vetustissimus Scriptor Irenæus. Is libro III. Strom. p. 437. edit. Sylburg. de Nicolaitis prodit, ipsos carnis & coitus conjunctionem, esse pronunciasse sacram communionem, & eam existimasse deducere ad regnum cœlorum. Propterea nuncupat eos τῆς ἀσελγείας κοινωνοὺς, τῆς λαγείας ἀδελφοὺς, ὄνειδος οὐ φιλοσοφίας μόνον, ἀλλὰ καὶ παντὸς τοῦ βίου; *intemperantiæ communicatores, fratresque libidinis, non solum probrum philosophiæ, sed etiam totius vitæ.* Hic vero adversus Hæreses, lib. 1. c. 27. testatur, *Nicolaitas nullam differentiam esse docuisse in mœchando.* Et cap. 24. de Carpocratianis, Gnosticis & sociis ait, *illos in tantum insania effrenatos fuisse, uti & omnia, quæcunque sunt irreligiosa & impia, potestatem habere operandi se dixerint.* Quod si tam impiam doctrinam coluerint Nicolaitæ & Gnostici, si tam fœdam vitam vixerint, si nullam honestatis turpitudinisve rationem habuerint, quis vellet illorum Thyesteas epulas & Oedipodeos concubitus in dubium vocare? Quasi vero DEUS ex justo judicio tam impios homines non in reprobum sensum dare possit, ut tam immania facinora patrent. Hinc haud male l. c. judicat beatissimus Pater Irenæus, Diabolum hos nefandos hæreticos excitasse, ut religionem Christianam omnibus paganis invisam redderet, eosque à conversione sua averteret.

§. 12. Eusebius quoque lib. IV. Hist. Eccl. c. 7. p. 120. edit. Vales. clarissimis verbis indicat, Gnosticos docuisse, quicunque ad perfectionem mysteriorum, seu potius flagitiorum, quæ apud ipsos agebantur, pervenire vellent, eos turpissima quæque perpetrare oportere; quippe qui mundi hujus Principes ac Rectores, ut ipsi vocant, aliter evitare non possent, nisi unicuique eorum debita munera persolvissent. Hinc paganis amplam obtrectandi & calumniandi Euangelii materiam subministrasse; dum ab illis primum orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur; atque propterea factum, ut absurda quædam & impia de fidelibus opinio apud infideles tunc temporis spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus & matribus misceri & exsecrandis dapibus vesci fideles solerent. Ostendit autem Eusebius, has calumnias non diu durasse; sed hæresibus illis brevi tempore evanescentibus, aliisque super alias exorientibus sectis, calumnias istas quoque evanuisse. Neque Eusebius, illos Oedipodeos concubitus & Thyesteas epulas apud Gnosticos viguisse diffitetur. Quod testimonium rursus magni æstimandum est, quum Eusebius hæreticorum doctrinas pariter & vitas satis superque compertas habuerit.

§. 13. Et quid multis verbis opus est? Ipsa Scriptura S. ostendit, quam doctrinam tradiderint Nicolaitæ, scilicet ipsos scortationes, pro re indifferenti habuisse. De Gnosticis vero testatur Epiphanius, eos ob tam fœdum vivendi genus *Cœnosos* fuisse appellatos. Quæ cum ita sint, quid quæso caussæ est, ut spurcissimos hos hæreticos à Thyesteis epulis, & Oedipodeo concubitu absolvamus? Num tot sanctissimos Patres mendacii arguemus? Num hæc non fieri potuisse credemus? A Gnosticorum cœnis & visceratironibus non abludit magnopere, quod de Begardis scribit Wolfius l. Mem. f. 540. nocturnos egisse conventus in locis abditis, ubi sacerdos eorum primum quædam ad laudem DEI cecinerit, deinde de sua religione disseruerit. Quibus peractis in promiscuos complexus & virginum & mulierum, extinctis luminibus, eos ruisse: infantem exinde natum tamdiu violentis manibus traxisse, donec animam exhalaret: in cujus autem manibus ille exspiravisset: Pontificem maximum inter eos creatum. Annon hæc est verissima Gnosticorum propago?

§. 14. Ex his allatis satis, opinor, apparet, opinionem nostram, qua vere Gnosticos, Thyesteas epulas, & Oedipodeos concubitus aliaque immania facinora admisisse credimus, magnis validisque fulciri argumentis, nec tam facile refelli posse. Certe quæ Desiderius Heraldus & Auctor Diatr. attulere, nihil officiunt, & hanc ne leviter labefactant quidem. Nam duo priora argumenta ab humana auctoritate negata ducuntur; quod probandi genus admodum debile atque infirmum esse existimamus. Non inficias eo, in historicis habere aliquod pondus argumentum, quod à silentio Auctorum petitur. Nimirum illud ei conciliatur, si commonstrari queat, per multa secula rem aliquam penitus fuisse ignoratam, nec nisi posterioribus scriptoribus unice esse proditam; præcipue si ex coævis rei, de qua quæstio est, monumentis contraria fere eliciantur. Quomodo enim juniores scire possent in re historica, quod à majoribus non acceperunt, aut cui plane contradicunt? ut perbene monet diffusæ raræque doctrinæ Vir Jo. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS, JCtus consummatissimus, Fautor noster ex omni ope ætatem colendus in Disp. de Impp. Francicis p. 46. In qua per digressionem quandam Friderici I. Imperatoris ab Alexandro Papa calcati historiam adeo firmissimis ostendit argumentis, ut illi & animo & viribus opus sit, si quis magni hujus viri opinionem in terram arietare præsumat. Sed historia de enormibus Gnosticorum flagitiis longe aliter comparata est. Licet enim illi, qui Apologias pro Christianis susceperant, Thyesteas epulas & nefarios concubitus, qui vere Christianis objiciebantur, in Apologiis suis non in ipsos Gnosticos transtulerint, tamen suis in scriptis haud obscure immania illa scelera perstringunt, ceu supra ex Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino ostendimus. Deinde Epiphanius atque Eusebius fuerunt Gnosticis coævi, qui ipsorum scelera adeo apertis verbis in apricum deduxere, ut de illis ne minimam quidem dubitandi occasionem nobis reliquerint. Cur vero Apologetæ, & nominatim Justinus, Athenagoras, & Theophilus Antiochenus crimina, à Paganis Christianis objecta, non in Gnosticos aliosque hæreticos transtulerint, non una de caussa factum esse arbitror. Vel enim tum temporis illa flagitia non adeo nota fuere, ut postidem Epiphanius comperta habuit; vel Apologetæ certis de caussis omisere. Nam quoniam spurcissimi isti hæretici nomen Christi tantum ementiebantur, nec vere Christianorum cœtibus sese adjunxerunt, ideo heic tacere, quam hæreticorum mentionem facere maluerunt. Pagani vere Christianis hæc enormia facinora exprobrarunt, quasi ab ipsis eadem patrarentur; hinc

hinc Apologetæ jure merito scribere potuerunt, magnam Christianis injuriam fieri; talia facinora apud suos patrari, nunquam se vel vidisse, vel audisse. Ut vero Apologetæ culpam in hæreticos derivarent, nulla ipsos necessitas cogebat. Sufficiebat Apologetas Paganis respondisse, vere Christianos horum scelerum nunquam convinci posse: suos ab his piaculis, omni suppliciorum genere dignissimis, penitus abhorrere; nec eadem vel docere vel tolerare. Rem illustrabo exemplis; v. g. si Lutherani & Pontificii sub Turcico quodam magistratu viverent; & Turcæ Lutheranis imaginum & sanctorum cultum objicerent: esset autem Lutheranus, qui Apologiam pro sua ecclesia conscriberet; tum Lutheranus optimo jure reponere posset; tantum abesse, ut sui imagines & sanctos religiose colerent, ut potius à tali cultu abhorrerent quam maxime; nec scire se, ullum Lutheranum unquam imagines aut sanctos adorasse. Quis vero exinde colligere vellet, Pontificios ab hoc crimine immunes esse? Nec ulla Lutheranum cogit necessitas, ut hanc culpam in Pontificios devolvat. Sufficit Lutherano ostendisse, suos hujus criminis non esse participes. Pari modo Apologetæ Christiani scelera sibi objecta negatione diluebant.

§. 15. Quod vero Justinus in Apologia ad Antoninum Pium paganis exprobrat, quod veros Christianos persecutionibus premant, Simonem Magum vero ejusque asseclas & discipulos non tantum non nomine persecuti fuerint, aut persequantur, sed honoribus etiam afficiant, cum tamen impia & blasphema eorum dogmata in propatulo sint; cujus rei facile caussa reddi potest. Nam quoniam Simon Magus & ejus adsectatores à paganis tam eximiis, ut credit Irenæus, honoribus fuerunt affecti, & nihilominus tam scelestam vitam vixerunt; hinc merito Justinus talia paganis exprobrare potuit ac debuit. At Gnosticos apud paganos ullo in honore fuisse nuspiam legimus. Verum quidem est, Justinum Apolog. II. p. 54. edit. Sylburg. testari, se ὀ γινώσκειν, εἰ καὶ τὰ δύσφημα ἐκεῖνα μυθολογούμενα ἔργα πράττουσι, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς. i. e. *nescire, utrum hi* (Menander & Marcion) *infamia illa & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carnium visceraţiones.* At à Justini ignorantia ad ipsius rei negationem nulla est consequentia. Quod Justinus ignoravit, id ceteri Patres scriptum reliquere. De lucernæ eversione & promiscuo concubitu testis est Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. De Thyesteis epulis supra Epiphanium audivimus. Nec ab his dissentiunt Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Philastrius & Augustinus. Præterea hæc scelera Justini ætate forsitan non ita nota erant, sicuti subsequentibus ætatibus. Nihilo secius tamen Justinus tacite innuit, hæc nefanda flagitia Menandro, Marcioni eorumque discipulis objecta fuisse. Et proinde in præcedentibus p. 50. Paganos rogat, ut illos, qui tam sceleste vivunt, puniant: eos enim non esse Christianos, quamvis doctrinam Christi lingua profiteantur. Nil dicam de eo, Justino non esse sermonem de omnibus hæreticis, qui his flagitiis contaminati dicebantur. Non enim mentionem facit Gnosticorum, qui tamen & ipsi fœdissimi censebantur hæretici.

§. 16. Verum etiam est, Lugdunenses pariter & Viennenses Ecclesias in epistola, quæ extat apud Eusebium Lib. V. H. E. c. I. p. 156. fateri, quosdam servos, Dæmonis impulsu, cum tormenta reformidarent, quæ sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas & incestos Oedipi concubitus, & alia, quæ nec proloqui ipsis nec cogitare fas sit, ac ne credere quidem sustineant, apud homines unquam gesta fuisse, adversus se ementitos fuisse. At si verba Eusebiana rite ponderentur, nulla cogit necessitas, ut ex illis elici possit, Ecclesias Lugdunenses & Viennenses Thyesteas epulas & Oedipodeos concubitus ne quidem credere potuisse. Nam ipsum audiamus Eusebium: οἳ καὶ κατ' ἐνέδραν τοῦ Σατανᾶ, φοβηθέντες τὰς βασάνους, ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς, κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους μίξεις, καὶ ὅσα μήτε λαλεῖν, μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν, ἀλλὰ μὴ δὲ πιστεύειν, εἴ τι τοιοῦτο πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο. Sane illa verba; ἀλλὰ μὴ δὲ πιστεύειν, εἴ τι τοιοῦτο πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο: *Sed ne credere quidem posse apud homines gesta fuisse*, duntaxat ad præcedentia, καὶ ὅσα μήτε λαλεῖν, μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν, *& alia, quæ nec proloqui nobis nec cogitare fas est*, spectare mihi videntur. Ut plenus sensus emergat hic: servos Christianorum, metu cruciatuum perterritos, non solum infanticidia & incestos concubitus, sed & ALIA, quæ nec fieri, nec cogitare liceat, immo, quæ ne credere quidem possent, ab hominibus patrata fuisse, de Christianis confessos esse. Quis heic non videt τὸ μὴ πιστεύειν non credere, non spectare ad Thyesteas epulas & Oedipodeos concubitus, sed ad ALIA, quæ nec dicere nec cogitare auderent Christiani. Præterea quoties contingit, ut si enorme quoddam scelus patratum divulgetur, haud pauci sint, qui dictitent, se non credere posse, tam immane flagitium ab homine admitti posse, utut interim res revera ita se habeat. Sic Paulus scribit, esse plane inauditum, quod quis Patris sui uxorem ducat. Num autem exinde concludi potest, hoc nunquam ab hominibus fuisse patratum? Similiter si Germanus, nunquam in Italiam profectus, audiat, quam nefanda lascivia locis in Italicis exerceatur, nonne in hæc erumpet verba; non possum credere tam nefariam libidinem ab hominibus, ne dum à Christianis, peragi posse? quis vero ob hoc spurcissima Italorum facta in dubium vocare vellet? Ne dicam de eo, potuisse fieri, ut Gnosticorum hæresis Galliam non invaserit.

§. 17. Sed nec tertia ratio, quæ à dissentientibus objicitur, quicquam sententiæ nostræ officit. Nam primum Epiphanius exsertim docet, se Gnosticorum Thyesteas epulas & Oedipodeos concubitus ex ipsorum hæreticorum ore & libris hausisse, se ex ipsorum usu & conversatione didicisse, se viros fide dignissimos testes habere; adhæc nunquam in hæresi Gnosticorum particulis, *ajunt, perhibent*, utitur. Præterea licet Clemens Alexandrinus, Philastrius, Augustinus in recensendis Gnosticorum Thyesteis epulis & Oedipodeis commixtionibus, voculis utantur *perhibent; dicunt*, hæ tamen locutiones non semper dubitationes involvunt, quum sæpius in re, de qua minime ambigitur, adhiberi soleant. Observarunt Theologi, & inter ceteros B. Glassius noster lib. 3. Philolog. Sacr. tract. 5. cap. 25. sacris etiam litteris, ubi tamen ipse DEUS loquitur; *dubitandi adverbia non semper incertitudinem directe importare, sed vel rei difficultatem exprimere, vel propter aliam rationem emphatice adhiberi*; ut mirum esse non debeat, si profani scriptores simili loquendi modo, qui ad incertitudinem ex sese spectat, sæpe præ modestia, alias ad invidiam declinandam, nonnunquam solius elegantiæ aut transitionis caussa, in re & verissima & manifestissima utantur, ceu iterum more tradito, accuratissime observat DN. D. Wagenseilius loco supra citato. Et quid quæso vulgatius est in vita communi, quam illæ locutiones, *ajunt, perhibent*, quas etiam in re certissima nonnunquam adhibere solemus. Ut taceam, multas ejuscemodi locutiones ex historicis adferri posse, si opus esset, & tempus permitteret.

§. 18. Quomodo Hieronymus & Theodoretus Gnosticorum scelera in dubium vocent, videre non possum. Is enim epistola LIV. ad Marcellam hæc verba adfert: *prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de latente puero, & de victuro martyre confarrata. Malo, inquam, non credere: sit omne falsum, quod sanguinis est.* In his verbis nulla continetur dubitatio; sed Hieronymus tantum dicit, se malle illa scelera non credere. Hic vero libr. 3. hæreticarum fabularum, tantum ait, hæreticos nolle hæc scelera fateri, sed accusationem calumniam appellare, utrum vero ipsemet eadem in dubium vocet, magis mutus est quam piscis. Cur vero Auctor Anonymus Epiphanio sit præferendus, omni ratione carere videtur. Atque hæc de nefandis Gnosticorum sceleribus disserere collibitum fuit. Factum id tamen ea, qua fieri potuit animi moderatione, nolo enim unico verbulo dissentientium præcipue Auctoris Diatr. de Calumn. in vet. Christ. existimationem lædere; sed eam semper venerari paratus sum promtusque.

§. 19. Nos vero unicum adhuc, antequam nostræ dissertatiunculæ finem imponamus, ex nostris thesibus profectum, contra Paræum Comm. in Apocal. p. m. 76. c. notamus: hic namque manibus pedibusque quod dicitur, renuit, nefasque ducit *à Calvino, & non à solo Christo denominari.* Quod & Nicolaitæ, uti modo vidimus, olim meditati, nomenque Nicolai adversati maluere Gnostici vocari. Verum Christus nihilo tamen secius eos Nicolaitas, & quidem non semel, sed bis appellitat. Unde recte cum D. Matthia Hoe, quem contra Paræus disputat, concludimus, eos, qui Calvinum sequuntur, scite & pie Calvinianos vocitari posse. Nequicquam autem Paræus laudato D. Matthiæ Hoe illum ipsiusque complices Calvinianos nominanti, imperitat, ut ostendat, doctrinam, quam Calvinianam vocat, à Calvino ortum habere, & suo genere turpem, impiam damnabilemve esse. Etenim jam dudum invictissimis id argumentis probatum dederunt Nostrates, id quod nullo negotio Paræus, suique socii videre possent, si non oculos suos sponte ultroque à veritatis luce averterent. Si vero differenda hæc cognominatio

esset, donec ipsi errantes sese erroribus collutulatos agnoscerent, tum nunquam hæreticos alio, quam communi Christianorum titulo, salutare oportebit, nunquam lupi ab ovibus Christi discerni poterunt, nunquam simpliciores sibi satis prospicere valebunt. Nec limitatio Paræi pag. 94. c. cujusquam momenti est, sectarios videlicet notorios tantum nominibus suorum auctorum appellandos esse. Hac enim ratione, hocque pacto sectarii notorii essent Hussitæ, Picardi, Lollardi, Wiclefienses, Waldenses, quæ nomina in hujusmodi designandis non minus adhibet Danæus, ac alii nostratium. At quomodo hoc cum prædicti Lamberti Danæi, Calviniani hominis, judicio congrueret, qui Comment. in Augustin. in epistola dedicatoria dicit: *illos recte de Christianæ fidei articulis sentire, pro Christianis esse habendos, nec inter hæreticos percensendos?*

§. 20. Sed enim hoc σοφὸν φάρμακον est, nomina auctorum suorum, ab Ecclesia Orthodoxa jam damnatorum, vitare, seque novis titulis condecorare, uti speciosissima hac forma fallant incautos. Id quod, præter Nicolaitas, Carpocratiani nomine Christianorum insigniri cupientes observarunt. vid. Epiphan. l. 1. contra hæres. Tom. 2. hæres. 27. Hoc quoque Sociniani egregie æmulari gestiunt, Photini (quem Scotinum Athanasius aliquando nominat) sed & Socini nomine, amica interim conspiratione non exclusa, mactari respuentes: sic enim Valentinus Smalcius in refutat. Franzii diserte ait: *Nos una cum Photino ad Christum appellamus. Quid est Photinus? quid alii, nisi servi Christi? Christus est Dominus noster, ab eo nominari gaudemus.*

§. 21. Quæ ergo causa, Paræe, quod non discretivo Calvini nomine ab aliis distingui velitis? quæ ratio, quod, sicut in titulo institutionum Calvini in Germanicam linguam tralatarum, & Herbornæ anno 1586. editarum, scriptum extat, *ipsum Diabolum doctrinam hanc hodie Calvinianam vocare*, dicatis? cur quæso vobis Calvini nomen ita invisum & abominabile est? Aut ille recte sincereque docuit, aut non. Si illud? cur ita nomen ipsius, tanquam Diabolum, fugitatis, & non potius ab aliis eo distingui patimini, quum hodie tam multi hæretici nomen Christi præ se ferant, adeo, ut nomen διακριτικὸν ferme necessario requiratur? Unde & in Vet. Test. Orthodoxi pro ratione temporis mox Ebræi ab Eber, nunc Israëlitæ ab Israële, modo Judæi à Juda audiebant. Si hoc? cur ergo nec ipsius dogmata una cum nomine quoque detestamini, ea rejectatis, veramve doctrinam amplexamini?

§. 22. Quod autem Paræus ex 1 Corinth. 3: vers. 4. & cap. 1: vers. 12. retorsionem argumenti in Orthodoxos quærit, in eo oleum operamque perdit. Corinthii enim nulla necessitate coacti diversis nominibus sese appellabant, & iste dicebat, se esse Pauli, ille Apollo, hic Cephæ, cum tamen omnes hi DEI ministri eadem eos docuissent. Unde Apostolus Paulus eos jure merito reprehendit, pronunciatque à diversis eadem docentibus ministris neutiquam licere sibi ipsis nomina imponere, cum CHRISTUS non sit divisus. Non igitur omnes titulos seu nomina prohibet Apostolus, sed tantum nomina δεσποτικὰ, non vero διακριτικὰ, eo nimirum tempore, quo necessitas efflagitet, CHRISTO scilicet diviso. Optandum jam esset maxime, CHRISTUM in nostra & Calvini caussa solis nominibus, non reapse dividi; optandum, inquam, esset, Paræum ipsiusve socios non alium sibi CHRISTUM fingere, quam nos credimus, tum mandato illi Apostolico obsequentissimos nos invenirent. En autem, Paræe, tibi aliam argumenti retorsionem! Nicolaitæ, cum se invisos adverterent, Gnostici nomen affectarunt: ast Sancti Doctores eos à Nicolao denominarunt. Ergo neque nobis errorum Calvini patronos, utut nolint, Calvinianos vocare prohibitum erit. Multi erant jam tum, qui se vocabant Judæos, nec erant, sed synagoga Satanæ Apocal. 2: vers. 19. multi, qui se vocabant Apostolos, non erant. 2 Corinth. 11: vers. 13. ita nunc multi sese vocant Reformatos, Remonstrantes, Catholicos, nec tamen sunt. Quod autem nobis Lutheri nomen adeo invisum infensumque non est, quam istis Calvini aut Zwinglii, cesset stomachari Paræus. Neque enim illud carum CHRISTO nomen abominari aut devovere possumus, neque eo nos à CHRISTO, sed tantum nos sejungimus ἀπὸ τῶν ψευδαδέλφων καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, *à falsis fratribus, & qui in hypocrisi portant nomen Domini*, sicut loquitur Polycarpus, quem Græcum primus in publicum proposuit Petrus Halloixius, epist. ad Philippens. p. m. 20. Et quidni? Paulus à Saducæis se dividens non verebatur se Pharisæum profiteri Actor. 23: vers. 6. in populo etiam DEI ad professionis differentiam ab hominibus denominati sunt Levitæ à Levi, Cahathitæ à Cahat, Rechabitæ à Rechab, immo S. Joannis Baptistæ discipuli contradistinguuntur discipulis CHRISTI Matth. 9: 14. cap. 11: 2. & alibi. Et quid usitatius? DEI interibi nostri & CHRISTI nomen quanto sit nobis dulcius acceptiusque, novit ille, qui omnia. Cui soli, ut concludamus cum illis cœlitibus Apocal. 7: 12. ἡ εὐλογία καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ εὐχαριστία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ ἰσχὺς, τῷ Θεῷ ἡμῶν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.



M. CHR.

M. CHR. DAV. FUNCCII

DISSERTATIO

De ΨΗΦΩ ΛΕΥΚΗ ad Apoc. II: verſ. 17.

ΘΕΟΣ ΘΕΟΣ!

Anteambulo.



PHILOLOGIAM, ſive *SACRA* illa ſit, ſive *PROFANA*, *ambitu ſuo nil aliud complecti, niſi totum ſcientiarum mare*, rectiſſime eruditiſſimus Vir, Philologus paucis comparandus *Joh. Cunrad. Dietericus* in ſuis ad *Antiquitates Biblicas V. T. Prolegomenis p.* 1. ſentit. Etenim quod in mari ſunt gemmæ, ſunt conchæ, ſunt margaritæ ac pretioſi lapides: id in *Philologia* optimarum artium ac partium ſunt ſtudia, ortus ac rudimenta ſunt literarum, exactior ut verborum, ita & rerum eſt notitia, antiquitatum variarum eſt examinatio harumque cumprimis ab oblivionis nota liberatio, Autorum denique divinarum humanarumque rerum cognitione pollentium illuſtratio. *Superioribus diſciplinis*, ſcribit ibidem laudatiſſimus vir, DIETERICUS, *ancillatur Philologia, tenebras labentis diſciplinæ diſcutit, de Autoribus omnibus humanæ divinæque ſapientiæ præclare meretur, rerum antiquarum memoriam eruit.* Sic igitur, quotquot in profundiſſimam hanc abyſſum ſeſe demittunt, alii id faciunt, ut conchas & margaritas; alii, ut gemmas ac pretioſos lapides congerant, quos neque Hermes, neque Pactolus, neque Indus unquam vidit. Si quid vero pretioſis lapidibus gemmiſque in profundiſſima maris abyſſo latentibus haut abſimile præ cæteris videtur: in Mari certe Philologico, *canæ* illud *Antiquitatis ſtudium* utriſque eſt ſimillimum. Nam quantum utilitatis Studii hoc Genus eruditioris pulveris Magiſtro, cumprimis Theologo, conferat, dici vix poteſt ac ne cogitari quidem. Evolvamus cum Veteris tum Novi Fœderis Pandectas: non pauca ſane in iis loca inveniemus: quæ, niſi à Veterum Fabulis, è vetuſtioribus Hiſtoriis, è veterum moribus ac ritibus, è priſcis loquendi formulis, è priſci ævi marmoribus ac Statuis, Nummis item & Monetis, explicentur, illuſtrentur, nullo modo intelligi aut penetrari poſſunt. Comprobat id candido ſuo calculo juſtiſſimus antiquarum rerum hæres, J. LIPSIUS *Epp. L.* 3. *Ep.* 10. quum dicit: *In Theologo accuratum illud Antiquitatis Studium ſi abeſt, fortaſſe non requiram: Si adeſt, vehementer amplectar. Nec ſolum quaſi ornamentum, ſed etiam, fas ſi dicere, adjumentum. Nam in Hiſtoria S. multa eſſe, quorum penitior intelligentia pendeat à moribus & literis antiquis, nemo negabit.* Eum itaque, qui in eruditiori Theologia optatam curſu contingere metam ſtudet, PHILOLOGIÆ Studioſum eſſe oportet. Atque hæc prope una eſt cauſa, cur & Nos, hoc amœniorum ſtudiorum genere delectati dudum, cymbam noſtram in vaſtiſſimum hunc Oceanum commiſerimus: licet vel ipſa ſatis diu in ipſis ripis ac litoribus hæſerit, ambigentibus nobis ſubinde; ecquod gemmarum genus aut quodnam Thema publica diſquiſitione ventilandum, nobis eligeremus. In tanta vero rerum copia, qui præ cæteris arrideret, ſeſe nobis, Oraculi Johannæi occaſione, ex Apoc. 2: 17. ALBUS VETERUM CALCULUS, ſeu LAPILLUS VETERUM CANDIDUS offerebat. Hanc gemmulam itaque ſeu Philologicum potius Thema, è largiſſimo nempe Philologiæ Mari depromptum inque menſa Solis expoſitum, in conſpectum Tuum, L. B. hodie producimus: cui auſui ut faveas, enixiſſime rogamus. DEUS vero, qui à mari ad mare uſque dominatur, ſuoque nutu omnia dirigit, cœpta hæc noſtra gratioſe ſecundet, noſque in omnem veritatem, veritatis ipſe amantiſſimus, deducat. Amen!

DISSERTATIONIS PHILOLOGICÆ

De Candido Veterum calculo

Tractatio Methodica.

SECTIO PRIMA.

ΟΝΟΜΑΤΩΔΗΣ,

De Grammatico vocum uſu ac luſu.

SUMMARIUM.

Textus Oraculi Johannæi Græcus è cap. 2. Apocalypſeos vſ. 17. Recitatio, hujus cauſa & occaſio. Duarum vocum, quæ in Græco Textu ſunt, ψῆφος λευκὴ, *in Latino vulgari Textu ALBUS CALCULUS, evolutio Grammatica. Grammaticus utriuſque vocis in Attica & Latio uſus ac luſus. Vocum Græcarum alia atque alia redditio. ALBI & CANDIDI in ſignificando diſcrimen. Significantior Adjectivi Græci,* λευκὸς, *in Textu Sacro verſio. Latinis Calculus unde dicatur? Quo ſenſu proverbiales Phraſes, album calculum adjicere, albo calculo ſignare, meliore lapillo numerare, atro lapillo, atro carbone notare &c. apud Autores Latinos accipiantur & intelligantur. Vocis Græcæ,* ψῆφος, *uſus Grammaticus. Ejuſdem vocis in verſione Græca Loci Bibl. Exod. 4: 25. ſenſus. Interpretum circa eandem vocem Græcam in explicando ibidem diſſenſus. Minervæ calculus quo dicatur ſenſu? Quem denique ſignificatum* ψῆφος λευκὴ *in citato Johannis Oraculo habeat, aperitur. Vocum earundem apud Paracelſiſtas abuſus. Verus harum in Veterum foro uſus ac luſus.*

§. 1.

Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου, καὶ δώσω αὐτῷ ΨΗΦΟΝ ΛΕΥΚΗΝ, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς ἔγνω, εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. Apocalypticus hic ORACULI JOHANNÆI, è Capite Apoc. 2: 17. petitus, eſt textus: quem Philologica de ALBO VETERUM CALCULO Diſſertatione in præſenti ex parte illuſtrare vel propterea mihi propoſui: quod eundem venerandus Parens meus commoda *Teſtimoniorum Scholicorum*, à ſe intra XXX. annorum decurſum, Altenburgi & Gorlicii magno numero ſcriptorum, occaſione invitatus, Textus poſt ſuprema fata Funebris loco eſſe dudum voluerit. Ut Beatus Megalander noſter, LUTHERUS, verborum ſenſum reſpiciens, Textum originalem reddidit, omnibus notum eſt. Nec mei inſtituti ratio permittit, ut quæ Theologi circa oraculi hujus expoſitionem obſervant, at-

attingam. Illustrationem igitur quum in præsenti Textu quam maxime mereatur ψῆφος λευκὴ, non immerito aptum tum Dissertationi nostræ argumentum ALBUS dedit CALCULUS, è loculis Philologiæ profanæ excutiendus ipse ac discutiendus: ut eo magis de vero, ad quem Oraculum Johannæum alludat, sensu constet Grammatico. Ne vero præpostere rem aggredi videamur, in Grammaticum vocum usum ac lusum prius, quam in rei ipsius ortum, usum, ritum ac Oraculo Johannæo accommodatum sensum, inquisituri sumus. Sive enim Græcas sive Latinas voces heic spectemus, utrobique non pauca, quæ nunc proprium, nunc improprium significatum spectant, reperire licet: præprimis ubi cuique linguæ suus proprius sit Genius & Critici quoque circa eum in diversas non raro abeant partes.

§. 2. Malunt quidam, ut *Camerarius*, LAPILLUM ALBUM, alii, ut *Erasmus* & *Beza*, CALCULUM CANDIDUM in Latino Textu legere. Atque id hi vel ea faciunt ratione: quod *candidum* differat ab *albo*, ut magis & minus. *Candidum* siquidem est, quod multum lucis habet; sed *album* ad pallorem quendam accedit. *Aliud est*, ait SERVIUS *in L. III. Georg. candidum esse, id est, quadam nitenti luce perfusum; aliud album, quod pallori constat esse vicinum.* Indeque & *albus* non raro pro pallido & cineritio, h. e. qui ex nigro albet colore, usurpatur; *Candidus* vero pro splendente, pulcro, formoso, intemerato venit. Vide sis *in Thesauro Erudit. Scholast.* FABRUM, inque & ipso *Theatro Romano-Teutonico* REYHERUM, quorum alter observat, *Candidum* & *Album* vulgo quidem usurpari promiscue, sed minus tamen accurate.

§. 3. Et sane si BEGMANNUM *in Manuduct. ad Linguam Lat. pag.* 378. audiremus, in eorum castra transeundum nobis foret, qui ψῆφον λευκὴν *Candidum* magis quam *album* amant reddere *lapillum f. calculum*. Latet enim in voce *Candidi* major emphasis, magisque vox hæc ad Oraculum Johannæum quadrat: ita ut per *candidum calculum* nil intelligi aliud CRAUSERO *in Phosphoro Græcarum vocum ac Phrasium N. T. p.* 771. *seqq.* videatur, quam Metonymice *gloria cœlestis ac plenaria à peccatis absolutio*, qua homo omni nive fit candidior. Utut igitur COCCEJUS, *Tom. V. Opp. pag.* 905. per candidum Calculum intelligi *Justificationem* malit: parum tamen interest, sive hanc sive illam quis adprobet sententiam; dummodo constet, voce Candidi majorem habere Emphasin Textum S.

§. 4. Cæterum si vocem Latinam, substantivum nempe illud Nomen, quod est CALCULUS, ratione Etymi sui spectemus, dicitur ipsa hæc vox juxta MARTINIUM *in Lexico Philolog. à calcando*, eo quod sine molestia levitate sui calculus calcetur. *A calcando quidni dictus sit calculus?* quærit in *Lexico Etymolog. Trilingui p.* 155. FUNGERUS. *Annon*, pergit ille, *calcatur pedibus? An vero applaudendum Turnebo? Is scribit L.* 17. *Adverf. c.* 17. *apud Priscianum in Lucilio legimus calces pro calculis: Unde & calculi nomen per diminutionem deductum.* Opponitur eidem *scrupulus*, lapillus nempe minutus & asper: qui si inciderit in calceamentum, nocet & molestiæ est animo. Unde & molestia animi per Metaph. *scrupulum* dicimus, *scrupulumque eximere*, est ægritudinem ac molestiam ex animo tollere. Utut autem alii sint, qui tam scrupulose non distinguant voces, non minus gravem subinde calculum quam scrupulum esse, referente SALDENO *in Otiis Theol. p.* 168. dicentes: non, quod levitate sui calcetur, sed quod calcem, h. e. pedem offendat: utraque tamen sententia suos non absque ratione retinet fautores.

§. 5. Homonymia vocis jam evolvenda sequitur, quippe quæ semper errorum genitrix est. Certum autem hoc est: quod Calculus vox sit πολύσημος, indeque & diversissimi apud Scriptores Latinos usus ac lusus. Significant *Calculi* non semel calculos lusorios: quod juxta ISIDORUM *L.* 18. *de Orig. Voc. c.* 62. per vias ordinales, quasi per calles, eant. Ad lusum videlicet calculorum hoc significatu respicitur: in quo apud Veteres uterque ludens quinque habebat calculos, laterculo quidem totidem lineis distincto. Significat in specie calculus *instrumentum* illud *Logisticum*, quod Germani vocant Rechenpfennig: Unde & Logistica calculatoria dicitur: utebanturque & Ægyptii hac numerandi ac computandi ratione, vel ipso HERODOTO *L.* 2. observante. Significant calculi speciatim quoque *lapillos: quibus hodieque utimur in latrunculorum ludo.* Significant illi apud Medicos *lapillos, qui in renibus ac vesica hominum nascuntur.* Significant *athleticos* illos *characteres*: quibus certatorum paria designabantur: ne temere concurrerent. Significant calculi, ut heic potissimum fit loci, *certa quædam signa, quibus conjectis in urnam Græci olim sententias in consiliis ac judiciis publicis significabant*: *erantque absolutorii alii*, si albi; alii, si nigri, *condemnatorii calculi*. Unde *calculus* pro *suffragio* Metonymice passim ponitur, & album calculum adjicere vel addere, ψῆφον λευκὴν προσθεῖναι, in Doctorum proverbiis pro approbare usurpatur, Phrasi vel inde sumta: quod antiquitus in urnam missis calculis ita ferrentur à judicibus sententiæ: ut albis absolverent, nigris damnarent. PLINIUM *Jun.* heic audiamus, qui in Ep. quadam sic scribit: *Nam quo magis intendam limam tuam, confitebor, & ipsum me & contuberhales ab editione non abhorreret: si modo tu fortasse errori nostro album calculum adjeceris: quod est, si nostrum hunc errorem tuo judicio comprobaris.* Ad hanc igitur formam omnino pertinet hoc, quod dicunt, *atro carbone notare.* Est enim idem ac *damnare*: vel propterea, quod quemadmodum ea, quæ essent colore candido, ad boni; ita quæ essent colore atro, ad mali naturam pertinerent. Significat insuper eodem prope significandi modo *Minervæ calculus* paris illud in variantibus sententiis numeri suffragium: quo reus apud Græcos absolvebatur, origine quidem moris hujus à Minerva repertrice in causa parricidii Orestei repetita. Significat denique *calculus*, quum PERSIUS *Sat. II.* canit,

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui Tibi labentes apponit candidus annos,

notam: qua è Thracum more & faustos & infaustos dies notabant. Faustos namque *albo*, *nigro* infelices signabant *calculo*, h. e. *lapillo*, dies: defluxeratque illa dierum notatio ad Cretenses: ut *cressa notari nota* fausti dicerentur ac felices dies. Phrases hinc proverbiales natæ ac datæ: *creta notare, unione notare, candidissimo notare calculo, candido signare calculo, meliore notare lapillo, signare, numerare meliore lapillo diem, atro item diem carbone notare*, ac similes.

§. 6. Sed ex Latio, si lectorum Candidorum pace liceat, in Atticam remigremus. Vult enim & ipsa vox Græca ψῆφος seorsim evolvi: evolvi seorsim vult Adj. Græcum λευκός.

Descendit autem juxta Grammaticos vox ψῆφος à verbo ψάω, significante λεπτύνω *tenuo, attenuo, tenuem reddo, radendo item complano, detergeo.* Sunt enim ψῆφοι proprie loquendo attenuati lapilli. Verbum inde ψηφίζω descendit ac ψηφίζομαι, *calculis subduco, calculis computo, rationem subduco.* Solebant namque veteres λογίζεσθαι ψήφοις h. e. calculis seu lapillis bene rasis & attenuatis rationes explicare numerorum. Sed &, quum calculum non modo, quo suffragium in comitiis ferebatur; sed item ipsum suffragium seu decretum, quod calculis ferebatur, Nomen ψῆφος, significet, verbum ψηφίζομαι idem est ac Latinis, *calculo aut suffragio meo statuo*; vel simpliciter, *decerno, statuo.* Adjectivum λευκὸς à λεύσσω, Poëtico verbo, derivant, quod significat video: quia alba lucida sunt & perspicua, indeque sub visum maxime cadunt. Ne dicam: quod albedo ipsa juxta *G. B. de Saint Romain in Scient. Nat. P.* 4. *c.* 9. sententiam circa visum, eundem dissipando ac confundendo, versetur.

§. 7. Non possumus heic, sed ὡς ἐν παρόδῳ, intactum relinquere: quod LXXII. Interpretes vocem ψῆφος in versione sua *cap.* 4. *Exod. vs.* 25. ubi Zippora ad circumcidendum petram, vel, reddente Avenario, cultellum petrosum eundemque acutissimum, qui instar gladii læderet & quasi angustaret, h. e. angustiis afficeret circumcidendos, è more priscorum Judæorum seu Israelitarum attulisse legitur, adhibuerint, intelligentes ipsi lapidem, è quo culter ille lapideus factus: quem Judæi quondam in circumcisione usurpabant. Certus hinc Autorum dissensus est circa hunc V. T. locum: quid videlicet per ψῆφον perque & Ebraicum צור à Rad. צור vel צרר *angustiis coarctare, affligere, premere* ibidem intelligatur? num *culter acutus*, uti *Pagninus, Tremellius*, ipseque & *Lutherus* in marg. Steinerne Messer / das ist / scharff als ein Stein gewetzet / verterunt; an vero *petra acuta* juxta *Avenarium* & *verf. vulg.* Et sane, qui huic favent interpretationi, fundamenti loco cum Rabbinis afferunt: quod lapides nonnulli ita exacui possint, ut secent, v. gr. lapides, quos Germani Schieffer-Stein vocant. Sed alii, qui priori favent interpretationi, heic dubitant: num cultri in terris istis sic jam olim facti fuerint, & tam quidem acuti, quam ad tenellam amputandam cuticulam sufficeret. Et quanquam illi haut inficientur, è lapidibus hujus generis cultellos in Orbe Novo, SALMUTHO in *Commentario ad Guid. Pancirolli L.* 2. *Tit.* 1. observante, fieri, factos & olim pro amputandis sibi virilibus à sacerdotibus Cybeles, quod refert *L.* 35. *c.* 12. *Plinius*, fuisse: nolunt tamen concedere istud cultorum genus in circumcidendo fuisse adhibitum: nisi dicamus, in defectu alius cultri, cultri nempe ferrei, lapidem, in deserto statim obvium sibi, Zipporam assumsisse & exacuisse: ut

ut instar cultri foret, quo, in casu necessitatis circumcisura puerum, uteretur. Manet ergo inconcussum hoc nobis, Græcos Interpretes vocem ψῆφος aut *Synecdochice* pro certa aliqua specie lapilli, silicis nempe, aut *Metaphorice* pro *cultro* instar lapidis acuti *acuto*, heic usurpasse.

§. 8. Quod superest, notari quoque quodam quasi obelo in priori hac Sectione, quæ vere ὀνοματώδης est, crassissimus Phraseos S. ψῆφον λευκὴν διδόναι, abusus meretur. Ecce è Paracelsistarum Schola nonnemo sibi suisque asseclis promittit, se, ut alibi in sacris, ita & in Textu nostro Apocalyptico, non, quod pueri in faba, reperisse. Reperisse se sibi persuadet putum putum aurum. Lapidem Philosophorum seu Tincturam Auri, à DEO Apocal. 2: 17. promissam, se reperisse apud *DILHERRUM L.3. Elect. c.21. p.537. seqq.* gloriatur, vocem hanc complexam, ψῆφον λευκὴν, per Lapidem Sapientum interpretans, adeoque ipse versionem B. Lutheri, Will ihm ein gut Zeugniß geben und mit dem Zeugniß einen neuen Nahmen/ den niemand kennet/ sugillans: quasi ψῆφον λευκὴν non recte vertisset. Vertere namque debuisse Lutherum, Philosophaster ille seu φιλόσοφος ἄσοφος clamitat: Ich will ihm geben den Weisen Stein und auff diesem Stein einen neuen Nahmen geschrieben/ u. s. f. Fundamentum autem ineptæ opinionis vel inde petit: quod in Helvetorum Bibliis, ψῆφος λευκὴ versionem isthanc meruerit. Ohe vero risum teneatis amici! In Græco enim Textu legitur ψῆφος λευκὴ, non ψῆφος σοφῶν, ein weisser/ nicht der Weisen Stein/ reddiditque Megalander noster, non ad verba, sed ad verborum sensum respiciens, optime, ψῆφον λευκὴν, ein gut Zeugniß. Is quippe ψήφου λευκῆς Consequens per Metonymiam consequentis, quam & Metalepsin Ῥητόρων παῖδες vocant, in versione sua posuit: quum album calculum, quem aliquis in veterum Judicum consessu abstulerat, certissimum absolutionis exciperet Testimonium. Hic, hic videl. genuinus & optimus in foro Veterum ψήφου λευκῆς erat usus: ut, cui obtigisset calculus albus, communi judicum cum suffragio, ut innocens, culpa absolveretur, adeoque justus coram judicio putaretur, justificationis hujus suæ certissimum reportaturus testimonium.

SECTIO II.

ΠΡΑΓΜΑΤΩΔΗΣ

CAPUT I.

De Primo Rei ipsius, ALBI nempe CALCULI & ritus Ortu, subsecutoque progressu.

SUMMARIUM.

Transitus ad Pragmatologiam. Primus Albi Calculi ortus. E fabulari de Minervæ calculo Historia is repetitur. Historia tota è diversis Scriptoribus à Bœclero collecta justa circumstantiarum serie recitatur. Cur Bœclero paulo uberius adducenda ea visa fuerit? Qua & fini repeti in præsenti debuerit? Primo Albi Calculi ortu satis excusso, progressus ejusdem rei in Areopago adducitur. Eo progressus quondam albi pariterque & atri Calculi usus, ut in foro ita & alibi, fuisse dicitur: ut in consuetudinem abiret uterque. Phrases inde, calculos æquare & calculos reducere, in jure subortæ; & calculus pro sententia judicum.

§. I.

QUum, evolutis vocibus, vocumque Phrasibus, res, quarum involucra sunt nomina, sueto ordine sequantur, sequitur non incommode jam nunc evolvenda Res ipsa: utpote cujus voces tenus hac evolvimus. Sequitur, repeto, ALBUS CALCULUS, qui καὶ ὄνομα evolutus, evolvendus κατὰ τὸ πρᾶγμα. Occurrit vero heic loci primus primo omnium ALBI CALCULI Ortus è fabulari de MINERVÆ CALCULO, quem in Orestei parricidii causa Orestæ supplici, paribus suffragiis, in Areopago vincens, Minerva tulerat, Historia ipse repetendus.

§. 2. Historiam, è qua origo & nominis & rei præsentis repeti solet, recitat justa serie & ad veritatem Philosophiæ civilis in *Dissertationibus Academicis*, *Dissertatione*, quæ est de Ἰσοψηφίᾳ, sive de *Minervæ Calculo*, Ută exigit *Joh. Henr. BOECLERUS.* Senio autem nobis, Lectoribus tædio, non erit, eandem è variis Scriptoribus Græcis, Tragicis cumprimis, collectam, è *Bœclero* repetere Historiam: ut *de primo ALBI CALCULI Ortu* eo magis inter omnes constet. *Clytæmnestra nimirum, Agamemnonis Uxor, maritum è Trojano bello reducem, ope adulteri, Ægisthi, usa, interemerat: mansissetque idem fatum Orestem puerum: ni Electra soror clam servatum educari curasset. Orestes adultus Patris necem ulturus occidebat Matrem. Parricidii igitur hujus nomine in jus vocabatur: quumque & ipsi certa apud Argivos damnatio proposita esset, Athenas profugiebat, ibidem causam dicturus. Dixit eandem, ibidem Minervæ supplex factus, Orestes in Areopago, accusantibus quidem* (ut est in Fabulis) *Furiis, judicantibus Areopagitis. Fuit autem in judicio hoc ipso, cujus totius formam describit Æschylus, absolutus Orestes: eo quod suum huic adjecisset Minerva calculum. Nam quum numerus Judicum omnino impar esset, Græco videl. Æschyli Scholiaste XXXI. numerante, indeque & jus majoris partis in judicio eodem facilius se exeruisset, Minerva, cæterorum judicum calculi ut æquarentur, calculi jus ultimi vindicavit sibi, dicens ipsa apud Æschylum:* Ego ultimum calculum apponam, ut, si pares sint, reus vincat. Νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ. *Monuit interim Apollo judices: ut calculos rite effunderent, neque in dinumerandis albis atrisque errarent. Defectu enim unius calculi ingens infortunium, præsentia vero unius salutem domui eventuram esse, ajebat. Mox dinumeratis calculis, salutarem hunc in modum enunciat apud Euripidem in Iphigenia Taurica sententiam:*

> Ἀνὴρ ὅδ' ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην·
> Ἴσον γὰρ ἐστὶ ταῤῥίθμημα τῶν πάλων.
>
> *Evasit hic Vir ultionem sanguinis:*
> *Nam calculorum numerus æquus exiit.*

Orestes, ipse, Deorum beneficia in hoc judicio recensens, Apollinis testimonio se sublevatum, Minervam autem paria sibi suffragia numerasse, apud eundem fatetur Euripidem:

> —— —— Ἴσας δέ μοι
> Ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ.

Postea Minerva, amplius hujus meriti admonens Orestem, addit:

> —— —— Νόμισμ' εἰς ταυτόγε
> Νικᾶν, ἰσήρεις ὅστις ἂν ψήφους λάβῃ.

§. 3. Historia hæc, quum esset clarissima, paulo uberius adducenda à BOECLERO videbatur, quia CALCULUM MINERVÆ ab aliis aliter atque aliter explicari noverat: quasi non de Lege parium Tabb. sed de illo paritatis casu, accipi deberet: quum in alteram partem, absolventem scilicet, aliquis adjiceretur calculus: ut reus non vinceret paribus Tabb. sed majoris partis suffragio: si pars damnans uno tantum superata foret calculo: ceu è diverso apud DEMOSTHENEM in *Midiana* Euæon una tantum sententia condemnatus memoratur. A nobis vero vel ea fini repeti debebat: ut non modo liqueret, unde postea, si in ferendis sententiis suffragia essent paria, adjecto calculo, qui Minervæ in memoriam rei dicebatur, reum absolvendi mos enatus: verum etiam ut nos de ALBI CALCULI in Genere Natalibus, unde videlicet hi ipsi sint derivandi, certius aliquid statuisse videremur, quam alii forte, in ambiguis heic hærentes.

§. 4. Primo hoc ALBI CALCULI Ortu excusso, ejusdem rei progressus aperiendus venit. Ecce enim mos in Areopago olim frequentissimus ita obtinuit deinceps: ut *albi* ad rei absolutionem, *atri* ad ejus condemnationem adhiberentur in judiciis *Calculi.* De utrisque *NASO L. XV. Metamorph.*

> *Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis*
> *His damnare reos, illis absolvere culpa.*

Respexit & huc Alcibiades: qui in judicio capitis ne matri quidem crediturum se dicebat: ne forsan imprudens nigrum pro albo poneret calculum. Estque & nihil in jure frequentius quam calculos pro *sententiis judicum* accipere. Phrases inde ortæ, quas BUDÆUS dudum notavit, nempe *calculos æquare* pro distribuere sententias in numerum parem, *calculum reducere* i. e. sententiam mutare. Sic itaque, vel semel *Minervæ Calculus* in Areopagum introductus, mos illico inter summa silentia, quum suam utrinque causam quisque egisset, primo conchis, deinde calculis, partim albis integrisque, partim nigris ac pertusis, judicandi cœpit frequentari: cœpit & alibi deinceps alborum æque ac atrorum usus introduci.

CAPUT II.

De non uno Calculi Albi usu.

SUMMARIUM.

Capitis totius Argumentum. Calculorum in negotiis variis usus. Calculi speciatim Albi in eligendis Magistratibus usus. Calculi albi hac in re nomen & omen. Hujus generis Calculum cur oportuerit album esse? Calculi albi in diebus faustis numerandis ac signandis usus. A qua Gente mos hic tractus? Cretensium mos. Cressa nota inde orta. Locus Horatii L. 1. Od. 36. vindicatur. Dies quoque victoriæ Albo signatus Calculo. Veterum hac in re superstitio notatur. Diem quemlibet fortunatum Calculo albo cur notari voluerint? Calculi Albi in Ludis Olymp. ac certaminibus usus. Calculus Albus ante pugnam, statim à pugna, post pugnam adhiberi solitus. Præmia εἰσελαστικὰ varii generis. Calculi Albi usus in publicis judiciis. Locus Ovidii XV. Metamorph. explicatur. Usus Calculi Albi præcipuus in absolvendo reo, Atri in condemnando. Utriusque Calculi tum albi tum atri figura. Utriusque & præcipua Epitheta Gr. à forma partim, partim ab Effectu ducta. Urnæ in hanc rem adhibitæ. Persii Locus Sat. IV. explicatur.

§. 1.

MOnstrato *CALCULI ALBI Ortu ac progressu*, ad varium Ejusdem rei usum pergimus monstrandum. Adhibebant enim Veteres CALCULOS ALBOS *in* (1.) *solemni Virorum honoratiorum ac Magistratuum potissimum electione*; (2.) *in peculiari faustorum dierum designatione*; (3.) *in non vulgari Athletarum commissione, eorundemque & larga muneratione*; (4.) *in forensi reorum absolutione.* De singulis his videbimus leorsim. Seorsim nempe Usum Calculorum Alborum in *Comitiis*; usum horum in *Fastis*; Usum eorundem in *Ludis ac Certaminibus*; in *Judiciis* denique Calculorum Alborum usum videbimus.

§. 2. Sic ergo omnino moris erat, quondam Calculis *in Comitiis ac suffragiis uti ferendis*: quotiescunque eligendi honoratiores essent Viri, novique & Magistratus creandi. Adhibebant videl. Veteres in hujus generis electione *Calculos*, & *candidos* quidem: in quibus & nomen *Candidati*, quem novo Magistratu aut honore novo dignum censebant, inscribi solebat. Oportebat autem calculos hos albos seu candidos esse boni ominis causa: habebatque & *Calculus albus* nomen & omen officii: quem solus, qui accipiebat, norat: donec tandem, omnibus distributis, in publicum proferrentur Calculi, albi & atri quidem simul, urnæ impositi interque & electionis consortes distributi. Nimirum, quum albus color DEO præcipue, *Cicerone* teste *L. de Leg. II.* decorus tum in cœteris, tum maxime in textili, esse crederetur, Deorumque & filii aut in censum Deorum relati, *candidi* apud *Platonem de Republ. L. V. & Maronem Ecloga V.* dici mererentur, calculum illum candidum oportebat esse: qui ferendus huic erat, quem novo honore dignum judicabant; nomen ejus vel propterea eidem inscribentes calculo.

§. 3. *Albo* deinde utebantur *Calculo* in *diebus faustis signandis.* Solebant videl. Thraces dies prosperos ac lætos *albo* notare *calculo*, in urnam conjecto; infelices vero atro: ut scirent anno exacto: quot & quos dies lætos, quos tristes habuissent. Neque vero mos iste Thracum tantum erat, sed aliorum quoque, cumprimis Cretensium. Illi namque dies, quum præterlapsi essent, missis in pharetram calculis notabant, albis quidem, si fuissent fausti, si infausti vero, nigris. Unde *Venusinum Vatem L. 1. Od. 36.* canentem audimus:

Cressa ne careat pulcra dies nota.

Recte Acron & Porphyrion, antiquissimi Horatii Scholiastæ, heic observant: quod Cretensibus mos fuerit dies lætos albis calculis, nigris contrarios notare. Malos enim in annorum numerum non referebant. Esto ergo, alios viros doctos Lectionem receptam culpare, proque *cressa nota* legere *Thressam notam*, eo quod consuetudo ista, faustos notandi dies, solis Thracibus fuerit familiaris: satis accurate tamen illis respondet ὁ ἐπιλευκώπτος *JOH. MEURSIUS* in *Creta sua L. II. Cap. IX.* Accedit: quod veteres Interpretes omnes Locum istum Horatii constanter sic explicent.

§. 4. Nec vero *fortunatos* tantum *dies* quosvis albo signare calculo mos erat: sed cumprimis *dies victoriæ publicæ* in Fastis ejusdem coloris notabant calculo. *Constat*, scribit *SIXTUS SENENSIS Biblioth. S. L. 2. Tit. Calc. p. 55. veteres Ethnicos victoriarum dies, publicis Fastorum Tabulis insculptos, consuevisse candido calculo prænotari: quo clarius à cæteris diebus discernerentur.* Ad quem morem alludens Poëta quidam Christianus, triumphalem Servatoris nostri diem hendecasyllabo hoc cecinit:

O diem festum populis diemque
Candidum, qui nos rediens beatos
Reddis, hunc signa niveo quotannis
Musa lapillo!

§. 5. Constat itaque omnino è dictis: quod, quicunque dies *fortunati* essent priscis, eos nominarint *albos*; qui forent *infortunati*, hos dixerint *nigros*, vel eam potissimum ob causam: quia Pythagoras dixerat, id, quod esset colore candido, ad boni naturam pertinere; quod atro, ad mali naturam vergere. Adeo videl. Veteres superstitioni, veluti in omnibus rebus, ita & in coloribus addicti erant: ut ne latum quidem unguem ab ea in re ulla recederent. Meminit superstitionis hujus, si qui alius, *Plinius* certe haut ineptis verbis, dicens *L. VII. c. 40. Vana mortalitas & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa, computat more Thraciæ Gentis: quæ calculos colore distinctos pro experimento cujusque diei in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de uno quoque pronunciat: quid, iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit? Quam multos afflixere imperia? quam multos bona perdidere, & ultimis mersere suppliciis? &c.*

§. 6. Usus Albi sequitur Calculi, qui *in theatris* ac *certaminibus*, in *Ludis* quoque *Olympicis*, adhibitus legitur: erantque frequenti hoc usu in aliis celebres quondam *Athletarum Calculi.* Athletas enim, qui Theatris superiores erant, *candido lapillo* in triumphi signum donatos fuisse *GUILIELM. SALDENUS in Otiis Theolog. L. 1. Exercit. IIX. p. 173.* observat, atque huc *Arethæ Cæsariensis ad Apocal. 2: 17.* annotationem trahit. *Vincenti*, scribit ille, *Diabolum pollicetur DEUS Calculum Album seu Candidum: quod is notus esset his, qui in Theatris & stadiis certabant & vincentibus traderetur.* Quanquam autem hoc non admittat BRICHTMANNUS; eo quod calculi illi tantum tesseræ committendi certaminis, non remunerandi victoris essent: SALDENUS tamen, ut bene doceat, bene hic distinguit diversos inter calculos. Trina namque vice *Calculum* certantibus *album* datum fuisse docet. Dabatur nempe *ante pugnam*: dabatur *statim à pugna*, dabatur *post pugnam Calculus. Calculi ante pugnam* qui dabantur, forte *Athletici* illi erant *calculi*: quos in Olympiis, ne temere concurrerent Athletæ, extrahebant ex urna argentea. Quicunque igitur incidebant in Athletas eadem litera signatos, (bini autem erant iisdem characteribus inscripti) hos committebant judices. *Statim à pugna* deinde, quum res feliciter jamjam Athletarum alteri cessisset, dabatur calculus: qui esset nota aut tessera victori post reportatam victoriam: ut sine difficultate ad convivium admitteretur. Epulo enim publico in Prytanæo victores admittere, moris erat. Ast ad cœnam non admittebantur, nisi ostenso symbolo: quo conspecto constaret, se victores esse, se è συσσίτων ἱερῶν numero esse, qui, annotante *PICTETO Dissert. pecul. de Albo Calculo §. 5.* νικητήρια quædam de summitatibus armorum, quæ acceperant à victis, in collo gestabant. Atque hoc quidem sensu *calculum* illum *candidum* victoribus tradi solitum non tam præmium quam signum quasi ac symbolum quoddam ejus, quod postea sub δόσεως vel δώρου appellatione Athletæ consequerentur, præmii fuisse, in *Opere tessellato*, Ἀγωνιστικῶν nimirum L. 2. c. 9. PETRUS FABER haut inepte putat! Ad *Calculum, post pugnam non ita statim* quem accipiebant Victores, quod attinet: is certe & ipse tessera quædam, præmiorum nempe εἰσελαστικῶν, erat. Horum enim tesseram quoque vel calculum post certamen victores accipiebant. Erant autem illa varii generis, *Coronæ, armillæ, torques, hastæ puræ, phaleræ.* Præcipue tamen in annonis, obsoniis ac pensitationibus consistebant: quæ pro toto tempore de publico victoribus dabantur. Eo *HUG. GROTII in Apocal. 2: 17.* verba faciunt: *Illis, qui in sacris Græcorum Certaminibus vicerant, dabantur εἰσελαστικὰ i. e. frumentationes aut reditus quidam.* Trahit idem huc *Vitruvii* verba: *De ea re, quum à certamine abibant, accipiebant tesseram cum inscriptione quantitatis ejus, quod accepturi erant.*

§. 7. Usus

§. 7. Usus restat præcipuus *Calculi Albi*: qui erat *in publicis Judiciis*: si qui absolvendi vel condemnandi essent rei. Antiquitus enim, in Areopago cumprimis apud Græcos, missis in urnam calculis ita ferebantur à Iudicibus sententiæ: ut absolverent *albis*, *nigris* vero condemnarent. Respicit ad alterum hunc judicii actum, *OVIDIUS Metamorph.* 15. sic ipse canens:

> *Tunc quoque sic lata est sententia tristis, & omnis*
> *CALCULUS immitem dimittitur ater in urnam:*
> *Quæ simul effudit numerandos versa lapillos,*
> *Omnibus è nigro color est mutatus in album.*

Immitem nimirum vocat *urnam*: quæ τοῦ θανάτου, hoc est, *mortis*, erat *urna*, ad differentiam alterius urnæ dicta, quæ ἐλέου, hoc est, *misericordiæ urna* dicebatur. Meminit hujus *Comicus Græcus*:

> Τήνδε λαβὼν τὴν ψῆφον, ἐπὶ τὸν ὕστερον
> Μύσας παρεῖξον· κἀπόλυσον, ὦ πάτερ.

Meminit & anterioris *Idem* statim postea: ὁ δ᾽ ἔσθ᾽ ὁ πρότερος. Qui igitur absolvebant, in posteriorem; qui damnabant, in priorem calculum suum adjiciebant urnam, καλοῦντες τὸν πρότερον ἀμφορέα Κύριον, τὸν δὲ ὕστερον Ἄκυρον: ceu *Scholiastes ejusdem Comici* dudum observavit, observans & idem alibi, priorem quidem urnam æneam, posteriorem ligneam fuisse.

§. 8. Atque sic omnino *Calculi albi* usus in reo absolvendo obtinebat: ut ex adverso ater in reo condemnando obtinuerat: suntque memorabilia verba, quæ *ADRIANUS IUNIUS Observat.* 2. in hanc rem habet: *Iudicum Calculi*, inquit, *duplices fuerunt, ut ex Ulpiani Annotationibus in Demosthenem constat: quidam pertusi perforatique ac nigri, qui condemnabant; alii, qui absolvebant, albi ac integri. Illi* τετρημέναι ψῆφοι καὶ μέλαιναι & τετρυπημέναι & καθαιροῦσαι, hi ἄτρητοι, ἀτρύπητοι, σώζουσαι, λευκαὶ, ἐλεοῦσαι & apud *Æschinem* πλήρεις. Addit etiam ille ibidem, sitellam, quæ & urna Latinis, Græcis κάδδισκος, vas fuisse, in quod immitterentur calculi, cujusque & operculum, per quod nempe conjiciebantur calculi, κημὸς dici meruerit Græcis. Κάδδισκος μὲν οὖν ἐστι, scribit *JUL. POLLUX Onomast. L.* 8. *C.* 6. ἀγγεῖον, ὧ τὰς ψήφους ἐγκαθίεσαν. Κημὸς δὲ, δι᾽ οὗ καθίεσαν αἱ ψῆφοι, ἐπικειμένου τῷ καδδίσκῳ. Aliquando tamen non in cadiscos, sed in mensa posuisse calculos è Lysia notat *JOH. PHILIPP. PFEIFFERUS Antiquitatum Græcan. L.* 2. *c.* 29. *p.* 269. Ψῆφον in σώζουσαν distinguens ac καθαιροῦσαν, idemque & huc illud *PERSII Sat.* 4. referens:

> *Et potis es, nigrum vitio præfigere Theta.*

Iudices enim literam Theta apponebant ad eorum nomina, quos supplicio affici volebant.

CAP. III.

De Sueto Calculum Album Usurpandi Ritu.

SUMMARIUM

Mos ac ritus Album usurpandi Calculum alius atque alius. In Magistratibus eligendis quo ritu Calculus usurpatus albus? Usurpatus idem ille quo ritu in diebus signandis faustis? Martialis Locus l. 12. *Epigr.* 3. *explicatus. In Athletarum Certamine quo ritu Calculus Albus usurpatus? Quando ipse demum à Victore ablatus? Ritus Calculum usurpandi Album in sententiis ferendis qui observatus fuerit? Ritus hic paulo prolixius recensetur. Cur id ipsum fiat, paucis dicitur verbis? Duo in hanc rem præcipui Scriptores citantur. Processus forensis totus hac in re ex iisdem collectus Scriptoribus recensetur. Primo conchis deinde calculis, hisque partim albis, partim nigris, summo cum silentio judicatum.* Ἀρεοπαγίτης & Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος *qui proverbio dicatur? Urnæ duæ positæ, quibus calculi immissi.* Κρύβδην ψηφίζειν, *quid fuerit olim? Mensæ & duæ urnarum vicem sequiori ævo præstitere. Cur id fieret? Tribus digitis urnis extracti Calculi. Urna tertia apposita: in quam calculi numerati. Dinumeratis his in Tabula, ceris obducta, gemina linea ducta, longior altera, altera brevior. Capitis clausula.*

§. I.

Ritus Calculum usurpandi Album sequitur videndus: qui & ipse pro vario Ejusdem calculi usu non unus. Alium enim ritum seu modum *in Magistratuum electione*; alium *in Dierum faustorum designatione*; alium *in Athletarum commissione* ac *muneratione*; alium denique *in rei absolutione*, adhibebant.

§. 2. In *Magistratuum Electione*, si qui Candidatorum adesset, qui novo honore aut Magistratu capessundo dignus inter plures judicabatur, mos & ordo, referente *SALDENO, in Otiorum Theolog. lib.* 1. *Exercit.* 8. hic erat: ut primo ejus nomen in certis quibusdam calculis notaretur; calculi deinde hi in urnam, præmisso oleæ folio, cui Mercurii nomen inscriptum, mitterentur; singuli postea auferrent hos Candidati, repetitoque in ordinem ductu secundos tertiosque tollerent; tandem omnibus eductis calculis, prout quisque signatorum Calculorum numero superabat, sic Magistratum capesseret.

§. 3. In *Dierum faustorum designatione* Album Calculum usurpandi ritus, vel ipso observante *PLINIO lib.* 7. *cap.* 4. iste erat: Calculos suos, hosque albos ac nigros, quisque pro experimento cujusque diei in urnam conjiciebat ac supremo exacti anni die separatos eosdem dinumerabat, de quolibet deinceps pronuncians: quos & quot dies lætos, quos & quot tristes habuisset dies. Facile hinc intelligere licet: quo *MARTIALIS lib.* 12. *Epigr.* 3. alludat, sic canens:

> *Et si calculus omnis huc & illuc*
> *Diversus bicolorque digeratur,*
> *Vincet candida turba nigrorem.*

§. 4. In *Athletarum Commissione* pariterque & *muneratione* qui ritus albos usurpandi calculos observatus fuerit, bis terve à nobis citatus *SALDENUS* laudata *Exercitatione* 8. *de Calculo Albo pag.* 173. aperit, specialiorem ejusdem rei rationem edisserens. Conjiciebantur nimirum, certaminibus adhuc durantibus, Calculi, sub tesserarum nomine in cistellam, vel urnam argenteam, DEO, Certaminum Præsidi, sacram: eratque duobus inscripta litera A, aliis duobus B. aliis item duobus Græcorum Γ, & sic deinceps. Tum Athletæ calculos è cista educebant. Quibus igitur Litera A obvenisset, ii inter se committebantur, primo pugnaturi loco: eratque hic πρῶτος κλῆρος. Similiter qui literam B eduxissent, secundo inter se certabant loco, calculo sic ac urna unicuique suum decernente adversarium. Quisquis ergo adversarium vicerat, non statim, albo impetrato calculo, coronabatur: sed cum aliis, qui itidem Adversarios suos vicerant, itidem pugnaturus committebatur: donec unus omnium victor superesset. Hic, hic demum ultimo & jam plene finito certamine Calculum auferebat Album: ut certissimam victoriæ suæ haberet tesseram. Indeque & de Asclepiade, Pancratiasta, è *VALESIO in Notis ad Euseb. lib.* 5. *cap.* 1. referunt: quod in multis certaminibus victoriam, victoriæque suæ symbolum retulerit, τὸ δεύτερον καὶ τρίτον μετὰ πρῶτον ἢ δεύτερον κλῆρον στήσας τοὺς ἀνταγωνιστάς.

§. 5. Ritus Album in *Judiciis* quondam usurpandi calculum restat, isque & ipse quum prolixior foret, paulo prolixius recensendus venit: ut eo felicius deinceps ac facilius Dissertationis nostræ Capite ultimo de ipsa Oraculi Johannæi locutione allegorica constet: ut constet eo magis, quo digitum Apoc. 2: 17. loquendi isthac ratione, δώσω ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον &c. Servator noster potissimum intendat. Quum autem morem seu ritum usurpandi Calculos, Album æque ac nigrum, Athenis quondam & in Areopago præsertim, usurpari solitum, graphice nobis, Vir in Græcanica Antiquitate, si qui alius, versatissimus, *JOH. MEURSIUS Libro sing. de Senatu Areopagitico cap.* 8. aperiat, eundemque & ex *Meursio* concisius *Antiquit. Græc. lib.* 2. *cap.* 30. enarrat *JOH. PHILIPP. PFEIFFERUS*: non erit certe nobis senio, paucis immutatis ea ex utroque repetere, quæ huc pertinent.

§. 6. Nimirum, quum Senatui Areopagitico in porticu Regia sedenti funis esset circumductus, isque tanto cum silentio in partium causa ferret sententiam, ut Ἀρεοπαγίτης, ut & Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος, Areopagita taciturnior, Ἀρεοπαγίτου στεγανότερος, Areopagita tectior, Proverbio diceretur, quisquis esset taciturnus; ordo ac processus forensis erat hic: Urnæ

duæ ponebantur: in quas calculi immittebantur: ut cognosci minime posset: quis cujusque judicis esset. Altera absolventium erat, ἐλέε h. e. *misericordiæ* dicta; damnantium altera, dicta θανάτε. Qui ergo absolvebant, in priorem; qui damnabant, in posteriorem urnam suum injiciebant calculum. Ac prior quidem urna ænea, altera autem lignea erat. In has videlicet urnas, quum de causa satis cognovissent judices, loco surgentes, ipsi immittebant calculum: quidam autem retinebant. Præco dehinc, qui, quum causæ dicundæ ergo sedissent judices, populum secedere jusserat, circumibat & circumferebat urnam: ut colligeret: sed & quum nihilominus animi gratia quidam calculum retinerent, nec immitterent, præco hos, qui forte retinuissent, tunc immittere jubebat. Et quoniam calculis, colore suo distinctis, albis nempe aliis, qui absolverent, aliis contra nigris, qui damnarent, in istas urnas conjectis, clam omnino habebatur: quæ cujusque judicis sententia foret, κρύβδlω ψηφίζεν, *occultum suffragium ferre*, dicebatur. Alias & palam ferebant suffragia, in duas mensas calculos mittentes: quod triginta Tyranni, ut in potestate sua Areopagitas haberent & pro libidine suffragia ferre cogerent, fieri jusserant. Cœterum, ut ad urnas redeam, tribus digitis, *pollice, indice medioque* tenentes calculos in eas hos injiciebant: qui ipsi olim è marinis conchis facti, Χοιρίναι; post, ad horum similitudinem, ænei haberi cœperunt, Σπόνδυλοι dicti. Sic itaque, posteaquam judices calculos suos immisissent, prolatos è suis urnis omnes in aliam urnam & æneam quidem, conjectos numerabant, dinumeratisque hisce in tabella, cera obducta, si reperti plures nigri, *lineam longiorem*; quod si albi superarent calculi, *breviorem* ungue faciebant *lineam*, longiore illa ipsi condemnantes, breviore absolventes. Meminit longæ illius lineæ speciatim *ARISTOPHANES in Vespis:*

> Ὑπὸ δυσκολίας δ' ἅπασι τιμῶν τὴν μακρὰν,
> Ὥσπερ μέλιττ', ἢ βομβύλιος, εἰσέρχεται
> Ὑπὸ τοῖς ὄνυξι, κηρὸν ἀναπεπλασμένος.

hoc est,

> —— —— —— *Damnat omnes linea*
> *Longa severus: intrat, ut tenax apis,*
> *Penitusque cera sublitos ungues refert.*

Sed utriusque, posteaquam prolixius lineæ ad *Comici Vespas* meminisset *Scholiastes*, meminit idem mox brevius his verbis: Σανίδας φησὶν, ἐν αἷς ἔγραφον τὴν μακρὰν, καὶ τὴν βραχεῖαν, τῆς δίκης, hoc est, *Tabellas ait, in quibus ducebant lineam longam judicii ac brevem.*

§. 7. Atque isthoc denique ritu ac modo, quem ὁ ἑλληνικώτατος *Ioh. Meursius*, erudite ac studiose Antiquitates Græcanicas à prima usque origine repetens, non paucis Græcorum Autorum testimoniis adductis sigillatim probatum ivit, totum, nominatim Areopagiticum, judicium absolvebatur: cum quo & Nos *Caput hoc* 3. absolvimus, præpropere *ad quartum ac ultimum* abhinc transituri.

CAPUT IV.

De Commodo Calculi Albi in Johann. Orac. sensu.

SVMMARIVM.

Propior ad Textum S. accessus. Ad cujus Calculi Albi usum in illo respiciat Servator, anceps quæstio. Sebastiani Meyeri, ad Album suffragiorum Calculum alludi, sententia. Sententia Arethæ, Cæsariensis Episcopi; quod ad Album Athletarum Calculum respiciatur. Brichtmanni hac in re dissensus. Sam. Petiti, non ita longe ab Arethæ recedentis, sententia: ad Hieronicarum alludi in Textu S. præmia. Grotii, itidem non longe recedentis, de Calculo Albo Interpretatio: quem Βραβευταὶ *dabant victori. Riberæ, ad Album faustorum dierum calculum respici, sententia. Alcasaris, Calculum Album in Textu S. per Carbunculum s. Gemmam interpretantis Glossema notatur. Albus s. Candidus Color apud Veteres quid significarit. Dieterici, quod ad candidum absolutionis calculum digitus intendatur, sententia. Saldeni, adscito tamen ac conjuncto Calculo Athletico, consensus. Rhemensium de Calculo Rationum sententia. Al. Mori* παρερμηνεία *notatur ac profligatur. Ex allatis totidem sententiis commodior Textuique S. convenientior CALCULI ALBI sensus eruitur. Idem fusius inculcatur. Oraculi Johannæi brevis quadam Paraphrasis affertur. Pia totius Dissertationis Clausula.*

§. I.

Et instituti nostri ratio, & mentis nostræ in instituto hoc intentio, & rei ipsius quoque ordo, suadent: ut tandem præmissis iis, quæ præmittenda erant, ad ipsam ORACVLI IOHANNÆI, quod nostræ huic de CALCVLO ALBO VETERVM Commentationi occasionem præbuit, illustrationem deveniamus: præprimis ubi anceps quæstio est: *ad quemnam Calculorum usum respexerit Servator, in textu S. D. Iohanni loquens.*

§. 2. Et sane Locus hic Apocalypticus cap. 2: 17. mire Interpretes ac misere vexat & torquet, de quo calculo Albo potissimum ipse agat: an de hoc, qui in *Ludis* dabatur *Olympicis*; an de isto, qui dabatur in *Iudiciis publicis* absolvendi causa, an de illo, qui in *eligendis Magistratibus* adhibebatur; an de lapillo quoque albo, quo *felices* numerabantur *dies*; Ita videlicet, paucis ut dicam, quod res est,

> *Philologi certant, & adhuc sub judice lis est.*

§. 3. SEBASTIANVS MEYERVS respici putat ad eligendi Magistratus consuetudinem: ubi atris & albis calculis ferebant suffragia, inque & comitiis ipsis nomen ejus, cui favebatur, calculo inscribebant: ita quidem ut albus nomen & omen officii haberet: quem solus, qui accipiebat, noverat: donec tandem, omnibus distributis calculis, in publicum hi proferrentur. Estque similis fere ERASMI, ut in *Adagiis* ita & alibi, explicatio. Dicit enim ille, moris fuisse, ut in suffragiis Comitiorum nomen Ejus, cui favebatur, calculo inscriberetur.

§. 4. ARETHAS, Cæsariensis Episcopus, cumque illo alii, Calculum intelligunt Album: qui Antiquorum Certaminibus Victoribus dari consueverat. Arethæ verba sunt: Τὸ το ἦ τὴν λευκὴν, ψῆφον τὴν ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις καὶ τοῖς σταδίοις ἀγωνιζομένων γνώριμον, ἥσαν τοῖς νικῶσι παρεχομένην, ἐνταῦθα τέθεικεν Dissentit vero BRICHTMANNVS, doctissimus Anglus, ipse explicationem hanc de *Calculo Athletarum Albo* non admittens: eo quod Calculus iste esset tantum committendi certaminis tessera, non renumerandi victoris. Atque huc ille Chrysostomi verba trahit, quæ ex *Catena Patrum Græca* in *Jerem. Cap.* 12. latine laudat ALOYS. NOVARINVS, rerum harum indagator non incuriosus: Velut in Olympiis, scribit idem ille, *certaminibus forte hic quidem Antagonistam hunc habet, alius alium: ita & hic, sed ratione hac ac regulis adstrictus. Et Ecclesiasticus vocandus Clerus est. Unicuique enim sicut divisit DEUS; unusquisque &, ut sors ei data à Domino, ita ambulet.*

§. 5. SAMVEL PETITVS, doctissimus Gallus, *Var. Lection. c.* 8. etiamsi & ipse in illa Arethæ interpretatione dissentiat, non tamen ita longe ab eadem recedit: dum dicit ac docet, alludi in Textus S. Iohanneo ad Hieronicarum præmia: quibus præmium dabatur de publico. Non temere enim admittebantur: nisi symbolo fidem facerent, se esse τῶν ἱερῶν συσσίτων: prout & annonam civicam panemque gracilem accipiebant, datis tesseris. Atque hoc sensu Calculum Album apud Iohannem symbolum & tesseram esse σιτήσεως, ut ad epulum Mannæ, quo Dominus eos excipiet, omnes admittantur vincentes, non inepte è dictis concludit SAM. PETITVS. *Nec mireris*, pergit, *hic tesseram appellari* calculum: *quum &* Titulus æneus *in Jure vocetur.*

§. 6. HVGO GROTIVS, celeberrimus ille, sed interdum nimium sibi indulgens, totius Codicis S. Commentator atque Interpres, itidem haut ita longe *ab Arethæ* discedit interpretatione: dum *Calculum* intelligit *Album*, *quem* Βραβευταὶ *victori dabant: cui & ejus nomen erat inscriptum cum qualitate præmii.* Ita enim & Romani Impp. in Ludis suis populo projicere tesseras ligneas solebant: quibus nomen frumenti, argenti, facti, servorum, vestium &c. inscriptum. Ei autem, qui aliquid ex his arripuerat, dabatur, quicquid in tessera ejus erat scriptum.

§. 7. RIBERA, quod non æque ac illud ALCASARIS, qui cum *Ambrosio Ansberto*, scriptore alias antiquo, Calculum Candidum *Carbunculum* aut *Gemmam* interpretatur, inque & interpretatione hac stabilienda multum laborat, ipsum CHRISTUM Servatorem calculo hoc indicari volens, Glossema displicere nobis potest, in *Commentario* suo ad *præsentem Joh. locum* forte ad morem ibidem respici Veterum putat: quo ducti illi dies felices *albis* notare *lapillis* haud dubitabant. Nempe quum *albus* vel *candidus color* semper boni aliquid faustique apud veteres significaret, diesque & beatiores TIBULLO Lib. 3. Eleg. 6. dicerentur *fata candida*, Dii item *candido amictu* ostentarentur, albedo denique non tantum apud Romanos, sed & apud Græcos (apud quos videl. pro victoria Sacra faciens, *candida* amiciebatur *veste*) victoriæ atque lætitiæ index esset: felicitatem utique illam ac lætitiam, quæ hac in vita incipiat, sed plene in futura possideatur, notari vult *Ribera*. Scribitque & JACOBUS LYDIUS *Agonist. Sacr. cap. 39. pag. 144.* Johannem Christianis, è gentilitate conversis moresque item Græcorum scientibus, scribentem more Græcorum loqui, & *calculum candidum* vocare *vitam felicem*. Promitti igitur hanc plene in futura vita possidendam Nicolaitarum turpitudinem fugientibus, vero quam simillimum esse, autumat Lydius.

§. 8. Insuper quum receptissimo more reus Albo, in urnam conjecto, calculo absolveretur, contrariæ vero sententiæ testes nigri ac perforati essent Calculi, JOH. CUNRAD. DIETERICUS *Lexici Philologico-Theolog. Gr. Lat. volum. 2. pag. 260.* ex eodem ritu Metaphoram ab Autore Apocalyptico sumtam esse, scribit: ut Calculus Albus symbolum sit gloriæ cœlestis.

§. 9. Non plane abludit ab hac interpretatione GULIELMUS SALDENUS *Otiorum Theol. Lib. 1. Exercitat. 8. pag. 177.* sed ipse ibidem & Athletarum vincentium, quem impetrabant, & judicum absolventium, quem, urnis extractum, reis conferebant, calculum conjungit: quasi, quum verba illa, non semel recitata, JESUS extulerit, *Athletarum victorias* ac *præmia* cogitarit, cogitarit etiam *judicialem absolutionem*, vincentibus illis donandam æque ac dato Calculo Albo obsignandam. *Nihil aliud*, scribit ille, *verbis suis intendit Servator: Quam ut iis, qui spirituales hostes continua lucta essent oppugnaturi, eosque fortiter ac gloriose* (divina gratia) *superaturi, gratuitam peccatorum suorum omnium remissionem & condonationem, quodque probe notandum, non tantum condonationem illam, sed gratiosum quoque sensum & certitudinem subjectivam promittat.*

§. 10. Unica adhuc, si non penitus rejiculam illam RHEMENSIUM de *Rationum Calculo*, ad quem & Syrus Interpres voce sua, חושבנא, ratio, computatio, forte respexit, expositionem exceperimus, expositio restat, frigidior tamen & insolentior, quam ut temere adoptari queat. Habet eam ALEXANDER MORUS, doctissimus alias Anglus, his verbis: *An respexit ad* lapidem: *quo circumcisio peragebatur? Μαχαίρας ἐκ πέτρας & πετρίνας vocant LXXII. Interpretes ad Jos. 5. sed & ψῆφος Exod. 4. de Sephora λαβοῦσα ψῆφον: quod Hieronymus* calculum *reddidit. Jam vero solet Johannes aquam & sanguinem, Baptismum cum Eucharistia conjungere. Sic ut* Manna, *quod præcessit, ad* Eucharistiam *referri possit; ad* Baptismum, *tanquam ad Circumcisionem novam,* lapis albus, *acutam significans verbi DEI, quo cor conciditur, aciem,* &c. Quis autem expositionem hanc, tanquam crinibus attractam & vi contortam, ferret: nisi vel ipse Textui S. vim inferri vellet. Ex *lapide* certe *albo* nemo Baptismum, è *Manna* Eucharistiam nemo, ullo colore poterit facere, effectusque ei consimiles attribuere: nisi signa resque & ipsas signatas crassa confusione velit confundere.

§. 11. Allatis tenus hac, & ex parte rejectis quoque diversis diversorum Autorum circa CALCULI ALBI *sensum*, quem vel ipse Textus S. ferat, sententiis, ordine jam sequitur justo: ut in tanto hoc sententiarum divortio, pro tenuitate judicii nostri, nostrum tandem ἐπιβάλλον μέρος afferamus. Commodiorem vero CALCULI ALBI *in Oraculo Johanneo* sensum non videmus, quam quem *Calculi* tam *Athletici*, qui certaminum erant, quam *Absolutorii*, qui erant judiciorum, insinuant. Næ enim ut Calculi Albi, urnis suis, in quas conjecti fuerant, in mensam emissi ac linea breviori in Tabula notati, certissimæ in Iudiciis erant notæ absolutionis: ita & ejusdem coloris Calculi in Certaminibus obtentæ victoriæ erant signa. Donabantur utique post ultimam in Certaminibus pugnam Athletæ Calculo Albo: ut esset impetrandi præmii tessera. Dabatur reis in judiciis post peracta peragenda Calculus Albus: ut plenæ, quam impetrassent à Iudicibus, absolutionis esset nota. Nonne ergo commodissime, uti *Athleticus* symbolum in Textu S. est gloriæ cœlestis, quam supremus ille Brabeuta post pugnam feliciter superatam, omnibus fidelibus, sed è mera gratia, in altera daturus est vita; ita *forensis* iste *Calculus* plenissimæ absolutionis h. e. remissionis peccatorum, omnibus pœnitentibus dandæ, index est? Est mi Christe CALCULUS ALBUS heic & sententiæ CHRISTI, extremi judicis, absolutoriæ & præmii gratuiti, quod à supremo Brabeuta, DEO, vincenti dabitur, symbolum. Et quanquam Calculus absolutorius non daretur ex urna in manus absoluti: dabatur tamen, urna emissus, palam in mensa cernendus. Quanquam item Calculi illi Albi, qui Athletis dabantur, non essent certaminis remunerandi, sed committendi tesseræ: erant tamen & alii de hoc genere Calculi, qui ultimo ac plene finito Certamine, quod observat *ad Pancirolli Rer. Perd. p. 1. tit. 44. HENR. SALMUTH*, præmii loco dabantur. Quemadmodum itaque Calculus Albus in Iudiciis quondam non ipsa reorum apud Antiquos absolutio erat, sed certum ejus indicium ac quasi sigillum: quemadmodum item Calculus Albus in Certaminibus vincentibus datus, non ipsum erat præmium, sed præmii mox subsecuturi, & quoad qualitatem & quoad quantitatem, quidam quasi index: parili quoque ratione testimonium heic cum gratiosæ absolutionis in hac, tum gratuitæ munerationis in altera vita; quod utrumque perhibet nobis Spiritus S. inque cordibus nostris obsignat, certissimum gratiosæ in Die pantocritico sententiæ pronunciandæ indicium fore, promittitur: quando CHRISTUS apud Iohannem dicit: *Dabo in omni carnis, mundi & Satanæ pugna vincenti* h. e. ut Theologi docent, *vera pietate ac fide, in omni calamitate usque ad finem vitæ perseveranti, bonum absolutionis Testimonium, idque per Spiritum S. confirmabo: neque modo id faciam, sed etiam eum scribam Hæredem cœlestis felicitatis, cujus magnitudinem nemo novit in hac vita: nisi qui eam jam possidet in altero seculo.*

§. 12. Quid pluribus opus: ubi satis jam de commodo CALCULI ALBI in Textu S. constet sensu? Quare, quum verendum sit, ne, si in Materia hac S. pergeremus, falcem in alienam messem, alio forte die cum DEO demetendam, mittere videremur, colophonem Philologicæ nostræ Dissertationi imponimus, DEO, summo Studiorum nostrorum Epoptæ, immortales pro concessis viribus in hoc certamine literario agentes gratias, eundemque & devotis precibus exorantes: ut intellectum nostrum in Sacris posthac illuminet, Scripturamque intelligere faciat, in omnem veritatem ipse nos deducturus. Quod autem unum in decursu hoc superest: à B. L. æquum de juvenili nostro conatu philologico expectamus judicium, nulli & ipsi dubitantes: quin ipse, quum vadum jam tentaverimus, majoraque & deinceps ope DEI paraturi simus, præsenti nostræ Exercitationi serena fronte adjecturus sit

ΨΗΦΟΝ ΛΕΙΚΗΝ.

SOLI DEO GLORIA.

M. GEORG. SCHWARTZE DISSERTATIO

De pugna Michaëlis & Draconis ad Apoc. XII: 7, 8, 9.

بسم الله

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Tanto sibi quondam Poëta duxit honori, fortissimi herois Æneæ res gestas ac acerba describere bella, ut etiam de eo quasi gloriaretur, sic exorsus, ARMA VIRUMQUE CANO &c. Sed non tantum Poëtæ, verum & nobis ita in præsenti exordiri placet, siquidem & periculosum nos jam meditamur prælium, ipsius scilicet Michaëlis seu Filii DEI contra Draconem, humani generis hostem infensissimum. Arma canimus seu describimus non carnalia, sed spiritualia ac longe præstantissima; Virum vero memoramus, qui איש יהוה, *seu verus DEUS simul est, atque in fortitudine vel bellandi peritia superiorem aut parem agnoscit neminem. Prælium quoque nostrum cum de salute humani generis geratur, nobis omnibus est proficuum. Proinde potiori jure nos jam gloriamur, sic exorsi: ARMA VIRUMQUE DEUM CANIMUS. Omnium autem primo Ipsum invocamus Michaëlem seu Dei filium, ut sua nobis adsit gratia, quo omnia, quæ de Ipsius pugna dicturi sumus, in sui vergant gloriam, nostrumque commodum. Conterat Draconem sub pedes nostros, ne nostros queat impedire conatus. Fiat!*

§. I.

DEscripturus Iohannes Theologus horrendum Michaëlis atque Draconis prælium, connectit illud cum verbis antecedentibus per particulam καὶ, dicens: καὶ ἐγένετο πόλεμος. Egerat quippe hactenus de nefando Draconis erga mulierem gravidam ejusque filium proposito. Huic autem cruentæ Draconis intentioni, quomodo Michaël restiterit, ut indicet, Michaëlis atque Draconis subjungit prælium, atque ut hoc cum præcedentibus cohæreat, præmittit particulam καὶ. Equidem plurimas hanc particulam perinde ut Ebræorum ו sustinere significationes non ignoramus. Videri possunt de iisdem *Flacius* in *Clav. S. S. part. 1. p. 276. Glassius in Philol. S. Lib. 4. Tract. 2. Observ. 7. p. 686 seqq. & Lib. 3. Tr. 7. Can. 3. p. 589. Erasmus Schmidius in Not. ad Nov. Test. ad vers. 19. cap. 5. Matth. fol. 89, 90. Pasor in Lexico &c.* Hic tamen τὸ καὶ non aliam quam connectendi habere vim, manifeste docet συνέχεια καὶ συνέπεια. Inde etiam Interpretes fere omnes per ET vertunt, præter Piscatorem in h. l. qui DEINDE habet. Quo sensu etiam Arabs ثم *TUM, DEINDE* adhibet. Inprimis autem solet hæc vocula καὶ frequenter poni in principiis narrationum, cum sequitur verbum ἐγένετο, perinde uti apud Ebræos crebro dicitur ויהיה & ויהי. Confer. Luc. 1:23. 41. 59. c. 2. 46. c. 9. 18:29. &c. In vaticiniis solet jungi verbo ἔσται. Actor. 2:17. De quibus vide *Philolog. Sacr. Johann. Vorstii Part. 1. pag. 222. seqq.*

§. 2. Iam ipsa prælii sequitur narratio, & in illa omnium primo verbum ἐγένετο, *quod est 3. pers. Sing. Aor. 2. Indicat. Med. verbi γίνομαι seu γίγνομαι.* Admittit autem varias hoc verbum significationes, ex quibus communior est illa, qua FIO significat, quæ etiam hoc in loco militat. Alias vero sicut & alia verba, sæpius neutraliter usurpatur pro *ESSE*. Qua de re videatur *Glass. in Phil. S. Lib. 3. Tract. 3. Can. 24. not. 2. p. 307.* Interdum tamen quoque explicandum est per τὸ *versari.* 1 Cor. 2:3. 1 Thess. 2:5, 10. Idque etiam profanis scriptoribus non inusitatum esse *Heinric. Steph. in Thes. Gr. Ling. & Dn. Georg. Crauser. in Phosphero suo pag. 937.* ostendunt. Adhibetur etiam sæpius pro *nasci, oriri, gigni,* Johan. 8:58. Rom. 1:3. Gal. 4:4. Act. 27:29; Item pro *mutari, converti,* Matth. 21:42. Luc. 13:19. Joh. 16:20. Vide iterum *Johan. Vorst. Philol. sacr. Part. 2. p. 242.* Denique uti & alia quædam simplicia verba sæpius pro compositis usurpantur: Ita & γίνεσθαι pro παραγίνεσθαι adhibitum esse deprehendimus Luc. 10:32. Ioh. 6:19. Conf. *Glass. Libr. 3. Tr. 3. Can. 1. pag. 227.* Cœterum refertur hic τὸ ἐγένετο non ad tempora partum insecuta, sed ad tempora ipsius partus. Gestum quippe est hoc prælium ante fugam mulieris in Eremum uti colligere est ex vers. 14. Ante partum autem illam eo non aufugisse ostendit vers. 5. & 6. Quare prælium hoc, dum mulier pareret, accidisse constat. Inde vero fluit, non de prælio illo, quod semper in Veteri & Novo Testamento inter Michaëlem & Satanam gestum est, quodque usque ad consummationem seculi durabit, sed de peculiari hic agi. Demonstraremus etiam facile, si ad nostram id spectaret cathedram; hoc prælium quoque non ad tempora statim post ascensionem Christi, quando Satan molitus est de statu cœlesti dejicere credentes in Christum cum *Coccejo*, nec ad tempora primitivæ Ecclesiæ ante Constantinum contra Romanos bellum gerentis, *cum Medo*, nec ad tempora Heraclii cum *Lyrano* referendum esse; sed tempore Constantini illud gestum esse, ut *Ægid. Hunn. in Epist. in fest. Michaëlis, Cluver., Durfeld, Gravius, Kromayer, Pareus, Magnific. Dn. D. Calov. in Bibl. Illustr. in h. l., Magnif. Dn. D. Lucius in Concion. in Apocalypsin, B. D. Mullerus in Postill a in Ep. fest. Mich.* annotant.

§. 3. Ipse autem conflictus venit Iohanni nomine πολέμου, quando inquit, καὶ ἐγένετο πόλεμος. De Etymologia vero nominis hujus inter Philologos adhuc disceptatur. *M. Stephano Riccio Comment. in Hesiod. l. 1. Oper. & dierum p. 54.* dicitur πόλεμος quasi τῶν πόλεων λοιμὸς id est, *Reipublicæ pestis,* aut quasi ὁ πολλοὺς ἀμῶν id est, *multos metens*, aut quasi πολυεμὴς id est, *multa evomens*, vel quasi ὁ πολλοὺς χέων *multos fundens. Martin.* autem in *Lexic. Philol. sub voce Belli,* πόλεμον dictum putat, quia est πολλῶν *seu unitati adversatur*, vel *quia omnia* πολεῖ *seu vertit.* Denique *Pasor in Lexico suo* adhuc alias ex aliis adducit significationes, quæ apud eundem videri possunt. Nobis derivatio Martini, maxime probabilis videtur. Sicut enim Latinorum bellum omnium optime juxta *Scaliger. Lib. 3. Poët. c. 90.* & *Perottum* dicitur à duobus quasi duellum, eo quod in bello duæ sint partes, & inter duos tantum primum bellum fuerit. Quidni ita etiam πόλεμος ἀπὸ τῶν πολλῶν, quod inter multos milites geratur, vel ut placet *Martinio*, quod unitatem seu concordiam tollat (uti Germanorum Zwist/ est à Zweyen & hoc à Zwey) dici poterit? Vel si hoc displicet, certe πόλεμον commode ἀπὸ τοῦ πολεῖν quod omnia evertat derivare poteris. Apud Syrum legitur vox ܩܪܒܐ à R. ܩܪܒ, quæ in *Peal* significat *accessit, propinquus fuit, in Aphel, bellum gessit,* forsan, quia in bello partes accedunt, & sibi invicem fiunt propinquæ. Proprie autem notat πόλεμος bellum, atque differt à μάχη, sicut bellum à prælio. Est nimirum πόλεμος seu bellum totum illud tempus, quo hostes in armis sunt; sed μάχη prælium est conflictus ipse, & hostium

hostium congressio. Hinc *Salustius*, *Populum Romanum*, inquit, *nullo bello*, *multis vero præliis fuiße superatum.* Et *Virgilius lib. II, Æneid.*, *Infantem fugiens media inter prælia belli Extulit exilio comitem.* Sicuti vero Latinorum bellum sæpius adhibetur pro prælio; Ita & πόλεμος pro μάχη interdum venit. Hic autem parum refert, sive bellum sive prælium reddideris. Plane vero singulare & maxime acerbum hoc fuisse prælium, non tantum ex toto contextu liquet, sed & inde colligitur, quod Johanni non sufficiat dixisse, καὶ ἐγένετο πόλεμος; Verum bis adhuc verbum ἐπολέμησαν (*quod est 3. pers. pl. Aor. 1. Indic. Activ. verbi* πολεμέω *bello, pugno, prælior*) repetit. Addit enim ὁ Μιχαὴλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐπολέμησαν, & paulo post, καὶ ὁ Δράκων ἐπολέμησε. Quæ certe gemina repetitio ἐμφάσεως non caret. Equidem *Ludovic. ab Alcasar. in Vestigat. Arcan. sens. in Apocalyps. p. 602.* hunc nodum aliter solvit; Nos tamen absurde non dici putamus, hac quoque emphatica repetitione acerbitatem hujus prælii indicari. Non enim de re exigua, sed de propagatione verbi divini & salute hominum Michael atque Draco concertarunt. Hinc etiam utraque pars hoc prælium maximo cum fervore ac studio iniit. Specialiorem vero modum, quo Angeli boni & mali pugnant, ignoramus. Nonnulli quidem illud fieri asseruut per productionem specierum intelligibilium contrariarum, quas sibi mutuo imprimunt. Ast ἀποδεικτικῶς probari id ex sacris literis aut ex natura non potest.

§. 4. Ne vero locum in quo hoc prælium gestum est, ignoremus, illum etiam Iohannes nominat, inquiens, καὶ ἐγένετο πόλεμος ἐν οὐρανῷ. Hinc οὐρανὸν seu cœlum locum hujus prælii fuisse, extra controversiam est. Etymon autem vocis οὐρανοῦ itidem varie à Philologis explicatur. *Ambrosius in Hexaëmer:* οὐρανὸν dictum putat, quasi ὁρανὸν ab ὁράω, quod visui pervium & minime densum sit. *Philo lib. 1. de mundo* ab ὅρος deducit, his usus verbis, τὸν γὰρ αἰθέριος ἐκ κύκλῳ τόπον ἐλευθέροις μονοπλάσης ὀχυροῦντο, τὸ ἐντὸς ὅρον τε καὶ φυλακτήριον αὐτὸν τιθεὶς ἀφ᾽ οὗ καὶ οὐρανὸς ὠνομάσθαι δοκεῖ. Cum quo *Aristot. lib. 1. de mundo* consentit, quando ait οὐρανὸν ἐτύμως καλοῦμεν ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω. *Pasor* denique *in Lexico suo* ab Ebræorum אור vel Chaldæorum אוּרָא quod *lucem* notat, hoc nomen deducere gestit, quod etiam *Martinio in Lexic. Philol.* sub voce Cœli videtur. Nobis vero Aristotelis derivatio, & derivationis ratio non displicet. Ebræis οὐρανὸς dicitur שמים ab Arab. سما *altus fuit*, & Latinis *Cœlum* à κοῖλον quod est *cavum*, quia nobis intuentibus cœlum apparet, ut *fornix*. Est etiam porro hæc vox ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Adhibetur enim interdum *proprie*, *vel de aëre* ut apud LXX. Gen. 1: 26. cap. 11: 4. vel de *Cœlo sidereo*, 2 Petr. 3: 5. Ita etiam Aristot. *lib. 1. de Cœlo cap. 9. th. 96. seqq.* σῶμα ἐν ᾧ σελήνη καὶ ἥλιος, καὶ ἔνια τῶν ἀστέρων, καὶ γὰρ ταῦτα ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναί φαμεν. *Per Metaphoram* vero sæpius notat *Ecclesiam* Matth. 13: 24, 31, 44, 45. & per Metonymiam *ipsum Deum* Matt. 21: 25. Luc. 20: 4. cap. 15: 21. (qua de re videantur *Drus. in Observat. sacr. lib. 5. c. 11.*, *Angel. Canin. in disquisit. de Obscur. loc.*, *Glassius in Philol. Sacra. lib. 5. Tract. 1. c. 3. pag. 42.* *Buxtorf. in Lexico Rabbinico*, *Joh. Vorst. in Philolog. Sacr. part. 1. c. 3. p. 72, 73*, *Crauser. in Phosphor. p. 1014.*) aut πατρὸς *beatorum.* Phil. 3: 20. Usurpatur etiam in S. S. promiscue in singulari atque in plurali numero. Sic Matth. 22: 30. de Angelis dicitur, quod sint ἐν οὐρανῷ & Marc. 12: 25. quod sint ἐν οὐρανοῖς, Cujus rei rationem suppeditat *Excellentiss. Hakspan in Not. Philolog. Theolog. in c. 16. Matth. p. 106.* Construitur denique sæpius cum præpositionibus ἐξ, ἐκ, ἀπὸ, & tum ὁ ἐξ οὐρανοῦ, ὁ ἀπ᾽ οὐρανοῦ, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, perinde ut Ebræorum משמים & Syrorum ܕܡܢ ܫܡܝܐ *cœlestem* significat. *Vid. Dan. Fessel. Adversar. Sac. Tom. 1. lib. 1. c. 16. pag. 79. seqq.* Ut vero ad nostrum revertamur locum, in eodem ὁ οὐρανὸς non notat aërem, ut contendit *Grotius*. Non enim hic de fictitio Simonis volatu & Petri dejectione agi ὀφθαλμοφανερῶς ostendit *Magnif. Dn. D. Calov. in Bibl. Illustrat. ad h. l.* Cœlum etiam Empyræum, ut *Tirinus citante Clariss. Matthæo Polo in Synops. Critic.* vult, non est hujus loci, cum sit figmentum otiosorum hominum. Nec etiam cœlum sidereum, utpote ad quod reliqua textus nostri verba non quadrant hic potest intelligi, ut & nec πατρὸς beatorum, ex quo Diabolus dudum est ejectus, ac in quo nullum grassatur bellum. Quamvis etiam observet *B. Kromayerus in Commentar. in Apocalyps. p. 281.* posse etiam hic intelligi cœlum proprie dictum (seu beatorum) propter visionem, quod hæc Johannes gesta in cœlo viderit; Unanimi tamen ferme consensu omnes Interpretes per cœlum, Ecclesiam h. l. indigitari putant; Quod etiam ex textu & illis quæ sequuntur, non obscure patet. Quæ tamen hic iterum brevibus saltem allegamus, atque ad Dnn. Theologorum scholas remittimus. Additur denique huic nomini præpositio ἐν, quæ varias itidem admittit significationes, de quibus vid. *B. Glass. in Philol. Sacr. lib. 3. Tract. 6. Canon. 6. p. 532. & Canon. 21. p. 571.* Hic tamen communior significatio ab Interpretibus retinetur, & per IN redditur, nisi quod *Ambrosius Ansbertus in h. l.*, *propter* verterit.

§. 5. Sicut autem alias in accurata prælii cujusdam descriptione etiam Ducum militumque fieri solet mentio; Ita & eosdem in hoc prælio rite describendo Johannes præterire noluit. Pergit itaque ὁ Μιχαὴλ καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐπολέμησαν, ac summum Imperatorem ab una parte fuisse Michaelem & milites, ipsius Angelos asserit. Quod autem nomen Michaelis attinet, illud extra controversiam compositum est, ex pronomine מִי nota similitud. כְּ & nomine DEI אֵל. Cumque pronomen מִי nonnunquam sit interrogativum, interdum vero etiam pro אֲשֶׁר usurpetur, inde alii vertunt, *Quis sicut Deus?* alii, *Qui sicut Deus.* Quæ tamen res levioris videtur esse momenti. Illud autem omnium primo inde fluit, frustra à nonnemine dici, plane nulla apud Ebræos dari decomposita, eamque ob causam in אֵלִיָּהוּ יִרְמְיָהוּ &c. τὸ י ex הוא non esse desumtum; Ast confundit nomina appellativa & propria. De illis hoc concedi potest, minime vero de his. Dari quippe apud Ebræos nomina propria decomposita, hoc nomen מִיכָאֵל, item numen אַבְרָהָם (quod est ex אָב pater רָם excelsus, & הָמוֹן multitudo, juxta ipsius DEI explicationem Gen. 17: 5.) & alia luculenter probant. Sed porro specialiorum adhuc disquisitionem meretur, Quisnam sit ille Michael, de quo textus noster loquitur? Ubi quidem hoc nomen interdum etiam tribui hominibus, ut Num. 13: 14. 1 Paral. 7: 40. c. 8: 3. c. 9: 16. c. 13: 20. &c. item Angelo cuidam bono ἀκοινώτως concedimus, hic tamen esse nomen hominis vel Angeli creati negamus atque Filii Dei esse asserimus. Imprimis vero quinque offenduntur loca Dan. 10: 13, 21; c. 12: 1. Epist. Jud. v. 9. Apoc. 12: 7. In quibus quis per Michaelem, utrum increatus an creatus Angelus debeat intelligi, inter Orthodoxos pariter ac Heterodoxos non convenit. De quibus omnibus prolixe tamen agere, nostri non est instituti nec fori, cum ista ad cathedram pertineant Theologicam, ad quam denuo remittimus curiosum lectorem. *Conf. Magnif. Dn. D. Geier in Prælect. Academ. in Dan. c. 10: 13. p. 803.* *Magnif. Dn. D. Calov. Tom. 4. System. p. 267. seq.*, *Magnif. Dn. D. Lucius Concion. 118. in Apocalyps.*, *qui varias Nostratium ac aliorum* de his locis recensent sententias.

§. 6. Hallucinantur itaque Judæi, qui Michaelem unice de Angelo quodam creato accipiunt, & tali quidem, qui imperium in cœteros habeat. Hinc vocant eum Paradisi præpositum & moderatorem Angelorum, qui vices Dei in cœlis gerat, eo quod sit proprius ipsius Angelus. Unde *Baal Turim* ad Exod. 32: 34. ita commentatur מלאכי אותיות מיכאל שהוא מלאכו המיוחד לו מלאכו *Dictio* מלאכי *easdem habet literas, quas vox* מיכאל *quia hic proprius ejus Angelus est.* Et in *Pirke R. Elieser c. 42.* sic de Michaele dicitur: אמרו ישראל לפני הק״בה אין כמוך במלאכי השורות וכן כל כנוי שמן אלהי מיכאל וגבריאל מי כמוך באלים י״י i. e. *Dixerunt Israelitæ coram Deo: Non est similis tibi inter Angelos ordinum, etiam qui nomen habet à Deo, nisi Michael & Gabriel. Quis sicut tu inter Deos Domine Exod.* 15: 10. Inde etiam omnia fere Michaeli adscribunt. Ita enim porro *Eliesér l. c. cap. 27.* בשביל לוט לקחו את כל רכוש סדום ועמור ואחר כך שבו את לוט ואת רכושו שנאמר ויקחו את כל רכוש סדום ועמורה וגומר בא מיכאל והגיד לאברהם שנאמר ויבא הפליט ויגד לאברם העברי מיכאל שרו של עולם הוא מגיד שנאמר ובעל כנפים יגיד דבר ולמה נקרא שמו פליט לפי שבשעה שהפיל הק״בה את סמאל וכת שלו ממקום קדושתן אחז בכנפו של מיכאל להורידו ולהפילו ופלט הק״בה מידו לפי כך נקרא שמו פלט ועליו אמר יחזקאל בא אלי הפליט מירושלם לאמר הכתה העיר: *Propter Lothum diripuerant (Reges) omnes facultates Sodomæ & Gomorrhæ, postea quoque captivum abduxerunt Lothum, ejusque facultates, uti dicitur (Gen. 14: 2.) Et acceperunt omnes opes Sodom, & Gomorrhæ &c. Advenit Michael, annunciavitque illud Abrahamo. Ita enim dicitur Venit* הפליט *(Gen. 14: 13.) & significavit Abrahamo Ebræo. Michael princeps orbis fuit annunciator juxta illud, qui habebat alas, indicavit (Eccles. 10: 20.) Cur autem inditum est ei nomen* פליט *seu evasor? Quoniam ea hora qua Deus præcipitavit Sammaelem & cohortem ejus ex loco sancto, tum apprehendit ipse alam Michaelis, ut detraheret eum, secumque præcipitaret, sed eripuit eum Deus ex manu ejus. Ideo vocatur nomen ejus* פליט. *Atque de eo dixit Ezechiel (c. 23: 22.) Venit ad me quidam, qui evaserat è Jerusalem dicens: percussa est*

eſt civitas. Idem etiam *l.c. cap. 26.* habet, אבימלך היו כל נקבו ביתו עקרות אפילו עד ביצי כנים ושלח אבימלך ולקח את שרה סביר להעמיד ממנה בני ירד מיכאל המלאך ושלף חרבו להרגו: *Omnes fœminæ domus Abimelechi ſteriles factæ ſunt, etiam uſque ad ova pediculorum. Miſit Abimelech, atque ſumſit Saram, cogitans ex illa filios ſuſcitare, ſed deſcendit Angelus Michael, ſtrinxitque gladium ſuum ad interficiendum illum.* Idem adhuc porro de Michaele habet, *cap. 42. l. c.* ראה משה בצרתן של ישראל ועמד להתפלל עליהם אמר לו הק"בה דבר אל בני ישראל ויסעו אמר משה לפני הק"בה האויבים מאחריהם והים מלפניהם לאי זה דרך יסעו מה עשה ת"קנה שלח למיכאל חשר הגדול ונעשה לחומות אש בין ישראל לבין המצרים: *Reſpiciens Moſes anguſtiam Iſraëlitarum, conſtitit, ut precaretur pro iis. Dixit illi Deus: Dic filiis Iſraëlis ut proficiſcantur, Reddidit Moſes Deo, Hoſtes à tergo ipſorum & mare ante eos eſt, quo proficiſcerentur. Quid autem fecit Deus? Miſit Michaëlem magnum principem, & factus eſt, murus ignitus inter Iſraelitas & Egyptios.* Ex quibus & aliis ſatis, ut putamus, conſtare poterit, quantum Michaeli creato juxta illos Angelo tribuant. Imo alibi etiam dicunt, Michaëlem cum aliis Angelis Dei, quando in montem Sinai deſcenderet &c. fuiſſe comitem. Inde obſervat *Heinſius in obſervat. ſac. p. 546.* illos voce contracta אר"נמן Urielem, Raphaelem, Gabrielem, Michaelem ac Nurielem denotare, quos divinam majeſtatem, tanquam totidem ſigniferos, cum in montem Sinai deſcenderet, circumſtetiſſe volunt. Juxta *Buxtorfium etiam in Lexic. Rabbinic. ſub voce* אוריאל. quatuor fingunt Angelos, qui circumſtant ſolium majeſtatis divinæ ad miniſteria ejus ſemper parati, ut מיכאל גבריאל אוריאל רפאל *Michael* autem dicitur ſtare ad dextram ejus, ad vexillum tribus Ruben verſus meridiem; *Uriel* vero ad ſiniſtram ejus, ad vexillum tribus Dan, verſus ſeptentrionem; *Gabriel* ante conſpectum ejus, ad vexillum tribus Jehudæ, juxta Moſen & Aaronem verſus Orientem; Et *Raphael* denique à tergo ejus pro vexillo Ephraim. Quæ tamen omnia potius riſum quam aſſenſum merentur.

§. 7. Frigidam his ſuffundunt, *Bellarminus, Becanus, Viegas, Ribera, Cornelius à Lapide, Collado & Pontificii* communiter per Michaelem unice Angelum quendam creatum intelligentes. De eo adhuc inter Papiſtas non convenit, utrum primæ, an ſecundæ Hierarchiæ princeps ſit Michael, de quo conferri poteſt *Auguſtin. Gibbon de Burgo Tom. II. Theol. ſchol. Diſput. XXIX. dub. I. not. XI. pag. 749.* Addatur huic *Cornel. à Lapide, ad Dan. XII.* qui multa de Michaële Antichriſtum occiſuro ſomniat. Aſt Judæos pariter ac Pontificios λῆρον ληρεῖν nobis tacentibus quilibet perſpicit. Conferatur hic etiam *Dan. Chamier Panſtrat. Cathol. Tom. II. lib. IX. c. XI. num. 22, 23, 24.* qui etiam agit contra Bellarminum ex noſtro loco colligentem, Michaëlem poſt Diaboli lapſum eſſe factum Angelorum Principem. Porro tamen & illorum merito rejicitur opinio, qui Michaëlem de nudo aliquo hic interpretantur homine. Ita *Nic. de Lyra in h. l.* Michaëlem hunc Heraclium (qui cum Coſroë manus conſeruit de quo præter alios videatur D. Oſiander Centur. VII. epitom. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 26, 27, 28.) & *Brigthmannus* Conſtantinum M. (qui Maxentium, Maximinum, & Licinium debellavit, de quo confer. iterum D. Oſiander l. c. Centur. 3. lib. 1. cap. 30. ſubſeq.) fuiſſe autumant. Sed multa obſtant, quo minus hanc arripiamus ſententiam quæ à Noſtratibus Theologis prolixius exponuntur. Equidem prælium hoc tempore Conſtantini M. geſtum fuiſſe τῶν ἀμφοῖν largimur, ipſum tamen Conſtantinum hujus prælii ſummum Imperatorem non facimus. Videatur hic etiam *David Pareus in h. l. Apocalypſ.* Sed novam adhuc hiſce plane abſimilem *Napirus* ſed fine rivinis oſculatur ſententiam, qui Spiritum S. hunc Michaëlem eſſe perhibet. Verum ἐπινίκιον &. alia ab aliis producta hunc quoque cum refellant, ut prolixius contra eundem agamus, operæ pretium non videtur. Coronidis loco & ὡς ἐν παρόδῳ ϗ παρέργῳ illud adhuc de nomine Michaëlis notamus, noſtrates inter ſe de eo diſcrepare, utrum nomina, *Michaelis, ut & Gabrielis, Raphaelis, Urielis &c* Angelis tributa ſint appellativa, an vero propria, ſeu utrum Angelis ſaltem ad tempus propter munia ipſis demandata, ac propter diverſos apparitionis & executionis modos impoſita fuere, an verò perpetuo iis ea conveniant. Prior eſt *B. Gerhardi in Diſput. Iſagog. Lib. 7. cap. 1. §. 13.* ſed poſterior *B. Ægidii, Hunnii Orat. 2. de Angel. Tom. II. fol. 760.* στοχασμὸς, cui etiam potius quam priori *Magnif. Dn. D. Geier in prælect. Academ. in Daniel. cap. 10: 13. pag. 803. vult* λευκὴν προσθεῖναι ψῆφον.

§. 8. Tandem poſt ſummum Imperatorem jam quoque contemplari decet milites, qui fuerunt teſte Johanne οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, ſcilicet Michaëlis Angeli. Quod autem vocem ipſam Ἀγγέλου primum attinet, in ejus etymologia indaganda non multum eſt laborandum. Derivari enim hanc vocem ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν (quod eſt quaſi ἀναλέγειν) *annunciare, nuncium afferre &c.* ἔξω πάσης ἀπορίας κεῖται. Pluribus obnoxium eſt difficultatibus nomen מַלְאָךְ, quod apud Ebræos Angelum denotat. Illud enim alii deducunt ab הָלַךְ abiit, ivit, ambulavit; alii vero dictum putant quaſi מַה לְּךָ quid tibi i. e. quid novi affers: Rectius tamen derivatur ex Rad. apud Ebræos hodie abſoleta, ac ex Æthiopiſmo reſtituenda *Láaca*, legavit, miſit. Nam non tantum ex Arabica, ſed & Æthiopica lingua plurimas reſtitui radices Ebræis deperditas demonſtrat *Dn. D. Pfeiffer in Dubiis vexat. S. S. pag. 226.* Recte autem cum ὁ ἄγγελος, nuncium ſeu legatum denotet, *Ambroſius in cap. 1. Hebr., Hilar. lib. 5. de Trinit. pag. 50., & Auguſtin. in enarrat. Pſalm. 104,* hoc nomen non naturæ ſed officii dicunt. Deinde vero varios quoque ſuſtinet hæc vox ſignificatus, de quibus prolixe egerunt *B. Gerhard. in Diſput. Iſagog. XII. pag. 490. ſeq., Magnif. Dn. D. Calov. Tom. 4. Syſtem. pag. 4. ſeqq., Flacius in Clav. SS., Petrus Ravanell. in Biblioth. ſacr. ſub hac voce, Dn. Crauſer l. c. pag. 46. ſeqq. &c.* Apud Judæos etiam plane ſingularis adhuc obtinet hujus vocabuli uſurpatio. Illi enim notante *Joh. Lightfoot in Hor. Ebr. ac Talmud. in Act. Apoſt. pag. 128.* inter Angelos & ſpiritus & Dœmonia diſtinguunt. Multa quoque de Angelorum nugantur nominibus atque ordine. De nominibus eorum Talmud Hieroſolymitanum in Maſſechet ראש השנה hæc habet אמר רבי חייא שמות חדשים עלו מבבל ריש לקיש אמר אף שמות המלאכים עלו מבבל בראשונה id eſt, *Rabbi Chaja dixit nomina Menſium aſcenderunt è Babylonia. R. Lakiſh dixit etiam, nomina Angelorum aſcenderunt è Babylonia primum. Ordinem vero ac nomina* juxta illum Maimonides lib. 1. Miſchn. Tract. de Fundament. Leg. §. 2. §. 7. ſic recenſet: שנוי שמות המלאכים על שם מעלתם הוא ולפיכך נקראים חות הקדש והם למעלה מן הכל ואפנים ואראלים וחשמלים ושרפים ומלאכים ואלהים ובני אלהים וכרובים ואישים כל אלו עשרה השמות שנקראו בהן המלאכים על שם עשרה מעלות שלהן הן: *Variatio nominum Angelorum propter gradus eorum eſt: Et propterea vocantur animalia ſanctitatis, quibus gradus in omnes competit; Deinde Rotæ, poſt Erellim, & Chasmallim, item Seraphim & Melachim, & Elohim & Bene Elohim & Cherubim & Iſchim; Omnia illa decem nomina, quibus vocantur Angeli propter decem gradus in iis inveniuntur.* De hiſce ordinibus plura adhuc commenta proferunt *Reuchlin. lib. 3. Cabbal. pag. 752. & Henric. Cornel. Agrippa lib. 3. occult. Philoſp. cap. 17.* Videatur autem *Theod. Hackſpan. Diſput. Theol. & Philolog. Sylloge pag. 234. ſeqq.* qui quantum abſurditatis in hiſce Angelorum ordinibus latet, eruditè demonſtrat. Aſt noſtrum quam maxime in præſenti erit brevibus, quinam ſint illi Michaelis angeli indicare. Per Angelos autem hic non tantum bonos illos ſpiritus, ſed & verbi divini miniſtros, pioſque Principes ac Magiſtratus, quorum eſt cum Satana quotidie concertare, denotari, ferme omnium Interpretum eſt ſententia. Imprimis autem Conſtantinum M., qui ſtrenue tum temporis contra Draconem ſub vexillo Michaelis ſeu Chriſti pugnavit hic indigitari Dnn. Theologi annotant.

§. 9. Conſtat itaque jam de primo Imperatore ejuſque militibus. Quis vero fuit exercitus, qui hiſce ſe oppoſuit? Iohannes eundem ita ſiſtit καὶ ὁ δράκων ἐπολέμησε ϗ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ &c. Summa poteſtas in hoc exercitu penes τὸν δράκοντα vel Draconem eſt. Nos iterum de nomine cum illud ſit ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας, ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος dicente *Platone in Cratilo*, omnium primo ſumus ſoliciti: Deſcendere autem hanc vocem ἀπὸ τοῦ δέρκειν à *videndo* ſcilicet & *aſpiciendo*, quia Draco acutiſſimi eſt viſus, communis eſt ſententia. *Martinius* vero in *Lexic. Philol.* ſimpliciter ducit a δέργμος oculus, viſus, quia terribilis viſu eſt. Recedit ab his *Jul. Cæſ. Scaliger. Exercit. 173. ſect. 12.* παρὰ τὸ δρᾶν ἄχος deducens, forſan quia homini ſæpius mœrorem atque dolorem facit. *Excellentiſſ. Dn. Kirchmajer, Dn. Patronus ac Præceptor noſter ætatem colendus Diſput. V. de Dracon. §. 1. annexa Zoolog. B. Sperling* etiam illos non errare putat, qui à דָּרַךְ calcavit, inceſſit, unde דֶּרֶךְ via, iter, ducunt. Putat enim literas ex amuſſim cum origine conſpirare, & rem ipſam nomini reſpondere, quia Dracones reptando incedunt, & ſaltuatim gradiendo, rotando ſuam emetiuntur viam. Syrus appellat ܬܢܝܢܐ quod cum Ebræorum תנין coincidit, & Arabs ثعبان, quod *ſerpentem longum & corpulentum* ſignificat. Eſt autem Draco in ſignificatione propria, Serpens maximus,

ximus, terribilis vatiditatis, desertorum amans, serpentum Rex, caudæ robore inprimis valens, juxta descriptionem *Excell. Dn. Kirchmajer. l.c.* Improprie autem varia significat, de quibus vid. iterum *Dn. Kirchmajer l. c., Petrus Ravanell., Flacius l.c. &c.* Hic & præterea duodecies in Apocalypsi spiritum malignum, quem diabolum alias appellamus, denotat. De quo Theophyl. l. 2. ad Antolyc. ait, δαίμων ἢ ἢ δράκων καλεῖται, διὰ τὸ ἀποδεδρακέναι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, *Dæmon vocatur etiam Draco, quia fugit à Deo.* Alii autem alias hujus comparationis rationes afferunt, & imprimis ob calliditatem ac nocendi studium Diabolum Draconem dici putant. Videri potest *Clüver. in dilucul. Apocalypt. Tom. III. pag. 82. seqq. Hugo* etiam non ineleganter Diaboli atque Draconis his versibus descripsit ingenium:

Sibilat ignovimus, Erebi, Babylonis, arenæ
Et maris incubitor, cristatus, edax, volat, ingens,
Os breve, cauda ligans Elephantum, pervigil astu
Aspiciens, pugnans, sensus petit, est capitosus.

Neque tantum ὁ δράκων sed & v. 9. ὁ δράκων ὁ μέγας Draco magnus denominatur, quasi dicat uti *Ludovic. ab Alcasar. l.c.* annotat, *Dracones corporeos, qui sub oculorum aspectum cadere possunt, quantumvis licet sint prægrandes, exiguos tamen esse, i.e. parum importare detrimenti si cum cæde & vastatione ab hoc Dracone illata comparentur.* Sed pergit Johannes atque ut hunc Draconem eo exactius cognoscamus, aliis quoque eundem hoc versu 9. insignit nominibus. Dicitur enim ipsi ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, item διάβολος, item ὁ σατανᾶς, item ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην. Dicitur ὁ ὄφις (quæ vox ab ὄπτω juxta Varinum deducitur. ὀπτικὸν γὰρ, inquit, ὅτι κοιμώμενος ἀνεωγμένους ἔχει τοὺς ὦπας, i. e. *visu præstat, quia dormiens apertos habet oculos*) ὁ ἀρχαῖος serpens antiquus, quod jam olim in Paradiso serpentem obsidens Evam proh dolor! nefarie deceperit. Sed διάβολος porro nuncupatura διαβάλλειν (ridicule enim à duobus bolis, quia scilicet duos bolos ex homine animam & corpus devorare cupit, nonnullis dicitur) quod proprie *transfigere disjicere*, & per metaphoram *calumniari significat*, eo quod hic spiritus malignus ut *B. Gerhard. l. c. pag. 103.* loquitur, partim S. S. disjicit ac pervertit, partim Deum apud homines, homines apud Deum, & homines apud se invicem calumniose accusat. Nomen quidem generale est, specialiter tamen & quidem bis tricies huic spiritui, qui in arte calumniandi ac obtrectandi excellit in N. T. tribuitur. Apud Arabem legitur ابليس quod vel à verbo بلس in Conj. IV. *desperavit*, quia de divina misericordia desperat hic spiritus; vel per aphæresin, juxta *Golium in Lexic. Arab.* à διάβολος deducitur. Syrus hoc loco habet ܐܟܠܩܪܨܐ Impostor à ܪܡܐ vel Ebræorum רמה, in *Piel*, *decepit defraudavit, fefellit.* Frequens alias Syris est nomen ܐܟܠܩܪܨܐ compositum ex ܐܟܠ *comedit, devoravit*, & ܩܪܨܐ (quod est Arab. قرص *momordit, arrosit*) *obtrectatio.* Est enim huic spiritui quasi pro cibo obtrectatio & calumnia, vel studium ejus est, accusare & deferre & sic alios comedere ac devorare. Sed sequitur adhuc aliud nomen, scilicet ὁ σατανᾶς, quod Arabs & Syrus retinet, ex quibus ille quidem شيطان hic ܣܛܢܐ legit. *Justino Martyri a. in Dialo. cum Tryph.* videtur hoc nomen compositum esse ex Ebræorum שטן *Adversarius* & נחש *Serpens.* Ast præter rem hic fingitur compositio, cum juxta *Origenem lib. 6. cont. Cels.* ornatus gratia; Vel juxta *Martinium l. c.* ex Dialecto Chaldæa sic dicatur; vel quod verisimilius est, ultima Syllaba ᾶς ex Græcorum terminatione sit. Trahit vero originem ab Ebræorum שטן quod Ebræis, Chaldæis, Syris, Arabibus, Æthiopibus significat *adversatus fuit, odio habuit &c.* Itaque adversarium proprie, non Apostatam, ut *Irenæus lib. 5. advers. hæres. & Theodoret. in 2 Reg. quæst. 42.* explicant. notat. Generaliter a. iterum pro quocunque adversario, sed κατ' ἐξοχήν, pro spiritu malo adhibetur. Ille enim perpetuus, vaferrimusque Dei ac hominum audit adversarius, uti ejus ingenium graphice depingit *B. Danhauer. Hodos. pag. 398, 400, 401.* Inde etiam tricies quinquies hoc gerit nomen in N. & aliquoties in V. T. LXX. quando de spiritu malo sermo est τὸ שטן vertunt διάβολος, ast quando simpliciter significat adversarium, ipsam vocem Ebræam retinere solent, uti videre est ex 1 Reg. 11: 14, 23. ἐξήγειρε κύριος σατὰν τῷ Σαλομῶντι &c. Observationem etiam porro meretur locus Matth. 16: 23. ubi hoc nomine Petrum Christus appellat. De quo *Magnif. Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. in h. l., Glassius in Rethor. sacr. Tract. 1. cap. 10. p. 221. Althofer. Harmon. p. 772. & 875., Dn. D. Pfeiffer in Quinquagen. Loc. Ebr. & Exot. N. T. p. 19., Dn. Crauser. l. c. p. 1101,* conferri possunt. Ultimum denique, quod Johannes huic spiritui tribuit epitheton est ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην. Πλανῶν est partic. præs. verbi πλανάω seduco, errare facio, in errorem impello, quam significationem asserente *B. D. Hoe in Comment. in Apol. h. l.* apud profanos scriptores ac in N. T. obtinet. Deinde autem οἰκουμένη est ab οἰκέω habito, ac orbem terrarum & proprie terram habitabilem designat. Et ὅλος, η, ον, denique quod Pasor Ebr. כל affine censet, est totus, a, um. Appellatur autem Diabolus, seductor totius orbis, propter horrendam illam potestatem, quam sub Ethnicis Imperatoribus exercuit, maximamque Idololatriam, quæ ipsius instinctu inter homines tum viguit.

§. 10. Explicatis ita nominibus primo adhuc, si ad nos id pertineret, discutiendum restaret, cur hic Draco, unus Spiritus malus reliquis velut princeps suis ministris contradistinguatur? *Magnif. Dn. D. Calov. Tom. IV. System. p. 288.* putat id fieri, quod Draco sibi Dominium arroget in angelos suos, cæteros Diabolos, & in mundum, ceu Deus mundi 2 Cor. 4: 4. *Magnif. Dn. D. Lucius l. c. Conc. 118. p. 716.* huic dubio aliter satisfacit, qui videri potest. Referendum jam quoque est impostoris Mahumedis de hoc Archidæmone somnium. Vocat eundem ابليس eumque cœlo ejectum esse *Surat* 15. ait, eo quod hominem recens è terra conditum ad mandatum divinum adorare recusaret. Addit etiam causam, quare hoc detrectarit, quia scilicet homo ex materia ignobiliori scilicet ex luto conditus fuit, cum tamen Satanæ materia fuerit ignis. Ast ad hæc omnia ridendo saltem est respondendum. Imo impium ac blasphemum est fingere Deum idololatriam præcepisse, huncque Eblis recusando idololatriam Deo prudentiorem extitisse, ac denique angelos idololatras ex cœlesti aula non proscriptos fuisse. De eo adhuc eruditi inter se dissident, unde impostor talia fingendi occasionem sumserit. Ubi quidem dici posset, hunc impostorem, cum totus ex fraude & mendacio fuerit compositus, talia sine omni data occasione fingere potuisse. Attamen *Joh. Ludov. Vives lib. 4. de veritat. fid. cap. 10, ex cap. 1. epist. ad Ebr.* perperam intellecto, ubi inter alia de primogenito in orbem terrarum introducto dicitur. Adorabunt eum omnes Angeli, *Mahumedi* hæc enata esse conjicit. Verum *Clariss. Hakspan. l. c. p. 255.* eundem à Judæis talia accepisse judicat. Denique vero illud adhuc expendendum est, quid per Satanam, quod nomen etiam in nostro textu occurrit communiter Judæi intelligant. Refert autem *Majemonides part. 3. Mor. Nebhoch. c. 22. Simonem Ben La Kisch* dixisse, Angelum mortis Satanam, & יצר הרע idem notare. Ubi notandum est, quod Judæi ac Turcæ peculiarem habeant מלאך המות qui Chaldaice מלאך מותא, & Arabice ملك الموت dicitur, *Angelum mortis.* De illo vero dicunt כשהכלבים רואין מלאך המות הן בוכין *Quum canes vident Angelum mortis ecce flent. Talmud* vero *Maßech. Abhoda Sara c. 1. p 20. & Beth Israel p. 156. col. 3.* hanc rem ita explicat אמרו עליו על מלאך המות שכלו מלא עינים ובשעת פטירתו של אדם עומד מעל מראשותיו וחרבו שלופה בידו יטפה של מרה תלוי בה כיון שרואה אותה החולה מזדעזע ופותח את פיו וזורק טיפה של מרה לתוך פיו ממנה מת ממנה מסריח ממנה פניו מוריקות: *Dixerunt de Angelo mortis (illi qui intelligunt) quod repletus sit oculis, & in hora discessus animæ ex corpore hominis stet ad cervical ejus. Est autem gladius strictus in manu ejus, à quo gutta fellis dependet. Quando autem videt eum ægrotus trepidat & aperit os suum: Tum vero spargit guttam fellis in medium oris ipsius, ab illa vero moritur, ab illa fit fœtidus, ab illa facies ejus fit pallida.* Ad tuendam autem illam anilem de Angelo mortis fabulam σοφὸν φάρμακον in ipsa S. S. quærunt οἱ κρηνοχυτεολήεφιοι. Quando enim Prov. 16: 14. dicitur חמת מלך מלאכי־מות *Ira Regis est nuncius mortis,* tunc illi exinde tale formant monstrum. Hinc subaudiunt hic notam similitudinis כ ut hic evadat sensus *Ira Regis est sicut Angeli mortis* i. e. להסיר האדם מדרך חיים אל דרך המות, *ut removeat hominem à via vitæ & deducat in viam mortis, ut R. Levi* loquitur. Cum tamen plane alius horum verborum sit sensus, scilicet iram ac indignationem Regis insequi vel mortem proprie dictam, vel metaphorice, i. e. infortunium, ignominiam ac degradationem. *Vid. Dn. D. Geier in h. l. Prov. Salomon. p. 826.*

§. 11. Sed non tantum Ducem, verum & milites, qui ab altera parte hoc gesserunt prælium, Johanni describere placuit. Dicit enim quod cum Dracone pugnaverint οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, Angeli ipsius. Syrus retinet ita atque vertit ܘܡܠܐܟܘܗܝ ܥܡ ܬܢܝܢܐ.

Sed

Sed Arabs immutat nonnihil atque reddit واجناده, *Et milites ejus*, A singulari est جند, quod in plurali اجناد ac جنود facit, ac significat socios defensores, milites, legionem à R. جند *collegit exercitum.* Cæterum hi Angeli atque milites Draconis ex communi interpretum sententia sunt spiritus damnati, homines impii, hæretici atque tyranni. Hos omnes etenim sub vexillis Draconis militare, ac ejusdem quantum in ipsis est regnum augere palam est. Inprimis autem *Maxentium*, *Maximinum atque Licinium* per hos Draconis angelos intelligi, ex ante dictis videre est. Illos enim tum temporis primas in regno Draconis tenuisse, ac Michaeli ejusque Angelis quam maxime restitisse, Annales referunt.

§. 12. Ut vero prælium victoria unius & clades alterius partis plerumque insequitur, ita & tale quid hic evenisse deprehendimus. Hinc victoriam Michaelis stragemque Draconis tandem quoque subjungit Divus Johannes, ac ita quidem ut primum hujus cladis principium ac deinde cladem ipsam describat. Principium vero vel causa hujus cladis fuit Draconis ejusque Angelorum impotentia, de qua Theologus noster καὶ οὐκ ἴσχυσαν, & non valuerunt. Adhibet verbum *ἰσχύω in 3. pers. plur. Aor. 1. Indic. Activ.* quod possum, valeo, rerum potior &c. significat, atque juxta *Bezam in h. l.* Ebræorum יכול vel juxta *Drusium præterit lib. X. p. 429.* τῷ גבר respondet. Syrus legit ܐܬܡܨܝܘ à ܡܨܐ, quod Syris ut & Rabbinis *Potuit* notat. Præter rem etiam non reddidit Arabs فلم يكن له مقدرة *Et non habuit vires sc. Draco.* Ubi cumprimis notandum est nomen مقدرة, quod à R. قدر descendit, ac proprie talem potentiam significat, qua quis par est prævalere. Procul dubio itaque Arabi hæc mens fuit; Draconis quidem magnam in se esse potentiam, attamen tantam illam non esse, ut contra Michaelem ipsum Dei filium eadem prævalere possit. Uti & omnino maximam Diabolo quidem potentiam non denegamus, finitam tamen eam saltem asserimus, quæ cum infinita Michaelis si contendatur potentia, certè nulla est.

§. 13. Hanc autem Draconis impotentiam, ejusdem tandem insequitur clades. Illa vero fuit longe maxima, ita ut eam Johannes vix verbis valeat exprimere. Hinc de eadem primo dicit, οὔτε τόπος εὑρέθη αὐτῶν ἐν τῷ οὐρανῷ. *Neque locus eorum inventus est in cælo.* Vocabula quæ hic leguntur explicatione non indigent. τόπον enim esse *locum*, atque εὑρέθη 3. pers. Aor. 1. Indic. Pass. ab. εὑρίσκω *invenio*, ultro liquet. Quid itaque sibi velit hæc locutio explicandum potius est. *Magnif. Dn. D. Lucius*, existimat hic reperiri inversionem vel hypallagen, *Piscator* Metonymiam subjecti, *Menochius* locum poni pro locato: Quæ explicationes tamen omnes eodem recidunt, atque hunc nobis gignunt sensum: Draco ac angeli ejus non amplius reperti sunt in cœlo, vel invenerunt locum in cœlo. Similis locutio reperitur Dan. 2: 35. Psal. 37: 36. Ps. 103, 15, 16. Cæterum locus ille juxta Dnn. Theologos in cœlo, ex quo Draco ejectus est, non significat ejus beatitudinem quam in cœlo beatorum quondam habuit, ac dudum amisit, sed honorem illum divinum, quo sub Ethnicis Imperatoribus in Imperio Romano antea afficiebatur Diabolus. Verba etiam hæc non absolute sed de quodam gradu debent accipi. *Vid. B. Walther. in Harm. Bibl. in h. l.* Sed pergit Iohannes, & de hac Draconis clade ita porro disserit. καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων, item ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἐβλήθησαν. In vocabulis iterum nulla hæret difficultas. Nam ἐβλήθη *est Aor. 1. Ind. Pass. verbi βάλλω jacio, abjicio & γῆ terra contractum est ex γέα, quod est à γείνω gigno*, procul dubio, quia terra omnium mater est. Quod vero illam antithesin attinet, qua dicit, *Non inventus est locus eorum in cœlo, sed ejectus est Draco &c.* item illam *Anaphoram*, *Ejectus est Draco ille*, *ejectus est in terram & angeli ejus cum ipso ejecti sunt*, illæ omnino sua non destituuntur emphasi, sed cladem Draconis exaggerant. Imprimis autem Iohanni familiare esse, crebris uti Antithesibus ac repetitionibus testis est *B. Glass. Lib. 1. Phil. S. Tractat. sect. 3. p. 24.* Cœterum insistit suæ Allegoriæ vir θεόπνευστος atque Draconem victum in terram projectum esse refert. Quemadmodum enim in prælio & cumprimis in lucta, qui vincitur, in terram prosternitur, ita Draconis impotentiam, acerbamque indicaturus cladem, eundem in terram projectum esse dicit. Vel sicuti alias S. S. illum, qui è statu felici in infelicem detruditur ac honore privatur, è cœlo in terram prolapsum esse dicit, ut colligere est ex Esa. 14: 12, 15. Dan. 8: 10. Amos 9: 2. Apoc. 8: 10. cap. 9; 1. &c. Ita & Draconis statum post hoc prælium, ipsiusque cladem, miserrimum factum esse, ita ut omni exutus honore fuerit, hæc indigitare potest locutio. Alii etiam aliter hæc explicant. Conferatur *Primasius Comment. in h. l. Apoc. qui extat in Biblioth. Patr. Tom. VI. part. 2. edit. Colon. Anno 1618., Venerabilis Beda super Apocalyps., Marlorat. in Cathol. exposit. Ecclesiast. N. T. in h. l. Bullinger, Ribera in h. l. &c. Ludovic. ab Alcasar l. c., B. Gerhardus l. c. & Joh. Winckelmann. in Apocalyps. &c.* Pertinere a. hanc ejectionem Satanæ ad tempora Constantini M., quibus finita est Idololatria ac persecutio Christianorum ex dictis constare poterit. Tum enim Draco ejusque Angeli Maxentius, Maximinus, Licinius vere in terram projecti, omnique exuti potestate victas dederunt manus, abrogataque Idololatria, verus in Ecclesia Dei viguit cultus. Sed nos hic subsistimus ac pro hac victoria æternas Michaeli decernimus gratias, obnixe contendentes, ut porro Draconem sub pedes nostros conterat, ac nos ab omnibus ipsius custodiat insultibus. **FIAT.**

תם ונשלם
כבוד לאל בורא עולם:

HENR.

HENR. HORCHII
DISSERTATIO
De Agno in Monte Sion ad Apoc. XIV: verſ. 2, 3, &c.

In memoriam Cauſenianam nuper recitata,

Nunc autem notulis aucta.



Uod Regum aulas magnificentia auget & ſplendore, quod Principum feſtivitates gaudiis cumulat atque jubilis; Scena, ni fallor, eſt, & ſcenam ſuaviter intercinens Muſica. Illa eſt, quæ oculos præcipue affatur; Hæc vero quæ aures demulcet: Illa quæ varias producendo perſonas, exercendo ludos, repræſentando hiſtorias, vivas rerum imagines animo exhibet; hæc flexanima interim voce ſuavique concentu aërem implet, & dulci modulamine ſpectaculis abblanditur. Utraque vero ſingulari quodam artificio commovet varie animum eoſque ciet affectus, qui ſimillimi & veluti ectypi ſunt eorum motuum, qui dantur in theatro. Mox enim heroicum quoddam demirabimur exemplum, & laudibus in cœlos uſque efferemus: Mox ſceleri indignabimur ac flagitio, ejuſque auctorem omni infamiæ nota atque ſupplicio dignum cenſebimus: Mox funeſtus quidam caſus mœrorem injiciet & commiſerationem erga illum, qui ei miſer innocens ſuccumbit, ut & in lachrymas ſolvamur atque fletum. Mox contra jucundo perciti ſpectaculo lætitia exultabimus, imo & in jubila erumpemus atque triumphos.

Quid vobis videtur, Auditores Chriſtiani? An putatis, hæc gaudia, has delicias omni modo exulare ex Aula cœleſti & Palatio gloriæ Dei? Nonne congruum potius judicabimus Deo, ut, qui homines nos fecit, nobiſcum agat ludatque more humano? Nonne decere autumabimus Sapientiam illius, ut immenſas gloriæ ſuæ divitias, quibus ſimul & ſemel capiendis impar eſt mens finita, per partes & veluti per actus quoſdam ſcenicos repræſentet? Certe Patmico illi Vati, quum Sacra acciperet divinæ Apocalypſeos oracula, cœlum objicitur tanquam Auguſtiſſimum Theatrum; Aperitur illi oſtium & voce inſtar tubæ accitur, ut ſpectaculo interſit; Aſcende huc, inquit, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac. Dictum factum: Spiritu enim correptus è veſtigio ſcenam videt, & ſcenicam pompam. Apparet poſitus in cœlo thronus & inſidens throno, qui aſpectu ſimilis erat lapidi Jaſpidi & Sardio, & in circuitu throni iris erat aſpectu ſimilis Smaragdo. Hunc ambiebant & alii throni, quibus inſidebant viginti quatuor Seniores amicti veſtibus albis, & impoſitas habentes capitibus ſuis coronas aureas. Adſtabat inſuper Agnus & ſeptem coram throno lampades ardebant, ſeptem nimirum illi Spiritus Dei; (a) ut intelligas ludo intereſſe, imo præeſſe, non homines, non Angelos tantum, ſed & ipſiſſimas divinæ Triados perſonas. Verbo, ſcenam videt & inſtructiſſimam ſcenam, omnemque magnificum & vere divinum ſcenæ apparatum.

Sed neque Muſica abeſſe debebat à Splendidiſſimo hocce Theatro: ab hoc, inquam, Theatro, in quo dicente Propheta, (b) eſt ſatietas lætitiarum & amœnitates omnegenus. Aderant igitur & chori & cœleſtes canentium cœtus. Aderant accinentes agno citharœdi. Dignus es, qui accipias librum & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum ex omni tribu & lingua & populo & natione & feciſti nos Deo Reges & Sacerdotes & regnabimus in terra. (c)

Quos vero non, Auditores, putabimus regnare heic loci affectus atque animi commotiones? Nonne mirabitur Spectator? Nonne ſtupebit attonitus, videns faciem Dei tam coruſco jubare radiantem? Nonne exclamabit cum oculeis & totis veluti ſtellatis Animantibus illis: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, Ille Omnipotens, qui erat & eſt & venturus eſt? (d) Nonne lætabitur & exultabit, intuens Regem gloriæ & Sanctos cum ipſo glorioſe regnantes? (e)

Verum eſt, fateor enim, non abeſt hic penitus triſtitia & mœror omnis. Flebat Apocalypticæ ſcenæ Spectator Johannes, & multum flebat, quod nemo dignus inventus eſſet, qui aperiret & legeret librum, nec qui eum inſpiceret. Sed Tragicus non erat hic mœror, Comœdia potius agebatur; nam fletui ſuccedebat ſolatium & citharæ cantus & cœlitum triumphi. (f)

Quis noſtrum igitur eſt, quem cupiditas non inceſſat piumque deſiderium ſpectandi & ſtupendi hunc Sacrum Dei ludum? quis eſt, quem ſancta non ſollicitet curioſitas introſpiciendi hæc Dei arcana atque admiranda Eccleſiæ fata? Certe dura ſilex ſit oportet & plus quam Marpeſia cautes, qui hæc omnia nihil ad ſe pertinere, profana mente ſtatuere & perfricta fronte prodere non erubeſcet.

Agite ergo Auditores, ea diſcamus in Terris, quorum cognitio perſeverat in Cœlis. Et certe videmini jam mihi oculis eſſe intenti & auribus, avideque à me exſpectare, ut in Apocalyptico hoc Ludo vos Spectatores admittam. Quapropter etiam ſtatim, & ſine mora expectationi veſtræ ſatisfacere & remoto veluti aulæo, divinum hoc Theatrum mentis & fidei oculis nudum exponere conabor: Non quidem, ut omnia quæ in eo geruntur, hac vice luſtretis, utpote quod longioris moræ foret opus, ſed tantum ut eximio cuidam & ni admodum fallor, jucundiſſimo cœleſtis hujus ſcenæ ſpectaculo interſitis.

Primo autem loco Agnum vobis ſiſtam in eminenti conſtitutum loco, in Monte Sion, non ſine Illuſtri quodam Satellitio & Comitatu. Reſonantes dein faciam audiatis Cœlitum Choros. Agni denique Comites dignis ornare encomiis, præeunte ubique Apocalyptico Vate (g) pro viribus allaborabo. Vos interea linguis animiſque favete.

Et

(a) *Apoc* 4: 1. *ſeqq.* *Apoc.* 5: 6.

(b) *Pſalm.* 16: *ult.* (c) *Apoc.* 5: 8, 9, 10. (d) *Apoc.* 4: 8. (e) *Apoc.* 19: 11. *ſeqq.* (f) *Apoc.* 5: 4. *ſeqq.* (g) *Cap.* 14. *verſ.* 1 — 5.

Et vidi, inquit admissus hujus scenæ Spectator, *& ecce Agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* En vobis Agnum, en situm ejus & locum, en denique Comitatum.

De Agno, quis sit, non multum est, quod laborem, utpote quem vos ipsimet satis nostis, illius sanguine redempti. Conspectus ille erat jam antea coram Dei delubro, septem instructus cornibus & oculis septem, qui interprete Vatidico Spiritu ipsomet, sunt septem illi Spiritus emissi in omnem terram (h) unicum intellige Dei Spiritum, qui alibi cum Patre & Filio unus idemque gratiæ fons invocatur, (i) sed ob septiformem, cui præest, Ecclesiam (k) ipsummet septiformem atque septuplici missione ac operatione septies veluti à se ipso diversum.

De situ si quæras, stabat hic Agnus. Stabat ut ex mortuis vivus (l) Stabat ut hostium victor: (m) Stabat ut Regnum suum stabiliret, ac pedem inde promoveret ad subjiciendum sibi populos sub cœlo universos. (n) In monte autem Sionis stabat; Monte Dei Sancto, super quo Rex erat unctus. (o) Non ignoratis, Auditores, fuisse Sionem unum ex montibus, qui cingebantur mœnibus Hierosolymorum atque Regiam sedem Davidis. (p) Incoluerant eum hactenus Jebusæi & inde ab ingressu Israëlis in Cananitidem una habitarant cum viris Juda, utpote qui exterminandis iis, genti licet cœlitus excidio devotæ, impares erant. (q) Reservanda enim erat hæc gloria Davidi, qui etiam, admoto exercitu, munitissimam, qua instructus erat, arcem, quamlibet insultantibus oppugnatori incolis, feliciter expugnavit. (r)

Memorabile quoque est tempus, quo id legimus contigisse. Nimirum tenuerat quidem jam antea David Regium Sceptrum, idque integro septennio & amplius, inde à morte Saulis; sed unice illud tenuerat in suæ tribus homines, reliquis adhærentibus Filio atque Duci Saulis fato jam functi, Isbosetho atque Abnero. (s) Quo utroque violenta morte sublato (t) quum cæteræ tribus memores divini oraculi, (v) coronam deferrent Davidi, expeditionem is primam suscipit in Jebusæos, & superato Sionis monte, expugnatoque quod ei superstructum erat, munimento, pedem ibi figit atque Imperii sedem; Exstruit insuper civitatem circumquaque & Arcam Fœderis quæ tamdiu oberraverat, eo tandem defert in Tabernaculi sacrarium, non sine tripudio & festivo Principum comitatu. (w) Et ab eo tempore imminens continuo hostium cervicibus ac victoriam cumulans victoria, admodum invalescebat indies, parata etiam auri, argenti, æris, ferri, lapidum lignorumque copia magna, (x) quæ Filio Salomoni ædificando itidem in Sione (y) Dei Templo olim erant profutura. Non igitur mirabimur, quod & Agno Filio Davidis & hæredi Regni statio

(h) *Apoc.* 5:6. (i) *Apoc.* 1:4. (k) *Apoc.* 1:20.

(l) *Apoc.* 1:18. *Cap.* 5. *vers.* 6.

(m) *Sic Job.* 19:25. Postremus super pulverem stabit, *devicta morte tanquam ultimo hoste* 1 *Cor.* 15: 26. *Sic quoque Zach.* 14: 3, 4. Et exibit Jehova & præliabitur adversus gentes illas, ut in die, quo præliatur in die prælii. Et stabunt pedes illius hoc die super Monte Oliveto, qui est ex adverso Hierosolymæ ab ortu.

(n) *Quo apprime facit locus Mich.* 5: 3. Et stabit & pascet in robore Domini, in elatione nominis Domini Dei sui, & habitabunt, & magnus erit usque ad fines terræ.

(o) *Psal.* 2:6. (p) *Psal.* 48: 2, 3. (q) *Jos.* 15: 63. *Jud.* 1:8. (r) 2 *Sam.* 5: 1 —— 10. 1 *Chron.* 11: 1 —— 9.

(s) 2 *Sam.* 2: 1. *seqq.* (t) 2 *Sam.* 3:22. *seqq.* *Cap.* 4. 1. *seqq.*

(v) 2 *Sam.* 5: 2. Dixit Jehova tibi: Tu pasces populum meum Israelem, & tu eris Dux Israëli. *Sunt verba Seniorum populi ad Davidem. Præ cœteris vero laudantur hic Filii Isaschar, tanquam qui temporum notitiam habentes fratribus suis fuerint autores Regno inaugurandi Davidem.* 1 *Chron.* 12:32. Et è filiis Isaschar *ad Davidem veniebant Hebronem, ut imperium totius gentis ipsi deferrent*, יורעי בינה לעתים noscentes scitè tempora, לדעת מה יעשה ישראל ut noscerent, quid faciendum esset Israeli: Primores illorum ducenti, & omnes eorum fratres super ore *atque verbo* ipsorum, *quo nimirum, legitimum hoc atque divinitus præstitutum esse tempus præficiendi regno Davidis, demonstrabant.*

(w) 1 *Chron.* 15: 1. *seqq.*

(x) 1 *Chron.* 22: 1. *seqq.*

(y) *Mons enim Moriah, in quo templum ædificabatur* 2 *Chron.* 3: 1. *non erat nisi appendix Sionis. Vide Psal.* 48: 2. *cum Commentario Cl. Coccei.*

concedatur in Monte Sione, prædicentibus id ubique Dei oraculis (z) & confirmante Angelo, qui ipsius nativitatem Virgini Matri indicabat. (a)

Præterea ut David non sine delecto exercitu adoriebatur Sionem, sic neque Christus in eo comparet sine comitatu. Erant, qui Davidem stipabant, ex duodecim tribubus Israelis, à quibus nuperrime in solium erat evectus. Pariter qui Agnum sequuntur, delecti sunt ex tribubus universis, ita ut singulæ ex duodecim, duodecim quoque millia, mystico scilicet numero, adscribant integræ summæ, unde centum quadraginta quatuor millium comitatus exacto computo exsurgit. (b)

Sed

(z) *Psal.* 50:2. *Ps.* 110:2. *Ps.* 132: 13 —— 18. *Jes.* 9:7.

(a) *Luc.* 1. *vers.* 32.

(b) *Ut mysterium hujus numeri habeamus perspectum, sequamur in omnibus ipsummet Dei Spiritum in divina Apocalypsi nos praeuntem. Is vero eum considerat tanquam compositum ex* 144. *&* 1000. *per se invicem multiplicatis, unde etiam hosce numeros collocat separatim: Illum quidem Apoc.* 21:17. *ubi mensor Angelus Hierosolymæ cœlestis murum deprehendit esse* 144. *cubitorum; hunc vero Apoc.* 20: 3, 4, 6. *tanquam intervallum ligati Draconis & Christi regnantis cum Sanctis. Postea autem illos* 144. *excutit seorsim, eosque considerat tanquam aliquod quadratum, hoc est numerum, ex alio numero per se ipsum multiplicato exsurgentem, cui in Geometria respondet quadratum. Diserta hic est Apocalypsis, eo usque ut ne quidem terminos artis refugiat.* Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται, καὶ τὸ μῆκος αὐτῆς τοσοῦτον ἐστι, ὅσον καὶ τὸ πλάτος. Et urbs sita est quadrata, ejusque longitudo tanta est, quanta & latitudo. *Cap.* 21:16. *Et ut ostendat, illam quadraturam respicere hunc numerum, statim subjicit versu sequente* 17. Et mensus est *Angelus* murum ejus, centum quadraginta quatuor cubitorum.

Imo ne hic quidem subsistit, sed ut tardum Lectorem quavis ratione juvet, ipsam quoque radicem exhibet hujus quadrati, seu numerum, ex cujus multiplicatione secum ipso facta, is ipse exsurgit. Quæ radix est 12. *utpote qui multiplicati per* 12. *faciunt* 144. *Erant enim Hierosolymæ cœlesti* 12. *portæ, tanquam totidem margaritæ, & super portis illis Angeli* 12. *& inscripta iis nomina* 12. *tribuum Israëlis. Fundamenta ejus pariter erant numero* 12, *insignita* 12. *nominibus Apostolorum Agni. Apoc.* 21:12, 21.

Quum igitur constet, consistere mysterium in extractione radicis, manifestum est, eadem ratione & alterum illum numerum nimirum 1000. *à nobis esse tractandum. Hic vero perfectissimus deprehenditur esse cubus, hoc est numerus, resultans, primo ex multiplicatione suæ radicis per se ipsam, dein rursus ex multiplicatione ejusdem radicis cum illo producto, quod ex radice per se ipsam multiplicata exsurgebat. Radix autem hæc est* 10, *nam* 10 *multiplicatum per* 10 *dat* 100, *&* 100 *multiplicatum per* 10 *facit* 1000.

Nota obiter (1) *numero cubico respondere in Geometria solidum seu trinam dimensionem, cujus longitudo, latitudo & profunditas sibi exactissime sunt pares; prout numero quadrato vidimus respondere figuram duarum dimensionum quoad longitudinem & latitudinem inter se exacte æqualium. Iterum hic præit Apocalypsis in dimetienda Hierosolyma superna.* Longitudo, *inquit*, & latitudo & altitudo ejus sunt æquales *Cap.* 21:16.

Nota (2) *denarium, qui radix est millenarii, respicere commode Decalogum seu decem verba fœderis, prout* 12, *radix numeri* 144, *præter* 12 *tribus Israelis, innuit fundamentum à duodecim Apostolis collocatum. Licet enim Dei mandatum Decalogo præceptum sit* vetus, *quia neque peccatorem justificare, neque eum qui in Christo est, condemnare valet, nihilominus tamen* & novum est, & verum in Christo & in nobis *qui sumus Christi.* 1 *Joh.* 2:7, 8. *In Christo, qui, ut arca fœderis, legem habuit in medio viscerum suorum Psal.* 40. *vers.* 9. *In nobis*, quia delectamur Lege Dei secundum interiorem hominem. *Rom.* 7:22. *Contra ac multitudo quæ Bestiam sequitur, aliam habet Legem & aliud fundamentum.*

Perpensis jam singillatim hisce numeris, & cognito eorum mysterio, vix ænigmatis quicquam amplius habebit integer numerus, qui ex singulorum compositione exsurgit. Multiplicatis 144 *per* 1000, *emergunt* 144000. *Innuit vero citra dubium illa compositio, tum quod hi Comites Agni, qui Bestiam non adoraverunt, partem sint habituri in ipsius Regno Apoc.* 20:4. *tum, quod illi miris modis sint multiplicandi.*

Sed nec prætereundus nobis est character, quo hæ chiliades notatæ comparent. Incertum est, quo signo atque tessera conspicui fuerint Davidis milites; Ast qui Agnum comitantur, singuli nomen Patris illius gerunt frontibus inscriptum. Obsignatus olim atque absconditus (c) quodammodo fuerat ille character, licet in fronte notatus; eoque innuebantur præservandi adversus imminentem tunc Anti-Christi corruptionem & infligendas illi divinitus plagas; Ast nunc signatur quidem frons, sed non obsignatur; non absconditur amplius divinus ille character, non removetur à spectantium oculis; sed apertis, sed significantibus literis conscribitur, prout olim Pontifex (d) scriptum in fronte gestabat Dei nomen, קדש ליהוה eo scilicet fine, quo Regale eos esse Sacerdotium etiam hostibus publice constaret. (e)

Scenam vidistis, Auditores, nunc quoque cœlitum voces atque Musicam audite. *Audivi*, inquit Vates noster, *vocem è cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam sonum tonitrui magni & vocem audivi citharœdorum pulsantium citharas suas.*

Vox frementium aquarum potens est lateque patens, vox omnia perrumpens. Tonitru quod attinet, vox ejus magnifica est, terribilis est, & excitans etiam stertentes. Graviter Psaltes: (f) Vox Domini super aquis, Deus gloriæ intonuit, Dominus super aquis multis. Vox Domini potenter, Vox Domini magnifice. Vox Domini confringit cedros, imo confringit Dominus cedros Libani, & facit ut exiliant sicut vitulus, Libanus & Schirion, ut pullus unicornium. Contra vero vox citharæ harmonica est, suavis & jucunda est & fugans mœrorem. Audiamus iterum Psalten Cantate Deo, robori nostro, jubilate Deo Jacobi. Sumite Psalmodica instrumenta, adhibete tympanum, citharam amœnam cum nablio. (g)

Ast quale canticum erat, quod canebatur? Respondeat ipsemet Auditor Johannes. *Et canebant*, inquit, *quasi canticum novum ante thronum & in conspectu quatuor illorum animalium & Seniorum: neque quisquam poterat discere canticum illud, nisi centum quadraginta quatuor millia, ii* videlicet *qui redemti sunt è terra.*

Instituerat olim David Sione ordines Sacerdotum quatuor & viginti, qui Principes erant sacrorum, imo Principes DEI, Thronum illius undique stipantes. (h) In totidem præterea ordines distribuerat Musicos Sacros, qui citharis, nabliis atque cymbalis accinebant Sacris; (i) & hymnos modulabantur, quibus componendis ipsemet Rex operam dabat, titulum inde nactus נעים זמירות ישראל SUAVIS CANTILENIS ISRAELIS. (k) Eadem ratione & hic videmus DEI Thronum & cingentes eum viginti quatuor Seniores. (l) Audimus

candi. Nam jucundum certe accidit videre, singulas unitates in hac multiplicatione excrescere in millenarios. Quoties enim unitas continetur in 144. *toties millenarius in* 144000. *Ut adeo obtineat Prophetia. PARVUS* erit in *MILLENOS*, & exiguus in gentem numerosam. *Jes.* 61: 22.

Ad oculum hæc omnia monstrat Apocalypsis, cap. 7: 4. *seqq. Nam centum illas quadraginta quatuor chiliades legit ex duodecim tribubus; innuens tam radicem* τ͂ 144, *nimirum* 12, *postmodo multiplicatam cum* 1000, *ut ex singulis tribubus lecti* 12000, *faciant* 144000; *quam ipsum Mysterium hujus multiplicationis. Statim enim post factam horum* 144000 *mentionem, subjicit Johannes.* Et vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo possit, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis stabantque ante thronum & in conspectu Agni, *ut videas, definitum illum numerum eorum, qui Agnum comitabantur, in immensum crevisse, ut ne eorum quidem numerus potuerit iniri. v.* 9. *Eadem ratione ac illi in nostra hac Visione, quam hac Dissertatione illustramus, considerantur, ut* primitiæ *Apoc.* 14: 4. *fidem facientes de integra messe, eaque mox secutura. v.* 14, 15. 16.

(c) *In hac enim Prophetia oppositas sibi invicem deprehendes obsignationem atque scriptionem. Apparet hoc Cap.* 10. *v.* 4. Quum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, sed audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Obsigna quæ locuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas. *Obsignationem horum* 144000 *legis loco Apocalypseos mox citato, nim. Cap.* 7: 3. *seqq. Scriptionem vero nominis in fronte suppeditat hic noster, quem explicamus. Illa futurum antecedebat Anti-Christi regnum, hæc consequitur præteritum & ad πανωλεθρίαν non vergens sed ruens. Illa conditionem fidelium innuebat obscuram, hæc vero publicam notat & illustrem. Neque obstat, quod obsignatio ea fieret in fronte, quæ quorumlibet oculis patet; nam præterquam quod Mundus cœcutiat ad lucem Evangelii,* 2 *Cor.* 4: 4. *Testes Christi adoraverunt in interiori Templo, delituerunt sub ciliciis, imo & in terra jacuerunt prostrati Apoc.* 11. 1, 3, 8.

(d) *Exod.* 28: 36. (e) *Exod.* 19: 6. 1 *Petr.* 2: 9. (f) *Jes.* 29: 3, 4, 5, 6. (g) *Psal.* 81: 2, 3. (h) 1 *Chron.* 24: 1. *seqq.*

(i) 1 *Chron.* 25: 1. *seqq.* (k) 2 *Sam.* 23: 1.

(l) *Per* 24 *Seniores intelligerem chorum* 12 *Patriarcharum Veteris &* 12 *Apostolorum Novi Testamenti, nisi quatuor animantia quæ pariter Dei thronum circumstant, speciatim notarent Pastores Ecclesiæ Christianæ, ut mox sumus visuri. Accedit quod maximam ubique deprehendamus analogiam inter Vetus Tabernaculum Mosis atque Templum, & inter Theatrum Apocalypticum, quod Johanni aperiebatur in cœlo. Nam & hic conspicitur Dei Templum & interius Templi sacrarium Apoc.* 11: 1, 19. *Cap.* 16: 1. *Conspicitur Schechinah cœlestis, hoc est, insidens Solio suo Deus Apoc.* 4: 1. *seqq. cap.* 5: 1. *seqq. cap.* 7: 10, 11, 15. *cap.* 19: 4, 5. *c.* 21: 5. *Conspicitur fumus vetans Templi ingressum cap.* 15: 8. *non secus ac olim* 1 *Reg.* 8: 10, 11. *Conspicitur aureum altare cap.* 8: 3. *& lampades septem cap.* 4: 5. *Reliqua vide apud Peganium in Apocalypsin pag.* 13. *seqq.*

Sane Apostolus Cœlum considerat ut Sanctuarium & Tabernaculum quoddam, in quod ingressus Pontifex noster Jesus Christus consideat ἐν δεξιᾷ τ͂ θρόνȣ τ͂ μεγαλωσύνης, in dextra throni majestatis, τῶν ἁγίων λειτȣργὸς καὶ τ͂ σκηνῆς τ͂ ἀληθινῆς, Sanctuarii Minister, & Tabernaculi veri, quod Dominus fixit ac non homo *Hebr.* 8: 2. *Et hoc Tabernaculum cœleste omnino facit analogum Terrestri, dum omnem eum, qui huic inerat, apparatum, v.* 5. *perpendit fuisse* ὑπόδειγμα καὶ σκιὰν τ͂ ἐπȣρανίων, figuram & umbram cœlestium, *h. e. Sanctuarii cœlestis: plenius enim dixisset ex v.* 2. τ͂ ἁγίων τ͂ ἐπȣρανίων.

Neque est quod per τὰ ἐπȣράνια *quis intelligere velit beneficia gratiæ atque gloriæ redundantia in Sanctos ex Sacerdotio Christi, quo fungitur in Cœlis, non vero ipsammet Sanctuarii Cœlestis constitutionem atque Structuram. Nam ab illis beneficiis, & Christi ministerio, diserte distinguitur hocce Tabernaculum. Aliud quippiam Apostolo sunt* τὰ μέλλοντα ἀγαθὰ, futura bona, *ejusque intercessio Sacerdotalis, & aliud rursus,* majus illud atque perfectius Tabernaculum, *per quod ingressus est* εἰς τὰ ἅγια in Sacrarium νυῦ ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τ͂ θεȣ͂ ὑπὲρ ἡμῶν, ut intercedat pro nobis in Dei conspectu, *& intercessione sua nobis impetret cœlestia bona Hebr.* 9. *vers.* 11, 12, 24.

Succinunt Apostolo Hebræi. Rakanatensis fol. 106. *colum.* 4. *in fine.* מזה המאמר נוכל להבין כי צורת המשכן כולה רומזת לצורת מעשה מרכבה עליונה: Ex hoc oraculo, *quo nimirum Moses jussus est exstruere Tabernaculum juxta exemplar ipsi monstratum in Monte, Exod.* 25: 9. intelligere possumus, figuram Tabernaculi totam respicere figuram Structuræ Currus Superni *h. e. Throni Cœlestis. Et rursus fol.* 107. *col.* 3. והו רמו כי כל הענינים האלו הם למעלה ויורה על זה אומרו וכן תעשו: Hoc indicat, quod omnia illa, *nimirum vasa & partes Tabernaculi inferni*, sint in superno. Et hoc docet, dicendo: *Et ita facietis.*

Jalkut Rubenis ex libro פליאה, *fol.* 118. *col.* 4. *Sectione Vajikra.* מכון לשבתך פעלת יהוה מלמד שבית המקדש שלמטה מכוין נגד בית המקדש שלמעלה ובבית המקדש שלמעלה מיכאל כהן גדול: Locum habitationis tuæ fecisti, Domine docens, Domum sanctuarii infernam collimare versus Domum sanctuarii supernam, in qua Michael est Sacerdos Magnus.

Bechai in Legem Editionis Venetæ fol. 101. *col.* 2. *in Verba:* Facite mihi sanctuarium. *Exod.* 25: 8. קרא המשכן מקדש על שם שהוא מקודש בשריית השכינה ויתכן לומר לפי שהוא דוגמת בית המקדש של מעלה: Tabernaculum vocat sanctuarium, quia illud sanctificatur per inhabitationem Schechinæ. Et sic merebatur appellari, quoniam illud est דוגמה exemplum *seu* ὑπόδειγμα, (*ut Apostolum vidimus dicentem, non secus ac si & rem & vocabulum Hebræum respiceret*) sanctuarii superni. *Et rursus in fine hujus columnæ.* ידוע כי המשכן וכליו הכל ציורים גופניים להתבונן מהם ציורים עליונים שהם דוגמא להם: Manifestum est *ex verbis nimirum Exod.* 25: 9. *Exemplar Tabernaculi & omnium vasorum ejus*; quod Tabernaculum & vasa ejus omnia sint formæ corporeæ, ut ex iis intelligantur formæ supernæ, quæ earum exemplar sint. *Similia habet fol.* 102. *col.* 3. *Nota obiter vocem* דוגמה *hic adhiberi modo pro exemplari ad imitandum proposito,*

dimus Canticum coram illis canentes citharœdos : adstant Senioribus & quatuor ζῶα, (m) tanquam totidem Argi & Vigiles, (n) constituti versus quatuor Mundi plagas utpote

posito, ut in hoc loco, quo formæ supernæ dicuntur esse דוגמא *exemplar infernarum; modo autem pro forma seu exemplar suum exprimente, ut in loco antecedente, quo sacrarium inferius dicitur esse* דוגמה *exemplum superni. Eadem ratione vox typi & antitypi diversimode capitur in scriptura. Hebr.* 8:5. 1 *Cor.* 10:11. 1 *Petr.* 3:21. *Hebr.* 9:24. *coll. cum v.* 23. *& cap.* 8:5.

Quum igitur ex Apostoli testimonio & Hebræorum consensu omnis Veteris Testamenti apparatus & ordo omnis σύστοιχον *sibi habeat cœlestis sanctuarii statum, & præterea manifesto hic alludatur ad Sionem, in quo David ordinem divini cultus instituerat, quis dubitabit, respici hoc loco pariter ad* 24. *Sacerdotum ordines à Davide institutos. Addamus Rakanatensem, qui ex veterum doctrina de Sione hoc perhibet testimonium speciale.* Scriptum est, *inquit*, ex Sione perfecta pulchritudine Deus illuxit *Psalm* 50:2. כי היא מכוונת כנגד העליונה quoniam is respicit Sionem supernum.

(m) *Adverte hic iterum analogiam inter situm horum Animalium circa Thronum & inter ordinem Ducum Israelis circa Tabernaculum. Hic nobis describitur Num.* 2:1. *seqq. Orientem versus castra metabatur Dux Judæ. Meridiem versus Dux Ruben. Versus occidentem Dux Ephraim. Versus Aquilonem denique Dux filiorum Dan. Singulis vero hisce Ducibus adjuncti erant Duces duo alii cum suis exercitibus, qui tamen, si Hebræis credimus, cum Primario Duce unicum tantummodo vexillum habuerunt; ita ut in universo exercitu non nisi quatuor fuerint, juxta quatuor Mundi cardines circa Tabernaculum una cum primariis Ducibus quatuor undique collocata.*

Singulis præterea vexillis dant singula insignia. Sed audiamus ipsosmet Magistros. Ita R. Isaac ben Arama ad Num. 2:2. היה דגל מחנה יהודה אל המזרח שהיה ברגלו צורת אריה דכתיב גור אריה יהודה וברגל ראובן וחבריו החונים תימנה צורת אדם רמז לוימצא דודאים בשדה שהם על צורת אדם וברגל מחנה אפראים וחבריו אשר למערב צורת שור דכתיב בכור שורו הדר לו וברגל מחנה דן וחבריו אשר לצפון צורת נשר והם ארבעה פנים הנזכרים בחיות אשר ראה יחזקאל הכוללים צורות הנמצאות כלם: *i. e.* Fuit vexillum Judæ versus Orientem, quia in illius vexillo fuit forma Leonis, ut scriptum est : Catulus Leonis Judah, *Gen.* 49:9. Et in vexillo Ruben ac Sociorum ejus, qui castra metati erant versus Meridiem, forma hominis, quæ respicit illud, *Gen.* 30:14. Et invenit Mandragoras in agro, quæ hominis habent figuram. Et in vexillo castrorum Ephraim & sociorum ejus, castra metantium Versus Occidentem, forma bovis, ut scriptum est *Deut.* 33:17. Primogenitus tauri ejus magnificentia ipsi. Et in vexillo castrorum Dan sociorumque illius qui erant versus Septentrionem, forma aquilæ. Et hæ sunt quatuor illæ facies quarum mentio fit in animalibus, visis ab Ezechiele, *Cap.* 1:10. quæ hasce formas comprehendunt ad unam omnes. *Similia fere habent Aben Esra, Baal Turim Bechai & Ricanati ad eundem locum Num.* 2:2.

Non parum sane lucis hoc fœneraretur Apocalyptico DEI Throno, modo solido fundamento inniteretur. Quippe hæc ipsamet animantia, quæ Judæi quatuor vexillis assignant, cingentibus Tentorium, sunt & ea, quæ Johannes vidit circumstantia DEI Thronum. Apoc. 4:7. *Sed non pauca sunt, quæ hanc traditionem reddunt suspectam.*

Si enim in originem inquiras horum insignium, respondent, apparuisse in Sina Angelos ejusmodi vexillis instructos. Sic passim Hebræi ex Schir Hasshirim Rabba, & Medrasch Tillin. R. Simeon in Jalkut Torah p. m. 202. *Sectione Bammidbar.* כיון שנגלה הקדוש ברוך הוא על הר סיני ירדו עמו עשרים ושנים אלף רבבות מרכבות של מלאכים שנאמר רכב אלהים רבותים והיו כלם עשויים דגלים לכן נאמר דגול מרבבה כיון שראו אותן ישראל שהן עשויין דגלים דגלים היו מתאוין לרגלים אמרו הלואי אנו נעשין דגלים כמותם לכן נאמר הביאני אל בית היין זה סיני שבו נתנה התורה שנאמר ושתו ביין מסכתי : ודגלי עלי אהבה הלואי הוא מדגיל עלינו אהבה וכן הוא אומר ברננה בישועתיך ובשם אלהינו נדגול: Quando apparuit Deus benedictus in monte Sinai, descenderunt cum ipso viginti duo millia myriadum exercitus Angelici, sicut dicitur Psal. 68. *Currus Dei sunt duæ myriades* : Et fuerunt omnes instructi vexillis: propterea dicitur ; *Cant.* 5:10. *Vexillis insignitus præ myriade.* Postquam eos viderunt Israëlitæ vexillis instructos, incessit eos cupiditas vexillorum, ut dixerint. Utinam & nos instrueremur vexillis, ut illi, sicut dicitur *Cantic.* 2. *vers.* 4. *Introduxit me in Domum Vini* : Hæc est Sinai, ubi data est Lex, ut dicit : *Et bibent de vino, quod miscui Proverb.* 9: *Et vexillum ejus super me est amor.* Utinam ipse vexillum nobis faceret amorem. *Adjecerunt ex Ps.* 20:6. *Jubilemus in salute tua & in nomine Domini nostri vexillum erigamus.*

Sed audiamus etiam, quale tulerint responsum. Legimus hoc loco mox citato. אמר להם הקדוש ברוך הוא התאויתם לרגלים חייכם שאני עושה שאלתכם שנאמר ימלא השם כל משאלותיך מיד הודיע הקדוש ברוך הוא אהבתו של ישראל ואמר למשה לך עשה אותם דגלים כמו שנתאוו איש על דגלו באותות : Dixit ipsis Deus Benedictus: desiderastis vexilla: Quam vere vivitis satisfaciam ego petitioni vestræ, sicut dictum est. *Psalm.* 37:4. Implebit Dominus omnia petita tua. E vestigio exhibuit Deus Benedictus amorem suum erga Israelem, dixitque Mosi; Abi & fac illis vexilla, sicuti desiderarunt. Quisque erit apud vexillum suum cum signis. *Num.* 2:2.

Ast dicite mihi ô boni, qui in concordiam redire velitis cum Magistro vestro Mose. Deut. 4:15. Nullam, *inquit*, vidistis similitudinem eo die, quo locutus vobis est Dominus in Horeb ex medio ignis. *Nonne in promptu fuisset respondere. Vidimus utique similitudinem, non unam sed plures; vidimus exercituum Angelicorum tot myriadas; vidimus eorum vexilla & vexillorum insignia, eaque tam prope vidimus, ut distinxerimus oculis, Leonem, Hominem, Bovem, Aquilam. Adeo cominus, scilicet! intuebantur & cum voluptate intuebantur Dei comitatum, qui præ terrore fere concidebant exanimati, & deprecabantur adeo terribilem DEI apparitionem.*

Taceo figmentum de Dudaim ἀνθρωπομόρφοις, *quasi inventor eorum Ruben inde gestaßet hominis insigne. Aliud de iis norunt Viri Summi Bochartus & Ludolphus. Et Dani quadrasset magis symbolum serpentis Gen.* 49:17. (*quod & Bechai facit, sibi ipsi contradicens & sociis fol.* 154. *col.* 2.) *quam aquilæ, utpote cujus in oraculis Danem concernentibus nec vola apparet nec vestigium. Certe Aramides, Aben Esra, alii, nullam aliam istius reddere possunt rationem, quam convenientiam cum animantibus Ezechielis quæ eadem sunt cum illis, quæ vexillis hisce inscripta fuisse pertendunt Magistri. Sic sorex suo indicio se prodit. Facile enim apparet, ejusmodi visionem, quæ tot seculis demum secuta est Castrametationem Israelis, à recentioribus Hebræorum eo demum esse translatam.*

Non repugno interim, quo minus illi hunc Castrorum ordinem emblema faciant ordinis exercituum cœlestium circa DEI thronum, utpote quod, congruenter Testimonio Mosis, secure illos facere posse ex superioribus jam constat. Et certe, eximio hoc nobis usui fore, ad explicandum hujus Scenæ arcanum infra patebit. Certatim vero id agunt Mystici Hebræorum Doctores.

Baal Hatt. ad Num. 2:2. חנייתו למעלה ארבעה דגלים סביב לכסא כבוד כך היה למטה ארבעה דגלים סביב למשכן: In castris supernis sunt quatuor vexilla (*potius Duces quatuor primarii*) undique circa thronum gloriæ. Sic etiam inferius quatuor fuerunt vexilla (*Duces vexilliferi primores*) circa Tabernaculum.

Autor Aked. Isaac fol. 212. *col.* 3. הוא ענין נכבד מאוד בעיני כי היה לתבנית המרכבה העליונה: Hoc magnæ præstantiæ argumentum est in oculis meis, quoniam factum est juxta exemplar currus superni.

R. Menachem Ric. f. 164. *col.* 1. *ad verba Legis.* Vexillo suo cum signsi. כבר הודעתיך כי כל העניינים התחתונים הם נגדיים לעליונים וכפי העשייה למטה כך נעשה למעלה וסוד ארבעה דגלים להורות כבוד למעלה : Iam supra docui, res omnes inferiores esse repræsentamina superiorum. Et mysterium quatuor vexillorum inservit exhibendæ gloriæ supernæ.

Bechai in Legem fol. 154. *c. l.* 2. כבר ידעת שהיו שנים עשר שבטים נחלקים לארבעה דגלים שלוש לכל רוח ורוח מארבע רוחות העולם כשם ששנים עשר שבטי מעלה הידועים נחלקים לארבעה מחנות שלושה לכל רוח והם הנקראים ארבעה מחנות שכינה : Jam intellexisti, duodecim tribus distributas fuisse in quatuor vexilla. ternas versus quamlibet orbis plagam; juxta id quod duodecim tribus supernæ notæ (conf. Apoc. 21:12.) distributæ sunt in quatuor castra, ternæ quæque versus singulos Mundi cardines. Et hæc appellantur quatuor castra Schechinæ.

(n) Prout hæc visio Apocalyptica una cum aliis manifesto respicit Tabernaculum Vetus, quod quatuor Ducibus undique cingebatur, qui suis erant instructi vexillis & exercitus habebant adstantes; sic suadet rerum analogia, ut quatuor hos ani-

utpote in quibus Regnum Agni conspicuum fore, Spiritu vatidico sæpius proditum esse comperimus [o] Coram his, inquam, cithara canebant cœlestes hi veluti Levitæ.

Novum autem erat quod canebant canticum, & inauditum hactenus durante toto Regno Babelis: [p] non meretricium Tyri [q] sonabant carmen, non illud blandientium fallaciumque Anti-Christi Sirenum. [r] Novum erat, nam ad mysticæ flumina Babylonis flentes hactenus sederant Agni Comites, citharis ad salices suspensis. Quomodo enim cantaturi fuissent canticum Domini in solo alienigenarum? [s] Quomodo lætaturi, patria Sione extorres? Novum denique erat, quia novi gaudii & nuptiarum Agni proludium. [t]

Articulosum erat, quod canebant carmen, & miro artificio difficile. *Neque enim quisquam illud discere poterat, nisi centum illa quadraginta quatuor millia, ii scilicet, qui empti sunt è terra.* Δύσκολα τὰ καλά; Difficilia quæ pulchra. Difficile illud erat & inaccessum Bestiæ citharœdis, qui quum nisi terram inhabitent, non sapiunt, nisi terrena: Inaccessum imo ipsismet DEI servis, antequam nimirum illi emerentur, hoc est, eximerentur ex terra, terra illa Spiritualis Ægypti & Babylonis, Agnoque adstarent in Sione. [u] Nam lugendum illis erat, illachrymandum erat, quamdiu peregre aberat Sponsus; [w] & dulce interim canebat cithara Tyri.

Videte hic Auditores, partim simium Christi Anti Christum, partim scenam Christi scenæ AntiChristianæ è diametro adversam. Mentitur ibi AntiChristus Agnum & cornua Agni; [x] hic autem veri nominis comparet Agnus, Agnus genuinis cornibus armatus. Insidet ibi Meretrix Regina montibus septem [y] & civitati illi ἑπταλόφῳ de qua Poëta.

Collibus è septem totum circumspicit orbem:

Hic vero Christus Rex gloriæ insistit monti Sionis, quem ex ipsius DEI ore legimus Regno Agni consecratum. Miratur ibi Orbis Bestiam, & eam sequitur mirando; [z] hic asseclas habet & Agnus, comitesque chiliades multas. Illi Anti-Christi habent numerum, [a] hi vero Israelis & Apostolorum Agni. Illi Bestiæ, hi Dei gerunt characterem. Illi cithara canunt, sed meretricis; hi pariter, sed cithara Sanctuarii & Davidis. Illi ut seducant, ut voluptatibus seculi inescent, [b] hi vero ut ad nuptias Agni invitent, & ad castas illas delicias, quæ fidelibus inibi sunt paratæ.

Superest, brevibus adhuc pertexam encomia, quibus ornanter Comites Agni. Audiamus Encomiasten ipsum Apostolum. *Hi sunt*, inquit, *qui cum mulieribus non sunt inquinati: Virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum, quocunque ierit: hi emti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno sacræ. Et in quorum ore non inventus est dolus; sunt enim inculpati ante Thronum DEI:* En tibi castæ Virgines. En indivulsæ Agni comites. En pretiosum DEI peculium & primitiæ. En denique mentes omnis doli expertes! Puri & casti sunt, atque Josephi instar [c] mulieribus non inquinati, mulieribus, inquam, meretricibus, qualis est Jesabel illa & prostibulum Romanum: [d] imo Virgines sunt, uni desponsatæ Viro [e], cui fidem servant intemeratam, nescientes alium Sponsum, neque ideo spurium illum, quo se polluit cœtus Babylonis.

Prompti sunt ad sequendum Agnum, quocunque etiam iverit, ut Regnum in Gentibus stabiliat & nuptias postea celebret solennes. Peculium DEI sunt quippe empti ex hominibus hoc est liberati [f] ex consortio hominum terrena sapientium, ut olim Israel ex Ægypto; unde & primitiæ [g] sunt DEO

animantes, qui Thronum DEI stipabant, faciamus Duces Ecclesiæ militantis: Sicuti contra per viginti quatuor Seniores commode intelligimus Fideles Ecclesiæ triumphantis, eos puta, qui ante exhibitionem Christi jam in gloriam erant introducti, & ipsius sanguine Sacerdotes facti DEO atque Reges. Gestant enim diademata aurea, ut Reges; stolas vero albas cum phialis suffituum plenis, ut Sacerdotes. Apoc. 4: 4. cap. 5: 8. quo & numerus 24 alludit, 1 Chron. 24: 18. Hi sedent circa thronum, quiescentes à laboribus suis, utpote quibus jam ante defuncti fuerant in terris Jes. 57: 1. Apoc. 14: 13. Illi autem nec de die quiescebant nec de nocte, sine intermissione dicentes, Sanctus *&c. Apoc. 4: 8. Quid igitur sunt nisi excubantes pro animabus Ductores? Hebr. 13: 17. Quid aliud, quam vigiles & custodes illi, de quibus Propheta?* super muros tuos, ô Hierosolyma, præficio custodes, TOTA DIE ET TOTA NOCTE JUGITER NON TACITUROS. Qui memorem facitis Dominum, ne esto silentium vobis. Et ne permittatis silentium esse de illo, donec stabiliat & donec Hierosolymam ponat laudem super terra. Jes. 62: 8, 9.

Facit huc oculorum, quibus radiabant undique, emblema: qui retro erant, præterita respiciebant, Agnum maxime, jamjam mactatum & stantem iterum à mactatione vivum: Qui vero ante, futura intuebantur, Hierosolymam præcipue cœlestem in gloria ponendam super terra. Unde & invigilant apertioni sigillorum, & ordinario Doctorum munere funguntur, dicentes. Veni & vide. *Apoc. 6: 1, 3, 5, 7. quem esse communem docentium formulam patet ex Joh. 1: 47. Sic Philippus Nathanieli.* Ἔρχου καὶ βλέπε. *Syrus interpres.* תא וחזי *quæ illa ipsamet verba sunt, quorum perpetuus usus est in ore illorum Doctorum, quos Celebris ille Judæorum in Legem Commentarius, Sohar dictus, differentes introducit.*

[o] *Referunt huc Judæi Mem clausum in medio vocis* לםרבה in amplitudinem Principatus *Jes. 9: 6. Neque immerito; nam sane figura* ם *aptissima est repræsentando quadrato, cujus quatuor latera quatuor Mundi cardines respiciunt. Et à Mathematicis hodiernis in hunc usum adhibetur. Prout & Agni Comitatum numero quadrato, & Hierosolymam Cœlestem figura pariter quadrata designatam vidimus. Adde Jes. 11: 12.* Et tollet signum gentibus, & congregabit depulsos Israelis & dispersos Judæ colliget מארבע כנפות הארץ EX QUATUOR ORIS TERRÆ.

[p] *Adverte hoc loco Musicæ Apocalypticæ brevem historiam. Auditur ea primo in Prologo Prophetiæ Sigillorum, qui extat Apoc. 4. & 5. Continet is præcipuum Scenæ argumentum, nimirum regnum Christi & Sanctorum, cui proin novum cithara proluditur carmen, & triumphantes Agno Regi acclamant & Angelorum Myriades & rerum omnium conditarum universitates. cap. 5: 8. usque ad 14.*

Dein Michaeli Draconis Victori accinitur ἐπινίκιον *Apoc. 12: 10, 11, 12. puta tempore Constantini M. qui Imperatores Gentiles, in quibus hactenus regnaverat Draco, solio deturbavit, atque ipsemet rerum potitus, typum gessit Christi olim regnaturi cum Sanctis. confer Apoc. 11: 15.*

Finito denique Anti Christi regno post longum silentium auditur denuo canticum triumphale, idque in tribus intervallis. Primum est hoc ipsum, quod modo tractationis nostræ est argumentum. Apoc. 14: 1, 2, 3. Secundum habes Apoc. 15: 1, 2, 3. Tertium denique Apoc. 18: 20. cap. 19: 1-7. [q] *Jes. 23: 15, 16.* [r] *Apoc. 18: 22.* [s] *Psalm. 137: 1. seqq* [t] *Apoc. 19: 7.*

[u] *Matth. 9: 15.* [w] *Hi 144000 hi considerantur ut discipuli Levitarum cœlestium; non secus ac Levitæ olim Sione Juvenibus in Musica informandis operam navabant: unde iis* צעירי הלוים pubes Levitarum *appellabantur.* Erachin. *cap. 2.* §. 8. [x] *Apoc. 13: 11.* [y] *Apoc. 17: 9.* [z] *Apocal. 13: 3.* [a] *Apocal. 13: ultim.* [b] *Jes. 23: 15, 16.* [c] *Genes. 39: 7. seqq.* [d] *Apocal. 2: 20. cap. 17: 1.* [e] *2 Cor. 11: 2.*

[f] *Ut* ἀπολύτρωσις *mox notat redemptionem, quæ in ponendo lytro consistit. Ephes. 1: 7. Col. 1: 14. mox vero eam, quæ potentia & viribus peragitur ut Rom. 8: 23. Ephes. 4: 30. 1 Corinth. 1: 30. ita pariter phrasis* ἐξαγοράζεσθαι *vel eam notat emptionem, quæ* τιμῇ pretio *absolvitur 1 Cor. 6: 20. vel eam, quæ in executione & actuali liberatione consistit, facta propter pretium jam ante solutum. Ordo Prophetiæ jubet, ut hoc ultimo sensu capiamus.*

[g] *Duplicis præcipue generis in Lege obtinebant primitiæ, Paschales & Pentecostales. Transacto primo die azymorum, qui 15 Nisan & Sabbathum festi erat, die proximo 16. (sive Sabbathum hebdomadarium foret, sive non) convenerunt vicinæ urbes, delegati Synedrii egrediebantur & per tres viros de segete stante, quæ tum matura erat, nempe hordei, demetebant manipulum, qui Epham continebat: quem mox deferebant in Templi atrium, triturabant, ventilabant, purgabant, torrebant ad ignem, expandebant ad ventum, commolebant in farinam ac decimam partem agitabant coram Domino. Comburebatur pugillus in altari, & reliquum cedebat Sacerdotibus. Et hic est* עמר ראשית הקציר manipulus primitiarum messis *in festo Paschali. Lev. 23: 9-14.*

Pentecostales quod attinet, numeranda erant inde à die agitati manipuli Sabbatha seu hebdomades 7; & his plene finitis sequenti die, qui 50 erat, offerebantur primitiæ messis triticeæ, hunc in modum. Afferebatur Epha tritici novi, commolebatur in farinam, atque inde duæ decimæ Ephæ agitabantur coram Domino, depsebantur & fermentatæ pinsebantur in panes, qui agitati comedebantur eo die à sacerdotibus, ut totius anni proventus sanctificaretur. Lev. 23: 15-22. cum Comment. Altingii.

DEO Sacræ atque Agno; primitiæ quæ spondent de sanctificanda Deo messe omnium gentium universa. Integri denique sunt & sinceri, non claudicantes in utrumque latus, quippe in eorum ore non inventus est dolus ac mendacium, id inprimis quod viget in mystica Babele; & inculpati sunt coram DEI Throno, lotas habentes stolas suas in sanguine Agni. [h]

Percepistis, Auditores, quod exponere Vobis ab initio constitui: Sed exteriora fere tantum percepistis, quæque oculos subeunt & aures. Quodnam vero ajetis, subest rei mysterium & penitius argumentum? Dicam igitur & paucis dicam. Exhibet hæc scena gradum aliquem Regni Christi sublimiorem, [i] idque post novum, qui præ foribus est, AntiChristi casum. [k]

Disparuerat antea in Theatro Agnus [l] aut, si mavis, personæ instar mutæ fuerat & nihil agentis, illo nimirum tempore, quo scenam plene instruxerat Bestia, simulans Vicarium Agni. Dum igitur denuo comparet, [m] quid nisi scena decedere jubet rapacem illum lupum, pelle agnina indutum. Dum in edito monte [n] comparet, quid nisi Agnum notat evehendum ad Regnum, à ψευδωνύμῳ hactenus Vicario usurpatum? Dum Sione [o] comparet, quid aliud innuere velle potest videri, quam se alterum veluti Davidem, Mystico Sauli ejusque familiæ surrogatum, Mysticam Hierosolymam ædificaturum & veluti materiem pro Spirituali illius Templo convectaturum, in quo ab omnibus omnino Gentibus colatur, tq. Rex Regum & Dominus Dominorum.

Quid quadraginta [p] illæ quatuor notant chiliades, nisi electos Ecclesiæ Christianæ, quæ AntiChristiano Sauli ejusque complicibus tamdiu patuerat, universos; universos, inquam, & ex omnibus tribubus collectos, Christoque Regi gloriæ unice adhærescentes? Quid nomen [q] in frontibus scriptum, nisi confessionem veritatis publicam in Mundo & gloriosam? nisi Sacerdotium Regale & populum Sanctum? Vox illa aquarum [r] multarum quid nisi famam innuit Christi per totum Orbem regnaturi & pervagantem omnes populos rumorem? Quid tonitru grande, [s] nisi potentiam Evangelii sese denuo explicantem, & erumpentem cum fragore ad populorum conversionem & hostium terrorem?

Citharæ cantus, [t] quid nisi harmoniam notat veritatum; veritatum puta naturalium & revelatarum, umbrarum Legis atque Evangelicæ Lucis? Quid nisi harmoniam ominatur animorum? harmoniam in fide simul atque fraterna charitate? Quid novum illud carmen, nisi prolusum Agni epithalamium? Quid Virgines, [u] nisi aucturæ festivitatem puellæ? Quid empti [x] ex terra, nisi exempti & pretioso Agni sanguine libe-

Quæritur, ad quasnam primitias hic respiciatur? ℞. *Quamvis alludi promiscue queat ad utrasque, si rem ipsam tantummodo & extra temporis hic delineati circumstantiam consideremus; attamen si series Prophetiæ hoc loco attendatur, dicendum omnino est, respici ad Pentecostales. Præcedit enim resurrectio Testium, eorumque ascensio in cœlos, cum manifestissima allusione ad resurrectionem atque ascensionem Christi. Apoc. 11:11. ideoque quum resurgerent Testes, jamtum habebant rationem primitiarum Paschalium, non secus ac ipsemet Christus, qui eo ipso die, qua manipulus primitiarum Paschalium offerebatur, prodiit ex sepulchro, ut primitiæ ex mortuis 1 Corinth. 15:23. Prout igitur illa Testium resurrectio* συστοιχεῖ *primitiis Paschatis, sic Comites Agni utique censendi sunt respondere primitiis Pentecostis, quæ Paschalibus erant nobiliores; ex tritico nimirum, quum contra istæ essent ex hordeo.*

[h] *Apoc. 7:14.*

[i] *Ut hoc, quantum fieri potest, exacte determinemus, velim notari seriem temporum, quam nectit Angelus apud Danielem, cap. 12. Primo enim v. 7. regno Bestiæ dat tempus, duo tempora, cum dimidio, seu dies Propheticos 1260. conf. Dan. 7:25. Apoc. 11:3. cap. 12:6, 14. Deinde v. 11. Adjicit dies 30. ut ex 1260. fiant 1290. Denique v. 12. & 45. alios, ut hi additi præcedentibus 1290. faciant dies 1335. & in horum fine expectari jubet Beatum tempus.* Beatum, *inquit,* qui præstolabitur & perveniet ad dies 1335.

Habes igitur hoc loco notata à finito AntiChristi regno tria distincta temporum intervalla. Primum est 30 dierum. Secundum dierum 45. Tertium vero beati innuitur esse seculi. Quibus in Apocalypsi respondent pariter tria. Primum continet septem voces Apoc. 14: toto. Alterum septem ultimas plagas Apoc. 15. & 16. totis. Tertium denique nuptias Agni Apoc. 19:7, 8. quas coincidere cum tertio Danielis intervallo, patet ex adscripto μακαρισμῷ. Beati qui ad nuptias Agni vocati sunt. *vs. 9. conf. Apocal. 20:6. Unde consequitur priora duo intervalla utrobique consideranda esse tanquam præparationes ad nuptias Agni & futurum Christi Regnum.*

[k] *Observa duplicem AntiChristi casum, alterum, qui incidit in principium ultimi termini, seu dimidii temporis Regni ipsius, cum quo & Reformatio incipere debuit, ut alibi fuse demonstro. Alterum vero in fine totius temporis. Apoc. 11:13. Quem proxime instare, ex eo patet, quia prior casus, qui sub initium dimidii temporis cadit, jam contigit ante sesqui seculum, ut non nisi anni aliquot supersint, qui terminum illum, 180 annis constantem, debent complere, ut pariter alibi ostensum.*

[l] *Nota hic diversitatem inter Scenam Apocalypticam, prout repræsentat regnum Draconis & Bestiæ. Toto illo tempore, quo Draco regnat in Imperio Romano Gentili, comparet Agnus in Theatro, frangens singula ordine sigilla; quæ eo referre ordo jubet, ut alias taceam rationes. Ast aliter fit sub Bestiæ Regno. Cujus rei ratio est, quod AntiChristus hic mentitur vicarium & cornua Agni Apoc. 13:11. ideoque non congreditur cum eo Agnus aperte, ut vicariatum illum verisimilitudine quadam prætexere queat. Prima autem ejus comparitio est Apoc. 10:1. seqq. quamvis non sub forma Agni. Dignoscitur tamen ex aliis prædicatis, Imprimis rugitu Leonino. v. 3. Idem enim est Agnus qui Leo Apoc. 5:5. Incidit pariter hæc visio in tempus Reformationis & priorem AntiChristi casum, ut solidissime demonstrat Vir non satis laudandus Thomas Beverley Doctor Theolog. Anglus in Tractatu quem inscribit.* Prophetical History of the Reformation, according to the Divine Table or vision of it Revel. 10.

[m] *Adverte hic temporum signa, quæ hanc visionem exactius determinant. Primum est comparitio Agni in Theatro.*

[n] *Secundum comparitio illius in monte, emblemate regni Deut. 32:13. Zach. 4:7.*

[o] *Tertium, statio in Sione. Nititur autem analogia Davidis, postquam superaverat arcem Sionis, quo hanc visionem collimare, supra est ostensum.*

[p] *Quartum, integritas numeri eorum scilicet, qui conservari debebant sub Regno Anti-Christi. Apoc. 7:1. seqq. Nota hic ordinem Prophetiæ. Quum caderet decima pars civitatis magnæ & occiderentur 7000 hominum nomina,* reliqui dabant gloriam DEO cœli *Apoc. 11:13. Hi certe sunt, qui numerum complent, ut 144 chiliades adstent Agno in Sione ex omnibus tribubus Israëlis DEI, collecta, quemadmodum & Davidem comitabantur viri ex omnibus tribubus, quum Sionem occuparet; eumque oppugnabat statim, quum Rex omnium tribuum esset factus. Res igitur ipsa loquitur & analogia cum historia Davidis, pertinere hanc visionem ad tubam septimam, ejus nimirum principium; ita ut connecti debeat hæc visio cum fine væ secundi, quo reliqui gloriam dabant DEO cœli Apoc. 11:13. 14. Postquam hoc factum est, stat Agnus cum integro 144000 numero in Sione, ut victor Jebusitæ Anti-Christiani.*

[q] *Quintum, scriptio nominis divini in fronte. Hanc enim vidimus oppositam obsignationi, quæ locum habebat durante Regno Bestiæ. Dum igitur scribitur illud nomen, & in fronte scribitur, innui patet finem illius Regni.*

[r] *Sextum, universalis prædicatio Evangelii. Facit huc Apoc. 14:6, 7. Matth. 24:14.*

[s] *Septimum, potentia Evangelii. Observa hic iterum ordinem in Prophetia. In initio Reformationis audiebantur quidem tonitrua, sed obsignabantur statim, h. e. inhibebatur vis Evangelii atque sufflaminabatur illius progressus Apoc. 10:3. Sed hic denuo erumpunt: Quod manifesto indicio est, pertinere hanc Visionem Agni ad tempora, quæ Reformationem demum sunt secutura. Et analogia satis ostendit, septem has voces, quas legimus hoc capite 14. esse illa ipsa tonitrua ante obsignata, & postliminio eruptura non sine multo fragore.*

[t] *Octavum, consensus veritatum & animorum. Coincidit Ecclesia Philadelphica, ad quam vide sis annotationes nostras. Apoc. 3:6. seqq. Observa insuper tria illa, quæ supra notavimus, Musices intervalla, exacte respondere tribus his periodis, quas modo recensebamus, secuturis ordine Regnum Anti-Christi. In nostro hoc loco habes primum proludium nuptiarum Agni, quam sequitur alterum Apoc. 15:1. & tertium accinit ipsimet festivitati nuptiali Apoc. 19:7.*

[u] *Nonum, Virginum comitatus. Cant. 6:8.*

[x] *Decimum, liberatio ex Spirituali Ægypto.*

[y] *Unde-*

berati ex solo Anti-Christi? Quid primitiæ illæ, [y] DEO sacræ & Agno, nisi obsides sanctificandæ DEO integræ messis & plenitudinis Gentium intraturæ DEI horreum una cum salvando Israële universo?

En! vobis igitur, Auditores, subitam ingentem rerum Catastrophen. [z] Ibi faciebat Bestia, hic decedenti Bestiæ succedens Agnus. Ibi dejecti erant Christi servi & à Bestia victi, [a] hic sublimes comparent & Bestiæ victores. Ibi sub ciliciis delitescentes, [b] hic Pontificali decore superbientes. Ibi mœrentes, hic cithara canentes. Ibi mortui, hic ex mortuis vivi. [c]

Quid igitur gloriaris, effrons Babylon? Quid gloriaris in montibus tuis, ô Meretrix: Sedeo Regina nec sum vidua nec luctum videbo. [d] Quousque canes meretricium carmen, & sumta cithara circumibis civitatem? Quousque scortabimini, ô Regna terræ, cum Mystica Tyro? Quousque inebriabimini ex poculo illius aureo, pleno abominationibus & immunditia scortationis? Imo vero non audietur in te amplius vox Citharœdorum & Musicorum & tibia tubaque canentium, neque vox sponsi & sponsæ audietur in te amplius. [e]

Exige igitur Babylone quotquot eam adhuc incolitis, popule DEI; exite ea, ne participes fiatis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis; nam accumulata peccata ejus pertigerunt usque in cœlum, & recordatus est Deus scelerum ejus. [f]

Animadvertite id imprimis, ô Reges, eruditionem accipite ô Judices terræ. Colite Dominum cum timore, & exultate cum tremore. Osculamini Filium, ne irascatur, Filium quem Pater unxit super Sione, Sione Monte Sancto suo; quem constituit hæredem Gentium & Possessorem finium terræ. Attollite, ô Portæ capita vestra: Attollite ostia seculi, ut ingrediatur Rex gloriæ.

Qui opibus abundatis atque bonis terrenis, ne cor apponite, neque tenaces estote, sed liberales. Liberales, inquam, erga eos, qui instaurandæ Hierosolymæ animum adhibent & manum. Merito igitur hac hora pium memoria recolo factum VIRI OLIM MAGNIFICI atque AMPLISSIMI, DOMINI CUNRADI CAUSENII, JURIS CONSULTI INCOMPARABILIS, VARIORUM SACRI ROMANI IMPERII STATUUM CONSILIARII GRAVISSIMI ET APUD VICINOS FRIDBURGENSES SYNDICI SPECTATISSIMI, utpote qui, quum ἄπαις decederet, bona sua opesque cunctas Sioni nostro Herbornensi liberalissime legatas, exornandæ Hierosolymæ Christianæ in solidum destinavit. Sic prodromus fuit eorum, de quibus Propheta: Ædificabunt alienigenæ mœnia tua. [g]

Quotquot igitur super muros hujusce Hierosolymæ nostræ præfecti sumus custodes, ne taceamus toto die totaque nocte, sed memorem precibus votisque nostris faciamus Dominum, donec stabiliat & donec ponat Hierosolyma laudem in terra. Studeamus temporum notitiæ & temporum signis, ut intelligamus, quid faciendum modo sit nostro Israeli. [h] proficiamus quotidie in veritate, ut & novum carmen canamus, non eadem semper chorda oberrantes, non veterem ubique cantilenam obstrepentes. Rimemur opera naturæ seu potius Dei Creatoris, ut ea consona intelligamus mysterio gratiæ & operibus DEI Redemptoris. Legis umbras & typos venemur, eorumque harmoniam cum Evangelica Veritate. Concordiam meditemur inter Fratres, ut mutuo sese complectantur osculo pacis sancto. Sic demum cantabimus canticum novum, Deo & hominibus gratum.

Utinam vero hoc perciperetis ad solatium vestrum, quotquot adhuc sedetis plorantes ad flumina Romanæ Babylonis! quotquot adhuc delitescitis sub ciliciis & quasi defuncti jacetis in plateis magnæ civitatis. Utinam oculos fidei conjiceretis in hunc Agnum, quem indubia omnino spes est brevi in Sione staturum. Vah! quanto erit gaudio, quantæ gloriæ, esse cum Agno eumque ad nuptias comitari? tunc enim sanè implebitur os vestrum lætitia & lingua vestra cantu; Magnifica vobiscum efficiet Dominus & lætabimini. Qui seminatis cum lachrymis, cum jubilo metetis: qui flendo fertis semen, omnino redibitis cum cantu, vestros reportantes manipulos. [i]

Qui eo adspiramus, Auditores, Virgineæ studeamus puritati; pacem expetamus Hierosolymæ, dicentes; Tranquilli sint amantes tui: sit pax in Antemuralibus tuis, & tranquillitas in palatiis tuis. [k] Sic erimus, ut Mons Sion, qui non dimovetur, in seculum permanet: [l] Sic primitiæ erimus Deo Agnoque sacratæ, donec constituetur Mons Domini in vertice aliorum montium, & supra colles efferetur, ut confluant ad eum omnes gentes. [m] Fuge igitur, Dilecte mi, & similis esto capreæ aut hinnulo cervorum in montibus aromatum. [n] Etiam veni Domine IESU. Dixi.

[y] *Undecimum, consecratio Primitiarum. Uti prima Reformatio sacrabat Deo primitias quasi Paschales, & Agni comites sunt veluti Pentecostales; sic integra messis incidet in Festum Tabernaculorum, quod in majoribus Festis erat tertium atque in Anno Ecclesiastico postremum. Expositorem habes ipsummet Dei Spiritum Zach.* 14: 18. *seqq. ubi hoc insuper peculiare est, quod in phaleris equorum comperiatur* קדש ליהוה Sanctum Domino *v.* 20. *sicuti hoc loco vidimus nomen* DEI *frontibus harum chiliadum inscribi. confer. Apoc.* 3: 8, 12. *quoad rem simul & phrasin. Rem vero tantum vide Rom.* 11: 25.

[z] *Duplex in Apocalyptica scena comparet catastrophe insignis. Altera in ejectione Draconis ex Cœlo, h. e. interitu Imperii Rom. Gentilis. Apoc.* 6: 12, *seqq.* 12: 9, 10, 11, 12. *Altera hoc loco, quæ tamen, ut percepimus, suos habet gradus.*

[a] *Apocal.* 11: 7. *Daniel.* 7: 21. [b] *Apocal.* 11: 3. [c] *Apoc.* 11: 11. [d] *Apoc.* 18: 7. [e] *Ibid. v.* 22. [f] *Ibid. v.* 4.

[g] *Jes.* 60: 10. [h] *Ut olim Filii Isaschar, solio admoturi Davidem* 1 *Chron.* 12: 32. [i] *Psalm.* 126: 1. *seqq.* [k] *Psalm.* 122: 6, 7. [l] *Psalm.* 125: 1. [m] *Jes.* 2: 2. [n] *Cant.* 8: *ult.*



JOH. MEISNERI

FLUMEN CRYSTALLINUM

Ex Apoc. XXII: Comm. 1. deſcriptum.

A. & Ω.



Uod ſi exterior cœli facies ad ſui contemplationem Creatoriſque laudem invitet, quotquot cum Anaxagora, inſigni illo rerum naturalium ſcrutatore (α) ſe Solis Cœlique videndi gratia natos fateri non recuſant; quidni etiam cœleſtis ac inenarrabilis Beatorum felicitas in ſui admirationem raperet, qui nitidiſſimis eandem à Spiritu S. depictam coloribus paſſim deprehendunt? Hanc, duce Scriptura, pietate comite, animo verſantes, non poſſunt non eum divinæ jucunditatis perſentiſcere prægustum, ut quaſi extra ſe conſtituti, ſpretis rebus mundanis omnibus ſecundis, adverſis, illud Monicæ, matris B. Auguſtini pientiſſimæ (β), ſumma vocis contentione repetant: Evolemus hinc! Evolemus! *Unde enim, quæſo, conſtantia illa martyrum in graviſſimis exquiſitiſſimiſque perſecutionibus? unde lætitia eorum in duriſſimis cruciatibus, & tripudium in ipſa immaniſſima internecione, niſi ex ſpe aut potius ſenſu quopiam ſuaviſſimæ voluptatis cœlicolum? Suo id quiſque comprobabit calculo, qui, ut alia ſicco pede prætercam ex Apocalypſi ſaltem cœleſtem Hieroſolymam intentis luſtraverit oculis. Ponderet ſecum penitius vel unicum illud Flumen, cryſtalli ad inſtar ſplendidum, interluendo civitatem ſupra modum lætificans, &, ni plane ſit ἀναίσθητος, aut cum Sadducæis (γ) vel Barbara, impudica Hermanni Comitis Ciliæ filia, altera Sigiſmundi Imperatoris conjuge adultera (δ), Johanneque XXIII. Pontifice Romano (ε) aliiſque, σκληροκάρδιος æternorum alterius vitæ bonorum irriſor, advertet facile, quam effuſo illud animum nunquam non demulceat gaudio. Ipſi periculum faciemus. Flumen hoc, ulteriori conſideratione digniſſimum, propius contemplaturi, niſi hoc ipſo humeris quid impoſuerimus, cui forte non ſint ferendo. Ardua enim res eſt, in hac rerum obſcuritate de divinis futuriſque diſſerere, quæ à Senſibus remotiſſima, & adhæc ſub figuris Symboliſque propoſita, captum humanum infinitis ſuperant paraſangis. Hinc tantopere etiam divina Apocalypſis ſuos exercuit Interpretes, ut ſæpius exercitatiſſimi quivis cum Dionyſio Epiſcopo Alexandrino (ζ) ſe non illam intelligere, ingenue confiteri neceſſe habuerint, in qua, teſte Hieronymo (η), quot verba, tot Sacramenta. Non tamen hæc ab inſtituto revocare nos potuerunt; divino Spiritus S. auxilio confiſos. Hinc in præſentiarum ad Flumen ipſum, à Johanne Theologo Apoc. 22: 1. deſcriptum, recta pergimus, ſic pro tenuitate virium circa illud occupati futuri, ut, præmiſſo Textu Originali cum Verſione Latina & Germanica, totum laborem duabus expediamus Sectionibus, quarum altera erit* Ἐξηγητικὴ, συνέπειαν *ſcopumque Textus cum Analyſi Philologico Theologica tradens, altera* Πορισματικὴ, *Conſectariorum nonnullorum ex Textu elicitorum evolutionem ſiſtens. Quibus abſolutis portum videbimus. Nunc in altum provecti, vela damus, ductum afflatumque Spiritus S. benigniorem ſupplices implorantes iſto Hymni Eccleſiaſtici:*

Flecte, quod eſt rigidum,
Fove, quod eſt frigidum,
Rege, quod eſt devium!

Textus Originalis.

Καὶ ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς, λαμπρὸν ὡς κρύσαλλον, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ Ἀρνίου.

Verſio Latina Vulgata & B. Schmidii:

Et oſtendit mihi fluvium (purum), *aquæ vivæ* (vitæ), *ſplendidum tanquam Cryſtallum, procedentem de ſede* (ex throno) *DEI, & Agni.*

Verſio B. Lutheri.

Und er zeiget mir einen lautern Strom des lebendigen Waſſers / klar wie ein Cryſtall / der gieng von dem Stuel Gottes / und des Lambs.

SECTIONIS I.

ARTICULUS I.

De Συναφείᾳ *Scopoque Textus ac Partitione ejuſdem.*

§. I.

HAud male locabit operam Oraculi cujuſdam Sacri interpres, ſi ſcopum Senſumque ejus genuinum, ſub verbis haud raro deliteſcentem Tropicis, collatione τῶν προηγουμένων καὶ ἑπομένων paulo altius eruere allaboret. Quod & nos inpræſentiarum, Flumen Apocalyptico Cryſtallinum luſtraturi, præſtare conabimur, moniti non modo à B. D. Glaſſio (α) B. D. Franzio (β) B. D. Danhauero (γ) aliiſque Hermeneuticæ S. Scriptoribus, ſed & ab ipſo Spiritu Sancto, hac fini copulativum καὶ præmittente, eaque ipſa, ut cuique patet, contextus Scrutinium imperante.

§. II. Egerat v. Apoſtolus ſuperius fuſiſſime de variis maximeque horrendis tribulationum perſecutionumque procellis, quas in Eccleſiam militantem furor hoſtilis, Satanæ, meretricis Magnæ, Gogi atque Magogi, aliorumque olim eſſet importaturus. Ne autem inde contriſtati nimium fideles animum penitus deſponderent, eos non modo promiſſionibus, de liberatione, cum in hoc mundo, tum in extremo potiſſimum judicio futura, longe jucundiſſimis ſubinde erigit, ſed & cumprimis ſtatum Eccleſiæ triumphantis glorioſiſſimum ſub imagine primum Cœli terræque novæ, poſt Hieroſolymæ ſanctæ, de cœlo deſcendentis, duobus poſtremis Viſionum Apocalypticarum capp. ſpecioſiſſime depingit, ut hujus adeo ſplendidi domicilii, tanquam incolæ ac cives ejuſdem aliquando futuri, memores, quicquid adverſi accideret, animo exciperent eo fortiora, atque tolerarent.

(α) *vid. Diogen. Laërt. lib. 2. in vita Anaxagoræ p. m. 95.* (β) *cit. B. Luther. Tom. 8. Altenb. f. 522. b.* (γ) *Matth. 22.* (δ) *Johannes Cuſpinianus de Cæſar. ac Impp. Rom. in vita Sigiſmundi Ducis Lützelburgenſis, ac Imper. Rom. ſub finem f. 400.* (ε) *in Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 11. Tom. 3. Part. 2. Conciliorum Severini Binii fol. 1584. col. 2. Edit. de A. 1606.* (ζ) *Euſebius lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 20.* (η) *ad Paulinum Epiſt. 103. cap. 7.*

(α) *in Philol. ſacr. lib. 2. part. 2. ſect. 2. p. 365.* (β) *in Tract. de Interpr. Script. S. præcepto 2. pro intelligendis Bibliis pag. 48.* (γ) *in Idea Boni Interp. & malit. columnn. part. 1. ſect. 3. Artic. 8. p. 172. & Art. 13. p. 212. ſeqq.*

§. III. Sunt

§. III. Sunt equidem, qui cum venerabili Beda (δ) & Primaſio Epiſcopo Uticenſi (ε), in hac poſtrema, &, ceu vulgo numerant, ſeptima Viſione, quæ cap. 21. uſque ad verſ. 5. cap. 22. Apoc. enarratur, beatiſſimam Cœlitum conditionem exponi inficiantur, de terreno potius Eccleſiæ ſtatu B. Johanni ſermonem adhuc eſſe contendentes. Quos infra, ubi de Civitate, quam Fluvius noſter profluendo irrigat, uberius acturi, citatos confutabimus.

§. IV. Cœterum humana obſtupeſcit cogitatio, quoties admirandam hanc Eccleſiæ triumphantis, ſub imagine cœleſtis civitatis adumbratæ, contemplatur magnificentiam, qua auguſtius nihil, nihilque excellentius concipi unquam mente poteſt. Nam, poſtquam in priori capitis 21. parte à verſ. 1. uſque ad 9. generatim felicitatem Hieroſolymæ ſanctæ peroraverat, eandem deinceps ſpeciatim, non modo I. ab Amplitudine, frequentiam ac multitudinem, incolarum deſignante, verſ. 16. ac II. Pulchritudine, relucente (1) ex luce & claritate, quam eminus intuenti urbs de ſe ſparſit fulgentiſſima verſ. 11. (2) ex materiæ pretioſitate verſ. 18, 19, 20, 21. (3) ex partium συμμετρίᾳ ſeu concinnâ diſpoſitione verſ. 11. ſeqq.; ſed & cumprimis III. à Securitate & IV. omnimoda Sufficientia prolixiori oratione commendat. Cum enim duo poſteriora plerumque civitatis congregandæ urbiſque inde conſtituendæ incitamenta eſſe ſoleant, ſicco eadem pede præterire non licuit Apoſtolo, hac deſcriptione, ut conſtitit, fideles perſecutione afflictioneque preſſos & ſolari & ad beatiſſimam cœlitum felicitatem allicere ſummo ſtudio allaboranti. Et quidem Securitatem, fuſius deſcripta Hieroſolymæ ſanctæ munitio ſymbolice arguit. Nam civitas (1) in quadro eſt poſita verſ. 16. Urbes autem τετράγωνοι ut ſunt fortiſſimæ (ζ), ſic ſecuritati civium maxime accommodatæ. (2) conſtat muro, neceſſario alias ad commode tutoque in civitate vivendum præſidio (η) verſ. 12. cujus firmitatem colligas ex ejus (א) ſubſtantia, quæ lapidea, ex Jaſpide enim ſtructura muri erat verſ. 18. (ב) magnitudine & ſublimitate verſ. 12. quæ erat 144. cubitorum verſ. 17. (ג) fundamentis duodecim verſ. 14. iiſque (ד) lapideis verſ. 19. ſeqq. (3) habet excubitores, vigilantiſſimos pariter ac fortiſſimos, Angelos np. portis inſedentes verſ. 12.

§. V. Denique cœleſtem omnium rerum ſufficientiam à verſ. 22. cap. 21. uſque ad verſ. 5. cap. 22. mirum in modum deprædicat, quam ſervis Dei verſ. 3. cap. 22., gentibus ſervatis, iiſque regibus verſ. 24, 26. cap. 21. ac libro vitæ inſcriptis, non vero inquinatis &c. verſ. 27. deſtinatam à DEO Trinuno eoque ſolo expectandam eſſe docet. Hic enim ſolus Triumphantibus erit omnia in omnibus, 1 Cor. 15: 28. ipſa omnium ſufficientia, ipſum Summum Bonum, cujus fruitione adeo plene ſatiabitur & acquieſcet appetitus Beatorum, ut extra illud nil quicquam amplius deſiderare poſſit. Nam, fatente Gregorio Nyſſeno (θ) *Qui Deum vidit, quicquid in bonis numeratur, per hoc, quod videt, adeptus eſt.* Hinc quibus humana alias in hac fragilitate indiguit ſocietas, templo ſcil., Sole, Luna, Potu, cibo &c. cum in altera vita, ubi ſumma regnabit & abſolutiſſima perfectio, non futura ſint cap. 21: 23. cap. 22: 5. eorum omnium vices ſufficientiſſime à DEO uno ſuppletum iri affirmat Apoſtolus. Templum enim Deus ipſe erit Omnipotens & Agnus cap. 21: verſ. 22. Claritas DEI ac lucerna Agni Solis inſtar ac Lunæ illuminabit beatos 21: verſ. 23. cap. 22: verſ. 5. Sic præter Cibum myſticum, quem Lignum vitæ, Chriſtus, ſuppeditabit cap. 22: verſ. 2. etiam potum à Fluvio, qui cap. 22: verſ. 1. introducitur, exſpectabunt puro, ipſo nempe Spiritu Sancto. Nam quoniam ſuperius DEI omnipotentis ſ. Patris, & Agni ſ. Filii verſ. 22. cap. 21. nunquam vero Spiritus Sancti peculiariter meminerat, explicitam ejuſdem intermittere mentionem non conveniebat. Et cum amœniſſimæ Civitates ſint, quæ fluvios habent interfluos, unde mundities, refrigerium, variaque Civitati conciliatur utilitas; hinc ſub Fluvii ſymbolo (ut alibi quoque factum) Spiritum S., indicata ſimul ejuſdem proceſſione à Patre & Filio, atque ſic uno intuitu totum Trinitatis in uno Throno ſedentis myſterium (cujus repræſentatio vel maxime ad perfectam cœleſtis Jeroſolymæ pertinebat gloriam), tanquam unicum omnis ſufficientiæ & beatitudinis cœleſtis Objectum verſ. 1. cap. 22. ſiſtere, conſilium fuit Theologi. Nam quemadmodum, quicquid ad ſufficientiam hanc, qua Cœlites fruentur, ſpectat, non niſi ipſe DEUS eſt, ut jam modo confirmatum dedimus; ſic & Fluvius hic purus, ſummum illud Beatorum in futura Hieroſolyma gaudium atque amœnitas ipſe DEUS erit; cum vero nec Pater ſit, nec Filius, quippe à quibus diſtinguitur, Spiritum S. eo ipſo ſignificari, nemini non colligere facile erit. Quo de tamen plura in ἀναλύσει mox ſubſecutura.

§. VI. Et hæc de συναφείᾳ Textus, cujus paulo prolixior enarratio ideo præmittenda fuit, ut difficultatibus, quas adverſariorum quorundam falſa ac neglecta plane ſcopi Johannei gignit interpretatio, eo faciliori occurratur negotio. Nos vero ad Fluminis Chryſtallini evolutionem accingamur neceſſe eſt, Tribus, ſecundum ductum Oraculi noſtri, totam Tractationem includentes Capitibus, quorum I. quaſi præliminare expendet Fluminis manifeſtationem. II. Ejuſdem Deſcriptionem; cum Nominalem, tum Realem, ubi, præter Fluminis Appellationem, Ejuſdem fontem, proceſſum ac viam indagabimus. III. Triplicem Fluvii affectionem, unde purus, vivus ac ſplendidus ſalutatur. Sit itaque

ARTICULUS II.

Continens Ἀνάλυσιν Philologico-Theologicam.

CAPUT I.

De Fluminis Manifeſtatione.

§. I.

COnnectit Johannes Theologus, quæ de Flumine dicturus eſt, cum ſuperius propoſitis particula καὶ, cujus pariter atque Hebræorum ו ſignificationes varias adducere longum foret, vid. de his Flacius (ι), Glaſſius (κ), & cumprimis B. Gerhardus (λ), Eraſm. Schmidius (μ), nec non Alſtedius (ν), quorum ille 16. iſte 14., hic ex Brunneri Grammatica 37. hujus voculæ acceptiones, recenſet. Id ſolum notes, quod nonnulli hanc Copulativam pro tranſitiva ab Apoſtolo fuiſſe adhibitam adfirmaverint, uti Piſcator (ξ), Beza (ο), & quos ſequuntur alii plurimi. Hinc iidem reddiderunt per DEINDE. Verumenimvero utut vocula καὶ nonnunquam vim tranſeundi induat, ut Luc. 1: verſ. 56. (π), aliis tamen à nativa ac famoſiori hujus ſignificatu h. l. recedere minime placuit. Hinc non modo ex Noſtratibus B. Lutherus & Eraſm. Schmidius &c. ſed & ex Pontificiis D. Joh. Dietenbergerus (ρ), Eraſmus Roterodamus &c. ex Calvinianis ipſis, ut Autores Verſionis Belgicæ, quæ poſt Synodum Dordracenam prodiit, aliique copulative hanc particulam h. l. verterunt. Interea quicquid hujus rei ſit, in hiſce minutiis non erimus operoſiores; ſive n. tranſeundi ſive copulandi h. l. exerceat virtutem præſens vocula, ſemper tamen continuationem & connexionem capitis 22. cum cap. 21. indicat, id quod nobis ſufficit.

§. II. Quæ vero hic de flumine enarrantur, oſtenſa dicuntur ab Angelo Apoc. 21: 9. uno ſcil. ex ſeptem φιαλοχόοις, quorum jam ſuperius cap. 15. & 16. meminerat. Nam quemadmodum ſupra cap. 7. verſ. 1. Angelus meretricem ſ. Babylonem magnam ejuſque damnationem; ſic nunc quoque idem ille (ut probabiliter, præeunte inter alios B. Dn. Cluvero (σ), nec non Excell. Dn. D. Joh. Andr. Lucio (τ) Superintendente jam Dreſdenſi famigeratiſſimo, colligimus) Sponſam Agni ſ. Hieroſolymam ſanctam ejuſque ineffabilem gloriam oſtendere debuit. Quotus vero in ordine hic fuerit, Primus, ut cum Ludovico ab Alcaſar (υ) vult Tirinus, an Sextus, quod Grotius defendit (φ) aut Septimus ac ultimus, uti præter Johannem Napie-

(δ) *in Comm. ſuper Apoc. in h. l. qui extat Tom. 2. Opp.* (ε) *lib. 5. Comm. in Apoc. f. 192. ſeqq. Extat. Tom. 6. Biblioth. Patrum Edit. Colon. A. 1618.* (ζ) *vid. Cornel. à Lap. Comment. in Apoc. f. 318, 1, A.* (η) *Cellarius in Politica lib. 1. cap. 7. pag. 83. Bodinus de Republ. lib. 5. pag. 876. ſeqq.* (θ) *Serm. VI. de beatitud.*

(ι) *in Clav. Script. S. part. I. pag. 276.* (κ) *Philol. ſacr. L. 4. Tr. 2. obſ. 7. pag. 686. ſeqq. & L. 3. Tr. 7. can. 3. pag. 589. ſeq.* (λ) *Indice altero Vocab. Hebr. Comm. in Geneſin.* (μ) *in Notis ad N. Teſt. ad verſ. 19. cap. 5. Matthæi f. 89, 90.* (ν) *præcogn. Theol. L. II. f. 155.* (ξ) *in Obſerv. ad N. Teſt. ad h. l. Schol. 1.* (ο) *in Verſione Lat. ad h. l.* (π) *conf. Schmid. Comm. in N. Teſt. ad h. l.* (ρ) *in Verſione Germ. de A. 1534.* (σ) *in Diluculo Apocalyptico f. 360.* (τ) *in Concionibus ſuper Apoc. f. 1151. a.* (υ) *in Veſtigatione arcani ſenſus in Apocal. ad verſ. 9. cap. 21.* (φ) *vid. Clariſſ. Polum Synopſi Criticorum aliorumque Commentat. in Apoc. 21: verſ. 9. f. 2005. part. 2. Voluminis IV.*

Napierum, Nobilem ac Theologum Scotum (χ), etiam Paræo placet (ψ), certo definire, tacente Scriptura, nec libet, nec licet. Interea bonum, non malum fuisse Angelum, ex eo, quod hic loci totum SS. Trinitatis mysterium, &c, quæ inde in beatos redundant beneficia revelaverit, concludere haud difficile est. Ridemus autem ἰδιογνωμοσύνην Lyræ & Ludovici ab Alcasar, quorum ille (ω) per hunc Angelum Apostolum Jacobum, qui B. Johannem præcesserit in gloria, atque eapropter ex Dei voluntate eidem revelare potuerit secreta cœlestia; hic (α) S. Paulum, qui quasi fundator Romanæ Ecclesiæ, hujus ceu Sponsæ Christi nuptias ejusque admirabilem majestatem & amplitudinem in cœlo Johanni ostenderit, falso intelligit. Nam, si vel maxime (1) ponamus, quin & cum nonnullis Nostratium, utpote D. Winckelmanno (β), D. Osiandro (γ), D. Jeremia Vietore (δ), D. Hoë (ε), Gravio (ζ), aliisque concedamus, per Angelos 7. cum phialis 7., quorum unus hic loci Johanni fluvium ostenderit, Doctores atque præcones Ecclesiæ divinos indigitari, nefas tamen esset, quæ de uno alterove horum Angelorum vage ac indefinite à Spiritu S. memorantur, temerario quodam ausu certo alicui individuo applicare velle. Statuimus tamen (2) per hunc δείκτην cæterosque φιλοφόρους, quorum cap. 15: 1. mentio fit, non pastores Ecclesiæ, sed spiritus illos cœlestes, creatos, immateriales atque potentes, quos propriissime Scriptura Sacra Angelos appellitat, denotari; assentientibus inter alios B. Cluvero (η), & D. Lucio (θ), & Magn. ac Summe Reverendo Dn. D. Calovio (ι), Domino Patrono ac Præceptore æterno observantiæ cultu devenerando, aliisque. Alcasarem vero, pro Paulo pugnantem prolixe refutatum vide apud B. D. Hoë (κ).

§. III. De cætero verbum δεικνύειν, quod Angelo huic tribuitur, à Chaldæorum דְּק descendere eruditi observant (λ), cujus Infinitivus דיק significat acccurate attendere, summa cum cura aliquid perspicere, considerare, atque minutim excutere. (μ). Vi ergo etymi talem hoc verbum ostensionem dicit, quæ fit accurato studio & qua omnes, etiam minutissimas, partes. Variare autem τοῦ δεικνύειν significatum in S. literis potissimum trifariam, ex Concordantiis, ut vulgo vocant, liquet. Nam usurpatur aliquando 1. pro indicare, docere &c. ut Matth. 16: 21. Apocal. 4: 1. Actor. 10: 28. 1. Corinth. 12: vs. 31. mox 2. pro reapse aliquid præstare, efficere, exhibere &c. ut Johann. 2: 18. ubi signum ostendere, est signum vel miraculum edere it. cap. 10: 32. tandem 3. pro rem quamcunque s. jam ante s. nunquam adhuc visam oculis conspiciendam probeque contemplandam objicere, ut Matth. cap. 4: 8. cap. 8: vs. 4. Johann. 20: 20. Hebr. 8: 5. Atque inter has ultima demum acceptio etiam hic loci obtinet, ubi B. Johanni Apostolo, adhuc in insula Pathmo, in quam ob verbum Domini à Domitiano Imperatore relegatus erat, commoranti (hic enim pro Nomine demonstrativo μοι, pro ἐμοὶ per aphæresin, subindicatur) inter alias cœlestium Hierosolymorum felicitates Flumen quoque Crystallinum ab Angelo ostenditur, ut illud intueri accuratius, hujusque visionis jucunda enarratione suos συγκοινωνοὺς ἐν τῇ θλίψει postea erigere eo commodius posset.

§. IV. Ast dicas: qua ratione Angelus fluvium illum, sive qui sub hoc denotatur, Spiritum S., ut ex post dicendis patebit, procedentem à throno DEI cæteraque cœlestia ac incomprehensibilia dona oculis Johanneis nondum glorificatis sistere potuit, cum tamen, asserente Paulo, oculus haud unquam viderit, nec in cor hominis adscenderit, quæ præparata sint diligentibus DEUM 1. Corinth. 2: 9.? Ad quod paucis hæc habe: Uti in aliis visionibus sæpius non res ipsæ, sed imago tantum rerum & quidem ea, qua Deo libuit, forma repræsentatur & videtur, sic idem quoque hic loci factum. Ostendit Angelus imaginem rerum incomprehensibilium, quam capere etiam atque videre Johannes, licet res ipsæ captum ejus, omnesque longe superarent sensus, per specialem DEI οἰκονομίαν potuit, non quidem oculis corporeis aut externo quodam corporali modo, sed in Spiritu, quo se, ut alibi (conf. Apocal. 1: 10. cap. 17: 3.), sic & nunc sublatum esse in excelsum montem ipse testatur Apocal. 21: 10. ad cœlestia conspicienda, uti S. Paulus ad ῥήματα ἄῤῥητα audienda in tertium cœlum raptus legitur 2 Corinth. 12: vers. 4. Et hoc de Ostensione Fluminis ex primi Oraculi nostri verbis ὡς ἐν παρόδῳ prælibasse libuit. Nunc ad Flumen ipsum progressi, ponimus

(χ) In Explicat. Apocal. citatum à D. Lucio Comment. in Apocal. 21: 9. f. 1151. (ψ) Comment. in Apoc. p. 1166. (ω) In Comment. in cap. 21. Apocal. vs. 9. (α) Comment. in Apocal. fol. 865. (β) In Apocal. p. 357. (γ) In Apocal. 15: 1. (δ) In Explic. Apocal. p. 446. (ε) Libr. 5. Comm. in Apocal. f. 23. & Lib. 8. p. 343. Edit. noviss. (ζ) In der kurtzen Außlegung *Apocal. in cap. 15: 1. (η) In cap. 15. Apocal. Tr. 3. Diluculi p. 182. (θ) In Comment. f. 909. (ι) In cap. 16. Apoc. T. 2. in N. T. f. 1873. (κ) l. c. f. 343. seqq. conf. ipsum Corn. à Lap. in Apoc. f. 314. (λ) Pasor in Lexico p. m. 168. (μ) Vid. Buxtorf. in Lexico Chaldaico-Thalmudico-Rabbinico sub hac voce p. 516. seqq.*

CAPUT II.

De Fluminis Descriptione tum Nominali, tum Reali.

§. I.

SUmmum illud Beatorum refrigerium ποταμὸς appellatur. Dicitur autem ποταμὸς quasi πότιμος potui aptus (*) à πίνω vel antiquo πόω, quod fluvius præbeat aquam potabilem vel minimum potui inde coquendo aptam. Sicuti & eandem ob causam Latinorum Puteus, ἀπὸ τοῦ ποτοῦ, quod itidem à πίνω, originem traxisse nonnullis creditur, (ν). Syro dicitur ܢܗܪܐ quod ab Hebræorum נָהָר plerumque fluvium magnum, v. g. Euphratem, Tigrim &c. ut ex seq. §. erit liquidum, denotat. Non ergo palus aut cisterna tantum quædam, nec fons solum aut puteus, stagnumve, sed integer fluvius cœlestem rigabit patriam. Hinc etiam commode Megalander noster, Lutherus, reddidit einen Strom.

§. II. Proprie vero ὁ ποταμὸς & flumen & fluvium significat, quæ voces vulgo quidem apud Latinos aquam è certo terræ loco versus alium intra alveum oblonga via uberrime decurrentem denotant (ξ); à nonnullis tamen adhuc ab invicem differre advertuntur: Isidorus enim (ο), docente Excellentissimo Mich. Walthero, Mathem. Super. Prof. Publ. in hac ad Albim famigeratissimo, Domino ac Præceptore nostro ætatem suspiciendo (π), distinguit ita, ut flumen sit aqua ipsa, fluvius vero aquæ istius decursus. Quo pacto flumen recte dixeris prius fluvio, sicuti aquam priorem decursu. Alii discrimen non modo in fluxu, sed & duratione ponunt, ita, ut fluvius (ρ) rapidiori lapsu deferatur flumine, cum tamen hoc (σ) semper fluat maneatque idem, ille vero temporibus exsiccetur. Non tamen hanc differentiam ubique observari, ex innumeris probatissimorum Autorum locis liquet. Improprius autem hujus vocis significatus in sacrarum literarum monumentis variat quam maxime (τ). Taceo I. Synecdochicas acceptiones, quando Flumen vel pro aquis in genere Psal. 24: vs. 2. vel etiam, licet alias generale fluviisque omnibus commune nomen sit, pro certo aliquo ac celebri fluvio κατ᾽ ἀντονομασίαν ponitur; qua ratione Euphrates absolute נָהָר s. Flumen audit. Genes. cap. 31: 21. Num. 22: 5. ut & Nilus Es. 19: vs. 5. itemque Tigris Genes. cap. 36: 37. &c. Transeat quoque II. Metonymicus sensus, quo flumina, quæ DEUS in desertum h. e. in steriles campos redigere dicitur Ps. 107: 33. (υ) pro agris irriguis atque fertilibus ponuntur, vel quod hi flumina contineant, vel quod flumina agros cultos reddant atque fœcundos. Omnium v. frequentissimæ III. sunt Metaphoræ, à flumine in S. Oraculis deductæ, præsertim cum vis atque potentia, quin & abundantia rei cujusdam depingenda est. Atque hinc vox Fluminis sumitur (a) in malam partem (1) pro tyrannis ac Regibus potentissimis eorumque exercitu numeroso nimis ac forti, qui hostili impetu vel Ecclesiam Ps. 93: 3. vel Respublicas incursitant, easdem funditus devastaturi Esai. 18: 2. (φ) cap. 8: 7. (2) pro quibusvis ærumnis ac calamitatibus, plenis quasi cataractis irruentibus Es. 43: 2. At v. (b) in bono significatu

(*) Vid. Pasor in Lexic. Græco-Lat. sub hac voce. (ν) Christian. Becmannus de Orig. Lat. Linguæ pag. 859. (ξ) Vid. D. Bernh. Varenium Geograph. General. Lib. 1. cap. 16. pag. 219. Franc. Piccolomineus de definitionibus rerum pag. 208. (ο) 13. Orig. cap. 21. (π) In parte Generali Geograph. sect. unica cap. 3. præc. 3. §. 4. Colleg. MSS. (ρ) Vid. Lexic. Basilii Fabri sub hac voce. (σ) Cornel. Frontonem libello de differentiis vocum, qui annectitur libris Ausonii Popmæ de eodem argumento. (τ) Vid. præter alios Petr. Ravanellus in Biblioth. sacr. Part. I. fol. 629. seqq. Flacius in Clav. Script. Sacr. part. I. fol. 342. Clariss. Schindl. in Lexico Pentagl. sub voce נָהָר. (υ) Vid. Notæ Junii & Tremellii. (φ) Conf. ad h. l. Salom. Glassius Rhetor. S. Tract. I. cap. X. p. 258.

ficatu copiam beneficiorum divinorum significat, eorumque non modo corporalium, quomodo per flumina butyri Job. 20: vs. 17. item per τὸ affluere lacte & melle, (quo nomine terra Cananæa sæpissime commendatur Lev. 20: 24. & alibi) summa lactis & mellis, seu (quæ his sub speciebus per synecdochen indicantur) rerum omnium ubertas intelligitur; sed & spiritualium: quomodo Es. 41: 18. largissima Euangelii prædicatio, & Joh. 7: 38. copiosa Spiritus S. dona & operationes, seu, ipse Spiritus S. in & per Apostolos efficaciter operaturus, ac fideles viva quasi consolatione perfusurus, per flumina designantur.

§. III. Nec immerito Spiritus S. una cum donis ab eo nunquam (χ) separandis flumini confertur. Nam I. sicuti flumen ortum non à seipso, sed ex fontibus seu rivis iisque pluribus (ψ) trahit, indeque procedit: Sic & Spiritus S., utut sit αὐτόθεος, non tamen principium ac fons S. Trinitatis est, sed à Patre, eoque non solo, sed etiam, quem ab æterno genuit, Filio, duabus distinctis, una tamen eademque essentia divina gaudentibus personis, imperscrutabiliter effluit atque emittitur, sic, ut cum B. Danhawero (ω) Patrem scaturiginem, Filium fontem ac os scaturiginis, Spiritum S. vero ipsum Flumen inde promanans recte appellaveris. II. Fluvius devehit aquam, quæ sordes abluit, sitientes potat, terramque fœcundat; Aqua vitæ Spiritus S. quicquid inquinamenti atque adeo condemnationis in nobis est, aufert, sitim spiritualem extinguit, &, quos aridæ instar terræ deprehendit, humectat mirifice fructiferosque reddit. Flumen aquas præbet III. non modo copiosas, sed & IV. nunquam deficientes; Sic & Spiritus S. dona sua largitur uberrime, ut iisdem quasi inebrientur fideles, neque tamen hæc desinunt in vel cum hoc seculo, verum in beatissima quoque æternitate Spiritus S. irrigabit cœlites, eosdem Sapientia, Scientia ac gaudio ineffabili sine termino completurus &c. (α).

§. IV. Atque has inter acceptiones omnium ultima demum hujus loci est, per flumen, quo de inpræsenti, Crystallinum nil aliud quam Spiritum S. cum donis copiosissimis denotans. Verum enim vero huic interpretationi qui subscribere recusant, sunt quamplurimi, quorum sententias vel rectius ψευδερμηνείας ante, quam confirmationem asserto nostro subjiciamus, notasse haud abs re erit, ut, hisce penitus profligatis, opposita magis elucescat veritas.

§. V. Somniat sane I. Richardus à S. Laurentio, pœnitentiarius Rothomagensis, qui adhuc titubans per Flumen modo Angelos Sanctos (β), quod ipsi primi sint, ut loquitur, qui de fonte divinæ veritatis procedant; modo B. Virginem Mariam (γ) quæ fluvii instar singulas generationes rigando post unam in aliam fluat, animasque quas sanctas non invenit, sanctas faciat &c. (δ) intelligit. Sed vana hæc ac superstitiosi nimis cerebelli figmenta. Angeli enim expresse vs. 3. ceu δοῦλοι λατρεύοντες à Fluvio discernuntur. Idem etiam videbis in loco parallelo Dan. 7: 10. Frustra quoque Mariæ Virgini affingitur animarum in his terris rigatio atque sanctificatio. Nam (1) Abraham nescit nos & Israel ignorat nos Esai. 64: 15. Hinc (2) ut ut B. Virginem Deiparam summis veneremur laudibus, absit tamen, ut opus sanctificationis, cujus causam efficientem SS. Trinitatem, terminative vero Spiritum S., Scriptura S. lampada præferente, agnoscimus, eidem adscribamus. Accedit (3) quod non de Ecclesia militante ut jam supra Articulo priori, & mox pluribus demonstrabimus, sed unice in cœlis triumphante, in tota hac Prophetia sermo sit, in qua (4) quicquid voluptatis erit, à solo DEO (ε) in Beatos redundabit. II. Haymo, Episcopus Halberstadiensis & Ansbertus, teste Viega (ζ) & Cornelio à Lap. (η) aliisque, prædicationem Euangelii inter omnes gentes hoc fluvio designari autumant. Sic quoque Augustinus Marloratus (θ) hunc Fluvium, ut ut ex Seb. Meyero eundem commode etiam ad uberrimam illam consolationum DEI in cœlis affluentiam referri posse concedat, tamen proprie verbum DEI, veram ac salutarem animæ medicinam, esse dicit. Nam verbi DEI fluvio, ait cum Pigneto, irrigantur piorum omnium corda &c. His annumero Thomam Brigtmannum, Anglum (ι) Fluvium nostrum de uberrima doctrinæ Christi promanatione in Orientem, cujus humore omnis vegetabitur populus; & Johannem Lightfoot (κ) de doctrina limpida de Christo vitaque per eum obtinenda interpretantes. At vero hæc omnia ad Ecclesiam pertinent militantem, cujus tamen consideratio, ut ex superius dictis & infra fusius deducendis palam erit, hic loci non attenditur. Nec est, quod objiciant (א) Euangelium alibi quoque in Scripturis flumini comparari. Quis enim inde concluderet: Ergo etiam hic? (ב) alludi vel ad aquam Ezechiel. 36: 25. (λ) vel ad flumen Ezechiel. 47: 12. Propheticum (μ). Quibus locis Euangelii ministerium insinuari perspicuum sit. Sed Respondemus I. Sit ita! Nonne autem Spiritus S. eadem verba, quibus olim felicitatem Ecclesiæ in his terris prædixit, ad descriptionem regni gloriæ accommodare poterit? Quo de mox plura. II. Interim nondum hactenus evictum, ad citata loca à Spiritu S. digitum in nostro vaticinio intendi. In priori loco contrarium ipsa Textus docet evolutio. Nihil ibi de flumine, nihil de egressu ejus &c. Quod vero posteriorem locum, qui maximam probabilitatis præ se fert speciem, attinet, ipse David Pareus & Ludovicus ab Alcasar, licet allusionem quandam hic loci ad flumen Ezechielis largiantur, tamen inter hoc & nostrum Apocalypticum ille (ν) differentias duas, hic (ξ) quatuor, alii (ο) additis adhuc duabus sex annotarunt, quas huc transcribere prolixum foret. Pari facilitate etiam III. Hugonem Grotium, variæ vel rectius nullius religionis hominem confutamus. Hoc flumen de Baptisterio, quod iis temporibus, quæ hic designantur (scilicet à Constantino usque ad Justinianum), esse solebat in area ante basilicas, explicantem (π). Et quamvis rationem, cur Baptisterium illud ποταμὸς appelletur, addat, scilicet, quod fons perennis in illud influxerit, omnis autem aqua profluens Hebræis Græce loquentibus ποταμὸς dicatur; nihil tamen hæc ad rhombum. Probatur tantum, Baptisterium ejusmodi aliquo modo flumen dici posse, id quod ambabus largimur manibus, quemadmodum & olim Græci Baptisteria κολυμβήθρας h. e. piscinas appellasse memorantur (ϱ); minime vero illud per τὸν ποταμὸν λαμπρὸν ὡς κρύσταλλον hic loci indigitari, quem non hujus, sed illius esse seculi, plus vice simplici monuimus. Neque huic sententiæ patrocinatur autoritas B. Joh. Gerhardi, quod (σ) inter typos Baptismi in N. Testam. etiam hunc fluvium referat, eoque ipso fluvium Baptismi significare conjecturet. Theologus enim hic summus, & de Ecclesia Christi universa præclarissime meritus hæc tantum ad Baptismum per similitudinem & accommodationem quandam trahere voluit, quod tamen is nequaquam acriter propugnare ausus fuit, mox dilucidis verbis fassus, *se non improbare, si quis per hunc fluvium accipiat Spiritum S. qui donis suis largissimis irrigat & militantem & triumphantem Ecclesiam.* Hinc & non modo, ubi processionem tertiæ personæ à Patre & Filio κατὰ τὸ ῥητὸν in Scripturis revelatam esse, adstruere studuit (τ), sed & in Annotationibus super Apoc. (υ) hunc fluvium de Spiritu S. diserte exponit. Idem quoque de Andrea Cæsariensi, itidem primum Baptismum, postea vero rectius ipsum Spiritum S. cum donis h. l. intelligente (φ), habendum est.

§. VI. Feliciori rem aggrediuntur tentamine, qui hunc Fluvium ad triumphantem referunt Ecclesiam, quos tamen adhuc in diversum abire, Lector, advertes. Nonnullis enim IV. hoc Flumine visio DEI denotatur beatifica, vel potius uberrima illa nullisque

(χ) *Vid. Summe Reverendus ac Magnificus Dn. D. Præses, Præceptor, Patronus atque Hospes æternum mihi devenerandus Exam. Catech. Palat. part. I. Disp. 37. p. 811. & seqq.* (ψ) *Varenius Geogr. Part. General. lib. 1. cap. 16. Propos. 3.* (ω) *In Stilo Vindice contra Borthenium vel Reinbothum p. 104.* (α) *Vid. Danhauer. loc. cit.* (β) *Libr. 4. de laude S. Mariæ pag. 222.* (γ) *Libr. 9. pag. 523.* (δ) *Vid. citata ap. D. Dorscheum in Theol. Zachar. part. II. Disp. IV. Loco II. §. 61. pag. 222.* (ε) *Vid. Artic. præcedenti §. penult.* (ζ) *Commentar. in Apoc. in cap. 22: 1.* (η) *In Apoc. cap. 22: 1. fol. 342. col. 1.* (θ) *In Expositione Ecclesiastica in N. Test. super h. l. fol. 1191.*

(ι) *In Apocalypsi Apocalypseos in h. l. pag. 410. col. 4.* (κ) *Chron. 172. citatum à Matth. Polo in Synopsi Criticorum in vers. 1. cap. 22. fol. 2014. part. 2. Vol. IV.* (λ) *August. Marloratus l. cit.* (μ) *Thomas Brigtmannus in Apocal. in h. l. pag. 410. col. 1. consule quæ habet D. Hoë in Apocal. 22. scrupulo l. p. 379. Edit. nov. in fol.* (ν) *Paræus in Comment. ad Apocal. pag. 1191.* (ξ) *Alcasar in vestigatione sensus arcani Apocal. cap. 22: 1. fol. 949. seqq.* (ο) *D. Matth. Hoë loc. cit. fol. 380.* (π) *In Annot. Bibl. ad h. l.* (ϱ) *Vid. Sheringham ad Joma pag. 49. ubi ex Nicephoro patriarcha, & Suicerus sacr. observ. libr. singul. cap. 3. pag. 84. qui ex Chrysost. Homil. 110. T. V. fol. 714. confirmat.* (σ) *LL. Theolog. Tom. IV. L. de Baptismo §. 13. fol. 427. Edit. Genev.* (τ) *Loco de Spiritu S. cap. IV. §. 59. fol. 291. Tom. I.* (υ) *In h. l. cap. 22: 1.* (φ) *Quem citatum vide §. 8.*

lisque seculis terminanda donorum voluptatumque cœlestium affluentia, qua visio Dei & Agni olim perfundet cœlites. Hanc propugnant sententiam plurimi, non modo ex Pontificiis, utpote præter alios Franciscus Ribera (χ), Ludovicus ab Alcasar (ψ) [de quo tamen obiter notes, quod, licet hoc voluptatis ac sapientiæ, ut interpretatur, Flumen Sanctis omnibus promittere videatur tamen singularem ejus fruitionem, vi hypotheseos infra §. XX. V. examinandæ, Romanæ Ecclesiæ male affingat] Corn. à Lap. (ω), Rob. Bellarminus (α), Joh. Maldonatus (*) Blasius Viegas (β), Nic. Gorranus (γ) &c. Ex Reformatæ religioni addictis Bullingerus (δ), David Pareus (ε), Petrus Ravanellus (ζ) &c. sed & ex Lutheranis B. D. D. Matth. Hoë, Seren. Elect. Saxon. à Conc. Aulic. primariis (η), Dn. D. Joh. Botsaccus (ϑ), Theologus Celeberrimus & de Ecclesia Christi universa, cumprimis mihi patria, longe meritissimus, νῦν ἐν ἁγίοις, aliique. Enim vero omnino aliud est [ut verba B. Dorschei (ι), Theologi non è multis, mea faciam] fluvius procedens, aliud Fluvii è throno procedentis visio atque fruitio. Hæc ab illo expressis verbis distinguitur vs. 4. Et quamvis haud inviti largiamur, hoc fluvio insimul effusionem donorum cœlestium uberrimam subindicari, nondum tamen, quod pace tantorum virorum dixerim, demonstratum satis, primario eam hic loci & nihil præterea intelligendum esse. Verior ergo V. illorum remanet sententia, qui ipsum Spiritum S. hic loci ab æterno à Patre & Filio procedentem, & postea in sanctos copiosissime effluentem depictum volunt. Ut vero hæc eo fiant dilucidiora, notabis I. quod, cum Ecclesiam triumphantem terrestri paradiso comparari, ex Luc. 23:43. quilibet, nisi ipso meridie cœcutire velit, videat, etiam à nobis, plurimorum (κ) consensu non destitutis, quicquid etiam dicant alii (λ), facile concedatur, in nostro ad fluvium ex Eden egredientem Gen. c. 2:10. alludi oraculo. Ut vero illius non modo ortus, sed & rigatio & amœnitas, quam præbebat, describitur: Sic & hic Symbolo fluvii ad consolationes, quibus cœlestem Ecclesiam Spiritus S. uberrime refecturus est, suavissimas simul respici nulli dubitamus. II. Spiritus S. fluvio denotatus non sumitur hic sensu Sociniano pro virtute DEI (μ) aut effectis Spiritus S. quas improprias acceptiones plurimas Ravanellus (ν) recenset, sed proprie pro ipsa tertia persona Deitatis, eadem essentia & dignitate cum patre & Filio gaudente. III. Denique ratio, cur Spiritus S. hic fluvio comparetur, duplex est [a] propter processionem, quod, ut Fluvius non à seipso, sed à fonte, sic Spiritus S. à Patre & Filio procedat (ξ), [b] propter donorum in Sanctos effusionem, quæ plenis cataractis in cœlites diffundet. Jam aliud est id, quod per Fluvium denotatur, aliud ratio, cur id fluvio denotetur. Uberrima donorum effusio per visionem & inhabitationem Spiritus S. cum P. & F. facta, utut ad prius non pertineat, ratio tamen esse potest, ob quam illud Symbolum fluvii Spiritui S. attribuatur. Depingit ergo ac specificat, ut ita loquar, solum effusio illa donorum copiosissima subjectum, quod à throno Patris & Filii procedit.

§. VII. Atque hisce melioris explicationis gratia præmissis, sententiam quoque nostram argumentis roboramus, I. ex συναφείᾳ Textus superius tradita petentes, ex qua constitit plus satis (ι) de mente ac intentione Apostoli, perfectissimam cœlestis habitaculi descriptionem exhibituri. Id quod tamen nunquam effectum dedisset, nisi, ut Patris & Filii, quod aliquoties ab eo factum, sic & Spiritus S. adeoque admirandi totius SS. Trinitatis mysterii, explicite meminisset. Idcirco ejus consilium erat, totum Deitatis thronum, h. e. Personarum Trinitatem in essentiali Throni unitate, & essentiæ s. throni unitatem in personarum Trinitate perfecte hic loci repræsentare. Per fluvium ergo ad thronum Deitatis pertinentem, Patri tamen & Agno in throno contradistinctum Spiritum S. indigitari manifestum est. [2] Omnem in omnibus αὐτάρκειαν Beatos ab & in ipso DEO eoque solo habituros. Fluvius autem cum pariter ad sufficientiam hanc Cœlitum faciat, ipse quoque nil nisi verus Deus erit. Jam vero nec Deus Pater, nec Deus Filius est, quippe à quibus discernitur. Ergo unicum Spiritum S. eo ipso designari colligere unicuique haud difficile erit. II. cum B. Dorschæo (ο) & Danhauero (π) argumentamur ita: Per fluvium aut intelligendum bonum aliquod creatum, aut increatum. Sed non creatum. Ergo. Majorem haud quisquam in dubium vocabit, nisi cum Judæis ac Socinianis (ρ) Ens aliquod medium, quod nec creatum nec increatum sit, contra omnem sanam ratione fingere velit. Minor confirmatur [a] Q. ἐσιωδῶς ad thronum pertinet, id omnino non est creatum, cum thronus ipse totus sit increatus, quo de infra. Atqui fluvius ἐσιωδῶς s. essentialiter ad thronum &c. Ergo. Assumptionem Pro-Syllogismi mox argumentum V. comprobabit [b] Q. à throno perenniter ac inseparabiliter effluit, id non est creatum quid. At vero de fluvio affirmatur antecedens, quod ita à throno procedat, ut tamen semper ac Indivisibiliter in eodem maneat. Ergo. Minor inde patet: Si enim separabiliter ac desinenter efflueret, imminueretur tandem felicitas ac gloria cœlestis Hierosolymæ. Gaudium enim illud, quod processio fluvii ex throno & ejusdem effusio communicabat, Flumine à throno separato atque delapso, etiam apud Beatos periret penitus. Ergo hoc Flumen quid increatum est. Jam si hoc; aut erit attributum aliquod divinum absolutum, aut ipse DEUS: non illud, quippe quod nunquam à throno DEI & Agni procedere legitur. Ergo ipse Deus, non autem pater ac Filius, à quibus effluit. Ergo Spiritus S. III. Urgemus specialem verbi ἐκπορεύεται significatum, quo proprietatem characteristicam Spiritus S. idem Johannes c. 15:26. Evangelii insinuavit. Quapropter & eodem sensu hic loci fuisse adhibitum, non abs re colligimus. Excipiunt equidem οἱ ἐξ ἐναντίας, (σ) quod & alibi fulgura ex throno procedere, dicantur. Apoc. 4:5. itemque vox magna Apoc. 16:17. c. 19:5. c. 21:33. non g. statim eo ipso characterem personalem tertiæ personæ indicari. Resp. 1. In locis posterioribus verbum habetur ἐξέρχεται, non ἐκπορεύεται. 2. Neque nos simpliciter ex vocabulo ἐκπορεύεται, qs. hoc æternam semper denotaret emanationem à P. & F. sed & ex additis ac simul probe ponderatis circumstantiis cæteris demum concludimus. 3. dist. inter processum separabilem & inseparabilem. ἐκπόρευσιν posterioris generis semper notam Spiritus S. esse characteristicam, extra omnem dubitationis aleam positum est. Probamus idem IV. ex collatione cum aliis V. & N. T. dictis, in quibus Spiritui S. non modo frequentissime τὸ effundi tribuitur Es. 32:15. c. 35:6, 7. c. 44:3. Joël. 2:28, 29. Actor. 2:17, 33. quapropter & in eo baptizari dicimur Matth. 3:11. Marc. 1:8. Luc. 3:16. Joh. 1:26. Act. 1:5. sed expresse aqua, qua reficimur, appellatur Es. 44:3. aqua viva Joh. 4:10. fons aquæ vitæ Apoc. 21:6. immo & fluvius Joh. 4: vers. 14. c. 8:38, 39. Dan. 7:10. [quod flumen igneum de Spiritu S. cum Ruperto Tuitiensi Magnif. D. D. Calov. (τ), B. D. Wilhelm. Lyserus (υ), B. D. Dorscheus (φ), aliique exponunt] &c. Cum ergo communi Scripturæ phrasi Spiritus S. per aquam & fluvium figuretur, cur eandem Metaphoram & hic locum habere inficiaremur? Præsertim, si adhuc novum accedat documentum V. ex divina fluvii hujus Origine, quæ est ex throno DEI & Agni. Sicut vero fluvius ejusdem cum fonte: sic & noster unius cum throno, h. e. gloria s. essentia divina, quæ realiter unum idemque sunt, naturæ est. Ast sane nullus alius datur fluvius, qui ortum suum ex gloria & essentia divina trahat, nisi Spiritus S. Excip. (χ) quod Spiritus S. originem habeat non ex ipsa sede DEI & Agni, sed ex ipsius P. & F. essentia, quæ processio infinitis parasangis sublimior sit ea, quæ ex sede DEI & Agni fiat. Resp. à throno DEI & Agni procedere idem est ac à Patre & Filio ejusque essentia procedere, cum thronus sit ipse Pater, ipse Filius, ut ex seqq. patebit. Præterea VI. attributa & effe-

(χ) *Comm. in Apoc. ad h. l. p. 436. num. 2.* (ψ) *In vestigat. Sensus arcani Apoc. Disp. de argumento cap. 21. & 22. Apoc. f. 857. & adv. 1. c. XXII. fol. 948. it. in eas V. T. partes, quas respicit Apocalypsis, L. I. [qui VI. est Opp.] adv. 18. c. 40. Jobi f. 27.* (ω) *Comm. in Apoc. in h. l. f. 342. col. 1.* (α) *In libello de æterna felicitate Sanctorum l. 2. c. 8. p. 82.* (*) *In Comm. sup. 4. Evang. in Joh. 7:38. §. 83. f. 1541.* (β) *Comm. in Apoc. ad h. l. pag. 831.* (γ) *Comm. in Apocal. in h. l. fol. 300.* (δ) *In Archetypis Homil. in Apoc. p. 178. col. 1.* (ε) *Comm. in h. l. p. 1199. seq.* (ζ) *In Biblioth. S. part. I. sub voce Fluminis fol. 630.* (η) *Comm. in Apoc. in h. l. f. 378, 380.* (ϑ) *In Moral. Gedan. sub voce Fluvii f. 378. col. 2. Edit. Vet.* (ι) *Part. II. Th. Zach. Loco II. Disp. V. p. 223.* (κ) *B. D. Hier. Kromajerus Comment. in Apoc. in h. l. p. 571. seq. Chytræus Comm. in Apoc. p. 419. Cluverus Diluc. Apoc. f. 380. Winckelmann. in h. l. p. 474. Magnif. Dn. D. Calov. in Bibl. illustr. ad h. l. Bullinger. l. c. p. 178. col. 2.* (λ) *Pareus Comm. in Apoc. p. 1199.* (μ) *Magnif. Dn. D. Scherzerus in Colleg. Anti-Soc. Disp. XXI. p. 178.* (ν) *In Biblioth. S. parte II. sub voce Spiritus f. 652. seqq.* (ξ) *Recole §. 3. hujus cap.*

(ο) *In Theol. Zach. l. c. p. 224.* (π) *In Stilo Vindice p. 102.* (ρ) *Vid. Summe Rever. atque Excell. Dn. Georg. Greenius, Prof. olim Histor. in Leucorea hac longe celeberrimus, nunc Dresdæ à Conc. Aulicis Elect. Saxon. multo meritissimus, Dominus ac Præceptor noster ætatem colendus in Collegio MSS. Theol. Polem. privato, Loco de Creatione Thes. 5. in ἀντιθέσει.* (σ) *D. Hoë Comm. in Apoc. in h. l. f. 380.* (τ) *Tom. III. System. p. 840. item in Bibl. illustr. in Dan. 7:10. f. 617.* (υ) *In Programm. Pentecost. A. 1633. quod recenset Magn. D. D. Calov. Tom. 2. Bibl. illustr. l. c.* (φ) *Theol. Zach. Part. II. p. 178. & 222.* (χ) *D. Hoë in Apoc. in h. l. f. 3800.*

& effecta, quæ ex nostro Oraculo cap. III. explicabit, idem evincent.

§. VIII. Denique suis quoque assertum nostrum approbant suffragiis Theologi plurimi, recentioris pariter atque vetustioris ævi. Ex illis Matthias Flacius (ψ), D. Andr. Osiander (ω), Lucas Osiander (α), D. Joh. Pappus (β), cujus verba ex MSS. hæc sunt: *Effundit Deus immediate in Beatos Amorem essentialem f. Spiritum S. procedentem à throno DEI P. & F., qui est flumen vitæ & lætitiæ, torrens gloriæ ac voluptatis, & ubertas domus DEI.* D. Winckelmannus (γ), Chytræus (δ), D. Dorscheus (ε), B. D. Danhauerus (ζ), Cluverus (η), Hieron. Kromayerus (θ), Dan. Cramerus (ι), Magn. D. D. Calovius (κ), D. D. Joh. Andr. Lucius (λ), D. D. Godfr. Olearius (μ), aliique plurimi, item ex Pontificiis Nicol. Lyra (ν), Thomas (ξ) [sive is sit Aquinas f. alius Anglicus, quo de adhuc sub judice lis est] (ο); sic quoque ex Calvinianis Piscator (π) &c. Eadem & veterum Patrum fuit interpretatio. Audiatur Andreas Cæsareæ Cappadociæ Archi-Episcopus (ρ): ὁ μὲν ἐκ τῆς ἐν τῷ παρόντι βίῳ [ἐκκλησίας] ἐκπορευόμενος Ποταμὸς, τὸ τῆς παλιγγενεσίας αἰνίττεται βάπτισμα. Διὰ πνεύματος μὲν [ἁγίου] ἐνεργούμενον, καθαροὺς δὲ τοὺς λουομένους ὑπὲρ χιόνα καὶ κρύσταλλον ἀπεργαζόμενον· Τὴν δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ὁ ποταμὸς τοῦ θεοῦ ὁ πεπληρωμένος ὑδάτων, τὸ ζωοποιὸν πνεῦμα διαπορεύεται. ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ διὰ τοῦ Ἀρνίου, διὰ μέσου τῶν ὑπερτάτων δυνάμεων, αἳ θρόνος τῆς θεότητος ὀνομάζονται. Τὰς πλατείας πληροῦν τῆς ἁγίας πόλεως. δηλαδὴ τὸ πλῆθος αὐτῆς, τὸ ὑπὲρ ψάμμον κατὰ τὸ ψαλμῳδὸν, πληθυνόμενον. h. e. ex Versione Peltani: *Per fluvium, qui in mortali hac vita ex Ecclesia procedit, regenerationis lavacrum adumbratur. Hoc n. per Spiritum S. motum, omnes, quotquot in eo abluuntur, omni nive ac crystallo puriores nitidioresque reddit. At vero fluvius Dei, qui supernam Hierusalem, larga aquarum copia irrigat, est Spiritus S., qui ex Dei & Patris throno per Agnum procedit; & per medium supremarum virtutum, quæ divinitatis sedes nominantur, dilapsus, sanctæ civitatis plateas, np. multitudinem ejus, quæ juxta Psalmistam arenæ numerum excedit, ubertim recreat.* Sic Ambrosius (σ), Mediolanensium Episcopus: *Hic est fluvius de sede DEI procedens, is est Spiritus S. quem bibit, qui credit in Christum, sicut ipse ait: Qui sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dicebat de Spiritu. Ergo Flumen est Spiritus. Hic igitur est in sede DEI.* Agmen claudat Rupert. Tuitiensis (τ), qui, *Spiritus S.*, inquit, *hoc est Flumen vitæ, hic torrens gloriæ, hoc flumen lætitiæ, hic torrens cœlestis voluptatis & ubertas domus Dei. Ipse namque est Amor Sponsi & Sponsæ in illa gloriosissima civitate. Quid enim est tota illius vitæ vel civitatis vita ac beatitudo, nisi iste Amor?*

§. IX. Quæ in contrarium objiciunt, parvi vel nullius potius momenti sunt. Urgent n. 1. hic dici Spiritum S. procedere à throno DEI & Agni, cum tamen ipse sit in throno. Hæc duo v. à se invicem longissime differre, vel ex eo constare, quod & alibi fulgura à throno Dei & Agni procedere legantur. R. (a) Spiritus S. & in throno Dei & Agni sedet, & à throno etiam procedit. At illa phrasi consideratur qua essentiam ejusdemque cum P. & F. communionem, hac v. qua æternam à Patre & Filio emanationem. Neque tamen (b) procedit à throno Spiritus S., ut ab eo separetur, sed ut ab eodem maneat indivulsus, quo de jam supra §. IX. 2. Obj. autoritatem patrum, Bernhardi (υ) aliorumque. Resp. (א) argumenta ab autoritate Patrum petita in interpretatione S. Scripturarum, nisi accurate cum his omnibusque Loci cujusdam circumstantiis concordent, pari facilitate rejiciuntur, qua afferuntur. (ב) Autoritati autoritatem Patrum opponimus, ut modo præced. §. præstitum. 3. proferunt Scripturæ dicta, quæ huic Loco parallela statuunt Psal. 36: 9. Esai. 66: 12. Resp. (a) Agi in his locis de largissima cœlestium bonorum effusione, cum, quæ in Ecclesia militante est, ac qua primum intuitum hic intelligitur; tum; quæ per illam insinuata, ad futurum pertinet seculum, nemo negabit. Neque (b) quisquam dubitabit ea loca ad explicandam rationem appellationis, cur scil. Spiritus S. in nostro Oraculo cum Fluvio comparetur, tanquam parallela huc commode posse trahi. Negamus tamen (c) atque pernegamus, ex cc. ll. demonstrari, per Fluvium in nostro Oraculo non Spiritum S., sed cœlestium bonorum copiam, ex visione Dei futuram, unice intelligi.

§. X. Et hæc de Onomatologia Fluvii, quo Spiritum S. à P. & F. procedentem, & inde in Beatos effluentem adumbrari ex hactenus dictis in aprico est. Ad rem ipsam progressis tria evolvenda erunt, Fluminis fons, Ejusdem processus, ac denique Via effluxus. Ex illo ipsius Natura, ex isto character ejus, quem personalem vocant, ex hac larga ejusdem in beatos profluentia innotescet.

§. XI. Non vero procedit hic fluvius ex montanis, scaturiginosis vel etiam ex mari, unde alias fluvii origines trahunt. Eccles. 1: 7. sed ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ Ἀρνίου, tanquam ex fonte. θρόνος, ab antiquo θράω sedeo, solium f. sedem augustam summorum Magistratuum denotat. Cum vero ejusmodi solium plerumque pretiosissime exornari, ac auro gemmisque coruscare soleat, ut gloria, potentia & magnificentia insidentis eo magis inde eluceat. Cujusmodi olim thronus Solomonæus erat, quem ex ebore & auro artificiosissime pariter ac splendidissime extructum Orbis admirabatur 1 Reg. 10: 18. 2 Paralip. 9: 17. hinc per Metonymiam, quam signi pro signato Rhetores vocant, pro ipsa gloria, majestate, potentia item, imperio atque Dominio, quod in throno sedentes exercere solent, in S. literis haud raro usurpatur. vid. Psal. 89: 5. Luc. 1: 52. Apoc. cap. 16: 20. ubi in ipsis terminis thronus bestiæ f. Anti-Christi regnum ejus esse asseritur. Atque hoc improprio significatu accedente simul ἀνθρωποπαθείᾳ tribuitur variis, non modo hominibus, electis scil. atque Beatis triumphantis Ecclesiæ, qui dicuntur sessuri in thronis Apoc. 3: 21. cap. 4: 4. & h. e. regia dignitate & judiciaria potestate gavisuri; sed & spiritibus, iisque cum finitis bonis & malis, qua ratione Angeli θρόνοι ipsi dicuntur Coloss. 1: 16. quod quasi in thronis sedeant, h. e. potentissimi sunt Spiritus: Sic & Satanæ thronus adscribitur Apocal. 2: 13. potentiam, imperium ac tyrannidem ejus denotans; tum infinito, DEO, cum sit βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων 1 Tim. 6: 15. vid. Hebr. 12: 2. Apoc. 4: vers. 2. seqq. & alibi passim. Ubi tamen nemo adeo absurdus erit, ut thronum hunc DEI localem & corporeum fingat, nisi Anthropomorphitarum hæresin, profligatam dudum feliciter, ex Orco revocare velit. Et quamvis in visionibus thronus in Symbolo corporeo fuerit repræsentatus, in se tamen est incorporeum quid. Nam, uti piaculum est, DEUM ex eo, quod in forma aliquando apparuerit humana, hominem dicere, sic quoque nec gloriam f. thronum ejus, sub terreno Symbolo se manifestantem, terrenum inde ac corporeum affirmare licebit. Neque tamen etiam per thronum DEI intelliguntur Angeli, quos ex Pseudo-Dionysio Areopagita (φ) in prima Classe Hierarchiæ cœlestis ultimos, Phrasi Paulina, Thronos vocant Pontificii, hoc eorum munus fingentes, ut Deum portent insidentem (χ). Ast ut omnia quæ de Hierarchiis tribus, tribusque in quavis Ordinibus traduntur, ficulneo plane, imo nullo nituntur fundamento, (ψ) sic & thronorum descriptio, desumta ab officio eorum, dubia, incerta, nulla est, cum potius, ut jam modo patuit, observante quoque ipso Alcasare (ω) non passive, sed active, quod quasi in thronis

(ψ) *in Glossa Comp. in N. Test. super Apoc. ad h. l. f.* 1393. (ω) *in Notis ad h. l.* (α) *Paraph. Bibl. ad h. l.* (β) *in Comm. super Apoc. MSS. in h. l. citatum à D. Danhauero in Stilo Vindice pag.* 101. (γ) *Comm. in Apoc. ad h. l. p.* 474. (δ) *Comm. ad h. l. pag.* 419. (ε) *in Theol. Zach. part. II. Disp. V. §. 42. pag. 187. & §. 61. pag. 223. seqq.* (ζ) *in Hodosoph. Phænom. 3. pag. 268. Edit. nov. 1666. Phænom. 10. p. 1503. item in Stilo Vind. pag. 100.* (η) *in Diluc. Apoc. ad h. l. pag. 379.* (θ) *in Theol. Posit. Polem. Artic. II. th. 12. pag. 158. & thes. 15. p. 184. it. in Comm. in Apoc. ad h. l. pag. 572. 573. & 579.* (ι) in der Erklär. der Offenbahr. Joh. *ad h. l.* (κ) *in Syst. Theol. T. III. Artic. IV. cap. 3. qu. 2. pag. 838. seqq. it. in Bibl. illust. T. IV. in h. l. pag.* 1922. (λ) *in Concion. super Apoc. Conc. 193. f.* 1185. (μ) *in Annot. Bibl. Theoretico Practicis in h. l. pag.* 442. (ν) *ad h. l.* (ξ) *in Exposit. Apoc. ad h. l.* (ο) *vid. Corn. à Lap. Prolegom. in Apoc. f. 12. & B. D. Klozius in* ἀγγελολατρεία *pag.* 420. (π) *Comm. ad N. T. Schol. 1. ad cap. XXII. 1. f.* 825. (ρ) *in Comm. Græco (quem Theodor. Peltanus cum Versione Latina edidit. A. 1596. Coloniæ) in cap. XXII. Apoc. vel, secundum divisionem Andreæ, cap. LXVIII. Apoc. f. 106. Edit. cit.* (σ) *lib. 3. de Spiritu S. cap. XXI.* (τ) *super h. l. citatus à Chytræo in Explicat. Apocal. pag. 419. & à Flacio in Glossa Compend. in N. T. ad h. l.*

(υ) *Serm. 1. de diversis.* (φ) *lib. 1. Hierarchiæ cœlestis cap. 7. seq.* (χ) *vid. præter Gregor. M. in Evang. Homil. 34. etiam Lombardus II. sentent. dist. 10. Thomas Aquinas Part. 1. Theol. qu. 108. Artic. V.* (ψ) *vid. D. D. Calov. Syst. Theol. T. IV. Art. I. cap. 2. pag. 64. & qu. X. pag. 90. seqq. Gomarus in Coloss. 1: 16. part. I. Opp. f. 551. seq.* (ω) *Comm. in vers. 4. cap. IV. Apoc. notab. 6. f. 309.*

thronis confideant, thronorum nomen Spiritibus bonis conveniat. Insinuatur ergo per thronum Dei summa ejusdem majestas & gloria, sumpta non modo ἐσιωδῶς, quatenus notat ipsum axioma in Deo, ob quod coruscat præ omnibus aliis, sed & σχετικῶς, prout ipsam glorificationem, adorationem & celebrationem essentiæ divinæ significat, præstandam à creaturis rationalibus, non ut conferant Deo hoc ipso gloriam, sed eandem laude debita extollant. Quo de scite B. Gerhardus (α): *Non ita magnificatur à nobis Dominus, ac si nostris laudibus major redderetur, sed tunc à nobis exaltatur, quando Altissimus esse cognoscitur; tunc magnificatur, quando ipsius magnitudo agnoscitur & prædicatur.*

§. XII. Cœterum thronus DEI adhuc dupliciter spectatur, vel in se & ad intra, vel ad extra, prout sese scil. exerit, & conspiciendum præbet vel irascendo vel favendo. Atque sic hoc modo iterum dividitur in thronum iræ & judicii, à quo pœnas peccatis gravissimas dictitante refugiunt homines; & in thronum gratiæ, ad quem merito passionibusque Christi placatum, vera fiducia accedunt miseri Hebr. 4: 16. inde per & propter justitiam Christi ipsis imputatam, gratiam, remissionem peccatorum, renovationem ac adoptionem impetrantes. Illo modo thronus Dei iterum bifariam consideratur vel absolute vel relate in ordine ad tres Deitatis personas. Absolute si thronum spectes, per eum intelliges nihil aliud, quam quod alibi lucem ἀπρόσιτον, quam Deus inhabitare dicitur, Scriptura appellitat 1 Tim. 6: 16. (β), scil. ipsam Majestatem, sublimitatem, opulentiam & magnificentiam Dei, ex absolutissima ejusdem Perfectione redundantem. Cum n. Deus omnis plane defectus expers sit, &, quicquid perfectionis concipi, imo plus quam concipi potest, in se contineat, hinc non potest non summa, inenarrabili, quin & incomprehensibili gloria ac majestate coruscare. Quam ob causam etiam in Scripturis passim Magnus, laudabilis, gloriosus &c. nuncupatur (γ). Suppeditat v. hanc throni interpretationem ipse Christus, ubi thronum Patris Apoc. 3: 21. alibi per gloriam Patris, vel etiam simpliciter per gloriam Matth. 16: 27. c. 25. 31. exponit. Atque hæc majestas & gloria cum neque à cœteris attributis, neque ab essentia divina realiter differat, hinc nec thronus, qui ad designandam illam gloriam Deo tribuitur, quid diversum erit à Deo, sed ipse Deus. Quamvis interea contra Eunomium hæreticum, omnem plane distinctionem in divinis negantem, nonnullosque ex Scholasticis, quos Nominales vulgo vocant, constanter asseramus, distingui & ab essentia & ab attributis reliquis formaliter & sola ratione ratiocinata. Essentia n. divina adeo fœcunda & perfecta est, ut, licet sit res una ac simplicissima, diversos tamen conceptus formales in intellectu terminare possit: quæ tamen conceptuum diversitas non officit identitati reali. Quibus cognitis non confundes dextram cum throno Dei, quæ inter, cum B. Danhauero (δ), id constituimus discrimen, quod est inter Majestatem & potentiam Dei. Thronus n. seu per eum denotata Majestas concipitur à nobis ut attributum ἀνενέργητον, describens essentiam divinam in se & absolute citra respectum ad operationem. Dextra v. potentiam divinam (ε) denotans sistit nobis essentiam divinam cum respectu ad ἐνέργειαν, adeoque ad attributa Dei pertinet ἐνεργητικά. Interea tamen dextra semper concipitur in Throno. Hinc & Dextra Throni audit. Ebr. 12: 2. dextra Majestatis Ebr. 1: 3. dextra Throni Majestatis in cœlis Ebr. 8: 1. Gloriosissimus n. Deus intelligitur, cum nobis sistitur Omnipotentissimus. Quare & B. Paulus Majestatem divinam demonstrat ex infinita potentia, quod sit μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, &c. 1 Tim. 6: 15. quin & plura attributa ad thronum hunc pertineant, quæ, utut formaliter ab eo sunt distincta, tn. nunquam non gloriam ac Majestatem Dei luculenter arguunt.

§. XIII. Ut a. tota Throni facies plenius ob oculos ponatur, notabis, quod Thronus Dei sit I. *Infinitus*, non infinitate Mathematica, est n. incorporeus, illocalis, sed Metaphysica, qua omnes respuit terminos (*a*) essentiæ, quippe ejus essentia est illimitabilis (*b*) durationis, est n. æternus cum à parte ante, tum à parte post Psal. 45 7. Ebr. 1: 8. (*c*) præsentiæ, quia est ubique, continens cœlum & terram Es. 66: 1. Act. 7: 49. (*d*) potentiæ. Namque est thronus dextræ Dei, per quam mutare potest omnia Ps. 27: 11. magna facere & mirabilia Es. 15: 6. & creare omnia Es. 48: 13. II. *Gloriosus* Es. 6: 1. Ezech. 1: 26. Dan. 7: 9. atque propterea adorabilis Es. 6: 3, 4. &c. quicquid etiam hic ineptiant Sociniani, adorabilitatem Deo non propter Majestatem s. essentiam divinam, sed propter beneficia tantum vendicantes (ζ). III. *Unus*. Ut n. una tantum dextra, sic & unus tantum thronus. Et quamvis tres in illo sint Deitatis personæ, non tamen ideo multiplicatur Thronus. Falsum n. est & ἀπὸ σκοποῦ, quod Cornelius à Lapide (η), quatuor in divinis thronos statuit, unum absolutum seu essentialem, & tres relativos seu personales. Hos a. thronos relativos significare ait, trium personarum ὑπόστασιν seu subsistentiam ejusque hypostaseos dignitatem & excellentiam. Cum n. Paternitas, Filiatio & Spiratio eximiæ quædam & æquales perfectiones sint, hinc unamquamque etiam peculiari λατρείᾳ colendam esse, atque adeo, ut adorabilitatem triplicem, sic triplicem, præter unum illum essentialem, quo essentia divina absolute considerata adoratur, thronum personalem dari fingit, quod commentum etiam Cornæus (θ) propugnat. Ad quod Resp. 1. redolent hæc hypothesin Pontificiam, qua subsistentiam quandam absolutam & tres relativas, adeoque quaternionem in divinis comminiscuntur. Quo de plura in Porismate primo. 2. Unde probabunt supra citati, thronos significare ipsam trium personarum subsistentiam? Dicunt, non probant. 3. Utut ambabus largiamur manibus, adorari & seorsim unamquamque in divinis personam, & omnes tres personas in essentiæ unitate posse, non tamen ideo triplicatur vel quadruplicatur adorabilitas & majestas in Deo, adeoque nec thronus, quia una eademque majestas adoratur in Patre, quæ in Filio, eadem in Spiritu S. quæ in Patre & Filio. Nam, uti τὸ Deum, Dominum, Omnipotentem, Creatorem esse &c. seorsim & Patri, & Filio & Spiritui S. competit, at vero tres ideo Deos, Dominos, Omnipotentes ac Creatores dicere, Catholica fide prohibitum esse, Symbolum Athanasianum contra Arianos docet: Sic quoque, utut Pater, Filius & Sp. S. seorsim adorentur, non ilico tn. multiplicabitur Majestas ac Adorabilitas. 4. distingue inter id, quod ad Thronum pertinet, & quod peculiarem thronum constituit. Damus faciles, Paternitatem, Filiationem & Spirationem passivam esse perfectiones in personis divinis, adeoque etiam ad thronum pertinere, tanquam Objectum adorabile, negamus interea, esse ejusmodi perfectiones, quarum quælibet peculiarem thronum, ab uno illo invisibili, incomprehensibili ac simplicissimo, quem essentialem Cornelius vocat, (cum hoc n. identificatur potius ejusmodi perfectio) distinctum constituat. Imo 5. si propterea, quod Paternitas, Filiatio & Processio eximiæ perfectiones sint, Patri, Filio & Sp. S. tres peculiares throni adscribendi forent, darentur potius quinque in divinitate throni, cum præter thronum, quem paternitas constituit, adhuc alium sibi vendicaret Spiratio in Patre activa, & alium præter Filiationis thronum Spiratio in Filio, quippe & hæ eximiæ perfectiones sint ejusdem dignitatis cum prioribus. Ut taceam 6. quod nulla proprietas, s. absoluta s. relativa, unquam adoranda sit, sumpta præcise & in abstractione ab essentia & cœteris attributis divinis, quæ ad thronum spectant. Id quod passim B. D. Dorscheus (ι) contra adversarios, Pontificios, pluribus deduxit. Non ergo tres personæ in divinis tres peculiares thronos habent, sed omnes tres uni throno insident. Hinc etiam Scriptura unius semper throni Divini meminit, ut Apoc. 3: 21. ubi Christus ipse testatur, quod in eodem uno throno cum Patre sedeat. Sic quoque Johannes unum thronum, & in medio unius throni videbat Agnum. Apoc. 5: 6. conf. cap. 7: 17. Est denique IV. *thronus incommunicabilis* ulli meræ creaturæ. Ex lege sancita capitali plectebatur pœna, si quis apud Persas regiam conscendisset sedem (κ): quid ergo mirum, quod thronus divinus nullum admittat insidentem, nisi ipsum Deum. Repugnat n. Natura infiniti finito, ut vel ex Metaphysicorum canone nemini obscurum est. Amplior hic pateret disserendi campus, præsertim, si cum Pontificiis, Adorabilitatem etiam creaturis tribuentibus, [quos præter alios prolixe refutat Summe Reverendus atque Magnificus Dn. D. Præses, in Synopsi Controversiarum Papisticarum (λ)], in arenam descendere luberet, sed brevitatis studiosi unico illo ac luculento Scripturæ testimonio Strophas Adversariorum facile profligamus omnes, quo ipse testatus est Deus, se gloriam suam nulli alii daturum Es. 42: 8.

§. XIV. Sed

(α) *in LL. Theol. Tom. I. de Natura Dei cap. 23. f. 156.* (β) *vid. Dorsch. in Pentad. Disp. prælim. p. 19.* (γ) *vid. Gerhardus LL. Theol. Tom. 1. de Natura Dei cap. 23. f. 155. seq. it. D. Calov. Tom. II. System. pag. 227. seq.* (δ) *in Hodosoph. Phænom. 8. p. 775. & in Anti-Cornæo cap. IV. p. 63.* (ε) *vid. Danhauer. Hodosoph. Phænom. 8. p. 771.*

(ζ) *vid. D. Calov. Tom. II. Syst. pag. 228. & pag. 247. seq.* (η) *Comm. in Sirac. c. XXIV. v. 7. cujus verba citata ap. Dorsch. in Intervent. pro myst. SS. Trin. p. 42. it. in Theol. Zach. part. II. p. 168.* (θ) *vid. Dorscheus in Anti-Cornæo cap. 4. p. 64.* (ι) *in Intervent. pro myster. SS. Trin. cap. 4. p. 48. seqq. it. in Vindiciis Anti-Cornæanis cap. 4. pag. 63. seq. in Theol. Zach. part. II. Disp. 4. p. 168.* (κ) *Diod. Siculus l. 17.* (λ) *Disp. Anti-Papist. 6. §. 7. seqq. p. 44. seqq.*

§. XIV. Sed sufficiant hæc de absoluta Throni consideratione; relativam si aggrediamur, thronus respicit tres Deitatis personas, quibus æqualiter competit. Hinc I. thronus dicitur in nostro Textu ꝧ Θεῦ, ubi vocabulum Θεὸς non ὀσιωδῶς accipitur, quatenus notat essentiam divinam, communem omnibus tribus personis, sed ὑποστατικῶς, qua ratione una tantum ac certa persona eo ipso denotatur. Et quoniam eadem h. l. à Filio, cujus etiam thronus est, & à Spiritu S. à throno procedente distinguitur, primam Deitatis personam, DEUM scil. Patrem, insinuari in propatulo est. Quemadmodum idem sæpius in S. monumentis videre est Joh. 1: 1, 2. cap. 3: 16. Rom. 8: 3. sic, quoties in Exordiis Paulus gratiam & pacem precatur à DEO, Patre nostro & Domino Jesu Christo Rom. 1: 7. 1 Cor. 1: 3. &c. Neque tamen Pater DEUS vocatur κατ' ἐξοχὴν ut præter Episcopium (μ), quandam ἐξοχὴν & prærogativam Deo attribuentem, propter quam absolute DEUS dicatur, etiam nonnulli ex Calvinianis, Calvinus (ν) & Ravanellus, horumque complices somniant. His pollicem premunt Pontificiorum nonnulli, qui etiam præeminentiam ac majoritatem Patri præ Filio assignant, uti Bellarminus (ξ), Clichtovæus (ο) aliique. Nam quibuscunque etiam hæc phrasis inducatur coloribus, semper tamen infert inæqualitatem personarum, adeoque Arianis, Aëtianis, Eunomianis, Macedonianis, Photinianis & horum favet asseclis. Ἐξοχὴ enim semper infert respectum ad duo, ad majoritatem, & minoritatem, ita, ut, cui illa adstruitur, ille major, à quo vero removetur ille minor habendus sit. At ejusmodi majoritatem & minoritatem in divinis non admittit perfectissima personarum ὁμουσία, quare & talis ἐξοχὴ à Patre proscribenda penitus: præsertim cum & alibi Filius DEI ἴσος patri legatur Joh. 5: 18. &, ut hic loci Patri, sic alibi & Filio & Spiritui S. nomen Θεῦ absolute & personaliter attribuatur. Vid. Act. 20: 28. 1 Tim. 3: 16. Actor. 5: 3. collato cum vs. 4. 2 Cor. 6: 16. collat. cum 1 Cor. 6: 19. 1 Joh. 5: 7. coll. cum vs. 9. DEO itaque Patri, quo de hactenus, primum thronus tribuitur non propter dignitatem aliquam aut præeminentiam, sed ordinem personalem. Quia enim fons atque principium SS. Trinitatis est, quod essentiam divinam cum attributis habeat ἀγεννήτως à se ipso, hinc primus in throno legitur. Unus enim licet idemque omnium personarum in divinis thronus sit, modu tamen habendi eundem differt, ut ex post dicendis erit liquidum.

§. XV. DEUS autem Pater habens majestatem, gloriam ac excellentiam infinitam, incommunicatam ab alio, sed à seipso, eandem numero majestatem per æternam generationem communicavit Filio, & hic per unionem personalem assumptæ Humanitati. Quando ob causam idem thronus patris etiam II. ꝧ Ἀρνίυ in Textu nostro esse dicitur. Per τὸ Ἀρνίον [diminutivum ἀπὸ ꝧ ἄρς ἀρνὸς agnus], quod & alibi Scriptura Ἀμνὸν appellitat 1 Petr. 1: vs. 19. non naturalem h. l. sed mysticum Agnellum, Christum scil. significari, quilibet, ni plane in S. literis hospes sit, intelliget, cum propter convenientiam, quam cum Agno habet (π), tum quod non modo Agnis sacrificialibus, ad Leviticum cultum pertinentibus, de quibus in Exodo, Levitico & Numeris passim. Conf. Ebr. 9: 11. seqq. sed & inprimis Paschali præfiguratus sit 1 Cor. 5: 7. conf. Exod. 12: 46. cum Joh. 19: vs. 36. (ρ). Hinc non modo sæpius in Scripturis Joh. 1: 29, 36. 1 Petr. 1: 19. &c. & præsertim in Apocalypsi vicies novies Agnus, sed & Agnus, occisus ἀπὸ ſ. πρὸ καταβολῆς κόσμυ Apoc. 13: 8. Eph. 1: 4. Joh. 17: 24. 1 Petr. 1: 20. [decreto puta æterno ac valore] vocatur. Cum g. Christus per agnum in throno intelligatur, quæritur, an secundum utramque naturam, divinam ac humanam thronus ipsi vendicandus. Ubi tamen distinctim ponderanda erunt duo, I. quod divina Christi natura in throno sit, imo eadem ipsa sit thronus ipse. II. quod ad illum etiam Humana Christi Natura sit exaltata. Prius haud quisquam inficiabitur, ni plane cum Ebionitis, Cerinthianis, Samosatenianis, Pelagianis, Arianis aliisque antiquis hæreticis, divinæ Christi Naturæ hostibus infensissimis. Hunc meram creaturam, adeoque & throni, quem Pater habet, increati haud participem fingere velit, ad quos, præter alios, cumprimis etiam Socinianos referas oportet, qui pariter hunc thronum solius Dei patris esse ex Dan. 7: 9. Apoc. 4: 5. evincere conantur (σ) quasi vero Theologia parabolica semper esset argumentativa, aut in visionibus ex apparitione externa sessionis Patris, quæ est κατ' οἰκονομίαν, ad negationem sessionis Filii in throno, quæ est κατ' ὁμουσίαν, valeret consecutio (τ). Aliud enim ex nominibus Christo tributis, soli Deo propriis ac incommunicabilibus, itemque ex operibus [quæ passim Scriptura deprædicat] divinis ac attributis edocti, Christo ut veram Deitatem, sic eundem Majestatis thronum cum Patre tribuimus, quem hic vere ac proprie, utut hyperphysice ac imperscrutabiliter, generando Filium Huic communicavit. Dixi *Eundem thronum*; Communicata enim essentia Patris, quæ realiter non distinguitur à throno, non potest non & idem communicari Patris thronus. Hinc impium est, thronum, quem per generationem à Patre Filius accepit, inferiorem throno Patris, aut eidem tantum similem dicere, eo, quod Filius hunc non à se ipso, sed ab alio habeat. Quod tamen Episcopius asserere non erubuit, (υ) divinitatem Filio & Patri subordinate tribui majoremque dignitatis perfectionem competere Patri, quam Filio statuens, eo quod Pater eam à seipso habeat, hic vero tantum à Patre. Id quod ex Socinianorum Scholis didicisse creditur, siquidem Smalzius (φ) etiam duplicem faciat gloriam DEI, aliam quæ ipsi, nempe Deo Patri, propria est, aliam quæ similis est ei, quæ Deo propria est, quam posteriorem Filio, quem creaturam putat tribuit. Huc refer, qui §. præced. prærogativam quandam in Deo Patre defendere voluerunt. At una tantum omnium personarum in divinis est gloria, unus est thronus, ut supra §. 13. ostensum. Tò vero à patre genitum esse, & per id accepisse thronum, nota non defectus cujusdam aut imparis gloriæ, sed distinctionis ac originis est, indicans modum habendi thronum & essentiam in Filio, distinctum propter naturam ipsam Filii ab eo, qui est in Patre. Ut enim Pater non esset Pater, ni genuisset Filium, sic nec Filius esset Filius, nisi à patre esset genitus, nec ut Filius in throno sederet, nisi à patre per generationem illum haberet communicatum. Ubi tamen ut terminus Generationis, sic & Communicationis throni à Patre factæ ab omni imperfectione, quæ alias eidem in humanis adhærere solet, repurganda est, ut excludat omnem majoritatem & præexistentiam Communicantis, & minoritatem participantis, nihilque inferat aliud, quam originem ac perfectionem in Filio, quam pari ratione patri, ac ἀγεννησίαν & generationem Filio incommunicabilem facit confusionis Personarum evitatio. Interea hæc nil obstant, qui minus una & æqualis in utroque sit essentia & gloria. Omnia enim, quæ Pater habet, & sua esse, adeoque & eundem unum Thronum, ipse Salvator testatur Joh. 16: 15. in quo cum Patre considet Apoc. 3: vs. 21. Unde & in Scriptura passim nomine Jehovah Jer. 23: 6. Θεῦ 1 Thess. 3: 31. μόνυ δεσπότυ ᾗ κυρίυ, epist. Judæ vs. 4. Domini gloriæ 1 Cor. 2: 8. &c. insignitur, parique cum DEO Patre honoris ac religionis cultu ubique afficitur.

§. XVI. Hunc Thronum, quem λόγος ab æterno habet, Humanæ Christi Naturæ quoque non denegamus, quicquid etiam in contrarium moliantur adversarii θεονομάχοι, alium pro Humanitate Christi Thronum, quam Patris, fingentes. Hinc, quoties in Apoc. Throni DEI & Agni mentio fit, *per thronum*, regium domicilium, Cœlum nempe, intelligunt (χ), sicut & *per dextram DEI in throno* locum aliquem certum finitum (ψ), & *per τὸ sedere in throno ad dexteram*, finitam potestatem & proximum à DEO honorem. Imo in genere thronum DEI, Humanæ Christi Naturæ concessum, oppugnant, quotquot Communicationem Idiomatum [atque sic etiam Throni] Humanitati Christi factam, inficias eunt (ω), præsertim, qui Majestatem & Gloriam Adorationis, qui est propter sessionem in Throno, Humanitati Christi denegant, ut Arminiani (α) & Calviniani (β), qui distinguunt inter Gloriam Adorationis vere & absolute divinam. Dicunt, Humanitati competere Gloriam Adorationis vere divinam, majorem equidem, quam in ullam creaturam cadere possit, non tamen absolute divinam, utpote quæ soli DEO propria &c. Ut taceam Pontificios, qui

(μ) *Instit. lib 2. c. 32.* (ν *Cit. à Ravanello part. 1. Biblioth. sub voce* Deus *f. 444. cujus sententiam ipse approbat.* (ξ *De Christo lib. 1. c. 10. §. 2. & 3.* (ο) *Cit. à Gabr. Vasquez. Tom. 2. in Part. I. Disp. 122. c. 3. p. 86. it. à B. Dorsch. in Interv. c. 2. p. 20.* (π) *Vid. D. Joh. Andr. Lucium in Conc. super Apoc. in c. 5: 6. f. 389. seqq. & in c. 14: 1. f. 841.* (ρ) *Vid. hac de re CL. Joh. Frischmuth in Disp. de Agno Dei super Joh. 1: 19. D. Lucius l. c.* (σ) *Crellius Lib. 1. de uno Deo Patre c. 8. Smalzius part. I. contra Smigletium p. 12, 47, 48. Socin. in Anti-Wiek. aliique.*

(τ) *Vid. Magnif. Dn. D. Scherzerus in Colleg. Anti-Sociniano pag. 108. B. D. D. Bottsacc. in Anti-Crell. cap. 8. pag. 59.* (υ) *Lib. 2. Instit. c. 32.* (φ) *Refut. monstrorum pag. 16.* (χ) *Ravanell. part. 2. Biblioth. in Voce Thronus fol. 741.* (ψ) *Bullinger. Comp. Relig. Christ. Lib. 6. cap. 8. Zanchius L. 2. de Nat. Dei. qu. 4. Piscator Comment. in N. Test. in Schol. ad Observ. ad 1 Petr. 3: vers. 12.* (ω) *Vid. Magn. D. D. Calov. Tom. VII. Syst. Theol. p. 316.* (α) *Apolog. c. XVI.* (β) *Leydenses in Exam. Cens. Remonstr. c. 16. Walæus in LL. CC. Polanus Syntagm. L. 2. cap. 31. Voëtius Disp. Select. p. 543. vid. Magn. Dn. D. Calov. Tom. II. Syst. Theolog. pag. 253. seqq. & Tom. VII. pag. 393, 394.*

qui non λατρείᾳ, sed ὑπερδουλείᾳ Humanam Christi Naturam venerantes, Thronum pro Humanitate Christi alium, quam Majestatis divinæ infinitæ constituunt. Contra quos notamus [I] duplicem in Scripturis Christo homini adscribi thronum, quorum alter thronus DEI s. Patris, alter Thronus Christi audit. In posteriori throno accepit Christus gloriam, potestatem & Majestatem finitam, utut excellentissimo gradu; quem thronum etiam communicabit iis occupandum, qui, tentationibus & persecutionibus hujus mundi fortiter superatis, sicut Victores ac Reges in Ecclesia triumphante cum CHRISTO in æternum dominaturi Rom. 5: 17. 1 Cor. 6: 2. Matth. 19: 28. Luc. 22: 30. majestate & gloria coruscabunt ineffabili Dan. 12: vs. 48. Matth. 13: 43. 1 Cor. 15: 41. seqq. Hinc & Salvator: *Qui vicerit &c.* Apoc. 3: 21. Ab hoc toto Cœlo differt Thronus Patris, qui est supra omnes creaturas & sanctos Dei Angelos Ebr. 1: 13, 14. notans infinitam potestatem, gloriam ac sublimitatem, ut supra §. XI. vidimus. Non tantum in illo Humanitas Christi sedet, quod volunt adversarii, exemplo [plane alienissimo] Bathsebæ hoc illustrantes, quam filius honore, non tamen regio ac majestatico, quo ipse tantum gaudebat, sed secundario saltem in throno à dextris collocaverit (γ). Sed & in hoc, nempe ipso throno Majestatis DEI, Humanitatem CHRISTI sedere post evincemus. Unde & thronus Humanitatis Christi thronus æternus Theodoreto in Ebr. 1. audit. Ubi tamen [II] totum thronum, non partem ejusdem intelligimus. Cuicunque enim communicatur, ei non μερικῶς, sed ὁλικῶς communicatur, quippe est indivisibilis ac summe simplex. [III] notabis, quod Humana Christi Natura h. l. non seorsim & abstracte in se & conditione naturali, prout separatur ab unione personali, spectetur, sed, prout est Natura subsistens in persona τοῦ Λόγου. Hinc, quamvis supra ostensum, nulli creaturæ hunc thronum esse communicabilem, non tamen obstat, quo minus nunc ad eundem Humanam Christi Naturam, creatam quidem, at in persona τοῦ λόγου infinite subsistentem referamus. [IV] Evecta dicitur Humana Christi Natura ad thronum non propter excellentiam quandam habitualem aut potentiam eximiam creatam, subjective ipsi inhærentem, sed propter unionem personalem cum Λόγῳ. [V] Notes modum diversum habendi thronum. Filius eundem habet κατ' αὐτὸ, ab æterno communicatum per generationem æternam, imo à parte rei & ipse thronus, Humana vero Christi Natura occupat eundem in tempore κατ' ἄλλο & per Unionis gratiam. Quapropter recte Hugo de S. Victore (δ): *Ex quo Humanitati Divinitas conjuncta est, ex ipsa Deitate habuit ac accepit per Gratiam totum, quod Divinitas habuit per Naturam.* Et propter hunc diversum modum habendi etiam omnis, quam Eutychiani somniant, naturarum confusio, exæquatio, conversio exspirat (ε). [VI] Denique, ut de tempore hujus Communicationis Throni constet, distingu. inter Phrases has: *Humana Christi Natura accepit communicationem Throni in ipsa Unione λόγου cum carne*, &: *Humana Christi Natura in Throno communicato sedet.* Prius statim à primo Conceptionis momento verum est, posterius demum de CHRISTO dicitur post exaltationem ad dextram DEI. [VII] Humanæ Christi Naturæ sessionem in throno, & propter eandem etiam Adorabilitatem quando tribuimus, cave sis, ne duas sessiones aut duas Adorabilitates in CHRISTO θεανθρώπῳ fingas; Ut enim unus est thronus, sic una sessio, ac denique una adorabilitas, imo & unus numero adorationis actus, quo tota persona adoratur, utut duplex sit terminus illius adorationis, utraque nempe Natura in unione spectanda. Hinc & Concilia anathemate percusserunt, qui non una adoratione Verbum incarnatum cum propria ipsius carne honorificabant (ζ).

§. XVII. Asserti nostri veritatem S. Scriptura quoque commonstrat, non modo iis locis, quibus gloriam, potestatem summam, honorem item ac cultum divinum [non nisi ei deferendum, qui in throno increato ipsius DEI sedeat] Christo secundum Humanam Naturam communicatam asserit Col. 2: 9. Ps. 8: 6. Ebr. 2: 7, 8. Dan. 7: 14. Joh. 5: 22, 23, 27. Es. 45: 23. Rom. 14: 11. Phil. 2: 11. (η). Sed &, quoties Sessionis Christi ad dexteram DEI Patris, ad quam post gloriosam in Cœlos Ascensionem exaltatus est, meminit Psalm. 110: 1. seqq. Eph. 1: 20. seqq. (θ). Dextra enim, ut jam semel iterumque patuit, nunquam non est in throno, & sessio ad dextram semper præsupponit thronum, in quo dextra sit, & quis sedere possit. At vero secundum Humanitatem CHRISTO sessionem à dextris Dei Scriptura adjudicat, quippe cujus in tempore demum factus est particeps. *Quæcunque* vero, teste Athanasio, *Scriptura dicit accepisse Christum in tempore, propter Humanitatem dicit, non propter Divinitatem* (ι). Ergo & thronus Majestatis divinæ Christo Homini recte assignatur (κ). Id quod vero omnium maxime elucet ex apertis librorum divinorum monumentis, ubi non tantum Christo-homini promittitur thronus divinus 2 Sam. 7: 13. 1 Paral. 18: 12. Ps. 89: 3. Matth. 19: 28. Luc. 1: 32. sed & in eodem, qui Patris est, collocatus legitur Ebr. 8: vs. 1. cap. 12: 2. Apoc. 3: 21. c. 22: 1, 3. Ut taceam, quod jam in V. T. Filius Dei in assumpta forma hominis in throno apparuerit Ezech. 1: 26. eoque ipso Humanæ suæ Naturæ, in thronum Patris post evehendæ, qs. præluserit. Hisce suffragatur etiam pia Antiquitas. Hinc Eustath. apud Theodor. (λ) *humanam Naturam συνθρονον cum divinissimo Spiritu* dicit, *propter DEUM inhabitantem in ipsa inseparabiliter.* Sic Chrysost. apud Theodoret. *Christus assumptam suam Naturam obtulit Patri, qui eam fecit throni sui participem.* Et paulo post: *Hodie Angeli & Archangeli naturam nostram in throno Regis gloriæ immortali fulgentem considerant.* Et Ambrosius (μ): *Christo secundum Humanitatem datur consortium divinæ sedis.* Cyrillus (ν): *Humanitatis parvitas in summa & excellentissimæ naturæ dignitatem pervenit, & ipsam in dignitatis, gloriæ ac Majestatis throno collocavit.*

§. XVIII. Constat itaque, quod Thronus in divinis sit DEO Patri ac DEO Filio proprius, qui tamen ad eundem assumptam quoque carnem evexit. Atque hic thronus Patris & Filii s. potius Metonymice Pater & Filius in uno throno, qui cum essentia divina identificatur, fons est, [neque enim ineptiis Richardi à S. Laurentio (ξ), qui, uti per Flumen Mariam, quo de jam supra, sic per sedem DEI & Agni, Patriarchas sanctos, in quibus DEUS Pater & Filius sedendo regnaverit, & ex quibus Maria ortum habuerit &c. immorari juvat, quas recitasse simul est refutasse] ex quo denique scaturit Flumen illud, quod pariter ad thronum pertinet, Crystallinum, Spiritus Sanctus. Ubi tamen adhuc probe circa hunc fontem notabis, quod ille non tantum sit Pater, aut Filius saltem, sed uterque simul, Pater & Filius in uno Throno, neque Pater primario, ac Filius secundario, aut ille mediate & hic immediate Flumen hoc emittat, ad quam ψευδοθεϱμηνείαν ansam forte præbere posset illa Græcorum formula, qua Spiritum S. à Patre per Filium procedere dicebant: cujus locutionis sensus hic, annotante Suarezio (ο), videri posset, quasi Pater Filio dedisset virtutem spirandi Spiritum S. Filius autem immediate eundem spirasset, atque ita Pater tantum mediate per Filium produxisset tertiam personam. Verum uterque æque spirant, [uno numero Spirationis actu] Spiritum S. Quare, uti Spiritus Patris, quod à Patre procedat Matth. 10: 10. sic & ob eandem causam Spiritus Filii audit Gal. 4: vs. 6. Neque tamen inde, quod & Pater & Filius, duæ realiter distinctæ Deitatis personæ, fons sint, ex quo Spiritus S. emanet, duplex principium processionis Spiritus S. cum nonnullis Scholasticis recte dices. Durandus enim (π) & Gregorius (ϱ) in rigore Patrem & F. non esse unum principium, sed potius duo appellanda, item Concilia non absolute dicere, esse unum principium, sed Spiritum S. procedere ab iis *tanquam* ab uno principio, statuere non verentur: Quos Suarezius (σ) refutat. Hinc & repudianda prorsus phrasis eorum, qui Patrem & F. duos spiratores nominant, à quibus Spiritus S. spiretur. Sicut enim propterea, quod Pater creet, Filius creet & Spiritus S. creet; tres personas, minus recte tres Creatores appellaveris; sic multo minus, quod & P. & F. intra complexum Deitatis Spiritum S. spirant, duo spiratores nominandi erunt. Terminus enim, observante Joh. de Rada (τ), Adjectivus Numeralis Substantivo appositus ponit signi-

(γ) *Vid. Schröderus in Tract. de Controv. inter Evangelicos & hæreticos hodie agitatis p. 148. & in Throno Regali part. 2. cap. 2. pag. 136.* (δ) *L. 2. de Sacram. fidei Christian. Part. 1. cap. 6.* (ε) *Chemn. Tr. de 2. Nat. in Christo cap. 22. seqq. Schröderus Tr. de Eutychianismo & Nestorianismo pag. 330. seqq.* (ζ) *Vid. Can. 8. Concil. Ephes. & Can. 9. Concil. Constantinopol. II.* (η) *Chemn. Tract. de 2. Nat. in Christo c. 21. seqq.*

(θ) *Vid. Schröderus in Throno Regali Part. I. ubi hæc & similia Loca explicat.* (ι) *In Orat. 4. contra Arianos.* (κ) *Vid. Thronum Regalem, aureum illum libellum, quem pro sessione Christi-Hominis ad dextr. Dei conscripsit B. Dn. Joh. Schröderus. Latinitate donatum ab Ebelio, & Vindicias Throni Regalis s. Sceptrum Regale Christi, ubi fusius hac de re.* (λ) *Dial. 2.* (μ) *Lib. 5. de fide cap. 2.* (ν) *Dial. 6.* (ξ) *Lib. 9. de Laude S. Mariæ p. 523.* (ο) *In Part. 1. Thomæ Tr. 3. qui est de mysterio SS. Trin. Lib. 9. c. 4.* (π) *In I. sent. dist. 29. qu. 2.* (ϱ) *Dist. 12. qu. 1.* (σ) *In I. Thomæ Tr. 3. de Trin. lib. X. cap. 7. fol. 504.* (τ) *Part. I. Controv. inter Thom. & Scotum Controv. 16. Artic. 2.*

significatum suum, quod est numerare, circa formale significatum substantivi, h.e. τȣ̃ Spirator, numeratque principia spirandi in P. & in F. At v. utut vis atque potentia spirandi & in P. & in F. sit, utut Pater eandem habeat à se, Filius v. ab alio per Communicationem & generationem essentiæ divinæ à Patre, utut denique & P. spiret, & F. spiret, non tamen plurificari ac numerari debet alia vis spirandi in P., alia in F., quippe quæ in utroque una numero ac eadem est, & sic etiam una actualis spiratio. Disputant contra hos prolixe Joh. de Rada (υ) & Franc. Svarez (φ), qui tamen concedunt, Patrem & F. duos spirantes dici posse, ubi Adjectivum Numerale significare, ajunt; numerationem ac pluralitatem personarum spirantium, non vero multiplicationem virtutis spirandi. At v. quamvis posterior Phrasis omnino aliquo modo dextre explicari possit, ut notet tantum personarum dualitatem, tutius tamen esse ac consultius monent nonnulli, ab hac formulæ novitate si abstineatur, ut omnis adversariis excipiendi præscindatur occasio.

§. XIX. Pater & F. ergo unus Spirator, unus fons est, ex quo Spiritus S. dicitur ἐκπορευόμενος. Verbum ἐκπορεύεσθαι proficisci, iter ingredi &c. vel *generalissime* accipitur pro quacunque egressione, v. g. spirativa verbi vel sermonis ex ore loquentis Deut. 8: vers. 3. Matth. 4: 4. cap. 15: 18. Luc. 4: 22. locali & externa hominum Marc. 1: 5. Luc. 3: 7. Matth. 20: 29. generativa Judic. 8: vers. 30. manifestativa Dei scil. per signa externa se manifestantis Psal. 68: 8. Mich. 1: 3. denique emanativa, e.g. fluminum Gen. 2: 10. Ezech. 47: 1. vel *specialissime* pro æterna emanatione & productione tertiæ præcise personæ à P. & F., contradistincta generationi Filii Dei, aut ejusdem ac Spiritus missioni temporali Johan. 15: 26. Dan. 7: 10. (χ). Atque hoc specialissimo significatu Scriptura accurate distinguit inter τὸ ἐκπορεύεσθαι & inter τὸ ἐξέρχεσθαι. *Hoc*, quoties æternam Filii DEI generationem, it. nativitatem ejusdem temporalem à Virgine Maria, ac missionem ad officium, quin & missionem Spiritus S. describit, usurpatum deprehendes, at v. *illud* nunquam. Latini illam emanationem ac productionem tertiæ personæ describentes, Græcorum ἐκπορεύεσθαι per τὸ *procedere* reddiderunt. Ubi tamen, quod in gratiam Patrum nonnullorum, & cumprimis Scholasticorum monuisse, fas erat, distingue inter τὸ procedere, quod personis divinis tribuitur, late & stricte sumptum. Illo modo non tantum Spiritum S. à P. & F., sed & Filium à P. procedere, & æternam generationem Filii, processionem à P. dicunt (ψ). Quo sensu etiam Augustinus (ω) illud adhibuisse legitur. *Filius*, inquit, *processit nascendo &c.* & alibi: *Quicquid gignitur, etiam procedit, sed non contra: Quicquid procedit, etiam gignitur.* Sic & Latina Translatio (α) aliquando, ubi Scriptura de missione Christi ad officium loquitur, τὸ ἐξέρχεσθαι per *procedere* reddidit Joh. 8: 42. Stricte vero tantum Originem Spiritus S. à P. & F. indicat, ac characterem ejus constituit personalem, quo tertia persona distinguitur à cœteris. Nos & τὸ ἐκπορεύεσθαι & τὸ procedere in postrema h. l. acceptione sumimus, qua & ab eod. Evangelista Johanne in Hist. Evang. id usurpatum supra constitit. An vero hæc processio dici possit generatio, inter Scholasticos disceptatur. Argumenta, quæ affirmativam defendunt, Rada recitat atque prolixe confutat (β). Nos brevissimis cum Chrysostomo (γ) Resp. *Quod non est scriptum, non est sentiendum vel dicendum.* Cum g. S. literæ nunquam dicant, Spiritum S. à P. generari, hinc etiam ejusdem processionem generationem appellare, nefas erit. Ut taceam, quod, si Spiritus S. esset genitus, amborum nempe P. & F. esset Filius (δ), quod absurdum.

§. XX. Infert a. hæc ἐκπόρευσις ineffabilem totius ac ejusdem, quæ una ac tota est in Patre, & una ac tota in Filio, essentiæ divinæ Communicationem [quod olim negasse Petrus Abelardus (ε) fertur] factam à P. & F. intra ipsum Deitatis sinum per unam numero spirationem, peculiaremque ὑπόστασιν ab ὑποστάσει P. & F. distinctam. Non g. hæc processio est rei ἀνυποστάτȣ, qualis v. g. verbi ex ore procedentis Matth. 4: 4. sed pro termino agnoscit personam, pari ratione, ac generatio in divinis. Hinc

(υ) *loc. cit.* (φ) *in I. Thomæ Tr. 3. l. X. cap. 7.* (χ) *vid. Gerh. Loc. de Spir. S. §. 60. seqq. D. D. Calov. Syst. Theol. Tom. 3. p. 804. B. Danhawerus in Stilo Vindice p. 98. conf. Ravanell. in Biblioth. S. sub voce* procedere *Tom. II. p. 361. seqq.* (ψ) *vid. Lombard. lib. 1. dist. 13. c. 2. Thomas part. I. Summæ qu. 27. Artic. 1. & 2. Svarez. in I. Thom. Tr. de Trin. lib. 1. cap. 9. Alexand. Pesantius in 1. Thom. qu. 27. Art. 2. 3. f. 170. seq.* (ω) *lib. 5. de Trin. c. 14.* (α) *B. Chemn. LL. CC. Tom. I. Loc. de Spir. S. f. 96.* (β) *part. I. Controv. inter Thom. & Scot. Controv. 14. p. 218. 235.* (γ) *Homil. de Spir. S. adorando.* (δ) *vid. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 27. & Tract. 99. in Johannem.* (ε) *citatus à Dn. D. Calovio Tom. III. Syst. Theol. p. 808.*

& Spiritui S. passim subsistentia, intellectus, voluntas, actusque personales, incubatio, sanctificatio, testificatio, & quæ sunt alia suppositorum, attribuuntur. Cave tn., hanc processionem Fluminis separabilem fingas à throno DEI & Agni, quippe quæ fit intra æternum Deitatis complexum, ubi neque principium, neque medium, nec finis, ubi semper procedit à throno; ut tamen propter intimam essentiæ communionem semper etiam sit in throno, quapropter & ἐνώπιον τȣ̃ θρόνȣ αὐτȣ̃ in conspectu throni illius, qui est, qui erat &c. Apoc. 1: 4. conspicitur. Utrum v. hæc processio fiat immediate à Natura, quæ olim Durandi (ζ) fuit sententia, an v. immediate per actus voluntatis, quod Scholastici communiter asserunt, quos contra Durandum magno numero Svarezius (η) laudat, utrum fiat per Voluntatem, non ut libera, sed ut natura est, juxta Thomam (θ) aliosque, an per Voluntatem, non ut natura, sed ut libera est, quæ Scoti (ι) aliorumque est opinio, aliaque hujus furfuris ζητήματα, pie potius negligenda, quam scrupulosius rimanda, omitto. Processionem scimus; modum inexplicabilem statuimus. Hinc est, quod nec discrimen inter generationem Filii DEI ac processionem Spiritus S. quoad modum definire queamus, quicquid etiam viribus hic suis confidant Pontificii, varie hæc duo ab invicem discriminantes. Durandus n. (κ) unam tantum emanationem in divinis, quæ fit à natura, statuens, eam sic distinguit, ut, cum per appropriationem tribuatur intellectui, tum generatio, cum v. voluntati, tum processio Spiritus S. sit. Alii (λ) duplicem Processionem in Deitate concedentes, dicunt, quod Filius procedat immediate per intellectum divinum, Spiritus S. immediate per Voluntatem. Hinc etiam ille verbum s. λόγος, quod, sicuti verbum à mente hominis, sic & Filius ex intellectu Patris originem habeat: Hic v. Amor & Charitas utriusque, P. & F., substantialis, quæ ad Voluntatem pertinet, appelletur. Ubi tn. nonnulli (μ) adhuc distinguunt inter τὸ intelligere & dicere, quæ actiones ad paternum Dei intellectum, & inter τὸ amare & spirare, quæ ad Voluntatem Dei referunt. Dicunt, generationem Filii proprie factam esse à Patre per τὸ dicere, non v. formaliter per τὸ intelligere; processionem vero Spiritus S. à Patre & Filio per τὸ spirare, non amare. Fundamentum eorum est, quod τὸ intelligere sit essentiale & commune omnibus 3. personis, uti & τὸ amare; dicere vero sit proprium Dei Patris, & spirare Patris & Filii, &, quæ hujusmodi sunt alia, quæ intricate magis ac scrupulose, quam vere & religiose ab iis disputantur. Intellectus enim divinus & Voluntas cum reipsa ταὐτό τι sint & non differant, qua ratione inde discrimen inter generationem & processionem peti potest, quod illa fiat per intellectum, hæc per Voluntatem? Accedit, quod nec ita λόγος ab æterno producatur ex Mente patris, uti verbum aliquod nostrum ab intellectu nostro, quod diversæ ab eo, à quo producitur, est essentiæ, sic nec Amor ita se habet in divinis, uti in nobis. Unde & modum tanti mysterii, quod ἀκατάληπτον καὶ ἄῤῥητον Scriptura dicit, hisce terminis accurate explicare haud quisquam poterit. Quod alibi deduxit fusius Magn. D. D. Præses (ν) Et quamvis patres nonnullos hac similitudine usos fuisse constet, qui τὸ nasci l. gigni esse ab intellectu cognoscente, procedere v. à voluntate pariter dixerunt, non tn. hoc ipso eos modum harum productionum exacte determinare, sed aliquali saltem simili tanta mysteria rudioribus crude & crasse depingere voluisse, ex pronunciatis aliorum patrum liquet. Sic n. Nazianzenus (ξ) *Audis generationem, quo ea pacto fiat, argute ne indagato; audis Spiritum esse, qui procedat de patre, quo id pacto fiat, curiose ne perscrutator.* Et (ο): *Tu mihi proprietatem illam Patris edissere, qua generationis expers est, & ego tibi rationem generationis Filii & processionem Spiritus S. explicabo, quo fiet, ut ambo deliremus, introspectantes ad Dei mysteria.* His addo Augustinum (π) sic disserentem: *Distinguere inter generationem & processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

§. XXI. Hosce

(ζ) *in I. dist. 6. qu. 2. & dist. X. qu. 2.* (η) *in I. Thom. Tr. 3. de Trin. l. 1. cap. 5. & 6. conf. Pesantius in I. Thom. qu. 27. Art. 5.* (θ) *part. I. Summæ qu. 41. Art. 2. & Comm. in eundem.* (ι) *in I. lib. sent. dist. 2. qu. 7. & dist. X. qu. unica, & Quodl. 16. Sic Richardus, Gabriel, Bonaventura &c. vid. Radam P. I. Contr. XIII. pag. 205.* (κ) *Quem cit. refutat. Suarez. in I. Thom. Tr. 3. lib. 1. cap. 6, 7. Pesant. in I. Thom. qu. 27. Art. 3, 4, 5. f. 117.* (λ) *Thomas P. I. Summæ qu. 27. Art. 4. Pesant. l. c. Suarez l. c.* (μ) *Scotus in I. dist. 2. qu. 7. & dist. 27. q. 1, 2. & quodl. 2. & 4. Suarez. l. c. cap. 6. f. 361.* (ν) *in Colleg. Anti-Syncret. MSS. Loco de Deo qu. 8. §. 10.* (ξ) *Orat. XXIX.* (ο) *Orat. 37. it. D. Hieron. Dialogo Græco de S. Trinitate [ex Edit. CL. Daumii, Cygneæ 1677] pag. 4. & Dialogo Gennadii Scholarii. ibid.* (π) *lib. 3. contra Maximinum cap. 13.*

§. XXI. Hoſce ſecuti pio ſilentio veneramur potius ea, quæ ipſe Spiritus S. de ſe voluit abſcondita, ne, moniti à ſapientiſſimo Regum, Salomone (ϱ), ſcrutatores Majeſtatis opprimamur ab eadem. Recte vero Anaſtaſius (σ): *Quæ fide tradita ſunt, hæc non humana ſapientia, ſed auditu fidei percipienda ſunt.* Ne autem plane hic tacuiſſe videamur, alias cum Scriptura ponimus differentias, quod productio Filii, ſecundum phraſeologiam Spiritus S. dicatur Generatio, productio autem Spiritus S. proceſſio; Illa ſit à ſolo patre, hæc à P. & F. Illa [ut Nyſſenus ad Abladium aliique Patres loquuntur] ſit à Patre proxime, & nullo interveniente. Hæc vero interveniente Filio, quæ tamen cum grano ſalis accipienda ſunt, ne inde Spiritus S. proceſſionem ἀμέσως à Filio, & ἐμμέσως à patre factam fingas, ſiquidem nil aliud hoc ipſo indicatur, niſi, quod Filius ſit à Patre, qui vim generandi Filium & ſpirandi Spiritum S. habeat à ſe ipſo, Spiritus S. vero etiam ſit à Patre, & ſimul quoque à Filio, qui tamen id, quod ſpirare potuerit, acceperit à Patre, adeoque, communicata prius vi ſpirativa à Patre, Spiritum S. ſpiraverit. Ulterius non datur progredi adhuc in via conſtitutis, attamen omnino triumphatoribus olim in cœleſti Jeroſolyma.

§. XXII. Hæc de proceſſu Fluminis. Ut vero Deitatem Spiritus S. fons & origo, ſic & ejuſdem perſonalitatem, diſtinctam ab hypoſtaſibus P. & F. arguit ἐκπόρευσις, per quam h. l. nota Spiritus S. characteriſtica intelligitur. Quamvis interea non negaverim, ſimul voce ἐκπορεύεσθαι h. l. ad uberrimam illam conſolationum ac voluptatum, quibus Beatos Spiritus S. rigabit, reſpici affluentiam, utpote manifeſtationem proceſſionis æternæ. Hinc denique etiam Via effluxus obſervanda erit curatius, quam, ut non quidem diſerte Textus noſter, prima tamen v. ſeq. verba oſtendunt, quæ commodiſſime (τ) ad oraculum noſtrum, ex v. 1. petitum, referuntur. Effluit vero Spiritus S. ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς, ſcil. πόλεως. Non intelliges Viam, niſi Civitatem, cujus plateæ medium viam fluvii pandit, probe habueris perſpectam. Eſt vero illa magna & ſancta civitas Jeruſalem, de Cœlo deſcendens Apoc. 21: 2, 10. in cujus deſcriptione adhuc verſatur Apoſtolus. Sed, quænam illa Civitas? Eccleſiam, in his terris militantem, per eam intelligunt plurimi, qui tamen adhuc inter ſe maxime diſcrepant. Nonnulli enim I. eandem de felicitate Eccleſiæ Apoſtolicæ ſub initium exponunt, teſte Aug. Marlorato (υ). Quidam II. felicitatem Eccleſiæ ſubſequentium temporum, ut Pontificiorum nonnulli gloriam Eccleſiæ Rom. ſub Conſtantino ac deinceps, [quam ſententiam ipſe Cornelius à Lap. (φ) rejicit] & Hugo Grotius (χ) ſtatum Eccleſiæ florentiſſimum à temporibus Conſtantini ad tempora uſque Juſtiniani, deſcribi ſibi imaginantur. Alii III. ſecula ultima, poſt debellatas omnium hoſtium turbas, ante judicium extremum, hac Jeroſolymæ deſcriptione adumbrari perſuaſum ſibi habent. Non hic dicam de Chiliaſtis vetuſtioribus, hanc Civitatis cœleſtis gloriam ad aureum illud ſeculum, mille annis in his terris duraturum accommodantibus, ubi *Civitas ſancta* [referente Lactantio (ψ) *conſtituetur in medio terræ, in qua ipſe Conditor cum juſtis dominantibus commoretur* (ω) &c. Quin potius Thomæ Brigtmanni (α), Angli, hic meminiſſe juvat, hac Civitatis repræſentatione Spiritum S. adhuc in terris verſari, adeoque in eadem nonniſi ſtatum Eccleſiæ militantis per converſionem Judæorum, paucis abhinc luſtris futuram, renovatum adumbrari ſomniantis. Et, ut hiſce nihil deeſſet nugis, hanc renovationem ad ſolam Eccleſiam Reformatam, eamque in ſpecie Helveticam, Suevicam, Genevenſem, Gallicam, Belgicam, Scoticam [has enim ſub columna Philadelphienſi, nomen novæ Jeroſolymæ acceptura Apoc. 3: 12. figurari ſuſpicatur (β), quæ una, Pontifice Rom. cum grege ſuo funditus extirpato, gentibuſque reliquis, etiam Europæis [aliam ſcil. à Calviniana religionem amplectentibus] ut infrugiferis ramis exciſis, tanquam columna ſit perſtitura, & Judæorum acceſſione aucta mille annos ſumma vitæ ſanctitate atque puritate hoc in mundo regnaturam. Ejuſdem farinæ Brocardi (γ) eſt στρέβλωσις, novum in his terris ſtatum Eccleſiaſticum & Politicum, quem, Papiſmo ac Mahummediſmo penitus deſtructo, in una nova Eccleſia, eaque *in Chriſto* [ut loquitur] *ſanctificata, ſpirituali, prædeſtinata &c. & uno regno Chriſto futurum fingit*, indigitari opinatur. Sunt denique IV. qui per Jeroſolymam hanc nec totaliter Eccleſiam militantem, nec ex toto triumphantem intelligunt, ſed mixtim nunc unam deſcriptionis particulam ad hanc, mox alteram ad illam referunt, ut ſunt Ubertinus de Caſſalis (δ), &, quem pro ſe citat, Richardus. Conſentit Hortulanus, nec non Turrianus in libro de Euchariſtia (ε), ut plures omittam. Cenſoriam quoque virgulam merentur ea, quæ ex Sebaſt. Meyero Marloratus (ζ) adduxit, quibus hanc Jeroſolymam non de futuri tantum ſeculi felicitate, ſed de toto regni Chriſti ſtatu, ſub initium videlicet, medio tempore & ultimæ felicitatis exponendam eſſe aperte indicatur.

§. XXIII. Verum enim vero rectius ſentiunt, qui hanc cœleſtem Hieroſolymam de triumphante Eccleſia interpretantur, ut quoque à nobis factum ſupra Artic. I. hujus Sectionis. Id quod inter alia dilucide demonſtrat [I] ordinata Textuum Apocalypticorum ad ſe invicem conſequentia. Poſtquam enim cap. 20. de ſtrage hoſtium, de reſurrectione mortuorum, judicio item extremo plurima vaticinatus fuerat *Johannes*, ordo poſtulabat, ut de ſtatu etiam poſt judicium nonnulla ſubnecteret *Theologus.* [II] Pœnarum præmiorumque, quorum illæ damnatis, hæc Victoribus adjudicantur, evidens oppoſitio vſ. 7. & 8. Sicut autem de illorum cruciatibus, poſt hæc ſecula in ſtagno ſulphureo perferendis; ſic & vi oppoſitionis de horum cœleſti felicitate loquatur Apoſtolus neceſſe eſt. [III] Negata templi præſentia vſ. 22. quo tamen haud carebit Eccleſia in his terris militans, utpote quatuor potiſſimum ob fines maxime neceſſario (η) [IV] Nunquam in poſterum in Civitate futura Solis Lunæve indigentia vſ. 23. & cap. 22: 5. At vero iis adhuc indiget ſtatus Eccleſiæ terrenus. [V] omnimoda peccati abſentia. In hac autem vita etiam pientiſſimi à fomite peccati, in cineſactione demum perituro, non ſunt liberi. Quo vero adhuc ſuperſtite, etiam renatus ſubinde, quod vult, non facit, & quod odit, agit. Rom. 7: 15, 19. [VI] Rationem τῆς ἐξ ἐναντίας inſufficientia, quarum potiores [cæteras enim, cum ſint levioris momenti, adduxiſſe quid juvat?] ſunt [*a*] quod hæc Civitas, &, quæ ad eam pertineant, dicantur de Cœlo deſcendere, cum tamen Eccleſia triumphans nunquam deſcenſura, ſed fixa potius in omnia ſecula in cœlis ſit permanſura. [*b*] quod in deſcriptione hujus Civitatis Spiritus S. ad multa alludat Loca V. T. in quibus tamen de Eccleſia militante ſermo ſit. [*c*] quod nonnulla, quæ hac in viſione enarrantur, ita comparata ſint, ut in cœleſti beatitudine aptum locum habere poſſe vix videantur, ut ſunt fundamenta Civitatis duodecim, portæ, menſuratio, ambulatio gentium, Flumen plateam interfluens, fructus &c. Verum enim vero vana hæc minuſque tuta παρερμηνείας latibula. Nam quod ad I. attinet, deſcendit Hieroſolyma [א] non ὄντως ſeu re ipſa, ſed in Viſione. In Spiritu enim illam vidit Apoc. 21: 10. [ב] non localiter, ut Brigtmannus (ϑ) nugatur, ſed originaliter, adeoque hoc deſcenſu cœleſtis tantum Origo denotatur (ι), quia cœleſtis eſt gratiæ, qua Deus eam fecit. Sic Baptiſmus Johanneus dicitur *de Cœlo* Matth. 21: 25. non qs. idem primum in Cœlis fuerit, ſed quod ex inſtitutione divina originem ſuam traxerit. Ad II. reponimus [*a*]: Poſito, quod ita ſe res habeat, non tamen obſtat, quo minus ea, quæ ſecundum literam de Eccleſia loquuntur militante, à Spiritu S. accommodentur ad triumphantem. Exempla in ſacris paſſim ſunt obvia. [*b*] quis neſcit, Prophetas φερομένους ὑπὸ πνεύματος τοῦ ἁγίου 2 Petr. 1: 21. multa locutos, quorum impletio ſimul & Eccleſiam militantem & triumphantem reſpicit, illam quoad inchoamentum, hanc vero quoad complementum. Ad iſtiuſmodi autem h. l. à Spiritu S. alludi vaticinia, faciles damus. Sed quid inde pro ſe Adverſarii? Nec quicquam III. valet. Commode enim hæc omnia ſenſu myſtico cœleſti applicantur patriæ, cujus incomprehenſibilis gloria atque majeſtas variis hac viſione deſcribitur Symbolis, in quibus tamen *Nihil terrenum* [ut ſcite hac de re Pareus (κ)] *eſt cogitandum. Ita balbutit nobiſcum Deus de rebus terrenis, quæ nobis pulcherrimæ & jucundiſſimæ hic videntur, ut cœleſtium rerum pulchritudinem aliqualiter adumbret.* Hinc omnem difficultatem

dextra

(ϱ) *Prov.* 25: 15, 26. (σ) *In Epiſt. ad Sirap.* (τ) *Vid. Lucas Oſiander in Paraph. Bibl. ad Apoc.* 21: 1. *Dn. D. Lucius in Conc. ſuper Apoc. Cod.* 193. *fol.* 1188. *col. a.* (υ) *In Cathol. N. T. Expoſ. Eccleſ. ſuper Apoc.* 21: 1. *fol.* 1186. (φ) *In Apoc.* 21. *fol.* 306. (χ) *In Annot. Bibl. ad Apoc.* 21: *verſ.* 1. (ψ) *Lib.* 7. *Inſtit. div. cap.* 24. *p. m.* 723. (ω) *Vid. de his Corn. à Lapid. Comment. in Apoc.* 20. *fol.* 291. *col.* 2. *C. David Pareus Comm. in Apoc.* 21. *pag.* 1150. (α) *Vid. Ejuſd. Apoc. Apocalypſeos in Schol. ad cap.* 21. *p. m.* 392. *col.* 2. *ſeqq. Edit.* 2. *item ad cap.* 3: 12. *pag.* 58. *col.* 1. (β) *Brigtmann. in Scholiis ad Apocal.* 3. *pag.* 52. *col.* 2. (γ) *Comment. ſuper Apocal. pag.* 352.

(δ) *Tract. de* 7. *ſtatibus Eccleſiæ cap.* 8. §. 2. (ε) *Vid. Alcaſar in Veſtig. arc. ſenſ. fol.* 851. *& Corn. à Lap. l. c. fol.* 306. (ζ) *Loc. cit. fol.* 1186. (η) *Vid. Bellarm. Tr. de felicitate æterna lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 76. (ϑ) *Loc. cit.* (ι) *Vid. Auguſt. l.* 20. *de Civ. Dei cap.* 17. *Vid. Primaſ. lib.* 5. *Comm. in Apoc. f.* 193. *Extat Tom. VI. Biblioth. Patrum.* (κ) *Comment. in Apocal. pag.* 1198, 1199.

dextra tollit explicatio, quam apud Orthodoxos atque genuinos vide sis Interpretes [λ].

§. XXIV. Triumphantis ergo Ecclesiæ Majestatem h. l. describi nullus dubitabit. Quod utut agnoscat Ludov. ab Alcasar, septemque insuper propugnet argumentis [μ], in eo tamen adhuc obiter notandus venit, quòd, procul dubio Paulo V. Romano Pontifici pro galero ac purpura palpum obtrusurus, omnem hanc cœlestis gloriæ magnitudinem *singulariter*, ut loquitur, *ad eam gloriam revocari fingat, quæ in Cœlo Romanam Ecclesiam manet* [ν]. Sed hujus temeritatem à Cornelio Cornelii utcunque probatam [ξ] pluribus retudit B. Dn. D. Hoë [ο], quem consulas.

§. XXV. Atque in hac Civitate, statum Beatorum cœlestem præfigurante, conspicua maxime est πλατεῖα, una; lata: qua, uti præter collationem Locorum Scripturæ [π] vel ex etymo constat, denotatur spatium patens, amplum, longum, latum &c. [ϱ] vel potius ipsum τοῦ Beatorum ac Paradisus cœlestis, conf. Apoc. 2: 7. cum 22: 2. quem cœtus Triumphantium olim inhabitabit. In medio hujus plateæ effluit Spiritus S. De Phrasi τοῦ *in medio alicujus esse* vide Ravanellum [σ] & Flacium [τ]. Insinuatur autem larga beneficiorum Spiritus S. ad omnes profluentia, horumque omnibus Beatis communis fruitio. Sic Deus, quoties fidelibus præsentiam suam gratiosam promittit, dicitur in medio Sionis futurus. Psalm. 46: vers. 6. Levit. 26: vers. 12. Ut verbo dicam: Via effluxus est tota Jerosolyma sancta, s. ut jam modo constitit, Ecclesia in cœlesti paradiso triumphans, quam alluendo mirifice refrigerabit Spiritus S. Id quod pluribus docebit

CAPUT III.

De Triplici Fluminis Affectione.

§. I.

COmmendatur Flumen Hoc à puritate, aquis [quas vehit] vitæ, ac denique splendore. Nos positum verborum in Textu secuti primo ponimus loco puritatem, ob quam Fluvius noster καθαρὸς purus audit. Male Syriaca, Vulgata, Dietembergeri &c. Versio hoc fluvii prædicatum qs. præpostero Riberæ [*] judicio superfluum omisit, cum, si non in omnibus certe plerisque Codicibus Græcis reperiatur. Varios autem τὸ *purum* admittit significatus, quos inter haud infrequens ille est, quo purum pro sancto usurpatur, puritas pro sanctitate, purificatio pro sanctificatione. Quæ acceptio non modo ex significatione oppositi roboratur: Si enim τὸ impurum eum denotat, qui, fugata omni vitæ sanctimonia, sceleribus vitiisque nefandis deditus ac peccatis contaminatus est, utique is purus erit, qui ab his vitiis alienus, adeoque sanctus est; Sed & passim in Scripturis obvia est [υ]. Hinc & sanguis Christi, quo salvi sanctique reddimur, dicitur καθαρίζειν 1 Joh. 1: 8. Atque hoc modo etiam h. l. accipimus. Spiritus S. ergo purus sive sanctus nuncupatur ob essentiam, quam habet purissimam & sanctissimam. Unde sanctus, imo ipsa appellatur Sanctitas, pariter ut Pater Joh. 17: vs. 11. & Filius Actor. 4: 27, 30. propter ὁμοουσίαν perfectissimam, quæ est inter omnes Deitatis personas. Quo modo nec Angeli nec homines ulli sancti dici possunt, quippe illis hoc encomium competit per creationis, his per adoptionis gratiam, solis autem personis divinis propter essentiam. Peculiari autem ratione hoc Flumen purum dicitur propter vim illam ἁγιαστικὴν, qua puros homines & sanctos, voluptatesque eo ipso in iis non mundanas, quas immundas recte dixeris, sed puras efficit atque cœlestes. Equidem & hoc sanctificationis opus Patri & F. competit, at vero terminative & appropriative, uti Patri v. g. Creatio, & Filio Redemptio, sic & Spiritui S. hæc purificatio tribuitur. Unde & specialiter Sanctus dicitur. Purificat autem ac lætificat affluxu suo & militantem & triumphantem Jerosolymam: At illam tantum guttatim ac inchoative. Hinc etiam fit, ut, cum homines in militante Ecclesia non inveniat ab omnibus fœtidis peccatorum reliquiis liberos Hebr. 12: 1. Flumen hoc alias purissime affluens, turbetur squalidissimis hinc inde ebullientibus labis originalis sordibus, spiritualisque lætitia inopinato nonnunquam misceatur tristitiæ interventu. Non hoc metuendum in triumphanti Ecclesia, ubi non modo eradicata omni adhuc reliqua peccandi materie, procul facessent lachrymæ, dolor, luctus Apoc. 7: 17. cap. 21: 4. omneque quod inquinat aut obominationem facit ac mendacium Apoc. 21: 27. 22: 3. sed & Flumen nostrum Crystallinum ποταμηδὸν affluendo, quod in militante Ecclesia cœperat, consummabit, undisque semper beatos irrigabit purissimis, ut sanctitate & puritate coruscantes ineffabili gaudio, quod Flumen ubique diffundet, perfruantur purissimo.

§. II. Nec minor celebritas Fluvio nostro oritur ἀπὸ τοῦ ὕδατος ζωῆς. Vox aquæ varia significat, quorum prolixa recensione nunc supersedebimus [φ]. Spiritui S. tributa gratiam ejus sanctificam, qua, per & propter meritum Christi fide apprehensum, reconciliationem cum Patre, misericordiam ejus ac charitatem offert ac promittit. Comparatur vero aquæ, quod largiter effundatur Joël. 2: 28. &c. nosque mundet, refrigeret, cum DEO conglutinet, sitimque extinguat &c. [χ]. Quo de jam supra Artic. 2. c. 2. §. 3. Additur huic aquæ Genitivus ζωῆς pro participio ζῶντος, quod alias Joh. 10: 11. cap. 7: 38. usurpatum reperitur, non per Hebraismum, uti Piscator [ψ] aliique autumant, sed, quod idem sæpius etiam usu veniat Græcis. Hinc distingue inter Hebraismos & inter phrases ac modos loquendi Græcis ac Hebræis communes. Ad posteriorem nostram referimus locutionem, quæ tn. non statim propterea, quod Hebræi eodem modo loquantur, ab hisce mutuata dicenda est. Cæterum & hanc vocem esse πολύσημον, ex supra citatis Ravan. [ω], Glass. [α] Flac. [β]; aliisque liquet. Id tantum observes, quod aquæ vivæ s. viventes dicantur [γ] vel ratione fontium l. ratione effectus. Illo modo denotantur aquæ indeficientes, quas fontes emittunt perpetuo scaturientes. Sic Gen. 26: 19. servi Isaaci leguntur invenisse fontem מים חיים aquarum vivarum h. e. nunquam deficientium, quibus opponitur aqua quieta, stagnans & qs. mortua. Effective aquæ vivæ dicuntur, quod fœcunditatem terræ, vitam ac sanitatem hominibus conferant, quales aquæ vivæ, teste Sozomeno [δ] in fonte penes Emaus s. Nicopolim & in thermis passim. Pari ratione aqua vitæ, quam noster fundit fluvius, hujus arguit I. perennitatem, nunquam enim exsiccabitur. In hac equidem vita affluentia Spiritus S. gratiosa nonnunquam impeditur, præsertim ab impiis & προσκαίροις, undaque vitæ plane perit [ε], non quod Fluvius desinat, sed quod evomatur ab hominum malitia. At in futura patria sine ullis remoris per innumerabiles seculorum myriadas fluvius aquæ vitæ affluet quoque aquis suis. II. Cœlites vivificans. Nectare beatas animas potari cœca atque anilis gentilium finxit superstitio, ut illæ immortalitatem nanciscerentur. Sed mittimus fabulas. Flumen nostrum, quod ipsa Vita est, Rom. 8: 10. vere beatos potat, vitamque in iis per inhabitationem suam substantialem operatur immortalem, h. e. omnium voluptatum, refectionum, suavitatum ac consolationum cœlestium copiam, quibus anheli refrigerabuntur ac tanquam flumine sitientes inebriabuntur Psal. 36: 9. At quæras: Sitientne beati ac bibent olim, cum Christus expresse, qui in hoc mundo aquam vitæ biberit, eum in æternum siti cariturum, pronunciet. Joh. 4: 14. Resp. [ζ] Et non sitient, & sitient ac bibent, suo tamen modo, Sirach. 24: 29. non sitient corporaliter, [*] ut damnati in stagno sulphureo, nec sitient ac appetent voluptates alias terrenas &c. sitient tamen ac desiderabunt sapientiam, delicias, epulas ac voluptates cœlestes, quas plenis beati ingurgitabunt faucibus. Hinc est, quod Christus vitam æternam conviviis, nuptiis ac cœnis passim comparet. Apoc. 2: 7. cap. 19: 8. Matth. 25: 23. Luc. 14: 16. cap. 22: 29. conf. cap. 23: 43. conf. Ezech. 28.

[λ] *B. Cluverum, B. D. Hoë aliosque super hac loca.* [μ] *Com. in Apoc. Disp. de argum. cap. XXI. & XXII. fol.* 852, 853. [ν] *Vid. Ejus Investigatio Arcani sensus in Apocal. f.* 854. *seqq. item in Dedicatione ad Paulum V. circa finem.* [ξ] *Comm. in Apoc. f.* 306. [ο] *Comm. in Apoc. f.* 320. [π] *Vid. Ravanellum Part.* 2. *Bibl. f.* 304. *seq. num* 2. *&* 4. [ϱ] *Vid. Matth. Polus in Synopsi Criticorum & Commentatorum in Apoc. f.* 2015. [σ] *Part.* 2. *Biblioth. p.* 45, 46. [τ] *In Clav. Script. Part.* 1. *f.* 646. *seq.* [*] *In Comm. in h. l. pag.* 436. [υ] *Ravanell. l. c. f.* 404, 405. *& Flacius l. c. f.* 1012. *&* 1013.

[φ] *Ravanell. Part.* 1. *Bibl. in voce* aquæ *f.* 126. *Flacius in Clav. Script. Part. I. fol.* 48. *seqq. Glassius Rhet. S. Tr. I. cap. X. pag.* 254. *seqq. Schindl. in Lexico Pentaglotto f.* 995. [χ] *Vid. Christoph. Pelargus Comm. in Joh. cap. IV. pag.* 46. [ψ] *Comm. in N. T. in Scholiis ad Apoc.* 21: *vs.* 6. *cap.* 22: 1. [ω] *Part.* 2. *Biblioth. fol.* 854. *seq.* [α] *Rhet. S. p.* 25. *&* 352. [β] *Part. I. Clav. fol.* 1322. [γ] *Vid. Schindl. in Lex. Pentagl. f.* 995. *& Gomar. in Joh.* 4. *Part. I. Opp. fol.* 287. [δ] *Hist. Eccles. lib.* 5 *c.* 20. [ε] *Joh. Maldonat Comm. in* 4. *Evangelistas in Joh. IV. fol.* 1377. [ζ] *Vid. Pelargus Comm. in Johannem c. IV. pag.* 47. *Paulus Tarnov. Comm. in Joh. IV. p.* 389. *Maldonatus in Joh. IV. fol.* 1377. *item Jansenius in h. l. f.* 475. *D. col.* 2. [*] *Augustin. Tr.* 15. *in Johann.*

§. III. Denique laudatur Fluvii hujus λαμπεότης, quæ est ὡς κρύσαλλος. Naturam crystalli fusius h. l. describere haud vacat. Adeat, qui volet, Anshelmum Boëtium (η), hac de re disserentem, nec non Scaligerum (θ), aliosque. Denotatur vero hoc ipso Fluvii nostri splendor ac pelluciditas. Splendidus est Fluvius, qui ob summum splendorem igneus dicitur Daniel. 7: 9, 10. imo est ignis Act. 2: 3. Malach. 3: 2. & φῶς ἀπρόσιτον 1. Tim. 6: 16. φῶς φωτίζον cœlestem Jerosolymam Apoc. 22: 5. Est flumen quoque pellucidum. Per hoc enim bona cœlestia, imo DEUM ipsum, lippitudini nostræ sine hujus Crystalli interjectu invisibilem, contemplamur. Atque, ut vitrum Crystallinum interius asservata refert exterius, sic Spiritus S. quicquid in se continet sapientiæ, lætitiæ &c. ostendet Beatis, quin & cum iisdem communicabit. Hinc & effundet undas crystallinas, ut effulgescant Beati Solis ad instar Daniel. 12: 3. & gaudia, quibus omnes eorum sensus ac membra exultabunt (ι), capiant non modo purissima, quo de jam §. 1. hujus Cap. dictum, sed & plene atque probe tamque per Crystallum cognita atque perspecta. In hac equidem rerum vanitate gaudemus aliquando, rationem veri gaudii l. plane non, l. haud secus ac in ænigmate perspicientes: At non ita olim, ubi ipsum fundum gaudiorum oculis glorificatis introspicientes, in lumine Dei videbimus lumen ipsum Psal. 36: vs. 10. 1. Johann. 3: 21.

(η) *De gemmis lib. 2. cap. 73. seqq. ap. Dorsch. Th. Zach. part. II. p. 220.* (θ) *Exerc. 119. S. 1.*

(ι) *Bellarm. de felic. atern. lib. 4. cap. 2. seq.*

M. PHIL. ROHR
PICTOR ERRANS
IN
HISTORIA SACRA.

JESU JUVA!



Cum magna ars sit, contra artifices loqui, & apud illos aliquid agere, qui se putant omnia pervidere, juxta scitum Cassiodori effatum (*Lib. XI. cap. 6.*); & mihi jam proposuerim artificum haud minimis, Pictoribus nimirum, ostendere, quod sæpe peccare suo soleant penicillo: sine dubio labor qualiscunque duris eorum excipietur verbis. Enimvero errores passim prostantes istorum hominum, & amor veritatis facile à me impetrarunt, ut dura dicteria parum curans à proposito me absterreri non fuerit passus, reputans apud animum illud Lactantii: primus sapientiæ gradus est, falsa intelligere. Qualia falsa cum in tabulis pictorum compareant oppido multa, & passim in Eruditorum scriptis obelo notata mihi fuerint visa, nil à sapientiæ studio credidi me facturum alieni, si quæ excerpsi ex variis libris, Doctorum choro discutienda submitterem. Quo negotio imprælentiarum ita defungar, ut primum in genere aliquid de pictorum erroribus proferam; subjuncturus postmodum in specie errores in historia sacra seu Biblica observatos; de talibus enim hac vice agere mihi proposui, dicturus de profanis, cum Deo, in peculiari dissertatione.

CAPUT I.

De Pictorum Erroribus in genere.

§. I.

Ut statim constet, quos errores Pictorum chorus erret, & quales ego corrigendos esse putem, paulo altius repetendum venit, quid imaginem expressurum observare oporteat; hoc enim si quis norit, de qualibet effigie judicium ferre poterit, num bene an male nata?

§. II. Observabantur itaque ab antiquioribus, notante *Francisc. Jun.* (*de Pictur. Vet. libr. III. ab init.*) in pictura quinque hæc capita. *Inventio* sive *historia*: *proportio* sive *symmetria*: *Color*, & in eo *lux* & umbra, *candor* & *tenebræ*: *Motus* & in eo *Actio & Passio*; *Collocatio* denique sive *œconomia*, totius operis dispositio. Quatuor prima capita inventionem nempe, proportionem colorem & motum in omnibus picturis sollicite observabant, sive eæ ex una tantum figura, sive ex pluribus constarent: solam dispositionem in plurium figurarum tabula præcipue curabant, ut ipsa variorum schematum apta collocatio lucem aliquam adderet diversissimis rebus, hinc inde pro argumenti natura in unum corpus congestis.

§. III. Ex his intelligere licet, quintupliciter errare posse Pictores, (α) in thematis inventione (β) neglecta proportione seu symmetria, (γ) colorum mixtione, (δ) motuum seu gestuum ordinatione, & denique (ε) in figurarum multarum inepta collocatione.

§. IV. Non jam animus est, quinarium errorum numerum persequi, sed hærebo potissimum circa errores, quos errant in thematis inventione, producturus nimirum aliquot exempla imaginum, quas ostendam à prototypo, quod delineare volunt, longum multumque abire.

§. V. Fatendum enim omnino est, reliquorum generum errores ferme ita esse comparatos, ut artis pictoriæ intelligentissimis nonnunquam tantum, innotescant. Artificium inquit *Plinius* (*Lib. XXX. cap. 11.*) *Pictorum nonnunquam in tantum crescit, ut id solum intelligant artifices.* Et *Cic.* (*Academic. Quæst. libro IV.*) *quam multa*, dicit, *vident Pictores in umbris, & in eminentia, quæ nos non videmus.* Idem affirmat *Stobæus*: (*Serm. de Ven. & Amor. ex Plutarch.*) *haud omnibus*, inquiens, *videndi idem judicium est. Nam visus vel natura perfectior est, vel exercitatior arte ad decernendum meliora. Nempe ad formas speciesque dijudicandas pictores ingenio sensuque plus valent.* Quemadmodum *Nicomachum* dixisse ferunt ad rudem quendam, qui sibi *Zeuxidis Helenam* non pulcram videri dixerat: *Sume tibi meos oculos, & Deam existimabis.*

§. VI. Quæ cum ita sint, nolo jam jus sumere in ipsam artem, & errores, Artificum oculos, plerumque incurrentes, sub censuram vocare, veritus ne idem mihi obtingat, quod sutori præter crepidas alia, de quibus minime poterat, jejune censuram instituenti, cui acclamatum legimus ab *Apelle*: *ne sutor ultra crepidam. Plin. XXXV. 10.*

§. VII. Per

§. VII. Per thema Pictorum, in quo inveniendo dixi §. 4. ab iis errari intelligitur omne id, quod delineari potest. *Francis. Junio est historia* (*libr. III. cap.* 1.) *Nicias Pictor* vocat ὑπόθεσιν (argumentum) item γνώμην τῆ γραφῆς (mentem picturæ) apud *Demetrium Phaler. de Elocut.* Aliis ἔννοια appellatur (i. e. intelligentia) *Philostrato* dicitur τὸ τῆ ζωγράφε δρᾶμα (fabula pictoris) & ἱστορία τῆ ἔργε, id est operis historia, cujus inventionem dirigit præprimis veritas, cui deinde subserviunt καιρὸς, δικαιοσύνη, atque ex his omnibus promanans σεμνότης. De quibus vid. allegat. Jun. l. c. Nimirum ante omnia pictura veritatis debet esse studiosa: ἡ γραφὴ enim τὴν ἀλήθειαν τιμῶσα, pictura veritatem colit, ait *Philostratus Icon. libr. I.* Colitur vero veritas, *quando pictor non exprimit ea, quæ non sunt in rerum natura, & nihil omittit, quæ in rerum natura sunt*, ceu iterum loquitur *Jun. l. c.* vel clarius: id Pictori agendum est, ut talia depingenda inveniat, quæ revera sunt: hæc si invenerit, caveat, ne aliquid, quod ibi non est, addat; vel quod adest, omittat; aut utrumque faciat; vel denique prorsus à figura ejus rei, quam adumbraturus est, abeat. Unum horum si commiserit, nascitur imago; quæ est è numero earum, quas notare impræsentiarum est animus, & ex dictis sic describi potest.

„ §. VIII. Imago erronea est figura omnis, quam ars ab al-„tera forma sumtam eidem formæ notabiliter dissimilem finxit, „ob male cognitum objectum delineandum:

§. IX. Generis locum occupat *figura.* Recte; nam effigies dicendas esse figuras dudum persuasit nobis πολυθρύλλητον illud: *picti dic esse figuram.*

§. X. Reliqua verba *differentiam* absolvunt, & quidem per vocem *artis* secessum facimus ab imaginibus duce & effectrice natura productis, quæ haud raro in arte pictoria egregia specimina edit. Inde πολυμαθέστατ☉ *Kircherus*: *Natura*, inquit, *ludibunda cum vegetativam sensitivamque facultatem in regno mineralium attingere non posset, fecit quod potuit*; *i. e. cum vitam ac sensum eis dare non posset, saltem figuram eis indidisse satis esse rata, pictores imitata, omnium, quæ in mundo continentur, rerum figuras ambitioso penicilli magisterio delineasse visa est. Mund. subterr. libr. VIII. cap.* 9. *m.* 27. Talia admiranda Naturæ pictricis opera laudatus Auctor in seqq. plurima stitit.

§. XI. Quæ sequuntur verba: *ab altera forma* &c. distinguunt erroneam imaginem à recta. Sicut enim similitudo imaginis cum re depicta facit, ut vera sit: ita dissimilitudo ejus in respectu ad rem, cujus imago vocatur, in causa est, cur pro erronea sit habenda. *Nisi enim in imagine depicta Socratis similitudo & calvitiem, & simas nares, & oculos prominentes habeat Socratis, ejus imago nequaquam dici potest*, ait verissime *Ammonius in Aristot.* περὶ ἑρμηνείας. Ratio, quia pictura, definiente sic eam *Socrate* ap. *Voss.* (*de Ort. & progress. Idololatr. lib. III. cap.* 45. *p. m.* 791.) est εἰκασία τῶ ὁρωμένων *repræsentatio eorum, quæ videntur*; quare inter rem & picturam, rem exprimentem, similitudo adsit necesse est. Quod patet itidem ex analogia Scriptionis & picturæ. Notum est *Simonidis* effatum dicentis, *picturam poësin tacentem*: *poësin vero picturam loquentem*, quia, ut ipse loquitur, *pictores idem coloribus, quod Scriptores verbis & dictionibus exprimunt, differunt inter se tantum modo imitationis.* Jam quemadmodum errat scriptor, cum ipsius oratio dissimilis est rei gestæ, quippe in historia juxta *Ammianum Marcellin.* (libr. XXVIII.) *fallere non minus videtur, qui gesta præterit sciens, quam ille, qui nunquam facta fingit*: ita pictores errant, imaginem rei adumbratæ difformem delineantes.

§. XII. Dixi porro: *notabiliter dissimilem* &c. ut ostendam, me hac vice non censuram daturum esse in illam exquisitam convenientiam picturæ cum prototypo, quam supra §. 4. 5. & 6. ipsis colorum magistris lubens concessi; sed me locuturum de tali picturarum dissimilitudine, quæ alios licet manum tabulæ nunquam admoveant, latere nequit. Ut ideo frustra sint, qui aliquam artem non edoctis omnem dijudicandi dexteritatem de illa denegandam putant. Reclamat *Tullius*: *Si esset*, inquiens, *mihi de histrione dicendum, & negarem, posse eum satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset; neque ea cum dicerem, me esse hystrionem necesse eßet, sed fortasse non stultum artificii æstimatorem. De Clar. Orat.*

§. XIII. Ultima verba: *ob male cognitum* &c. aperiunt quodammodo errorum fontem. Dimanant isti plerique ex *ignorantia*, unde falsa tantum non omnia ortum suum ducere solent. Quod patet rursum ex analogia scriptionis cum pictura. Etenim quando historicus rem gestam literis male consignat, spuria vel addendo, vel necessaria omittendo, inde est, quod rerum actarum ignorantia laboravit: similem in modum, quod pictor haud accurate rei effigiandæ cognitionem imbibit, suo peccat penicillo.

§. XIV. Ex quo patet, cur Viri docti frequenter eruditionem in Pictoribus desiderent, & de eorum ignorantia passim conquerantur. *Nemo potest* (*sunt verba Franc. Jun. de Pict. Vet. libr. III.* 1.) *esse omni laude cumulatus artifex, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.* Et paulo post: *Non dubium cuique esse potest, quin vetustioribus pictores fictoresque peculiari quadam ratione sapientes vocantur; cum vix aliam aliquam liberalium artium plura majoraque altioris doctrinæ adjumenta desiderare certum sit.* Crediderunt hoc antiqui pictores ipsi, uti ex *Plinio* constat, qui de *Pamphilio Apellis* præceptore refert, quod *omnibus literis fuerit eruditus, statueritque neminem sine iis artem cum laude exercere posse* (Libr. XXXV. c. 10.)

§. XV. De ignorantia vero Pictorum præcipue modernorum quærelæ prostant eruditorum passim. Vid. *Beza in Acta Cap. I. Voss. de Idol. gentil. p. m.* 321. & omnino *Franc. Jun. l. c. ubi omnibus*, ait, *artibus ornatus, in publicum pictor exire debet, quod adeo negligitur ab horum temporum artificibus, ut in operibus eorum fœdo ac putendo vitio trivialium inventionum fæces deprehendantur.* Gemella de pictoribus Anglicanis affert *Richardus Mentacutius fatendum est*, inquiens, *vel impietatem vel inscitiam aliquorum: per parietinas & fenestrinas imagines lusisse & illusisse hominum simplicitati: nam diabolum Christi πειράζην, monachum nobis cucullatum, Christum inferni triumphatorem, tanquam Jovis alicujus pocillatorem; aut Cæsaris alicujus Romani ἀποτεθεωμβύε animam Aquila subvectore in cælos sublatum comminiscuntur. Sanctissimam Trinitatem, ineffabilem, invisibilem, incomprehensibilem tricipitem nobis, tricorporem, triformem nescio quem, horresco referens, repræsentant. Quæ cum sexcentis aliis deliris, blasphemis pictorum lusibus & imposturis credulæ plebeculæ & inhianti imponunt.* (*Orig. Eccles. part. prior. p. m.* 162.) De nostris pictoribus ait *Cl. Dilherr.* (*Tom. I. Disp. p. m.* 723.) *quisquis pictorum nostrorum ruditatem voluerit corrigere; is profecto otium desperaverit omnino: adeo inerudititi sunt plerique, adeo cognitionem omnem antiquitatis turpiter abjecerunt.* Hæ querelæ modernorum pictorum ignorantiam & imposturam tangunt; qua labe tamen Veteres non plane caruerunt. Vid. *Cl. Michaël. Piccart. Prof. Noric. Observ. Historico-Polit.* (*Dec. X. cap.* 1. *p. m.* 275.) Ubi fontem, ex quo opinio πολυθεΐας ad gentiles dimanavit, tertium numerat *libidinem pictorum, qui, quicquid à Poëtis de Diis fuit excogitatum, illi statim coloribus expresserunt, & ut verissimarum rerum icones credulo popello commendarunt.*

§. XVI. Hinc non adeo mirum, cur argumenta à picturis petita nullius roboris æstimentur. Ita *Casp. Sanctius* ad argumentum, quod *Nebrissensis* pro firmanda sententia de situ sinistro, quo dextro sit honoratior, ex picturis (quæ Paulum ad dextram Petri, tanquam gladiatum stipatorem, collocant) attulit, respondet; *ex pictorum commentis & lusibus in re tanti momenti nihil definiri debere.* Similem in modum *Richard. Montacut.* ἀπόδειξιν vocat *imaginariam*, qua nonnulli Pontificios cœcitatem Simeonis (de quo infra) adserere sunt ausi (*Orig. Eccles. part. prior. p. m.* 161.) Addo *B. Dannhauer.* qui itidem *imaginarium vocat argumentum Bellarmini, à signis & imaginibus deductum* (*Hodosoph. p. m.* 282.) *Thomam Bartholin.* (*de Cruc. p. m.* 34. *seq.*) *pictoribus*, dicentem, *si credimus, valde decipiemur, nec minus eris falsus, si ad eorum provocaveris auctoritatem, sequuntur illi Majorum limites, ne discolor sit imago*; *Cl. Ludovic. Liebhardum in Exercit. de liberorum Hamel. egressu*, pro cujus confirmatione allatum à pictura vitrea argumentum vocat *vitreum*, i. e. *fragile.*

§. XVII. Potest vero falsitas picturæ duobus modis considerari: vel enim imago rem falsam exprimit: ut si quis Augustum Cæsarem curru igneo sublatum per aërem ferri fingeret (*conf. Cap. II. sect.* 2. *num. I. V. XXIV.*) aut rem veram falsa tamen figura delineat, quod fit, cum ipsa substantia rei non mutatur, aut illud, quod primum in ipsa est, non aliter exprimitur, quam se habet; sed nonnulla, quæ ei accidunt, & ea circumsident, pervertuntur, id quod fit in circumstantia *quantitatis* (*conf. Cap. II. Sect.* 2. *num. XX. & Epilog.*) *Qualitatis* (conf. Cap. II. Sect. 1. num. IV. Sect. 2. num. III. IV. XI. &c.) *Relationis*, ubi inter multas res proportio non servatur; *Actionis*, si alicui tribuas, quod nunquam fecit. (Vid. Sect. 2. num. XII.) *Passionis*, ut si Petro caput gladio abscissum, pingas. (Conf. Sect. 1. num. XXI.) *Temporis*, ut si bellum Philistinorum Davidis tempore gestum, geri pingatur tempore Maccabæorum; (*Ubi conf. Sect.* 2. num. X. XV.) *Situs* (conf. Cap. II. Sect. 2. num. XIV. XXVIII.) *Habitus*, ut si quis pingeret

geret Johannem Baptistam indutum pelle Camelina, nulla arte præparata. (Conf. Sect. 2. num. IX.)

§. XVIII. Inde videt B. L. erroneas picturas sponte abire in duas classes, quarum *prior* continet imagines rem falsam exprimentes; *posterior* tales, quæ idem rem veram repræsentant, sed falsa figura, & quoad nonnullas circumstantias prototypo suo difformi. Facili proinde negotio hujusmodi figuras, quibus corrigendis occupor, potuissem ad has duas classes revocare, ita ut, quæ rem falsam exhibent priorem; quæ rem veram, falsa tamen figura expressam, posteriorem occuparent locum. Enimvero malui ordinem librorum S. Scripturæ, in quibus observavi, attendere, easque imagines, quæ falsis coloribus depictæ sunt in V. Test. priori; quæ ad N. T. spectant, posteriori loco recensere. Interim ex cujusvis effigiei censura facillime quilibet intelliget, ad quam classem pertineat, & qua circumstantia peccet. Hæc de erroribus pictorum in genere; Jam ipsas erroneas picturas depromam, observatas tum in V. tum in N. Test.

CAPUT II.

De erroneis picturis in specie agens.

SECTIO I.

Exhibens picturas erroneas V. Test.

I.

DEUS SENEX CREATOR.

Genes. 1: 1.

DEum Patrem, creantem hoc universum, senis habitu vultuque depingunt, qui nec humana est facie, nec in senium transscribitur, nec tunc ut senex apparuit. Juvat adscribere ἐπίκρισιν *B. Augustini* (*Epist. CXXII. Edit. Froben. pag.* 863.) super ejusmodi Picturis: *oportet*, inquit piissimus Pater, *ab omnibus corporibus & ab omnibus corporum similitudinibus* (*Trinitatem*) *secernamus.* Et paulo post: *Si in nullo istorum genere esse putanda est Trinitas, & sic est invisibilis, ut nec mente videatur, multo minus de illa istiusmodi opinionem habere debemus, ut eam rebus corporalibus, vel rerum corporalium imaginibus similem esse credamus. Non enim corpora pulchritudine, mole aut magnitudine superat, sed dissimilitudine ac disparitate naturæ. Et si discreta est à comparatione bonorum animi nostri, qualia sunt sapientia, justitia, charitas, & cetera talia, quæ profecto mole corporis non pendimus, nec eorum quasi corporeas formas cogitatione figuramus; sed ea, quando recte intelligimus, sine aliqua corpulentia, vel similitudine corpulentiæ in luce mentis concipimus: quanto est omnium qualitatum, & quantitatum corporalium comparatione discretior?* Conf. ibid. plura.

Sed regerunt Pictores, se non Dei imaginem corpoream (qua, ut Spiritus caret), sed visionem, in qua apparuit, pingere; apparuit vero *Dan.* 7: 9. *seqq.* in forma senis. Resp. Bene! Ergo tunc temporis, quo eadem forma se nondum conspiciendum exhibuit illa non figurandus est. Monstrent vero visionem aliquam Dei, mundum creantis, qua habitum πολιοκροτάφου viri indutus visus est. Taxat hanc picturam nobiscum *CL. Bartholinus Libr. de Cruc. p. m.* 34. & omnes ii Eruditi, qui, rejecta illa, Dei mundum creantis effigie, adsumserunt Nomen tetragrammaton יהוה Icones passim extant. Ceterum si pingant historiam & apparitionem, in qua Deus se ut senem manifestavit, uti ap. Dan. 7. nolim eos corrigere. Vid. omnino *D. Cram. Hæres. Clas. I. p. m.* 85.

II.

SERPENS PARADISIACUS.

ἄπους.

Genes. 3: 1, 4.

Serpentem, quo Dæmon usus, sollicitans Evam ad defectionem, à Deo effigiant ἄποδα, seu sine pedibus. Fallere hos colores intelligit, qui pertendit, gressum super pectus serpenti in pœnam datum fuisse à Deo, puniente instrumentum Dæmonis, ut ostendat, quantum detestetur ipsum Satanæ scelus. *Quomodo cæcitas, si naturalis est, ex vulnere vel morbo accessorio nata dici potest*, inquit acute *Danhauerus* (*Hodosop. p. m.* 428.) in simili dicere licet: quomodo ἀποδία serpentis nata dici potest ex crimine aliquo, quæ ipsi antea concreata fuit? Et videtur Deus in testimonium hujus rei jussisse superstites esse hujus generis serpentes; Nam *Scaliger* (*Exercit.* 183.) notat, *dari adhuc in Calcut & Malcabar serpentes alatos, pedestres, quadrupedes.* Ita *Solinus* refert, *Arabicas paludes mittere examina pennatorum anguium.* Visos etiam sibi esse serpentes anserinis pedibus ingressos, scribit *Plinius*, (*libr. XI. c.* 47. *N. H.*) *Agathargides* (*Cap.* 41. *de rubro mari*) memorat, *serpentes in Æthiopia esse magnitudine stupendos, qui omnes vitæ nutrimenta ex venenatu capient. Visum sibi XXX. cubitorum unum: & tamen captos fame ita mansuefieri, ut nihil nec mitius nec terribilius esse possit; illud placiditate, hoc adspectu.* Patrum suffragia, serpentis hujus ἀποδίαν refutantia, collegit *Ursinus Analect. s. p. m.* 327. Aliorum recentium interpp. *Polus Synops. ad h. l. p. m.* 36.

III.

ANGELUS PARADISI CUSTOS.

Genes. 3: 42.

Unicum Angelum instructum gladio ancipiti, ut custodem ad januam Paradisi locant Pictores, historiam de expulsione Adami ex horto voluptatis adumbrantes.

Sunt quidam magni nominis viri, qui negant, Angelos à Deo ad custodiendum Paradisum ordinatos. Quos inter *Musculus in Comment. ad Gen.* 3. Plurimi vero Angelos ad limina dicti horti excubias egisse affirmant, quos recte quidem secuti Pictores angelicum (uti alias pingi solet) simulacrum exprimunt. Cum vero unicum tantum repræsentent, putantes, uni Angelo custodiam horti commissam fuisse, hoc est, quod emendari debet, uti haud difficulter constabit inspecturis s. linguam, in qua legimus, Deum ab oriente horti Eden collocasse הכרבים, quo nomine in numero, uti loquimur, plurali posito intelliguntur Angeli, non unus Angelus, adserentibus id *Raschi*, & *Aben Esra in h. l. Plures Cherubim*, inquit *B. D. Gerhardus* (*Comment. in h. l. p. m.* 125.) *dicuntur ante Paradisum collocati.* Consentiunt reliqui Interpp. adeo ut *L. de Dieu*: *Angelos intelligi, neminem dubitare* scribat *ap. Matthæum Polum* (*in synops. Crit. ad h. l. p. m.* 57.) ubi concentus plurimorum Expositorum simul legi potest.

IV.

ARCA NOÆ BIFORMIS.

Genes. 6: 14. *seqq.*

Videmus, inquit *Cl. Hornius* (*Arca Noæ p. m.* 27.) vulgo Arcam ita depingi, quasi quadratum ejus navi impositum fuisset. Nimirum Pictores adumbrantes Noachicum tempore diluvii domicilium sistunt navim rotundam, cui structuram quadratam imponunt.

Utut de Arcæ figura non bene conveniat inter s. textus Expositores, aliis rotundam, quadratam aliis statuentibus; temerarium tamen est Pictorum factum, duplici figura arcam repræsentantium, inferiore scilicet ejus parte rotunda, superiori quadrata, contra omnem S. Scripturam & bonorum Interpretum fidem. Nolo vero istam controversiam impræsentiarum facere meam, qua figura, quam Philosophi vocant, totali, Noachicum extructum fuerit receptaculum? Quia videmus magnos hac in re sibi invicem contradicentes viros. Videatur omnino *Augustus Torniellus* (*Annal. s. & profan. ad annum Mund.* 1557.) qui ex *Johanne Buteone*, *Pererio* & *Aria Montano* septem icones arcæ exhibet. Fateor interim mihi, non displicere sententiam, seu mavis conjecturam, de figura ejus rotunda, quam citatus supra *Hornius* adsertum ivit, fretus inter cetera argumento à figura antiquissimarum navium rotunda petito. Cui suffragatur *Celeberrimus D. Arnoldus* (*in Epistol. ad Filium*) probans Hornianum placitum ex lege notissima navalis architectonicæ, commendata à *Nicolao Withenio* in *Architect. Naval. Belgice* quidem, sed judice laudato *Arnoldo*, accurate conscripta, cujus tenor: *Quadratum terrestribus ædificiis conducere, minime maritimis.* Ex quo fundamento rotundam arcæ Noachicæ demonstrat figuram, aptissimam videlicet resistendo immanissimis abundantissimarum aquarum fluctibus. Iconem exhibet libellus *Hornii*, cui titulus *Arca Noæ. Menochius* contra, *Grotius* & alii (*ap. Polum in Synops. Crit. ad Cap. VII. Gen. v.* 14. *p. m.* 76.) nolunt illam navigii figuram, adoptantes aliam, infra nempe & supra latam, arcæ communis ad instar, quam significari voce תבה putant; Sed quis novit arcarum veterum figuram, quærit *Cl. Arnoldus*?

V. ABRA-

V.

ABRAHAM GLADIATUS.

Genes. 22: 10.

Abrahamum ad mactandum Isaacum paratum sistunt Pictores talem: Conspicitur stricto in manu extensa gladio filii jugulum petere, reclamante textu Hebræo, ex quo, Abrahamum fuisse cultro, non gladio usum, probamus facile: nam vox quæ istic loci, ubi hac de re agitur (*Genes.* 22: 10.) occurrit מַאֲכֶלֶת significat cultrum, attestantibus Lexicographis. Nec alium significatum patitur constructio dictæ vocis cum radice שָׁחַט, quæ notat jugulare, mactare, quod fit, quando culter mactatorius ad scindendum procedit, & scindendo reducitur. Idem confirmant Translatores Biblici probatissimi: *Chaldæus* vocem transfert per סַכִּין, quæ vox cultrum denotat, sequuntur *Syrus*, *Arabs*, *Samaritanus*, *Junius & Tremellius*, *Tigurini*, *Malvenda*, qui omnes Hebræam vocem pro cultro accipiunt (*ap. Polum Synops. Crit. ad h. l. pag. m.* 147.) Huc accedit ratio, tali instrumento mactare Abrahamum voluisse filium, quo postea arietem; at victimas jugulatas olim & mactatas fuisse cultris, nemo vocat in dubium. Nam & gentilibus Israëliticæ gentis æmulis, cultri fuere in usu. Vid. *Dionys. Halicarn.* (*libr. VII. Antiquit. Rom.*) &, qui *Dionysio* coætaneus fuit, *Virgil.* (*lib. III. Georg.*) canit notanter:

Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.

Idem VI. Æneid.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem,
Suscipiunt pateris.

Unde & *cultrarii* vocantur, qui Diis exhibitam victimam jugulabant. Cujus vocis meminit *Suetonius in Calig. cap.* 32. Animadvertit quoque suo tempore pictorum errorem *B. Lutherus*, inde in *Comment. ad Genes.* (*cap.* 22.) *non fuit*, inquit, *gladius, nec recte imago illa Abrahæ mactaturi filium vulgo pingitur. Fuit culter, quo Sacerdotes solebant uti.* Cui succinit *B. Gerhardus* (*in Comment. ad h. l.* ad quæst. an vocula מַאֲכֶלֶת reddenda per gladium ita respondens: *Sic reddit vulgatus Interpres, unde Abraham NB. vulgo pingitur cum gladio ad feriendum Isaaci cervicem extenso; sed rectius vertitur per cultrum &c. Nec aliter Piscator*, (in *Commentar. ad h. l.*) *non recte*, inquiens, *pingitur Abraham cum gladio stricto.* Nuperrime eadem repetierunt *Dn. Bohemus*, *Scholæ Dresdensis Rector*, νῦν μακαρίτης. (*Tom. II. Program. Dresdens. p. m.* 249.) & *Aug. Pfeifferus*, *Hebraicarum* literarum callentissimus: Abraham / dicens, ergreifft eigenhändig sein Schlachtmesser / denn kein Schwert oder Sebel ists gewesen / wie etliche unverständige Mahler ihn zu repræsentiren pflegen / damit er Henckermäßig zum Hiebe außgeholet hätte. In Paßions-Spieg. Conc. III. p. m. 59. Ansam errandi Pictoribus dedit vulgatæ versionis Auctor, uti ex dictis patet, à quo seducti & alii linguæ Hebrææ imperiti Interpretes, qui pro cultro gladium substituerunt. Ita lego in versione German. MSC. Norimberg. Ao. 1442. ad ductum vulgatæ adornata, quæ hodienum ut rarissimum κειμήλιον in Bibliotheca Bosiana servatur: und (Abraham) wischt sein Schwert / das er vorschlug und opffert.

VI.

ISAAC MACTANDUS INGENICULANS.

Ibid. vs. 9.

Præter adductum errorem occurrit adhuc alius, quem nonnulli pictores in depingenda allegata historia errant, cum Isaacum strui lignorum ingeniculantem manibus, pectus versus complicatis effigiant. Ne approbemus hanc figuram, prohibemur à Textu authentico Hebræo, in quo legitur vox עָקַד, quam & *Chaldæus Interpres* retinet, notatque proprie ligare manus cum pedibus, non manus simul, & pedes simul, sed unam manum uni pedi. Hoc modo ligatus Isaacus, certe flexis genibus, ceu pictores volunt, incumbere lignis haud potuit. Obstat enim porro mos antiquissimus, qui docet, victimas quondam fuisse ligatas, notante id *Hug. Grotio*, & probante ex *Servio* ad illud Virgilii (in Æneid.) --- *& vincula rupi*; & *Ovidii* versibus (*libr. III. de Ponto Eleg. II.*)

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.

Quem modum observasse quoque Judæos testis est *Buxtorffius Lex. Talmud. f.* 1648. Ut adeo verissime scripserit *Megalander noster Lutherus*: (in *Comment. ad h. l.*) *Isaac supinus super strue lignorum jacuit verso vultu in cœlum, & Abraham jugulum ejus ferire voluit, sicuti lanii vitulos solent mactare.* Non pessime hunc situm expressit vetustissima Versio German. num. anteced. citata his verbis: da leyt er Abraham (in Isaac) auff den Hauffen des Holtzes: Conf. *Jarchi Comment. in Genes.* 22: 19. *ubi, ligavit*, inquit, *manus* (*Isaaci*) *& pedes ejus post tergum, manus & pedes simul.*

VII.

COMEDENTES PASCHA STANTES.

Exod. 12: 12. *seqq.*

Cum iidem colorum magistri agni paschalis esum ante egressum ex Ægypto repræsentare volunt, ita convivas delineant, quasi *comedentes steterint.*

Fateor, magnis viris arrisisse hanc imaginem, etiamnum placere multis cum ipsis sedeat opinio, à stantibus quondam agnum paschalem absumtum fuisse. Hinc quando debuere rationem reddere, cur Christus tempore N. T. cum suis discipulis non stando pascha celebrarit, vel negant istas epulas fuisse paschales, ut fecit *Camerarius*, gravissimi judicii vir, putans, *posse intelligi istam cœnam non fuisse epulas paschatos, quibus vesci oporteret stantes* (*in Not. ad N. T.*); vel dicunt, ritum istum fuisse *Temporarium*, & primo paschati proprium, persimilem sex aliis ritibus, quos prima vice pascha celebrantes observare necesse habuerint; quæ sententia est, *Junii*, *Piscatoris*, *Ainsworthi*, & aliorum apud *Polum Synops. ad Exod.* 12: 11. *pag. m.* 334. *ubi & sex illos peculiares ritus ex Munstero recenset*); vel adhibent aliquod conciliationis emplastrum, distinguentes inter (ut ita loqui liceat) *semi stantes*, & *semi sedentes*, rati Christum ita discubuisse, ut quodammodo etiam stetisse dici potuisset. Tantas difficultates summis viris peperit opinio de situ comedentium.

Non ausim Profecto hiscere contra tot Eruditissimorum virorum auctoritatem, nisi, major mihi, & cui non? debeat esse auctoritas S. Scripturæ, quæ, quia expresse non dicit, quod stantes debuerint comedere pascha, me movet, ut dubitem situm istum credere. Legat modo quis *Cap.* 12. *Exod.* ubi accuratissime minutissima quæque *Moses* jussu Dei consignavit observanda à comedentibus, & deprehendet, non præcepisse Deum ut edentes stent. Vidit mandati defectum *Bochartus*, inde ait: *an stantes ederent, lex non dicit.* (*ap. Pol. l. cit.*) Vidit Celeberrimus *Erasm. Schmidius*, cujus verba ἀξιομνημόνευτα adscribam: ita vero ad *Notam Bezæ in Cap.* 27. *Matth.* quæ hæc est: *Alioquin Exod.* 12. *jubet Dominus agnum à stantibus, calceatis, & ad iter accinctis cum festinatione comedi*, ita, inquam, respondet: *quæ omnia agnosco; excepto hoc unico, quod à stantibus debuerit comedi. Illud enim tum demum credam, ubi mihi ex institutione dominica monstratum fuerit. NB. Pictores quidem, quibus quidlibet cum Poëtis audendi semper fuit æqua potestas, teste Horatio, agni paschalis esum ante exodum ex Ægypto ita nobis consueverunt repræsentare, quasi comedentes steterint. Sed NB. Sacra Scriptura hac de re verbum habet nullum, quod ego quidem sciam. Non est itaque ut stationem vescentium urgeamus.* (*in Not. ad Cap.* 26. *Matth.* 3: 4. *pag. m.* 344. *a. b.*) Viderunt eundem defectum dominici mandati *Theologi Wittebergenses*, coævi laudato Domino *Schmidio*, ideo tunc temporis, cum controversia de statione hac moveretur, fassi sunt, Scripturam pro ea non suppeditare argumentum. Rem ita l. c. enarrat *Schmidius*: *In memoria hæret, quanto quasi zelo hæc quæstio anno* 1618. *hic Wittebergæ à duobus studiosis natione Græcis, Benedicto nimirum Cretensi, & Zacharia Gergano Ithacensi, agitata fuerit: ubi à tum temporis Theologis hujus Academiæ illis responsum fuit, situm stantium in esu agni paschatos ex Scriptura probari non posse.* Si ergo ex scriptura non potest adstrui, etiam Pictores fallunt & falluntur, aliter istam historiam delineantes.

VIII.

MOSES CORNUTUS.

Exod. 34: 29. *seqq.*

Mosi ob pulcritudinem obstupescendam omnibus caro (*Vid. Joseph. Antiquit. Jud. cap. V. ubi mira narrat de formositate Mosis*) communiter affingunt cornua Pictores, prognata ex ejus velut arietis capite. Crassum erratum imitatur lingua plebis,

bis, proverbiali sermone dicentis: Ich möchte immer Hörner kriegen wie Moses. A qua opinione non absunt Poëtastri quidam moderni, impie canentes:

O du grosser Hörner-träger / O du Moses Eben-bild.

Quos promerito castigavit censura *Magnifici nostri D. Scherzeri* (*Cens. Msc. libr. num. LXXII.*)

Fons erroris non procul quærendus est, hauserunt eum ex *Vulgata versione*, quæ verba Hebræa כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו perperam reddidit: *quod cornuta esset facies sua*; Germanice juxta Norimberg. Das Gehürnet was sein Antlitz von der Gesellschafft der Red Gottes. ac si vox קרן significet cornutum esse; cum tamen juxta *Rabbi Salom.* valeat *lucem emittere instar cornu.* Id quod optime intellexerunt probatissimi Translatores, *Munsterus*, *Vatablus*, *Paulus Fagius*, *Arias Montanus*, *Junius & Tremellius.* it. *Syxtus*, *Arabs*, *Samaritanus* (*ap. Polum Synop. Crit. ad Exod.* 34: 29. *pag. m.* 461.) qui omnes vocem קרן sensu radiandi expresserunt. Sic LXX. δεδόξασται Moses, *quod glorificatus esset Moses*: propriissime noster *Heros Lutherus*: Daß die Haut seines Angesichts glänzet. Absurdam igitur versionem secuti Pictores, monstrosum nobis toties exhibuerunt Mosen, observante id quoque *Clariss. Vossio*: *ex hac*, dicente, *falsa vocis interpretatione orta est inepta Pictorum consuetudo Mosen effingentium cum cornibus binis* (*lib. I. Idol. pag.* 425.) in quem sensum *Paulus Fagius* (*in collat. Translat. V. T.*) & *Oleaster*: *hinc*, inquiunt, *error natus, quod Moses in templis cornutus pingitur.* Nec aliter *Marnixius*: darnach / *pro more ironice ait*, daß man Mosen mit Hörnern gemahlet / geschicht aus diesen Ursachen: dieweil dort geschrieben stehet / daß sein Angesicht gar glänzend wäre (wie solches Paulus selbst außleget 2 Corinth. 3: 7.) das hat die Gemeine Verdolmetschung der H. Römischen Kirchen also ausgeleget / daß Moses Hörner hatte: damit er sich in diesem Stück den Bischöffen / so auch zwey Hörner tragen / vergleichen möchte. Bienenkorb part. II. cap. 14. pag. mihi 158. Parum (quod obiter notare libet, præsidii inveniunt Pictores in antiquis nummis cornutum Mosen exhibentibus, quia & hi nummi auctores agnoscunt non Judæos, se ipsissimos Christianos, qui cum Vulgatæ adhæserint versioni, non potuerunt, nisi Mosen cornutum fuisse, credere. Vid. omnino hæc pluribus doctissime discutientem *Clariss. tunc temporis M. Joh. Benedict. Carpzovium, nunc SS. Theol. Doct. & P. P. Præceptorem meum ætatem submisse colendum in Disput. habita hic de nummis Mosen cornutum exhibentibus, anno* 1659.

IX.

SPONSUS MYSTICUS

ἄγραφος.

Canticor. 1: 4.

Auctor Piorum Desideriorum, *Hermannus* Hugo, quem nobis *Johann. Georg. Albinus*, *nuper apud Nymburg. Mysta Dei Fidelissimus*, ut & *Poëta felicissimus*, νῦν ἐν ἁγίοις, Germanico idiomate expressum elegantissimis versibus exhibuit, ille inquam *Hermannus Hugo* verba ista Canticor. 1: 4. *Trahe me post te*, *curremus*, emblemate expressurus mysticum sponsum gestantem manu thuribulum fumigans, & laqueo Sponsam à tergo trahentem effigiari curavit, *Pior. Des. libr. II. Emblem. VIII. p. m.* 342.) Hinc in enodatione Emblematis laudatus *Albinus* sensum Hugonis redditurus ita Sponsam mysticam loquentem inducit:

Hier liegt der faule Rumpff in seinem Sünden-Schlamme /
Zünd an dein Räucher-Werck mit seiner süssen Flamme.

Seduxit devotissimus alioquin *Hugo* Pictorem sua vitiosa versione Vulgata, quæ textui Hebræo, in quo hæc verba tantum leguntur: מָשְׁכֵנִי אַחֲרֶיךָ נָּרוּצָה sequentia temere adsuit: *in odorem unguentorum suorum*, quarum vocum in fontibus nec vola nec vestigium comparet, quemadmodum etiam non leguntur in aliqua probata versione, *Syra*, *Junio-Tremelliana*, *Munsteri*, *Pagnini*, *Piscatoris aliorumque*. Tribuit igitur Pictor Sponso aliquid istic loci, cujus sacer textus non meminit, id quod, cum perlegens libellum animadverterim, hic annotare volui.

X.

JESAIAS DISSECTUS.

Propheta Jesaias.

Ita nimirum Pictores, mortem Jesaiæ, Prophetarum primi figurantes, lineas ducunt, sistuntque eum serra à summo capite per medium corpus ducta dissectum. Effigies prostat in *frontispicio Comment. Casp. Sanct.* Dubitari potest, num rei veritati conformis sit, 1. quia Scriptura ejus non meminit (2.) apud Hebræos hoc mortis genus fuit inusitatum; nam usitatissima capitalia supplicia ipsis erant (α) *decollatio* (β) *lapidatio* (γ) *ustulatio* & (δ) *strangulatio* (*Vid. omnino D. Pfeiffer. Dissertat. de Antiqu. Jud. Ritibus pos. 2. ubi operose adducta supplicia evolvit*) 3. quia ipsis gentilibus hoc supplicii genus dimembrationis horribilius visum. Dignus est qui legatur *A. Gellius Noct. Attic. lib. XX. cap.* 1: 4. Nec ipsa de dissectione Jesaiæ traditio, si eam neges, aboletur, potest enim metaphorice accipi, ut dissecari idem sit, ac crudelissimis tormentis subjici, qua significatione verbum διχοτομεῖν apud *Matth. cap.* 24: 51. cujus præcipua significatio est, medium aliquem dividere, plerique Interpp. accipiunt.

Reddunt hæ rationes ad minimum dubiam Picturam, non ausim dicere falsam, quia plurimis Patribus, quos citant *Alvarez* (*in Præfat. ad Jes. p. m.* 19.) *Sanctius* (*in Proœm. in Jes.*) jam olim vera visa est. Nec prolata argumenta falsitatem evincunt; responderi enim potest ad 1. (in historiis talem collectionem non procedere, ad (2.) distinguend. esse inter supplicia ordinaria & extraordinaria (*vid. D. Pfeiff. l. c.*) ad (3.) quosdam crudelitate gentes superasse, qualis fuit Manasse, cujus jussu Jesaias trucidatus dicitur; imo & gentes non semper abstinuisse ab eodem supplicio (*vid. Gellius l. c.*) ad (4.) posse æque facile proprie accipi & traditionem, & vocem διχοτομεῖν, cui synonymum est verbum ἐπρίσθησαν, de Prophetis V. Test. adhibitum *Hebr.* 11: 37. Maneat igitur per me dubia hæc pictura. Sed ea, quæ hanc excipit, falsissimarum omnium prima nominanda merito erit, qua repræsentatur.

XI.

DANIEL DECOLLATUS.

Daniel. 12: 3.

In vetusto Codice (*inquit Cornelius à Lapide in Comment. in Daniel. p. m.* 1264.) *Basilii Porphyro geniti* Daniel sub Attalo capite plexus depingitur, & subjecta scriptura historice enarratur.

Mendacissimos colores delent 1. Literæ, quæ testantur Danielem placida morte obdormiisse (*Daniel.* 12: 13.) (2.) Patrum & optimorum Interpp. suffragia; *Mortuus est*, inquit, Caspar Sanct. (*in Prolegom. ad Daniel. p. m.* 8.) *Babylone, ut docent communiter Patres & Martyrologium Romanum*, cujus autoritas homini Pontificio debet esse maxima, judice eod. *Sanct.* (*in Prolegom. ad Jes.*) Iis adstipulatur *Josephus* (*Antiqu. Jud. lib. X. cap.* 12. in hoc solum à Patribus & aliis discrepans, quod potius in Media decessisse eum statuat, quem & alii sequuntur (vid. *Synops. Crit. Poli in Proleg. ad Dan. p. m.* 1323.) Quare ipse *Cornelius à Lap.* evidentiam erroris advertens nec quicquam adserere audet, rem in medio relinquens, quia (ut ipse fatetur) *nullus veterum Patrum vel Historicorum hoc memoriæ prodidit.* (3.) ipsa historiæ relatio, quæ mentionem facit alicujus Attali, quod nomen Latio non Persiæ proprium. Merito igitur Philologorum decus, *Reinesius* (libr. II. Var. lect. cap. 13.) *portentum fabula vocat, & puerile delirium.*

SECTIO II.

Continens picturas erroneas Nov. Testamenti.

Produximus aliquot imagines spurias ex libris V. T. plures forsan diligens scrutator observabit. Jam pes proferendus est ad libros N. Testamenti, ubi largior messis errorum speranda. Hinc necesse est, ut in iis eruendis & destruendis breviores ducam lineas, ne nimium paginæ excrescant. Libros N. T. consignarunt Euangelistæ & Apostoli impulsu Spiritus S. quorum capita vulgo cingunt radiis. Consideremus ergo statim.

I. CAPI-

I.

CAPITA SANCTORUM RADIOSA.

Auctores Evangelicæ historiæ.

Evangelistas, uti dixi, Apostolos, Virginem θεοτόκον ipsumque Salvatorem nostrum pingunt cum orbiculo circa caput splendenti, & radiato, nullo nixi fundamento, & absque scripturæ suffragio, quæ hujus rei non meminit. Quare figmentum & auctarium luxuriantium pictorum esse, consentiunt eruditi; quanquam natalitia erroris diversimode quærant.

Quidam hunc pingendi morem profectum putant à paganorum consuetudine, qui suis Heroibus, imo & Diis radiata capita tribuere consueverunt, talia edocti scilicet ab Ægyptiis, judice *Pl. Rev. atque Excell. Dn. L. Fellero, Præceptore & studiorum meorum Promotore faventissimo (in Specileg. Philolog. ad Mart. libr. de spectac. MSC. cap. 2.)* qui dicit, *apud Ægyptios nil occurrit, cui non circulare aut sphæricum quidpiam fuerit adjectum. Neque aliud quid circulus capitibus simulacrorum impositus denotat, nisi divinum, infinitum, æternum. Teste Kirchero (Tom. II. Oedip. Ægypt. class. 7. pag. 87. seqq.) Ut autem illustrior redderetur*, pergit laudatus *Fellerus*, *circulus, divinitatis index, post ea radiis velut solaribus, exornatus nec Diis tantum, sed hominibus etiam divinis aut in Deorum numerum relatis, adsignatus.* Exempla suppeditant Heliodorus (libr. IX. Hist. Æthiop.) Florus. (libr. IV. cap. Hactenus de more gentilium, *quem*, subjicit *L. Fellerus noster, si quis ad Christianos quoque ex paganitate transiisse dixerit, non multum adeo à vero abhorreat. Christo enim & Sanctis radiosum caput attribui quis nescit.* Conf. *Taubmann. ad Virg. Lib. III. Æneid. v.* 148.

Dn. Ursinus (vero *in Acerra Philol. Mantiss. Epigram. V. p. m.* 505.) alium erroris fontem aperiens: μηνίσκους, inquit, *vocant Græci lunulas aut acumina, quæ capitibus statuarum imponi solebant, ne insiderent iis aves, easque fœdarent, aut conspurcarent, ut Aristophanis Scholiastes in avibus, & Hesychius referunt. Causam ignorantes pictores nostri etiam pictis imaginibus addidere, tanquam honoris insigne, cum esset manifestum imbellium idolorum argumentum.* Hæc *Dn. Ursinus l. c.* Alium adhuc ortum erroris ostendit *Martin. in Lexic. in voce Nimbus*, quo lectorem brevitatis causa ablegamus.

Quod in specie Salvatoris nostri depictam cum nimbo faciem concernit, aliam adhuc alii quærunt ejus originem, quam se invenisse credunt apud *Damascenum*, (qui *Lib. IV. de O. F. cap.* 17.) memorat: Abgarum Edessenorum illum regulum misisse pictorem ad pingendam imaginem Christi. Cum vero pictor ille propter claritatem, quæ ex vultu illius resplendebat, hoc præstare non posset, quasi abstergendo Christus expressit sui ipsius imaginem, & sic desideranti Abgaro misit. Inde putant nonnulli pictores ansam cœpisse pingendi Christum cum nimbo. Enimvero splendidum hoc esse splendidæ faciei Messiæ figmentum, nervose docuit *D. Chemnitius part. IV. Exam. Conc. Trid. pag.* 44. & *Casaubonus* (*Exercit. Anti-Baron. XXXI. ad ann.* 31. *no.* 58. *p. m.* 210. *seqq.*) Conveniunt igitur in eo, ut supra monitum, docti viri, errare pictores delineantes sanctos cum radiosis capitibus, licet ex diversis fontibus erroris rivulos derivent.

II.

JOHANNES EVANGELISTA JUVENIS.

In specie Johannes.

Nonnulli pingunt *Johannem*, scribentem Evangelium suum, *juvenem & imberbem*, quasi eo tempore, quo scripsit illud, tenera fuerit ætate, quod est insignis error & refutatu facilis.

Nam omnes Scriptores ὁμοθυμαδὸν testimoniis irrefragabilibus demonstrant, eum jam decrepitam ætatem consecutum manum divino scripto admovisse, licet de tempore scriptionis dissentiant, volentibus aliis triginta, & quod excurrit, aliis vero sexaginta & amplius post Christi in cœli adscensionem annis id factum, & quidem (*ut Epiphanio placet Hæres.* 51. *apud D. Paulum Tarnov. in Prolegom. in Johann. cap.* 2. *p. m.* 10.) post annum ætatis suæ nonagesimum. Quod utut pro certo affirmare non velim, interim hoc certum, quod senio gravis divinissimum Evangelium consignarit. Sufficiat jam saltem auctores nominasse, ex quibus multa argumenta depromere possem, si instituti ratio id pateretur, & necessitas efflagitaret, conferantur enim *Baron. Antiquit. Eccles. ad an.* 99. ejus Continuator *Spondanus in Annal. Eccl. ad eund. ann. p. m.* 126. *b. D. Paulus Tarnov. l. c. D. Dannhauer. Hodosoph. pag. m.* 78. *D. Waltherus officin. Bibl. p. m.* 1060. *Cl. Hottingerus Histor. Ecclesiast. N. T. part. I. p. m.* 30. aliique. Objectum principalissimum non solum Johannei Evangelii, sed & reliquorum θεοπνεύστων scriptorum in N. T. est *Christus* noster μεσίτης & ἱκέτης, Deus Benedictus. Vis ejus imaginem à gentilibus olim in odium Christianorum effictam & depictam, est,

III.

DEUS ONONYCHITIS,

Historiæ Evangelicæ primaria Persona.

Nempe in Christianorum opprobrium spurcissimus quidam nebulo figuram pinxit, quæ auribus erat asininis, altero pede ungulata, librum gestans, & togata; ejusmodi adjecta inscriptione: *Deus Christianorum ONONYCHITIS.* Alii scribunt onocoesites, alii adhuc aliter; vide mox citandum Vossium.

Hanc figuram eique similes, exsibilat ipse gentilis Poëta *Horatius*, ita in judicissimo de arte poëtica libro canens:

> *Humano capiti cervicem Pictor equinam*
> *Jungere si velit, & varias inducere plumas*
> *Undique collatis membris, ut turpiter atrum*
> *Desinat in piscem, mulier formosa superne,*
> *Spectatum admissi risum teneatis amici.*

Et quis sibi à risu temperare poterit tales picturas ridiculas contemplatus, ægri somniis simillimas. Nam quod hanc attinet, traxit illa falsissimos colores ab opinione ridicula gentilium, qui Judæos & Christianos asinum pro Deo colere credebant, uti adserit hoc *Minutius in Octavio*: *audio*, inquiens: *eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta, nescio qua, persuasione venerari.* Cujus opinionis meminit quoque *Tertullianus*, *somniastis quidam*, inquiens, *caput asininum esse Deum nostrum.* Certe somniavit ita *Plutarchus*, qui audacter affirmat *Judæos* τιμᾶν τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος. *Conf. Cornel. Tacit. Histor. lib. V. de orig. & moribus Judæorum*, qui judice *Cl. Seldeno (de Diis Syr. p. m.* 368.) *alioquin ut historicorum est optimus, ita de Judæorum ritibus nugator summus.* Monstrosam vero opinionem ὀνολατρείας Judæo-Christianæ *Celeberr. Dilherr.* (*Elect. libr. II. cap.* 13.) hauserunt Ethnici ex vitiosa interpretatione versus 24. cap. 36. Gen. ubi Moses Hebræorum Principum familiam describens: *is est*, inquit, *Ana qui invenit* את־הימים *in deserto, cum pasceret asinos Sibeonis, Patris sui.* Quæ verba את־הימים cum hisce debeant legi punctis notata הַיֵּמִים i. e. mulos, multi hoc modo legerunt הַיָּמִים i. e. maria, aquas. *Hæc itaque* pergit, *cum Ethnicis innotescerent, more suo quædam mutabant, quædam addebant. Quod Anæ erat adscribendum, Mosi adscribebant*, addo, quod ad Judæos spectabat, inepte ad Christianos transferebant. (*Vid. omnino Selden. de Diis Syr. Syntagm. II. p. m.* 363. *seqq.* causam hujus permutationis dantem) *ac asinis in auxilii præmium divinos attributos honores mentiebantur.* Plura habent de hoc figmento *Cl. Seldenus l. c. Vossius lib. III. de Idol. cap.* 75. *pag.* 134. *seqq. Dominus Johann. Henricus Ursinus Acerr. Philolog. num.* 15. *p. m.* 90.

IV.

JOSEPHUS SENEX.

Matth. 1: 16.

Ut historia de nativitate Christi tanto gravior in tabulis appareat, B. Mariæ desponsatum virum *Josephum*, ut *silicernium & capularem senem* depingunt. An bona fide, vix dici poterit.

Urgeo præprimis ἀγεωφίαν. Sane nullibi de decrepita senectute ejus, tempore nascentis Christi, in S. literis vel minimum extat jota, ideoque Pictoribus id non inde probantibus etiam non credimus. Nec probabile est, virum fere centenarium & imbecillem senem (qualem Picturæ repræsentant) adhibitum fuisse Mariæ custodem, cum fugiendum esset in Ægyptum cum puero & matre ejus, & inde redeundum.

Argumenta pro Pictoribus militantia, eaque potissimum ex *Eusebii libr. III. Tom. II. adversus Hæreses contra Antidico-Mar.* petita, refutavit, *Cl. id temporis M. Joh. Fred. Meyerus nunc SS. Theol. D. & Superintendens Grimensis (in pecul. dissert. Num Josephus tempore nativitatis fuerit Senex decrepitus? Lips. ann.* 72.) ubi inter alia contra Pictores allegat verba

Salmeronis, celebris Jesuitæ ἀξιομνημόνευτα, quæ adscribere non pigrabor. *Quod attinet* (*inquit Tom. III. tr. 29.*) ad *ætatem decrepitam, illam h. l. refellemus. Nam imprimis isti Patres fortasse cogitarunt, servari alia ratione non potuisse sanctam pudicam cum virgine conversationem, nisi tot annos contingeret. Quasi vero plus in eo potuerit natura frigida & senectus, quam gratia Spiritus S. aut quam meritum sponsæ ejus* (quod fingit Mariolatra) *cum plures senes inveniantur lascivi ac impudici.* Cujus vestigia premens *Johannes Hesselius Academ. Lovan. Doctor* (*in 4. Sent. dist.* 28.) testimonium *Eusebii* (quod vel solum peperit hunc errorem) *fabulam* vocat, graviterque invehitur in Pictores: *Confirmavit*, dicens, *fabulam Pictorum carnalitas, qui ex sua libidine de Joseph judicantes putant, non aliter eum continere potuisse à virgine, nisi senex fuisset.* Quare merito, eandem picturam correxit *Celeberr. Dilherrus Disput. Academ. Tom. I. p. m.* 71.

V.

CHRISTUS URANIUS INFANS.

Matth. 1: 18.

Conceptionis Messiæ historiam tabulæ imprimentes quidam Pictores, *infantem* pingunt *de cœlo descendentem, & gerentem super humeris figuram crucis.*

Non tangerem hanc effigiem, nisi monstri quid eidem subesse putem. Notum enim, olim docuisse quosdam Hæreticos, Christum non ex Mariæ substantia fuisse conceptum & natum, sed ex cœlo carnem per Mariæ uterum solum, tanquam per canalem quendam ductam habere, uti *Valentini* & *Marcionis* discipuli, magistros suos secuti, mentiti sunt. Quibus haut obscure abblandiri videtur hæc pictura. Id quod nuperrime prudenter monuit *Pl. Rev. noster Fullerus* (*in quodam Program. Publ.*) & ante eum *Celebris & facundus orator eccles. B. Strignitius*; es sind/ inquiens, etliche Ketzer gewesen/ die haben vorgeben/ der Sohn Gottes habe die menschliche Natur mit vom Himmel bracht/ und daher ists kommen/ daß NB. die Mahler/ wenn sie die Historie von der Empfängnis Christi mahlen wollen/ ein solch Bild oder Gemählte zu machen pflegen/ daß ein Kindlein vom Himmel kömmt/ welches ein Creutz auff den Rücken trägt/ und also herab fährt. (Neues Jahr *Strignit. p. m. 66.*) Eadem pictura ipsi *S. Antonio* quoque suspecta visa est, (*part.* 3. *libr.* 8. *cap.* 4. §. 2.) hinc nobiscum statuit, *illa suspectam Valentini Hæretici opinionem contineri.*

Evertit mendacem fabricam sancta pagina, quæ Christum ex Maria conceptum locis multis eisque clarissimis adstruit. Vide Theologos passim.

VI.

BOS ET ASINUS ALLIGATI PRÆSEPIO JESULI.

Luc. 2: 7. *coll. cum Habac.* 3. & *Jes.* 1: 3.

Historiam Nativitatis Christi augent consortio *bovis* & *Asini*, quos ad præsepe Jesuli locant pictores, putantes, Salvatorem nostrum in præsepi ad bovem cubuisse & asinum. Verum enimvero (utor verbis *Celeberr. Dilherri*) *reticere non possumus, quod opinio isthæc absque Scripturæ S. invaluerit fundamento. Nihil certe de eo Lucas, qui Christi nativitatem accurate & prope curiose descripsit.*

Unde autem bos iste & asinus prodiere? Ex erronea LXX. virali Versione. Hæc nempe verba Habacuci 3. בְּקֶרֶב שָׁנִים חַיֵּיהוּ i. e. ut *Hieronymus* veritatem Hebraicam respiciens bene vertit: *in medio annorum vivifica illud*, reddiderunt: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ: *in medio duorum animalium cognosceris*; Legentes nimirum שְׁתַּיִם pro שָׁנִים & supponentes חַיּוֹת pro חַיֵּיהוּ. Ex hac paraphrasi conjuncta cum vers. 3. cap. 1. Jes. *cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, hoc quod canimus* (*cognovit bos & asinus &c.*) addo: quod depictum videmus, *enatum est*. Quod probe etiam advertit. *D. Waltherus* (*in præf. ad disput. de immort. animæ & prætensa Ethnicorum Salute*) *Mentio*, inquiens, *præsepis apud Lucam conjecturam peperit & opinionem, quæ postmodum in Traditionem abiit, ad præsepe illud, in quo cœli terræque Dominus reclinabatur præsentes fuisse non solum bovem, sed & asinum —— & huc postea accommodari cœpta est sententia tam ex Habacuco, juxta Græcam versionem desumta, quam illa ipsiusmet Dei apud Jesaiam: cognovit bos possessorem &c.* Subjicit postmodum: *improbare amor veritatis nos cogit abusum dicti Jesaiæ.* Daß sie einen Ochsen/ ait ὁμόψηφος *Marnixius* facete, und Esel zur Krippen bei ein klein Jesu-Kindlein/ welches sie mit ihrem Athem erwärmen/ gestellet/ ist dasselbige auf den klaren Text Jesaiæ fundiret und gegründet/ der da saget: Ein Ochs kennet seinen Meister wohl/ und ein Esel die Krippe seines Herrn/ aber das Volck Israel wills nicht verstehen. Bienenkorb part. II. cap. 14. p. m. 158.

Nimis ergo superstitiosus est *Baronius* (*Annal. Eccl. part. I. no.* 3.) & ejus Epitomator *Spondanus*, qui vitiosam versionem secuti pro vero dogmate eoque in scriptura fundato, venditant, quod bos & asinus ad præsepe Christi fuerint alligati. Vid. *B. Chemnit. Harm. Evang. ad Luc. II. Casaubon. ad Annal. Baron. Exerc. II. an.* 1. *n.* 3. *p. m.* 123. *seqq.*

VII.

TRIGA MAGORUM CORONATORUM.

Matth. 2. *collat. cum Jer.* 60: 6.

Ad Christum recens natum venisse leguntur Magi, qui eum non adorarunt solum, sed & muneribus donarunt. Qui depingunt hanc historiam, *tres viros* exprimunt cum *coronis capitibus eorum impositis, binos candidos, unicum facie fuscum.* Quanquam igitur animus non sit, in dubium vocare, Magos quosdam Bethlehemum, nostrum Jesum videndi causa, venisse; ambigua tamen & falsa sunt reliqua, quæ affingunt Pictores historiæ. Nam unde probabunt *ternarium Magorum numerum?* Certe Scriptura tacente ita audacter fingere non licet. Si Patribus antiquissimis credimus, vix Magorum triga adseri poterit: *Chrysostomus* enim duodecim fuisse ex Scriptura incerta probat. *Hospinianus* veteres quosdam, quod 14. fuerint, adseverasse ait. *Epiphanius*, Hieronymi σύγχρονος & amicus, plus ducentis annis post Irenæum, *Molinæo* allegante, Magos illos Persicos fuisse quindecim, scriptum reliquit. Plures fuisse *Ambrosius* quoque adserit. Hæc de numero Magorum falso, quem ideo *Casaubonus* jure temerarium vocat (*Exerc. II. ann.* 1. *n.* 19. *p. m.* 136.

Ostendo porro affingi ipsis *coronas*. Coronæ sunt Regum insignia, concessa præter eos haut temere aliis. Jam Magos istos Reges fuisse, Scriptura non indicat, nec aliunde accersitum testimonium rei fidem facile conciliabit. Verum quidem est, Magos apud Persas aliquando imperio præfuisse (*vid. Justin. libr. I. cap.* 9. *Cic. libr. I. de Divin. aliosque*) sed probandum est, an tempore Christi Principatum ibi tenuerint? Quod ἀδώνατον. Plures rationes contra regiam Magorum biblicorum majestatem adduxit *Magnif. D. Scherzerus noster in Annot. MSC. ad Cap.* 2. *Matth. vers.* 2.

Pari improbabilitate laborat *fusca unius facies*. Siquidem cum patriam Magorum Persiam fuisse putem, secutus Præceptorem nostrum venerandum *Scherzerum* (qui l. c. id multis evincit rationibus) de *fusca unius facie* certi nihil dici potest, tantum abest, ut illam ita liceat pingere. Proinde merito talium nugarum institores falsa excepit ironia *Marnixius* dicens: daß sie aus den dreyen Weisen aus Morgenland drey Könige gemacht/ und den einen so Beerschwartz/ als einen Mohren/ ist aus den Weissagungen Davids oder Salomons gefischet/ die da sagen/ daß die Könige aus Morenland Christum anzubeten kommen werden. *Vid. seqq. l. c. & Conf. Casaubon. Exercit. II. Anti Baron. n.* 19. *p. m.* 136. *seqq. M. Andreæ Kesleri Histor. Epiphan. cap.* 3. *p. m.* 14. *seqq.*

VIII.

SIMEON CÆCUS SACERDOS.

Matth. 2: 25.

Simeon ille justus, qui Dominum Jesum Christum in templo præsentatum ἠγκαλίσατο, nonnullis in locis depictus conspicitur *vestitu sacerdotali, luminibus captus.*

Sunt, qui *Simeonem Sacerdotum* Ordini adscribunt, eruditi non pauci. Unicum juvat nominare *Baronium*, hanc sententiam extra omnem contradictionis aleam ponentem. Sed abunde confutavit eum *Richardus Montacutius* (*orig. Eccles. part. prior. p. m.* 161.) adductis rationibus à defectu testimonii Scripturæ; Silentio Patrum, eorumque sententia Baronianæ contraria. Sed nolim exprobrare Pictorum lineas, cum habitum Sacerdotalem Simeoni attribuunt, quia doctissimis viris de eo nondum lis est perorata.

Cæcitatem contra quod attinet, ea non potest non improbari, & confutat illam ipse *Baronius* provocans ad

Levit. 18:21. Et allegatus *Rich. Montacutius* Baronio in hoc adstipulatus *figmentum vocat ad cloacas, quod meretur, mittendum*, subjiciens ex parte contra Baronium verba Baronii: *Utar itaque tua conclusione, gravissime Baroni, de cœcitate; cum nullus antiquorum Patrum Simeonis cœcitatis vel sacerdotii reperiatur adsertor: illam historiam velut apocrypham rejectam fuisse, argumento est.* Conjecturas de patre, & genere hujus Simeonis collegit ex Eruditorum monumentis *Polus synops. ad Luc.* 2:25. *p.m.* 845.

IX.

JOHANNES PELLE CAMELINA VESTITUS.

Matth. 3:4. *Marc.* 1:8.

Johannem Baptistam *Camelina pelli involutum*, ceu Satyrum quendam exprimere consueverunt subinde colorum magistri.

Sunt, qui figuram, diluendam impræsentiarum à nobis, probant à vestimentis *Eliæ*, quem repræsentavit noster. Eum enim dicunt fuisse usum pelle villosa, nulla arte coriaria præparata, aut villis exuta, innuente id *LXX. virali Versione*, in qua *Elias* vocatur ἀνὴρ δασύς, ἢ ζώνην δερματίνην περιεζωσμένος τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Enimvero *Casaubonus* (*Exerc. XIII. ad Annal. Baron. ann.* 31. *num.* 1. versionem cum fontibus conferens, ubi Propheta vocatur אִישׁ בַּעַל שֵׂעָר, cum juxta *Ariam Montan. Vir pilosus*, deprehendit, nihil minus inde posse probari, quam Jesaiam pelle nulla arte præparata indutum fuisse. Ipse videatur l. c. & conf. *Richard. Montac.* eum contra *Bulenger.* defendens. (*Orig. Eccl. part. II. p.m.* 370.) nec non *Polus* (*Synops. Crit. ad Matth.* 3: 4.) qui ex Spanhem. erudite de habitu Eliæ disserit.

Sed mittamus vestimenta Jesaiæ, quæcunque tandem illa fuerint. Hoc sane demonstrare quis difficulter poterit, Johannem pelle Cameli vestis loco fuisse usum. Verba Matthæi c. 3: vers. 4. hac de re sic habent: εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου: *Habebat vestimentum suum è pilis Cameli. NB.* ἀπὸ τριχῶν καμήλου; non ἀπὸ δέρματος καμήλου dicit Evangelista, dicturus sine dubio posterius, si pelle Camelina pilis non perpurgata usus fuisset. Clare Metaphrastes Syrus vertens singularem καμήλου Matth. 3:4. & Marc. 1:6. in pluralem: ipse autem indutus erat vestimento pili camelorum. Secutus eundem Beza est nequicquam refutatus à Lud. de Dieu, cujus verba hæc sunt: *Neque enim pili multorum camelorum intelliguntur, qui ab eorum velleribus revulsi deinde textu fuerint; sed unius cameli pilosa pellis intelligitur, quam corpori suo circumjecit, & pelliceo cingulo firmavit.* Urget nimirum singularem καμήλου; quæ ratio tamen non adeo stringit, cum & enallage numeri frequens sit, & τρίχες καμήλου idem dici possint ac τρίχες καμήλειαι, pili camelini. Signanter hanc expressit sententiam noster *Lutherus*: locum Matthæi sic Germanice reddens: ein Kleid von Cameel-Haren / & ante Luth. Norimbergic. derselb Johannes hat ein Kleid von Har der Kemlein / und ein schaffene Gürtel um sein Lend. Nec aliter PP. locum acceperunt: de *asperioribus*, inquit *Auctor Op. Imperf. setis Cameli habuit Johannes vestimentum, ut ipsa asperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret.* Cui succinit *Paulinus.*

Vestis erat curvi setis contexta Cameli,
Contra luxuriem, molles duraret ut artus,
Arceretque graves compuncto corpore somnos.

E Recentioribus plures in scenam produci possent, si opus esset: *Non de crudis*, ait *Montacut. Camelorum pellibus illi vestes conficiebantur.* (*Orig. Eccles. part. II. p. m.* 370.) ubi & refutat eos, qui ejus rigidum vestimenti genus in molle & delicatum vertunt. Nimirum statuunt quidam (vid. eos ap. *Polum Synops. Crit. l. c.*) Johannem vestem habuisse ex panno, qui contexitur ex camelorum pilis, delicato & molli, cui nomen Hispanice Camelote; Italice Zambelod, unde Germani Schamlet / Latini vocant vestem undulatam, quod ad undarum similitudinem picta sit, hos, inquam, refutat: *non solum ridiculi*, inquiens, *sed etiam impii sunt, qui Johannis hirsutum vestimenti genus in molle & delicatum, regium tantum non convertunt: ita ut undulatis tunicis de materia pretiosa, quam nos* Schamlet *appellamus, uteretur: cum nec habitus ille pœnitentiam prædicanti congruat, & ipse Christus docuerit, eum nequaquam fuisse mollibus vestitum.*

X.

CHRISTUS PINNIS INSISTENS.

Matth. 4: 6.

Dæmon Salvatorem nostrum tentaturus eum in *pinnas templi* statuit. Ut ne quid intactum à pictoribus relinquatur, en tabulam, in qua cernitur insistere pinnæ acuminato tecto infixæ (auf einer Fahne.)

Errorem deprehenderunt dudum Eruditi, & ostenderunt τὸ πτερύγιον male exprimi figura pinnæ, quæ ædium nostrarum tectis infigi nonnunquam solet. Nam (1) talis locus intelligendus est, cui pedibus insistere quis possit; at pinnæ (die Fahnen) vix commodum aviculis subsidendi locum præbent, tantum abest, ut molem viri sustineant. Deinde (2) pinnæ nostris similes ædificiis Judæorum tribui nequeunt, quia illa operiebantur non acuminatis tectis; sed planis (vid. enim seq.) Ca[s]tissime igitur eruditi hunc locum tractarunt. *Grotius* vocem πτερύγιον vocat Hellenisticam adumbratam ex Hebræo כָּנָף, quod oram aut marginem significat; cui synonyma sunt τὸ πτερὸν, item περίδρομον, Latini vocant circuitionem; einen Umgang / & fatetur, *non definiri posse, quænam pars templi fuerit.* Plurimi putant fuisse id, quod Hieronymus loriculam, LXX. viralis Versio στεφάνην die Lehne vocant, & erat ambitus ille, quo planum templi tectum ambiebatur, ne quis inde posset decidere juxta præceptum Dei *Deuter.* 22: 8. *Nam quod ista lex in planis tectis requirebat, id in templi tecto ornatus causa additum erat*, ait *Grotius in h. l.*

XI.

TECTA APUD ISRAELITAS ACUMINATA.

Matth. 10:27. *collat. cum Deut.* 22:18.

Mentio fiebat (num. antec.) ædium Israëliticarum, dicebaturque discrepasse figura à nostris ædificiis. Id quod pictores raro attendunt. Nam plerumque domos apud istam gentem usitatas effigiant ad figuram & similitudinem nostrarum ædium, *tectis* videlicet *acuminatis.*

Mirum, quod non legerint præceptum Dei, quod extat *Deuter.* 22: 8. *cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum* (Hebraice מַעֲקֶה quod varie vertunt; quidam reddunt arctitudinem ab עָקָה angustia; alii *sepem* seu *peribolum*; alii *torquem*, quod in modum torquis domum ambiret, nonnulli *coronam*, consentientes in eo omnes, ambitum denotari ista voce eine Lehne uti l. cit. *Lutherus* bene vertit, cujus altitudo esse debebat minimum tres pedes cum dimidio, juxta *Grotium in h. l. & Hebræos Interpretes*) *ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.* Cui bono lata hæc architectonicæ terrestris lex fuisset, si more nostrate exstruxerint domos suas Israelitæ?

Sed tecta apud ipsos fuere plana, & ambulationibus accommoda. Hinc toties legimus in Scripturis de iis, qui in tectis ambulaverunt (1. Samuel. 9:25,26. 2 Samuel. 11:2. 16:22.) aliaque ibi egerunt, quæ solemus & tantum possumus efficere in locis planis (Johann. 2: 6. Judic. 16:27. 2. Reg. 23:12. &c.) Hinc dictum à Christo ad suos discipulos, *in tectis prædicate* Matth. 10:29. Nempe *habuere plana tecta, ut in ipsis ambulare & versari liceret, inquit Menochius Not. ad Deut. cap.* 22:7.

XII.

LAZARUS IN DOMO DIVITIS FLAGELLATUS.

Luc. 16: 21.

Geminum errorem in unica historia deprehendo. Lazarum delineant *jacentem in triclinio divitis*, quem penes est, *qui eum flagellis cadat.*

Bis, uti dixi peccatur (1.) quod locant miserum in *conclavi Epulonis delicatissimi.* Abstergam colores spongia Dilherri: *potestne quicquam ineptius*, inquit *oculatissimus vir, aut cogitari aut fingi, quam in triclinio divitis Lazarum delineare? Scilicet Janitores admisissent hominem ulceribus scatentem, dorso ipsi luituri, quicquid oculos nauseabundi Domini offendisset. Canes vero immanes illi villatici & venatici num oblectabant Dominum cœnantem. Apage.* (*Dissertat. Academ. Tom. I. pag. mihi* 723.) Deinde (2.) errant appingendo *flagellantem, & flagellis abigentem* famelicum Lazarum. Adhibebo hic spongiam *Erasmi Schmidii* ad hos colores delendos: *pictores*, ait, *qui*

qui sibi nihil non licitum existimant, ministros quosdam flagris Lazarum à foribus arcentes nobis effingunt. Verum quod pace illorum dixerim, admodum si non fallunt, tamen falluntur. Et paulo post ostendit, Lazarum καθ' ἡμέραν ad fores divitis jacuisse, sicut dives καθ' ἡμέραν epulabatur, ut ex quotidiana præsentia canes domestici eum nossent, & ulcera ejus tanquam hominis notissimi blande lingerent. Finge jam semel eum flagris abactum, putandumne, eum rediturum fuisse? Hinc repetit laudatus Vir denuo censuram: *male ergo*, inquiens, *pictores ministros quosdam foribus divitis affingunt, qui flagris Lazarum ulcerosum abegerint. In Not. & Animadv. in Nov. T. ad cap. 16. Luc. v. 21. p. m. 590. a. & 592. b.*

XIII.

FRONDES ET VESTES SUB PEDIBUS ASINI.

Matth. 21:21.

Christo Hierosolymam ingressuro legimus à popello non solum Osanna acclamatum, sed & ipsius asini *pedibus vestes & ramos substratos*, ut volunt pictores, qui historiam ita delineant, *ut super vestes & frondes humi jacentes progredi fingatur asinus Christum vehens.* In dubium vocat picturam *Celeberr. Lichtfoot*, cujus verba ad *Matth. 21:8.* κλάδους ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ adscribam tantum, Lectori liberum relinquens, quid sentire velit. Ita autem loquitur: *ramos straverant in via &c. non quod vestes & ramos in ipsa semita sub pedibus asini calcandos sternerent (hoc forsan equitantem prosterneret) sed juxta viam tentoriola & tabernacilla ex vestibus & ramis confixerunt ad morem festi scenopegiæ. Hor. Hebraic. in Evangel. Matth. p. m. 228.*

XIV.

CHRISTUS AD MENSAM CUM CONVIVIS SCAMNO INSIDENS.

Matth. 26:21.

CHRISTUM novissime cum discipulis suis cibum capientem pingunt *scamno insidentem*, adsidentibus eodem modo reliquis convivis, discipulis; Johannem vero in gremio Salvatoris velut infantem repræsentant.

Insignis certe & palpabilis error! Constat enim Judæos more Romanorum (de quo vid. *Petr. Ciaccon de modo conviv. Rom. Lips. libr. III antiqu. lect. Stuck. libr. 12. Conviv. c. 34. Rosin. lib. IV. Antiq. c. 28.*) non adsedisse aut consedisse circa mensam scamnis insidentes, sicut nos hodie, & olim Græci, sed certis toris circa mensas, longe aliter, quam nostræ quadratæ aut rotundæ sunt, formatas. Patet id inter cetera ex phraseologia sacra, quam Græce docti norunt hunc mensis accumbendi modum exprimere; Sæpe enim occurrunt voces ἀνακεῖσθαι, κατακλίνεσθαι, à κλίνη, quod notat lectum, in quo recumbentes cibum sumebant. Hinc quo charior quis, ita in accubitu erat vicinior. Et sensu biblico, uxor sinus, vir sinus (Deut. 13: vers. 6. cap. 28: 54, 56.) pro carissimis usurpantur, quod in alterius sinum ad mensam soliti sint recumbere. Eaque periphrasi Lazarus in sinum Abrahæ dicitur translatus, ad convivarum accubitus similitudinem, Luc. 16:12. Modum discumbendi breviter delineat *D. Pfeifferus (dissert. de Antiq. Jud. Rit pos. 7.) non in scamnis ad mensam, sed in pulvinaribus sive lectulis quos Cubita Apulejus, Accubita & Accubitalia Lampridius vocat, accumbebant in latus sinistrum sese reclinantes, ut dextra cibum capere possent, capitibus versus epulas, & pedibus extrorsum porrectis. Dispositi erant vel in circulum juxta quosdam, vel ad formam* τοῦ σίγματος *reclinati.* Conferantur, quos citat istic loci multiscius vir, *Buxtorf. Lexic. Talm. p. 203. 1333. 1415. Flac. Clav. Baron. Ann. Cap. 34. n. 40. Casaub. Exercit. 16. n. 21. addo Exercit. 22 ad ann 24. n 36. p. m. 350. seqq. Villalpandus ad Ezech. 22: 41. Lichtfoot. Hor. Hebr. nempe ad Matth. cap. 26:20. p. m. 290. seqq.*

XV.

PANIS CRASSUS.

Matth. 26:26.

Accubitum Christi vindicavimus; de panis, quo isto tempore, cum suis vescebatur, figura dispiciendum, qualis fuerit. *Crassum* figurant *istum panem*, nostris quam simillimum.

Vix sustinebit hæc pictura censuram alicujus rituum Judaicorum gnari. Quippe constat, Judæis in usu fuisse panem βλωμίλιον, buccellatim distinctum, κλαστόν, ad fractionem idoneum. Confirmat hoc dictio Biblica, sæpe enim usurpantur de comedentibus verba ista, κλᾶν (Matth. 26: vers. 26. Marc. 7: vers. 10.) κατακλᾶν (Marc. cap. 6: vers. 41.) it. κλάσις (Luc. cap. 24: vers. 35.) Inde κλάσματα reliquiæ fracti panis. (Matth. 14: 20. cap. 15: 37.) Jam non video, quomodo frangere panem nostris similem potuissent ob crassitiem? Proinde non dubito fidem adhibere *Rabbino* apud *Baronium (ad ann. 58. no. 64.)* antiquitatis Judaicæ, teste eodem Baron. peritissimo, qui dixit, *solitos esse Judæos panes ita fingere, ut profundæ lineæ in decussim trajectæ illos ita distinguerent, ut crebræ ac minutæ tanquam areolæ conclusæ lineis per totam panis faciem relinquerentur, quæ buccellæ vocantur.* Figuram exhibet libellus *Celeberr. Dilherri*, cui titulus: **Himmlisches Freudenmahl** p. m. 385. ubi errorem pictorum leviter simul tangit. Plura congessit de hoc Judæorum more *Casparus Sanctius in Comment. ad Acta p. m. 90. Gerhardus in Harm. D. Danhauer. Hodos. p. m. 1212.*

XVI.

CHRISTUS IN TORRENTE JACENS.

Joh. 18: 1. collat. cum Ps. 110:7.

Magdeburgi in cœnobio S. Mariæ Magdalen. depictum se vidisse refert *B. Dn. D. Bakius* Christum *jacentem in torrente, multis acribus & praeacutis silicibus oppleto*, adjectis his verbis Saxonicis: **Hie wert de leve Herr va den Oelberge en in de Bache stott / nach den Worden** Psal. 110. ad cujus versum ultimum respicitur, in quo hæc leguntur verba: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Natalitia figmenti recenset *Michaël Menothus in Concion. Passional ann. 1525. Parisiis impressis*, ubi narrat, inter Oliveti montem & Hierosolymam fuisse torrentem acutissimis silicibus repletum, in quem cohors Romana, quæ Dominum captivum duxit, eundem detruserit, & vulnerasse quidem silices Salvatoris manus, pedesque, caput vero illæsum mansisse, juxta illud: de torrente &c. Enimvero merito hæc, ut nugas ridet laudatus *Bakius*, cum omnia fingantur ἄπερ χαφῶν, quæ uti accuratissime levioris momenti gesta in Christi passione continent, hujus facti non meminerunt, ne verbo quidem. Nec juvat causam locus è Psalmo allegatus, cujus longe alium sensum esse Commentatores diducunt passim, qui hic consulantur.

XVII.

VIRGÆ LOCO FLAGELLI.

Matth. 27:26. Marc. 10: 26. Luc. 12:33.

In adumbratione flagellationis instrumenti, quo Christus tempore passionis fuit cæsus, variare pictores subinde animadvertere licet, *virgas* quibusdam, aliis contra *flagella* pingentibus.

Illos errare, qui *virgas* pingunt, non dubitare licet, modo inspiciatur Græcus textus, qui nobis tantum in N. Test. authenticus: in quo legimus vocabula φραγελλῶν. (Matth. 27: vers. 26. Marc. 15: 26.) μαστιγῶν (Luc. 18: 33.) quæ constanter in N. Test. notant *cæsionem, quæ flagellis perficitur.* Ut non opus sit provocare ad ritum Reipubl. Judaic. in qua morem flagellandi tantum obtinuisse confirmant *Dilherr. (in Atrio Lingu. S. part. I. p. 179. conf. ejus Elect. libr. II. c. 18.) Buxtorff. (Synagog. Judaic. cap. 20.) D. Ægid. Strauchius (Dissert. de ritu flagell. apud Jud.)* Regeris: more Romano Christum fuisse cæsum. Resp. At Romani morem Judæorum imitabantur tunc temporis. Vid. num. sequ.

XVIII.

BINI FLAGELLATORES.

Ibid.

Contemplati sumus num antec. instrumentum flagellationis, idque deprehendimus falsum; falsa in eadem historia depicta occurrunt plura. Ostendam: stat *Christus manibus in tergum versis ad columnam proceram alligatus, quem penes duo, miserum cædentes*, conspiciuntur.

Nihil jam dicam de *columna* an ita procera effingi debeat figura, quod vero non videtur simile, per mox dicenda; sed, præter necessitatem flagellantium augeri numerum, jam demon-

monstrabo: Quæso enim, cur fingunt duos, cum unus cædendo fuerit. Imo uno plures lex Romanorum, ad quorum morem flagellatum *Hieronymus*, & ex eo *Richard. Montacut.* (*Orig. Eccles. Tom. I. part. post. p. m.* 390.) affirmant, non requirebat. Nota sunt eorum solemnia: I Lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito. Audis hic virgas, quas sequiora tempora abrogarunt, substitutis in earum locum flagellis, dicente *Hieronymo*, cujus verba hæc sunt: *sciendum est, Pilatum Romanorum legibus judicium ministrasse, quibus sancitum erat, ut, qui crucifigitur, prius flagellis verberetur, apud Rich. Mont. l. c.* Apud Judæos similiter unus lictor flagellandi negotio defungebatur. Juvat hac de re audire *Buxtorff.* qui ipsum supplicii modum nobis talem ex Mishna eruit: quomodo cædunt ipsum? *Ligat Lictor ambas manus ejus ad lignum terræ infixum altitudinis sesquicubiti, ut reus ipsi inclinatus possit incumbere. Minister cœtus judicialis ad femora usque corripit sive detrahit ejus vestes; quæ parum interest, sive extra suturas rumpantur, sive per suturas dissuantur. Post sontem lapis positus, cui insistit minister, habens in manu sua lorum bubulum oblongum, cui utrinque addita lora duo minora, alia asinina bifida, quæ, ut necessitas postulat, sursum vel deorsum, veluti cingula ephippii, aut stapedes possunt promoveri, contrahi & laxari &c.* Vid. *Dilherr. Elect. lib. II. cap. XIIX. p. m.* 200. *seqq.* Ex allegatis simul cuivis patet, errare pictores columnam sesquicubitalem mensuram multum excedentem exprimendo.

XIX.

SOCIA CRUCIS PORTATIO.

Matth. 27: 32.

A Christo flagellato devenimus ad crucifixum. Multi hic errores sunt notandi. Ordiar à crucis *latione*. Pingunt Christum & Simonem Cyrenæum extra urbem *sociis humeris* infelix lignum *una bajulantes*.

Disertis verbis Matthæus picturæ contradicit, dicendo, extra portam Simonem fuisse à Judæis adactum ad suscipiendam crucis molem, ut illam solus sustineat. In Græco enim textu est verbum ἄρειν, quod non solum oneris *lationem*, sed & ab *altero ablationem* significat. (*vid. Dn. D. Olear. Theol. Exeg. p. m.* 755.) Igitur ita tulit crucem, ut simul abstulerit, vi istius vocis. Eadem est sententia *Patrum* apud *Gerhard. Evangel. p. m.* 787. Quos & ipse cum plurimis aliis sequitur, improbans eo ipso tabulam pictorum. Cæterum de portatione crucis cruciariorum vid. ex antiquitate disserentem *Dilh. Dissert. Academ. Tom. I. p. m.* 212. *seq.*

XX.

CRUX COMMISSA.

Matth. 27: 35.

Varie pingunt ipsam JESU nostri ἐσταυρωθέντος *crucem*. Videamus, quæ figuræ veritati maxime accedant. Distinguit sagacissimus Antiquitatum indagator *Lipsius* inter crucem *commissam* & *immissam*. Illam appellat, *cum ligno erecto brevius alterum superne & in ipso capite committitur, sic, ut nihil extet.* Quæ forma examussim est in litera T. Hanc vocat, *cum ligno erecto transversum alterum injungitur, & immittitur, sed sic, ut ipsum secet.* Ita eminentia hic semper aliqua, & capitellum, aliter quam in commissa. De Cruc. lib. I.

Jam in postrema, neque immissa, mortuum, qui morte sua nobis vita, probat l. c. multis argumentis, quæ, ut breves simus, hic omittimus, ablegantes hujus rei cupidum ad ipsum Auctorem, aliosque, σταυροδιατρίπλας. Colligitur exinde multorum pictorum error, qui delineant Christum *cruci commissæ & capitello destitutæ* affixum.

XXI.

CHRISTUS TRIBUS CLAVIS AFFIXUS.

Ibid.

Tertium subjungo errorem in cruce Christi depicta observatum. Delineant Salvatorem cruci *affixum tribus clavis*, quorum unus in plantis, duo in palmis conspiciuntur.

Hic accuratiores rituum antiquorum urinatores dudum defectum unius clavi notarunt, quo alteruter pedum Christi ad crucem fuit affixus. Bini enim Christi pedes totidem clavis ad suppedaneum (quod, ut h. l. obiter notem, in plurimis deest crucibus depictis) fuerunt affixi. Cujus sententiæ patronos possum nominare viros summos; *Scaligerum in animadversionibus Eusebianis*, & qui eum ætate longe sunt antegressi, *Irenæum* & *Justinum*. Quos secutus *Nonus* in Paraphrasi sua Johannea (p. m. 230. v. 37.) canit:

Δυσεργέϊ θανάτοιο ταθεὶς τετράζυγι δεσμῷ. i. e.

In ligno facta morte extensus quadrijugo vinculo scilicet pereat.

Unde constat *Casaubonum Lipsii* vestigia prementem perperam *Nonnum* vulgaris opinionis adsertorem constituisse, quo ἐγκλήματι vel solus adductus versus eum liberare potest. Sed non hi soli quaternarium clavorum numerum defendunt; faciunt id quoque alii. *Gregorius Turenus: Clavorum*, ait, *Dominicorum quod quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis; & duo in plantis. Et Cyprianus*, melior majorque auctor πληθυντικῶς scripsit: *clavis sacros pedes terebrantibus.* Idem *Plautus* ex more adstruere videtur:

Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excurrerit,
Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.

Clavorum, inquit, *Richard. Montac.* (*Orig. Eccl. Tom. I. part. post. p. m.* 393.) *Dominicorum, quod non tres, ut vulgo fingunt, sed quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis. Baronius* insuper provocat ad antiquissimas imagines, Christum quatuor clavis ad crucem affixum repræsentantes (*apud Casaub. Exercit.* 35. *ad ann.* 34. *no.* 118. *p. m.* 451.) Ipse memini, me antehac *Numburgi* in templi cathedralis vestibulo videre è ligno formatam crucem, carie undiquaque exesam, quod antiquissimi operis indicium est, cui Christus affixus conspicitur quatuor clavis, ad eandem prorsus figuram, qua citati auctores crucem volunt effictam ac depictam. Antiquiora monumenta collegit *Philologorum Phosphorus Lipsius & ex eo Celeb. Dilherr. Disput. Acad. Tom. I. p. m.* 506. *seq.*

XXII.

LATRONES CRUCIBUS ALLIGATI.

Luc. 23: 27. *Marc.* 15: 22. *Joh.* 19: 17.

Cum Christo duos latrones, capitali sententia damnatos, crucifixerunt Judæi, unum à dextris, à sinistris alterum, attestante S. Scriptura. Hos nonnulli pictores coloribus vivis adumbraturi, Christum quidem effingunt clavis cruci affixum; enim vero *latrones funibus ligno fatali alligatos.*

Cur alia forma crucifixos exhibeant latrones, alia Christum, nullum idoneum producere possunt argumentum. Certe ut eodem in loco, & eodem supplicio animadversum in omnes tres: ita quoque & eodem modo formaque crucifixi omnes, quod haud obscure innuunt Evangelistæ, utentes eodem verbo σταυροῦν in descriptione crucifixionis Christi & latronum.

Quid? quod ipse *Nonnus* (*in Paraphr. Joh.* 19. *p. m.* 232. *vers.* 23.) expresse, latrones κέντροις ἀντιτύποις, (*stimulis renitentibus, juxta versionem Sylburgi*) qua voce περιφραστικῶς eleganter clavos, cruci affixos fuisse dicat; Adscribam ejus versus:

Κέντροις δὲ ἀντιτύποισιν ἐπὶ σταυροῖο δεθέντας
Νυκτιλόχους δύο φῶτας ἐνὶ ξυνῷ σαν ὀλέθρῳ
Γείτονας ἀλλήλοισι.

Quare sine ratione pictores Christum aliter ac latrones crucifixos fingunt & pingunt. Quod bene observavit quoque *Richard. Mont.* (*Orig. Eccles. Tom. I. part. post. p. m.* 393.) qui hujus furfuris picturas jure perstringit tanquam *proletarias & minus accuratas.*

XXIII.

CRUX ABSQUE SEDILI.

Ibid.

Alium adhuc errorem in cruce nostri Redemtoris observo ex *Tract. D. Georg. Calixti Acad. Jul. quondam* PP. qui ex pluribus Patribus probat, *lignum* sive *palum medio crucis stipiti* fuisse impactum, cui insederit & quasi inequitarit crucifixus. *Quæ res* (utor ejusd. verbis) *certa est, & testibus exceptione majoribus comprobata.* Ita enim *Justinus in Dial. Tryphon.* hac de re disserit: *crucis lignum unum arrectarium est, cujus pars summa tanquam cornu eminet.* —— Καὶ τὸ ἐν μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ᾽ ᾧ, ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. καὶ βλέπεται ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ σὺν τοῖς ἄλλοις

κέρασι συνεσχηματισμένον. Id est, *Et quod in medio impactum est lignum ipsum etiam instar cornu eminet, in quo vehuntur, qui crucis supplicium subeunt, & cum aliis cornibus junctum & conformatum ipsum quoque ut cornu conspicitur.*

Sed ubi sedile istud in crucibus pictis? Vix unquam hactenus à Pictoribus fuit observatum & depictum, adeo ut citato D. Calixto non sine ratione mirum visum fuerit, *qui factum, ut cruces, quas postea Christiani sive pingerent sive fingerent, sedili isto omnes carerent.* Nihusio, sententiam Calixti in dubium vocanti, satisfecit abunde *Thom. Barthol. Caspari Filius, in Tr. de Cruc. Hypomnem. I. §. p. m. 29. seqq.*

XXIV.

EQUES LATERIS CHRISTI PERCUSSOR.

Joh. 19: 34.

Crucifixi Christi latus transfossum lancea fuisse à quodam milite testatur Johannes (cap. 19: 34. seqq. quam historiam adumbraturi Pictores *equum delineant, cui insidet miles*, ut adeo *equitem* fuisse arbitrentur.

En equitem pro pedite! *Pedes* certe id facinus perpetravit. Audiamus θεόπνευστον, & αὐτόπτην *Johannem*: εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Vocatur iste miles στρατιώτης, quod vocabulum absolute positum constanter notat *peditem*: equites enim Græcis ἱππεῖς dicuntur. Neque equites ad reos custodiendos, sed pedites expetiebantur à cruciariis. Huc accedit, quod apud veteres Romanos pedites hastis instructos fuisse, non equites, auctores demonstrent. Vid. *Varro. libr. IV. de Lingua Lat. ubi* ait: *Hasta dicitur, quod stans solet ferri.* Egregius locus apud *Livium libro VIII.* ubi de instructione aciei contra Latinos agitur, extat: *ubi hic ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum Principum pugna erat.* Non igitur sine causa Cl. *Salmasius* invehitur in Xaverium Jesuitam, qui in historia Christi Persica à Lud. de Dieu edita, notisque illustrata hunc militem equo insidentem sistit: *Tu vis*, inquit, *non peditem fuisse, sed equitem militem illum, quem Scriptura dicit venisse, ut latronibus, & cum Christo crucifixis crura frangeret. Quo illud argumento? Equitem sane fuisse, qui latus Christi lancea aperuit, historiam Christi Persicam à Xaverio descriptam tradere ais, sed bene addis: Xaverium divinasse. Ego vero dico, pro cæteris suis dictis, & hanc imposturam esse Lojolitæ summam. Miseros illos populos, quos tales Evangelistæ doctrina Christi imbuendos suscepere. Evangelium illud Persicum mendaciis refertissimum etiam hic nobis imponit, dum pro pedite equitem supponit. In Epist. altera ad Bartholin.* Conf. omnino *Excell. Dn. Sagitt. Disp. de Lancea, qua latus Christi perfossum.*

XXV.

MARIA APOSTOLORUM REGINA.

Actor. 2: 1.

In festo Pentecostali novimus super Apostolos effusum fuisse Spiritum S. quam historiam quando effigiant Pictores repræsentant Apostolos devote orantes, *medium inter illos locum occupante B. Maria.*

Adscribam censuram Bezæ tantum: *opinor*, inquit, *in Notis ad Actor. 2. eos pictores ridicule facere, qui, cum hanc historiam pingunt, solent Mariam matrem Domini in medio Apostolorum collocare, nimirum ut eam etiam collegii Apostolici reginam faciant.*

XXVI.

LINGUÆ SUPER CAPITIBUS APOSTOLORUM IGNITÆ.

Actor. 2: 3.

Memoratur in eadem historia, divinum Spiritum apparuisse & consedisse super Apostolos, quorum linguæ visæ sunt dispertitæ ὡσεὶ πυρός. De igneis ergo linguis quæritur, ubi apparuerint, an in Apostolorum *ore*, an vero super *capitibus*? Communiter Pictores eas locant *super capita*, nec sine suffragiis Patrum id faciunt. Ita *Cyrill. Hierosolym. sedit*, inquit, *super illos, ut nova corona spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Sic *Mantuanus lib. VI. Fast.*

> *Visæ etiam linguæ ardentes volitare per auras,*
> *Et super ora virum volucri considere lapsu.*

Cui succinit *Drepan. Florus in Exhort.*

> *Cum vehemens subito sonuisset ab æthere flatus,*
> *Fulsissetque omni vertice lingua rubens.*

Hinc, ait nonnemo, arripuerunt Pictores ansam linguas illas sursum flammantes, & pyramidali figura ex capite in acumen pingendi.

E contrario multi improbant ut erroneam hanc figurationem, dicentes, linguas ignitas visas fuisse in *ore Apostolorum*. Pro qua sententia (verba sunt *sagacissimi in conjecturis viri Dn. Ursini*) militat S. textus ὤφθησαν αὐτοῖς, conspectæ sunt illis, non super illos aut in capitibus illorum Linguæ, quæ in proprio stant significatu, à quo, nisi urgeat necessitas, non est recedendum, tanquam igneæ, ne putes ignem verum & naturalem fuisse. *Analect. libr. VI. cap. 38. p. m. 386.* ubi vide *& rationem*, Interpp. *consensum & typum*, quibus hanc sententiam confirmat. Fons erroris judice laudato *Dn. Ursino* est ignorantia ellipseως Hebræis usitatæ, quia enim dixerat *S. Lucas: & conspectæ sunt illis linguæ dissectæ, & sedit super unumquemque eorum; nati sunt, illud verbum sedit de antecedente igne dici; cum de Spiritu S. prædicetur, de quo statim: & repleti sunt omnes &c.* Alias interpretationes phraseως ὤφθησαν αὐτοῖς vid. prolixe recensitas à *Dilherro Disput. Acad. Tom. II. p. m. 119. seqq.* Nimium etiam se probat nobis κρίσις accuratissima nostri *Carpzovii* in supra allegata Dissert. de Mose cornuto, ubi dicit: *Apostolos eodem modo, quo Moses, radiasse in tota facie. Ut enim*, inquit, *ab Hebræis* לשון אש *pro flamma ignis adhibetur* (Jer. 5: 21.) ita γλῶσσαι πυρὸς *nihil aliud sunt, quam flammulæ quædam scintillantes à pyramidali ignis forma ita dictæ, quia extra ignis flamma instar linguæ projecta est.* Quam sententiam nuperrime calculo suo probavit *Magnif. D. Scherz. in Not. ad cap. 3. Matth. vers. 11.* Cui si accedas, tanta extantior tibi videbitur Pictorum error.

XXVII.

SAUL EQUES.

Actor. 9: 2. seqq.

Saul, ex quo postmodum ἐκλεκτὸν Dei σκεῦος factum, adhuc in gregem Christi.

ὄμβριμον ἐκ στέρνοισιν ἀναπνείων ἄρηα.

Cum iter Damascum cum comitibus faceret, *equo insidens* effigiatur à Pictoriæ artis alumnis, uti vel videre est in tabula ex parietibus Auditorii Majoris P. P. Collegii Lips. pendente.

Penitius aliquanto intuenti πρωτότυπον figuræ à *Luca* Pictore (ut volunt quidam, quam bene, non disputo) emendatissimo delineatum penicillo erroris nescio, suspecta multum ista Pictura redditur. Siquidem si bene excutiantur Act. 9: 1. seqq. consignata, dicendum potius erit, *pedestre Paulum fecisse iter*, tantum abest ut equo vectum inde exsculpere liceat. Verbum πορεύεσθαι generale est, quod ibi legitur, quemlibet proficiscendi modum innuens. Iter pedestre vero arguitur, cum dicitur, quod Paulus consternatus ex circumfuso de cœlo lumine in terram ceciderit. Non memorat equum *Lucas*, Paulum sessorem excutientem, memoraturus eum certe, si adfuisset; Sed quod affuisse fingatur, patet porro inde, quia Paulus ex lapsu vitare corporis læsionem & effractionem vix sine miraculo potuisset. Quid? quod Paulini itineris comites disertis verbis legantur *stetisse* (εἱστήκεισαν) stupefacti audientes vocem vs. 7. Jam Paulum equitasse, sociis pedestre iter facientibus, simile vero non est. Imprimis (quod omnem dubitandi scrupulum videtur tollere) quia dicuntur illi ipsi comites Paulum à Paroxysmo respirantem *manu duxisse* (χειραγωγοῦντες) Damascum vs. 8. quomodo vero manu duxissent equo insidentem! Cur hominem pene exanimem & vix spiritum trahentem ad molestam viam ementiendam impulissent, quem equi ministerio usum sine labore deducere in diversorium valuissent? Proinde verissime hac vice cecinisse, quicunque etiam cecinerit, Poëtam arbitror:

> *Mentitur Pictor, Paulum qui pingit equestrem,*
> *Cum clare constet, quod fuit ille pedes.*

XXVIII. CHRI-

XXVIII.

CHRISTVS INTERCESSOR SVPPLEX.

Rom. 8:26. 1. *Johann.* 2:1, 2. *seqq.*

Constat Christum ad dextram Patris sedentem in cœlis intercedere pro hominibus, ideo & Pictores intercessorem hunc delineare solent ita, ut *prostratus jaceat supplex coram patre, ad ejus genua advolutus.*

Hanc servilem & Salvatore in summo majestatis fastigio constituto Indignam imaginem malo *Gregorii Nazianzeni* verbis (*orat. XXXVI.*) quam meis diluere: *Non fas est*, inquit piissimus Doctor, *cum interpellationis vocem audimus, animo concipere* (multo minus pingere) *Christum nostri causa ad pedes æterni Patris se advolventem; procul sit ista servilis suspicio, spirituque indigna: neque enim patris est hoc exposcere, aut Filii pati, ne de Deo cogitari pium & æquum est.* In eandem sententiam pronuncians *Cl. Espencæus* (*libr. de Christo Mediat. cap.* 8.) *Non sic*, ait, *precatur, ut prostratus jaceat supplex coram patre, advolutus ad ejus genua, cum magis sedeat ad ejus dextram. Contemplatio, ut gloriosa etiamnum Mediatoris humanitate, nedum divinitate, indigna, ita non tam ex scripturis, quam NB. Picturis desumta*, quæ verba ut egregia commendat B. *D. Danhauer. Hodosoph. pag. mihi* 724.

XXIX.

MORS SCELETON.

Apocal. 6: 8.

Mortem delineaturi Pictores exprimunt σκέλετον *armatum magna falce, capiti superimposita est clepsydra.* Differt hoc simulacrum ab imagine mortis gentilium, qui pingebant istam cum dentibus immanis belluæ ac manum unguibus aduncis, uti *Pausanias refert* (*Prior. Eliac. p. m.* 299.) Τοῦ inquiens Πολυνείκους ἡ ὄπισθεν ἕστηκεν ὀδόντας τε ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες, ἐπίγραμμα ἡ αὐτῇ εἶναι φασὶ κῆρα, i. e. *à tergo autem Polynicis adsidet quædam dentes habens haud minus bellua immanis, manuumque ei ungues aduncæ. Inscriptio vero indicat esse Parcam.* Jam per Parcam ipsam mortem intelligi, refert & probat *Vossius lib. IX. cap.* 39. *de Idolol. pag. m.* 607. Differt à visione apocalyptica, mortis simulacrum exhibente, à quo longe abeunt pictores.

Nos meliora edocti è sacris literis, novimus mortem non esse suppositum aliquod, sed λύσιν *animæ, è corpore egredientis.* Quare improbanda est pictura potissimum posterior, ut falsissima. Priorem vero quod attinet, admittimus eandem, si per illam, quid mors *effective* sit, exprimere velint Pictores; sin malunt haberi pro alicujus suppositi revera existentis imagine & morte formaliter tali; aut pro ὁράματος apocalyptici delineatione (ut falx & clepsydra morti data haud obscure innuunt) rejicitur.

XXX.

CHRISTVS SVPER IRIDE SEDENS.

Apocal. 4: 3. *collat. cum Matth.* 25: 31.

Tabulæ continentes reditum Christi ad judicium, repræsentant *Salvatorem in iride tribunali sedentem.*

Utut aliquid mystici his coloribus subesse nonnulli existiment, (*vid. omnino Dn. Ursini Anal. libr. IV. cap.* 33. *p. m.* 377.) Vix tamen adducor, ut credam à pictoribus intendi. Dicerem potius, deceptos fuisse loco *Apoc.* 4: 3. ubi Johannes legitur in Spiritu vidisse *Sedentem supra sedem, qui sedens similis erat adspectui lapidis, Jaspidis & Sardini, & iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ.* Hanc visionem puto à pictoribus transferri ad effigiandum Christi reditum ad judicium. Qua fide, jam dispiciendum.

Certum est, istud ὅραμα minime prælusisse redituro ad judicandum orbem Christo. Id quod Commentatores diducunt: *non potest*, inquit *Alcazar* (*in h. l. p. m.* 33.) *esse Christus ille, qui sedebat in throno. Christum enim in illa visione repræsentabat agnus, de quo dicitur Cap.* 5: 7. *& venit & accepit de dextra sedentis in throno librum.* In quam sententiam tantum non omnes Interpretes eunt. Conf. *Synops. Crit. Pol. in h. l. p. m.* 1630. Quare insigni audacia usi pictores Iridem ex hac visione transtulerunt ad decorandum tribunal Christi, quod Scriptura tamen invita fit, quæ, ubi agit v. g. Matth. 25. de ipsius reditu ad judicium, ejus non facit mentionem. *Ubi* igitur *Scriptura silet, loqui nos*, (multo minus pingere) *nec est necesse, nec pium aut securum*, inquit bene Dn. Ursinus l. c. Qui insuper hæc addit: *Argumentum mihi irrefragabile est, quod neque thronus aliquis, neque tribunal, neque tubæ & præconium erunt corporalia, sed ἀνάλογον, quo gloria & Majestas judicis manifestetur. —— Processio Domini visibilis erit, pompam dies ipsa Domini revelabit.*

Quid de extremi judicii pictura alia, qua videbatur antiquitus *ex ore Christi progredi ex uno lilium, ex altero vero latere gladius*, censendum sit, non vacat adscribere. Vid. *B. D. Bakii comment. ad Psalm.* 45. *p. m.* 537. *b.*

EPILOGUS.

Joh. 19: 34. *Luc.* 2: 7. *Ibid. & ap. alios.*

Cesso tandem colligere errores. Sat prata biberunt. Multos sciens præterii, parcendum fuit & chartæ & sumtibus. Reliqui aliis si non messem, tamen largum adhuc spicilegium. Reliqui picturam *corpus Christi in cruce pendens delicatum exhibentem*, quod tamen acerbissimis verberibus fuit exceptum & sanguinis imbre perfusum; reliqui ædes *Mariæ & Elisabethæ insigni opere & porphyreticis columnis fultas*; reliqui *Mariam in partu obstetricis opera utentem & post partum aliquamdiu expallescentem, & quasi cum vi dolorum conflictatam.* Qua figura tacite firmatur error Helvidii, de amissa post partum virginitate Mariæ, contra quem *Hieronymus* scribens: *nulla*, ait, *obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa & obstetrix & mater fuit Matth.* 20: 20. (vid. *Gabriel. Paleoti Tr. de S. & profanis imaginibus p. m.* 154.) reliqui *infantili depictos statura filios Zebedei, Luc.* 7: 38. *accedentes cum matre ad Christum, petituros* προεδρίαν; reliqui Peccatricem effigiatam, quasi ad pedes Christi fuerit advoluta, quam tamen stetisse textus Luc. 7: 38. (στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας) docet. Vid. *B. Dn. L. Stegeri Dissertat. de lotion. Veterum cap.* 7. *pag.* 35.

Hos, inquam, aliosque errores reliqui intactos, quia & sunt crassissimi, & cuivis νοῦν ἔχοντι statim obvii. Ceterum videt B. L. ex adductis, non quoslibet admittendos esse ad picturas sacras exprimendas. Id enim studium quondam fuit magnis regibus, ut sacros vultus suos non à quovis finerent pingi, qui forte concurbitam aut cupressum simulare didicisset. Notum est *M. Alexandri* edictum, quo vetuit universo orbi suo, ne quis effigiem Regis temere assimilaret ære, colore, cælamine, veritus, eandem à multis artificibus vulgaribus contaminatum iri; quare præcepit, solus eam *Polycletus* (juxta alios *Lysippus vid. Voss. de* 4. *art. popul. p. m.* 84.) ære duceret, solus *Apelles* coloribus delinearet, solus *Pyrgoteles* cælamine excuderet. Quod utinam pari exemplo sacrarum imaginum valeret, ne quis eas temere figurandas sumeret, non tot, credo, corruptas imagines biblicas non esse habituros.

JOH.

JOH. DEUTSCHMANNI
DISSERTATIO
De Libris Apocryphis.

بسم الله الرحمان الرحيم ✠

Προθύριον.



Ere quod de suis Apostolus pronunciat Corinthiis, in omnes quadrat, sed fienter non apparenter Christianos: Θεȣ̃ οἰκοδομή ἐςε. *1 Cor. 3: vers. 10. Omnes enim cum Ephesiis sunt* οἰκεῖοι ȣ̃ Θεȣ̃ ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τ̃ Ἀποςόλων καὶ προφητῶν *Ephes. 2: vers. 20. At quale hoc* θεμέλιον? *Non arenosum, quod & tentationum imbres, & persecutionum ventos, & hæreseωn procellas, sat diu nequit sustinere; sed petrosum, quale substernere fas est* Ἀνδρὶ φρονίμῳ *Matth. 7: vers. 24. Et ad tale provocat Paulus 1 Cor. 3: vers. 10.* ὡς σοφὸς Ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθηκα. *At quod illud tandem? Christus.* Θεμέλιον γὰρ ἄλλον, *inquit idem in epist. cit. l. c.* ȣ̓δεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸ κείμενον, ὅς ἐςιν Ἰησȣ̃ς χριςός. *Hic Lapis est, quem reprobarunt ædificantes, & cœpit esse caput anguli Matth. 22: vers. 42. Ps. 118: vers. 22. Ut vero tota Christianismi nostri structura, ita Fides cumprimis, Forma illius & Anima, firmum hoc, idque solum respicit* θεμέλιον. *Id quod innuit Petrus Esaiæ c. 28: vs. 16. ad Christum in 1 epist. 2: vers. 6. applicando: Ecce pono in Sion Lapidem, in summo ponendum angulo, qui crediderit in illo, non pudefiet. Præter tamen hoc reale, datur & doctrinale Fidei* θεμέλιον, *Oracula sc. Prophetica & Apostolica, quæ non minus firma, & durissimæ ad instar petræ solida. Hinc ipse Salvator testimonium Petri petram vocat, super quam suam sit exstructurus Ecclesiam Matth. 16: vers. 18. additque, Portas inferorum adversus illam non esse prævalituras. Sunt itaque & V. & N. Test. scripta* θεόπνευςα *unicum illud, quibus fidem nostram superstruimus fundamentum. Ad hoc ipse nos mandative remittit Salvator Johan. 5: vers. 39.* Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς [τῷ ἐρευνᾶτε *non in Indicativo, sed Imperativo posito, quod genuine satis Syrus assecutus est Interpres, vertens* ܒܥܘ ܟܬܒܐ] *ut innueret, nostro non in arbitrio positum, sed quam maximæ necessitatis esse investigare, indagare, & perscrutari Scripturas, annexa ratione duplici:* ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσι, αἱ μαρτυρȣ̃σαι περὶ ἐμȣ̃. *Fidei itaque, & Vitæ mensura Sacra est Scriptura. Ad hanc remittuntur epulonis fratres Luc. 16: 29. omnes omnino homines. Nec immerito. Est enim* κανὼν, *& exactissima Divinæ Veritatis Regula, ad quam & Fidei dogmata & vitæ examinanda* πράγματα. *Idque non tantum Scriptura Mosaico-Prophetica, sed & Evangelist.-Apostolica. Hinc Paulus Gal. 6: vers. 6. Quotquot secundum Canonem hunc incedent, pax super illos & misericordia. Loquitur vero, ut è contextu liquet, de Evangelio & Doctrina de Christo, quam & in sua ad Philipp. epistola cap. 3: vers. 16. eodem salutat nomine, auditoribusque suis præcipit,* τῷ αὐτῷ ςοιχεῖν κανόνι *appellatione dubio procul desumpta è Psalm. 19: vers. 5. In omnem terram exivit* קַוָּם *Regula, Canon, Linea, Amussis eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum. Sed quorum? Apostolorum. Hi enim sunt ad quos idem accommodat dictum Gentium Doctor Rom. 10: vers. 18.* Εἰς πᾶσαν τ̃ γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τ̃ οἰκȣμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. *En tibi Canonicam utriusque Scripturæ Authoritatem! Sicut autem in Ecclesia degunt quam plurimi, qui tamen non sunt de Ecclesia; Parilem in modum libri sunt certi in Scriptura, qui tamen non sunt de Scriptura: Apocryphi videlicet, qui parem cum libris Canonicis Authoritatem non habent, unde nec ad probanda, nec dijudicanda Fidei dogmata roboris, aut valoris quid possident. Et hi argumentum erunt Disputationis præsentis. Sic itaque I. N. D.*

SECTIO I.
De Apocryphis in Genere.

§. I.

Ἔγγραφον est Ἀποκρύφȣ vocabulum & legitur Col. 2: vers. 3. Ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τ̃ Σοφίας καὶ τ̃ γνώσεως ἀπόκρυφοι & Marc. 9: vers. 22. ȣ̓δὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ. pariter Luc. 8: 17. ȣ̓ γάρ ἐςι κρυπτὸν, ὃ ȣ̓ γνωσθήσεται. Hanc ob causam, prius ad πραγματολογίαν quam nos accingamus, paucula saltem de voculæ hujus edisseremus Ὀνοματολογία.

§. II. Ἐτυμολογίαν igitur quod attinet primo, vox Ἀποκρύφȣ suos Verbo ἀποκρύπτειν debet natales, quod idem ac abscondere notat, & occultare. Hinc Matth. 11: vers. 25. dicitur: ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα, Quod si hæc occultaveris. Exinde descendit Ἀπόκρυφος, quod nonnisi absconditum notat. Dictique sunt ita libri Apocryphi V. Test. quod in demonstrandis & dijudicandis Articulis Fidei abscondendi sint & occultandi, juxta illud Hieronymi: *Illorum Authoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicatur.* De Articulis enim Fidei judicandum non est humanis ex scriptis, qualia sunt Apocrypha illa volumina, sed ex libris divinis, qui soli Canon vitæque & Fidei nostræ sunt regula. Verbo: Dicuntur Ἀπόκρυφοι ab obscuratione & occultatione, eo quod apud Antiquos illorum Authoritas obscura fuit & dubia. Hinc Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 23. de illis dicit, *Quod occulta eorundem origo non claruerit illis, quorum testificatione Authoritas verarum Scripturarum ad nos pervenit.* Et lib. 11. contra Faustum cap. 2. scribit, eos dici Apocryphos, *non quod habendi in aliqua Authoritate secreta, sed ab occulta origine, quæ non inclaruit eo, ut in sublimi illo Canonicæ Authoritatis fastigio collocari meruissent.*

§. III. Ὁμωνυμίαν quod spectat, sciendum, Patres vocabulo Ἀποκρύφȣ non unimode usos esse. Igitur Patrum Primitivæ Ecclesiæ πρᾶξις ex illis est, quæ πολλαχῶς λέγονται notatque. (1) *Mendaces, falsos, & erroneos, adeoque omnimode abscondendos libros.* (2) *Libros occultæ originis*, de quibus, quod vere Canonici sint, certa & indubitata adferri non possunt testimonia. (3) *Libros Authoris ignoti.* Sed cum priore posterior acceptio curæ non est nobis. *Et ultima*, inquit Dominus Doctor WALTHERUS in Officin. Bibl. Reposit. Post. Class. 2. Th. pr. generali, *si militaret, sequeretur, multos libros V. Test. dici posse Apocryphos, qui sunt exploratò Canonici & Authoris incerti.* Breviter ergo Ἀπόκρυφον vel est κατὰ τὸ λέγεσθαι, vel κατὰ τὸ εἶναι. Priori modo quidam N. Test. libri habentur pro Apocryphis, quales tamen vere non sunt. Nullus enim in tota Scriptura N. Instrumenti Apocryphus secundum esse deprehenditur liber, quia de secundario fal-

saltem, non primario Auctore à quibusdam, non omnibus, aliquando, non semper, in Ecclesia Dei fuit dubitatum, ipsis in se nihilominus vere divinam Authoritatem obtinentibus, de natura & proprietatibus librorum Canonicorum participantibus, quoadque Doctrinam omnimode perfectis. Posteriori respectu Apocryphum itidem sumptitatur dupliciter, Εἰδικῶς & Ἐξοχικῶς, Illo nomine dubii V. T., Hoc omnimode falsi, & fabulosi libri dicendi sunt Apocryphi.

§. IV. Συνωνυμίαν denique quod concernit, Scripta, quæ Hieronymo audiunt Apocrypha, ab Eusebio aliisque vocantur *Hagiographa* & *Ecclesiastica*, ab aliis laxo nomine *Divina*, & Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. *Canonica* &c.

§. V. Tantum de Onomatologia. Sequitur jam Pragmatologia sistens primo *Definitionem* librorum Apocryphorum, circa quam doctissime notat Magnific. Dominus D. PRÆSES, Præceptor & Patronus meus ætatem devenerandus in Comp. Hutt. L. 1. §. 5. *Definitionem quod attinet, ea vel accipitur* παχυλῶς & ὡς ἐν πλάτει *quoad Verborum sonum, quo respectu generalis & ad nonnullos N. T. libros pertinere videtur, ut observat Dn. D. Cundis. h. l.* vel ἀκριβῶς, & ἐν ἰδίᾳ φύσει, *quoad accuratum verborum sensum, & ita solis Apocryphis proprie dictis competit.* Hanc nos sequentes facem Definitionem Apocryphorum *in genere* sistimus talem: *Apocryphi sunt libri Scripturæ de quorum vel Authoribus tantum vel Authoribus & Authoritate simul dubitatum fuit olim & adhuc dubitatur. In specie* vero definimus Apocryphos *Libros in Scriptura, quorum ignota & origo & canonica Majestas.* Ignotam dicimus (α) *Originem*, tum (1) *ratione causæ Efficientis, ejusque & Principalis*; Non enim luce gaudent divina, vel inspiratione Spiritus S. ut Paulinum in illos non cadat effatum: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος 2 Timoth. 3. Illorum quippe Authores non scripserunt φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου. 2 Petr. 1. & *Ministerialis*; Non enim per illustres Dei viros, Prophetas, vel Apostolos conscripti sunt. Et *Instrumentalis*, quia neutiquam per Verbum Dei, quod est lumen & lucerna Psal. 119: vs. 105. neque per mandatum aut impulsum divinum, ceu lucem veram atque publicam consignati sunt; Tum (2) *ratione causæ materialis* quia non tam de summis cœlestis veritatis mysteriis, quam de aliis vel obscuris historiis, vel occultis aliis objectis tractationem instituunt; Tum (3) *ratione Causæ Formalis*; Non enim gaudent lumine sensus divini, nec illuminatione Spiritus S. nec authoritate Divina, nec accurata cum Scriptura Canonica harmonia; Tum (4) *ratione Causæ Finalis.* Quia non sunt manifesta atque publica Fidei Christianæ regula, neque fideles vel ad Christum, vel vitam æternam deducunt. Ignotam [β] dicimus *Majestatem* ex carentia illustris tum *perfectionis*, tum *perspicuitatis*, tum *certitudinis*, quam ob causam nec primitiva Ecclesia, quæ testimonium de Scripturis edidit Canonicis eandem percipere potuit, nec moderna talem deprehendere valet. Unde & Hæc dictos Apocryphos in Canonem recipere nec vult nec potest, nec debet. Conf. pluribus Magnific. Dominus D. PRÆSES cit. l. §. 5. & 6.

§. VI. Qualis vero jam Definitio, talis etiam Apocryphorum est *Divisio.* Erunt itaque juxta Definitionem primitus datam Apocryphi vel κατά τινος vel κατὰ παντός. Κατά τινος Apocryphi erunt, quorum non tam Canonica Majestas & Authoritas, quam potius amanuensium certitudo & veritas olim fuit dubia. Horum è numero [1] *est Epistola ad Hebræos*, qua de Eusebius *lib. 3. cap. 3.* hæc refert: *Non est ignorandum, quod quidam in Romana Ecclesia Epistolam ad Hebræos reprobarint, asserentes contradici, quasi non sit Pauli.* [2] *Epistola Jacobi*, de cujus Authore Hieronymus dubitat *in Catalogo Scripto: Epistola Jacobi ab alio quodam sub ejus nomine edita asseritur.* [3] *Posterior Epistola Petri.* De hac Eusebius lib. 3. cap. 3. *Eam, quæ circumfertur altera Petri epistola à plerisque Petri esse negatur propter styli cum priore dissonantiam.* [4] *Secunda & Tertia Johannis Epistola.* Has enim sub dubitationis revocatas refert aleam Eusebius *lib. 3. cap. 25. Reliquis*, inquit, *Epistolis Johannis contradicitur.* & rationem addit: *Quia dubitatum fuit, utrum essent Johannis Evangelistæ, an vero alterius cujuspiam ejusdem cum illo nominis.* [5] *Epistola Judæ*, cujus pariter Authoritas à non paucis revocata est in dubium. Vide Eusebium *lib. 2. cap. 23. & lib. 3. c. 22.* Erasmum *in annot. pag. 541.* [6] *Apocalypsis Johannis*, qua de Eusebius *lib. 3. cap. 24.* ita disserit: *De Apocalypsi etiamnum apud multos dispar est opinio, probantibus illam aliis, aliis vero reprobantibus.* Quam vero ob causam dubitarint Patres non incommode quæritur? Respondet Beatus Dn. D. Chemnitius in Exam. Concil, Tridentin. part. 1. in L. de Script. Canon.

edit. in folio f. 51. tribus rationibus [α] *Quia Veteres non invenerunt satis certa, firma, & consentientia testimonia de testificatione primæ Apostolicæ Ecclesiæ, quod libri illi essent ab Apostolis comprobati, & Ecclesiæ commendati.* [β] *Quia non certo ex testificatione primæ & veteris Ecclesiæ constitit, an ab illis, sub quorum nomine editi sunt, libri illi conscripti essent, sed judicati fuerunt ab aliis sub nomine Apostolorum editi.* [γ] *Cum quidam ex vetustissimis aliquos ex illis libris tribuerent Apostolis, quidam vero contradicerent, Res illa sicut non erat indubitato certa, relicta fuit in dubio.*

§. VII. Κατὰ παντὸς Apocryphi sunt, quorum nec Authores, nec Authoritas certo demonstrari potest, videlicet *Apocryphi Veteris Testamenti*, qui in se & ex se Fidem Canonicam non habent adeoque posteriori, eaque Apocryphorum accurata Definitione summarie comprehenduntur. Et possemus dispescere illos in *Apocryphos nobis* & *Apocryphos Pontificiis.* Notum enim est ipsorum Pontificiorum confessione non minus ac nostra *Tertium & Quartum Esdræ, Tertium & Quartum Maccabæorum una cum Psalmo* 151, *Additione Jobi & Oratione Manassis* Apocryphos esse. Cœteros vero Apocryphos nobis venditant pro Canonicis ubi tamen Sixtus Senensis *lib. 1. Bibl. Sanct. Sect. 1.* distinguit inter *Protocanonicos & Deuterocanonicos.* Quem sequitur Johan. Stephanus Menochius Jesuita in *Præf. annot. in Bibl. cap. 7. Protocanonici dicuntur illi libri, de quorum Authoritate nunquam dubitatum est: Deuterocanonici, de quibus aliqua aliquando fuit controversia. Hi vero sunt Liber Esther totus, vel certe septem posteriora illius capita, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Maccabæorum &c.* Et Bellarminus ipse in eandem distinctionem quodammodo inclinat, dum tres, constituit Sacrorum librorum ordines lib. 1. de Verbo Dei cap. 4. §. 1. In primum collocat eos, *de quorum Authoritate nulla unquam fuit inter Catholicos homines disceptatio.* In Secundum eos, *qui tametsi vere Prophetici, aut Apostolici sint, non tamen semper æque certa & explorata eorum veritas fuit.* In tertium eos, *qui quanquam à nonnullis clarissimis, doctissimisque viris aliquando in numero divinorum voluminum haberentur, publico tamen totius Ecclesiæ judicio nunquam approbati sunt.* Ad primum ordinem refert canonicos, quos & nostræ Ecclesiæ admittunt. Ad secundum controversos, qui nobis Apocryphi. Ad Tertium illos, quos & nos & Pontificii ex Canone removemus, puta Orat. Manass. Tertium & quartum Esdræ & similes. Verum *non agnoscimus* infit Dn. D. WALTHERUS *in Off. Bib. cit. l. §. 1243. pag. 1119. in Veteris Testamenti libris tale quoddam discrimen, quo aliqui statuuntur* πρωτοκανονικοὶ, *alii* Δευτεροκανονικοὶ, *sed illos dicimus esse,* μονοκανονικὰς, *hos vero* οὐδενοκανονικὰς & ἀναγνωστὰς. Quam ob causam & Deutero canonici Pontificiis libri merito nobis jure sunt Apocryphi, æque ut Apocryphi ipsis, quod pluribus infra probatum dabitur. Impræsentiarum allegatum sequimur Doctorem, qui cit. l. Apocryphos dividit in *Integros* & *Imperfectos.* Integros dicit continere vel (α) *Historicas relationes* ut *Liber Judithæ, Tobiæ*, vel (β) *Utilissimas exhortationes*, ut partim *Liber Sapientiæ* qui potissimum ad Magnates & Principes est directus; partim *Siracidis*, quo instituuntur omnes omnino homines cujuscunque ætatis, sexus & conditionis; partim *Baruchi*, qui ad pœnitentiam, vitæque novitatem Judæos nominatim captivos impense exstimulat, vel (γ) *Manifestissimas vaticinii Danielis adimpletiones* sub illustribus fratribus Maccabæis, de quibus 1. & 2. Maccabæorum agunt libri. *Imperfectos* vero qui & *Fragmenta* dicuntur, pertinent ad Historiam vel Estheræ, vel Danielis, vel Manassis &c.

§. VIII. Quicquid vero tandem hujus rei sit propositum hoc tempore est nostrum ad ductum Γενικῆς, & minus accuratæ Distinctionis, primo agere loco de Apocryphis Novi, & postremo de Apocryphis Veteris Testamenti. Idem enim est, quod Ordo juris, Dignitatis & Excellentiæ requirit. Dignius quippe præcedit indignius, nobilius ignobilius. Quanto vero intervallo N. T. Apocryphi prostent illis qui sunt Veteris ὀφθαλμοφανερῶς patet inde, quod illorum natura cum horum comparanda neutiquam veniat, utpote quam infinitis excedit parasangis. Quanta enim ἐξοχῇ & eminentia divinum præstat humano, certum incerto, lucidum obscuro, verum falso; tantum Apocryphi N. Apocryphis V. præstant Testamenti.

SECTIO II.

De Apocryphis N. Testamenti.

§. I.

QUo nomine, sensu, numeroque veniant Apocryphi, prout communiter audiunt, N.T. libri, brevibus Sect. I. §. VI. suppeditavimus, denominationis simul adjecta ratione, quam B. exhibet D. Chemnicius Ex. Concil. Trident. fol. 51; His itaque per se notis, usque adeo prolixe non immorabimur amplius hac vice nihil, præter Canonicam horum nominetenus tantum Apocryphorum, Authoritatem ad amussim divinæ Veritatis & regulam τῆς πίστεως ἀναλογίας pensiculaturi. Sit ergo Thesis: *Apocryphi N. T. vere sunt Canonici.* Hanc Thesin nostram & κατασκευαστικῶς stabiliemus & ἀνασκευαστικῶς & applicando γνωρίσματα, è quibus alias dijudicatur Κανὼν & infringendo cornua, quibus hic N. Test. impetitur Canon.

§. II. Argumentamur igitur: Quicunque libri non minus, ac alia Scripta Apostolico-Canonica ab Apostolis θεοπνεύστως, lingua Græca scripti doctrinam de Christo Spiritu prorsus Apostolico, citra ullam tamen cum libris Canonicis vel ἀσυστασίαν, vel ἀσυμφωνίαν, & repugnantiam exhibent Fidemque & vitam Christianam feliciter emetiuntur, pro vere Canonicis non possunt non haberi.

Atqui Apocryphi Novi Testamenti &c. Ergo.

§. III. Major firmo stat talo, fulta quippe potissimis, quæ alias ad dijudicandum, & quidem N.T. Canonem adhibentur Γνωρίσμασι & κριτηρίοις desumptis, *à Causa partim Efficiente Ministeriali* (Quicunque enim liber N. Test. Canonicus esse debet, ab Apostolo conscriptus ut sit, requiritur) *Partim Formali & Interna*, quæ sensus divinus Θεόπνευστ@ (Per hunc enim libri Canonici sunt, quod sunt, distinguuntur & operantur) & *Externa*, quæ Ἑλληνογραφία; Partim *Materiali* & quidem *Circa quam seu Objecto*, quod Doctrina de Christo Apostolico Spiritu, fervore & emphasi summaque cum convenientia & Harmonia cum libris Canonicis proponenda; Partim *Finali*. Canonici quippe libri & fidei & vitæ Christianæ norma sunt & regula.

§. IV. Iam ad Minorem, quæ hæc fuit: *Atqui Apocryphi N.T. non minus ac alia Scripta Apostolico-Canonica ab Apostolis θεοπνεύστως lingua Græca scripti, doctrinam de Christo Spiritus prorsus Apostolico citra ullam tamen cum libris Canonicis vel ἀσυστασίαν vel ἀσυμφωνίαν & repugnantiam exhibent fidemque & vitam Christianam feliciter emetiuntur.* Singula membra singulare postulant robur. Et hoc sequentibus apponetur paragraphis.

§. V. Probamus itaque I. *Apocryphos N. Test. ab Apostolis esse editos*; Idque inductione singulorum.

[α] enim *Epistola ad Hebræos* Authorem non habet nisi Paulum quod patet partim ex (1) *Timothei condemnatione* cap. 13: vs. 23. quem præter Paulum nemo habuit Discipulum. (2) *Vinculorum Italicorum mentione* cap. 10: vs. 34. quod Paulo solenne est Col. 4: vs. 18. 2 Timoth. 2: 9. (3) *Petri testificatione.* Ita enim Petrus in posteriori sua epistola cap. 3: vs. 15. καθὼς καὶ ὁ ἀγαπητὸς Ἀδελφὸς Παῦλ@ κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν Σοφίαν ἔγραψεν ὑμῖν. Quinam vero fuerint, ad quos hanc suam Petrus scripserit epistolam, palam sistit c. 3: v. 1. & c. 1. ep. 1: v. 1. Ἰουδαῖοι videlicet Διασποραῖς, qui paulo ante & post Christum in varias terrarum partes erant dispersi. Hinc ἐκλεκτοὺς vocat παρεπιδήμους Διασπορᾶς πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας. (4) *Paulina subscriptione.* Solennis quippe Pauli clausula, 2 Thess. 3: 17, 18. omnibus illius epistolis inscribi solita, & in hac deprehenditur epistola cap. 13: vs. ult. (5) *Axiomatum Paulinorum identitate.* (6) *Styli paritate* & (7) *Patrum Authoritate.* Præter enim Clementem Alexandrinum *lib. hypothes.* Concilium Laodicenum *can.* 59. & Carthaginense tertium *c.* 47. & Athanasius *in Synops. & in Dial.* 1. *de Trinit.* & Hieronymus *Ep.* 29. *ad Dardanum* & Nazianzenus *in carmine* & Cyrillus *lib.* 12. *Thess. c.* 9. & Hilarius *lib.* 12. *de Trin.* & Ambrosius *lib.* 2. *de Carn. c.* 2. & Augustinus *lib.* 2. *de Doctrina Christiana c.* 8. & Ruffinus & Gregorius & omnes fere Græci Paulum Authorem hujus Epistolæ constanter proclamarunt.

(β) *Epistola Jacobi* scripta est à Jacobo Justo, filio Alphæi, fratre Iudæ & consobrino Domini, aliàs Minore appellato. Hinc ejus nomine citatur à Concilio Laodiceno & Carthaginensi tertio, Origine præterea *Hom.* 7. *in Jos.* Epiphanio *hær.* 76. Athanasio *in Syn.* Augustino *Epist.* 29. Dionysio *de divin. Nomin. c.* 4. Cypriano *ad Nov.* Ruffino *in expos. Symb.* Damasceno *lib.* 4. *c.* 18. sat grave præbentibus testimonium.

(γ) *Epistola posterior Petri* nonnisi Petri est, quod abunde liquet, tum [1] *è titulo*: Σιμεὼν Πέτρ@ δοῦλ@ καὶ Ἀπόστολ@ Ἰησοῦ χριστοῦ; *tum* [2] *è Stylo*, qui mere Apostolicus est; tum [3] *è visæ transfigurationis Dominicæ testimonio.* Siquidem Author hujus epistolæ transfiguratum se vidisse Dominum ingenue fatetur, & audivisse vocem dicentem: Hic est Filius meus dilectus cap. 3. vs. 16. Iam vero è Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. constat capitibus, Petrum tantum, Iacobum & Iohannem in montem Thabor, ut glorificationis testes, à Christo esse assumtos. Accedit *deponendi tabernaculi revelatio* cap. 1. vs. 14. Quibus dubio procul verbis respexit ad prædictionem Salvatoris Ioh. 21: 18, 19. & *Pauli mentio*, quem dilectum suum nominat fratrem cap. 3. v. 15. & *Ecclesiæ testificatio.* Confer Concilium Laodicenum *can.* 59. Athanasium *in Synop.* Epiphanium *hæres.* 76. Hieronymum *ad Paulum*, Bedam aliosque plures Ecclesiæ primitivæ Antistites.

[δ] *Secunda & Tertia Johannis*, Evangelistam & Apostolum Iohannem agnoscit Authorem. Probat hoc [1] *Authoris denominatio.* Presbyterum quippe se vocat, hanc qui scripsit epistolam, quod patet è versiculo 1. Hoc sive ad Ecclesiasticum officium, sive ætatem applicueris provectiorem, Iohanni competit Apostolo, cum notum sit, quod ille præ reliquis ad summam pervenerit senectutem. [2] *Apostolica salutatio* & [3] *exacta sententiarum, verborumque cum priore conspiratio.* Unde Iohannis utramque Veteres allegarunt, reliquisque Canonicis adjunxerunt, quod & Lutherus facit in præfatione ad Hebr. Bißher haben wir die rechten gewissen Haupt-Bücher des Neuen Testaments gehabt. At quos? Alios inter & posteriorem Petri & secundam tertiamque Iohannis.

[ε] *Epistola Judæ* exarata est à Iuda Thaddæo, filio Alphæi, Iacobi fratre, qui docuit Evangelium in Mesopotamia, Ponto, Ægypto & Perside, ubi à Magis scribitur interfectus, quod liberius ipsorum superstitionem reprehenderet. Vocat autem seipsum Iudam, servum Christi & fratrem Iacobi v. 1. Quam ob causam, ut & sententiarum cum posteriori Petri convenientiam, à Patribus repudiata non est, sed in Concilio Laodiceno, & ab Athanasio, Tertulliano, Cypriano, Origine, Epiphanio, Hieronymo reliquisque Veterum Iudæ nomine citatur.

[ζ] *Apocalypsis Iohannis* liber est Apostolico-Propheticus à Iohanne Evangelista & Apostolo conscriptus, quod colligitur ex ejusdem [1] *Conformi cum prima sua epistola exordio.* Conf. 1 Ioh. 1: 1, 2, 3. Apoc. 1: 1. & 2 Ioh. 21: 24. [2] *singulari Filii Dei epitheto.* Nominat enim Iohannes præ cœteris Apostolis & Evangelistis Servatorem Mundi Λόγον Ioh. 1: 1. & 14. Apoc. 19: 13. 1 Ioh. 5: 7. [3] *Vaticiniorum complemento.* Eventus quippe, quo pleræque visiones comprobatæ sunt, Apostolicæ hunc librum esse Authoritatis, abunde testatur [4] *Danielis promisso.* Dan. 12. enim v. 4. & 9. legimus Danieli factam esse promissionem de explicatione vaticinii, quamdiu duratura sit Anti-Christi idololatria & dominatio, quæ promissio in vaticiniis his Apocalypticis impletur. [5] *Antiquissimorum Patrum suffragio* v. g. Dionysii, Iustini, Irenæi, Theophylacti, Melitonis, Origenis, Athanasii, Chrysostomi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, qui omnes Iohanni Apostolo hunc librum adsignant.

§. VI. Probamus II. *Apocryphos N. Test.* θεοπνεύστως, & *quidem Græce consignatos esse.* *Quoad primum*, pugnat pro nobis [α] *Christi effatum* Matth. 10: 20. οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Alloquitur autem his verbis Salvator dilectissimus suos, quos ut oves in medium luporum emiserat Discipulos v. 16. adeoque & Petrum, & Iohannem, & Iacobum, & Iudam. Quod si igitur verum est, sicut omnimode est, Apostolos hosce Authores esse enumeratorum horum librorum, non poterit non sequi, & instinctu & impulsu & inspiratione Spiritus S. quoad sensum vere divinum consignatum esse, ab illis, quod scriptis proditum est. A minori enim ad majus argumentari licet hoc modo: Si locuti sunt θεοπνεύστως Apostoli, sequitur, quod & θεοπνεύστως scripserint, cum major in scriptis, quam dictis desideretur authoritas & emphasis. Iuxta enim Poëtam, *Vox audita perit, litera scripta manet.* Vel si mavis, à Genere ad Speciem poteris argumentari: Si locuti sunt Apostoli φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματ@ ἁγίου, sequitur quod & scripserint eodem acti Spiritu. Verba enim scripta non minus, ac pronunciata, sunt verba. Præterea verisimile non est, Deum, qui non modo generatim omnes Gentes [*voce & scriptis*] docere Matth. 28: 19. sed & speciatim Apostolos scribere jussit Apoc. 1: 11. & cap. 14. in eo quod jussit, destituisse quos jussit.

[β.] *Pauli pronunciatum* Rom. 15: 18. οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν τι

λεῖν τι ὧν οὐ κατειργάσατο Χριστὸς δι' ἐμοῦ. Argumentamur igitur denuo: Si non ausus est Paulus aliquid dicere, nisi Christus Iesus id ipsum fuerit operatus, sequitur eundem nec ausum esse aliquid scribere, nisi idem Iesus Christus id operatus fuerit; Et per consequens Epistolam quoque ad Hebræos, quæ, ut ante monitum, non nisi Paulo suos debet natales, operatione Christi conscriptam esse & consignatam. *Quoad postremum* res ipsa loquitur. Quemadmodum enim Græcanica Lingua Apostolorum tempore inter omnes gentes florentissima ad conscribendum Nov. Testam. canonem speciali DEI beneplacito est electa: Ita non minus recensiti libri authentica hac in lingua consignati sunt, quod ipsa monumenta originalia evidentia, omni exceptione majora, evincunt.

§. VII. III probamus Apocryphos N. T. libros *Doctrinam de Christo Spiritu Apostolico citra omnem cum libris Canonicis ἀσυστασίαν ἀσυμφωνίαν & repugnantiam exhibere.* Quod enim ad prius; Nullum est è Scriptis allegatis, quod doctrinam de Christo & qua Personam, & qua Officium fidelissime non inculcet. Quod ad secundum, plena sunt Apostolicæ gravitatis, Spiritusque divinus hinc inde colligitur superflue. Quod ad tertium, tantum abest, ut in omnibus, quæ proponunt, aliquam cum Canonicis libris prodant disconvenientiam & pugnam, ut potius cum illis harmonice conspirent, nec absurdi cujusdam, aut ἀντιλογίας insimulari possint.

§. VIII. Denique IV. probamus Minorem, quoad ultimum, exinde, quod unicus illorum finis est, pios Dei homines ad Christum & Vitam æternam deducendi, adeoque & fidem & vitam Christianam ad amussin voluntatis Divinæ normandi & mensurandi. Hic enim scopus est *Epistolæ ad Hebræos.* Hinc duobus primis capitibus *Christi* sistit *Personam*, qua *divinam* in primo, & qua *humanam* naturam in secundo capite. Quarto, quinto, sexto, septimo, octavo, nono & decimo capitibus agit de *Christi Officio*, cumprimis sacerdotali hortaturque ad fidem & vitam Christianam. In undecimo describit *Fidem*, *& ratione sui & ratione Subjecti primævi & ratione Adjuncti.* In duodecimo & decimo tertio hortatur ad fructus Fidei, Patientiam, Constantiam &c. Eundem in modum *Epistola Jacobi* ad Christum ducit, dum Author ejusdem se Christi servum nominat cap. 1. & genuinum fidei monstrat Principium. Cap. 2. Fidei notat effectum & necessarium & salutiferum, bona scilicet opera, ad quæ, ut & in sequentibus, instimulat acerrime. Idem faciunt & reliqui, de quibus omnibus æque, ac Paulus de Canonicis V. Test. eloqui possumus: *Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς Διδασκαλίαν πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.* 2 Tim. 3: 16.

§. IX. Et hæc sufficiant nobis ad evincendam brevibus Apocryphorum N. T. Authoritatem Canonicam. Jam ad ea, quæ in contrarium adferri solent, nos convertemus, visuri num valoris quid, aut roboris habeant mentem Canonicæ Veritati addictissimam ad sequiorem flectendi sententiam. Ubi in primo statim se præsentant frontispicio, quæ contra *Epistolam ad Hebræos* proferuntur Argumenta: Objiciunt enim communiter [1.] *De cujus Authoritate prudens dubitavit Antiquitas, illa Canonicis libris annumerari non debet Epistola. Atqui de Authoritate Epistolæ ad Hebræos &c.* Ergo, Respondemus limitando Majorem: De cujus Authoritate prudens dubitavit Antiquitas scilicet *tota & semper*, illa &c. At sic negatur Minor. Non enim omnis Antiquitas, sed aliqua saltem, quippe Romana aliquando non semper dubitavit. Jam vero non satis est causæ ad rejiciendam aliquam Epistolam, quia particularis quædam de authoritate ministri & ad tempus dubium fovit Ecclesia. Sed requiritur totius Catholicæ, cumprimis primitivæ Ecclesiæ constans & perpetua sententia. [2.] *Cujus Epistolæ Author est incertus, illa dici non meretur Canonica. Atqui Epistolæ ad Hebr.* &c. Ergo, Resp. Neque Major neque Minor simpliciter procedit. *Non Major.* Nam do instantiam: *Libri Josuæ* author est incertus. Theodoretus enim existimat esse collectum ex antiquo commentario, qui dictus sit Liber justorum cap. 10. vs. 13. Alii rerum summas ab Eleazaro summo Sacerdote comportatas fuisse arbitrantur, è quibus postmodum volumen hoc sit confectum, quo inclinare videtur Athanasius *in Synop.* Contra Hebræi ipsummet Josuam librum hunc consignasse totum conjiciunt. Pariter *libri Judicum* quis fuerit Author incertum est. Nec magis notus est Author Estheræ &c. Ecquis autem tantæ foret absurditatis, ut hos & alios ignoti Authoris libros è Canone velit removere? Itaque non ex Amanuensis notitia sed ex inspiratione Spiritus S. Scripturæ canonica pendebit authoritas. *Non Minor.* Plurimi enim Patres conveniunt in adsignatione hujus epistolæ divo Paulo, quod supra dictum §. 3. Et horum nos insistimus vestigiis. *Inst.* [α] *Non tamen habet Præfixum Pauli nomen.* Resp. Quid tum? Neque Johannis Epistola prima pro more Apostolis, Petro cumprimis & Paulo usitato præfixum habet Johannis nomen, inde tamen de Canonica illius Authoritate nullum est dubium. Deinde Liber Sapientiæ Salomonis obtendit nomen, nec tamen ejusdem est, & Canonicus. [β] *Stylus hujus epistolæ alienus est à stylo Pauli.* Resp. Et in illis Epistolis, quæ Paulum indubitato agnoscunt Authorem styli quædam animadvertitur diversitas [Utraque enim ad Corinthios est facilis, ad Ephesios vero est difficilis] At quid inde? Styli sane diversitas diversitatem non Authoris, sed materiæ, & argumenti arguit diversitatem. Præterea non omnimode evictum est, stylum prorsus alienum esse à stylo Pauli. Methodi namque & phrasium similitudo docet contrarium. [γ] *Cujus Epistolæ Author ab initio fuit conversus, ille Paulus non fuit. Atqui hujus* &c. Ergo, *Minorem prob. cap. 2. vers. 3.* Resp. Minor est nulla. Ne hilum enim quidem dicto in loco de conversione Authoris facta ab initio occurrit. Sed ita habent verba: *Ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη, συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι* &c. Quo dubio procul ad miraculosam & curam, & Spiritus S. instructionem respicit factam per Ananiam Actor. 8: vers. 17. & seqq. [δ] *Quicunque Author errat in explicatione Scripturæ, Paulus non est. Atqui Epistolæ ad Hebræos* &c. Ergo, *Minor prob. Quia Author ille erravit in explicando 2 Sam. 7: 14. quoad Christum accommodat, cum tamen ad literam intelligatur Salomo.* Resp. itidem negando Minorem; Cum juxta contextum non de Salomone, sed de Christo fiat ibi Sermo [3.] *Quæcunque Epistola Græco non est scripta idiomate, pars Canonis N. T. esse non potest.* Atque hæc &c. Ergo, Minorem probat Sixtus Senensis *lib. 7. Bibl. hær. 8. pag. 764.* ubi audacter affirmat, *omnes consentire in eo, quod Epistola hæc ex Hebræo in Græcum conversa sit.* Respondet Magnificent. Dn. D. Calovius, Mecœnas & Præceptor meus æternum suspiciendus *in Critico Sacro Diat. 7. §. 6. Fallitur in eo Senensis. Non desunt enim è veteribus, qui potius* Ἀρχέτυπον *Græce conscriptum profiteantur.* Additque magis ex conjecturis, & incerta traditione, quam ex certa scientia & indubiis documentis, plerosque ex Patribus asserere, quod Ebraice primitus exarata fuerit, quod pluribus deducit §. 7. v. 8. Argumenta non contemnenda adducit in contrarium, dum ostendit [a] Stylum & dictiones non Hebræam, sed Græcam redolere eloquentiam [b] Allegata V. T. fieri non secundum Ebraicum textum, sed Græcam LXX. Interpretum versionem. [c] suam stabilit *sententiam* Græcarum vocum emphasi [d] Ebraicarum vocum in Græcum sermonem interpretatione [e] Sententiæ adversæ incertitudine. Instas [α] *Ad Hebr. os scribi debuit Hebraice.* Resp. Negando. Alias enim & Petrus suas Hebraice exarare debuisset Epistolas. *Imo & Pauli*, inquit Magnus noster Calovius, *utraque ad Timotheum colligeretur conscripta esse Hebraice quippe ad Hebræos destinata. Accedit, quod usus linguæ Græcæ tam late patuerit, ut Hebræi non solum, qui inter gentiles dispersi, sed etiam, qui in Syria morabantur, Græce loquendi consuetudinem induerint. Quid quod non omnes Ebræi tum intellexerunt Hebræa! Multi enim eorum, qui inter gentes dispersi erant, non in usu Patriæ linguæ, sed ejus, quæ vernacula erat illis, quos inter vivebant, à tenebris educati fuerant.* [β] *Paulus haut polluit tanta in Græca lingua eloquentia, quantam præ se fert Epistola ad Hebræos.* Quasi vero Divina sapientia ad humanæ potentiæ modulum sit adstricta. Mirantur certe Pauli eloquentiam Lystrenses, hinc Paulum dicebant Mercurium, Eloquentiæ Deum. Actor. 14: 12. unde Theodor. ipsum *μεγαλοφωνότατον* dixit, & Hieronymus inquit: *Paulum quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua.* [4.] *Quodcunque Canonico contradicit libro, ipsum Canonicum non est. Atqui Epist. ad Hebr.* &c. Ergo, Minorem probant c. 9. v. 3. & 4. ubi dicitur in Arca Fœderis fuisse urnam, habentem Manna, & Virgam Aaronis, quæ fronduerat & Tabulas Legis cujus contrarium prostat 1 Reg. 8. Resp. Fallit Minor. Phrasis enim illa Ἐν ᾗ, non ad Arcam refertur, sed Σκηνῇ, seu tabernaculum. Vitiosa itaque est interpretatio cum Apostolus de tabernaculo loquatur, in quo asserit fuisse urnam & virgam Aaronis. [5.] Dicunt: *Contrariatur tamen Doctrinæ Evangelicæ, patrocinaturque errori Novationarum cap. 6. ubi reditum ad gratiam negat patere, qui semel illuminati à veritate defecerint, negatque cap. 12. Esavum invenisse locum pœnitentiæ, cum tamen Christus omnes ad se venire jubeat.* Resp. Falsum est Epistolam ad Hebræos contrariari Evangelio. *Quod enim ad primum*; Apostolus loquitur de iis, qui peccarunt in Spiritum S. At hoc peccatum ab ipso Christo dicitur irremissi-

remissibile Matth. 12. Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία μὴ ἀφεθήσεται. *Inquis: Ergo Christus sibimetipsi contradicit, & per consequens dabuntur ἀντιλογίαι in Scriptura Canonica* Resp. Multæ dantur revera tales & ὄντως, qualis nec hæc est. Non enim Christus sibi contradixit, sed φαινομένως id sic aliquibus videtur. Ad veram namque ἀντίφασιν, juxta Aristotelem, requiritur alia inter requisita & καθ' αὐτὸ & πρὸς αὐτὸ, quorum neutrum hoc deprehenditur loco. Vere enim omnes & singulos Christus vocat Homines, sed hac addita commonefactione: Ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς. At quod est illud: Iugum Fidei, Iugum Pœnitentiæ, & jugum Novæ Obedientiæ, quorum nullum in blasphemos illos in Spiritum S. cadit peccatores, utpote quorum adjunctum damnabile finalis in incredulitate & malitia est perseverantia. Itaque nec à Christo, nec ab Apostolo excluduntur absolute, sed sub intuitu finalis in blasphemia pertinaciæ. Sicut è Contrario peccatores ad Christum vocantur sub conditione fidei &c. Tantum de primo. Quod vero alterum istud concernit, *Esavum pœnitentiam quæsivisse lachrymis, nec invenisse*, non tam de sua, quæ serio quæsita nequaquam fuisset denegata, sed vel Dei κατ' ἀνθρωποπάθειαν ita dicta, vel Parentis Isaaci intelligendum venit pœnitentia; Vt sensus sit, Esavum quidem lachrymis à parente petiisse, ut translatam in Iacobum benedictionem retraheret, adeoque de actu suo eucharistico pœnitentiam haberet, quod tamen impossibile fuit, sicut testatur Genes. 27: 34, 35, & seq. Neque enim Deum, neque Isaacum in subjectum dignius collatæ benedictionis potuit pœnitere. [6.] *Quæcunque Epistola tradit talia, quæ Pauli non congruunt tempori, Paulina, adeoque ejus nomine Canonica esse non potest.* Atqui hæc nostra &c. E. Minor probatur ex c. 6. vs. 1. ubi mentio fit Catechismi, qui mos instruendi tamen post Paulum demum videtur cœpisse. Resp. Minor invalida est. Tempore enim Pauli jam tum catechizandi morem fuisse usitatum, patet ex Galat. 6: 6. Act. 18: v. 25. [7] *Quæcunque Epistola nonnulla citat, velut ex V. T. quæ apud Hebræos tamen non habentur, illa non est Canonica. Epistola ad Hebr. &c.* E. Minor patet ex cap. 12. vs. 21. ubi Mosen dixisse refert: Ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος, quod in V. T. nullibi extat. Respondet pro nobis Dn. D. Waltherus Off. Bib. Rep. post. p. 1087. tripliciter. [1.] dicit: *Paulus etiam è gentilibus quædam citavit.* [2.] *Probabile est, Authorem etiam hujus epistolæ hæc habuisse ex traditione, sicut nomina Jannes & Jambres 2 Tim. 3: 8.* [3.] *Non absurde dici potest Exod. 19: vs. 19. rem ipsam describi, quam hisce verbis Author epistolæ hujus exprimere voluerit. De Mose enim narratur, quod cum sonus tubæ invalesceret, locutus fuerit ac Deus responderit ei voce, ex quo recte colligitur, Mosen illo sono tubæ territum de suo terrore fuisse conquestum, & blanda à DEO voce erectum.*

§. X. Missa hac ad Ebræos Epistola ad defensionem *Epistolæ Jacobi* nos accingemus eamque ab impetu Adversariorum pro virili vindicabimus. Expunctam vero voluere eandem, quos sequentia moverunt argumenta: *I. Quæcunque Epistola, teste Eusebio, est adulterina, in Canone non est ferenda. Atqui Jacobi Epistola &c.* Ergo. Resp. negando Majorem. Non enim sufficit ad relegationem hujus vel istius libri è Canone, teste Eusebio esse adulterinum, sed requiritur vere esse adulterinum. Forte ipsius Eusebii testimonium est adulterinum, adeoque nihil probabit. Nec juvat Eusebium silentium veterum. Pauci enim ex Veteribus scripserunt, pauci itaque ejusdem meminisse potuerunt. *II. Quæcunque Epistola de Opere Christi, & Doctrina Evangelii nihil meminit, in Canone esse non potest.* Atqui Epistola Jacobi &c. Ergo. Respondet nonnemo: *Finge, nihil de opere Christi & Doctrina Evangelica meminisse, inde tamen non desinit esse Canonica, quia moralis est, & ad opera hortatur.* Sed hæc responsio non omnem videtur tollere difficultatem, cum de essentia Scripti Canonici N. T. sit, Doctrinam de Christo proponere. Itaque negamus Minorem. Contrarium enim patet ex cap. 1. vs. 1., ubi Christi ejusque operis mentio fit succincta eo ipso, dum Author se Δοῦλον Ἰησοῦ Χριστοῦ vocat. Confer v. 5, 12, 17, 18, 21. Item cap. 2. vs. 23. cap. 5. v. 8, 9, 11, 15. *III. Quæcunque Epistola aberrat à Doctrina Evangelica, ejusque puritate, canonica non est. Atqui hæc &c.* Ergo, Minor evidens apparet è c. 2. ubi operibus justificationem transcribit & cap. 5. v. 14. ubi extremam unctionem Papisticam asserit. Resp. Negando Minorem. Ad probationem dicimus (1) Distinguendum esse inter *justificationem coram Deo*, & *justificationem coram hominibus.* De hac, non illa loquitur Iacobus. (2.) Dist. inter Unctionem *Miraculosam ad sanandum ægrotos adhibitam*, & *Papisticam*: Ad illam, non ad hanc digitum intendit Apostolus. At vero eo ipso à puritate Evangelica neutiquam aberrat. *IV. Quæcunque Epistola Pauli Canonico scripto est contraria, ipsa Canonica non est. Atqui Jacobi Epistola &c. Ergo, Minor prob. cap. 1. vs. 25. & cap. 2. vs. 12.* ubi Legem vocat Νόμον τέλειον τῆς ἐλευθερίας quod adversatur Paulo, qui ad Galat. 4. vocat εἰς δουλείαν γεννῶσαν. Resp. Neg. Min. Ad probationem regerimus, Contradictionem non esse, nisi apparentem. Diverso enim respectu Lex & Servitutis, & Libertatis Lex est. *Servitutis*, quatenus est litera occidens, & ministerium mortis omnibus non regeneratis; *Libertatis* vero, quatenus [α] omnes libere sine intuitu personarum arguit [β] ad libertatis autorem nos deducit [γ] Regeneratis non est jugum servitutis, sed ab illis sponte custoditur. *V. Cujus Epistolæ Author non fuit Apostolus, illa nec Apostolico-canonica dici meretur. Atqui hujus &c.* Ergo, Resp. Minor est falsa. Utique enim Iacobus fuit Apostolus; At hic Author est hujus epistolæ. *Instas* (a) *Non tamen se vocat Apostolum.* Responsio, [1.] κατ' ἔνστασιν: Neque Paulus in utraque ad Thessalonicenses se vocat Apostolum. Numquid autem exinde sequitur, vel alium Paulum, non Apostolum, has scripsisse epistolas, vel ipsum Paulum, tum temporis, cum scripsit easdem, desiisse Apostolum esse. Idem omisit Iohannes in epistolis & Apocal. [2.] κατ' ἀλήθειαν Dist. inter Apostolicam Appellationem *Formaliter & Materialiter talem.* Illa utut desit, hæc tamen adest. Nominat quippe seipsum Servum Dei & Domini Iesu Christi, quod certe sufficit, & juxta praxin exemplum Paulinum, & Iohanneum idem est quoad rem, ac dicere se Apostolum. (β) *Duo tamen tantum fuerunt Jacobi, alter Zebedæi alter Alphæi filius. Prior non potuit esse, quia nimis cito ab Herode interfectus est, nec posterior. Hic enim, teste Hieronymo, Episcopus fuit primus Hierosolymorum, qui sane hanc epistolam non scripsit.* Resp. [1.] Συγχωρητικῶς, non fuisse illius Iacobi & fratris Iohannis [2] Ἀρνητικῶς, non fuisse alterius Iacobi Filii Alphæi, fratris Iudæ & consobrini Domini. (γ) *Quascunque vero rationes affert ex epistolis Petri & Pauli, ipse non fuit Apostolus, sed Apostolorum Discipulus. Atqui noster Jacobus &c.* Ergo, Resp. Limitando Majorem: Quascunque rationes affert ex epistolis Petri & Pauli, scilicet: *citando illos, adque illorum, ut Præceptorum, Auctoritatem provocando*, ille &c. At sic negatur Minor. Utut enim similes quædam hac in epistola inveniantur sententiæ, vel quoad contenta ejusdem rationis cum Petrinis & Paulinis, non tamen sequitur exinde, Iacobum citasse & allegasse Petrum & Paulum, ut Præceptores, adeoque eorum esse Discipulum. Spiritus quippe Sanctus eandem Fidei analogiam æque in Iacobo, ac Petro, vel Paulo operatus est. Ideoque tantum abest, ut Canonicam hujus epistolæ authoritatem identitas, vel similitudo saltem, sententiarum destruat, ut potius confirmet & consolidet. Ad Canonicum enim Sacra Scriptura librum requiritur accurata præprimis cum aliis Canonicis harmonia. (δ) *Non est consuetudinis Apostolicæ Ecclesiam vocare Synagogam, quod tamen Jacobus fecit cap. 2. vs. 2.* Respons. Idem reperitur Ebræorum 10. vs. 25. deductum ex Matth. 27. Hinc Irenæus *adv. Hæret. lib. 6.* Ecclesiam Christianam non erubescit appellare Synagogam.

§. XI. *Petri Epistola*, non minus ac Iacobi, & ad Hebræos, suos habet adversarios à quibus sequentibus impugnari solet rationibus: [1] *Quæc. Epistola & olim & adhuc hodie in dubium vocata est, & vocatur, Canonica non vocabitur. Atqui hæc &c. Erg.* Resp. limit. Maj. Quæcunque Epistola scil. *tam quoad Authoritatem, quam Authorem* & olim, *non minus tamen ab omni Ecclesia, quam omni tempore* & hodie scil. *cum ratione* in dubium vocata &c. illa &c. At sic negatur Minor. Utut enim quidam, Eusebio teste *lib. 3. c. 3. & 22. item lib. 6. c. 24.* non tamen omnes primitivæ Ecclesiæ Patres, nec omni tempore de Authore simul & Authoritate dubitarunt. Et si adhuc hodie sunt, hac qui dubitant de epistola, facti est, non juris. Iam certe non sufficit ad infringendum Canonem hujus & illius, hoc vel illo tempore de Authore dubitatio, sed totius Ecclesiæ constans & perpetua de Authoritate pariter ac Authore requiritis, qualis ad Calendas Græcas ostendetur. Nec sufficit ad Apocryphum, quod unus atque alter moderna adhuc dubitet luce, adeoque in ipso meridie Andabatarum more pugnet. Id enim si sufficeret vel tota V. & Novi Instrumenti Scriptura foret Apocrypha. Quot enim vel adhuc hodie sunt, qui Scripturæ Authoritatem vel practice, vel theoretice abnegant? Legibus itaque, non exemplis judicandum, neque quid fiat, sed an recte fiat attendendum. [2] *Quamcunque Epistolam Syrus non interpretatus est Interpres, Canonica non est.* Atqui hanc &c. Erg. Resp. [a] *per instantiam*: *Capitis* 8. Joh. initium de Adultera, item v. 7. 1 Joh. 3. Syrus non est interpretatus.

tatus. Numquid vero exinde sequitur: Ergo Exordium illud Johanneum, & Johanneus ille versiculus non est in Canone? [β] *Secundum Veritatem: A negatione Syriacæ interpretationis ad negationem Canonicæ authoritatis* N. V. C. Ratio. (1) Quia Syriaca versio non est authentica. (2 Quia vel studio ab interpretibus, ob nescio quam habitam causam vel speciem, vel fortuito ab amanuensibus potuit omitti. (3.) Quia potuit fieri, ut exemplar aliquod authenticum ad manus interpretis non pervenerit. (3) *Quæc. Epistola quoad stylum à priori Petri epistola est diversa, illa non potest esse Canonica. Atqui hæc &c.* Erg. Resp. *Negando & Majorem.* Diversitas enim Styli Authorum diversitatem & per consequens Canonicorum & Apocryphorum librorum non infert; *& minorem*, Stylum sc. esse diversum.

§. XII. *Posteriores Johannis Epistolæ* à multis equidem impetuntur, sed cornibus admodum invalidis. Operæ itaque pretium non duximus illorum retusione & tempus & chartam inutiliter perdere. Palmarium quod est huc redit: *De qua & Hieronymus & Papias apud Eusebium dubitat, illa Canonica non est. Johannis Epistolæ sunt &c.* Erg. Possemus more solito limitare Majorem: De qua & Hieronymus & Papias, sc. semper, dubitat. At sic negaretur Minor. Ipse namque Hieronymus Johanni adscribit Apostolo in epist. 85. Sed placet impræsens negare Majorem. Posito enim, nondum tamen simpliciter concesso, quod Hieronymus & Papias non Johanni Apostolo, sed alii cuidam Seniori hujus nominis adscripserint; Hieronymus tamen & Papias non sunt tota Ecclesia; judicium itaque & testimonium sufficiens & adæquatum de Scriptura Canonica ferre non possunt de secundario cumprimis Authore dubitantes.

§. XIII. *Judæ Epistola* è Canone removetur ob sequentes rationes; Quod (1) *Author hujus Epistolæ se non nominaverit Apostolum.* Sed respondemus negando consequentiam. Satis enim est, quod se dicat Servum Iesu Christi & fratrem Iacobi. (2) *Quod Author hujus Epistolæ post omnes vixerit Apostolos & scripta illorum v.* 17. Resp. Non post omnes sed Petrum saltem & Paulum, quorum epistolas citat, in quibus illæ prædictiones extant 1 Tim. 4. 2 Tim. 3. & 2 Petr. 2. At quid inde? Numquid propterea ex Apostolorum excludendus est choro? Do instantiam: Iohannes post cœteros vixit Apostolos. E. Scopæ dissolutæ! (3) *Quod tradat, quæ in Scriptis Canonicis non reperiantur v. g. de Lite Michaëlis & Diaboli super corpus Mosis, item de vaticinio Enochi, quod utrumque nonnisi ex Apocrypho quodam hausit libro.* Resp. *ad primum.* Historia de lite Michaelis è Canonica petita est Scriptura. Beda & Franciscus Iunius in Commentariis suis referunt ad visionem Zach. 3: 1. seq. Historiamque metaphorice interpretantur intelligentes per corpus Mosis Synagogam Iudaicam & per Michaelem Filium Dei. *Sed magna* inquit Dominus D. Waltherus *in Harm. Bibl.* §. 211. *in Iuda epist. pag.* 1372. *utrobique monstrari potest disparitas. Et hic à litera ut discedamus, nulla nos cogit necessitas. Imo inter Christum & Archangelum Scriptura manifeste distinguit* 1 *Thess.* 4: 16. *licet alibi & ipse Angelus non solum crebro nude vocetur Gen.* 48: 16. *Exod.* 3: 2. *c.* 23: 20. *Mal.* 3: 2. *sed etiam aliquando Michael Dan.* 12. *v.* 1. *Apoc:* 12: 7. Inde vestigium & fundamentum hujus rei securius deprehendi putat è Deut. 34: 6. Circumstantiam vero haustam censet, vel ex traditione, vel scripto quodam Apocrypho: Omnium optime dicitur, quod hæc profecta sint ex divina revelatione sicut alia Matth. 2. v. ult. cap. 27. &c. *Ad secundum* dicimus Iudam non provocare ad Henochi quendam librum Apocryphum, sed ad oralem verbalemque ejus prophetiam, quam hauserat Iudas *ratione originis* ex indubitata traditione, sicut Paulo innotuerunt nomina Iannes & Iambres 2 Tim. 3: 8. *ratione vero certitudinis* ex immediata Spiritus S. revelatione. Provocasse autem Iudam non ad librum aliquem ἀκανονικὸν, sed ad ipsam Enochi prædicationem, eamque *non realem*, quod vult Chumnannus Flinspachius *in lib. de Conj. extr. temp.* sed *verbalem*, vocabulum arguit προεφήτευσεν quod dictum oris innuit, non scriptum manus. *Consentit Iunius Tom.* 1. *opere in Not. ad Epist. Iud. fol.* 1685. Accedit vox λέγων, quod nonnisi ad verbalem Enochi prædicationem potest restringi. (4). *Quod non Persice scripserit, cum tamen in Perside vixerit.* Resp. Nec hoc opus fuit. Alias enim Matthæus scribere debuisset Æthiopice, quia vixit in Æthiopia. Et Paulus Romæ degens in Romana tum temporis lingua epistolas, quas illic scripsit, adornare debuisset. Sciendum ergo, quod scripserit in illa lingua, quam callebant ii, ad quos scripsit, vel si mavis, Epistolam hanc esse Catholicam ad omnes fideles missam, ideo etiam vulgatissima, eaque N. T. propria Iudas uti & voluit & debuit lingua.

§. XIV. *Apocalypsis Iohannis* à Megalandro nostro Luthero relinquitur in medio, qui tamen non prohibet; quin Iohannis esse statuatur. Agnoscit interim Prophetian esse divinitus inspiratam: Es haben wol viel / inquit in præfatione super Apocalypsin sich dran versucht / aber biß auff den heutigen Tag nichts gewisses auffgebracht / etliche viel ungeschicktes Dinges aus ihren Kopffe hinein gebrauet umb solcher ungewissen Auslegungen und verborgenen Verstandes Willen haben wirs biß daher auch liegen lassen / sonderlich weil es auch bey etlichen alten Vätern geachtet / daß es nicht Johannes Buch sey / wie in lib. 3. hist. Eccles. cap. 25. stehet / in welchen Zweiffel wir es auch für uns bleiben lassen. Damit doch niemand gewehret seyn soll / daß ers halte für Johannis des Apostels. Hæc Lutherus. In antecedaneis vero refert ad Prophetias divinitus inspiratas. Quidam contrarium propugnant prætendendo (1) *Beatos prædicare, qui servant ea, quæ in hoc libro scripta sunt; cum tamen ob obscuritatem nemo intelligat.* Resp. (*a*) Concessive, multa esse obscura in hoc libro, quia excedunt & eminent humanæ conditionis modum, & esse in eo arcanum quendam, reconditum atque admirandum omnibus sensum. (*b*) *negative*, propterea è Canone esse rejiciendum, quia idem hac ratione evenisse debuisset Ezechieli, Danieli, Zachariæ. Negamus etiam nihil prorsus manifesti & perspicui in eo deprehendi. Contrarium legenti liquet. (2) *Authorem non esse Apostolum, cum Theologus saltem appelletur.* Resp. (*a*) Συγχωρητικῶς appellari Iohannem Theologum ob Theologicarum, quas tractat, rerum sublimitatem. Gravissime enim & Filii Dei Divinitatem, & alias res maxime divinas & Theologicas pertractat, vere Aquila, quæ cœlum versus in sublimia evolat, & apertissimis Solem justitiæ intuetur oculis. *Merito* hinc κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur Theologus, quia præ aliis apices summos Theologiæ attigit & pertractavit. (*b*) Ἀρνητικῶς exinde sequi, quod non sit Apostolus. Subordinata enim non pugnant. (3) *Nihil habere Apostolicæ gravitatis.* Resp. Falsum hoc est. Contrarium patet legentibus. (4) *Aliam ab Evangelio & Epistolis Iohannis habere ἐπιγραφὴν.* Nomen enim suum ibidem nunquam expressit. Resp. Nihil exinde sequitur. Nomen namque suum præ aliis expressit in hoc libro, quia Prophetam agit. Prophetis autem in more est ob fidem majorem Prophetiæ habendam nomina exprimere sua. Idem & Iohannes fecit Propheta in hoc suo Prophetico libro. (5) *Aliam ab omnibus Canonicis Scriptoribus habere clausulam. Horribilem quippe sub finem addit obtestationem, qualis alias nullibi reperitur.* Resp. Obtestatione hac non tantum Iohannis liber Apocalypticus, sed tota Canonica clauditur Scriptura, ne ulli hominum potestati jus esset in hanc quicquam mutandi, transponendi, addendi, demendi. (6 *alium esse, eumque dissimilem Iohannis stylo stylum.* Resp. Quid miri, quod Argumenti diversitas variet sermonem? Alium sane stylum requirit historia, alium Prophetia. Illic perspicuitas & simplicitas ultro se offerunt; hic lingua & penna res mysticas modo mystico exprimere jubetur ab eo, à quo regitur, & à quo universa vaticinia & visiones figuratis verbis indicantur.

SECTIO III.

De Apocryphis V. Testamenti.

§. I.

Consideratis itaque & Sect. I. *Apocryphis in genere* & Sect. II. *Apocryphis secundum dici*, tandem aliquando *Apocryphos secundum esse* speculabimur. Et hi sunt Apocryphi V. T. ob ignotam & Authoris, & Authoritatis Canonicæ Majestatem merito occultandi; indeque à probandis Fidei & Vitæ Christianæ dogmatibus longissime arcendi. Ut vero Controversiæ Status genuine observetur, excludimus è Canone non modo *Apocryphos* κατ᾽ ἐξοχὴν, libros videlicet mendaces, fabulosos & erroneos, neque tantum *Apocryphos Pontificiis*, tertium sc. & quartum Esdræ, tertium & quartum Maccabæorum, Ps. 151. Additionem Jobi &c: Verum omnes quoque *Apocryphos in sese*, ad quos referimus Tobiam, Judith, Baruch, Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, I. & II. Maccabæorum, Supplementa in Esther, Danielem &c. Quos omnes & singulos sequentibus impugnamus argumentis.

§. II. Quicunque Libri à Prophetis consignati non sunt, pro Canonicis haberi non possunt. Atqui Apocryphi V. T. &c. Erg.

Major evidens est. Unicum enim illud Fidei & Vitæ Christianæ θεμέλιον, super quod ædificamur, in Vet. T. unice jactum est à Prophetis, ut Evangelium propterea dicatur patefactum per Scripturas Propheticas Rom. 16: 26. indeque dicatur γραφὴ προφητικὴ, λόγος προφητικὸς 2 Petr. 1. imo θεόπνευστος 2 Tim. 3. ratione à Petro subnexa cit. l. v. 21. *Non enim voluntate hominis allata est aliqua prophetia sed à Spir. S. impulsi locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc ad illos ablegamur à Christo Luc. 16. *Habent Mosen & Prophetas*, quos ipse Discipulis suis explicuit Luc. 24: 44. illisque mentem aperuit, ut intelligerent Scripturas vers. 45. scilicet Propheticas, quæ *testantur de JESU* juxta Petrinum eloquium Act. 10: 34. Et hoc Fidei nostræ est fundamentum super quod exstruimur, Prophetarum sc. & Apostolorum, juxta Paulinum in *Eph.* 2. *v.* 21. effatum, quod illi jecerunt promissis & vaticiniis, hi applicuerunt oculatis testimoniis. Hinc Petrus: οὗ πάντες ἐσμὲν μάρτυρες Act. 2: 32. Quodcunque itaque Scriptum ad V. refertur T. propheticum tamen non est, canonicum nec dici meretur. *Minor probatur* exinde, quod omnes post Prophetarum editi sunt secula. Ultimus enim Prophetarum fuit Malachias, post quem in V. T. usque ad Johannem alius monstrari & adduci non potest. Unde is, quod maxime notandum, ultimum vaticinii sui caput concludit totamque Propheticam Scripturam obsignat vaticinio de altero Elia, Qui nonnisi Johannes fuit Baptista, juxta Salvatoris testimonium Matth. 11: 13, 14. *omnes Prophetæ & Lex usque ad Johannem prophetarunt, & si vultis accipere ipse est Elias, qui venturus est.*

§. III. Quicunque libri lingua Prophetica exarati non sunt, Canonis rationem præ se non ferunt. Atqui Apocryphi Vet. Test. &c. Erg.

Major suam nanciscitur lucem ex inductione omnium Prophetarum, qui nonnisi in Hebraica, Judæis vernacula & familiari, lingua suas consignarunt Prophetias. *Dicis: Multa tamen invenimus in Jeremia, Daniele & Esdra, Chaldaico conscripta idiomate*, Resp. Ab eo, quod incidenter & μερικῶς ad id quod ex proposito factum est & ὁλικῶς N. V. C. Incidenter autem factum, ut demum post captivitatem Babylonicam, ubi Chaldaica Lingua ab Hebræa tanquam matre nata Judæis cœpit esse familiaris, quædam, eaque paucissima, ex consuetudine Dialectus tum temporis usitatissimæ immixta fuerint. Quemadmodum & in Lingua N. T. authentica plurima non tantum nomina, sed & integræ phrases, loquendique Syriacæ formulæ Linguæ, cujus cumprimis Dialectus Hierosolymitana tempore Christi & Apostolorum receptatissima erat, occurrunt, nec tamen aliquid textui Originali Græco, quo minus habeatur pro authentico, præjudicare possunt. Tales sunt verbi gratia: Ἠλὶ, ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθανί; Matth. 27. quod parum differt à Dialecto Maronitica seu Antiochena, quæ in Paraphrasi Siriaca conspicitur: ܐܠܗܝ ܐܠܗܝ ܠܡܢܐ ܫܒܩܬܢܝ. Item, quod à Christo ad demortuam Jaïri filiolam dictum refertur; Ταλιθὰ κοῦμι Marc. 5. & juxta Antiochenam Dialectum ita sonat: ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ. Quibus aliisque nihil inferri potest aliud quam placuisse Sanctis his DEI amanuensibus verba Christi iisdem, quibus è sanctissimo profluxerunt ore, formalibus consignare, posteritatique in originali communicare. Eundem in modum *Esdra* à cap. 4: 8. ad v. 19. c. 6. Epistolam ad Artachasta Aramice scriptam, ejusque responsum una cum aliis scriptis à Chaldæis, & ad Chaldæos exaratis historiæ lingua, in qua originaliter scripta, sc. Chaldæa, intertexuit, & vicissim à cap. 7: 10. usque ad 27. ejusdem capitis Epistolam Artachasta ad Esdram Chaldaice scriptam Chaldaice communicat. Ita *Daniel* à v. 4. cap. secundi ad caput octavum usque exclusive Regis Nebucadnezaris relationem somnii & consultationem de ejusdem significatione & acta & visiones scriptaque nonnulla Regia Aramice consignavit. Nec minus Ieremias cap. 10: 11. ipsis Judæis, quid Chaldæis, ad idololatriam sollicitantibus respondere debeant, Chaldaice præscribit. At quomodo id patrocinabitur Apocryphis, quorum Authores ex proposito & fortassis ob imperitiam S. Linguæ non quædam, sed omnia illorum contenta lingua conscripserunt exotica.

Minor firmatur: (α) enim *de Tobia* Hieronymus *in præfatione super Tobiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos* scribit, Chaldæo sermone fuisse conscriptum. (*b*) *De libro Judith* idem *in præfat. ejus* hæc ponit verba: *Chaldæo sermone conscriptus inter historias computatur.* (c) *De libro Baruch* in præfatione ejus hæc annotat Hieronymus: *Liber iste, qui Baruch prænominatur, in Hebræo Canone non habetur, sed vulgata tantum editione* (d) *Syracides* Græca expressus est lingua. Affirmat equidem Hieronymus, se reperisse Ecclesiasticum in Hebræo, quod etiam (e) de *primo Maccabæorum* refert in Prologo Galeato. Alias scribit in præfat. quadam & (f) *Quartum Esdræ* librum redolere phrasin Hebræam; sed præterquam quod libri isti hodie non extent, nisi in Græco & Latino idiomate, sicut in opere Complutensi, Hispanico & Ariæ Montani videre est, nec aliunde prophetica illorum Authoritas probari possit, recte statuunt Dd. nostri, Apocryphos esse. Quod si enim Canonici forent, divina nunquam permisisset providentia, textum eorum originalem perditum esse. (g) *Sapientiæ liber*, quem Hieronymus *pseudepigraphum* vocat, apud Hebræos nusquam extat. Similiter (h) *Posteriora Estheræ capita* juxta Lyram *in fine sui in hunc librum Commentarii*, in Hebræo non sunt, nec de Scriptura Canonica. (1) *Supplementa in Danielem* Hieronymus *in proœm. Comment. in Dan.* Susannæ Belisque ac Draconis fabulas vocat, & in Hebræo non contineri profitetur expresse. Idem de reliquis esto judicium.

§. IV. Quicunque libri non testantur de Christo, in Canone locum non habent. Atque Apocryphi Vet. Test. &c. Erg.

Majori lucem fœneratur Apostolus Petrus Act. 10: 43. Τούτῳ (Iesu Nazareno) πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν. Itaque Christus ὁ Νόμου τέλος & omnium Prophetarum est nucleus. Hinc idem ipse exorsus est ab omnibus Prophetis, & interpretatus, quæ de se scripta erant Luc. 24 27, 44. Confer. Act. 13. v. 27. c. 26: 23, 24. c. 28: 23. Rom. 3: 21, 22. 1 Pet. 1: 9, 10. Locutus enim est Deus per os omnium Sanctorum suorum à seculo Prophetarum, & omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, quotquot locuti sunt, annunciaverunt dies istos, Act. 3: 24. Unde sua sponte fluit, istud Scriptum, quod de Messia, ejusque adventu nihil continet, adeoque dies N. T. non annunciat, non esse Propheticum, nec Canonicum *Exc. Nihil quoque in Amoso, Obadia, Sophonia & Nahum de Christo continetur, & tamen Canonicis annumerantur libris* Resp. (1) Συγχωρητικῶς, Messiam in his Prophetis nonnihil involutum jacere. (2) Ἀρνητικῶς, nihil prorsus de Messia contineri. Quoties enim in his Prophetis, aliisque vaticinia & promissiones de Politiæ Israeliticæ redintegratione conservationeque promulgantur, sicut in Amosi 9: 11. usque ad finem, Soph. 3. v. 10. Nahum 3: 15. quam solennissime promulgantur, toties de Messia passuro & resuscitando prænunciari sciamus. Etenim Abrahamo & semini ejus tria specialissime fuere promissa. (1) Terræ Canaan gratuita traditio. (2) Semen amplissimum ex lumbis Abrahami proditurum in illa terra. (3) Messias nasciturus intra illam ipsam terram.

Minorem ut certam præsupponimus tamdiu, donec monstretur contrarium. Vide tamen Dn. D. Waltherum pluribus hoc exaggerantem cit. l. §. 1236. p. 1108. 1109.

§. V. Quæcunque multa produnt falsa, Canonica esse non possunt. Atqui Apocryphi V. T. &c. Erg.

Major robore eget nullo. Κανὼν enim, & Divinæ Veritatis Regula, aut expers est omnis falsitatis, aut Canon non est.

Minorem probamus per inductionem singulorum. (1) enim *Tobiæ* mentitur *liber*. c. 5: 4. & seq. dum Angelus ille personatus se vocat Azariam, Magni Ananiæ Filium, dicitque se quandoque commoratum apud Gebaelem, qui ambo Tobiæ noti erant. (2) *Liber Judith* mendax est eo ipso, dum insignem quandam liberationem è manibus Assyriorum memorat, quæ tamen nec ad tempora, Captivitatem Babylonicam antecedentia, nec ad consequentia referri potest. Item Nebucadnezarem talem sistit, qui cum Holoferne nunquam in rerum natura fuit. Insuper refert insigne aliquod Festum in memoriam liberationis è manibus Assyriorum fuisse institutum, & inter Iudæos semper observatum c. 16: 31. cujus tamen ne vola quidem in Scriptura Canonica, vel apud probatum Scriptorem alium Iudæum occurrit. (3) *Liber Baruch* falsi reus est, quia fingit Baruchum hæc scripsisse, quæ scripsit, in Babylonia, cum tamen constet, eum cum Ieremia abductum fuisse in Ægyptum Ier. 43: 6. Porro fingit, Baruchum legisse hunc librum præsente Rege Iechonia, toto Populo, Potentioribus, Filiis Principum & Senioribus c. 1: 34. Quod durissimæ Jechoniæ & Populi totius ad fluenta Babelis dispersi Ps. 137. v. 1. captivitati haut congruit. Ut taceam, quod Populus dicatur pecuniam misisse Hierosolymas ad Sacerdotem Iojakimum, ut holocausta offerrentur, cum tamen nihil de Altari, Templo & Sacerdotibus extiterit &c. (4) *Liber Sapientiæ* mentitur Autorem Salomonem. (5) *Syracides* proprie dictum Eliæ Thesbitæ in has terras reditum memorat, quæ fabulis omnino accensendum. (6) *Maccabæorum libri* mentiuntur (a) Alexandrum

drum M. regnum suum divisisse inter ministros, qui cum ipso fuerint educati (b) Romanos singulis annis suam potestatem tunc commisisse (c) Senatum constitisse 320. viris. (d) Romanos Antiochum vivum cepisse (ς), Indorum regionem ereptam Antiocho datam Eumeni, & quæ de fraternitate Spartanorum, de occultatione Tabernaculi & inventione ignis sacri fabulantur. (γ) *Adjectiones Danielis* produnt mendacia, dum (1) judæis captivis & Babyloniorum mancipiis tribuunt annuos Magistratus, & jus vitæ & necis in suos. (2) Jojakimo tribuunt magnas Divitias. (3) Narrationem Judicii primo à senibus, deinde à puero administrati fabulam sapere tam clarum est, quam clarissimum. Idem liquet de destructis Bel & Dracone ut & de Habacuco crinibus apprehenso, & delato ad foveam Danielis. (δ) *Supplementa in Estheram* mentiuntur, dum fingunt aliquod somnium Mardochai cap. 1. de quo tacet Scriptura Canonica; item Hamanem cogitasse tunc temporis de Regno Persarum ad Macedones transferendo, cum tamen Macedoniæ Regnum admodum exiguum esset, nec Haman Macedo fuerit.

§. VI. Quicunque Libri multa ponunt tum sibimetipsis tum Canonicis libris contradictoria, illi Canonica graves Authoritate non sunt. Atqui A. V. T. E.

Major suo coruscat lumine. Sacer enim Codex ab omni liber est contradictione, quod prolixissime probat alios inter Dominus D. Waltherus in *Harm. Bibl. c. 1. pag. 2. 3. seq.* (a) Dictorum claritate (b) Sacrosanctæ Trinitatis Authoritate (c) Amanuensium infallibilitate (d) Scripturæ majestate (e) Ejusdem intemerata puritate (f) judicandi potestate (g) Rationis commoditate. (h) Absurdorum deformitate (i) Pio consensu illorum, qui sunt ex Antiquitate. Quæ omnia solidissime deducta videsis cit. loco.

Minoris probationem membratim exhibent sequentia. In libro enim *Tobiæ* primam contradictionem sistit cœtus, qui primo tantus perhibetur, ut ab eo mortis periculum imminuerit Tobiæ, idem tamen postea à Tobia branchiis extrahitur, assatur & totus deglutitur. Secundam sistit Gabael debitor Tobiæ. Iste nimirum habitasse dicitur in Rages Medorum *cap. 4. v. 1.* Ubi etiam habitasse dicitur Sara Filia Raguelis, & post Sponsa Tobiæ, *cap. 3: 7. & c. 6: 11.* Et tamen cap. 9: 3. dicitur missus Angelus ad Gabaelem in Rages Mediæ, accersitum Gabaelem ad nuptias Tobiæ concelebrandas æque in Rages Mediæ. Habitavit ergo Gabael in Rages Mediæ, ex c. 4: 21. & 9: 3. non habitavit, quia non adfuit in illo loco, ubi nuptiæ celebrabantur, quæ tamen celebrabantur in Rages Mediæ Patria Sponsæ cap. 3: 7. In *libro Judith* contradicunt sibi c. 1 & 5. In illo enim fingitur stetisse adhuc Monarchia Assyriorum, in hoc docetur contrarium. Indigitatur enim hic contigisse eadem post reditum Israelitarum ex captivitate Babylonica; Ubi omnino desierat Assyriorum & Chaldæorum Monarchia. Contradicit deinde Spiritui S. quod Judith cap. 9. asserit, Simeoni divinitus gladium esse traditum, cum contrarium asserat Spiritus Sanctus Genes. 34: 30. cap. 49: 5, 7. *Baruch* contradicit Jeremiæ 25: 11. c. 29: 10. Dan. 9: 2. Hi namque perhibent captivitatem Babylonicam 70. annos duraturam; Iste per generationes septem, quo longe majus indigitatur tempus. *Libri Maccabæorum* contradicunt sibi 1 Macc. 4: 36. & 2 Macc. 10: 1, 2, 3. seq. Illic enim Templum dicitur purgatum à Iuda Maccabæo post profligatum Lysiam, vivente adhuc Antiocho; Hic vero factum hoc asseritur mortuo Antiocho &c. *Liber Sapientiæ* contradicit Scriptis Canonicis inter alia etiam eo, quod cap. 15. v. 14. docet, Hostes populi Dei potentia sua in eum abuti eique duriter imperare, quæ minime conveniunt cum felicitate populi Iudaici sub Salomone, *Syracides* favet Antitrinitariis dum passim c. 1. & 2. & alibi Sapientiam Personalem creatam introducit. *Adjectiones Danielis* contradicunt libris Canonicis. Etenim Dan. 6: 10. seq. dicitur causa, cur Daniel in foveam Leonum projectus fuerit, fuisse hæc, quod adoravit Deum suum contra edictum Regis: Ille vero liber Apocryphus causam dicit destructionem Bel & Draconis. Liber Canonicus unam dicit noctem detentum fuisse Danielem in fossa: Apocryphus Sex dies. Canonicus Regem tunc imperantem vocat Darium: Apocryphus Cyrum &c. *In Fabula Susannæ* perhibetur Daniel puer ignotus, quod non convenit cum libro Dan. Canonico, ubi Daniel perhibetur fuisse unus ex Satrapis & deportatus in captivitatem cum Iechonia, ubi multum tempus jam intercesserat. *Additiones ad Estheram* contradicunt Scriptori Canonico: Canonicus enim Regem vocat Ahasverum, Apocryphus Artaxerxen. Canonicus Mardochæum describit ut privatum hominem antea in aula ignotum; Apocryphus contra. Canonicus detectas insidias docet Anno Ahasveri septimo; Apocryphus secundo, &c.

§. VII. Quæcunque Scriptura multa publicat impia, Canonica non est. Atqui Apocrypha V. T. &c. Erg.

Major sua radiat luce. Scriptura enim Canonica alias inter Affectiones suas & Puritate gaudet & Sanctitate Nulla itaque publicare potest impia, quæ ut fermentum vehementissimum totam Scripturæ Canonicæ inficerent massam. *Minor* in propatulo est. Sic enim advertuntur impia *in libro Tobiæ*, ubi larvatus ille Angelus jubet, ut cor, jecur, & fel illius piscis eum in finem asserventur, ut si cui Dæmonium, aut Spiritus malus molestus sit, corde & hepate suffitus coram viro vel fœmina fiat, sicque illos non amplius vexatum iri. Hoc est contrarium effato Christi Matth. 17: 21. item Matth. 12: 45. Magicum itaque est remediis corporeis ejicere Spiritum velle, ubi tamen nec corporeus nec virtualis contactus intercedit. Secundo Larva illa perhibet, se esse unum ex septem illis Angelis sanctis, qui deferant preces sanctorum ad Deum, sicque sibi rapit illud officium, quod soli Filio Dei unico inter Deos & homines Mediatori 1 Tim. 2. competit. *Liber Judith* impiorum reus est, quod flagitiosam illam Simeonis cædem in Sichemitis patratam, non probat tantum, sed Dei etiam inspirationi adscribit Iudith. 2: 9. Quod Iuditham secundo introducit horrendas & abominandas preces fundentem cap. 9: 13. & 18. Quod tertio Fœminæ Spiritu Dei actæ adscribit cultum meretricium & oculos compositos ad lenocinium cap. 10: 4. cap. 13. vers. 20. Quod quarto fœmina honesta ausu plus quam temerario in eodem conclavi cum homine temulento, eamque appetenti se includi patitur, pudore periculo violationis exposito. *In libro Baruch* impietatis, vel saltem superstitionis notam vix elabitur, quod cap. 3: 4. Deus rogatur, ne preces mortuorum Israel audiat. In *Libro Sapientiæ* citra impietatem cap. 10: 15. & 15: 4. Populus Israëliticus tantopere laudari non potest, ut dicatur Populus Sanctus & semen inculpatum, negeturque, seductum esse improbæ artis humanæ cogitatione & umbra picturarum. Impietatem pariter redolet, quod c. 17. in descriptione tenebrarum Ægyptiacarum mentio fiat Spectrorum, horrendorum sonorum, phantasmatum sibilorum &c. De quibus altum in Mose est silentium. *Syraciden* denique impietatis arguit Samuel ille à Pythonissa evocatus & vaticinatus post obitum. *Libri Maccabæorum* multitudine impiorum reliquos omnes superant. Cap. en. 2. commendatur facinus Mattathiæ, quod tamen alienum erat ab officio pii viri, sc. vi resistere Magistratui, jugulare regium Satellitem, vi circumcidere non circumcisos 1 Macc. 4. Altare prorsus destruitur & lapides asservantur in adventum alicujus Prophetæ, quod superstitiosum. 2 Macc. 12: 43. commendatur factum Judæ, quod sacrificium obtulerit pro mortuis. Cap. 14. commendatur, variisque mendaciis exaggeratur αὐτοχειρία Rejazæ &c. In *additionibus ad Danielem* impietatem redolet, quod Susannæ adscribitur ornatus & lotio, quæ in prostibulum potius cadunt, quam fœminam tam sanctam. Item, quod tam prolixe & quasi lascive describitur libidinosus amor & attentata senum, quod maxime alienum est à Scriptore Sancto, violatio. Impietatem etiam arguit, quod Viro Sancto Danieli adscribitur fictitium illud drama de Bel & Dracone. *Nec hymnus sociorum Danielis* usque adeo purus est. Versu n. 32. nominant Regem omnium, qui sunt in universa terra, pessimum. At hoc procul abest à viris sanctis, qui potius intercesserunt pro Magistratu suo etiam impio. Versu 38. negant sibi in præsens Prophetam esse adeoque extenuant & Danielis & Ezechielis Sanctissimorum Prophetarum munus Propheticum. *In additionibus ad Estheram* merito impietatis postulatur Autor, quod Estheram præsentat impio & profano Regi dicentem, se ipsum vidisse, ut Angelum Dei, faciemque ejus plenam gratiæ, cum tamen ante vocet eundem Leonem horridum.

§. VIII. Quoscunque libros Hebræorum non recepit Ecclesia, canonici vocari non debent. Atqui Apocryphos V. T. &c. Erg.

Major probatur. Utut enim ambabus, quod dicunt, largiamur, Ecclesiam sua Authoritate nullum posse librum facere Canonicum, quia Canonicæ Scripturæ Authoritas nonnisi ad Deum referenda; Ecclesia tamen suo testimonio confirmat, qui libri sint vere Θεόπνευστοι & Canonici. Et hoc testimonium, præprimis quoad Testamentum V. judaicæ principaliter competit Ecclesiæ. Ei enim concredita sunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. 3: 2. nimirum quia Deus annunciat Verbum suum Iacob & Iudicia sua Israel Psal. 147: 19. Constituisse itaque Deum O. M. Ecclesiam judaicam custodem librorum Canonicorum V. T. non obscure innuitur Deut. 31: 24, 25, 26. Ios. 24: 26. Es. 8. v. 1. Ierem. 3: 2. Unde Augustinus *lib. 12 cont. Faust. c. 23.* Iudæam vocat Gentem *Scriniariam Christianorum, bajulantem Legem & Prophetas.* Et hoc suo munere functa est fide-

fidelissime. Finge enim, quod partem aliquam Scripturæ Canonicæ respuerit Ecclesia Judaica, annon fuisset necessarium, eam hoc nomine à Christo & Apostolis accusari & taxari? Quid, quod ipsi concedant Papales, Israeliticam Ecclesiam eloquia divina sibi concredita fideliter custodivisse. Ita enim Bellarminus *lib. 2. de Verbo Dei c. 2. Judæos non depravasse scripturas, probari potest ex incredibili religione Judæorum erga sacros libros. Scribit enim Philo lib. de egress. filiorum Israel ex Ægypto, & citatur etiam ab Eusebio c. 2. usque ad sua tempora per spatium amplius, quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in Lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæorum centies potius moriturum, quam ut pateretur Legem in aliquo mutari.* Bonfrerius *in Præloquio in Pentateuch. c. 4. fol. 12.* fatetur, librorum Sacrorum Canonem fuisse diligentissime in templo conservatum. Toletus *in c. 3. Rom. c. 2. Oracula* inquit, *divina Scripturis contenta commissa sunt Judæis. Apud eos enim in quadam custodia & deposito eloquia manserunt, factique sunt ii depositarii & custodes eloquiorum Dei.* Idem sentit Cornelius à Lapide in eundem locum *p. 56.* & Benedictus Pererius *in Epist. Rom. Disp. 1. sect. 4. p. 206.*

Minorem ex *Josephi lib. 1. contr. App. 1. Euseb. lib. 3. Hist. c. 18. Hieronym. Prolog. Galeat. præfatione in Tob. præfat. in Esth. præf. in libr. Reg.* abunde probat Dominus D. Waltherus *Off. Bibl. Repos. post. th. gen. §. 1237.* ubi insimul Melchiorem Canum inter *non recipere & rejicere* distinguentem egregie confutat, ex Matth. 10: 40. & Luc. 10: 16. firmissime concludens, non recipere idem esse, quod spernere & rejicere. Ita non minus Bellarmini *lib. 1. de V. D. c. 12. §. ult.* Sixti Senens. *lib. 8. hær. 9.* Mariani Victoris *in Schola ad Hieronym. ep. III.* & Cani *lib. 2. L. c. 11.* distinctionem inter *Tempus, quo nondum perfecte constitutus & notus fuit Canon V. T.* & inter illud, *quo fuit publica Ecclesiæ Authoritate editus*, discutit, alia præter certissime asseverans, Canonem V. T. constitutum ab Esdra, & editum longe ante Christi nativitatem, nequaquam vide in N. T. demum Ecclesiæ Authoritate promulgatum esse. Tandem & Catharini, Costeri & Mariani Victoris distinctionem inter *Canonem Hebræorum & Christianorum* nullam esse, ostendit ex eo, quod Patres Primitivæ Ecclesiæ Apocryphos V. T. è Canone eliminantes non Hebræorum, sed Christianorum intelligant Canonem. Plura videsis apud ipsum cit. loco.

§. IX. Quicunque libri Christi & Apostolorum calculo in N. T. approbati non sunt, neque Canonici erunt. Atqui Apocryphi V. T. &c. Erg.

Major desumpta est à testimonio omni exceptione majori, Christus enim & Apostoli, afflatu Spir. S. immediate exornati, norunt certissime, quinam essent Canonici libri, & qui non. Unde illos perspicue declararunt, hos vero sicco pede prætererierunt, ceu tales, qui indubitatam fidem nullatenus merentur.

Minor in sole est. Adducat enim, qui potest Pontificiorum vel unicum saltem Christi, aut Apostolorum testimonium, & erit mihi magnus Apollo. Sin minus, hanc nobiscum amplectatur sententiam, quæ tantæ est veritatis, ut ipsos inter Pontificios suos quoque nacta sit Patronos. Catharinus enim *lib. 1. annot. in Epist. Corinth.* reprehendit Cajetanum, quod affirmaverat, eam solam esse Sacram ac Divinam Scripturam, quam Apostoli aut scripserunt, aut approbarunt, & addit, Ecclesiam quosdam recipere ut Canonicos, *quos nec scriptos ab Apostolis, nec approbatos esse constet.* Regerit equidem Bellarm. *lib. 1. de V. D. c. 10. Nisi Apostoli declarassent, illos libros esse Canonicos, Cyprianus, Clemens, & alii non dixissent, quod essent tales.* Verum nos multo rectius concludimus: Si Apostoli declarassent, hos libros esse Canonicos, nunquam tam constanter Patres reliqui jamjam producendi ex Canone illos exclusissent.

§. X. Quicunque libri non gaudent testimonio primitivæ Christianorum Ecclesiæ, Canonicæ Authoritatis non sunt. *Atqui A. V. T. &c.* Erg.

Major facilis est. Ecclesia enim est στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας 1 Tim. 3: 15. non quidem τελειώσεως & αὐτοκρατορικόν, μαρτυρίας tamen & μνημονευτικόν. Siquidem primitiva Ecclesia, Apostolorum ætati proxima, non potuit nescire, qui libri essent Canonici, tum quod erudiebatur à viris Apostolicis, qui Apostolos viventes audiverant & hac de re consulere potuerunt, tum quod ob supposititia scripta, quæ paulatim invalescebant, providam cogebatur Canonis veri habere curam.

Minorem superflue probat Dn. D. Gerhardus *Conf. Cath. lib. 2. art. 1. c. 1. p. 16. & seq.* tum in genere, tum in specie, cujus summa saltem capita impræsentiarum facimus nostra. *Qua primum*, ipse Jodocus Coccius *in Thes. c. de script. Eccl. art. 4.* ubi de Canone agit in universum, nullum reperire potuit testimonium ante Concilium Carthaginense tertium circa Annum 397. adeoque finem seculi quarti habitum. Fatetur ergo ante concilium istud in Ecclesia & Israelitica, & Apostolica, & Primitiva, Apostolorum temporibus proxima, controversos illos libros nondum fuisse in Canonem receptos. Consentit Bailius *in Catech. controv. tract. 1. q. 13.* in appendice: *Gregorius*, inquit, *locutus fuit more Doctorum primitivæ Ecclesiæ, qui libros illos* [intellige Apocryphos V. T.] *non credebant Canonicos, quia in Hebræorum Canone non habebantur.* Cordatiores itaque Pontificii ipsimet inficiari non possunt, Primitivam Ecclesiam in genere hos Apocryphos habuisse pro Non Canonicis. *Qua secundum* adducimus Concilium Laodicenum, Melitonem, Epiphanium, Hilarium, Hieronymum, Ruffinum, Gregorium, Nazianzenum, qui omnes primis quatuor vixere seculis, & ipsorum Pontificiorum suffragio dictos è Canone removerunt libros. Stapletonus equidem *lib. 2. de Author. Script. cap. 3. §. 2.* Laodicenum Concilium pro sua allegare ausus est sententia. Sed Gregorius Ederus JCtus, Consiliarius Imperialis, quem Pius V. Pontifex Romanus dilectum suum vocat Filium & operam ipsius bene collocatam judicat, *in Oecon. Bibl. lib. 1. tab. 42. p. 36.* fatetur, Concilium Laodicenum controversos illos libros in Canonem non recepisse. Idem agnoscit Alphonsus Castro *lib. 1. adv. hær. c. 2.* sic scribens: *Fieri potuit, ut tunc* [Concilii Laodiceni tempore] *de libris illis fuerit ab eis dubitatum & in re tam seria noluisse eos temere quicquam definire, donec plenius fuissent edocti.* Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei c. 20.* scribit: *Multi veterum ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Ruffinus, Hieronymus in Canone exponendo Veteris T. aperte secuti sunt Hebræos.* Quid vero sit Hebræos sequi indigitavit supra *lib. 1. de V. D. c. 10. Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Maccabæorum, simul omnes rejiciuntur ab Hebræis.* Tandem idem Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. prop. 3. *Hieronymus librum Sapientiæ, Ecclesiastici, & Maccabæorum, arbitratur esse Apocryphos, ut patet ex Prodromo Galeato.* Gregorii, Nazianzeni & Isidori suffragium nobis largitur Sixtus Senensis *lib. 1. Bibl. part. 3. & part. 4.* ubi ex sententia Nazianzeni & Isidori Canonicos V. T. libros enumerat, controversos vero prætermittit. Conferatur pluribus Dn. D. Gerhardus in Aug. Conf. l. c. & Dominus D. Waltherus, in Off. Bibl. d. l.

X. XI. Utut vero, quæ diximus hactenus, ita clara sint, ut majori non indigeant luce, habent tamen quibus splendidissimam hanc obnubilare facem tentant Pontificii. Regerunt enim primo in genere (1) *Patres illos omisisse libros istos, qui in controversiam vocabantur, quia decisio nondum facta erat ab Ecclesia.* Volunt namque Concilium Carthaginense 3. id demum definivisse. Quasi vero Ecclesia posterior primitivæ, cujus Dd. discrimen Canonicorum & Apocryphorum ex ore Apostolorum, vel eorum hauserunt Discipulorum, præjudicare aliquid valeat, illumque librum certum, indubium & Canonicum facere queat, quem prima pro incerto, dubio Apocrypho & vere habuit controverso. Quin imo si Papa, uti volunt, primis etiam illis quadringentis annis summus fuit controversiarum judex, cur Ecclesiam tot seculis sine certo Scripturæ Canone in suspenso reliquit? Sin contra Pontifex, Romanaque Ecclesia illos tanquam Canonicos semper habuit, cur Authoritas Pontificis illos non exemit ab omni dubitatione? Tandem si certus Scripturæ Canon per Carthaginense Concilium est definitus, cur adhuc post illud tot Scriptores Ecclesiastici hos è Canone excluserunt libros? v. g. Radulphus Flaviacensis, qui floruit circa Annum 910. *lib. 14. in Levit.* Glossæ Iuris Canonici Author Iohannes Semeca *in c. Canone dist. 16. in Verba Apocrypha. Hugo* de S. Victore, Abbas, Bernhardi Σύγχρονος, qui floruit circa A. C. 1130. in *Proleg. lib. 1. de Sacr. c. 7. lib. 4. Didasc. c. 2. & 8.* Richardus de S. Victore *lib. 2. except. c. 9.* Petrus Cluniacensis *lib. 1. ep. 2.* Hugo de S. Charo *in Prol. Post. super libr. Josuæ.* Lyranus *in Prol. super libros Apocr.* Guilielmus Occamus *part 1. Dial. tract. 1. lib. 3. c. 16.* & pluresalii (2) *Patres, qui controversos illos libros è Canone rejecerunt, loqui de Canone Hebræorum, non Christianorum.* Resp. Contrarium manifeste patet ex ipsis verbis. Hac vice pro nobis respondeat Lyranus in Com. c. 1. Esdr. *Libri Tobiæ, Judith &c. non sunt in Canone nec apud Hebræos, nec apud Christianos.*

§. XII. Secundo reponunt in specie & quidem (1) *contra Concilium Laodicenum* (α) *Laodicenum Concilium fuisse saltem provinciale. Episcoporum duntaxat 22. nec à Romano Pontifice confirmatum. Carthaginense vero tertium, in quo omnes illi controversi libri in Canonem recepti, fuisse Episcoporum 217.* Sed Respondemus (a) Provincialia Collegia ad definitionem ipsius Bellarmini c. 5. l. 1. de Conc. sunt, *in quibus unius saltem provin-*

provinciæ congregantur Episcopi. Laodicenum itaque Concilium Provinciale non fuit, ubi non unius, sed plurium Asiæ provinciarum, numero non 22. sed 32. Episcopi convenerant, teste Andras. in *Dif. Fid. Trident. lib. 3. p. 524.* [b] Confirmatum est à Leone *Artic. de libell. dist.* 20. [c] Concilio Carthaginensi non sequius, sed præstantius est, quia prius. Jam vero juxta Isidori Regulam apud Gratian. c. *Sancto Domino dist.* 50. *Quotiescunque in gestis Conciliorum discors invenitur sententia, illius Concilii sententia magis teneatur, cujus antiquior & prior extitit Authoritas.* (β) *Laodicenum Concilium & prætermittere Evangelium Lucæ.* Resp. Hoc Librarii potius errore, quam Patrum accidit culpa. Nam in Edit. Coloniensi Severini Binii *Tom. 1. concil. pag.* 292. diserte numeratur inter Canonicos. (γ) *Laodiceni Concilii Patres illos libros numerasse, de quibus certi erant, quod sint Canonici ac divini, interim non negasse reliquos esse Canonicos.* Resp. Imo vero solos Canonicos legi voluerunt, & in Catalogo Canonicorum illorum librorum, de quibus controvertitur, plane omittunt. Inde Bellarminus ipse *lib. 1. de V. D. c.* 20. Psalmum 151. non agnoscit Canonicum, quia Concilium Laodicenum cum Romano & Tridentino Psalmo in Canone tantum 150. nominatim expresserunt. (2). *Melitonis testimonio* in specie opponunt, *quod omiserit librum Estheris.* Verum Respondemus cum Gerhardo: (α) Sub Esdræ nomine Συνεκδοχικῶς intellexit Nehemiam & Estheram, quos etiam Hieronymus jungit in petitione Dominiani & Rogatiani, qui ab eo interpretationem poscebant. (b) Ideo etiam Esther pro Appendice Esdræ & Nehemiæ à quibusdam habetur, quia teste Isidoro *lib. 6. Origin. c. 2.* Estheris librum Esdras creditur conscripsisse. (c) Unde etiam Nazianzenus de genuina Script. Esdræ tantum meminit. (d) Pontificii semper excipiunt, Melitonem, Nazianzenum & alios secutos fuisse Canonem Hebræum. Atqui in Canone Ebræorum omnimode locum habet Esther.

§. XIII. Verum itaque manet, imo verissimum, Apocryphos V. T. de Canonica non participare authoritate. *Nec obstat* (1) quod *Hieronymus Præfat. super Tobiam & Judith hos libros dicat numerari à Judæis inter Hagiographa.* Sed ipse Bellarminus *lib. 1. de Verbo Dei c. 10. §. ad locum &c.* statuit *Duo genera Hagiographorum Judæos habuisse, quædam intra arcam, & quædam extra arcam. Quæ erat intra arcam, Hagiographa dicebantur, ad distinctionem Historicorum & Propheticorum voluminum, & hæc habebantur Canonica. Quæ autem erant extra arcam, dicebantur Hagiographa ad distinctionem Canonicorum & Sacrorum.* Hæc Bellarmini distinctio solvit argumentum allatum, quod sc. ab appellatione Hagiographorum non possit Canonica Authoritas probari; sed magis arridet Responsio, quam Glossa ordinaria *in Exposit. Prologi B. Hieronymi in librum Tobiæ ad verbum Apocrypha* annotat: *Alia litera habet Apocrypha, quod melius est, quia Hieronymus in Prologo Galeato numeratis libris Canonicis, inter quos iste non est, infert: Quodcunque extra hos est, inter Apocrypha est computatum.* Et postea: *Glossa quædam scribitur super istum locum, quæ talis est: Potius & verius dixisset inter Apocrypha, vel large accipit vocabulum Hagiographa, quasi Sanctorum scripta:* (2) *quod allegentur ab Apostolis in* N. T. Respondetur: *A verborum paritate ad allegationis probabilitatem* N. V. C. Si quæ ergo sunt, quæ, qua verba & Phrases, aliquam cum uno atque altero loco ex adductis Apocryphis habent convenientiam, propterea tamen exinde desumpta credi non debent, cum alia è Scriptura Canonica adduci possint loca, quibus proximius accedunt, idque propter exinde petita longe rectius statuuntur. Ita vers. 34. Rom. 11. longe verius refertur ad Esaiæ 40: 13. quam Sapientiæ 9: 13. Totidem enim verbis utitur Paulus, quibus LXX. Interpretes: Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο. Agnoscit hoc Thomas in *Comment. Rom. 11. lect. 5.* Cajetanus in *Comment. ejusdem loci.* Dominicus à Soto, & Erasmus in *annot. 1 Cor. 2. p.* 209. Eundem in modum tantum abest, ut Petrus in epist. c. 1: 11. ad Ecclesiasticum ejusque c. 14: 18. & 19. provocet, ut potius ad Jesaiæ 40: 7. respectum suum habeat. Hinc & in Indice Biblico Vulgatæ Editionis nullum testimonium ex Sapientia & Ecclesiastico affertur, cum tamen reliqua V. T. loca, quæ in N. T. citantur, diligenter sint congesta, sed verba Petri & Jacobi in illo Indice citantur ex Esaiæ 40. v. 7. cum quo etiam longe majorem habent convenientiam. Nec obstat (3) *Patres antiquissimos controversos posse libros vocare sacros, divinos & Canonicos.* Resp. (α) *secundum instantiam.* Librum Hermetis, qui inscribitur Pastor, divinitus inspiratum esse putavit Origines *lib. 10. in Epist. ad Rom.* Eundem librum utilem judicavit Eusebius *lib. 3. Hist. c. 3.* Parilem in modum Ambrosius teste Sixto Senense *lib. 1. Biblioth. p. 27. de lib. Esdr. §. Liber tertius*, quartum Esdræ putat editum esse non sine divina revelatione. Numquid autem exinde sequitur, Libros hosce esse Canonicos? Igitur (β) appellatio Canonica nuda nullum potest reddere librum Canonicum, si alia desint requisita. (4) *Patres controversos illos libros allegare.* Resp. Diversa sunt, *allegare ad explicationem*, & *allegare ad Fidei dogmatum probationem, eamque primariam & fundamentalem.* Prior, non posterior à Patribus facta est allegatio. *E controversis illis libris Fidei Articulos egregie confirmari.* Resp. (α) κατ' ἔνστασιν. Ex Esdræ libro tertio & quarto Athanasius, attestante Sixto Senense *lib. 1. Bibl. p. 27.* testimonium produxit ad probandam Christi Divinitatem. Ambrosius ad confirmandum dogma de Habitaculis sanctarum animarum post separationem à Corpore ex iisdem Animam humanam substantiæ demonstravit esse cœlestis. Ad quid tum? Propterea tamen ab ipsismet Pontificiis non habentur pro Canonicis. (β) κατ' ἀλήθειαν. Non sufficit aliqualis, partialisque, sed requiritur per omnia & totalis ad Canonicum librum cum Scriptura Canonica harmonia. (6.) *Carthaginense Concilium eosdem in Canonem recepisse.* Resp. Dist. inter Canonem *Ecclesiasticum* & *Divinum.* In illum, non hunc recepit. (7) *Augustinum lib. 7. de Doct. Christ. c. 8. vocare Canonicos.* Resp. Dist. inter Canonicum ὡς ἐν πλάτει & *Canonicum accurate dictum.* Prior, non posterior Canonici acceptio Augustino est curæ. Per Canonicum namque intellexit librum, qui in Ecclesia ad morum ædificationem legitur. Hinc *lib. 2. contr. Epist. Gaudent. c. 23.* monet, sobrie legendos & audiendos esse Maccabæorum libros, quam cautionem Canonicis dubio procul non adhibuisset. (8) *Concilium Tridentinum controversos illos libros in Canonem recepisse.* Verum ipse Bellarminus *lib. 1. de V. D. c. 10. §. itaque* statuit, *Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum de Non Canonico, sed tantum declarare, quis sit Canonicus habendus, & hoc non temere, nec pro arbitratu, sed ex Veterum Testimoniis.* Stantibus itaque superioribus hypothesibus nostris, neque Concilium Tridentinum, neque tota Ecclesia Romana juris quid habebit in Apocryphos. Et tantum hac vice.

الحمد لله



SIMON. BORNMEISTERI

DISSERTATIO INAUGURALIS,

De Erroribus Hiſtoricorum Gentilium, in rebus Sacris recenſendis.



Eſtem illam temporum Hiſtoriam, laudibus, in hac corona tantorum Virorum, efferre magnificis, nihil ſane aliud eſſet, quam Soli præferre lumen; adeo omnibus emunctiorum narium illius nota eſt dignitas, ut nemo unus ſit, qui dubitet, omnia illius in eo claudi encomia, quod nempe vitæ ſit Magiſtra. (a)

Nulla non gens eam in deliciis habuit, ſi nullo alio, certe eo ſaltim nomine, quod mortales ſuæ conditionis memores, hac lege ſe poſt fata ſua ſupereſſe, perſuaſum ſibi habuerint: nunquam enim ceſpite altius jacerent Heröes omnis generis, niſi à nocte longa, qua premuntur, Hiſtoriæ calamo (b) exemti fuiſſent. Omnium mortalium vita Hiſtoria eſt: ea re factum, ut plurimi (c) vitas ſuas compoſuerint, qui, an ad unum omnes cenſuram Vopiſci effugiant; nullum Hiſtoricorum eſſe, qui non aliquid mentitus ſit, jam non liquet.

Nempe anima Hiſtoriæ eſt intemerata veritas; eaque in ſui conſortium, nullos admittit adfectus, nullos fucos, qui tamen frequenter familiares ſunt illis Hiſtoricorum, qui gratiæ Principum aucupandæ, ſuam accommodavere opellam. Hanc vero, quam primam Hiſtoriæ legem Tullius eſſe vult, cum ſibi legem habuerit, inter alios omnes, omnium Hiſtoricorum aquila Polybius (c) (quippe qui, ne quid in Romanorum, aliarumque gentium rebus recenſendis, falſi imprudens admiſceret, Africam, pleraque Hiſpaniæ loco, Galliam, Alpeſque adiit, nec non Oceanum Atlanticum navigavit,) hinc factum, ut ejus Hiſtoria omnium Cordatiorum, omne ferat punctum. Polybii in eo veſtigia anxio pede preſſere, conſummatiſſimi hujus ſeculi Hiſtorici, Georgius Buchananus, nec non Galliarum ille Phœnix, Jacobus Auguſtus Thuanus. Sine odio, ſine gratia, uterque Hiſtoriam ſuam contexuit, neque eſt, ut Buchananum genuino ea propter carpant Wilhelmus Barclajus, & Gaſper ille Scioppius, egregius menſarum Pontificiarum aſſecla.

Verum enim vero, licet veritatem, in Hiſtoria, ſummo commendemus opere, neutiquam tamen in ea ſumus hæreſi, illos ab omni errore immunes eſſe. Homines ſunt; à quibus cum nihil humani alienum, quid mirum? aliquid eos nonnunquam humani pati. Solis illis ſcriptoribus φερομένοις ἀπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου hæc laus propria, qnorum cum omnium Hiſtoricorum primus ſit, non Cadmus (d), ſed Dei ille internuncius Moſes, ei quidem congrua nonnunquam ſcribunt anti-

(a) Cic. *hoc encomium Hiſtoriæ attributum, plane accurate expoſuit* Joh. Bodinus, *in methodi Hiſtoricæ præfat. p.* 1. *cujus verba adferre, pretium operæ.* Cum Hiſtoria laudatores habeat complures, qui veris eam ac propriis laudibus exornarunt, ex omnibus tamen nemo verius, ac melius, quam qui *VITÆ MAGISTRAM* appellavit: nam ea vox omnes omnium virtutum ac diſciplinarum utilitates amplexa, ſignificat vitam hominum univerſam, ad ſacras Hiſtoriæ leges, velut ad Polycleti normam dirigi debere.

(b) *Et Hiſtoricis, & Poëtis, quanquam diverſa admodum ratione, commune eſt, res geſtas memoriæ poſteritatis commendare; illis tamen major fides: ſiquidem teſte* Eratoſthene, *apud* Strabonem *l.* 1. μὴ κρίνε πρὸς τὴν διάνοιαν τὰ ποιήματα, μηδ' ἱστορίαν ἀπ' αὐτῶν ζήτει: *i. e.* Poëmata non judicant ſecundum rationem, nec ex iis Hiſtoria quærit. *Poëſis enim dum metro ſervit, aliaſque circumſtantias attexit, ut modo delectationem adferat, non adeo, ut Hiſtoria, de veritate ſollicita eſt.* v. Franciſcus Patritius *Dial.* 1. *de Hiſtoria, Tomo* 1. *Penus Hiſt. p.* 408.

(c) *Cum olim id, Scaurus, & Rutilius, feciſſe memorentur, horum quoque veſtigiis inſiſtebat Auguſtus, qui teſte* Suetonio *l.* 2. *c.* 15. *vitam ſuam tredecim libris expoſuit. Antoninus de ſeipſo, ad ſeipſum, libros ſcripſit, quos edidit* Mericus Caſaubonus *in Anglia, & dein* Gatakerus *cum notis, Londini. Maximiliani Imperatoris glorioſiſſimi vitam, ab ipſo ad veritatis normam conſcriptam, aſſervat Auguſta,* AUGUSTISSIMI LEOPOLDI *noſtri, Bibliotheca, referente id, immortalis, poſt fata etiam ſua, memoriæ viro* Lambecio *lib.* 2. *c.* 8. *p.* 967. *his verbis.* Volumen ingens germanicum chartaceum, in folio, quo continetur Hiſtoria vitæ, & rerum geſtarum, Imp. Friderici V. & Imp. Maximiliani I. ab ipſo Imp. Maximiliano I. proſa oratione compoſita, & à Secretario ejus Marco Treitz Saurwein / ab Ehrentreitz, pure deſcripta, atque elegantiſſimis imaginibus ligno inſculptis exornata. *Thuanum vitæ ſuæ authorem eſſe, quem fugit?*

(d) *Quæ aliorum optimorum Scriptorum fata, ea & Polybii Hiſtoria ſubiit, ſiquidem maxima pars illius periit. Præclare de ea promeritus eſt* Caſaubonus, *luculenta, quam commentario ſuo auxit, editione. Quid in Polybio laudandum, ſatis quoque expoſuit celeberrimus* Boëclerus, *in diſſert. de Utilitate, ex Hiſtoriæ univerſalis compoſitione capienda, p.* 3. *ſeqq.*

(e) *Origo ejus diverſis eſt diverſa. Alii eum Tyrium, alii Phœnicem, Græcum alii, alii Ægyptium volunt. Ægyptium forte eum eſſe,* Euſebii *fide, l.* 10. *de præparat. Ev. adſerendum foret, ex cujus verbis conſtat, Cadmum de Thebis Ægyptiorum profectum in Syriam, apud Tyrum, & Sidonem regnaſſe. Hoc licet concedi poſſet, Sidonis eum imperium tenuiſſe, id tamen qui adſeri queat, quod in Tyro quoque imperaverit, non liquet; cum Tyrus multo demum tempore, poſt Cadmum, ſit condita. Phœnicem autem eum eſſe* Herodoti, &

antiquissimi Gentilium Historici, nihilo tamen minus τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχουσιν; ut adeo divina veritas in illorum monumentis eluceat, tanquam Sol inter nubila.

Hoc ipsum, cum Sacro-Sancta Dei mei providentia, consensu maxime Generosorum Patriæ Atlantium, ac *ceterorum* Dominorum Scholarcharum auspiciis, publica universalis Historiæ & sacræ & profanæ Professio, humeris meis, non quidem huic oneri ferendo paribus, sit benevole imposita, primitias, ardui hujus officii, esse volo, ostensurus, quantum curta rerum meatum fert supellex, *errores Historicorum Gentilium, in rebus sacris recensendis.* Quod, ut Dei mei auxilio expediam, Vos A: A: summe colendi, omni observantia rogo, ut benigne audiatis eum, qui Vos, sibi faventes, exoptat. Brevis ero, ne Vobis molestus sim.

Ut matrona scorto dispar; ita Historia Sacra profanæ Gentilium. Illi illibatus flos, ac honos; cum huic non tantum verrucæ in facie, & nævi, sed & vitiatus pudor. Antiquissima est Mosaica, (a) quæ vera primordia rerum pandit, cujus authoritas plane divina; cujus vaticinia accuratissime comprobavit eventus; cujus miracula nulla (b) præstigiæ hominum oculos fascinantes.

Ast quam plane alios vultus induit antiqua Gentilium? cui quamvis sæpius sententiæ legales inspersæ; quamvis κακοζηλία Divinorum miraculorum Diis suis authoritatem conciliarit, quale illud Tarquinii Prisci, (c) qui novacula illæsa, cotem dissecuit; nunquam tamen non, commentis suis, limpidissimos fontes Israelis turbat, ac, siquid ex sacra pagina refert, erroribus suis contaminare consuevit; quo in vestigia quoque Gentium pressit (d) omni plane studio, impostor

& Taciti *testimonio, evinci poterit; quorum ille l. 5. c. 58. tradit, Phœnices cum Cadmo in Græciam venisse, ibique Græcas literas introduxisse. Hic vero l. XI. Annal. 14. n. 2. scribit;* Fama est Cadmum classe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus auctorem esse. *Ast* Plinius *l. 7. Hist. nat. c. 56. eum simpliciter* Phœnicem *vocat.* Humphredus Prideaux, *in Comment. ad Chronicon marmoreum Oxoniense, p. 155. Cadmum & Egyptium, & Phœnicem esse posse, ostendit, cujus verbis rem ipsam exponere pretium operæ.* Dicunt enim Græci, Cadmum ab Oraculo Delphico, quod de nova condenda urbe consuluerat, jussum vaccam, in utroque latere habentem signum candidum, circulo plenilunii simile; cum in Boëotiam venisset, itineris Ducem habere, eo in loco, quo ea defessa, primo procubuit, Thebas condidisse. Sed maculam illam candidam in speciem lunæ, superstitionem Ægyptiacam, in cultu Apidis denotare, & Cadmum non tam ex oraculo Delphico, quam è patria religione, tanta superstitione hanc bovem observasse, multo verisimilius videtur. Cadmus enim Ægyptius fuit, qui tamen è Græcia etiam habuit originem. Jo enim Jasii Argivi filia erat, quæ ab Ægyptiis rapta, Osiridi Ægyptiorum Regi nupta fuit, eademque est, quam Ægyptii Isidem vocabant; hujus filius erat Epaphus, qui genuit Libyam matrem Agenoris, & Beli, quorum hic Danai, & Ægypti, ille Phœnicis, Tasii, Cilicis, & Cadmi Patres fuere. *Sed quod* Herodotus, *Cadmum literarum Græcarum, &* Plinius *l. c. eum, omnis Historiæ, inventorem volunt, in eo longissime à veritate deficiunt; illi enim* Diodorus Siculus *l. 6. Biblioth. adversatur. Siquidem extra controversiam, jam ante Cadmum literarum usum, apud Græcos obtinuisse. Calculum illi addit suum* ἄγαλμα *illud Septentrionis* Olaus Rudbekius, *cujus, in egregio opere Atlanticorum, cap. 38. n. 4. pag. 839. hæc sunt verba.* Firmum & inconcussum manet, Græcos ante bellum Trojanum, sive Cadmi ætatem, literas tantum 16. possedisse. Malinkrot, *in l. de Natura, & usu Lit. c. 3. p. 13. ea ratione Cadmum inventorem Græcarum literarum dici posse, autumat, quod illos Characteres, quos à Phœnicibus accepit, Græcis tradiderit. De cetero, Cadmum, quod* Plinius *vult, primum Historicorum esse, vel hoc uno evertitur, quod minimum annis 160. Mose sit inferior. Accedit, (si verum est, quod à nonnullis traditur) quod Cadmus cum Josua arma sua conjunxerit, ac deinceps res, à populo Dei, gestas, in Græcia disseminarit; hinc utique Cadmum posteriorem Mose fuisse, quis est, qui dubitet?*

(a) *Extra omnem dubitationis aleam, veram originem rerum, antiquissimos scriptores, aut ex traditione, aut ex lectione librorum Mosaicorum, hausisse. De illa ita Arist. lib. de mundo, cap. 6.* Vetus sermo est, (καὶ πάτριος) à majoribus proditus, in omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum, constituta fuisse, ac coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium, suæ ipsa demum tutelæ permissa. *Neque vero est, quod à multis, ut huic loco robur detrahens, obvertatur; I. Aristotelem æternitatem mundi statuisse. II. Librum hunc non esse illius. Illorum enim rationibus accuratissime satisfecit, insignis quondam Philosophus Jenensis, B. Zeisoldus, libro de consensu Arist. cum scriptura, diss. 7. p. 213. seqq. cui jungatur æque accuratus Altorphius, B. Doct. diss. peculiari; quod mundus à Deo, in genere causæ efficientis dependeat. Alterum vero, parum firmo niti fundamento, exinde ostendi poterit, quod dicendi genus plane Aristotelicum sit, quodque insuper eadem dogmata, quæ in aliis libris Acroamaticis tradidit, hic reperiantur. Accedit, quod primus Græcorum Ecclesiæ Patrum,* Justinus *Martyr, sed antea Philosophus gentilis, in Parænesi ad Græcos, id ipsum calculo suo probet:* Franciscus *vero* Patritius, *qui vere Aristarchus Aristotelis, Tomo I. discuss. Peripat. l. 6. p. 44. omnino ab illius partibus in hoc stet, librum hunc illi attribuens. Habent hi consentientem, &* Olaum Wormium, *celeberrimi nominis virum, qui causam Aristotelis egregie egit, contra* Heinsium, *qui libellum de mundo omnibus modis Aristoteli denegare conatus est, in peculiari dissert. Orationibus illius, postremæ editionis, annexa. Sed ut ad prius revertar; non dubitandum, hanc, de rerum ortu, cognitionem, traditione ita esse propagatam, ut, antequam Libri Codicis Mosaici in unum redacti fuere volumen, non alia ratione exteris innotuerit, quicquid in illorum scriptis, de origine mundi, continetur. Posteros Noah, ac dein dignum divino colloquio virum, Abrahamum, illa quæ de ortu mundi, Numinis institutione, eruditus, perceperat, illis dubio procul opera Dei exposuisse, quibuscum vixerant, quosque, hic in familia sua satis ampla, aluit, credimus. Ex quo vero Scriptura Mosaica extare cœpit (cujus initia referenda erunt, ad tempus ab obitu Josuæ, populo jam Canaan inhabitante) singulari Dei ductu, & beneficio factum, ut quoque ad varias gentes illius fama pervenit* Sanchuniathon Berytius, *verioris doctrinæ maxime amicus, & antiquissimus Scriptor, in ea, quam ab origine mundi, consignavit, Historia, non alio usus est fonte, quam Hierombalo, Sacerdote Dei Jao, ut* Porphyrius, *l. 4. contra Christianos, testatur. Hic autem Hierombalus est Gedeon, ut vult stupendæ eruditionis Vir;* Samuel Bocchartus, *in Canaan l. 2. c. 17. p. 858. & Jao ipse Deus Israëlis, Jehovah. Ita enim* Diodorus Sic. *l. 1. ait,* Mosen apud Judæos, Deum qui vocatur Jao, legibus suis authorem inscripsisse. *Etsi vero Sanchuniathonis illud scriptum, quod* Philo Biblius *sub Adriano vivens, in Græcam transtulisse linguam fertur, haud boni commatis sit, nihilo tamen minus, reliquias, quas* Eusebius *in Libris de præparat. Evangel. adducit, Historiæ Mosaicæ congruentes, neutiquam plane rejiciendas arbitramur; cum vero haud absimile, ad Phœnices, ab his ad Græcos, aliosque, rerum harum sacrarum notitiam, ex illis commigrare potuisse. Omnia itaque, quæ deinceps illis cognita, uni Mosi debentur, quo Scriptorum Sacrorum, nemo prior, antiquior nemo; ut eapropter nullo loco esse queant, liber Adami, Henochi, aliique hujus farinæ, quibus de consulendi omnino,* Saldenus *Otii Theol. l. 1. Exercit. 1.* Hotting. Thes. *Philol. 1. c. 2. S. 2. p. 85. & Enneade diss. 1. p. 3.* Bangius, *in cœlo Orient. Exercit. 1. q. 5. p. 16. seqq.* Dorscheus, & Pfeifer, *Doctores Theologi consummatissimi, in disp. de Henocho, aliique complures, quibus addendus &* Kircherus *in Obelisco Pamphili l. 1. c. 1.*

(b) *Ferrea omnino illi frons, ac mens extrema impietate excæcata, qui miracula, in historia Mosaica, recensita, divina fuisse, negare vellet. Dum enim libri Mosaici, sancti, ob divinam authoritatem, à Judæis habentur, qui quæso hunc honorem iis deferrent? si scirent præstigias, mendacia, ac commenta, iis contineri. Prolixius, & plane solide hæc exposita reperiuntur, in exasciata eruditionis opere, per omnem Europam celebratissimi D.* Wagenseilii, *Amici nostri veteris, & colendi, cujus titulus, Tela ignea Satanæ, p. 503. seqq.*

(c) *Integram rei hujus Historiam narrat* Florus *lib. 1. c. 5. Mirum! hanc rem miram, miraculis gentilium suorum non addidisse* Val. Max. *cum integro c. 8. l. 1. plurima illorum enumerarit: quæ tamen, quid aliud sunt, quam præstigiæ Dæmonum & sacrificulorum, aliorum credulitati ita imponentium?* E talibus *autem* præstigiatorum miraculis, *inquit,* Origenes *l. 2. adversus* Celsum, *p. 91.* colligimus, necessario esse alia, quæ divina virtute patrentur in vita hominum.

(d) *Ita celeberrimus Linguarum Orientalium Doctor,* Hottingerus, *l. 1. Hist. Orient. c. 3. p. 27. de Muhamede.* Is, quia sibi, omnis literaturæ, & Historiæ Sacræ ignaro, centonem suum cœlitus traditum, mentiebatur, omnem movit lapidem, ut ne, quan-

postor ille pessimus Muhamed, ut ex Alcorano illius patescit.

Moses ergo fons est, ex quo corrivarunt in fundos suos, non tamen sine limo, res Sacras, quicunque earum narrationem contexere ausi sunt. Et quid nos in admirationem id agat, Gentiles enarrando res sacras, eas sordibus suis contaminasse? cum ne quidem rectus de Deo, illis sensus fuerit. Testes ea in re mihi voco antiquissimos Gentilium Ægyptios, (a) per Mizraim à Chamo oriundos. His non defuisse Historiæ conditores, nemo forte inficias ibit, nisi qui nescit, quod ἱεροφαντῶν (b) apud illos fuerit munus. Num enim hos satis ingeniosos, omnique Sapientia excellentes Viros, annales rerum gestarum condere, insuper habuisse, persuasum habebimus? Nam quamvis ex eorum scriptis nihil nobis supersit, nisi quod per Græcorum, ad nos, devenit manus; illa tamen fragmenta, reliquiæ illæ genuinæ: sufficiant, ut ex iis, quid de Deo senserint, palam fiat.

Nempe stercoreos illis Deos fuisse, plenus mysteriorum Propheta Ezechiel (c.20:7,8.) adserit. Animalium cultu (c) insaniebant, templaque illorum erant pulcherrima: quod si autem intus Deum quæras, aut simia est, aut Ibis (d), aut hircus, aut felis, quod testimonium est, qui Augusti ævo inclaruit, Diodori (l. 1.) qui potius, ab ipsa regione Siciliæ, quam ab Agyrio oppido, cognomen Siculi accepit, quique Ægyptum adiit, taliaque Deorum portenta oculis usurpavit suis. Habet Diodorus, in eo, suffragia Clementis Alexandrini, initio seculi tertii clari Ecclesiæ Patris, qui fere iisdem verbis (l. 3. Strom.) deliria Ægyptiorum exponit. Neque intus, ait, invenitur Deus, qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis (e) vel crocodilus, vel serpens indigena, vel alia ejusmodi bellua, quæ si dein moriantur, sepeliunt eas in templis, & indicta publica lamentatione prosequuntur, teste Athenagora. (f)

Sed quis est, qui nesciat
—— —— qualia demens
Ægyptus portenta colat.

Sane

quando Historias, ex V. T. desumptas Christiani, aut Judæi deprehenderent, fraudis manifestæ, & Sacrilegii eum convincerent. Operam igitur dedit, ut Historiis sacris, vel parachronismi, vel anachronismi, *vel ἀνιστορησίας*, vel denique corruptionis, aut permutationis nominum σκοτώματα *offunderet, adeoque omnem transscriptionis aliunde suspicionem declinaret.*

(a) *Si Ægyptiorum primus Rex fuit Menis, qui ipse Chamus, qui à diluvio in Ægyptum, (quam à Rhinocarura, juxta* Stephanum *Rhinocurara, alias etiam Faramida, usque ad Gades, versus meridiem* Epiphanius *determinat, in Ancorat. c.* 114. *Hæresi* 66. *concessit, palam Ægyptiorum antiquitatem, à temporibus post-diluvianis deducendam, atque ea sic, nullam illos gentem superare. Regii Psaltis authoritate, quæ divina, huic asserto robur accedit; hic enim Ps.* 78: 51. & 105: 23, 27. *Ægyptum regionem Chami, nec non tentoria Chami appellat.* Ioh. Baptista Casalius *l. de veterum Ægyptiorum ritibus c.* 2. *p.* 2. *nobiscum facit.* Ægypti, *ait*, regio habitata primum fuit, post diluvium, ut ex nomine Mesraim illi apposito, ab uno ex Nepotibus Noë, ut in c. 10. Genes. filio Cham, unde in Ps. 104. & 105. nominatur Ægyptus terra Chanaan. *Ipsi sane, sed sine omni sanioris rationis judicio, de antiquitate sua gloriari audent, dum terram suam primos homines protulisse somniant, eo etiam fundamento nixi quod mures è terra ibi nascantur. Enimvero Misraim, alterum Chami filium, patrem incolarum terræ Ægypti fuisse,* Epiphanius, *gentes è Chamo ortas, enumerans, apud* Schotanum, *in Biblioth. Hist. Sac. secunda ætate p.* 107. *affirmat, quo cum facit &* Iosephus *l.* 1. *antiquit. Jud. c.* 7. τὴν γὰρ Αἴγυπτον Μέστρην, καὶ Μεστραίους τοὺς αἰγυπτίους ἅπαντες οἱ ταύτην οἰκοῦντες καλοῦμεν. *Calculum suum his addit* Bochartus, *in Phaleg. l.* 4. *c.* 24. *p.* 292.

(b) *Fuere hi summi Sacrorum interpretes, ac scribæ, qualis memoratur apud* Eusebium, *l.* 1. *præparat. Ev. c.* 7. *Epee*, μέγιστος ἱεροφάντης, καὶ ἱερογραμματεὺς, *cujus libros, Arius in Græcam linguam transtulit. Apud hos fuit omnis illorum eruditio, & Sapientia, quibus & hoc insuper officii datum erat, ut annales, historiamque Gentis conderent.* Ptolomæus Mendesius *librorum Ægyptiorum mentionem facit, ac insuper fragmentum aliquod rerum Ægyptiacarum, apud* Manethonem *Ægyptium, legitur, quo de quidem* Eusebius *l. c. l.* 2. *in præfat. testatur, quod universam illorum Historiam, & Theologiam, Græca lingua ediderit. Sed unde reliquis illis, per omnia fides?*

(c) *Utrum Ægyptiis, quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, juxta* Cic. 5 *Tuscul. omnia animalia, Numinum instar fuerint, non convenit Scriptoribus inter se.* Tertullianus, *in Apologet. c.* 23. Eusebius *l.* 2. *de præpar. Ev. c.* 1. *ac inter prophanos,* Herodotus, *in Euterpe, c.* 42. *omnia iis animalia sacra fuisse asserunt: v.* Laurentius Pignorius *c.* 1. *exposit. mensæ Isiacæ p.* 8. Cicero *vero l.* 3. *de Nat. Deorum, ea saltim, ex quibus aliquam capere poterant utilitatem, consecrasse vult; à quo non discedere videtur,* Strabo, *Geographus sec.* 1. *à nato Christo celeberrimus, l.* 17. Sunt quædam animalia, quæ Ægyptii universim colunt, ut de terrestribus tria bovem, canem, felem; è volatilibus accipitrem, atque Ibin; ex aquatilibus duo, Lepidotum piscem, & Oxyrynchum. Neque vero solum bestiæ Numina illis fuere, sed & plantæ nonnullæ. *Juvenal.* Sat. 15, v. 9.

Porrum, & cepe, nefas violare, & frangere morsu.
O sanctas genteis! quibus hæc nascuntur in hortis.
Numina. - - - - - -


Plinius *l.* 19. *Hist. nat. c.* 6. Allium, cepasque, inter Deos jurejurando habet Ægyptus. Arnobius *l.* 1. *adversus Gentes, p.* 15 *dum Deos Gentium ludibrio exponit, eos cum Diis Ægyptiorum committit.* Templa, *ait*, felibus, scarabæis, & bubulcis, sublimibus sunt elata fastigiis: silent irrisæ Numinum potestates, nec livore afficiuntur ullo, quod sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates. *Sed homines imagine Dei præditos, nec adeo obtusæ rationis, tantis tenebris potuisse immergi, ut creaturas ἀλόγους, quibus imperare debebant* (ὅτι πάντα ὑπέταξεν ἡμῖν διὰ τὸ κατ᾽ εἰκόνα ἡμᾶς πεποιῆσθαι τοῦ κτίσαντος, *ut ait* Basilius M. *Hom.* 8. *in Hexaëm.*) *superiores sibi voluerint, iisque cultum, qui ex illorum perversa mente divinus esset, exhibuerint, non immerito quis miretur. Et hæc forte inter alias causa, quod Ægyptiis Hebræi exosi fuerint, cum hi animalia in cibum concessa, nullo discrimine habito, comederint, quæ inter & bos, Ægyptiis admodum sacer: Quanquam* Cunæus *l.* 1. *de Rep. Hebr. c.* 5. *p.* 23. *plane ab hac sententia discedat. Pluribus hanc causam disceptarunt,* B. Dilherrus *Tomo I. diss. Phil. p. m. Immortalis* Calixtus *Hist. Joseph. ad v.* 34. *c.* 46 *Gen. p.* 158. *nec non, inter sinceros maxime mihi æstimandus, æque ac diligendus, amicos, summe Rev. ac Excell.* Dn. Saubertus, *SS. Theologiæ D. ac Prof. primarius undiquaque celeberrimus, cujus in me candido amori ut satis possem facere, summa votorum, in diss. de Philolog. sacrorum triga: Philol.* 2.

(d) *Cur hanc, inter Deos, habeant, indicat* Cic. *l.* 1. *de Nat. Deorum, Tom.* 4. *p.* 291. *ex* Herodoto. Ibes maximam vim serpentum conficiunt, quasi aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro, avertunt pestem ab Ægypto; cum volucres angues ex Libyæ vastitate, vento Africano invecto, interficiunt, & consumunt. *v. quæ* Causinus *de Ibide observat, in Polyhist. Symb. l.* 6. *n.* 67. 279.

(e) *Rem de fele, quanto in pretio fuerit Ægyptiis, miram refert* Diodorus *l.* 1. Adeo animis hominum ista animalium religio impressa est, & tam destinatum, ad venerandum ea, quisque affectum gerit, ut quo tempore Ptolomæus Rex, à Romanis, nondum erat amicus renunciatus, & plebs omne hoc studium conferebat, ut ex Italia eo profectos obsequiose coleret, utque nullam eis criminis, aut belli, ansam præberet, ob metum contenderet, fele tamen à Romano quodam interfecta, populoque ad ædes ejus concursu facto, neque proceres Regis ad deprecandum missi, neque communis Romæ terror hominem pœna eximere voluerit, quamvis citra voluntatem facinus peregisset; id quod non auditu perceptum referimus, sed ipsi in peregrinatione ad Ægyptum coram vidimus. *Sequuntur in eo Ægyptios Muhamedani, quibus quoque feles in deliciis, ut quam maxime, teste* Busbequio *Epist.* 3. *p.* 178.

(f) *Verba illius, ex celeberrimi* Rechenbergii, *præclare de hoc Patre meriti, edit. p.* 110. *adscribo* τὸ ἢ κατ᾽ αἰγυπτίους, μὴ καὶ γελοῖον ᾖ τύπτονται γὰρ ἐν τοῖς ἱεροῖς τὰ στήθη, καὶ τὰς πανηγύρεις ὡς ἐπὶ καὶ τετελευτηκόσι, καὶ θύουσιν ὡς θεοῖς. καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν οἵγε καὶ τὰ θηρία θεοὺς ἄγουσι, καὶ ξυρῶνται, ἐπεὶ ἀποθνήσκουσι καὶ θάπτουσιν ἐν ἱεροῖς, καὶ δημοτελεῖς κοπετοὺς ἐγείρουσιν. Nam quod apud Ægyptios fit, nonne plane ridiculum est? plangunt enim in templis pectora per ferreas, ut pro mortuis, & sacrificant, quasi Diis. Nec mirum hercule, qui & bestias putant esse Deos, & raduntur, si quando illæ moriantur, & sepeliunt eas in templis, & indicta publice lamentatione prosequuntur.

Sane hic animalium cultus jam Iſaaci temporibus obtinuit, regnante apud Ægyptios Aſet. Ita *Euſebius* : ἐπὶ αὐτοῦ Ἄσηθ ὁ μόσχος θεοποιηθεὶς, (a) ἄπις ἐκλήθη. Et hæc bovis ἀποθέωσις (qui etiam Oſiris, & Dionyſius, & Serapis, & Iovis, & Ammon, & Pluto, & Pan dictus (v. *Vives* in Auguſt. l. 18. de Civ. Dei c. 5.) adeo in tranſverſum egit animos filiorum Iſrael, ut in Ægypto commorantes, contagione hac afflati, (neutiquam enim ſtare poſſumus à partibus inſignis Angli, Iohannis Marshami, qui Ægyptios, à Iudæis, ſua mutuatos eſſe, credit) Aaronem precibus expugnarint ſuis, ut idolum, (b) aut bovis, aut vituli, aut caput bovinum, ex auro conſtaret, cujus in imagine ſe, vero Deo, ſacra facere poſſe, ſibi perſuaſum habe-



(a) *Admodum familiaris eſt Ægyptiis, obſervante illuſtri* Ezechiele Spanhemio, *de præſt. & uſu Numiſmatum, diſſ. 3. p. 150. terminatio vocum in IS, ad quas etiam referenda, Apis, Suchis, &c. Hujus Apidis figuram oſtendit numus quidam inſignis l. c. p. 654. ab eo exhibitus, cujus in altera facie, imago Antinoi cum inſcriptione* ΑΓΑΘΟC ΗΡΟC ΑΝΤΙΝΟΟC: *In altera vero Apis Ægyptiorum, cui adjecta hæc vox,* ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΙΤΩΝ; *indicans ab Hadrianotheritis, urbis in Moëſia, cujus conditor Hadrianus, incolis eſſe percuſſum. Hic Apis in latere dextero notatus eſt figura Lunæ corniculatæ. Idem vero Numen erat Apis, & Oſiris, quod bovis colebatur ſimulacro.* Strabo *id obſervat l. 17.* ἔχει δὲ ἱερὸν τό τε τοῦ ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις, ὅπου ὁ βοῦς, ὁ ἄπις ἐν σηκῷ τινὶ τρέφεται. Habet vero templum,) *nempe de Memphi, Ægyptiorum regia, ſermo illi eſt*) quod Apidis eſt, qui idem eſt, qui Oſiris. Ibi bos Apis in ſepto quodam alitur. *In eo autem convenit* Straboni, *cum* Mela (*v. annot. ſeq. quod uterque Apidi nigrum colorem tribuat, ſed dum hic certas maculas addit, alter vero frontem illius albam eſſe tradit, neuter quidem alteri adverſus. De cætero Iſraelitas, ſuperſtitioni impiæ Ægyptiorum, adhærentes, ſibi quoque Apidem, quem loco Numinis haberent, elegiſſe, permultorum Doctorum virorum ſententia eſt. Plura de Apide adfert* Kircherus, *Tomo I. Oedipi : ſynt. 3. c. 5. p. 199. ſeqq. cujus figuram in tabula exhibemus.*

Alias vituli ſive Bovis Aaronis figuras Apidem referentes ex Cimeliarchejo maxime Generoſorum Patronorum, & elegantioris eruditionis, ut ſolide peritorum, ita & maxime amantium, Dn. Welſeri, *ac Dn.* Ebneri, *Scholarcharum ſplendidiſſimorum, ſingulari favore Muſas meas complectentium, hic etiam exhibere operæ pretium; quibus jungimus, & numiſma* Spanhemii, cujus paulo ante mentio facta, nulli dubitantes Lectori hæc grata futura. V. Tabula.)

(b) *Bovis cultus antiquiſſimus, & communis eſt Ægyptiis.* Pomponius Mela *de ſitu orbis l. c. 9. n. 60. 61. p. 13.* colunt effigies multorum animalium, atque ipſa magis animalia: ſed aliialia; adeo, ut quædam eorum etiam per imprudentiam interemiſſe, capitale ſit, & ubi morbo, aut forte extincta ſint, ſepelire, ac lugere, ſolenne ſit. Apis populorum omnium numen eſt, bos niger certis maculis inſignis, & cauda linguaque diſſimilis aliorum. Raro naſcitur, nec coitu pecoris, (ut ajunt) ſed divinitus, & cœleſti igne conceptus; dieſque, quo gignitur, genti maxime feſtus eſt. *Pudet impiarum abſurditatum, quas recenſuiſſe, eſt refutaſſe. Atque hæc ex re & vero, eſt abominatio illa Ægyptiorum, cujus* Moſes *meminit. v. Exodus 8. v. 25. & 26. Abominatio vero dicitur, aut quod oves & boves, idololatrico Ægyptiorum cultui inſerviebant, aut quod ipſi Ægyptii, iniquo plane animo ferebant, ea Deo immolari alieno, quæ illi religioſo cultu afficiebant. Bos enim digniſſima Diis gentilium victima, ut pluribus id deduxit ſupra laudatus* D. Saubertus *l. de Sacrificiis c. 22. p. 549. Quia ergo populus inter Ægyptios degens, conſuetudine quoque illorum hac labe contaminabatur, ut viſibile quoddam deſideraret Numen, quare ab Aarone, pertinaci, ſed impio ſtudio, contendit, ut Deum conſtitueret, quem Ducem ſequeretur, longe deterior in eo factus Gentibus, quia illis ab initio, omnino nullæ Deorum ſuorum erant imagines, teſtibus* Athenagora *in Apol. pag. 129.* Ludovico Vive, *ad* Auguſt. *l. 4. c. 31. de Civ. Dei pag. 477.* Voſſio *l. 9. de Idol. c. 5. p. 223. Stephanus, poſt innocentes infantulos, protomartyr Eccleſiæ N. T. Actor. c. 7: 39. ſeqq. ita eos reprehendit.* Averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes Aaroni, fac nobis Deos qui præeant nobis, & vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque ſacrificium idolo. Lactantius *l. 4. de vera Sap. c. 10. p. 376. hæc ita exponit.* Pro his tamen divinis beneficiis, honorem Deo non reddiderunt, ſed depulſa jam ſervitute, jam ſiti, fameque depoſita, in luxuriam prolapſi, ad prophanos Ægyptiorum ritus animum tranſtulerunt. Cum enim Moyſes Dux eorum aſcendiſſet in montem, atque ibi 40. diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos in ſignum præcederet, figurarunt. *Hoc autem ſignum & bovem*

habebat. Periit quidem in herba hic bovis cultus, sed Ieroboam (a) [1 Reg. 12:28.] deinceps eum, ex Orco, magno populi malo, in Dan, & Bethel, revocavit.

Hunc nefandum de Numine errorem, excipiat alter, quem de mundi origine fovet Hist. Ægyptiorum, eumque ex Porphyrio, Eusebius exhibet. Nempe δημιεργὸν quandam rationem fingunt, quæ illis Kneph (b) vocatur. Huic humanam speciem, colorem cœruleum, eumque nigricantem, cingulum, ac sceptrum, quod manu gerit, assignant; atque hunc porro Deum, ex ore, ovum effudisse narrant, quod quid aliud, quam mundus? cujus ex mente Macrobii, simulacrum Ovum. (c) Video, vos vobis in memoriam jam revocare, phrasin illam Mosaicam, *Spiritus Dei* (d), *incubabat super aquas.* Horum verborum vim egregie expendens *Basilius* (apud *Glassium* Philolo. Sacra p. 603. Homil. 2. Hexaëm.) ea ita exponit; *Spiritus Sanctus fovebat, sicut ova foventur ab avibus.* En! rursus vobis solem inter nubila. En! turbidos ex purissimo fonte rivulos.

Multis parasangis antecellit Ægyptiorum somniis narratio Diodori. Hic enim alia, quam vulgus, ingressus via, aut ipsum Pentateuchum (e) id jam temporis Græca loquentem lingua, inspexit, aut ex aliorum sincera narratione, hæc hausit, adeo plane conformia sacræ creationis historiæ refert, ut eapropter merito cum Plinio (præfat. in Hist. Nat.) fateri cogamur, primum eum Græcorum nugari desiisse; ac eo nomine maxime præferendum, Hesiodo, ac Ovidio, qui Chaos (f) quoddam, quod Plato (in Timæo p. 572.) κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως vocat, Deo objiciunt, ex quo deinde semina rerum, ex quo hoc Universum.

Sed

bovem dici posse, Seldenus *de Diis Syris*, *Synt.* 1. *c.* 4. *p.* 126. *probat, cui addatur* Godwini *Moses*, *& Aaron*, *l.* 4. *c.* 5. *p.* 350. *seqq. Israëlitis autem præparatio vituli attribuitur, quod ab Aarone tale quid, ut conficeretur, efflagitarint. Sed Aaron, re non accurate ponderata, precibus Israëlitarum, quos ad saniorem deducere mentem debebat, concessit, vitulumque de industria, opera licet aliorum adhibita, effigiare ausus est, eaque propter graviter in eum invectus est Moses, Exod.* 32:21. Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? *Nulla hic excusatio locum habet, quam tamen prætexere culpæ Aaronis conatur* Franciscus Moncejus, *de Vitulo aureo c.* 3. *p.* 33. *cum culpa, ut ex Mosis verbis constat, in Aarone hæreat. Utrum vero saltim caput bovinum, an integer vitulus fuerit, de eo legendus erit Noster, Tr.* Die Fürstellung der Zeiten des Alten Testaments *c.* 12. *p.* 179. *authoresque illic adducti, quibus addi poterit.* Herman. Witsius *in Ægyptiacis l.* 2. *c.* 2. *p.* 61. *seqq.*

(a) *Politicorum pessimorum hic primipilus, omnia ex sua metiens utilitate, cum jam discordia inter populum Israëliticum, & Judaicum, suis magis magisque studeret rebus, religionem quoque instrumentum suæ regnandi iniquæ cupiditati esse voluit, ut eo commodius, à ceteris animos eorum abalienaret, quos jam in suæ societatis nassam pertraxerat. Facile vero id illi erat, ipso Mose judice, Exod.* 32:22. *quod* populus pronus fuerit ad malum. *Hæc itaque mente secum agitans Jeroboam, dixit in corde suo:* nunc revertetur regnum ad domum David, si adscenderit populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem. Et convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam, Regem Iuda, interficietque me & revertetur ad eum 1 *Reg.* 12:26, 27. *Hæc cum iniqua & impia mentis lance, ita secum ponderasset, tandem ad scelerata conversus consilia, duos aureos fecit Vitulos; haud enim eum fugiebat, antiquos sibi mores in memoriam revocaturum populum, ac propenso, in illos, animo fore. Ea propter festum solenne instituit, illud imitans, quod & in regno Juda celebrabatur, ut fuco hoc, alii, haud magnam sacrorum deprehendentes dissimilitudinem, eo promptius hæc amplecterentur.*

(b) *Ex* Euseb. *l.* 3. *de præp. Ev. c.* 9. *descriptio hujus Kneph est petita, qui quidem nihil aliud, quam serpens monstrosæ figuræ, capite accipitris. Nempe qua figura seductor protoplastorum usus erat, ea & deinceps, effigiari, colique voluit, ut pluribus alibi ostendi solet.*

(c) *Qui ovalis figuræ mundum esse, cum veteribus quibusdam contendunt, aliquod exinde adserto suo robur conciliare possunt. Quare ratione hujus ovalis figuræ, neutiquam nova erit sententia, de terra,* Iohannis Childrei *Angli, quam ex Ephemeridibus Eruditorum Tom.* 3. *p.* 139. *recitare placet.* Utut Cosmographi terram statuant rotundam, Oviformem tamen eam esse putat author. Ratio ipsius est, quod experientia monstret, in regionibus frigidis, nivem durante hyeme decidentem, per æstatem, non omnem omnino liquescere. Quando igitur multum nivis, sub utroque polo, decidat, necessarium esse omnino, ut à creatione mundi magnus ibidem cumulus collectus sit. Quo posito, licet ab initio terra creata sit rotunda, cumulo tamen isto paulatim facta est oblonga, oblongior futura cum tempore ulterius. *Ceterum, ex ovo omnia generari, cum plurimis Philosophorum naturalium haud absurdum videatur, quid mirum, Ægyptios, oraculi sacri sensum, pervertentes Kneph evomentem suum ovum, i. e. mundum, finxisse. videatur* Vossius *de Idololat. l.* 2. *c.* 5. *p.* 33. *nec non Ratisbonensium celeberrimus Theolog.* Ioh. Heinr. Ursinus, *Theol. Symb. c.* 19. *p.* 30. *& Analect. l.* 5. *n.* 3. 4. *pag.* 234. *qui pluribus mundum Ovo comparandum ostendit.* Macrobius *autem l.* 7. *Saturn. c.* 16. *p.* 563. *Ovum mundi simulacrum esse, his ostendit verbis.* Et ne videar plus nimio extulisse, ovum elementi vocabulo, consule initiatos sacris Liberi Patris, in quibus hac veneratione ovum colitur, ut ex forma tereti, ac pene sphærali, atque undiqueversum clausa, & includente, intra se, vitam, mundi simulacrum vocetur. *Porro de* πρωτογόνῳ *hoc ovo commentum Gentium vetustissimarum, ita exponit* Athenagoras *lib. cit. p.* 145. Erat secundum ipsum (*Homerum*) rerum principium aqua, ex aqua autem lutum factum est, ex utroque natum est animal, Draco, qui adnatum sibi habebat caput alterum Leonis, & inter hæc duo medium Dei vultum, ejus nomen erat Hercules, & tempus. Hic Hercules, ovum prægrande peperit, quod ubi completum fuisset propter violentiam parentis ex attritu disruptum in partes duas, atque ea quidem pars ejus, quæ sursum vergebat, cœlum facta est: Ea vero, quæ deorsum, terra.

(d) *Egregie hunc locum illustravit, vir de Codice Biblico meritissimus,* Joh. Conradus Dietericus, *Antiquit. Bibl. p.* 71. *ut & exquisitissimi judicii* Adamus Tribbechovius, *in dissert. egregia, de veritate creationis mundi, c.* 2. *p.* 33. *quibus addi meretur,* Johannis Schottani, *Exercit. ad Genesin c.* 2. §. 16. *p.* 49.

(e) *Versio illa septuaginta Interpretum (quorum Historiam à Judæo quodam Aristea, Ægyptiaco Magnati, affictam fuisse, insigni clarissimorum Virorum catalogo, evicit,* Humfredus Hodii, *in dissert. contra Historiam Aristeæ, c.* 2. *p.* 28. *seqq.) magno emolumento fuit exteris, maxime vero Græcis, qui eam deinceps manibus tractare, & legere poterant.* Philastrius, *Brixiensis Episcopus, (qui Catalogo Hæreticorum permulta addidit, quæ tamen hæreseos nomine, neutiquam infamia, utut forte errores esse possint) in Hær.* 137. *p.* 87. *dum de septuaginta Interpretum versione commentatur, luculenter hanc caussam ita edisserit.* Cumque suscepisset eos Ptolomæus Rex Ægypti, tentare volens, si esset eorum divina scriptura, quam legebant Iudæi, separatim quemque jussit includi in cubiculum, nullumque videre alium, nisi solo excepto eo, qui interpretem exciperet dictantem: omniumque accipiens postea interpretationem, quotidie cum consentientem in unum inveniret editionem omnium, jussit conscribi, atque poni in templum, ut venientibus de Achaja, de Græcia, atque aliis provinciis Philosophis, Poëtis, & Historiographis, cupientibus, legendi copia, non negaretur. Unde & maxime argumenta sumentes Philosophi, Poëtæ, Oratores, atque Historiographi, sicuti voluerunt, ad suæ paganitatis mendacia transtulerunt, aliisque nominibus rudes puerorum animos edocentes legem Dei divinam irritam seculo facere properarunt. *Adeundus quoque, qui* Philastrio *prævit,* Tertullianus, *Apol. c.* 47. *Quod si ergo &* Diodoro *fas fuit, eum inspicere, nemo amplius mirabitur, eum consona verbis, & menti Mosaicæ, tradidisse.*

(f) *Antiquissima, & jam, in Phœnicum Theologia, recepta est sententia, mundum hunc ex Chao esse productum. Ita* Eusebius *l.* 1. *de præparat. Ev. c.* 7. φοινίκων θεολογία τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη, καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν ἐρεβῶδες. Phœnicum Theologia principium hujus universi ponit aërem tenebrosum, & spiritalem, sive Spiritum aëris tenebrosi, & Chaos turbidum, ac caligine involutum. Hesiodus, *antiquissimus cum Homero, Poëtarum, idem Chaos, principium Cœli, & Terræ esse, adserit, in* θεογονίᾳ *p.* 121. πρώτιστα χάος γένετ'. *Easdem, cum Hesiodo, tibias inflat* Naso *l.* 1. *Metam. Stoicis Chaos Deum, & materiam notat, quæ omnium rerum principia, & in quæ omnia, si resolvantur, redeant, ita, ut quæ crassioris sint naturæ, terrestrisque conditionis, ad materiam suam; quæ vero purioris, ad Deum revertantur. Enimvero licet eadem Stoici, & Poëta, docere videantur, nihilo tamen minus, nimium quantum inter se discrepant: Illi enim, Chao Deum, & materiam, includunt: Hi vero, Deum à Chao, ita distinguunt, ut hoc illi, non secus, ac figulo, lutum elaborandum objiciant. Sed unde hæc illis? Scintillæ sunt divini illius Luminis, densissimis errorum tenebris circum-*

Sed jam historiam etiam πρωτογόνου Adami intueamur. Quis vero hic alius, quam in profana Historia, ille cœli filius, Saturnus? cui Tellus mater. Sub hoc primo gentium Deo, aureum fuit, *Nasoni* decantatum, seculum, in quo omnes

Sponte sua, sine lege, fidem, rectumque colebant.

Cum autem imperio, quo in alios usus erat, à Jove esset pulsus, iram ejus fugiens, exul in Italiam, ad Regem Janum, profugit, ubi rationem vivendi, nec non agrorum culturam, incolas docuit. Saturni hoc commento veram Adami historiam tegi, accuratius jam exponerem, nisi me prisci, ad se, Germani, vocarent, ad quos, teste *Tac.* (de Germ. cap. 22.) aliquam quoque Adami cognitionem, permeasse, indicio est illorum Mannus, Abrahamo coævus. Hunc filium Deorum maximi Theut [a], cui ex humo nomen, non male sibi persuasum habent. Adam hominem ex rubicunda terra formatum, Hebræis significat, qui Germanorum lingua est Manus. Uterque Dei filius. En scintillas veri inter nugas!

Quod si jam porro, quam à vero aberraverint Gentium Historici, quæ de Eva, Caino, Sacrificio Abelis [b], à Deo approbato, aliisque ante Diluvium gestis, narrare, vel potius confingere solent, in medium proferre vellem, multis ostendere possem, Pandoræ, Promethei, & Iovis commenta, ex amussim illis convenire. Ast Diluvii Historia [c] ex Gentilium Historia exponenda, ut exinde palam fiat, quam & in ea, sub scoriis, aurum Pseudo-ille Berosus, [d] cujus parens Annius, Monachus Viterbiensis, (quem sibi quoque Ducem voluere, Henricus Mechliensis, Petrus de Alliaco, Guilielmus Parisiensis) somniat, Noachum ex conjunctione Iovis, & Saturni, in fine cancri, cui è regione Argolica navis, collegisse, Diluvium

circumvoluta. Deus ex nihilo, in prima creatione, omnia produxit. Hoc, cum capere noluerint, (nemo enim unquam Sapientiorum, inter gentes, talem mundi ortum cognitum habuit) Chaos quoddam Deo coævum sibi finxere, informe, luce donandum. Ast quomodo mundi, & Dei, simultanea erit existentia? utut certum sit illum potuisse ab æterno produci. Pluribus, ea de re legi meretur acutissimus, Slevogtius, *disp. de Creat. 2. §. 4. ex quo optime solvi poterit, dubitatio* Zachariæ Scholastici, *ex Dialogo de Opific. mundi, qua de v.* Schotanus, *in Exercit. Acad. 1. §. 7. p. 33. seqq.*

[a] *Facilius inter horologia, quam Viros doctos conveniet, quisnam ille Theut? Nonnulli eum eundem cum Tuistone, qui pater Germanorum, putant, ex quorum mente, Theut nihil aliud, quam patrem significat. Aliis Theut est plane idem, qui Dites, à quo se Galli prognatos profitentur: ut ita ex horum sententia, Dites, & Theut idem sit, ac Tuito, Teutas, Teutates, qui Germanorum, aliarumque gentium, Mercurius. v.* Schedius *Syngram. 1. de Diis Germ. c. 5. p. 107. Hac ratione haud incommodum videbitur, si dicatur, olim unum eundemque fuisse Deum Germanis, & Gallis, siquidem hi ab illis prodiere. Ex his vero sententiarum divortiis, quibus de plura videantur, apud Cl.* Zentgraf. *disp. de Gomeroth. 1. & 2. id nihilominus elucescit, vocem Theut, pluribus nationibus, fuisse communem, eaque Deum significatum; quare & Germanos, eam leviter quidem inflexam, tandem suam fecisse, ut ea quoque originis suæ primum authorem signarent. Quæ aliorum celeberrimorum virorum,* Vossii *lib. 1. de Idolol. Gent. c. 37. p. 140.* Bocharti *in Canaan l. 1. c. 42. p. 735.* Cluverii, *German. antiq. l. 1. c. 9. p. 73. & c. 23. p. 68.* Kirchmair *Comment. in Tac. Germ. c. 2. p. 40.* Kriegsmanni *Conjectur. de Germ. Orig. c. 7. p. 11. seqq. de expositione vocis Theut, Teuto, sententia sit, locos adductos consulenti, patebit. Nobis interea sufficiant, quæ egregie, nostram in rem, disserit, sæpius laudatus* Dorscheus, *diss. de admirandis nativitatis Christi, p. 13. cujus integrum discursum adscribere placet.* Hinc celebrarunt antiquis carminibus (*nempe Germani*) Teutonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis, conditoresque; ubi vestigia religionis veteris, sed per errores & mixturas corruptæ, comparent. Theuto sane est Ægyptiorum Theuth, Hispanorum & Gallorum Teutates, quem hi & Ditem vocitarunt. Illum suum Theuth, sive Teutonem Majores nostri, pro varietate Dialectorum, varie pronunciarunt. Et nunc Thead, Theid, Theod, Theud, nunc Dead, Deid, Deod, Deud, nunc Diad, Diet, Diod, Diud, extulerunt, utque venerationem suam, erga hunc suæ gentis principem, testarentur, nominibus variis propriis concinnandis eundem adhibuerunt. Sed & Græci pariter, atque Latini, Numinis æterni appellationem, ab illo Theut, vetustissimo Germanorum Deo promserunt: Quam facili enim deflexione ex Theuth, Θεὸς, & Deus fluxerit, illi facile intelligunt, qui vocabulorum in diversis linguis commeationes noverunt. Nemo proinde alius fuerit Theuth Majorum nostrorum, quam Optimus Maximus orbis author, cujus illi notitiam primum sanctam, & illibatam tenuerunt, postea seculi vitioso prolapsu corruperunt. Ecce enim mixturam ipsorum improbam, cum cecinerunt Teutonem Deum terra editum, Deum omnium fontem ipsum, à nullo oriundum, cum Adamo mortalium capite, quem è limo terræ, Sapientia interminabilis formaverat, & confuderunt, & ex duobus unum fecerunt audaci, & non ferenda coalitione. Dum vero Manum filium, è terra editi cecinerunt, inter religionis veteris per caliginem lubrutas reliquias, Noam innuunt, cui tres filios tribuunt, inter quos orbis terrarum possessionem diviserunt, quanquam rursum non sine corruptela.

[b] *Visibili quodam signo ostenderat Deus, id quod Habel obtulit, sibi gratum esse. Nempe, ut* Paulus Fagius, *in exeg. ad c. 4. Gen. p. 125. exponit, descendit ignis à Domino, & consumsit adipem, sive pinguedinem, atque ita benevolentiam suam æque erga Abelem, ac munus ejus, declaravit. Hoc imitari, Diabolus Dei simia voluit, eaque κακοζηλία, ut sanctissimo Numini illuderet, operam dedit. Nam apud Græcos, in Lydis, cum foco imposita essent ligna, Magicusque sacrificulus carmen pronunciasset, è lignis flamma exilire solebat, qua illa accensa.* Pausanias *id ipsum se vidisse narrat, in Eliac. l. 5. p. 402.* Sunt in Lydis, qui Persici cognomine vocantur, urbes, Hiero, Cæsaræa, & Hippæpæ. In templo utriusque urbis amplissimo cellæ cum aris, super his cinis alio longe colore à vulgari cinere: huc ingressus Magus, ubi foco lignis impositis tiara caput velavit, implorat cognomen Dei quicunque ille sit, ex libro enim carmen recitat barbaricum, lingua plane ignota Græcis: ubi peroravit, sponte sua è lignis, nullo igne admoto, purissima emicat flamma. *Vide pluribus similia his recensens, post fata etiam adhuc, omnibus bonis desideratus, B.* Fabricius, *Ecclesiæ Norib. quondam meritissimus Antistes, in aurea diss. de Cacozelia Gentilium c. 11. apud* Dilherrum, *Tom. 2. diss. Philol. p. 266.*

[c] *Hanc apud complures Ethnicos scriptores legi, testatur* Grotius *l. 1. de Verit. Relig. Christianæ p. 33. & in annot. p. 72. seqq. qui potissima loca collegit.* Philippus Mornæus *l. de Verit. Relig. Christianæ, pag. 572. egregie in mentem Grotii scripsit, cujus verba adducenda.* Sequitur humano generi castigando diluvium orbis, à quo populo non creditum? à quo auctore non celebratum? apud Phœnices, Ægyptios, Græcos, Romanos nihil frequentius; & quia primis temporibus illud extitisse audiverant, ut erant Chronologiæ ignari, in id, quod antiquissimum putabant, seculum referebant: Thebani in Ogygis, Thessali in Deucalionis ætatem &c. Quin in Bresilia, in Hispania nova, in Florida, in articulum fidei, ut ita loquar, transiit, & ob peccata hominum ab irato Deo immissum vulgo creditur.

[d] *Berosi hujus, de antiquitatibus libros quinque, cum tamen juxta* Tacianum, *apud immortalem* Conringium, *in advers. Chronol. cap. 10. p. 48. tres saltim esse debeant, exhibet* Dionysius Gotthofredus *JCtus, in antiqua quam ex 27. Authoribus contexuit, Historia,* Aventinus, *nec non* Wolfgangus Lazius *ex Germanis, eos quoque olim in pretio habuere. Ex Polonis* Stanislaus Sarnicius, *ex Suedis* Iohannes Magnus, *nec non nostro tempore,* Christophorus Philippus de Waldenfels *l. 1. antiquitat. c. 13. p. 33. quod totum Beroso impendit.* Reinesii, *summi illius, de re literaria, Viri, hoc de Beroso Viterbiensis est judicium, in Epist. ad Joh. Vorstium p. 5.* Non omnia, quæ in Beroso, licet Annius eum interpolaverit, hinc inde leguntur, sunt conficta, sed quam plurima consentiunt cum antiquitate. *Et nonnullis interjectis p. 6.* Latent in sterquilinio pretiosæ gemmæ, quas alibi frustra quæremus. Eas inveniet, qui judicio valet, & omne genus antiquitatis emensus est. *Credamus Reinesium, magni alias judicii Virum, nonnisi ea Berosi, apud Annium Viterbiensem, in pretio habere velle, quæ apud Josephum, & Eusebium quoque reperiuntur: Alias enim dissentientes utique perferre debet, Dhegor* Whear, *à Cl.* Arnoldo, *b. m. editum,* Casaubonum, Rupertum, Strauchium, Calvisium, *aliosque complures, quibus nullo loco est Berosus Annii. Quod si enim genuini Berosi scripta sunt deperdita, ex facili colligere est, commenta imprudentis, æque ac ambitiosi, ingenii esse, quibus, erudito orbi, Annius imponere temerarie ausus est. B.* Rhenani *lib. 3. rerum Germ. 348. hoc de Beroso judicium:* Quæ in Geographicis Berosus, è Diodoro mutuatus est, ea merentur fidem, cetera non.

vium commune, orbi suffocando imminere. Λῆροι λήρων! ubi apex, harum nugarum, in contextu Mosaico?

Nondum satis effaniarum! fingunt porro Saturnum præsignificasse Xisuthro, [a] qui ipse est Noachus, ingentem vim imbrium proventuram: Quare hunc in Armeniam navigasse, ac tertia die cœlo sereno, tranquillis aquis, aves ab eo emissas, quæ quidem rediere, alis limo plenis. Tertia vice cum denuo alias emiserat, à Diis eum rebus humanis exemtum, navigio in Armeniam delato, [b] quo deinceps vicini loco amuleti fuerunt usi. Alius ab hoc, apud Apollodorum, & Orosium, est Deucalion: quo de, ut compendio exponam, referunt, quod Iove terram inundante, cum Pyrrha uxore, [c] arcam sit ingressus, ac ab aqua sursum in montem Parnassum elatus. Exiens exinde, post fugatos imbres, Iovi Phryxio sacra fecit.

Quid vero hæc aliud, quam Historiam Diluvii indicant? Ut autem cuncta, non secus ac in Solis mensa posita appareant, observandum, tria magna diluvia, in Historiarum monumentis enarrari, quorum primum Noachicum; alterum à Rege suo, Ogygium dictum, (*Clem. Alexand.* l. 2. Strom. p. 321.) quod tempore Iacobi Achajam delevit. Postremum tandem populo Israelis, adhuc in Ægypto commorante, sub

[a] *Ex* Abydeno, *apud* Scaligerum, *in Græcis Eusebianis, hoc fragmentum superest, rem de Xisuthro, cui Saturnus Diluvium indicasse traditur, ita recensens.* Post Evedoreschum, alii quidam, regnarunt, & Sisithrus. Huic autem Saturnus præsignificavit, fore multitudinem imbrium Dæsii die XV. Iussit autem, quicquid literariæ suppellectilis esset, in civitate Solis, quæ in Sipparis est, recondere. Sisithrus cum ea perfecisset, mox versus Armeniam navigat, & confestim occuparunt eum ea, quæ à Deo. Tertio autem die, postquam pluere desiisset, avium quasdam demisit, exploraturus, an terram visuræ essent, quæ aqua emersisset. Illos autem cum exciperet Pelagus utrinque patens, cum non possent considere, ad Sisithrum redeunt, & post hæc aliæ. Cum autem tertio emisisset, (redierant enim aves alis limo plenis) Dii eum hominibus exemerunt. Navigium autem, in Armenia suspendi collo solita remedia, indigenis præbuit.

[b] *Et hujus regionis mons erat Ararat, ubi arca quievit. Genes.* 8:4. *idque plurimis veterum testimoniis confirmat* Bochartus *in Phaleg. l.* 1. *c.* 3. *p.* 19. Epiphanius *l.* 1. *Hæres.* 18. *montem Loubar vocat, qui inter Armenios, & Carduos, ac in eo homines à Diluvio habitare cœpisse. Nobilissimus* Olearius, *qui montem Ararat inspexit, ita eum l.* 4. *c.* 14. *p.* 398. *describit.* Der Berg Ararat / auf welchem / besage des 8. Capittel des ersten Buchs Mosis / des Noä Kasten sich gesetzt / wird ietzo von den Armenern Messina, von den Persern Agri / von den Arabern aber Subeilhan / genannt / und war dem Ansehn nach / fast noch höher als der Caucasus, und der höchste / den wir auf den gantzen Reise gesehen haben / ist lauter schwartz und rauher Felß / lieget oben des Sommers so wohl / als des Winters / mit Schnee bedecket / dessen höchste Spitzen bey 10. 15. Meilen / von der Caspischen See. Die Armener / wie auch die Perser alle / halten gewiß darvor / daß noch itzo ein Stück vom Kasten Noä / welches so hart als ein Stein / soll geworden seyn / darauf stehe. *Prævit in eo Persis* Epiphanius *l. c.* Etiamnum reliquiæ arcæ Noachi ostenduntur in Cordiæorum regione. *Consentit* Epiphanio, Theophilus Antiochenus *l.* 3. *ad Autol.* Arcæ hujus reliquiæ adhuc durare perhibentur, in montibus Arabicis, ibique ostendi. *Enimvero quo minus fidem huic illorum narrationi habeamus, obstat illud, quod non appareat, quomodo usque à diluvio, per tot seculorum decursum, integrum ab injuriis cœli lignum hoc superesse potuerit, cum nihil tam durabile sit, quod non temporis vetustas minuat, atque consumat.*

[c] *Mentionem ejus facit* Horatius *l.* 1. *Carm. Odaz.*

—— —— grave ne rediret
seculum Pyrrhæ, nova monstra questæ,
omne cum Proteus pecus egit altos
visere montes.

Piscium & summa genus hæsit ulmo,
nota quæ sedes fuerat columbis:
& Superjecto pavidæ natarunt
æquore damæ.

Deucalione [d], Thessaliam inundaverat. Quam bene vero exceptis commentis, ea quæ de Ogygio, ac Deucalioneo, narrantur, cum Noachico conveniant, nemo sane inficias ibit, nisi qui in historia Sacra hospes.

Atque sic apparet, nihil fere sacrarum Pandectarum in profana Historia τῶν ἔξω recenseri, quod non figmentis sit conspurcatum, & tamen, quæ nefanda Gentilium audacia, non erubescunt, ipsi verbo Dei hanc maculam inurere, ac si fabulæ instar essent, quæ de turri Babylonica, & horrenda illa linguarum confusione, divina plane fide, Moses consignavit. Verum enim vero, quidnam illa Gigantomachia [e]? Terræ filii affectarunt regnum Iovis; quare montes Thessaliæ, Olympum, & Ossam [f] imposuere Pelio [g]

Ausuri in Jovis ire domum,

eumque sede sua ejecturi. Annon quis tanquam Gorgone conspecta, in saxa obrigeat, cum hæc mendacia audit. Fuerint im-

[d] *Deucalion Græciam tenuit, Pelasgis superatis. Eum Græcæ linguæ, in Græcia, primum Authorem fuisse,* Salmasius *de lingua Hellen. part.* 2. *c.* 1. *arbitratur. Quando vixerit, & quando Diluvium sub illo contigerit, annotavit* Author *Canonis Chronici, in marmore descripti, in parte* 2. *Marmor. Arundell. Comment. p.* 241. *A. J. P.* (*Julianæ Peri:*) 3185. *A. C.* (*ante Christum natum secundum computum vulgarem*) 1529. *Ep. M.* (*Epocha, per quam in marmore computatur*) 1265. Diluvium tempore Deucalionis evenit, & ipse Deucalion ex eo servatus, Athenas evasit, templumque ibi condens, Iovi φυξίῳ (qui fecit evadere) ob vitam præservatam sacrificavit, anno Cranai quarto. Thomas Lydiatus *in not. ad h. c. p.* 250. *calculum hunc, suo confirmat calculo, ostenditque quod* Varro *apud* August. *l.* 18. *c.* 10. *de Civ. Dei,* Cedrenus, Tacianus, *adversus gentes,* Clemens Alexand. *l.* 1. *Stromat. cum marmore hoc faciant. Quam optime vero, quæ de Deucalione narrantur, Nohæ conveniant, ex illo* Luciani, *de Dea Syra manifestum.* Deucalion, *inquit,* cum totum genus humanum ob flagitia, quæ quotidie patrasset, aquis obrutum periisset, solus hominum relictus fuit, in secundam videlicet generationem prudentiæ simul, & pietatis gratia. Servatus autem fuit hoc modo. Arcam quandam magnam, quam ipse habebat, impositis in eam liberis, & uxore sua, conscendit. Cæterum cum ipse ingrederetur, venerunt eodem & apri, & equi, & leonum genera, & serpentes, atque alia quæcumque tellure pascuntur, bina ex uno quoque genere cuncta. Ille autem recepit ad se omnia, atque ea ipsum haud quaquam lædebant, sed magna inter eos, Iove ita dispensante, (*mirum! hoc Lucianum agnovisse, Dei opera, & nutu, tranquilla inter se fuisse animalia*) concordia erat, unaque in arca omnes navigabant, quamdiu, aqua superabat. *Nemo ergo hæc secum expendens, in Historia sacra Diluvii Noachici, adeo hospes erit, qui non videat, Deucalionem sacrificia Jovi obferentem, notare Noachum, cujus sacrificium pergratum fuit Deo. Notat insuper Vir elegantissimi judicii æque ac eruditionis,* Georgius Schubartus, *in luculenta enarratione parergica, de Diluvio Deucalionis p.* 14. *Deucalionem Regem in Græciam delatum, ut metum Deorum, ac venerationem efficeret majorem, crebro inculcasse subjectis, quomodo* terreant etiamnum nubila mentem.

[e] *Hanc cecinit* Claudianus, *pag.* 301. *&* Ovidius *lib.* 1. *Metamorph.*

[f] Tres hi montes Gigantum fabula belloque memorati; Mela *de situ Orbis l.* 2. *c.* 3. *n.* 15. *p.* 32. *Olympus autem, juxta* Ptolomæum *l.* 5. *c.* 1. *nec non Orminius, insigniores Asiæ montes sunt. Illum* Iohan. Antonius Maginus, *in parte* 2. *Geogr. Ptolomæi, ita describit p.* 169. *fac. b.* Olympus mons magnus est, unde ejus cacumen accolæ Cœlum vocant, ubi nec auræ, nec venti spirant. Est autem buxi, & lauri arboribus mire consitus, ac lupo caret. *De Ossa idem l.* 1. *p.* 170. *hæc tradit.* Ossa mons qui Collovo dicitur (*Cossovo alias*) Sophiano, Olira, Pinneto, secundæ magnitudinis est inter Macedoniæ montes, & nivosus, ac sylvis ingentibus, pini præcipue arboris, adeo vestitus est, ut ejus rami dum ventis agitantur, tonitru referant.

[g] *Ejus mentionem facit* Virgilius *l.* 1. *Georg. v.* 281.

Ter sunt conati imponere Pelion Ossæ.

Versum hunc Iodocus Willichius *Comm. in l.* 1. *Georg. p.* 160. *de Ephialte, & Ota, Gigantibus θεομάχιος, explicat, quod socii esse voluerint ceteris, in oppugnando Jove, & altissimos Thessaliæ montes, Ossam, ac Olympum, Pelioni imposuerint.*

[a] *Cum*

immania monstra; fuerint robustiores Polyphemo; fuerint illis centum manus ac brachia, ut Ægeoni; unde quæso illis robur, quo montes coacervare valebant? Ne Herculi quidem Gentilium tantæ vires. Si hæ deformes buccæ, quæ nullum veri colorem habent, cum saltim sint commenta vanissima, suos invenere basiatores, qui quæso illa absurda esse queant, quæ nunquam majora viribus humanis [a]? Molem erigere, quæ in Cœlum supra mediam äeris regionem sese erigat, nondum vires mortalium superat, neque enim credendum hos tantæ stultitiæ fuisse, ut putarint se turrim constructuros, quæ cœlum contingeret, [b] sunt verba θαυμάσια Lutheri.

Deseramus hanc, cujus nullum amplius superest vestigium, Turrim, &, si Vobis prolubio est, mecum in regionem Pentapoleos [c], ubi hodie mare mortuum, cunctis viventibus noxium exhalans fumum, proferte pedem, illic mecum, Sodomæ, & Gomorrhæ, sulphureum contemplaturi incendium. Multis Historicorum Gentilium [d] conflagratio hæc memorata, neque à regia veri via ab iis aberratum: dum tamen causam hujus incendii, in natura soli, quærunt, falsi sunt. Ira Dei faces sulphureis addebat flammis, ut quasi tartareo quodam stagnante lacu, omnia fuerint ambusta. Hoc vero fugiebat Gentiles, infanda fuisse incolarum peccata, Numen ad puniendum, cum laneos satis diu habuerit pedes, cogentia. Quare sententiam hanc illis Deus dixit: *Quoniam terra, & natura vobis sunt facta prostibulum: hinc & vobis jam Cœlum gehenna fiat.* Eadem fere ratione, factum est, Asiam ab Africa separans mare rubrum [e], lacus infernalis Ægyptiis, cum Rege suo Phaoro Cenchri, Gentem illam Deo charissimam, persequentibus, quæ Mose Duce, sicco illud pede transierat.

Hic vero immane quantum! à vero, & in devia erroris, abit Justinus [f] (lib. 36. cap. 2.), multa ex Historia sacra profana, ac commentis suis, immiscens, quæ quidem ferremus, nisi calumniis rem quoque agere voluisset. Nempe Josephum Magis annumerat, cujus filius fuerit Moses, parenti in eadem arte æmulus [g], qui gentis Israël, eam ob causam Ægypto ejectæ, quod scabie, & lepra incolæ ab ea infecti sint, Dux factus. Hunc porro furti reum peragit [h], quod Sacra Ægyptio-

[a] *Cum sine machinis Turris illius moles exstrui haud potuerit, manifestum, aut jam eo tempore, hujus generis instrumenta, in usu fuisse, aut id temporis robusti corporis homines vixisse, qui Saxa ingentia, de loco in locum, movere poterant.* Saxo *equidem* Sialandicus *in Historia Danica testatur, quod hæc quondam terra homines eximiæ magnitudinis aluerit, qui, cautes ingentes, montium verticibus, imposuerint. Ast his nondum cognitas fuisse machinas, quorum opera talia movere valebant, ex seculorum illorum ruditate, & harum artificiosissimarum operarum ignorantia, colligere est.*

[b] *Si, in exstruenda hac mole, hoc animo, Nimrodi Socii fuissent, se, & posteros, aliud orbi aliquando imminens Diluvium, hac via effugere posse, quid mirum, si & stolidus hic conatus, animos eorum occupasset? Ast Scriptura aliud eorum Consilium nobis aperit; neque est credendum, memoria eorum plane excessisse promissum Numinis, signo Iridis declaratum, v. Cl.* Heideggerus, *de Vitis Patr. Exercit.* 21. §. 9. *seqq. p.* 642.

[c] *Terra, Cœlo, maxime id temporis celebrata Pentapolis. Regionem autem hanc quondam felicissimam, sed jam deformem, egregie descripsit* Heidmannus, *in Palæstina c.* 3. §. 15. *seqq. p.* 48. *& nobilissimus Eques,* Martinus à Baumgarten, *qui oculis eam usurpavit suis, cujus verba, quibus statum ejus delineat, ex Itin. l.* 2. *c.* 12. *p.* 95. *hic adducenda.* Inter eundum vidimus plagam illam horrendam, quam Divina severitas in Sodomitas exercuerat. Terra, in circuitu, puteis quibusdam plena, tota cineri noviter elato simillima, nihil vere viride gignit, sed tota exusta, fulminibus conflagrasse animadvertitur. Et licet cinerei sit coloris, sæpe tamen adustione quadam nigra conspergitur. Habet hiatus quosdam crebros, & fissuras, in quas mulæ nostræ crebrius impingentes, nosque proinde in terram excutientes, præbebant nobis, nunc corridendi, nunc compatiendi materiam. —— Brevi post ad mare mortuum devenimus. Ibi, mulis ad rubeta colligatis, ipsi processimus in littus. Ibi odor teterrimus, facies tristis, ac quasi tartarea, littus arundinibus, putridisque arboribus plenum, sapor aquæ salsissimus, & fellea quasi amaritudine stipticus, tristem nobis illam ac horrendam Dei justitiam oculis ingerebant. *Hæc ille; quibus consona tradit, Atlas quondam, maxime Generosæ Fürorum Familiæ, & supremus in Duumviratu Illustris Reip. Norib. Nestor. Dn.* Christophorus Fürer, *Eques auratus, in Itin. pag.* 231. *Prolixius Pentapoleos ruinam exposuit* Iohannes Bissellus, *Dec.* 1. *Ruin. Illustrium p.* 531. *seqq.*

[d] *Eorum testimonia v. apud* Grotium *l. c. pag.* 88. *seqq. Mentionem ejus quoque facit* August. *l.* 16. *de Civit. Dei, c.* 30. *cui* Leonhardus Coquæus, *de scriptoribus profanis, incendium hoc describentibus, hanc censuram p.* 372. *part.* 2. *addit, quod nempe Solinus, & Tacitus propius ad verum accesserint, dum incendium illud è Cœlo descendisse credidere.* Strabo *autem suam narrationem gemino errore contaminavit, quorum alter, quod tredecim urbes igne consumtas fuisse putet; alter causam concernit, dum potissimam in terra, non in cœlo, quærens, bitumen & Sulphur incendium hoc excitasse sibi persuasum habuit. Equidem incendium hoc augmentum cœpisse ex Sulphure, vel ipsa Sacræ scripturæ verba innuunt; nam id ex Deut. c.* 29. *v.* 23. *colligere est, sal quoque tanti incendii nutrimentum fuisse. Ast pluvia ignea à Deo descendente, Sulphur, & cetera, vires demum suas, magis magisque exseruere.*

[e] *Cur rubrum adpelletur, exposuit B.* Dilherrus, *Tom.* 2. *Philol. p.* 38. Brodæus *apud* Gruterum, *part.* 2. *Thes. Crit. l.* 3. *miscell. c.* 9 *p.* 493. Füllerus *l.* 4. *miscell. c.* 20. *p.* 549. *seqq.*

[f] *Non solum Justinus, sed &* Tacitus *lib.* 5. *Hist. cap.* 3. *exitus filiorum Israël mentionem facit. Verba hujus sunt.* Plurimi auctores consentiunt, orta per Ægyptum labe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit; ceteris per lacrymas torpentibus, Mosen unum exsulum monuisse, ne quam Deorum hominumque opem exspectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet, ut Duci cœlesti, crederent, primo ejus auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Strabonis *vero narratio lib.* 16. *inter alia plura falsa & hoc adjicit, quod Moses populum in ea deduxerit loca, ubi post condita Hierosolyma. Quis vero tam absurdus esse queat, ut credat Mosen terram Canaan adiisse? Equidem, licet Ægyptus à meridie illam attingat, ut ea propter ex illa, aditus ad Palæstinam, patere potuerit: licet dein Israelitæ eam occuparint, cum antea XI. Canaanis filii, Gen.* 10:15. *& seqq. enumerati, ejus possessores fuerint: Mose tamen ne quidem Palæstinam, multo minus mediam, (in ea enim fere situs Urbis fuit), intrare integrum erat, Deo, hoc saltim, ut è monte Nebo eam adspiceret, illi concedente.*

[g] *Mosen Magiæ crimine Ægyptiis infamem fuisse, &* Plinii, *l.* 30. *c.* 1. *&* Iosephi *testimonio l.* 2. *Antiquit. Jud. c.* 5. *probatur. Phaoro enim, Mosen odio habens, sceleratum eum adpellabat, quod Magicis artibus instructus, ad reliquos decipiendos adventarit. Sed, quanto major impietas est hominis inter Christianos viventis, sed Neapolitani, Jordan. Bruni, qui A. C.* 1600. *Romæ Vulcani victima ea propter factus, quod inter alia quoque os ejus impium adserere non dubitaverit, Mosen, miracula sua, per Magiam operatum fuisse, in qua plus profecisset, quam reliqui Ægyptii. S. Stephanus equidem hac laude Mosen mactat Act.* 7:22. quod instructus fuerit in omni Sapientia Ægyptiorum. *Ast, quænam illa Sapientia, nisi ea, quæ Viro divino, scienti scorias ab auro discernere, conveniebat? cujus capita, ex* Philonis *l.* 1. *de vita Mosis recenset* Sixtus Senensis *l.* 1. *Bibl. Sanctæ p.* 48. *Addatur* Clemens Alexandrinus *l.* 6. *Strom. c.* 11.

[h] *Egregia Apologia, à furti crimine, Israëlitas absolvit* Tertullianus, *l.* 2. *adversus Marcionem c.* 20. Reposcunt Ægyptii de Ebræis vasa aurea & argentea: contra Ebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes, sibi quoque eorundem Patrum nomine, ex eodem scripturæ instrumento, mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis ædificatis; quid judicabis? Ebræos fraudem agnoscere debere, an Ægyptios compensationem? Nam & ajunt, ita actum per Legatos utrinque, Ægyptiorum quidem repetentium vasa, Judæorum vero reposcentium operas suas, & tamen has justitia renunciaverunt sibi Ægyptii. Hodie amplius allegant Ebræi, negantes compensationi satis esse, quantumvis illud auri & argenti, si sexcentorum millium operæ per tot annos, vel singulis numis diurnis, æstimentur. Igitur si bona Ebræorum causa, bona jam & causa, id est, mandatum Creatoris, qui & Ægyptios gratos fecit, nescien-

Ægyptiorum sublegerat, quæ repetentes armis Ægyptii, ut domum redirent, tempestate compulsi fuere. Ast non est vitium, aut furtum, quod rerum supremo Domino authore fit. Merces operæ erat hucusque exantlatæ, quam, quia Ægyptiorum improbitas, filiis Israël denegaverat, Deus suo illis jure illam adsignavit.

Longe vero majoris erat pretii Moses, Straboni, ac Iustino, utut quoque à veri norma declinet. Dum enim illi Moses Sacerdos est Ægyptius, qui partem Ægypti obtinuerit, ac Dynasta illic fuerit, egregie lapsus est. Qui enim Sacerdos, Ægyptiorum esse potuit Moses, qui sanguine, & religione, ab Ægyptiis alienus. Et ubi quæso, unquam partis illius, à Strabone adsignatæ, mentio à Mose facta? Porro, quam veritati adversatur Plutarchus (lib. 8. Sympos. quæst. Conv. 9.) quando ex Agatarchide, de Israëlitis in deserto graviter à serpentibus læsis, refert, [a] angues illos morbi quoddam genus fuisse, qui in corpore illorum nati, exertis capitibus, suras & brachia arroserint, & tacti, carnem rursus subierint, intolerabilemque vim inflammationis excitarint. Sed commentum hoc sua sponte corruit, si, ad Sacræ Scripturæ normam, examinetur. Talem enim serpentem, salutarem inspicientibus, Deus erigi jussit, quales illi fuere, qui pœnam de Israëlitis sumsere.

Dum itaque res Judæorum parum notæ τοῖς ἔξω, [b] quid mirum, quod erroribus eas implicaverint, maculamque inusserint illis, qui ob diversos mores, & sacra, odio Gentilium erant expositi? Nam profana fuere Gentibus, quæ Iudæis Sacra, & quæ in laude ponebantur his, illis nefas erant. Unde quoque factum, quod suem Iudæis venerationi fuisse [c], Gentium Historici confinxerint, eosque etiam Bacchi, & Asini, cultores esse [d], per insignem calumniam, iis imposuerint.

Ut autem causam aperto velo cognoscatis, cur adeo nimio Iudæorum odio imbuti fuerint Gentiles, ut talia ἀλλόκοτα de iis commenti sint, sciendum, statum illius Gentis vix centesimo paulo accuratius notum fuisse, eo quod vitam ab aliorum consuetu-

nescientes, & suum populum, in tempore petitionis augusto aliquo solatio tacitæ compensationis expungit. *Sane, si potestati supremæ jus in subditorum bona competit, quidni Deus, qui παντοκράτωρ, jus habeat, illa auferendi, aliisque concedendi. Dum ergo Ægyptii non reddebant, quod debebant Israëlitis, neque etiam hi, alia ratione, mercedem exigere ab Ægyptiis poterant, eo quod gravi servitute essent oppressi, quare Deus & Dominum supremum, ac insimul justum sese ostendens Judicem, hac lege mercedem Israëlitis persolvere voluit, nihilque illi dicto Numinis audientes, eo ipso, in Jus naturæ committere poterant. Consulendus* Grot. *l. 1. de Jur. Bell. & Pac. c. 1. n. 10. ut & Excellentissimus ille Tubingensium Theologus*, Iohannes Adamus Osiander, *in eruditissimo libro, Typus Legis naturæ p. 211. seqq.*

[a] *Quemadmodum divina Providentia, cuilibet Terræ suam vim, indolemque impressit, & aliis, alio sub Sole, regionibus, peculiaris à natura Spiritus ingeneratus, qui nato in lucem homini, cum genitali aura, peculiarem indolem adfundit; ita &, quæ diversissimo in solo nascuntur animalia, nec non insecta, loci & terræ genium sequuntur. Serpentum varia sunt genera; inde & venenum in his est calidius, in aliis frigidius, quia & terræ, in qua aluntur, diversa est natura. In desertis Arabiæ circumvagabantur Israëlitæ: quia autem illa regio gravissimo Solis æstu torretur, quare & serpentibus hujus terræ, haud ullum magis noxium venenum est, intensum corpori calorem inferens. Dum itaque Israëlitas hi serpentes invadebant, ac infestabant, morsu suo corpora eorum vulnerantes, tantum insimul calorem illis impressere, qui non secus, ac ignis visceribus venisque inclusus, exquisitissimos læsis dolores excitavit. Veris itaque serpentibus, non quidem nova aliqua creatione productis, sed jam Arabiam passim incolentibus, Deus, tanquam instrumentis, usus est, quibus adversum se insurgentis populi malitiam, coërceret, quæ tamen ira, ut Author l. Sap. cap. 6. vs. 6. loquitur* non permansit, sed admonitionis gratia paulisper fuerunt perturbati, signum deinceps salutis habentes, quod memores mandati legis Divinæ eos redderet. *Sed de his serpentibus uberius tractant, Celeberrimi Theologi*, Mœbius & Saubertus, *diss. de Serpente æneo, quibus jungenda peculiaris quoque, de eo*, Buxtorfii *Exercitatio, in Exercit. p. 458. seqq.*

[b] *Cum crassus Gentilium, circa originem illorum, error, neutiquam mirandum, & in ceteris eos talpa cæciores fuisse.* Strabo *lib. 6. Geogr. pag. 523. famam sequens, scribere non dubitavit, ab Ægyptiis prognatos, qui nunc Judæi appellantur. Ast originem suam debent non Ægyptiis, sed Israëli, quem* Iustinus *lib. 36. cap. 2. filiorum proventu majoribus suis clariorem fuisse, quidem asserit, sed gravem omnino errorem insimul committit, dum decem saltim fuisse Jacobo filios putat.*

[c *Magnus ille JCtus* Johannes Seldenus *lib. 2. de Jure Nat. & Gent. c. 1. p. 132. causam adducit, quare Gentes arbitrati sint, Judæos suem & asinum colere.* Forte, *ait*, ex porcinæ carnis abstinentia, quæ præ abstinentia, aliarum, sacra lege, interdictarum Gentilibus, multo notior procul dubio, & frequentior erat, natum est illud de Porcini Numinis cultu convitium; uti & alterum illud ex singulari Asini primogeniti redimendi, jure, ac more Gentilibus perperam intellecto. *Exinde dubio procul* Plutarcho *etiam illa opinio (quam* Josephus *l. 2. contra Apionem mendacii ream peragit) enata, porcum Judæos, neutiquam inter res execrabiles habere, Sympos. 4. cap. 5. Addatur* Cunæus *de Rep. lib. 2. cap. 4. pag. 237.*

[d] *Rursus* Plutarchus *l. c.* Quemadmodum asinum, ostendentem iis fontem aquæ, venerantur. Tacitus *vero lib. 8. cap. 3. & 4. narrat, quod* cum grex asinorum agrestium, è pastu, in rupem nemore opacam, concessisset, sequutus sit Moses, ac conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperuerit, deinceps autem Judæos effigiem animalis, quo monstrante errorem, sitimque depulerant, penetrali sacravisse. *Terras ac maria! quanti est esse mendacem! Sed unde hæc calumnia, cujus nec vola, nec vestigium in Sacra Historia.* Fullerus οὐκ ἐκ τῶν πολλῶν, *hujus commenti fontem l. 3. Miscell. cap. 8. pag. 324. quæsivit in verbis Mosis, quando de Ana, ex Horæorum familia, ait, Genes. 36: 24.* is est Ana, qui invenit fontem in deserto pascens asinos Zibeonis Patris sui. *Hæc cum innotuerint Gentilibus, more suo, quædam mutabant, quædam addebant, Mosique, quod Anæ competit, adsignabant. v. prolixe hac de re disserens D.* Wagenseilius *in Sota p. 215. seqq. Utrum vero in verbis illis Mosaicis vox Hebræa mulos notans, per aquas calidas, cum Vulgata, exponenda sit, aut utrum locus corruptus sit, quod quibusdam è Pontificiis videtur, solide, more suo, discussit B.* Hackspanius *part. 1. not. Philol. ad h. c. pag. 237. Quo vero cavillo Judæi, eodem & à Gentilibus Christiani notati; hos enim caput Asini adorare calumniabantur. v.* Minutius Felix *in Octav. pag. 9. Originem hujus figmenti* Tertull. *in Apol. c. 16. aperit.* Nam quidam somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem ejusmodi inseruit. Is enim in quinto Historiarum suarum bellum Judaicum exorsus, ab origine Gentis, etiam de ipsa tam origine, quam de nomine, & religione Gentis, quæ voluit, argumentatus, Judæos refert Ægypto expeditos, sive ut putavit extorres, vastis Arabiæ in locis aquarum egentissimos, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus fontibus usos, ob eam gratiam consimilis bestiæ effigiem consecrasse. Atque ita inde (opinor) præsumtum, nos quoque, ut Judaicæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari. *Certiori conjectura nititur insignis ille JCtus* Iacobus Oizelius, *animadvers. ad Minut. pag. 55. quando ex hæresi execranda Gnosticorum, in libro illorum, qui Mariæ stirps, vocatur, tradita, hoc Diabolicum scomma arcessit. v.* Sixtus Senensis *l. 2. Biblioth. S. p. 105. Hi enim Deum Sabaoth (exhorrescit animus hæc referens) Asini aut porci figura exprimebant. Hinc Gentiles, turpissimos horum, Christianorum nomen mentientium, mores intuentes, veros deinceps Christianos hoc ludibrio exagitabant. Unde quoque factum, quod à sacro quodam nebulone, Christus auribus asininis, pede altero ungulato, togatus, nec non librum manibus gestans, effigiatus sit, quam figuram ipse quoque* Tertullianus *l. c. se vidisse adfirmat, hac addita inscriptione; Deus Christianorum Ononychites, aut, ut celeberrimus* Isaacus Vossius *in Observ. ad* Pomp. Melæ *lib. 1. cap. 8. pag. 48. locum Tertull. optime plane emendat, Deus Christianorum Onochoirites.* Ὀνοχοιρίτης *enim fingebatur, tanquam ex asino, & porco, compositum monstrum, id quod ex* Epiphanii *loco probatur;* φασὶ γὰρ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν οἱ δὲ χοίρου. *Plura lectu digna, ea de re, adducit multæ eruditionis vir, maximeque æstimandus Theologus,* D. Matthias Zimmerman, *in elegantissima Dissert. ad Tertull. Apoc. c. 18. §. 109. p. 86. seq.*

[a] Il-

ſuetudine procul exegere, nec facile cum aliis commercia exercuerint, ut ut nonnunquam apud exteros Reges, caſtra ſecuti ſint. Ioſephum (contra Apionem l. 1.) teſtem adduco ita loquentem. Nos neque terram habitamus, quæ mari vicina eſt, neque mercatura gaudemus, neque earum cauſa nobis conſuetudo cum aliis gentibus eſt. Quare, cum ingenioſa, ad mentiendum, ſit impietas, qui amplius dubium, & hic antiquum obtinuiſſe, ac odio ſacræ Gentis flagrantem, his eam mendaciis, magis magiſque contemtui exponere voluiſſe: nam & vulgus, eam inviſam Diis, putabat, eaque cauſa Plinius, publico errori favens, Gentem contumelia Numinum inſignem, adpellat.

Verum enim vero, ut tandem tædio audiendi Vos ſublevem, temporis etiam anguſtia urgente, unum ſaltim adhuc addam, antequam vela contraham. Narrant Diodorus (l. p. 45.), & Ælianus (l. 14. c. 34.), quod ſummus Judex fuerit Ægyptiis, qui inſimul Sacerdos. Hic εἶχε ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα, ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα ἀλήθεια. i. e. *gerebat de collo imaginem ex Sapphiro, & illa imago vocabatur veritas.* Annon hoc eſt illud Urim & Thummim [a], in pectorali Aaronis, quod Ioſephus ἐσσὴν; λόγιον vero LXX. vocant? quodque Emblema τοῦ φωτὸς, καὶ ἀληθείας, venturi Meſſiæ. Hoc Dei illa ſimia, in Sapphirum veritatis, commutavit, ex quo reſponſa ſua petebat Iudex Ægyptiorum. Non pendebat ex collo, ex aurea catena, Divino juſſu confectum λόγιον, ſed togæ adfixum erat; non ſolus Sapphirus, ſed duodecim pretioſæ gemmæ, (quibus de Epiphanius Salaminæ Epiſcopus conſulendus) quatuor ordinibus diſtinctæ inhærentes, reſponſi indicium, ad Dei nutum, præbebant.

Iungo Diodoro, & Æliano alios, Dionyſium Halicarnaſſæum, & qui eaſdem cum eo tibias inflat *Livium* (lib. 1. c. 20.) Hi de Numa Pompilio referunt, quod Salis [b], quos, ex Patritio ordine, Marti gradivo legit, tunicam pictam adſignarit, & ſuper illam æneum pectori tegumentum, armaque cœleſtia, quæ ancilia [c] adpellabantur. Credo à Vobis in hanc mecum ſententiam diſceſſionem fieri, & hoc involucro λόγιον illud divinum æmulari Dæmonem, ac ſummi Numinis honori, gravem eſſe voluiſſe, ut modo Gentium animos, fuco tali ſibi magis magiſque devinctos, contineret, ac à vero veri Dei cultu avocaret.

Atque hæc ſunt fere ſumma ſacræ Hiſtoriæ, ſub veteri fœdere, quæ ex Gentilium Hiſtoria delibare volui, capita, ut omnibus conſtaret, quantum ſibi commercii errores cum divina veritate voluerint. Nempe, quia ea, quæ majorum ævo contigere, aut ab illorum poſteris geſta fuere, incerta ſæpius narratione, ad poſteritatem transmiſſa; hic factum, ut cum Gentilium Hiſtorici ea inaudiverint, famam, (quæ ſæpius, cum aliquid veri adſerit, non ſine mendacii vitio eſt) vulgi rumorem, multa vana admiſcentem, ſequentes, ea conſignarint, nunquam id ſibi curæ habentes, ut eſſe poſſent θηρευταὶ τῆς ἀληθείας, quam ſoli λόγοι ἱεροὶ pandunt.

Ab hac vero labe, haud quoque immunes illi, qui propius ea attigere tempora, quibus Sarmentitii, & Semiſſii, & Semaxii, [d] (quo cavillo jam Chriſtianæ fidei Atlantes excepti) cum pagana ſævitia conflictabantur. Non ſolum innocuum, in innocuis hominibus, nomen [e] odio habebant, ſed etiam immutabant, Xreſtum mundi redemtorem [f] adpellantes, & qui ejus nomine gaudebant, Xreſtianos. Anſa forte hujus commenti ex eo enata eſt, ut aliis paganis, ita & Suetonio, dum nempe in marmoribus antiquis, ac Romana inter nomina, & hoc fuerit: Hinc Chriſti nomen, cujus ἔτυμον, & vis Gentiles fugiebat, in Chreſtum mutarunt. Id tamen convitii genus cum maximo Chriſtianorum cœtui fuerit honori, æqua ferebant mente, neque aliis gravioribus movebantur cavillis, quos larga in eos manu Pagani conjiciebant.

Alia in eos Suetonii (l. 6. in Nerone c. 16.) eſt calumnia, dum eos genus hominum ſuperſtitionis novæ [g], ac maleficæ, Judæoſ-

[a] *Illuſtris* Marlham. *in egregio, Canonis Chronici, opere, falſæ ſuæ hypotheſi (nempe Ebræorum ſacra ex Ægyptiorum idololatricis ritibus originem trahere) innitens p. 316. ſcribere non veretur,* Moſem illo ſacerdotis ſummi ornamento Ægyptios imitatum fuiſſe. *Sane, deerit tanto viro ſufficiens ratio, cujus beneficio evincat, Deum, ut corruptos populi mores eo facilius emendaret, voluiſſe, hoc illuſtri religionis Iſraeliticæ arcano, mores, & inſtituta Ægyptiorum, quibus Ebræi imbuti erant, ſequi. Unde vero quis de hac voluntate Dei ex Sacro Codice certus reddetur? Moſes, quicquid, in Urim & Thumim conficiendo, egit, Dei juſſu, nihil ex ſuo arbitrio, peregit. Quod ſi ergo populus, à ſuperſtitioſo cultu plane abducendus erat, annon tenacius ei inhæſiſſet? ſi animadvertiſſet, hanc rem ſacram, à ſuperſtitioſa Ægyptiorum veritate, non admodum diſcrepare. Et quis ſibi perſuaderi patietur Deum, qui toties graviſſimarum pœnarum interminatione, idololatricum cultum populo interdixit, ac in delinquentes ſeveriſſime animadvertit, voluiſſe gloriam ſuam, cujus eſt Zelotes fortiſſimus, cultumque ſuum, ex ſuperſtitioſis, ſibique penitus exoſis ſacris, deducere. Impius ſit, qui talia de Sacro Sancto Numine cogitaverit. Ceterum de Urim & Thumim prolixe agit* Schickardus, *de Jure Regio, Theor. 2. p. 18. ſeqq. &, qui inſigni commentario ſingulari eruditione referto, eum illuſtravit, famigeratiſſimus Hebrææ Ling. Lipſ. Prof.* Iohan. Benedictus Carpzovius *plures enumerat, qui in Urim & Thumin enucleando operam poſuere. Addimus* Schedium *de Diis German. p. 5.* Cunæum *de Rep. Jud. lib. 2. cap. 2. & maxime de ſacris ſtudiis, dum in vivis erat, meritum* Friſchmuth, *de Pontificum Hebr. veſtitu ſacro c. 3. quam, illo præſide, Diatriben edidit jam laudatus* Carpzovius.

[b] *Saliares etiam dicuntur, hi Martis Sacerdotes. Eorum habitum,* Conradus Lycoſtenes *ad Plin. Secundi de viris illuſtribus. c. 3. p. 35. ita deſcribit.* Dicti ſunt Salii à ſaltando, quod facere in comitiis quotannis, & ſolebant, & debebant, verſicoloribus tunicis ornati, per urbem tripudiabant, ſuccincti æneis baltheis, togas fibulis nectebant, in capite pileos geſtabant, dextra accingebantur gladio, lanceam, aut virgam ferebant, læva Thraciam Peltam: per Urbem ambulabant ſaltantes, & pedibus ſtrepitum ubique facientes. *Paria fere de iis refert,* Roſinus *l. 3. antiq. Rom. c. 20. p. 303.*

[c] *Hujus Ancilis hæc fertur origo. Cum Numa regnante, graviſſimus morbus, urbem infeſtaret, quo, quod medicinam malo parare non poterant cives, in magnum mœrorem conjecti, ſcutum æneum, è cœlo demiſſum, in manus Numæ incidit. Hic, qui hactenus, ut ſuos in officio contineret, familiares, cum Dea Egeria, congreſſus ſimulaverat, hac rurſus occaſione, ad confirmandam authoritatem, uſus, à Dea ſibi ſignificatum tradidit, hoc ſcutum ſaluti toti urbi futurum, eaque propter cuſtodiendum, aliaque undecim ejuſdem figuræ ac magnitudinis, conficienda, ut ita ſcutorum æquali ſimilitudine cognita, nemo ita facile cœlitus demiſſi ancilis auferendi cupiditate ſtimularetur. Hæc vero deinceps Ancilia, Saliorum curæ, ſunt concredita.*

[d] *Varios inter ignis ſupplicii modos, quos* Antonius Gallonius, *nec non amicus noſter ſingularis* D. Sagittarius *L. L. de Cruciatibus Martyrum, ille cap. 8. p. 338. ſeqq. hic vero c. 10. cap. 101. prolixe expoſuere, & hic erat, quod Chriſtiani, tempore Neronis, ſtipiti alligati, igne, ligno, ac ſarmentis incenſis, combuſti ſint, v.* Senec. *Epiſt.* 14. Tac. *l. 15. Annal. c. 44. Unde voces hæ, Sarmentitii, Semaxii, Semaxarii, Semiſſii, enatæ.* Sarmentitii, & Semaxarii, *inquit,* Tertull. *Apol. c. 50.* appellati, qui ad ſtipitem dimidii axis revincti exurebantur. *In martyrio S. Polycarpi turbæ confeſtim ex officinis, & balneis, ligna & ſarmenta comportabant, & Judæi præſertim, promte ad eam rem, pro ſuo more, ſubſerviebant.*

[e] *Ipſe* Plinius *ſecundus lib. 10. Epiſt. 79. ad Trajanum nomen Chriſtiani flagitiis carere, fatetur: nihilo tamen minus acerbiſſime in eos ſæviebant, ac ut rurſus* Tertull. *l. c. c. 2. loquitur,* torquemur confitentes, & punimur perſeverantes, & abſolvimur negantes. &c. 3. plerumque clauſis oculis in odium hominis Chriſtiani impingunt, ut bonum alicui teſtimonium ferentes admiſceant nominis exprobrationem; Bonus Vir Cajus, Sejus, tantum quod Chriſtianus.

[f] *Quod Chriſtus Chreſtus appelletur à Gentilibus, factum eſt aut more mutandi vocales v. g.* η *in* ȷ *eo tempore Græcis uſitato, aut ignorantia veræ originis, nominis hujus* κοσμοσωτῆρος, *ut eleganti plane voce illud exponit* Balſamon, *ad* Photii *Nomocan. Tit. 2. c. 2.* Lactantius *eo digitum intendit, quando l. 4. c. 7. de vera Sap. ait* quoſdam neſcientes rationem illius nominis ſolere Chriſtum immutata litera Chreſtum dicere, uti etiam Chriſtianos Chreſtianos, ignorantes illum Chriſtum dictum, ut unctum Dominum, non autem Chreſtum, i. e. bonum *v. quæ annotavit in profundæ eruditionis comment. in Juſtinum Martyrem, celeberrimus Kilonienſis Theologus, Doct.* Chriſtianus Kortholt. p. 27.

[g] Religiones, *ait* Arnobius *l. 1. p. 13.* inquiunt impias, atque

dæosque, vocat, qui impulsore Chresto (l. 5. in Claudio, c. 25.) tumultuantes, Roma à Claudio (en! insignem hominis anachronismum,) ejecti. Nempe novellum quendam ipsum Jesum nostrum vocabant Gentiles, quare & novellum nomen Christianorum, & novella illorum religio, eo quod antiquæ ceremoniæ, per eam jam derisui, & ritus antiquioris superstitionis, plane infirmabantur, & dissolvebantur. Culpa autem hæret in Gentilibus, quibus antiquissima religio serius innotuit, quamvis facem eorum mentibus prætulerit Deus, atque exinde factum, ut quia plane dissona, à Gentilium, & conformior Judaicæ, verum Deum, & verum hominis finem inculcantis, hinc Christiani Iudæorum nomine, ab iis diffamati, ac Claudii edicto Roma exire jussi sunt. Et quidni ejiciendi erant! cum ἄθεοι κὴ ἀσεβεῖς Gentilibus fuerint.

Doleamus ergo vicem Gentilium, quod Sole illis affulgente, lucem sint aversati; sed insimul ex damno illorum, nostra nobis comparemus commoda. Quod si fructum ex illis non capimus alium, ob hanc solam tamen causam gratiæ iis agendæ, quod adversus Lucianos (quorum hodie tot, quot muscarum, cum maxime calet) subsidio nobis esse possunt, quoties illorum mentis malitia, nullo loco sacras Historias esse vult. Qua enim quæso fronte naso suspendent adunco, quæ profani authores, verbo Dei conformia proferunt? Si in aliis eos fide dignos putant, quid tandem causæ? quod in his de ponte eos dejiciant.

Sed abrumpo filum telæ hujus, alio die pertexendæ, cum ad alia me impellat pietas mea. Dum enim meas expendens vires, perspicio, quam grave, & arduum, cui admotus sum, munus, & quam illi impar, quia nihil, sine Numine, ad id conferre valeo; quare omnis mihi spes, in Tuo, ô Sanctissime Deus! auxilio; quo semper mihi Te adfuisse, dum Diarium vitæ meæ inspicio, grata mente agnosco, adeo, ut cum Regio Psalte (Ps. 34. vers. 2.) exclamare queam, in Deo gloriabitur anima mea.

Si me terræ filium, si hominem infimæ caveæ, si servum esse voluisses, immensas tibi gratias deberem: neque enim unquam tuum opus occupare volui, ut sortem meam mihi fingerem, sed me, qui Nihil, ut tua gratia non Nihil essem, tibi expoliendum commisi. Tibi erat in manu, congruam mihi aptare personam, partesque in scena hac mundi adsignare. Tua ope, & virtute, mihi à Te concessa, gesta sunt à me omnia. Tuo jam quoque Sancto factum est nutu, & auspicio, ut provincia hæc Professoria in hoc Lyceo, mihi sit demandata, ab iis, qui per Te, faventissimi mihi Dii, in terris. Tu ergo, ô summe benigne Deus, Tuo operi jam vires adde, ne sub onere hoc succumbam. Tu mentem confirma, ne à vero deflectam; Tu gratiam tuam mihi concede, ne à scopo, qui gloria Tua, aberrem. Tu conatus meos adjuva, ne inanes sint; sic omnes labores mei Tuæ gloriæ velificabuntur, ac nunquam non commodo cedent illorum, quibus me in Historiæ studio, Ducem & Comitem esse voluisti. Tandem fac bone Deus, ut nunquam ulla in re sim meus, sed omnino Tuus.

Eloquar autem, an sileam! dum ad Vos Generosi Patres Patriæ, Atlantes Reip. Ecclesiæ, ac Musarum, me converto. Summus enim æque ac singularis Vester in me favor, linguam meam reddit indisertam; nec mihi tamen integrum illum silentio involvere. Nam, quod Deo meo, sic res meas curante, in hunc denuo solem Musas collocastis meas, insignis equidem in me benevolentiæ Vestræ argumentum, sed omni mea confessione majus. Ut Vobis meam deferrem opellam, sola observantia in Vos mea calcaria addebat. Serena à Vobis illa excepta fuit fronte; quare & porro haud ingrati sint Vobis mei, quos publico commodo addicam, labores. Qui vero ingrati esse possent? dum adeo benevole, me, in inclyto Auditorio Vestro, Profess. ordini cooptastis, & loci, quem jure teneo, Dii Tutelares estis. Audiat & ex me hic locus, hæc Cathedra, Vobis Meas quoque Musas curæ cordique fuisse, Vosque Æneæ æmulos, Noribergæ Palladium, & huic denuo loco, intulisse. Honos æternus annalium eapropter Vos colet, hicque Vester, in Musas, amor, Historia erit posteris, ad quam & suam componant, si fama florentes esse velint. Ego vero, cum alia lege gratus esse haud queam, Numen orabo, & obtestabor, ut Reipubl. hujus fortuna, ac famæ vigor, inter miracula seculi sit; ac tandem cum Plinio, non pacem, non concordiam, non opes, non honores, orabo; simplex, cunctaque ista complectens votum meum, quod omnium bonorum sit; Salus Reip. Salus Patrum Patriæ.

Dum Te tandem insignis Musarum sedes, intueor, in gaudia se pectus laxat meum, quoties in memoriam mihi redeunt imagines eorum, à quorum olim ore pendebam, qui pectus meum iis imbuere scientiis, quæ facem, in via, ad bonam mentem, præferebant. Neminem ex illis, eheu! fata amplius superesse nobis voluerunt, nisi unum venerandum senem, Dn. Beer, cui ingravescens ætas, ut nunquam gravis fiet, exopto. Quam Ecclesiæ, nec non Musæ hunc virum complectantur, testes mihi sunto omnes, qui ejus prudentiam, qui ejus modestum Zelum norunt. Plura referre, forte illius cana, & optima mens, mihi vitio daret. Hoc tamen laudibus illius addendum, eum vota, hujus Lycei nostri causa, fundere, ut Ter-Sanctus Deus Sabaoth, illud servare, ac tueri velit. Iungo illius voto, meum. Sint, & floreant sub umbra alarum tuarum, ô Bone Deus! hi, cum Doctoribus suis, Phœbi lares! Serva benignos illius Statores. Seri in cœlum redeant, & non prius, nisi posteros videant eos, qui usque ad finem mundi, illos, ac in iis docentes, sartos tectos, servare velint. Hæc sint, quæ dixi!

atque inauditos cultus terrarum in orbem trahitis. *Et l. 2. p. 90.* Nam quod nobis objectare consuestis, novellam esse religionem nostram, & ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam & patriam linquere, & in barbaros ritus peregrinosque traduci, ratione intenditur nulla. *Ita &* Celsus *apud* Origenem *l. 1. adserere non erubescit*, Iesum ante valde paucos annos fuisse institutorem Christianæ doctrinæ. *Verum enim vero neutiquam sibi dedecori habebant Christiani, quod illis à Gentilibus exprobratum, Religionem eorum vocari novellam, siquidem antiquissimæ doctrinæ, quæ demum ab adventu Christi in carnem novitatis accusata, sanguinem & vitam nihilominus impendebant, summa illi constantia adhærentes. Quomodo autem sese, eo nomine, contra Gentes defenderint, v. apud* Euseb. *l. 1. Histor. Eccles. c. 4. & l. 2. de vita Constant. M. c. 57.*

[a] *Athei dicti Christiani, quia detestabantur impuros gentium Deos.* Τρία ἐφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις, *inquit* Athenagoras *pag. 31. Apol.* Tria nobis impingunt crimina, impietatem, Tyestea convivia, OEdipodios concubitus. *Tempore Domitiani, quidam consanguineorum ejus, Fabius Clemens Consul Romanus, cum uxore Flavia Domitilla, Christianam fidem amplexus, hancque ob impietatem,* (ἀθεότητα) *ita eam vocat* Dio Cassius *l. 67. ab illo internecioni dati sunt. Verum enim vero licet ab hoc crimine Christianos purget* Plinius *l. 10. Ep. 97. quia tamen hoc nomine omnium optime in invidiam adduci poterant, (quis enim contemtores Deorum apud Gentiles perferre voluisset, quod hac ratione, sacris in contemtum adductis, ex facili ipse etiam status eorum everti, aut concuti potuisset) quare hoc crimine notandi erant, quod tamen sibi, ex mente hostium suorum, neutiquam dedecori esse putabant.* Iustinus Martyr *Apol. 2.* ἐνθένδε, καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ᾽ οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου καὶ ἀνεπιμίκτου κακίας θεοῦ. Hinc & Athei vocati sumus, & fatemur nos respectu talium qui Dii esse putantur, esse Atheos, sed non respectu verissimi, & ab omni malitia liberi Dei. *Ita, dum magno Zelo, Atheismi crimen, à se quondam amoliebantur Christiani, optandum esset, ut & nostri nostra ætate, & doctrina, & moribus, veterum vestigiis anxie insisterent; Sic nulla objicerentur impedimenta iis, qui à nostra adhuc Ecclesia alieni.*

F I N I S.

COROLLARIUM
SIVE
ADDITAMENTUM DISSERTATIONUM THEOLOGICO-PHILOLOGICARUM,

Superioribus duobus Tomis ſubnexum,

Quarum, quæ ſpectant ad Locorum Scripturæ Illuſtrationem ad ſingulos, ſuoſque Tomos referri poſſunt.

M. MICH. LIEBENTANTZ

DISSERTATIO

De Terra Moriah, & Monte Visionis Dei ad Gen. XXII: comm. 1. & 14.

I. N. J.



Rduum, & non sine adversitatibus gravissimis conjunctum erat iter, constantissimus cum ille Amator DEI Abraham, dulce Patriæ Solum jussu divino relinqueret, seque in Terram, olim à possessore ejusdem antiquissimo Noachi è filio Cham nepote, Canaan dictam converteret; Verum utut illud fuerit grave & difficile, vix tamen, imo ne vix quidem, cum itinere ab omni ævo clarissimum Montem Morija, in ullam venire potest comparationem; tanto enim magis hoc est admirandum, quanto magis propter implendi difficultatem est singulare, & præ illo tam gravissimis, quæ non tantum inclinationi naturali repugnare, sed & ipsas vires humanas plane excedere videntur, circumstantiis aggravatum. Nam præter *Rei Qualitatem*, (quod post cultrum ductum per jugulum Filii & reductum, ipse Pater propriis manibus, Corpus unici & sine ulla amoris cessatione dilecti filii, Filii promissionis & quasi per miraculum in senectute geniti, ad redigendum in cineres & pulverem Rogo imponere, & ita omnes corporis partes torrendo & cremando quasi annihilare deberet,) sane *Circumstantia Loci* mandati exsequendi difficultatem & Rei acerbitatem non parum augebat, sed & insuper ad excruciandum Fidelis animum majorem in modum faciebat, quod in via tridui itinere id tamdiu præsente Objecto continue meditari, & in eo per totam viam animo discruciari cogitationibusque discerpi deberet, adversus quod non tantum affectus animi paterni; sed & tota carnis militia pugnare. Verum, hic etiam eo magis hocce Abrahami obsequium, non impetuosum forsan sed diu deliberatum & præmeditatum commendari, & pro exemplo inter mortales omni exceptione majori, haberi solet. Agnovit hoc etiam ex Rabbinis imprimis R. Bechai Comment. ad h. l. factum hoc ita qui deprædicat: פעולה זו לה היתה באשר הפעולות והנסיון הזה לה היה כאשר הנסיונות אין הטבע יכול לסבלו ואין הכח המדמה שתכלו: *Hæc actio alia plane fuit præ cæteris, & hæc tentatio reliquis omnibus fuit plane dissimilis; nam ipsa Natura non est potens ad id ferendum multo minus vis imaginatrix ad id satis expendendum.* Optime hic itaque Senecæ illud poterit adhiberi, & dici hunc DEO visum fuisse, in quo experiretur, quantum natura humana possit pati. Et hoc est, quod R. Joseph Albo plenis buccis evenit, quando Serm. 14. cap. 13. de pietate Patriarchæ ita scribit: יודע השם שאין בעולם עובד יותר גדול מהיותו שוחט בנו יחידו זה אות גדול מורה על היותו עובד מאהבה גמורה: *Cognoverat DEUS quod in mundo non fuerit religiosior præ eo, qui filium suum dilectissimum mactaret. Ideoque hoc insigne documentum erat Abrahamum Dei amore maximo flagrare.* Flagravit omnino amore DEI maximo Abraham, hinc etiam generosæ huic menti, vero amore DEI imbutæ, posuit DEUS ejusmodi heroici amoris objecta, ne virtus quæ semper vult oppugnari, in animo hujus amatoris delitesceret, sed potius ostenderet, quomodo magis magisque ex vulneribus vires acquirat. Vidit & hoc quasi per somnum & umbram Seneca, (cujus integer & providentia liber, suo merito dignus est, qui quoad potiora axiomata huc trahatur & applicetur, præcisis tamen, quæ gentilismum spirant, flosculis) quando sparsim *inquit* c. 1. 2. *DEUS Virtutum non lenis exactor viros bonos ut severe Patres filios durius educat, aitque Operibus, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant Robur. Marcet sine adversario Virtus*, &c. 4. *Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt, ac calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est*, &c. *Hanc itaque rationem sequuntur Dii in bonis viris, quam in Discipulis suis Præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.* Quam penitissimam quasi ex Tripode Senecæ Sapientiam, extra omnem dubitationis aleam esse positam, docet adhuc quotidiana experientia. Sic enim omnino DEUS solet suos ducere:

—— Per Saxa, per Ignes
Quaque est difficilis, quaque est via nulla, sequuntur.

Et talem quoque imprimis viam secutus est Abraham, majora si minoribus conferre velimus, & quidem tali promtitudine, ut non adeo male, illud Pyrrhi Regis, quod olim de Fabricio Romano ajebat, applicari possit Abrahamo, facilius fuisse Solem à suo cursu, quam hunc à suo proposito avertere. Nam ex ea nocte, qua Oraculum acceperat, illico summo mane surgens, ad iter se accinxit, & sine ulla cunctatione, DEO obtemperavit, & ad locum constitutum, Terram nempe Morijah, sese contulit. Cumque iter & historia hæc Abrahæ, imprimis primam Monti huic nostro, quem & nos jam cogitationibus nostris adire meditamur, dederit claritatem & nobilitatem in Scriptura S. paucis hic etiam eandem antea ita prælibandam duximus. DEUS clementissimus, qui circa admirandum hoc iter Abrahamo de omnibus benignissime prospexit, ut & nobis divina sua gratia adsit & prospiciat, devotis suspiriis est quod ingeminamus!

בהנ״וא:

§. I.

Totius Ebrææ Litteraturæ cum hæc, B. Luthero judice, natura sit, quo tota tota, etiam quoad nomina propria sit Etymologica, ab ipso nomine nostri Thematis primordia ut capiamus, abs re haud erit; nam expedita accurate vocis ipsius Origine, vi atque potestate ad rem ipsam felicius quin deveniamus, non est ut dubitemus. Si enim in aliis Linguis Plinii illud, verba rerum esse Notas, obtinere solet, quidni majore jure tanquam verissimo verius id affirmari poterit, de sanctissima Lingua & ipsius DEI verbis, in quibus sane vix reperietur litera, profundam quæ non redoleat Sapientiam & doctrinam, vel uti Ebræi loqui amant ג׳ שאין ההרים גדולים תלויים בה qua non maximi montes pendeant?

§. II. Nomen itaque illius Terræ, ad quam Abrahamus à Domino ablegabatur, dicitur Morijah, quæ vox origine Ebræa est, vocabuli compositi rationem habens, utut alias compositionis genus, *ex duabus justis & separatis vocibus*, secundum limitationem Excellentissimi Dn. Sennerti, Patroni & Fautoris nostri ætatem devenerandi, in ebherina hacce lingua soleat esse rarior. Scribitur מֹרִיָּה indifferenter quoad syllabam primam vel sine fulcro ut h. l. Genes. 22: vers. 1.

 vel

vel cum eodem 2 Paral. 3: 1. Latinis literis si efferendum, exprimitur vulgò per Moria vel Morya aut Moriah, verum rectius cum B. Luthero effertur per Morija vel Morijah, nam (י) hic in medio non quiescere monstrat punctum sive פִּיק sive Dagesch Ebræis dictum.

§. III. Explanationem ipsam hujus vocis quod attinet, circa eandem propter varietatem Sententiarum inter Scriptores, cum longe major sit disconvenientia, quam esse solet inter multa horologia, deludandum hic aliquantisper erit, cumque illius Originatio controversa prolixiorem crenam poscat, quare prolixitatis exoramus veniam. Rabbinorum quidam deflectunt Nomen hoc à יָרָה in Hiphil הוֹרָה quod *docere* significat, formant inde sibi nomen הוֹרָאָה *Doctrina*, putantque montem hinc dici הַמּוֹרִיָּה quasi הוֹרָאָה יָהּ montem doctrinæ Domini, propterea שמשם יצאה הוראה לעולם quod ab eo Doctrina sive Lex in totum mundum sit exitura. Approbatur quidem ipsum hoc etymon etiam à summis Christiani nominis viris quibusdam, communiter tamen alia explicatione allegorica, habito respectu ad montem Calvariæ applicatur, quod, uti loquuntur, Christus omnino in eo, non tantum Legem Evangelicam sua morte sanciverit, verum etiam ab eodem omnis doctrina salutis & Evangelii ad nos pervenerit. Quæ allegoria quamvis alias insulsa adeo non sit, ipsa tamen Etymologia pro vera neutiquam est venditanda, meram enim hic tantum lusionem esse unicuique ad primum oculi nictum satis apparet. Quod si tamen Radici ipsi aliquid tribuendum esset, certe convenientius derivari posse videretur ex Participio Hiphil ejusdem nominati Thematis quod est מוֹרֶה docens qs. dicas מוֹרֶה יָהּ docens Dominus, eadem explicatione retenta, veluti rursus alii ad Montem Calvariæ, collem singularem Montis Morijah, respicientes, insuper hoc participium nominaliter accipiunt, quatenus nempe מוֹרֶה etiam secundum alteram Radicis notationem, denotat *pluviam*, hincque Montem Calvariæ mystice ita dictum esse מֹרִיָּה qs. מוֹרֶה יָהּ hoc est pluviam DEI, eo quod Sanguis DEI, ut pluvia super eo effusus sit. Verum aliam cum videatur Magisterium ipsius Spiritus sancti edocere Etymologiam, præter eam certe nec hæc nec ulla alia poterit habere locum.

§. IV. Longius vero jam abire videntur, ad Radicem מָרַר amarus fuit, qui confugiunt, huncque montem ab amaritudine ita dictum autumant, quia nimirum is tam Abrahamo immolanti, quam Filio immolando amarus fuit; neque collimant adeo, ex ejusdem Radicis nomine מוֹר Myrrha מֹרִיָּה nostrum deflectentes, ea ratione, quod tota illa Terra Solymorum illis seculis nimis ferax fuerit Myrrhæ & Aloës, nixi fundamento è Cant. 4: vers. 6. petito: אֵלֶךְ לִי אֶל־הַר הַמּוֹר *Ibo ad Montem Myrrhæ*, & ex eo præprimis Conceptus suos firmant. Ita enim rursus R. Bechai de hoc loco Comment. cit. scribit: הר המריה הוא ירושלם וקרא הק"בה לכל הארץ המוריה על שם הר שבתוכו ומה שנקראת ירושלם הר לפי שהוא מלשון אלך לי אל הר המיר וקנמון וחבשם הטוב היה גדל שם וכן דרשו רבותינו ז"ל קנמון יהיה גדל בארץ ישראל והעזים וצבאים אוכלים ממנו: *Mons Morijah denotat Jerusalem; & vocat sanctus Benedictus ille totam terram hoc nomine, quia Mons Morijah in ejus medio erat situs. Quare autem Jerusalem mons vocatur? illud fit ea significatione, qua dicitur: Ibo ad montem Myrrhæ. Cinnamomum & Aromata bona ibi nascebantur. Atque ita Doctores nostri f. m. mystice explicant: Cinnamomum crescebat in Terra Israel, & caprea & capreoli de eo comedebant.* Approbat Originationis hujus explicationem & ipse Rabbi Moses Ben Nachman Comment. ad h. l. ita scribens: הנבון על דרך הפשט שהוא כמו אל הר המור ואל גבעת הלבונה כי ימצאון שם בהר ההוא מור ואהולים וקנהון: *Juxta sensum literalem intelligendum hoc, quemadmodum illud, ubi dicitur (Cant. 4.) ad Montem Myrrhæ & ad collem thuris. Quoniam inveniebantur in monte hoc Myrrha, Santali & Cinnamomum.* Rem ipsam hic in dubium vocare, noster quidem non fert animus. Myrrhiferam & fertilissimam fuisse Regionem non negamus, quamvis & hic non dubitemus, recutitos multa scripsisse, quæ deinde pudefecit experientia; interim tamen Etymon hujus vocis quod attinet, licet nec ita plane inconcinnum esse videatur, caussam tamen sufficientem nullam habemus, cur relicto vero, historico & literali sensu, mysticum & parabolicum sic dictum vulgo apprehendamus, cum cuivis notissimum, admonente Cl. Fullero esse debeat, sensum parabolicum, quo totus Canticorum libellus conscriptus est, ab historico quam maxime discrepare. Quid vero per Montem Myrrhæ intelligatur, cum nostrum non sit hic exponere, consulendi sunt summe Rever. & Excellentiss. Dn. D. Calovius Annotatis Antigrot. in h. l. & Dilherrus in Elect. Sacr.

§. V. Neque minorem si non prorsus incommodam Recessionem à Textu Ebræo fecit Syrus interpres, quando Terram Morijam à populis Amorrhæis ita dictam autumat; vertit enim hic לְאַרְעָא דְאֱמוֹרָיֵא *in Terram Amorrhæorum* quasi hoc suum nomen, ab hisce populis, tum temporis possessoribus illius terræ & inhabitatoribus, sortita fuerit. Verum aperte falsum est, terram Canaan unquam Amorrhæam dictam esse; accedit insuper, quod plane incertum sit Amorrhæos hanc terram unquam inhabitasse, multo magis imperium super eandem tenuisse, cum non possit non esse notissimum, horum populorum Regnum fuisse Regionem Galaaditio, quæ alias strictè & proprie sic dicta Terra Galaad nominari consuevit, hæcque est illa terra quam Israelitæ Regi Amorrhæorum Sehon, transitum ipsis per terram suam deneganti ademerunt. Numer. 21: vers. 21. seqq. quamque deinde Rubenitæ & Gadditæ utpote compascuam, ut sibi in sortem & hæreditatem daretur, postularunt à Mose, qui & ipsis eam tandem ad possidendum tradidit. Num. 32: vers. 1. seqq. & 33. seqq. Cognito itaque hoc, licet non negemus, terram Gilead Amorrhæam tunc temporis potuisse dici, non tamen videmus, quomodo ulla specie probabilitatis, hoc nomen ad nostra montana Jerusalem referri possit, cum illa Terra cis Jordanem adhuc sita fuerit, adeoque à terra Canaan multum distarit, quod neminem certe ignorare sinunt tabulæ Chorographicæ. Eadem, si non severiori animadversionis nota dignus censendus est, Interpres Arabs, Moabitis illud qui adscribit, quando vertit: ארץ אלמואבין, Terram Moabitarum.

§. VI. Neque risu minus alii digni sunt, qui Vocem Morijah Syriacam pariter & Ebræam esse volunt, statuentes מֹרִיָּה compositum esse ex Nomine Syriaco מָרְיָא & Ebræo יָהּ *Dominus*, adeoque significare Dominum Domini, Die Herrschafft des HERRN. Sed sine dubio hi aliter sensissent, perspectum si habuissent, male nominis alicujus proprii Etymon ex permixtione linguarum inter se deduci. Quis enim non animadvertit, ridicule plane Nomen Pauli à פֶּה os & αὐλὸς tibia qs. Os tubæ formari? Sed aliud est videre, aliud ridere.

§. VII. Longissime vero omnium jacula sua extra scopum jecit R. David Kimchi, vir uti alias eruditissimus, ita hic fere ineptissimus, quando מֹרִיָּה nostrum à יָרָה quod est irrigari, abunde inebriari, deflectit. Falsam & erroneam hanc suam Opinionem, ut aliquo modo probet, caussam Originationis hujus perhibet sequentem: אהיתל ארץ רויה אחר ששכן בה הכבוד יהוה: *Quod tota illa terra irrigua fuerit*, vel *omnibus copiis circumfluxerit & abundarit, postquam in ea gloria illa Dei habitaverit.* Verum, dum sensum appellationis explicat, majoribus ineptiis & erroribus sese implicat, & utut illud רוה sive pro abundari sive irriguum esse accipiamus, utrumque tamen non tantum contra Scripturam, verum etiam ipsius Rei veritatem militat; quasi vero illa terra ante exstructionem templi aut erecta ibidem Israelitarum tabernacula, melle ac lacte non affluxerit, hoc est, summa ubertate naturalique feracitate prædita non fuerit; quod certe inter alia cum Exod. 13: vers. 5. & Deut. 8: v. 7, 8, 9. stare non posse, aperte constat. Deinde quoque contra Rem experientia munitam loqui videtur, totam illam terram ejusmodi copiis aquarum abundasse. Modice fuisse irriguam non negamus, fuit tamen & sicca quod confirmat D. Hieronymus ipse oculatus pariter atque religiosissimus testis Comment. in Jes. cap. 49. ubi scribit, saxosis montibus hunc tractum asperari, penuriamque sitis pati; hincque cœlestibus uti pluviis & ita raritatem fontium, cisternarum exstructione solari. Nihil ergo cum videamus esse, quo Judæus pertinacissimus excusari possit, repudianda omnino hinc veniet non tantum ipsa falsa Originatio, sed & ejusdem fulciminis ergo adducta erronea ratio: אלבלר אלעבאר"ה.

§. VIII. Propius autem jam à Rei veritate abesse volunt, qui Radicem יָרֵא timuit, & ex eadem petitum Nomen מוֹרָא timor sive Reverentia pro optimo Vocis Morija Etymo agnoscunt. Gloriantur vero & de hoc, quasi invento hæc à tombe digno, præ aliis rursus Rabbini, certo sibi persuadentes, Abrahamum super eo montis colle, arietem loco Isaaci sacrificasse, supra quem deinde Templum Hierosolymitanum exstructum fuerit, hocque suo sacrificio huncce locum cultui divino aliquando destinandum initiasse qs. & consecrasse, dictumque hinc eum jam tum velut Ministerio מֹרִיָּה h. e. timorem sive monumentum timoris & reverentiæ DEI, quod DEUS ibi quasi præsens timeri colique debuerit. Quæ in genere Monte Morijah uti pie, ita non minus vere dicta esse videntur, nisi modo hæc Rabbinorum Sententia pro concesso, de quo tamen adhuc inter Autores dissensus maximus est, assumat, Abrahamum præ-

præcise in illa montis parte, & illo singulari loco cui deinde templum superædificatum est, ligationem illam filii peregisse quæque ibi facta sit: שתהיר זכות העקידה בקרבנות לעולם: Ut ligationis hujus meritum subinde sacrificiis in æternum competeret, quemadmodum R. Gerundensis dure admodum loquitur. Cæterum ipsa tamen Etymologia applausum mereri videtur, in primis ob Consensum summæ Autoritatis Interpretum, & quidem Chaldæi Paraphrastæ Onkelosi Christi συγχρόνου, itemque Jonathanis, Simeonis illius justi Condiscipulo, ostendente utrumque Cl. Schickardo ב"ה, qui in Targumim Verba illa Genes. 22. vers. 1. vade ad Terram Morijah reddiderunt. וְאִיזִל לָךְ לְאַרְעָא פֻלְחָנָא *Vade in terram Cultus*, sc. divini, h. e. exercitio pietatis sinceræ & Religiosæ Venerationi divinæ destinatam, quos etiam proxime accedit alter Arabs vertendo. in terram adorationis. Et hæc etiam Etymologia à verbo יָרֵא quod timere significat, præ reliquis maxime placet B. Luthero, Vocabulum Morija per θεοσέβειαν sive reverentiam & timorem DEI explicanti, eo quod præprimis in hoc monte Patriarchæ nullo non tempore DEUM coluerint, quemadmodum in gloss. margin. ad h. l. inquit: *Morijah* heist Gottesfurcht / *Reverentia Dei, cultus Dei*, denn die Altväter Adam / Noah / Sem / auff demselben Berge Gott geehret / gefürchtet / gedienet haben. Wir Deutschen heissen es vielleicht den heiligen Berg / oder da man Gott dienet / mit Beten / Loben und Dancken / *& in enarrat. in Genes. ad h. l. sequentia habet: Verum esse videtur, quod Judæi affirmant in illo ipso loco Adam, Abel, Noë sacrificasse. Certe Sem ibi sedem habuit, à quo verus cultus Dei in mundum propagatus est. Huc alludit illud, quod supra diximus, Paradisum ante diluvium fuisse circa illam terram, & ejectum Adamum ex Paradiso habitasse circa montem Morija; itaque etiam ante diluvium celebris locus fuit propter Dei cultum ac mansit celebris usque ad Christum, &c. Libenter igitur illos sequor, qui Morijam dictum putant ab Ebræo Verbo, quod significat timere, colere, revereri Deum, ac si dicas Germanice,* Heilige Statt / *locus Sanctus, domus Domini, quod is locus à principio Mundi templum & domus Dei fuerit, & cultus ab ipso Adam, Noë & habitatus à summo Patre Sem, sicut hodie Morija est, quam late terrarum Orbis patet.*

§. IX. Quemadmodum vero recensitas modo Etymologias quasdam sua carere probabilitate non asserimus, neque etiam ab his quæ pie ad tractum hunc Hierosolymitanum applicari possint easdem excludimus, respicientes tamen ad ipsum indicium Textus, pro commodissima & indubia Originatione vix ullam harum agnoscere possumus, siquidem ipse Moses claris & manifestissimis verbis impositionem loci immolationis describens, expresse testatur, Abrahamum Nomen illius loci in quo sacrificavit vocasse יְהוָה יִרְאֶה ita enim sonant ipsa divina verba: וַיִּקְרָא אַבְרָהָם שֵׁם־הַמָּקוֹם הַהוּא יְהוָה יִרְאֶה *Et vocavit Abraham Nomen illius loci, Jehova videbit.* Quo freti certe testimonio non possumus non, quin relictis dubitandi conjecturis omnibus pro maxime genuino & ab ipso Abrahamo intento. Thema רָאָה agnoscamus, omnemque formationis Rationem exinde hauriamus.

§. X. Sicuti vero nunc hujus Originationis Autorum applausus datur maximus, ita tamen applicationem dissensus nec reperitur minimus. Primum enim LXX. Interpretes (quoad Gen. cap. 22: vers. 2.) respicientes quidem ad hoc etymon, non tamen ita concinne id explicantes, applicant τὸ רָאָה ad ipsum Montem, & Morija vertunt per ὑψηλὴν i. e. excelsam, sive uti Crellius substantive & pariter cum additamento quopiam contra fidem τῶν LXX. exponit *Exaltationem* DEI, des HErrn Höhe oder Erhöhung / quia videlicet sublimis & excelsus, atque exinde conspicuus admodum fuerit, eminus ut videri potuerit; Unde etiam forsan ansa arrepta est illius, quod in communi perhibetur, Abrahamum nempe per integrum diei iter montem hunc vidisse, antequam eo pervenerit, quod tamen alii de nihilo esse autumant, quoniam ille mons non ita fuerit dispositus, ut è longinquo videri potuerit; per montes enim, qui in circuitu ejus fuerunt, illam visionem impeditam fuisse. Quicquid interim de eo sit, quamvis nec nobis eo sensu Etymon hoc arrideat, sufficit in hoc Autores convenire, per illam versionem respectum ad Rad. רָאָה haberi.

§. XI. Et parum abest, ad idem quin intenderit Aquila, quando Morijah interpretatur per καταφανῆ. Licet enim hujus vocabuli expositio rursus in duplici sit differentia, respici enim eo quidam volunt ad Rad. יָרָה in hiphil & exponunt id per *illuminans*, eo quod in templo, hoc est, monte Morijah fuerit דביר i. e. Oraculum Dei, ac Spiritus S. docens & illuminans Prophetas, eisque Oracula inspirans; magis tamen aliis placet τὸ καταφανῆ referre ad רָאָה & transferri id per *lucidum*, eo, quod mons iste præ aliis lucidus atque hinc longe lateque conspicuus & aspectabilis fuerit, quæ Versio cum hoc sensu fere conveniat cum superiori illa, eo quod, judicante Cl. Füllero, necessarium sit, locum longe lateque conspicuum etiam exclusum esse, hinc etiam eidem alisque probabilis videtur, versione hac interpretem illum magis ad רָאָה quam יָרָה respexisse.

§. XII. Alii deinde quibus præprimis ad salivam est idem etymon, convenientius tamen id referunt non tam ad Montem, quam ipsum ad divinum Numen & τῷ רָאָה videndi significationem tanquam imprimis litteræ propinquum retinent. Fecisse hoc inter alios Symmachum haud obscure elucescit, quando vertit, montem ὀπτασίας, quam versionem pleno, quod dicitur, sinu amplectens, secutus est Hieronymus, Montem visionis dum interpretatur.

§. XIII. Quanquam vero jam hæc interpretatio à plurimis optima textuique maxime propria judicatur, nihilominus tamen & hic rursus circa τὸ videre inter Autores oritur explicationum varietas. Quidam enim in simplici significatione *videndi* manent, contendentes non aliam ob causam dictam esse terram visionis, nisi quia Deus Abrahamum duplici respectu viderit, tum oculis misericordiæ, vetans immolari filium, tum beneficentiæ, tantam ejus obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Alii vero simplex significatum in composita providendi significatione accipi malunt, idque probant ex eo, quia videlicet expresse dicatur à Mose, impositionem hanc factam esse è vocibus יְהוָה יִרְאֶה quæ extra dubium desumtæ sint, ex Responso Abrahami, quo antea filium de pecude holocausti sollicitum, providentiæ divinæ curam hanc committendo Pater quietum esse jusserat, quando in hæc verba erumpebat: אֱלֹהִים יִרְאֶה לוֹ הַשֶּׂה לְעֹלָה Dominus videbit si pecus in holocaustum. Quibus verbis, quamvis certum sit, Abrahamum non tam denominationem loci, ubi victima erat offerenda, quam ipsam victimam inscium prænunciasse; (quod alias imprimis Rabbini propugnare solent, qui in illo vaticinio non in genere tantum sed speciatim insuper victimam denominasse Abrahamum per נוֹטָרִיקוֹן speciem illam Cabalæ, quam vocant רָאשֵׁי תֵיבוֹת colligere satagunt, eo quod ex literis verborum istorum אֱלֹהִים יִרְאֶה־לוֹ initialibus proveniat Nomen hostiæ אַיִל Arietem significans, quem Abrahamus loco Isaaci Deo obtulit) interim tamen conjiciunt ex eo, quando peracta victimæ oblatione, Abraham statim verba illa יְהוָה יִרְאֶה (quorum ante in Responsione filii de victima solliciti mentionem fecerat) repetendo Monti indit, satis elucere, unice Eum respexisse ad Providentiam DEI, qua in præsenti actu imprimis usus fuerat, dum ipsi de alia victima loco Isaaci offerenda Deus benignissime prospexerit, cumque hoc ita comparatum sit, concludunt, verba illa in eadem providendi significatione, qua antea prolata sint, esse quoque retinenda. Imo accedere & hoc, quod in Scriptura id insolens non sit, quod Deus videre dicatur quando de rebus, quas moderatur & gubernat, prospicit. Conf. Exempla ap. B. Glass. in Rhetor. sac. T. 1. cap. VIII. pag. 139.

§. XIV. Denique præter communes hasce aliam adhuc, nec ineruditam & Christiano homine præprimis dignam suppeditant explicationem, qui ad locum crucifixionis Christi primum respicientes, inclusis cæteris hoc *videre Dei*, tam active quam passive explicandum esse censent. *Active* quidem de ipso Deo Patre, qui totum genus humanum oculis suæ misericordiæ & Providentiæ aspexerit, eique de mittendo filio suo in terrarum orbem, ad pretium redemptionis persolvendum, benignissime prospexerit; *Passive* vero de Filio Dei Christo, vero Jehovah, qui in hac Terra Morijah variis modis se videndum exhibuit, & vel ipsis oculis sensibusque corporeis visendum præbuit, quique in singulari illo Montis Morija colle & κατ' ἐξοχὴν visionis & patefactionis Dei loco imprimis visus est, dum in eo non tantum hominibus sed & Cœlo & Terræ tremendam & admirandam visionem exhibuit; & hac etiam explicatione lucem videtur accipere maximam, erudita & recepta illa hodie inter Philologos nominis Morijah interpretatio per φανερωθεὶς θεὸς Dominus conspicuus factus est, *Germanice* offenbahrter Herr / quemadmodum id translatum in Indice Etymo-logico Bibliorum germanicorum.

§. XV. Præmissis hisce, amplius licet non ambigamus, explicatum Thema רָאָה genuinum etymon esse vocis Morijah, id enim ut credamus suadet vers. 14. uti monitum, dubium tamen sic orietur, ipsa formatio quomodo sit instituenda, cum è longinquo esse videatur ex רָאָה & יָהּ Nomen מֹרִיָּה effabricare. Verum & has dubitandi conjecturas sublatas jam esse ab ipsis Phi-

Philologis, dubitandam haud est, non enim ita præcise ex 3. Pers. hac singulari conflatum id esse putandum, sed persona huic voci, quoad fieri potest, maxime accommodata est eligenda, si deductio rite peragi debeat. Fecit vero imprimis huc & admota falce quasi resecavit, difficultatem hanc Clariss. Fülle-rus, quem etiam, cum viros maximos pariter atque doctissimos ὁμοψήφους habeat, hic in medium evocare libet, & formationis istius rationem prolixe declarantem ita audire: Ego (inquit) (ut pace tot doctissimorum Virorum libere dicam quod sentio, & in medium proferam, quod tum jam à veritate neutiquam abhorrere, tum ad Christi gloriam imprimis spectare confido) nomen Morijah non solum substantivum, sed ex duobus etiam compositum arbitror: quorum prius est participium in Hiphil passivum מראה, alterum unum ex divinis nominibus maxime propriis, nempe יה. Porro compositionis istius perspicua hæc est ratio minimeque difficilis. In participio מָרְאֶה mutatur primum Cametz Chatuph per Ectasin in affine punctum Cholem. Tum per Contractionem quandam eliditur א & traductum ipsius punctum Seghol, præcedenti ר subjectum intelligitur. Deinde (more quiescentium Lamed He) migrante ה in י Seghol item in Chirek vertitur. Postremo Jah (יה) Nomen divinum fini annectitur. Idcirco rei dagesch fortis duplicatur Jod, ut utriusque vicem præstare queat. Quare vocabulum מֹרִיָּה perinde valet ac מָרְאֶה יָהּ vocibus separatim distincte scriptis, h. e. φανερωθεὶς θεὸς vel κύριος Deus aut Dominus conspicuus factus. Laudat Fülleri hanc Originationem & ut eruditam, ita non minus piam deprædicat ipse B. D. Glassius Libr. 4. Phil. sacr. Tract. 8. Gram. sacr. pag. 801. eandemque adhuc declarans, de Etymo hoc vers. 14. contento sequentia subnectit. Si Grammatice, *inquit*, resolvatur, fit ex eo מָרְאֶה יָהּ i. e. φανερωθεὶς θεός, Deus manifestatus seu conspicuus factus. Is est filius Dei, qui in loco illo & monte crucifixus & in sacrificium pro peccatis nostris oblatus fuit: cujus typica repræsentatio in Isaaco à Deo præmonstrata, & loco illustri hoc Nomen Mnemonicum inditum fuit.

§. XVI. Expedito & hoc de ipsa formatione Nominis Morijah petito dubio, de tempore quoque, quando nimirum & qua occasione Loco illi Nomen hoc impositum fuerit, controverti porro solet. A temporibus Abrahæ illud monti huic cessisse, in dubium quidam vocant, & obvertunt, quomodo (si historia Abrahæ natales huic voci dedisset,) jam vers. 2. ejusdem Nominis Morijah mentio fieri potuisset, antequam rationem nominis monti impositi vers. 14. contentam, Abraham dedisset. Hoc eoque primario dubitationis fundamento permotus etiam Cl. Rivetus negat sciri posse quando & qua occasione mons ita vocatus fuerit. Exercit. CVI. in hoc cap. 22. Gen. ad vers. 2. quamvis Clariss. Vir ipse statim Exercit. CVIII. ad vers. 14. cit. cap. Nomen Morijah tandem ex יְהוָה יִרְאֶה factum, omenque illud & eventum nova hac impositione erutum esse agnoscat; ita enim inquit: *Sanctus Patriarcha loco nomen indit, & gratitudinis suæ monumentum hoc suo facto erigit, posterisque suis reliquit. Nomen loco impositum fuit* יהוה יראה *unde videtur factum nomen Morija per abbreviationem.*

§. XVII. Neque etiam aliud salva veritate vix asseri poterit, obvertunt enim alii, præterquam quod alias nulla ratio dari possit, qua occasione alia mons ita dictus fuerit, certum esse, ante historiam illam Abrahæ Monti illi hoc nomen fuisse, quod clarum ex eo præprimis fit, quod vers. 14. expresse dicitur, Abrahamum peracto sacrificio denominasse Montem illum; sane ergo id nominis antea non habuisse, si enim habuisset, quomodo ab Abrahamo ita appellari potuisset. Imo nec ullum aliud Nomen huic monti fuisse patet ex vers. 2. ubi Deus mandat Abrahamo filium holocaustum offerre עַל אַחַד הֶהָרִים super unum montium, quem ipsi ostensurus erat, ubi sane videmus, nullo nomine proprio montem hic insigniri. Certo itaque hoc, ὀνοματοθεσίαν istam, qua vers. 14. Mons ab Abrahamo nobilitatus est, novam & ab Abrahamo profectam fuisse: quis dubitare poterit, eandem denominationem quoque ejusmodi insigni historia illustrem, locum illum subsecutis deinde temporibus non retinuisse, & ad posteros non propagatam fuisse? quod inter alia etiam imprimis ex verbis quæ vers. 14. post denominationem ab Abrahamo factam, subjunguntur, satis evinci potest; quid enim illo אֲשֶׁר יֵאָמֵר הַיּוֹם indicatur aliud, quam perdurasse appellationem illam ad ætatem & diem præsentem, qua vixit scriptor ille sacer, historiæ huic verba hæc cum adderet? Quod si ergo per tot secula Mons Nomen jam retinuit, qua probabilitate asseri poterit, quando 2 Paral. 3. vers. 1. Idem ille ipse Mons eodem nomine Morijah denominatur, aliud & diversum id esse ab impositione Gen. 22: 14. ab Abrahamo facta. Accedit, extra dubitationem esse inter eruditos, à Monte Morija totum circumjacentem tractum, Terram Morijah dictum esse, quod ipsum confirmare placet ipsis B. Lutheri verbis, quando Comment. in Genes. cit. loc. ita scribit: *Locum Dominus certum designat (scil. Abrahamo) extra domum in terra Morija. Porro Morija, sicut 2 Paral. 3. scribitur, est Mons ille monti Sion vicinus, in quo Salomon ædificavit templum in medio Hierusalem versus aquilonare latus, ubi Urbs descendit ac declivium. Dedit autem Mons toti Terræ Nomen, ut vocaretur Terra Morija. Turci quoque adhuc hodie eo nomine Montem appellant, & religiose colunt. Sic sæpe fit, ut unus locus toti Terræ Nomen faciat, sicut ab arce* Saxenburg *tota Saxonia nomen habet. Ita à Monte Morija illo tempore Morija dicta est tota ea Regio, in qua fuit Hierusalem.* Stante ergo hoc, à loco illo, quem Deus Abrahamo designavit, totam terram denominatam esse, quomodo illa terra à loco, qui tum nullum prorsus nomen habuit, cognominari potuit? Quid hic desiderare queat adversa pars, facile apparet. Nihilominus tn. certum manet ὀνοματοθεσία illa vers. 14. nihil aliud referri quam ipsum significatum Nominis Morija, ejusdemque explicationem quasi ibidem contineri.

§. XVIII. Ut autem revertamur ad id, à quo digressi sumus, & quid eruditis super eo dubio (quomodo nempe jam vers. 2. Abraham à Domino in Terram Morija cum ablegaretur, nominis hujus mentio fiat, antequam pietatis & obedientiæ insigne illud monumentum, quod Causam deinde illius impositionis suppeditavit, ederet) animi sit, exponamus, notandum hic est, Philologos fere omnes sibi hoc dubium moventes unanimiter consentire in hoc, fieri id per πρόληψιν sive anticipationem in sacris usitatissimam. Cum enim id sæpissime fieri soleat, quod Scriptores θεόπνευστοι posteriores libris ante se conscriptis vel quædam inserant, vel imprimis locorum nomina propria ab eventu & rebus gestis locis imposita per anticipatam hanc mentionem commemorent, volunt hinc, ex eadem προλήψεως Consuetudine Nomen Morija in sermone Jehovæ recenseri.

§. XIX. Verum enim vero utut alias in aliis Scripturæ locis πρόληψις ac usitata sit, difficultari, tamen ab aliis quibusdam de hoc præsenti loco solet, sermoni Jehova aliquid insertum esse, quod per πρόληψιν commemoretur quin potius Mosen verba retinere, prout à Deo ad Abrahamum ea facta sint, magis hinc placet iisdem, jam tum cum Patriarchæ indigitaretur, quo proficiscendum esset, Terram ita vocatam, eandemque hinc ante ipsum eventum eo nomine jam expressam esse; Abrahamum vero deinde, cum ex eventu hujus nominis vim satis cognovisset genuinam Nominis Morijah significationem, quod nempe ille ipse à Deo monstratus locus is sit, in quo Deus ipsi non tantum providere, sed & videndum exhibere voluerit, ostendisse.

§. XX. Quomodo autem Deus oculis suæ providentiæ tam Abrahamo de victima loco Isaaci offerenda, quam toti generi humano de pretio Redemptionis persolvendo prospexerit: qua ratione etiam ipsum Abrahamum in hac Sacrificii oblatione verum Deum & Jehovam Christum, qualiter in eodem loco videndus, & pro toto genere humano immolandus erat, in Spiritu prævidisse ostendant & probent, imo illud Joh. 8: vers. 52. Abraham exultavit, ut videret diem meum, huc imprimis applicare soleant: quomodo etiam in explicatione ὀνοματοθεσίας illius יְהוָה יִרְאֶה Dominus videbit, de parte cœlesti, qui intuitu hujus immolationis & Crucifixionis Christi totum genus humanum oculis misericordiæ, beneficentiæ & paternæ providentiæ vidit; illud autem יְהוָה יֵרָאֶה de Christo ipso, qui isto in loco Deus incarnatus, immolatus & cruci affixus videndus erat, prophetice dictum existiment, id cum jam ad προκαθεδρίαν spectet, ex ea peti potest & debet, nobis ulterius nil quicquam convenit dicere.

§. XXI. De tempore itaque, quo nempe Mons ita denominari cœpit, cum jam egerimus, restat de loco ipso, quisnam, & ubi situs fuerit, quoque dispiciendum; eo felicius autem de hoc ut disseramus, triplicem Montis Morijah facere nobis allubescit locum communem, proprium & propriissimum. Communem dicimus, totam illam Regionem montosam, cui superstructa ex parte postea sunt Jeruschalajim, quem locum in medio gentium situm, Deus ipse peculiariter ad hoc elegit, ut veræ Ecclesiæ domicilium divinique sui nominis sanctuarium esset; huncque etiam esse volunt montanam illam terram per excellentiam bonam, egregium illum montem Deut. 3: vers. 25. quem Moses videre à Deo expetebat הָהָר הַטּוֹב Montem istum bonum & domum sanctuarii, uti ex Chaldæo id explicari solet.

§. XXII. In scriptis Rabbinorum dicitur communiter Regio hæc medium הָעוֹלָם Mundi, eo quod in medio terræ universi sitam

ſitam eandem eſſe, firmiter perſuaſum habeant; & hinc etiam procul dubio venit, quod adhuc à plurimis aliis viris Jeruſchalem univerſi hujus orbis, velut quondam à Græcis Delphi, umbilicus & centrum credatur, quod tamen à Caſaubono aliiſque admitti non poſſe, quin potius tantum medium החבל τῆς οἰκουμένης Orbis habitabilis veteribus cogniti ita dici, aſſeritur. Verum & de hoc quid ſentiendum, quomodo etiam rurſus alii varie id limitare ſoleant, & an umbilicus Corporis medium teneat, jam ne extravagari multum videamur, explicare animo non ſedet, properamus ad locum Montis noſtri ſpecialem ſive proprium.

§. XXIII. Hunc autem facimus non tantum Montem, ſuper quem Templum Jehovæ, verum etiam, in quo Civitas David & Palatium Regis exſtructum fuit, itemque Calvariæ Montem, cui poſt bina à nato Chriſto deinde ſecula ab Helena Matre Conſtantini Templum magnificum quoque ſuperſtructum legimus. Certum enim & inter hiſtoricos Chorographoſque unanimis fere conſenſus eſt, ad Montem Morijah plures alios adhuc pertinuiſſe, eumque in plures colles & monticulos diviſum fuiſſe, qui ſucceſſu temporis variis nominibus inſigniti fuerint; Hi autem quinam fuerint, quo melius cognoſcamus, ex Diodoro Siculo brevis hæc hauriri poterit declaratio. Ita enim vetuſtiſſimus pariter ac fide alias digniſſimus Scriptor docet: In orientali hujus Montis Morijah parte fuiſſe Sion, in qua arx Davidis exſtructa fuerit, & juxta hanc in area (quam Rex David ab Arauna priſco Jebuſitarum Regulo coëmerat) Salomonem ædificaſſe templum, uti patet 2 Paral. 3: 1. aliam autem partem ipſius Montis Morija extra urbem Jeruſalem manſiſſe, eumque poſtea montem Calvariæ ſeu Golgatha audiiſſe. Idem fere ex Münſtero Füllerus refert, quando Civitatem David, ſedem templi & locum Calvariæ unius ejuſdemque montani tractus colles fuiſſe oſtendit, quod ipſum etiam ex aliis Chorographis confirmat B. Glaſſius, additque hinc etiam fieri, quod in indice Nominum propriorum Operi Regio inſerto *tit. Morijah* Mons Morijah & Sion pro uno eodemque habeantur. Plura hic qui deſiderat teſtimonia, poteſt conferre Villalpandum, Genebrard. Borchard. in Deſcr. Terræ ſanctæ, qui unanimi ſententia tres in eodem Montis tractu fuiſſe Colles ſeu Montes, qui aliquando una appellatione Morija aut Sion, aliquando peculiaribus nominibus dicti fuerint, idem aſſerentes introducuntur.

§. XXIV. Ex hiſce tribus quemnam conſcenderit Abraham (ut locum quoque propriiſſimum determinare poſſimus erit tandem ſubjiciendum. Rabbini totis viribus in id unice incumbunt, Abrahamum illum ipſum juſſu divino petiiſſe Montem, cui templum ſuperædificatum legimus, adeoque propterea etiam Legationem hanc unice factam eſſe, ut locus domui DEI ibidem exſtruendæ ſacrificiiſque offerendis deſtinaretur. Ex multis unum atque alterum hic tantum adducimus; notandus vero imprimis R. Abarbenel venit, qui Comment. ſuo in Pentateuchum ita ſcribit; צוה לו שילך אל רה המוריה ושיעלהו שם לעולה על אחד ההרים אשר יאמר אליו לפי שרצה ית׳ שתהיה העקרה בהר המוריה באותו מקום עצמו שהיה עתיד לבנות המזבח בבית עולמים וכבר סופר בדברי הימים שנבנה המקדש בהר המוריה גם מפני שארם הראשון נברא מאותו מקום ושם ישב כשגורש מגע וגם נח שם בנה מזבחו ומפני זה היה ראוי שבאותו מקום שנברא ארם והטא וגורש מפני חטאו שם יהיה יצחק נקרב לעולה תמימה גם שמפני שלא היה בנה חפועל שישחט יצחק אלא שיגיעהו עד שערי מות: *Præcepit ei, ut iret ad Montem Morijah & ibi eum offerret ſuper uno montium, quem ipſi oſtenſurus erat, propterea quia voluit* DEUS, *ut ligaretur in Monte hoc Morijah, eoque ipſo loco, cui ſuperædificandum foret Altare in domo Seculorum. Jampridem etiam in libro dierum ſcriptum eſt, quod ædificatum ſit Sanctuarium in Monte Morijah, imo etiam propterea, quod primus homo ex eo loco creatus eſt, & ibi habitavit, cum deſignato peccato eſt expulſus. Præterea etiam Noach ibi Altare ſuum ædificavit. Propterea itaque conveniens erat, ut in illo loco, quo creatus eſt Adamus & peccato commiſſo inde ejectus, Iſaacus ligaretur, & in holocauſtum offerretur, quanquam* DEUS, *ut mactaretur, minime intendit, ſed ſaltem ut ad limina Mortis pervenerit.* Similibus hujus ſurfuris commentis ſi quis delectetur, plura invenire poteſt in פרקי רבי אליעזר *ſeu capitulis R. Eliezer* aliiſque libris quamplurimis. Ita ejuſdem quoque generis eſſe autumat Cl. Cunæus L. 2. de R. E. cap. 12. quod in Bereſchith Rabba in Paſuck וייצר & in Talmudis Hieroſolymini tractatu, qui נזיר inſcriptus eſt cap. XXIII. legitur, *Adamum ex pulvere illius Montis eſſe conditum; atque recte dictum à Sapientibus Veteri verbo eſſe* שנברא ממקום כפרתו *Creationem ejus in illo loco contigiſſe, ubi peracta ejus expiatio eſt.* Quæ ſi quis credat, uti Cl. Vir bardum hunc exiſtimat, ita recenſita ſupra vaniſſima eſſe & exſibilanda judicat.

§. XXV. Sed quamvis quoque ab aliis plurimis tanquam fabuloſa, hac de re in ſcriptis Rabbinorum paſſim quæ ſparguntur, fere omnia rejiciantur, non deſunt tamen, qui quædam potius excuſanda quam prorſus exſibilanda opinantur, ita Adami, Caini & Abelis Sacrificia in hoc Monte oblata quod concernit, licet concedant, valde dubium id eſſe, veriſimile tamen ex eo fieri conjiciunt, quod incertum adeo eſſe non poſſit, Adam è Paradiſo ejectum aut ſemper aut aliquando & quidem longo tempore non procul ab eo loco habitaſſe, tum propter amorem & venerationem Paradiſi, tum propinquitatem, fertilitatem & amœnitatem Regionis hujus à Paradiſo non multum diſſitæ. Præprimis vero magno numero adſtipulantur Ebræis, circa exſtructionem templi, quam omnino in loco ligationis Iſaaci factam eſſe propugnant, imo Murænis Tartiſſæis P. Cunæum, vix id perſuadere poſſe aſſerunt, quod vaniſſimum & exſibilatione dignum cenſendum ſit, Abrahamum huc profectum fuiſſe, quando filium immolare voluit. Solet pro fulcimento eorum ſententiæ inter alia adduci Chaldæus Interpres, qui expreſſiſſimis verbis, Abrahamum immolatione illa templo deſtinaſſe locum, teſtatur, quando vſ. 14. ita exponit: *Et oravit atque immolavit Abraham in illo loco, & dixit coram Domino: hic erunt ſervientes* (Deo) *generationes, propterea dicebatur in die hac: in monte hoc Abraham coram Deo immolavit.* Allegant Joſephum aliosque ſummæ Autoritatis Viros, ejuſdem qui eſſe dicuntur ſententiæ, Abrahamum victimam ſacrificaſſe, ubi poſtea templum Hieroſolymitanum ſtetit. Urgent denique cap. III. Secundi Chron. vſ. 1. ex quo ſatis apparere colligunt, ſolum huncce montem, cui templum ſuperædificatum fuit, propriiſſime dici Montem Morijah; & ex eodem fundamento procul dubio Rivetus non ſine myſterio id factum fuiſſe aſſerit, ut tam inſigni obedientiæ actu antea nobilitaretur locus, quem Deus ad cultum ſuum in Populo Iſraelitico eligere voluerit.

§. XXVI. Verum Sententiam hanc, quamvis è contrario alii omni probabilitate non deſtitui aſſerant, probabilius tamen & veriſimilius adhuc ipſis videtur, Ligationem Iſaaci in monte Calvariæ ſeu Crucifixionis Chriſti loco factam fuiſſe. Cum enim extra omnem fere dubitationem ſit, Montem Morijah varios colles habuiſſe, adeoque utrumque locum, tam illum, in quo poſtea templum ſtetit, quam Calvariæ collem, in quo Chriſtus crucifixus eſt, ad eum pertinuiſſe vel potius unum eundemque Montem conſtituiſſe, cur non Chriſtiano homini majori probabilitate aſſerendum conveniat, Abrahamum huncce potius immolationis Chriſti locum ſingularem myſterio quaſi nobilitaſſe? Quo etiam maxime facit Traditio illa Veterum, de qua Auguſtinum L. 16. de C. D. c. 32. ita ſcribere hinc inde apud Auctores legimus: *Audite*, inquit, *Sacramentum, Fratres Cariſſimi, Hieronymus Presbyter ſcripſit, ſe à Senioribus Judæorum cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, ubi poſtea Chriſtus crucifixus eſt.* Ita rurſus à Cornel. à Lapide Comment. ſuo in h. l. ita loquens introducitur; *Lignum, ubi fixa erant membra morientis, Cathedra fuit Magiſtri docentis.* Et in hanc ſententiam B. Glaſſius verbis jam ſupra allegatis cum Fullero manibus pedibuſque ire videtur, quando & hic poſt ſupra allegatam explicationem Nominis Morija Monti illi impoſiti fere eadem ſubjungit, & inſigne monumentum & teſtimonium id eſſe dicit, non templi ibi exſtruendi, ut nonnulli velint, ſed Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui templo major ſit in carne illic potiſſimum patefaciendi. Recenſuiſſe iſthæc ergo, nobis hac vice ſufficiet, qui dum periculum primum hactenus Philologicorum Meletematum fecimus, ne in ipſis primitiis judicium minus exercitatum adhuc præcipitaſſe videremur, ſententias prolixe examinare, aut magnis Nominibus inſultare juvenili auſu, temere noluimus.

DEO SIT GLORIA!

M. GEORG.

M. GEORG. DAV. ZIEGRA

DISSERTATIO

De Oleo Unctionis Sacro Dissert. Duæ, ad Exod. XXX: 22 --- 25.

עמי עשו

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



VAriæ quidem, nec eæ sine pondere sunt rationes, quæ nos à præsenti divertere potuissent instituto. Sive enim gravitatem expendamus argumenti, ea me hercle tanta est, ut & summis ingeniis facessere negotium possit: Sive contemplemur Autores, qui de hac materia hinc inde scripserunt, ii sane & accurati sunt, & plurimi, ut metuendum sit, ne ab his percoctam reponere hic crambem, aut Iliada post Homerum scribere videamur: Sive denique in nos ipsos descendamus, nostrasque exploremus vires, eas huic tanto oneri pares nequaquam deprehendimus, ita ut de nobis usurpari possit vetus Ebræorum verbum: הנמלים לא יוכלון לשאת משא הגמלים: *formicæ non possunt ferre onus camelorum. Quia tamen viam semel ingressi sumus ob jucunditatem hujus materiæ ac utilitatem à cœpto resilire noluimus. Dabis autem, L.B., veniam, si non omnia recte & accurate, ut debuissent, fuerint pertractata, memor iterum illius Ebræorum, quod &* מורז למצוה כעושה המצוה *intentio saltem & conatus boni operis pro opere ipso haberi debeat. Conatibus modo nostris ex alto benedicat & pondus addat Jehova!*

§. 1.

DUm itaque *Oleum unctionis sacrum*, ut salutabatur, in præsenti aliquo modo adumbrare fert animus, abs re haut esse statuimus, si ante, quam in rem, quod dicitur, præsentem deveniamus, ipsum apponamus textum authenticum, *Exod.* 30: 22. —— 25. expressum: inde enim non parum lucis toti huic tractationi accessurum esse, confidimus. Is vero ita se habet:

(22.) וַיְדַבֵּר יְהוָה אֶל־מֹשֶׁה לֵּאמֹר׃ (23.) וְאַתָּה קַח־לְךָ בְּשָׂמִים רֹאשׁ מָר־דְּרוֹר חֲמֵשׁ מֵאוֹת וְקִנְּמָן־בֶּשֶׂם מַחֲצִיתוֹ חֲמִשִּׁים וּמָאתָיִם וּקְנֵה־בֹשֶׂם חֲמִשִּׁים וּמָאתָיִם׃ (24.) וְקִדָּה חֲמֵשׁ מֵאוֹת בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ וְשֶׁמֶן זַיִת הִין׃ (25.) וְעָשִׂיתָ אוֹתוֹ שֶׁמֶן מִשְׁחַת־קֹדֶשׁ רֹקַח מִרְקַחַת מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ שֶׁמֶן מִשְׁחַת־קֹדֶשׁ יִהְיֶה׃

Versio Ariæ Mont. (22.) *Et locutus est Dominus ad Moseh, dicendo:* (23.) *Et tu accipe tibi aromata capitis, myrrhæ libertatis quingentos, & chinemon aromatis, dimidium ipsius, quinquaginta & ducentos; & calami aromatis quinquaginta & ducentos.* (24.) *Et casiæ quingentos in seclo sanctitatis; & olei olivæ Hin.* (25.) *Et facies ipsum oleum unctionis sanctitatis pigmentum pigmenti opere pigmentarii. Oleum unctionis sanctitatis erit.*

Alias quamplurimas Translationes chartæ redimendæ ergo huc transcribere supersedemus, sed potius ad rem ipsam nos accingimus, & quomodo DEUS T.O.M. fidelissimo suo Cancellario, Mosi, non tantum materiam seu species, ex quibus constare debebat, nobilissimas, sed & earum pondera ac mensuram, imo ipsum conficiendi modum clare indicat, spectemus. Mandat namque, ut sumat בשמים *aromata.* Radix hujus vocis בָּשָׂם vel בָּשֵׂם verbalis in S. Bibliis non legitur, in Scriptura tamen Talmudica, linguaque Chaldaica & Syriaca reperitur בשם, & idem est quod בסם, *exhilarare, oblectare, suave, dulce esse vel fieri, aromatibus condire,* docente Buxtorf. *in Lexic. suo Talmud. ad voc.* בשם & בסם, & Schindl. *in Lex. Pentagl. ad easd. voces.* Quare nomen hoc inde deductum rem delectabilem, suavitate odoris & saporis gratam atque jucundam, condiendis rebus adhiberi solitam, notat. (Multi hinc quoque nostrum Bisem ortum esse volunt.) Et eo etiam respexerunt LXX, qui per ἡδύσματα *dulcedines* vel *condimenta suavia*, ob odoris saporisque suavitatem, interpretati sunt.

§. 2. Sumere autem debebat בשמים ראש *aromata capitis,* i.e. capitalia, præcipua & optima, ut Pagninus & Vatablus reddunt. Est enim Ebraismus, in Scriptura S. valde usitatus, sicut recte notavit Amama, ut caput sumatur pro optimo & præcipuo. Sicut enim caput est primum & præcipuum totius corporis humani membrum; ita quod præstantissimum in genere suo est, nomine Ebræo capitis & principii insignitur, qualia plura exempla vide Psal. 141: vers. 4. Cant. 4: 14. Ezech. 32: vers. 22. Amos. 6: 6. &c. Imo nobis ipsis in lingua vernacula probe nota est hæc locutio. Nam dignitatem & nobilitatem alicujus rei indicare & explicare volentes, sæpissime præponimus vocabulum Haupt / v.g. Hauptbuch / Hauptkräuter / Hauptgewürtz &c. Ita quoque loquitur Beer Mos. verba ista בשמים ראש exponens per הייבט ווירץ Håuptwürtz. R. Sal. Jarchi exponit per voculam הושבים *præstantissima, æstimata,* veluti *cara & rara.* Chaldæus: *aromatum præstantissimum.* Versio Arabica: *Tu autem sume tibi ex præcipuis aromatibus.* Luth. die besten Specereyen. R. Aben Ezra per vocem capitis summos aromatum apices intelligit, in quibus plerumque summa aromatum vis contineri solet. Ita enim scribit: טעם בשמים ראש שיוקח הראש מכל בשם כי הוא הנכבר מהנשאר באחרונה: *Sensus harum duarum vocum* בשמים ראש *est, quod sumi debeat caput seu principium* (i.e. optimum) *quodque de singulis aromatibus, quia hoc præstantius illo, quod postremo relinquitur.* Quæ expositio non adeo inconcinna est, & optime locum habere potest. Junius & Tremellius vertunt quidem etiam per *aromatum præstantissimum*, ast aliam dant explicationem. Intelligunt enim per בשמים ראש peculiarem aliquam speciem, & quidem omnium præstantissimam, h.e. *Balsamum, omnibus, ut loquitur Plinius, odoribus prælatum, quod ideo Arabibus dicitur Belsamin, quasi dicas, dominium obtinens inter aromata.* Verum si peculiaris intelligenda esset species, certum ejus, ut in reliquis, pondus indicandum atque adscribendum, neque בשמים ראש, sed ראש בשמים *princeps s. primarium aromatum* dicendum fuisset. Quapropter dehinc sententiam mutaverunt, addentes: *vel uniuscujusque generis, quod subjungitur, quicquid est præstantissimum.* Nimis à veritate aberrat Vulgata, quæ vocem illam capitis per primam interpretatur, eamque conjungit non cum aromatis, sed cum myrrha, sequenti modo: *Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos;* cum qua facit Corn. à Lapide in hunc

hunc ipsum locum. Sicut & LXX: *καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα, τὸ ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς πεντακοσίους. Et tu sume suavitates, florem myrrhæ electæ, quingentos siclos*: necnon Mogunt. die besten auserlesenen Myrrhen; ast contra omnem accentus rationem. Vox enim ראש non conjungitur cum מר־דרור, sed distinguitur per distinctivum Sgolta. Samaritanus rem in dubio relinquit, ejus enim verba: [illegible] reddi possunt vel: *Tu autem accipe tibi aromata præstantissima: myrrham libere fluentem* &c. vel: *Tu autem accipe tibi aromata: præstantissimum myrrhæ libere fluentis.*

§. 3. Horum autem præstantissimorum aromatum quatuor in textu nostro recensentur species, quarum prima vocatur מר דרור. Quid vero per מר intelligatur, autores inter se non conveniunt. Sunt, qui *Moschum* exponunt, odoramentum illud longe vehementissimum & acutissimum, de quo vid. Scalig. *Exercit. XXI. & CCXI.* nec non Salmuth *Comment. in Pancir. P. II. Tit. I. pag. 63. seq.* Ita enim Arabs: *caput optimi Moschi liberationis seu salutis.* Sic quoque Rambam *in Hal. Kele Hammikdasch. cap. 1. vers. 5.* quem Schickardus in Regio suo Tractatu *de Jure Regio*, *cap. 1. Theorem. IV.* citat, scribit: המור הוא הדם הצרור בחיה שבהודו הידוע לכל שמתבשמין בה בני אדם בכל מקום: *Mor est sanguis ille concretus in bestia quadam Indiæ, motus omnibus; quia condiunt se homines ubique locorum.* Cui sententiæ favet R. Aben Esra *in Comment. ad Exod. XXX*, ita inquiens: מלת מר קדש והגאון תרגמה מושק והנה איננו מעצי׳ אע״פ שיש לו ריח טוב אולי בעבור זה הפרידו הכתו׳ מה בשמי׳ כי ארותי מורי עם בשמי׳ והנה הוא מלוקט ואומרי׳ המביאי׳ אותו כי הוא נעשה בגרון הצבי והנה כתוב וידי נטפו מר אולי כן הוא נהיותו לח: *Vox* מור *est difficilis, Gadon* (intelligit R. Saadiam) *interpretatur Moschum; at is non est de arboribus, quamvis ei sit odor suavis. Forsan etiam propterea separat eum Scriptura ab aromatibus, quod scriptum* (Cant. 5: vers. 1.) *decerpsi Mor meum cum aromate meo. Ecce Mor colligitur, & dicunt ii, qui eum adferunt, quod gignatur in gutture capreæ. Et ecce scriptum*: (Cant. 5: vers. 5.) *Manus meæ stillant Mor; fortassis si adhuc recens est.* Qui tamen recte corriguntur à Baal-Magg in Glossi. marg. dicente: א״א אין דעתי שיכנסו במעשה הקדש דם שום חיה בעולם כל שכן דם חיה טמאה אבל המור הוא אמור בשיר השירי׳ באתי לגני אחותי כלה אריתי מורי עם בשמי והוא ממין עשב או ממין אילן וריחו נודף: *Ajo ego: mihi non videri, quod compositionem sacram ingrediatur sanguis ullius feræ in mundo, nedum immundæ. Sed hujus vocis recordatur etiam Cant. Cantic.* (l. c.) *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, decerpsi MOR meum cum aromate meo. Itaque erit de specie fruticis alicujus vel arboris, cujus odor fragrans.* Sunt etiam, qui Thuris esse speciem existimant, inter quos recensendus est R. D. Kimchi in שורשים, inquens: רבינו חיי ז״ל פירש שהוא שרף עץ שיש לו ריח טוב הנקרא בערבי לובני ולזה יתכן לומר אריתי: *Magister noster Hay p. m. explicavit esse gummi arboris odoratissimæ, quod appelletur Arabice LOBNI* (de quo vide Golii *Lex. Arab. fol.* 2100.) *h. e. styrax: & sic quadrat dicere* (Cant. 5: 1.) *decerpsi.* Aliis sub nomine מר libuit *balsamum* intelligere, ut מר sit lacryma, quia libere fluens lacryma balsamum est. Alii aliter exponunt.

§. 4. B. noster Lutherus optime Myrrhen reddidit, quo cum omnes ferme accuratissimi Interpretes conveniunt, *Myrrham* exponentes. Nec dubium, quin מר Myrrha sit, cum præter vocum convenientiam res ipsa optime quadret. Circa etymon tamen vocis מר eruditi disconveniunt, quorum opiniones paucis adducemus. Alii enim à R. inus. מור, in Hiph. המיר *mutare, permutare*, &c. quod non facile permutari sinat, e.g. corpora, quæ à putredine conservat, deducunt. Alii à R. מרר *amarum esse*, eo quod Myrrhæ sapor sit amaricans, propterea etiam ea, quæ amara, acris & odorata est, à Dioscoride commendatur. Et hinc Arabes ei nomen imposuerunt, nominantque مر, à Rad. مر, quæ significat, *res amara fuit*, vel *amarum reddidit.* Sic Syris dicitur ܡܪܐ item ܡܪܘܪܐ ab inusit. ܡܪ, quod tamen in Aphel Fut. usitatum, ubi ܢܡܪܪ *amarum reddet*, significat. Chaldæis est מוֹרָא *Myrrha.* Alii à מַר *gutta, stilla*, derivant, quibus myrrha forsan dicitur, quæ Græcis audit σακτὴ h.e. *myrrha stillatitia.* Pagninus ipsam esse radicem dicit. Sed de his plura vide apud Lexicographos: nos potius, Quid Myrrha sit, dicemus, postquam, quid de ea fabulentur Poëtæ, exposuerimus. Poëtæ namque, qui sub ingeniosis figmentis universas prope naturæ res declarant, fingunt, *Myrrham Cynaræ regis filiam fuisse, quam, cum pater vitiatam gladio interficere vellet, Dii, in Arabiam fugientem, ejus miserti, in Myrrham arborem converterint*, ut metamorphosin hanc egregie describit Ovid. *Lib. X. Metamorph. 9.*

§. 5. Describitur autem Myrrha à Plinio *Lib. XII. cap. 15.* quod sit pinguedo odorata, quæ in Arabia felici gignitur, cujus arbori (terebintho haut dissimili) sit altitudo ad 5. cubitos, nec sine spina, candice duro & intorto. Folium ait esse, sicut olivæ, verum crispius, sapore iuniperi: myrrham gustu leniter amaram, &c. Eodem fere modo eam describit Isidorus *Lib. 17. cap. 8. Myrrha Arabiæ arbor, altitudinis 5. cubitorum, similis spinæ, quam ἄκανθον dicunt, cujus gutta viridis atque amara; unde & nomen accepit myrrha. Gutta ejus sponte manans, preciosior est, elicita corticis vulnere vilior judicatur.* Prolixe quoque de ea agit Dioscorides *Lib. 1. cap. 76. Σμύρνα δάκρυόν ἐστι δένδρου γεννωμένου, ἐν Ἀραβίᾳ, ὅμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ, οὗ ἐγκεκομμένου ἀποῤῥεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπεστρωμένας ψιάθους* &c. *Myrrha lacryma est arboris crescentis in Arabia, quæ similis est Ægyptiacæ spinæ: qua incisa, defluit lacryma in substratas tegetes* &c. Ubi simul varias ac multas recenset species, quarum præcipuæ sunt: Πεδιάσιμος, Γαβιρέα, Τρωγλοδυτική, Καυκαλίς, Ἐργασίμη, Ἀμιννέα, Λεπτή. Plinius tamen modo nominatus *l. c. & cap. 16.* cum quo conf. Pancir. *P. 1. Tit. XII.* & ejus Comment. Salm. *pag. 51.* rem faciliorem reddit, & duplicis eam esse generis dicit: una enim ex arbore à radice ad ramos bis quotannis incisa profluit, quæ *Communis* adpellatur, à Lyrano *Secunda*: aliam autem arbor sponte, priusquam incidatur, sudat, quæ *Stacte* vocatur, à στάζω, *stillo*; cui nulla præfertur, & à Lyrano *Prima* nominatur. Illa passim in Pharmacopoliis reperitur; hæc vero optima, rara & cara est, & in nostro textu intelligitur: sicut & Talmudici hinc inde in Tr. Pesachim *f.* 43. 1. Schabbath *f.* 80. 2. Megilla *f.* 13. 1. Mœdkat. *f.* 9. 2. Menachoth *f.* 86. 1. per *Stacten* exponunt. Cæterum consideratu quoque dignum est, quod במדרש *s. in Medrasch* de hoc מור legitur. Nam non solum ibi per Myrrham quoque exponitur, sed & Abrahamum adplicatur, quando scribitur: כהמור ראש לכל הבשמים כן אברהם אבינו ראש לכל צדיקים. מה המור מי שלוקט תותו ידיו מתמר מרות ואינו מפיח ריחו אלא באיר כן אברה׳ ממרר צמו והודיע מעשיו הטובים בכבשן האש: *Ut Myrrha præcipuum est aroma, sic Abrahamus pater noster præcipuus inter justos. Quid ulterius commune habet? qui colligit myrrham, ejus manus amarescunt; nec exhalat odorem suum, nisi in igni: sic Abraham amare faciebat sibi, sed demonstravit pietatem in furno ignis*, (credunt enim à Chaldæis odio religionis in fornacem fuisse missum &c.)

§. 6. Sed quid vocabulum דרור appositum sibi velit, nunc porro nobis inquirendum est. דרור præter alias significationes etiam notat libertatem, ut ad verbum sit: Myrrha libertatis. Verum quid Myrrha libertatis? Respondet R. Sal. Aben Melech *in Michlal Jophi f. 24. 1.* ex R. D. Kimchi radicibus: מר דרור הוא המור הטוב שהוא הפשי מן הזיוף והתערובת. *Myrrha libertatis est myrrha optima, quæ libera est à falsatione & mixtura*, scil. ἑτερογενῶν. Quem sequitur P. Fagius, qui *Myrrham non adulteratam* interpretatus in notis ad Targum Onkelos; sicut & Vatablus & Grotius in h. l. Solet enim Myrrha frequenter adulterari, ut notat Plinius *L. 12. H. N. cap. 15.* Sic Chaldæus מורה דכיה & Syrus ܡܘܪܐ ܕܟܝܐ *Myrrham mundissimam, purissimam* reddiderunt. Tremellius & Junius, *Myrrham ingenuam.* Vulgatus, *Myrrham electam*, ut LXX. σμύρνης ἐκλεκτῆς. Luth. die edlesten Myrrhen. Beer Mos. ווייא ווירך Breywürtz. Sixtino autem ab Amama Myrrha libertatis, seu libera, est libera fluens, siquidem duplex Myrrha sit, optima, quæ sponte sudat de arbore, & minus bona, quæ ex incisione manat. Ita quoque Pagninus & Corn. à Lapide, cujus verba ad h. l. hæc sunt: *caput Myrrhæ liberæ, id est, libere fluentis, vel destillantis. Porro caput Myrrhæ liberæ est stacte, quæ est flos myrrhæ, (uti vertunt LXX. & S. Hieron. ad Principiam) id est lacryma myrrhæ; puta liquor sponte à myrrha defluens, & destillans, quæ Myrrha est purissima, lectissima & præstantissima. Unde Hebr. vocatur caput myrrhæ, id est, id quod in myrrha est primum & præstantissimum.* Ast de hoc supra diximus. Nonnulli volunt, Mor libertatis ideo dici, quod sit odoramentum liberum, odorem suum sponte diffundens latissime, neque opus habeat contusione, aut igne, aut artificio aliquo, ut dispergat odorem. Vid. Simler. Comment. *in h. l.*

§. 7. Altera, ad sacri hujus olei confectionem jussu Dei adhibita aromatum species in textu nostro vocatur קנמן בשם *Cinnamomum aromatis s. odoratum.* Plurimi autem ex Interpretibus hujus vocis originem Ebræam retinuerunt, ut non opus sit, omnes adducere. Arabs tamen illud reddit *Lignum odoriferum.* Syrus [illegible]. Chaldæis dicitur קנמא vel קינמן. Talmudicis דרצונא / חמם / aut חימום, quod in Baal Aruch exponitur *Cinnamomum.* Græcis κιννάμωμον, & quod magis cum Ebræo convenit κίνναμον, *Cinnamum.* Unde Ovidius *L.* 3. *Fastorum*:

Cinnama tum primum, captivaque thura dedisti.

Lutherus reddidit Cynamet/ & Beer Mos. צימרינד Zimrind. Valde erravit R. D. Kimchi, qui in Rad. dicit קנמן *esse aroma quod vernacule dicatur* ליניו אלואי h. e. Hisp. vel Italice *legno Aloe*, lignum Aloe, & ideo בשם additum esse ait, ut notetur Aloe illa non medica, sed aromatica & εὐώδης, ut eum citat Grotius in suis observationibus ad h. l. Aliter loquitur ר"שי in Perusch *ad l. c. Ex.* קנמן בשם לפי שהקנמן קלפת עץ הוא יש שהוא טוב ריש בו ריח טוב וטעם ריש שאינו אלא כעץ לכן הוצרך לומ' קנמן בשם מן השוב: *Dicitur* קנמן בשם *eo, quod cortex arboris sit; est enim, quæ bona, & cui odor suavis atque sapor: Et est, quæ tantum lignum omnis odoris expers, quare necesse habet dicere* קנמן בשם, *ut bona sumatur.* Et R. Aben Esra hunc in modum scribit: מה טעם להזכירו אולי שיהיה מהנכבר ג"כ הקנה: *Quæ ratio, quod mentio fiat ejus* (scil. בשם) *nisi quod sumi debeat optimum, quemadmodum etiam in* קנה *fieri solet.* Tale quoque notat ex R. Salomo Lyranus, qui cinnamomum duplex esse dicit; *unum quod parum vel nihil habeat de odore, aliud autem totum aromaticum, quod si verum est, necessarium fuit aromatis nomen ad distinctionem,* quod tamen Vulg. omisit.

§. 8. Est vero Cinnamomum juxta Plinium frutex altitudinem duarum ulnarum excedens: præcipuam bonitatem in partibus gracilioribus habens, quoniam ibi plus corticis est, in quo summa gratia. Unde, quod radicibus proximum est, utpote crassius ac minus corticis habens, vilissimum est. Et in alio loco dicit, quod cortex arboris lauro similis sit, cujus rami, (non vero caudex,) singulis ternis annis inciduntur, & eo modo cortex demitur. Salmuth. ad Pancir. *P.* 1. *Tit.* 9. & alii Phytologi præstantiam ejus nimis extollentes, inter ea referunt, quorum nulla nobis hodie est notitia. Quin ipse Galenus *Lib.* 1. *Antidot.* scribit, suo jam tempore raro fuisse inventum, & non nisi armariis Principum. Isid. *L.* 19. 8. *Cinnamomum dictum*, ait, *quod cortex ejus in modum cannæ sit rotundus & gracilis.* Scalig. *Exercit.* 144. scribit: *In Zeilan nascitur Cinnamomum, & in Mutir, una ex Moluchis. Nullum gerit fructum. Æstu cortex finditur, atque absistit. Quod & Commaro accidit. Bis in anno deglubitur. Dulcis primum: mense posteà perficitur. Idcirco ibi Caunama vocatur. Caunamque lignum significat: Nama dulce. Tam propinquus etiam nunc nobis sonus est vocabulo nostro. Et Syri affini voce, Chamam dicunt &c.* Sed quid de hac sententia habendum sit, nemo non videt. Plinius contra, quem modo nominavimus, vult id nasci in Æthiopia Troglodytis connubio mixta *l. c. cap.* 19. quod tamen in dubium vocat Dalechamp. *in Not.* quem vide. Strabo *Lib.* 15. ait: Habet India, quæ Australis, Cinnamomum, sicut Arabia.

§. 9. Rabbini volunt, Judæam etiam eo abundasse, hinc in Talm. Hieros. *Peah. cap.* 7. dicitur: קנמון מאכל עזים היה *Cinnamomum olim cibus caprarum fuit*; dum nempe terra Israëlis adhuc in suo flore & vigore erat. Et quamvis Judæi non multas Hierosolymis arbores aluerint, neque hortos fecerint, ut R. Nathan *in Abb. cap. V. fol.* 9. 2. tradit, tamen arbores Cinnamomi plantasse docet Talmud. *Mass. Schabbath. fol.* 63. 1. א"ר יהודה עצי ירושלם של קנמון היו ובעשה שהיו מסיקין מהן ריחן נודף בכל ארץ ישראל ומשחרבה ירושלם נגנזו ולא נשתייר אלא קנמון בשעורה ומשתכח בגנזאי דצימצמי מלכתא: *Dicit R. Jehuda*: arbores Hierosolymitanæ fuerunt arbores Cinnamomi, & qua hora emiserunt ex se odorem suum, fragor fuit diffusus per totam terram Israëlis; à quo tempore vero Hierosolyma vastata, absconditæ fuerunt hæ arbores, neque reliquum fuit, nisi Cinnamomum quantitate hordei, quod fuit inventum in thesauris, quod abscondit Regina.

§. 10. Tertia aromatum in textu Ebr. species denominatur קנה בשם *Canna vel calamus aromaticus s. odoratus.* LXX. Interpretes reddiderunt κάλαμον εὐώδη *calamum fragrantem, beneolentem*, sicut Trem. & Jun. *odoratum.* Chaldæus & Arabs exposuerunt per *calamum aromatis.* Vulg. autem simpliciter *calamum* appellat, ut Lutherus & Moguntini Kalmes. R. D. Kimchi in Rad. dicit eam esse speciem, quam Vernac. קנילה h. e. Gall. *Canelle*, Hisp. & Ital. *Canella*, i. e. cinnamomum vocent, quod cannam vel arundinem referat, Zimmetrören. Beer Mos. נעגיל ווירץ Negelwürtz *caryophyllum.* Sed qua ratione, non liquet. Fuit autem calamus hic non vulgaris ille, qui apud nos in Pharmacopoliis reperitur & Acorus dicitur, sed pretiosum quoddam & unum ex præstantissimis aroma. Quapropter R. Sal. Jarchi iterum hic notat, ש"מ, בשם, (quam vocem Vulgata rursus omisit,) ad differentiam ejusdem nominis speciei, addendum fuisse, cum sint calami, qui non sunt aromatici & quidem plurimi, ut prolixe hoc ostendunt Buxt. *Lex. Talm.* & Schindl. *in Lex. Pentagl. sub hac voce.*

§. 11. Hunc vero calamum in Arabia India ac Syria nasci tradit Plinius *Lib.* 12. *Nat. Hist. cap.* 22. Qui vero in Syria juxta lacum Genesaret provenit, eum optimæ notæ esse, in eodem loco docet. Ubi etiam juncum provenire odoratum; cui tamen odore præstare calamum & statim è longinquo ad se invitare, molioremque esse tactu, addit. Fistulæ porro calami inesse araneum, quod florem vocant, cui vero plurimum inest aranei, eum præstantiorem haberi, uti & eum, qui minus fragilis est. Dioscoridi *Lib.* 1. *cap.* 19. hic calamus arundini similis est aspectu, multis geniculatus nodis, casiæ sapore, tactu mollis, & cum frangitur, scissilis, intus araneosus, locum, in quo nascitur, suavissimo replens odore. Et in hunc modum etiam scribit Isid. *Lib.* 18. *c.* 17. *Calamus aromaticus à similitudine calami usualis vocatur. Gignitur in India, multis nodis geniculatus, fulvus, fragrans suavitate spiritus, qui cum frangitur, in multas fit partes scissilis, simulans gustu casiam, cum levi acrimonia remordente.*

§. 12. Quarta aromatum species in textu Ebr. vocatur קדה. Quid vero per vocem hanc intelligatur, inter se discrepant Interpretes. LXX. vocabulum ἴρεως, *iridis*, quod & Josephus retinuit, posuerunt, quæ, ut Hesychius notat, est ἀρωματική τις πόα, *aromatica quædam herba.* R. Saadias exponit esse קושט *Costum*, quem etiam Arabs interpres ab Erpenio editus, ut alibi sæpe, ita & hic sequitur قسط reddens. Est vero Talmudicis קושט *Kost* vel Costus, radix odoratissima, cum thure in sacro suffitu olim usurpata, qui in Massech. Kerithuth *fol.* 6. 1. describitur. De quo Costo Diosc. *Lib.* 1. *cap.* 17. scribit: Κόστος ἄριστός ἐστιν ὁ Ἀραβικὸς, λευκὸς ὢν καὶ κοῦφος, πλείστην ἔχων, καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀσμήν. Δεύτερος δ' ἐστὶν ὁ Ἰνδικὸς, &c. *Præstat ex genere Costi, Arabicus, albus existens & levis, plurimum habens, & suavem odorem. Secundus autem ab ea est Indicus*, &c. conf. Plin. *Lib.* 12. *H. N. cap.* 12. Beer Mos. vertit אינגביר Jngber/ *Zingiber*, quod etiam Judæi moderni esse volunt. Reliqui interpretes fere omnes *Casiam* habent, sicut & Lutherus Casien. Syrus: [illegible]. Vulg. *Casia.* Targum קציעתא *Cassia vel cassa*: quod Talmudici sequuntur. Quam interpretationem etiam laudat Kimchi in Rad. Et Aben Esra scribit: מהקבלה ידענו שהיא קציעה *Ex traditione novimus, quod sit* קציעה. Nec non R. S. Jarchi: שם שרש עשב ובלשון חכמים קציעה *Est nomen radicis herbæ & in lingua sapientum vocatur* קציעה. Per quam vocem semper intelligunt Casiam. Baal Aruch distinguit & ait, קדה לבנה esse speciem arboris, sed קדה absolute esse speciem herbæ vel oleris: Casiam albam autem dicit esse Costum. Similiter in Arabica & Græca lingua Casia dicitur.

§. 13. Descendit autem קדה à R. קדד, quod est inclinatus est vertice, ut sit genus aromatis crescentis vertice inclinato, docente Riveto, *Comment. in h. l.* Variæ vero Casiæ dantur species. Alia enim est *Coronaria*, ad serta olim adhibita & herba suavissimi odoris, ut ait Servius in eccl. 2. Virg. ad illum versum:

Tum casia, atque aliis intextus suavibus herbis &c.

Et in 2. Georg. *Casia & rosmarinus apibus aptæ sunt herbæ.* Alia etiam vocatur *Purgativa*, item *Casia fistula*, quæ siliqua Ægyptiaca est, nullius odoris, cujus usus est in officinis Pharmacopolarum; intra quam continetur humida quædam medulla, seu succus concretus instar musti crassius decocti. Alia denique est *Aromatica*, quæ tantum huc pertinet, & à Plinio *Lib.* 12. *H. N. cap.* 19. ita describitur: *Frutex & casia est, juxtaque cinnami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute verius, quam cortice,* quem

quem conteri, atque in cinnamo levari & exinaniri pretium est &c. Ubi etiam addit, quod cubitos tres altus sit iste frutex, colore triplici, in inferiori parte albus, post rubescens, hinc nigricans: nigram autem casiæ partem bonitate reliquas antecellere & unguentis utiliorem esse. Plura vide apud ipsum.

§. 14. Salmuth ad Pancir. *P.* 1. *tit.* 11. plantam odoratissimam fuisse ait, ex qua suavissimum oleum exprimebatur. Alii Nardum idcirco esse contendunt. Isidorus *L.* 17. *cap.* 8. scribit: *Cassia nascitur in Arabia, virga robusti corticis & purpureis foliis, ut piperis. Est autem virtutis cinnamomi similis, sed potentia inferior: unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis adhibetur.* Dioscor. *L.* 1. *cap.* 12. ita loquitur: Κασσίας δέ ἐστι πλείονα εἴδη. Περὶ τὴν ἀρωματοφόρον Ἀραβίαν γεννώμενα. ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον. φύλλα δὲ ὡς πεπέρεως. Ἐκλέγου δὲ τὴν ἔγκιρρον, εὔχροον, κουραλίζουσαν, στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ παχεῖαν, τοῖς συριγγίοις πλήρη, δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει, καὶ στύφουσαν μετὰ ποσῆς πυρώσεως, ἀρωματίζουσαν τῇ ὀσμῇ. Ἡ δὲ τοιαύτη ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἄχυ καλεῖται &c. *Casiæ vero plures sunt species, circa aromatum feracem Arabiam nascentes: habet autem virgam crassi corticis, folia vero, ut piperi. Elige autem fulvescentem, pulchri coloris: ad corallii speciem vergentem, angustam valde, longam & crassam, parvis fistulis plenam, mordacem sapore, & adstringentem, cum aliquanta ustulatione, seu ignea acrimonia, aromatis odorem imitantem, vini odorem referentem. Talis ab indigenis, achy vocatur, &c.* Et hujus iterum varia dantur casiæ genera. Plinius Lib. 12. cap. 19. & in eundem Dalechampius ex Dioscoride, Theophrasto & aliis septem memorat, è quibus *Daphnocidem* & *Isocinnamum* præferunt, bonitate & viribus cinnamomum æquantem, aut etiam pretio, quod auro æquiparare solent. Conf. hic B. Dn. D. Geier. *Comment. in Psalm.* 45: 9. & Magnif. Dn. D. Calov. *in Bibliis illustr. ad h. l.*

§. 15. Plura de his aromatum speciebus afferre aut rixas serere neque angustia pagellarum permittit, neque instituti est nostri. Certum tamen est & credibile, Deum, qui utens sanctum ac purissimum, ita purissimo quoque & sanctissimo coli voluit cultu, voluisse, Mosique in mandatum dedisse, ut optimam semper ac nobilissimam de quolibet aromate pretioso speciem ad conficiendum hoc oleum sacrum sumeret. Qui tamen plura, earumque accuratiorem desiderat notitiam, adeat Cl. & doctiss. Salmasium, in Exercit. Plinianis ad Solinum, in quibus fuse agit de unaquaque & ejus proprietate ac pretio. Conf. etiam Theophrast. *Lib. IX. histor. plant. cap.* 1. 2. 4. 5. 7. 9. & ejus Comment. Bodæus. Plinius *Lib. XII. Hist. nat. cap.* 14. 15. 16. 18. 19. 22. & *Lib. IX. c.* 4. *Lib. VI. cap.* 29. *Lib. XIII. cap.* 1. Galen. *Lib. VIII. medicam. simpl.* & *Lib. I. de Antidot.* Strabo *Lib. XV.* & *XVI.* Ptolomæus *Lib. VI. cap.* 7. Herodotus *Lib. III.* Diodorus *Lib. V.* Aetius *L. IX. cap.* 37. Avicenna *Lib. II.* Serapio aggreg. *c.* 168. Philostratus Apoll. sui *Lib. III. cap.* 1. Dioscorides *Lib. I. cap.* 2. 12. 13. 14. 17. 24. 76. *nec non Lib. II. cap.* 29. & ejus Comment. Matthiolus, aliique. Bauhinus *in magno opere histor. plantar. univers.* Isidorus *L. XVII. cap.* 8. & *L. XIX. cap.* 8. Clusius, *Lib. I. Aromat. hist. cap.* 32. Cluverius *Introd. Geogr. Lib. VI. cap.* 6. Solinus *in descript. Afr.* Petrus Bellonius *L. II. rer. memor. observ. c.* 80. Jonstonus *Hist. Nat. de Arb. & fruct. L. III. c.* 3. 4. & *L. VI. c.* 3. Frid. Hoffmannus *Clav. pharmaceut. Schrœd. L. IV. sect.* 1. & 2. Rolfincius *de purgant. c.* 12. *art.* 1. Pancirol. *P. I. Tit.* 2. 9. 12. & ejus Comment. Salmuth. Garzias de Horto, Medicus Lusitanus, qui 30. annis in India vixisse dicitur, *Lib. I. aromat. c.* 6. & 15. Joh. Manard. *Lib. VIII. Epist. I.* Jo. Langius *Lib. I. epist. medicin. ep* 62. aliique.

§. 16. Nos recta pergimus via ad specierum jam commemoratarum quantitatem, quantum scil. de unaquaque Moses sumere debuerit. Solent Pharmacopolæ, si oleum quoddam præparandum sit, non omnia confuse & plenis manibus commiscere, sed prudenter observare δόσιν ac proportionem ingredientium: ita Deus quoque Mosi, servo suo, cui oleum hoc מעשה רקח *opere unguentario, pharmaceutico*, conficere in mandatum dedit, certam quantitatem, certumque pondus præscribit. Jubet enim, ut sumat *Myrrhæ* 500. *Cinnamomi, dimidium ejus*, 250. *calami aromatici*, 250. *Casiæ*, 500. *in siclo sanctitatis.* Ubi duo imprimis nobis consideranda veniunt. Quale nempe & quot h. l. pondera intelligantur. Quale pondus intelligatur, cum disertis verbis non explicetur, Interpretes in diversas abeunt sententias. Quidam enim מנה *libram s. pondo*, quod vel sacrum est, & 50. continebat siclos; vel profanum, quod dimidio minus erat, hic subintelligi volunt. Hinc Tremellius & Junius *pondo* vertunt. Arabs quoque ad singulas species addit vocem وزن *libra s. pondo*, ut quantitas sit 1500. librarum. Eorum autem ratio videtur esse, quod, si tam parvum harum specierum statuatur pondus, parum etiam exinde unguenti fuerit productum, quod non suffecisse ad totum tabernaculum & omnia ejus, inter quæ magna quædam, vasa & multos homines ungendos. Sed de eo alio in loco dicetur. Plerique tamen existimant, Mosen pondere sicli, quod *in siclo sanctitatis* dicatur, usum fuisse, sicque de myrrha 500. accepisse siclos & sic porro, quod etiam LXX. Vulg. Luthero, aliisque placet. Ebræis dicitur שֶׁקֶל, Chaldæis & Syris תקלא vel מתקלא i. e. *appensum, ponderatum*, à R. שקל vel תקל *appendit, ponderavit, libravit*, &c. Targum habet סלע & סלעא. Græci vocant σίκλον vel σίγλον, aliquando δίδραχμον &c. Germ. ein Seckel. In Novo Testamento usurpari solet vocabulum στατὴρ ab ἱστάναι, quod idem significat. Solebant enim Veteres Ebræi, Chaldæi, Syri, uti & Romani aurum & argentum ponderare, hinc ex pondere summam ac valorem ejus colligebant, & ita juxta pondus omne commercium instituebatur; non vero discrete, uti nos hodie, numerabant. Cujus rei plurima in Scriptura S. habemus exempla, ut *Gen.* 23: 16. *Exod.* 22: 17. 1 *Reg.* 20: 39. *Esd.* 8: 25. 26. 29. & 33. *Job.* 28: 15. *Zach.* 11: 12. &c. Conf. & *Matth.* 26. *vers.* 25.

§. 17. Occurrit vero nomen שקל in S. literis V. Testam. tum pro pondere, tum pro nummo. Hic pro pondere accipitur, qui juxta nonnullorum sententiam vel *Sacer* est, vel *Communis. Sacer*, qui etiam שקל הקדש *siclus sanctitatis*, item *templi* adpellatur, lege à Deo fuit institutus, & ad res sacras s. ecclesiasticas, scil. ad Tabernaculi vel Templi structuram, ornatum &c. fuit adhibitus, valetque semissem imperialis, vel 12. grossos misnicos, & constituit semiunciam argenti, ein Loth. *Siclus Communis*, qui & שקל של חול *Siclus profanus, vulgaris, s. communis*, item שקל המדינה *Siclus provincialis*, & שקל המלך *Siclus regius, civilis s. politicus* vocatur, & ante & post legem in usu fuit, & solum ad res civiles seu politicas fuit adhibitus, valetque dimidium sicli sacri, sive quadrantem imperialis. Secundum Josephum siclus templi habebat quatuor drachmas, & quælibet drachma quinque obolos, quare eveniebat, ut siclus templi viginti caperet gera (i. e. obolos); Siclus autem vulgaris caperet duas drachmas s. didrachmum vel decem obolos, quod unum idemque est. Plura de hac re vide apud Waltonum *in App. Bibl.* Waserum *in Tract. suo de N. & P. H.* Leusden. *in Philologo Ebræo-mixto disp.* 28. conf. etiam Buxt. *Lexic. Talmud. in voc.* שקל & סלע.

§. 18. Sed hanc distinctionem in dubium vocat Villalpandus *Comment. in Ezech. de ponderibus & nummis disp.* 4. *cap.* 28. & ex eo Rivetus *Comment. in Exod.* 30. putans *sacrum siclum ejusdem fuisse ponderis cum siclo vulgari, eaque tantum de causa vocari sacrum, quod in sanctuario unus asservaretur siclus, ad cujus pondus omnes sicli exigerentur, ubi ageretur de justo valore.* Consentire videtur Corn. à Lapide, qui *in Comment. ad h. l. vers.* 13. inter alia hæc ponit verba: *imo æquales fuisse hos siclos patet Ezech.* 45: 12. *ibi enim dicitur siclus communis habere 20. obolos, quot dicitur hic habere sacer. Ezechielem enim loqui de communi laicorum, divitum & pauperum siclo, patet ex antecedentibus.* Et paulo post: *Siclum sanctuarii ideo dici, quod in sanctuario, quasi in loco sacro & tuto, servaretur siclus justissimi ponderis, ad quem appendi possent & examinari reliqui omnes, ne fraudi puta decortationi & diminutioni, locus pateret: sicut apud Romanos publica extabat pedis mensura, velut prima & certissima reliquorum: & amphoræ mensura publica extabat in capitolio* &c. Optime atque accuratissime totam hanc pertractavit materiam Magnif. Dn. D. Calov. *in Bibl. Illustr. in Præloq. gener. ad Libros S. Codicis, imprimis cap.* 4. quem consule. Nos prolixi esse, & actum modo agere, noluimus.

§. 19. Quod numerum attinet ponderum, eum, licet expressis Deus explicet verbis, tamen alii, imprimis Judæi, in dubium vocant. Plerique enim Rabbini numerum constituunt 1750, & hoc ob vocem מחציתו, quæ in textu habetur, docentque quod Cinnamomum bis debuerit ponderari, & quidem בהכרעות *singula vice addito superpondio*, & non עין בעין *ut examen seu lingula in bilance lancibus æquatis summo*

puncto exactissime responderit. Sic namque legitur in Talm. *Mass. Cerith. cap.* 1. *pag.* 5. ת"ר משן המשחה מר דרור חמש מאות קדה חמש מאות קנמן בשם מחציתו חמש מאות וקנה בשם חמשים ומצאו כולם אלף ושבע מאות וחמשים: *Tradiderunt Doctores nostri, quod ad oleum sacrum conficiendum sumserint Myrrhæ libere fluentis* 500. *siclos; Casiæ* 500. *Cinnamomi aromatici (si duo ejus dimidia adduntur,)* 500, *& calami odorati* 250. *Tota vero summa fuit* 1750. *Siclorum.* Et hujus sententiæ Patronus est R. S. Jarchi, qui exponit: *Semissem ejus,* 250. *Semissis adductionis ejus erit* 250, *ut summa totius ejus inveniatur* 500. *sicut mensura myrrhæ. Si sic: quorsum ergo dicuntur de eo dimidiæ partes? Scilicet est argumentum à pari, quo Scriptura utitur: ut significet, adducendum fuisse illud ad dimidias partes, ut includeret per illud duas præponderationes: cum non appendant oculo ad oculum, seu ad æquilibrium.* Alii æqualia fingunt pondera, & 2000. siclos ponunt, inter quos etiam R. Aben Ezra, ita scribens: קדמוננו א"ל אמרו כי משקל הכל שוה וככה נקבל רק לא ידענו טעם למה הזכיר מחציתו וטעם החציאים לא אבין כי אין מנהג ארץ ישמעאל לחוסיף על כל דבר שישקל אפי' כמשקל חרדל ואף כי בכל מעשה רוקח: *Majores nostri p. m. dixerunt, quod pondera omnium aromatum æqualia fuerint, id quod acceptamus: ignoramus tamen rationem, quare mentio fiat* מחציתי (dimidii illius,) *neque sensum dimidiorum percipio, non enim mos in tota terra Ismaëlitica, ulli rei loco superpondii vel minimum addere, quod pondere æquat granum hordeaceum; quanto minus id fiet in omni compositione unguenti.* Verum meræ hæc sunt traditiones, quæ minime è textu fluunt.

§. 20. Nos, ut &, quid nobis videtur, addamus, arbitramur unum tantum Ebræis fuisse siclum, qui unum ponderabat staterem, seu semunciam, s. quatuor זוזים drachmas Atticas, vel דינרין denarios Romanos, ut in §. 17. videndum. Hinc sequitur, siclos hos, ut in textu extant, omnes conjunctim sumtos facere 1500, qui deinde secundum medicam 62. & 6. uncias, secundum communem vero 47. fere constituunt libras. Ita enim docet & explicat Magnif. Dn. D. Calov. *in Bibl. illustr. l. c.* & ad *h. l.* hæc ponit verba: *Pondus ad siclum sanctuarii exigitur uti pondera pretiosorum aromatum ad aurei coronati pondus exigi solent. Quingenti sicli myrrhæ viginti libras &* 10. *uncias faciunt. Duo autem sicli unicam.* 500. *sicli efficiunt* 250. *uncias, in libra autem sunt* 12. *unciæ, ac proinde* 250. *unciæ sunt* 20. *libræ, &* 10. *unciæ.* Scriptura S. alias Exod. 30: vers. 13. Levit. 27: vers. 25. Ezech. 45: vers. 12. Siclum per 20 גרה *Gera* circumscribit. Quid vero *Gera* sit, in nomine plerorumque Judæorum respondet R. Levi B. G. *ad Exod.* 30: *vers.* 13. גרה הוא במשקל י"ז גרגרי שעורה בנוניות *Gera pondere æquat septendecim grana hordei circiter.* Alii tamen 16, alii 19. & plura grana numerant, non enim in omnibus locis sunt paria & æqualis ponderis.

§. 21. Cæterum quæstio hic oritur apud Judæos de modo ponderandi has species, an nimirum factus sit appensis in bilance speciebus ad pondus aliquod seu lapideum seu ferreum: an, prima specie, primum ad pondus ferreum appensa, postea species alia ad hanc ipsam speciem appensa fuerit? Equidem è Scriptura clare non liquet, illi tamen ex ea & quidem *Exod. cap.* 30: *vers.* 34. modum priorem colligunt, & probare conantur, sed infirmo argumento. Dicitur namque in *Tract. Cerith.* sæpius citato: *Dixit R. Papha ad Abai: Quum ipse appendit, num per præponderationem ipse appendit, an oculo in oculo, h. e. ad æquilibrium. Cui ille respondebat: Deus scripsit vers.* 34. *solum cum solo. Tu autem dixisti; per præponderationem, Atqui dixit R. Judæ: Deum nosse præponderationes seu ponderum rationes. Ergo quia est in eis præponderatio cinnamomi aromatis, quare affert semissem hujus numeri, quingentorum, ducenta & quinquaginta, ut unam vicem seu semel? Et Ribbi pariter etiam: una vice, seu semel. Postquam totum eorum* 500 *sunt; afferre debuisset* 500. *una vice. Scilicet percipio inde, ex eo, quia affert illud, respectu cinnamomi aromatis, duabus vicibus præponderationem esse in eo. Deus Opt. Max. autem novit præponderationes. Quid autem est,* solum cum solo? *Respondit Rabina: significari eo, quod non debeat apponere pondus ponderi, cum ponderabit istas species.* (h. e. appendet singula aromata ad pondus ferreum: non autem appendet per numerum myrrhæ libertatis, & postea appendet casiam, ad pondus myrrhæ libertatis &c.)

§. 22. Hactenus itaque quatuor aromatum genera, ex quibus oleum hoc sacrum conficiendum erat, contemplati sumus. Quia vero ea spissiora erant, liquido aliquo, quo diluerentur, & ad ungendum effusionemque aptiora redderentur, opus erat. Et hoc שֶׁמֶן *oleum* est. שמן alias pinguedinem conjunctam carni, adipem, notat, à R. שמן *pinguis, impinguatus, saginatus, &c. fuit*; dein vero etiam oleum, quia pingue est, significat. Non autem id quodvis esse debuit, sed שמן זית *oleum olivæ*, seu ex olivis expressum, ad differentiam illius, quod ex seminibus, ex plantis, aliisve rebus exprimitur vel conficitur, (quarum specierum longum catalogum, sicut & naturam olei olivæ recenset Dioscor. *L.* 1. *cap.* 33. *&c.* & Plin. *L.* 15. *H. N. c.* 4.) & quidem purissimum ac defæcatum.

§. 23. Hujus mensura exprimitur voce הין *Hin*, quam plerique Interpretum retinuerunt; difficile enim est, talem ponere mensuram, quæ in omnibus locis exacte ei respondeat. LXX. εἶν. Chald. הינא. Vulg. *Hin.* Luth. Hin. Arabs reddidit قسط cyathum, sextarium. Beer. Mos. איין איימיר אידר מוט Ein Eimer oder Mot. Quid vero *Hin* sit, explicat R. D. K. *in Rad.* הין היא המדה שהיתה אצלם שהוא שנים עשר לוג והלוג ששה ביצים מדת הלח: *Hin est mensura apud Ebræos continens duodecim Login; Log autem sex ova, eratque mensura liquidorum.* Quod & colligere volunt è Talm. Mass. Cerith. sæpius allegato, quando de confectione hujus olei dicitur: תחילתו לא היה אלא שנים עשר לוג: *Initio non plus erat* (scil. olei olivæ) *quam duodecim Login.* Nec non ex pronom. זה adducto, quod per *Artem Cabalisticam*, quæ *Gematria* appellatur, numerum XII. exhibet, quasi aliquid arcani in se habeat, verba sunt hæc: זה בגמטריא תרי עשר לוגין הוין *Vox* זה *per Gematriam valet XII. duodecim enim Login fuerunt.* Cujus uberiorem explicationem si desideras, evolve W. Schickardi *Bechin. Happer. pag.* 63. Josephus *Lib.* 3. *Antiq. Jud. cap.* 10. *&* 12. Hin ad mensuras Atticas reducit, dicens: Μέτρον δ' ἐστὶ τοῦτο ἐπιχώριον δύο χόας ἀττικοὺς χωρούμενον. *Est autem hæc mensura vernacula, duas choas Atticas capiens.* Choa vero Attica æqualis fuit congio Romano, qui sextarios sex continebat. Unde liquet, duodecim sextarios Hin cœpisse; ut Logi Ebræorum cum sextariis Romanis idem sint, sicut Rivetus *Comment. in h. l.* explicat. Arias Montanus de mensuris duodecim hos Logos ad 72. reducit ova, quæ postmodum tres constituunt cantharos, ut in Bibliis explicatur Vinariensibus. Conf. insuper de his mensuris Casp. Waserum *de antiqu. mensuris Ebr. c.* 3. *pag.* 102. *seq.* & Leusden. *Phil. Ebr. mixt. diss.* 31. *p.* 207. item Münsteri *annot. ad Levit. c.* 14. & Pagnin. *Thesaur. Lingu. S. in R.* הין. Si quis rem ipsam experiri, & quantum Log continuerit, probare velit, accipiat ollam vel pateram aqua plenam ad summum usque labrum, eique injiciat 6 ova; hinc aquam illam effluentem colligat in vas ad mensuram sui loci accommodatam, & tantum, quantum fuit, habebit.

§. 24. Ex his igitur enumeratis aromatum speciebus, nec non oleo olivæ Deus Mosen oleum unctionis sacræ conficere jubet, Quomodo vero, his indicat verbis: רֹקַח מִרְקַחַת מַעֲשֵׂה רֹקֵחַ *unguentum unguentationis, opere unguentarii.* LXX. interpretantur μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ, *unguentum per modum unguenti coctum arte coctoris unguentorum.* Qualem scil. hodie appellamus, *apothecarium.* Vulg. *unguentum compositum, opere unguentarii.* Quod Mogunt. verterunt, Eine Salb/ nach des Apotheckers Kunst zugerichtet; fere, ut Lutherus: Ein Salb-Oele/ nach der Apothecker Kunst. Chald. בוסם מבסם עובד בוסמנו Quod Fagius vertit, *aromatibus confectum, opere apothecarii.* Buxtorffius autem *aroma aromatizatum, sive confectum opere artis aromaticæ, vel Apothecariæ.* Arabs: *condimentum condientis, artificio condimenta conficientis.* Trem. & Jun. *unguentum unguentariæ operæ unguentarii.* Id est, *artificiosissime paratum, non tyronis, sed periti artificis.* Beer Mos. גיווירץ ווירצונג ווערק גיוואורצט אודר דאז אפיטיקיר, Gewürtz/ Würtzung/ Werckgewürtzt; oder des Apotheckers.

§. 25. Modum hunc conficiendi generaliter indicatum, explicatius deduxere Commentatores. (Quid vero in specie circa singulas voces annotaverint, adducere, angustia pagellarum prohibet, conf. tamen, si placet, R. S. Jarchium & R. Aben Esram, nec non R. D. Kimchium in Rad.) Rivetus, *Comment. in h. l.* ait: *Forma compositionis unguenti illius, eo parari modo debuit, quo in myropoliis unguenta parari solent, specierum commoda mixtione, si liquidæ sint omnes, aut maceratione earum, quæ non fluunt, ac expressione & purificatione liquoris, postquam omnium specierum vires assumtæ sunt. In summa, sive materiam spectemus, sive formam, voluit Deus eligi aromata fragrantissima & pretiosissima, eaque parari ea arte & industria, quæ à peritissimis unguentariis adhiberi potuit.* Specialiter quoque, imo specialissime eum exponere conantur Judæi, &

& ut quæſtioni illi, quomodo tam parvus olei liquor ad diluendum ſatis, miſcendum & coquendum, ne nimis ſpiſſum factum unguentum, unctioni & fuſioni, ſua tenacitate & denſitate, minus idoneum evaderet, ſufficere potuerit magnæ huic aromatum moli, 1500. puta ſiclis: nedum ſi cum illis, qui non ſiclos, ſed libras hic intelligi volunt, conſentire vellemus; ſatisfaciant, contendunt, ſpecies has aromatum non ſtatim cum oleo mixtas, coctaſque, ſed prius aqua maceratas, dehinc coctas, & denique oleo ſuper infuſo fuiſſe imbutas. Ita namque Rambam, *Hal. Cel. Hammikd. cap.* 1. *v.* 2, 3, 4. לקח משלשתן חמש מאות שקל ומקנה חמשים ומאתים ושוחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כחם במים ונתן על המים שמן זית הין והוא שנים עשר לוג ובשל הכל על האש עד שאברו המים ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות: *Accipit de tribus* (verius de duabus tantum ſpeciebus) *quingentos ſiclos, & de calamo* (& cinnamomo) 250. *atque contundit ſingula ſeorſim; deinde miſcet omnia, & macerat in aquis puris ac dulcibus, donec extrahatur omnis virtus illorum, poſtea affundit ſuper aquas olei Hin, quæ menſura duodecim Logos facit, & coquit ſimul ad ignem, uſque dum exhalent aquæ, & remaneat unguentum, idque aſſervat in vaſe ad poſteritatem.* In Maſſ. Cerith. ſæpius alleg. R. Jehuda & R. Joſe (pro quo רש"י in Comm. legit R. Meir) hunc in modum inter ſe loquentes adducuntur: ת"ר שמן המשחה שלקו העקרין דברי רבי יהודה א"ל ר' יוסי והלא לסוך העקרין אינו ספק כיצד עושה הביאו העיקרין ושלקום במי' וחציף עליהן שמן וקלט את הריח וקיפחו: *Tradiderunt Rabb. noſtri de Oleo unctionis, quod elixarint radicalia, hæc ſunt verba R. Jehudæ. Dixit ei Rabbi Joſe: certe ad ungendum radicalia tantum, ipſum oleum olivæ non ſufficiens fuiſſet; quomodo igitur factum eſt? aſſumſerunt radicalia, & elixarunt in aquis, poſtea vero illa inſtillarunt oleum, ut reciperet odorem, tuncque ſuſtulerunt.* Quo ſenſu legitur in Tr. Schekalim *f.* 9. 1. Horajoth *f.* 11. 2. & in Gemara, quæ conferri poſſunt, nos, brevitati ſtudentes, omnia adducere non poſſumus.

§. 26. Verum hanc ſententiam amplecti Rabbinorum nullatenus poſſumus ob rationes multas, eaſque prægnantes, quas omnes afferre, ſicut & aliorum opiniones hic recenſere & examinare, longum pariter atque tædioſum foret, neque pagellarum permitteret anguſtia. Nobis, quid dicere hac in re difficili debeamus, hæret animus. Tutiſſimum erit, ſi cum Nobiliſſ. Dn. Andr. Sennerto, Venerando noſtro Seniore, aſſeramus, oleum hoc per deſtillationem, quam Græci καταστα-γμὸν & σταλαγμὸν vocant, ex aromatibus illis fuiſſe elicitum, ut nempe hæ aromatum ſpecies non quidem in minutiſſimum pulverem tuſæ, ſed ſi aliquanto majores, in tenuiores tantum partes ſint fractæ, idque imprimis, ut vis aromatica magis exſpiraret, & in oleum tranſmitteretur: aromata enim attrita, & in partes diviſa fortius olent, quam integra relicta; alias in ſua naturali quantitate relictæ. Hinc illa aromata, vaſi huic operationi convenienti immiſſa & oleo olivarum affuſo, ignis expoſuerunt torturæ, quo mediante ſecundum artis deſtillatoriæ leges elicuerunt noſtrum oleum. Plura de hac arte vide apud B. Dan. Sennert. *Inſtitut. Medic. L. V. P. III. Sect. II. cap. XI. pag.* 1290. *ſeqq.* & *Sect. III. c. VI. pag.* 1370.

§. 27. Admirantur item nonnulli, quomodo hoc ipſum à Moſe in deſerto confectum oleum tam diu novem fere ſeculis, à Moſe ſcil. ad Joſiam uſque, incorruptum potuerit perdurare, & quomodo paucum exiſtens (utram enim ex his §§. præced. adductis amplecteris ſententiam, eadem fere erit portio) tot unctionibus potuerit ſufficere; non enim homines tantum, ſed & vaſa ſanctuarii, inter quæ magna quædam, eo illiniebantur plurima, & ipſum denique Tabernaculum? Verum quid opus eſt admiratione, ſi dicatur, quod in ipſo uſu non prodige fuerit profuſum in homines, excepto forſan Aharone, & omnia iſta vaſa, multominus inuncta & obducta; ſed ſuffeciſſe, ſi ſingulis rebus conſecrandis parva aliqua hujus olei particula, & ut nonnulli Rabbinorum ſtatuunt, nota literæ Græcæ χ vel infuſa vel inuncta ſit. Ex quo manifeſte colligimus, non omne fuiſſe conſumptum, ſed remanſiſſe, quod poſtmodum in vaſculo puro ad ſeræ poſteritatis uſum apud reliquam ſuppellectilem ſacram fuit adſervatum. Neque etiam putamus, illud reparatum fuiſſe, quia aliud in deficientis locum conficere aut ejus compoſitionem quoquo modo imitari, expreſſe ſub pœna excidii prohibitum erat, ceu videre eſt è v. 32, 33. cap. noſtri.

§. 28. Et in capite hoc cauſæ nobiſcum facit R. Abarbenel, Comment. in Legem, dicens: אבל הוסיף לאמר ואתה קח לך וזה בלא ספק מעיר על אמיתת מה שזכרו המפיגו זכרונם לברכה שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת שעשאו משה רבינו בידיו ולא יעשה עוד בעתיד: *Quod autem Deus expreſſe addit: TU ACCIPE TIBI, hoc abſque dubio teſtatur de veritate ejus, quod ſapientes noſtri benedictæ memoriæ dixerunt, non eſſe confectum oleum unctionis, niſi ſemel tantum, cum conficeret illud Moſes Magiſter noſter ſuis manibus, nec poſthac amplius conficiendum*: aliique plurimi & eruditi, quos omnes brevitati ſtudentes, adducere jam ſuperſedemus. Attamen unus atque alter Judæorum in hoc à nobis diſſentit, quod illi ſtatuant, Moſaicum illud oleum perenne futurum, omniumque ætatum unctionibus inſerviturum, propterea etiam abſconditum fuiſſe &c. & fundamentum petere volunt à vocabulis זֶה *hoc*, hoc eſt, idem numero, & לְדֹרֹתֵיכֶם *in generationes veſtras, Exod.* 30: 31. collato cum *Exod.* 16: 33. & denique quod Scriptura non dicat: *Oleum unctionis ſanctum erit hoc Aaroni & filiis ejus in generationes eorum*; ſicut dictum de veſtibus; ſed, *erit mihi in generationes veſtras.* In quorum numero præcipuus eſt R. Jehuda, qui his omnibus, hactenus de olei hujus compoſitione à nobis allatis, contradicit, & cuncta ſoli miraculoſæ Dei omnipotentiæ benedictionique adſcribit, qua paucitas hæc olei cum in præparatione, ut tantæ huic aromatum moli ſufficeret, cum in ipſa unctionis uſurpatione, quin & in perpetua aſſervatione totius illius in futurum uſque ſeculum, ita augmentata ſit, ut, non ſecus atque lecythus ille olei viduæ, 2 Reg. 4. ab Eliſa ditatæ, ſemper, quantum vel uſu, vel tempore de eo conſumptum erat, divino quodam miraculo mox reſtitutum fuerit. Ita namque inter alia legitur in Talm. ſæpius cit. אמר לו ר' יהודה וכי נס אחד נעשה בשמן המשחה והלא ניסים הרבה נעשו בו מתחלתו ועד סופו תחלתו לא היה אלא שנים עשר לוג ובו נמשח המשכן וכליו ואהרון ובניו כל שבעת ימי המלואים ובו נמשחו כהנים גדלים ומלכים וכלן קיים לעתיד לבא שני שמן משחת קדש יהיה זה לי לדורותיכם: *Dixit ei* (R. Joſe ſcil. cujus in §. 26. mentionem fecimus) *Rabbi Jehuda, an unicum tantum miraculum contigit Oleo unctionis, annon plurima miracula contigerunt ei? ab initio ad finem ejus? Initio non niſi duodecim Login fuerunt, & ex iis unctum fuit tabernaculum & vaſa ejus, Aharon & filii ejus totis ſeptem diebus impletionis, & ex eo uncti ſunt Sacerdotes Magni & Reges, cum durabile fuerit in futurum, juxta illud, quod ſcriptum eſt: Oleum unctionis ſacræ hoc mihi erit in generationes veſtras.*

§. 29. Idem quoque ſentit R. Levi ben Gerſon, & id per miraculum, ſicut in Manna, factum eſſe ait. Dicit namque, *Deum, ut Mannæ, ita & oleo huic unctionis indidiſſe virtutem præter naturæ vim, ut perduraret & perennaret, converteretque aërem in naturam ſuam.* Deinde etiam ex natura olei & aromatum illius perpetuitatem conatur aſſerere, quando addit, *oleo quædam ineſſe ſigna, per quæ reddatur idoneum recipiendæ iſti virtuti perpetuanti, ſive perennitatis: eſſe enim omnium lignorum maxime diuturnum, adeo ut per millia annorum perſeveret incorruptum. Dixiſſeque Sapientes, oleo ſeneſcenti nihil detrahi, quin addi aliquid, ſiquidem ſubtilius indies evadat.* Denique ſubjicit, *quod forſan aromata, quæ ingreſſa ſunt ejus olei unctionis compoſitionem, ad hoc etiam juverint. Deum enim, cum patrat miracula, accommodare, aptareque cauſas, quam fieri poſſit, convenientes. Propterea dictum à Sapientibus, in principio Tr. Cerithuth, hanc rem infuiſſe oleo unctionis per modum miraculi.* Verum miracula præter neceſſitatem non ſunt multiplicanda; ſicut & abſconſio ejus à Rege Joſia facta, merum eſt commentum Rabbinicum. Phraſis vero *in generationes veſtras* non abſolute accipienda eſt, ſed limitate, quamdiu ſc. in terra Iſraelitica viverent, vel, dum ſupererit apud Iſraelitas, pro re ſancta ſit habendum.

§. 30. Sunt tamen adhuc alii, qui hanc emendare ſententiam & omnes harum difficultatum nodos ſolvere volunt, ſed dum charybdim vitant, in Scyllam incidunt. Prætendunt enim aliud, priori uſu conſumpto, tale iterum fuiſſe reparatum. Præceptum vero Dei, de quo §. 28. diximus, non ἁπλῶς accipiunt, ſed variis limitant modis. R. S. Jarchi *in h. l.* ita explicat: *Non facietis aliud, quale hoc eſt, in pondere aromatum horum, ſecundum menſuram Hin olei. Sed ſi vel minus aut plus olerum acceperit ſecundum menſuram Hin olei; licitum eſt. Et quoque quod ſit in ſumma hujus, ſi quis ungat ſe ex eo non eſt reus, niſi is, qui coquit illud.* Rambam *Kel. Mikd. cap.* 1. *v.* 7. ait: העושה שמן כמעשה הזה כמשקל הזה ולא הוסיף ולא גרע במזיד חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה שני אשר ירקח כמוהו והוא שיעשה אותו להמשח בו אבל אם עשהו להתלמד או לתנו לאחרים פטור: *Conficiens oleum ſecundum compoſitionem hanc & juxta pondus hoc, non addens nec minuens per temeritatem, is reus eſt exciſionis; at per errorem, is adducit*

peca-

peccatum grande, quia dicitur: quicunque conficiet consimile &c. ita tamen, ut conficiat hoc fine, ut ungatur eo: verum si conficiat illud, ut discat inde, aut doceat alios immunis est. R. Aben-Esra quoque *ad h.l.* majorum suorum, qui compositionem hanc olei sancti monadicam & irreparabilem statuunt, sententiam haud obscure impugnat. Nam cum quorundam interpretationem attulisset, qui, quod *vs.* 33. de extraneo non illinendo sacro oleo sancitur, de illo saltem oleo, quod Moses confecerit, intelligunt; sibi addit id non videri, sed de quolibet oleo, tum à Mose hic confecto, tum postea, illo deficiente, ab aliis in sacrum usum conficiendo accipiendum esse: & ubi *vers.* 31. *&* 33. inter se contulisset, addit: והנה אין הפרש בין שמן המשחה שעשה משה ובין הנעשה אח"כ שהוא כמוהו: *Et ecce non est discrimen inter oleum unctionis, quod Moses præparavit, & inter id, quod præparatum est postea, quod plane illi simile est.* Sic & Cartwrightus, *in Elect. Targumico Rabbin. ad Exod. pag.* 399. oleum hoc semel tantum à Mose confectum nec unquam deinceps conficiendum fuisse, in dubium vocat, & dicit, verbis *Exod.* 30: *vs.* 32, 33. non prohiberi omnimodam ejus confectionem, si prius deficeret, sed eam modo, quæ in privatum usum fiat, ut hæc verba adducit Magnif. Dn. D. Carpz. *in annot. ad Schick.* מ"ה *p.m.* 68.

§. 32. Consentiunt Talmudici, qui proinde multa de hac pœna excidii vel exterminii tradiderunt in peculiari tractatu, quem כריתות *Ceritbuth* seu excidium appellaverunt. Quæ vero hæc pœna sit & quotuplex, cum ob angustiam pagellarum & materiæ ubertatem id explicare non liceat, L.B. ad eum remittimus. Conf. etiam potest Rivetus, *Comm. in Gen.* 17: 14. In eo vero, statim ab initio, 36 enumerantur casus, propter quos quis incurrat pœnam כרת excidii vel exterminii, è quibus 32. est: *si quis misceat oleum unctionis*: & 34. *si quis inungat oleum unctionis.* Ad quæ verba postea in Gemara f. 77.1. hæc notantur: ת"ר המפטם את השמן ללמד בו למוסרו לציבו! פטור לסוך חייב והסך ממנו פטור לפי שאין חייבין אלא על פיכת שמן המשחי שעשה משה בלבד: *Docent Rabbini nostri, Miscens oleum, ut discat eo, & monstret Ecclesiæ, absolvitur; ut ungat se damnatur; & alius eo se ungens absolvitur, quia non damnantur, nisi propter effusionem olei unctionis, quod confecit Moses tantum.* Atque ad hanc confirmandam sententiam vocabulum במתכנתו, cujus in textu mentio fit, varie exponunt. Sed quorsum quis illud vel ipse disceret, vel alios doceret, si ita præparatum oleum nulli inserviret omnino, ne sacro quidem, usui? dicimus iterum cum Magn. Dn. D. Carpzov. *l. cit. pag.* 70.

§. 33. Et sic satis hactenus mandatum Dei de oleo hoc conficiendo sacro in Monte Sinai acceptum perspeximus, quod & fideliter Moses exhausit. Nam simulac inde descendisset, omnes convocavit Israelitas, ac cuncta Numinis præcepta eis iterum exposuit, jussitque (Exod. 35: 8.) *ut offerrent aromata ad oleum unctionis.* In quam rem Deus quoque non tantum animos Israelitarum excitabat, ut largiter has aromatum species, & omnia, ad oleum hoc, totumque cultum, necessaria, contribuerent; (quod tamen munus aromatum principibus imprimis adscribitur, ut merito principale aliquod munus, & oblatum legitur vs. 28.) sed & ineffabili sua gratia operis humanis & arti benedicebat, vires animi corporisque concedendo, ut recte artificioseque illud componeretur. Non autem existimandum, ac si Moses ipse manum operi admovisset, aut בידיו propriis suis manibus confecisset, ut nonnulli Rabbinorum volunt, & probare enituntur ex *Exod.* 30: 23. quod Deus notanter dicat: *Tu sume tibi &c.* & *vers.* 25. *Et facias &c.* quorum dux est R. Abarbanel, qui R. Aben Esram, contrarium statuentem, refutare molitur, ut §. 29. diximus, quod tamen falsum; sed summus tantum & præcipuus hujus, ut aliorum, negotii ἐργοδιώκτης à Deo fuit constitutus, qui aliis, artificibus scil. quos ei significabat ac nomine vocabat, modum hunc conficiendi præscriberet & dirigeret. Inter eos autem prævalebat Bezaleel, cui adjungebatur Oholiab, aliique nonnulli sapientes, qui propterea à Deo sapientia donabantur, ut legere est *Exod.* 35: 31-35. Manifeste quoque, non Mosen, sed modo nominatos sapientes & artifices oleum hoc confecisse, atque ad hoc negotium vocatos fuisse, probatur ex locis *Exod.* 31: 11. & 35: 25. Imo in specie Bezaleelem id fecisse commemoratur *Exod.* 37: 29. quod postmodum reperitur in peculiari operum suorum factorum catalogo *cap.* 39: 38.

§. 34. In quem finem vero tam pretiosum tamque præstantissimum confectum sit oleum, Deus in *vs.* 26. *seqq.* indicat, quando ad Mosen dicit: וּמָשַׁחְתָּ בוֹ *Et unges in eo*; quod LXX. reddiderunt *χρίσεις ἐξ αὐτοῦ*, & Vulg. *unges ex eo.* Mog. Daraus solt du salben. Rectissime Luth. Damit solt du salben. Nam præf. ב causam potius per quam, quam ex qua, quæ præfixo מ significari solet, exprimit. Hic tamen utrumque etiam locum habere potest. Oleum enim hoc erat, quo fiebat unctio, & quod in ipsa unctione inungebatur. Chald. & Arabs: *illiniendo inunges.* Targ. Onk. habet ותרבי *Et magnifacies.* Ea autem, quæ Deus ungere mandat, ad cultum spectabant divinum, & quædam inanimata, ut vasa; quædam animata, ut homines erant. Illa erant Tabernaculum & omnia utensilia sacra, ut fuse l. c. memorantur: Hæc sunt Aharon & filii ejus, aliique, quæ singula in specie declarare, angustia pagellarum non permittit, cum quævis materia peculiarem potius requirat tractationem, neque etiam instituti jam est nostri, nos hic pedem figimus, & immortales agimus

SOLI DEO GRATIAS!



CHRIST.

CHRIST. WALTHER.

DISSERTATIO

De Duabus Legis Divinæ Tabb. Lapideis Mosi in Monte Sinai datis, ad Exod. XXXI: 18. & cap. XXXII: vs. 15, 16.

IN NOMINE JESU.

§. I.

LOcus uterque juxta Hebraicam veritatem ita sese habet ויתן אל׳ משה ככלתו לדבר אתו בהר סיני שני לחת העדת לחת אבן כתובים באצבע אלהים: ויפן וירד משה מן ההר ושני לחת העדת בידו לחת כתובים משני עבריהם מזה ומזה הם כתובים: והלחת מעשה אלהים המה והמכתב מכתב אלהים הוא חרות על הלחת: Quæ Chaldæus ita transtulit: ויהב למשה כד שיצי למללא עמה בטורא דסיני תרין לוחי סהדותא לוחי אבנא כתיבין באצבעא דיי: ויתפני ונחת משה מן טורא ותרין לוחי סהדותא בידיה לוחי כתיבין מתרין עברהון מכא ומכא אנון כתיבין: ולוחיא עובדה דיי אנון וכתבא כתבא דיי הוא מפרש על לוחיא: Vulgatus hunc in modum: *Deditque Dominus Mosi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii, lapideas scriptas digito DEI. Et reversus est Moses de monte portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte, & factas opere domini: scriptura quoque DEI erat sculpta in tabulis.* Hic statim occurrit tempus, quo tabulæ testimonii Mosi sunt datæ; id vero est ככלתו לדבר אתו *postquam complevisset cum eo loqui* scil. Mose. Quid per completos sermones sit intelligendum, non una omnium est mens. R. Salomon Jarchi quia ordinis in historiæ Sacræ recensione non haberi semper constantem rationem; dum aliquando dignitate præcedit, quod ordine debebat sequi, & contra, sibi persuasum habet, per completos sermones judicia & statuta cap. 21, 22, 23. enumerata, intelligenda. Hac forsan inductus ratione, quod mox cap. 24: 12. subjiciatur: *tum dixit Jehova Mosi, ascende ad me in hunc montem & esto ibi, & dabo tibi tabulas lapideas, & legem & præcepta quæ scripsi ad docendum eos.* Item vers. 18. *Ita ingressus Moses in medium ipsius nubis, ascendit montem, fuitque Moses in ipso monte quadraginta dies & quadraginta noctes.* Hinc quoque conflationem vituli Aaronis, præcepto de tabernaculo exstruendo præponendam esse censet: אין מוקדם ומאוחר בתורה מעשה העגל קודם לצווי מלאכת המשכן ימים רבים היה שהרי בשבעה עשר בתמוז נשתברו הלוחות וביום הכפורים נתרצה הקבה לישראל ולמחרת התחילו בנדבת המשכן והוקם באחד בניסן: scribit ad hunc locum, quæ ita vertimus: *Non est præmissum & postpositum in lege; opus vituli Diebus multis præceptum de faciendo tabernaculo antecessit. Ecce die 17. Mensis Thammus (qui nostro vel Junio vel Julio respondet) fractæ sunt tabulæ; die expiationis sanctus Benedictus, propitius redditus cætui Israelitico: postero die spontanea oblatio ad tabernaculum quod primo Mensis Nisan erectum est. Exod. 40: 17. initium suum sumpsit.* Paucis interjectis, ad hæc verba ככלתו לדבר אתו completis hisce sermonibus, commentatur החקים והמשפטים שבואלה המשפטים *scil. statis & judiciis quæ sunt in sectione & hæc sunt judicia* Exod. 21.

§. II. R. Abarbanel vero completos hosce sermones ad immediate antecedentia verba refert, in quibus Mosi structura tabernaculi injungitur, Bezaleël ad tantum opus eligitur præceptum de observando Sabbatho repetitur. קצת, inquit, מהפרשים חשבו שהיתה ראויה זאת הפרשה להיות כתובה בסוף סדר אלא המשפטים כי שם נאמר ויאמר יהיה אל משה עלה אלי ההרה והיה שם ואתנה את לוחות האבן וג׳ו ויבוא משה בתוך הענן וגומר ויהיה משה בהר ארבעים יום וגומר ואחר זה בסמור היה ויתן אל משה ככלתו ואחריו היה מעשה עגל ואח״כ צוהו השם לפסול לוחות כראשונים ויעלה משה להר וקרן עור פניו ועד נצתווה על מעשה העגל ואח״כ המשכן אבל אין הענין כן לדעתי כי הפרשות הן נכתבות כלן בסדר וכפי הנהתן היו הדברים כי הני אחרי המשפטים צוהו השם שיעלה בהר לקבל התורה והמצות והלוחות ושם באותו מעמד עצמו צוהו על מעשה המשכן ובגדי הכהנים וקירבנותיהם ואחרי השלימו כל זה כמו שהוא בפרשינת או ויבן אל משה ככלתו לדבר אתו רוצה לומר כאשר כלה לדבר אתו כל מלאכת המשכן והדברים הנמשכים עליו אז נתן לו את שני לוחות האבנים ובהיותו בזה מוכן לרדת עשו את הישאל את העגל וירד הוא ע״ה ושבר את הלוחות ודן את עוברי העגל ואח״כ עלה להתפלל עליהם ויצוהו השם לפסול שני לוחות אבנים כראשונים ועלה ונתרצה לו הק״בה והראהו את כבודו ואת גודלו וקרן עור פניו וכאשר ירד הקהיל את העם וצוה אותם על מעשה המשכן: *Quidam ex Interpretibus putant hunc versiculum fine sectionis illius: hæc sunt judicia Exod. 21. apponi debuisse. Nam Exod. 24: 12. dicitur: Dixit Dominus ad Mosen, ascende ad me in hunc montem, & esto ibi, & tabulas lapideas tibi dabo. Item vs. 18. Ingressus Moses medium ipsius nubis ascendit montem, fuitque Moses in ipso monte quadraginta dies & qudraginta noctes. His, inquam versiculis subjicienda fuisse hæc verba: & dedit Mosi Dominus completis hisce sermonibus &c. his, vitulum Aaronis persuasum sibi habent. Deinceps DEUM præcepisse sculpturam tabularum: hinc Mosen ascendisse in montem, cutem faciei ejus splenduisse; ipsi injunctum ut Israelitæ aurum & argentum pro expiando delicto vituli offerrent; tandemque præceptum de conficiendo tabernaculo adjunctum. Verum meam quod attinet sententiam res ita sese non habet. Nam omnes hi versiculi ordine sunt scripti, ac prout prolata verba. Completis Judiciis præcepit DEUS Mosi ut ascenderet in montem, ad accipiendam legem, præcepta tabulasque. Hoc ipso tempore præceptum ipsi dedit de tabernaculo exstruendo, vestibus sacerdotalibus conficiendis oblationibusque offerendis, singulis hisce peractis dictum est: Et dedit Dominus Mosi &c. Quorum verborum hic sensus est: Postquam sermocinatus est cum eo de opere tabernaculi rebusque quæ sequuntur, tunc dedit Mosi duas tabulas lapideas. Et quia eo tempore, quo Mosi de monte descendendum erat, Israelitæ vitulum fecerant, descendens fregit tabulas, judiciumque exercuit in colentes vitulum; hoc facto ascendens ad DEUM pro illis intercessit; hinc mandatum Dominus ipsi de sculpendis tabulis lapideis dedit; iterum ascendens placatum sibi dominum invenit, qui ipsi quoque gloriam suam manifestavit, & splenduit cutis faciei ejus. Descendens & congregans populum injunxit illis facturam tabernaculi.* Cui sententiæ lubentius quam R. Salomonis subscribimus: partim quod causam stringentem videamus nullam à R. Salomone adductam, qua inducti ejus amplectamur sententiam; partim quod Deutet. 9: vers. 9. & seq. idem ordo historiæ servetur. Ubi simul annotatur tabulas legis Mosi datas מקץ ארבעים יום *completis quadraginta diebus*: ad quæ verba non inepte Bechai fol. 210. Col. 2. & 3. Edit. Venetæ scribit: מכאן למדנו שביום שנתנו הלוחות בו ביום נעשה העגל כי כשהזכיר למעלה ויתן יהוה אלי לא פירש כאי זה יום עלבן חזר ופירש כאן מקץ ארבעים יום והוא שאמר ישעיה

ע״ה

ע"ה ביום נטעך תשגשגי מלשון סיגים והוא עון העגל: *Hinc discimus eodem die quo datæ sunt tabulæ vitulum factum. Nam cum vs. 10. dixisset Moses: Dedit mihi Dominus easdem, non facit mentionem die. Id ipsum vero in hoc versiculo declarat. Dum subjicit completis quadraginta diebus. Idem est quod Esaias super quo sit pax, Propheta cap. 17: 2. dicit: In die replantationis tuæ crescere fecisti; subintellige scorias, quibus peccatum vituli describitur.*

§. III. Satis superque modo audimus ex R. Abarbanele quis genuinus verborum ככלתו לדבר אתו, sit sensus, sed longe alium exsculpit R. Salomon Jarchi. Nomine ככלתו alludi putat ad Sponsam (Sponsa enim Ebræis כלה nominatur) quæ una cum dote seu dono Sponso traditur; aut ad ornatum Sponsæ. לדבר אתו exponit per ללמד, quasi textus dicat & DEUM & Mosen vel legem vel aliud quidpiam didicisse: ככלתו כתיב חסר שנמסרה לו התורה במתנה ככלה לחתן שלא היה יוכל ללמד כלה בזמן מועט כזה דבר אחר מה כלה מתקשטת בעשרים וארבע קשוטין הם אמורים בספר ישעיה אף תלמיד חכם צריך להיות בקי בעשרים וארבע ספרים׳ לדבר אתו מלמד שהיה משה שומע מפי הגבורה ומונין את ההלכה שניהם יחד׳: Verba priora author Zennorennæ Libri Hebræo Germanici Amstelodami excusi fol. 82. Col. 2. ita transtulit: Der Paluk (Versicel) lernet uns / daß הק"בה (GOtt der Höchste) hat gegeben zu Mose die Thorah (Gesetz) mit einer Matthana (Geschenck) als man einer Challa (Braut) ein Matthana (Geschenck) schenckt / denn es ist gar schwer gewesen zu Mose zu lernen die Thorah (Gesetz) in 40. Tagen. Er sagt R. Simeon: Wie ist ein Challah? (Braut) die ziert man mit 24 Zierahten und Taschitin (Kleinodien) Also sol auch in Talmid Chacham (ein Schüler eines Gelehrten) gezieret seyn mit 24.Espharim (Büchern) posteriora לדבר אתו ita vertimus: *Scriptura docet Mosen verba ex ore DEI audivisse; utrumque simul scil. & DEUM & Mosen repetiisse & didicisse lectionem.* Hanc dum adducimus ridemusque fabulam, in mentem nobis venit aliud non multum ab hoc abludens somnium quorundam Rabbinorum asserentium הק"בה עסק בעשרים וארבעה ספרים דאורייתא ופתגמי נבואה וכתיבי ובליליא הוא עסיק בשיתה סדרי משנה: *S. Benedictus studet viginti quatuor libris Biblicis & verbis Propheticis, & Hagiographis, & noctu occupatus est in sex ordinibus Talmudicis.* Vid. Gaulmyn lib. 2. Notar. ad Vitam & Mortem Mosis cap. 2. p. m. 289. Non tantum legere, verum etiam orare DEUM communissima Talmudistarum est opinio: Legi hac de re præter Hackspan. Tract. ad Nizzachon Lipmanni cap. 1. potest doctiss. Angulus Johannes Lightfootus in suis horis Hebraicis & Talmudicis in Evangel. Lucæ cap. 6: vers. 12.

§. IV. Ubi vero completi sunt hi sermones? respondet Textus בהר סיני *In monte Sinai.* Carolus Sigonius & alii existimant Sinai non Montis nomen esse sed deserti, in quo Mons ille fuit, qui propterea Mons Sinai dicatur non per oppositionem sed per additionem genitivi rei diversæ, quasi Mons deserti Sinai. Id quod Græce manifestius esset τὸ ὄρος τῆς σινᾶ non τὸ σινᾶ. Sed si res ita sese habet, cur, quæso, non ita sed potius aliter loquuntur Josephus Χρόνῳ δ' ὕστερον inquit lib. 2. antiq. Jud. cap. 5. νέμων ἐπὶ τὸ σιναῖον καλέμενον ὄρος ἄγει τὰ ποίμνια. Et lib. 3. cap. 1. δεινῶς ἐλύπει πάλιν αὐτοὺς ἀγομένους ἐπὶ τὸ σιναῖον ὄρος &c. Conf. cap. III. & IV. dicti libri. LXX. Interpretes cap. 19. Exodi vs. 11. τῇ γὰρ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ καταβήσεται κύριος ἐπὶ τὸ ὄρος σινά, & 16. καὶ ἐγίνοντο φωναὶ καὶ ἀστραπαὶ καὶ νεφέλη γνοφώδης ἐπ' ὄρους σινά. Et denique ipse Apostolus Paulus in Epist. ad Galat. 4: 25. σινὰ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀραβίᾳ, *Sina mons est in Arabia.* Ex his testimoniis hoc potius colligimus, quod, quando dicitur desertum Sinai, hoc fiat commodius illo sensu, scilicet desertum Montis Sinai, aut desertum in quo est Mons Sinai. Extra omne fere dubium est collocatum hunc Montem סיני à סנה quo nomine Rubus venit, dictum. Vel à ruborum copia; vel à rubo ardenti à Mose viso. Prius plerisque Interpretibus Christianis placuisse deprehendimus montemque binominem fuisse: Horeb dictum à siccitate; Sinai vero à ruborum copia. Sicco pede hic non est prætereundum quosdam Horeb & Sinai ab invicem distinguere. Partem Montis Orientalem Sinai, Occidentalem Horeb facere: alios contiguos fuisse duos Montes bicipitis altitudinis, eam qui altius assurrexit Sinai, paulo depressiorem Horeb dictum, asserere, qua de re Comment. legi possunt. Posterius Ebræi sequuntur. Huc faciunt quæ in Pirke Elieseris c. 41. fol. 31. col. 1. legimus: אמר ר׳ אליעשר המודעי מיום שנבהאו שמים וארץ נקרא שם ההר חרב וכשנגלה הק"בה על משה מתוך הסנה על שם הסנה נקרא סיני הוא חרב ומנין שקבלו עליהם את התורה בהר חורב שנאמר יום אשה עמדת לפני יהוה אלהיך בחורב: *Dixit R. Eliezer Amodæus, à die quo creati sunt cœlum & terra, vocatum fuit nomen istius montis Choreb. Postquam autem apparuit Sanctus Benedictus Mosi è medio rubi, à nomine* סנה *rubi Choreb dictus fuit* סיני *Sinai. Unde vero probas, quod receperint in se legem in Monte Choreb? quia dicitur: hodie stetisti coram DEO tuo in Choreb, Deut. 4: 10.* Et hæc Schem Tof & Ephodæi in Comment. in cap. 66. part. 1. Maim. More Nebochim: נקרא ההר ההוא הר סיני על שם הסנה כמו שנגלה יהוה למשה מתוך הסנה: *Dicitur Mons Sinai propter rubum eo quidem plane modo, quo DEUS Mosi è medio rubi apparuit.* Ubi simul mentionem faciunt, lapides in Monte Sinai reperiri gestantes effigiem rubi nulla fractura delebilem. Ephodæus se ipsum ut oculatum hujus rei testem adducit. Schem Tof l. cit. fol. m. 48. col. 2. Edit. Venetæ hunc in modum de his lapidibus loquitur: אמר החכם ר׳ משה הנרבוני ז"ל דע כי האבנים הנמצאים בהר סיני יצוייר עליהם הסנה ואחד מנכבדי ברצלונה מבני בן חסדאי הביא עמו מין האבנים ההם וראיתי בו הסנה מצוייר בתכלית הציור והציור ציור אלהי ושברתי האבן לחצאים ונגלה הסנה בכל חלק וחלק וחלקתי אותו החלק לחצאים ונמצא הסנה מצוייר בשטח כל חלק בפנימיותי ובן פעמים עד שהיו החלקים כדמות בוטנים ועדיין הסנה בהם: *Dixit R. Moses Narbonensis f. m. sciendum tibi est, lapides in monte Sinai reperiri, figuratum in se habentes rubum. Quidam ex præcipuis Barzelonæ, ex filiis Ben Chasdai attulit secum hujusmodi lapidem. In eo vidi rubum perfectissime accuratissimeque expressum, figura autem erat plane divina. Hunc per medium divisi, & tamen rubus in utraque parte apparuit partem quandam sumens, per medium iterum fregi: verum denuo visus est rubus in superficie interiori cujuslibet partis. Hoc multoties tentavi, usque dum fragmenta nucibus avellanis similes existerent, sed & hactenus rubus sese conspiciendum dedit in lapide.*

§. V. His præmissis ipsa verba, quibus tabularum descriptio continetur, aliquanto accuratius pensiculanda erunt quæ sic se habent: ויתן אל משה ככלתו לדבר אתו בהר סיני שני לחת העדת לחת אבן: *Completis hisce sermonibus in monte Sinai dedit Mosi duas tabulas testimonii, tabulas lapideas.* Dicuntur 1. tabulæ pro ut scribit Abarbanel fol. 209. לפי שהיו אבנים בצורת לוחות דקות לכן קראם לוחות כי היה כלוח אשר יכתבו עליו: *Quoniam lapides formam tabularum tenuium habuere eas scriptura vocat* לוחות *tabulas, quia similes fuerunt tabulæ cui aliquid inscribitur.* Cur duæ? Respondet Bechai fol. 117. col. 1. על דרך הפשט מה שלא היה לוח אחד שיכתבו עליו עשרת הדברות יהיו שנים לפי שנקראים לוחות העדות ואין עדות אלה בשנים ועל דרך המדרש שני לוחות העדות כנגד שמים וערץ כנגד כלה והתן כנגר שני שושבינין כנגד שני עילמים: *Secundum sensum literalem cur non fuit tabula unica cui inscriberentur decem præcepta sed duæ? Exinde quod eas vocat tabulas testimonii: nullum vero est testimonium nisi ad minimum duo sint. Secundum sensum homileticum duæ sunt tabulæ testimonii respectu cœli & terræ; Sponsi & Sponsæ; duorum amicorum;* (ut Jonathan cum Davide) *duplicis mundi* (præsentis scil. & futuri) 2. tabulæ testimonii, Chaldæo לוחי סהדותא LXX. Interpr. πλάκαι μαρτυρίου לפי שהיו עדות לתורה שניתנה בסיני לישראל ששמעו עשרת הדברות כמו שהיה על הלוחות: uti monet Abarbanel fol. 209. *quia testantur legem in monte Sinai datam Israelitis decemque præcepta prout scripta fuerunt super tabulas audita.* His consona sunt quæ fol. 211. Col. 3. habet: וכבר ביארתי שמפני שהיו כתובים על הלוחות עשרת הדברות לכן נקראו לו לוחות העדות שנכתב בהם היה עדות במה ששמעו: *Jam pridem tibi exposui, quia his tabulis decem præcepta inscripta fuerunt, vocari tabulas testimonii, quia id quod ipsis inscriptum est de eo testatur quod Israelitæ audiverunt.* Vel ut inquit Bechai fol. 117. col. 1. עדות לישראל שהשכינה שורה בתוכם כמי שמביא בידו חותמו של מלך: *Quia in testimonium fuere Israelitis Majestatem divinam habitare in medio ipsorum: ad instar alicujus suis manibus sigillum regis portantis.* Huc faciunt quæ Zennorennæ author fol. 82. col. 2. habet. Die Luchoth waren ein Eduth zu Israel / daß die Schechina (sichtbare Majestät Gottes) Ruht bey Israel. Und die Luchoth seyn gleich als ein Chuppa das der Melech (König) schickt zu Leuten / man sol wissen daß er bey ihnen ist. Vel ut aliis placet, *DEUM his duabus tabulis in quibus decem præcepta erant scripta Israelitis suam voluntatem, quicquid eos in posterum facere vellet, testatum fuisse.* Et hoc respectu vocantur לחת הברית tabulæ fœderis, Deut. 9: 9, 10, 15. quod DEUS cum ipsis pepigerat. 3. tabulæ lapideæ secundum mentem cujusdam ex sapientibus Hispaniæ referente Aben-Esra in Comment. suo in cap. 24: 12. Exod לפי שהם ממין אבן לא מעץ *quia materia earum fuit lapis non lignum.* Anxie hic à Rabbinis quæritur? ex quo lapide hæ tabulæ fuerint? Plurimi Sapphirinas fuisse tradunt.

Hinc

Hinc passim in scriptis eorum legas: *De throno gloriæ eas accepit, erantque ex Sapphiro* Rabbi Bechai fol. 117. col. 2. וידוע כי הלוחות היו של סנפירנון ולוקחו מכסא הכבוד וכן מצינו בכסא הכבוד כמראה אבן ספיר דמות כסא ומלת לחת באתבש כסא ולכך שכינה שורה עליהם כמו על כסא ומפני שהלוחות לוקחו מכסא הכבוד נקראת התורה כבוד שנאמר כבוד חכמים ינחלו וכן הנפש השכלית שרשה בכסא הכבוד ונקראת כבוד שנאמר למען יזמרך כבוד ונפשו של אדם המתעסק בתורה זוכה לשוב לשרשו שנאמר תורה יהוה תמימה משיבת נפש: *Scias tabulas sapphirinas fuisse sumptas de throno gloriæ. Sic invenimus dictum de throno gloriæ, Ezech. 1: 26. Quasi specie lapidis sapphiri similitudo solii erat. Vox* לחת *per commutationem Alphabeticam Athbasch facit* כסא, *propterea Majestas divina supra eas ut solio quodam quievit. Et quia tabulæ de throno gloriæ sunt sumptæ vocatur lex, gloria, prout dicitur Prov. 3: vers. 35. gloriam sapientum hæreditabunt. Sic anima intellectualis quia radicem suam habet in throno gloriæ, vocatur* כבוד *gloria, sicut scriptum: Psal. 30:13. Gloria tibi cantabit. Imo anima ejus, qui operam navavit legi, meretur, ut revertatur ad radicem suam, sicuti dicitur: Doctrina Jehovæ integra est, restituens animam.* Psal. 19: 8.

§. VI. Tale quid non solum de primis verum etiam posterioribus tabulis comminiscuntur. Rabbi Simeon in Jalkut ita: *Tabulæ istæ opus DEI, non ex terra sed ex cœlo: & quando dixit DEUS Mosi ut eas dedolaret, statim in medio Mosaici tabernaculi creavit sapphirinum quadrum, quem Moses complanaret, sicut dicitur: Et exscidit duas tabulas lapideas: complanavit eas vermis* שמיר *opera.* Sine dubio hæc ex Pirke R. Elieseris cap. 46. fol. m. 35. col. 2. ubi sequentia leguntur sunt excerpta: וכשאמר הק"בה למשה פסול לך שני לוחות אבנים וגומר מחצב של סנפרונון נברא למשה בתוך אהלו וחצבן שנאמר ויפסול שני לוחות כראשונים: *Quam primum Sanctus Benedictus Mosi dixit, sculpe tibi duas tabulas lapideas &c. statua sapphirina in medio tentorii est creata, & exsculpsit eas prout dicitur: & dolavit duas tabulas sicut Primas.* Hinc quoque scribunt Mosen ex tabularum scobe divitem factum. Vid. Gaulmyn lib. 3. cap. 1. Not. ad Vitam & Mortem Mosis p. m. 345. & 346. Sed his nugis ac somniis bene sese opponit R. Aben-Esra: אין ראוי לטעון עלי אם היו אלא האבנים יקרות והתשיבה כי היו יקרות מאד בעבור מכתב אלהים שהוא חרות עליהם כי היו צריכים להיות עבות ואנה ימצא אבן יקרה מאד וארכה אמה ורחבה אמה וחצי ואמה קימתו ועוד מאין יפסול משה שני לוחות אבנים יקרים כמדת הראשונים: *Nec est, inquit, ut mihi objicias lapides hoc pretiosos fuisse: Responsio enim est in promptu lapides hos omnino pretiosos fuisse propter scripturam DEI ipsis insculptam. Adhæc necessum fuit ut aliquam crassitiem præ se ferrent; jam, ubi gentium gemmam invenies, cujus longitudo & latitudo sesquicubitum exæquet; crassities vero cubiti mensuram expleat? Imo unde exsculpsit Moses duas tabulas lapideas tam pretiosas similes prioribus?* Quidam hæc verba posteriora ita [illegible]: *Et quomodo deinde Moses tam cito potuisset dolare & formare duas tabulas alias similes prioribus*: num ad mentem Aben-Esræ, aliorum esto judicium. In eo tamen R. Aben-Esra & fallit & fallitur, quod tanta & crassitie & longitudine & latitudine tabulas fingat. Nec mirum; hunc enim errorem satis crassum pars maxima recutitorum errat. Testis inter alios est Bechai, qui præ cæteris in definienda Mensura tabularum accuratus (pro more suo) vult videri fol. 117. hæc sequentia tradens: דע כי הלוחות היו מרובעות ששה טפחים באורך וששה טפחים ברוחב וכן דרשו ז"ל בבא בתרא פרק השותפין הלוחות ארכם ששה ורחבם ששה ועב' ששה: *sciendum tibi est, tabulas fuisse quadratas sex palmis longas totidemque latas. Et sic homiletice exponunt Rabbini nostri p. m. in Bava Bathra Capite* השותפין *tabularum longitudo, crassities latitudo sex palmas habuit.* Sane si tanta & crassitie & longitudine & latitudine fuissent, neque commode manibus teneri, tantaque facilitate frangi potuissent. Idem inculcat Rabbi Abarbanel fol. 209.: היו הלוחות דקות כדי שלא יהיו כברות מאד לנשוא אותן: *Tabulæ fuerunt tenues, ne graves essent ad portandum.* Et fol. 211. col. 3. היו הלוחות דקות מאד כדמות הלוחות שיכתבו בהם אנשים המלמדים לכתיבה: *fuerunt admodum tenues ad similitudinem tabularum super quibus scribere solent ii, qui pueros docent scribere.* Et paucis interjectis: ולמדנו מזה שהיו הלוחות דקות מאד וכן יראה מענינם שמיד ששליכם מידו לארץ נשברו ואלו היו עבות לא היו נשברות לשעתם: *Hinc discimus tabulas admodum tenues fuisse, quod res ipsa quoque docet: Nam è vestigio dum Moses eas ex manibus suis jecit in terram, sunt fracta, quod, si crassitiem quandam habuissent, non evenisset.* Non sine causa factum videtur quod hæ tabulæ ex lapide fuerint. Rabbini varias afferunt rationes; quarum aliquæ taliter sunt comparatæ ut risum mereantur. R. Abarbanel fol. 209. hanc in rem ita scribit: וכבר ביארתו שרצה השם לכתוב עקרי התורת באבנים ההם כדי שיתקיימו תמיד מבלי הפסד והוא מורי על נצחיית התורה לעד: *Jam pridem tibi exposui DEUM voluisse fundamentum legis tabulis lapideis inscribere ut absque ulla corruptione semper consisterent: hoc docet, legem futuram æternam.* Rabbi Bechai fol. 117. col. 1. אמר ר' חנינא לוחת כתיב לא זה גדול מזה ולא זה גדול מזה ולמה של אבן שרובם של עונשים בסקילה דבר אחר לוחות אבן שנתנו בזכותו של יעקב אבינו שנקרא אבן שנאמר משם רועה אבן ישראל דבר אחר בזכות בית המקדש שנאמר הנני יוסד בציון אבן: *Dixit R. Chanina* לחת *scriptum defective absque* ו *non* לחות *ad innuendum, hanc tabulam præ illa majorem non fuisse.* (idem observavit R. Salomo qui videatur) *Cur lapideæ? Quia maxima pars præceptorum transgressorum lapidatione punitur.* (Huc faciunt hæc Zennorennæ fol. 82. col. 3. Und warumb sind die Luchoth (Taffeln) gewesen aus Stein. Der weil die meisten Mizvoth (Gebote) die man überfehrt / da thut man ihn fort steinigen mit Steinen) *Vel, quia propter meritum Jacobi Patris nostri, cui nomen lapidis adscribitur, datæ, prout dicitur: Unde Pastor & lapis Israelis Gen. 49: 24. Vel propter meritum domus sanctuarii, prout scriptum est Es. 28: 16. Ecce ego in Zione fundamentum posui lapidem.*

§. VII. Verum hæc triga rationum R. Chaninæ parum habet roboris. Ut jam nihil dicamus de duabus posterioribus quæ adduxisse est refutasse, sed tantum de prima qua dicebatur ideo tabulas lapideas fuisse, quia major pars suppliciorum in lege expressorum contra violatores ejusdem fit lapidatione, asserimus hanc stante ratione non immerito quempiam concludere posse, pellibus animalium decem præcepta ut inscriberentur conveniens fuisse cum scriptura, lexque sacrificia multiplicet. Placet vero hic non tantum de lapidatione verum etiam aliis generibus mortis data occasione à R. Chanina, quibus olim flagitiosi in Israel puniebantur ex Ebræorum scriptis pauca referre. Quatuor pœnarum genera Ebræi numerant suntque סקילה שריפה הרג וחנק lapidatio, ustio, interemptio quæ fit gladio, & denique strangulatio, de singulis breviter. De loco & modo lapidandi sic tradunt. Locus lapidationis extra consistorium fuit. Reo quatuor cubitis à loco lapidationis distanti vestes extrahebantur; viri pudenda tegebantur, mulieris vero & anteriora & posteriora. Locus lapidationis altitudinem habebat duorum cubitorum, ad quem reus vinctis manibus ascendebat. Illum alter testium præcipitem dabat è sublimi: ex qua præcipitatione si non fuit mortuus, elevabant testes lapidem ibidem jacentem, habentem pondus duorum hominum, quem alter testium super eum projiciebat. Quod si ne sic quidem mortuus fuit, tum demum accessit totus Israel & lapidavit eum. Quando vero puella desponsata scortata est, lapidata fuit ante fores domus patris sui, vel ad fores portæ civitatis. Octodecim genera hominum lapidatione puniebantur. Qui rem habebat cum matre, vel cum uxore patris, vel cum nuru, vel cum virgine desponsata, vel cum masculo, vel cum jumento: Mulier prostituens se jumento, blasphemus, Idololatra, qui de semine suo Moloch offerebat, violator Sabbathi, incitans & impellens ad Idololatriam, atque filius protervus & rebellis. De Combustione hæc tradunt. Immergebatur reus in stercus usque ad genua. Deinde applicabatur mappa collo ejus, quæ à duobus utrinque trahebatur, donec os aperiret, quo aperto, mox liquefactum stannum vel plumbum infundebant hianti, quod immissum, descendebat in viscera ejus, & statim ea comburebat. Comburebantur decem genera hominum. Filia sacerdotis quæ fornicata erat sub marito suo. Qui rem habuit cum filia sua, vel cum nepte sua, vel cum filia filii sui, vel cum filia uxoris suæ, vel cum filia filii ejus, vel cum filia filiæ ejus, vel cum socru sua vel cum matre socrus suæ vel cum matre soceri sui. Præceptum de collocandis est tale. Gladio præscinditur caput sicut hodie magistratus in usu habet. Capite plectebantur, homicida & homines civitatis quæ defecit ad Idololatriam, homicida qui percussit proximum suum lapide aut ferro, & impellit eum in aquas aut in ignem unde non queat rursum ascendere, ita ut moriatur, talis reus est. Strangulatio hunc in modum peragebatur, imponebatur in stercus usque ad genua, injecta scilicet mappa in collum ejus, quam duo hinc & hinc ad se trahebant, donec ille efflaret animam. Strangulabantur, qui percussit patrem suum & matrem suam; Qui furatur animam de Israel, senex qui contradicit consistorio, Pseudopropheta & qui prophetat in nomine Idoli; Qui rem habet cum uxore alterius; qui traducit filiam sacer-

ſacerdotis, & qui ſubagitat eam. Hæc ex tractatu Talmudico Sanhedrin Cap. VI. & VII. deſumpſimus, plura qui legere hac de re geſtit locum dictum adeat, & Maim. הלכה Sanhedrin.

§. VIII. Præſtantia tabularum eo ipſo indicatur, dum מעשה אלהים *opus DEI vocantur.* מעשה יהוה ſeu מעשה אלהים quandoque in ſcripturis, id, quod DEUS mediate adhibito cujuſdam miniſterio agit, dicitur. Ita ſumitur Exod. 34: 10. ויאמר הנה אנכי כרת ברית נגד כל עמך אעשה נפלאת אשר לא נבראו בכל הארץ ובכל הגוים וראה כל העם אשר אתה בקרבו את מעשה יהוה כי נורא הוא אשר אני עשה עמך: *Et dixit: Ecce ego pango fœdus; coram toto populo tuo facturus ſum mirabilia, quæ non fuerunt patrata in tota terra & in omnibus gentibus: adeo ut videat totus hic populus in cujus medio es* מעשה יהוה *opus Jehovæ reverendum eſſe quod ego ſum facturus tecum.* Et Joſuæ 24: verſ. 31. ויעבד ישראל את יהוה כל ימי יהושע וכל ימי הזקנים אשר האריכו ימים אחרי יהשוע ואשר ידעו את כל מעשה יהוה אשר עשה לישראל: *Coluit autem Iſraël Jehovam omnibus diebus Joſuæ; omnibus etiam diebus ſeniorum, qui prolongarunt dies poſt Joſuam, quique experti erant omne* מעשה יהוה *opus Jehovæ quod fecit Iſraël.* Exinde plagæ Ægyptiis à DEO manu Moſis immiſſæ מעשה אלהים ſeu opus Dei commode vocantur. Quandoque per מעשה יהוה ſeu מעשה אלהים productio rei immediate à DEO peractæ inſinuatur. Hoc ſenſu occurrit, Pſal. 107: 24. המה ראו מעשי יהוה ונפלאותיו במצולה *Ipſi vident opera Jehovæ & mirabilia ejus in profundo.* Pſal. 8: 4. כי אראה שמיך מעשה אצבעתיך *Videbo cœlos opus digitorum tuorum.* Hinc Pſalm. 33. בדבר יהוה שמים נעשו *Verbo Domini cœli ſunt facti*: Et Pſal. 136: verſ. 5. לעשה השמים בתבונה *Qui fecit cœlos in intellectu.* i. e. ſingulari ingenio & induſtria. Et Geneſ. 1: 7. ויעש אלהים את הרקיע *Et fecit DEUS expanſum.* Et ita hic quoque מעשה אלהים exponendum. Quemadmodum enim Moſi à DEO datæ: ita quoque ab eo ſunt productæ, figura earundem artificio humano non facta, ſed ab ipſo DEO modo miraculoſo fabricata. Hinc Maimon. in More Nebochim Cap. 66. part. 1. והלוחות מעשה אלהים המה רוצה לומר שמציאותם טבעית לא מלאכותית כי כל הדברים הטבעיים יקראו מעשה יהוה המה ראו מעשה יהוה וכאשר זכר הדברים הטבעיים כלם מצמח ובעלי חיים ורוחות ומטר וכיוצא בהם אמר מה רבו מעשיך יהוה ויותר מופלג מזה היחס אמרו ארזי לבנן אשר נטע בעבור היות מציאות טבעית לא מלאכותית אמר שהשם נטעם: *Legimus apud Moſen & tabulæ erant opus DEI, cujus dicti ſenſum eſſe exiſtimo quod eſſentia ipſorum erat naturalis non artificialis: Omnes enim res naturales vocantur opus DEI, ut ipſi viderant opus DEI Pſalm. 107: vſ. 24. Hinc poſtquam David mentionem feciſſet omnium fere rerum naturalium, plantarum, animalium, ventorum, pluviarum, & aliarum ſimilium, concludit tandem quam multa ſunt opera tua Domine.* Non diſſentiunt alii. *R. Salomon Jarchi*: עשאן בכבודו הוא במשמעו *ſecundum literam hæc verba ſunt exponenda; ſenſuſque eſt DEUM has tabulas gloria, hoc eſt glorioſa ſua potentia feciſſe. R. Ab. Eſra.* קדמונינו אמרו כי נגזרו להיותם ככה כאשר פירשתי בראש ספר בראשית ולפי דעתי כי פיר' מעשה אלהים שהיו ככה כמדה ראויה נבראים והזכיר זה בעבור שהשניים פסלם משה *Anteceſſores noſtri dixerunt decretum eſſe ſuper tabulas ut opere DEI fierent, prout expoſui in principio Geneſeos. Secundum meam vero mentem, ſenſus verborum, opus DEI illæ ſunt, hic eſt, menſura ſcil. convenienti creatas; & ſcripturam hujus meminiſſe ad innuendum alteras tabulas à Moſe eſſe dolatas.* R. Bechai fol. 118. Col. 3. המה אין הפעלה והכונה פעלה מלאכותית אלה מעשה אלהים בדברו שנאמר בדבר יהוה שמים נעשו וכתיב ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים: *Tabulæ non fuere opus aliquod artificiale, verum DEI opus per verbum, prout dicitur, Pſalm. 33. Verbo Domini cœli ſunt facti. Item Geneſ. 2. In die quo fecit Dominus DEUS terram & cœlum.* Denique Rabbi Abarbanel fol. 211. Col. 3. זכר שתמונתם היה בדמות לוחות אבל לא היה פועל מלאכותי נעשה על ידי בני אדם אלא מעשה אלהים שברוך המופת נעשו כן: Ebræi his non contenti tacente ſacra ſcriptura, ulterius pedem hoc in negotio promoventes creationem harum tabularum in veſperam ſabbathi primi una cum aliis rebus conjiciunt. Tale quid legimus in tractatu Talmudico פרקי אבות ſeu Capitulis patrum Cap. 5. ſect. VI. עשרה דברים נבראו בערב שבת בין השמשות ואלו הן פי הארץ ופי הבאר ופי האתון והקשת והמן והמטה והשמיר והכתב והמכתב והלוחות יש אומרים אף המזיקין וקבורתו של משה ואילו של אברהם אבינו: *Decem res ſunt creatæ in veſpera ſabbathi, inter veſperas & ſunt iſtæ: Os terræ:* (vorago illa quæ Korach, Dathan & Abiram cum toto cætu abſorpſit, Numer. cap. 16: vſ. 31, 32. ita enim explicat Rabbi Salomon פי הארץ שפצתה את פיו בימי קרח אותו פתח נברא בארץ באותו מקום מז' ימי בראשית אלא שמכוסה הפתח ללמעלה עד אותו זמן. *Os terræ quod aperuit os ſuum in diebus Korach, ipſe ille ingreſſus creatus eſt in terra in ipſo loco, intra ſeptem dies creationis, ſed opertus fuit ſuperne uſque ad illud tempus. Vid.* quoque ejus Commentar. in loc. Numer. 16. *& os putei* (quem Moſes ſaxum verberando produxit, quemque filios Iſraëlin deſerto quocunque pergerent, ſecutum fuiſſe credunt, donec mortua fuit Mirjam ſoror Moſis: tum enim non amplius ſecutum fuiſſe dicunt) *Et os aſinæ* (ſcilicet Bileami quæ dominum ſuum allocuta eſt. Gloſſa ad hunc locum פי האתון של בלעם שנגזר עליה שתפתח פיו לדבר *Os Aſinæ Bileami, de qua decretum eſt, quod aperiret os ſuum ad loquendum*) *Et iris, & Manna, & virga Moſis, & Schamir* (fuit reptile parvum. Talmudici ſcribunt fuiſſe vermiculum inſtar grani hordeacei cujus virtute ſciſſi & fiſſi fuerunt lapides duriſſimi. Hinc volunt Moſen eo uſum fuiſſe ad aptandos lapides pretioſos Ephodi; Salomonem etiam eo diffidiſſe lapides ad ædificationem templi, cum lapide integro, lapidibus quadratis & devolutionis, prout è monte ſciſſi & advecti fuerunt, ſine uſu ferramenti alicujus templum exſtruxiſſe legatur 1. Reg. 6: 7. Referunt præterea Salomonem ope ſapientum ab Aſmodæo dæmoniorum principe (quo de Vid. Lightf. Horas Eb. in Euang. Lucæ Cap. 11: verſ. 15.) eum vermiculum impetraſſe. R. David Kimchi ad 1. Reg. 7: 7. ſcribit aquilam adduxiſſe eum vermiculum ex Paradyſo. Ubi tandem Schamir manſit? In tract. Talmud. Sota fol. 48. legitur. משחרב בית המקדש בטל השמיר *A quo tempore vaſtata fuit domus ſanctuarii deſiit eſſe vermiculus Schamir.* Plura talia qui legere geſtit Buxtorf. Lexicon Talmud. Rabb. pag. 2456. evolvat) *Et ſcriptura legis & ſcriptura tabularum decalogi & tabulæ. Et quidam dicunt DEUM illa veſpera creaſſe etiam dæmones noxios, & ſepulchrum ipſius Moſis & arietem Abrahami Patris noſtri.* Targum ad locum Num. cap. 22: vſ. 27. quod ſub Jonathanis Uzielis filii, qui paulo ante natum Salvatorem floruit, qua de re in Tractat. Talmud. Bava Baſra fol. 134. & in ſuccæ fol. 28. titulo, ſed falſo circumfertur, hoc ordine decem has res enumerat. *Decem res creatæ ſunt poſt perfectionem mundi, in aſcenſu Sabbathi inter duas veſperas, Manna, puteus, Virga Moſis, Schamir, Iris, nubes gloriæ, os terræ, ſcriptura tabularum fœderis, dæmones, os loquens aſinæ, quod eo momento aperuit verbum Domini, & præparatus eſt illi ſermo & dixit &c.* Abſurdam hanc Talmudiſtarum ſententiam Magnus Doctor Maimon. de quo alias tritum circumfertur ממשה עד משה לא היה כמשה: *à Moſe Propheta uſque ad Moſen Ægyptum, non fuit ſicut iſte Moſes* amplecti videtur, dum Cap. 66. part. 1. More Nebochim ita ſcribit: וכבר ידעת דבר המשנה עשרה דברים נבראו בין השמשות ומכללם הכתב מורה על היות הענין המוסכם עליו אצל המון העם שמכתב הלוחות כשאר מעשה בראשית כולו כמו שבארנו בפרוש המשנה *Noſti quod in hunc ſenſum in Miſchna legitur: decem res creatæ ſunt inter veſperas, & ex eorum quoque numero eſt ſcriptura tabularum. Ex quo colligimus extra controverſiam & in confeſſo apud omnes ſemper fuiſſe, ſcripturam tabularum eſſe ſicut reliqua opera creationis, quemadmodum in Miſchna expoſuimus.* Ne quis vero putet Maimon. his verbis non tam ad veſperam ſabbathi, quam ad ipſam creationem reſpicere, audiat Abarbanelem fol. 211. Col. 2. ita de Maimonide loquentem, ſimulque ab hac ſententia divortium facientem אבל מה שראוי שיאמין הוא שביום הו' של ימי בראשית ערב שבת בין השמשות עלה במחשבתו יתברך לברא הדברים האלה בדרך פלא כל אחד לשעתו כפי הצורך אמנם למה זכרו במשנה אותם הי' הדברים מזולתם מהנפלאות כבר ביארתי ענינו בספר נחלת אבות אשר עשיתי בפיר' מסכת אבות *Verum quam conveniens eſt quod Rambam credidit, veſpera ſabbathi inter veſperas DEUM ſibi propoſuiſſe has res creare ac miraculoſe unamquamque rem horæ certæ, prout neceſſitas efflagitaret, deſtinare. Sed cur in Miſchna decem rerum aliarumque mirabilium mentio fiat, jam pridem tibi expoſui in libro dicto Hæreditas patrum, quem conſcripſi ſuper tractatum Talmudicum dictum capitula Patrum.* Ab. Eſræ mens eſt res has quæ creatæ dicuntur, non revera creatas; ſed שגזר השם לחדש באותות האלה שהן חוץ לתולדת: *DEUM novare decreviſſe naturam per hæc miracula quæ ſunt extra naturæ ordinem.*

§. IX. Non tantum in eo præſtantia harum tabularum conſiſtit quod ſint מעשה אלהים, verum etiam quod fuerint כתובים באצבע אלהים *ſcriptæ digito DEI.* Bene in hunc locum

locum Aben-Eſra: ודבר הכתוב באצבע אלהים. על מנהג הארם כי כל חפץ השם ברבר פיו יקום ופיו דבר פה על דרך משל כמשפט מלכי הארם וככה כי הוא צוה ונבראו ודברי השם נצבים הם בשמים בנגר השפלים וכן כתוב לעולם יהוה דברך נצב בשמים והמשכילים יבינו: *Scriptura loquitur humano more, dum meminit tabularum digito DEI ſcriptarum. Nam omnis voluntas DEI per verbum oris ſui conſiſtit, ſenſus eſt ſcripturam hic loqui parabolice, ſecundum morem regis cujuſdam terreni; reſque ita ſeſe habet: DEUM ſcil. præcepiſſe & creatas eſſe tabulas. Verba DEI conſiſtunt in cœlis propter res inferiores, hinc quoque ſcriptum eſt, Pſalm. 119: vſ. 89. In ſeculum Jehova. verbum tuum conſiſtit in cœlis.* Digitum DEI non raro ſcriptura manifeſtam DEI potentiam, & virtutem quæ negari non poteſt, vocat. Quod enim manifeſtum & notum eſſe volumus, digito monſtramus. Exinde Exod. 8: verſ. 18. Magi Pharaonis: אצבע אלהים הוא *hic eſt digitus DEI*: id eſt, manifeſta DEI potentia & virtus. Chaldæus Paraphraſtes Onkelos: מחא מן קדם יהוה הוא *plaga à facie Domini*: id eſt, virtute divina facta eſt hæc plaga non arte magica. R. Salomon Jarchi: מכה זו אינה על ידי כשפים מאת המקום היא: *Hoc genus plagæ non à præſtigiatoribus ſed ab ipſo DEO immiſſum.* Rabbi Bechai fol. 75. col. 1. אמרו כי היא מכה מאת יהוה יתעלה *His verbis plagam ab ipſo Sancto Benedicto provenire confitentur*: & paucis interjectis: כאשר ראו החרטמים שלא יכלו להוציא את הכנים הודו במעשה אהרן שהיה מאת אלהים ולכן לא קרא להם הפרעה מן העת הזאת והלאה: *Magi videntes productionem pediculorum manu Aaronis factam ſibi impoſſibilem, eandem ipſi DEO adſcripſerunt.* Vid. quoque Aben-Eſram ad hunc locum. In hiſtoria Ebraica templi ſecundi legitur Antiochum Epiphanem in lethali morbo idem dixiſſe נגעו יהוה הוא וכא מחנהו בגרב ובהרס ובכל חלאים רעים וכשראה כל זה אמר אצבע אלהים היא: *Percuſſit eum Dominus & totum ejus exercitum ſcabie, & prurigine aliiſque peſſimis morbis: quod omne cum viderat, dixit: hic eſt digitus DEI.* Digitus DEI, id eſt, virtus DEI. Non aliter ſumitur quoque Pſalm. 8. כי אראה שמיך מעשה אצבעתיך: *Videbo cœlos opus digitorum tuorum.* Simili de cauſa Chriſtus digito DEI ſe ejicere dæmonia dicebat contra Phariſæos, Luc. 11. id eſt, virtute divina, non humana aut diabolica. Non diſſimili ſenſu in hoc noſtro textu venit. Id inter alios annotavit Abarbanel fol. 211. col. 3. ita ſcribens: אמר כתובים באצבע אלהים על דרך מה שאמר כי אראה מעשה אצבעתיך: *dicit ſcriptura quod fuerint ſcriptæ digito DEI, eo ſenſu quo dicitur: Videbo cœlos opus digitorum tuorum, Pſalm. 8.* Hoc reſpectu dicitur והמכתב מכתב אלהים *& ſcriptura ſcriptura DEI.* Deut. 5:22. *iſta verba locutus eſt DEUS* ויכתבם על שני לחות Nam ut ſcribit Abarbanel fol. 211. col. 3. המכתב שהיה כתוב בהן לא היה פיעל ארם אלא מכתב אלהים שעל דרך הפלא נעשו ותכונות האותיות שמה ונכתבו אותם עשרת הדברה: *ſcriptura quæ tabulis his fuit inſcripta non opus hominis ſed ſcriptura ipſius DEI. Nam miraculoſæ factæ ſunt ibidem figuræ literarum, & ſcripta decem præcepta.* Hinc quoque ulterius dicitur והמכתב מכתב אלהים הוא חרות על הלחת: *Et ſcriptura ſcriptura DEI erat exarata ſuper tabulas.* LXX. κεκολαμμένη *ſculpta.* Atque ita Vulgatus. Onkelos מפרש *clare expreſſa.* Jonathan חקיק ומפרש *ſculpta & explicata ſeu explicate ſcripta. R. Salomo:* לשון חרת ותרט אחד הוא שניהם לשון חיקוק: חרת & תרטן *ſunt voces æquipollentes ſculpendi ſignificationem habentes.* Aben-Eſra indicat nonnullos velle חרת idem eſſe quod חרש quod eſt exarare Jerem. cap. 17: verſ. 1. על לוח לבם חרושה Exaratam ſuper tabulam cordis ipſorum: יש אומרים כי חרות כמו חרוש ויש ההפכים אותו חתור והנכון שאין חבר לו. אולי הוא פרמות פתוח לחרת כתובים; Obiter hic notamus Maimoniden part. 1. cap. 66. More Nebochim per digitum DEI voluntatem & Beneplacitum DEI intelligere. Ratio ejus hæc eſt: digitum DEI hic non aliter ſumi poſſe quam Pſal. 8:4. Videbo cœlos opus digitorum tuorum: jam de cœlis dicitur, Pſal. 33:6. quod verbo Domini ſint creati; per verbum Domini autem nihil aliud indigitari quam beneplacitum & voluntatem ejus. Verba ejus hæc ſunt: וכן אמרו מכתב אלהים הוא כבר באר יחס המכתב ההוא לשם אין הוא כתובים באצבע אלהים ואמנם אמרו באצבע אלהים הוא כמו שאמר על השמים מעשה אצבעותיך אשר התבאר שהם נעשו באמירה ברבר יהוה שמים נעשו הני כבר התבאר לך כי הכתוב ישאיל למציאות הדבר לשון אמירה והרבור ושהדבר ההוא באצמו אשר נאמר עליו שנעשה בדבור נאמר עליו מעשה אצבע כן אמרו כתובים באצבע אלהים דומה לאומרו כתובים בדבר אלהים ואלו אמר בדבר אלהים היה דומה לאמרו בחפץ אלהים כלומר ברצונו ותפצו: *Qua ratione intelligendum quoque illud, quod dicitur, & ſcriptura ſcriptura DEI. Item & ſcriptura DEI erat. Ubi aperte ſcriptura illa DEO attribuitur, quemadmodum etiam in alio loco ubi dicitur: ſcriptas digito DEI. Et digitus DEI hic non aliter ſumitur quam in illo: ſupra cœlos opus digitorum tuorum. De his autem conſtat, quod per τὸ dicere DEI creati ſint, ſicut dicitur: Verbo Domini creati cœli ſunt. Quare ex his apparet, ſcripturam accommodare verbum dicendi, ad exiſtentiam, productionem vel creationem rei alicujus: & eſſentiam vel ſubſtantiam illius rei, de qua dicitur, quod ſit facta per verbum, dici opus digiti; ac proinde illud, ſcriptas digito DEI, idem eſſe quod verbo DEI; & verbo DEI, idem quod voluntate & Beneplacito DEI.*

§. X. Jam quid ſibi volunt iſta verba textus לחת כתבים משני עבריהם מזה ומזה הם כתובים Mire hic ſe torquent Interpretes in genuino verborum ſenſu enucleando: Talmudiſtæ volunt ſculpturam literarum in tabulis lapides penetraſſe, & ſingulari quodam miraculo literas & lineas recte & ordine ab utraque parte legi potuiſſe; ם clauſum & ס per miraculum in tabulis ſtetiſſe. In Maſſechet Megilla cap. 1. fol. 2. col. 2. hæc traduntur: אמר ר' ירמיה ואיתימא ר' חייא בר אבא מנצפך צופים אמרם ותיסברא והכתיב אלה המצות שאין נביא רשאי לחדש דבר מעתה ועוד אמר רב חסדא מ"ם וסמ"ך שבלוחות בנס היו עומדים: *dixit Raf Chaſda Mem & Samech in tabulis per miraculum ſtabant.* Rabbi Salomon Jarchi ad hæc verba: בנס היו עומדים miraculoſe ſtabant, ita commentatur: שהיתה חקיקתן משני עבריהן הילכך שאר אותיות יש להן מקום רבק אלא מ"ם וסמ"ך היתה באויר: *Quoniam ſculptura earundem (ſcil. literarum) ab utroque fuit latere, reliquæ literæ retinaculum quoddam habuerunt, ſed Mem & Samech cum fuerint ex numero literarum clauſarum, in aëre hærere ſunt viſa.* Huic ſententiæ ſeſe addixerunt plerique Rabbinorum ut modo citatus R. Salomon Jarchi, qui ad hæc verba משני עבריהם hanc habet gloſſam: היו האותיות נקראות ומעשה נסים הוא' *literæ legebantur* ex utroque ſcil. latere) *& opus miraculoſum hoc erat.* Abarban. fol. 211. col. 3. ויש מח"זל שאמרו שהיה הכתוב מפולש עד שהיו האותיות נוקבות מעבר לעבר ולכן אמרו שמ"ם וסמ"ך שבלוחות בנס היו עומדים והרא"בע וגם הרלב"ג ימאנו זה ואמרו שדרך דרש הוא כי משמעות הכתוב הוא שהיה בלוחות כתיבה אחר מצד אחר וכתיבה אחרת בהם מהצד האחר וזה הוא מזה וכזה הם כתובים ואני אחשב שהאמת מדבריהם ז"ל שהיתה הכתוב מפולש מעבר לעבר ועם זה היו כתובים זה ומזה: *Quidam ex ſapientibus noſtris quorum memoria ſit in Benedictione, aſſerunt ſcripturam penetraſſe, ita ut literæ perforatæ fuerint ab uno latere ad aliud: hinc quoque dicunt Mem & Samech per miraculum in tabulis ſtetiſſe. Sed Rab. Eſra & Rab. Levi Ben Gerſon id ipſum in dubium vocant; exinde quod hæc expoſitio mere ſit homiletica ac ex ſenſu literali innoteſcat ſcripturam quandam in hoc, aliam in altero latere conſpectam; & hoc ſenſu quoque dictum ab hac & ab illa parte ſunt ſcriptæ. Mea vero mens eſt vera eſſe quæ ſcribunt ſapientes noſtri f. m. nempe ſcripturam fuiſſe trans lucentem permeantem ab uno latere ad alterum. Hoc ſenſu ſcriptæ fuerunt tabulæ hinc & inde.* Et denique Rabbi Bechai fol. 118. col. 3. זה היה פלא גדול שהכתב היה נקרא כסדורו משני העברים מה שאין כן בכתב שלנו כי מלפנים הוא כסדורו ומאחריו מהופך ואמר מזה ומזה משני הצדדים והם פנים ואחור: *Magnum fuit miraculum ſcripturam ab utroque latere ordine convenienti legi potuiſſe, quale quid in noſtra ſeſe non offert ſcriptura; ante enim conſpicitur ordine concinno; verum parte averſa inverſo, dicitur autem hinc & inde ab utroque latere tam anteriori quam poſteriori.* Hæc interpretatio R. Aben-Eſræ diſplicuit & quidem merito. Bene namque obſervat non dictum eſſe literas ab utraque parte viſas, ſed tabulas ab utraque parte ſcriptas eſſe: ואחר שהכתוב מפורש שהיו כתובים משני עבריהם אינם אלא שני האבנים מהאבנים הנזכרים בחשן כי מה שיכתוב מעבר אחד יראה בעבר האחר ואין פרוש כתובים נראים רק כתובים כי כאשר כתב מזה הערב כן היה כתוב בעבר השני והנה הלוח עב ואין צריך מ"ם וס"מך שבלוחות שיעמדו בנס כי מחלוקת היא בפירוש מלת אשורית אם מאושר באותיותיו או על שם שעלה עמהם מאשור ועוד אילו היו נראים יראו הפוכים: *Dum ſcriptura dicit, ſcriptæ ex utroque latere: ſenſus non eſt hos duos lapides lapidibus quorum mentio ſit in pectorali, ſimiles fuiſſe; ubi ſcriptura huic lateri inſculpta, ex altera parte viſa. Neque ſcriptura meminit tabulas ſcriptas perforatis literis, ſed tantum ſimpliciter ſcriptas perhibet. Nam quemadmodum huic, ita quoque alteri inſculpebatur lateri ſcriptura, quælibet*

enim tabula suam habuit crassitiem. Nulla praterea necessitas nos cogit ut dicamus Mem & Samech per miraculum in tabulis hasisse, cum adhuc acerrime controvertatur qua ratione vox אשורית *sit exponenda: an quod beatifica in literis suis sit* (oblatam in ea ab ipso DEO sanctissimam legem) *an quod cum Judæis ex Assyria ascenderit. Adhæc si permeantes fuissent literæ ex altera parte tabulæ, inversæ fuissent visæ.*

§. XI. R. Bechai fol. 118. col. 3. adductæ huic expositioni adhuc aliam jungit: quasi his verbis משני עבריהם duplex scripturæ sensus manifestus & occultus innuatur: ויתכן לפרש משני עבריהם שבא לרמוז כי יש למשמעות דברי תורה נגלה ונסתר כענין שאמר שלמה עליו השלום תפוחי זהב במשכיות כסף וכתיב כי כפלים לתושיה יבאר כי התורה כפולה ומֹמר פשטי התורה יש בה עוד תעלומות חכמה ואל זה אמר הכתוב אחד דבר אלהים שתי זו שמעתי: *Nihil obstat quo minus dicamus verbis his ex utroque latere denotari duplicem sensum literalem & Mysticum prout dicit Salomo, Proverb. 25: 11. Mala aurea cum argenteis figuris item Hiob 11: 6. Multiplex est lex ejus. Sensus est legem esse duplicatam, ac præter sensum literalem absconditam sapientiam possidere, hinc dictum est: Unum locutus est DEUS, duo audivimus.* Psalm. 62: vers. 12. Sed cum hæc expositio sit על דרך המדרש ut Ebræi loqui amant, mere allegorica, merito eandem exulare jubemus. Alii per utrumque tabularum latus intelligunt dextrum & sinistrum; quasi in anterioribus duntaxat tabularum partibus scriptura sese dedisset conspiciendam. Huic sententiæ quidam ex Hebræis quoque subscribunt prout videri potest Buxt. in diss. de Decalogo: ubi simul addit, hanc sententiam, cum plerisque Christianis Interpretibus placuerit, sibi verisimillimam videri. Hanc tamen quo minus sequamur ac pro omnium verissima habeamus illud animum in suspenso tenet, intelligi non posse qua ratione hac stante interpretatione vere proprieque dici possit tabulas scriptas משני עבריהם מזה ומזה *ab utrisque lateribus suis* (ita enim hæ duæ voces quod bene notandum משני עבריהם sunt reddendæ, non vero ab alterutra partium prout doctissimus Buxt. aliique putant; nam vocem שני in codice sacro hac significatione non inveniri sumus persuasissimi) hinc & hinc cum revera si ista obtineret sententia non nisi ab uno duntaxat latere scriptæ fuerint. Omnium optima igitur nobis videtur sententia eorum qui in adversa pariter & adversa tabularum parte scripturam visam dicunt. Proinde hic משני עבריהם ab utrisque lateribus suis idem esse putamus quod Ezech. 2: vers. 10. פנים ואחור *ante & retro.* Idem sensisse videntur LXX. Interpretes qui habent ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν αὐτῶν. *Ex utrisque partibus suis*, author vulgatæ Editionis: *Et reversus est Moses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte.* Ex Rabbinis R. Levi Ben Gerson. Et R. Aben-Esra prout supra dictum.

§. XII. Si quæras quænam & quot præcepta quælibet tabula continuerit, variant authorum sententiæ. Secundum Augustinum in una tabula tantum tria præcepta fuerunt, quæ primæ tabulæ præcepta dicuntur, eo quod ordinant hominem ad DEUM. In altera autem tabula erant septem alia, quæ ordinantur ad proximum, ideo dicuntur præcepta secundæ tabulæ. Ebræorum sententia est, unamquamque tabularum quinque habuisse præcepta. Bechai fol. 94. col. 1. והוא סיד מה שאמרו רזל זכור ושמור בדבור אחד ואמרו כי זכור מדת רחמים ושמור מדת הדין והוא הקול בזכור ושמור מדת רחמים במדת הדין ומטעם זה היו הל וחות שתים חמש כנגד חמש לוח אחד כנגד רחמים ולוח שני שיש בו חמשה דברות גם כן ב׳ה לאוין ומתחיל לא תרצח כנגד מדת הדין ועל כן היו שנים ולא היה הכל בלוח אחד: *Hujus rei causa fuerunt duæ tabulæ; quinque præcepta opposita quinque; tabula una respectu proprietatis misericordiæ, & tabula altera respectu proprietatis judicii; hæc continet itidem quinque præcepta; verum negativa. Primum eorum est Non occides.* Rabbi Salomon Jarchi ad cap. IV. vers. 4. Cantici canticorum שני שדיך כשני עפרים תאומי צביה duo ubera tua similia sunt duobus hinnulis gemellis capreæ, ita commentatur: דבר אחר שני שדיך על שם הלוחות תאומה צביה שהם מכוונות במדה אחד וחמשה דברות על זו וחמשה דברות על זו מכוונין דבור כנגדד דבור אנכי כנגד לא תרצח שהרוצח ממעט את הדמות של הקבה לא יהיה לך כנגד לא תנאף שהזונה אחר עבודה זרה דרך אשה המנאפת תחת אישה תקח את זרים לא תשא כנגד לא תגנוב שהגונב סופו לישבע לשקר זכור כנגד לא תענה שהמחלל השבת מעיד שקר בבוראו לומר שלא שבת בשבת בראשית כבד כנגד לא תחמוד שהחומד סופו להוליד בן שמקלה אותו ומכבד למי שאנו אביו:

His non tantum adstipulatur Josephus lib. 3. antiquitatum Judaicarum cap. IV. verum etiam Philo Judæus: *Quin etiam*, inquit, libro quis rerum divinarum hæres, *legibus ipsis quod proprie jus est divisis in pares quinarios; prior jus divinum posterior humanum continet. Ad primum quinarium quoque refert præceptum de colendis parentibus. Rationem hanc suppeditat. Nam hac quoque, ait, (lex scil.) sacrata est, quæ non refertur ad homines, sed ad authorem geniture rerum omnium, cum quo pater & mater non gignunt, sed instrumenta gignendi sunt.* Hanc incudem quoque tundit Rabbi Abarbanel in explicatione hujus præcepti. Eundem laterem lavat Rabbi Aben-Esra in Comment. ad cap. Exodi 20. his verbis: ובדבור החמישי כתוב השם כי האבות משתפים עמו ביצירתו ואם לא יכבדם כאילו אינו מכבד השם: *In præcepto quinto itidem fit mentio S. Benedicti. Nam parentes concurrunt cum eo & sunt causæ sociæ in formando homine hinc iisdem honorem denegans, idem facit ac si ipsi DEO eundem detraheret.*

§. XIII. Bene hic observandum Ebræos in secandis decem præceptis inter sese dissidere. Rambam part. 2. cap. 33. More Nebochim, Rambam in Comment. in Exod. Rabbi Aben-Esra in cap. 20. Exodi. Rabbi Bechai aliique hæc verba אנכי יהוה אלהיך *Ego sum Dominus DEUS tuus*, primum præceptum constituunt. Abarbanel contra: לא יהיה לך אלהים אחרים *Non tibi dii alieni pro primo*: ista vero אנכי יהוה אלהיך pro præfatione præceptorum habet, minimeque præcepti vicem explere. אם היה שהזהורנו וצונו שנאמין במציאות הסבה ראשונה יתברך כמו שהסכימו עליו המורה והרנבן וזולתם כמו שיתבאר למה אם כן לא באה המצוה בלשון הנאות אליה והיה ראוי שיאמר האמין כי יש אלהים שופטים בארץ או שאני אני הוא יהוה אלהיך וכו: *Si ita est quod DEUS hic præcipiat & jubeat, ut credamus in existentiam causæ primæ, quæ sit benedicta, uti sentiunt Rambam, & Ramban & alii, uti postea explicabimus; qui fit, quod hoc præceptum non enunciatum sit sermone convenienti? dicendum enim fuisset, Crede quod sit DEUS judex in terra; aut quod ego sim DEUS tuus.* Tandem concludit: אומר אני שדבור אנכי יהוה אלהיך אינו מצוה לא אמונית ולא מעשית אבל הוא הקדמה למצוות ולאזהרות שישמר בשאר דבורים: *dico ego quod sermo ille, ego sum DEUS tuus neque Theoreticum neque practicum sit mandatum, sed præfatio præceptorum & prohibitionum sequentium.* Rabbi Aben-Esra refert, quosdam, *non sint tibi dii alieni primum, &, non facies tibi sculptile secundum fecisse.* His respondet, hæc duo præcepta ejusdem esse argumenti, proinde non separanda, sed potius conjungenda, & pro uno habenda: יש אומרים לא יהיה לך הוא הדבור הראשון והשני לא תעשה לך פסל וזה אינו נכון כי מענין אחד הוא זה וזה בין בסתר בין בגלוי בין במחשבה הלב בין במעשה: Addit quosdam sensisse, hæc, *non concupisces domum proximi tui noni; ista non concupisces uxorem proximi tui decimi præcepti numerum explere*: Ex hac ratione: quod iterata vice DEUS dicat non concupisces. Proinde in uno concupiscentiam quæ in actum deducitur, in altero tantum concupiscentiam cordis damnari: ואחרים אמרו כי לא תחמוד בית רעך דבור תשיעי והדבור עשירי לא תחמוד אשת רעך וראיתם כי השם אמר פעמים לא תחמוד כי החמוד הוא על שני דברים האחד יוצא למעשה כמו גזל וכמוהו ולא יחמוד איש את ארצך שאם זה החמוד בלב היה אי דעת ולא תחמוד השני הוא בלב על כן הוצרך משה לפרש לא תתאוה: sed his subjicit וזה דברי הבל *sed hæc sunt verba vana.* Num merito, Theologis, ne falcem in alienam messem immittere videamur, discutiendum relinquimus.

§. XIV. De fractura harum tabularum, quæ ex ira indignationeque profluxisse videtur, pauca quædam subjiciemus. Ita enim sacer codex Exod. 32: 19. ויהי כאשר קרב אל המחנה וירא את העגל ומחלת ויחר אף משה וישלך מידו את הלחת וישבר אתם תחת ההר: *fuitque cum appropinquans ad castra videret vitulum illum & choros, ut accenderetur Ira Mosis, & abjiciens, è manibus suis tabulas frangeret eas sub ipso monte.* Et Deuter. 9: vers. 16, 17. וארא והנה חטאתם ליהוה אלהיכם עשיתם לכם עגל מסכה סרתם מהר מן הדרך אשר צוה יהוה אתכם ואתפש בשני הלחת ואשלכם מעל שתי ידי ואשברם לעיניכם: *Cumque viderem quod ecce peccaveratis Jehovæ DEO vestro, facientes vobis vitulum fusile, recesseratis celeriter ab ea via quam præstituerat Jehova nobis. Apprehendens duas illas tabulas abjeci eas ab ambabus manibus meis, & confregi eas ante oculos vestros.* Rabbi Salomo Jarchi ad hunc locum scribit: אמר מה פסח שהוא אחד מן המצות אמרה תורה כל בן נכר לא יאכל בו התורה כלה כאן וכל ישראל משומדים ואתננה להם:

Mosen

Mosen secum reputasse, quoniam lege cautum fuit, Exod. 12: *vers.* 43. *ne alienigena vesceretur agno paschali, quod unum duntaxat praeceptum; multo minus aequum esse ut tota lex Israëlitis jam jam rebellibus, traderetur* R. Bechai fol. 118. Col. 3. fabulatur, id quod in tabulis scriptum fuit subito fuisse deletum seu avolasse, ac propterea Mosen cum videret tabulas nulli deinceps usui esse, eas confregisse. ומכל מקום יש לתמוה על משה עבד יהוה נאמן ביתו אין ערב לבי לשבר הלוחות שהיו מכתב אלהים יאם ישראל חטאו ולא היו ראויים אל התורה היה לו לחסור התורה לאכסניא שלה ולב"קש מאת הקבה מה יעשה בה אלו מלך בשר ודם שולח כתבו התום ביד עבדו נאמן ביתו לשרי המלכות והם אינם רוצים לקבלו ראוי חעבד נאמן להחזירו אל המלך לא שינהוג בו בזיון ויקרענו אבל שבירת הלוחות למשה רבינו היה מפני שראה שפרח הכתב מן הלוחות כשנתקרב בגבול העגל במקום הטמאה והחטא וכל מה שהעם נוהגים כבוד בכתבו של מלך איני אלא מפני ההותם וכיון שפרח הכתוב מכאן נסתלק חותמו של מלך וידוע כי היה הכתב בלוחות דוגמת הנפש בגוף ובהסתלק הכתב נשארו הלוחות גוף בלא נפש וגוף בלא נפש ראוי לקברו תחת הקרקע ועל כן הסתימה דעתו לשבר אותם תחת ההר וראיה לזה שפרח הכתב מעל הלוחות מה שדרשו ר"זל הזהרו בזקן ששכח תלמודו מחמת אונשו דאמר רבי אמי לוחות ושברי לוחות מונחים בארון כלומר שברי לוחות שפרח מהן הכתב וזהו שדרשו ר"זל שנפלו הלוחות מידו מתוך הכובד שהיו כבדות שהרי מתחלה כתיב ושני לוחות העדות בידו כלומר בידו אחד וכשראה העגל ומחלת אמר וישליך מידיו את הלוחות שאף בשתי ידיו לא היה וכול לסו בלן: *Magna certe nos capit admiratio Mosen servum Domini fidelem in tota domo, corde suo praesumpsiße tabulas has scripturam DEI ferentes frangere. Quod si Israëlitae peccando indignos sese lege fecissent; reddere eandem DEO, quidque ulterius cum ea sibi incipiendum percontari potuisset. Si Rex terrenus literas sigillo suo obsignatas per servum suum fidelem quibusdam regni proceribus, perferendas curaret, hique recipere nollent, servus tenetur hanc Epistolam hero suo tradere nullatenus vero lacerare. Verum aliter comparatum fuit tum tabulis. Quamprimum enim Moses viderat scripturam in appropinquatione ad vitulum locumque pollutum ac contaminatum ex tabulis dispergi, fregit easdem. Omnis honor qui exhibetur Epistolae Regis fit propter sigillum: quoniam vero hic disparuit scriptura sigillum Regis scil. DEI quoque cessavit. Scias scripturam in tabulis* δόγμα *fuisse animae in corpore. Deficiente enim scriptura tabulae fuerunt ut quoddam corpus anima carens: tale vero corpus in terram defodiendum est. Hoc videns Moses sibi proposuit tabulas frangere sub monte. Scripturam vero evolasse ex tabulis discere poteris ex eo quod Rabbini nostri dixerunt: moniti seu cauti estote cum sene qui suum Talmud oblivioni tradidit, variis de curis negotiisque. R. Ammi dixit tam integras quam fractas tabulas arca foederis impositas. Hoc est: fractae tabulae quae scriptura caruerunt. Hinc dixerunt Rabbini nostri f.m. Exciderunt tabulae de manibus Mosis prae nimio pondere. Nam ecce ab initio dicitur: Et duas tabulas testimonii in manu, hoc est, in una eademque manu: quam primum autem vitulum chorosque vidit scriptura dicit: projecit ex manibus suis tabulas. Quamvis enim tabulas in ambabus habuit manibus, tamen easdem portare non valuit.* Huc faciunt quae in Pirke Eliesеris Cap. 45. legimus: *accepit*, inquit, *Moses tabulas & descendit; scripturae vero portabant semet ipsas, & Mosen secum: ubi autem viderunt scripturae tympana, Chorizantes & vitulum aufugerunt atque ex tabulis evolarunt, & ponderosae redditae sunt in manu Mosis, ut Moses nec se ipsum, nec tabulas portare posset: hinc projecit eas è manibus suis ut confringerentur, sicuti narratur: confregi ipsas sub ipso monte.* Tale quid similiter fingunt in Tanchuma fol. 47. 2.

§. XV. Quantopere recutiti fractas tabulas doleant vel exinde manifestum est, quod huic ipsi fracturae oblivionem legis divinae adscribant; imo quod Patria extorres, incertis sedibus vagentur, gentiumque Dominio sint expositi. In Massechet Erubin Cap. 5. fol. 84. Col. 1. אמר ר' אליעזר מאי דכתיב חרות על הלוחות אלמלא לא נשתברו לוחות הראשונות אמר אין נשתלחה תורה מישראל רב אחא בר יעקוב אמר אין כל אומה ולשון שולטת בהן &c. *Dixit R. Eliesеr cur scriptura est insculpta tabulis (scil. scriptura) Quod si tabulae priores non confractae essent Israëlitae nunquam oblivioni tradidissent legem. Raf Acha filius Jacob dixit: nulla gens aut natio dominium in ipsos habuisset &c.* Verum Maimon. Cap. ult. Hilk. Melachim totius politiae judaicae exilium & interitum dulcissimo nostro Salvatori adscribit: אותר שרמה שהיה המשיח ונהרג בבית דין גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם *Is, qui visus est Messias*, inquit, *& à Synedrio occisus in causa fuit, ut Israël perierit & reliquiae illius sint dispersae.* Haec quoque est causa quod in memoriam fractarum tabularum jejunium instituerint utpote die 17. Thammus quo fractae creduntur. Testatur hoc inter alios Maimonides in הלחות תעניות Cap. 5. p. m. 32. בי"ז בתמז הי הדבכים אירעו בו נשתברו הלוחות ובטל התמיד מבית ראשון והובקעה ירושלם בחרבן שני ושרף אפוסטומוס הרשע את התורה והעמיד צלם בהיכל: *Haec jejunia celebrantur die XVII. Mensis Thammus (Junii) utpote quo res potissimum quinque contigerunt: fractae sunt legis tabulae, cessavit juge sacrificium, abs templo priori, excidio altero diruta Hierosolyma; crematvit impius Epistemon (rex Graeciae) librum legis ac statuam in templo posuit.* Haec hac vice sufficiant, memores illius: Manum de tabula.



JOH. FRISCHMUTH DISSERTATIO

De Hirco Emissario ex Levit. XVI.

DISSERTAT. PRIMA.

בעה׳

DE HIRCO EMISSARIO

Ex Levit. XVI.

Cogitanti mihi de variis typis & figuris, quibus Messiæ cruenta oblatio, pretiosissimi ejusdem sanguinis virtus, & onerosissima peccatorum gestatio multis seculis ante, quam se mundo stitit, adumbrata fuerunt; si non principem, saltim non postremum locum obtinere visa sunt sacrificia, festo anniversario Ebræorum, quod יום הכפורים *diem expiationis* vocant, offerri solita. Non illa quidem intelligo התמידין, *quotidiana*, & מוספין *additamenta*, quæ Arama pag. 106. col. 2. lib. עקרת יצחק loquitur: היו נקרבין בראשונה על ידי הכהן *omnium primo per Pontificem* aureis vestibus indutum eopse die *offerebantur*; sed tamen המיוחדין festi illius *propria*, & quæ vestimento vulgari, eoque linteo, tanquam in mœrore constitutus, & sibi & populo remissionem peccatorum impetraturus obtulit. Nempe pro Pontifice ejusque domo, hoc est, ut Ebræi explicant, *Sacerdotibus*, juvencus לחטאת & aries לעולה adducendus erat. Præterea totius populi nomine duo hirci adducti, diversis sortibus, uni ליהוה *Domino*, alteri לעזאול *Asaseli* erant subjiciendi. Hisce peractis, Pontifex mactati juvenci sanguine, non cum hirci sanguine commixto, ut Menochius lib. 3. de Republ. Ebr. cap. 7. contendit, sed peculiari vase excepto digitum intinxit, & per suffitum thuribulo antea impositum, incensumque aroma nube, quæ propitiatorium tegeret, facta, faciem propitiatorii versus orientem semel, ipsum vero pavimentum propitiatorii septies conspersit, & quidem sanctum sanctorum ingressus ἅπαξ *semel*, toto alias anno sibi inaccessum, ac impervium, uti Apostolus nos docet Ebr. 9: 7. Quod igitur cum aliis Ebræis R. Moses Kotzensis, ספר מצות הגדול fol. 83. col. 2. scribit: כמה פעמים הוא נכנס לשם ביום הכפורים ד׳ פעמים ואם נכנס ה׳ חייב מ״ת׳ בידי שמים: *Quoties ingressus est die expiationis? quater. Si quinquies ingrederetur, cœlitus morte est affectus*; Id veritati non est consentaneum. Nihil enim apparet, quod diversos ingressus probet, ne ipsa quidem conspersio, quam seorsim hirci perinde ac juvenci sanguine fecit. De qua R. Salomo scribit: א׳ למעלה וז׳ למטה מה שהפר מכפר על הכהנים השעיר על ישראל: *Semel superne, & septies inferne. Quemadmodum juvencus sacerdotes, ita hircus Israëlem expiat.* His ita in sancto sanctorum finitis, egressus est ad altare, ut Lev. 16: 18. legimus, & illud quoque expiavit, ad quem locum R. Arama non male ita: יראה שיצא מאת פני הקדש פנימה אל מזבח הקטרת שהיה שם לפני הפרכת ויכפר על קרנותיו כשיזה עליו באצבע מן הדם שבע פעמים וטהרו וקדשו מטמאת בני ישראל ושירי הדם היה שופך על יסוד מערבי של מזבח החיצון: *Videtur egressus esse ex intimo sacrario ad altare suffitus, quod ibi erat ante velum & expiasse cornua ejus, cum septenis vicibus de sanguine aspersit, & illud de immunditie Israëlis mundavit sanctificavitque. Quod reliquum erat sanguinis, effudit ad fundamentum occidentale altaris exterioris*, ubi, docentibus Judæis in Talmud, Massecheth מדות, cap. 3. n. 2. יוצאין לנחל קדרון *effluxit in torrentem Kidron.* Qua ratione sanguis sacrificiorum fluxu suo locum veluti indigitavit, ubi primariæ victimæ sanguineus sudor exprimendus & effundendus esset. Johan. 19: vers. 1. Luc. 22: vers. 42.

Quemadmodum vero ibi res tota ad significandum mysterium est aptissima, cum & juvenci & unius hirci pellis, caro & fimus extra castra combusta Messiæ extra portam passionem indicarunt, ipso Apostolo monente Ebr. 13: 11. & Pontificis cum utriusque sanguine in sanctum sanctorum ingressus Messiæ per suum ipsius sanguinem in cœlos introitum præfiguravit, ac nobis quoque ejus beneficio cœlum apertum iri, fidem fecit, utpote ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν ὁ Ἰησοῦς, veluti iterum Apostolus Ebr. c. 6: 20. 9: 12. 10. 19. docet: ita jampridem ab Interpp. quæsitum est, ecquid per alterum hircum sit designatum, quem vivum in desertum educendum curavit Pontifex, postquam capiti ipsius duas manus imposuisset, ac totius populi peccata super eodem esset confessus. Sane *si in Levitico singula sacrificia, imo singulæ pene syllabæ & vestes Aaron & totus ordo Leviticus spirat cœlestia sacramenta*, ut Hieronymus loquitur Epist. ad Paulinum ritum quoque hirci, quem vocant, emissarii σημαντικὸν καὶ διδακτικὸν esse, nemo facile ibit inficias, quanquam in alia omnia abeant Interpretes cum Ebræi, tum Christiani Hinc operæ pretium me omnino facturum censui, si, quid de isthoc ritu Judæi, cum prisci tum recentiores, tradant, & quam longe à vero abludant, ostendero, aliis occasionem præbiturus expendendi, quantæ felicitatis hoc sit, quod illud quoque mysterium jam satis intelligamus Christiani, cujus Judæi ne minimum quidem sunt adsecuti.

Verba quibus historia illius figuræ traditur, habentur Lev. 16: verss. 7. 8. 9. 10. 20. & 21. & sic sonant: וְלָקַח אֶת שְׁנֵי הַשְּׂעִירִם וְהֶעֱמִיד אֹתָם לִפְנֵי יְהוָה פֶּתַח אֹהֶל מוֹעֵד׃ 8. וְנָתַן אַהֲרֹן עַל־שְׁנֵי הַשְּׂעִירִם גּוֹרָלוֹת גּוֹרָל אֶחָד לַיהוָה וְגוֹרָל אֶחָד לַעֲזָאזֵל׃ 9. וְהִקְרִיב אַהֲרֹן אֶת־הַשָּׂעִיר אֲשֶׁר

אֲשֶׁר עָלָה עָלָיו הַגּוֹרָל לַיהוָה וְעָשָׂהוּ חַטָּאת׃ 10. וְהַשָּׂעִיר אֲשֶׁר עָלָה עָלָיו
הַגּוֹרָל לַעֲזָאזֵל יָעֳמַד־חַי לִפְנֵי יְהוָה לְכַפֵּר עָלָיו לְשַׁלַּח אֹתוֹ לַעֲזָאזֵל הַמִּדְבָּרָה׃
20. וְכִלָּה מִכַּפֵּר אֶת־הַקֹּדֶשׁ וְאֶת־אֹהֶל מוֹעֵד וְאֶת־הַמִּזְבֵּחַ וְהִקְרִיב
אֶת־הַשָּׂעִיר הֶחָי׃ 21. וְסָמַךְ אַהֲרֹן אֶת־שְׁתֵּי יָדָו עַל רֹאשׁ הַשָּׂעִיר הַחַי
וְהִתְוַדָּה עָלָיו אֶת־כָּל־עֲוֺנֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְאֶת־כָּל־פִּשְׁעֵיהֶם לְכָל־חַטֹּאתָם וְנָתַן
אֹתָם עַל־רֹאשׁ הַשָּׂעִיר וְשִׁלַּח בְּיַד־אִישׁ עִתִּי הַמִּדְבָּרָה׃ Quæ Vulgatus
Interpres hunc in modum reddidit: *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii: mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario: cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem. Postquam emendaverit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem: & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus emittet illum, per hominem paratum in desertum.*

CAPUT I.

Quæ utriusque hirci secundum Ebræos fuerint requisita: Sortiendi modum, de quo Menochius subdubitat, Ebræi scire se profitentur. Urna quid. Hesychius & Lucianus laudati. Ratio sortis jaciendæ super hirco ex Talmud adlata. Bartenora & Maimonides laudati. Particulam coccineam hirco emissario appensam miraculose albuisse, Ebræi tradunt. Cur de traditione illa dubitandum. Locus Esai. 1: vers. 18. à Kimchio & Abarbenele explicatus. Bartenoræ & Aramæ de coccinea particula sublestæ fidei placita à Buxtorfio & Casaubono, J. Capellus & Grotius dissentiunt. χειροθεσίας *in hirco quis usus. Flacii, Philonis, Tostati, Alschechi de illa sententiæ diversæ. Formula confessionis super hirco. R. Kotzensis de peccatorum gradibus opinio erronea. Significatio genuina vocis* חטאת *ex lingua Æthiopica illustrata. Dn. Ludolfus laudatus.* עון, פשע *à R. Mose Maimonide, itemque R. D. Kimchio, R. Nathane & R. Arama exposita. Bellarmini & Photinianorum judicium de significatione vocis* ἀγνόημα *explosum. Cujusmodi peccata hircus emissarius expiarit, ex Talmud & Maimonide ostensum. Locus Ebr. 9: 7. illustratus. Ejusdem vocis Græcæ significatio ex usu LXX. Interpp. asserta. Ebræorum mos exagitandi hircum emissarium. Tertulliani de eodem judicium. Dn. Ursinus laudatus. De usu vocis* איש *R. Mosis Maimonidis sententia. R. Kotzensis laudatus. Variæ vocis* עתי *versiones recensitæ. Quid* עזאזל & ארץ גזרה*. Rabbinorum, Alschechi, Bechai, Salomonis, Aramæ, Lipmanni, Gaonis, Arabis quoque & Syri interpretationes expenduntur. Genuina originatio à Kimchio allata Ejusdem Kimchii, & nonnullorum, qui eum secuti sunt, Christianorum error. R. Salomonis probatio frivola: Priscorum Ebræorum de monte, unde hircus sit deturbatus, & de aliis quibusdam ritibus circa eum traditiones. Cl. Lichtfootus laudatus. Flav. Josephus aliter* ארץ גזרה *reddidit, quam Rabbini. Vera & genuina* עזאזל *significati disserta.*

§. I.

ETsi Scriptura, ut vidimus, simpliciter duorum hircorum facit mentionem, Ebræi tamen, ut progressu temporis leges divinas variis additamentis & traditionibus contaminarunt verius, quam explicarunt: ita etiam hic quædam sanxerunt, quæ num divinæ intentioni fuerint consentanea, merito dubites. Nempe hirci debuerunt esse שוים במראה ובקומה ובדמים *ejusdem coloris, staturæ & pretii*, ceu videre est cap. 6. Massech. Joma. Consimiliter & modum sortiendi nobis describunt, qui tunc fuerit usitatus, quem Joh. Stephanus Menochius lib. 3. de Republ. Ebr. cap. 7. se certo scire, negat; *Forsan*, inquiens, *duas accipiebat carthulas, & uni inscribebat nomen Domini, alteri nomen capri emissarii, mox utramque miscebat positam in urna, indeque unam eductam imponebat uni capro, alteram alteri*; Ebræi tamen in Massech. cit. cap. 3. hunc in modum loquuntur: באלו למזרח לצפון המזבח הסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושם שני שעירים וקלפי היתה שם ובה שני גורלות של אשכרוע היו ועשאן בן גמלא זהב והיו מזכירין אותו לשבח: *Ibat Pontifex ad Orientem atrii & Septentrionem altaris. Ejus Vicepræfectus à dextris, & præfectus Patrum à sinistris, duo hirci ibi erant, & urna, qua duæ sortes buxinæ recondebantur. Filius Gamlâ aureas fecit, quod in honorem ejus commemorant.* Dum vas illud, in quod sortes jaciebant, קלפי vocant Ebræi, voce Græca, argumento id est, post captivitatem Babylonicam, atque adeo cum inter Græcos degissent, illud ita vocatum fuisse. His enim urna, in quam sortes mittebantur κάλπη est dicta, quam Hesychius explicaturus idem significare ait, ac ὑδρία, στάμνος. Lucianus in Hermot. itidem eam hoc nomine appellat, κάλπις, inquiens, ἀργυρῷ ἀνάκειται ἱερὰ τοῦ θεοῦ, ἐς ταύτην ἐμβάλλονται κλῆροι μικροί, ὅσον δὴ κυαμιαῖοι τὸ μέγεθος, ἐπιγεγραμμένοι, *Argentea urna Deo sacra in medio posita est, in illam sortes parvæ, fabæ magnitudine conjiciuntur, literis inscriptæ.* Quod vero hic buxinæ sortes aliquando fuerint, id Maimonidis nititur auctoritate, qui voce אשכרוע alias ad varias arborum species extendi solita, eam arborem notari dicit, quam Arabes buxum appellant.

§. 2. Quomodo Pontifex in ipsa sortitione se gesserit, itidem Ebræi nobis scriptum reliquerunt loc. cit. his verbis: טרף בקלפי והעלה שני גורלות אחד כתוב עליו לשם ואחד כתוב עליו לעזאזל הסגן בימינו וראש בית אב משמאלו אם של שם עלה בימינו הסגן אומר לו אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם של שם עלה בשמאלו ראש בית אב אומר לו אישי כ"ג הגבה שמאלך נתנן על שני השעירים ואומר לה' חטאת רב ישמעאל אומר לא היה צריך לו' חטאת אלא לה' והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכות: *In urna sortes huc illuc agitavit*, (Jac. Cappellus male reddidit: corripiebat cortices) *& inde eas eruit, quarum uni* לשם pro Domino, *alteri*, לעזאזל pro Asasele, *inscriptum erat. Princeps Sacerdotum ad dextram, & præfectus Patrum ei stabat ad sinistram. Si sors dextra adscendisset, princeps Sacerdotum ait, Domine Pontifex* (iterum Cappellus, dum אישי כהן גדול vertit, *ignita sacrificia Summi Sacerdotis*, est hallucinatus) *dextrum in altum tolle: si sinistra adscendisset, præfectus Patrum dicebat: Dn. Pontifex in altum tolle sinistram tuam. Sortes duobus hircis imponebat, & dicebat, Domino sacrificium pro peccato. R. Ismaël dicit, non opus fuisse ut diceret* חטאת *sed* לה', *& ipsi respondebant: benedictum sit nomen gloriosum regni in secula seculorum.*

§. 3. Postquam ita urnam succussavit Pontifex שלא יכוין איזה של שם ואיזה של עזאזל *ne antea decernere videretur, quæ sors Domini esset futura, quæ Asaselis*; utramque sortem ex ea depromtam hircis imposuit, & קשר לשון של זהורית בראש שעיר המשתלח והעמידו כנגד בית שלוחו *ligavit linguam coccineam ad caput hirci emissarii, & stitit eum ad locum, unde erat emittendus.* Ita enim R. Obadias de Bartenora comment. in Mischnam cap. 4. verba בית שלוחו explicat, ut dicat, ea notare שער שיוציאוהו *portam, qua eum educturi erant.* Linguam autem illam coccineam R. Moses Maimonides Com. ad Mischn. ait, fuisse צמר צבוע אדום *lanei staminis textum rubro tinctum*, quod hirci emissarii capiti dicitur affixum, ut is tum ab altero hirco mactando, tum ab aliis dignosci posset, si forsan eos permisceri contigisset.

§. 4. Id nonnullis cumprimis videtur memorabile, quod hic Ebræi tradunt, illam particulam coccineam, ad formam linguæ factam, hirco in desertum educto, colorem rubrum exisse. Pro miraculo, cap. 6. Massechet Joma, recensent Judæi: כשהגיע שעיר למדבר היה הלשון מלבין שנאמר אם יהיו חטאיכם כשני כשלג ילבינו: *Cum hircus ille in desertum venisset, lingua illa albescebat, quia dictum est* (Esai. 1: 18.) *si fuerint peccata vestra ut coccinum, instar nivis albescent.* Hinc Scholiastes Talmudicus fol. 105. En Israël: קושרין אותו בראש שעיר המשתלח והיה מלבין מאליו והוא סימן שמחל הקב"ה לישראל: *Alligabant illam* (linguam) *hirco emissario, atque illa sua sponte albescebat, quod signum Israëli à Deo datum erat.* Quin tempus quoque determinant, quo hoc singulare divinæ clementiæ & remissorum peccatorum signum cessaverit, nempe fol. 105. col. 3. En Israël ita legimus: תנו רבנן מ' שנה קודם חרבן בית לא

לא היה לשון של זהורית מלבין: *Tradiderunt Dd. nostri, quadraginta annis ante excidium templi lingua coccinea non amplius albuit.* Quod cum in illum יום הכפורים vel *diem expiationis* incidere videatur, cum Messias non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sanctum sanctorum, æternam redemptionem nactus, Hebr. 9: 11. 12. inde magni nominis Viri non parum huic traditioni tribuunt, & tunc huic figuræ cessanti suum complementum constitisse arbitrantur.

§. 5. Vereor nihilominus, ut quis adserto huic Judæorum tuto fidere queat, dum, nisi plane fallor, unicum illud dictum Propheticum Judæo cuipiam occasionem præbuit hoc comminiscendi, quod postmodum, ut apud eos fieri solet, à reliquis Verpis magno consensu est receptum, & se rem ita habuisse, sancte est creditum. Sane fabulæ hoc similius esse, quam historiæ, inde conjicio, quod in ritibus Ebræorum memorandis tam sollicitus & adcuratus Josephus hujus rei nullam penitus facit mentionem. Deinde quod doctiores Judæorum Interpp. Kimchi & Abarbenel, cum in hujus dicti Prophetici sensum genuinum inquirunt, sicco plane pede id prætereunt, quod Talmudistæ pro vero venditarunt, nunquam id facturi, si aliquid veri subesse censuissent. R. D. Kimchi enim ita: פירוש תולע כמו תולעת השני שהוא הצבע קרימאסין ואף על פי שזכר שנים שפירושו אדום זכר אחריו תולע רצה בו יותר אדום ודמה החטא לאדום שהוא צבע חזק ונראה למרחוק ואם יהיה בבגד כתם מאותו צבע לא יסור בכבוס: *Vox* תולע *idem ac coccineum dibaphum* (Exod. 39: 3.) *significat, quod est coloris illius, quem Carmasin vocant. Licet vero meminerit* שנים, *quod rubrum notat, postea tamen & vocem* תולע *adhibet, quæ majorem rubedinem significat, & peccatum rubro colori comparat, quippe fortissimo, & è longinquo adparenti. Qui si in veste fuerit color, nulla lotione elui potest.* R. Abarbenel: תולעת ושני הם שמות נרדפים נאמרים על האודם החזק והצמר והשלג הם משלים לטהור וללובן החזק והביא שני משליו בדבר אחד זה אחר זה כי כן דרך הנביאים: *Voces* תולעת *&* שני *sunt nomina Synonyma de eo, quod majoris rubedinis est, usurpari solita;* צמר *vero &* שלג *sunt metaphoræ ad albedinem majorem significandam adhibitæ. Propheta gemina illa metaphora usus, una post aliam, quod Prophetis est solenne.*

§. 6. Atque hoc Ebræorum metaphoram agnoscentium interpretamentum merito suspicionem nobis movet, eosdem illam traditionem nauci fecisse. Quidquid tamen sit de illo, ipsi Ebræi prisci parum sibi constantes miris modis variant in recensendo illo miraculo, & alia adhuc, quæ contigerint, enarrant, quæ, ut difficulter fidem habeas, faciant. Nempe l. cit. ita scribunt: חולק לשון של זהורית חציו קשור בסלע וחציו בין שני קרניו: *Linguam illam coccineam divisit, partemque petræ affixit, partem inter cornua hirci.* Cujus facti rationem redditurus R. Obadias de Bartenora ita loquitur in com. ad l. cit. לא היה קושר כל לשון של זהורית בסלע שמא תלבין מיד קודם דחיפת השעיר ומשתלבין הלשון של זהורית שמראה שכבר נתכפרו העונות ישכח מצות הדחיפה ודמה שכבר נשלמה המצוה מאחר שהלבין הלשון ולא היה קושר כלה בין קרניו שמא בשעת דחיפה יכוף השעיר ראשו תחת גופו כשיפול לאחוריו ולא יוכל לראות הלשון כשתלבין ויהיו כל ישראל עצבין לפיכך קושר חציו בסלע והיא לא תלבין לחצאין עד שתגמר מלאכה כלה: *Non ligavit totam linguam coccineam ad petram, ne confestim albesceret, antequam hircus deturbaretur, & ne, si lingua albuisset, videri posset, jamdum peccata expiata esse, ac ita ille oblivisceretur deturbationis, quod præcepto illi jam satisfactum esset, quia albuisset, sed neque totam inter cornua ligavit, ne forte eoipso, dum devolvebatur hircus, caput suum sub corpore incurvando tegens, cum retrorsum caderet, ille nequiret videre linguam, cum albuerit, & ita totus Israël mœrore afficeretur. Ideo partem ejus appendit rupi, quæ non albuit, donec totum opus esset perfectum.* Audiemus, quæ ex Talmud Hierosolymitano referat Isaacus Arama, fol. 207. his verbis: בירושלמי דמסכת שבת בתחלה היו קושרין כל אחד ואחד מישראל לשון של זהורית בעליתו בחלונות וכפי מעשיו של אותו האיש היה מראה לו והיו מתביישין זה מזה התקינו שלא היו קושרין אלא בחיל ועדין היו מתביישין כל ישראל כשלא היה מלבין קושרין בהיכל שלא היה נראה לאנשים ולנשים ועדין היו מתביישין התקינו שיהא כלו בראש השעיר המשתלח ולא היה ראה אלא מוליכו לבדו והוא מקשר לשון של זהורית חציו בסלע וחציו בין קרניו: *In Hierosolymitano* (Talmud), *Massecheth Schabbath, ita legimus initio: Coccineam linguam unusquisque Israëlitarum in fenestris cœnaculi sui ligabat, & pro ratione operum uniuscujusque apparuit. Factum autem est, ut confunderentur. Ordinarunt igitur, ut non nisi in antemurali suspenderetur. Sed etiamnum in ruborem sunt dati omnes Israëlitæ, ubi non albuit. Ligarunt in templo, ne viris & fœminis appareret, etiamnum pudore affecti sunt. Decreverunt, ut tota in capite hirci hæreret, ut nemo eam videret, præter virum illum, qui ipsum duceret. Atque hic ligavit coccineæ linguæ unam partem ad petram, alteram inter cornua.* Num vero ibi magis fidem Judæis habebimus, ubi simpliciter hirci capiti appensam coccineam linguam dicunt, quam hic, ubi eam divisam, & partim rupi, partim hirco, vel, ut alii delirant, fenestræ alligatam, utrobique albuisse, contendunt?

§. 7. Neque tantum de coccinea particula hoc prodigiosum commentum referunt, sed & singularis divini favoris signum sibi fuisse ajunt in sorte, cum in dextram manum aliquamdiu incidisset illa sors, quæ ליהוה *Domino*, in sacrificium offerendum hircum notabat. R. Arama fol. 106. col. 3. id pro certo affirmat: בזמן שישראל היו עושין רצונו של מקום או שהיה להם משרת הגון כשמעון הצדיק היה נעשה נס גדול בגורל אלו שהיה עלה תמיד גורל השם בשל ימין: *Quo tempore Israël ad Dei nutum vixit, aut ipsis fuit, qui rite ministraret, ut Simeon Justus, insigne prodigium factum est in sortibus, dum semper illa, quæ* ליהוה *habuit, in dextram manum incidit.* Ecquis autem in eo divini favoris signum collocaverit, quod sors ליהוה in dextram manum incidisset? Num causa aliqua gravis & sontica apparet, quamobrem Deum populo tam dira apostasia laboranti illustre signum gratiæ indulsisse credamus? Num in superstitionem & impietatem prono & prolapso suum favorem ita evidenter tot annis iisque non interruptis testatum esse Deum, Judæis credulis fidem habeamus? Sane, ut locum Es. 1: 18. aliquid fingendi occasionem Judæis præbuisse conjectavimus; ita hic Psalm. 118: vers. 16. *dextra Dei exaltata*, alterum comminiscendi ansam dedisse, inde verisimile arbitramur, quod Arama bis illum locum, ubi de sorte egit, in medium adduxit. Unde nolim Judæis extra scripturam aliquid asseverantibus, confestim fidem haberi: cum re penitius considerata sæpius eos fallere docti viri deprehendant. Sic dum 40 annis ante excidium templi sponte templi fores apertas esse l. c. scribunt, Buxtorfius quidem in recensione Talmudis, pag. 190. de velo templi, Domino patiente, fisso accipit; cujus sententiam probat Casaubonus Exercit. XVI. n. 127. advers. Baronium. Sed neque rem, neque tempus satis convenire Jac. Cappellus, Vindic. Is. Casaub. l. 2. Cap. IX. recte conqueritur: & H. Grotio ad Matth. 27: vers. 51. Talmudistæ ἀνιστόρητοι videntur confudisse signa, quæ in passionem Christi inciderunt, cum illis, quæ excidium proxime antecesserunt, & à Josepho recensentur.

§. 8. Missis Judæorum traditionibus, illa nunc expendemus, quæ Pontificem Dei jussu fecisse ex scriptura discimus. Sorte ita diversis notatis hircis, super illo, quem sors לעזאזל tetigerat, peccata populi confessurus Pontifex imposuit non ידו *unam manum*, uti alias in sacrificiis Eucharisticis aliisque fiebat, Levit. 3: vers. 2. 8. Cap. 4: vers. 4. sed שתי ידיו *geminam.* Qua χειροθεσίᾳ ritu Ebræorum olim proprio, quid significatum fuerit, non convenit inter interpretes. *Imponere alicui manum est testari de eo, quod vel bonus sit, aut aliquid facinoris patrarit*, inquit Flacius in Clavi. Philo vero lib. de animal. idon. sacrif. fol. 649. βούλεται, inquit, γὰρ τοῦ θύοντος πρῶτον μὲν τὸν νοῦν ὁσιῶσθαι γνώμαις ἀγαθαῖς καὶ συμφερούσαις ἐνασκούμενον, ἔπειτα δὲ τὸν βίον ἐξ ἀρίστων συνιστάναι πράξεων, ὡς ἅμα τῇ τῶν χειρῶν ἐπιθέσει δύνασθαί τινα παρρησιασάμενον ἐκ καθαροῦ τοῦ συνειδότος τοιαῦτα εἰπεῖν· αἱ χεῖρες αὗται οὔτε δῶρον ἐπ᾽ ἀδίκοις ἔλαβον, οὔθ᾽ αἵματος ἀθώου προσήψαντο, οὐ πήρωσιν, οὐχ ὕβριν, οὐ τραῦμα, οὐ βίαν εἰργάσαντο, οὐκ ἄλλῳ τῳ παρ᾽, οὐδενὶ τῶν κατηγορίαν ἢ ψόγον ἐχόντων ὑπηρέτησαν, ἀλλ᾽ ὑποδιάκονοι πάντων ἐγένοντο καλῶν καὶ συμφερόντων, ἅπερ τῇ σοφίᾳ καὶ νόμοις καὶ καλοῖς καὶ νομίμοις ἀνδράσι τετίμηται. *Postulat enim Deus à sacrificante primum bonam mentem, sanctam & in pietate exercitam: deinde vitam benefactis ornatam, ut dum manus imponit, possit libera conscientia dicere, manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ sunt, noxam, injuriam, vulnus, vim intulerunt nemini, nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis ac utilibus, quæ viris justis, honestis & sapientibus probantur.*

§. 9. Cæterum si Philo censuit, impositionem manuum designasse innocentiam aliquam, quam Pontifex, sive is, qui sacrificium offerri curavit, attulerit, rem acu minime tetigit, ut vel ex ipso scopo legislatoris patet. Abulens. impositas esse ait, 1. *ad renunciandum proprietati illius animalis*, 2. *ad peccata super caput ejus imprecandum.* Videtur fuisse ritus, ex quo intelligi debeat, translationem peccati vel reatus in illud subjectum, cui manus imponebatur, esse factam, Atque hoc ex Ebr. R. Alschech fol. 184. col. 3. libri תורת משה ipsemet fatetur his verbis: על ידי הסמיכה הוא נותן ממש איתם על ראש השעיר: per χειροθεσίαν *ipse peccata capiti hirci simpliciter imposuit*, Hanc

Hanc immediate excepit stata solennisque peccatorum confessio, quam nomine populi totius Pontifex recitavit. Antiquissimi Ebræi in Talmud, Massech. Joma cap. 6. ita se illam habuisse testantur: אנה השם עוו פשעו חטאו לפניך עמך בית ישראל אנה השם כפר נא לעונות ולפשעים שעוו לפניך עמך בית ישראל ככתוב בתורת משה עבדך לאמר כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני יהוה תטהרו: *Obsecro Domine, deliquerunt, rebelles fuerunt, & peccarunt coram te populus tuus, domus Israël. Obsecro Domine, remitte nunc delicta, & rebelliones & peccata, quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israël, sicut scriptum est in lege Mosis servi tui* (Lev. 16: 30.) *dicendo, quia in die hoc expiabit vos ad mundandum vos ab omnibus peccatis vestris, mundi eritis coram Domino.*

§. 10. Hæc confessio breviuscula, & aliis Ebræorum ob πολυλογίας & βαττολογίας nostro Salvatori improbatis precibus dissimilis, ex Levit. 16. confecta est, & satis ostendit, cujusmodi peccata illo die expiata sint, nempe omnia, cujuscunque tandem essent nominis. Unde judicium ferri potest de Rabbi Mosis Kotzensis assertione, quæ lib. cit. fol. 7. col. 3. ad præceptum 2. negativ. his verbis exhibetur: גרסינן במסכת יומא פרק אחרון עבר על מצות עשה ועשה תשובה אינו זז משם עד שמוחלין לו מיד שנ׳ שובו בנים שובבים ארפא משובותיכם עבר אדם על מצות לא תעשה ועשה תשובה תשובה תולה ויום הכפורים מכפר שנאמר כי ביום הזה יכפר עליכם עבר אדם על כריתו׳ ומיתו׳ ב״ד תשובה ויום הכפורים תולין ויסורין ממרקין שנ׳ ופקדתי בשבט פשעם ובנגעים עונם אבל מי שיש בידו חילול השם תשובה ויום הכפורים ויסורין תולין ומיתה ממרקת ועל זה נאמר ונגלה באזני וגו׳ אם יכופר העון הזה עד תמותון: *Si quis transgressus fuerit præceptum affirmativum, ac resipuerit, ipsi confestim remittuntur* (quod Ludovicus de Dieu animadvers. in h. l. vertit *non recessit à Deo*, perperam fit, neque mentem Iudæi exprimit) *nam scriptum est:* (Jerem. 3: 14.) *revertimini filii aversi, sanabo aversiones vestras. Si vero transgressus fuerit præceptum negativum, ac resipuerit, resipiscentia suspendit* (non absolvit) *sed dies expiationis id expiat, quia dicitur* (Levit. 16: 30.) *nam die hoc expiabit vos. Quod si transgressio mereatur excisionem, & capitalia judicia supplicii,* (nempe lapidationem, combustionem, strangulationem & decapitationem) *resipiscentia & dies expiationis non absolvunt, sed castigationes id purgant, quia scriptum est* (Psalm. 89.) *& visitabo virga prævaricationes eorum, & plagis iniquitates eorum. Verum quicunque reus fuerit profanati nominis divini, nec resipiscentia, nec dies expiationis, nec castigationes id absolvunt, sed sola mors, quia legitur* (Es. 22: 14) *& revelabitur in auribus meis &c. Si expiabitur iniquitas hæc, donec moriamini.*

§. 11. Hanc graduum peccatorum distinctionem, in qua οὐδὲν ὑγιὲς reperitur, ipse textus aperte rejicit, utpote in quo dicitur Hircus in desertum tulisse omnia peccata, עונות פשעים וחטאות: Et R. Moses Maimonides comm. ad Mischn. fatetur, ita voces cumulari, שיכלול כל מיני העונות *ut omnes peccatorum species comprehenderet*, & quidem, ut ibidem pergit, ad significandas: העונות שהאדם עושה במזיד וחטאים הם נעשים בשוגג ופשעים הם מיני כפרה והמרד בהשם ית׳: *iniquitates, ab homine de industria patratas, & peccata per errorem commissa; prævaricationes, quæ speciem habent voluntariæ abnegationis & rebellionis contra Deum.* Sane ne concipi quidem potest peccatum, quod non illis nominibus efferri queat. Vox עון quæ à Kimchio per עוות *perversionem*, ab auctore Concordant. Ebr. R. Nathan per היפוך *inversionem* explicatur, & à LXX. fere ἀδικία verti solet, notat actum pravum, rectæ regulæ non convenientem, & non modo legi vetanti, ut Grotius vult, sed & affirmanti repugnat. פשע ἀποστασίαν includit, & voluntariam Dei legisque divinæ rejectionem. חטאת vero generalissimæ significationis, & cum actuale, tum originale peccatum significare aptum est vocabulum. Ejus origo arcessi solet à חטא *aberrare à scopo, à vera via*, unde לא יחטיא *non committebat defectum* Judic. 20: 16. vel, ut in Æthiopica linguæ sonat, *carere* atque *destitui*. ኀጥአ enim Æthiopibus significat, *caruit, non habuit*. Unde ኃጥእ *impius, peccator*, quam vocem ab illa radice eo derivari, quod *peccator careat gratia Dei*, monuit Æthiops, referente Æthiopicæ linguæ propagatore felicissimo, Nobilissimo Dn. D. Ludolfo, præclaro Lexico Æthiopico pag. 224. Rabbi Isaac Arama, in Akedath Izchack fol. 107. col. 1. ita ex Aristotele de discrimine illarum vocum philosophatur: הנה שלש מלות הללו כוללות השלשה מינים מהחטא אשר בכם יפלו האנשים במעשיהם כמו שאמר החוקר בפרק י׳ מהמאמר החמשי כספר המדות זה לשונו: משלשה פנים יבואו הנזקים בחברות בני אדם אחד מהם עשות החטא בבלי דעת כי לא ידע למי ובמה ומה ולא למה כי יעשה זה ולא חשב להשליך הרומח או לא זה או לא בעבור זה אבל קרה כן כי כזה המין הוא השכור והדומים אשר יכו בכוונה ויודעים את אשר יעשו אליו שאינם עושים בבחינה שלימה אלא שזה יותר רע במה שהוא עצמו תחלת הסבה ועל הפן השני אמר אמנם כאשר הוא יודע ולא הקדים עצה הוא בלי הצטרך כמו שעושה בעבור כעס או שאר הפעליות הכרחיים וטבעיים ועל הג׳ אמר אמנם כשהם עושים בבחירה הרשעים ורעים וכו׳ וברור הוא כי אלו הג׳ פנים עצמם הם אשר כוונום חז״ל בכי׳ חטא עון ופשע כפי מה שפרשום בפיהם: *Ecce tres voces complectuntur tres species peccati, quibus homines in suis actionibus cadere solent, ut Philosophus cap. 10. l. 5. de moribus loquutur: verba ejus hæc sunt: Tres sunt læsiones, quæ in societatibus eveniunt, quæ cum ignoratione fiunt, sunt peccata, cum neque quem, neque quod, neque quo, neque cujus gratia; existimaverit quippiam, qui ea egerit. Vel enim non esse percussurum, vel non hoc, vel non hunc, vel non hujus causa putavit. Sed accidit id, cujus causa minime putavit. Atque hujusmodi esse ebrium ait, & similes, qui intentionem percutiendi habent, & quid agant, sciunt; non tamen faciunt perfecte. Pejor tamen hic est, quia ipse causæ initium est. De secundo modo ait: verum quia cognovit quidem, sine prævia tamen consultatione, injuste agit, uti qui ex ira facit aliquid, aliisque affectibus naturalibus & necessariis. De tertio modo loquutus ait: cum ex electione faciunt, pravi ipsi sunt & mali. Atque hoc liquet, tres modos illos esse, ad quos Dd. nostri b. m. respexerunt; cum voces* עון, פשע & חטאת *explicarunt.*

§. 12. Si tres illæ voces omnia peccatorum genera denotant, omnesque adeo modos, quibus hominem labi contingit, exhauriunt, perspicuum inde evadit, non levia duntaxat peccata eo die fuisse expiata. Ecquomodo igitur Grotius, annot. in h. l. R. Kozensis vestigiis insistens, negat, iis comprehendi peccata, quibus mortis & ἐξολοθρεύσεως pœna est addita? Non ibimus inficias, notoria peccata eum in modum fuisse punita, quem lex divina præscribebat, citra omnem misericordiam: reliqua tamen qualiacunque concredita fuisse fidei Sacerdotum & sacrificiis expiata, cumprimis anniversario magno, negari nequit; cum tam facile ibi fuerit Deo, occultum remittere adulterium, quam facile erat, tot mille alias condonare offensas. De aliis sacrificiis videatur locus 1 Sam. 3: 14. ubi Deus juramento cavet, & prohibet expiationem iniquitatis domus Eli בזבח, quo non opus fuisset, si illa non potuissent expiari. De hirco emissario in promptu sunt ipsorum Ebræorum testimonia. R. Isaac Arama, fol. 206. col. 2. hunc in modum scribit: יראה שכוון בזה הכונה נכבדת מאד והיא להת הסבה והטעם על כפרת הפשעים החמורים אשר לכפר עליהם בזה השעיר המשתלח וללמוד שאפילו על הפושעים והחמורים בשעיר ההוא יש טעם להמציא להם מחילה וכפרה: *Videtur hoc insigne quid intendisse, nempe causam & rationem tradere prævaricationum graviorum expiandarum; per hircum emissarium, & docere voluisse; quod etiam graviora peccata expiandi in hirco illo aliqua sit ratio.* R. Moses Maimonides, Hilk. תשובה §. 2. שעיר המשתלח מתכפר על כל עבירות שבתורה הקלות והחמורות בין שעבר בזדון בין שעבר בשגגה: *Hircus emissarius omnes expiat transgressiones in lege memoratas, leves & graves, studio & per errorem commissas.* Atque longe adhuc clarius in Talmud, Massechet שבועות, cap. 1. prisci Ebræi asseruerunt: על שאר עבירות שבתורה הקלות והחמורות עשה ולא תעשה כרתות ומתות בית דין על כלן שעיר המשתלח מכפר: *Reliqua peccata, quorum meminit Scriptura, levia & gravia, omissionis & commissionis, excisionem & mortem à Synedrio inferri solitam commerentia hircus emissarius expiat.*

§. 13. Patet itaque quid sentiendum sit de eo, quod Bellarminus, lib. 1. de effectu Sacramentorum cap. 17. solum pro peccatis *ignorantiæ* sacrificia instituta fuisse docet, pro reliquis non item. Et quod Photiniani, nominatim Schlichtingius, voces לכל חטאתם *omnia peccata*, Lev. 16: 21. restringenda esse contendunt ad leviora duntaxat peccata, quæ Apostolus Ebr. 9: 7. ἀγνοήματα vocat. Nempe, uti vidimus, omnes falluntur, dum sonum potius vocis, quam scripturæ usum respiciunt. Secundum hunc enim dictione ἀγνοήματα non leviora duntaxat peccata designantur, sed & graviora: unde Ps. 25. 7. à LXX. τὰ ἀγνόημα pro פשע, ponitur Gen. 26: 10. pro אשם, adeoque quicquid homo non facit κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον *secundum rectam rationem*, vel potius legis divinæ præscriptum. Hinc & malitiosæ proditiones, abnegationes & cædes ita appellantur. Conf. Actor. 3: 17. 13: 27. 1 Tim. 1: 13. 2 Petr. 2: 12. Sic 2 Paral. 16: 9. ἀγνοεῖν à LXX. pro הסכל ponitur, & 1 Sam. 26: 21. ubi Saul, qui Davidem lancea transfodere conabatur, peccatum suum ita describit: הִסְכַּלְתִּי וָאֶשְׁגֶּה הַרְבֵּה מְאֹד *stulte egi & erravi maximopere.* LXX. μεματαίωμαι καὶ ἠγνόηκα πολλὰ σφόδρα. Non est itaque, quod vocem ἀγνοήματα sollicitent, eamque putent esse dictionem diminuentem, vel aliquem χλευασμόν, quo peccata illa vo-

voluerit elevare Apostolus. Uti enim illa Hellenistis, Ecclesiast. 22:2. Judith. 5:19. omnia delicta veniunt; ita Apostolus, qui eos imitatur, omnes quantumvis gravissimas transgressiones eadem voce intellexit.

§. 14. Ad umbilicum deducta confessione, non erat hirco diu subsistendi locus, ut loc. cit. Ebræi tradunt. Si enim ille moras necteret, qui abducturus erat, היו מתלשים בשערו ואומרים לו טול וצא טול וצא: *crines et vellicabant, dicentes, vade & exi, vade & exi*: ad quæ Mischnæ verba Gemara: מה שהי צפירנא דין והובי דרא סגאין: *Eccur iste hircus cunctatur, cum peccata populi tam numerosa sint.* De his Tertullianus, Patrum Latinorum antiquissimus, aliquid inaudivisse videtur, lib. 3. cap. 3. adversus Judæos, ubi *hircum coccino circumdatum, maledictum & conspuatum & convulsum à toto populo, adeoque manifestis indiciis divinæ passionis notatum fuisse docet*, ceu observavit Theologus & Philologus excellentissimus, Dn. Joh. Henr. Ursinus, Ecclesiæ Ratisbonensis venerandus Antistes, Analect. Sacr. lib. I. c. 28.

§. 15. Recepta igitur in se peccatorum omnium mole, abducere eum debebat איש *Vir*. Ad quam vocem R. Maimonides in comm. ad Mischn. monet: באה הקבלה כי מה שאמר ה' יתבלך איש להכשר את הזר: *Traditio est, quod Deus, quia voce* איש *usus est, indicare voluerit, etiam extraneum id perficere potuisse.* Est sane vox איש generalis, & de extraneo accipi potest, quia tamen de illo, qui intra castra recipiendus lotione opus habebat, sermo legislatori est, Israelitam quoque potuit respexisse, saltim eum non exclusit, unde in Mischna c. 6. num. 3. hæc legimus: אמר רבי יוסי מעשה והוליכו ערסלא מצפורי וישראל היה: *Dixit R. Jose, factum esse, ut Arsela Zipporensis duceret, qui Israelita fuit.* R. tamen Moses Kotzensis ספר מצות גדול, Hilkot Jom Hakkippurim fol. 222. ita ex Mischna loquitur, אחר שהתודה על השעיר מסרו למי שמוליכו והכל כשרים להוליכו אלא שעשו הכהנים קבע ולא היו מניחים את ישראל להוליכו: *Postquam super hirco est confessus, tradidit eum alicui, qui eum abduceret. Omnes erant apti ad educendum; Sacerdotes tamen sanxerunt, ne quis Israelitarum eum educeret.* Dicitur vero non simpliciter איש sed etiam עתי. Quam vocem Junius, *commodus*; Buxtorfius, *tempestivus*, reddidit. Syr. [illegible] Arabs مهيا له *paratus ad illum.* LXX. ἕτοιμος. Chald. גבר דזמין למהך *Vir ad eundem paratus.* Lutherus der fürhanden ist. Michlal Jophi: איש מזומן ללכת שם שהולך שם עתים הרבה: *Vir paratus ad eundum illuc, qui se sæpius eo confert.* Aben-Esra: מזומן לעתו או מנהגו ללכת בכל יום כפורים: *qui tempore suo paratus est, aut quovis die expiationis eo migrat.* Secundum Aben-Esram non incommode notabitur is, qui ad id destinatus, eo officio ordinarie functus est.

§. 16. Locus in quem abducebatur, itidem exprimitur, dum ait: המדברה *in desertum* vs. 10. אל ארץ גזרה *in terram abscissionis* vs. 22. adeoque ut R. Moses Allchech fatetur, כפל הענין במלות שונות: *duplicatur significatio duabus dictionibus.* Posteriorem locutionem auctor Michlal Jophi ita explicat: שנכרתה מן היישוב ומן הצמחים: *quæ neque habitatur, neque germinat*: secutus videtur Chaldæum לארע לא יתבא *in regionem inhabitatam.* R. Alschech paullo latius: ארץ גזרה היא ארץ החיצונים שלאומת ארץ החיים והיא גזרה להשתקע שם שלא יזכרו ולא יפקדו והוא מאמר הנביא באומרו ותשליך במצולת ים: *Terra abscissa terram extraneam notat, oppositam terræ vitæ. Est illa abscissa, ut ibi submergantur, ne memorentur, & ne visitentur* (Jer. 3: vs. 15.) *Atque hoc est, quod Propheta dixit*, (Mich. 7: 19.) *& projiciet in profundum maris.*

§. 17. Dum de projectione verba facit, videtur respexisse ad communem Ebræorum sententiam, qua statuunt, hircum in maximæ altitudinis montem fuisse eductum, atque eundem voce עזאזל significari, persuasum habent. Ita enim R. Bechai fol. 138. col. 4. com. in Lev. 16. על דרך הפשט באור מלת עזאזל קשה מלשון עזז כי היה הר גבוה צוק קשה כענין שכתוב ארץ גזרה וכן מצינו בתורת כהנים לעזאזל למקום הקשה שבהרים יכול בישוב תלמוד לומר המדברה ומנין שיהיה צוק ת"ל אל ארץ גזרה וכן פי' רשי: *Secundum sensum literalem vox* עזאזל *idem notat ac difficile, ex significatione verbi* עזז. *Fuit enim mons altus, & rupes eo significatu, quo scriptum est,* ארץ גזרה *Terra abscissa. Atque in libro* תורת כהנים *invenimus, quod omnium montium altissimus fuerit, an forte in terra habitata? notanter dicitur* המדברה. *Unde vero constat fuisse rupem? quia dicitur* ארץ גזרה *atque ita R. Salomo explicat.* Sane præter R. Salomonem, R. Jonas, R. Lipmannus, R. Arama, R. Gersonides & alii ita interpretantur. Neque alienus ab hac originatione est Arabs in Opere Biblico Anglicano, dum reddidit في جبل عزازل *in monte Asasa.* Est vero عزاز *terra dura.* Syrus Interpres, qui alias authenticum textum κατὰ πόδα fere sequitur, in laudato Opere Bibl. عزازيل reddidit, quæ vox ibidem *Azazeel* vertitur, ab ازل & عز, ut apparet, derivata. Cui originationi non dissimilis est illa, cujus R. Aben-Esra facit mentionem in comm. his verbis: אמר הגאון כי עזאזל שם הר ונקרא כן בעבור שהוא תקיף כי טעם זכר השם כטעם הררי אל יקותיאל וגאון הלוי תפשו כי האלף במלת עזאזל היא בין זין לזין: *Haggaon dixit, Asasel esse nomen montis, qui invocetur ob magnitudinem, ipso nomine satis sensum suggerente, quemadmodum in verbis* הררי אל יקותיאל *Haggaon vero Levita redarguit eum, quia litera* א *in voce* עזאזל *gemino* ז *interjacet.*

§. 18. Equidem ut ipse literarum ordo docet, hoc modo non עזאזל sed עזזאל discendum fuisset: unde ex עזז vocem illam derivari, prorsus non fit verisimile. Itaque longe rectius R. D. Kimchi in libro Rad. scripsit: מלה מורכבת מן עז ואזל *est dictio composita ex* עז *caper,* & אזל *abeo*, &, ut Aben-Esra apud R. Kotzensem ait עזאזל כמו גלעד שתי תיבות כאחד *dum dicitur,* עזאזל *duæ dictiones instar unius leguntur*, ut גלעד. Ne vero quis diversarum linguarum voces, & punctationem refragari dicat, R. Lipmannum audiemus lib. Nizzachon §. 87. אל תתמה שכתב לשון תרגום כי כן מצינו יותר שני מקבילות הלולאות הקמ"ץ הנקוד תחת הז"ין ולא תחת הא"לף משום שאין הכרת האלף נכרה בקריאה: *Noli mirari, quod Chaldaicam dictionem adhibuerit, invenimus enim alia exempla.* (ut Exod. 26: 5.) *Kametz literæ Zain est substratum, non vero literæ Aleph, quia hæc in lectione non solet agnosci.*

§. 19. Etsi vero R. D. Kimchi à vero non aberrat; dum ex duabus istis dictionibus compositam esse vocem עזאזל dicit; non minus tamen hallucinatur, ac alii Ebræorum, qui vocem עזאזל significare ajunt לקשה הולך Scribit enim l. cit. ita: נקרא ההר כן לפי שהעז היה הולך שם: *ita vocatur mons ille, in quem caper ille abiit.* Ex Christianis similiter Oleaster, Vatablus, Schindlerus aliique secuti Kimchium de monte interpretantur. Quin Vatablus in deserto prope montem Sinai situm eum esse asseruit. Quod unde hauserit, cum Bonfrerius scire expetat, à Judæis, quorum auctoritate sæpius abripi se patitur, eum seductum esse dicimus. Aben-Esra enim auctor est, fuisse quendam, qui diceret, שהוא הר סמוך אל הר סיני *montem illum monti Sinai junctum fuisse.* At tantum abest, ut ibi montem *hoc nomine* situm fuisse probent; ut ne montem quidem significari ea voce, fidem fecerint. Affert quidem pro Kimchii sententia Oleaster argumentum ex vs. 10. quod ibi dicitur mitti caper לעזאזל: Cæterum vocem illam transferendam *ad Asaselem*, ipsa litera ל minime evincit, utpote quæ adhuc alias habet significationes, commodissimeque vertitur *pro Asasele* seu *capro emissario.* At num alteram illam sortem *pro monte Asasel* jactam fuisse, dicemus, ut Arabs vocem reddidit? Id vero nolimus asserere, utpote minime ignari, ex textu nunquam probaturos, Ebræos, montem aliquem fuisse, è quo Dei jussu hircum emissarium Ebræi dederint præcipitem, & ita interfecerint.

§. 20. Rabbi Salomo quidem comm. in Levit. XVI. sic scribit: לפי שנאמר לשלח אותו לעזאזל ואיני יודע שלוחו אם לחיים אם למיתה לכך נאמר יעמד חי עמידתו חי עד שישלח מכן ששלוחו למיתה: *Quia dicitur ad mittendum eum* לעזאזל, *& ego scire nequeo, an missio ipsius ad mortem, an ad vitam respiciat. Ideo dicitur: sistetur: nempe tantisper vivus, donec mittatur. Inde probatur, missionem ad mortem fuisse.* Cæterum Judæus fallitur, dum non animadvertit, nullam esse consequentiam; hircus ille sistetur vivus coram Domino, ergo postquam inde est abductus, fuit occidendus. Oppositio non eundem spectat hircum necessario, qui nunc vivus Domino sistebatur, nunc emittebatur in desertum, sed duos hircos, quorum unus mactandus in sacrificium offerri, alter vivus in desertum emitti debeat, suppresso hoc, quid eo ibi sit futurum. Atque ita è rupe hircum fuisse deturbandum, ex præscripto Legis Mosaicæ nondum probatum dedit Ebræorum Doctor.

§. 21. Meminerunt sane Ebræi in Mischna sæpius citata loci alicujus, צוק dicti, è quo dejectus hircus sit à viro qui eum eduxit: דחפו לאחוריו והוא מתגלגל ויורד ולא היה מגיע לחצי ההר עד שנעשה אברים אברים: *præcipitavit ipsum* (hircum) *qui deturbatus medium montis non attigit, donec in frustra collisus esset.* Etsi vero R. Obad. de Bartenora scribit: כל הר גבוה תקיף קרוי צוק: *omnis mons altus vocatur Zuck*: R. tamen Maimonides, locum aliquem certum designans, pro nomine proprio habere vocem illam videtur, dum comment. in l. cit. ait: היה מירושלים עד המקום ששמו צוק שנים עשר מיל והם תשעים ריסין: *inter Hierosolymam & locum illum Zuck dictum duodecim erant milliaria, quæ nonaginta stadia conficiunt.*

Præ-

Præterea, עשר סוכות בדרך *decem tabernacula in via* exstructa fuisse commemorant, in quibus illi, qui hircum comitarentur, pernoctarent. Nempe ut Mischna ait: מיקירי ירושלים מלוין אותו עד סוכה הראשונה vel, ut Bartenorius explicat, מחשובי *de nobilioribus Hierosolymitanis quidam ad primum usque tabernaculum eum comitabantur*, inde alii ad secundum, alii inde ad tertium &c. quo se pridie diei expiationis contulerant. Quandoquidem vero illo festo nonnisi bis mille passus ire ipsis licebat, qui תחום שבת *terminum Sabbatici itineris* constituunt, (confer Actor. 1: vs. 12.) factum ajunt, ut, qui ultimo tabernaculo fuissent, non se conferrent cum hirco ad ipsum Zuck, sed è longinquo consisterent: מלוין אותו מסוכה לסוכה חוץ מאחורנה שבהן שאינו מגיע עמו לצוק אלא עומד מרחוק ורואה את מעשיו: *comitabantur eum à tabernaculo ad tabernaculum, iis excepiis, qui in ultimo erant, qui cum eo non pervenerunt ad Zuck, sed eminus consistentes, quid ipso fieret, viderunt*, videlicet non nisi mille passus emensi, ut eo die, utpote Sabbato, eo reverti possent.

§. 22. Tradunt insuper, Pontifici in reliquo cultu sacro non licuisse pergere, donec is hircum in desertum venisse comperisset, ut ex Bartenora patet. Hinc sub finem capitis 6. Joma hæc legimus: אמרו לו לכהן גדול הגיע שעיר למדבר אמר ומנין היו יודעים שהגיע שעיר למדבר דרכיות היו ועד עושין ומניפין בסודרין ויודעין שהגיע שעיר למדבר בית חדודו רבי יהודה הלא סימן גדול היה להם מירושלים שלשה מלין: *Pontifici annunciarunt, hircum in desertum venisse. Unde vero hoc eis constitit? altos lapides erexerunt & sudaria agitarunt super iis, & sic hircum desertum attigisse perceperunt. Dixit R. Juda, nonne hoc eis signum magnum erat? tria milliaria erant ad Bethchadudo.* Atque hæc quæ de decem inter Hierosolymam & Zuk tabernaculis, modo circum comitandi, erectis lapidibus, unde eminus agitatis sudariis signum deturbati hirci Hierosolymis viderint, maxime vero, quæ de distantia urbis à monte tradunt, ejusmodi sunt, ut Cl. Lichtfootus, Vir alias minime credulus, cap. 54. centur. Chorograph. in eum sensum ita scripserit: *Non est improbabilis conjectura, hircum emissum fuisse versus* Bethhoronem, *quæ XII. mill. passuum distabat ab Hierosolymis, & rupes vicinas habuit horridas asperrimasque.*

§. 23. Cæterum cum in authentico textu, ut diximus, suæ sententiæ nullum habeant fundamentum Ebræi, Christiani vero Judæos secuti id largiantur, non Dei mandatum, sed Rabbinorum statutum fuisse, ut hircus emissarius è rupe detruderetur; nempe ne, si rediret è deserto vivus, tristia præsagiret, & mala portenderet; præterea ipse etiam Josephus lib. 3. cap. 10. de A. J. dicat, hircum emissum fuisse εἰς ὑπερόριον ἐρημίαν, suppresso eo, an ibi de monte sit deturbatus, ut cum Judæis Fagius, Grotius, Sheringhamius, aliique statuunt; an vero à bestiis devorandus ibi fuerit relictus, ut Abulensis, Cornel. à Lap. Dn. D. Varenius ad h. l. aliique docent: rectius facturi sumus, si עזאזל *caprum emissarium* vertamus, quam *montem altum*. Unde & B. Lutherus, den ledigen Bock. Belgæ, den weggaanden Bock. LXX. ἀποπομπαῖον transtulerunt: item διεσταλμένον εἰς ἄφεσιν. Aquila τράγον ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον. Symmachus ἀπερχόμενον, & ἀποπομπαῖον; adeoque Judæos pro monte adstruendo vox עזאזל nihil juvat. Quod vero Gemaristæ urgent locutionem ארץ גזרה *terram excisionis*, quasi ea intelligatur locus, in quo membra exscinderentur, illi quoque falluntur, ut doctiores Ebræorum interpretes largiuntur. Confer quæ supra ex Michlal Jophi sunt allata, cum Aben-Esræ glossa, qui cum voce מדבר notari dixisset מקום שאין שם ישב *locum inhabitabilem*, subjungit והעד אל ארץ גזרה, *atque hoc ipsum comprobat locutio, in terram excisionis.* Quo ipsa satis patet, illum non tam rupem aliquam, quam locum dissitum & ab omni hominum consortio quasi abscissum intellexisse, in quem hircus ille, velut ζῶον ἄφετον, erat ablegandus.

DISSERTATIO II.

De Hirco populi peccata in desertum bajulante.

AD verba Salomonis, Eccles. 7: 14. *Omnia tentavi in sapientia, & dixi: sapiens ero; & illa longius à me recessit*, in libro Jalkut, fol. 187. col. 1. Judæi hæc scripta reliquerunt: כל זה נסיתי בחכמה לא הנחתי חכמה בעולם שלא אמרתי עליה וכיון שהגעתי לפרשה פרה אדומה אמרתי אחכמה והיא רחוקה ממני: *Omne hoc tentavi in sapientia, & nihil in mundo residuum feci de sapientia, quod non dixerim. At postquam perveni ad sectionem de Vacca Rufa*, (Num. 19: 2.) *dixi: nunc sapientiam acquiram. Illa vero longius à me recessit.* Tam abstrusas, tamque indagatu difficiles causas præcepti illius, de mactanda vacca rufa fuisse, asseverant Judæi; ut ne Salomonem quidem, quantumvis rex post homines natos sapientissimus esset, hariolari potuisse contendant, quid tandem ea præfigurare, qua fini rufam eam mactari, comburi; & sanguinis ejusdem portione tabernaculum conspergi Deus voluerit. Sed quam sapientiam in indaganda causa, quamobrem vaccam rufam mactare tenebantur, à Salomone recessisse, recutiti comminiscuntur, eam sibi in hirci emissarii describenda historia defuisse, longe potiorem conquerendi causam habere, ipsimet videntur. Dum enim rationem exponere nituntur, cur solenni expiationis festo, quo longe majori beneficio reliquis omnibus, afficiebantur, utpote omnium omnino peccatorum commissorum gratiam à Deo impetantes, uno hirco Deo oblato, alter in desertum, peccatis populi antea ipsi à Pontifice impositis, emissus fuerit, tam diversa, tam aliena à veritate, quin & impia enarrant, ut hic sapientiam ab illis aufugisse jure merito dixeris. Quorum commentis ordine recensitis, quantum populus Judaicus hodiernus ab antiquo illo & inclyto, qui è nutu Dei pependit, ejusque voluntatem à sanctis viris edoctus, ipso Deo affirmante, tam sapiens fuit, ut omnes alias gentes longo post se intervallo reliquerit, mutatus, & quam densis tenebris immersus penitus sit, ostendere, & simul verum & genuinum scopum, quem Deus sibi præfixum habuit, eruere conabimur.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Judæorum priscorum τὸ עזאזל pro dæmonis nomine habentium opinio ex Rab. Lipmanno & capitibus R. Elieseris allata. Diversa eaque pugnantia recutitorum placita ex Mose Haddarsan, Beth Israel & Scholiaste ejus recensita. Valentinianis quoque ea voce dæmonem notatum fuisse, ex Epiphanio ostensum. R. Gerundensis commento adducto, super origine hujus erroris disquiritur. Julianus Apostata notatus, qui Mosen Deos averruncos intellexisse, ex vers. Græca probare conatur. Quid ἀποπομπαῖος Polluci, Suidæ, Hesychio. Quam perversum sensum vocis ex Græca Vers. quidam hauserint, Cyrilli verbis docetur. recentiores Ebræi quomodo priscos excusare nitantur ostensum. R. Aben Esræ explicatio ænigmatica producta. R. Abarbenel dicam scribit suis contribulibus. Idem voce שעיר Christianos notari, cum priscis, in Bereschit Rabba, & R. Arama docet. Alia ejusdem Abarbenelis explicatio, qua populum Israeliticum designari vult, & rationes quatuor pro ea, exploduntur. Clem. Cocceji, hircum in desertum emissum de immorigeris Judæis accipientis expositio ponderata. in sensum Levit. 16: 10. inquiritur. Judaica sententia ex defensorio fidei allata. R. Schem Tof, Socini & Grotii explicatio notata. Bocharti, Augustini, Hieronymi & Justini Martyris diversæ accommodationes allatæ.

§. 1.

INter Judæorum placita de hirci emissarii fine, primum locum assignamus illi, quod prisci fere Ebræorum approbarunt. R. Lipmannus Nizzachon, num. LXXXVII. ait: אמרינן בפרק דרבי אליעזר סמאל הוא עזאזל: *Legimus in capitulis Rabbi Elieseris, Sammaelem esse Asaselem.* Ergone hircus ille emissus cessit ipsi Diabolo? Ita illi persuasum habuerunt. cap. 46. enim lib. cit. hæc verba legimus: נותנין לו שוחד ביום הכפורים שלא לבטל קרבן של ישראל שנ׳ גורל אחד לה׳ וגורל לעזאזל: *Dant ipsi* (Sammaeli) *munus die expiationis, ne sacrificium Israelis impediat, quia dictum est: sors una Domino, & sors altera Asaseli.* Ubi sciendum est, Judæis quatuor Dæmonum antesignanorum nomina esse, סמאל, עזאל, עזאזל מחזאל *Sammael, Asasel, Azael & Machazael*, atque inde fit, ut nomina illa quandoque invicem permutent Ebræi. Ex Mose Haddarschan ad Genes. cap. 6: vers. 2. hæc recenset Martinus Rai-

Raimundus, part. 3. distinct. 3. cap. 22. fol. 729. Pugion. Fidei. עזאל לא חזר בהשובה והוא ממונה על כל מיני צבעונים ועל כל מיני תכשיטין של נשין שמסיתין בני אדם לדבר עבירה ועדיין הוא בקלקולו ולכך היו ישראל מקריבין קרבנו תוהיו נותנין גורל אחד להשם שיכפר כל עונות ישראל וגורל אחד לעזאזל שיסבול עונותיהן של ישראל הה״ר ונתן אהרון על שני השעירין גורלות גורל אחד ליהוה וגורל אחד לעזאזל והקריב אהרון את השעיר אשר עלה עליו ליהוה ועשהו חטאת והשעיר אשר עלה עליו הגורל לעזאזל יעמוד חי לפני יהוה לכפר עליו לשלחו אותו לעזאזל המדברה: *Asael non est reversus per pœnitentiam. Ille est præpositus omnium colorum speciebus & ornamentorum muliebrium, quæ incitant hominem ad transgressionem, & ipse adhuc in peccato suo est. Ideo Israël obtulerunt sacrificium, & unum dederunt Domino, ut omnia peccata Israëlis expiaret, & unum Asaseli, ut bajularet Ismaelis peccata. Atque hoc est, quod dicitur* (Lev. 16: 8.) *& dedit sortes super utroque hirco, unam Domino, alteram Asaëli: & faciet accedere Aaron hircum, super quo cecidit sors Domino, & offeret eum pro peccato, & hircum, super quo sors cecidit Asaseli, sistet vivum coram Domino ad expiandam super illo, ad mittendum illum pro Asasele in desertum.* In Beth Israel fol. 107. col. 4. hæc legimus: תנא דבי ר׳ ישמאל עזאזל שמכפר על עין עזא ועזאל: *Est traditio domus R. Ismaelis: Asasel expiat peccatum τοῦ Assæ & Asaselis.* ubi Scholiastes hæc subdit: עזא ועזאל מלאכי חבלה הם שירדו לארץ בימי נעמה אחות תובל קין ועליהם נאמר ויראו בני האלים את בנות האדם כלוי על העריות מכפר: *Assa & Asael sunt angeli corruptionis, qui tempore Naamæ, sororis Tubal, in terram descenderunt, & de illis dictum est* (Genes. 6: vs. 2.) *& viderunt filii Dei filias hominum, q. d. illicitum concubitum excipiat.*

§. 2. Cæterum uti hæc Scripturæ sunt adversa, ita neque conveniunt cum iis, quæ in capitibus R. Elieseris, & Rabbinorum monumentis de eodem Asasel leguntur. Prisci enim nonnulli, ut ex Raimundo vidimus, Asaselem peccata Israelis portasse ajunt, recentiores vero docent, Asaseli muneris loco hircum illum missum esse, ne sacrificia eorum turbaret. vel ut in libro Capthor pag. 71. ajunt, ut oculos illius præstringeret, nec ab eo accusaretur, cum Exod. 23: 8. munus oculos videntis excœcare soleat. Neque soli Judæi Asaselem pro Dæmone habuisse leguntur, sed & Valentiniani, ceu ex veteris Christiani Poëtæ carminibus in Marcum, Valentini discipulum, qui præstigiis suis spectatoribus credebatur illudere, patet.

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε καὶ Τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι᾽ ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σοὶ χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ,
Δι᾽ ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

Quæ, apud Epiphanium, hæres. XXXIV. p. 110. reperta, quidam vix doctus ita Latine reddidit:

Idola fingens, Marce, monstrorum artifex
Fraudisque gnaræ magicæ, & astrorum sciens,
Erroris inde dogma pestiferum struis.
Portenta cæca ficta, dum turba exhibes,
Per te rebellis qualia aggreditur manus:
Hæc tu illa Satanæ fretus auxilio patris
Azazelique mira designas ope.

Quin hodie in Magorum libris Azazeel inter dæmones qui elementis præsunt, referri, compertum est, qui forsan ab Ebræis id hauserunt, quorum sententiam exhibendam hic censemus. Ita vero Rabbi Moses, Ben Nachman, quem Gerundensem vocant, comm. in Levit. XVI. commentatur: אתה צריך לחתבונן בכתוב במקרא ובמסורת והנה התורה אסרה לגמרי קבלת אלהותי וכל עבודה להם אבל צוה הקב״ה ביום הכפורים שנשלח השעיר במדבר לשר המושל במקומות החרבן והוא הראוי לו מפני שהוא בעליו ומאצילות כחו יבוא חורב ושממון כי הוא העולה לככבי החרב והדמים והמלחמות והמריבות והפצעים והמכות והדמים והפירוד וחהרבן והכלל נפש לגלגל מאדים וחלקו מן האומות עשו שהוא עם היורש החרב והמלחמות ומן הבהמות השעירים והעזים ובחלקו עוד השדים הנקראים מיזיקין בלשון רבותינו ובלשון הכתוב שעירים כי כן יקרא הוא ואומתו שעיר ואין הכוונה בשעיר המשתלח שיהיה קרבן מאתנו אליו חלילה אבל שתהיה כונתינו לעשות רצון בוראינו שצונו בכך והמשל בזה כמו שעשה סעודה למלך וצוה המלך את האיש העושה חן מנה אחת לעבדי פלוני שאין העושה הסעודה נותן כלום משלו לעבד ולא לכבודו יעשו עמו רק הכל נתן למלך והמלך נתן פרס לעבדו ושמר זה מצותו ועשה לכבוד המלך כל אשר צוהו ואמנם המלך להמלתו על בעל הסעודה רצה שיהיו כל עבדיו נהנין ממנה שיספרו בשבחו ולא בגנותו וזה טעם הגורלות כי אלו היה הכהן מקדיש אותם בפה לה ולעזאזל היה כעובד אליו ונודר לשמו אבל היה מעמיד אותם לפני השם פתח אהל מועד כי שניהם מתנה לה והוא נתן מהם לעבדו חלק אשר יבוא לו מאת השם הוא הפיל להם גורל וידו חלק להם כענין שני בחיק יוטל את הגורל ומהשם כל משפטו וגם אחרי הגורל היה מעמידו לפני השם לוי שהוא שלו ואין אנחנו מכוונים בשלוחו אלא לרצון לשם כמו שאמר יעמד חי לפני ה׳ לכפר עליו לשלח אותו וגו׳ ולכך לא נשחוט אותו אנחנו כלל ותרגם אנקלוס לשמא דהשם ולעזאזל כי האחד לשם ה׳ והשני לעזאזל ולא לשמו של עזאזל: *Intelligas oportet, quid scriptum, lectum & traditione acceptum sit. Ecce vero Scriptura simpliciter interdixit, ne eis* (spiritibus) *deitatem tribuamus, vel cultum divinum exhibeamus. Præcepit tamen Deus benedictus, ut die expiationis hircum in desertum emittamus principi, in locis desolationis dominium obtinenti. Atque hoc æquum est. Ipse enim est dominus illorum, & illius potentia desolatio & vastitas oritur. Ille ascendit ad stellas gladii, sanguinis, bellorum, litium, plagarum & vulnerum, separationis & excidii. Quin anima sphæræ Martis est, cujus pars in gentibus Esau* (hoc nomine Christianos more Judæis recepto designat) *est, qui hæreditate accepit gladium & bella, & ex bestiis hircos & capras, & in parte ipsius sunt dæmones, qui Rabbinis* מזיקין *nocivi dicunt, Scripturæ vero* שעירים. *Ita enim & ipsa gens istius vocatur. Neque tamen hirco emissario id intenditur, ut ei sacrificium offeratur à nobis. Absit illud! Sed ut creatoris nostri voluntati satisfaciamus, qui nobis hoc in mandatis dedit. Atque in hoc licet capere exemplum. Est quispiam, qui Regem convivio excipiens ab eodem jubetur, partem quandam servo suo exhibere, ubi hospes nihil quicquam de suo servo largitur, neque in honorem ejus, sed Regi, qui demum partem dat servo suo. Mandatum igitur hospes hoc observat in honorem Regis; cui pro sua clementia erga convivii autorem placet, ut omnes servi inde percipiant, & laudent eum potius, quam ignominia afficiant. Atque hæc est ratio sortium, cum enim Sacerdos ore sanctificavit,* Domino, *&* Asaseli, *fuit instar servientis & voventis nomini ejus. Sistit autem utrumque coram Domino ad ostium Sanctuarii, quia uterque munus erat Deo datum, qui partem inde dedit servo suo. Ipsemet sortem jecit super illos, & manus ejus ipsis partita est, veluti dictum est* (Prov. 16: 33.) *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Quin postquam sors eum stitit coram Domino, mens ejus est, eum illius esse. Neque nos intendimus eum mittere, nisi ad beneplacitum divinum, quemadmodum ait* (v. 10.) *sistatur vivus ante Dominum ad expiandum super ipsum, ad mittendum eum &c. Onkelos vertit:* לשמא דהשם *nomini Dei, & Asaseli. unus enim* (hircus) *nomini Dei cedebat, non illi* (*Asaseli*) *alter autem Asaseli, neque tamen nomini Asaselis.*

§. 3. Ut sic prisci Ebræi cum recentioribus nonnullis sentirent, litera ל voci עזאזל præfixa inducti videntur, quæ ut unum hircum voce ליהוה *Domino* vindicat, ita in dictione לעזאזל alterum Sammaeli, sive diabolo, vel, ut in דרשות התורה, Rabbi Schem Tof habetur, למלאך *angelo*, quem alii מלאך המות vel *angelum mortis*, sive etiam המקטרג κατήγορον appellant, tribui censuerunt. Fieri etiam potest, ut LXX. Interpp. versione sua nonnullis sic sentiendi ansam dederint, dum τῷ ἀποπεμπαίῳ (*v.* 8.) reddiderunt, & hircum in desertum missum esse, significaturi, scripserunt, εἰς τὴν ἀποπομπήν. (*v.* 10.) Sane Julianus Apostata inde probare conatus est, Mosen scripsisse, ὑπὲρ ἀποτροπαίων, *sive de Diis averruncis.* Uti enim Pollux testatur, *lib.* 5. *c.* 26. Οἱ δὲ δαίμονες, οἱ μὲν λύοντες τὰς ἀρὰς, ἀλεξίκακοι λέγονται ἀποπομπαῖοι, λύσιοι, φύξιοι. Et Suidas: ἀποπομπαῖοι, Θεοί τινες οὕτως ἐκαλοῦντο. Et ut Hesychius auctor est, voce ἀποπομπαὶ notantur ἡμέραι τινὲς, ἐν αἷς θυσίαι ἐτελοῦντο τοῖς πομπαίοις Θεοῖς. Sed Julianum pridem refellit Cyrillus, *lib.* 9. in Julianum. Idem Pater peculiari epistola, ad Miletenes Episcopum, Acacium scripta, adversus illos cumprimis militat, qui, inde, quod legissent, in hircos duas sortes jactas fuisse, unam Domino, alteram, ut LXX. Versio habet τῷ ἀποπομπαίῳ, sequi crediderunt: τὸν γε μὴν ἕτερον ἀποπομπαίῳ τινὶ καὶ πονηρῷ καὶ ἀκαθάρτῳ δαίμονι πεμφθῆναι κατὰ τὴν ἔρημον, καὶ τοῦτο διὰ χειρὸς ἱερέως καὶ ἐκ νόμου θεσπίσματος, *alterum ad averruncum aliquem malum & impurum dæmonem in desertum fuisse amandatum, idque per sacram manum, atque ex decreto legis.*

§. 4. Sed ut ad Judæos revertamur, illi majorum suorum sententiam commoda aliqua explicatione excusaturi, negant, divinum honorem sic Dæmoni exhibitum esse, ceu Gerundensem supra audivimus, & R. Lipmannus *l. cit.* ait: חלילה וחס שיהא שום קרבן ועבודה אלא להשי״ לבדו ובלי ספק ששעיר שעלה הגודל לעזאזל להשי״ הוא נקרב: *absit id longissime, ut illum sacrificium, vel cultus ullus alium spectet, quam Deum benedictum. haud*

dubie

dubie ille hircus quem sors לעזאזל *tetigit, Deo benedicto oblatus est.* Quærenti vero, eccur diabolo missus sit hircus, idem R. Lipmannus respondet: כדי שלא יבטל קרבנם נותנין לו שוחד *ne sacrificia illorum turbaret* (Sammaël), *munere eum donant.* Quod eum in modum fieri, R. Bechai docet, כמו שמשליך פרוסה לכלב כדי שלא ינשכנו אז יעלה קרבנו דרך סלולה לשם המיוחד בלי קטיגור: *quemadmodum quis cani frustum objicit, ne ab eo mordeatur, sic strata quasi via absque omni accusatione ad Deum sacrificium ejus ascendit.*

§. 5. Sapiens Aben-Esra, qui עזאזל de Saturno accipit, uti Abulensis de eo testatur, itidem de diabolo *com. in h. l.* videtur intellexisse. Verba ejus hæc sunt: ויאמר רב שמואל אף על פי שכתוב בשעיר חטאת שהוא לשם גם שעיר המשתלח הוא לשם ואין צריך כי המשתלח איננו קרבן כי לא ישחט ואם יכלת להבין הסוד שאחר מלה עזאזל תדע סודו וסוד שמו כי יש חברים במקרא ואני אגלה לך קצת חסוד מרמז בהיותך בן שלשים ושלש תדענו: *Dixit Rabbi Samuel, licet scriptum sit de hirco peccati, quod Dei sit, nihilominus & hircus emissarius illius est. Sed ut ita loquamur, ne opus quidem est, quia hircus emissarius non est sacrificium, neque enim mactatur. Si mysterium vocis* עזאזל *intelligere potes, & ipsius, & nominis mysterium cognosces. Sunt enim in scriptura similia. Revelabo tibi partem ejus innuendo: tres & triginta annos natus illud intelliges.* Ex quibus ænigmaticis verbis id colligimus, eum sensisse, hircum diabolo cessisse, cum עזאזל & שעירים pro ἰσοδυναμοῦσιν habet. Quæ postrema vox Lev. 17:7. occurrit, à quo retro eundo ad Lev. 16: 8. ubi vox עזאזל primum occurrit, tres & triginta פסוקים vel versus numerantur, quos totidem annis ænigmatice Judæus designavit, arbitratus, ante annos virilitatis mysterium neminem capere posse.

§. 6. Recentior, & in explicandis obscuris locis non infelix alioquin Ebræorum Interpres, Don Isaac Abarbenel, fol. 250. com. in Lev. 16. majorum suorum penitus considerata sententia hæc scripta reliquit: איך היו ישראל מקריבים השעיר הוא לעזאזל וכין שיהיה עזאזל כנוי למערכת השמים כדברי הראב"ע או שיהיה כנוי המלאכים הרעים כדברי הרמבן" אין ספק שלא היה ראוי להקריב לפניו קרבן משום זובח לאלהים יחרם בלתי ליהוה לבדו ואם זה שוחד לסמאל שלא יקטרג חנה ברצות ה' דרכי איש מה יקטרג המקטרג האם שמע לקול מנחשים מקטרגים ובוטח כה' ישוגב: *Ecquomodo Israel hircum illum obtulit Asaseli? sive Asasel cognomentum sit signorum cœlestium, ut Aben-Esra vult, sive sit nomen angelorum malorum, ut Ramban docet; nullum dubium est, illicitum esse, illi sacrificium offerre, eo quod immolans exscindetur, præterquam soli Deo* (Exod. 22: 20.). *Si vero munus est Sammaëli mitti solitum, ne scilicet accuset, ecce, si viæ viri Domino placent,* (Proverb. 16: vers. 7.) *ecquomodo accusator accusabit? Num vero Deus voci divinatorum & accusatorum obsequetur? Atqui Domino confidens elevabitur,* (Prov. 29: 25.)

§. 7. Hæc ita R. Abarbanel satis pie scripsit, omnium suorum, quos audivimus, contribulium damnata impietate. Num vero is meliorem affert sententiam, qui alias cornicum, quod dicitur, oculos amat configere? Hæret sane in eodem inscitiæ luto cum suis, & geminam adducit explicationem, quarum priorem, eamque satis crassam cum aliis communem habet; alteram vero frivolis quibusdam ratiunculis munitam, ipsemet primus excogitavit, ut nempe more suo se suosque in tam diuturno exilio solari, & spem futuræ redemtionis nonnihil roborare queat. Ita vero ille: שני השעירים ההם רמז לעשיו ויעקב שהיו שניהם אחים בני איש אחד ואשה אחת תאומים נולדים בשעת אחת ולכן היו השעירים שוים בכל עניניהם ולקיחתם כמו שבא במשנה שהיו שעירים כי עשו היה שעיר בטבעו שנ' הן' עשו אחי איש שעיר ויעקב היה צעיר כפי ימיו כי מלת צעיר בצרי הוא כמו שעיר בשין' לפי שהשין' והצרי' מתחלפים כמו שכתבו המדקדקים: *Gemini illi hirci denotant Esavum & Jacobum, unius viri, uniusque fœmellæ filios gemellos, una eademque hora natos. Idcirco, ut in Mischna traditur, prorsus erant pares inter se & simul capiebantur. Esau natura sua fuit* שעיר, *dictum enim est,* (Gen. 27: 11.) *Ecce frater meus* שעיר *pilosus. Jacobus vero erat* צעיר *ratione ætatis. Dictio enim* צעיר *cum* צ *est instar* שעיר *cum Schin, eo quod literæ sint* εὐμετάβλητοι, *ut Grammatici docent.* Reliquorum verborum, quæ ibi subjicit, sensus hic est. *Atque ipsa sors monet, eos fuisse pares natura & præcellentia. Separatus est Jacobus ad hæreditatem Dei: Esau vero à cultu Dei creatoris ejusque amore longe est abstractus. Et secundum Prophetæ Malachiæ dictum* (c. 1: 2.) *dilexi vos. Et dixistis, in quo dilexisti nos. nonne Esau frater est Jacobi, dixit Dominus, & Jacobum dilexi, & Esavum odio habui* &c. *Atque ipsa sors hoc indicavit, secundum sapientissimum* (Prov. 16:33.) *in sinum projicitur sors, & à Domino omne judicium ejus. Ecce intestina unius hirci, quem sors,* ליהוה, *tetigit, super altari ejus sunt oblata, & sanguis illius illatus in sanctum sanctorum, in templum Domini, quemadmodum Jacobus, qui ob integritatem suam & pietatem, qua ad Deum appropinquare bonum ipsi erat* (ψ. LXXII. 33.), *& posteri ejus digni sunt habiti vita æterna, quæ ingressu in sanctum sanctorum significatur. Hircus Asasel autem, qui Esavum respicit, notat Edomum fortem & impium, missum in desertum, in terram abscissam. Ejusmodi enim erat Esau in sua juventute, vir venationis peritus & in agro versari solitus. Atque hunc omnemque ipsius hæreditatem à Dei hæreditate removit, quemadmodum Propheta ait* (Malach. 1: 3.) *& posui montes ejus solitudinem & huc Dd. nostri pro sua sapientia in Bereschith Rabba respexerunt.*

§. 8. Sane & priscos & recentiores Judæos docere, alterum illum hircum, *Esavum*, hoc est, *Christianos* notare, nemini facile ignotum fuerit in libris eorum versato. Præter veteres, qui in Bereschith Rabba, non diffitente R. Abarbenele, ad Christianos detorserunt, *Sect. 65. p. 41. col. 3.* R. quoque Isaac Arama, hunc in modum scribit. *fol. 107. col. 1.* Akedat Jizhak: השעיר אשר הוא שעיר בעצם אשר עלה עליו גורל לעזאזל הנה הוא נושא עליו את כל עונות בני ישראל: *Hircus qui reapse est* שעיר, *super quem ascendit sors Asasel, ille fert omnia peccata filiorum Israel.* Quin Christianis nihil nisi excidium inde exspectandum esse perhibet, *mittitur*, inquiens, *ille in terram abscissam, ubi absque spe resurrectionis cadit penitus. quia in fine cadent cadentes, & non erit superstes & evasor domui Esau* (Obad. 1: 18.) *neque in hac vita, neque in futura. Atque hoc est, aliquod insigne, adeoque dignum, quod die expiationis fieret, signum.*

§. 9. Elucescet hic satis clare, quo in nos Christianos animo sint Judæi, dum excidium nostrum ita ex historia illa indicari, haud verentur asserere. Est vero hic recolendum, lusum potius ingenii aliquem esse priscorum, quam aliquod interpretamentum. Ut enim ex libro Bereschith Rabba patet, commentum hoc inde originem suam traxit; quod hircus dicitur portare כל עונותם, ubi Judæi pro sua libertate legunt עונות תם *iniquitates integri*, & sic Jacobi sive posterorum ejus peccata, שעיר sive hircum portare probant, quod Gen. 25: 27. Jacobus איש תם *vir integer* vocatur.

§. 10. Nugas meras esse R. Abarbenel vidit. Unde is aliam sententiam subjungendam censuit, ut ex seqq. verbis videre est. יותר נכון בעיני בדבר הזה ששני השעירי' היה רמז לעדת בני ישראל בכללותם אבל בבחינות מתחלפות. *Mihi magis probatur; duos hircos designasse totum Israëlem, diversis tamen respectibus.* Id hunc in modum l. cit. edisserit: *Nempe cum pii illi & justi Deum sequebantur, & ei adhærebant, illorum membra & interiora erant Dei, quia illa, ut dixi, notant interiores cogitationes, quæ offeruntur ad altare Dei & illorum sanguis ingreditur in interius adytum. De eo etiam propitiatorio aliquid aspergunt & pavimento, quæ omnia conjunctionem cum Deo denotant, & quod vita æterna digni, sub alas gratiosæ divinæ præsentiæ sint recipiendi. De eo intelligenda sunt verba, sors una Domino. Sors enim de mercede dicitur, quæ homini datur sive ob justitiæ sive impietatis meritum. Et quemadmodum dicitur* (Prov. 26: 10.), *mercedem dans stultis, mercedem dans transgressoribus. Appellatur merces sors, uti Daniel ait* (cap. 12: 13.), *& tu abi in fine, & requiesce & stabis in sorte tua in fine dierum, ut adeo non vocetur sors, nisi quia à Domino est omne ejus judicium* (Prov. 16: 33.) *adeoque est res quæ ex intentione fit, non per accidens. Verum ubi Israël fuit impius, & peccavit, & cultum divinum neglexit, sors ipsius cessit Asaseli, q. d. ad removendum à Deo benedicto & sanctitatibus ejus, & erit populus perfrictæ frontis, & ibit in exilium ante hostem. Asasel enim est nomen compositum ex duabus dictionibus, nempe* עז *&* אזל *q. d. populus ibit ex terra sua, cum sit populus impudens. Et ejus pœna in hoc mundo erit, ut eradicetur ex regione sua, & longe à deliciis justorum & splendore justitiæ removeatur. Atque hoc omne comprehenditur in voce* עזאזל, *q. d. populus impudens ibit ad opprobria, ad contemptum seculi.* (Dan. 12: 2.)

§. 11. Quam ineptum & apud omnes Ebræos inauditum est, dicere vocem עזאזל, ex עז & אזל, compositam, significare populum *perfrictæ frontis*, in exilium abeuntem, tam omni probabilitate destituitur hoc allatum interpretamentum, ad quod tamen probandum Abarb. quatuor rationibus utitur, ex textu allatis. Quas ubi audiverimus, deprehensuri sumus, eum scenæ servire, & extorribus Judæis spem reditus in patriam facere duntaxat voluisse. Sic vero ille: הנה יורה על אמתת הרזם הזה סגנון הפסוקים שבראשונה אמר ומאת עדת בני ישראל יקח שני שעירי עזים לחטאת מורה ששניהם היו רומזים על כללות האומה כפי מעשיהם לטובה או לרעה: *Ecce veritatem comprobat argumentum textus sacri, dum dicitur* (vs. 5.) *& de cœtu filiorum Israel sumat duos hircos pro peccato. Quo ipso indicatur, eos designasse in genere populum Judaicum pro ratione operum illorum, vel ad bonum vel ad malum.* Cæterum, quod de cœtu Israelis erant adducendi gemini hirci, exinde non sequitur, pro ratione operum iis populum Judaicum designatum fuisse. Ex ipso potius actu Pontificis de scopo & intentione Numinis judicandum est. Qui cum totius

Ecclesiæ Judaicæ personam sustinens jubeatur, utraque manu in hirci caput imposita, solenni expiationis festo omnium Israelitarum peccata confiteri, eoque hircum devovere, ut quicquid pœnarum populo propter admissa peccata impenderet, in illum converteretur, eo ipso satis patescit Abarbenelis interpretamenti vanitas, & quam procul à meta Judæus abludat. An secundæ, quam ex textu eruit, rationi plus roboris insit, jam videbimus.

§. 12. Pergit enim Don Isaac Abarbenel ושנית אמר ולקח אהרון את שני השעירים והעמיד אותם לפני פתח אהל מועד ולמה יהיה לפני יהוה מכוון לצד מערב מקום קדש הקדשים שעיר המשתלח עם השעיר אשר עלה עליו הגורל לה אם לא כי שניהם היו רומזים אל הערה בתיותה קדושה או פושעת ולכן נקרבו שניהם לאותו מקום קדוש כאומר הא לכם בני ישראל מקום קרושתכם אם תאבו ושמעתם יחכה ה׳ לחננכם ואם תשובו מאחריו תהיה יד ה׳ בכם וישלח אתכם מעל אדמתו ויורה על זה גם כן אמרו ונתן אהרון על שני השעירים גורלות גורל אחד לה׳ וגורל אחד לעזאזל כי היה הדבר שוה בשעירי להיות שניהם מורים על האומה אלא שהיה הענין בגורל ומשפט ושכר אלדי שגורל אחד יהיה לה׳ בהיותם יראיו והושבי שמו על דרך זה ואמר לה׳ אני וגורל אחד יהיה בחלוף זה ר״ל בערה ההיא עצמה בהיותה פושעת שאז תהיה עוזאל עז שאזל והלך לו מלפני השם ומעל ארצו: *Secundo ait : (v. 7.) & capiet Aaron duos hircos, & sistet eos ad ostium tabernaculi. Eccur vero hircus emissarius cum altero, quem sors Domini tetigerat, qui Domino offerebatur, ad latus sancti sanctorum occidentale sisti jussus est, si non populum vel sanctum, vel peccantem significet? Sane ideo uterque eo est ductus. quasi dicat, Ecce vobis, O Israëlitæ! locum sanctitatis vestræ. Si dicto audientes eritis, exspectabit Dominus ad miserendum vestri* (Esa. 30: 18.) *Si vero ab eo retrorsum iveritis, manus Domini vobis erit adversa, & vos ex terra sua expellet. Atque hoc ipsum indicat, quod Aaron dicitur mittere sortem super utrumque hircum, unam Domino, alteram Asaseli. res enim tota æqualis erat in hircis, cum uterque notaret populum, nisi quod in sorte judicio & mercede divina id continebatur, futuram unam sortem Domini, si eum timerent, & nomen ejus vererentur. quo pacto dicere queant, ego sum Domini. Sors altera vero huic contraria, eundem cœtum significat, sed prævaricantem, nempe tunc futurum Asaselem h. e. caprum abeuntem, à Deo & terra sua.*

§. 13. Quod exhibitionem illam, qua uterque hircus simul ad sanctuarium sisti, & unus ad sacrificium & mactationem, alter ad emissionem in desertum sorte destinari debuit, Abarbenel urget pro sua explicatione, id iterum oppido contortum & divinæ intentioni adversum est. Quantum enim ex contextu liquet, præcipitur quidem, ut uterque hircus ad ostium tabernaculi sistatur, sed non eum in finem, ut unus populum morigerum, ejusque obedientiæ præmium, alter prævaricantem populum ejusque exorbitationis mercedem præfiguret & designet, sed ut jacta sorte super utroque, ille, quem sors ליהוה tetigisset, mactatus Deo offeratur, alter, quem לעזאל tribuit, in solitudinem cum peccatorum Israeliticorum onere abigatur. Ubi cogitandum non est, priorem illum solum Deo consecratum fuisse. Cum enim uterque, coram illo statui solitus sit, eo ipso liquet, illum qui sortem לעזאל nactus erat, itidem Domini fuisse, veluti supra R. Nachman quoque largitus est. Quod vero unus, ליהוה sortem nactus peculiariter & speciali jure in sortem Domini cessit, id inde factum est, quod super altari mactabatur. Cujusmodi victima in honorem Dei immolata, Ebræorum loquendi modo, *Dei cibus* appellatur (Lev. 21: 6.) Quo nomine alter לעזאל mittendus, vocari quitus non est, utpote ad id destinatus, ut à grege seductus ad loca remota deduceretur, *loco ignis cœlestis, dentes ferarum experturus*, ut cl. Varenius loquitur. Prorsus etiam illud frivolum est & ineptum, quod sorte mercedem hic innui probare satagit. Etsi enim in scriptura ע״ס גורל etiam de illo, quod sorte alicui obvenit, & hæreditate accipitur, illa tamen acceptio huc minime quadrat, quippe ubi sors, secundum verba Augustini, *res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem, & ostendit*, utrum hircorum offerri, & utrum emitti velit. ad indicandum nempe, eum, qui peccata laturus esset, à Deo sortem dirigente, ad id esse destinatum. Veluti enim Propheta Jonas sorte super se jacta, ad pœnam est in navigio designatus: ita quoque hircus emissarius eadem est hominibus demonstratus, & ut Arama loquitur f. 206. col. 3. עם זה נחאמת להם הענין *hac ipsa certiores fiebant de re.* Digna sunt verba Tostati ad h. l. *Judæis sufficiebat, quod eis Deus diceret, quod ille, qui esset caper emissarius, portaret omnes iniquitates eorum in desertum, si ipsi fidem perfectam Deo haberent. Quia tamen erant infirmi, si forte Deus non designaret sibi, quis caper ille esset, qui portare deberet iniquitates eorum, adhuc dubitarent, an portarentur in desertum, ut igitur constans esset, quod portarentur, monstrabat eis Deus, quis esset caper, quem elegisset, ut portaret.*

§. 14. Succedat nunc tertia ratio, quam pro suo interpretamento R. Abarbenel urget. l. c. ויורה על זה גם כן שלישית אמרו והקריב אהרון את השעיר אשר עלה עליו הגורל לה׳ ועשהו חטאת ר״ל שהאומה בהיות עם ה׳ תהיה נקרבת אליו שוכנת בארצו ונכנסת במקדשו ומתענגת תחת כסא הכבוד אמנם השעיר אשר עלה עליו הגורל לעזאזל שהוא עם ישראל שנעשה עז פנים אוזל והולך בגלות השעיר ההוא יעמוד חי לפני ה׳ לכפר עליו לשלח אותו לעזאזל המדברה ומה גדול המאמר הזת ועוצם יעודו והוא שהשעיר הזוטא ההוא הרומז לערת בני ישראל לא יתום ולא יכלה בגלות אבל יעמד חי לפני השם ורוצה לומר לשמירת דתו וקיום תורתו עד שיבא עת וזמן בסוף גלותו לכפר עליו כפני חרעות שסבל בגלותו וזהו אמרו לשלח אותו לעזאזל המדברה שלמר לשלח היא במקום מ״ם כמו ויבוא שלמה לבמה אשר בגבעון ירושלים נסו לקולם כלי הכסף לזהב ולכסף. ברוך אברהם לאל עליון וכבר כתבו זה השמוש המדקדקים יאמר שהשעיר ההוא יעמד חי לפני ה׳ לכפר עליו משלוח אותו לעזאזל המדברה שהוא רמז לגלות כי יכפר עליו בסוף גלותו ויגאלהו או יהיה למד לשלח מקום בעבור שהוא גב כן אחד כשמושי חלמ״ר כמו וישאל דוד לשלום יואב. אמרי לי אחי הוא ואמר פרעה לבני ישראל אמר שיכפר עליו בעבור שטלת אותו לעזאזל המדברה לגלותם רמז שהוא וגלות מכפרה עון: *Comprobatur hoc tertio, dum ait, (v. 15.) & adduxit Aaron hircum, super quem ascendit sors Domino, & fecit eum sacrificium pro peccato, q. d. populus, cum Deum timuerit, ad eum propinquabit, habitabit in terra ejus & sub throno gloriæ ejus se oblectabit. At hircus, super quem ceciderit sors Asaselis, qui est populus Israeliticus, perfrictæ frontis, ille in exilium abibit. Hircus ille sistatur vivus coram Domino, ad expiandum super illo,* לשלח אותו לעזאזל מדברה *Quanti momenti hoc est dictum, & quam fortis promissio! Nempe quod hircus ille Israëlem denotans non conficiatur, aut consummetur in exilio, sed vivus debeat sisti coram Domino q. d. ad observationem legis suæ. quod sit tempus venturum sub finem exilii, quo propter illa mala, quæ exantlavit, sit expiandus. Atque hoc indicatur verbis :* לשלח אתו לעזאזל המדברה *quia* ל *in verbo* לשלח *est positum loco* ע״ס מ, *veluti cum dicitur* (2 Paral. 1: 13.) *& venit Salomo* מבמה לבמה *de excelso, quod est in Gibeon Jerusalem. Fugerunt* לקולם *à voce illorum,* (Num. 16: 24.) *Omnia vasa* לכסף לזהב *de auro & argento.* (Esræ. 1: 11.) *benedictus Abraham* לאל עליון *à Deo excelso* (Gen. 14.) *Atque de hoc usu Grammatici scripserunt. Vult igitur dicere : hircus ille vivus ante Dominum stabit, ad expiandum super isto, à mittendo illum Asaselem in desertum, quod exilium significat, quia eum expiabit sub finem exilii sui, & eum redimet. Aut* ע״ס ל *in* לשלח *erit loco* בעבור *ita enim litera* ל *itidem usurpatur. exempli gratia, cum dicitur,* (2 Sam. 11. 7.) *& interrogavit David* לשלום *Joab. Dic propter me, frater meus est.* (Gen. 20: 13.) *Et locutus est Pharao* לישראל, (Exod. 14: 2.) *quasi dicat, eum expiaturum, illum esse, eo quod eum in desertum misisset, quod exilium eorum indicat. Exilium autem peccata expiat.*

§. 15. Quemadmodum vix quenquam Ebræorum doctorum reperias, qui pro fictitia sua liberatione, quam hodie præstolantur Judæi, fusius scripserit, & plura loca scripturæ eo detorserit, quam Abarbenel: ita hic ejusmodi depravationis illustre reliquit specimen. Omnia enim eo referre satagit, quæ tamen nulla veritatis specie illuc detorquentur. Quin eadem ratione contra Ebræorum sententiam interpretari ea possumus hunc in modum: Si hircum illum, quem populum Judaicum exorbitantem repræsentasse ait, semel emissum nunquam in terram sanctam redire oportuit, sequitur & Judæorum spem frustraneam fore, quam de reductione hodie habent. Et quam nullius momenti consequentia illa est, quum ait: vivus hircus debuit sisti coram Domino, ergo Israel non conficietur aut consummabitur in exilio? Quasi vero hirci illius vivi alio fine mentio fieret, quam ut innuatur, eum non perinde ut alterum, mactandum, sed vivum, peccatis impositis, abducendum esse. Quam nullius etiam roboris illud est, quod ל tantundem hic significet, ac מ. Utut enim quandoque in sacris id contingat, hoc tamen loco significatum illum non obtinere, firmissime demonstrare ex contextu in proclivi est. Nempe cujus significati est ע״ס ל in ליהוה, ejusdem etiam est in voce לעזאל, at ibi non æquipollet literæ מ, E. neque in לעזאל literæ illi æquipollet. Similiter ע״ס ל hic non idem significare quod בעבור ex ipso contextu satis patet. Exilio vero illorum peccata expiari, tam verum est, quam illa Judæorum assertio, qua morte eadem expiari ajunt, quod inepte ex Esa. 22: vs. 14. probare Judæos constat.

§. 16. Quarta ratio quam Abarbenel ad comprobandam suam sententiam in medium affert, ita habet : ויורה גם כן רביעית מה שבארתי בשעיר עזאזל וסמך אהרן את שתי ידיו על השעיר החי והתודה עליו את כל עונות בני ישראל ואת כל פשעיהם לכל חטאתם ונתן אותם על ראש השעיר ואיך יהמוך ידיו על השעיר ההוא ויתודה עליו עונית בני ישראל אם לא היה רומז לישראל כמו שבארה, ולזה

ולזה אמר ונתן אותם על ראש השעיר ושלח ביד איש עתי המדברה שהיה הדבר רמז שעונות ישראל יבואו על ראשיהם בגלותם מאדמת הקדש ויהיה ביד איש אתי ר"ל איש גדול המעלה בזמנו ואתו והוא נבוכדנצר מלך בבל שעל ידיו נענשו ולרמוז על גלותם אמר ונשא השעיר עליו את כל עונותם אל ארץ גזרה שהיא ארץ שנגזר עליה גזרה שיגלו ממנו הנה התבאר מזה כלולמה היו רומזים השעירים ומה היה ענין שעיר עזאזל שבזה נרמז לישראל כל מה שקרה להם מה טובה אם ילכו אחרי השם וישמרו תורתו ומה עונש מהגלות והרעה שיגזור להם באחרונה מהכפרה וגאולה׃ *Quod de hirco emissario dixi, quarto probatur inde, quia dicitur* (v. 21.) *& ponet Aaron ambas manus super caput hirci vivi, & confitebitur super eo omnes iniquitates, filiorum Israël, & omnes illorum prævaricationes cum omnibus peccatis illorum, & dabit ea super caput hirci. Ecquomodo vero hirco manus suas imponet, & peccata filiorum Israel super eo confitebitur, nisi Israëlem designet, seu dixi? Atque ideo etiam dicit, & dabit ea super caput hirci, & mittet per manum viri* עתי *in dersertum. Hoc enim indicabatur; peccata filiorum Israelis in captivitate ventura super capita illorum ex terra sancta, quod futurum est* ביד איש עתי, *q. d. opera viri magni & eminentis suo tempore. Atque ille est Nebucadnezar, Rex Babelis, per quem puniti sunt. ad indicandum exilium illorum ait; & feret hircus ille super se omnes iniquitates illorum in terram abscissam, quæ est terra, cui excisio destinata est. ut ex ea consumantur, quæ instar desolati deserti est respectu terræ Israelis, ex qua in exilium deducentur. Ecce quid hircis illis significatum sit, id totum sic explicatum est. Quid item hircus emissarius designaverit, nempe Israeli, omne bonum, quod ei accidit, si Deum sequerentur, & legem ejus observarent: & quæ pœna, quod exilium & quod malum eum manerent, ob transgressionem fœderis ipsius, cum promissione, quid tandem ex expiatione & redemtione ipsis esset futurum.*

§. 17. Sane suo modo designatum hirco Israëlem peccantem fuisse, infitias haud ibimus. Cum vero illa impositio manuum ceremonialis fuerit, adeoque omnino sic alium significarit, qui peccata auferret, in quæstione erat, ecquis illa peccatorum bajulatione præfiguratus fuerit. Quod vero captivitatem Babylonicam per hirci in loca remotiora abductionem præsignificatam esse ait Abarbenel, id quomodo ex textu probare velit, haud apparet. τὸ עתי *magnum & eminentem* virum significare, ab omni veritate alienissimum est. Quomodo interpretes alias vocem illam explicent, disp. 1. θ. 15. dictum est. Jam addimus Chaldæum, Jonathanem, qui מן אשתקד *ab anno præterito* transtulit, & R. Salomonem, qui מן אתמול *ab hesterno*, significare contendit. Licet itaque illi nonnihil variare videantur, in eo tamen conveniunt, quod non tam virum in dignitate aliqua constitutum, quam ad eductionem jamdum destinatum & paratum significare affirmant. Consimiliter ארץ גזרה non notare terram excisioni destinatam, sed *ab habitatione remotam & divulsam* & contextus satis comprobat, & communis reliquorum Ebræorum est opinio. Arabs منقطع transtulit, quod proprie *invium* notat, ut Lexicographi testantur, & LXX. γῆν ἄβατον reddiderunt. Adeoque Israëlem in exilium Babylonicum deducendum præsignificasse hircum emissarium, commentum est solius Abarbenelis.

§. 18. Dicis, si Israëlem non notavit in captivitatem deducendum; saltim eum ut immorigerum populum significaverit. Sane Johannes Coccejus, in Lugdunensi Batavorum Academia Professor hodie celebratissimus, com. in Epist. ad. Ebr. c. 9: 11. p. 389. eo inclinare videtur, cujus verba ita habent: *In lege notabile est, quod jubetur sacerdos absoluta expiatione tabernaculi & altaris, impositis hirco vivo ambabus manibus, confiteri super illo omnes pravitates Israëlis & defectiones, imo & peccati ipsorum, eaque imponere capiti hirci & ita eum dimittere in desertum. Propemodum dixerit aliquis, quandoquidem hirci dimissio in desertum fit, jam absoluta purificatione tabernaculi, & is sorte non est vindicatus Domino, non notari mediatorem Testamenti per hircum propulsum, sed populum immorigerum, de quo dicitur, Deut. 29, 20. Et incumbet illi adjuratio scripta in libro hoc & delebit Dominus nomen ejus subter cœlo. & separabit eum Dominus in malum ab omnibus tribubus Israëlis juxta omnes adjurationes sive execrationes fœderis, quod scriptum est in libro legis hoc & dicet generatio postrema: filii vestri, qui surgent post vos & peregrinus, qui veniet ex terra longinqua, & videbunt plagas Terræ illius &c. Item cap. 30: 6, 7. Et circumcidet Dominus cor tuum &c. Et dabit Dominus Deus tuus adjurationes has super inimicos tuos & osores tuos, qui persecuti sunt te. Id vero est, juxta veteres Magistros Sammaël, pro proportione dari. Habet enim pulverem, quem comedat serpens. Gen. 3: 15. Es. 65: 25. Et juxta Philonem* φυγαδεύεσθαι ἢ ἀναπεθέσθαι τῇ γνέσει. *h. e.* τῇ φύσει, *inquam* ἁμαρτία καὶ θάνατος *per antiquum Draconem invecta sunt. Quam recte autem dicantur illi, qui sunt* οὐδὲν ὀργῆς *auferre peccata populi fidelis, patet. Nam etiamsi in illis non sit causa justificationis, tamen in illis conspicitur Dei severitas & vindicatur omnis sanguis fusus ab initio mundi, atque adeo omne peccatum quod unquam commissum est. Peccata enim omnia omnium faciunt sua, qui sua confiteri non volunt, ut se submittant justitiæ Dei, & omnis generis peccata habentes nihilominus se pro justis apud Deum vendicant. Per Hircum & hi figurantur &c.*

§. 19. Cœterum etsi absoluta purificatione tabernaculi, hirci dimissio demum in desertum facta est, inde tamen nondum satis causæ videmus, quamobrem excluso mediatore testamenti, solum populum immorigerum intelligamus hirco illo præfiguratum fuisse. Illa purificatio maxime tabernaculi erat, quod morali æstimatione pollutum censebatur per immundities legales, vel sacerdotum, qui vel templum adibant, vel sacra tractabant indecenter, vel aliorum hominum, qui in templum non rite ingrediebantur, vel de sacrificiis pacificorum participabant, deinde per quævis alia peccata, quæ in templi & Dei inibi habitantis offensionem & contumeliam censebantur redundare. At hirci emissio in desertum omnium totius populi peccatorum expiationem designabat, non hujus demum partem aliquam eamque legem divinam violantem. Unde ea quæ ex Deut. in hanc rem attulit vir cæteroquin doctissimus ad rhombum nil quicquam videntur facere.

§. 20. Instat tamen vir doctissimus, & ad Scripturæ morem loquendi provocans, *Ego*, inquit, *phrasin* לכפר עליו *non potui reperire usurpatam, nisi vel de personis, pro quibus expiatio fiebat, ut remitteretur ipsis, vel de instrumentis cultus sacri, ut altari &c. nempe ut illa purificarentur ab impuritatibus filiorum Israël. vide Exod. 29: 36, 37. Lev. 8: 15, 17, 18. Invenio etiam sumtum pro illinere, Exod. 30: 10. Et allinet Aaron cornibus ejus semel in anno de sanguine sacrificii pro peccato expiationis, semel quotannis expiabit illud &c. Cum igitur alter hircus juxta sententiam Aben Esræ & Nachmanidæ non fuerit* קרבן *oblatio, & dicatur statui coram Domino ad expiandum illum, si non incommode diximus, per eum significari Judæorum immorigeros, significabitur, eos quoque à Christo sacerdote sisti Deo, ut sanctificatos in radice, ut etiam ex illis semen sanctum Esai. 6: 36. & filii promissionis proveniant, licet pro tempore hi fiant exemplum divinæ severitatis, de qua Rom. 11: 25, 28, 31, 32.*

§. 21. Quod vir Cl. phrasin לכפר עליו se alibi reperisse negat; nisi de personis, pro quibus expiatio fieret, vel de instrumentis cultus sacri, id non esse de nihilo, fatemur. Quomodo enim alias Scriptura loqui soleat, vel ex solo loco Lev. 5: 15. patet, ubi sacerdos dicitur לכפר עליו באיל *expiare eum* (reum) *ariete*. Conf. Exod. 29: 10. Lev. 17: 30. &c. Ipsi Rabbini ad phrasin hanc videntur nonnihil hic hærere. R. Abarbenel ait: com. in h. l. אין הכונה שיכפר הק"בה לעזאזל ולא שימחול לו עונות *non est sensus, quod Deus Asaselem expiarit, aut ipsi peccata condonarit.* Et R. Moses Alschech: l. cit. הלא לא עליו מכפר כי אם על ישראל *nonne Israëlem expiat, hircum non item?* Quin addit: מהראוי יאמר לכפר בו או על העם *debuisset dicere* בו, *in eo, vel per eum, vel* על העם *super populo.* Sed scire licet, Scripturæ stylum pro re nata variare. Sane versu decimo τὸ עליו non tam ad Israëlem referendum, quam hircum, exinde manifestum est, quod in proxime anteced. verbis nulla ejus facta est mentio. Atqui, si eo Legislator respexisset: vel עליה vel עליהם dicturus fuisset, quia v. 5. עדת בני ישראל præcessit. Relinquitur igitur, hircum intelligi, quod satis liquet ex contextu. Ad quod enim refertur τὸ עליו prius eodem versu, ad idem & posterius respicit. Atqui illud respicit haud dubie hircum, quem sors *Asasel* tetigit, E. & posterius. Neque LXX. hic aliter verba intellexisse videntur, qui transtulerunt, στῆσαι αὐτὸν ζῶντα ἔναντι κυρίου τοῦ ἐξιλάσασθαι ἐπ' αὐτοῦ. Quibus verbis id significasse videntur, quod Judæi hodie non satis assequuntur, per hircum, super quo confessio peracta est, & cui peccata sunt imputata, propitiationem esse factam. Græcos Arabs interpres, ut alias solet, est secutus: ليستغفر عليه *ut venia postuletur super ipso.* Syr. ܕܢܗܘܐ ܚܘܣܝܐ ܥܠܘܗܝ *ut propitiatio fiat super eo.* Nullam dum ergo rationem urgentem videmus, quamobrem populum immorigerum, excluso mediatore testamenti, per hircum dicamus significari, vel quod ultimo loco addit Coccejus, significari, eos à Christo sacerdote sisti Deo, ut sanctificatos in radice, licet pro tempore fiant exemplum divinæ severitatis.

§. 22. Fuerunt inter Judæos, qui dicerent, peculiaria peccata hircorum diversitate notata fuisse. Ut enim Abulensis ex Judæorum *defensorio* vel *scuto fidei* refert, primum hircum de oblatione pro peccatis exposuerunt, quæ, ut ille loquitur, *ex sola parte ratio-*

rationali, sc. intellectu & voluntate oriuntur, & peccata per *malitiam* vocantur: alterum vero pro peccatis quæ sensualitate commisimus, oblatum fuisse contendit. Alii, teste eodem Tostato, loco cit. priorem pro peccato vel remissione peccatorum, alterum pro mitigatione appetitus sensitivi, qui fortis dicitur, & fortiter repugnat, oblatum docuerunt. Quorum deliramenta cum erronea vocis עזאזל explicatione nitantur, quasi sc. ex עז descendat, quæ originatio diss. I. §. 18. explosa est, eadem facilitate, qua adstruuntur, iterum exploduntur.

§. 23. Alia huic succedat expositio, quæ cum Judæis etiam Christianis nonnullis est communis. Reperitur illa in דרשות התורה R. Schem Tof, fol. 42. col. 4. & sic habet: אין ספק לאדם שחטאים אינם משאות שיעתקו מגו איש אחד אל גו איש אחר אבל המעשים כלם משלים להביא מורא לנפש שתתפעל לתשובה כלוי בכל יום שקרם ממעשינו כסינו מהם והשלכנום אחרי גוינו והרחיקנום הרחקה הכלית: *Quod peccata non sint onera, quæ à tergo unius viri in alterius transferri queant, nemo dubitat. Sed hæc opera omnia tantum sunt figuræ ad hoc institutæ, ut anima mærore afficiatur, & pœnitentiam agat. q. dicat: quicquid antehac in singulos dies patravimus, id teximus & post tergum nostrum rejecimus, & quam potuimus, longissime à nobis removimus.* Non multum abludit ab hisce Faustus Socinus, cap. X. libri de Servatore, *dici*, inquiens, *non inepte crediderim, in ea populi peccatorum confessione hirci emissionem, qui ea super se cuncta habere censeretur, idcirco fuisse institutam, ut populus ea ratione pœnitentiæ, ac resipiscentiæ suæ imaginem quandam exhiberet, nimirum qui publice profiteretur, non minus se omnibus peccatis ex animo renunciasse, & abs se longissime ablegasse, quam si hircus illa ea secum in terram illam inhabitabilem asportasset.* Sic etiam Grotius, annot. in h. l. *significabat hic hircus, peccata per victimam expiata non redire in conspectum Dei.*

§. 24. Sane peccata, in genere naturæ considerata, nullam habere entitatem, neque in peccatore, neque extra eum, quæ alteri ut onus imponi possit, faciles largimur: at eadem in genere morum considerata, ut ex iis offensio sive injuria Deo illata, & hinc obligatio ad satisfaciendum resultant, ab uno in alium transferri, adeoque imputari posse, maxime ubi Dei voluntas & ordinatio accedit, certius est, quam ut negari queat. Atque hoc posteriore modo falsum est, quod R. Alschech scribit: fol. 184. col. 4. :הלא אין נתינה צודקת שאין בה ממש *annon illa datio minus vera est, quippe in qua nihil solidi est?* Similiter frustra quærit Rabbi Schem Tof, :איך ישאם על עצמו ואינם *ecquomodo sibi imposita bajulavit, cum tamen illa non extiterint*, utpote peccata, pridem perpetrata. Quod vero Iudæus una cum Socino & Grotio hirci emissarii finem & typum eo absolvi credunt, quod saltem figura esset peccati fugiendi, vel in conspectum Dei non amplius rediturі, in eo falluntur. Plus significatum fuisse, cap. 2. ex ipsis textus visceribus evincemus.

§. 25. Sunt alii quoque inter Christianos non obscuri nominis Dd. qui itidem, de hirci hujus figura differentes, in alia omnia abeunt, quorum allegoricas explicationes audire haud abs re erit. Cl. Bochartus, Hierozoic. lib. 2. cap. 55. postquam legis Lev. 14: 4, 49. (ubi de duobus passeribus agitur, quorum uno jugulato, alteri liber in agros volatus permittitur) cum lege de duobus hircis collationem, sibi probari dixisset, hunc in modum scripsit: ut *Pharaonis duplex somnium ad eundem scopum collimabat, ita hoc duplici typo quamvis in argumento dissimili Deus videtur idem significasse, nempe Christi Servatoris nostri mortem & resurrectionem. Quippe cum animæ lepra sit peccatum, tam Christum figurabant duo passeres pro mundatione lepræ, quam hirci duo pro peccatis oblati. Atque ut mactatus hircus & jugulatus passer Christi in cruce sublati, ita ejusdem redivivi typus erat hircus & passer, qui vivi emittebantur.* Sed longe aliter S. Augustinus q. LV. super Leviticum de figura hac disseruit. *De duobus hircis*, inquit, *uno immolando, & altero in desertum dimittendo, quem* ἀποπομπαῖον *vocant, solet esse disceptatio, & à quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille vero dimittendus in malo. Non tamen ille sensus confirmandus est. Quia homo in cujus manu in eremum hircus dimittitur, cum rediret, lavare jussus est vestimenta sua, & corpus cum aqua, & sic ingredi in castra, tanquam & hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, cujus contagione homo abluendus est, ideo non negligenter istorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est;* Quomodo Hieronymus applicaverit, ex illius verbis ad c. 14. Marci liquet, quæ ita habent: *concitaverunt turbas; ut peterent Barrabam & crucifigerent Jesum. Hinc duo hirci adsunt; unus* ἀποπομπαῖος, *id est, emissarius, cum peccato populi in desertum inferni absolutus dimittitur: alter pro peccatis absolutorum ut agnus occiditur. Pars Domini semper mactatur, pars diaboli qui est magister eorum, effrenata in tartarum præcipitatur.* Theodoretus, Dialog. 3. ἀρχιερέως θυσία δύο τράγους εἶχε προσφερομένους, καὶ τὸν μὲν ἕνα θυόμενον, τὸν δὲ ἕτερον ἀφιέμενον. Τῶν γὰρ δύο τοῦ σωτῆρος φύσεων οὗτοι προδιαγράφουσι τὴν εἰκόνα. Ὁ μὲν ἀφιέμενος τῆς ἀπαθοῦς θειότητος, ὁ δὲ σφαττόμενος τῆς παθητῆς ἀνθρωπότητος. *Pontificis sacrificium duos hircos habuit, qui offerebantur. Unum quidem mactatum, alterum emissum. Duarum Christi naturarum imaginem hi delineabant. Dimissus quidem Deitatis impatibilis, mactatus vero humanitatis passioni obnoxiæ.* His omnibus antiquior Iustinus Martyr, Dialog. cum Tryphone, fol. 201. edit. Sylburgii; hunc in modum de iis disserit: οἱ ἐν τῇ νηστείᾳ δὲ τράγοι δύο ὁμοίως κελευσθέντες γίνεσθαι, ὧν ὁ εἷς ἀποπομπαῖος ἐγίνετο, ὁ δὲ ἕτερος εἰς προσφοράν, τῶν δύο παρουσιῶν τοῦ Χριστοῦ καταγγελία ἦσαν, μιᾶς μὲν, ἐν ᾗ ὡς ἀποπομπαῖον αὐτὸν παρεπέμψαντο οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ ὑμῶν καὶ οἱ ἱερεῖς ἐπιβαλόντες αὐτῷ τὰς χεῖρας, καὶ θανατώσαντες αὐτόν. καὶ τῆς δευτέρας δὲ αὐτοῦ παρουσίας, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ τῶν Ἱεροσολύμων ἐπιγνωσθήσεσθαι αὐτὸν τὸν ἀτιμωθέντα ὑφ' ὑμῶν, καὶ προσφορὰν ὑπὲρ πάντων τῶν μετανοεῖν βουλομένων ἁμαρτωλῶν. *In jejunio duo hirci pares accipi jubebantur, quorum alter emissarius, majorumque depulsor, alter autem in oblationem sumebatur, duorum Christi adventuum designatio erant. Prioris quidem, cum eum velut emissarium & ærumnas avertentem emiserunt seniores vestri & sacerdotes, manus illi inferentes & morte cum mulctantes; posterioris autem, cum in eodem Hierosolymorum loco ipsum agnoscetis ignominia à vobis affectum; oblatio is factus est pro cunctis per pœnitentiam resipiscere volentibus.* Sed neque hos rem acu penitus tetigisse, ex iis, quæ cap. seqq. uberius dicentur, patescet.

CAPUT II.

De vobis עזאזל *originatione triplex doctorum sententia allata. Bocharti conjectura ut ingeniosa laudata. Rabbi Aramæ de legum Mosaicarum ratione impervestigabili querela. Cur hircum in piaculari sacrificio anniversario adhiberi Deus voluerit, Tostati Alexandri ab Hales, diversæ sententiæ. AbenEsræ, Davidis Parei, Thomæ, super hirco emissario judicium. Quid olim utroque hirco designatum fuerit, exponitur, & cum scripturæ loquendi modo, tum Doctorum orthodoxorum suffragiis confirmatur. Socini erronea opinio explosa. Sensus* ῥήσεως לכפר עליו, *rejectis Aben Esræ & R. Salomonis expositionibus à Kimchio assertus. Elogium, quod Cl. Bochartus diss. de sacrificiis, Dn. Fabricii, præside Dn. Dilherro olim habitæ, est impertitus. Socini* παρερμηνεία *scripturæ locis confutata. Locus 2 Petr. 2: 24. à glossa Socini & Grotii vindicatus. Quomodo Judæorum votum pro ingressu in sanctum sanctorum ratum fieri queat, ostensum.*

§. I.

VAriis ita cum Iudæorum tum Christianorum super hirco emissario opinionibus relatis, in veram & genuinam sententiam inquisituri, quid illa solenni & anniversaria ejusdem in desertum emissione Deus significarit, nunc videamus oportet. Ubi de nomine quod non intellectum Ebræis tam male sentiendi occasionem præbuisse diximus, adhuc paucis agendum est. Præter illam derivationem, quam sine aliorum suffragio Abarbenel supra in medium attulit, ubi populum *perfrictæ frontis* in exilium *abeuntem* significari contendit, gemina hujus subobscuræ & non nisi ter in sacris occurrentis vocis originatio disp. priore adducta est. Una nempe, qua montis alicujus nomen esse perhibetur. Hanc ut parum probabilem valere jussimus. Cum enim regione illa toties peragrata, nemo vel fando aliquid de monte ejusmodi unquam inaudierit, & præterea scriptura per appositionem fere montes denominare alias solita sit, v. gr. montes Ararat, Gen. 8: 4. montem Ebal & montem Garizim Deut. 11: 29. montem Galaad Gen. 31: 21. montem Hermon Deut. 3: 5. &c. applausum illa minime mereri videbatur. Altera est, qua ex אזל & abiit עז *caper*, componi censetur, quam sententiam præter Ebræos, Kimchium, Aquinatem, de Pomis; ex Christianis doctissimi amplectuntur, Hieronymus, Forsterus, Buxtorf. Schindle-

Schindlerus, Bonfrerius, Varenius aliique plures. Sed hanc quoque, ut priore illa nihilo meliorem, CL. Bochartus rejicit, cum quod vox עז fœminini generis minus recte cum verbo masculini generis cohærere dicatur; tum quod verba textus sic valde implicata videantur: *Sortes ponet super duos hircos, sortem unam Domino, & sortem alteram hirco emissario.* Licet vero ipsemet Bochartus neget, sibi esse, quod pro certo venditare queat, conjecturam tamen suam affert, dignam omnino, quæ hic audiatur. Uti enim sæpenumero alias ad linguam Arabicam felici successu confugere solet, ubi ex Ebraica nullum est subsidium, ita hic pro sua sagacitate non infelici conjectura hariolari videri possit, unde vox עזאזל sit oriunda, & quid tandem proprie significet. Postquam l. 2. c. 26. Hierozoic. p. 654. ab Arabum usitata radice عزل, quæ *removere, separare*, significat, & cum in profanis Arabum scriptis, tum Vers. N.T. sæpenumero occurrit, vocem معتزلة quæ *peculiarem sectam* Arabum notat, derivari, & عازل, item معتزل, *qui se ab aliis subducit*, tam de *pastore* quam de *pecude*, quod *seorsim pascunt*, usurpari ostendisset, hunc in modum disserit: *Fallor, an hinc factum* عزازل *azazil, quod Ebrai* עזאזל *efferunt, cujus formæ pluralia multa apud Arabes, quibus mediam radicalem ita duplicare solenne est cum Elif inter duas geminatas inserto.* Et pag. seqq. *vides*, inquit, *lector, totidem voces à radice trilitera deductas, qua ratione diximus. Ita ex verbo* عزل *quod separare ac recedere est, potuerunt Arabes formare nomen* عزازل *quod* χωρισμοὺς *vel* ἀναχωρήσεις, *id est separationes aut recessus vel recessus significaverit, & ex* عزازل *azazil Ebrai mutuari suum* עזאזל *asasel ac eodem sensu usurpare.*

§. 2. Sed cum Bochartus hanc originationem conjecturam duntaxat apellet, adeoque eruditorum judicio eam ipsi permittat, præterea duriusculum videri queat, Ebræos ab Arabibus hanc nominis formam esse mutuatos, aliis quoque eandem uberius expendendam relinquemus. Ad ipsius vero quæstionis decisionem nobis progressuris R. Arama aurem vellicare videtur, quum fol. 264. col. 4. scribit: ראתה החכמה האלדית לתת לנו מתוך מצות התורה קצת מצות אשר כנגד האשנים החשבים למצא טעם אינושי לכלם וילאה שכלם בחם ויורו הוראה גמודה ששכלם קצר יד מהשיגם וחיו ראיה גדולה על כל שאר כמו שהיה הענין כפרה אדומה ועזאזל ושעטנז וכלאים והתר אשת אח: *Visum est sapientiæ divinæ inter reliqua præcepta etiam quædam dare, quæ illis hominibus adversantur, qui sibi persuadent, se in omnibus rationem aliquam humanam inventuros esse. Sed cum intellectus eorum se iis defatigavit, tandem penitus fatentur, intellectum suum imbecilliorem esse, quam ut assequantur eam. Atque hinc de reliquis quoque omnibus quid sentiendum sit, firmiter probatur, quemadmodum se habet præceptum de vacca rufa, Asasel, vestimentis ex diversis generibus mixtis, heterogeneis, permissione uxoris fratris ducendæ.*

§. 3. Laterem sic lavare eos judicat Arama, qui in reddenda ratione hujus legis aliquid certi se invenisse profiteantur. Sane, quamobrem Deus hircum potius quam agnum adhiberi voluerit, conjectura assequi, haud ita in proclivi est. Abulensis quidem Episcopus in h. l. ideo id contigisse ait, ut Messiam in carnis fœtidæ specie venturum significaret. Alexander ab Hales in summæ p. 3. p. 55. I. Seldeno, cap. 3. Prolegom. de Dis Syris, teste, ceremoniæ rationem inde affert, quod sub hirci forma frequentius dæmones se ostentarent, quibus, ut Aben Esra ex particula עור, Lev. 18:7. colligit, Israelitæ in Ægypto servierant. Cui adstipulatur ipse R. Isaacus Arama, immemor eorum, quibus paulo ante negavit, sciri posse, quid designarit. fol. enim 206. col. 4. sic loquitur טעם זה המעשה כפי הדעת הפשט נתבאר להלן בפסוק לא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים אשר הם זונים אחריהם כמו שכתב הרא"בע זל בילפי שהיו הטועים אז מורגלים לזבוח זבחי אל השעירים להיותם ממשלת השדים או ל יות להם דרך עבודה ואלהות כמעשה ארץ מצרים והיו משוטטים דמיונותם ככמו אלה הענינים הנפסדים והמשחיתים בעם היה מהרצון האלדי כי ביום הזה הגדול והנורא תיעשה המצוה הזאת אשר ענינה היא לנהוג בזה השעיר מנהג הפקר ובזיון בתת עליו כל עונות בני ישראל ופשעיהם היוצאים מהחקש האינושי: *Ratio hujus operis secundum sensum literalem patet in versu* (Lev. 17:7.) *non amplius offerent sacrificia sua pilosis, post quos fornicabantur, quemadmodum R. Aben Esra l. m. scripsit. Quia enim illi errantes tunc hircis sacrificia offerre solebant, quod dæmonum essent dominium, aut quia eis cultus exhibebatur, divinitasque tribuebatur, secundum morem terræ Ægypti, & cogitationes suas in ejusmodi nocivis rebus circumferebant: idcirco Deus voluit, ut hoc die magno & venerabili hoc mandatum observaretur, quo significabatur, consuetudine in hoc hirco communi receptam esse, ut contemptim illi imponantur omnia peccata & iniquitates filiorum Israëlis, quæ à pretio humano excipiuntur.* Sed cum tacente scriptura de legislatoris voluntate haud ita constet, satius erit, hic tacere, quam incerta proferre. Hoc tamen quod Iudæos etiamnum latet, V. & N. instrumenti instituta collatione, adeoque ipso eventu, edocti dicere possumus, quid utroque, hirci mactatione & peccatorum impositione Deus innuere voluerit.

§. 4. Quod antequam ostendamus, recolendum est, v. 5. Pontifici mandari, ut ab universa multitudine filiorum Israëlis duos hircos sumat לחטאת *pro peccato*, vel piaculari sacrificio. Unde haud obscure patet, alterum etiam hircum, in desertum emittendum ad anniversarium sacrificium pertinuisse. R. Aben-Esra quidem, ad quem, uti & Nachmanidem supra Cl. Coccejum provocare vidimus, com. ad Lev. ait: דרך השעיר המשתלח איננו כדרך כל הקרבן *hirci emissarii non est eadem ratio, ac reliquorum sacrificiorum.* Sed licet neque immolaretur, neque illius sanguinis conspersione expiatio aliqua fieret, nequaquam tamen ut aliquod heterogeneum, vel plane diversum sacrificium haberi debet. Unde etiam David Pareus, com. in cap. 9. Ebr. monet, *unius sacrificii loco fuisse duos hircos, licet ceremonia esset duplex.* Thomas vero, l. 2. q. 102. artic. 5. docet, ad significandum effectum sacrificii vel hirci immolati, peccata alteri fuisse imposita.

§. 5. Hoc memoratu cum primis dignum est, quod R. Arama omnia peccata & omnes prævaricationes filiorum Israëlis hirco imposita fuisse ait, היוצאים מן השווי האינושי *quæ à pretio humano excipiuntur.* Quibus illud largiri videtur, sacrificio illi cruento Mosaico eam vim non fuisse, ut peccata omnia expiarit, sed alio modo populum iis fuisse liberandum, nempe impositione aliqua, vel imputatione. Cum vero ea, super hirci capite facta, à se ipsa non potuerit habere ejusmodi virtutem, qua universa peccata populi numerosi delerentur, alium quempiam designatum eo fuisse oportet, qui ea deleret. Quod licet Iudæi, quibus Mosaicum velamentum impendet, penetrare nequeant, nobis tamen Christianis ne dubitare quidem amplius de eo licet, cum in hoc anniversario sacrificio omnium typorum illustrissimum inveniamus. Nempe ut sanguis taurorum & hircorum Messiæ sanguinem præfiguravit, ita hircus prior eo ipso, quod sanguine ejus sanctuarium, cornua altaris, & alia sunt conspersa, ῥαντισμὸν sanguinis Messiæ, qui animum nostrum purgat à peccatis, quæ conscientiam inquinant, designavit, conf. 1 Pet. 1:2. Ebr. 9:19. c. 10:22. uti vero pellis & caro hirci, extra castra combusta, Messiæ extra Hierosolymam oblationem & crucifixionem adumbrarunt, Ebr. 13:12. ita alter hircus, cui Pontifex peccata populi imposuit, ut, ceu Josephus, lib. 3. c. 10. A. J. loquitur, esset ἀποτρόπιασμὸς καὶ παραίτησις τοῦ πλήθους παντὸς ὑπὲρ ἁμαρτημάτων, Messiam, generis humani peccatorum pœnas in se recipientem & pro iis satisfacientem, ut typus designavit. Quæ sententia uti à doctissimis Viris, Davide Chytræo, com. in c. 16. Lev. W. Franzio, disp. pecul. in c. 53. Esa. Meisnero, Anthropol. dec. 3. disp. 25. Gerhardo Tom. 3. Loc. Theol. de Justit. §. 37. Grawero de Satisfactione Christi, diss. 2. θ. 15. &c, qui hunc ut nervose urgentem laudat, Dn. D. Titio, disp. de Iesu Christo Salvatore θ. 15. acerrime propugnatur, ita eidem multum roboris inde accedere videtur, quod verba, quibus hirco peccata populi imposita fuisse dicuntur, illis, quibus Messias peccata tulisse Esa. 53. & alibi perhibetur, oppido sunt affinia, ut typo antitypum sic respondisse appareat. De hirco Moses ait v. והתודה עליו כל ענות בני ישראל ונתן אותם על ראש השעיר *& confitebitur super ipso omnes iniquitates filiorum Israel, & capiti hirci imponet.* De Messia Es. c. 53:6. dicitur יהוה הפגיע בו את עון כלנו *Dominus occurrere fecit in eum omnium nostrum iniquitatem.* Porro de hirco Moses v. 22. ait ונשא השעיר עליו כל עונותם אל ארץ גזרה *& feret hircus super se omnes iniquitates illorum in terram abscissam.* De Messia haud absimilem in modum Esaias: חלינו הוא נשא מכאובינו סבלם *morbos nostros ille tulit, & dolores nostros bajulavit* ubi voce חלי, & מכאוב peccata denotari, cum LXX. interpp. qui ἁμαρτίας reddiderunt, tum Chaldæus, qui per חוב *debitum, peccatum* παράπτωμα, ingenue fatentur. Ut sic clare appareat, Messiam, fuisse hoc ritu designatum, qui cum Ioh. 1:29. à Baptista innocentiæ, mansuetudinis & voluntariæ oblationis causa appellatus fuerit ὁ ἀμνὸς ὁ αἴρων τοῦ θεοῦ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ab eodem Ioanne ad hircum allusum fuisse, post B. Gerhardum B. Hackspanius notis ad Esa. l. c. judicat.

§. 6. Cum vero ita se hæc habeant, mirum est, inter eos, qui Christiani esse volunt, repertos esse, qui tam certa in dubium vocare, & omnia detorquere conentur. Faustus enim Socinus, quem supra c. 1. parum convenienter de typo hoc locutum redarguimus, lib. de Servatore p. 96. satisfactionis dogmati infestus

festus pergit elevare tam illustrem figuram his verbis; *Quemadmodum per hircum illum non ideo peccata auferebantur, quod ipsi hirco imputarentur, sed quia peracta tota illa ceremonia perinde à peccatis populus liberabatur, ac si hircus ea secum in desertum asportasset: sic etiam per Christum peccata non ideo auferuntur, quia ipsi à Deo imputata fuerint, sed quoniam iis peractis, quæ in Christo & per Christum peragenda erant, peccata nostra à nobis quam longissime recesserunt, non secus, ac si Christus omnia secum in terram inhabitabilem & inaccessam asportasset.* Ubi Socinus semel atque iterum à veritate aberrat. 1. cum hircum peccata in desertum portasse & ei imputata fuisse negat. Etsi enim ipsæ actiones pravæ singulorum hominum ipsi non potuerint imponi, reatum tamen & culpam divina ordinatione in hircum ita fuisse conjecta, ut *suo modo, typice* nempe & *ceremonialiter* à sacerdote fuerint imputata, satis clare ex scriptura patet, & verborum emphasis evincit. Sane populus propter divinam promissionem Lev. 16:31. & 33. quod autoritate & mandato divino Pontifex peccata hirco imponeret, ei imputari sic credidit. Quin ipsa etiam locutio, לכפר עליו, tale quid innuit. Significat enim ea non simpliciter idem ac לשלח אותו *emittere eum*, ut Aben Esra explicat, neque יתודה עליו *confitebitur super ipso*, ut R. Salomo vult, sed, ut Kimchi in libro radicum recte censet, הסרת העונות *remotionem peccatorum*, quam Pontifex ita peregit, ut *omnes iniquitates filiorum Israëlis in caput hirci confitendo, hircum eo ipso devoverit, Deumque precatus fuerit, ut si quid supplicii ob peccata admissa populo esset irrogaturus, id omne in hircum vellet convertere, & illius exitium pro populi exitio ratum habere*, uti verba sonant cap. 7. disp. de κακοζηλίᾳ Gentium, habitæ olim in hac nostra Salana, sub præsidio celebratissimi, & de re literaria optime meriti Dn. Dilherri, à Dn. Joh. Fabricio, hodie Norimb. Theol. non minus eruditionis quam pietatis laude cumulatissimo. Ex qua cum non pauca se didicisse, ingenue fateatur Vir summus & undiquaque celeberrimus, Samuel Bochartus, lib. 2. c. 33. Hierozoici, quam recondita & varia eruditione ea referta sit, vel ex tanti viri testimonio abunde judicare licet.

§. 7. Deinde adhuc longe perniciosius errat, & ipsam substantiam doctrinæ Evangelicæ impugnat Socinus, dum Messiæ peccata nostra imputata fuisse negat. Ea vero evidentia est, Scripturæ sacræ, quæ ὑπὲρ & ἀντὶ ἡμῶν pœnas & ipsam mortem eum sustinuisse ait, ut Socini diminuentem & extenuantem locutionem, *non aliter ac si*, penitus profliget, & vera, propria ac reali imputatione eidem nostra peccata imputata fuisse haud obscure testetur. De Messia, qui alias innocens, & ab omni peccato immunis erat, Es. 53:9. diserte idem Propheta pronunciat, quod nostras iniquitates ferat. cap. 53:4. ubi notandum τὸ נשא cum voce עין constructum plerumque *pœnæ persolutionem* notare, ut videre est Lev. 21:19, 20 cap. 22:9. Num. 14:34. c. 18:1. seqq. Quin majoris emphaseos causa, & ad indicandum, Messiam peccata nostra tanquam onus quoddam portasse, & in se recepisse, addit verbum סבל, quod, uti Judæis in Michlal Jophi testantibus, significat כבר המשא ומעינתו על הכתף *onus grave, quod humeris excipitur*, ita certum est, ubi illud cum peccati vel iniquitatis nomine conjungitur, in omni lingua, maxime in Ebraismo idem denotare, ac *pœnas dare*. Quod cum in Messia fiat מפשע עמו *propter prævaricationem populi sui*, Esa 53 8. eo ipso clarissime patet, illas, quas ipse non perpetravit, iniquitates fuisse imputatas, adeoque loco aliorum eum pœnas luisse, quod mortalium audacissimus Socinus tam præfracte ivit inficias.

§. 8. Atque hoc 2 Pet. 2:24. Apostolus inculcat, τὰς ἁμαρτίας inquiens ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. Ubi Syrus interpres non tantum verbum ἀνήνεγκεν per ܫܩܠ *tulit*, reddidit, sed etiam notanter addidit ܘܐܣܩ & *ascendere fecit illa in corpore suo in lignum.* Quo ipso satis comprobat, verbum Græcum *auferre* quovis modo, hic minime significare, ut Ebr. 9 ult. idem usurpari, alias causantur adversarii. Quin ipse contextus, qui ἐν σώματι, & ἐπὶ ξύλον id factum commemorat, & peccata sustulisse Christum ait, orthodoxorum sententiam, nempe in proprio corpore pœnas persolvisse, perinde ac si ipse se omnium hominum flagitiis polluisset, stabilit. Hoc Grotium dissimulare mirum est, *non* inquientem, *proprie Christus, cum crucifigeretur, vitia abstulit, sed causas dedit, per quas auferentur. Nam crux Christi fundamentum est prædicationis, prædicatio vero pœnitentiæ, pœnitentia vero aufert* ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ. Quod Grotii interpretamentum à mente Apostoli alienissimum vim phraseos minime exhaurit. Neque enim Christus occasionaliter duntaxat peccata in crucem tulit, dum prædicavit & ad pœnitentiam homines vocavit, id quod ipse Baptista Johannes præstitit, sed *proprie, per se, & singulari ratione*, cum, ut Apostolus loquitur, ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτία, 2 Cor. 5:21. ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα est factus, Gal. 3:13. dum ἱλαστήριον ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ Deus eum proposuit, Rom. 3:25. ἱλασμὸς factus est pro peccatis, 1 Ioh. 2:2. & ἀντίλυτρον se dedit 1 Timoth. 2:6. Cujus crucifixione & passione id cumprimis adimpletum est, quod Zach. 3:9. Deus est pollicitus: *removebo iniquitatem uno die*, nempe cum Messias εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ se stitit in cruce, Ebr. 9:26. & sua morte & sanguinis effusione effecit, ut ancoram animæ tutam habeamus ac firmam, introeuntem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor noster introiit, Ebr. 6:19. Quæ cum nobiscum Iudæi crediderint, tum demum suas preces pondus habere sentient, quibus R. Schem Tof Paraſcham אחרי מות, fol. 43. obsignavit: יהי רצון מלפני אלהי השמים שיכפרו לנו כל עונותינו באופן שנזכה לעלות ולראות ולכנס לפני לפנים לראות למלך מלכי מלכים כמו שאמר בופיו תחזינה עיניך והוא אלהי חיים ומלך עולם אמן: *sit Dei cœlorum voluntas, ut nobis omnia peccata expientur, ita ut digni fiamus, qui ascendamus & ingrediamur interius (sanctum sanctorum) ut Regem omnium Regum maximum conspiciamus, ut dictum est, (Esa. 33:17.) in pulchritudine sua videbunt oculi tui, & ille est Deus vitæ & Rex æternus. Amen.*



M. GEORG.

M. GEORG. GOESII

DISSERTATIO

De Redemptore Hebræorum, Levit. XXV: 25.

DISSERTATIO I.

בעזרת השם :



DUm in eo sumus, ut Disputationi publicæ materiam seligamus haud pœnitendam, in mentem nobis venit, illud usu tritissimum: ΠΡΟϹ ϹΧΗΜΑΤΙΖΕΙΝ ΤΩι ΧΡΟΝΩι. Etenim velut Sapientis monito (α) תַּפּוּחֵי זָהָב בְּמַשְׂכִּיּוֹת כָּסֶף דָּבָר דָּבֻר עַל־אָפְנָיו : h.e. (β) *mala aurea in imaginibus seu lanceis effigiatis, verbum secundum circumstantias suas prolatum* : Sive, uti ὁ μακαρίτης Danhauerus, (γ) *Oratio propria rei, de qua agitur, omnium rerum ac modorum concinnitate devincta, quasi quibusdam rotulis incitatis, teres ac rotunda, si tempestive, mature, suo loco & tempore profertur; perinde grata accidit, ac audiendi studium incendit, atque poma aurea, matura, opportuna, auctumnalia, in argento, aut vase, aut mensa, sed calata ac emblematica, producta palatum afficiunt, & comedendi acuunt aviditatem.* Ita è contrario, ut Schola Rabbinorum (δ) loquitur: שֶׁיֵּשׁ גַּם לְמַעֲשִׂים טוֹבִים שָׁעָה בְּלִתִּי שָׁעָה : *Etiam bonis operibus est hora sine hora:* hoc est, etiam ea, quæ alias inculpate fiunt, nisi fiant in tempore, gratiam perdunt. Quandoquidem ergo nos, Θεοῦ διδόντος ζωὴν, καὶ πνοὴν, καὶ τὰ πάντα, (ε) *ad Metropolin* illam *Festorum* (ζ), qua Filia Sionis (η) Verendum *Redemtionis* mysterium piis recolit meditationibus; ut diebus his congruat opella nostra, evolvemus ritum aliquem Antiquitatis Ebraicæ, à quo ipsum stupendum istud Divinæ & Potentiæ & Bonitatis opus, suam accepit denominationem. Altius nimirum apud animum expendemus, quisnam olim dictus fuerit גואל הדם *Redemptor Sanguinis*; quæ ejus munia, quæ privilegia. Hoc autem dum suscipimus, non sumus nescii, nos viam ingredi arduam, & à *perpaucis* hactenus, solummodo etiam *obiter*, tritam. Quare si Romani olim in forensi tractatione Jovem, cœterosque DEOS præfabantur, (θ) *populumque in rostris alloqui, sine solenni precationis carmine, non licebat*; Quid hominem Christianum hic non decebit? Elevamus itaque omnium primo oculos mentis ad thronum divinæ Bonitatis, humili & devota voce ingemiscentes illud Psalmistæ : (ι) גַּל־עֵינַי וְאַבִּיטָה נִפְלָאוֹת מִתּוֹרָתֶךָ *Aperi oculos meos, ut videam mirabilia legis tuæ.* Hinc ad Te, Benevole Lector, conversi ingeminamus querelam Sixtini ab Amama, (κ) scil. ideo *multa adhuc in scripturis Veteris Testamenti obscura esse, quia nobis desint subsidia.* Et cum Amplissimo atque Excellentissimo Dn. Frischmuthio, Præceptore nostro Faventissimo (λ) precamur, ut, si ad materiæ hujus tractationem *non abunde instructi accedamus, & aliis ætate, eruditione*, addo & scriptis Rabbinicis, *instructioribus* hic non spicilegium aliquod, sed uberrimam messem relinquamus, illud benevole nobis condonare velis. Sit jam

(α) *Prov.* 25:11. (β) *Interprete D. Martin. Gejero in h.l.* (γ) *In epist. Dedicat. Hecdec. Homil. Sacr.* (δ) *Buxt. Filius, Floril. Ebr. p.m.* 359. (ε) *Act.* 17:25. (ζ) *Ut appellat Chrysostomus.* (η) *Matth.* 21:5. (θ) *Joh. Heinr. Ursinus in App. ad part. prim. Anal. Sacr. p.m.* 415. (ι) *Ps.* 119:18. (κ) *Antibarb. Bibl. l.* 1. *c.* 14. (λ) *Dissert. de non sper. Arc. Fœd. Restit. Prol. circ. fin.*

§. 1.

REdemptor, ut à nomine rem auspicemur, Ebræis dicitur גואל, à Rad. גָּאַל, cujus derivationis rationem hanc reddit R.D. Kimchi (μ) לפי שלקרוב משפט הגאולה נקרא גואל: *quia adpropinquat ad jus* גְּאֻלָּה, sive *Redemptura, dicitur* גואל. Erat vero גְּאֻלָּה sive jus istud quædam potestas res aliorum divenditas, vel etiam ipsas personas venditas ante statum jubilæi tempus, soluto pretio, aliorum jurisdictioni eximendi, & vel sibi, vel proximo adserendi: ut cum aliis vocem exponit Schindlerus (ν). Competebat autem hoc jus nonnisi proximis venditorum cognatis, veluti in progressu visuri sumus: unde vocabuli pondus non adsequuntur nonnulli Rabbini, quando גְּאֻלָּה dicunt *quamcunque liberationem, sive cum, sive sine pretii solutione, sive à proximo consanguineo, sive aliis factam*: adpellantque adeo Exodum sive secundum Mosis Librum ספר גאולה sive *Librum Redemptura*, quia scilicet in illo describatur redemptio & exitus ex Ægypto. Nimis etiam frigidus est Aben Esra, qui (ξ) גואל interpretatur hominem, qui שדבר בשבילי טוב *causa non sit iniquus, sed benigne de ipsa judicet.* Longe rectius rem explicat Tarnovius (ο) inquiens: גאל *est redimere dato pretio atque id, quod erat alterius ob debitum quoddam, sibi iterum vindicare, & ad suum referre peculium, quomodo in V.T. ex lege peculiari, genere proximo competebat jus redimendi possessiones tam vivi, quam demortui cognati, Levit.* 25:33. Ruth. 4:6. &c. Hinc גואל *dicebatur olim consanguinitate propinquus* Lev. 25:25. Et optumè B. Glassius quando ait (π): גואל *proprie & accurate loquendo notat ejusmodi assertorem & vindicem, Liberatorem & Redemptorem, qui jure consanguinitatis motus caussam propinqui sui interfecti, ejusque sanguinem vindicat, vel qui bona à consanguineo proximo, donatione seu venditione, seu quoquo modo devoluta, & contractu quodam implicata, jure proprietatis pristinæ ei rursus adserit & vindicat.*

§. 2. Versiones varie expresserunt hoc nomen. Chaldaica reddit per גָּאֵל ut Numer. 35: vers. 21. verba: גֹּאֵל הַדָּם vertit: גָּאֵל דְּמָא *redemptor Sanguinis.* Ita enim eodem cap. v: vers. 12. Alibi tamen (ϱ) reddidit גֹּאֲלִי per פָּרִיקִי *pro-pinquus meus.* Græca plura adhibet vocabula: nunc enim ἀγχιστεύων & ἀγχιστεὺς, propinquus aut proximus; nunc συγγενὴς, cognatus usurpat; nunc ἐξαιρούμενον eruentem transtulit; alibi λυτρωτήν: ut inspectio plurimorum locorum Biblicorum satis edocet (σ). Latina גֹּאֵל הַדָּם duobus modis interpretatur: 1. per *Redemptorem*, 2. per *Vindicem Sanguinis.* Est vero *redimere* proprie nihil aliud, quam quod Vernacula nostra, Gallorum imitatione, adpellat ranzioniren/ hoc est, interveniente pretio ex manu hostium liberare. Sic enim Vellejus Paterculus (τ) dicit *Cæsarem à piratis captum publica civitatum pecunia redemptum fuisse.*

Ita

(μ) *Lib. Radicum in Rad.* גאל, *col.* 77. *edit. Venet.* (ν) *In Lexic. Pentagl. in R.* גאל. (ξ) *Teste Spenglero in Miscell. Sacr. p.m.* 38. (ο) *In c.* 4:10. *Micha.* (π) *Orat. de Ling. Ebr. Nec. inserta Philol. Sacræ p. edit. Franc.* 366. (ϱ) *Hiob.* 19:25. (σ) *V. Concord. Kircheri p.* 934. *& seq. ac Martin. Lex. Philol. voce Propinquus.* (τ) *Lib.* 2. *cap.* 87. *num.* 1. *edit. Bœcl.*

Ita Parmenio suadet Alexandro (υ), *ut captivos apud Damascum redimentibus redderet, quod pecunia ingens ex iis possit redigi.* Itemque apud Justinum (φ) *Cimon patrem ob crimen peculatus in carcerem conjectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis, ad sepulturam fertur redemisse.* Haud absimili sensu hoc verbo usus est, Cornelius Nepos, quando (χ) de Dione civibus suis per vitam inviso, à Callicrate autem interfecto, admodum honorato ait: *Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere.* Cœterum occurrit alibi *Redemptor litium*, de quo non hodie quidem aut nudius quartus quæri cœpit quid sit, sed Alexander ab Alexandro (ψ) dubium percepit. Sic enim de eo dissertat: *Cum Roma Palatini fori judicia opperiremur, quidam non ex plebe homo, pollens eruditione & doctrina, ad me adiit, & percontatus est, quid sibi vellet Ulpianus de officio Proconsulis æstimans, eum, qui provinciæ præesset, dissimulare non debere, si quos causarum concinnatores aut litium redemptores deprehendisset. Quis esset* CAUSARUM CONCINNATOR, *& quis* LITIUM REDEMPTOR, *quærebatur. Et quia facilis explicatu quæstio erat, levi functus opera respondi, Redemptorem causarum eum dici, qui lites quotidianas pecunia mercari, illasque pactionibus muneribusque pellicere conaretur, haut secus, quam qui domos, ædificiumque faciendum utendumve pretio conducit, qui etiam quadruplator & interceptor alienæ litis dictus est, quos homines, tanquam malarum artium artifices, JCti jure incessere.* Videntur itaque *litium redemptores* parum absimiles fuisse nostris Rabulis, qui & ipsi haud raro debita, de quibus Creditores desperarunt, vili numo coëmunt, judicialiter prosequuntur, & solutionem extorquent; seu, ut vernacula nostra effert, solche Leute / die da verlohrne Schulden an sich practisiren / und hernach ausklagen.

§. 3. *Vindex*, quid importet dispiciendum. Deprehendimus autem, duo præprimis significata ejusdem. Prius est, quod liberatorem vel custodem notat. Sic Festus ait: *Vindex dicitur ab eo, quod vindicat, quo minus is, qui prensus est ab alio, teneatur.* Hoc est, ut exponit Rosinus, (ω) *qui prehensum nexum sive addictum liberat.* Etenim Antiquitatis Romanæ Scrutatoribus notum est, quod olim debitorem, qui non poterat æs alienum solvere, judices addixerint Creditori, à quo ipse domum in carcerem privatum ducebatur, ut ex variis Plauti locis, (a) Ciceronis (b) & Livii constat. (c) Huic prenso, nexo, addicto debitori poterat aliquis vindex esse duobus modis: vel jure, si sponderet pro ipso; vel extra jus, si solveret pro eodem. Vide Theodorum Marcilium in leges XII. Tabb. (d) Deinceps vero *Vindex* notare solet ultorem ac punitorem. In hoc significatu Horatius suum Lœlium laudat (e) *vindicem avaræ fraudis.* Ita Cicero (f) dicit, *mali unius vindex, & auctor alterius.* Sic idem (g) *Furias* adpellat *speculatrices & vindices facinorum & sceleris.* Iisdem etiam modis usurpatur verbum *vindicare.* Priore quidem, cum v. g. apud Cornelium Nepotem (h) Epaminondas dicitur *universam Græciam vindicasse in libertatem.* Posteriore vero, cum Cicero (i) inquit: *vehementer vindicare facinus.* Utraque significatio Goëli Ebræorum ex asse convenit. Etenim, ut inferius videbimus, ille non tantum in libertatem vindicat Cognatum vel servitute, vel captivitate pressum; verum etiam punit ac ulciscitur cædem ejusdem in occisore. Germanica B. Lutheri versio, ut & hoc adjiciamus, non uno modo, sed pro ratione contextus diversimode exprimit גּוֹאֵל. Nunc enim reddit: der Bluträcher / si nimirum sermo sit de cæde cognati: nunc der Erbe / si de successionibus in bona defuncti, aut etiam de ducenda fratria agatur: nunc der Erlöser / ut apud Hiobum 19. vers. 25.

§. 4. Constituta sic REDEMPTORIS adpellatione, statim in quonam potissimum constiterit ipsius officium, edisseremus, modo prius liquidum fecerimus, quisnam proprie istius juris capax fuerit, quotoque gradu attingere oportuerit consanguineum, qui Redemptor audire volebat. Josephus, (qui se venditat (k) κατὰ τὴν ἐπιχώριον παιδείαν διαφέροντα, *patrias disciplinas egregiè callentem*, & de seipso testatur (l) *à Pontificibus & urbis Primoribus se consuli solitum, etiam dum decimum quartum ætatis annum ageret,*) sic habet (m) de redempturæ capacibus: ἐχόντων ἐξουσίαν τῶν τοῦ πεφονευμένου συγγενῶν κτείνειν, εἰ λάβοιεν ἔξω τῶν ὅρων τῆς πόλεως, εἰς ἣν ἔφυγε, τὸν πεφονευκότα, ἑτέρῳ δὲ οὐκ ἐπιτέτραπτο. Quæ verba recte sic transtulerat primum Ruffinus, vetus Josephi interpres: *Habentibus potestatem cognatis perempti, occidere homicidam, si eum extra terminos civitatis, ad quam confugerat, invenirent, alii vero illud haud conveniebat.* Verum postea Gelenius, recentior Josephi translator, verba ista ita expressit: *Licere* CUIVIS *è cognatis interempti homicidam impune occidere, duntaxat extra urbem refugii deprehensum, idque jus solis cognatis esse voluit, aliis non item.* Ex quo factum credo, ut sibi multi hodiénum persuadeant, quemlibet, quomodocunque etiam occisum attingeret, potuisse cædem illius vindicare, homicidam ad Orcum transmittendo.

§. 5. Sed non cuilibet cognatorum, verum tantum uni, & quidem illi, qui occisum quam proxime attingebat, jus istud competiisse, sentit JCtus πολυγλωσσότατος, JOHANNES SELDENUS, in pulcherrimo illo de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. Opere (n) Rationes habet pro se pugnantes: 1. quia Scriptura iis in locis, ubi de Redemptore ex professo, ut sic loquamur, agit, semper in singulari, non vero in numero multitudinis, tanquam de pluribus loquitur. 2. quod de consensu omnium interpretum (o) jura Redempturæ, individuo copulata fuere nexu, ita, ut qui unum illorum habuit, is omnia habuerit; qui uno caruerit, is oppido omnibus caruerit. Iam veluti impossibile erat, ut unum v. g. potestasne, dicam, an obligatio ducendi fratriam, posset in uno plures simul cadere: ideo nec reliqua simul in uno plures cadere potuisse, probabile est. 3. Facit pro ipso calculus R. Mosis Maimonidis, cujus hæc sunt verba (p): מצות בגואל הדם להרוג הרוצח שנאמר גואל הדם הוא ימית את הרוצח וכל הראוי לירושה הוא גואל הדם : i. est. *Præceptum est de Vindice sanguinis, ut homicidam interficiat, juxta illud quod dicitur (q): Vindex sanguinis morte plectat homicidam. Et quisquis jure hæreditario ei succedere debuisset, is vindex erat sanguinis.* Ast vero non poterat occiso nisi unicus succedere, quia non nisi unico licebat fratriam ducere, uti modo dictum est, & ab ullo negari vix potest. Ergo etiam unicus tantum, nec plures simul poterant esse גֹּאֲלִים sive vindices sanguinis. Quis vero fuerit, cui licuerit adire hæreditatem defuncti, multis alibi docet Seldenus (r). Ex quo vero unum, quod ad propositum nostrum sufficere videtur, adponemus. Sic scilicet Maimonides (s): יש נוחלין ומנחילין נוחלין ולא מנחילין מנחילין ולא נוחלין ולא נוחלין ולא מנחילין אילו נוחלין ומנחילין האב את הבנים והבנים את האב ואחין מן האב נוחלין ומנחילין האיש את אמו והאיש את אשתו ובני אחיות נחלין ולא האשה מנחילין את בנה והאשה את בעלה ואחי האם מנחילין ולא נוחלין והאחין מן האם לא נחלן ולא מנחילין : i. e. *Sunt, qui succedunt, ut hæredes, à quibus hæreditas invicem defertur. Sunt, qui succedunt, à quibus hæreditas invicem non defertur. Sunt, à quibus hæreditas defertur, sed non invicem succedunt. Et sunt demum, qui nec succedunt, nec hæreditatem ad invicem transmittunt. Qui succedunt ut hæredes, à quibus etiam hæreditas invicem defertur, hi sunt: Pater liberis, liberi patri, & fratres ex patre succedunt, ut hæredes, atque ab eis hæreditas vicissim defertur. Vir matri suæ, maritus item uxori, & suorum liberi succedunt* (veluti fratri) *ut hæredes ejus. Sed ab eis hæreditas invicem non defertur. Fœmina autem ad filium suum, uxor ad maritum & fratres matris,* (quando ipsis mortuis, sine posteris hæreditas per eorum patrem, hæredem proximum, qui in vivis esse desiit, ad matrem, ut patris eorum hæredem, adeoque ad ejusce liberos devenit) *hæreditatem transmittunt, sed non invicem* (non avunculi nepotibus suis, quibus sine posteris defunctis, ipsorum pater atque ita alia familia hæres) *succedunt. Fratres demum ex matre seu uterini, nec succedunt, nec hæreditatem invicem transmittunt.*

§. 6. Sed quod testimonium Iosephi nunc concernit, videndum, quid illud contra Seldenum obtineat. Est Iacobus Bonfrerius, qui illud valdopere urget (t): cum enim prius Eugubinum, qui non cognatis tantum occisi, sed aliis quibusvis licentiam vindicandi sanguinem fecerat, reprehendisset, adjicit: *Josephus lib. IV. Antiquit. Jud. c. 7. in plurali numero loquitur:* ἐχόν-

(υ) *Apud Curtium Lib. 4. cap. 11. n. 2.* (φ) *Lib. 2. c. 15.* (χ) *In vita Dionis c. 10. edit. Bosianæ.* (ψ) *Genial. Dier. lib. 4. c. 15. p. 526. seq.* (ω) *Antiquitat. Rom. lib. 8. cap. 6. p. 1283.* (a) *Bacchid. scen. ult. Menæhm. scen. I. Item Ter. Phor. Act. 2. Sc. 2.* (b) *II. de Oratore.* (c) *Lib. 6.* (d) *Leg. XIX. pag. m. 91.* (e) *Lib. 4. Carm. Od. IX. stropha 10.* (f) *Ad Brutum.* (g) *De Divinatione.* (h) *In vita Epam. c. 8.* (i) *Pro Quintio.* (k) *Antiquit. Judaic. lib. 19. c. 9. circa finem.*

(l) *In vita sua.* (m) *Antiquit. Judaic. c. 7. l. 4.* (n) *Lib. 4. c. 1. p. m. 469.* (o) *Vide B. Gerh. in c. 19. Deut. p. m. 1144. seqq.* (p) *Halach Rotzach. c. 1. & 6. R. item Mosis Mikotzi Præceps. Neg. 160. & 161.* (q) *Num. 35:19.* (r) *Lib. de success. in Bon. Defunct. c. 19. p. m. 128.* (s) *Ad tit. Baba Bathra. c. 8.* (t) *In c. 35. Num. v. 12. p. m. 897.*

ἐχόντων ἐξουσίαν τῶν τοὺς πεφονευμένους συγγενῶν κτείνειν, *facta potestate cognatis occisi occidere, & mox:* ἑτέρῳ δ' οὐκ ἐπετέτραπτο, *alteri vero permissum haud erat. Sic & quia Philo* [u] *in plurali numero dicit:* οἱ γένει προσήκοντες τῷ τεθνεῶτι; *Censeo dicendum, id ad omnes cognatos fuisse extensum, favetque causa: id enim propter occisi sibi erepti desiderium, cognatis permissum est, quod cum non ad unum duntaxat pertineat, sed ad omnes cognatos, par etiam eorum jus esse debuerit vindicandi sanguinis.* Adeoque nititur 1. auctoritate. 2. ratione. Verum ad prius, cui insistit, fundamentum Resp. si auctoritas quicquam evincit, jure potior est Scripturæ, quam Iosephi auctoritas: at illa de Vindice Sanguinis loquitur in singulari, nunquam vero in plurali, velut modo asseruimus. Ad productam rationem dicimus, illam insufficientem videri, quia non propter solum dolorem poterat, sed etiam ex obligatione pervetusti moris tenebatur persequi occisorem Vindex. Maimonides enim expresse testatur [w]: ומוזהרין בית דין שלא ליקח כופר מן הרוצח ואפילו נתן כל ממון שבעולם ואפילו רצה גואל לפטורו שאין נפשו של זה הנהרג קנין גואל הדם אלא קנין הק"בא שנאמר ולא תקחו כופר לנפש רוצח; h. e. *& monere solebant Synedria, ne impunitatis pretium acciperetur ab homicida, etiamsi daret quicquid opum esset in mundo, atque etiamsi Vindex Sanguinis eum libenter liberare vellet; quoniam vita occisi hujus non erat habenda in rebus Vindicis Sanguinis, sed in rebus Dei Opt. Maxim. juxta & illud quod scriptum est,* [x] *& non accipietis pretium seu lytrum pro vita homicidæ.* Si omnino Iosephus, & qui pariter cum hoc in plurali de Redemptore loquitur, Philo, dicens [y]: οἱ γένει προσήκοντες τῷ τεθνεῶτι; excusandi sunt, dicendum, quod plures Ius hoc habuisse eo sensu dicantur, ut illud uni competierit primario, aliis vero secundario; si nimirum ille, cui primario competebat, vellet suo jure cedere. Cui explicationi nescio annon faveat, quod ipse Iosephus in allegatis verbis, cum prius de cognatis in plurali tanquam de multis locutus esset, postea in singulari subjiciat: ἑτέρῳ δ' οὐκ ἐπετέτραπτο. Cur non ἑτέροις? Arbitrium de hac re sit penes Benevolum Lectorem. Nos ad rem ipsam nunc propius accedimus.

§. 7. Erat vero Redemptura jus aliquod, competens proximis cognatis ad invicem, qua alter alteri ad paupertatem redacto tenebatur succurrere, res ejus divenditas redimere, ipsum servum liberare, mortui sanguinem vindicare, & sine liberis decedenti semen excitare. Adeoque Redemptura, ex qua quis Redemptoris nomen trahebat, ex quinque diversis particulis aggregabatur, quas ordine nunc & pro ratione propositi, breviter exponemus.

§. 8. Primo itaque tenebatur Redemptor proximum cognatum, si res ejus ad angustias redactæ fuissent, omni modo juvare. Et enim non tantum obligabat ipsum lex [z]: כִּי יִהְיֶה בְךָ אֶבְיוֹן מֵאַחַד אַחֶיךָ בְּאַחַד שְׁעָרֶיךָ בְּאַרְצְךָ אֲשֶׁר יְהוָה אֱלֹהֶיךָ נֹתֵן לָךְ לֹא תְאַמֵּץ אֶת־לְבָבְךָ וְלֹא תִקְפֹּץ אֶת יָדְךָ מֵאָחִיךָ הָאֶבְיוֹן: hoc est, *Si fuerit in te pauper unus ex fratribus tuis intra aliquam portarum tuarum, in terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi, non obfirmabis cor tuum, neque contrahes manum tuam à fratre tuo paupere.* Et porro: *Sed aperiendo aperies illi manum tuam, & mutuum dabis illi, quod sufficiat pro penuria ejus, qua ille laborat.* Et alia [α]: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & nutaverit manus ejus juxta te (seu infirmus factus fuerit)* וְהֶחֱזַקְתָּ בּוֹ גֵּר וְתוֹשָׁב וָחַי עִמָּךְ hoc est, *etiam sublevabis ipsum.* Verum etiam in specie ad sublevandum propinquum pauperem adstringebat ipsum explicatio Magistrorum: עני שהוא קרובו קודם לכל אדם עניי ביתו קודמין לעניי עירו ועניי עירו קודמין לעניי עיר אחרת שנ" לְאָחִיךָ לַעֲנִיֶּךָ וּלְאֶבְיֹנְךָ בְּאַרְצֶךָ: hoc est, *Inops qui fuerit cuiquam propinquus, præferendus est aliis quibuscunque; inopes domestici inopibus urbis; urbis suæ, inopibus urbis alienæ; juxta id, quod scriptum est* [ϐ]: *Fratri tuo, pauperi tuo, inopi tuo in terra tua.*

§. 9. Hic de qualitate & quantitate ejus, quo juvandus fuerit propinquus egenus, varia habent Iudæi. Nam non solum volunt ipsi victum & amictum, adeoque vitæ necessaria subsidia fuisse subministranda, sed etiam eundem in pristinum vitæ splendorem restituendum. Sic scilicet Talmudici testantur: אפילו היה דרכו של זה העני לרכוב על הסוס ועבד רץ לפניו והעני מנכסיו קונין לו סוס לרכוב עליו ועבד לרוץ לפניו: *Etiam pro dignitate pauperis, unde jam deciderat, pristina, mos ei esset equo vehi, nec sine servo præcurrente, comparandus ei erat equus, quo veheretur, & servus, qui ei præcurreret.* Quinimo iidem tradunt, si pauper is veste indiguerit, tunc מכסין אותו לפי כבודו מיד *ipsum vestiendum fuisse juxta dignitatem suam propediem.* Hoc tamen in tantum faciendum fuisse, ut ne ipse ditesceret: id enim à lege citata §. præcedente exigi haud credebant. Interim tamen quantitatem hanc præscribebant, ut qui lautissime egeno subministraret, is quintam bonorum suorum partem indulgeret; qui inferiori gradu, is decimam: qui vero infra hanc, illius donum appellabant עין רעה *oculi mali.* Adjicit Maimonides: מי שאינו רוצה ליתן צדקה או שיתן מעט ממה שראוי לו בית דין כופין אותו ומכין אותו מכת מרדות עד שיתן מה שאמדוהו ליתן ויורדין לנכסיו בפניו ולוקחין ממנו מה שראוי לו ליתן וממשכנין על הצדקה: hoc est, *Qui non voluit Eleemosynam dare, aut minorem dederat, quam par erat, cogebant eum judices fori sive Synedrium, irrogata etiam pœna verberum, quæ contumacibus debita, usque dum id præstaret, quod ipsi æstimarent. Quin & irruebant in bona ejus, eoque præsente, quantum oportuit eum erogare, ut in pignus Eleemosynæ, eripiebant.* Et ne desit testimonium professum odii, quo adversus nos flagrat obstinata gens, addemus ex Maimonide [γ] אסור לישראל ליטול צדקה מן הגוים בפרהסיא, quo indicant, etiamsi eveniat, ut magna paupertate prematur, tamen *fas non esse Israelitæ, ut eleemosynam accipiat à Gentili* seu Christiano *in aperto.* Nisi, quod ibidem additur, suorum Eleemosynæ ipsi prorsus non sufficiant. Denique etiam observari merebitur, quousque tandem teneatur Redemptor paupertatem cognati sui sublevare. Videlicet quando jam pristino suo statui redditi erant, tunc jubebantur aliquo artificio sive negotio panem quærere, & Redemptori amplius oneri haud esse. Hinc de pauperibus quibusdam sublevatis testantur, לא שאלו ולא קיבלו מהם כשנתנו להם h. e. *quod non rogarint, neque acceperint, quando ipsis dare volebant.* Quod ipsum, ut & præcedentia, veluti non ignoramus, dici de egenis in genere; ita, quia superius ex Maimonide indicatum est, quod in legis Eleemosynarum observatione propinquus præferendus sit omnibus aliis, nos illa, salva veritate, ad egenum propinquum adplicamus.

§. 10. Secunda Redempturæ particula erat, quod Redemptor bona proximi cognati alienata poterat redimere, & possessionibus suis adjicere. Hæc fundatur in lege [δ] כִּי־יָמוּךְ אָחִיךָ וּמָכַר מֵאֲחֻזָּתוֹ וּבָא גֹאֲלוֹ הַקָּרֹב אֵלָיו וְגָאַל אֵת מִמְכַּר אָחִיו: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & vendiderit de possessione sua* aliquid, *& venerit ad eum Redemptor propinquus*, ut ipsum nimirum redimat, *tunc redimat venditionem fratris sui:* seu, ut reddidit significantissimè B. Lutherus noster: so soll ers lösen / was sein Bruder verkaufft hat. Cum scilicet Divinum Numen in priori Testamento omnibus modis caveret tribuum confusionem, eum in finem, ut olim de tribu ex qua Messias nasciturus erat, constare posset, etiam bona singulis tribubus, & familiis ac domibus, in iisdem in primæva terræ sanctæ distributione assignata, non erant confundenda. Quare prohibita omnis eorundem alienatio in excisionem, hoc est, in perpetuum. Inde tritum istud Doctissimi Rabbini [ε]: ארץ ישראל המתחלקת לשבטים אינה נמכרת לצמיתות ואם מכר לצמיתות שניהם עוברים בלא תעשה: *Terra Israël, inter tribus divisa, non erat vendenda ad exterminationem. Si vero alius ita emeret, alius venderet, uterque transgrediebatur præceptum negativum.* Sed tamen licebat ad certum tempus, nempe, usque ad annum Jubilæi, possessionem vendere; sed solum in defectu scilicet necessariæ alimentationis, alias non, ut Maimonides refert [ζ]. Interim, antequam accederet annus jubilæus, licebat tum venditori, tum propinquo sive Redemptori ejus redimere fundum alienatum ex traditione Talmudicorum, nonnisi אחר שתי שנים post duos annos. Ratio redditur [η]: צריך שיאכל הלוקח שתי תבואות בשתי השנים ואחר כך יגאל שנאמר שני תבואות לפיכך אם היתה אחת משתי השנים שביעית או שנת שדפון או ירקון אינה עולה מן המנין הניחה הלוקח: *Necesse est, ut emptor duorum annorum fructus percipiat prius, quam fiat reluitio, quod dictum est* [θ] anni fructuum. *Quocirca, si unus ex illis duobus annis fuerit Sabbathicus, aut laboraverit uredine segetum vel rubigine, non venit in rationem annorum, quos emptor sibi deposcit.* Pretium redemptionis, ut à venditore, ita & ab ejus propinquo solvebatur, facta computatione annorum, qui restabant ad jubilæum, ita ut, si dimidia annorum pars restaret, dimidium etiam pretii solveretur; sin tertia pars restaret, solveretur & tertia pars pretii. Ita enim docet Kimchius [ι]: דין מוכר שדה אחוזתו לחשב את הדמים לפי השנים הנשארות ליובל ובכל עת שירצה לפדו מחשב עם הלוקח על השנים שאכל וגורע מדמי המוכר

[u] *Lib. de Sacerdotum honoribus in fine.* [w] *Loco ante cit.* [x] *Num.* 35: 31. [y] *Lib. de Sacerdot. hon. in fine.* [z] *Deut.* 15:7. *seq.* [α] *Lev.* 25:35. [ϐ] *Deut.* 15:11.

[γ] *Halach Mitthoth Ainjim. cap.* 8. [δ] *Levit.* 25:25. [ε] *Maimonidis* הלכות שמטי' ויוב" *cap.* 11. [ζ] *Loc. nim. prox. cit.* [η] *Hal. Schomit. vejobel, cap.* 2. [θ] *Lev.* 25: *vs.* 25. [ι] *Loco sæpe cit.*

המוכר ומחזיר לו השאר כיצד הרי הנשאר ליובל עשר שני' ומכר לו שדה במאה דינר אכלה הלוקח שלש שני' ורצא המוכר לגאול נותן לו שבעי' די' ומחזיר שדהו וכן אם אכלה שש שני' נותן לו מ' דינר ומחזיר לו שדהו: i. e. *qui agrum possessionis suæ vendit, jus habet computandi pretium secundum annos, qui supersunt usque ad annum jubilæum, & quocunque tempore voluerit ipsum reluere, ad calculos vocat annos, quos emptor absumsit, & eos diminuit à pretio emptionis, reliquum reddit emptori. Nempe si decem restant anni ad annum usque jubilæum, & agrum quis suum centum vendat denariis, ubi post triennium, quo usus eo emptor fuit, voluerit istum redimere, emptori reddit septuaginta, & agrum suum recipit. Ita si emptor absumserit sex annos, restituit illi quadraginta, & recipit agrum suum.*

§. 11. Non possumus autem, quin hic levi brachio ostendamus, hanc, quam modo exposuimus, Juris Redemptionis particulam non esse eandem cum illa, quæ inferius explicabitur, de ducenda Fratria. Quamvis enim cum illa conveniat in hoc, quod velut in ipsa, ita etiam hic redemptor succedebat in bona cognati sui; fuerunt tamen duo distinctissima jura. Primo enim in duobus diversis Sacri Codicis locis fundantur: præsens scil. fundatur versu 25. cap. 25. Levitici; subsecuturum autem Levirationis jus in vers. 5. & seqq. capitis 25. Deuteronomii. Inter quæ loca quid intersit, docent superioris cathedræ Præsides. Deinde differunt etiam hoc, quod jus redimendi alienata competebat Redemptori, Cognato suo adhuc in vivis existente, sed destituto opibus, quantæ ad reluitionem requirebantur; jus Levirationis autem Redemptori non nisi post ultima Fata Cognati sui conveniebat. Tandem successio in bona Cognati fiebat mediante solutione λύτρε; successio vero in uxorem & bona defuncti nullo interveniente λύτρῳ: quinimo pro opere misericordiæ & fidei fraternæ Redemptori, succedere defuncto reputabatur; vivo autem, interdum pro lucri cupidine. Itaque laterem lavare videntur illi, qui anxie laborant, ut doceant, cur Ruth Moabithis non exspuerit in faciem [κ] cognato defuncti sui mariti proximo, qui nolebat eam in uxorem ducere, atque simul bona defuncti acquirere. Nam ista Redemptio fiebat, non ex indultu legis de ducenda fratria, uti Josephus [λ] adserit; sed ex præsenti jure redempturæ, uti Seldenus [μ] firmiter evincit. Videri possunt, quæ de nuptiis Boasi & Ruthæ habet Bertramus [ν].

§. 12. Succedit tertia juris Redimendi particula, obligatio scilicet cognatum in libertatem vindicandi. Hæc ortum trahere videtur ex singulari hujus gentis ὑπερηφανίᾳ, qua sibi persuadet, iniquum esse, ut semen Abrahæ ulli servitutis jugo subsit: Sola quippe libertate jactabant se olim [ξ], & etiamnum gloriantur, כל ישראל בני מלכים הם *Universos Israëlitas esse filios Regum* [ο]. Si igitur aliquem sui generis vident sub potestate alterius contineri, obstringunt ipsius Goëlem ad redimendum eum. Ubi tamen probe notandum, quod uti apud Ebræos varii, imprimis quatuor, modi sunt, quibus libertatem amittere, & servitutem incidere quis potest; Ita non ubique æqualiter, interdum etiam plane non obligatus fuerit Redemptor ad liberationem. Primus modus fuit captivitas. Etenim veluti juris gentium erat, ut bello capti ad servitia præstanda in vivis servarentur; ita etiam apud Ebræos illud obtinebat: quod adeo manifestum est, ut probatione indigere haud videatur. Secundus vero modus erat venditio sui ipsius, de qua lex prostat [π]: וְכִי־יָמוּךְ אָחִיךָ עִמָּךְ וְנִמְכַּר־לָךְ *Et si attenuatus fuerit frater tuus, & vendiderit se tibi*, &c. Circa quam magistri observant, non statim, si quocunque modo ad paupertatem quis redactus fuerit, licuisse illi semetipsum divendere, sed tunc demum, quando in extrema oberrarit linea, nihilque ex bonis, quo vitam sustentaret, reliquum fuerit. Sic enim Maimonides [ϱ]: אינו רשאי למכור את עצמו לחצניע את דמיו או לקנות בהם סחורה או כלים או ליתנם לבעל חובו אלא אם כן צריך לאכלן בלד אין אדם רשאי למכור את עצמו עד שלא ישאר לו כלום ואפילו כסות לא תשאר ואחר כך ימכור עצמו: *Fas non erat cuiquam vendere seipsum, ut pretium absconderet, aut ut merces sibi ac vasa inde emeret, aut ut creditori debitum solveret, sed duntaxat, ut haberet, quod comederet. Neque fas est cuiquam se vendere, quamdiu quicquam omnino, etiam vestis, superfuerit. Sed postea potestas ei est, vendere seipsum.* De hac venditione videtur accipiendum esse, quod præcipiunt, venditionem non fieri in publico, sed occulte, אלא בצנעה seu *privatim*, ita scilicet, ut venditi ודרך כבוד *dignitas conservetur*. Tertius modus erat addictio forensis, ita obveniens, ut si aliquis furtum commisisset, neque esset restituendo, ipse in porta publica addiceretur rei ablatæ domino, pretio computato juxta numerum annorum præcedentium jubilæum.

§. 14. Hic duo, quasi obiter, notamus: I. Quod non promiscue utriusvis sexus homines, propterea, quod rem furto ablatam suo domino restituere haud valerent, licuerit aliis addicere, sed tantum mares, velut expresse testatur Maimonides [σ]: האיש נמכר בגנבתה אבל לא האשה: *Vir venditur* ob furtum suum, *sed non fœmina.* Et iterum [τ]: אין האשה נמכרת בגנבתה וכן אינה מוכרת את עצמה ואינה קונה לא עבד עברי ולא עבד כנעני מפני החשד: *Ut Fœmina non venditur ob furtum suum: Sic etiam seipsam vendere non potest, nec adquirere potest servum sive Ebræum, sive Cananæum, suspicionis causa.* II. Quod florente Judæorum Republica non licuerit virum ob furtum suum cuivis, v. g. gentili vel Proselyto vendere, sed tantum Ebræo, (si tamen extra casum furti seipsum quis gentili aut proselyto vendidisset, contractus ratus habebatur.) Postea vero nutantibus rebus Judæorum, tempore Herodis Magni publice latam esse legem, qua, licet non ob furtum, tamen ob aliud delictum, perfossionem scilicet murorum, permissum fuit vendere delinquentem ἐπ' ἐξαγωγῇ τῆς βασιλείας, *extra regni terminos*, ut testatur Josephus [υ]. Quod ipsi quidem permittebant ex abominatione facti, in graviorem pœnam facinorosorum; sed revera signum vel omen potius erat, imminentis eversionis Reipublicæ, ut censet Josephus.

§. 15. Quartus denique modus in servitutem deveniendi erat ex addictione Patris, de qua lex prostat [φ]: וְכִי־יִמְכֹּר אִישׁ אֶת־בִּתּוֹ לְאָמָה לֹא תֵצֵא כְּצֵאת הָעֲבָדִים: *Et si quis vendiderit filiam suam, ipsa non egredietur* (anno scil. septimo) *velut egrediuntur servi* &c. De qua addictione iterum notandum, quod paulo ante de venditione suiipsius diximus, scilicet eam non potuisse à Patre suscipi, nisi is in summam paupertatem redactus erat, nihilque omnino, ex quo vivere posset, superesset, & quidem licuisse hoc I. tantum Ebræo, non extraneo, quod Seldenus ex variis Rabb. testimoniis [χ] evincit. Et hæc addictio non facile fiebat, nisi puellæ addictæ, ex legibus paternis, spes esset nubendi vel hero, vel filio herili, ut idem probabiliter admodum adserit [ψ]. II. Nonnisi intra illud tempus, quo filia in patria erat potestate, quæ non finiebatur ante plenos pubertatis annos: filia, quamdiu non aut compleverat duodecimum annum & diem unicum, aut pubertatis adparuerant signa, dicebatur קטנה seu *minor*, & tunc poterat aliis addici. Quænam autem fuerint signa pubertatis, & quibus annis plena pubertas fuerit judicata, legi malumus apud ipsum Seldenum [ω].

§. 16. His ita expositis videndum nunc erit, quænam fuerit Goëlis obligatio circa cognatum totupliciter servum: scilicet neutiquam æqualis, imo interdum nulla. Omnium maxime obligabatur ad redimendum cognatum in vinculis servientem sive captivum, quod innuit vulgatum illud [a]: פריון שבויין קודם לפרנסת עניים ולכסותן ואין לך מצוה גדולה כפריון שבויין: *Redemptio captivorum anteponenda est officio pauperes sive victu sive amictu sublevandi. Neque habetur præceptum æquale ei, quod de redimendis captivis est.* Ratio, cur hæc juris particula in tantum obligabat Redemptorem, hæc erat; quia captivus non tantum victu & amictu indigebat, sed etiam in vitæ, & quæ huic anteponenda, honestatis discrimine, quovis momento versabatur. Habebant etiam rationem aliquam sexus, atque si duo cognati in vinculis essent, vir & fœmina; si utrosque simul redimere non valebant, fœminam præferebant & prius redimebant, מפני שהאיש דרכו לחזר לא האשה ובושתה מרובה: *quia scilicet viros est longe facilius redimere, quam fœminam, cujus etiam pudor major.* Ast vero בזמן ששניהן עומדין בקלקלה האיש קודם לאשה: *Si utrique, ne scelere inquinarentur, justus adesset metus, vir fœminæ anteponendus erat*, ut Misna præcipit [b]. Ratio hæc erat, quia ut

[κ] *juxta legem Deut. 25:5. & seq.* [λ] *Antiq. l. 5. c. 11.* [μ] *Lib. de success. in bon. def. cap. 15.* [ν] *Medit. Frankent. cap. 6. pag. Edit. Hackspan. 673. seqq.* [ξ] *Joh. 8:31. Vid. super h. l. Heinsii Aristarch. Sacr. pag. 903. Edit. 1639.* [ο] *Misna tit. Sabbath. cap. 1. §. ult. Gemara Babylonica ad Tit. Baba Metzia cap. 9. fol. 113. lit. b. & alibi passim.* [π] *Levit. 25:39.* [ϱ] *Hal. Aibdim cap. 1. Sic & Gem. Babyl. lit. Baba Metz. f. 71. Moses Mikotz. præc. affirm. 88.*

[σ] *Maimonid. Hal. Ganibha cap. 3.* [τ] *Halach Aibdim cap. 1.* [υ] *Lib. 16. Antiq. Jud. cap. 1.* [φ] *Exod. c. 21: vs. 7.* [χ] *Nimirum ex Gem. Hieros. ad tit. Kidoschim cap. 1. fol. 59. col. 3. Babyl. ad eund. tit. fol. 18. & 19. Maimonid. Halach. Aibdim. cap. 4. & 3. Mosis Kotzensis præc. affirm. 85.* [ψ] *De J. N. & G. juxta Disc. Ebr. Lib. 6. cap. 1. pag. 707. & seqq.* [ω] *De successionibus cap. 9. pag. 68. & seqq.* [a] *Gem. Bab. ad tit. Baba Bathra cap. 1. Maimon. Hal. Mith. An. cap. 8.* [b] *Tit. Horajoth cap. 3.*

ut masculus potior est fœmella, ita etiam scelus in eundem admissum gravius foret [c]. Atque proinde masculus periculo peccandi potius erat subducendus. Proximus ab hoc obligationis gradus erat solvendi ex servitute cognatum, sive illa per venditionem suiipsius sive per addictionem patris contracta esset: Etenim quamvis Ebræus servus non esset duriter [d] tractandus, sed ut habet Jalkut [e], יהיה עמך במאכל עמך במשתה שלא תהא אתה אוכל פת נקיה והוא אוכל פת הדראה אתה שותה יין ישן והוא שותה יין חבש אתה ישן על המוכין והוא ישן על התבן : *Sit tecum in cibo, tecum in potu, ut tu non edas panem purum, ille edat furfuraceum, tu bibas vinum vetus, ille bibat vinum novum, tu cubes in lecto molli, ipse dormiat super stramine*; Adeoque non videretur satis caussæ habere, cur tantopere liberationi inhiaret, cum tamen, ut ante dictum, libertas summum hujus populi patrimonium, pretiosissimumque κειμήλιον haberetur, tenebatur Goël, si facultates ipsius sufficerent, & cognatus id expeteret, illius desiderium explere. Præprimis pater filiam, si à venditionis die acquisiverat, unde redimere valeret eam; quia hæc non perinde ac servi septimo anno egrediebatur. Item, si cognatus se in servitutem vendiderat gentili, admodum probabile est, eum potius fuisse redimendum, cum gens recutitorum gentiles sua opera semper indignos judicarint, adeo ut felicitatem se adportare dominis jactitent, ad quos emptionis jure perveniunt. Ita enim proverbii loco amant dicere: הקונה עבד עברי כקונה אדון לעצמו *qui comparat servum Ebræum, est ac si comparet sibi Dominum* [f]. Quod si vero aliquis ob delictum in servitutem venditus erat, אסור לפדותו *vetita erat ejus Redemptio*, ut testatur Seldenus noster. Et favet ratio: Quia enim venditio ob delictum, erat supplicii vice, & quidem ex publica fori sententia; non erat misericordia cognatorum dignus, qui illam patiebatur, quia facto suo indecenti totam suam familiam simul dehonestarat.

§. 16. Restabant adhuc explicanda duo Redemptionis jura, nimirum, jus vindicandi sanguinem cognati interempti, & obligatio ducendi fratriam, defunctoque excitandi semen: Verum cum pagellæ præter mentem, quam sub initium hujus, qualis qualis, laboris capiebamus, hactenus excreverint, nobisque alias ob causas nunc non liceat esse prolixioribus, hic filum abrumpimus; Reliqua alii diei, aliique labori remittentes. Interea Deo nostro ter Optumo, terque Maximo sint pro concessis clementer gratiis, gratiæ humillimæ atque devotissimæ. Παραπλώμασι vero nostris, quæ in tam lubrica via facile contrahere potuimus, quæque eorum convicti, gratissima mente agnoscemus & promptissima manu corrigemus, sit venia à Benevolo Lectore benevola.

[c] *Maimon. Halach. Mith. Anjim. cap.* 8. *Gloss. Gemar. Babyl. ad tit. Horajoth. cap.* 3. *fol.* 13. *a.* [d] *Levit.* 25:45. [e] *Ad Lev.* 25:40. [f] *Nedarim in fine.*

DISSERTATIO II.

: כגבורתה שמים

De Vindice Sanguinis, sive de Redemptore Ebræorum.

NOn elegans minus, quam trita est illa Magistrorum inter Ebræos sententia, qua utuntur in Tractatu Talmudico, inscripto עבודה זרה, *Cultus alienus*, sive *Idololatria* [a], his concepta verbis: למה תלמיד חכם דומה לצלוחית של פלייטון מגולה ריחה נודף מכוסה אין ריחה נודף : *Cui rei similis est Discipulus Sapientum? Pyxidi balsami: quæ si aperta est, odor ejus fragrat; sin tecta, odor ejus non fragrat.* Indicant vero eadem, quod equidem pulcerrimum sit, Scientiis ac optimis quibusque literis ditescere, & omnes mentis quasi cellulas explere: verum hoc nulli fieri usui, si vel metus vel invidiæ operculo id, quicquid bonorum est, tegamus, nobisque adeo solis sapere videamur; sed quandoque μετὰ παῤῥησίας prodeundum, & publice spargendum esse odorem. Quod sane plusquam recte adseritur: non quasi hoc ipso adprobetur aut foveatur calidissimus ille inclarescendi pruritus, qui plurimos eruditioni operam navantes nimis quantum vexat; neutiquam. Quis enim à ratione tam desertus est, quin videat, ex illo genere, de quo nos ex dicta modo sententia cogitamus, nullatenus quicquam claritudinis enasci posse? Sed potius, quia publica hujusmodi exercitia instituuntur semper in honorem & glorificationem Numinis Divini, utpote per quæ patescit, an illud sua in nobis coronare dona incipiat: porro quia instar suavissimi odoris alliciunt Patronos, qui publice probatis Musis longe facilius obstetricantes afferunt manus: & denique, quia tum nostros ad alacritatem excitant animos, tum in aliis æmulationem accendunt, qua nihil in Phœbeis castris præclarius, nihil ad movendum generosas mentes efficacius esse potest. His itaque & non aliis de causis & ego inductus sum, ut mecum decernerem in publicum hac vice progredi: nec me absterreri passus fui, quod illis armis, quibus in hac arena opus est, me non abunde instructum haud ignorarem. Etenim dudum didici, quod eruditis vel conatus in juvenibus probentur, & apud ipsos sic aliquid prodire tenus, si non datur ultra. Quapropter confidenter opus aggredior, & eam Redempturæ particulam, quæ Redemptori permittit cædem propinqui sui vindicare, quæque mihi ratione Collegii nostri exponenda cessit, evolvere incipio. DEUS vero BENEDICTUS, sine cujus Numine nihil recte geritur ab homine, dirigat clementer manum mentemque meam, ut quæ falsa sunt, deprehendam, quæ vera iis inhæream, & sic gloriæ ipsius totus litem.

§. I. Quod Proceres Judæorum in accusatione Herodis coram Hircano apud Flavium Josephum [b] pronunciant, scil. leges Ebræorum prohibere, quemquam, etiamsi sceleſtissimus sit, ultimo supplicio affici, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τοῦ Συνεδρίου, nisi prius eo damnatus fuerit a Synedrio: Hoc non nisi de jure ordinario, usu quotidiano, & ratione ex plena majestate pœnas infligendi accipi oportere, nobis persuasum est. Etenim vel in vulgus notum est, quod cædes humana, etiam citra cognitionem forensem Judæis permissa fuerit non uno in casu. Primo scil. veluti *moderamen inculpatæ tutelæ* apud omnes gentes usu receptum & impune est; ita etiam apud Ebræos non tantum valebat, verum etiam ad illud referebantur, & vi ipsius vigebant quamplurima alia. Sic nomine hujus licita erat *ereptio ex manu persequentis*, de qua ipsi præcipiunt Magistri, quod si possibile sit, præstari debeat incruenta; sin vero hoc fieri non posset, licitum esse, etiam cum aggressoris læsione, aut membri alicujus abscissione eripere periclitantem: si vero neque hac ratione liberari posset, cædem persecutoris esse impunem. Eliciunt hanc obligationem ex Lege sacra [c]: לֹא תַעֲמֹד עַל דַּם רֵעֶךָ *Non stabis adversus sanguinem fratris tui.* Hanc ex avita doctrina ita explicant: si proximus tuus, sanguine aut vita periclitetur, non ociosus adstabis, sed adcurres, ipsum liberabis & eripies. Fidem dictis faciunt verba R. Mosis Maimonidis [d]: הרודף אחר חברו להרגו אפי היה הרודף קטן הרי כל ישראל מצווין להציל הנרדף מיד הרודף : h. e. *Si quis alium persequeretur, ut occideret eum, quantumlibet minor, tenebantur universi Israëlitæ* (quilibet autem pro loci & temporis opportunitate) *eripere seu liberare eum, cui vis illata, è manu persequentis.* Exprimunt etiam casus, quibus cum cæde persecutoris præprimis licuerit eripere eum, quem persequebatur. Sic enim Misna [e]: אלו הן שמצלין אותן בנפשן הרודף אחר חבירו להרגו ואחר הנערה המאורסה : h. e. *Hi sunt, qui etiam cum vitæ suæ jactura præripiendi sunt, seu impediendi, ne peccent: qui alterum persequitur, ut eum occidat; qui persequitur masculum* (ut nefando coitu cum ipso misceatur) *& qui puellam desponsatam.* Ita etiam ad moderamen hoc inculpatæ tutelæ reducebant, quod eum, qui Israëlitam in manus ethnicorum tradere volebat, statim, sine κατακρίσεως judicis, occidere poterant. Sic enim Talmudici [f]. מותר להרוג המוסר בכל מקום ואפילו בזמן הזה שאין לנו דיני נפשות ומותר להרגו קודם שימסור : h. e. *Fas est occidere traditorem ejusmodi, quocunque in loco; idque etiam hoc sæculo; licet genti nostræ jam diu permissa non sint judicia capitalia. Quin & fas est eum occidere, antequam tradiderit*; si scil. liquidum fuerit, ipsum sibi firmum fecisse propositum, quod hunc tradere velit. Ejusmodi traditorem non solum morte dignissimum judicant, verum etiam ipsi partem בעולם הבא *in futuro sæculo* denegant, velut alibi ostensum. Quinimo ad hunc titulum etiam referebant cædem infantis, susceptam ob salutem matris, de qua etiam pulcre Tertullianus [g]: *in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, cum in exitum obliquatus denegat partum, matricida, ni moriatur.* Sint nobis iterum Maimonidis verba pro testimonio. Sic vero ille: הורו חכמים שהעוברה שהיא מקשה לילד מותר לחתוך העובר במעיה בין בסם בין ביד מפני שהוא כרודף אחריה להורגה :

De-

[a] *Fol.* 32. *col.* 2.

[b] *Lib.* 14. *Antiq. Jud. c.* 17. [c] *Lev.* 19:16. [d] *Hal. Rotzach cap.* 1. *Mos. Mikotzi, Præcept. Neg.* 165. [e] *Tit. Sanhedrin. cap.* 8. *Gemar. Babyl. ibid. fol. ut alleg. Seld.* 73. *a.* [f] *Maimon. Halach. Chobal Wemazik c.* 8. *Mikotzi præc. Affirm.* 70. [g] *Lib. de Anima, cap.* 25.

Decrevere sapientes, si fœmina gravida puerperio laboraret, fas esse fœtum in utero ejus sive pharmaco, sive manu extinguere, quoniam habitus est quasi adgressor, quasi is, qui vim inferret, necandi causa. Hæc & alia præterea ad moderamen tutelæ hujus referunt, de quibus cum alii, tum in primis Seldenus (h) videri potest.

§. 2. Secundo etiam cædes privata Auctoritate permissa erat בני אדם כשרין המתקנאין קנאתו של מקום *Hominibus piis, qui zelo Numinis accenduntur*, quos adpellare *zelotes* solemus. Hi nimirum, si viderent quempiam Ebræum, vel etiam alium Judaismo initiatum in publico, minimum coram decem Israëlitis, aut sanctitatem Numinis aut Templi, aut gentis denegare, & spernere; בשעת מעשה, h.e. *in ipso momento, quo factum perpetrabat*, jus habebant ipsum incurrendi, & aut verbere, aut vulnere præpediendi, aut cæde, si in facinore pergeret, è medio tollendi. Dico: *si pergeret*: Nam monent Rabbini, quod si absterreri se passus fuerit, ipsum privata auctoritate non fuisse occidendum. Sic de hoc jure zelotarum Misna (i): הגונב את הקסוה והמקלל בקוסם והבועל ארמית קנין פוג עין בו כהן ששימש בטומאה אין אחיו הכהנים מביאין אותו לב"ד אלא פרחי כהונה מוציאין אותו חוץ לעזרה ומפציעין את מוחו בגזרין: *Qui sacrilegium commiserat* (ex Sacra sc. supellectile quicquam furatus fuerat) *qui per idolum maledixerat, qui coitu se miscuerat cum fœmina Aramea* (sive gentili) *zelotis fas fuit incurrere in eum. Sacerdotem in immunditie sua sacra obeuntem, non erat necesse, ut sacerdotes cæteri in forum deducerent; sed sacerdotes, qui per ætatem nondum ministerio sacro pares erant, eum extra atrium protrahebant, & cerebrum ejus fustibus elidebant.* Hoc jus ortum dicebant הלכה למשה מסיני *ex traditione Mosis è Sinai.* Et exemplum jactitant Phineæ (k), de quo Philo (l): ἐπαινέσας οὖν ὁ θεὸς τὴν ἀριστείαν αὐτοκελεύστῳ καὶ ἐθελουργῷ σπουδῇ γενομένην διτταῖς αὐτὸν ἀναστέφε δωρεαῖς, εἰρήνῃ καὶ ἱερωσύνῃ. *Deus idcirco laudavit navatam operam sponte & aliorum injussu, eamque honoravit præmio duplici, Pace & Sacerdotio.* Vide iterum de hoc Privatorum Jure Seldenum, ubi etiam agit de quæstione illa: An Salvator, ejiciendo ex templo Nummularios, usus sit hoc jure, nec ne (m). Item de illa quæstione: An Judæi Stephanum ex hoc jure occiderint? Vide JOH. TOBIAM MAJOREM, SS. Theol. Doct. & ante paucos annos hic loci Prof. P. etiam post Fata celeberrimum (n).

§. 3. Tertium, idque fortassis notatu omnium maxime dignum, jus vitæ ac necis, cadens in Privatos, erat VINDICTA SANGUINIS, tertia REDEMPTURÆ EBRÆORUM particula; quæ nobis hanc facit paginam. Ut vero, quæ illius fuerit ratio, rectius constare possit, omnium primo evolvemus illa Veteris Instrumenti loca, in quibus, tanquam in sede propria de eadem agitur. Deprehendimus autem tria potissimum: Numeros, Deuteronomium, atque Librum Josuæ. In Numeris sic legimus (o): וְהָיוּ לָכֶם הֶעָרִים לְמִקְלָט מִגֹּאֵל וְלֹא יָמוּת הָרֹצֵחַ עַד־עָמְדוֹ לִפְנֵי הָעֵדָה לַמִּשְׁפָּט׃ *Et erunt vobis urbes, ad fugiendum à redemptore, & non morietur interfector, usque dum steterit coram cœtu ad judicium.* Et ibidem (p): גֹּאֵל הַדָּם הוּא יָמִית אֶת־הָרֹצֵחַ בְּפִגְעוֹ־בוֹ הוּא יְמִתֶנּוּ׃ *Redemptor sanguinis ipse interficiet homicidam, in obviando ipsum in ipso, is eum interficiet.* Septuaginta interpretes vertunt hunc locum: Ὁ ἀγχιστεύων τῷ αἵματι, οὗτος ἀποκτενεῖ τὸν φονεύσαντα, ὅταν συναντήσῃ αὐτῷ, οὗτος ἀποκτενεῖ αὐτόν. B. Lutherus transtulit: Der Rächer des Bluts soll den Todschläger zum Tode bringen: Wie er geschlagen hat / soll man ihn wieder tödten. Quæ posteriora verba nescio an per omnia textum sacrum exprimant; textus enim sacer tempus & locum vindictæ videtur indicare, versio vero Germanica modum illius exercendæ. Sed nolumus sanctissimum B. Viri laborem παραδειγματίζειν; ipse sensum sæpe numero potius respexit, quam literam; atque semper fidissimum egit παραφράστην, utut non ubique accuratum aut curiosum μεταφράστην. Item eodem in loco habetur (q): וְאִם־יָצֹא יֵצֵא הָרֹצֵחַ אֶת־גְּבוּל עִיר מִקְלָטוֹ אֲשֶׁר יָנוּס שָׁמָּה׃ וּמָצָא אֹתוֹ גֹּאֵל הַדָּם מִחוּץ לִגְבוּל עִיר מִקְלָטוֹ וְרָצַח גֹּאֵל הַדָּם אֶת־הָרֹצֵחַ אֵין לוֹ דָּם׃ *Et si egrediendo egressus fuerit homicida terminum urbis refugii, quo se receperat illuc: Et invenerit eum redemptor sanguinis extra terminum urbis asyli, & occiderit redemptor sanguinis homicidam, non erit ei sanguis.* In Deuteronomio vero, quod haud absurde *Liber digestorum juris Israëlitici* vocari potest (r), habetur (s): פֶּן־יִרְדֹּף גֹּאֵל הַדָּם אַחֲרֵי הָרֹצֵחַ כִּי יֵחַם לְבָבוֹ וְהִשִּׂיגוֹ כִּי־יִרְבֶּה הַדֶּרֶךְ וְהִכָּהוּ נָפֶשׁ וְלוֹ אֵין־מִשְׁפַּט מָוֶת כִּי לֹא שֹׂנֵא הוּא לוֹ מִתְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם׃ *Ne forte insequatur redemptor sanguinis post homicidam, cum incaluerit cor ejus & assequatur eum, cum multa est via, & percutiat eum animâ, & ei non mortis judicium, quia non odio habens ipse eum ab heri nudius tertius.* Postea subjicitur (t) de homicida voluntario: וְשָׁלְחוּ זִקְנֵי עִירוֹ וְלָקְחוּ אֹתוֹ מִשָּׁם וְנָתְנוּ אֹתוֹ בְּיַד גֹּאֵל הַדָּם וָמֵת׃ *Et mittent Seniores civitatis illius, & capient eum inde, & eum dabunt in manum redemptoris sanguinis, & moriatur.* Denique in Libro Josuæ (u), ubi ערי מקלט, sive *Urbes Refugii* constitui jubentur; Sic inter alia de גואל הדם, Vindice Sanguinis Dominus ad Josuam loquitur: וְכִי יִרְדֹּף גֹּאֵל הַדָּם אַחֲרָיו וְלֹא־יַסְגִּרוּ אֶת־הָרֹצֵחַ בְּיָדוֹ כִּי בִבְלִי־דַעַת הִכָּה אֶת־רֵעֵהוּ וְלֹא־שֹׂנֵא הוּא לוֹ מִתְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם׃ *Et cum insecutus fuerit Redemptor Sanguinis post eum, non concludent homicidam in manu ejus; quia in non scientia percussit proximum suum, & non habens ipse odio eum ab heri & nudius tertius.* add. vers. 6. & 9.

§. 4. Hæc potiora sunt loca, in quibus Scriptura Sacra de juribus Vindicis Sanguinis vel mentionem injicit, vel illa ipsa coërcet: ex quibus vero intelligitur, quomodo vindicta ista comparata fuerit. Nimirum si accidisset, ut quis ab altero interemptus fuisset; sive illud בכונה *per scientiam ac voluntatem plenam*, sive etiam בלא כונה *per imprudentiam ac invito* factum esset, tunc tenebatur proximus interempti cognatus cædem in occisore vindicare, ita ut ubicunque locorum, duntaxat asylo excepto, deprehensum ad Orcum mitteret. Si vero Magistratus publicus suam auctoritatem interponeret, homicidam ex manibus Goëlis eriperet, & in porta examinandum sisteret; aut etiam, si homicida ad asylum se reciperet, innocentiam prætenderet, & judicium peteret: officium Redemptoris erat, utrobique facinus perpetratum urgere, contra homicidam agere, atque, quantum in ipso, eum ad talionis pœnam subeundam adigere. Quod si rei innocentia evinceretur, ipseque propterea ad asylum remitteretur, studiose Redemptori inquirendum erat, an intra asyli terminos se semper contineret: ac si interdum evagaretur, insidiæ ponendæ, cædes procuranda erat, idque ipsi tamdiu strenue agendum, quamdiu Summus Pontifex, sub quo homicidium commissum fuerat, in vivis permaneret. Post mortem autem Pontificis cessabat non solum hæc obligatio, verum etiam ipsum vindicandi jus, adeo, ut si tunc Goël homicidam propinqui sui occidisset, cum mortuus fuerat Sacerdos maximus, ipsi vicissim moriendum fuisset. Sin autem reus innocentiam prætensam non evinceret, sed capitis à Senioribus damnaretur, tunc Redemptori exsequenda erat sententia, quæ in reum lata fuerat, vel per aliorum, vel per suas manus, juxta id, quod præcedenti §. ex Deut. dictum fuit: *& mittent Seniores civitatis illius, & capient eum inde, & dabunt eum in manus Redemptoris Sanguinis, & morietur.*

§. 5. Hæc quidem obtinebant, si ab utraque parte, tam scilicet vindicantis & vindicandi, quam homicidæ æqualia essent jura, sive, si utrique essent de semine Abrahæ: Si vero vel altera, vel utraque pars ex gentilismo erant, non per omnia sic procedebatur, sed mos vindicandi sanguinem nonnihil variabat. Quod antequam exponamus, breviter videndum erit, quæ fuerit conditio gentilium inter Israëlitas degentium, ac juribus eorum frui volentium. Scilicet non tolerabantur, (Intellecta hæc volumus de iis temporibus, quibus gens Ebræa omnimoda usa fuit libertate, nulliusque jugo subdita; sæculis enim sequioribus, ad lubitum Imperantium sæpe gentiles etiam ὡς προσηλύτους Judæis fuisse admistos, facile concedimus:) nisi abjuratis cultibus idololatricis ac aliis abominationibus, ad meliorem se reduci mentem paterentur: hoc vero si faciebant, recipiebantur ac fovebantur, adpellabanturque גרים *advenæ*, adpellatione desumpta ex Codice Sacro (u). Græce dicebantur προσήλυτοι, cujus denominationis rationem exponere vult Suidas, ajens: προσήλυτοι, (sic enim legendum pro eo, quod in editionibus reperitur, προσήλητοι:) οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ κατὰ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους. Verum fallitur, si putat se rationem nominis in genere dedisse; dedit enim tantum rationem nominis Proselytorum justitiæ, veluti jam constabit. Sciendum ergo est, quod nomen hoc quidem omnes peregrini in populo Israëlitico habuerint commune; verum conditionem plane diversam. Alii quippe erant, qui dicebantur גרי צדק *Proselyti justitiæ*; alii, qui גרי תושב *Proselyti habitationis sive domicilii.* Illi quidem erant, qui מאהבה ומלב שלם *ex amore sincero & integro corde ac animo*, non vero ob spem divitiarum, honorum, impunitatis delictorum, aut ullarum aliarum temporalium commoditatum se ad

Ju-

(h) *Lib. IV. de J. N. & G. juxta Discipl. Ebr. Cap. III. p. 480. & seqq.* (i) *Sanhedr. Cap. IX. §. ult. Gemar. Babylon. ib. fol. 81. b. Hierosolym. eod. tit. fol. 27. Col. 2. §. Iterum Seldeno teste.* (k) *Numer. 25.* (l) *Lib. I. de Monarch. & Lib. I. de vita Mosis.* (m) *Lib. alleg. cap. V. p. 491. seqq.* (n) *Exegem. Loc. Diffic. in Actis occurr. ad Cap. VII.* (o) *Cap. XXXV. vers. 12.* (p) *versu. 19. add. vers. 21.* (q) *Vers. nim. 26. & 27.* (r) *Censente B. Gerhardo Proleg. in Deuter. pag. 2.*

(s) *Cap. XIX. vers. 6.* (t) *Vers. 12.* (u) *Cap. XX. vers. 5.* (v) *Scilicet Exod. 12: vers. 19. & Esaia 16: vers. 1.*

Judaiſmum convertebant, & totam legem, qua ceremonialia, qua moralia amplectebantur. Hi una cum receptione Proſelytiſmi novum accipiebant nomen, adpellabanturque Judæi, cum appoſito quidem, גרים ſive advenæ (ut ſcil. à Judæis Originariis perpetuo diſtingui poſſent) veterem etiam omnem exuebant cognationem, adeo ut nec patrem, nec fratrem, nec uxorem, nec liberos in gentiliſmo habitos, pro ſuis jam agnoſcerent, ſed veluti homines novi, è cœlo delapſi eſſent. Unde nec jure ſanguinis priſtini quiſquam eis ſuccedere poterat in bona, veluti Seldenus pulcre diducit (w). Hinc Regula de ejuſmodi Proſelytis; כל שאר בשר שהיו לו כשהוא גוי אינן בשר שאר : *Quiſquis Proſelyto conſanguineus erat, dum erat gentilis, conſanguineus jam plane non eſt.* Hinc intelligitur etiam illud Taciti, V. Hiſtor. de Judæis ex gentilibus factis ita loquentis: *nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Qui hujus ſunt generis, initiabantur בשלושה in tribus, במילה בטבילה וקרבן h. e. in Circumciſione, in Baptiſmo & in Oblatione, veluti ex Talmudicis prolixe docet Seldenus (x) & B. Slevogtius (y). Proſelyti autem Domicilii dicebantur, qui accedebant quidem ad Judæos, non tamen ad Judaiſmum, h. e. qui relicta idololatria, in ſe ſuſcipiebant ſeptem præcepta Noachidarum, ſeipſos vero nec circumcidi patiebantur, nec baptiſari, neque ſacrificia offerebant. Vocabantur *Proſelyti domicilii*, non quaſi neceſſum fuerit, eos actu domicilium habere in urbe aliqua Judaica; veluti Matthias Flacius (z) contendit; ſed quia ipſis jus competebat, ſi vellent, habitandi inter Iſraëlitas. Sic enim legimus (α): תנו רבנן נעמן גר תושב היה נבוזר אדן גר צדק היה : *tradunt Magiſtri, quod Naaman proſelytus fuerit inquilinus, Nebuſar Adan autem proſelytus juſtitiæ.* Cum vero conſtet, quod neuter horum domicilium habuerit inter Iſraëlitas, patet, quod non neceſſum fuerit ad hoc, ut quis גר תושב dici potuerit, ipſum mutaſſe & religionem & habitationis locum. De Proſelyto Domicilii notabilis eſt locus Maimonidis (β): אי זה הוא גר תושב זה גוי שקיבל עליו שלא יעבור עבורה זרה עם שאר המצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרוי זה מקבלין אותו והוא מחסידי אומות עולם ולמה נקרא שמו תושב לפי שמותר לנו להושיבו בינינו בארץ ישראל : *Qualisnam eſt is, quem Proſelytum domicilii ſeu inhabitationis vocamus? Is erat gentilis, qui in ſe ſuſceperat à cultu extraneo abſtinere, ac cætera obſervare, quæ in Noachidarum ſeu omnium hominum communi jure continentur. Nec circumcidebatur ille, nec baptizabatur; ſed admittebant illum, veluti unum ex piis è gentilibus mundi. Ideo autem nuncupatur inhabitans, quoniam licuit nobis ei ſedes inter nos adſignare in territorio Iſraelitico.*

§. 6. Conſtat ſic, quantum quidem ad præſens negotium requiritur, de Diverſitate gentilium inter Judæos verſantium: videndum porro, quænam circa iſtos Vindicis noſtri poteſtas fuerit. Quamvis enim lex ſacra jubeat, כָּכֶם כַּגֵּר *ſicut vobis, ita & Proſelyto* (γ); & Talmudici paſſim perhibeant, Proſelytum fuiſſe כישראל לכל דבר *ſicut Iſraelitam in omni negotio*; atque etiam Philo, quem Judæi (δ) ידידיה האלכסנדרי *Jedidja Alexandrinum* appellant, teſtetur (ε), Proſelytis cum Originariis fuiſſe *ἰσοτιμίαν*, ſive *parem conditionem*, atque (ζ) ipſos ὀυχ ἧττον τῶν ἰδίων πολιτῶν, non minoris, atque ſuos cives æſtimari; Oſtendunt tamen Magiſtri, ea omnia intelligenda eſſe de præceptis ac juribus, quæ præſcribunt officia vitæ, tum erga Deum, tum erga proximum privatum; quamvis nec in וידוי מעשר ſive *profeſſione decimæ* per omnia cum Originariis cenſendi fuerint: non vero de iis pariter, quæ forenſia ac adminiſtrationem Politiæ ſpectarunt. Hic enim ipſis adminiſtratio Reipubl. & Præfecturarum non perinde atque Judæis originariis fuit concredita, & etiam à certis quibuſdam connubiis, ut v. g. Proſelyta à connubio cum Sacerdote, fuerunt prohibiti. Imprimis in caſu homicidii fuit inſignis diverſitas. Notant enim Rabbini, quod ſi Ebræus occiderit Proſelytum, ſive is liber, ſive ſervus fuerit, Vindicem Sanguinis poteſtatem habuiſſe in occiſorem, adeoque ipſi migrandum fuiſſe in aſylum à facie Goëlis. Si vero Proſelytus occiderat Ebræum, etiamſi id caſu ac errore factum eſſet, nullibi tutus erat à Vindice Sanguinis, ſed ex aſylo raptus morti dabatur. Sic enim ajunt: גר תושב שהרג אה ישראל בשגגה אע"פ שהוא הרי זה נהרג : *Proſelytus domicilii, qui ex errore ſeu caſu Iſraelitam occiderat; tametſi involuntarium eſſet homicidium, nihilominus morte ſeu gladio* (ſcil. à vindice ſanguinis) *plecti poterat.* Si autem Proſelytus alium ſui generis, ſive pariter Proſelytum, occiderat, tunc vindex ſanguinis in ipſum quidem habebat poteſtatem, ſed tamen non niſi extra aſylum: Colligimus hoc ex iis, quæ illi porro adſerunt: גר תושב שהרג את גר תושב או את העבד בשגגה גולה שנ" לבני ישרל ולגר ולהושב שבתוכם : *Proſelyto Domicilii, qui interemerat caſu ſive Proſelytum Domicilii, ſive ſervum,* (etiam Proſelytum) *migrandum erat* (in urbem refugii): *Nam ſcriptum eſt* (η): *Filiis Iſraël, & Proſelyto, & qui domicilium habet inter vos.* Et imprimis notandum, quod jus Vindicis Sanguinis hic plane fuerit ſingulare: Si enim Proſelytus occidiſſet Ebræum, idque בשגגה ſive caſu, non poterat Proſelytus ille à Magiſtratu Politico plecti, ſed à Vindice ſanguinis poterat. Sic quippe teſtatur Maimonides (θ): בן נח שעגג באחת ממצותיו פטיר מכלום חוין מרוצח בשגגה שאם הרגו גואל הדם אינו נהרג עליו ואין לו עיר מקלט אבל בתי דיניהם אין ממיתין אותו : *Si Noachides* (ſive Proſelytus Domicilii, qui ſeptem, ut vocant, præcepta Noachi receperat) *caput aliquod ſeptem præceptorum violaverat ex errore ſeu caſu, liber erat* (pœna ſcilicet civili) *excepto homicidii errore, ſeu caſu reo. Nam ſi eum occiderat Vindex Sanguinis, impune illud factum. Neque ei profuit urbs aliqua refugii. Sed vero ex ſententia fori, quo res ejus cognoſcendæ, homicida ejuſmodi morte non erat adficiendus.* Si autem eveniſſet, ut Gentilium non Proſelytorum unus alterum, caſu etiam, interemiſſet, tunc ipſi non patebat aſylum Judæorum. Docet nos idem Auctor alibi (ι): הגוי שהרג הגוי בשגגה אין עיר מקלט קולטות אותו ש"נ לבני ישראל : *Gentili, qui gentilem caſu occiderat, tutelam non præſtitit ulla urbium refugii. Nam & ſcriptum eſt* (κ) *Filiis Iſraël*; ſc. conſtitutæ ſunt Urbes Refugii.

§. 7. Obligatio, qua ad hæc, quæ diximus, tenebatur Vindex ſive Proximus cognatus, tanta erat, ut etiamſi vellet reum dimittere, ac ipſi delictum condonare, non poſſet, veluti ex Maimonidis ſupra (λ) allatis ad oculum patet. Videtur tamen ea obligationis neceſſitas temperanda eſſe hac conditione, ſi homicidium factum ſit ex malitia. An vero contra homicidam Iſraëlitam pariter etiam obligatus fuerit, ſi caſu, & ſine conſilio cognatus fuerat occiſus, nobis, ut ingenue fateamur, non liquet: de gentilibus res certa eſt. Unde vero jus hoc ortum traxerit, haud immerito quis quærere poſſit: cui vero reſponſi loco reponemus, quæ Hugo Grotius (μ) hanc in rem diſſerit. Ait vero ſic: *Cum jam ante diluvium, gigantum ætate, promiſcua invaluiſſet cædium licentia, inſtaurato, poſt diluvium, humano genere, ne mos idem invaleſceret, ſeverius occurrendum Deus cenſuit, & repreſſa ſæculi prioris lenitate, quod natura non iniquum eſſe dictitabat, & ipſe permiſit, ut inſons eſſet, qui homicidam occidiſſet. Quod poſtea inſtitutis judiciis ſummas ob cauſas ad judices ſolos reſtrictum eſt; ita tamen, ut moris priſtini veſtigium manſerit in jure ejus, qui occiſum ſanguine proxime attingeret, etiam poſt Moſis legem.* Cauſam vero cur Deus in populo ſuo toleraverit hunc ritum vindicationis, exponit Lucas Oſiander (ν): *Licebat alias apud Judæos, cognatis occiſi vindicare cædem, & homicidam viciſſim interficere, etiam non præcedente ordinaria cauſæ cognitione. Quam violentiam Deus in populo duræ cervicis non tam adprobavit, quam toleravit: ſicut etiam divortium ex alia, quam adulterii cauſa uſurpatum, magis diſſimulavit, quam inſtituit.* Quæ quidem ſalva aliorum auctoritate, & ita adducimus, ut ſuum judicium cuique relinquamus liberum. Nos enim haud quaquam latet, quod Summi Nominis & meritorum Viri hanc Oſiandri mentem non omnino ament.

§. 8. Hic vero oritur ſcrupulus aliquis, qui ſententiam de vindicta Sanguinis hactenus expoſitam vellicare nonnihil videtur: ſcilicet, quomodo גאולה ſive *vindicatio* ſtare queat cum Præcepto Negativo, שלא לנקום *Non eſſe vindictam ſumendam.* Verum Reſp. facillime, illud quidem etiam loqui de vindicta privata, & eam prohibere, verum non omnem, ſed quam exercet homo ob injuriam ſibi ipſi illatam, veluti ex Ebræis rem ſatis explicat Cl. Hottingerus (ξ): והענין הוא בגון ישראל שהרע או צער לחבירו באחד מכל חדברים ונוהג רוב בני העולם הוא שלא

(w) *De ſucceſſionibus in bona Def. Cap. 26. p. m. 187. ſeqq.* (x) *Lib. II. de J. N. & G. juxta diſc. Ebr. Cap. 2. item de ſucceſſ. in bona defunct. Cap. 26. p. 187. & ſeqq.* (y) *Diſſ. Diſpp. Practicarum XIV. per integrum.* (z) *In Clave Scripturæ.* (α) *Maſſechet Sanhedrin Cap. II.* (β) *Halach. Iſuribia, Cap. XIV. add. Gemara Babylonica ad titulum Aboda Zara, Cap. V. fol. 64. b.* (γ) *Num. 15: 15. adde Levit. 19: 33.* (δ) *Teſte Joh. Hornbeequio, de Convinc. Jud. lib. VII. Cap. 4. p. m. 500.* (ε) *Libro de Monarchia.* (ζ) *Legat. ad Cajum.*

(η) *Num. 35: 16.* (θ) *Halach Melakem, Cap. 10.* (ι) *Hal. Rotzach. Cap. V. ita etiam Moſes Mikotzi Præc. Affirm. 75. Talm. Babylon. titulo Maccoth. cap. 1. fol. 9. lit. b.* (κ) *Num. 35: 16.* (λ) *Diſp. ſcil. prima, §. 6.* (μ) *De Jure Belli & Pacis Lib. I. cap. 2. §. 5.* (ν) *Notis interlinearibus perpetuis ad SS. Biblia, in Cap. 35. Numerorum, vſ. 13.* (ξ) *De Jure Ebræorum, ſect. 16. Præcept. in ordine 247. ſed negativo 23.*

שלא יסורו מלחפט אחר מי שהרע להם עד שיגמלוהו כמעשהו הרע או יכאיבוהו כמו שהראיב וזהו מנענו ה"ש באמרו לא תקום ולשון ספרא עד היכן כוחה של נקמה אמר לו השאילינו מגלך ולא השאילו למחר אמר לו השאילינו קרדומך אמר לו משאילך שלא השאלת לי מגלך לכן נאמר לא תקום ועל כגון זה כל הדברים: h. e. *Res ita se habet, cum e. gr. Israëlita molestia aut dolore affecit proximum quomodocunque, non cessant plerique homines occasioni tam diu inhiare, donec male facienti sibi paria reddiderint, eodemque modo tristitia illum adfecerint. Atque ab hoc vitio Deus benedictus mandato hoc suo*: NE ULCISCARIS; *nos coërcet. In Siphra legimus: Quousque se vindicta extendit? Si quis alteri dicat: da mihi mutuo falcem tuam, neque det. Hic vero cras ab altero utendam petat securim, qui negaturus illam dicat: non mutuo do, quia neque tu mihi falcem tuam dedisti. Propterea dictum est*: NE ULCISCARIS. Fuit itaque privata vindicta apud Ebræos eatenus licita, ut injuriæ proximis cognatis, occidendo eosdem, illatæ vindicari potuerint; sed illatæ cognato sine cæde, aut ipsi etiam vindici, non potuerint privata auctoritate vindicari. Cujus quidem rei rationem non contemnendam reddit Grotius (ο): *Lex Hebræa propinquo occisi permittit, ut extra Asyli loca homicidam interficiat: recteque notant Interpretes Hebræi, talionem pro mortuo exigi posse; pro se, ut puta in vulnere, non nisi per judicem; quia scilicet difficilior est moderatio, ubi proprius dolor accedit.*

§. 9. Cœterum, quod thesi quarta à nobis assertum fuit, scilicet homicidam tamdiu periclitari à Vindice Sanguinis, ejusque potestati subesse, quamdiu in vivis sit Sacerdos ille Summus, sub quo cædes fuerat perpetrata; hoc non tantum Scriptura Sacra, locis superius allegatis diserte tradit, verum etiam Rabbini nullibi non testantur: qui &, pro more suo, multa admodum curiose adjiciunt, quorum particulam tantum ex annotationibus in paraphrasin Chald. Onkeli, Pauli Fagii Latinitate à se donatam, hic adjiciemus. *Homicida*, inquit ille (π), *post obitum Summi Pontificis domum reversus, ad pristina officia, munia, dignitatem & potestatem, si quam antea habuit, rursum admissus fuit. Tradunt quoque Hebræi, matres Summorum Pontificum homicidis exulantibus sæpius munera misisse, & multa in eos beneficia contulisse, quo minus optarent mortem Summi Pontificis. Ferunt enim Summum Sacerdotem eo citius mortuum fuisse, si homicidæ plures enixius mortem ejus à Deo precibus contenderent, quod illis in pœnam divinitus accidisse referunt, ut plures fierent homicidæ fugitivi, qui ipsius mortem optarent, si negligentius Pontificatum suum administravit. Istiusmodi ergo vota & preces homicidarum, matres Summorum Sacerdotum muneribus suis avertere conabantur.* Quænam vero fuerit causa, cur Deus potestatem Vindicis in homicidam præcise ad mortem Summi Pontificis extendi voluerit, de hoc interpretes, maxime Ebræi, anxie disquirunt, diversissimas afferendo rationes. Abarbenel, de quo Constantinus L'Empereur hoc judicium reliquit (ϱ), *quod ex ipso plura, quam ex omnium aliorum libris disci possint*, rationem reddit hanc: *quia morte Summi Pontificis, utpote qui inter omnes Israelitas principatum obtinebat, & ad Deum peculiari quadam ratione pertinebat, nemo non vehementer perterreretur, admoneretur que humanæ conditionis, quam brevis & fragilis esset mortalium vita: ideoque tum ille ardor alienæ cædis ulciscendæ restingueretur, dum quisque secum reputaret, quam nihil esset hominum vita, fierique posse, ut ipsemet cras moreretur.* Ita Abarbenel, interpretante ejus mentem Simeone de Muis, Aurelianense, Archidiacono Suessionense (σ). Ex cujus ipsius etiam testimonio alii existimant: שמיתת ארם גדול כזה היא מכפרת על הדור ובחבורתו יפרא ההוא: *Morte talis ac tanti hominis* (Sacerdotis Summi) *expiatos, qui tum viverent, ejusque livore* (ς) *seu vibice illi, qui imprudens alterum interfecisset, medicinam factam.* Isaacus Arama (τ) putat, *cum Urbes Refugii sint in ditione Pontificis Summi, utpote de numero earum, quæ ad Leviticam tribum pertinerent: (Levitæ enim ei ad templi ministerium dati erant; præterquam, quod Pontifex princeps erat istius tribus;) interfectorem, qui in illorum aliquam se recepisset, factum tributarium urbis Domino, proinde quasi alium quemlibet civem, debuisseque pendere, quicquid ad urbis necessitatem, vectigalia, cœterosque usus pertineret: ideoque noluisse Deum pro sua sapientia illum* (quod extra culpam esset) *nisi unius tantum Pontificis ceu Regis, imperio subjacere: ac propterea, mortuo Pontifice, qui velut Levitarum Rex erat, licuisse ei in patriam reverti.* Alii, nominatim Rasi, Esra, Abrahamus Seba, volunt, hoc ideo esse factum, quia Pontificis Maximi fuerit, continuis precibus apud Deum intercedere, & obtinere שלא תארע תקלה זו לישראל, *ut ne quid ejusmodi offensionis ac tristis casus Israelitis contingeret.* Si itaque contigerit, ut ipse negligentius hoc suo munere functus sit, debuisse ipsum, tanquam causam cædis, morte sua prius quasi luere hoc delictum, quam interfector in patriam reverteretur. Et Abrahamus Seba huc refert, quod Summus Pontifex jubeatur (υ) interesse decollationi vitulæ, quod certo cum ritu fiebat, si forte reperiebatur aliquis occisus in agro, ignorareturque cædis reus. Dicit quippe hoc factum: לרמוז שראוי שיעמדו בכאן הכהנים אחר שנהרג זה בזמנם ויקבלו בשת וכלימה מזאת התקלה שבאה על ידם אחר שלא נתכוונו בקרבנותיהם ובתפלתם: *ad significandum, justum esse, ut ibi adessent Sacerdotes, sub quibus occisus esset iste, pudoreque suffunderentur ob acerbum illum casum, qui per eos contigisset; quod sacrificiis & orationi non satis attentionis adhibuissent.* Pergit ille: ואחר שלא נתכוונו בתפלתם הם עשו זאת התקלה: *Postquam igitur non satis adverterunt animum inter precandum, ipsi auctores sunt tam tristis eventus.*

§. 10. Verum enim vero hæ omnes, & quæ adhuc dari possent longe plures aliæ rationes dubium animum plane sedare nequeunt: unde alii ad alios explicandi modos delapsi sunt. Philo alicubi (φ), postquam de difficultate negotii graviter conquestus fuerat, tandem ad explicationem allegoricam delabitur, & per Pontificem intelligit verbum Dei, ac comparationis membra facit quamplurima, multumque sudat, ut omnia rite eidem applicet: alibi vero (χ) hæc habet: *Terminum reditus præfiniit lex mortem Pontificis ob causam hanc: Quemadmodum quisque occisus cognatos habet superstites ultionis avidos: ita universæ gentis in commune cognatus & propinquus est Pontifex, reddens omnia jura, controversiasque dirimens, & sacra votaque quotidie faciens, omniaque fausta petens tanquam fratribus, & liberis, & parentibus, ut omnis ætas, cunctaque partes gentis in unum ceu corpus coëant, coaptenturque; & sic pace fruantur ac omnibus legibus. Hunc igitur timere debet, quisquis invitus cædem patravit, ut propugnatorem & protectorem necatorum, continereque se intra sua receptacula, si modo cupit sine periculo vivere. Cum igitur lex dicit, Non revertetur exul in patriam, donec moriatur Summus Pontifex, perinde valet, ac si dicat, donec moriatur Cognatus omnium publicus, qui solus habet jus in vivos pariter ac mortuos. Hæc est causa quæ placet recentioribus. Altera vero auctores antiquiores habet gravioresque hæc videlicet. A peccatis voluntariis debent esse puri plebei homines, aut etiam sacerdotes, si cui libet hos quoque addere: Princeps vero Sacerdotum sive Pontifex per excellentiam ab utrisque voluntariis pariter ac involuntariis &c. Itaque tali merito suspecti sunt, qui nolentes cædem fecerunt, non ut scelerati, sed ut minus puri à peccato: utcunque voluntati naturæ videntur præbuisse ministerium adversus prædamnatos illius occulto judicio.* Nobis neque hæc omnino placere possunt. Videtur ergo omnium tutissimum, dicere, quod hic mysticum quid subfuerit, quod pro nobis eloquatur Petrus Martyr Florentinus (ψ): *Quod non licuit profugis ante mortem Summi Pontificis redire domum, procul dubio mysticum fuit. Nam eo adumbratur, non aliter, quam per Christi mortem nobis contingere ad cœlestem patriam reditum.* Eadem & Pauli Fagii sententia est l. c. Sed de hoc viderint Theologi, ad quos ista disquisitio proprie pertinet.

§. 11. Porro poterat etiam hoc, quod itidem supra diximus, dubium reddere aliquem, quod scilicet Vindex Sanguinis ipse sua manu homicidam interficere, & sic vindictam sumere vel potuerit, vel debuerit: videri quippe hoc infame, & homine ingenuo, qualis sæpe numero erat Vindex, indignum. Sed etiam ad hoc respondemus, temporibus priscis neutiquam infame fuisse, ultimum de aliquo sumere supplicium, sed vel honoratissimis Viris competiisse: ita in Sacris legimus (ω). Sanctissimum vatem, Samuelem, Regi Amalekitarum ultima Fata accelerasse, ita sexcentos alios: imprimis testium id munus erat, ut Lex passim tradit (a). Quin est Cunradus Rittershusius, qui opinatur, Aristotelem (b) demandare munus exequendi sententias sua manu, ipsi Magistratui, & addit (c): *neque illud absque ratione, scilicet ut reverentia quadam judi-*

(ο) *In opere modo allegato, Lib. 2. Cap. XX. §. 8.* (π) *In Caput 35. Numer.* (ϱ) *In Middoth, p. 174. Teste Excellentiss. Frischmuth. Velament. Jud. §. 37.* (σ) *Variorum Sacrorum Tom. II. Observ. in Numeros, pag. mihi 100.* (ς) *Ad imit. illius ap. Esai. 53: vers. 5.* (τ) *Perhibente eodem Muisio, loco modo cit.*

(υ) *Per Legem Exod. 21: vers. 23.* (φ) *Libro de Profugis, pag. 364. edit. Genev. Græco-lat.* (χ) *Libro de Specialibus Legibus Præcept. 6. & 7. pag. 615.* (ψ) *Loc. communib. 14. n. 32.* (ω) *Sam. 15: vers. 33.* (a) *Deut. cap. 17. vers. 7. & alibi.* (b) *Lib. VI. Politic. Cap. VIII.* (c) *Tract. de asylis.*

judiciis accederet. Verum nescio an ex allegato loco Aristotelis tale quid probari possit: videtur sane menti Aristotelis magis conforme, dicere, quod exsecutioni sententiarum criminalium Magistratus præesse, non manus commodare necessum sit. Utut vero non Aristotelis sententia evincatur, magistratus persona tale munus non indignum fuisse; potest tamen testimoniis à seculo minus remotis idem obtineri. Est civitas imperii, de qua Lansius (d): quædam Imperii Civitas fuit, *quæ senatori novissimo cuique munus onusque imponebat carnificis, ita, ut ipsum facinorosis capita amputare oportuerit; gladio rubigine propemodum exeso etiamnum superstite.* Nomen hujus civitatis exprimit Rittershusius, ajens (e): *Hoc etiam* (scil. quod viris honoratis demandata fuerit Sparta exsequendi sententias criminales) *in Germania nostra, in Reutlingia, usurpatum fuit, ut junior ex Senatu exsequeretur sententiam: ubi in curia gladius etiamnum servatur & exhibetur.* Lansius iis, quæ jam ex ipso recensuimus, sequentia eodem statim in loco subjungit: *Et ille pagus apud Francos meos; in quo veteri consuetudine maritus nuperrimus furi cruciario laqueum innectit, & signo dato confestim omnes loci cives, & imprimis quatuor Sculteti, operam conferunt (hoc vocant* hujen*) furemque de annosa & mutilata (cui nomen* der Knüpfelsbaum*) quercu suspendunt: fere ad exemplum Balduini XII. Flandriæ Comitis, qui XI. Nobilibus, quod tres mercatores spoliassent, atque contrucidassent, in palatium vocatis & in tabulam collocatis, laqueos singulis injici mandaverat, & postea ipsemet suis manibus subtracta tabula illis gulam fregerat.* Quæ omnia eum tantum in finem adducimus, ut appareat, vel honoratissimis hominibus non abominabile visum fuisse, ultimo supplicio delinquentes afficere; atque adeo nihil dedecoris vel maculæ resedisse in Vindice Sanguinis ex eo, quod homicida vicissim per manus ipsius cadebat.

§. 12. Antequam receptui canamus, non ludemus fortassis operam, si paucis dispiciamus, an jus hoc vindicandi sanguinem Ebræis fuerit proprium, an vero aliis etiam gentibus usurpatum. Equidem Vindictæ privatim sumptæ apud plures gentes morem viguisse, facillimum est discere ex Hugone Grotio (f). Verba sunt hæc: *Apud Umbricos narrat Nicolaus Damascenus, sibi quemque fuisse ultorem: quod & apud Moschos hodie impune fit, post tempus aliquod additi judices. Nec aliunde origo singulorum certaminum, quæ ante Christianismum Germanicis nationibus usitata, alicubi necdum satis desueta sunt. Ideo apud Vellejum Paterculum (g) mirantur Germani, cum Romanæ jurisdictionis formam conspicerent, quod injurias justitia finiret, quod solita armis discerni jure terminarentur.* Etiam Græcis consuetudinem privatim vindicandæ cædis fuisse, idem Grotius (h) testatur his verbis: *Parem morem privatim vindicandæ cædis apud vetustissimos Græcos fuisse, adparet ex Theoclymeni verbis, quæ apud Homerum (i) occurrunt.* Sunt vero verba, quod testetur Theoclymenus Telemacho, se fugere ob cædem contribulis patratam; cui plurimi sint

—— —— κασίγνητοί τε ἔται τε,

Consanguinei & amici, quorum

—— ὑπαλευάμενος θάνατον καὶ κῆρα μέλαιναν
φεύγω —— —— ——

Nece ac nigro fato ut me eximam, fugio.

Verum hæc omnia, etiam postremo adducta Homerica tantum agere de vindicta privatim olim licita, res ipsa loquitur, & agnoscit vel Seldenus (k), qui alioqui dubitanter loquitur; adeo, ut parum absit, quo minus & ille vindictam plurium gentium jus faciat. Rittershusius vero plane in ea versatur sententia, apud plures, ac vel in barbara Abyssinorum gente morem similem viguisse, quando de eadem loco antea citato ait: *Illa enim (si fides Bodino (l) habenda) homicidam interfecti propinquis cruciandum tradit.* Verum enim vero nescio, an pollicem huic adserto satis tuto premamus: agnoscit Bodinus, quod gens Abyssinorum habuerit principem judicum; poterat ergo fieri, ut posteaquam causa homicidii coram hoc excussa fuerat, tum demum homicida in manus propinquorum daretur, atque ipsi, nullo certo pœnæ genere posito, jus habuerint, statuendi, quicquid vellent. Nondum ergo, ex his, nobis persuadere possumus, hoc jus etiam alias gentes habuisse commune: Si vero firmiora produci viderimus fundamenta, utroque statim pede in affirmativam ituri sumus. Hic autem, emenso spatio chartæ, quod nobis proposueramus, cursum sistimus, DEOque Opt. Max. exsolvimus Gratias!

(d) *Consultationum Tomo I. Oration. contr. German. pag. m.* 872. (e) *Loco modo cit.* (f) *Lib. II. de J. B. & P. Cap. XX. §. VIII. pag. mih.* 321. *Et Not. ad eund. pag.* 349. *& seqq.*


(g) *Historiæ Romanæ Lib. II. Cap. CXVIII. num. I. Edit. Boecler.* (h) *Paulo post eod. l.* (i) *Scilicet Odyssæo.* (k) *Lib. III. de J. N. & G. juxta Discipl. Ebr. Cap. III. p.* 480. (l) *Method. Historiar. pag. mihi* 151.



M. JOH. HENR. HANER
DISSERTATIO
De Ritu benedictionis Sacerdotalis ad Num. VI: 23--27.

بسم الله الرحمن الرحيم

הקדמה





Uantopere variorum cognitio rituum, cum omnibus gentibus communium, tum maxime Israëlitis propriorum, faci obscurioribus sacrarum litterarum locis allucendæ inserviat, testis est locupletissimus, illud Belgii decus, D. *Constantinus L'Empereur ab Oppyk*, alicubi (a) ita scribens: *Nihil reperiri potest, quod plurima S. Scripturæ testimonia nobis magis abstrusa intellectuque difficilia reddat, quam rituum veterum ignorantia; iis enim præteritis, si quis loca, ubi eorum fit mentio, intelligere vel enarrare cupiat, merito compellabitur Apollinis ad Hectorem verbis:*

νῦν σὺ ὧδε θέεις, ἀκίχητα διώκων·

Nunc tu quidem sic curris, inaccessa persequens.

Desudatur frustra, cum ea, quæ rituum Judaicorum luce egent, aliò varia subtilitate detorquentur.

Hæc talia apud animum expendentibus placuit nobis ritum unum, eumque sacrum seligere, & (ut Rabbinorum verba nostra faciamus) לע"ד i. e. *pro paupertate scientiæ nostræ*, aliquantulum lucis in vase terreo, instar Gideonis militum, gestare, idque eruto *modo benedicendi populo Israëlitico*: & quidem eo magis, quum quosdam viros magni alioqui nominis hac in re insigniter hallucinatos esse deprehendamus. Ne autem in arcam sine propitiatorio intueri audeamus, *DEUM O. M. omnis benedictionis fontem, ut ne nostris benedicere conatibus dedignetur, supplices adoramus.* Inter hæc tamen mihi dictum putabo illud Arabum (b) اعقل وتوكل *Liga & confide*, h. e. positam in divino præsidio fiduciam cum propriæ curæ opera ac diligentia sum conjuncturus.

(a) *In epist. dedicator.* מהלך שבילי הדעת משה קמחי *s.* Mosis Kimchi ὁδοιπορείας ad scientiam.

(b) *Vid. elegantissimi hujus proverbii explicationem apud celeb. Golium Adag. Arab. p. 70. n. XIV.*

CAPUT I.

SUMMARIA.

Quid ברכה? Cregutus, Dn. Ludolphus, Dieu, Heinsius, Rivetus *laudati. Quid?* כהן Hornius *citatus. Quid* ברכת כהנים? Benedictio *quotuplex?* Cregutus *cum* Riveto *denuo laudatus. A* Rittangelio *discessum.* Maimonidis *laus.* Fesselius *adductus.* Benedictio sacerdotalis *descripta. Ejus Synonyma. Sex res sacerdotem benedictione prohibentes. Obiter quædam attinguntur de dialecto Galilææ.* Cl. Buxtorfius *&* Lightfootus *laudati. Locus Matth. cap.* 26:73. *& Marc.* 14: *vs.* 70. *illustratus.* Dn. Saubertus *laudatus.*

§ 1.

ברכת כהנים Consideraturis evolvenda ante omnia nobis sunt utriusque vocabuli cum origo, tum significatus. בְּרָכָה natales debet Verbo בָּרַךְ, quod in Kal *benedicere*; *genua flectere*, in Piel itidem *benedicere*; *salutare & valedicere* notat quin imo per εὐφημισμὸν aliquando est *maledicere*, ut 1 Reg. cap. 21: vs. 10. 13. בֵּרַךְ *Benedixit* Naboth Deo & Regi, i. e. *male-*

maledixit. Job. 1: 5. 2: 9. בָּרֵךְ *Benedic* Deo & morere, i. e. *maledic*. In quibus tamen verbis uxoris Jobi nonnullis τὸ *Benedic* non accipi videtur pro *Maledic*, quamvis (quod textus σιωπᾶ probat) minus bene, niſi cum aliis hic locus per ſarcaſmum exponatur, q. d. Adhuc in ſimplicitate tua perſiſtis, quod Deo iſti benedicis, qui te in iſtas mortis anguſtias conjecit, nec uſquam exitum oſtendit? Confer, ſi lubet, *Petrum Ravanellum* (a) Ceteras ſignificationes lubentes prætermittimus.

§. 2. בְּרָכָה itaque denotat I. *benedictionem* ſive *bene precationem* ut Geneſ. 27: vſ. 38. &c. II. *beneficium*, *munus ſeu donum*, quo aliquis aliquem *ſalutat*, atque adeo ipſam *ſalutationem*, quam aliquis alicui exhibet, ceu Judic. 1: 15. הָבָה לִּי בְרָכָה *Da mihi munus*. Sic Joſ. 15: 19. Geneſ. 33: 2. 1 Sam. cap. 25: 27. cap. 30: 26. 2 Reg. 5: 15. III. *Laudem*, *celebrationem* Neh. 9: 5. quia ſcil. laudatio cum beneficentiæ agnitione eſt conjuncta. IV. *gratiarum actionem*. Sic עֵמֶק בְּרָכָה *Benedictionis vallis* dicta eſt, quod ibi gratiæ actæ ſint pro adepta victoria. 2 Chronic. 20: 26. Idem Græcum εὐλογία notat 1. Cor. 10: 16. quæ vox tamen plane peculiari ſignificatione gaudet Rom. 16: 18. ubi pro *aſſentatione* capitur. *Hujuſcemodi*, inquit Antonius Cregutus (b) *ſunt εὐλογίαι Sycophantæ Romani*, *quibus Regibus*, *quos aſſentatorie faſcinare molitur*, *blandiri aſſolet*. *Cum enim εὐλογεῖν ſit Gr. ἐπαινεῖν*, *laudare*, *& εὐλογία ſit oratio laudatoria*, *hoc inprimis ad aſſentatores pertinebit*, *ut pulchre deſcribit Plutarchus libello in adulatores edito*, *& licet etiam εὐλογία ſumatur pro fauſta precatione*, *tamen rite Papæ conveniet & ſuis emiſſariis ψιθυριζοῦσι nugivendulis*, *qui ſimplices ſub benedictionum prætextu devorant*. Videat, qui volet, apud laudatum auctorem (c) quomodo benedictiones Papales Galliæ regno & ſtirpi Caroli magni funeſtas fuiſſe ex *Thuano* referat. V. *Bona* ut Malach. 2: verſ. 2. וְאָרוֹתִי אֶת־בִּרְכוֹתֵיכֶם Et maledicam *benedictionibus* i. e. *bonis* veſtris. Haut ſecus, ac in lingua Æthiopica በረከት፡ abſolute ſæpe ponitur pro *bonis*, ut Luc. 13: 18, 19. *Cogam illuc omnes proventus meos* καὶ τὰ ἀγαθά μου & *bona mea*, ubi Æthiopicus interpres habet ወበረከትየ፡ Vid. Magnif. noſtri *Ludolfi*, viri ſupra laudem poſiti, *Lexic. Æthiopic.* (d) Conferatur *Ludovici de Dieu comment. in V. T.* (e) VI. *Felicitatem & beatitudinem*, quæ provenit ex benedictione, ut: Geneſ. 12: 2. Eriſque בְּרָכָה *benedictio*, i. e. *felicitas*, h. e. *feliciſſimus*; ſicuti & Arabibus بركة idem notat. Dicunt enim البركات بركات i. e. *motiones beatitudines* (f) VII. *Multiplicationem & amplificationem boni*, quam includit benedictio. Quia antiquiſſima, ut recte Hebræi obſervarunt, in creatione & poſt diluvium εὐλογία ſeu benedictio voce רְבוּ h. e. *multiplicamini*, continebatur. Cum hæc tria αὐξάνεσθε πληθύνεσθε καὶ πληρώσατε τὴν γῆν, ex præſcripto Hebræorum, conjungant Helleniſtæ. Quæ tria rurſus voce una ברך ab Hebræis, voce una εὐλογεῖν ab Helleniſtis exprimuntur. Sic in benedictione patrum: εὐλογήσω αὐτὸν καὶ ἔσται εἰς ἔθνη. item εὐλόγηκα αὐτὸν καὶ πληθυνῶ αὐτόν. Omnes enim benedictiones boni eſſe amplificationes, omnes maledictiones boni imminutiones, dicunt veteres Hebræi. Ita optime *Daniel Heinſius* (g) Confer eundem (h). VIII. *Denunciationem propheticam eorum*, *quæ alicui accidere debent*. Geneſ. 9: 26. notante V. Cl. *Andrea Riveto* (i). IX. Apud Rabbinos, ut Verbum in Pihel, *maledictionem*, vid. R. *David* (k) X. Denique ברכות Thalmudiſtis *preces* ſignificant (quem titulum Thalmudis primus Codex Seder זרעים, qui de *ſeminibus* agit, agnoſcit) quia nim. precibus Deo benedicimus eumque laudamus.

§. 3. Deinde כֹּהֵן (quod eſt à כָּהַן *Sacerdotio functus eſt*) notat (1) *Sacerdotem* Geneſ. 14: 18. (2) *Præſidem*, *præfectum*, *gubernatorem*, *miniſtrum politicum*, *Principem*, *Regem* R. Dav. Geneſ. 41: 45. 2 Sam. 8: 18. (ex collatione cum 1. Chronic. 19: 17.) Exod. 2: 16. ubi Jethro vocatur כֹּהֵן מִדְיָן *præfectus Midian*, aliis quantumvis ſacrorum adminiſtrum heic indigitari volentibus; utrique tamen conciliari poſſe videntur, ſi cum *Hornio* (l) dicatur, ipſum utraque dignatione eminuiſſe. Rationes vide ibidem.

(a) *In Biblioth. ſacr. p. m. 318. & ſeq.* (b) *In* גלי רזיא *ſ. Revelatore arcanorum pag. 364.* (c) *Pag. 362. & ſeqq.* (d) *Pag. 187.* (e) *Pag. 736.* (f) *Vid. Eduardi Pocockii notæ ad carmen Tograi, cui titulus Lamiato'l Ajam, p. 164.* (g) *In Ariſtarcho ſacro pag. 895.* (h) *In Exercit. ſacr. ad N. T. pag. 221.* (i) *Exercit. CXVII. in Geneſ. pag. 581. a.* (k) *In* ספר השרשים *pag. m. 73.* (l) *In Hiſtor. Philoſ. pag. 92. & ſeqq.*

§. 4. Impræſentiarum utrumque vocabulum in primo venit ſignificatu, ſignatque בְּרָכָה *benedictionem* & כֹּהֵן *Sacerdotem*, ut adeo בִּרְכַּת כֹּהֲנִים nil aliud ſit, quam *Benedictio Sacerdotalis*.

§. 5. *Benedictio* autem in univerſum *triplex* conſtitui poteſt. Nam *benedicit* vel *Creator creaturæ*, vel *creatura Creatori*, vel *creatura creaturæ*; aut, ſi mavis, *benedicit* vel *Deus hominibus* vel *homines Deo*, vel *homines hominibus*. Aliter tamen benedicere ſolet Deus, aliter homines. DEI enim *benedicere* eſt *benefacere*. Sic benedictio DEI ab Hebræis, nominatim à *Bechai* (m) תוספת טובה *acceſſio boni* dicitur. Et, ut bene obſervavit *Ant. Cregutus*, (n) phraſi Scripturæ non ſolum Chriſti *benedicere* importat munus & beneficium; ſed & ipſius *dicere* eſt affirmativum aut aſſeverativum alicujus magnæ rei. Idcirco non eſt oſcitanter legendum in Euangelio, λέγω σοι, λέγω ὑμῖν. Nam aliquando ſignificat διαγγελίζομαι ὑμῖν, & Hebraice מבטיח אותם. Itaque LXX. Interpr. blaſphemum illud Rabſacæ dictum: *Ne vos faciat confidere Ezechias*; verterunt: *Ne dicat Ezechias vobis*.

§. 6. *Hominum benedicere*, *ratione DEI*, eſt *laudare & celebrare*; *hominum vero*, *aſpectu aliorum hominum*, *eſt vel bene precari ſimpliciter ex caritatis deſiderio*; *vel bene ominari & futura prædicere ex Spiritu Prophetico*.

§. 7. Homines benedicunt hominibus vel dignatione paribus, ut laicus laico, vel ſuperioribus inferiores, ut imperantibus parentes, vel ſuperiores inferioribus, quæ vocari poteſt *benedictio auctoritatis*, qua qui ad publica munia in Eccleſia vocati ſunt, inferiores Deo commendant. Confer Hebr. 7: 7.

§. 8. Hæc duplicis generis eſt, vel *extraordinaria*, quæ fuit Patriarcharum & Prophetarum propria. Talis fuit benedictio Melchiſedeci Geneſ. cap. 14: 19. Interim non eſt, quod *Jo. Steph. Rittangelius* in *Collect. nov. ann.* quaternione R. 1. adeo prædicet ſententiam Hebræorum, ſtatuentium, Melchiſedeco, quod Abrahamo prius, quam Deo benedixiſſe legitur, ſacerdotium eſſe abrogatum. Quomodo enim hæc abrogatio cum ſacerdotii ejus æternitate (cujus Pſaltes Pſalm. 110. meminit) conſiſtere queat, non adparet; vel *ordinaria*, qua ſacerdotes olim precabantur populo divinam benedictionem ex DEI mandato. Conſulatur Rivetus (o).

§. 9. De hac poſteriore heic agere animum induximus. Et quidem *ſacerdotalis* nuncupatur eo, quod non niſi à ſacerdotibus, exceptis quibuſdam caſibus, recitatur. Ita enim *Rambam ſ. R. Moſes Maimonides* (de quo Hebræi, quod notiſſimum, dicunt: ממשה עד משה לא קם כמשה i. e. *A Moſe* (Propheta ſcil.) *ad Moſen* (iſtum Ægyptium) *non exortus fuit ſicut Moſes* (iſte, qui doctrina & eruditione Moſi legiſlatori æquiparandus eſſet) vid. *Elias Levita* in præfatione proſa Libri *Thisbi*. Jungatur Cl. *Buxtorfius* in præfatione libri מורה נבוכים (ſeu *Doctoris perplexorum*) in, הלכות תפלה וברכת כהנים cap. XV. fere ſub finem ſcribit: צבור שלא היה בהן כהן אלא שליח ציבור לבדו לא ישא את כפיו ואם היתה הבטחתו שהוא נושא את כפיו וחוזר לתפלתו רשאי ואם אין להם כהן כלל כשיגיע שליח ציבו׳ לשי׳ שלום אומ׳ אלהינו ואלהי אבותנו ברכינו בברכה המשולשת בתורה הכתובה על ידי משה עבדך האמורה מפי אהרן ובניו כהנים עם קדושיך כאמור יברכך וכו i. e. *In quocunque cœtu Eccleſiaſtico nullus eſt ſacerdos*, *præter miniſtrum ſynagogæ ſolum*, *non elevat manus* (i. e. benedicit); *quod ſi confidat*; *fore*, *ut manus elevet & redeat ad preces ſuas*, *licitum eſt*: *ſin ipſis prorſus nullus eſt ſacerdos*, *quando pervenit miniſter ſynagogæ ad* (precationem, quæ incipit) שים שלום, *inquit*: *Deus noſter & Deus patrum noſtrorum*, *benedic nobis benedictione tergemina*, *ſcripta in lege per Moſen ſervum tuum*, *& recitata ore Aharonis filiorumque ejus ſacerdotum cum ſanctis tuis*, *ſicut dicitur*: *Benedicat tibi* &c. Alias Hebræis ea audit נְשִׂיאוּת כַּפַּיִם *Elevatio manuum*, quod elevatis ſuper populum manibus, ut infra docebimus, peragatur: nec non בִּרְכַּת הַתּוֹרָה *Benedictio legis*, teſte *Ludovico de Dieu* (p) ſed fides penes ipſum eſto. Certe nobis in Hebræorum ſcriptis nondum id occurrit. Syracides eam nomine τῆς εὐλογίας Ἀαρών (q) inſignit.

§. 10. Vocatur autem ſolennis hæc benedictio Eccleſiaſtica, *Benedictio Aaronis*, ut ait Dn. *Daniel Feſſelius* (r) non quod ab Aarone excogitata; ſed quod ab eodem & filiis ejus in Eccleſiæ congregatione prolata fuerit: cum enim ad ſacerdotis officium pertineat non ſolum docere & ſacrificare, ſed & ora-

(m) *Commentar. in cap. VI. Numeror.* (n) *In* גלי רזיא *ſeu Revelatore Arcanorum p. 354.* (o) *Exercitat. in Geneſ. CXVII. pag. 580.* (p) *Notis ad Galat. 3: vſ. 14. pag. 244.* (q) *Cap. 36: 19.* (r) *Adverſar. ſacr. tom. III. p. 348.*

& orare ac benedicere; ideo Syracidi c. 45: 19. inter munia Aaroni à Deo commissa etiam memoratur, quod benedixerit populum ἐν ὀνόματι αὐτοῦ, *in nomine ipsius*, scil. DEI.

§. 11. Hanc *Benedictionem sacerdotalem* describere hunc in modum juvat, quod sit *actio sacerdotum, qua quotidie post sacra, saltem matutina, in Templo & Synagogis populo Judaico, modo divinitus præscripto, bene precabantur.*

§. 12. Ejus in sacris fit mentio Numer. 6: 23. & seqq. ubi Aaroni & filiis ejus (& sub eorum persona reliquis sacerdotibus) in mandatis datur, ut filiis Israel subsequis verbis benedicant: יברכך יהוה וישמרך׃ יאר יהוה פניו אליך ויחנך׃ ישא יהוה פניו אליך וישם לך שלום׃ *Benedicat tibi Jehovah & custodiat te. Faciat Jehovah, ut luceat facies sua tibi, & gratiam faciat tibi. Attollat Jehovah faciem suam erga te, & adponat tibi pacem. Et imponent* (adjicit Dominus) *nomen meum super filios Israel, & ego benedicam iis.*

§. 13. Licet autem hæc benedictio à Sacerdote sit recitanda, ut jam supra diximus; non omnis tamen sacerdos, nec semper idoneus est ei recitandæ: quod docet Maimonides modo laudatus (s) dum ita infit: ששה דברים מונעין נשיאות כפים הלשון והמומין והעבירה והשנים והיין וטומאת הידים׃ Quæ sic interpretor: *Sex res impediunt elevationem manuum: Lingua, vitium, transgressio, anni, vinum & impuritas manuum.* Has sex res Hebræi per scripturæ compendium מע״שי ט״ל vocitant.

§. 14. Pergit deinceps singula uberius explicare h. m. הלשון כיצד העלגים שאין מוציאין את האותיות כתיקונן כגון שקורין לאלפין עיינין ולעיינין אלפין או לשיבולת סיבולת וכיוצא בהן אין נושאין את כפיהן וכן כבד פה וכבדי לשון שאין דבריהם נכרים לכל אין נושאין את כפיהן׃ i. e. *Lingua quomodo (impedit)? Balbi, qui litteras (singulas) distincte efferre nequeunt, sicut qui Aleph pro Ajin legunt, & Ajin pro Aleph efferunt, aut pro Schibboleth Sibboleth pronunciant, & quæ his sunt similia, non elevant manus, sicque etiam graves ore & graves lingua, quorum verba non quivis intelligit, non elevant manus.*

§. 15. Omnium ergo ineptissimi ad recitandam benedictionem dubio procul fuerunt sacerdotes Galilæi, quippe qui gutturalium pronunciationem inprimis confundebant, quod constat ex libro Talmudico (עירובין) (t) ubi dicitur: אמר ר׳ אבא אי איכא דמשאיל להין לבני יהודה דדייקי לישנא מאברין תנן או מעברין תנן אכוזו תנן או עכוזו תנן ידעי׃ i. e. *Dixit R. Abba: Si interroget quis homines Judææ, qui accurati sunt de lingua sua: Docentne* מאברין *per* א, *an* מעברין *per* ע, *itemque* אכוזו *per* א, *an* עכוזו *per* ע (*distincte pronunciandum?*) *sciunt illud.* Id quod de Galilæis negatur. Et paulo post: בני גליל דלא דייקי לישנא מאי היא דתניא ההוא בר גליל דאמר להו אמר למאן אמר למאן אמרו ליה גלילאה שוטה חמור למירכב או חמר למישתי או עמר למילבש או אימר לאיתכסאה׃ i. e. *Quid de hominibus Galilæis, qui impolita lingua utuntur, traditum est? Quod Galilæus quidam diceret quibusdam* (nempe Judæis): *Cujusnam est* אמר? *Cujusnam est* אמר? *Responderunt ipsi: O Galilæe fatue!* (intelligisne) חמור *ad equitandum, aut* חמר *ad bibendum, aut* עמר *ad vestiendum, aut* אימר *ad abscondendum ad mactationem?* Sensus est: Cum Galilæus quæreret אמר למאן *cujusnam est* אמר? litteram primam in voce אמר tam vage & incerte pronunciavit, ut nescirent auditores, an חמור vellet i. e. *asinum*; an חמר i. e. *vinum*; an עמר i. e. *lanam*; an אימר, id est, *agnum.* Licet autem heic corrigant gutturalium confusionem *ll. cc.* Judæi: scribitur tamen *Hieros. Schabb.* (u) לא מתמנעין רבנן דרשין בין ה״א לחי״ת id est, *Non distinguunt Doctores nostri profundi inter He & Cheth.* Sic, ח cum ק quoque confusum fuisse, vestigia occurrunt in ipso N. T. Nam notissimum illud nomen virile חלפי, quo gavisus est Jacobi minoris pater, quod Matthæus cap. 10: vers. 3. per Ἀλφαῖος exprimit, (apud Syrum interpretem legitur ܚܠܦܝ) Johannes cap. 19: 25. pronunciat κλωπᾶς (quem eundem forte Lucas cap. 24: 18. nuncupat κλεόπαν, uti non male conjectare videtur Cl. *Saubertus* (x): certe Syrus utroque in loco habet ܩܠܝܘܦܐ) Plura exempla qui desiderat, adeat Cl. *Buxtorfium* (y) & Anglum illum in Talmudicis, versatissimum *Jo. Lightfootum* (z) Hæcce lucem fœnerantur duobus locis Matth. 26: vers. 73. Ἀληθῶς καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ, καὶ γὰρ ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ· Et Marc. 14: vers. 70. Ἀληθῶς ἐξ αὐτῶν εἶ· καὶ γὰρ Γαλιλαῖος εἶ, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει.

§. 16. Sed quo delabimur? E diverticulo ergo in viam redeamus & Maimonidem ulterius audiamus sic loquentem: המומין כיצד כהן שיש מומין בפניו או בידיו או ברגליו כגון שהיו אצבעותיו עקומות או עקושות או שהיו ידיו בוהקניות לא ישא את כפיו לפי שהעם מסתכלין בו׃ מי שהיה רירו יורד על זקנו בשעה שהוא מדבר וכן הסומא באחת מעיניו לא ישא את כפיו ואם היה דש בעירו והכל היו רגילין בזה הסומא באחת מעינין או בזה שרירו זב מותר לפי שאין העם מסתכלין בו וכן מי שהיו ידיו צבועי סטים ופואה לא ישא את כפיו ואם רוב אנשי העיר מלאכתן בכך מותר לפי שאין מסתכלי בו׃ i. e. *Vitium quomodo? Sacerdos, in cujus facie, manuve, pedibusve defectus est, sicut quibus digiti sunt tortuosi, aut obliqui, aut quibus manus sunt lentiginosæ, non elevabit manus, quia populus adspiceret eum* (sicque à devotione sua averteretur). *Cui saliva demittitur per barbam, quando loquitur, & similiter, qui altero oculo cæcus est, non elevat manus; Quod si fuerit consuetum in civitate sua, totusque populus sit adsuetus talismodi, qui altero oculo cæcus est, aut talismodi, cui saliva defluit, licitum est, quum populus non adspiciat ipsum. Sic cujus manus croco rubiave tinctorum imbutæ sunt, non elevabit manus; si vero multitudo incolarum civitatis* (artem hanc tinctoriam) *exerceat, tunc licitum est, quia non adspiciunt eum.*

§. 17. De tertio impedimento hæc addit *Maimonides*: העבירה כיצד כהן שהרג את הנפש אפילו בשגגה אף על פי שעשה תשובה לא ישא את כפיו שנאמר ידיכם דמים מלאו וכתיב ובפרשכם כפיכם וגומ׳ וכהן שעבד עבודה זרה בין באונס בין בשגגה אע״פ שעשה תשובה אינו נושא את כפיו לעולם שנא׳ לא יעלו כהני הבמות וכו׳ וברכה כעבודה היא שנא׳ לשרתו ולברך בשמו וכן כהן שנשתמד לע״ז אף ע״פ שחזר בו אינו נושא את כפיו לעולם ושאר העבירות אין מונעין׃ Id est, *Transgressio quomodo? Sacerdos, qui aliquem occidit, etiam per errorem, quamvis pœnitentiam egerit, non elevabit manus, quia dicitur* (Esa. 1: 15.) *Manus vestræ sanguine plenæ sunt; & scribitur* (ibidem:) *Cum extenderitis manus vestras &c. Sacerdos, qui coluit idola, sive coacte, sive per errorem, quamvis egerit pœnitentiam, non elevabit manus unquam, quia dicitur* (2 Reg. 23: vs. 9.) *Non ascendebant Sacerdotes excelsorum &c. Et benedictio æquiparatur ministerio, quia dicitur* (Deut. 10: 8.) *Ad ministrandum ei & ad benedicendum in nomine ejus. Atque ita sacerdos qui (à religione Judaica) defecit ad idololatriam, licet redierit, elevabit manus unquam; sed ob reliquas transgressiones non prohibetur.*

§. 18. Quarum his præponit verbis: השנים כיצד כהן נער לא ישא את כפיו עד שיתמלא זקנו׃ i. e. *Anni s. ætas quomodo? Sacerdos puer non elevabit manus, donec justam maturitatem fuerit assecutus.*

§. 19. Quintum ita explicat: והיין כיצד מי ששתה רביעית יין בבית אחת אינו נושא את כפיו עד שיסיר את יינו מעליו לפי שהוקשה ברכה לעבודה ואם שתה רביעית יין בשתי פעמי׳ או שנתן לתוכה מעט מים מותר ואם שתה יותר מרביעית אף על פי שהיה מזוג אף על פי ששתהו בכמה פעמים לא ישא את כפיו עד שיסיר את יינו מעליו וכו׳׃ Id est, *Vinum autem quomodo? Qui ebibit Rebhiith* (quartam partem Logi) *vini in domo aliqua, non elevabit manus, donec ebrius esse desierit, propterea, quia benedictio æquiparatur ministerio; quod si biberit Rebhiith duabus vicibus, aut parum aquæ admiscuerit, licitum est: sin biberit plus, quam Rebhiith, quamvis fuerit* (vinum) *mixtum & temperatum, & quamvis biberit ipsum aliquot vicibus, non elevabit manus, donec sobrius fiat* &c.

§. 20. De sexto denique sequentia subjungit: טומאת הידים כיצד כהן שלא נטל את ידיו לא ישא את כפיו אלא נוטל את ידיו עד הפרק כדרך שמקדשין לעבודה ואחר כך מברך שנאמר שאו ידכם קדש וברכו את ה׳ והחלל אינו נושא את כפיו לפי שאינו בכיהונו׃ Id est, *Impuritas manuum quomodo? Sacerdos, qui non lavit manus, non elevabit manus; sed lavat manus usque ad brachiale, eo, quo se ad ministerium sanctificant, modo, & postea benedicit, quia dicitur* (Psalm. 134: vs. 2.) *Attollite manus vestras sancte, & benedicite Jehovæ; nec profanus elevat manus, quia non est in functione sacerdotali sua.*

§. 21. De lotione hac in sequenti capite pluribus nobis erit agendum.

(s) *In* הלכות תפלה וברכת כהנים *cap. XV.* (t) *Fol.* 53. (u) *Fol.* 9. 2. (x) *In Prolegomenis Variarum Lect. textus Græci Evangel. S. Matthæi nuperrime editis p.* 14. (y) *Lexic. Talmud. p.* 435. *& seq. item p.* 2417. (z) *Centur. Chorograph. p.* 156. *& seqq.*

CAPUT II.

SUMMARIA.

Leges benedictionis Sacerdotalis Sacerdotem debuisse benedicere (1) *Lotis manibus. Ritus lavandi ex R.* Mordechai *&* Raschi. Gemara *ut in* 1. *hac lege, ita in sequentibus reliquis semper probationis loco adducta.* נטילת ידים *qui vertendum?* Scaliger *&* Drusius *notati.* Pocockius *laudatus.* (2) *In suggestu & quidem sequioribus temporibus exutis calceamentis.* Maimonidis *error.* (3) *stando. Gestus Sacerdotum in suggestu stantium. Benedictio Sacerdotum παρασκευαστική. Cur in tertia persona Hebræi benedicant. Benedictio Sacerdotum παρασκευαστική Kabbalistice explicata à R.* Akibiade. מה *nomen DEI Kabbalisticum.* Capnio *citatus* (4) *Elevatis manibus, Levatarum manuum causæ. Dn.* D. Gejerus *laudatus. Cur in benedictione elevatæ manus? Cur manus non impositæ?* Coccejus, Seldenus, Hildebrandus, B. Gerhardus, Auctor Sepher Ikkarim *laudati.* Josephus de Voisin *notatus. Expansio manuum.* Galatini, *cum quo consentiunt B.* Dorscheus, Cregutus, B Ursinus; Weidneri, *qui cum facit* Quistorpius; Athanasii Kircheri *&* R. Bechai *sententiæ de modo expansionis manuum adductæ, examinatæ, rejectæ. De* Galatino *judicia ex* Leusdenio. *Dn.* Steudnerus *laudatus.* Imprecationes Romanorum *tribus peractæ digitis.* Salomon Trecensis *citatus. Vera sententia de modo expandendi manus in benedictione ex R.* Akibiade *proposita, Cl.* Buxtorfii *testimonio & consuetudine* Judæorum *hodiernorum firmata. Viri Excellentissimi Dn. FRISCHMUTH & Dn. BOSIUS una cum Dn. D.* Hildebrando *laudati. Litterarum quatuor coronis in tabella ænea subjectarum significatio.* Pfeifferus *laudatus. Cur quinque spacia inter digitos facienda?* (5) *Lingua Hebræa.* (6) *Elatiore voce* (7) *πρόσωπον πρὸς πρόσωπον s. coram & in conspectu.* (8) *In nomine JEHOVAH. Discrimen inter benedictionem, quæ in templo Hierosolymitano, & inter eam, quæ extra illud recitanda. à Cl.* Buxtorfio, Auctore Scholæ Theologicæ, qui se I. W. S. B. nominat, Galatino, Scaligero, Abarbanele *circa nomen* Tetragrammaton, *ac si illud soli Pontifici maximo efferre licuerit, dissensum. Nostra sententia è sacris litteris pariter atque Talmude probata. Ritus* benedictionum Sacerdotis summi *è* Talmude *allatus. Tempus, quo Sacerdotes in nomine* Tetragrammato *benedicere desierunt, notatum.* Simeon Justus *R. Maimonidis quis?* Moltherus laudatus. *à* Galatino *& Cl.* Buxtorfio *discessum.* Drusius *laudatus. Virorum Cll.* Buxtorfii *&* Ludovici de Dieu, *nomen Tetragrammaton duntaxat in expiationum die pronunciatum fuisse putantium, lapsus. Nostra sententia verbis* Maimonidis *roborata.* Ludovici de Dieu. *Benedictionem hanc in templo tantum recitandam fuisse autumantis, novum ἁμάρτημα. Conjunctura, qua occasione ita senserit* Dieu. *Idem* Dieu *partim laudatus, partim reprehensus.* Fullerus, Wasmuthus *laudati. A* Drusio *dissensum. Prælegendam fuisse benedictionem Sacerdot. à Lectoribus. Ruditas Sacerdotum* Judaicorum, *cum vulgarium, tum ipsius Pontificis maximi.* Sheringhamius *&* Lightfootus *laudati. Cur ruditas Sacerdotis non impediat benedictionem. Quando responderit populus* Amen. *In templo non responsum fuisse* Amen. *Quid pro responsione τῦ* Amen *in templo repositum. Cur dixerint:* A seculo usque in seculum. Amen *non esse* jurisjurandi *voculam.* Samuel Petitus *refutatus.* Fullerus *laudatus.* Amen *Hebræorum* triplex: amputatum, acceleratum, pupillare. *Quæ voces in benedictione Sacerdot. protrahantur. Explicatio Judaica verborum benedictionis Ecclesiasticæ ex R.* Bechai. Josephus de Voisin *è verbis* Bechai *Trinitatem probare conatur. B.* Gerhardus *laudatus. Sacerdotis è suggestu descendentis gestus. Ordo sacrorum in synagogis observatus. Minimum decem personarum præsentiam ad benedictionem Sacerdot. recitandam à Judæis requiri. Decem* בַּטְלָנִין *quinam? Quorsum* Christus *Matth.* 17: 20. *alluserit.* Heinsius *laudatus. Conclusio.*

§ 1.

Recensitis igitur priore capite benedictionis obstaculis, consequens nunc est, ut ad explicationem ritus benedictionis sacerdotalis legumque ejus enumerationem, ex mente Talmudistarum aliorumque Hebræorum, nos accingamus. Quæsumus autem *Benivolum Lectorem*, ne offendatur inculto æque ac horrido *Gemaristarum* postea allegandorum stylo, quorum ipsorummet verba in medium attulimus, ut non eorum modo sententia hoc clarius elucescat, sed & ne nobis, si nostris hæc omnia verbis proponere voluissemus, fides in recensendis hisce ritibus denegetur, quamvis in subsequentibus per omnia veri periculum (ut cum *Solino* loquamur) non ad nos recipiamus.

§. 2. Primo omnium itaque sacerdoti benedicturo manus erant abluendæ. Sicut enim non prius cultus sacros præstabant, quam è labro æneo in sanctuario in eum usum posito, affusa aqua loti essent: ita id ipsum quoque heic observare solebant. Adeoque sacerdotalis benedictio legem hanc communem habet cum reliquis functionibus sacerdotalibus ad unam omnibus. Labium, cujus modo meminimus, describit R. *Mordechai* (a) his verbis: הכיור אינו מקלח תמיד אלא היו בי ברזאות וכל כהן שרצה לקדש ידיו ורגליו היה פותח לו הברזא ומקדש: id est, *Labium non emittebat continue* (aquam), *sed fuerunt illi siphones; quivis autem sacerdos, qui manus & pedes suos lavare volebat, aperto sibi siphone lavabat.*

§. 3. *Gemaristæ* (b) lotionem hanc requiri heic, ex sacris ita probant: אמר רבי יהושע בן לוי כל כהן שלא נטל ידיו לא ישא את כפיו שני שאו ידיכם קדש וברכו את ה': Quæ ita verto: *Dixit R. Josua filius Levi: Ne quis sacerdotum, qui non lavit manus, benedicat, quia dicitur:* (Psalm. 134: 2.) Attollite manus vestras sancte & benedicite Domino. h. e. ut *Buxtorfius* ex *Rabbinis* explicat, quando elevaturi estis manus vestras, prius eas sanctificate, nempe *per lotionem earum*; postea recitate benedictionem. Potuissent hæc clarius probari ex Exod. 30: vers. 20. ubi præcepit Deus, ut sacerdotes manus & pedes lavarent, cum ingrederentur ad tabernaculum conventus.

§. 4. Quomodo Pontifex Maximus laverit, docet ex *Gemara Sebhachim* c. 2. *Raschi* s. R. *Salomo Jarchi* (c) מניח ידו הימנית על גבי רגלו הימנית וידו השמאלית על גבי רגלו השמאלית ומקדש: id est, *Imponebat manum dexteram, super dexterum pedem, & manum sinistram, super sinistrum pedem, & sanctificabat.*

§. 5. Manuum ablutionem Hebræi vocant נטילת ידים quæ voces non interpretandæ χειρεγερσία sive *Elevatio manuum*, quod fecit Illustriss. *Scaliger* (d) & cum ipso *Drusius* (e) quia de ea etiam lotione dicitur, in qua manus sursum levare nefas est, scil. de ea, qua post cibum sumtum purgantur (de qua præceptum est non temerandum,) אחרנים צריך שישפיל ידיו: id est, *ad posteriorem* (aquam post cibum excipiendam) *necesse est, ut quis manus demittat (Sota* cap. 1.) Nam & ea נטילה *Netilah* vocatur, verba sunt celebratissimi Viri

(a) *In Lebbusch. pag.* 1. *n.* 159. (b) *Cod.* סוטה, *qui agit de muliere adulterii suspecta, ad cap. VII. Mischnam* 7. (c) *In Comment. ad Exod.* 30: *vers.* 19. (d) *In Elench. Tribæres. Serarii cap.* 7. *pag.* 253. (e) *In Præterit. Nov. Test.* 67.

Viri *Eduardi Pocockii*; (f) sed, ut ait R. *Mordechai* (g) לשון נטילה הוא על שם הכלי שרוחצין ממנו שהיה נקרא אנטל בלשונם והיה מחזיק רביעית; i. e. *Nomen* Netilah (lotioni attributum) *est à nomine vasis, è quo lavant, quod in lingua ipsorum vocatur* ANTAL, *ac capiebat Rebhiith* f. quartam partem Logi. Sicut Arabica vox نَطْل itidem ejusmodi vas significat, & نَطَل, *natala, aquam paulatim è vase effundere*, notante modo laudato auctore l. c.

§. 6. Deinde *ascensus* Sacerdotis *in suggestum* sequebatur. Ita enim *Gemara* (h) אמר רבי יהושע בן לוי כל כהן שאינו עולה לדוכן עובר בשלשה עשה כה תברכו אמור להם ושמו את שמי רב אמר חוששין שמא בן גרושה או בן חלוצה הוא ולא פליגי הא דסליק לפרקי' הא דלא סליק לפרקים ואמר רבי יהושע בן לוי כל כהן שאינו עולה בעבודה שוב אינו עולה שנ' וישא אהרן את ידיו אל העם ויברכם וירד מעשות החטאת והעולה והשלמים מה להלן בעבודה אף כאן בעבודה איני והא ר' אמי ור' אסי סלקי רבי אמי ורבי אסי מעיקרה הוו עקרי כרעייהו ממטא לא הוה מטו התם וכדתני רבי אושעיא מא שנו אלא שלא עקר את רגליו אבל עקר את רגליו עולה ותנן נמי אם הבטחתו שנושא את כפיו וחוזר לתפלתו רשאי והוינן בה הא לא עקר אלא דנר פורתא הכי נמי העקר פורתא: Quæ ego (nondum enim liber *Sota* Latinitate donatus est, & licet jam bis in catalogo librorum promiserit eum Vir Cl. *Wagenseilius*, lucem tamen nondum adspexit) sic reddo: *Dicit R. Josua filius Levi: Quicunque Sacerdos non adscendit suggestum, transgreditur tria præcepta adfirmativa*, (nempe 1.) Sic benedicetis. (Num. cap. 6:23.) (2) Dicendo illis (ibid.) (3) Et ponent nomen meum. (ibid. vers. 27.) *Raf. dicit: Soliciti sunt, ne forte filius repudiatæ, aut filius talis viduæ, quam levir ejus ducere renuit, sit, neque dissentiunt* (inter se Doctores, dicendo:) *Ecce est, qui adscendit certis temporibus; ecce est, qui non adscendit certis temporibus. Et dicit R. Josua filius Levi: Quicunque Sacerdos non adscendit in ministerio, iterum non adscendit, quia dicitur* (Levit. 9:22.) Et sustulit Aharon manus ad populum, & benedixit illis. Sicque completis hostiis pro peccato & holocaustis & pacificis descendit. *Ut illic in ministerio, ita etiam heic in ministerio.* (Objectio.) *Ita ne? sed ecce R. Amme & R. Asse adscendunt.* (scil. post ministerium, non in ministerio. Resp.) *R. Amme & R. Asse antea sustulerant pedes, &, nemine admovente, pervenerant illuc. Et sicut docet R. Oschaja, non est diversitas, nisi quod non sustulit pedes.* (Object.) *Sed sustulit pedes adscendens.* (Resp.) *Docemus & nos, quod, si confidat, fore, ut elevet manus & redeat ad preces suas,* (tunc) *licitum sit* (scil. post ministerium adscendere,) *& nos interfuimus. Ecce, non sustulit* (pedes,) *nisi quod parumper recesserit: Sic etiam ei, qui parumper sustollit* (pedes.) Hæc posteriora aliquanto clarius proponit *Maimonides* cap. 14. in הלכות תפלה וברכת כהנים, ubi circa finem hæc habet: כהן שלא עקר רגליו במקומו לעלות לדוכן בשעה שאמר שליח ציבור רצה שוב אינו עולה באותה תפלה אבל אם עקר רגליו לעלות אף על פי שלא הגיע לדוכן אלא אחר עבודה הרי זה עולה ומברך: h. e. *Sacerdos, qui pedes suos loco non movet, ut adscendat suggestum tempore, quo minister synagogæ recitat* (precationem, quæ incipit) רצה i. e. Benevolus sis, *iterum non adscendit in illa precatione; sed si sustulit pedes ad ascendendum, quamvis non pervenerit ad suggestum, nisi post ministerium, ecce hic adscendit & benedicit.*

§. 7. Adscendebant autem in Synagoga *non nudis quidem pedibus, discalceati tamen*, ut l. c. *Gemaristæ* iidem, addita ratione, docent verbis hisce: רבנן אמרי מהכא דאין הכהנים רשאין לעלות בסנדליהן לדוכן וזו אחת מתשע תקנות שהתקין רבן יוחנן בן זכאי מאי טעמא לאו משום כביד צבור אמר רב אשי לא התם שמא ניפסקת לו רצועה בסנדלו והדר אזיל למיקטריה ואמרי בן גרושה או בן חלוצה הוא: i. e. *Doctores nostri dicunt inde, quod sacerdotibus non liceat adscendere suggestum cum calceamentis suis, & hæc est una è novem correctionibus* sive statutis & ordinationibus, *quas instituit Doctor noster Johannes filius Saccæi. Quis est sensus præcepti hujus negativi?* (Observatur) *reverentiæ erga Synagogam causa. Dicit Raf. Asse: Non illuc* (respicitur; sed eo,) *ne forte corrigia calcei soluta* (vel laxata) *postea abeuntem liget* (vel remoram injiciat,) *& dicatur: Hic est filius expulsæ, aut filius ejuscemodi viduæ, quam levir ejus ducere recusat.*

§. 8. E quibus simul patescit, errare *Maimonidem*, qui institutum hoc non *Johanni filio Saccai*, sed *Esræ*, ipsi adscribit, (i) inquiens: מתקנות עזרא שלא יעלו הכהנים לדוכן בסנדליהן אלא עומדין יחפין i. e. *Est ex constitutionibus Esræ, quod non adscendunt suggestum sacerdotes induti calceamenta, sed stant discalceati.*

§. 9. Quid inter adscendendum dicat sacerdos, paulo post tradunt *Gemaristæ*: כו עקר כרעיה מאי אמר יהי רצון מלפניך השם אלקינו שתהא ברכה זו שציויתנו לברך את עמך ישראל לא יהא בה מכשול ועון: i. e. *Dum* (*Sacerdos*) *pedes sustollit, quid ait? Gratum & acceptum sit tibi, ô Jehovah, Deus noster! ut in hac benedictione, qua populo tuo Israël benedicere jussisti, nullum sit offendiculum peccatumve!*

§. 10. Tertia lex præcipit, ut sacerdos in suggestu *stet, non sedeat.* Qua de re ita disputant *Gemaristæ* l. c. תניא אידך כה תברכו בעמידה אתה אומר בעמידה או אינו אפילו בישיבה נאמר כאן כה תברכו ונאמ' להלן אלה יעמדו (Veneta editio perperam habet יעבדו) לברך מה להלן בעמידה אף כאן בעמידה רבי נתן אומ' אינו צריך הרי הוא אומר לשרתו ולברך בשמו מה משרת בעמידה אף מברך בעמידה ומשרת גופי' מנלן דכתיב לעמוד לשרת: Quæ sic interpretor: *Sic benedicetis* (nempe) *stando. Tu dicis: Stando, aut fortasse etiam sedendo? Dicitur heic:* Sic benedicetis; *& dicitur illic* (Deuter. 27:12.) Illi stabunt, ut benedicant. *Ut illic stando, ita etiam heic stando. R. Nathan inquit: Non est opus* (talismodi probatione): *Ecce ipse* (textus) *dicit:* (Deuter. 10:8.) Ut ministret ei, & benedicat in nomine ejus. *Qui ministrat stando, etiam stando benedicit, & ministrat ipse. Unde nobis constat? Quia scribitur:* Ut stet ad ministrandum (Deut. 18:5.)

§. 11. Quæ autem heic *Gemara* absolute proposuit, illa *Maimonides* (k) ad provinciam restringit, ut videtur, sine ratione, dum scribit: כיצד היא נשיאות כפים בגבולין בערב שיגיע שליח צבור לעבודה כשאמר רצה כל הכהנים העומדי' בבית הכנסת נעקרין ממקומן והולכים ועולין לדוכן ועומדים שם: i. e. *In provincia* (h. e. extra templum Hierosolymitanum) *tempore, quo minister Synagogæ venit ministratum, recitans* (precationem quæ incipit) רצה Benevolus sis) *omnes sacerdotes stant in Synagoga, motique locis suis eunt & adscendunt suggestum ibidemque stant.*

§. 12. Addit deinceps: פניהם להיכל ואחריהם כלפי העם ואצבעותיהם כפופות לתוך כפיהם עד שישלים שליח צבור ההוראה ומחזירין פניהם כלפי העם ופושטין אצבעותיהן וכו': i. e. *Faciem vertunt templum versus & tergum versus populum, digitosque in volam incurvatos habent, donec absolverit minister Synagogæ confessionem: tum vertunt faciem versus populum, expandendo digitos* &c.

§. 13. Præterea præmittunt *benedictionem parasceuasticam*, quam sic recenset *Gemara* l. cit. מאי מברך א"ר זירא אמר רב חסדא אשר קדשנו בקדושתו של אהרון וציונו לברך את עמו ישראל באהבה: h. e. *Quomodo benedicit* (sacerdos?) *Dixit Rabbi Sira, dixisse R. Chasdam:* (בא"י אמ"ה) i. e. *Benedictus sis, Domine, Deus noster, Rex mundi*; Hoc enim omnium benedictionum est initium) *qui nos sanctificavit sanctitate Aaronis, & præcepit nobis, ut benedicamus populo suo Israël cum caritate.*

§. 14. Cur dicatur in tertia persona: *Benedictus sis, tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui nos sanctificavit*; & non: *qui nos sanctificasti*; ejus rei ex Rabbinis rationem reddit *Daniel Heinsius*: (l) *Hebræorum*, inquiens, *Magistri, majores suos, benedictiones, in secunda persona ac tertia, reverentiæ causa, ordinasse notant.*

§. 15. Juvat heic adferre benedictionis hujus προθεωρητικῆς explicationem, quamvis satis *Kabbalisticam*, desumtam ex R. *Akibiade*, cujus verba, prolixa licet, quoniam est rarissimus auctor ita, ut ne ipsi quidem *Buxtorfio* notus fuerit, (alioquin enim ejus in *Bibliotheca Rabbinica* dubio procul fecisset mentionem) adscribere non pigebit, quæ recensente *Rittangelio* (m) sic habent: והנה תדע בשעה שהכהנים עולים לדוכן הוא עת רצון ואהבה חסד הגבורה כוח הרחמים בנרמז בברכה שמברכים הכהנים שזה נוסחה ברוך אתה ה אלהינו מלך העולם אשר קדשנו בקדושתו של אהרן וצונו לברך את עמו ישראל באהבה רל הקבה ציוה אותנו לברך את עמו ישראל באהבה בשעה שהיא אהבה וחבה ועת רצון והגברת כח הרחמים ה' ברוך הוא כאשר יתבאר בסמוך: והנה להאיר עיניך בגנזי אוצרות של תורה עד היכן מגעת גורל כחה של אהבה צריכין אנחנו לעורך קודם כל דבר בשני קושיות בנוסח הברכה קושיא אחת מה נשתנה ברכה

(f) *In Port. Mos. appendice Notar. Miscell. cap.* 9. *pag* 377. (g) *In* לבוש *part. I. n.* 4. (h) *Cod. Sota ad. cap.* 7 *Mischn.* 7.

(i) *In* הלכות תפלה וברכת כהנים *cap. XIV.* (k) *Cap.* 14. *in* הלכות תפלה וברכת כהנים (l) *Prolegomenis in Aristarchum sacr. p.* 665. (m) *In Collectis novi anni, quaternion. C.*

ברכה זו שמברכים הכהנים אשר קדשנו בקדושתו של אהרן ולמה אינם מברכים אשר קדשנו במצותיו וציונו לברך את עמו ישראל באהבה כמו שהוא הסדר בשאר ברכות ובאמת ראוי לדעת מה הוא עניין קדושתו של אהרן ומה הוא ענון יחוס קדושתו אצל הברכה: קושיא ב׳ שאם כדברינו כן הוא כמו שפירשנו שמלה באהבה הנזכר בסיום נוכח הברכה מורה על שעת אהבה ועת רצון הוה להם לברך וצונו לברך את עמו ישראל בשעת אהבה שזה הלשון יותר מדויק ומבורר להורות על עת רצון ושעת אהבה ולתרץ זה צריד שתדע כי קדושתו של אהרן הוא ספירת חסד כי מספירת חסד נתקדש אהרן לכהן כי ספירת חסד הוא הכהן והראש לששת ספירות ימי הבנין שיתבאר עניינם בשערים הבאים בסד כמא אמר הכתוב עולם חסד יבנה כי תחילת בניינו של עולם הוא בחסד כי מצד מדת חסדו של הקבה נבנה ונברא העולם וממלת חסדו ברוך הוא תצא אור ושפע הברכה לכל העולמות כענין וחסד אל כל היום וענין חסדי ה כי לא תמנו כי לא כלו רחמיו כי מחסד אל׳ שהוא הכהן יתברכו הששת ימים ימי הבנין שבהם נברא העולם ששת ימי בראשית ואהרן הכהן הוא מרכבה לחסדי ה׳ ברוך הוא שהוא מקבל שפע הברכה מחסדי ה ומשפיע הברכה לכל ישראל כי הכהן שלמטה הוא דוגמא לכהן של מעלה בה וקדושתו של אהרן הוא מקדושת הכהן של מעלה כי הוא מרכבה לכהן של מעלה כאשר יתבאר ס״ד ענין מרכבה בשערים הבאים בסד ומפני כן הכהנים שהם זרע אהרן הקודש מברכים אשר קדשנו בקדושתו של אהרן בירושה להיות מרכבה לחסד לקבל השפע הקדש והברכה מחסד של מעלה ברוך הוא באופן שחסד אל עליון יעשה פעולות חסד על ידן ומפני כן חסדי ה ורחמי ה שורה ורוכב על אברי אצבעותיהן כריכב על מרכב כאשר יתבאר וזהו שמברכים אשר קדשנו בקדושתו של אהרן ר״ל כי הם מקודשים בקדושה זו בירושה מאהרן לברך את עמו ישראל ר״ל כי כמו שאהרן היה מרכבת לחסד שחסדי ה היה משפיע הברכה על ידי אהרן לישראל בסוד וישא אהרן את ידיו אל העם ויברכם כמו כן הם מרכבה לחסד שחסדי ורחמי ה משפיע הברכה על ידיהן לישראל ואם תרצה לדעת מי הוא המברך הפוך מלת לברך ותמצא רכב כי הרוכב והשורה על ידיהן הוא המברך אשר נבאר בסמוך ומפני זה סיום וחתימת הברכה היא באהבה כי הגם שפירושו ומשמעותו הוא על שעת אהבה ורצון יש בו עוד משמעות יותר פנימי מזה להורות הוראה גמורה ומבוררת על הגברת כף הזכות והרחמים והתייחדות והתקשרות אהבת השם ה מדת הרחמים באברי אצבעות ידי הכהנים וכל כך האהבה היא חזקה ועצומה עד שהשם ה כף הזכות והרחמים מתאחד ומתקשר ממש בידי הכהנים בדבוק וקשור בכל אברי אצבעותיהן וכפות ידיהם כאלו הכהנים הם עצמן עצם השם ה בעצמו כביכול וכאלו כל טוב ה בידם כביכול וכל זה נרמז במלת אהבה כיצד אהבה כמה עולה כמנין אחד כדי לרמוז כי אחדות מקושר באהבה ואהבה מקושרת באחדות וזה נראה לעינים כי השונאים בורחים ומרחקים זה מזה בתכלית הריחוק מקצה אל קצה כי טבע השנאה מביא ריחוק ופירוד והאוהבים זה את זה מתקרבים זה לזה ומתייחדים ומתקשרים זה עם זה בתכלית היחוד והקרוב כאלו הם עצל אחד כי טבע האהבה הוא קרוב ויחוד וקשור אשר על זה מרמז מספר אהבה שעולה כמנין אחד שהתיחדות מקושרת באהבה:

Quæ hunc in modum vertimus: *Et ecce! ſcias, quod, quando ſacerdotes ſuggeſtum adſcendunt, ſit beneplaciti, dilectionis & gratiæ tempus, in quo virtus miſericordiæ prævalet, prout in benedictione, qua benedicunt ſacerdotes, id indigitatur, quæ ſic habet*: Benedictus ſis Jehovah, Deus noſter, Rex mundi, qui nos ſanctificavit ſanctitate Aharonis & præcepit nobis, ut benedicamus populo ſuo Iſrael cum dilectione i. e. *Sanctus ille Benedictus juſſit nobis, ut benedicamus populo ſuo Iſrael cum dilectione, tempore dilectionis, tempore beneplaciti, quo virtus miſericordiæ S. illius B. prævalet, ſicut proxime explicabitur. Et ecce! ut illuſtrem oculos tuos in abſconditis theſauris legis* [divinæ] *quouſque pertingat magnitudo virtutis dilectionis, neceſſe habemus te ante omnia inſtituere duabus quæſtionibus propter exemplar benedictionis hujus. Prima quæſtio eſt hæc*: Quare mutatur benedictio hæc, qua benedicunt ſacerdotes, ſcil. Qui ſanctificavit nos ſanctitate Aharonis, *& quare non benedicunt*: Qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis, ut benedicamus populo ſuo Iſrael cum dilectione; *ſicuti moris eſt in reliquis benedictionibus. Et certe ſcitu dignum eſt, quid ſit ſanctitas Aharonis*, & *quæ ſit proportio ſanctitatis ejus ad benedictionem. Quæſtio ſecunda eſt hæc*: Si res ſecundum verba noſtra, ut explicuimus, ſic ſe habeat, quod nempe in fine hujus benedictionis memoratum vocabulum באהבה [i. e. cum dilectione] indicet tempus dilectionis & beneplaciti, ipſis ita fuiſſet benedicendum: Et præcepit nobis, ut benedicamus populo ſuo Iſrael tempore dilectionis: *Siquidem hic loquendi modus magis perſpicuus & explicatior eſt, ut indicet beneplaciti dilectioniſque tempus. Has quæſtiones ut ſolvamus, oportet te ſcire, quod ſanctitas Aharonis ſit ſplendor gratiæ. Nam à ſplendore gratiæ ſanctificatus eſt Aharon in ſacerdotem, ſplendor gratiæ eſt ipſiſſimus ſacerdos & caput 6. ſplendorum divinorum* [quo & vocantur] *dies ædificii, quorum proprietates in ſequentibus capitibus cum auxilio divino explicabuntur, ſicut dicit Scriptura* (Pſalm. 89: 3.) Mundus gratia ædificabitur: *Quia initium ædificii mundi hujus factum eſt per gratiam. Nam per proprietatem gratiæ S. illius B. ædificatus & creatus eſt mundus, æque proprietate ejus, benedictus ſit ipſe, egreditur lux & influxus benedictionis in totum mundum, ſecundum id* (quod ſcribitur:) Et gratia Dei (durat) toto die (Pſal. 52: 3.) *& juxta id* Miſericordiæ Jehovæ, quia non ſumus conſumti, quia non defecerunt miſerationes ejus (Thren. 3: 22.) *Nam per gratiam Dei, quæ eſt ſacerdos, benedicuntur 6. dies* (*nempe, dies ædificii, quia in illis creatus eſt mundus ſex diebus creationis. Et ſacerdos Aharon eſt thronus gratiæ S. illius B. qui accipit influxum benedictionis à gratia Jehovæ & influere facit benedictionem in omnes Iſraëlitas. Quia ſacerdos inferior eſt typus ſacerdotis ſuperioris & ſanctitas Aharonis provenit à ſanctitate ſacerdotis ſuperioris, quia eſt thronus ſacerdotis ſuperioris, ſicut cum auxilio divino explicabitur myſterium hujus throni in ſeqq. capp. Quapropter etiam ſacerdotes, quia ſunt ſemen Aharonis ſancti, benedicunt*: *Qui nos ſanctificabit ſanctitate Aharonis jure hereditario, quum ſit thronus gratiæ ad accipiendum influxum ſanctitatis & benedictionis à gratia ſuperioris, benedicta ſit ipſa, ita ut gratia Dei ſupremi per eam opera miſericordiæ operetur. Et idcirco benignitas & miſericordia Dei quieſcunt & inſident articulis digitorum ipſorum, ſicut inſidens currus* (*vel ſedili*), *ut explicabitur. Et hæc eſt* cauſa, *quod benedicant* (ita:) Qui ſanctificavit nos ſanctitate Aharonis, i. e. *quia ipſi ab Aharone hac ſanctitate ſunt ſanctificati jure hereditario, ut benedicant populo ſuo Iſrael, i. e. Sicut Aharon thronus gratiæ fuit, ut gratia Jehovæ influere faceret benedictionem per manus Aharonis in Iſraëlitas per myſterium* (verborum Levit. 9: 22.) Et elevavit Aharon manus ad populum & benedixit illis: *ita & ipſi thronus gratiæ ſunt, ut gratia & miſericordia Jehovæ influere faciat benedictionem per manus eorum in Iſraëlitas. Quod ſi ſcire aves, quis ſit benedicens, verte vocabulum* ברך (benedicere) *& invenies* רכב (inſidere), *quia inſidet & quieſcit ſuper manus ipſorum, ſicut proxime explicabimus. Quapropter finis & clauſula benedictionis ſit cum dilectione. Nam quamvis explicatio & ſenſus ejus tendat ad tempus dilectionis & beneplaciti; ei tamen adhuc alius ineſt ſenſus hoc intimior, qui perfecte clareque indigitat poteſtatem manus gratiæ & miſerationum, adunationem & conjunctionem dilectionis DEI proprietatis miſericordiæ cum articulis digitorum manuum ſacerdotum. Hæc dilectio tanti eſt roboris & potentiæ, ut Deus ipſe* (inſtar) *manus gratiæ & miſerationum ſe uniat & conjungat proprie cum manibus ſacerdotum per unionem & conjunctionem cum omnibus articulis digitorum eorum & volis manuum eorum, ac ſi ſacerdotes loco DEI ipſius eſſent,* (*ſi fas eſt ita loqui*), *& quaſi omnis DEI bonitas manibus ipſorum ineſſet* (*ſi fas eſt ita loqui*). *Hæc omnia indigitantur per voculam* אהבה (dilectio) *e. gr.* אהבה *quot valet? Tantundem, atque* (vox) אחד (unus) *ad indicandum, unitatem cum amore, & amorem unitate colligari. Et hoc reapſe ita habet. Nam inimici fugiunt receduntque à ſe invicem, quam longiſſime poſſunt. Natura namque odii adfert elongationem & ſeparationem; ſed mutuo ſe amantes adpropinquant ad ſe invicem, coadunant & conjungunt ſeſe mutuo, quam maxime poſſunt, ac ſi unum corpus eſſent: ſiquidem natura dilectionis eſt appropinquatio, unitio & conjunctio. Id quod indicat numerus* (vocis) אהבה (dilectio) *è qua idem, qui è* (voce) אחד (unus) *exſurgit numerus* (np. 13.) *ad colligandam unitatem cum dilectione.*

§. 16. Addit deinde noſter *Akibiades*: וכשתבוה זה בא ואראך עוד אותיות שניות של אהבה שהם אותיות בוגו כמה עולה יז טוב במה עולה יז ה במספר קמין כמה עולה יז וזהו הסוד טעמו וראו כי טוב ה ר״ל טעמו וראו בעין השכל כי הטוב הגדול שהוא הגברת כח הגדול כח כף הרחמים והזכות שפירשנו הוא הוא עצמו ה שעולה במספר קטן טוב הרי לך אהבה והיחוד והקשור והשם ה בטובו שהוא הגבדת כח כף חרהמים כלם נרמזים במלת אהבה ומפני זה הסיד הכלול במלת אהבה הכהנים מברכים וצונו לברך את עמו ישראל באהבה ר״ל אותנו ציוה ובירינו נתנה הברכה הנרמז במלת אהבה להשפיע ולברך בה ר״ל עם האהבה את עמו ישראל כאלו הכהנים עצמם הם הם עצם שם ה בסוד האהבה והיחוד והקשור והגברת כף רחמי ה בטובי הנרמזים במלת אהבה מפני שמתאחרים ומתקשרים באברי אצבעותיהן ובכפות ידיהם והטעם לזה הוא כי להיותן מרכבה לחסדי ה השכינה בכל כחה שהם כח אותיות כח אורות של רחמים וחסדים שהכם כח אברי אצבעות של רחמים היוצאים מכף ה ברוך הוא בסוד מלוי דמלוא בסוד כח הגדול שורה ומתייחדת ומתקשרת בכח אברי אצבעות הכהן והכף ה בעצמו שהוא המקור כה שורה ומתיחד ומתקשר בכף היד של כהן בסוד שהוא כף השלום שמו של הקבה ה שממנו יוצאים שלש מאות ושמונים ברכות של שלום כמנין שלום עם ד אותיות שפירשנו למעלת באופן שותייחדו ויתקשרו אברי אצבעות של מעלה ברוך הוא באברי אצבעות של מטה

והמקור

והמקור שהוא ה בסוד השלום ובסוד הכף הנרמז בהן מה שהם שתי לערכות יוצאים משתי מערכות שהן יה וה בה שהם מקור לכח אותיותיו כח אורותיו כח אברי אצבעותיו שפירשנו למעלה יתקשרו ויתייחדו בכף הכהן שהוא מקור לכח אברי אצבעותיו הגשמיים הגופניים כי מהכף הגשמי יצאו ויסתעפו אברי אצבעות וכל כך מתגברים ומתפשטים כחות הרחמים עד שגם שמאלו של הקבה שהוא מדת הדין הנקרא אלקים נתהפך לימין ונעשה כף הרחמים כף הזכות כף השלום בסוד היחוד ה באדני שפירשנו למעלה וכמו שפיר רשי זל ימינך ה נאדרי בכח ימינך ה תרעץ אויב ימינך ב פעמים כשישראל עושים רצונו של מקום השמאל נעשה ימין ואז הוא כלו ימין כלו מרת הרחמים כלו כף אחת אחדות הרחמים כח אורות הרחמים המתייחדים בד אותיות ה כף הרחמים ומקושרים ומיוחדים בידי ואברי אצבעות הכהן ומפני כן צריך הכהן לסמוך ידיו זו לזו כאלו הם יד אחד כף אחד להורות על אחדותם הרחמים ושכלם ממקור אחד שהוא ה בה יצאו ואז בעשיית הכהנים סדר עבודת רוכנם בסדר הזה ובכוונה זו שפירשנו אשרי הכהנים המברכים ואשרי העם המתברכים כי מדת הרחמים והזכות והחסד שורה וחלה עליהם ורוכב על ידיהם בסוד המרכבה וזהו הטעם שעומדים הציבור מול בני הכהנים ותחת כפי ידי הכהנים כי הם עומדי תחת כנפי רחמי השכינה ששורה עליהם אשרי הכהנים המכוונים כוונה זו ואשרי העם כי יתכוונו לכוונת הכהן המברך כי יברכו מן הבריכה העליונה מן כח אורות בה לקבל שפע ברכות של שלום כמנין שלום שפירשנו למעלה ופרוס עלינו סכת שלומך והנה למען תשכיל ותבין הענין היטב אצויר לפניך ידי אברי אצבעת הכהן עם אברי אצבעות השכינה שהם כח אורות שהם כח הרחמים נגד כחו של אדם שהם כח אברי אצבעותיו הגשמיים עם הכף ה בה שהוא המקור ברכת שלום בכף ידי דכהן: Id est, *Hæc percipiens veni & ostendam tibi adhuc alias litterarum mutationes vocis* אהבה. *Et hæ sunt litteræ* בוגו. *Quot conficiunt in numeris?* 17. *Quot valet vocula* טוב? 17. *Quot valet nomen* יהוה *secundum numerum minorem?* 17. *Et hoc est mysterium*: *Gustate & videte, quam bonus sit Jehovah*, id est, *Gustate & videte oculo intellectus, quod bonitas sit ille Maximus, cujus est potentia virtutis illius Maximi, virtus volæ misericordiæ & gratiæ, sicut explicuimus, quod illa Jehovah ipse sit, è cujus nomine* יהוה *juxta minorem numerum exsurgit* טוב (bonitas) *Ecce! dilectio & unitas, conjunctio & nomen Tetragrammaton cum bonitate sua, quæ est potentia virtutis volæ misericordiæ, hæc omnia indigitantur per voculam* אהבה (dilectio, *quod sacerdotes ita benedicunt*: Et præcepit nobis, ut benediceremus populo suo Israeli cum dilectione. i.e. *nobis mandavit, inque manus nostras tradidit benedictionem per voculam* אהבה (dilectio) *indigitatam, ut eam influere faciamus in populum suum Israel, & cum ea i.e. cum dilectione benedicamus; ac si Sacerdotes ipsius Jehovæ vice fungerentur per mysterium dilectionis & adunationis & conjunctionis & virtutis volæ misericordiæ Jehovæ cum bonitate sua, quæ indigitantur per voculam* אהבה (dilectio): *quia aduniuntur & colligantur cum articulis digitorum illorum & volis manuum ipsorum eo pacto, ut sint thronus misericordiæ Jehovæ. Nam Divinitas cum omni virtute sua, quæ sunt 28. litteræ, 28. splendores misericordiæ & gratiæ, quæ sunt 28. articuli digitorum misericordiæ egredientium è vola S. illius B per mysterium impletionis, quæ impletur per mysterium virtutis magnæ quiescentis colligantisque se cum 28. articulis digitorum Sacerdotis. Vola est Jehovah ipse, qui est fons, quiescens, se uniens & colligans cum vola manus sacerdotis, per mysterium, quo ipse vola pacis est. Ex illius S.B. nomine egrediuntur 380. benedictiones pacis, secundum numerum vocis* שלום pax *cum 4. litteris, ut supra id explicatum dedimus, hunc in modum, ut articuli superiorum digitorum, (per superiores digitos Cabbalistæ impervestigabiles & incomprehensibiles eminentias proprietatesque divinas intelligunt) benedictus sit ipse, uniantur & colligentur cum articulis inferiorum digitorum; fons autem, qui est Jehovah per mysterium pacis & per mysterium volæ, quæ indigitat* מה (i.e. *quid?* Ita enim *Capnio* (n): Tria nomina essentialia in Tetragrammaton cernitis. Ineffabile notat essentiam primam, *Ehjeh* essentiam in rebus, & *Iah* essentiam in meritis: & prædicantur in eo, quod quid est. Idque appellatur מה i. e. *quid?* Nam *Tetragrammaton* יהוה per æqualitatem numeri significat מה. Utrumque enim continet 45. &c.) *qui sunt duo ordines egredientes è duobus ordinibus, qui sunt* יה וה (*benedictus sit ipse*) *qui sunt scaturigo 28. litterarum, 28. splendorum, 28. articulorum digitorum ejus, ut supra explicuimus, conjunguntur & uniuntur cum vola sacerdotis, qui est fons 28. articulorum materialium & corporalium digitorum ipsius. Nam e vola corporali egrediuntur & instar ramorum progerminant articuli digitorum. Ita prævalent & extenduntur virtutes misericordiæ adeo, ut etiam sinistra S. illius B. quæ est proprietas judicii vocaturque* אלהים (Elohim) *mutetur in dextram & fiat vola pacis per mysterium unionis nominis* יהוה (Jehovah) *cum nomine* ארני (Adonai) (Hæc duo nomina ita uniuntur, ut semper litteræ nominis unius littera alterius nominis ordine respondeat, nempe

י ה ו ה
א ד נ י

è quorum combinatione oritur vocabulum יאהדונהי quam vocem *Capellus* barbaram vocavit, ideo taxatus à *Ioh. Steph. Rittangelio collect. nov. ann. quaternione L. 2.*) *quod supra explicavimus, & sicut id quoque Raschi s. R. Salomo Jarchi f. m. exposuit*: Dextera tua, Jehovah, percussit inimicum (Exod. 15:6.) *Heic dexteræ gemina injicitur mentio. Cum Israelitæ faciunt voluntatem Dei, sinistra fit dextra, & tunc ambæ sunt dextra, ambæ proprietas misericordiæ, ambæ vola una, per unionem misericordiæ 28. splendorum misericordiæ, qui uniuntur cum 4. litteris nominis* יהוה, *quæ est vola misericordiæ; colliganturque & uniuntur cum manibus & articulis digitorum sacerdotis. Quapropter sacerdotem oportet conjungere manum cum manu, ac si esset una manus, una vola, ad indicandam unionem miserationum, & quod ad unam omnes ex uno fonte, qui est Iehovah, promanent. Cum itaque sacerdotes ordinarium officium benedictionis* (Hebr. suggestu sui) *faciunt hoc modo hacque intentione, prout explicuimus, ô beatos sacerdotes benedicentes! ô beatum populum, qui benedicuntur! quum proprietas misericordiæ & gratiæ & bonitatis quiescat & agitetur super ipsis, manibusque eorum, per mysterium throni, insideat. Et hæc est ratio, quod cœtus Ecclesiasticus è regione sacerdotum & sub volis manuum sacerdotum stet. Nam ipsi stant sub alis misericordiæ majestatis divinæ, quæ quiescit super ipsos. O beatos sacerdotes hac intentione attentos! O beatum populum ad intentionem sacerdotis benedicentis attendentem! Nam benedicuntur à benedicto fonte superiore, à 28. splendoribus, Benedictus sit ipse, ad accipiendum influxum benedictionum pacis, secundum numerum vocis* שלום (pax i. e. 380. *vicibus*,) *ut supra explicuimus*, (per mysterium) *Et extende super nos tabernaculum pacis tuæ* (per tabernaculum pacis intelligitur *Iehovah* ipse) *Et Ecce! quo id hoc melius intelligas & percipias, depingam tibi manus articulorum digitorum sacerdotis cum articulis digitorum divinitatis, qui sunt 28. splendores, qui sunt virtus misericordiæ è regione virtutis hominis, qui sunt 28. articuli digitorum ejus corporalium cum vola S. illius B. qui est fons benedictionis pacis in vola manuum sacerdotis.* Vide figuram III. & V. in tabella ænea, quæ habetur in titulo Disputationis nostræ.

§. 17. Lege quarta *elevatio manuum* ad benedictionem requiritur. Scil. benedicturo *sacerdoti elevandæ erant manus*, aliter autem in sanctuario (templo), aliter extra illud. Ita enim Mischna VI. cap. VII. Cod. Sota infit: במדינה כהנים נושאים את ידיהן כנגד כתפיהן ובמקדש על גבי ראשיהן חוץ מכהן גדול שאינו מגביה את ידיו למעלה מן הציץ רבי יהודה אומר אף כהן גדול מגביה ידיו למעלה מן הציץ שני וישא אהרן את ידיו אל העם ויברכם: Hæc ita verto: *In provincia* (id est, extra templum Hierosolymitanum) *attollunt sacerdotes manus axillarum tenus, sed in sanctuario* (templo Hierosolymitano) *supra capita, excepto, quod Pontifex Maximus non supra phylacteria s. frontalia sua* (eas) *attollat*, (scil. ut id explicat Rabbi Obadias Bartenorius (o), מפני שהי כתיב בו i.e. *propter nomen Tetragrammaton illis inscriptum*) *R. Iehuda*: *Etiam Pontifex Maximus*, inquit, *attollit manus supra frontalia, quia dicitur*: (Levit. 9: 22.) Et elevavit Aharon manus ad populum, & benedixit illis. Sed notante *Rambam* & cum illo eodem *Bartenorio* (p) אין הלכה כרבי יהודה i.e. *Non est decisio secundum R. Iehudam.*

§. 18. *Gemaristæ* ad *Mischnam* hanc ita disceptant: תניא אידך כה תברכו בנשיאות כפים אתה אומר בנשיאות כפים או אינו אלא שלא בנשיאות כפים נאמר כאן כה תברכו ונאמר להלן וישא אהרן את ידיו אל העם ויברכם מה להלן בנשיאות כפים אף כאן בנשיאות כפים קשיא ליה לרבי יונתן אי מה להלן כהן גדול וראש חודש ועבודת צבור אף כאן כהן גדול וראש חודש ועבודת ציבור ר נתן אומר אינו צריך הרי הוא אומר הוא ובניו כל הימים מקיש בניו לו מה הוא בנשיאות כפים אף בניו בנשיאות כפים וכתיב כל הימים ואיתקש ברכה לשורה: Hæc vertimus ita: *Traditio alia: Sic benedicetis* [nempe] *elevatione manuum. Tu dicis* [objicis]: *Elevatione manuum; aut fortasse etiam sine elevatione manuum? Dicitur heic*: Sic benedicetis; *& illic*: Et elevavit Aharon manus ad populum, & benedixit eis [Lev. 9: 22.] *Quod illic elevatione manuum, etiam heic elevatione manuum* [peragi debet] *Objicit R. Ionathan*: *Ut illic Pontifex Maximus & initium novilunii & ministerium Synagogæ; ita etiam heic Pontifex Max. & initium novilunii & ministerium Synagogæ* [requiritur.] *Sed R. Nathan inquit* [respondet]: *Ecce ipse* [textus] *dicit*: Ipse

(n) *Lib. 3. de Cabb. pag. 743.*

(o) *Comment. in h. l.* (p) *Comment. in h. l.*

Ipse Aharon puta) & filii ejus omnibus diebus, (adeoque textus) *æquiparat filios ejus ipsi.* (Quare) *ut ipse elevatione manuum, ita etiam filii ejus elevatione manuum*, (benedictionem peragunt.) *Porro scribitur*: Omnibus diebus. *Æquiparatur autem benedictio ministerio.*

§. 19. Eadem *Gemara* non ita multa post sequentia adducit: שאלו תלמידיו את רבי אלעזר בן שמוע במה האריכת ימים אמר להן מימי לא עשיתי בית הכנסת קפנדריא ולא פסעתי על ראשי עם קודש ולא נשאתי כפי בלא ברכה: Id est, *R. Eleasaris filii Schamuæ discipuli interrogarunt ipsum, in quanam re* [sita sit] *prolongatio vitæ? Respondit illis: Per* [totam] *vitam meam non feci Synagogam viæ compendium, nec antecessi primates populi sancti, nec elevavi manus sine benedictione.*

§. 20. Longum heic foret, enumerare omnes causas elevatarum manuum. Sicuti legimus manus cœlum versus fuisse extensas à jurantibus. Gen. 14: 22. à precantibus Exod. 9: 21. à gratiam petentibus Psalm. 68: 32. Vid. Dn. D. *Gejerum* (q). Sufficiat nobis in præsenti, manus semper fuisse sublatas in benedictione sacerdotali. Sic *Christus* ipse *elevatis manibus* benedixisse discipulis legitur *Luc.* 24: 50.

§. 21. Utramque autem levabant manum eo, quod eas singulis seorsim imponere nequirent in tanta multitudine, cujusmodi ritus alias illis usitatus ac familiaris erat Genes. 48: 14. ubi ejus primum, notante id *Riveto*, fit mentio, voluntque *Athanasius* (r) & *Hieronymus* (s) Jacobum exhibuisse typum crucis, cum benedicens filiis Josephi, transponeret manus. Id quod conferenti cap. cit. vers. 13. cum 14. obscurum esse haut poterit. Vide porro in N. T. Matth. 9: 18. c. 19: 13, 15. Oblati sunt pueri ad Jesum, ut manus eis imponeret, & oraret pro eis, quibus cum manus imposuerat, inde discessit. Ad quem locum optime annotat *Beza*: *Impositionis manuum symbolum apud Judæos erat familiare, quoties solemnis aliqua oratio vel BENEDICTIO peragi debuit.* Actor. c. 6: 6. cap. 13: 2, 3. cap. 19: 6. cap. 28: 8. Alias χειροτονίας s. χειροθεσίας causas reperire licet apud *Joh. Coccejum* (t), *Joh. Seldenum* (u), Dn. D. *Joach. Hildebrandum* (x) & B. Dn. D. *Gerhardum* (y).

§. 22. Ne autem sine Hebræorum testimonio præcedentia adfirmasse videamur, en *Auctorem Sepher Ikkarim* (z): והיו נושאין כפיהם בשעת הברכה שהוא בענין סמיכת היד: i. e. *Elevabantque manus tempore benedictionis, quia est quædam impositio manus.*

§. 23. E quibus, quod scil. benedictio hæc sit manus quædam impositio, *Josephus de Voisin* (a) inepte exsculpere conatur fictitium Confirmationis Sacramentum. Ita enim l. c. scribit: *Benedictioni sacerdotum, quæ, ut refert Auctor Tzeror Hammor in Numer.* 6. :כלי זינם ושמירת של ישראל זאת הברכה i. e. *Est armatura & protectio Israel; substituit Christus Sacramentum Confirmationis Actor.* 8: 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Sicut illa sacerdotum benedictio erat quædam manus impositio* &c. Sed hæc aliorsum pertinent.

§. 24. *Manus* dicto modo *elevatæ* præterea *erant expandendæ.* Circa modum expansionis auctores in diversas abeunt sententias. *Petrus Galatinus* (b) [qui sua maximam partem è *Raymundi Pugione fidei*, suppresso Auctoris nomine, advertente id *Gaspare Scioppio* (c), & illud ipsum concedente *Josepho de Voisin*, editore & commentatore *Raymundi*, exscripsit] ita scribit: *Hæc benedictio cum nomine quatuor litterarum, quæ cum tribus digitis ambarum palmarum erectis & duobus depressis fiebat, ad designandam divinarum personarum Trinitatem per ipsum nomen significatam* &c. Cui aures substrinxere B. *Dorscheus* (d), *Antonius Cregutus* (e) nec non B. *Ursinus* (f), qui addit locum ex *Galatini Epistola ad Reuchlin.* olim, ut ait, excerptum, ita habentem: *Summus Sacerdos populo benedicens, ambas manus ante faciem protensas tenebat; cum vero nomen DEI Tetragrammaton proferebat, pollicem, indicem & medium erigebat in utraque manu, reliquos duos in palmam depressos habebat, & sic nomine illo prolato tres statim ejusdem digitos insimul uniebat, ut veteres Talmudistæ tradiderunt.* Vid. Figur. I. in tabella nostra ænea.

§. 25. His propemodum gemina proponit *Paulus Weidnerus* [g], Judæus conversus: *His*, inquiens, *benedictionibus* [quæ habentur Numer. 6.] *sacerdos alicui benedicens protensas ante vultum suum palmas utrasque tenebat; cum vero dicebat* Dominus, *tres digitos priores, pollicem videlicet, indicem atque medium manus utriusque rectos altius erigebat, & dicto ita* Domino, *digitos, ut prius, remittebat.* Hisce credidit D. *Quistorpius* [h].

§. 26. Aliter sentit *Athanasius Kircherus* [i] qui sibi certo persuasum habet *sacerdotes summos solennem olim populo daturos benedictionem tribus mediis digitis dextræ manus extensis, veluti tribus* ייי *Iod, hoc nomen* [Tetragrammaton] *teste perplexorum doctorum Rambam, non sine causa mystæ expressisse: erat enim* [addit] *illa typus quidam benedictionis per Patrem & Filium & Spiritum S. in lege gratiæ dandæ fidelibus.* Vid. Fig. II. in tabula ænea, circa quam [ne *Kirchero* alienam mentem affinxisse videar,] monendum duxi, chalcographum errorem digitos contractos, quum tamen *Kircherus* divaricatos eos exhibeat, figurasse.

§. 27. Quod ad *Galatini*, qui veteres *Thalmudistas* in partem vocare nullus dubitavit, sententiam attinet, merito ex ipso quæreres: πȣ̃ κεῖται? Certe in *Talmude* hac de re ne γρῦ quidem extat, nec in Codice *Sota*, ubi *Talmudistæ* ex professo de hac benedictione agunt, vel verbulum *Galatino* favens reperire est. Et si *Talmudistæ* id tradiderunt, cur librum *Talmudis* non nominavit, cur caput, cur paginam non citavit? Sed hoc non est ausus facere, alioquin enim ejus mendacium eo citius & manifestius fuisset deprehensum. Neque tamen hoc adeo mireris, quum idem *Galatinus* [k] mentionem faciat alicujus libri, vocati גלי רזיא i. e. *Revelatoris arcanorum*, qui tamen Indice *Leusdenio* [l], fortasse nunquam in rerum natura fuit. Sic lib. 2. c. 10. de Arc. Cath. verit. ex suo *Rabbenu Hakkadosch* de nomine *Tetragrammato* plurima refert, quæ in scriptis Hebræorum nusquam comparent, adeoque à doctissimis viris pro ὑποβολιμαίοις habentur. Consul. *Pfeifferus* [m] & *Drusius* [n]. Plura de *Galatino* judicia occurrunt apud modo laudatum *Leusdenium* [o]. Pro Junone ergo crassissimum aërem amplectatur, & pro pisce fustem extrahat, necesse est, qui heic *Galatino* fidere velit. Idem dicendum de *Weidneri* sententia, præcedenti gemella.

§. 28. *Athanasium Kircherum* dudum perstrinxit *Jo. Stephan. Rittangelius* [p] homo Christiano-Judæo-Christianus. [vid. Pfeiff. Exercit. Bibl. pag. 35. §. 11.] Ad *More Nevochim Rambam* s. *R. Mosis Maimonidæ doctorem perplexorum* provocare non erubescit, quum tamen in ipso hac de re nec vola compareat, vec vestigium. Sed utut *Galatinus* satis audax & impudens fuerit, *Kircherus* tamen audacia & impudentia ipsum longe superat. Eo enim impudentiæ processit, ut in margine *Prodromi sui Copti* etiam paginam ex *Rambam* citet, quamvis, quod obiter moneo, ipsum vocabulum מורה ne recte quidem scripserit, auctorem citans hunc in modum: *Rambam in* מרץ fol. 55. pag. 2. Imperitis itaque imponat *Kircherus*, non iis, quibus ipsa loca inquirere datum est. Ei proinde fidem heic habebit nemo, nisi qui itidem novus Ixion nubem invadere discupit.

§. 29. Aliquam tamen *Kircherus* suæ sententiæ speciem conciliare potuisset, si legisset ea, quæ habet R. *Bechai* [q]: יש שפירשנו כי האותיות שם הוה רושם דל"ת בגודל יו"ד בזרת שהוא הקטן שין בשלשה אמצעיות: id est, *Quidam exponunt litteras* [Tetragrammati] *designatas sic fuisse, ut* ד *DALETH exprimeretur pollice,* י *IOD, minimo digito,* ש *SCHIN tribus mediis.* Quibus verbis *Josephus de Voisin* [*] ex

(q) *In de luct. Ebræor. pag.* 288. (r) *Quæst. XV. ad Antioch.* (s) *Ad cap.* 31. *Ieremiæ.* (t) *Not. ad Sanhedrin. pag.* 14. (u) *Notis ad Eutych. Ægypt., Patriarchæ Orthodoxorum Alexandrini* Ecclesiæ suæ origines *Arabice conscriptas p.* 27. (x) *In Rituali orantium pag.* 134. *& seq.* (y) *Not. ad Actor. cap.* 6. *v.* 199. (z) *Lib.* 4. *cap.* 19. (a) *Observationibus in proœmium pugionis fidei Raymundi Martini pag.* 52. (b) *In de Arcan. Cathol. verit. lib.* 2. *cap.* 9. *p. m.* 79. (c) *In Diatribe de compendiosa & facili linguam Hebræam & Chaldæam condiscendi ratione p. m.* 26. (d) *In Mysaria Myssæ cap.* 3. *sect.* 8. *pag.* 101. (e) *In* גלי רזיא *seu Revelatore arcanorum pag.* 355. (f) *In Quinquagena festivali pag.* 113.

[g) *In locis suis pag.* 150. [h] *In annotat. ad Numeror. cap. VI. v.* 24. *pag.* 158. [i] *In Prodromo Copto seu Ægyptiaco cap. VIII. pag.* 210. [k] *Lib.* 2. *c.* 11. *&* 12. *de Arc. Cath. verit.* [l] *In Philolog. Hebræo pag.* 290. [m] *In fascicul. dissert. Phil. pag.* 171. [n] *In Tetragrammato p.* 11. [o] *In Philol. Hebr. pag.* 286. *Item in Philol. Hebræo-mixt. pag.* 40. *nec non in Ioële illustrato pag.* 10. [p] *In Collectis novi anni Germanice abs se editis, quaternione B.* 2. *& seqq.* [q] *Comment. in cap.* 6. *Numeror.* [*] *Notis ad p.* 542. *Raymundi pug. fid.*

ex *Bechai* citatis præmittit ſequentia: *Sed & illud notatu dignum eſt, quod refert R. Bechai* &c. *Sacerdotes benedicentes populo elevatione manuum ſic digitos compoſuiſſe, ut triada exprimerent, ſive tres diſtinctas literas nominis Tetragrammati, quod quum occulte pronunciare volebant, proferebant per* יד יש, jad jeſch, *loco Jehovah, vel* די יש di jeſch. Adductis dein verbis *Bechai*, à nobis jam recenſitis ſubjungit: *Ex illis autem tribus literis* "י "ד "ש *exſurgit nomen* Sadai, i.e. *omnipotens. Quemadmodum ex* י *cum* ד *& iterum cum* ש *fit* יד יש jad jeſch, i.e. *manum eſſe; ſive nomen manu expreſſum: vel* די יש *qui eſt.*

§. 30. Aliter quidem Dn. *Steudnerus* (r): ex auctore *Schene Luchoth* fol. 9. b. nomen שדי, exprimit digitis, nempe ש *Schin* medio, annulari & auriculari, ד *Daleth* indice י *Jod* pollice. At vero non in benedictione ſacerdotali, ſed in adparitione Abrahamo facta nomen שדי Schaddai ita expreſſum eſſe ex eodem Rabbino obſervat laudatus Dn. Steudnerus. Hinc ex illo ipſo ſubjungit: וזהו שהראה הק"בה לאברהם באל שדי ולא ביד חזקה ממש שהוא ציור יהוה: Id eſt, *Et hoc ipſum eſt, quod adparuit S. ille B. Abrahamo per El Schaddai, id eſt, omnipotentem Deum, & non proprie per manum fortem, quæ eſt figura Jehovah.* Kabbalam tamen hæc redolent ſapiuntque.

§. 31. Sed ad ſententiam *Bechai* quod ſpectat, ille non ſcribit, ſe ita ſentire, verum aliquos duntaxat ita explicare, quo ipſo ſane aliorum aliam eſſe ſententiam haut obſcure indigitat. Quod ſi quis ipſum ita ſentire velit elicere exinde, quod nullam ſubjungit ἐπίκρισιν, tunc dicendum, quod ſui oblitus ſit *Bechai*: antea enim ſcripſerat (s): וכבר הודעתיך בפרשה ויבא עמלק שהכהן בשנושא העשר יתקדשו כל העשר: i.e. *Et jam ſcire te feci in ſectione*: Et venit Amalek; *quod ſacerdos, quando elevat decem* (digitos,) *ſanctificentur illi decem omnes.* Interea quicquid ſit, nobis certo conſtat, alio fuiſſe modo expanſos digitos.

§. 32. Equidem apud *Romanos* imprecationes *indigitamenta* dicta ex *Feſto* conſtat, quod non tota manu, ſed digitis & quidem tribus fierent, quod Maga *Ovidii* incitata fecit, quæ

—— *digitis tria thura tribus ſub limine ponit,*

Scribi autem ſolita ſunt *III. digitamenta*, unde vulgi errore *indigitamenta.* Sic etiamnum noſtris in templis uſu receptum eſt, ut benedictio Eccleſiaſtica tribus prioribus digitis peragatur. Sed à Romanorum noſtriſque moribus ad Judæorum ritus argumentari non licere, quivis facile videt.

§. 33. Paulo cautior cæteris, non tamen omni ex parte verax eſt *Salomon Trecenſis*, commentator Sacræ Scripturæ ordinarius, qui tantum expanſas fuiſſe manus docet, ipſum modum expanſionis non exprimendo. Hinc enim citante Capnione (t) ſic ſcribit: לכך הכהנים פורסים כפיהם לומר הקבה עומד אחרינו שני הנה זה עומד אחר כתלינו משגיח מן החלונות מבין אצבעות של כהנים: Quæ ita vertit *Reuchlinus*: *Itaque ſacerdotes diſtendunt manus ſuas, dicendo: Sanctus benedictus ipſe ſtat poſt nos: ſicut ſcriptum eſt: En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, animadvertens de feneſtris inter digitos ſacerdotum.* (Addit *Capnio*: Sic in vetuſti codicis membrana ſcriptum teneo, quamvis impreſſa quædam volumina chartacea verbis iſtis careant.) Verum ſacerdotes non ita dicere: *Sanctus benedictus ipſe ſtat* &c. ſed tantum ex illo Salomonis: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum* &c. Rabbinos probare conari, quinque inter digitos ſpatia eſſe facienda, liquebit ex ſeq. §. 37.

§. 34. Quo autem denique conſtet, quomodo ſacerdotes manus expanderint, ſcias, quod *ſacerdotes digitos divaricarint ita, ut quinque inter eos ſpatia ſeu intervalla facerent, nempe quatuor inter ſingulos digitos, & quintum inter duos pollices*, ut majeſtas divina, ex mente Hebræorum, in iis reſideret. Schema ex R. *Akibiade* expreſſum reperies in tabella noſtra ænea, Fig. III. jam ſupra nobis citata. Plane eundem modum adducit etiam *Buxtorfius* filius in *Appendice Synagogæ Judaicæ*, auctorem tamen, ex quo illa deſumſit, non nominando.

§. 35. Præter teſtimonium autem R. *Akibiadis* allatum confirmat noſtram ſententiam conſuetudo *Judæorum*, qui τῶν πατροπαραδότων tenaciſſimi ſunt, hodienum in Synagogis, modo jam traditio, benedicentium, ut ita nulli dubitemus, quin in V. T. parili ratione ſacerdotes manus inter benedicendum figurarint. Nam verba ſunt Excellentiſſimi Dn. *Joh. Friſchmuth, Lingg. Orient. Prof. Publ. celebratiſſimi*, (u) *Gamalielis noſtri ætatem venerandi* (qui una cum Excellentiſſimo Dn. *Boſio, Polyhiſtore celeberrimo, Præceptore itidem noſtro colendiſſimo*, libris ad hanc diſputationem neceſſariis, quod publice gratiſſimo celebramus animo, nos inſtruxit): *Non omnia, quæ Judæi olim recepta fuiſſe in Talmud & alibi teſtantur, ſubleſtæ fidei ſunt*; & D. *Hildebrandus* (x): *Ritus Judaicos*, inquit, *obſervaſſe multum juvat, cum è majoribus deſcendant (licet ſint hodie infideles) qui olim in ſumma apud Deum gratia & fœdere fuerunt.*

§. 36. Quid quatuor coronæ in tab. ænea expreſſæ ſignificent, Akibiades ſupra citatus non adeo clare propoſuit. Hoc tamen novi, divinitatem iis præſentare Hebræos; literis autem illis, quæ in figura III. ut & IV. adparent, nil aliud indigitare velle, quam ſacerdote benedictionem recitante præſentem eſſe divinam majeſtatem, &, ut ſuper Akibiades voluit, uniri cum manibus ſacerdotum. Occurrunt autem eædem litteræ in manibus, quæ ſub radiis 4. coronarum. In utroque pollice legitur הא i. e. *He*, in utroque indice אלף i. e. *Aleph*, in medio dextræ יוד i.e. *Jod*; ſiniſtræ vero ואו i. e. *Vau*, in annulari dextræ itidem ואו i. e. *Vau*; ſiniſtræ autem אלף i.e. *Aleph.* Denique in articulari dextero דלת i.e. *Daleth*, in ſiniſtro denuo ואו i. e. *Vau.* Quatuor coronis ſubjectæ ſunt 4. literæ vocis יהוה, quæ diviſim leguntur in manibus, nempe יה in dextera, & וה in ſiniſtra. E quatuor litteris primis, radiis coronarum ſubjunctis, emergit itidem nomen Tetragrammaton יהוה. Prima corona, cui ſubeſt littera י i.e. *Jod*, de ſe ſpargit radios novem, quibus ſubſternuntur totidem litteræ nempe יוד ואו דלת è quibus per ראשי תיבות i.e. per *ſiglas*, quas barbare *abbreviaturas* vocant, provenit יו"ד *Jod.* Secunda corona quinque radios & totidem litteras ſub ſe continet, ſcil. הא אלף, è quîs per ſiglas emergit ה"א *He.* Tertiæ iterum novem radii totidemque ſubjacent litteræ, nimirum ואו אלף ואו. Hinc promanat per Scripturæ compendium jam oſtenſum ואו *Vau.* Quarta ad ultimum denuo quinque gaudet cum radiis, tum litteris, ſcil. הא אלף. Unde per ראשי תיבות ſ. *capita dictionum* exſurgit ה"א *He*, ut adeo nomen *Tetragrammaton*, in 28. his litteris occurrat, primum ſumendo primam cujuſque coronæ radiis ſubjectam litteram: deinde accipiendo primam litteram nominis cujuſque elementi radiis coronarum ſubjuncti per ſiglas, jam adducto modo. Præterea velut è manibus articuli digitorum egrediuntur & ad inſtar ramorum progerminant (illud enim ramuli in manibus effigiati præſentant): ita è quatuor coronis varii emittuntur radii ad deſignandam multitudinem miſerationum divinarum. Repete heic, quæ ſupra ex Rabbi Akibiade adduximus. Sed hæc *Cabbaliſtica*, [quæ, licet interdum pie delectent, non tamen, niſi apud Judæos, aliquod habent pondus, argumentative vim ullam (y),] ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 37. Quamvis autem modum expanſionis paulo ante allatum, quem figura III. in tabella ænea oſtendit, genuinum eſſe dicamus, nequaquam tamen in Judæorum caſtra tranſimus, quatenus quinque inter digitos ſpatia eſſe facienda probare conantur inde, quod huc reſpexerit *Salomo*, quando (Cantic. 2: 9.) dixit: *En! ſtat poſt parietem noſtrum* מֵצִיץ מִן הַחֲרַכִּים i. e. *proſpiciens è feneſtris*: nam dum dixit החרכים voluit dicere מִן ה' חֲרַכִּים i.e. *è quinque feneſtris*; h.e. ſpatiis iſtis in manibus ſacerdotum. Vid. *Buxtorfius* (z). Admodum enim infirmo ſtare talo hanc probationem, probatione nulla indiget.

§. 38. Quinto recitari debet hæc benedictio non niſi *lingua ſancta ſ. Hebræa.* Audiantur *Talmudiſtæ Cod. Sota* (*): אלו נאמרין בלשון תקודש מקרא ביכורים וחליצה ברכות וקללות ברכת כהנים וברכות כהן גדול ופרשת המלך ופרשת עגלה ערופי ומשוח מלחמי שמדבר אל העם: i.e. *Illa proferuntur in lingua ſancta*, [nempe] *ſectio de primitiis & extractione calcei, benedictiones & maledictiones* [nempe in monte Garizim & Ebal,] *benedictio ſacerdotum & benedictiones Pontificis maximi, caput de Rege, ſectio vitulæ decollatæ & uncti in bellum, tempore, quo loquitur populo.*

§. 39. *Gemariſtæ* circa hunc *Miſchnam* ita diſceptant: תנו רבנן כה תברכו בלשון הקודש אתה או בלשון הקודש או אינו אלא בכל לשון נאמר כאן כה תברכו ונאמר להלן אלה יעמדו לברך את העם מה להלן בלשון הקודש

(r) In der Jüdiſchen A b c Schul *pag. 314. & ſeq.* (s) *l.c.* (t) *Lib. 3. de Kabbala p.m. 763.*

(u) *In Diſſertatione de VIA SABBATI cap. 1. §. 18.* (x) *In de nuptiis veterum Chriſtianorum libello.* (y) *Vid. Pfeiff. Exercit. Bibl. pag. 83. §. 55.* (z) *In Synag. Jud. cap. 26. pag. 534. item in appendice ejuſd.* (*) *Cap. VII. Miſchna 2.*

הקודש אף כאן בלשון הקודש רבי יהודה אומר אינו צרי' הרי הוא אומר כה עד שיאמרו בלשון הזה i.e. *Tradunt Doctores:* (Verbis illis) *Sic benedicetis* (indigitari, fieri id debere) *in lingua sancta. Tu dicis: in lingua sancta; annon (fortasse) etiam in omni lingua? Dicitur heic:* Sic benedicetis; *& dicitur illic* (Deut. cap. 27: 12.) Illi stabunt, ut benedicant populo. *Quod illic in lingua sancta, etiam heic in lingua sancta. R. Jehuda ait: Non est opus* (tali probatione;) *ecce dicit* (textus): כה i. e. *Sic, donec (scil.) dixerint in hac lingua* (nempe sancta.)

§. 40. Sexto sacerdoti benedicendum est *elatiore voce.* De hoc *Gemaristæ,* (a) ita: תניא אידך כה תברכו בקול רם או אינו אלא בלחש תל אמור להם כאדם שאומר לחבירו: i. e. *Traditio alia: Sic benedicetis (scil.) voce clara; aut (fortasse) tantum submissa voce? Hæc vult dicere: DICENDO ILLIS* (nempe) *sicut homo, qui loquitur socio suo.*

§. 41. Porro peragenda est hæc benedictio πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, i. e. *facie ad faciem. Gemaram* (b) denuo placet audire: תניא אידך כה תברכו פנים כנגד פנים אתה אימר פנים כנגד פנים או אינו אלא פנים כנגד עורף ת"ל אמור להם כאדם האומר לחבירו: i. e. *Traditio alia: Sic benedicetis (nimirum) coram & in conspectu. Dicis: Coram & in conspectu; nonne etiam aversa facie? Hæc vult dicere: DICENDO ILLIS* (nempe) *sicut homo loquitur socio suo.*

§. 42. Tandem in hac benedictione nomen *Tetragrammaton* יְהֹוָה fuit pronunciandum in templo Hierosolymitano. Extra templum pro יְהֹוָה reponebant אֲדֹנָי, testantibus id *Talmudistis* (c) במקרש אימרים את השם ככתבו ובמדינה בכינויו: i. e. *In sanctuario* (templo) *pronunciant nomen* (Tetragrammaton) *secundum scripturam suam; sed in provincia* (i.e. extra templum) *per cognomen* s. epitheton *ejus.* Ad quæ verba ita commentatur R. *Obadias de Bartenora* בכתבו ביוד הא בכנויו באלף דלת i. e. *Prout scribitur (nempe) per Jod He (s. Jehovah): per cognomen ejus (nempe) per Aleph Daleth (s. Adonai.)* Addemus & *Gemaristas* ita disputantes l. c. ותנוא אידך כה תברכו את בנו ישראל בשם מפורש אתה אומר בשם מפורש או אינו אלא בכינוי תל ושמו את שמי שמי המיוחד לי יכול אף בגבולין כן נאמר כאן ושמו את שמי ונאמר להלן לשום את שמי שם מה להלן בית הבחירה אף כאן בבית הבחירה ר' יאשיה אומ' אינו קריך הרי הוא אומ' בכל המקום אשר אזכיר את שמי אבוא אליך בכל מקום סלק' דעתך אלא מקרא זה מסורס הוא בכל מקום אשר אבוא אליך וברכתיך שם אזכיר את שמי והיכן אבוא אליך וברכתיך בבית הבחירה שם אזכיר את שמי בבית הבחירה: i. e. *Et traditio alia: Sic benedicetis filiis Israël* (nempe) *in nomine exposito* (Tetragrammato). *Tu dicis: in nomine exposito; aut fortasse tantum per cognomen? Vox hæc vult dicere: Et ponent nomen meum,* (scil.) *nomen meum appropriatum mihi. Forsan etiam in Gebhulin* (i. e. extra sanctuarium)? *Sic dicitur heic:* Et ponent nomen meum; *& dicitur illic:* Ad ponendum nomen meum illuc. *Quod illic in domo electionis* (i. e. in sanctuario,) *etiam heic in domo electionis. R. Jaschaja ait: Non est necesse; ecce* (textus) *dicit:* In omni loco, ubi memoriam constituam nominis mei, veniam ad te; *in omni loco, fortasse putas? Ast textus est per parenthesin interruptus:* In omni loco, (quo veniam ad te & benedicam tibi;) ibi constituam memoriam nominis mei. *Sed ubi veniam ad te & benedicam tibi? in domo electionis, ibi constituam memoriam nominis mei, in domo electionis* (s. sanctuario.)

§. 43. De hoc nomine *Tetragrammato* quædam occurrunt apud Viros doctissimos, quibus calculum nostrum, ob causas infra indicatas, adjicere nequimus. Et quidam nulli nisi *sacerdoti summo benedictionem Ecclesiasticam* Num. 6. descriptam, *publice recitanti illud, quanquam obscure, efferre licuisse, putant.* Idem sentit Cl. *Buxtorfius.* (d) Neque abit ab hac sententia Auctor *Scholæ Theologicæ,* qui se litteris tantum initialibus I. W. S. B. nominavit, ita scribens (e) *Traditio est Judaica, nomini nomen istud* יהוה *pronunciare fas esse, præterquam Pontifici maximo, quoties ex officio populo benedicebat in templo.* Et ante hos id ipsum statuit *Galatinus* (f) Consentit *Scaliger* (g) aliique *Drusio* in *Tetragrammato* (h) citati. His favere videntur, quæ habet *Abarbanel,* alii *Abrabanel,* alii *Abarbinel,* alii *Abarbenel,* alii *Abrabaniel,* alii *Afrafaniel,* alii denique *Afrafnal* nominare sueverunt: (i) לפי שהיה צריך המזכיר את השם לרעת אותו היה הכג יורע השם הנכבד ומזמר אותו כברכה כהני' באותיותיו והכהן הדיוט מפני שלא היה יורע אותו היה מברך במדינה בכנויו: Quæ sic vertimus:

Quia memoraturum nomen (Tetragrammaton), *illud sciret, oportuit,* (ideo) *sacerdos summus, quia sciebat nomen illud venerabile, efferebat illud in benedictione sacerdotum per litteras suas; sed sacerdos vulgaris, quia illud nesciebat, benedicebat in provincia, per cognomen ejus.*

§. 44. Sed unde *Abarbanel* & ceteri ejus asseclæ hoc probatum dabunt, quod nemo nisi *summus sacerdos* illud norit & salus pronunciarit? Sane tam ex *sacro Codice,* quam *ex Talmude* erroris convinci possunt hi auctores. Nam *Numer. cap.* 6: 23. dicitur: *Dic Aharoni & filiis ejus.* Et sequitur: *Sic benedicetis filiis Israël.* Et paucis interpositis inquit Jehovah: *Nomen meum ponetis super eos,* quæ non *Talmudistæ* magis, quam R. *Salomo Jarchi* de *Schem hammephorasch* s. *Tetragrammato nomine* exponunt. Dd. *Talmudistæ,* ubi de benedictione sacerdotum (nempe vulgarium) agunt, tradunt, ipsos in templo pronunciasse nomen, prout scribitur. vid. supra §. 42. Et ne quis dicat, per *sacerdotes* ubi tantum *summos* intelligendos esse, statim in sequenti *Mischna* 8. subjungunt modum benedicendi Pontifici maximo usitatum, adeoque satis evidenter benedictionem *sacerdotum vulgarium* à benedictionibus *summi sacerdotis* distinguunt. Verba eorum ita habent: ברכות כהן גרול כיצר חזן הכנסת נוטל ספר תורה ונותנה לו לראש הכנסת וראש הכנסת נותנה לסגן נותנה לכהן גדול וכ"ג עומר ומקבל וקורא אחרי מות ואך בעשור וגולל את התורה ומניחה בחיקו ואימר יתר ממה שקריתי לפניכם כתוב כאן ובעשור שבחומש הפקודים קירא: על פה ומברך עליה שמנה ברכות על התורה ועל העבירה ועל ההודייה ועל מחילת העון ועל המקדש ועל ישראל ועל הכהנים ועל ירושלם והשאר תפלה: i. e. *Benedictiones Pontificis maximi quomodo* (peraguntur)? *Minister publicus depromsit librum legis, tradiditque capiti conventus, & caput conventus tradidit principi sacerdotum, & princeps sacerdotum tradidit sacerdoti summo. Sacerdos summus stans accipiebat & legebat* אחרי מות (i. e. *post mortem* quæ est sectio, ut Bartenorius explicat מסדר יום הכפורים i. e. *ex sectionibus diei expiationem* & extat (Levitic. 16: 1.) & אך בעשור (i. e. *tantum in decimo,* Hæc sectio extat (Levit. 23: 28.) *librumque legis convolutum in sinu collocabat, dicendo: Plus, quam vobis prælegi, scribere heic, &* בעשור *in Pentateucho Numerorum* (cap. 29: 7.) *memoriter recitabat, recitabatque benedictiones octo, super lege & super ministerio & super confessione & super remissione peccatorum & super sanctuario & super Israël, & super sacerdotibus & super Jerusalem reliquisque precibus.* Tota hæc fere sectio iterum occurrit *Cod. Joma cap.* 7. Qui ejus uberiorem explicationem desiderat, adeat Anglum illum celeberrimum *Robertum Sheringhamium,* (k) A nostris partibus stat etiam *Maimonides* (l) sic scribens: *Gloriosum istud nomen, ut nosti, non proferre licet, nisi in Sanctuario, & à sacerdotibus Dei sanctis solum in Benedictione Sacerdotum, ut & à Sacerdote magno in die Jejunii* &c. Ex quibus satis probatum esse putamus, *non solum sacerdotem summum, sed & reliquos sacerdotes hoc nomen pronuntiasse.* Immo supra citatus *Abarbanel* sibi ipse contradicit. Nam immediate subjicit hæc verba: וזה השם הוה מוסר האב לבניו והרב לתלמידיו פעם אחת בשבוע וכו' i. e. *Et hoc nomen docuit pater filios suos & Raf discipulos suos per hebdomada* (*Maimonides,* ut mox dicetur, dicit: *septennio*) *semel* &c. Ergo non solus *Pontifex maximus* hoc calluit. *Consentit nobiscum Sixtinus Amama in Antibarbaro Bibl. p.* 303.

§. 45. Tametsi autem in templo pronunciatum fuerit hoc nomen, pronuntiari tamen desiit diu ante excidium templi. Defecit vero tempore *Simeonis Justi,* teste *Rambam* (m) משמת שמעון הצדיק פסקו הכהנים מלברך בשם המפורש אפילו במקדש כדי שלא ילמוד אותו אדם שאינו חשוב ושאינו הגון ולא היו חכמים הראשונים מלמדין שם זה לתלמידיהם ובניהם ההגינים אלא פעם אחת לשבע שנים וכו': i. e. *Postquam mortuus est Simeon Justus, cessarunt sacerdotes benedicere cum Schem hammephorasch s. nomine exposito, etiam in templo, ut nemo illud disceret, nisi sapiens idoneusve. Neque priores sapientes docuerunt hoc nomen discipulos filiosque idoneos suos, nisi septennio semel* &c. Confer eundem *Maimonidem* (n).

§. 46. Suffecerunt autem in locum Tetragrammati nomen 12. litterarum, (ut docet *Maimonides* in *More Nevochim* s. *Doctore perplexorum,* part. 1. cap. 62.) quod sanctitate inferius erat Tetragrammato. Sed in hocce nomine DEI duodecim litterarum, quodnam illud fuerit, indicando major Auctorum convenientia non est, quam inter horologia. *Maimonides*

a *Loc. cit.* (b) *Loc. cit.* (c) *Cod. Sota c.* 7. *misch.* 7. (d) *In Lexic. Chaldaico-Talmudico-Rabbinico pagin.* 2433. (e) *Pag.* 48. (f) *Lib.* 2. *c.* 10. *de A. C. V.* (g) *In not. ad Fragmenta selecta.* (h) *Pag.* 14. *vs.* 15. (i) *Comment. in Numeror. cap.* 6.

(k) *Not. ad Cod. Joma p.* 157. *& seqq.* (l) *In More Nevochim cap.* 61. *p.* 107. *ex versione Buxtorfii.* (m) *Cap.* 14. *in* הלכות תפלה וברכת כהנים: (n) *In* מורה נבוכים *seu Doctore perplexorum cap.* 62.

monides ipse illud, ut videtur, ignoravit (alioquin enim istud forte protulisset): hoc tantum dixit l. c. *illud, prout mihi quidem videtur, non erat unicum vocabulum, sed duo aut tria, quæ litteras habebant duodecim.* Nihilo tamen minus illud exprimere conatur *Jo. Capnio* lib. 3. de *Cabbala* p. m. 763. ubi hæc habet: *Illius Tetragrammati loco substituerunt nomen* 12. *litterarum, quod esset aliquanto sacratius, quam nomen Adonai & tamen ineffabili Tetragrammaton longe minus divinum, quo sacerdotes in benedictione uterentur. Consuevit autem quatuor his litteris* הקבה *cum apicibus in capite cujuslibet per notariacon signatis conscribi, & ita pronunciari* הקדוש ברוך הוא i. e. Sanctus benedictus ipse. *Per quod benedictionem à Deo Numeror. 6. mandatam, posterius super populum pro Tetragrammaton ita proferebant*: Benedicat te Sanctus benedictus ipse, & custodiat te. Ostendat Sanctus benedictus ipse faciem suam tibi, & misereatur tui. Levet Sanctus benedictus ipse faciem suam ad te, & ponat tibi pacem. Et nonnullis interjectis hæc adjungit: *Firmissime vero credunt nostri, & nullatenus dubitant, hac forma expressam benedictionem tantæ prosperitatis esse causam, quantæ fuisset, si nomen Tetragrammaton, quod nunc Adonai pronunciant, in istis imprecationibus permaneret. Mutatio enim hæc facta est ad honorem Tetragrammati, ne toties iteratum, neglectui tandem subjaceret, quod Deus Optimus Maximus omnium maxime avertat.* Hactenus *Reuchlin.* Aliter sentit *Bechai* in Comm. ad cap. 6. Numer. ubi ita scribit: וזהו שדרשו רבותינו ז"ל כה תברכו בשם המפירש ושלושה שמות אלו הם הנקראים שם המפירש של י"ב וג"ו: i. e. *Hæc est mystica Doctorum nostrorum f. m. interpretatio* (eorum verborum, quæ habentur vs. 23. & 24. &c. Num. 6.) Sic benedicetis &c. *in nomine scil. hammephorasch* (s. exposito) *Porro tria illa nomina* (quæ in tribus versibus 24, 25. & 26. referuntur). *vocantur nomen 12. litterarum.* Adeoque *Bechai* putat, nomen יהוה ter repetitum esse nomen illud 12. litterarum. Denique *Galatinus* in libro de A. C. V. cap. 11. docet, nomen 12. litterarum fuisse hoc: אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ i. e. *Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* In tanto itaque auctorum dissensu tutissimum videtur, neque in *Bechai*, neque in *Reuchlini Galatinive* castra transire; sed rem, utpote creperam, in medio relinquere, utut facile conjectatu sit, falli & fallere *Bechai*, quia nomen Tetragrammaton, ter quantumvis sumtum, non potest dici substitui in locum Tetragrammati: Ecqui enim idem sibi ipsi potest substitui?

§. 47. Quod ad *Simeonem Justum*, cujus antea mentionem injecit *Maimonides*, attinet, illum cum *Galatino* (o) *Buxtorfius* (p) eum fuisse putat, qui Christum infantulum suscepit in ulnis. Sed non immerito *Drusius* (q): Aut ego, inquit, vehementer fallor, aut loquitur (Maimonides) de *Simeone Justo*, qui vixit ætate *Alexandri.* Quam sententiam confirmandam suscipit ex *Abraham Davidis Kabbala.* Potuisset autem suam sententiam roborare antiquiore testimonio ipsorummet *Talmudistarum* (r), ubi: *Orarunt Cuthæi*, inquiunt, *Alexandrum Magnum, ut destrueret templum* (Hierosolymitanum). *Venerunt quidam, atque rem patefecerunt Simeoni Justo* &c. vide plura apud *Jo. Lichtfoot* (s), qui etiam hunc *Simeonem Justum* à *Josepho* (t) nuncupari *Jadduam* observat.

§. 48. Ratio nostra potissimum hæc est, quod, quum suspicante ipso *Buxtorfio* (u) ideo in serie Patrum non ponatur *Simeon* ille, cujus Euangelista *Lucas* cap. 2: 25. mentionem injicit, quod, posteaquam Christum est amplexus, ejus memoriam præterierint, multo minus tam notabile tempus, quo scil. *Tetragrammaton* pronunciari desiit, ipsius nomine, præsertim quum non fuerit *Pontifex maximus*, ut ille *Jaddua*, signaverit *Maimonides.* Potius nominasset *Cajapham* vel *Annam*, si eo accidisset tempore. Consentit nobiscum D. *Moltherus* (x).

§. 49. Nec vero illi audiendi sunt, qui dicunt, *Simeonem Justum*, σύγχρονον *Alexandri Magni*, eundem fuisse cum *Simeone*, qui Christum infantem suscepit in ulnis, alioquin plus, quam trecentos explevisse debuisset annos.

§. 50. Porro intactum haut possum relinquere ἁμάρτημα ejusdem Viri Cl. *Buxtorfii*, ut & cum ipso sentientis *Ludovici de Dieu*, quorum ille in *Lexico Talmudico*, (y) hic *Notis ad Galat.* 3: *vs.* 14. (z) scribit, *non nisi semel in anno* ביום הכפורים i. e. *in die expiationum fuisse pronunciatam per* שם המפורש (i. e. *nomen expositum*) *benedictionem sacerdotalem.* Et addit idem Dieu l. c. *ut sciamus, totam eam* (benedictionem) *à Christi sacerdotio, & ab ejus corpore tanquam vero templo & ab ejus expiatione pependisse, & in eo solo constitisse, per quem arcanum DEI nomen, quod omnibus, præterquam sacerdoti* (scil. summo; sed hoc falsum esse jam supra probatum dedimus,) *fuerit incognitum, factum est nobis* מפורש *expositum, teste Johann.* 1: 18. Quæ partim optime quidem dicuntur, sed è falsa hypothesi deducuntur.

§. 51. Enimvero hisce opponimus verba *Maimonidis*, (a) ita loquentis: במקדש מברכין ברכת כהנים פעם אחת ביום אחר תמיד של שחר באין ועומדין על מעלות האולם ומברכין כדרך שאמרנו אבל במדינה מברכים אותה אחר כל תפלה חוץ ממנחה כמו שאמרני: i. e. *In templo sacerdotes* NB. *semel de die* (quotidie) *recitant benedictionem: post sacrificium juge idque matutinum veniunt & stant super gradibus porticus, & benedicunt eo, quo diximus, modo; Ast extra templum recitant eam post omnes preces, excepta mincha s. precatione pomeridiana, ut diximus.* Si ergo quotidie in templo minimum semel recitarunt benedictionem sacerdotes, & quidem semper cum nomine Tetragrammato, utique non in solo expiationum die per Schem hammephorasch ea pronunciata fuit. Ratio autem, quod post *mincham* non recitent benedictionem est hæc, quia facile fieri posset, ut sacerdos aliquis ebrius ad eam recitandam suggestum conscenderet. Sicut hoc ipsum docuit noster *Maimonides* (b).

§. 52. Antequam vero nos hinc abeamus, ulterius notare nobis liceat lapsum *Ludovici de Dieu.* Ille enim loco proxime citato inter leges benedictionis hujus recenset, *requiri, ut sacerdos benedicat (septimo)* במקדש i. e. *in sanctuario.* Sed *textus Talmudicus* supra à nobis in §. 42. allatus ipsi plurimum adversatur, dum discrimen inter benedictionem sacerdotalem recitandam in sanctuario s. templo & inter benedictionem recitandam in provincia s. extra templum Hierosolymitanum expresse statuit hoc, quod in illa fiat per *nomen Tetragrammaton*, in hac per *cognomen ejus*, sive *Adonai* i. e. *Dominus*, sicut id jam supra exposuimus. Ansam errandi doctissimo illi viro fortasse præbuit illud quod nomen *Tetragrammaton* non nisi in Templo (uti docuimus) proferre integrum fuerit. Placent tamen, quæ deinceps l. cit. habet *Ludovicus de Dieu*, *impleta scil. esse* (ante adducta requisita benedictionis) *in vero sacerdote Christo, qui lingua sancta, erectus in cruce, elevatis manibus, alta voce, facie ad spectantium faciem versa, ipsemet Iehova, in sanctuario s. templo sui corporis clamavit, omnia esse completa, quæ nempe ad populi benedictionem pronunciare solebat sacerdos typicus.* Sed dum ita pergit: *Quocirca providus effecit Deus, ut destructo paulo post templi Hierosolymitani sanctuario nunquam amplius ea benedictio ab ullo sacerdote per* שם המפירש *sit prolata, quippe jam complementum suum nacta in Pontifice nostro Christo*; falsa dicit, quia censet, benedictionem hanc per nomen *Tetragrammaton* recitatam fuisse *in sanctuario, quamdiu stetit, sive, usque ad ejus excidium.* Cum his enim pugnant verba *Maimonidis* supra §. 45. à nobis laudata.

§. 53. Ceterum in pronunciatione nominis יְהוָה sentimus contra *Drusium* in *Tetragrammato* & *præteritis N. Test.* cum *Fullero* (c) & D. *Wasmuth.* (d) scil. puncta ei substrata genuina & propria, non mutuatitia esse, neque ejus pronunciationem veram à Samaritanis esse discendam. Rationes heic adferre nimis prolixum foret, petantur ergo è jam laudatis auctoribus.

§. 54. Priusquam autem sacerdos recitet benedictionem, articulate eam & distincte, ne sacerdotes errent, (ut putat *Buxtorfius*) prælegit Lector. Ita enim *Maimonides* cap. 14. tractatus sæpe citati: שליח ציבור מקרא אותן מלה מלה והן עונין: i. e. *Minister publicus prælegit illis ad verbum ipsique sequuntur.* Idem cap. hoc 14. his claudit verbis: בכל מקום משתדלין שיהיה המקרא אותן ישראל שנאמר אמור להם מכלל שאין המקרא מהם: i. e. *In omni loco operam dant, ut Lector sit Israëlita* (non sacerdos), *sicut dicitur*: אמור להם *Dicendo illis, quia nullus omnino lector est ex illis* (sacerdotibus.) Fieri potest, ut sa-

(o) *Libr. 2. cap. 9. de A. C. V.* (p) *In Abbreviaturis Hebraicis pag.* 175. (q) *In Tetragrammato pag.* 17. (r) *Massech. Joma fol.* 69. 1. (s) *Centur. Chorograph. cap.* 59. *p.* 114. (t) *Antiq. Jud. lib.* 11. *c.* 8. (u) *De Abbreviat. Hebr. pag.* 176. (x) *In Catalogo Judaicæ gentis doctorum, qui est affixus ipsius malleo obstinationis Judaicæ pag.* 58.

(y) *Pag.* 2433. *jam supra citata.* (z) *Pag.* 245. (a) *Cap.* 14. *in* הלכות תפלה וברכת כהנים (b) *In frontispicio cap. citati.* (c) *In Miscellan. passim & eorundem appendice p. mih.* 187. *& seqq.* (d) *In Diatribe Philolog. de max. & sanctiss. nom. Dei Tetragr. IEHOVAH.*

ut sacerdotibus fuerit benedictio prælecta eo, quod præsertim tempore templi secundi, plures essent sacerdotes indocti, qui *Hebræis* כהני עם הארץ i. e. *Sacerdotes plebeji* vocantur. Quinimo, quod certe admirandum, ipse *Pontifex maximus interdum tantæ fuit ruditatis, ut ne legere quidem posset.* Vide *Massech. Jona* (e) & in illam notas *Scheringhamii* (f) Adde *Jo. Lightfoot.* (g)

§. 55. Non impedit tamen sacerdotem ruditas, quo minus benedicere possit, quod docet *Maimonides* (h) his verbis: כהן שלא היה לו דבר מכל אלו הדברים המונעים נשיאות כפים אעף שאינו חכם ואינו מדקדק במצות וכו הרי זה נושא את כפיו ואין מונעין אותו לפי שזו מצות עשה על כל כהן וכהן שראוי לנשיאו' כפים ואין אומרים לאדם רשע הוסף רשע והמנע מן המצות: ואל תתמה ותאמר ומה תועיל ברכת הדיוט זה שאין קיבול הברכה תלוי בכהנים אלא בהקבה שנאמר ושמו את שמי על בני ישראל ואני אברכם הכהנים עושין מצותיו שנצטוו בה והקדוש ברוך הוא ברחמיו מברך את ישראל חפצו: i. e. *Sacerdos qui non habet quicquam harum* (sex) *rerum*, quas supra adduximus ex Maimonide) *prohibentium benedictionem, quamvis non sit sapiens nec institutus in præceptis &c. ecce hic elevat manus, neque prohibent ipsum, quia hoc præceptum affirmativum omnes sacerdotes* (obligat) *& sacerdotem, qui dignus est, ut elevet manus, neque dicitur improbo homini: Auge impietatem & cohibe te à præceptis. Nec mireris dicasque: Quid proderit benedictio idiotæ hujus? quia acceptio benedictionis non pendet ex sacerdotibus, sed ex sancto illo benedicto, sicut dicitur: Et imponetis nomen meum filiis Israël & ego benedicam illis. Sacerdotes exequuntur mandatum ejus, quod præceptum est in ea* (benedictione) & *S. ille B. per misericordiam suam benedicit Israelitis suis desideratis.*

§. 56. Ad versum primum populus respondet *Amen*, & sic ad secundum tertiumque. Confirmo hoc testimonio *Maimonidis* & quidem è cap. 14. tractatus tam frequenter à nobis citati: כשמשלימין פסוק ראשון כל העם עונין אמן וחוזר שליח ציבור ומקרא אותן פסוק שני מלה מלה והם עונין אד שמשלימין פסוק שני וכל העם עונין אמן וכן בפסוק שלישי: i. e. *Ad absolutum versum primum totus populus respondet Amen, & minister synagogæ pergit ipsis prælegere versum secundum ad verbum, ipsique, quando absolvit versum secundum, sequuntur, totusque populus respondet Amen. Et sic ad versum tertium.*

§. 57. Sed hæc de benedictione in Synagogis extra templum recitata intelligenda sunt. Neque enim in sanctuario respondere solebant *Amen*, quod probo primum è *Talmudis Massecheth Sota* cap. 7. *mischna* 7. Sic enim illa: ברכת כהנים כיצד במדינה אומרים אותם שלוש ברכות ובמקדש ברכה אחת: i. e. *Benedictio sacerdotum quomodo* (peragitur?) *In provincia* (extra templum) *recitant illi tres benedictiones; sed in sanctuario* (in templo) *benedictionem unicam.* Ad prius membrum hujus mischnæ ita commentatur *Bartenorius*: שמפסיקים הכהנים בין פסוק לפסוק ועונין אמן הצבור: i. e. *Nam sacerdotes interrumpunt versum & versum & cætus Ecclesiasticus respondet Amen.* Ad posterius sic: לפי שאין עונין אמן במקדש ואין כאן שום הפסק: i. e. *quia non respondent Amen in sanctuario & nulla heic est pausa.* Deinde id firmo ex ipso *Maimonide* ad h. l. sequentia adnotante: לא היו עונין אמן על כל ברכה כמו שאנו עושין בכל המקומות לפי שהעקר אצלנו אין עונין אמן במקדש אלא כך היו עונין ברוך השם אלקי ישראל מן העולם ועד העולם וראיה לזה מה שאמר קומו ברכו את השם אלקי ישראל מן העולם ועד העולם: Hæc interpretor h. m. *Non responderunt Amen ad omnes benedictiones, sicut nos facimus in omnibus locis, eo, quod fundamentum nobis est: Non respondent Amen in sanctuario; sed sic responderunt: Benedictus sis, Deus Israel, à seculo usque in seculum. Ratio hujus rei est, quia dicit* (textus Nehem. 9: 5.): Surgite, benedicite Jehovæ, Deo Israëlis, à seculo usque in seculum; quæ desumta sunt ex *Gemara Talmudis Babylonici.**

§. 58. Modus iste claudendi benedictiones temporibus *Esræ*, ut tradunt *Hebræi*, primo constitutus fuit; sed forma loquendi in Psalmis aliisque sacræ Scripturæ locis longe ante *Esræ* tempora occurrit, verba sunt *Sheringhamii.* (i)

§. 59. Cur autem dixerint: *A seculo usque in seculum*, ejus rei ratio redditur in *Massecheth Berachoth* (k): כל חותמי ברכות שהיו במקדש היו אומרים מן העולם משקלקלו האפיקורסים ואמרו אין עולם אלא אחד התקינו שהיו אומרים מן העולם ועד העולם: i. e. *In omnibus conclusibus benedictionum, quæ erant in sanctuario, dicebant: A seculo; postquam hoc perverterunt Epicuræi* (nempe *Saducæi*) *unumque tantum esse seculum dixerunt, ordinarunt, ut dicerent: A SECULO USQUE IN SECULUM.*

§. 60. Multa heic possent addi de vocula *Amen*; sed impræsentiarum hæc pauca sufficiant. Sunt, qui dicant, ea jusjurandum significari, quos inter recensendus est *Samuel Petitus*, Gallus qui (l) scribit: *Cum dicit Christus, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, idem est, ac si diceret, Juratus vobis dico.* Sed hoc vix ac ne vix quidem poterit probari. Nam, ut optime loquitur Vir Cl. *Fullerus* (m) *Hebræis si credimus, iisque suæ linguæ peritissimis Viris,* אמן *asseverationem tantummodo notabit.* Rationes vide ibidem. Alias Hebræi triplex *Amen* constituunt, nempe חטופה קטופה ויתומה i. e. *acceleratum, amputatum & pupillare seu orbum. Amen acceleratum* est, quod festinanter pronunciatur, quasi אֲמֵן pro אָמֵן; vel etiam, quod ante orationem absolutam respondetur. *Amputatum* vocare solitant, à quo ultima littera Nun in pronunciatione quasi amputatur, ac si quis dicat *Ame. Pupillare* denique dicitur, quod præcedente benedictione, ceu patre caret, quando scil. quis inconsiderate & animo aberrante respondet Amen, non ad præviam sacerdotis benedictionem orationemve, sed ad murmura populi. De his diversis *Amen* hæc tradunt veteres Hebræi: *Quicunque respondet Amen pupillare; ejus liberi erunt pupilli. Quicunque dixerit Amen acceleratum; ejus mors accelerabitur: at qui prolongat Amen; ejus dies & anni prolongabuntur.* Plura suppeditabit *Buxtorfius.* (n) Quomodo denique τὸ אמן (Amen) *Kabbalistæ* explicent per אֲדֹנָי מֶלֶךְ נֶאֱמָן i. e. *Dominus Rex fidelis*; reperies apud jam laudatum auctorem. (o)

§. 61. Quando in benedictione ad sex has voces perveniunt יברכך i. e. *Benedicat tibi*, וישמרך i. e. *Et custodiat te*: אליך (lucere faciat faciem suam) *super te*; ויחנך i. e. *misereatur tui*; אליך (ponat faciam suam) *ad te*; לך שלום (& ponat) *in te* (pacem); convertunt se hodie Judæi in Synagogis suis versus meridiem & aquilonem; ut sic benedictio diffundatur in omnes plagas. Unde etiam diu prolationem harum vocum protrahunt, quia sunt sex illic comprehensarum benedictionum voces ultimæ, ut testatur *Burtorfius.* (p)

§. 62. Formulam benedictionis Ecclesiasticæ capite priore disputationis nostræ, §. 12. allatam R. *Bechai*, (q) aliis *Bahye* adpellatus, (cujus verba ipsa Hebraica huc non adscribemus, nisi ubi necessarium esse videbitur, ne nimium, excrescat nostra dissertatio; sed duntaxat versionem eorum à nobis adornatam in medium proferemus; ita explicat: Benedicat tibi Jehovah &c. *Juxta sensum litteralem* הברכה תוספת ורבוי טובה i. e. *benedictio* (*est*) *accessio & multiplicatio boni cum benedictione custodia* s. conservatio. *Quibus præstandis adeo impar est Rex carnis & sanguinis* (i. e. Rex homo. Vid. Cl. *Vorstii Hebraismos N. T. part. I. cap. 4 pag. 125.*) *ut, licet possit ditare hominem, præstare tamen nequeat, ut* (homo) *custodiatur. Et sic Doctores nostri f. m. dixerunt: Regi homini, habitanti Romæ, erat amicus in Syria, ad quem Rex misit, eique ad se venienti centum libras auri puri dedit. Revertentem adoriebantur latrones, & auferebant ipsi omnia, quæ Rex ei dederat; & omnia, quæ habebat. Nunquid potuit custodire ipsum à latronibus? Allegorice vero*: Benedicat tibi Jehova &c.) *Benedicat tibi divitiis, & custodiat te, ut observes præcepta.*

§. 63. ויחנך i. e. Et gratiam faciat tibi) quam locutionem explicaturus *Bechai* non incommode loco Esther. 2: 17. illustrat: *Habuitque gratiam & misericordiam coram eo.*

§. 64. Et custodiat te) *Ita ipse* (textus) *inquit*: Ps. 121: vs. 5.) *Dominus custodit te, Dominus est umbra tua ad manum dexteram tuam.* Faciat Jehovah, ut luceat &c.) *Faciat, ut luceat tibi luce* (hilaritate) *faciei; sed faciet, ut luceat non nisi vita, quia dicitur* (Prov. 16: 15.): *In luce* (hilaritate) *vultus Regis, vita. Et sic dicit ipse* (textus Psalm. 67: vs. 2.) *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos; Selah.*

§. 65. Attollat Jehovah faciem &c. adponat tibi pacem) *Eripiat te ex omni occursu & casu* (malo). *Et hac est providentia specialis & eminens. E contrario hoc* (dicit Esai. 1: vers. 15.): *Avertam oculos meos à vobis.*

§. 66. Explicationem Christianam suggeret B. *Gerhardus*, Theologus de Ecclesia Christi optime meritus in peculiari disp. de Bened. Eccles. extante in disp. Theol. part. 2. p. 1252. & seqq.

§. 67. Inter

(e) *Cap. 1.* (f) *Pag. 9. & seqq.* (g *Hor. Hebr. in Eu. Matth. p. 27. & seq.* (h) *Cap. 15. in* הלכות תפלה וברכת כהנים (i) *Not. ad Cod. Joma p. 65.* (k) *Cap. 9.*

(l) *Var. Lect. lib. 1. cap. 17. p. 75.* (m) *In Miscell. sacr. libr. I. p. m. 24.* (n) *In Lexic. Talmud. pag. 114. & seqq.* (o) *In de Abbreviat. Hebr. pag. 31.* (p) *In Synag. Jud. Append.* (q) *In Comm. ad cap. 6. Numer.*

§. 67. Inter alia quoque paulo ante citatus Bechai ibidem hæc Kabbalistica habet: יברכך יי" וישמרך זו מדת שמור וגו" יאר יי" הוא הקו האמצעי וגו" ישא יי" הוא הבינה: i. e. (Quod dicitur Numer. 6: 24.) Benedicat tibi Jehovah & custodiat te, id designat Numerationem Schemor sive custodiæ &c. (Quod vero dicitur vs. 25.) illuminet Jehovah &c. id designat lineam mediam &c. (Quod denique dicitur vs. 26.) Attollat Jehova &c. id designat Numerationem intelligentiæ. E quibus verbis *Josephus de Voisin* (r) Trinitatis mysterium elicere conatur, quo successu, patebit ei, qui utriusque verba inter se conferet: quum enim hæc ad aliam cathedram spectent, nostrum non est de his dispicere.

§. 68. Benedictione absoluta, quomodo se gerat sacerdos in Synagoga, *Maimonides* (s) ita docet: כשישלמו הכהנים שלשה פסוקים מתחיל שליח ציבור בברכה אחרונה של תפלה שהיא שים שלום והכהנים מחזירים פניהם כלפי מקדש וקופצין אצבעותיהן ועומדין שם ברוכן עד שיגמור הברכה וחוזרין למקומן: i. e. *Absolutis à sacerdotibus tribus versibus, incohat minister Synagogæ aliam benedictionem precationis* (quæ incipit) שים שלום, *sacerdotesque, versa facie versus sanctuarium,* (templum) *contrahunt digitos stantque in suggestu, donec absolverit benedictionem; tunc repetunt locum suum.*

§. 69. Hæc uberius persequuntur *Gemaristæ Cod. Sot.* (t) è quorum verbis quum elucescat ordo sacrorum, quem in Synagogis observarunt, ea heic adferre non pigebit. Scribunt autem hoc modo: אמר רב חסדא אין הכהנים רשאין לכוף קישרי אצבעותיהן עד שיחזרו פניהן כן הציבור אר זירא אמר רב הסדא אין הקורא רשאי לקרות כהנים עד שיכלה אמן מפי הציבור ואין הכהנים רשאין להתחיל בברכה אחרת עד שיכלה דיבור מפי הקורא ואין הציבור רשאין לענות אמן עד שתכלה ברכה מפי הכהנים ואין הכהנים רשאין להתחיל בברכה אחרת עד שיכלה אמן מפי הציבור ואמר רבי זירא אמר רב חסדא אין הכהנים רשאין להחזיר פניהם מן הציבור עד שיתחיל שליח ציבור בשים ואינן רשאין לעקור רגליהם ולילך עד שיגמור שליח ציבור שים שלום וא"ר זירא אמר רב חסדא אין הציבור רשאין לענות אמן עד שתכלה ברכה מפי הקורא ואין הקורא רשאי לקרות בתורה עד שיכלה אמן מפי הציבור ואין המתרגם רשאי להתחיל בתרגום עד שיכלה פסוק מפי הקורא ואין הקורא רשאי להתחיל בפסו' אחר עד שיכלה תרגום מפי המתרגם אמר רבי תנחום א"ר יהושע בן לוי המפטיר בנביא צריך שיקרא בתורה תחילה ואמר רבי תנחום אמר רבי יהושע בן לוי אין המפטיר רשאי להפטיר בנביא עד שיכלל ס"ת ואמר רבי תנחום אמר רבי יהושע ב"ל לוי אין שליח ציבור רשאי להפשיט את התיבה בציבור מפני כבוד ציבור ואמר רבי תנחום אמר רבי יהישע בן לוי אין הציבור רשאין לצארת עד שינטל ספר תורת ויניח במקומו וכו': Quæ Latine ita sonant: *Dicit R. Chasda: Non licet sacerdotibus in pugnum contrahere articulos digitorum suorum, donec averterint faciem à cœtu. Dicit R. Sira, dixisse R. Chasda: Lector non habet potestatem prælegendi sacerdoti, donec absolutum fuerit Amen à cœtu, & sacerdotes non habent potestatem incipiendi benedictionem, donec absolutus sit sermo à lectore; nec cœtus habet potestatem respondendi Amen, donec absoluta fuerit benedictio à sacerdotibus; nec sacerdotes potestatem habent incipiendi benedictionem aliam, donec absolutum fuerit Amen à cœtu. Porro dicit R. Sira, dixisse Rabbi Chasda: Sacerdotes non habent potestatem faciem avertendi à cœtu, donec inceperit minister publicus* (precationem, quæ incipit) שים: *neque sacerdotes habent potestatem sustollendi pedes & eundi, donec minister publicus absolverit* (precationem) שים שלום. *Præterea dicit R. Sira, dixisse R. Chasda: Cœtui non integrum est respondere Amen, donec absoluta fuerit benedictio* (precatio) *à lectore, nec lectori integrum est legere in lege, donec absolutum fuerit Amen à cœtu, & interpreti non licet inchoare interpretationem, donec absolutus fuerit versus à lectore: nec lectori licet incipere versum alium, usque dum finita fuerit interpretatio ab interprete. Dixit R. Tanchum, dixisse R. Josuam filium Levi: Lecturum in Prophetis prius in lege legat oportet. Et dicit R. Tanchum, dixisse R. Iosuam filium Levi: Lectori non licet legere in Prophetis, donec convolutus sit liber legis. Et dicit R. Tanchum, dixisse R. Iosuam filium Levi: Ministro publico non licet exuere arcam in Synagoga, reverentiæ erga synagogam causa. Et dixit* R. *Tanchum, dixisse* R. *Iosuam filium Levi: Cœtui ecclesiastico non licet exire, donec ablatus fuerit liber legis & collocatus in loco suo* &c.

§. 70. Sacerdos, faciem à populo avertens inquit: רבונו של עולם עשינו מה שגזרת עלינו עשה עמנו מה שהבטחתנו השקיפה ממעון קרשך מן השמים וברך את עמך ישראל: i. e. *Domine mundi, fecimus, quod nobis injunxisti, fac de nobis, quod promisisti: respice ex habitaculo sanctitatis tuæ, è cœlis, & benedic populo tuo Israëli*; ut habet Gemara & ex illa Maimonides *l. c.*

§. 71. Prius autem, quam Dissertationi nostræ Colophonem imponamus, notare adhuc lubet, Sacerdotes benedictionem hanc non recitasse, nisi *præsentibus minimum decem personis*, quo in numero tamen sacerdotes ipsimet comprehenduntur. Putant enim עדה s. cœtum non pauciores proprie, quam decem complecti, idque ex Num. cap. 14. colligebant, vid. *Dan. Heinsius.* (u) Hinc tam crebra apud *Rabbinos* fit mentio de decem בַּטְלָנִין sive *otiosis, qui à Synagoga Iudaica stipendium accipiunt, ut in precibus & aliis conventibus sacris in Synagoga semper frequentes adsint & ab initio ad finem cum sacerdote aut sacrorum præfecto perdurent, ne Synagoga unquam in sacris sit vacua aut sacerdos solus.* Consulatur *Buxtorfius* (x). Interim ipsi tamen Hebræi fatentur quoque, שכינה h. e. *divinitatem* etiam paucioribus, etiam tribus, etiam duobus in nomine Domini congregatis, etiam uni adesse. Quomodo Christus ipse Matth. cap. 18: 20. ait: οὖ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν. Quibus verbis haut dubie antiquissimum, etiam Magistris notum, allusit dictum: אבל שנים שיושבין ויש בוניהם דברי תורה שכינה שרויה ביניהם: i. e. *Verum duo, qui una sedent & colloquia de lege habent, quiescit super eos divinitas*: observante id supra laudato *Heinsio l. c.*

§. 72. Quod si tamen contingat, ut Synagoga universa constet ex sacerdotibus, quidam illorum adscendunt suggestum benedicuntque, quidam illorum respondent Amen, sicut cum *Gemaristis* tradit Maimonides l. sæpe c.

§. 73. Alia, quæ heic ex *utroque Talmude, Maimonide, Raschi* s. R. *Schelomone Iarchi, Radak* s. R. *Davide Kimchi, Baal Hatturim* s. *Auctore ordinum,* R. *Isaaci Akedas Jizchak* s. libro, cui titulus: *Ligatio Isaaci, Sepher Colbo, Mose Mikkotzi, R. Bechai,* (qui locum Numer. cap. 6: 24. 26. Kabbalistice explicat, & eo respici dicit in *Cantico Canticorum* cap. 3: 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*; eo, quod benedictiones illæ tres Num. cap. 6: 24--26. contentæ 60. constent litteris, & circum lectum Salomonis insculptæ fuerint, & quæ plura allegorica ibidem habet) aliisque *Rabbinis* heic adjici poterant: in præsenti de industria prætermittimus, aliquando, σὺν θεῷ παλάμα, his de fusius acturi.

ב"נלך ו"לאעי

(r) *Not. ad pag. 542. Raymund. Pag. fid.* (s) *Cap. 14. Tractat. supra citati.* (t) *Ad cap. 7. misch. 6.*

(u) *In Exercitat. sacr. p. 62.* (x) *In Lexic. Talmudic. pag. 292.*

M. JOH.

M. JOH. GEORG. BINDRIMII
DISSERTATIO
De Altari Gideonis ad Judic. VI: verſ. 23, 24.

וַיֹּאמֶר לוֹ יְהוָה שָׁלוֹם לְךָ אַל־תִּירָא לֹא תָּמוּת׃ וַיִּבֶן שָׁם גִּדְעוֹן מִזְבֵּחַ לַיהוָה וַיִּקְרָא־לוֹ יְהוָה
שָׁלוֹם עַד הַיּוֹם וגו׳׃

§. 1.



VArias variorum Autorum, quos mihi jam quidem vidiſſe contigit, circa hunc locum Jud. 6:24. ſententias expendens, eas haud incommode in duas diſpeſci poſſe claſſes, autumo. Primam iis, qui hic loci de ὀνομαθεσίᾳ Altaris à Gideone exſtructi; alteram iis, qui de ὀνοματησίᾳ minime, ſed de pace, quam Deus Gideoni promiſit, agi exiſtimant, attribuo. Utrius ſententia, quæ verior textuique Ebræo congruentior, quilibet candidus, textumque magis, quam interpretationes æſtimans Lector è dicendis facile judicabit.

§. 2. In priori eos, qui de ὀνομαθεσίᾳ Altaris à Gideone exſtructi hic agi aſſerunt, poſui. Verum & illos in diverſum abire videbis. Quidam Gideonem Altari ædificato nomen indidiſſe volunt: alii nomenclaturam ipſi DEO vel Angelo Domini adſcribunt. Prius qui ſtatuunt de nomine Altaris non conveniunt, in eo tamen, illud duabus conſtare vocibus. Sic *LXX. Interp.* καὶ ἐπεκάλεσεν αὐτῷ εἰρήνη κυρίου. *Vulgat.* quam decreto Concilii Tridentini Pontificii pro authentica habere, & nullo prætextu rejicere juſſi. Ædificavit ergo ibi Gideon Altare Domino, vocavitque illud *Domini Pax. Arabs.* Et vocavit nomen ejus pacem Domini ſive *Pax Domini.* Juxta hos alioſque nomen Altaris erit PAX DOMINI. Ab aliis nomen hoc invertitur. Sic *Oſiander* Vulgatam corrigens addit, rectius: *Dominus Pacis. Megal. noſter*, Er hieß ihn der HErr des Friedes. Erit adeo nomen Altaris DOMINUS PACIS. Ab utrisque abeunt, *Syr.* וקריהי מריא שלמא & vocavit illud *Dominus Pax. Belg.* En noemde hem / De Heere is Vreede. Sic R. *Jarchi* ויקרא גדעון למזבח יי׳ שלום יי׳ הוא שלומנו *& vocavit Gideon Altare Jehova Pax; Jehova* eſt *Pax noſtra.* Juxta hos igitur nomen Altaris conſtabit ex rectis JEHOVAH PAX.

§. 3. Qui DEUM vel Angelum Domini Altari nomen impoſuiſſe volunt, id ipſum una dictione exprimunt. Hoc pluribus, & eruditiſſimis placet. Accentuum enim poſitus priores interpretationes cum non ferat, juxta illum hunc loci ſenſum eſſe concludunt, quod ipſe Jehovah ſeu Dominus exſtructum à Gideone Altare nuncuparit (proprio hoc quaſi nomine & ſigno) PACEM, ſiquidem eo loco refectus & confirmatus erat Gideon ibid. verſ. 23. trepidans antea ad conſpectum Angeli Jehovah verſ. 22.

§. 4. In altera claſſe eos, qui nominis mentionem ne γρῦ quidem hic fieri ſtatuunt, repoſuimus. Sic ſtatuere *Jun. & Trem.* qui ita textum Ebræum verterunt. *Quum proclamaviſſet ipſi Jehovah pacem*, h. e. quum eum & de communi Iſraelitarum ſalute & de particulari ipſius (nam ex conſpectu Jehovæ trepidabat ſuæque vitæ diffidebat) confirmaſſet. Succenturiatur dexterrimus & feliciſſimus ſcripturarum Interpres *Dn. D. Joh. Tarnov. v. b. m. Exerc. Bibl. p. 555.* vulgo, ſcribens: vocavit illud Domini pax. Alii corrigunt, Dominus pacis. Neutrum puto, ſed potius id dici. Et ædificavit ibi Gideon Altare Domino, poſtquam proclamavit & promiſit ei Jehovah pacem ac omnem proſperitatem, ut ita ſit cauſa his verbis expoſita, cur ille Altare ædificaverit, nimirum ad ſibi datæ promiſſionis memoriam. Ab horum parte ſtat quoque *Jonathan*, niſi quis alius illius Targum ad h. l. Autor: ובנא תמן גדעון מדבחא קדם יי׳ ופלח עלוהי קדם יי׳ דעבד ליה שלם׃ *Et ædificavit Gideon Altare coram Domino, & coluit ſuper illud coram Domino, qui feſit ei pacem.*

Tom. II.

§. 5. Recenſuimus hactenus variorum interpretationes. Divortium illud ſatis, difficultatem quandam loc. cit. ſubeſſe, teſtabitur. Eam cum Doctiſſ. *Druſius Comment. ad difficilia loca Scripturæ* tollere ſategerit, finem optatum non aſſequitur; quin potius ſe, Lectoreſque ſuos intricat, magiſque dubios, quam admiſit, dimittit. Itaque inquit pag. 221. neſcis utrum dicat Dominus pacis; an Dominus pax. *Pagnin. & Ar. Montan.* difficultatem animadvertentes, ne impingerent, verſione abſtinuere & voces illas Ebræas יהוה שלום, literis tamen Latinis expreſſas, retinuerunt. Verum hoc eſt fallere Lectorem. Noſtrum erit in phraſin illam קרא לו שלום diligentius & accuratius inquirere.

§. 6. Vox קרא Ebr. Syr. Chald. Arab. uſitata, non unam eandemque habet ſignificationem. R. *Mordochai Nathan* tres claſſes conſtituit: melius feciſſet, ſi duas. Nam לקראת *obviam*, in *occurſum* quod ipſi alteram claſſem & ſignificationem conſtituit, bene refertur ad קרא qua *incidere, accidere, obvenire, evenire*, ut קרה ſignificat: & hæc ſententia מקרה *occurſus* Concordantiarum Autori tertiam claſſem implet, nobis alteram. De priori ſcribit Nathan: כל לשון קריאה ומקרא וכל המתואר בו איך שיובן ויונח ועמו שהוא שם עוף מה מדברי׃ *Quod idem tunc ſignificet, quod* קריאה ומקרא nempe *clamorem & vocationem cum omnibus ſuis derivatis, prout, è contextu & poſitu intelligitur. Præterea quoque avem quandam ſylveſtrem.* Qualis vero avis Jer. 17:11. & 1 Sam. 26:20. his duobus in locis vox hæc קרא hoc ſignificatu tantum occurrit, intelligatur? Interpretes non conſentiunt. Communiter perdicem intelligi volunt. *Bochart. T. 2. l. 1. c. 13. Hieroz.* Scolopacen, quæ gallinaginis ſpecies in Ægypto & Arabia frequens, pedes habens breves, roſtrum prælongum, dorſum viride. Dicitur ita à roſtro, pali quod inſtar habet acutum. Palus enim Ebræis eſt קורה, ut Græcis σκόλοψ, à quo σκόλοπαξ. Sententia de perdice invaluit exinde quod LXX. Jerem. 17:11. ea voce ſint uſi, ſed confuderunt קורא per Kuph & כרא per Caph, quorum hoc perdicem ſignificat. Neque perdici convenit, quod dicit Jeremias דגר *collegit* i. e. incubuit ovis, quæ non peperit. Utut enim ſcribat *Hieronymus in Jerem.* Ajunt ſcriptores naturalis hiſtoriæ tam beſtiarum & volucrum, quam arborum herbarumque, quorum principes ſunt apud Græcos, Ariſtoteles & Theophraſtus, apud nos Plinius Secundus, hanc perdicis eſſe naturam, ut ova alterius perdicis, i. e. aliena furetur & eis incubet foveatque, cumque fœtus adoleverit avolare ab eo & alienum parentem relinquere: attamen memoriam fefelliſſe Hieronymum, & tale nihil apud veteres rerum naturalium ſcriptores occurrere, reſpondet vir rariſſimæ eruditionis l. c. p. 86. Quid? quod ova furari plane his avibus denegatum, neque enim roſtro, neque unguiculis hoc poterunt facere. Hinc cautius alii R. *Jarchi, Kimchi, Abarbanel*, eas alieno in nido incubare: ſed & hoc paradoxum: & παραδοξότερον pullos eam, illos quæ excluderat, non noſſe nec ſequi, ſed אחרי מי שהיא להם אם *illam illorum quæ eſt mater* ut Kimchi ſcribit. R. *Salom. Jarchi* Jer. 17:11. vult eſſe cuculum: ſed fallitur. Ille enim alienis ovis non incubat, ſed in aliis nidis ὠοτοκεῖ & aliis avibus ſua ova incubanda & excludenda ſupponit. Vid. Ornith.

§. 7. Ut audivimus, verbum קרא ſignificat vocationem & clamorem. Synonymum huic eſt אמר quemadmodum videre licet ex Jeſ. 32:5. לא יקרא עוד לנבל נדיב ולכילי לא יאמר שוע *non vocabitur amplius ſtulto ingenuus, & tenaci non dicetur liberalis.* Hic קרא & אמר idem ſignificant. Sic quandoque permutari poſſunt, ſenſu non variato דבר & אמר. Juxtapoſitum tamen aliter atque aliter interpretandum, modo per nomen

im-

imponere, vocare, invocare, advocare, invitare, appellare, prædicare, concionari, legere, cantare, prout contextus requirit. Et quis nescit, vocari in scripturis interdum idem esse, quod rem ipsam sive essentiam alicujus rei habere, ita, ut הקרא nihil aliud sit quam *esse*? Conferatur Es. 56:7. בֵּיתִי בית תפלת יקרא *Domus mea, domus precationis vocabitur*, cum Luc. 19:46. Ubi Salvator ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς ἐστίν. Eadem est ratio Es. 7:14. ubi Propheta de Messia וקראת שמו עמנואל & vocabis nomen ejus Immanuel: cum tamen nuspiam legatur Christum proprio nomine fuisse dictum Immanuel, sed Jesum Matth. 1: vs. 26. Urgent hoc contra Judæi, præprimis *Isaac Abarbenel in Comment. ad loc. cit. Esaia fol. 20: c. 2.* ubi septem rationes Christianis opponit & inter eas quartam his concepit verbis: והר' מאומרו וקראת שמו עמנואל וידוע שלא קרא אדם לישוע הנוצרי שם עמנואל לא שיקראהו אמו בן ולא שיהיה נקרא בזה השם מפי אחרים וכבר התאמצו גם כן להשיב לזה באומרם שיש לדבר שם טבעי ושם הסכמיי כמו שם אדם לאדם שהוא טבעי אליו ושם סקראט שהוא הסכמיי לפרטיותו וישוע היה לו שם הסכמיי ואמנם עמנואל היה לו שם טבעי מפאת אלהותו ואלה דברי רוח הם כי על השם הטבעי לא יאמר הכתוב וקראת שמו עמנואל כי אם על ההסכמיי שיסכימו לקוראו כן ועל השם תטבעי נאמר הוא שמו והיה לו לומר והיה שמו עמנואל לא וקראת שמו שתלה הדבר בקריאה שיקראו אותו בן כי לא נאמר בנער אחר שנולד שאמו תקראהו אדם לפי שהשם הזה אליו אינו מקריאה אבל הוא מהטבעו: h.e. *Quartum argumentum ex verbis, & vocabis nomen ejus Immanuel, desumitur. Notum vero est, neminem omnino Jesum Nazarenum vocasse nomine Immanuelis: non quod sic eum appellarit mater ejus, neque quod sic appellatus fuerit ab aliis. Jam ante autem roborarunt se huic objectioni ut responderent, dicentes: rem quandam habere naturale & nomen ex instituto, e. gr. nomen Adam, quod homini naturale est, & nomen Socrates, quod ex instituto ob singularitatem ipsi inditum: Ita nomen Jesus fuisse ei nomen ex instituto, Immanuel vero nomen naturale ratione Divinitatis. Sed hæc sunt verba venti. Nam de nomine naturali non dicit scriptura, & vocabit nomen ejus Immanuel, sed de eo quod ex instituto, in quod consenserint, eum ita vocent. De nomine autem naturali dicitur. Hoc est nomen ejus. Itaque dicendum fuisset Propheta,* & erit nomen ejus Immanuel. *non autem*, & vocabis nomen ejus, *ut suspendatur ab appellatione quod ita eum appellaturi sint. Non enim dicitur de puero postquam natus fuerit, matrem ejus ipsum appellasse hominem, quia nomen hoc ipsi non est ex appellatione, verum naturale.*

§. 8. Verum enimvero instantiam hanc Abarbenelis ventosam & vanam facile dissipabimus. Putat ille de nomine naturæ dicendum הוא שמו & de consensus sive voluntariæ & ex instituto impositionis adhiberi tantum verbum קרא. Jam hic esse verbum קרא, quod arguat, intelligendum hic nomen proprium, ex instituto inditum. Sed fallitur Abarbenel. Ipse concedit, nomen אדם *Adam* esse nomen naturæ. Jam evolvat quis Genes. 5:2. ibi leget DEUM creasse marem & fœminam, ipsis benedixisse ויקרא את שמם אדם & vocavit nomen eorum Adam. Ex quo clarum קרא etiam de nomine naturæ usurpari, & falsa est adsertio Abarbenelis. Falsum itidem phrasin והוא שמו tantum adhiberi de nominibus naturæ. Legitur 1 Reg. 13:2. Ecce filius nascetur domui Davidis יאשיהו שמו Josias nomen ejus: Estne hic Josias nomen naturale? Ne jam multum dicam de reliquis Messiæ nominibus, ipsius naturas, officium atque operationes exprimentibus, non tamen propriis, ita ut vulgo sic vocitandus, quæ cum קרא conjunguntur, ut Jerem. 23: vs. 6. זה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *Hoc est nomen quo vocabunt* (eum) *Jehova justitia nostra.* Es. 9:6. ויקרא שמו *& vocabit* (quisque) *nomen ejus admirabilis &c.* Ex quo patescet, קרא ut & שם de qualibet nomenclatura usurpari, uti & conjunguntur Gen. 2: vs. 19. וכל אשר יקרא לו האדם נפש חיה הוא שמו *& quocunque nomine vocavit Adam animam viventem, illud est nomen ejus.*

§. 9. Dictio שלום Ebr. Chald. Syr. Arab. Æth. in usu, derivatur à radice שלם, cujus tres R. *Nathan* facit significationes (apud Arabes obtinet plures) *Golius* recenset decem. Hinc ex ambigua vocis significatione Arabum quidam jocandi ansam arripuit, quum enim ab obvio quodam his verbis salutaretur, *Tibi* salam *Pax*, respondet, *Tibi* Jaht Jaht, mirantique, & quænam esset illa resalutandi formula, roganti: Paria, inquit, tibi refero, est enim utraque arbor amara, quarum, cum tu mihi alteram precaris, alteram ego tibi ominor (vid. *Pocock. ad Lamiato l'Ajam p. 136.*) nempe retributionis, completionis & concordiæ. In שלום est notio & completionis & concordiæ, sed hæc prior: ubi enim concordia, ibi rerum affluentia, prosperitas, felicitas. Hæc quoque cum precamur, pacem precamur. Fieri quod adsolet non solum in compellando sed & valedicendo, vid. *Gerhard. Harm. Passion. c. 3.* sæpius tamen in salutationibus: quod patet ex epigrammate, *expressing the severall formes of salutations or Farewells of the Syrians or Ebrewes; Phœnicians and Grecks.*

Ἀλλ' εἰ μὲν ἐσσὶ ΣΑΛΟΜ· εἰδ' οὖν σύγε Φοῖνιξ
ΝΑΙΔΙΟΣ· εἰδ' Ἕλλην ΧΑΙΡΕ τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

quod *Seldenus p. 53. Titles of honor* ex *Antholog. lib. 3. c. 25.* retulit. *Scaliger in not. ad Beros. & alior. fragm.* pro Ναίδιος legit Αὔδονις. Αὖ ex חוה *vive.* δόνις detruncatum ex ררוני *Domine mi.* Stabilitur ex illo Plauti in Pœn. Act. V. sc. 2. v. 40.

AG. *Saluta hunc rursus Punice verbis meis.*
MI. Avo donni, *hic mihi tibi inquit verbis suis.*

& vers. 38. Pœn. *Avo.* Mil. salutat. Pœn. *donni* &c. Scaliger legit *Haudoni* חֵוִדוֹנִי quod idem ac חוה אדוני *vive*, salve, ave Domine mi. Vid. *Taubman.* loc. cit.

§. 10. Vidimus hactenus unamquamque vocem separatim; videndum jam, quid conjunctæ significent. Sæpissime quidem & verbum קרא & nomen שלום in sacro codice occurrunt, at ubi conjungantur cum particula ל nonnisi duobus in locis, hic & Judic. 21:13. Ex illo igitur parallelo de nostro judicium erit ferendum. Agitur ibidem de Benjamitis in rupe Rimmon spem inter metumque se sustentantibus. Nihil boni de Israelitis certo sibi polliceri audebant, metuebant magis, ne, ut fratres sui, ab Israelitis trucidarentur. Sed præter exspectationem ira Israelitarum exspirarat, maximumque doluere, quod juramento se obstrinxissent, neminem filiam suam Benjamitæ ulli desponsaturum. Ineunda tamen erat ratio, ne Tribus Benjamin eradicaretur, ne & juramentum violaretur. Cives in Jabes Gilead, qui ad comitia sub pœna mortis vocati non comparuerant, ad unum omnes cum uxoribus internecione delentur, reservatis saltem quadringentis virginibus. Has in castra recepere & miserunt nuncios ad Benjamitas in petra Rimmon hærentes ויקראו להם שלום Vulgat. *& præceperunt eis, ut eas susciperent in pace.* Male: non enim, *ut eas susciperent*, habetur in fonte. Melius Lutherus, und rieffen ihnen Friedlich. Targ. וקרו להון מלין רשלם *& annunciarunt illis verba pacis.* Sensus est: Israelitas de omni hostilitate sublata & sepulta Benjaminitas fecisse certiores, viceque belli pacem promisisse, obtulisse, annunciasse. Freti hac promissione venerunt, ut sequitur, Benjamitæ in Israelitarum castra & virgines Gileaditarum servatas duxere. Hic locus, qui quoad positum & accentuationem per omnia cum Judic. 6:24. convenit, testimonio est, phrasin קרא לו שלום significare, annunciare, promittere, loqui dicere, offerre alicui pacem; minime, nomen pacis indere.

§. 11. Objicere hic quis posset in Concord. Ebraic. ad vocem ויקראו annotatum, alios libros habere לשלום cum ל. Hinc quoque locus Judic. 21:23. refertur ad לשלום non שלום. Verum concesso, quibusdam in libris legi לשלום, unus tamen alterve codex receptæ & per tot secula probatæ lectioni non poterit derogare. Si lectio illa fuisset probatiorum codicum, haud dubie *Kimchi* illud observasset, qui tamen saltim IX. Loca, quæ aliter in impressis hodie, leguntur, in Libr. Radic. enumer. Nempe in Radic. בנה ex Es. 34. legitur ובנה *& ædificavit.* In impressis legitur ונטה *& extendet*; item in R. ישע est נישעים, quod nullibi reperitur. Item in R. כון habetur מוכנים *aptati in domo Domini*, nec legitur nisi apud Ezech. 40. מוכנים לבית *aptati domui.* Item in R. נבל est נבלותיך *fatuitates tuas detegam*, quod tamen nullibi exstat. Item in R. עלה & erunt gemini מלמעלה *superius*, & nunc legitur מלמטה *inferius* Exod. 26. nec ullibi jam legitur תהיו תאמים למעלה. Item in Rad. רוב inter ריב לריב *litem & litem* & nunc legitur דין לדין *judicium & judicium* Deuter. 17. Item in R. עמד ait ויעמדם *& stare fecit eos* ante Pharaonem, nec invenitur nisi ויצגם *& statuit eos* Gen. 47. item in R. בוא ait, *masculi excepta pube*, nec uspiam legitur. & tandem in R. שחר est verbum Kal. תשחרי שחרו nec invenitur nisi secunda fœm. תשחרי Ezech. 16. & imper. plur. שחרו Job. 6. Hæ diversitates, scribit *Claud. Capellanus in mari Rabbin. infido, pag. 287.* licet non compareant in editis exemplaribus libri Schoraschim, in omnibus tamen manuscriptis reperiuntur, ut *Samuel ben Meir* testatur, & fidem facit manuscriptum quod in Bibliotheca nostra Sorbonica asservatur. Quum Kimchi aliique adeo fuerint in collatione exemplarium accurati, hæc etiam discrepantia, si vetustioribus codicibus niteretur, ipsorum diligentiam vix effugisset. Imo si antiqua & probata esset lectio, haud dubie Massorethæ illud annotassent. Proinde diversitatem illam non magnopere attendimus, neque illam nobis obtrudi patiemur, ne ex certo tandem incertum faciamus, prout contingit, si præter necessitatem & fidem probatiorum, antiquorum & receptorum exemplarium, numerus variarum lectionum augeatur, quod merito in Curcellæi N. T. edit. culpandum. Et posito, lectionem לשלום esse approbandam & simi-

similem illi Deut. 20: 10. ubi Deus Israelitico præcepit populo, ut urbem oppugnaturus prius וקראת אליה לשלום *vocet super eam ad pacem.* Onkelos אליה in לה vertit h. m. ותקרילה מלין דשלם *& offeras ei verba pacis*, eadem phrasi, quæ Judic. 21: vs. 13. occurrit; non tamen nulla lux affulgeret ex his huic nostro loco: Ecce enim per ellipsin verbi substantivi & pronom. poterunt explicari: dixerunt eis, dicas ei. Quid? Pax sc. sit tibi, vobis, ut Luc. 10: 5. πρῶτον λέγετε. εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Particulam ל nihil moramur. Scimus enim eam sæpe redundare vel constituere nominativum, quo nihil apud Arabes frequentius. vid. *Glass. Philol. Sac. pag.* 872. Quibus adde Jos. 10: 21. Deut. 24: 5. Job. 16: 21. &c. Vel etiam dicatur, hic esse enallagen status, Dativi pro Accusativo, ut 2 Sam. 3: 10. Joab enim & Abisai, frater ejus, occiderant לאבנר Abnerum Jerem. 40: 2. & recepit præfectus satellitum לירמיהו Jeremiam & alibi, quod frequens est Syris. *not. Dieu* ad Psalm. 74: 19.

§. 12. Quanquam vero Judic. 6: 24. & 21: 13. tantum sibi sint simillima: Non tamen à re erit, alia, quæ non multum abeunt, hic retulisse, quo loquendi illa ratio usitatior appareat. Producimus Mich. 3: 5. ubi Deus de Pseudoprophetis וקראו שלום *annunciant pacem. Jonath.* מתנבן עלוהי שלמא *prophetantes super eum* (populum) *pacem.* Juxta Kimchi, q. d. שלום יהיה לכם אל תיראו *pax erit vobis, ne timeatis.* Pluribus in locis קרא cum דרור conjungitur, quibus agitur de *proclamatione libertatis* Levit. 25: 10. Jer. 23: 15, 17. Es. 61: 1. cum צום de *proclamatione jejunii.* 1 Reg. 21: 9, 12. 2 Paral. 20: 3. Es. 8: 21. Jer. 36: 9. Jon. 3: 5. &c. Verba quoque אמר & דבר cum שלום eundem exhibent sensum, ut 2 Sam. 18: 28. 2 Reg. 4: 23, 25. Gen. 29: 5. דבר cum לשלום Gen. 37: 4. & absque ל Esth. 10: 3. Psalm. 35: 20. 85: 9. 122: 8. Jerem. 9: 7. Zach. 9: 10. ubi de Messia ודבר שלום לגוים *pacem eloquetur gentibus.* Ex dictis jam de phrasi facile poterit judicari.

§. 13. Aliorum versiones quod attinet, quamlibet earum, quarum §. 2. mentio, videmus, accentuationem neglexisse. Conf. *Pl. Rev. & Excell. D. Wasmuth. Vindic. pag.* 235. Versiones illæ locum si invenire deberent, requireretur accentus Regius in לו *ipsum*: Jam autem Tiphcha est in voce יהוה. Unde vox Jehova non referenda ad sequentem vocem שלום *pax*: sed ad præcedentes ויקרא לו. Accentuum positus in fonte est talis ויקרא־לו שלום vel absque Makkaph ויקרא לו, qui positus à priori est diversissimus. In specie pro defensione vulgatæ, Arabis & LXX. quid afferri possit? non video, nisi quis ad Hypallagen status constructi, de qua *Glass. Philol. Sacr. lib. 3. Tr. 1. Can. 43. p.* 495. confugere velit. Verum hoc fieret præter necessitatem: ne dicam diversam ibi allatorum exemplorum esse rationem, ut inspicienti non potest non esse manifestum. Clarissime vulgat. impingit in Grammaticen, dum posterius nomen, nempe יהוה per genitivum exprimit, quasi esset שלום יי. Solenne tamen id est huic Autori, quum putet itidem apud Ebræos atque apud Græcos, Latinos & alios id fieri posse, in quo vehementer fallitur, nisi ego fallor, *inquit Tarnov. l. c.* LXX. versio itidem ex ἀβλεψίᾳ quadam orta. Arabem ita vertisse non mirandum, notatum enim jam tum ab aliis, hunc LXX. Interp. κατὰ πόδα fere sequi.

§. 14. Qui verterunt *Dominus pacis*, hypallagen quidem non statuere, verum & illi ipsi impingunt in accentuationem. Tiphcha enim sub voce יהוה dirimit eam à sequente, & retrahit ad præcedentem: Juxta hos vox יהוה cum שלום, utpote in regimine posita, cum illa cohærere debebat. Impingunt etiam in Grammaticam, quæ non permittit nomen proprium vice regentis fungi. Qui reddiderunt *Dominus pax* itidem præterierunt accentum Tiphcha in voce יהוה, qui regius, vocem יהוה à שלום sejungens.

§. 15. Classis altera, dum illam sententiam, DEUM nominasse altare שלום *pacem*, amplectitur, tutiorem quidem elegit, verum quo minus ei assensum præbeamus, obstat, quod ex genio Linguæ Ebrææ demonstravimus ויקרא לו יי שלום non significare, nomine pacis insignivit, sed *pacem promisit, annunciavit.* Accedit ὀνοματοθέτην DEO adscribi, cum tamen de aliis aris constet, nomina ipsis non à DEO, sed ab hominibus ædificantibus imposita. Primum altare ἐξ ἔργων construxit Noah Gen. 8: 20. hoc tamen est ἀνώνυμον. *R. Salom. Jarchi* ad Num. 23: 8. refert, Patriarchas septem Altaria ædificasse: Abrahamum quatuor. vid. Gen. 12: 4. 5. 13: 18. & 21: 19. Isaacum unum. vid. cap. 26: 25. Jacobum duo, alterum in Sichem. vid. cap. 33: 20. alterum in Bethel vid. cap. 35: 1. Ab Abrahamo & Isaaco exstructis neque Deus neque ipsi nomina imposuere. De Jacobo legitur cap. 33: 20. & constituit ibi Altare ויקרא לו אל אלהי ישראל *Jun.* quod appellavit Altare Dei fortis DEI Israelis. *Luth.* Und rieff an den Nahmen des starcken GOttes Israel. Pro Luthero facit *Onkelos* ופלח עלוהי קדם אל אלהא דישראל *& coluit super illud coram Domino DEUM Israelis.* & *Haggaon* apud Aben-Esram, licet ipse dissentiat, adducto etiam pro se exemplo Mosis, qui Altare exstructum vocavit יהוה נסי Exod. 17: 15. Quicquid sit, patebit ex hoc & aliis locis, homines rebus nomina imposuisse, in memoriam alicujus miraculi, ut *Jarchi* ad Gen. 33: 28. docet: לא שהמזבח קרוי אלהי ישראל אלא על שם שהיה הקדוש בה עמו והצילו קרא עם המזבח על שם הנס להיות שבחו של מקום נזכר בקריאת השם כלומר מי שהוא אל הוא הקדוש ב״ה הוא לאלהי לי ששמי ישראל ובן כצינו ממשה ויקרא שמו יי נסי לא שהמזבח קרוי יי אלא על שם הנס קרא שם המזבח להזכיר שבחו של הק״בה יי הוא נסי: *Non ita intelligendum, ac si Altare fuisset dictura: El Elohe Israel, sed quia DEUS Ben. fuit cum eo & eripuit eum. Ob hoc miraculum appellavit Altare sic, ut gloria DEI nominis adpellatione indicaretur, q. d. Quis est El? est DEUS Ben. qui fuit mihi DEUS, qui vocor Israel. Similem in modum legimus de Mose* Exod. 17: 15. & vocavit nomen ejus Jehovah Nissi, *non ac si Altare vocatum esset Jehova, sed ob miraculum indidit Altari nomen in recordationem Majestatis Dei Ben. Jehova est vexillum meum.* Notanda hæc contra Photinianos, qui argumentum pro Divinitate Jesu ex nomenclatura Jehovæ deductum, eludere sic satagunt: sed irrito conatu.

§. 16. Hisce sic dictis approbatur nobis sententia, cujus §. 4. fecimus mentionem & vertimus hemistichium: Da bauete daselbst Gideon dem Herren einen Altar / weil ihm der HERR den Frieden (die Furcht benommen / das Leben zugesagt) verheissen. Ut adeo respiciatur ad præcedentia, ubi Dominus ait: pax tibi, ne timeas, non morieris. Hæc interpretatio nititur genio Linguæ Ebrææ & consuetudine Sanctorum, in memoriam miraculi, vel revelationis factæ, Altare ædificantium, idque inde vel locum nominantium; non impingit neque in Grammaticam neque in accentuationem, & Photinianis itidem fores se huic recipiendi, ac si nomen Jehova etiam creaturæ cuidam tribueretur, fortissime clauduntur. Non moveat quemque nos ו per *quia* vertere. Hanc enim significationem non insolentem dabunt loca Gen. 2: 19. 20: 3. 30: 27. Es. 39: 1. plura invenies apud *Glass. Philol. Sacr. p.* 876. Tremell. vertit *cum*: insuitata alicui videri poterat talis ו conversivi acceptio, sed ו pro כאשר *postquam* poni exemplis probant *B. Tarnov.* ad Zach. 14: 4. *Glass. Philol. p.* 877. Sensus hic eodem fere recidet.

M. CHRIST. BRAUNHARDT
DISSERTATIO
De כמרים, seu de Hierophantis Judæorum, ad 2 Reg. XXIII: 5.

I. N. J.

§. 1.



Arbara satis & stupenda prorsus cultioris gentis, Judæorum scilicet, superstitio erat, quod contra expressum, totiesque repetitum Dei edictum Exod. 20: 3. 4. 5. Lev. 19: 3. 4. Deut. 7: 25. Cap. 10: 12. Cap. 11: 27. 28. Cap. 12. 4. 5. insano quodam impetu ferebantur in ficta & vana gentilium idola, ut vel ipsis deteriores facti dæmonibus litarent, & cuilibet fere creaturæ divinum destinarent cultum sub omni ligno viridi, Es. 57: 5. In tantam populi sui barbariem incidit, industrius avitæ fidei æmulus, nullique majorum facile secundus *Josias*, qui inter initia statim regni Davidicæ indolis manifestissima proferre indicia cœpit, dum oppressis idololatris, statuis lucisque exscisis, altaribus eversis, sacrificulisque exulare jussis sincerum Dei cultum restaurabat, & populi sui rem egregie stabiliebat, uti manifestum est, ex abolitione *Cemarim.*

§. 2. Vocabulum כְּמָרִים quod evoluto revolutoque sacro codice, extra hunc locum, 2 Reg. 23: 5. bis tantum, ut Hos. cap. 10: 5. Soph. 1: 4. attento lectori occurrit, Paraphrastis Chaldaicis, & Judaicis Doctoribus familiarius quidem esse deprehenditur, quam fonti Hebræo; nihilominus tamen ejusdem ratio liquido hauritur ex apprehenso 2 Reg. 3: Capite, vers. 5. ubi tam instituti, quam destituti Hierophantarum ordinis enumerantur causæ.

§. 3. Est autem Vox prima origine Ebraica, utut Chaldæorum genti cum successu temporis ex frequentiori usu celebrior facta, à Radice כָּמַר vel, quod significatione propius accedit à נִכְמַר in Niphal. Tria a. maxime significata habet, juxta *R. Nathan in Concord.* Significat enim *incaluit*, *calefactus vel adustus fuit*, *æstuavit*, *flagravit*, adhibeturque postea per Metaph. de ingenti commiserationis affectu, & viscerum quasi æstuatione, uti Josephi erga fratres, Gen. 43: 30. & matris meretriculæ in filium, 1 Reg. 3: 26. ut & Dei commiserantis, quo de יִכְמוֹר miserationibus æstuet, Chald. Deut. 13: 18. & יִכְמַר Targ. Ps. 77: vers. 10. usurpavit. Per metalepsin porro *obfuscatus*, *denigratus est*, quia, quod æstu aduritur, plerumque atratur, deformeque ac triste redditur, vid. Targ. Thren. 5: 10. Tertio adhuc *contractus*, *convolutus*, & apud Chald. potissimum, *absconditus*, *occultatus vel inclusus fuit*, significat, *Buxtorf. Lex. Maj. Chald.* Unde, quæ in derivando eximia sit ratio, authoribus iisque judiciosis non paucis multum facessit negotium. *Alii* enim primum vocis significatum urgent, adeo ut ab uberiori affectu, quo accensi essent, magnoque zelo ficto dictos putent, quæ sententia est *Theandri Lutheri*, *in Glossa marginali* dicentis: Camarim waren sonderliche geistliche Leute / wie ietzt die allerandächtigsten und strengesten Mönche seyn wollen / darumb haben sie auch einen Nahmen Camarim / der lauter als von hitziger Andacht. Pluribus id prosequitur *Tom. IX. Altenburg. p. 1362. a.* Prout enim alias fornicationi & libidini, qua mas cum fœmina consuescit, ardor ille & insignis idololatrarum propensitas, voce חָמַם caluit, incaluit, confertur, Esai. 57: 5. qua & coitus bruti, Gen. 30: 38. 39. 41. cap. 31: 10. & conceptio hominis in utero Ps. 51: 7. describitur: Sic præferrim hi mendaces sacrificuli, qui mentita devotione cœteris sese præferebant, *Luth. Gloss. marg. Soph. l. 4.* Eandem amplectitur *Raupius Lex. V. Camarim.* Cui etiam subscribit *Joh. Conr. Dieter. Antiq. Bibl. V. T. p. 263. b.* his verbis: Sacrifici idololatræ כמרים, quasi ardentes, incalescentesque vocabantur, quod essent affectibus ardentibus atque inflammatis in Deum suum colendum. Non incommode huc trahitur, quod *in Hos. ex Cap. VII. 7. p. 199. Wolf. Capito* ad rem præsentem accommodat: Ihr Hertz ist in heisser Andacht / wie ein Back-Ofen / wenn sie opfern. *Magnif. Olearius* in Bibl. Erklärung ex Niph. passivam simul observat significationem ut quilibet desiderio quasi & amore eorum caperetur. Stabiliri potest sententia eorum suffragiis, qui eos כמרים sive exustos judicant, *tam extus in corporibus*, *quam intus in visceribus*, eo forte, quod stigmatis essent inusti, *Greg. Francus Lex. L. S. p. 555.* Uti Jojakim in cujus cadavere inventas fuisse quasdam notas impressas & quædam stigmata inusta in honorem Deorum suorum *Pererius l. 1. Dan. & in Cap. 2. Paral. 36: vs. 1.* it. *Lyra*, *Abulens. q. 39. in C. 25. L. 4. Reg.* adstruunt, id quod quidem, divina Majestas severo interdicto præcavere voluit, Levit. 19: vers. 28. Deut. 14: 1. Nihilominus Baaliticis, aliisque Pseudo-Sacerdotibus usu admodum venisse patet 1 Reg. 18: 28. Unde fidem facile invenit, quod itidem *Dietericus*, *l. c.* de Camarim prodit, nimirum, quod ex incentivo superstitionis summe sese ustularint, atratasque notas perpetuo mansuris characteribus corporibus impresserint religionis causa, ut fervorem in Deos suum exaggerarent, essentque illa stigmata, quasi notæ quædam mutæ *εἰς σφραγῖδα τ͂ δεισιδαιμονίας*. Aliis placet deductio Nominis ab accensis thuribus, quibus gentilis superstitio nimium quantum tribuerat, cujus sententiæ esse videntur *Tirinus in h. l. pag. 851. Botsacc. Moral. Ged. p. 135. b.* *Hos* qui ex Etymo ipsum animum dijudicarunt, excipit illa altera, quæ non minori authoritate stipata est sententia, respicitque habitum externum, ita ut à peculiari veste hi sacrificiorum ministri כמרים audiant, quasi atrati, seu pullis vestibus induti. Hinc p״ רד in Soph. I. 4. f. 598. col. 4. Bibl. Basil. הכמרים הם לובשי שחורים לשם ע״ז, i. e. Cemarim sunt induti pullis sive nigris vestibus propter Deum sive Numen cultus alieni idololatricum. Quibus etiam assurgit *R. Sal. Ben Melech*, it. *Munsterus* h. l. *Pagninus*, *Vatablus*, *Beza & Buxtorffius Lex. min. p. 772.* Cemarim, inquiens, sacrificuli sunt, quasi atrati dicti, quod pullis vestibus ex superstitioso ritu incederent. Ut & *Schindlerus Lex. Pentaglott. pag. 871.* ut & *Junius*, *Tremellius & Piscator.* Eandem approbare videtur *Seld. de Dis Syris. Cap. VI. pag. 171.* & *Fullerus in Miscellan. l. 4. cap. 7. pag. 447.* provocans ad Syrum Paraphrasten, qui vocem, ܟܡܝܪܐ loco Græci σκυθρωπὸς Matth. 6: vers. 16. usurpavit, quod si, inquiens: כמיר in paraphrasi Syra commode reddi potest *atratus* h. e. *atra sive pulla veste indutus* (sicut ibidem vertit doctiss. Tremellius & ante eum Kimchi in Lex.) sane non vultum solum, sed vestitum etiam tetricitate & tristi quadam severitate spectabilem à Servatore perstringi, Paraphrastæ judicio existimemus. Hanc sententiam *tertia* excipit, sustinens כמרים, idem esse ac clausi, vel seclusi, forte quia eis in locis, ubi divinum instituerant statuis imaginibusque cultum, templa quoque vel sacella exstruebantur, in quibus vel idola statuerentur, vel sacrificantes epularentur, vel custodes & ministri habitantes perpetuas agerent excubias, ne apparatus ad sacrificandum necessarius aut vel ipsi Dii fictitii indigna cum derisione furtim aufferrentur. Inde voci

Camarim nostrum Cammer cognatum vocabulum & locum ubi Monachi vel Moniales habitant à claudendo Kloster & Klaussen nominari judicat *Tarnovius in Soph.* 1: 4. ut ita præter Sacrificia Cemarim ad ædis sacræ tuitionem perpetuo adstricti, & ad instar monachorum clausi fuerint, dicti inde quasi Verschlossene. Qua præ reliquis oblectatur *Excellentissimus Pfeifferus Dubiis Vexatis p.* 518. non contemnenda Talmudistarum authoritate, quibus כָּמַר seclusit, & מִכְמָר rete est, stipatus. Citatur pro eo *Elias in Thisbi*, qui pari ratione כּוּמָרִים clausos, quasi Monachos in claustris degentes putat, *& R. Jacob Abendana Spicil. ad Michlal Jophi h. l. vid. Tarnov. & Franc. locc. cit.* Hanc quoque suam fecit *Marin. Brixianus Thes. L. S.* Ego, inquiens, arbitror vocem esse Chaldaicam, & sic dici à contrahendo, quasi contractos, (clausos) ut idolis serviant, diceres. *Item Paginus in Arca Noæ.*

§. 4. Iidem cum his non placent, qui alia via sectantes originem, longius discedunt, interpretanturque Canarim genethliacos & Chaldæos, uti Philipp. Codurcus in Job. 3: 5. quasi Camarinos ab Urbe Camarine sic dictos, quia arti magicæ multum tribuebant, ideoque & haruspiciis aliisque præsagiis valde famosi erant, *Euseb. præp. Euang.* l. 9. Utut enim Chaldaismum vox Cemarim sapiat, tamen Ebrææ Linguæ domestica est, & ex ea propria significandi potestas dijudicanda. Hinc ut allatis his, nostram tandem definiamus sententiam, dicimus: Cemarim fuisse à peculiari & religioso cum animi, tum corporis cultu sic dictos sacrificulos. Quia enim כמר primario significat incaluit & flagravit, principaliter quoque ab ardore animi, & simulato religionis fervore, id nominis adepti existimantur, quia ardentes quasi in sanctitate vitæ servanda, & pietatem & sanctimoniam magnam, ut hodie devoti sunt Monachi, simulabant, *Fridlieb. in h. l.* Ut autem populus eo magis devotissimam eorum mentem pernosceret ac admiraretur, voluerunt eam externo insuper cultu habituque corporis tristi ac severo declarare, ita ut, quemadmodum toga Romanum, & Græcum pallio noscas, primo intuitu, qui eminus saltem conspiceret, religionem intelligeret. Quod nullis non temporibus inde jam ab origine primum putavit seductor Satan, qui simplicioribus impositurus, undique singularem DEI cultum mentitus est: μετασχηματίζεσθαι εἰς ἄγγελον φωτός, 2. Cor. 11: 14. eandemque artem in suis adhuc exercet, vid. vs. 13. & Coloss. 2: 18. ut olim in hoc hierophantarum genere. Videntur vero in his imitari voluisse Prophetas, qui, quid animi esset, plerumque vestitu aliisque externis Symbolis loquebantur, seque ita usque gerebant, ut & doctrina & habitus corporis conformes essent, *Fuller. miscell. l.* 4. *cap.* 7. Hunc morem, ut eo tutius fallerent, etiam Pseudoprophetas observasse liquet, Zach. 13: 4. Igitur à cultu etiam externo Camarim fuisse nuncupatos, δευτέρως licet, vero dissimile non est. Hæc nobis ratio esse videtur, quod plerique Philologorum neutra abjecta, utramque asservent sententiam, quamvis cum disjunctionis particula, *Tarnovius* in Soph. 1: 4. *Botsacc.* Moral. Gedan. p. 135. b. *Francus* L. S. p. 555. *Dieter.* Antiqu. Bibl. V. T. p. 264. *Polus* Synopsi Criticor. h. l. *B. D. Lutherus* quidem, quem hac in causa maxime ducem sequemur, posteriorem hanc rationem negare videtur, cum explanata vocis natura concludit: Non igitur à vestitu arbitror Monachos (ita nec hos Sacrificulos) Camarim dici posse, sed à singulari devotione. Sed revera non pugnat, quia de potissima & primaria denominationis causa quærit. Imo tertiam adhuc, quæ suos sibi invenit patronos, sententiam sub hanc cynosuram revocatam, adeo adversari nobis non existimarim, quoniam ad instar monachorum non nisi ex religionis persuasione solitudines & claustra quæsiverint, quo tutius imponerent vulgo, ut Excellentiss. Pfeiffer l. cit. conjectat.

§. 5. Hos fanaticos Paraphrastes Chald. eodem vocabulo in plur. Emphat. dicit כּוּמְרַיָּא, ab absoluto כּוּמַר quasi clausos. Non raro etiam pro eo apud Chaldæos satisfacit פָּלְחִין quasi *Servientes*, *Ministri*, seu *Cultores*, dicti, à R. פלח servivit, coluit ut Hos. 10: 5. Soph. 1: 4. quo nomine in Targum communiter notantur Idololatræ, ut Dan. 3: 12. Jer. 17: 3. Esra. 6: vs. 24. Deut. 28: 36. Jes. 19: 19. Subinde etiam æquivalet illi Ebr. כֹּהֵן Sacerdos sive verus, sive gentilis & idololatricus, (Quo dein ad usum politicum tracto, minister quoque primarius Magnas & Satrapa solet vocari.) Cum hoc tamen ubique studiose observato discrimine, ut in translatione non nisi *de Sacerdotibus Idololatricis* adhibeatur; כֹּהֵן enim quoties in vernacula de veris Sacerdotibus Israëliticis dicitur, tum transfertur in Targum כָּהֲנָא, quando de gentilibus & idololatricis, tum redditur כּוּמְרַיָּא ut Jud. 17: 5. Cap. 18: 37. *Buxtorfius Lex. min. pag.* 343. *& Chald. mai. p.* 1052. Chaldæum, ex Linguarum cognatione eadem voce retenta, imitatus est Syrus, reddendo ܟܘܡܪ̈ܐ, quasi *tristes*, *severi*, *atroces*; cum Radix Syriaca ܟܡܪ significet, tristatus, contristatus, mœstus est, *Edmundus Castellus in Lexico.* Hinc, ubi Euangelista de feroci legis operario dicit ἀπῆλθε λυπούμενος, Marc. cap. 10: 22. Syrus habet ܐܬܟܡܪ contristatus fuit. Pariter de Christo summe exinanito, infernalibusque doloribus circumvento, dicitur ܫܪܝ ܠܡܬܟܡܪܘ, cœpit contristari, Matth. 26: 37. Ut adeo ea cordis tristitia, qua habitus mentis in ipsam faciem abit, vel etiam, ubi vultu ad tristitiam composito, fingitur aliqua, eo notetur: quemadmodum vere id nominis tribuitur Discipulis Salvatoris, qui ܟܡܝܪܝܢ, σκυθρωποί, Luc. 24: vs. 17. non sicut Pharisæi & hypocritæ, Matth. 6: 16. describuntur. Hinc dicti videntur Cimmerii, *Bochartus G. Sacr. pag.* 754. *b.* LXX. ne significantissimum hoc Nomen omitterent, vel quod notius in sua, quam peregrina esset Lingua, fecerunt χωμαρὶμ, & B. Lutherus, authoritatem eorum secutus, in vernacula retinuit Camarim. Græci tamen, cum Græce loquuntur, pro Ebræo Camarim usurpant ἱερεῖς ab ἱερὸς heylig / quia sacris præessent, unde Hierophantæ dicti sunt. *Vulgatus* reddidit Flamines & Aruspices. *Hieronymus* Æditnos, Hos. 10: vs. 5. forte à Custodia ædium ac templorum, quam vero denominationem ex infirma hypothesi increpat *Fridlieb*, *Vatablus & Mariana* Extistos, *Pagninus* Atratos vel Pullatos vocant. *Ben. Ar. Mont. ex Chald. Paraph.* Cultores vituli transtulit, de qua sententia quid statuendum, infra dicetur. *Andreas Rivetus in Hos.* 10. refert, quod Latini hos sacrificulos nominent famulos Isidis, Lunæ & Solis. *Dietenbergius* Zeichendeuter und Abgöttische Priester. *Grotius* Camillos, quasi ministros Deorum, deducta voce ab Ebræo Camarim, mutatoque ר in ל. Quia ex mente *Clarissimi Johann. Wilhelmi Hilligeri in Summario Ling. Sanct. p.* 5. *&* 7. Sunt literæ unius organi, quæ alias facile inter se permutantur, vel, quod etiam litteræ non congeneres crebro & facile inter se permutantur. ut solide id ostendit *Excellentiss. Noster Andr. Senertus in Chald. & Syriasmo, Cap.* 8. *Reg.* 1. *pag.* 67. Huic plausibili Grotii sententiæ majorem fidem facit suffragio suo *Magnif. Noster Calovius* Bibl. Illustratis h. l. Colluditque *Excellentiss. Pfeiffer* l. cit.

§. 6. Hac occasione moti, postquam prælibato Nomine, magnam in partem devenimus in cognitionem hujus Pseudosacerdotalis ordinis, eundem ex Historia penitius contemplabimur: Quod si rite prosequimur, intelligimus: Camarim fuisse Sacerdotes Idololatricos, ab improbis Jehudæ Regibus institutos ad offerendum vano & ficto cuidam Numini gentili, & à Josia pientissimo Rege prorsus abolitos. Meretur igitur vox Camillus hic ex veterum gentilium cultu probe attendi: Ita enim vocabantur pueri, qui flamini Diali ad Sacrificia administrabant, unde postmodum antiqui ministros, ministrasque impuberes in sacris Camillos & Camillas nominarunt, ita *Calepinus*, Fueruntque quasi *præministri*, vel ministri Sacerdotum, quibus lactucæ esus fortasse præscribebatur, ex mente *Adrian. Turnebii* Advers. libr. X. Cap. XX. p. 307. quorum ministerio seniores ipsique flamines utebantur. Hinc per diminutionem in Hetrusca lingua nomen accepisse dicuntur, teste Serv. in 11. Æneid. Varrone de Ling. Lat. Macrobio lib. 3. Saturn. cap. 8. Quemadmodum puerorum nomine alias veniunt, qui alicui servitia præstant, etsi revera natu grandiores & decrepiti sint. Jam si vocem *Camilli* in totum ad *Camarim* applicare velimus, non Sacerdotes, sed Sacerdotum famulos fuisse statueremus; quod tamen asserere non ausim. Quamvis hac forte specie decepti nonnulli id affirmare malint; Quin apud omnes id constare putat, *Andr. Rivet. in Hos.* 10. fuisse idolorum famulos, quos à Sacerdotibus proprie sic dictis distinguat Sophonias 1: 4. ita etiam *Joh. Forsterus* in Lex. sensisse videtur, dicens: כמרים fuisse *ministros Sacerdotum*, vel æditnos, ab incensione thuris & precibus, quas pro populo faciebant, sic dictos. Eique pollicem premit *Joh. Conrad. Dietericus* Antiq. Bibl. V. T. qui inter alia eorum officia refert fuisse, thus idolis adolere & in victimis cremandis Sacerdoti subservire, licet & ipsi ob dictam thuris suffumigationem, quæ species erat sacrificii, Sacerdotes subinde vocarentur. Item *Drusius* qui per illam vocem tantum Sacerdotum Seniorum impuberes ministros denotari censet. Verum, quid eos Sacerdotes ipsos, vel ex ipso Sacerdotali ordine natos, & ad gentilismum per apostasian deflexos fuisse, asserere prohibeat, haud videmus; Credibile enim est, quod cum totus Israël verum DEUM abnegasset, & impurus idololatra esset factus, una cum cultu,

 etiam

etiam ministri & Sacerdotes DEI misere frixerint, adeoque ob proventum uberiorem alienum cultum oppidò secuti sint, sicut Juvenis ille Levita, Judic. 17: 7. Itaque nostra quidem sententia integer ordo sacrificulorum tam seniorum quam juniorum hac voce denotatur, *Tarnov. in Soph.* 1: 4. ad mentem Kimchi ad Hos. 10. הֵם כהניו העקריבים עובדתו i. e. Sunt Sacerdotes, qui offerunt sacrificia Israelitarum.

§. 7. Ne vero quis veros Domini Sacerdotes eo notari somniet, inducitur causa institutionis, diciturque אֲשֶׁר נָתְנוּ מַלְכֵי יְהוּדָה *quos Reges Jehudah posuerant*, proprie, *quos dederunt*, sed quia Præteritum unicum omne, sive reliquas Præteriti species pro loci ratione & commoditate includit, *Trost. Gram. Ebr. p.* 21. *& edit. ult. Excell. Sennerti p.* 54. melius respondet Plusquamperfectum, *dederant*, i. e. quos posuerant, seu constituerant Reges Jehuda, *ut Lucas Osiander* explicat, quod perpulchre Luth. gestifftet hatten. Non enim indicat hic causam permissivam vox נתן, uti persæpe alias idem est ac *concessit, permisit*, ut Genes. 20: 26. Exod. 12: 23. Psal. 16: 10. Sed vere effectivam, & principalem, quemadmodum v. g. Pharao ad Josephum dicebat נָתַתִּי dedi te super omnem terram Ægypti, i. e. constitui, Genes. 41: vs. 41. & Hos. 13: 10. תְּנָה לִּי da mihi i. e. constitue super me Regem. Eandem loquendi formulam adhibuit Chaldæus, דִּי הַבִי inquiens, à יְהַב apocopato (י) quod alias Syro, qui idem ܗܰܒ Imperat. ab ܝܶܗܒ vel ܝܳܗܶܒ non ignorat, familiare satis est; Sed hic sensum dicti explanatiorem dedit voce ܐܰܩܺܝܡܘ *quos surgere fecit*, à Radice ܩܳܡ surrexit. Causam itaque efficientem constituit מַלְכֵי יְהוּדָה Reges Jehudæ, circa quod observamus, hic non generalem vocis מֶלֶךְ intendi significationem, sed propriam & specialem. Generale enim hoc esse Nomen, & non solum eos, qui monarchice plures regunt Provincias, designare, sed & Regulos minores, qui etiam uni præsunt, paucisve aliis Civitatibus ac pagis, passim in Sacris est obvium, verba sunt *Magnif. Geieri* Tom. II. Psalm. pag. 889. in quem sensum Psaltes canit: Loquar de testimoniis tuis coram Regibus, i. e. Magnatibus quibusvis, nec erubescam, Psalm. 109: vers. 46. siquidem radix מלך in Niph. ex usu Chald. significat *consuluit vel consilium iniit*, juxta *Buxtorff. Lexic. min. pag.* 418., quod utique non Regis tantum est, ad quem quidem primario pertinet cura Regni, sed etiam Consiliariorum, Magnatumque, cum quibus Rex consultat. Hinc nervose dictum est, quod *Cornelius à Lapide Daniel. cap.* 4: *vers.* 24. habet: Consilium est instar Regis: Reges regere & regi debent consilio, ut Regis Rex sit consilium, idemque sit Rex, qui consultor, & regnare sit idem, quod consulere & pollere consilio. Ast præsenti in loco non Consiliarii, vel Proceres Jehudæ, sed ipsi Reges, penes quos tunc summa erat potestas, hujus scandali authores nominantur. Opus Anglicanum in Notis M. S. ex LXX. legit in Singul. βασιλεὺς, Rex, ac si speciatim unus, procul dubio Manasses Josiæ antecessor, qui majoribus omnibus deterior fuerat, hujus idololatriæ inventor proderetur. Sed quia authentica litera ejusdem hæreseos plures accusat, ascendamus licet ad majores Reges Jehudæ apostatas, ut famosi sunt Rehabeam legem Dei deserens, 2. Paralip. cap. 12: vers. 1. lucosque & statuas erigens, 1. Reg. cap. 14: vers. 23, 24. Joram Domui Ahab sanguine & moribus affinis, 2. Reg. 8: vers. 18. 2. Paralip. cap. 21: vers. 6. ut & Ahasja, 2. Reg. cap. 8: vs. 27. 2. Paralip. cap. 22: vers. 3. Athalja turpissima, 2 Paral. cap. 24: vers. 7. Joas postremo deficiens, vers. 18. reliquisque pejor Ahas, 2. Reg. cap. 16: vers. 3. 2. Paralip. cap. 28: vers. 2, 3, 4. ut & Manasse 2. Reg. cap. 21: vers. 1. seqq. 2 Paralip. 33: vs. 3. inque pessimis quibusque patrissans filius Ammon, 2. Reg. cap. 21: vers. 21. quare abominandum hoc inventum non in solum, alias superstitiosissimum Manassem competet, sed nec ab ipsis moribus corruptis Rehabeami, effœminatum forte & senio delirum patrem, etsi alieniori longe affectu perperam imitantis, alienum esse videtur, quia insequentibus statim annis multa opera in repurgando cultu divino Assæ Regi opus erat, 2. Paralip. cap. 14: vers. 3, 4, 5. Cap. 15: vers. 8. 16. Id vero mirum, quod expresse Reges Jehudæ tantæ abominationis authores celebrentur, cum tamen alias plerumque ejusmodi βδελύγματα ex Israëliticis Regibus, qui ad unum fere omnes gentiles facti, nascerentur, & abinde in Judam transportarentur. Verum ut Jehuda Reges multos habuit æmulos Israeliticorum, ita etiam novi inventi, ut eo sibi Nomen acquirerent, studiosos complures. Quia autem à Regibus constituit dicuntur Camarim, *Tremellii* sententia perstare nequit, qua rationem formalem, unde Camarim à Sacerdotibus præcise differant, daturus, defendit, Atratos esse voluntarios hominum privatorum authoritate cooptatos; Sacerdotes vero ordinarios; Quod enim ab humana authoritate pependerint, & idcirco non veri sed idololatrici Sacerdotes fuerint, nemo non videt, quod à privatorum, audacter negatur.

§. 8. Post fundatores ipsum cultum, curamque demandatam Sanctissimus Scriptor explicat verbis וַיְקַטֵּר בַּבָּמוֹת & suffivit: Ponitur 3. Fut. in Piel cum Vau conversivo, cujus intricatior videtur expositio, quam *Junius* suppeditat, qui simpliciter in perfecto reddidit: *adolevit, ut unusquisque eorum adoleret*: Expressius *Lucas Osiander*, ad adolendum sc. thymiama. Radix est קטר *adolevit, suffumigavit vel suffitum fecit*, ponitur interdum pro quovis sacrificio, videatur Exod. cap. 29: 13. Inde est מְקֻטֶּרֶת suffita myrrha & thure ex omni pulvere negotiatoris, Canticor. 3: vs. 5. Ita enim ex suavissimis naribusque acceptissimis herbis & aromatibus componebantur adoramenta certa, quæ & in conviviis epulisque, & Deorum Sacris, prunis imposita adhibebantur, quia quod hominibus summæ esset oblectationi, item & Diis acceptum fore, judicabant gentiles, inde *Magnif. Geier. Tom. II. Psal. pag.* 1264. קְטֹר est ejusmodi suaveolens fumus, qui ex thure aromatibusque aliis concinne invicem mixtis, carbonibusque impositis longe lateque diffunditur, & nares adstantium mire afficit ac oblectat. Hujusmodi suffumigatio nullis non temporibus præcipuus Deorum cultus est habitus, etiam paganis, quem citra dubium Diabolus, cujus partes sunt invertendi veritatem, & ipsas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulari, juxta *Tertullianum de præscr. Hæret.* ex ipsa Ecclesia, Noachi forte, Genes. cap. 8: vs. 21. abstulit, sibique appropriavit. Illum vero sibi soli poposcerat Deus, Exod. cap. 30: vers. 37, 38. eique in tabernaculo מִקְטַר קְטֹרֶת suffitorium suffimenti destinarat, super quo mane & vesperi Sacerdos accenderet vers. 7, 8. Verum sacrilegi hi Sacrificuli transportarunt id sanctimonii ad loca profana & obtulerunt בַּבָּמוֹת in excelsis. Nomen absolutum est בָּמָה notatque quodlibet insigniter elatum, ut (1) *Excelsa terræ seu montes vastuosos*, ut Amos. cap. 4: vers. 13. Mich. cap. 1. vers. 3. unde terra Canaan à frequentioribus montibus & eminentiori situ dicitur במה, Deuteron. cap. 32: vers. 13. Ezech. cap. 26: vs. 2. (2) *Excelsa aeris sive nubes*, ut בָּמֳתֵי עָב, altitudines nubium, Esai. cap. 14: vers. 14. (3) *Excelsa maris, vel fluctus ad instar montium surgentes*, uti בָּמֳתֵי יָם sunt fluctus maris, Job. cap. 9: vs. 8. *In specie vero designat Excelsa illa delubra in collibus vel clivis sacri cultus ergo erecta*, Psalm. 18: vers. 34. *quibus in locis vel Baal aut idola vel verus quidem Deus colebatur*, *Magnif. Geier. Tom. I. Psalm. pag.* 296. complectiturque cum *aras & altaria*, quæ ab elevatione seu ab altitudine dicuntur, quasi *altæ aræ*, unde Græcum βωμὸς sc. à במה originem duxit; tum *sacellum, delubrum seu domum* conventibus sacris circa sacrificium destinatum, 1. Samuel. 9: vers. 12. & *monumentum vel tumulum*, super quem ex gentili ritu non raro instituebantur sacra. Significatur etiam hoc vocabulo *quilibet locus editior*, *suggestus vel pulpitum*, *item tribunal & sedes judicis* ex genio Syri, qui id effert ܒܶܡܐ, Matth. cap. 27: vers. 19. Rom. cap. 14: vers. 10. Quæ significatio hic non attenditur. Mirum autem est, quod omnes prope gentes circa sacra instituenda montium & clivorum summitates, elataque nemora industrie delegerint, ita ut quo altiora essent loca, eo sacratiora reputarentur, nisi Numinis ejus, cui sacrificabant, Celsitudinem eo intimare & offerentes ei ad majorem reverentiam adstringere voluerint; Ita enim sentit *Cornelius à Lap.* 3 *Reg.* 3. *p.* 111. quod id fecerint, tum loca excelsa, cæterisque altiora sunt, & viciniora cœlo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtineant. Nec tamen idem omnium deorum cultus fuit, sed pro diversitate Numinum diversi erant ritus & ceremoniæ, *cum* ex circumstantia *temporis*, ubi vel diu vel noctu sacrificabant; *tum loci*, in quo sacra fiebant: Quo de *Beyer Addit. Seld. de Dis Syr. pag.* 171. Ara, inquit, vox communis tria in se complectebatur: Scrobiculum, in quo fiebat Inferis; Aram, in qua Terrestribus; Focum exstructum, qui Altare dicebatur, in quo fiebat Cœlestibus. Sed cum altare proprie non erat excelsum, siquidem Scriptura 4. Reg. cap. 23: vers. 15. distinguit inter altare & excelsum, sed potius altare erat in excelso scil. colle aut monte, *Cornelius à Lap. l. c.* per vocem במות non aram, vel altare, sed locum, super quem altare vel sacellum exstructum fuit, intelligimus. Syrus interpres quidem legit ܥܠ ܐܠܛܪ̈ܐ super altari vel aras, cujus absolutus est ܐܠܛܪܐ ara; sed rectius LXX. quæ ἐν τοῖς ὑψηλοῖς reddit: quod plane gentile fuit, uti Herodotus prodidit: Οἳ νομίζουσι

Διὶ

Διὸ μὴν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες. Quando a. Patres ἐν τῷ ὄρει προσεκύνησαν dicuntur, Joh. 4:20. ut Abraham, qui à Deo ipso super montem deductus, ut holocaustum offerret, sacrificavit, Gen. 22:2. Gideon, Jud. 6:20. Samuel, 1 Sam. 9: vers. 19. suo exemplo his idololatris nihil patrocinantur, quia (1) repugnat expressum Dei de vitandis & evertendis excelsis mandatum, Exod. 34:13. Deut. 7:5. cap. 12:2. cap. 16:21. (2) Tempus longe diversum. Fuerunt quidem & aræ & his adjuncta sacella in locis editioribus vetita in lege, sed concessa tamen toto isto tempore, quod inter tabernaculum Siloah destructum, & templum Salomonis exstructum intercessit, ut quicunque vellet, ædificaret aram, & sacrificia pacificorum offerret, atque ex his epulas cum suis institueret: Ita legitur Samuel ædificasse altare in Ramatha, ubi domicilium habebat, 1 Sam. 7: vers. ult. postquam à Philistæis capta fuit arca, quæ in Siloah 389, & antea in Gilgal. 14. annos fuerat in tabernaculo testimonii. Postquam vero exstructum fuit templum à Salomone, aræ & sacella ista fuerunt prohibita & paulatim à piis Regibus eversa, ac sublata, juxta *Schindl. Lex. Pentagl.* in voce במה (3) Affectus plane alienus. Duo enim cum faciunt idem non est idem, præsertim ubi animus non est idem. Etsi hoc impune licebat, quid obstat, quin Deo placere poterat ara illa Athenis posita, & inscripta Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης: Θεῷ Ἀγνώστῳ καὶ Ξένῳ, cujus mentionem facit *Seldenus de Dis Syr. p.* 64. ut & vitulum aureum, quod ex mente nonnullorum verum DEUM Israëlis adumbrare debebat Exod. 22:4. Quamvis enim gentiles & saniores ethnici (posito, etiam Judæi idololatræ) habeant cum Christianis & vere credentibus eundem conceptum objectivum generalem, non tamen formalem, *Magnif. Olearius Theol. Universa p.* 229. ideoque nec verum veri DEI cultum. Recte igitur duplicis generis fuisse Excelsa meminit *Cornel. à Lap.* l. c. Una, in quibus instar gentium colebant earum Deos & Idola, quæ manifeste erant illicita, quia idolis dicata in DEI veri injuriam Conf. Jer. 7:31. Ezech. 6:3. Hos. 10. Altera Excelsa erant, in quibus Ebræi non idolis, sed Deo vero sacrificabant, hæc ille. Hinc *B. D. Gerhard.* in Deut. 18. p. 1135. dicit, quod immolatio in Excelsis solum fuerit illicita, quia prohibita, ideoque certo in casu dispensabilis, vid. 1 Reg. 18:19. Gen. 21:2. 1 Reg. 3:4. Hi vero suffitores arbitrarie non in honorem, sed contumeliam DEI statuis, imaginibus, vanisque idolis serviverunt, quos idcirco gentiles & idololatricos diximus. Eos jam porro sectatur textus describendo à subjecta terra seu regione, qua maxime floruerunt, nimirum בְּעָרֵי יְהוּדָה in urbibus Jehudæ, quia ab authoritate Regum Jehudæ pendebant. Nomen absolutum עִיר per Synecdochen nonnunquam Cives denotat, prout Græcis πόλις ἀπὸ τοῦ πολίτε & Latinis Civitas à Civibus, tanquam potiori constituente dicitur, ut Mich. 6:9. Alias ut hic, notat structuram ædificiis frequentibus, & muris, nec non vallibus turribusque concinnam; eamque nec splendidam solam, ut Latinis Urbs à Civitate & Oppido discernitur, sic enim multoties significat metropolin, e. g. עיר המלוכה, Urbs regni, 2 Sam. 12:26. עיר דוד Urbs David, 2 Sam. 5:7. 1 Macc. 2:31. Sed exiguam etiam, ut Bethlehem, 1 Sam. 20:6. Ex his colligitur Sordidam hanc sectam fuisse admodum frequentem & longe lateque diffusam; imo quod porro constat, impudentissimam, quæ nec à Jerusalem, עִיר אֱלֹהִים Civitate DEI, Ps. 48: vers. 2. וְעִיר קֹדֶשׁ urbs Sanctitatis, Es. 48: vers. 2. abstinuerunt; Dicitur enim וּמְסִבֵּי יְרוּשָׁלָיִם & circa Jerusalem, sc. per Civitates Juda & in circuitu Jerusalem, ut thura accenderent in excelsis & civitatibus Jehuda: Circumeuntes Jerusalem *Tigur.* vel ut *Osiand.* in Circuitu urbis Jerusalem: In ambitu Jerusalem *Junius*, seu in Circuitibus, ut *Rauppius* & *Magn. Geier.* reddiderunt. Nomen est à Rad. סבב circuitu s. circulo sedit, circumcirca undiquaque circumdedit, cinxit, ambivit, ut hostes virum, Ps. 118: vers. 11. 12. 2 Sam. 18:15. ut viri Belial domum Jud. 19:22. ut fœmina fœtum, Jer. 31:22. unde cognatæ significationis Nomen de accubitu mensæ, Cant. 1: vers. 12. & circuitu ædis, 1 Reg. 6:29. usurpatur. LXX. accurate expressit: ἐν κυκλόθεν Ἱερουσαλήμ, qs. κατὰ κύκλους, circulatim, l. circumcirca.

§. 9. Restat in definiendis Camarim Deum, cujus Sacris præesse fuerint jussi, designare, quod tacente quidem Scriptura, arduum & operosius videtur; Si tamen in re non satis liquida aliquid statuendum est, colligimus ex antecedentibus supremum aliquod gentilium Numinum id fuisse, tam ob splendidos hos ministros, quam destinata ei sacra: Quam maxime enim Superioribus Diis loca eminentiora & excelsa deligebantur, ad mentem *Beyeri Addit. Seld. pag.* 73. qui superis Diis, inquit, in sublimibus templis, altaribus, montibusque multis luminibus admixtis fiebat cultus, inferis in locis depressis. Nihilominus de Numine illo individuo ejusque nomine variant authores. *Hieron. in Hos.* 10. *vs.* & qui eum secuti sunt, turpissimæ μοσχολατρείας in deserto primum factæ, Exod. 32:4. & à scelesto Joramo iteratæ 1 Reg. 12:28. custodes fuisse rentur, eo abducti monumentis Judæorum ex Hos. 10:5. adduntque hæc speciosa: Vitulos aureos à Sacerdotibus furto esse sublatos & pro his æneos & deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis & angustiæ, etiam vitulos aureos inter munera cœtera Assyriis Regibus & maxime Regi Senaherib ab Israël Rege directos, exultabunt æditui l. Camarim, quod fraus eorum nequaquam possit argui l. deprehendi. *Gesner. Comm. in Hos.* 10. 5. *& Selden. de Dis Syr. pag.* 142. Eidem huic *Selden. pag.* 171. visi sunt Sacerdotes Molochi & nefandæ filiorum combustionis in valle Benhinnom adjutores. Sed neutrum placet nobis, quia hoc, me quidem sciente, nemo asserit; Illud non congruit, quod Bethel, mystica quadam immutatione Bethaven, quasi domus vanitatum dicta, non ad Reges Jehuda, qui hujus idololatriæ authores dicuntur, sed Israël spectabat; Generali a. denominatione eos ibidem venire videtur, quemadmodum omnes Pseudo-Sacerdotes vocabantur. Idcirco probabilior est sententia fuisse Baal, cui sacrificarint, qui tanquam Creator & summus Deus Chaldæis, Assyriis, Phœnicibus, Persis, aliisque religiose colebatur, quo nomine ipse verus Deus quandoque vocatus est, conf. Hos. 2:17.

§. 10. Hos, Josias innovaturus fœdus inter Deum & populum non potuit aliter, quam ut expelleret, quod indicatur Ebræa voce הִשְׁבִּית in Hiph. significationem effectivam habente. Radix est שבת quievit, cessavit, unde nostrum Sabbath etiam in vernacula notissimum est, hinc Germanus forte efferret proverbiali locutione, Er habe ihm Feyerabend gegeben. LXX. hanc abolitionem sub certa quadam & immitiori pœna describit: καὶ κατέκαυσε τοὺς ἱερεῖς, ac si combusserit, planeque deleverit. Hanc Syrus secutus transtulit ܘܐܘܩܕ quod Chald. de comburendis tribus viris in furno adhibuit, Dan. III. B. Dieter. Antiqu. Bibl. V. Test. pag. 263. opinatur fuisse alienam acceptionem vocis שבת, quod forte LXX. putarint à שבב fregit, contudit, unde deinceps שביב flamma, scintilla. Verum, nisi errorem iis tribuere velimus, poterat eorum authoritas nonnihil ponderis habere. Primo n. pœna exacte respondet delicto, adeo ut qui hactenus ardore & ficta religione flagrarant, flamma penitus interirent. Deinde historiæ minus adversari videtur. Nam semel forte atque iterum expulsi, quod paupertatis impatientes essent, ad ingenium usque redierunt, & verum Dei cultum depravarunt, usque dum capitis supplicio afficerentur, vid. vers. 9. & 20.

§. 11. Horum perversissimos mores suo tempore Salvator in Pharisæis, hodie sincerus quilibet in Monachis, quos tam internus quam externus cultus prodit, deprehendit. Sed os claudit ora, Sit ergo ‐ ‐ ‐ ‐ ‐

SOLI DEO GLORIA.

M. JOH.

M. JOH. HENR. HANER

DISSERTATIO

De בת קול sive de Filia vocis, quam Hebræi vocant ad Matth. III: 17. & XVII: 5.

בשש

Ἄνευ προοιμίε.

EXERCITATIONIS ACADEMICÆ

De voce Cœlitus demissa,

CAPUT PRIMUM.

Quid בת? *Cl. Vorstii sententia limitata. Ratio adpellationis. Quid* קול? *Gregor. Gregorii Franci & Conr. Kircheri ἁμάρτημα. Pocockius partim laudatus, partim notatus. Quid* בת קול? *Synonyma ejus Hebraica. Bath Kol esse ἄγραφον. Occurrere vero in Targumim, Talmude, Rabbinorum scriptis, Syriacis versionibus. Ejus homonymia evoluta. Ludovico de Dieu absensum. Guthirio accessum. Quid Esai. 13: 21.* אחים? *Bocharti laus.* בנא ܩܠܐ *non esse vertendum echo. A Londinensibus, ut & Bocharto, Seldeno & Castello ex parte discessum. Alexander Morus laudatus. Ps. 19: vs. 5. non legendum esse* קלם *pro* קום *non satis feliciter probatum dare conatum esse Ludov. Capellum, felicius Sam. Petitum, felicissime Eduard. Pocockium. Voci* קו *verus significatus, hucusque ignotus, restitutus.* Τῷ *Bath Kol Synonyma Syriaca. Num Actor. 2: 2 vox cœlestis indigitetur? Ab Heinsio dissensum. Cum Reinero Vogelsangio consensum. Ventus κολπία apud Sanchoniathonem unde dictus? An ad Simeonem Luc. 2: 26. perlata sit vox cœlestis? Pro affirmativa Dn. Andr. Mullerus, Kippingus, Hebræi adducti. De Simeone fabulosa quædam ex Hier. Xavier & Nicephoro Callisto.* Τῷ *Bath Kol Synonyma spuria. An* קול *&* בת קול *differant? A Rabbinis & Cl Buxtorfio abitur. Auctoris Scholæ Theologicæ I. W. S. B. duplex lapsus. Heinsii & Isæ bar Ali opiniones respuuntur. Vera sententia stabilita. Dn. Andr. Muller denuo laudatus. Quid Ecclesiast. 12: 14.* בנות השיר? *Cur dicatur* בת קול *& non* קול? *Fagii & Leusdenii rationes rejectæ. Quare non dicatur* בן קול *filius vocis, sed* בת קול *filia vocis? Dn. Ernestus Christianus Zarvossi laudatus. Kabbalistarum elumbis ratio. Rationes R. Bechai allegatæ. Explicatur, quid sit* בנין אב *ædificium Patris ex* הליכות עולם. *Thronus Dei quid? Locus Coloss. 1: 16. illustratus. Abarbanelis, Rittangelii & Muhammedanorum de throno Dei sententia. Heic thronum Dei esse cœlum. Rationes 4. R. Bechai, cur non dicatur* בן קול, *examinatæ, explosæ, R. Levi ben Gersom, Motanabbi, Talmudistæ, LXX. Interpretes hanc in rem citati.*

§. 1.



Cturis de בת קול consideranda nobis sunt tum separatim & בת & קול, tum conjunctim τὸ בת קול, apud animum expendentibus illud Platonis in Gorgia: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, *cognitionem nominum sequitur rerum ipsarum cognitio*; & hoc sapientis Epicteti: ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *disciplinarum principium est consideratio nominum*: item istud Galeni: ἡ τῶν ὀνομάτων χρῆσις παραχθεῖσα καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταράττει γνῶσιν, *conturbatus nominum usus & rerum ipsarum cognitionem conturbat.*

§. 2. Atque בַּת quidem incunabula debet sua Palæstinæ, notatque h. l. non (1) *pupillam*, ut Psal. 17: 8. כְּאִישׁוֹן בַּת־עָיִן SICUT *nigrum pupillæ oculi*, ubi בַּת contracte ponitur pro בָּבַת, ab absoluto בָּבָה, quod est ab Arabico بابا inter alia significante *properavit, celer fuit*, quia pupilla quam celerrime rotari potis est. Nec (2) *mensuram liquidorum*, ut Jes. 5:10. quæ vox descendere videtur ab Arab. بت *secuit, resecuit.* De hac mensura consule Casparum Waserum (a). Adde Jacobum Capellum (b). Nec (3) *regionem pagos & oppida continentem*, ut Zachar. 2: 7. יוֹשֶׁבֶת בַּת בָּבֶל *inhabitans regionem seu territorium Babylonis*, cui urbs Babel tanquam mater dominatur. Pagi enim & oppidula vocantur בָּנוֹת filiæ. Regio pagos & oppidula continens בַּת, verba sunt *Ludov. de Dieu.* (c) E quo loco simul adparet, בַּת בָּבֶל non semper accipi posse pro *incolis Babylonis*, ceu vult Cl. *Vorstius* (d). Alioquin enim ταυτολογία esset in loco Zachariano. Nec (4) *multitudinem aboriginum ac indigenarum*, ut Jes. 23: 10. בַּת תַּרְשִׁישׁ *multitudo indigenarum Tartessi* (Hispanicæ urbis) vid. *Bootius* (e). Hic tamen significatus cum præcedente fere coincidit. Nec (5) *parvulam*. *Kimchi* enim in Radice בנה ait, בן

(a) *De antiquis mensuris Hebr. libr. 3. cap. 4. p. 108. & seqq.* (b) *Lib. 2. de mensuris p. 94. n. 54. & lib. 3. p. 154. n. 23.* (c) *Animadvers. in V. T. p. 725.* (d) *Philol. sacr. de Hebraism. N. T. part. alt. cap. 24. pag. 74.* (e) *In Animadv. sacr. ad text. Hebr. V. T. lib. 3. p. 191.*

בן *filius*, & בת *filia*, cum absolute usurpantur, nulla patris aut matris mentione facta, parvulum & parvulam denotare. Hinc Exod. 21: 31. בן או בת cum Kimchio interpretatur קטן או קטנה parvulum vel parvulam *Christoph. Carthwrightus* [f]. Nec (6) *neptem*. vid. Cl. *Hackspan.* [g]. Nec (7) idem quod בִּפְנִים seu *vice*, ut accipitur in illo Rabbinico: השותה כוסו בבת אחת נקרא גרגרן: *Qui ebibit poculum suum vice una, vocatur gulosus.* Sed 8. *filiam*, fluitque à R. בָּנָה *ædificavit, exstruxit*, ita, ut sit quasi ex בְּנַת, eliso Nun, quod Syrus & Arabs retinent: quippe ille filiam vocat ܒܢܬܐ, hic بنت à Th. بنا Hebræo בנה respondente, quamvis nos non lateat, Cl. *Golium* [h] vocem بنت à بنى *sciscitatus est*, deducere, quam ipsam tamen deinceps pag. 331. ad Rad. بنا refert.

§.3. Ratio etymi facile patet. Scil. per liberos ædificatur & augetur paterna familia, ipsique sunt instar ædificii parentum. Nihil sane novi est, procreationem liberorum cum ædificatione comparari. In mentem jam est illud Comici:

—— —— Nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium esse similes arbitremini.
Primum dum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum,
Extollunt, parant sedulo infirmitatem,
Ut & in usu boni & in speciem populo
Sint: sibique aut materiæ ne parcant.

Mostellar. Act. 1. 2.

§.4. קול vero *sonum, vocem, concentum, strepitum*, item *tonitru* denotat, inque terram Canaan ἀδέσποτον est, contra, ac statuunt *Gregor. Gregor I Francus & Conradus Kircherus* [i]. Putant namque, קול esse ab Hebr. קָלַל *levis fuit*, quod vox sonus levis sit & velociter feratur. Enimvero confundunt auctores hi vocem קל id est, *levitas*, (quæ absque sustentaculo Vau scripta, אין לו אח במקרא *non habet fratrem in Scriptura*, ut cum Rabbinis loquar, h. e. ex numero ἅπαξ λεγομένων est, extatque Jer. 3: 9. & à dicto Verbo originem trahit, (cum voc. קול, quod plerumque plene scribitur & descendit ab inusitata Rad. קול, apud Arabes superstite قال *Kala*, non illa, quæ est pro قيل *Kajila*, quæ quiescit media ي *Je*, heic transeunte in Elif & significante *somnum cepit in meridie* &c. sed ea, quæ ponitur pro قول *Kavvala*, id est, *dixit*, adeoque quiescit media و *VVau*, τῷ Wau vocali heterogeneæ, nempe Fathæ, sese adcommodante & migrante in Elif, quod ex Grammaticis est notissimum. Vide à partibus nostris stantem celeberrimum *Pocockium* [k], qui insimul hoc Verbum apud Arabes solum in usu esse vult. Qua in re tamen fallitur. Reperitur enim etiam hæc radix adhuc apud Samaritanos & quidem in passivo ࠀࠕࠒࠋࠏ *adpellatus est* Gen. 3: 8. Conferatur *Castellus* [l].

§. 5. His itaque vocibus separatim spectatis, faciendum nunc est, ut easdem quoque conjunctim sumtas consideremus. Neque vero in præsenti erimus soliciti de multiplici significatione vocis בת in Regimine positæ & variis exinde emergentibus Hebraismis, de quibus consulatur B. *Glassius*, Theologus de Ecclesia Christi meritissimus [m]. Cui addatur V. Cl. *Joh. Vorstius* [n], utpote quæ nostri non sunt instituti; sed potius videbimus, *primo*, ubi occurrat, *deinde*, quod modis sumatur; *ad ultimum* Synonyma adferemus.

§. 6. Quod ad primum attinet, τὸ בת קול quidem, quoad voces, est ἄγραφον f. non legitur in S. Codice Hebræo; sed ejus loco reperitur קול יהוה אלהים *vox Iehovæ Dei*, Gen. 3: vers. 8. vel קול אלהים *vox Dei*, Deut. 4: vers. 33. conf. & vers. 36. vel קול אלהים חיים מדבר מתוך האש *vox DEORUM VIVENTIUM loquentis è medio ignis* Deuter. 5: vers. 26. Plura loca congessit *Rittangelius* [o]. Frequentant tamen hanc ῥῆσιν *Talmudistæ* æque ac *Rabbini*, qui eam sæpe per ראשי תיבות sive siglas scribunt h. m. ב״ק. vid. *Franciscus Donatus* [p] & *Buxtorf.* [q] Hi dubio procul desumserunt eam à Chaldæis interpretibus, in quorum Targumim, sed non nisi posterioribus, occurrit בַּת קָלָא, בְּרַת קָלָא, בַּת קָל, ut in paraphrasi, quæ vulgo Jonathani, sed falso attribui solet, vid. Cl. *Schickardus* [r], ut & in Hierosolymitana, quæ, fatente *Elia in præf. Meth.* incerti est auctoris, in Parascha וישב ad Gen. 38. 26. בְּרַת קָלָא נָפְקַת מִן שְׁמַיָּא *Filia vocis egrediebatur è cœlo.* Et iterum in Parascha חקת ad Numeror. 21: vers. 6. בְּרַת קָל נָפְקַת מִנּוֹ אַרְעָא וְאִשְׁתְּמַע קָלָא בִּמְרוֹמַיָּא *Filia vocis egrediebatur è cœlo, & audita fuit vox illa in cœlis.* Vid. & Deut. 28: 15. Adde sic dictum Thargum Jonathanis Deut. 34: vs. 5. Cant. 2: 14. cap. 4: vers. 1. cap. 5: vers. 14. & Thren. 3: vers. 38. Reperitur etiam apud Syrum interpretem cum in Vet. tum in N. T. (1) in Singulari ܒܪܬ ܩܠܐ, ubi constructum ܒܪܬ, quum per lineolam occultantem, quam Syri ܡܗܓܝܢܐ id est, *meditari facientem* vocant scribatur, eliso Risch, legendum est *bath*, non *bart*. Absolutum est ܒܪܬܐ quod *Ludovicus de Dieu* [s] sine linea occultante scribi & legi vult *barto*. Verum *Guthirius* [t] hanc vocem rectius scribere videtur ܒܪܬܐ cum Mhaghjono, idque non sine ratione, ut scil. distingui possit à vocabulo ܒܪܬܐ, quod & ipsum fœmininum est ac *ovum* significat. (2) πληθυντικῶς seu in Plurali ܒܢܬ ܩܠܐ *filiæ vocum.* Id quod ex locis jamjam alligandis patebit.

§. 7. Ad secundum quod spectat, *accipitur* I. pro *qualibet voce tam ἐνάρθρῳ, quam ἀνάρθρῳ.* Pro *articulata* quidem Galat. 4: vs. 20. ubi Syrus hæc Græca: καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, id est, *Et mutare vocem meam*; expressit ita: ܘܐܫܢܐ ܒܪܬ ܩܠܝ id est, *& mutarem filiam vocis meæ.* Sic 1 Tim. 6: vers. 20. Grajum vocabulum κενοφωνίας id est, *inanitates vocum*, redditur à Syro ܒܢܬ ܩܠܐ ܣܪܝܩܬܐ *filiæ vocum inanium.* Pluria loca reperies allegata apud *Castellum* [u]. At pro *inarticulata* in V. T. Esa. 13: 21. ܘܢܬܡܠܘܢ ܒܬܝܗܘܢ ܒܢܬ ܩܠܐ quæ Londinenses in hunc modum vertunt: *Et implebuntur domus eorum echo.* In Hebraico textu est אחים *ohim*, quam vocem ἀνερμήνευτον & intactam relinquere, quam lectoris animum dubia versione suspendere, maluit B. Lutherus cum Chaldæo & Symmacho. Nonnulli vertunt *aves ferales*, alii *furunculi.* Hieronymus *dracones.* Aben-Esra, *animalia, quorum aspectu videntes obstupescunt.* Mardochæus reddit per *simias* aut *mustelas.* Rabbi Salomo Jarchi se juxta cum ignarissimis scire, quod genus sit animalis, fatetur. Hi explicant *Faunos*, illi *martes*, alii aliter, & denique quid non? Vir ut humaniorum litterarum omnium, ita linguarum Orientalium peritissimus & in scriptis Anatolicis versatissimus *Samuel Bochartus* [x] hos omnes deserit: *Ego plane*, inquiens, *aliter sentio, nempe* אחים *non esse feræ speciem, sed vocis clamores, rugitus, ferarum ululatus, quibus deserta personant.* Quod interpretamentum tribus stabilit rationibus, quia nim. (1) אח & האח est vox gementis vel exultantis. (2) huc alludere videtur Arabum وحي & وحاة id est, *vox sonora.* (3) etiam Ægyptiorum vocabulum fuisse colligitur ex Horo Apolline, qui sic habet Hierogl. lib. 1. cap. 29. φωνὴν ᾗ μακρόθεν βουλόμενοι δηλῶσαι, ὃ καλεῖται παρ' Αἰγυπτίοις οὐαί. *Vocem remotam significare volentes, quod Ægyptiis Vale dicitur.* Addit: *Ab Hebrais* אח *&* אחים *fieri videntur Græca vocabula ἦχος sonus, & ἠχέω sono, pro quo Dores ἀχέω. Quod ipsum in causa fuit, cur, allusione vocis servata, Seniores* אחים *ἦχον* sonum *redderent. Quomodo etiam Theodotion: Et Syrus*, Et replebuntur domus eorum ܒܢܬ ܩܠܐ filia vocis. i. e. *echo.* Et *Arabs*, صوت الصدى voce vel echo. Atque rursus: [y] *Esaiæ Arabica versio fere Græcam sequitur, quæ hic habet*: ἐμπλησθήσονται αἱ οἰκίαι ἤχους, implebuntur domus sono. *Pro quo ille legit ἠχοῦς echo*, ac proinde reddidit صوت الصدى *id est*, echo, quomodo etiam Syrus

[f] *In Electis Thargumico-Rabbinicis s. annotat. in Exod. pag.* 484. [g] *Notar. Philologico Theologicar. in var. & diffic. script. loco part.* 1. *pag.* 433. *&* 535. [h] *Lex. Arab. pag.* 327. [i] *Ille in Lexico sancto pag.* 245. *n.* CXCV. *hic in Concordantiarum Vet. Testam. Græcarum part.* 2. *pag.* 1362. [k] *Notis in Carmen Tograi, cui titulus Lamiato 'l Ajam pag.* 209. *&* 62. [l] *In Lexic. Heptagl. p.* 3300. [m] *Philol. sacr. p. m.* 472. *usque* 480. [n] *Hebraism. Nov. Testam. part.* 1. *cap.* 13. *pag.* 332. *& seqq. ut & part.* 2. *cap.* 24. *per totum pag.* 44. *& seqq.* [o] *Notis in librum Iezirah. pag.* 108. *& seq.*

[p] *In* תפוחי זהב *s. Pomis aureis Hebr. ling. p.* 69. [q] *In de Abbreviat. Hebr. p.* 57. [r] *In Bechin. Happer. s. examine commentationum Rabb. in Mosen p.* 29. *& seq.* [s] *Gramm. LL. Orient. p.* 52. [t] *In Lex. Syr. N. T. p.* 19. [u] *In Lex. Heptagl. p* 379. [x] *In Hieroz. part.* 1. *lib.* 3. *c.* 15. *col.* 865. [y] *Col.* 866. *& seq.*

Syrus ܒܪܬ ܩܠܐ filia vocis, *quod idipsum significat.* *Bocharto* accedit celeberrimus *Castellus* (z), cujus hæc sunt verba: *Syrus uterque, Arabs noster & Seldenus dictionem* [Latinius, *vocem*] *hanc* [nempe אחים] *per Echo & Sonitum exponunt: nec male. Fragores horridi, at strepitus, quos strigiles edere nonnunquam solent, larvæque domuum præsides magnificarum* [*ut observarunt veteres*] *cum primis autem vacuarum, quidni hic satis apte sint intelligendi?* Et paucis interjectis: *Addo minime insusitatum, istiusmodi sonitus, desolatis præsertim in ædibus, cum horrore exaudiri, etiam ubi nulla omnino conspiciuntur animalia.* Quibus & nos quidem ex parte subscribimus, sed, quod pace tantorum virorum dixerimus, Syriacum ܒܪܬ ܩܠܐ per *sonum* duntaxat seu *vocem primigeniam*, non simul per *echo* seu sonum repercussum [ut volunt] explicandum esse, vel inde liquet, quia echo est sonus debilis & subobscurus. Feræ autem ululantes de quibus in loco ex Esaia citato sermo est, nempe feles sylvestres, thoës, struthiones [de his enim & non aliis animalibus h. l. agi, fuse probavit laudatus Bochartus] non edere solent vocem debilem ac obscuram, sed maxime sonoram, trucem, acutam & vehementem. Liceat nobis hoc ex ipso *Bocharto* ostendere. De felibus sylvestribus [a] sic scribit: *Ut thoum ululatus alterni habent aliquid tetrum & horribile, ita felium in desertis coëuntium vox dira est & inauspicati ominis. Maxime, cum mutuis vagitibus, ut ita dicam, velut incentivo quodam ad amorem utuntur.* Idem (b) de thoibus hæc habet: *Huic* [hyænæ] *non dissimiles thoës, sed minores & minus noxii, ut Arabice vocantur* بنات آوى *filiæ avvi, ita Hebraice* איים *ijim ab acuto ululatu, quo personant agros Syriæ, cum noctu turmatim cursitant.* Et (c): *Porro animalium, quæ descripsimus* [איים] *hoc maxime proprium est, quod alternis ululatibus sibi mutuo respondent.* Neque minus struthionem [quæ significatur per בנות יענה] clamosum esse animal docet ipse, (d) idque fuse probatum dat non ex Arabicis tantum scriptoribus, sed ex verbis quoque Johannis de Laet (e): *In Brasiliæ Mediterraneis multæ struthiones reperiuntur, quas barbari sua lingua nominant* janducocu &c. *Proceræ sunt, & tam altum clamant, ut ad dimidiam leucam audiantur.* Addit Bochartus: *Quin acrem & asperum esse struthionum clamorem, maxime circa auroram, ab iis non semel audivi, qui illas circumducunt.* ibid. (f) Alias rationes, quare ܒܪܬ ܩܠܐ non verti debeat *echo*, vide allatas infra. Neque est, quod ex *Bocharto* regeras, Syrum interpretem Hebræas voces, animalia clamosa significantes, non intellexisse, vid. *Hieroz.* (g) adeoque per ܒܪܬ ܩܠܐ intelligere *echo*. Ututenim vocem איים id est, *thoës* non intellexerit, reddendo illam per ܣܝܪܐܢܘܣ, quod mendose legitur pro ܣܝܪܝܢܘܣ i. e. *Sirenes*, neque vocem ציים id est, *feles feræ*, quam itidem per ܣܝܪܝܢܘܣ *Sirenes*, ܚܝܘܬܐ *feras*, ܪܘܚܐ *spiritus* expressit: optime tamen intellexit dictionem בנות יענה quam expressit per ܒܢܬ ܢܥܡܝܬܐ id est, *struthiones*, quas admodum vocales esse, jam supra notatum fuit. Quod autem Arabs vocabulum Hebr. אחים vertit per صدى *Tsadi* i. e. *echo*, factum est, ex observatione ipsius *Bocharti*, inde, quia LXXviralem versionem non recte inspexit, & pro ἤχω id est, *soni* legit ἠχοῦς, *echus*. Sed hæc hactenus ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 8. II. pro *prædicatione verbi divini*. Hoc sensu ter occurrit apud Syrum N.T. interpretem (1, Rom. 10: 16. *Quis credidit* ܠܫܡܥܢ ܒܪܬ ܩܠܢ ad litteram: *filiæ vocis nostræ?* in textu authentico extat: τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, quem locum Apostolus citat ex Esai. 53: 1. ubi obiter notamus vocem Græcanicam ἀκοὴ per Hebraismum nove heic, nec non Joh. 12: vs. 38. ut & Galat. 3: 2. significare *concionem, orationem, prædicationem* [quum alioqui notet *auditum, sensum audiendi*, dein & *auditionem, audiendi actum*] quam significationem recepit ad exemplum Hebrææ vocis שְׁמֻעָה, cum qua alias significatu *auditionis* congruit. Vid. Cl. *Vorst.* (h) Lubet heic adscribere verba *Alexandri Mori* (i) locum nostrum ex Rom. 10: vs. 16. allegatum non parum illustrantia: *Nobis videtur hic interpres appositissime loquutus ad prophetæ mentem, cum reddit. Quis credidit filiæ vocis nostræ?* hoc est, *auditioni nostræ sive rei auditæ à nobis. Quod bifariam potest accipi, vel ut ex nobis à populo dicatur audita, velut à nobis ex Deo audita & hausta cælitus ipso docente Deo: qui posterior sensus à Syro innuitur. Nempe filia vocis cælestem revelationem significat. Hinc* audire *dicuntur qui docentur à Deo,* auditores, *hoc est,* discipuli Dei. *Quales Prophetæ fuere: docebant enim populum quæ audiverant à Deo, ipsi à Deo docti.* Plura vide, sis, ibid. [2] eodem cap. vers. 18. *In omnem terram exivit* ܒܪܬ ܩܠܗܘܢ *filia vocis eorum.* Syrus in V.T. vertens hunc locum, usus est voce ܣܒܪܬܐ id est, *Evangelium, læta annunciatio, prædicatio* &c. Græcus textus habet: ὁ φθόγγος αὐτῶν, *sonus eorum*, qui locus ex Psalm. 19: 5. est desumtus. Verba Hebraica sunt hæc: בְּכָל־הָאָרֶץ יָצָא קַוָּם *in omnem terram exivit linea eorum.* Heic queri potest, cur LXX. Interpretes & cum his S. Paulus pro Hebræo קַוָּם *linea eorum* legant ὁ φθόγγος αὐτῶν, *sonus eorum. Huntlæus & Bellarminus* sine mora respondebunt, Hebræum textum esse corruptum & pro קַוָּם legendum esse קֹלָם. Sed his à summe reverendis Theologis nostris jamdudum est satisfactum. *Ludovicus Capellus* (k) opinatur, interpretes forsan accepisse קוים quasi esset à חוה, quod Chald. & Syr. significat *eloqui, enunciare, indicare*, [immo & Hebraice ut Psalm. 19: vers. 3. יחוה דעת *indicat scientiam.*] Enimvero hanc conjecturam relinquamus auctori suo. Melior est sententia *Samuelis Petiti*, viri, cujus eruditio minime ipsius nomini respondet, [siquidem *petit* in lingua Gallica *exiguum, parvulum* denotat] qui (l) erudite monstrat, quod Hebræum קו & Græcum φθόγγος inter alia *elementum, litteram* significent, adducto loco ex Esai. 28: vs. 9, 10, 13. ubi vocem istam קו usurpat Propheta, cum ageret de Israelitis, rudibus adhuc atque elementariis pueris; את מי יורה דעה ואת מי יבין שמועה גמולי מחלב עתיקי משדים: כי צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם: והיה להם דבר יהוה צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם: id est, Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet prædicationem? ablactatos à lacte? avulsos ab uberibus? Quia præceptum præcepto, præceptum præcepto; linea lineæ, linea lineæ, pauculum hic, pauculum illic [*fuit additum.*] Et erit eis verbum Domini præceptum præcepto, præceptum præcepto, linea lineæ, linea lineæ; pauculum hic, pauculum illic. *Narrat Propheta* [verba sunt laudati Petiti l. c.] *Deum instituisse Israelitas, tanquam elementarios pueros, qui primum litteras syllabasque nosse, & ita paulatim versum unum legere, mox & alium docentur. Eadem est mens Prophetæ* Psalm. 19. *qui docet, homines esse institutos & imbutos è cælorum compage, vel Apostolorum ministerio, prout accommodat locum Prophetæ B. Paulus ad Apostolorum prædicationem, primis elementis pietatis atque fidei.* Uberiora ibidem reperies. Confer B. nostrum *Glassium* (m). Optimum, & quod rem acu tangit, interpretamentum esse videtur eorum, qui voci קו significatum suum [quantumvis minus notum] restituunt ex Arabismo. Dicimus itaque cum V. Cl. *Eduardo Pocockio* (n), vocabulo קו olim *clamoris* seu *vociferationis* non minus, quam *lineæ* seu *amussis* intellectum tribui solitum. *Conjecturæ* [pergit laudatus auctor] *ratio inde, quod in ea* [lingua Arabica] قوقا kauka *forma* [*ut fieri solet in ejusmodi Verbis*] *quadrilittera ex primæ radicalis repetitione à themate* قوى *Kavva* [*quod Hebraico* קוא & קוה Kavah, *cum He leni seu quiescente, respondet*] idem denotet ac صاح *clamare, exclamare, vociferari*, teste Al Firuzabadio *in Oceano suo, in quo forsan & usitatioris ejusdem thematis intellectus* [scil. fortitudinis, roboris & potentiæ] *vestigia sunt non obscura, ut sit, non quovismodo, sed μετὰ βοῆς* φθέγγεσθαι fortiter & alta voce clamare &c. Conf. Golius (o), ut & *Castellus* (p). [3] Hebr. 3: 15. ܐܢ ܒܪܬ ܩܠܗ ܫܡܥܬܘܢ *si filiam vocis ejus audiveritis.* In Græco textu legitur: Ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούσητε, *si vocem ejus audieritis.*

§. 9. III. Pro *oraculis gentilium*, Actor. 12: vers. 22. *Populus adclamabat:* ܗܠܝܢ ܒܪܬ ܩܠܐ ܕܐܠܗܐ ܐܝܬܝܗܝܢ id

(z) *In Lex. Heptagl. pag.* 56. (a) *Hieroz. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *col.* 861. *l.* 58. (b) *Hieroz. part.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *col.* 62. *l.* 50. (c) *Part. ejusd. lib.* 3. *cap.* 12. *col.* 845. [*quæ typographi errore est col.* 843.] *l.* 48. (d) *Hieroz. lib.* 2. *cap.* 14. *col.* 231. *l.* 2. (e) *In Americæ descriptione lib. XV. cap. VII.* (f) *Col.* 228. *l.* 40. (g) *Part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *col.* 830. *l.* 63. (h) *Phil. sacr. de Hebr. N. T. part.* 1. *c.* 3. *pag.* 65.

(i) *Ex Not. ad Esa. cap. LIII. pag.* 5. (k) *In Criticæ sacræ libr.* 2. *pag.* 61. (l) *In Var. Lect. libr.* 1. *cap.* 7. *pag.* 29. *& seq.* (m) *Philol. sacr. p. m.* 1313. (n) *Ex Portæ Mosis adpendice Notar. Miscellan. cap.* 4. *pag.* 48. (o) *Lex. Arab. p.* 1986. (p) *In Lex. Heptagl. p.* 3297.

id est, *Hæ filiæ vocum Dei sunt.* Apud Lucam extat: φωνὴ Θεοῦ. Venerantur scil. heic Tyrii & Sydonii Herodis verba, ceu Dei oracula, & quasi Numen quoddam cœleste locutum esset.

§. 10. IV. Hebræis κατ' ἐξοχὴν notat הקול שירד מן השמים *vocem cœlitus delapsam*, quo sensu tamen in N. Test. Syriaco vix reperitur, nisi quis cum Buxtorfio (q) loca Hebr. 3: 15. & Rom. 10: vs. 16. supra jam nobis allata huc referre velit; sed ejus vice ponitur vel tantum simpliciter ܩܳܠܳܐ *vox*, Actor. 7: vers. 32. cap. 9: vers. 4. sicut & hoc ipso loco Æthiops reddit per suum ቃል vid. *Magnif. nostrum Ludolfum* (r), nec non 2 Petr. 1: 17. vel cum apposito ܩܳܠܳܐ ܡܶܢ ܫܡܰܝܳܐ *vox è cœlis*, Matth. 3: vers. 17 Luc. 3: 22. & Joh. 12: 28. Sic Chaldaice in V. T. קָל מִן שְׁמַיָּא Dan. 4: 31. An autem Actuum II. 2. per illa verba: ܘܗܘܳܐ ܡܶܢ ܫܶܠܝܳ ܡܶܢ ܫܡܰܝܳܐ ܩܳܠܳܐ vel ut textus authenticus legit: καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος id est, *Et factus est derepente de cœlo sonus*; vox cœlitus delapsa indigitetur, quod *Heinsius* (s), licet initio subdubitare videatur, statuit, non adeo liquet. Verba *Heinsii* hæc sunt: καὶ ἐγένετο ἄφνω ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἦχος, Et factus est repente de cœlo sonus. *Quod sive de sono aliquo, sive voce cœlitus data exhibitaque accipias, edito hoc, sive sono, sive voce, convenerunt plurimi ac stupuerunt, qui cum venissent, sua quisque lingua differentes audiverunt. Occasione ergo soni, sine dubio miraculosi, de quo dicebamus, convenisse ad linguarum, de quo agitur, miraculum videntur. Existimo autem, si,* [*quod omnino videtur*] *illud* γινομένης φωνῆς, *eo referendum sit, quo dixi,* בַּת קוֹל *sive vocis filiam, hoc est, vocem certam, è cœlo pariter cum vehementi flatu editam, intelligi. Unde Joh. cap. 12. cum eo modo diceretur cœlitus* καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω, *alii tonitru factum, alii Angelum locutum dicebant. Quod ut hic flatus, ita ibi tonitru conjungeretur.* Hactenus Heinsius. Certe dissentit *Reinesius Vogelsangius* (t): *Audiebatur*, inquiens, *quidem & sonitus, verum inarticulatus, tanquam venti validissimi.* Quicum & nos facimus: ventus quippe articulatum sonum edere non assolet. Præterea pro eo usurpatur nunc ܩܳܠܳܐ ܕܡܶܠܶܐ *vox verborum.* Hebr. 12: 19. nunc ܩܳܠܳܐ ܡܶܢ ܥܢܳܢܳܐ *vox è nube.* Matth. 17: vs. 5. Marc. 9: vs. 7. Luc. 9: vers. 35. interdum ܩܳܠܳܐ ܡܶܢ ܦܘܡܶܗ ܕܐܰܠܳܗܳܐ *vox ex ore Dei*, ut Actor. 22: vers. 14. Hebraice diceres קול־פי־יה *Col-pi-jah* è quibus vocabulis conflatum est nomen venti, qui è Sanchoniathone Berytio, Scriptore Punico, [quem Philo Biblius in Græcam linguam transtulit] dicitur κόλπια. Vid. *Euseb.* (u) *Hugo Grotius* (x) & *Samuel Bochartus* (y). Addatur *B. Joh. Henr. Ursin.* (z) item V. Cl. *Christoph. Arnoldus* (a) &, qui vel primo loco nominandus erat, *B. Reinesius*, ὁ πάνυ (b).

§. 11. Sunt, quibus Synonymum esse quoque videtur ܪܘܚܳܐ ܕܩܘܕܫܳܐ id est, *Spiritus S.* Luc. 2: vers. 26. Quos inter est V. Cl. *Dn. Andreas Mullerus* (c) ut & *M. Henricus Kippingius* (d) ubi inter alia hæc habet: *Hæc tempora, quibus prophetiæ & miracula cessare debebant, sunt* χρόνοι κάτω *apud Syracidem prologo 1. num. 2. & qui vaticiniis celebres erant, ut Johannes Hyrcanus, Judas Essenus,* SIMEON, *Hanna, ad eos* בת קול *perferebatur, quo respicitur Joh. 12: vers. 29. Actor. 23: vers. 9. & plurimum memorat auctor.* ספר יוחסין. Hic est R. *Abraham Zachus*, de quo consul. *Buxtorf.* (e) Quid? quod ipsimet Hebræi בת קול inter מדרגות רוח הקדש *gradus Spiritus S.* referre solent, ut in seq. cap. sumus edocturi. Quomodo autem Simeon, cujus è Luca jam facta est mentio [ut obiter & hoc addamus] fuerit κεχρηματισμένος ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, satis fabulose narrat *Hieronymus Xavier.* [f] Placet omisso, brevitatis studio, textu Persico, adferre duntaxat versionem *Lud. de Dieu*, non eam, quam è regione Persici hujus scripti pag. 94. legere licet, sed illam, quam *Animadversion. in Excerpta ex Hist. Christ. p. 581. & seq.* utpote magis perspicuam, exhibet, lectorem benivolum, cum laudato *Dieu*, rogantes, velit patientem nugis præbere oculum. *Quidam*, inquit, *ex Sacerdotibus, nomine Simeon, Legisperitus erat & Judæorum doctor, qui in schola Hierosolymitana sacros libros interpretabatur, quumque ad illa Esaiæ verba venisset, Ecce* עלמה *concipiet & pariet & ex voce illa* עלמה *post attentam considerationem modi scripturæ Hebraicæ cognovisset, fore ut virgo in statu virginitatis pareret, errorem Scribæ esse affirmavit, & ne discipulis error cresceret, delevit* Vau, *ne ex his litteris tenerentur credere, virginem manente virginitate parituram. At postridie in scholam reversus, erasam litteram restitutam reperit. erasit denuo. denuo restitutam invenit. In tertio factum; quum autem timens Dei esset, summis ab eo votis contendit, arcanum illud sibi ut detegeretur. Angelus præmissa gravi increpatione, quod Scripturam interpolare fuisset ausus, annunciat fore ut vere virgo in statu virginitatis pariat, utque eam & Messiam oculis intueatur ante mortem. Ita contigit. Quum enim Christus in templum esset depositus, instinctu Spiritus eo venit, & Mariam filiumque videns, humanissime & cum lacrymis ipsi filium istum est gratulatus.* Ut heic nihil dicamus, quod Simeonem sacerdotem & doctorem fuisse audacter adfirmat, quod imperite & inepte narrat, literam Vau fuisse erasam, quum apud Barradium, cui, utut Jesuitæ, hæc minus placent, in Concord. Evang. tom. 1. lib. 10. cap. 2. ex Egesippo Beauxames id de He Emphatico vocis העלמה referre dicatur, quod illacrymatum eum esse scribit, [utpote omnia à Lud. de Dieu l. c. jam tacta] exponemus duntaxat, unde petierit id, quod Angelum ad eum missum dicit, quod huc potissimum spectat. Hausit autem id ex *Nicephoro Callisto* [g], ubi: ἕνα δὲ, inquit, λόγος ἔχει τῶν ἐπ' ἀρετῇ καὶ σεμνότητι ἀκριβείᾳ τε βίου διαβιούντων, τούτων εἶναι τὸν Συμεών· ᾧ δήποτε τῷ κατὰ τὸν προφήτην Ἡσαΐαν χρησμῷ ἐπιστήσαντι· ὅς φησιν, Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ λήψεται υἱὸν, διαπιστεῖν ἐπῄει τῷ θείῳ θεσπίσματι· οὕτω δ' ἔχοντι, ἄγγελον ἐπιστῆναι φασὶ χρῶντα, μὴ ἂν ἀπολυθῆναι τῶν τοῦ βίου δεσμῶν, εἰ μὴ τὸ παρ' αὐτοῦ διαπιστουμένην [lege διαπιστούμενον] ἐπὶ θύραις ὅσον ἤδη ἐγγίζον, καὶ ὄψεσιν οἰκείαις πιστώσαιτο, ὃ δὴ χαίρειν καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐληλακὼς, καὶ τὸν χριστὸν Κυρίου ἰδὼν ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς οἰκείοις κόλποις διαβαστάσας, τῆς σαρκὸς εὐθὺς ἀπολέλυται. Quæ *Joannes Langius* h. m. Latio donavit: *Hunc Simeonem, fama est, ex eis fuisse unum, qui virtute, dignitate vitæque sanctitate excelluerunt: qui quum aliquando illi Prophetæ Esaiæ oraculo legens incumberet, quod ait, Ecce virgo uterum gestabit, & concipiet filium; & de divini ejus responsi fide ambigeret, Angelum ita fluctuanti ei astitisse ferunt, cum oraculo ejusmodi: Non illum prius vitæ hujus vinculis solutum iri, quam id, de quo credendo addubitasset, pro foribus primo quoque tempore appropinquans, & oculis ipse suis conspectum, testimonio suo confirmaret. Quam ob causam ad tantum senium provectus, quum Christum Domini oculis suis conspexisset, eundemque in ulnis gestasset, carnis mole protinus solutus atque liberatus est.*

§. 12. Nonnullis Synonyma quoque sunt קול הברה *vox resultans & se reflectens*, ceu vult *Buxtorfius* [h] item קול דממה *vox silentii*, id est, è loco silenti resultans, ut statuit R. *Salomon* 1 Reg. 19: 12. sed quam vere, constabit ex deinceps dicendis.

§. 13. V. Sumitur בת קול pro *revelatione divina illa, de qua Rabbini gloriantur*, qua de quid sentiendum, docebitur in posteriore Dissertationis nostræ parte.

§. 14. VI. pro *voce, quam quidam audiverunt, postquam reprobati fuerunt, & crediderunt, vocem esse Dei, cum revera vox esset Diaboli.* Vid. *Raymundus* [i]. Hæc tamen acceptio cum proxime præcedente fere coincidit.

§. 15. Qui קול & בת קול differant, de hoc inter auctores non convenit. Rabbini tantum non omnes & cum illis etiam Cl. *Buxtorfius* [k] autumant, קול significare *sonum primigenium*, בת קול vero *sonum repercussum, echo, resonantiam, sonum reflexum.* Hinc nonnulli oraculum hoc cœleste vocant *Echo propheticam.*

§. 16. *An-*

(q) *In Lexico Chaldaico-Talmudico-Rabbin. pag.* 321. (r) *Lex. Æthiop. pag.* 153. (s) *In Exerc. sacr. ad N. Test. pag.* 266. (t) *Exerc. Theol. 2. pag.* 35. (u) *Lib. 1. & 10. Evang. præparat.* (x) *In de V. R. C. lib. 1. p. m.* 42. (y) *In Geograph. sacr. parte altera Chanaan lib. 2. cap. 17. pag.* 855. (z) *Exercitationibus familiaribus de Zoroastre Bactriano, Hermete Trismegisto, & Sanchoniathone Phœnicio pag.* 185. *& seq.* (a) *In subjuncto iisdem Exercit. Spicileg. pag.* 61. (b) *In* ἰσονομίοις *linguæ Punicæ cap. 12. n. 5.* (c) *Exerc. 6. sub Cl. Vorstio Rostochii olim habita.* (d) *Exercitation. sacris de Scriptura V. & N. Test. pag.* 107. (e) *Biblioth. Rabbin. pag.* 350.

[f] *In Hist. Christi Persice conscripta pag.* 95. [g] *Eccles. Hist. lib. 1. cap. 12. pag. 74. ex editione Frontonis Ducæi.* [h] *In Lex. Chaldaico-Talmudico-Rabbin. p.* 320. [i] *In pugione fidei pag.* 264. [k] *In Lex. Chaldaico-Talmudico-Rabbin. pag.* 320.

§. 16. *Auctor scholæ Theologicæ sive Synagogæ Christianæ* Lugd. Batavorum Anno Chr. 1667. editæ, se J. W. S. B. nominans: (quem nonnemo *Wimesium* vocari vult) [l] *Merum*, inquit, *tonitru quoties audiebatur* קול vox; *cum voce vero comitante vel subsequente conjunctum* בת קול filia vocis. Idem paulo ante (quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus) scripserat: Matth. 17: 5. *Ecce vox è nube, dicens: hic est filius ille meus.* Syr. *filia vocis.* At vero vel alii auctori confisus est, vel Syriacam versionem non inspexit, vel nescivit Syriace. Syrus enim l. c. non habet ܒܪܬ ܩܠܐ sed ܩܠܐ ܡܢ ܥܢܢܐ *vox è nube*, perinde, uti Græcus textus.

§. 17. Ante hunc idem statuerat *Dan. Heinsius* [m]: *Tonitru*, inquiens, *non raro* קול vox, *nonnunquam* vox Domini, *ut Psalm. 29. &, si Dei vox accedat,* בת קול *dicitur. quæ prophetiæ species Hebræis erat (de qua alii non semel) quia cum tonitru plerumque de futuris monebantur.* Et paulo post ibidem ad Joh. 12: 28. *Alii ergo vocem, alii tonitru, hoc est,* קול *sive* בת קול *tonitru divinum, seu conjunctum cum oraculo divino aut testimonio dicebant.* Denique: [n] Βροντὴν *intellige, è qua vox divina prodiisset. Sæpe, immo locis plurimis, diximus, usitatum id Hellenistis, ut significationem pro significatione ejusdem vocis ponant. Ita* קול *est vox, & eximie, sive excellenter, tonitru: hoc est, vox Dei. Et quia tonitru, seu, ventus ingens, vocis, ut Hebræi solent loqui, filiam, hoc est, oracula, solebat comitari,* קול *hic* Βροντὴν *reddiderunt.* Βροντὴ *ergo vox cœlestis, non articulata, sed quæ talem sequitur, aut comitatur. Articulata enim* ἢ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. *Alterum est* קול, *alterum* בת קול, *de qua videndi eruditi.*

§. 18. *Ludovicus de Dieu* postquam [o] dixisset, quod in Glossario Syro-Arab. (cujus auctorem silentii sipario involvit; is autem est *Isa, bar Ali*, teste *Hottingero*) [p] Syriacum ܒܪܬ ܩܠܐ reddatur الصوت من اللسان واللفظة *vox ex linguis & pronunciatione*; subjungit: *Mens est* ܩܠܐ & ܒܪܬ ܩܠܐ *sic differre, quod* (rectius, *ut*) ܩܠܐ *significet quemvis sonum, etiam vocis inarticulatæ, ut & Arabibus* الصوت *sed* ܒܪܬ ܩܠܐ *non tantum articulatam, qualis est linguarum, quæ certum quid & distinctum enunciat. quam* اللغة *&* اللفظة *Arabes dicunt.*

§. 19. Ast fallere & falli hos auctores, immo fere nihil discriminis intercedere inter קול & בת קול, vel ex solo cap. 3. epist. ad Hebr. adparet. Postquam enim vs. 7. verba Græca: ἐὰν τῆς φωνῆς αὐτῦ ἀκύσητε, Syrus ita vertisset: ܐܢ ܒܩܠܗ ܬܫܡܥܘܢ eadem verba vers. 15. recurrentia sic exprimit: ܐܢ ܒܪܬ ܩܠܗ ܬܫܡܥܘܢ Quid? quod ܒܪܬ ܩܠܐ nonnunquam pro in articulato sono usurpari contra, ac heic voluit Glossarium Syro-Arabicum, ex superioribus constat. Quin & *Ludovicus de Dieu* [q] vertit simpliciter *vocem*, non *echo*. & paulo ante: Compositum apud Rabbinos בַּת קול *vox edita*; *oraculum cœleste.* & pag. seq. 74. ܒܢܬ ܩܠܐ 1 Tim. 6: 20. idem reddit *voces.*

§. 20. Quod si omnino placeat, discrimen constituere inter קול & בת קול, dixerim, differre ea, ut φωνὴ & ἡ φωνή. Nam notissimus, verba sunt V. Cl. *Andr. Mulleri* [r], est idiotismus vocabuli בֵּן & fœm. בַּת, quod plerumque stent loco articuli præpositivi. Unde He articulare illa raro sequi solet, adeo ut Bath Kol nihil aliud sit, quam ἡ φωνή, vox sc. aliqua à communi voce distincta, quod vult articulus.

§. 21. Alias בְּנוֹת הַשִּׁיר *filiæ cantici* in Ecclesiast. cap. 12: 14. sunt vel *instrumenta cantici*, sive formantia, ut sunt pulmones, arteria vocalis, lingua, labia, sive recipientia, ut *aures*; vel *concentus musicus & omnia, quæ eo faciunt.* Sicut etiam in hanc sententiam Aquila vertit: πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς. Vid. *Drusius* [s] & *Crinesius* [t].

§. 22. Cæterum cur vox cœlitus delapsa adpelletur בת קול & non קול, aliter sentit *Fagius*, aliter *Leusdenius*, quorum ille [u] id opinatur inde factum esse, quod non esset vera illa vox cœlestis, sed typus solummodo veræ vocis τῦ λόγυ, hic vero: (x) *Quare*, inquit, *vocatur filia? Quia erat vocis cujusdam ex aëre reduplicatio* &c. sed neutram harum sententiarum sat firmo stare talo, cap. seq. probatum dabimus.

§. 23. Porro quare non dicatur בן קול *filius vocis*, sed בת קול *filia vocis*, ejus rei rationem aliam adferunt *Kabbalistæ*, alias *R. Bechai.* Cabbalistarum rationem docuit me doctissimus Dn. *Ernestus Christianus Zarvossi*, quondam Rabbinus, nunc conversus Israelita, amicus mihi plurimum colendus, in epistola nuper ad me scripta, inter alia hæc habens: דרך כלל' הנקבה היא שמקבלת מאחר והנותן הוא הזכר וכל א' שנותן נקרא בן לשון זכר והמקבל ממנו נקרא בת לשון נקבה' והמלאכים נקראים מקבלין' הן שמקבלין דין מן דין כתרגום יונתן בנביא ישעי' סי' ו' או שמלאך א' מקבל מפי הקבה" עצמו להודיע לבני אדם דבר א' אז נקרא אותו מלאך המקבל הדבר מפי הקבה" בת לשון נקבה לפי שהוא בזה העת ובזה העניין כמו הנקבה שהיא המקבלת' על כן אמרו בגמרא ששמעו (בת קול) רל' הקול ששמעו לא היה הקול מן הקבה" עצמו כמו בדור המדבר כתיב פנים בפנים דבר ה' עמכם רק מן המלאך ששמע ומקבל הדבור ממלאך אחר הקודם לו במעלה כמו מיכאל השר או גבריאל האיש או רפאל או יוכל להיות שהמלאך שמע מפי הקבה" עצמו ונקרא אותו מלאך בת בלשון נקבה': Quæ sic verto; *Universaliter: Fœmina est, quæ accipit ab alio; dans vero est mas, & quicunque dat, vocatur* בן filius, *in Genere nim. Masculino; sed accipiens* (aliquid) *ab eo, vocatur* בת filia, *in Genere Fœmineo. Quin & Angeli vocantur* accipientes, *vel quia* accipit alter ab altero, *prout legitur in Targum Jonathanis in Prophet. Esai. cap. 6: 3.* (in Hebræo textu habetur: וקרא זה אל זה *Et clamat alter ad alterum*) *vel quia Angelus unus accipit à S. I. B. ipsomet, ut hominibus aliquid indicet. Et tunc Angelus ille, qui accipit à Sancto Illo Benedicto sermonem, adpellatur* בת filia, *in Genere Fœminino, eo quod ille hoc ipso tempore, & in hoc ipso negotio est instar fœminæ, quæ accipit. Idcirco dixerunt in Gemara:* Audiverunt בת קול filiam vocis h. e. *vox, quam audiverunt, non fuit Sancti illius Benedicti ipsius vox, sicut de generatione in deserto* (de Israelitis in deserto peregrinantibus) *scribitur:* (Deuteron. 5: 4.) Facie ad faciem locutus est Jehovah vobiscum; *sed tantum vox Angeli audientis & accipientis sermonem ab alio Angelo, qui eo superior est gradu, ut Princeps Michael, aut vir Gabriel, aut Raphael; aut fortean audivit Angelus ex S. I. B. ipsomet, adeoque ille Angelus nuncupatur* בת filia, *in Genere Fœminino.* Pergit laudatus auctor: וזהו מה שאמרו בגמרא (מסכת קרושין פ" דף לג' עב") והביטו אחרי משה מלמד שחשדו למשה באשת" איש (בשם הרב בחיי דיין) שאמרו ישראל שמשה אין מקבל הנבואה מפי הקבה" עצמו' רק מן המלאך גבריאל שנקרא איש' ולפי זה משה הוא אשת איש הוא כאשתו של המלאך גבריאל הנקרא אישי למה לפי שמשה הוא המקבל מן המלאך גבריאל והמקבל מחברו הוא נקרא אשה' נגד הנותן לו וזה אין אמת' כי משה היה המקבל מפי הקבה" עצמו' שנאמר במדבר סי' יב" ח' פה אל פה אדבר בו' השם בעצמו דבר עמו' ולא על ידי מלאך גבריאל או מלאך אחרי: h. e. *Atque huc pertinet id, quod dixerunt in Gemara in Massecheth Kiddu-schin cap. 1. fol. 33. col. 2.* Aspiciebantque post Mosen. (Exod. 33: 8.) *Docet, quod insimularint Mosen adulterii.* Sed (*nomine Raf Bechai Daijan*) his verbis docetur, *dixisse Israelitas, Mosen non accipere prophetiam ab ipsomet S. I. B. sed tantum ab Angelo Gabriel, qui vocatur* איש vir (Daniel. 10: vs. 5.) *Et juxta hoc Moses est uxor viri. Scil. est instar uxoris Angeli Gabrielis, qui vir audit* (Dan. 10: 5.) *Quare? quia Moses accepit* (prophetiam) *ab Angelo Gabriel ejusve socio,* ideo *vocatur ipse uxor, respectu dantis ei.* Sequitur ἐπίκρισις Dn. Zarvossi: *Sed hoc non est verum. Moses enim accepit ab ipsomet S. I. B. sicut dicitur* (Numer. 12: 8.) *ore ad os* (coram) *loquor ei.* Nempe *Deus ipse cum illo colloquebatur, non per Gabrielem aliumve Angelum.*

§. 24. Enimvero Kabbalistæ heic falsa nituntur hypothesi, quasi vox cœlestis semper ab Angelo, nunquam ab ipso Deo formata fuerit. Dein omnia nimis detorta atque coacta sunt.

§. 25. Proinde, missis hisce, attendemus ad rationes, quas R. Bechai adfert, (y) ubi ita infit:
והנני מבאר לך בכאן ד' מדרגות הללו הראשונה בת קול ויש סוד במה שאמרו בת קול ולא אמרו בן קול וכן במה שאמרו זה בנה אב ובן

[l] *Lib. III. cap. 1. pag. 241.* [m] *In Aristarcho sacro pag. 830.* [n] *Lib. cit. pag. 922. ad eundem locum Joannis.* [o] *Animadv. in Epist. ad Rom. cap. 10: 14. pag. 155.* [p] *In Append. II. Gramm. Chaldæo-Syr. p. 176.* [q] *In Grammat. Lingg. Orient. lib. 2. cap. 4. pag. 73.* [r] *Exercit. 6. sub Cl. Vorstio Rostochii quondam habita.* [s] *In Annot. in Coheleth pag. 195.* [t] *In Lexic. Syr. pag. 49.* [u] *Notis ad cap. 6. Pirke Abboth pag. 133.*

(x) *Itidem Notis ad* פרקי אבות *pag. 99.* (y) *In Commentarii super Pentateuchum sectione* וזאת הברכה, id est, *Et hæc est benedictio (nimirum Deuter. 33: vers. 1.) pag. 227. facie b.*

וכן מבנין אב ושני כתיבים ולא אמרו זה בנה אם או בנין אם וכן במה שאמרו עוד יש אם למקרא ולמסורת ולא אמרו יש אב כי הכל נאמר בהשגחה מכוונת וחכמה יתרה וחכמי האמת שכל דבריהם מיוסדים על אדני החכמה וספיר גזרתם קבלו כן מן הנביאים עד משה מסיני ובאור הענין כי בנין אב לא נזכר בשום מקום מהתלמוד אלא על פסוק מפסוקי תורה שבכתב ואם כן ראוי להם להזכיר בזה לשון אב ולומר זה בנה אב או בנין אב כי כל פסוק ופסוק הוא בנין ה׳ ב׳ יתעלה ששמענו התורה מפיו מתוך האש וכענין שכתוב ביום דבר אליכם בחרב מתוך האש ולא היה ראוי שיזכירו בו לשון אם אבל כשאמרו יש אם למקרא ולמסורת שהוא דבר נמסר מעסק תורה שבעל פה הזכירו אם ולא אב וכן בכאן בבת קול שהזכירו בת ולא בן מורכח היה לפי שהקול הזה המגיע לאזני השומע היא נמשך מאותו הקול שכתיב בו והיה אם שמוע תשמע בקול ה׳ אלהיך וכן עוד וישמע את הקול מדבר אליו והקול הזה הנשמע יקרא בת לפי שהוא נמשך מאותו קול וזהו לשון בת קול׳ ועוד לטעם אחר נמרץ הוצרכו לומר בת קול כי היה הקול יורד לאזני השומע כמדת הכסא שהוי רחב מלמעלה וקצר מלמטה כי כן דמות כסא הכבוד וכן צורת האש של מעלה רחבה למעלה קצרה למטה וזהו לשון בת קול שהיה הקול יוצא כמדת הכסא: Quæ in hunc modum vertimus: *Et ecce ego explicabo tibi h. l. quatuor istos gradus* (prophetiæ.) *Primus est* Bath Kol seu filia vocis. *Mysterii vero rationem habet, quod* Bath Kol, *non* Ben Kol *dicunt, perinde, ut quum dicunt: Hoc exstruxit Pater, tunc est de ædificio Patris* seu de structura principali; *intelliguntur autem* per ædificium Patris *duo versus. Nec dicunt: Hoc exstruxit mater aut est ædificium matris. Ita quoque quum præterea dicunt: Est mater lectionis traditionisque; non dicunt: Est Pater. Nam hæc omnia ex intenta prudentia & excellente sapientia dicuntur. Quid? quod omnia vere sapientum verba fundata sunt super præditis sapientia adeoque rationem sententiæ suæ acceperunt à Prophetis usque ad Mosen ex Sinai. Porro res explicatur* (inde,) *quod* בנין אב seu ædificii Patris *non fit mentio in ullo loco Talmudico, nisi* (quando loquuntur) *de textu Biblico,* (scil.) *de versibus legis scriptæ. Quod si ita habet, usurpandum ipsis fuit vocabulum* Patris, *dicendumque: Hoc exstruxit Pater seu est ædificium Patris. Etenim unusquisque textus Biblicus est structura Patris,* (*laudetur ipse,*) *è cujus ore legem audivimus è medio ignis. Atque hoc ipsum est, quod scribitur:* (Deuter. 4: 15.) *In die,* (quo) *locutus est vobis in Horeb è medio ignis. Neque vero convenienter heic uti poterant vocabulo matris. At vero cum dicunt: Est mater lectionis & traditionis, quandoquidem verbum illud traditum est ex studio legis oralis, Patris, non autem matris injiciunt mentionem. Parili ratione dum in adpellanda Bath Kol utuntur voce* Bath seu filiæ, *non vero* Ben seu filii, *necessarium hoc fuit ea de causa, quod hæc vox audientis aures feriens fuit ex voce illa protracta. Scribitur enim:* (Deuter. 23: 1.) *Et erit, si obediendo obedieris voci Domini Dei tui &c. Sicque porro:* (Numeror. 8: 86.) *Et audiebat vocem loquentem ad se. Atque hæc vox audita adpellatur* Bath *sive* filia, *quoniam protracta fuit ex illa voce & hoc ipsum est* τὸ Bath Kol. *Adde, quod alio sensu necessarium admodum est dicere* Bath Kol: *siquidem vox ad audientis aures demittitur secundum mensuram throni* (divini), *qui supra amplus, infra vero contractus est, atque ita similitudinem cum throno gloriæ habet* (Bath Kol.) *Eodem quoque modo forma ignis superioris* (sublunaris) *supra est ampla, infra contracta. Tale etiam est* τὸ Bath Kol: *quippe quæ est vox egrediens secundum mensuram throni* (divini).

§. 26. Ut autem mens Rabbini, in se satis obscura, clarior fiat, explicandum est, quid בנין אב seu *ædificium Patris*, quid thronus gloriæ?

§. 27. Ædificium Patris describit *R. Jeschua Hallevi* (z) hoc pacto: דיני בנין אב מדה בתורה שהכתוב יגלה ויפרש במקום אחד וממנו למדין בכל המקומות הדומים לו שהתורה תקצר ותרמוז במקצת על הבא ולכן נקרא בנין אב שהמלמד הוא כאב והלמדין ממנו כיוצאי יריכו וכו׳ Quæ *Constantinus L'Empereur* ita Latinitate donat: *Argumentum à constitutione principii est locus dialecticus in lege usitatus, quum Scriptura rem revelat, & explicat uno in loco, atque inde istam addiscunt omnibus in locis illi similibus: nam scriptura concise loquitur, & parte quadam totum innuit, ideoque vocatur phrasi Hebræa,* ædificium Patris: *quia, quod docet, est patris instar; eo vero, quæ inde docentur, sunt tanquam è femore ejus prodeuntia &c.* Et seq. cap. 3. (a) מבנין אב כיצד זהו יסוד מלמד על מה שהוא אחריו מאימתי נקרא יסוד משיהיה הוא נאמר תחלה אר״ חייא על כל דבור ודבור היה הק״בה קורא למשה ומשיב הנני הנני בנין אב לכולם ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה ויאמר משה משה ויאמר הנני לפי שהיא תחלה ורבים כיוצא בו h. e. *A constitutione principii quomodo* (argumentantur?) *Est fundamentum, de eo aliquid docens, quod subsequitur. Quando fundamentum dici incipit? Quum ipsum initio dicitur. Ait D. Hija: Ad unumquemque sermonem D. S. L. vocabat Mosen: qui respondebat semper: Ecce me, Ecce me. Constitutio principii pro omnibus exstat* Exod. 3: 4. Inclamavit eum Deus è medio illius rubi, dicens: Moses, Moses; qui dixit: Ecce me: *quia hoc initio ponitur. Et multa sunt similia.*

§. 28. E quibus patet, *ædificium Patris* nil aliud esse, quam modum argumentandi apud Talmudistas receptum sive rationem certam explicandæ legis; quæ est locutio generalis *vel ex uno, vel ex duobus versibus. Locutio generalis unius versus* accipienda est etiam de speciebus aliis. Veluti de Azymorum festi cibo dicitur: *Cibus cujusque animæ solum parabitur vobis.* Exod. 12: 16. id etiam de aliis festis, de quibus Scriptura nihil definit, intelligendum. *Locutio generalis ex duobus versiculis* est, cum unus versus loquitur in genere, alter illud genus per species explicat, e. gr. *In quocunque &c. fuerit corporis vitium, ne &c.* Levit. 21: 7. venit mox sequens versus, & vitium illud specificat, cœcus, claudus &c. sic Levit. 15: 2. *seminifluus dicitur esse immundus.* Versus alius mox explicat in specie: *Ipse & omne, cui incubuerit &c.* Quæ verbis Buxtorfiii, (b) quam nostris, recensere maluimus.

§. 29. Nomine vero *throni gloriæ*, quod alterum est, in Bechai explicandum, quid veniat, non statim obviam est. Per eum enim Rabbini intelligere solent interdum *Angelos.* Ita enim *Don Isaac Abarbanel* (c) ad hæc verba: כָּרְסְיֵהּ שְׁבִיבִין דִּי נוּר i. e. *thronus ejus flamma ignis*; scribit: הכסאות Throni, *quorum meminit parabola, sunt* Angelorum *spiritualium, qui præfecti sunt regnis. Et illi adpellantur in verbis Rabbinorum nostrorum p. m.* כסא הכבוד thronus gloriæ. Hinc quadantenus facula accendi potest loco Paulino Coloss. 1: 16. ubi ipse quosdam Angelos etiam θρόνους nominat.

§. 30. *Rittangelius* in collectis novi anni Germanice abs se editis (d) ad verba illa è precationibus Judæorum in novo anno recitandis desumta: Der Thron der Herrlichkeit GOttes soll vor uns bitten; annotat sequentia: Der Thron des Vaters ist der Sohn / wie Christus der HErr spricht: Wisset ihr nicht / daß ich in dem Vater / und der Vater in mir ist.

§. 31. Muhammedanis nunc *thronus Dei* est *cœlum & terra*, nunc *thronus proprie dictus.* Nam hujusmodi thronum, cui Deus erectus insideat, tempore creationis inter cetera quoque à Deo fuisse creatum ineptissime fabulantur. Meminit ejus impostor in Alcorani Surata 67. 81. 104. & 166. Collocant thronum hunc in convexo septimi cœli, (septem enim cœlos seu cœli classes constituunt) quod ex pretiosissimis, ut autumant, constat unionibus & hortus Eden vocatur. Hinc Arabes Astrologi etiam octavam sphæram, quam in duodenas partes sibi invicem æquales dispescunt, sphæram signorum i. e. Zodiacum & orbem stellarum fixarum, &, quemadmodum in Alcorano, *thronum Dei* nominant. Vid. *Anonymus Persa* (e) à celeb. *Gravio* Londini anno hujus seculi 48. editus. Bajulatores throni istius volunt esse Angelos interque eos præcipuum Seraphielem illum, qui in consummatione seculi resurrectionem mortuorum tuba intimabit. Vid. *Henning. Henningii Muhammedanum precantem.* (f) Utut autem Muhammedanos non intelligere thronum proprie dictum ostendere conentur Arabes in comment. ad Alcor. & significari eo velint amplitudinem عظمته *Majestatis ejus* (*DEI*,) علمه *scientiæ* & amplitudinem ملكه *regni ejus.* vid. *Levinum Warnerum.* (g) verba tamen Alcorani tam clara sunt, ut non nisi proprie, quamvis non sine absurditate, accipi posse videantur.

§. 32. Velut autem Scriptura S. *cœlum* vocat *thronum Dei*, sicut liquet ex Esai. 66: vers. 1. Matth. 23: vers. 22. (quam loquendi formulam Sophocles imitatur in *Antig.* ubi cœlum vocat

(z) *In lib.* הליכות עולם, (*qui complectitur formulas, loca Dialectica & Rhetorica priscorum Judæorum*) *Tract.* 4. *c.* 2. *p.* 151. (a) *Pag.* 178. *& seq.*

(b) *Ex Lexic. Talmud. pag.* 318. (c) *Ad Daniel.* 7: 9. (d) *Part.* 2. *pagin.* 114. (e) *In de siglis Arabum & Persarum Astronomicis* pagin. 3. & 4. (f) *Pagin.* 73. 182. 271. 276. 277. 405. 406. 418. *&* 419. (g) *Compend. Histor. eorum, quæ Muhammedani de Christo &c. tradiderunt pag.* 23.

vocat Διὸς θρόνον, *Jovis thronum*): ita R. *Bechai per thronum gloriæ* nil aliud intelligere h. l. videtur, quam cœlum, quod ex pluribus circulis sive sphæris esse contiguum cum Peripateticis statuunt Rabbini, ideoque supra amplum, infra vero contractum & angustum esse ajunt.

§. 33. Mens itaque Rabbini huc redit, *quatuor esse causas, cur* בת קול *& non* בן קול *sit dicendum. Nimirum quia* (1) *Sapientes Israelitarum, qui denominationem hanc à Prophetis hauserunt, hanc Dei revelationem, quæ fit voce aures extrinsecus feriente, ita adpellarunt.* (2) *Velut pro* בנין אב h. e. ædificium patris, quod (ut ex superioribus jam constat) est textus aliquis ex Scriptura S. depromtus, constans ex duobus versibus, quorum alter alterum quasi specificat, *non licet dicere* בנין אם ædificium matris i. e. traditio oralis: *ita nec* בן & בת *inter se esse permutanda.* (3) *quoniam ex alia voce primigenia fuit oriunda* h. e. *quia est vox repercussa sive echo.* (4) *denique quemadmodum cæli orbes superiores sint ampli; inferiores autem angusti: haud secus etiam vocem hanc, quæ in cœlo editur, cujusque mensura cœlum est, utpote è quo & per quod egreditur, in superioribus cœli orbibus vehementiorem, in inferioribus vero remissiorem esse, atque proinde non* בן קול, *sed* בת קול *dicendum.* Verum hæ rationes nil habent in recessu. Prima aperte falsa est. Si enim sapientes Israelitarum hanc denominationem à prophetis hausissent, ea in S. Codice authentico dubio procul occurreret; sed contra fieri, ex supra dictis claret. Secundam mox refellemus. Tertiam in seq. capite enervamus. Quartam ad Calendas Græcas probabit hic Rabbi.

§. 34. Nobis videtur, priscos illos, si eis ita placuisset, hoc oraculum æque potuisse nuncupare בן קול, ac בת קול, atque ita hanc ῥῆσιν penes solum usum stetisse. Neque enim eà semper ad vivum resecuerunt, qui rebus imposuerunt nomina, fatentibus hoc ipsum Rabbinis interque eos *R. Levi ben Gersom*, qui rigidis vocum censoribus hoc opposuit judicium: (h) אם אמר אומר שהיה ראוי אם כן שתקרא שמו שאול' אמרנו לו כי לא ידקדקו קוראי השמות כל כן הלא תראה לאה שקראה שם בנה ראובן כי ראה יי' בעניה ונקרא שם נח לאמר זה ינחמנו ממעשינו והיה ראוי אם כן שיהיה שמו מנחם: *Si quis dixerit, conveniens esse, ut nomen ejus esset* שאול Saul, (non Samuel,) *respondemus eos, qui nomina indiderunt, ejusmodi minutias non tantopere attendisse. Nonne vides, Leam vocasse filium suum* ראובן *Reuben, quia Dominus* ראה בעניה, *& nomine* נח *est vocatus, dicendo, hic nos consolabitur ab operibus nostris, quum potius* מנחם *esset adpellandus.* Deinde non quicquam dignitatis alicui rei accedere vel decedere remur, sive illa Masculino, sive Feminino nomine insigniatur. Ita enim non minus scite, quam præclare celeberrimus Poeta Arabs *Motanabbi*: (i)

ولا التانيث لاسم الشمس عيب
ولا التذكير فخر للهلال

h. e.

Nec nomen Femininum Soli dedecus,
Nec masculinum Lunæ gloria.

Nam شمس *Schemson* i. e. *Sol* Arabibus Generis Feminini est: contra ea هلال *Hilalon* i. e. *Luna* Masculinum agnoscit Genus. Porro ex Talmude quoque patet, vocabula בר *filius*, & בת *filia* inter se nonnunquam permutari ita, ut *filii* nomen etiam ad feminam pertineat, ceu videre licet in iis, quæ nugantur Talmudici de ovo בר יוכני *bar juchne* sive *filii juchne*, quam avem quum ingentis magnitudinis ovum (quod casu suo sexcentos pagos demersisse, & trecentas cedros fregisse scribunt) peperisse fabulentur, utique eo ipso feminam esse volunt, nihilo tamen minus ipsam vocantes *filium juchne*, non *filiam juchne*. vide Talmudicum tractatum Bechoroth. (k) Sic vice versa *filiæ* vocabulum complecti videas totam speciem in vulture, quem Chaldæi בת כנפא *filiam alæ*, non *filium alæ* vocant. Quin immo, quod mireris, ipsimet LXX. Interpretes Femininum בת *filia* tribus locis, nim. Genes. 36: vs. 2. 14. 38. expresserunt ut Masculinum, reddendo illud υἱὸς *filius* & vicissim Masculinum בן *filius* bis verterunt θυγάτηρ *filia*, nempe Genes. 46: 7. Ezechiel. 16: 28. quamvis autem in caussam hujus versionis in præsens inquirere nostrum non sit: minimum tamen inde colligere licet, בנים, ut & בנות in genere significare *liberos*, cujuscunque etiam sint sexus, sicut & ὁ. sæpe has voces reddunt per τέκνα i. e. *prolem*, *subolem*. Sic apud JCtos quoque *filii* sæpe pro *filiabus* sumuntur, ut liquet ex l. 16. princ. ff. de testam. tut. *Filiorum enim appellatione & filiæ continentur.* Cui geminus locus habetur lib. 45. princ. ff. de legat. 2. quantumvis, ut ex iisdem ll. constat, non vice versa. Denique notissimum est, Hebræos de inanimatis, è quorum numero etiam vox cœlestis est, בן & בת indiscriminatim usurpare.

(h) *Comm. in* 1. *Samuel.* 1. (i) *Apud Pocock. Not. ad carmen Tograi, cui titulus: Lamiato l'Ajam pag.* 13. (k) *Cap.* 9. *fol.* 57. 6.

CAPUT II.

Auctorum in describenda Bath Kol dissidium. Judaica ignorantia. Joannis d'Espagne laus. Existentiam τῦ Bath Kol negare Molinæum & Vogelsangium. Hos intelligere Bath Kol Rabbinicam. Kabbalistis absurde Bath Kol esse divinum attributum. R. Lipmanno Bath heic novæ mensuræ nomen esse. ὁ δεῖνα notatus. Corruptus in Lipmanno locus restitutus. Vir clarissimus JOH. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS *laudatus. Talmudica fabella de vocis divinæ robore. R. Lipmanni imperitia. Maimonidi præferri prophetiam voci cœlesti. Magnificus noster* FRISCHMUTHIUS *una cum Excellentiss.* BOSIO *laudatus. Num libri quidam biblici conscripti fuerint per Bath Kol? Dissentire à Maimonide Ralbag. Maimonidem, juxta Auctorem Schem Tobh, eam fuisse vocem externam male negare. R. Joseph Albus, oraculum hoc cæleste vocans inspirationem, desertus. Tremellii sententia partim acceptata, partim correcta. Rabbinis plerisque Bath Kol esse echo. Ab Auctore En Israel, Elia Levita, Drusio, Buxtorfio, Castello, Dilherro, Hottingero, Leusdenio, Alex. Moro, Creguto modeste dissensum. Bath Kol non esse echo, sed sonum primigenium. Rationes dissensus nostri. Viri Cll. Jo. Vorstius & Andr. Müllerus laudati.* בן *&* בת *sæpissime πλεονάζειν. Bath Kol supplementum esse prophetiæ, prophetiæque successisse in templo secundo, volunt Auctor En Jacob, Auctor libri Cosri, Fagius, Kippingus, Cregutus, (qui & eam imperfectam revelationem esse statuit,) Dn. Andreas Müllerus. Ab his omnibus discessum. Rabbinicæ contradictiones ostensæ. Heinsius laudatus. Bar παρωραμάτων Cregutianorum. De Bath Kol Fagius quæ habet, potius in Joannem Baptistam quadrare. Galatinus notatus. Arabum sententia de Bath Kol ex parte adprobata, ex parte repudiata.*

§. 1.

IN tradenda cœlestis, de quo agimus, oraculi, descriptione auctores usque adeo in diversas abeunt sententias, ut ad divinandum, quid vox cœlitus delapsa fuerit, Delio natatore propemodum opus esse videri queat. Hinc non immerito, quod Hesychius ἐπὶ τῶν σὸκ ἀγνώτων dici observavit, heic locum habere dixeris, ἐν Κέῳ τίς (*è quibus vocibus Plutarchus in collectaneis conflavit vocabulum* ἐγκεῶπις,) ἡμέρα; *in Ceo quis dies?* vel quod alias Hebræi de quæstione dubia, quæ decidi non potest, dicunt: דא תהא מונח עד שיבוא אליהו *Hoc relinquetur in medio, donec veniat Elias.* vid. *Bava Mezia* (l). Hinc facile alicujus animum subire posset cogitatio, nos hodie, qualis vox hæc fuerit, nescire, idque eo magis, quia crassa rerum Judaicarum Judæorum animos, quam non uno in loco produnt Rabbini, occupavit ignorantia. Consulatur eruditione ut rarissima, ita plane singulari excellens Gallus, *Jean d'Espagne* in libello, cui titulum fecit: *La Manducation du corps de Christ.* (m) cujus verba, una cum versione nostra, heic adscribere longum foret.

§. 2. Et

(l) *Cap.* 3. *in Mischna.* (m) *Part.* 3. *cap.* 6. *pagin.* 87. *& seq. edition. Genevensis.*

§. 2 Et (l) quidem sunt, qui plane negatum eant, unquam tale apud Judæos fuisse oraculum. Quos inter est *Petrus Molinæus*, qui (n) ait: *Vocale vero responsum, quod* בת קול *Bath Kol i. e. filia vocis dicitur, sub secundo templo fuisse, nullo idoneo testimonio potest comprobari, quamvis Judæi contra pertendant.* Qui cum consentit *Reinerus Vogelsangius*, cujus (o) hæc sunt verba: *Judæi novum quoddam & inauditum vocalis oraculi genus commenti sunt.* Bath Kol *appellant, quasi* filiam vocis *dixeris.* Et paucis interjectis addit: *Habeant ipsi sibi sua somnia.*

§. 3. Sed enim dubio procul auctores hi intellectam volunt Bath Kol Rabbinicam, sive eam, quam Rabbini tantum non ubique crepant, qua de nobis agetur in *Exercitationis nostræ parte posteriore, cap. ult.* Alioquin à veritatis tramite toto, quod ajunt, cœlo aberrassent. Neque enim ipsis ignotum fuit, plus simplici vice in Sacris *cœlestis nostræ vocis* mentionem inferri.

§. 4. Cabbalistis Bath Kol est ex nominibus attributorum divinorum, quod docet *Elias Levita* (p) his verbis: ובלעי הקבלה אומרים שהיא קול של מדה אחת הנקראת קול ואולי כן הוא: h. e. *Fagio* interprete]: *Ceterum, qui periti sunt artis Cabbalisticæ, dicunt, quod sit vox cujusdam virtutis* (proprietatis) *divinæ, quæ vocetur* קול *(Kol), & fortassis ita est.*

§. 5. Verum absurditate non caret, vocem referre inter attributa divina adeo, ut vel ipse R. Elias Levita huic sententiæ calculum suum non simpliciter adjicere sit ausus, sed adhuc animi pendeat. Id quod & dubio suo אולי i. e. *fortassis*, significavit.

§. 6. Sententiam *Rabbi Lipmanni, Mulhusini*, quam proponit in libro *Nizzachon*, (q) neminem lectorum ejus, quotquot quidem nobis videre contigit, recte percepisse si dixero, non errabo. Et quidem quin ea, quæ jam subjecturi sumus, ab omnibus fuerint intellecta, nulli dubitamus. Verba l. c. habent ita: מצינו בכמה מקומות בתלמוד שנתן עליהם בת קול׃ וידענו שהקול שרוח הקדש של נבואה לא היה בבית שני כי אחת מחמשה דברים שחסרו בבית שני כדאיתא במסכת יומא׃ והקול נשמע באלו ה׳שי בעצמו מדבר עמה׳ כעין שמצינו בבבא בתרא גבי רב׳ בר בר הנא ששמע הבת קול אמ׳ אוי לי כי נשבעתי וכו׳ אלא הענין כמו שביארתי שאינו גשמי שמקב׳ שפע דיבור ה״שי׃ Quæ hoc modo interpretor: *Invenimus in aliquot locis Talmudicis, quod dederit eis Bath Kol. Atque scimus, eam fuisse vocem: spiritus quippe propheticus in templo secundo non fuit, quum sit una è quinque rebus, quæ defecerunt in templo secundo, sicut legitur in Massecheth Joma.* (r) *Et illa vox audita est, quasi Dominus, qui benedictus sit, ipsemet cum illis loqueretur, sicut invenimus in Babha Bathra, quod Rabba bar bar Channa audierit Bath Kol, dicentem: Væ mihi, quod juravi* &c. *Sed res ita se habet, sicut explicavi, quod non fuerit (vox) corporea, quia cœlestem verbi Dei benedicti influxum accipiebat.* Sed difficultatem habent, ideoque vel male, vel plane non intellecta fuerunt, quæ paulo post eadem pag. num. XXIX. subjungit: ופירושו של בת קול מדתו של קול כמו אל פי בת יכול משום שני קול ה׳ בכח קול ה׳ בהדר קול ה׳ שובר ארזו׳ וגו׳ לכן לפי המדה שיכול האזן לקבל צריך לצמצם בת קול׃ Quæ nonnemo sine sensu sic vertit: *Explicatio. Filia vocis (est) proprietas vocis, tanquam Dei oris filiam valet* &c. At vero fefellit interpretem (ut nihil dicam de eo, quod vox אל, utpote vocabula פי בת præcedens, non possit verti in Genitivo *Dei*: Nominativus enim, qui in Regimine poni dicitur, apud Hebræos semper præcedit Genitivum,) non æquivocatio modo vocis מדה, quæ & *proprietatem* & *mensuram* denotat, sed & credulitas, dum non suspicatus est, typographica in textu Rabbinico menda latere. Lipmannum enim à Cl. Hackspanio vitio codicis, quo usus est, admodum mendose editum ostendet Cl. Wagenseilius in correctionibus Lipmannianis, quibus liber Nizzachon trium MSS. ope emaculatur, quarum, ut & tractatus Talmudici, Sota dicti, editionem ut vir clarissimus, sicut promisit, maturet, orbis litteratus omni voto expetit. Itaque pro אל פי בת יכול lege: אלפים בת יכיל ac ita verte: *Explicatio. Bath Kol est mensura vocis, sicut dicitur:* (1. Reg. 7: vers. 26.) Bina millia bathorum capiebat (scil. lacus fusus seu mare æneum.) *eo, quod dicitur*: Psalm. 29: 4, 5.) Vox Domini robusta est, vox Domini gloriosa est, vox Domini frangit cedros &c. *Quocirca secundum mensuram eam, quam auris potis est capere, Bath Kol constringatur necesse est.* Ut ita mens Lipmanni hæc sit: Sicut vocabulum בת *bath* pro mensuræ genere, quæ vocatur *bathus*, sumitur in dicto illo 1 Reg. cap. 7: 26. אלפים בת יכיל i. e. *bis mille bathos capiebat (lacus fusus)*: ita quoque, in hac ῥήσει, quando dicimus בת קול *Bath Kol*, vocabulum בת *bath* denotare *mensuram* eo nomine, quia Dei vox vehementior est, quam ut auris humana eam admittere queat. (vid. *Cholin*, (s) ubi Talmudistæ Deum assimilant leoni, qui quum adhuc abesset (à colloquentibus) 400. leucas, rugiit una voce, & prostratæ fuisse dicuntur omnes gravidæ (abortiisse) & mœnia Romana corruisse; cum vero distaret 300. tantum miliaribus, rugiit voce posteriori, & concussa esse dicuntur (omnia) in tantum, ut dentes virorum (exciderint) & etiam ipsemet (Cæsar) præcipitatus esset de throno suo in terram; qua fabula infinitam Dei potentiam rudibus animis profundius imprimere voluerunt. Consul. *Schickard.* (t) Proinde necessum esse, ut juxta mensuram, cui auris capiendæ sit, constringatur adeoque remissior fiat vox illa Dei.

§. 7. Ast ignorantiam h. l. suam insigniter prodit R. *Lipmannus.* Nam ῥῆσις hæc בת קול Chaldæo-Syriaca quum sit, non nisi ex lingua Chaldaica & Aramæa de ejus significatu judicandum. Jam vero Syris Chaldæisve in denominanda Bath Kol ne per somnium quidem, quod dicitur, in mentem venit mensuræ illius, quæ *Bathus* vocatur, quippe quæ Chaldæis aut Syris nunquam ברת seu ܒܪܬ dicitur. Hinc relinquimus hanc sententiam suo auctori.

§. 8. Quid *Maimonides* per Bath Kol intellexerit, ex ejus verbis non adeo in proclivi est colligere. Ita enim ille: (u) הגר המצרית אינה נביאה ולא מנוח ואשתו נביאים כי זה הדבר אשר שמעוהו או שעלה בדעתם הוה ברמות בת קול אשר זכרוהו החכמים תמיד והוא ענין אחד ילוה לאיש שאינו מזומן׃ i. e. vertente Cl. *Buxtorfio*: (x) *Nec Hagar Ægyptia prophetissa, neque Manoah & uxor ejus prophetæ fuerunt; sed sermo ille, quem audiverunt & perceperunt, fuit instar* Filiæ vocis *(cujus frequentem mentionem faciunt sapientes nostri) quæ est talis res, quæ contingere potest ei quoque, qui non est præparatus ad prophetiam.*

§. 9. E quibus verbis hoc tantum perspicitur, quod ille habeat Bath Kol pro re, quæ sit inferioris dignitatis, quam prophetia, adeoque non tantæ perfectionis, quantæ prophetia. Hoc inferiore revelationis gradu, *Bath Kol*, *Josephus de Voysin* (y) libros quosdam biblicos, nempe Hagiographa secundi ordinis conscriptos esse, Judæis testibus, adfirmare non erubescit, à Magnifico nostro FRISCHMUTHIO, Patrono juxta ac Gamaliele nostro omnigeno observantiæ cultu vitam prosequendo (cujus, ut & Excell. nostri BOSII, Polyhistoris celebratissimi, Patroni pariter ac Præceptoris nostri ætatem devenerandi, bibliothecæ instructissimæ, quod publice grato, immo gratissimo deprædicamus animo, nobis patuerunt, ut libris ad elaborandam hanc dissertationem necessariis inde depromendis essemus) eo nomine merito suo exceptus, (z). A quo dissentire videtur *Ralbag* seu *R. Levius filius Gersom*, (a) ubi, postquam meminisset gradus notificationis, quem Rabbini pag. mih. adpellarint Bath Kol, addit: ואחשוב שהיא חלק מה מהקסם השלם וכו׳ i. e. *Arbitror, illam* (Bath Kol) *esse quandam perfectæ divinationis speciem* &c. nisi h. l. divinationem à prophetia distinguat. Commentarius, qui vocatur שם טוב *Schem Tobh* ad locum Maimonidis hæc notat: לפי דעת הרב בת קול הוא שיהיה אדם׃ חזק הדמיון כאפן שחושב ששמע קול חוץ לנפש i. e. *Ex mente Rabbi filia vocis est, cum homo adeo fortis est imaginatione, ut putet, se audire vocem extra animam.*

§. 10. Paulo ante citatus *Josephus de Voisin* (b) huic sententiæ ὁμόψηφον censet esse *R. Joseph Album* (*Nigrum* à suis dictum non alia de causa, quam quia ejus sententia de hodiernorum characterum Hebræorum novitate ad gloriam gentis

(m) *Part. 3. cap. 6. pag. 87. & seq. edition. Genevensis.* (n) *In Vate seu præcognitione futurorum & bonis malisque prophetis libr. 1. cap. 26. pag. 77.* (o) *In Exercit. Theol. 2. pag. 46. §. 14.* (p) *In* תשבי *i. e. Thisbite pag. m. 33.* (q) *Pag. 22. n. XXVIII.* (r) *Cap. 1. in fine ad locum Hagg. 1. vers. 8.*

(s) *Cap. 3. pag. 59. b.* (t) *In Bechin. Happer. Disp. 7. p. 127. & seq.* (u) *In Moreh Nevochim sive Doctore Perplexorum part. 2. c. 42.* (x) *Pag. 311.* (y) *Pag. 103. observ. in Pugion. Fidei, Raymundi.* (z) *In de S. Scripturæ in Legem, Prophetas & Hagiographa divisione dissertationis cap. 2. §. ult.* (a) *In 2. Samuel. 1. section. 27.* (b) *Observation. in proœm. pug. fid. Raym. Martini p. 101.*

tis illius longe vaniſſimæ minus facere videtur. vid. Lud. Cappelli diatribam de litteris Ebræorum pag. 28.) qui (c) *Bath Kol* inſpirationem divinam ſalutat in ſeqq. verbis: ולא תבוא אליו ההודעה לא בנבואה ולא על ידי נביא אלא בהערה אלהית כמו ההערה שבא לאביגיל לצאת לקראת דוד והיכר דוד שהיתה הערה אלהית ועל כן אמר ברוך ה׳ אלהי ישראל אשר שלחך היום לקראתי׃ i. e. ex verſione *Joſephi de Voiſin: Aliquando non ſignificatur homini divina voluntas, neque per prophetiam neque per prophetam, ſed per inſpirationem divinam: qualis fuit inſpiratio perlata ad Abigail, ut exiret obviam Davidi. Ipſe David cognovit, inſpirationem fuiſſe divinam. Ideo enim dixit:* (1 Sam. 25: 32.) *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in occurſum mei.* Verum neque his aliquid veri ſubeſt: Bath Kol enim non tantum revelationem ſeu prophetiam eſſe, ſed præterea quoque inter alia in eo conſiſtere, ut vox externa in aere formata fuerit, in Exercitationis noſtræ parte poſteriore demonſtrabitur.

§. 11. Alii volunt Bath Kol fuiſſe declarationem voluntatis divinæ per vocem diſtinctam & articulatam, ut verba fuerint veluti ſuboles partu vocis edita. vid. Tremellius. (d) Quæ ſententia, quatenus ſcil. dicitur eſſe divinæ voluntatis per diſtinctam & articulatam vocem declaratio, ex parte nobis quoque arridet: verba tamen hæc totam, cui oraculum hoc cœleſte ſubeſt, notionem non exhauriunt. Et quia ſupra probavimus & mox infra firmius ſtabiliemus, קול & בת קול vel nihil vel parum inter ſe differre, non eſt, quod dicatur, in Bath Kol verba fuiſſe veluti ſuboles partu vocis edita.

§. 12. Alii volunt, non fuiſſe vocem, è cœlo editam, ſed filiam ejus h. e. è medio cœleſtis vocis egredientem vocem aliam quodam quaſi repercuſſu, Echo veluti quandam, certe ad inſtar Echus. Sic enim *Auctor En Iſrael*: (e) בת קול היא שלא היו שומעים קול היוצא מן השמים אלא מתוך אותו יוצא קול אחר כמו פעמים שאדם מכה בכח ושומע קול אחר היוצא ממנו למרחוק ואותו קול היו שומעים לכך היו קורין אותו בת קול i. e. ut transfert *Joſephus de Voiſin*: (f) *Quod pertinet ad filiam vocis, quidam dicunt, non auditam eſſe vocem, quæ de cœlo exiret, ſed è medio illius vocis exilientem aliam vocem, ut fieri ſolet, quando homo valide aliquid percutiens audit à longe vocem aliam inde ortam. Sic ejuſmodi vocem audiebant, ideoque vocarunt eam filiam vocis.* Quæ verba deſumta ſunt ex *Thoſiphtha* ſeu *additamento ad Gemar. Sanhedrin*, eaque à *Coccejo* (g) ſic reddita reperies: *Sunt, qui dicant, non ipſam vocem editam de cœlo auditam fuiſſe, verum ex illa exortam aliam vocem; ſicut contingit, quum quis fortiter ferit, ſecundum ſonum eminus percipi. Quam ob cauſam iſtud genus oraculi, vocatur filia vocis.* Addit ibidem *Coccejus*: *Mirum, ni Echo voluit dicere; quam alias adpellant* קול הכרה *aut* דממה &c.

§. 13. Eadem fere plurimorum Rabbinorum mens eſt, ut videre licet ex ſubſequis *Eliæ Levitæ* (h) verbis: בדברי רבותינו זכרונם לברכה יוצאת בת קול אין משגיחין בבת קול וכן בהרבה מקומות ואומרים שאינו קול ממש אלא בת של קול ומשפסקה הנבואה היו משתמשין בו לפעמים i. e. vertente Fagio: *Apud Rabbinos legitur: Egreſſa eſt Bath Kol; item: Non curam habent Bath Kol; & iſto modo uſurpatum invenitur in multis locis. Et dicunt, Bath Kol non eſſe veram ſ. ſolidam vocem; ſed filiam vocis: cujus uſus olim fuit, poſteaquam ceſſaviſſet prophetia.*

§. 14. A Rabbinorum partibus ſtant plerique Chriſtianorum. Ita enim *Druſius*: (i) *Antiquitus etiam vox audiebatur debilis & ſubmiſſa tacitaque, quæ vocatur vox ſilentii debilis* 1. Reg. 19: 12. *Ad quem locum R. Salomo: Hinc eſt, inquit, quod priores uſi ſunt voce, poſteriores filia vocis.* Idem ſtatuit jam allegatus auctor (k). Nec abludit *Buxtorfius*, (l) ubi ait: *Filia, id eſt, ſecundaria vox, cœleſtis vocis quaſi partus*, quæ in *Lexico Heptaglotto* repetit adeoque etiam ſua facit celeberrimus *Caſtelius*. (m) Eandem fovet ſententiam B. *Dilherrus* (n). Conſentit *Hottingerus* (o). Etenim poſtquam recenſuiſſet, *velle nonnullos per* בַּת קול *intelligi vocem articulatam, qua Deus è cœlo hominibus ſit locutus*; ſubjungit, *alios vero malle, filiam vocis*, i. e. *ſonum repercuſſum, qui ἠχὼ Græcis dicitur, & Hebræis alias* קול הכרה *aut* דממה *adpellatur, innui.* ἐπίκελσιν tandem addit hanc: *Atque hos*, (nempe exiſtimantes Bath Kol eſſe Echo) *ipſa vocis etymologia non parum juvat.* Accedunt *Leuſdenius*, cujus verba vid. ſupra Cap. I. §. 22. *Alexander Morus* (p) & *Cregutus* (q): *Erat*, inquiens, *veluti ἠχὼ ſeu ſonus imperfectus, qui in templi concavitates reſonabat, quæ etiam vox fuit audita tempore Apoſtolorum, clamans: Migremus hinc.* Hos alii longo ſequuntur ordine.

§. 15. Verum enimvero utut in Rabbinorum eorumque veſtigiis heic inſiſtentium virorum celebratiſſimorum caſtra tranſire allubeſcat: religio tamen eſt, contra veritatem aliquid ſtatuere. Eſt aliquid, *quod non vidit cornicis* ſive, ut Hebræa vox איה rectius vertitur, *æſalonis oculis*, ceu loquitur Jobus cap. 28: verſ. 7. & Pygmæi humeris Gigantum impoſiti plus nonnunquam vident, quam Gigantes ipſi. Quamobrem diſſentire ab iis חוץ ממעלת כבוד תורתם i. e. (ut Rabbinorum verba mea faciam) *ſalvo honore eruditionis ipſorum*, in præſens nobis liceat, idque ſequentibus de cauſis. *Primum* enim Rabbini nullum poterunt locum proferre, in quo ῥῆσις Bath Kol valeat idem, quod echo. *Dein* tam Syri Chaldæique, quam Rabbini, quod mireris, ipſimet, ſignificaturi ſonum primigenium, non minus קול, quam בת קול dicunt. Syro-Chaldæa exempla bene multa reperies in præced. cap. I. Exercit. noſtræ. Rabbini vero dicunt: השמן אין לו בת קול h. e. *Oleum*, (i. e. *Ad oleum quod attinet*, per Hebraiſmum) *non eſt ei filia vocis*; quod exemplum Buxtorfius ex inadvertentia contra ſeipſum adduxit. Hoc ipſo enim non id volunt Rabbini, oleum non habere ſonum repercuſſum; ſed vero ſonum omnino nullum habere ſive edere, cum in aliud vas effunditur. Neque tamen ſoli & primi hoc ſtatuimus, ſed id nos docuit Cl. *Vorſtius*, (r) ita diſſerens: *Pro Hebræo* קול *& Græco φωνὴ, Chaldæi dicunt* בְּרַת קָלָא filia vocis. *Quæ quidem adpellatio ſi eſſet* echus, *ſoni illius repercuſſi propria: facile etiam liquere poſſet ipſa adpellationis ratio. Nam echo ab alio quodam ſono quaſi generatur. Nunc vero obſervare licet, Chaldæos & Syros, ubi ſonum primum, nec ab alio quodam ſono ortum, ſignificare volunt, tamen dicere* בְּרַת קָלָא filia vocis. Exempla, quæ ipſe deinceps adfert, vide à nobis cap. præced. Diſp. noſtræ allegata. Pergit: (s) *Sane adpellationis ratio, ut dixi, facilius conſtare poſſet, ſi id verum eſſet,* בת קול *ſignificare non niſi* ſonum repercuſſum: *ſed uſus tamen vocis iſtam ſignificationem vix comprobabit. Oſtenſum & ex Chaldaicis & Syriacis, quamcunque vocem ſive ſonum vocari* ברת קלא filiam vocis; *non repercuſſum modo. Vox cœlitus demiſſa quoque, quam Rabbini* בת קול *dicunt, non eſt repercuſſus ſonus, ſed ipſe primigenius.* Quamvis autem heic Vorſtius concedat, quod בת קול etiam repercuſſum ſonum ſignificet; nos tamen ulterius progredi nulli dubitamus, dicentes, בת קול nunquam apud antiquos Hebræos ſignificare ſonum repercuſſum, quod ex iis, quæ paulo ante diſſeruimus, non poteſt non eſſe manifeſtiſſimum. Sed hæc obiter. *Vorſtio* concinit Vir. Cl. Dn. *Andreas Mullerus* (t) qui ait: בַּת קול *vox cœlitus demiſſa, ſed ſine ſenſus alienatione, quæ in prophetia accidit, IV. poſt prophetiam, cum Malachia expirantem, oraculum. Quidam vocis filiam exponere malunt, nodum in ſcirpo quærentes, ut probent, eam obſcuram ſaltem fuiſſe vocem, qualis Græcorum ἠχὼ ſeu Judæorum* קול הֲבָרָה׃ Neque vero argumentari licebit: Aulonio vocis repercuſſio *aeris & linguæ filia* dicitur. E. & Hebræis בת קול ſignificabit *echo.* Quum enim phraſis Hebræo-Chaldæo-Syriaca ſit, non niſi ex linguis orientalibus de ea ferendum eſſe judicium cenſemus. Accedit, quod notiſſimus idiotiſmus ſit vocabulorum בן & ברת, quod ſæpe ſtent loco articuli præpoſitivi &c. vide in cap. præced. §. 20. Exempla ſexcenta adducere poſſemus, niſi brevitati litare placeret. E multis cape hæc pauca. Exod. 12: 53. בן נכר *filius alienigenæ* i. e. *alienigena.* Joel. 3: vſ. 6. בני היונים *Filii Græcorum* i. e. *Græci* &c. Neque ipſis Græcis hic pleonaſmus inuſitatus eſt. Dicunt enim παῖδες ἰατρῶν, *medicorum filii* i. e. *medici*, παῖδες ῥητόρων *Rhetorum filii* i. e. *Rhetores* &c. Quas heic adferre cauſas alias cupiebamus, convenientius reſervabuntur poſteriori Exercit. noſtræ parti.

(c) *In* ספר עקרים *l. 4. c. 11.* (d) *Notis ad Praxapoſt. XII. 22.* (e) *Ad Maſſecheth Berachoth cap. 1. f. 98. col. 4.* (f) *Obſervat. in proœm. pug. fid. Raym. Martini pag. 101.* (g) *Annotat. ad Excerpta è Gemar. Sanhedr. & Maccoth p. 158.* (h) *In Thisbite p. m. 33.* (i) *Annotationibus in N. T. pag. 8. ad Matth. 3: 17.* (k) *In Præteritorum lib. 1. p. 6.* (l) *In Lex. Talm. p. 320.* (m) *Pag. 378.* (n) *In Eclogis ſacris N. T. Syriacis p. 48.* (o) *In Theſaur. Phil. ſ. Clav. Script. lib. 2. ſect. 4. p. m. 515.*

[p] *Notis ad Eſai. cap. 53. Parallel. 1. explanat. p. 128.* [q] *In Revel. Arc. cap. 24. pagin. 824.* [r] *In Philolog. ſuæ ſacræ de Hebraiſmis N. Teſt. part. 1. cap. 13. pagin. 335.* [s] *Pag. ſeq. 336.* [t] *Exercit. 6. Roſtochii quondam habita.*

parti. An autem καινὸν hoc, quod contra τὸ κοινὸν heic attulimus, κενὸν sit, de eo judicet cordatus lector.

§. 16. Alii oraculum cœleste fuisse perhibent & gradum aliquem Spiritus S. & prophetiæ, & veluti supplementum. Non enim viguisse, nisi deficiente prophetia in templo secundo, ut habet *Alexander Morus* (u). Quam sententiam suam facit *Auctor* עין ישראל sive עין יעקוב (x) sic scribens: בת קול ר"ל מדרגה למטה ממדרגה רוח הקודש: i.e. *Filia vocis*, h.e. *gradus* (revelationis) *inferior gradu Spiritus S.* His gemella habet *Auctor libri Cosri* (y), ubi ait: בת קול לא פסקה מהם בבית שני והיא מדרגה למטה ממדרגה החזון והדבור: *Filiam vocis ab iis* (*Judæis*) *in secunda domo* (*templo*) *non recessisse, esseque gradum gradu visionis & locutionis inferiorem*, id est, (ut explicat *Hottingerus*) (z) iis prophetiæ gradibus, in quibus secundum quietem Deus Prophetis adparet, aut alloquio eos immediato dignatur, aut mediato per Angelos. Idem *Hottingerus* ibidem subjicit: *Paucis, Judæorum mens est*, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *Deum Ecclesiam V. Test. instituisse, modo per visiones, modo per Urim & Thummim, modo per Angelos, modo aliis Prophetiarum rationibus, quarum Maimonides* (a) *recenset undecim. Tandem vero sublato è terra sancta extraordinario Prophetarum dono, Deum benivolentiæ suæ &* גלוי השכינה revelatæ majestatis *testem relinquere voluisse* בת קול filiam vocis i.e. *voce cœlitus emissa alium alias actum solennem & celebrem reddidisse.* Audiamus etiam *Fagium* (b) sic loquentem: *Bath Kol, ad verbum si interpreteris, sonat filia vocis, sic olim vocabant vocem, quæ cœlitus sonabat, quæque, ut Hebræi dicunt, gradus unus fuit ex* מדרגות רוח הקדש i.e. *gradibus Spiritus S. Fuit autem usitata ea vox tempore secundi templi: postquam videlicet jam desierat Prophetia, Urim & Thummim. Quinque enim res defuerunt in secundo templo, quæ fuerunt in primo templo*, nempe ארון וכפורת וכרובים אש מערכה ושכינה ורוח הקדש אורים ותומים: i.e. *Arca, propitiatorium, Cherubim, ignis jugis, præsentia divinitatis, Spiritus S., Urim & Thummim.* Atque paulo post: *Et quis non videt mysterium? Deum scil. hac voce, quam* בת קול *adpellarunt, præludere voluisse orbi eaque illum adsuefacere ad veram illam cœlestem vocem, quæ Christus est Servator noster, in quo posthac Deus Pater audiri voluit, juxta illud: Ipsum audite.* Idem *Notis ad Exod. cap. 28. vocem cœlitus auditam* vocat *præludium & significationem quandam veræ illius vocis divinæ ac cœlestis jamjam orbi imminentis ac revelandæ, quæ scil. erat Jesus Christus Dominus noster ac Servator* &c. & dictam eam autumat *filiam vocis, quod non esset vera illa vox cœlestis, sed typus solummodo, significatio & testimonium veræ illius vocis, quæ Christus est, quæ jam debet audiri, juxta illud: Ipsum audite.* Nec aliter *Kippingus* (c), ubi: *Eo ipso*, inquit, *Deus erigere volebat populi animos in exspectationem Messiæ, qui Prophetas omnes miraculis superaturus, & popularem docendi modum orbi adprobaturus erat Hebr. 1: 1. 2.* Repete heic, quæ ex eodem Auctore citavimus cap. præced. §. 11. In eandem sententiam de hoc oraculo scribit *Anton. Cregutus* (d): *Inprimis ortum habuit* (Bath Kol) *post Malachiæ postremi Prophetarum tempora, & quæ supra viros magnæ Synagogæ, ut Esram, Nehemiam, Jesum Syracidem & denique super filios Hillel requievit.* Addit: *Nam ut olim obscure per somnia & visiones Deus voluntatem suam revelabat, ita veluti* ἐκ μέρους *& imperfecte per* Bath Kol *post prophetiam se manifestavit.* Ejusdem (e) hæc sunt verba: *Ne Deus videretur prorsus populum suum deseruisse; post prophetiam & Urim, aliquando audita fuit* בת קול Bath Kol i.e. filia vocis: *quæ fuit imperfectior quædam revelatio. Nam ut echo est sonus imperfectus respectu vocis & sermonis: ita* Bath Kol, filia vocis, *respectu prophetiæ fuit revelatio quædam imperfecta. quæ aures quidem feriebat & audiebatur sonus ac vox cœlestis, attamen mens non illustrabatur eo modo, quo lumen propheticum afficit. Et ut lumen propheticum prophetis illucebat, & Urim summo sacerdoti: ita* Bath Kol אנשי כנישתא רבתא *viros magnæ Synagogæ afficiebat & in illis residebat. Qualis vox audita in Thabor in Christi transfiguratione* Matth. 17. & *in Christi Baptismo* Matth. 3. *Quæ filia vocis defectum prophetiæ supplens defecit etiam, testibus ipsis Hebræis, in Simeone, qui cognominatur Justus, de quo Luc. 2. ut eo magis palam fieret, Christum ejusque prodromum advenisse i.e. vocem clamantis in deserto.* Esai. 40. *& verbum ipsum Patris ac sermonem Joh. 1: 1. qui* Bath Kol, filiæ vocis, *ut perfectum imperfecto, succedebant.* His fere gemina habet Dn. *Andreas Mullerus* §. præced. nobis laudatus, heic vero deserendus, quatenus nimirum *Bath Kol* quartum post prophetiam, cum Malachia exspirantem, oraculum fuisse statuit.

§. 17. Sed neque horum auctorum sententiæ subscribere possumus. Nam Rabbini heic sibi ipsi non constant & perpetuis contradictionum se laqueis irretiunt. Quum enim Bath Kol prophetiæ successisse velint, tamen singulis fere, etiam quæ ante primum templum, historiis adcommodare solent, etiam cum nulla ejus mentio in sacris. Sic exempli causa Sauli, cum Agago pepercisset, à voce indicatum ajunt: *Ne sis justus nimium.* Et cum Nob civitatem vastasset: *Ne nimis impie agas*, audivisse; itidem & cum ariolos ejecit & ad pythonissam se contulit; advertente hoc *Dan. Heinsio* (f). Hinc etiam Fagio accedere prohibemur, qui Bath Kol præludium veræ vocis, Messiæ, esse voluit. Oraculum enim hoc tam in V. T. quam in Novo, etiam post ipsius Christi ascensionem in cœlos, immo longo post tempore; ut ex Exercit. nostræ parte posteriore cap. I. constabit, auditum fuit. Deinde ea, quæ de Bath Kol adfert Fagius, rectius convenire videntur Joanni Baptistæ, qui appellatur φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ Matth. 3: 3. collat. cum Esai. 40: 3. ad quæ verba Clemens *Alexandrinus* (g) ita commentatur: ἡ φωνὴ πρόδρομος τοῦ λόγου. Convenientissime itaque Joannes *vox* dictus est, qui præcursor Christi *Verbi* fuit. Et *Origenes* (h): *Primo*, inquit, *vox ad aures pervenit; deinde post vocem, immo cum voce auditum sermo penetrat. Juxta hunc sensum à Joanne annunciatus est Christus. Videamus ergo, quid vox de verbo annunciet.* Ad Creguti, una cum Hebræis quibusdam Bath Kol esse imperfectiorem quandam revelationem, statuentis sententiam quod spectat, illa minus firmo fundamento huic, quasi Bath Kol sit echo, superstructa est ac proinde sponte ruit sua. Immo hic auctor sibi ipse contradicit, dum quasi sui oblitus vult, Bath Kol cessasse in Simeone Justo, quum tamen antea statuisset, vocem hanc: *Migremus hinc*; quæ longe post Simeonis mortem audita est, fuisse Bath Kol. Tum idem cum *Galatino de A. C. V. l. 4. c. 7.* p. m. 206. existimat, Simeonem Justum, cujus tempore alias dicitur quoque cessasse benedictio sacerdotalis cum Tetragrammato, esse illum, cujus Lucæ 2: 25. fit mentio, quum tamen Talmudistis ac Rabbinis Simeon Justus nemo alius sit, quam Pontifex Jaddua, qui Alexandri M. tempore vixit. Id quod in Disputatione nostra de *Ritu benedictionis sacerdotalis* (i) contra communem fere sententiam probatum dedimus.

§. 18. Arabes denique, qui tribus modis Deum hominibus loqui statuunt, secundi generis exemplum esse dicunt, *si quis vocem quidem loquentis auribus percipiat, loquentem autem videat neminem.* ولكن كما كلم موسي ويكلم الملايكة i.e. *Sic locutus est* (Deus) *Mosi, sic Angelis loquitur.* Commentar. Vocat hoc Alcoranus من ورا الحجاب *post velum*; tralatione petita à more Regibus usitato: كما يكلم الملك المحتجب بعض خواصه وهو من ورا الحجاب فيسمع صوته ولا يري شخصه i.e. *uti Rex post obductum velum loquitur quibusdam domesticis suis, & is, quum post velum sit, vox quidem illius auditur, sed ipse non conspicitur.* Vid. *Lev. Warn.* (k).

§. 19. Hæc sententia Muhammedanorum partem veri dicit quidem, sed non complectitur totam τοῦ Bath Kol notionem, & præterea in errorem incurrit, dum dicitur Deum hoc pacto Angelis loqui, ut Deum loquentem audiant, ipsum autem non videant. Angeli enim non habent opus, ut Deus illis loquatur voce externa eaque sensibili. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Reliqua, quæ mentem nostram tam de vera, quam de Rabbinica seu fabulosa Bath Kol aperient, in Exercitationis nostræ parte posteriore, σὺν Θεοῦ παλάμᾳ, sumus recensituri.

בנ"לך

(u) *Notis ad Esai. cap. LIII. pag. 5.* (x) *ad cap. I. Berachoth.* (y) *pag. 31.* (z) *in Thes. Philol. pag. 516.* (a) *in More Nevochim part. 2. cap. 45.* (b) *Notis ad cap. VI. Pirke Abboth pag. 132. & seq.* (c) *Exercit. sacr. de Script. V. & N. Test. pag. 107.* (d) *in* גלי רזיא *s. Revelatore Arcanorum cap. 24. pag. 824.* (e) *libri ejusdem cap. 27. pag. 950. & seq.*

(f) *In Aristarch. sacr. ad Joh. 12: 28. p. 922.* (g) *orat. exhortator.* (h) *homil. 21. in Luc.* (i) *cap. 2. §. 47. 48. & 49.* (k) *Compend. Muhammedan. de Christo & Christ. Rel. p. 18.*

ANDREÆ SENNERTI

DISSERTATIO

De Urim, & Thummim.

DISSERTATIONES DUÆ.

בעה׳



SCite profecto dixit, quicunque fuit, χαλεπὰ τὰ καλά. *Difficilia, quæ pulchra.* Quippe ea rerum optimarum indoles, ut, quicquid habeant eximii, minus in conſpicuo eſſe patiantur. Quicquid ſit, multa tamen, ſolo, ut ita loquamur, nomine lenocinantur, & occulta quadam naturæ vi ad ea inquirenda propellimur: Scilicet inquietos nos agit Venuſtatis Amor, nec quicquam rectius noſtro mederi deſiderio, quam rerum pulchritudo poteſt; imo non acquieſcimus ante, quam in ſolidam, ſi modo fieri poſſit, eatundem cognitionem pervenerimus, *ὐ γὰρ λανθάνει τι κρεῖττον ὐδὲν, inquit Nazianzenus.* De profanis non eſt, quod dicamus; quis, quæſo, neſcit, innumera in ſacris reperiri Venuſtatis exempla, eadem vero noſtri reſpectu in altiſſimis myſteriorum latebris recondi, nemo eſt, qui ignoret; ſcilicet nomina ſcimus, rerum vero ipſarum confuſam, ne dicam accuratam, habere cognitionem, tam eſt difficile, quam quod difficillimum. Aharonem maximum Gentis Judaicæ ſacerdotem ſummi illius & vere maximi, melioris utpote teſtamenti Mediatoris & Pontificis, Jeſu Chriſti Typum illum clariſſimum contemplamini. Quanta, quæſo, Perſonæ Majeſtas; quanta officii dignitas! quantus in veſtitu decor, quantus in ornatu nitor! Verum: quot ibi myſteria? quot abſtruſa? quot occulta? quot indagatu difficilia? Omnia excutere tenuitatis noſtræ memores nec volumus nec poſſumus. Unicum ſaltem Aharonitici pectoralis inſigne vere inſigne לפי ענות דתנו, *ut loquuntur Hebræi*, conſiderare ſtatuimus. Certe profecto, ſi quod res eſt, nobis hac de re dicendum, idem fateamur neceſſe eſt, quod de ſectione Num. 19: 2. in libro Jalkut, fol. 187. col. 1. his conſignatum verbis legimus: כל זרת נסיתי בחכמה לא הנחתי חכמה בעולם שלא אמרתי עליה וכיון שהגעתי לפלשת פרה אדומה אמרתי אחכמה והיא רחוקה ממני׃. *Omne hoc tentavi in ſapientia, & nihil in mundo reliquum feci de ſapientia, quod non dixerim, at poſtquam perveni ad ſectionem, de vacca rufa* (Num. 19: 2.) *dixi, nunc acquiram ſapientiam, & illa longius à me receſſit.* Imo ipſe etiam Buxtorfius tantæ eruditionis Vir in Exercit. 3. cap. 1. pag. 269. rotunde fatetur, ſe ob ingenii ſui tenuitatem & rei difficultatem nihil ſolidi ac certi poſſe polliceri. Grave igitur, & noſtris plane impar humeris negotium ſuſcipimus, cum juxta dictum Thalmudiſtarum in Maſſechet Joma, fol. 19. columm. 1. מיגמר בעתקתא קשה מחדתא. *Diſcere antiquum difficilius ſit, quam novum.* Sacræ itaque antiquitatis amore ducti negotium iſtud aggredimur, pictorum filios imitati, qui, cum aliquid vivis exprimere coloribus nequeant, ductis lineis, & tenui id ipſum penicillo adumbrant, nos, ſicubi erraverimus, ſolati iſto Regum ſapientiſſimi, 1 Reg. 8: verſ. 46. אין אדם אשר לא יחטא. *Non eſt homo, qui non peccet*: ſcilicet errare humanum! Sit igitur σὺν Θεῷ.

CAP. I.

Unde incipiendum. Scaligeri, Platonis, & Theodoreti ſententia, Spenceri opinio contraria. Nomina hic explicata Quæ. Urim & Tummim *Originatio. Quare ſic dicantur. Caſtellus, Buxtorfius, Schindlerus aliique citati. Bellarmini derivatio monſtroſa impugnatur.* Urim & Tummim *ſunt pluralis Numeri. Cur. Cornelii à Lap. & Hachſpanii opinio. Habent præfixum He Emphaticum. Modo conjunctim, modo ſejunctim ſumuntur. Bechai citatur. Verſionibus quid tribuendum. Onkelos non vertit. Cur Non. Septuaginta & alii quomodo verterunt. Latini quomodo vertant. Ariæmontani & Tremelli ſententia.* חשן *unde derivetur. Forſteri derivatio. Græcorum verſio. Dicitur* λογίον. *Cur. Joſephus quomodo vertit. Druſii ſententia. Dicitur Rationale. Gentiles Chriſtianorum ritus imitantur. Spencerus notatus. Fabricius laudatus.* חשן המשפט *Quid: Veſtes Sacerdotales quot & quales. Deſcriptio & confectio τῦ* חשן*. τῦ Ephod Originatio & Homonymia, & quid fuerit.*

I.

AB ovo, quod ajunt, ut ordiamur, præmittenda omnino ὀνοματοσκεψία ſ. nominum evolutio, quippe à nominibus incipiendum docet ſubtilitatum Magiſter Scaliger Exercitat. I. ſect. 1. juxta illud Platonis in Gorgia: ὃς τὰ ὀνόματα οἶδε, οἴσεται καὶ τὰ πράγματα: *Qui novit nomina, novit etiam res.* His gemella habet, cit. Clar. Hotting. Exercit. Anti Morin. th. 3. p. 2. Theodoretus. Καὶ ἵνα διάλεξις ἀπολύτως προβαίνη καὶ μηδὲν ἀμφιβαλλομένων μεταξὺ ζητούμενον διακόπτη τὸν λόγον, δεῖ εἰλικρινεῖς γίνεσθαι τῶν ὀνομάτων τὰς σημασίας, h. e. *ut diſcurſus ſine impedimento procedat, & nulla ambiguitas explicationi interjecta ſermonem retardet, oportet nominum ſignificationes planas fieri.* Atque hæc ſententia contraria omnino, & è diametro oppoſita eſt ſententiæ Joh. Spenceri, quippe qui prius de re, quam de nomine agendum cenſet, cum minus negotii faceſſat natura rerum, quam origo nominum, inque nominis ſcientiam per rei cognitionem felicius dirigamur. vid. cap. 5. ſect. 5. pag. 257. ſed hanc ſententiam, tanquam abſurdam & veritati minus congruam recitando refutavit Clar. Carpzovius in Notis ad Schic. Jus Regium p. 32.

II. Quatuor igitur hic conſideranda nobis veniunt nomina, tum ipſius Inſignis Aharonitici, tum rerum, quibus iſtud inſertum fuit: Nos de omnibus ita agemus, ut primo de Etymologia, adjuncta, ſi quæ fuerit, homonymia, & deinde de quamplurimis Verſionibus, aliiſque, quæ huc pertinere poſſint, pro inſtituti noſtri ratione paucis diſſeramus.

III. Quod itaque attinet voces תומים & אורים, (nam has duas, cum in ſcriptura conjunctæ reperiantur, hic etiam conjungere, non adeo improbabile erit.) ſunt voces origine Hebrææ & quidem pluralis numeri, ה Hajedia ſ. demonſtrativo affectæ: & derivatur altera quidem à radice אור h. e. lucere, altera à radice תמם h. e. perfectum eſſe. Rationem hujus derivationis haud certe incongruam reddunt ipſi Thalmudiſtæ in Maſſ. Joma. c. 7. fol. 33. 2. למה נקרא שמן אורים ותומים אורים שמאירין את דבריהן / תומים שמשלימין את דבריהן׃ *Quare vocatur nomen illorum* Urim & Tummim: Urim, *quia illuminabant verba ipſorum.* Tummim, *quia perficiebant verba illorum.*

Vid.

Vid. Clar. Buxtorf. Pater in Lexic. Hebr. p. 13. & Filius in Exercit. Philolog. III. p. 277. qui etiam aliud testimonium ex Thalmude Hierosolymit. & Thargum Jonath. affert, cujus posterioris verba, utpote priora paulo latius explicantia, nos φιλαναπολινγλοττίας ἕνεκα huc transscribere operæ pretium ducimus, quæ ita habent: ותתן בחשן דינא ית אוריא דמנהרין מליהון ומפרסמין טמירן דבית ישראל וית תומיא דמשלימין בעובדיהון לכהונא רבא דתבע אולפנא מן קדם יי׳ בהון: *Et Indes pectorali* Urim, *quæ illuminant verba illorum & revelant occulta domus Israëlis, &* Tummim, *quæ perficiunt operibus suis sacerdotem magnum, qui quærit doctrinam à Domino per ea.* Relinquitur ergo τὰ *Urim* & *Tummim* à luce & perfectione ita dici, qualis vero illa fuerit, non liquet: vid. Buxtorf. loc. cit.

IV. Atque has harum vocum radices esse, constans Philologorum & Lexicographorum est sententia. vid. Pagnin. in Lexic. in radic. אור & תמם. Schindlerus in Lexic. Pentaglott. col. 42. Buxtorf. Lexic. Hebr. pag. 13. & 64. & in Lexic. Chaldaic. Thalmud. Rabb. num. 45. Castellus in Lexic. Heptaglott. n. 65. Ravanell. Biblioth. S. Tom. 2. pag. 1522. Martinius in Lexic. Etymolog. in voce Urim. Sixtin. Amama in Antibarb. Bibl. lib. 2. p. 566. & in Censur. Vulg. Vers. pag. 123. Delrio Disquisit. Magic. lib. 4. c. 1. qu. 2. sect. 2. Momma de Oeconom. Eccl. c. 9. pag. 367. aliique quamplurimi, adeo ut haud immerito ad omnia Lexica Ebræorum, Christianorum, Protestantium & Pontificiorum provocet Amama l. c.

V. Magnus autem ille Pontificiorum Promachus Cardinalis Bellarminus authoritatem Vulgatæ Versionis, & infallibilitatem Romani Pontificis asserturus novam his vocibus originem affingere non erubuit: Verba illius ex lib. 4. de P. R. cit. B. Meisner. Phil. Sobr. part. 2. c. 3. qu. 3. sect. 1. hæc sunt: *Nec obstat, quod Judæi & judaizantes dicant,* אורים *non significare doctrinam, sed splendorem à radice* אור, *&* תומים *non significare veritatem, sed perfectionem à radice* תמם, *nam magis credendum est Hieronymo, qui vertit doctrinam & veritatem, & LXX, qui verterunt* δήλωσιν ϗ ἀλήθειαν, *quam omnibus Rabbinis, & hinc dicendum est:* אורים *deduci à* ירה, *quod est docuit, &* תומים *à Rad.* אמן, *quod est credidit.* Egregia certe & digna tanto viro sententia! sed quid mirum? cum autoritatem Pontificis propugnaturi, nescio quid non asserere soleant Papicolæ: scilicet, quot hic verba, tot fere φορτικὰ ἀκόσματα, ea autem ad examinis incudem revocare noluimus omnia, aliis eadem relinquentes. Egregiam huic rei navarunt operam B. Meisn. loc. cit. & Chamier Panstrat. Cath. T. 1. l. 3. cap. 3. §. 5. Ea autem, quæ scopo nostro inserviunt, in compendium ita redegit Epitomator Bellarmini. F. I. Baptista De Seois Tom. 1. pag. 215. *Jussit*, inquit, *Dominus poni in rationale Pontificis* תומים & אורים Urim & Tummim, (*quicquid dicant Rabbini*) δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *juxta septuaginta, Doctrinam & veritatem juxta Hieronymum, nempe*, (ut in margine scriptum) *à* ירה *Jarah docuit, & אמן Aman credidit.* Verum monstrosa admodum & absurda hæc est derivatio, & (ut verbis utar Clar. Dilherri. lib. 1. Elect. pag. 36.) omnia Grammaticorum tribunalia perfringit, ipsique analogiæ Grammaticæ repugnat, quippe nunquam ita mutari, nedum abjici solent literæ radicales, quin aliquod earundem signum aut indicium relinquatur, nam ex quiescentibus Pe Jod s. prima radicali derivata vel Jod nudum abjiciunt, vel à fronte tegendum in Vau Cholem mutant: vid. Schich. Horol. Hebr. p. m. 30. & à quiescentibus Pe Aleph orta, regularia plerumque sunt, nec primam radicalem amittere solent. Quod ipsum agnovit Clar. Hachspan. in Not. Phil. part. 1. pag. 82. qui, *hæ*, inquit, *derivationes falsæ sunt & ridiculæ, si enim* אורים *ab* הורה *docuit, unde* א *in illud irrepsit, & si* תומים *ab* אמן, *cur Aleph abjectum, Mem vero dagessatum.* Egregia certe est similitudo, quam affert: in Censur. Vulg. Vers. loc. cit. Amama: *Balbus*, inquit, *apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deor. Neptunum à nando derivabat, unica litera retenta, at hoc in persona Cottæ salse ridet Cicero, aitque Balbum sibi in ea originatione magis visum natasse, quam Neptunum*; Nam stante Bellarmini sententia post abjectas literas serviles unica tantum in qualibet voce litera remanet, quod in hac lingua, (nullo scil. signo remanente) prorsus insolens & inusitatum. Argumenta illius quod attinet, fatemur quidem Septuaginta in his, ut in aliis, sensum potius, quam verba vertisse, inde tamen certi quid statuere velle absurdum est, nam de vocibus Hebræis, non ex versionibus, sed ex fonte ipso dijudicandum, & Hieronymus, licet Ebrææ linguæ peritissimus, in multis tamen se verborum ambiguitate deceptum & in transferendo hallucinatum fuisse, ipse in Commentario ad cap. XIX. Esaiæ fatetur; ejus igitur versioni omnimodam fidem habendam esse, stultus est, qui dixerit. vid. Sixtin. Amama l. c. atque hinc etiam ipse Bellarminus à sociennis suis deseritur, quippe qui linguæ hujus illo peritiores communem amplecti sententiam non dubitarunt: Unus pro omnibus erit Arias Montanus, is in libro suo de Aharone Insigne illud ex usu & natura sua *Urim & Tummim* dici, & ex verbo per inflammationes & perfectiones reddi posse asserit: Conf. Cornel. à Lapid. in Exod. pag. 548. & Delrio Loc. cit.

VI. Diximus paragr. III. Nomina hæc esse pluralis numeri, atque hoc ipsum liquet ex terminatione ים, quam pluralis Numeri esse largiuntur omnes, quotquot Grammaticorum se profiteri filios volunt, quanquam negari non potest, multa reperiri nomina, quæ terminationem quidem pluralem, sed significationem singularem habent. Causæ autem, cur ita adhibita sunt, variæ afferuntur. Nonnulli secuti Cornelium à Lapide loc. cit. dicunt, hic esse Enallagen Numeri pluralis pro singulari, quam certe in scriptura usitatissimam esse ad denotandam rei excellentiam & magnitudinem testatur B. Glassius Philol. S. lib. 3. tract. 1. can. 24. pag. 88. & ex illo Hervart. in Scrutin. Philol. pag. 14. Nec forsan aliena Hachspanii opinio, qui loc. cit. pluralem numerum ad exhibendam perfectionem adhibitum fuisse asserit. Nos gemmas illas duplo pectoralis insertas, quas τὰ Urim & Tummim fuisse inferius probabimus, duodecim adeoque numero plures fuisse dicimus, ideoque ad denotandam hanc pluralitatem Numerum pluralem, quippe qui vi vocis plura importat, adhibitum fuisse contendimus.

VII. Diximus præterea esse ה demonstrativo affectas: Non autem possumus illis assentiri, qui cum R. Bechai, Nachmanide, aliisque faciunt, & ideo ה illud adhibitum dicunt, ut denotetur ἀχειρόποιητον ה esse, nam hanc sententiam veritati minus congruam esse, inferius probabitur: sed nos asserimus, ה illud adhiberi לחזק הענין ad confortationem sensus, *ut loquuntur Hebræi*, h. e. ob singularem Emphasin, ut non simpliciter, sed cum addita notatione, adhibeantur, ut digito quasi monstretur, dicendo istas illuminationes, istas perfectiones. Ita Arias Montanus. Conf. Cornel. à Lapide L. c. nam hoc proprium illius officium esse, vel ex solo capite septimo Esai. vers. 14. liquet: vid. Deuteron. 3: 25. Quanquam non negemus, ה illud ἄνδ ἐμφάσεως plurimis in locis adhiberi: vid. Glassius Philos. S. lib. 4. tract. 1. pag. 642. Hervart. in scrut. Philolog. pag. 146.

VIII. Diximus denique has voces haud incommode conjungi posse; notandum vero, eas non solum conjungi, sed etiam synechdochice *Urim* poni solum, v. g. Numer. 27: 21. & 1 Sam. 28: 6. Causam hujus reddit R. Bechai apud Buxtorf. Exercit. cit. pag. 277. his verbis: לא הזכיר התומים וזה יורה כי האורים עיקר השמות שמכחם היו מאירות האותיות לעיני הכהן לדעת העתידות והתומים לא היו אלא לזווג האותיות זו עם זו להתמים אותם בחבור התיבות עד שיהיה לב הכהן תמים בידיעתן ועל כן הזכיר מה שהוא עיקר ושתק מן התומים אבל לעולם לא היו אורים בלתי התומים כי שנהם דבר אחד ושניהם שלימות הענין: h. e. *Non nominat hic Tummim, quia* Urim *fuerunt nomina Principalia, quorum virtute literæ lucem emittebant in oculos sacerdotum.* Tummim, *non alio inserviebant, nisi ad combinendas inter se literas, quæ lucebant, ad perfectas inde eliciendas voces ut sacerdos in animo suo de illis certus esset; ideo mentionem facit tantum principalis, & reticet minus principale. Nunquam tamen erant* Urim *sine* Tummim, *utraque enim rem eandem & unam conficiebant & perficiebant.* Hactenus Bechai, qui recte quidem statuit, τὰ *Urim* & *Tummim* esse causas socias, s. ad unam eandemque rem simul concurrere, sed an Principale Urim fuerit, Tummim vero minus principale, de hoc merito dubitamus, præsertim, cum, (quod etiam notandum) in sacris literis modo τὰ *Urim*, modo τὰ *Tummim* præponantur, hinc enim æqualitas illorum vel maxime patescit. Satis de his nominibus ipsis.

IX. Versiones quod attinet, de earum præstantia & utilitate disserere nostri non est instituti. Illas certe non negligendas esse censemus cum Magno Heinsio, cujus verba in Prologom. Aristarchi S. p. m. 665. contra contemptores illarum hæc sunt: *Quid Thargumistæ vere eruditissimi, quid Septuaginta, quos Apostoli non semel exprimunt, quid Symmachus, quid Aquila, quid Theodotion, quid alii ad veram verbi DEI explicationem conferant, non magis forsan satagitis, quam utrum Empedocles an stertinium deliret acumen:* Omnes autem à nobis ut hic afferantur versiones, non est, quod à nobis quis exspectet, præstantiores adduxisse sufficiat.

 X. Pri-

X. Primas itaque Orientalibus tribuimus, & Syrus, Arabs & Samaritanus nomina ista recte verterunt per voces, eandem, quam Ebrææ, significationem habentes, nam, ut loquitur Aben Esra: שפה אחד דברים אחרים, *labium unum & verba diversa*, h. e. ut explicat Celeberr. Pochokius in Not. Miscell. ad Port. Mos. pag. 5. Unius linguæ Dialecti variæ, quarum Hebræa Mater, reliquæ autem filiæ Matri non absimiles. Vid. Hotting. in Smegmat. Orient. Paraphrastes vero Chaldæus Onkelos voces Ebræas retinuit, terminatione saltem Ebraica ים in Chaldaicam יא mutata. Atque hoc ipsum nonnulli factum putant ex odio in Christianos, quod quidem longe maximum esse vel ex hoc Thalmudistarum liquet, in Massechet Sanhedrim: cap. 7. fol. 59. 1. אומר רבי יוחנן גוי שעושק בתורה חייב מיתא שני׳ תורה צוה לנו משה מורשה לנו מורשה ולא להם: h. e. ut vertit Clar. Coccejus in Excerpt. ad Gemar. Sanhedrin. pag. 274. *Dixit Rabbi Jochanan, Gentilis, si operam det legi, reus mortis, quia dicitur, Legem tulit nobis Moses hæreditatem; Nostra scilicet hæreditas est, non illorum.* vid. hac de re plura apud Hachspan. ad librum Nizzachon, pag. 278. Gerson in Thalmud. pag. 67. & Pfeiffer. in Not. Philol. ad libr. ס״ר מרע: Nos autem illum ideo illud fecisse non credimus, cum titulo isto, (Christianorum scilicet) ut ait Schichardus in Bechinat Happerusch. pag. 24. longe fuerit antiquior; sed potius asserimus illum ex ignorantia fecisse: quandoquidem enim sub templo secundo vixit, à quo ex mente Hebræorum, ut Disputat. sequente audietur, abfuere τὰ *Urim & Tummim*, veram harum vocum vim & significationem ignoravit; noluit itaque Paraphrasin suam mala & incongrua harum vocum translatione defædare, ratus forsan melius esse tacere, quam male loqui.

XI. Græcas versiones quod concernit, nec illæ conveniunt: Optima, & quæ ad veritatem Ebraicam quam proxime accedit, est Aquilæ, qui vertit φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις, h. e. *illuminationes & perfectiones.* Longius vero ab eadem recedit LXX. viralis, quæ per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, h. e. *declarationem & veritatem* transtulit. Atque hæc versio, qua voces quidem plane incongrua, quà sensum vero non adeo est incommoda, ideoque, ut recte monet Buxtorf. in Exercit. cit., non simpliciter rejicienda, aut exagitanda, nam si rem ipsam spectemus, ea omnino ex ordinatione divina virtutem δηλώσεως & docendæ ἀληθείας habuit, atque ex pectorali, cui inserta erant *Urim & Tummim*, omnis divinæ veritatis cognitio, & voluntatis Dei populo communicata fuit, ut loquitur Clariss. Heinsius in Exercit. ad N. T. p. 587. Ex eo autem, quod tum Aquila, tum LXX. vocem Theraphim, iisdem quibus Urim & Tummim, vocibus transtulere, ortum suspicor, quod nonnulli *Urim & Tummim* Theraphim fuisse arbitrentur: vid. Clariss. Seldenus de Diis Syris Syntagm. 1. p. m. 102.

XII. Ex Latinis Vulgatus & Hieronymus (nam has duas diversas esse versiones notissimum) Septuaginta secuti, *Doctrinam & veritatem* verterunt, de quibus cum idem sit, ac de Septuaginta judicium, nolumus idem hic repetere, ne actum agamus, Paucis: sensum potius, quam verba respexerunt, & ineptum esse inde desumptum Bellarmini argumentum supra par. 5. demonstravimus. Arias Montanus vero, nec non Tremellius ac Junius, linguæ Hebrææ peritissimi, cur non verterint, causam video nullam, nisi quod ille ideo fecerit, ne æmulis suis Vulgatæ versionis Patronis ansam calumniandi relinqueret, à quo tamen se non fuisse immunem ipse conqueritur in præfat. Bibl. Interlin. & cit. (Riveto in Isagog. pag. 147.) in peculiari Opere de Liter. Hebraic. Scriptione. Hos vero non aliam habuisse causam arbitror, quam quod, ut ipsi in Not. Marginal. ad Exod. 28: 30. fatentur, quæ & qualia fuerint, non constet. Satis de his vocibus. Pergimus ad alias.

XIII. Tertia vox est חשן seu *pectorale*, vel, ut alii, *Rationale*; Quænam autem vera & genuina ejus sit origo, non adeo facile est expiscari: Ipse Kimchius, & qui eum sequuntur, Lexicographorum quamplurimi, Pagninus utpote, Avenarius, Schindlerus, Buxtorfius, Castellus, aliique nullam hujus vocis radicem ponunt. Forsterus vel ex odio in Judæos, quo ipsum flagrasse testis est Clariss. Schichard. in Bechinat. Happerusch: pag. 108. vel quod forsan verius, usitatam nominum formationem spectando, Nun illud servile facit, & à radice חשה, h. e. *siluit*, derivari asserit, ideo quia tacita Dei voluntas in eo comprehenderetur. vid. Mercer. ad Lex. Pagnin. Aliis placet hanc vocem à נחש, quod *augurari* vel *divinare* significat, deductam esse, sed cum longius petita sit ista derivatio, eam non ita magni momenti judicamus.

XIV. Versiones quod concernit, à variis varie vertitur. Ex Græcis Suidas per λογεῖον vertit, quod ita describit: λογεῖον τὸ μαντεῖον, ὅπερ ἐφόρει ὁ ἱερεύς, ἐν ᾧ ἦσαν ἐγκεκολαμμένοι οἱ ιβʹ λίθοι: hoc est: *Oraculum, quod gestabat Sacerdos, in quo insculpti erant duodecim Lapides.* Septuaginta modo λογεῖον, modo, (quod rectius) λόγιον: λόγιον vero non incommode dici posse patet ex definitione τῶν λογίων, quam habet Suidas. L. c. λόγια, inquit, τὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ λεγόμενα. *Oracula sunt divina responsa.* Hinc etiam Judæis dicuntur concredita τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, Dei eloquia vel responsa: hoc est, sanctissima illa sacrarum literarum oracula. Josephus voce Ebræa retenta quidem, sed paululum immutata, Essen appellat. Ἔσσεν μὲν καλεῖται, σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν λόγιον. *Essen vocatur, significat autem Græcorum lingua Rationale* Libr. 3. Antiquit. Jud. cap. 8. p. m. 85. Phil. Libr. 3. de Vit. Mos. etiam λόγιον appellat Drusius vero: Ad Loc. difficil. Exod. cap. 50. περιστήθιον dici mavult, & mendum in loco citato Josephi esse arbitratur.

XV. Ex latinis Vulgatus & Hieronymus itidem Septuaginta secuti, vertunt *Rationale*, quod ipsum cur fecerint, rationes dantur variæ. Meisnerus Phil. Sobr. part. 2. sect. 9. quæst. 3. *Rationale*, inquit, *dictum est, quod, cum per illud ederentur divina responsa, non visa fuerit res quædam irrationalis, sed ratione & intelligentia pollens.* Petrus Cunæus Libr. 2. de Republ. Hebr. cap. 1. pag. m. 123. Choschen seu *rationale*, ait, *dicebatur, propterea quod cordis rationisque sedem cingeret.* Tremellius vero & Junius, quibus assentitur Drusius loc. cit., pectorale transtulerunt. Alii rationale dictum putant, quod inde rationes seu consilia certa & perfecta redderentur: Rationem enim & consilium temeritati & casui contraria esse, testis est Cicero lib. 2. de Divinit. cap. X. & alibi. Ex Germanicis Piscator reddit **ein Brust-Tuch**/ respiciens fortasse ad illos, qui pectorale vertunt, Lutherus vertit **ein Schildlein**/ idque forsan ab externa forma, qua, ut multis placet, clypeum seu scutum referebat. Atque hinc non inepte suspicantur nonnulli originem traxisse gentilium morem, qui Sacerdotes suos, quos Marti consecratos, Salios dixere, æneo quodam pectoris tegumento gaudere cælestiaque habere arma jusserunt, quæ Ancilia dicta cælitus delapsa fingebat maximus superstitionis Autor Numa Pompilius, ut refert Livius Decad. 1. Libr. 1. pag. m. 64. & ex eo Dionys. Halicarnass. Lib. 2. Scilicet hoc certum, imo certissimum, Gentiles multa, tam qua sacra, tam qua profana, ex Judæis hausisse eademque minus bene intellecta in superstitionem traxisse: Pulchre Taubmannus in præfat. ad Cirin Virgilii: *in sacris*, inquit, *literis paucas historias esse arbitror, miraculis præsertim aut mysteriis insignes, quas Diabolus, cujus sunt partes intervertendi veritatem, non æmulanter, ut Tertullianus loquitur, affectarit exprimere.* Sic Sacerdotes Ægyptiorum auream imaginem, cui nomen ἀλήθεια seu veritas, collo gestasse, testis est Ælianus lib. 14. Var. Histor. cap. 14. & Diodor. Sicul. Lib. 2. Rer. Ægyptiac. Vid. hac de re Scaliger libr. 7. de Emendat. Tempor. p. m. 654. Grotius in Not. ad Exod. 28: vers. 30. Dn. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad Eund. loc. Quistorp. ad Eund. loc. Dilherr. in Elect. Libr. 1. pag. 36. Martinus in Lex. Etymol. in voce Urim. Spencerus in tract. de Urim & Tummim, aliique. Cæterum de gentilium in imitandis Ebræorum ritibus κανοζηλία quædam habet M. Kipping. Antiquit. Rom. libr. 1. cap. 10. & 12. & multo plura B. Fabricius in prolixa illa & vere erudita sub præsidio Clariss. Dilherri Jenæ olim habita Disputatione, cui nomen *SIMIA DEI DIABOLUS*, quod effatum à Clar. Schich. in Jure Regio: pag. m. 26. adhibitum immerito suggillat Spencerus loc. cit., dignus, qui ideo notetur à Clariss. Carpzovio ad loc. cit. Schichard.

XVI. Hoc autem, quod diximus pectorale, non saltem dicitur simpliciter חשן, sed cum addito חשן המשפט Pectorale judicii, ideo quod in eo erant Urim & Tummim, per quæ Pontifex Judicia Dei abscondita revelare poterat. Judæi hac de re non consentiunt. Aben Esra in Comment. ad Exod. 28: 30. ait significare: דיני השם וגזירותיו העתידות. *Judicia Dei & decreta ejus futura* Rabbi Salomo Ben Melech in Michlol Jophi dicit ita vocari, לפי שהיו עליו האורים והתומים שהימודיעים משפט האדם כשהיו שאלים בהם: *Quia in eo erant* Urim & Tummim, *quæ docebant, quomodo se gereret homo, cum interrogaret ea.* Quæ reliquorum sint sententiæ, cum allatæ sint à Drusio loc. cit., nolumus hic easdem adducere. Tremellius vero & Junius forsan non incommode verterunt *pectorale juris*, quia eo induebatur summus Sacerdos consulentibus Deum de jure responsurus. Nec certe rejicienda illorum opinio qui Enallagen, ut ita loquar, substantivi pro adjectivo esse volunt, ut scilicet posterius substantivum loco adjectivi sit, quod in sacris admodum usitatum multis exemplis ex utroque fœdere probat Glassius Phil. S. lib. 3. tractat. 1. cap. 8. m. 2. p. 34. seqq. & ex eo Herv. Scrut. Philol. p. 6.

XVII. Re-

XVII. Restat, ut quid fuerit, & quomodo confectum fuerit istud pectorale, disquiramus. Vestem Sacerdotalem fuisse notissimum est, nec est, qui ipsam negare audeat, cum expresse illius in scriptura fiat mentio. Fuere autem (ut de his *ὡς ἐν παρόδῳ* agamus) vestimenta Sacerdotalia duplicis generis, alia Sacerdoti vulgari cum Pontifice communia, alii Pontifici propria. Illa fuerunt quatuor, scil. כתנת indusium, מכנסים fœmoralia. מגבעת Tiara & אבנט Baltheus. Hæc fuerunt quatuor sequentia. מעיל Palliolum, אפוד humerale, חשן Pectorale, & ציץ Cidaris sive corona: Vestium autem Pontificis, aliæ vocabantur בגדי זהב seu aureæ, aliæ בגדי לבן seu albæ, quæ ex filo sex duplicato & lino tenuissimo solo confectæ erant, atque hinc etiam Pontifex מרובה בגדים multis vestibus amictus dicitur: Vid. Sigonius de Republ. Ebræorum lib. 2. cap. 81. Cunæus de Republ. Ebræorum lib. 2. cap. 1. Seldenus de Success. in Pontific. lib. 2. cap. 7. & Maimonides in Hilchot & Kele Hammichdasch. cap. 10. Fuit itaque vestis Sacerdotalis ex serico & auro confecta, spithamæ unius longitudinem & latitudinem habens, cujus talem ex Maimonide descriptionem habemus. *Quæ ratio erat ipsius operis Coschen: contexebatur vestis quædam* מעשה חשב *opere ingenioso polymito, ex auro, Hyacinthino & coccineo dibapho, purpura & Bysso viginti octo siclis: longitudo erat cubitus, latitudo spithama, ita ut quadratum esset & undiquaque spithamale, sicut dicitur: quadratum erit & duplicatum.* Exod. 28. Plura vide apud Maimonidem loco citato.

XVIII. Quartum denique & ultimum vocabulum est אפוד seu humerale quod derivatur à radice אפד, quæ idem significat, ac חגר, ligare, constringere. Et hoc ipsum varie in sacris adhiberi solet. modo enim accipitur pro tenui illo, & è lino confecto amiculo כהן הדיוט seu Sacerdotis vulgaris & levitæ, ut videre est ex 1 Sam. 2: 18. ubi de Samuele è tribu levi oriundo & quidem adhuc puero dicitur, quod fuerit amictus Ephod lineo, in signum, ut annotant Rabbi Levi Ben Gersom, David Kimchi & Aberbanel: לשם שהוא נבדל לעבודו השם *Quod esset separatus ad ministerium Domini*, כי יהיו לבושים אותו כל הכהנים: *nam vestiti eo erant omnes in universum Sacerdotes.* Deinde significat vestem sive longam, sive brevem, sive Regum, sive Sacerdotum, vid. Kimchi ad loc. cit. Samuel. sumitur etiam collective, ut comprehendat, tum Amiculum, tum Urim & Tummim, ac pectorale, vide 1 Sam. 36:7. Proprie denique & specialiter accipitur pro veste summi Sacerdotis, hoc est, amiculo superhumerali ex coccino, hyacintho & bysso contexto, cujus prolixam descriptionem vide apud Maimonidem loc. cit. & Joseph. lib. 3. Antiquit. Jud. c. 8. conf. R. Salomo, & Aberbanel ad Loc. cit. Exod. Atque hæc de evolutione nominum seu *ὀνοματοσκεψίᾳ* sufficiant: nos brevitatis Studiosi ad alia progredimur.

CAP. II.

Autor τῶν Urim & Tummim *qui fuerit. Eruditorum de eo dissensus. Bechai, Nachmanidis, & aliorum sententia ἀχειροποίητόν τι statuentium sententia impugnata. Fuit* משרה יי *seu opus manu factum.* Τὰ Urim & Tummim *quid fuerint. Autorum dissensus. Rabbi Salomo Ben Melech citatus. Non fuit scriptura nominis tetragrammati. Cabbalistarum & aliorum opinio rejecta. Non fuerunt Theraphim. Theraphim quid. Nec fuerunt ipsum Coschen seu pectorale: Cur. Fuerunt duodecim gemmæ pectorali insertæ. Ratio hujus sententiæ adducitur.*

I.

REm itaque ipsam aggressuri de *τῶν Urim & Timmim* Efficiente, Forma, Materia, usu & duratione & his annexis paucis differemus.

II. Quod primum concernit, quis præstantissimi hujus Insignis Aharonitici autor fuerit, de eo, ut loquuntur Hebræi, in Thalmud: Pesachim fol. 112. & Nidda fol. 66. n. 1. אין כל עצבעות חכמים שוות: *Non omnes eruditorum digiti sunt æquales.* Multi iique doctissimi Viri tam ex Rabbinis, quam Christianis מעשה שמים & *ἀχειροποίητόν τι* dicunt, Deumque ipsum hujus Insignis Authorem faciunt. Ita enim Abarbanel Commentar. in Legem fol. 199. ולהיות בחשן האורים והתומים מעשה שמים ולא מעשה חרש לכן לא נזכרה בהם לשון עשיה כשאר הכלים והבגים ונזכרו בה"א הידיע למיעלתם וכמוהו וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים ולא נזכרו הכרובים קדם לכן וכמו שכתב הרמבן: hoc est, *Quia in pectorali erant Urim & Tummim opus divinum non artificis, ut reliqua vasa & vestimenta, non dicuntur facta esse, & ad indicandam excellentiam illorum* ה *demonstrativum occurrit, sicut* Gen. 3: vers. 24. *in* הכרבים *& nulla ejus ante facta est mentio, uti Ramban scripsit:* Verba Rambanis, ad quæ provocat Abarbanel, ut ut satis prolixa, hic tamen afferre non gravabimur. *Nulla omnino fit mentio τῶν Urim & Tummim inter opera Artificum, & quidem neque in mandato, neque in ejus executione, ut expresse dicitur. Et fecit Ephod, & fecit Choschen, sed non dicitur, & fecit Urim & Tummim: quod si opus artificis fuisset, sine dubio prolixius de illis, quam de ullo alio disseruisset, aut si brevius de illis loqui voluisset, dixisset saltem. Et facies Urim & Tummim, sicut ostensum tibi est in monte, ex auro puro & argento facies ea.* Et postea *nunquam alius, facit, quam Mosis solius mentionem, in præcepto, quando dicit,* Et indes in pectorale Urim & Tummim, *quare, quia fuerunt opus Artificis, neque opifices ad illarum confectionem neque Ecclesia quicquam de suo contulit, sed fuit secretum, quod traditum fuit Mosi ex ore ipsius Dei, & ille scripsit ea cum summa sanctitate, fueruntque opus divinum.* Hactenus Ramban; consentit R. Bechai in Comment. ad Loc. cit. Exod. cujus verba eadem fere cum his, allegata vide à Clariss. Hotting. Exercit. Anti Mor. pag. 88. conf. Arias Montanus in Aharone, Iunius in Not. Margin. ad Exod. loc. cit., Piscator ad eund. loc. Simlerus ad eund. loc. Calvin. ad Exod. 33: 3. Baumbach. in tractat. de Urim & Tummim: Henr. Alting. Th. Problemat. Loc. 1. probl. 6. Hotting. loc. cit., qui ibidem ex Græcis Severum pro sua sententia adducit.

III. Nos autem pace tantorum virorum, & salva eorundem auctoritate alteram sententiam potiorem statuimus, qua asseritur insigne hoc opus Bezaleelis fuisse. Fatemur equidem Deum jussisse Mosen, ut inderet pectorali Urim & Tummim, exinde tamen non sequitur, Deum ipsum gemmas istas, quas *Urim & Tummim* fuisse inferius patebit, perfecisse; has enim à Bezaleele elaboratas esse nemo facile negaverit, cum expresse in scriptura dicatur Exod. 31: 2. Bezaleelem impletum fuisse Spiritu Dei ad faciendum opus in auro & argento & sculpendis lapidibus, & quodvis, (notanter quodvis) opus ingeniosissimum fecisse asseratur. Hinc ita Abarbanel ad Exod. 35: 30. scribit: נתחבצו בבצלאל הכמה עיונית וחכמה מעשית וידיעת אומניות מתחלפים *In Bezaleele fuerunt speculativa & practica scientia, variorum item opificiorum peritia.* Nec est, quod dicant nonnulli, priorem sententiam ex eo stabiliri, quod in loc. cit. Exodi, ubi hæc describuntur, non adhibeatur vox ועשית *Et facies* (ut in reliquis,) sed ונתת *& indes*, nam si modo inspiciatur versus viges. sext. ejusdem capitis, apparebit, eandem vocem adhiberi de annulis aureis, qui in extremitate τοῦ חשן seu pectoralis poni debebant, hos autem ab ipso Deo, non à Bezaleele confectos esse, quempiam invita & reluctante veritate Hebraica asserturum, ut credamus, adduci non possumus. Hæc de efficiente.

IV. Quid fuerint *τὰ Urim & Tummim*, dicturi, Cimmeriis & plusquam Ægyptiacis involvimur tenebris, quid optimum factu sit, omnino nescii: Bene Philologorum haud ultimus in Elect. cap. 5. pag. 35. *Major*, inquit, *in horum vocabulorum explicatione convenientia non est, quam inter Horologia*; imo vere huc quadrat Scitum illud Ebræorum, הנה כל המפרשים נבכו בזה ופירשו בו פרושים שונים אין חמור נושא כפריהם: h.e. *Omnes interpretes hic perplexi sunt, & tam varias afferunt explicationes, ut Asinus non possit ferre libros illorum.* Omnes fere sententias scire cui volupe, consulat Cornel. à Lapide: in Comment. ad Exod. 28: 30. Ravanell. Biblioth. S. in voce Urim. Martin. in Lexico: in voce eadem: Edon. Neuhus. Fatid. S. l. 1. p. 19. seq. nos potiorum adductione contenti erimus.

V. Nonnulli *τὸ ἐπέχειν* eligere malunt, & tanquam rem absconditam & occultam non inquirendam esse statuunt, rati tacente scriptura sibi quoque tacendum, nam nescire velle, quæ Magister optimus docere non vult, erudita est inscitia. Huic sententiæ fovet Rabbi Salomo Ben Melech in Michlol Iophi. לא נתברר אצלנו מה הם האורים והתומים כי ידמה לבי הפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבני החשן ורש"י פירש שהוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן ולא נודע האמת: *Non liquet nobis, quid* Urim & Tummim *fuerint; Ex Scriptura autem mihi verisimile videtur fuisse aliud quid, quam Lapides pectoralis; & Raschi dicit fuisse Scripturam nominis mirabiliter expositi inditi duplo pectoralis: Verum non constat, an hoc verum sit:* Consentiunt R. David Kimchi, & Abraham

Zeba in Zeror Hammor, quorum verba citata vid. apud Buxtorf. Exercit. cit. pag. 288. conf. Castellus in Lex. Heptaglott. Schich. de jure Regio: p.m. 18. Martin. in Lexic. in voce Urim: Valæus in Loc. Comm. & ipse etiam Buxtorfius post recitatas aliorum opiniones, *difficile est*, ait *definire*, *quod scriptura procul dubio non sine certo consilio reticuit*, *suffecerit scire*, *fuisse quædam symbola extraordinaria*.

VI. Altera sententia est illorum, qui existimant, fuisse τὰ *Urim & Tummim*, scripturam nominis mirabiliter expositi & ineffabilis, quod שם המפורש illi vocant. (vid. de eo Reuchlinus de Cabala: Petrus Galatin. de Arcan. Cathol Verit. & Buxtorf. in Lex. Ebr. in voce הוה) vel insculptam vel inscriptam ab ipso Deo lapidibus, vel à Mose mediante divina revelatione factam aut excogitatam, & duplicationi pectoralis insertam. Quale autem fuerit istud nomen, non consentiunt de eo inter se istius sententiæ Patroni. Autor libri Zohar ait, fuisse nomen quadraginta duarum & septuaginta duarum literarum. vid. Buxtorf. Exercit. cit. & hunc sequitur Baal Hatturim. Alii tetragrammaton fuisse existimant: ita Cabbalistæ, quorum sententiam refert Abarbanel ad Loc. cit. Exod. nec non Rabbi Salomo, Bechai, Isaac Arama & alii. Verum cum hæc sententia è sordidis lacunis sit hausta, & meras fabulas, & plusquam aniles nugas contineat, & præterea nullo Scripturæ fundamento nitatur, improbanda omnino est, & rejicienda. Excipiunt quidem, ex eo, quod cum omnium vestimentorum & vasium confectio in Scriptura describatur, horum autem nulla fiat mentio, sequi omnino, quod fuerit divinum quid, & per consequens nomen Dei inscriptum. Verum, quam infirmo hoc ipsum tibicine nitatur, antea demonstravimus, imo hoc ipsum pro nobis urget Nobiliss. Constant. L'Empereur, in Not. ad Ὁδοιπορίαν Rab. Mosis, Kimchi. *Si quæris*, inquit, *quid* Urim & Tummim *fuerit*, *non omnino mihi falli videntur ii*, *qui à gemmis pectorali inditis ista non distinguunt*, *quandoquidem Artificibus non seorsim fuere commissa facienda*.

VII. Tertia est eorum, qui putant, *Urim & Tummim* fuisse *Teraphim* sive imagines, quarum in scriptura fit mentio. De Teraphim, hic prolixius agere, nostri non est instituti: Paucis ut tangamus, Ita describuntur in Pircke Rabbi Eliezer. Edit. Vorst. p. 9. Quid fuerunt *Teraphim*? *Mactabant primogenitum hominis*, *& ejus caput diffindebant*, *& sale atque oleo condiebant*, *& inscribebant lamina aureæ nomen immundi spiritus*, *istudque sub lingua ejus reponebant*, *& collocabant illud in pariete*, *& accendebant coram eo lucernas*, *& supplicabantur illi*, *& loquebatur cum iis*. Idem habet Elias in Tisbi, cit. Athan. Kircher. in OEdip. Ægypt. Tom. 1. Syntagm. 4. pag. 258. vid. Mercerus ad Lex. Pagnin. in voce תרף. Lutherus in cap. 30. Gen. Abulensis ad eund. loc. Vatablus ad eund. loc. Rivetus ad eund. loc. Seldenus de Diis Syris. Syntagm. I. c. 2. p. m. 97. seq. Cornel. à Lapide in cap. 30. Gen. & cap. 18. Judic. Hotting. in Histor. Orient. lib. 1. c. 8. Heidegger. in Hist. Patriarch. Tom. 2. Exercit. 1. §. 37. Gafarellus in Curiositat. p. 65. & Michaelis in Not. ad eundem, qui etiam ibidem imaginem τῶν Teraphim exhibet. Atque huic sententiæ favit olim Christophorus à Castro lib. 3. de Vera fut. cognit. c. 3. refutatus à Riveto Tom. 2. Op. Theolog. fol. 1145. Et nuper Spencerus in dissert. citat. qui hanc ipsam sententiam multis rationibus probat: Sed quam monstrosa sit ista opinio, luce meridiana clarius, nam ex idenditate, vel, quod certe rectius, affinitate significationis ad idenditatem rei non valet consequentia, nam simulabant tantum, ut ait Seldenus loco proxime citato, *τὰ Teraphim* sanctitatem *τῶν Urim & Tummim*: Sed de his & aliis Spenceri vid. Clar. Carpz. in Notis ad Schichard. jus Regium pag. 44. seq.

VIII. Nec prætereunda illorum sententia, qui *τὰ Urim & Tummim* ipsum חשן, sive pectorale fuisse arbitrantur: sed erroneam esse & plane falsam hanc sententiam, nemo non videt, cum expresse verba summi Legislatoris habeant: Et *indes pectorali Urim & Tummim*. Et certe δὶς διὰ πασῶν distant, & inter se pugnant res, quæ inseritur, & id, cui inseritur, nec credendum, Deum tanquam τάξεως & ordinis authorem ἀδύνατα Mosi præcepisse: eadem itaque facilitate, qua asseritur, destruitur hæc opinio.

IX. Missis itaque his omnibus, eorum legimus vestigia, qui ipsas duodecim gemmas pectoralis duplo inditas esse τὰ *Urim & Tummim* statuunt. Et hujus sunt sententiæ R. Azarias in Meor Enayim, Brentius in cap. 28. Exod. Fagius in Paraph. Chaldaic. ad idem caput. Oleaster in eund. Loc. aliique quamplurimi, qui easdem *Urim* dici volunt ob splendorem s. fulgorem, & *Tummim* ob perfectionem, eandemque summam; nam non dubium, quin gemmæ tot invicem conjunctæ, & unam quasi repræsentantes valde fulserint, & insignem à se splendorem lucis adinstar projecerint, quippe vis unita fortior, & quin perfectæ fuerint & integræ, nulloque vitio vel macula notatæ: & certe si usum spectemus, ita eas appellare non absurdum foret, eo quod Pontifex pectorali, cui inditæ erant, indutus, lucidam & perfectam, h. e. claram & apertam, certam & veram, non ambiguam, qualem Oracula gentilium, dare responsionem potuerit. Et hanc sententiam veram esse, probatur ex silentio Scripturæ; quippe quæ non meminit alterius rei, quæ nomine isto gauderet, nam cum Moses in omnibus recensendis, quæ ad sacra vasa & vestimenta pertinebant, accuratissimus sit, & ne minutissima quidem prætermittat, non credibile est, ipsum illud reticuisse, si *Urim & Tummim* diversum quid ab istis gemmis fuissent, imo exactiorem certe, si id fuisset, scriptura hujus Insignis declarationem & descriptionem dedisset, nunc autem ne verbo quidem de eo agi, textum inspicienti manifestum est. Nec est, quod quenquam moveat dictum Levit. 8: 8. *Et apposuit illi pectorale juris*, *indiditque pectorali Urim & Tummim*, nam hic saltem narratur, quomodo Moses Aharonem vestitu illo sacro ornaverit. Bene B. Quistorpius in Comment. ad eund. loc. *Nihil*, inquit, *ibi aliud agitur*, *quam quod primum sacerdos hoc suo ornatu inducitur*, *qui scribitur*, *ut est factum*. Hæc de forma. Reliqua Disputationi sequenti reservamus.

תהלה לאל יתברך׃

DISSERTATIO II.

בעה״י

CAP. III.

Materia Urim *&* Tummim *Quæ. Gemmæ quænam fuerint*, *Rabbi Abraham Hannasi sententia. Quomodo pectorali inditæ. Rabbi Bechai & Hiscuni sententia explosa. Usus* τῶν Urim *&* Tummim *Qui. Fuit modus quidem revelandi. Variæ revelationis divinæ species. Quis debuerit interrogare per* Urim *&* Tummim. *Grotii*, *Cunæi*, *& Episcopii sententia. Ab iisdem dissensum. Quare. Josua an ipse interrogaverit. Quis oraculum istud consulere debuerit. De qua re. R. Abarbanel citatus. Quomodo interrogaverit Sacerdos summus. Modus respondendi per* Urim *&* Tummim. *Quæstio non fuit inserta duplo pectoralis. Non fuit responsum per* Teraphim *s. idola. Christophori à Castro & Spenceri sententia rejecta. Serrarii*, *Riberæ & aliorum sententia. Rabbi Abraham Seba & Abarbanel citati. Vera revelandi ratio ignoratur. Quamdiu hoc revelationis genus durarit*, *& quando defecerit. A Frantzio*, *Dorschæo*, *Quistorpio ex sua parte dissensum. Schichardi & Schertzeri sententia approbata. Objicitur locus ex Neh. 7. vers. 65.* בת קול *in locum* τῶν Urim *&* Tummim *successit*: *Quid fuerit. Variæ sententiæ allatæ. Ligtfootus laudatus*, *& ejus sententia approbata.*

I.

Materiam itaque τῶν *Urim & Tummim* quod concernit, illam nihil aliud fuisse statuimus, quam materiam duodecim gemmarum, quippe quam non immediate à Deo datam, sed æque ut materiam tum vestimentorum sacrorum, tum aliarum rerum ad sacra pertinentium, jussu Divino à populo collatam & Mosi oblatam dicimus; quænam vero istæ gemmæ fuerint, exponitur Exod. 28: 17. seq. quales autem respectu nostrarum fuerint, determinare difficillimum: Ipse Rabbi Hannasi in Schilte Haggeborim, cit. Athan. Kirchero in Mundo subterraneo Tom: 1. p. 85. ita inquit: אני סבלתי מכל וכל מיני אבני החשן כי לא ידעתי בעצמ״ת מהן אודם כלם מהו הוא פטדה׃ *Ego dubito de omnibus generibus lapidum rationalis*, *quia nescio in substantia*, *quid sit hæc Odem*, *quid sit hæc Peteda.*

teda. Hi autem lapides in quatuor ordines fuere dispositi, ut ex loc. cit. Exod. liquet; in quolibet ordine tres fuere lapides; & cuilibet lapidi inscriptum fuit nomen tribus Israëlis: Rabbini vero, ut solent, fabularum amantissimi, nugantur cuilibet lapidi sex fuisse literas insculptas, & si nomen tribus tot fortasse literis non constaret, tot, quot adhuc deerant, adjectas fuisse, usque dum omnes istæ literæ conjunctim sumptæ efficerent numerum septuaginta duarum literarum, totidem quippe, ut comminiscuntur illi, nomen illud ineffabile constabat. Istæ autem literæ adjectitiæ fuerunt sumptæ ex nominibus Patriarcharum Abrahami, Isaaci & Iacobi, quibus adjectæ fuerunt voces שבטי & ישרון, atque sic omnes ibi Alphabeti literæ fuerunt. De variis autem horum lapidum Nominibus vid. Kircherus loc. cit. qui etiam ibidem diversas Autorum sententias adducit. Quæ vero de dispositione illorum ex Rabbi Bechai & Hiscuni loc. cit. disserat. loc. cit. Rabbi Hannasi, ea prolixe citata videri possunt apud Clarissimum Wagenseilium in Sota. pag. 967. seq. Nos ne nobis aliqua in parte deesse videamur, schema dispositionis illorum ex mente Rabbinorum, una cum Nominibus & interpretatione eorundem Latina, quam tradit Kircherus loc. cit. hic sistere operæ pretium duximus.

I. Ordo.	אדם Sardius. ראובן. א. Ruben.	פטדה Topazius. שמעון. ב. Simeon.	ברקת Ceraunus. לוי. רהם Levi.
II. Ordo.	נפך Carbunculus. יהודה. י. Jehuda.	ספיר Sapphirus. ישׂשכר. צ. Isaschar.	חלום Adamas. זבולן : ח Zebulon.
III. Ordo.	לשם. Turchosia. דן. ק יעק Dan.	שבו Hyacinthus. נפתלי. ב. Naphthali.	אחלמה Onyx. גד. שבטי Gad.
IV. Ordo.	תרשיש Chrysolithus. אשר : ישר Asser.	שהם Smaragdus. יוסף. ון Joseph.	ישפה Jaspis. בנימין Benjamin.

Sed an hæ præcise & non aliæ gemmæ fuerint, & an eo, quo hic habentur, ordine dispositæ fuerint, nos non disputamus, sufficiat scire, fuisse lapides pretiosissimos splendore pariter ac valore suo conspicuos: & certe Lapides fuisse pectorali inditos, iisque inscripta fuisse nomina φυλάρχων certo credimus, teste Scriptura S. & Iosepho lib. 3. Antiquit. Iudaic. c. 9. fuisse autem præcise sex literas cuilibet Lapidi inscriptas, & defectum complevisse nomina Patriarcharum, cum ne gry quidem hac de re in scriptura habeatur, merito dubitamus, & sua Authoribus deliria relinquimus. Vid. Kircherus & Wagenseil. loc. cit. Hæc de materia.

II. Usum τῶν *Urim & Tummim* quod concernit, fuit ille, ut per hæc ipsa populo consulenti mediante Pontifice Maximo voluntas Dei de rebus dubiis, ambiguis & incertis revelaretur. De hoc ita loquitur Abarbanel : כדי שהאומה בעת הצורך לא תהיה חסרה מידיעת העתידות לבוא לכן המציאה השגחה האלהית המעשה הזה מהאורים ותומים כדי שבכל עת יוכלו לדעת בו מהפעל אל : h. e. *Ut populus urgente necessitate non destitueretur cognitione futurorum, ideo ordinavit Providentia divina* Urim *&* Tummim, *ut semper cognoscere possent, quid statueret Deus.* Fuit itaque quædam revelationis divinæ species; multos autem dari revelandi modos certissimum, cum πολυμερῶς & πολυτρόπως, ut loquitur Autor Epistolæ ad Ebræos, locutus sit Deus Patribus. Nonnulli enim, (ut de his obiter & ὡς ἐν παρόδῳ loquamur) quinque revelationum modos faciunt, vid. Glass. Phil. S. lib. 1. tract. 4. sect. 1. p. 20. Iudæi nonnulli tres revelationis species constituunt: conf. Abarbanel in Comment. ad lib. 1. Sam. c. 3. Alii ex capite Num. 12: 6. tres revelationis species faciunt, nempe מראה *Visionem*, חלום *somnium*, & tertiam quam vocant פה על פה & soli Mosi tribuunt; Arabes etiam tria revelationum genera habent, quæ adducta vid. à Clariss. Warnero in Compend. Muhammedan. p. 18. & 19. Iudæi etiam aliam habent distinctionem, qua distinguunt inter revelationem factam per Spiritum Sanctum, & Revelationem factam per prophetiam: vid. Kimchi in præfat. Comment. in Psalm. Plura de modis revelandi vid. apud Maimonidem in More part. 2. c. 41. seq. & in יסודי תורה s. fundamentis legis, Edit. Vorst. pag. 92. seq. & Vorst. in Not. ad eund. Dn. D. Calovium in Syst. Theol. pag. 289. & in Isagog. c. 5. p. 102. seq. Hotting. in Thesaur. Philol. lib. 2. c. 3. sect. 4. p. 572. seq. Frischmuth. in Dissert. de Script. division. Qualis autem revelationis modus (ut ad rem redeamus) fuerit revelatio per *Urim & Tummim*, non liquet. Nonnulli quidem referunt ad revelationem factam per Spiritum Sanctum : ita R. Bechai ad Deut. 33: 8. dicit : אורים ותומים היתה מדרגה ממדרגת רוח הקדוש : Urim & Tummim *fuit e gradibus Spiritus S.* vid. Maimonides in More part. 2. cap. 45. & Autor libri Cosri part. 4. §. 15. Alii aliter sentiunt. Quicquid sit, revelationis speciem fuisse certissimum, quod colligitur ex 1 Sam. 38: 6. ubi dicitur, *Deum neque per Somnia neque per* Urim *neque per Prophetas Sauli respondiße*, ubi modus quidem à reliquis omnibus distinctus fuisse asseritur.

III. Consideranda autem hic nobis veniunt, tum interrogandi Methodus & ratio, tum revelandi modus. Quod primum attinet, sciendum primo, non cuilibet licitum fuisse interrogare per *Urim & Tummim*; sed soli Pontifici maximo, quippe cui soli licebat sacrum pectorale induere, & qui etiam solus sanctus sanctorum ingredi, & coram Arca Ministrare debebat; atque hoc ipsum oppido liquet ex Deut. 33: 8. ubi decus & honor iste ad solam tribum Levi restringitur: Vid. Abarbanel ad h. l. & ex Syracid. c. 45: 16. ubi hic ipse honos solis Pontificibus maximis tribuitur: Volunt autem Rabbini non semper potuisse summum Sacerdotem interrogare per Urim & Tummim, sed saltem eo tempore כאשר שורה אליו רוח הקדוש, *cum habitaret super illum Spiritus Sanct.* Hinc dicunt etiam Abjatharum ideo ab officio remotum, eo quod interrogans nullum responsum acciperet, quod ex mente illorum ideo factum, quia non habitabat super illum Spiritus S. vid. Talmud. Joma. cap. 7. in fine & Rabbi Levi Ben Gersom.

IV. Huic autem se opposuerunt sententiæ Viri Nobilissimi & Doctissimi Hugo Grotius de Jure S. & pag. 6. & P. Cunæus libr. 1. de Rep. Ebr. c. 14. & Episcopius Arminian. libr. 1. Institut. Theol. sect. 4. cap. 17. fol. 196. qui honorem hunc etiam Regi deberi, illumque etiam interrogare potuisse contendunt, causa est, ut illi volunt, magnificentia & summa potestas, qua pollebant Reges. Verum enimvero quanquam inficiari non possimus, maximam Regis dignitatem fuisse, & summo etiam in Sacerdotes imperio polluisse, illi tamen sacra curare, & per consequens per *Urim & Tummim* interrogare non licuisse, patet ex exemplo Uziæ 2 Paral. 26: 16. Adducunt quidem sententiæ hujus Patroni locum 1 Sam. 30: 7. ubi dicitur, Davidem dixisse Abjathari, הגישה לי האפוד, & colligunt inde Davidem ipsum amiculo indutum Deum consuluisse. Verum voces illas הגישה לי non *applica mihi*, sed *pro me*, vel *in mei gratiam*, interpretandas esse, maxima Interpretum pars statuit: nec verisimile est, quod Rex pius & optimus hoc fecerit, præsertim cum non fuerit nescius, hanc vestem soli summo Pontifici propriam fuisse, adeo ut ne ipsi quidem Sacerdotes alii hac uti debuerint. vid. Buxtorff. Exercit. de Urim & Tummim p. 269. ubi hoc ipsum contra Cunæum pluribus demonstrat. Conf. Dn. D. Calov. in System. Theol. Tom. 1. p. 291. & in Bibl. Illustr. Tom. 1. p. 757. & Waltherus in Harmon. Biblic. ad Num. c. 27: 11. Sunt etiam ex Judæis, qui Josuam ipsum interrogasse per Urim & Tummim statuunt, atque illud eliciunt ex Loco Num. citat. ubi ita habetur : *Et stabit (Josua) coram Eleazare Sacerdote* ושאל לו & (scil. ex mente illorum) *interrogabit sibi.* Ita Rabbi Aharon Aben Chaim, cujus verba satis prolixa recensentur à Clar. Buxtorf. loc. cit. nos paucula inde exscribemus : והוא עומד לפני אלעזר ושואל הדבר לעצמו לידע הוא מה יעשה ואליו לבדו היתה התשובה: *Et ipse (Josua) stabat coram Eleazare, & interrogabat rem, quam volebat pro se ipso, ut ipse sciret, quid faciendum esset, & ipsi quoque soti datum fuit responsum.* Vult sc. particulam לו non referri posse ad Eleazarum duas ob causas: primo enim, si ita esset, dicendum esset ממנו *ex illo*, & deinde, quia tunc superflua forent verba illa : *Et stabit coram Eleazare Sacerdote:* Verum alienam & contortam esse hanc interpretationem, & contrarium potius loc. cit. asseri, manifestum est : suam igitur sibi habeat sententiam.

V. Sciendum secundo non pro quovis, nec de qualibet re licitum fuisse consulere hoc oraculum. Illud soli Regi aut Præsidi Synedrii, aliive personæ in summo loco constitutæ competebat. Ita enim Talmudistæ in Massechet Joma. c. 7. fol. 71. אין נשאלין לא להדיוט אלא למלך ולאב בית דין ולמי שהצבור צריך בו : h. e. *non consulebantur illa pro homine privato, sed pro Rege aut Patre Synedrii, aut ejusmodi homine, quo opus habebat Ecclesia.* Conf. Beth Israel fol. 109. col. 4. & Clariss. Buxtorf. loc. cit. Hoc debebat esse res magni momenti, quæ bonum publicum respiciebat, & ad totam Rempublicam attinebat, quales fuere bella, exercitus instructio, fames, & ejusmodi, uti exempla extant quam plurima Jud. 1: 1. Jud. 20: 18. 1 Sam. 23: 6. 1 Sam. 30: 6. Et de hoc ita Abarbanel in Comment. ad cap. 28. Exod. צריך שתהיה השאלה עצה מכולל לכל העם ולא נשאל על דבר

פרטי

פרשי לאיש מן האנשים: *Oportet, ut quæstio sit res quædam, in qua totius populi fortuna posita sit, non privati, aut particularis cujusdam hominis.* Conf. Rabbi Levi Ben Gerſom apud Buxtorff. loc. cit. Et credibile omnino eſt, etiam hanc ob cauſam, quod ſcilicet pro Davide & in illius tanquam hominis privati gratiam Deum conſuluiſſet, capitis pœnam luiſſe accuſatum à Doëgo Achimelechum, ut ſuſpicatur Clar. Reiner. Vogelſang. in Exercit. Theol. p. 42. Nec debebat is, qui hoc oraculum conſuleret, magis, quam de una re ſimul quærere, & ſi vel maxime id fieret, non tamen niſi ad unam reſpondebatur, ita Rabbini: verum exemplo Davidis aliud edocti, qui non ſaltem duo quærebat, ſed etiam duplicem, imo ut nonnulli volunt, triplicem reſponſionem accepit, ut urgente neceſſitate fieri potuiſſe ſtatuunt. Verba illorum ex utroque Talmude tam Babylonico, quam Hieroſolymitano, citata vid. apud Clar. Buxtorff. l. c. nobis priora adduxiſſe ſufficiat, quæ ex Maſſechet Joma. cap. 7. fol. 73. 1. hæc ſunt: אין שואלין שני דברים כאחד ואין מוהירין אלא אחד ואם הוצרך הדבר לשנים מוהירין לו שנים שני וישאל דוד לאמר הארדוף אחר הגדוד הזה האשיגנו ויאמר הו אליו רדוף כי השג תשיג והצל תציל: *Non interrogant duas res conjunctim, nec reſpondetur niſi ad unam: Quod ſi autem neceſſitas requirat duo reſpondetur ad duo, quemadmodum dicitur: & interrogavit David dicendo, an perſequar turmam iſtam, ac aſſequar illam: reſpondit illi Dominus, perſequere, aſſequendo aſſequeris, & liberando liberaberis.*

VI. Modum conſulendi quod attinet, de eo quidem in Scriptura nihil habetur, quia autem, ut monet Euſebius l. 1. c. 7. de Præparat. Evang. δεῖ τὰ τῶν Ἑβραίων ἐκ τῶν παρ' Ἑβραίων λόγων, μὴ ἀλλοθέν ποθεν ἀποδέχεσθαι, eundem ex illorum ſcriptis afferre conabimur. Ita igitur hac de re Talmudiſtæ in Maſſechet Joma. c. 7. f. 73, 2. כיצד שואלין השואל פניו נשאל והנשאל פניו כלפי שכינה השואל אומר ארדוף והנשאל אומר כה אמר השם עלה והצלח אין שואלין בקול שני ושאל לו ולא מהרהר בלבו שנ ושאל לו לפני השם אלא כדרך שאמרה חנה בתפלתה שני וחנה היא מדברת על לבה *Quomodo interrogant: conſulens dirigit faciem ſuam verſus interrogatum, & interrogatus verſus Majeſtatem divinam (Arcam) & conſulens, dicit: perſequar: & interrogatus reſpondet:* Sic Dicit Dominus: *aſcende & proſperaberis: Non interrogant voce, quemadmodum dicitur,* & interrogabit illum: *neque cogitando in corde ſuo, quemadmodum dicitur,* & interrogabit illum coram Domino, *ſed eo modo, quo Hanna locuta eſt in precatione ſua, quemadmodum dicitur,* & Hanna loquebatur in corde ſuo. Paria his habet R. Bechai in Comment. ad Pentateuch. f. 106. 1. nec non Maimonides in Hilchot כלי המקדש, & Autor libr. Jalkut, apud Buxtorf. loc. cit. Debuit itaque Sacerdos conſulturus faciem ad Arcam convertere, quia שרויה בו שכינה, *habitabat ibi Majeſtas divina*, hoc eſt: quia Deus ſingulari ſua gratia, & virtute ibi præſens eſſe credebatur. Hinc ſcribit Kimchi in Comment. ad Pſ. שמקומו סולם לעלות התפלה לכסא הכבוד *quod locus illius fuerit inſtar ſcalæ, per quam precatio aſcendebat ad ſolium gloriæ* (DEI.) vide Autor libr. Coſri part. 2. §. 8. & 26. & conf. Buxtorf. Exercit. de Arca fœderis. Hanc autem revelationem non ſaltem ex arca factam fuiſſe, ſed etiam alibi exinde liquet, quod David 1 Sam. 30: 8. dicatur conſuluiſſe Urim & Tummim in caſtris, ubi tamen arca præſens non fuit. Atque inde patet hanc revelationem non fuiſſe, (quod ſtatuunt nonnulli) eandem cum revelatione facta ex propitiatorio, hæc enim ſoli Moſi vi promiſſionis divinæ Exod. 25: vſ. 1. contingebat, illa vero ſummo Sacerdoti, non enim licebat, niſi ſemel quotannis in ſanctum ſanctorum ingredi, revelationem autem per *Urim & Tummim* ſæpius contigiſſe notiſſimum.

VII. Modum revelandi quod attinet, hic merito ingeminamus tritum illud: *Quot capita, tot ſenſus*, ſcil. nonnulli, ut refert Clariſſ. Reiner. Vogelſang. in Exercit. Theol. p. 42. quæſtionem, de qua conſulebatur, chartæ inſcriptam duplo pectoralis inſertam, & cum reſponſo Dei rurſus eductam fuiſſe aſſerunt, ſed meras nugas & affanias eſſe, nemo non videt, & ſimilis quoque farinæ eſt illorum ſententia, qui ſtatuunt Deum pro idolis, quibus gentiles utebantur, & quæ illis ope Dæmonum reſpondebant, dediſſe Iſraelitas Urim & Tummim, & quoties aliquid interrogandum erat, vel Deum, vel Angelum nomine Dei clare & perſpicue, quid agendum vel quid non agendum fuerit, reſpondiſſe. Atque hæc ſententia בניה על אבן בהו *fundata eſt ſuper lapide inanitatis*, nempe ſententia illa, quæ ſtatuit Urim & Tummim eſſe Teraphim, quam abſurdam eſſe diſputat. prior. diximus. Vid. Rivetus Tom. 1. Oper. Theol. p. 1148. & Dn. D. Calov. in Syſt. Theol. Tom. 1. p. 290. ſcilicet Deum idolorum hoſtem infenſiſſimum eſſe patet ex Exod. 20: 2, 5, 23. Levit. 19: 4. ad quem locum vid. Maimonides in Hilchot עבודה כוכבים c. 2. §. 3. Non itaque credibile eſt Deum, cum non ignoraverit populum Iſraeliticum ad idololatriam proclivem fuiſſe, idola pectorali inſeruiſſe, hac enim ratione ipſe ejus, quod prohibuerat, peccati anſam & occaſionem dediſſet, quod de Deo ſtatuere impium & blaſphemum.

VIII. Sunt etiam, qui per internam revelationem contigiſſe contendunt, & ſtatuunt ſummum Pontificem per internam manifeſtationem certiſſime & perſpicue cognoviſſe, quid reſponſurus eſſet illis, qui Deum per *Urim & Tummim* conſulebant. Ita ſtatuunt Delrio, Serarius, Ribera, Rivetus aliique. Alii cum Reinero Vogelſangio loc. cit. aliam fovent ſententiam: *Urim & Tummim*, inquit ille, *quod attinet meo quidem judicio, vix dubitandum eſt, quin iſtis Deus articulata voce ad quæſita reſponderit, quod mihi quidem Spiritus S. clare inſinuare videtur, quod Deum legimus ad hunc modum rite conſultum.* vid. plura apud eundem l. c. Sunt denique qui revelationem hanc per extraordinariam literarum coruſcationem factam putant, ita ut ex illarum combinatione colligere potuerit Pontifex, quid faciendum eſſet. Audiamus hac de re ita diſſentem Rabbi Abraham Zeba in Seror. Hammor. לפי דעת חכמים ז"ל במקומות רבים מהנגלה אמרו כי שאלת הכהן היתה נודעת באותיות שמות בני ישראל שהיו בולטות וכן כאבנים שהיו מאירות או היו חשוכות: *Juxta ſententiam Rabbinorum p. m. pluribus in locis evidenter habetur, quod ſtatuerint interrogationem Sacerdotis notam factam eſſe per literas nominum filiorum Iſrael, quæ prominebant tum, & quidem per Lapides, qui vel lucebant vel obſcuri erant.* Quoniam autem iſtæ, quæ elucebant, literæ varie conjungi poterant, atque diverſa illa, quæ inde oriri poſſent vocabula, ſuſpenſum reddere Pontificem poterant, ideo, ut notat Nobiliſſ. Conſtantinus L'Empereur in Notis ad ὁδοιπορείῳ R. Moſis Kimchi, l. 2. c. 7. & ex eo Clar. Dilher. in Elect. p. 38. Abarbanel difficultati huic medicaturus ait, literas ex Nominibus φυλάρχων eo ordine, quo diſponendæ & conjungendæ forent prominuiſſe & eluxiſſe: atque hac ratione, ut ipſe ait יתחייב שתצא התשובה מסודרה, *ordinatum omnino reſponſum prodire oportebat.* Verba Abarbanelis ſatis prolixa à nobis brevitatis ergo hic omiſſa videri poſſunt apud Buxtorf. Exercit. cit. Et in hac ſententia ſunt Joſephus, Philo, & Patrum quamplurimi, quorum verba, cum ab eodem Clar. Buxtorf. l. c. allegata ſint, nos eo, velut ſupervacaneo, hac vice ſuperſedemus, benevolum Lectorem eo remittentes: vid. etiam Schich. in Miſchpat Hammelech, & Scheringhamius ab lib. Joma. Nos autem ſalva tantorum Virorum omnium autoritate, quandoquidem hic certi nihil definiri poſſit, ſed quicquid aſſeritur, meris nitatur conjecturis, non male nos agere arbitramur, ſi illorum legamus veſtigia, qui τὸ ἐπέχειν eligunt, & modum revelandi plane ignotum eſſe aſſerunt.

IX. Hactenus de modo revelandi; Conſequens eſt, ut quando defecerit, & quid in locum illius ſucceſſerit, paucis dicamus. Illud quod attinet, ſtatuunt communiter cum templo primo defeciſſe hoc oraculum, idque ex trita illa traditione, quæ habetur in Talmud Babyl. Maſſechet Joma. cap. 2. fol. 21. 2. & Talmud Hieroſolymitan. Maſſechet: Taanis c. 2. his verbis. מאי דכתיב וארצה בו ואכבד ואכבדה קרינן ואכבדה מאי שנא דמחוסר ה"א אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני אלו הן ארון וכפרת וכרובים אש ושכינה ורוח הקדוש אורים ותומים: *Quid eſt, quod ſcriptum eſt, & complacebo in ea & glorificabor, quod ſcribitur in textus fine* ה *& legitur cum* ה: *quid docet, quod He deficiat in hac voce? docet, de quinque rebus, quibus differebat templum primum à ſecundo: Hæ autem ſunt: Arca cum propitiatorio, Ignis ſacer, Præſentia Divina, Spiritus S. & Urim ac Tummim.* Locum autem Haggæi quod concernit, dicimus inde ſolidum & apodicticum pro defectu quinque harum rerum peti argumentum non poſſe, ſed hunc ſaltem allegorice inde probari. vide Schichard. in Miſchpat Hammelech, pag. 29. & Clariſſ. Carpzov. in Not. ad eund. loc. & Dn. D. Scherzer. in Specim. Theol. Myth. Ebr. p. 175. nam, ut recte ait Vorſtius in Præfat. ad Pirche Rabbi Eliezer, hæc & talia non ſunt. הלכה למשה מסיני אבל אסמכתא בעלמא *conſtitutio Moſis è Sinai, ſed levis vel allegorica (conjecturalem dici mavult Scherz. l. c.) probatio vulgò recepta.* Hic enim valet πολυθρύλλητον illud Rabbinorum אין משיבין על הדרש אין משקין באגרה: *Non faciunt ſolidum ſenſum ex myſtica interpretatione, neque argumentantur ex hiſtorica narratione.*

X. Defeciſſe autem in templo ſecundo *Urim & Tummim*, teſtantur Talmudiſtæ in Sota fol. 48. 2. ubi ita dicitur: משמתו נביאים הראשנים בטלו אורים ותומים. *Ex quo mortui ſunt Prophetæ priores, ceſſarunt Urim & Tummim.* Et in Gemar. משחרב מקדש ראשון בטלו ערי מגרש ופסקו אורים ותומים ופסק מלך מבית

מבירת דוד: *Ex quo devastatum est primum templum, sublata sunt suburbia, & cessavit Oraculum pectorale, & desiit Rex è domo David*: Consentit Josephus Gorionides, cujus verba citante Clar. Carpzov. loc. cit. hæc sunt: מיום גלות הזה גלות בבל נעלמו ממנו אורים ותומים. *A die exsilii hujus, & exsilii Babylonici abscondita sunt à nobis Urim & Tummim*: conf. hac de re Raschi & Kimchi ad cap. 1. Hagg. Rambam in More pag. 2. cap. 4: 41. Abarbanel ad Pircke Abhoth. c. 4. Petrus Galatin. de Arcan. Cathol. Veritat. cap. 9. Genebrard. lib. 1. Chronol. ad A. 3640. Arias Montanus in Aharone. Buxtorf. in Lexic. Chald. Thalmud-Rabbinic. num. 2397. Lempereur ad libr. Middoth. p. 103. Coccejus ad Sanhedrin cap. 1. Mornæus de Veritat. Relig. Christ. c. 29. Schichard in Mischpat. Hammelech. l. cit. Reinoldus in Cens. lib. Apocryph. c. 2. prælect. 133. Rationes hujus defectus affert Abarbanel duas: Verba illius admodum prolixa nos angustia chartæ prohibiti hic omittimus. Causas quod attinet, Primam, quam adfert, non omnino rejiciendam putamus, cum probabile sit, oraculum hoc defecisse post abductos in captivitatem Israëlitas, quippe ad quos solum pertinebat ista revelatio, & illis solum indultum erat hoc beneficium, ac proinde etiam illorum nomina lapidibus fuere insculpta, ut ex Abarbanele refert Clariss. Buxtorf. Exercit. cit. Alteram vero de scriptura nominis tetragrammati plane rejicimus, nam hanc infirmo niti fundamento antea demonstravimus. Et certe si veram hujus rei causam scire velimus, non male nos diceremus factum, ut populus Dei sanctiorum jam rerum, & lucidiorum ac perfectiorum *Urim* ac *Tummim* ex adventu Messiæ desiderio & expectatione tangeretur.

XI. Quanquam autem ex templo secundo abfuisse τὰ *Urim* & *Tummim* apud plerosque in confesso sit, sunt tamen, qui etiam ex parte ibidem adfuisse asserunt, vid. Torniellus in Annal. Vet. Test. Tom. 1. pag. 227. seq. Franzius in schol. sacrific. disput. 5. & 11. Dorschæus part. 1. Theol. Zachar. quæst. 27. & part. 2. quæst. 79. seq. Quistorp. Annot. Biblic. p. 773. atque hi ipsi nituntur locis Esdr. 2: 63. & Nehem. 7: 65. ubi ita habetur: *Et dixit Hatirsata, ne comederent de sanctitate sanctitatum, donec staret sacerdos cum Urim & Tummim.* Verum enimvero non negamus post reduces ex captivitate Babylonica Israëlitas ἀνάλογον quid, aut simulachrum quoddam ad imitationem prioris pectoralis confectum fuisse, ut scilicet egregius iste summi Pontificis ornatus omni ex parte integer & perfectus esset, vid. Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. c. 14. & Hachspan. Not. Miscell. pag. 374. nullam tamen ex eodem datam fuisse responsionem certissimum. Ita enim ipsi Talmudistæ in Tosephos sive addit. ad loc. Gemar. cit. §. 10. אורים יתומים היו שאם לא כן היה ג"כ מחסר בגדים אלא לא היו משיבין בהן: Urim & Tummim *fuerunt, (scil. in templo secundo) si enim hoc non esset, defectum passus fuisset, (summus Pontifex) in vestibus suis, sed tamen non dabant responsa interrogantibus*: Idem quoque statuit Maimonides qui, ut præcipuis literariæ Reipubl. Antistitibus visum, nugari non solet, in Hilchot בית הבחירה, cap. 4. §. 1. & Hilchot כלי המקדש cap. 10. §. 10. conf. Abarbanel, & vid. Clar. Wagenseilius in Sota. p. 1070. Et recte quidem Nehemias sperabat fore, ut aliquando rediret sacerdos cum *Urim & Tummim*, per quæ Deus in rebus dubiis consuli solebat, ut inde etiam scirent, anne deberent filii Barzillai de sanctitate illa comedere, an non. Verum illum voti nunquam compotem fuisse certissimum est, quod ipsum vel ex particula עד evincitur, quam in hoc & ejusmodi locis ex phrasi linguæ perpetuitatem & infinitatem significare annotant Mercerus & Cevallerius ad Lexic. Pagnin. Conf. Schindl. in Lexic. Pentag. in voce עד. Heinsius in Exerc. S. ad N. T. Exerc. 1. p. 4. Quistorp. ad cap. 1. Matth. Hinc etiam dicitur in Massechet Sota f. 49. 2. ואם לחשן אדם לאמר ויאמר התרשתא להם אשר לא יוכלו בקודש הקודשים עד עמוד הכהן לאורים ותומים כאדם שאמר לחברו עד שיחיו מתים ויבוא משיח בן דויד: h. e. ut vertit. Clar. Wagenseil. fol. 1069. *Si vero quis contrarium evincere conetur ex illo (Nehem. 7: 65. Et dixit iis Hatirsata, ne comederent de sacrosanctis, donec existeret sacerdos cum* Urim & Tummim,) *respondebis, hunc modum loquendi esse similem illi, quo homo socio suo dicit: Quando mortui resurgent, & Messias Filius David aderit, tum hæc evenient*: Conf. Hachspan. in Not. Miscellan. loc. cit.

XII. Deficientibus autem in templo secundo τοῖς *Urim & Tummim* successit novum quoddam revelationis genus, quod בת קול sive Filiam vocis vocant. De eo ita habetur in Massechet Sota. cap. 9. fol. 48. 2. תנו רבנן משמתו נביאים אחרונים נסתלקה רוח הקדיש מישראל ואע"פ כן משתמשין בבת קול: Tradunt Rabbini nostri. *Ex quo mortui sunt Prophetæ posteriores, recessit Spiritus S. à Judæis; adhuc tamen cœlesti voce fruebantur.* Atque hæc traditio desumpta est ex Massechet Sanhedrin. c. 1. in Edit. Cocceji p. 156. ubi eadem verba habentur: Conf. hac de re Fagius ad cap. 6. Pirke Aboth. p. 132. Hotting. Thesaur. Philol. part. 2. c. 1. p. 518. Cregutus in Revelat. Arcan. c. 24. p. 824. Kipping. in Exercit. S. p. 107. Quid vero fuerit istud Oraculi genus, de eo inter se non consentiunt eruditi: Sunt qui diserte negant, tale unquam exstitisse: ita Reiner. Vogelsang. Exerc. Theol. p. 46. & P. Molinæus in Vate. lib. 1. c. 26. Alii dicunt, fuisse gradum quendam prophetiæ inferiorem Spiritu S. vide Autor lib. Cosri. part. 3. p. 170. Edit. Buxtorf. Hotting. loc. cit. Cregutus loc. cit. Sunt qui vocem articulatam & distinctam fuisse asserunt; ita Tremellius in Notis ad Act. Apostol. c. 12: vs. 22. Sunt denique, iique quam plurimi, qui vocem quandam è medio vocis cœlestis instar Echus egredientem fuisse asserunt. Ita dicitur in Tosiptha Sanhedrin cap. 1. Edit. Cocceji pag. 158. Nec non in En Israël apud Josephum de Voisin in observat. ad Prooem. Pug. Fidei Reimund. p. 161. Idem statuunt Drusius lib. 1. Præterit. p. 6. & in Annotat. ad N. Test. pag. 8. Buxtorf. in Lexic. Chaldaic. Talmud. Rabbin. in voce ברת. Dilherr. in Eclogis Sacr. N. Test. Syriacis. pag. 48. Castellus in Lexic. Heptaglott. p. 378. Hotting. Thesaur. Phil. lib. 2. sect. 4. pag. 515. Coccejus in Sanhedrin loc. cit. Leusdenius in Not. ad Pirke Aboth. aliique: Verum, quanquam inficiari non possumus vocem de cœlo editam fuisse, de eo enim dubitare nos non sinunt evidentissima Scripturæ S. testimonia, interim tamen cum hæc res sit adeo ambigua, ut merito referri inter ea debeat, quæ Eliam soluturum Judæi asserant, nos tutissimum putamus insistere vestigiis summi illius, & in his literis eruditissimi Viri Ligtfooti, cujus in Hor. Hebr. & Talmud. ad Matth. 3: 17. p. m. 241. hæc sunt verba: *Si eloqui liceat, quod sentiam, historias istas innumeras de Bath Kol, quæ ubique occursant, ego sub his duobus capitibus reduxerim, nempe, quod plurimæ sint meræ fabulæ ad hoc inventæ, ut hinc dignitas hujus vel illius Rabbini aut Historiæ illustretur, reliquæ meræ delusiones Magicæ & Diabolicæ.* Hæc ille: Plura de Bath Kol, qui scire desiderat, adeat præter Autores citatos Heinsium in Exercit. S. ad N. Test. p. 266. & in Aristarch. S. p. 830. ut & Vorstium de Hebraismis N. T. part. 1. c. 13. p. 335. Nobis ulterius progredi non licet.

XIII. Atque hæc sunt, quæ de egregia hac de *Urim & Tummim* Materia pro ratione ingenii nostri afferre voluimus. Si autem benivoli Lectoris desiderio non ubique satisfecerimus, in memoriam sibi revocet, rogamus, Magnum illum & felicissimum olim Scripturæ interpretem Sixtinum Amamam conquestum esse l. 1. Antibarb. Biblic. c. 14. p. 161. multa sibi in explicanda Scriptura S. adhuc subsidia deesse, nobis igitur facile condonatum iri speramus. Plura non addimus; possemus quidem de causa agere, cur scil. Deus populo suo extraordinarium hunc & singularem se in rebus dubiis consulendi modum dare voluerit: Verum hæc alieni sunt fori, nec nostri etiam instituti. Ne itaque extra septa egressi falcem in alienam messem immittamus, aut parum reverenter abdita scrutemur, hic desinimus, aliis eruditione nobis multo majoribus non spicilegium aliquod, sed messem eandemque uberrimam demetendam relicturi.

יהי שם



מבורך לעולם ועד:

CASP. DORNAVII
MATHUSALAH VIVAX,
SIVE
DISSERTATIO
De Causis Longævitatis Patriarcharum.



I quis est ex literario hoc ordine: qui pro re nova & insolenti habendum existimet; quod nonnulli (a) hac tempestate mundi longitudinem vitæ pollicentur; quæ seculo diutius perennet: eum ego, ne errorem combibat, sibi imponat; veterum annales recludere, tempus consulere, hominum variorum varia dicta, facta examinare pervelim. Ipsa enim Antiquitas, magistra experientiæ, sapientiæ nutrix, pro me testimonium deponet, omni exceptione majus; extitisse nullo non ævi articulo; qui scientiam jactarint, non modo sistendi annorum fluxus decursusque; sed ipsam canitiem eo usque remorandi & senectutem, ut prope immortalitas consequatur. Fuit ex eorum numero apud Ægyptios Philosophus, an Sophista, an Magus: qui frontem commasculans, sine rubore, palam & verbis docebat, & commentario in vulgus edito, propugnabat acerrime; protrahi ad perpetuitatem posse vitæ tempus, quod breve quibusdam accidat. (b) Opinatio vero hominis ista, etsi cum applausu aliquo primitus aque nonnullis excepta; paulo post tamen, absurditate sua evilescens, explosa fuit: neque id injuria. Tum enim barbarus ille nugator verius, quam sapiens, artem suam reddidisset probabilem: (c) si fieri posse ostendisset, ut totidem æquis viribus elementa homini infererentur, pro deperditis; pro humiditate primigenia maxime, quam calor, nullas admittens ferias, subinde, quasi in lampade ignis oleum, depascitur. Atqui hoc fieri neque per naturam potest; neque per ipsum Naturæ parentem Deum: qui malitiam humani generis condigna ulturus pœna, morte illud multavit & tantulo spatio; quo

Majores in luce moras producere nemo
Bis septem quam lustra, potest: (d) *hic terminus ævi*
Humani est, annisque viget qui pluribus addit
Lustra duo; sed plena malis, sed plena laborum:
Sic perit, & rapidis ætas prætervolat alis.

Mirari autem subeat, fortean rimari item allubescat: quid sit; quod recentis mundi incolæ magna felicitatis parte nos superarint; quia diuturnitate plurimorum annorum paucos nostros annos excesserunt. Hanc rem si vos, pro acumine ingeniorum vestrorum, dignam existimatis altiori indagine; &, quod ego domi deliberatum, in medium hoc agmen attuli, argumentum esse vultis; quo se oblectent cogitationes nostræ tantisper; agite, voce me præeuntem ne dedignemini attentione sequi. Dicam quibus adjuti adminiculis primi orbis terrarum habitatores vitam prope mille annis æquaverint. Atqui dicam sine cujusquam præjudicio; non quasi ad Rhadamanti severum tribunal; neque pro Stoico aliquo supercilio: sed in liberrima hominum corona, quæ causas etiam, rationesque probabiles minime repudiat. Quod ut à vobis impetrem; benevolentiam vestram appello; quæ, probata pluries ex hoc loco, omnem mihi eximit dubitationem, qua prius conflictabar; quam hunc locum, ad dicendum ornatissimum, conscenderem. Ac mihi quidem in præliminari hac Orationis parte Ductores militum sunt imitandi: qui, munitum arte aut natura locum expugnaturi, non recto impetu pergunt: (e) sed proexcubitores prius & stationarios vigiles è medio tollunt; cæteraque impedimenta amoliuntur. Nos, ne, causæ arcem conscensuri, in medio cursu frangamur, id dabimus operam; ut, quæ obsistere nobis videantur, repellantur citius, quam objici queant. Inventum namque est quoddam hominum genus, in vario isto omnium de omnibus rebus conflictu sententiarum: quod Patriarchas illos minime existimat esse admirabiles; quia diu vixerunt: sed nimirum prudentiam nostram requirunt, & annorum prisci seculi distinctionem. Neque enim illo pervetusto ævo, inquiunt, annum consuevisse numerari à solis circuitu; quem ille per duodecim signa diebus sex & sexaginta ultra trecentos conficit; sed &

— *tempora dividit anni:*

verum ab eo spatio, quo Luna orbem signiferum, hoc est, paulo minus triginta diebus, mensurat: eaque animi mente accipiendum; quod Ægyptii Astrologiam, ne contaminaretur vano judicio vulgi, quadraginta millia annorum occultasse perhibentur. Quæ opinio si existimetur albo calculo comprobanda; quid non absurdi excitabit? quam non inferet vim veritati? Fuerint sane ita animati Ægyptii: tueatur partes illorum doctissimus Romanorum M. Varro. Nos ipsa ratio sustinebit: quæ ubi in promptu fuerit; juxta & appareat: potius, quid dicatur, videndum; quam quis dixerit. Illud enim tenetur; si pro annis, nostro seculo receptis, sacræ Antiquitati adfingentur anni Ægyptii, qui Lunæ senio terminentur, hoc est, menses tantum, oppido consequi necessum fore; nostros homines perinde longævos esse, immo vivaciores iis, quos ipsa mundi infantia fuisse didicimus. (g) Qui hoc intelligi potest? Dicam enim vero: ne error unus, ad animum admissus, pariat infinitos. Exploratæ nempe est fidei: in quavis, etiam rustica gente, offerre se nobis haud unos; qui centesimum annum ætatis quandoque excesserint. Liceat ergo jam percontari, ecquid mille trecentisque annis vixerint? Ita quidem condecet, si annum metiemur ab una

(a) *Fam. F.V.C. Cardan. lib. 2. subtil.* (b) *Galen. lib. 1. & 6. de salubr.* (c) *Galen. libel. de marasm.* (d) *Ps. 90. vers. 9.*

(e) *Onosand. in Strateg.* (f) *Lucan. lib. 10.* (g) *Lactant. lib. 2. Instit. & lib. 7. Plin. lib. 7. cap. 48. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. Xenoph. in æquiv. Censorin. de Natal. cap. 14.*

una conjunctione Lunæ, Solisque ad alteram. At mille ac trecentos annos nullus Patrum adsecutus dicitur: infra millesimum substiterunt ad unum omnes: forte mysterii documento; (h) ut quantocunque tempore illi vixerint; eorum tamen vel longissima vita ne unius quidem diei rationem implevisse crederetur: si cum divina æternitate mille anni comparentur. Excutiamus rem plenius; ne forte quid obvolutum tenebris videatur. Nam & hoc plenum est inconditæ atque monstrosæ ineptiæ; dicam verius, absonum est, ridiculum est, extitisse olim seculum, quo homines, solemni atque communi Naturæ ordine, partim nono, partim etiam sexto ætatis anno sobolem excitarint. Non male pono calculum, Auditores: vestra mihi Censura erit pro Cebetis tabula. Quid enim? Primus, fideque dignissimus Historicus Moyses in sacro suo Pentateucho memoriæ prodidit; pium Adami filium Sethum, cum quinque & centum esset annorum, genuisse Enochum. (i) Computet, qui velit; si nequit cogitatione, vel ad ipsos digitorum articulos, & fateatur, velit, nolit, Sethum nono vitæ anno Solari Patrem fuisse salutatum. At evidentius rem eandem explicat Kenan: cui septuagenario nascitur filius Mahalael. (k) Jam prospicitis animo prius, quid inferre velim, quam verbum ullum expromam. Nimirum sexennis erat, & trimestris circiter Kenan, nostris quidem intervallis temporum; si tum Lunares annos computatos fuisse dicimus. Quod si omnino numerum ita inire libet; an ergo mirum videatur Xenophonti, regem maritimum sexcentos annos vixisse? qui ad Solis annos computati vix quinquaginta efficiunt? cum ipse Xenophon nonaginta superarit. Aut quorsum singulare quid arbitrabimur, Joannem, qui de Temporibus est appellatus, annos trecentos implesse? Tarthesiorum regem Argantonium quinquaginta ultra centum? (l) Tyniram apud Cyprios item Regem centum sexaginta? Demus porro, in Primævorum Patrum familiis aliquem extitisse, (quod fieri facile potuit, an contigit) qui trigesimo ætatis anno prolem sustulerit: quid inde emerget, non dicam ab animis alienum, sed ab auribus absonum? Bimos ac trimos genuisse: puerum, pueri; infantem, infantis patrem extitisse. Quod quantopere Philosophi barbam & pallium dedeceat, (m) vos ipsi videtis ridetisque. Tu vero, Dive Hieronyme, nisi Gregorium dicere quis malit, frustra es; certe nihil novi, aut admirabile adfers, qui puerum decennem ex fide adseris, nutricem suam oppressisse ebriam, secundoque mense à primo congressu gravidam effecisse. (n). Vulgaria sunt, quæ Craterus, Antigoni Regis frater, commemorat: visum sibi, qui spatio septenni & puer fuerit, & adolescens, & vir, & senex, & maritus, & progenerata prole, mortuus. Nihil erat, quod acutissimus Joubertus literis prodidit: puellam nono ætatis anno, & peperisse, & superstitem diu vixisse (o): si ad hos absurditatum scopulos dictionis suæ rationisque navem allidere quis velit. Quos dum conantur evitare alii: ne forte naufragium existimationis suæ faciant, ad alia se convertunt nugamenta. Illi sunt, qui persuadere nobis conantur: primævos annos minime duodecim, ac ne decem quidem; trium duntaxat mensium extitisse. Vultis momenta rationum, quæ obvertant nobis fabri hujus opinationes? Auctoritate se defensant, ficulneo fulcro: & quasi scutum aliquod Gorgonis objiciunt nobis Heliconiensem nescio quem, & Plinium Arcades exagitantem, atque eorum stuporem, qui trimestre temporis spatium pro Solari anno reputabant. (p) Quæ cum illi sine ratione, verbis tantum adstruere nituntur: nobis ea destruere vicissim verbis erit integrum. Atqui aliud causæ nostræ substernemus firmamentum, quod ex sacrarum literarum viridario depromere licet: quas quia ignorarunt plurimi, aut ingeniorum corruptelis submiserunt: quid mirum versari eos perinde solitos in inscitia, atque cæci palpare in tenebris solent? Nohæ illa tutelaris arca vehiculum universi generis hominum, cum detumescentibus aquis, in Armeniæ monte obhæreret: quotus tum mensis agebatur? Verissimus est Spiritus Sanctus Auctor, qui septimum nominat. (q) Septimum vero? Jam itaque Sole meridiano clarius extat testimonium: non trimestrem, sed prolixiori mensium numero fuisse annum. (r). Ac dum porro deficerent ultrices undæ; ut vertices montium emergerent decimo mense (decimum notare ex divinitus inspirata veritate decet) quis erit tam excors, aut motæ mentis; ut trium mensium acceptare annos, seipsum fallere sciens velit? Neque istud effugium quidquam conferet patrocinii in causa deplorata: si qui regerere conentur: annos equidem mensium decursu fuisse dimensos: sed mensem non nisi triduanum; non dierum novem & viginti, fuisse habitum. Putidum est, Auditores, obluctari temere. Nam & decimus septimus dies nominatur septimi mensis; (s) quo primam pausam fecit arca Noëtica: & secundo mense, post exactum unum & sexcentesimum annum, exprimitur totidem literis dies septimus & vicesimus: (t) cum terra omnis exaruerat. Videte quid de mensibus trium dierum existimare debeatis: quamque prave cohæreat partibus suis falsimonia. Nunc postquam incisi sunt eorum nervi: qui se patronos dabant absurdæ sententiæ: ad ea festinat Oratio; quibus planum fiat, quæ præsidia habuerint primævi Patres vitæ diuturnioris. Ea dum strictim attingo, & quasi ad extrema fastigia intendens digitum, habeo sane, quæ non nisi cœlitus data nominem, quæ longo post tractu sequuntur alia, in hoc Naturæ campo constituta obvia. Quod enim primum, quod summum atque ultimum est, novimus omnes, qui Deum novimus, sive ex Scripturæ, sive Naturæ libro: Rectorem illum universi, postquam

——cœlo terras, & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cælum. (u)

non è cœlo speculari, quæ subtus fiunt, otiosum aut inertem; sed veluti clavum tenere, omnes rerum actiones atque eventus moderari. (x) Hac procuratione sua sapientissima, quæ & benignissima est administratio, sanxit in primigenio mundo; ut cives illi recens exstructi orbis terrarum vitam in plures annos producerent. Huic sanctioni divinæ & actuosæ sollicitudini longitudinem dierum jure meritoque imputabant. Scientissimus vero rerum omnium Deus, gloriam agi suam prospiciebat, & salutem nostram, terminum vitæ hominum longissime tum prorogari. Volebat enim ut haberet plurimos Spectatores Admiratoresque majestatis suæ: volebat Ecclesiam sibi colligi; volebat Respub. constitui; volebat dispensari familias; collegia sanciri ex hominum frequentia multo maxima. Quo enim pertinuisset tam speciosum spatiosumque mundi theatrum; si cultores defuissent & incolæ? At cætus hominum augeri potuissent minime: quin expirasset, opinor, primo prope seculo universum genus hominum: si vivere tantum ad decem aut duodecim lustra contigisset. Pertinebat porro ad commoda nostra non minus etque ad ornamenta: intellectum, qui est portio quasi quædam divinæ substantiæ, ita expoliri; ut perfectionem ad quam conditus erat, nobisque infusus, consequeretur, quantum posset. (y) Poterat autem non alio adminiculo aut beneficio; nisi artium atque scientiarum: tum earum, quæ liberales dicuntur & ingenuæ: tum quæ manibus exercentur, & ad opificum officinas delegatæ sunt: omnes suo loco & pretio æstimandæ. Ecquis vero ita est derelictus ab omni judicio? ut existimet; pauci temporis impendio tot artes inveniri potuisse, excoli, propagari: quoniam

Omnia tempus alit, tempus rapit, usus in arcto est. (z)

Apparet res sane luculenter in nobis ipsis: qui diutissime desudare in iis artibus necesse habemus: quas non invenimus, quod est maxime arduum; sed accepimus inventas, quod est facilioris operæ. Ac in iis quidem artibus, quæ cœli motus designant juxta & terræ positus metiuntur, qui minus sexcentis annis insumpsissent (si quo in pretio nobis est Josephi auctoritas (a)) operam oleumque perdidissent: cùm tot annorum decursu, annus ille magnus, illaque universalis ac solemnis cœli circumvolutio conficiatur. Quidquid statuamus de hoc judicio: tempus profecto, ut Philosophorum princeps ait (b), Iuventor est disciplinarum: quo destituti ac prave malitioseque utentes; quid mirum est, ingeniorum nos monstra producere, turbareque adeo omnem partem humanæ societatis? Nolim equidem percensere, ne persona detracta

(h) *Psalm.* 89. *Iren. l.* 5. *advers. Haret. Cic.* 1. *quæst. Tusc.* (i) *Gen.* 5. *vers.* 6. (k) *Ibid. vers.* 12. (l) *Anacr. poët. Theopomp.* (m) *Cal. Rhod. antiq. lect. l.* 14. *c.* 8. (n) *Phlegon de mirab.* (o) *Ambros. Pareus de renunciat.* (p) *Petr. Mess. var. lect. lib.* 1. *c.* 2. *Plin. lib.* 7. *c.* 48. *Joseph. lib.* 1. *antiq. August. lib.* 1. & 15. *de Civ. Dei.* (q) *Genes.* 8. *v.* 4. (r) *Ibid. v.* 5.

(s) *Ibid. vers.* 4. (t) *Ibid. vers.* 14. (u) *Ovid. Met.* 1. (x) *Job.* 5. *vers.* 17. *Hebr.* 1. *vers.* 3. (y) *Rom.* 2. *vers.* 14. (z) *Olymp. Nemos.* (a) *Joseph. lib.* 1. *antiquit. Macrob. super somnium Scip.* (b) *Aristot. in Rhet.*

ĉta in ſcænam producere videat eos, qui unum alterumve annum in Scholæ umbra, aut ſub cælo alieno commorati, annis ſæpe & moribus, & eruditione juvenculi; continuo ſe pro Chryſoſtomis, Tertullianis, Auguſtinis; pro Papinianis, Scævolis, Ulpianis; pro Hippocratis, Galeni, Dioſcoridis Magiſtris; pro Ariſtotelis, Platonis, ipſius denique Socratis, qui de cælo Philoſophiam detuliſſe dicitur, Commilitonibus haberi cupiunt. Hæc prima peſtis origo eſt, quæ univerſum mundum inſcitia replet: ex inſcitia ſuperbia oritur: ſuperbiæ, ruina proxima eſt. Non ita ſeſe componebant; qui bonis artibus operabantur in prima mundi ætate: plures quippe annos, quam nos hebdomadas, aut dies impendebant ſtudiis, in quocunque vitæ genere: ac ſane beneficio divinitus conceſſæ longævitatis poterant. Conferebat quoque & ad diu vivendum, & bene valendum, (vivere enim valere eſt) bonitas temperamenti. Equidem nos ipſi, qui ad hæc reſervati ſumus tempora, ea gaudemus conſtitutione corporis, quæ præ cæteris animantibus ad mediocritatem ſit redacta: ab exceſſu primarum qualitatum remota longius. Qui vero primo mundo erant proximi, conſtitutione erant noſtra præſtantiori: non vaſta quidem corporis mole, ac proceritate; quaſi Adamus gigantum maximus Hebrone ſepultus, is fuerit, qui primus generi noſtro nomen fecerit: & non potius ſanĉtæ linguæ error Latino interpreti, quod ſæpe contingit, impoſuerit. (c) Neque enim Adamo nomen fuit Henakæo illi; ſed Arbaho: neque, ſi Adamus diĉtus, communi appellatione hominis, quæ non ſemper propria individui; ideo Maximus: quia immani corporis proceritate fuit. (d) Qui ergo? vel nominis celebritate talis tantuſque æſtimatur, & rerum geſtarum gloria: vel dominatus amplitudine, potentia, majeſtate, diuturnitate: vel denique quod cognominis ſuæ urbis conditor, gentis Hanakææ pater Patronuſque fuerit. Quanquam, de ſtatura primævorum differentes non inferemus, opinor, vim veritati; ſi cum pio Hezra conqueremur modeſte coram Deo: (e) Quare ii, quos nunc paris, non ſunt pares prioribus; ſed minores ſtatura: & qui poſt venturi ſunt, minores fore nobis: quaſi jam ſeneſcentibus creaturis, & robur juventutis prætereuntibus? Ac ſane niſi cum mundo in ſenium properante, corpora ſubinde minuerentur: unde foret, ut veterum grandia ponderoſaque arma à noſtri ævi hominibus traĉtari non poſſent? qui fit, quod cochlearum antiquarum gradus nemo facile noſtrum ſuperat? Cur vix ullus reperitur, qui pyramidis Ægyptiacæ ejus, quæ maxima eſt, gradus queat adſcendere? Fateamur itaque in argumento innoxio: proceriores fuiſſe primi mundi hoſpites, quam noſtri: ſed Gigantæa quadam ac monſtroſa corporis mole, niſi raro quandoque exorbitantis Naturæ exemplo, minime extitiſſe. (f) Neque illa magnitudo, ad temperamenti bonitatem pertinebat. Alia erat craſis bonæ notæ, in mediocritate elementorum, & exaĉta æqualitate extremorum permiſtis que paribus viribus temperata: inque ſubſtantia univerſa vere ac prorſus pondereque medium habebatur. Hoc numeris omnibus & partibus abſoluto, integre & Naturæ ſuæ congruo modo ſe gerebant: hoc cunĉtis muniis, ad quæ ferebantur per indolem ſuam, incorrupte fungebantur. Quidni enim præſtare potuiſſent? Parentibus ſuis jure debebant, quod vivaces eſſent. Gratulamur nos Reipub. languenti ævo: cum id datur opera; ut

fortes creentur fortibus. (g)

Quod ſolemne fuit priſcis Germanis; apud quos nemo uxorem ducere auſus; niſi prius hoſtis amputatum caput ad Regem pertuliſſet: ſeque adeo vigere nervis ac viribus docuiſſet: (h) unde in ſpem patriæ robuſtos cives, non exſuccos homulos excitare valeat. Quanto præſtantior fuit conditio primigeniorum, quibus Pater contigit; qualis quantuſque? talis, cujus potentiam verbis adſequi non poſſum: tantus, ut impius foret, quiſquis robur ejus, quod eſt infinitum, concipere animo ſe poſſe, ſpe ulla præſumat. Procul ergo abſit, ut dubitemus, temperamento corporis uſos fuiſſe validiſſimo, qui tam potentem Conditorem naĉti erant. Neque enim hoc telo expugnabitur ſententia noſtra: quaſi attritum fuerit corporis robur, ſimulatque diſceſſionem protoplaſtæ à Deo fecerant. Injurium foret hoc diĉterium in mundum ipſum, qui non ſtatim extremæ corruptelæ obnoxius reddebatur. Temporis ſucceſſu longiori inducitur languor, ſenſimque ſine ſenſu deliquia virium oboriuntur. Atqui Deus ita conſuevit alioqui, ut, generi hominum immiſſurus clades, lento & quaſi laneo pede ad ſupplicia pergat: longum temporis ſpacium relinquat pœnitentiæ. Quam nunc expromam rationem, ut oſtendam temperamenti bonitatem benigna univerſi temperie adjutam fuiſſe. Nam illud quidem infitebitur nemo, qui ſanum ſynciput habeat: cæli faciem omnem, quæ cum corpore noſtro ad ſalutem oportet conſpiret, illuxiſſe primo mundo benignam, radios caloremque ſparſiſſe Solem abſque ullo inquinamento, nullis, aut plane raris maculatum tenebris: quales poſtremo ſeculo mortalibus viſum ſæpe, ſæpiſſime ſanitatem vitamque intercipiunt:

Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit. (i)

Luna gratioſum rebus cunĉtis inſtillabat humorem & incrementum, quæ nobis varia, turbida, quandoque noĉtis colore, aut ſanguine tinĉta, ominoſa apparet. Porro non inſidiabatur nobis

—— vaſto corpore Tellus,
Quæ medium tenet ima polum, dum lumina Fratris
Detinet umbriferis metis: ut ſidere caſſo
Palleſcat teres umbra rotæ. (k)

Cæteri Planetæ ſtellæque inerrantes, ut cœli erant illuſtres gemmæ atque ornamenta; ita ſalutari tum adſpeĉtu reficiebant ſublunaria corpora: unde ſupera cum inferis, non dico Platonis aurea catena connexa, ſed divina quaſi amicitia conſpirabant: quæ noſtra tempeſtate tot infauſtis ſiderum congreſſibus ab ſe vehementer diſſident. Quem cœli indignantis, ut ſic loquar, vultum, qui caperata fronte ſuſtinet, aut adſpicit unquam ſiccis oculis, ſine metu, aut motu, naviter impium eſſe oportet, ſalutis ſuæ prodigum, ipſo adeo Pericle nequiorem. (l) Conſtantiam quippe ſimulaſſe creditur; non contempſiſſe aſtrorum minas: cum in ecclipſi Solis, ipſa meridie denſiſſimas tenebras inducente, chlamydem prætendit oculis navarchi, & recuſantem navigare territumque, pergere juſſit: nihil Soli accidere aut naturæ mali; etiam ſi oculis pauliſper lumen adimatur: nec oculos obtentu pallii lædi poſſe. Porro in ætheris regione, quot halitus è terræ gremio ſublati flammam concipiunt, ardentque diro præſagio, reſolutæ in fumum peſtilenti ſua malitia ſpiritus noſtros inficiunt? adeo experimentis ab omni ævo conſtat,

Nunquam cælo ſpeĉtatum impune Cometen. (m)

Quoties terra intimis viſceribus tremit ſolviturque ſuis compagibus, ut ſæva mephitis evaporet, aërem vitians, non minus univerſum, quam in Seleucia factum, (n) ubi Antonini milites, familiari huic genti, cupiditate auri, cum extraĉtam è ſpecu aperuiſſent arculam, tam putris inde exhalavit aura, quæ non illam modo regionem infecit; ſed ventorum impulſu Græciam, totiuſque orbis delitium, Italiam. Ab his periculis, hac miſerabili ſorte immunes erant primi homines. Qui hoc doceri poteſt? (o) Tota natura erat recens, non abſumpta; erat maximam partem integra, non, ut nobis, fraĉta; erat florida vernanti ſua juventute, non ſenio correpta, aut effœta viribus. Videor ſane illud non inepte diĉturus: quemadmodum aquæ puriores ſunt ac ſalubriores, quo viciniores rivi fonteſque fuerint origini ſuæ; & ipſe calor nativus, in quo vita conſiſtit, præſtantior eſt; quo propiores ab ortu abſumus: non alio modo Naturæ lætiſſimus latiſſimuſque campus, tum fuit perfeĉtiſſimus; cum primæ creationi fuit proximus. Ac de hauſtu inſpirati aëris dum diſſero, illud quoque auſim proferre, judicio veſtro, Auditores, comprobandum, & æquanimitate, haud exiguum fuiſſe adminiculum diutiſſime vivendi, natale ſolum, quod Adamus habitavit cum proximis ſuis poſteris. (p) Non multa proloquar de Para-

(c) *Ioſ.* 14: *verſ.* 15. *Hieron. cap.* 27. *Matth. Rupert. lib.* 3. *in Geneſ. cap.* 31. *Ioan. Lucid. lib.* 1. *de em. temp. cap.* 4. *Verſio* 70. *Interpr.* (d) *Perer. l.* 4. *in Geneſ. cap.* 57. (e) *Hezr. l.* 4. *cap.* 5. *verſ.* 52. (f) *Lucret. l.* 2. *Homer. Il.* v. *Plin. l.* 7. *cap.* 17. *Agell. lib.* 3. *cap.* 13. *Cæl. Rhod. antiqu. leĉt. lib.* 2. *cap.* 6. *Pauſan. in Attic. Herod. l.* 1. *Philoſtr. l.* 5. *Plin. lib.* 7. *cap.* 16. & 20. *Solin. cap.* 5. *Pol. Inſt. cap.* 14. *Auguſt. lib.* 9. *de Civ. Dei cap.* 15. *Hippocr. de aer. aqu. & loc.* (g) *Hor. in Od.* (h) *Strab. l.* 15.

(i) *Virg.* 1. *Geor.* (k) *Lucan. l.* 6. (l) *Plut. in vita.* (m) *Lucan.* (n) *Plutarch.* (o) *Petr. Meſſ. l.* 1. *var. leĉt. c.* 2. (p) *Baſil. in orat. de Parad. Auguſt. ad Oroſ. Magiſt. ſent. l.* 2. *diſt.* 17.

Paradiso, quem nec maceria quadam igneæ Zonæ ab orbe habitabili separo: nec Oceano à circumnavigato mundo disjunctam ajo: nec ita in altum volo elevatum, ut fastigio suo orbem Lunæ contingat. In terræ quippe parte ut locus ei assignari potest vere; ita nemo dubitat, clementiam aëris inibi fuisse incomparabilem. De cætero istud tenendum, primum par hominum, culpa sua ab hac amœnissima sede exactum, rerum suarum domicilia è regione, certe non procul ab eodem horto Edenis collocasse: ubi ipsa vicinia multum de salutari aëris qualitate retinuit. (g) Quid? ne illud quidem negare fas est, quod nostri seculi hominumque fide constat: si in Mesopotamia, aut Babylonia olim & parte ejus Auranitide prope agrum Apamiensem Paradisus fuit, fortean aquis diluvii immersus, nunc abolitus: (h) non potuisse non habitatores ejus regionis esse vivaces. Mire enim temperatus illic & mitis aër, ubi

—— *Eoi pars formosissima mundi*; (i)

cælumque aureum nitidissima puritate conspicuum, amabilem loci genium exhilarabat, sordibus non fœdabat in corde Spiritus, quos Sol exoriens subinde purgabat. (k) Cumque in ea Orientis parte, quam Scriptura sacra ita nominat, primus & perfectissimus cœli motus suam capiat incitationem, inter vapores fragrantissimos, leniter Favonio perflante, æstus non solvebat cutaneos poros, frigus torporem inducere nequibat, aut insidiari calori nativo. Quod si longius omnino à Paradiso habitarunt nepotes Adami & Evæ: si ad ipsam usque Palæstinam demigrarunt; in cujus monte Calvariæ funeratum Adamum censent Ecclesiæ doctores multi magnique: (l) illic quoque prærogativa Naturæ gavisi sunt plurima. Quippe commendatissima item est, tum cœli ejus suavissima æquabilitas: tum claritas aëris & sinceritas, in qua vicissitudines annorum nihil inimicum humanæ saluti adferunt. Quæ omnia quantum valeant ad longam vitam, quotidie experimento suo norunt Taprobanam insulam colentes sub æquinoctiali ad ortum, cœlo benigno sitam: quibus vita ad tricesimum supra centesimum durare annum dicitur, sine morborum insultu: quippe Naturæ lege mori, hoc est, senii marcore; exhausto sensim calido humidoque, ut in lampade oleo. (m) Quid de homine illo dicendum? qui à Lusitanis novum orbem petentibus, apud urbem Dium inventus, annos trecentos triginta quinque natus, cui aliquoties laxatis absumptisve gingivarum alveolis, dentes deciderant; aliis confestim in locum deperditorum subnascentibus: cujus barba canis referta planeque candida, quasi reflorescente juventute, nigredinem pristinam paulatim acquisiverat. Verum hæc inter prodigia forte referre præstat, & opera Naturæ insolentia: quæ cum ordinariis ejus & solennibus confundere minime decet. Quanquam, si veri aliquid subest narrantium auctoritati: aut si, extra fidei Christianæ partes, modestæ conjecturæ locus est relictus liberali homini: equidem imputem vivacitatis hujus causam potissimam aëris conditioni longe optimi. Sunt omnino & corpora, &, cum poëta loquar,

—— *mentes hominum; quali Pater ipse*
Jupiter auctifera lustravit lampade terram. (n)

Consideremus quoque, Auditores, quæ ante pedes nostros sita sunt: terram dico, communem Matrem, & ceu promptuarium earum rerum, quas esui & cuicunque usui aptare cupiamus. Erat illa in florenti ætate mundi, non feracissima tantum ubertate plantarum amœnissimarum; sed alimenta quoque de se promebat, nunquam satis laudata, nostris bonitate longe superiora: Credite, me vobis folium recitare Sibyllæ. Post universalem enim totius mundi eluvionem, universale quoque vitium terræ saluberrimæ illatum fuit. Cogitate cum animis vestris, si allubescit, immensum illum undarum confluxum:

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto: (o)

(g) *Collegium Conimbr. Mercat. in Atlante.* (h) *Basil. in ora. de Parad.* (i) *Dracont. hex.* (k) *Damasc. l.* 2. *de fid. Orth. cap.* 11. *Isidor. lib.* 14. *Etym. cap.* 3. (l) *Cypr. in ser. de resurrect. Christi. Epiph. lib.* 2. *contra Hær. c. ult. August. super immol. Isaac. Solin. in memorab. Ortel. in Theatr.* (m) *Maffei Hist. Ind. l.* 2. *Colleg. Conimbr.* (n) *Lucret.* (o) *Ovid.* 1. *Metam.*

in quo, licet cœlestibus pluviis, & reseratis undiquaque scatebris fontium ac fluminum, aquæ dulces congregatæ fuerint: inundatio tamen maris salsi salsedine sua omnem aliarum dulcedinem corrupit. Quantillum enim salis requiritur: unde magnam copiam liquoris dulcissimi inficias? Ergo illa colluvies salsuginosa, postquam non superficiei tantum Telluris obhæsit diutissime; sed penetravit se, & intra profundiores insinuavit cavernas; quantum attulisse putabimus detrimentum rebus humanis? Radices fibrasque arborum, fruticum, herbarum erosit acrimonia salsa: ipsum vero terræ succum, quo novæ plantæ gauderent, nasciturae in solatium humani generis, tam inutili perfudit limo, qualitate imbuit tam prava, ut radii Solis, etsi non maligni, contumacem terræ corruptelam mitigare atque corrigere postea non potuerint. Tanta est salsæ aquæ ad proventum rerum inutilium propensio, ut, qui procul degimus à maritimis locis, conqueri non debeamus; quasi habitatione infeliciore damnati simus. Sentiunt sua commoda regiones ad mare sitæ; sua quoque vicissim incommoda sentiunt; ubi aquæ, suis erumpentes alveis, terras inundant, pessundant, sæpe totas absorbent. Ac mihi quidem Abimelechus, sive ingenio ac liberalibus studiis, sive temporum adsuetudine didicerat, accurate salis naturam videtur indagasse: prout ab ipso Spiritu S. res literis memoriæque prodita fuit. (p) Abimelechus, inquam, quid sibi voluit? quis illi animus? quid molitur; cum Sichemitarum urbem expugnavit; solo æquavit? cur sale consevit solum? Non equidem, ut victorem se declararet tantum; qui ritus inoleverat priscis: (q) sed ut solum ipsum Sichemiticæ gentis, eroso utili succo, si quis superstes foret, depravatum sterilesceret: ne quis ex posteris illic sationem facere posset, aut conquirere alimoniam. (r) Tempestivum quoque erit, continuo sermonis filo attexere: qua cibi fuerint potusque ratione usi, qui longævi exstiterunt. In quo valde metuo, ne, ut illi temperantia sua prorogarunt mortalitatem, ita nos extremum diem ante diem accersere videamur, & præcipitare nulla victus mediocritate, quæ in cunctis rebus utramque paginam facit, observata. Testes nihil attinet producere, aut argumenta consectari. Jam diu est, ex quo postrema secula infamia laborant intemperantiæ, quæ eousque invaluit, ut pauco victitare, quod naturæ sufficit, miseriæ sit indicina & ignominiæ. Abhorrebant ab hac ingluvie vivacissimi illi Patres, quorum deliciæ erant, molestum exactorem ventrem, cibo modico satiare: potum vero combibere, pro sedanda siti sufficientem; caput tentantem minime. Quod præstitu ipsis facilius fuit: cum nulla vitis ante diluvium seri colique cœpisset, cujus fundum ac radices, etsi fabulose, ad docendum tamen aptissime, primus vinitor quatuor animalium fimo, agni, simiæ, porci, leonis stercorasse dicitur: (s) quia mores bestiarum istiusmodi vino madidi, cum corporis animique jactura, referimus. Non sufficit cibi potusque insana copia in nos ipsos debacchari: dubiæ insuper cœnæ sunt apparandæ. Pudet dicere: quid enim non comminiscitur ætas nostra in proritamentum gulæ? immanis ciborum conquiritur varietas, & pugnantium inter se qualitatem: sed & mixtura eorundem & apparatus & condimentum ad Arbitros defertur: nec pransus laute, aut cœnasse videris opipare: nisi

—— *simul assis*
Miscueris elixa, simul conchylia turdis. (t)

Quid inde redit ad corporis usum commodi? illud nimirum, ut paulo post

Dulcia se in bilem vertant, stomachoque tumultum
Lenta ferat pituita: ——

verbo dicendum, quod in re tam manifesta sufficit: singuli cibi, singuli prope morbi, & quasi nuncii mortem ipsam cito provocantes. O ergo felices, ô sapientes priscos! qui ut diu viverent, juxta & incolumes, simplici genere cibi potusque vires & naturam sustinebant. Etsi enim tantum eos glandibus vesci solitos, non dixerim: qualem cibum aureo seculo Poëtæ (u), sive Mosis lectione in fabulas versa; sive traditione Chaldæorum & Ægyptiorum docti adfingunt: illud tamen fidei est minime sublestæ: herbas in primum cibum ab hominibus fuisse adhibitas. Quippe ipsi Deo obsequendum erat; cujus au-

(p) *Judic.* 9. (q) *Venerab. Bed.* (r) *Lyran. in Com. Jud.* 9. (s) *Naucler. in Chron.* (t) *Horat. l.* 2. *Sat.* 2. (u) *Ovid. in Metamorp.* 15.

auctoritate *herbam agri comedere* jubebantur. [x] Hunc uniformem cibum, cui in recenti terra amicissima erat cum temperamento humano convenientia, ventriculus facili labore concoquebat: ex eo tanta excrementorum illuvies in corpore congerebatur minime: quanta quidem in nobis tot morborum species profert; quas nominibus sæpe suis exprimere vix & ne vix quidem possumus. Utinam vero, utinam redderetur nobis, non dico aurea, sed Patrum illa herbacea ætas, quæ

—— non polluit ora cruore.
Tunc & aves tute movere per aëra pennas;
Et lepus impavidus mediis erravit in agris:
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem
Plenaque pacis erant. [y]

Nec mihi quidem persuaderi patior: melius agi nobiscum & salubrius; posteaquam Noæ tempore, carnium esus, divina gratia & voce, indultus humano generi, non mandatus, cibus esse cœpit;

Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animans animantis, vivere leto. [z]

Quidquid enim adferas de solidiori pleniorique nutrimento, quod ex carnibus eliciunt coctione membra: quod sane infringere disputatione nostra nolumus: nemo tamen Naturæ mediocriter gnarus aut nesciet, aut diffitebitur; plus negotii carnes ob duriciem facessere calori nativo, quam herba mollis & provide selecta, & dextre apparata. Ex quo novum se nobis argumentum offert: quod producendæ vitæ plurimum fuerit auxilio. Neque enim quivis tribulus, aut Lappa, aut quocunque loco consita, sive sponte nascens herba, ita fuisset conducibilis: ut pro cibo generi humano servire potuisset: cum cicuta & aconitum & veratrum, aliæque malignæ herbæ, non minus initio mundi, in pœnam secuturi peccati, quam salutares hincinde permixtæ pullulaverint. Adfirmabo etiam hoc, quod cum vero conjunctum esse arbitror: si parandi modum coquendique ignorassent prisci terrarum incolæ: ne illas quidem usui futuras fuisse, quæ innoxiæ cætera qualitatibus suis existebant. Ex quo ita inducor, ut credam: beneficio illos instructos fuisse duplici: quorum altero discernebant herbas venenatas à salutaribus; utiles ab inutilibus; concoctu faciles ab iis, quæ subiguntur ægrius: altero concinnabant eas in cibum, qui naturæ cujuslibet videbatur aptior. Utrumque bonum Adamo referebant jure meritoque acceptum. Ejus enim, quam primum spiraculum vitæ divinitus accepit, tanta fuit in intellectu rectitudo; [a] ut non modo imposuerit aptissima nomina cunctis animalibus, quæ ad illum sive Angelorum ministerio, sive impulsu aliquo raptuque divino agebantur; [b] sed cunctarum rerum formas; non exteriores illas, quæ quasi sunt cortex aliquis sine nucleo, sed intimissimas luce mentis, sine hallucinatione, clare, facile, certe contuebatur. At amissum fuit gratiosum hoc donum superba defectione à Deo? Agnosco equidem; & cum dolore agnosco: perinde quoque nobis deperire preciosissimas animi corporisque dotes, quoties

Inquinat egregios adjuncta superbia mores. [c]

Verum ita sentiendum de Adami sapientia; ut justitiam Dei agnoscentes, misericordiæ ejus ne quid detrahamus. Obscuratus fuit, non abolitus penitus in primævis parentibus ille vigor ingenii; hebetata fuit illa vis & intelligendi & judicandi: Sed in Adamo iis adhuc numeris constans, ea acrimonia; qualis, nisi forte Salomonem excipere quis velit, post genitorum nulli contigit. [d] Nacti ergo tam Sapientem Doctorem, dicam etiam Magistrum rei & culinariæ & Medicæ; ex ore ejus hauserunt liberi & posteri: quo artificio alimentum esset quærendum & conficiendum: quibus præsidiis depellere possent sanitati obfutura. Qua in re mirum & miserum: quantopere nos cæcitate nostra peccemus, & protervia. Verum enim vero, ut traditionibus, de ore in os promebantur & instillabantur præcepta ab Adamo, & ejus sobole ad diuturnitatem vitæ: ita literis quoque scriptis posteritati consultum fuit: ne quis erroris opinione sibi persuadeat: scribendi artificium ab Abrahamo primum inventum, aut Moise, aut Phœnicibus, aut Saturno, aut Æthiopibus, aut Ægyptiis. [e] Dignum quippe memoratu, quod à longa antiquitate accepimus: nepotes Adami, ex Setho filio duabus columnis artium inventa, disciplinasque consignasse literis: quarum ex lateribus altera, ex vivo lapide altera fabrefacta fuerat: Moisi post diluvium visæ, ut tradunt: altera etiam in Syria posterorum ætate ostensa. Verum ego quadantenus digredior à circo, quo hanc excurrere orationem permisi. Ita fieri solet: feracissimus ager sæpe etiam, alienas à frugibus plantas ingenerat: & in magna rerum copia facile aliquid subnascitur dicendi: quo mens & sermo plusculum sevocetur. At diverticulum animadvertens facilius regreditur. Quod nos quidem observantes, contracto vocis compendio, extremum longævitatis Patrum elocuturi sumus adminiculum; momentis suis & valore pene primum. Illud inquam, Auditores; ne facilitate vestra audiendi abutar diutius: non erat integrum primigeniis mundi civibus, quo volebant ætatis articulo, uxores ducere: sed maturitas erat expectanda; qua, tanquam ex veris intemperie

—— transit in æstatem robustior ætas;
Fitque valens juvenis. [f]

Nolite existimare, leve esse compendium vitæ longissimæ, abstinentiam à præcoce complexu fœminæ. Unde enim apud Germanos priscos eadem juventa? [g] Unde similis proceritas? unde robora parentum liberi referebant? Unde? nisi, quod sera apud eos Venus existeret; pares, & validi miscerentur: in turpissimis vero haberetur; intra 20 annum notitiam fœminæ habuisse. [h] Noverant cordatissimi viri: optimum succum, qui vitalem facit ætatem, parcissimo cum mulieribus congressu conservati. Quorsum itaque juvenculi tempestate nostra, intempestivis nuptiis, aut alioqui voluptatum illecebris, ut passeres, aut Satyri, transeunt ad castra Veneris? Quæ ista tanta est luxuria seculi, quæ audax & licentiosa libido? ut qui vix pueritiæ annos egressi, puerilitatem nondum deposuerint, jam patres fieri gestiant; nondum satis edocti, quomodo filii esse valeant. Intemperans ista, atque libidinosa adolescentia, non modo effœtum corpus tradit senectuti: sed plerunque ante tempus deprædatur spiritale corporis nectar; calorem humidumque primigenium exhaurit; coctionem in singulis membris evertit; sensuum instrumenta convellit; corpus enervat, emollit, frangit, inersque efficit. Sapientiores certe Lacedæmonii & Ægyptii: quorum illi vigesimum quintum, hi trigesimum annum ineundi matrimonii, etiam Platonis adsensu, destinabant. [i] Solon vero, & cum eo Aristoteles, ante quintum septenarum admittebant ex maribus neminem. Quod hæ gentes sanxerunt legibus; Patres ultro faciebant, consuetudine ipsis in naturam conversa; illud abstinentia sua consecuti; ut validam prolem, in plura secula durantem, ad reparandam ruinam generis humani, dederint. Verum ego clepsydram mihi elabi patior, Auditores: nec fas esse amplius duco, sollicitare patientiam vestram & æquitatem: ne vel immemor mei ipsius factus; vel officium insuper habuisse meum dicat. Equidem tanto hilariori cum lubentia filium hoc Orationis abrumpo: quo sum certior: sententiam vos vestram à mea segregare minime. Statuitis jam nunc vitæ annos productos fuisse primo mundo: quia ad incrementum hominum, & discendam sapientiam, divinæ providentiæ, cujus decretoria est certitudo, à qua dependet mors vitaque nostra, collibuerat. Tenetis: bonitatem temperamenti, statum cœli placidum, aëris tranquillam puritatem, Soli natalis clementiam, salubritatem frugum, abstinentiam ab ingluvie, & cibi inordinata varietate, protoplastarum doctrinam, parcum denique & tardum Veneris usum effecisse: unde paulo infra mille annos vivere parentes desierint vetustissimi. A qua felicitate etsi nos distamus intervallo sane quam longissimo: natura partim alterata multimodis: partim voluntate nostra à continentia veterum aversa: erit tamen Paradisus olim: quo quasi postliminio restituti, sine dolore, sine morbo,

[x] *Genes.* 3: *vers.* 18. [y] *Ovid.* 15. *Metamor.* [z] *Ibid.* [a] *Gen. c.* 2: *vers.* 19. 20. [b] *August. l.* 9. *de Genes. cap.* 14. [c] *Claudian.* [d] 1 *Reg.* 3.

[e] *Philo Jud. Corn. Tacit. Joan. Annius lib.* 1. *not. Berosi Gregor. Tol.* 15. *Reip. c.* 1. *Polyd. Virgi. lib. c.* 6. *de invent. rer. Joseph. l.* 1. *Antiq. c.* 4. [f] *Ovid.* 15. *Metam.* [g] *Tacit. de mor. Germ.* [h] *Cæs.* 6. *Com.* [i] *Xenoph. in Rep. Spart. Plut. in Lyc. Plato* 4. *de leg. Philo l.* 2. *de opif. mundi. Aristot.* 7. *Polit. c.* 16.

bo, sine morte, sine senectute florebimus, vigebimusque æviternum. Hanc beatitatem dum præstolamur hoc confragoso terrarum domicilio,

Inter spem curamque, timores inter & iras. [k]

[k] *Horat.*

ea fide nobiscum ipsi agamus, & opera urgeamus nostræ singuli provinciæ: ut in tanta raritate rerum bonarum, luxurie vero & abundantia scelerum, solam temporis avaritiam honestam esse arbitremur. [l]

[l] *Senec.*

M. TOBIÆ WINKLERI
DISSERTATIO
DE
BIS MORTUIS.

§. 1.



Cum in re omni cognoscenda primo necessaria sit terminorum, quibus utimur, explicatio; inde & nos, ut commodius, DEO juvante, progrediamur in materia proposita, terminum primum Bis-Mortuorum explicabimus, & ab æquivocationibus, quibus tenetur, liberabimus. Mors enim & Mortuus & Civiliter dicuntur & Theologice, ut ita loquar, & Physice.

§. 2. De acceptione vocis Mortui Civili sive Juridica prolixius actum ab *Adriano Bejero, J.V.D. in problem. jurid. de Resurrect. Mortuorum edit. Jenæ Anno* 1665. Hæc autem acceptio hujus loci non est; sicut nec altera, qua in Scriptura S. varie accipitur vox Mortis. Dicuntur enim ibi [1] *Mortui spiritualiter*, qui per peccatum animam à Deo, qui est anima & vita animæ, separaverunt. Ephes. 2: 1. & ad Col. 2: 13. [2] *Mortui peccato, mundo, legi, vel ceremoniis Legalibus*, qui ab iis abstinent, aut iis non sunt amplius obnoxii. Rom. 6: 2, 6. c. 1. 12. Col: 3: 3. 1 Petr. 2: 24. & Gal. 2: 19. Col. 2: 20. Gal. 6: 14. [3] *Mortui morte afflictionis*, quam significationem in 1 Sam. 25: 37. locum habere notat Maimonides in More Nevochim part. 1. c. 42. cum dicitur Nabalis cor emortuum in interioribus ejus. [4] Dicuntur etiam in Scripturis *Mortui morte secunda* seu *æterna*, qui damnationi æternæ traditi sunt, aut adjudicati. Joh. 6: 50. c. 8: 51. & 11: 26. Apoc. 2: 11. & 20: 14.

§. 3. Nos missis hisce, quæ ad scopum præsentem non faciunt, mortis significationibus intelligimus *bis mortuos morte physica sive naturali*, quæ consistit in separatione animæ à corpore, quæque tanquam ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας peccatoribus omnibus, adeoque omnibus hominibus naturaliter & ordinarie sustinenda est semel, ut dicitur Hebr. 9: 27. Hanc qui iterata vice degustarunt, nobis venient considerandi, & ita quidem, ut ostendamus [1] dari tales aliquos, qui, resuscitati ex mortuis postliminio vita defuncti sunt: [2] eosdem describamus, & à falsis & fictitiis separemus: [3] in statum animarum, qualis inter separationis & redunitionis tempus fuerit, inquiramus. Deus annue cœptis!

§. 4. Et quidem dari Bis-Mortuos dubitari forte posset propter locum modo allegatum, nempe Hebr. 9: 27. ubi dicitur, ἅπαξ ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἀποθανεῖν, quod cum certissimum & Spiritus S. effatum sit, prætereaque in Scriptura S. de iterata talium morte expressis verbis mentio non sit facta, quibusdam placuit, istos non mortuos denuo, sed vivos deinde in cœlum translatos ad instar Henochi & Eliæ, *teste Gerhardo in L. de Morte* §. 68. Accessit, quod visus sit eorum sententiæ favere Apostolus Rom. 6: 7. scribens: ὁ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. *Mortuus justificatus est à peccato.* Si itaque mortui illi semel justificati fuere à peccato, divinæ justitiæ non videtur congruum, eos stipendium peccati iterato accepisse.

§. 5. Verum quemadmodum locus prior in Epist. ad Hebr. de ordinaria naturæ lege loquitur, ita casus miraculosos & extraordinarios non excludit. Alioqui enim nec credibile esset, Enochum & Eliam moriendi necessitati subtractos, & vivos in cœlum receptos fuisse, nec stare illud Apostoli posset, quod 1 ad Cor. 15: 51. scribit: illos, qui adventum Christi ad judicium extremum superstites videbunt, non morituros, sed immutandos esse. Quod ad Scripturæ silentium attinet, nos eodem & potiori forte jure illud pro nobis allegamus; neque enim videtur Spiritus S. taciturus fuisse rem tam insignem & miraculosam, si id contigisset, ut resuscitati illi vivi in cœlum fuissent translati. Alterius, quod allegavimus, dicti sensum capiendum esse non de physice mortuis, sed mortuis spiritualiter peccato per Baptismum, ostendit *Excell. Dn. Præses in Dissert. adv. Anon. de statu, loco & vita Anim. separ. p.* 161. & licet dici possit, videri injustum stipendium peccati eidem homini bis reddi, respondemus tamen *cum Gerhardo loc. cit.* mortuos illos esse primo non ad solvendum naturæ debitum, neque adeo recepisse peccati stipendium, sed mortem sustinuisse pro liberrima DEI potestate & dispensatione, ut Christo & Sanctis occasio daretur manifestandi gloriam DEI, quod & ipse Christus innuit Joh. 11: 4.

§. 5. Porro si scopum miraculorum horum spectemus, & cur à Sanctis & Christo in vitam hanc reducti fuerint mortui quidam, non alium inveniemus fuisse, quam ut piorum vel agnatorum vel clientum desiderio satisfaceret, qui procul dubio suos non ad vitam immortalem resuscitari petierunt, de qua alioqui in fide sua satis certi erant, sed ut iisdem in vita adhuc præsenti frui & gaudere possent. Unde & ipsi tales resuscitati cæteras deinceps mortalium actiones obiere manducando, bibendo, &c. non dispensative, quod Christus ipse fecit post

re-

resurrectionem suam ex mortuis, sed ut naturæ necessitati satisfacerent: quod colligere est ex historia Lazari & filiæ Jairi. Adde, quod Epiphanius tradat, Lazarum triginta annos, postquam resuscitatus erat, vixisse, & Quadratus affirmet, quosdam à Christo resuscitatos ad suam usque ætatem supervixisse. (*cit. Osiandro Hist. Eccles. Cent. 2. lib. I. cap. IV.*) Hi sane tam illustrem eorum vitæ exodum non videntur prætermissuri fuisse, si is unquam contigisset. Sequimur itaque nos communiorem sententiam, qua statuitur: Resuscitatos à Christo & Apostolis in N. Test. à Prophetis autem in V. Test. iterum obiisse.

§. 7. Patet inde, quinam sint, de quibus dicturi sumus, Bis-Mortui, tales nempe, qui vita physice semel vere defuncti, postea vero miraculose & virtute divina in vitam revocati temporis successu morte rursum vel naturali vel violenta obierunt.

§. 8. Quinam autem & quot fuerint tales, haud facile dixeris: sunt enim, quos pro talibus venditavit vel rerum naturalium ignorantia, vel Dæmonis impostura inter Gentiles partim, partim inter Pontificios, vel etiam prava Scripturæ S. interpretatio. Ne quid dicamus de illis, qui bis aut pluries mortui dici possunt κατὰ τρόπον, per eas, quas §. 2. adduximus, mortis Homonymias. Quo referenda etiam est Tumuli Infantilis Inscriptio apud *Pontanum lib. II. Tumul.* ubi Infans Bis-Mortuus & nunquam natus dicitur:

Mortuus ipse bis, at nunquam editus, inferor urnæ;
Nam semel, extincta matre, quidem morior:
Mox, utero matris cæso, divellor & infans
Rursum obeo, infelix nomine quod careo.

§. 9. Diximus haberi nonnullos pro Bis-Mortuis propter rerum naturalium ignorantiam: sunt tales, qui diuturna laborantes λειποθυμίᾳ ideo habentur pro mortuis, quod anima operationes suas ad tempus non exerat, cum interea anima ipsa non sit à corpore soluta, sed quoad actus externos vel morbi vel quacunque violentia alia impedita. Huc referri potest Dæmoniacus à Christo sanatus, Marc. 9: 25, 26. qui raptatus à spiritu immundo, hospitium vetus ægre relinquente, à miraculi spectatoribus habitus est pro mortuo tantisper, donec errorem Christus ipse refutavit. Habentur exempla non plane absimilia passim apud Historicos profanos, & celebre est inprimis illud de Muliere quadam Coloniensi apud *Mersæum in Catalogo Episcoporum Coloniensium*, (*cit. Kornm. de Mirac. Mort. part. II. cap. XVI.*) quæ pro mortua habita & sepulta quoque, in sepulchro demum mori necesse habuisset, nisi furaci vespillonis avaritia, DEO rem pessimam ad bonum finem dirigente, liberata fuisset à mortis periculo præsentissimo. Nec minus memorabile est exemplum mulieris alterius Anglicanæ, cui, cum laqueo gula putaretur fracta, inventa est posthæc viva, Medicorumque ope sanitati pristinæ integre restituta est, quod peculiaris ea de re editus testatur libellus. Plura ejusmodi in diuturna λειποθυμίᾳ constitutorum, atque ita pro mortuis falso habitorum exempla passim apud Historicos partim, partim apud Medicorum filios invenias licet. Verum hos, cum λεγομένως tantum & φαινομένως sint mortui, ad præsentem tractationem non spectare facile quivis videt.

§. 10. Magis videntur nostris æquales, quos Gentiles, & inter eos Scriptores graves & cætera fide digni Bis-Mortuos tradidere. Tacemus hic Eurydicen ab Orpheo reductam ex inferis, quam fabulam saniores etiam Gentilium non crediderere: præterimus & fabulam de Glauco Minois & Alcestide, quarum commentum ipse ridet *Palæphatus lib. de Incredibil. Histor. cap. XXVI. & XLI. Plinius lib. VII. cap. LII.* de Aviola Viro Consulari & Cælio Tuberone Gabieno affirmat, eos, postquam mortui sunt, denuo revixisse. Paria recenset *Plato de Rep. lib. X.* de Phæreo quodam Pamphilicio, qui, cum ex morte resuscitatus esset, mira, quæ isto temporis intervallo vidisset, narraverit. *Item Plato* (*cit. Orig. adversus Celsum lib. II. pag. 70. edit. Spenceri*) *narrat, Erum Armenium post 12. dies è rogo excitum retulisse de iis, quæ sunt apud inferos*, & pergit ibi Origenes, *quadrant hæc etiam illa, quæ Heraclides de muliere defuncta memorat. Multi etiam auferuntur reversi à monumentis, vel eadem die vel in sequenti.* Hactenus Origenes. Lectu digna sunt, quæ ibi annotavit *Spencerus annott. suarum pag. 36, 37. & inpr. 38.* ubi prolixum eorum Catalogum texit, qui à veteribus Gentilium Scriptoribus post funera sua revixisse traduntur. Idem fecit *Mart. Delrio Disquisit. Mag. lib. II. Q. XXIX. Sect. I. & Hornius ad Sulpicii Severi Hist. S. lib. I. cap. LXXIX.*

§. 11. Verum hæc omnia, siquidem ita, uti traduntur, acciderunt, vel Dæmonis ope aut μυελοπεχνίᾳ effecta sunt, vel ad ea exempla pertinent, quæ supra §. 9. adduximus. Credibile enim est, Diabolum hac nonnunquam occasione usum, & homines non revera mortuos, pro talibus tamen habitos, remediis naturalibus excitasse, quo cultum sibi divinum falso ac fictitio miraculo DEI simia vendicaret.

§. 12. Patuit vero subinde impuri Spiritus fraudulentia, ex disparitione talium παλιμβίων subitanea atque insperata, quæ aliquoties contigit: Refert eam in rem exemplum *Boissardus Lib. de Divin. & Magicis præstigiis cap. X. pag. 76. & 77. Philinion*, inquit, *Demostratis & Charitus filia hospitem amavit Maachaten, cujus sibi à Parentibus consuetudinem interdictam dolens, vitam finiit. Revertente autem post mensem unum & item alterum in vetus hospitium Maachate, Philinion tantopere suis deplorata Parentibus, hospiti noctu se aliquoties junxit: deditque ipsi, & ab eo vicissim accepit munuscula: Id ubi Parentes filiæ amantissimi forte resciverunt, desiderio filiam videndi impulsi cubiculum intravere, filia vero pauca ad eos locuta confestim evanuit.*

§. 13. Scilicet fuit hoc Dæmonis ludibrium, quod non apud Gentiles tantum exercuit frequentissime, sed & Magorum mancipiorumque suorum jussu aliquoties tentavit inter Christianos. Famosus inter ejus farinæ sodales fuit Cornel. Agrippa, non sibi tantum, sed & aliis, libris editis perniciosus, (quamvis gradum revocasse videri possit per ea, quæ scripsit *Libr. de Vanit. Scientiarum cap. XLVIII. de præstigiis*) qui solitis sibi artibus Dæmonem adegit, ut interfecti ab ipso, Magistro absente, Juvenis corpus subiret aliquandiu, & postea subito desereret, quo repentina morte extinctus videretur. Rem omnem prolixius recensuit *Mart. Del-Rio Disquisitt. Mag. lib. II. qu. XXIX.*

§. 14. Sed prolixius hisce immorari non lubet; ut enim illi, de quibus egimus superius, revera mortui non fuere, ita hi vere quidem mortui, apparenter autem tantum resuscitati fuere, atque ita ad nostros non spectant Bis-Mortuos. Unum non videtur hoc loco prætermittendum, quod de Ægyptiorum cadaveribus refert *Camerarius Hor. Subcis. Cent. I. cap. 73.* nempe quotannis die stato non quidem ea resurgere, aliquas tamen corporis partes exerere modo, modo recondere. Nempe ut Africa semper monstrorum, ita in ea Ægyptus superstitionum feracissima, & fraudibus ita Diabolicis maxime opportuna fuit. Unde & si quid hujus rei contingit, nobis videtur Diaboli imposturæ, quam miraculo propius.

§. 15. Atque hactenus quidem de iis, quos communis Christianorum consensus à Bis-Mortuorum nomine excludit. Restant alii, qui Bis-Mortui dicuntur ab aliis non sine rationum apparenti fundamento, à nobis vero merito tales fuisse negantur. Hos autem magno numero apud Pontificios invenias licet, adeo quidem, ut vix ullus illis videatur aut dicatur Sanctus, in cujus vita non referatur excitatum ab ipso aliquem mortuum. Nempe aliter evenire vix potuit, quin fictitia ejusmodi miracula quam plurima obtruderentur hominibus, præter miracula nihil pene requirentibus ab Ecclesiæ Doctoribus. Atque hoc ipsum occasionem deinde præbuit Monachis otiosis fingendi absurdissima atque ineptissima commenta, quorum posteros cordatiores, accedente inprimis hodie Euangelii Luce, ipsosmet pudet.

§. 16. Sed ut ex tanto Resuscitatorum numero paucos saltim excerpamus, famosissima inprimis est Resuscitatio Trajani, facta à Gregorio Pontifice. Martinum aliquot mortuos suscitasse *in ejus vita* scribit *Sulpicius Severus*; ubi non abs re in præfat. sua judicat Hornius: *Miracula illa tradentium vanitate & Sulpicii credulitate laborare.* Et ne prætermittamus id, cujus in hac Civitate monumentum extat, recenset *Excellent. Dn. Præses*, & refellit *fabulam de Materno*, primo, ut fert communis traditio, Argentinensium Apostolo, *quæ artificiosius quam verius incisa visitur ligno tilietino in choro ædis S. Pet. Sen. Antiquitt. Eccles. Arg. Art. II. §. 4. & seqq.* Eo autem processit fabulantium Monachorum impudentia, ut plures aliquando ab uno suo Sanctulo mortuos resuscitatos tradiderint, quam à Prophetis, Christo & Apostolis in universum resuscitati dicuntur in tota S. Scriptura. Ita Patricius LX. Mortuos resuscitasse perhibetur, *teste Osiandro Cent. V. Histor. Ecclesiast.* Sed quis recensendis hisce sufficiat dies?

§. 17. Ne-

§. 17.

Neque satis visum fuit Monachis tales fingere mortuorum resuscitationes, quæ Sanctorum virtute factæ fuerint, nisi & alias commenti essent, quas DEUS ipse immediate & miraculose operatus esset. Nata est circa casum ejusmodi celebris controversia, & inter *Launoyum*, Theologum Parisiensem, & aliquos fabulæ defensores agitata ante annos non ita multos in Galliis. Si vera essent, quæ hi de Doctore quodam tradunt, necesse fuerit eum ter brevi temporis intervallo revixisse & rursum mortuum esse. Videri potest libellus *de vera causa secessus Brunonis in Eremum*, editus à laudato *Launoyo* in Galliis, & hic recusus, ubi fabula tota accurate refellitur. Consulto hic præterimus creberrimas apud Pontificios mortuorum apparitiones, quæ si omnes veræ essent, ac non potius Dœmonum ludibria, innumeri sane essent, qui à mortuis resurrexissent. Sed & de his satis, neque enim illi ad scopum nostrum directe pertinent.

§. 18.

Neutiquam vero hæc eo diximus, quod negare velimus, ullum vel à Christo & Apostolis, vel ab aliis Ecclesiæ Doctoribus & Viris sanctis resuscitatum esse præter illos, quorum in Scriptura S. fit mentio. Fieri enim potuit sub initium nascentis Ecclesiæ, vigente adhuc miraculorum dono, ut aliqui ab Apostolis & Apostolicis Viris fuerint in hanc vitam revocati, & deinceps rursum mortui; sed cum ejus rei monumenta fide digna vix extent, malumus eosdem silentio præterire, quam veros falsosque confundere. Inde missis ἀγράφοις nos convertimus ad Bis-Mortuos ἐγγράφους sive illos, quorum historia habetur in Scripturis sacris.

§. 19.

Verum & hic cautione opus est, ne cum quibusdam plures faciamus Bis-Mortuos, quam revera in Scriptura fuisse traduntur. Unde huc non spectat (1) Dœmoniacus à Christo sanatus, Marc. 9: vers. 25. 26. de quo diximus aliquid supra *§. 9.* Neque (2) huc pertinet numerosus resuscitatorum exercitus ab Ezechiele visus in Spiritu, quo de consule cap. XXXVII. dicti Prophetæ. Neque (3) ad Bis-Mortuos referendus Samuel, Pythonissæ præstigiis ab inferis reduci visus. Equidem non desunt ex Veteribus partim, partim ex Recentioribus, qui non phantasma, sed verum Samuelis sive corpus, sive animam à Pythonissa reductum asserunt. Citantur à Grotio hujus sententiæ Patroni *Josephus, Justinus, Ambrosius, Augustinus*, qui quæstionem reliquit dubiam & indecisam *lib. II. ad Simplic. Quæst. III.*) *Basilius &c.* Ex Recentioribus *Lyra, Cajetanus &c.* quibus addi potest *Bodinus de Dæmonoman. lib. 2. cap. 3.* Ubi notamus citatum à Grotio Justini Martyris locum, continere insignem tanti Patris nævum. Ita enim ille Dial. adversus Tryph. Judæum p. m. 260. φαίνεται δὲ ὅτι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τῶν οὕτως δικαίων καὶ προφητῶν ὑπὸ ἐξουσίαν ἔπιπτον τῶν τοιούτων δυνάμεων, ὁποία δὴ καὶ ἐν τῇ ἐγγαστριμύθῳ ἐκείνῃ ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ὁμολογεῖται. i.e. *Apparet autem, quod omnes talium justorum & Prophetarum animæ sub potestatem cadant ejusmodi Spirituum, qualem & in ventriloqua ista fuisse ex rebus ipsis convincitur.* Probat hanc sententiam ex Christi oratione in cruce, qua Patri Spiritum suum in manus ejus commendavit, Luc. 23: vers. 46. Verum quam hæc consequentia sit infirma, quilibet videt: Nec enim sequitur: Christus commendavit Patri cœlesti animam suam, ergo Dœmonis ea viribus atque injuriis fuit subjecta. Quanto rectius autor Quæst. & Resp. ad Orthodoxos, (quæ adscribuntur vulgo eid. Justino, sed falso, quod præter alios ostendit & *B. D. Danhawerus Christeid. pag. 909.*) τὰ δὲ ἄλλα πάντα, inquit, ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου γεγονότα, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δαίμονος, τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος τῶν ὁρώντων τὸν οὐκ ὄντα Σαμουήλ. i.e. *Cætera omnia à ventriloqua facta secundum operationem Dæmonis fascinantis oculos videntium eum, qui non erat Samuel.* Hæc ille.

§. 20.

Referri & inter sententiæ supra dictæ Hyperaspistas potest scriptor Anonymus, de vita, loco & statu Animarum separatarum, qui sententiam suam hac animæ Samuelis apparitione firmaturus, eam cum Spiritu suo redunitam, postea vero eodem privatam fuisse asserit. Refutatus autem est ille ab *Excell. Dn. Præside in examine feriæ istius Disquisitionis pag.* 171: ut hic prolixius ea de re agere non videatur necessarium. Agnoverunt hic loci Satanæ præstigias etiam Veterum non pauci, in quibus *Tertullianus* (citatus modo laudato *Dn. Præsidi Sect. III. Antiq. Eccl. art. 3. Sect. V. §. 44.*) *Absit*, ait, *ut animam sancti, nec dum Prophetæ à Dæmone credamus exstructam; seducti, quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum Lucis, eo DEO se asseveraturus, signaque portentosa editurus, ad evertendos, si fieri posset, electos.* Sequimur & nos hanc sententiam, & Samuelem non resuscitatum fuisse, neque quoad corpus, neque quoad animam, sed Principem tenebrarum sub ista Samuelis larva latuisse credimus, cum *B. D. Dannh. Hodosoph. Phænom. IV. p. m.* 413. (1) quia is, qui Sauli respondit, Propheta non fuit, hoc enim DEUM permittere voluisse expresse negatur vers. 6. cap. 28. 1 Sam. (2) Quia Samuelis anima, in manu DEI constituta, inquietari non potuit. Sap. 3: vers. 1. (3) Quia Samuel vere dicere non poterat; Saulem, tanquam futurum αὐτόχειρα secum; id est in statu beatitudinis futurum. (4) Quia Samuel verus Saulis adorationem procul dubio recusasset. Videri plura in hanc rem possunt loco citato, ubi adversariorum exceptiones solvuntur.

§. 21.

Occurrunt hic (IV.) resuscitati à Christo, cum ipse resurgeret, Sancti, qui Hierosolymam vivi intrarunt, de quibus Matth. 27: vers. 52. Quæri multa de iis curiose magis quam utiliter solent, v. g. fuerintne SS. Vet. Test. an vero ex illis, qui Christum in carne viderant, atque adeo sub ipsum N. Test. initium obierant? Posterius placet *Comarino in Disput. de Bis-Mortuis th. V. pag. m.* 177. Rationem ibi hanc adducit, *quod Civitatem Sanctam introiverint, atque illic multis apparuerint, à quibus procul dubio* (ut ait) *cogniti fuerint, agnosci autem ordinarie non potuisse, nisi vel ipsi se manifestaverint, (quod si fecissent, aliquid fortasse de eorum nominibus haberemus) vel apparuerint senibus, apud quos nondum eorum forma & memoria erat obliterata.* Sed his sane rationibus res non evincitur. Neque enim hoc statim sequitur, quod, si illi nomina sua edidissent, ea statim ab Evangelistis inserta fuissent SS. literis. Multa enim ejusmodi, quæ ad circumstantias præsertim historicas pertinent, Scriptores SS. licet ipsis notissima certo consilio omisisse, notius est, quam ut hic dici debeat. *Augustinus Ep. 99. ad Evodium* durum existimat, ex Resuscitatorum istorum numero excludere Davidem; sed illi sententiæ obstat locus Actor. 2: vers. 29. ubi Davidis sepulchrum salvum adhuc atque integrum extare asserit Petrus Apostolus. Nos hic nihil certi definiemus, silente quippe Scriptura. Interim improbabilis non est *B. Dn. Dannhaweri* sententia, quæ habetur *Hodosoph. Phænom. VIII. p. m.* 744. *Virtutem hanc resurrectionis Christi sensere Sancti, cum ipso ad vitam immortalem resurgentes, Job. e. g. qui se visurum esse Goëlem vaticinatus est ea visione, ad quam nullus peregrinus admittetur, at in resurrectione universali videbunt* οἱ ἔξω. *Simeon & Joh. Baptista, ut qui optime de* τῷ αὐτῷ *testari potuerunt, esse* τοῦτο σῶμα, *quod pridem viderunt in exinanitione. De Josepho hæc notat Lutherus in calce Comm. in Genes. p. ult. Joseph hic fidem suam declarat, cum in eorum numero esse cupit, qui resuscitandi erant cum Christo, & credo eum, una cum aliis Sanctis, quorum mentio fit Matth. 27. rediisse in vitam. Vult omnino in terra Canaan requiescere, quanquam parum momenti est in loco & sepultura: potuisset enim humari in Ægypto quoque; nec difficile erat Christo, sive ex Ægypto, sive aliunde suscitare Patres. Sed ad testificandam fidem suam in Christum, jubet ossa sua deferri in terram Canaan.* Hactenus Dannhawerus.

§. 22.

Ad rem præsentem id magis pertinet, ut inquiramus, quidnam de his Sanctis factum sit postea? Intraverintne rursum sepulchra, adeoque Bis-Mortui fuerint, an vero una cum Christo in cœlum sublati sint? Prius sentit præter alios *Comarinus l. c. p. m.* 175. Citat pro sua sententia *Autorem libri de Mirabil. Scr. Sacræ*, sive is Augustinus est, sive alius, (qua de re vide *Labbeum in Bellarm. de script. Eccles. Tom. I. pag.* 133.) *& Augustinum Ep. XCIX. ad Evodium*, nec non *Calvinum* (licet parum sibi constantem) *in Matth. 27: 53. & th. ult.* addit *Hieronymum*, qui Operum suorum *Tomo IX. in loc. cit.* hæc habet: *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Subsumit jam Comarinus: *Atqui Lazarus resurrexit ut rursum moriturus, E.* At vero si hæc Hieronymi autoritas pro Comarino stat, necessum est eum non

non de modo ſolum reſuſcitationis miraculoſo, ſed ejuſdem quoque fine terminativo & conſequentibus loqui, quod facilius Comarinus dixerit, quam probaverit. Favet Comarino præter adductos etiam *Theophylactus, apud Montacut. Origin. Eccleſ. Tom. I. p. II. pag.* 422. περίδηλον, inquiens, ὅτι καὶ πάλιν τεθνήκασιν. Atque idem probare nonnulli (ut refertur *in Harmon. Chemnit. Lyſeriana*) ſatagunt ex *Revelationibus Brigittæ*, infirmo ſane & plane ficulneo, quod dici ſolet, fundamento. Placet nobis *Euſebii* ſententia *Lib. IV. Demonſtr. Evang. cap. XII. Epiph. Hæreſ. LXXV. Ambroſio in Pſalm.* & aliorum, qui dictos Sanctos, ad vitam immortalem reſurrexiſſe, & cum Chriſto in cœlum poſtea aſcendiſſe ſtatuunt. Et licet hoc expreſſe in Scripturis tam non habeatur, quam ſententia oppoſita, favet tamen ipſe textus, cum dicit ἐνεφανίσθησαν, quod verbum quandam glorificati corporis affectionem non obſcure continet. Videri poſſunt loca Marc. 16: verſ. 9. Matth. cap. 24: verſ. 30. item Matth. 1: verſ. 20. ubi partim de Chriſti corpore glorificato, partim de Angelis idem verbum, in forma licet ſimplici, uſurpatur.

§. 23.

Peculiarem de Sanctis hiſce ſententiam fovet *Autor quæſt. & reſpp. ad Orthod.* qui Reſp. ad Quæſt. LXXXV. eos non quidem reverſos in pulveres ſuos, neque tamen receptos corpore in cœlum beatorum, ſed in Paradyſo, quem ille diſtinguit, cum multis aliis Veterum, à cœlo beatorum, generalem expectare reſurrectionem aſſerit. Οὐκ, inquit, ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ Ἐνὼχ καὶ ὁ Ἠλίας, καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ ἀναμένοντες τὴν ἤδη αἰωνίαν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως γινομένην καὶ ἐναλλαγήν. εἷς γὰρ, ἀθάνατόν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν οὔπω γέγονέ τινος ἡ ἀνάστασις πλὴν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ. i. e. vertente *Frid. Sylburgio: Non mortui ſunt iterum, ſed manent in immortalitate, ſicut Enoch & Elias, & ſunt cum illis in Paradiſo, expectantes æternam reſuſcitationem Chriſti, & reſtitutionem ſempiternam primo quoque tempore per mutabilitatem futuram. Ad immortalem enim & incorruptibilem vitam nondum ullius facta eſt reſurrectio, præterquam Salvatoris Chriſti.* Sed ſubtilius hæc, quam verius diſtinguuntur, nec ſatis apte cohæret, quod dicitur, μένειν τοὺς ἁγίους ἐν ἀθανασίᾳ, καὶ οὐδενὸς πρὸς ζωὴν ἀθάνατον γεγονέναι τὴν ἀνάστασιν.

§. 24.

Adduximus ſupra inter cæteros, qui Comarini ſententiæ addicti ſunt, Patres, etiam *Autorem Libri de Mirabilibus Scripturæ S. lib. III. cap. XIII.* ubi verba ita habent de Sanctis hiſce: *Rurſum in monumenta, quomodo & de Moſe memini, reintrarunt, ubi reſurrectionem omnium noviſſimam expectant.* Unde colligas, dictum autorem in ea eſſe ſententia, quod Moſes, quando apparuit Chriſto una cum Elia, (Matth. 17: 3.) miraculoſe à DEO ad tempus reſuſcitatus, deinde vero rurſum defunctus, atque adeo inter Bis-Mortuos referendus ſit, cui etiam ſententiæ adſtipulatur Calvinus. Aliud nos ſentimus cum *Capello, Grotio, Chemnitio, Lyſero,* aliiſque: nempe cum DEUS Moſen ipſe ſepeliiſſe dicatur Deuter. 34: verſ. 6. Michaël vero Archangelus cum Dæmone, qui habebat κράτος τοῦ θανάτου, (Hebræor. 2: vſ. 18.) dictus propterea ab Hebræis Angelus Mortis, altercatus fuerit de illius corpore, probabile credimus nos, Moſen à Deo reſuſcitatum, & cum corpore una atque anima in cœlum tranſlatum, indeque ad colloquium cum Chriſto habendum remiſſum ad tempus, poſt eodem reverſum fuiſſe. Neque enim credibilis videtur tam brevi temporis momento duratura corporis demortui reaſſumptio, & ejuſdem ſubitanea rurſus depoſitio. Aliquid non plane abſimile de Angelis quidem & Filio Dei in V. T. legitur, non item vero de hominibus defunctis. Noſtræ ſententiæ accedit Rabbinorum de Moſe traditio, licet multis fabularum involucris veſtita atque obducta, non tamen omnino vana aut falſa. Statuunt enim ipſi, teſte *in libr. cap. Matth. Capello*, Moſen jam non eſſe mortuum, ſed Deo in cœlis miniſtrare: וכן אמרו ע"ת משה רבינו לא מת אלא עלה ומשמש במרום׃ *Sic dixerunt Sapientes noſtri; Moſes Magiſter noſter non eſt mortuus, ſed aſcendit & miniſtrat in excelſis,* inquit *Maimonides præfat. in Thalmud.* Unde autem hoc ipſum hauſerint Judæi, an ex N. Teſt. id didicerint cum aliis pluribus, an vero nuda Majorum traditione acceperint, quorum illud placet Capello, nunc non vacat inquirere. Illud ſaltim non videtur admodum probabile, quod Capellus putat, Judæos ex hoc ipſo loco Matthæi verba quædam mutuatos fuiſſe, ad exprimendam Moſis formam, qua eum præditum offenderit Angelus Mortis. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 25.

Accedimus nunc ad Bis-Mortuos revera tales, quorum in ſacris literis fit mentio. Suntque eorum plures quam octo, è quibus tres Veteris Teſtamenti hiſtoria, reliquos vero novi fœderis Scriptores memorant. Primus omnium eſt filius viduæ Sareptanæ ab Elia Propheta ſuſcitatus, cujus mentio fit 1 Reg. cap. 17. Sunt hic, qui aſſerere non dubitant cum Hebræis, fuiſſe hunc Jonam, Prophetam & ipſum poſtea. Ita *Autor libri de Mirabil. Scr. & Hieron. præfat. in Jonam.* Jonam autem filium Amithai vel Veri vel Veracis dictum ajunt, quod mater, viſo filio ex mortuis reſuſcitato, Prophetæ dixerit: עתה ידעתי כי איש אלהים אתה ודבר־יהוה בפיך אמת׃ *Nunc cognovi, quod vir DEI ſis, & verbum DEI in ore tuo Veritas.* Repugnat autem huic ſententiæ partim temporum ſupputatio, partim aliæ textus circumſtantiæ. Hiſtoria enim reſuſcitati à mortuis Sareptani dicitur contigiſſe ſub initium Regni Achabi, quod ſecundum Calviſii ſupputationem incidit in A. M. circiter 3023. Jonas vero vaticiniis claruiſſe dicitur ſub Jerobeamo 2 Rege Iſraëlis, 2 Reg. 14: vſ. 25. cujus imperium cœpit A. M. 3114. & licet excipi forte poſſit, textum allegatum non evincere expreſſe, quod vaticinium ſuum tum demum ediderit Jonas, cum ejus complementum jamjam inſtaret, obſtat tamen patriæ diverſitas, quo minus idem ſit cum noſtro Jonas. Sareptanus enim ille fuit, quæ urbs Sidoniis vicina, & extra Judæorum ditionem ſita, Ebræis צרפת Obad. vſ. 20. Græcis vero Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος Luc. 4: vſ. 26. dicitur. Jonas vero ſeipſum Hebræum profitetur, עברי אנכי inquit ipſe cap. 1: vſ. 9. & 2 Reg. 14: verſ. 25. dicitur fuiſſe de גתה חפר, quæ civitas ſita eſt in tribu Zabulon, ut ex Joſ. 19: vſ. 13. colligit Kimchi. Quod Arias Montanus hic ſtatuit vocem עברי non patronymicam, ſed appellativam eſſe, nec Hebræum, ſed tranſgreſſorem ſignificare, id neque in linguæ ſacræ recepto uſu fundamentum habet ſatis firmum, neque cum cæteri textus συναφείᾳ ſatis apte cohæret. Statuimus nos nomen reſuſcitati hujus hodie neminem noſſe, & fruſtra hic quæri, quod Scriptura tacuit, præſertim cum ad rem ipſam nomen parum aut nihil conferat. Sufficit ſcire, filium hunc morbi vi extinctum & vere mortuum, deinde autem ab Elia virtute divina in vitam revocatum eſſe.

§. 26.

Extenuant hoc miraculum, qui filium viduæ Sareptanæ non vere mortuum fuiſſe, ſed ejus tantum halitum defeciſſe ſtatuunt cum *Andeloſenis apud Majemon. part. 1. More Nevoch. cap. 42.* Et ſane probatione non indiget, tale quid accidere nonnunquam in morbis acutis, cujus rei exempla adduximus ſupra §. 9. Verum id hic accidiſſe negamus. Vere enim mortuum fuiſſe, textus ipſa verba probant: ויחי חליו חזק מאד עד אשר לא־נותרה־בו נשמה. *Invaluit morbus ejus valde, donec non remanſit in eo anima.* Nempe non debilitatæ, aut vi morbi ſaltim ſuſpenſæ ſunt ad tempus animæ operationes, ſed non remanſit in eo anima; vere ſeparatus à corpore ſuo Spiritus fuit, quod niſi factum eſſet, quid attinuiſſet queri Prophetam, quod DEUS interfeciſſet hoſpitæ ſuæ filium, DEUMque deprecari, ut reverteretur anima pueri in interiora ejus, (תשוב־נא נפש־הילד הזה על־קרבו׃) de quibus ſecundum hanc ſententiam nunquam exierat. Neque obſtat *Moſis Cordubenſis*, cognomento Ægyptii, objectio, qui (citante alicubi *Druſio*) parem adducit locum ex Daniel. 10: 17. ubi de ſeipſo Daniel: נשמה לא נשארה־בי׃ i. e. *Anima non relicta eſt in me.* Ubi ſane ipſæ textus circumſtantiæ, Daniele adhuc vivo & ipſomet loquente, phraſeos hujus ſententiam aliam ſuppeditant: notior quoque eſt vocis נשמה apud Hebræos homonymia, quam ut hic loci prolixe eam exponere opus ſit. Videri poteſt *Buxtorffius in Lexico* voce נשם. Taceo, quod verba orationis Propheticæ ſupra citata non נשמה ſolum, ſed & נפש corpore exceſſiſſe ſignificent. Merito quoque hic rejicimus gloſſam *R. Levi ben Gerſon*, qui, ductus forte verbis vſ. 21. *Eliam prius exploraſſe tradit vim animæ reſiduam in viſceribus, ut corde, jecore, ſtomacho &c. & hac demum cognita oraſſe ad DEUM.* Verum quam illud fundamentum ſit nullum, facile cuivis patet textum inſpicienti penitius: quicquid illud ſit, quod Elias ter incuberit puero, eoque calorem nativum viſus ſit aliquo modo revocare atque excitare velle, id ſane non probat, animam corpori ſuo etiamnum extitiſſe præſentem. Notum eſt, Deum in Vet. non minus quam in N. Teſt. quando dona ſua ad Prophetarum aut Apoſtolorum preces aliis contulit, uſum nonnunquam ſymbolis aliquibus externis, (quæ & ipſe Chriſtus aliquoties adhibuit) magis

ut ſym-

ut symbola ista significarent vim agentem, quam ut ipsa aliquid agerent. Sed in hunc scopum plura venient dicenda mox, contra *Anonymum Autorem* scripti perniciosissimi *de Libertate Philosophandi.*

§. 27.

Succedit nunc alter, cujus in Vet. Test. libris mentio fit, resuscitatus ex mortuis ab Eliæ successore & discipulo Elisæo, Hospitæ itidem Propheticæ filius: habetur ejus historia 2 Reg. cap. 4: vs. 25. ignoraturque & hujus nomen, solaque traditur patria Sunem. Matrem ejus fuisse sororem Abisag Sunamitidis, quæ Davidi seni oblata est, tradit *R. Salomon*, parum tamen probabiliter secundum temporum rationem, cum à à morte Davidis ad Elisæum LXXX. minimum anni intercesserint. Cæterum ausus est & hic Diabolus de suo loqui, hoc est, calumniari mentirique adversus Deum. Nam & hunc vere mortuum esse negant nonnulli ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους. Prodiit eorum unus, sed Anonymus in *Tract. de Libert. Philosoph. cap. VI.* qui ita: *Ut Elisa*, inquit, *puerum*, *qui mortuus credebatur*, *excitaret*, *aliquoties puero incumbere debuit*, *donec prius incaluerit*, *& postea oculos aperuerit.* Ut penitius noscamus, unde hæc fluant, ipsam hominis hypothesin propius contemplari juvabit: *Absolute*, ait ibidem, *concludimus*, *omnia*, *quæ in Scriptura vere narrantur contigisse*, *ea secundum leges naturæ ut omnia necessario contigisse*, *& si quid reperiatur*, *quod apodictice demonstrari potest legibus naturæ repugnare*, *aut ex iis consequi non potuisse*, *plane credendum id à sacrilegis hominibus sacris literis adjectum fuisse*: *quicquid enim contra naturam est*, *id contra rationem*, *& quod contra rationem*, *id absurdum est*, *ac proinde etiam refutandum.* Nempe is finis est, ad quem manibus pedibusque obnixe tendit hæc Helena, ob quam certat, ut rationi in Scripturam dominium asserat, quo jure quaque injuria. Sed omnia quæ hic continentur absurda, nunc persequi non vacat. Illud saltim sufficiet indicasse: quando ex eo, quod Elisa incubuit puero, colligit, eum hoc quasi fomento refocillatum in vitam rediisse, falli eum insigniter. Indicavimus superiori thesi ejusmodi actuum symbolicorum usum, suntque in sacris literis non infrequentia eorundem exempla. Ita Exod. 9: 10. quando Moses favillam in aërem spargit, Ægyptii ulceribus infestantur, quando scipionem cœlum versus extendit, jam grandine & fulguribus omnia miscentur, jam densissimo tenebrarum chao omnia sepeliuntur. Quæ sane omnia cum (quod asserere, sed sine probatione, conatur Anonymus) tantorum effectuum causæ physicæ esse minime possint, necessario, nisi blasphemeatque impie ea negare velimus, pro miraculis, rationi non contrariis, sed eadem superioribus ipso sanæ rationis ductu agnoscere cogemur. Ita, quando idem Elisæus sal projecit in profluentem, eaque ratione sterilitatem atque insalubritatem scaturiginis sustulit, non facile crediderim, fore quenquam mentis usque adeo stupidæ, ut sal illud physicam salubritatis fertilitatisque causam credat; alioqui enim non deessent forte nec loca, quæ hoc indigerent remedio tam parabili, nec Prophetastri, qui exinde sanctitatis sibi famam aucuparentur. Pari modo quis dixerit, sputum illud cœci oculos aperuisse, quod Christus ipsis illevit, (Johann. 9: 6.) nempe tanquam causam physicam, sine accedente vi extraordinaria atque omnipotenti? Sane actus illi perinde se habent ad effectus illos, ut voces, quibus aliquando usus est Christus, ut καθαρίσθητι, Marc. 1: vs. 41. Διανοίχθητι, (ἐφφαθά) Marc. 7 34. ἔγειραι (κοῦμι) Luc. 5: 24. His enim vocibus Magicam aliquam ad effectus illos producendos vim tribuere, ἄτοπον sane est. Accedit huc, quod resuscitatio hujus pueri 2 Reg. 8: 4. referatur expresse inter הגדולות אשר־עשה אלישע seu magna illa atque insignia facta, quæ fecit Elisa, quod procul dubio absurdum esset, si res hæc ex causis physicis contigisset. Stat itaque firmo talo, mortuum & hunc revera, & miraculose resuscitatum fuisse.

§. 28.

Ultimus, qui in V. Test. refertur resuscitatus, Anonymus iterum est, sed talis, de quo, an vere fuerit mortuus, nullus pene dubitandi relictus est locus. Is enim jamjam sepulturæ proximus, imo sepulchro mandandus, cum, ingruentibus Syrorum copiis, vespillones destinatum ipsi sepulturæ locum non possent attingere, ab iisdem proxime obvio, eique Elisæi sepulchro injectus, ubi Prophetæ ossa contigit, revixit, 2 Reg. cap. 13: vers. 21. Litigant hic satis operose, sed præter necessitatem, Rabbini, quid hominis hic fuerit resuscitatus? Placet aliquibus, & in his Kimchio, fuisse hunc virum justum & pium, dictum שלום Sallum, maritum Huldæ Prophetissæ, (cujus mentio habetur 2 Paralip. 34: vers. 23.) & egressum sepulchro, rediisse domum, & genuisse quoque filium חנמאל dictum. Alii contra sentiunt fuisse eum impium atque indignum, qui juxta Prophetæ ossa cubaret; inde sepulchro rursus egressum, statim concidisse, alioque loco sepultum fuisse.

§. 29.

Amplectuntur hanc Judæorum glossam, tanquam scenæ suæ non pessime servientem, Pontificii, indeque Sanctorum reliquiis cultum aliquem asserere nituntur, quippe quem DEUS ipse tanto miraculo edito requisiverit. Verum si maxime demus, rem ita, uti nugantur Hebræi, gestam, exsculpi aliud nihil poterit, quam non debere contumeliose atque irreverenter tractari SS. λείψανα, quo de neque nostrum quisquam dubitat. Quid? quod aptissime argumentum retorquet noster *Chemnitius in Exam. Concil. Trid.* & ab Elisæi exemplo concludit, sepulturæ mandanda Sanctorum corpora, non vulgi venerationi atque adorationi exponenda. Sed necdum huc ventum est, ut necessum sit has Judæorum traditiones recipere; ut enim prior quoad nominis aliasque circumstantias plus æquo curiosa sine fundamento sufficienti, ita posterior nullo modo videtur probabilis, cum in SS. non extet exemplum alioquin ullum resuscitati ex mortuis damnati, quicquid sit de illis, quos Pontificii fingunt, Paparum suorum meritis atque miraculis ab inferis reductos.

§. 30.

Sed hæc hactenus de illis, quorum mentio fit in Veteri Testamento, unum non pigebit addidisse: Hornium nempe conjicere, sepeliendum illum, eundem esse cum Gentilium Eride Armenio, de quo *Plato X. de Repub. & Eusebius IX. de Præp. XXXV.* Non equidem negari potest, multa ejusmodi Gentiles ex sacris literis, sive fama etiam ab Ecclesia Judaica emanante hausisse, & postea suis involuta fabulis posteritati tradidisse; sed quæ hic Hornius argumenta addit, vix videntur omne ferre punctum. Ait enim fuisse illum militem Syrum, cum autem Syria dicatur Aram, inde Græcos fecisse Armenium. Primum militem eum dicit, sed sine textus sacri autoritate: deinde Syrum etiam præter sacri Codicis fidem: juxta illum enim Ebræus potius fuisse videtur & de illa gente, quam tum persequebantur Syri seu Aramæi, conf. v. 19. dict. cap. XIII. & capp. seqq.

§. 31.

Pergimus ad Novum Testamentum, & suscitatos ejus tempore à Christo & Apostolis intuemur. Inter illos, qui à Christo in vitam reducti sunt, quosdam quasi gradus observat ex Nysseno Gerhardus: *Primo*, inquit, *anno excitavit filiam Jairi modo defunctam*, *neque dum domo ad sepulturam elatam. Secundo anno excitavit filium viduæ in Nain*, *qui jam dum ad sepulchrum deferebatur*; *tertio anno resuscitavit Lazarum*, *sepulchro jam dum illatum*, *& ante quatriduum mortuum*; *tandem etiam proprium corpus divina virtute ex mortuis resuscitavit*, *quod est miraculorum omnium maximum & divinissimum*, *ut nos in fide resurrectionis confirmaret.* Hæc illi.

§. 32.

Primum itaque resuscitata est filia Jairi, cujus historia habetur Matth. 9: 18. Marc. 5: 22 Luc. 8: 41. Posset moveri dubium, fueritne puella dicta vere mortua, cum Christus ipse dicat: τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. *Puella non mortua est*, *sed dormit.* Respondemus nos; dormivisse puellam Christo, mortuam fuisse hominibus. Nimirum cum impossibile esset, humana ope aut virtute suscitare defunctam, Christus divina, qua pollebat, virtute æque facile suscitare eam poterat, ac homo hominem alium dormientem. Quem hic εὐφημισμὸν quærit *Grotius ad Matth. 9: 24.* nos non agnoscimus. Notum est quid Gentiles verborum conquisiverint ad molliter velandum triste illud & πάντων φοβερῶν φοβερώτατον, mortis nomen, qua de re videri præter cæteros potest Theologus meritissimus, ὁ μακαρίτης Dilherrus, Præceptor noster semper venerandus, lib. 1. Elect. cap. XVI. & Tom. I. Dissert. Philolog. Disput. XV. de antiquo ritu funerum. Verum alio longe sensu atque scopo Gentiles suos εὐφημισμοὺς usurparunt, quam Christiani: illi ne mortis recordari cogerentur, quam, sine fiducia alterius vitæ existentibus, horribilem esse necesse erat; hi autem, ut mortis terminum, resurrectionem, subinde in memoriam sibi revocarent, atque ita mortis etiam desiderium ultro excitarent, somnum dicebant mortem. *Mortuos*

tuos dormientes appellat Scripturæ veracissima consuetudo, ut, cum dormientes audimus, evigilaturos minime desperemus, inquit alicubi *Augustinus.* Verum hic alia mens Christi, uti diximus. Resp. tamen phrasi cæteri Christi actus, quibus in resuscitatione hujus puellæ usus est, ut: quod vocaverit eam, quod manu apprehenderit, quod fere modo dormientem excitare solemus. Alioqui vere mortuam fuisse puellam satis probat textus aliquoties, & inter cætera Lucas cap. 9: vers. ult. quando ait: καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, *& reversa est anima ejus.* Si reversa, ergo corpore prius excesserat. Simili argumento usi sumus etiam superius in historia Sareptani ex mortuis resuscitati.

§. 33.

Abusus est præter alios hoc Christi dicto etiam *Anonymus ille Psychicus de stat. anim. separ.* illudque ad confirmanda sua deliria detorquere conatus est pag. 149. dicti tr. Nempe cum Christus ait, non mortua est puella, sed dormit, exponit ipse, *non mortua est quoad animam, ita ut anima interierit, sed dormit.* Sed & textus ipsi repugnat συναφεία & ipsemet sua cædit vineta. Quis enim credat, τὸ οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει, Christum sic accepisse, cum expresse dicantur spectatores εἰδηκέναι ὅτι ἀπέθανε; neque credibile est, quod quidem asserit Grotius, ad Matth. 9. domum hujus Archisynagogi fuisse Sadducæorum opinioni addictam, alioqui vix unquam aliquid de filiæ resuscitatione sperare ausus esset Jairus. Deinde hæc ipsa expositio, quam huc infert Psychicus, ex propriis ipsius verbis incongrua esse convincitur: quandoquidem enim *illæ animæ* (ut ipse ait p. c.) *Deo vivant, qui in iis suas operationes habere pergat, quas illæ etiam, licet omnium sensibilium incapaces, in se tamen admittant, iisque tanquam vivens aliquod afficiantur*; quis credat has animas, tum maxime operantes, vocari apte posse dormientes? ἄτοπον! Rem omnem breviter & accurate complexus est B. Dannhawerus Hodosoph. Phæn. VIII. p.m. 629 *Puella*, ait, *non fuit mortua, sed vixit Christo ac Jairo in fide, æstimatione vera, Marc. 5: 39. in simili, extincta in lychno flamma, cum statim reaccenditur, physice quidem extincta est, non tamen existimatur extincta: neque ideo improprie tale est, quod æstimatione tale est, nisi & homo, justitia Christi imputata justus, improprie dicatur justus.* Hactenus B. Dannhawerus.

§. 34.

Secundo loco excitavit Christus filium viduæ in civitate Nain, de quo Lucas cap. 7: vers. 11. nec habetur hæc historia apud alium præterea Evangelistarum, quod tamen ipsum veritati ejus nihil derogat. Minus de eo dubitari potest, fueritne revera mortuus, cum historia Evangelica palam testetur, collocatum jam tum in feretro & sepulchro inferendum fuisse, nisi insperato Christus occurrisset, & lugentis viduæ misertus juvenem vitæ restituisset.

§. 35.

Succedit porro Lazarus Bethaniensis, Mariæ & Marthæ frater, Christo, dum viveret in terris, eximie charus. Prolixe ejus historiam texit Johannes cap. 11. & quidem solus. Contenti enim cæteri Evangelistæ vel uno miraculi adeo illustris exemplo poterant esse, ad demonstrandam piis mentibus Christi Divinitatem, nihil profecturi apud obstinatos & incredulos, si vel maxime plura junxisset. Conjectura est Grotii, in h.l. *tacuisse ideo Evangelistas hoc miraculum quod nossent paratas Lazaro ob id à Judæis insidias, (Joh. 12: 10.) Johannem vero, qui Evangelium suum post cæteros demum scripserit, narrationem illam libere potuisse inserere suæ historiæ, erepto jam per mortem iteratam Judæorum sævitiæ atque invidiæ Lazaro*: Quod nos suo loco relinquimus.

§. 36.

Quod ad rem ipsam attinet, quod Christus (vers. 11.) de Lazari somno dicit, id exponendum est juxta ea, quæ diximus supra §. 32. de filia Jairi, & ut ipse suppeditat textus præsens (vers. 13.) non de κοιμήσεως τοῦ ὕπνου, sed τοῦ θανάτου. Monemus hic & illud, contra Anonymi citatam superius somni explicationem facere vers. 14. cap. præsentis: τότε εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς παῤῥησίᾳ Λάζαρος ἀπέθανεν. Unde satis patet, priorem de somno phrasin intelligendam improprie & κατὰ παροιμίαν. Conf. Joh. 18. ubi hæc inter παῤῥησίαν & παροιμίαν distinctio fundamentum habet. Illud magis expositione videtur indigere, quod Christus dicit vers. 4. αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον: *Morbus hic non est ad mortem*, quæ verba si crude accipiantur, illi, qui secutus est, eventui omnino contraria sunt. Morbum enim istum mors consecuta est vera & talis, quæ cadaver exanime sepultura indigum & post quatriduum etiam fœtidum reddidit, quemadmodum canit Prudentius in Enchir. quando *apparuit*

—— Scissum fractis foribus monumentum,
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.

Scilicet fuit omnino morbus ille ad mortem terminative, (licet non ultimate) sed non idem ad mansionem in morte ordinariam & consuetam, ita ut Lazarus quieverit deinde in sepulchro usque ad diem extremum. Potior autem hujus morbi finis fuit gloria Dei, in quam ultimo terminabatur, cum virtute miraculosa, extraordinaria & plane divina Lazarus à morte reductus, atque ita multorum in Christum fides confirmata partim, partim noviter accensa fuit, (vers. 45.) adeo quidem, ut hostes ipsi, alioqui pertinacissimi, in conscientia convicti, miraculorum Divinitatem agnoscere cogerentur, (vers. 47.) & præter blasphemias atque minas, quod nascenti Evangelio opponerent, nihil habuerint. Ita Lazari morbus non tam ad mortem, quam ad DEI gloriam tendit.

§. 37.

Tam illustre autem hoc Lazari resuscitati miraculum visum est Veteribus, ut ejus historiam in locis sacris frequentissime, ad excitandam resurrectionis venturæ memoriam, depingi curaverint. Et notatu dignum est, quod referunt *Autores Romæ subter. Lib. VI. c. XI.* factum plerumque Lazari simulacrum, pueruli forma, cujus rei causam ipsi reddunt his verbis: *Jure optimo post adeptum resurrectionis beneficium, pueri effigiem exhibens, pictorum manu describitur, cujus plane nomen recentis vitæ privilegio actus, apud orthodoxos Patres sortitus est.* Cæterum quæ post resurrectionem Lazari à morte facta fuerint, non satis constat. Vixisse eum post XXX. annos tradit Epiphanius Hæres. LXVII. Pontificiorum nonnulli tradunt in Galliam eum venisse, atque ibi etiam obiisse. Verum quid hæc traditio soliti crepet, ostendit citatus à nobis etiam supra Theologus Parisiensis, celeberrimus *Joh. Launoyus in variis suis de commentitio Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ in Provinciam appulsu, opusculis*, ubi ab initio statim probat *à tempore Christi ad A. usque M. à Græcis universim & Latinis traditum esse, Lazarum, Magdalenam & Martham in Oriente obiisse.* Sufficiant hæc de iis, quos Christum resuscitasse tradunt Evangelistæ, parciores sane multo hac in re recentioribus martyrologiorum Scriptoribus, qui resuscitatos ex mortuis Sanctis suis magno numero & cumulo liberalissime tribuunt.

§. 38.

Supersunt duo adhuc resuscitatorum ab Apostolis exempla, quorum prius describitur Actor. 9: 40. nempe Tabitha mulier insigniter pia πλήρης ἀγαθῶν ἔργων καὶ ἐλεημοσυνῶν ὧν ἐποίει. Hæc cum esset defuncta, pro more Veterum, lauta, & deinceps in superiori cœnaculo tantisper reposita fuit, donec fidelium, & præcipue viduarum, in quas benignitatem suam vivens exercuerat Tabitha, monitis accersitus Petrus, precibus ad Christum fusis eam in vitam revocavit.

§. 39.

Ultimo loco occurrit Eutychus Actor. 20: vs. 9. qui, cum Paulum in multam usque noctem concionantem audisset, somnoque obrutus ex summis ædibus delapsus, sublatus esset mortuus, à Paulo in vitam revocatus fuit. Oritur hic quæstio, cum cit. vs. 9. expresse dicatur de Eutycho ἤρθη νεκρός, Paulus autem v. seq. dicat; ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστιν, quomodo hæc invicem conveniant? *Grotius in locum præsentem* verba Pauli ita exponit: *Jam, dum loquor, vita ei redit.* Nec multo aliter *Gerhardus L. de Morte* §. 68. *Paulus*, ait, *de Eutycho dicit, anima ejus est in ipso, non quod Eutychus revera non fuerit mortuus, sed quia anima ad preces Pauli in pristinum domicilium mox erat reversura. B. D. Dannhawerus* vero *in Hodosoph.* proprie verba Pauli intelligit, & *solutam in eo corporis & animæ unionem, adeoque Eutychum revera fuisse mortuum, animam tamen in corpore adhuc fuisse, non informando, sed assistendo statuit.* Utram amplectamur sententiam, res ipsa salva erit: utraque enim vere mortuum & miraculose resuscitatum concedit Eutychum.

§. 40. At-

§. 40.

Atque hi quidem sunt bis-mortui, quos tales esse certo & infallibiliter novimus, sacrarum literarum persuasi autoritate: præter hos an qui sint alii, à Christo, Apostolis & Apostolicis Viris resuscitati, ut non negabimus, ita tantum nobis non sumemus, ut de re adeo incerta & dubia certi quid definiamus. Si qui tamen sunt, idem de illis, quod de nostris, statuendum fuerit.

§. 41.

Quæruntur jam de bis-mortuis hisce communiter aliquâ curiose magis quam necessario, aut etiam utiliter? Disputant Canonistæ, an talis sit in integrum restituendus? Sed hoc cum nostri non sit fori, nos JCtis relinquemus. Quærunt alii alia. Nos id unum considerabimus, quod à multis quæri solet, quinam harum animarum separationis tempore status, qui fuerit locus? Est sane & hæc ipsa quæstio in se supervacanea, posset que sufficere pie eruditis, scire, quod sint animæ ejusmodi in manu Dei, cui morientes pii spiritum suum commendant. Certe eam inter curiosas & tales, quæ docte ignorantur, refert *Lorinus in Actor. cap. 20: vers. 10. D. Sebastian. Niemann. in Dissertat. de distinctis Pontif. in inferno classibus, cap. III. §. 2. Hackspanius nott. ad 2. Reg. 13. vers. 21. B. D. Dannhawerus in Postill. German.* aliique. Sed cum non quieverit multorum procax industria, & scrupulum inde sæpe moverit piis mentibus, accedatque adversariorum ad hæc exempla provocatio, cum nos ex sacris literis duo tantum post hanc vitam ψυχοδοχεῖα dari probamus; nos ut his satisfaciamus pro viribus, id ostendere conabimur: Si maxime locum, in quo fuerint animæ, determinare atque invictis argumentis probare non valeamus, inde tamen tertium aliquod ψυχοδοχεῖον nullo modo posse exsculpi.

§. 42.

Difficile autem videtur certi aliquid investigare, cum ipsi, qui resuscitati sunt, nihil de statu intermedio retulerint, quantum quidem in Scripturis reperimus, aut etiam referre forte nihil potuerint. Statuit ita *M. Anton. de Dom. libr. de Republ. Ecclesiast. cap. VIII. §. 94. Quid*, inquit, *narrare potuerunt, nisi fortasse per modum somnii, cum in corpore rursus utendum fuerit phantasmatibus; quæ vero extra corpus intellexerunt, in phantasmatibus non servantur.* Non longe abit inde sententia Lutheri Commentar. ad Genes. cap. XLII. fol. 114. *Resuscitati à Christo nihil potuerunt testari, quam se dormivisse & decubuisse in lecto, & servatos esse in sinu Abrahæ, ut nunc in sinu Christi serventur.* Eodem recidunt, quæ habet *Musæus Disput. I. de Anim. separ. habita Witteb. Anno* 1661. §. 47. quamvis ille etiamnum dubitari posse asserat, annon aliquid de statu alterius vitæ retulerint resuscitati illi, eo quod ab autoritate negativa hac in parte non valeat consequentia. Quicquid hujus sit, nobis non videtur probabile, eos aliquid retulisse, non ob adductum à M. Anton. de Domin. rationem de diverso intelligendi modo, sed ob Pauli authoritatem, qui id, quod in tertio cœlo audiverat, vocat ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ, ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. 2. ad Cor. 12: 4.

§. 43.

Hinc merito inter nugas atque aniles Monachorum fabulas reputamus putidissima Pontificiorum commenta, quæ de aliquibus referunt post mortem reversis, & mirabilia multa de statu alterius vitæ renunciantibus. Est exemplum ejus generis apud *Bapt. Fulgosum libr. 1. factorum dictorumque memorab. cap. VI.* de Curina quodam, per errorem Spirituum, judicii ministrorum, ad tribunal raptato, cum illi alium ejusdem nominis fabrum ferrarium accersere debuissent. Hinc Curinam istum, ait Fulgosus, postea revixisse, narrasseque quæ interea viderit; fabrum autem illum ferrarium defunctum esse. Paria ex Gregorii Dialogis (quorum fidem & autoritatem ostenderunt *Robertus Cocus in Censura sua pagin.* 413. *& seqq. & Rivetus libr. IV. Crit. S. cap. XXIX.* vapulantes ideo *Labbeo Nott. ad Bellarm. de Script. Ecclesiast.* licet dissimulet, quid hac de re sentiant *Possevinus in appar. & Sixtus Senensis Bibl. S. libr. IV. pag. mihi* 294.) mutato vero Curinæ nomine in Stephani, refert Bellarminus apud *Dorscheum, Theol. Zach. Tom. I. cap. VII. Sect. III.* §. 102. & ridicule addit: *Hæc non fieri à Spiritibus istis vero errore, sed ut per istum quasi errorem, qui mortuus fuerat, revivisceret, & narraret viventibus tormenta, &c.* Hæc ille. At hunc tormenta inferorum hominibus narrandi modum Deo displicere aperte testatur historia Epulonis, (Luc. cap. 16.) qui mortui in hunc finem resuscitationem petens repulsam tulit, & ad verbum DEI in scriptis Prophetarum & Mosis remissus est, unde haurire tantum, quantum satis est, possint vivi. Regerit hic *Bisselius Jesuita Exempl. Trag. VII. pagin.* 109. *Non obtinuit istud Epulo dives, nec missus est Lazarus à mortuis ad vivos; non, quod missiones tales aut fieri non possent, aut non vere quandoque realiterque fierent; sed quod illis antiquæ legis temporibus aliter plerumque divino consilio voluntatique visum esset.* Verum quis hic non videt desperatæ causæ frustraneum effugium? Si enim in N. Test. hoc fieri potuit, imo factum sæpius est, cur non itidem in Veteri? *DEO*, inquit, *aliter visum.* At unde hæc Dei voluntas probabitur in N. Testam. mutata? Nos certe tamdiu eandem credemus perstitisse, donec aliud nobis argumentis idoneis, & ex sacris literis desumtis ostensum fuerit. Sed hæc obiter.

§. 44.

Revertimur ad rem ipsam, & quinam animarum talium separatarum status locusque fuerit, inquirimus. Et sane si sententias omnes de animarum post mortem loco & receptaculo spectamus, tot se sententiarum offerunt divortia, ut numerum etiam eorum inire sit admodum difficile. Occurrunt (1) illi, qui cum Epicuræorum grege una cum corpore etiam animam interire statuunt. Neque vero opinio, quantumvis adeo profana apud Gentiles solum (ut Aristoxenem Musicum, cujus meminit *Cicero I. Tusculan.*) invaluit, sed & in ipsa Ecclesia DEI & V. & N. Testamenti fautores reperit. Ita Sadducæi à Christo propterea refutati, Matth. 22. Ita Thnetopsychitæ hæretici, orti Seculo post natum Christum VII. & ante hos Arabiani Seculo III. qui docuerunt, τὰς ψυχὰς συνδιαφθείρεσθαι τοῖς σώμασι καὶ ἀναβιώσεσθαι σὺν αὐτοῖς: *Animas interire cum corporibus, & cum iisdem rursum vivificari.* Videri de iis possunt *Eusebius lib. VI. Cap. XXXI. Augustinus de hæresibus ad Quodvultdeum hæres. LXXXIII. Damascenus lib. de hæres.* Disputavit adversus eos Origenes, eosque ad Palinodiam adegit, teste *Euseb. l. d. cap. XXXVI. & Niceph. lib. V. cap.* 23. Eandem quoque hæresin profitentur theses editæ Cracoviæ Anno superioris Seculi LXVIII. *Negamus*, (dicitur ibi) *aliquam animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo, ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium & invocationem Sanctorum.* Pudet equidem alioqui Photinianos aperte profiteri hanc sententiam (præsertim de animabus piorum salvandis) tantopere Christianis omnibus abominabilem suo merito, sed cum illi omni animæ post separationem à corpore motum omnem & sensum, intellectum, memoriam, aliasque animæ facultates negent, & præterea etiam dicta Scripturæ ejusmodi nobis objiciant, quæ corporis pariter & animæ interitum præ se ferre videntur, quale est inprimis illud Matth. 10: 6. eos etiam dici posse animæ immortalitatem negare censet *B. Hulsemannus in Exposit. Ms. art. de statu Anim. separ. & redunit.* Horum autem φλυαρίας refutavit *B. Gerhardus l. de Morte* §. 149. *& seqq.* Nos hic id unum ex Hulsemanno, loco modo laudato addimus: *In loco supra adducto Matth.* 10: *vs.* 6. τὸ ἀπολῦσαι, *non referendum esse ad* τὸ εἶναι *animæ, sed ad* τὸ εὖ εἶναι, *quo pacto etiam Diaboli dicuntur perdi, quod certe non de eorum essentiali annihilatione, sed cruciatu saltem intelligendum esse, cuivis facile patet. Vid.* 2 *Petr.* 2: 1. 2. 3. 7. *Apoc.* 17: 18, 19. *Ep. Jud. vs.* 5. *Jac.* 4: 12. *Matth.* 25: 41.

§. 45.

Hæc de iis, qui immortalitatem animæ negarunt, atque adeo statuere hic cogerentur, nostros vel revera non esse mortuos, vel & animam & corpus unà resuscitata fuisse. Notandum autem, imputatam quibusdam hanc de mortalitate animæ sententiam præter verum, quod l. cit. notavit B. Hulsemann. Ita Origeni hæc sententia, sed falso, tribuitur ideo, quia spiritibus corpora etiam finxit, quod ostendit *Eusebius Hist. lib. VI. cap. XXXVI.* Pari modo Luciferianis affictum est, credidisse eos animam mortalem, quod dicerent eam ex transfusione generari, referente *Augustino de hæres. cap.* 81.

§. 46.

Credimus nos, SS. literarum secuti autoritatem, animam post corpus superstitem degere, quod quidem ipsum nobiscum plurimi & confessi sunt, & confitentur etiamnum, non magis

gis tamen inter se concordes, quam vel Philosophi, vel horologia. (ut ait Seneca.) Ita quidam statuebant apud Veteres, animas post mortem circa corpus aliquandiu desidere, & hospitium vetus, licet non inhabitare amplius, certe ægre relinquere, atque ita deinceps per morarum spatia in loca alia atque alia devehi atque deportari, donec fixam & duraturam perpetuo sedem sortiantur. Et videntur ab hoc Gentilium delirio (quod mortuos conclamandi apud eos ritum peperit) aliquid mutuati otiosi quidam & male feriati Monachi, qui animas defunctorum, circa corporum suorum sepulchra vagabundas atque errantes, populo simplici persuadere conati sunt. Et, quod mireris, sunt in hac sententia Jesuitæ *Conimbricenses*, qui *Disput. VI. de Anim. separ. art. XI.* statuunt: *Animas hominum post mortem ad tempus etiam in corporibus remanere, etsi non informent, idque non solum extraordinaria DEI potentia in uno atque altero exemplo fieri posse, sed semper & in omnium hominum morte naturaliter accidere.* Quibus consentit *Gregor. de Valent. Exam. Myst. Calvin. lib. II. cap. VIII.* Verum non fuisse tam propinquam corpori suo defunctorum nostrorum animam (si tamen secundum nonnullos Eutychum excipias) non solum ex V. T. sed & N. T. historiis patet, ubi subinde dicitur anima reverti (שׁוב & ἐπιςρέφ.) & bene notat ad Luc. 8: 55. Grotius: *Provide hoc (ἐπέςρεψε) adjecit Lucas, ut obiter doceret, animam humanam non esse κράσιν corporis, nec aliquid, quod cum corpore intereat, sed αὐτοπίςατόν τι, quod post exitum vitæ mortalis alibi est, quam ubi corpus. Id enim docet vox ἐπέςρεψεν.*

§. 47.

Consulto hic prætermittimus de animarum loco post mortem Gentilium vanissima somnia, quæ ex ipsis etiam saniores nonnulli risere. Quæ enim de campis Elysiis, de inferni regia, cymba Charontis, Cerbero, Lethe & Styge, apud Poëtas, & inprimis Senecam in Tragœd. leguntur, ea recitasse est refutasse. Nec vacat Platonicorum de communi ψυχοδοχείῳ sententiam excutere, in quod ille animas post mortem reduxit postliminio. Adstipulati illi sunt Judæi, dum simile aliquod Goph גוף finxerunt apud *Pokockium notis in Portam Mosis, R. Maimon.* & præter eos Bragmanes, quod videre est apud *Palladium & Ambrosium de Bragmanibus, quos edidit Bissæus pag. 22. 24. & 70.* denique etiam novissime sententiam hanc Platonis recoxit & interpolavit *Sandius in tract. de Orig. Animæ hum.* Nec prolixe immorabimur Pythagoræorum tantopere decantatæ μετεμψυχώσει quam tamen Philosopho illi injuria affingi probare satagit *Mornæus de verit. Relig. Christianæ, cap. XIV.* Videri potest de Platonis sententia *Ursinus in tract. German.* vom Zustand der gläubigen Seelen / *lib. III. cap. V. & seqq.* ubi ostendit, quantum Platoni sit propinquus Origenes. De Pythagoræorum vero opinione *idem l. cit. cap. IV. & πολυμαθέστατ⊕ Spizelius, Fautor & Præceptor noster omni observantiæ cultu venerandus, in Tract. suo de Re Liter. Sinensium Sect. XIII.* ubi vanissimæ hujus opinionis apud varias gentes originem & incrementa prolixe atque erudite deducit.

§. 48.

Non majoris momenti sunt Turcorum hac de re placita, ridicula sane & vel pueris incredibilia, quæ prolixe refert citatus modo *Pokockius. l. c. cap.* VII. Judæos quod attinet, sunt illi admodum inter se discordes, quod videre est in *Buxtorffii Synag. Jud. cap. XLIX. Apud Galatinum vero de Arcanis Cathol. Verit.* (& quem ille fidelissime secutus est *Jos. de Volsen in pug. fidei part. III. Dist. II. cap. VIII.*) communis Judæis quamplurimis sententia dicitur fuisse, mortuos omnes descendisse, & etiamnum descendere in infernum, quem illi varie distinguunt, ibique aliquandiu moratos demum judicari, an digni sint vita futuri seculi, an vero præcipitandi in שאל תחתיה seu *infernum inferiorem* & damnatorum receptaculum.

§. 49.

Fuerunt inter Christianos omni pene ævo, qui simile aliquid statuerunt, si non per omnia, saltim quoad plura sententiæ ejus capita. Referemus nos huc illos omnes, qui animas quascunque ante diem extremum non videre DEUM, sed asservari in custodia quasi aut certo loco, qui distinctus sit à cœlo beatorum, ibique quiescere otiose, & resurrectionem corporum suorum, atque cum iisdem redunitionem expectare asserunt. Etsi enim horum quidam, quos mox nominabimus, ψυχοδοχεῖον illud Paradisum, alii sinum Abrahæ, alii (*cit. Comar. loco sæpe cit. pag.* 180.) locum refrigerii, alii aliter appellent, omnes tamen eo tendunt, ut locum istum non gaudii æterni capacem, sed talem asserant, qui custodiæ potius, quam cœnaculi nuptialis similis sit. Videri possunt quos allegavit ibi *Comarinus & Montacutius Orig. Eccles. Tom. I. part. II. pag. 417. & seqq.* Quam autem mature hæc opinio invaluerit, & quos habuerit assertores, per Secula invicem succedentia patet ex *Sixto Senensi lib. VI. Bibl. S. Annot. CCCXLV. p. m.* 714. ubi eos allegat, qui sententiæ huic fuere addicti. Adducit autem hos secundum temporum seriem locatos: *Jacobum Apostolum in Liturg. div. Sacrificii, Irenæum, Justinum Martyrem, Tertullianum, Clementem Rom. Origenem, Lactantium, Victorinum Martyr. Pitabionensem Prudentium, Ambrosium, Chrysostomum, Aut. Oper. Imperf. in Matth. Augustinum, Theodoretum, Aretam Cæsareæ Episcopum, Oecumenium, Theophylactum, Euthimium Zigabenum, & denique Johannem XXII. Pont. Rom.* Audacius loquuntur *Remonstrantes*, qui huic sententiæ omnes ante Annum Christi CD. Patres assensum præbuisse scribunt *Apol. cap. XIX.* Addi potest supra citatis à Sixto Senensi autoribus etiam *Hieronymus in cap. IX. Zachariæ & Epist. III. ad Heliodor. de morte Nepotiani cit. Montacut. Orig. Eccles. p. II. pag.* 418. Videri etiam possunt *Antiquitt. Eccles. Excell. Dn. D. Præsidis passim & inprimis Sec. II. art. V. §. 10. Sec. III. art. I. §. 38. art. V. §. 13. & art. VII. § 71. Ursinus* vom Zustand der gläubigen Seelen / &c. *lib. 2. p. 92. 93.*

§. 50.

Damnata est hæc sententia in Anabaptistis, & dudum in Fratricellis, quorum autor Hermannus quidam Italus, jussu Bonifacii VIII. Ferrariæ exhumatus fuit & crematus, teste *Osiandro Cent. XIII. lib. IV. cap. IX.* Sentiunt quoque non absimilia Photinianorum nonnulli; & non longe inde abeunt Græci, qui, etsi purgatorium negent, pro defunctis tamen intercedunt, ut tolerabiliorem nanciscantur locum, teste *Kromajero Hist. Eccles. Cent. V. pag.* 177. quamvis Leo Allatius peculiari tractatu edito hanc assertionem ad Purgatorium trahat, refutatus propterea ab *Excell. Dn. Veielio in Defens. Exercit. Hist. Theol. de Ecclesia Græcan. hodierna art. V. de Purgat. pag.* 161. *& seqq.* Novissime denique prodiit *Anonymus Scriptor seriæ Disquisitionis de statu, loco & vita animarum separatarum*, qui ex his omnibus, quod visum est sibi idoneum, decerpsit, & sententiam de ψυχοπαννυχίᾳ varie incrustavit & perpolivit. Sed cum huic homini sufficientissime responsum sit ab *Excell. Dn. Præside in tract. sæpius allegato*, nos hic post Homerum Iliada non scribemus.

§. 51.

Quod ad Patres attinet, quorum supra ex Sixto Senensi & aliis mentionem fecimus, quique pro hac sententia forte etiam ab aliis adducuntur, notamus paucis: (singula enim eorum loca adducere atque examinare nimis prolixum foret) quædam eorum, quæ citantur, scripta, ut primum illud Jacobi Apostoli, esse supposititia; quædam vero loca ambigua & talia, ut commode adhuc & orthodoxe exponi possint, quædam etiam talia, ut conjectando quasi, non statuendo aut definiendo rem proponant, adeoque sententiam contrariam & veram non excludant. Orthodoxam vero sententiam præter modo laudatum Dn. Præsidem egregie quoque defendit *Musæus in citata aliquoties Disput. de statu anim. separ.*

§. 52.

Mentionem injecimus etiam supra Johannis XXII. Pont. Rom. cui hanc sententiam tribuunt Guilelmus Occam, & Hadrianus VI. Papa, (*teste Sixto Senensi l. c.*) & *Funccius in Chronol. sua ad A. C.* 1332. Verum hoc à Pontifice suo amoliri conantur idem Sixtus Senensis paulo post loc. cit. & *Sanderus de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7. p. m.* 394. Et ille quidem hoc apud probatos Scriptores non esse undequaque certum ait; Occamum infensum huic Pontifici, & Ludovici Imperatoris partibus addictum testem esse suspectum, & ob id in Concil. Trid. quantum ad hoc, reprobatum. Verum resp. Si damnatus est quantum ad hoc Occamus, damnandus etiam cum eo fuerit Adrianus VI. Pontifex, quem ipse Sixtus Occamo facit ὁμόψηφον. Conciliet sane inter se Sixtus Senensis Cadmæos fratres, Adrianum, & quem pro contraria parte adducit, Benedictum XI. utrumque Pontificem & scilicet infallibilem. Alterutrum sane necesse erit hic dormitasse. Sanderus ita eum excusat, ut dicat paratum fuisse audire partem alteram, item revocasse

vocasse etiam, quæ dixerit contra fidem, verum quomodo horum utrumque conciliari possit cum Papæ infallibili in controversiis fidei autoritate, ipse viderit Sanderus. Addit porro habuisse cum hanc sententiam communem cum multis Patribus, qui propterea hæreseos non accusentur. Sed respondemus nos, nostrum facientes illud *Cypriani ad Jubajanum*, quod citat *Exc. Dn. Præses Antiquitt. Eccl. Sec. II. art. V.* §. 10. *Quæ in illis fuerunt stipula, mysterio nondum satis dilucidato, ea in aliis posse fieri hæresin, post revelationem veritatis factam.* Abunde enim contradixerunt Johanni σύγχρονοι sui, & in his Benedictus, ipsius successor, cujus decretum verbotenus ex Alfonso de Castro recitat Sanderus. Denique ipsa Sanderi inconstans & titubans de hac re oratio bonitatem causæ, quam defendit, satis clare ostendit.

§. 53.

Hi itaque, quos enumeravimus, omnes animas nostrorum locarent in inferno, vel alio, quem sibi fingunt, loco, inter cœlum beatorum & infernum medio. Sed cum locus ille, ut quidem ab iis describitur, merum sit rationis figmentum, hæc quoque sententia ad decidendam quæstionem propositam nulli erit usui.

§. 54.

Examinandi nobis nunc veniunt Pontificiorum Theologi, & ipsi inter se non satis concordes, quanam in classe, quas in inferno diversas faciunt, collocandæ sint nostrorum animæ? Cum autem tres sint præter damnationis locum inferni apud Pontificios classes, Limbus nempe infantum, Patrum, & Purgatorium, de primo quidem, Limbo infantum, res clara est, quod vel ipsorum confessione nostrorum animæ eo non fuerint delatæ. De Limbo Patrum forte assererent nonnulli, fuisse inibi eorum animas, qui ante Christum resuscitati fuere; sed cum locus ille idoneo Scripturæ testimonio non possit probari, eadem facilitate, qua asseritur, rejicitur. Quin Limbum Patrum ex ipsius Alfonsi à Castro verbis egregie evertit *B. Dn. D. Dorscheus Theol. Zach. part. I. cap. VI.* §. 74.

§. 55.

Major Theologorum Pontificiorum pars easdem locat in Purgatorio, eo scilicet loco, unde animæ frequentissime emigrare soleant, & ad cœlestem patriam transferri, proinde neque incredibile esse, quasdam etiam in hanc vitam indidem revocatas esse. Non est nunc nostri instituti totam de Purgatorio doctrinam refellere, aut omnia, quæ pro eo adducuntur, argumenta, ad examen revocare; præstitit id dudum *Meisnerus in tract. de fictitio Pontif. Purgat.* Sufficiet hic ostendisse, quam nullo nitatur fundamento eorum argumentum, quod ex his ipsis resuscitatorum historiis pro Purgatorio eruere conantur. Præterquam enim quod de eodem ex ipsismet quidam dubitant, ut *Peltanus*, quidam etiam, ut *Bellarm. de Purgat. lib. II. cap. VIII.* iis animabus alium quendam locum, eumque optimum, qualis non est cruciabile illud purgatorium, assignant, nec per ipsorum hypotheses satis certo asseri potest, hosce omnes ingressos esse in purgatorium. Multi enim ex iis valde fuerunt sancti, quod negari non potest, v. g. de Tabitha & Lazaro, Christo tantopere dilecto. Jam autem secundum ipsorummet sententiam, qui sunt perfecti perfectione in viatorem cadente, à purgatorio immunes sunt. Taceo hic quod Pontificii statuunt, resuscitatos fuisse aliquos, quorum animæ in inferno fuerunt. Nota est fabula de Trajano ex inferis liberato à Gregorio M. item de Monacho, quem ob tres solum aureos, quos præter jus possederat idem Gregorius in articulo etiam mortis ab excommunicatione absolvere non voluerit, cujus tamen sententiæ postea pœnituisse ajunt Gregorium, ita ut hominem post dies XXX. liberaverit ex inferno. Est & alia hujus farinæ historia apud *Stengelium, Jesuitam, in l. de Judic. Part. homini post mortem impendente, cap. VI.* ubi ait, damnari tales ad infernum à DEO sub tali conditione, *donec hic vel ille Sanctus pro te oret &c.* Adeo etiam ipsi DEO reservationes mentales inesse probare satagunt Jesuitæ.

§. 56.

Supersunt duæ adhuc Theologorum sententiæ de Animarum istarum loco, quarum altera statuit, fuisse eas in cœlo beatorum, altera easdem collocat in loco tertio, qui neque cœlum fuerit, neque infernus, sed peculiaris & ab utroque horum distinctus locus, nullarumque præterquam talium animarum capax. Non caret utraque sententia nec suis difficultatibus, neque rationibus ad speciem firmis. Prior sententia placet *Comarino in Diss. sæpe citata*, posterior *Bellarmino & Stengelio, ll. cc. & ex nostris Meisnero de Purgat. Gerhard. l. de Morte, aliis.*

§. 57.

Impugnat horum sententiam Comarinus, eamque repudiat, eo quod, ut ipse ait, *nova sit & apud priscos Ecclesiæ Doctores inaudita*; deinde quod sit etiam *contraria Scripturæ & Antiquitati orthodoxæ*; denique etiam *faveat Pontificiorum Purgatorio.* Sed fortasse difficultates hæ utcunque sunt superabiles. Novam enim plane hanc sententiam vix quispiam dixerit, qui Veterum ea de re scripta evolverit. Sane cum Augustinus, vel quisquis autor est librorum de mirabil. Script. animas illas in cœlo fuisse, certo statuere non velit, in inferno autem non fuisse certo credat, necessum est & illi tertium ejusmodi locum dispensationis, ut eum vocat Comarinus, non plane visum fuisse incredibilem. Deinde quod ille scribit, Patrum ante Gregorium neminem, alium præter cœlum & infernum animarum locum novisse, id vix probari poterit per ea, quæ adduximus superius ex Sixto Sen. & aliis Patrum antiquiorum locis.

§. 58.

Et sane ponamus, Patres non injecisse ullam de loco ejuscemodi tertio mentionem, quemadmodum & Scriptura ipsa mentionem de eo nullam habet, inde non statim sequetur, hanc de loco tertio sententiam ipsis contrariam esse, cum & Patres & Scriptura S. de receptaculis animarum ordinariis, hi autem de extraordinario loquantur. Unde & illud patet, inepte hinc Pontificios pro suo purgatorio concludere, quod ipsi omnium animarum nondum plane purgatarum receptaculum faciunt ordinarium. Nec sequitur: Concedunt nostrates locum tertium extra cœlum & infernum, ergo purgatorium. Quid enim est à genere ad speciem concludere affirmative & definite, si hoc non est.

§. 59.

Vicissim tamen & Comarini sententia non paucis nec invalidis urgeri potest objectionibus. Probat is eam eo solo, quod adduximus, fundamento, nempe ex dualitate locorum, quæ in Scriptura & Antiquitate orthodoxa memorantur; sed quid ad hæc regeri possit, ex iis, quæ superiori thesi diximus, non est obscurum. Objiciunt præter hæc alii, (1) incongruum esse & à divina justitia alienum, eos, quos semel æternæ beatitudinis fecerit participes, in hanc miseriarum vallem reducere. Sed resp. potest: hoc non videri injustum, sed beneficii potius ingentis loco ducendum, quippe quod apud illos homines ingens vitæ alterius desiderium excitaverit. Neque amissam ab illis felicitatem sempiternam sine spe recuperandi, sed ad tempus saltim sepositam, eaque in re pro absolutissimo suo imperio Deum nihil in hasce animas statuisse æquo gravius. Regeritur (2) comprehensorem non posse esse viatorem, nec dari ut ex inferno, ita ex cœlo reditum, innuente id etiam Abrahamo Luc. 16:16. Verum & hic nodus solvitur distinctione sæpius allata inter id, quod fit ordinarie & extra aut præter consuetum ordinem liberrima DEI dispositione. Quod ad dictum allegatum Luc. 16. attinet, χάσμα illud μέγα non cœlum inter terramque, sed infernum inter & cœlum στηρίχθηναι, indeque iter in cœlum & via versa impossibile dicitur; ut taceamus scopum finemque hujusmodi ex cœlo reditus esse diversissimum, & præterea Theologiam parabolicam non esse argumentativam, si tamen parabola solum est, quæ ibi de Lazaro & Epulone traditur.

§. 60.

Restat præterea, quæ adducta sunt, aliud & difficilius, sed intactum Comarino: cum enim certum sit, animas horum defunctorum non fuisse à peccati labe immunes, (alioqui necessum esset, eas aut solo corporum contactu rursum pollutas, aut homines istos per reliquum vitæ, quod exegerunt, tempus impeccabiles, atque adeo & immortales fuisse) quomodo illæ cœlum beatorum, civitatem DEI sanctam ingredi, aut in eadem commorari potuerint, cum, teste Joh. in Apoc. 21:27. illuc non intraturum sit profanum aut impurum. Est hic nodus, cui solvendo non facile par fuerit quisquam. Interim faciet huc forte, quod suppeditat *B. Dn. D. Dannhawerus*, Pauli exemplum, qui & ipse, raptus licet in tertium cœlum,

lum, peccato postea non caruit, quod ipse testatur Rom. 7. Imo si possibile fuit Mosen, in corpore adhuc mortali, peccaminosum & ipsum, DEI præsentia frui intima, & στόμα πρὸς στόμα cum eo colloqui, forte non impossibile etiam duxerit aliquis, animas hasce sanctas in conspectum DEI admissas fuisse saltim ad tempus.

§. 61.

Fortasse autem duæ hæ sententiæ componi, & sine arbitris conciliari possunt hoc modo, ut distinguamus inter locum & statum animarum talium, concedamusque animas hasce in cœlo quidem fuisse, non tamen eodem, quo animæ cæteræ beatæ, statu. Ita in cœlo fuisse Paulum supra adducto loco, (ad 2 Cor, 12.) imo ipsum quoque Diabolum, diverso licet & fine & modo, (Luc. 10: 18.) ex Sacris constat. Sed nos eo non progrediemur, ut controversiam tantopere vexatam certo definire atque dirimere audeamus. Liceat nobis hic ἐπέχειν cum *B. Dn. D. Dannhawero Hodosoph. Phœnom. XII. p.* 1432. Quod enim summus Magister nescire nos voluit, illud nescire velle erudita est ignorantia. Sufficiat nobis ostendisse nullum omnino in hac re, quamcunque denique sententiam sequamur, Pontificiorum vanissimis de purgatorio commentis præsidium esse; firmoque etiamnum stare talo, quod ait *Augustinus Serm. de Tempore CCXXXII. Nemo se decipiat, fratres: Duo enim loca sunt, & tertius non est ullus*: (scil. ordinarie) *qui cum Christo regnare non meruerit*, (h. e. obtinuerit) *cum Diabolo absque dubitatione ulla peribit*. Atque hæc sunt, quæ de materia proposita disserere in animo fuit, si quæ hic παροράματα obrepserint, eorum ab æquo Lectore veniam facile spero, materiæ impetrabit gravitas & difficultas.

SOLI DEO GLORIA.

F I N I S.



IN-

INDEX RERUM, VOCUM & DICTIONUM HEBRAICARUM & GRÆCARUM LOCORUMQUE SACRÆ SCRIPTURÆ

Quæ in utroque hoc volumine

DISSERTATIONUM PHILOLOGICO-THEOLOGICARUM,

Tractantur, explicantur, illuſtrantur, aut confirmantur.

Numerus primus deſignat volum. I. *aut* II. *ſecundus paginam voluminis ; tertius paragraphum. Literæ* a. b. *paginæ columnam , ubi nulli aut longiores paragraphi adſcripti ſunt.*

A.

Καὶ

L.

M.

N.

O.

Oliveti

Q.


R.

S.

T.

V.

FINIS.





colorchecker CLASSIC
calibrite
mm